


Digitized by Google




Digitized by Google




Res. 2°
H.eccl.
332
1

Digitized by Google



4 Eccl. 332 (1



Domus S.S. Adelheidis et Caietani.

1 Bildnis
12 Karten
1 Tafel

25.7.78

Digitized by Google

H. E. 1289. a.

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII OPERA OMNIA

IN TRES TOMOS DIVISA.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII F.F.

Profeſſoris Batavi Primarii

OPERA,

QUATENUS COMPLECTUNTUR

GEOGRAPHIAM, CHRONOLOGIAM, ET HISTORIAM SACRAM *ATQUE* ECCLESIASTICAM

UTRIUSQUE TEMPORIS.



Hu. Eland fecit.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { CORNELIUM BOUTESTEIN, JORDANUM LUCHTMANS, JOHANNEM du VIVIE' cum ISAACO SEVERINO, } MDCCI.

Cum Privilegio D. D. Ordinum Hollandiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

GENEROSISSIMIS NATALIBUS,

SUBLIMI DIGNITATE

SUMMISQUE IN REMPUBLICAM

MERITIS

SPLENDIDISSIMIS

VIRIS,

ACADEMIÆ LUGD. BATAVÆ

CURATORIBUS,

D. JACOBO, BARONI WASSENARIÆ,

TOPARCHÆ OPDAMII, HENSBROEK, WOCHMEER, SPIERDIJK, ZUYDWIJK, KERNCHEM, TWIKELO, LAGE, &c. ILLUSTRI HOLLANDIÆ NOBILI, EQUESTRIS FOEDERATI BELGII MILITIÆ PRÆFECTO, URBIUM WILLEMSTAD, CLUNDERT, ARCIUMQUE VICINARUM GUBERNATORI, SUPREMÆ AGGERUM RHENOLANDIÆ PRÆFECTURÆ ASSESSORI. NUNC AD POTENTISSIMUM POLONIÆ REGEM, AD SERENISSIMUM ELECTOREM BRANDENBURGICUM, ALIOSQUE IMPERII PRINCIPES, LEGATO EXTRAORDINARIO, &c. &c. &c.

D. HUBERTO ROSENBOOM J. C.

TOPARCHÆ IN s'GREVELSRECHT, &c. SUPREMÆ HOLLANDIÆ CURIÆ PRÆSIDI, PRÆPOTENTIUM ORDINUM NOMINE AD CAUSAS ECCLESIASTICAS, SYNODUMQUE, DELEGATO, &c. &c.

D. HENRICO DE BLEYSWYK J. C.

REIPUBLICÆ DELPHENSIS VIRO CONSULARI, SOCIETATIS INDICÆ MODERATORI, POTENTISSIMORUM ORDINUM GENERALIUM COLLEGII ASSESSORI, &c. &c.

Digitized by Google

EORUMQUE COLLEGIS
REIP. LEYDENSIS
CONSULIBUS,

D. THEODORO SCHREVELIO J. U. D.
VII. CONSULI, NUNC ETIAM PRÆSIDI; QUONDAM AD COLLEGIUM ARCHITHALASSIUM QUOD AMSTELODAMI EST, NUPER AUTEM AD CONSESSUM ORDINUM GENERALIUM, DELEGATO.

D. DANIELI VAN ALPHEN J. U. D.
XI. CONSULI, AD CAMERAM RATIONUM PROVINCIÆ HOLLANDIÆ OLIM DELEGATO, URBIS LEYDENSIS NUPER PRÆTORI DIGNISSIMO.

D. ARNOLDO WITTENS J. U. D.
V. CONSULI, SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS QUONDAM PRÆFECTO, AD COLLEGIUM ARCHITHALASSIUM QUOD AMSTELODAMI SEDET, NOVISSIME DELEGATO, &c.

D. FRANCISCO A KERCHEM J. U. D.
NUPER JUDICUM LEYDENSIUM PRÆSIDI, ANTE AD CAMERAM RATIONUM HOLLANDIÆ DELEGATO.

NEC NON
AMPLISSIMO SPECTATISSIMOQUE VIRO,

D. JOHANNI VANDEN BERG J. U. D.
REIP. LEYDENSIS CLARISSIMO JUDICI, AC SENATORI, ILLUSTRIBUS ACADEMIÆ CURATORIBUS à SECRETIS.

Reddenda mihi tandem aliquando, Splendidiſſimi Proceres, ſtudiorum meorum ac laborum ratio eſt, magnis paſſibus ad metam communis mortalitatis properanti. Equidem ex quo iteratâ invitatione, accedente interventu Celſiſſimorum Ordinum, è Palatinâ Academiâ in hanc Veſtram accîtus fui Anno MDCLXX. *illuſtrâſſe me eandem variis ſcriptis, tàm Theologicis, quàm quæ ad Eccleſiæ Hiſtoriam pertinerent,* non ſine præconio laudis, addito deinceps Honoris titulo, quo ad elucubranda alia mea ſtimularer, & facto Senatusconſulto A.

MDCLXXXV.

Digitized by Google

MDCLXXXV. benevolè declarâſtis. Intelligebatis, & norunt laudatiſſima Nomina, quid interſit inter familiares recitationes, in orbem quandoque redituras, extemporaneo genere dicendi, non uno animi diverticulo ac ſuffugio, levi ſic aditu ad præmia; & inter ſcriptionem aſſiduam, multâ lucernâ, proprio commodo nullo, nec alio plerumque Auctoris fœnore, ſi excipias id quod in publicum cedit, quàm feſtinantis fati, ac lividorum ſæpè morſuum, ex quibus tamen nullum dolorem ſenſit Athenagoras, haud magis quàm ex Scorpionum ictu. Ac mea hæc quædam ſors fuit, Veſtro in Athenæo, per convitia & laudes, ὕβρεις τε καὶ εὐφημίας, animo immoto, fide intemeratâ, jugi contentione mentis, ſtadium à carceribus itâ decurrere; ut Amicis remiſſionem ſuadentibus ſeptuagenario jam propiori, & attrito XLV. penè annorum laboribus, repoſuerim illud Diogenis ſeneſcentis, *expecta donec metam attigero*. Sic exiſtimo, ILLUSTRISSIMI PROCERES, præclarè fieri aut ſcribi nihil ἄνευ φθόνου, imò nihili eum hominem eſſe cui omninò non invidetur, τοῖς οὐδὲν οὖσι, *qui nullo loco ſunt*, οὐδὲ εἷς ὅλως φθονεῖ. Et quod de Ægyptiaco genere dixit Platonizans Philo, βάσκανον εἶναι τῇ φύσει, id ipſum de genere Literatorum ingemuit omnis Ætas, etiam antè natum Ariſtarchum, & Longinum, & Hermogenem; imitaturo ſæpiuſculè improbam Anaphæorum conſuetudinem; τοῦ σκώπτειν τοὺς ἥρωας, καὶ κερτομεῖν ἀλλήλους, *projiciendi in Heroas, & in ſe invicem, ſcommata & maledicta*, ut ex Cononis Narrationibus alicubi Photius. Culparent ſtatuas etiam Polyclete tuas; hoc miſeri, quòd illis nemo placeat. Ego ſanè in commentando, manticæ propriæ memor, poſtergavi neminem, ſciens volenſque ſcripſi nihil vel ad deterendam alterius laudem, vel ad fovenda bella, vel ad faciendas lites novas, vel ad obtrectationem alieni nominis; niſi illorum fortè judicio quorum impetum repellere, ac furorem compeſcere neceſſe habui, Ampliſſimo Conſeſſu Veſtro innocentiæ meæ patrocinium, ac læſæ vel auctoritatis, vel exiſtimationis, ſuſcepturo non ſemel, conſignatis Tabulis. Sed neque aucupatus ſum vel gratiam aſſentando, vel quæſtum aliquem multa ſcriptitando, vel fumum mea qualiacunque venditando multo mangonio, aut aliquid mihi tribuendo, quod nulla vetuſtas exedat, ut exedit omnia, æra etiam & ſaxa. In omnibus reſpexi τὸ πάσης τέχνης τέλος, ſcilicet τὸ συμφέρον, τὸ χρήσιμον, nec quod *utile* ipſi *mihi* aut uni fortè, quod Sextus Empiricus culpavit in non uno genere Diſciplinarum, ſed quod eſſet χρήσιμον τῇ πόλει, *utile Civitati*. Loquuntur paginæ meæ, ac geſtit animus fuiſſe me inter primos, cui Veſtris auſpiciis hæc tradita Provincia eſt, ut ad Sacræ Hiſtoriæ, ac Doctrinæ Temporum, Locorumque, ordinatum ſtudium quà voce quà ſcripto ſubderem ſtimulos. Quò magis conferre iſtud plurimum ad omnes propemodùm Diſciplinas, & ad Civilem quoque ac Forenſem, judicio Veſtro comprobâſtis. Adeò quidem ut Rerum antè ſe geſtarum, ac vetuſtiſſimorum quorumvis ſacrorumque Rituum, cognitione animum perfuderint, quemadmodùm primi Legum Conditores, ipſe Moſes, qui *Muſæus* Numenio eſt, hinc Orpheus, Lycurgus, Solon, Charondas, Zaleucus, Eudoxus Cnidius, ità etiam primi omnis ſapientiæ in Græcis Antiſtites, indè ab Homero, Pherecyde, Pythagorâ, Thalete, Democrito, Socrate, Xenophonte, Platone, Ariſtotele. Addi his poſſent Scipiones, Varrones, Tullii, Bruti, Cæſares, Virgilii, Flacci, Naſones, Senecæ, Plinii, Plutarchi, Æliani, Antonini, M. Aurelii, Solini, Laërtii, Longini, Porphyrii, Jamblichi, id genus incluta ſub Romano Imperio Nomina: Et in Medicorum ordine φιλαρχαίους, præter Coum Senem, etiam Cteſiæ, Theophraſti, Nicandri, Aſclepiades, Dioſcorides, C. Celſi, Galeni, Sexti Empir. Oribaſii, Eunapii, Æginetæ,

tæ, plures alii. Ne dicam in Chriſtianis Philoſophis ſcientiſſimos Temporum ſe priorum, Juſtinos, Athenagoras, Melitones, Theophilos, Pantænos, Clementes Alex. Ammonios, Origenas, Minucios, Tertullianos, Arnobios, Lactantios, & qui hos exceperunt.

Iſtum verò quem SPLENDIDISSIMO NOMINI VESTRO inſcribo Theſaurum quendam omnis Sacræ Antiquitatis, quoad Loca, Tempora, & Rerum ſeu Iliacos intrà muros, ſeu etiam extrà, Geſtarum ſeriem, adhibito in infinitâ propemodùm varietate, atque Auctorum, ſententiarum, ſtudiorumque diſcrepantiâ, qualicunque judicio meo, nemini certè gravi, ut ſuſcipiatis pari benevolentiæ affectu, per eam quam habetis fidem ac ſolicitudinem pro incremento Literarum, ſupplex Vos oro atque obteſtor. Iſtud equidem affirmare ſuſtineo, quod ſi hæc ipſa quæ expono omnium oculis, intrà unius Auditorii parietes coërcita, prælegere modò ac tradere, pro demandatâ mihi Provinciâ, libuiſſet, ſuffeciſſent in ævum omne meum, ut ornatæ apud Vos Spartæ ac probatæ diligentiæ laudem promereri potuiſſem. Veſtra autem Decora, MAGNIFICI PROCERES, Tuam PERILLUSTRIS WASSENARI, pace belloque, domi & foris, in Senatu, in Acie, in geſtis nuper pro Republicâ Legationibus, incomparabilem prudentiam, ac fortitudinem, rarâ in Literas propenſione, iſtis apud nos ut præeſſes, conjunctam; Tuam, SPLENDIDE ROSENBOOMI, in Judiciis ſupremâ voce decernendis intemeratam fidem, in Sacris moderandis, tot inter affectuum ac ſtudiorum impetus, mirandam dexteritatem, in Muſis noſtris reſtituendis, inſperato cum fructu, ſolicitam in dies curam, in ſententiis enunciandis incredibilem dicendi vim atque auctoritatem; Tuam denique, CONSUMMATÆ SAPIENTIÆ BLEYSWICI, in adminiſtrandâ Republicâ integritatem, & promovendâ Eruditione, cujus tu verè es arbiter & deſignator, intentum jugiter animum, prædicare condignis laudibus, quia verſantur in publicâ luce hominum, ſupervacuum duco. Sed neque veſtram, REIP. LEYDENSIS QUATUORVIRI, poſt innutritam ſubactamque liberalibus diſciplinis mentem, intrà hujus Academiæ penetralia, deinceps quoque in gerendâ Republicâ, Civibus ſervandis, Urbe molibus cultu atque operibus exornandâ, & hac Muſarum Sede, æmulas quaſvis ſplendore nominis ſui facile ſupergreſſâ, tutandâ moderandâque, quam ſinguli conſecuti eſtis laudem, ſanè immortalem, hic jam locus eſt oratione verbiſque amplificandi. Facient illi quibus hoc negotii datum eſt, ut Hollandiæ noſtræ, quæ Eoi & Occidui Orbis compendium eſt, ac Fœderatæ Belgicæ præſidium, ut Leydæ etiam veſtræ, ex ſummis difficultatibus ſaluberrimis conſiliis totiens expeditæ, Hiſtoriam in Commentarios referant. Quemadmodum & Tuam, ELEGANTISSIME BERGI, in Miniſteriis publicis fidem, aut ingenii miram quandam facilitatem, aut oris ſimul & pectoris candorem verè niveum, aut officiorum in bonos omnes, cumprimis verò in Literatos, promptitudinem, efferent quotquot virtutem, doctrinam, & artes ingenuas colunt. Deus Opt. Max. det ILLI in cujus ſalute vertitur Fœderatæ Belgicæ, Eccleſiæ, omniumque tandem noſtrûm ſalus, GUILIELMO III. verè FIDEI DEFENSORI, ſemper INVICTO, det Supremis Æternæ hujus Reipubl. Moderatoribus, PATRIÆ PATRIBUS, det VOBIS, ſub Præpotentibus auſpiciis, ſed & Conſiliorum omnium Adminiſtro & quaſi Animæ, SPECTABILI HEINSIO, det (inquam) votis ad invidiam felicibus æternùm frui, permenſis longiſſimi ævi ſpatia. Datum Lugd. Bat. XXX. Dec. MDCC.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

Breviter exponens Auctoris inſtitutum, circa

GEOGRAPHIAM, CHRONOLOGIAM, ET HISTORIAM S.

LECTURIS S.

INgens quidem & aſpera Sacræ Antiquitatis ſeſe pandit ſylva, in quâ mille viarum flexus, & itineris undique impedimenta. Labyrinthus certè quidam eſt, in quo abſque fili Ariadnæi adjumento fallant, irremeabili errore, quæ hinc inde ſeſe offerunt ſequendi ſigna. Trivia ubique & quadrivia, ut abſque Mercurialibus ſtatuis, & perito ductore, tutò progredi vix detur. Ac primò GEOGRAPHIAM damus Sacram & Eccleſiaſticam, cujus præmiſeramus Epitomen modò quandam. Ubi in deſcriptione primi Orbis, ac Sedium Patriarchalium, vicinarumque his Regionum; Urbium Locorumque, apparebit incerta multa, multa à vero devia, aut vanâ traditione fulta, fuiſſe ſeu à Veteribus ſeu à Neotericis, pro certis, ſaltem pro veriſimilibus, tradita poſteritati. Sic in cenſendâ Palæſtinâ, qualis vel antè vel poſt adventum Iſraëlitarum fuit, etiam in deſcribendâ Hieroſolymâ, caſtigandi ſubindè etiam Joſephi, vel Hieronymi, vel Adrichomii, vel Ligtfootii, ſed eâ quâ decuit modeſtiâ, lapſus fuère. Pariter in enarrandis Chriſtianæ Eccleſiæ Sedibus, quà latè Romani Imperii ſpatia patuère, cum antè tum poſt tempora Conſtantini M. quæ alteram & potiorem hujus Geographiæ partem conſtituunt, quid à me præſtitum ſit, rerum fortè prolixo, ſed parco verborum apparatu, judicium perito Lectori permittimus. Patebit certè attendiſſe me ad præcipuas difficultates, ſeu in Urbium, Coloniarum, Metropoleôn, Locorumve, diverſâ apud Veteres, confuſâ nonnunquam appellatione, quod præcipuè ex Numiſmatibus & Inſcriptionibus liquet; ſeu in Provinciarum ac Diœceſeôn variantibus quandoque terminis aſſignandis; ſeu in Romani Epiſcopi juſtis limitibus finiendis, quos vehementer Allatius, Holſtenius, Carolus à S. Paulo, J. Bapt. Nicoloſius, id genus alii dilatarunt: Adhæc in mutationibus Locorum obſervandis quæ lapſu temporum, cumprimis poſt Barbarorum irruptiones, in Romano Imperio contigerunt, ut in Geographis veteribus (Strabone, Pomponio Melâ, Plinio, Ptolemæo, Itinerario Antonini, Tabulâ Auguſtanâ, Ammiano Marcellino, Jornande, Geographo Ravennate altero, & ſi quibus aliis) collatis non infrequenter vel inter ſeſe, vel cum recentiorum obſervatis, videre eſt. Præcipuè verò quæ ratio fuerit Eccleſiaſticæ Politiæ, quæ litigiorum vel mutationum cauſæ, ſeu in Oriente, ſeu in Occidente, quæ ſingularum ſæpè Eccleſiarum ratio, in enarrandis Diœceſibus, Provinciis, Metropolibus ſingulis, curatiùs ſignavimus. Denique non indiligenter percurriſſe me Provincias Barbaricas, in Aſiâ, Africâ, Europâ, nec pauca facientia vel ad ſitum, vel ad originem, atque appellationes Populorum, & ſeu tradita veteribus, ſeu inter eruditos controverſa, attigiſſe me, ſi non expediviſſe, citrà verborum pompam, rerum modò habitâ ratione, palam fiet harum rerum non ignaris.

CHRONOLOGIAM in duas Partes tribuimus, τεχνικὴν ϗ ἱστορικήν. In illâ Temporis omnis Diſtributionem variam inprimis pro diverſitate Gentium ac Populorum; præcipuas circà Annos, Menſes, Septimanas, Dies, Horas, prout hæc in Civili ratione, aut Sacrâ, apud cultiores, etiam barbaras Gentes, æſtimata fuère, difficultates; tum & temporum Characteres, Civiles, Chronicos, Naturales, in ſpecie Cyclos, Periodos, Æras, harumque tandem inter ſeſe, & cum Ærâ Chriſtianâ, connexionem, exemplis variis, etiam parachroniſmis Veterum, illuſtratam, quantùm patiebatur inſtituti hujuſce ratio, expedivimus. In hac verò expendenda fuère, primò quæ de duratione vel ſerie temporis Hiſtoricâ, ac diverſâ ſupputatione, ſtatuerint tùm qui ſecuti ſunt Codd. Sacros, eoſque vel Hebraicos, vel Græcos; tùm qui extrà Codices Sacros ſapuère Chaldæi, Ægyptii, Aſſyrii, Babylonii, Sinenſes, Attici, Græci indè à Trojæ Excidio: Quid præterea cenſendum, ad cognitionem hiſtoricam de annis Olympiadum, Urbis Cond. Nabonaſſari, Perſarum, de Ærâ Alexandreâ, Ptolemæorum, Seleucidarum, Antiochenorum, Urbium variarum in Oriente, etiam Julianâ, Auguſteâ, Actiacâ, Hiſpanicâ, &c. harumque initiis, quandoque controverſis. Deindè paulo diligentiùs inquiſitum fuit in annos Herodis, undè etiam vitium Æræ Dionyſianæ pellucet; cumprimis verò in annos Nativitatis, ac Paſſionis Chriſti, collatis veterum ac recentiorum ſententiis oppidò diverſis, iiſque uno quaſi obtutu in Tabellâ expoſitis, cum ἀπηχείᾳ qualicunque noſtrâ. Tertiò, Canonem Chronicum ad Epochas ſingulas Vet. Teſt. additâ Canonis declaratione, & ſolutione potiorum difficultatum, ſubjunximus. Quartò denique, Epochas nobiliores quæ illam Æræ Natalitiæ, & Paſſionis Chriſti, exceperunt, indè ab Epochâ Converſionis Paulinæ, exactas ad annos Æræ Dionyſianæ, etiam

Perio-

Periodi Julianæ, ſubdendas decrevimus. In ſingulis ità brevitati ſtuduimus, ut perſpicuitatem ſimul probaremus.

HISTORIAM *quod attinet, potuiſſem ſanè & hanc ipſam ampliorem verbis, & ſtylo diffuſiorem, Lectoribus exhibere. Satis habui nihil eorum intermiſiſſe quæ Fontes genuinos, tam ſacros quàm exoticos, aperirent; difficultates præcipuas enodarent; ac viam ſternerent, in rebus utriuſque Temporis, quales ſunt infinitæ, ad ſecernendum pretioſum à vili, id eſt, certa ab incertis & hucuſque dubiis, ſaniora à commentitiis, vel nuper inventis, fundata in Antiquitate, in conſonis Teſtibus, in ipſâ rei probabilitate, ab iis quæ nituntur criticâ ſagacitate, vel ingenio, vel hodiernis hypotheſibus, ac cauſæ magis quam veri ſtudio deſerviunt. Sic in pertractandis Epochis* IX. *ad quas Hiſtoriam Vet. Teſt. retulimus, miſſis ferè quæ magis obvia, aut inanibus conjecturis aſſerta, ea in chartam contulimus quæ vel Textui Sacro, vel factis hiſtoricis, iiſque ſæpè dubiis, lucem aliquam paucis verbis adderent, profuſo ac ſæpè otioſo diſputandi genere relicto Salianis, aut Natalibus Alexandris. Sic obſervabit paſſim Lector, multa de primordiis Gentium, de progreſſu Idololatriæ, de rebus Ægyptiorum, Arabum, Phœnicum, Græcorum quoad primas origines, ſic de rebus Perſarum, Macedonum, Syrorum, Ptolemæorum, deque Romanæ potentiæ incremento, ejuſve ſucceſſivis gradibus, dicta cum aliquo rerum delectu, quandoque etiam ex Nummis, & Epigraphis illuſtrata. In Hiſtoriâ* CHRISTIANA *ab ipſo ortu reſtituendâ, quam univerſam corrupiſſe Cæſarem Baronium evincent hæ paginæ, non infrequenter verò nimiâ credulitate Veteres ipſi obſcuraſſe, aut apocryphis & fabuloſis miſcuiſſe, aut pro ſuo quiſque judicio, vel in cauſam affectu, vel ſervitute, aut ſupinâ quadam facilitate, diverſimodè tradidiſſe, quid à me præſtitum fuerit, Lectorum erit, non perfunctoriâ lectione, ſed accuratiore judicii trutinâ, in ſingulis arbitrari. Seu jam primæ Eccleſiæ origines elucidandæ; ſeu Doctrina priorum Ætatum ritè diſcernenda; ſeu Chriſtiani Ritus omniſque Diſciplina ponenda in apertâ luce, per ſingula Sec. ſeu decantatæ Hæreſes, ab ipſis incunabulis, ex vero æſtimandæ; ſeu Hiſtoria afflictæ primò, tum liberatæ per Conſtantinum M. Eccleſiæ, hinc Filios, ac Succeſſores, à dubiis, obſcuris, commentitiis etiam plurimis, expedienda; ſeu ut Primatus Romanæ Eccleſiæ abiverit ſenſim in ſuprematum, tandem in uſurpatam ſuprà univerſalem Eccleſiam tyrannidem, mancipato ſibi Occidente toto, demonſtrandum; ſeu ſchiſmatis inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, jam indè à Seculo* VII. *nati, hiſtoria perpetuâ ſucceſſione, contrà Allatium præcipuè, vindicanda; ſeu Reformandæ Eccleſiæ in Doctrinâ, Diſciplinâ, Moribus, ipſâ judice Româ, neceſſitas aſſerenda, hinc Reformationis Gradus, Auctores, Loca, Media, Impedimenta, ac felix tandem promotio, Teſtibus nullâ ſpecie reprobandis, ac quandoque non obviis, medio è Papatu: Seu denique de factis innumeris, in utraque Hiſtoriâ, per ſingulas Eccleſiæ Ætates, ut ex Lemmatibus intelligitur, diverſis oppido ſæpè etiam adverſis narrationibus tradita, pronunciandum ſtatuendumque fuerit. Et quidem procul omni affectu, vel privato ſtudio, vel opinionis ſingularis, qui noſtrorum morbus eſt temporum, affectatione, ſolâ autem veritatis hiſtoricæ indagine. Neque tamen aſſecutum me in omnibus eſſe confido, aut cenſoriam paſſim virgulam evaſurum, præcipuè etiam conciſæ dictionis, dum res tot Commentationibus diſperſas, ac ſæpè declamatorio dicendi genere, quod vitium Annalium Scriptoris, deſcriptas, intrà hujus Voluminis ſpatium coërcitas ità ſuſcepi pertractare, ut nec verboſiùs ſcripſiſſe quicquam, nec rerum momenta ulla prætermiſiſſe, videri poſſim.*

Digitized by Google

SERMO ACADEMICUS
PRO COMMENDANDO STUDIO
SACRÆ ANTIQUITATIS,
RECITATUS IN AUDITORIO LEYDENSI,
QUUM PRÆLECTIONES
HISTORICAS AUSPICARETUR
A. MDCLXXII.

TRIA ſunt potiſſimùm rationum genera, ORNATISSIMI JUVENES, quibus hominis animus ad rei alicujus ſive contemplationem ſive amorem impelli conſuevit; dignitas nempè argumenti, utilitas, ſuavitaſque, quæ ſingula hominem ducere ſolent, univerſa etiam trahere, ſi non rapere. Et quod ſunt lanci pondera, id ſunt animo rationum momenta, quibus potenter ſuaviterque inflecti ſolet, ferrique affectu quodam in id quod in ſe eximium, ſibi autem utile, dulceque eſſe compererit. Quæ ſingula ut ſummâ conſenſione ad *Eccleſiaſticæ Antiquitatis* commendationem faciant, id verò mihi eſt in harum Inſtitutionum limine pauciſſimis enarrandum. Neque enim moramur contemptores animos, Suffenos ſibi ſolis, qui ſuorum modò ſtudiorum cupidi, quæ non ipſi tractant faſtuosè deſpiciunt, & ea ſolùm efferre laudibus didicerunt ad quæ illos ſeu fors, ſeu natura, ſeu ſtudiorum quædam ratio pertraxit.

Equidem ut à *nobilitate* ſermonem exordiar, ſi ſtatuerunt pretium Vetuſtati quotquot ſunt juſti æſtimatores rerum, quibus

eſt ingenii ſolertis eximium decus;

Si incredibili ſtudio fuêre vel conquiſita vel aſſervata quæcunque referunt imaginem

——— *vetuſti*
Moris, & antiquas teſtificantur opes;

Si conduntur in Regiis hodieque Gazis, exeſus rubigine Nummulus, Urnis conditi Cineres, vitiata ævi dentibus Saxa, & quæ priſco marmore Effigies ſtetit aut ære; quid magis in pretio æſtimioque fuerit Chriſtiani hominis, quàm veſtigia ſanctioris Ævi, & quicquid ex ruderibus piæ Vetuſtatis ad nos uſque tranſmiſſum? Si quicquid eſt vel fuit profanarum Religionum, quicquid penè Gentium quà patet Orbis, omnes venerabundæ Heroum ſuorum reliquias, exuvias, imagines, crepundia ipſa coluerunt, ipſimet olim Ægyptii, Phœnices, Græci, Romani, hodieque Indi, Chinenſes, Barbari, vulgatis exemplis, adeone hoſtes videremur inſanæ ſuperſtitionis, ut etiam ulciſceremur contemptu quodam veteris Religionis ac priſtini Sacri memorias, aut antiqui Moris monumenta? Si pretium operæ fuit ſummis Ingeniis, maximiſque Viris, inquirere in rem Nummariam, aut Veſtiariam, aut Militarem antiquorum; in eorundem Sacra, Feſta, Ludos, Certamina; in Ritus ac Conſuetudines Belli & Pacis, Fœderum, Nuptiarum, Conviviorum, Funerum, Judiciorum, Magiſtratuum; in Statuas, Inſcriptiones, Fabricas, Inventa, Publicas operas; in Artes, Diſciplinas, Sectas, Familias, haſque è Stoâ, aut Academiâ, aut Peripato, aut harâ Epicuri; imò etiam in voculas, literas, apices, lectiones antiquas, de quibus ut de ſummâ rerum inter principes eruditionis Criticâ ſagacitate litigatum eſt: Itanè nobis res ſacra vileſceret, in ſitu quaſi & ſqualore neglecta, ut cenſeremus digna minùs noſtrâ inquiſitione priſca Eccleſiæ Loca, Tempora, Fidem, Labores, Certamina; priſtinos Ritus, Cerimonias, Diſcipli-

Digitized by Google

nam; addam Doctores, Antiſtites, Concilia, Scripta, & quicquid Sacris Annalibus proditum? Id ſaltem, opinor, in confeſſo eſt, navâſſe publico egregiam operam, hinc ampliſſimis ſemper præmiis accîtos, qui Civilium memorias temporum, Imperiorum viciſſitudines, Rerumpublicarum ortus & interitus, fata Populorum, geſta Ducum, Macedonum aut Romanorum latè dominantium victorias, quin ipſas Urbium ac Municipiorum origines, Principum genealogias, Familiarum inſignia, Virorum Illuſtrium vitas vel enarrarent voce, vel chartis commendarent. Quanto autem dignius eſt noſtrâ diligentiâ iſtud argumentum, ex quo ut veræ Eruditioni lucis plurimum, ſic Fidei noſtræ roboris haud parùm accedit, imò quod eſt alterum hujus veluti fulcrum ac pedamentum? Quanto, inquam ego, præſtantius reſerare Archiva Eccleſiaſticæ Antiquitatis, pandere Judaicas & Chriſtianas origines, arceſſere è ſacris fontibus tot Gentium, Populorum, Linguarum, Fabularum, Paganarum Conſtitutionum, ac profanorum Cultuum primordia, & ducere lineam, perpetuâ temporum ſucceſſione, ab Eccleſiæ natalibus ad hanc quandam ejus ſenectam? Quanto certè nobilius contemplari Doctrinæ, quæ nos Cœlo infert, inſtar perennis fluvii è montibus Iſraëlis ſcaturiginem, propagationem, errores; cernere Eccleſiarum, quà Sol oritur & occidit, diverſas veluti phaſes, incrementa & decrementa, ortus & occaſus; ſtupere rem Chriſtianam modò afflictam, oppreſſam, extinctam, modò ſuis ex cineribus totiens ac glorioſè renaſcentem; vel etiam intelligere veteris Diſciplinæ, ac publicorum Rituum conſtitutiones, mutationes, aliorumque ex aliis, prout crevit ſuperſtitio aut libido dominandi, creſcentem ſine fine multitudinem? Quanto momentoſius eſt conſpicari naſcentes ex Orco Hæreſes, ex Lernæâ palude hydras, nulli Herculi ſoli ad extremum Chriſto, conficiendas; mirarique Tiberinum Pontificem ſucceſſivis auctibus ex Paſtore Principem, imò ex Homine Deum, ac Vicariæ poteſtatis obtentu Chriſtum ipſum de ſolio deturbantem? Denique quanto jucundius contueri Adſertorum tantæ Veritatis indè à primâ ætate, ut longiſſimam ſeriem, ſic fortem animum, mentem invictam, exitus triumphales,

——— *dignataque Nomina Cœlo*,

ad hæc Monumenta doctrinæ & ſanctitatis, quæ arrodere ſanè livoris dentes aut vetuſtatis, abolere autem nulli potuerunt? In quibus omnibus ut ſunt vera obſcuris involuta, certa dubiis, hiſtorica fabuloſis, genuina commentitiis; ſic cenſuiſſe illa acri judicio haud tam viſa eſt ignobilis opera, ut non eâ cumprimis aucupati ſint laudem eruditionis (nec excedam nunc Belgii noſtri finibus) Scaligeri, Emmii, Grotii, Voſſii, Cunæi, Heinſii, Salmaſii, Blondelli, Boxhornii, Gronovii, id genus Heroës, ut ſuperſtitum pudori parcamus,

——— *quorum ſe pectore tota Vetuſtas*
Condidit.

Sæpenumerò indignata mens mea, eſſe qui in hoc noſtræ mortalitatis modo ea conſectantur, quæ parum ſeu ad vitæ communis uſum, ſeu ad ſplendorem Literarum, aut tranquillitatem animorum faciunt. O quantum eſt inane in hominum ſtudiis, captantium perſæpè difficiles nugas, de fumo, de vocibus vitâ totâ diſceptantium, aut cum Nerone Iſthmum Corinthiacam perfodere molientium! Mihi credite, ſæpè parva, ſæpè ludicra, falſis ſub nominibus placent. Hic illaudatâ curioſitate veſtigare occulta, rimari Futuri temporis exitus; Ille neglectis quæ nos circumſtant ſola Aſtra contemplari, quin Sidera ipſa audaci cupiditate tranſcendere. Hic Thema natalitium erigere, quis Planetarum aſpectus naſcentes exceperit, quæ frontis quæ palmæ lineamenta anquirere, fata hominum coacturus ſub leges ſuas; Ille conſilii anxius agitare grandia, volvere ac revolvere animo res magnas, mox facturas abortum, intercipiendas ſpe fallaci, ac tenues in auras abituras. Hic mirâ diligentiâ, & pædagogico ſtudio, inquirere in errores Ulyſſis, in Penelopes procos, Jaſonis expeditionem, Homeri patriam, vel reciprocantis motum Euripi cauſas, oborturo etiam ex rei difficultate vitæ tædio vel magno Ariſtoteli; Ille verò conſeneſcere in unius Tullii admiratione, in unius quandoque Magiſtri vitiis imitandis, ut qui olim Demoſthenis impedimentum, Ariſtotelis

τραυ-

Digitized by Google

τραυλότητα, Marci Tullii verſus, aut Platonis elatiores humeros, præpoſterâ æmulatione effingerent. Hic ſollicitus modò eſſe, quàm benè dicat, non quàm utiliter faciat, vel quàm argutè diſceptet (*pleno ſæpè ventre*) de Jejunio, aut de Sobrietate, *merſâ in pocula mente;* Alius verſare & animum & libros in omnes partes, ut inveniat non vera ſed nova, quæ ſcilicet antè ipſum nemo, ſed & nemo poſt ipſum cogitabit. Iſte litare ſolis Muſis, ſoli Apollini, ut fluat carmen venâ liberiore, audiatque *nimis Poëta*, quod *vitium valdè periculoſum* Martialis ipſe cenſuit; Alter ſcurrilibus unicè capi, undè

multi oriantur riſus dulceſque cachinni,

vel etiam

——— *Sardois amarior herbis*

graſſari ſævo cum joco in fratres, in bonos, queis prudens eſt amata ſimplicitas. Et ſi revoco memoriam præteriti temporis, quid taceam Scholaſticorum vaniſſimum ſtudium, quo hoc unum egiſſe videntur ut in Sacrarium Dei temerarii irrumperent, ut Chriſtum triumphantem curioſiùs (quod *Mariæ* interdictum fuit) contrectarent, aut quæſtionibus ſtultis & otioſis ſe ſuoſque dementâſſe crederentur.

Verùm enimverò nemo ſit qui pari cum ſuperioribus loco habeat ſtudium hocce divinarum Antiquitatum, nemo qui *utilitatem* illius diffuſam per omnes propemodum Diſciplinas ſed maximè Sacram, me etiam tacente, non aſſequatur. Imò quo reconditâ magis fuêre eruditione Viri omnis Ordinis, hoc plus in illius amorem atque admirationem rapti. Et Vos præ cæteris hoc in limine volo, quotquot *Chriſtianæ Veritati* vel aſſerendæ vel vindicandæ operari animum induxiſtis veſtrum. Enimverò prout illa ſempiterna & antiqua res eſt, prout *verum eſt quodcunque primum*, ità nulli in eandem ſurrexêre Veritatem, ſeu occulto Marte ſeu apertò, qui non Gabaonitarum aſtum, fictâ ſpecie remotæ originis, dolumque advocaverint. Nulli hodiéque prima illius fundamenta ſubruere moliuntur, qui non errores repetant altiùs, & mentiantur ſeſe Filios Antiquitatis. O quantum (dixit ille) *Græcia mendax*, ſed ô quantum *Roma mendax* audet in Hiſtoriâ! Quas non contexere aut propinare fabulas *multo vigilatæ labore*, ſed ſervire tantùm natæ, *Onuphrii*, *Surii*, *Turriani*, *Baronii*, *Bellarmini*, *Binii*, *Genebrardi*, *Bzovii*, *Spondani*, *Rainaldi*, *Allatii*, *Labbei*, *Chifletii*, *Maimburgii*, *Schelſtratii*, *Bollandi*, & id genus Παπομανδύλων paginæ? Ut donare illi antiquo habitu heri & nudiùs tertiùs nata! Ut iidem Chriſti Apoſtolos, ut Diſcipulos LXX. ac primos Euangelii præcones ornare Petalis, Mitris, Tiaris, Apicibus, Lituis, Birrhis, Holoberis, Togis flammatis, Galeris, imò Radiis & Aſtris! Aut deturpare eoſdem quandoque horridâ ſpecie, puta Cilicio, Cucullo, Caputio, Scapulari, Tribonio, raſo nudoque vertice, diſcalceatis pedibus, lumbis reſte ſuccinctis; ne hodiernos Monachos exempla ſcilicet primi Ævi deſtituant! Ut Petri Apoſtoli, Ἀνθεοῦ ſeu *Vice Dei*, hinc Lini, aut Clementis imaginibus tantùm non ſubſcribere, quod olim iconi Alexandri, *Deo Cœlum illa Terra*, vel quod Choſrois alteri, *inter Homines Deus!* Ut quicquid eſt Romæ Dignitatum, quicquid Miſſatici apparatûs, quicquid Gentilis ſuperſtitionis, vel terriculorum quibus Populi continentur, adſcribere gnathones priſcis Ætatibus! Simulque fingere pro libidine ac refingere facta antiqua, ſupponere adulterinos fœtus, obſcurare apertiſſimos ſenſus, diſpungere, expurgare, eludere, torquere, pudore omni poſito, quicquid eſt adverſum hodiernis Moribus, & Tarpeiæ dominationi: Et iis quidem artibus quæ vel exercitatiſſimis in hac palæſtrâ ingeniis, ſi non fixêre crucem, certè laborem peperêre, minùs verò cautis fœdè impoſuerunt. Quid jam *Fauſti* illius Senenſis infauſtos Nepotes dicam, criminatos blaſphemiæ ſuæ ſacram vetuſtatem; cauſatos Trinitatem (horret animus meminiſſe!) vel Simonis pullum eſſe, vel Novatiani alicujus; commentos à Nicænis demum temporibus fuiſſe Filium Patri Deo adæquatum, nec adoptâſſe Catholicos, niſi quæ Hæreſium antè Monſtra genuiſſent? Quid memorem Pelagii vel Fauſti Regienſis, quid Neſtorii vel Eutychis, quid Marcionis vel Montani, quid Novati Donative hodiernas notaſque propagines, ſub larvâ Antiquitatis, ſub habitu veteris Diſciplinæ, imponentes mortalibus, planè turbonum iſtorum ad exemplum, qui ad tempora ſepriora pari jure provocabant? Quorum omnium ut intelligatur inter ſe conſpiratio, ut

Digitized by Google

larvæ detrahantur, ut abſtergantur fraudes, ut contumeliæ diluantur, ut retundantur ictus & infirmentur petita ex Antiquitate præſidia, quis vitio vertat ſi ſacrorum cumprimis Candidatos maturè adverſus ea ipſa muniendos arbitramur, ne ad Gorgonis illius conſpectum ſtupeant; ne etiam ſonent ignaris auribus frequentata, ac ſæpè non intellecta, nomina *Patrum*, *Hæreſiarcharum*, *Schiſmatum*, *Conciliorum;* tandem ne rudes ſint priſcæ Diſciplinæ, nullâ ipſis ideâ melioris ac ſanctioris Ævi.

Num verò etiam eos in hæc ſtudia vocavero, in horum & illos deſiderium accendero, qui Secularibus Diſciplinis applicantur? Vocari ſcilicet noſtra ad ſubſellia quotquot vel Politioribus literis, vel Civili prudentiæ, vel Forenſibus cauſis, aut etiam Medicæ arti, totos ſeſe conſecrarunt? Facio tamen, veniamque me facilem impetraturum eſſe confido. Enimverò, JUVENES, tractatis *liberiores artes* & ſtudia humanitatis! Sed quis veſtrûm neſciat, omnes Diſciplinas & Literarum ſtudia cognatione quâdam inter ſeſe contineri? Et quis in dubitationem vertat Antiquariæ hujus ſupellectilis multiplices uſus, non modò ad reconditam Eruditionem, ad politiorem Literaturam, & indagandas Rituum, Morum, Vocum ſæpè atque Appellationum origines, ſed etiam, qui Studiorum finis eſt, ad fomentum pietatis, vitæque in melius commutandæ incitamentum?

Replicatis haud pauci memorias Annalium, rerumque in Orbe geſtarum *Hiſtorias?* Ut ſunt, amabo, dextris innexæ, ut implicatæ mutuis amplexibus Sacra & Exotica! Ut non minus illa eſt Teſtis temporum, Lux veritatis, Vita memoriæ, Magiſtra vitæ, Nuncia vetuſtatis! Imò quo vetuſtiores ſeu Hiſtoriæ ſeu Fabulæ traduntur, ſeu ex utroque genere conflatæ, ex penetralibus Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabum, Phœnicum, Æthiopum, Scytharum, Serum, Brachmanum, Perſarum, Græcorum, ac Philoſophiæ Barbaricæ, hoc magis lucem fœnerantur collatæ cum S. Hiſtoriâ, & Moſaicis originibus, atque ad genuinæ Antiquitatis normam exactæ. Talia ſunt quæ de natalibus Populorum, Linguarumque ſucceſſivâ mutatione, de Diis Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorumve, de priſcis Thebani Jovis aut Hammonis Oraculis, de Divinandi modis per Teraphim, Taliſmanim, Siderum ἀποῤῥοίαν, Mortuorum apparitiones, de Scriptis fatidicis, de primis Heroibus aut Legiſlatoribus Gentium, atque id genus infinita, occurrunt ἐν τῇ πρώτῃ ἱστορίᾳ. *Civilem ſapientiam*, gubernandi nobiliſſimam artem excolitis, recturi populos & admovendi publicis rebus? Certè ſi princeps cura Magiſtratuum, quin Imperatoriæ Majeſtatis, eſt Sacrorum illa, quantum profectò convenit tantæ limites Dignitatis probè exploráſſe, adſtrinxiſſe concordiæ vinculo Imperium & Sacerdotium, ac didiciſſe ex priorum uſu temporum, quâ olim ratione ac prudentiâ, in moderandis Sacris, verſati ſint ſummi Seculi Principes?

Humanorum *Jurium* & forenſis prudentiæ audire amatis Candidati? Nil jam referam in hoc genere eruditionis conſultos Viros, & in notioribus *Baldos*, *Sabellicos*, *Budæos*, *Caſtellanos*, *Molinæos*, *Weſembecios*, *Hottomannos*, *Duarenos*, *Donellos*, *Cujacios*, *Alciatos*, *Wolfios*, *Leunclavios*, *Freheros*, *Thuanos*, *Limnæos*, *Goldaſtos*, *Godofredos*, *Pithœos*, *Ducheſnios*, *Briſſonios*, *Juſtellos*, *Gaulminos*, *Rigaltios*, *Peireſcios*, *Sarravios*, *Heraldos*, *Burdelotios*, *Seldenos*, *Valeſios*, *Carpzovios*, *Menagios*, *Grotios*, *Cunæos*, *P. Voetios*, *Goëſios*, *Maeſtrichtios*, aliosque vel hoc ipſo Immortalitati conſecratos: Percurrite modò Titulos *utriuſque Codicis* Veſtri, de Fide Catholicâ, de Religione, S. Trinitate, aut Baptiſmo non iterando; de SS. Eccleſiis, Epiſcopis, Clericis, Epiſcopali Judicio; de Monachis, Hæreticis, Apoſtatis; de Judæis, Samaritanis, Cœlicolis; de Paganis, horumque Sacrificiis & Templis: Inſpicite modò *Gratiani*, *Gregorii*, *Bonifacii*, *Clementis*, vel etiam *Johannis*, compilata ex Canonibus Veterum, & poſteriorum temporum uſu Decreta, verè *Extrà* limites poteſtatis *vagatura:* Cogitate *Orientales*, *Longobardicas*, *Carolinas*, *Francicas*, *Hiſpanicas*, *Britannicas*, de rebus pridem Sacris & Eccleſiaſticis cauſis, Leges ac Conſtitutiones: Advertite quantum ſæpe lucis fœnerentur Jurium Diſciplinæ ſacra geſta *Conſtantini* & *Filiorum*, *Joviani*, *Gratiani*, *Valentinianorum*, *Theodoſiorum*, ſic illa *Arcadii*, *Honorii*, *Marciani*, *Leonis Magni*, deinceps quoque *Juſtini*, *Juſtiniani*, *Mauricii*, *Pogonati*, *Leon. Iſauri*, ne jam ad *Carolos*, *Ludovicos*, *Othones*, *Henricos*, *Fridericos*, mea deſcendat Oratio: Et reputate cum animis veſtris, adeóne videri debeam importunus, ſi commendavero qualecunque ſaltem in hiſce tyrocinium, abſque

quo

Digitized by Google

quo nec datur Inſcriptiones ipſas capere, minùs aſſequi leges, expedire difficultates, diſcernere cauſas, rerumque explicare ac demonſtrare Origines.

Num verò & vos mihi appellandi eritis, *Artis Apollineæ* ſtudioſiſſimi Juvenes? Quinimò paradoxus demùm videri poſſim, ſi eam utilitatem, quæ ex noſtrâ Hiſtoriâ redit, ad ipſos quoque *Medicorum* filios pertinere affirmavero. Quid enim commune Hæreſibus & Morbis? quid Coi Aphoriſmis, & Patrum Canonibus? quid ſolutioni Continui, & diſtractioni Eccleſiarum? quid illinc Errorum, hinc Corporis affectuum, vel cauſis vel remediis? Neque repugno hactenùs, nec magnoperè faſtidientes ſtomachos ad hæc invito pulpamenta. Poſſem ſanè memorare dicendo Artis veſtræ Coryphæos, quorum hæ veriùs cupediæ fuerunt, quàm vel pharmaca vel aurum ex pharmacis. Proclive foret hanc Medicis laudem adſcribere, quod vix frequentiores alii rem Antiquariam vel tractârint, vel etiam exornarint. Obvii forent Utriuſque Hiſtoriæ, omniſque Antiquitatis, ſtudioſiſſimi in eodem Ordine, poſt ſuperiorum temporum Æſculapios (*Hippocratem*, *Cteſiam*, *Theophraſtum*, *Aſclepiadem*, *Dioſcoridem*, *A. Corn. Celſum*, *Sext. Empiricum*, *Galenum*, *C. Plinium*, complures alios) Ævi præcedentis *H. Junii*, *J. C. Scaligeri*, *Gemmæ*, *Bellonii*, *Goropii*, *Cardani*, *M. Adami*, *Camerarii*, *Wormii*, *Dalechampii*, *Peuceri*, *Vignerii*, &c. vel etiam Scriptores hujus Ætatis notiſſimi, *Bartolini*, *Beverovicii*, *Conringii*, *Jonſtoni*, *Patini*, *Deuſingii*, *Geſſelii*, *Sponii*, *Petiti*, *Sorberii*, *Lindani*, *P. Borelli*, *H. Meibomii*, *Car. Drelincurtii*, & ſi qui plures, haud obſcuri nominis. Quin nec injuriâ obſervarem quantum Medicæ rei commendationis acceſſerit à Chriſtianâ Antiquitate, à beati Lucæ exemplo, ab honoribus & privilegiis per Gratianos, Valentinianos, Theodoſios, Honorios, alioſque in Eccleſiâ Principes, collatis in *Medicos* & *Archiatros*, qui tamen abjectiore nonnunquàm loco fuiſſent in Græcâ & Romanâ antiquitate, ut ſunt hodieque plurimis per Orientem & Africam Populis. Id modò in hanc rem dicam, quod negare nullus ſuſtineat, & Medici & Chriſtiani cujuſcunque intereſſe plurimùm, ut fidei ſuæ, ſacrorum ſuorum, perſpectas habeat Origines, cognitos Teſtes, Vindices, Aſſertores: Quo vel ſolùm nomine expedire omnibus hoc quicquid eſt ſtudii, nec quemquam eſſe qui notitiam melioris Ævi ut à ſe alienam aſpernari jure poſſit, quis ægrè largiatur?

Nequicquam verò de *utilitate* verba facio, niſi *ſuavitatis* condimentum accedat. Diogeni de ſapientiâ differenti aures nemo commodare, canenti & modulanti præbere omnes: Hinc ille, *O Dii immortales, quàm pauci utilibus, ſtultis quàm multi capiuntur!* Verùm ea demùm digna noſtris ſtudiis contemplatio eſt, quâ miſcetur utile dulci. Dulce omninò gratumque eſt in exoticis Diſciplinis eruere vel voculas, minutias, è ruderibus primæ Antiquitatis. Doctorum fuêre hæc ſemper aucupia, uti Saxa antiqua, Inſcriptiones vetuſtæ, deformata Marmora, rudes Nummi, Fictilia etiam, & Vitrea, & multo ſitu obducta, ſolo nomine vetuſtatis grata jucundaque. Quanto autem ſuaviùs afficiant illa, quæ ut conſpicua eodem habitu, iiſdemque ſæpè monumentis, ut primâ ſui origine è Cœlo orta, ſic rerum ſeu momentis, ſeu uſibus, ſeu infinitâ propemodum varietate, priora multis ab ſe ſpatiis relinquunt! Nihil hìc jam occurrit, quod cujuſquam ingenium vel ſublimitate tranſcendat, vel difficultate terreat, vel ſubtilitate vehementer exerceat. Non vos, *Lectiſſimi Juvenes*, ad Temporum calculos, non ad Chronologorum ſcrupula, non ad Cyclorum periodos, non etiam ad Doctrinæ ſolius, vel Hæreſium, vel Schiſmatum, faſtidioſam multis contemplationem invito. Offerunt ſeſe quaſi perpetuo agmine quæ auribus veſtris ſuaviter illabantur, ſuique cupiditate magis ac magis inflamment. Juvabit ſupergreſſos tot ſeculorum ſpatia, intellexiſſe Antiquitatis cum noſtrâ ſcilicet Novitate concentum, vidiſſeque nubem illam Teſtium, conjunctis animis & votis & linguis, converſam in eundem fidei Principem, ac ſpe eâdem nobiſcum erectam. Juvabit adſpexiſſe illum Jeſum quandoque medium inter Candelabra ambulantem, intentis undequaque in Eccleſiam ſuam oculis, quandoque etiam dormitantem & permittentem Naviculam ventis, ſcopulis, quandoque verò excitatum ſuorum clamoribus, componentem graviſſimos motus, & præſtantem inſperatam ſuis ſecuritatem. Recreabit cognoviſſe primæ ejus Ætatis, cui veriùs quàm Poëtarum illi eſſet ab *auro* nomen, *ferrum inter & ignes*, fidem, ſimplicitatem, innocentiam, ſacramenta

Digitized by Google

denique quibus ſe non in ſcelus aliquod, ſed in mutuam charitatem, in animi conſtantiam, in virtutum omne genus obſtringerent. Eriget quodammodò audiviſſe extremas tot *Martyrum* voces, dùm medii hi inter equuleos, rogos, laniatus, nec morientes deponerent animos, imò hanc morientibus ſortem ſuperſtites inviderent;

—— Quiſquis ad pyram jacet, Felix vocatur!
—— Mene Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe!

Delectabit obſervâſſe eam *Diſciplinæ* ſeveritatem, gravitatem ſacrorum *Ordinum*, majeſtatem *Conciliorum*, *Canonum* ac *Conſtitutionum* ſanctitatem. Perfundet quâdam voluptate perſpexiſſe *Rituum* ſuccedentem illam pompam, ſeu coirent in publicos *Cœtus*, ſeu tingerent ſacro *Baptiſmate*, ſeu *Lapſorum* patientiam exercerent, ſeu miniſtrarent *Menſis*, *Altaribus*, ſeu *Feſtis* diebus, *Stationibus*, *Collectis*, *Vigiliis*, aliiſque id genus ſacris, detinerentur. Poſtremò & animum excitabunt *Pontificiæ* cùm dominationis, tùm ſuperſtitionis primordia, progreſſus, faſtigium quoddam; adhæc tot rerum novarum quas invexit ſequior Ætas, puta *Dignitatum*, *Officiorum*, *Beneficiorum*, *Conſecrationum*, *Unctionum*; ità *Feſtorum* ſine fine, *Miſſarum*, *Litaniarum*, *Votorum*, *Ordinum Monachalium*; ità τῆ Ἀρτολατρείας, aut cultûs *Reliquiarum*, *Crucis*, *Imaginum*, *Sanctorum*, *Virginis*, cujus ubique fumant

——— & vallantur planctibus aræ;

ità *Quadrageſimæ*, *Jejuniorum*, *Proceſſionum*, *Indulgentiarum*, *Confeſſionum*, aliorumque immodicæ ſuperſtitionis, tenues quidem, ſæpè obſcuræ, ſed ſucceſſivis gradibus progreſſuræ origines in eam Rituum multitudinem, quæ umbras priſtini Tabernaculi, & Lampadum in eo accenſarum ſpeciem, & jugum graviſſimæ Servitutis, imò ipſiſſimas ſuperſtitiones Gentium, intempeſtivè revocârunt.

Et hæc ſunt, ſurgens tu ad omnem laudem, decus omne, *Academica Juventus!* hæc ſunt quæ non meæ quidem eruditioni, ſed tamen fidei, ſed induſtriæ commiſerunt *Ampliſſimi* hujus Academiæ *Proceres*. Hæc ſunt quæ per vaſtiſſima Eccleſiaſticorum Annalium, & Monumentorum omnis Ævi, & recentiorum Commentationum, ſpatia diffuſa, pluribus vivâ voce declaranda, iis exhibebimus in quos claudi commoda ulla, aut ſtudia noſtra, nefas exiſtimamus. Nec ſubſiſtimus intrà jejunos compendiorum limites. Siquidem non me clàm eſt graviſſimum judicium maximi *Caſauboni*, præfaturi ad Polybii Hiſtoriam, nempè *Epitomarum ac Compendiorum confectionem* eſſe Literarum *aliam peſtem*, idque genus ſcriptionis, *ut ad privatum conficientium uſum non parvas habens utilitates*, *ità publicè noxium*, *& magnis Scriptoribus ſemper fuiſſe exitioſiſſimum.* Quanquam abſit ut digitum intenderit Vir ſummus in eos, qui primùm ad iſta ſtudia animum adjungunt, aut etiam qui, excitandis iis & quaſi manu ducendis in adyta ipſa Antiquitatis, in Academiis præſunt. Neque magis culpari debet inſtituti hujuſce ratio, quàm illorum qui viam complanant ad ardua & multis inacceſſa; vel præguſtandas exhibent apparatæ menſæ cupedias, injiciendo deſiderio; aut qui latentes in imo theſauros recenſent optimâ fide, & cernendos ſiſtunt uno quaſi obtutu, accendendæ cupiditati. Nec vitio Geographis vertitur, quod Terrarum immenſos tractus in Tabulas contrahant, Regiones, Provincias, Urbes, Vicos, Climata, ac cætera in anguſto deſignent, quibus in Deſcriptionum ampliorum lectione ac cognitione juvemur. Sed non in veſtibulo hærendum, nec à limine ſalutanda hæc ſtudia, quæ quo penitiùs introſpecta, hoc magis interioris notitiæ cupidine animos accendunt.

Cæterùm ut nec mea nec aliorum vota, inter multiplices curas, & in illâ rerum ubertate, adæquare potero, ità veniam qualicunque ſtudio apud æquos & candidos rerum æſtimatores promerebor. Nunc *voto* finire mihi liceat, ut meo qualicunque ductu poſthac Auditorum noſtrorum mentes, à litigioſis & inutilibus (præterquàm rebus Eccleſiæ & Reipublicæ perturbandis) ad placidiora & graviora ſtudia convertantur! Utinàm extaret Sacræ Hiſtoriæ hic fructus, quo hæc noſtra Tempora ex prioribus emendarentur, & præterita illa ac ſuperiora naſcentis Eccleſiæ, poſtliminio Belgicæ noſtræ Orbique Chriſtiano redderentur! Fieret certè aliquando ut, redditâ tandem Eccleſiis com-

Digitized by Google

compluribus pace, in eos ſolos arma verterentur, qui vel Deo Opt. Max. vel Chriſto Domino, hoc eſt illius ſive Providentiæ ſive Gratiæ, hujus ſive Dignitati ſive Merito, bellum indixêre miſeri. Arcerentur tandem aliquando ab Eccleſiæ liminibus fraterni motus, *cognataque bella*, à Miniſtris ambitio, à Paſtoribus mollities, à Doctoribus novandi cacoëthes, à Scripturarum tractatione ἰδία ἐπίλυσις, à Sacris aut venalis dextra, aut ambitûs familiariſſimum crimen. Per nos quidem, modò ſine nobis, unus in Terris homuncio Dei unîus in Cœlis ſibi jura vendicaret; atque etiam alii in otioſas Dignitates graviſſima Officiorum onera converterent; noſtrarum modò partium memores, & ſanctioris Ævi, videremur. Proſcriberentur à Doctrinâ, quæ ſecundùm pietatem eſt, hominum commenta, divinâ ſpecie veſtita, à Regimine tyrannis, à Diſciplinâ indulgentia, à Ritibus ut ſuperſtitioſa vanitas, ſic quandoque nimia ſimplicitas, à Cultu denique quicquid profanarum Gentium impiâ æmulatione in praxim Chriſtianam irrepſit. Non imperaretur ampliùs at ſuaderetur fides, Verbo veritas non ferro, non malis artibus, propagaretur; & audirentur Viri Dei; non *Viri ſanguinis*. Ad extremum, ſingulis ad veterem formam revocatis, minùs forent Chriſtiani in diſputationibus, plus in orationibus, & in operationibus prompti: Exularent ab animis odia, à ſcriptis virus, ab affectibus livor, ab errore pertinacia, à populis Scripturarum ignorantia: Regerent Magiſtratus, invigilarent Epiſcopi, paſcerent Miniſtri, adſererent communem Patribus fidem Doctores, & felices illorum auſpiciis, horum curis agerent Chriſtianæ plebes, in præludium quoddam æternæ Pacis ac Tranquillitatis.

IN

Digitized by Google

IN

PRIMARII

REFORMATI ORBIS

THEOLOGI

F. SPANHEMII, F. F.

VASTÆ ERUDITIONIS

OPERA

SIMUL EDITA.

VT *rutilant collecta ſuo tot ſidera cœlo,*
Grande quibus ſparſis jam fuit ante decus!
Singula, mens, oculis quid mirabunda pererras?
Perſtringunt oculos Lumina tanta tuos.
Siſte igitur, mea Muſa! Stupens venerare ſilendo,
Carmine quæ tenui non temeraſſe decet.
Sola docere poteſt factis, non altera verbis,
SPANHEMII *meritum* SPANHEMIANA *manus.*

GERARDUS DE VRIES.

Digitized by Google

Carmen ſerius exhibitum.

AD
CELEBERRIMUM THEOLOGUM ET INCOMPARABILEM POLYHISTORA,
D. D. FRIDERICUM SPANHEMIUM,
CUM
SUA OPERA, TANTOPERE ERUDITO ORBI DESIDERATA, EDERET, PRODEUNTE PRIMO VOLUMINE,

ELEGIA.

ERGÒNE, Spanhemî, fatum ſuperaſſe videris,
Ut tandem hoc ingens exigeretur Opus!
At Tu ſolus eras, qui nos hoc fonte rigares,
Quô nullus toto ditior orbe fluit.
Quidquid enim extrema latuit caligine pandis,
Urget & incertis credere veſtra fides.
Si mediæ fuerint ætatis operta recludis,
Et velut αὐτόπτης Teſtis adeſſe queas.
Purpura papicolæ ſi fallat ſacra Baroni,
Pallet & hic mendax fabula, juſſa, ſilet.
Ecce cadunt Idola, ut Divûm Turba, Sacerdos
Maximus & celſo culmine Roma ruit.
Proditur ex Cathedra Meretrix dominata per orbem,
Monſtrum, horrendum, ingens; proh Latiale Caput!
Quid te habuit ſcelus hoc ut Tu, Blondelle, negares?
Digna fuit veſtrô Roma cruenta ſtylo?
Abluit os Babylon, nec vult ſtuprata videri,
Sed tacet ad Lites, o Friderice, tuas.
Quin Petrum minimè Italiam vidiſſe probaſti,
Quî potuit Romæ diſpoſuiſſe thronum?
Cur Succeſſor erit Tarpejo fulmine ſævus,
Qui furit & Chriſti Membra fidemque ferit?
O Miſeras hominum mentes, quas faſcinat uſque
Fucus & Idoli cœca Superſtitio!
Tum libuit Sacræ Sedes depingere gentis;
Ut patet in propriis Natio quæque locis!
Sive Chananæam luſtres, ſive ordine terras,
Quas Chriſtus domitas ſubdit ubique ſibi.
Denique Poſteritas mirabitur ultima dici
Plurima tam paucis, Judice vel Tacito.
Mi Friderice potes quod nunquam dextra virorum;
Scilicet in Doctis Regia Sceptra geris.
Vive ergò, Vir Magne, diu, quin Neſtoris annos,
Et redeat novus in membra animumque vigor!
Quàm precor ut cernas hos Te exegiſſe Labores,
Ut maneat meritis nomen honoſque Tuis!

Honoris ergò cecini,

MELCHIOR LEYDECKER
S. S. Th. D. & Prof.

Ipſis kalendis Januarii,
Anno 1 novi Sæculi.

PRIVILEGIE.

De Staten van Hollandt en Weſtvrieſlandt: doen te weeten. Alſoo Ons vertoont is, by Frederik Spanheim, Doctor ende Profeſſor Primarius Theologie in de Univerſiteyt tot Leyden, dat den ſuppliant genegen ſijnde te doen drucken verſcheide van ſijne wercken, als namentlijck, *Introductio ad Chronologiam*, *ad Geographiam*, *ad Hiſtoriam Sacram Veteris & Novi Teſtamenti*, *item Diſſertationes Hiſtoricas* ende andere wercken, *Hiſtorica of Theologica*, ſoo den ſuppliant ſelfs meende uit te geeven, ende alzoo daar op groote onkoſten ſouden loopen, ende den ſuppliant niet geerne ſoude ſien, dat de voorſchreeve boecken door andere in het geheel ofte ten deele wierden nagedruckt, ofte in deeze Onſe Provincie verkogt; ſoo wiert den ſuppliant genootſaackt hem te keeren tot Ons, onderdaeniglijck verſoeckende, dat het Onſe beliefte ſy, hem ſuppliant te Octrojeren, omme de voorſchreeve boecken int geheel ofte ten deele in ſoodaanigen formaat, als hem ſoude goet duncken, te doen drucken en verkoopen, door ſoodaanige perſoonen, als hy daar toe ſoude committeren, met ſpeciaal verbot, op ſeeckere groote pœne by Ons te ſtatueren, aan een eygelijck de voorſchreeve boecken, ofte Tractaten int geheel, ofte ten deele naa te drucken, of gedruckt ſijnde in deeſe Onſe Provincie te brengen ofte verkoopen, ende aan hem ſuppliant vande voorſchreeven onſen Octroje, te verleenen behoorlijcke brieven in ordinaria forma; SOO IST, dat wy de ſaacke en t'verſoeck voorſchreeven overgemerkt hebbende en geneegen weſende ter beede van de ſuppliant uit onſe regte wetenſchap, Souveraine magt en authoriteyt, den ſelven ſuppliant geconſenteert geaccordeert, ende geoctrojeert hebben, conſenteren, accorderen en octrojeren mits deeſen, dat hy geduurende den tijt van vijftien eerſt achter een volgende jaaren de voorſchreeven boecken genaamt, *Introductio ad Chronologiam*, *ad Geographiam*, *ad Hiſtoriam Sacram*, *Veteris & Novi Teſtamenti*, *item Diſſertationes Hiſtoricas*, en andere werken, *Hiſtorica of Theologica*, binnen den voorſchreeven onſen lande alleen ſal moogen drucken, doen drucken uitgeven en verkoopen, in dien verſtande nogtans, dat door deeſen Onſen Octroje niet ſullen werden geprejudiceert de druckers, die eenige boecken van den ſuppliant, en daar van hy ſelver Auteur is, hier bevoorens ſouden moogen hebben gedruckt, ofte die de ſelve als nu ſouden moogen onder handen, en de pers hebben, verbiedende daarom allen ende eenen eygelijcken, de ſelve boecken int'geheel of ten deele naar te drucken, ofte elders nagedrukt binnen den ſelven Onſe Lande te brengen, uit te geeven ofte te verkoopen, op verbeurte van alle de naargedrukte, ingebragte, of verkogte exemplaaren, en een boete van drie hondert guldens daar en booven te verbeuren, te appliceren een derde part voor den Officier, die de Calange doen ſal, een derde part voor den Armen der plaatſe daar het Caſus voorvallen ſal, en het reſterende derde part voor den ſuppliant; alles indien verſtande, dat wy den ſuppliant met deſen onſen Octroje alleen willende gratificeren tot verhoedinge van ſijn ſchade door het nadrucken van de voorſchreeve boecken, daar door in genigen deelen verſtaan den inhouden van die te authoriſeren, ofte te advoueren, ende veel min het ſelve onder onſe protectie en beſcherminge eenige meerder credit aanſien ofte reputatie te geeven, nemaar den ſuppliant in cas daar in iets onbehoorlijck ſoude moogen influeren, alle het ſelve tot ſijnen laſte ſal gehouden weeſen te verantwoorden, tot dien einde wel expreſſelijk begeerende, dat by aldien hy deeſen onſen Octroje voor de ſelve boecken ſal willen ſtellen, daar van geene geabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie ſal moogen maacken, nemaar gehouden ſal weeſen het ſelve Octroy int geheel en ſonder eenige omiſſie daar voor te drucken, ofte te doen drucken, en dat hy gehouden ſal zijn een exemplaar van voorſchreeven boecken gebonden en wel geconditioneert te brengen inde Bibliotheecq van Onſe Univerſiteyt tot Leyden, en daar van behoorlijk te doen blijcken, alles op pœne van het effect van dien te verliezen; Ende ten einde den ſuppliant deeſen Onſen conſent en Octroje mooge genieten, als naar behooren, laſten wy allen en eenen eigelijcken die t'aangaan mag, dat ſy den ſuppliant van den inhoud van deeſen doen, ende laaten gedoogen, ruſtelijck, vredelijck, en volkomentlijk genieten, ende gebruicken, ceſſerende alle belet ter contrarie. Gedaan in den Hage onder Onſen grooten Zegel hier aan doen hangen op den elfden Juny, int Jaar onſes Heeren en Salichmakers, duyſent ſes hondert vier en t'negentig.

A. Heinsius. ut.

Ter Ordonnantie van de Staten.

Simon van Beaumont.

Deſe privilegie *met den aankleven van dien, hebbe ick ondergeſchreven getranſporteert, aan* Cornelis Bouteſteyn, Jordaan Luchtmans, *en* Johannes du Vivié, *Boeckverkoopers tot Leyden, op den* 26. *November* 1696.

was getekent

Frederick Spanheim.

Digitized by Google


FRIDERICI SPANHEMII

GEOGRAPHIA SACRA ET ECCLESIASTICA.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google



Digitized by Google

1

Col: 6.



Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII GEOGRAPHIÆ SACRÆ ET ECCLESIASTICÆ

PARS PRIMA,

EXHIBENS SEDES

Eccleſiæ Patriarchalis, & Iſraeliticæ in Palæſtina Vetere, ac vicinas huic Gentes;

CUM DESCRIPTIONE

HIEROSOLYMORUM.

SECTIO PRIMA,

DE

PRIMÆ ECCLESIÆ SEDIBUS

Extrà Palæſtinam.

Summa Geographiæ S.

GEOGRAPHIA SACRA & ECCLESIASTICA nobis eſt, quæ ſedes Eccleſiæ tradit, indè ab hujus incunabulis; cumprimis à *Diluvio*, & diſperſione Filiorum Noachi. Eaque rursùs reſpectu ſedium Eccleſiæ, quales fuêre vel *antè* adventum Chriſti, illuſtratis ſimul celebrioribus nonnullis qui in S. Hiſtoriâ memorantur locis; vel quales *poſt* illius adventum, vocatis ad Chriſtum omnibus Gentibus.

Antè Chriſtum, ſedes Eccleſiæ conſideratur, qualis fuit vel *antè Moſem*, vel indè *à Moſe*, & Exitu, & ab occupatâ Palæſtinâ, atque inter Tribus XII. diſtributâ. Et hîc rursùs alia *Palæſtinæ* facies ante diſperſionem X. Tribuum, de quâ quæri anxiè ſolet, & antè Captivitatem Babylonicam; alia poſt Captivitatem, ſub II. Templo, ad Chriſti vel Excidii tempora.

Antè Moſem, atque adeò antè Exitum ex Ægypto, cognoſcenda cumprimis, I. Sedes *Edenis* & Paradiſi, dehinc Eccleſiæ *Ante-diluvianæ;* de de quâ tamen nonniſi conjectando, ex generalibus quibuſdam criteriis à Moſe memoratis, pronunciari poteſt. 2. Sedes Eccleſiæ *Poſt-diluvianæ*, & Patriarchicæ, cùm antè vocationem Abrahæ, tùm poſt vocationem illius; ubi de montibus Ararat, Ur Chaldæorum, Paddan-Aram, Canaane, Ægypto, &c. 3. Sedes piorum quorundam, *extrà* familiam Patriarchalem, ubi ex. gr. de ſede Jobi, de Amicorum illis inter Idumæos, Arabes, Kethuræos, de ſede Nachoris & filiorum, de illâ Melchizedeci Reguli in Salem, &c. Argumentum verò de diſperſione Filiorum ac Nepotum *Noachi*, à magno Bocharto præcipuè occupatum eſt, ad *Caput* X. Geneſeôs; qui & prolixè de *Coloniis Phœnicum*. Nos quædam hîc modò de dictis Sedibus ſubnotamus, in quibus certa ab incertis & dubiis diſtinguenda venient.

Quæ verò ad generalem Geographiæ notitiam faciunt, aut *Globi terreſtris*, prout vel *in ſe* conſideratur, vel reſpectu partium *habitatarum*, hujus tractationis non ſunt. Ità longè alia Geographiæ deſcriptio, prout Orbis olim Veteribus *cognitus* fuit; quando nempè ſeu Phœnices, ſeu Carthaginenſes, ignorarunt Inſulas vel regiones ultrà Columnas Herculis, vel Heſperidum Inſulas, aut Gorgonum regionem, vel Cernen Atlanticam, de quâ fabulæ ſunt Hannonis Carthagin. uti ſunt quæ Solon & Plato de Inſulis Atlanticis tradiderunt. Magis ignorarunt Africæ univerſæ periplum, à Columnis Herculis ad mare Erythræum, & Africæ plagam Orientalem. Sic neſciverunt regiones vel Inſulas ultra Gangem vel Gangeticum Sinum, aut ultrà Taprobanam Inſularum maximam (ſeu jam Zeilan, ſeu Sumatram intellexerint) ſitas, vel Auream Cherſoneſum, ſic dictam Ptolemæo XI. Tabulâ Aſiæ, ubi hodiè Pegu, Siam, Malacca, &c. Quales ſunt regiones per vaſtum Sinarum vel Japonenſium Imperium, & Inſulæ ab Hiſpanis, Portugallis, aut Belgis detectæ, in extremo Oriente: Sic Terræ quæ ad Tatariam Orientalem & Borealem ſpectant, ad Ortum & Septentrionem: Denique Gentes ultrà Circulum Arcticum magis versùs Polum ſitas;

Orbis Veteribus incognitus.

de quibus Geographi : Nec hîc inſtitutiones Geographicas ſcribimus.

I. *De ſitu Edenis & Paradiſi.*

Fabuloſæ Sedes.

Hîc præcipuè certa ab incertis, utraque à fabuloſis aut falſis, diſcernenda. In poſtremâ claſſe ſunt, quæ ſeu Veteres ſeu Recentiores, ſeu Judæi ſeu Chriſtiani, de *Utopiâ*, de *Polari* aut Lunari regione, vel etiam de tractu *Gangenſi* (*Piſhon* de Gangi interpretati) vel *Taprobanenſi*, *Zeilanenſi*, *Niliaco*, *Arabico*, *Americano* ubi Parvaim fuerit, factâ illis voce ex *Peru*, quin & *Hedinenſi* Arteſiæ, ex Heden derivatâ voce, &c. nugati ſunt. Ipſe Joſephus ἀρχαιολόγος peſſimè interpretatus, ut *Piſhonem* fluvium de Gange, ſic *Gihonem* de Nilo, quod *terram Chus* Æthiopiam fuiſſe crederent; quæ & communis ſententia Philonis, Hebræorum, ex iis Hieronymi, Epiphanii, Auguſtini, hodieque Habeſſinorum: Quomodò Nilum factum crediderunt ex נחל *torrens*, fluvius, undè fuerit *Neel*, Νεῖλος, *Nilus*.

An Paradiſus in Canaane?

Nec deſunt hodieque Viri Docti, ac nuper J. Herbinius de Cataractis, *Lib.* III. *Diſſ.* V. etiam J. Henr. Heideggerus, *Tomo* I. Hiſt. Patriarcharum, qui Sedem Paradiſi in *Palæſtinâ*, aut vicinâ *Damaſcenâ* conſtituunt, ſeu jam propè Libanum montem, ſeu in valle Hierichuntinâ, circà Jordanem qui fuerit fluvius Paradiſi, quaſi יאר ערן, undè ירדן *Jordanes*. Hinc & *Gihon* fontem fuiſſe, cognominem fluvio, qui Hieroſolymam allueret; & *Genneſareth* lacum ità dictum, quaſi גן שר *hortum principis* vel *principem*; quomodò & *Gen.* XIII. 10. *hortus Jehovæ* deſcriptus intrà Palæſtinam. Adde amorem Dei in *Terram promiſſionis*, ubi & Creationis opus, & Redemptionis, completum fuerit. Nec deſunt his rationes aliæ, cumprimis à probabilitate rei, & ſitu hujus Terræ medio, ad *Orientem*, undè Vallis Damaſcena dicatur בית ערן *Amos.* I. 5. Quin Hierichuntis & Libani tractus Παράδειςος vocatur Straboni, L. XVI.

Rationes negantes.

Negabunt fortaſſis aſſenſum, quotquot ſeriò perpenderint, 1. Paradiſum fuiſſe מקדם *ab Oriente*, ſeu Palæſtinæ totîus, ſeu Arabiæ in quâ tùm Moſes, & cui Canaan ad Septentrionem fuit, reſpectu. 2. Irrigatum eundem fluvio, cujus *duo* ſummâ conſenſione capita fuêre, *Euphrates* & *Tigris*, quorum Jordanes minimè pater eſt; quique immenſo terrarum tractu ſuprà Libani radices, ex Moſchicis & Gordiæis Armeniæ montibus, ſcaturiunt. 3. Alluiſſe fluvii derivatas propagines non terram *Canaan*, quòd dixiſſet Moſes; ſed terram *Chus*, & *Havila*, diverſiſſimas omnium conſenſione à Canaane. 4. Nulla diviſi Jordanis in quatuor alveos apparuiſſe unquàm veſtigia, minùs in Euphratem, Tigridem, Paſium vel Phaſium, & Gihonem terræ Chus proximum. 5. Lacûs *Chinnereth*, *Num.* XXXIV. 11. *Joſ.* XII. 3. XIII. 7. & Urbis cognominis, *Joſ.* XIX. 35. undè corruptè *Genneſareth*; ſic quoque *Jordanis* fluvii, quocunque vocis etymo, ſeu ex ירד & דן, ſeu ex יאור דן, ſeu affini alio; longè diverſam ex Hebræis appellationem conſtare, & ex Hieronymo. 6. *Hortum Domini* & Tyrum quoque, *Ezech.* XXVIII. 13. & Ægyptum, & quamvis Regionem amœniſſimam vocari potuiſſe, ſic Sodomiticum tractum, *Gen.* XIII. 10. ſine reſpectu ad Paradiſum. Quomodò Vallis Damaſcena dicta בית ערן *ſedes voluptatis*, Amos. I. 5. quæ toto orbe amœniſſima fuerit, hinc Arabibus *Vallis* κατ' ἐξοχὴν appellata, ut pluribus Bochartus. 7. Diſſitos valdè à Palæſtinæ finibus fuiſſe & *Ararat* montes, & campos *Sinhar*, & *Ur Chaldæorum*, & Urbem *Nachoris*, & alias primorum Patriarcharum Sedes. 8. Provinciæ ſeu regionis *Eden* terminos ſuprà fidem hac ratione dilatari; ut quæ complexa fuerit ab *Occaſu* Palæſtinam, ab *Ortu* Meſopotamiam, Aſſyriam, à *Septentrione* Armeniam, à *Meridie* Arabiam, omnemque tractum inter Sinum utrumque, Perſicum & Arabicum. 9. Gratis fingi *cataractas* ſubterraneas, per quas Euphrates & Tigris, ex fonte Libanitico, aut ex Jordane oriundi, mediis Syriâ omni, Armeniâ, Sophene, Meſopotamiâ, Aſſyriâ, rursùm è Septentrione eruperint. 10. Terræ *Canaanis* præ cæteris in hæreditatem datæ conſtare rationes alias; ſcilicet ob impletionem Vaticinii, *Gen.* IX. ob ſitum, ubertatem, commoditatem Marium, opportunam indè vocationem Gentium, in meditullio quaſi ſitæ, typum tandem luculentum in Melchizedeco Rege Salem, &c.

Quæ certiora.

Certiora ſunt hoc in argumento, 1. *Edenem* fuiſſe non horti, ſed *regionis* nomen, ubi concurſus fluviorum, & origo fontis poſteà in quatuor *capita* dividendi, & in quâ regione *hortus* à Deo conſitus, *Gen.* II. 8. 2. Sitam eandem in Orientali tractu, *Gen.* II. IV. VIII. XI. qualiter ἐξόχως appellari conſuevit Oriens, ultrà Jordanem, indè ab Arabiæ Deſertæ finibus, ad Euphratem uſque vel Tygrim, etiam ultrà hunc fluvium. Atque ità *Orientalis* reſpectu Canaanis, aut Arabiæ in quâ tum Moſes. 3. Regionem etiam neceſſariò intelligi in quâ concurſus *Euphratis* & *Tigris*, quos in alios iterùm alveos dividi certum eſt, eductos rigandis agris; undè & *Gihoni* nomen, à גוח, quod *educere* eſt quaſi ἐκβολή, ut *Piſhoni* à fertilitate, nam פשה Hebræis eſt *excreſcere*. 4. Terras *Chus* & *Havila*, quas alluerunt fluvii Piſhon & Gihon, magnâ conſenſione quærendas in Arabiâ Felice, vel in tractu *Sinui Perſico* vicino, undè aurum, lapides pretioſi, margaritæ, aromata, & in quem Sinum dicti fluvii, cum Euphrate & Tigri, exonerarentur: Seu jam Gihonem ad *dextram* loces, ubi fuerit terra Chus, ſeu veriùs ad *ſiniſtram*. 5. Habitâ ratione Fluviorum, Terrarum quas hi alluerunt, Orientalis ſitûs, ſervatæ appellationis ערן *Eden*, *Gen.* IV. 16. *Eſ.* XXXVII. 12. 2 *Reg.* XIX. 12. &c. primarumque hominibus ſedium, ac divitis ſoli, quicquid vaſtitas pluribus deinceps in locis ſucceſſerit, omninò *Paradiſi* ſedem inter Euphratem & Tigrim, & vicinos alveos, (ut hodieque in plures dividuntur) adeóque in aliquâ Auſtralis Meſopotamiæ, vel Babyloniæ, parte collocandam. 6. Nihil mirum eſſe, ſi ex. gr. *Piſhonis* & *Gihonis* alvei obſcuriores evaſerint, novis totiens alveis enatis, antiquis obſtructis, nominibus mutatis; interventu Diluvii, lapſu temporum, eductione crebrâ foſſarum, quas in Orientis illis partibus fecit facitque in dies induſtria, è majoribus fluviis, Tigri, Euphrate, Eulæo, Araxe, &c. cumprimis ut ſqualori agrorum ac ſiccitati ſuccurrerent. Quomodò nihil exploratius eſt, quàm ſive aquarum eluvionibus, ſive imbribus, ventis, terræmotibus, montes eſſe ex vallibus natos, alios mutatos in valles, lacus, planiciem; ſic terras in maria, maria in terras; ſic fluvios exaruiſſe, aut mutaſſe priſtinos alveos, nullis hodiè conſpicuis ubi olim fuêre.

Quæ de Paradiſo incerta.

Incerta magis ſunt, eruntque mihi crede; 1. Quis præciſè Babyloniæ aut Meſopotamiæ locus, *Paradiſi* horto beatus ornatuſque fuerit: Nec niſi conjecturis Criticorum locus eſt, quibus non finis unquàm erit aut modus, poſt noviſſimas magni Bocharti, qui ſibi hac in parte non ſatisfeciſſe viſus eſt, dein Stephani Morini, aut Illuſtris Huëtii, lucubrationes; quibus accedunt illæ Markii noſtri, Collegæ conjunctiſſimi, publicis Diſputat. 2. Quis Paradiſi aut Edenis *ambitus* fuerit, quæ capacitas, utique maxima, nec intrà horti fortè terminos concluſa; haud tamen tanta, quicquid Burnetus Anglus & alii hariolati ſint, quæ omnibus *Adami* poſte-

Digitized by Google

ſteris ſufficeret. 3. An in ipſo Paradiſo, an extrà, Fluvius originalis in *quatuor* ראשים *capita* diſtributus fuerit. Qui ſanè ex *Eden* regione allueret hortum, *indè* משם ſive ab origine fontis, ſive potius in ipſo horto dividendus, ut videtur, illi irrigando; ubi Gihonis & Piſhonis nomine venerint duæ Euphratis & Tigris ἐκϐολαὶ, alter quaſi גיחון *γηών fluvius deductus*, alter verò פישון à *fertilitate*: 4. Quis præcisè fuerit *Piſhonis*, qui *Gihonis* alveus; quanquàm de Terris quas alluerint teſtetur Sacra Hiſtoria. Undè Orientalior videatur fuiſſe *Gihon*, qui terram *Chus* circumflueret, ex quâ *Chuſiſtan* dicta Arabibus, & Cittia, Cutha, Cuthæi, Coſſæi, populi Sinui Perſico vicini ad Orientem. Uti *Piſhon* circumdabat terram *Havila*, haud longè ab Ophir diſſitam Arabiæ Felicis, auri, margaritarum, lapidum, gummi precioſiſſimi, &c. feracem. Sed in hoc variant adeò Interpretes, & Eruditi, ipſe Bochartus cui *Chus* Occidentalior eſt, ad Orientem Ægypti, ut temerarium ſit apodicticè quicquam velle definire. Nec defuerunt Docti Geographi, qui ad Montana Armeniæ reſpicientes, ubi fontes Euphratis & Tigris, Gihonem de *Araxi*, Piſhonem de *Phaſi* in Colchide, interpretati ſint. 5. Quid vaſtitatem & ſqualorem Paradiſo ac regioni induxerit? An ignis cœlitùs miſſus? An culturæ neglectus, homine indè ejecto? An diluvianæ aquæ? An veriùs iſta junctim omnia, ſucceſſivâ deletione, ut *Paradiſi* deinceps veſtigia nulla apparuerint.

II. *Caini & Abelis Sedes. Noachi Sedes; Mons Ararat. Orbis olim noti termini.*

Incerta aut falſa.

Incerta hìc rursùm & μυθώδη à certioribus diſtinguenda. In priori genere ſunt, Ex. gr. Cædem Abelis patratam in agro Damaſceno, undè nomen דמשק quaſi *ſanguinem bibens*: Cainum Civitatem *Nuda* condidiſſe, ità Joſephus, qualis in Tribu Iſſacharis, ex voce Hebræâ ארץ נוד quaſi *terra Nod* ſeu profugi, vel ut Vulgatus vagi ſeu vagabundi, *Gen.* v. 16: *Henochiam* à Caino conditam fuiſſe circà Libanum montem, ex Pſeudo-Beroſo; Ità *Joppem* antè Diluvium exſtructam, (de quo vide Iſaacum Voſſium ad Melam, *pag.* 63.) quam Græci ab *Jope* Æoli filiâ dictam putarunt. Ejuſdem commatis ſunt iſta: Habitaſſe Noachum circà Damaſcum Syriæ, ad Libanum montem; ſtruxiſſe, ſecundùm Arabes, *Thamanin* ثمنين Urbem vel vicum, id eſt, τῶν ὀκτὼ, ad montem Ararat; penetraſſe in Italiam, hinc dictam à vineæ plantatione *Oenotriam*; ſubſtitiſſe *Arcam* in Phrygiæ, aut in Scythiæ montibus; oſtenſas ejus reliquias adhuc tempore Joſephi Hiſtorici, in regione τῶν Καιρῶν, *Antiq.* L. xx. C. II. pro quo Bochartus legendum putat τῶν Καρδῶν, undè Κάρδυνον ὄρος. Imò ſupereſſe hodieque Arcam in ſummo montis faſtigio, ab aëris ambientis puritate incorruptam, haud longè à mari Caſpio; quod & nuperi Itinerariographi tradunt. Et quæ ſunt id genus commentitia alia.

Noachus in quo Orientis parte. Ararat.

Fidem veriùs merentur, quæ ex Scripturâ, & ex conſenſu Eruditorum rata ſunt: 1. Habitaſſe Cainum cum ſuis in Orientali tractu, קדמת עדן, etiam Edenis reſpectu, *Gen.* iv. 16. 2. Sediſſe Noachum in cultiore *Orientis* parte, ſeu Armeniæ, ſeu Aſſyriæ, ſeu Meſopotamiæ, aptæ ſerendis agris, & colendæ vineæ, *Gen.* ix. 20. xi. 2. Arcâ poſtmodùm vi ventorum aquarumque ad Borealiores Armeniæ montes impulsâ. 3. *Ararat*, cujus in excelſo monte ſubſtitit Arca, omninò *Armeniam* eſſe, Meſopotamiæ & Aſſyriæ ad Septentrionem, in quam filii Sennacheribi profugi 2 *Reg.* xix. 37. & apud Joſephum, *Antiq. Lib.* x. C. 11. Non certè *Mediam* ad ortum Aſſyriæ; aut montem qui medius fuerit inter *Ecbatanam*, & *Artaxatam*, hanc veterem ſedem Regum Armeniæ ad Araxem fluvium. 4. Montem Ararat, eundem eſſe ſeu cum eorum aliquo quos Græci *Gordiæos*, *Gordos*, etiam *Carduchios*, vocarunt; ſeu *partem* aliquam *Tauri* montis eminentiorem, qui ab Ortu in Occaſum extenſus, Armeniam & Cappadociam, à Meſopotamiâ, Syriâ, Ciliciâ dividit: Adeoque fuiſſe inter altiſſimos totius Orbis montes, qualis Caſius Ægypti, Ida, Caucaſus, Olympus, montes Serici, &c. è quibus (ſaltem aliquibus) conſpici ſolem, ubi tertia jam noctis pars præteriit, Voſſius ad Melam obſervat. Sed de *Gordiæis* Montibus, poſt Beroſum, Chaldæum, Epiphanium, ex profeſſo Bochartus, *Phal. Lib.* I. C. III. ut Arabes, & recentiores Itinerariographos, in his Olearium in Itinere Perſico, alioſque taceam. Armeni vocant *Meſſeſouſar*, id eſt, montem Arcæ, omnium altiſſimum, & quaſi à reliquis Armeniæ montibus disjunctum; infra quem urbs *Nak-ſivan*, id eſt, *Navis ſtatio*, quam à Noacho conditam volunt, ferè in confiniis Mediæ. Sed hæc inter incertas recentiorum traditiones reponenda; & *Nak-ſivan* hodieque ad Caſpios montes, haud longè à Caſpio mari, ſita intelligitur.

Orbis olim noti extremi in Sacris termini.

Cæterùm de Sedibus Filiorum Noachi, ex *Gen.* x. ac nepotum ex Chamo, Japheto, Semo; deque Origine & Diſperſione Populorum per Aſiam, Africam, Europam, idem poſt alios (& præ omnibus cæteris) nunquàm ſatis laudandus Bochartus, in Opere utroque, Phaleg & Canaan. Vide quæ diximus ad Epocham II. Hiſtoriæ Veteris Teſtam.

Orbis verò ex Tabulis Moſaicis, & Sacrâ Geographiâ poſt Gentium diſperſionem, cogniti, ultimi fines fuerunt: Ab Ortu quidem *Ophir*, non jam Arabica ſed Indica, de quâ in Hiſt. Salomonis, & *Hodo* Indus à quo India, *Eſth.* I. I. Adde regiones *Havila* ad Sinum Perſicum, *Cuth* ſeu Cuthæorum ubi Suſiana, *Elam* ſeu *Elymæorum*, id eſt, Perſicarum gentium, &c. A Septentrione *Gog*, *Magog*, ad Caucaſios montes, *Rhos* undè Ruſſi, *Meſech* undè Moſchi, *Thubal* undè Tibareni, *Caſluchi* ſive Colchi, Scythicæ gentes ſæpiùs in Sacris conjunctæ, *Ezech.* XXXVIII. 2. &c. Magiſque ad Occaſum *Thiras*, dividens Sarmaticas Gentes, undè dicta ſit *Thracia*: Ab Occaſu *Tarſis*, ſeu hæc jam Tarteſſus Hiſpaniæ Bæticæ, ſeu (ut alii) Carthago Africæ; item *Phut* quæ Mauritania & Numidia; item *Rhodanim*, undè Rhodani nomen, Gallias ad Occaſum dividentis; &c. A Meridie tandem *Sabæa* Arabiæ Felicis, τὰ πέρατα τῆς γῆς, *Matth.* XII. 42. & *Æthiopia* in Sacris paſſim לוד *Lud*, ut pluribus Bochartus; Jobo חדרי תימן *penetralia Auſtri*, *Job.* IX. 9. Et hæc *India* citerioris nomine frequentiſſimè venit.

III. *Ur Chaldæorum.*

Sententiæ minùs probabiles.

Miſſis fabellis Hebræorum, qui *Ur* in nomen appellativum vertunt, non placet ſententia, Bocharto licet probabilior, *Phal. Lib.* II. C. VI. quæ *Ur* collocat versùs Montana Armeniæ, in Aſſyriæ finibus, & in Borealiore Meſopotamiâ, ubi *Ur nomine Perſicum Caſtellum*, apud Ammianum Marcell. *Lib.* XXV. Nec enim eouſque Chaldææ nomen protendi videtur; nec ex Oriente jam veniſſet Abraham, ſed veriùs ex Septentrione; nec ex ſimilitudine nominum, (quale illud Caſtelli Perſici apud Marcellinum, quò veniſſe memorat Caſſianum & Mauricium) certum argumentum duci, ipſe alibi Bochartus obſervat. Iſaacus Voſſius, Vir ſum-

Digitized by Google

ſummus *Ur* eandem facit cum *Chebar* vel *Chobar*, *Chabur*, ad Chaboræ & Euphratis confluenta. Sed indè trajectus in Syriam brevior, nec neceſſe fuit Charanem aſcendere, ituris in Canaanem, neque Urbs ea *Chaldæorum* fuit.

Incertum igitur, an *Ura* Plinii *Lib.* v. C. xxiv. in divertigio Euphratis versùs Ortum & Babyloniam; an Οὐρία Eupolemi fuerit Urbs Babyloniæ, apud Euſebium *Præp. Lib.* ix. an indè ſit Αὐρανῖτις χώρα apud Ptolemæum, adjacens Euphrati, in Babyloniâ; an Ὀρχόη *Orchoa* urbs vel *Orcha* apud Ptolemæum *Tab.* iv. Aſiæ; an alia aliqua Chaldææ, cujus mutatum nomen. Cæterùm כשדים *Chaldæi*, qui ex Cheſed Nachoris, *Gen.* xxii. 22. per πρόληψιν videntur memorari, *Gen.* xi. 31. ut ſunt nomina Bethelis, Danis, Tzoharis, Beerſebæ, &c. Et *Ur* in Meſopotamiæ parte Auſtrali & Orientaliori collocandam, trans fluvium, diximus ad Epocham iii. Hiſtoriæ Veteris.

IV. *Ægyptus antiqua.*

Nomina Regionis. De Ægypto, in Provincias plures diſtributâ, Romanis Chriſtianiſque temporibus, deque illius terminis, ac nobilioribus locis, prolixè nos in Geographiâ Chriſtianâ. Nomen illi מצרים *Mitzraim* in Sacris, de quo *Hiſt. Eccleſ. col.* 289. quod nomen hodieque remanſit in *Maſra*, id eſt, Cairo urbe: Quin eadem *Chamia* vel *Chemia* Plutarcho, &c. *Terra Cham* Pſ. lxxviii. cv. hodieque Ægyptiis vel Coptis *Chami*, *Cham*, *Ham*, unde fuit Hammonia regio: Etiam Αἴγυπτος *Ægyptus*, ex *Coptus*, *Coptos*, emporium ad Orientalem Nili ripam quò foſſa duxit è Mari rubro; hinc *Gopti*, *Gypti*, γύπτιος vel γίπτιος, *è Gain* Arabum loco غ ق *Kaf* ſubſtituto. Quin & *Rahab*, *Raab* dictam à forma pyri, qualem refert *Delta* Ægypti, fuſè Bochartus, & poſt Bochartum recentiores, de quo non hoc loco diſquirimus. Sed nec de antiquis *Nomis*, *Præfecturis*, aut etiam de *Dynaſtiis* Ægyptiorum, de quibus confuſiſſima & adverſa apud Africanum, Euſebium, Syncellum ex Manethone, Eratoſthene, &c. ut nos in *Chron. S.*

Ægyptus duplex. Abrahæ & Iſraëlitarum temporibus uberrima jam Urbibus, populis, proventu, regio fuit. Jamque primitùs diviſa in *Superiorem*, & *Inferiorem*. Illius metropolis antiquiſſima *Memphis*, quæ *Moph* vel *Noph* in Sacris, Ægyptiorum in eâ parte regia, ad Occidentalem Nili ripam, ſuprà Delta, Apidi bovi Sacra, Pyramidibus in proximo ſuperba, quin & (ſi Patricidi Alex. fides *Annalium Tomo* i.) Columnis Nili menſoriis à Joſepho ſtructis. Conditam hanc à Menâ, primo Ægyptiorum Rege, Herodotus refert, *Lib.* ii. C. xcix. Et ab eo omnes fere Reges Ægypti (poſthabitis Thebis) Regiam hanc fecère, uſque ad conditam Alexandriam. Inferioris Ægypti Regia fuit olim Heliopolis, poſt *Tanis*, Hebræis *Tſohan*, *Num.* xiii. 23. haud procul à Tanitico Nili oſtio, in quâ Moſis mirabilia patrata, *Pſ.* lxxviii. 12. quæ deinceps primæ Auguſtamnicæ. Hujus Reges *Tanitæ*, in ſpecie illi Paſtores qui hanc Ægypti partem occuparunt. In hac parte ſitæ *Migdol* Μάγδωλος, & *Taphnes*, Δάφναι apud Stephanum, ferè in ingreſſu Ægypti, haud longè à Peluſio, *Jerem.* xliv. i.

Thebais. Ab his diverſa tùm *Thebais*, quæ Romanis temporibus pars Ægypti, Bocharto *terra Pathros Jer.* xliv. i. *Ezech.* xxix. 14. ſuis Regibus ſubjecta: Cujus metropolis ad Orientalem Nili ripam *Thebæ* ἑκατόμπυλος, (quod tamen de magnificis *portis* Templorum, Baſilicarum) ſeu *No-Amon*, *&* *Dioſpolis*, in parte Ægypti maximè Auſtrali, Thebanorum ſeu Dioſpolitanorum Regum ſedes, quam mediam alluebat Nilus. Ac primitus à Thebanis Regibus diſtincti *Thiniti*, hinc Regnum Thinitarum, Nomus Thinites, cujus Regia This in parte inferiori Thebaidis, ad occaſum Nili, verſus Libycos fines; cui *Abydus* Regia ſucceſſit, ſecunda indè à Memnone poſt Thebas, civitas mediterr. ab Occaſu, apud Plinium, Ptolemæum.

Terra *Goſen* fuit in Inferioris Ægypti finibus, ad Ortum Nili, versùs Arabiam & Palæſtinam, paſcuis apta, hinc paſtoralis vita, *Gen.* xlvi. 29. *Rameſſes* vel *Rameſes*, locus fuit undè profecti Iſraëlitæ, perrecturi in *Succoth*, Σκηνάς, locum cui à tentoriis Arabum nomen, *Exod.* xii. 37. Rameſſes etiam nomen antiquiſſimis Ægypti Regibus fuit, *Rameſſe-Menes*, *Rameſſe-Mijamun*, *Rameſſe-Seos*, &c. Malè Terram *Goſen* locant Tabulæ in Auſtrali parte Tribûs Judæ. Terra Goſen.

Terminus extremus Ægypti ad Meridiem, Prophetarum temporibus, dividens illam ab Æthiopiâ, fuit סונה *Syene* Συήνη, *Ezech.* xxix. 10. & *Philæ*, *Phylæ*, פול *Phul* Hebræis, urbs & inſula ad Nilum, centum ſtadiis Auſtralior Syene. Terminus Ægypti.

V. *Aram: Aram Soba: Dammeſek: Naharaim: Paddan-Aram: Charan.*

Obvia hæc nomina regionum, locorumque, in Patriarcharum hiſtoriâ. *Aram* Syria eſt, conſentientibus Geographis, ab Aramo Semi filio, undè Ἀραμαῖοι pro Syris, & Ἀριμοι, apud Strabonem ipſum, uti Poëtas vetuſtiores. *Syria* verò nomen ex צור *Tzor*, id eſt, Tyrus, undè *Syria*, *Soria* hodieque. Arabibus eſt شام *Schamah*, regio *ad ſiniſtram*, ſeu *Septentrionem*, uti Arabiam Felicem ab *Auſtro*, Africam ab *Occaſu*, Arabiæ Deſertæ populos ab *Ortu*, denominant. Aram & Syria unde?

Ut *Syria* apud Geographos plures, nempè Syria ſtrictiùs ſic dicta, variè hæc rursùm tributa, Syria Cava, Phœnicia, Damaſcena, Palæſtina, ſic *Aram* in Sacris, pro epitheto adjecto, variè diſtinguitur. Cumprimis in *Aram-Soba*, quæ Syria Orientalior ſimul & Meridionalior, aliàs Palmyrena, ad Euphratem extenſa; *Aram-Dammeſek*, quæ Syria Damaſcena, inter Libanum & Antilibanum, & à convalli *Vallis* Eden, Aven, Hobah, hinc Græcis Κοίλη Συρία; *Aram-Naharaim*, quæ Syria eſt fluviis duobus concluſa, ſeu Meſopotamia; *Paddan-Aram*, Labanis ſedes, Jacobi perfugium, pars Meſopotamiæ, ſed Bocharto, Hornio, aliiſque ſeptentrionalior quàm fortè videatur, ſcil. inter Arméniæ montana & Chobaris fontes, longiſſimo ſic à Chaldæis intervallo. Hinc Jacob è Palæſtinâ profectus in Paddan-Aram, non in Septentrionem conceſſit, ſed in regionem Orientalium, *Geneſ.* xxix. i. Arameæ quot, & quæ in Sacris?

Nobilis præ cæteris *Charan* civitas, per quam tranſitus Patriarchis fuit, eademque nec *Orfa* hodierna ad Chobaris fontes, nec *Edeſſa*, nec *Aſſyria* Carræ, ſed Meridionalior, ad Chobar fluvium, ac vicinior Syriæ & Palæſtinæ, tranſitum è Chaldæâ in Canaanem præbitura. Ptolemæus ipſe, Aſiæ *Tab.* iv. à Charris Neapolim (ſive Sichem) rectâ viâ per Damaſcum iri. Sed de Charanis ſitu plura nos alibi, & Hiſtoriæ Jobi, *Cap.* vii. Charanis ſitus.

VI. *Gentes quædam aliæ Cananæis finitimæ, celebres ex Hiſtoriâ Moſaicâ.*

Nihil hîc nos de *Phœniciâ*, ſeu Occidentali & maritimâ in quâ Sidon, Tyrus, ſeu Orientali quæ Phœnice Libani & Damaſcena; aut de *Phœni-* Phœnicia.

ni-

nicum appellatione, & coloniis, de quibus integro opere Bochartus. Ac de Phœniciâ utrâque, ut ſpectarunt ad Diœceſin Orientis, dicendum infrà fuerit, in Geographiâ Chriſtianâ.

Idumæa.

Celebris in Sacris *Idumæa*, quæ & Terra *Edom*, *Sehir*, *Theman*, protenſis aliquandò longiſſimè finibus, in ipſam Terram Utz, & deſertam Arabiam, *Thren.* IV. 21. Igitur *Edomæi*, vel *Idumæi*, (in quibus non deſuiſſe memores avitæ pietatis, vel Eliphazi Themanitæ exemplum, in Jobi Hiſtoriâ, docet) fuêre ad meridiem Palæſtinæ ſiti, contermini quin pars ejus Arabiæ quæ *Petræa* dicta, incolentes primitùs Montana *Seir* vel *Sehir*, pulſis indè Horæis, *Deut.* II. 12. 22. Porrò mons *Sehir* Judææ Auſtralis fuit, protenſus indè à fontibus fluvii Ægypti in Ortum, versùs Montana Moabitarum. Hunc Tabulæ, ex Itinerario Hieroſolym. Eugeſippo, Brochardo, Adrichomio, ſimilibus, vitiosè collocant ad ſeptentrionem Palæſtinæ, versùs Damaſcenam; uti Geographi & Eruditi non pauci *Idumæam* cum *Trachonitide* regione confundunt.

Error de ſitu Idumææ.

Origo erroris, ex opinione *Terram Utz*, in quâ Jobus, fuiſſe *Idumæam*; illam ipſam in Trachonitide fuiſſe, quod & recentiores Syri & Arabes tradunt; nec ab alio denominatam quam ab Utzo Arami primogenito, Damaſci conditore, ex Joſepho, & Hieronymo. Quæ quàm abſint à vero, fusè docet noſtra Hiſtoria Jobi, *Cap.* III. IV. & VII. ubi Utz in Arabiâ Deſertâ collocatur, propè Meſopotamiam, ex Utzo Nachoris, non ex Arami illo, appellata.

An Idumæa duplex?

Scio duplicem Idumæam ſtatui à Bonfrerio, aliiſque, *Orientalem* & *Auſtralem*; ſic montem *Sehir* geminum, alterum partem Gileadi, versùs Damaſcenam, alterum ad Auſtrum versùs Mare Rubrum, ſed precariò omnia. Nec *Sehir* mons idem qui *Senir*, 1 *Chron.* V. 23. Hermoni junctus. Error ex nomine שריון *Schirjon*, *Sirion*, & eliſo ר *Schion*, *Deut.* III. 9. IV. 48. pars Hermonis, undè cum *Seir* confuderunt. Et rectè Doctiſſ. Maſius unam tantum Idumæam, & unum montem Sehir, agnovit. Hinc Sehir vel *Seir* Idumæorum eodem ſemper ſitu apparet; Sehir Horæus in Auſtrali plagâ fuit; hîc deinceps Edomæi, & poſteri; hîc Theman, Bozra, Hamalek, &c. Et magnus certè inter duas has Idumæas hiatus, mediis Amorrhæis, Ammonitis, Moabitis. Nec inconveniens ullum eſt, Jacobum Sichemo appropinquantem, *Gen.* XXXII. miſiſſe ad Fratrem, in Auſtralem partem Cananææ, non diſpari admodum Sichemi diſtantiâ ab Aram-Damaſci.

Error de monte Seir.

Mare Erythræum an complectatur etiam Sinum Perſicum?

Hinc etiam ab Edomo, Græcis *Erythrâ*, vel *Erythro*, rectè nomenclationem arceſſunt Maris Erythræi, ſive Sinûs Arabici, quâ de originatione Bochartus: Miſſis fabulis Arabum, vel Græcorum apud Agatharchidem, Arrianum de Nearchi Paraplo, Marcianum Heracleotam, alios qui hujus Maris Periplum deſcripſêre, & de nomine Ἐρύθρης, vel Ἐρύθρας, & Ἐρυθρᾶς θαλάττης multa commenti. Cui ſanè vicini fuerunt *Idumæi*, protenſis huc finibus, & parti ejus Maris ſuperiori imperitantes, 1 *Reg.* IX. 26. Imò non deſunt in Veteribus, Mela & alii, qui *Sinum Perſicum* faciunt partem Erythræi ſeu *Rubri Maris*; quorum ille *Mare Viridum* dictus Arabibus, magnâ Terrarum & Marium intercapedine disjunctus, intermediâ totâ Arabiâ Felice; atque effundens ſe primò in Sinum alium, cui ab *Ormo* hodiè nomen, & ſic tandem per anguſtias in Mare Indicum, hinc Arabicum, quo demùm cum Mari Rubro conjungitur. Certè Agatharchides, nomine Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, nihil præter Arabicum Sinum intelligere videtur, Excerptis de *Rubro Mari*. Strabo *Lib.* XVI. diſtinguit Ἐρυθρὰν θαλάσσαν à Mari Perſico, τῇ κατὰ Πέρσας θαλάττῃ. Ptolemæus *Tab.* VI. *Aſiæ*, pariter Rubrum Mare diſtinguit à Sinu Perſico, illudque collocat ad meridiem Felicis Arabiæ, ubi ex anguſtiis Sinûs Arabici emergit; hinc Mare Indicum, Sinum Sachalitem, tandem anguſtias Sinûs Perſici, quibus ad Septentrionem demùm ſit Περσικὸς κόλπος. Marcianus Heracleota, in Periplo τῆς ἔξω θαλάττης *Lib.* I. C. III. pariter Sinum Perſicum à Mari Rubro diſtinxit, ut ille demùm occurrat, poſtquam circumnavigarunt à ſiniſtrâ Arabum terram, tùm incidêre in Mare Indicum; ab hoc in Sinum Sachalitem, & tandem in os vel anguſtias quibus *intratur in Sinum Perſicum*. Confuſæ tamen ſæpiùs appellationes utriuſque Sinûs; & ſic Maris Rubri vel Arabici appellatio quoque extenſa, ſed malè, ad Sinum Perſicum. Joſephus *Antiq.* L. I. C. I. Εὐφράτης καὶ Τίγρης ἐπὶ τὴν Ἐρυθρὰν ἄπεισιν θάλασσαν, *Euphrates & Tigris in Mare Rubrum abeunt*, id eſt, in Sinum Perſicum. Cur autem Mare Rubrum dictum ſit Hebræis ים סוף, vide *Hiſt. Eccleſ. col.* 310.

Ut verò *Idumæi*, poſt Judæorum Captivitatem, magnam Judææ Auſtralis partem ditionibus ſuis adjecerint, cui & Idumææ nomen inditum; ut ſubigendi tandem à Johanne Hyrcano, Simonis filio, ex *Lib.* XIII. Antiq. memoratur aliàs, & nos ad Epocham IX. *Cap.* VI. Adeò verò *Idumæorum* nomen Judæis inviſum fuit, ut opprimentes ſe Romanos, & Chriſtianos hoc nomine deſignarint; quemadmodùm odioſo altero *Chutæorum*. Hinc Gentes omnes, Judæi pariter & Arabes dividunt in *Iſraëlitas*, *Iſmaëlitas*, & *Edomæos*.

Amalekitis.

Amalekitæ, & ipſi Idumæi, Judæam ab Auſtro & Oriente terminarunt, ad montem Sehir, 1 *Chron.* IV. 43. hinc tranſitum in Cananæam Iſraëlitis prohibituri, *Ex.* XVII. &c. Et hi ipſi fuêre excidendi; undè metu Iſraëlitarum in Syriæ ſolitudines & Meſopotamiam fugiſſe eorum plurimos, docent hodieque *Amalekitarum* in iis partibus nomen, & reliquiæ, Jacobo Golio coràm aliquando mihi teſtato.

Moabitis.

Moabitæ ultrà Jordanem & ad Ortum Maris mortui habitavêre, versùs Arabiæ ſolitudines, porrectâ priùs eorum regione cis & trans Arnonem fluvium vel torrentem; ſed ab Amorrhæis, Sihone Rege, magnâ illius parte exuti fuerunt, *Num.* XXI. 13. 26. ut hi ab Iſraëlitis, trans Montana pulſi. Ceſſit regio inter Arnonem & Jordanem Tribui Ruben, ubi mons Nebo, Campeſtria Moab, Phogor, Boſor, Hesbon Regia quondam Amorrhæorum, &c. Metropolis *Rabbath-Moab*, corruptè apud Stephanum Ῥαβάθμωμα, pro Ῥαβάθμωβα, quanquàm β & μ permutentur, ut in *Abana Amana*, *Merodach Berodach*, *Jabne Jamnia*, &c. Hinc Χαράχμωμα apud Ptolemæum Lib. V. (malè vulgò Χαράχωμα) in Arabiâ Petræâ, ubi μωμα indubiè ex μωβα, & hoc terminatione Græcâ ex μωάβ. Eadem Rabbath dicta & ער *Har-Moab*, undè Areopolis, *Num.* XXI. 28. diverſa ab *Aroër* Amorrhæorum, in confiniis Gadis & Rubenis.

Ammonitis.

Ammonitæ, in regione Rephaïm, Gigantum, medii inter Moabitas, & inter Syros à Septentr. quorum regio hodiè Philadelphia eſt. Regia fuit *Rabbath* Ammonitarum, credita eadem quæ deinceps Philadelphia, Ῥαββατάμμανα Stephano, & ſic ferè Polybio Lib. V. Edit. Gronovianæ, p. 577. Caſaubonus ſubſtituit Ραββατ-Ἄμμωνος, vel Ραββὰτ βεν Ἄμμων, exegeticè. Rectiùs Ραββατ-Ἄμμωνα, ut Ραββάθ-μωβα. Quanquàm οἱ LXX. Ἀμμὰν quoque habent, undè Ἄμμανα, & ſic alibi Stephanus in *Philadelphiâ*, ἡ πρότερον Ἄμμανα. Ἀμμανῖται quoque Joſepho. Et hi *ultra* Montana ab Amorrhæis primùm, dein & ab Iſraëlitis, habitare juſſi.

Iſmaëlitarum regio, ac Gentium vicinarum.

Iſmaëlitæ, qui in Nabathæos, Kedarenos, Themaitas, &c. diſtributi, Arabum gentes, extenſi fue-

Digitized by Google

fuerunt indè à Deſerto *Pharan*, *Gen.* XXI. 20. & à *Zur*, ſeu mari Erythræo, ad *Havilam* uſque *Gen.* XXV. 18. id eſt, per Arabiam Petræam in Felicem uſque, quâ viâ itum ad Chaldæos & Perſas. His vicini *Madianitæ*, in Kethuræ poſteris, ab Orientali plagâ Arabiæ Deſertæ *Jud.* VI. 3. longiùs deinceps provecti ad Meridiem, & Occaſum. Atque his etiam permixti ex eadem matre, ad Orientem, non (ut Joſephus) ad Troglodytida & in Arabiâ Felice, *Medanæi*, *Dedanæi*, &c. de quibus Hiſtoriæ noſtræ Jobi, *Cap.* VII. Clariſſimus Bochartus Iſmaëlitis & Madianitis permiſcet *Chuſæos*, à *Chus*, quos Arabes fuiſſe pluribus demonſtrare aggreſſus eſt *Phaleg Lib.* IV. C. II. Certum gentes has omnes veniſſe deinceps uno *Saracenorum* nomine, undè *Saraceni* & *Iſmaëlitæ* ſunt promiſcua nomina: *Saracenos* autem dictos Arabibus quaſi *Orientales*, Pocockius Notis ad Hiſtor. Orientalem, & Arabizantes pluribus.

Celebres & aliæ Gentes ut in Originibus Moſaicis, ſic in Scriptis Propheticis, fere ſuprà memoratæ, Capitibus II. III. IV. V. Adde *Gomer*, *Togarma*, *Caphtor*, *Javan*, *Cethim*, *Sceba*, *Chus*, &c. De quibus nihil eſt quod hoc loco ad Sam. Bocharti Commentarios adjiciamus.

Filii Orientis qui dicti? Generale nomen omnium earum Gentium, quæ ad orientem Terræ S. fuit illud *Filiorum Orientis.* Oriens enim ex uſu Hebræorum fuit. 1. Omnis ille Tractus indè à Palæſtinæ finibus, ſeu ad Euphratem, ſeu etiam longiùs ad Tigrim, quomodò Kethuræi inſignes in Filiis Orientis, *Gen.* XXV. 6. & Meſopotamii *Gen.* XXIX. 1. Madianitæ, *Jud.* VI. 3. & Balaamus ex Oriente, *Num.* XXIII. 7. Jobus etiam inter Filios Orientis, *Job.* I. 3. Sic Moabitis, Ammonitis, hinc omnis Arabia Deſerta, Chaldæa, Babylonia ad *Orientem* ſpectarunt. 2. Regiones quoque ultrà Tigrim ſitæ, ſed versùs Orientem, quales *Aſſyriæ* pars Auſtralior, *Suſiana*, *Perſis.* Sic ex *Oriente* venerunt in campeſtria *Sennahar*, Babyloniæ regionis, id eſt, ex Aſſyriæ Auſtralioris finibus, *Gen.* XI. 2. An etiam regiones quæ trans Tigrim, ſed ad Septentr. versùs Tigridis fontes, ubi montes Gordiæi ſeu Ararat, ſuprà ipſam Aſſyriam, quod contendit Bochartus, *Phal. Lib.* I. C. VII. quomodò *Ur Chaldæorum* facit *Uram* Ammiani, in Aſſyriæ finibus, major eſt ratio dubitandi. Certè Syri & Aſſyrii, qui magis ad Septentr. Terræ, veniunt nomine צפון *Septentrionis*, ut Idumæi nomine תימן *Auſtri*; de quo pluribus Eruditi Interpretes.

VII. *Terra Utz, in quâ Jobus.*

Regioni huic nec ab Utzo Arami, Semi nepote, *Gen.* X. 22. 23. nec ab Utzo in poſteris Sehir, *Gen.* XXXVI. 28. fuiſſe nomen, ſed ab Utzo Nachoris primogenito, *Gen.* XXII. 21. cujus regio hinc dicta עוץ *Uſitis*, *Auſitis*, pluribus à nobis demonſtratum eſt *Hiſt. Jobi*, *Capp.* III. IV.

Atque adeò nec in Armeniâ, cum Chaldæo Paraphraſte, collocandam eſſe; nec in Trachonitide Palæſtinæ, cum Tabularum auctoribus; nec in Syriâ Damaſcenâ, cum Syris & Arabibus hodiernis; nec in Idumæâ, cum pleriſque Interpretibus, quà veteribus quà recentioribus, ſecutis Græcam Translationem; invictis ibi nos argumentis probatum dedimus.

Fuit igitur *Terra Utz* ad Orientem ſita, *Job.* I. 1. reſpectu Terræ S. adeóque in Scenitide Arabiâ, cui à Septentrione Meſopotamia & Euphrates fluvius, ab Ortu Babylonia & Chaldæa, ab Occaſu Syria Auſtralior, Palæſtina, Arabia Petræa, à Meridie Arabiæ Felicis Montana. Et quidem in eâ Deſertæ Arabiæ parte, quæ versùs Euphratem eſt, vicinâ Meſopotamiâ, non admodùm diſſitis *Chaldæis* ex Cheſed Nachoris, *Gen.* XXII. 21. *Sabæis* prædonibus ex Seba Kethuræ, *Gen.* XXV. 3. *Buzitis*, in quibus Elihu, ex Butzo fratre Utzi, *Gen.* XXII. 21. ſic *Dedanæis*, *Medanæis*, *Madianitis*, ex eodem Nachore *Gen.* XXV. 2. ita quoque Saccæis vel Suchitis undè Bildad Suchites, &c. Confer & loca *Job.* VI. 19. *Gen.* XXV. 3. 6. 15. *Jer.* XXV. 20. 23. &c. ac conſule, ſi lubet, præfatam noſtram Hiſtoriam de Jobi & Amicorum Sedibus, *Capp.* III. IV. VII. XIV. in quâ hoc nos argumentum ex profeſſo diſcuſſimus. Nobiſque accedit, laudatâ qualicumque hac noſtrâ opellâ, Magnus Huetius, in nuperâ *Demonſtratione Euang.* ubi de Libro Jobi.

VIII. *Salem Melchizedeci quæ fuerit?*

Cæterùm fuit Abrahami tempore inclyta civitas *Salem*, Sacerdotio & regno Melchizedeci. Ac Hebræorum quidem communis ſententia, & Chaldæi Paraphr. & Joſephi *Antiq.* L. I. C. II. ac de Bello Judaico *Lib.* VII. C. XVIII. ac ferè veterum Eccleſiæ Patrum, fuiſſe eandem quæ poſteà, compoſito nomine ירושלם Hieroſolyma: Imò addunt conditam à Semo, ut fabulati *Joppem* à Japheto, *Hebronem* à Cham conditas. Salem ſanè de Hieroſolymâ, *Pſ.* LXXVI. 3. Et Adonizedek idem ſonat quod Melchizedek, rex Hieroſolymorum *Joſ.* X. 1. hinc Solyma.

Hieronymus verò de Locis Hebraicis, & Epiſt. ad Euagrium, ſitam hanc *Salem* ubi poſteà Tribus Ephraim ad ripas Jordanis, in agro Sichemitico, quò migravit Jacob ex Succoth (niſi שלם ibi nomen appellativum) *Gen.* XXXIII. 18. octavo lapide à Scythopoli, quæ Bethſan, & ſic Verſiones antiquæ. Accedit Hiſtoria Euangel. de Johanne baptizante ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ, *prope Salem.* Addit Hieron. rudera palatii Melchizedeciani adhuc ſuo tempore ibi extitiſſe; Salemo etiam Urbi adjacuiſſe videtur planicies exporrecta, ſeu campus regius, *Gen.* XIV. 17. quum Hieroſolyma undique montibus eſſet cincta. Propior etiam hæc Salem redeunti, ex Septentrionali Terræ tractu, Abrahamo, quàm Hieroſolyma, Jac. Capello quoque judice.

Abſurdè autem Viri docti, ſententiis conciliandis, finxêre duplicem *Salem* à Melchizedeco conditam, unam ad ſacrificia, alteram ad ablutiones ubi aquæ multæ. Epiphanius fuit ἐπέχων. Prior verò ſententia eſt auctoritatibus potior; etiam rationibus ab appellatione *Hieroſolymæ*, & à *typorum* cum *antitypo* analogiâ, quales in monte Moriæ, & in Solymâ illuſtres præceſſerunt, ac inter eos eminens ipſe Melchizedek.


SECTIO

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA,

DE

SEDIBUS ECCLESIÆ ISRAELITICÆ POST EXITUM,

UBI

Palæſtinæ Veteris Summaria Deſcriptio.

Peregrinatio in Deſerto.

MITTIMUS errorum per deſerta Arabiæ, annis totis XL. indè ab Exitu ex Rameſſe, ac Manſionum ſingularum, deſcriptionem, illinc ſitis ad Occaſum Ægyptiis, hinc ad Ortum Amalekitis Moabitiſque. Sunt enim illæ in Tabulis Palæſtinæ ferè ubique conſpicuæ. Succedit adeò *Canaanis* veteris, ac *Palæſtinæ*, non una deſcriptio.

I. *Nomina varia.*

Canaanæorum nomen.

Nomen regioni univerſæ fuit primitùs, (obſcurum hoc quanquam apud Græcos & Exoticos Scriptores, ſed retentum in Sacris ob Vaticinium, *Gen.* IX. 25. 26. 27. & ob veram originem Phœnicum ex Canaane & *Filiis*) illud *Canaanis*, inter Canaanis filios XI. eorumque poſteros diviſæ, *Gen.* X. 15. & *ſeq.* ſervatis adhuc nominibus tempore Moſis. Ac, pro diverſis Canaanis poſteris, dicta terra *Hettæorum*, *Sidoniorum*, *Jebuſæorum*, *Amorrhæorum*, *Hevæorum*; *Hamathæorum*, &c.

Aliæ appellationes inſigniores benè multæ.

Dehinc appellata, notis ſatis de cauſis, I. *Terra Promiſſionis*, indè à promiſſione factâ Abrahamo; *Gen.* XII. 4. &c. ac ſæpè *Terra* ſimpliciter, Terra *hæreditatis* Iſraëlis, &c. II. *Terra Hebræorum*, ſeu בני עבר *filiorum Heber*, in quibus Heberi & nomen, & lingua, & Sacra conſervata, indè ab Abrahamo, undè עבר pro Hebræis, *Num.* XXIV. 24. quos malè dictos voluêre, poſt Africanum, Origenem, Theodoretum, quaſi περάτας עבריים. III. *Iſraël*, etiam *Juda* vel *Judæa*, Pſal. LXXVI. 2. diſtinctis his tamen, poſt Diviſionem Iſraëlis à Judâ, appellationibus. IV. Univerſa rursùs, Euangeliſtis & Magiſtris, *Iſraël*, vel *Terra Iſraëlis*, ac *Terra*, ἐξόχως, ſed communiter *Judæa* ſub II. Templo, etiam Græcis ac Romanis Scriptoribus: Quandoque *Idumæa*, *Samaria*, *Galilæa*, hujus Terræ tùm partes. V. Ptolemæo & Geographis, ac in diſtributione Provinciarum Rom. Imp. dicitur *Palæſtina*; quanquàm hæc tempore Pompeji M. à Judæâ diſtincta fuerit, & Urbes *maritimas* propriè complecteretur. Indubiè à Palæſtinis, ſeu Philiſtinis, Philiſtæis, qui ab Ægyptiis oriundi, partem Terræ hujus Ægypto proximam, & ad Occaſum latè exporrectam, incoluerunt, Linguæ etiam affinitatem notante Hieronymo, *Comm. in Eſaj. Lib.* VII. C. XIX. VI. Τοῖς LXX. Interpretibus, & ab antiquo, *Phœnicia*, vel *Phœnice*, ἡ χώρα τῶν Φοινίκων, qui ex Cananæis orti, ut Sidon fuit ex Canaane; hinc migrationes *Phœnicum*, id eſt, Cananæorum. Et arbitrati nonnulli etiam Ezechieli, *Cap.* XXVII. 17. retentam fuiſſe vocem Græcam in פנג *Pannag*, quam regionem à *tritico* commendat Vates, לחם פנג, uti Hiſtoria S. & Plinius. Quanquam *Phœnice* ſtrictiùs accepta diſtincta fuit à Palæſtinâ, & deinceps etiam à Palæſtinis tribus; ut quæ his ad Septentrionem & Occaſum fuit; ſeu Maritima Phœnice, ſeu Damaſcena, uti ſpecialiùs infrà. Porrò de Phœniciæ appellatione, & Phœnicibus, ex profeſſo Bochartus. VII. *Syria* etiam dicta hæc regio, à Metropoli צור *Tyro*, communi appellatione; & diſtinctiùs *Syria Palæſtina*, prout Syriæ tres Veteribus, Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιςίνη. Etiam *Aſſyrii*, *Sidonii*, *Syro-Phœnices* appellati hujus terræ incolæ, apud Hiſtoricos & Poëtas;

Alba nec Aſſyrio (id eſt Tyrio) *fucatur lana veneno.*

VIII. Tandem Chriſtianis, communiter *Terra Sancta*, veneratis nempè cum Helenâ matre Conſtantini M. τὰ βήματα σωτήρια, terram cui *veſtigia Servatoris* quondam impreſſa, apud Euſebium, de *Vitâ Conſt. M. L.* III. C. XLII. Quanquàm & *Sanctæ* cognomentum jam olim nacta, ob cultum Legalem à Deo inſtitutum.

II. *Situs, & limites.*

Gradus latitudinis, & longitud.

Situs ejuſdem fertur Geographis in Orbis terreſtris quaſi *Umbilico*, quod de Orbe Veteribus cognito, & ἐν πλάτει accipiendum eſt: Scilicet de Aſiâ, Africâ, Europâ, quarum in meditullio quodammodò ſita Palæſtina, ſeu Terra Iſraëlis; in Aſia nempè ſita, Africam ab Auſtro contingens, uti Europam ferè totam beneficio Maris Mediterranei. Fuit etiam intrà gradus latitudinis *Borealis* XXXI. & XXXIV. quibus ad *Ortum*, Syriæ Damaſcenæ & Cœle-Syriæ, Hebr. *Aram-Soba*, Arabiæ Deſertæ, Chaldææ, Perſidis regiones, in parallelis reſpondent; in longitudine verò extendit ſe ad gradum, ſecundùm Abulfedam Geogr. Arabem, LX. ſecundùm Ptolemæum verò LXVIII. Sic & *Hieroſolyma* ferè in ipſo Palæſtinæ meditullio ſeu *umbilico* fuit, ſive Poli latitudinem reſpicimus, à Septentrione ad Meridiem, ſive longitudinem, à Mari Mediterraneo ad Jordanem uſque. Quemadmodùm eadem centrum Geographiæ Sacræ cenſetur.

Termini ad Orientem.

Terminata primitùs fuit, ab *Oriente* quidem, eâ Syriæ parte quæ dicta Hebræis ארם צובה *Aram-Soba*; pars ſcil. Syriæ Cavæ quà hæc meridionalior eſt, ac cumprimis *Arabiâ Deſertâ*; ſeu Montibus qui ab utrâque dividebant, quales Hermon, continuatio quædam Libani, hinc Galaad, Arnon, Nebo, unde Moſis vidit univerſam Terram; &

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA,
DE
SEDIBUS
ECCLESIÆ ISRAELITICÆ
POST EXITUM,
UBI
Palæſtinæ Veteris Summaria Deſcriptio.

Peregrinatio in Deſerto.

MITTIMUS errorum per deſerta Arabiæ, annis totis XL. indè ab Exitu ex Rameſſe, ac Manſionum ſingularum, deſcriptionem, illinc ſitis ad Occaſum Ægyptiis, hinc ad Ortum Amalekitis Moabitiſque. Sunt enim illæ in Tabulis Palæſtinæ ferè ubique conſpicuæ. Succedit adeò *Canaanis* veteris, ac *Palæſtinæ*, non una deſcriptio.

I. *Nomina varia.*

Canaanæorum nomen.

Nomen regioni univerſæ fuit primitùs, (obſcurum hoc quanquam apud Græcos & Exoticos Scriptores; ſed retentum in Sacris ob Vaticinium, *Gen.* IX. 25. 26. 27. & ob veram originem Phœnicum ex Canaanę & Filiis) illud *Canaanis*, inter Canaanis filios XI. eorumque poſteros diviſæ, *Gen.* X. 15. & *ſeq.* ſervatis adhuc nominibus tempore Moſis. Ac, pro diverſis Canaanis poſteris, dicta terra *Hettæorum*, *Sidoniorum*, *Jebuſæorum*, *Amorrhæorum*, *Hevæorum*; *Hamathæorum*, &c.

Aliæ appellationes inſigniores benè multæ.

Dehinc appellata, notis ſatis de cauſis, I. *Terra Promiſſionis*, indè à promiſſione factâ Abrahamo, *Gen.* XII. 4. &c. ac ſæpè *Terra* ſimpliciter, Terra *hæreditatis* Iſraëlis, &c. II. *Terra Hebræorum*, ſeu בני עבר *filiorum Heber*, in quibus Heberi & nomen, & lingua, & Sacra conſervata, indè ab Abrahamo, undè עבר pro Hebræis, *Num.* XXIV. 24. quos malè dictos voluêre, poſt Africanum, Origenem, Theodoretum, quaſi περάτας עבריים. III. *Iſraël*, etiam *Juda* vel *Judæa*, Pſal. LXXVI. 2. diſtinctis his tamen, poſt Diviſionem Iſraëlis à Judâ, appellationibus. IV. Univerſa rurſùs, Euangeliſtis & Magiſtris, *Iſraël*, vel *Terra Iſraëlis*, ac *Terra*, ἐξόχως, ſed communiter *Judæa* ſub II. Templo, etiam Græcis ac Romanis Scriptoribus: Quandoque *Idumæa*, *Samaria*, *Galilæa*, hujus Terræ tùm partes. V. Ptolemæo & Geographis, ac in diſtributione Provinciarum Rom. Imp. dicitur *Palæſtina*; quanquàm hæc tempore Pompeji M. à Judæâ diſtincta fuerit, & Urbes *maritimas* propriè complecteretur. Indubiè à Palæſtinis, ſeu Philiſtinis, Philiſtæis, qui ab Ægyptiis oriundi, partem Terræ hujus Ægypto proximam, & ad Occaſum latè exporrectam, incoluerunt, Linguæ etiam affinitatem notante Hieronymo, *Comm. in Eſaj. Lib.* VII. C. XIX. VI. Τοῖς LXX. Interpretibus, & ab antiquo, *Phœnicia*, vel *Phœnice*, ἡ χώρα τῶν Φοινίκων, qui ex Cananæis orti, ut Sidon fuit ex Canaane; hinc migrationes *Phœnicum*, id eſt, Cananæorum. Et arbitrati nonnulli etiam Ezechieli, *Cap.* XXVII. 17. retentam fuiſſe vocem Græcam in פנג *Pannag*, quam regionem à *tritico* commendat Vates, לחם פנג, uti Hiſtoria S. & Plinius. Quanquam *Phœnice* ſtrictiùs accepta diſtincta fuit à Palæſtinâ, & deinceps etiam à Palæſtinis tribus; ut quæ his ad Septentrionem & Occaſum fuit; ſeu Maritima Phœnice, ſeu Damaſcena; uti ſpecialiùs infrà. Porrò de Phœniciæ appellatione, & Phœnicibus, ex profeſſo Bochartus. VII. *Syria* etiam dicta hæc regio, à Metropoli צור *Tyro*, communi appellatione; & diſtinctiùs *Syria Palæſtina*, prout Syriæ tres Veteribus, Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιςίνη. Etiam *Aſſyrii*, *Sidonii*, *Syro-Phœnices* appellati hujus terræ incolæ, apud Hiſtoricos & Poëtas;

Alba nec Aſſyrio (id eſt Tyrio) *fucatur lana veneno.*

VIII. Tandem Chriſtianis, communiter *Terra Sancta*, veneratis nempè cum Helenâ matre Conſtantini M. τὰ βήματα σωτήρια, terram cui *veſtigia Servatoris* quondam impreſſa, apud Euſebium, de *Vitâ Conſt. M. L.* III. C. XLII. Quanquàm & *Sancta* cognomentum jam olim nacta, ob cultum Legalem à Deo inſtitutum.

II. *Situs*, & *limites.*

Situs ejuſdem fertur Geographis in Orbis terreſtris quaſi *Umbilico*, quod de Orbe Veteribus cognito, & ἐν πλάτει accipiendum eſt: Scilicet de Aſiâ, Africâ, Europâ, quarum in meditullio quodammodò ſita Palæſtina, ſeu Terra Iſraëlis; in Aſia nempè ſita, Africam ab Auſtro contingens, uti Europam ferè totam beneficio Maris Mediterranei. Fuit etiam intrà gradus latitudinis *Borealis* XXXI. & XXXIV. quibus ad *Ortum*, Syriæ Damaſcenæ & Cœle-Syriæ, Hebr. *Aram-Soba*, Arabiæ Deſertæ, Chaldææ, Perſidis regiones, in parallelis reſpondent; in longitudine verò extendit ſe ad gradum, ſecundùm Abulfedam Geogr. Arabem, LX. ſecundùm Ptolemæum verò LXVIII. Sic & *Hieroſolyma* ferè in ipſo Palæſtinæ meditullio ſeu *umbilico* fuit, ſive Poli latitudinem reſpicimus, à Septentrione ad Meridiem, ſive longitudinem; à Mari Mediterraneo ad Jordanem uſque. Quemadmodùm eadem centrum Geographiæ Sacræ cenſetur.

Gradus latitudinis, & longitud.

Terminata primitùs fuit, ab *Oriente* quidem, eâ Syriæ parte quæ dicta Hebræis ארם צובה *Aram-Soba*; pars ſcil. Syriæ Cavæ quà hæc meridionalior eſt, ac cumprimis *Arabiâ Deſertâ*; ſeu Montibus qui ab utrâque dividebant, quales Hermon, continuatio quædam Libani, hinc Galaad, Arnon, Nebo, undè Moſis vidit univerſam Terram; &

Termini ad Orientem.

Digitized by Google

qui Trachones Joſepho, Straboni: A quâ etiam parte Orientali fuit Ammonitarum ac Moabitarum regio. De *Filiis Orientis* dictum ſuprà fuit.

Ad Occidentem.

Ab *Occidente*, terminata omnis Palæſtina mari Mediterraneo ſeu Magno, minoribus contradiſtincto, undè ים *mare* Hebræis pro Occidente, & ימה *Occid. versùs.* Philiſtæi, antequàm ſubigerentur, terminabant terram Iſraëlis ad Occaſum.

Ad Meridiem.

Ab *Auſtro*, limes extremus Palæſtinæ fuit 1. *Torrens*, ſeu fluvius Ægypti, נחל מצרים, qui & שחור *Sichor*, *Joſ.* XIII. 3. quo Palæſtina ab Ægypto ſeparatur, idemque fluens ex montibus Idumæorum ſeu Arabum; & ad quem ſita *Rhinocolura* civitas, Straboni Ῥινοκόλουρα, Stephano Ῥινοκούρουρα, in Ægypti & Palæſtinæ confinio, ad mare Ægyptium: Undè οἱ LXX. *Eſaj.* XXVII. 12. pro torrente Ægypti, reddunt ἕως Ῥινοκορούρων. 2. *Beerſchebah* deſertum, *Berſabea*, cui Civitas cognominis, undè phraſis Scripturæ S. *uſque ad Beerſchebah*, *Jud.* XX. 1. 1 *Sam.* III. 20. &c. 3. Montes Sehir *Joſ.* XI. XII. dividentes à deſerto *Pharan*, ſede quondam Hagaris & Iſraëlis, *Gen.* XXI. 21. & à deſerto *Cadeſch-Barneâ*, paſſim ex Moſe & Joſuâ; ſeu dividentes à Montanis *Seir* vel *Idumea*, quæ Judæam ad Auſtrum ab Idumæâ, & Arabiâ Petræâ, dividebant. Uti hanc mediam inter Ægyptum & Palæſtinam collocat ὁ πάνυ Bochartus, cujus fluvius fuerit *Beſor*, qui è Montanis illis ortus, ad *Majuma*, navale Gazitarum, in Mediterraneum influxit. Hinc & *Gaza* Cananæorum terminus eſt, *Gen.* X. 19. in angulo nempè Occidentali, verſus Auſtrum.

Ad Septentrionem.

A *Septentrione*, terminus fuit *Sidoniorum* regio, *Gen.* X. 19. & *Damaſcena*, ac *Libanus*, vel potiùs *Antilibanus* mons, לבנון vel לבון Syris rad. לבן *albus*, ab albedine nivis & thuris, quomodò לבונה etiam *thus* eſt *Cant.* IV. hinc λίβανος, λιβανωτός. Scilicet mediâ inter utrumque montem Libanum & Antilibanum (illum Syriæ adſcriptum indè ab urbe Tripoli) convalle; à quâ primùm *Syria* Κοίλης ſeu *Cava* nomen fuit, latiùs extenſum ad Syriam Palmyrenam & Soba, *Salutarem* deinceps dixerunt. Ad radices montis Antilibani, qui in ſpecie mons Panius, fuit *Dan* civitas, primitùs *Leshem*, dein Πάνιον *Paneas*, & *Cæſarea Philippi.* Ex eodem Antilibano ſcaturiêre Jordanis fontes *Jor* & *Dan*, undè veriſimiliter Jordani nomen. Et hinc Scripturæ phraſis, *à Dan* uſque ad Beerſchebah, modò obſervata. Terminavit & *Hamathæa* regio ad Aquilonem, undè phraſis *ab introitu Hamath.* Septentrionales verò huic Terræ Gentes in Scripturâ cenſentur Syri, Aſſyrii, Medi, Armenii, Gentes Magog, Ros, Tubal, &c.

Limites prolati à Dav. & Salom.

Concinit deſcriptio limitum Terræ S. apud Moſem, *Numer.* XXXIV. Joſuam in Diſtributione Terræ, & apud Ezechielem *Cap.* XLVII. 15. & ſeq. XLVIII. 1. &c.

At Davidis & Salomonis temporibus, ad ipſum uſque Euphratem, Orientem versùs, prolati fines Iſraëlitarum, in *Aram-Tzoba*, quæ inter Euphratem, Syriam Damaſcenam, ac Palæſtinam media fuit, 2 *Sam.* VIII. 3. 1 *Chron.* XVIII. 3. ut de Davide Hiſtoricus Sacer: Sic Salomon *dominatus à Tiphſach* ſeu Tapſaco Urbe, ubi trajectus Euphratis, uſque ad Gazam, 1 *Reg.* IV. 24.

III. *Menſura Terræ S.*

Milliaria quot in longit. & latitud.

Longitudo Terræ totius, (putata ſecundùm Scripturas à Dane ſeu termino *Boreali*, ad Berſchebæ Civitatem ſeu terminum *Auſtralem*) Adrichomio eſt plus minùs milliarium LXVII. *Milliaria* autem illi non Romana ſeu Italica, quæ M. paſſuum, ſeu ſtadiorum Romanorum VIII. ſed Gallica quæ *Leucas* vocant, *leugas*, *leuvas*, ſingula horæ unius, ſeu III. M. P.

Latitudo Terræ, (putata jam à Mari Mediterraneo, ſeu ab *Occidente*, & protenſa ad Jordanem uſque, ubi maximè *Orientalis* eſt, ſed Trans-Jordanicâ regione non comprehenſâ) cenſetur milliarium plus minùs XVII. vel XVIII. At regione trans Jordanem incluſâ, adduntur leucæ IV. vel VI. ad ſummum. Quanquàm *Latitudinis* vix certa dari menſura poſſit; & Trans-Jordanica in partem quoquè Palæſtinæ veniat, ubi *trium* Tribuum ſedes fuit.

IV. *Palæſtinæ facies; & Terræ totius Conditio.*

Terra ipſa qualis?

Fuit illa Montibus primò undequaque, veluti muro quodam, circumcincta, & ad Occidentem Mari magno ſeu Mediterraneo, undè portuum opportunitas, & navigationis Orbe toto; hinc & Phœnicum Coloniæ in omnes Mundi plagas diffundendæ. Quarum Coloniarum cauſa fuêre; ſoli anguſtia, navigandi peritia, mercaturæ ſtudium, & Iſraëlitarum terram eam occupantium immitis ſucceſſio. Præterea fuit intrà ipſos Terræ limites regio mirabili quâdam ratione Montibus, Convallibus, Planitie perpetuò diſtincta, Fluviis paſſim irrigata, ditata Lacubus, Maribus, Fontibus ac Rivis ubique recreata. Sed & Urbibus ac Vicis ſuprà omnes habitati Orbis Terras referta fuit, undè Reges XXXI. apud Joſuam memorati, imò regna longè plura paſſim in S. Paginâ.

Maria.

Maria in ejus ambitu ſeptem à Talmudicis memorantur, quorum tria notiſſima, Mare *Mediterraneum*, ſeu Magnum, Internum, Occidentale; *Sodomiticum*, ſeu Mare Mortuum, Orientale, Salis, Aſphaltites Lacus; *Tiberiadis*, ſeu Mare *Chinnereth*, Genneſareth, Γεννησαρῖτις Ptol. & Straboni, & mare Galilææ. Reliqua ſunt Lacus minores, & in iis *aqua Merom* Joſ. XI. ſeu *Samochonites* Lacus, qui & Sibbichæus, in quem ſe haud longè à fontibus ſuis Jordanes effundit.

Fluvii.

Fluvii iiſdem quatuor recenſentur: Princeps omnium *Jordanes*, ὁ μέγιστος Straboni, fluens ex Paneade vel *Dane*, à Septentrione, & influens in Lacum Tiberiadis, qui an fluvius Paradiſi fuerit, ſuprà quæſitum. Memorant Ptolemæus, Strabo, reliqui, ſed malè hic Libro XVI. in *Syriâ* διαῤῥεῖν Cœle-Syriam, ſeu convallem Libani & Anti-Libani, uti malè hunc cum Lyco fl. conjungit, quem propè Byblum in Mare exonerari dicit. Fluvii cæteri ſunt, *Jarmoch* (qui Hieromax Plinio) in regione Gergeſſæorum è Montibus Galaad; *Kirmion* versùs Damaſcum, qui & Amanah, Abanah; *Pigah* qui & Pharphar, uterque ex montibus Hermon. Addi debent præprimis, *Chiſon* fluvius, qui & *Ciſon*, in regione Iſſacharis & Zabulonis, vel *Kiſhion*, è Mari Galilææ in Mare Mediterraneum fluens, & Tribum utramque dividens: Et in regione Trans-Jordanicâ, quæ Gaditis, Rubenitis, & Manaſſitis ceſſit, ſive fluvii ſive torrentes, *Arnon*, è cognomini monte, ad Orientem, in Mare Mortuum ſe exonerans; & *Jaboc* vel *Jeboch*, ex iiſdem Montanis in Jordanem influens, propè mare Genneſareth.

Montes.

Montes innumeri, celebriores verò, ad *Septentrionem* Libanus & Anti-Libanus, confuſis ſæpè appellationibus, Strabone rectè diſtinguente: Ad *Orientem* montes Galaad, Hermon, (undè Hermon pro Oriente, Pſ. LXXXIX. 13.) Arnon, ac Montana Moabitarum: Ad *Meridiem*, Montana Judææ Meridionalis, & quæ ulteriùs ab Idumæâ

&

& Arabiâ disjungebant. Ad *Occaſum*, montes qui ad Mare, in Tractu Galilææ, cumprimis Carmelus; tùm Montana regionis Ephraim quæ in Scripturâ *Mons Ephraim*; & *Mons Iſraëlis* Joſ. XI. 16. qui Maſio fuit juxtà Sichemum; tandem & Montana Philiſtæorum. In mediâ Regione, montes ſine fine; illuſtriores ex. gr. mons Thabor, Garizim, Hebal, Sion, Morijah, Hebronis & Judææ Montana.

Fertilitas & amœnitas Terræ.

Porrò *amœnitatem* Regionis totîus, *feracitatem* incredibilem, aërisque *temperiem* admirandam, præter Moſem & Scriptores Sacros, teſtantur multis Joſephus, Plinius, Strabo, Talmudiſtæ Hieroſolymitani, & Chriſtiani ab ævo teſtes oculati.

Sed & argumento ſunt, præ cæteris, variantis illa ubique Naturæ facies, quam modò dicebamus; ac temperatiſſimum Clima, & ſitus ille medius illinc inter Syriam à Septentr. & Ægyptum à Meridie, hinc inter Mare Mediterr. & Jordanem, ac Montana quæ à deſertâ regione ſeparabant. Acceſſit Populorum & Urbium ſuprà fidem numerus, in tam exiguo Tractu. Adde perpetua etiam in Montanis Paſcua, Vineta; flaveſcentes Campos; Arborum frugiferarum Sylvas; Precioſiſſimum illud Balſamum ſeu Opobalſamum, in Hierichuntinâ regione, & Galaaditide; tùm Aromata, Maſtichen, Olivas, Piſtaceas, Palmas, Ficus, deliciarum ac fructuum omne genus. Fuit & pecorum armentorumque incredibilis ubique copia, etiam Apum, ut verè *lacte* & *melle* Terra diffluеret; Animalium item quæ vel ad eſum, vel ad miniſterium, vel ad voluptatem, etiam Volucrum, ac Piſcium, præſtantiſſimæ quæque ſpecies, &c. nihil naturâ negante.

Aſt longè alia hodiè eſt ejus Terræ conditio, tot pridem bellis devaſtatæ; per Romanos præcipuè ſub Fl. Veſpaſiano, per Hadrianum, per Choſroem Perſam circa A. DCXIV. per Saracenos indè ab Omar vel Haumare A. DCXXXVI. per Chriſtianos ipſos indè ab A. MXCIX. Dein per Sultanos Ægypti, tandem per Turcas indè à Selimo Imperat. Adde regionem eam à Barbaris inſeſſam, perpetuis Arabum incurſionibus expoſitam, paſſim incultam, ut ſunt Turcarum ſub dominatu Regiones omnium quondam amœniſſimæ. Hinc paſſim ruinis, arenis, ſylvis, aſperitate locorum, horrida regio, & pro molli violâ, pro ficu, carduus, & ſpinis ſurgens paliurus acutis.

V. *Terræ Incolæ antè Iſraëlitas.*

Canaanis Filii ubi ſederint?

Regio univerſa, antè occupatam terram ab Iſraëlitis, poſſeſſa fuit à poſteris Canaanis, cui filii XI. *Gen.* X. 15. &c. 1. *Sidon* à quo Sidonii, ad Mare versùs Aquilonem, & ex his Tyrii, utrique Phœnices ſtrictè dicti. 2. *Cheth*, à quo Chettæi, de quibus infrà. 3. *Jebuſi* à quo Jebuſæi. 4. *Emori* à quo Amorrhæi. 5. *Girgaſchi* à quo Gergeſæi. 6. *Chivi* vel *Hivi* à quo Hevæi, Chivæi. 7. *Arci* vel *Arkeus*, à quo *Arca*, *Arce*, Phœniciæ urbs ad montem Libanum, & Venus Architis. 8. *Sini* vel Sinæus, à quo Sin urbs (Bocharto Peluſium) & Sinæi, ad Meridiem, *Eſaj.* XLIX. 12. ab aliis ad Ortum vel Septentrionem collocati, uti olim Hieronymo, dein Ariæ Montano; peſſimè etiam cum *Sinaitis* confuſi, &c. 9. *Arvadi* (Ἀράδιος) undè Aradii, Sidoniis & Phœniciis confluv. termini, vel ex *Ezech.* XXVII. 8. ad Eleutherum fluv. ad cujus oſtia Aradus Inſula, & Antaradus. De quibus Ptolem. Strabo, Plinius, Arrianus, Stephanus. 10. *Zemari*, undè Samaræi, vulgò in Phœnicio littore; aliis verò hinc *Semaraim* urbs, quæ Benjaminitis ceſſit, *Joſ.* XVIII. 22. & montes Semaraim, ferè ad oſtia Jordanis. At שמרים fuit in Tribu Zabulonis, cujus Regem Joſua interfecit, *Joſ.* XIX. Malè & ab his *Samaritas* derivari, diverſiſſimo nomine, Bochartus *Lib.* IV Phalegi, C. XXXVI. 11. *Chamathi* vèl *Hamathi*, undè Hamath & Hamatæi, etiam Emath, poſteà ab Epiphane dicenda Epiphania; extremus hic terræ limes ad Septentrionem, in confiniis Damaſci. Quibus additur ea pars quæ *Canaanis* patris nomen retinuit, mediterranea illa, undè ſtrictiùs dicti Cananæi; *Gen.* XV. 21. *Num.* XIII. 30. quales & videntur intelligi *Gen.* XII. 6. De ſingulis Bochartus Geogr. S. *Libro* IV. C. XXXV. XXXVI. Arias, & Commentatores.

Mutationes antè & poſt Abrahamum. Novæ appellationes.

Decem verò Gentes ſubigendæ à poſteris Abrahami memorantur, *Gen.* XV. 19. 20. ut duæ jam tùm in unam coiviſſent. Sed & appellationes quædam jam tùm immutatæ, qualiter & Moſis ætate, hinc ibi *Kenæi* vel *Cinæi*, & *Kenizii* vel *Cenezii*, nuſquàm hi aliàs memorati, deletis poſteà nominibus tempore Moſis. Seu iſti jam ad Septentrionem Libanum versùs, ut quidam poſt Euſtathium Antiochen. in *Hexaëmero*; ſeu veriùs ad Meridiem versùs Montana Seir, & regionem Amalekitarum habitarint, ut de Cinæis 1 *Sam.* XV. 6. ex qua gente Jethro ſocer Moſis, in *Madianiticâ* terrâ.

Adduntur *Gen.* XV. *Kadmonæi*, ſeu Orientales, ad montem Hermon, iidem cum *Hevæis*, vel *Hermonæis*, ut pluribus Bochartus. Adduntur ibidem *Raphaim* Gigantes, homines agreſtes, feroces, in montanis & antris degentes in terrâ Baſan, cum Pherezæis juncti, *Joſ.* XVII. 15. ex quibus Og Baſanitarum Rex, *Joſ.* XII. 4. Genus idem cum Anakæis circà Montana Hebron, *Joſ.* XI. 21.? Plures verò incoluerunt eam terram Gentes, Moſis & Joſuæ temporibus, quæ ultrà XXX. numerantur, Regnis ſuis diſtinctæ, præter *Palæſtinos* & *Sidonios*, oram totam maritimam obſidentes. Nomina verò alia ſenſim enata ſunt Gentium & regnorum, indubiè ex poſteris aliis filiorum Canaanis. Nec tamen omnes illæ Gentes ab Iſraëlitis ſubactæ.

Pentapolis Palæſtinæ.

Porrò Tractus ille in quo *Mare Mortuum*, *Aſphaltites* Plinio, Solino, à bitumine, quod & Mare *ſolitudinis*, olim regio & convallis longè amœniſſima fuit, hinc Hortus Domini, *Gen.* XIII. 10. uti de Tyriorum regione, *Ezech.* XXVIII. 13. Taliſque Abrahæ adhuc ætate, ubi fuit *Pentapolis*, nempè Civitas *Tzohar* ſeu *Segor*, primum Lothi refugium, *Admah*, *Sodomah*, *Gomorrha*, & *Seboim*, de quibus Sacra Hiſt. Uti incendii etiam meminerunt Strabo, Tacitus, Solinus, & Plinius, L. V. C. XVI. & L. XXXV. C. XV. Hìc XIII. olim urbes habitatas refert Strabo *Geogr.* L. XVI. p. 526. Ex ſuprà dictis Gentibus *ſeptem* ſpeciatim, ut majores inter illas, recenſentur, præter Hierichuntinos, quæque fuerint à Joſuâ deletæ, *Joſ.* XXIV. 11. *Act.* XIII. 19. Moſe prædicente, *Deut.* VII. 1. Sequentes hæ nempè.

Gentes ſeptem Cananææ à Joſuâ deletæ.

Hetthæi, Hitthæi, Chittæi, Chetitæ; Maſio juxtà regionem Sidoniorum (& ſic vulgares Tabulæ, ac Pariſienſes) ubi Dora, Mageddo, Aphec, Jezraël, &c. collocantur: Veriùs referendi ad Auſtralem Palæſtinæ, iidemque qui & *Anakæi*, *terribiles*, voce ex חתת derivatâ quæ *pavorem* notat. In horum regione *Hebron* Montana, antiquiſſima Cananææ civitas, quæ & Kirjath-Arbah, ex Sacris notiſſima. Hinc ab Hetthæis regionem eam incolentibus ſepulchrum emptum ab Abrahamo *Gen.* XXIII. 3. 4. Adi Bochartum, & caſtigatiores Tabulas.

Amorrhæi, vel Emorrhæi, victoriis ſuis progreſſi ultrà Jordanem, ibique devictis Moabitis &

Ammonitis, *Num.* XXI. 16. conſederunt inter Arnonem torrentem, & Hermonem, omniſque ea regio *Amorrhitis* dicta, quæ inter duas Tribus cum dimidiâ diviſa fuit, ut habet Joſephus *Ant. Lib.* IV. C. VII. & in quâ *Rephaim* gigantes, *Joſ.* XI. *Peræa* deinceps regio, latiori vocis acceptione dicenda, περαία quaſi trans-Jordanica, ἀπὸ τοῦ πέραν. Quanquàm aliàs diſtinguatur Sehonis *Amorrhæi* Regio, disjuncta ad Septentr. Jaboco vel Jabaccho, à regno Ogis in *Baſanitide*, ut pluribus Joſephus *Lib.* IV. C. V.

Gergeſæi, Girgaſchæi, in trans-Jordanicâ regione, versùs mare Galilææ, quorum fuit *Gadarena* regio, ab urbe ejus nominis *Gadarâ*, apud Marcum & Lucam, à quâ diverſa *Geraſa*, vicina tamen. Vide pluribus Lightfootium in Horis Hebr. A Guirgaſæis derivant Judæi, in Libro *Juchaſin*, & in *Itinerario* Benjamini, Georgeſtanos, vel Georgios Iberiæ; Bochartus verò *Circeſium* urbem ad confluentem Euphratis & Chaboræ, *Lib.* IV. C. XXXVI. *Gadaram* trans-Jordanem etiam Ptolemæus & Plinius memorant; Strabo autem Γαδάρων meminit propè Aſcalonem & Joppem, *Lib.* XVI. p. 522. intelligens Gazaram vel Gezer, non confundendam certè cum Gadarâ trans-Jordanicâ. Sed & confundit Strabo Aſphaltitem lacum, cum Sirbonis palude, *Libro* eodem XVI. p. 526. Strabo notatus.

Cananæi, ſtrictiùs jam appellati, retento priſtino nomine, habitantes ad *Mare*, & ad fluvium *Jordanis*, *Num.* XIII. 30. ſeu Mare illud ſit Orientale, ſeu veriùs Mare Magnum à quo ad Jordanem extenſi fuiſſe videntur, id eſt, à Philiſtæorum regione ad illam Amorrhæorum. Hinc *Cananæus* (ſtrictè dictus) *erat in illâ terrâ*, *Gen.* XII. 6. ſeu habitabat mediam eam regionem quam tranſivit Abraham, ad convallem Sichem. Quibus ex verbis imperitè Præ-Adamita, Hobbeſius, Spinoſa, colligebant ſcriptam eſſe Geneſim poſt pulſos à Joſuâ *Cananæos*.

Pherezii, Perizæi, agreſte hominum genus in locis montanis & ſylveſtribus, vulgò ad oram maritimam & Occidentalem, quæ ceſſit dimidiæ Tribui Manaſſis. Certè non remoti à Sichemitis, *Gen.* XXXIV. 30. nec diverſi à Raphaim, ſaltem vicini, *Joſ.* XVII. 15. Hinc veriùs ad Ortum, versùs regionem Hierichuntinam, & trans-Jordanicam. Aliis etiam magis ad Auſtrum, versùs Amalekitas, & Boſtram. Dicti quaſi פרזים *pagani*, qui in montanis & agreſtibus locis agerent, non certâ ſatis origine, nec ullo in filiis Canaanis ſic appellato.

Hevæi, Chivæi, ad Orientem ſiti versùs Libanum & Hermonem montes, hinc iidem *Cadmonim*, collato loco *Jud.* III. 3. Ex his *Sichem* Hevæus, *Gen.* XXXIV. 2. & *Gabaonitæ* Hevæorum propago, *Joſ.* XI. 19. Hìc & *Cadmus* & *Phœnice* regnarunt, antè adventum Joſuæ, undè *Cadmonia* & *Hermione*. Bochartus rectè diſtinguit ab iis qui חוים *Joſ.* XIII. 3. *Hauvæi*, versùs Auſtrum, & fluvium Ægypti, cum Palæſtinis juncti ad Meridiem, *Joſ.* XIII. 4.

Jebuſæi, in Montanis Judææ, *Num.* XIII. 30. à quibus etiam *Jebus* Civitas; quæ & Salem, poſtmodùm Hieroſolyma, & Arx Sionis, occupata iiſdem uſque ad tempora Davidis. Vulgò *Jebuſæos* collocant in orâ maritimâ, ubi Accaron, Azotus, Aſcalon, Gaza, &c. Philiſtæorum Satrapiæ; quod cum S. Hiſtoriâ non ſatis convenit.

Philiſtæi. Hinc multæ in Cananæis Gentes ſuperfuêre, adhuc ſubigendæ, à Joſuæ exceſſu, *Joſ.* XIII. 2. 3. 4. Potentiſſima in his gens *Philiſtæorum* vel *Palæſtinorum*, quæ ut indè ab Ægypto per oram omnem maritimam diſperſa fuit, uſque ad Doram, vel Cæſaream; & Portuum opportunitate, Urbium amplitudine, Caſtellorum munimentis, cæteris potior; nihil mirum eſt Palæſtinæ dediſſe apud Gentes exteras nomen, Phœnicum exemplo, à quibus Phœnicia. Hìc celebres illæ Satrapiæ Philiſtæorum, quarum Præfecti non מלכים *reges*, ſed סרנים *Satrapæ*, vel Reguli: Ex quibus *Geth*, quò fugit David, 1. *Chron.* VII. 2. maximè Septentrionalis fuiſſe videtur, *Gaza* maximè meridionalis quæ ab Alexandro M. diruta, poſt bimeſtrem obſidionem. Cum his verò Philiſtinis fuêre perpetua Iſraëlitis & Regibus bella, tenueruntque Urbes inclytas & Satrapias, Geth, Jamniam vel Jabne, Accaronem, Azotum, Aſcalonem, Gazam versùs Deſertum & Ægyptum, Hiſtoriis celebrem. Propè Gazam ad Mare fuit *Majuma* civitas, Γαζαίων λιμὴν, Navale Gazitarum, ut Navalia ſua habuerunt Hieroſolyma, Corinthus, Ravenna, & aliæ. Quæ an originem dederit *Majumæ* feſtivitati, quam & ſingulas Tribus habuiſſe Magiſtri tradunt, יום טוב vel πανήγυριν, inter Eruditos diſquiritur. Majuma quid? De hac Titulus in Codice utroque *Theod.* & *Juſtin.* tanquàm de *fœdo atque indecoro ſpectaculo*, quod in Syriâ, & Romæ, ac paſſim per Romanum Imperium, *Majo* menſe celebrabant, ex Joh. Antiocheno, & Suidâ; vel menſe Λώῳ ſeu *Auguſto*, ex Juliani Miſopogone. Et hoc tandem ſpectaculum ſuſtulerunt Imperatores Conſtantius, Theodoſius M. Arcadius; de quo conſule, ſi lubet, Jacobum Godofredum ad *Cod. Theod.* vel Joh. Gregorium Anglum, in *Opuſculis*. Theophanes tamen, Leonem Imperatorem ποιήσαντα Μαϊουμᾶν *celebraſſe Majuman*.

Porrò Phœnicias haſce ſeu Cananæas Gentes, uſas eſſe Sermone Hebræo affini, undè etiam veſtigia illius perpetua in Coloniis Phœniciis, multis probat Bochartus noſter, contrà Fullerum, alioſque, Canaanis *Lib.* II. C. I. Sermo Cananæorum. Affinitas cum Hebræo. Hinc nomina Locorum fermè Hebraica paſſim; hinc Rahab & Exploratores ὁμόγλωσσοι, alter alteri intelligibiles; hinc γλῶσσα Φοίνισσα pro Hebraicâ, apud Joſephum *Lib.* I. contrà *App.* & *Phœnices* apud Herodotum pro Hebræis, quanquàm hoc minùs ſtringat, Regionem attendente ac ſedem Hebræorum Hiſtorico, non Linguam. Certè in Phœnicum Sacris ubique veſtigia Hebraici Sermonis, in *Sabaſius*, *Aſtoreth*, *Jevo*, *Baal*, *Belſamen*, *Adonis*, *Berith*, *Moloch*, *Rimmon*, *Elion*, lapides *Betylii*, &c. de quibus alibi. Ex eâdem Phœnicum atque Hebræorum Linguâ petiit originationes innumeras, Seculi noſtri decus, Samuel Bochartus, ſi non ubique certas, ut in talibus accidit; ſaltem eruditas pariter & ingenioſas: Quum v. gr. *Phœnicum*, *Aſiæ*, *Africæ*, *Europæ*, *Siciliæ*, *Britanniæ*, *Hyberniæ*, *Thules*, *Iberiæ*, *Hiſpaniæ*, &c. appellationes, atque infinitas alias, ex linguarum principe, aut hujus filiabus & traducibus, illuſtravit. Doctiſſ. autem Huëtius, audaciore conjecturâ, priſtinam Hebræorum linguam *Chaldaicam* fuiſſe putat, Hebræam verò eandem eſſe cum *Cananæâ*, ab Hebræis deinceps uſurpandam, poſt terram occupatam, undè *Hebræa* dicta ſit. Vide Doctiſſ. Diſſertationem Steph. Morini, de Linguâ primigeniâ.

VI. *Sors Duodecim Tribuum Iſraëlis. Tribus Levi.*

Aliæ quidem Tribus regionem *Trans-Jordanicam* inſederunt, ut Tribus Rubenis, Gadis, & dimidia Manaſſis, *Num.* XXXII. &c. confirmante Joſuâ, *Joſ.* I. 12. aliæ regionem omnem *cis Jordanem*, quales novem Tribus cum dimidiâ, *Joſ.* XIV. 2. 3. Levi illâ per omnes Tribus diſperſâ ex *Joſ.* XXI. Trans-Jordanicæ, ab *Amorrhæis* anteà occupatæ, termini fuerunt, ad Auſtrum *Arnon* fluvius, quà

quà hic ſe in Mare Mortuum exonerat; ad Septentrionem *Hermon*, *Joſ.* XII. 1. Atque hæc ſine ſortitione inter Tribus Duas cum Dimidiâ, diſtributa fuit. At ſortitione in Cis-Jordanicâ opus fuit, difficiliore aliàs diviſione, ob diſparitatem cùm Tribuum, tùm Terræ ipſius, ut pluribus Joſephus *Antiq. Lib.* V. C. 1. De modo κληρουχίας ſeu ſortitionis certant Interpretes, de quo diximus ad *Epoch.* IV. C. IX. Sic quî majoribus Tribubus majores partes ſorte ceſſerint, ut *Juda*, & *Joſepho*, quarum & ſortes primæ exierunt, reliquæ poſteà in Shilo, *Joſ.* XVIII.

Sed poſteà detractum fuit majori parti, in gratiam illorum quibus exigua nimis ſors obtigerat; uti v. g. *Accaron*, *Azotus*, *Geth*, quæ Judæ ceſſerant, *Joſ.* XV. ceſſêre poſteà Tribui Danis, *Joſ.* XIX. 43. Sic toti Tribui *Simeonis* locus conceſſus in ſortitione Judæ, *Joſ.* XIX. 9. Sic non omnes Urbes, quæ recenſentur in ſorte ſingularum Tribuum, tum ſuêre occupatæ, ut *Dan*, *Emath*, Satrapiæ *Philiſtæorum*, loca multa adhuc poſſeſſa ab Ammonitis, Moabitis, Cananæis, Philiſtæis, quæ in ſorte Tribuum *de jure* fuerunt. Sic obſervandum fuiſſe plures Urbes *cognomines*, aut affini appellatione, in diverſis Tribubus; ut Abela propè Pellam, & Abyle undè Abyleni; Boſra in Idumæâ Auſtrali, Boſor in campeſtribus Moab, & Boſra in Trachonitide regione ad Montana *Hermonis*. Sic Rabba Moabitarum, & altera Ammonitarum; Emath regio, & Emath turris Hieroſolymit. Gabaon, Gabaa, Gabbatha, &c. à collibus Judæ & Benjaminis; Cana in Tribu Aſſer, & in Tribu Zabulonis; Ajalon in Tribu Danis, & altera Zabulonis *Jud.* XII. Bethſemes Judæ, & altera Iſſacharis ad Occaſum; Rama propè Hieroſolymam, & Ramatha magis ad Occaſum; Bethoron Superior in extremis Ephraim, alia Inferior in Tribu Benjamin; Bethel in Tribu Ephraim, altera in Tribu Benjamin, haud longè à Lozâ, locus *viſionis*, &c. Sic non confundenda deſertum צין & סין, id genus alia ob affinitatem Literarum, vel Soni.

Levitarum Sors. *Tribui Levi*, in Gentes quatuor tributæ, *Aharoneos*, *Cabatitas*, *Gerſonitas*, ac *Meraritas*, *Joſ.* XXI. 4. 5. 6. 7. ſecundùm quatuor ראשי אבות ἀρχιχιλιάρχας, ſeu ἄρχοντας πατριῶν, vel πατριάρχας, ceſſerunt Urbes in univerſum XLVIII. ſeparatæ ex ſingulis Tribubus, ac ſorte inter ipſos Levitas dividendæ; atque in iis XIII. primæ *Sacerdotum*, VI. *Refugii*, ſingulæ in Tribuum deſcriptione notandæ.

Videntur & aliæ deinceps acceſſiſſe, Tribu multiplicatâ. Conſule 1 *Chron.* VI. Ideò autem diſpergenda per omnes Tribus, cùm ob vaticinium, *Gen.* XLIX. 7. tùm ob docendi munus, inter omnes exercendum. Hæc Tribus, quanquàm per reliquas diſperſa, non defecit ad Jeroboamum.

Sic aliæ fuerunt Tribus quæ deinceps conſtituêre Regnum *Judæ*, ut Tribus Judæ, & pars Simeonis ac Benjaminis; aliæ quæ Regnum *Iſraëlis*, ut reliquæ. Fallunt verò in plurimis Tabulæ Vulgares, ex Adrichomio, Brochardo, ſimilibus, ut ſuis infrà exemplis docetur.

1. *Tribus Ruben.*

Termini. Obtigit hæc Jacobi primogenito ex Leâ, regio Trans-Jordanica *Sihonis* vel *Sehonis* Amorrhæi, quæ olim Moabitarum Ammonitarumque, ſita intrà Arnonem fluvium ad Ortum & Meridiem, quà hic influit in Mare Mortuum, & intrà Jordanem ad Occidentem, quo diviſa à Rubenitis Benjamini, & mediæ Manaſſis, ſors fuit. Ab Oriente verò ut Arnone, ſic montibus Arabiæ terminata eadem regio, à Septentrione ſorte Gaditarum, vel Galaaditide.

Regio qualis? Urbes illuſtriores. Regio fuit nobiliſſima, Urbibus, ac ſoli ubertate; montanis, convallibus, campeſtribus, amœniſſimè diſtincta, per quam tranſitus fuit Iſraëlitis in Canaanem cis-Jordanicam, & in quâ Moſes ac Elias cœlo adſcripti. *Ruben* verò laudatur ab *excellentiâ roboris*, Gen. XLIX. 3. qui primus duxit exercitum in Cananæos, poſt tranſitum Jordanis, *Joſ.* IV. juxtà prædictionem *Num.* XXXII. quocum & perpetua bella fuerunt cum Ammonitis, Moabitis, Hagarenis, *Jud.* X. XI. 1 *Chron.* V. Quemadmodùm *Gad* laudatur à virtute bellicâ, *Gen.* XLIX. 19. Urbes inclytæ, indè ab *Aroër*, versùs fontes Arnonis, quæ & Ar, & Rabbat Moab, fuerunt quam multæ, *Joſ.* XIII. mutatis poſt Joſuam nominibus. Civitas refugii inclyta *Boſor*, Bezer, ad fines Ammonitarum, inter Aroër & montem Nebo: Magis ad Ortum & ad Arnonem *Kedemoth* quæ & *Jethſon*, hinc aſcendendo ad Septentrionem *Mephat* vel *Mephaath*, tandem versùs Occaſum *Jahaſa*, *Jaſa*, quæ omnes Leviticæ, in ſorte Meraritarum. *Kiriathaim*, ex Prophetis ipſis inclyta, in mediterraneâ regione hujus Tribûs fuit. Versùs Mare Mortuum, & Jordanem, in confiniis Arabum, & regionis quam Aretas deinceps tenuit, fuit *Machærus*, Urbs munitiſſima ac ſitu propè inacceſſa, in quâ Johannes Bapt. ab Herode vinctus atque interfectus fuit, apud Joſephum, *Lib.* XVIII. *Antiq.* C. VII. Ceſſit tandem & Romanis, poſt excidium urbis, expugnata à Lucilio Baſſo. Hic & Livias infrà Machærunta, ad Jordanem, Λιβιὰς Joſepho & Ptolem. ab Herode in honorem Liviæ Auguſtæ condita, nec cum Juliade ad Mare Galilææ confundenda.

Montes inclyti partes quaſi montium *Abarim*, fuerunt *Nebo* vel *Nabo*, *Phaſga*, *Phogor*, alii: Et hæc deinceps regio cum Gaditicâ ſtrictiùs *Peræa* fuit appellata. Porrò à Moſe vetitum Iſraëlitis fuit, *Deut.* II. 9. ne invaderent illam partem regionis, quæ tùm adhuc tenebatur à Moabitis. *Amorrhæis* ceſſerant reliquæ Moabitarum hæreditates, cis Arnonem & Jordanem fluv. quas tamen Moabitæ rursùs occuparunt; unde vaticinia Jeremiæ, Ezechielis, contrà *Moab*.

2. *Tribus Gad.*

Termini. Contigua hæc Tribus fuit illi Rubenis Meridiem versùs, ad Aquilonem verò dimidiæ Tribui Manaſſis, *Jaboco* torrente ferè dividente; ad Occidentem Jordane (quâ parte exit è ſinu Auſtrali Maris Geneſareth) terminata; ad Orientem Arabiæ & Galaaditidis montibus, atque Ammoniticâ regione.

Regionis deſcriptio, & Urbium nobiliſſim. Regio fuit pariter amœnitate & fertilitate commendatiſſima, pars nobiliſſima terræ Galaad; dein *Ogis* regio, in Montanis Hermon, Galaad, & universâ Baſan, Amorrhæis pridem obnoxia & Sihoni Amorrhæo, *Joſ.* XII. Hîc terra *Hom*, Meridiem versùs, tùm & terra *Thob*, in quam fugit Jephte, *Jud.* XI. ad Orientem.

Urbes in Tribu Gadis, quæ Meraritis familiæ Leviticæ obtigerunt, fuêre quatuor: *Ramoth-Galaad*, Urbs præſidialis & refugii, quæ aliàs *Ramoth-Maſphe*, & *Maſpha* ſimpliciter, Jephtæ habitatione nobilis: *Mahanaim* cis Jaboc torrentem, in confinio Manaſſis: *Cheſbon*, *Heſebon*, in confiniis Gadis & Rubenis: Et *Jazer* vel *Gazer* ad Lacum cognominem, versùs Montana Ammonitarum. *Minnith* vel *Mennith* civitas tritici feraciſſima fuit, in terminis pariter Ammonitarum, de quâ *Ezech.* XXVII. 17. Tacemus in mediterraneâ *Saronem*, ad Jordanem *Betharan*, *Debir*, & alias; & regiam civitatem, in Montanis, *Rabba* vel *Rabbatha*, quam

Digitized by Google

dein Philadelphiam dictam eſſe volunt, regiam quondam Ammonitarum. In quâ nihil mirum aſſervatum fuiſſe lectum ferreum inſignis magnitudinis, Ogi Regis Baſanitarum, *Deut.* III. 11. cujus regio contermina, & à quo forte tùm Rabba tenebatur; futurum documentum poſteris veritatis Moſaicæ narrationis, de Ogi ſtaturâ. Ut hîc nugentur Præ-Adamita & Spinoſa, arguentes Moſem iſta non ſcripſiſſe.

3. *Dimidia Tribus Manaſſis.*

Termini mediæ Tribûs.

Proxima Gadi ad Septentrionem fuit, indè à Jaboco torrente, & Urbe Mahanaim, dimidia Tribus Manaſſis, in filiis Machir, cui ceſſit ager ſaltuſque *Baſan*, ſeu Ogi regio, terra Gigantum, & pars montium Galaad, uſque ad montes Hermonis, & Aram-Damaſci. Hic regiones *Gergeſæorum*, *Gamalitica*, *Gaulonitis*, *Trachonitis*, *Geſſuræa*, *Machati*, *Auranitis*, poſtremæ hæ versùs Damaſcenam. Malè terram *Hus*, vel *Utz*, Jobi ſedem, hìc collocant, ut monitum aliàs; ſic & domicilium *Abrahami*. Peſſimè & *Edomæam* ac *Sehir* Montana. *Batanæam* hodiè Arabiæ Deſertæ, incultam illam, vitioſè omnem includunt intrà pinguem Beſanitidem, de quo Hiſt. noſtræ Jobi, *Cap.* III. & rectè Stephanus longiùs ad Orientem producit, in Βατανέαι. Quanquam ex *Baſan* natam eſſe *Batanææ* appellationem, haud difficiles largimur, ità quoque Batanæam latè deinceps patuiſſe.

Errores in Tabul.

Urbes illuſtriores.

Urbes hîc celeberrimæ fuêre plures, in quibus duæ Leviticæ, quæ Gerſonæis ceſſerunt, *Golan* vel *Gaulon*, undè regio Gaulanitis, civitas refugii, Γαυλοδημῶν vocat alicubi Joſephus, ἐν τῇ Βαζανειάδι, & Urbs altera *Aſtaroth*, vel *Behaſthera*, *Joſ.* XXI. 27. priori ad Auſtrum, Civitas Regia, quæ & *Aſtharoth Karnaim*, *Gen.* XIV. 5. tùm à bicipiti monte, tùm ab Idolo inibi culto.

Hîc & *Pella* perfugio Chriſtianorum antè Hieroſolym. excidium nobilis, ad Montana Galaad haud longè à Rabba, & Ramoth-Galaad, undè impletio vaticinii, *Matth.* XXIV. 16. Hîc & *Amathus*, paulo magis ad Merid. dein ſub Romanis Synedrio nobilitata, *Antiq.* L. XIV. C. XI. Et quondam *Jabes-Galaad*, ad Occaſum Pellæ, in monte ſita.

Hîc etiam versùs Mare Tiberiadis *Julias*, quæ antè *Bethſaida*, vel vicus ad hanc ſpectans, ſi Joſepho fides *Antiq.* L. XVIII. C. III. propè influxum Jordanis; Et *Gamala*, *Gadara*, *Geraſa* quæ & *Gergeſa* (utramque diſtinguunt Joſephus, Ptolem.) *Hippus*, *Chorozaim*, *Magdala*, & *Dalmanutha* intrà Magdalenſes fines; undè Δαλμανυθὰ apud Marcum, dùm eſt Μαγδαλὰ apud Matthæum, *Matth.* XV. 39. Hinc Magdalum malè in Tabulis cis Jordanem & Lacum Tiberiadis. *Abela* vinearum, *Jud.* XI. 33. fuit in regione Ammonitarum, ubi dimicavit Jephta, à *luctu* ſic dicta; alia verò inter Damaſcum & Paneada, ut Euſebius, Hieronymus de *Locis Hebr.*

Theman & *Botzra*, notatæ in Tabulis, versùs Hermonem & Cœleſyriam, non confundi debent (ut accidit) cum Themane & Botzra Idumæorum, ad Auſtrum ſitis. Nec ex Theman illâ fuit Eliphaz *Themanites*, ut pluribus in Jobi Hiſtoriâ.

Multum hæc Tribus *Jairi* virtuti debuit, occupantis Urbes LX. in regione Baſan, *Num.* XXXII. 1 *Chron.* 11. quæ & ab illo denominatæ חוות יאיר *Villæ Jairi*, *Deut.* VII. 14. *uſque in hunc diem*, id eſt, continuato nomine ad ultima Moſis, & continuando poſteris ætatibus. Ut nihil fuerit quod cavillaretur Præadamita, & Auctor Tractatûs *Theol. Polit.*

4. *Tribus cis Jordanem, & primò Simeonis.*

Termini Simeonis.

Initium deſcriptionis reliquarum Tribuum nobis erat à maximè Auſtrali, aſcendendo ad Septentrionem. Extrema igitur fuit ad Meridiem, versùs Deſertum Beerſebæ, Sin, & Idumæam, contermina Tribui Judæ; à quâ in hæreditatis partem admiſſa eſt, factâ adæquatione, quum portio major Judæ obtigiſſet, quàm quæ omninò deberetur, *Joſ.* XIX. 9. collato cum *Joſ.* XV. Hinc & Judæ quandoque permixta *Simeonis* Tribus, uti in Aharonitarum portione aſſignandâ, conjunguntur eæ Civitates quæ ex Tribu Judæ & Simeonis ſeparatæ fuerunt, *Joſ.* XXI. 9. unde patet veritas Oraculi Jacobæi *Gen.* XLIX. 7. Vide & Joſephum *Antiq.* L. V. ſub finem Capitis 1. Fuit illi Juda ad Ortum, Dan ad Septentrionem, Mare ad Occaſum, fluvius Ægypti, & pars Idumææ ad Auſtrum.

Hâc in parte nobiliſſimæ Satrapiæ Philiſtæorum, *Aſcalon*, *Gaza*, cum hujus navali *Majuma*, quas tamen Tribui Judæ adſcriptas, tradit Joſephus *Antiq. Lib.* V. C. 1. Inclyta & *Gerar* civitas Regia, & *Geraritica* regio vel convallis, Philiſtæorum eadem Iſaaci jam ætate, *Gen.* XXVI. Partem Idumææ Simeonitidi idem Hiſtoricus adſcribit. *Beerſchebah*, *Berſabee*, ex Patriarchali Hiſtoriâ notiſſima eſt, cujus ſolitudo terminavit hâc parte terram. *Dabir*, *Hain* vel *Ain*, in mediterraneâ, Sacerdotales fuêre, filiis Aharonis datæ; reliquæ Urbes recenſentur *Joſ.* XIX. Anguſtior hujus Tribûs, ut numero minimæ, ſors fuiſſe videtur; occupanda illa adhuc poſt mortem Joſuæ, expulſis conjunctim à Judâ & Simeone hoſtium reliquiis.

5. *Tribus Judæ.*

Termini Judæ.

Hæc indè ab Exitu, & à κληρουχίᾳ, omnium Tribuum ubique princeps, latiſſimè extenſa fuit, ex ſorte illius quàm accuratiſſimè deſcriptâ, *Joſ.* XV. quæque præceſſit omnes reliquas. Termini fuerunt à Meridie, *lingua* ſeu extremus ſinus Maris Salſi ſive Mortui, indeque pergendo ab Ortu ad Occaſum, in Auſtrali parte, iidem limites qui Terræ S. *Num.* XXXIV. terminus Edom, Tzin vel *Sin*, Cadeſch-Barnea, Vallis, & fluvius Ægypti. Ab Oriente, terminus fuit Mare Salſum, aſcendendo uſque ad extrema Jordanis, quà hic in Mare prædictum influit. A Septentrione indè ab extremis Jordanis, loca omnia inter Judam & Benjamin contermina, ut *Galgala*, *Betharaba*, *Deber*, *Ain*-vel *Hen-Schemeſch*, ſeu fons Solis, *Arx Jebuſæorum* in monte Sionis; & *Vallis Hinnom*, locus amœnus, cujus pars *Topheth*; hinc *Vallis Raphaim*, *Gader*, *Kirjath-jearim*, *Cheslon*, *Gath* vel *Geth*, *Beth-Schemeſch*, &c. & ſi quæ loca alia fuêre. Adeóque hac parte limes ferè fuit Torrens, qui, indè à Montanis ſuprà *Beth-Dagon* profluens, in Occidentem Mari ſe Magno miſcuit. Ad Occaſum terminus extremus fuit Mare Magnum *Joſ.* XV. 47. inde à *Schiccerone* vel Sachrona ad Septentrionem hujus Tribûs, cui proxima fuit *Jamnia* vel *Jabne*, (Beth in Mem commutato) utraque in regione Philiſtæorum. Et in Occiduâ parte adſcribuntur in *Sacris*, *Joſ.* XV. & apud Joſephum, Tribui Judæ, quinque illæ Satrapiæ maritimæ Philiſtæorum, *Gath-Rimmon*, ſeu Geth, *Accaron* ſeu Hecron, *Azotus* ſeu Aſchdod, *Aſcalon*, & *Gaza*, urbs olim Palæſtinorum, XX. ſtadiis à mari diſtans apud Arianum *Lib.* II. Quanquàm illæ in Tribu Danis notentur in Tabulis, & Accaron quoque, ac Gath, *Joſ.* XIX. 43. 45. Nempè

Nempè à Judâ expugnatæ fuerunt, Dani attributæ, ob anguſtiam ſortis, rurſùs à Philiſtæis occupandæ. Simeonis autem illam Judæ ferè permixtam fuiſſe, ſuprà monitum, ad quam à Judâ Urbes variæ tranſierunt, memoratæ *Joſ.* xv.

Fallunt magnoperè Tabulæ, & Pariſienſes quoque, poſt Adrichomium, imò quandoque Hieronymum, dùm v. gr. Tribum Judæ non extendunt ad Mare uſque Magnum, cum Scripturâ S. Sic dùm *Cheſlon*, *Lachis*, *Beth-Schemeſch*, *Sachronam*, &c. attribuunt vel Dani, vel Benjamino, quæ omninò Judæ.

Sortis hujus conditio, præſtantia. Complexa igitur eſt Tribus Judæ ſuo ambitu totam Auſtralem Palæſtinam, præſidium illius ac munimentum contrà potentiſſimos hoſtes, Philiſtæos, Idumæos, Auſtrales & Orientales reliquos. Montibus eadem, convallibus, planitie, rivis, maribus, egregiè ornata; dives cumprimis vinetis & paſcuis, ſecundùm prædictionem; hinc tertiæ Palæſtinæ parti, imò toti Terræ quæ Judæa appellata, datura nomen. Deſerta magis fuit versùs Mare Mortuum, ob vapores ſalſos & bituminoſos, ubi & Civitas *Salis* (עיר מלח) ſive ſic dicta à ſalis ſtatuâ, ſive à ſalinis. Ab hac parte Deſerta *Engaddi*, *Maon*, *Juda*, *Ziph*, *Tecua*, *Sin*, &c. etiam Montana *Seir*. Γάβα quæ Stephano eſt πόλις Γαλιλαίας, & cujus Æra eadem eſt cum illa Gadarenſium, poſt libertatem à Pompejo M. adeptam, quibuſdam eadem eſt cum Γάβαα τοῖς LXX. in Tribu Judæ, *Joſ.* xv. viculus tempore Hieron. Quanquàm & *Gaba*, inter Ptolemaïda & Cæſareæ territorium ſitam fuiſſe, Joſephus in *Vitâ* ſuâ, & aliàs.

Urbes Sacerdotales, tàm ex hâc Tribu, quàm Simeoniticâ, IX. memorantur, *Joſ.* XXI. 9. & ſeqq. Princeps illarum fuit *Hebron*, eademque Civitas refugii, aliàs *Arbah*, vel *Kirjath-Arbah*, in mediâ regione & montanâ, propè quam *Quercus Mamre*, Urbs multis nominibus in Sacris celebrata, cujus ager Calebo ceſſit. In parte magis Aquilonari fuêre *Bethleem*, Ephratâ conditore, I *Chron.* IV. 4. diverſa à Bethlehem Zabulonis, hinc *terra Juda*, *Matth.* II. 6. quin *Arx Sionis* ſeu Hieroſolymæ pars Auſtralior, *Joſ.* xv. 8. & nonnihil ad Occaſum Ἀμαοῦς, *Emaus*. Urbes alias prolixè recenſitas habes *Joſ.* xv. in quibus magis ad Occaſum *Libna*, *Lebna*, Urbs regia & Sacerdotalis; *Kebilah* quò fugerat David, I *Sam.* XXIII. haud longè diſſita ab Hebrone, ituris versùs Orientalem plagam.

6. Tribus Benjamin.

Termini Benjamin. Contigua hæc fuit Tribui Judæ ad Auſtrum, communibus terminis, *Joſ.* XVIII. 14. &c. Tribui Ephraim verò ad Aquilonem, undè *Bethel* quandoque utrique adſcripta; ad Ortum Hierichuntinam Urbem & agrum complexa, uſque ad Mare Mortuum, juxtà Jordanem, *Joſ.* XVIII. 20. Ad Occaſum non planè ad Mare Magnum protenſa, ſed vertens ſe per angulum Occidentalem ad Meridiem, *Joſ.* XVIII. 14.

Deſcriptio. Urbes principes. Sors hujus Tribûs, ſi numerum Urbium & Tractum Terrarum reſpicimus, anguſtioribus limitibus circumſcripta fuit, at ſoli fertilitate, & Hieroſolymæ ſitu, ac Hierichuntini agri poſſeſſione, cæteris præſtantior, obſervante & Joſepho *Antiq. Lib.* I. C. v. Urbes recenſentur XXVI. *Joſ.* XVIII. inter quas princeps *Jebus* ſeu *Hieroſolyma*, potiſſimâ ſaltem ſui parte, & nobiliſſimâ, in quâ deinceps Templum fuit. In hac & Vallis *Achor* ſeu *Achan* in finibus Hierichuntis. *Hiericho*, deſtructa licet, hujus quoque Tribûs fuit, & omnis ager, in confiniis Ephraim, versùs Ortum. In confiniis Judæ, indè à Jordane, pergendo ab Ortu ad Occaſum, fuêre *Samaraim*, *Betharaba*, tùm & *Bethania*, *Maſpha*, *Nobe*, &c. Vicina ſaltem ad Occaſum *Joppe* maritima, יפו *Japho*, ad cujus ſuburbana ſe extendit Tribus Danis, *Joſ.* XIX. 46. Cui poſtremæ Tractus adjacens Joppæ vel *Japha* tribuitur. Et ab hâc parte rursùs fallunt Tabulæ. Ad Septentrionem in confiniis Tribus Ephraim & Judæ fuêrunt, Αἰλὼν *Ælon* Urbs Sacerdotalis, pro quâ Hieronymus *Almon*, ex *Joſ.* XXI. *Avim*, *Hay*, *Bethaven*, *Bethel* olim *Luz*, *Rama*, *Gabaa* regia Saulis, &c. In mediâ regione *Anatoth* Sacerdotalis, Jeremiæ patria, *Gabaon* itidem Sacerdot. urbs magna, L. ferè ſtadiis, id eſt, *bihorio* diſtans ab Hieroſol. undè *Gabaonitæ* qui ex Hevæorum genere, ad meridiem Bethelis, licet Euſeb. & Hieronymus illi Orientalem facient: *Bether*, vel *Bethar*, *Bitter*, Βιθθηρα Euſeb. quaſi בית תר *Domus Inquiſitoris*, vel *Exploratoris*, nota poſt excidium Templi, regia deinceps Barchochabi, quæ videtur Hieronymo eſſe eadem cum *Bethoron* Inferiori, non ità longè diſtans ab Hieroſ.

7. Tribus Danis.

Hæc pars Occidentalis fuit, & maritima, versùs regionem Palæſtinorum, hujus quoque partem complexa. Contermina eadem undequaque Tribui Judæ, ad Ortum cumprimis, tùm ad Septentrionem & Occaſum; ubi confuſa nonnunquam loca, & Dani adſcripta v. gr. *Cheslon*, *Lachis*, *Bethſames*, quæ Judæ fuerunt; Uti quæ ſunt intrà Daniticum diſtrictum, ad Occaſum & Auſtrum, Satrapiæ Philiſtæorum, Judæ in Scripturâ adſcribuntur *Joſ.* xv. & aliàs. Sed de Judâ detractæ fuêre Urbes plurimæ, tribuendæ ut Simeoni, ſic Dani; quomodò à Samſone Danitâ ſubacti ſunt Philiſtæi. Contingebat etiam ad Septentrionem terminos Benjamini, extenſa ad Joppes ſuburbana, uti ad Auſtrum illos Simeonis. Equidem patet anguſtiſſimam fuiſſe ſortem Daniticæ Tribûs, hinc minorem quàm quæ illi ſufficeret, *Joſ.* XIX. undè egreſſura poſt mortem Joſuæ, & limites ad Septentrionem protenſura ſuos, *Joſ.* XIX. 47. *Jud.* XVIII. Quo nomine Leone generoſior, & *fluens* vel *exſiliens de Baſan*, *Deut.* XXXIII. 22. Hinc *Catulus Leonis* ob ſaltum, & *Coluber in viâ*, quia Danitæ aſtu rem geſſerunt; & Samſon dolo aggreſſus Philiſtæos. Atque hinc fabula de Antichriſto naſciturо ex Dane, ubi primùm Idololatriæ cultus admiſſus, *Jud.* XVIII. Taciti porrò Danitæ I *Chron.* IV. V. VI. VII. quia numero pauci, ferè versùs Septentrionem ac regionem Phœnicum.

Termini Danis.

Urbes præcipuæ. Urbes hâc in Tribu Leviticæ, Kehatæis datæ, quatuor fuerunt: *Ajalon* in confiniis Judæ & Benjamini, cujus vallem haud longè à Ramâ & Gabaâ, urbibus Benjaminitarum, locant Euſebius & Hieronymus. Sed *Joſ.* x. 13. Joſua à Gabaone ſeceſſit ad Occaſum, ubi Bethoron, dein Ajalon, in confiniis Judæ. Hinc Lunam conſpexit ad Occaſum, quum Sol in Orientali parte conſiſteret: Tùm *Geth-Rimmon* vel *Gath-Rimmon*, ad hujus Tribûs Septentrionem, haud longè ab urbe Lachis: Hic & *Hai* à Joſue incenſa, & *Gabaon* in mediâ regione. Urbes aliæ *Jabnia* vel *Jamnia* maritima, inter Sachronam & Joppem; *Geth* Philiſtæorum, *Tamnata* vel *Themna*, *Helon*, *Modin* patria Haſmonæorum, ubi & horum Sepulchra, &c. *Joppem* (quæ *Japho*) alii huic quoque Tribui adjungunt, ex loco *Joſ.* XIX. 46.

Dan Urbs. Protendit igitur poſteà ſuos limites ad Aquilonem, uſque ad Sidoniorum terminos, in partibus Aſſer & Nephtali, occupatâ Urbe *Lais* vel *Leshem*, ad radices Libani, quæ hinc *Dan* appellata, extremus

Digitized by Google

mus Terræ ad Septentrion. terminus, eadem quæ Paneas, & Cæſarea Philippi. Quæ *Dan* ſi fuerit quæ memoratur *Gen.* XIV. 14. neceſſe eſt ſeu Eſdram, ſeu Prophetarum aliquem, ſubſtituiſſe id nomen loco veteris & obſoleti, uti *Hebronis* nomen, *Gen.* XIII. 18. &c. Quanquàm & *Danis* fortè nomen illi pridem *rivo* fuiſſe nonnulli volunt, undè Jordanes fluxit.

8. *Tribus Ephraim.*

Termini Ephraim. Contigua hæc Benjamino ad Auſtrum fuit, protenſa à Jordane ad Mare Occidentis, anguſtiori hìc tamen tractu, ubi *Apollonia* civitas. Ab Ortu fuit illi Jordanes, & in finibus ejus Hierichuntinus ager *Joſ.* XVI. 17. Ab Aquilone Tribus Manaſſis dimidiata; quâ parte fuit *Samaria*, & magis ad Occaſum in monte ſita *Betheron ſuperior*, civitas Levitarum, ex quâ deſcenſus fuit, ut in hiſtoria Judæ Maccabæi.

Multis partibus hæc regio aliis pleriſque præcelluit, à quâ & nomen toti Iſraëli, indè à Jeroboamo Ephratienſi. Mira ſoli fœcunditas, ſeu in montana ſurgeret, ſeu in convalles dehiſceret, ſeu in campeſtria ſeſe dilataret.

Montana Ephraim in ſpecie dicta versùs Occaſum, & *Sarona* Campeſtria, diviſa inter utramque Joſephi familiam fuerunt. Omnium hæc uberrima paſcuis, pomariis, frugibus, montium præſidio ad Ortum & Occaſum vallata, & à finibus Cæſareæ Palæſtinæ ad Lyddam Auſtrum versùs extenſa, *Act.* IX. 35.

Urbes inclytæ. Urbes in hâc Leviticæ, quæ Kehatæis ceſſerunt, fuêre quatuor: *Sichem* mediterranea in ſummo montis vertice, quæ & *Sichar*, cui deinceps ſucceſſit Sichem nova ſeu Νεάπολις apud Ptolem. & Juſtinum Mart. cui Νεάπολις dicitur τῆς Συρίας Παλαιστίνης. Nullus tamen ſub hoc nomine meminit antè tempora Veſpaſiani, quod faciunt Plinius & Joſephus; hinc in honorem familiæ Imperatoriæ *Flaviam* quoque dictam vult Noriſius. Σίκιμα dicitur eadem Epiphanio *Hær.* LXXX. Hæc aſyli jure, ob vicinum ſepulchrum Joſephi, Jacobi Puteum, & Garizimitanum montem, inter cætera nobilis fuit. *Betheron ſuperior*, Βαιθωρὼ, eadem quoque in montis jugo; *Gaſer* vel *Gezer*; *Lydda* ſeu Dioſpolis; *Thamnat* vel *Thimnath-Serach*, quæ Joſuæ poſtulanti data, in Montanis Ephraim, *Joſ.* XIX. 51. ubi & ſepultus, *Joſ.* XXIV. 30. Maſius dictum hunc locum quaſi תמונת־חרס *figura Solis*, à ſtatione Solis ibi expreſſâ. Metropolis fuit *Samaria*, *Schomron*, quæ dein *Sebaſte* dicta, Sichemo ad Septentrionem, notior quam ut hîc deſcribamus. Hîc & *Taphna* urbs regia, versùs Lacum Genneſareth; celebris etiam ex Hiſtoriâ Euangelicâ Ἐφρὴμ vel Ἐφραὶμ, eadem quæ עפרין 2 *Chron.* XIII. 18. huic Tribui cognominis, in confiniis Benjamin (ut Bethel in finibus Ephraim) ſita illa nempè versùs Deſertum Ephrem, memorata *Joh.* XI. 54. Quomodò inclytæ urbes aliæ, ſed aliarum Tribuum, v. gr. *Ephra* in mediâ Tribu Manaſſis cis Jordanem; *Ephron* ultrà Jordanem, ferè è regione Bethſan quæ Scythopolis; *Ephratah* quæ Bethlehem, *Mich.* V. &c. Et ager *Ephronis*, propè Hebronem, in Tribu Judæ. Maximè autem conſpicua *Silo* vel *Shilo* montana, Tabernaculi quondam ſedes huc ex Gilgale translati; ubi & ſortitio Terræ repetita *Joſ.* XVIII. Benjamino ad Aquilonem contermina, ac paucis horis diſtans Hieroſolymâ, ſed tamen Ephraimiticæ Tribûs; hinc malè ab Adrichomio locanda in Tribu Benjamin. *Bethel*, & ad Ortum *Bethaven*, in confiniis fuêre, Benjaminitidi veriùs attributæ.

9. *Tribus Dimidia Manaſſis.*

Ad Auſtrum, fuit illi Ephraimitica regio, ad Aquilonem Iſſacharis Tribus, ad Ortum Jordanes, quà exit è Lacu Genneſareth, ad Occidentem Mare Magnum communibus cum Ephraimo terminis, *Joſ.* XVI. Sed & ad Ortum & Septentrionem, medio Jordane contermina fuit Manaſſitis Trans-Jordanicis. Regio hæc quoque Urbium ſplendore, frequentiâ populorum, agri feracitate, varioque montium, collium, convallium, campeſtrium, ac irrigantium aquarum adſpectu, nulli ſecunda, in multis facilè princeps. Ac conſtituit hæc Tribus cum Ephraimiticâ mediam Palæſtinæ regionem, quæ *Samariæ* & *Samaritidis* nomine venit. Termini Manaſſis.

Urbes hâc in Tribu Leviticæ duæ, quæ Kehatæis ceſſerunt, *Taanak* vel *Thenach*, contermina Iſſachari, & in mediâ regione *Geth-Rimmon*. Versùs Mare nobilis Civitas *Dor* ſive *Dora*, Δῶρος, Δῶροι, Δῶρα, de quâ ſæpè Joſephus, & in Fragmentis Stephanus, quæ ipſi Δῶρος; & quam malè ad radicem montis Carmeli locarunt: Maritima fuit, & libertate à Pompejo M. donata, cum Joppe, Gazâ, Hai, Anno U. C. DCXCI. hinc ἱερὰ, ἄσυλος, αὐτόνομος in Nummis. Nonnihil ad Auſtrum *Turris Stratonis* ſeu Cæſarea Palæſtinæ, Gentis deinceps ſub Romanis Metropolis. Et in confiniis Ephraimitidis *Capharzaba*, ſeu *Capharſalama*, quæ ab Herode *Antipatris* nuncupata, interamnia civitas, & παράλιος quoque, ſecundùm Adrichomium: Veriùs κώμη *vicus*, haud longè ab Antipatride. Suprà has porrecta *Sarona* Campeſtria, indè à Turri Stratonis uſque ad Terminos Joppes. In mediterraneâ, præter Leviticas modò dictas, inclytæ *Mageddo*, *Nais*, *Thirſa* vel *Tharſa*, aliæ. Urbes celebriores.

Versùs Jordanem fuit *Salim*, haud longè ab *Ennon*, *Aenon*, *Joh.* III. 23. quæ Melchiſedeci ſedes & regia fuiſſe Hebræis quandoque fertur, tradente Hieronymo, eadem ſecundùm pleraſque Verſiones, quæ *Gen.* XXXIII. 18. ac Sichemitis quondam obnoxia. Sed de iſta jam ſuprà. Fuit ejuſdem & *Bethſan*, Plinius anteà dictam *Nyſam*, à Dionyſio ſeu Libero patre, L. V. C. XVIII. Metropolis deinceps Palæſtinæ ſecundæ, corruptè in Notitiis Græcis Βασὰν, & apud Stephanum Βαίσων, quæ Joſepho *Scythopolis*, ob deductos eò Scythas & exciſos, in valle Sythopolitanâ, ad Orientem maris; quò referunt quidam excidium Gog & Magog, à tempore Medorum *Ezech.* XXXIX. Certè ultimus Galilææ & Samariæ limes, Iſſachari contermina, de quâ alibi. Hæc aliquando Cœle-Syriæ attributa.

10. *Tribus Iſſachar.*

Ab hâc Tribu cœpit Galilæa Inferior, fuitque illi ad Ortum, Lacûs Genneſareth ſinus Auſtralis, & Jordanes, ubi is ex Lacu emergit, in angulum ibi arctata Tribu; ad Auſtrum & Occidentem fuit Tribus dimidia Manaſſis; ad Septentrionem Zabulonis illa, *Ciſſion* vel *Ciſon* torrente utrumque dividente. Non planè hæc Tribus ſe ad Mare videtur exporrigi, tacente Scripturâ, quæ in vicinis id Tribubus notat, Manaſſe, Zabulone, Aſſero, *Joſ.* XVII. XIX. Igitur contermina fuit eâ parte monti Carmeli; quem habuit ad Occaſum, extremo hac parte Iſſacharis termino urbe Bethſemes *Joſ.* XIX. 22. ut Carmelem malè intrà hanc Tribum concludant Mappæ. Neque etiam ſita in hâc Tribu ea regio, quæ in Euangelio eſt *Dalmanutha*, *Matth.* VIII. 10. Termini Iſſacharis.

poſi-

poſita ultrà Mare Galilææ; uti nec *terra Genneſareth*, à quâ Lacui nomen, contermina licet Iſſachari ad Septentrionem.

Loca celebriora. Urbes Leviticæ, Gerſonæis datæ, fuêre quatuor, *Ceſion*, vel *Kiſhon* ad torrentem cognominem, versùs Mare Galilææ, *Engannim* ad Montana, *Jaramoth* in confiniis Dimidiæ T. Manaſſis, aliàs *Ramoth*, & *Dabereth* vel *Dabrath* ad prædictum torrentem. Inclytæ aliæ, ex Hiſtoriâ S. *Jezraël* vel *Jizrebel*, regia Achabi, *Joſ.* XIX. 18. ad quam Nabothi vinea, pro Iſraële quandoque à divinis Vatibus accepta; non tamen confundenda illa cum *Jezraële* in Tribu Judæ, ad ortum Hebronis, *Joſ.* XV. 56. Sic *Nain* in quâ ſuſcitatus filius viduæ, *Luc.* VII. *Iſſachar* cognominis Tribui, inter Jordanem & Mare Galilææ; *Rabbath* in Valle Jezraëlis; *Bethſemes* ab alterâ Judæ, & à Nephtaliticâ diverſa, ac quæ aliæ plures. Malè à nonnullis *Bethſaida* in hâc Tribu ſignatur, ut ab Ariâ Montano, Hornio, & in vulgaribus Tab.

In eâdem Tribu fuit celebratiſſima *Vallis Jezraëlis*, & magis ad Occaſum magnus *Campus Eſdrelon*, & *Planicies Galilea*, quæ etiam *Campus Sabe*. Undè regionis hujus, aliàs anguſtioris, amœnitas conſtat, juxtà prædictionem Jacobæam. Præterfluxit ad Boream torrens *Kiſchion* vel *Ciſon*, in Mare utrumque influens, Siſeræ caſu, & Bahalitarum illo, in Scripturâ nobilitatus, *Jud.* IV. 7. & 1 *Reg.* XVIII. 40. ultrà quem Zabulonis Tribus habitavit.

11. Tribus Zabulonis.

Termini Zabulonis. Verè hæc prædicta Jacobo ut quæ eſſet gaviſura *Maribus*, utpote ad Mare utrumque exporrecta, Tiberiadis illud ab Oriente & Aquilone, ac Mediterraneum ab Occidente. Ab Auſtro communes illi termini cum Tribu Iſſacharis, & ad Occaſum ac Mare cum *Dimidiâ Manaſſis*; ad Septentrionem cum Tribubus *Aſſeris* & Nephtali. Fuit & *Zabulon* civitas hujus Tribûs ad Occaſum; ſed & Zabulon alia Caſtellum in Euphratenſi regione, ex Procopio Cæſarienſi, neque huc ſpectans.

Montes inclyti. Montes in hâc Tribu præ cæteris inclyti fuerunt: ad Occaſum & Mare Magnum, Promontorii in modum, mons *Carmelus*, qui ab Oriente terminatus à Tribu Zabulonis, ab Occaſu à Tribu Aſſer, ab Auſtro à Tribu Iſſacharis, & à mediâ Tribu Manaſſis; diſtans V. circiter horis à Ptolemaide. Hic mons eſt Eliæ Hiſtoriâ nobilis, & à quo, Seculo XII. labente, Carmelitarum Ordini, Almerico Antiocheno ibidem inſtituente, nomen fuit, de quo in *Hiſt.* Hic *Carmelus maris* appellata, ad diſtinctionem alterius in Judâ, ubi Nabali ſedes. In mediâ ferè regione, ut fuêre montes alii *Zabulonis;* ſic mons *Thabor*, cui & Urbs cognominis, conterminus Tribui Iſſacharis, hinc *uſque ad Thabor*, Joſ. XIX. 22. Hic eſt *Ithabyrius* Joſepho, & huic vicina Urbs cognominis, quaſi טבור *umbilicus*, ſeu à figurâ, ſeu à ſitu medio inter duo maria. Undè ſanè versùs Ortum & Septentrionem iter eſſe potuit Chriſto in *Capernaum* ad mare Galilææ, per Inferiorem nempè Galilæam, poſt Transfigurationem, *Marc.* IX. 30. 33. Propè autem *Nazareth* Urbem, Ortum versùs, hic mons ſitus, in quam reverſus videtur fuiſſe Chriſtus ex partibus Cæſareæ Philippi, ubi egerat aliquot ante Transfigurationem diebus, *Matth.* XVI. 13. XVII. 1. Atque ità nihil abſurdi in traditione Veterum, deſignantium in hoc *Monte* locum Transfigurationis.

Chriſti transfig. in M. Thabor? Abſurdus ſit licet Brocardus Monachus, qui *trium Tabernaculorum*, de quibus Petrus, ramos in eodem conſpici tradit; ità *Statuam Salis* de quâ *Gen.* XIX. adhuc extitiſſe, *Parte* I. C. XII. Sic veſtigia *pedum Chriſti*, in monte Oliveti; ſic *domum* Nazarethicam Mariæ, & loca id genus alia. Prout fabuloſis Arabum, Syrorum, Græcorum, Latinorumque, de Locis Palæſtinæ, narratiunculis, credulâ ſemper ſuperſtitione, nec modus eſt, nec pudor, quibus ſcatent recentiora Latinorum Itinerariographa.

Urbes præcipuæ. Urbes quæ Meraritis, ex ſorte Leviticâ, obtigerunt, fuêre, Ortum versùs *Cartha*, in confiniis Nephtali ad Boream *Damnah* vel *Dimnah*, magis ad Occaſum *Noalol*, hinc *Jecona* vel *Jocneah*. Nobiles cumprimis Urbes prætereà, *Cana minor*, quæ Cana Galilææ, in confiniis Aſſer, quamvis alii magis ad Ortum ponant in Tribu Nephtali; *Nazareth*, à quâ Chriſtus Nazarenus, altera ejuſdem patria; *Capernaum* παραθαλασσία, ſi non ad hanc Tribum ſpectavit, fuit ſaltem in confiniis Nephtali & Zabulon, *Matth.* IV. 31. &c. Et ad hanc veriùs Tribum, quàm ad Nephtali, referri debet princeps Urbium *Tiberias*, ab Herode Tetrarchâ in gratiam Tiberii Cæſaris condita & appellata, in parte Lacûs Meridionali, ex quâ effluit Jordanes, inclyta cùm Thermis ſuis, tùm Academiâ deinceps Judæorum, per R. Jehudam erectâ, & confectione Talmudici Operis, ac ſecundùm pleroſque Maſorethici. Eadem malè credita eſt *Chenereth*, *Kinnereth*, quæ in Tribu Nephtali, *Joſ.* XIX. 35. niſi præcariò duæ fingantur Cinnereth, ut ex Euſebio Maſius, Adrichomius, alii.

12. Tribus Asher, vel Aſſer.

Termini Aſſeris. Protendit hæc ſeſe Occidentem ac Septentrionem versùs ad fines Tyriorum & Sidoniorum, ac Phœniciam maritimam, *Joſ.* XIX. 28. 29. versùs Orientem contermina Tribui Nephtali; ad Auſtrum Zabuloni, quin Manaſſenſibus, *Joſ.* XVIII. 10. ad Septentrionem Emathæâ regione, ac monte Anti-Libano, terminata. Atque hæc *Galilea Superioris* pars fuit, cum Tribu Nephtali, quæ Galilæa Gentium dicta.

Regionis conditio. Regio hæc portuum quoque commoditate, viciniâ Tyri & Sidonis, & quoque frumenti & olei proventu uberrimo, ſic etiam vini, cumprimis in valle *Aſheris* fertiliſſimâ, quæ nunc *S. Georgii* dicitur, longè nobiliſſima fuit; prædicente Jacobo panem pinguem, delicias Regias, *Gen.* XLIX.

Urbes nobiliores. *Gerſonæis* ceſſerunt Urbes Leviticæ, Miſcheal vel *Miſſal* ad Occaſum & Meridiem; *Elkath* vel *Chelkad* ad Septentr. Rechob vel *Rohobo* versùs Ortum; & *Abdon* ad Auſtrum. Cumprimis inclyta ad Mare Magnum *Acon* civitas, quæ & *Ptolemais* appellata, Acra hodie, ad fines Terræ Iſraëliticæ, quà hæc Phœniciam παράλιον attingit ad Septentrionem, de qua & Joſephus, de Bello Jud. *Lib.* III. C. IV. In hac & *Cana Major* mediterranea, *Joſ.* XIX. 28. propè Eleutherum fluvium, ad fines Syro-Phœniciæ, (diſtinctæ à Phœniciâ maritimâ) quæ huic Tribui Septentrionalis, undè fuit egreſſa mulier Cananæa, *Matth.* XV. 21. 22. *Sarepta* in Tribûs hujus confiniis fuit, media inter Tyrum & Sidonem. Hujus etiam in finibus fuit ad Boream *Emathæa* regio, *Amathitis;* & huic vicina *Dan*, colonia Danitarum, in confiniis Asheris & Nephtali; ſed ferè intrà Nephtaliticos fines.

Hîc & terra *Chabul* fuit, ad Tyrios montes, è quâ XX. Civitates tranſtulit Salomo in Hiramum Regem, de qua & Joſephus *Lib.* VIII. C. 11. Quam placuit τοῖς LXX. reddere per Ὅριον, 1 *Reg.* IX. 13.

13. *Tribus Nephtali.*

Termini Nephtali.

Sita hæc fuit in parte maximè *Aquilonari* Terræ, verſùs Orientem, uti Simeon maximè omnium Meridionalis, ad Occaſum: Dicitur verò *Deut.* XXXIII. 23. quod *mare* & *meridiem* poſſidebit, quia ex Mari & Auſtro omnes merces eò deferendæ. Contermina hæc ab Auſtro Zabuloni, & ad Occaſum Asheri; Septentrionem verſùs vidit initia Jordanis fluminis, fluentis primò in Lacum Samochonitem, uti Juda ejus vidit exitum, *Joſ.* XIX. 33. 34. contiguâ hac parte Tribu Nephtali Dimidiæ Tribui Manaſſis. Ab Ortu & Aquilone fuit illi regio Trachonitis, Ituræa, Auranitis, dividente Jordane, quemadmodùm & ad Septentrionem fontes gemini Jordanis, *Jor* & *Dan*, ac Montana quæ à regione Libani & Damaſci, quâ parte fuit Chalcis & Abilena, disjungebant.

Quomodò ad Judam extenſa?

Dubium quî *Joſ.* XIX. 44. incurriſſe dicantur termini Nephtali, ab Ortu ſolis, in *Jehudam*, *ad Jordanem*. Nephtali enim à Jehudæ finibus (ſiti verſùs oſtia Jordanis influentis in Mare mortuum) totâ penè fluvii longitudine, & pluribus intermediis Tribubus, ſeparata fuit. Hinc & οἱ LXX. τὸ ביהודה *in Jehudam* non expreſſêre; ſed malè, ut contextus docet. Igitur ab Ortu & Septentr. (ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου) dùm Jordanem contingebat hæc Tribus, è fontibus ſuis egreſſum, per eundem latè extenſa, conjuncta quoque fuit hujus fluvii beneficio Tribui *Juda*, ad oſtia ejuſdem ſedenti, & dominium quaſi Jordanis ſibi aſſerenti. Facilis enim navigatio fuit ab Ortu, Meridiem verſùs, unde illud *Meridiem poſſidebit.*

Regionis conditio.

Regio fuit, ex ſitu, longè nobiliſſima, cui Galilææ pars magna obtigit, & oræ ad Lacum Genneſareth, de cujus fertilitate multis Joſephus, de *Bello Jud.* L. III. & in Vitâ ſuâ. Hinc *Mare poſſidebit*, *Deut.* XXXIII. 23. de Mari Genneſareth. Sed & par cum Phœnicibus maritimis, uti & Syris, Damaſcenis, Trans-Jordanicis, ac Tribubus omnibus ad Meridiem ſitis, commerciorum facilitas fuit, quò & fortè reſpexit Moſes, dicto loco.

Spectavit igitur ad hanc ſortem, verſùs Boream, Regio & Urbs *Emath*, *Chamath*, ad Eleutheri fontes, Syriæ adſcripta, à *Chamati* filio Canaanis appellata, *Joſ.* XIX. 35. Quam Urbem Joſephus, Hieronymus, alii, *Epiphaniam* eſſe contendunt, ſed falsò, ſitam hanc utpote in Syriâ, magis ad Septentrion. ex Ptolemæo, Stephano. Hujus & Tribûs fuit pars non contemnenda Galilææ, quæ ſcil. protenſa ad Borealiores partes Lacûs *Genneſareth*, *Chinnereth*, *Chenereth*, ubi, alluſione quâdam nominis, גני־סרים *horti magnatum*, & paradiſus quidam, ex Joſepho & Talmudiſtis, ratione amœnitatum, fructuum, & uberis glebæ. Hîc & urbs *Chinnereth*, ad oſtia Jordanis in Lacum cognominem influentis, *Joſ.* XIX. 35. Quo de Lacu nonnihil dictum ſuprà, ubi de ſitu Paradiſi. Adde regiones *Arbellis*, *Berim*, *Paneadis*, intrà hanc Tribum.

Urbes aliæ nobiliores.

Gerſonæis, ex Levitico genere, ceſſerunt in hâc Tribu, *Kedesh-Nephtalim* in montis jugo, Urbs refugii; nec longè indè *Carthan*, (*Cartha* in Tribu Zabulonis Meraritarum fuit) & inter Emath ac Paneada *Chamoth-Dor*. In hâc etiam Tribu celebratiſſima *Capernaum* παραθαλασσία, in Septentrionali parte Maris Galil. à quâ Deſerto nomen, & Monti vicino qui & *Mons Chriſti*: Et hæc Jordani vicina fuit, quà hic in Mare Galilææ illapſus; facilemque præbuit tranſitum in ulteriorem ripam, ſeu Fluvii ſeu Maris trajectu, ubi ſtatim *Chorazitarum*, *Bethſaïditarum*, *Gergeſſaorum*, *Magdalenſium* regio, frequentatiſſima Chriſto Servatori, ex Euangelicâ Hiſtoriâ. *Chorazin* vel *Chorozaim* malè Epiphanius accepit pro compoſitâ voce ex Græco χώρα & Ζῆν, hinc pro regione, non urbe, quod & aliis notatum.

VII. *Sedes Novæ Tribuum, ſub Aſſyriis & Babyloniis.*

Fabulæ Judæorum.

Quas in oras tranſlatæ ſint X. Tribus, indè à deportatione Aſſyriacâ, prolixè diſquirunt Eruditi. Diſtinguenda hìc, ut in aliis, certa ab incertis, utraque rurſum à fabuloſis. In poſtremâ claſſe, ſunt fabellæ Judæorum, de tranſlatis Iſraëlitis ultrà *Sambationem* fluv. vel *Sabbaticum*, qui ipſis eſt fluvius Gozan, 2 *Reg.* XVII. 6. ſed diverſus ab eo de quo Joſephus, Ἁλώσ. *Lib.* VII. C. XIII. inter Arcas & Raphanæam civitates, in Agrippæ Regno, qui *ſeptimo* die rapidus fluit, VI. reliquis diebus ſiccus, quaſi deficiens à fontibus. Contrà Plinius L. XXXI. C. II. *in Judæâ rivus Sabbatis omnibus ſiccatur.* Et hunc alii Euphratem (ultrà quem indubium tranſlatas eſſe Tribus) interpretantur: Alii in Indiâ locant, ut tamen hoc flumine ab Indis ſejungantur Iſraëlitæ, ejus beneficio inacceſſi: Alii, ut Tudelenſis, in *Turkeſtanâ* regione, regnis *Thebet*, *Chatay*, & *Mogul* conterminâ, ad Septentrionem, & Ortum Maris Caſpii, quorum ſcil. regionem mirificus ille fluvius alluat. Quo ſpectant fabellæ de Judæis extrà *Imaum* montem in *Scythiâ* aut *Tatariâ* concluſis, ac per montana diviſis à Gentibus reliquis; hinc & à *reliquiis* Iſraëlitarum (תתר) *Tatariæ* nomen eſſe natum: Hujuſmodi ſunt illæ de Iſraëlitis tranſlatis in *Americam Auſtralem*, & *Gujanam*, ex Septentrionali Tatariâ, quæ cum Americâ cohæreat: Aut ſi mavis, in regnum *Prete-Jan*, פריטי יאן, quod quidam *Fretum Javanicum* reddunt, vulgò alii Abyſſinam, quo de Regno nos alibi. Nota & Pſeudo-Eſdræ *C.* XIII. 43. 44. 45. narratiuncula, de novis ſedibus ſibi quæſitis inſigni miraculo, trajectu portentoſo Euphratis, ac repertis iis tandem poſt iter ſeſqui-anni, in *Aſtareth* regione, extremo Oriente, quò nemo hominum unquàm penetraſſet. Sed de Preſter-Chano, Prete-Janno, diximus in *Hiſtoriâ Eccleſ. col.* 389. & 1635. 1636.

Certa ex Sacris, & Hiſtoriis.

Certum ex Sacrâ Hiſtoriâ, 2 *Reg.* XVII. 6. 24. XVIII. 21. 1 *Chron.* V. 26. tranſlatas Tribus X. ultrà Euphratem in *Chalah* vel *Halah*, verſùs *Chabor*; ac in *Gozan* quod fortè regionis nomen, undè fluvius denominationem accepit; & in *Hara* ſeu Mediæ *Montana*, Perſide meridionali ex oppoſito regione planâ. Porrò *Halah* eſſe Chalachenem Strabonis & Ptolemæi, verſùs Chaboram Aſſyriæ montem, propè Mediam, conjectat Bochartus; aliis Chalonitidem Meſopotamiæ, aut Colchidem interpretatis. *Chabor* regionem, cui cognominis fluvius, & mons Chaboras, inter Aſſyriam & Mediam locant Geographi. Diverſus eſt *Chobar* vel *Chebar* Meſopotamiæ qui Euphrati miſcetur, quibuſdam interpretatis de Euphrate, *Ezech.* I. I. Iberiam, ob affinitatem quandam vocis, malè alii reddiderunt. Fluvius *Gozan*, inter Chaboram & Mare Caſpium in quem influxit, nomen fortè dedit Gauzaniæ urbi Mediæ apud Ptolem. *Lib.* VI. propè *Cyrum* fluv. qui (ex *Gozan*) ſic deinceps à Perſis fuerit appellatus, in honorem Cyri.

Certum præterea eſt, ſucceſſu temporis, in remotiſſima loca Orientis delatas Iſraëlitarum propagines, Hyrcaniam, Parthiam, Perſidem, Carmaniam, Indiam, Sinas; uti in Armeniam, Colchidem, Iberiam, quod poſterius ex Herodoto ipſo, & Diodoro conſtat; reverſuris tamen poſteà plurimis in Palæſtinam, communeſque cum Tribubus

dua-

Digitized by Google

duabus ſedes habituris, juxta vaticinia *Jerem.* III. *Ezech.* XIV. &c. Sic Ægyptum & vicinas regiones impleviſſe, dein Aſiam Minorem, Græciam, Macedoniam, ἐν τῇ διασπορᾷ τῶν Ἑλλήνων, ſub Antiochis & Ptolemæis, ex Hiſtoriâ utrâque conſtat. Incertiora mittimus.

Babylon: ſitus ejuſdem. *Babylon* in quam tranſlatæ per Chaldæos duæ Tribus, ſita indubiè fuit in regione campeſtri, olim dictâ שנער *Sennahar* vel *Sinhar*, in quam, Tigri ſuperato, *ex Oriente* Aſſyriæ profecti, *Gen.* XI. 1. Eademque ſita ad Euphratem, qui mediam interſecuit, eâ parte in foſſas plures diſtributus. Unde error eorum qui eodem loci ſignant, in quo hodiè *Bagdad*, à ſexto Chalifâ ſtructa, in Orientali ripâ Tigridis, quæ in Babylonis ferè nomen ſucceſſit; aut in quo olim ſita *Cteſiphon*, ad Tigrim quoque; vel *Seleucia* vicina Cteſiphonti; aut ubi *Suſa* longè hæc magis ad Ortum, & ad Eulæum fluvium.

Certe etiam nunc magnæ Civitatis rudera oſtenduntur, ac latiſſima mœnia, ex cocto latere, infrà Bagdadum, ad Tigridis in duos alveos diviſionem, de quâ nuper, poſt Petrum à Valle, Kircherum, & alios, Joh. Bapt. Tavernier, Itineris Perſici *Lib.* II. C. VIII. Sed qui fidem Eruditorum non meretur. Neque ſitus ſatis convenit cum illo Babylonis, nec circuitus unius leucæ, qualem iſte deſcribit, reſpondet magnitudini Babylonis. Sed ex hujus ruinis, etiam lateribus, Urbes aliæ & mœnia in proximo ſurrexerunt, adeo pridem cecidit *Babylon* vetus, vix ullis hodie veſtigiis, ex Pet. à Valle, *Lib.* II. C. XII. Par fatum *Ninives*, *Memphis*, *Thebarum* Ægyptiarum, aliarumque Civitatum quondam principum fuit.

VIII. *Terræ Diſtributio ſub* II. *Templo. Idumæa.*

Regio tota quadripartita. Mutatâ, indè ab Aſſyriis & Babyloniis, rerum in Palæſtinâ facie, ac occupatâ magnam partem terrâ, cùm à Coloniis Aſſyriorum, poſt translatas x. Tribus, tum ab *Idumæis*, viciniſque Gentibus, diſtributio alia Terræ poſt Captivitatem obtinuit, de quâ Joſephus, de *Bello Jud. L.* III. C. II. Diſtributa igitur poſt Captivitatem in *Judæam*, *Samariam* vel *Samaritidem*, *Galilæam*, & *Peræam* omnemque *Trans-Jordanicam*. *Marc.* III. 7. 8. πλῆθος ἀπὸ Γαλιλαίας, Ἰουδαίας, Ἱεροσολύμων, Ἰδουμαίας, καὶ Πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Samariam* verò in Terræ partitione omittunt Judæi, ob profana Sacra, & ex odio Gentis, aditum Urbis Samaritanæ prohibente & Chriſto, *Matth.* X. 5. Regioni toti imperitavit Herodes M. Dein factâ partitione Regni, Regium quoque in Idumæam, Judæam, ac Samariam titulum obtinuit Archelaus, cæteris partibus in *Tetrarchias* diviſis.

Idumæa. *Idumæam* ut partem quoque Palæſtinæ, & maximè Auſtralem, deſcribunt Joſephus, Auctor I. Maccab. & Geographi ac princeps Ptolemæus. Nempè ex quo ſuos hæc fines dilatavit, per calamitates Judæorum, protenſa illinc ab Occaſu ad Mare Magnum, ubi *Gaza*, *Azotus*, &c. hinc ad Septentrionem, magnâ Judææ Auſtralis parte ſuæ ditioni adſcriptâ; tum ad Mare Rubrum, ubi ſita *Ailam*, unde ſolvebant naves Salomonis Strabo *Judæos*, *Idumæos*, *Gazæos*, *Azotios*, ut Gentes diverſas deſcribit, *Lib.* XVI.

Mox ſucceſſivè Idumæorum Urbes & Portus à Maccabæis occupati, tandemque Idumæa tota à Joh. Hyrcano fuit ſub Judææ poteſtatem redacta; hinc & Circumciſionem admittere ea Gens juſſa, ac Judaicæ Genti accenſita, apud Joſephum, *Antiq. Lib.* XIII. C. XVII. Hinc etiam factum ut *Idumæa* Auſtraliorem *Judææ* partem deſignarit, *Marc.* III. 8. & aliàs, Ptolemæo ad occaſum Jordanis fluvii. Hoc modo etiam Hieroſolyma fuit Metropolis Idumææ ipſius reſpectu. Eademque Palæſtinæ Tertiæ vel Salutaris nomine comprehenſa fuit, in diſtributione Provinciar. Rom. Imp. Porrò de Idumææ ſitu, & erratis nonnullis Geographorum, dictum eſt ſuprà, in Capite de Gentibus Palæſtinæ Finitimis, *Sect.* I. C. VI. ubi de *Idumæis*. Cæterùm corrigendus textus Ptolemæi, in deſcriptione Urbium Idumææ: Benè *Eluſa* & *Mapſis*; vitioſè reliquæ.

IX. *Judæa.*

Judææ nomen poſt Captivitatem quandoque laxius, pro regione univerſâ, abolito Iſraëlis nomine, poſt x. Tribuum tranſlationem, & à Jehudæ principis Tribûs reditu in eam Terram. Sub Pompejo tributaria facta eſt Romanis, Hieroſolymam ingreſſo, imò Templum, & Adytum, *grande illud Gentis arcanum* apud Florum *Lib.* III. C. V. Idemque ingreſſus eſt *patens*, quod dixit Annalium Scriptor reperiſſe *vacuam ſedem*, *& inane arcanum*, in quo οὐδὲν ἔκειτο, apud Joſephum de B. Jud. *Lib.* VI. C. VI. Addit *ſub aureo uti Cœlo*, quod ſimpliciter reddi poſſet, *veluti ſub Cœlo aureo*, ſcil. *inauratis* lacunaribus, &c. Simpliciſſima enim hæc videri poſſet ſententia Flori. Ab hoc tempore Romana per Judæam nomina, *Nicopoleôs*, *Cæſareæ*, *Tiberiadis*, *Juliadis*, *Sebaſtes*, *Neapoleos*, *Capitoliadis*, *Liviadis*, Turris *Antoniæ*, &c. (Flori locus explic.)

Judæa verò, ſtrictiùs ſic dicta, fuit Idumææ ad Auſtrum proxima, undè *Auſtrum* pro Judæâ, comparatâ ad Galilæam, דרום vel דרומא Magiſtris. Complexa hæc Terram quæ ceſſerat Tribubus, ut *Judæ* & *Benjamini*, ſic & *Simeonis* & *Danis*, qui ex Judâ ſortem ſuam acceperunt, ad Auſtrum & ad Occaſum. Ad Boream Ephraimo, vel Samariâ, ad Ortum Mari Mortuo ac Jordane fluvio, ad Auſtrum Idumæâ, ad Occaſum Mari Magno terminata. (Termini, & diſtributio Judææ.)

Diſtincta hæc rurſùm fuit partibus fere IV.

1. Parte *Maritima*, ubi Urbes inclytæ & portus, Aſcalon, Azotus, Jamne, Joppe, nec longè indè poſita Lydda, quæ Dioſpolis, dein funditus in hunc diem deſtructa.

2. Parte *Montanâ*, ubi ἡ ὀρεινὴ, Montanum *Judææ*, ſeu Mons Regalis Talmudiſtis, & Montana *Hebron*, *Ziph*, alia. In hâc parte *Deſertum Judææ*, ἡ ἔρημος, & Deſerta plura, in Tabulis ſignata. Nec tamen horridæ ſolitudines, aut inacceſſa hominibus loca, viciniis ubique Urbibus, indè ab ultimâ Judææ orâ Auſtrali.

3. Parte *Boreali*, multum quoque montanâ, in qua Hieroſolyma fuit, & vicinæ Rama, Bethlehem, Bethphage, Bethania, Emmaus dein Nicopolis, etiam Bethoron, Bethel, &c. De quarum ſitu ſuprà, in Sortibus Tribuum.

4. Parte *Orientali* vel *Campeſtri*, ubi Urbs & Campeſtria Hierichuntis, florentiſſimæ ſub II. Templo, & Herodianis temporibus, Civitatis. Sic Hierichuntina regio, versùs Jordanem, dives admodum fuit palmis, balſamo, myrobalano, fructibus, fontibus, &c. hinc Civitas palmarum, *Deut.* XXXIV. 3. Prolixè de hac Joſephus, *de Bello Jud.* L. IV. C. XXVI. quem vide.

X. *Samaria.*

Olim fuit Urbs Metropolis Iſraëlis, & regia, conditore primùm Amri vel Omri Rege; deinceps ſic appellata Regio tota, totum regnum Iſraëlis, paſſim apud Prophetas. Sic Samaria de regione ipſâ Chriſti tempore, ſeu Samaritide, (Quæ dicta. Termini.)

Joh. IV. 4. 5. Media fuit inter Judæam ab Auſtro, & Galilæam à Septentrione, hinc per eam tranſitus ad alterutram. Adi & Joſephum, *de Bello Jud.* III. IV. Occidentem versùs protenſa fuit ad Mare uſque, ubi Civitates inclytæ; Dor vel Dora, Δῶρα Ptolemæo, & Steph. in *Fragm.* Tùm Cæſarea Palæſtinæ, antè Πύργος Στράτονος, ab aliis ſed perperàm Galilææ attributa. Hinc Antipatris magis Hieroſolymam versùs, per quam Hieroſolymâ itum Cæſaream, *Act.* XXIII. 31. Uti in Itinerario Hieroſolymitano, ab Hieroſolymâ Cæſaream media *Nicopolis*, *Lydda*, *Antipatris*, conditore in Patris honorem Herode M. & *Bethar* in Itin. Burdig. p. 154. Samaritidis ad Auſtrum fuêre Boreales Judææ Urbes, quæ in utriuſque finibus ſitæ.

Sichem. Metropolis urbs fuit *Sichem*, poſt Samariæ ruinas, funditùs ab Hyrcano poſt longam obſidionem deletæ. Dicta & *Sichar*, ab Herode inſtaurata, eademque & *Neapolis* in hunc diem; uti Samaria urbs, poſt inſtaurationem dicta *Sebaſte*, in gratiam Auguſti, *Sebaſtia* etiam nunc. Sita verò Sichem nova in montis declivi, amœniſſimâ hinc convalle, & in proximo olim montes Gerizim & Hebal. *Cuthæorum* hæc præcipua ſedes, quorum & hodiè reliquias deſcribit Petrus à Valle, *Parte* II. mirè hinc Judæis exoſa, uti Gens tota, *Joh.* IV. 9. Undè prohibitio illa Chriſti, Judæos à Samaritanis diſtinguentis, illoſque præferentis, *Matth.* X. 5. *Neapolim* hinc Ammianus quoque refert inter celebres Palæſtinæ Urbes, patriam Juſtini Mart. Hîc reliquiæ Samaritanorum veterum, ut & in Cairo Ægypti, ex Relationibus. Addit Ptolemæus urbem Samariæ alteram, Θῆνα, quæ eadem cum *Thaan*, *Thaanah*, Sichemo ad ortum hybernum.

Complexa eſt Samaritis eam ſortem quæ quondam fuit Tribuum *Ephraimi*, & *Manaſſis*, de quibus ſuprà. Hinc ſoli ubertate, & varietate, Judææ καὶ οὐδὲν διάφορος, Joſeph. *de Bello Jud.* L. III. IV.

XI. *Galilæa.*

Nomen unde? Sic à Judæis appellata & in Sacris, ארץ הגליל 1 *Reg.* IX. 11. ſeu jam quaſi גלול vel גליל *καταχυλιστὴ devoluta* aut ſubacta; ſeu quaſi גלילא *Tractus* ingens Palæſtinæ Borealis; ſeu quod *vicina* ea Gentibus, ſeu ἔθνεσιν ἀλλοφύλοις κεκυκλωμένη, Syris, Phœniciis, Arabibus, apud Joſephum, *de B. Jud.* L. III. C. II. Atque ità ab Hebræorum גלילות quod eſt *confinium*, & *terra limitis*, *Joſ.* XIII. 2. 1 *Reg.* IX. in quâ urbes datæ Hiramo à Salomone. *Galilæa*, quandoque laxius appellatâ, adſcripti vicini trans-amnani, ubi trans-Jordanicæ Tribus, dicti etiam Galilæi, Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, id eſt ὁ Γαυλονίτης, qui ſurrexit poſt relegatum Archelaum, *Act.* V. 37. Nam Galilæa πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* IV. 15. eſt *cis Jordanem*, בעבר הירדן *in tranſitu Jordanis*; ut Βηθαβαρὰ notat *domum tranſitûs*, in quâ Johannes baptizabat, & ubi trajectus Jordanis fuit.
Termini. At ſtrictiùs dicta fuit ab Auſtro Samaritis, & indè Urbs prima Galilææ, vel extrema, Scythopolis olim Bethſan; ad Occidentem, mons Carmel, & *Gaba* civitas equitûm, & Acon maritima quæ Ptolemais; ad Septentrionem, montanum Amanæ, & Tyriorum regio; ad Orientem, Lacus Gennezareth, & qui in eum influit Jordanes, pars adeò Trans-amnanæ, Hippene, Gadara, Gaulanitis. Vide Joſephum fines deſcribentem *loco cit.* Galilæa πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* IV. 15. eſt *cis Jordanem*, ad citeriorem ripam, ut *Joh.* I. 28. Hebræis בעבר ירדן *in tranſitu* vel *antè tranſitum Jordanis*. Malè ad ulteriorem tractum extendunt.

Latiſſimè hæc protenſa, & complexa Sortem Tribuum *Iſſacharis*, *Zabulonis*, *Aſſeris*, & *Nephtali*, ex parte etiam, versùs Septentrionem, *Danis*, de quibus ſuprà. *Tetrarchia* tandem fuit, Antipa illius primùm Tetrarchâ, ſed & Rege, poſt mortem Patris; uti Tetrarchiæ minora etiam Regna fuerunt, promiſcuis nonnunquàm appellationibus; nomine à quatuor ἄρχουσι ſeu rectoribus Galatiæ primum nato, hinc translato ad regulos alios; & ubi plures Tetrarchiæ in unam conjunctæ fuerunt, hinc Regium Tetrarchis axioma.

Diſtributa in Galilæam *Superiorem*, & *Inferiorem*. Superior dicta quæ ad Septentrionem, versùs Syros & Phœnices, etiam Galilæa *Gentium*, in Sacris, *Eſaja* IX. 1. *Matth.* IV. 15. ob permixtas illi alienigenas Gentes, Phœnicios, Arabes, Syros, Ægyptios, &c. Speciatim ob viciniam Tyriorum ac Sidoniorum, qui & hujus partem incoluêre; undè Chriſtus ſecedens in extrema Galilææ, ad fines *Tyriorum* & *Sidoniorum*, *Matth.* XV. 21. Complexa hæc ſortem Aſſeris, & ferè omnem Nephtali, indè à *Thellâ* vico Jordani proximo, undè longitudinem metitur Joſephus Ἀρχαιολόγος, uſque ad Μηρώθ; quò & ſpectat illud *Matth.* IV. 15. A Septentrione contigua illi *Syro-Phœnicia*, ubi Adonim fluv. notat Strabo. *Ptolemais* ad Mare magnum, in utriuſque Galilææ confinio fuit. Galilæa Superior quæ dicta?

Inferior quæ magis Auſtralis, complexa potiſſimùm ſortem Iſſacharis, Zabulonis, & exiguam partem Nephtali quæ ad Mare Galilææ ſita; ut viſum in ſorte Nephtali. Inferior quæ? Ad Mare magnum protenſa μέχρι Χαβουλώνης, ità Joſephus, quod de terrâ *Chabul* abſurdè interpretati, longiùs ad Septentr. poſitâ; rectiùs Ζαβουλώνης, vel Ζαβουλῶνος, quæ πόλις καρτερὰ urbs valida, vicina Ptolemaidi, ut alibi quoque notat idem Hiſtoricus, de Bello Jud. L. II. C. XXII. In hâc ſita Urbs *Nazareth*, duabus circiter leucis à Thabor monte, à quâ ſeceſſit Chriſtus in *Capernaum*, versùs Tiberiada, & quæ gratis ponitur in Galilæâ Superiori. Principes Urbes & maximas memorat Joſephus, in *Vitâ* ſua, *Tiberiada*, ad Lacum, πρὸς τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ, quæ condita ab Herode, ut Strabo, in honorem Tiberii, Anno U. C. DCCLXX. pro quo Euſebius DCCLXXX. eademque *aquis calidis ſalubris*, ſeu thermis; diſtans ab Hippo XXX. ſtad. à Gadaris LX. à Scythopoli CXX. aliàs etiam Κλαυδιο-Τιβεριάν; cujus incolæ ferè nauticam exercebant. Sic apud eundem Joſephum, *Sepphoris* in meditullio Galilææ ſita, ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς Γαλιλαίας, inter Nazareth Urbem, & Thabor montem, quæ *Dio-Cæſarea* in Notitiis, ab Herode nuncupata in honorem Romanorum. Nec Σεπφωρὶς confundenda cum τῇ Σιπφαρῶν πόλει vel Σιπφάρα, in Meſopotamiâ, apud Ptolemæum & Euſebium IX. *Præpar.* C. IV. Corruptè eadem apud Ptolemæum Καμφουρὶς, lege Σεπφουρίς. *Juliada* idem accenſet Galilææ, quæ ultrà Jordanem poſita fuit. Urbes Galilææ reliquas à ſe munitas pluribus recenſet Joſephus, & inter eas Σάλαμιν, *Lib.* II. C. XXV. Ἁλώσ. quam Doctiſſ. Lightfoot putat eſſe Σαλίμ, ſed malè, hæc enim non in Galilæâ, ſed in Dimidiâ Tribu Manaſſis; in illius ὁρίοις licet. *Tarichæa* etiam, vel Ταριχέαι, in parte maximè Auſtrali Lacûs Genneſareth, ex Joſepho, Plinio, Strabone, Stephano, illuſtris eſt, cis torrentem *Ciſon*.

Dubium cui Galilææ adſcribatur *Cana*, de qua *Joh.* II. ſed veriùs Galilææ Inferioris fuit, *vicus* Joſepho, diſtincta à Cana majore, quæ in Galilæâ Gentium. Hinc Syro קטנה ſeu Cana *minor*. At propior fortè mari Genneſareth, quam vulgò collocatur.

Galilæa ſimpliciter dicta in Euangeliis, & apud Exoticos, videtur potiùs eſſe Galilæa *Inferior*, in qua Tiberiadis tractus, & Nazareth, & Capernaum Metropolis, quæque ipſi Joſepho *Galilæa* ſæpiùs Galilæa ſimpliciter, quænam?

pius eſt ἐξόχως, in Vitâ ſuâ; & aliàs; contra diſtincta Galilææ Gentium, quæ pars Phœnices eſt Exoticis. Hinc & Chriſtus, qui maximè in eâ verſatus eſt, dictus *Galilæus*, Chriſtiani *Galilæi*, quamvis διαφορικῶς. Secùs Doctiſſ. Ligtfoot, Diſquiſit. Chorogr. ad Johannem, *Cap.* II. qui *Superiorem* arbitratur emphaticè *Galilæam* dictam, nullo quod ſtringat argumento. Niſi malimus modò hanc, modò illam, ſimplici *Galilææ* nomine ſubindè deſignari.

Regionis conditio. Galilææ porrò *incolæ*, magis fuêre ex reliquiis decem Tribuum, tùm ex Gentibus profanis, ob regionis ſitum, & opportunitatem marium. Mira regionis feracitas, aëriſque temperies, & frequentia populorum, ut minimus vicus ſuprà XV. millia Colonorum concluderet, ut pluribus videre eſt apud Joſeph. *de Bello Jud.* L. III. C. 11. & XVIII.

Dialectus Galilæorum. *Lingua* eorum Syriaca fuit, ut Judæorum, ſed impurior, tùm pronunciatione, tùm exoticis vocibus, undè illud ad Petrum, *Matth.* XXVI. 73. Confundebant v. gr. lit. gutturales, ע, ח, א, ſic literas *Beth* & *Caph*, &c. præter exoticas ab admixtis Gentibus voces. Hinc frequentia apud Talmudicos exempla vitioſæ pronunciationis, de quâ Buxtorfius in Lex. Talmudico ad vocem גלילי, Lightfoot in Cent. Chorogr. *Cap.* LXXXVII. alii.

Decapolis quænam? *Decapolitana* regio cis-Jordanica tota cenſetur à Brochardo, Adrichomio, & in vulgatis Tabulis. Nempè ea pars Galilææ quæ in Tribubus Nephtalim & Zabulonis, ad Jordanem & Lacum Tiberiadis. Aliis tota cenſetur Trans-amnana, Scythopoli fortè exceptâ, ex Plinii *Lib.* V. C. XVIII. & ità quoque Ligtfootio in *Chorogr.* ſuâ. Utrique malè, ſi quid judicamus. Nam perrexit Chriſtus à finibus Tyriorum ad Mare Galilææ ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων *per medios fines Decapoleôs*, *Marc.* VII. 31. Ut omninò cis Jordanem, antequàm influat in Mare Galilææ, pars etiam Decapoleôs fuerit. Cæterùm regio Decapolitana *Syriæ* attribuitur, apud Plinium, & præcipuæ hujus Urbes, inter quas *Hippus*, *Gedara*, *Geraſa*, *Pella*, &c. in *Cœle-Syriâ* cenſentur apud Ptolemæum, Stephanum, Joſephum de Bello Jud. & in Vitâ ſuâ paſſim. Hinc diſtinguitur etiam à Galilæâ, *Matth.* IV. 25. Undè partem Decapoleôs neceſſe eſt conſtituere ultrà Jordanem, in confiniis Galilææ. At in Urbibus ejus cenſendis jam olim fuiſſe diſſenſum, ex Plinio conſtat. Stephanus in Γέρασα vocat πόλιν τῆς τεσσαρεσκαιδεκαπόλεως, quicquid Salmaſius & alii emendent. Plinius ipſe XI. Urbes recenſet. Nempè extenſa euſque Decapolis fuit, ut illi etiam *Damaſcum* à Septentrione, *Philadelphiam* ab Ortu, *Scythopolim* ab Auſtro incluſerint, latiſſimo terrarum tractu. Quâ ratione crevit Urbium numerus. A *Tetrarchiis* hæc regio diſtincta fuit, licet iis permixta, & Syriæ ab Auguſto adſcripta.

IX. *Peræa & Trans-Jordanica omnis.*

Peræa quæ dicta? *Peræa* nomen, ſeu regionis πέραν τοῦ Ἰορδάνου, vi vocis, generaliùs totam Trans-amnanam ſeu Trans-Jordanicam dicit, *Marc.* III. 8. Strictiùs verò Auſtralem ejus partem, quæ olim Rubenis & Gadis fuit, terminatam ab Auſtro *Macharunte* ad Mare Mortuum, ab Aquilone *Pellâ* civitate, juxtà Joſephum, vel Jaboc torrente, ab Ortu *Philadelphiâ* quæ olim Rabbath-Ammonitarum, à Philadelpho ſic nuncupata; ab Occaſu autem Jordane. Et ſic fuit πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* IV. 25. & *Peræa* Joſepho, etiam Plinio *Lib.* V. C. XIV. Jordane à Judæis diviſa. Lightfotius rurſùm malè contendit *Trans-Jordanicam* vocari etiam Galilæam. Jordanes porro influens in mare Galilææ, inter Chorazim vel Chorozaïm & Capernaum, *Trachonitidem* ſic dividit à Galilæâ; hinc *Peræam* à Samaritide; tandem *Moabitidem* à Judæa, ubi ſunt Hierichuntini agri palmiferi, & quâ parte poſt multos & fluxuoſos ſinus in *Mare Mortuum* ſe exonerat, undè egreſſurus abſorbetur horrendâ voragine propè Deſertum *Sin* aliis *Pharan*. Longitudo tota à monte Libano ad hoc Deſertum, eſt horarum circiter 100. Nec longè ab oſtio Jordanis fuit *Macherus*, caſtrum munitiſſimum ab Herode ſtructum in ſaxosâ rupe.

In hâc Peræa parte eſt pars regionis, quæ *Galaaditis*; cui fuit ad Boream *Gamalitica* & *Gaulanitis*, illa à Gamalâ, hæc à Golan vel Gaulan, Ogi civitate, *Joſ.* XX. 8. His ad Meridiem regio *Gadarena*, cui à *Gadarâ* urbe *nomen*, Γαδαρίς Straboni & Joſepho, ab Ethnicis potiſſimùm habitata, Syriæ adſcripta à Pompejo M. cum Hippene & aliis, avulſaque ab Herodianorum dominatu, apud Joſephum de *Bello Jud.* L. II. C. IV. Hinc Γαδαρηνῶν ἱερὰ Σύγκλητος, quorum inſtaurator fuit Pompejus; non confundenda cum urbe Gadarâ quæ apud Stephanum Palæſtinæ adſcribitur, pro quâ Caſaubonus legendum cenſet Γάζαρα, Notis ad Strabonem p. 759. Hîc pars Decapolitanæ regionis fuit, quâ hæc trans-Jordanem ſita, ad *Pellam* uſque, Ortum verſùs, coloniam Macedoniorum à Seleuco conditam, in honorem Pellæ Alexandri M. Et huc Chriſtiani circà Excidii tempus ſeceſſerunt. — Gamalitica, Gaulanitis, Gadarena.

Proxima his trans Jordanem regionibus, ad Septentrionem, fuit *Batanæa*, quæ eadem creditur cum *Baſan* vetere, ex vocum affinitate. Ut indè nomen ſit, nihil repugnamus; quicquid ſit Batanæa, ſic in ſpecie dicta, conditione longè diverſa à pingui Balanitide, regio ſterilis & montana, verſùs Arabiæ Syriæve ſolitudines, & magis ad Orientem protenſa. Hinc regio ad *Arabiæ* (partim Deſertæ, partim Petrææ) Provinciam ſpectavit, cujus Metropolis Boſtra, ultrà Montana Galaad: Ut & contermina regio. — Batanæa.

Trachonitis, regio omninò aſpera, licet non inamœna, Tetrarchia poſt mortem Herodis M. terminata Trachonibus Arabiæ montibus, ſeu parte Hermonis ad Ortum, qui Plinio & Straboni eſt *Trachon*. Trachones autem vocarunt etiam ſpeluncas ſubterraneas, quibus hæc regio abundavit. Ad Septentrionem vero terminus fuit regio Damaſcena; undè per Trachonitidem in urbem Damaſcum iter fuit, & eſt hodieque. — Trachonitis.

Pars Trachonitidis eſt *Ituræa*, Luc. III. 1. malè in Tabulis ſignata cis Jordanem, regio partim montana, partim campeſtris, ſita inter Libani montis radices & Hermonem, ſubacta quondam ab Ariſtobulo Rege, ante à latronibus habitata. *Geſſur*, undè regio *Geſſurorum* vel Geſſuræorum, trans Jordanem, ad Aquilonem Palæſtinæ, & Hermonem montem, *Deut.* III. 14. *Joſ.* XIII. 2. Undè natum videri poſſet *Jethur*, *Chron.* V. 19. qui & Ituræi Arabes, apud Tacitum, Dionem, Plinium, Strabonem. Sed & *Jethur* inter filios Iſmaëlis, Arabum Patris, *Gen.* XXV. 15. Atque hæc regio cum Ituræâ Damaſcenæ contermina eſt. Vicinaque illi *Machatitarum* regio, juncta cum Geſſuræorum illâ, *Deut.* III. 14. quæ à Jairo occupatæ quondam. — Geſſuræa. Machatitis.

Nonnihil ad Occaſum verſùs Antilibanum M. collocatur *Auranitis*, Αὐρανῖτις, civitate cognomini inter Damaſcum & Hamath; quomodò οἱ LXX. חורן *Ez.* XLVII. 16. reddunt per Αὐρανίτιδα. Et à montis *Hauran* vertice, qui pars Antilibani & ubi lumen per flammas accenſum, indicium factum novi anni obſervat Lightfotius ad *Lucam*: Malè quidam hinc *Orontem* fluvium, qui ultrà Damaſcum oritur, fuiſſe denominatum. Hanc verò cum Trachonitide & Batanæâ, novâ ditionum acceſſione, donavit Cæſar — Auranitis.

ſar

ſar Herodi M. poſt mortem Zenodori prædonis. Nam hic tractum hunc à Lyſaniâ conductum invaſerat, complexum Ituræam, Auranitidem, Paneada, Ulatham, & agros finitimos, apud Joſephum, *Ant. Lib.* xv. C. xiii. Undè mox in honorem Augusti Cæſaris, Templum in Panio monte ab Herode ſtructum, quod Templum *Auguſti* appellatum. Poſt mortem Herodis Philippo filio adſcriptæ hæ regiones, *de Bello Jud. Lib.* ii. C. iv. Diverſa eſt *Auranitis* quæ παρακεῖται τῷ Εὐφράτῃ, apud Ptol. *Lib.* v. & ex eo Doctiſſ. Bochartum, ubi *Ura* Plinii hujus *Libro* v. C. xxiv. Babyloniam versùs, collocatur.

Tetrarchia Lyſaniæ.

Hæc pars maximè Borealis, ubi Auranitis, Paneas, Abilena, Chalcis, dicta etiam *Regnum* & *Tetrarchia Lyſaniæ*, à Lyſaniâ, quem Antonius Regem conſtituit, & quo occiſo, data regio Cleopatræ; Poſteà ab Auguſto permiſſa vel elocata Zenodoro, undè dicta Regia vel Domus, id eſt, principatus, dynaſtia, tetrarchia Zenodori. Ab hoc, conductione finitâ, pars ad Lyſaniam alium, ex prioris Lyſaniæ poſteris, ſcilicet *Abilene* regio in *Syriâ* Libaniticâ, tranſiit, *Luc.* iii. 1. ab Abela, Abila, Abellâ, ubi Tetrarchia Lyſaniæ; quam Syriæ Cavæ Urbem faciunt Ptolemæus, Polybius, Plinius. Abilas duas facit Steph. unam in Phœniciâ, alteram cis Jordanem, ut Ἀβίλη Joſepho ad Jordanem ſita, *Antiq.* L. iv. C. vii. *Chalcis*, quæ ad Herodem Chalcidis ſpectavit, urbs fuit in Cœle-Syriâ; undè regio & regnum Chalcidis, non confundendâ cum Abilenâ, quod Genebrardus & alii faciunt. Et hîc *Raphanea* regio & urbs ſita, in Agrippæ Regno, (donante huic Claudio Imperatore, cum Samaritide & Judæâ) quam alluit fluvius *Sabbaticus*, apud Joſephum de Bello Jud. Libro vii. Hactenùs de Trans-Jordanicâ Palæſtinæ, quæ dein Palæſtinam *Secundam*, & *Tertiam*, maximâ ſui parte deſcripſit.

XII. *Palæſtina Nova.*

Palæſtinæ vaſtationes.

Mirè deinceps, à deſtructione Hieroſolymorum, immutata eſt *Palæſtinæ* facies; ſeu Locorum nomina reſpicimus, ſeu incolas, ſeu terræ cultum, & vaſtationes illius per Romanos, poſtquàm *Pompejus* M. Urbem & Templum invaſit, maximè verò poſt *Flavios*, tùm ſub *Hadriano*, lx. & ampliùs annis ab Urbis Excidio. Tùm per *Choſroëm* Perſarum Regem; per Saracenos ſub *Haumare*, poſſeſſuros eam terram aliquot ſeculis; per Chriſtianos inde à Godefrido *Bullionæo*, qui Hieroſolymitanum Regnum tenuerunt per annos lxxxviii. hinc per Sultanos Ægypti rurſùm, indè à *Saladino*; tandem & per *Turcarum* gentem, indè à Selimo Imperatore; de quibus nos in *Hiſtoriâ* pleniùs.

Tres Palæſtinæ.

Tres autem fuêre ſub Chriſtianis Imperatoribus *Palæſtinæ*, totidem Provinciæ diſtinctæ, hinc & Ἐπαρχίαι Eccleſiaſticæ, quæ ſub Diœceſi Civili *Orientis*, ſeu *Antiochenâ*: Cujus Diœceſeôs Provinciæ (poſt tempora Nicænorum) fuêre xv. numero, quemadmodum fuit eadem una ex v. Diœceſibus Orientis, cum *Ægypti* illâ, *Aſiaticâ*, *Thracicâ*, *Ponticâ*. Sed de his Palæſtinis tribus, ut Provinciæ Eccleſiaſticæ fuerunt, & Chriſtianæ Eccleſiæ ſedes; deque cæteris quæ ad Diœceſim Orientis ſpectarunt, pluribus infrà in Geographiâ Chriſtianâ.

Palæſtina hodierna.

Hodiernam Palæſtinæ conditionem, ſervitutem, vaſtitatem, mutationem Nominum, rudera vetuſtatis, Urbium incolas Turcas, Judæos, Chriſtianos, hinc indè exhibent Itinerariographi; regionis autem ferè totius incolas *Arabes*, ſuis ſub *Emiris* ſeu Ducibus, quorum primarius memoratur *Facardinus* qui Galilæam & Phœniciam tenuit. In quibus ſunt ſuperiores aliquot ſeculis, præter Talmudicos paſſim, & Itinerarium *Hieroſolymitanum* (quod Conſtantini M. temporibus ſcriptum cenſet Pithœus, & cum *Antonini* illo editum eſt) alii plurimi, ut Benjamin Tudelenſis, Eugeſippus, Joh. Phocas, Epiphanius Hagiopolita, Willebrandus ab Oldenborg, M. Paulus Venetus, de Mandavilla, &c. nonnulli editi à Leone Allatio. Adde Arabes Scriptores non paucos, Jakutum, Abulfedam, Nubienſem, alios plurimos, in Bibliothecâ noſtrâ Leydenſi reconditos, è quibus Orientalis Geographia illuſtrari egregiè poteſt. Adde ſuperiori ac noſtrâ ætate innumeros, quos inter obvii *Brochardus*, *Adrichomius*, Card. *Vitriacus*, *Belonius*, *Ziglerus*, *Cotovicus*, *Zualardus*, *Sandius*, *Fullerus*, *Quareſmius*, &c. Non contemnendi in recentioribus ſunt Petrus *a Valle* Italus, & *Thevenotius* Gallus; omnes tamen circà monumenta vetuſtatis nimiùm creduli.

De eis Scriptores.

Fabulæ de locis Palæſtinæ.

Hinc fabulis hodiè nullus eſt nec finis, nec modus, ſeu ſitum Locorum reſpicimus, ſeu oſtentata Monumenta, ſeu ficta Sepulchreta, ſeu fabellas admixtas; pariter ad fingendum natis Græcis, Syris, Arabibus, & Monachorum grege, uti ad credendum nato ſuperſtitioſorum vulgo. Turci verò & Arabes ingens ex eâ ſuperſtitione captant hodieque lucrum. Hinc nauſeam commentis & fabulis pariunt, quotquot hodie legas Deſcriptiones Terræ Sanctæ.

Antiqua hodieque nomina.

Antiquorum hactenùs manent hinc indè veſtigia nominum, quædam nonnihil inflexa: Ut pro Rama *Ramſa*; pro Neapoli *Naploſa*; pro Acon *Acra*; pro Joppe *Jaffa* vel Giaffo; pro Azoto *Alcet*; pro Aſcalone *Scalona*; pro Cæſareâ *Caiſar*; pro Nazareth *Naſra*; pro Samariâ vel Sebaſte *Sebaſtia*, pro *Nicopoli*, quæ olim Emaus, Nikopol, &c. Ità pro Tyro *Sur*; pro Sidone *Sayd*; pro Tripoli *Taraboulous*; pro Baryto *Biroult*; pro Antiochiâ *Antekiè*, & ſic de aliis. Non tamen ibi veſtigia priſtinæ feracitatis; v. gr. in agro Hierichuntino, de quo ipſe Strabo L. xvi. p. 525. Ἐνταῦθα ὁ Φοινικὼν, καὶ ὁ τοῦ Βαλσάμου Παράδεισος. Τίμιος οὖν ἐστὶ, διότι καὶ ἐνταῦθα μόνον φύεται. *Hic eſt Palmetum, hic & Balſami Paradiſus. Planta eſt in pretio, quod hic ſolùm naſcatur.* Idem de hoc Judææ balſamo, præter Joſephum, Diod. Siculus, Plinius, & alii. Fruſtrà hodiè ibidem requiras.

Digitized by Google

HIEROSOLYMÆ VETERIS TOPOGRAPHICA ET SUMMARIA DESCRIPTIO.

Digitized by Google

HIEROSOLYMÆ VETERIS TOPOGRAPHICA

Et ſummaria Deſcriptio.

Nomina varia.

VRBIS varia nomina fuêre, & primò *Salem*, unde *Solyma*, *Solymi*, *Pſal.* LXXVI. 3. non ut Stephanus, ἀπὸ τῶν Σολύμων ὀρῶν. Eademque ſecundùm Joſephum, & Veteres pleroſque, regia Melchizedeci, *Gen.* XIV. A loco qui dictus Abrahamo *Jireh*, *Gen.* XXII. vel à *Jiru* יראו plurali, compoſitum eſt *Jireh-ſchalem*, & *Jiru-shalem*, undè formâ dualis numeri, ob bipertitam Urbem, *Jeruſchalaïm*, Græcis Ἱερουσαλήμ. Antiquitùs à Jebuſæis *Jebus* dicta, *Joſ.* XV. 8. & paſſim. Allegoricè dicta in Sacris *Ariel*, id eſt, *Leo Dei*, undè *Areopolis* apud Euſebium, & Hieronymum. Poſt ab Ælio Adriano (vetere Urbe per Titum dirutâ) *Ælia*, *Ælia Capitolina*, quo nomine adhuc venit ætate Nicænorum, ex *Can. Nic.* VII. mox antiquando illo ſub Chriſtianis Principibus. Turcis vulgatum hodiè nomen eſt *Cudshembarich*, & *Condſcherif*, vel *El Condeſch*, quaſi Urbs Sancta. Hinc & Arabibus بيت القدس *domus ſancta*, & ſimpliciter قدس *Sanctitas*. Herodoto, ſecundùm quoſdam, *Lib.* II. & III. ἡ Κάδυτις πόλις, facto nomine ex *Kedosha*, Urbis communiore epitheto, id eſt, Ἱερὰ, Ἱερᾶς. Et ex vocis conjunctione cum Σόλυμα, vel Σόλυμοι, crediderunt dictam Hieroſolymam; ità Appion Alexandrinus apud Joſephum, calamniatus antè Ἱερόσυλα appellatam, ἀπὸ τῆς Ἱεροσυλίας. Tacitus *Hiſtor.* V. à duce Hieroſolymo, ut Judæos ab Idâ monte idem derivat. Alii apud Euſebium *Lib.* IX. Προπαρασκ. reddiderunt quaſi ἱερὸν Σολομῶντος *Templum Salomonis*.

Nec defuêre in Veteribus qui per Σολύμους ab Homero deſignari putarent, *Odyſſ.* V. inter quos ipſe Joſephus, *Antiq. Lib.* VII. C. III. φασὶ τινὲς ὅτι Ὅμηρος ταῦτα ὠνόμασεν Σόλυμα. Ubi Ulyſſem navigantem vidit Neptunus

Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων,

prout,

Ad Solymos direxit iter Templumque ſubibat.

Sed ignoti adhuc Græcis Judæi *Homeri* ætate, qui Solymos neſcio quos ad Oceanum Æthiopicum fingit; aliàs *Solymi* populi Lyciis vicini, fortè Phœnicum coloni. Taciti cumulatos errores *Hiſtor.* L. V. 2. 3. poſt Manethonem, Lyſimachum, &c. ut & Juſtini ex Trogo, etiam Plutarchi *Lib.* IV. *Sympoſ.* vide in Hiſtoriâ Exitûs ex Ægypto, *col.* 333. 334. 335.

Circà eam conſideranda.

Deſcriptio Topographica Hieroſolymæ compendio abſolvi poteſt, conſideratione *Sitûs*, *Cinguli* ſeu ambitûs, Locorum *Intra-muralium*, denique & *Extramuralium*, ſeu Urbi adjacentium.

Colliguntur omnia ut ex Libris Regum, Nehemiæ, Prophetarum paſſim, & Euangeliſtarum, ſic ex Libris Joſephi de Bello Judaico, maximè *Lib.* VI. C. VI. ac paſſim, & ex Hebræis ac Talmudicis Scriptoribus. Ne dicam ex pſeudo-Ariſtæâ, Strabone, Tacito, Plinio, &c. Multi ſunt in hujus deſcriptione recentiores, ut ſunt paſſim Chorographi Palæſtinæ, & Cotovicus, Heydenus, Arias, Villalpandus, Aitſingerus, Capellus, Lightfoot, reliqui. Nec una apud hos diſcrepantia eſt, undè certiora à dubiis diſcernenda. Fallit in pluribus Schema Chriſtiani *Adrichomii* Delphenſis, quanquam hic multo labore in Urbis & Terræ S. deſcriptione, poſt Brocardum Monachum, verſatus ſit.

SITUS URBIS.

Situs.

Situm Urbis quod attinet, in mediâ hæc ferè Palæſtinâ fuit, Judææ umbilicus, pari fermè diſtantiâ à Jordane & à Mari Magno, ut hinc commodus eſſet toti Iſraëli ad eam acceſſus. Gradus latitudinis Borealis fuit circiter 32. Magiſtris 33. Adde viciniam Damaſci, Tyri, Sidonis, Alexandriæ, Babylonis Ægyptiæ, &c.

Montes Urbis.

Sita eadem fuit in montibus, & eminentiore loco, ac quidem in triplici Monte, qui ſingulis ſuis vallibus diſtincti, quales mons *Sion*, *Acra*, & *Moriah*: Quartus & collis additur *Bezetha*, ἡ Βεζεθὰ (Syr. בירת חדתא *nova domus*, id eſt, καινὴ πόλις) pars Acræ aliis ſuperior, aliis inferior; proximè ſanè ambiens Moriam ad Aquilonem, ex adverſo Templi, atque Antoniæ Turris vel Arcis, quæ juxtà hunc collem ſtructa fuit media inter Bezetham & angulum Aquilonarem Templi. Atque hic Collis eſt πάντων ὑψηλότατος Joſepho, foſſis altiſſimis ſéparatus, pars novæ Civitatis.

Sionis ſitus.

Mons *Sionis*, qui *mons Sanctus*, & *mons Domini*, cæteris excelſior, proceſſit ab Auſtro in Aquilonem, in modum ferè ſemi-circuli; exporrectus verò in Ortum versùs Cedron & vallem Joſaphati, & in Occaſum ubi vulgò montem Gihon locant Tabulæ. In hoc ſita Jebus antiqua eminentiore loco; in eodem adeò & Civitas, & Palatium Davidis, 2 *Sam.* V. 7. quæ *Arx Sionis*, Ἀκρόπολις, muro circumdata. Poſteà & in angulo Orientali, è regione Templi, fuit Regia Salomonis. Hîc & ſtructura Salomonis quæ *Millo* vel *Mello* nuncupatur, 1 *Reg.* XI 27. ab Ezechiâ inſtauranda, 2 *Chron.* XXXII. 5. & per πρόληψιν memorata 2 *Sam.* V. 9. Et hæc veroſimiliter fuit munitio quædam, ſeu agger, ſeu murus, in parte Sionis quæ reſpiceret Templum, infrà habens mediam voraginem, quæ ipſa Adrichomio eſt Mello; factis & ab hâc parte ſubſtructionibus, ac valle ex parte *completâ*, undè iſtud מלוא Hebræorum, jungendo ſic monte utroque Sionis & Moriæ. Gratis autem Doctiſſ. Lightfoot, poſt Aben-Ezram, & Davidem Kimchi, ac paucos recentiores, collocat Sionem à parte Urbis Aquilonari, omnibus ferè invitis. Nec illi præſidium in loco *Pſalm.* XLVIII. 3. ubi mons Sionis vocari videtur ירכתי צפון *latera Aquilonis*; quod erit, ex adverſo Aquilonis, media ſcil. valle. Aut *latera Aquilonis*, ſunt pars Urbis altera, civitas inferior, filia Sionis, ut ex monte Sionis, & ex latere Aquilonari conſtiterit Civitas magni Regis. Sic *Civitas*, nempè Davidis, ad Auſtrum poſita, *Ezech.* XL. 2. uti Templum ad Aquilonem. Sic *latera Aquilo-*

Digitized by Google

quilonis, *Eſaj.* XIV. 13. de monte Templi, & parte hujus Aquilonari, non de Sione, dicta. Minùs præſidium Lightfotio eſt in Joſepho, Hieroſolymæ ſitum deſcribente, cumprimis Ἁλώσ. *Lib.* VI. C. VI. Hinc enim patet Titum caſtra poſuiſſe ad turrim Pſephinam, quæ in Acrâ, versùs angulum Aquilonarem, à parte occiduâ; προσάρκτιον κλῖμα, ſeu βόρειον, è regione Sionis fuiſſe, primò invaſum à Romanis; Murum primum, qui Sionem ambiret, deflexiſſe ab Occaſu πρὸς Νότον *ad Auſtrum*, hinc *ad Ortum*; Templum ad Aquilonem habuiſſe Bezetham, non Sionem; hanc ultimò à Tito occupatam, ſeu τὴν ἄνω πόλιν, ut idem Joſephus *Lib.* VII. C. XVI. Et quæ ex Hiſtorico plura colligas.

Mons Acra. Mons *Acra*, Bocharto quaſi חקרא *arx*, *munitio*, de Colon. *Lib.* I. C. XXXVII. complexus eſt partem Aquilonarem, rursùs in Ortum & Occaſum extenſus, adversâ fronte Sionem reſpiciens, ſed eo depreſſior, mediâ profundâ valle, quæ utrumque divideret, ædificiis denſâ. Et hæc ipſa vallis eſt quæ *platea* Τυροποιῶν, ducens ad Portam Aquarum, dirimenſque montem utrumque, & Urbem Superiorem ab Inferiori, apud Joſephum, Ἁλώσ. *Lib.* VI. C. VI. Rurſus Acra mons fuit in *Inferiorem* diſtinctus, ubi Nova Civitas ἡ Καινόπολις, & in *Superiorem*, magis ad Boream & Occaſum, ubi Urbs Vetus, quam *Salem* ſeu *Melchiſedeci* dicunt. Quartum collem notat Joſephus *Bezetham*, proximè Templum ambientem ad Aquilonem, ſitum ἀντικρὺ τῆς Ἀντωνίας *è regione Antoniæ*, & foſſâ profundâ reciſum, de quo dictum modò eſt.

Morijah. Mons *Morijah* versùs Orientem ab utroque ferè circumvallatus monte, cæteris depreſſior, vallibus profundiſſimis ſeparatus, cumprimis ab Auſtrali & Orientali parte. Undè à Templo in Urbem utramque vel *pons* ducebat, quâ vallis ad Sionem profundior, vel *gradus* per declive & acclive diſpoſiti. Et hic Mons Templi Salomonici ſedes fuit, deſcriptâ & complanatâ in ſummo quadrangulari areâ, ſubſtructionibus, fornicibus, ac muro cinctâ.

Montes Muris cincti. Hi montes fuêre *muro* undequaque muniti & abrupti, eodemque multiplici, etiam in parte Intramurali. Sic murus ambiens Civitatem Davidis; alius ambiens Sionem omnem, quem primum deſcribit Joſephus; alius Morijam Templi montem; alius Bezetham ad Antoniam uſque; & qui dividebat Civitatem Veterem à Novâ, in Acrâ monte; ac tandem qui Acram omnem ab Occaſu in Aquilonem, hinc in Ortum, cinxit. Sic ſuis Arces Muris vallatæ fuerunt.

Fecitque hic Urbis ſitus, ac forma penè circularis, quæ hodie quadrata eſt, ut capaciſſima eſſet ædificiorum, hominumque, ob tot loca acclivia & declivia, ubique habitata, ac referta ædificiis: Undè incredibilis illa hominum multitudo, ſolemnioribus temporibus, intrà mœnia concluſa. Adeò ut Joſephus numeret 2700000 hominum, qui ad Feſtum Paſchatis confluerent.

Ambitus Urbis.

Murus Civit. triplex. AD Cingulum Urbis ſpectant Mœnia, Turres, Portæ, in Urbis ambitu. Muros Civitati circumdediſſe Nehemiam, ex prædictione Danielis, C. IX. 25. perficiendo opere diebus quinquaginta duobus, conſtat ex *Neh.* VI. 15. Dein triplici Muro circumdatam Civitatem, antè obſidionem Romanorum, repræſentat Joſephus, *Lib.* VI. *Cap.* VI. de Bello Jud. Præterquàm quà cingebatur ἀβάτοις φάραγξιν *vallibus inviis*, ac profundis ſcrobibus, ubi nonniſi εἷς περίβολος, quales erant ab Ortu, Auſtro, & Occaſu, Septentrione magis hoſti expoſito: Undè & obſidio cœpit, uti *malum ab Aquilone*.

Primus murus cinxit Sionem, indè ab Hippico Turri, quæ ad Sionis latus Aquilonare, ad Xyſtum uſque, & Occidentalem Porticum Templi; ab Occaſu verò ductus in Auſtrum, & Ortum, pertingebat ad Orientalem ejuſdem Templi porticum. Vetuſtiſſimus hic murus, & ob vallium profunditatem δυσάλωτος.

Secundus murus, incipiens à Portâ *Gennath* quæ & Porta Gregis, ad Ortum (ubi murus prior deſinebat) Bezetham circumcinxit, & uſque ad Turrim Antoniam aſcendit, novam hac parte Urbem à Vetere dividens.

Tertius, ab Hippico tum versùs Boream proceſſit ad Pſephinam Turrim, quæ in angulo Occiduo Boreali; hinc à Septentrione totam Civitatem ambiens, & eam partem quam Agrippa Urbi incluſerat, dictam *Cainopolim*; deſinenſque ad Ortum in Vallem Cedron. *Ager* ſeu *monumentum Fullonis*, *Eſ.* VII. 38. quod in deſcriptione tertii muri memorat Joſephus, qui poſteà *Akel-dama* ſeu *Ager ſanguinis*, malè vulgò collocatur ab Occiduâ Urbis parte, quà in Auſtrum flectebatur. Nec convenit cum deſcriptione Joſephi, eâ enim parte fuit murus primus, ambiens Sionem.

Murum alium circumdedit *Hadrianus* quo, ad Occaſum, montem Calvariæ, & Collem Gareb, de quo *Jerem.* XXXI. 39. Urbi incluſit.

Portæ Hieroſolymæ. *Portæ* Civitatis in toto ambitu XI. apud Nehemiam memorantur *Capitibus* III. & XII. in quibus comprehenſæ Portæ *Orientalis*, *Mandati*, & *Ephraimi*. Sed plura ſunt Portarum nomina in Hiſtoriis Regum & Chronicorum, & apud Jeremiam paſſim, ac Zachariam, *Cap.* XIV. 10. quinimò apud Joſephum Hiſtoricum. Undè in numero diſcrimen, aliis XI. aliis XII. cum Villalpando, aliis XIII. cum Adrichomio, aliis etiam plures recenſentibus. Sed nec de ſitu Portarum conveniunt Interpretes & Topographi. Fuêre imprimis celebres ſequentes:

1. Porta *Gregis* versùs Ortum, hinc προβατική, ubi pecorum forum, in uſum ſacrificantium, & huic proxima Piſcina Probatica (quæ in Euangelio בית חסדא *Beth-cheſda*, à beneficio ſanationis) versùs angulum Templi Orientalem. Hæc porta duxit ut in Bezetham, ſic ad montem Templi, utriuſque ad Ortum poſita. Eadem hæc Adrichomio, cum portâ *Vallis*, quæ duceret in vallem quam Torrens Cedron præterfluebat. Veriùs ab hac diſtinguenda, uti diſtinguuntur *Nehem.* III. 1. 13. & in vallem Cedron ducebant plures Portæ, uti Porta Aquarum, & quæ Equorum dicta. Ex Joſepho colligi poteſt eandem hanc Portam eſſe quam *Gennath* dixit, *Lib.* VII. Ἁλώσ. C. VI. id eſt, Portam *horti* vel *hortorum*, qui ad Orientem Urbis, ex גנה Hebræorum.

2. Ad Ortum etiam fuit Porta dicta *Orientalis*, *Neh.* III. 29. etiam *Aurea*: Sed hæc veriùs Templi porta, quæ in Porticum Orientalem, hinc in Atrium Iſraëlis, ab Oriente duxit.

3. Porta *Aquarum*, ducens ab Ortu Regiæ Salomonicæ ad ſtagnum Salomonis, & Rogel, priori Auſtralior. Nec eadem tamen cum Portâ Fontis, vel ex *Neh.* III. 13. 26. XII. 37. aut quam Joſephus *Eſſenorum* portam vocat, ad Occaſum oppoſitam, de Bello Jud. *Lib.* VI. C. VI. Alii portam Siloë, & Aquarum illam, unam eandemque faciunt.

4. Porta *Equorum*, de quâ *Neh.* III. 28. & ſæpè aliâs, diverſimodè collocatur, pleriſque ad Orientem Regiæ & Templi, ducens ad Cedron, & aquas, media inter duas ſuperiores; aliis ſed malè ad Septentrionem, ac multis eadem cum portâ Boreali Ephraim, ducente in regionem *Ephraimi*, Sed Orientem versùs locat Hieremias, *Cap.* XXXI. 40.

Et veriſimile regios equos hac aquatum ductos, in torrentem Cedron. Vicinus locus dictus עֹפֶל *Ophel*, Ὀφλᾶς, turris & arx præcelſa, quâ parte murus Sionis ad porticum Orientalem Templi pertingebat, Ἁλώσ. *Lib.* VI. C. VI.

Piſcium. 5. Porta *Piſcium* ut Hieronymo, ſic Heydeno, Adrichomio, Ariæ, aliiſque collocatur versùs Occaſum, per quam itum Bethleemum, Dioſpolim, Joppen, & ad Mare; à vicino piſcium foro: Eduxit illa è Civitate Davidis, hinc & Davidica. Aliis verò ad Septentrionem, inter portam Benjamini & Veterem, ſignata, propè forum piſcarium. Sed ex loco 2 *Chron.* XXXIII. 14. colligi videtur ſitam eam fuiſſe ad *Occaſum*, in Civitate Davidis, quâ parte murum inſtauravit Manaſſes. Et piſces copioſi commodiùs ex mari Magno, ab Occaſu, quàm ex remotiore lacu Galilææ inferebantur. Nehemiam verò in deſcriptione Portarum, *Neh.* III. circumire ab Ortu in Aquilonem, hinc demùm in Occaſum, tùm in Auſtrum, eſt ipſum τὸ ἀμφισβητούμενον. Major ratio dubitandi ex *Neh.* XII. 39. ubi à portâ *Ephraimi* progreſſus videtur ab Aquilone in Ortum ad portam *Piſcium*, hinc ad Turrim Hananeelem, tùm ad portam *Ovium*.

Vetus. 6. Porta *Vetus*, *Neh.* III. & XIII. pariter duxit, inter Occaſum & Septentrionem, Cæſaream, Tyrum, Sidonem, undè etiam inter portam Piſcium & illam Ephraimi collocatur, *Neh.* XII. 39. quæ poſterior ad Septentrionem. Eadem Adrichomio quæ Porta Judicii, ducens ad Golgotham ſeu Calvariæ locum; aliis & vulgò planè ad Septentrionem, porta Urbis veteris Salem, inductis ex loco *Neh.* XII. 39. *Vetus* eadem veriùs quod indiruta manſerit à Babyloniis.

Vallis. 7. Porta *Vallis*, fuit in Occidentali Acræ parte, ſeu ducens ad profundam vallem inter Urbem & Golgotha; ſeu proxima Valli quæ Urbem utramque diſcrevit; ſeu veriùs ad vallem Raphaïm, quæ ab hâc parte fuit. Quanquàm alii, duxiſſe in Vallem Joſaphat, ad Orientem, confundentes cum Portâ *Pecuariâ*, ut ſuprà.

Sterquilinii. 8. Porta *Sterquilinii* ſeu fimetorum, pariter ad Occaſum ſpectavit, peſſimè cum Adrichomio ad Ortum. Hinc media inter portam Vallis, & portam Fontis, *Nehem.* II. 13. 14. III. 13. 14. 15. Hic ſtercoribus efferendis opportunæ valles. Eadem videtur cum portâ Eſſenorum apud Joſephum, quæ ab Occiduâ primi muri parte, *Lib.* VI. Ἁλώσ. C. VI.

Fontis. 9. Porta *Fontis*, itidem ad Occaſum, procedendo ſcil. ad Auſtrum, quâ parte fons Gihonis, & aquæductus regii, ut disertè etiam 2 *Chron.* XXXIII. 14. Idem-ne Gihon cum Siloë diſceptatur, certè Joſephus ſitu oppoſito *Vallem Siloah* ad Ortum ponit, ubi & piſcina Siloami.

Anguli. 10. Porta *Anguli* ſæpiùs in Hiſt. S. exprimitur, 400 cubitis diſtans à portâ Ephraimi, quâ parte *Joas* Iſraëlis ruinam fecerat, 2 *Reg.* XIV. 13. 2 *Chron.* XXV. 23. Hanc alii ad Angulum Orientalem, Aquiloni proximum locant, ubi porta Benjamini, ſed malè. Opponuntur enim Turris Hananeel quæ Ortum versùs, & porta Anguli, ut duo extrema, *Jerem.* XXXI. 38. Ad latus Septentrionale etiam porta Ephraimi, diſtans tantùm 400 cubitis, à quâ ſcil. itum ad portam Anguli, ubi deinceps turris Pſephina, hinc ad collem Gareb Occiduum, *Jer.* XXXI. 39. Opportuniſſimus etiam hic locus Regi Iſraëlitico faciendæ ruinæ.

Ephraimi. 11. Porta *Ephraim*, haud longè à Pſephinâ, ad Boream, ducens in regionem Ephraim, Urbi Aquilonarem. De hac *Neh.* VIII. & XII. & in Hiſtoriâ Regum & Chronicorum.

Benjamini. 12. Porta *Benjamini*, nonnullis eadem quæ porta Anguli, ſed malè, quin fortè ſita ad angulum inter Ortum & Septentrionem. Duxit ad Sylvas Benjamini, undè ligna inferebantur, & in regionem ipſam Urbi partim ad Ortum, partim ad Septentrionem. *Inferior* hæc etiam appellata, diſtinctionis ergò à portâ Altiore Benjamini, *Jerem.* XX. 2. quæ indubiè una ex portis Templi, ut additur apud Jeremiam, reſpiciens ut terram ſic portam hanc Benjamini; *inferiorem* dictam ratione ſitûs depreſſioris.

Memorantur & aliæ apud Nehemiam, Jeremiam, & paſſim, ut quoque apud Joſephum in Libris de Bello Jud. Sed ſæpè Porta una & eadem binominis, quandoque portæ Templi non Urbis, aut interiores Urbi, non exteriores in ipſo ambitu. Sic porta *Mandati* vel *Viſitationis*, porta *Carceris*, porta *Ferrea*, porta *Pluvia*, porta *Fictilis*, cujus poſtremæ ſolus Jeremias meminit, *Cap.* XIX. 11. niſi החרסות veriùs ſit porta *Orientalis* ad Templum ſpectans. Nec omittenda ad Auſtrum, in angulo ſupremo & flexurâ montis Sionis, in Urbe Davidis, quâ parte aſcenſus in rupem erat, *Aſcenſus firmiſſimi Anguli*, *Neh.* III. 19. in Tabulis notatus. Sed Turris veriùs & munitio fuit, qualis Turris Davidis, *Cant.* IV. 4. ubi arma reponebantur, ſeu Armamentarium. Portæ aliæ memoratæ in Sacris.

Mira in his eſt varietas Interpretum, & Chorographorum; nec rem expediunt qui hodiernam Urbem oculis luſtrarunt ſuis, aut qui ex vulgatis Terræ S. Deſcriptoribus & Itinerariographis ſapiunt.

Portæ Orientales ducebant ad montem Olivarum, ad Jordanem, ad Mare Mortuum, & Hierichuntem. Ità Auſtrales in Judæam Auſtralem, Idumæam, Ægyptum: Occidentales in regionem Maritimam: Septentrionales in Samaritida, hinc in Galilæam, Syriam Damaſcenam, &c.

Turres intermediæ, ſupereminentes in Urbis ambitu, & in triplici muro, Joſepho memorantur CLXV. in quibus eminebant: Ex. gr. *Turris David* memorata *Cant.* IV. 4. ad Auſtrum ſita in Sione, in præruptæ rupis ſummo; Turres *Hananeel*, *Emath* vel *Meah Ophel*, vel Ὀφλᾶς, quæ ad Ortum, ex Sacris notæ; ſic Turris *Pſephina* in angulo ad Arctum & Occaſum, editiſſima illa, quâ parte Titus caſtra poſuit, & undè ultimi Terræ fines conſpici poterant; ac Turres denique aliæ ab Herode M. ſtructæ. Has inter *tres* ſignantur admirabili opere; *Hippicus* ex adverſo Pſephinæ, in Occiduâ muri parte, quâ Sion ab Acrâ dividitur, ſic dicta ἀπὸ τῦ φίλυ *ab amico* Herodis Hippico: Παρ' αὐτὸν, *eam juxtà* duæ aliæ Turres, *Phaſaëlus* & *Mariamne*, in antiquo Muro ædificatæ, prior à Fratre Herodis, altera à Conjuge nuncupata. Et ſtupendæ hæ fuerunt ob altitudinem, ſpatium ingens, ſaxa, porticus, cellas, balnea, propugnacula, &c. Deſcribit has prolixè Joſephus, *de B. J. Lib.* VI. C. XIII. vel VI. Turres ſupereminentes.

Cingulum Urbis metitur ibidem Joſephus, occaſione circumvallationis *factæ* per Titum, & omnem Urbis ambitum, ſeu in gyro ſpatium, definit ſtadiis *triginta tribus*, quorum ſingula fuêre longa cubitos Hebraicos legales 400. Romanos verò vel communes 500. Hecatæus Abderita deſcripſerat circuitu *quinquaginta ſtadiorum*, Ptolemæo Lagi ipſe σύγχρονος, apud Joſephum, *Lib.* I. *contrà App.* Nec reſpondere videtur ambitus multitudini hominum intrà mœnia concluſæ, in Feſtis majoribus. Hinc à Joſepho alii ambitum Urbis ſuperioris tantùm deſcribi, alii Urbis inferioris, cenſuerunt. Sed anguſta hæc pomœria videntur ſiquidem concipiatur area in plano, & Urbs in planitie ſita. At concipiendo intrà mœnia tot montes, colles, valles, tot loca acclivia & declivia, ædificiis denſa, ac ſolemnioribus temporibus hominibus referta, nullis penè locis vacuis, ceſſat difficultas. Pomœria & amplitudo Urbis.

Ur-

Digitized by Google

Urbis Interiora.

Partes duæ principes. Urbs ipſa primùm in duas partes diviſa fuit, quarum altera Superior, Inferior altera; illa in Sione, hæc in oppoſito Colle; illa Jebuſæorum antiqua, hæc Salem Melchizedeci; illa propriè ſpectans ad ſortem Judæ, hæc ad ſortem Benjamini, mediâ hîc profundâ valle & quaſi lineâ diſterminante utramque Tribum.

Urbs Sionis. Pars *Judæ*, quicquid ſentiat Doctiſſimus Lightfoot *in Cent. Chorogr.* videtur omninò illa fuiſſe quæ ſita in monte Sionis, verſus Auſtrum & Occaſum exporrecta, ut colligitur ex *Joſ.* xv. 8. Et hæc *Sion* dicta, hæc ἡ ἄνω πόλις, *Civitas ſuperior*, hîc Civitas David verſùs Occaſum, hîc Arx quondam Jebuſæorum, hîc Domus *Fortium*, hîc ſedes Arcæ fuit, hîc Forum ſuperius, hîc & Regia Herodis Agrippæ verſus Hippicum in Sionis extremo, quà hic Acræ obvertitur ad Occaſum & Boream. Utque hæc pars Urbis eminentior, & ſitu propè inacceſſa, nihil mirum tenuiſſe eam Jebuſæos uſque ad tempora Davidis, 2 *Sam.* v. 7. Ab eo tempore inhabitarunt *filii* & *filiæ Sionis*.

In parte verò Sionis Orientali, confterminâ monti Moriæ, è regione Templi, valle intermediâ, fuit *Regia Salomonis*, complexa Domum Reginæ, Libani, & Regis; undè in Templum versùs Septentrionem, & in Hortos ad Ortum, dabatur inſignis proſpectus, & facilis tranſitus.

Muri Sionis. *Muro* hæc Civitas undequaque munita, Sionem ambiente; tùm & Murus fuit ambiens Civitatem David, in quâ ejus Regia, & ſepulchrum; & tertius Murus Sionem ab Acræ Auſtrali parte diſterminans, ad Vallem latam, quæ Τυροποιῶν ſeu Caſeariorum dicta, urbem utramque ſecantem ab Occaſu in Ortum.

Urbs inferior. In parte *Benjamini*, cui adſcribitur etiam Hieroſolyma, *Joſ.* xviii. 28. fuit uti Templum, ſic altera & deinceps major pars Urbis, versùs Aquilonem, in Ortum quoque & Occaſum latè exporrecta, quæ ſtrictiùs Hieroſolyma appellata. Et hujus duæ potiſſimùm fuêre partes, in colle utroque *Acræ* ſuperiori & inferiori, & *Bezetha*. Prima fuit Civitas vetus, ad Septentrionem & Occaſum; altera Civitas nova, ἡ καινόπολις, verſùs Ortum & Boream ædificata in *Acræ* altera parte, ob Populi incrementum, ſuburbani inſtar; tum & tertia quædam, quæ ſtrictiùs *Bezetha* appellata, proximè Templum ambiens, ab Occaſu in Aquilonem & Ortum, muro ſuo à reliquis ſeparata, ac turribus quoque munita.

Mons Templi. In eâdem Benjamini parte, inter Acram & Sionem, ad Ortum fuit mons *Moriæ*, ſeu mons Templi Hieroſolymitani. Quanquàm Magiſtri & hunc dividant inter Judam & Benjaminum. Hunc ambibat Civitas tota Amphitheatri adinſtar, hinc Sion indè Acra & Bezetha, præterquàm ab eâ parte Templi quæ ad Orientem reſpiceret Vallem Joſaphati dictam, ut & Torrentem Cedron, Hortos, & partem Oliveti.

Turris Antonia. In angulo verò Occidentali & Boreali, contiguo duabus porticibus Templi, in quas erant καταβάσεις *deſcenſus*, fuit *Turris Antonia*, à Maccabæis primùm ſtrui cœpta, ab Herode munitiſſima ſimul ac magnificentiſſima reddita, atque *Antonia* dicta in honorem Antonii, præſidium mox Romanorum. Hinc dabatur proſpectus in Templum & Atria, ut eſſet quaſi caſtrum Templo impoſitum, obſervando Populo in Conventibus Feſtalibus, & cavendæ ſeditioni. Propè verò ex adverſo Templi, ad latus hujus Occidentale fuit Curia, & Domus Pilati ſeu Prætorium; & è regione hujus, verſùs Sionem, fuit Stadium ſeu Area in quâ βῆμα *Tribunal*, dicta Λιθόϛρωτος, à lapidibus certo modo inibi ſtratis, *Joh.* xix. 13. Hebr. גבתא βῆμα, locus excelſus. Antoniæ deſcriptionem habes apud Joſephum, de B. *Jud. Lib.* vi. C. vi. ſub finem.

Locus Templi. Septum exterius. In ſummo porrò Moriæ jugo fuit Area Templi quadrata: Quæ Septo primùm *exteriori* circumducta, qui exterior ambitus Templi (contradiſtinctus *Atriis* & Septo *interiori*) dictus fuit *Mons Domûs*, muro altiſſimo circundatus, uti hic fornicibus, aggeribus, ſuſtentatus, ac ſubſtructionibus indè ab imis vallibus. Septum hoc exterius quadratum, ornatumque perpetuis in quadraturâ Porticibus, longiſque Columnarum ordinibus. Latera ſingula quadraturæ feruntur 500 cubitorum nempè Romanorum, ſeu *ſtadii* unius Romani. Nec in plano omnia, ſed perpetuus aſcenſus fuit per diſpoſitos *gradus*, è Septo exteriori ſeu Atrio Gentium in Atrium Iſraëlis, hinc in Atrium Sacerdotum; tùm in Veſtibulum Templi & Domum Sanctam, adſpectu admirando. Maximè omnium depreſſa fuit pars Orientalis, quæ *anterior* fuit, quâ parte egrediebantur in montem Olivarum comburendis victimis pro peccato.

Septum interius. Septum *interius* complexum eſt *Atria* ſubdialia, ſuis ſingula περιβόλοις diſtincta, facto aſcenſu ab Atrio ſeu ſepto exteriori ad Atrium interius Iſraëlis, quod undequaque Templum ambibat, præterquàm à parte Occiduâ Sanctuarii. In hujus parte Orientali erat Atrium *Fœminarum*, muro diſcretum ab Atrio Virorum. Hinc rurſus aſcenſus in Atrium interius *Sacerdotum*, latum 100 cubit. ubi & parabantur, & offerebantur victimæ in Arâ Holocauſtorum, ad quam Aram aſcenſus fuit leviter acclivis, ex Lege. Tùm gradus ducentes ad *Veſtibulum* Templi, & in *Templum* ipſum, in plano poſitum, ad quod itum perpetuis gradibus. In Atriis autem fuêre *Columnarum* tres ordines, quarum ſingulæ craſſæ 2 cubit. altæ 20 cubit. Suprà quas *contignatio* ſtrata laminis æneis, ad pluviam excipiendam, & ad quam per Cochleas aſcendebatur, in angulis ſingulis diſpoſitas. Huic tabulato alia *porticus* ſuperimpoſita, alta cubitis xviii. & columnis diſtincta, nullo his interjecto pariete, qui viſum interciperet; ſed trabeatio rurſus ſuprà poſita. In ſingulis Exedræ, Conclavia, Cœnacula, Gazophylacia, Lecti Sacerdotum, &c. & in angulis diſpoſitæ Culinæ, à parte Occiduâ & Orientali, illæ in uſum Sacerd. & Levitar. Omnia ad miniſterium Templi, tum in uſus virorum & mulierum quibus non licebat diſcedere ex Templo. Pavimenta ex lapidibus exquiſitiſſimis facta.

Situs Domûs. Portæ. *Ingreſſus* fuit ab Oriente, à quâ parte facies Veſtibuli; Domus verò ipſa poſita ad Occidentem, & in Occidentali parte fuit Sanctuarium, undè Occidentem ſpectabant Judæi adoraturi, more Gentili contrario. Hinc *longitudo* putata ab Oriente in Occidentem, *latitudo* ab Auſtro in Aquilonem. *Porta* in Atriis ab Oriente una, quæ Orientalis, (Ὡραῖαν poſteà ex Ære Corinthiaco condidit Herodes, altam xxx cubitis, & hinc ὡραῖαι πύλαι Chriſtianorum quæ ducerent ex Pronao in Ναὸν ipſum) ab Occidente nulla; ab utroque latere fuerunt *tres* in Meridionali, ac *tres* in Boreali parte. Tranſitus è Regiâ Salomonis fuit ab Auſtro, per portam Auſtralem, ſubſtructionibus in valle intermediâ factis, & ponte junctis Sione & Morijah. Quemadmodùm & per pontem tranſitus è Templo in Urbem Superiorem, ad Xyſtum & Curiam, in angulo Templi Occiduo undè flexus fuit in Auſtrum.

Parietes Portarum omnes excelſi, præterquàm à parte Orientali, ſeu à parte anteriore Domûs, ut Sacerdos Juvencum combuſturus, in vertice montis Oliveti, *Lev.* xvi. 27. ex adverſo Portæ Templi, intueri poſſet Pontificem inferentem ſangui-

guinem in Sacrarium; pariter ut eſſet Sanctuarii conſpectus in combuſtione Vaccæ rufæ, *Num.* XIX. 2. 4. 5. Et eò ducebat à monte Templi via ſpecialis, & ut Magiſtri ferunt, ſuprà continuos Arcus, ne Sacerdos à re quâquam pollueretur.

Plura de Templi & partium *ſitu*, ac *menſuris*, imprimis poſt Villalpandum, Clariſſimus l' Empereur ad Middoth, Lud. Capellus, & recentiores alii.

Alia intra-muralia.

Ad *intra-muralia* Hieroſolymæ ſpectant quoque reliqua omnia quæ Urbem & conſtituerent, & ornarent. Neque verò hujus vel loci eſt vel inſtituti deſcribere Plateas majores, (in quibus eminuit *Caſeariorum* illa in valle Urbis mediâ) aut Fora, Palatia, Theatra, Piſcinas, Porticus, Circos, Arcus, Synagogas, (quas 480. Magiſtri referunt) Scholas, Speluncas ſeu Fornices ſubterraneos, & Cloacas in quas ſe in Urbis excidio Judæi innumeri recepêre, Joſepho teſte. Intrà Civitatem Superiorem, ſeu Davidis, fuit hujus ſepulchrum ſeu monumentum, ſpecus regia, extans adhuc tempore Apoſtolorum, 1 *Reg.* II. 10. *Act.* II. 29. in quo & *Salomo*, & plerique Regum Judæ poſt mortem compoſiti; quanquàm extrà mœnia etiam memorentur ſepulchra alia Regum Iſraëlis & Judæ.

Hortos verò intrà Urbem nullos fuiſſe tradunt Talmudiſtæ, ob fœtorem ex fimo: Ut nec *Gallos* gallinaceos permiſſos, vertere ſcil. ſtercoraria ſolitos; aliud tamen indicante Hiſtoriâ Euangelicâ.

Quid reliquum de Urbe vetere.

Hodierna verò Hieruſalem planè eſt alia à vetere, Situ, Cingulo, Ædificiis. Primò enim Titus univerſam diruit, ut aratrum ejus ſolum finderet, quod feciſſe Terentium Rufum, rectorem militiæ à Tito relictum, Magiſtri quidem teſtantur. Solæ relictæ Turres tres, Herodianæ, Hippicus, Phaſaëlus, & Mariamne, cum Muri parte illâ quæ erat ad Occaſum, ſeu ut eſſent præſidium Romanis militibus, ſeu ut monumentum ſupereſſet excidii, apud Joſephum, Ἁλώσ. *Lib.* VII. C. XVIII. Dein Hadrianus & has ipſas Turres murumque diruit, ne quid ſupereſſet Urbis veteris, juxtà prædictionem *Matth.* XXIV. 2. ſale ſpargi in eam juſſo. Hinc nova mœnia Urbi novæ circumduxit, contractiore gyro, excluſis Sione, & Bezethâ, nec contemnendâ Borealis Urbis parte; idque anno II. Imperii, antè Bellum Judaicum, ut pluribus Scaliger & Valeſius ad Euſebium, ex Dione, & Chronico Alex.

Urbs hodierna.

Hinc mons *Gihonis* & *Calvariæ* intrà mœnia ab Hadriano concluſi, ubi Templum Sepulchri Dominici ab Helenâ extructum; contrà mons *Sionis* excluſus, qui ab Urbe hodiernâ L. aut LX. paſſibus diſtare fertur, quò ducit porta Sionis, ad Auſtrum. A Solimanno verò Seculo ſuperiore, (quum à Selimo Patre occupata fuiſſet anno MDXVII.) novis mœnibus ornata, & in formam hodiernam redacta eſt. Sex hodiè tantùm Urbis *Portæ*, quædam antiquis nominibus, ut porta *Ephraimi*, porta *Sterquilinii*, at non pari quo olim ſitu; de quibus aliiſque Itinerariographi.

Loca vulgò ſancta.

Quæ de Locis in eâ Sanctioribus tradunt, fallunt penè omnia. Nihil in Hiſtoriâ Euangelicâ & Apoſtolicâ traditum, etiam parabolica, qualiter de Divite & Lazaro, cujus rei loca non præciſè deſignent. Imò nihil fabula tradidit, e. gr. Sudarium Veronicæ, aſſumptionem Virginis, compoſitionem Symboli Apoſtolici, inventionem Crucis, Sepulturas Annæ, Joachimi, Joſephi, Nicodemi, Arimatheæ, &c. imò ipſius Melchizedeci, quorum loca non religioſâ veneratione luſtrentur colanturque. Concluſus manet intrà novæ Urbis mœnia locus priſtinus Templi Salomonici, in Moſcheam converſus. Et intrà eandem, versùs Urbis eam partem quæ inter Occaſum & Septentrionem, viſitur locus Golgothæ, & juxtà eum Templum in loco Sepulchri Dominici, Helenæ & Conſtantini auſpiciis ac juſſu, primò ſtructum, dein variis acceſſionibus, ſub Principibus Chriſtianis, auctum ditatumque. De illo prolixè Euſebius, de Vitâ Conſt. *Lib.* III. Et ſunt in hac deſcriptione toti, qui de Locis Sacris Palæſtinæ, ac Itinerariographi Hieroſolymitani ad unum omnes. Accuratè nuper iſta compilavit, vernaculo Idiomate, Dapperus Amſtelodamenſis, in Deſcriptione Belgicâ Palæſtinæ.

EXTRA-MURALIA *quædam Loca.*

Quantùm ad loca EXTRA Murorum ambitum Urbi adjacentia, celebratiſſima quædam ſunt in Hiſtoriâ S. cumprimis Euangelicâ, *Montes*, *Valles*, *Aquæ*, *Agri*, *Horti*, *Vici*, *Monumenta*.

Mons Olivarum.

Illuſtris præ cæteris eſt Mons *Olivarum*, qui & ἐλαιὼν *Olivetum*, unde Chriſto aſcenſus in cœlum, ad Orientem Urbis, & Templi, valle tantùm intermediâ, & torrente Kedron, ab Urbe & Templo diremptus. *Quinque ſtadiis* diſtare dixit Joſephus *Ant. Lib.* XX. C. VI. quæ ſi Græca ſtadia ſunt, ſingula 100 paſſuum Græcorum, 400 cubitorum legalium, efficiunt bis mille cubitos vel greſſus minores, ſeu duo כברת ארץ *Cibrath*, 2 *Reg.* V. 19. ὁδὸν σαββάτου, *Act.* I. 12. *Septem ſtadia* habet Syrus Interpres, ܐܝܟ ܫܒܥܐ ܐܣܛܕܝܘܢ *ſicut ſeptem ſtadia.* At non id de imâ radice montis, ſed parte aliquâ montis eminentiori, undè in Urbem proſpectus, & quæ Bethaniam ducebat. Hinc enim Chriſtus aſcendit, *Luc.* XXIV. 50. In hoc monte accendebant ignem Judæi, quo Neomeniam indicarent; in hoc & ſtabat Sacerdos Juvencum aut Vaccam rufam combuſturus (ut ſuprà) ſtante ſcilicet Templo, è regione Portæ Orientalis, unde proſpiceret Sanctuarium. Porrò de montis hujus altitudine, proſpectu, amœnitate, oleis, vinetis, viridariis, &c. multa Chorographi Palæſtinæ.

Golgotha.

Ad Occaſum, quò reſpexerunt Turris Hippicus, & Portæ Vallis, Sterquilinii, Fontis, fuit mons *Calvariæ*, Syris גלגלתא *Golgoltha*, & cum eliſione literæ *Golgotha*, τόπος κρανίου, & *Mortis regio.* Hic ab Hadriano deinceps intrà mœnia concluſus fuit.

Colles alii.

Nec longè indè Septentrionem versùs (aliis versùs Auſtrum) mons vel collis *Gareb*, de quo *Jer.* XXXI. 39. ab Hadriano quoque muro cinctus; Lyrano & aliis idem cum colle Golgothæ.

Fuit & à Septentrione, quà ducebat porta Ephraimi, collis *Zophim*, ὁ σκοπὸς Joſepho, de Bello Jud. *Lib.* V. C. VIII. undè Titus Civitatem & Templum conſpexit. Hinc & *Mons Titi.*

Adde Montem *Gihon*, à quo fonti nomen, ab Occidente, quanquàm Gihonem de monte uſquàm dici neget Lightfotius. Mons hinc *Eroge* ad Auſtrum, ſeu mons offenſionis, de quo per medium ſciſſo, ad factum Oziæ Regis ſacrilegum, prodigium refert Joſephus, *Ant.* L. IX. C. XI. Tùm magis ad Orientem mons ſeu ager dictus חקל דמא *Hakeldama*, antè Ager figuli, qui tamen exigui pretii ager fuit, *Matth.* XXVII. 7. De hujus terræ, Romam juxta Vaticanum avectæ, & in *Campo Sancto* exoneratæ, mirificâ virtute fabulantur Romanenſes, Brocardus, Adrichomius, cæteri. Helenam hunc Agrum in ſepulturam peregrinorum & advenarum adaptaſſe, tradunt Hieronymus & Nicephorus.

Valles quædam.

Valles ubique mediæ inter dictos montes & Urbem: In quibus celeberrima *Vallis Joſaphati*, propriè jam dicta, ab Ortu in Auſtrum, media inter Urbem & montem Oliveti, Urbis ab eâ parte quaſi foſſa,

Digitized by Google

foſſa, quam torrens Cedron interfluit, vulgò ſic à monumento Joſaphati ad eam erecto. Eadem & Vallis *Regia* vel *Regis* credita, de quâ 2 *Sam*. XVIII. 18. Apud Joſephum eſt eadem quæ Vallis *Siloë*, etiam Vallis *Cedron*, *Lib*. V. C. VIII. Ac propè eam fuit villa *Gethſemane*; & ad hanc Judæi hodieque ſuperſtitioſè ſepeliunt ſuos mortuos, ut in loco Reſurrectionis, & in quo Gentes ſint à Deo judicandæ.

Hinnom. Tophet. Celebratiſſima & Vallis filiorum *Hinnom*, גי הנום, quæ & vallis *Tophet* Molochi Sacris infamis, hinc utraque appellatio allegoricè de loco æternæ animadverſionis. Eadem & Vallis *interfectionis*, *Jerem*. XIX. 6. ominoſo tùm Judæis nomine. Fuit inter Auſtrum Urbis & Ortum, Cedrone quoque eam præterfluente, ſecundùm Hieronymum aquis Siloë fontis irrigata; & in hâc periiſſe nonnullis creduntur Aſſyrii. Et ab hâc parte fuerit *ager Fullonis*, & via ad eum ducens; atque Aquæductus è piſcinâ ſuperiore derivatus, ubi primùm caſtra metatus Rabſake, 2 *Reg*. XVIII. 17. Alii hunc ad Occaſum ponunt, & piſcinam de Gihone fonte interpretantur, ſed malè.

Rephaim. Memoratur & Vallis *Rephaim* ad Occidentem Hieroſolymæ, quò ducebat porta Vallis. In hac ceciderunt Philiſtæi, 2 *Sam*. V. 23. 1 *Chron*. XI. 15.

Cedron Torrens. In *Aquis* quæ exteriora Urbis irrigarunt, celeberrimus eſt Torrens *Cedron*, Urbem à Septentrione & Ortu circumfluens: קדרון *Kidron*, vulgò ab opacitate Vallis, quaſi τῶν κέδρων, meliùs ab *aquarum* fœdo colore, ut in quam ſordes Templi & Urbis ſe exonerarent, 2 *Chron*. XXIX. 16. ut *Sichor* fluvius ab aquæ nigrore. Eſt tamen Χείμαρῥος τῶν Κέδρων, *Joh*. XVIII. 1. *Torrens Cedrorum*, indubiè cum reſpectu ad *Cedros* illi vicinos; quanquàm alii ſic redditam vocem קדר, quæ *ſtercus* ſit Talmudiſtis, ſed hoc coactius. Verè torrens non fluvius, ut qui & pedibus tranſiri poſſet, quanquam & lapideo *ponte* ornatus, ſæpè ſiccus, uti plerumque hodiè eſſe fertur.

Siloë, Siloam. Celebres & aquæ ſeu fons *Siloë*, ut Latinus, vel ut LXX. Σιλωάμ, Hebræis שלוח, Syris ܫܝܠܘܚܐ, etiam *Neh*. III. 15. שלח *Schelach*. Fuit fons ipſe in profundâ valle, ad radicem Sionis montis, teſte & Hieronymo, undè & Valli nomen, quæ *Vallis Siloë*. Fuit ad Auſtrum, undè flexus erat in Orientem, teſte Joſepho, *de Bello Jud*. L. VI. C. VI. in deſcriptione primi Muri. Druſio, Lightfotio, & aliis planè idem cum *Gihon*, *Gehon*, ad Occaſum itidem Urbis. Sed ex Nehemiâ conſtat Stagnum ſeu piſcinam *Siloami*, quæ ex fonte ſic appellata, fuiſſe versùs hortos regios ad Ortum poſitos, *Neh*. III. 15. Undè veriſimile idem Stagnum eſſe Siloami, *Joh*. IX. 7. 11. quod Salomonis aliàs dictum, certè huic proximum. Nam ex eâdem ſcaturigine plures piſcinæ & rivi deducebantur.

Ex eodem fonte hauriebant Judæi, cum lætitiâ ſingulari, aquas libaminis, in feſto Tabernaculorum, ex loco *Eſaj*. XII. 3. ad quas reſpexit Chriſtus, *Joh*. VII. 37. 38. Et has omnium habuêre ſaluberrimas, & ad purificandum aptas.

Horti in toto Urbis ambitu frequentes, qui intrà Urbem vel nulli (ut ferunt) vel pauci; cumprimis iſti ad Orientem, ubi Horti Regii, & versùs montem Oliveti, ac in ipſo Monte. Et ad hujus radicem propè vicum *Gethſemane*, ultrà torrentem Cedron, versùs Ortum, fuit hortus ille de quo *Joh*. XVIII. 1.

Habuêre & ſua his in hortis, vel eos juxtà, *Monumenta* Viri honoratiores, *Joh*. XIX. 41. more hodieque Perſis, Indis, Orientalibus familiari.

Vici vel *Urbeculæ*, magis adjacentes Hieroſolymæ celebrantur, cumprimis ex Hiſtoriâ Euangelicâ, v. gr.

Emmaus, Ἀμμαοῦς, vicus Judæ peramœnus, in faſtigio montis, ad Occidentem Urbis, diſtans ſtadiis LX. *Luc*. XXIV. 13. ſeu 6000 paſſibus Græcis, ſeptem cum dimidio milliaribus Romanis, quæ & diſtantia in Joſepho legitur, *de Bello Jud*. *Lib*. VII. C. XXVII. Itinerariographi hodieque diſtantiam *bihorii* cum *dimidio* notant. Indè itum in Ramah, & Joppen. Eadem poſteà inſtaurata nomen accepit *Nicopoleôs*. Emmaus.

Bethphage, vicus, aliis tractus, Hieroſolymæ contiguus, ad Orientem, vulgò in monte Oliveti; Veriùs ad radicem montis, hinc ad Urbem ipſam ſpectans ſecundùm Talmudiſtas, dictus à *groſſis* (פגי) ſeu immaturis ficubus. Bethphage.

Bethania, locus ſic dictus à *dactylis* palmarum, quæ היני Hebræis: Iſque Tractus fuit montis Oliveti, indè ubi deſinebat Bethphage, Urbi ad Ortum proximus, tùm Vicus cognominis diſtans ab Urbe ferè XV. ſtadiis, ſeu 1500 paſſibus Græcis, ferè duobus milliaribus Romanis, *Joh*. XI. 18. in loco aſpero & montano, undè iter Hierichuntem versùs. Bethania.

Gethſemane, quaſi torcular olei ex olivis, (גת שמני) vicus proximus valli & torrenti ad pedes Oliveti, de quo & ſuprà. Hujus verò villæ nulla ſupereſſe hodie rudera, referunt αὐτόπται. Gethſemane.

Nec diſtabant admodùm ab Urbe Hieroſolymæ *Bethlehem*, in Tribu Judæ, ad Auſtrum Urbis; *Ramah* ad Septentrionem, in Tribu Benjamin, quæ & *Ramatha*, Ἀρμαθᾶ, Arimatha vel Arimathea; *Bethoron Inferior* magis ad Occaſum, in eâdem Tribu, versùs quam poſtremam, III. ab Urbe milliaribus, in locum deſertum & rupibus aſperum, emiſſum fuiſſe hircum *Azazel* Magiſtri tradunt. Loca alia vicina.

Hiericho Urbs, Ἱεριχοῦς Straboni & Stephano, Ἱεριχοῦς Ptol. ſecundùm Joſephum diſtans fuit ab Urbe CL. ſtadiis, ad Orientem, viâ ad eam aſperâ, donec in Hierichuntinum agrum, ſeu planitiem, greſſus inferretur. Nomen illi ירחו quaſi *odorifera*, ab opobalſamo, & *Civitatis palmarum*, ſcil. palmetis conſitæ. Proxima hæc Jordani, hinc primò ab Iſraëlitis occupanda, de quâ jam ſuprà. Nec longè indè ad Meridiem Lacus *Aſphaltites*, ubi olim ſitæ Admah, Zeboim, Sodoma, Gomorrha; & juxtà Lacum *Deſerta Engaddi*, *Judæ*, alia, in quibus Civitates fuêre plures. Hiericho.

Ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, fuit ea regio quæ Jordani circumjacuit, ab utroque latere; plana illa, hinc *Planities Jordanis*, & cumprimis ferax, montibus hinc indè cincta. Plura Chorographi Terræ S. veteres & recentes; hæc ad inſtitutum noſtrum prælibaſſe ſufficiat. Regio Jordanis.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google

GEOGRAPHIÆ SACRÆ
ET
ECCLESIASTICÆ

PARS SECUNDA,

EXHIBENS

Sedes Eccleſiæ Chriſtianæ principes, ſecundum Notitiam Rom. Imp. Ante & Poſt tempora Conſtantini M.

UBI DIOECESES AC PROVINCIÆ

CUM CIVILES,

TUM ECCLESIASTICÆ.

Digitized by Google

DISTRIBUTIO ROM. IMPERII

Ante tempora Conſtantini M.

HΟἰκουμένη, cujus Cenſus actus Auguſto imperante, ſub tempus Dominici Natalis, *Luc.* II. 1. diſpergendo mox per eam Chriſti Regno, diſtributa jam tum fuit in *Regna*, *Provincias*, & *Urbes Liberas*, quæ majeſtatem Urbis dominantis reſpicerent. Quod ex Polybio, Cicerone in Verrem, Livio, Joſepho, Vellejo Paterculo, Strabone, Appiano, Plinio, Dione, ac reliquis liquet. Tacitus in duas Partes diſtribuit, *Regna* & *Provincias*.

Urbes Liberæ; Metropoles in Rom. Imp.

Quænam ſic dictæ? Urbes *Liberæ* cenſebantur, quæ regerentur tùm proprio Magiſtratu, tùm propriis Legibus, quibus adeò eſſet τὸ πάτριον πολίτευμα, κατὰ τοὺς νόμους, τοὺς πατρίους νόμους, κατὰ τὰ αὐτὰ ἔθη, τὸν πάτριον τρόπον. Utrumque verò nomine ἐλευθερίας *libertatis*, αὐτονομίας *ſuarum legum*, φίλων καὶ συμμάχων *amicorum*, *ſociorumque* Populi Romani. Igitur præter Gentes integras, hoc jure cenſitas, Ciliciam, Judæam, Achaiam, Græciam, Macedoniam, Illyricum, &c. habitæ in eodem cenſu Urbes ſingulæ, v. gr. Athenæ aut Lacedæmon Græciæ, Epheſus, Smyrna Ioniæ, Sardis Lydiæ, Laodicea Syriæ Phrygiæque, Perinthus & Byzantium Thraciæ, Amiſus Galatiæ, Tarſus Ciliciæ, Cæſarea Palæſtinæ, Tripolis Phœniciæ, Antiochia Syriæ, Seleucia Iſauriæ, ſic Rhodus, Chios, &c. & quæ id genus benè multæ; quibus haud abſimiles quæ hodiè *Urbes Imperiales* & *Hanſeaticæ* appellantur.

Variis titulis tales. Porrò, aliæ tales antè contractam cum Romanis ſocietatem, fruentes avitâ Libertate, quibus adeo libertas *relicta fuit*, quales v. gr. Athenæ, Sparta, Rhodus, Carthago, & quæ id genus: Aliæ, quibus Libertas à Romanis *conceſſa*, dùm traditæ horum beneficio regendæ ſuis Δυνάσταις, Φυλάρχαις, Ἱερεῦσι, quomodo Cæſarea Palæſtinæ, Laodicea Syriæ, Amiſus Galatiæ, Tarſus Ciliciæ, &c. Aliæ quibus Libertas antiqua modò *adempta* modò *reſtituta*, uti v. gr. Athenienſium civitas à Syllâ vaſtata, ſed reſtituta ſuis juribus à Pompejo, Antonio, Hadriano, Valeriano; quod & Rhodiis, ex Vellejo, Tacito, Dione, aliiſque frequenter accidit: Aliæ denique, quarum Libertas *pretio redempta*, quomodo de Tyriis Strabo, *Geogr.* L. VIII. uti de Judæis Dio, *Lib.* LX. pendentibus δίδραχμον, ut propriis legibus gauderent. Nec tamen eadem omnium Libertas fuit, dùm hæc aliis integra & illibata, aliis reſtricta & ex parte tantùm conceſſa eſt.

A quibus Libertas data? Pendebat autem hoc jus libertatis, & ſuarum legum, ex arbitrio primò *Senatûs Romani*, qualiter ex ejuſdem arbitrio pependiſſe, ut quis in numerum Deorum referretur, vel ex Ulpiani Fragmentis liquet, & ex illò Tertulliani, *Apologet.* C. V. ne qui Deus *ab Imperatore conſecraretur niſi à Senatu probatus*. Tum etiam ſummorum *Ducum* fuit, & *Imperatorum*, concedere uti jus Civitatis Romanæ, ſic αὐτονομίας, vel illud in pœnam adimere, & ex Liberis ſervas facere; qualiter factum à Quintiis, Flaminiis, Metellis, Lucullis, Syllis, Pompejis, aliiſque, frequentibus apud Polybium, Livium, Dionem, Tacitum, ac cæteros Rom. Hiſtoriæ Scriptores exemplis. Tandem ab *Auguſtis* ea res pependit, Libertatem & αὐτονομίαν modò negantibus, modò concedentibus, ut Auguſto, Tiberio, Cajo, Claudio, Nerone, Veſpaſiano, ſucceſſoribus, ex Hiſtoriis & Nummis antiquis.

Obligatio erga Populum Rom. tanquàm *conditio* Libertatis & αὐτονομίας, tam Liberarum Urbium quàm Liberarum Gentium, in his potiſſimùm conſtitit, ex Polybio, Livio, Appiano, Tacito, Plinio, cæteris: Revereri Majeſtatem Populi Romani, ac fidem illi præſtare: Admittere Moderatores, ad ordinandum ſtatum Liberarum Civitatum: Bella non ſuſcipere injuſſu Romanorum; Eoſdem habere & amicos & hoſtes: Fœdera, ſocietates, niſi auctoritate Romanorum, non inire: Auxilia iiſdem præſtare, re exigente: Aliquod ſubinde Tributum perſolvere, κῆνσον, δίδραχμον, quod factum eſſe à Macedonibus, Spartanis, Tyriis, Antiochenis, Judæis, aliiſque, ex memoratis Scriptoribus conſtat. Obligatio quæ ergà Pop. Rom.

Prærogativæ autem potiſſimæ fuerunt: Romanorum amicitia, patrocinium, quibus tutas ſe crederent quotquot vel Gentes vel Civitates in fidem ſuam ac clientelam recepiſſet Roma: *Libertas* de quâ modò, unde ἐλευθέρων epitheton, & ἐλευθερολάκωνες, ἐλευθεροκίλικες, de Spartanis, Cilicibus, &c. Αὐτονομία, quod erat χρῆσθαι τοῖς νόμοις, ἔθεσι, *ſuis legibus vivere*, & frui immunitate à Præfecturis, ac juriſdictione Romanorum Præſidum, quod non omnibus cum Libertate datum, hinc diſtinctæ Civitates Ἐλεύθεραι, & Αὐτόνομοι: Jus Ἀσυλίας *Aſyli*, ſacri & inviolati ſoli, ob Templorum ſanctitatem, hinc urbes ἱεραὶ, ἄσυλοι, ἀπόρθητοι, *ſacra*, *ſancta*, *inviolabiles*, frequenti in Nummis epitheto. Immunitas à Tributis ordinariis, vectigalibus, oneribus, cenſu capitis: Jus ſignandæ monetæ, undè civitatum Numiſmata innumera, cum Inſcriptionibus, ab interitu vindicata: Dignitas quandoque *Coloniæ* & *Municipii*, cum quâ ſenſim & lingua & mores Romanorum transfuſi, quæque dignitas tanta, ut hinc Urbes illæ *beatæ*, *felices*, *clariſſimæ*, *ſplendidiſſimæ*, ſeu λαμπροτάται cognomento dicerentur. Coloniæ tamen, quæ *Lupam* tanquam proprium Urbis inſigne habuerunt, nullæ erant αὐτόνομοι, ſed Romanis legibus vivebant, & Latii jure donabantur; Latinâ etiam Epigraphe uſæ, ut *Lælia*, &c. Et prærogativas hasce Libertatis, Autonomiæ, Coloniæ, cæteraſque fecêre tanti, ut *Lapidibus* ac *Nummis* inſcriptas ire ad poſteros voluerint, quin etiam indè tempora ſupputarint, conſtitutis Epochis ſeu Æris Libertatis; quales Æra *Antiochena*, *Laodicenſium*, *Tyriorum*, *Amiſenorum*, &c. Adi, ſi lubet, Fratrem noſtrum de Præſtantia Numiſm. Antiquorum, *Diſſert.* IX. quod opus mirè auctum & variè illuſtratum, propediem Eruditorum deſideria explebit. Ita de Urbium *Æris* adi Scaligerum, Petavium, Noriſium, Pagium, alios, ex profeſſo de his commentatos. Privilegia.

Acceſſit honor *Metropoleôs* plerumque Romanorum *Coloniis* datus, cùm ob Urbis, à quâ deductæ illæ, dignitatem; tum ut oppida reliqua Metropoleôs Honor Metropoleôs.

Digitized by Google

poleôs fide & obſequio coërcerentur. Undè hoc nomine inſignitæ, 1. Urbes quæ in Provinciis primæ, principes, plerumque majores, quæ Gentis adeò vel regionis caput haberentur, αἱ πρῶται τοῦ ἔθνους, v. gr. Alexandria Ægypti, Antiochia Orientis, Tyrus Phœnices, Epheſus Aſiæ, Cæſarea Palæſtinæ, Cappadociæ, Mediolanum Italiæ, Treviris Galliarum, &c. 2. Coloniæ Urbis dominantis, in quas ſcilicet Romanorum ſimul cum Colonis inſtituta, lingua, ſacra, inſignia, mores transferrentur; quales pridem Coloniæ Carthago, Corinthus, Philippi, Theſſalonica, Smyrna, Sidon, Damaſcus, Carræ, innumeræ aliæ, dictæ *Coloniæ Metropoles*, de quibus fusè, ex ſelectiſſimis Nummis, præter alios, laudatus modò Frater, Ezech. Spanhemius. Et hæ ſemper primariæ fuerunt regionis in quâ ſitæ; in his & publici Conventus, Feſta, Ludi, Aræ, Sacrificia, communibus Sacris toti Genti: Undè Κοινὸν τῆς Ἀσίας, Κοινὸν τῆς Φρυγίας, &c. 3. Urbes aliæ in Provinciis, præter Urbem principem ſeu Gentis caput, quæ honorem *Metropoleôs* & appellationem, etiam *primatûs* ſeu *primæ ſedis*, liberali conceſſione Principum, & ſingulari in has favore, aut etiam ex odio in priores Metropoles, quandoque & dirimendis litibus, conſecutæ ſunt. Unde plures in unâ quandoque Provinciâ Metropoles, v. gr. in *Bithyniâ* illâ, Urbes Nicæa, Nicomedia, poſtea & Chalcedon; in *Ponticâ* Amaſia, Neo-Cæſarea, etiam Amiſus; in *Aſianâ* Epheſus, Smyrna, Pergamus, aliæ; in *Phœnice* Tyrus, Berytus; in *Palæſtinâ* Cæſarea, Ælia. Quo factum, ut quædam, utroque nomine, & *Metropoles* & πρῶται *primæ* dicerentur, διακριτικῶς, hinc dignitas *Primatum*; aliæ verò, Metropolis *ſecunda, tertia*: Ut etiam primis Metropoleôs & nomen & juriſdictio conſtaret; aliis nomen tantùm, vel honos ſine juriſdictione, undè poſteriorum Epiſcopi dicti in Oriente, diſtinctionis ergò, *Archiepiſcopi*, ex Canone XII. Chalcedonenſi, ſeu Metropolitani honorarii; de quibus aliàs. Ac tandem eo factum eſt, ut Provincia una deinceps in plures diviſa ſit, quibus ſuæ ſingulis Metropoles; quomodò plures in Notitiis *Palæſtinæ*, *Phœnices*, *Ciliciæ*, *Galatiæ*, *Cappadociæ*, *Ponti*, *Epiri*, *Macedoniæ*, &c. ut pluribus infrà in diſtributione Diœceſeôn & Provinciarum.

Metropoleôn diverſa ratio.

De ſeptem Aſianis Urbibus in Apocal.

Nec alienum obſervaſſe, quod Joſephus monuit, *Antiquit.* Lib. XVI. C. IV. pleraſque Ioniæ & Aſianæ Diœceſeôs civitates, hoc jus ἐλευθερίας Libertatis & αὐτονομίας fuiſſe conſecutas. Quare nihil mirum floruiſſe has civibus, opibus, potentiâ, quemadmodùm & ingens Judæorum meſſis per eaſdem civitates diſperſa fuit, ut ibidem Hiſtoricus. Undè intelligitur cur in *Apocalypſi* ſeptem illæ civitates Ionicæ & Aſianæ, præ cæteris officii ſui moneantur, Johannis miniſterio; ut quæ civili ſtatu inclytæ, incolis refertæ, Judæis cumprimis, & ſeductoribus, quibus convertendis coërcendiſve Johannes potiſſimùm incubuit, & eum antè Paulus, Timotheus, alii. Quanquàm ut *typicè* aliarum Eccleſiarum ſtatum expreſſerint, nulli intercedimus. Quin eodem ferè *ordine* locatæ à Johanne, quem habuêre inter ſeſe, ratione & ſtatûs civilis, & magnitudinis, & ſitûs Geographici.

Epheſus.

Certè *Epheſus* non Ioniæ modò tunc Metropolis, ſed etiam ἡ πρώτη τῆς Ἀσίας, paſſim in Inſcr. & Nummis, Urbs maxima, florentiſſimum Emporium, opportuniſſimo ſitu, in Icario Pelago, de quo Suidas in voce Εὐκαιρία, olim quoque *Smyrna* dicta, à communi Smyrnenſium habitatione & Epheſiorum. Sic à cultu non Dianæ modò ἱερὰ, ἄσυλος, & Ἐφέσιοι Νεωκόροι, id eſt, Æditui, ob Templorum Dianæ, & Ludorum religionem; ſed & ob communes cum Ægyptiis Deos, *Serapidem* & *Iſidem*, & ob hanc *Concordiam* Epheſii Ἀλεξανδρεῖς frequenter inſcribuntur in Nummis, additâ *Phari* imagine. Quod Voſſius *Obſervat.* in Catull. p. 206. ad *Alexandriam* Troadis refert, hinc ſignari in uno nummo Gordiani *Hippotaurum*, nempe Equum Alexandrinorum Symbolum, & Taurum Epheſiorum; quam verè viderint Antiquarii. Epheſus poſteà Proconſulum ſedes, αὐτονομίας jure, & Aſyli, aliiſque gaudens, hinc meritò prima in ſeptem illis Aſianis. Uti deinceps in Canone Eccleſiaſtico, jus non Metropoliticum modò, ſed Exarchicum ſibi vindicavit, quod eſt τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, ut Evagrius *Lib.* III. C. VI. ademptum illi à Chalcedonenſibus.

Smyrna.

Huic proxima fuit *Smyrna*, altera Ioniæ & Proconſularis Aſiæ Metropolis, τὸ ἄγαλμα, ab Epheſo XL. M. P. in Boream diſtans. Hæc πρώτης encomio & ipſa ornata eſt, & Σμυρναίων πρώτων Ἀσίας in Numiſm. de principatu cum Epheſo certans, eademque in Inſcription. dicitur ἱερὰ, σεβάστη, ἐλευθέρα. Et uti frequentia inter utramque diſſidia, ſic & pacta fuêre, ex Dione, & Inſcr. ὁμόνοια Σμυρν. Ἐφεσίων. Inclyta hæc, mox Polycarpi Epiſcopatu & Martyrio fuit, ac florentiſſimâ Eccleſiâ, ad quam extat una ex ſeptem Ignatianis. Spectavit hæc ad κοινὸν τῆς Ἀσίας, in Societatem auctoribus Epheſiis aſſumpta, & ſic Urbes Ionicæ XIII. ex Strabone. Et apud Triſtanum eſt Inſcriptio Nummi, Πρῶτα Κοινὰ Ἀσίας Σμυρναίων.

Pergamus.

Tertia ordine *Pergamus*, hodieque *Bergamo*, LXIV M. P. à Smyrnâ, cui à Boreâ mons præaltus, & hinc planicies toto orbe amœniſſima, in Ortum ac Merid. extenſa. Sedes hæc quondam Attalicorum Regum, quorum ultimus *Attalus* fil. Eumenis, Romanos Hæredes fecit. Majoris hæc Phrygiæ, ſeu Myſiæ Metropolis, quam intermeabat Selinus fl. præterfluebat Cetejus, undè Pergameni Κητεῖοι, & uterque fluvius frequenter in *Nummis*. Dicitur in iiſdem & πρώτη, & μητρόπολις, & Pergameni ſæpè Νεωκόροι, ob Templum celebratiſſimum Æſculapii; appaeretque fuiſſe Epheſiorum & Smyrnæorum æmula, & frequenter cum iis in Hiſtoriis juncta: Undè & ἀδελφαὶ *ſorores* dictæ, & in Nummo Antonini Pii, *Smyrnæorum*, *Pergamenorum*, & *Epheſiorum Concordia*, quem producit Frater meus, *Diſſert.* IX. *pag.* 292. Reverà tertia fuit ut apud Johannem, ſic in civili Urbium ordine, ac dignitate.

Thyatira.

Quarta apud Johannem eſt *Thyatira*, etiam in Notitiis antiquis, vulgò *Tyre*, ſitu inter Pergamum & Sardes media, à Turcis *Ak-hiſar*, id eſt, album aſtrum; 48 milliar. à Pergamo diſtans. Lydiæ quondam Conſularis, & ipſa *Metropolis* Ptolemæo dicta *Lib.* V. Fuit in eadem Aſianâ, ad Lycum fluvium juxtà Plinium, Ptolemæo autem ad Hermum, mari Ægæo Sardibus propior; quanquàm deinceps in Ordine Eccleſiaſtico Thyatirenſis ſub Sardenſi fuerit. Ac nobilitatem Urbis præter ſitûs præſtantiam, in amœnâ planicie, ut teſtatur Sponius in Itinere Orient. ſic teſtantur Nummorum inſcriptiones, quibus Ἄρτεμις *Diana* apud Thyatirenſes culta intelligitur, ut fuit apud Epheſios; etiam pacta hujus Urbis cum Smyrnenſibus ad Meridiem vicinis, ὁμόνοια Θυατείρ. καὶ Σμυρναί. *Concordia Thyatirenſium & Smyrnæorum*, in gazâ Mediceâ, ex quâ produxit Frater meus, *de Præſt. Num.* Meminerunt Urbis Lucas *Act.* XVI. 14. Livius, Strabo, Ptolemæus, Plinius, Plutarchus *in Syllâ*, Appianus, Stephanus; & *Thyatirenſis* Epiſcopi Acta Concilii Nicæni. Hodieque paſſim ibi marmora & inſcriptiones, ἡ κρατίστη Θυατειρηνῶν βουλὴ, ἡ μεγίστη Θυατειρηνῶν πόλις, ἱερὰ Σύγκλητος, ut teſtantur Smithius, Sponius, aliique αὐτόπται, & qui rem Nummariam tractant. Θυγάτειραν à Seleuco, ob natam ſibi *filiam* appellatam fuiſſe, refert Steph. Johannis tempore Eccleſiam hanc afflixit Simoniana lues, ut poſteà Cataphrygum illa, in *Jezabele* expreſſa, *Apoc.* II. ut de poſteriori Hæreſi vult Epiphanius,

Ha-

Digitized by Google

Hereſ. LI. quæ de *Alogis* eſt. Hodie vix veſtigia antiqui ſplendoris apparent, nullâ hîc jam Chriſtianâ Eccleſiâ, tota à Turcis habitata. Ut nugentur qui Urbem hanc in Aſianis antiquis deſiderarunt; quive Θυατείρων nomen in appellativum commutant, modoque θυγάτειραν, modò θυομένην καὶ τειρομένην *eam quæ immolatur & vexatur*, interpretando reddunt. Præter Thyatiram *Lydiæ*, alia fuit Thyatira *Myſiæ*, tertia *Ioniæ* aliquando habita.

Sardes. Quinta eſt *Sardes* hodieque *Sard*, ad montem Tmolum Pactolo fl. impoſita, XXXIII. mill. à Thyatirâ diſtans, Σάρδις Ptol. & Plinio, Σάρδεις Straboni. Fuit & ipſa Conſularis Lydiæ Civitas, ac Metropolis, πόλις μεγάλη Straboni, & in eâ quoque Conventum habitum τοῦ Κοινοῦ τῆς Ἀσίας, quamvis extrà Ionicas Civitates, ex Nummis docetur. Cum *Sardicâ* autem Dacianâ, in Orientali Illyrico, ubi Sardicenſis Synodus habita, haud confundenda; ſitu Geographico inter Thyatiram & Philadelphiam media, vel ex Strab. & Ptol. quo ordine apud Johannem venit. Undè Sardianorum non ignobile in Hiſtoriis nomen, & cum Epheſiis modò certamina, modò fœdera. Primum autem in Provinciâ Eccleſiaſticâ Lydiæ ſibi vindicavit locum, *Melitone* hujus celebri Epiſcopo ſub Marco Aurelio Anton. Pii ſucceſſore. Nec deſunt qui ænigmaticum rurſus nomen hariolantur, quibus cogitatis nullus hodiè modus eſt, ex שר *princeps*, & שרד *amuſſis*, aut שריד *ſuperſtes*; quemadmodum ex ſitu Auſtraliore quàm eſt Thyatira, Reformationis in eâ typum vidit Brichtmannus. Hodiè vicus ignobilis, à paſtoribus & bubulcis habitatus, nullâ ibi Eccleſiâ, nullo Paſtore.

Philadelphia. Sexta eſt *Philadelphia*, à Sardibus XXVII. mill. in radice montis *Tmoli*. *Alahſchar* dicitur hodiè, pulchra etiamnum Urbs, ob proſpectum egregium, in planiciem ſubjectam versùs Ortum & Septentr. Non jam Syriæ Cavæ illam volumus, cum quâ in Nummis ſæpè confunditur; vel urbem Iſauriæ; ſed Lydiæ Aſianæ, Ἀτλάλου κλίσμα, ſitu mediam inter Sardes & Laodiceam, uti hanc ad meridiem *Coloſſe* Phrygiorum excepit. Et hujus quoque Ptolemæus meminit, unâ cum Thyatiris & Sardibus, eodem ordine quo veniunt apud Johannem; ſed & Geographi omnes. Quemadmodùm & Philadelphenſium Epiſcopi Acta Nicæna, ac poſteà Socrates in Seleucienſi Synodo, *Lib.* II. Hiſtoriæ, *Cap.* XL. Undè patet precariò rursùm in appellativo ſignificatu τῆς Φιλαδελφίας, hærere nonnullos Interpretes. Imò poſterioribus temporibus hæc ipſa Civitas *Urchanis* & *Amuratis* impetus retudit, eo tempore quo Aſia Minor univerſa Ottomannorum armis ceſſit, tandem à Bajazethe expugnanda.

Laodicea. Septima eſt *Laodicea* non Cœle-Syriæ illa, aut Phœnices ad Libanum, ſed Phrygiæ Aſianæ quæ aliàs Phrygia Minor & Pacatiana, Ptolemæo Urbs Cariæ; ſitu (ut dictum) Philadelphiæ ad Meridiem proxima, & ad Lycum fluvium qui in Mæandrum influit, latera alluentibus Aſopo & Capro. Olim *Dioſpolis* appellata, dein *Rhoas*, Straboni cum Apameâ ἡ μεγίστη τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων. Stephanus *Lydiæ* eam adſcribit. Urbs reverà fuit maxima, & Metropolis, cum Epheſiis aliquandò commiſſa, & rurſus conciliata, undè Λαοδικ. καὶ Ἐφεσίων Ὁμόνοια. Cui vicina ſic ſatis fuit Hierapolis, altera Pacatianæ (Ptol. Phrygiæ Magnæ) Metropolis, ſed terræ-motu ſub Nerone primò magnam partem ſubverſa, dein ſucceſſu temporis planè deleta. Et Laodicenæ Eccleſiæ, *Coloſſenſibus* ad Occaſum vicinæ, Paulo quoque mentio, *Coloſſ.* IV. Quæ huic ad Auſtrum ex oppoſito fluvii ſita *Hierapolis*, ea Papiæ Epiſcopatu, aquis calidis, ſitu, magnitudine, ἱεροῖς πολλοῖς, undè illi nomen, inclyta fuit, non confundenda cum Hierapoli Syriæ Cyrrheſticæ, haud procul ab Euphrate. Hîc rursùm in etymo *Laodiceæ*, quod eſt λαῶν δίκη *Judicium populorum*, ſenſum Johannis ruſpantur. Nos jam Geographum agimus.

Ex quibus intelligitur, vicinas ſibi invicem fuiſſe has omnes uti Urbes ſic Eccleſias, in eâdem Aſianâ Diœceſi, frequentes eaſdem Chriſtianis, à Paulo hunc omnem tractum peragrante, à Timotheo, aliiſque συνεργοῖς fundatas, firmataſve, variis Pſeudo-Chriſtianorum ac Gnoſticorum erroribus infectas, ac vitiis fœdatas, quorum illæ arguuntur: Futuræ illæ in exemplum ſecuturis ætatibus.

Urbes aliæ inclytæ in Rom. Imp. Eccleſiæ Apoſtol. ſedes. Sic in Liberis Urbibus aut Metropolibus fuêre Apoſtolicâ jam ætate, (nam in immenſum deinceps auctus numerus eſt, ſub Trajano & ſucceſſoribus) Chriſtianæ Eccleſiæ ſedes aliæ, plurimæ ex Actis & Paulinis notæ, laborum Paulinorum teſtes: V. gr. in *Palæſtinâ* Cæſarea, Gaza, Dora, Joppe, Aſcalon, Neapolis Samariæ; illæ à Pompejo, apud Joſephum, hæc à Tito, unde & *Flaviæ* epitheton, libertate donatæ. In *Phœnicia*, Tyrus, Sidon, Tripolis, Cæſarea Paneas; in *Cœle-Syriâ*, Damaſcus; in *Syriis* reliquis, Antiochia caput Orientis, Laodicea, Apamea, Seleucia, à quibus totidem Syriæ, vel Syria *Tetrapolis*: In *Oſrhoënâ* Edeſſa trans Euphratem, in *Meſopotamiâ* Carræ, in *Ciliciâ* Tarſus, Pompejopolis anteà Soli, in *Iſauriâ* Seleucia, in *Armeniâ* utrâque Melitena, Sebaſte; in *Cappadociâ* Cæſarea, Thyana; in *Ponto* Amaſia, Heraclea, Amiſus; in *Galatiâ* Ancyra, Peſſinus; in *Paphlagoniâ* Pompejopolis; in *Lycaoniâ* Iconium, & quæ poſteà evectæ Lyſtra, Derbe; in *Pamphyliâ* Aſpendus, Perga; in *Piſidiâ* Antiochia; in *Phrygiâ* præter Laodiceam Hierapolis, Apamia, ad Mæandrum, Synnada; in *Bithyniâ*, Nicæa, Nicomedia; in *Myſiâ* Troas, Pergamus; in *Lydiâ*, ex ſuperioribus, Sardis, Philadelphia; in *Ioniâ*, Epheſus, Smyrna, Magneſia ad Mæandrum; in *Cariâ* Antiochia ad Mæandrum, &c. Ne jam ex Aſiâ utrâque in *Inſulas*, in *Ægyptum*, in *Africam*, in *Thraciam*, *Theſſaliam*, *Macedoniam*, *Atticam*, *Achaiam* Proconſularem, *Epirum*, inde in *Illyricum*, *Italiam*, & τὸ τέρμα τῆς Δύσεως apud Clementem Rom. *Epiſt.* I. cum Paulo Apoſtolo & cæteris, pedem promoveam; enarraturus ſcilicet Urbes principes, quæ à Romanis *Metropoleôs*, *Coloniæ*, *Primatûs*, *Libertatis*, *Autonomiæ*, *Aſyli*, *Societatis*, prærogativis ornatæ ſunt, vel ex ſacris, & Eccleſiaſticis monumentis inclytæ. Neque tamen quotquot eâ ætate tales fuêre, Civili titulo, eædem quoque jam tum in *Metropolibus* Eccleſiaſticis fuêre: Hic enim dignitatis gradus ſenſim earum Urbium Epiſcopis acceſſit, ut τοῖς πολιτικοῖς τύποις reſponderent τὰ ἐκκλησιαστικὰ, noto Canone XV. Chalcedon. etiam quod ad Metropoles Oppida minora confluerent, ut eſt in *Canone Antiocheno* IX. διὰ τὸ ἐν τῇ Μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. Sed de iis Urbibus ſingulis, ut fuêre ſub Chriſtianis Imperator. pro ratione Diœceſeôn & Provinciar. in quibus ſitæ, dicetur infrà. Hactenus de Urbibus.

Provinciæ Rom. Imperii, per quas Eccleſia diſperſa.

Provinciæ quæ dictæ? *Provinciæ*, ἐπαρχίαι, Romanis dicebantur quæ parebant Legibus & Magiſtratibus Imperii Romani, ac Præſidibus Româ miſſis, non autem Regibus, quæque plures ſuo ambitu Civitates complecterentur, minimùm X aut XI. quomodò Pelagius Papa has deſcripſit, apud Gratianum, *Causâ* VI quæſt. III. *Cap. Scitote certam eſſe Provinciam*, &c. Nec una Provinciarum Rom. Imperii conditio fuit.

Aliæ enim tributariæ, ſtipendiariæ, vectigales, aliæ à tributis & oneribus immunes, quod de *Gallis* & *Batavis* Annalium Scriptor obſervavit *Hiſt. Lib.* I. IV. V. & de *Moribus German.* C. XXIX. *Nec tributis contemnuntur*, condemnantur, *nec publicanus atterit; exempti oneribus & collationibus, & tantùm in uſum præliorum ſepoſiti.* Sic *vehiculatio* & quidquid ad hanc rem ſpectaret, his Provinciis impoſita, illis remiſſa; quod beneficium Mulo clitellis depoſitis paſcente exprimebant. Sic aliorum durior ac gravior, levior aliarum conditio fuit, pro diverſitate Magiſtratuum, de quibus ſtatim.

Diverſa illarum ratio.

Sic Provinciæ aliæ *longinquæ*, aliæ *ſuburbanæ*, *ſuburbicariæ;* poſtremæ dictæ ſecundùm quoſdam in Italico ſolo, Provinciæ X. quæ *Vicario Urbis* ſuberant, videl. quatuor Conſulares, *Campania*, *Tuſcia* & *Umbria*, *Picenum ſuburbicarium*, & *Sicilia;* duæ ſub Correctoribus, *Apulia & Calabria*, *Brutium & Lucania;* quatuor rurſum ſub Præſidibus, *Samnium*, *Sardinia*, *Corſica*, *Valeria*. Quanquam & ſtrictiùs Provinciæ *ſuburbanæ*, quæ erant ſub Præfecto Urbico, ſeu Urbicariâ Juriſdictione, ad quas ſcil. ſuburbia Urbis pertingebant, quæ ὑπὸ & περὶ τὴν πόλιν, intrà centeſimum ab Urbe lapidem; quales Salmaſio *Picenum Suburbanum*, *Tuſcia Suburbicaria*, *Valeria* à Valeriâ viâ, & *Latium* ſeu *Latina regio*. Hinc de prioribus Sirmondus, Holſtenius, de Marca, in noſtris Dav. Blondellus; de poſtremis Salmaſius adversùs Sirmondum, Jac. Godofredus, & qui hos ſequuntur, regiones *Suburbicarias*, *Urbicarias*, Fundos & *Eccleſias Suburbicarias*, Romano obnoxias, ex definitione Nicænâ, juxta Ruffinum & veterem Interpretem Canonis VI. *Nic.* intellexêre. De quibus erit infrà dicendi locus, ubi de dicto *Canone;* item ubi de Provinciis utriuſque Urbis Præfecto, & appellationi ad eum, obnoxiis, ex ordine referetur.

Suburbicariæ quænam?

Divisiones aliæ.

Sic aliæ Provinciæ Populi, indè ab Auguſto, aliæ Cæſaris, hujus quaſi Patrimonium; rursùs aliæ *majores* quæ Proconſulares, aut Proprætoriæ; aliæ *mediæ*, quæ Conſulares, aut Correctorum; aliæ *minores*, quæ Præſidibus Ordinariis, aut Prætoribus à Populo conſtitutis, ſubjacebant, quâ de re modò. Sunt qui, ut Illuſtriſſ. de Marca, tres ordines hoc modò diſtinguunt, *Proconſulares*, *Legatorias*, *Præſidiales*; ſed minus accuratè, ex dicendis infrà.

Origo Provinciarum in Rom. Imperio.

Origo Provinciarum fuit ex prolatis Romani Imperii finibus extrà Italiam, ſucceſſivis temporibus, variiſque modis, ſub variis Ducibus, Cæſaribus, ut pluribus ex Vellejo *Lib.* II. C. XXXVIII. & paſſim ex Cicerone, Livio, Suetonio, Tacito, Dione, uti ex Rufi Feſti Breviario, Eutropio, Aurelio Victore, aliiſque conſtat. Prima omnium extrà Italiam, Provinciæ formam nomenque accepit *Sicilia*, ſublato Hierone Siculorum Rege, & Syracuſis captis à Claudio Marcello, quas ingenioſæ Archimedis machinæ defenderant, A. U. C. D. XLI. Tum *Sardinia* & *Corſica*, ductu Titi Manlii Torquati Proconſ. quo tempore Hannibal in Italiâ graſſaretur. Et adminiſtratæ hæ Provinciæ primùm à Prætoribus, dein à Præſidibus. Dehinc ſub Conſulari Regimine, Provinciæ prætereà factæ ſunt: *Ætolia*, & *Cephalenia* Inſ. à M. Fulvio Nobiliore, Conſule Anno U. C. D, LXIV. *Illyris*, *Epirus*, *Moloſſorum Regio*, Gentio Illyriorum Rege in triumphum abducto à L. Anicio Gallo Prætore: *Dardania*, *Mœſia*, ad Danubium uſque, à C. Scribonio Curione, ProConſ. uti *Scythia* ad Danubii oſtia deinceps à Lucullo: *Macedonia* ſæpè rebellans, tandem in ſervitutem redacta à Q. Cæcilio Metello Macedonico: *Achaia*, eodem tempore, poſt Metelli victorias, à L. Mummio Conſ. Corintho captâ ac deletâ, qui hinc Achaicus dictus eſt: *Africa* eodem anno triumphata, L. Cornelio Lentulo & L. Mummio Coſſ. à P. Scipione Æmiliano, qui Africanus junior, captâ & exciſâ Carthagine: *Aſia*, quæ ex Teſtamento Attali Pergameni ad Romanos devoluta fuerat, poſtmodùm redacta, capto qui invaſerat Ariſtonico, à M. Perpennâ Conſ. *Lydia*, *Caria*, *Helleſpontus*, *Phrygia utraque*, anno ſequente, U. C. DCXXIII. à M. Aquilio Conſ. *Creta* Inſ. à Metello Proconſ. qui hinc Creticus appellatus eſt: *Cyprus* à M. Porcio Catone, addictis illius opibus Fiſco Romano, atque in Urbem illatis ſummâ fide: *Media*, *Syria*, *Phœnicia*, *Pontus* victo Mithridate (ultimo omnium Regum qui ſui juris, præter Parthicos) à Cn. Pompejo, qui in Iberiam uſque & Albaniam victoriis ſuis penetravit: *Gallia* univerſa à C. Cæſare, uti ab eodem quoque *Mauritania* omnis, & *Numidia; Lycaonia* verò, *Pamphylia*, *Piſidia*, *Iſauria*, *Cilicia*, à Publico, Servilio, qui hinc Iſauricus & Cilicus.

Ex *Teſtamento* ad Romanos tranſiêre hæreditario jure, Provinciæ Romanæ ex Regnis factæ, antè Auguſtos; *Aſia*, ut dictum, teſtamento Attali Regis, denati Corn. Cethego & Minucio Ruſo Coſſ. *Bithynia* teſtamento Nicomedis, L. Lucullo & M. Aurelio Cottâ Coſſ. Dein *Paphlagonia*, teſtamento Pylæmenis, amici Populi Rom. *Libya*, teſtamento Ptolemæi Appionis, An. U. C. DCLVIII. Et poſteà ſub Tiberio Imp. (malè *ſub Claudio*, apud Rufum) *Cappadocia* teſtamentali voce Archelai, ita Jornandes, Romæ defuncti; undè à Germanico in Provinciæ formam redacta eſt.

Sub Auguſtis in Provincias abierunt; *Galatia* omnis, Lollio primùm Proprætore; *Hiſpania* univerſa victis Cantabris & Aſturibus; *Ægyptus* victo Antonio ſtipendiaria facta; omnes ſub auſpiciis Octaviani Auguſti. *Cappadocia*, mortuo Archelao, *Illyricum*, *Dalmatia*, *Vindelicum*, *Noricum*, *Rhætia*, *Pannonia*, *Scordini* ferociſſimi Thracum, ſub Tiberio; *Britannia* omnis ſub Claudio; *Pontus Polemoniacus*, & quoque *Alpes Cottiæ*, ſub Nerone; *Thracia* omnis, *Judæa* rebellans, *Cilicia*, *Syria Comagene*, ſub Veſpaſiano; *Armenia*, *Aſſyria*, *Meſopotamia*, *Arabia*, ac regiones trans Euphratem ſuprà Tigridis ripas, uti *Dacia*, & *Germania* pars ſub Trajano, ſub quo florentiſſimæ res Rom. Imp. Quanquam Hadrianus æmulus gloriæ Trajani, finem Rom. Imp. eſſe voluit Euphratem, revocatis exercitibus, ex Sexto Rufo, & Eutropio *Lib.* VIII. Sed rediêre ſub Antoninis, dein & Diocletiano Armeniæ & Meſopotamiæ Provinciæ, accedente Arabiâ ſub Severo, &c. Provincias habes recenſitas indè à Tingi Mauritaniâ, cum ſingularum itineribus, in Itinerario vulgò *Antonini Auguſti*, & apud S. Rufum, Eutropium, Epitomatores alios. Vide & Franc. Robortellum de Provinciis Romanorum, &c.

Sub Auguſtis.

Conditio harum Provinciarum, Dignitas, Ordo, cumprimis ex Magiſtratibus ac Rectoribus intelligitur. Horum nomina aliquando *communia*, aliquando *propria*, de certo genere Magiſtratuum. *Communia* fuêre, quandoque illa Ἐπάρχων, Ὑπάρχων, Ἀρχόντων, Ἡγεμόνων, Ἐπισάτων, Προσάτων, Ἐπιτρόπων. Unde ἄρχειν & ἡγεμονεύειν generaliùs, pro *adminiſtrare Provinciam*, ac poſterius non de Præſidibus modò Ordinariis aut Proconſulibus, aut Legatis Cæſaris, aut de ipſo Cæſare, ſed etiam de Procuratoribus, qui extra Ordinem in Provincias miſſi, ut de Cyrenio *Luc.* II. 2. Quâ de re nos Hiſtoriæ Seculo I. *Cap.* I. poſt Parentem noſtrum *Dub. Ev.* P. II. *Dub.* V. Sic latiſſima vox Στρατηγοῦ Strategi, uſurpata de Imperatore ut duce exercitûs; de Conſule Romano, qui & aliquando Prætor apud Dionem, Zonaram; de Proconſule apud eundem Dionem; de Prætore vel Proprætore Provinciæ; denique de Prætore ac Magiſtratu Urbium. Latior & notior eſt paſſim *Rectoris*, *Præpoſi-*

Rectores in genere.

Digitized by Google

poſiti, *Cognitoris*, *Judicis*, *Moderatoris*, *Præfecti*, *Ducis*, *Præſidis*; ſed & hæ ſtrictiores plerumque.

Propriæ Rectorum appellationes, quæ certos Magiſtratus diſtinxêre, fuêre aliæ in Provinciis *Cæſaris* ac *Militaribus*, aliæ in *Provinciis* populi & *Pacatis*; aliæ item de Magiſtratu *Ordinario*, aliæ de *Extraordinariis*.

In Provinciis Cæſaris. Provinciis Cæſaris adminiſtrandis Præfecti, majoribus quidem, *Legati Cæſaris*, qui & *Legati Proprætore* & *Proprætores* dicti, in Provinciis militaribus quaſi Prætorum officio functi, etiam *Legati Auguſti*. Quâ de Nomenclatione pluribus illuſtris Frater, *Diſſert.* VI. *de Numiſm.* Græcis πρέσβεις, Ἀντιστράτηγοι, Ἀντιστράτηγοι τῦ Σεβαςῦ, qualiter dicti olim fuerant ſupremi exercituum Duces, poſtea & Rectores Provinciarum, cum ſupremâ adminiſtratione. Dicti aliàs etiam *Legati Conſulares*, πρέσβεις ὑπατικοὶ in Provinciis Cæſaris, cum Conſulari poteſtate vel imperio, quod ſibi etiam extrà Conſulatum Auguſti vendicarunt, ut & *Proconſulum* appellationem. *Præfecti* autem appellatio reſtricta, in Provinciis Cæſaris, ad Provinciam Ægypti, hinc *Præfectus Auguſtalis*, ſub quo Comes rei Militaris, Duces, Præſides: Extenſa eadem poſteà ad Provincias Barbarorum, Mauritaniam, Meſopotamiam, alias.

In minoribus Provinciis conſtituti ab Auguſtis *Præſides*, in ſpecie ſic dicti, reſtricto ſæpe ad Provincias Cæſaris nomine, quales Judææ, Libyæ, Thebaidos, &c. Præſides. Et hæ *Præſidiales* dictæ, priores *Proprætoria*, *Legatoria*, *Auguſtales*, *Conſulares*. Præſidum poſteà nomen communius evaſit, ac Proprætoribus etiam datum.

In Provinciis Populi. Provinciis Populi gubernandis præfecti ordinariè *Proconſules*, *Conſulares*, *Prætores* mutatâ licet ſub Cæſaribus formâ adminiſtrationis; unde Provinciæ *Proconſulares*, *Conſulares*, *Prætoria*, de quibus prolixè in Notitiâ Imperii, & in Notis Jacobi Godofredi ad Codicem Theodoſian. In *primo* ordine fuêre quas Proconſules Ἀνθύπατοι, Στρατηγοὶ adminiſtrabant, Conſulum obtinentes locum & poteſtatem, prælatis XII. faſcibus, quibus additi in auxilium Legati, Comites ſeu Juriſperiti ut Aſſeſſores, Conſiliarii, σύμβυλοι, item Quæſtores, antè & ſub Auguſtis. Tales Provinciæ *Aſia*, *Achaia*, tùm & *Africa*, etiam *Palæſtina* aliquando, deinceps ſub Præſides redacta. Hinc & earum Metropoles, Epheſus, Corinthus, Carthago, *Proconſulares* dictæ. In *ſecundo* ordine fuêre, Provinciæ quas Conſulares rexêre, Senatores cum Conſularibus ornamentis; quibus proximi, qui ſub Cæſaribus dicti *Correctores*, ſed ſine Conſularibus ornamentis, de quibus frequens in Codice Theodoſiano mentio eſt. In *poſtremo* ordine fuêre, quas *Prætores* rexerunt, nomine hoc primitus ad Provincias Populi relato. Sed frequentius nihil poſteà fuit,

Mutationes factæ. hac nominum permutatione, quemadmodùm & Provinciarum Populi in Provincias Cæſaris, ac viciſſim, crebris exemplis ſub Auguſtorum imperio.

Inde verò à Temporibus Hadriani, ſuperiores facti Proconſulibus *Præfecti Prætorio*, quorum ſumma omnium dignitas fuit, eaque in plures Diœceſes; dein ſub his *Vicariorum*, aut *Comitum* illa, qui integram Diœceſim, tandem *Præſidum*, *Rectorum*, *Judicum*, qui Provincias ſingulas adminiſtrarent. De quibus adi, inter cæteros, indicem Georgii Fabricii Chemnicenſis, in *Româ* ſuâ. Sed hæc Dignitas à temporibus Conſtantini Imp. cum mutationibus variis fuit magis conſpicua, de quibus infrà.

Extraordinarii Magiſtratus Pro... *Extraordinarii* Magiſtratus fuêre, v. gr. *Proconſules Extraordinarii*, quales Cæſarum quandoque filii, vel proximi, ad ſedandas ſeditiones, aut pacandas Provincias miſſi. Sic *Tutores*, ſed in Regnis ſic dicti, qui Reipublicæ nomine, Regibus pueris, Regna tractarent: Sic *Quæſtores*, qui jure Prætorio aliquando Provincias regebant, & interpoſitâ appellatione de cauſis ſingularum Provinciarum cognoſcebant. Sic *Procuratores*, ἐπίτροποι, διοικηταὶ, latiùs ἡγεμόνες, qui pecunias Cæſaris in Provinciis colligerent, ſæpè in tribus quatuorve Provinciis, diſtribuerentque militibus. Nonnunquàm tamen idem Procurator qui Præſes; ſæpè diverſi, ut videtur fuiſſe *Cyrenius* tempore nati Servatoris. Nulli autem in Ægyptum Procuratores miſſi. vinciarum.

Sed de his paſſim qui ad Notitias commentati, & ad Codicem Theodoſ. aut qui ex Numiſmatibus plurima cùm illuſtrarunt, tùm adverſùs Scaligerum, Salmaſium, alioſque emendarunt, quos inter Frater meus. Nihil hîc etiam de ſingulorum titulis, quales illi *Nobiliſſimi*, *Celſi*, *Illuſtris*, *Spectabilis*, *Laudabilis*, *Magnifici*, *Sublimis*, *Clariſſimi*, *Perfectiſſimi*, &c. Nihil quoque de *Præfectis* Urbium principum, *Comitibus*, *Ducibus*, *Rationalibus*, *Magiſtris Militum*, *Equitum*, *Scriniorum*, &c. de quibus memorati Scriptores, & qui de Magiſtratibus Romanorum, editi nuper in Theſauro Antiquitatum Romanarum Græviano.

Regna, Tetrarchiæ, Ethnarchiæ, Dynaſtiæ, Sacerdotia, ſub Rom. Imperio.

Regna fœdere Romanis innexa.

Paruêre Gentes plurimæ Regibus, qui Socii, Amici, fœderati Populi Romani, etiam *inſervientes* Reges apud Tacitum. Sic paruit *Aſia*, *Judæa*, *Syria*, *Ægyptus*, *Numidia*, *Mauritania*, *Armenia*, *Albania*, *Iberia*, *Cilicia*, *Cappadocia*, *Bithynia*, *Boſphorus*, *Sicilia*, etiam *Parthia* ſub Auguſto.

Reges rursùm alii *hæreditario* jure, quales v. gr. Nicomedes Bithyniæ, Juba Mauritaniæ, Attalus Aſiæ, Ptolemæus, Cleopatra, Ægypti, ſic Armeniæ Reges, &c. Alii *electione*, ſeu conſtitutione Romanorum, quales v. gr. Judææ Reges Herodes, Agrippa, ſub Antonio, Auguſto, Cajo; Tigranes, Ariſtobulus, Armeniæ impoſiti ab Auguſto; Zeno Ponticis à Germanico; Sopheni regioni Sohemus à Nerone; Parthiæ rex Pſanatiſſor Cteſiphonte conſtitutus à Trajano, ſed quem Hadrianus retraxit; Albanis Rex itidem à Trajano datus, &c. Unde inſcriptio Nummorum, REGNA ASSIGNATA. Alii denique *reſtitutione* Romanorum in patrium Regnum, aut *confirmatione* in eodem; quomodo Ariobarzani Cappadocum, Ptolemæo Ægyptiorum, Phraati & Vononi Parthorum, Pharnaci Boſphoranorum, &c. Regibus accidit: De quibus paſſim apud Livium, Vellejum, Tacitum, Dionem, cæteroſque Romanæ & Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores.

Obligatio, vincula. Obligatio eorum Regum Regnorumque, quâ obſtricti Romano Imperio, eadem fere fuit, quæ ſuprà Liberarum Civitatum, ſic quoque privilegia, prærogativæ. Hinc *obſides* Romanis dabant, ut domeſtico vinculo ad fidem præſtandam adigerentur, quomodò Vonones à Phraate *obſes* datus Auguſto, apud Annalium Scriptorem *Lib.* II. C. I. Ac plerumque Regum filii obſides miſſi, frequentibus exemplis. Sic frequenter Romam proficiſcebantur ii Reges, ut obſequium præſtarent; Habitum Romanum induebant; Cæſares vocabant *Dominos*, Δεσπότας, Κυρίυς, Θεὺς Σωτῆρας. Eoſdem ſupplices adorabant, ut Pompejum Tigranes, projectâ tiarâ ejus ad genua provolutus; Diadema eorum manibus recipiebant, quomodo

—— *Jus imperiumque Phraates*
Cæſaris accepit genibus minor,

apud Flaccum; Inſignia regni à Romanis mutuaban-

bantur, ut Tigranes à Pompejo, Herodes ab Auguſto Rhodum eum in finem profectus, apud Joſeph. *Lib.* xv. Quin Trajanus Armeniis bellum intulit, apud Dionem, quod à Parthis Rex eorumdem Diadema recepiſſet. Sic Dona mittebant, fidei & obſervantiæ pignora; rurſus accipienda à Romanis, qui Togas pictas, Scipiones eburneos, Cellas curules, aliaque ad Reges amicos miſſitabant: Imò Templa, Sacrificia, Urbes, Romæ & Cæſaribus dicabant. Unde v. gr. *Cæſarea* Palæſtinæ, dicta ab Herode M. quæ ante Πύργος Στράτωνος, & *Sebaſte* quæ antè Samaria; ſic *Tiberias* ab Herode Tetrarchâ, quam Talmudici abſurdè quaſi טוב ראיה *pulchra aſpectu*; ſic *Cæſarea Philippi*, anteà Paneas, quam Philippus ad fontes Jordanis hoc nomine appellavit; quomodò & *Julias* dicta, Juliæ cognominis, in Peræâ regione; *Livias* à Tiberii matre, prope Macheruntа, ad Lacum Aſphaltitem; *Conſtantia* quæ prius Majuma, prope Gazam, à Conſtantio Filio Conſtantini, &c. Et quæ id genus Urbes aliæ.

Tutela Rom. Imp.

Quò ſpectat jus *Tutelæ* quod Romani ſibi adſcripſere, defunctis Patribus, Regibuſque pupillis: Ità Antiochi impuberi Filio tres tutores à Senatu dati; uti Ptolemæi Philopatoris liberis Marcus Æm. Lepidus; Cotyis Thracii liberis nondum adultis Trebellianus Rufus, Tutores præfecti ex Polybio, Joſepho, Juſtino, Tacito, Zonarâ. Captis vero Regibus, & in triumphum abductis, titulus *Regis* ademptus. Hinc tutelæ hoc nomine indignati meritò fuêre Romani in Antiochum M. dein in Antiochum *Epiphanem*, quod bella moviſſent, adverſus Ptolemæos impuberes.

Regna in Provincias redacta.

Sed pleraque Regna poſtmodum in *Provinciæ* formam fuiſſe redacta, viſum ſuprà eſt; ſeu jam armis illa ſubjecta, uti *Ægyptus* ſub Auguſto, *Thracia*, *Cilicia*, *Judæa*, ſub Veſpaſiano, *Meſopotamia*, *Armenia* ſub Trajano, &c. ſeu deficientibus Regibus, à Romanis deinceps adminiſtrata, ut *Cappadocia*; ſeu denique hæreditate ad Romanos devoluta, qualiter obſervatum de *Aſiâ*, *Bithynia*, *Paphlagoniâ*, *Libyâ*.

Porrò eodem ferè cum Regnis jure regebantur, ſed minoribus Regulis obnoxiæ, *Tetrarchiæ*, *Ethnarchiæ*, *Dynaſtiæ Regiæ*, quibus adde *Toparchias*, *Sacerdotia*.

Tetrarchiæ quæ dictæ?

Tetrarchiæ fuêre minora quaſi Regna, dominatus, in quas Galatia primitus, tùm Judæa, Phœnicia, Syria, diviſæ. Atque origo nominis à Galatis arceſſenda, ex Strabone *Lib.* XII. ubi de Galatis; quæ Gens in tres diviſa, tertiam quamque partem *quaternis* rectoribus adminiſtrandam tradidit, qui hinc *Tetrarchæ*. Undè *Tetrarchia* ea primùm regio quæ à Viris quatuor regeretur, aut μερίδες ſingulæ quatuor, quæ *Tetrarchiæ* dictæ. Hinc ad alios Regulos ea vox tranſlata eſt, qui majoris Regni partem aliquam adminiſtrarent, *Tetrarchiam* appellatam. Sic & ſingulis Cœle-Syriæ Urbibus præfuiſſe *Tetrarchas*, diviſæ in XVII Tetrarchias, quot Urbes fuerunt, ex Plinio conſtat. Sic *Phœnices* Urbes ſingulæ, totidem quondam Regna, ex Strabone, poſt *Tetrarchiæ* ſunt nuncupatæ. Deinceps verò plures Tetrarchiæ in unam conjunctæ, ampliato dominatu, etiam *Regio axiomate* ornatæ fuerunt, quod in Herodis filiis accidit. Hinc τετράρχαι ab ἡγεμόσι diſtincti, quod hi ad tempus, illi ad vitam præeſſent, etiam cum potentiâ regni. Sic Herodes idem & *Tetrarcha* & *Rex* fuit, uti Dejotarus Gallo-Græciæ modò *Tetrarcha*, modò etiam *Rex* ipſi Tullio eſt. Herodes M. primùm *Tetrarcha* ab Antonio conſtitutus, poſtmodùm verò ab Antonio & Auguſto *Rex* proclamatus. At hujus Regnum rurſus in *Tetrarchias* diviſum, ut ex Joſepho conſtat, puta *Galilæa* & *Trans-Jordanica* ex parte, quæ ceſſerunt Herodi Antipæ; *Trachonitidis*, *Batanææ*, *Auranitidis*, *Ituræ*, *Paneadis*, quæ Philippo: Archelao tamen qui primò Ethnarcha, poſt *Regis* titulus relictus in Judæam, Samariam, Idumæam; quem & Agrippa M. obtinuit ſub Cajo Caligulâ, & Claudio hinc φιλοκλαύδιος, & Agrippa junior, patre defuncto. Sic quoque Soemus Rex *Ituræorum Arabum*, ſub Cajo, apud Dionem & Tacitum.

Errores circa Tetrarchas.

Unde illorum error intelligitur, qui *Tetrarchas* à quatuor Urbibus, aut quatuor Provinciis, quibus imperitarent, dictos cenſuerunt. Quo in caſu Syria Tetrapolis, in quatuor Satrapias diviſa à Seleuco Nicanore, *Seleucidos*, *Antiochiæ*, *Apameæ*, *Laodiceæ*, dicenda fuiſſet primitùs Tetrarchia, uti harum ſingulæ. Nec rem acu tetigerunt, qui *Tetrarchas* putarunt, quotquot in quarto dignitatis gradu, poſt *Imperatorem*, *Proconſulem*, *Regem*. Sed de his aliàs. Porrò etiam Galliam in *Tetrarchias* fuiſſe diſtributam, obſervat Petrus de Marca, de Concordiâ Imp. & Sacerdotii, T. II. p. 136.

Ethnarchiæ.

Ethnarchæ dicti, qui toti alicui Genti præeſſent, nec tamen Reges. Sic Hyrcanus *Judæorum* Ἐθνάρχης, apud Joſephum *Lib.* XIV. C. XVI. Sic Archelaus Herodis filius Ἐθνάρχης, priuſquam Regium nomen illi ab Auguſto datum fuiſſet, apud eundem *Lib.* XVII. C. XIII. Quin Herodes M. Hyrcano à Parthis victo, necdùm Regis titulo ab Antonio & Auguſto ornatus, *Ethnarchæ* illo gaviſus eſt. Pariter Abgarus *Edeſſenorum* Ἐθνάρχης, qui & Δυνάστης, Ἄρχων, Βασιλεύς, etiam Φυλάρχης. Sic Ἐθναρχῶν nomen, ex Byzantinis Scriptoribus, familiare etiam ſub Imperatoribus Græcis Conſtantinopolitanis fuit.

Toparchiæ.

Ab his diſtincti τοπάρχαι *Toparchæ*, qui uni loco, aut Urbi imperarent, vel certè paucis Urbibus; uti Salome Herodis ſoror, cui tres Urbes aſſignatæ, *Azotus*, *Jamnia*, *Phaſaelis*, quæ veniunt *Toparchiæ* nomine: Vide eundem alias Judææ, Galilææ, Samariæ *Toparchias* enumerantem, de *Bello Jud.* *Lib.* III. C. II. Thamnam, Lyddam, Gophnam, Acrabatam, Joppen, Azotum, Hierichuntem, quondam in Tribubus Manaſſis, Ephraimi, Judæ, Benjamini: Sic ultra Jordanem, Pellam, Gamalam, &c. ſed tum Agrippæ Regi ſubjectas.

Dynaſtiæ.

Dynaſtiarum etiam ſtrictior quandoque appellatio eſt, præter latiorem illam, quâ Reges etiam & Dominatores, *Dynaſtæ* appellati. Sic veteres Dynaſtiæ Ægyptiorum, Chaldæorum: Et poſt Alexandri M. exceſſum ejus Imperium in quatuor Dynaſtias diviſum, quæ primò nonniſi Adminiſtrationis nomine, mox in Regna abiverunt; *Macedonicum* quod Antipatro, *Aſiæ Minoris* quod Antigono, *Ægypti* quod Ptolemæo, & *Syriæ* quod Antiocho & Seleuco ceſſit. Sic Herodes frater Agrippæ majoris, nepos Herodis M. primùm *Chalcidis* Dynaſta fuit, poſtmodum *Regio* titulo ornatus à Claudio. Sic *Comanorum* Regio Pontica, de quâ Strabo pluribus, *Geogr. Lib.* XII. quibus Sacerdotes ſeu Pontifices præerant, & *Sacerdotii* nomine, & *Dynaſtiæ* regiæ inclyta, cujus Princeps eſſet & *Pontifex* & *Dynaſta*, ſeu Ἄρχων, κύριος, Ἡγεμών.

Sacerdotia.

Hinc *Sacerdotia* etiam paſſim adminiſtrata, cum poteſtate *Dynaſtarum*, ſeu cum *poteſtate Civili*. Sic δίκαιον ἀρχιερατικὸν jus Summi Sacerdotii apud ſe reſidere Antiocheni gloriabantur, hinc eligendi Ἀρχιερέα. Hunc dein Auguſto honorem detulerunt, ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ. ΑΡΧΙΕΡ. & Pontificiam Coronam ei conſecrarunt, cum Inſcript. Ἀρχιερατικὸν Ἀντιοχέις, quod factum Æræ Antioch. XXVII. hinc additum videtur Z. K. pro quo legitur Σ. Κ. Et ſic Hyrcanus ſub *Summi Pontificatûs* titulo, à Julio Cæſare illi conceſſo, Judæis præfuit, ac ſub eo Antipater. Hinc & Sacerdotia quandoque ἀρχῆς, ἐπαρχίας, *Principatûs*, *Præſidentiæ*, *Præfecturæ* nomi-

nomine, apud veteres, Græcos & Latinos; conjunctis ſæpè juribus Imperii & Sacerdotii, apud Ægyptios quondam, Æthiopes, Perſas, Indos, Syros, Phœnices, Cappadoces, Lacedæmonios, Delios, Romanos, &c. quin & Judæos ſub Maccabæis. Ratio, quod qui præeſſent *Deorum* nomine populis, etiam eorum cultui ſe præeſſe æquum arbitrarentur. Et quia *ſalus populi* prima cura Principis, ſic etiam curare id quod in *ſalute* illâ præcipuum & potiſſimum eſſet. Unde Romani Cæſares dicti *Pontifices Max.* hoc nomine *ſacra curantes, fatidicos Libros recenſentes*, *Sacerdotes* conſtituentes, *Ceremonias* antiquas reſtituentes; titulo hoc aliquandiu à Chriſtianis Imperat. retento: Poſt omnibus promiſcuè *Archiep. Patriarchis, Epiſcopis* attribuendo, non ſoli Romano, quem *Pontificem Max.* Tertull. Lib. de *Pudic.* ſarcaſticè & per deriſionem dixit, ut alibi obſervatur, ad Sec. II. Hiſtoriæ Eccleſiaſt.

Hactenus Urbes, Provinciæ, Regna, &c. *Romano Imp. ſubjecta.*

DISTRIBUTIO DIOECESEON ET PROVINCIARUM

Inde à Temporibus Conſtantini M.

IN ORBE UTROQUE ORIENTALI & OCCIDENTALI.

HINC

Notitia Eccleſiarum principum, & Epiſcopatuum veterum.

Diſtributio Eccleſiarum ſecundùm Patriarchatus, &c. an ab Apoſtolis?

ECCLESIARUM toto orbe Romano diſperſarum diſtributionem, ordinem, dignitatem, poteſtatem, limites, cenſuiſſe Eccleſiaſticam Antiquitatem ac definiviſſe pro civili ratione, κατὰ τὴς πολιτικὴς τύπους ad *civilem formam*, notius eſt ex Canonibus, & praxi vetere, quàm ut demonſtrari debeat. Hinc & pro mutationibus civilibus in Rom. Imperio circà Diœceſes, Exarchatus, Provincias, Metropoles, factæ & ſenſim mutationes ſunt circà Eccleſias per ea loca diſperſas. Ut fruſtrà ſint qui, poſt Notitias recentioris ævi, cum Carolo à S. Paulo, & ad eum Lucâ Holſtenio, cæteriſque Latinorum, *Geographiam Sacram* deſcripturi, incipiunt à diſtributione *Patriarchatuum*, & *Romani* primùm, cui obnoxius Occidens fuerit, tum Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, tanquàm πρωτοθρόνων quos inſtituiſſent Apoſtoli, aut confirmaſſent Nicæni; ſed recentiori longè, ut demonſtratum aliàs, hac Patriarchalium Sedium poteſtate, ac diviſione. Sed & factam eſſe ab iiſdem *Provinciarum Eccleſiaſticarum* partitionem, conſtitutionem Exarchorum, Metropolitanorum in ſingulis Provinciis, cenſent alii, & quoque Petrus de Marcâ, de *Concordiâ Imp. Lib.* III. C. III. Quod ex ſalutatis à Petro, Paulo, Johanne, Eccleſiis principibus, puta Aſiæ, Achaiæ, Macedoniæ, & harum præ cæteris Metropolibus *Epheſo, Corintho, Theſſalonicâ*, &c. conficiunt. Undè ſanè harum Urbium Civilis dignitas, amplitudo, ad quas cæteræ confluerent, ut Gentis capita, ut Urbes matres, præſides, hinc amplitudo Eccleſiarum, rectè colligatur; quarum mox *Epiſcopi* caput extulerunt, Metropolitanorum & nomine & juribus Nicænorum ætate notiſſimis.

Mutatio in adminiſtratione Imp. Rom.

Potiſſima mutatio ut in Rom. Imp. ſic deinceps in Chriſtianæ Eccleſiæ adminiſtratione, fuit illa, quâ diviſus Orbis in *Orientale* & *Occidentale* Imperium; utrumque iterùm in *Præfecturas* majores, *Vicariatus*, *Exarchatus*, *Diœceſes*, *Provincias*, de quibus modò. Mutationem primam induxit Hadrianus Cæſar, præter formam Regiminis ab Auguſto conſtitutam ex Sexto Aurelio Victore; à quo tempore *Præfectorum Prætorio*, (quales ante Conſtantinum unus aut duo tantummodò fuère) ſumma ſub Principe dignitas fuit, ſuprà Proconſules, Vicarios Diœceſeôn, Præſides Provinciarum. Undè & *faſtigium*, *apex dignitatum*, *ſublimis apex Præfecturæ*, *Præfectura* ἐξόχως, paſſim in Codice, imò Eunapio ὑπέρφυρ𝛩 βασιλεία, iidemque *Illuſtres*, *Celſi*, *Celſitudo tua*, &c. & qui id genus honorum tituli, de quibus qui illuſtrarunt Notitiam Imperii, & ad Codicem Theodoſianum Jac. Godofredus. Ita tamen ut *Conſulibus* cederent Præfecti Prætorio, hinc *Conſulatus præponendus eſſet omnibus faſtigiis dignitatum*, ex repetitâ ſanctione Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii *Cod. Theod. de Conſulibus*, *Præfectis*. Imò & ceſſère hi *aliquando Proconſulibus*, quales dicti in ſpecie *Cæſares*, miſſi cum extraordinario Imperio in omnes Provincias, tam *Cæſaris*, quàm *Populi*.

Diviſio in Imperium Orientis & Occidentis.

Diſtributio Imperii in *geminos Orbes*, diviſâ adminiſtratione, id eſt, in Orientis illum & Occidentis, propoſita jam ſub Antonino & Getâ filiis Severi, ex Herodiano, *Lib.* IV. ſed ſine ſucceſſu, cœpit propriè tempore Diocletiani, qui ſibi ſervarat Orientem, & Galerio Maximino; Occidentem verò adſcripſerat Conſtantio Chloro, & Maximiniano, Provinciis hos inter diſtributis, apud Socratem *Lib.* I. C. VI. Sic poſtquàm ſe abdicaſſet Diocletianus, Galerius & Conſtantius Chlorus, Imperium inter ſe diviſerunt, quod tandem tenuit ſolus Conſtantinus M. à morte Licinii, id eſt, ab A. Chriſti CCCXXV. ex Euſebio *Hiſt.* L. VIII. C. XIII. ex Socrate, Zoſimo, Eutropio, &c. Et ab hoc rursùm diviſum Imperium fuit, poſt Novam Romam erectam, in *Occidentis* illud & *Orientis*: Utrumque deinceps ſeu antè, ſeu poſt obitum Conſtantini, in IV. *Præfecturas* majores, Orientis ſcil. Illyrici, Italiæ, Galliarum; in VI. *Proconſulatus*, Aſiæ, Achaiæ, Africæ, Numidiæ, Narbonenſis Provinciæ, & Hiſpaniarum; & in XIV. *Vicariatus*, nempè Orientis, Aſiæ, Ponticæ, Thraciarum, Daciæ, Macedoniæ, Urbis Romæ, Italiæ, Illyrici, Africæ, Galliarum, Hiſpaniarum, Britanniarum, addito his *Præfecto Auguſtali* Ægypti. Quanquam tres modò Proconſulatus deinceps inclyti, *Aſia*, *Achaia*, *Africa*, abolito Proconſulatu Numidiæ, Galliæ, Hiſpaniarum, ſubſtituto autem quarto in Oriente, Proconſulatu *Palæſtinæ*: Undè tres jam *Palæſtinæ Proconſules* ſub Theodoſio M. in Cod. Theodoſiano memorantur, Eucharius, Agreſtius, Florentius. Sed & Cappadociam, & Armeniam Juſtinianus Proconſulares eſſe voluit, *Nov.* XXXI. Sub his vero *Conſulares*, *Correctores*, *Præſides*, *Provinciarum*, de quibus ſuprà.

Utriuſque Imperii termini poſt Conſtantinum M.

Igitur adſcripto melioribus Conſtantino, Conſtantinus filius natu major & Conſtans ex Teſtamento Patris Occidentalium partium, Conſtantius Orientis, indè ab Illyrico ad Niſibim Meſopotamiæ, imperium tenuerunt, teſte Socrate *Lib.* I. C. XXXVIII. Zoſimo L. II. &c. Et ad Orientales omninò partes ſpectavit Thracia, Orienti conſtanter adſcripta indè à Veſpaſiano, ex Zoſimo, Euſtathio, aliis, quod ipſe Petrus de Marcâ agnoſcit *Lib.* I. *de Concordiâ Imp.* C. IV. Nugante cum ſuis Allatio, *de Perpet. Conſ. L.* I. C. X. qui Thraciam ut Europæ ſic Occidentis Provinciam fuiſſe, Romano adeò Patriarchatui, cum Heracleenſi ſuo Metro-

Digitized by Google


SEPT
SAR MATIA
SAR
EU RO
PÆA.
A
Boryſthenes ſeptentrionalior
Boryſthenes meridionalior
PEU CINI qui et
BAS TARNÆ
Tanais fl.
MÆOTIS PALUS
Rhombites major fl.
Rhombites minor fl.
TAURICA
DACIA
PONTUS EUXINUS
Carambis prom
Sinope
COLCHIS
OCCIDENS
THRACIA
ASIA
PHRYGIA PACA
GALATIA
BITHY
PONTUS POLEMO
ARMENIA
CAPPADOCIA
LYCIA
PAMPHYLIA
MARE ÆGÆUM
CRETA INS
Rhodus Ins.
CYPRUS
MEDI TERRANEUM.
Mare Libycum
Mare Ægyptium
MARE SYRIACUM
ARABIA PETRÆA
LIBYA
MARMARICA
HEPTANOMIS
ARCADIA
THEBAIS
Inferior
Lycomedis palus
Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

tropolitâ obnoxiam, ſuo more declamitat. Rurſùm Valentinianus ſenior, Valente fratre aſſumpto in ſocietatem Imperii, qui Orienti præeſſet, à Thraciâ in Ægyptum uſque, Occidentem ſibi ſervarit, inde ab *Illyrico*, quò à Thraciâ dividitur, *uſque ad Oceanum Occidentalem*, cum *Africa* partibus, ex Zoſimo *Lib*. IV. ex Sozomeno *Lib*. VI. C. VI. & Theodoreto *Lib*. IV. C. VI. *Illyrici* autem nomine comprehenſæ tum adhuc *Macedonia* & *Dacia*, ſub diſpoſitione unius Præfecti Prætorio, quæ regiones in Occiduis partibus habitæ ſub Conſtantio, Valentiniano, & Gratiano; *Succorum* montium anguſtiis vel plauſtris Illyrios ſeu Dacios à Thracibus, & Occidentem ab Oriente dividentibus, apud Marcellinum *Lib*. XXI. XXII. Socratem *Lib*. II. C. XXII. ubi legitur ὄρος τινὸς pro τὸ σοῦκις, aliis Succus, id eſt, Hæmus; de quibus clauſtris pluribus Busbequius. Hinc *Sardica* Urbs, in Thraciæ & Myſiæ ſuperioris vel Daciæ, atque adeò in Orbis utriuſque confinio, mediis Succis inter Sardicam & Philippopolim; delecta illa pridem à Conſtante & Conſtantio Imperatorib. in quâ Concilium tam Orientalium quam Occidentalium indiceretur, quanquam Orientalibus inde ſecedentibus. Poſteà Macedonia & Daciæ cum Provinciis ſubjectis, Imperio Orientali adſcriptæ, & hæ ſub nomine *Illyrici Orientalis*, imperante Theodoſio M. ex Notitiâ Imp. & ex Cod. Theodoſ. A quo tempore Illyricum duplex fuit, *Occidentale* illud, ſub Præfecto Prætorio Italiæ, quomodò Polemius primus legitur Præfectus Prætorio Italiæ & Illyrici, Anno CCCXC. & *Orientale* ſuum habens deinceps Præfectum Prætorio, ab Orientis illo diverſum, ut pluribus in *Notitia Imp*. & nos infrà. Quo nihil obſtante contendit ſemper Romanus Epiſcopus totum Illyricum ad Occidentem ſpectare, hinc ad Romanum Patriarchatum, de quo longæ contentiones; *abſolutam in Illyricum univerſum Juriſdictionem* illi quoque tribuente Holſtenio, Notis ad *Patriarch. Romanum*, ſed ſervire jam docto.

Præfecturæ, Diœceſes, Provinciæ.

Hinc Diſtributio Orbis Romani in *Præfecturas*, in *Diœceſes* ſeu *Vicariatus, Exarchatus*, & in Ἐπαρχίας ſeu *Provincias*. *Præfecturæ* dictæ, quæ plures ſub ſe Diœceſes continerent, adminiſtratæ à Præfectis Prætorio, Viris Illuſtribus. *Diœceſes*, uſu laxiore (nam & *Provincia* ex pluribus Epiſcopatibus, & Civitas Eccleſiaſtica ex pluribus παροικίαις conſtans, *Diœceſes* dictæ) quæ plures ſub ſe Provincias comprehenderent, adminiſtratæ à Proconſulibus, Vicariis, Comite vel Præfecto Auguſtali, Viris ſpectabilibus; qui poſteà Ἔξαρχοι Διοικήσεων, undè *Exarchatus* nuncupati, à temporibus Juſtiniani in Oriente & Occidente. *Provinciæ* dictæ, quæ plures ſub ſe Civitates complecterentur, quarum princeps Metropolis; ſæpè etiam Metropoles in Provinciâ plures, *prima*, *ſecunda*, *tertia*, iterùm cum poteſtate, aut cum honore tantùm Metropoleôs. Et hæ regendæ à Proconſulibus, Conſularibus, Correctoribus, Præſidibus, Viris Clariſſimis, qui Ἔξαρχοι Ἐπαρχιῶν, *Exarchi Provinciarum*.

Ac quamquàm ea fuerit civilis adminiſtrationis ratio in Imperio Rom. antè & poſt tempora Conſtantini M. nondum tamen hujus ætate, Ordo Eccleſiaſticus ſic ad Politicum efformatus, ut jam eſſent in Eccleſiâ conſtituti ſuprà plures Diœceſes vel Exarchatus; quales fuêre deinceps *Patriarchæ*, tempore Concilii Chalcedonenſis, hinc *Patriarchæ Diœceſeôn*, *Act*. II. ejus Concilii. Quin *Exarchi* totius *Diœceſeôs*, ſuprà Metropolitanos, nulli conſpicui, antè Synodum Conſtantinopolitanam ſub Theodoſio M. in quâ jam memorantur Ἐπίσκοποι ὑπὲρ τὴν διοίκησιν, *qui toti Diœceſi præeſſent*, *Can*. II. Ἔξαρχοι, πρωτεύοντες *Exarchi*, *Primates* mox dicendi. Qualis Antiochenus, Alexandrinus, Aſianus, Ponticus, Thracicus, Cyprius, αὐτοκέφαλοι, nec ab alia

Forma Eccleſiaſtica ſenſim ad Civilem compoſita.

Diœceſi dependentes, haud duraturâ Exarchorum poteſtate, quæ in Oriente ſub Patriarchis ſenſim deſiit; licet Metropolitæ plurimi nomen ἐξάρχων hodieque retineant, ἔξαρχοι, καὶ Μητροπολῖται, puta Cæſarienſis, Nicomedienſis, Epheſinus, Heracleenſis, Theſſalonicenſis, &c. Hinc in Concilio Nicæno non Διοίκησις, ſed ἐπαρχία tributa Antiocheno, reliquiſque; nec vel Romani vel Alexandrini adhuc protenſi fuêre limites ultrà Provincias aut Regiones, quæ ſub Urbicariâ Præfecturâ, Metropolitico in eas jure. Imò Conſtantinopolitanæ Synodi tempore, ſub Theodoſio M. unus in Ægyptiâ Diœceſi Alexandrinus recenſetur Metropolita, dùm plures in aliis Diœceſibus, Orientis, Aſianâ, Ponticâ. Sic una Orientis Diœceſis aliquando ſubjecta *Antiocheno*, *Tarſenſi*, *Laodiceno*, fuit, extrà ordinem adminiſtrata, primæ licet partes, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, Antiocheno tribuerentur, & ità diſertè Socrates, ubi de Diſtributione Provinciarum à Conſtantinopolitanis factâ, *Lib*. V. C. VIII. Planè ità in Conſtitut. Theodoſii M. A. CCCLXXXI. de fide Catholicâ, lege III. Catholicos cenſet Imperator, qui in Orientis Diœceſi, cum *Laodiceno* quoque & *Tarſenſi* communicarent; & ſic in Diœceſibus reliquis plures in iis πρωτεύοντας memorat, Alexandrinâ exceptâ, & quoque apud Sozomenum, *Lib*. VII. C. IX.

Quibus ſtrictim obſervatis, ſequitur ſecundùm Notitiam Imp. Præfecturarum, Diœceſeôn, ac Provinciarum diſtributio, ex quâ Notitia *Epiſcopatuum*, ac principum *Eccleſiarum*, totiuſque Eccleſiaſticæ adminiſtrationis eſſe poteſt.

Diviſio Orbis Orientalis.

In Orientali Imperio duæ fuêre *Præfecturæ*, ex quo Illyricum Orientale ab Occidentali diviſum fuit, & hoc Italicæ Præfecturæ adſcriptum, indè à temporibus Valentiniani Jun. & Theodoſii M. Prima fuit ORIENTIS latiùs ſic dicti, altera ILLYRICI ORIENTIS.

Notum enim *Orientem* appellatum, quandoque ut à Judæa diſtinguitur in Sacris; quandoque ut à Ponticâ Diœceſi ad fines Lycaoniæ, unde Diœceſis *Orientis*; quandoque ut ab Europâ indè ab Helleſponto, hinc *Anotolia* ἀπὸ ἀνατολῆς, de Minori Aſiâ; quandoque ut ab Illyrico Orientali indè à Thraciæ & Daciæ confiniis, cujus Illyrici Præfectura diſtincta fuit ab illâ *Orientis*; quandoque etiam ut ab Imperio *Occidentis* ſejunctum, Orientali Illyrico incluſo, indè à Theodoſii & Arcadii temporibus, cui Theodoſio ceſſerat *Oriens* cum Thraciis, donatione Valentiniani.

ORIENTIS *Præfectura.*

Diœceſes & Provinciæ huic ſubjectæ.

Diviſa hæc Præfectura fuit in *Diœceſes* V, quarum prima dicta in ſpecie *Diœceſis Orientis* ſeu *Antiochiæ*, ab Antiochiâ principe Romanarum Urbium in Oriente, Imperatorum aliquando, ut Conſtantii, Valentis, ordinariò Comitum ac Vicariorum ſede: Secunda Diœceſis *Ægypti* ſeu *Alexandrina*, ab Urbe itidem, quæ ſedes Auguſtalium Præfectorum: Tertia, Diœceſis *Aſiana*, ſeu *Epheſina*, ab urbe Epheſo, in Aſianis primâ, Proconſulum ſede: Quarta, Diœceſis *Thracica*, ſeu *Conſtantinopolitana*, ex quo Heraclea, indè à Severo Imperatore Metropolis, Novæ huic Romæ ceſſit: Quinta, Diœceſis *Pontica* ſeu *Cæſarienſis*, à Cæſareâ Cappadociæ, Vicariorum ſede, & Metropoleôn Ponticarum primâ.

Provinciæ Civiles huic Præfecturæ ſubjectæ, fuê-

fuêre primitus in univerſum XLIX. Nempe in Dioeceſi *Orientis* Provinciæ XV. & in iis tres *Palæſtinæ*, quæ in Eccleſiaſticis Cæſarienſem primò Metropolitanum reſpexêre; Dein Antiocheno has ſibi in Oriente vindicanti ſubductæ, ut ſubeſſent Hieroſolymitano, ex decreto Chalcedon. *Act.* VII. Illarum rursùs aliæ Conſulares, aliæ Præſidiales, aliæ ſub Perfectiſſimis Judicibus. Rursùs in Dioeceſi *Ægypti*, fuerunt tempore Concilii Conſtantinop. I. ſub Theodoſio, Provinciæ VI. In Dioeceſi *Aſianâ* fuêre Provinciæ XI. totidem in *Ponticâ*, ut in *Thracicâ* VI. Sed variavit deinceps hic Provinciarum numerus, ut in Civilibus, ſic cumprimis in *Provinciis Eccleſiaſticis*, quæ ſuis Metropolitanis ſubeſſent. Undè hæ ſucceſſu temporis in Dioeceſibus ſingulis, modò *auctæ* numero, uti factum in Dioeceſi Ægypti, Aſianâ, Ponticâ, modò *imminutæ*, ut in Dioeceſi Antiochenâ, poſt natum Patriarcham Hieroſolymitanum, & protenſos fines Conſtantinopolitani. Quâ de re, præter Notitias Imperii & Epiſcopatuum, & qui ad eas commentati ſunt, noſter Blondellus, de *Primatu Eccl. Cap.* XXX. *Sect.* I. & pluribus nos locis ſuis.

Prima Dioeceſis, quæ dicta eſt ORIENTIS.

Dioeceſis Orientis. Suberat hæc Dioeceſis *Comiti Orientis*, qui & *Vicarius Orientis* ſub Conſtantino M. dictus, ſummæ poſt Proconſules dignitatis, etiam Præfecto Auguſtali antepoſitus, in Lege Arcadii & Honorii, quæ eſt 16. *de Pœnis*, Codicis Theodoſ. *Lib.* IV. Quanquàm hujus Comitis limites valdè deinceps arctavit Juſtinianus Imp. relictâ illi Syriâ I. & Cyrrheſticâ, ut obſervatum Pancirollo. Quâ de dignitate adi eundem Pancirollum, Jac. Godofredum, alios. Avulſæ etiam ab hac Dioeceſi, in Eccleſiaſticis, præter Cyprum αὐτοκέφαλον, *tres Palæſtinæ*, Cæſarienſi ante Metropolitano, hinc ſenſim (ſed poſt tempora Nicæna) πρωτεύοντι Antiocheno; dein verò *Hieroſolymitano* Epiſcopo ſubjectæ, ex decreto Chalced. *Act.* VII. Et huic quoque tandem, in Synodo V. Conſtantinopolitanâ, ſubjecta ipſa *Arabia* cum Boſtrâ Metropoli, quod ex Guil. Tyrio notat Baronius, *Tomo* VII. ad A. DLIII. *Numero* CCXLV. & confirmat Notitia antiqua, Græcè ſcripta, adornata ſub Leone Philoſopho, quam ex Bodlejanâ produxit nuper Beveregius; præter aliam MS. in Vaticanâ, cujus meminit Holſtenius *Lib. Annotat.* ad Caroli Geogr. Sacram.

I Provincia Orientis Palæſtina. Prima hujus Dioeceſeôs Provincia, in Notitiâ Imperii, recenſetur *Palæſtina*, eadem nempè quæ *Prima* & *Conſularis* dicta, cujus adeo Conſularis cenſebatur primus inter Rectores, qui Comiti Orientis parerent. Complexa hæc mediam ferè Palæſtinam, & partem ejus omnem maritimam, ad Occaſum, uſque ad Phœniciæ confinia, ubi *Heraclea*. Metropolis hujus fuit, poſt everſam à Tito Hieroſolymam *Cæſarea Palæſtinæ*, anteà Turris Stratonis, hinc Καισαρεία Στράτωνος, ad litus maris Syriaci, diſtincta à Cæſareâ Paneadis, quæ ſub Panio monte, πρὸς ταῖς πηγαῖς τȣ̃ Ἰορδάνȣ: Cujus Epiſcopus fuit tempore Nicænorum Euſebius Cæſarienſis, & huic ſucceſſor Acacius, Arianarum partium in Synodo Seleucienſi, cum Eudoxio Antiocheno, & Georgio Alexandrino. Habuitque Cæſarienſis poteſtatem Metropolitani, vel ex Canone *Nic.* VII. ſubjiciendus poſt longas contentiones Hieroſolymitanæ tandem Sedi. In hac fuêre Urbes Epiſcopales, omnes inclytæ apud Geographos, *Dora*, *Antipatris*, *Lydda* quæ & *Dioſpolis*, Λύδδη, *Joppe* Ἰόπη πόλις Παλαιςίνης Ptolem. quæ Phœniciæ Plinio, (undè Ἰοπηταὶ) *Jamnia*, *Azotus*, *Aſcalon*, *Gaza*, *Majuma*; *Aſcalon* autem Syriæ Palæſtinæ, urbs παράλιος, æquali intervallo inter Gazam & Azotum, legitur apud Joſephum de *Bello* Jud. L. III. C. I. Et in illâ fuiſſe ἱερὸν Ἀφροδίτης ȣ̓ρανίας, notat Pauſanias, ac Philo, Aſcalonitis Columbarum eſum prohibitum; quia nempè paviſſe has Semiramidem, in Deſerto à matre expoſitam, fabulati ſunt. In Mediterraneâ Regione, *Sebaſte* quæ Samaria quondam, ab Herode in honorem Auguſti ſtructa juxtà Euſebium A. U. C. DCCXXXVI. Noriſium verò A. DCCXXIX. *Neapolis* quæ Sichem, patria Juſtini Mart. peſſimè à Stephano confuſa cum *Sebaſte*; *Archelais*, *Hiericho*, *Eleutheropolis*, patria Epiphanii, &c. de quarum paſſim Epiſcopis, Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus & Acta Conciliorum. Ex Conſulari *Proconſularis* facta ſub Juſtiniano Imperatore, nominatim hæc *prima* Palæſtina; licet *Proconſules* Palæſtinæ, ſed nondum in tres diviſæ, legantur jam ſub Gratiano & Theodoſio M. in *Cod. Theodoſ.* Porrò ut *Cæſarea* plures fuerunt, & Metropoles, *Cæſarea Palæſtinæ*, *Phœniciæ*, quæ Paneas, *Cappadociæ*, *Euphratenſis*, *Bithyniæ*, *Numidiæ*, *Mauritaniæ*; hinc confuſio quandoque Cæſarearum apud Auctores nonnullos exorta, cumprimis Cæſareæ Palæſtinæ, Phœniciæ, & Cappadociæ. Stratonis illa etiam dicta *Colonia prima Flavia*, à Fl. Veſpaſiano Imperat. Cæſareæ plures.

Palæſtina Secunda, à primâ diſtracta poſt Synodum Nicænam, inter *Præſidiales* primùm, dein & *Conſulares*, fuit tempore Juſtiniani. II Palæſtina Secunda. Huic ab Occaſu & Septentrione fuit Phœnicia, & Palæſtina I. à Meridie Palæſtina III. ab Ortu Phœnicia Damaſcena, & Arabia Petræa. Metropolis fuit *Scythopolis*, olim *Bethſan* in Tribu Iſſachar, & *Niſa* Plinio, à Libero patre, haud longè à Jordane, ubi is exit è mari Galilææ. Urbes aliæ Epiſcopales, nec ignobiles, trans mare, *Pella* de quâ jam ſuprà, in quam ſe Chriſtianos Hieroſolymâ recepiſſe, monitos de imminente excidio, tradunt Euſebius, & Epiphanius; tùm *Gadara*, *Hippus*, *Amathus*, *Capitolias* urbs Syriæ Cavæ, cis mare *Tiberias*, & *Carpacotia*, quæ Capernaüm ad Jordanem: Poſtmodum *Sepphoris* Tiberiadem æmulata, de principatu cum eâ contendit, de quâ fusè Joſephus. Ptolemæus in Cœle-Syriâ collocat pleraſque iſtas, quemadmodum Ῥαφανέαι Provinciæ Syriæ adſcribitur, in Decapolitanâ regione, apud Plinium, Stephanum.

Palæſtina tertia, quæ & *Salutaris* dicta, eademque *Præſidialis*, ἐν τῇ πάλαι Ἀραβίᾳ, νῦν δὲ Παλαιςίνη τρίτη καλȣμένῃ, *in Arabia vetere, quæ nunc Palæſtina tertia*, ut Procopius de Ædificiis *Lib.* V. *Cap.* VIII. III Palæſtina tertia. Fuit hæc prioribus ad Auſtrum, illique Arabia Petræa ad Ortum. Tres jam Palæſtinæ leguntur ſub Theodoſio Jun. in Cod. Theod. l. 30. de *Erogat. militaris annonæ*, & in Notitia Imperii ſub eodem Theodoſio digeſtâ. Poſtrema ſalutaris dicta, à ſalutaribus in eâ aquis, de quibus Joſephus, Sozomenus, Marcellinus, &c. ut in aliis obſervatum. Hinc Palæſtinam *Hygiam* non Phrygiam legendum cenſet Jac. Godofredus, ad legem 3. Cod. Theod. de *Protoſtaſia*. Et in hac ferè parte *Hieroſolyma* collocatur, omiſſo jam *Æliæ* nomine, primò ſedes honoraria, dein Patriarchalis inde à temporibus Concilii Chalced. In hac fuit *Petra* tertiæ Palæſtinæ Metropolis, quam Arabiæ Petrææ Ptolemæus adſcripſit, & à quâ huic Arabiæ nomen, Hebræis ſimiliter סלע, Nubienſi חגר *petra* ſignificatu, antè Rabba Moabitidis. Ἄρκην olim dictam teſtis eſt Joſephus, *Antiq.* L. IV. C. IV. diverſam ab *Arcis* Phœniciæ, apud Ptolemæum & in Itinerario Antonini, quæ ſuprà Tripolim. Ad ortum hujus Palæſtinæ fuit pars reliquæ Arabiæ Petrææ; ad Occaſum fuit mare Ægyptiacum & Ægy-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Ægyptus, ad Meridiem Mare Rubrum. Sedes aliæ Epiſcopales fuerunt, *Zoara*, *Sodoma*, *Pharan*, recentis nominibus antiquis, de quibus Notitiæ Epiſcopatuum. Quomodo & in hac Palæſtinâ mons *Sina* collocatus fuit, qui veriùs Arabiæ.

IV. Provincia Orientis, Phœnicia prima.

Phœnicia, vel *Phœnix*, *Phœnice*, Syriæ antiquæ pars nobiliſſima, diviſæ quondam in κοίλην, Φοινίκην, Παλαιστίνην, in duas deinceps tributa fuit, quarum prima *Phœnicia* ſimpliciter, vel *Phœnicia prima*, & *Conſularis*, etiam *maritima* à ſitu ad Mare Syriacum. Hujuſque Metropolis fuit *Tyrus*, *Tzor* vel *Tzur* Hebræis, corruptè *Sur*, à quâ *Syria* nomen, Colonia deinceps Romanorum, Μητρόπολις ἱερὰ καὶ ἄσυλος pridem dicta, & indè ab Hadriano Cæſare, Metropolis unica Phœniciæ. Sed acceſſit deinceps altera ſub Theodoſio Juniore, *Berytus*, *Byritus*, vulgò *Baruti*, etiam *Julia Felix*, in regno quondam Herodis Agrippæ, habita ſtudiorum mater; hinc ſedes Profeſſorum Juris, æquè ac Roma & Conſtantinopolis, undè duo Anteceſſores Beryti inter eos fuêre quos Juſtinianus reformandæ Juriſprudentiæ adhibuit. Hæc magis ad Septentrionem inter Sidonem & Byblum, Metropolitano nomine exornanda, ob Urbis ſplendorem & frequentiam, Cod. de *Metrop. Beryto*, & in qua Imperatoria Edicta proponi antè ſolita. Utraque verò nonniſi ſequiori ætate, temporibus Belli Sacri, fuit Hieroſolymitano ſubjecta; qui olim ſe extendit ad Adonim fl. infrà Byblum. *Urbes Epiſcopales* aliæ, *Sidon* hodie Sayd, ob piſcium copiam (nam ציד Syris piſcatorem dicit) cui olim Tyrus primas ceſſerat, cujuſque Epiſcopus tempore Nicænorum Ario adhæſit, apud Philoſtorgium. Ità Βύβλος *Byblus*, urbs Phœniciæ ἀρχαιοτάτη, ἱερᾶς epitheto gaudens, Adonidi nempè ſacra, propè quam Ἄδωνις ποταμὸς, & ubi Iſidem cadaver Oſiridis in Arcâ clauſum inveniſſe fabulati. Sic *Botrys* magna & opulenta quondam; *Tripolis* à mari uno milliari diſtans versùs Libanum mont. *Paneas*, à ſtatuâ Dei Panis; *Ptolemais* olim *Acco* dicta Geographis, undè *Acon* hodieque Europæis. Huic Phœniciæ & *Aradus*, *Antaradus*, adſcribuntur, quarum Epiſcopos refert Athanaſius, in *Apol.* ad Conſtantium, & ad *Solitar.* Hìc & Γάβαλα πόλις Φοινίκης, XII. M. P. diſtans à Laodiceâ, ad mare ſita ſub Anticaſſio monte, & βουνὸν *collem* Syris deſignans.

V. Phœnice Libani.

Altera *Phœnice Libani*, ſeu *Damaſcena*, vel *Interior*, *Aram-Dammeſek* in Sacris, eademque *Præſidialis*, propriè intrà Libanum & Antilibanum montes. Sed deinceps, ex Notitiis, protendit ſe in Palmyrenam, quæ *Aram-Soba*, & in Syriam ſalutarem ad Ortum & Septentrionem, habuitque à Meridie Arabiam Deſertam & Palæſtinam, ad Occaſum Phœniciam Primam. Metropolis fuit *Damaſcus*, à quâ Provinciæ nomen, & valli Damaſcenæ الغوطة *alganta* Arabibus ἐξόχως, toto orbe amœniſſimæ, Colonia Romanorum, dicta etiam ἱερὰ καὶ ἄσυλος, quam præterfluebat mediam *Abana*, & extrà mœnia fluens Χρυσορρόας, quem Parpar fuiſſe credunt, vel Farfar. Urbes Epiſcopales fuêre, *Heliopolis*, cui alia cognominis in Meſopotamiâ ad Euphratem, alia in Ægypti Auguſtamnicâ, de quâ infrà; *Laodicea* Scabioſa, veriùs Cabioſa, Καβίωσα Ptolemæo, etiam Laodicea πρὸς Λιβάνῳ, Colonia Romanorum, & Juris Italici facta à Severo. *Danuba*, *Danabe*, an *Cannaba*; *Abyla* in Notitiâ Ἄβιλα; *Emeſa*, vel *Emiſa* Euſebio, (undè data lex Conſtantii XXV. *de Decurion.*) Ptolemæo Syriæ, Stephano Phœniciæ adſcripta, in Notit. Græcâ Ἔμισα, & Metropolis; multis credita eadem quæ hodiè *Alep*, & ſic Patino in Nummis Trajani. *Epiphania* Syriæ antiquiſſima ab Epiphane condita, ad Orontem fluvium, patria Euagrii. *Palmyra* quondam à Salomone ſtructa, ſub nomine *Thadmor* Θαδαμόρα apud Joſephum, L. VIII. C. II. & Vulgatum Interpretem, I *Reg.* IX. 18. undè regioni nomen, mendoſè Ταλμύρη in Notit. facili permutatione τ & π ut Triſta Priſta, Tathyris Pathyris, &c. Hæc Ptolemæo dicitur φρουρίον Συρίας, adversùs Barbarorum incurſiones, ſita inter Damaſcum & Euphratem. Et quæ aliæ in Notitiis & Tabulis expreſſæ, & in Itinerario Antonini.

VI. Syria Cœle, vel Prima.

Syria ordine tertio in Notitiis locata eſt, ex Provinciis Orientis, quæ alias *Syria-Cœle*, ſed ut oſtenſum aliàs malè, & Syria *Prima*, ac *Conſularis*: Habuit ad Ortum Comagenam, ad Meridiem Phœniciam, ad Occaſum mare Syriacum. Et hujus Metropolis *Antiochia* ad Orontem fluv. Caput Romanarum Urbium in Oriente, τρίτον ἔχουσα τόπον in Rom. Imp. ex Joſepho de *Bello Jud. Lib.* III. C. III. Cujus nobile ſuburbanum, XL. ſtadiis diſtans, *Daphne* appellatum eſt, luco & fontibus celeberrimum, hinc Antiochia *Epidaphne*; Quemadmodum à Seleuco Nicatore XVI. Antiochiæ conditæ feruntur. Atque hæc primum ſibi locum vindicavit inter Metropoles, Colonia Romanorum, μητρόπολις Κολωνία, cui jus cudendæ Monetæ Pompejus conceſſit ex S. C. dein variis privilegiis aucta à Julio Cæſ. in cujus memoriam condiderunt *Æram* Antiochenam. Dicta etiam ἱερὰ ob Templum Jovis & Apollinis, ἄσυλος, αὐτόνομος, ἡ ἄρχουσα, ἡ προκαθημένη τῆς Ἀνατολῆς, apud Malelam, poſt & Θεοῦ πόλις, miraculo ſcil. ſervata. Sedes fuit Comitum Orientis, dein & Patriarchalis. Sed inviſa Hadriano, in cujus odium Syriam à Phœnice ſeparavit, *ne tot civitatum Metropolis Antiochia diceretur*, ut Spartianus refert in Hadriano.

Syriæ nomen latiſſimum.

Porrò Syriæ nomen, ſuprà omnia alia, in Geographiâ vetere πολύσημον eſt, complexæ olim *Meſopotamiam* ipſam, & quicquid Regionum eſſet, à Ciliciâ, Cypro, & Arabiâ, uſque ad Tigrim fluv. Syriæ, à Meſopotamiâ diſtinctæ accenſitæ etiam fuerunt *Palæſtina*, *Phœnicia*, *Comagene* ſeu *Euphratenſis*: Ac protenſa versùs Septentrionem ad Euphratem uſque & Taurum montem, Auguſti temporibus. Sed & tot *Syriæ* dictæ, quot Urbes in eâ nobiliores, uti *Antiochena*, *Seleucis*, *Laodicena*, *Apamena*, & hæ quatuor dictæ *Syria Tetrapolis*, nempè in quatuor Satrapias diviſa: Maxima quidem Antiochia, à Patre Seleuci Nicatoris; tum Seleucia à ſe ipſo denominata; Apamia ab uxore Apama, matre Antiochi Soteris; Laodicea à matre Seleuci, ut Strabo L. XVI. *pag.* 516.) hinc *Chalcidene*, *Cyrrheſtica*, *Chalybonitis*, *Palmyrena*, & quæ ſtrictiùs Κοίλη Συρία appellata, ad Libanum & Anti-Libanum montes. Tandem tres Syriæ remanſerunt in Notitiâ Imperii, avulſis ab hac Phœniciâ & Palæſtinâ, nempè *Syria prima*, quæ & Cœle, de quâ modò; *Syria ſecunda*, quæ & ſalutaris, quandoque Palmyrena; & *Syria Comagena*, vel *Euphratenſis*.

Primæ Syriæ urbes aliæ inclytæ.

In primâ Urbes inclytæ fuerunt: *Seleucia* Pieriæ regionis, hinc Seleucia Pieriæ, urbs παράλιος; *Beroia* vel *Beroa*, Βερόη, Βεροία, (diverſa à Βέῤῥοια Macedoniæ, nonnunquam confuſæ) cujus Epiſcopum Acacium mirè effert Sozomenus *Lib.* VII. C. XXVIII. *Chalibon*, ex חלב *Chaleb*, (à quâ *Aleppo* nomen veriùs retinuit, quam ut hæc ſit vetus Beroa, ut Bochartus & plerique, aut Hierapolis) & ſuprà hanc *Arabiſſus*, veriùs *Barbariſſus*, nec illa à cujus Epiſcopo Chryſoſtomum exceptum fuiſſe in exilio tradit Nicephorus *Lib.* XIII. A Syriâ I. poſt reſecta eſt *Theodorias* maritima, cujus Metropolis *Laodicea* Syriæ, quæ *Libera* dicta, ad diſcrimen Καβιώσας *Cabioſa*, ad Libanum. Hæc proximo poſt Antiochiam loco fuit in Metropolibus Eccleſiaſticis, ut ex lege Theodoſii 3. *de Fide Cath.* A Severi conjuge dicta etiam *Julia Severiana*, & ab eodem Severo Senatûs dignitate cohoneſtata, quod *Niger* eam fun-

ditùs evertiſſet. In hac *Theodoriade* fuêre Balanea, Gabala, Paltos, notis Eccleſiis, in Synodo Chalcedon. &c. & in Notitiis.

VII. Syria Secunda Salutaris. *Syria Secunda*, quæ & *Salutaris*, à ſalutaribus aquis, nonnullis *Palmyrenam* complexa, adſcriptam aliàs Phœniciæ Libani, habuit Libaniticam à Meridie, Syriam I. & Euphratenſem à Septentrione, Phœniciam & Theodoriada ab Occaſu. Præſidialis hæc fuit, quanquàm poſteà *Conſularis* ſub Juſtiniano. Metropolis fuit *Apamea*, vel *Apamia* Syriæ Tetrapoleôs inclyta, ubi multa rudera Antiquitatis, teſte Plinio; diſtinguenda ab Apamiis reliquis, quæ V. recenſentur: De quibus vide Seguinum in Numiſmat. p. 234. Octav. Falconerium de Nummo Apamenſi, p. 177. & nos Diatr. de Philippis. Urbes aliæ Epiſcopales inclytæ, *Seleucia*, à Pieriâ (quæ eſt ad Orontis oſtium) diverſa, *Balanæa* vel *Balanea*, *Lariſſa*, *Epiphania*, *Arethuſa* Syriæ Caſſiotidis, quam Joſephus facit dominii Judæorum, *Antiq.* L. XIV. C. VIII. quod tamen nunquàm ultrà Damaſcum ſe protendit. Et harum civitatum Epiſcopi leguntur in Actis Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſ. & paſſim apud Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſt.

VIII. Prov. Cilicia Prima. *Cilicia*, hodiè Carmania, prius unica Nicænorum & Conſtantini ætate, deinceps in duas tribuenda venit, quarum prior dicta fuit *Prima*, & *Campeſtris*, eademque Conſularis. Fuit huic ad Occaſum Iſauria, ad Ortum Cilicia altera, ad Meridiem Mare Cyprium. Hujuſque Metropolis *Tarſus*, quam διαῤῥεῖ ὁ Κύδνος apud Strabonem, caput Gentis, Colonia Romanorum, Civitas Libera, cui jus Romanæ civitatis, undè illud Pauli Tarſenſis *Act.* XXII. 28. dein dicta Ἀδριανὴ Τάρσος, Ἀδριανῶν Ταρσέων, aliquando Ἰουλιόπολις in honorem Julii Cæſ. Inclytæ Urbes aliæ Epiſcopales in Eccleſiaſticis Monumentis & Actis Conciliorum; *Antiochia* gemina, ad Pyramum & Lamum fluv. *Pompejopolis*, quæ prius *Solæ*, à Pompejo inſtaurata, & maritima, in quâ nati Philemon & Aratus, celebres tempore Philadelphi; *Sebaſte*, quæ nonnullis Auguſta, ſed hæc diverſa, in Not. Græc. Αὐγουστόπολις; *Corycus* vel *Corycium*, & *Zephyrium*, maritimæ, ut mittamus reliquas. Zephyrium verò aliud eſt apud Strabonem, Locrenſis agri promontorium, portus Zephyro, ut videtur, opportunus, à quo Zephyri Epitheton Λοκρεῖο; ſed & ab eodem Zephyro, portus alii id nominis acceperunt.

IX. Cilicia Secunda. *Cilicia Secunda*, cui à Septentrione Taurus mons, ab Ortu Comagena, à Meridie ſinus Iſſicus, ab *Iſſo* Ciliciæ oppido, olim etiam τραχεῖα *aſpera* dicenda. Fuit hæc jam tempore Concilii Chalcedonenſis à primâ diviſa, & Metropolitæ hujus mentio in *Actis Chalced.* Poſtea in nomen *Iſauriæ* tranſiit, apud Socratem L. II. C. XXXIX. Ἰσαυρίας τῆς ἐπικαλουμένης Τραχείας. Præſidialis hæc Provincia fuit, Metropolis autem *Anazarbus*, Ἀνάζαρβος, Ἀναζάρβα, Ἀνάβαρζα Cedreno, Zonaræ, Ἀνάβαρζος in Notitiâ, aliàs *Juſtinianopolis*, & *Cæſarea Auguſta*, Ptol. & Suidæ. Urbes aliæ Epiſcopales, inter cæteras, undè *Flavias* Φλαυιόπολις, hinc Φλαβιαδέων Epiſc. *Mopſveſta* vel *Mopſveſtia*, Ptolemæo Μοψουεστία, undè in Inſcript. Μοψεάται, cujus Epiſc. Theodorus ille Mopſveſtenus, habitus Magiſter Neſtorii, odium Acephalorum; *Æga*, Αἰγαὶ, Αἴγεια, quarum Epiſcopus in Concilio Nic. pro Ario ſenſit; *Iſſus*, Alexandri victoriâ nobilis, unde Sinus Iſſicus; *Alexandris*, ſeu *Alexandria minor*, cujus Epiſcopus Heſychius in Nic. Synodo; *Caſtabala*, ad eundem Sinum Iſſicum ſita, undè Maria illa Κασταβαλῖτις, cujus extat ad Ignatium Epiſtola, vulgò ἐκ Κασσοβήλων, &c. Plinius L. VI. C. III. *Caſtabalam* Cappadociæ adſcribit; *Strabo de Cilicia* detractam fuiſſe, quæ propriè ἐν τῇ Τραχείᾳ Κιλικίᾳ, ut idem L. XII. Ptolemæus τῆς ἰδίως Κιλικίας urbem facit *Lib.* V. C. VIII. Hîc fuiſſe τὸ τῆς Περασίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ubi ſacrificas Mulieres illæſis pedibus per prunas ambulaſſe dicerent, apud Strabonem. Hanc in Phœniciâ malè ponit Stephanus; quæ tamen communes Ludos, ἱερὸν ἀγῶνα, cum Hierapoli Syriæ habuit. Urbes alias, Εἰρηνόπολιν, Γερμανικόπολιν, *Juſtinianopolim*, &c. Notitiæ & Acta Conciliorum notant.

X. Iſauria. *Iſauria*, quæ ad Occidentem Ciliciæ I. cujus olim pars fuit, Mari Cyprio illi poſito ad Meridiem, Lycaoniâ & Tauro monte ad Septentrionem, Pamphyliâ ad Occaſum terminatur. Fuit ſub Perfectiſſimo Judice, dein Comite Spectabili, illi dato à Juſtiniano. Metropolis fuit *Seleucia* Iſauriæ diverſa à Seleuciis Syriæ, & ab alterâ Aſſyriæ, quæ ad Tigrim fluv. confuſione nonnunquàm obortâ. Et hujus Epiſcopus fuit Baſilius ille Seleucienſis, tempore Chalcedonenſis Synodi, Antiocheno tùm obnoxiæ, dein cum Iſauriâ ſubjectæ Conſtantinopolitano; ut in *Notit.* Græcâ antiquâ, in recenſione Provinciarum quæ ſub Throno τῆς βασιλίδος πόλεως. Urbes cæteræ Epiſcopales in Notitiis, *Antiochia* ad Tragum, *Diocæſarea*, *Philadelphia*, *Hierapolis* Iſauriæ, aliæ benè multæ videndæ in Tabulis.

XI. Cyprus. *Cyprus Inſula*, (tot nominibus inclyta, magnitudine, fertilitate, ſitu, opibus, Coloniis, Urbibus, admiſſione Chriſtianiſmi *Act.* XI. XIII.) *Conſularis* Provincia fuit, ac Ciliciæ adjacuit, & Syriæ versùs Orientem, ad Meridiem Mari Ægyptiaco, ad Occidentem Pamphylio, inter Provincias Populi cenſita. Metropolis prima *Salamis* ad litus Orientale, tempore Pauli; dein *Conſtantia* Κωνστάντια dicta, vel Conſtantina, cujus Epiſcopus fuit Epiphanius, tùm Sabinus; poſt *Nova Juſtinopolis* vel *Juſtinianopolis* dicta à Juſtiniano Imp. hodie *Famagoſta*.

Quanquàm & tota Inſula appellata à Juſtiniano *Juſtiniana Secunda*, in honorem Theodoræ Conjugis Cypriæ. Altera fuit *Paphos* ad litus *Occidentale*, unde & Inſulæ nomen fuit, quæ duæ clariſſimæ Cypri Urbes apud Melam, alios. Adde *Amathunta*, Urbem quoque Epiſcopalem ad litus Merid. undè Cyprus quoque Amathuſia; & *Lapathum*, vel *Lapithum*, undè fuit Georgius Cyprius, ad litus Septentrionale; hinc in IV. has regiones Cyprus tributa. Epiſcopales Urbes aliæ in Notitiis, & Actis Conciliorum, *Soli*, *Arſinoë*, *Cithri*, *Tiberiopolis* Cypri, &c. nam plures ejus nominis. Adi Notitiam Leonis, & in recentioribus lege Meurſium de Cypro Inſulâ.

Porrò hujus Inſulæ Metropolitano, Conſtantienſi Epiſcopo, multæ fuerunt cum Antiocheno lites, cui negavit conſtanter Ordinationum jura, provocans ad ἀρχαῖον ἔθος antiquam conſuetudinem, juxtà Nicænum Canonem, & contendens αὐτοκεφαλίαν, confirmatam illi in Epheſinâ Synodo *Can.* VIII. & in Actis Epheſinis, *Act.* VII. A quo tempore Patriarchica jura ſibi vendicavit, non demùm à repertis in Cypro reliquiis Barnabæ ſub Anaſtaſio, ut nugatur Nicephorus *Lib.* XVI. C. XXXVII. adjunctâ Cypro Provinciâ Helleſponti. Undè in Concilio Trullano poſt Antiochenum ſubſcripſit, & *Can.* XXXIX. illi tributum, τὸ δίκαιον ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ſcil. jus quod habuerat Sedes *Conſtantinopolitana* in Helleſpontum. Ubi malè legunt *jus Conſtantiæ*, ſcil. τῆς τῶν Κωνσταντιέων, quod jus indè à Juſtiniano Imp. jam habuit, Conſtantiâ in Juſtinianopolim commutatâ. Et in Notit. Græc. editâ ſub Leone Philoſopho, dicitur Cypri Ἐπαρχία *Provincia* ἔχουσα παρ' ἑαυτὴν δεσποτείαν *habens poteſtatem per ſe ipſam*, cujus umbra quædam Cyprio Metropolitæ etiam nunc ſupereſt.

XII. Arabia. *Arabia*, quæ ad Orientis Diœceſim ſpectavit, *Petræa* magnam partem fuit, (hodiè *Barraab*) ex quo Romano Imperio per Trajanum acceſſit, hinc

Ara-

Arabia Capta, Adquiſita in Nummis: Olim Idumæorum, Moabitarum, & Ammonitarum regio, cujus caput erat Petra, quæ dein Palæſtinæ tertiæ. Fuit illi ad Ortum Arabia deſerta, ad Occaſum Saracenorum Regio & Ægyptus, ad Septentr. Palæſtina Salut. & Phœnicia Libani. Fuit hæc ſub *Perfectiſſimo* Judice, inter Præſidiales dein relata à Juſtiniano. Metropolis autem *Boſtra*, Colonia Romanorum ſub Alexandro Severo, hinc Alexandrina, olim *Botſrá*, in confinio Moabitidis & Idumææ. In Urbibus aliis Epiſcopalibus fuit præ cæteris *Philadelphia*, undè Philadelphina Regio, & Ἀραβία τῆς Φιλαδελφίας, credita Ammana vel Rabbath-Ammonitica, ad montana quæ ad Ortum Palæſtinam ab Arabiâ dividunt; aliquando *Philadelphia Syriæ*, contradiſtincta Philadelphiis Iſauriæ & Lydiæ. Obſcuriores Urbes aliæ, quarum Epiſcopi paſſim in Conciliis Oecumenicis, ac Chalcedonenſi nominatim ſubſcripſerunt, ex Notitiis & Tabulis cognoſcendæ. In his Ἔρης πόλις Ἐσβούλων, cujus Σώσιος Epiſcopus dicitur, in Actis Conc. Chalced. Σάτα, Σάοτα, cujus Epiſc. legitur in Actis Conc. Epheſ. *Adra*, undè Proclus Ἀδράων in Chalced. Synodo, *Act.* VI. *Philippopolis*, *Maximianopolis*, *Canotha* Ptol. & Steph. Κάναθα, &c. In hac & Νύσση, Νύση apud Diodor. Strabonem, urbs non Indiæ à Baccho ibi condita ut Eratoſthenes Arcanus, ſed Arabiæ, Ægypto contermina; quam aliquando cum *Nyſâ* Thraciæ confundi, Frater meus indicat; uti *Nyſam* in Aſia minore, & Cariâ haud procul Trallibus, deſcribit Strabo, *Lib.* XIV. & Ptolemæus L. V. C. II. Deinceps hæc Arabia Hieroſolymitano Patriarchatui acceſſit.

XIII. Prov. Euphratenſis. *Syria Commagene* deinceps *Euphratenſis*, jam Ammiani tempore, & *Euphrateſia* Procopio, à ſitu ad Euphratem, quem ad Zeugma Urbem trajeciſſe dicitur Alexander, apud Plinium, Dionem, Stephanum. *Commagenam* dictam refert Ammianus, ab herbâ ad radices montis Amani, ex quâ fit Medicamentum Commagenum. Habuit adeò à Meridie Syriam I. ad Occaſum Ciliciam, ad Septentrionem Taurum montem, & Euphratem quoque. Metropolis fuit *Samoſata* Sedes Regum Commagenes; dicta etiam *Auguſta Euphrat.* ab Auguſto, & *Flavia* à Veſpaſiano. Ubi fuit Epiſcopus Paulus ille Samoſatenus, imperante in Oriente Zenobiâ, & dein Euſebius Samoſatenus, Orthodoxus, à Valente in exilium actus, apud Theodoretum *Lib.* IV. C. XIV. Epiſcopales Urbes aliæ principes, *Hierapolis*, malè nonnullis Aleppo hodierna, quæ Auſtralior; *Cyrrhus*, Κύρος *Cyrus*, cujus Epiſcopatum geſſit Theodoretus, undè ἡ Κυρεσῶν χώρα Cyrrheſtica regio; *Dolicha*, vel *Dolichium*, *Dolicum*, cujus in Nicænâ Synodo Epiſcopus Archelaus legitur; *Zeugma* ad Euphratem, unde tranſitus in Oſroënam, malè Ζεῦγμα in Notitiâ Græcâ, undè ἡ Ζευγματέων χώρα; *Germanicia* Γερμανίκεια, etiam *Germania*, non confundenda cum Germanicanâ Africæ, aut Germanicopoli Iſauriæ; in Nummis dicitur *Colonia Jul. Germanicia*, *Sacra*, *Auguſta*, *Felix*, apud Onuphrium. Adde *Cæſaream* vel *Neo-Cæſaream* Euphratenſem; Σεργιούπολις, à Sergii martyrio ſub Diocletiano; Κύδον urbem Euphrateſiæ, in Notit. Eccleſ. propè Samoſatam; Quarum Epiſcopi in Actis Conciliorum, Seculi IV. & V. paſſim memorantur. *Præſidialis* hæc Provincia fuit.

XIV. Oſrhoëna. *Oſrhoëna*, Ὀσροηνή, etiam *Oſdroëne*, pars quondam Meſopotamiæ, quam (ſtrictiùs dein appellatam) ad Ortum habuit, ut ad Occidentem Syrias, ad Septentrionem Amanum Syriæ, & Maſium Meſopotamiæ extremos montes; *Præſidialis* fuit primò, dein *Conſularis* ſub Juſtiniano. Inclyta hujus Metropolis *Edeſſa* in Itinerario Anton. *Ediſſa*, malè *Aidiſſa*, nec eadem cum *Orpha* hodiernâ, quicquid tradant, ad Chaboræ fontes. (Edeſſa Urbs.) Atque hæc Colonia Romanorum ſub Caracallâ, Μητρόπολις Ἐδεσσηνῶν, Κολωνία Ἐδεσσηνῶν, Syriæ à Stephano tributa, ad lævam Euphratis, Sedes Regulorum, qui *Abgari*, aliis *Agbari* communi nomine; quæque Epiſtolam Chriſti Servatoris ad Abgarum (de quâ fusè nos in Hiſtoriâ, *Sec.* I.) oſtentavit Euſebii ætate, ſed & Procopii illâ, tanquam Urbis Palladium, *Lib.* II. de *Bello Perſico*, C. XII. Urbem hanc poſteà vocatam Ἰουστινούπολιν obſervat Evagrius, quia ſub Juſtino I. reædificata, quum aquarum impetus magnam partem Urbis ſubmerſiſſet. In eâdem *Oſroënâ Carra*, Κάῤῥαι, Κάραι in Notitia Patriarchatuum, ad Chaboram fluv. undè Καῤῥηνοί, Craſſi clade nobilis, magis ad Meridiem; & *Dei Luni* gratiâ, qui colebatur Carris, dicti Carreni Φιλορωμαῖοι, eademque Metropolis, ſive Πρώτη, & Κολωνία in Nummis. (Carræ.) Si modò eadem *Charan*, quæ Patriarcharum, Χαῤῥὰν Lucæ, Χαῤῥὰν Joſepho, Ναχώρ τοῖς LXX. *Aran* Hieronymo, חראן *Harran* Arabibus, quæ ex Chaldæa ducebat in Canaanem, utique in Meſopotamia, quâ parte vicina eſt Syriæ. Vulgò hæc Borealior credita, ad montana & ipſos Chaboræ fontes, quæ reverà Auſtralior, peſſimè & cum *Orfâ* Arabum confuſa, nihil repugnante L. Holſtenio, *Annot.* ad Patriarchat. Antiochen. Adde *Bathnas* Βάτναι in Notit. & Stephano, *Bathas* in Itinerario Antonini, *pag.* 355. nobiles etiam Trajani expeditione; *Conſtantinam* vel *Conſtantiam* Straboni, & Ptolemæo Nicephorium oppidum Meſopot. ab Alex. M. conditum, poſt à Conſtantino de ſuo nomine appellatam; *Hemeriam* vel *Himeriam*, Ἱμερίαν, ad cujus Epiſcopum Euſtathium ſcribebat Baſilius M. *Epiſt.* XXXVI. Atque etiam alias in Notitiis.

Meſopotamia, quæ ſuperior ἡ ἄνω Μεσοποταμία in Notit. Græcâ, & deinceps τετάρτη Ἀρμενίας *quarta Armenia*, habuit ad Ortum & Septentrionem Tigrim fluv. ab Occaſu Oſroënam, à Meridie Euphratem. (XV. Meſopotamia.) *Præſidem* habuit, quanquam & *Vicarius Meſopotamiæ* legitur ſub Conſtantio, in l. 4. de Cohortalibus, Cod. Theodoſiani *Lib.* VIII. Metropolis hujus fuit *Amida*, in Borealiori parte ad Tigrim, hodiè *Amed*, non ut vulgò tradunt *Caramit*, quæ diverſa eſt in mediterraneâ regione. A Conſtantino eadem amplificata, & *Conſtantia* dicta; undè in Conſtantini Nummis aliquoties occurrit. Hinc celeberrima *Niſibis*, *Naſibis*, *Neſibis*, ad Meridiem Amidæ, & ad Tigrim fluv. inter hanc & *Ninum*, ſita, quam & *Antiochiam* τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ à Macedonibus dictam habet Strabo, L. XVI. munitiſſimum propugnaculum ad cohibendos Perſas & Parthos. Eadem Perſici poſt Jovianum dominatûs, & Chriſtianis ſolis patens tempore Juliani, ut eſt apud Sozomenum *Lib.* V. C. III. Sedes aliæ in Notitia Epiſcopatuum, *Martyropolis*, ſupra Niphates montes, XV. milliaribus ab originibus Tigris; *Daras* in confiniis Perſidis & Aſſyriæ; *Rheſina*, *Rhaſena*, *Reſſania* in viâ quæ Zeugmate Niſibim ducit; & quæ plures ibi recenſentur.

Diverſa ab hâc Prov. Meſopotamiæ fuit *Babylonia* illa, cujus Metropolis *Seleucia* Babylonia nempè, ad diſcrimen aliarum, conditâ à Seleuco Nicatore, ad Orientem Tigridis, dein Metropolis ſub Parthico & Perſico dominatu, extrà fines Rom. Imperii: (De Babylonicâ Prov. & & Seleucienſi Epiſcopo.) Cujus vicinitate exhauſta Babylon, ut poſtmodum *Seleucia* vicinitate *Cteſiphontis*, à Parthis conditæ teſte Plinio, tertio à Seleuciâ lapide; unde ſub eodem utraque Archiepiſcopo legitur, ſiquidem apud Sozomenum L. II. C. VIII. Συμεὼν Ἀρχιεπίσκοπος Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος. Dein ſurrexit è ruinis Babyloniæ *Bagdadum*, à Chalifarum ſexto conditum, nono à Seleuciâ lapide, ad Ortum quoque Tigridis; quo factum ut poſtea, Bagdado ſæpè

Digitized by Google

pè devaſtatâ, *Catholicus* earum Eccleſiarum tranſlatus ſit in urbem Meſopotamiæ *Moſul*, ad Occiduam Tigridis ripam, aliàs *Mozul, Mouſſoul, Mauzal.* Quæ tamen nec Seleucia ipſa, nec Ninive (quæ in Orientali ripa) ut vulgò traditum Geographis. De quibus etiam infrà, ubi de Sedibus Eccleſiæ extra Rom. Imp. Cæterum Perſidis & Indorum Epiſcopus *Johannes* apparet in Synodo Nicænâ, apud Gelaſium Cyzicenum; qui dein Perſidis Catholicus evaſit, diverſus à Catholico Bagdadi, ut Vitriacus monet. In Eccleſiaſticis autem ferè *ſub Antiocheno* fuit uterque Babylonis & Perſidis Catholicus, ex quo ille poſt tempora Synodi Nicænæ factus eſt Exarchus, tùm Patriarcha; tribus tamen Palæſtinis, & Cypro inſulâ, exceptis, ut monitum ſuprà. Qui etiam Antiochenus ipſum *Seleucienſem*, Babylonicæ Prov. Primatem, ſibi *Vicarium* eſſe voluit, qualiter adhuc Sec. XI. tempore Petri Antiocheni, ſub eodem Antiocheno fuit, ut Petrus de Marca Diſſert. de *Primat.* p. 120. *Patriarchatum* impetraſſe Seleucienſem à Nicænis, ſubtractum Antiocheno, habent Pſeudo-Canones Arabici, *Can.* XXXIV. quod & obſervatum Salmaſio, de Primatu Papæ, p. 219. 220. Hodiè Moſulenſis ſucceſſit in jura Antiocheni, cui Perſæ ſubſunt, poſtquam hujus ſub Saracenis imminuta auctoritas fuit.

Secunda Diœceſis Præfecturæ Orientis, *quæ dicta eſt,*

Æ G Y P T I.

Ægyptus inde ab Auguſto.

DE Ægypto in Provinciam redactâ ſub Auguſto, poſt Alexandriam expugnatam, Cæſare Octaviano IV. & M. Licinio Coſſ. A Urbis Cond. Varr. DCCXXIV. Deque ejus tùm extremis limitibus, Præfecto Auguſtali Equeſtris Ordinis, ſub hoc Præfecto Præſidibus, Comite Ægypti, Ducibus, Juridico Alexandrino; denique de ſingulorum inſignibus, poteſtate, cumprimis Præfecti Auguſtalis, qui *jure regio* dicitur rexiſſe Ægyptum apud Ammianum *Lib.* XXII. diſſertare alienum ab hoc loco ducimus.

Provinciæ Ægypti tempore.

Provinciæ primitùs tres cenſitæ Ægypti, Præfecto Auguſtali obnoxiæ, hinc in Eccleſiaſticis Alexandrino Epiſcopo, *Ægyptus, Libya, & Pentapolis Cyrenaica*, vel ex Canone VI. Nic. & Epiſtolâ Synod. Patrum. Confirmat Athanaſius, *Epiſt. ad Solitar.* recenſens ſimiliter *Ægyptum, Libyam,* & *Pentapolim.* Undè neceſſariò conficitur, Thebaidem primam, in quâ Lycopolis, cujus Epiſcopus Meletius comprehenſam ſub Ægypto fuiſſe, hinc πᾶσαν τὴν Αἴγυπτον idem Athanaſius dixit, Thebaide incluſâ *Epiſt.* ad Epiſcopos Africæ, & alibi etiam *Thebaidos*, ut ſuæ Diœceſeôs, meminit. Ammianus Marcellinus memorat *Ægyptum, Thebaida,* & *Libyam*, Pentapoli Libyæ accenſitâ, quas Provincias Ægyptus habuiſſe priſcis temporibus diceretur, *Lib.* XXII. p. 232. Hinc acceſſiſſe dicit *Auguſtamnicam*, & *Libyam* alteram, diſſociatis Libyis: Athanaſius verò in *Apologia* II. deſcribens Synodum Alexandriæ congregatam, Auguſtamnicâ omiſſâ, recenſet *Ægyptum, Thebaida, Libyam, & Pentapolim.* Tandem & *Arcadia* ſextam Provinciam cum Auguſtamnicâ conſtituit, tempore Synodi Conſtantinop. I. ab Arcadio Theodoſii filio cognominata.

Ut deinceps aucta.

Succeſſu vero temporis auctus Provinciarum numerus, *trium* acceſſione, ex diviſis *Thebaide, Ægypto, Auguſtamnicâ*, ſingulis in *Primam* & *Secundam*, vel ex Actis Chalcedon. & *Nov.* atque *Edictis* Juſtiniani, undè iis Provinciæ novem. Ægypti etiam Diœceſi ſubjicit Epiphanius *Hær.* LXVIII. *Hammoniacam regionem*, cum *Ægypto, Thebaide, Libyâ, Pentapoli, Marmaricâ*, (legendum enim in Textu Epiphanii Μαρμαρίδος) & *Mareotide*; quæ Mareotis reverà pars fuit Ægypti prima, χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας, cui non Epiſcopus alius quàm Alexandrinus, & in quâ *Iſchyras* primùm turbavit, Athanaſii accuſator apud Socratem, *Lib.* I. C. XXVII. & Athanaſium *Apologet.* II. Deinceps verò à Juſtiniano Libyæ adſcripta Mareotis ſive Mareota, in *Edicto* XIII. Porrò in Notitiâ Græcâ, Ἐπαρχία Τριπόλεως *Provincia Tripolitana* decimam Ægypti conſtituit quæ olim Africanæ Diœceſeôs. Univerſa autem Ægyptus tandem in tres diviſa fuit; *Superiorem*, quæ ad Meridiem, & Thebaidos; *Mediam*, quæ Arcadica, & Heptanomos; & *Inferiorem*, quæ ſtrictiore uſu Ægyptus, & Delta Geographis, Auguſtamnicam quoque complexa. Sic *Libyam utramque* Juſtinianus ſeparavit à Præfecturâ Auguſtali, & utriuſque Præſides huic exemit, *Edicto* XIII. quod eſt de Provinciis Ægypti, *Cap.* XVIII. XIX. Nullæ autem ſub Præf. Auguſtali Provinciæ fuêre *Conſulares*, ne hi ſubeſſent viro Equeſtris Ordinis, ſed *Præſidiales* omnes, vel *Correctorum*, ut Auguſtamnica.

Poſtquàm verò *Æthiopia*, ſeu *India* citerior, vel interior, extrà fines Rom. Imperii conſtituta, fidem Chriſtianam aſſumpſit, circà tempora Nicænis proxima, (quomodò Ædeſium & Frumentium, qui eò adoleſcentes profecti, non Indos propriè dictos convertiſſe, ſed *Æthiopas* Indorum colonos, ſæpiùs Indos Veteribus, Lucas Holſtenius in *Notis Geogr.* non ſemel, & Henr. Valeſius *in Lib.* I. Socratis, *Cap.* XIX. rectè cenſent) protenſi tùm fuêre limites Alexandrini Epiſcopi, à quo Æthiopes acciperent ordinationes: Undè Metropolita Æthiopum, quem *Catholicum* & ابونا *Abuna* quoque dixerunt, ſub Alexandrino quàm diutiſſimè fuit, quod, in Pſeudo-Nicænis Canonibus Arabicis, ſancit *Canon* XXXVI. Mirè deinceps acciſi limites Alexandrini Patriarchæ, maximè poſtquàm à Jacobitis omnia occupata, qui per annos ferè C. totam Diœceſim ſub Chaliſis tenuerunt, à Chaliſatu Omaris ſub Heraclio ad Hoſiæmum, Patricide teſte, *Annal.* T. II. Poſtquam itidem ſuum Æthiopes Patriarcham ſibi conſtituerunt, præter vaſtationes Saracenorum, & Infidelium dominatum.

Nunc Provincias ſingulas, ut habent in Notitiâ Imperii, & ſpectant ad Geographiam Eccleſiaſticam, *ſex* ibi numero, ſed dein ſubdiviſas, recenſemus.

Ægyptus, cujus nomine pars quoque *Thebaidos* primitus comprehenſa fuit, imò tota Diœceſis Auguſtalis, jam ſtrictiùs inferiorem eam partem dixit, quæ à regione *Alexandrinâ*, in quâ *Mareotis*, (à Mareâ fonte vel λίμνῃ propè Alexandriam, Arab. مريوط, undè Ἀλεξάνδρεια ἢ Μαρεότου Νόμου) ſe ad Ortum extendit, uſque ad Bubaſticum fl. & à Meridie ad angulum Deltæ, in quo *Babylon.* Hujus Metropolis fuit *Alexandria*, civitas παράλιος, omnium civitatum Rom. Imp. dignitate, magnitudine, opulentiâ, frequentiâ Populorum, ædificiorum ſplendore, annonæ ubertate, ac frumenti copiâ, undè Symbolum in Nummis *frugum Caniſtrum, Ariſta, Spica*, propè quas *Vitis*, à vini Mareotici præſtantia, qui Μαρεώτης οἶνος, (undè uvæ *Mareotides* de Ægyptiis, apud Servium, *Georg.* L. II.) poſt Romam ſecunda, ut ex Diodoro, Joſepho, Strabone, Euſebio, Ammiano, Theodoreto, &c. conſtat. Hinc vocatur *magna*, etiam πόλις per excellentiam dicta, quæ Pharo ſuo ſuperbiebat, ἑπτασταδίῳ χώματι, ſub Cleopatrâ cum oppido ponte juncto, ne Inſula eſſet; undè conjectura, *Ariſteam* qui meminit ἑπτασταδίου Libro de LXX. Interpret. vixiſſe poſt Cleopatram. Malè Homerus, *diei* itinere abeſſe Pharum ab *Ægypto*, niſi voluit per Ægyptum Peluſiacum Nili oſtium. Nec aliunde tanta primis ſeculis


1. Ægyptus, ſeu Alexandrina.

Digitized by Google

Col. 87.



Digitized by Google



Digitized by Google

culis Alexandrini auctoritas & Eccleſiæ ejus dignitas fuit; ſecundæ omnino poſt Romanam, & quæ κορυφὴ ἁπασῶν Ἐκκλησιῶν Euſebió, *de Vitâ Conſt. Lib.* II. planè ut Urbs ipſa, *vertex omnium civitatum* Ammiano, *Lib.* XXII. Ut nugentur qui vel à Petro, vel à Marco fundatore, *Patriarchalem* dignitatem arceſſunt. Inclyti porrò hujus Eccleſiæ Epiſcopi traduntur apud Euſebium, Socratem, cæteroſque, à ſecundo Seculo, continuatâ ſucceſſione; Agrippinus, Julianus, Demetrius, Heraclas, Dionyſius, Maximus, Theonas, Petrus, Achyllas, Alexander, Athanaſius, &c. Sed infelix Eccleſia inde à temporibus *Dioſcori*, Cyrillo Alexandrino ſuffecti, per quem mixta omnia turbis, factionibus, atque Eutychiano errore impleta.

Urbes aliæ, quarum primitùs leguntur Epiſcopi, ac memorantur Eccleſiæ, vel accenſentur *prima*, vel *ſecunda* Ægypto. In primâ Ægypto, nota primitùs ab occiduâ Nili parte *Hermopolis*, vel *Hermupolis*, eaque *Parva* ſeu *Minor*, (diſt. ab eâ quæ Ἑρμούπολις μεγάλη, undè Ἑρμουπολίτης Νόμος) ad cujus Epiſcopum Κόνωνα, τῆς παροικίας τῶν Ἑρμουπολιτῶν, Dionyſius Corinthius Epiſtolam de Pœnitentiâ ſcripſiſſe fertur Euſebio, *Lib.* VI. *Hiſt.* C. XLVI. Adde Κάνωπον, Κάνωβιν, Κανόβοιαν Stephano, ad Heracleoticum Nili oſtium, Alexandriæ proximam, quam Inſulam dicunt Pomp. Mela, Stephanus, & Euſtathius ad Dionyſium Periegetem. An à *Canopo* ſic dicta Menelai gubernatore, ibi forte aquis abſorpto, ad inſtitutum noſtrum nihil attinet. Adde *Metelim* Ptol. in Notitia Græca Μίλεως, quæ hodiè Roſetto; *Cleopatrida; Andropolim*, in Notitiâ Ἀνδρονικίας; *Letum* Ptolemæo, vel *Laton* in Itiner. Antonini, in Notitiis *Latopolim*, versùs angulum Deltæ ad Occidentem; & aliæ in *Notit.* Quarum omnium Epiſcopi memorantur in Actis Epheſinis, vel Chalcedonenſibus.

Ægyptus Prima.

Ægyptus Secunda.

In Secundâ Ægypto, quæ prima fuit ad Orientem, celebres Eccleſiæ ſedes fuerunt, *Cabaſa* vel *Cabaſſa*, *Elearchia*, *Dioſpolis*, *Leontopolis*, *Paralus*, *Buſiris*, &c. quarum itidem Epiſcopos Acta Chalcedonenſia, & aliarum Synodorum, referunt. Hic & *Tanis* quondam ſita, *Tzoban* in Script. πόλις μεγάλη Stephano, à quâ Tanitæ Paſtores, de quibus dictum loco ſuo. Vide & in Auguſtamnicâ I.

II. Libya Pentapolis vel Cyrenaica.

Libya ſuperior ἡ ἄνω Λιβύη quæ & *Pentapolitana*, à *quinque* Urbibus, (ut *Pentapoles* ſuas habuit Armenia, Pontus, Doris, Aſiana, Italia) Ptolemaide, Arſinoe, Berenice, Apolloniâ, (cujus loco Darnim recenſet Ammianus) & *Cyrene*, atque à poſtremâ hac *Cyrenaica* nuncupata eſt. Terminus fuit ad Occidentem Syrtis major, ad Meridiem Pſyllorum regio, & Libyæ deſerta, ad Ortum Libya Marmarica. Metropolis fuit *Ptolemais* Cyrenaica, ἡ Βάρκη πρότερον, cujus Epiſcopus *Secundus* cum Ario ſenſit, in Synodo Nic. diverſâ à Ptolemaide Thebaidos II. & anteà *Barce*, ex Strabone & ex Plinio, nuncupata; Tùm *Cyrene*, *Cyrenaica*, Κυρήνη in Notit. à quâ Provinciæ nomen, & in quâ omnes ferè Græci & Latini ſcriptores ponunt *Ammonis* Oraculum, hinc in Cyrenæorum nummis imago *Ammonis* viſitur, & ſub hac Alexandri M. Tum *Berenice*, quæ olim dicta putatur *Heſperides* ſic Voſſius ad Melam, p. 36. (nec enim hoc reliquarum Civitat. nomen, ut Scaligero impoſuit Ammianus, & rectè ad hunc obſervatum eſt H. Valeſio) diverſa à Berenice ſuperioris Thebaidos, & ad cujus Epiſcopum ſcripſit Dionyſius Alex. apud Euſebium, *Lib.* VII. C. XXI. Scylax in Periplo; *Aportu Barces ad Heſperidas*, urbem & portum, ſtadia IƆCXX. in quibus *Hortus Heſperidum*, in loco prærupto, nuſquam habente deſcenſum, idemque arboribus denſus. Vide quæ annotarunt Iſ. Voſſius, & Clariſſ. Gronovius noſter. Poſt *Arſinoë*, quæ & *Teuchyra*, Τεύχειρα, apud Strabonem, Ptolemæum, Stephanum; tandem *Apollonia* maritima, Ἀπολλωνίας emporium Cyrenenſ. à Cyrene diſtans LXXX. ſtadiis, ut Strabo; quæ tamen in Notitiis deſideratur. Legitur etiam Καρχηδὼν Μητρόπολις Λιβύης, apud Stephanum, quæ eadem cum magnâ Carthagine, μέγα ἄστυ Ptolemæo, prima Colonia Romanorum extrà Italiam ducta. Fuit & *Boreum*, *Borium*, ad Syrtim Promontorium extremum, cujus Epiſcopus Ario ſimiliter adhæſit, ex Philoſtorgio. Poſt Ptolemæi Appionis Cyrenarum Regis fata, diu ante Ægytum, Provinciæ formam accepit C. Caſſio decretam à Senatu.

III. Libya Marmarica.

Libya Inferior, ſeu arida, ξηρολιβύη, ἄνυδρος Joſepho, media inter Ægyptum ad Orientem, & Cyrenaicam ad Occaſum, dicta etiam fuit *Marmaria* & *Marmarica*, ad Mare Libycum, cui ad Meridiem Hammoniaca regio. Pars antè fuerat Pentapoleôs, poſtea abſciſſa, jam Nicænorum ætate. Habuit Urbes inclytas, quarum Epiſcopi in Actis Conciliorum paſſim memorantur, & apud Athanaſium, Socratem, alios, quales v. gr. *Darnis*, malè Δάρδανις in Ptolem. quæ Marmaricam terminat ad Orientem Pentapoleos; *Marmarica* in medio regione, cujus Epiſcopus Theonas, cum ſecundo Epiſcopo Ptolemaidos, à Nicænis damnatus; *Zagylis*, Ζάγυλοι, *Zygilis* in Antonini Itiner. *Ammoniaca* regio, &c.

IV. Auguſtamnica.

Auguſtamnica dicta, quæ ad ripam Orientalem τοῦ Ἄμνου fluvii, & ad Orientem Inferioris Ægypti, extrà parvum Delta, habuit Arabiam ab Ortu, Arcadiam ad Meridiem, ad Septentrionem Mare Ægyptium: Diviſa fuit in duas, *Primam* versùs Mare & Palæſtinam, & *Secundam*, quarum illa ſub Juſtiniano Conſularem, hæc Correctorem habuit.

Prima Auguſtamn.

Prima urbes præcipuæ, ex Notitiis Epiſcopatuum notæ, fuerunt; *Peluſium*, quod Arabiæ quandoque dicitur, ἀπὸ πηλοῦ *luto*, planè ut *Hebr.* סין *ſin* eodem ſignificatu Peluſium notat, veriùs quam à Peleo Achillis patre, apud Ammianum: Atque hæc, ſita ad Oſtium Nili Peluſiacum, clavis quondam Ægypti fuit. *Rhinocorura* fuit extremus limes Ægypti, versùs Palæſtinam, cujus Zeno Epiſcop. interfuit Epheſinæ Ληστρικῇ; *Oſtracina*, *Oſtracine*, quæ ἄνυδρος Gregorio Nazianzeno *Ep.* XII. huic proxima; *Caſſium* vel *Caſium*, ad montem cognominem Jovi ſacrum, ubi Pompeji M. ſepulchrum, juxtà Peluſium; etiam *Tanis*, in Tanitico Nili oſtio, πόλις μεγάλη Αἰγύπτου, Stephano; aliæ plures. Epiſcopi interfuêre paſſim Synodis, & plures Epheſinæ Ληστρικῇ ſeu Latrocinio, ex *Actis Chalced.*

Secunda.

In *Secundâ* Auguſtamnicâ, illinc ad Arabiam, Ortum versùs, hinc ad Mare Erythræum, & ad angulum Deltæ, ſed extrà illud, porrectâ, fuêre Urbes, in monumentis Eccleſiaſticis non ignobiles: *Bubaſtus*, vel *Bubaſtis*, undè Bubaſtiacus fluvius, ea pars Nili quæ ſe ad Peluſium effundit, Joſepho ἄγρια dicta, apud quam conditum Oniæ Templum, *Antiq.* Lib. XIII. C. VI. *Heliopolis* ἡλίου πόλις, Mnevi quondam & Soli ſacra, quò Phœnix nidum ſuum deferre creditus; in cujus Νόμῳ præfecturâ Onium fuit, ut ibidem Joſephus, & de *Bello Jud. Lib.* VII. C. XXX. nec longè indè locus, ſcil. hortus *Balſami* ad Matarеam, ubi Chriſtum infantem latuiſſe multis fabulantur, ex nugivendulis, Burchardus Monachus, Itinerariographi, Baronius, alii. *Babylon*, *Babylonia*, ubi hodiè Cairum vetus, ad ripam Orientalem fluvii, juxtà Heliopolim Ptolemæo, è regione ferè *Memphis* veteris, Cyro Babylonis Epiſcopo in Actione I. Con-

cilii Chalced. de quâ diximus fuſè *Diſſert.* de Petro, an Romæ fuerit? Mittimus Atribim, Α'θρόβην in Notitiis, *Thon* Τοὺμ Ptolemæo, *Antiton*, *Scenas Mandras*, vel *Mandrorum*, &c. In Notitâ Græcâ Λεοντὼ hujus Auguſtamnicæ μητρόπολις dicitur, aliis *Leontopolis*, quæ tamen intrà Deltam, & ſita in Ægypto Secundâ, ubi Dioſpolis, Buſiris.

v. Arcadia Heptanomos.

Arcadia, quæ & *Heptanomos* à Septem Præfecturis, & *Heptapolis* à Septem Urbibus Nilo adjacentibus, etiam Ægyptus *Superior*, habuit à Septentrione Ægyptum & Auguſtamnicam, ad Meridiem Thebaida, ad Occaſum Libyam, ad Orientem Sinum Arabicum. Inter Urbes, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ domicilium præbuêre, notant *Oxyrinchum*, quæ μητρόπολις in Notitiâ Græcâ, memorata & Ammiano; *Thamiatem*, quæ non profectò Damiata hodierna, ratione ſitûs; *Aphroditem*, Plinio *Aphroditopolim; Nicopolim*, cujus Epiſcopus Chæremon inter Martyres, apud Euſebium *Lib.* VI. C. XLII. Babyloniæ vicinam, & Auguſtamnicæ; *Memphim* denique ad latus Occidentale Nili, à quâ Νόμος Μεμφίτης, ex *Moph* Hebræorum, Ægyptiorum quondam regiam, cujus Epiſcopus in Actis Nicænis legitur; quanquam nullum hodiè Memphiticæ Urbis veſtigiumupereſſe tradit inter cæteros Petrus à Valle, *Itiner. Part.* I. C. XXII. Undè peſſimè cum Cairo confundunt, ipſe Carolus à S. Paulo in *Patriarch. Alex.* nihil obſervante ad hoc L. Holſtenio in *Notis*.

VI. Thebais.

Thebais, omnium latiſſimè patens, à *Thebis* Ægyptiis, quas ἑκατομπύλυς dixit Homerus Iliad. IV. etiam Διόσπολιν μεγάλην, & à quibus Ægyptus univerſa dicta quondam Θῆβαι, Herodoto teſte *Lib.* II. *Ægyptus ſuperior* appellata eadem nonnullis, quæ à Meridie Æthiopiam dorſo contingit, ut loquitur Mela, ad Syenem uſque Συήνην סונה. *Ezech.* XXIX. 10. imò ad Φύλας *Phylas*, longè celebratiſſimas Geographis & Urbes & Inſulas ad Nilum, quarum poſtremam ſtatuit Bochartus eſſe *Pulem*, de quâ *Eſajæ* LXVI. 19. Ab utroque verò latere, illinc Libyâ arenoſâ, hinc Troglodyticâ regione, & Sinu Arabico terminata fuit. Temporibus Juſtiniani jam omninò in duas tributa, *Primam* & *Secundam*, quarum illa Arcadiæ contigua, & vicinior Ægypto fuit.

Prima quæ dicta.

Primæ Thebaidos Metropolis fuit *Antinoë*, in Notit. Α'ντινῶ, ut Λεοντὼ, Λυκὼ, Η'ρὼ, noto jam Urbis hujus Epiſcopo tempore Nicænorum. Ejuſdem Urbs *Lycopolis*, unde fuit Meletius ille à Petro Alexandrino primùm ejectus, dein in Metropolitani ſui jura invadens, ſed à Nicænis Alexandrino reſtituta. Urbes aliæ in Notitiâ Epiſcop. *Hermopolis*, ſcilicet μεγάλη, *Panopolis* quæ & Πάνος, etiam Chemnis; *Apollinis* parva, &c.

Secunda Thebais.

Secunda Thebaidos Metropolis in Eccleſiaſticis Tabulis eſt *Ptolemais* ad Nilum, nec indè longè *This*, undè Thinites Nomos. At celeberrima antiquitus fuit *Coptos* Thebaica, ad Nilum ſita, à quâ Coptos vel Coptitis nomen, & linguæ Copticæ, القبط Arabibus; undè ſubſtituto *Gajin* Arabico loco τῦ *Kaf*, factum eſſe *Gopti*, *Gypti*, hinc *Ægyptii*, monet inter alios Morinus, de Ordinat. Sacris *pag.* 504. Et ſanè Coptus ampliſſima olim Civitas fuit, Emporium omnium Judaicarum & Arabicarum atque etiam Æthiopicarum mercium, Strabone & Plinio teſtibus, quæ ex oppido *Berenic*, prope quam ναύςαθμος *navale*, quod eſt ad Mare Rubrum, Coptum Camelis deferrentur, indè ſecundo flumine Alexandriam. Omnes autem antiquitate, opulentiâ, magnitudine incredibili, frequentiâ hominum, armatorum multitudine, ſuperarunt *Thebæ* ἑκατόμπυλοι, etiam Θηβαΐς, alias Διόσπολις *Dioſpolis magna*, & Hebræis, juxtà Bochartum, *No-Amon*, *Nah.* III. 8. Urbs à Babyloniis primùm, tùm à Perſis ſub Cambyſe, tandem & à Corn. Gallo ſub Auguſto exhauſta; cujus pars ſita fuit in Arabiâ, ubi Urbs ipſa potiſſimum, pars in ulteriore regione, ubi Templum & Statua Memnonis τὸ Μεμνόνιον. De quâ multis paſſim ex veteribus, Homero, Pauſaniâ, Strabone, &c. Viri docti, Scaliger, Salmaſius, Is. Voſſius, Bochartus, alii. Denique ut mittamus Urbes alias quæ in Notitiis, notatu digna eſt *Thatyris*, vel Ταθυρὶς, & ſi vera Bocharti conjectura, legendum Παθυρὶς, undè Paturites Nomos apud Plinium, ex *Pathros*, quæ ſit apud Jeremiam C. XLIV. 1. & Ezechielem C. XXIX. 14. ipſiſſima Thebais, de quâ vide *Phaleg*, Lib. IV. C. XXVII. Hæc de Diœceſi Ægypti.

Coptitæ, Copti.

Thebæ Ægyptiæ.

Tertia Diœceſis Orientis, quæ dicta eſt

ASIANA.

Asia & Asiana Diœceſis, quæ ſic dictæ.

ASIÆ latiſſimum nomen eſt, uſurpatum paſſim ſeu pro tertiâ olim parte τῆς οἰκυμένης; ſeu pro Majori Aſiâ quà latè patuit in & extrà Romanum Imp. ſeu pro illâ Aſiâ, & omni quidem, quæ Romanis paruit; ſeu pro Minori tantum Aſiâ, inter Pontum Euxinum & Mare Mediterr. ad Euphratem & Syriam uſque porrectâ, à חצי *Aſi* Bocharto, quaſi *media* inter Africam & Europam; ſeu pro Aſianâ Diœceſi, quæ Vicario Aſiano ſuberat, ſeu denique pro Aſiâ Proconſulari, quæ Proconſuli parebat. Totìus *Aſianæ Diœceſeôs*, (ut *Proconſularem Aſiam* quoque complectitur, quas diſtinguit lex 3. Theodoſii M. *de Fide Cath.* in Codice Theodoſiano, initio *Lib.* XVI.) termini ultimi fuerunt; Ad Occidentem quidem & Meridiem Cyclades Inſulæ, in eâ comprehenſæ; ad Ortum & Septentrionem Pontica Diœceſis, ſeu Bithynia, Galatia, Cappadocia, Cilicia; ad Meridiem præ契 tereà Mare Carpathium & Pamphylium.

Provinciæ Aſianæ.


Provinciæ Aſianæ in univerſum *decem* nnmerantur, nempe exceptâ Aſiâ Proconſulari, cum quâ *undecim* fuêre, quæ Diœceſim Eccleſiaſticam conſtituerunt. Et plures olim à *Proconſule* Aſiano adminiſtratæ Provinciæ. Dein ſub Conſtantino M. reciſæ, Phrygia, Lydia, Caria, cæteræ quæ ſubjectæ Vicario Præfecti Præt. relictâ Proconſuli *Aſiæ* Provinciâ, ſtrictiùs dictâ, quæ hinc Proconſularis; cui deinceps *Cycladas* Inſulas, & *Helleſpontum* Conſularem, adjecerunt Arcadius, Honorius, Theodoſius, vel ex Notitiâ Imp. & lege de *Officio Comit. S. Patrim.* in *Lib.* I. Codicis Juſt.

Epheſini Primatus in Eccleſiaſticis.


In Eccleſiaſticis primatum totius Aſianæ Diœceſeôs Epheſinus habuit, qui & primus eſt inter Angelos *Apocal.* II. uti in Civilibus *Epheſus* fuit ἡ πρώτη καὶ ἡ μητρόπολις τῆς Α'σίας, eademque Proconſularis: Accedebant *Pauli*, *Timothei*, *Johannis*, auguſta nomina, vel fundantium eam Eccleſiam, vel regentium quondam, ex Sacris partim, partim ex Irenæo, Tertulliano, Euſebio, aliis Veterum. Hinc, cum Polycrate Epheſino ſentientes Eccleſiæ reliquæ Aſianæ, in cauſſâ Paſchali; hinc primatûs jura, τὰ πρεσβεῖα, illi deinceps aſſerta, confirmata à Nicænis, tanquam primo *Metropolitano* in Proconſulari E'παρχίᾳ Aſianâ; tùm à Conſtantinopolitanis, quando jam E'ξαρχοι Διοικήσεων conſtituti ſunt, iidemque inde dependentes ab aliâ ſede, habentes τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, inter quos Epheſinus. Dubius tamen locus apud Socratem, in quo *Iconienſis*, & *Antiochenus* Piſidiæ, in Aſianâ Diœceſi τὴν πατριαρχίαν κληρῶσαι *Patriarchatum ſortiti eſſe* dicuntur, *Lib.* V. C. VIII. ſcil. extrà ordinem, & lege Theodoſii M. reducendis Eccleſiis Aſianis

ad

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

ad fidem Catholicam, ut rectè Sozomenus, *Lib.* VII. C. IX. de quâ etiam infrà, ubi de *Iconio* Lycaoniæ Metropoli. Mox tamen excidit Epheſinus αὐτοκεφαλίας jure, in Aſianâ Diœceſi, ut in Ponticâ Cæſarienſis, ipſo jam Chryſoſtomo Conſtantinopolitano προμήθειαν ποιȣμένȣ τῆς Θρᾳκικῆς ἁπάσης, καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, καὶ τῆς Ποντικῆς, ut Theodoretus *Lib.* V. C. XXVIII. pluribus rei exemplis apud Socratem & Sozomenum. Adeò ut jam ad conſuetudinem provocarit Conſtantinopolitanus, in Chalcedonenſi Synodo, cujus *Act.* XVI. Ordinationes, in Aſianâ quoque Diœceſi, ſubjiciuntur non Epheſino ſed Conſtantinopolitano, ſublatâ αὐτοκεφαλίᾳ, quam reſtituere Epheſino molitus eſt Timotheus Ælurus, favore Baſiliſci, & in odium Acacii Conſtantinopolit. ex Euagrio *Lib.* III. C. VI. non duraturâ reſtitutione. Manſit illi tamen titulus *Exarchi*, ſed titulus modo. Age autem Provincias Aſianæ Diœceſeôs, quod hujus inſtituti eſt, percurramus.

I. Provincia Aſiana, quæ dicta Aſia. *Aſiam* vocarunt Romani in ſpecie, Strabone teſte *Lib.* XIII. eam regionem vel Provinciam, quæ Pergamenorum Regum fuerat, quæ inter Helleſpontum, Lydiam, & Cariam, pars Myſiæ cum Æolide, Ioniâ, illinc ad Sinum Adramytticum, hinc ad fontes Mæandri protenſa. Metropolis prima *Epheſus* fuit, Sedes Proconſulum Aſiæ, (de quâ in ſuperioribus dictum) judicio Antiochi Regis, ut refert Suidas, vel ſitu ſuo Urbium Aſianarum princeps, ἀκρόπολις ἢ ἀμυντήριον *arx aut propugnaculum* omnibus Aſiæ Regibus. Hîc Κοινὸν Ἀσίας celebratum, & ob Dianæ præcipuè Templum Epheſii dicti Νεωκόροι, quales in Nummis δὶς, τρὶς, τέταρτον Νεωκόροι; id eſt, Civitates quæ curam haberent Pomparum & Ludorum Solennium, in honorem Imperatorum; & quæ veluti Æditui Templorum eſſent, quæ in ſuo ambitu ſummâ religione frequentarentur.

Proxima illi Apoſtolica ætate fuit *Smyrna*, eadem quoque Metropolis, de quâ fusè ſuprà, cujus Eccleſiæ Epiſcopus Polycarpus, & cui inſcripta ex VII. Ignatianis una; licet in Notit. Græcâ Epiſcopatuum non expreſſa: Hinc *Pergamus*, in Æolide propriè, & in rupe ſtructa, hinc *Pergama* pro locis editioribus, Sedes Attali Pergameni, de quâ ſimiliter ſuprà, ubi de Rom. Imp. Metropolibus: *Magneſia* ad Mæandrum, diverſa ab eâ quæ ad Sipylum montem, quos ad Magneſios ſcripſiſſe fertur Ignatius: *Adramyttium* ad Sinum, præſentibus hujus Epiſcopis in Conciliis Epheſino, Chalcedonenſi: *Antandrus*, ſuprà Adramyttium, in confiniis Helleſponti; *Colophon* Κολοφώνη inter Epheſum & Smyrnam, Ioniæ Civitas & Metropolis, ubi Oraculum Apollinis Clarii in ſpecu, & quæ Homerum ſibi quoque vindicavit; *Cuma* ſimiliter, inter Smyrnam & Pergamum; *Priene*, inter Epheſum & Magneſiam, patria Biantis, Ioniæ maritima, in Cariæ confinio; *Clazomene* Peninſula, olim mari circumdata, ut Tyrus; *Erythra*, πόλις Ἰώνων Ptol. *Teos*, cujus ἐθνικὸν Τήϊος, Τήϊος, inter Sinum Smyrnæum & Ionium, &c. Mittimus *Aureliopolim*, *Arcadiopolim*, *Theodoſiopolim*, *Valentinianopolim*, *Metropolim*, aliaſque ex Hierocle Grammatico & Notitiis petendas; & quarum omnium Epiſcopi in Actis Conciliorum Oecumenicor. leguntur.

II. Helleſpontus. *Helleſpontus* pars minoris Phrygiæ, ſeu Myſiæ Aſiaticæ, in quâ *Troas* regio exigua & urbs adjacens Helleſponto, *Conſularis* Provincia fuit, ſub Proconſule, ex lege dictâ Honorii, cui à Septentrione Propontis, ad Ortum Phrygia Pacatiana, ad Meridiem Sinus Achæorum & Adramyttenus, ad Occidentem Helleſpontus, cujus oræ adjacuit. Sub Conſtantio appellatum fuit à Conſulari Helleſponti ad Præfectum Urbis Conſtant. Juſtinianus vero *Nov.* XX. in Præfat. *Helleſpontum* cum *Ponto Polemoniaco*, uti *Honoriada* cum *Paphlagoniâ*, ſub uno Moderatore conjunxit. Urbes Epiſcopales celebriores fuerunt, *Cyzicus* Metropolis, ad Propontidem ſita, Inſula quædam, pontibus terræ juncta, commerciis opportuno ſitu, & in colle continenti; cujus etiam cives dicti in Nummis Νεωκόροι Κυζικηνοί. Undè Gelaſius Cyzicenus, Cæſareæ Palæſtinæ deinceps Epiſcopus, & Proclus, Cyzici primùm, dein Conſtantinopolit. Epiſcopus ſub Theodoſio Juniore: *Germa*, Γέρμη, malè Τέρμη, vel Θέρμη, in Actis Epheſinis, ut ab aliis jam obſervatum, urbs Myſiæ Minoris, ad Helleſpontum, patria Beliſarii, apud Procop. Stephano dicta *Helleſpontia*; *Troas* regionis (ut dictum) & Urbis nomen, ubi Troja fuit; *Lampſacus* ad Propontidem, ubi Lampſacena Synodus habita, Macedonianæ factionis, Valentiniano & Valente Coſſ. apud Socratem, *Lib.* IV. C. IV. In anguſtiis *Abydus*, *Dardanum*, olim Τευκρὶς Stephano, ubi hodiè una ex Turcarum Dardanellis, ad oram Aſiaticam Helleſponti; & quæ aliæ ex Notitiis, & Tabulis notæ, & ex Actis Synodorum. Ac plerarumque harum Urbium Epiſcopos, à Macedonii Hæreſiarchæ partibus ſtetiſſe, monet Socrates, *Hiſt. Lib.* V. C. VIII.

Tertiam Provinciam, ſub Proconſulis Imperio, eamque, *Præſidialem*, conſtituerunt *Inſulæ* Ægæi maris, quod à rupe inter Chion & Tenedum Inſſ. *capræ* figuram referente, dictum cenſet Belonius *pag.* 184. Quæ quia in cyclum quaſi diſpoſitæ, indè dictæ Cyclades, ad Occaſum & Meridiem continentis Aſiæ; præter quas etiam Inſulæ exiguæ benè multæ, dictæ *Sporades*. Maxima omnium *Lesbus*, una ex VII. majoribus Inſulis Maris Mediterr. & Ægæi; cujus Metropolis *Mytilene*, Euagrio hujus Epiſcopo favente Arianis ſub Conſtantio, apud Socratem *Lib.* II. C. XLI. Et hujus Inſulæ Epiſcopatus cum illo *Tenedi* conjunctus aliquando fuit, ob viciniam minoris Inſulæ. Sed digniſſima Inſularum fuit *Rhodus*, (*Rhoda* Hiſpaniæ oppidum eſt, vulgò Roſes) in Mari Carpathio ſita, à litore Cariæ XX. M. P. habens in circuitu CXXX. M. P. *Soli* quondam ſacra, eminens portubus, mœnibus, viis, coloſſo, &c. Fuit Sedes ut plurimùm Præſidis Romani, ejus Epiſcopo præſente in Synodis Nicænâ, Epheſinâ, Chalcedon. dein in Archiepiſcopum evecto. Proxima Lesbo fuit ad Meridiem *Chius* Ionum celeberrima colonia, à χιὼν *nivis* albedine nuncupata; hodieque notiſſima, verior Homeri patria: Hinc *Samus*, Inſulæ & Urbis nomen, undè Samius, Juno Samia; & huic adjacens Icaria; hinc nobilis Johannis Exilio *Pathmus* Πάθμος, ubique in Nummis, pro quo legitur in Apocal. Πάτμος; tùm *Cous* Κῶς vel Κῶος, Κῶα, undè Κωίων; hinc *Carpathus*, magis ad Occidentem *Melos*, *Paros*, undè Parion marmor, *Naxia* vel *Naxus* vinearum fertilitate celebris, *Delos*, *Tenos*, *Andros*, &c. Quæ omnes, ex Hiſtoriis & Fabulis inclytæ, & illuſtrium Virorum natalibus celebratæ, fuerunt Chriſtianæ Eccleſiæ Sedes, memoratis paſſim earum Epiſcopis; qui ſunt hodieque Patriarchæ Conſtantinopolit. obnoxii. III. Inſulæ Cyclades.

Phrygia Pacatiana, male in Notit. Græcâ, Καπ-παλιάνη, (an à Pacatiano, qui cum Hilariano Conſulatum geſſit A. CCCXXXII. & Præfectus Prætorio non Orientis, ut habet Pancirollus, ſed Italiæ fuit) pars Magnæ ſeu Majoris Phrygiæ, poſt Nicænam Synodum diſtincta à Phrygiâ *Salutari*, imò in duas *Pacatianas* ſubdiviſa fuit: Habuit à Septentrione Bithyniam, Galatiam, ab Ortu Salutarem Phryg. & Piſidiam, à Meridie Lydiam, Cariam & Lyciam, ab Occaſu Aſiæ Provinciam & Helleſpontum. Metropolis fuit *Laodicea* Λαοδικία vel Λαοδικεία, ad Lycum fluv. undè Λαοδικεία ἐπὶ Λύκῳ, cujus latera alluebant Aſophus & Caprus, qui unà cum Lyco συμβάλλȣσι τῷ Μαιάνδρῳ, ſeu in Mæandrum IV. Phrygia Pacatiana.

drum influunt. Hæc Phrygiæ Metropolis, inter Synnadam & Apameam, habita ἱερὰ καὶ ἄσυλος, undè Λαοδικέων Νεωκόρων in Nummis, nempè ibi culta Cybele Mater Deorum, ut quæ ἀπὸ τῆς μητρὸς τῶν Θεῶν οἰκισθεῖσα. Undè Μητρόπολις, & Μητροπολῖται, κατ' ἐξοχὴν in Nummis. Proxima huic ſitu *Coloſſa*, vel *Colaſſa*, unde Κολασσαῆς *Collaſſenſes*, in antiquis Mss. apud Holſtenium, dein terræ motibus everſa, obſcurior civitas evaſit. Septentrionem versùs fuit *Tiberiopolis*, *Aſana* vel Ἄζαναι, undè etiam Ἀζανῖται, Κύδισσος *Cydiſſus*, unde Κυδισσεῖς, *Ancyra* Phrygiæ *ferrea* appellata, *Timenothyra* τεμένου θύραι *Act.* VI. Concil. Chalced. malè in Notit. τεμένου θηραί. Et complures aliæ ex Notitiis & Tabulis petendæ.

Secunda Pacatiana.

Pacatiana altera vel *ſecunda* dicta fuit poſterioribus ſeculis; cujus Metropolis, ſaltem honoraria, *Hierapolis* fuit, καταντικρὺ Λαοδικείας apud *Ptolem.* ſuprà Laodiceam, ad Mæandrum. Et hujus quondam Epiſcopus fuit *Papias*, Joh. Senioris (ſecundùm Euſebium & Hieronym. in *Catal.*) auditor, Millenariorum pater, Scriptor credulus, ſimplicior, & μυθικώτερος, fruſtrà Halloixio ad Vitas Græcor. Patrum, *Tom.* I. p. 658. creditus Pergamenſis Eccleſiæ Angelus, *Apoc.* II. & Petri quoque diſcipulus, uti Johannis non Presbyteri ſed Apoſtoli, quâ de re nos aliàs. Hierapolis autem in Notitiâ Græcâ ex antiquiſſ. Ms. Oxonienſi, adſcribitur Phrygiæ Salutari. In Majori Phrygiâ ſita quoque fuit Urbs *Apamea*, caput & metropolis habita, in quâ conveniebat Κοινὸν τῆς Φρυγίας, de quâ dictum alibi. Sic in eâdem Pacatianâ ſita quoque Δορύλειον, Straboni Δορυλαῖον, Ptol. Δορυλάειον, etiam Δορυλεῖον. Hîc & vicinæ ſatis *Juliopolis*, *Dionyſiopolis*, *Anaſtaſiopolis*, &c. Epiſcopales Urbes.

V. Phrygia Salutaris.

Phrygia Salutaris, quæ Græco-Barbaris, Σαλουταρία, fuit priori ad Ortum & Septentrionem, Galatiam versùs & Bithyniam. Metropolim habuit *Synnadam*, vel *Synadam* Ioniæ veteris, Dorienſium coloniam & primâ origine Macedonum, ex Nummis; Συνάδους dixit Euſebius, *Hiſt. Lib.* VI. C. XIX. ubi Theodori Epiſcopi mentio. Et hæc dicta ἀπὸ τοῦ συνναίειν à *cohabitando* apud Stephanum, quod Græci Macedones hîc olim convenirent, fuit in Phrygiâ Salutari primo loco, ut *Laodicea* in Pacatianâ, Phrygiæ Magnæ civitatem dicit Ptolemæus. In præcipuis Urbibus, ad Bithyniæ fines, *Dorylaum* Δορυλλαῖον aliàs Δορύλειον, de quâ ſtatim dicebamus, cujus Epiſcopus Athenodorus legitur in Actis Nic. Synodi; *Cotyaum* vel Κοτυάειον Straboni, Stephano, oppidum *Cotyorum* Plinio, non confundendum cum Cotanâ Pamphyliæ, tacitum in Notit. Græcâ; *Prymneſia* Πρυμνιάσση, Πρυμνάσση. *Eucarpia* Εὐκαρπία, quam Metropolim ſtatuit Hierocles *in Not.* *Stectorium*, quibuſdam *Tectorium*, Ptolemæo Ἱςόριον, &c. Utraque harum Phrygiarum Præſidialis fuit, illa ſub Spectabili Vicario Aſianæ Diœceſ. hæc ſub Præfecto Urbis Conſtantinop.

Phrygior. Eccleſ. II. Seculo.

Atque hæ Phrygiorum Eccleſiæ fuerunt, ad quas ut & ad Aſianas, ſub Photino Lugdunenſi, ſcripta à Gallis Epiſtola, apud Euſebium *Hiſt. Lib.* V. C. I. De quâ nos in Hiſt. Eccleſ. *col.* 666. Sed & afflictæ fuerunt eo ferè tempore *Phrygum* ſeu *Cataphrygum* Hæreſi, id eſt, Montani illâ, obſcuro loco oriundi ἐν τῇ κατὰ τὴν Φρυγίαν Μυσίᾳ; ut Apollinaris Hierapolitani verbis refert Euſebius, *Lib.* V. C. XV. Ergo è Myſiâ prodiit Montanus, ſed quæ κατὰ τὴν Φρυγίαν, *contermina Phrygia*, aut *Phrygia* accenſita, prout Myſiæ pars ad Helleſpontum, pars ad Phrygiam ſpectavit. Hinc dicti Montani ſectatores κατὰ Φρύγας, Latinis unâ voce *Cataphryges*, & ſimpliciter Φρύγες, non quod regio ulla fuerit dicta *Cataphrygia*, qualem Ortelius & alii memorant.

VI. Lydia.

Lydia Conſularis Provincia, habuit ab Ortu & Septentr. Phrygiam Pacatianam, à Meridie & ab Occaſu Aſiam Proconſularem, antè *Mæonia* dicta à Mæoniis Populo circà Tmolum montem, apud Plinium, Stephanum, &c. Metropolis fuit Sardis, Σάρδεις, quinta ex VII. Aſianis apud Johannem, de quibus ſuprà dictum *col.* 63. &c. cujus Epiſcopus Melito Sardenſis, ſub Marco Aurelio Antonino, Apologiæ pro Chriſtianis Scriptor. *Philadelphia* Lydiæ ejuſdem civitas fuit, ſexta ex dictis Aſianis, cujus etiam Epiſcopus Nicænæ Synodo interfuit. Pariter & *Thyatira* Θυάτειραι, quarta ordine apud Johannem, de quâ pluribus antè, ubi de Metropolibus, eſtque hæc inter Lydiæ Epiſcopales Urbes in Notitiis omnibus, uti quoque *Tripolis*, *Nyſſa*, *Trallis* Lydiæ, Τράλλεις in Notit. urbs incolis & opibus frequens, apud Strabonem, Ptolemæo πόλις Λυδίας πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ. *Magneſia* itidem Lydiæ, ad Sipylum, ὑπὸ Σιπύλῳ, alias Phrygiæ Combuſtæ, ab Ionicâ diverſa, de quâ non ſemel Tacitus: *Hyrcanis* Ὑρκανὶς, malè aliquando Ὀρκανὶς, (undè *Macedones Hyrcani*, apud Tacitum *Ann.* II. C. XLVII. fruſtrà negante Freinshemio fuiſſe hujuſmodi in Lydiâ civitatem) *Mæonia* Μαιονία qualis antè dicta Lyda, undè Mæonii, Mæonidæ; *Attalia*, Ἀτταλεία quæ Stephano πόλις Λυδίας, Ptolemæo & Straboni πόλις Παμφυλίας. *Stratonica* Στρατονικαία, *Aureliopolis* Αὐρηλιόπολις ab Aurelio Commodo (in Notit. Αὐρελλιάπολις) cujus Epiſcopus legitur in Actis Conc. Epheſini *Act.* I. *Apollonia* Ἀπολλωνίας, cui cognominis alia in Cariâ, & Apolloniæ plures, Illyridis illa, Myſiæ, Pontica, Thracica, Macedonica, Cyrenaica maritima; *Apollinis fanum*, Ἀπόλλωνος ἱερὸν quod ad Myſiam propriè, ſecundùm alios ad Aſiam, ſpectat. Meminit plerarumque Tacitus, *Annal.* L. I. C. XLVII. ut levatarum tributis à Senatu, ſub Tiberio Cæſare. Mittimus Epiſcopatus alios, qui XXVI leguntur in Notit. ſub Leone Philoſ.

VII. Caria.

Caria, Doridem Aſiaticam complexa, Provincia *Præſidialis*, habuit ab Ortu Lyciam, à Meridie Mare Rhodium, ab Occaſu Mare Ægæum, à Septentrione Aſiam & Lydiam. Metropolis olim *Miletus* Μίλητος, Thaletis patria, Λευκοφρύνῃ Ἀρτέμιδι ſacra, apud Appianum, uti Magneſia, primo etiam loco ab Hierocle poſita; undè etiam frequenter in Nummis, Μιλησίων Νεωκόρων, uti Μιλησίων καὶ Ἐφεσίων vel Σμυρναίων Ὁμόνοια. Sed dein *Aphrodiſium*, vel *Aphrodiſias* Metropolis Cariæ, (plures enim cognomines) cui jus *Aſyli* tribuit Tacitus *Annal.* III. C. LXII. ob Veneris religionem; & cujus Epiſcopum, qui ſtrenuè Neſtorio in Epheſinâ Synodo adverſatus, mirè effert Theodoſius Jun. *lege ult.* de Annonâ & Trib. *Lib.* XI. *Cod. Theod.* Metropolis etiam habetur in Notitiâ Græcâ & Archiepiſcopalis, Σταυρόπολις, in mediâ Cariâ, ſub quâ fuerint reliqui Cariæ Epiſcopatus, ut Στρατονικείας *Stratonica*, quæ Jovis & Triviæ Hecates religione ſacra fuit, apud Tacitum; item Epiſcopat. *Heraclea* apud Mæandrum fluv. & Latinum montem; *Cibyra* Κιβύρας, male *Cabyra Antiochia*; itidem τοῦ Μαιάνδρου vel Μεάνδρου in Inſcript. *Apolloniadis* Caricæ; *Jaſſi* ad Mare, undè Sinus Jaſſicus; *Myndi* Μύνδου, *Halicarnaſſi* Ἁλικαρνασσοῦ Regio Mauſoleo nobilis, *Cerami* Κεράμων, *Cnidi* Κνίδων: Quæ omnes maritimæ & illuſtres Doridis Urbes, quæ à quinque Urbibus *Pentapolitana* nuncupata. Sed quæ Doridis Pentapolitanæ Urbes, apud Scholiaſtem Theocriti ad *Idyl.* XVII. *Lindus*, *Jalyſſius*, *Camyros*, eæ Rhodiæ Civitates fuêre, vicinâ Rhodo ad Septentr. Cariâ.

Doris Pentapolitana.

VIII. Lycia.

Lycia, *Præſidialis* primùm, dein ſub Juſtiniano inter *Conſulares* recenſita, diviſa in *Interiorem* & *Exteriorem* ſeu Maritimam, habuit ad Occidentem Cariam, ad Septentrionem Lydiæ partem, & Paca-

Digitized by Google

catianæ Meridionalis, ad Ortum Pamphyliam, ad Meridiem Mare Rhodium. Metropolis fuit *Myra*, *Myrene*, Μύρoι in Notit. Μύρα *Ptolem.* memorata *Actor.* XXVII. 5. diſtans à Mari tribus milliaribus apud Strabonem: Deinceps expreſſæ in Notit. & Tabulis, & ex Actis Conciliorum notæ, v. gr. Telmeſius Τελμησσὸς, *Limyra* Λιμύροι, *Sidyma* Σίδυμοι, *Marciana* νέα Μαρκιανὴ, *Olympus*, cujus Epiſcopus Methodius apud Socratem, *Lib.* VI. C. XIII. inſignis adverſarius Origenis, & Martyr ſub Dioclet. *Nyſa* Ptolem. aliàs Νῆσσοι *Neſſus*, *Niſus*; *Patara* Πάταρα, maritima certè haud longè à mari diſtans; ſic Κρῆμνα *Cremna*, Lyciæ Urbs, Colonia Romana, Κολωνία *Julia*, *Auguſta*, &c. à P. Servilio Iſaurico expugnata, teſte Strabone L. XII. In Lyciâ & *Solyma* fuit, Σόλυμοι, unde Solymi montes, quos Homerus malè ad Oceanum Æthiopicum conſtituit, *Odyſſ.* 5. pejus alii de Judæis vel Hieroſolymis interpretati; Sic & *Andriace* civitas ad mare Pamphylium, quæ tamen in Notit. non expreſſa.

IX. Pamphylia prima. *Pamphylia* Lyciæ adjacens ad Orientem, & Occidentalis Ciliciæ reſpectu, olim Piſidiam & Iſauriam complexa, ex Ptolemæo, extremus Aſianæ Diœceſeôs terminus fuit ad Meridiem, à quâ Mare Pamphylium appellatum. Dein ſub uno eodemque Præſide cum Lyciâ fuit, ſub Conſtantino M. ex *Lege* 11. de Cenſu. Cod. Theodos. Tandem verò *Conſularis* facta, ſub Theodoſio Jun. & in duas diviſa: Primæ Metropolis fuit *Sida* vel *Syda* Maritima, ex Actis Concilii Chalced. Niſi olim Metrop. fuerit *Aſpendus* ad Eurymedontem ſita, cujus Epiſcopus Domnus ſubſcripſit Synodo Nic. Videtur Epiſcopus Sydæ idem cum illo qui Σανδίδων in *Notit.*

Secunda. *Græcâ* ex Ms. Oxonienſi. Alterius Pamphyliæ Metropolis fuit *Perga*, Πέργη Ptolem. Urbs ad Ceſtrum fluv. Κέστρον, ob Fanum Dianæ ibi celebre dicta & ἄσυλος, ἱερὸς, hinc Περγαίων Νεωκόρων, & Ἄρτεμις Περγαία. Ita Παμφυλίων Κοινὸν, celebratum Sidæ, Aſpendi, Pergæ; & hujus Epiſc. Callidicus in Conc. Nic. De Pergâ vide quæ pluribus annotavit Frater noſter in Callimachum, p. 256. Ἰωβιανὸς verò *Jovianus* Epiſcopus, cum Arianis communicavit ſub Conſtantio, apud Theodoretum *Hiſt. Lib.* IV. C. XV. Sub hac *Termeſſus*, malè in Notit. Græcâ Τελμισσός. *Eudoxias* vel *Eudocias*, Εὐδοκιὰς, Pamphyliæ veriùs quàm Lyciæ; *Attalia* Pamphyliæ maritima; *Senna*, Hierocli Σέρνα, eadem quæ *Semneum*; aliæ plures.

X. Piſidia. *Piſidia* fuit Pamphyliæ ad Septentrionem, habuitque ab Ortu Lycaoniam, quæ pars quondam Piſidiæ fuit, ab Occaſu Phrygiam Pacatianam, inter has media, olim *Præſidialis* dein *Prætoriana* ſub Juſtiniano *Nov.* XXIV. Metropolis fuit *Antiochia* Piſidiæ, de quâ *Actor.* XIII. Plinio Piſidarum Solymorum, urbs mediterranea, diſtincta ab Antiochiis ad Mæandrum, ad Orontem, ad Euphratem. Cujus Epiſcopus quantæ auctoritatis aliquando fuerit, docet Socrates, qui hunc cum Epiſcopo Iconienſi τὴν πατριαρχίαν *in Aſianâ Diœceſi* conſecutum eſſe à Conſtantinopolitanis, vel potius à Theodoſio M. tradit *Lib.* V. C. VIII. Haud ignobiles præterea in Eccleſiaſticis monumentis, *Apamea* ad Mæandri fontes, quæ & Marſyæ, quia ad Marſyæ fluv. oſtia, Phrygiæ quandoque adſcripta; *Seleucia* quæ Piſidiæ, & ferrea Σιδηρᾶ, à Seleuciâ Iſauriæ, Syriæve; *Laodicea combuſta*, ἡ κεκαυμένη in Notit. *Neapolis* Piſidiæ apud Hieroclem, à multis aliis diſtincta, cujus in Synodo Nic. Epiſcopus Heſychius; *Adrianopolis* Piſidiæ, à Thracicâ diverſa, cujus Epiſcopus Telemachus in Conc. Nicæno, aliæque.

XI. Lycaonia. *Lycaonia*, pars quondam Piſidiæ, cui Piſidia ab Occaſu, à Meridie Iſauria, ab Ortu Cappadocia ſecunda, à Septentrione Galatia ſecunda vel ſalutaris, *Præſidialis* Provincia fuit, ſub Juſtiniano *Conſularis*, extremus Aſianæ terminus. Metropolis fuit *Iconium*, oppidum probè ædificatum, agro feliciore quàm ferret regio, abundans collibus planis, frigidis, nudis, ὀναγροβότοις, ut Strabo, *Lib.* XII. p. 392. Hujus inter alios celeberrimi nominis Epiſcopus Amphilochius, ſub Theodoſio M. infenſiſſimus Hæreſibus, & primæ auctoritatis. Undè factum, ut Theodoſius Imperator eos pronunciaret Catholicos, qui communicarent in fide Trinitatis cum *Amphilochio* Iconienſi, & Optimo Antiocheno, *Lege* 3. de *Fide Cath.* & apud Sozomenum, *Lib.* VII. C. IX. qui Optimum omittit. Quin Socrates, *Lib.* V. C. VIII. refert, Amphilochium Iconii, & Optimum Antiochiæ Piſidiæ, ſortitos à Conſtantinopolitanis Patribus τὴν πατριαρχίαν *Patriarchatum*, non profectò Patriarchicam poteſtatem, propriè dictam, hauddum natam in Eccleſiâ; nec Exarchatum in totam Diœceſim, in præjudicium Epheſini, & aliarum Provinciarum, quarum quædam *Conſulares* erant; nec denique Metropoliticum jus ſimpliciter, ut Salmaſius intellexit de *Prim. Papæ* C. IV. quod illis civitatibus jam ante, ut ταῖς πρώταις τῆς Ἐπαρχίας, competebat: Nec vocaſſet Socrates ἐξόχως *Patriarchatum.* **Socratis locus explicatus.** Igitur hic explicandus ex Sozomeno, *Lib.* VII. & IX. & ex *Lege* 3. *Cod.* Theod. de Fide Catholicâ. Nempe hîc non Sedes reſpiciuntur ſed Perſonæ, nec ordinaria poteſtas, ſed delegatio extrà ordinem facta ab ipſo Principe, virorum quos dictis in locis Socrates nominatim expreſſit, tanquam *Sacerdotum* probatæ fidei, δοκίμων, flagrantium ſingulari pro Fide orthodoxâ zelo, qui adeò per ſingulas Diœceſes fidem Catholicam de S. Trinitate conſtabilirent, & cum quibus ſentiendum eſſet in fidei negotio. Et hoc vocavit Hiſtoricus τὴν πατριαρχίαν, (uti πατριάρχας dixit τοὺς ὑπὲρ τὴν Διοίκησιν Ἐπισκόπους) quia pro illo tempore Patriarchalis quædam iſtorum, putà Iconienſis & Antiocheni, poteſtas fuit, in reſtituendis Eccleſiis Aſianæ Diœceſeôs, & in fide aſſerendâ. Hinc *Antiocheni* in Syriâ Epiſcopi nulla mentio, ſaltem non in lege Theodoſii; quicquid legem precariò & de ſuo emendet Salmaſius, de *Prim.* C. IV. *pag.* 46. legens, *Quos etiam in Orientis partibus* Meletio Antiocheno Epiſcopo, *Pelagio Epiſc. Laodicenſi*, & *Diodoro Epiſcopo Tarſenſi*, &c. Ubi illa *Meletio Antiocheno* nulla comparent in textu, nec apud Sozomenum; hinc Jac. Godofredus, *non debuiſſe Salmaſium hæc verba inſerere.* Quod ſilentium de Antiocheno hinc fuit, quod Meletius paulo poſt finitam Synodum diem obiiſſet extremum, electo tum à factioſis Flaviano; undè ſchiſma in Eccleſiâ Antiochenâ, rectè obſervante Godofredo.

Urbes aliæ Epiſcopales. Urbes aliæ Epiſcopales Lycaoniæ fuerunt, *Lyſtrum* vel τὰ Λύστρα, ex Actis Apoſtol. nota, & huic affinis nomine *Iliſtrum*, *Iliſtra.* Item *Derbe*, cujus Epiſcopus Thomas in Synodo Epheſ. item *Iſaura*, *Iſauropolis*, τὰ Ἴσαυρα, quæ revera urbs Iſauriæ, (Ciliciæ apud Plinium, & Florum *Lib.* III. C. VI.) unde regioni nomen, everſa in Bello Piratico à Publ. Servilio, qui hinc *Iſauricus* appellatus eſt, ſed in Eccleſiaſticis Lycaoniæ ſubjecta. Eadem poſteà *Claudiopolis*, coloniâ à Claudio Cæſare deductâ, ex Ammiano *Lib.* XIV. p. 19. cujus Epiſcopi in Actis Nicænis & Chalcedonenſibus leguntur. Sed & Claudiopoles aliæ in Bithyniâ, Daciâ, de quibus ſuis locis. Mittimus obſcuriores Urbes alias Lycaoniæ in Notitiis adſcriptas; quarum Notitiarum corruptiſſimam edidit Carolus à S. Paulo, ad nutum Romanæ Sedis, emendatiorem verò è Bibl. Bodlejanâ Beveregius, T. II. Biblioth. Canonicæ.

Quarta Diœceſis Orientis, *quæ dicta eſt*

PONTICA.

Pontica Diœceſis quænam?

Pontica Diœceſi indè nomen, quod Pontus diceretur omnis ea regio, quæ à Boſphoro Thracico ad Colchidem uſque & Euphratem porrigitur, dein verò ſtrictiore *Ponti* appellatione. A Septentrione fuit illi Pontus Euxinus, à Meridie Aſiana Diœceſis, ab Ortu Euphrates. Suberat ea Vicario Præfecti Prætorio, qui & quandoque Comes Diœceſeôs, poſt Vicarium Aſiæ, expreſſus in *lege ult. Cod. Theod.* de Agentibus in Reb. Ac ſub Conſtantino M. nonniſi VI. Provinciæ fuerunt Ponticæ Diœceſeôs, VIII, ſub Theod. M. obſervante Stephano, XI. deinceps in Notit. ſub Theodoſio Jun. Diviſis videl. in duas, *Cappadociâ*, *Galatiâ*, *Paphlagoniâ*, *Ponto*, *Armeniâ*, nondum tamen Bithyniâ, affectante licet Nicæno Metropolitâ, ſed à Chalcedonenſibus cohibito *Act.* XI.

De Cæſarienſi Primate.

In Eccleſiaſticis Primatum, τὰ πρωτεῖα, tenuit *Cæſarienſis* Cappadociæ Primæ, quemadmodum Epheſinus in Aſianâ, multis rei documentis apud Sozomenum *Lib.* VI. C. XII. *Lib.* VIII. C. VI. & in *Epiſtolis* Baſilii Cæſarienſis, qui etiam Epiſcopos Ponticæ Diœceſeôs Cæſaream ad Synodum convocat, *Epiſt.* CCXCI. ut Helladii Cæſarienſ. & ſucceſſorum, facta mittam. Sed quod Aſianæ Diœceſeôs in Eccleſiaſticis fatum, idem & Ponticæ fuit, ut paulo poſt Conſtantinopolit. Synodum, habitam ſub Theodoſio, ſenſim ſubjecta fuerit Epiſcopo τῆς βασιλίδος Urbis Regiæ, confirmantibus dein Chalcedonenſibus. Hinc facta jam mentio Nectarii Conſtantinop. & Joh. Chryſoſtomi in Ponticâ Diœceſi, apud Socrat. & Sozomenum; ac Cæſarienſes ſub Theodoſio Jun. Firmo Epiſcopo mortuo, in Urbem ſe conferre, petentes Epiſcopum à Proclo Conſtantinopolit. qui Thalaſſium illis dedit, ex Præfecto Prætorio Illyrici factum Epiſcopum Cæſarienſem, apud Socratem *Cap.* ultimo *Lib.* VII. Quod verò Illuſtris Salmaſius contendit tres fuiſſe in Ponticâ Diœceſi Metropoles, ſeu Patriarchias, à quibus Diœceſis pari jure in commune regeretur, *Cæſaream*, *Nyſſam*, *& Melitenem*, in Libro *de Prim.* C. I. factum ex malè intellectâ lege 3. *de Fide Cath.* verbiſque Socratis, ac Sozomeni, de quibus modò dictum in Aſianâ Diœc. ad Provinciam Lycaoniæ. Nec enim iſtic *Nyſa* vel *Nyſſa* Cappadociæ primæ conſiderata reſpectu Urbis aut Sedis, quæ plurimis inferior, & ejuſdem Provinciæ cum Cæſareâ; ſed ob *Gregorium* ejus Epiſcopum Baſilii Cæſarienſis fratrem, qui cum Helladio Cæſarienſi, & Otrejo Meliteno, delegatâ poteſtate inſtructus fuit, pro ſtabiliendâ fide Catholicâ, & expellendis Hæreticis.

Dubium de Nyſſeno & Meliteno Epiſcopis.

Nunc Provincias ſingulas, & Metropoles Ponticæ Diœceſeôs, enarremus.

I. Cappadocia Prima.

Omnium princeps in Notitiâ Imperii fuit *Cappadocia Prima*, Prov. *Præſidialis* primum, dein ſub Juſtiniano *Proconſularis*, ex Novellâ XXX. *C.* V. Ac ſub Valente Ariano, in odium Baſilii Cæſarienſis, ne præeſſet univerſæ Cappadociæ, tributa hæc in *duas* fuit, ut pluribus in *Vita* Greg. Nazianzeni, dein ſub Juſtiniano in *tres* Cappadocias, quæ Proconſuli ſubeſſent, cujus ſedes fuit Cæſareæ. Olim tamen una Cappadocia tantùm fuit. Hinc termini Cappadociæ I. ab Ortu Mons Antitaurus, & Armenia minor, à Meridie Lycaonia & Cappadocia II. ab Occaſu Galatia Salutaris, à Septentrione Pontus uterque, & pars Armeniæ primæ. Metropolis fuit *Cæſarea*, à Claudio Cæſare juxtà Sozomenum *Lib.* IV. C. IV. at juxtà Euſebium in Chron. & Suidam, à Tiberio Cæſ. (quæ & Fratris mei ſententia eſt *Diſſert.* IX. de Numiſm.) id ſortita nominis, olim Μάζακα apud Strabonem, Ptolemæum, Plinium, Stephanum: Etiam dicta Εὐσέβεια, propter duorum Regum, qui Ariarathes pater & filius, inſignem pietatem; quorum utroque nomine Regnum in communi adminiſtratum, ſcil. nomine Εὐσεβέων *Piorum*, quod ex Goltziano Nummo colligit Petrus Seguinus in Selectis Num. *pag.* 61. & Templo quod inſculptum habuit Εὐσεβίας titulum. Sita hæc fuit ad Argæum montem, in regionis umbilico, altiſſimum illum, qui etiam pro Deo à Cæſarienſibus cultus. A Μάζακα etiam, quæ Regia fuit Cappadocum Regum, quidam Μαζηκας faciunt Cappadoces, quorum *equi* laudantur apud Oppianum *Lib.* I. ut Cappadocia equorum altrix fuit. Et hujus Epiſcopus fuit Baſilius Magnus, ſucceſſor Helladius de quo modò, deceſſor Euſebius Cæſarienſis, ab Hiſtorico & Palæſtino diverſus, favens cauſſæ Orthodoxæ ſub Valente, ac cum Baſilio aliquamdiu commiſſus, apud Sozomenum *Lib.* VI. C. XV. Sub hac Metropoli Urbes aliæ Epiſcopales fuêre *Nyſſa*, Νῦσα, Præfecturæ Murianæ apud Ptolem. inter Cæſaream & Comanam Cappad. undè Gregorius Nyſſenus frater Baſilii; *Camuliana* quæ ſub Juſtiniano *Nova Juſtinianopolis* dicta, communi aliis nomine; *Therma* Θερμαὶ βασιλικαὶ, *Ciſciſſa* vel Κισκισσὸς, in Notit. Ad hanc ſpectavit propriè quæ poſtmodum *Tertia Cappadocia* Metropolis *Mociſſus*, *Mociſus*, mendoſè Μώκρασσα, quæ ut à Juſtiniano inſtaurata, ſic & *Juſtiniana* dicta, & in Metropolim erecta, Procopio teſte, de *Ædif. Lib.* V. Sic *Parnaſſus* Παρνασος, ad quam Eccleſ. Baſilius ſcripſit παραμυθητικὴν *conſolatoriam* ob amiſſum Epiſcopum, *Epiſt.* CLXXXV.

Porrò non confundenda *Nyſſa* Cappadociæ, cum *Nyſâ* vel Nyſſâ *Lydiæ*, apud Strabonem & Ptolem. vicinâ Trallibus & Magneſiæ ad Mæandrum. Duæ etiam *Nyſa* vel *Nyſſa* ſignantur in Cappadociâ, apud Ptolem. & in Itinerario Antonini; nec confundenda rursùs Nyſa in viâ quæ Ancyrâ ducit Cæſaream, apud Antoninum, Parnaſſo proxima, hinc Oſianæ malè in Tabulis *Oſianna*, cum Nyſſâ, haud longè à Comanâ Cappad. ad Meridiem Cæſareæ, versùs Armeniam Secundam, in Præfecturâ Murianâ.

II. Cappadocia Secunda.

Cappadocia Secunda dicta fuit, cui Lycaonia ab Occaſu, à Septentrione Cappadocia prima, ab Ortu Armenia Secunda, à Meridie Iſauria & Cilicia. Metropolis fuit *Tyana* civitas, undè Τυανῖτις Præfectura, ἱερὰ καὶ αὐτόνομος in Numm. ad Taurum montem, quæ & ipſa dicta Εὐσέβεια πρὸς τῷ Ταύρῳ *Euſebia ad Taurum m.* juxtà Strabonem L. XII. à Valente Imp. in Metropolim evecta; cujus primus Metropolitanus fuit Anthimus, æmulus Baſilii M. eadem Χριστόπολις in *Notit. Græcâ*. Sub hac *Fauſtinopolis* ad Antitaurum, *Juſtinopolis*, aliæ. Ad hanc ſpectavit & *Comana* Cappadociæ, diverſa à Ponticâ, Armeniæ ſecundæ etiam adſcripta, ſita inter Tyanam & Tanadarim, in quâ Chryſoſtomum primò ſepultum fuiſſe tradit Suidas in Κομάνα, quod de *Pontica* accepit Socrates *Lib.* VI. C. XXI.

Hujus quoque fuêre Urbes aliæ, quæ ſub Juſtiniano, adſcriptæ *Cappadociæ Tertiæ*, qualis ex. gr. *Colonia* Κολωνεία, quæ & Colonia *Archelais* & Armeniorum dicitur, in Synodo Epheſinâ Cappadociæ Secundæ adſcripta, ubi Daniel hujus Epiſcopus legitur. Sic *Nazianzum*, cujus Epiſcopi Gregorii duo Pater & Filius, aliquando Primæ, aliquando Secundæ Cappadociæ attributa. Sic *Diocæſarea* mediterranea, in Notitiis non expreſſâ, inter Nazianzum & Tyanam, diverſa à Phrygianâ, & ab eâ quam refert Theodoretus, in quam rele-

Digitized by Google

relegati Epiſcopi Orthodoxi ab Arianâ factione *Lib.* IV. *Hiſt.* C. XXII.

III. Armenia Prima.

Cappadociæ proxima ab Ortu & Septentrione fuit *Armenia Minor*, terminata Euphrate ad Ortum, Ciliciâ ad Meridiem, ac ſubdiviſa in *Primam* & *Secundam*, in Notit. Imperii. Deinceps verò Juſtinianus diviſit in Armenias quatuor *Nov.* XXXI. I. In *primam* ſeu interiorem, quæ Heptapolis, cujuſque Metropolis *Juſtiniana*, anteà Leontopolis, additâ Trapezunte ex Ponto Polemon. In *ſecundam*, quæ antea prima dicebatur, & Pentapolis fuit, additis Ponticis Urbibus. In *tertiam*, quæ antè Armenia ſecunda, *Hexapolis* illa, in quâ Melitene, Cocuſus, Arabiſſus, quò relegatus Chryſoſtomus. In *quartam* denique, quæ priùs ex Barbaricis regionibus conſtabat, ſub Phylarchis Saracenorum. Hinc & Primæ *Proconſulem* dedit Juſtinianus, Tertiæ *Comitem*, quum duæ Armeniæ antè nonniſi *Præſidiales* eſſent ſub Clariſſimis Præſidibus. Nos hîc juxtà Notitiam Imp. & Notitias Epiſcopatuum, *Armenias duas* notamus, Ponticæ Diœceſeôs, utramque diſtinctam à majori Armeniâ, ultrà Euphratem, quam Περσαρμενίαν *Pers-Armeniam* dixêre, quod Perſis inde à Philippi Imper. temporibus paruiſſet, ſub Juſtino Juniore ad Romanos reditura, ex Euagrio *Lib.* V. C. VII. ut obſervatum in Hiſtoriâ, *col.* 1060. Et Major quidem Armenia αὐτοκέφαλος fuit, ſuo ſeu Catholico ſeu Patriarchæ ſubjecta, qualiter & Cyprus habita; dein & Minor ſubtraxit ſe Conſtantinopolitano, poſt Saracenorum irruptiones, ſuum habitura & ipſa Catholicum; quo magis à Melchitis diſtracti Armenii, Eutychianorum partim, partim Neſtorianorum partibus acceſſerunt, diffuſuri ſua ſacra in ipſas non Perſidis modò ſed & Tartariæ ac Indiæ oras, ut pluribus ex Ottone Friſingenſi, aliiſque Morinus, de *Ordinat. Sacr.* p. 438. & qui de Armeniorum Sectâ tradiderunt. Verſio Bibliorum Armenica ipſi jam Chryſoſtomo, in Armeniam relegato, tributa à Sozomeno, Theodoreto, aliis, de quâ Waltonus, vel Hottingerus noſter.

Quatuor Armeniæ ſub Juſtiniano.

Major Armenia.

Primæ Armeniæ termini ab Ortu fuêre Euphrates, à Meridie Antitaurus & Cappadocia, ab Occaſu & Septentrione Pontus uterque. Metropolis fuit *Sebaſta*, *Sebaſtia*, Σεβαστεία, Stephano Αὐγοῦστα, à Cæſare ſic appellata; ut Sebaſte vel Sebaſtia Palæſtinæ, Ciliciæ, & *Sebaſtopoles* Cappadociæ, Ponti, Colchidis, quemadmodum à Cæſare complures *Cæſareæ*. Cæterùm illam in Cappadociâ communiter locant Geographi, licet cum Sebaſtopoli ad Provinciam Eccleſiaſticam Armeniæ ſpectarit. Urbes aliæ Epiſcopales, & notiores, fuêre; *Nicopolis*, communi pluribus Civitatibus nomine, ab inſignibus victoriis, inter quas Nicopolis ad Actium, à quâ Verſio Nicopolitana in Octaplis Orig. tum iſti Borealior *Satala* Σατάλα, cujus Epiſcopus Nicæno I. ſubſcripſit, cujuſque itinera deſcripſit Antoninus, nempè Cæſareâ Satalam, & Satalâ Melitenem.

IV. Armenia Secunda.

Secundæ Armeniæ termini fuerunt ab Ortu ſimiliter Euphrates, à Meridie Taurus, ab Occaſu Cappadocia utraque, à Septentrione Antitaurus. Metropolis fuit *Melitene*, *Meletena*, *Melita*, Μελιτηνή, Urbs & regio ad Euphratem, cui à Fluvio Melas nomen fuit; Cappadociæ à Plinio tributa, cujus Epiſcopus Chalcedon. Synodo interfuit. Urbes aliæ, *Comana*, ſuprà Cappadociæ II. tributa, Colonia apud Plinium; huic vicina *Arabyſſus* vel *Arabiſſus*; & magis ad Auſtrum versùs Ciliciam, *Cocuſus* Κουκουσός, in quam Paulus Conſtantinopolitan. ſub Conſtantio, dein & Chryſoſtomus in exilium miſſus, mortuus quidem Comanis ſed τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ ſcil. Cumanæ Ponticæ ad Irim fluv. apud Socratem.

Diviſus ab Helleſponto eſt in Notitiâ Imp. *Pontus Polemoniacus*, Provincia *Præſidialis*, ſed deinceps à Juſtiniano, *ambo loci in unam Provinciam contracti*, *Nov.* XXVII. C. I. eamque *Conſularem*. Terminus fuit, ab Ortu & Meridie Armenia Major, & Armenia prima, ab Occaſu Helenopontus, à Septentrione Pontus Euxinus. Metropolis fuit *Neo-Cæſarea* Pontica, inclyta jam Epiſcopatu Gregorii Thaumaturgi Sec. III. dein Concilio Neo-Cæſarienſi, quod decennio circiter Nicæno anterius fuerit. Hinc quatuor aliæ Urbes recenſitæ in dictâ *Nov.* Juſtiniani, & in *Notit.* *Comana* Pontica, ab Armeniæ illâ vel Cappadociæ diverſa, in quâ juxta Socratem reddidit extremum ſpiritum Chryſoſtomus; tum *Polemonium* ad mare, unde regioni nomen; hinc *Trapezus* ad extremum Pontum; & *Ceraſus* Κερασοῦς, cujus Epiſcopus Epheſino Concilio interfuit. Hîc Amazonum quondam regio, & oves Ponticæ, margaritæ Ponticæ, alia apud Plinium. *Ptyaſa* Civitas huic Provinciæ adjecta, in ſolo Barbarico fuit, trans Euxinum.

V. Pontus Polemoniacus.

VI. Helenopontus.

Dictus Helenopontus ab Helenâ, matre Conſtantini, malè *Hellenopontus*, nec confundendus cum *Helleſponto*, priori Ponto ad Occaſum; uti Helenopontus, ad Ortum fuit reſpectu Paphlagoniæ & Galatiæ I. hinc *Pontus Galaticus*, etiam dictus. Huic octo urbes à Juſtiniano tribuuntur, ſex vel ſeptem in Notitiis, quarum Metropolis *Amaſia*, antè Dioſpontus, ad Irim fluvium, *Metropolis prima Ponti*, in variis Nummis antiquis, etiam antè Neo-Cæſaream. Hinc *Amiſus* ad ſinum Amiſenum, civitas ἐλευθέρα, Colonia, αὐτονομίας jure, & libertatis (undè ἐλευθέρα frequenter in Nummis) donata ab Auguſto, An. U. C. DCCXXIII. unde Æra Amiſenorum apud Scaligerum, in *Canonibus Iſag.* dein Noriſium, alios. Et magis ad Paphlagoniam ſita *Sinope*, Σινώπη, Colonia Romanorum, à Lucullo capta pulſo Mithridate, dicta etiam *Julia*, & Libera facta; de quâ Strabo, & Ulpianus *leg.* I. de Cenſibus, §. 10. Hinc *Andrapa* Ἀνδράπα, quæ & Claudiopolis, communi pluribus civitatibus nomine, &c. Inclyti harum omnium Antiſtites in Eccleſiaſticis monumentis, & Actis Conciliorum.

VII. Galatia Prima.

Galatia quæ & Gallo-Græcia apud Strabonem, Ammianum, alios, Provincia *Conſularis* fuit, in *Primam* & *Secundam* diſtincta ſub Theodoſio, Stephano teſte, ſedes jam Chriſtianæ Eccleſiæ Pauli Apoſtoli ætate. Habuitque Prima Galatia ad Ortum Helenopontum; à Meridie Galatiam Salutarem; ab Occaſu Phrygiam cujus quondam pars fuit, Strabone teſte; à Septentrione Paphlagoniam. Metropolis fuit *Ancyra* Ἄγκυρα, quaſi Anchora, ad Halym fluv. in Tectoſagis, è Celtarum Gente, qui à Nicomede evocati nomen fecêre Γαλατίας & Γαλλογραικίας. Urbs nobilis Livio, Mediterranea, Metropolis, à Phrygiana diverſa, quæ abſque Metropoleôs titulo venit, & quam Strabo πολίχνην Φρυγιακὴν vocat. In hac quondam Κοινὸν τῆς Γαλατίας, vel τῶν Γαλατῶν. Et Paulus ſcribens ad Galatas, ad Ancyranos direxit Epiſtolam, communicandam cum Eccleſiis reliquis. Hîc & Synodus celebrata quæ dicitur *Ancyrana*, A. vulgò CCCXV. in Codice Eccleſ. univerſæ. In hac & Epiſcopus fuit *Marcellus*, fidei idem ambiguæ poſt Concil. Nicænum, depoſitus ab Epiſcopis Conſtantinopoli congregatis, tùm à Sardicenſibus reſtitutus, apud Socratem *Lib.* I. C. XXXVI. & *Lib.* II. C. XX. Urbes aliæ Epiſcopales *Tavia*, *Tavium* Emporium Straboni, Ταούιον Ptolemæo, Ταουία Stephano, Ταβία in Notit. Græcâ è Trocmorum Celticâ Gente, de quâ Strabo, Plinius, alii; *Juliopolis* in Galatiæ & Bithyniæ confiniis, de quâ Plinius, & Antoninus in viâ quæ Conſtantinopoli duceret Antiochiam, malè *Heliopolis* apud Hieroclem, & Pro-

copium, & in Notitiâ Ms. Ἡλιόπολις. Adde Urbes, *Cinna* Κινὴ, *Anaſtaſiopolis*, *Berinopolis*, &c.

VIII. Galatia Salutaris

Galatia Secunda, quæ & *Salutaris*, Præſidialis illa, priori (ut dictum) magis ad Meridiem, & Occaſum fuit, habuitque à Septentrione Paphlagon. & Honoriada, à Meridie Piſidiam & Lycaoniam. Metropolis fuit *Peſſinus* quæ etiam Πεσινὺς, vel Πεσσίνὺς, *Peſinus* vel *Peſſinus*, Phrygiæ quondam adſcripta ab Herodoto, Livio, Galatiæ à Plinio, L. v. C. XXII. Nec confundenda cum *Peteniſo* vel Πετενησσῦ ejuſdem Provinciæ. *Trocmi*, Τρώκμοι, etiam Τροκνάδαι in Notit. *Tectoſagæ* vel Τεκλοσάκαι, ad hanc Provinciam referuntur. Hîc & Γέρμα κολωνία *Germa Colonia* Galatiæ urbs apud Ptolemæum, undè Nummi cum Epitheto *Coloniæ*.

IX. Paphlagonia.

Paphlagonia, quam à *Phalego* dictam cenſet Bochartus, ſub *Correctore* fuit, ab Auguſto Bithyniæ attributa, ab Honorio deinceps ex parte Galatiæ primæ; undè in Notitiâ Imp. non expreſſa eſt, & Gangrenſis Epiſcopus aliquando ab Ancyrano Galatiæ ordinatus legitur, ex *Actione* VI. Concilii Chalced. Euſebio Ancyræ Epiſcopo. Olim ampliſſima Provincia fuerat, diviſa in maritimam & mediterraneam, tandem acciſa ſub Honorio, cujus pars Provinciam Honoriadis conſtituit, hinc *diminutionem paſſa* dicitur *Novellâ* XXIX. C. I. Tandem à Juſtiniano *Nov.* XXIX. *Tit.* VIII. tota uni *Prætori*, viro ſpectabili, ſubjecta fuit. Et hujus Gentis coloniam, trajectione factâ in Italicum ſolum, *Venetos* eſſe & *Aquilejenſes*, ipſe dicto loco Imperator poſt Corn. Nepotem, Strabonem, Solinum, Plinium, qui *Henetos* & Paphlagones fuiſſe, & in Italiam conceſſiſſe, tradunt omnes, unde dicti *Veneti*, ut ex οἶνος *vinum*, &c. de quo conſule Salmaſium ad Solinum; abſurdis iis qui Venetos à Venedis Sarmaticis arceſſunt. Quamvis alii *Venetos* dictos à *Venetis* Galliæ Armoricæ, rei maritimæ gloriâ præſtantibus. Fuit autem Paphlagoniæ, ſtrictius dictæ, ab Ortu Helenopontus, ab Occaſu Honorias, à Meridie Galatia utraque, à Septentrione Pontus Euxinus. Metropolis fuit *Gangra*, Γάγγραι, Concilio Gangrenſi nobilis, in quo damnatus Euſtathius Sebaſtiæ Armeniæ Epiſcopus, vitæ Aſceticæ parens, apud Socratem *Lib.* II. C. XXXIX. Mittimus cæteras quæ in Notitiis, *Amaſtrida*, olim *Seſamum* ex Plinio, ex quatuor pagis conſtructam, ut Strabo L. XII. Sic Πομπηϊόπολιν Paphlagoniæ, à Mithridate Eupatore conditam, & poſt à Pompejo ſubactam, undè illi nomen.

X. Honorias

Honorias, pars primò Paphlagoniæ, atque illi reddita à Juſtiniano, Honoriadis nomine antiquato, priori ad Occaſum fuit, ut Bithyniæ ab Ortu. Metropolis fuit *Claudiopolis*, (cognominis alia Ciliciæ fuit, etiam Daciæ) non hæc jam Galatiæ ſed Bithyniæ, quæ hinc & *Bithynium* Ptolemæo, Plinio, Stephano cognominata, à *Bithyniâ* avulſa, & adſcripta Honoriadi, vel Juſtiniano teſte in dictâ *Nov.* XXIX. cum duabus aliis Bithyniæ urbibus, *Pruſiade* vel *Pruſâ* ad Hypium M. poſteà etiam regiâ Ottomanorum, & *Heracleâ ad Pontum* Euxinum, quæ Epiſcopos dederunt in Synodis, Nicæna, Epheſinâ, Chalcedonenſi. Sic *Cratia* Κρατεία in Notit. & in Novellâ Juſtin. etiam *Tejum*, *Tium*, *Tios*, cujus ἐθνικὸν Τιανός, Mileſiorum colonia, apud Melam *Lib.* I. item *Hadrianopolis*, *Hadriana*, aliæ, Honoriadi accenſentur.

XI. Bithynia.

Ultima Ponticæ Diœceſeôs Provincia, ratione ſitûs, cui Thracia ad Occaſum, mediâ Propontide & Boſphoro, proxima, fuit *Bithynia*, cui à Meridie Helleſpontus, & Phrygia Pacatiana, ab Ortu Honorias, à Septentrione Euxinus. Et huic præerat Plinius Junior ſub Trajano, cum *Proconſulari* poteſtate, ut ex *Lib.* X. Epiſtolarum non ſemel intelligitur; regendæ deinceps à *Conſulari*, ſub *Vicario* Ponticæ Diœceſ. ſalvis legibus ſuis municipalibus, quæ in lege V. *de Decurion.* Codicis Theodoſ. Dicta eadem & *Pontus*, quem tranſpoſitis literis T. & N. derivat Bochartus ex בטנא *Botno*, undè dicta ſit *Bithynia* à בטן venter, hinc בטין, Arabibus באטין, Græcis Βιθυνία, quaſi *regio interior*, à Phœnice condita, juxtà Euſebium *in Chron.* Subtiliter pro more. Sed à *Thyniade* Thraciæ, vel Thunia, Thynis, ex adverſo Bithyniæ, veriùs derivetur, quod alterius loci eſt. *Bithynia* aliàs etiam dicta Urbs Myſiæ, apud Suidam, ut Βιθύνιον vel Βιθυνία civitas in Mediterraneæ Bithyniæ parte, ex Strabone, quæ & Κλαυδιόπολις apud Ptolemæum, Sangario amne interfluente; undè genus fuit *Antinoi*, apud Pauſaniam.

Metropolis prima & antiqua fuit *Nicomedia*, maximum Emporium ad Sinum Propontidis, urbs μεγίςη ϰ̀ εὐδαίμων apud Zoſimum, ἡ πρώτη Βιθυνίας in Nummis, Bithyniæ urbium Mater apud Ammianum, L. XVII. C. XIII. omnium totius Aſiæ ſitu amœniſſima, in feraciſſimo colle quem Paradiſum dixêre, à Nicomedo Bithyniæ rege ſic appellata; Deliciæ quondam Conſtantini M. antè conditam à ſe Conſtantinopolim, in quâ etiam baptizatus fuit. Olim & *Aſtacum* dictum, & *Olbiam* idem Ammianus; quæ tamen Ptolemæo diverſæ. Et hæc etiam ἱερὰ dicta, & Nicomedienſes Νεωκόροι, δὶς ϰ̀ τρὶς, in Nummis. Terræ motu eadem everſa, ab Hadriano reſtituta fuit juxtà Euſebium in *Chron.* ſed & novis terræ motibus ruinam paſſura ſub Juliano, apud Ammianum, *Lib.* XXII. vel vivo adhuc Conſtantio, Datiano vel Titiano & Cereali Coſſ. apud Socratem & Sozomenum. Hujus Epiſcopus ſub Conſtantino M. fuit Euſebius, factionis Arianæ princeps, Conſtantinopolim tranſlatus ſub Conſtantio; eademque Conſtantini M. & baptiſmo & morte nobilitata fuit, apud Euſebium *Lib.* IV. *de Vitâ Conſt.* C. LXI. & ſequentibus. Sub hac Urbes Epiſcopales fuêre, *Chalcedon*, è regione Byzantii, vel *Chalcedonia*, olim Propontidis Urbs ampliſſima, libera, colonia Chalcidis Eubœæ Inſ. undè illi nomen; in quâ cultus Antinous ex Nummis, etiam ibi Templum Apollinis ἀρχαιότατον, undè Chalcedonenſes Νεωκόροι, δὶς Νεωκόροι. Concilio IV. Oecum. eadem illuſtris, hinc Metropoleôs honore donata à Martiano Imperat. Actione Conc. Chalc. XI. Eadem quæ *civitas cæcorum* dicta, quod non condita eſſet ab alterâ parte Boſphori, ubi Byzantium. *Lybiſſa* inter Chalced. & Nicomed. morte & ſepulchro Annibalis celebris, ex Plutarcho, Plinio, Ammiano: *Pruſa*, Προῦσα, quæ & Θεύπολις, tranſpoſitis literis deinceps *Burſa*, mediterranea Bithyniæ ad Hypium fluv. qui à Monte cognomine, (ἔςι ϰ̀ ὕπια ὄρη, ut Stephanus) ſic dictus: *Cæſarea* & *Neo-Cæſarea* Bithyniæ, *Helenopolis*, aliæ.

Metropolis altera ſaltem honoraria, jam ſub Valente, fuit *Nicæa* Νικαία ad lacum Aſcanium, in ſinûs extremo, feraciſſimâ planitie, primo Conc. Oecumenico nobiliſſima, antè Olbia apud Plinium, quæ veriùs Nicomediæ fuit priſtinum nomen; etiam dicta Antigonia, à Macedonibus ſtructa poſt Alexandri exceſſum; Straboni ſoli fertilitate σφόδρα εὐδαίμων, unde Νικαιεῖς frequenter in Nummis, Ammiano in *Bithyniâ mater Urbium*, initio *Libri* XXVI. Hinc æmula Nicomediæ, terræ motibus funditùs everſæ, Titiano & Cereali Coss. cujus jura Metropolitica affectavit, negantibus Chalcedonenſibus *Actione* XI. Nec confundenda cum Nicæis aliis, quas *octo* recenſet Stephanus; aut cum Νίκη *Nice* Urbe Thraciæ, ubi convenerunt ſub Conſtantio Epiſcopi Ariani, Euſebio & Hypatio Coss. deluſâ Synodo Ariminenſi Orthodoxorum, Actis reſciſſis, & novâ fidei formulâ ſub nomine Fidei *Nicænæ* publicatâ, τῷ παρομοίῳ τοῦ ὀνόματος συναρπάζειν τοὺς ἁπλουςέρους

Nicæa altera Bithyniæ Metropolis.

Digitized by Google

σέρως βυλόμενοι, *nominis ſimilitudine ſimpliciores decipere volentes*, ut habet Socrates *Lib.* II. C. XXXVII. Urbes alias exhibent Notitiæ, quæ huic Metropoli, tanquàm Bithyniæ ſecundæ, fuerint obnoxiæ, quales *Apamea* vel *Apamia* ad ſinum Ciænum; *Gordus*, *Gordium*, *Gordiaum*, *Gordus ſervorum* Γερδυσερβῶν in Notit. aliàs Magnæ Phrygiæ, à *Gordio* ruſtico, poſt rege ſalutato, patre Midæ, cujus lora in Templo Jovis ſuſpenſa, in quibus eſſet nodus inſolubilis; de quo Arianus, Curtius, Plutarchus, Juſtinus, &c.

Iberia, Georgia.

Ponticæ Diœceſi accenſita quandoque & *Iberia* vel *Hiberia* Aſiatica ſuprà Armeniam majorem, inter Pontum Euxinum & mare Caſpium. Media inter Colchidem ſeu Lazicam ab Occaſu, & Albaniam ab Ortu trans Cyrum fluv. Cui à Septentrione Caucaſus, à Meridie Moſchici montes; de cujus Gentis converſione ſub Conſtantino M. eodem ferè tempore, cum Armeniis, & Æthiopibus, operâ mulieris Chriſtianæ Captivæ, inductu miraculorum, tradunt Socrates *Lib.* I. C. XX. & Sozomenus *Lib.* II. C. VII. ex his Nicephorus, alii, & nos in Hiſtoriâ *Sec.* IV.

Georgiani unde?

Et hæc regio, cum Colchide, *Georgiorum* etiam dicta, vel *Georgiana*, non profectò à S. Georgio, ut nugantur, ſed antiquo nomine, forſan ἀπὸ τῆς γεωργίας, undè *Georgi* apud Plinium, *Lib.* VI. C. XIII. & apud Melam, *Lib.* I. C. II. licet ab Iberibus diſtincti, & huic collocati, ſed malè, ſuper Amazonas. A *Gergeſæis* vel *Guirgaſæis* Cananæis, ſic dictos eſſe, qui in has oras migrarunt, relictâ trans-Jordanicâ, hariolatur Zakuthus, in Libro Juchaſin, in בני כנען. *Zorzania* corruptè pro Georgianâ, vocatur in Itinerario M. Pauli Veneti, *Lib.* I. C. XIV. prout emendanda in hoc innumera ſunt. *Curgini* certè apud ſuos, Leunclavio teſte, *Lib.* I. Hiſtoriæ Muſulm. hinc Iberia hodieque *Gurgiſtan*, vel *Gorgeſtan*, & Chriſtiani eorum locorum *Georgiani* nuncupati, Turcarum ſuperato Caucaſo, Saracenorum, Perſarum vaſtationibus expoſiti, & ſenſim in Cimmerias propemodùm tenebras relapſi. Iberum Ducem *Gargonem*, Juſtini Senioris tempore, memorat Procopius de Bello Perſ. L. I. & Photius *Cod.* LXIII. Cæterùm fuère cum Græcis Orthod. poſteà Melchitis, de fide ſentientes, ſapiuntque ex ſcriptis Chryſoſtomi, Nazianzeni, ab Armeniis alieniores; quanquàm non ſine contractâ inter tot ſectarios labe, quin & ab ipſis Muhammedanis: Tributos hos in XVIII. Epiſcopatus ferunt ſub ſuo Metropolitano, vel *Catholico*, qui αὐτοκέφαλος, nec Conſtantinopolitano deinceps ſubjectus. Hinc tres αὐτοκεφάλους ſeu αὐτονόμους ſuo tempore Eccleſias, præter Patriarchales thronos, notavit Balſamo, ad *Can.* II. *Conſtantinop.* Nempè

τὴν Βουλγαρίας, τὴν Κύπρου, τὴν Ἰβηρίας,
Illam Bulgaria, Cypri, & Iberia.

Undè ad Iberienſem Catholicum pares literas direxit Conſtantinopolitanus, quas ad Patriarchas reliquos, ſcil. μολιβδόβουλλα, *cum ſigillo plumbeo.* Et hanc retinuère in hunc diem αὐτοκεφαλίαν, quos *Georgios* vocant, ut Cruſio in Turco-Græciâ, *pag.* 199. Cythræo *in Orat.* aliiſque obſervatum eſt. Quanquàm *Lazica* Provincia maritima, (*Laz* hodieque Turcis dicit hominem ad mare natum, hinc rudem, agreſtem) pars Colchidis vel Armeniæ, cui ad Occaſum Pontus Euxinus, ad Septentr. Iberia, cenſetur inter ſubjectas Throno Conſtantinopolit. cujus Urbs princeps fertur olim *Phaſis*, ad oſtium Phaſidis fluv. Sed hæ regiones extrà Notit. Rom. Imperii, in Barbarico ſolo, de quibus dubia multa vel incerta, etiam fabuloſa apud *Hattonem* Armenum, alios. Difficilis certè ob altiſſima montium juga, quibus undique clauduntur, ad Iberios acceſſus fuit.

Quinta Diœceſis Orientis, quæ dicta eſt

THRACICA.

Thracica Diœceſis quæ dicta?

Thracica Diœceſi à Thraciâ vetere nomen fuit, cujus termini latè protenſi fuère ad Occaſum & Septentrionem, maribus cincta ad Ortum & Meridiem, quæque *ſex* tandem ſub poſterioribus Principibus Provincias complexa fuit, apud Ammianum *Lib.* XXVII. in Notit. Imp. & in Breviario S. Rufi. *Termini* hoc modo fuerunt, ab Ortu Helleſpontus, Propontis, Boſphorus, & Euxinus; à Septentrione Danubius, quà hic ſe in Euxinum exonerat; ab Occaſu Dardania, Dacia, Succorum Clauſtra; à Meridie partim Ægæum mare, partim montana Macedoniæ. Et quanquam ad Europam ſpectaret *Thracia*, ſub Veſpaſiano in Provinciæ formam redacta, apud Suetonium in Veſpaſiano C. VIII. & ex eo Eutropium *Lib.* VII. (Turnebo autem legente ad Tranquillum *Trachiam*, ſcil. Ciliciam) *Orienti* tamen conſtanter adſcripta fuit Thracia, in Diſpoſitione Provinciarum, *indè ab ipſis Veſpaſiani temporibus*, ut ipſe Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſinus, *in Concordia Lib.* I. C. IV. Hinc quum vel maximè Occidentali Imperio attribueretur Macedonia, & Dacia, ut ſub Conſtantio adhuc & Valente Principibus, quæ dein avulſæ ſub Valentiniano & Theodoſio M. ut ſuprà viſum, Thracia tamen inter Provincias *Orientis*, & pars Imperii Orientalis indè à Diocletiano, ſine controverſiâ fuit. Undè & unam deinceps ex quinque *Diœceſibus Orientis* conſtituit, & in Eccleſiaſticis ad *Orientalem Eccleſiam*, hujus Epiſcopi ad *Orientales Epiſcopos*, Synodi Thracicæ ad *Orientales Synodos*, ſpectarunt ſemper. Docent Acta & Hiſtoriæ Conciliorum, Canones Conſtantinopolit. Epheſini, Codex Theod. Hiſtoriæ Zoſimi, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Zonaræ, Notitiæ omnes. Quare ludibrium debet Leo Allatius, de *Perp. Conſ. Lib.* I. C. XI. *Thracia Occidenti accenſebatur; Patriarchæ Occidentali ſubjacuit;* & quidem *quum Byzantium inglorium jaceret, Romano ſubjectum, & ad Romanum à ſuo Metropolitano vel Exarcho appellaret.* Sic quoque Carolus à S. Paulo, ut alios mittam, *in Geogr. S. Lib.* I. ubi de Romano Patriarchatu, contendit Thraciam ad *Occidentem* ſpectaſſe, *Romano Patriarchæ ſubditam*, antè Conſtantinum M. Probatque non illepidè, ex Origine Byzantinæ Eccleſiæ, à Petro fundatæ, referente Baronio, ad *Ann.* XLIV. *Num.* XII. & ex Theſſalonicenſis Metropolitani in Thraciam juribus, qui ſcilicet Theſſalonicenſis, Nicænorum tempore, Romano pareret Patriarchæ, ſi Diis placet. Sed de Romanis limitibus, intrà regiones *Urbicarias* coërciti à Nicænis, deque Theſſalonicenſi, ut Vicarius poſteà audiverit Romani, nos plura ad *Sec.* IV. V.

An ad Occidentem ſpectarit?

Primas olim Heracleenſis.

Primatum Thracicæ Diœceſeôs tenuit primò, poſt deletum Byzantium à Severo, & in vici formam redactum, Metropolita *Heracleæ* Provinciæ Europæ, à Severo donatæ principatu, ut ex Herodiano in *Severo*, *Lib.* III. Procopio de *Ædif. Lib.* IV. aliiſque conſtat. Imò ſub Conſtantino Imperat. Conſtantinopoli *in Novam Romam*, nomine & prærogativis, erectâ, quod τὰ πολιτικὰ, manſit tamen aliquamdiu Heracleenſi jus Metropoliticum, & Canone II. *Conſtantinopol.* Thracica Diœceſis ab Epiſcopis Thraciæ in communi adminiſtrandâ decernitur; τοὺς τῆς Θρᾳκικῆς τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνα οἰκονομεῖν. Quanquàm mox Canone III. τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, ſeu *primatus honoris*, decernitur Conſtantinopolitano, ut in ordine ad Diœceſes reliquas Orien-

tis, (unde primo loco recenſetur in lege 3. Theodoſii de *Fide Cath.* & paſſim) ſic in Diœceſi Thraciæ. Quod Socrates L. v. C. vii. traxiſſe videtur ad πρεσβεῖα τῆς ἐξουσίας, *primatum poteſtatis*, dicens, Nectario in diſtributione τῶν Πατριαρχιῶν datam eſſe *Thraciam* in *Patriarchatum*, quod Canones non dicunt. Nec ultrà Thraciam ſe tum extendit ejus Diœceſis, quamquam mox factis in Aſianam & Ponticam invaſurus fuit, confirmante dein Chalcedonenſi Synodo. Nihilominus τὸ προνόμιον τοῦ χειροτονεῖν *jus ordinandi* ipſum Conſtantinopolitanum diutiſſimè penes Heraclienſem fuit, ut ex Byzantinis Scriptoribus liquet; licet non ejus ſemper expectata ſententia, vel jam in Pauli Conſtantinopolit. exemplo, apud Sozomenum *Lib.* iii. C. iii. Deinceps verò tempore Juſtiniani Imp. Vicarii Thraciæ ſedem habuerunt, non ut antè Heracleæ, ſed in Civitate *Longi Muri* Μακρὸ Τείχους, conditâ ab Anaſtaſio, xl. ab Urbe Lap. quæ munimentum eſſet contrà Barbarorum excurſiones, de quâ *Nov.* xxvi. in Præf. Procopius de Ædif. L. iv. C. ix. & Cedrenus, alii.

Provinciæ ſex. *Provinciæ* huic Diœceſi ſubjectæ *ſex* conſtanter enumerantur, quæ totidem *Thraciæ*: *Europa*, *Hæmimons*, *Rhodope*, *Mœſia inferior vel ſecunda*, *Thracia*, & *Scythia*, in ſpecie ſic dictæ. De quarum terminis, ac Metropolibus, cùm Civilibus, tùm Eccleſiaſticis, mox ſtrictim. Poſtquam verò Conſtantinopolis facta eſt *Nova Roma*, ſeu Roma Ἑῴα *Orientalis*, ad diſtinctionem τῆς Ἑσπερίας *Occidentalis*, ac ſedes Romanorum Imperatorum, factum ſenſim, ut Thraciæ hæc regio dicta ſit Byzantinis recentioribus, & Turcis hodieque, *Romania*, Byzantini Imperatores *Romani*, Hiſtoria eorundem *Romana* apud Niceph. Gregoram, uti Græcia vetus *Romæa*, & Græci Ῥωμαῖοι. Quâ de appellatione Seldenus ad Origines Eutychii, & qui ad Scriptores Byzantinos commentati ſunt, ac Geographi recentiores. *Thraciæ* autem nomen à *Thiras*, Japheti filio, *Gen.* x. 2. undè *Thiraſia*, *Thraſia*, *Thracia*, pluribus deducit Samuel Bochartus, in ſuo *Phaleg*.

Romania quæ dicta?

1. Prov. Europa. Prima ſex Provinciarum in ſpecie dicta *Europa*, in quâ Conſtantinopolis, nempè quia Europæ vel terminus fuit ad Orientem, vel principium quoque ab Aſiâ venientibus. Europa autem Bocharto, ſaltem ingenioſè ut ſolet, quaſ חור אפא *hur appa* terra λευκοπρόσωπος, Phœniciâ voce, à colore habitantium. Provinciæ autem huic ab Ortu & Septentrione fuit Propontis, & Pontus Euxinus, à Meridie mare Ægæum, ab Occaſu Hæmimus & Rhodope. Metropolis, ex dictis, primò quidem fuit *Heraclea*, quæ olim *Perinthus*, diſtinctionis ergò ab aliis *Heracleis*, Thraciæ Mediterraneæ, Macedoniæ, Ponti, Honoriadis, &c. Et iſta quidem princeps Europæ Civitas, apud Procopium, Emporium celeberrimum ad Propontidem, in quâ Amphitheatrum fuit, ex marmore ſolido, olim unum ex Miraculis Mundi habitum, urbs ſuperba, inter *Heracleas* omnes, quas Stephanus de Urbib. xxiii. recenſet, & quæ ab Hercule nomen ſortitæ, urbs princeps, dicta Ἡράκλεια ἐν Θρᾴκῃ. Hinc Herculi ſacra, & Jovi, Baccho, Serapidi, ἱερὰ cognominata, & Auguſta, ac frequentes Inſcriptiones in Nummis, Περινθίων Νεωκόρων, etiam Ναυαρχέων, deceſſura poſt Conſtantinum M. Urbi imperanti, τῇ μεγαλοπόλει. Hinc *Conſtantinopoli*, ut *Novæ Romæ*, *Urbi Æternæ*, *Regiæ*, *Auguſtiſſimæ*, *Sacratiſſimæ*, *Ampliſſimæ*, dicatæ à Conſtantino M. *Æræ Chriſt.* Anno cccxxx. quando primæ Leges in ea datæ ſunt, non honos Metropoliticus tantùm, ſed longè ſublimior, in Civilibus primùm, dein & Eccleſiaſticis haud longè poſteà, delatus eſt. De cujus Urbis, (quæ ante Byzantium, Ptolemæo Βυζάντειον, Metropolis pridem, in quâ habitum Κοινὸν Βυζαντίων) triangulari ferè ſitu, vel ob laterum curvaturas triçorni, frequentes deſcriptiones tradunt; nempè perpulchrè acclivi, tumente ſeptem collibus, inter duo opportuna Maria, Ponti Euxini faucibus imminens, ad fauces ſinuoſi amœnique Boſphori, ambiente capaciſſimo portu, qui Ceratinus dictus eſt, è regione felicis quondam Aſiæ, breviculo in eam trajectu, hinc adſpectu planè ſtupendo, cui par non alius orbe toto; propitio inſuper cœlo, fertili ſolo, affluente undequaque annonâ, anguſtiarum utrimque, quas Helleſpontus & Boſphorus faciunt, præſidiis, naturæ denique artiſque invictis propugnaculis; ne jam intrà mœnia penetremus.

Conſtantinopoleôs prærogativæ.

Urbes aliæ Epiſcopales in Notitiis, & in Actis Conciliorum Conſtantinopolitani 1. Epheſini, Chalcedonenſis, &c. fuêre imprimis, ad Meridiem *Aphrodiſias*; ad Hebrum fluv. *Theodoſiopolis*; ad Septentrionem, *Arcadiopolis*, hinc *Buzia*, Βύζη; ad Ortum & Euxinum *Panium*; etiam in Notit. *Cherſoneſus*, nempè Thracica, *Callipolis* hod. Gallipoli, &c. de quibus poſt Ptolem. Itineraria & Geographi.

Porrò hæc Provincia Europæ ſub Conſtantino M. *Proconſularis* fuit, teſte Socrate *Lib.* ii. C. xli. & Athanaſio *Apol. de Fugâ ſuâ.* Donec Conſtantius *Præfectum Urbis* conſtitueret Honoratum, τὴν ἀνθυπάτων παύσας ἀρχὴν, *abolito Proconſulatu*, Anno 359. Euſebio & Hypatio Coſs. teſte etiam Hieronymo *in Chron.* Idacio in *Faſtis Conſul.* Chronico Alexandrino, aliiſque. Ad quem Urbis Præfectum dabatur appellatio, lege Conſtantii, ex Bithyniâ, Paphlagoniâ, Lydiâ, Helleſponto, Phrygiâ Salutari, Inſulis; ut etiam ex Europâ, Rhodope, Hæmo, vel Hæmimonto, ex Codice Juſtin. de Appell. l. xxiii. Quæ Provinciæ novem fuêre, hinc *ſuburbicariæ*, natâ tempore Conſtantii appellatione, tanquàm Urbi proximæ & circumjacentes, περίχωροι περὶ τὴν πόλιν, *propè & circum Urbem*; ad hæc, quæ ſub Urbicariâ præfecturâ, ὑπὸ τὴν πόλιν, vel τὸν τῆς πόλεως, *ſub Urbicâ juriſdictione*. Nempè à quibus ad Præf. Urbis appellaretur, quum ab aliis ad Præfectum Prætorio eſſet appellandum, manifeſtâ diſtinctione in lege Conſtantii xxvii. de *Appell.* Codicis Theod. *Lib.* xi. Quâ de re etiam infrà, in Diœceſi Romanâ.

Urbis Præfectura.

Provinciæ ſuburbicariæ, quæ, quando, & undè ſic dictæ?

Proxima huic ad Occaſum irrigante fluv. Hebro, fuit Provincia Rhodope, à Rhodopeis montibus, cui à Meridie ſimiliter Ægæum. *Præſidialis* fuit, & in hac princeps Urbium *Trajanopolis* (cui cognomines aliæ in Ciliciâ Tracheâ, Phrygiâ Pacat.) memorata & Ptolemæo, Antonino, in itinere è Macedoniâ Conſtantinopolim, dicta *Metropolis* in Actis Chalcedonenſibus. Magis ad Macedoniam fuit *Topiris*, *Topirium*, Τόπειρος, quam in Rhodope collocat Procopius *de Ædif.* quicquid Euſebius, Epiſcopus illius, in Actis Chalcedon. inter Macedonicos referatur, reverà in Eccleſiaſticis ad Macedoniam ſpectavit. Tùm & *Maximianopolis*, à Maximiano Imp. ſic appellata, quæ apud Antoninum eſt in viâ quæ à Dyrrhachio Byzantium duxit, aliàs dicta *Pyrſaolis*, vel *Perſulis*, variâ lectione Codicum. Ad mare Ægæum Urbes Epiſcopales aliæ, *Abdera*, *Maronia* vel *Maronea*, *Ænus* Αἶνος, quam ab Æneâ conditam ferunt, antequàm in Italiam appelleret, quamque Hierocles primam iſtarum ſtatuit. Et Europæ proxima trans Hebrum ad Melanum fl. *Cypſela* Ptol. Κύψελλα, Stephano Κύψελα, Urbs mediterranea.

II. Rhodope, Rhodopa.

Hæmus, vel *Æmus*, *Hæmimons*, *Hæmimontus*, ab Hæmo monte qui Thraciam à Mœſiâ diſterminat, fuit ad Occaſum Provinciæ Europæ, ad Orientem Thraciæ, ad Septentrionem Rhodopes, ad Meridiem Mœſiæ ſecundæ. Urbs princeps in hanc diem *Hadrianopolis*, *Ælia* quoque à pronomine Imperatoris Hadriani, olim *Oreſta*, dein *Uſcudama*

III. Hæmimons.

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

dama apud Marcellinum, & Jornandem, vel potiùs *Vſcudama*, nunc *Endrene* Turcis, amœniſſimo ſitu, ſoloque, ad confluentes Hebri & fluviolorum Tunſæ & Hardæ, ut Busbequius *Epiſt.* I. Cujus Epiſcopos Eutropium & Lucium, ut gravia ab Arianis paſſos, refert Athanaſius in *Apologet.* & ex eo Theodoretus *Hiſt. Lib.* II. C. XV. Inclyta & apud Socratem Hiſtor. alibique, *Plotinopolis*, à Plotinâ Trajani uxore, Urbs mediterranea; tum & Urbes Epiſcopales ad Pontum Euxinum, ad radices Hæmi montis, ejus ad ἐπαρχίαν vel ἡγεμονίαν ſpectantes; quales, Μεσημβρία *Meſembria*, quæ imperitè *Meridianum* redditur, *Nov.* XI. *Coll.* II. à Pontica diverſa, quæ Megarenſium Colonia dicitur Straboni. Et *Anchialus*, vel *Anchialis* Ammiano, Ἀγχιάλη Straboni, civitas πολίχνιον, cujus Epiſcopus Concilio Conſtant. I. interfuit. *Præſidialis* & hæc Provincia fuit, cum ſuperiore.

Thracia in ſpecie dicta eſt, eaque *Conſularis*, quæ prima Thraciarum fuit venientibus ab Illyrico, confinis hinc ad Occaſum Daciæ, ad Septentr. monte Hæmo à Mœſiâ ſejuncta, ad Meridiem habens Macedoniam primam, ad Ortum Hæmimontem. Metropolis fuit *Philippopolis*, Φιλίππου πόλις, à ſitu *Trimontium*, quandoque πονηρόπολις quod à peſſimis hominibus condita diceretur; non confundenda iſta cum Philippis Macedoniæ; nec cum aliâ in Arabiâ à Philippo Arabe condita, quæ eadem cum Boſtra, Philippi patriâ; minùs confundenda cum Hadrianopoli, à *Ptolemæo* Geogr. L. III. C. XI. Urbs inclyta ſeceſſu Orientalium Epiſcoporum ex Sardicenſi Conventu, in Illyrici & Thraciæ confinio, odio Pauli & Athanaſii, XI. anno Conſtantii, Ruffino & Euſebio Coſſ. de quo Socrates *Lib.* II. C. XX. Sozomenus *Lib.* III. C. XI. Antiquitùs *Eumolpiada* fuiſſe dictam, notat inter alios Marcellinus L. XXVII. Duas alias addit Notitia Græca, *Diocletianopolim*, ex Actis Chalcedonenſ. *Act.* VI. & *Dioſpolim*: Addendâ & *Nicopoli* Thraciæ ad Neſſum, in Nummis ad Neſtum, al. Νέσον, Νέσον Ptolem. (certè Neſtus fluvius Thraciæ hanc à Macedoniâ diſterminans) quamque Trajanus *Victoriæ* ſuæ contrà Dacos monumentum eſſe voluit, apud Ammianum *Lib.* XXVII.

v. Mœſia Secunda, vel Inferior. *Mœſia Secunda*, vel *Inferior*, (Μυσίαν *Myſiam* vocant Græci omnes, cognominem Myſiæ Aſiaticæ) non Illyrici Provinciis, minùs Occidentalibus, annumeranda eſt, ut Carolo in *Geogr.* S. ſed juxtà Notitiam Imper. & Sextum Rufum Thraciis, quod Holſtenio in Notis Geograph. & Valeſio ad Marcellinum, rectè obſervatum. Fuit Provincia *Præſidialis*, ad Septentrionem Thraciæ, Daciæ ad Orientem, inter Hæmum montem & Iſtrum Media. Metropolis fuit *Marcianopolis*, urbs famoſa, etiam ex Nummis, à Gothis primùm obſeſſa, ex Jornande, ſitaque ad Pontum Euxinum: Hanc Turcæ *Conſtantinopolim* veterem dicunt, à Marciâ ſororis Trajani filiâ nomen ſortitam, teſte Ammiano, undè & Μαρκιάνοπολις in Nummis quandoque; Martyrio ejus Metropolitano, ac cumprimis Catholico ſeu Orthodoxo, tempore Theodoſii M. ex lege 3. *de Fide Cath.* qui & Concilio Conſtantinop. ſubſcripſit. Urbes aliæ ad Pontum, *Odyſſus* Ptolemæo, aliis *Odeſſus*, ut Diodoro, Strab. & Scythiam versùs *Dionyſiopolis*, Scythiæ hinc adſcripta; ad Iſtrum *Nova*, undè Novenſis Epiſcopus, in Actis Cònſtant. ſub Flaviano; & *Doroſtorum*, apud Ptol. Antonin. aliàs Δυρόστολον: In mediterraneo *Abritum*, Martiano hujus Epiſc. in Epiſtolâ Synodicâ ad Leonem Imperat. Fuit & Mœſiæ hujus *Nicopolis* vulgò ad *Iſtrum*, quæ etiam juxtà *Iatrum* fluvium quà hic in Iſtrum influit.

vi. Scythia. *Scythia* denique Mœſiæ Septentrionalis, inter Pontum Euxinum & Danubium, ad hujus Oſtia, diſtincta à Scythiâ Cimmeriâ & Tauricâ, latè hac in Orientem & Septentrionem porrectâ. Danubius enim hac parte, in Euxinum ſe exonerans, limes fuit Imperii Romani, hinc limes *Scythicus deſcribitur* tanquam extremus, & *latius ſe diffundens*, per diverſa oſtia in Euxinum, in lege unicâ Honorii & Theod. de *Luſoriis Danubii*, Codicis Theod. *Lib.* VII. Adeo ut Imperator hoc in limite CXXV. *luſorias* ſcil. naves haberi jubeat; λουσόρια πλοῖα dixit Epiphanius in Anchorato, *Liburnas* etiam naves dixêre, quæ in fluviorum limitibus excubias agerent, *ludentes* quaſi, ſeu diſcurrentes ultrò citroque, πλοῖα κατασκοπικὰ *naves ſpeculatoriæ*. Quanquam & illarum plures agerent in ſtatione, hinc priores dictæ *judiciariæ*, poſtremæ *agrarienſes*, quod agrarias vel excubias agerent; quâ de appellatione qui de re Navali & Militari Veterum, & Godofredus ad dictam *leg.* Salmaſius ad *Jus Att.* C. XVIII. &c. *Scythiæ* ſextæ Thraciarum adſcribit Ammianus tria oppida illuſtriora, *Dionyſiopolim*, *Tomos*) & *Callatim*, *Lib.* XXVII. Præterquàm verò Dionyſiopolis in *Notit.* Epiſcopatuum Mœſiæ adſcribitur, certum etiam ex pleriſque Nummis *Metropolim* totius Scythiæ Eccleſiaſticam fuiſſe *Tomos* (quemadmodùm eadem Μητρόπολις Πόντου) Ovidii Poëtæ exilio celebrem, in litore Ponti Euxini, poſt Iſtri oſtium, à quâ Τομίτης, & Τομεύς. Strabonis tamen ævo nondùm Μητροπόλεως axiomate inſignita fuit. At Theodoſius Imperator, dictâ modò lege de *Fide Cath.* in Codice Theod. Terentium *Tomorum* Epiſcopum, ut ex Sozomeno liquet *Lib.* VII. C. IX. (quem ex Thracicâ Diœceſi nominat Imperat. cum Epiſcopis Cæſarienſi, Meliteno, Nyſſeno, & Marcianopolitano, quibuſcum eſſet in fide communicandum) vocat *Epiſcopum Scythiæ*, ob jus Metropoliticum, ſalvis τοῖς πρεσβείοις Nectarii Conſtantinopolit. Idemque Tomorum Epiſcopus aliàs apud Sozomenum, & Theodoretum, (ubi meminerunt Theotimi, Bretannionis) dicitur præfuiſſe πάσῃ τῇ Σκυθίᾳ. *Callatim* ad Euxinum, vicinam *Tomis*, alias Urbes ad Iſtrum, ex Ptolem. & Tabulis petendas, prætermittimus.

De Eccleſiis quæ in Majore *Scythiâ*, trans Pontum Euxinum, in ſolo Barbarico, dicimus infrà, ubi de ſedibus Chriſtianæ Eccleſiæ, extrà limites Rom. Imperii.

Præfectura

Illyrici Orientalis.

Illyrici conſideratio diverſa eſt, Geographica alia & Civilis, Sacra & Eccleſiaſtica alia. Primam quod attinet, dicta quondam Græcis Ἰλλυρίς, *Illyris*, *Illyria*, *Illyricum*, ſtrictiore ſignificatu, litoralis Græciæ regio, ad Ionicum pelagus, cui Dalmatia & Illyricum Boreale à Septentrione, Acroceraunii montes à Meridie, Macedonia ad Orientem: Aliàs *Epirus nova*, cujus caput *Epidamnus* ſeu *Dyrrhachium* civitas; dicta etiam *Albania* ex parte, ab excelſis montibus, qui nivibus albicarent, quos *Alpen* dictos, vetere Gallorum linguâ, pluribus nuper Jac. Palmerius Græciæ ſuæ *Lib.* I. C. XIV. Illyricum ſtrictè dictum.

Sic Illyricum propriè à Macedoniâ diſtinctum fuit, quomodò & Paulus diſtinguit *Rom.* XV. 19. intelligens *Illyricum* modò dictum; in quo etiam *Lychnidus*, credita quoque Palmerio Juſtiniana prima, & *Apollonia* Civitas πολίχνιον, huicque ad Meridiem proxima *Aulon* vel *Aulona* Civitas navalis; per quas è Macedoniâ in Italiam iter fuit, Hydruntem vel Brunduſium, de quo Itiner. Antonini, *pag.* 75. Aliquando tamen & pars Macedoniæ latiùs acceptæ cenſitum Illyricum, etiam Ptolem. extenſæ ſic ad Ionium Pelagus, & Dyrrhachium urbem; quæ hinc ἡ κάτω Μακεδονία *Macedonia inferior*, apud Ca-

Digitized by Google

Cæſarem *Lib.* III. Ptolemæum, Plinium, Dionem, alios. Rursùs procedente Imperio Macedonia iterùm diſtincta ab Illyrico, undè *Macedonia* & *Illyricum* diſtinctis appellationibus, ſæpè in Codice Theodoſiano, ut *lege* VII. & VIII. de *Metallis*, ſub Valente, Valentiniano Sen. & Gratiano, & apud Zoſimum, Marcellinum, Eunapium, Hiſtoricos alios.

Aſt generaliori appellatione *Illyricum*, cùm ipſam quoque Macedoniam, Daciaſque, complexum eſt, tum & Provincias Occidentaliores ac Boreales, inter mare Hadriaticum & Danubium ſitas, quaſdam ſeriùs factas Rom. Imp. Nam & hæ quoque indè à Liburnis, ſub *Illyridis*, *Illyrici*, vel Illyrici Occidentalis, dein Sclavoniæ nomine, inclytæ fuerunt. Hinc *Illyricum* in totâ ſuâ latitudine, tempore Sexti Rufi Feſti, qui *Breviarium* ſcripſit ad Valentinianum *Imp.* circà Annum CCCLXX. complexum fuit Provincias XVII. omnes adhuc ſub Occidentali Imperio, tempore Valentiniani Senioris ex Zoſimo *Lib.* II. Sozomeno *Lib.* IV. C. IV. Ammiano, *Lib.* XXX. A quo deinceps Daciæ, cum Mœſiâ, & quoque Macedonicâ Diœceſi, diſtractæ, ſub nomine Illyrici *Orientalis*. Hinc & Illyricum univerſum antè diviſionem illius factam, ſub uno eodemque Præfecto Prætorio fuit, qui Illyrico ſimul cum Macedoniâ, ut & Italiæ, ac Africæ præerat, quo tempore nonniſi tres Præfecti Prætorio, per Orientem ſcilicet, Illyricum, & Gallias, vel ex Ammiano Marcellino *Hiſt. Lib.* XXI. aut Zoſimo *Lib.* IV. Sic poſtquàm Gratianus filius Valentiniani Senior. Theodoſium M. in Imperii ſocietatem aſſumpſit, Barbaris profligandis, Gothis nempè, Alanis, Hunnis, *Theodoſio* quidem ceſſit Oriens cum Thraciis; Illyricum omne, cum Italiâ, & Africâ, tanquam pars Occidentis, *Valentiniano Juniori*; Galliæ verò, Hiſpaniæ, & Britanniæ, *Gratiano*. Poſteà verò Illyrici pars Orientalior, à Barbaris infeſtata, & propior Urbi Conſtantinop. acceſſit Theodoſio, cedente Valentiniano Jun. ex Jornande de *Succeſ. Regn.* & Sozomeno *Lib.* VII. C. IV. Theodoreto L. V. C. XV. neget licet Doctiſſ. de Marca, *de Primat.* C. XXVIII. & XXXIV. Hinc quum dividendum poſteà inter Filios Imperium eſſet, ſucceſſit *Illyrici* in geminum diſtributio, *Orientale* illud ſub ſuo quodam Præfecto, & *Occidentale* cum Italianâ Præfecturâ conjunctum, uti docet Notitia Imper. & Zoſimus, ac pluribus Jacobus Godofredus, ad *leg.* II. de Conſtit. Princ. & ad *legem* VII. de Metallis. Quamvis Olympiodorus apud Photium, *Illyricum* à Patre filio Honorio adſcriptum tradiderit, repetendum ſcilicet ope Alarici Gothorum Ducis, evocante in hunc finem Stilicone. Sed aliud agebat reverà Stilico. Hinc *Illyricum* modò de Pannoniis, Noricis, Dalmatiâ, Liburnis, quæ ad Occidentem; modò de Daciis, & Macedoniâ quæ ad Orientalem deinceps Præfecturam ſpectarunt.

Orientale Illyricum.

Orientale igitur *Illyricum* indè à Theodoſio M. Arcadio, & Honorio Principibus, complexum eſt Provincias XI. Macedonicis Provinciis incluſis, ſub uno Præfecto Prætorio, qui etiam *Præfectus Illyrici* ſimpliciter ab hoc tempore nuncupatus eſt, in variis legibus ſub Arcadio datis. Diœceſes in univerſum nonniſi duæ, *Macedonia* illa & *Dacia*, latiſſimâ harum acceptione, ſingulæ ſub Vicario ſuo, de quibus modò.

Eccleſiæ Illyrici Orient. ut adminiſtratæ.

In *Eccleſiaſticâ* adminiſtratione, quin Eccleſiæ ex. gr. Achaicæ ſub Corinthiorum, Macedonicæ ſub Theſſalonicenſium Metropolitanis fuerint, ambigere non ſinunt ſequentia: Nempè Urbium dignitas, auctoritas; Eccleſiarum fundatio Paulina; *Apoſtolicarum* apud Tertullianum axioma; Privilegia τὰ πρεσβεῖα, Metropolibus confirmata à Nicænis *Canone* V. VI. dein & Exarchis Diœceſeôn aſſerta independentia à Conſtantinop. *Canone* II. qualis fuit Theſſalonicenſis in Macedonicâ, dein & in Illyricianâ Diœceſi, ex quo Theſſalonicæ ſederunt Præfecti Prætorio. *Patriarchales* etiam tituli eidem Theſſalonicenſi quoque dati, uti Exarchis aliis & Primatibus. Προεδρία in Concilio Epheſino, antè Cæſarienſem Cappadociæ, ex Actis, *Part.* II. *Act.* II. Tandemque ſerior fuit *Patriarchatûs* ea notio, qui in plures Diœceſes, immò in Occidentales omnes Eccleſias, dominatum vel exerceret vel contenderet.

Mutationes factæ.

Factum tamen eſt *primò*, ut Conſtantinopolitanus in Theſſalonicenſem & Illyricum ſua quoque jura extenderit, confirmante Baſilicâ Theodoſii Jun. δεῖν τὰς ἐν τῷ Ἰλλυρικῷ, ἀναφέρειν πάντα εἰς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον, ſeu Πατριάρχην, vel ut eſt in lege XLV. *de Epiſc. Ut non abſque ſcientiâ* vel ſententiâ *Antiſtitis Urbis Conſtantinopolitanæ, (quæ Romæ veteris prærogativâ lætabatur) ſi quid dubietatis emerſiſſet, reſervaretur* res Synodali vel *Sacerdotali judicio*, quod & in lege VI. Cod. Juſtin. de Sacro-Sanctis Eccl. Lata lex Theodoſii A. CCCCXXI. Euſtathio & Agricola Coſs. Quam legem mirè torquet Illuſtris de Marca, *Diſſert.* de Patriarchatu Conſtantinop. trahens ad independentiam *Synodi Illyricianæ*, nec aliud Conſtantinopolitano eâ lege tribui, quàm ut *vices Romani Epiſcopi obtineret in iis Provinciis*, quæ *antè ſubeſſent Patriarchatui Romano.* Imò verò exæquatur Romano Conſtantinopolit. & quæ ſententia in Occidentalib. Provinciis requirebatur à Romano, eadem in Illyrico requiri jubetur à Conſtantinopolitano, qui *pari prærogativâ* lætaretur. Falſum etiam Illyricianam Diœceſim, licet Occidentalis olim Imperii, ſubfuiſſe Epiſcopi Romani juriſdictioni. Et *Vicarias* Romani partes, à Theſſalonicenſi obeundas, demùm poſt hanc legem eſſe natas, ſtatim dicimus. Nec aliter ac nos legem intellexit Socrates, *Lib.* VII. C. XXVIII. accuſans Cyzicenos, in electione Dalmatii Epiſcopi abſque ſententiâ Siſinnii Conſtantinop. tanquàm ἀμελήσαντας τοῦ νόμου. Factum *ſecundò*, ut hæc Illyrici Orientalis Diœceſis, novam hanc juriſdictionem vicini Epiſcopi ferens ægriùs, præhabuerit conjunctionem cum vetere Româ, deinceps (indulgente in gratiam Honorii Auguſti Theodoſio) etiam hujus *Vicariatum*; undè Romano hactenùs ſe ſubmiſit Theſſalonicenſis, ut ejus audire *Vicarius* & *Legatus* poſthæc non detrectarit. Nec ſubjectionis hujus exempla ſunt antè Bonifacium & Cœleſtinum, ab anno 421. Rufo Theſſalonicenſi primo omnium ſubeunte ſpeciem quandam Vicariarum partium, Bonifacio Romæ Epiſcopo, ex *Epiſtolis* utriuſque Romani Præſulis. Hinc ipſe antè hos Innocentius, *Epiſtolâ* ad Rufum, & Macedoniæ Epiſcopos, quæ eſt XXII. quicquid contenderet juriſdictionem in Occidentis Eccleſias, ut *à Petro* & ſucceſſoribus fundatas, *Illyricianæ Diœceſeôs* nullus meminit, fatente Petro de Marca *Lib.* I. *de Concord.* C. IV. Nec certè vel Corinthiaca vel Theſſalonicenſis *à Petro* fundatæ, ſed à Paulo, Romanâ ipsâ vetuſtiores. Quod verò, hanc *Caput Eccleſiarum* vocat ibidem Innocentius, & *omnium* quidem, id eſt, primam ordine & honore, (quo de encomio nos pluribus Diſſert. ad *Canonem* VI. Nicænum, & *Hiſtor. Eccleſ.* col. 1094. &c.) fruſtrà idem de Marca trahit ad juriſdictionem in Eccleſias Illyricianas, pari jure trahendum ad juriſdictionem in Eccleſias univerſas; quod & Salmaſius exploſit, *de Prim.* C. XXI. Quanquàm non neſcio hunc *Vicariatum* Theſſalonicenſis derivari indè à temporibus Damaſi, & Collectione Pontificalium Epiſtolar. Romanâ, quam edidit è Vaticanâ Lucas Holſtenius, Anno MDCLXII. & quâ unâ nititur quoque Henr. Valeſius, *in Lib.* VII. Socratis, *Cap.* XL. Sed de ſubjectione hac Illyrici Orien-

Theſſalonicenſis ut Vicarius fuerit Rom. Epiſc.

Digitized by Google

rientalis, & vicariatu Theſſalonicenſis, nihil in Epiſt. Damaſi & Siricii, ad Acholium & Anyſium; imò contrarium colligitur, collatâ Epiſt. Damaſi apud Theodoretum *Lib.* II. C. XVII. Sozomenum *Lib.* VI. C. XXIII. Quæ verò Innocentio tribuuntur, in Collectione Holſtenii, ubi is ad Rufum Theſſal. *pag.* 47. *Accipe itaque, noſtrâ vice per ſupraſcriptas Eccleſias, ſalvo earum primatu, curam*, in genuinis & indubiis Innocentii, collatis hujus Epiſtolis aliis, non habemus Et certè Ill. de Marca refert ad Bonifacium anno CCCCXXXI. *de Prim.* C. XLI. *& ſeq.* Factum *tertiò*, ut rurſus excuſſo jugo Romani Pontificis, poſt invaſiones Barbarorum in Italiam & Romam, Conſtantinopolitano ceſſerit Illyricum omne, ad Dyrrhachium uſque, ſub nomine Thracicæ Diœceſeôs, teſte *Notitiâ Græcâ Epiſcopat.* ſub Leone Philoſopho, ad calcem Patriarchatûs Conſtantinop. & Balſamone, Zonarâ, Ariſteno, ad Canonem XXVIII. *Chalcedon.* aliiſque etiam, apud Allatium ipſum, *de Perpet. Conſ. Lib.* I. C. XI. Factum *quartò*, ut Juſtinianus Imperator, Nov. XI. in gratiam Achridis patriæ, quæ Prima Juſtiniana, hujus Epiſcopum in Archiepiſcopum evexerit, cum *Patriarchali* poteſtate, ſeu *Summo Sacerdotio* in omnem Dacianam Diœceſin, additis huic Prævalitanâ Provinciâ, & ſecundâ Macedoniâ, cum parte ſecundæ Pannoniæ; quas Macedonicæ Diœceſi ſubduxit. Quâ de re mox pluribus in ſingularum Diœceſeôn, atque in his Provinciarum, deſcriptione.

Reditus ad Patriarchatum Conſtantinop.

Mutatio facta à Juſtiniano.

Prima Diœceſis ILLYRICI *quæ dicta eſt*

MACEDONIÆ, & THESSALONICENSIS.

Macedonia, quæ Hebræis, ſaltem Auctori primi *Maccab.* C. VIII. 5. *Chetim* vel *Chetiim* appellata, primitùs (ut viſum) latiſſimè ſuos limites protendit, ipſam quoque Theſſaliam, & Epirum ſuo nomine & ambitu comprehendens. Dein vel *Provinciam Macedonicam* in ſpecie in duas ſubdiviſam Pauſaniæ jam ætate, & Strabonis quoque; vel laxiùs *Diœceſin* dixit, ex VII. Provinciis conflatam, apud Rufum Feſtum, Jornandem, & in Notitiâ Imp. antè mutationem à Juſtiniano factam. Provinciæ hæ, *Achaia* Proconſularis, *Macedonia*, *Theſſalia*, *Epirus nova*, *Epirus vetus*, *Prævalis*, cum eâ parte Macedoniæ Salutaris quæ Vicario Macedoniæ paruit, & *Creta* Inſula. Undè hujus Diœceſeôs limites, ab Ortu quidem fuêre mare Ægæum, quâ Macedoniam, Theſſaliam, & Achaiam ambit; ab Occaſu & Meridie Mare Ionium; à Septentrione Scardus, Orbelus & Pangæus montes, qui à Dalmatiâ, Daciâ, & Thraciâ dividunt.

Suberat autem *Vicario* Macedoniæ, qui *Comes* dicitur ſub Conſtantino M. qualis Acacius, in *lege* II. Cod. Theod. *ſine Cenſu.* Et quamvis *Corinthus* Achaiæ Metropolis, ac Proconſularis, Colonia Romanorum, primas ſibi quondam vindicaſſet, evaſit tamen *Theſſalonica* princeps totius Diœceſeôs, imò Orientalis Illyrici, cùm in Civilibus tùm in Eccleſiaſticis, ex quo Præfecti Prætorio Illyrici non *Sirmii* amplius Pannoniæ, (Illyrici anteà capite, ac frequenti Imperatorum ſede, Conſtantini & Filiorum, Valentiniani Senior. Gratiani) ſed *Theſſalonicæ* ſedem habuêre. Hinc Theſſalonica ἡγημένη Θετταλίας τε καὶ Ἀχαΐας, & Provinciarum *omnium* caput, quæ ſub *Præfecto* Præt. *Illyrici*, apud Theodoretum, ubi de cæde Theſſalonicenſium ſub Theodoſio M.

Theſſalonicenſis primatus unde?

L. V. C. XVII. Hinc Urbis ejuſdem atque etiam Eccleſiæ privilegia & encomia, in Conſtitutionibus Theodoſii Jun. *lege* XLV. de Epiſcop. & *leg.* XXXIII. de Annonâ & Tribut. in Codice Theodoſiano, *Libris* XI. & XVI. Et jam ex Canone Sardicenſi XVI. & ex *Actis* Gelaſii Cyziceni, Theſſalonicenſis Epiſcopi, per Macedoniam omnem, jura Metropolitica intelligantur: Ut non demùm *Attilanis temporibus*, poſt *Sirmium vaſtatum*, (malè *Firmium* in Novellâ Juſt. XI.) hæc illi Archiepiſcopalis prærogativa acceſſerit; pomœriis tamen eâ occaſione extenſis in omne *Illyricum*, ex dictâ Novellâ, quo ſenſu id voluit Cl. Salmaſius, *de Prim.* C. IV. in fine.

In Provinciis Macedonicæ Diœceſeôs primum in Notit. Imp. locum habet *Achaia*, quæ etiam Græcia & Hellas ſtrictè dicta, quatenus ea *Proconſuli* paruit, jam ſub Auguſto, dein & ſub Claudio, vel ex *Act.* XVIII. 12. (quum ſub Tiberio, *levata fuiſſet Proconſulari Imp.* apud Tacitum. *Ann.* III.) dùm cæteræ Conſulares aut Præſidiales eſſent. Et latior hîc *Achaia* notio eſt, quam eſt apud Ptolemæum, complexæ ſcilicet Græciam veterem, Ætoliam nempè, Locros, Phocida, Bœotiam, Atticam, omnemque quà latè patuit Peloponneſum. Metropolis fuit *Corinthus*, Urbium quondam opulentiſſima, commune totius Aſiæ atque Europæ emporium, πρόθυρον & quaſi πύλαι Peloponneſi, in medio Iſthmo ſita, à P. Mummio eodem ferè tempore deleta, quo Carthago & Numantia ab Africano; dein Colonia inclyta Romanorum, à Julio Cæſ. inſtaurata, An. U. C. DCCX. hinc frequenter in Nummis *Colonia Julia*, etiam *Auguſta*, ſubindéque immunis facta; ſed rursùm tributis, uti à Veſpaſiano, ſubjecta; Proconſulum totius Achaiæ ſedes. Hinc Pauli fundatione, præſentiâ, Epiſtolis, in Eccleſiis inclyta illa Corinthiorum; in *Apoſtolicis*, & *Cathedris Apoſtolorum*, primo loco recenſita Tertulliano, *de Præſcript.* C. XXXVI. & jam in Achaicis princeps, quo tempore Paulus *ad Corinthios* ſcribens, comprehenderet Eccleſias omnes *totius Achaiæ*. Hinc & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, M. Aurelio imperante maximæ fuit in Eccleſiâ auctoritatis, ex Epiſtolis ejus *Catholicis* ad diverſas Eccleſias, apud Euſebium *Lib.* IV. C. XXIII.

1. Prov. Achaia Proconſularis.

Corinthus Metropolis.

Inter urbes alias hujus Achaiæ, quæ Eccleſiis & Epiſcopis floruêre, ſalutante jam Paulo in II. ad Corinthios, fuit poſt Corinthiacam, illa *Athenienſium* in Atticâ; urbis antiquitate, magnitudine, ſitu ad mare Orientem verſùs, ſplendore à Syllâ quidem deſtituta, ſed à Pompejis, Antoninis, Hadrianis, privilegiis aucta; Paulinâ inſuper fundatione, converſione Dionyſii, (ne dicam Hierothei Areopagitæ, qui Dionyſio Magiſter fuiſſe fertur) Epiſcopatu ejuſdem Dionyſii apud Euſebium, tùm illo Publii, Quadrati, &c. meritò inter primas. Hinc & *Metropoleôs* honore, ejuſque Epiſcopus Μητροπολίτου & Ἀρχιερέως titulo deinceps decoratus, pro civili Urbis dignitate. Sic & *Patrenſis* Eccleſia Achaiæ, ob *Patrarum* (Πατρέων) inſignis Coloniæ (undè Colonia Auguſta Patrenſis) & Urbis ampliſſimæ maritimæque decus, Metropolitana ſedes audiit, & inter *Metropoles* recenſetur in Notit. Græcâ quæ Conſtantinopolitano deinceps ſubditæ fuêrunt, cum Theſſalonicenſi, Athenienſi, Corinthiacâ, &c. Adde *Megarenſem*, inter Athenas & Corinthum mediam, *Platæenſem*, *Thebanam*, *Theſpienſem* Bœotiæ, *Chalcidenſem* Eubœæ ad Euripum, quæ hodiè Negroponte, *Elateenſem* Phocidis, *Naupactenſem* maritimam Ætoliæ, *Megalopolitanam* Arcadiæ, *Argenſem* Argolidis, *Lacedæmonienſem* Laconiæ, *Meſſenienſem* ad Sinum Meſſeniacum, alias in Notitiis, quarum Epiſcopi ſubſcripſêre Conciliis Oecumenicis, aut Epiſtolæ

Eccleſiæ aliæ illuſtres.

Synodali Epiſcoporum Achaiæ ad Leonem Imperatorem, paulo poſt Chalcedonenſem Synodum. Nec dubium quin harum plurimæ primitias ſuas Paulo debuerint, *Achaiam* peragranti, eaſdem inſtituenti, ac laudanti non ſemel, in diverſis quas ſcripſit Epiſtolis.

II. Macedonia prima. Prima Macedonia ea dicta, non quæ *Ionium* Pelagus *contingit* ad Occaſum, ut Pancirollus, in Notit. Imper. Orientalis *Cap.* CXXXVI. quod faciunt Illyris & Epirus, ſed quæ Ægæum contingit ad Orientem, à Septentrione perpetuis montibus, quibus tota Diœceſis Macedonica, à Meridie Theſſaliâ terminata, Provincia *Conſularis*. Eadem igitur, quæ & *Theſſalonicenſis*, quæ antiqua Macedonia, ubi *Pella* in colle ſita, ex Nummis, Philippi & Alexandri natalibus nobilis, quam Strabo L. VI. ὥσπερ Μητρόπολιν γεγονέναι. Et hujus pridem Metropolis *Theſſalonica* fuit, Salonich hodieque, cujus interpretatio Θὲς ἄλλῳ νίκην *pone alii victoriam*, Conſtanti Imper. apud Theſſalonicam cum Muhaviâ navali prælio certaturo, A. DCLIV. ominoſa fuit apud Paulum Diaconum *Hiſt.* L. XIX. C. VI. Fuit illa ad Sinum Thermaicum ſita, prius & Θέρμη dicta, apud Strabonem, quod Thermæo Sinui vicina, in intimo ejus receſſu ſita; Urbs grandis & populoſa, ab Auguſto & Cæſaribus privilegiis aucta, Νεωκόρων epitheto ſæpè donato Theſſalonicenſibus, hodieque *Salonich* dicta, Pauli laboribus primiſque Epiſtolis & Eccleſiæ ſede nobilitata, à Gothis dein Iſtro ſuperato, ſub Valeriano, devaſtata; dein fœdata ſanguine hominum VII. millium Theodoſii M. iracundiâ, apud Theodoretum, Paulum Diaconum, alios; ſedes Præfectorum Prætorio, & caput totius Illyrici, immunitate tributorum, aliiſque prærogativis ſub Theodoſio Jun. donata, Cod. de Epiſcopis l. XLV. & de Annonâ l. XXXIII. ut monitum quoque ſuprà. Proxima Theſſalonicæ &
Philippi. illi ſubjecta fuit urbs *Philippus* vel *Philippi*, inter Apolloniam & Amphipolim, in prærupto tumulo ſita, cui ab Auſtro palus & Mare, in confiniis Thraciæ, *Coloniæ* Cæſareæ, *Juliæ*, *Auguſtæ*, titulis ornata, Pauli Epiſtolâ, Chriſtianæ Eccleſiæ primitiis, & ut vulgò cenſent, Epaphroditi Epiſcopatu nobilis. In civilibus autem celebris victoriâ Octavii & Antonii de interfectoribus Cæſaris, ac præſentiâ quandoque *Imperatorum*, ut Valentiniani & Valentis circà A. CCCLXIV. Succeſſu temporis, diviſâ Eccleſiaſticè hac primâ Macedoniâ in *duas*, evaſêre *Philippi* in Metropolim alteram, ſaltem honorariam, cui *Topiris* ſubjecta; aliquando Thraciæ attributa, in Conciliorum Tomis Macedoniæ I. ut ex Breviario Liberati, quod ſeculi VI. eſt, inſerto Tomis Concilior. poſt V. Synodum Oecumenic. Nec tamen hæc *Secunda* Macedonia fuit, Achridenſi ſubjecta, apud Juſtin. Nov. XI. undè malè *Philippi* Metropolis *Macedoniæ ſecundæ*, apud ipſum Holſtenium, in Notis ad Geographiam S. Quæ Macedonia ſecunda, cum Prævalitanâ ibidem conjuncta, huic verſùs Occaſum proxima fuerit neceſſe eſt; quum Philippi Rhodopen Thraciæ ad Ortum contingerent. Philippos dein Σέῤῥας dictas eſſe, quas malè diſtinguant Notitiæ, Holſtenius in Notis Geograph. obſervat, *pag.* 115.

Urbes aliæ Epiſcopales in Eccleſiaſticis monumentis inclytæ, fuerunt cumprimis; Βέῤῥοια, Βέροια, *Berrœa*, de quâ *Act.* XVII. 10. 11. in Emathiâ Macedoniæ Mediterraneâ, ad Meridiem Theſſalonicæ, Ptolemæo juxta Ædeſſam, cui ſuprà cognominis alia in Syriâ primâ. Honoraria deinceps Metropolis fuit, reverentiâ primæ illic Eccleſiæ. Adde ad Ortum, propè Philippos, *Amphipolim* olim Thraciæ adſcriptam, de quâ *Act.* XVII. 1. & per quam iter faciendum Paulo, uti per *Apolloniam*, Theſſalonicam ituro. Tùm *Neapolim* ad Sinum Strimonium; hinc *Thaſſum* Inſulam huic vicinam; *Hephæſtiam* in Lemno inſula, vicinâ Macedoniæ, & Thaſſo Inſ. proximâ; ad Sinum Singiticum *Derras*, quas cum Σέῤῥαις Tabulæ & Notitiæ confundunt; ad Sinum Thermaicum *Dium*, Δῖον Ptolem. Steph. ad Mare Macedonicum ſeu Sinum Thermaicum *Caſſandriam*, Κασανδρείαν Ptol. Coloniam Roman. apud Plinium, dein Paulum Dig. de Cenſu. Tùm & Macedoniæ hujus urbes in Mediterraneâ *Stobi*, colonia Romanor. cujus incolæ Stobenſes cives Romani habiti, & juris Italici; *Lete* vel *Letum*, *Heraclea Sintica*, & verſùs Pangæum montem *Parœcopolis*, &c. Quarum omnium Epiſcopi ex Actis Sardicenſibus & Chalcedonenſibus comprimis noti. *Stobi* autem, Municipium Romanor. ſpectavit ex Hieroclis *Notit.* ad *Secundam* eam Macedoniam quam, cum Prævalitanâ, Achridenſi ſubdidit Juſtinianus, partem Salutaris Maced.

III. Theſſalia. Proxima fuit *Theſſalia*, Θετταλία, Prov. *Præſidialis*, ad Meridiem Macedoniæ primæ, dividentibus Candaviis montibus & Peneo fluvio; ab Ortu Mari Ægæo ad Maliacum Sinum ubi *Thermopylæ*; ab Occaſu Montanis quæ ab Epiro utroque dividunt; à Meridie Achaiâ terminanda. Metropolis fuit *Lariſſa*, quæ *Cremaſte* dicta apud Livium *Lib.* XLII. (plures enim in Peloponneſo, Aſiâ Min. Syriâ, Campaniâ, &c. Lariſſæ cognomines) in Pelaſgis ad Peneum fluvium, cui ad Septentrionem mons Olympus, & ubi Theſſalica Tempe, haud longè à Pharſalicis Campis, devicti Pompeji proximum receptaculum, *Vidit prima tuæ teſtis Lariſſa ruinæ Nobile, nec victum fatis, Caput.* Notabili hujus Epiſcopo, Sardicenſium & Chalcedonenſium ætate. Urbes aliæ, *Demetrias* Theſſaliæ Phthiotidis, anteà *Pegaſæ* apud Plinium; *Thebæ* Phthioticæ à Bœoticis diſtinctæ, quarum Epiſcopus Modeſtus in Concilio Sardic. *Metropolis*, cujus Epiſcopus Marcus Concilio Nicæno ſubſcripſit; *Trica*, vel *Tricca* Τρίκκαι, quarum Epiſcopus Heliodorus, apud Socratem *Lib.* V. C. XXII. auctor Αἰθιοπικῶν, ad quem & Hieronymi Epiſtolæ. Ibidem quoque Socrates ritus quoſdam recenſet, ut Eccleſiis *Theſſaliæ* proprios, quales v. gr. baptizandi ſolo Paſchatis die; item Clerico interdicendi uſu omni conjugis ſuæ, poſt Ordinationem.

IV. Epirus vetus. *Epirus vetus*, quæ & *Illyridis* nomine venit unà cum Epiro novâ, olim Epirus ſimpliciter, Pyrrhi regnum, *Chaonas*, *Theſprotios*, *Dolopes*, *Dryopes*, *Moloſſos*, *Amphilochios*, *Acarnanios*, alioſque populos complexa fuit, ampliſſima regio, Provincia Præſidialis: Habuit ab Ortu Theſſaliam & Achaiam, ab Occaſu Mare Ionium, à Septentrione Acroceraunios montes, quibus ab Epiro novâ diviſa fuit. Metropolis fuit olim quidem, ſub Regibus, *Ambracia*, Ἀμβρακία Ptol. Pyrrhi regia ad Sinum Ambracium, de quâ fuſè Palmerius, *Græciæ Ant. Lib.* II. C. VII. Dein verò *Nicopolis* ad Sinûs ejuſdem oſtium, ἡ πρὸς Ἀκτίῳ, Actio promontorio vicina, quod Actiacâ victoriâ nobile eſt. Et in ejus memoriam condita ibi Nicopolis ab Auguſto, Colonia deinceps Romanorum, civitas *libera* Plinio, quinquennalibus etiam Ludis in eâ conſtitutis. Caput fuit Acarnaniæ Epirotarum regionis, hinc Epiri totiûs, à quâ & Provincia hæc dicta *Nicopolitana*. In hâc etiam Actiâ Nicopoli repertam ferunt in dolio *ſextam* Verſionem Bibliorum, quam Origenes Octaplis ſuis inſeruit. Porrò Heliodorum in Sardicenſi, Atticum in Chalcedon. Synodis, &c. Epiſcopos Nicopolitanos memorant Eccleſiaſticæ Tabulæ. Nicopoles alias Thraciæ, Mœſiæ, Bithyniæ, Armeniæ, &c. omnes ſic dictas à victoriis inſignibus Romanorum, ſuis locis notavimus.

Epiri Urbes aliæ, Chriſtianæ Eccleſiæ ſedes, cele-

Digitized by Google

lebratis paſſim Epiſcopis, vel in Epiſt. Synodicâ Epirotarum ad Leonem Imperat. fuêre: *Hadrianopolis*, Epiri civitas in Actis *Chalcedon.* quæ multis, & in Samſonianis quoque Tabulis, eadem eſt cum *Phœnice*, Φοινίκη Ptolemæo, aſt Polybio, Livio, Procopio, diverſa, Epiri utraque: *Butrotum* vel Buthrotus, Βυθρωτὸν Græcis Geogr. oppoſitum Corcyræ, Colonia Roman. *Anciaſmus* vel *Anchiaſmus* maritima: Et præ cæteris inclyta celebri Oraculo, & æneo Lebete, *Dodone* vel *Dodonæa*, Δωδώνη in Theſprotiâ Epiri, ab aliis in Moloſſide, collocata, undè duæ *Dodonæ* natæ, quanquàm malè, Theſprotiâ quandoque Moloſſidem complexâ, & Hellopiam, in quâ omninò Dodone, ad Tomarum vel Tmarum montem: A Dodanim vulgò arceſſunt filio Javanis, *Gen.* x. 4. ſed רודנים *Rhodanim* legente ibi Bocharto cum Paralipomenis, & Græcis, & Samaritano: Aliis etiam à lebetis duplicato ſono Δω Δῶ, haud alienâ conjecturâ, nomen hocce derivantibus, quâ de re adi J. Palmerium, Græciæ *Lib.* II. C. VIII. ſed & Virum Clariſſ. Jacobum Gronovium Diſſert. de Dodona. Adde Inſulas Ionii maris Provinciæ huic attributas, ac primò Κέρκυραν, *Corcyram*, hodiè *Corfou*, *Corfus* à Græcâ voce Κορυφῶ, Inſulæ Caſtello, duas habente ſummitates; tum è regione Achaiæ *Cephaleniam*, Κεφαλληνίαν, olim Σάμην, cui Ithaca & Zacynthus ad Septentrionem & Meridiem adjacent. Et ſubſcripſêre quidem priorum Epiſcopi in Conciliis Nicæno & Calcedonenſi.

V. Epirus Nova. *Epirus Nova* ea dicta, non quam cenſet Pancirollus *Cap.* CXXXVII. ultrà Acheloum fluv. ad Orientem, Locros ſcilicet & Phocida, verùm quæ olim *Illyris* Græciæ, dein Albaniæ regio παράλιος, ad Ionium pelagus, & ad Septentrionem Epiri veteris, ultrà Acroceraunia. *Præſidialis* Provincia fuit, conjuncta cum parte *Macedoniæ Salutaris*, versùs Scardum montem ad Septentr. & ad Occaſum alterius ſitæ, quæ Salutaris deinceps Achridenſi ſubjecta fuit, ſub nomine *Macedoniæ Secundæ*, in Novellâ Juſtin. XI. datâ Beliſario Conſule: Quamquàm Macedoniæ Salutaris non meminit Rufus, quod facit Notitia Imperii, ſed Prævalitanæ tantùm. Metropolis fuit *Dyrrhachium* Δυρράχιον, alias *Epidamnus*, juxtà Livium, hodieque *Durazzo*, in orâ Occiduâ ad Mare Hadriaticum & Ionium ſitâ, nobiliſſimum Emporium, in quod ex Italiâ Brunduſio trajectus fuit, ituris Theſſalonicam CCLXXX. miliaribus diſtantem Dyrrhachio, apud Antoninum, in *Itinerar.* Interfuêre Epheſinæ Synodo Eucharius, Chalcedonenſi Lucas, Dyrrhachini Epiſcopi. Proxima dignitate *Apollonia* fuit, versùs Aoi Ἀώυ fluvii oſtia, πρὸς τὸ Ἰώνιον, urbs litoralis, & Colonia Roman. non confundenda cum alia Apolloniâ, ad Pontum Euxinum, à Lucullo everſâ apud Plinium L. II. C. XXIX. undè hic Coloſſum Apollinis extulit & in Capitolio dedicavit, teſte Strabone *Lib.* VII. Hinc ad Meridiem ſita Βύλλις *Byllis*, vel *Bullis*, undè Bullidenſes apud Cæſarem, Urbs quoque Maritima; conjuncto Epiſcopatu, Apolloniæ & Bullidis in Felice, in Actis Epheſinæ Synodi, *Act.* I. Mittimus ignobiliores alias, vel antè memoratas.

VI. Prævalitana. *Prævalis* ſeu *Prævalitana* Provincia, quam à Macedoniâ Salutari diſtinguit Notitia, partem hujus illi adjungens, & utramque ſub Vicario Daciæ conſtituens: Primò ad Macedoniam ſpectavit, ut ex Ruſo Feſto viſum, & ex Jornande quoque liquet; hodiè pars Albaniæ in Illyride Boreali, aliis Dalmatiæ adſcripta, dividentibus hanc Albaniæ montibus, Prov. quondam *Præſidialis*. Fuit illi ad Meridiem Epirus nova, ad Occaſum Mare Hadriaticum, ad Septentrionem pars Dalmatiæ, Dardaniæque, ad Ortum Macedonia itidem & Dardania. Metropolis apud Hieroclem ſtatuitur, ſed malè, Dyrrhachium, reverà olim *Iliſſum*, vel *Liſſus* & *Acroliſſus*, ad quam ſe Drinus vel Drilo fl. in Mare Ionium effundit, hodiè Sinum *Lodrin* vocant, Bulgarorum aliquando Metropolis. Clara etiam Urbs *Scodra*, hodie *Scutari*, cujus Epiſcopus Senecio Epheſinæ Synodo interfuit; Et Urbs alia ad Sinum Rhizonicum Maris Hadriat. *Rhizana*, Ῥίζινον Ptolemæo, Ῥίζον Polyb. Steph. *Rhizinium* Plinio. Poſteà verò in Metropolim evecta à Juſtiniano Imp. imò in Patriarchalem, ut Prævalitanæ, ſic omnis Dacianæ Diœceſeôs *Achris* vel *Achrido*, quæ Juſtiniana I. de quâ ad Dacianam Diœceſim.

Creta Inſula inter Mare Libycum & Ægæum ſita, ad Meridiem Peloponneſi, & ad Occaſum Carpathi Inſ. Inſularum apud Græcos Scriptores princeps, olim Ἑκατόμπολις, undè Virgilius Æneid. III. VII. Creta.

Creta Jovis magni medio jacet Inſula ponto,
Mons Idæus ubi, & Gentis cunabula noſtra,
Centum Urbes habitant magnas, uberrima regna.

Variis ea ſub nominibus, Ἀερίας, Ἰδαίας, Δολιχῆς, Τελχινίας, aliiſque celebrata, hodiè *Candia* nomine nota; fabulis verò Poëtarum de *Jove* in eâ Inſulâ nato, abſcondito, ab apibus & Amaltheâ nutrito; de raptu *Europæ*, Jove Tauri formam induente; de Minoë, Dædalo, Labyrintho, Ariadne, Theſeo, &c. decantatiſſima: De quibus adi Joh. Meurſium, & qui ad Diodorum, Plinium, Solinum, Stephanum, &c. commentati. Ut Macedonicæ & Illyricianæ Diœceſi in Civilibus, ſic & in Eccleſiaſticis ſubjecta fuit; *Conſularis* cæteroquin Provincia, Evangelii luce inter primas colluſtrata, ex Petri prædicatione, *Act.* II. ac Pauli Titique laboribus *Tit.* I. 5. &c. Metropolis fuit *Gortyna* Γόρτυν Stephano, civitas Mediterranea, olim Lariſſa, dein Cremnia apud eundem Stephanum, quam ὅλην διαῤῥεῖ ὁ Ληθαῖος ποταμὸς, apud Strabonem L. x. haud confundenda cum Gortyne Peloponneſi. Inclyti jam olim Epiſcopi, e. gr. *Philippus*, à Dionyſio Corinth. Epiſcopo ſalutatus Epiſtolâ, cum reliquis Cretæ Eccleſiis, laudatuſque apud Euſebium, *Hiſt. Lib.* IV. C. XXIII. Sic *Cyrillus*, Martyr ſub Decio in Martyrologiis; poſteà *Iconius*, *Martyrius*, *Theodotus*, in Synodis Epheſinâ, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitanâ ſub Juſtiniano, &c. Proxima fuit *Gnoſſi* vel *Cnoſſi*, Minois quondam regia, deinceps Eccleſia cujus Epiſcopus δεύτερος dicitur in ordine Epiſcopor. in Notitiâ Leonis Imp. & Pinytus tempore Dionyſii Corinthiorum circà A. CLXX. effertur apud Euſebium *Lib.* IV. C. XXI. & XXIV. Interfuêre & Synodis Oecum. Epiſcopi reliqui Civitatum Cretenſium, uti *Arcadiæ*, *Cherſoneſi*, *Lampæ*, *Cydoniæ* hodie Caneæ, &c. quarum XII. numero in Baſilicâ Leonis recenſentur; quanquàm Epiſcopales urbes, ex Actis Conciliorum, plures colliguntur, *Apollonia*, *Heraclea*, &c. monente & Joh. Meurſio, Cretæ ſuæ *Lib.* IV. C. IV. quem vide.

Secunda Diœceſis Illyrici, quæ dicta eſt

DACIÆ vel DACIARUM.

Altera Diœceſis Præfecturæ Illyricianæ, fuit Daciæ illa; primò Provincias IV. Daciam utramque, Dardaniam, & Mœſiam primam vel ſuperiorem, dein V. accedente Prævalitanâ, comprehendens, ac VII. Provincias tandem ſub Juſtiniano. Daciana Diœceſis quæ dicta? Nec enim hæc cum *Daciâ antiquâ* confundendâ, ultrà Danubium, ad Sarmatas extenſa, & Carpathios montes quibus cingitur; quæ à Trajano ſubacta, à Gallieno neglecta ereptaque Romanis fuit, dein *Gothia* appellata, & *Gepidia*, apud Jornandem de rebus Geticis, C. XII. Iſidorum, alios; hodiè *Valachia*, *Moldavia*, & *Tranſſylvania*, cujus caput Dacia antiqua quænam?

put *Alba Julia*, tùm *Claudiopolis*, Municipium Romanor. utraque & Colonia. Nempe *Daciæ* veteris, (traductis indè Romanis, ſub Aureliano, ex Vopiſco, Ruſo, Jornande, qui exercitum, è Daciâ trans Danubium, tranſtulit in regiones cis Danubium ſitas, aliamque ibi Daciam eſſe juſſit) inditum nomen eſt regionibus Mœſiæ & Dardaniæ cis Danubium, diviſis iis mox in *Duas Dacias*, Ripenſem & Mediterraneam, adjectis poſtmodùm ad Diœceſim conſtituendam, ſub Vicario Præfecti Prætorio, Provinciis reliquis tribus; ut pluribus ex Dione, Vopiſco, S. Ruſo, Eutropio, Jornande, Oroſio, Notitiâ Imperii, Hiſtorici paſſim, & ad Notitiam Imperii Pancirollus *Cap.* CXXXVIII. Cæterum de Daciis vide & quæ Illuſtris Cuperus obſervavit, *Notis* in Lactantium de Mortibus Perſec. *pag.* 148. Termini fuerunt, ab Ortu Thracia & Mœſia Inferior, à Septentrione Danubius, à Meridie perpetui montes Scardus, Orbelus, Pangæus, dividentes à Macedoniâ & Epiro, ab Occaſu Dalmatia, & pars Illyrici Occidentalis. Eſtque ea regio quæ deinceps *Slavonia*, vel *Sclavonia*, *Servia*, & ex parte *Bulgaria* nuncupata fuit.

Ut Diœceſis hæc à Barbaris infeſtata.

Diœceſi Daciæ conſtitutâ *Vicarius* illi datus ſub Præfecto Illyrici, cujus tamen nulla in Codice Theodoſiano mentio eſt, nec in Catalogo Juſtinianæo Præſidum Orientis; ob Provincias eas à *Gotthis* primùm (jam ſub Valente, hinc Gratiano, Theodoſio infeſtantibus) ſeu *Viſigothis*, *Oſtrogothis*, tùm *Alanis*, *Hunnis*, *Avaribus*, *Rugiis*, *Herulis*, *Gepidis*, *Longobardis*, poſteà *Sclavis*, ac denique *Bulgaris*, ne ad Turcos deſcendamus, miſerè obſeſſas ac devaſtatas. Sed Juſtinianus Imperator poſt purgatum Illyricum, & profligatos Barbaros, adjectaſque rurſum Romano Imperio has cis Danubium Regiones, Diœceſim hanc reſtituit, & auxit in favorem Primæ Juſtinianæ, ſeu Achrido, patriæ ſuæ, ut pluribus ſtatim.

Daciæ ut à Barbaris infeſtatæ.

Qui verò Dacianam Diœceſim, & Illyrici regiones, cumprimis infeſtarunt Barbari, incredibili colluvie, quæ Hiſtoriam utramque implent, Civilem & Eccleſiaſticam, de ſingulis utriuſque tyrones verbo hoc in loco præmonendi. Adibunt autem in Veteribus Procopium Cæſar. Agathiam Scholaſticum, Aur. Caſſiodorum, Jornandem Ravennatenſ. Paulum Diaconum, Warnefridum Longobardum, Helmoldum Canonicum Butzovienſ. Sigebertum in Chron. Joh. Magnum, & paſſim Hiſtoricos Byzantinos qui res Gothicas, Vandalicas, Sclavonicas, & Bulgarorum illas, ſcriptis ſuis tradiderunt, ut recentiores mittam.

Barbaræ Gentes quæ Dacias & Illyricum infeſtarunt, dein in Europam omnem, & Africam effundendæ.

Gothi quinam?

Gothi vel *Gotthi*, *Gotthones*, Γύθωνες Ptolemæo, Veterum pleriſque ſunt iidem cum Gethis, ex affinitate nominis, Scythicæ originis, juxtà quoſdam ex Gether Arami filio *Gen.* x. 22. unde Gethæ, Gothi, ſed longiùs petitâ origine, Daciæ trans Danubium populi, verſus Pontum Euxinum. Aliis, ex Scandinaviâ vel Scandiâ oriundi, id eſt, Suediâ, Norwegiâ, ubi fuerint primitùs *Guthi*, *Gotthi*, & dicuntur hodieque; & itâ plerique Veterum, ac Recentiorum, ac Grotius in ſuo de Gothis Commentario. Aliis, ex Vetere Germanorum Gente, ad Sinum Codanum ſeu Mare Suevicum, quod illis à Septentrione fuit, uti Viſtula fluv. ab Oriente, ubi Pomerella hodiè in Caſſubiis, & ubi ſederint *Gotthones* vel *Gutthones*, hinc *Gotthi*; & itâ pluribus Cluverius *Germ.* L. III. C. XXXIII. Alii verò deducunt ex Sarmaticâ origine, ſeu Gotho-Pruſſicâ, ut Prætorius in *Orbe Goth.* Atque hi ſeu jam ex Scandiâ primùm, ſeu ex orâ illâ ad Sinum Codanum oriundi; ſeu veriùs hoc communi nomine venerint plurimæ ac vicinæ Gentes, ortæ v. gr. ex Scandinaviâ qui Sueco-Gothi, ut multis Grotius; ex Germaniâ Boreali, verſùs Balthicum Mare, extenſi ultrà Albim, Viſurgim, ut Lazius, Cluverius, &c. etiam ex Sarmatiâ Gotthicâ, ubi Cimbri, Venedi, Pruſſi, Gottho & Celto-Scythæ, &c. Qui dein circà Mœotidem Paludem, hinc in Daciam, Pannoniam, Mœſiam, Illyricum, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, imò Phrygiam, fuêre vario tempore diffundendi. Undè Gotthici generis habiti Getæ, Gepidæ, Vandali, Longobardi, Avares, Suevi, Rugii, Burgundi, & Barbari alii. Certè à Viſtulâ fluvio, qui Germaniam à Sarmatia dividit, per Sarmatiam omnem profecti, Filimiro Duce, primò ad Mœotim Paludem, hinc regreſſi ad Boryſthenis oſtia, & Getarum fines, in Daciâ conſederunt. Indè rurſùm in Thraciam ſub Valente Imp. effuſi ſunt; tùm in Græciam, invitante Ruffino, Alarico iſtorum Duce; hinc in Illyricum & Pannoniam, Stiliconis tempore; tùm in Italiam, Româ ipſâ devaſtatâ, hinc demùm concedente illis Honorio, in Gallias & partes Aquitaniæ: Sed indè à Francis expulſi in Hiſpaniam migrarunt, Vandalis & Alanis ex Hiſpaniâ in Africam profligatis, Regnoque *Viſigotthorum* in Hiſpaniâ à Gotthis erecto. Hoc verò à Mauris poſtea exuti ſunt, perfidiâ Juliani *Comitis*, Roderico Rege, ſub initia Seculi VIII.

Viſigotti.

Porrò dicti hi *Viſigotthi*, ſeu *Weſtgotthi*, quod ſedes eorum eſſent verſùs Occidentales Daciæ partes, Germaniæ vicinas, ubi Tranſſylvania; Et ab his diſtincti, ac ſocietate etiam diviſi, *Oſtrogotthi*, quorum ſedes Orientem verſùs, & Pontum Euxinum, ubi hodiè Moldavia, &c. Quibus ex oris hi quoque profecti, ſuperato Danubio, Mœſiam & Thraciam pridem devaſtarunt ſub Philippo Imperat. variis dein irruptionibus factis in Aſiam & Europam: Et ab Hunnis aliquando ſubacti Oſtrogotthi, cum iis jungendi adverſùm Romanos & Viſigottos; mox Hunnorum invaſuri in Pannoniis & finitimis locis regiones. Tandem *Theodorico* Duce, Zenone Imperatore Orientis, in Italiam Zenonis ſuaſu illecti, Odoacrum Turcilingorum & Rugiorum Regem, Italiâ tunc potitum, prœliis fatigant, vincunt, Regnumque Italiæ aſſerunt ſuæ Genti, Theodorico Romæ per annos XXX. & ampliùs regnante. Sed de his etiam infrà, *Parte* III. & in *Hiſt. Eccleſ.*

Oſtrogotthi.

Hunni.

Hunni, Scythiæ interioris populi fuêre, ultrà Mœotidem Paludem, verſùs Caucaſios montes, aliàs *Circaſſii Nigri*, id eſt, Septentrionales, gens ferox, venationi dedita, & arcu valens, pellecta tandem ſub Valente Imp. adverſùs Gottos in Pannoniam & vicinas regiones. Dein poſt cladem Valentis, effuſa in Thraciam, Mœſiam, Macedoniam, Illyricum, hinc in Italiam Attilâ Duce, poſt Valentiniani III. fata, non ſine Herulorum, Rugiorum, Gepidarum, Oſtrogottorum auxiliis, horrendum in modum ſæviit, omnia ferro & igne vaſtatura. Tandem ex Italiâ excedens in Pannoniâ conſedit, & finitimis regionibus. Undè rurſum, Attilâ ſublato, ab Oſtrogottis pulſi, poſteà è Scythiâ regreſſi, Longobardis vocantibus, Pannoniam iteratò tenuerunt, quæ indè *Hunnia* dicta, & *Avaria*, ut dicam modò. Donec circà tempora Caroli M. ab *Juguris*, *Ugris* vel *Ungaris*, Sarmaticâ gente, & ipſâ poſt Hunnos, & Nordmannos, omnia longè lateque devaſtante, tandem exciſi, Pannonia in Ungariam vel Hungariam, ſuo ſub Rege, in hunc diem verteretur. De his plura dicimus infrà *Parte* III. hujus Geographiæ.

Hungari.

Ge-

Digitized by Google

Gepidi. *Gepidi* vel *Gepides*, quibuſdam dicti non illepidè quaſi *γῆς παῖδες*, *terræ filii*, gens enſe furens, ut Jornandes ait. Hæc à Gothis orta, ſed cum iiſdem poſteà ſæpiùs commiſſa, primas ſuas ſedes cum Gothis ad Oſtia Viſtulæ amnis habuit, & quidem in Inſulâ Verderianâ quam fluvius illic deſcribit, Germanis *Werden*, undè iidem *Viridarii*, & corruptè *Vividarii*, ut pluribus Cluverius, & alii: Et hi quoque, ſed tardiùs, converſi in Orientem, ad Gothos, ſederunt in Daciâ, ad Suecorum anguſtias, unde *Gepidiæ* huic Regioni nomen, ubi Ulpia Trajana. Poſteà cum Gothis variâ fortunâ, & cum Romanis, ad extremum cum Hunnis commiſſi, Ardarico Gepidarum Rege, hiſque ſuperiores facti, & Attilâ interfecto, potiti ſunt Daciâ univerſâ. Tandem verò funditùs deleti ſunt à Longobardis, circà tempora Juſtiniani Imp. ut pluribus Warnefridus, de Geſtis Longobard. *Lib.* I. in fine.

Heruli. *Heruli* qui & *Lemovii* ex eâdem plagâ, quâ Gothi Gepidæque, tanquàm *officinâ Gentium*, profecti fuêre; cum Alanis, Turcelingis, aliiſque permixti: Primò igitur ad Codanum Sinum, Gotthonibus ab Occaſu, hos inter & Viadrum amnem, ſedes habuêre ſuas, ubi Pomerania & Caſſubiæ pars, ità Cluverius. Proximi his *Rugii*, ab Occaſu Herulorum, versùs Viadrum, undè inſula *Rugia*, & oppidum *Rugium*, *Rugewolde*; Et hi pariter in Scythiam delati, hinc in Thraciam, tandem Odoacro Rege, ex Rugio genere, conjunctis Herulis, Rugiis, Turcilingis, Italiam occupant, Auguſtulum Imperat. ejiciunt, Regnum ibi Barbarorum primi conſtituunt; donec à Theodorico Oſtrogotthorum Rege ſubacti, à Longobardis autem deleti internecione fuerint. (margin: Rugii.)

Longobardi. *Longobardi*, vel *Langobardi*, id eſt, *μακρoπώγονες*, intactâ ferro barbâ, ut ait Paulus Diaconus, (aliorum originationes mittimus) patrias ſedes habuerunt inter Albim & Viadrum, vel Suevum fluvios, gens Vandalici generis, cui ad Ortum Burgundiones, eademque *Germaniâ feritate ferocior*, Vellejo Paterc. *Lib.* II. Ut verò hi è ſuis ſedibus ab Herulis exciti fuerint; ut poſteà, Herulis deletis, in Pannoniâ ſederint; ut à Narſe ſub Juſtino II. Imperat. in Italiam invitati, adversùs Gepidos, Gotthos, quos Totilâ interfecto Italiâ exegerunt; ut denique ſedes in Galliâ Cis-Alpinâ fixerint, quæ hinc Longobardia, primo Rege Alboino, ultimo Rege Deſiderio, devicto à Carolo M. ex Hiſtoriâ Longobardorum, & illâ Caroli M. prolixè conſtat, & noſtrâ *Hiſt. Eccleſ.*

Avares. *Avares*, de Regis ſui proprio nomine ſic dicti fuerunt, qui primùm *Hunni*, *Scythicâ* de gente, teſte Paulo Warnefrido *de Geſtis* Longobard. *Lib.* I. Hi ſub Juſtiniano Imperat. fugati ſuis ſedibus, tranſmiſſo Iſtro, venêre in Mœſiam & Scythiam; poſteà Pannoniam invaſerunt, Sirmio urbe ſubactâ; hinc ſub Mauricio, Phocâ, variis irruptionibus Thraciam, aliaſque regiones devaſtarunt; donec Hunnorum gens omnis Pannoniâ & finitimis exigeretur.

Alani. *Alani*, vel *Alauni*, non jam Norica gens fuit hoc nomine memorata Ptolemæo, ſed Europæo-Sarmatica, juncta Roxolanis, apud Plinium, Ptolemæum, etiam Ammianum *Lib.* XXII. Sedem habuit ultra Boryſthenis fontes, qui hodiè *Nieper*, vicina Venedis Sarmaticis, id eſt, Livoniis, hodiè tractus Lithuania appellatur. Eoſdem tamen alii cum *Maſſagetis*, ultrà Caucaſios montes, & Tanaim fluv. per vaſtas ſolitudines extenſos, faciunt, hinc Alani montes à quibus appellati ſint, & ità quoque Marcellinus, *Lib.* XXIII. C. V. *Pompejus per Albanos & Maſſagetas, quos Alanos nunc appellamus, hac quoque Natione perruptâ vidit Caucaſios montes.* Idem & *Lib.* XXXI. *Cap.* II. ubi de ſitu Maſſagetarum diſquirit Hiſtoricus. Joſephus Scythas fuiſſe περὶ τὴν Τάναιν, καὶ Μαιῶτιν λίμνην, *de Bello Jud.* L. VII. C. XXVII. nempè his ad Occaſum. Atque hi Vandalis, Suevis, Burgundionibus permixti, utramque Pannoniam permiſſu Romanorum Principum aliquando tenuêre, teſte Jornande de *Reb. Geticis.* Dein à Stilicone invitati, & metu Gotthorum quærentes ſibi novas ſedes, Gallias primùm, hinc Hiſpaniam infeſtarunt; tandem à Gotthis Hiſpaniâ exigendi, ſimul cum Vandalis.

Burgundiones, vel *Burgundi*, ut Gotthones & Gothi, Germaniæ gens celeberrima, Γοτθικὸν ἔθνος Agathiæ Scholaſtico, certè Gotthis ad Meridiem contermina, cui erat ad Ortum Viſtula, latè ſuum nomen diffudit. Hi enim Burgundi cum Gotthis & Gepidis commiſſi ſæpè armis infeſtis, & ab iis devicti, pars in Thraciam quoque & Daciam pervenit, pars ad Rhenum migravit in finibus Alemannorum, teſte quoque Ammiano *Lib.* XVIII. & XXVIII. Poſtmodùm ſe Vandalis adjunxerunt, Alaniſque & Suevis, Quadis, tempore Honorii. Undè trajecto conjunctim Rheno, mox in Galliam penetrarunt, devaſtandam infeſtis horum Barbarorum armis. Mox cum Vandali cedere armis Francorum cogerentur, ſuperatis Pyrenæis montibus, in Hiſpaniam perrecturi, Burgundiones è Galliis non exceſſêre; ac diviſis quaſi ſpoliis cum Francorum gente, quibus ceſſit Gallia omnis interior, Burgundis obtigit ea pars quæ inter Ararem fluvium & Rhodani Rhenique ſuperiora: Undè Maximæ Sequanorum, & Lugdunenſi quintæ, nomen hodieque *Burgundiæ*, in Ducatum & Comitatum diviſæ. De Burgundionum converſione ad Chriſtum, & occaſione illius Socrates *Lib.* VII. C. XXX. Sed de his quoque poſteà. Burgundi.

Vandali, *Wandali*, *Vandalii*, *Vinduli*, *Winuli*, Gotthis ad Occaſum contermini, Gens Germanica fuit, apud Sinum Codanum, latiori appellatione complexa *Varinos*, *Rugios*, *Herulos*, *Turcilingos*, *Longobardos*, *Anglos*, Saxonum genus versùs Albim fluv. ut pluribus ex Plinio, Jornande, Helmoldo, aliiſque demonſtratum eſt. Tractum adeò illum omnem occuparunt Vandalicæ Gentes, qui hodie Meclenburgenſem Ducatum, Pomeraniam, & vicinas oras inter Viſtulam & Albim fluvios, versùs Mare Balthicum, cum Inſulis adjacentibus, deſcribit. Suntque hi ipſi Vandali, qui Suevis, Alanis, Burgundionibus, Quadis, Marcomannis, aliiſque juncti, immani colluvie hominum, Godigliſco Vandalorum Duce, interiora Germaniæ obſederunt, imperante Honorio, hinc Rheno tranſmiſſo Gallias vaſtarunt, undè à Francis clade affecti, ulteriùs in Hiſpaniam delati ſunt, ſub initia Theodoſii Jun. Gunderico Vandalorum altero Rege. Nec longa in Hiſpania dominatio, quando à Viſigotthis (Galliâ & priſtinis ſedibus pulſis) Hiſpaniâ exacti fuêre, undè trajicientes in Africam Genſerico Duce, invitante etiam Bonifacio Comite & Præfecto Africæ cui periculum ab Aëtii accuſatione imminebat, Africam Romanis eripuerunt, Carthagine captâ, imperante adhuc Theodoſio Juniore. Et hoc initium Vandalici & Ariani in Africâ dominatûs, horrendis mox Orthodoxorum lanienis, duraturâ tyrannide toto ferè Seculo, ad tempora uſque Juſtiniani Imperat. Nam hic, confecto bello Perſico, virtute Beliſarii, Gilimirum Vandalorum regem vicit, ad deditionem coëgit, finemque Vandalico Regno impoſuit, *Indict.* XII. Coſſ. IV. *Marcellino.* Sed plura de Vandalis infrà. (margin: Vandali. Gentes ſub hac notione comprehenſæ. — Vandali in Africâ.)

Sclavi, *Sclavini*, *Slavi*, nomen vix notum antè Procopii & Jornandis tempora, quod deindè probroſum evaſit, apud Gallos, Italos, Germanos, &c. mancipiorum ſignificatu, *Sclavo*, *Slavo*, *Slaef*, (margin: Sclavi, Sclavini.)

Eſclave, quoniam Itali aliique Europæi ex eâ Gente ſolebant ſibi ſervos emere & mancipia; Hinc dicta *Sclavinia* & *Sclavonia*, Gens Sarmatica, cui ſedes primùm in Scythiâ Cimmeriâ & Ruſſiâ, ſylvæ ac paludes, longè lateque ſuum nomen propagatura fuit. Pars enim tranſmiſſo Iſtro, circà eundem & Savum amnem diffuſa, *Sclavoniæ* nomen dedit toti illi tractui qui extenditur in Pannoniam uſque & Dalmatiam, à Danubii propemodùm oſtiis, ubi Mœſia quondam, Dardania, Dacia. In ſpecie *Sclavonia* hodieque in Mappis deſignatur, regio quæ inter Savum & Dravum amnes Stiriæ & Croatiæ contermina eſt.

Venedi Sclavica gens.

Et Sclavici generis *Venedi*, *Winidi*, ulteriùs progreſſi illis regionibus nomen impoſuêre, quæ hodieque inter Forum Julium, Hiſtriam, Carniolam, Croatiam, *Vinidorum Marchia*, ſeu *Windiſche Marck* appellata eſt. Pars verò Sclavorum ſub Lecho Duce, relicto ad Meridiem Danubio in Poloniam, *Sclavorum Provinciam* Helmoldo, & contermina loca, pars ſub Secho in Moraviam, Bohemiam, vicinaſque regiones commigravit. Undè ſunt ſiti ad Auſtrale litus Maris Balthici, quos Germani vocant *die Wenden*; & in Churlandiâ Civitas *Wenden* dicta, & fluvius *Windaw*. Atque ità *Sclavorum* nomen, mores, lingua, latiſſimè diffuſa fuêre per Ruſſiam, Podoliam, Moldaviam, Valachiam, Bulgariam, Serviam, Raſciam, Boſniam, Dalmatiam, Croatiam, Carinthiam, Ungariam, Poloniam, Sileſiam, Moraviam, Luſatiam, Bohemiam, & verſus Mare Balthicum. Hinc *Sclavonica* communis ferè Linguarum, quæ ſunt his Populis vernaculæ, mater eſt.

Sclavonicæ originis Gentes plurimæ.

Bulgari.

Bulgari vel *Bulgares*, primâ ſuâ origine gens fuit è Sarmatiâ Aſiaticâ, ultrà Sclavos, ad Volgam fl. quaſi Volgari, qui uti Ptolemæo & Veteribus eſt Ῥᾶ *Rha*, ſic Ruthenis eſt *Volgha*, Cedreno, Niceph. Gregoræ, & Byzantinis Βȣλγα *Bulga*, hinc *Bulgar* civitas ad fluvium ſita, & regio *Bulgaria* Tartariæ Aſiaticæ. Progreſſi itaque ſuis è ſedibus Bulgari in Tauricam Cherſoneſum, hinc in Thraciam & Illyricum, Imperatore Orientis Anaſtaſio, omnia pariter (*priuſquam agnoſcerentur*, inquit Paulus Diaconus *Hiſt. Miſc. Lib.* xv.) devaſtarunt. Poſteà hi ipſi ſub Conſtantino primùm Pogonato, inclinante Seculo vi. dein poſt crebras irruptiones, tempore Iconomachici belli, effuſi locuſtarum inſtar, vel fulminis, ità Gregoras *Hiſt. Rom. Lib.* ii. C. iii. in Mœſiam utramque & trans Danubianas regiones; tandem Macedoniam & Illyricum, poſt longa certamina cum Græcis, Latinis, Sclavis, obſederunt, regionemque omnem *Bulgariam* appellarunt. Ac regiam quidem Urbem, Bulgariæ Metropolim, anteà *Iliſſum* ad Drili oſtia & mare Ionium ſitam, dein *Lychnidum* eſſe voluerunt, quam *Juſtinianam Primam* quidam fuiſſe ſuſpicati, probatque in recentioribus Palmerius. Fuit hæc *Juſtiniana* in confiniis Macedoniæ & Illyridis, ſublimi in colle ſita, quamque novo nomine & barbaro, Ἀχρίδω *Achrido* nuncuparunt, de quâ ſtatim. Planè ut per omnem eum tractum Mœſiæ, Thraciæ, Græciæ, Illyridis, *Bulgarica* nomina paſſim locis indita fuiſſe, jam eſt à Geographis obſervatum. Atque hîc tandiu ſedêre Bulgari, locorum amœnitate capti; donec Seculo x. Baſilio II. Porphyrogenito imperante, poſt frequentes pugnas, cæderentur Bulgari, ac propè delerentur, undè Βȣλγαροκτόνȣ iſti Imperatori cognomentum. A quo tempore reliquiæ eorum tranſlatæ in Mœſiam Inferiorem ad Iſtrum, & Hæmum, ubi in hunc diem *Bulgaria* nomen permanſit, Τερνόβῳ *Tarnobo* Urbe exindè Bulgarorum regiâ. Prior autem Bulgarorum ditio deinceps *Albania* antiquo nomine appellata fuit, & *Achrido* Albaniæ Urbibus à Græcis recentioribus adſcripta, de quâ mox plura.

Bulgaria quæ dicta?

Mutationes in Diœceſi Daciæ Eccleſiaſticâ.

Metropolis Serdica.

Metropolis quondam Daciæ ut Civilis ſic Eccleſiaſtica fuit *Sardica*, vel potiùs *Serdica*, Σερδικὴ in Nummis Antiquorum, hodiè *Sophia*, Daciæ Mediterraneæ, in confiniis Thraciæ ad Succos montes, & Mœſiæ utriuſque, ut diſertè Theodoretus *Hiſt. Eccl. L.* ii. C. iv. Urbs tùm amplitudine, ac ſitu in limite utriuſque Imperii, nempè antè diviſum Illyricum; tum ſede quandoque Imperatorum, ex quâ Leges plurimæ emanarunt, cumprimis Conſtantini M. tùm indictione Concilii Oecumenici ſub Conſtantio, circà A. cccxlvii. cumprimis inclyta. Poſtmodùm verò *Theſſalonicenſis*, ex quo Præfecti Prætorio Theſſalonicam conceſſerunt, Sirmio à Barbaris occupato, exercuit ſuprà Sardicenſem Patriarchica quædam in omne Illyricum jura, ut pluribus ſuprà, & confirmatur ex Juſtiniano *Nov.* xi.

Juſtiniana prima ſeu Achrido.

Tandem Juſtinianus Imperat. ut ex dictâ Nov. xi. & aliâ cxxxi. C. iii. & ex Byzantinis Scriptoribus ac monumentis Eccleſiaſticis conſtat, poſt Sclavos Illyrico & Pannoniâ exactos, Urbem patriam in Illyrico, *Juſtinianam primam*, natalium ſuorum monumentum (cui Juſtiniana *Secunda* Cypri, & *Tertia* quæ Chalcedon, & *Juſtiniana* Africana, quæ Carthago, aliæque *Juſtinianæ* vel *Juſtianopoles* contradiſtinctæ fuerunt) Metropolim totius Daciæ eſſe juſſit, Diœceſi hâc Provinciis auctâ, Urbeque ipſâ magnificis ſtructuris excultâ. At ſitum hujus *Juſtinianæ primæ* nomenque priſtinum, quæ *Achrido* poſteà, variè tradunt Geographi, ac Byzantini Scriptores, collocantque alii in Dardaniâ, alii in Dalmatiâ, vel Pannoniâ, in Macedoniâ alii, alii in Illyride Provinciâ; modoque hi Solonianam, iſti Taureſium ut Procopius, illi Boderinam ut Agathias, alii aliam, quidam etiam ſitum ejus ignorari, ut Carolus à S. Paulo *in Geogr. S.* Aſt doctiorum quorundam opinatione, poſt teſtimonia Cedreni, Nicephori Gregoræ, Calliſti, Annæ Comnenæ, &c. fuerit Juſtiniana prima eadem quæ antè Lychnidus, Græcis Λυχνὶς, Λυχνίδιος, Λυχνίδιον, oppidum in Deſſaretiis, Illyridis ſeu Novæ Epiri gente, in finibus Macedoniæ, viâ Hignatiâ, in ſublimi colle poſita, uti ad Septentrionem fuit Albanopolis, & ſuperato Scardo & Sardeno monte, *Prævalitanæ* fuit. Quicquid ſit, dicta Juſtiniana i. poſteà Bulgaris, barbarorum idiomate, Ἀχρίδω *Achrido*, paſſimque Ἀχρίδος, Ἀχρὶς, Ἀχρὶς, Ἀχρίδαι, etiam *Ocrida*, *Alchria*, an ab ἄκρον, ob ſitum eminentem, quærit Jac. Palmerius, Græciæ ſuæ *Lib.* i. C. xxxv. Niſi fortè ſic voluerint, quaſi ἄκρην *primam*, *ſupremam*, ex uſu etiam Græcorum, ut noſtræ quoque ſit conjecturæ locus. Turcis hodieque *Giuſtandir*, quaſi *Juſtiniana*, dicitur. Hujus igitur Juſtinianæ i. Epiſcopum ſanxit Imperator, *ut non ſolum Metropolitanus*, *ſed etiam Archiepiſcopus fieret*, *eſſentque cæteræ Provinciæ*, harumque Metropolitani, *ſub ejus auctoritate*, nullâ à Theſſalonicenſi Archiepiſcopo dependentiâ, ad quem ſcilicet eſſent longiora itinera, Attilanis etiam temporibus caſu quodam evectum. Tribuit ergò Antiſtiti Juſtinianæ Primæ *ſummum ſacerdotium*, *ſummum faſtigium*, *primam dignitatem*, reverâ *Patriarchalem*, & planè αὐτοκέφαλον. Hinc Ἀρχιεπισκόπȣς καὶ Πατριάρχας Juſtinianus paſſim connectit, omneſque Orientis Patriarchæ titulum Ἀρχιεπισκόπȣ & ſervant & alteri præmittunt, quo etiam ſolo Alexandrinus, Romanus, Antiochenus quandoque veniunt, ut qui ſummus adhuc eſſet tempore Chalcedonenſium, *Cap. ult.* & paſſim. Quo ſenſu idem Imperator, *Nov.* cxxxi. vult *eum in ſubjectis ſibi Provinciis locum*

Archiepiſcopus ſeu Patriarcha Juſtinianæ i.

Digitized by Google

locum obtinere Sedis Apoſtolicæ Romæ, id eſt, pari eſſe loco, parique auctoritate, ac juriſdictione in Provincias ſibi ſubjectas frui, quâ Romanus Patriarcha in ſuas, conſentiente Vigilio Papâ, quod ad *Vicariatum* Pontificis fruſtrà trahunt. Undè etiam eum Antiſtitem αὐτοκέφαλον, & Πατριάρχην paſſim vocant Byzantini Scriptores, Balſamo, Curopalates, Barlaamus, alii, non diffitente Petro de Marcâ. Et qui ſucceſſit illi Ternobienſis, Bulgarorum Archiepiſcopus, ex quo hi intra Mœſiam coerciti, & *Ternobum* civitas Mœſiæ II. Bulgarorum Regia & Metropolis fuit, dictus idem ille Πατριάρχης Τερνόβε, obſervante quoque Salmaſio de Primatu, *Cap.* XIV.

De Bulgaris contentiones inter Romanum & Conſtantinopolit. Poſtquàm verò Bulgari fidem Chriſtianam amplexi fuêre, medio ſeculo IX. inducentibus ad eam Græcis, Bogari tùm Bulgarorum Principe, ut pluribus Cedrenus, Zonaras, alii, factum eſt annis circiter XX. poſteà, ut Michaël Bulgarorum Rex, circà A. DCCCLXVII. Romanum Pontificem (tum Nicolaum, cui mox Hadrianus II. hinc Johannes vulgò VIII. poſteà Marinus, ſucceſſerunt) per Legatos conſuleret, deque viro idoneo, cui Archiepiſcopatum Bulgari crederent, ad ſe mittendo rogitaret. Hinc mox contentiones inter Romanum & Conſtantinopolitan. Photio & Ignatio Patriarchis, Baſilio Macedone imperante, de juriſdictione in Bulgarorum Eccleſias. Romanus enim, ut Hadrianus II. Johannes, Marinus, eandem ſibi aſſerebant, Orientalibus contrà in favorem Conſtantinopolitani definientibus, 1. Jure Orientalis Imperii, quod Græcorum eſſet, 2. Græci antè in eâ regione Sacerdotii, quod Romano neutiquam fuiſſet obnoxium. Quâ de re in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ pluribus, parùm hìc fidis Baronio, Perronio, Allatio, & gnathonibus. *Provinciæ* tandem Dacianæ Diœceſeôs quæ ſunt apud Rufum IV. in Notitiâ Imperii V. ex conſtitutione Juſtiniani VII. ſequentes fuerunt.

I. Provincia, Dacia Mediterranea. *Dacia Mediterranea*, Provincia *Conſularis*, cui ad Septentrionem Mœſia ſuperior, & Dacia Ripenſis, ad Ortum Thracia, ad Meridiem Dardania, ad Occaſum Illyricum Occident. Metropolis pridem *Sardica* fuit, vel *Serdica*, Σαρδική Ptol. de quâ ſuprà, hodiè *Sophia*, quam idem Ptolemæus Thraciæ adſcribit, *Lib.* III. C. XI. ſedes deinceps Deſpotarum Serviæ. At *Coloniam* fuiſſe, quod ait Onuphrius de Imp. Rom. ubi de *Coloniis*, nemo Hiſtoricus tradit, quod & rectè ſummo Grævio obſervatum. A quâ etiam hæc Provincia *Sardicenſis* dicta, quam malè ex tribus conflant, Daciâ utrâque & Mœſiâ, Carolus à S. Paulo, alii, quum tres hæ diſtinctæ Provinciæ extiterint. Urbs alia inclyta & Epiſcopalis fuit *Naiſſus*, quæ & *Neſſus*, Νάισος Ptol. ad Occaſum Serdicæ, in Dardaniâ vel Mœſiâ ſuperiori ab eodem locata, Patria Conſtantini M. ac ſedes nonnunquam Imperatorum: Undè Conſtitutiones plures emanarunt, Conſtantini, Conſtantis, Valentiniani & Valentis, in *Cod.* utroque. Adde *Remiſſianam*, vel *Remiſianam*, aut *Romatianam*, inter Naiſſum & Turres vel Turrim à Trajano quondam ædificatam, cujus Remiſſianæ Epiſcopus Diogenianus, in Actis Chalced. legitur.

II. Dacia Ripenſis. *Dacia Ripenſis*, vel ex nomine, quæ ad Danubii ripas extenſa, versùs Septentrionem, ubi Valachia, & cui ad Ortum fuit Mœſia Inferior, hodie Bulgaria, Provincia *Præſidialis*. Urbes præcipuæ memoratæ in Notitiâ, ſub diſpoſitione Ducis Daciæ Ripenſis, fuerunt omnes ad Danubii ripas. *Bononia* à Sirmio diſtans XVIII. M. P. apud Antoninum, *Ægeta* vel *Ageta*, *Dorticum*, *Retiaria* Myſorum, Ῥατιαρία Ptolem. *Auguſta* quæ & Prætoria Auguſta, *Aquæ* memoratæ *Nov.* XI. aliæ, in monumentis Eccleſiaſticis obſcuriores. Vide Itinerarium Antonini, & Notas Suritæ, pag. 382. &c. Pars hodiernæ *Bulgariæ* eſt utraque hæc Dacia, aut ſi mavis *Sclavoniæ*.

III. Mœſia ſuperior. *Mœſia Prima*, ſeu *Superior*, Provincia quoque *Præſidialis*, habuit Danubium à Septentrione, ab Ortu Daciam Ripenſem, à Meridie Dardaniam, ab Occaſu Montes qui à Dalmatiâ disjungunt. Hodiè pars ejus regionis quæ *Raſcia*, dicitur & *Servia*, Colonia Sclavorum, undè *Servi* Latinè iidem qui *Slavi* vel *Sclavi*, de quibus antè. Urbes inclytæ in Notitiâ Imp. & in Itinerario Antonini, fuerunt: Ex. gr. *Viminacium* ad Danubii ripas, (Widin) ubi legio fuit ſub diſpoſitione Ducis Mœſiæ I. & Colonia Roman. & de quâ Juſtinianus *Nov.* XI; item *Novæ*, Ptol. Νοῦαι, quales duæ hoc nomine, altera in Mœſiâ Inferiori, utraque ad ripas; *Margus* ad Margi & Danubii confluentes; tùm *Cuppæ*, *Caſtra Martis*, Καςρόμαρτις Sozomeno *Lib.* IX. C. V. unde Barbaros in Thraciam tranſiiſſe refert, Uldi quodam regulo; & quæ aliæ.

IV. Dardania Europæa. *Dardania*, Europæa ſcil. ab Aſiaticâ Troicæ Gentis diſtincta, Prov. *Præſidialis* fuit, hodiè pars Serviæ, & Raſciæ, cum Mœſiâ Superiori. Macedonia illi ad Meridiem, Prævalis ad Occaſum, ad Ortum Thracia, ad Septentrionem Dacia Mediterranea. Metropolis *Scupi*, *Scopi*, Σκῦποι Ptol. cujus Epiſcopus Paulus Concilio Epheſ. interfuit; hinc *Ulpianum* in mediâ regione, & *Arrhibantium* propè Scardum m. apud eundem Ptolem. & in Tabulis.

V. Prævalis. *Prævalis* anteà Macedonicæ Diœceſeôs, poſt Daciæ ultrà Drilonem fl. & Sardonum m. *Liſſus* vel *Iliſſum* Εἰλισσόν, Bulgarorum regia; & *Scodra* trans Drilum, ſedes quondam regum Illyridis, ſuprà in Diœceſeôs Maced. Prov. memoratæ, *Prov.* VI. Ubi vide.

VI. Secunda Macedonia. *Secunda Macedonia*, quam Juſtinianus, Theſſalonicenſi ſubtractam, ſubjecit Juſtinianæ Primæ ſeu Achridenſi Archiep. proxima omninò fuit Prævalitanæ Provinciæ, eademque quæ *Macedonia Salutaris*, nec confundenda tamen cum Epiro Novâ, vel Illyride, quod fecit Pancirollus. Sita ergò hæc inter Illyridem παράλιον ad Occaſum, Prævalim ad Septentrion. & Macedoniam Primam ad Ortum, partem eam Illyridis complexa, ubi *Lychnidus*, & *Achrido*, ex antè dictis hodiè pars Albaniæ. Nec enim iſta Pannoniæ Urbs fuit, neque innuunt verba Juſtiniani in *Nov.* XI. (quicquid ad eam Interpretes, & Carolus à S. Paulo in Deſcr. *Illyrici Occid.*) id volentis modò *Præfecturam* Sirmienſem, *quæ erat in Pannoniâ*, & *in quâ fuit omne Illyrici faſtigium*, deinceps in Patriâ ſuâ meritò collocari, poſt caſum Sirmii, & in *Dacianâ* Diœceſi, ut quæ Pannonia eſſet in confinibus Daciæ, ſicut & Prævalis, Mœſiæ vel Myſiæ contermina. Olim verò hujus Macedoniæ Metrop. fuerunt *Stobi*, municipium *Stobenſium*, Colonia & oppidum Romanorum, malè apud Stephanum Στρόβοι, undè illi ἐθνικὸν Στροβαῖος.

VII. Pars Pannoniæ ſecundæ. *Pars Secundæ Pannoniæ*, ſeu Inferioris, quæ dein *Savia* ad Savum amnem, à Juſtiniano huic Diœceſi adjuncta, cujus Metropolis olim fuit *Sirmium*, vulgò *Sirmiſch*, malè *Firmium* & *Firmitana Civitas Nov.* XI. Sedes Præfectorum Prætorio Illyrici, caput Illyrici Occidentalis, in quâ Probus Imper. natus, & Aurelianus *Auguſtus* declaratus: De quâ adhuc infrà in Diœceſi hujus Illyrici. Hujus & Pannoniæ inclyta civitas *Taurunum*, ad confluentes Savi & Danubii, dicta à Tauro, annonæ apud Romanos Symbolo; dein Bulgarorum linguâ *Belgradum*, in aditu Pannoniæ, & Raſciæ, in confiniis Mœſiæ primæ, ac Daciæ Mediterr. ſitu amœno & opportuno, hodieque Turcarum præſidium validiſſimum.

Hactenùs Deſcriptio Orbis ORIENTALIS.

Digitized by Google

DIVISIO ORBIS OCCIDENTALIS.

Occidentalis Imperii deſcriptio & termini.

Orbis utriuſque *Orientalis* & *Occidentalis* limites deſcripſimus ſuprà, quum de Romani Imperii diviſione, deque Occidentali Illyrico, diceremus. *Occidentis* verò nomine primitùs Europa omnis venit, etiam Thracia, ad Mœotim uſque & Tanaim fluvium. Dein quicquid Regionum Occidentalium eſſet ad Thraciam uſque excluſivè, qua hæc ad Succorum anguſtias ab Illyrico dividitur, ex Ammiano, Socrate, Euſtathio in Dionyſium *Perieget.* Et tandem ea pars Imperii, quæ ab Oceano Occidentali, ad fines Occidentalis Illyrici ſeſe porrexit. Igitur ex Notit. Imp. digeſtâ Arcadio & Honorio Principibus, poſt Macedonias, Daciaſque ab Occidente avulſas, diſtributum Occidentale Imperium fuit in *Præfecturas Majores* duas, Italiæ illam, & Galliarum, utramque ampliſſimæ juriſdictionis, in plures magnaſque *Diœceſes*, infrà deſcribendas. Termini igitur Occidentalis Imperii, ex quo Theodoſius rerum ſummam inter Filios diviſit, hi fuerunt: Ab *Ortu* & *Septentrione*, illinc Danubius fluvius, uſque ad fines Pannoniæ & Mœſiæ Primæ, Savique & Danubii confluenta, hinc mons Scardus, & ferè Drilo fluvius, qui Dalmatiam ab Orientali Illyrico divellunt: A *Meridie*, Africæ termini, quibus hæc (in ſpecie dicta) versùs Ortum à Pentapoli Cyrenaicâ Ægyptiæ Diœceſeôs, ad Syrtim Majorem, versùs Auſtrum verò à Libyæ interioribus, incipiens à Gadibus & Oceano Atlantico, diſtinguitur: Ab *Occaſu* verò terminavit Oceanus qui Britannias, Gallias, Hiſpanias, Mauritaniam denique ambit.

Diœceſes ſeptem.

Diœceſes in univerſum *ſeptem* fuêre, Præfecturæ Italicæ quatuor, Galliarum tres, ut fruſtrà *Octavam* addat cum ſuis Petrus de Marca, ſcil. Illyricum Orientale, quod ſcilicet ad Occidentem, & Patriarchatum Occidentis, antè & pòſt diviſionem utriuſque Illyrici, omninò pertineret. Quâ de re in ſuperioribus, quantum huc ſpectat, monuimus. Fateor ſucceſſu temporis, nihil invidentibus Græcis, modò Orientalium jura forent illibata, audiiſſe Epiſcopum Romanum *Patriarcham Occidentis*, τῶν ἑσπερίων Ἐπαρχιῶν, vel τῶν δυτικῶν Ἐκκλησιῶν. Interim precarium omne illud eſt, quod de *Occidente univerſo*, Pontifici illi ſubjecto, jure Petrinæ inſtitutionis, ac ſucceſſionis, jure primævo Patriarchatûs, aut jure Canonum etiam Nicæni, in quo de *ſuburbicariis Eccleſiis*, jure denique Occidentalis Imperii, cujus Sedes vetus Roma, Latini contendunt. Undè in *Patriarchatûs Romani* deſcriptione eoſdem huic limites quos Occidenti latiſſimè accepto, Thraciâ, Græciâ, Africâ incluſis, Tabulæ conſtituunt. Ut verò ſuprema Sacerdotii jura, ex ipsâ definitione Canonum, Provinciæ ac Diœceſes Occidentis, id eſt, Primatuum & Exarchorum Sedes ſibi quam diutiſſimè vindicarint, nullâ Romani in eas juriſdictione, nullis ejus Ordinationum juribus, innumeris priorum ætatum documentis, etiam v. Seculo, quo jam turgerent *famoſo ſeculi typho* Romani Præſules, (exprobrantibus Africanis in *Epiſt.* ad Cœleſtinum, quæ eſt in Codice Canon. Afric.) eſt à Blondellis, Salmaſiis, aliiſque noſtratium oſtenſum, & pluribus à nobis in Eccleſiæ Hiſtoriâ. Ut fruſtrà ex literis ſubindè ad Romanum datis; ex honore illi delato tanquàm Primæ Sedis Epiſcopo, hinc conſuli in gravioribus ſolito; ex communione cum eo ſervandâ in Fidei rebus; ſubindè ex Arbitri ſuſceptis partibus, vel ex factis ipſis Pontificum, & uſurpatâ aut præſumptâ juriſdictione, probare contrarium annitantur, & ipſe quoque Sirmondus, Valeſius, De Marca, uti Carolus à S. Paulo, *in Geogr. S.* ubi de Patriarchatu Rom.

De lege Valentiniani III.

Ac quanti facienda ſit lex *Valentiniani* III. data A. vi. Conſul. Chriſti ccccxlv. in Novellis Conſtit. Theodoſii *Tit.* xxiv. Galliarum & Occidentis Eccleſias, mittens ſub jugum Romani Pontif. *multumque amplificans ejus auctoritatem*, ut fatetur Petrus de Marca, vide in Noſtris Blondellum de *Prim. Eccl. C.* xxv. *Sect.* lx. vel Salmaſium de *Prim. Papæ* C. xvii. & nos in Hiſtoriâ *Sec.* v. *col.* 987. Id certum, expreſſum eſſe imò dictatum à Leone Epiſc. Romano hocce Reſcriptum, ut condemnationi à ſe factæ Hilarii Arelatenſis vigor executionis accederet, Principe tùm juvene, imbelli, ſub Matris ductu, facile per Leonem circumvento, & falſis de Hilario narratis, falſiſque hypotheſibus nixo, quales erant ex. gr. Jus Pontificis Romani *in univerſitatem Eccleſiarum ex Petri merito, ex S. Synodi* (Nicænæ videlicet) *auctoritate, ex conſuetudine* veteri, ut *eſſet pro lege quicquid ille ſanxerit*, &c. Hinc memoratus Præſul, de *Concord. Lib.* vii. C. xviii. *ſuſpicari hic meritò aliquis poſſet, vim juri conſtituto factam à Leone;* Mox *ob infractos* à Leone *Canones in Cauſſâ Chelidonii, quæ Romæ fuerat definita, Conſtitutionem hanc à Valentiniano Aug. impetraſſe.* Quod verò Theodoſii Imp. quoque nomen præfert ea Conſtitutio, ex more fuit promulgandarum ſub nomine utriuſque Principis legum, à ſingulis licet intrà Imperii ſui limites emanarent. Sed independentia à Romano *Occidentalium* paſſim Eccleſiarum, per Africæ Provincias, Gallias, Hiſpanias, Britannias, ſuis locis docetur in Eccleſiæ Hiſt.

Prima præfectura Occidentis,

quæ dicta eſt

Italiæ.


Præfectura hæc variè appellata.

A Primâ & digniore parte adminiſtrationis, fuit huic Præfecturæ nomen, *Italiâ* ſcil. conjunctim cum Urbe *Româ*, xvii. Provincias deſcribente. Aliàs Præfectura *Italiæ* & *Illyrici*, combinatis Diœceſibus, paſſim in Inſcriptionibus Legum: Quandoque *Italiæ*, *Illyrici*, & *Africæ* ſimul, tribus Diœceſibus expreſſis: Nonnunquam ſolius *Illyrici* Præfectura dicitur, ut in Conſtitutione Theodoſii M. ad Apodemium P. P. l. xii. & xiii. de *Legatis Codicis Theod.* Quanquàm verò ſic *tres* modò Diœceſes ſub hâc Præfecturâ memorentur, *Italia omnis*, *Illyricum*, *Africa*, tamen *quatuor* omninò Vicarios habuit hic Præfectus Prætorio, præter Proconſulem Africæ, undè quatuor reverà Diœceſes ſeu Vicariatus, i. Vicariatus Urbis *Romæ*. ii. Vicariatus *Ita-*

Diœceſes ſeu Vicariatus quatuor.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Italiæ à priori diſtinctus. III. Vicariatus *Illyrici*, Occidentalis ſcil. indè ab Arcadio & Honorio. IV. *Africæ* Vicariatus cum Proconſulatu. Sub his rurſum Conſulares, Correctores, Præſides ac Judices Provinciarum, quæ in univerſum ad hanc Præfecturam XXIX. attinebant, ut ſigillatim infrà, ex Notitiâ Imp. Hanc Præfecturam in *Probo*, Ruffini ſucceſſore, ità Claudianus initio Poëmatum expreſſit, Panegyri in Filiorum Probi Conſulatum:

> *Acta* Probi *narrare queam, quot in Ordine Gentes*
> *Rexerit, ad ſummi quoties faſtigia juris*
> *Venerit*, ITALIÆ *latè quum frena teneret*,
> ILLYRICOSQUE *ſinus, & quos arat* AFRICA *campos*.
> *Sed nati vicêre Patrem.*

Italiæ heic fines.

Italiæ, ut hic ab Illyrico indè à Liburnis diſtinguitur, latiſſimi fuêre limites; prout Jani coloni, Latini, Hetruſci, Pelaſgi, Sicani, Siculi, Umbri, Ligures, &c. Italiam incoluêre. Quidam dicti αὐτόχθονες *indigenæ*, alii *advenæ*, Latini poſt Æneæ adventum dicendi, *Aborigines*.

Regiones undecim.

Primò enim Galliam quoque *Ciſalpinam* ſeu *Togatam* complectitur, quæ olim indè à *Rubicone* fluvio, qui inter Ravennam & Ariminum in Hadriam influit, ad ſumma Alpium juga ſeſe extendit. Dein ſub hac notione etiam *Rhætia* omnis, ſub quâ Vindelicia, & trans-Alpina loca, ad Danubii uſque & Rheni origines. Denique etiam Italiæ adjacentes ad Meridiem Inſulæ, *Sicilia*, *Sardinia*, *Corſica*; undè Provinciæ XVII. natæ. Aliàs Italiæ cum Galliâ Cis-Alpinâ nonniſi XI. Regiones deſcripſiſſe Auguſtum, ex Plinio conſtat, *Lib.* III. C. V. Quales nempè. I. Latium, ubi Roma & Campania. II. Apulia cum Meſſapiâ, id eſt, Calabris, & Salentinis. III. His ad Meridiem Lucania & Brutium. IV. Samnium, ad Septentrionem Campaniæ & Latii, ubi Marſi, Æqui, Sabini &c. V. Picenum ultrà Apenninum, ubi Veſtini, inde omnis regio Anconam uſque. VI. Umbria, ubi Gallicus ager Ariminum inter & Anconam. VII. Huic ad Meridiem Tuſcia ſeu Hetruria, ultima Regio Italiæ, à Galliâ Togatâ diſtinctæ. VIII. Gallia Cis-Padana, ubi in Senonibus Ravenna, Ariminum. IX. Liguria Italica, indè à Macrâ fluv. ad Alpes Cottias, & Padi fontes, in Vagiennorum finibus, X. Venetia & Hiſtria, Alpibus Tridentinis, Carnicis, Juliis circumſeptæ. XI. Gallia Trans-Padana, in quâ Taurini, Seguſini, Salaſſi, &c. Nos infrà ſequemur Notit. Imp.

PRIMA DIOECESIS
Italicæ Præfecturæ,
Vicariatus ROMÆ.

Præfectura Urbica quænam?

DIverſa juriſdictio fuit *Præfecti* Urbis Romæ, Viri Inluſtris, & *Vicarii* Urbis Romæ, Viri Spectabilis, frequenti utriuſque mentione indè à Conſtantino M. in *Cod. Theod.* Et quidem *Præfecti* Urbis ſumma fuit ſecundùm Præfectos Prætorio dignitas, protenſâ ejus juriſdictione intrà centeſimum ab Urbe miliarium, ſeu in regiones dictas *Urbicarias*, *Suburbicarias*, *Suburbanas*, vocibus ἰσοδυνάμοις ſic appellatas, I. Ratione viciniæ, quia circà vel propè Urbem. 2. Ratione dependentiæ, quia ſub Præfecto Urbico, χωρίον Ῥωμαίων, ἐνορίον Græci dicunt. Nec aliter *Suburbicaria loca* accepit vetus interpres *Canonis* VI. *Nic.* ut *Urbis Epiſcopus habeat principatum* (ἐξουσίαν) *in Suburbicaria loca.* Sic & Ruffinus, Arabes Paraphraſtæ, Ariſtenus, Simeon Logotheta, Arſenius Monachus, Epitomatores & interpretes Canonum, de quibus prolixè Salmaſius, Blondellus, Jac. Godofredus, Beveregius, aliique noſtratium. Hinc *Regiones* Urbi *vicinas* dixit alibi Honorius, quæque eſſent ſub diſpoſitione *P. Urbis* L. IV. *Cod. Theod.* de habitu intrà Urbem. Quomodò *Suburbicarium Mare* dictum circà oſtia Tiberis fluv. Nempè ab his ad Præfectum Urbis appellatum, hæque intra Præfecturam & Provinciam Urbicariam, Græcis quoque ἐπαρχία Οὐρβικαρία, appellatione natâ à Conſtantini temporibus. Et hæ ſeu Regiones ſeu Provinciæ Urbicariæ *quatuor* deſignantur, in lege Conſtantii I. de Calcis Coctor. Urbis R. datâ Euſebio & Hypatio Coſſ. licet non eodem modo redditæ. Revera I. *Campaniæ* ea pars quæ ad Urbis territorium ſpectavit, dicta *Latina Campania*, *Latium*, Latina regio, hinc *Latium Suburbicarium*, quod Campaniæ junctum ab Auguſto in Regione Primâ. 2. *Tuſcia Suburbicaria*, ab Italiâ diſtincta, vel Annonariâ, ultrà Arnum fluv. 3. *Picenum Suburbicarium*, diſtinctum ab Annonario, id eſt, Flaminiâ. 4. *Valeria*, & ipſa intrà centeſimum lapidem, à Valeriâ viâ, complexa Marſos & Sabinos, qui antè ad quartam Regionem pertinebant. Hinc Valeriam cum Piceno jungit Honorius, lege ult. *Quibus equorum uſus*, Cod. Theod. *Lib.* IX. quanquam Jac. Godofredus Valeriam in Piceno Suburbic. locet. Conſule, præter dicta nomina, Ulpianum, l. VII. *Dig. de Officio Proconſ.* apud Auctorem Collationis Legum Moſaicar. *Tit.* XV. de *Mathemat.* Et in Codice Theodoſ. legem Conſtantini M. de *Integri Reſtit.* ad Baſſum PF. P. Legem Conſtantii IX. *de Extraordin. ſive ſordidis munerib.* L. Valentiniani IX. & XIII. de *Annonâ & Trib.* Legem Honorii XII. de *Indulgentiis debitor.* &c. & Notitiam Imp. de *Comite rerum privatar.* Ac quæ ſuprà nos, ad Præfecturam Urbis Conſtantinopolitanæ. Atque hæc ſeu Ἐπαρχία ſeu Διοίκησις Præf. U. fuit illa, *omnis Provincia*, quæ in Eccleſiaſticâ adminiſtratione à Romano Epiſcopo ut Metropolitano *gubernanda*, ἐξηγητικῶς dicitur in Verſione antiquâ Vaticanâ *Canonis* VI. Nic. *Ut Urbis Epiſcopus Suburbicaria loca*, & omnem Provinciam *ſuâ ſollicitudine gubernet*. Et quatuor has regiones *Suburbicarias* conſtituiſſe *Metropolim Romanam* non diffitetur Petrus de Marca *Lib.* I. C. VII. Sed diſtinguit precariò à *Suburbicariis locis* regiones *Urbicarias*, ſtatuitque has conſtituiſſe *Diœceſim*, illa *Provinciam* Metrop. priores ſub Præfecto, poſtremas ſub Vicario Urbis, illaſque in Canone prædicto per *Suburbicaria loca*, has per *omnem Provinciam* (ut Ἐπαρχία ſit Διοίκησις) deſignari.

Suburbicariæ Regiones quæ?

Provincia Eccleſiaſtica Rom. Pontificis.

Vicarii Urbis & Præfecti diſcrimen.

Vicario Urbis Romæ decem haud dubiè Provinciæ paruerunt, ex Notitiâ Imper. quatuor incluſis quæ ſub Urbicariâ Præfecturâ. Nempè concurrens in plurimis juriſdictio fuit Præfecti & Vicarii, major tamen dignitas Præfecti Urbici, ad quem etiam in minoribus à Vicario Præfecti Præt. appellari potuit, ut qui *Sacrâ vice*, ſeu vice Principis, audientiam præberet, vel ex lege LXI. Cod. Theod. *de Appellat.* Quæ verò ultrà *centeſimum* ab Urbe *lapidem* ſeu miliarium Provinciæ, vel ex Dione, ultrà DCCL. ſtadia, *Hiſt. Lib.* XII. hæ nihil ad Præfectum Urbis, ſaltem quoad appellationum jura, & ſtante Conſtantii lege XXVII. *de Appell.* ac ſimilibus, (nam in his ſæpè variatum) ſed ad Præfectum Prætorio: Cujus P. P. Vicarii duo fuêre, alter *Urbis*, *Italiæ* alter, undè & Diœceſes duæ diſtinctæ, prior X. poſterior VII. Provincias complexa.

Provinciæ decem ſub Vicario recenſitæ.

Provinciæ illæ decem ſub Urbis Vicario fuerunt, ex *Notit. Imp.* I. *Campania omnis*, ſub quâ Latium Vetus & Novum, quod Suburbicarium fuit. II. *Tuſcia omnis*, Suburbicaria & Annonaria, cum *Umbriâ* vetere. III. *Picenum Suburbicarium*, ab Annonario diſtinctum. IV. *Apulia*, & *Calabria* uſque ad

Digitized by Google

Italiæ fines. v. *Lucania* & *Brutii*, ad fretum uſque Siculum. vi. *Samnium*. vii. *Valeria*, recens ſic appellata, & à Samnio avulſa. viii. *Sicilia*, ſtrictè licet ab Italiâ diſtincta. ix. *Sardinia*. x. *Corſica*. Ex quibus quatuor Conſulares, totidem Præſidiales, & duæ ſub Correctoribus, ut mox ad ſingulas. An verò hæ omnes Provinciæ, quæ ſub Urbis *Vicario*, dictæ quoque hoc nomine *Urbicariæ* vel *Suburbicariæ* fuerint, ſub judice lis eſt, negante ſententiâ Claudio Salmaſio & Jacobo Godofredo pluribus aſſertâ. Affirmat verò multis, probatque in Noſtris David Blondellus, Diſſertatione ad Ruffinianam Verſionem Canonis vi. Nic. inſerta Libro de *Prim. Eccl.* à *pag.* 917. Et cum eo Sirmondus; de Marca, Henr. Valeſius, L. Holſtenius, & doctiſſimi paſſim Latinorum. Atque hinc Romani Epiſcopi Diœceſim Eccleſiaſticam æſtimandam eſſe cenſent, & Ruffini *Eccleſias Suburbicarias*; per Suffraganeos nempè Rom. Antiſtitis gubernandas, ex definitione Nic. quæ ſcil. intrà Diœceſim Civilem Vicarii Urbici colligerentur, Eccleſiis Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ comprehenſis. Quanquàm Sirmondus, *Cenſurâ* de Region. Suburbic. & Valeſius *Obſerv. Eccl.* in Socratem, C. vii. *Urbicarias Eccleſias* à *Provinciis* vel *Regionibus* ità diſtinguant, ut hæ intra Italiam eſſent, ſub Vicario Urbis; illæ (ex Romanâ hypotheſi) per totum Occidentem diffuſæ, quâ latè Veteris Romæ Imperium patuit, hinc & Epiſcopi Urbani auctoritas per totum Orbem (ſic minùs verecundi) porrigeretur; Blondellus verò noſter diſcrimen ſtatuit inter *Provinciam* Romani Antiſtitis, ut Metropolitani, quæ ex quatuor Regionibus *Suburbicariis*, id eſt, Urbi contiguis, conſtaret; & *Diœceſim* ejuſdem, quæ ad x Provincias ſuprà dictas extenſa, jure Exarchico vel Patriarchico, dictas quoque Regiones vel Eccleſias *Suburbicarias*, id eſt, ſub Urbis Vicario, vel Antiſtite. Contrà certum Urbicarias vel Suburbicarias regiones, ab *Italiâ*, *Siciliâ*, *Africâ*, non ſemel in Codice Theod. diſtingui, ſpeciatim lege ix. *de Extraord. Muner.* nec niſi *quatuor* Suburbicarias Provincias exertim dici, cum relatione ad Præfectum Urbis: Hinc Siciliam, Sardiniam, Corſicam, non ſine abſurditate, Suburbicariis accenſeri, quæ extrà Italiam, & quæ ſuum haberent ſimul Rationalem, à Rationali per Urbicarias diſtinctum, l. un. Cod. Theod. *de Communi divid.* neque obſcurè *Annonarias* extrà centeſimum lapidem, a *Suburbicariis regionibus vel partibus* ſecerni, ut mittam alia multa, ſtatuunt omnium inſtar Cl. Salmaſius, & Jac. Godofredus, οἱ πάνυ, Diſſertationibus ſuis ac Vindiciis *de Suburbicar. Region.* Nos verò quantum *ad Eccleſias Suburbicarias*, tempora diſtinguimus, dicimuſque Nicænorum ætate Romano, uti Antiocheno, Alexandrino, reſiquis, nonniſi jus Metropolitani attributum, in Provincias ſeu Regiones *Suburbicarias*, id eſt, Urbi vicinas, quæ unam ſic Provinciam Eccleſiaſt. conſtituerent, ut in Regionibus Ægypti: At natis Metropolitanis pluribus, prolatâque juriſdictione Primæ Sedis, Siciliâ etiam, Sardiniâ, & Corſicâ poſt Conſtantin. Imperat. Italiæ accenſitis, ſanè in Provincias *Vicarii* Urbici protenſam fuiſſe ſenſim Romani Antiſtitis juriſdictionem (poſt ad totum diſtrictum Italicum, tandem ad Occidentem omnem, extendendam) haud difficiles largimur. Sed jam de Provinciis Civilibus & Eccleſiaſticis ſingulis, in quarum deſcriptione quo prolixiores paſſim Eruditi, hoc nos breviores ſumus.

An Urbicariæ Regiones, vel Eccleſiæ quæ ſub Vicario?

Rationes oppoſitæ.

1. Prov. Campania cum Latio.

Campania, prima Italiæ Regio, dicta vel laxiùs, ut ipſum quoque *Latium* complexa, Vetus & Novum; vel ſtrictiùs de *Campaniâ Felice*, quæ Latio ad Ortum. Utraque ſimul Provinciam unam conſtituit, quia ſub eodem *Conſulari*, quanquam non pari hujus in utramque juriſdictione, vel ex lege xii. *de Pœnis* in Cod. Theod. & ex dictis de juriſdictione Præfecti Urbici in Latium Suburbicarium.

Latium Vetus & Novum.

Latium Vetus & Novum fuit ea pars Campaniæ, quæ Urbi propior à parte Urbis Orientali, Territorium vel Provincia *Romana*, aliàs *Campania Romana*, *Latina*, hodieque *Campagna di Roma*, Regio hinc *Suburbicaria*, ex dictis. Termini fuerunt indè ab Urbe Orientem verſus *Liris* fluvius, *il Carigliano*, & ad hanc *Minturnarum* Civitas, & Colonia.

Civitates Epiſcopales inclytæ, in Latio Vetere, & viciniores *Urbi* Gentium Dominæ (de cujus ſitu, Montibus, Portis, Viis, Ædificiis, cæteriſque non hic eſt tradendi locus) fuerunt, *Oſtia*, ab Oſtio Tiberino; *Albanum* Prætorium, in viâ Appiâ, ubi Pompeji Prædium Albanum, undè Epiſcopus Albanenſis; *Tuſculum* ubi nunc Freſcati, intrà quod Tuſculanum Ciceronis; *Præneſte*, Πραίνεστον Ptol. (hodiè Paleſtrina) hinc via Præneſtina; *Tibur*, *Tibura*, Τιβὲρ Ptol. undè Epiſcopus Tiburtinus, ad Anionem fluv. ſed Valeriæ adſcribenda. Quæ Sedes Epiſcopales, quaſi in Conſpectu Urbis, & Pontifici proximæ, deinceps purpurâ Cardinalitiâ ornandæ fuerunt. Acceſſerunt inter alias *Tres Tabernæ*, in viâ Appiâ, venientibus ab Urbe, alterâ ab Urbe manſione, in *Itinerario* Antonini, & xxxiii. ab hac millibus paſſuum, ſeu milliaribus: Hinc ventum ad *Forum Appii*, in eâdem Appiâ, quod xviii. M. P. remotius fuit ab Urbe. Indè porrò duxit Appia via in Latium Novum, ubi Volſcorum regio, & Auruncorum indè à *Circejo* promontorio, & Circæâ Urbe, ubi regnavit quondam Circe, undè procedunt *Aurunci* Αὔρουνκοι adusque Sinueſſam Campaniæ. Urbes Latii ejuſdem non incelebres, in viâ Appiâ ſitæ, poſt Forum Appii, fuerunt *Tarracina*, *Fundi*, *Formiæ*, *Minturnæ*, & hæ quoque Epiſcopales, ut ex Conciliis Romanis colligitur, omnes infrà centeſimum milliare. Fuit & in Latio Novo, viâ Præneſtinâ, *Caſſinum* vel *Caſinum*, in confiniis Campaniæ Felicis, Caſtrum in excelſo monte ſtructum, dein Benedicti Nurſini ſeceſſu & Cœnobio inclytum, ſub quo olim fuit Villa M. Terentii Varronis. Haud longè indè ad Occaſum *Aquinum*, undè Aquinates, & Thomas Aquinas; hinc *Anagnia*, pergendo huc à Præneſte Orientem versùs, circà viam Latinam; aliæ plures, in Notitiis, & apud Geographos. Porrò Latium eſſe eam regionem quæ Hebræis כתים *Cittim*, pariter à *latendo* ſeu *abſcondendo*, veriùs quàm Macedoniam, pluribus Bochartus, *Phal. Lib.* iii.

Campania Felix.

Campania Felix, à regionis ubertate, uti eadem *Campania Stellata* à benigno influxu Siderum, indè à Liri amne ad Ortum & Meridiem protenſa fuit ad *Silarum* fluv. qui Picentinos Campaniæ à Lucanis disjungit, hodiè *terra di Lavoro*. Ad Septentrionem terminus fuit Vulturnus fluv. & Sabatus alter, ad quem *Beneventum* Samniorum Caput. Urbs prima & Metropolis fuit *Capua*, Caput Urbium Floro, ampliſſima, ditiſſimaque, cujus deliciis olim Annibal fractus, ſitu ab hodiernâ nonnihil Orientaliore, ut Cluverio & aliis obſervatum. Hinc ad oram maritimam *Neapolis*, (quales & in Africâ Tripolit. & in Syriâ Colonia, imperante Elagabalo) dicta quondam *Parthenope*, à Cumanis condita, contradiſtincta τῇ Παλαιοπόλει, cujus in ſublimiore parte apparent rudera, Emporium nobiliſſimum, hodiè princeps Urbium, & Archiepiſcopalis: Tùm *Vulturnum*, ad oſtium flum. & Falernus ager, *Cumæ*, *Puteoli*, *Stobiæ*, *Amalphia*, *Salernum*, Urbes παράλιοι, & poſtremæ duæ deinceps Metropolitanæ & Archiepiſcopales, &c. In mediterranea Regione celebris *Nola* civitas, cujus Epiſcopum

pum egit Paulinus Nolanus; hinc *Calatia* municipium, *Acerræ*, *Sueſſa*, *Teanum*, aliæ: Quarum omnium Epiſcopos Romana Concilia celebrant, & Notitiæ Epiſcopat. earumque nomen Romani Scriptores, ſitum Geographi, ac ſingularia Hiſtorici pluribus, Livius, Plinius, &c. & ex iis fusè Cluverius.

II. Tuſcia & Umbria Vetus. *Tuſcia & Umbria Vetus* in Unam Provinciam junctæ, ab Hadriani minimùm temporibus, utraque Suburbicaria, ſub uno deinceps *Correctore*, ætate Conſtantini, poſteà ſub uno *Conſulari*, indè à Valentiniano Imperat. Nempè *Umbria* hæc, (cui ab *Umbrone* amne nomen, olim Umbriam nunc Etruriam præterfluente) pars quædam Tuſciæ cenſita eſt, huic ad Orientem inter Narem amnem, ad Tiberis lævam, Tiberim ad Occaſum, & Apenninum ad Septentrionem, ubi Tiberis & Arni fontes, media ſic inter Tuſciam propriè dictam, & Sabinorum regionem, hodieque *Ducatus Spoletanus.*

Umbriæ diverſi limites. Alias *Umbria* etiam dicta regio maritima, quæ ultrà Apenninum ad Mare Hadriaticum porrecta fuit, in agro Gallico, à Ravennatenſi limite Anconam uſque, illa ipſa quæ etiam *Flaminia*, & *Picenum Annonarium*, ut infrà. Civitas hujus Umbriæ princeps fuit *Spoletium*, Σπολήτιον, & *Spoletum*, montana urbs, Colonia Romanorum, Gotthorum quondam & Longobardorum Principum ſedes. Tùm ad Fines Sabinorum Interamnia, Ἰντεράμνια, Nare flumine circumflua, olim Aprutium; ad Picentum fines *Nuceria* Umbrorum, in Apennino ſita, quandoque *Luceria*; in Etruriæ confiniis, *Tifernum Tiberinum*, à Metaurenſi cui *Urbinum* ad Ortum paucis indè milliaribus, Provinciæ utraque Piceni Annonarii, diſtinctum; in Mediâ Regione, in ipſis Apennini radicibus *Iguvium*, quod Hieronymo Epiſt. LXXXV. eſt *Eugubium*, hodieque Eugubio, in verbis, *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ ſive Eugubii*: Tùm *Aſſiſium*, municipium Romanorum Pontificum, nobilis inter Monachos Franciſcanos natalibus ſui Patriarchæ, Epiſcopalis cum pleriſque Italiæ Urbibus.

Tuſciæ limites. *Tuſcia* nonnullis *Thuſcia*, Θυσκία, ἀπὸ τοῦ θύειν, olim *Tyrrhenia* vel *Turſenia* (τύρσεις munitiones ſunt ſive turres) etiam *Etruria*, quacunque vocis origine, appellata eſt, hodiè *Toſcana*. Longè lateque olim protenſi Tyrrhenorum fines, inter Alpes & Apenninum, & Mare utrumque Tyrrhenum & Adriaticum. Auguſtus Fines deſcripſit, ab Ortu Tiberim, à Septentrione Apenninum, ab Occaſu Macram fluvium Liguriæ, ad cujus oſtium Luna, à Meridie Mare Tyrrhenum ſive Tuſcum.

An Tuſciæ duæ? Tuſcias duas ſtatuunt Eruditi, eos inter Salmaſius de *Regionibus Suburbic.* nempè *Suburbicariam* de quâ in Cod. Theodoſ. l. XII. de Indulgentiis debitor. & *Italicam* ſive *Annonariam*, de quâ Ammianus, Jornandes, alii. Reverà ejuſdem Provinciæ partes duæ, altera Suburbicaria Præfectura, indè ab Urbis parte Occiduâ, & Umbrorum Regione, intrà centeſimum lapidem, ad Umbronem uſque fluv. altera communi nomine dicta *Annonaria*, quæ tributa & annonam in Principis & cellarii ejus uſus conferret.

Metropolis hodieque *Florentia*, Φλωρεντεία Ptol. ad Arnum fluv. flos Italiæ cenſita, cujus jam Tacitus meminit; quanquam exiguum oppidum Agathiæ, & Plinio inter Colonias Etruriæ tacitum, *L.* III. C. XXI. Niſi *Fluentini* ſint huic *Florentini*, ut Fluentia apud Florum, credita Florentia, & ſic leg. *Hiſt. L.* III. C. XXI. Optatus Milevit. *Lib.* I. meminit Felicis hujus Urbis Epiſcopi. Poſtmodùm Mediceis ſubjecta, quum Coſmus Mediceus *Pater Patriæ* dictus eſſet A. MCCCCLXIV. dein Laurentius Florentiæ *Princeps*, tandem à Pio V. ſucceſſores *Magni Etruriæ Duces* appellati, A. MDLXIV.

Urbes aliæ celebriores, eæque Epiſcopales, ab Occaſu fuêre *Luna*, Etruriæ portus; hinc *Luca* Reſpublica, à Lucumone ſic dicta; tùm *Piſæ* ad Arnum fluv. antiquiſſima civitas; *Volaterræ* Colonia *Romana* Ciceroni, Livio; *Sena* vel *Siena* quæ & *Colonia Julia*, edito & ſinuoſo loco, à Gallis Senonibus ſtructa; hinc *Cluſium*, *Tuſcania*, *Viterbium*, &c. Et ad Tiberim Umbriæ contermina, *Peruſia*, celeberrima Colonia, Περουσία Ptolem. Straboni, corruptè apud Stephanum Περράσιον. Magis ad Meridiem, & ad Occaſum ejuſdem Tiberis, ἐπαρχία ſeu Regio *Faleſiorum* vel *Faliſcorum*, & *Vejentum* illa, ubi nunc Inſula Farneſiorum. *Liburnum* Etruriæ portus inclytus eſt, Piſas inter & Volaterras, hodiè *Livorno*. De ſingulis prolixè Leander, Cluverius, Merula, alii, & Theatrum Italiæ.

Olim Picenum omne *quintam* Auguſti regionem complexum eſt, ad Ortum Umbriæ, & Occaſum Samnitum, intrà Apenninum & Mare Hadriaticum, hodiè *Marchia Anconenſis.* III. Prov. Picenum Suburbicarium.

Pars ejus dicta in Notitiâ *Urbicaria* vel *Suburbicaria*, Provincia *Præſidialis*, contradiſtincta Piceno *Annonario* vel *Italico*, quod cum Flaminiâ Provinciâ Italicâ conjungitur. Igitur Piceni Suburbicarii, quatenùs ſub Præfecturâ Urbicâ fuit, intrà centeſimum ab Urbe lapidem, terminus propriè fuit oppidum dictum *Ad centeſimum*, ſcilicet milliarium, ad Tricentum fluv. undè ad *Aſculum* Picenum milliaria fuêre XII. in *Itiner. Anton.* Atque ità, ut hoc Picenum Provinciam deſcribit à Piceno Annon. diſtinctam, videtur complexa partem agri Sabini, ad Meridiem, in Apennino, ubi *Reate*, inclyta civitas, Sabinorum quondam princeps, quam in Piceno collocat Siculus Flaccus, p. 3. Item ab Urbe *per Picenum* profectis in Itiner. Anton. obvia poſt *Cures* Κύρεις (undè Curites, Quirites) *Ocricolus* Ὀκρικόλη Steph. *Narnia* quæ Umbriæ apud Plinium, & *Interamnia*. Adde *Cutilias*, *Nurſiam*, (undè Familia Veſpaſiorum Nurſinæ gentis, & Benedictus ille Nurſinus) *Amiternum*, alias Sabinorum, quas tamen Valeriæ adſcribit Paulus Diaconus, *Hiſt. Longob.* L. II. C. XX. & ex eo Cl. Salmaſius, prout contiguæ hæ Provinciæ fuerunt. Vide Salmaſium, & Jac. Godofredum, *de Suburbic.* Malè ad Suburbicarium Picenum, referunt Notitiæ Epiſcopat. Urbes Piceni Annonarii, longè ultrà *centeſimum*, magiſque ad Occaſum & Septentrionem. Tabulæ & Notitiæ extendunt ad Mare Hadriaticum, ultrà *Aſculum*, *Firmum*, *Anconam* uſque, terminum extremum inter Galliam Togatam, & Italicas Gentes, ex Pomponio, Plinio, &c. Quæ undè Ἀγκὼν Græcis, *Ancon*, à ſitu nempè, inflexi cubiti imagine, in angulo quodam, pluribus à Geographis declaratur; opportunum emporium mercibus Italicis, Græcis, Illyricis, Pannoniis, &c. Arcu Trajani hodieque in portu ſuperbiens, Colonia quondam Rom. In hoc Piceno & ſita, in agro Recinetenſi, *Lauretum* recens Civitas, antè Laurea Sylva, de quâ in Hiſt. Seculi XIII. *col.* 1721. &c.

Valeria nulla fuit inter Provincias Auguſteas, recentiori appellatione à Valeriâ viâ indè à Conſtantini temporibus, in Codice Theod. L. V. *quibus Equorum uſus*, & *in Notitiâ Imp.* Prov. Hæc *Præſidialis*, hodiè *pars Ducatûs Spoletani*, *Campaniæ Romaniæ*, & *Abruzzo.* Sub hac itaque notione comprehenſæ Marſorum, Æquorum, Pelignorum cumprimis Coloniæ, quæ olim ſub Samnio, Regione Auguſteâ quartâ, inter Latium vetus & Sabinos, à quibus oriundi. Omnes intrà centeſimum lapidem, ad Ortum & Meridiem Piceni Suburbic. undè hæc quoque Provincia vel Regio *Suburbicaria* cenſetur. Huic adſcribitur à Paulo Diacono & in Notitiâ Epiſcopatuum, *Tibur* (Tivoli) undè Epiſc. Tiburtinus, in confiniis Latii Veteris, & Agri Sabini, à quâ Ur- IV. Valeria.

be incepit via Valeria, vel Strabone teſte, & Antonino. Collocant alii in Piceno. Sic ejuſdem fuit *Marrubium* vel *Marruvium* Marſorum caput, undè *Marubiâ de gente Sacerdos* Æneid. vii. Hinc *Carſeoli*, in eâdem Valeriâ viâ, tùm *Alba Fucentia*, propè Lacum Fucinum, *Corfinium* uſque Pelignorum caput, quæ haud multo plus centeſimo ab Urbe lapide fuit, & quò duxiſſe viam Valeriam auctor eſt Strabo *Lib.* v. & docent Itineraria: Ac Corfinio proxima fuit in Pelignis *Sulmo*, vel Ovidii natalibus nobilis, Samnio aliàs adſcripta. Salmaſius igitur cum aliis Valeriam Suburbicariam magis protendit, ad oſtium Æterni fluminis, in Marrucinis; cui ad Occaſum fuit *Hadria* oppidum, (huic aliud cognomine eſt ad Padi oſtia) undè Mari Hadriatico nomen, & in quod via Valeria duxit, apud Antoninum, *Ab Urbe Hadriam uſque.*

Quomodo hæ Prov. quatuor Suburbicariæ? Et hæ Provinciæ quatuor meritò *Suburbicariæ*, ut quæ Urbem undequaque ambirent & clauderent, intrà centeſimum circiter milliare. Ad Occidentem, & Septentr. verſùs fuit *Tuſcia* & *Umbria*, ad Septentrionem *Picenum*, ad Ortum *Valeria*, ad Meridiem *Latina regio*.

v. Samnium. *Samnium*, ſeu Samnitum regio, τῆ Σαυνίτων, hodiè Ducatus Beneventanus, & pars *Abruzzo*, fuit ad Septentrionem Campaniæ, & Orientem Valeriæ, Apuliæ verò ad Meridiem & Occaſum, Prov. *Præſidialis*. Verſùs Mare ſuperum egit Samnitum gens *Frentanorum* nomine, de quâ Cluverius, *Lib.* iv. C. ix. A Samnio detracti Marſi, Æqui, Sabini, Peligni, Piceno Suburbicario & Valeriæ adſcribendi. Caput Regionis fuit *Beneventum* ad Sabatum fluv. in confiniis Hirninorum, & Dauniorum Apuliæ; antè *Maleventum*, ob ventos, turbines, terræmotus quibus obnoxia fuit. Urbes aliæ *Teatea*, Marrucinorum caput, *Aufidena*, *Bovianum* vetus, *Sirpium*, *Sapinum*, *Teleſia*, *Tifernum*, &c. Adi poſt Strabonem, Plinium, &c. Cluver. *Lib.* iv. C. vii. & Chorographos Italiæ.

vi. Apulia & Calabria. *Apulia* & *Calabria* vel *Meſſapia*, proceſſit indè à Samnitibus & Frentone fl. uſque ad Fines Italiæ, Græciam verſùs, Bradano amni, qui in Tarentinum Sinum influit, à Lucanis ſeparata. Provincia hæc ſub uno Correctore, & Apulia quidem in *Daunios* ad Occaſum, & *Peucetios* ad Ortum; Meſſapia in *Calabros* ad Mare ſuperum, & *Salentinos* ad Sinum Tarentinum, dividendæ. Hic Maritimæ Urbes ad Hadriam, *Sipontum* (Σιπῦς) *Barium*, *Gnatia* vel *Egnatia*, *Brunduſium*, *Hydrus* vel *Hydruntum*, &c. quæ Coloniæ, Emporia, & Portus celeberrimi, unde brevis in Græciam trajectus. Et viam Appiam Brunduſium uſque ſuo tempore duxiſſe teſtis eſt Strabo. A Mediterraneâ regione *Cannæ* Romanâ Clade cumprimis nobiles, quarum & Epiſcopus legitur in Concilio Rom. v. ſub Symmacho; *Canuſium* propè Cannas; *Venuſium* vel *Venuſia* in confinio Lucaniæ & Apuliæ, vel Horatii Flacci ortu memoranda; & ultrà Vulturem m. *Acherontia*, poſteà Metropolis facta. Ad Tarentinum Sinum fuit *Tarentum*, dein Archiepiſcopalis; *Copia*, Κώπια, antè Sybaris, & Thurii, Colonia apud Liv. L. xxxiv. 52. quaſi horreum & apotheca, undè nomen Copiæ; Oppidum ad Mare ſitum, hinc abundantia ex navigatione, per Cornucopiæ deſignata. Regio hodie *Puglia plana*, in quâ *Barium*, hod. *Barri*, & *Otranto* ab Urbe Hydrunto, quæ in Archiepiſcopales evectæ, ut Brunduſium, Tarentum. Cæterum *Calabriæ* nomen latiſſimi ſignificatûs, hinc Lucaniæ & Brutiis deinceps quoque datum; & *Calabria* dicta Italiæ ea pars omnis quæ indè à Samnio & Benevento ad fines ejus ſe protendit, retenta diu ab Imperat. Conſtantinopolit. cujus Metropolis *Rhegium* τῆ Καλαβρίας, in *Notit.* Græcâ, quæ aliàs in Brutiis.

vii. Lucania & Brutii. *Lucania* & *Brutii* ad Meridiem Apuliæ, & Calabriæ ſtrictiùs dictæ, Campaniæ verò ad Ortum, indè à Silaro amne extendit ſeſe ad Mare Siculum, & Promontorium *Leucopetræ* ſeu *Brutii*, extremum Italiæ hac parte terminum. Provincia fuit ſub uno eodemque Correctore, hodiè *Calabria* & *Baſilicata* nomine, Regni Neapolitani. Et hæc Pars Italiæ dicta quondam *Magna Græcia*, à Græcorum ſeu Pelaſgorum magnis Coloniis, quos olim has oras incoluiſſe, diſpergendos per omnem Italiam, inſuper *Choniæ* & *Oenotria* nomina docent, & omnis Antiquitas. Hic & *Locrorum* gens fuit, verſùs Mare Ionium, qui *Epizephyrii*, à Zephyrio Promontorio, diſtinctionis ergò à Locris Græciæ, qui Ætoliæ ad Ortum fuêre, Ozolæ appellati. Metropolis fuit *Rhegium*, tam in Civilibus, ut quæ ſedes Correctoris, quàm in Eccleſiaſticis, dicta Rhegium Brutiorum, Straboni L. vi. *Rhegium Julium*, ab Auguſto Coloniâ factâ, ſic appellatâ ἀπὸ τῆ ῥήγνυσϑαι Straboni, Italiâ ibi à Continente Siciliæ quaſi avulsâ, aliis quaſi *Regia* urbs. Quæ tamen an ſubeſſet Sedi Conſtantinopolitanæ tempore Hieronymi, ex verbis Epiſtolæ ad Euagrium, ſive *Conſtantinopoli* ſive *Rhegii*, ut ſive *Romæ*, ſive *Eugubii*, ſive *Alexandriæ*, ſive *Tanis*, meritò dubitetur, affirmante Salmaſio *de Prim.* C. xiii. & aliàs. Certum ſit quamvis, ex Notitiâ Leonis Philoſophi, poni *Rhegium* inter ſedes ſubjectas Patr. Conſtant. & ἀποσπασθέντας ἐκ τῆ Ῥωμαϊκῆς διοικήσεως *avulſas a Romanâ Diœceſi*, quo tempore hæc pars Italiæ, à reliquis diſtracta, ſub *Calabriæ* nomine à Conſtantinopolitano Imperatore retenta fuit. Nec deſunt qui *Rhegium* aliud intelligunt in verbis Hieronymi, propè Conſtantinopol. xii ab Urbe lapide, in Tab. Peutingerorum, undè data lex Arcadii xxxv. de *Operibus publ.* ad Cæſarium Præfectum P. Orientis. Diverſum eſt *Rhegium Lepidi*, inter Parmam & Mutinam, Prov. Æmiliæ. Epiſcopales Urbes alias *Conſentiam* hodiè caput Brutiorum, Sedem Archiepiſcopalem, *Potentiam*, *Buxentum* (Πυξῆς Strab.) *Tempſam*, *Valentiam*, *Locros*, &c. exhibent Notitiæ Epiſc. Concilia Romana, ac paſſim Gregorii M. *Epiſtolæ*.

Porrò de juriſdictione Eccleſiaſticâ Romani Epiſcopi in *Apuliam*, *Calabriam*, *Lucaniam*, *Brutios*, jam Seculo iv. longa Controverſia eſt. Has enim qui *Suburbicarias* fuiſſe contendunt, haud ægrè Romano ut Metropolitano ſubjiciunt, ipſe in Noſtris David Blondellus. Quanquàm diſertè in Civilibus Præfecturæ Urbicæ eximantur *lege* xxvii. Conſtantii de Appellat. Quâ de re pluribus ſuprà. Nec negandum tamen, natis Diœceſibus, veriùs ad Diœceſin *Urbis*, quàm *Italiæ* illam ſpectaſſe; jamque Cœleſtinum Pontif. Ordinationes ſibi in Apuliis Calabris & Brutiis, arrogaſſe, ex *Epiſt.* ad harum Prov. Epiſc. fimbriis poteſtatis ſenſim dilatandis.

Sicilia. *Sicilia* pars quondam Magnæ Græciæ, quæ & à tribus ἄκραις Promontoriis *Trinacria*, noto ex Geographis ſitu, fuit adhuc ab Italiâ diſtincta, adeoque à Suburbicariis regionibus, tempore Conſtantii, vel ex *lege* ix. de Extraordin. & Sordid. Muneribus. Poſteà Provinciis Italiæ adſcripta quæ ſub Urbis Vicario, ex Notitiâ Imp. nec tamen *Suburbicaria*, ut rectè Salmaſius, Godofredus, alii; ſecùs ſtatuente Blondello noſtro *de Primatu Eccl.* ubi is de Suburbicariis Eccleſiis. Poſteà ſanxit Juſtinianus, poſt pulſos Siciliâ Gotthos *Nov.* xxxi. ut à Siciliæ Judicibus & Magiſtratibus cauſæ referrentur, & appellatio fieret ad Quæſtorem S. Palatii Conſtantinopolit. In Eccleſiaſticis Metropolis fuit *Syracuſa*, urbs Siciliæ princeps, olim xxiv. m. p. ambitu; cujus Epiſcopus primitùs αὐτοκέφαλος, ſecundùm Privilegia Provinciarum

Digitized by Google

rum Canone vi. Nicæno, undè Conſtantini M. Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum, apud *Euſeb. Lib.* x. C. v. Poſteà verò cum Romano, in communi Synodo, communi quoque cum Conſtantinopolitano, cavit, poſt pulſos Siciliâ Gotthos, ut à Siciliæ Judicibus & Magiſtratibus Cauſæ referrentur, & Appellatio fieret ad Quæſtorem S. Palatii Conſtantinopolitanum. Vide & Balſamonem ad Canones Nicænos. Qui tamen fallitur, dum factum hoc vellet, quod ſubeſſet Conſtantinopolitano, ἀπὸ χρόνων ἀμετρήτων, ab omni antiquitate. Hodiè *Panormus* primatum obtinet, urbs litoralis à Pœnis condita, πάνορμος à tutâ navium ſtatione; quæ à Romanis pridem Libertate & Immunitatibus donata, & *Colonia* dicitur Straboni L. vi. obviis Panormitanorum Nummis inter illos Auguſti. Hinc *Meſſana* emporium Siciliæ, ad Sinum Mamertinum, oppidum Civium Romanorum peropportunum. Adde *Egeſtam*, Urbem Siciliæ, Ἔγεσταν, in quâ θερμὰ ὕδατα, dein *Segeſtam* dicendam, *ne obſcœno nomine appellaretur*, ut Feſtus. Hinc *Tyndarium*, *Agrigentum*, *Catanam*, ferè ſub Ætnâ monte, Urbes alias, deſcribant Geographi, & fusè Cluverius. Provincia *Conſularis* fuit, olim ſub Proconſulibus, & communis illi *Rationalis* cum Sardiniâ & Corſicâ, qui Rationalis trium Provinciarum, paſſim in *Codice Theod.*

Sub Siciliæ notione etiam Inſulæ adjacentes comprehenſæ. Nobiliſſima omnium *Melita*, quæ hinc Sicilienſis Melita, Μελίτη, (nam Africana alia fuit quæ Μέλιτα, ab Hannone Carthaginenſi condita, ex ejus *Periplo*) ſitu inter Siciliam & Africam medio; ſoli fertilitate, loci munimento, Coloniâ Phœniciâ (undè מליטה quaſi *refugium* magno Bocharto, niſi veriùs ſit a מלט ſoli *calce* albicantis conditione) ac Pauli naufragio *Act.* xxviii. 1. &c. tandem Equitum Rhodiorum militiâ, indè ab A. mdxxiii. celeberrima.

Sardinia. *Sardinia* Græcis Σαρδὼ, Σαρδὼν, ſecunda poſt Siciliam fuit magnitudine ex ſeptem Inſulis majoribus Interni maris, & ſecundùm hanc Cyprus, Creta, Corſica, Eubœa, & Lesbus. Provincia *Præſidialis* fuit, ſub *Rationali* Siciliæ, cum hac & Corſicâ unam Diœceſim Eccleſiaſticam conſtituens, ut pluribus Cl. Salmaſius contrà Sirmondum. Metropolis fuit *Caralis* ad Sinum Caralitanum, in parte Meridionali Inſulæ Africæ obverſa, hinc Caralitanus Metropolita Sardiniæ, tempore Concilii Mediolanenſis apud Theodoretum *Hiſt. Lib.* ii. C. xv. Celebratur *Lucifer* Inſulæ Sardiniæ Epiſcopus, tempore Conſtantii & Juliani, apud Theodoretum *Lib.* iii. C. iv. à quo dicti Luciferiani, de quo in Hiſtoriâ.

Ad hanc refert Notitia Epiſcopatuum Inſulas Baleares, *Majoricam* & *Minoricam*, quas Notitia Imp. Hiſpaniis attribuit; de quibus verbum infrà, in Diœceſi Hiſpaniarum.

Corſica. *Corſica*, quæ & Κορσὶς, etiam Κύρνος, à Phocæenſibus occupata Cyro imperante, Inſula quoque fuit Mediterranei ſive Interni & Tyrrhenii Maris, Stephano & aliis, tertia magnitud. inter Sardiniam & Mare Liguſticum media, Provincia *Præſidialis*, unà cum Sardiniâ bello Punico i. à Romanis occupata. Fuit prærupta rupibus & ſaxis, hinc regio deſerta, quò Romani ſolerent reos alicujus criminis relegare. In Eccleſiaſticis cum Sardiniâ, Siciliâ in Diœceſim conjuncta, prout hæ tres ſub uno Rationali Siciliæ. Metropolis ad Mare Tyrrhenum, in parte Orientali Inſulæ, fuit *Aleria*, Colonia Romanorum; hinc *Mariana*, quæ ante Nicæa; ac ſi quæ Urbes Epiſcopales aliæ, in *Notit.* Epiſcopatuum, minùs celebres.

Secunda Dioeceſis
Italicæ Præfecturæ,
Vicariatus Italiæ.

Italia prout Urbi, ſeu Urbicæ cùm Præfecturæ tùm Vicariatui, contradiſtinguitur, jam Aureliani tempore apud Euſebium *Lib.* vii. *Hiſt. C.* xxiv. eam partem Italiæ dicit quæ ab aliis Italia *Nova*, ſeu *Acceſſoria*, inde ab Auguſto Cæſare, complexa Regiones, Octavam, Nonam, Decimam & Undecimam. Olim Gallia *Cis-Alpina*, vel *Togata*, hanc partem primò occupantibus Gallis Senonibus qui Σήνωνες Polyb. Tranſpadani dicti, diſtinctè à Bojis Ciſpadanis; cujus termini indè à ſummis Alpibus, illinc ad Rubiconem fluvium versùs Mare Superum, hinc ad Tuſciæ ſeu Etruriæ fines. Sed præter Galliæ hujus Provincias *Liguriam*, *Æmiliam*, *Flaminiam* & *Picenum Annonar. Venetias* & *Hiſtriam*, *Alpes Cottias*, additæ à Valentiniano Jun. *duæ Rhætiæ*, ſub Vicario Italiæ, ultrà Alpes etiam extenſæ in ipſam Germaniam. Diœceſis Italica quænam?

Hæc pars Italiæ ſuberat *Vicario* Præfecti Prætorio, cujus tamen poſt Gratianum nulla fit in Codice Theodoſ. mentio, nec niſi generalis in Notitiâ Imperii, ob regiones has à Barbaris infeſtatas; *Alarico* primùm Gotthorum Rege, tùm *Attilâ* Hunnorum graſſantibus, tandem *Longobardis* hîc ſedes fixuris. Vicarius Italiæ.

Hæc malorum principia vidit Ambroſius Mediolanenſis, adversùs metum Barbarorum animos erigens, in *Sermonibus* ſuis. In Eccleſiaſticâ vero adminiſtratione independentiam primitùs à Romano Epiſcopo Eccleſiarum *Mediolanenſis*, *Aquilejenſis*, *Ravennatenſis*, quæ Metropolitanæ principes per Diœceſim Italiæ, pluribus Mornæus, Salmaſius, Blondellus, alii oſtendunt. *Mediolanenſis* verò ſedes totius hujus Diœceſeôs Italicæ primatum habuit, undè Mediolanum μητρόπολις Ἰταλίας, jam apud Athanaſium, & Sardicenſes, dein Theodoretum *Lib.* ii. C. xv. eaque frequenter ſedes Imperatorum, ac Romæ jam æmula. Hinc Synodi *Romanæ*, *Italicæ*, *Africanæ*, ſeparatim habitæ, ſingulæ ſub Primatibus ſuis Romano, Mediolanenſi, Carthaginenſi. Hinc ſub Vicariis diverſis, Italia & Roma, indè à Conſtantino Imperat. & Mediolanum Vicariorum ſedes, ac frequentiſſima Imperatorum. Hinc & Ambroſianæ ordinationes, antè natum Ravennatenſem, quo tempore Æmilia & Flaminia ſub Mediolanenſi fuêre, in Partibus omnibus *Liguriæ*, *Æmiliæ*, *Venetiarumque ac cæteris Italiæ finitimis*, *Epiſt.* lxxxii. ad Vercellenſem in Libicis Eccleſiam, pluribus & in aliis Epiſtolis exemplis. Nec uſquam Ambroſius cum Romano Epiſcopo agens, niſi ut cum Fratre & Coëpiſcopo, mutuis literarum & communicationis officiis. Et hanc independentiam Italicæ Diœceſeôs, nullis in eâ Pontifici ordinationum juribus, non diffitetur Petrus de Marcâ, de Concordiâ *Lib.* i. C. vi. & vii. & *Lib.* vi. C. iv. quanquam *tentari* aliquid *poſſe ait è Pelagii & Gregorii Regeſto*, *ſed non latere ſe quid poſſit in contrarium dici.* Idem ſtatuimus de *Aquilejenſis* independentiâ à Romano, Venetiæ & Hiſtriæ olim Metropolitani, dein *Patriarcha*, Sede Marci (ſic illi) ſuperbientis, ut Mediolanenſis illâ Barnabæ. Sic & αὐτοκέφαλος *Ravennatenſis*, ex quo, hæc Sedes in Archiepiſcopalem evecta totius Flaminiæ, Æmiliæque, augente dignitatem Valentiniano III. apud Hieronymum Rubeum *Hiſt. Rav. Lib.* ii. Cumprimis *Exarchatu* ibi conſtituto à Narſete, poſt pulſos Italiâ Gotthos, ſub Juſtino

Mediolanenſis Epiſcopi primatus.

Independ. Aquileienſis, & Ravennat.

junioreſ, Ravennatenſis quàm diutiſſimè Romani jugum neſcivit, à Metropolitanis ſuæ Provinciæ ordinandus, undè frequentes cum Romano lites. Quâ de re in Hiſtoriâ Eccleſ. Sic novæ deinceps Metropoles in hâc ipsâ Diœceſi natæ, *Genua*, *Bononia*, *Taurinum*, ſuis locis indicandæ. Nunc de Provinciis *Italicis*, quæ ſeptem numero, quatuor Conſulares, & Præſidiales tres.

I. Prov. Liguria. *Liguria* Λιγυεία, Λιγυςικὴ, Λιγυςίνη, (an à colligendis Leguminibus) primitus dicta, omnis illa Regio quæ intrà Varum fluv. & Alpes maritimas ad Occaſum, ac Macram fluv. atque Etruriam ad Ortum ſita, à Meridie mari Liguſtico, à Septentrione Pado amne Auguſti ætate, terminata, Regio nona. Poſteà verò in Trans-Padanâ ultrà Inſubres & Libicos extenſa fuit, ad Alpium Rhætiarum radices. Sed & Polybius pridem Liguriam ἑὼς τῆς τῶν Ῥηλίνων *Rhatiorum* (non Ἀῤῥηλίνων) χώρας produxit. Hodiè complectitur ea Regio Genuenſem, Montisferratenſem, Mediolanenſem ex parte Ducatum, ac Lombardiæ partem non contemnendam. Diſtincta ſic fuit in *Planam*, quæ *Comum* uſque pertingebat, & Inalpinam ſive *Montanam*. Provincia *Conſularis* fuit, cujus caput *Mediolanum*, Metropolis Italiæ, ſeu Galliæ Cis-Alpinæ, ex modò dictis, in *Medio* ſeu Umbilico Inſubriæ ſita, inter maximas Europæ civitates, Barnabam Epiſcopum ſed precariò jactans, veriùs Ambroſium Mediolanenſem, patria Didi Juliani & Maximiani Herculei; ut mittamus cætera Urbis decora, & ornamenta. A quâ etiam Urbe Provincia Eccleſiaſtica dicta *Mediolanenſis*, quæ ex Provinciis conſtaret huic Epiſcopo ſubjectis, contradiſtincta deinceps *Aquilejenſi*, & *Ravennatenſi*: Uti Diœceſis Italica etiam Mediolanenſis appellata, quum illi Æmilia & Flaminia adhuc ſubeſſent, antè natum Ravennatenſem, poſteà & Genuenſem, Bononienſem, Taurinenſem, Archiepiſcopos. Urbes aliæ Epiſcopales in Tranſ-Padanâ regione fuerunt, in *Inſubribus Ticinum*, Τίκινον Ptolem. ſive *Papia* quaſi piorum patria, etiam *Flavia Papia*, hodiè *Pavia*, ad oſtium Ticini fluv. Colonia in Nummis, Regia quondam Gotthorum ac Longobardorum: Deindè *Comum*, Colonia Romanorum ad Lacum Larium, Plinii utriuſque patria, & Cæcilii Poëtæ, dein Joviorum, ſcil. Benedicti & Pauli: *Bergomum* in jugo montis ſitum, undè illi nomen, à Gallis Cenomanis, Ambroſii Calepini patria, ut alios mittam. *Cremona* ad Padum, de quâ à Victoribus diripiendâ illud Virgilii, *Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!* Nempè paulo indè verſùs Ortum fuit in Cenomanis *Mantua*, Urbs inter antiquiſſimas totius Italiæ, Maronis patria, de quâ fusè Italiæ Corographi: Et huic ad Occaſum *Brixia*, quæ Venetorum deinceps ditioni acceſſit, unde *Urbis Venetæ ſponſa*, Philaſtrio quondam hujus Epiſcopo, & Gaudentio ejus ſucceſſore, ſub finem Seculi IV. In Libicis fuit *Vercellorum* Civitas, antiqua & Epiſcopalis, cujus Epiſcopus Euſebius à Conſtantio relegatus, fuit revocatus à Juliano, apud Theodoretum, *Lib.* III. C. IV. *Eporediam*, *Novariam*, *Vulturiam*, Urbes alias in Inſubribus, & Cenomanis, ſilemus.

Genua. Cis Padum, in orâ maritima, & montanâ, hodiè Liguriæ Princeps *Genua*, Γένυα Straboni & Ptol. de cujus origine, ſitu, incrementis, opibus, dominatione, &c. ex Leandro Alberto Cluverius, Merula, & Chorographi. Archiepiſcopatum ſeriùs nacta, aliquandò ſub Taurinenſi fuit, olim ſub Mediolanenſi. Primò Oppidum, deinde Municipium Romanorum.

Ad Ortum illi fuit *Segeſta Tiguliorum*: Ad Occaſum, inter Apenninum & Alpes, *Savo*, hodiè *Savona*, olim & *Sabata*, *Sabatia*, patria Gregorii VII. Hildebrandi, cujus portus paucis indè milliar. dictus *Vada Sabatia*, & *Vada* ſimpliciter. Tùm *Albium* geminum, Ingaunorum & Intemeliorum, qui Liguriæ maritimæ populi; hinc *Portus Herculis* Μονοίκȣ *Monœci*, undè *Monaco*; tandem *Nicæa* propè Varum, qui ultimus eſt Liguriæ limes, *Nicia* Antonino, Sabaudicæ hodiè ditionis.

In mediterraneâ cis Padum, inclytæ Civitates, etiam Eccleſiæ, *Bobienſis*, *Dertonenſis*, *Aſtenſis*, *Alba Pompeja* (à Romanâ diverſa) *Pollentia*, *Auguſta* Vagiennorum, &c.

Omnis hæc pars Liguriæ maritimæ & montanæ, in Provinciarum Eccleſiaſticar. & Epiſcopatuum poſteriori diſtributione, deinceps *Alpibus Cottiis* attributa fuit; ex Paulo Diacono, Blondo, ſimilibus, ut in *Notitiis* Epiſcopatuum.

Æmilia à M. Æmilio Lepido, qui ſtravit viam Æmiliam, à quâ Provinciæ nomen, Longobardiæ pars nobiliſſima, & à ſitu *Ciſpadana* dicta, Provincia *Conſularis*. Habuit ab Occaſu Liguriam, indè à Trebiâ fluv. à Septentrione Padum, à Meridie Apenninum, ab Ortu Flaminiam, dividente Vaterno fluvio, vel potiùs Montono, qui Ravennam ad lævam ambit. Heic Bojorum quondam, & Anamanorum ſedes. Hodiè partem *Romaniæ* complectitur ſeu *Romanulæ*, *Romagniolæ*, ſic dictæ quod Romanorum ritibus magis inhæreret, & Romanum Imper. reſpiceret, contrà Longobardos. Includit Æmilia Ducatus *Ferrarienſem*, *Parmenſem*, *Placentinum*, *Mutinenſem* & *Reggienſem*, ac *Bononienſe* territorium, & *Faventinum*. Metropolis *Bononia*, quæ & *Felſina* in radicibus Apennini, viâ Æmiliâ, nobiliſſima Literarum ſedes jam indè à Theodoſio juniore, An. Chr. CCCCXXIII. Quanquàm ſuppoſito in hanc rem Theodoſii Imper. inſtrumento, & *Generali* ad id *Chriſtianorum convocato Concilio*, *Cœleſtino ſummo Pontifice*, *Cardinalibus* XII. &c. quo Bononiam in Academiam erexerit. Reſtituta à Carolo M. dein à Lothario II. *Legum & Juris ſcientiæ Schola unica & ſola eſſe*, decreta. Quâ de Urbe Blondus, Leander, ex his alii. *Ferraria* in Vetere Italiâ nulla ferè à temporibus Caroli M. ſub Ducatûs titulo nota, deindè Urbs ampla & Ducalis, hodiè Juris Pontificii, hinc miſera & deſerta, ut omnes Papales urbes, Bononiâ exceptâ quæ Reipublicæ privilegia ſervavit. Sic nec *Mirandula* memorata apud Veteres, Picorum Principatus, inter quos doctrinâ eminentes, *Joh. Picus* & Nepos *Joh. Franciſcus*, ſita Urbs ad Occaſum Ferrariæ, cis Padum, quam Cluverius Oeteſiam eſſe ſuſpicatur. Vetuſtiores ſunt, quarum & Epiſcopi leguntur in Conciliis Romanis & Italicis, ad Padum fluv. *Placentia*, *Parma*, *Brixellum*, *Nuceria*: In mediâ regione *Forum* vel *Regium Lepidi*, Colonia M. Æmilii Lepidi, hodiè *Reggio*; *Mutina* Ateſtiorum, vulgò Modena; *Forum Cornelii*, dein *Imola* dictum; & *Faventia* Æmiliæ à Procopio, Jornande, aliis adſcripta, hodiè *Faenza*. De quibus Blondus, Leander, Cluverius, Merula, & Chorographi Italiæ. Porrò *Æmilia* via etiam per Flaminiam Provinciam duxit, nempè per Forum Populi, Cæſenam ac ſuperiora Rubiconis, Ariminum uſque, ubi Ponte jungebatur Flaminiæ viæ. II. Æmilia.

Flaminia, pars itidem Romanulæ Cis-Padanæ, à viâ Flaminiâ, quam lapide ſtravit munivitque C. Flaminius Collega Æmilii Lepidi, è Româ per Tuſciam & Umbriam ducens Ariminum; ex Strabone, Livio, aliis. Indè ad Occaſum Ravennam itum, & hinc trans Montonum fluv. qui ab Occaſu Flaminiæ terminus fuit, viâ Æmiliâ itum Bononiam. Ab Arimino autem Urbe cœpit *Picenum Annonarium*, cujus pars Flaminia reverâ fuit, ejuſque Piceni terminus fuit ad Ortum Æſis fluvius, Italis *Fiumeſino*, quaſi *fiume Eſino*, cui proxima fuit *Ancona*. Et hæc III. Flaminia.

Digitized by Google

hæc maritima omnis ora Anconam uſque à Gallis Senonibus habita fuit, undè & Galliam Togatam indè ab Anconâ deſcribit Plinius. Fuitque hoc Picenum ſimul cum Flaminiâ ſub uno *Conſulari*, undè & unam Provinciam utraque conſtituit.

Hic Umbriæ ea pars quæ *Umbria Nova*, poſt Umbros ſuis ſedibus in hæc loca pulſos, qui olim Populi xv. videndi in Inſcriptionib. antiquis, & nuper in Sponii Itiner. T. 1. *pag.* 840. Dein *Senonum Umbria*, à Gallis Senonibus poſt occupatâ, etiam *Umbria Picenum*, vel *in Piceno*, item *Umbria & Flaminia* conjunctim, hodiè partem Romanæ, & Ducatum Urbinatenſem ſuo ambitu concludens. Atque ità indubium Picenum hocce *Annonarium* à *Suburbicario* fuiſſe totâ Provinciâ diſtinctum, hoc in Italiâ propriè dictâ, illud in Galliâ Togatâ; *Piceni* antiquo nomine, poſt pulſos indè Gallos ac deletos (A. U. Cond. CCCCLXX. Corn. Dolabellâ & Domitio Calvino Coſſ.) huic etiam parti dato.

Metropolis igitur Flaminiæ *Ravenna* fuit, Ῥαβέννα, & Ῥαβένναι, Græcorum Colonia, uti Ancona, aliæque, tergemina Civitas, conjunctis illi ad dextram Cæſareâ & Claſſi; Emporium nobiliſſimum, antiquitate, ſitu ob aquas munitiſſimo, trinâ Statione Navium, Imperatorum plurium præſentiâ, Honorii cumprimis Regiâ, dein Valentiniani, indè ab Anno CCCCII. tandem Exarchatu, indè à Narſete, ſub Juſtino II. honorata totis annis CLXXV. ad Aitulphum Longobardorum Regem; Æmiliâ etiam Provinciâ huic in Exarchatum adjunctâ. Hîc fertur Apollinaris 1. Ravennât. Epiſcopus, cujus ſucceſſor deſignatus fuerit à Spiritu S. ſpeciè *Columbæ* feneſtram ingreſſo, cujus figura illic viſitur. Nobilis indè Flaminiæ civitas *Ariminum*, ad Sinum Hadriaticum, ultrà Rubiconem fluvium, condita olim ab Auguſto & Tiberio, ex Marmoribus, nunc urbecula à mari nonnihil diſſita, dicta *Rimini*. Hæc (qualis tum fuit) primo loco à Jul. Cæſaris Victore exercitu, poſt ſuperatum Rubiconem, occupata; Conſtantii tempore Ariminenſi Concilio famoſa; cujus exitus Catholicis luctuoſus fuit, confirmante tamen Valentiniano *Lege ult.* de Fide Cath. Hinc *Piſaurum*, tertia civitas ἀγχίαλος ad oſtia Piſauri fluv. aliis Iſauri, hodiè Piſaro, major Urbino, cujus ficus totâ Italiâ præſtantiſſimæ habentur. Tum *Fanum Fortunæ*, Φάνα Φορτοῦναι, *Colonia* vel *Julia Faneſtris* indè ab Auguſto Cæſ. Ac tandem *Senogallia*, vel *Sena* Gallica, extremus quondam limes, ad Æſim uſque Galliæ Cis-Alpinæ; uti *Rubico* amnis, qui nunc exiguus rivus eſt, Ravennam inter & Ariminum, fuit Gallorum Bojorum terminus & Provinciæ Gallicæ, Julii Cæſaris ætate, quo ſuperato, *jactam aleam eſſe* dixit: Et à quinque his civitatibus maritimis Ravennâ, Arimino, Piſauro, Fano, Senogalliâ, regio apud Appianum, Suetonium, dicta *Pentapolis*, Provincia Pentapolitana, ſub Exarchatu Ravennatenſi, Ravennâ Anconam uſque. Inter Ariminum & Piſaurum vicus eſt *la Catholicá* hodieque dictus, in quo ſcil. Catholici ſeparatum habuerint Cœtum, à factione Arianâ, tempore Ariminenſis Synodi, notante ad Cluverium Lucâ Holſtenio, *pag.* 82. In regione interiore, versùs Montana fuerunt inclytæ Urbes, *Forum Livii*, *Forum Populi*, *Forum Sempronii*, à Foris quæ hîc agebant Romani Magiſtratus, & à quibus celebres Scriptores cognominati; tùm *Ceſena*, *Tifernum* Metaurenſe, *Urbinum* Metaurenſe & Hortenſe, undè Regioni & Ducatui nomen, ſed & indè nomen Pictorum Principi *Raphaëli Urbino*, vel Urbinati: Cætera Chorographi.

Notitiæ Epiſcopatuum confundunt ſæpè Provinciam utramque, & Flaminiæ adſcribunt, quæ veriùs Æmiliæ, ut *Forum Cornelii*, *Faventiam*, &c. ex deſcriptis ſuprà limitibus.

Venetia Prov. in quâ Apuleja & Forum Julii, cum *Hiſtria*, Provinciam *Conſularem* conſtituit, in Eccleſiaſticis ſub Mediolanenſi Diœceſi, & ità ætate Ambroſii. Olim verò Hiſtria cum Foro Julij ad Illyricum Occidentale ſpectarat, & Provinciam Dalmaticam, tempore adhuc Conſtantini, & Concilii Arelatenſis 1. *Theodoro* tùm Aquilejenſi Epiſcopo. Poſteà in Diœceſim abiit, & Patriarchalem, ab Italicâ avulſam, atque αὐτοκέφαλον. In Notitiâ Imperii Provinciæ hujus limites cenſentur, ad Meridiem Padus, ab Æmiliâ dividens; ad Occaſum Athesis Fluvius, ſeparans à Liguriâ & Rhætiâ primâ; ad Septentrionem Alpes Tridentinæ, Carnicæ, Juliæ, quæ à Norico; ad Ortum montes qui à Japygiâ & à Dalmatiâ disjungunt. Complectitur hodiè Territorium Venetum, ſeu Marcam Tarviſanam, Ducat. Friuli, & Hiſtriam. Metropolis igitur Venetiæ ſimul ac Hiſtriæ, fuit quondam *Aquileja*, vel *Aquilegia*, quod poſteriùs alii corruptum, Iſ. Voſſius Obſerv. ad Melam, genuinum eſſe cenſet, ab *aquilegio*. Quanquàm, Græci omnes Ἀκυληΐαν, aut Ἀκυλίαν reddunt. Emporium olim florentiſſimum, in intimo ſinu & quaſi mucrone Maris Hadriatici, ex æquo Illyricis & Italicis gentibus patens, media inter Venetiam & Hiſtriam, inter claras Urbes totius Rom. Imperii *nona* Auſonio, in Italicis *quarta*, poſt Romam, Capuam, & Mediolanum, aliis ſecunda, & altera Roma. Hinc & Colonia apud Livium L. XLIII. frequentata tot Imperatoribus ſedes, ipſi Auguſto, loci amœnitate capto, apud Suetonium *Cap.* XX. dein Tiberio, aliis; plurimæque indè leges latæ à Conſtantino, & ſucceſſoribus, ibi agentibus, uſque dùm ab Hunnis ſubverſa fuit. Concilium etiam Aquilejæ, contrà Palladium & Secundianum Arianos, celebratum eſt longè celeberrimum, A. CCCLXXXI. præſentibus ibi Gratiano & Valentiniano Principib. etiam Ambroſio Mediolanenſi; Valeriano tùm Epiſcopo Aquilejæ. Quo factum ut Aquilejenſis Epiſcopus, Mediolanenſi ſeſe Diœceſi ſenſim ſubtrahens, non Metropolitanus tantùm, ſed & *Patriarcha* deinceps audiverit, ſecundo à Romano loco; transferendâ deinceps Sede, poſt ſubverſam ab Attilâ Aquilejam, in *Gradum* Inſulam vicinam, & in Urbem cognominem, hinc *Novam Aquilejam* dictam. Indè rurſus in *Forum Julii*, caput deinceps Regionis ex Paulo Diacono, *Lib.* II. in Boreali plagâ, undè Paulinus Foro-Julienſis Patriarcha, qui & Aquilejenſis, tempore Caroli M. & regio tota Foro-Julienſis, hodiè *Friuli*, in quo eſt *Palma Nova* arx munitiſſima Venetorum. Ut malè Gerh. J. Voſſius, *Diſſert.* 1. de Symb. *Sedem Archiepiſcopalem à Foro-Julio Aquilejam tranſlatam eſſe* dicat, ordine inverſo. Poſteà *Utinum*, *Vedinum*, vulgò Udene, Patriarchatum ſedes fuit, in mediterraneâ regione tutius jam receptaculum, indè à temporibus Friderici II. donec redactâ hâc ſub Venetorum poteſtatem, transferretur Patriarchatus, ad Venetiarum Epiſcopum, medio circiter Seculo XV. Adi Blondum, Volaterranum, Joh. Candidum in Commentariis Aquilejenſ. &c.

Sedes aliæ Epiſcopales, præter dictas modò, in Provinciâ Venetiæ illuſtriores fuerunt: *Verona* in Cenomanis, Lucio ejus Epiſcopo in Sardicenſi Synodo, Catulli Poëtæ genitrix, Scaligerorum deinceps Principatus: *Patavium*, Colonia Romanorum, antiquiſſima Eccleſia, etiam literarum ſedes, Livii natalibus præ cæteris ſuperbiens, non tamen Monumento, fruſtrà ibi oſtentato recentiori traditione: *Vicentia* vel *Vicetia*, haud procul Patavio, Colonia quondam & municipium: *Altinum*, ad litus, nec longè indè *Venetiæ* ſurrexerunt: *Tarviſium*, Totilæ Oſtro-Gotthorum R. Patria, dein ſedes Marchionum Longobardorum, undè toti regioni

IV. Venetia & Hiſtria.

Aquileja. Metrop.

Urbes aliæ Epiſcopales.

Marka

Markæ nomen in hunc diem : Magis ad Occaſum, in limitibus Rhætiæ primæ, *Tridentum* (hinc Rhætiæ adſcripta Civitas) ad Atheſim fluv. Oſtro-Gotthorum & Longobardorum diu tyrannidem paſſa, Concilio Tridentino famoſa. Ad Septentrionem denique, ut mittamus alias, *Sabiona* vel *Sabio*, verſùs Brixantes & Alpes Rhæt. de quibus Italiæ Chorographi. De *Venetiarum* Urbe principe, mariſque dominâ, miris incrementis auctâ, cui demùm Seculo VIII. labente Epiſcopus datus, ſilêre hoc loco ſatius eſt. Vide nos in Hiſtor. Eccl. Seculo V. *col.* 1048.

In *Hiſtriâ* vel *Iſtriâ* Peninſulâ, ad Ortum ſitâ, Dalmatiæ ad Occaſum, ut à Foro Julienſi dividitur, Epiſcopales Urbes ſignant Tabulæ & Notitiæ, v. gr. in capite quaſi Iſtriæ ad Sinum, *Tergeſtum*; in extremo angulo *Polam*; in medio littore *Parentiam*; verſùs Noricum in Boreali plagâ *Hemonam*, vel *Emonam*. Nec hîc Chorographiam Urbium ſcribimus.

V. Alpes Cottiæ. *Alpes Cottiæ*, quæ & *Coctiæ*, nonnullis *Gotthiæ*, proximæ à *Maritimis* & *Ligurticis* ad Septentrionem, fuerunt illæ, per quas ex Italiâ Ebrodunum, ad Caturigas & Vocontios via fuit, & viciſſim hinc in Italiam, quam viam Hannibal ingreſſus eſt.

Continuabantur Alpibus *Grajis* verſùs Allobroges, Viennenſes, Seguſianos; hæ Alpibus *Pœninis* aut potiùs *Penninis*, verſùs Helvetios & Sequanos; quibus ſuccedunt ad Boream Alpes *Rhæticæ* & *Tridentinæ*, undè ad Vindelicos & Germanos iter; his, proximæ *Noricæ* & *Carnicæ*, undè in Noricum, Carniolam, Carinthiam; tandem *Alpes Juliæ* ad Ortum, per quas Romanis copiis in Pannonias tranſitus fuit.

Cottiis igitur *Alpibus*, non à Coty, vel Coto, ſed à Cottio nomen fuit, harum Regulo, in Amicitiam Octaviani recepto, apud Ammianum *Lib.* XV. Cujus hoc Regnum Inalpinum, loci naturâ undequaque munitum, multis magniſque Urbibus florens fuit, tranſiturum eo defuncto, ſub Nerone, in Provinciæ formam, eamque deinceps *Præſidialem* ex Suetonio, S. Aurelio Victore, Paulo Diacono, aliis, & ex Notitiâ Imp. Termini primitùs fuerunt à Meridie Alpes Maritimæ; à Septentrione Grajæ; ab Ortu Taurini vel Tauriani, & Padus, ad Liguriæ fines; ab Occaſu, poſt ſuperatum ſummum Alpium jugum, ubi Seguſium, & Brigantium, Ebrodunenſium, Caturigum & Vocontiorum regio. Undè ab Ebroduno hodiè *Ambrun*, principium Alpium Cottiarum cenſetur. Adeóque partem Delphinatûs, & Pedemontanum principatum hæc Provincia complexa eſt.

Atque has ipſas Cottias Alpes, Longobardos poſteà Dominos paſſas, donarit (ſic Anaſtaſius, Blondus, Paulus Diac.) Aripertus Longobardorum Rex Romano Epiſcopo *in Patrimonium*, falsò hoc addente Paulo Warnefrido, Hiſt. Longob. *Lib.* VI. C. XXVIII. Olim *ad jus* Sedis Apoſtolicæ *pertinuiſſe* feruntur, *ablatas* ſcil. à Longobardis, *ſed ab Ariperto reſtitutas*, *confirmante* ſcil. *Luitprando*, qui tamen Luitprandus Zachariæ criſtas mirè depreſſit. Hinc factum, ut Alpium Cottiarum fines, in Deſcriptione Provinciarum Eccleſiaſticarum magnoperè dilatarint, invitis Geographis, & Hiſtoricis; nec contemnendam Liguriæ partem, *Genuam* ipſam, tùm oram omnem *maritimam*, ad Thuſcos uſque, in mediterranea quoque ultrà Taurinos, *Aſtam*, *Dertonam*, *Botium*, *Albam* ſcil. Pompejam, intrà hanc Provinciam concluſerint, Paulus Diaconus, Blondus, alii, ac Notitiæ Epiſcopatuum Romanæ, & qui ad has commentati ſunt.

Metropolis, ſeu caput Cottiarum Urbium fuit *Auguſta Taurinorum*, in Alpium radicibus, trans Padum fluv. Caput Pedemontanæ, & regia, olim Colonia, Epiſcopalis Sedes tempore Concilii Aquilejenſis ſub Damaſo, hodiè Turino. Hinc *Seguſium* vel *Seguſio*, quæ aliàs *Suſa*, in ſummis Alpibus, Cottiis illis, non Grajis ut Ptolemæo creditum; & quâ in Urbe Cottii Reguli ſepulchrum notat Ammianus : Tùm *Brigantio*, Gallis Briançon, Βεργάντιον Ptol. non confundendum cum Brigantio Rhætiæ, ad Lacum Brigantinum. Et hinc declive iter fuit verſùs *Ebrodunum*, Ambrun, *Vapincum* hodiè Gap, *Deam* vel Diam, hodiè Die, in Provinciâ Delphinatum, undè ad Tricaſtinos, Valentinos, Viennenſes iter, Rhodani accolas. Cottias Urbes alias exhibent Tabulæ & Chorographia Italiæ, Galliæve. Et per has Oras iter olim Gallis in Italiam patuiſſe; ſic Hannibali, Valentiâ uſque averſo Rhodano per Tricaſtinos progredienti; ſic Pompejo per eaſdem Cottias in Hiſpaniam profecturo, pluribus nuper Lucas Holſtenius, *Obſervatis Geogr.* ad Cluverium.

Prima Rhætia, ſexta Provinciarum Italicæ Diœceſeôs, (undè *Rhætiæ* πληθυντικῶς apud Tacitum, Antoninum, & in Codice Theodoſ. paſſim, Ῥαῖτοι *Rhæti* populi Cis & Trans-Alpini, apud Strabonem & Plin. olim ſub uno Prætore, apud eundem Tacitum) ea dicta, cui Liguria ſeu Mediolanenſis Prov. ad Meridiem, Rhætia ſecunda ad Septentrionem, Venetia ad Ortum, ab Occaſu Alpes Penninæ, Rhenique fontes Brigantium uſque. Malè deſcribitur quandoque ab Occaſu Lyci (τȣ̃ Λυκίȣ) fluv. ad Fontes Danubii & Brigantinum Lac. ipſi Ptolemæo. Complexa hæc Rhætia ſuo ambitu Inalpinum eum tractum, qui hodie Tirolenſem, Griſonum, Tridentinorum regionem complectitur, uſque ad fines Markæ Tarviſanæ : Nam ad Italiam uſque extenſam fuiſſe, ſuprà Comum & Veronam, cùm Strabo auctor eſt, Geogr. *Lib.* IV. tùm Notitiæ & Hiſtorici docent. Malè etiam in *Peutingerianis Tab.* Rhætia utraque non Italicæ Diœceſi, ſed Illyricianæ adſcribitur, ipſo jam Suetonio in *Aug. ab omni Illyrico Rhætiam* diſtinguente, ut poſteriores taceam, & Notitiam Imp. Metropolis fuit *Curia*, vulgò *Chur*, Griſonum Caput, Rheno adjacens, in Rhæticis montibus, quà ex Italiâ in Germaniam & Helvetiam iter patet. **VI. Prima Rhætia.**

Hac ex Rhætiâ Rhenus, Ænus, Atheſis, Lycus, Addua, Ticinus, fluvii, primis originibus fluunt. Tirolenſium hodiè Caput eſt *Ænipons*, Inſpruck, quam Veldidenam in Itiner. Antonini, ad Ænum fluv. in confiniis Rhætiæ utriuſque, nonnulli crediderunt. *Teriolos*, in Notit. Imp. *Clavennam*, *Murum*, *Magiam*, *Cluniam*, civitates alias deſcribant Chorographi, & qui Itineraria adornarunt.

Secunda Rhætia ea dicta, quæ alias *Vindelicia* Prov. *Præſidialis*, concluſa inter Brigantinum Lacum, Rhenum, & Danubium ab Occaſu & Septentr. Alpes Rhæticas à Meridie, & Ænum vel Oenum fl. ad Ortum, à quo Illyricum incipit. Atque itâ *Sueviæ* partem, ac *Bojariæ* potiſſimam hæc Provincia comprehendit, Bojodorum uſque ſeu Patavium vulgò *Paſſau*, ad Æni & Danubii confluenta, undè initium Norici Ripenſis. Metropolis fuit, *Auguſta Vindelicorum*, Colonia ſplendidiſſima Rhætiæ, & Municipium, in honorem Auguſti ſic dicta, & *Colon. Jul. Aug.* ad Vindi vel Vindonis & Lyci confluenta, undè *Vindeliciæ* nomen. Urbes aliæ fuêre; *Brigantia* vel *Brigantium* Vindelicorum, hodie *Bregentz*, haud longè à Lindaviâ, ad Lacum quem Rhenus pertranſit, qui hinc Lacus Brigantinus Plinio, Solino, Ammiano; aliàs Lacus Acronius Melæ, ignoratus Ptolemæo, imperito hujus Tractûs in- & trans-Alpini, Straboni ſimpliciter, λίμνη μεγάλη, L. IV. In Boreali parte ad Danubium, *Reginum*, vel *Regium*, & *Regina Caſtra*, aliàs Ratisbona, ad confluentes Reginum & Danubium : Hinc ad Ortum verſùs Noricum, *Auguſtana*, *Quintana*, *Batava*, ſcil. Caſtra, &c. Apud Anto- **VII. Secunda Rhætia.**

to-

Digitized by Google

toninum in Itiner. poſterior etiam apud Optatum Milevit. *Lib.* I. qui Zotici Epiſcopi meminit. *Monachium* hodiernum, in mediâ ferè Vindeliciâ ad Iſarum fluv. inter Oenum & Lycum amnes, ad Ortum Auguſtæ Vindel. Ducum Bojariæ Regia, recentius nomen eſt, ſeu à temporibus Otthonis I. ſeu ab illis Friderici Ænobarbi. Subeſt in Eccleſiaſt. *Friſingenſi* Epiſcopo, quæ Urbs paulo magis ad Septentrionem eſt, & ad Iſarum quoque, Epiſcopatus verò in Notitiis antiquis nullus. Porrò *Vindelici* Illyriæ quondam populi fuerunt, deinceps in diſtributione Provinciar. ab Illyricis diſtincti, qui nempè cenſentur indè à Norico, ad Ortum Æni fluvii, ut dicetur modò in Diœceſi III.

Tertia Dioecesis
Præfecturæ Italicæ,
Vicariatus Illyrici
Occidentalis.

Illyricum Occident. quale dictum?

Illyrici *Occidentalis* ab Orientali diſtractionem, utriuſque anteà ſub eodem Præf. Prætorio, intrà Occidentalis Imperii limites, ac diviſionis illius tempus, occaſionem, alia, ſuperiùs ad Præfecturam Illyrici Orientalis, pluribus expoſuimus. Igitur indè ab Arcadio & Honorio Principibus dictum eſt Occidentale Illyricum, quod indè à Norico, ad Ortum Vindeliciæ, ad extremam ſeſe Pannoniam & Dalmatiam, quâ hæ Mœſiam, Daciam & Prævalitanam attingunt, versùs Ortum protendit. Hinc *Illyris*, Borealis nempè vel Occidentalis, (diſtinctà à Græcâ Illyride, quæ Epirus Nova) in ſpecie dicta fuit ea Regio, quam Liburni indè ab Alpium radicibus, & Dalmatæ ad Sinum Hadriaticum, incoluerunt, ad Noricos & Pannonios extensâ à Græcis veteribus appellatione, etiam ad Vindelicos, quotquot intra Iſtrum ſeu Danubium & Alpes conſederunt: Ne dicam *Celtas* Illyrici generis habitos, quâ de re multis Cluverius in Germaniâ Antiq. Termini igitur, Chriſtianis temporibus, fuerunt, ab Occaſu Oenus qui Vindeliciam à Norico dividit; à Septentrione & Ortu Danubius, etiam mons Scardus; à Meridie Alpes Carnicæ, Juliæ, ac Mare Hadriaticum, Inſulis adjacentibus comprehenſis.

Provinciæ in univerſum ſex ex Notitiâ Imp. quæ ſub Vicario Illyrici fuère, quanquàm hujus in Notit. & in Codice Theodoſ. altum ſilentium eſt, ob regiones eas tùm à Gotthis, dein Hunnis, aliiſque Barbaris inſeſſas. *Noricum* ſcilicet *geminum*, Ripenſe & Mediterraneum; *Pannoniæ duæ*, Prima vel Superior, & ſecunda vel Inferior; *Dalmatia* omnis, ac denique *Savia* interamnis. Additur ſeptima in Notit. dignitatum & à Jornande *Valeria*, pars Pannoniæ Ripenſis.

Ut in Civilibus, ſic in Eccleſiaſticis caput totius Diœceſeôs, antè Barbarorum vaſtationes, fuit *Sirmium*, Pannoniæ Infer. ſedes Præfectorum Prætorio, patria Aureliani, Probi, Gratiani, ac frequenter Sedes Imperatorum Conſtantini M. Conſtantis, Conſtantii, Valentiniani Sen. & Gratiani, vel ex Conſtitutionibus indè datis, Synodis pluribus, de quibus ad Seculum IV. nobilitata, *Caput* adhuc *Illyrici* dicta in Synodo Aquilejenſi, A. CCCLXXXI. evertenda ab Attilâ, A. CCCCXLII. Nam *Mediolanenſi* Epiſcopo ſubjicere Illyricianas omnes Eccleſias, ex unâ Anemii Sirmienſis per Ambroſium factâ Ordinatione (referente in vitâ hujus Paulino) quod aliis, nobis minimè placet. Reverà *Sirmienſis* totius hujus Diœceſeôs ſeu Primas, ſeu Exarchus, ſeu Patriarcha fuit, his titulis natis, & talis adhuc A. CCCLXXXI. in Synodo Aquil. ubi, *Caput Illyrici nonniſi civitas Sirmienſis.* Donec ob Barbarorum vaſtationes, & ipſum Urbis excidium, ab Attilâ obſidione cinctæ A. CCCCXLII. indè recederent Præfecti Prætorio: Hinc in Oriente *Theſſalonica*, ac dein *Juſtiniana Prima*, in Occidente ad Aniſi & Danubii confl. *Lauriacum* Pannoniarum deinceps & Illyrici Metropolis, cujus nomen in pago *Lor*, vel *Lorch* conſervatum, & è cujus ab Attilâ ſubverſæ ruderibus *Ens* civitas, ab Aniſo fl. ſic dicta ſurrexit, caput ſuprà ſedes cæteras efferrent. Sed de illis jam dictum ſuis locis eſt. Sed tandem in Illyricum Occidentis ſuas quoque fimbrias dilatarunt Romani Pontifices, & Orientale quoque ſibi obnoxium reddituri, Theodoſio II. adhuc imperante, ut pluribus ſuprà in Diœceſi *Illyrici Orient.*

I. Prov. Noricum Ripenſe.

In Notit. Imp. ſecundùm ordinem dignitatis præcedit *Pannonia ſecunda*, cujus caput Sirmium. Ordine Geographico poſt Rhætias, prima fuit *Noricum*, Ripenſe, & Mediterraneum, utraque *Præſidialis.* Utriuſque termini, ab Occaſu *Ænus* vel Oenus fluv. à Septentr. Danubius, ab Ortu mons Celius vulgo Kalemberg, à Meridie Iſtriæ Montana, ſeu Alpes Carnicæ & Juliæ, ac Dravi Savique origines.

Norici *Ripenſis*, quod Septentrionale eſt Mediterraneo, Metropolis fuit *Laureacum*, *Lauriacum*, ad Aniſi & Danubii confluenta, futura poſt Sirmii caſum totius Diœceſeôs caput. Hujus nomen hodieque in pago *Lorch* remanſit, à Barbaris ſubverſæ, & è cujus ruderibus Anaſianum oppidum ſurrexit, vulgo *Ens*: Nobilis & Civitas Epiſcopalis, ſed ſequiori ævo *Petavium*, Patavium hinc Paſſavium, vulgò *Paſſaw*, (aliud Petovio vel Petobio, *Pettaw*, in Carnis, ad Dravum) olim *Bojodorum*, Cluverio invito, & *Batava* Caſtra, undè videtur Patavia vel Patavium, ad Oeni & Danubii confluentem, à quâ ad Vindobonam ſeu Viennam, longitudo fuit Norici Ripenſis. Fuerunt & *Comagena* ad Danubii ripam; *Ovilia*, *Ovilabis*, *Ovilavis*, inter Lauriacum & Joviacum, in Itiner. Antonini, *pag.* 55. Etiam in oppidis hujus Prov. fuit *Flavium Solvenſe*, hodiè *Solvelt*, quem malè Coloniis accenſeri ab Onuphrio notat Grævius noſter, *Præfat.* T. I. Antiquit. Roman.

Complexum itaque hoc Noricum Bavariam Orientalem, & Auſtriam omnem ſuperiorem, cui Stiria ad Meridiem eſt, & Carinthia.

II. Noricum Mediterraneum.

Norici *Mediterranei* ſeu *Meridionalis*, quod ad dictas Alpes ſe extendit, caput fuit deinceps in Eccleſiaſticis *Juvavia*, *Jovavis*, hinc *Juvenſe* ſub *Duce Pannoniæ* I. *& Norici*, in Notitiâ Imp. diſtans XXIX. milliar. à Joviaco, apud Antonin. Nempè hanc ipſam putant Eginhartus, Sigebertus, quæ deinceps dicta *Salisburgum*, *Salzburg*, Ptolemæo Ταυανόδουρον, fundatore primo, ut volunt, Ruperto Wormacienſi Epiſc. Sec. VI. ut pluribus in Munſteri *Germaniâ*. Complexum hoc Noricum ditionem hodiè Salisburgenſem, Carinthiam quam Dravus à Carniolâ diſtinguit, & Stiriæ partem Occidentalem.

III. Pannonia prima, vel Superior.

Pannonia prima, vel *Superior*, (malè Inferior in Itinerario Burdigalenſi, ut Valeſius pridem ad Ammianum obſervavit, in *Lib.* XVI.) terminos habuit, ab Occaſu Noricum utrumque, monte Cetio dividente, à Meridie Dravum, & Montana Illyridis, ab Ortu Pannoniam ſecundam, à Septentr. Danubium. Hodiè partem Hungariæ deſcribit.

Provincia fuit *Præſidialis*, complexa eum Terrarum tractum quem deſcribunt hodiè Auſtria Inferior, ſeu Orientalis, & huic ad Meridiem Stiria Oriental. ac pars regni Hungariæ Occidentalior. Metropolis fuit *Vindobona*, malè quandoque in Codicibus Antonini, & in Notit. Imp. Vindomana, hodiè *Vienna*, Auſtriæ caput, quæ Ἰουλιόβωνα Ptolemæo,

mæo, aliis *Ala Flaviana*. In hac Legio x. Germanorum, & Claſſis Iſtrica, contrà Quados & Marcomannos, qui fuére in Danubii ripâ oppoſitâ; & hic mortuus M. Aurel. Antoninus Philoſophus, æger primò Carnunti, de quo Aurelius Victor. Urbes aliæ ut apud Ptolem. & Antoninum inclytæ, ſic in Notit. Epiſcopat. fuêre: *Comagena*, aliàs Norico Ripenſi adſcriptæ; *Carnus*, Καρνὸς, & Carnontum, inter Vindobonam & Poſonium ſita, olim *Petronella*; *Flexum* Φλέξον Ptolem. *Poſonium* (Presburg) nuper urbs Hungariæ Auſtriacæ princeps; *Scarabantia* Ptolem. *Savaria* vel *Sabaria*, *Sala* Ptol. vel *Salle*, *Petovium* vel *Patavium* (Pettau) Πατανίον Ptol. ad Dravum, &c. In Sabariâ Hung. civitate, ſepultum ferunt Ovidium, rediturum Tomis in Italiam, cum Epitaphio ipſius Ovidii Poëtæ;

Hîc ſitus eſt Vates, quem divi Cæſaris ira
Auguſto patriâ cedere juſſit humo.
Sæpè miſer patriis voluit occumbere terris
Sed fruſtra; hunc illi Fata dedêre locum.

IV. Pannonia Secunda, vel Inferior.

Pannonia Secunda, quæ & *Inferior*, Prov. *Conſularis*, terminata fuit ab Occaſu Pannoniâ primâ, à divertigio Narabonis fluvii, vel Arabonis, qui *Rab* hodiè; à Septentr. Danubio; ab Ortu eodem Danubio, & Jazygibus Metanaſtis; à Meridie Dravo fluvio, ultrà quem regio Interamnia à Pannoniæ Prov. avulſa fuit. Nam quæ deinceps *Savia* Provincia dicta, pars reverà fuit *Pannoniæ Secundæ*, dicta in Notit. *Riparienſis*, in quâ ſita fuit Sirmium. Uti pars ejuſdem fuit *Valeria*, de quâ infrà.

Atque ità totius Secundæ Pannoniæ, imò Illyrici totius, Metrop. fuit, etiam in Eccleſiaſticis, *Sirmium*, à quâ & Pannonia Sirmienſis, Urbs inter Savum & Danubium ſita, ad Bacuntium amnem, in Pannoniæ extremis Ortum versùs, antè laudata. *Coloniam* ex Veteri Inſcr. dicit Onuphrius, ab Hunnis vaſtatam Sec. v.

Inclyta & Pannoniæ hujus civitas *Stridonium*, *Stridon*, Hieronymi patria, vulgò hod. *Strigna*, cujus jam Epiſcopus in Actis Nicænis legitur, ſubverſa à Gotthis tempore Hieronymi, ſita in Pannoniæ utriuſque, hodiè in Hungariæ & Stiriæ confiniis, ad Muram fluv. qui in Dravum influit; diverſa nobis videtur quæ *Sidrona* Ptolemæo, in Liburnis vel Dalmatis. Atque ità complexa hæc Pannonia partem Regni Hungariæ nobiliſſimam, quæ Turcis nuper paruit, inter Danubium & Dravum; niſi quod *Valeria* hinc detracta fuit. Hic & *Strigonium* (hodie Gran) totius Hungariæ Metrop. Eccleſiaſtica, patria Stephani Hung. Regis, civitas bipertita, medio flumine, Valeriæ olim attributa. *Alba Regalis*, Stulweiſſenburg, olim Sedes Sepulturæ Hungarorum regum, triangulum quaſi cum Budâ, & Strigonio, conſtituens. Mittimus alias.

V. Savia.

Savia Provincia, in Notit. Imp. pars Pannoniæ Secundæ, dein avulſa, & *Præſidialis* facta, ſita fuit inter Dravum & Savum amnes, à quo poſtremo illi nomen, hinc *Riparienſis* & *Interamnia*, & *Pannonia Savia*. Complexa adeò eam regionem in quâ *Sirmium*, quâ parte Savus in Danubium influit, & quæ hodiè Sclavoniæ, ex parte Raſciæ nomine venit, in confiniis Croatiæ ad Occaſum, & Boſniæ ad Ortum. Celebris ad lævam & *Sciſcia*, vel *Sciſciana*, ad Savum ſita. Ubi Danubio miſcetur Savus, ibi *Taurunum*, ſeu Alba Græcia, hodiè Belgrado, in Serviâ propriè ſeu Mœſiâ Superiori, præſidium nuper Pannoniarum. Cæteræ in monumentis Eccleſiaſticis obſcuræ, poſt vaſtationes Barbarorum.

VI. Dalmatia.

Dalmatia, cui olim juncta in Eccleſiaſticis *Iſtria* & *Forum Julii*, regio Illyrici Occident. maritima & Meridionalis, eique Savia ad Septentr. ab Occaſu Iſtria, à Meridie Hadria, & Inſulæ per Hadriam extenſæ, ab Ortu Illyrici Orientalis fines. Provincia fuit ſub Perfectiſſimo *Præſide*, ut hic ſub Præfecto Præt. Italiæ. Metropolis fuit *Salona*, undè Colonia Salonenſis, diverſa à *Salonianâ*, quæ ad montana & mediterranea, diverſa quoque juxtà Stephanum à Salonâ Illyridis, Σαλών Strab. Σαλῶναι Ptol. Steph. *Salona* Antonino. Urbs maritima, & Colonia, cætera Diocletiani Dalmatæ & Salonienſis decantatis hortis, & quoque noviſſimis, inclyta. Hodiè *Spalatum*, *Spalatro*, ejus locum ſupplet, ut Inſcriptiones ejus Urbis docent, apud Sponium & alios, IV M. P. diſtans à Salonâ vetere, Urbs Archiepiſcopal. maritima, portu ſpatioſo, ſtructa ubi *Palatium* Diocletiani olim fuit, undè nomen Spalatum. Ad hanc Provinc. referenda etiam *Pola* Iſtriæ civitas, undè *Reſpubl. Polenſis devota Numini Majeſtatique ejus*, in Inſcript. Statuæ L. Septimii Severi Imper. quæ ibi hodieque viſitur. Tum *Zara*, quæ olim *Jadera*, Colonia Auguſti Cæſar. qui *parens Coloniæ* dicitur in Inſcript. apud Gruterum. *Andetrium*, Ptolemæo *Andecrium*, Straboni Ἀνδρήτιον, quæ nunc Cliſſa, Dalmatiæ munitiſſima Civit. ἐρυμνὸν χωρίον jam apud Strab. malè apud Plinium Mandretium, *Lib.* III. C. XXII. *Tragurium* apud Strabonem & Ptol. Inſula, quæ peninſula veriùs, hodiè *Traou*: Ad hanc & refertur *Epidaurus* Dalmatiæ litoralis civitas Ptolem. quæ creditur eſſe *Raguſa* hodierna.

VII. Valeria.

Acceſſit *Valeria* quæ, diſtinctionis ergò à Valeriâ Suburbicariâ, dicta *Ripenſis*, & *Pannoniæ*, Secundæ nempè, à qua detracta eſt, cæſis immanibus ſylvis, & Peiſone lacu in Danubium immiſſo; faciente Galerio Maximiano, in honorem *Valeriæ* conjugis filiæ Valerii Diocletiani ità denominante, ex Ammiano *Lib.* XIX. C. XI. & Aurelio Victore. Quamvis alii Valeriam dictam à *Valeria* urbe Illyrici. Et *Valeria* quidem (ſeu à Valeriâ Urbe Illyrici, ſeu in honorem Valeriæ filiæ Diocletiani, quæ Galerio nupſit, ut Ammianus) *Ripenſis* eadem in Notitiâ Dignit. appellatur: Quia per Iſtri fluminis margines extenſa, ut ibidem Ammianus, Edit. Valeſii *pag.* 148. per quem diffudit exercitum Conſtantius. Unde illorum error qui Interamniam faciunt, Savum inter & Dravum, Saviæ ad Occaſum, ut in vulgatis Tab. aut qui Prævalitanam crediderunt. Hodiè pars *Hungariæ Inferioris*, non (ut alii) Stiriæ vel Croatiæ.

QUARTA DIOECESIS

Præfecturæ Italicæ, quæ dicta eſt


AFRICÆ.

Africa variè dicta.


NON hic *Africam* volumus, laxiſſimo ſignificatu, tertiam Orbis antiqui partem, complexam & Ægyptum quoque, Libyam omnem, omnem Æthiopiam, atque Inſulas adjacentes: Quam nonnulli ab עפר *Hepher*, unde ſit Afer, filio Madianis, *Gen.* XXV. 4. appellatam voluerunt. Non etiam *Africam* ſtrictiùs dictam, mediam inter Mauritanias & Cyrenaicam, in quâ Numidia, Byzacena, & Tripolitana. Quæ inprimis annonæ feraciſſima fuit, & hinc *Africam* Bochartus dictam cenſuit ab Arabico פרך, Syris פרך, quod *ſpicam* dicit, à fricando, ob tritici feracitatem & uberes campos: Hinc in Numiſmatibus Hadriani & Severi, fuit Africæ pro ſymbolo, *Caniſtrum*, & *Cornucopia*; uti etiam Hiſpania, Gallia, Sicilia, repræſentatæ in Nummis per frugum Caniſtrum, & per Spicas. Non denique *Africam* ſtrictiſſimâ acceptione, quæ Africa propria, ſingularis Provincia, eaque Proconſularis, cujus caput fuit Carthago. Laxiùs hic *Diœceſim Africanam* deſcribimus, quæ

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

quæ & *Africæ* nomine venit in Laterculo Imp. & in Conſtit. Imperatorum, Λιβύη latiori ſenſu Græcis, extenſa indè à Freto Gaditano & Mari Atlantico ab Occaſu, ad Libyam Cyrenaicam ab Ortu. A Meridie termini fuêre perpetui montes, qui à Gætulis, Garamantis, & ab interiori Libyâ, deſertiſque regionibus, dividebant.

Provinciæ hujus Diœceſeos priores.

Provinciarum Civilium & Eccleſiaſticarum non idem ſemper numerus fuit. Una Provincia cenſitæ ſunt ſub Auguſto Africa, Numidia, & Libya, diſtinctè à Mauritaniis. Imò adhuc ætate Agrippini, anteceſſoris Cypriani, *Africa* & *Numidia* unam modò Prov. in Eccleſiaſticis conſtituerunt, ut ex ejus Epiſtolâ ad Quintum, quæ eſt LXXI. malè enim Salmaſius *de Prim.* citat Epiſt. *ad Quirinum* p.256. Tres deinceps, *Africa*, *Numidia* & *Mauritania* totidem Præſidibus committendæ. Et hæ tres Provinciæ, ut in Civilibus, ſic in Eccleſiaſticis, totam Diœceſim Africanam conſtituerunt tempore Concilii Africani, ſub Cypriano habiti in causâ de Rebaptiz. Hæreticis, *Tomo* II. Operum Cypr. & ex *Epiſtolâ* Cypriani ad Cornelium, de Polycarpo Hadrumetino. Nam Mauritaniæ licet tùm duæ eſſent, *Tingitana* & *Cæſareenſis*, indè à Caligulæ temporibus, prior tamen Hiſpaniis accenſita, non Africæ Diœceſi. Quod verò in dictâ Epiſt. Cyprianus, *Numidiam* quoque & *Mauritanias* videtur ſub unâ Provinciâ Eccleſiaſt. ſcil. Africæ illâ, comprehendere, dùm ait: *Latiùs fuſa eſt noſtra Provincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes;* Provinciam ibi laxiùs, ut quandoque factum, pro Diœceſi uſurpavit: Uti *Concilium univerſæ Provinciæ Africæ* dicitur, quod ex Provinciis omnibus habitum ſub Grato Epiſcopo Carthag. medio Sec. IV. ex Actis illius Concilii, in *Exord.* Et *noſtram* dixit Provinciam, oppoſitè ad tranſmarinas, vel ex *Epiſt.* XL. non *meam*, jure ſcil. Primatis, ut *noſtram* Eccleſiam, *noſtram* Synodum, &c. Quanquàm ſcio Doctiſſ. Rigaltium, Notis ad *Epiſt.* aliam, quæ eſt XLII. illud de Mauritaniis & Numidiâ habêre pro interpretamento, è margine in textum Cypriani intruſo.

Sex Civiles, quinque Eccleſiaſt.

Sex deinceps Provinciæ Civiles, jam ætate Conſtantini, ex Inſcriptione ad L. Aradium Valerium Proculum, colliguntur: Nempè Mauritaniis diſtinctis, *Cæſareenſi* & *Sitifenſi*, cujus poſtremæ mentio apud Ammianum, & in Cod. Theodoſiano in reſcripto Valentis & Valentiniani, ad *Mauros Sitifenſes*, Leg. VI. de *Re* Militari. Nam Plinio *Lib.* V. & Ptolemæo *Lib.* IV. duæ tantùm Mauritaniæ memorantur, Cæſareenſis & Tingitanâ, Sitifenſi tum temporis Cæſareenſi accenſitâ, detractâ autem à Numidiâ jam A. CCCXCVII. quando *Legati Prov. Maurit. Sitifenſis* comparuêre in Synodo Africanâ, ut rectè ex Collectione Dion. Exigui, & vetere Codice Rom. Eccl. David Blondellus contrà Petitum, de *Prim. Eccl.* p.799. Sic etiam detractis ab Africæ Provinciâ, quæ fuêre illi ad Ortum & Auſtrum, Numidiâ, Byzacenâ, & Tripolitanâ, indè ab Ampſagâ fluv. qui Numidiam à Mauritaniis diviſit. Carthaginenſis etiam *Zeugitana*, & *Proconſularis* dicta fuit, ex Victore Viticenſi *Lib.* I. de Perſec. Vandalicâ. Illas verò primùm ad Africam propriè dictam ſpectaſſe, vel ex Ptolem. conſtat, *Geogr.* L. IV. C. III. extendente hanc uſque ad Cyrenaicæ fines. Et ſic quidem in Civilibus habuit. In Eccleſiaſticis verò Sitifenſis diu fuit ſub Numidiæ Primate, unam cum Numidiâ Provinciam conſtituens. Hinc V. tantùm Provinciæ recenſitæ, in Donatiſtarum Synodicâ Epiſt. labente Sec. IV. quam refert Auguſtinus, *Enarrat.* in Pſalm. XXXVI. Serm. II. T. IV. Ed. noviſſ. col. 276. unâ ibi Mauritaniâ expreſſâ, Cæſareenſi nempe. Aſt haud longè poſteà factum, ut ad Sitifenſium Maurorum poſtulatum, *propter longinquitatem itinerum*, διὰ τὸ μακροδαπὲς, vel πόῤῥω κεῖσθαι αὐτὴν, permitteretur illi Provinciæ, à *Sitifi* ejus Metropoli denominandæ, *ſuum habere Primatem*, ut eſt in Canone XVII. Collectionis Canonum African. ſed qui eſt incerti anni. Nec enim primùm cuſus anno CCCCXIX. ut malè Petitus, *Var. Lect.* L. III. C. I. licet in eâ Synodo hic Canon recitatus ſit. Cur verò Canone Africano CXXVIII. *quinque* tantùm Prov. ſint expreſſæ, Proconſularis, Numidia, Byzacena, Sitifenſis, Mauritania Cæſareenſis, *Tripolitanâ* omiſſâ, Conſulatu Honorii XII. Theodoſii VIII. A. CCCCXIX. indè factum eſt, quod ob longinquitatem itinerum & diſſitas ſedes, Legati ejus Prov. non adeſſent. Quemadmodùm ob rationem eandem aliquando Cæſareenſem Sitifenſis repræſentavit.

Sexta Eccleſiaſtica.

Septem verò Provinciæ emerſerunt, ex quo *Numidiæ duæ* conſtitutæ, Vetus & Nova, quod factum deinceps; hinc *Epiſcopi duarum Numidiarum* in dictorum Canonum Carthaginenſium Proœm. Octava quidem fuit Mauritania *Tingitana*, ſed Hiſpaniis adſcripta, ex Notitiâ, & Rufi Breviario: *Trans fretum in ſolo Africæ Provincia Hiſpaniarum eſt, quæ Tingitana Mauritania appellatur.* Civile Regimen quod attinet, Africa, in ſpecie dicta, Proconſuli paruit, antè & poſt Conſtantinum M. hinc & *Proconſularis*. Reliquæ Provinciæ Vicario Præf. Præt. & ſub hoc Conſularibus, Præſidibus, Ducibus, qui Duces quandoque, ut in Mauritaniâ & Tripolitanâ, iidem cum Præſide vel Correctore Prov. Quando *Vicarius* eſſe deſiit in Mauritaniâ, Numidiâ, Tripolit. ad Præfectum Urbis appellationes interpoſitæ fuerunt.

Etiam Septima & Octava.

Adminiſtratio Civilis & Eccleſiaſtica.

Eccleſiaſticam quod adminiſtrationem ſpectat, circà quam Eruditi quandoque diſſentiunt, & Baronius cum ſuis hypotheſi ſerviunt, compendio obſervamus. 1. *Carthaginenſi* Epiſcopo, ob dignitatem Primæ Sedis, in primâ Provinciâ, eâque Proconſulari, primas ſemper delatas fuiſſe, hinc & Carthaginem conveniſſe ad Synodum *Coëpiſcopos* Numidiæ & Mauritaniæ, vel ex Synodo Africanâ ſub Agrippino, de quâ ad Quintum Fratrem Cyprianus, & ex Carthaginenſi alterâ ſub eodem Cypriano. 2. Carthaginenſem hoc modo reverâ fuiſſe ut in ſuâ Provinciâ, ſic etiam in ordine ad Epiſcopos aliarum Metropoleôn, τὸν πρῶτον, πρωτεύοντα, *primatem*: At nec dum tamen *Primatis* vel *Metropolitani* appellationem, deinceps ſolemnem, natam fuiſſe tempore vel Tertulliani vel Cypriani, ut ex horum ſcriptis liquet, quod diſſimulatum fuit Petro de Marca, in ſuâ de *Primatibus* diatribâ. 3. Sic Carthaginenſem primum quidem fuiſſe ordine, & honore, ut tamen pares eſſent Primates omnes poteſtate; nec primæ Provinciæ puta Carthaginenſi ullum eſſet jus in ſecundam. Quod cautum in Concilio Carthag. A. CCLVI. ſub Cypriano, Stephano Epiſc. Romano; ne *quiſquam ſe Epiſcopum Epiſcoporum conſtitueret, aut tyrannico terrore ad obſequium* cæteros adigeret; ſed improbato Romæ hoc Concilio. Mox tamen *Primates* auditi in Africâ, ut poſteà in Galliis, Hiſpaniis, & quidem in ſingulis Provinciis ſingulos, τοὺς ἐν αὐταῖς πρώτους, ut habet Canon Apoſtol. XXXIV. Poſtquam nempè, Provinciis à ſe invicem diviſis, *prima* in ſingulis *ſedes* conſtituta eſt, nec alteri Provinciæ obnoxia. 4. *Primatum* Africanorum duplex fuiſſe genus, uti *primarum Sedium*: Alii enim primæ Sedis *Civilis* Epiſcopi, id eſt, Urbis Metropolis, qualis in Africâ Carthago princeps Civitas, in Mauritania Cæſareenſi Cæſarea, in Numidiâ Cirta (Κίρτα) vel Conſtantina, *Regum quondam domus*, apud Melam *Lib.* I. C. VI. urbs Straboni munitiſſima, faciente Micipſâ, &c. Et hi Metropolitani fuêre fixi, & electione tales. Alii Primates reſpectu primæ Sedis *Eccleſiaſticæ*, qui

De Primatibus Africæ.

Digitized by Google

qui etiam *Senes* appellantur apud Auguſtinum & paſſim, ut *Senex Alypius* Epiſt. LV. quales nempè cenſebantur, Epiſcopi in Provinciis ordinationis tempore omnium primi, πρωτεύοντες κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας. Quò faciunt, præter teſtes Auguſtinum, Gregorium M. alios, Canones Africani plures, ac præ cæteris LXXXVI. vel aliis LXXXIX. in quo *prima Cathedra* Numidiæ à *Metropoli Conſtantinâ* diſtinguitur, ut poſt Petitum, Blondellum, Sirmundum, alioſque, agnovit etiam Petrus de Marcâ, *Diſſert. de Primat.* C. III. Et quidem hos Primates Senes fuiſſe in Eccleſiaſticis ſuprà Metropolitanos, ſtatuit Blondellus; contrà quàm Petitus, qui horum fuiſſe tantùm *vicarios* cenſet. 5. Colligatis deinceps in unum corpus, in unam Diœceſim, ſub uno Capite civili, qualis Præfectus Prætorio Italiæ, & ſub eo Vicarius Africæ, Provinciis, Carthaginenſem evaſiſſe reverà *Primatem Primatum*, ut qui primæ Provinciæ, ſeu primæ Metropoleôs Epiſcopus eſſet: Quales deinceps ſurrexêre in Galliis, Hiſpaniis, Britanniis, qui ſuprà plures Metropolitanos, totîus Gentis vel Nationis præſides fuêre. 6. Atque hæc ſtrictior & recentior *Primatum* appellatio fuit; donec in Oriente Conſtantinopolitanus, in Occidente Romanus, ſuprà plures Nationes ac Diœceſes, adeoque ſuprà Primates, eveherentur, dicendi *Patriarchæ*.

Africanas autem Eccleſias, neutiquam obnoxias fuiſſe liquet Romano Epiſcopo, non modò Tertulliani ætate & Cypriani, quando Romani ordinatio confirmanda ab Africanis fuit, ex Epiſt. Cypriani LII. *Cornelii electio omnium noſtrum conſenſione firmata* eſt; ſed nequidem Seculo V. quando *tranſmarinæ appellationes* ad Romanum Epiſcopum, aut quemcunque alium, extrà Concilia Africana, (quicquid eſſet de Sardicenſi in Romani favorem Canone) gravi interdicto prohibitæ, *Canone* CXXV. Juſtinianus verò Imperator, pulſis Africâ Vandalis, ſua Carthaginenſi jura, atque etiam majora, id eſt, τὸ ἀρχιερωσύνης δίκαιον, ſua cæteris Primatibus, pro ordinationis tempore, reſtituit, ut *Nov.* CXXXI. &c. Nec iſta rurſùs ſilentio involvenda Doctiſſimo de Marca, qui imperitè ſupponit appellationes ab Afris ad Romanum Epiſcopum, & quidem vi Canonis Sardicenſis.

I. Prov. Africa Proconſularis. *Africa Proconſularis*, à Byzacenâ jam diſtinctæ, termini fuerunt, ab Occaſu Numidia, dividente Tuſcâ, dein Rubricato fluvio, ultrà quem tamen *Bulla Regia* fuit, ad Africam ſpectans; à Meridie Byzacena, ductâ lineâ ab Ammedarâ Ortum verſùs & Septentr. uſque ad Sinum Hadrumeticum; ab Ortu & Septentr. Mare Africanum. Metropolis fuit *Carthago*, implens ferè peninſulam, inter duos Euripos, *juris Italici* facta à Severo & Antonino, apud Paulum *Dig.* de Cenſibus l. 8. Libro L. Romæ hæc quondam æmula, vetuſtate, amplitudine, ſitu, portu, ædificiis, negotiatoribus, omnigenâ felicitate unde *Felicis* cognomentum, ac Proconſulatu, verè Africanarum Urbium princeps, caput, vertex. Et de Carthaginis laudibus adi Auguſtinum, *Epiſt.* CLXII. *Tomo* II. quam à ſe Juſtinianam appellavit deinceps Imperator, privilegiis auctam. Urbes aliæ Provinciæ Carthagin. ſunt *Tunis*, Tuniza in Itinerar. In intimo Sinu Carthaginenſi, hodieque Barbarorum pyraticâ celebris: *Utica*, prima poſt Carthaginem, ad Occaſum, & ad mare ſita, Ἰτύκη in Notit. non confundenda cum *Vita*, *Vite*, undè Victor Vitenſis, quæ urbs Byzacenæ Provinciæ: *Hippo* Zarrytus, Zarritorum, id eſt, *Diarrhytus*, irrigua urbs, oppoſitè ad ſiticuloſam Hipponem Auguſtini, quæ Hippo Regius in Numidiâ, malè & illa dicenda Straboni *Lib.* XVII. *Hippo regius*, quæ ſemper *Zarrytus* vel *Diarrytus*.

II. Numidia. *Numidia* Provincia Conſularis fuit, cujus incolæ *Numidæ*, malè à Veteribus & Recentioribus quandoque iidem cenſiti, cum iis qui Νομάδες Λυβικοί. Hæc Provincia, à quâ *Sitifenſis* Mauritania detracta eſt, *conſentientibus Numidiæ omnibus Epiſcopis*, ſeparante (ut dictum) Ampſagâ fluv. fuit deinceps in duas diviſa, *Veterem* ſeu Cirtenſem, & *Novam*. *Proconſularis Numidiæ* quod legitur in Cod. Theod. *lege* XXIX. de Annonâ & Trib. mendum eſt, legendumque *Conſularis*, vel *Provincialis* Numidiæ. Termini utriuſque fuerunt, ab Occaſu Ampſaga fluv. à Meridie Libyæ Interioris deſerta, ab Ortu Tuſca fluv. & verſùs hujus fontes linea ducta ad Bullam Regiam, ultrà Rubricatum, aſcendendo deinceps ad hujus origines è Libycis montibus.

Metropolis fixa utriuſque Numidiæ, hinc Primatis ſedes, fuit *Cirta*, ſeu *Conſtantina*, Colonia & quondam Regia, inter opulentiores Africæ Urbes, ſitu in rupe edito conſpicua, peſſimè tamen credita Alger hodierna. At de *primatu* Numidiæ gravis contentio exorta, inter Xantippum *Conſtantinæ* Metropoleôs, vel potiùs ex Auguſtino *Tagoſæ*, & inter Victorinum alterius *Civitatis* in Numidiâ Epiſc. ut ex Auguſt. conſtat *Epiſt.* CCXVII. ad Victorin. vel ex Edit. nupera *Ep.* LIX. quod hic uſurpaſſet jus convocandi Synodum, ex Numidis & Mauritanis. Hæc Provincia præ reliquis fuit Donatiſticâ labe infecta; *Secundo* Numidiæ Primate accedente Majorino, & aliis factioſis adverſùs Cæcilianum; hinc *Donato* à Caſis Nigris, Numidiæ Civitate, ſic *Donato* Maſculæ civitatis Epiſcopo, & Donatis aliis, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. IV. *col.* 893. Sic *Petilianus*, contrà quem ſcripſit Auguſtinus, fuit Conſtantinenſis in Numidiâ Epiſcopus. Et in Collatione Carthag. A. CCCCXI. (quando fuerunt in Africâ Epiſc. DLXVII.) plerique fuerunt Numidæ. Hujus Prov. fuit *Hippo Regius*, Auguſtini Epiſcopatu nobilitata, oppidum ἄνυδρον & ſiticuloſum, quamvis παράλιον, oppoſitè ad Hipponem Διάρρυτον Africæ Provinciæ, ob aquarum irrigua ſic appellandum. Megalius *Calamenſis* Numidiæ Primas ordinavit Auguſtinum, A. CCCXCVI. natum *Thagaſtæ*, quæ & ipſa Numidiæ civitas, cujus Epiſc. *Alypius*, familiaris Auguſtino & qui Collationi Carth. Catholicus interfuit. Nec longè hinc *Milevis*, cujus Epiſcopus fuit Optatus Milevitanus, & ubi Concilium Milevitanum I. habitum, A. CCCCII. Præter has *primæ* per Numidiam *Sedes*, Seniorum nempè Epiſcopor. vagæ illæ & ambulatoriæ, pro Epiſcoporum πρωτοκλησία ſive ſenioratu, leguntur in Actis Africanis, *Tigiſis*, *Maſcula*, *Tagora* vel *Tagoſa*, &c. & aliæ, de quibus prolixè inter cæteros Blondellus de Primatibus Africæ, p. 797. & ſeq. & Samuël Petitus Variarum Lect. *Lib.* III.

III. Byzacena. *Byzacena* vel *Byzacium*, Βυζακῖτις χώρα Ptolemæo, Βυζακηνὴ ἐπαρχία, pars olim Libyæ, (cui Urbs cognominis fuit & mediterranea Βυζακίνα) Prov. Conſularis fuit, omnium totius Africæ fertiliſſima, hinc *frugiferæ* cognomentum, Plinio CCL. M. Paſſuum. Termini ab Ortu Mare Africanum, & huic ad Meridiem Trito fluvius; à Meridie Libyci montes Mampſanus, Uſaletus; ab Occaſu Proconſularis Prov. & Rubricatus fluv. à Numidiâ disjungens Byzacenam; à Septentrione eadem Proconſularis. Metropolis fuit *Adrumetum*, *Hadrumentum* Melæ, Ἀδρύμης Stephano, Ἀδρύμητος & Ἀδρύμητος Ptol. etiam Ἀδρύμη Diodoro, Straboni; Ἀδραμυτίῳ in Notit. in Actis Apoſtolicis Ἀδραμυττηνῷ, vel Ἀδραμυτία, undè *Adramyttenus Sinus*, *Act.* XXVII. 2. emporium ad Sinum Maris Africani cognominem, dein *Juſtiniana* appellanda. Sed & Metropolis alia in monumentis Africanis *Telepte*, quæ *prima Sedes* Byzacenæ ad Meridiem ſita, *Donatiano primæ Sedis Epiſcopo Civitatis Teleptenſis*, in Concil. Teleptenſi A. CCCCXVIII. poſt Conſulat. Hono-

rii

rii xi. Niſi hæc prima Sedes fuerit *κατὰ τάξιν τῆς χειροτονίας*, *Seniore* Epiſcopo Byzacenæ Donatiano, ab A. cccxvii. quem præceſſerat Mizonius Tſellenſis Epiſc. tùm *primæ Sedis*. De quo ſusè Blondellus, *pag.* 805. contrà Petitum, ſtatuentem Telepten-ſem Civit. fuiſſe *Metropolim* totius Provinciæ, *Var. Lection.* L. iii. C. i. Urbes aliæ, ex monumentis Eccleſ. notæ, ſunt ex. gr. *Vitæ*, undè Victor Vitenſis, qui de Perſecutione Vandal. *Hermiana* cujus Epiſcopus Facundus tempore Juſtiniani; *Ruſpa* cujus Fulgentius Epiſcopus fuit; *Leptis parva* ad Sinum Adramytten. *Byzacena*, *Aquæ regiæ*, *Cellæ*, &c. & aliæ in Notitiis, ut *Καψίλα*, *Κάπση*, &c. videndæ apud Beveregium, ex Ms. Bodleiano, & in Tabulis Africanis, ſubindè tamen caſtigandis. Errorem Onuphrii ſcribentis in Numidiæ coloniis *Siminis*, pro *Simittu* vel ut Ptol. *Σιμμίτθε*, obſervat Grævius noſter. Hodiè *Tunitani* regni partem magnam Byzacena conſtituit.

iv. Tripolitana. *Tripolitana* Prov. undè *Tripolis* hodieque, à tribus Urbibus inſignioribus Sabratâ, Oeâ pro quâ malè *Occâ colonia* habet Onuphrius, & Leptis magna, quæ etiam *Neapolis*, & *Tripolis* Barbariæ dicta, *Colonia* in Itiner. Antonini, *Jure Italico* donata, ſub Severo & Caracallâ, apud Paulum L. viii. Dig. de Cenſib. In Eccleſiaſticis jam notæ hæ *tres* Urbes tempore Cypriani; at ætate Auguſtini *quinque* Urbes diſtinctæ. Prov. *Præſidialis* fuit, cæteris ad Ortum. Termini fuerunt ad Occaſum Trito fluvius, ad Ortum Aræ vel Villa Philænorum fratrum, undè fuit linea dividens à Cyrenaicâ, ad Meridiem Libyæ deſerta, ad Boream Mare Africanum. Metropolis fuiſſe videtur *Leptis magna*, ad oſtium Cinyphi amnis, *Lebda* Nubienſi, à Minore diſtincta, & inter duas Syrtes, Majorem & Minorem, media. Diverſa ab hac *Neapolis*, apud Plinium, Melam, quæ poſterior eadem cum *Tripoli* Ptolemæo eſt. Multis eædem urbes ſunt *Leptis* & *Neapolis*, & quoque Hieron. Suritæ ad Antoninum, *pag.* 229. Arabum Geographia diſtinguit *Tripolim* utramque veterem & novam, *Nabel* ſeu Neapolin, & *Lebda* vel *Lepeda*. Eadem in Nummis Septimii Severi, *Septimia Col. Julia*, *Aug. Metrop.*

In Eccleſiaſticis tempore Cypriani, ex Concilio de *Rebaptiz. Hæreticis*, Oenſis Epiſcopus repræſentavit Sabratenſem & Leptenſem vel Leptimagnenſem. Et omnium nomine unus, ex Tripolitanis Urbibus, ad Synodos ablegari ſolitus, ex non uno Canone Africano, ob itinerum ut videtur difficultatem, & infrequentiores Eccleſias. Prolixè de dictis Urbibus Bochartus, *Canaanis* L. i. C. xxiv. quem vide.

v. Mauritania Sitifenſis. Ut *Mauritania Sitifenſis* diſtinctam in Eccleſiaſticis Provinciam, quæ anteà ſub *Numidia* Primate, conſtituerit ſub finem Seculi iv. (vel ex Legatis ad Concil. *Carthag.* miſſis A. cccxcvii.) monitum ſuprà. *Præſidialis* illa fuit, media inter Cæſareenſem ad Occaſum, & Numidiam ad Ortum, illinc lineâ à Saldis oppido maritimo per obliquum ductâ, hinc Ampſagâ fluv. diſterminante. Peſſimè autem Pamelius, & ejus exemplo alii, *Sitifenſem* Mauritaniam locat, ubi *Tingitana*, & mediam ſaltem inter hanc & Cæſareenſem; quæ veriùs media fuit inter Cæſareenſem & Numidiam. *Maurorum* verò appellatio latiſſimè patuit, etiam de Saracenis, Arabibus, Afris promiſcuè. Metropolis *Sitifi*, *Σίτιφις*, ad Ampſagam fluv. à quâ Regioni nomen, Ptol. *Σίτιφα* Colonia, ſed Cæſareenſi ab eo attributa. Diverſa *Satafi* apud Antoninum, vel *Satafa*, ejuſdem Sitifenſis Maurit. quæ Septentrionalior longè, ad Audum fluv. Civitates aliæ ex Itinerario Antonini, Actis Africanis, & Notitiis notæ, fuerunt *Oliva*, *Zabi*, *Igilgili*, *Germania*, *Cidamus*, &c. quæ & jus *primæ Sedis* habuerunt, ſi earum Epiſcopus eſſet omnium ordinatione Senior; ut jam in Actis Concilii Milevitani A. ccccii.

vi. Mauritania Cæſareenſis. *Mauritania Cæſareenſis*, ſeu Major, longiſſimè extenſa, cui ad Occidentem Tingitana, dividente Malvâ fluv. ad Ortum Sitifenſis, ab Auſtro Libyci montes, Prov. ſimiliter *Præſidialis* fuit. Metropolis *Cæſarea Mauritaniæ*, vel Julia Cæſarea, hoc nomen dante Jubâ, in memoriam beneficiorum quæ acceperat à Julio & Auguſto. Et ab hac Metropoli, in declivi montis ſitâ, toti Provinciæ nomen; quam Arabes poſteà Mauritaniis potiti appellarunt *Algeſir*, *Alger de Gezeir*, caput regni, de quo inter cæteros Marmolius Africæ T. ii. *Lib.* v. C. xli. *Cæſarianenſis* in Collat. Carthag. cujus Epiſcopus Creſconius, non confundendus cum Cæſareenſi. Urbes aliæ hujus Prov. fuêre, *Icoſium*, *Aqua*, *Cartena*, *Rungonia*, *Tigis*, *Caſtra Nova*, &c. de quibus Notitiæ & Tabulæ & Acta Afric.

Baleares aliquando ad Africam pertinuêre, & pertinuiſſe Gregorii I. tempore monet Holſtenius, ex hujus *Epiſt.* Cæterùm relatæ ad *Hiſpanias* in Laterculo Imperii. An ſint incolæ quaſi בעלי ירה *magiſtri projectionis*, quod magnos lapides fundâ feliciter jacerent, ſuo loco relinquimus; de Balearibus adhuc infrà.

Secunda Præfectura

Occidentis, quæ dicta eſt

Galliarum.

Præfectura hæc cur Galliar. dicta? A majore rurſùm potioreque parte adminiſtrationis, *Galliâ* xvii. Provincias complexâ, & à ſede ordinaria Præfectorum Prætorio, nomen fuit toti Præfecturæ. Hæc enim ſedes primò *Treveris* fuit, vel ex Conſtitutionibus variis Imperator. ad Præfectos P. datis, ac *Treveri* acceptis; donec exciſâ Treveri *Arelatem* transferret hanc ſedem Honorius Imperator, quæ hinc Auſonio *Gallica Roma*, officina Monetæ, Amphitheatro & Circo, ad theatralia ac circenſia ſpectacula, aliiſque decorata; ut olim *Narbo* Colonia Julia, ſed nullis pridem horum operum in iſtâ veſtigiis.

Diœceſes tres. Diœceſes ſub diſpoſitione Præfecti P. Galliarum, indè à Conſtantino M. *tres* ſunt ex Notitiâ Imp. *Galliarum* illa in ſpecie, ſeu *Decem & Septem Provinciarum*, *Hiſpaniarum* altera; tertia *Britanniarum*. In ſingulis *Pro-Præfecti*, ſeu *Vicarii* Præf. P. viri Spectabiles, ſub quorum diſpoſitione tota Diœceſis fuit, ac Provinciarum Rectores, Judices, ſeu *Conſulares* illi ſeu *Præſides*, ut pluribus ex Notitiâ Imp. & ex Codice Theodoſ. ac Commentatoribus, intelligitur.

Vicarius v. Provinciarum, quis? Quis verò fuerit *Vicarius quinque Provinciarum*, in lege Honorii, A. cccxcix. de Sacrificiis prohibitis, quæ eſt xv. *de Pagan.* Codicis Theod. vel iii. *Eodem Tit.* Codicis Juſtinian. non convenit Eruditis. Britannias enim alii, & ipſe aliquando Jac. Godofredus, poſt *Valentiam* adjunctam; alii Hiſpanias, quarum v. Provinciæ fuerint, undè *Vicarius quinque Provinciar. per Hiſpanias*; Gallias denique alii, id eſt, partem ſeparatam Gallicanæ Diœceſeôs, interpretantur. Et poſtremæ ſententiæ, quæ multis poſteà Jacobi Godofredi ad dictam *leg.* favent cumprimis inſcriptiones Conciliorum Valentini & Taurinenſis, Seculo iv. quæ *Galliis* adjungunt *Quinque Provincias*, quarum omnium Epiſcopi in unam Synodum cogerentur. Nempè hæ Provinciæ fuerunt; aut Galliæ Narbonenſis illæ quæ olim Provincia Romana, Prætoria, puta *Viennenſem*, *Narbonenſem* geminam, *Alpes Graias*, & *Al-*

(K) 3 pes

Digitized by Google

pes Maritimas : Aut ex ſententiâ Godofredi ad *leg.* xv. Cod. de Paganis, &c. *duæ Aquitanicæ*, & *tres Lugdunenſes*, quarum v. *Provinciarum Vicarius* ſpeciatim fuerit Proclianus, in Inſcript. dictæ legis. Ex quo intelligi poteſt *duos* aliquando *Vicarios* fuiſſe Præfecti P. in Galliarum Diœceſi, de quâ dicendum modò.

Prima Dioecesis
Præfecturæ Galliarum,
Quæ dicta in ſpecie
Galliarum.

Galliarum varia diſtributio.

Variam *Galliarum*, quæ cis Alpes ſunt, diſtributionem tradunt paſſim ex Cæſare, Hiſtoricis, Itinerariis, Tabulis Geogr. & Notitiis antiquis, qui ad iſta commentati ſunt. Prima omnium diviſio bipertita, in Galliam *Comatam*, & *Braccatam* ſeu Narbonenſem, ab habitu incolarum; tum in *tres* Gallias, ſub Julio Cæſare, quas ipſe ſubegerat, Belgicam, Celticam ſeu Lugdunenſem, & Aquitanicam; hinc in Gallias *quatuor* ſub Auguſto, undè τέσσαρες ἐπαρχίαι, additâ Galliâ Narbonenſi & Viennenſi, quæ pridem fuerat Romanis obnoxia. Poſteà *ſex* Provinciæ Galliarum jam ſub Hadriano, additis duabus Germanicis à Belgicâ diſtinctis. An *ſeptem* Provinciæ, de quibus in Notitiâ Imperii, & in Inſcriptione vetere, de toto corpore Galliarum, an de Provinciis Galliæ Narbonenſis & Aquitanicæ, quæ Arelate convenirent, accipi debeant, certant Eruditi, Blondellus, Sirmondus, Carolus à *S. P.* de Marca, &c. *Novem* vel etiam *decem* Provincias recenſet Hilarius Pictavienſ. initio *de Synodis* contrà Arian. ſub Conſtantio Imp. circà A. ccclviii. *Quatuordecim* recenſentur, ex priorum Galliarum ſubdiviſione, tempore Valentiniani Sen. in Breviario S. Rufi. Tandem Provinciis xiv. tres aliæ acceſſerunt, circà tempora Gratiani, poſt Valentinianum M. ex novâ ſectione Galliæ Lugdunenſis in v. Lugdunenſes, & Narbonenſis in duas, Primam & Secundam, hac poſtremâ à Viennenſi detractâ. Undè Provinciæ *ſeptem & decem* in Notitiâ Imp. & in Vetere Notitiâ Galliæ, quam produxit Jacobus Sirmondus, & ex eo Carolus à S. Paulo, Hadr. Valeſius, alii. Quanquàm ſequiori ætate, Metropoleôn numerum auxerit Roma, undè Provinciæ tandem Galliarum xxiv. Ac de his diſtributionibus adi præ cæteris, in recentioribus, Guid. Pancirollum in *Notit. Imp.* Papyr. Maſſonum in *Notitiâ Epiſcop.* Joſephum Scaligerum *in Auſon.* Jacobum Sirmondum *Tomo* i. *Concil. Gall.* Henr. Valeſium ad *Ammiani Lib.* xv. Carolum à S. Paulo *in Geogr. Galliæ*, Hadr. Valeſium in *Notitiâ* nuperâ, Davidem Blondellum *de Primatu Eccl.* à pag. 667. Petrum de Marca *de Primat.* Salmaſium in *Epiſtolis*, alioſque plures qui res Galliæ veteris tradunt.

Termini.

Galliarum itaque, (ut totam Diœceſim conſtituerunt, ex xvii. Provinciis, ſub diſpoſitione Præfecti Præt. antè mutationes factas per invaſiones Barbarorum *Sec.* v. & antè diſtractiones, ſub Franciæ regibus, regnorum Burgundiæ, Aquitaniæ, Lotharingiæ, &c.) termini hi fuerunt. Ab Ortu *Rhenus* ultrà quem Magna Germania, & Alpes Cottiæ, ac fines Italicæ Diœceſeôs; à Septentrione itidem *Rhenus*, & *Oceanus Britannicus*; ab Occaſu *Oceanus Gallicus* & Aquitanicus; à Meridie *Mare Internum*, & *Pyrenæi* montes. Fluvii Galliæ præcipui fuêre: *Rhodanus* dividens Narbonenſem ſeu Viennenſem ii. à Viennenſi i. quam ſiniſtro latere totam præterlabitur ad oſtia ſua. Belgicam i. *Garumna* (Γαρύνας Strab.) dividens Aquitaniam iii. ſeu Novempopulanam, ab Aquitaniâ ii. & Narbonenſi i. *Liger* vel *Ligeris* dividens Aquitanias à Celtis, ſeu à Lugdunenſi Galliâ; *Moſa* olim Maſa, fluens ex Lingonibus, & Germaniam Inferiorem dividens â Belgicâ i. & Germanicâ i. ac, Rheni parte Wahali receptâ, faciens Inſulam Batavorum: *Moſella*, quaſi Moſa minor, vel Moſula, dividens Lotharingiam Superiorem, & Regnum Auſtraſiæ, à reliquâ Galliâ, & alluens quoque Auguſtam Trevirorum : *Sequana* (la Seine) quæ mediam Neuſtriam præterfluit, hodiè Lugdunenſem ii. & iv. & Celtas à Belgis dividens; cum Sequanis qui Arari & Rheno terminantur, quicquid Strabo fontes Sequanæ in Alpibus quærat, *Lib.* ii. nil commune quicquam habens: *Arar*, hinc *Araris*, olim etiam *Sagonna*, *Saona*, hinc la Saone, Maximam Sequanorum dividens à Lugdunenſi i. & quæ apud Lugdunum Rhodano miſcetur : *Matrona*, vel *Materna*, quam Galliam Celticam à Belgicâ dividere ſcribit Auſonius,

Matrona non Gallos Belgaſque interſita fines,

ad Confluentes Sequanâ miſcendam. *Scaldim* Belgicæ ſecundæ fluv. *Icaunem* Lugdun. iv. alioſque *minores*, qui à majoribus illis recipiuntur, mittimus.

Regimen Civile.

Civilis adminiſtratio ſumma olim ſub *Proconſulibus*, vel *Legatis Cæſaris* fuit, qui generaliùs *Rectores* & ἡγεμόνες. Deinceps illa ſub Præfecto Prætorio Galliarum, indè à temporibus Conſtantini Imp. ſub quo *Vicarii*, ſub his rursùm *Conſulares*, vel *Præſides*. *Vicarios* in Galliis *tres* ſupponit precariò magnus Scaliger, in Auſonium *Lib.* i. C. xxiv. Galliæ ſcil. Belgicæ, Celticæ, & Narbonenſis cum Aquitanicâ, quorum ſedes *Treveris.*, *Lugduni*, & *Viennæ*. Unum Vicarium xvii. Provinciarum novit Notitia Imp. quarum *ſeptem* aliquando diſtinctè à reliquis exprimuntur, nempè Viennenſis, Aquitania i. & ii. Novempopulana, Narbonenſis i. & ii. & Alpes Maritimæ, quæ ſcil. Arelate conventum inſtituerent, ex conſtitutione Honorii & Theodoſii ad Agricolam Præf. P. Galliarum, A. ccccxviii. (non ccccxxviii. ut Salmaſius de *Prim.* p. 265.) productâ Viris antè memoratis. Sed & *Vicarius quinque Provinciarum* dùm legitur Proclianus, in dictâ lege Honorii xv. de Paganis, datâ A. cccxcix. rectè colligitur Provincias Quinque ſuum aliquando habuiſſe Vicarium diſtinctum. Et has conſtituiſſe *Narbonenſem* omnem Galliam, ſæpiùs à Galliis reliquis Lugdunenſi, Belgicâ, & Aquitanicâ, quæ in ſpecie *Provinciæ Galliarum*, diſtinctam, aliàs Provinciam Romanam & Prætoriam, conſtantem ex Viennenſi, Narbonenſi utrâque, & Alpinis duabus, rectiùs poſt Berterium Blondellus noſter, Pariſinus Præſul Diſſertat. de *Primatib.* Hadr. Valeſius in *Notitiâ Galliar.* ſtatuerunt. Jacobus tamen Godofredus, ad dictam *legem*, interpretatur de duabus Aquitanicis, & tribus Lugdunenſibus. Ut verò ex Provinciis decem & ſeptem fuerint ſex *Conſulares*, Viennenſis, Lugdunenſis, cum duabus Germanicis, & totidem Belgicis; reliquæ ſub *Præſidibus*, ex Laterculo Imperii, & ex ſingularum deſcriptione, intelligi poteſt.

Metropoles civiles principes.

Inter Urbes Metropoles, civili dignitate præ reliquis ſuperbierunt *Auguſta Trevirorum*, ſedes aliquando Imperatorum, ipſius Conſtantini, ex non unâ indè latâ *lege*, in Codice Theodoſ. tum *Lugdunum* Galliarum caput, & regni Burgundici; *Vienna* denique de primatu certans cum Lugduno, poſteà & cum *Arelate*, ex quo hæc facta ab Honorio ſedes Præfectorum Prætorio. Sed digniſſima omnium ac vetuſtiſſima *Auguſta Trevirorum*, metropolis ſeu *mater omnium Galliarum*, & quaſi altera Roma ſub Conſtantino; à Vandalis ſub Honorio, ac ſæpiùs dein-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

deinceps ſubverſa; undè factum ut *Arelatem* tranſlata ſit ſedes Præfectorum P.

Adminiſtratio Eccleſiaſtica. Fabuloſæ fundationes.

Eccleſiaſticam adminiſtrationem quod attinet, fruſtra Metropoleôn in Eccleſiaſticis dignitatem arceſſunt à Petri Paulive diſcipulis, qui Eccleſias inibi fundarint: Quomodò *Viennenſis* & *Moguntina* Creſcentem, *Arelatenſis* Trophimum, *Bituricenſis* Urſinum vel Nathanedem, *Turonenſis* Gatianum, *Pariſienſis* Dionyſium, *Senonenſis* Sabinianum, Potentianum, *Lemovicenſis* Martialem, *Metenſis* Clementem patruum Clementis Rom. *Maſſilienſis* Lazarum, alios aliæ fundatores jactitant, probante Baronio, Petro de Marca, &c. tacente primâ & genuinâ antiquitate. Imò ipſe Gregorius Turonenſis *Hiſt. Franc.* L. I. C. XXVIII. aſſerit pleroſque ſub Decio vixiſſe, ac tùm lumen Euangelii in Gallias ſparſiſſe, martyrio conſummandos; conſentientibus ferè Eruditis, ac fruſtrà in contrarium nitente, ex dubiis aut domeſticis teſtibus, Petro de Marca, *Epiſt.* ad Henr. Valeſ. & Diſſert. *de Primat.* C. IX.

Antiquitas Eccleſ. Gallicanæ.

Antiquiſſimæ Eccleſiæ memorantur apud Irenæum, *Lib.* I. C. III. quæ *in Celtis* ſeu Galliâ Celticâ vel Lugdunenſi; quomodò apud Euſebium leguntur *Hiſt. Lib.* V. C. I. Eccleſiæ *Viennenſis* & *Lugdunenſis*, à duabus inſignibus Metropolibus, martyribus circà A. D. CLXXVII. illuſtres: Ut quæ conjunctæ tùm ſub uno Præſide Civili, Photino Lugdunenſium primo (de quo conſtet) Epiſcopo, cui ſucceſſit Irenæus. Nec præter Epiſtolam Eccleſiæ utriuſque, quam deſcripſit Euſebius, extat antiquius aliud Gallicanæ Eccleſiæ monumentum.

Circà Regimen ſummatim obſervanda.

Cæterùm circà Gallicanæ Eccleſiæ regimen, ſummatim obſervandum I. Nulla primis Seculis fuiſſe *Primatuum* vel *Exarchorum* jura in Epiſcopos vel Metropolitanos reliquos, ſive hæc ob Urbium dignitatem, qualiter in Italiâ Romæ, Mediolani, in Oriente Alexandriæ, Antiochiæ, Epheſi, &c. ſeu ex jure primæ ordinationis, qualiter in Eccleſiis Africanis. Hinc mira tùm Epiſcoporum æqualitas, ac ſubſcriptiones promiſcuæ, Epiſcopis ſæpè antè Metropolitanos, *ſi priores eſſent ordinatione*, ſubſcribentibus, fatente Illuſtriſſ. Præſule, quod Acta docent. II. Demùm Seculo IV. exeunte, & Sec. V. *Metropolitanis* confirmata eſſe ſuprà Epiſcopos reliquos jura Metropolitica, ordinandi, convocandi Synodos, &c. ut in Concilio Taurinenſi, Ann. CCCXCVII. Regienſi (Riez) Ann. CCCCXXXIX. & deinceps. Nec alii tùm *Primates*, quàm qui in Provinciis primi, ſeu primæ Urbis Epiſcopi, agnoſcente eodem de Marca. Nec certus quoque inter Provincias, aut inter Metropolitanos ipſos ordo eminentiæ à principio fuit; vel ex promiſcuis rurſùm ſubſcriptionibus Metropolitanorum, & ex diverſâ Provinciarum enumeratione, in Synodorum Actis, *Seculis* IV. V. fusè apud Blondellum noſtrum, *de Prim. Eccl.* à *pag.* 717. III. Honoris tamen communiter quendam primatum delatum *Trevirenſi*, *Viennenſi*, *Lugdunenſi* Epiſcopis, ob Urbium cumprimis ſplendorem: Quando Treviris agerent Imperatores, & Præfecti P. apud Ammianum Marcell. Auſonium in *Moſellâ*, & paſſim in Codice Theod. uti Vienna Narbonenſis Galliæ, Lugdunum Celticæ totius, caput fuit. *Arelatum* & ipſa nobilis magnitudine, emporio, præſentiâ Imperator. Concilio Arelatenſi I. &c. ſeculo IV. exeunte certare cœpit de *primatûs honore* cum Viennâ Metropoli, componendâ primùm lite in *Concilio Taurinenſi*, ſub Honorio, A. CCCXCVII. donec Arelate in *primam* omnium Galliarum Sedem efferretur. IV. *Primatibus Nationum*, ſeu Exarchis, ſuprà Primates Provinciarum ſeu Metropolitanos, non altiorem eſſe originem, quàm ab ambitione Arelatenſis, quæ in *Patroclo* cœpit, affectante primatum ſuprà *Viennenſem* & *Narbonenſes duas*, imò Gallias reliquas, hinc aucupante favorem Zoſimi Papæ, A. CCCCXVII. Mox ſucceſſit Conſtitutio Honorii ac Theodoſii ad Agricolam Præf. P. A. CCCCXVIII. quâ *Arelate* in Metropolim ſeptem Provinciarum evecta eſt, ſedes Præfectorum Prætorio, ab everſâ Treviri, ex antè dictis. Ac quamvis Zoſimi ſucceſſores Primatum reſtringerent intrà Provinciam cujuſque, ſic *Arelatenſis* illum intrà Narbonenſem I. ut pluribus *Tomo* I. *Concil. Gall.* tamen non longè poſt, Leone Pontificatum ingreſſo, Hilarius Arelatenſis gerere ſeſe pro Primate totius Gallicanæ *Diœceſeôs*, in depoſitione *Chelidonii* Veſontionenſis Epiſcopi: Undè mox cum Leone lites, damnaturo Hilarium; quâ de re pluribus Blondellus, *de Prim.* C. XXV. *Sect.* 60. & Salmaſius de Primatu, *Cap.* XVI. XVII. ac nos in Hiſtoriâ Eccleſ. Seculo V. *col.* 986. V. Ita mox, diſtractis Galliis, diviſiſque regnis inter Gotthos, Burgundiones, Francos, ac creſcente æmulatione, quam fovebant Romani Epiſcopi, plures in Galliis *Primates* emerſerunt, qui ſuprà Metropolitanos alios ejuſdem Regni, vel Nationis, caput efferrent. Sic *Arelatenſis*, ut dictum, ſuprà Viennenſem, Narbonenſem utramque, imò etiam Lugdunenſem, ſe tollere: Sic *Lugdunenſis* ſuprà reliquos regni Burgundici, qui hinc & *Patriarcha*, & *Primas Galliarum*, cum poteſtate dirimendi appellationes, in Præfat. Synodi Matiſconenſis II. Anno DLXXXV. Sic *Rhemenſis* Campaniæ, in Francorum ditione, æmulus ſenſim Trevirenſis, à Clodovæi temporibus, *primatum* Archiepiſcopalem conſecuturus ſuprà Belgicam II. favore Pontificum, indè ad Adriano I. Sic *Moguntinus* Primas, indè à Zachariâ Pontifice, ſuprà Germanias, cum imminutione Trevirenſis: Sic *Senonenſis* tempore Johannis VIII. Anno DCCCLXXVI. ſub Carolo Calvo, Primas omnium Galliarum & Germaniarum dicendus, cum diſpendio Moguntini, & Rhemenſis: Sic *Bituricenſis* Primas Aquitaniæ, ſuprà Burdegalenſem, indè à Carolo M. & Adriano I. idemque *Primas* & *Patriarcha*, &c. Sic *Narbonenſis* Primas ſuprà Aquenſem, Tarraconenſem, jam à Gotthicis temporibus: Sic *Viennenſis* poſteà ſuprà Narbonenſem, indè à Calliſto II. *Sec.* XII. jam olim æmulus Arelatenſis, &c. Acceſſerunt tituli alii, puta *Legati*, *Vicarii* R. E. *Cancellarii*, *Comitis*, *Ducis*, *Paris*, quibus in hunc diem ſuperbiunt primarum Sedium Epiſcopi.

Dependentia à Rom. Pontifice qualis, & quando?

Fruſtrà verò cum ſuis Doctiſſ. de Marca *Romanum* Pontificem, primis jam Seculis, inducit *Primatem* omnium Primatum, *ſuperiorem* omnium Metropolitanorum, atque adeò *Patriarcham* & Galliarum, & Occidentis totius. Imò verò, I. Exemplum omninò nullum Pontificiæ in Gallicanas Eccleſias auctoritatis, ſeu cogendæ Synodi forent, ſeu faciendæ Ordinationes, ſeu Appellationes admittendæ, totis IV. Seculis prioribus. Reſpexerunt ſanè Romam, ut multarum per Gallias Eccleſiarum *communem matricem*; conſuluerunt eam quandoque Epiſcopi in dubiis; at ſub Regibus etiam, *præter Regiam, nulla auctoritas quæ ſuperior eſſet Metropolitanis Galliarum*, ut expreſſit rei veritas Pariſienſi Præſuli, *de Conc. Imp.* L. VI. C. XIX. 2. Primus omnium Zoſimus, ſub initia ferè Seculi V. Patroclo Arelatenſi invitante, in Gallicanas etiam Metropoles auctoritatem exercuit ſuam, in Patrocli favorem. Poſteà Leo in Hilarium Arelatenſem, impetraturus à Valentiniano III. Novellam conſtitutionem, quâ ſubjicerentur Romanæ Sedi *Gallicani* etiam *Epiſcopi*. Deinceps Vigilius A. DXLV. *Vicariatum* per Gallias, cum *uſu Pallii*, primus concedere Auxanio Arelatenſi, & ſoli, ac poſt eum Aureliano; idem Pelagius I. Sapaudo Arelatenſi; Gregorius M. Vigilio Arelatenſi, &c. 3. Nec tamen

ſeu

Digitized by Google

ſeu Valentiniani Novellam, ſeu Pontificum illos in Galliis *Vicarios*, principio reſpexerunt Gallicanæ Eccleſiæ, uſæ jure ſuo in ordinationibus, convocationibus Synodorum, aliiſque cauſis Eccleſiaſt. Petrus de Marca *Lib.* VI. C. XIX. *Epiſcopi Arelatenſes, tametſi Legationis Apoſtolicæ Sedis munere fungerentur, non admodùm habiti in honore. Certè nullum regni Generale Concilium reperitur ab iis convocatum fuiſſe, probibentibus nimirùm Regibus, ac reliquis Metropolitanis. Quinetiam nulli eorum Conciliorum unquam præfuère.*

I. Prov. Belgica Prima.

In Provinciarum deſcriptione, ordine Geographico, initium nobis à *Belgicâ Primâ*, quæ *Belgica* an à *Bellovacis*, Bellovagis, Belvagis, Ptolem. Βελλουάκοις, Belgarum Populis, apud Ptol. Strabonem, an aliunde, dicta fuerit, non hujus loci eſt diſquirere, quâ de re prolixè Hadrianus Valeſ. in *Bellovacis*. Termini fuerunt, indè à Conſtantini temporibus, ab Ortu quidem, Germanica Prima; à Septentrione, Germanica ſecunda quæ Inferior; ab Occaſu, Belgica ſecunda, Moſâ dividente; à Meridie, montana quæ à Lugdunenſi quintâ divellebant. Complexa hæc Provincia *Treviros*, *Mediomatricos*, *Verodunos*, *Leucos*, Electoratum hodiè Trevirenſem, Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, Verodunenſem, Ducatus Luxemburgicum, Lotharingicum, & Pagum Barrenſem. Metropolis fuit *Treviri*, *Treveri* Tacito, vel *Auguſta Trevirorum*, (Ptolemæo Τρέβιροι, Dioni Τρεβήροι) quæ ἐξόχως μητρόπολις τῶν Γαλλιῶν apud Theodoretum, *Hiſt. Eccl.* L. II. C. XV. ubi is de Synodo Mediolanenſi ſub Conſtantio. Quanquàm, ut ut Urbium in Civilibus facile prima, ſedes frequentiſſima Conſtantini M. ordinaria Præf. Prætorio, ac princeps ſuprà cæteras omnium Diſciplinarum; in Eccleſiaſticis tamen nihil juriſdictionis in ſecundam Belgicam habuit, minùs in Metropoles reliquas, fatente Petro de Marca, *de Primat. Num.* XCIV. *Electoratus* ac *Cancellariatus* illi annexus, in Bullâ Caroli IV. ſunt poſterioris ævi. Hic & *Mediomatrici* ſive *Mettenſes*, quorum Urbs aliquando caput fuit regni Auſtraſiæ, dicta *Divodurum Mediomatricorum*, aliàs *Metti*, *Mets*.

II. Secunda Belgica.

Secunda Belgica aliàs *Inferior*, ea primitùs dicta, cui ab Ortu Moſa fluv. à Septentrione Moſæ ac Rheni, ſed & Scaldis oſtia, & Oceanus Britannicus, ab Occaſu idem Oceanus ac ſecunda Lugdunenſis à Meridie Lugdunenſis quarta. Complexa *Remos*, *Sueſſiones*, *Catalaunos*, *Bellovacos*, *Ambianos*, *Atrebates*, *Veromanduos*, *Merinos*: Hodiè nobiliſſimam Belgii partem (à Paulo demùm IV. avulſam, nomine *Belgicæ Tertiæ*, & *Quartæ*, ſub Archiepiſcopis *Cameracenſi*, & *Mechlinienſi*) Bononienſe territorium, Picardiam, Campaniam. Metropolis fuit *Rhemi*, *Remi*, olim *Durocortorum* Remorum, Trevirorum in Eccleſiaſticis ſoror, & æmula, Epiſcopatu Rhemigii, Hincmari, Arnulphi, &c. conſecratione Clodovæi ſub finem Sec. VI. hiſtoriâ ampullæ Rhemenſis vulgatâ Seculo IX. tandem & *Ducatu* ac *Pariatu* Franciæ primario, indè à Seculo XII. & Ludovici VII. temporibus, illuſtris. Inclyta & Sedes Epiſcopalis, olim regni Sueſſionum, *Auguſta Sueſſionum*, *Soiſſons*; ſic & *Bellovacorum* civitas hod. *Beauvais*; Civitas vel *Auguſta Veromanduorum*, hodiè S. *Quintin* à reliquiis hujus Sancti, olim *Epiſcopalis*; *Atrebatæ*, vel Civitas Atrebatum, *Arras*; *Noviomagus* Veromanduorum, *Noyon*; *Ambianum* vel Samarobriva Ambianorum, *Amiens*; de quibus Notitia Galliarum. Adde circà Scaldis oſtia *Maguſanos*, Herculis Fanum, in Belg. II. de quo Trebellius Pollio, & Inſcriptiones antiquæ exhibitæ à Viro Ampliſſ. Menſone Alting, in Notitiâ Bataviæ Antiq. laudatiſſimo Opere, p. 31, 32.

III. Germanica Prima.

Germanica Prima ſeu *ſuperior* ea fuit, quæ ad Rheni lævam ſita, in Gallico ſolo, nam quæ ultrà Rhenum *Barbara* Germania cenſebatur. Nempè indè à Moguntiaco, uſque ad Rauracorum fines, cui adeò ab Ortu & Septentrione fuit Germania Magna, ab Occaſu Belgica Prima, à Meridie Maxima Sequanorum. Hodiè tractum eum deſcribunt Electoratus Moguntinus, Epiſcopatus Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Palatinatus Rheni citerior, atque Inferior Alſatia. Olim *Vangiones*, *Nemetes*, *Triboci*, dicti hi Populi. Metropolis *Moguntia* vel *Moguntiacum*, *Maguntiacum* Hieron. etiam *Magantia* undè Mayence, nobiliſſima Druſi colonia, in quâ Valentinianus & Gratianus aliquando conſtiterunt; indè à Bonifacio Moguntino, Zachariâ Pontifice, *Primatûs* honore in Eccleſiaſticis decorata; tandem per Auream Bullam Archi-Cancellariatu Germaniæ, & primo Electoratu. Inclytæ Urbes aliæ Epiſcopales, *Noviomagus Nemetum* aliàs *Spira*, *Wormatia*, *Argentina* vel *Argentoratum*, hodieque notiſſimæ.

IV. Germanica Secunda.

Germanica Secunda, ſeu *Inferior*; habuit ab Ortu Rhenum, à Septentrione fluvium eundem & Moſam, ab Occaſu Belgicam Secundam, à Meridie Primam. In hac fuère *Ubii* in quibus *Colonia Agrippina* ſita, populi ad Rhenum ſiti, cis Rhenum traducti ob incurſiones Suevorum. *Tungri* qui propriè Germani dicebantur, teſte Tacito in *Hiſtor.* & gaudebant Epiſcopatu Diœceſano, dein Leodium ad Moſæ fluv. tranſlato, A. DCCX. cum corpore Lamberti. *Menapii* inter Moſam & Scaldim, ubi Geldria, Clivia, Brabantia, &c. Morinis Gallorum extremis ad Oceanum, ubi *Bononia* civitas & portus, ad Ortum confines. Denique *Batavi* ad extrema Rheni & *Moſæ*, ſeu inter Rhenum, Wahalim, & Moſam; & Batavis accenſiti Trajectenſes, Hollandi, Walachri, ex *parte* Friſii, à quibus retinent appellationem, *Vicus Batavodurum*, hodiè Wyk te Duerſtede; *oppidum Batavorum* ad Moſam, ſive Batavo-burgium, Batenburg; *Inſula Batavorum* inter Rhenum & Wahalim, hod. *Batua*, de *Betue*; ſic *Colonia Trajana* ſuprà Inſulam Batav. hodie *Kellen* vicus, & *Arenacum*, *Arenatium*, Belgis *Arnheim* quaſi Arnoldi villa. Hodiè Electoratus Colonienſis, Ducatus Juliacenſis, Clivienſis, Gelricus, Diœceſis Leodienſis, etiam Trajectenſis, ut & Hollandia, Zelandiaque. Undè etiam *Lugdunum* noſtrum, ſive Leyda, *caput Germaniarum* dicitur in Æthici Itinerario, & Antonini, *pag.* 83. propè quam olim *Rheni* oſtia, nunc tumulis arenariis obſtructa, à quo medius Rhenus fuit in *Leccam* abactus, in lævâ *Rheni* ripâ, ad Batavodurum ſeu Wyk te Duerſtede. Quanquàm hæ ſuperiori Seculo avulſæ, ſub nomine *Germanicæ Tertiæ*, Trajectenſi Metropoli ſubjiciendæ. Metropolis fuit *Colonia Agrippina*, ſeu *Agrippinenſis*, ab Agrippinâ filiâ Germanici, uxore Claudii, matre Neronis, quæ hîc genita Coloniam Roman. eò deduxit. Aliàs Colonia *Ubiorum*, quia in Ubiis ſita, jam tempore Athanaſii μητρόπολις τῆς ἄνω Γαλλίας, *Epiſt. ad Solit.* dein Seculo VIII. ampliatâ juriſdictione, & collateralis facta Moguntiaco: Accedente circà tempora Innocentii IV. Seculo XIII. dignitate Electorali, tandem & Archi-Cancellariatu, per Bullam Auream. Hic & *Bonna* civitas, Βώννα Ptolem. dein ſedes Electorum, ad Occidentalem Rheni ripam, quarto à Coloniâ Civit. lapide, de quâ Tacitus, & Antonini Itiner. In Inſcript. apud Goltzium in Auguſto, *Colon. Jul. Bonna.* Cumprimis *Leodium*, olim vicus ad Moſam ſitus, in quem Lambertus vel Lundebertus Tungrenſis Epiſcopus ſecedebat, poſtmodum tranſlato huc Tungrenſi Epiſcopatu in honorem ſcilicet *S. Lamberti*, cujus Corpus primò ſepultum *Trajecti* ad Moſam quod Trajectum ſuperius, IV. indè leucis,

in

Digitized by Google

in vicum Leodicum ab Humberto ſucceſſore tranſlatum, Sec. VIII. originem dedit *Leodio Civitati*, quæ hinc Civitas *Tungrorum*. In hac etiam Germaniâ ſecundâ, eâ parte quæ dein à Friſiis occupata, ſitum *Trajectum Inferius*, vel *Ulterius* (undè *Uytrecht*) ſive Trajectum ad Rhenum, cujus primùm meminit Æthicus in Itinerario, tertia poſt Coloniam & Leodium civitas: Quam tandem Colonienſi Metropoli ademit, & Archiepiſcopalem fecit Paulus IV. Anno MDLIX. ſubjectis illi Epiſcopis Harlemenſi, Daventrienſi, Leowardienſi, Groningenſi, & Medioburgenſi.

V. Prima Lugdunenſis. *Prima Lugdunenſis* ea dicta in quâ *Lugodunum* vel *Lugdunum Galliæ Celticæ*, hinc *Galliarum caput*, ſic dictum ex ſitu in montis jugo, *dunum* enim Gallis veteribus collem vel montem deſignat, in Verodunum, Auguſtodunum, Noviodunum, &c. Ab hoc Lugduno diſtinctum fuit *Lugdunum Clavatum*, Laon, aliàs Laudunum, hinc prius dictum *Lugdunum Seguſianorum*. Fuit illi ab Ortu Maxima Sequanorum, & Viennenſis Prov. hæc quoque à Meridie; ab Occaſu Lugdunenſis Quarta, & Aquitanica Prima; à Septentrione utraque Belgica. Complexa *Seguſianos* Galliæ Celticæ populos, *Æduos*, *Lingones*, hodie, Lugdunenſe territorium, Burgundiæ Ducatum, Epiſcopatus Auguſtodunenſem, Cabilonenſem, Matiſconenſem. Metropolis *Lugdunum*, ad quam via ex Italiâ per Salaſſos, ἐπίσημος Ptolemæo, ad Araris & Rhodani confluentes, Emporium olim celeberrimum, *Colonia Aug.* in Nummis, *Rhodanuſia* Sidonio, Gallis *Lyon*, an quod Leonem pro inſigni olim habuerit? In Eccleſiaſticis antiquitate, ac zelo Chriſtianæ Eccleſiæ, Photini ac dein Irenæi Epiſcopatu, *Primatûs* Galliarum quin & *Patriarchatûs* titulo, nobilis, à Gregorio tandem VII. ſuprà quatuor Lugdunenſes evecta, quæ huic *condignam obedientiam exhiberent*, ex Decreto, quod nuper integrum edidit Stephanus Baluzius. Sed reclamavit jam tùm Senonenſis, quin & Turonenſes, ac Rhotomagenſes Metropolitani, jugum illud poſteà excuſſerunt. Ad Lugdunenſem ſpectarunt, *Matiſco Æduorum* (*Maſcon*, ex tranſpoſitâ literâ *Maſtico*) pluribus Conciliis celebris; *Cabillonum*, vel *Cabilonum*, *Cabillunum*, ſedes aliquando Regum Burgundiam poſſidentium, hodie *Châlon*; *Lingones*, Fœderati olim Pop. Romani, Ptolemæo Λίγγωνες, vel Civitas Lingonum, *Langres*, frumenti feraciſſima; *Auguſtodunum*, à principatu Auguſti, caput Gentis Æduorum, apud Tacitum, *Annal.* III. à Flav. Conſtantio Chloro Cæſare, tum Conſtantino filio inſtaurata, undè *Flavia Æduorum* appellata; hodiè *Auſtun* & pagus *l'Auſtunois*.

VI. Secunda Lugdunenſis. *Secunda Lugdunenſis* ea fuit quæ Primæ erat ad Septentrionem & Occaſum, à quâ deinceps detracta *Tertia Lugdunenſis*, ſeu Turonenſis Prov. uti à Primâ detracta fuit Lugdunenſis Quarta, ſeu Senonenſis. Complexa poſt eam detractionem *Veliocaſſes*, Ptol. *Veneliocaſios*, *Caletos*, *Lexovios*, *Eburovices*, aliosque Normanniæ veteris Populos, & Oceani accolas, hodieque Normanniam, & Ducatum Alenconenſem. Caput fuit ut in Civilibus ſic in Eccleſ. ſeu Metropolis Lugdunenſ. II. *Rhotomagus*, Ῥατόμαγος Ptol. malè Ῥατίμαγος, ad dextram Sequanæ, hinc potiùs ad Belgicam II. ſpectans; emporium ſitu opportunum, Gallis *Rouen*. In Eccleſiaſticis verò diutiſſimè fuit ſub Lugdunenſi Primate Rotomagenſis, nec ità dudùm αὐτοκέφαλος ac *Normanniæ Primas* evaſit, quando pridem IV. Lugdunenſes de *duabus* factæ fuerunt, & paruit Rhotomagenſis *Ducibus*, qui in *Angliâ* regnabant, unde à ſuo Primate Lugdunenſi deſcivit, & ſe αὐτοκέφαλον conſtituit. Sub *Rhotomagenſi* fuere Sedes Epiſcopales; ejus Diœceſim ſanè ampliſſimam conſtituentes; *Bajocaſſes* Bajeux, *Abrinca* Avranches, *Lexovii* hod. Liſieux,

Sagium vel civitas Sagiorum vulgò *Seez*, cui *Oximus* in proximo fuit, Gallis *Hieſmes*; *Ebroicæ* Evreux, Ptol. Μεδιολάνιον, &c. De quibus Notitia Galliæ.

Tertia Lugdunenſis dicta quæ ſecundæ ad Meridiem, & ad Occaſum fuit, ad Oceanum uſque Gallicum latè porrecta, Ligeri fluvio hanc ferè ab Aquitaniâ ad Auſtrum dividente. Hic Turones, Cenomani, Andegavenſes, Namnetes, Veneti, Redones, & Armoricæ pars magna Oceanum versùs. Hodie Turonia, Andegavenſis Ducatus, Britannia omnis Superior, Media, Inferior, hunc tractum deſcribunt. Metropolis ab antiquo *Turones* vel *Turoni*, aliàs *Cæſarodunum*, urbs nobiliſſima, appoſita Ligeri, cui confines ab Ortu Bituriges, & à quâ Pagus Turonius, & Ducatus Turoniæ, multis Conciliis, & Epiſcopatu Martini ac Gregorii Turonenſis, celebris. In Eccleſiaſticis, indè à Gregorio VII. ſubjecta Primati Lugdunenſi; poſteà rurſùm αὐτοκέφαλος, plurimis ſub eâ Epiſcopatibus, ſed & Abbatiis circiter XX. longè nobiliſſimis. *Dolenſis* in Armoricâ Epiſcopatus, ſedem ſuam *Dolum* (Dol) anteà Monaſterium inferioris Britanniæ, Epiſcopalem primò dignitatem, dehinc *jus Pallii*, à Rege Childeberto accepit; Nempè medio ferè Seculo VI. à Britannis cepit, *Samſone*, anteà Menevienſi in Walliâ Epiſcopo, eò ſedem transferente, ex Giraldo, & ex Vitâ Samſonis. — VII. Tertia Lugdunenſis.

VIII. Quarta Lugdunenſis. *Quarta Lugdunenſis* ea fuit quæ Tertiæ ad Ortum, maximam partem inter Ligerim, Icaunam (Ionne) Sequanam, & Matronam fluvios, aliàs Provincia *Senonia*, & *Lugdunenſis Senonica* in Notit. Imperii. In hac Galli *Senones* à *Senâ* fluv. qui olim ſuperatis Alpibus Urbem Romam exciderunt, Fabio Conſ. & à quibus Senogallia, Senæ, &c. Tùm *Carnutes*, *Pariſii*, *Tricaſſes*, *Meldi*, *Aureliani*, *Vadicaſſes*. Hodie tractum eum conſtituunt pars Campaniæ, territoria inprimis Carnutenſe, Senonenſe, Aurelianenſe, Bleſenſe, Nivernienſe, Dunenſe. Metropolis *Senones*, (olim & *Agedincum*) ad Icaunam, inter Sequanam & Ligerim, munitiſſima quondam ac florentiſſima Civitas. Jamque Seculo IX. in gratiam Anſegiſi Senonenſis, & Caroli Calvi, hujus Metropolitano conceſſus à Joh. VIII. Vicariatus per omnes Gallias Germaniaſque, reclamantibus Rhemenſi ac Metropolitanis cæteris. Donec Gregorius VII. A. MLXXIX. Lugdunenſi Primati Senonenſem ſubjiceret; & ipſo hoc Seculo A. MDCXXII. à Senonenſi Diœceſi ſubtraherentur *Pariſii*, ſeu *Lutecia Pariſiorum* jam apud Jul. Cæſarem, nomen Celticæ originis (non à Luto ſic dicta, ut *Lutoſa*, *Lutoſa*) quæ olim Inſulam ſolam occupavit quæ in medio Sequanæ, dictam hodieque *la Cité*; dein ſub III. Dynaſtiâ Francorum, ultrà citràque Sequanam protenſis Urbis pomœriis, evaſit caput totius Regni urbs Pariſiorum. Hæcque primam Regni Metropolim conſtituit, cum *Carnutibus* (Chartres) *Aurelia* (Orleans) & *Meldis*, Gallis *Meaux*. A quo tempore nata *Quinta Lugdunenſis* nova, ſcil. ſub Pariſienſi Præſule. Ad Senonicam Diœceſim pertinet *Autiſſiodorenſis* Diœceſis, ab urbe *Autiſſiodoro*, Gallis Auxerre, ut Ternodurum per Tonerre, &c. reddunt.

Maxima Sequanorum, quandoque *Germania Tertia*, etiam *Lugdunenſis Quinta* in recentioribus Notitiis, & apud Iſidorum Mercatorem; nunc *Lugdunenſis Sexta*. Sed à Galliâ hæc Lugdunenſi, quæ ad Occaſum fuit, olim diſtincta, habens ab Occaſu Ararim qui ab Æduis diviſit, ab Ortu Rheni fontes, à Meridie Viennenſem Primam, & Alpes Grajas. Hîc præcipuè *Sequani*, & *Helvetii* monte Jurâ & Dubi fluvio diviſi, in hiſque tùm nobiliſſimi *Urbigeni*, nunc Bernates, *Tigurini*, & *Rauraci*. Hodiè Comitatus Burgundiæ, cum territoriis annexis ad Lemanni uſque ripas, pars Valleſiæ, omniſque Helvetia, cum parte ſuperioris Alſatiæ, — IX. Quinta Lugdun. vel Maxima Sequanorum.

eam Provinciam occupant. Metropolis *Viſontio*, vel *Veſontio*, vel *Beſuntium* aut *Biſuntium* Sequanorum, Dioni L. XXXIX. Οὐεσοντίων, Ptol. Οὐισόντιον. Cujus Epiſcopus Leonis I. ætate fuit Chelidonius, in quem Hilarius Epiſcopus *Arelatenſis* extendit ſuam juriſdictionem, ut pluribus in Hiſt. Eccleſ. Seculo V. *col.* 986. Sub hac Metropoli fuêre *Noviodunum* Æduorum, ſeu *Nivernum*, olim Lugdunenſis I. *Aventicum Sequanorum*, apud Tacitum Helvetiorum oppidum, imò *Caput*, in antiquis Inſcript. *Col. Julia*, Gallis Avanches, quâ dein deſertâ Epiſcop. *Lauſannam* tranſlatus eſt. Ità ſub Veſontino fuit *Baſilea* Sequanorum, hodiè *Baſel* vel *Baſle*, aliàs Baſilea Rauracorum quia in Rauracis cenſita, & ſucceſſit in locum *Auguſtæ* Rauracorum, quæ nunc vicus exiguus ab urbe Baſileâ VI. M. P. diſtans, priſtinum nomen retinens *Augſt*. Denique ad Diœceſim Veſontini pertinuit *Vindoniſſa*, media inter Auguſtam Rauracorum, & Brigantium Rhætiæ, ſed quâ everſâ ab Alemannis circà A. DC. Epiſcopatus poſteà tranſlatus fuit *Conſtantiam*, & hodie vicum exiguum dicit, *Windiſch*.

X. Alpes Grajæ & Penninæ. *Alpes Grajæ & Penninæ*, priori Provinciæ ad Meridiem, & ad Ortum Viennenſis, ad Occaſum verò Rhætiæ Primæ & Liguriæ, complexæ fuerunt *Sedunos*, quorum civitas *Sion*, Germanis *Sitten*; *Veragros*, quorum oppidum *Martigny*, aliàs *Octodurum*; *Centrones*, quorum urbs fuit *Tarantaſia*, & hi populi Inalpini, qui nunc partem Valleſiæ & Sabaudiæ deſcribunt. Metropolis fuit *Tarantaſia*, vel *Darantaſia* Centronum, la Tarantaiſe, quæ *Forum Claudii* apud Ptolem. olim licet Viennenſi Prov. à Leone adſcripta, ſed indè à Carolo M. Metropolitica ſedes. Sub hac *Octodurum* Vallenſium ſeu Veragrorum, undè Epiſcopalis ſedes *Sedunum* tranſlata fuit, ad Rhodanum ſitum in Vallenſi regione, hodie Le *Valais*.

XI. Viennenſis. Sequuntur *Provinciæ ſeptem* Galliarum, quæ in Notitiis antiquis à *decem* prioribus diſtinguuntur. In his prima omnium *Viennenſis* Prov. ſita hæc fuit ad Meridiem Lacûs Lemanni, ad Occaſum Alpium Grajarum, & Narbonenſis ſecundæ, ad Ortum Rhodani: Complexa *Allobroges*, ſive Sabaudos & & Delphinates; *Seguſianos*, quorum civitas Seguſium *la Suſe*; *Segalaunos*, quorum caput Valentia ad Rhod. ſita, vel civitas Valentinorum; *Helvios* ſeu *Albicos*, quorum civitas *Albece Reiorum* in Narbonenſi II. aliàs *Reium* vel *Regium* Galliæ; *Vocontios* in profundis vallibus, quorum caput fuit *Vaſio*, vulgò *Vaiſon*, inter Avenionem, Arauſionem, & Vapincum Gallis *Gap*; *Arauſicos*, ab Arauſione Civit. & Col. Gall. Orange; denique *Arelatum*, cæteroſque *Rhodani* accolas, ad hujus uſque oſtia, tum *Maſſilienſes* qui ſub Viennenſi fuerunt. Hodie pars Sabaudiæ, ac Delphinatûs Occidentalis Borealiſque, cum Genevenſi ditione, Pagus Vivarienſis, Principatus Arauſiæ, Comitatus Avenionenſis, cum Provinciæ parte Occiduâ, eo in tractu deſcribuntur. Metropolis primò fuit *Vienna* Allobrogum, ex Notitiâ Imp. ad Orientalem Rhodani ripam, de quâ Euſebius, Lib. V. C. I. inter cujus Epiſcopum & Arelatenſem, jam Seculo IV. exeunte, graves, de ordinationum jure in Viennenſi Provinciâ, contentiones fuerunt. Nam & in hac tum Provinciâ *Arelas*, *Arelatum*, Ἀρελάται ab urbe duplici, emporium Galliarum florentiſſimum, *multarum Civitatum decus*, apud Marcellinum, *Colonia Sextanorum* apud Plinium L. III. indeque ab Honorio ſedes Præfectorum Prætorio, Metropolitica jura in Eccleſiaſticis ſuprà Viennenſem affectans. Ac mox evectus Arelatenſis, favore Zoſimi, Hilarii, Vigilii, Pelagii I. Gregorii, &c. primatum conſecutus non modò in Viennenſem, & Narbonenſem Galliam, ſed & in primam Lugdunenſem, ac tandem in Gallias omnes, *Vicariatûs* Romani titulo. Donec Anno MCXX. *Viennenſis* rursùm ſurgeret favore Calliſti II. Primatum *ſuper ſeptem Provincias* conſecutus. Præter propriam Diœceſim, in quâ urbes inclytæ *Geneva* (olim *Gebenna*, *Gennava*, non confundenda cum *Gennavâ* maritimâ quæ Genua eſt, nec cum *Gennabo* quod eſt Aurelia, aut cum *Gebennis* in plurali, tractu montano, hodie *les Cevennes*) quaſi Lacui Lemanno imperans, cui & nomen dat Lacûs Genevenſis, aliàs *Colonia Allobrogum*; tùm *Gratianopolis*, *Valentia*, *Dia*, *Alba Vivarium*, & *Maurienna*, ut pluribus in Decreto quod nuper edidit Stephanus Baluzius. Porrò *Arelatenſis* manſit Primas *Viennenſis Secunda*, indè à Sixto IV. ſub quâ Auguſta Tricaſtinorum (hod. *Nion* truncato nomine ex *Niomus*, Noviomagus, Ptol. Νεόμαγος) Arauſio Cavarum, Maſſilia, & Telo Martius ſeu *Toulon*. Sed detracta ſimul *Avennio* civitas ad Rhodanum, Metropolis facta *Viennenſis Tertia*, ſub quâ Vaſio (Vaiſon) Carpentoracte (Carpentras) & Cabellio (Cavaillon) monti impoſita ad Druentiam fluv. *la Durance*. Omnium celeberrima fuit *Maſſilia* (Μασσαλία an à *μάσσειν mollire*, quaſi Μαλακία) Græcorum Phocæenſium Colonia, antiquitate, arce in excelſo munitiſſimâ, portu tutiſſimo, navalibus, commerciis, Literis etiam clariſſima; cujus regio, altera in Galliis *Græcia*; & quæ antè Venetias Maris Adriatici Dominas, Orientalium mercium florentiſſimum emporium fuit.

Aquitania Prima, Ἀκουϊτανία Straboni & Ptolemæo ab Aquis ſalutaribus ſic dicta, ſita fuit ad Occaſum Ligeris, & Lugdunenſis Primæ, ad Ortum Aquitaniæ Secundæ; in quâ *Bituriges Cubi* (οἱ Κοῦβοι) *Lemovices*, *Arverni*, *Vellavi*, *Ruteni*, *Gabali* (undè pagus *Gevaudan*) *Cadurci*, *Albienſes*, *Helvii*, &c. Hodieque in eo tractu Ducatus Bituricus, Arvernia Superior & Inferior, Marchia Provincia, Pagus Burbonicus, Lemovicinus, Gabalicus, Rutenicus (Rodez) Albigenſis, Cadurcinus. Metropolis fuit *Avaricum*, vel *Avaricum Biturigum*, aut *Bituriges* ſimpliciter, Gallis *Bourges*, tempore Caroli M. totius regni Aquitanici caput; undè ejus Epiſcopus Primas Aquitaniarum, etiam *Patriarcha*, cui haud *Burdegalenſis* modò, & Auſcenſis Metropolitica, ſed & *Narbonenſis* Eccleſia aliquando ſubjecta, nempè regno *Aquitanico* ſtante. Poſteà jugum illud ſenſim fractum favore Pontificum, in gratiam Narbonenſis Eccleſiæ primò, jam indè à Nicolao I. & ſucceſſoribus; tandem & Burdegalenſis, quæ & ipſa *Primatûs* titulum, ſed ſeriùs, conſecuta eſt. Urbes Epiſcopales, quæ ſub Bituricenſi ſint hodieque, ut ex ſuperioribus ferè patet; *Arverni*, aliàs à ſitu, *Clarummontem* Arvernorum, Gall. Clermont; civitas *Lemovicum* Aquitanorum, Gall. Limoges; civitas *Rutenorum*, Gall. Rodez; *Cadurcum* Gall. Cahors; *Albia* vel *Albigia* celebris ipſo nomine Albigenſium, hodiè Alby; *Alba Helviorum*, ſeu *Vivarium*, Viviers, caput Gentis Helviorum ad Rhodanum, quæ vulgò le Vivarez; *Memmate*, vel *Mimmate* Gall. Mande, undè Mimmatenſis Epiſcopus, quò è civitate *Gabalitanâ*, metu incurſionis Alemannorum, pridem tranſlatus Epiſcopatus fuit. XII. Aquitania Prima.

Aquitania Secunda priori ad Occaſum fuit, Oceanum verſùs, Lugdunenſi Tertiæ ad Meridiem, Novempopulanæ ad Septentrionem. Heic *Bituriges Vibiſci* vel *Viviſci*, *Pictones*, *Santones*, *Ageſinates*, *Petrocorii*, *Nitiobriges*. Hodie Aquitania, Pagus Pictavus, Santonicus, Ecoliſmenſis, Aginnenſis, Perigordienſis. Metropolis *Burdegala* Biturigum Vibiſcorum, Ptol. ἡ Βουρδίγαλα, hodie ad ſiniſtram *Garumnæ* fl. ripam, nonnullis quaſi *Burdi Galli*, id eſt, falſi Galli, quod ex Celtis ſe Aquitanis immiſcuiſſent. Olim fuit Bituricenſi ſubjecta, XIII. Aquitania Secunda.

ſub

Digitized by Google

ſub recentioribus Papis αὐτοκέφαλος, & Primatûs honore ornata. Igitur ſub Burdegalenſi Metropolitano fuerunt *Pictavi* vel *Auguſtoritum* Pictonum, Poitiers; *Santones*, vel *Sanctones*, etiam *Mediolanum* Santorum, Sainctonge, mendosè Xaintonge; *Aginnum* vel *Agennum* caput Nitiobrigum, ad Garumnam, Agen Gallis, Joſephi Scaligeri patria, cui proximus à Burdegalâ locus datus eſt; *Iculiſma* vel *Ecoliſma*, aut *Engoliſma* ex quo Engouleſme; *Petrocoriorum* urbs (Πετροκορίων) Ptolemæo eſt Οὐέσουνα *Veſuna*, quod veteris civitatis nomen fuit, Gallis *Perigord* & *Veſune*; de quibus in Galliæ Notitiâ accurate Hadr. Valeſius.

XIV. Novempopulana. *Novempopulana* à numero Populorum quos hæc Provincia continebat, priori ad Meridiem, quæ & *Aquitanica Tertia*, Oceano ad Occaſum terminata fuit, Pyrenæis montibus ad Auſtrum, Aquitanicâ Primâ & Narbonenſi ad Ortum. Hìc *Auſcii* vel *Auſci*, *Eluſates*, *Vaſates*, *Aquenſes* vel *Tarbelli*, *Lactorates* vel *Lectorates*, *Cocoſſates*, *Bigerrones*, *Convenæ*, qui hodie Vaſconiam, Pagum Aquenſem in Arenis, Beneharnum hinc Bearnum, Baſconiam, Bigerriam, Armacenſem Comitat. incolunt. Metropolis quondam *Eluſa* fuit vel *Eluſo*, Rufini Præfecti Præt. patria, deinceps (Urbe hac dirutâ, hodieque è Civitatum catalogo diſpunctâ) *Auguſta Auſciorum*, vel *Auſcorum*, Gallis Auch; undè Archiepiſcopatus *Auſcitanus*, vulgò ſed malè *Auxitanus*. Sub quo fuerunt Epiſcopatus *Lectorenſis* Gall. Lectoures, *Aquenſis* in Tarbellis Gente Aquitaniæ, unde *Acs* vel *Dax* nomen Urbis, *Vaſatenſis* Gall. Bazas, quæ urbs Ptolemæo eſt Κοσσίων, *Bigorrenſis* vel Beorrenſis, aliàs *Tarvienſis*, hod. Tarbe, cujus Arx & Sedes Epiſc. fuit Bigerra; *Convenenſis* à Convenis urbe ad Pyrenæos montes, ex quâ Vigilantius, hinc is Hieronymo *latronum & Convenarum natus de ſemine*, hodiè Cominges, aliàs Civitas S. Bertrandi, urbis Epiſcopi circà A. MCXX.

XV. Narbonenſis Prima. *Narbonenſis Prima* cui ad Ortum Rhodanus, ad Meridiem Mare Gallicum, ad Occaſum Novempopulana, complexa olim fuit *Volcas Tectoſages* & *Arecomicos*, ac *Sardones*; id eſt hodiè Tholoſanum, & Occitaniam omnem, ſeu Gotthiam vel Linguadociam, ac Comitatum Ruſcinonenſem. *Linguadokium* (Languedoc) quaſi Lingua Gotthorum, vel *Lingua d'Oc*, quæ ſcilicet pronunciaret *Oc* loco *Oui*, dicta etiam *Gotthia*, & *Septimania* ſcil. à numero Urbium Narbon. I. quæ fuêre ſub Narbonâ Civitate, nempe *Toloſa* (Toulouſe) *Biterra* (Beziers) *Nemauſus* (Nimes) *Agatha* (Agde) *Leuteva* (Lodéve) *Ucetia* (Uzés) *Magalona* (Maguelonne) de quâ Septimaniâ fusè Hadr. Valeſius. Poſtmodùm A. MCCCXVII. avulſa Toloſana Diœceſis à Johanne XXII. *Toloſâ* ad Garumnam fluv. in Metropolim Narbonenſis Tertiæ evectâ. Primæ verò Narbonenſis caput ab antiquo fuit *Narbo*, quæ & *Narbo Martius*, & *Colonia Julia*, in Volcorum Tectoſagum pago, Colonia Romanorum pervetuſta. Et hujus Epiſcopus olim *Bituricenſi*, tùm & *Viennenſi* Primati per Calliſtum II. ſubjectus, priori jam olim ſubductus fuit, variis Pontificum reſcriptis, poſteriori etiam à Benedicto XIII. cujus Bullam exhibet Steph. Baluzius. Et hæc Gallia Narbonenſis fuit *Gotthica* appellata. Epiſcopatus ſubjectos habent Notitiæ. Inter præcipuas Urbes à quibus Septimaniæ nomen, fuit *Nemauſus*, Plinio *Nemauſum*, in Inſcript. antiquis *Col. Aug. Nemauſ.* cujus populi *Volcæ* dicti & *Arecomici*, Amphitheatro hodieque ſuperba.

XVI. Narbonenſis Secunda. *Narbonenſis Secunda* inter Viennenſem Prov. à quâ detracta primitùs fuit, & Alpes Maritimas, illi ad Ortum, his ad Occaſum, media fuit. Complexa *Salyos* vel *Salvios*, *Tricorios*, *Mimenos*, *Vulgientes*, *Albiœcos*, *Oxibios*, *Deceates*. Nunc pars Delphinatûs Auſtralior, ubi Vapincum civitas Epiſcopalis, & *Provinciæ* pars ferè media cujus Metropolis *Aquæ*, ſeu *Aquæ Sextiæ*, à Cajo Sextio Calvino Proconſule, in *Salyum* vel *Saluviorum* agro, Urbs montana, ſplendida & inclyta quondam thermis, ſeu aquis calidis, unde Urbes variæ *Aquarum* nomen ſortitæ ſunt. Olim ſub hac & *Antipolis παράλιος*, vicina Lero & Lerinenſi Inſ. ſed Alpibus deinceps Maritimis adſcripta. Sub hac igitur remanſêre *Apta Julia* Gallis Apt; *Reji* vel *Albece Reiorum Apollinarium*, Gall. Riez; *Forum Julii* Gall. Frejus; *Vapincum* Gall. Gap; *Secuſtero* vel *Seguſterum* Gall. Siſteron, ad ripam Druentiæ flum. cujus Epiſcopus Valerius legitur in Epaonenſi Concil. A. DXVII.

XVII. Alpes Maritimæ. *Alpes Maritimæ*, *αἱ Ἄλπεις παραθαλάσσιοι* Dioni, παράλιοι Ptolemæo, quæ & *Liguſtica*, extremam Provinc. conſtituunt quâ parte Gallia ab Italiâ disjungitur. Malè cum Alpibus Cottiis in Samſonianâ Tab. Provinciam unam conſtituere dicuntur. Hìc quondam *Ebroduntii*, *Sontii*, *Capillati*, *Vediantii*, *Nerufii*, hodie Delphinatûs & Provinciæ pars Orientalior, ac Comitatus Nicææ. *Maritimæ* hæ dictæ Alpes impropriè, in mediterraneam regionem extenſæ. Caput fuit ſeu Metropolis *Ebrodunum*, *Eborodunum*, ſeu *Eburudunum* Caturigum, Gall. Ambrun, ad Druentiam ſita, quâ ſuperatâ deinceps incipiunt Alpes Cottiæ in Itinerario Burdigal. Diverſa ab hac Civitate fuit *Ebrodunum* vel *Ebridunum* Helvetiorum, ad Lacum ſita, *Iverdun* hodieque. Semperne verò Metropolitico jure gaviſa ſit Eborodunum, an ſeriùs, (uti quoque *Veſontio* in Sequanis, *Darantaſia* in Alpibus Grajis) quorum illud Petrus de Marca, hoc Hadrianus Valeſius aſſerunt, parùm intereſt. Epiſcopatus ſubjectos vide in Notitiis, & Tabulis Epiſcopatuum, & apud Hadr. Valeſium, in *Ebroduno* Caturigum. Nempè Urbes Epiſcopales, *Dignia* vel *Dinia*, nunc Burgus; *Nicæa*, Nizza; *Antipolis* Maſſilienſium, pro quâ hodie *Graſſa*, Graſſe; *Vincium* Vence; *Glannatera*, Glandere vel Glanderez; *Sanitium*, Saneſio, aliàs Civitas Senetenſis. Ad Alpes Maritimas & Graſſenſem Diœceſim referri debent, *Lerinus* & *Lero* Inſulæ, citrà Vari oſtia & oram Ligurum, cui in proximo Antipolis & Nicæa. A continente diſtat illa IV. aut V. M. P. Strabo Lerinum vel Leronem vocat à planitie Πλανασίαν *Lib.* IV. *Planaſiam*, Sidonius *Inſulam planam*. In Lerino fundavit Monaſterium Honoratus, à quo ibi Eccleſia major appellationem accepit, hinc Abbates celebres Honoratus, Vincentius Lerinenſis, & alii. In Lero Inſ. quæ maxima eſt, DC. Paſſ. freto à Lerino diviſa, fundatum fuit Monaſterium Virginum, Margaritæ Martyri & Virgini ſacrum; hinc Inſulæ *S. Margaritæ* nuncupantur.

SECUNDA DIOECESIS PRÆFECTURÆ GALLIARUM, *nempè* HISPANIARUM *illa.*

Hiſpaniæ quæ dictæ. *Hiſpaniarum* nomine hìc cenſentur, non modò Iberia omnis, indè à Freto Gaditano ad Pyrenæos montes, quibus Galliæ adhæret Aquitanicæ & Narbonenſi, Oceano undequaque cincta; ſed & Baleares Inſulæ, & trans Fretum Mauritania Tingitana, quæ ſub Vicario Hiſpaniarum in Civili adminiſtratione aliquamdiu fuêre, ex Rufi Breviario, & Laterculo Imperii. *Europæ caput* Hiſpania apud Strabonem, Ptolemæum, ratione ſitus Geographici, ut quæ prima omnium ab Occaſu exortis, hinc *Heſperia* aliquando; quemadmodùm Leyda noſtra *Germaniarum caput*, Inferioris & Superioris, in Itinerario Anton. ſeu principium, urbs ſcil. extre-

ma ad Rheni oſtia, undè Germaniæ Gallicanæ inciperent. Et hinc ſitus ac termini Hiſpaniarum intelliguntur. Quæ quoniam Cuniculoſa regio fuit, hinc Bocharto dicta שפנין *Spania*, à שפן Cuniculus.

Diviſio, & Provinciæ Civiles.

Diviſionem Hiſpaniarum nihil moramur, variam apud Hiſtoricos, *bipertitam* antè Auguſtum, à quo in Provinciam redactæ Hiſpaniæ, Citeriorem nempè & Ulteriorem, dividente *Ibero* qui hodieque *Ebro*, à quo Hiſpania *Iberia* nempè Heſperia ſeu Occidentalis, diſtinctè ab Iberiâ Aſianâ. Deinceps fecêre *quinque-partitam*, additis nempe *Tarraconenſi*, *Bætica*, & *Luſitanica* Provinciis, *Carthaginenſi* Ortum & Meridiem versùs, & *Galleciâ* ad Septentrionem & Occaſum. Hinc Vicarius *quinque Provinc.* per Hiſpanias. Eademque in Eccleſiaſticis quæ in Civilibus, diviſio obtinuit, ex Notitiâ Epiſcopatuum apud Garſiam Loayſam, in Collectione Concilior. ad Decretum Gundemari: Præterquàm quod 1. *Tingitana* ſub Cæſarienſi Primate in Eccleſiaſticis fuiſſe videatur, ſub Vandalorum Africano imperio ab Hiſpaniis avulſa. 2. *Narbonenſis* Galliarum aliquamdiu Hiſpanicis accenſita fuerit, inprimis durante Gotthico imperio, quibus illa paruit; undè & Toletani Archiepiſcopi in Narbonenſem exercita primatûs jura, quæ poſt à Clemente IV. & Gregorio X. Seculo XIII. interdicta. Adi Baluzium in Appendice de Primatibus, *Num.* XXII. & ſeq. *Baleares* ſub Tarraconenſi Metropolitano fuêre aliquamdiu, poſteà ad Africam retractæ.

Prov. Eccleſiaſticæ.

Eccleſiarum in Hiſpaniâ antiquitas, dignitas.

Eccleſiarum per Hiſpanias antiquitas conficta alia eſt, alia genuina. Prior, quâ vel ab ipſis *Apoſtolis* fundatæ referuntur, nominatim à Petro primo in Apoſtolis, & à Jacobo Zebedæi poſt necem Stephani, & à Paulo Apoſtolo: Vel ab *Apoſtolorum* diſcipulis in Hiſpaniam miſſis, Eugenio, Torquato, Cteſiphonte, Secundo, Cæcilio, &c. Et illa quidem de Petro & Jacobo, nituntur manifeſtè Apocryphis, ſub nominibus Iſidori, Flavii Dextri, Turpini Arch. Rhemenſis, ut & Breviario Toletano, Metaphraſte, Legendis, &c. De Paulo autem, meris conjecturis, ex *Rom.* XV. 28. 2 *Tim.* IV. 10. nuſquàm *ſignificante* Paulo *ſe Hiſpaniam adiiſſe*, ut falsò Gregorius VII. tradidit A. MLXXIV. *Epiſt.* XX. ad Alphonſum Caſtellæ, & Sancium Arragonum, Reges. Iſta verò de Epiſcopis in Hiſpaniam per *Apoſtolos* miſſis, hauſta ſunt ex eodem Flavii Dextri Chronico, & interpolatis Bedæ & Adonis Viennenſis Martyrologiis. Tacent verò his vetuſtiora monumenta, & inter cæteros Aurelius Prudentius ipſe Hiſpanus qui, in Libro περὶ Στεφάνων, vetuſtiores Hiſpaniæ martyres laudibus extulit, nuſquàm verò vel Apoſtolum vel Apoſtolicos illos in Hiſpanias delatos refert. Indubium tamen ſecundo Seculo fuiſſe Chriſtianiſmi luce colluſtratas, undè *Eccleſiarum quæ in Iberis* eſſent, meminit Irenæus, *Lib.* I. C. III. Tertullianus adversùs Judæos *Cap.* VII. Cyprianus paſſim, *Epiſt.* XXXV. LXVIII. &c. Earumque dignitas Eccleſiarum, ineunte Seculo IV. ex illâ Oſii Cordubenſis, & Conſeſſûs Illiberitani, intelligitur.

Calamitates earundem.

Infelices autem Hiſpaniarum Eccleſiæ, duplici cumprimis nomine. 1. Quod multarum *Hæreſeôn* colluvie ſtatim à principio infectæ fuerint, Baſilidis primò & Gnoſticorum, teſte Hieronymo in Lucinii Bætici Epitaphio; hinc Arianâ Hæreſi, poſt Oſii Cordubenſis & Potamii defectionem, ac receptionem formulæ Sirmienſis; maximè verò poſt Barbarorum irruptionem, Gothorum, Suevorum, Vandalorum, qui omnes Arianâ Hæreſi infecti, ad annum uſque Chriſti Vulg. DLXXXVII. quo Reccaredus factus eſt Catholicus. Adde Luciferianos, Priſcillianiſtas, Felicianos, tandem & Saracenos à Seculo VII. Hiſpanias miſerè polluentes. 2. Quod *Barbarorum* primò, dein *Saracenorum* jugum, præ cæteris ſubierunt. Effuſi nempè in Hiſpanias primò Vandali, Alani, Suevi, circà A. CCCCIX. poſteà Viſi-Gothi pulſis Vandalis, circà A. CCCCXXIX. licet ad tempus Romanis obtemperantes, Ariani hi quidem, uſque ad Reccaredum Regem, labente Seculo VI. donec Anno DCCXII. irruptionem facerent Saraceni, ac Muhammedaniſmum inferrent. A quo tempore dicti *Mozarabes* Chriſtiani per Hiſpanias diſperſi, aliis quaſi *Mixtarabes*; niſi potius ſic dicti à *Muza* filio Nacer, Arabum Præfecto, ſub Abul-Gualid VIII. Califâ, A. DCCX. quo tempore Mauri Hiſpanias invaſerunt, Juliano Comite proditore, atque expeditioni illi à Muzâ præfecto Duce cui nomen fuit *Taric.* Ne *lapſorum* per Hiſpanias multitudinem dicam, flagrante perſecutione, imprimis Diocletiani & Maximiani, antè quam Conſtantius Chlorus Hiſpanias obtineret: Quò ſpectaſſe videntur Canones complures *Illiberitani*, circà A. CCCV. qui lapſos unicè reſpiciunt; poſteriores hos quanquàm Nicænis cenſet Garſias Loayſa.

Regimen Civile & Eccleſiaſt.


Regimen quod ſpectat, *Civile* quidem fuit ſub Vicario vel Comite Hiſpaniarum, & ſub hoc tres *Conſulares* erant, Bæticæ, Luſitaniæ, Galleciæ; quatuor *Præſides* in Prov. reliquis. Et hoc quidem quamdiu Romanis Hiſpaniæ paruerunt, etiam ſub Gothis, uſque ad everſum Imperium Occidentis, ſub Auguſtulo. *Eccleſiaſticum* vero ſub Epiſcopis primò fuit iiſdemque ἰσοτίμοις, niſi quos *ordinationis* tempus reliquis præponeret. Hinc ſeculo III. in cauſâ Baſilidis & Martialis, quos Epiſcopatu dejecerant Clerus Legionenſis, & Emeritanus, non ad ſententiam Metropolitanorum, ut oportuit ſi qui tùm in Hiſpaniâ, ſed ad Cypriani Carthaginenſis illam recurrerunt, ex hujus Epiſt. LXVIII. ut pluribus in *Hiſt. Eccleſ.* Ita ineunte ſeculo IV. in Concilio Nationali Illeberitano, non Metropolitanus quiſpiam primus ſubſcripſit, ſed Felix *Acci* Epiſcopus, antè Hiſpalenſem, pro ordinationis ſuæ tempore. Nec vel Lucii Papæ Epiſtola Decretalis ſuppoſititia, exeunte A. CCLV. vel Canon CVIII. Illeberitanus, qui *prima Cathedra* ſeu Urbis in quâ ſederet Epiſcopus, (quomodò *prima Sedes* frequenter pro Epiſcopalibus) meminit, Hierarchiæ eam rationem probant. Sed *Metropolitani* ſeu *Primates* Povinciarum, ſenſim eminuêre, ſcil. Primæ Sedis Epiſcopi, vel ex Concilio Toletano II. A. DXXXI. ad calcem; & Bracarenſi I. A. DLXI. ex Canone hujus Synodi XXIV. Atque inter hos ἰσοτιμία, & ordo promiſcuus fuit, ſolaque *ordinationis* prioritas modò Hiſpalenſem, modo Toletanum, modò Emeritanum, &c. in ſubſcriptionibus Conciliorum antepoſuit. Donec ſeculo VII. labente, in Synodo Toletanâ XII. *Primatis* in Provincias cæteras quædam jura, Ordinationum puta, affectaret Toletanus; poſteà & *Bracarenſis* Galleciæ Metropolita, obtentu Jacobei ad ſuos appulſûs; quandoque & *Hiſpalenſis*, & *Tarraconenſis*, Vicariatûs Pontificii, ſibi tùm demandati, jure. Concinunt inter cæteros Ferdin. de Mendoza Diſſertat. ad Canonem Eliberitanum LVIII. Petrus de Marca, Libro de Primat. N. CXXV. & *ſeq.* & in noſtris Dav. Blondellus ad *Caput* XXX. de Primatu Eccleſiæ, ad Jacobum Regem, contrà Perronium Cardinalem. Hodierni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus plerique recentioris inſtitutionis ſunt; atque inter illos *Burgenſis*, *Compoſtellenſis*, *Granatenſis*, *Cæſaraugustanus*, *Valentinus*, *Olyſſiponenſis*, *Eborenſis*.

Papis jus in Hiſpanicas Eccleſ. olim nullum.

Romanis Pontificibus nulla olim in Hiſpanicas Eccleſias jura, ſeu inveſtituræ, ſeu appellationum, ſeu indicendarum Synodorum, &c. Quæ Metropolitanis Eccleſiis ſingulis à Nicænis Patribus aſſerta, ut pluribus nos Diſſertatione *ad Canonem Nic.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Nic. VI. Nec Lucii, aut Dionyſii, Paparum Pſeudo-Decretales moramur. Sic non ad Stephanum cujus factum in Baſilide reſtituendo damnabant, ſed ad Cyprianum, in *Baſilidis* & *Martialis* cauſa, ab Hiſpanis itum, ex *Epiſt.* LXVIII. inter Cyprianicas, de quo diximus ad Sec. III. Nec in *Illiberitana* Synodo ulli apparent, ut aliàs ſolitum Romæ fuit à temporibus Hildebrandinis, Legati Pontificii. Neque in *Synodis Hiſpanicis* cæteris, ſub Suevico & Gothico imperio, auctoritas alia ſuprà Regiam agnita, Nationales Synodos convocandi, moderandi, Eccleſiaſticam in iis Diſciplinam, vel Religionem inſtaurandi, Canones confirmandi; ut ex earum Synodorum Collectione, quam edidit Garſias Loayſa A. MDXCIII. prolixè liquet. Secùs tamen accidit à temporibus Gregorii VII. Urbani II. & Succeſſorum, quorum integra decreta videſis apud Steph. Baluzium, in *Appendice* libri *de Primatibus* Petri de Marca. Nunc de Provinciis Hiſpanicis ſingulis, & in his Metropolibus, agendum ſtrictim, a Bæticâ Meridionali initio ducto.

I. Prov. Bætica. *Bætica* Prov. olim *Proconſularis*, dein *Conſularis*; quam Bætis fluvius mediam alluit, termini fuerunt à Meridie Mare Gaditanum, cum Freto, & Mare Ibericum; ab Occaſu Mare Atlanticum, & Anas fluv. à Septentrione idem fluvius Anas, à Luſitania & Tarraconenſi disjungens; ab Ortu Prov. Carthaginenſis. Complexa inprimis *Turdetanos*, *Turdulos*, *Baſtulos*, hodie *Andaluſiam*, (Vandaloſiam olim, quaſi Vandalorum domum) cum Gadibus, Eſtremaduram, Granatam. Metropolis ab antiquo *Hiſpalis*, (à palis infixis paludoſo loco) quæ & in Eccleſiaſticis monumentis *Spalis*, ut Sabinus Epiſc. Spalenſis in Concil. Illiberit. Arabibus *Iſbiliah*, unde factum *Sevilia*. Sita fuit Hiſpalis, ad Bætim fluv. Gothorum illa primo regia, hodie Sevilia, vel Sivilla Andaluſiæ; cujus tamen Epiſcopus, antè Gothorum tempora, in Concilio Illiberitano ſecundo loco ſubſcripſit. Proxima illi ad Occaſum *Italica* Turdetanorum, à Scipione Africano condita, collocatis ibi vulneratis & emeritis militibus, unde Italicæ nomen accepit; hodiè pagus eſt, *Sevilia la veia*, ſive Sevilia vetus. In hac Provinciâ Hiſpaniarum & *Illiberis* vel *Eliberis* (Elvira) ſita fuit, in cujus locum ſucceſſit *Granata*, Archiepiſcopalis facta indè ab Alexandro VI. Pontifice, à Malo Punico ſic appellari credita, ob denſiſſimas domos, quibus hæc urbs referta fuit. Hic quoque *Corduba* ad Bætim, Metropolis Hiſp. Bæticæ in Turdulorum regione, *Colonia Patricia* in Numm. quod eſſet Colonia Veteranorum & Honeſtiorum, apud Strab. L. VIII. Senecæ & Lucani patria. Hujus Epiſcopus Oſius, jam tempore Synodi Illiberit. fuit. Hic & Α'ςυγὶς Aſtige in Inſcript. Urbs & Colonia, apud *Plin.* L. III. C. I. etiam *Colonia Octavianorum* vel *Octavia*, an ab Auguſti Sorore, cum Epithetis *Aug. Julia Firma*. Sic *Gemella* Turdulorum, in eadem Hiſpan. *Col. Aug. Gemella*, ubi *Legio* XXIV. apud Goltzium. Sic *Nabriſſa*, Νέβρισσα, Urbs Turdetanorum, *Veneria* Plinio, in Hiſp. Bætica hodieque vinetis & olivetis abundans. *Malacca*, hodieque *Malaga*; *Stucci*, *Acci* nunc Gadix, Gades, Cades, Γάδειρα, *Urbs Auguſta Julia* Gaditan. Quarum Epiſcopi Synodo Illiberit. interfuerunt. Olim credita Gades *Tarteſſus* Inſula, in mare Hiſp. inter duo oſtia Bætis, qui olim & ipſe Tarteſſus; *Noſtri Tarteſſon appellant, Pœni Gadix, Punicâ linguâ*, ſic Plinius *Lib.* IV. C. XXII. Undè Bochartus explicat תרשיש *Tarſis* Scripturæ. Plinius duas fuiſſe Inſulas memorat, quarum altera à mari abſorpta videtur.

II. Luſitania. *Luſitania* Veteris, ut Provinciam conſtituit, termini fuerunt à Meridie Anas fluv. hod. *Guadiana*, ab Occaſu Oceanus, à Septentrione *Durius* fluv. Δωρὶς Ptol. Δωρίας Strab. ab Ortu Tarraconenſis. Mediam Tagus interfluxit, Hiſp. Tajo, ad cujus oſtia ſita *Oliſippo*, *Olyſippo*, quaſi *Ulyſippo*, hinc Ο'δυσσεὺς Stephano, apud Plinium *Felicitas Julia*. Hodie *Portugallia* dicitur, ſeu à Portu Gallorum, ſeu à Portu Gallæciæ, ſeu aliunde. Hic ex parte *Turdetani* Τυρδετανοὶ Ptolem. *Vettones*, *Luſitani*, *Celtici* Populi, hodie pars major Portugalliæ, & Caſtiliæ utriuſque pars Occidentalior, denique Algarbia. Metropolis olim *Auguſta Emerita* ad Anam fluv. in Inſcr. *Col. Aug. Emerita*, Η'μέριτα Ptol. cujus cives *Juris Italici* fuerunt, apud Paulum JC. *Dig.* de Cenſu *leg.* 8. Hujus Epiſcopus Martialis fuit, Idololatriæ poſtulatus, tempore Cypriani, ex *Epiſt.* LXVIII. Ac ſub eâ quondam *Olyſſipo*, *Oſſonaba*, *Conimbria*, *Abula*, *Salmantica*, *Elbora* ſeu *Ebora*, *Epiſcopales* Urbes aliæ, Gothicis temporibus. Poſteà verò à Saracenis occupatâ Emeritâ, tranſlatâque *Compoſtellam* ſede à Calliſto II. & evectâ *Olyſippone* à Bonifacio IX. Epiſcopalis etiam eſſe deſiit; quæ olim maximè conſpicua in Synodis Illeberitanâ, Arelatenſi I. & II. Sardicenſi, Hiſpanicis variis. *Ebora*, Ε'βορα Ptolem. Luſitaniæ urbs, diſtinguenda ab aliis Eboris quas in Hiſp. locat Ptolem. Et apud Plinium, IV. 22. inſcribitur *Liberalitas Julia*. Tacemus *Conimbricam*, hodiè *Coimbram*, olim regni Luſitanici caput, hodiè literis, quales ibi traduntur, florentem Academiam.

Gallecia vel *Gallæcia*, à *Callæcis* vel Καλλαϊκοῖς, extremis Hiſp. ad montana & Oceanum populis, III. Gallæcia. undè Καλλαικία apud Strabonem, Conſularis quondam Provincia fuit. Termini fuerunt à Meridie Durius fluv. à Luſitanis diſterminans, *Duero* hod. ab Occaſu & Septentr. Oceanus Atlanticus & Cantabricus, ab Ortu Cantabri, & Tarraconenſis Prov. Heic Gallaici, *Braccari* & *Lucenſes*, *Aſtures*, *Cantabri*, *Clunienſes*, &c. Hodiè pars Portugalliæ Borealior, Aſturia, Legio, Gallæcia omnis. Metropolis ſub Romanis, & Suevis qui Gallæciam tenuêre ad annum uſque DLXXXV. dein ſub Gothis, fuit antiquitùs *Bracara*, quæ & *Bracara Auguſta* in Itin. Anton. Βράκαρ Αὔγουστα Ptol. nobiliſſima in Hiſpaniæ urbibus, de Primatu deinceps certans cum Toletanâ Sede, Conciliis ſub Suevorum imperio illuſtris, quorum Rex Theodomirus Catholicus Gentem ab Hæreſi revocavit. Nunc Portugalliæ civitas eſt *Braga*, & etiam nunc Archiepiſcopalis. Poſteà Gallæciâ ſub Theodomiro bipertitâ, in *Bracarenſem* & *Lucenſem*, acceſſit in Provinciâ Lucenſi, quæ priori ad Septentrionem, *Lucus* Metropolis, *Lucus Auguſti*, Λοῦκος Αὐγούστου Ptol. & *Lucus Aſturum* hod. Lugo, Suevorum aliquando regia, in quâ Synodus Lucenſis habita ſub Theodomiro A. DLXIV. Sed hæc poſteà dignitate Metropoleôs fraudata, Receſſvintho Gothorum Rege, in Concilio Emeritenſi, A. DCLXVI. ubi Regis tam in *Secularibus* quàm *in Eccleſiaſticis regendis*, ac *recte diſponendis* ſapientiam efferunt Synodi Patres, apud Loayſam, p. 409. & 522. Poſterioribus Seculis, ad A. MCXXIV. Gallæciæ totius Metropolis evaſit *Compoſtella*, hodiè *Sant Jago*, voce ex *Jacomo* (Jacobo) *Apoſtolo* formatâ, cujus ibi ſingularis cultus eſt, ex famâ Reliquiarum Jacobi, de quibus in Hiſt. Eccleſ. *col.* 1345. Credita quæ *Brigantium* olim appellata, vel *Flavium Brigantium* Callaicorum, apud Antonin. Φλαούιον Βριγάντιον Ptol. à *Flavio* Veſpaſ. diſtinctionis ergò à *Brigantiis* aliis in Britanniâ, Galliâ in-Alpinâ, Vindeliciâ ad Lacum Brigantinum: Dicta etiam fuit *Iria Flavia*; aliis obſcurus antè Fabulam Turpinianam locus.

Tarraconenſis Prov. hod. *Arragon*, Gallæciæ & IV. Tarraconenſis. Luſitaniæ ad Ortum fuit, Mare Iberico ab Ortu,

à Septentrione Pyrenæis montibus, à Meridie Carthaginenſi Prov. terminata, interfluente Ibero fluvio. Incoluerunt hunc tractum *Coſetani*, *Caſtellani*, *Auſonii*, vel *Auſani*, *Vaſcones*, *Celtiberi* ex parte, alii quos vide in deſcriptione Hiſpaniarum & Tab. Samſonis. Nunc eam partem conſtituunt Arragonia, Catalonia, Navarra, Biſcaja. Metropolis quondam Civilis & Eccleſiaſt. *Tarracona*, vel *Tarraco*, Collectaneorum victrix in Numm. *Togata*, *Tyrrhenica* apud Auſon. cui permiſſum, petentibus Hiſpanis, ſtruere Templum Auguſto, ſita fuit ad Mare Balearicum; ampliſſima Civitas, aliquando tamen Narbonenſi Archiepiſc. in Eccleſiaſticis ſubjecta, decernente Urbano II. Epiſt. ad Raynerium Cardinalem, quam videſis apud Steph. Baluzium. Deinceps & Arragoniæ Metropolis *Cæſar-Auguſta*, Καισάρεια Αὐγοῦστα Ptol. *Col. Rom.* hinc aliquando dicta *Urbs Roma*, ut *Braulius Epiſc. urbis Romæ*, id eſt, Cæſarauguſtæ, apud Lucam Dacherium T. I. *Præf.* N. III. Hodiè corruptè dicitur Carragoça. Cataloniæ caput civile *Barcinone* vel *Barcino*, Navarræ *Pampilona*, quæ hodie ſub Burgenſi Archiepiſcopo. Sic frequenter in Nummis *Col. Aſturica Auguſta*, Hiſp. Tarraconenſis; *Emporia* (Ptol. Ἐμπόρια) Urbs maritima, Col. Rom. *Oſca*, apud Plin. Ptolem. hodiè *Hueſca*, Urbs per excellentiam in Nummis, & *Urbs Victrix*; *Segovia*, Ptol. Σιγουβία, *Sigobrigia*, hodiè Segerbia, Col. Rom. cuijus cudendæ monetæ conceſſum; *Ilerda* ejuſdem Provinciæ, hodiè Lerida, per metatheſim literar. Celſa (Κέλσα) urbs Tarraconenſium, apud Strabonem, Plinio aliquando in Nummis *Julia Victrix*; *Saguntus*, inter Segobrigiam & Valentiam, memorabilis obſidione Hannib. *Dertoſa*, *Derdoſa*, in Itiner. Antonini, Colonia & Municip. Rom. in Nummis; Βίλβιλις *Bilbilis* in Celtiberis, cujus hodiè apparent ruinæ in monte, Colonia quæ ab Auguſto *Jure Italico* donata; Et quæ plures fuêre in Tarraconenſi Prov. Urbes.

v. Carthaginenſis. *Carthaginenſis* Prov. deinceps *Toletana*, dignitate prima, terminos habuit à Meridie, inde à Virgitano vel Urcitano Sinu, Mare Ibericum, & Bæticæ partem; ab Ortu, Mare itidem ad Saguntinos fines; à Septentrione Tarraconenſem; ab Occaſu Luſitaniam & Bæticam. Hîc *Celtiberorum* pars qui Κελτίβηρες Ptol. ex Celtis & Iberis ſociatâ Gente; & *Carpetanorum* ubi Toletum; quibus *Oretani* ad Occaſum, *Baſtitani* & *Conteſtani* ad Ortum, cum vicinis Inſulis. Hodie per eum tractum diffuſæ Caſtiliæ vel Caſtellæ utriuſque pars Orientalior & Meridionalior; *Valentia* cujus hoc nomine nobiliſſ. Emporium eſt; *Murcia* quæ olim Baſtinorum fuit, cognomine Metropoli, quæ Μοῦργος Ptol. Hujus Metropolis quondam *Carthago nova*, quæ *Carthagena*, Καρθαγηνῶν Metropol. in Nummis Severi & Gordiani, Colon. ad Sinum Virgitanum, à Pœnis condita, à quâ Prov. nomen. At ſubverſâ eâ Suevorum ac Barbarorum armis infeſtis, ſurrexit poſteà *Toletum* Carpetanorum, (Καρπησίους vocat Polybius) Τώλητον Ptolem. urbs mediterranea ad *Tagum*, in Hiſpaniæ velut umbilico, Gotthorum regia indè à Leovigildo Reccaredi Patre, ultrà medium Seculum VI. Undè Concilia pleraque Hiſpanica Toleti indicta, & Toletanus pro *Metropolitano* primùm, dein & *Primate* quodam habitus, in Synodo Toletanâ XII. Hervigio Rege, *Sec.* VII. de quo diximus in Hiſt. Eccleſ. *col.* 1201. 1202. Sed auxit poteſtatem Urbanus II. Ildefonſo Rege, poſt exactos Saracenos, Toletano *in totis Hiſpaniarum regnis Primate* conſtituto, invitis Provinciis reliquis. Imò & in Narbonenſem Provinc. Gotthis olim ſubjectam, primatûs jura affectavit, interdicente Clemente IV. quâ de controverſiâ nuper Baluzius in Appendice Actorum Veterum. Sub Toletano eſt hodieque *Madritum* gratum Regibus domicilium. *Burgenſis*, cujus Metropolis *Burgos*, Caſtiliæ Veteris, Metropolitanus ſeu Archiepiſcopus evaſit demùm ſuperiore ſeculo, ſub Gregorio XIII. A. MDLXVIII. Hîc olim *Numantia*, totius Hiſpaniæ munitiſſima, de quâ qui Bellum Numantinum deſcripsêre, & res P. Corn. Scipionis Afric. à quo Numantia tandem deleta. Hic & *Complutum*, Κόμπλουτον Ptol. urbs celebris Academiâ, & editis ibi Bibliis Complut. Etiam *Alcantara* in ripâ Tagi, Νώρβα Καισάρεια Ptolem. Norbenſis Colonia Plinio, ponte inprimis totâ Hiſpaniâ ſuperbiens, venerandæ antiquitatis. Alia oppida mittimus.

VI. Tingitana. *Tingitana* Hiſpania, ultrà Fretum Gaditanum, undè *Transfretana*, ſurgens *montibus ſeptem*, qui ἑπτάδελφοι, Colonia Julia, quia à Jul. Cæſare huc traducta, de quo vide Voſſium ad Mel. p. 198. Salmaſium refutantem. Certè Romanos è Tingi colonos in Hiſpaniam traduxiſſe, notat Strabo *Lib.* III. quæ Colonia hinc *Julia Traducta* apud Plinium *Lib.* V. C. I. quamvis à *Claudio* dicat factum, quod à Julio, obſervante Salmaſio ad Solinum. Præſidialis olim fuit, & ità in *Civilibus* ad Hiſpanias ſpectavit, antè Vandalorum in Africâ dominatum, ut in *Eccleſiaſticis* tamen cum Cæſarienſi Mauritaniâ Provinciam unam conſtitueret. Caput fuit Τίγγις, *Tingi*, hodie *Tanger*, quam & Καισάρειαν dictam habet Ptolem. *Tab.* I. Africæ, pro quo legit Iſ. Voſſius Obſerv. ad Melam *Lib.* II. C. VI. Τίγγις Καιτραρεία, à cætris vel cetris ità dicta, ſed coactè, nec aliâ illi ratione, quam quod *Tingitanam* Provinciam ſic dicendam quoque fuiſſe *Cæſarienſem*, ac proindè duas fuiſſe Mauritanias Cæſarienſes. *Tingis* undè dicta ſit non conſtat, quamvis Bochartus putet *Phœnices* ſcripſiſſe *Tingir*, ex תגר Syrorum, quod eſt *negotiari*. Ab *Antæo* conditam urbem habent Solinus, Plinius, Plutarchus, &c. Notum verò illud Procopii de Bello Vand. L. II. C. X. conditam à Phœnicibus, Gergeſæis puta & Jebuſæis, urbem *Tigiſim*, erectaſque *Columnas duas*, quibus inſcriptum fuerit Phœnicum literis & verbis, *Nos ii ſumus qui fugimus à facie Joſuæ Latronis filii Nave.* Cujus rei tam antiquæ nec Strabonem, nec Plinium, nec alios meminiſſe, mirum videatur.

Fuit autem Tingi Epiſcopalis urbs ſub Eborenſi (in Portugalliæ regno) Metropolitano. Ad hanc & *Gades* Urbs atque Inſula ſpectavit, à quâ Freto nomen, in capite aliàs Bæticæ, hodieque ſub Hiſpalenſi; quam *extrà Orbem Terrarum* locat Livius, extremum ſcil. terminum noti Orbis: Olim *Tarteſſus*, id eſt, Gades, quæ an Hebraicè תרשיש in Scripturâ dicatur, unde Tarteſſus, in quâ colebatur Hercules, cujus Columnæ in Tingitanâ erectæ, quæque omnibus metallis dives fuerit, Bochartus ὁ πάνυ dixerit, Phaleg. *Lib.* III. C. VII. & de Coloniis Phœn. L. I. C. XXXVI. At Gibraltar Fretum quod vocatur, ab Arabibus ſic dictum conſtat, quaſi *Gibel-Taric*, mons Taric, ab invicto Arabum Duce, qui è Tingitanâ in Hiſpaniam transfretavit.

VII. Baleares Inſulæ. *Baleares Inſulæ*, Major & Minor, undè *Majorica* & *Minorica* iſti Orientalior, ad Ortum Tarraconenſis & Carthaginenſis Prov. olim Prov. Hiſpaniarum Præſidialis, fuerunt. Quas Phœniciâ Origine dictas vult Bochartus ex בעל ירה *Magiſter jaculandi*, quod hi Inſulares eſſent σφενδονῆσαι *funditores*, ſeu uſu fundæ & teli jactu inprimis valerent; de *Colon. Phœn.* L. I. C. XXXV. Quare Diodorus L. V. & poſt eum Stephanus & alii, derivant ἀπὸ τοῦ βάλλειν, unde Βαλιαρεῖς; & hinc Γυμνῆτας vel Γυμνητὰς dictos. In Eccleſiaſticis modò ad *Hiſpanias*, modò ad *Africam* pertinuerunt, & ad hanc ſub Vandalis, & Gregorii I. tempore, ex Epiſt. LIV. *Lib.* XI. Hodie ſub *Valentino* Metropolitâ, & quondam Tarraconenſis Provinciæ.

Digitized by Google

TERTIA DIOECESIS
PRÆFECTURÆ GALLIARUM,
Quæ fuit BRITANNIARUM
Diœceſis.

Britanniæ quæ dictæ? *Britannia* Romanis ad Julium uſque Cæſarem, qui novum *Terrarum Orbem* ſe reperiſſe ſcripſit, hinc ad Claudium qui Britannos rurſùm aggreſſus eſt, inacceſſæ fuerunt, utpote toto Orbe diviſæ. Si in totâ ſuâ latitudine conſideramus, complexæ jam non *Majorem* modò Britanniam Ptolemæi, quà Auſtralem, quà Septentrionalem ubi Picti & Caledonii, non *Minorem* tantùm ejuſdem, quæ & Ivernia, dicta & priſtina ſeu Major *Scotia*; ſed & adjacentes omnes ad Auſtrum, ad Septentrionem, ad Occaſum, Inſulas, ad ultimam uſque *nigramque Thulem*. Si verò ut Provinciam Romani Imperii conſideres, poſt Pictos devictos, & protenſos illius fines ad Caledoniam uſque, termini fuerunt (in Majori tantùm Britanniâ) ab Auſtro Oceanus Britannicus & Gallicus; à Septentrione montana quæ ſuprà Edinburgum Pictos Damnios, à Caledoniis vel Ducaledoniis dividebant, ab Ortu & Occaſu Oceanus, cum adjacentibus Inſulis minoribus; Hiberniâ Romanorum armis nunquàm ſubactâ.

Diviſio Britanniarum Civilis. Diviſionem Britanniarum Civilem tradunt Hiſtorici in *duas* primùm ſub Severo Imperat. *Superiorem* ſeu *Auſtralem*, quæ & Citerior, atque *Inferiorem* ſeu *Borealem* quæ & Ulterior; tùm in tres, juxtà Camdenum, in Conſtantinianâ diviſione, *Britanniam Primam*, *Secundam*, & *Maximam Cæſarienſem*; tùm in quatuor, juxtà Sext. Rufum in Breviario, additâ *Flaviâ Cæſarienſi*, cui à *Flav.* Conſtantino vel Fl. Theodoſio nomen; tandem ſub *Valentiniano* Imper. in Provincias quinque, poſt Pictos Scotoſque devictos apud Amm. Marcellinum, additâ ad Septentrionem *Valentiâ*. Nec tamen de his *quinque Provinciis* Britannicis interpretari debuit aliquando Jac. Godofredus *Vicarium quinque Provinc.* Proclianum, ſub Honorio, L. xv. *de Paganis*, de quo dictum in Galliarum Diœceſi. Ac frivolæ hîc ſunt Caroli à S. Paulo, & aliorum, hac de Valentiâ, & Flaviâ Cæſarienſi, conjecturæ. *Heptarchiam* verò, ſeu Regna Septem, ſub Anglo-Saxonibus, Chriſtianæ fidei hoſtibus, (poſt Romanos devictos, exactoſque in Armoricam ſeu minorem Britanniam, & Cambriæ ſeu Walliæ ac Cornwalliæ montana, extorres Britannos) ſucceſſivè indè à medio Seculo v. erecta, Scotiâ citeriore Northumbriæ Regno innexâ, ex Camdeno, Uſſerio, ac recentioribus, ut vetuſtiora Chronica & Annales mittam, pluribus diſcere eſt; de quibus & nos in Hiſt. Eccleſ. *Sec.* v. *col.* 1047. *Sec.* vi. 1162.

Eccleſiaſtica diſpoſitio. *Eccleſiaſticam* diſtributionem quod attinet, hîc *certiora* ab *incertis*, vel *fabuloſis*, ſecernenda. In his ſunt, quæ de factâ ab *Apoſtolis* vel *Apoſtolicis* Viris non modò prædicatione Euangelii intrà Britannias, ut Euſebius de Demonſtr. Euang. L. iii. C. vii. & præcipuè Theodoretus, *Serm.* ix. T. iv. & in ii. Timoth. iv. 12. qui *Paulum* ex Hiſpaniis ad Nationes alias, etiam Britannias, intuliſſe lucem Euangelii; ſed quoque de factâ Epiſcopatuum per Britannias inſtitutione ac diſtributione: **Fabuloſa.** Sic de Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſedibus, ad numerum Archiflaminum *trium*, & Flaminum *viginti & octo* ſub *Lucio* rege, aptatis; de quinque ſedibus Metropolitanis, & LX. Epiſcopatibus inſtitutis à Fagano & Duriano ſeu Derviano, miſſis his ab Eleutherio Romano Presbyteris; ex fabuloſis Chronicis, Apocryphis ſcriptis, ac Pſeudo-Decretalibus Anacleti, Stephani, &c. tradiderunt. De quibus omnium inſtar conſulendus eſt Uſſerius noſter, *Antiq. Britann.* Stillingfleetius de *Origin.* Eccl. Brit. *Cap.* i.

Incerta. *Incerta* verò ſunt plurima alia, ſi non commentitia, quæ de fundatione Epiſcopatuum & Abbatiarum, per *Lucium* Britannorum Regem, indè ab Anno Vulg. CLXXIX. vel CLXXX. Eleutherio Romano Epiſcopo, tradunt Britannorum Chronica & Hiſtoriæ. Nec incertitudinem eorum quæ tradunt hac de re Godofredus Monumetenſis, Radulphus de Diceto, & alii, diffitetur Eruditiſſ. Stillingfleetius. Sic alii duas ſub eo Metropoliticas Sedes inſtitutas, *Londinenſem & Eboracenſem*; alii & plerique tres, additâ *Urbe Legionum*, ſeu *Caer-Leon*, quæ & Iſca Silurum ab Iſcâ fl. quâ de re prolixè Uſſerius, citatis Auctoribus, & noſtra Diſſertatio de Lucii Regis falsò traditâ Converſione ſeculo ii. *Eboracenſem* alii quoque à Conſtantio demùm Chloro, qui eâ in Urbe diem obiit extremum, fundatam ſtatuerunt. At *Legionum* Urbis in Cambriâ Metropolitanam Sedem referunt veriùs alii, & ipſe hodie Catalogus Landavenſium Præſulum, ad tempora Anglo-Saxonum; poſtquàm in has oras Britones, ſecuritatis ergò, commigraſſent, Dubricio primo Præſule Urbis Legionum, ineunte ſeculo vi. Transferendâ mox Sede hac in *Meneviam*, quæ & *S. Davidis*; hinc verò poſteà, ob peſtem inibi graſſatam, delato à Samſone Epiſcopo, in Dolenſem Sedem Galliæ Armoricæ, Archiepiſcopali *Pallio*.

Certiora. Certum itaque tres quondam Sedes Metropolitanas in Britanniâ inſtitutas, ac (ut referunt) jam Britonum tempore, antè illud Gregorii I. & Auguſtini Cantuarienſis: *Londinenſem* in Britanniâ Primâ, ad Ortum & Meridiem; *Eboracenſem* in Maximâ Cæſarienſi, ad Septentrionem; & tandem poſt pulſos Britonas in montana, *Legionenſem*, quæ & *Menevienſis* ſeu *S. Davidis*; in Britanniâ Secundâ, ſeu Walliâ ad Occaſum, ubi inclytus fertur Rex Arthurus. Et quanquam Provinciæ Civiles quinque, adjectis *Valentiâ* & *Flaviâ*, non tamen Eccleſiaſticarum numerus, ut in Galliis, aut Hiſpaniis, reſpondit. Quemadmodum hodie nonniſi ſedes duæ Metropolitanæ, ſeu Prov. Eccleſiaſticæ, Cantuarienſis & Eboracenſis, & ſub his Epiſcopatus xxv. per Comitatus longè plures, ſeu Pagos diſperſi, *Shiras* Britanni vocant.

Eccleſiæ Britannicæ antiquitas. Antiquitatem Eccleſiæ Britannicæ, etiam in *locis Romanis inacceſſis*, teſtatur Tertullianus adverſùs Jud. *Cap.* vii. & Origenes quoque in Caput Lucæ i. *Homiliâ* vi. virtutem Salvatoris cum iis eſſe tradens, *qui ab Orbe noſtro in Britanniâ dividuntur*. Imò ipſe Euſebius Euangelicæ Demonſtr. L. iii. tradit, Apoſtolorum aliquos παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους. Et Theodoretus memorat *Britannos* inter Gentes converſas Apoſtolorum miniſterio, *Serm.* ix. T. iv. Oper. Docent Annales omnes, non tantùm qui converſionem tradunt Lucii Britannorum Regis, ſub Aurelio & Commodo; Sed quoque qui hiſtoriam Perſecutionis Diocletianææ, & Albani de Verulamio Promartyris, in cujus memoriam Offa Rex Merciorum Monaſterium & Oppidum ſtruxit, *S. Albans*. Docent & hiſtoria Conciliorum Britannicorum H. Spelmanni; hiſtoriæ Synodorum Nicænæ, Arelatenſis i. Sardicenſis, Ariminenſis, ſeculo iv. quibus Britannos Epiſcopos interfuiſſe, ex Athanaſio, Hilario, Sulpicio Severo, liquet. Cum Nicænâ verò conſpiraſſe Britannias, docet Epiſtola Conſtantini M. ad Epiſcopos omnes qui Concilio Nicæno non interfuerant, apud Theodoretum *Hiſt. Eccl. Lib.* i. C. x. **Fabuloſa.** At certis *fabuloſa* plurima adje-

jecta. In iis multa quæ de Jacobo Zebedæi, Simone Zelotâ, Simone Petro, Paulo, Ariſtobulo, Joſepho Arimathiâ, Philippo Apoſtolo cum Diſcipulis XII. &c. memorantur, qui Britannias fide Euangelii colluſtrarint; uti quoque de Converſione Scotorum, Victore Rom. Epiſcopo, de Urſulâ Britannicâ cum Sociis, Maximino Imperat. &c. In his & benè multa quæ à Monachis paſſim, Eccleſiis ſuis commendandis, conficta eſſe, Uſſerius Armachanus & Stillingfleet paſſim monent. De Lucii Regis Converſione, factâ, Commodo & Veſponio Coſſ. A. Vulg. CLXXIX. Eleutherio Rom. Epiſcopo, totiuſque Gentis cui imperitaret, (de quâ, an Romanâ in Provinciâ, & Citeriore Britanniâ, an ultrà Vallum, in parte Romanis inacceſsâ, diſſentiunt Hiſtorici) tradunt uno ore, licet in circumſtantiis varii, Vitæ Romanor. Pontificum, Britannorum Chronica omnia, Eorundem Annales, Antiquitates, Martyrologia Bedæ & Adonis Vienneſis, Hierarchiæ Britannicæ hiſtoriæ, &c. De quo tamen extat noſtra Diſſertatio, & Ἐπίκρισις. Aſt ſub *Anglo-Saxonibus* ſeculo V. VI. dein & ſub *Danis*, *Nordmannis*, ſeculo IX. in Chriſtianam religionem, & in Eccleſias Britannicas, miſerè ſævitum fuit.

Lucius Rex.

Regimen Civile.

Regimen Civile, ſub Præfecto Prætorio Galliarum, penes *Vicarium* Britanniarum fuit, ſub quo duo *Conſulares*, Maximæ Cæſarienſis & Valentiæ, & *Præſides* tres, Britanniæ utriuſque, ac Flaviæ Cæſarienſis. Poſteà Romanis exactis, nata *Heptarchia* Saxonum, tùm mutationes ſub his variæ, hinc *Danorum* in parte Angliæ dominatus: Donec *Monarchiam* hæreditariam Angliæ totius conderet Alvredus ſeu Alfredus, Gunthrono Danorum Rege è ſacro fonte, tùm & in fidem ſuam, ſuſcepto, Anno DCCCLXXVII. Quæ Hiſtoriæ Anglorum plurimi tradunt, ac noviſſimè Vita Alfredi Regis, è Theatro Oxonienſi. Diviſionem deinceps Regni in Comitatus, ex Camdeno, & aliis Chronographis repete.

Eccleſiaſticum.

Eccleſiaſticum Regimen ab antiquo ſub Epiſcopis fuit, quorum Eccleſiæ etiam *primæ Sedes*, id eſt, Cathedrales, dictæ, ut aliquando Gloceſtrienſis, in quâ Lucium ſepultum ferunt, & Wintonienſis, in antiquiſſimis habitæ. Tùm nati Metropolitani, uti in Galliis, Hiſpaniis, quales primitùs *tres* habitos eſſe, modò viſum eſt; Legionenſi adhuc ſubſiſtente in Walliæ montanis; intereà dùm Paganiſmum Anglo-Saxones in partibus reliquis invexerant, uſque ad Gregorii I. Romani tempora. *Romano* autem Epiſcopo nulla adhuc jura Primatûs vel Patriarchatûs in Britannorum Eccleſias, reſtricto intrà *Suburbicarias* Provincias, juxtà conſtitutionem Nicænorum, quicquid Baronius, & Gnathones hariolentur. Deinceps verò facta tranſlatio eſt Metropolitanæ Sedis, in Britanniâ Primâ, ex Urbe Londinenſi in *Cantuarienſem*, ſeu *Derovernium*, ſub Anglo-Saxonum imperio, Ethelberto Cantii rege, ac *Gregorio* I. Rom. Epiſcopo. Nempè Auguſtino Monacho faciente ſub initia ſeculi VII. in memoriam converſæ ibi primùm Saxonum Gentis, ac loco eo in habitationis ſuæ ſedem, in quâ & obiit diem, ac ſucceſſorum ſuorum electo, reclamante poſtea, ſed nequicquam, Londinenſi. Quâ de re nos fuſiùs in Eccleſiæ Hiſtoriâ. Tandem etiam Metropolitani honore & titulo excidit *Menevienſis* ſeu *S. Davidis* in Walliâ Epiſcopus, ſub Henrico I. qui Walliam ſubjugaverat, Cantuarienſi ſubjectus, circà A. MCXVI. ex Giraldo Cambrenſi, *Itiner. Cambr.* L. II. C. I. Bernardo licet, primo ex Nordmannorum gente inibi Epiſcopo, in contrarium nitente. Hinc duæ ab eo tempore Metropolitanæ ſedes, *Cantuarienſis* & *Eboracenſis*, longo inter utramque de Crucis per Angliam omnem antelatione, deque præcedentiæ jure, certamine; donec ſeculo XII. Henrico II. Rege, ille *totius Angliæ Primas*, hîc *Angliæ Primas* ſimpliciter, appellari juberetur. Ac Bedæ tempore, ut ex calce Hiſtoriæ ipſius conſtat, nonniſi XIII. ſedes Epiſcopales numerabantur, aucto ſenſim à Regibus numero, undè hodie Epiſcopatus Anglicani XXV. numerantur.

Scoticæ Eccleſiæ ac priſtinum regimen.

Pictorum autem, id eſt, ut dicti poſteà, *Scotorum Auſtralium*, Eccleſiæ, (ex quo Ninianus Chriſtianam inter eos fidem propagavit, Honorio & Arcadio Principibus) ineunte ſeculo V. Epiſcopum *Candidæ Caſæ* in Gallovidiâ, *Whit-herne*, ut primæ inter eos Sedis Antiſtitem reſpexerunt: Tranſferendâ dehinc *Glaſcuam* Sede, ad Glottam ſeu Cluidam fluvium, vel æſtuarium, ſub quâ nunc Epiſcopatus Candidæ Caſæ. Sed poſt ſubactos ab Anglo-Saxonibus Pictos Scotoſque, ac *Nordanhumbriæ* regno adjectos, ſeculo VII. inclinante, Oſwio Rege, *Eboracenſi* tamdiu Metropolitano, ut Borealis Britanniæ Primati, ſubjectæ eorum Eccleſiæ. Dein Picti, libertate receptâ, proprios ſibi Epiſcopos conſtituerunt, indè ab A. DCLXXXV. primâ (ut antè) Sede Candidâ Caſâ. Donec funditùs exciſâ Gente, ſubactâ certè à Kenedo Scotorum rege, medio ferè ſeculo IX. transferretur Archiepiſcopatus à Candidâ Caſâ, ſed reſtituendâ hac Sede rurſùm à Malcolmo III. Scotorum Rege, Anno circiter MLXX. Cui Malcolmo Scoti recentiores *Epiſcopatuum* primam inſtitutionem adſcribunt. Ac tandem Eboracenſi Metropolitano, ut Primati, ſubjectæ Scotorum Eccleſiæ & Epiſcopatus, uſque ad Sixti IV. Romani Pont. tempora; quando proprios Metropolitanos acceperunt, *Sanct-Andreanum* Scotiæ totius Primatem, & *Glaſcuenſem* alterum.

Hiberniæ Eccleſiæ.

Hibernia, aliàs Veteribus *Jerna*, *Juverna*, *Iris*, *Eris*, multi ab Iberis *Iberniam* dictam, Scotorum primitùs ſedes fuit. Eademque *Scotia* primò appellata, & hæc quaſi *Scythia*, Scythicæ originis; ſeu jam ex Gotthiâ ſive Scandinaviâ vel Nordwagiâ, eò delati Scythæ, ſeu aliundè ex Hiſpaniâ pulſi ubi Gotthorum regnum fuit; quâ de re qui in Britannicas & Scoticas origines inquiſiverunt. Dehinc hoc *Scotiæ* nomen Albaniis vel Albinis inditum, qui hodieque Scoti, ſive Colonias ex Hiberniâ in oppoſitam Albaniam deduxerint, ſive ipſi quoque *Scythicæ* originis. Antiquitus etiam dictam volunt hanc Inſulam *Ogygiam*, id eſt, ὠγύγιαν *perantiquam*. Poſt admiſſum autem Seculo V. (ad Seculum uſque XI. quando Albania *Scotia* & *Scoto-Britannia* appellari cœpit) Chriſtianam fidem, ſuis Epiſcopis & Abbatibus paruit. Quæ verò *Inſula*, juxta Bedam, *Hiſt. Lib.* III. *C.* IV. paruit *Abbati Presbytero, cujus juri & omnis Provincia & ipſi etiam Epiſcopi, ordine inuſitato, deberent eſſe ſubjecti*, de Hyenſi Inſulâ, ubi S. Columbæ Monaſterium, non de Hiberniâ accipiendum monuit Uſſerius, *Cap.* XV. Converti cœpta indè à *Palladio* & *Patricio*, primis Scotorum Apoſtolis, Theodoſio Jun. imperante. Et *Ardmachana* quidem ſeu *Armachana* Sedes in Metropolitanam evecta eſt, ſeu à Patricio ipſo (ut volunt) ſeu veriùs poſteà in Patricii honorem, hanc ſibi Sedem, dùm viveret, eligentis. A quo Patricio Eccleſiæ CCCLXV. cum totidem Epiſcopis fundatæ eſſe referuntur in ejus *Vitâ*, & ab Antonino in *Chron.* Vincentio in *Speculo Hiſtoriali*, & aliis, Scriptoribus ſæpè nimium credulis. Poſteà inſtituto in Angliâ Cantuarienſi Metropolitano Seculo VII. inchoato, hic quoque in Hiberniam *paſtoralem ſuam ſollicitudinem* extendit, ut ait Beda, *Hiſt.* L. II. C. IV. Reducendis nempè Scotis ad ritum Paſchalem Romanum, quæ præcipua Monachorum, quos Roma ſubmiſit, ſolicitudo fuit; ut non rectè indè colligat Carolus à S. Paulo in Geographiâ S. Cantuarien-

Digitized by Google

rienſem *Scotorum omnium Primatem vel Metropolitam fuiſſe*.

Archiepiſcop. Sedes quatuor. Tandem Eugenio III. Pontifice, Anno MCLI. quatuor in eam Inſulam *Pallia* miſſa leguntur. Undè, habitâ Synodo, quatuor Sedes Archiepiſcopales ſurrexerunt; *Armachana* in Boreali parte; *Dublinienſis* ad Ortum; *Caſſilienſis* ad Auſtrum; & *Toamenſis* ſeu *Connatienſis* ad Occaſum.

Status priſtinus Eccleſiarum Britannicar. Libertas à jugo Pont. Libertatem Eccleſiæ Britannicæ à jugo Pontificio, prioribus ſeculis, multa docent. Ex. gr. *Paſcha* celebratum Seculo III. cum Quartadecimanis, uſque ad definitionem Nicænam, imò dudum adhuc poſteà, ut dictum in Hiſt. Eccleſ. Sec. VII. *col.* 1201. *Sec.* VIII. 1299. &c. *Ritus* Ordinationum, Precum, alii, à Romanis diverſi, Gildâ Hiſtorico antiquiſſimo teſte: Par libertas ac poteſtas cum Eccleſiis reliquis, quibus ſua jura aſſerta à Nicænis, Canone V. VI. Itâ Synodi in Britanniis coactæ, Reformationes inſtitutæ, Ritus ordinati, Hæreſes damnatæ, ut Ariana, Pelagiana, &c. nullâ Romani Pontificis auctoritate: Quicquid *Germanum* Altiſſiodorenſem, & *Lupum* Trecenſem Epiſcopos, Legatos Cœleſtini ac Vicarios Romanæ Sedis, ſenſu hodierno, fuiſſe tradant; qui veriùs à Gallicanâ Synodo in Britanniam miſſi, debellandæ Hæreſi Pelagianæ, A. CCCCXXIX. ex Bedâ, Paulo Diacono, Freculpho, Adonis Chronico, &c. Adde Britonum in *Wallia* partibus liberam Diſciplinam, Seculo VI. VII. & ſequentibus, ad Henrici I. tempora, ubi florebat Epiſcopatus Legionenſis ſeu Menevienſis, ac ſub hoc Bangorenſis, Landavenſis, aliique numero *ſeptem*, apud Balæum in *Centur.* & deinde Uſſerium Armach. Edw. Stellingfleetium, alios qui de Antiquitat. Eccleſiæ Britannicæ ſcripsêre. Adde Auguſtini Cantuarienſis irritos conatus, ſub initia Seculi VII. hinc Laurentii, & Succeſſorum, ut Britones ad conformitatem rituum cum Romanâ Eccleſiâ, vel ad ſubjectionem inducerent, ut pluribus Beda, *Hiſtoria Eccleſ. Lib.* II. & Spelmannus in *Concil. Brit. p.* 108. Uſſerius in *Antiq. Brit.* &c. Hinc & Regium jus, aliquot poſt Auguſtinum iſtum Seculis, liberè exercitum circà inveſtituras & tranſlationes Epiſcoporum, convocationes Synodorum, ſanctiones Eccleſiaſticarum legum, appellationes ab abuſu, nullo *Papa* reſpectu, niſi ut Paſtorum in Occidente, & Patriarcharum primi, ac temporali poteſtate formidandi indè à Seculis VIII. IX. &c. Hinc *denarium Petri* introduxiſſe Inam Occident. Saxonum Regem, tempore Gregorii III. auctor eſt Polyd. Vergilius, de quo Hiſt. Eccl. Sec. VIII. *col.* 1327. Demùm mancipatæ Eccleſiæ Britann. fœdâ ſervitute, circà *Anſelmi* Cantuarienſis, natione Itali, ac primi Papalis poteſtatis defenſoris, tempora. Sic & *Scotorum* ac *Pictorum* Eccleſiis ſua libertas diutiſſimè conſtitit, jugi Pontificii Seculo VII. & deinceps adhuc inexpertis, undè in Schiſmaticis habiti, apud Bedam *Hiſt. Lib.* II. C. IV. XIX. &c. Subſecutas Romani Pontificis uſurpationes in Britanniæ regimen utrumque, Civile & Eccleſiaſticum, indè à Seculo XII. Hiſtoria noſtra prolixè docet.

Calamitates Eccleſiæ Britannicæ. Afflixerunt verò Britannicas Eccleſias cùm *Barbarorum* incurſiones, maximè Anglo-Saxonum, indè ab Anno CCCCXXVIII. uti Pictorum, Scotorum, Danorum, Nordmannorum, &c. tùm *Hæreſes*, inter alias, Pelagiana ac Semi-Pelagiana. Non modò enim Pelagius Britannus, & Cœleſtius Scotus fuit, ſed Britannus quoque Fauſtus Semi-Pelagianorum primipilus; undè Proſper c. *Coll. Hoſtes Gratiæ ſolium ſuæ originis occupaſſe*. Sed inſuper ſparſa fertur ea Hæreſis per Britannias operâ cujuſdam *Agricolæ*, quem alii *Leporium Agricolam* vocant, Monachum Bangorenſem, de quo præter Uſſerium in *Antiq.* Eccleſ. Brit. prolixè Stellingfleetius in *Originibus Britannicis* C. IV. Ac varios tùm eâ Hæreſi infectos fuiſſe, colligitur ex Reſcripto Valentiniani III. A. CCCCXXV. Quâ occaſione miſſi in Britanniam à Gallicanis Epiſcopis, faciente præcipuè Hilario Arelatenſi, S. Germanus, & Lupus Trecenſis, errori debellando, de quibus prolixè laudatus modò Stellingfleetius, *pag.* 194. &c. Nunc de *Provinciis* Britannicæ Diœceſeôs ſingulis, ſecundùm Notitiam Imperii.

Prima ordine dignitatis fuit *Maxima Cæſarienſis*, Prov. *Conſularis*, ad limitem Britanniarum, antè *Valentiam* adjectam. Terminus ferè fuit, à Septentrione Vallum Severi, ſeu Murus lapideus per tranſverſam Inſ. extructus, inter duo maria, ad Tinæ flum. oſtia; à Meridie, Abus ſive Humber fluv. ab Ortu & Occaſu Oceanus Germanicus & Hibernicus. Complexa hæc Provincia Deiræ quondam regnum, id eſt, Northumbriæ partem, Cumbriam, Weſtmorlandiam, Dunelmenſem Epiſcopatum, Eboracenſem & Lancaſtrenſem Comitatus. Metropolis fuit *Eboracum*, ipſi Ptolemæo Ἐβόρακον, *Colonia* Roman. in Itiner. Anton. & in veteri Inſcript. apud Onuphr. hinc Camdenum in *Brit.* Seldenum ad *Orig.* Eutychii, *pag.* 121. Sedes fuit Imperatorum, Conſularium, & ipſius Conſtantii Chlori, in quâ etiam Conſtantinum hujus Filium ex Helenâ ſuſceptum Britanni memorant. De tempore hujus in *Metropolim* Eccleſiaſt. erectæ, nomine Yorck, adi Uſſerium, *Antiquit. Brit.* C. V. nempè Seculo VII. ſub Honorio, A. DCXXVII. Quatuor autem includit Eboracenſis Diœceſis Epiſcopatus, *Dunelmenſem* Durham, *Ceſtrienſem*, *Carleolenſem* Carlyſle, & *Mona Inſula* Man, hodiè Angleſey, q. Anglorum Inſ. de quibus Tabulæ Epiſcopat. Britanniæ. I. Prov. Maxima Cæſarienſis.

Altera fuit *Britannia Prima*, complexa Auſtralem omnem Angliæ partem, uſque ad Tamiſis fluvii fontes, ubi olim *Atrebates*, *Cantii*, *Belgæ*, &c. poſteà Regna Cantii, & Saxoniæ Orientalis, Meridionalis, atque Occidentalis. Hodie in eo tractu Cornwallia, Devonia, Somerſettia, Dorſettia, Suthſexia, Suthreja, Wiltonia, Eſſexia, Middelſexia, Cantium, &c. Metropolis fuit, Britonum tempore, *Londinum*, Λονδίνιον Ptol. *Londinium* Tacito & Plinio, *Cair-Lundayn* Britannis; cujus Epiſcopus *Reſtitutus* interfuit Concilio Arelatenſi I. A. CCCXIV. Nec confundi debet cum *Coloniâ Londinenſium*, cujus tùm dicitur Epiſcopus Adelfius, in eâdem Synodo, inter ſubſcriptiones Britannicas, ex vetere Codice Corbejenſi, qualiter edidit in Conciliis Galliæ Jac. Sirmondus. Sed quia *Colonia* hæc *Londinenſium* in Topographiâ Britanniæ ignoratur, legendum putat Seldenus *Colon. Camalodon.* vel *Camaloduni*, (vitioſè Ravennas *Camulodalo*) quæ ſit *Maldon* in Eſſexiâ, Latinis *Camalodunum*, & *Colonia Camalodunum*, apud Tacitum Ann. XII. C. 32. XIV. C. I. Dioni καμουλόδουνον, in Nummis Claudii Cæſ. *Col. Camalodon.* Quâ de re præ cæteris vide Joh. Seldenum in Eutychii Origines Alexandrinas, *pag.* 118. 119. Sedis verò Metropolitanæ, quam Gregorius I. ſtatuerat in Urbe *Londino*, in quâ & Templum D. Paulo poſuerat Æthelbertus, mutationem in Cantii urbem *Durovernum* (alia *Durobrovis* Rocheſter, & *Dubris* Dover) quæ nunc *Cantuaria*, in gratiam Auguſtini Monachi, hinc Cantuarienſ. Præſulis, antè vidimus. An verò ab ipſo Auguſtino hæc delecta Sedes fuerit teſte Bedâ, an poſteà à Pontiff. Romanis ſtabilita, & Regiâ auctoritate firmata, in medio relinquimus. Quam latè pateat Cantuarienſis Diœceſis, quæ Epiſcopatus XXII. complectitur, *Londinenſem*, *Wintonienſem*, *Coventrienſem* & *Lichfeeldenſem*, &c. Notitiæ Anglicanæ docent. II. Prov. Britannia Prima.

Britannia Secunda ea dicta, quæ aliàs *Cambria*, dein ab Anglo-Saxonibus *Wallia* appellata, quaſi à Wallis, Brito-Wallis, id eſt, *Welſchen* peregrinis ha- III. Britannia Secunda.

Digitized by Google

habitata. Fuit ad Occaſum Flaviæ Cæſarienſis, & Sabrinæ fluvii; ab Ortu Maris Hibernici, quod & à Septentrione hanc Provinciam circundat; uti à Meridie eſt Sabrinæ æſtuarium. Hîc olim *Silures*, *Demeta*, *Ordovices*; dein *Britonum* regnum, dùm Britanniam reliquam vaſtarent Barbari: Et celebres Epiſcopatus *Menevienſis*, ſeu S. Davidis, *Tavenſis* ſeu *Landavenſis* qui Glamorganenſis, *Herefordenſis*, *Wiccenſis* qui à Metropoli Wigornienſis, *Bangorenſis* ad Septentrion. vel Bancorenſis, & *Aſaphenſis* qui & Elvienſis, Elguenſis. De quibus vide Antiquitates Britannicas, & qui hos ſigillatim Epiſcopatus deſcribunt, in ſpecie *Britanniam Sacram* nuper editam, ab H. Whartono. Metropolis ſeu prima Sedes, Seculo v. exeunte, & vi. fuit *Urbs Legionum*, Caerleon, Regum ſedes, quæ & *Iſka Silurum*, diſtinctionis ergò ab Iskâ Dumnoniorum, ſeu Cornubiæ, quæ hodie Exonia eſt, & ipſa Sedes Epiſcopalis. Sed tranſlata Sedes eſt *Meneviam* in Pembrochienſi ditione, quæ dein *S. Davidis*, in honorem Davidis ejus Antiſtitis; permittente (ut ferunt) Arthuro rege admoto ad regnum circâ A. DXVI. Prolixè Giraldus de *Jure Menev. Eccleſia*.

IV. Flavia Cæſarienſis. *Flavia Cæſarienſis* ea dicta, quæ inter reliquas media intrà Tamiſim & Humbrum fluvios, ubi *Coritani*, *Cornavii* vel *Cornabii*, dein Merciæ regnum, & Orientalis ac Mediterraneæ Angliæ, ſub Anglo-Saxonibus. *Flavia* dicta, an à *Flaviis* Conſtantio & Conſtantino M. quorum alter in Britanniâ mortuus, alter Imperator ſalutatus, qui Civilis adminiſtrationis formam, Vicario Britanniarum conſtituto, & ſub hoc Conſularibus ac Præſidibus pro numero Provinciarum, immutavit; An veriùs à *Flavio* Theodoſio Imper. filio Theodoſii in Britanniâ ſub Valente Ducis, qui addiderit hanc Flaviam: Planè ut antè *Flavius* Veſpaſianus Britanniam recuperaverat, quando *tricies cum hoſte conflixit*, *duas validiſſimas Gentes*, *ſuperque* xx. *oppida*, & *Vectim Inſulam*, in ditionem Romanorum redegit, Tito ſub Patre merente, teſte Suetonio in Veſpaſ. C. IV. Hîc nunc quæ vocantur Ceſtria, Staffordia, Wigornia ſeu Worceſtria, Lincolnia, Leiceſtria, Gloceſtria, Northfolcia, Suthfolcia, Cantabrigia, &c. florentiſſimæ Civitates & *Shyræ*. Antiquiſſimi in his ſunt Epiſcopatus, poſt converſionem Anglo-Saxonum, *Lindicolinenſis* ſeu *Lincolnienſis*, *Lichfeldenſis*, *Ceſtrienſis*, qui jam Bedæ memorati; de quibus prolixè nuper Doctiſſ. Whartonus in *Angliâ Sacrâ* Tomo I.

V. Valentia. *Valentia* tandem appellata eſt Seculo IV. ſeu jam à *Vallo* Romanorum, Provinciæ Romanæ limite, & quaſi Muro, ut vult quoque Blondellus, ſeu veriùs in honorem Imperat. Valentis, quaſi *Valentina*: Quum Theodoſius Comes Barbaros, id eſt, Pictos, Saxones, Scotos, Attacottos, incurſionibus continuis vexantes Britannos, eâ parte Britanniæ expuliſſet, miſſus in Britanniam A. V. CCCLXVIII. Valentiniano II. & Valente II. Coſſ. etiam *Valentinum* quendam ſuperbi ſpiritus hominem, & ſeditiosè in Britanniâ agentem, in ordinem redegiſſet; hinc relatione ad Principem miſsâ petiiſſet, ut ea pars provinciæ *Valentia deinde vocaretur*, *arbitrio Principis velut ovantis*, ex Ammiano L. XXVIII. C. III. Hæc extrema fuit ad Septentrionem, indè à Tinâ fluvio, ad limites uſque Romanos, & Vallum propè Edinburgum, à Severo ſtrui juſſum, quo à Caledoniis, qui imperante Commodo Murum Hadriani perruperant, veluti munimento vallati fuerunt. Hîc *Picti* Auſtrales, & Populi quondam *Novantæ*, *Selgovæ*, *Damnii*; hodie Northumbria, & Scotia Auſtralis, ubi *S. Andreana* Civitas, *Glaſcovia*, *Edinburgum*, *Candida Caſa*, &c. Metropolis in Civilibus *Edinburgum*, quondam *Alata Caſtra*, Scotorum regia; in Eccleſiaſticis nunc prima eſt *S. Andreana* Civitas, ex antè dictis. Olim & *Eboracenſi* Primati paruerunt, poſt devictos ab Anglis Pictos, ſub Northumbriæ ſive Nord-an-Humbriæ Regibus. Sed notiora hæc quàm ut pluribus diffundi mereantur, & adeatur Cambdeni Britannia. Anonymi autem Ravennatenſis Geographia Sec. VII. ut putant, Pariſiis nuper ex Ms. Bibliothecæ Regiæ edita à Monacho Benedictino, refert in *Britanniæ* deſcriptione, *Libro* V. Urbes circiter CLX. & Inſulas, hactenùs incognitas, vel certè quaſdam ignoto nomine recenſitas, quod ex mutatione nominum per Saxones introductâ, ex parte acciderit. Sic recenſet flumina v. gr. *Sodiſmam*, *Cled*, *Terdec*, &c. quæ fruſtrà alibi requiras. Quemadmodum hic Auctor tùm ipsâ Styli barbarie & ſolœciſmis, tùm inauditâ Locorum deſcriptione in Aſiæ, Africæ, Europæ Geographiâ, tum denique corruptiſſimis Urbium, Fluviorum, Regionum nominibus (ut ex Plinio, Ptolemæo, Stephano, Antonini Itin. Peutingeranâ Tab. & id genus Auctoribus intelligere licet) prodit Seculum Gotthicâ, Longobardicâ, etiam Monaſticâ barbarie infectum, ac recentius longè Jornandis Ravennat. temporibus. Vir tamen ſimplex, & à quo abfuit fallendi errandique ſtudium, depravatus etiam culpâ amanuenſium, & ſcribendi intricato genere; Citatus Iſ. Voſſio Obſervat. ad Melam, nomine *Geographi Ravennatis*, laudatus quoque Editori Benedictino ut ex quo illuſtrari multa loca poſſint, cum Veteribus Geographis collata. Hactenùs deſcriptio *Orbis Romani* Veteris indè à *Conſtantinianâ* diviſione, & Eccleſiarum principum, quæ per eundem diſperſæ.

Anon. Ravennat. mira Britanniæ, &c. deſcriptio.

GEO-

GEOGRAPHIÆ ECCLESIASTICÆ

PARS TERTIA;

EXHIBENS

SEDES ECCLESIÆ CHRISTIANÆ

EXTRA ROMANUM IMPERIUM,

PER

PROVINCIAS BARBARICAS.

Digitized by Google

SEDES ECCLESIÆ
EXTRA ROMANUM IMPERIUM.

Barbari, & Barbaricæ Prov. quæ dictæ?

BARBAROS, & Provincias *Barbaricas*, ſolum *Barbaricum* ſimpliciter in Notit. Imp. dixêre ſub Romanis Imperatoribus, non modò Gentes extraneas, ut בר *bar* eſt foris, extrà, undè factum Barbarus; vel Gentes ἑτερογλώσσους, I *Cor.* XIV. II. peregrini ſermonis, *Barbarus hic ego ſum, & non intelligor ulli;* quomodò Cicero diſtinxit Gentes omnes, in *Græcos* & *Barbaros*, βάρβαρον τὸ οὐχ' Ἑλληνικὸν, improbante Strabone *Lib.* II. quia Barbari jam habendi forent Romani ipſi, & Carthaginenſes; Sed etiam Barbaros appellarunt Gentes moribus agreſtes, ſylveſtres, quales v. gr. Troglodytæ, & Æthiopes: Undè Ptolemæo *Lib.* IV. C. VII. regio *Æthiopica* Mediterranea, quæ illi Ἀζανία dicta, fuit ex adverſo *Maris Barbarici*, cujus ora maritima Βαρβαρία & Ἔθνος Βαρβαρικὸν dictum, apud Marcianum Heracleotam, in Deſcript. Peripli, *pag.* 12. Edit. noviſſ. Anglicanæ. Atque ità *Barbaros* in ſpecie dixêre, qui *Barbariam* incolerent, ad Sinum Barbaricum ſeu Æthiopicum, quem & Troglodyticum Sinum appellarunt; de quo & Stephanus Byzantius. Sic *Barbaros* dixerunt Gentes ſævas, immanes, undè *ſævitia immanium Barbarorum*, in lege Conſtantini I. de Emend. Servorum. Ità etiam latiſſimo ſignificatu Terræ *Barbaricæ* dictæ, quotquot extra limites Romani Imperii, ſeu in Aſiâ, ſeu in Africâ, ſeu in Europâ: Undè diſperſæ per illas Eccleſiæ *Barbaricæ*, & Epiſcopi *Barbarici* nuncupati, ſeu Barbararum Provinciarum. In quibus recenſuit jam Tertullianus, in Libro adverſus Judæos, *Cap.* VII. *Britannorum* inacceſſa Romanis *loca*, *Getulos*, *Sarmatas*, *Dacos*, *Scythas*, *& abditas multas Gentes*, *Provincias & Inſulas multas ignotas*, in quibus regnaret Chriſti nomen. Sic & Rufinus, *Hiſt. Eccleſ.* L. IV. C. VIII. Quanquàm Origenes *Tract.* XXVIII. in Matthæum dicat, *apud Barbaros*, id eſt, *Dacos & Sarmatas*, *& Scythas*, fuiſſe *plurimos* qui nondùm audiiſſent verbum Euangelii. Sed noſtro adhuc ævo *Barbaria*, de Mauritaniis, & Provinciis Africanis cæteris, quæ olim florentiſſimæ ſub Romano Imperio, deinceps ad Saracenos ſub Leontio & Apſimaro, id eſt, à Chriſtianis ad Barbaros tranſiverunt.

Provinciæ Barbaricæ in ASIA.

Eccleſiæ in Scythiâ Aſiaticâ.

IN Aſiâ Septentrionali occurrunt *Sarmatæ* Aſiatici, ad Ortum Mæotidis Paludis & Tanais fluv. ac *Scythæ* intrà & extrà Imaum montem, quæ *Tartaria* major, diſtincta à minori in quâ *Perecopitæ* inter Boryſthenem, Euxinum, & Mæotidem. Ex illis profecti *Hunni*, *Avares*, ultrà Mæotidem, & *Bulgari*, ad Rha fluvium, qui Βόλγα Byzantinis eſt, *Alani* quoque vel *Maſſagetæ*, &c. De quibus ſuprà in Diœceſi Daciarum, quas hæ Gentes infeſtarunt, & dicetur adhuc infrà. Hîc & *Circaſſii*, Nagayis contermini ad Septentrionem; *Cornuchi* Circaſſiis ad Ortum; *Abbaſſii* his ad Meridiem, vel *Abaſgi* aut *Abcaſſi*, inter Pontum Euxinum & Caucaſios montes extenſi, quamvis omnes Circaſſiorum generali appellatione veniant. Atque hi aliquando ſe *Chriſtianos* dixêre, ſeriùs ad Chriſtum converſi, ſub Juſtino & Juſtiniano Imperatoribus, non duraturâ fide. Hîc & *Ruſſici* Imperii pars ad Orientem, quæ vulgò Ruſſia Magna, ubi Regna tria Tataris erepta: *Caſanenſe* ſcil. cujus Metropolis Cazan; *Aſtracanenſe* cujus Metrop. Aſtracan, ad lævam Volgæ fluv. haud multum diſſita à Mari Caſpio; tandem Regnum *Siberienſe*, cujus Metropolis *Tobol* vel *Tobolska*, ad fluv. cognominem, in monte ſita, propè confluentem *Sibir* à quo Sibiriæ nomen. Hinc Archiepiſcopi vel Metropolitæ in his Regnis totidem. Pars hæc Sarmatiæ Aſiaticæ præcipua, ſupra Colchidem & Albaniam, ad Ortum Tanaïs, Volgâ ſeu Rhâ fluvio has regiones præterfluente, vel etiam ad Occaſum relinquente, habens ad Ortum & Septentrionem Siberiam, & Oby fluv. omnium totius Septentrionis maximum, cujus oſtium ad Mare Tartaricum *Aſiam* ab *Europa* diſterminat. Proximis jam Tartaris quos *Nagayos*, *Calmakos*, *Sereniſſos*, *Tobarienſes*, &c. vocant, & quibus *Samoiedi*, *Siberii*, *Tartari* varii, ſiti ſunt ad Septentrionem & Ortum. Hæ Gentes, quatenùs Moſchorum Imperatori ſubjectæ, Chriſtianam religionem nomine tenùs profitentur, ritu Græcorum à Latinis alieniſſimo, quanvis multi in Siberiâ Tartari Idololatræ. Converſi Rutheni ad Chriſtum ſub Wolodimero, Seculo X. Baſilio & Conſtantino fratribus in Oriente imperantibus, ut pluribus nos in Eccleſ. Hiſtoriâ.

In Colchide, Iberiâ, &c.

His ad Meridiem, Caucaſo ſuperato, eſt *Colchis* quæ & *Lazica* Byzantinis ſcriptoribus, hodie *Mengrelia*, cujus incolas *Odiſcos* nuncupant. Hinc ad Ortum & Auſtrum *Iberia*, corruptè deinceps *Imeria*, *Imeretta*, quæ ex parte hodiè Georgia eſt, & ut Iberiæ pars dicitur, versùs Phaſum fluv. *Guriel* appellatur. Indè *Albania* ad mare Caſpium, à Georgianis habitata; omnes inter Pontum Euxinum, Caſpios montes qui ſunt ramus Caucaſi, & Mare Caſpium, mediæ. De Iberum converſione, ſub Conſtantino M. pluribus Socrates *Lib.* I. C. XX. Sozomenus, *Lib.* II. C. VII. ex his alii. Urbes olim principes, Colchidis quidem *Phaſis*, cui vicina *Sebaſtopolis* apud Ptolemæum, ad Orientaliſſimum Ponti Euxini Sinum; hinc *Pityus*, *Pitiuſa* Ptolem. ſuprà Trapezuntem, Chryſoſtomi exilio clara; Iberiæ autem Urbs *Artaniſſa*, urbs maxima inter Colchidem & Albaniam, de quâ Ptolem. Aſiæ Tab. III. An verò Phaſis fluvius Colchidis ſit ille qui in Scripturâ vocatur *Phiſon*, & qui circuibat omnem terram Havilæ, id eſt, Colchidis auri feracis (ſic illi) fluens ex Armeniæ montanis, proximâ origine illi Euphratis & Tigris; Araxes verò placidus fluens ex iiſdem montibus Armeniæ (undè & Euphrates ſuam originem repetit) versùs Orientem in mare Caſpium, ſit ille quem Moſes appellat *Geonem*, alluentem regiones totâ Aſiâ temperatiſſimas, alterius diſquiſitionis eſt; multis adſtruente Auctore qui *Novam Aſiæ Deſcriptionem* edidit, Pariſiis A. MDCLVI. *Georgiorum* vel *Georgianorum* dictæ communiter eæ Eccleſiæ, quâcunque jam vocis origine, quam Judæi à *Guirgaſæis* derivant; diverſâ appellatione à *Georgorum* illâ, quales Scythæ Taurici dicti, ad Boryſthenem, ſeu Agricolæ, undè & Cherſoneſus ipſa *Georgia*. Eſt autem *Georgiorum* vel *Georgianorum* regio latè per Colchidem, Iberiam, Albaniam, Armeniam Majorem, & terras Perſarum circa Mare Caſpium, extenſa, cujus dein-

Digitized by Google

deinceps Civitas تفليس *Teflis*, ad *Chur* vel *Cyrum* fluv. & cujus ſunt vina generoſiſſima, fœminæ formoſiſſimæ; ſed Gens in religione, & in literis ignariſſima, armis & bellis dedita, atque ingenio præſtans. Et quanquàm cum Conſtantinopolitano de fide ſenſerint, ſub Græcis Imperator. ad ritum Græcorum pariter inductæ, ac ſub Michaële III. juxtà Matthæum à Michou, Sarmatiæ *Lib.* I. C. VII. tamen αὐτοκεφάλυς fuiſſe, & eſſe hodieque, ſuo ſub Catholico vel Metropolitano, ex Balſamone ad *Canonem* II. Conſtantinopolit. & ex recentioribus Itinerariographis, quos inter eminent Petrus à Valle, & Joh. Chardinus Eques, conſtat. Pars Orientalior *Perſæ* ſubjecta eſt, ſuo ſub Metropolitano; Occidentalior verò & Septentrionalior proprium quoque Metropolitam vel Catholicum habet, maximè à *Turcâ* dependens.

Abaſgi, Zicchii, Lazi, Zani, Alani, Comani, &c. His accenſendi Ponti accolæ Aſiatici, ad Ortum Mæotidis: *Abaſgi* vel *Abaſci*, vulgò *Abcaſſi*, pars Circaſſiæ Gentis, cui Mingrelia ad Ortum eſt, quorum meminit Juſtinianus in *Novellis*, cum reliquis Barbaris à ſe domitis, & Procopius de Bello Perſ. *Lib.* II. tanquàm qui Chriſtiani facti. Hos à Colchis dividit *Corax* fluv. hodie *Coddors*. *Zicchii*, *Zinchi*, *Zechi*, Abaſcis ad Occaſum vicini, & ad oram maritimam Ponti Euxini; ubi *Zicchia* Epiſcopalis ſedes tempore Juſtiniani, & Concilii Conſtantinop. ſub Agapeto & Mennâ. *Lazi*, undè Juſtinianus *Lazicus*, & *Lazica* omnis ea regio quæ Cappadociæ, ad Euxinum, versùs Ortum proxima eſt, magnam partem maritima, etiam montana, versùs oſtia Phaſidis ab utraque ejus parte: *Zani* vel *Tzani Novell.* I. qui Sauni antiquitùs apud Procopium, *Lib.* I. *Perſic.* etiam *Suani*, Lazis vicini, Chriſtiani quoque ætate Juſtiniani, ex Procopio de Bello Perſ. *Lib.* I. II. ex Chalcocondylâ, ac Byzantinis paſſim. *Alani*, Caucaſi accolæ, ad Ortum & Septentrionem Mæotidis Paludis, ex Scythiâ Aſiaticâ intrà Imaum mont. tranſmiſſo Volgâ fluv. oriundi; latè deinceps in Europam cum Gotthis & Vandalis effuſi, à quibus in ſocietatem adlecti fuerunt; ac juxtà Procopium fuêre hi Abaſgis finitimi, & Chriſtiani jam tùm, utpote Gotthici generis: Marcellino iidem cum Maſſagetis, undè *Alani montes* qui ſunt pars Caucaſi; Joſepho de Bello Jud. locati περὶ τὸν Τάναιν, aliis, in Scythiâ vel Sarmatiâ Europæâ. Qui hodie *Comani* & *Circaſſii*, Tartaricæ Gentes, Georgiis & Mingreliis ad Septentrionem, Chriſtiani non ſunt, ſed barbaræ ſuperſtitionis. Adi dictos Itinerariographos, inprimis Johannem Chardinum, ac de his quoque fusè Tavernierus Parte I. *Itin. Perſ.* non tutus quamvis in plurimis teſtis.

Armenia Major Chriſtiana. Succedit ad Meridiem *Armenia Major*, Περσαρμενία, etiam *Turcomania*, quæ diutiſſimè ſub Perſis, ante Juſtinum Juniorem Imperat. ſub Conſtantino quoque Euangelii luce colluſtrata. Illi ab Occaſu Sophene & Armenia Minor, ab Ortu Media, à Meridie Aſſyria & Meſopotamia. Ex Armeniâ Minore, quæ Ponticæ Diœceſeôs, Euangelium hinc delatum eſt, *Gregorio* ut ferunt primo ejus Epiſcopo, ferè ſub tempora Concilii Nicæni, Leontio Cæſarienſis Cappadociæ Metropolitâ, qui Gregorium in Armeniam ſubmiſerit, A. CCCXI. Sed ex Metaphraſtâ, Menologio Græcor. & apocryphis tabulis, undè habent Lipomannus, & Surius ad d. XXX. *Sept.* & Cæſar Baronius, ſunt illa, de fugatis à Gregorio dæmonibus, & conſecratis ab eo Reliquiis J. Baptiſtæ, & Martyris Athenogenis, qui paſſus eſſet ſub Diocletiano, ad A. CCCXI. *Num.* XXVI. XXVII. Hinc & ſub Cæſarienſi primitùs fuiſſe dicuntur hæ Armeniorum Eccleſ. dein poſt eorum à Catholicis ſeceſſionem, à temporibus Synodi Chalcedonenſis, αὐτοκέφαλοι, ſub proprio Catholico. Hodiè *Patriarcham* Armeniorum vocant, cui ſedes propè *Irivan* Armeniorum hodiè urbem principem, & juxtà horum traditionem omnium antiquiſſimam, propè quam Noachus vites plantaverit; quanvis nulla ibi ſint antiquitatis veſtigia, undè ab Arabibus ſtructa videatur. Monaſterium, in quo hi Perſarmeni Chriſtiani, dicitur hodieque, *Tres Eccleſiæ* Arab. *Ecſ-Miazin*, & S. *Gregorium* primum Armeniorum Patriarcham venditant. Sed Armeniorum fabuloſa omnia, ac ludicra, tum de hoc Gregorio, tum de antiquitate Gentis. De quorum pridem *Armeniorum* dogmatibus, ritibus, diſciplinâ, quæ in plurimis à Græcis recedunt, Canones paſſim Eccleſiaſtici veteres, & *Theorani* Collatio cum Armenio Epiſcopo, *Tomo* I. Bibl. Patr. *Niconis* Tractatus de Armeniorum Religione, apud Balſamonem in Canones, & in Bibl. Patr. T. III. Colloquium cum Patriarchâ Armenorum, ſuperiori ſeculo, ex MS. apud Hottingerum *Topogr. Eccleſ.* C. III. ut recentiores mittam benè multos, ac noviſſimè Petrum à Valle, Thevenotum, Chardinum, Tavernierum Itineris Perſici *Lib.* IV. C. IX. & ſeq. Sed & penes nos MS. Warnerianum fuit, in quo ſummatim Armenorum Sacra deſcribit. Ab *Armenis* per totum Orientem diffuſa religio Chriſtiana eſt, cumprimis per Perſicum Imperium.

Hinc *Aſſyria* eſt, ad Ortum Meſopotamiæ, ad Occaſum Mediæ; cui ad Meridiem, ſed Occaſum versùs, Tigride ſuperato, *Babylonia* eſt; & huic ad Ortum, ſuprà Sinum Perſicum magiſque ad Septentrionem, *Parthia*, dehinc *Perſis* ſpeciatim dicta, Stephano *Parthyene*. Aſſyria, Babylonia, Perſis, &c. Cujus Gens, Scythicâ origine, Macedonas Perſiâ exegit, Arſace Duce, annis antè Chr. CCL. ac Medis & Babyloniis imperavit, protenſo Imper. ad *Indorum* uſque fines, Romanos propemodum æquatura potentiâ & viribus. Hîc propagatam primis jam ſeculis Chriſtianam fidem, Eccleſias fundatas, Epiſcopos inſtitutos, teſtantur non jam *Clemens* ut vulgò dicitur, à quo hîc Chriſtiana Religio fundata fuerit, ex apocrypho *Recognitionum* Libro, ſed Origenes & ex eo Euſebius *Lib.* III. Hiſtoriæ *Cap.* I. & de Vitâ Conſtant. Lib. IV. C. VIII. Acta Synodi Nicænæ apud Gelaſium, ubi *Johannis* mentio, Eccleſiarum in Perſide & Indiâ Epiſcopi; Paraphraſis Arabica Canonis *Nicæni* VI. Joſepho Ægyptio auctore; Sozomenus Hiſt. Eccleſ. *Lib.* II. *Cap.* VIII. IX. Pſeudo-Canones Arabici *Can.* XXXIV. XXXV. &c. Quas *omnes Barbaras in Oriente Nationes unius Epiſcopi ſollicitudini commiſſas ab initio*, perperàm aſſeruit Petrus de Marca, Libro de *Primat.* p. 121. Suos enim *Seleucia* Babylonia, ſuos *Perſis* & *India*, habuêre Epiſcopos, nimiâ locorum diſtantiâ quàm ut uni ſubeſſent, & manifeſtè diſtinguunt Canones Arabici XXXIV. & XXXV. Quanquàm, ſub Perſico dominatu, abolito Parthorum illo ab Artaxerce Perſâ, teſte Herodiano *Lib.* VI. (qui imperante Alexandro Sev. Artabanum, Parthorum ultimum, Orientis regno & vitâ expulit, annis poſt Chriſtum CCXXIII.) dicantur *Seleucia* & *Cteſiphon* πόλεις ἐν Περσίδι βασιλεύουσαι, *urbes Perſidis principes*, apud Sozomenum, *Lib.* II. *Cap.* IX. in hiſtoriâ Symeonis ſub Sapore Epiſcopi. Deinceps tamen ſubjiciendi iſti Epiſcopi Antiocheno Patriarchæ, ex Paraphraſ. Arabicâ Canonis Nic. VI. & ex dictis Canonibus Arabicis; item ex *Epiſtolâ* Petri Antiocheni ad Dominicum, Gradenſem apud Venetos Patriarcham, ſcriptâ medio ſeculo XI. quam producit ex MS. Petrus de Marca, loco citato. Ut *Seleucia* his in partibus, ad Ortum Tigridis, quâ in duos alveos dividitur, urbs princeps fuerit, Babyloniâ collapsâ; ac poſt *Seleuciam*, vicina huic ad Ortum ac Meridiem Parthorum *Cteſiphon*; quæ aliquando à Romanis ſubactæ, Trajano nempè,

Digitized by Google

& Juliano Apoſt. ſed mox rediturae ſub Barbarorum imperium, ex Hiſtoricis conſtat. Tandem verò Metropolitica Sedes evaſit *Bagdadum*, à Chalifarum ſexto conſtructum; deinceps verò *Moſul*, vel *Manzal* Meſopotamiæ, ad Occidentalem ripam Tigridis, prout Ninive ad Orientalem fuit; quæ pluribus exponere nihil attinet, & de quibus ex parte dictum ſuprà. Vide quæ de Babylonicâ Provinciâ, & Seleucienſi, Moſulenſi, &c. diximus ad Dioeceſim Orientis, *Col.* 86. 87. Moſulenſi hodie ſubſunt Epiſcopi Meſopotamiæ, Aſſyriæ, Babyloniæ, Perſiæ, Indiæ, quotquot *Neſtoriani* audiunt; nec *Armenii* tamen ſubſunt, quibus ſuus Catholicus præeſt.

India Septentrional. *India Septentrionalis*, hodie *Mogolenſis*, quæ Perſidi ad Ortum eſt, latiſſimè patuit. Et *Mogolis*, vel *Monguli*, (alii *Mogores*) Tatari ſunt origine, qui olim ad extremum Orientem Tatariæ, verſùs Septentrionem habitantes, ubi natus Chingi-Chan cognomento Mogul, dederunt nomen *Indoſtano* qui & Mogoliſtan; quorum Reges ſe poſteros dixêre illius Chingi, à quo Arabes Hiſtorici deducunt familiam Temur-leng ſive Tamerlanis, magni Tatarorum & Orientalium Imperatoris, de quo nos *Hiſt. Eccleſ. col.* 1812. 1879. & ex quo orti dicuntur Mogolenſium Imperatores. Suprà Indiam Mogolenſem eſt Tataria Magna, ſeu *Cathaya*, ad *Sinas* aliquando extenſa à M. Paulo Veneto, cujus regiam facit Cambulu, hodie Peking; hinc ad Ortum & Meridiem, (mediis regnis aliquot, ad Ortum Bengalenſium extrà Gangem ſitis, puta Aracan, Tunquin, Cochinchinâ, &c.) ſitæ fuerunt propriè *Sinicæ* regiones, vel Chinarum Imperium, inde à Muro qui Sinas ad Septentrionem terminat: Cujus notitiam vix antè M. Paulum Venetum Europæi habuerunt, nedùm Ptolemæus, utpotè quæ peregrinis & extraneis inacceſſæ, tum ipſo ſitu Regionis, undique Maribus, longiſſimis Terrarum ſpatiis per Tatariam Aſiat. præruptis altiſſimiſque & ſuperari neſciis Montibus, vallatæ; tùm Muro lapideo ſtupendæ longitudinis, latitudinis, altitudinis; tum & pervetuſtâ & inviolatâ Chinenſium lege, exteros arcentis antè hæc frequentatæ navigationis tempora. Nam in fabulis habendæ narrationes Jeſuiticæ, de *Chriſtianiſmo* jam primis ſeculis in Chinam illato, ex monumentis quibuſdam ibi repertis, quæ ejuſdem farinæ habenda cum Monumentis Annii Viterbienſis, & aliis id genus bene multis in Malabaris, aut in Novo Orbe, repertis. Porrò *Sinas* malè apud Ptolemæum collocari ultrà Auream Cherſoneſum, & confundi cum antiquis *Seribus*; nec aliud illi eſſe *Sinas* vel *Thinas* quàm Regnum quod vulgò *Siam*, vel *Sian* appellatur, & *Siamenſes* dictos quos Veteres *Sinarum* nomine intellexerunt, qui poſſederint quicquid à Gange ad Seras uſque interjacet, rectè quidem affirmat Iſaacus Voſſius *Obſervationibus* ad Pomp. Melam L. I. C. II. De *Seribus* adhuc paululum infrà. Porrò Indiam Septentrion. ſuas aliquando habuiſſe *Eccleſias* certum eſſe videtur. Non jam à *Thomâ* Apoſtolo, vel *Bartholomæo* certiſſimè fundatas, quâ de traditione ſtatim, ſed à Parthis veriùs vel Perſis eò delatâ luce Euangelii. Ac de hac Indiæ parte accipi poſſunt illa Gelaſii Cyziceni, in Actis *Nicænis*, de *Johanne* quodam, Epiſcopo Eccleſiarum τῶν ἐν Περσίδι πάσῃ καὶ μεγάλῃ Ἰνδίᾳ. Sic Arnobii illa Libro II. *veritati Chriſtianæ coaluiſſe* etiam homines *in Indiâ, apud Seras, Perſas, & Medos.* Quemadmodùm & iſta Chryſoſtomi, Sermone de Scripturarum utili ἀναγνώσει, *Tomo* VIII. *pag.* III. ſonum Euangelicæ Doctrinæ exiiſſe in omnem Terram, κἂν πρὸς Ἰνδοὺς ἀπέλθῃς, οὓς πρώτους ἀνίσχων ὁ ἥλιος ὁρᾷ. Parùm tamen veriſimile videtur, quod Holſtenius cenſet, ſuis in Ortelium obſervatis, *Sidenſi* Pamphyliæ Minoris Aſiæ Synodo, particulari illi, Amphilochii tempore, de quâ Photius *Codice* LII. interfuiſſe Epiſcopum ex ultimâ *Ariacâ*, Orientalis Indiæ, ubi *Suppara* vel potiùs *Uppara* civitas apud Ptolemæum, Arrianum, Geographos. De hac enim reddit illud Photii, referentis Epiſcopum τοῦ Συφαρηνῶν ἔθνους. Annon veriùs fortaſſe τοῦ Σωφηνῶν ἔθνους, de Sophenis Armeniæ, ad Euphratem? Ni malis Σιπφαρηνοὺς Meſopotamiæ, in hac enim Marutha Epiſcopus aliàs legitur. Fuêre & Σαφαρηνοὶ Arabiæ Felicis, qui aliàs Σαφαρεῖται, converſi ſub Conſtantio.

Presbyteri Johannis regnum. In hac *India* Superioris parte, vel in *Cathayâ Tartaricâ*, illi conterminâ ad Septentrionem & Ortum, regnaſſe (antè Tatarorum & *Chingi* illius vel *Kingis-Chani*, quem Alexandrum Orientalium vocant, irruptionem in Indiam Mogolenſem, & vicina Imperia, de quo fusè Abulfarajus) ab hinc annis ferè D. Regem Chriſtianum *Juhanna* vel *Ung-Chan*, eumque Neſtorianum, communiter tradunt. In his Abulfar. Dynaſt. IX. Zacuthus in Libro *Juchaſin*, Vincentius Bellovac. Seculi XIII. ſcriptor, ex Fragmento illius de Rebus Oriental. Guil. de Rubruquis legatus ad Tartaros, A. MCCLII. M. Paulus Venetus, de Region. Orient. *Lib.* I. Otho Friſingenſis ex Legatis Armeniorum, ſub Eugenio III. *Lib.* VII. & ex his Georg. Hornius, ac recentiores. In his etiam Cathayæ ac vicinis Partibus, inter Bogar & Cathay, ubi Regnum cujus Princeps vocatus eſt *Reſchit-Chan*, *Chriſtianos* fuiſſe referebat ſuperiori ſeculo Anthonius Jenkinſonus, à Mercatoribus Anglis, in has partes ablegatus; quem edidit cum aliis priore Tomo, diligentiſſimus Orbis hodierni explorator Thevenotus Senior. At Æthiopem fuiſſe eum Aſiæ Imperatorem, vel Abaſſinum origine, aut in Æthiopiam fugiſſe, perperàm Scaliger, Waſerus, alii. Qui veriùs à Moſulenſibus Neſtorianis, vel ab Armeniis, (quorum Catholicum *Neſtorianum* præeſſe Tartaris & Indis Chriſtianis, relatum ab Othone Friſing. Joſepho Indo, ex his Morino de Ordinat. Sacris, *pag.* 438.) fidem Chriſtianam accepiſſe cenſendus eſt. Quemadmodum ex cognomento Perſico *Preſtegiani*, id eſt, *Apoſtolici*, vel *Orthodoxi*, Catholici, qualiter à Neſtorianis ſuis vel ab Armeniis dictus eſt, natum eſſe *Presbyterum Johannem*, apud Vincentium, M. Paulum Venetum, Othonem Friſing. Mandevillanum, Auctorem Faſciculi Tempor. Ludov. Romanum Patricium, cæteroſque, perquàm ſimile vero eſt. Sed & ex *Chano*, Principum Tatarorum nomine, *Johannem* effecêre. Qui Johannes novo deinceps errore Luſitanorum, ut Petri Covillanii Legati Johannis II. Damiani à Goes, Franc. Alvarez, &c. habendus fuit pro Rege *Æthiopum*, de quo poſteà.

Tartari, Seres. *Tartari* ſeu *Tatari* Aſiatici, ſuprà Indos Mogulenſes, latiſſimum nomen ſunt. Hîc enim *Tſagathay*, quæ Scythia Aſiatica eſt: Hîc *Turciſtana* regio, *Turkeſtana*, ad Septentrionem terræ Choraſan, Chowaraſan, & Ortum Maris Caſpii; ut ad Occaſum ejuſdem Maris & Septentrionem, magis verſùs Pontum Euxinum, ſunt *Circaſſii* ex quibus olim Mameluchi, tùm *Nagayi*, *Kalmaki* vel *Kalmuki*, ad Orientem Volgæ fluv. Uti olim, inter plagam Orientalem & Borealem ejuſdem Caſpii Maris, propriè fuerunt *Turcæ*, ad Scythas vel Sarmatas Aſiaticos referendi; deinde in omnem Aſiam, Europam, Africam effundendi, ut in Hiſtoriâ videre eſt. Ac tandem hujus Orbis Tartarici pars *Cathaya* eſt, incolis *Kithay*, quod nomen ſæpè cum *Sinâ* confunditur.

Hæc autem ut à *Sinâ* propriè dictâ, quæ illi ad Ortum & Meridiem eſt, diſtinguitur, magnam Tartariæ Aſiaticæ partem complectitur, Europæis ferè inacceſſa, ob magna terrarum ſpatia per vaſtas

Digitized by Google

ſtas ſolitudines ſuperanda, regio autem ipſa cultiſſima fertur, & opulenta.

Hic ſiti *Seres*, à quibus *Serica* regio, & *Serici* uſus ex remoto Oriente in Occiduas regiones illati: Fuerunt *Seres* Veteribus, Ptolemæo, Melæ, Plinio, Solino, primi ex Gentibus in extremo Oriente poſitis noti, undè Oceanus Sericus vel Eous, quibus ad Meridiem fuêre Indi extrà Gangem, hinc reliqua Orientis, & tandem *Sinica* regiones, ad quas etiam Serum appellatio extenſa fuit, Muro quamvis altiſſimo ſtupendi operis ad leucas DC. extructo annis ante Chr. CCXV. & inacceſſis montium jugis, à reliquis Gentibus diviſas. Seres igitur olim medii inter Scythiam extrà Imaum montem, quæ ad Occaſum, juxtà Ptolemæum, ubi *Sera* metropolis fuerit, & inter Indicas & Sinicas regiones ad Meridiem: Neque per *Seras*, qui cum *Perſis* & *Medis*, *veritati Chriſtianæ coaluiſſent*, apud Arnobium *Lib.* II. intelligendi Chinenſes, ſed his Borealiores *Scythæ*, ubi fuerit Serica regio, ad Ortum maris Caſpii, ubi hodie Kashgar, Thibet, Tan-ju ſuprà Sinas, &c. tandem Oceanus Eous, qui & *Sericus* & Tartaricus. Hinc tria maxima Imperia Romanis in Orbe Eoo ſeu Orientali cognita fuerunt, Parthorum, Serum, & Indorum, nondum his explorato ampliſſimo Chinenſium Imperio. Pſeudo-Abdias Babylonius refert huc & *Cataje* Imperium, ad Oceanum uſque Tartaricum, in Thomâ Apoſtolo. Nec tamen huc ſpectant *Barbari*, & *Scythæ*, & *Sarmatæ* illi de quibus apud Euſebium, de Vitâ Conſt. *Lib.* IV. C. VI. Mittimus Trigautianas, in *Expeditione Sinicâ*, & Jeſuiticas fabulas. Ut & Monumentum Sinicum Kircherianum, in ſaxo olim ſculptum, in *Chinâ Illuſtratâ*, & *Prodromo Copt.* quod Chriſtianiſmum inter Sinas, & Eccleſias ibi florentes ſeculo VIII. tradit: Atque ulterius id Monumentum illuſtrat Andreas Mullerus, Vir Clariſſ. & Sinicarum rerum ſtudioſiſſimus, in *Hebdomade Obſervat. Sinicar.* plurimùm Jeſuiticæ fidei tribuens. In Sinis quoque ipſis regnaſſe *Presbyterum Johannem*, de quo ſuprà, plerorumque, præconcepta temerè nimis opinio eſt: Sed & Eccleſias *Chriſtianorum Neſtorianorum* reperiſſe ſeſe M. Paulus Venetus refert, in Urbibus regionis Mangi, id eſt, Sinarum, *Cingianfu* & *Quinſay*, *Lib.* II. Cap. LXI. & LXIV. Verùm quicquid ſit de Sinenſibus, certè Tartari Aſiatici leguntur ſeriùs ad fidem perducti, & ab Armeniis quidem, ſeculo XIII. ſi fides Haithono Libro de Tartaris. At non duraturâ in Chriſtum fide, ut ex Haithono Armenio, & Matthæo Pariſienſi, Bzovius & Genebrardus ad tempus illud notant, & docent Gentium mores, ac ſecula ſequentia. Hinc narrationum incertarum plena omnia, fabularum autem apud recentiores Loyolitas. Ad *Japponas* porrò è Sinis traductum Euangelium volunt Trigautius, & Hornius quoque noſter nimiùm in his credulus, & ſi qui alii, ſolis conjecturis inducti, nullo certo teſte, vel documento.

India Meridion. *Indiæ Meridionalis* regiones, ad *Malabares* uſque peragraſſe *Thomam* Apoſtolum, ibidemque erexiſſe Eccleſias habent, Thomæ Pſeudo-Acta à Manichæis pridem conficta, Liturgia Malabarica apud Trigautium Jeſuitam, M. Paulus Venetus *Lib.* III. Haitho Armenius, &c. & Luſitanicæ fabulæ. Sed & Nicephorus *Lib.* II. C. XL. Thomam in *Taprobanâ*, ſeu hæc jam Zeilan inſula, ſeu Sumatra, prædicaſſe tradit. Alii etiam in *Americam* navigaſſe eundem Thomam fabulati. Bartholomæus quoque Apoſtolus Indis prædicaſſe, ac poſteà Pantænus Alexandrinus ſub M. Aurelio, feruntur apud Euſebium *Lib.* v. C. x. Sed de *Indis Æthiopibus* id veriùs accipiunt Eruditi, ut pluribus Holſtenio, Valeſio, aliiſque obſervatum eſt. Hinc & *Æthiopibus* eoſdem quoque prædicaſſe Apoſtolos, habet ſimiliter traditio. Σιφαρλῶν Epiſcopum, Seculo IV. apud Photium, non eſſe *Supparam* veriùs *Upparam*, emporium ad oſtia Goaris fluvii, haud longè à Malabaribus, modò viſum. Seriùs verò huc illatam facem Euangelii, ſaltem de novo accenſam, ſeu ab Armeniis, ſeu à Patriarchâ Babylonio, Seculo IX. inchoato; miſſione cujuſdam *Thomæ Cananæi* qui Syris Mar-Thoma, (undè de *Thomâ Apoſtolo*, & ejus per ſignum Crucis patratis inter Malabares miraculis, recentiores ſunt Luſitanorum, ac Loyolitarum fabulæ) Semedus Jeſuita in *Relationibus Sinicis* Parte I. C. XXXI. aliique teſtati ſunt.

Arabia Fel. Ad Aſianas quoque Eccleſias, extrà Romanum Orbem, ſpectant *Arabicæ*, in Arabiâ Magnâ ſeu Felice, inter Sinum Erythræum & Perſicum, Petrææ & Deſertæ à Septentrione conjunctâ, de cætero Peninſulâ. Vetuſtiſſimæ omnium eæ Eccleſiæ quæ Arabiæ Petrææ, vel ex Paulo, *Gal.* I. 17. ubi *Boſtra*, cujus Epiſcopus Beryllus, & ubi nata Hæreſis θνηλοψυχιτῶν, Origenis tempore, apud Euſebium *Hiſt.* L. VI. C. XXXIII. XXXVII. Sed hæc Arabia Petræa ad Diœceſim *Orientis* ſuprà ſpectavit. Inter reliquos autem Arabes propagatam quoque fidem eſſe, Eccleſias erectas, Epiſcopos ordinatos, docent Eccleſiaſtica Monumenta. Hinc legatio Conſtantii Imperat. ad *Homeritas* & *Sabæos*, Arabiæ Felicis populos, apud Philoſtorgium, *Lib.* III. C. IV. tùm apud Metaphraſtem, & ex eo Surium ad XXIV. Oct. ac Nicephorum *Lib.* VIII. & IX. Hinc *Maviæ* hiſtoria Reginæ Saracenorum, ſub Valente & Valentiniano Imp. ſub quâ *Moſes* quidam primus Epiſcopus ordinatus, apud Rufinum *Lib.* II. Socratem *Lib.* IV. Sozomenum *Lib.* VI. Hinc *Zocomus* vel *Zacomus*, Arabum Phylarcha, converſus eodem ferè tempore cum Gente ſuâ, apud eundem Sozomenum, dicto Libro, C. XXXVIII. Ac de Principis *Alamundarorum*, Hiræ imperantis, converſione ad fidem Orthodoxam, ingenioſo ejus in Severitas Eutychianos cavillo, Cedrenus in Anaſtaſii anno XXII. & Zonaras *Lib.* XIV. in Anaſtaſio Dicoro. Hinc etiam Muhammedis & ſequentium Chaliſarum tolerantia Religionis, & artes Chriſtianis demulciendis. Adi Abulfedam, Abulfarajium, Elmacinum Arabes, ex his Pocockium *Notis* in Specimen Hiſtoriæ Arabum Gregorii Abulfaraji, Hottingerum in Hiſtoriâ & Topographiâ Orient. ut alios mittam.

Eccleſiæ Arabicæ. Eccleſias tres memorat Philoſtorgius, dicto loco, in Felice Arabiâ: Primam *Tapharone*, quæ eadem indubiè cum *Sapharâ* Metropoli, hodieque *Saphar*, undè Sapharitæ. Alteram *Adane*, quæ Ἄδανα Ptol. Steph. *Aden* hodieque, emporium jam olim Romanorum commerciis patens, inter Barbaros licet, hinc *Romanum Emporium* Philoſtorgio. Tertiam ad *Sinum Perſicum*, Ortum verſùs. Cæterùm Arabicas Eccleſias adflixêre cumprimis Hæreſes, Ebionitica, Ariana, Manichæa, & Collyridianorum, paſſim apud Euſebium, Philoſtorgium, Epiphanium, Sozomenum, &c. Sic adhæſiſſe *Jacobitarum* ſectæ, refert Abulfarajius in Arabum Hiſtoriâ, & ipſe quibuſdam Jacobita. Sed miſera cumprimis harum Eccleſiarum conditio fuit, ex quo emerſit Muhammedes apud Homeritas in Arabiâ Felice natus, ubi ſita Meccha, mox accurrentibus ad eum Saracenis, Manichæis, Arianis, Neſtorianis, &c. & Chriſtianâ religione per eum & Sectatores penitùs oppreſſâ.

Hæc de Eccleſiis in Barbarico ſolo *Aſiatico*.

Provinciæ Barbaricæ in

AFRICA.

Eccleſiæ Æthiopicæ. IN Africa Barbaricis Provinciis adſcripta fuit *Æthiopia* (quæ *Lud* in Sacris eſt) hodie *Abaſſina* vel *Ha-*

Æthiopia, Abaſſina. *Habaſſia*, *Habeſſina* regio. Et *Barbari* dicti qui extremam Æthiopiam incoluerunt, verſùs Mare Aſperum, hinc *Barbaria*, *Sinus Barbaricus*, *litus Barbaricum*, apud Veteres Geographos, & Arabes quoque. Sita fuit *ſub Ægypto*, undè illi cognomen, ultrà Phylas & Cataractas, latiſſimè extenſa, habens ab Ortu montium juga ad Sinum Arabicum & Mare Æthiopicum; ab Auſtro Interiorem Æthiopiam, verſùs Nili (ut creditum) fontes; ab Occaſu Nubios, Nigritas, Æthiopes Heſperios, veraſque Nili origines. Et hæc ipſa eſt

India ſæpè Æthiopia Veter. quam *Indiam* Veteres vocant, uti Æthiopas Indos, γένος Ἰνδικὸν, latiſſimo vocis uſu, quomodò etiam *Seres* in Æthiopiâ locati, & cum Indis, Æthiopibus, confuſi. De quo, poſt Scaligerum, Holſtenium, alios, Iſ. Voſſius ad Melam, *pag.* 42. 260. 300. Jac. Godofredus ad Philoſtorgium, *Lib.* III. C. IV. & *Lib.* II. C. VI. & Notis ad Græcum Geographum, p. 3. 4. Urſinus de Seribus, Miſcellaneorum *Cap.* II. Indiam *citeriorem* nempè dixerunt, ab *ulteriore* ſeu Orientali, diſtinctam; medio Oceano Indico, mediâ etiam Felice Arabiâ, in quâ Homeritæ, Sabæi, qui & *Indi* quandoque, ut apud Philoſtorgium *Lib.* II. *Cap.* VI. (ſicut iidem *Æthiopes* à Stephano habiti) uti etiam Arabicus Sinus Ἰνδικὴ θάλασσα quandoque dictus. Hoc ſenſu Bartholomæus fertur *Indorum* Apoſtolus; quibuſdam & Thomas ſic *Indis* prædicaſſe creditur, ex Hieronymi, Theodoreti, aliorumque in Veteribus traditione, & poſteà Pantænus ſub M. Aurelio. Tùm ſub Conſtantio Frumentius, qui fuit Epiſcopus *Axumitarum*, ab Athanaſio ordinatus, apud Euſebium, Socratem, Sozomenum, Athanaſium in *Apolog.* Hinc Æthiopes diutiſſimè ſub Alexandrino fuère, à quo hodieque Patriarcham Æthiopum, ſuum nempè *Abbuna*, confirmari neceſſe ſit. Planè ut olim Moſcovitæ ſub Patr. Conſtantinopolitano, qui dein ſe ſubſtraxerunt, proprium Patriarcham conſtituentes. Audiunt Æthiopes Jacobiticæ ſectæ, ob Concilium Chalcedonenſe non admiſſum. Metropolis ſeu regia fuit *Auxuma* ad Aſtaboram fluv. Ἀξωμίτης Stephano, Ἀξωμῖται Arriano, ex vulgatâ lectione, *Caxuma* hodie, inter Nilum & Aduliticum portum media.

De Antiquitate Eccl. Æthiopicæ, adversùs Scaligerum, indè ab Eunucho illo *Act.* VIII. & Pantæno, pluribus Waltonus in *Prolegom.* XXV. Ad Axumitas legationem Conſtantii Imp. deſcribit Philoſtorgius, L. III. C. V. Sed de Æthiopibus eorumque Sacris, obſcura multa, fabuloſa pleraque quæ à Luſitanis & Jeſuitis, in favorem R. Eccleſiæ tradita, ac certiora tandem ab Ampliſſimo Ludolpho, in noviſſimo ejuſdem Opere de Habeſſinis. Quod

Presbyter Joh. Æthiopicus. verò horum quoque Imperatorem *Presbyterum Johannem*, & *Pretioſum Johannem*, vulgò dicant, errore à Luſitanis nato, indè factum videtur, 1. Quod confundant Indorum illum Pretegianum, de quo ſuprà, cum Æthiopum Rege. 2. Quod hic ipſe, ut Golius noſter obſervavit, Notis ad Alfraganum Aſtronomum, vulgò ab Orientis Mercatoribus vocitatus ſit, Perſico idiomate, پرستار خان *Preſter-Chan*, ſeu Rex vel Princeps mancipiorum. Alii dictum *Teriſt-Chan*, Linguâ Perſicâ, id eſt, legatum, miſſum, ἀπόστολον, undè factum ſit *Preſter-Chan*, ut Thevenotus *Relat.* Parte I. p. 27. 3. Quod à ſuis etiam appelletur *Gian*, *Belul-Gian*, ſeu gemma precioſa, aliis *Gyam* Rex potens; undè ex *Gian*, & *Chan* fecerint *Johannem*, & *Precioſum* quidem, ex cognomentis Æthiopicis. Alia ejus cognomina videſis apud Jobum Ludolphum, V. Cl. Speciminis ſui *Libro* II. Dum verò aſſerit Petrus de Marca *Diſſert.* de Primatibus, N. XXVIII. *Æthiopes ab aliquot annis, derelictâ Sede Alexandrinâ, Romanam colere*, tacet ille 1. Jeſuitarum artes in Regibus aliquot illiciendis, ut Davide, Claudio, Suſneo, hoc & ſuperiore Seculo. 2. Reſiſtentiam Abaſſinorum, & Magnatum, quibus invitis hos Reges faſcinarunt Jeſuitæ; hinc bella inteſtina, ſeditiones, ſtrages. 3. Ejectionem tandem (*Suſneo* Rege Baſilidis Filio mortuo, A. MDCXXXII.) & Patriarchæ Latini, & Jeſuitarum, & Romanæ diſciplinæ. Undè ſub *Alexandrinâ Sede* ſunt Abaſſini hodieque; antiqui Ritûs tenaces, præter proprios quoſdam, (Circumciſionem, Sabbatum, Abſtinentiam à cibis immundis, &c.). nec *Romanum colentes* ampliùs, quo hæc tempore Pariſinus Præſul ſcriptitaret.

Nubienſes. Æthiopibus ad Occaſum & Septentrionem ſunt *Nubii, τὰ δυσμικὰ τῆς φάραγγος τοῦ ὄρους κατέχοντες, qui tenent Occidentalia vallis Garamantici montis.* Libyis Cyrenaicis, qui ad Ortum ſunt, & Ægyptiis ad Auſtrum, & occiduam Nili ripam, contermini. Qui præcipuas urbes habitarunt, *Cousha*, *Nuvâla*, *Galva*, *Dunkâla*, & *Jelek*. Hos quoque ab Alexandrino & Ægyptiis pridem accepiſſe fidem Chriſtianam, hinc ordinatos Epiſcopos, & Metropolitanos, tradit Eutychius Alexandr. in Annalibus, *Parte* II. & Joſephus Ægyptius in *Notitiâ* Patriarchatûs Alexandrini, quam è Bodlejanâ produxit Beveregius, Tomo II. p. 148. ubi *ſeptima* Sedes eſt *Metropolitani Nubienſis*. Indè verò à tempore tertii Chalifatûs *Omaris*, quando Georgius Patriarcha Alexandr. Conſtantinopolim fugit, ſolique obtinuerunt Eccleſias in Ægypto Jacobitæ, per annos Lunares Arabicos XCVII. Epiſcopos Nubienſes à Patriarchâ Jacobitâ fuiſſe ordinatos, & *Nubiam* amplexam fuiſſe Jacobitarum ſententiam, teſtatur Saïd Batricides, qui aliàs Eutychius, *Annal.* T. II. p. 387.

Getuli, Garamantes, Nigritæ. Sed & *Getulos* vel Γαιτούλους, (an ex *Getis* facta voce) Africæ populos, quam *maximam Libyæ nationem* dicit Strabo *Lib.* XVII. Mauris & Numidis ad Auſtrum conterminos, Nigritis, quos Αἰθίοπας dicit Ptolem. ad Septentrionem, *Chriſtianam* fidem amplexatos eſſe, teſtatus eſt ſuprà Tertullianus, adversùs Jud. *Getulorum varietates* dicit, quum non uno nomine diſtinguantur. Et ſub his quoque *Garamantes* Libyca gens, quam ab Æthiopibus & Oceani vicinis abeſſe IX. aut X. dierum itinere, Strabo Lib. XVII. in quibus *Auſenſes*, *Augilæ*, *Naſamones*, Libycæ Gentes, de quarum barbarie Herodotus, Mela, & ad hunc Iſaacus Voſſius, L. I. C. VIII. Garamantas verò per Legatos *fidei Chriſtianæ ſociari deſideraſſe*, & *impetraſſe*, Juſtini Junioris A. III. habet Johannes Abbas in Continuatâ Hiſtoriâ, apud Scaligerum in Theſauro Temp. Accenſiti etiam & inter eos Nubii, Nubæ, quos Pygmæos vocant Ariſtoteles, Ptolemæus, Mela, id eſt, κολοβοὺς *recutitos*, ut Voſſius *Obſerv.* ad Mel. L. III. C. VIII. Sic *Nigritas omnigenos*, Nubiis ad Occaſum, Getulis & Garamantis ad Auſtrum, à Nigro fluvio ſic dictos, aliquando recepiſſe fidem Chriſtianam teſtatur Abulfarajius *Dynaſt.* VII. p. 85. Sed mox extincta apud has Gentes lux Euangelii, deinceps Muhammedaniſmi, tum & Paganiſmi tenebris denſiſſimis obſcurata. Et hîc ſunt, partim

Status hodiernus. Regnum *Marochanum*, à Sec. XI. cui ad Occaſum Oceanus, ad Meridiem Nigritarum regio, Fezza ad Septentrionem; partim Regnum *Fezzanum*, ſuprà Ommirabium fl. ex Montibus Atlantis ortum, quæ olim pars Mauritaniæ Tingitanæ nobiliſſima; partim *Libyæ* interiora, quibus ad Septentrionem ſunt Regna Algerienſe, Tunitanum, Tripolitanum.

Pro-

Digitized by Google

Provinciæ Barbaricæ in

EUROPA.

Scythia Europæa.

IN Europæ partibus, extrà Imperii fines; *Barbarorum* multæ Gentes ac Provinciæ Chriſtianum nomen admiſerunt. In *Scythiâ Europaâ*, ut à ſextâ Thraciarum Prov. Romanâ diſtinguitur, ac primò in *Parvâ Scythiâ* (diſtinctè à Magnâ Scythiâ quam Magnam Tatariam vocant) ubi Tatari *Perecopenſes*, & *Nagayi*, ubi *Taurica* Cherſoneſus, & quæ dicta *Cimmeria*, hinc *Tataria Crimenſis*, & quicquid terrarum eſt ultrà Pontum Euxinum, inter *Volgam* & *Boryſthenem*; cui adeò ab Ortu ac Septentr. occurrit Mæotis Palus, Tanais, Volga, & ab Occaſu Boryſthenes; in hac, inquam, Scythiâ non defuerunt Chriſtianæ Eccleſiæ. In his quæ dicta fuit *Cherſonenſis* Scytho-Tauriæ, ſeu Tauricæ Cherſoneſi, ubi *Cherſonus* Civitas ad Occaſum; quemadmodùm *Boſphorus* vel *Boſporus* Civitas ad Ortum eſt, ad fretum ſcil. Boſphoranum, à quo haud longè abeſt hodie *Caffa*. Et harum Urbium Epiſcopi leguntur in Actis Concilii Conſtantinopolit. v. imò etiam Boſphoranus Epiſcopus Eudoxius, in Actis Chalcedonenſ. Hîc & *Theodoſia* ad oſtium Iſtriani fluv. hodie Capha vel *Caffa*, ampliſſima Civitas, & *Panticapæum* Boſphoranorum Metropolis, ad Boſphorum Cimmerium. Adeò Cimmerias has tenebras diſcuſſit quandoque lux Euangelii, ſed rursùm *poſt lucem tenebræ*. Conſtantinopolitano eæ Eccleſiæ quondam ſubjectæ fuerunt, ex *Notitiis*.

Getæ.

Hic olim & ſiti fuerunt *Getæ*, voce veriùs Sarmaticæ originis, quàm Græcæ quaſi γείτονες *vicini*, quorum meminit jam Herodotus; quorumque nativæ ſedes inter Volgam, Tanaim, Mæotim, Pontum Euxinum, Boryſthenem, Danubium, ad uſque Iſtri oſtia, undè latè poſteà effundendi fuêre. Sub his comprehendendi non tantum *Thraco-Getæ*, populi qui ad Boſphorum, vicini Thraciæ, Θρηίκων ἀνδρειότατοι καὶ δικαιότατοι, apud Herodotum L. iv. Tum *Tyri-Getæ* qui ad Tyram fluv. *Maſſa-Getæ* qui Scythæ vel Sarmatæ Aſiatici, *Thyſſa-Getæ* Herodoto, Gens ultrà Tanaim, ἔθνος πολλὸν καὶ ἴδιον, L. iv. *Samo-Getæ* Gens Pruſſica, &c. Sed etiam

Gotthi.

latiùs appellati *Gotthi*, *Gutthi*, *Gutthones*, *Gotthones*, *Gotthuni*, ut Franci Francones, Burgundi Burgundiones, Friſii Friſones, Slavi, Slavini, Slavones, &c. Sive jam iidem cum Getis, Daciæ deinceps ultrà Danubium Populis, versùs Pontum Euxinum, ubi etiam *Gotthia* apud Eccleſiaſticæ Hiſt. Scriptores; ſive ipſiſſimi primùm *Gutthones*, *Gotthones*, Germaniæ populi, ad Viſtulam fluvium qui Germanos à Sarmatis diſtinxit, ubi Pomerani, Caſſubii, & vicinæ regiones, ad Sinum Codanum, ut multis præ cæteris Cluverius in *Germaniâ* ſuâ; ſive veriùs ex *Scantziâ* peninſulâ, vel *Scandinaviâ* (quæ Jornandis ſententia fuit) primùm egreſſi, delatique in Gotlandiam Inſulam, mox in continentem Germaniæ, poſitis inter Albim & Viſtulam ſedibus. Et certè in Scandinaviâ retentum hodieque *Gotthorum* vel *Gutthorum* nomen eſt. *Gotthi* autem veriſimiliter quaſi *guten*, boni, aut terræ bonæ & feracis incolæ, contrà quàm *Quadi*, quaſi homines mali, aut mali vicini. Ab his *Gotlandia* Inſ. & *Gutthia*, *Jutia* vel Jutlandia, & *Codanus* Sinus quaſi Godanus, Gottanus. De quibus fusè etiam nuper egit Matth. Prætorius, in *Orbe Gotthico*, & nos ſuprà *col.* 119.

Sedes occupatæ.

Ab his Germaniæ oris, ſive potiùs (ut alii) Sarmatiæ vel Scythiæ, *Gotthorum*, qui circà Mæotim Paludem conſederant, pars major digreſſa in Daciam venit, hodiè Tranſſylvaniam, Walachiam, certè antè Trajani tempora, qui ipſi *Getæ* appellati, etiam *Scythæ* apud Zoſimum; & Eccleſiaſticos Scriptores: Hinc Illyricum ſub Claudio à Getis vel Gotthis vaſtatum referunt Euſebius, Sozomenus, &c. Indè in *Mæſiam* digreſſi, Thraciamque ſub Philippo Imperat. ex Jornande; poſteà effuſi ſub Valeriano & Gallieno in *Græciam*, *Macedoniam*, *Pontum*, *Aſiam*, regiones has miſerè devaſtarunt.

Weſtrogotthi.

Diviſi ſunt ſub Valente Imperatore; mortuo Hermanaricho Gotthorum Rege, in *Weſtrogotthos* & *Oſtrogotthos*. Quanquàm aliter Grotius, nomina hæc è Scandiâ & patriâ ſcil. deportaſſe, cujus partem alii Orientalem occuparint, Occidentalem alii. *Weſtrogotthorum* ſeu *Wiſigotthorum* Dux Fridigernus, ſub Valente, mox Reges Athanaricus, Alaricus, Athaulphus, Wallia; &c. Et hic ipſe Wallia Wandalos in Hiſpaniâ oppreſſit; eandemque tenuit cum parte Aquitaniæ, quæ hinc Gotthia appellata, Honorio imperante: Sic & Narbonenſis Prima Wiſigotthis ceſſit.

Oſtrogotthi.

Oſtrogotthi ex Amalorum familiâ ſuos deinceps Reges habuerunt, quorum *decimus* & *tertius* fuit Theodoricus Rex Italiæ, Odoacro devicto, *ultimus* Rex Tejas, poſt Totilam. Et hi ſub Arcadio & Honorio Principibus invasêre Phrygiam, Lydiam, Pamphiliam; ſub Marciano Pannoniæ eam partem occuparunt cujus caput Sirmium. Undè arma in Hunnos, Suevos, Rugios, Herulos, &c. Sed & in Macedoniam, Illyricum, Theſſaliam latè graſſati. Hiſpaniam quoque tutorio nomine rexit Theodoricus, Anaſtaſio imperante.

Converſio ad fidem Chriſt.

Porrò has Gentes ſub *Valente* primùm ad fidem Chriſtianam perductas, quod Barbaris miſiſſet auxilia, tradunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Cedrenus, &c. ſub *Conſtantino* autem Philoſtorgius. Et ſanè Synodo Nicænæ ſubſcripſit Theophilus *Gotthorum* Epiſcopus, apud Socratem *Lib.* ii. C. xxi. Et poſt eum Ulphila vel Urphila, hic ipſe dein in Valentis gratiam Arianus factus. Ità ſub Conſtantino perdomitas has trans Danubium Gentes, ac in fœdus admiſſas, cohortante tùm omnes ad Chriſtianam fidem, ex Sozomeno intelligitur, *Lib.* i. C. viii. & Euſebio de Vitâ Conſt. M. *Lib.* iv. C. v. vi.

Gepidæ.

Accedunt *Scythicæ* & *Sarmaticæ* Gentes aliæ, communi appellatione *Sarmatarum* Gentibus ad Boream ſitis, Polonis, Venedicis ad Sinum Venedicum (ſeu Mare Balticum) Pruſſis, Bohemis, Livoniis, Lithuanis, Ruſſis, Slavis, &c. Inter quas ſanè communis olim ferè *Lingua* fuit, dialecto tantùm varians, quæ vulgò Slavonica; tandemque inter eas fuit diffuſum Chriſti nomen, imò jam ætate Tertulliani, ut patet ex Libro *adversùs Jud.* quanquàm non eâdem Doctrinæ ſinceritate, neque eodem tempore. Sic Gotthici generis fuerunt *Gepidi* vel *Gepidæ*, Sarmatica Gens, ex Jornande Ravennat. à quibus *Gepidia* Daciæ Antiquæ, ubi nunc *Walachia*, *Tranſſylvania*, *Raſcia*, nomen accepit. Conſediſſe putantur primo ad Viſtulam, ſeu ex Scandiâ eò delati, ut Jornandes, ſeu aliundè, certè Gotthis permixti. Delendi poſteà Gepidæ à Longobardis, circà Juſtiniani tempora, ex Pauli Diaconi Hiſtoriâ.

Hunni, Avares, &c.

Sic *Hunni*, vel *Unni*, *Chuni*, *Cuni*, (hinc quidam ex Sarmaticâ voce quæ *equeſtres* notat, à *Kuinâ*, *Kun*, qui Polonis hodieque eſt *equus*) Gens ampliſſima, ſub quâ aliquando *Avares*, *Siberi*, *Ungri*, *Tatari*, *Turcæ*, &c. ex Sarmatiâ Aſiaticâ ultrà Mæotidem orti, (malè ex Cimmeriâ, & *Sclavini generis* apud Cedrenum) ac latè ad Caſpias portas extenſi, apud Procopium. Sed hi poſteà in Cimmeriâ, Cherſonam inter & Boſporum, Procopio eodem teſte *Lib.* i. *Perſicorum*, ac tandem in Pannoniâ Europæ, conſederunt. Nam poſt varias irruptiones in Germaniam, Gallias, Italiam poſteà, ubi feritatem ſuam exercuerunt, Attilâ Du-

ce, (de quibus in Hiſtoriâ Seculi v.) fixerunt Sedes ſemel iterumque in Pannoniâ, quæ indè *Hunnia* & *Avaria*. Hos autem converſos fuiſſe ad fidem Chriſtianam ſub Juſtiniano Imper. *Gordâ* eorum Rege, auctor eſt Procopius; quanquàm de miraculoſâ converſione *Hunni* cujuſdam *Theotimi* vide quæ refert Baronius, ad Annum ccccii.

Ungari. Dein verò Hunni, ab *Ugris*, *Ungris*, *Unigeris*, Sarmaticâ vel Scythicâ itidem Gente, Hunnis olim vicinâ, paulo poſt Caroli M. tempora, Pannoniis exacti, undè *Ungari*. Quibuſdam quaſi *Hunn-Avari*, primitùs inter Raabam & Dravum fl. medii, quouſque ſe Imperium Occidentis tempore Caroli M. extendit. Alii à *Jugris*, *Jugoriis*, *Juhariis*, *Ungris*, olim Siberiæ Populis, qui dein effuſi in Daciam, Pannoniam, & vicinas regiones, Hunnos & Avares, exterminarunt. Et hæc ipſa Ungarorum gens, ferox cumprimis & barbara, non modò in trans-Danubianas poſteà regiones, ſed & trans-Rhenanas Germaniæ, quin in Gallias, & in Italiam effundenda, converſa demùm eſt ſub initia Sec. xi. ſub Henrico II. Imperat. plurimum ad id conferente hujus ſorore *Giſlâ*, uxore Geiſæ, Ducis Hungariæ, matre Stephani primi Hungarorum Regis, de quo *Hiſt. Eccleſ.* Sec. xi. *col.* 1511. &c. Et ad Hungariæ Regnum aliquando pertinuerunt Tranſſylvania, Dalmatia, Croatia, Slavonia, Raſcia, Servia, Bulgaria, Boſnia, & vicinæ regiones. Quanquam nihil *Slavonicæ* Linguæ commune ſit cum *Hungaricâ*, quæ ſic Genti propria eſt, ut planè à reliquis differat. Sed de Hungaris conſulendus inter alios Bonfinius, Commentario de Rebus Hungariæ.

Alani. Sic *Alani* Scythicæ originis, qui & *Alauni*, Hunnis olim vicini, latè in Orientem & Occidentem extenſi, conſederunt primâ ſui origine ad Caucaſum, vel Caſpios montes, non longè à Mæotide Palude; hinc in eâ Sarmatiæ parte, quæ inter *Roxolanos* ad Ortum, (quos Johannes Magnus in Hiſtor. Gotthorum L. xv. cenſet dictos quaſi *Ruſſos-Alanos*) & *Venedos* ad Occaſum, versùs Boryſthenis fontes, ubi ferè hodie Lituania eſt, Livonia, & conterminæ Gentes. Mox permixti ſunt *Vandalis* ad Occaſum, ac cum iis juncti in invadendis Galliis, Hiſpaniis, ubi Emeritanam & Gallæciam Provincias Alani aliquamdiu tenuerunt.

Sclavi. *Slavi*, *Sclavi*, Σθλάβοι Byzantinis, quacunque vocis origine, è Slavonicâ, vel, ut alii, Polonicâ linguâ, dicti putantur Grotio à *rerum geſtarum gloriâ*. Habuerunt primas ſedes in Scythiâ Aſianâ ultrà Tanaim, hinc Ruſſiâ, & Cimmeriâ, cis Tanaim ubi *Roxolani*, inter principes Slavorum populos. Memorantur Straboni *Lib.* vii. ut ultimi ad Septentrionem populi & ultrà Roxolanos, quos dicit incolere campos μεταξὺ τοῦ Ταναΐδος καὶ τοῦ Βορυσθένους, *ſuprà quos an habitet aliquis neſciri*, *pag.* 212. Romanis *Slavorum* hi populi cogniti ſub *Scytharum* & *Getarum* appellationibus; tempore Conſtantini, ſub illis *Barbarorum* & *Sarmatarum*, apud Euſebium in Vitâ Conſtant. & Hieronymum in *Chron.* Horum verò pars non contemnenda, Iſtro ſeu Danubio tranſmiſſo, in Mœſiam, Daciam, Saviam, Pannoniam, Dalmatiam, Croatiam, &c. effuſa eſt. Notiſſimi jam *Slavorum* vel *Slavinorum* nomine, Seculo Juſtiniani apud Procopium de Bello Gotthico, & Jornandem de Rebus Geticis. In his cenſendi ad Viſtulam fluv. *Winidi*, *Venedi*, Sclavini generis, manſuro hodieque *Marchia Venedorum*, (Windiſch-Mark) & *Sclavonia*, nomine. Pars alia, in quibus & Slavi

Venedi. *Venedi*, *Vendæ*, undè *Wenden*, latè diffuſi, relicto ad Meridiem Danubio, in Moraviam, Sileſiam, Poloniam, ac regiones Sarmaticas, quæ versùs Mare Balticum ſitæ, commigravit. Undè *Sclavica*, vel *Sclavonica*, communis ferè Linguarum, quæ his Populis vernaculæ, mater extitit; & pars horum Caroli M. tempore, pars ſub Ludovico Pio, Carolo Calvo, Ludovico ſecundo, &c. ad Chriſtum adducta, cumprimis Nicolao I. Pontifice, per Methodium & Cyrillum. Dein ad Polonos, Slavicæ originis, ſub *Miecislao* Polonorum Duce, qui S. Baptiſmo tinctus circà Ann. mccccLxv. Chriſtianum nomen pervenit. Sed de his in Eccleſ. Hiſt. *Sec.* ix. *col.* 1336. *Sec.* x. *col.* 1425.

Bulgari. Sic *Bulgari*, vel *Volgari*, quorum & avitæ ſedes in Tartariâ Aſiaticâ ultrà Bulgam ſeu Vulgam fluv. Tataris *Edil*, qui primis originibus ex Ruſſiâ Europæâ & Lacu Volgæ ab Occaſu oriundus, hinc in Ortum tendens per Ducatus Twere, Niſi-Novogord, &c. ac decurrens Caſanem uſque, indè fertur in Auſtrum versùs Aſtrachan Civitatem, atque hinc multis oſtiis tandem in Mare Caſpium, decurſu 700. milliarium. Atque hi Bulgari effundendi poſteà fuêre in regiones trans Pontum Euxinum, & Danubium, & primò quidem Anaſtaſio imperante. Tandemque, poſt longa cum Græcis, Latinis, Sclavis, certamina, de quibus prolixè Hiſtorici Byzantini, inſederunt Macedoniam omnem, & Illyricum; undè *Bulgaria* nomen omni illi tractui, quæ deinceps *Albania* appellata eſt. Inducti primùm ad Chriſtianam fidem feruntur, Michaële III. Imperat. Nicolao I. tum Epiſcopo Romano; qui ad conſulta Bulgarorum, *Capitulis* cvi. reſpondit, ut *Hiſtoria* noſtræ Sec. ix. *col.* 1336. A temporibus Baſilii Βουλγαροκτόνου Seculo x. intrà Mœſiam Inferiorem, ad Iſtrum & Hæmum, coërciti fuerunt, quæ & ipſa *Bulgaria* dicta, in hunc uſque diem.

Ruſſi, Moſcovitæ. Sic *Ruſſi*, *Moſcovitæ*, Scythiæ Europææ Populi, & Slavonicæ quoque originis, & hi tradux magno Bocharto τοῦ *Rhos* & *Meſech*, undè Roſſi, Moſchi, qui inſederunt primò regiones ad Pontum Euxinum ſuprà Mæotidem & Tanaim. Ex *Ruſſis* quoque nati Roxolani vel Roxalani Plinio, inter Tanaim & Boryſthenem. Iis Volga fluv. *Rha* quondam, ad Ortum fuit; Venedorum autem gentes, & Sarmaticæ aliæ ad Occaſum, Oceanus Sarmaticus ad Septentrionem. Undè *Ruſſorum* alii hodieque Magno Ruſſorum Imperatori, quæ Magna etiam Alba Ruſſia dici ſolet, aliter *Moſcovia*; alii verò Sarmatarum aut Polonorum Regi, Ruſſiæ Nigræ nomine, Lituaniæ, Livoniæ, Kyoviæ, Voliniæ, &c. parent, cumprimis inter Tyram & Boryſthenem fluvios. A *Græcis* Seculo x. ultrà medium, *Wolodimiro* totius Ruſſiæ Principe, Religionem Chriſtianam (undè inter *Sanctos* referunt Menologia Græcorum, pollutum licet multo ſanguine, adulteriis, rapinis) ſimulque cum Religione acceperunt Diſciplinam, Ritus, Characteres cum *Sclavonicis* confundendos. Illam-ne ab *Andreâ* Apoſtolo primùm hauſerint, *Naugardiam* vel *Novogradum* per Boryſthenem fluv. delatum, alii viderint. Quâ de traditione, vide Hiſtor. Eccleſ. *Sec.* x. *col.* 1424. Adi Paulum Jovium, Guagninum, Sigiſmundum, Theologiam Moſcoviticam, &c. ac poſt omnes Olearium, alioſque celebres nuper Itinerariographos, quos inter Legatus Cæſareus Baro de Mayerberg, accuratâ Relatione itineris ſui A. mdc lxi. ſuſcepti.

Germaniæ veteris limites. *Germanicæ* ſequuntur Gentes, *Barbaræ* nempè Germaniæ ſeu trans-Rhenanæ, diſtinctæ à Germanis cis Rhenum ſeu ad lævam fluvii, qui pulſis Gallis hæc loca pridem occuparant eorum fertilitate illecti, & ſic partem Gallicanæ Diœceſeôs conſtituerunt. Communi enim origine fuiſſe, dictos quaſi *bellatores*, *viros belli*, *Guerre*-vel *Werre-mans*, voce Germanis, Gallis, Anglis, Italis, Hiſpanis, communi, multis Cluverius & alii. Hinc latiſſimum aliquando Gentis nomen fuit, dividendæ in Germaniam *Superiorem*, & *Inferiorem* cujus pars nobiliſſima fuerunt *Catti*, *Chaſſi*, *Haſſi*, in-

intra Rhenum, Mœnum, Viſurgim; item *Batti* ad Adranam fl. qui in Viſurgim influit, undè *Batavi, pars Cattorum trans Rhenum agentes*, apud Tacitum *Hiſt.* IV. 12. Extendendum porrò fuit Germanorum nomen etiam ad *Sarmaticas* Gentes, ad Tanaim uſque, vel Pontum Euxinum. Undè apud Warnefridum, *Lib.* I. C. I. è Germaniâ, *generali vocabulo*, prodiiſſe dicuntur quicquid Barbararum Gentium eſt, quæ indè ab Occiduo ad Tanaim Germani vocitantur. Propriè tamen ea Germania cenſebatur, quæ ab Occaſu fuit intrà Rhenum & Oceanum, habens Danubium à Meridie, Viſtulam ab Ortu, Mare Balticum vel Suevicum à Septentrione. Neque hæc antè medium à nato Chriſto ſeculum V. Eccleſiæ Chriſtianæ ſedes fuit. Nam quæ apud Irenæum dicuntur *in Germaniâ fundatæ Eccleſiæ*, Lib. I. C. III. & apud Tertullianum, atque apud Arnobium inter *Alamannos*, lato vocis uſu, manifeſtò ad eam Germaniæ partem ſpectarunt, quæ ſita vel in Gallicanâ, vel in Italicâ Diœceſi ubi ſecunda *Rhætia*; de quibus ſuprà.

Admiſſio Chriſtianæ fidei.

Vandali. E Barbarâ Germaniâ prodiêre *Vandali*, *Wandali*, quaſi vagi obambulatores à *wandeln*, quos Grotius ex Scandiâ quoque arceſſit, eâdem cum Gotthis origine, & quos pro unâ Gente, diverſis tantum Ducibus, habet Procopius de Bello Gotth. L. III. Βανδίλους Procopius vocat, Οὐανδάλους Zonaras, *Wandalios* Caſſiodorus, *Winulos* Paulus Diaconus, à primitivo *winus*, *vinus*, voce Sarmaticâ, quæ pedibus velocem deſignet, apud Prætorium *Lib.* III. C. I. Ex Wandalis *Walones*, quaſi Wandalones, alii dictos cenſuerunt. His primò inter Viſtulam fluvium, Mare Balticum ſeu Codanum Sinum, & Albim, ſedes fuerunt: Poſt unà cum Gotthis ad Mæotim conceſſerunt, hinc in Daciam, circà M. Aurelii Antonini tempora, & hi dicti Aſtingi. Indè in *Pannonia*, à temporibus Conſtantini M. qui habitandam illis ex parte conceſſit, ex Jornande: Hinc in Gallias, & per has in Hiſpaniam Bæticam, graſſaturi, qui eorum dicti *Silingi*; cæteri in Gallæciam, *Godigiſilo* Rege, cujus filius *Gunthare* vel *Gunderichus* Alanos ſubegit; dùm ejus frater *Gizerichus* Africam domuit, à Gadibus ad Tripolim Africanam, Sardiniam quoque & Corſicam. Ac *Vandalicæ* in Africâ tyrannidi finem impoſuit Juſtinianus Imper. *Indict.* XII. Conſ. *Marcellino.* Et generalior hæc *Vandalicarum* Gentium notio eſt, complexa vicinas omnes, aut iis tandem habitatione ad Codanum ferè Sinum conjunctas, omneque *Gotthicum* genus, *Guthones*, *Herulos*, *Lemovios*, *Turcilingos*, *Rugios*, *Varinos*, *Carinos*, *Langobardos* ſeu propriè *Winilos*, *Burgundiones* ſeu ut alii *Burgiones*, &c. omnes Arianâ labe ſtatim infectos. Et junctas has *Suevis*, *Alanis*, *Quadis*, aliiſque, Germaniam penè omnem infeſtaſſe, imperante Honorio, Galliaſque, & Hiſpanias, quas aliquamdiu tenuêre, Africam tandem, Hiſtoriæ pluribus tradunt. Sed ex hac penitus exacti Wandali virtute Beliſarii, Juſtiniano imperante. Verùm de Wandalico Bello prolixè Procopius, Zonaras, & Byzantini alii.

Vicinæ & Sociæ Gentes.

Longobardi. *Longobardi* ex Gepidis oriundi, Gotthici quoque generis, an à *Longis bardis* vel barbis, ut P. Diaconus, & Cluverius, an à genere armorum *Latis* ſcil. *Bardys* vel aſciis militaribus, an aliunde dicti, jam non inquirimus. Horum prima mentio apud Proſperum Aquitanicum ſub Theodoſio in *Chron.* ſedibus tùm ſuis cis Danubium, unà cum Gepidis, in Pannoniâ poſitis. Poſt Gentilibus oppreſſis, de quo Procopius de Bello Gotth. L. I. C. XV. ut antè Herulos ex Hungariâ, Moraviâ, &c. profligarant, è Pannoniâ in Italiam invitati à Narſete, ſub Juſtino II. Imperatore, Alboino vel Albuino Rege, ac potiti Galliâ Cis-Alpinâ, ſive Liguriâ, Foro-Julio, viciniſque regionibus, uſque ad tempora Caroli M. De quibus prolixè Paulus Warnefridus, ſeu Wanefridi filius, Cancellarius ultimi Longobardorum Regis, in Hiſtoriâ ſuâ de Longobardorum Geſtis. Vide noſtram *Hiſt. Eccleſ.* Sec. VI. *col.* 1159. De converſione Longobardorum ab Arianâ ad Catholicam fidem, inducente Agilulphum maritum Theodelindâ Reginâ, circà A. Chriſti DXC. diximus ibidem, *col.* 1161.

Burgundi. Inclyta cumprimis gens *Burgundionum*, vel *Burgundorum*, ſeu à *Burgis*, id eſt, Caſtellis nomen habuerint, vel Limitum caſtellis, quæ Burgos Teutones dixerint; ſeu à *Burgis*, id eſt, habitationibus extrà Urbes non muro clauſis, ſeu aliunde. Hæc ad fidem Chriſtianam adducta fuit tempore Theodoſii Junioris, ex Socrate *Lib.* I. C. XXX. aliiſque, dein ad Arianiſmum prolapſa. Deinde poſtquàm mixta cum Vandalis, Alanis, Suevis, aliiſque Mari Baltico & Sarmatis ad Viſtulam fluv. proximis Gentibus, trajecto primum Rheno (ad cujus ripas, hinc in Batavorum terris, conſederat) in Gallias penetraſſet, fixas ibi ſedes habuit, ubi quondam Ædui, Lingones, Veſontii, Matiſconenſes, Cabilonii, Sequani, Helvetii, &c. Nempè inter Ararem, Rhodanum, & Rheni ſuperiora, ubi Provinciæ Romanæ *Lugdunenſis Prima*, *Maxima Sequanorum*, & *Prima Viennenſis.* Hinc Regnum *Burgundicum*, in quo Metropoles Lugdunum ac Vienna, Arianiſmo infectum, uſque ad Sigiſmundum Gondebaldi filium, circà A. DXVI. de quo in *Hiſt. Eccleſ.* Diſtinguendum hocce poſteà in partem cis Jura montem, quod & Regnum *Cis-Juranum* & *Arelatenſe* appellatum, ac trans Jura, hinc *Trans-Juranum* Regnum. Utrumque ſub Radulpho Duce Burgundiæ, circà Annum DCCCCXXXIII. conjunctum fuit. Seculo toto poſteà, Anno nempè MXXXIII. Conrado Imperatore Hærede inſtituto Rudolphi Burgundi tabulis, adſcriptum fuit Regnum utrumque *Arelatenſe* & *Burgundicum* Germanico Imperio: Undè Tituli hodierni Electoris Trevirenſis, Cancellarii per Galliam & *Regnum Arelatenſe*, ſed Tituli tantùm.

Franci. *Francorum* indomita in Germanicis Gens, ac multas alias complexa, quæ pro vindicandâ *libertate*, ſancito inter ſe Fœdere, in hoc nomen convenerant. Primæ ſedes fuerunt ad Occaſum & Septentrionem Germaniæ, inter Oceanum, Rhenum, Viſurgim, Albimque fluvios. Hîc *Salii*, Francorum nobiliſſimi, ſive à *Salâ*, id eſt, Comitio quod primitùs habuerunt in terrâ quæ Saliis nomen dedit; ſive à *Salâ* fluvio, quem Druſus Rheni Orientali ripæ conjunxit, unde foſſa Druſiana, & qui in Flevonem Lacum influit, hodie *Zuyder-zee*; hinc è Lacu emiſſus, relictâ ad dextram Flevo Inſulâ (Fleet vel Flee) in mare arctiore fluvio ſe exonerat. Ab his *Salica lex*, & hodieque *Sallandia.* In Francis *Friſii* majores & minores; *Bructeri* majores & minores, *Angrivarii*, *Ampſivarii*, *Chamavi*, *Marſi*, *Sicambri* vel *Sigambri*, *Chattuarii* ad Viſurgim, & his vicini *Chatti*, *Hatti*, undè *Haſſi.* Hodie hunc terrarum tractum occupant, Friſia utraque, Trans-Iſalania, Weſtfaliæ Ducatus, Epiſcopatus Monaſterienſis, Oſnabrucenſis, Mindenſis, Haſſiæ Principatus, ac vicinæ Ditiones. De quibus noviſſimè commentatus eſt, & eruditè, Vir Ampliſſ. Menſo Alting in *Notitiâ Batavia Antiqua.* Ut verò Franci, Duce tandem *Meroveo*, à quo *Merovingii*, circà medium Sec. V. Valentiniano III. & Marciano Principp. hinc Duce *Childerico* filio, poſt Hunnos è Galliis fuſos, inſederint primò ea loca quæ cis Rhenum, Moſam, Wahalim, ex Hiſt. notum: Quæ Moſa eſt *Patabus* in Tabulâ Peutingeri, ſeu Batavus, B in P. & V in B. ut alias ſæpè, permutatis; alii Wahalim interpretantur. Adeoque

que occuparunt eas Provincias, quæ in Notitiâ Imperii ſunt *Germania Prima*, *Belgica Secunda*, *Lugdunenſis Secunda*, *& Lugdunenſis Quarta*: Ut ſub Clodoveo, Rege v. circà A. CCCCXCVI. poſt fuſos Alemannos, ad *Chriſtianam* fidem Franci, ad Ligerim uſque dominati, acceſſerint; de cujus tamen Clodovei Baptiſmo, Ampullâ cœlo delatâ deficiente Chriſmate, (planè ut Hungari *Coronam* Regni ſui ab *Angelo* delatam tradunt ad *Stephanum* primum Regem, quam Poſonii ut Palladium aſſervant) hinc Unctione Baptiſmali, quam alii Regiam fuiſſe volunt, fabuloſa multa; quâ de re Blondellus contrà Chiffletium, *Tomo* I. & noſtra Hiſtoria *Sec.* VI. & IX: Ut hinc, quoniam is tùm ſolus Rex Catholicus & *Orthodoxus* ſentiens cum Gallicanâ Eccleſiâ, (cæteris ferè in Illyrico, Italiâ, Africâ, Burgundiâ, Aquitaniâ, Hiſpaniâ, Regibus *Arianis*) nati ſint tituli *Primogeniti Eccleſiæ*, & *Chriſtianiſſimi* Regis: Ut poſteà diviſum fuerit Francorum regnum in Regna *quatuor*, pro Clodovei filiorum numero, nempè in *Auſtraſiæ* illud, inter Rhenum & Moſam, atque etiam ultrà Rhenum protenſum in Thuringos, Alemannos, undè *Franciæ Orientalis* nomen; & *Weſtria*, ſeu *Neuſtria* Regnum, inter Moſam & Ligerim, ſubdividendum in Regna tria, *Aurelianenſe*, *Pariſienſe*, & *Sueſſionenſe*: Hæc & alia ex Francorum Hiſtoriis & Annalibus pluribus diſcenda veniunt.

Saxones. Angli. *Saxonum* populoſiſſimæ genti, quos & *Foſos* dictos referunt Tacitus & Ptolem. primæ ſedes fuerunt ſuprà *Albim* fluv. verſùs Cimbricam Cherſoneſum, in quâ & *Juti* ſeu *Jutia* utraque, in hunc diem, & *Holſati*. Ptolemæus Tab. IV. Europæ; *Deinde Cauci* (Χαῦκοι) *majores, ad Albim uſque fluvium, hinc ſuper dorſum* (ἐπὶ τὸν αὐχένα) *Cimbricæ peninſulæ*, Σάξονες *Saxones*. Eandem Saxonum originem, contrà Crantzium eorum indigenatum in *Weſtfaliâ* collocantem, probat Suffridus Petri, de Orig. Friſiorum, L. II. C. VII. Undè, Albi ſuperato, in *Suevorum* & *Francorum* priſtinas ac derelictas ferè ſedes conceſſerunt, ſuperatis Thuringis, Bructeris, Caucis, Agrivariis, Friſiis, aliiſque inter Rhenum, Viſurgim, & Albim Populis, orâque omni maritimâ, Friſiorum ac Batavorum, in *Saxonum* poſteà nomen coaleſcente. Ubi frequentiſſimæ paludes, *latiſque paludibus exit Cimbrus*, id eſt Saxones, qui è Cimbricâ Cherſoneſo exierant, & Oceani litora ac paludoſa loca occuparant, Piraticæ exercendæ apta. Hinc Saxones in varios populos dividendi, Caroli M. tempore, poſteà etiam Ducatus, qui *Saxoniam* hodieque, Superiorem & Inferiorem, conſtituunt. Sed & Saxonum gens, alii Suevorum, certè utriſque contermina fuêre olim *Angli*, inter Saxones & Jutas ſiti, unde hodieque priſci nominis veſtigia, *Angelen*, *Anglen*, inter Sleſwicum & Flemsburgum, ſuprà Albim fluv. An quod inter duo Maria ſiti, Suevicum & Germanicum, habitarint terram inter illa arctatam, undè *eng-landt*. Hi autem ſunt, permixti Saxonibus, qui Bedâ teſte, Marciano ad Imper. admoto, A. CCCCXLIX. in Britanniam invitati fuerunt, bellicoſiſſima gens, ſuppetias latura Britonibus contrà Pictos Scotoſque: De quibus Hiſtoriæ Anglo-Saxonum, & nos ſuprà in Diœceſi Britanniarum, ac *Hiſt. Eccleſ.* Sec. V. VI.

Origo Saxon. Weſtfalor. & Ooſtfalor. Ut à Carolo M. in ordinem redacti. Porrò *Saxones* deinceps in Veteres qui ultrà Albim, & Novos diſtincti fuerunt, ac ſpeciali appellatione, nec Veteribus cognitâ, dicendi poſteà à Saxonicâ voce *falen*, ità Cluverius, quæ pullum equinum notat, alii *Weſt-fali*, ſeu Occidentales, *Ooſtfali* alii, ſeu Orientales. Illi inter Viſurgim, Amiſiam, Rhenum, & Oceanum, hi ultrà Amiſiam & Viſurgim ſiti, ad Salam & Albim fluv. & Hartz vel Harzſchen montana, ubi Cauchi minores Plinii, Cheruſci, Catti, etiam Franci quos aliàs *Salios* dixêre latè extendendi uſque in Sylvam Hercyniam, & ad Mœni Nicrique ripas, vel ex Tabulâ Peutingeranâ. Quanquàm *Weſt-Valorum* & *Ooſt-Valorum* originem aliam det Suffridus Petri de Friſiorum Antiquit. L. II. C. XIV. à *Vandalis*, qui contractè *Valen*, undè *Valones*, & *Walli*, pro extraneis, quorumque alii Orientalem Viſurgis ripam incoluerint, alii Occidentalem. Et hi Saxones, poſt varias in Franciam irruptiones, imperante Francis Carolo Martello, dein Pipino filio, tandem tributarii Francis facti: Sed identidem perfidi, poſtremò ſubacti omnes à Carolo Rege, pulſo primùm Friſiâ *Radbodo* Rege, circà A. DCCLXXIX. hinc *Widikindo* Saxonum Duce ultrò ſe Carolo dedente, admiſſâ fide Chriſtianâ & Baptiſmo ſuſcepto, nullo ſanè interventu Rom. Pontificis; tandem & diſperſis Saxonum reliquiis quæ trans Albim ſupererant, circà A. DCCCIV. ex Reginone, & aliis. Atque ità bellum Saxonicum confectum fuit, circà A. DCCCVIII. Chriſtianâ Religione à Barbaris illis ſucceſſivè adoptatâ. Undè *Epiſcopatus* X. per Saxoniam omnem vario tempore inſtituti, nec tamen expectato *Rom. Pontificis* aſſenſu, qui jure Regio & Imperatorio inveſtiti à Carolo fuerunt, ſic etiam poſteà ab Ottone primo, ut pluribus poſt Goldaſtum in Conſtitutionibus Imper. Conringius de *Conſtit. Epiſcoporum* Germaniæ. Hujuſmodi fuêre, *Verdenſis*, *Oſnabrugenſis*, *Paderburnenſis*, *Monaſterienſis*, *Hildeshemenſis*, *Mindenſis*, *Bremenſis*, *Hamburgenſis*, *Halberſtadenſis*, *Magdeburgenſis*, qui poſtremus ab Ottone I. in Metropoliticam Sedem evectus eſt. Nati poſt alii, *Lubecenſis*, *Aldeburgenſis*, *Magnopolenſis*, *Raceburgenſis*, *Havelbergenſis*, *Brandeburgenſis*, *Miſnenſis*, &c. Utque mobiles Saxones coërceret, contineretque in Chriſtianâ fide Carolus, Epiſcopos ſimul ſeculari gladio armavit, ut pluribus Crantzius in *Metrop.* Et hinc egreſſus Anſgarius, ex Corbejenſi ad Viſurgim Monaſterio, ſub Ludovico Pio, *Danos*, *Suecoſque* ad fidem induxit, Hamburgenſi Epiſcopatui præficiendus. In *Friſiis* convertendis operam navavit VIII. Seculo poſt Bonifacium Moguntinum, Willibrordus vel Wilfridus Anglo-Saxo. *Thuringos*, Saxonibus quoque adſcriptos, ab Ethnicâ ſuperſtitione ad Romanos ritus revocavit idem Bonifacius Moguntinus, paulo antè Caroli M. tempora. De quo nos in Hiſt. Eccleſ. ad *Sec.* VIII.

Suevorum gens nobiliſſima fuit, undè *Suevia* Alemannorum patria, imò olim Germaniæ maximam partem complexa, ſedes habuit inter Albim, Hercyniam Sylvam, *Suevum* fluvium, qui poſteà Viadrus dictus eſt & in Mare *Suevicum* influit, Viſtulam denique, ubi Suevi ſuos Reges habuerunt. Dein arma variè circumtulerunt Seculis IV. V. gens bellicoſa, etiam in ſedes à Saxonibus relictas ſucceſſerunt. Ac Suevorum populis accenſent Ptolemæus, ex hoc alii, quos inter Wolf. Lazius, *Longobardos* quos ad Rhenum locat, *Anglos* ad Albim, *Marcomannos* ab Albi ad Danubium & Viſtulam, *Semnones* ad Hercyniæ juga, ubi hodie Bohemi. Ac *Suevia* tandem in ſpecie dicta eſt, anguſtioribus limitibus, Jornande deſcribente de *Rebus Gotthicis*, C. LV. cui ab Ortu Bojari, ab Occaſu Franci, à Meridie Burgundiones, à Septentrione Thuringi; Undè nata *Swabia* ex Latino *Suevi*, poſtquam ad Meridiem & Ortum Germanicas oras occuparunt, ubi hodiè Alſatia, Suntgovia, Briſgovia, Ducatus Wirtembergicus, & Helvetiæ pars non contemnenda verſùs Rheni ſuperiora, & Danubii fontes, undè Rhætia incipit. Pars verò Suevorum permixta Alanis & Vandalis, etiam Gotthis, communi multis horum Gentium origine, *Suevorum* regnum erexerunt in Luſitaniâ Hiſpaniæ, deindè Suevi. Suavi.

indè

Digitized by Google

indè recedentibus Vandalis, in Gallæciâ, per annos CLXXVII. Ariani hi aliquamdiu, poſteà ſub Theodomiro ſive Ariamiro *Suevorum* Rege, ad Catholicam fidem reducti; ad cujus confirmationem Concilium Lucenſe indixit, A. DLXIV. Sub eodem Bracarenſe I. habitum A. DLXI. & Bracarenſe II. A. DLXXII. de quibus *Collectio* Garſiæ Loayſæ, & noſtra *Hiſt. Eccleſ.* Seculo VI. Tit. de Conciliis.

Aleman. ni qui dicti? *Alemannorum* latiſſimum nomen eſt, quales primitùs dicti, ut ipſa vox ſonat, homines Miſcellanei, *allemannen*, ſeu multitudo hominum collecta, quæ ſuperato Rheno *dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavit*, ut Tacitus de Moribus German. Tales in ſpecie dicti quotquot nec Franci eſſent origine, nec Saxones, apud Aventinum *L.* IV. Sic *Teutones*, undè *Teutſcher*, *Teutſch*, & *Suevi*, ſub Alemannorum nomine comprehenſi. In ſpecie verò quibus inter Rhenum & Danubium ſedes, præcipuè ad Mœnum Nicrumque fluvios, *Alemanni* dicti. Olim ibi *Marcomanni*, *Turoni*, *Seduſii*, Suevorum propago; nunc præcipuè *Palatini*, & *Orientales Franci*. De Originibus Palatinis adi Marq. Freherum, de illis ex profeſſo commentantem, præter Cluverium & alios.

Boji, Bojemi, Quadi, Lugii, &c. *Bojorum* & lata dominatio, qui primitùs in *Bojo-hemiâ*, ſive *Bojorum domo*, Auguſti ævo conſederunt, unde à Marcomannis pulſi in eas Vindeliciæ oras migrarunt, quæ deinceps *Bojaria*, *Bavaria*, *Bairen*, dicta fuit. Tales præcipuè *Norici*, & *Vindelici*, (de quibus in Diœceſi Illyricianâ & Italicâ dictum) etiam *Nariſci* ad Septentrionem, & *Hermunduri* à Salâ, qui ex Hercyniis montibus fluens Albi propè Magdeburgum miſcetur, uſque ad Danubium & Viſtulam extenſi Populi, in Germaniâ ulteriore, de quibus præcipuè Aventinus; ubi etiam nunc Palatinatus qui dicitur *Bavariæ*. Ac qui intrà Hercyniam Sylvam veluti muro clauſi, *Bojemi* dicti, & regio *Bojemia*, quaſi Bojorum primitùs domus & patria. Et hinc pulſis Bojis *Marcomanni*, quorum meminit jam Vellejus Paterc. *Lib.* II. Suevorum de gente, hunc tractum occuparunt. Ac Suevis victoribus Boji, ab illis ejecti, in ſedes eas ultrà Danubium & ad Ænum fl. conceſſerunt, ubi adhuc Bavari. *Quadi*, quos cum Marcomannis conjungit Tacitus, *Lib.* de Moribus Germanor. Bojemis fuêre ad Ortum, Danubium versùs, ubi Moravi; ac ſuprà hos ad Boream *Lugii* variè diſtributi, ubi nunc Sileſii, & Poloni, cis & trans Viſtulam fluv. *Seduſii* Marcomannis ſæpè juncti, tandem ſedes habuerunt, ubi hodie Franconia eſt, & pars Palatinatûs Rheni, Nicro relicto ad Meridiem, Mœno ferè ad Septentrionem.

Hermiones. *Hermionum* verò vel *Herminonum*, Ἑρμηχιόνων Theophani, genericum nomen eſt, ſub quibus hæ omnes Gentes comprehenſæ, quorum ſedes incoluêre Helleviones (Αἰλυαίωνες Ptol.) Thuringi, Miſnenſes, Bojemi, Luſatii, Sileſii, Moravi, Marcomanni, Lugii vel Lygii, &c. Ac Plinius etiam *Suevos* facit partem Hermionum, & Hermunduros, & Cattos, L. IV. C. XIV. Pomp. Melæ dicuntur *ultimi Germaniæ Lib.* III. C. III. id eſt, Iſaaco Voſſio interprete, *vicini Mari*, πλησίον τοῦ Ὠκεανοῦ, ex Theophane, quod de iis Gentibus dici non potuit. *Ultimi Germanorum* veriùs dici potuerunt, quatenùs in Sarmaticarum confinio Gentium, ac poſt hos, ad Ortum & Septentrionem, fuêre *Venedi*, *Peuceni*, *Baſterna* vel *Baſtarna*, de gente Gottho-Sarmaticâ, ultrà Viſtulam fluv. Tyræ fluvio, & Dacis contermini. Converſionis verò harum Gentium non idem tempus eſt, de quâ in Eccleſiaſticis Annalibus, & in ſingularum Hiſtoriis. Maturior Suevorum, ac Bojorum, ad *Chriſtianiſmum* inductio fuit. Bojemi, Moravi, Seculo IX. Poloni Seculo X. eundem profeſſi, Româ tunc fimbrias dominationis protendente, per emiſſarios ſuos Monachos, hinc Pallio donandos.

Septentrionales Cimbri, Dani. Superſunt Septentrionales Germanis Populi. In his *Cimbri*, ſuprà Saxones, undè *Cimbrica Cherſoneſus*, Daniæ Ciſmarinæ regio, ubi & Cimbricum Promontorium, quæ & *Jutia*, *Holſatia*, in Borealem Auſtralemque diviſa, à Jutis incolis, quaſi Gutis, Gotthis. Cimbros Lazius, de *Migr. Gent.* L. I. & alii, deducunt remotâ origine ab *Aſcenaz* nepote Japheti, patre Cimbrorum, Tuiſconum, &c. *Jutos* derivat Suffridus Petri, *Lib.* II. de Friſiorum origine, *Cap.* V. à Juthone Friſonis filio, tribus & ultrà Seculis antè Chriſtum natum: *Danos* autem eo ferè tempore à primo Danorum rege, filio Humbli Regis Sueonum, qui *Dan* appellatus ſit; ut ab altero filio *Anglo* orti ſint veteres Angli. Vicinæ utique ſunt ad Ortum *Danorum* Inſulæ, quarum nobiliſſima in Sinûs Codani faucibus *Codanonia* vel *Godadonia*, apud Melam L. III. C. VI. pro quo If. Voſſius legit *Candanoviam*, & hoc pro *Scandinoviâ*. Ab illâ veriſimiliter *Danorum* nomen, quamvis *Danos*, progeniem Gotthorum, dictos eſſe qui *Daci*, cum Gotthis & Hunnis Scandinaviâ egreſſi, A. DCCCXXXVII. habeant Rerum Normannic. Scriptores, à Du-Cheſnio editi. Hinc *Danne-Marck* pro Daniâ, & indè quoque factum eſſe *Danski*, *Gdansky*, *Dantzig*, Lat. *Gedanum*, emporium ad Mare Balthicum, qui Gotthicas origines tradunt. Poſteà Danorum Inſula dicenda *Zelandia*, undè Dani profecti Seculo IX. Zelandiæ Batavæ nomen fecerunt. Et iſti ad Ortum & Septentr. *Scania* vel *Sconia* fuit, à regionis amœnitate, Scandinaviæ continens. Porrò *Scaniam* & *Scandiam*, ità quoque *Daniam* & *Daciam*, *Danos* & *Dacas*, ſic *Danas* cum *Tanai*, *Dacas* & *Dahas*, imò *Danos* & *Danaos* ut Wilh. Gemmeticenſis *Hiſt. Norm.* peſſimè quandoque Scriptores confundunt. Quemadmodùm *Cimbros* ac *Cimmerios*, *Suevos* & *Suedos*, *Suethos* & *Cittones*, id eſt, Norwegos, &c. ut Meurſio quoque in Notis ad Ælnothum Monachum de Vitâ & Paſſione Canuti Danorum Regis, Hugoni Grotio Præf. ad Hiſtor. Gotthorum, & aliis obſervatum eſt. *Danorum* primam converſionem, Regumque Haraldi & Erici, Anſgario Hamburgenſi adſcribunt, Borealium hinc regionum Legato Pontificio; quæ fuêre tunc in Occidente tempora, Gregorio III. Pontifice, Imperatore autem Ludovico Pio.

Scandinaviæ Populi. Nec jam in *Scandiam* vel *Scandinaviam*, ad Septentrionem Germaniæ Peninſulam, & in iſta *Baltiam*, *Nerigonem* ſeu *Norvegiam*, *Finniam*, ac conterminas regiones, excurrere animus eſt. Seu jam *Scandia* quaſi *Scantzia*, & hæc à *Scantzen* ſeu Caſtellis dicta, in rupê excîſis, undè *Scandia*, *Scandin-au* (quaſi Scanzen-au, caſtellorum terra, ut Morau, Naſſau, Ryngau, &c.) hinc *Scandinavia*; ſeu aliundè dicta. Hîc *Guta*, qui & Goti, de quibus prolixè ſuprà. Etiam *Nordwegi* ſeu Nordwagi, Suedi vel Suicones, Sueones, Levoni vel Leviones, Finni vel Fenni, Lappones, Barbari alii. Peſſimè hæc Peninſula Plinio *Lib.* IV. C. XIII. eſt Inſula habita, incompertæ magnitudinis, & poſt eum aliis, ac Paulo Warnefrido Diacono. Livoniæ enim ad Ortum adhæret, ac Sarmaticis Gentibus. *Iſlandiam* pariter, & ultimam terris *Thylen*, prætermittimus.

Nordmanni qui dicti? Et hæ ſunt *Nordmannorum* illæ Gentes ſive Hominum Borealium, quales *Suedi* vel *Sueones*, *Dani*, *Norwegi*, quæ poſt deletos Gotthos, Vandalos, Longobardos, à ſitu regionum Septentrionali ſic appellatæ. Terrificum nomen indè ferè à Caroli M. Ludovici Pii, & Succeſſorum temporibus,

(N) 3 bus,

bus, ſeu à Seculo IX. inchoato, infeſtis his Gentibus penè Europæ toti. Illinc enim claſſibus ad piraticam inſtructis per litora Oceani vagati, indè ab A. DCCCXIII. *Friſiis*, *Batavis*, *Hibernis*, *Pictis*, *Anglis*, *Scotis*, *Hiſpanis*, *Italis*, *Sequanis*, *Aquitanis*, exitioſi facti. Hinc per Albim, Rhenumque fluvios, *Saxoniam* penè omnem depopulati ſunt, ac Germaniæ partem. Ac in *Friſiorum* ut regionem, ſic & nomen ſucceſſerunt; quibus non contenti terris poſt latè populando graſſati ſunt, omnia ferro & igni devaſtantes. Sed regiones ab iis occupatas, Urbes incenſas, Eccleſias deſtructas, barbariem exercitam, omniaque ferro & igni devaſtata, Hiſtoriæ loquuntur, Seculi IX. X. & noſtra *Hiſt. Eccleſ.* ad ea tempora. Ab iiſdem *Neuſtriæ* ea pars, in regno Francico, quæ in hunc diem *Normannia* eſt, nomen ſuum ſortita, quam à Carolo III. qui *Simplex* dictus eſt, inchoato Seculo X. in Dominium, *Ducatûs* titulo, Normanni acceperunt.

Dani & Nordmanni in Angliâ.

Ut Angliam Dani, primò ex parte dein univerſam, tenuerint, *Canuto* ſimul Anglorum, & Danorum, Norvegorumque Rege, Seculo XI. nato, poſt mortem Ethelredi & Edmundi filii; Ut hujus Filiis extinctis, dein & ſublato *Edwardo* Confeſſore, Saxonicæ ſtirpis ultimo, *Guilielmus Nordmanus*, Roberti Nordmanni *Baſtardus*, à victoriis deinceps *Conquaſtor*, in Regni Anglicani ſucceſſionem vocatus ſit, cæſo Haraldo, A. MLXVI. Francorum cumprimis & Britannorum hiſtoriæ deſcribunt.

Converſi illi quando.

Nordmannorum prima in Galliis converſio facta eſt ſub Carolo Simplice, Rollone Duce Normanniam hac lege in poſſeſſionem nacto, & è ſacro fonte ſuſcepto A. DCCCCIX. De quo vide noſtram *Hiſt. Eccleſ.* Sec. X. *Col.* 1422. 1423. *Danorum* verò converſio in Angliâ cœpit Ælfredo Rege, A. DCCCLXXVIII. cùm Guthrumnum Danorum regem, armis ſubactum, de fide inſtrui, ac ſacro baptiſmate tingi curaret. Cui Æthelſtani deinceps nomen fuit, Northumbriæ regno, & Orientali Angliâ potituro, *hæreditario jure*, ſed *ſub fidelitate Regis* Anglorum. Vide Chronicon Saxon. nuperum, & Vitam Ælfredi Magni, à J. Spelmanno ſcriptam.

De *Pictis*, *Scotis*, *Hibernis*, quantum ad inſtitutum noſtrum facit, horumque *Eccleſiis*, ſuprà in Diœceſi Britanniarum dicebamus. Scythici iidem generis, *Scoti* qui & *Sciti*, *Scytæ*, *Picti* quaſi *Phictian*, id eſt, pugnaces, bellatores, de quâ re aliàs.

In Americâ an Eccleſiæ, antè Hiſpanorum temp.?

Supereſt *AMERICA*, ſeu novus Orbis, ut conſideratur antè Columbi, Pinzoni, Americi, Corteſii, noviſſimas expeditiones. In hanc enim quà *Septentrionalem*, ubi Mexicanum Imperium, ac Yucatanorum, vicinorumque Inſulanorum ſedes; quà *Meridionalem*, ubi Peruana regio, & huic ad Ortum Braſilia, Chriſtianiſmum pridem antè Hiſpanorum tempora illatum volunt Viri Docti. Colligunt ex mandato Chriſti, de Euangelio *omnibus Gentibus* annunciando; ex *Apoſtolicis* profectionibus; & ex *ſono* qui exiit in *omnem terram*, vel Juſtino M. Irenæo, Tertulliano, Arnobio, ac Euſebio, teſtibus. Colligunt etiam ex *navigationibus* pridem in Americam ſuſceptis, ut ſuſpicantur, quà Scytharum, Hibernorum, Danorum, ex Septentrione; quà Catayenſium, Sinenſium, & Japponum ex ultimo Oriente. Adhæc conjectant ex veſtigiis non ignoti quondam inter Braſilianos *Thomæ*, Apoſtoli ſcilicet, ſub nomine *Human*, ex Thomâ formato, apud Cl. Hornium, de Originibus Americanis, *Lib.* III. C. XIX. Denique conjectant ex Chriſtianis Ritibus, quos Acoſta, & alii rerum Americanarum Scriptores, apud Mexicanos, Yucatanos, Peruanos, obſervarunt. In his ritus *Baptiſmi*, *S. Cœnæ*, *Pœnitentiæ*, *Circumciſionis*, *Crucium*, ac dogma ipſum *Trinitatis*, ſed obſcuratum, rituſve alii qui vel Judaiſmum vel Chriſtianiſmum ſapiunt. Hornius L. IV. *Cap.* XV. *Tot Chriſtianæ religionis indicia, cum nullibi reperiantur quam in Sinis, Catayâ, Jappone, quis dubitet hinc Americanos, ubi eadem ſunt, accepiſſe?*

Epicriſis Auctoris.

Et ſic illi quidem, conjecturis oppidò dubiis, ſi non falſis, ut ſuprà de Tataris, Sinis, Japponibus obſervatum eſt. In quibus Cl. Hornius ex Trigautii, Acoſtæ, Herreræ, & ſimilium Jeſuitarum fabulis, quibus temerè fidem habuit, ſapit. Mirum verò, ſi ità res habet, nonniſi extremam barbariem, & infandam ſuperſtitionem, ad ἀνθρωποθυσίαν uſque, Mexicanis inprimis frequentatam, ubique deprehenſam eſſe. Si tamen excipias *Yncarum* Imperium, in Peruano orbe; quorum primus Legiſlator *Mango-Capac* ſaluberrimas ac prudentiſſimas leges inſtituit, ſub *Solis* ductu, tanquàm hujus *Filius*, & qui *Sol* Miniſter illius eſſet quem *Phuchamach*, id eſt, Animam vel Dominum aut Creatorem Mundi appellarunt; quibus legibus factum eſt, ut Yncarum Dominatus ad DCCC. circiter annos duraverit. Nulla tamen apud Peruanos veſtigia Doctrinæ *Euangelicæ* deprehenſa, aut *Eccleſiarum* quæ erectæ apud eos fuerint, quicquid ad unum omnia principium retuliſſe videantur. Pari credulitate Hornius, non Fortunatas modò Inſulas, Heſperidas, Caſſiteridas, & in iis decantatam Cernen, quam pro ultimo navigationis termino habuerunt, & ultrà quam *innavigabilis Oceanus* ex Hannone, Scylace, Eratoſthene, cenſet ex Platone de Atlantide, imò ex Strabone ipſo Geographorum principe (ex quo certè intelliguntur alia omnia) à Phœnicibus, vel Carthaginenſibus, per Mare Atlanticum detectas continentem Americam, Braſiliam, Peruanam, &c. Imò Salomonis & Hirami claſſes huc cum Vatablo, Ariâ Montano & aliis, delatas ſuſpicatur. Sed de his jam alii. Mittimus recentiora, poſt delatos in Americam Hiſpanos, Batavos, Anglos, Gallos, Luſitanos. Et iſta nos hactenùs, de priſtinis Sedibus Chriſtianæ Eccleſiæ, *extrà* Notitiam ac fines *Romani* Imperii.

F I N I S.

AD-

Digitized by Google

ADDENDA

QUÆDAM,

FORTE IN SUPERIORIBUS OMISSA.

Col. 14. *lin.* 13. poſt Perſicum, *Adde*; Geographus Ravennas *Geogr.* L. I. poſt deſcriptum *Sinum Perſicum*, & *patriam* (id eſt, regionem) *qua Aromata profert*, hæc habet: *Ex Oceano Meridiano pertinens maximus Sinus, qui & Mare Rubrum conſcribitur, Arabicus eſſe dicitur.*

Col. 147. *lin.* 13. poſt Salle, *Adde*, ut Antonino,

Ibid. *lin.* 14. poſt *Dravum*, *Adde*, *Bregetio* apud Antonin. Ammianum, ubi hic de Valentiniani Imp. morte, Βρεγαίτιον Ptolem.

Col. 148. *lin.* 21. poſt Ἀνδρήτιον, *Adde*; Geogr. Ravennati *Endetrium*.

Ibid. *lin.* 46. poſt Croatiæ, *Adde*; Hîc princeps Hungariæ Infer. civitas ſita eſt, *Buda* vulgò *Offen*, olim dicta *Sicambria*, deinde Buda dicta à fratre Attilæ, ut quidam, Regia Matthiæ Corvini Hunniadis filii; Cujus Bibliotheca celebratiſſima maximam partem in Vaticanam illata eſt, uti Bibliothecæ Lazii, Busbequii, Fuggeri, &c. de quibus Lambecius in Biblioth. Cæſareâ. Adde Strigonium de quo dictum modò fuit, *Sopianas*, *Aquincum* vel *Acinquum*, *Murſam*, alias huic Provinciæ adſcriptas, ex Itinerario Antonini & Hiſtoriis notas.

Col. 151. *lin.* 42. ante Nec, *Adde*; Donec Sec. VII. Africanæ Eccleſiæ ſub triſtiſſimum Saracenorum jugum relaberentur; adeò ut Leone IX. Epiſcopo Romano, vix v. Epiſcopi in Synodum Diœceſanam convenirent.

Col. 153. *lin.* 66. poſt promiſcuè. *Adde*; Hodiè *Barbariam* vocant, voce primitus factâ ex בראה בר, quæ regionem *externam*, etiam *deſertam* notat; deindè tranſlatâ ad has in ſpecie regiones, terminatas à Libyis & Æthiopibus mari Atlantico, ex quo illæ Barbarorum jugum ſubiverunt, & parent Regibus Marocano, Fezzano, Algerienſi, Tunitano, Barca, &c.

Col. 160. *lin.* 47. poſt noſtrum, *Adde*; Λυγόδεινον Βαταυῶν Ptolem.

Ibid. *lin.* 51. poſt in *Leccam* abactus, *Adde*; quaſi *Licum* ab *eliciendis* Rheni aquis,

Digitized by Google

I N D E X

Exhibens Seriem hujus

GEOGRAPHIÆ S. ET ECCLESIASTICÆ.

GEOGRAPHIÆ *Sacra & Eccleſiaſtica* PARS PRIMA, *exhibens Sedes Eccleſia Patriarchalis, & Iſraëlitica in Palæſtina Vetere, ac vicinas huic Gentes; Cum Deſcriptione Hieroſolymorum.* Col. 5

SECTIO *Prima, de Prima Eccleſia Sedibus extrà Palæſtinam. Summa Geographia S. & Eccleſiaſtica.* ibid.

I. *De ſitu Edenis & Paradiſi.* 7

II. *Caini & Abelis Sedes. Noachi Sedes. Mons Ararat. Orbis olim noti termini.* 9

III. *Ur Chaldæorum.* 10

IV. *Ægyptus antiqua.* 11

V. *Aram: Aram Soba: Dammeſek: Naharaim: Paddan-Aram: Charan.* 12

VI. *Gentes quædam aliæ Cananæis finitima, celebres ex Hiſtoriâ Moſaicâ.* ibid.

VII. *Terra Utz, in quâ Jobus.* 15

VIII. *Salem Melchizedeci quæ fuerit?* 16

SECTIO *Secunda, de Sedibus Eccleſia Iſraëliticæ poſt exitum, ubi Palæſtinæ Veteris Summaria Deſcriptio.* 17

I. *Nomina varia.* ibid.

II. *Situs, & limites.* 18

III. *Menſura Terræ S.* 19

IV. *Palæſtinæ facies, & Terræ totius Conditio.* 20

V. *Terræ Incolæ antè Iſraëlitas.* 21

VI. *Sors Duodecim Tribuum Iſraëlis. Tribus Levi.* 24

1. *Tribus Ruben.* 25

2. *Tribus Gad.* 26

3. *Dimidia Tribus Manaſſis.* 27

4. *Tribus cis Jordanem, & primò Simeonis.* 28

5. *Tribus Juda.* ibid.

6. *Tribus Benjamin.* 29

7. *Tribus Danis.* 30

8. *Tribus Ephraim.* 31

9. *Tribus Dimidia Manaſſis.* 32

10. *Tribus Iſſachar.* ibid.

11. *Tribus Zabulonis,* 33

12. *Tribus Asher, vel Aſſer.* 34

13. *Tribus Nephtali.* 35

VII. *Sedes Novæ Tribuum, ſub Aſſyriis & Babyloniis.* 36

VIII. *Terræ Diſtributio ſub* II. *Templo. Idumæa.* 37

IX. *Judæa.* 38

X. *Samaria.* ibid.

XI. *Galilæa.* 39

XII. *Peræa & Trans-Jordanica omnis.* 41

XIII. *Palæſtina Nova.* 43

HIEROSOLYMÆ *Veteris Topographica & ſummaria Deſcriptio.* 47

Situs Urbis. 48

Ambitus Urbis. 49

Urbis Interiora. 53

Extra-muralia quædam Loca. 56

GEOGRAPHIÆ *Sacra & Eccleſiaſtica* PARS SECUNDA, *exhibens Sedes Eccleſiæ Chriſtianæ principes, ſecundum Notitiam Rom. Imp. ante & poſt tempora Conſtantini M. ubi Diœceſes ac Provinciæ cum Civiles, tum Eccleſiaſticæ.*

Diſtributio Rom. Imp. ante tempora Conſtantini M. 61

Urbes Liberæ; Metropoles in Rom. Imp. Varia earum ratio. De ſeptem Urbibus Aſianis in Apoc. ibid.

Provinciæ Rom. Imp. per quas Eccleſia diſperſa. Earum origo. Magiſtratus, &c. 66

Regna, Tetrarchiæ, Ethnarchiæ, Dynaſtiæ, Sacerdotia, ſub Rom. Imperio. 70

Diſtributio Diœceſeôn & Provinciarum inde à temporibus Conſtantini M. in Orbe utroque Orientali & Occidentali. Hinc notitia Eccleſiarum principum, & Epiſcopatuum veterum. 75

Diviſio Orbis Orientalis. 78

Orientis Præfectura. ibid.

Prima Diœceſis, quæ dicta eſt Orientis. 79

Secunda Diœceſis Præfecturæ Orientis, quæ dicta eſt, Ægypti. 87

Tertia Diœceſis Orientis, quæ dicta eſt Aſiana. 92

Quarta Diœceſis Orientis, quæ dicta eſt Pontica. 99

Quinta Diœceſis Orientis, quæ dicta eſt Thracica. 106

Præfectura Illyrici Orientalis. 110

Prima Diœceſis Illyrici, quæ dicta eſt Macedonia, & Theſſalonicenſis. 113

Secunda Diœceſis Illyrici, quæ dicta eſt Dacia vel Daciarum. 118

Barbaræ Gentes quæ Dacias & Illyricum infeſtarunt, dein in Europam omnem, & Africam effundenda. 119

Mutationes in Diœceſi Dacia Eccleſiaſticâ. 124

Diviſio Orbis Occidentalis. 127

Prima Præfectura Occidentalis, quæ dicta eſt Italia. 128

Prima Diœceſis Italicæ Præfecturæ, Vicariatus Romæ. 129

Secunda Diœceſis Italicæ Præfecturæ, Vicariatus Italiæ. 138

Tertia Diœceſis Præfecturæ Italicæ, Vicariatus Illyrici Occidentalis. 145

Quarta Diœceſis Præfecturæ Italicæ, quæ dicta eſt Africa. 148

Secunda Præfectura Occidentis, quæ dicta eſt Galliarum. 154

Prima Diœceſis Præfecturæ Galliarum, quæ dicta in ſpecie Galliarum. 155

Secunda Diœceſis Præfecturæ Galliarum, nempè Hiſpaniarum illa. 166

Tertia Diœceſis Præfecturæ Galliarum, quæ fuit Britanniarum Diœceſis. 173

GEOGRAPHIÆ *Eccleſiaſticæ* PARS TERTIA; *Exhibens Sedes Eccleſiæ Chriſtianæ extra Romanum Imperium, per Provincias Barbaricas.*

Provinciæ Barbaricæ *quæ dictæ?* 184

Provinciæ Barbaricæ in Aſia. ibid.

Provinciæ Barbaricæ in Africa. 190

Provinciæ Barbaricæ in Europa. 193

An Americanæ Inſulæ fuerint Veteribus cognitæ, aut Sedes Eccleſiæ? ibid.

F I N I S.

INDEX

INDEX COPIOSISSIMUS,

Et quàm fieri potuit accuratiſſimus, præcipuarum

REGIONUM, METROPOLEÔN, COLONIARUM, URBIUM, LOCORUM, FLUVIORUM, MONTIUM, RERUMQUE

Quæ in hac

GEOGRAPHIA SACRA ET ECCLESIASTICA

DESIGNANTUR, AUT EXPLICANTUR.

Abaſgi, aut Abcaſſi, vel Abaſſi, qui? Col. 183. *Circaſſiis ad Meridiem, & pars Circaſſiæ Gentis.* 185

Abaſſini antiqui Ritûs, præter proprios quoſdam tenaces. 192. *Abſtinentiam à rebus immundis obſervant.* Ibid. *Vide inf. Æthiopia.*

Abbatias an Lucius Britannorum Rex in Britannia fundaverit? 174

Abbuna Æthiopum Patriarcha ab Alexandrino hodieque confirmandus. 191

Abdera Urbs Epiſcopalis Provinciæ Rhodopes. 108

Pſeudo-Abdias Babylonius. 189

Abdon Urbs Levitica in Tribu Asher. 43

Abela Vinearum, Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27

Abilene Regio. 43

Aborigenes, qui? 129

Abritum Urbs Epiſcopalis Mœſiæ Secundæ. 109

Abrinca (Avranches) *Urbs Epiſcopalis in Secunda Lugdunenſi.* 161

Abula Urbs Epiſcopalis Luſitaniæ. 170

Abulfarajus laudatus. 190. *Jacobitarum Sectæ addictus fuiſſe creditur.* 190, 192

Abydus. 12. *Urbs Epiſcop. Provinciæ Helleſponti.* 94

Abyla. 81

Acacius Epiſcopus Beroiæ. 82

Acardiopolis Urbs Epiſcop. Europæ Thraciæ. 108

Acarnania Epirotarum Regio. 116

Accaron Urbs & Satrapia Philiſtinorum. 24

Acerra Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 133

Achaja Provincia facta. 67. *Achaicæ Eccleſiæ illuſtres.* 114. *Sub Metropolitano Corinthiorum fuerunt.* 111. *Et quare?* Ibid. *Proconſularis fuit.* 114. *Quid complexa ſit?* Ibid. *Metropolis, Eccleſiæ aliæ illuſtres.* Ibid.

Acherontia Urbs Epiſcop. in Apulia & Calabria. 135

Achor, ſeu Achan. 29

Achrido unde dicta? 123. *Situs, nomenque ejus variè traditum a Geographis, ac Byzantinis Scriptoribus.* 124

Acra Mons. 49

Acronius Lacus. 144

Acs, vel Dax, vid. *Aquenſis.*

In Actia Nicopoli reperta in dolio ſexta Bibliorum Verſio. 116

Actium Promontorium. Ibid.

Adane, hodie Aden, jam olim Romanorum commerciis patens, dictum Philoſtorgio Romanum Emporium. 190

Addua Fluvii origo. 144

Adramyttium Urbs Epiſcop. Provinc. Aſianæ. 93

Ἀδριάνη Τάξις, Ἀδριανῶν Τάξεων. 83

Adrianopolis Piſidiæ, ejuſdem Provinciæ Urbs Epiſcop. 97

Adrichomius. 29. & paſſim.

Adrumetum Metropolis Byzacenæ Provinciæ. 152. *Juſtiniana dicta.* Ibid.

Advena, qui? 129

Æduorum Gens, ubi? 161

Æga, Αἰγαὶ, Αἰγία, *Urbs Epiſcop. in Cilicia Secunda.* 83

Ægeta Urbs Daciæ Ripenſis. 125

Ægypti nomen in Sacris Mitzraim. 11. *Hodiè manſit in Maſſra, id eſt, Cairo Urbe. Plutarcho eſt* Chamia *vel* Chemia. *Coptis hodie eſt* Chami, Cham, Ham, *vide quoque alia nomina.* Ibid. *Qualis jam fuerit Abrahæ & Iſraelitarum temporibus?* Ibid. *Ejus Diviſio in Superiorem & Inferiorem: Utriuſque Metropoles: Ejus Terminus ad Meridiem extremus.* 12. *Stipendiaria facta quando?* 68. *Ejus Provinciæ tres, & deinceps auctæ.* 87. *Diœceſeôs Provincia Prima, Alexandrina.* 88. *Ejus Termini, Metropolis.* Ibid. *Urbes aliæ Epiſcop.* 89. *Ægyptus ſecunda.* Ibid. *Ejus Eccleſiæ celebres.* Ibid.

Ælfredus Angliæ Rex Gunthrumnum Danorum Regem armis ſubactum de fide inſtrui, ac Sacro Baptiſmo tingi curavit. 203

Ælon, Hieronymo Almon, Civitas Sacerdotalis. 30

Æmilia Provincia quæ & à quo dicta? A ſitu Cis-Padana. 140. *Ejus olim Termini; quid olim, quid hodiè complectatur;* Ibid. *Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid. *Æmilia Via quò duxit?* 140

Æmus, vid. *Hemimons.*

Æni fluvii origo. 144

Ænipons (Inſpruck) *Tirolenſium hodie Caput.* 144

Ænus Urbs Epiſcop. Rhodopes Provinciæ. 108

Æqualitas mira Epiſcoporum III. *primis Sec.* 157

Æra Libertatis, quid? 62

Æthelbertus Templum Divo Paulo poſuit Londini. 178

Æthiopia, hodiè Abaſſina. 190. *vel Habaſſia, Habeſſina Regio adſcripta fuit Barbaricis Provinciis.* 191. *Ejus Situs, Fines.* Ibid. *A Veteribus India ſæpè vocata.* Ibid. *Eam Indiam Citeriorem dixerunt, diſtinctam ab Ulteriore, ſeu Orientali.* Ibid. *Æthiopes diutiſſimè fuère ſub Alexandrino Patriarcha.* Ibid. *Jacobitæ audiunt, ob Concilium Chalcedonenſe non admiſſum.* 191. *Metropolis eorum Auxuma.* Ibid. *Æthiopicæ Eccleſiæ Antiquitas.* Ibid. *Quæ de iis eorumque Sacris referuntur à Luſitanis & Jeſuitis, obſcura, & fabuloſa.* Ibid. *Æthiopum Imperator à ſuis appellatus Gian, Belul-Gian, ſeu Gemma precioſa, unde factum creditur nomen Preſter-Gian, Johannes & precioſus.* Ibid.

Ætolia & Cephalenia Provinciæ factæ. 67

Africæ periplus olim ignoratus. 6

— *Provincia facta.* 67. *Latiſſimus ſignificatus.* 148. *Unde illi nomen?* Ibid. *Strictius dicta quid comprehendat?* Ibid. *Ejus Symbolum.* Ibid. *Strictiſſima quænam?* Ibid. *Diœceſeôs ejus Limites.* 149. *Ejus Provinciæ Civiles & Eccleſiaſticæ primò tres; dein ſex Civiles, quinque Eccleſiaſticæ.* Ibid. *Quibus addita Sexta, Septima & Octava.* 150. *Diœceſeôs adminiſtratio Civilis & Eccleſiaſtica.* Ibid. *Ejus Primates.* Ibid. *Primatuum Africanorum duplex genus.* Ibid. *Africanæ Eccleſiæ obnoxiæ non erant Epiſcopo Rom. Seculo* V. 151. *Africa Proconſularis Prima, Provincia Prima Africæ Diœceſeôs.* Ibid. *Ejus Termini, Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid. *In Africa Barbaricis Provinciis adſcripta fuit Æthiopia.* 190. *Ex ea Beliſarius penitus exegit Vandalos.* 197

Agatha (Agde) *Urbs Epiſcop. Septimaniæ ſub Narbona Civitate.* 165

Agedincum, vid. *Senones.*

Ager Fullonis. 57

—— *Hakeldama.* 56

—— *Salyus, ſeu Saluviorum.* 165

Aginnum, vel Agennum, Caput Nitiobrigum, Gall. Agen, *Joſephi Scaligeri patria, ei proximus à Burdegalâ locus datus in Aquitania Secunda.* 165

Agrarienſes Naves, quænam? 110

Agricola quidam Hæreſim Pelagianam ſparſit in Britannias. 177

Agrigentum Urbs Epiſcop. Siciliæ. 137

Ajalon Urbs Levitica in Tribu Danis. 30

Digitized by Google

Alamanorum vocis uſus. 197
Alamundarorum Princeps Hiræ imperans ad fidem Orthodoxam *converſus.* 190
Alani, vel Alanni populi, qui? Ubi eorum Sedes, & unde ſic dicti? 121, 183, 185. *Sunt Scythicæ originis.* 195. *Emeritanam & Gallaciam Provincias quandiu in Hiſpaniis tenuerunt?* Ibid.
—— *Montes pars Caucaſi.* Ibid.
Alba Fucentia, propè Lacum Fucinum, Urbs Epiſcop. Valeriæ. 135
—— *Helviorum, ſeu Vivarium, hodiè Viviers, Urbs Epiſcopalis in Prima Aquitania.* 164
—— *Julia, olim Claudiopolis, Caput Daciarum.* 119
—— *Pompeja Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ.* 140
—— *Alba Regalis (Stulweiſſenburg) Sedes olim & Sepultura Hungarorum Regum.* 147
—— *Vivarium Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi.* 164
—— *vel Albigias celebris ipſo nomine Albigenſium, hodiè Alby, Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania.* Ibid.
Albania, quæ Regio, & unde ſic dicta? 110, 196
Albanium Prætorium Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Albece Reiorum Apollinarium, Gall. Riez, *Urbs Epiſcop. in Narbonenſi Secunda,* 163, 166
Albis Fluvius. 199
Albium Geminum Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140
Alcantara in ripâ Tagi Urbs Epiſcop. Carthaginenſ. Provinc. in Hiſpania. 172
Aldeburgenſis Epiſcopatus. 200
Alemanni qui dicti? 201. *Nomen latiſſimum.* Ibid. *Quid notet ipſa vox?* Ibid. *Qui tales in ſpecie ſic dicti ſecundum Aventinum?* Ibid. *Qui præcipuè ſub Nomine Alemannorum veniant?* Ibid.
Alep. 81. *Unde ita dictum?* 82
Aleria Metropolis Corſicæ. 137
Alexandria fuit ſecunda Diœceſis Orientis. 78
Alexandria Metropolis Ægypti Primæ. 88. *Ejus laudes.* Ibid.
Alexandris, ſeu Alexandria Minor, Urbs Epiſcopalis in Cilicia ſecunda. 83
Algeſir, Alger de Gezeir, Caput Regni Alger. 154, 192
Leo Allatius notatus. 106. *Nugatur Thraciam ut Europæ, ſic Occidentis Provinciam fuiſſe Romano Patriarchatui obnoxiam.* 76
Allobroges, ubi? 163
Alpes Cottiæ, Cottiæ, nonnullis Gotthiæ, facta Provincia Romana. 68, 143. *A quo ſic dictæ?* Ibid. *Quinta Provincia ſecunda Diœceſeôs Præfectura Italicæ.* 143. *Earum ſitus, & extenſio, varia nomina, unde?* Ibid. *Qui earum Domini?* Ibid. *Falſum eas datas fuiſſe Romano Epiſcopo in Patrimonium.* Ibid. *Metropolis.* Ibid. *Aliæ Urbes Epiſcopales.* 144
—— *Grajæ & Penninæ decima Provincia Primæ Galliarum Diœceſeôs.* 163. *Earum Situs, Termini, quos Populos complexæ, Metropolis, aliæ Urbes Epiſcop.* Ibid.
—— *Maritimæ Arelate conventum inſtituerunt.* 156
—— *Maritimæ quæ dictæ?* XVII. *Provincia Prima Galliarum Diœceſeôs.* 166. *Earum Termini, quos Populos & Regiones complexæ, Metropolis, Urbes Epiſcopales aliæ.* Ibid.
Altinum Urbs Epiſcop. in Provincia Venetiæ & Hiſtriæ. 142. *Totilæ Regis patria, Sedes Marchionum Longobardorum, unde Marka tota Regio dicta eſt.* Ibid.
Alypius Senex. 151
—— *Epiſcopus in Numidia, familiaris Auguſtino.* 152
Amalekitis, ubi? 14
Amalorum familia ex quâ ſuos Reges Oſtrogotthi habuerunt. 193
Amalphia Urbs Epiſcop. in Campaniâ Felici. 132
Amaſia, anteà Dioſpontus, Metropolis Helenoponti Provinciæ. 102
Amaſtris olim Seſamum Urbs Epiſcop. Paphlagoniæ. 103
Amathuns Urbs Inſulæ Cypri Epiſcop. 84
Ambianum (*Amiens*) *Urbs Epiſcop. Belgicæ Secundæ.* 159
Ambitus Edenis. 8
—— *Hieroſolymæ.* 49. *Quantus?* 52. *Amplitudo ejus, & Pomœria.* Ibid.
In Ambitu Palæſtinæ Mariæ ſeptem ſecundum Talmudicos. 20
Ambracia, ſub Regibus olim Metropolis Provinciæ Epiri Veteris. 116
Ambroſii Calepini patria. 139
Ambroſius Mediolanenſis. 138. *Agens cum Romano Epiſcopo ut cum Fratre & Coepiſcopo.* Ibid.
Ambrun, vid. *Ebrodunum Caturigum.*
America novus Orbis. 203. *Duplex, Septentrion. & Meridion. An in ea Eccleſiæ ante Hiſpanorum tempora?* 203, 204. *An Thomas Apoſtolus in eam navigaverit, ſintque ejus rei veſtigia quædam?* 189. *Viri Docti id arbitrantur, quibus rationibus?* 204. *In eam Navigationes an jam pridem ſuſceptæ, & unde?* Ibid. *Ex quibuſdam Chriſtianis Ritibus, Baptiſmi, S. Cœnæ, Pœnitentiæ, Circumciſionis, Crucium, obſervatis apud Mexicanos, Yucatanos, Peruanos, conjectant quidam jam olim Chriſtianiſmum eò penetraſſe.* 204. *Reverendi Auctoris Epicriſis de iſtis.* Ibid.
Amida, hodiè Amed, Metropol. Meſopotamiæ. 86
Amiſus Urbs Epiſcop. Provinciæ Helenoponti. 102. *à Caramit diverſa.* Ibid.
Amiternum Urbs Piceni Suburbicarii. 134
Amithus ſub Romanis Synedrio nobilitata Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordan. 27
Ammonis Oraculum ubi fuiſſe creditur? 89
Ammonitarum Sedes. 14. *Regia eorum Rabbath Ammonitarum, & deinceps Philadelphia.* Ibid.
Amœnitas Terræ Sanctæ. 21
Amorrhæi, vel Emorrhæi. 22. *Eorum Sedes.* 23
Amphipolis Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 115
Ampſivarii Gens Francorum. 198
Ampulla Rhemenſis. 158. *Fabuloſa de ea multa.* 199
Anagnia Civitas Epiſcop. in Latio Novo. 132
Anakæi. 22
Anaſtaſiopolis Urbs Epiſcop. Pacatianæ Secundæ. 95
Anatoth Civitas Sacerdotalis in Tribu Benjamin. 30
Anazarbus Metropolis Ciliciæ Secundæ, Ἀνάζαρβος, Ἀναζάρβα, Ἀνάβαρζα. 83
Anchialus, vel Anchialis, Urbs Epiſcop. Hæmimontis Provinciæ. 109
Anciaſmus, vel Anchiaſmus, Epiri Veteris Urbs Epiſcop. 117
Ancona Urbs Piceni Suburbicarii. 134, 140
Ancyra Metropolis Galatiæ Primæ. 102
—— *Urbs Epiſcop. Phrygiæ Pacatianæ Primæ.* 95
Andaluſia quos Populos olim complexa? 169
Andetrium, Andecrium, hodiè Cliſſa, munitiſſima Civitas Dalmatiæ. 148
Andrapa Urbs Epiſcop. Provinciæ Helenoponti. 102
S. Andreana Civitas Metropolis in Eccleſiaſticis Valentiæ Provinciæ. 180
An Andreas Apoſtol. apud Moſcovitas ſeu Ruſſos Euangelium prædicaverit? 196
Andriace Civitas Lyciæ ad Mare Pamphilium. 97
Andropolis Urbs Epiſcop. Ægypti Primæ. 89
Andros Inſula. 94
Angelen, Anglen, vox Saxonica, quid ſignificet? 199
Angleſey Inſula. Vid. *Mona Inſulæ.*
Angli contermini olim fuere Suevis & Saxonibus, Gens bellicoſiſſima, unde eorum nomen? 199. *In Britanniam invitati ſuppetias laturi Britonibus contra Pictos, Scotoſque.* Ibid. *A quo orti?* 202. *Dani & Nordmanni in Angliâ.* 203. *Eam primò ex parte, deinde univerſam tenuerunt.* Ibid. *Danorum in parte Angliæ Dominatus.* 175. *Angliæ totius Monarchiam condidit Alvredus vel Alfredus, quando?* Ibid. *Converſi.* Ibid.
Anglo-Saxones Paganiſmum in partes quaſdam Brittanniarum invexerunt. Ibid. *Eorum Heptarchia.* Ibid.
In Anglia Epiſcopatus hodie XXV. 176
Angrivarii Gens Francorum. 198
Annonaria Italica, quæ? 133
Anſgarius ex Corbeienſi ad Viſurgim Monaſterio egreſſus Danos, Suecoſque ad fidem induxit, poſteà factus Epiſcopus Hamburgenſis. 200
Antandrus ſupra Adramyttium Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Antaradus. 21, 81
Ἀνθρωποθυσία *apud Mexicanos olim frequentiſſimè uſitata.* 204
Ἀνθύπατοι, *qui?* 69
Antilibanus & Libanus ſæpè appellationibus confunduntur. 20
Antinoe Metropolis Thebaidos Primæ. 91
Antiochia Prima Diœceſis Orientis. 78. *Metropolis Syriæ-Cœle.* 82. *Ei jus cudendæ Monetæ Pompejus conceſſit.* Ibid. *Ejus nomina.* Ibid. *Metropolis Coloniæ Ro-*

Digitized by Google

Romanorum. Ibid. *Sedes Comitum Orientis, deinde & Patriarchalis.* Ibid.
Ejus Patriarchæ ſubjecti Epiſcopi Seleuciæ & Cteſiphontis. 186
— *Ad Piramum fluv.* 83
— *ad Tragum Urbs Epiſcop. Iſauriæ.* 84
— *Piſidiæ Metropolis ejuſdem Provinciæ.* 97
Antiochenus quando factus Exarchus? 87
Antipatris. 39
Antipolis Maſſilienſium Urbs Epiſcop. in Alpibus Maritimis. 166
Antiquiſſimæ quæ memorantur Eccleſiæ apud Irenæum? 157
Antiquius monumentum quod extat Gallicanæ Eccleſiæ. Ibid.
Antiquitas Eccleſiæ Gallicanæ. Ibid.
— *Eccleſiarum Britannicarum.* 174. *Fabuloſa de illa.* Ibid.
— *Eccleſiarum Hiſpaniæ.* 167
— *Eccleſiæ Æthiopicæ.* 191
Antitou Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Secundæ. 91
Apamea, vel Apamia, Metropolis Syriæ Secundæ. 83
— *Caput & Metropolis Phrygiæ Majoris.* 95
— *Ad Menandri fontes Urbs Epiſcop. Piſidiæ.* 97
— *Metropolis Piſidiæ Secundæ.* 105
Appellatio Primatis & Metropolitani nondum nata tempore Tertulliani & Cypriani. 150. *Appellationes Magiſtratuum Rom. ſecundum varias Provinciæ conditiones variæ.* 66
Aphrodiſias Urbs Epiſcop. Europææ Thraciæ. 108
Aphrodiſium, vel Aphrodiſia, Primò Epiſcop. dein Metropolis Cariæ. 96
Aphrodites, Plinio Aphroditopolis, Arcadiæ Heptanomi Urbs Epiſcop. 91
Apollinaris Primi Ravennatenſis ſucceſſor deſignatus fertur, à Spiritu S. ſub ſpecie Columbæ. 141
Apollinis Parva Urbs Epiſcop. in Thebaide Prima. 91
Apollonia Illyrici. 110
— *Maritima Urbs Epiſcop. in Libya Pentapoli.* 90, 110
— *Urbs Epiſcop. Lydiæ.* 96. *Cariæ.* Ibid. *Apollonia ad Aoi Fluvii oſtia Urbs Epiſcop. Epiri Novæ.* 117. *Apollonia Cretæ Inſulæ.* 118
— *Diſtributio Eccleſiarum in Patriarchatus,* &c. *an ab Apoſtolis?* 75
An Apoſtoli vel Apoſtolici Viri Evangelium in Britannias detulerint, ibique Archiepiſcop. & Epiſcop. Sedes inſtituerint? 173. — *An Bartholomæus & Thomas Indis Evangelium prædicaverint?* 189. *Quo ſenſu Indorum Apoſtoli dicantur?* 191
Apta Julia, Gallis Apt, *Urbs Epiſcop. ſub Metropolit. Aqu. Sext. in Narbonenſi Secunda.* 166
Apulia Urbis Romæ Vicario paruit. 150. — *& Calabria vel Meſſapia Sexta Italiæ Civilis & Eccleſiaſtica Provincia.* 135. *Quot populos complexa, ejus Termini.* Ibid. *Sub uno Correctore fuit.* Ibid. *Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Aquæ Nomen Urbes variæ ſortitæ ſunt. 166
Aquæ Urbs Epiſcop. Mauritaniæ Cæſarienſis. 154
— *Seu Aquæ Sextiæ Metropol. Narbonenſ. Secundæ.* 166
— *Urbs Daciæ Ripenſis.* 125
— *Regiæ Urbs Epiſcop. Byzacenæ.* 183
Aquenſis in Tarbellu Gente Aquitaniæ, unde Acs, *vel* Dax, *nomen urbis, cujus Epiſcop. ſub Metropolit. Auſcitano in Novem-populana.* 165
Aquileienſis independentia primitùs ab Epiſcopo Rom. 138. *Olim Metropolit. & Patriarcha Venetiæ & Hiſtriæ.* Ibid. *Aquilegia quondam Metropol. Venetiæ ſimul & Hiſtriæ.* 142. *An Aquileja vel Aquilegia ſit pronuntiandum?* Ibid. *Ubi ſita?* Ibid. *Concilium ibi celebratum contra Palladium & Secundianum Arianos.* Ibid. *Sedes Patriarchæ quam ob cauſam tranſlata in Gradum Inſulam vicinam?* Ibid. *Aquileja Nova quæ dicta?* Ibid.
Aquitania Prima, XII. *Provincia Prima Galliarum Diœceſeôs.* 164. *Unde ſic dicta; Ejus Termini; quot Populos & Regiones complexa?* Ibid. *Ejus Metropol. Urbs aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Secunda* XIII. *Provincia Prima Galliarum Diœceſeôs.* 164. *Ejus Termini; quot Populos & Regiones complexa?* Ibid. *Ejus Metropol. Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Tertia quomodo dicta?* 165
Arabes quomodo Populos denominent? 12
— *Dicuntur Saraceni, quaſi Orientales.* 15
— *Arabia Peninſula.* 190
— *Petrææ vetuſtiſſima omnium Eccleſia.* Ibid.
— *Ad Aſianas ſpectant.* Ibid.
— *Provincia Rom. facta.* 68
— *Phylarcha converſus cum tota ſua Gente.* 190
— XII. *Diœceſeôs Orientis Provincia, Petræa magnam partem fuit; hodiè Barraab dicitur.* 84. *Quænam fuerit olim Regio?* 85. *Ejus Metropolis, Urbes Epiſcop.* Ibid.
In Arabia Felice tres memorantur Eccleſiæ. 190
Arabici Sinus periplus, & in Mare Indicum effuſio. 13, 14
Arabyſſus vel Arabiſſus Armeniæ Secundæ. Urbs Epiſcop. 101
Arabiſſus, vide *Barbariſſus.*
Aracan Regio, ubi? 187
Aradus, vel Antaradus Inſula. 21, 81
Aram, Syria unde dicta? 12. *Arameæ plures in Sacris.* Ibid.
Aram-Tſoba, vel Soba, Ibid.
Aram-Dammeſeck. Ibid. & 8
Aram-Naharaim. Ibid.
Padan-Aram. Ibid.
Arar Galliarum Fluvius. 156
Ararat Mons & Regio, ubi? 6. *Fuit idem cum eorum aliquo, quos Græci Gordiæos, Gordos, Carduchios, vel fuit pars aliqua Montis Tauri.* 10. *Armenis quomodo dicitur?* Ibid.
Arauſio dicta Cavarum Civitas, Col. Gall. Orange, Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi. 163. *& Viennenſi Secunda.* 164
An Araxes fluvius ſit ille quem Moſes appellat Geonem? 184
Arbelis Regio. 35
Arca, Arce, Phœniciæ Urbs ad Montem Libanum, unde Arci, vel Archæus. 21
Arcadia Heptanomos v. *Diœceſeôs Ægypti Provincia.* 91. *Ejus Termini, Urbes.* Ibid.
— *Civitas Epiſcop. Cretæ Inſulæ.* 118
Archiepiſcopales quatuor ſedes ſurrexerunt in Hibernia. 177
Archiepiſcopus, ſeu Patriarcha. 124. *Archiepiſcopi titulum ſervant Patriarchæ omnes Orientis &. alteri præmittunt.* Ibid.
Archiepiſcopi Toletani exercita in Narbonenſem jura. 167
Plerique Archiepiſcopatus in Hiſpania ſunt recentioris inſtitutionis, & qui inter alios? 168
Ardmachana, ſeu Armachana Sedes in Metropolitanam Hiberniæ evecta. 176
Arecomici Populi, qui? 165
Arelas, Arelatum, Arelate, Ἀρελάται *ab urbe duplici, Civitas quomodo fuit appellata Auſonio, Arelate dicta Gallica Roma.* 154
— *Sedes altera Præfecturæ Galliarum.* Ibid. *Ejus Eccleſiam creditur fundaſſe Trophimus.* 157
— *Anno* 397. *elata in primam omnium Galliarum Sedem.* Ibid. *Anno* 418. *erecta in Metropol.* VII. *Provinciarum* — *Sedem Præfectorum Prætorio ab everſa Treviri.* 158. *Graves de jure Ordinationum inter Viennenſem & Arelatenſem contentiones.* 163
— *In Provincia Viennenſi Emporium Galliarum florentiſſimum, multarum Civitatum decus.* Ibid. *Evectus Arelatenſis & Primatum conſecutus, non modo in Viennenſem & Narbonenſem, ſed & in Primam Lugdunenſem, ac tandem in omnes Gallias, Vicariatus Rom. Titulo.* Ibid. *Manſit Primas Viennenſis Secundæ à Sixto* IV. 164
Arenacum, Arenatium, Belgis Arnheim. 160
Arethuſa Urbs Epiſcop. Syriæ Secundæ. 83
Argentina, vel Argentoratum, Urbs Epiſcop. Germaniæ Primæ. 160
Argos Urbs Epiſcop. Achaiæ. 114
Arias Montanus. 33. & paſſim
Ariminium; nunc Rimini, nobilis Flaminiæ Civitas. 141
Armenia Provincia Rom. facta. 68. *Armeniæ quatuor.* 101
— *Prima Diœceſeôs Ponticæ Provinciæ Tertia.* 101. *Ejus Termini, Metropol. Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Secunda, Provincia Quarta Ponticæ Diœceſeôs.* 101. *Ejus Termini, Metropol. Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Major, Chriſtiana facta ſub Conſtantino.* 185. *Unde illuc delatum Evangelium?* Ibid. *Minor.* Ibid. *Eorum Patriarcha Sedem habet propè Irivan.* Ibid. *Ab Armenis per totum Orientem diffuſa Religio Chriſtiana eſt.* 196. *Armeniis ſuus Catholicus præeſt.* 187
Arnon Torrens & Mons. 20
Arras, vid. *Inf. Atrebate.*
Arrhibantium Urbs Epiſcop. Dardaniæ Europææ. 126

Arſinoe Urbs Epiſcop. in Cyrenaica Provincia. 90
Artaniſſa Urbs maxima Iberiæ inter Colchidem & Albaniam. 184
Τὸ τῆς Περασίας Ἀρτέμιδος Ἱερὸν, ubi? 84
Artes Jeſuitarum in illiciendis ad Eccleſiam Roman. quibuſdam Æthiopum Imperatorib. 193. Ejecti tandem. Ibid.
Arx Sionis, Palatium Davidis. 48
Ἄρχων, quid? 68
Aſana Urbs Epiſcop. Phrygiæ Pacatianæ Primæ. 95
Aſaphenſis, qui & Elvienſis, Elguienſis Epiſcopatus. 179
Aſcalon Urbs & Satrapia Philiſtæorum. 24. In Tribu Simeonis. 28. In Aſcalone Syriæ Palæſtinæ quare Columbarum eſus prohibitus? 80
Aſculum Urbs Piceni Suburbicarii. 134
Tribus Aſher, vel Aſſer. 34. Ejus Termini, Regionis conditio, Urbes nobiliores. Ibid.
Aſia latiſſimum nomen. 92. Unde ſic dicta? Ibid. Provincia facta. 68. Proconſularis. 92. Aſia, & Aſiana Diœceſis quæ ſic dicta? Ibid. Ejus Termini. Ibid. Aſianæ Diœceſeôs Provinciæ decèm numerantur, exceptâ Aſiâ Proconſulari, quæ fuit XI. Aſia ſtrictius dicta. 92, 93. Provincia Barbarica in Aſia. 183
Aſpendus ad Eurimedontem Pamphyliæ Primæ Metropolis credita. 97
Aſphaltites Lacus. 22
Aſſyria Provincia Rom. facta. 68. Situs & Termini. 186. Ejus Epiſcopi ſubjiciuntur Antiocheno Metropolitano. Ib.
Aſtareth Regio fabuloſa. 36
Aſtaroth vel Behaſtera Civitas Regia, quæ & Aſtaroth Karnaim, in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27
Aſtenſis Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140
Aſtige, Ἄστυγις, Urbs & Colon. Urbs Epiſcop. Bœticæ.
Aſtingi, qui? 197
Aſtracanenſe Regnum: Ejus Metropolis Aſtracan, ad lævam Volgæ, haud multum diſſita à Mari Caſpio. 184
Aſyli jus quibus locis datum? 62
Athenienſium Eccleſia Epiſcopalis in Provincia Achajæ. 114. Metropoleôs honore decorata. Ibid.
Atheſis Fluvii origo. 144
Atrebate, vel Civitas Atrebatum, Urbs Epiſcop. Belgicæ Secundæ. 159
Atribis Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Secundæ. 91
Atrium Iſraëlis, Virorum, Fœminarum, Sacerdotum. 54
Attalia Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
—— Maritima Urbs Epiſcop. Pamphiliæ Secundæ. 97
Avanches, vid. inf. Aventicum Sequanorum.
Avares populi, qui ſic dicti? 121. Ubi incoluerint? 183, 194
Avaricum, vel Avaricum Biturigum, aut Bituriges ſimplic. Gallis Bourges, Metropolit. fuit Aquitaniæ Primæ, & ejus Epiſcopus Primas Aquitaniarum, & Patriarcha, cui Aquitanico Regno ſtante, non Burdigalenſis modo, & Auſcenius Metropolit. ſed & Narbonenſis Eccleſia aliquando ſubjecta. 164
Auctoritatis Pontificis Romani in Eccleſias Gallicanas nullum omnino exemplum IV. prioribus Seculis. 158. Quando eam exercere cœpit? Ibid.
Nulla alia Auctoritas ſupra Regiam agnita eſt in Synodis Hiſpanicis ſub Imperio Suevico & Gotthico. 169
Sine Auctoritate Pontificum Rom. in Britanniis fuerunt Synodi coacta, Reformationes inſtituta, Ritus ordinati, Hæreſes damnatæ. 177
Avenio Civitas ad Rhodanum detracta à Viennenſi Secundâ, & facta Metropolis Viennenſis Tertiæ. 164
Aventicum Sequanorum, dictum Tacito Helvetiorum oppidum, imo Caput, Urbs Epiſcop. ſub Metropoli Veſuntione, in Quinta Lugdunenſi, vel Maxima Sequanorum. 163. ſed eâ deſertâ Epiſcop. Lauſannam tranſlatus eſt. Ib.
Aufidena Urbs Samnii. 135
Augilæ Garamantum Populi in Libyca Gente. 192
Auguſta Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
—— Euphratenſis quæ dicta? 85
—— Vagiennorum in Provincia Liguriæ. 140
—— Seu Prætoria Auguſta Urbs Epiſcop. Daciæ Ripenſis. 125
—— Julia Urbs Epiſcop. Bæticæ. 169
—— Taurinorum, hodiè Turin, Metropolis Alpium Cottiarum. 143
—— Vindelicorum Metropolis Secundæ Rhætiæ. 144
— Trevirorum una ex principibus Metropol. Civilibus Galliarum. 156. Sedes aliquando Imperatorum, & ipſius Conſtantini. Ibid. Mater omnium Galliarum, & quaſi altera Roma. Ibid.
—— Sueſſionum (Soiſſons) Urbs inclyta, & Sedes Epiſcopi Belgicæ Secundæ. 159
—— Tricaſtinorum, hodiè Nyon, Urbs Epiſcop. Viennenſis Secundæ. 164
—— Veromanduorum, hodiè S. Quintin, Urbs Epiſcop. Belgicæ Secundæ. 159
—— Auſciorum, vel Auſcorum, Gall. Auch, Metropol. Novem-populaniæ, poſt dirutam Eluſam. 165
—— Emerita, ad Anam Fluvium, Metropolis olim Luſitaniæ: Sed eâ occupatâ à Sarracenis, tranſlata Compoſtellam. Denique Epiſcopalis eſſe deſiit. 170
—— Euphratenſis, quæ dicta? 85
Auguſtales Provinciæ, quæ? 69
Auguſtamnica Provincia duplex. 90. Ejus Termini. Ibid. Primæ Urbes præcipuæ. Ibid.
Auguſtamnica Secunda. Ibid. Ejus Termini, & Urbes. Ibid.
Auguſtana Caſtra Urbs Epiſcop. Rhætiæ Secundæ. 144
D. Auguſtinus natus Thagaſtæ Civit. Epiſcop. Numidiæ. 152
Auguſtinus Monachus. 175
—— Cantuarienſis irriti conatus. 177
Auguſtodunum, unde dictum? 171. Caput Gentis Æduorum, hodiè Auſtun, Urbs Epiſcop. Primæ Lugdunenſis. Ib.
Auguſtoritum Pictonum (Poitiers) vid. Pictavi.
Αὐγουστόπολις. 83
Auguſtus cenſum agit ſub tempus Dominici Natalis. 61
Avim. 30
Aulon, & Aulona, ubi? 110. Civitas Navalis. Ibid.
Auranitis. 42
Aurelia (Orleans) Urbs Epiſcop. ſub Metropolit. Pariſiorum. 162
Aureliani Imperatoris patria. 145
Aurelianenſe Regnum. 199
Aureliopolis Urbs Epiſcop. Lydiæ, vide Stratonica.
Auſenſes Garamantum populi in Libya. 192
Autiſſiodorenſis Diœceſis, ab Urbe Autiſſiodoro (Auxerre) pertinet ad Senonicam Diœceſim. 162
Auſtraſia Regnum, quod & Francia Orientalis, ubi? 199
Auſtun, Auſtunois, Urbs Epiſcopalis Primæ Lugdunenſis. 161. vid. ſup. Auguſtodunum.
Αὐτοκέφαλον & Πατριάρχην quem vocant Byzantini Scriptores? 125
Αὐτόχθονες, qui? 129
Axuma, vel Auxuma, vulgò Caxuma, ad Aſtaboram Æthiopiæ Metropolis. 191
Axumitarum Epiſcopus Frumentius ab Athanaſio ordinatus. Ibid.
Azotus Urbs & Satrapia Philiſtinorum. 24

B.

Babylonis ſitus. 37, 186. De eâ errores. 37. Urbes aliæ ex ejus ruinis conditæ. Ibid. Babylonica Provincia diverſa à Meſopotamiæ Provinciâ. 86. Chriſtiana facta quando? 186. Ejus Metropolis. Ibid.
Babylon, Babylonia, ubi hodiè Cairus, Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Secundæ. 90
Bætis Hiſpaniæ Fluvius olim Tarteſſus. 169
Bagdad hodiernum non eſt Babylon vetus. 37, 86. Tandem Metropolis evaſit. 187
Bajocaſſes (Bayeux) Urbs Epiſcop. in Secunda Lugdunenſi. 161
Baleares Inſulæ unde ſic dictæ? 154. Aliquando ad Africam pertinuere, poſteà ad Hiſpanias relatæ. Ibid. & 172
Balanaa, vel Balanea, Urbs Epiſcop. Syriæ Secundæ. 85
Balſami hortus, in quo Chriſtum infantem latuiſſe fabulantur. 90
Baluzius. 165. & paſſim.
Bangorienſis, vel Bancorienſis Epiſcopatus in Britannia Secunda. 179
בר Bar Hebræis quid? 183
Barbari, qui Diœceſim Italicam infeſtarunt, qui? 138. Hiſpanias, qui? 167, 168. Barbari & Barbarica Provincia quæ dicta? 183
—— De quibus hodiè dicatur? Ibid. Barbaria, Sinus Barbaricus, Litus Barbaricum, quid? 191. Barbaræ Gentes Germanicæ. 196
Barbariſſus Urbs inclyta Primæ Syriæ. 82
Barcinone, vel Barcino, Cataloniæ Caput civile. 171
Barium Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Barraab quæ Regio? 84
Bairen, vid. inf. Bavaria.
Bartholomæus Apoſtolus an fundaverit Eccleſias in India Orientali? 187

Baſi-

Digitized by Google

Baſilea Sequanorum, hodie Baſel, vel Baſle, alias Baſilea Rauracorum, quæ ſucceſſit in locum Auguſtæ Rauracorum, Civitas Epiſcop. ſub Veſontino in Quinta Lugdunenſi. 163

Baſilius II. Porphyrogenitus quare Βυλγαροκτόνος appellatus? 123

Baſtuli populi, ubi? 169

Batava Caſtra Urbs Epiſcop. Secundæ Rhætiæ. 144, 146

Batavorum ſedes. 160, 197. Inſula Batavorum, hodie Batua, de Betue. Ibid.

Batavodurum Vicus, hodie Wyk te Duerſtede. Ibid. Oppidum Batavorum ad Moſam, ſive Batavoburgium, Batenburg. Lugdunum Batavorum, Leyda Caput Germaniarum. 160

Batavi pars Cattorum trans Rhenum agentes. 197. Eorum nomen, ut & Friſiorum, aliorumque inter Rhenum, Viſurgim, Albim, oramque maritimam incolentium, in nomen Saxonum poſtea coaluit. 199

Batavus quis Fluvius? 198

Bathne, Bathæ. 86

Batti populi ubi? 197. Ab his Batavi. Ib.

Bavaria, Bojaria, Bairen, à quibus dicta? 201. vid. Bojaria.

Bazas Urbs Epiſcop. in Novem-populana. 165

Berſabea limes Palæſtinæ ad Meridiem. 19

—— Civitas in Tribu Simeonis. 28

Beerſchebah, Deſertum. 19

Belgica Prima, Provincia Prima Diœceſeôs Galliarum. 159. Unde ita dicta? Ejus Termini; quos Populos & Regiones complexa? Ejus Metropol. Aliæ Urbes Epiſcop. Ibid.

—— Secunda, alias Inferior, Secunda Provincia Diœceſeôs Galliarum, quænam dicta? Ibid. Ejus Termini; quos Populos & Regiones complexa? Metropolis; Sedes aliæ Epiſcop. Ibid.

Beliſarius exegit Vandalos ex Africa. 197

Bellovacorum Civitas, hodie Beauvais, Urbs Epiſcop. Belgicæ Secundæ. 159

Beneventum, antea Maleventum, Urbs Samnii. 135

Bengalenſe Regnum, ubi? 187

Benjamin Tribus. 29. Ejus Deſcriptio; Urbes præcipuæ. Ibid.

Beorrenſis Epiſcop. vid. inf. Bigorrenſis.

Berenice Urbs Epiſcop. Libyæ Pentapoleôs. 89. Olim, ut putatur, Heſperides dicta. Ibid.

—— Urbs Epiſcop. Secundæ, quæ & ſuperioris Thebaidos. 89, 91

Bergomum Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139. Ambroſii Calepini patria. Ibid.

Berim Regio intra Tribum Nephtali. 35

Berrœa, de qua Act. XVII. 10, 11. Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 115. Ubi ſita? Ibid. Honoraria deinceps Metropolis fuit. Ibid.

Beroia, vel Beroa, Urbs Epiſcop. Primæ Syriæ. 82

S. Bertrandi Civitas, quæ? 165. vid. Convenenſis.

Beryllus Epiſcopus Boſtræ in Arabia Petræa. 190

Berytus, vulgo Baruti, altera Metropolis Phœnicia Primæ. 81

Beſor Fluvius. 19

Bethania. 39. Unde locus ita dictus? 58

Betharaba Civitas in Tribu Benjamin. 30

Betharan Civitas in Tribu Gad. 26

Bethaven Civitas in Tribu Benjamin. 30

Bethel Civitas in Tribu Benjamin. Ibid.

Bether, vel Bethar, Bitter, quid? 30. Hieronymo videtur eadem cum Bethoron. Ibid. Fuit poſt excidium Templi Regia Barchochabi. Ibid.

Bethleem Ephratâ conditore. 29. Bethlehem Juda. 58

Bethoron ſuperior Urbs Tribus Ephraim. 31

—— Inferior. 58

Bethphage Vicus Hieroſolymæ contiguus ad Orientem. 58

Bethſaida Urbs in Dimidia Tribus Manaſſis Trans-Jordanicâ. 27, 40. Malè in Tribu Iſſachar. 33

Bethſemes Civitas in Tribu Iſſachar. Ib.

Bezer, vid. inf. Boſor.

Bezetha quartus Collis Hieroſolymæ. 48. Unde ità dictus? Ibid. Strictius appellata, quæ? 53

Biblia Complutenſia. 172

Bibliorum Sexta Verſio reperta in dolio in Actiâ Nicopoli. 116

Bigorrenſis, vel Beorrenſis, alias Tarvienſis, unde Tarbe, Epiſcopus ſub Auſcitano Novem-popul. Metropolit. 165. Bigerra Arx & Sedes ejus. Ibid.

Bilbilis in Celtiberis, Colonia jure Italico ab Auguſto donata, Urbs Epiſcop. Tarraconenſis Provinciæ. 171

Biterræ (Beziers) Urbs Epiſcopal. Septimaniæ ſub Narbonâ Civitate. 165

Bithynia antea Regnum, ſed ex Teſtamento Provincia facta. Ultima & XI. Provincia Diœceſeôs Ponticæ. 103. Ejus nominis Etymologia ex Bocharto. 104. Ejus Termini, Urbes aliæ Epiſcop. 105

—— Urbs Myſiæ. 104

Bitter, vid. ſupra Bether.

Bitter Regia Barchochabi. 30

Bituricenſem Eccleſiam creduntur fundaſſe Urſinus & Nathanael. 158. Ejus Epiſcopus Primas Aquitaniæ ſupra Burdegalenſem, idemque Patriarcha quando dici voluit? Ibid.

Blondellus. 149, 153, 157. & paſſim.

Bobienſis Civit. Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140

Bocharti quædam minus probata. 10, 12, 15. ſæpe laudatus.

Bætica olim Proconſularis, dein Conſularis, Prima Provincia Diœceſeôs Hiſpaniarum. 169. Ejus Termini; quos Populos & Regiones complexa? Ib. Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.

Bogar Bulgarorum Princeps. 125

Bohemi, quæ Gens, & ubi? 194, 201

Bojemi, & Regio Bojemia, ubi & quid ſignificet? 201. Bojorum lata dominatio. Ibid. Eorum primitus ſedes Auguſti tempore. Ibid. Quò migrârint? Ibid.

Bojaria, Bavaria, Bairen, undè dicta? 201. Quò conceſſerint victi à Suecis? Ibid. Ejus Ducum Regia. 145

Bojodurum, vid. Petavium. 146

Bonifacius Moguntinus in Friſiis convertendis operam navavit. 200. Thuringos quoque ab Ethnicâ Superſtitione revocavit ad Romanos Ritus paulò ante Caroli Magni tempora. Ibid.

Bonna ſedes Electorum Colonienſium, ubi ſita? 160

Bononia Urbs Daciæ Ripenſis. 125

—— Olim Metropolis Secundæ Diœceſeôs Italicæ. 139

—— Æmiliæ Provinciæ, Felſina etiam dicta. 140. In Academiam erecta. Ib.

—— Civitas & portus ad extremos Gall. fines verſus Boream. 160

Boreum, vel Borium, Urbs Epiſcop. Libyæ ſuperioris. 90

Boryſthenes Fluvius. 193

Boſnia pertinuit ad Hungariæ Regnum. 195

Boſor Civitas Refugii in Tribu Benjamin. 26

Boſphorus, vel Boſporus, Civitas Epiſcop. ad Fretum Boſphoranum. 193

Bovianum vetus Urbs Samnii. 135

Bracara, quæ & Bracara Auguſta, Metropolis Gallaciæ ſub Romanis, Suevis, & Gotthis. 170. De Primatu deinceps certans cum Toletana Sede, Conciliis ſub Suevorum imperio illuſtris. Ibid.

Braga Portugalliæ Civitas Archiepiſcopalis. 170

Brandeburgenſis Epiſcopatus quando natus? 200

In Braſiliam navigaſſe & penetraſſe Thomam Apoſtolum unde quidam conjectant? 204

Braulius dicitur Epiſcopus Urbis Romæ, id eſt, Cæſar-Auguſtæ. 171

Bremenſis Epiſcopatus quando erectus? 200

Brigantia, vel Brigantium Vindelicorum, hodie Bregentz, Urbs Epiſcop. Secundæ Rhætiæ. 144

Brigantinus Lacus. Ibid.

Brigantio, Gall. Briançon, Urbs Epiſcop. Alpium Cottiarum. 144

Brigantium, vel Flavium Brigantium, Urbs quæ credita olim fuiſſe? 170

Briſgavia ubi? 200

Britannia quæ dicta? inacceſſa Romanis ante Julium Cæſarem. 173. Dicta novus Terrarum Orbis; quid in totâ ſuâ latitudine complexa? Ibid. Provincia Rom. facta. 68. Ejus tum fines. 173. Earum Diviſio Civilis: Eccleſiaſtica Diſpoſitio. Ibid. An Britannorum Rex Lucius Epiſcopatus & Abbatias in Britanniis fundavarit? 174. fabuloſa. 173. & incerta. 174. Regimen Civile ſub quo? 175. Eccleſiaſticum ſub quibus? 175. Eccleſiarum in Britanniis à jure Pontificio libertas. 177. Synodi coacta, Reformationes inſtitutæ, Ritus ordinati, Hæreſes damnatæ ſine Pontificis Rom. auctoritate. Ibid. Quando Papis fœda ſervitute mancipata? Ibid. Britannia Prima, Prima Provincia Britanniarum Diœceſeôs, quid & quot Populos complexa, quaſque Regiones hodie complectatur? 178. Ejus Metropolis; Civitates aliæ Epiſcopales. Ibid.

—— Secunda dicta Cambria, & ab Anglo-Saxonibus Wallia. Ibid. Ejus Termini; quos Populos complexa? Ibid. Ejus Metropolis; aliæ Urbes Epiſcop. 179. Anonymi Raven-

Digitized by Google

matenſis mira Britanniæ, &c. deſcriptio. 180
Britanni erant Pelagius Hæreſiarcha, & Fauſtus Semi-Pelagianorum Primipilus. 177
Primates Primatum in Britanniis. 151
Britonum Regnum dum Britanniam reliquam vaſtarent Barbari. 179. Eorum in Wallia partibus liberà Diſciplina Seculo VI. VII. & ſequentibus. 177
Brixellum Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Brixia Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139
Brocardi Fabula de Monte Thabor. 33
Brunduſium, vel Hydruns. 110. Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Brutii Urbis Romæ Vicario paruerunt. 131. vid. inf. Lucania.
Bubaſtus, vel Bubaſtis, Urbs Auguſtamnicæ Secundæ. 90. In ejus Nomo conditum Oniæ Templum. Ibid.
Bulga, Vulga, Volga Fluvius. 188. 193. Tartaris Edil. 196. Ejus origo & longitudo. Ibid.
Βούλγα quid Byzantinis? 123. Bulgar Civitas, ubi? Ibid.
Bulgaria Regio Tartariæ Aſiaticæ. Ibid. Bulgari ubi incoluerint? 183. Regia Urbs & Bulgariæ Metropolis. Ibid. & 125. De Bulgaria contentiones inter Romanum & Conſtantinopolitanum quâ de causâ? Ibid. Quando fidem Chriſtianam amplexi ſunt? Ibid. Bulgaria pertinuit ad Hungariæ Regnum. 195. Bulgarorum avita Sedes. 196. In quas ſe effuderunt Regiones? Ibid. Albania deinceps appellata. Ibid. Michaël Bulgarorum Rex conſuluit Pontificem Rom. per Legatos de viro idoneo cui Bulgari Archiepiſcopatum crederent. 125
Burdegala Biturigum Vibiſcorum ad ſiniſtram Garumnæ fl. ripam, Metropolis Aquitaniæ Secundæ. 164. Olim ſubjecta Bituricenſi. Ibid. Unde ita dicta? Ibid.
Burgenſis Epiſcopus, cujus Metropolis Burgos, Caſtiliæ Veteris Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus evaſit, quando? 172
Burgus quid Teutonibus ſignificet? 197
Burgundiones, vel etiam ut alii, Burgiones, Vandalica Gens. 197. Unde ita dicti? 198. Quando ad fidem Chriſtianam adducti? Ibid. Poſt ad Arianiſmum prolabuntur; & juncti Vandalis, aliiſque Gentibus in Gallias penetrarunt, ibique ſedes habuerunt, ubi? Ibid. Unde ita dicti? Ibid. Burgundicum Regnum. Ibid. Quandiu Arianiſmo infectum? Ibid. Diviſum in duas partes. Ibid. Poſt utrumque conjunctum. Ibid.
Buſia Urbs Epiſcop. Europææ Thraciæ. 108
Buſiris Eccleſia celebris Ægypti Secundæ. 89
Butrotum Epiri Veteris Urbs Epiſcopalis. 117
Buxentus Urbs Epiſcop. Brutiorum. 136
Byblus Urbs Phœniciæ ἀρχαιοτάτη, ἱερᾶς Epitheto gaudens. 81
Byllis, vel Bullis, Urbs Epiſcop. Epiri Novæ. 117
Byritus, vid. Berytus.
Byzacena, vel Byzacium, Tertia Provincia Diœceſeôs Africæ. 152. Fuit Conſularis. Ibid. Ejus Termini, Metropolis. Ibid. Urbes aliæ Epiſcop. 153. Quid hodiè conſtituat? Ibid.

C.

Cabaſa, vel Cabaſſa, Eccleſia celebris Ægypti Secundæ. 89
Cabellio (Cavaillon) Urbs Epiſcopalis Viennenſis Tertiæ. 164
Cabillonum, vel Cabilonum, Cabillunum, hodie Châlons, ſedes aliquando Regum Burgundiam poſſidentium, Urbs Epiſcop. Prima Lugdunenſis. 161
Cabul, Terra ad Tyrios Montes è quâ XX. Civitates tranſtulit Salomon in Hiramum Regem. 34
Cadeſch-Barnea Deſertum. 19
Cadurcum, Gall. Cahors, Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania. 164
Cadès Theſſalonicenſium ſub Theodoſio M. 113, 115
Caërleon, Urbs Legionum, Regum ſedes; Metropolis fuit Britanniæ Secundæ, ſed tranſlata Meneviam, dictam dein S. Davidis. 179
Cæſarea plures. 80
Cæſares Domini vocati, ſupplicesque adorati. 70
— Romani dicti Pontifices Maximi. 74. Quo nomine ſacra curaverunt? Ibid.
— Sacerdotes conſtituerunt. Ibid.
Cæſar-Auguſta Arragoniæ, poſt Tarraconem, Arragoniæ Metropolis, hodiè Carragoça. 171. Aliquando appellata, Urbs Roma, Ibid. vid. ſuprà Braulius.
Cæſarea Palæſtinæ Gentis Metropolis ſub Romanis. 32. Metropolis Palæſtinæ, Provinciæ primæ Diœceſeôs Orientis poſt everſam à Tito Hieroſolymam. 79
—— Cappadociæ Vicariorum Sedes, prima Metropoleôn Ponticarum. 78
—— Neo-Cæſarea Euphratenſis Urbs Epiſcop. Provinciæ Euphratenſis, ſeu Syriæ Commagenes. 85
—— Neo-Cæſarea Bithyniæ Urbs Epiſcop. ejuſdem Provinciæ. 104
Cæſarienſis Epiſcopus Primas Diœceſeôs Ponticæ. 99. & Metropolit. Cappadociæ Primæ. Ibid.
—— Maxima, Prima Provincia Diœceſeôs Britannicæ. 178. Fuit Conſularis, vid. Maxima Cæſarienſis.
—— Diœceſis ſeu Pontica, undè ità dicta? 78. Quinta Orientis. Ibid.
Cæſarodunum, vid. Turones.
Cæſena Urbs Epiſcop. in Flaminia. 141
Caffa ſeu Capha, Urbs Epiſcop. Tauricæ Cherſoneſi, haud longè à Freto Boſphorano. 193
Caini ſedes. 9. Eum Naida Civitatem condidiſſe, ait Joſephus, undè ita dictam. Ibid.
Cair-Ludayn Britannis, quid? 178
Cairo, quæ Civitas? 11. Cairum vetus. 90
Calabria cum Apulia Urbis Romæ Vicario paruit. 130. Sexta Provincia Primæ Diœceſeôs Italicæ Præfecturæ. 135. Sub uno Correctore fuit. Ibid. Ejus Termini; Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Calamitates Eccleſiarum Hiſpaniæ. 167
—— Eccleſiarum Britannicarum. 177
Calatia Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 133
Caledonii Populi, qui? 173
Callatis ad Euxinum Urbs Epiſcop. Scythiæ Provinciæ. 110
Callipolis Urbs Epiſcop. in Provincia Europæo-Thracica. 108
Calvariæ Mons, ſeu Golgotha. 56
Cambalu, hodiè Peking, Regia Cathayæ. 187
Campania ea pars quæ ad Urbis territorium ſpectavit, quomodo dicta? 130
—— Latina, quænam? Ibid.
—— Omnis Urbis Romæ Vicario paruit. Ibid. Quomodo accipienda? 131
—— Complexa Latium Vetus & Novum fuit prima Provincia Civilis & Eccleſiaſtica ſub eodem Conſulari Italiæ. Ibid.
—— Felix & Stellata, unde ita dicta? 132. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcopales. Ibid.
Campus Eſdrelon. 33
—— Sabe. Ibid.
Camuliana Urbs Epiſcop. Cappadociæ Primæ. 100
Camyros Civitas Rhodia in Doride Pentapolitana. 96
Cana Major Civitas in Tribu Aſher. 34
—— Minor vel Galilææ. Ibid.
—— De quâ Joh. XI. cui Galilææ adſcribenda? 40
Canaanis Terræ nomina varia pro variis ejus incolis. 17. Aliæ appellationes inſigniores. 1. Terra promiſſionis, Hæreditatis, Terra ſimpliciter. 2. Terra Hebræorum, Filiorum Heber. 3. Terra Iſraël, Juda, vel Judæa. 4. Univerſa ſub Templo Secundo ab Evangeliſtis, Iſraël, Terra Iſraëlis, ac Terra ἐξόχως; ſed communiter Judæa, imò & Idumæa, Samaria, Galilæa. 5. Palæſtina, Phœnicia. Col. 17. 6. Syria. Col. 18. 7. Terra Sancta. Ibid. Ejus Latitudo & Longitudo. Ibid. Ejus Termini ab Oriente. Ibid. Ab Occidente. 19. A Meridie. Ibid. A Septentrione. Ibid. Ejus Limites temporibus Davidis & Salomonis prolati ad Euphratem. Ibid.
Canaanis Filii ubi ſederint? 21
Cananææ Gentes, ſeu Phœniciæ ſermone Hebræo affini uſæ ſunt. 24
Cannæ, Rom. clade nobiles, Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Candanovia, vid. Codanonia.
Candida Caſa in Gallovidia (Whit-herne) Epiſcopatus, inde Glaſcuam tranſlatus. 176, 180
Canea, vid. Cydonia.
Canopus Urbs Epiſcop. Ægypti Primæ. 89
Canotha Urbs Epiſcop. Arabiæ. 85
Cantuaria, quæ & Cantii Urbs. 175. A quo tempore Civitas Cantuarienſis Britannicarum Eccleſiarum facta eſt Metropolitana? 175, 178. Ejus Primas dictus totius Angliæ Primas. 176. Paſtoralem ſuam ſolicitudinem extendit in Hiberniam. Ibid. Cantuarienſis Auguſtini irriti conatus. 177. XXII. Epiſco-

Digitized by Google

ſcopatus complectitur. 178
Canuſium Urbs Epiſcopalis Apuliæ. 135
Canut Anglorum, Danorum, Norwegorumque Rex. 203
Capernaum παραθαλασσία in confiniis Nephtali & Zabulon. 34, 35. Ejus Deſertum. 35. In Septentrionali parte Maris Galilææ ſita. Ibid.
Capharzaba, ſeu Capharſalama, quæ & Antipatris ab Herode dicta, Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanica. 32
Cappadocia Provincia Rom. facta ex Teſtamentali voce Archelai. 68. Præſidialis primum fuit, dein Proconſularis. 99. In duas primo tributa, dein in tres: Olim tamen una tantum fuit Provincia Primæ Diœceſeôs Ponticæ. Ibid. Ejus Termini; Metropol. Ibid. Urbes aliæ Epiſcop. 100
Capua Urbs prima & Metropolis Campaniæ Felicis. 132. Cujus deliciis olim fractus Annibal. Caput Urbium Florum. Ibid.
Caralis Metropolis Sardiniæ Inſulæ. 137
Caramit, ubi? 86
Caria Provincia Rom. facta. 68. Fuit Præſidialis. 96. Septima Provincia Diœceſeôs Aſianæ. Ibid. Ejus Termini; Metropolis, Urbes aliæ Epiſcopales. Ibid.
Carini, Vandalica Gens. 197
Carleolenſis, (Carlyſle) Urbs Epiſcop. Maximæ Cæſarienſis. 178
Carmania, vid. Cilicia. 83
Carmelus Mons in Tribu Zabulonis, Carmelus Maris appellatus, ad diſtinctionem alterius in Juda, ubi Nabali ſedes. 33. Eliæ Hiſtoriâ nobilis, & à quo Carmelitarum Ordini nomen fuit Seculo XII.
Carnus inclyta Urbs Pannoniæ Primæ, dicta alias Carnontum, olim Petronella. 147
Carnutes (Chartres) Urbs Epiſcop. ſub Metropolitano Pariſiorum. 162
Carolus a S. Paulo. 176
—— Magnus ut Saxones mobiles coërceret, Epiſcopos ſeculari gladio armavit. 200
Carpathium Mare. 94. Carpathus Inſula. Ibid. Sub Provincia Inſul. Cycladum. Ibid.
Carpentoracte (Carpentras) Urbs Epiſcop. Viennenſis Tertiæ. 164
Carræ, Urbs Epiſcop. in Oſrhoëna Provincia, Craſſi clade nobiles. 86
Carſeoli Urbs Epiſcop. in Valeriâ, Provinciâ ſuburbicariâ, 133
Cartena Urbs Epiſcop. Mauritaniæ Cæſarienſis. 154
Cartha Urbs Levitica in Tribu Zabulon. 34
Carthago, Μέγα ἄςυ Ptolemæo, Urbs Epiſcop. Cyrenaicæ Provinciæ. 96
—— Caput Africæ Propriæ, quæ fuit Provincia Proconſularis. 148. Primas fuit ejus Epiſcopus. 150. Et quidem Primas Primatum. 151. Metropolis Africæ Diœceſeôs. Ibid. Romæ olim æmula. Ib.
—— Quinta Provincia Diœceſeôs Hiſpaniarum. 171. Ejus Termini; quos olim Populos, quas hodie Regiones complectatur? Metropolis ejus quondam Carthago Nova, quæ hodie Carthagena. Ibid.
Caſanenſe Regnum, cujus Metropolis Caſan. 184
Caſpii Montes. 196
Caſpium Mare. 188
Caſſandria ad Sinum Thermaicum Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
Caſſinum, vel Caſinum, in confiniis Campaniæ Felicis, Urbs Epiſcop. Latii Novi. 132
Caſtabala ad Sinum Iſſicum ſita, Urbs Epiſcop. in Cilicia Secunda. 83
Caſtra Alata, hodie Edinburgum, Scotorum Regia. 180
—— Regina, vid. Reginum.
—— Martis, ſive Cuppa, Urbs inclyta Mœſiæ Superioris. 126
—— Nova Urbs Epiſcop. Mauritaniæ Cæſareenſis. 154
Catana ferè ſub Ætnâ Monte, Urbs Epiſcop. Siciliæ. 137
Cataphryges, qui dicti? 95
Cataractæ ſubterraneæ, per quas Euphrates & Tigris Fluvii ex Monte Libano, aut ex Jordane, oriri creduntur. 8
Cathaia ubi ſita? 187. Ejus Regia Cambalu. Ibid. Pars Orbis Tartarici, incolis Kithay. 188. Ut à Sinâ propriè dicta diſtinguitur, magnam Tartariæ Aſiaticæ complectitur partem. Ibid.
Catholicus Perſidis diverſus à Catholico Bagdadi. 87. In Eccleſiaſticis uterque ferè ſub Antiocheno. Ibid.
La Catholica, Vicus, ubi? 141
Catti, Chaſſi, Haſſi, ubi ſiti? 196. Etiam Franci. 200. Pars Hermionum Gentis ſecundum Plinium. 201
Cauchi Minores, ubi? 199
Cella Urbs Epiſcop. Byzacenæ. 153
Celtici Populi qui? 170
Cenezii, ubi. 22
Cenſus quando actus ab Auguſto? 61
Centrones Populi Inalpini, eorum ſedes. 163
Cephalenia Inſula. 67. Provinciæ Epiri veteris attributa. 117
Ceramus Urbs Epiſcop. Cariæ. 96
Ceraſus Urbs Epiſcop. Ponti Polemoniaci. 102
Ceremonias antiquas Cæſares Romani reſtituerunt. 74. Et quo nomine? Ibid.
Certa quæ afferuntur de deportatione Aſſyriaca ex Sacris & Hiſtoriis. 36
Certiora de Eccleſiis Britannicis, quæ? 173
Cedron Torrens, unde ita dictus? 57
Cedrorum Torrens, ubi? Ibid.
Ceſion, vel Kiſhon, Urbs Levitica in Tribu Iſſachar. 33
Ceſtrienſis Urbs Epiſcop. Maximæ Cæſarienſis. 178. & Flaviæ Cæſarienſis. 179
Chabor Regionis & Fluvii nomen, ubi? 36
Chabul Terra, ubi? 34
Chalcedon, vel Chalcedonia, Urbs Epiſcop. Provinciæ Bithyniæ. 104. Concilio IV. Oecum. illuſtris, & ob id Metropolis honoraria facta. Ibid. Quare dicta Civitas cæcorum? Ibid.
Chalcide in Inſula Eubœa, Urbs Epiſcop. Achaja. 114
Chaldæi unde dicti כשדים. 11
Chalibon, unde dicta, Urbs Epiſcop. Primæ Syriæ? 82
Chamathi, vel Kamathi, unde Hamath, & Hamathai, poſteà ab Epiphane dicta Epiphania. 22
Chamavi Gens Francorum. 199
Chami, Cham, Ham, unde Hammonia Regio. 11
Chamia, vel Chemia. Ibid.
Chamoth-Dor Urbs Levitica in Tribu Nephtali. 35
Charanis Civitatis ſitus. 12
Chaſſi ubi ſiti? 196
Chattuarii Gens Francorum. 198
Chelkad Urbs Levitica in Tribu Aſher. 34
Cheruſci Populi, ubi? 200
Cherſoneſus Thracica Urbs Epiſcop. Europæ Thracicæ. 108, 193
— Cimbrica. 202
— Cimmeria. 193
— Civitas Epiſcop. Cretæ Inſulæ. 118
Chetim, vel Chetijm, vid. inf. Cittim.
Chesbon, Heſebon, Civitas Levitica in Tribu Gad. 26
Chetitæ, Chittæi, ubi? 12
Childericus Dux Francorum. 198
Chinarum Imperium ubi? 187. Eorum Lex inviolata, ante Navigationis frequentatæ tempora. Ibid. Fabula Jeſuitarum de Chriſtianiſmo eò illato jam primis Seculis. Ibid. & 189
Chingi-Chan, cognomento Mogul, ubi natus? 187
Chinneret Urbs in Tribu Nephtali. 35
Chittæi, vid. Chetitæ.
Chivæi, vid. infr. Hevæi.
Chius Inſula, verior Homeri patria, Urbs ejus Epiſcop. fuit in Provincia Cycladum. 94
Chorazim & Chorazaim Urbs quam alluit Jordanes influens in Mare Galilææ. 42
Chorazitarum Regio. 35
Chriſti Mons. Ibid.
Chriſtiani quò ſe receperint tempore obſidionis ultimæ Hieroſolymæ? 27
—— Georgiani, ubi? 105
—— Mozarabes, Mixtarabes, qui? 168
Chriſtianiſmum illatum volunt in Americam Viri Docti ante Hiſpanorum tempora. 203. Epicriſis Reverendi Auctoris de iſtis. 204
Chus Terra ubi quærenda? 6
Cibyra Urbs Epiſcop. Cariæ. 96
Cidamus Urbs Epiſcop. Mauritaniæ Sitifenſis. 153
Cilicia Provinc. Rom. facta. 68. Unica Nicanorum & Conſtantini ætate, deinceps in duas diviſa: Prior, quæ & Campeſtris, fuit Conſularis, hodie Carmania dicta, Octava Provincia Diœceſeôs Orientis. 83. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
— Secunda, Nona Provincia Diœceſeôs Orientis. Ibid. Præſidialis fuit Provincia. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Cimbri, unde Cimbrica Cherſoneſus, qui, & ubi? 202. A quibus eorum origo deducatur. Ibid.
Cimbricum Promontorium. 202
Cimmeria Cherſoneſus, ubi? 193
Cinæi, ubi? 22
Cingianfu Urbs Regionis Mangi apud Chinas. 189
Circaſſi Nigri, qui Populi? 120, 183.

Quan-

Digitized by Google

Quando ad Chriſtum converſi dicuntur? Ibid.
Circaſſii, qui? 185
Circumciſionem obſervant Abeſſini, cur? 192
Cirta in Numidia, quæ & Conſtantina, Regum quondam domus. 150. *Metropolis utriuſque Numidiæ.* 152
Cis-Alpina Gallia occupata à Gallis Senonibus. 138
Cis-Padani, qui dicti? Ibid.
Ciſciſſa Urbs Epiſcop. Cappadociæ Primæ. 100
Ciſon, vel Kishion, Torrens ſive Fluvius. 20, 33
Cittim in Sacris, vel Chetim, quæ Regio, & unde dicta? 113, 132
Civile Regimen Hiſpaniarum. 168
Civitas Albece Reiorum Urbs Epiſc. in Narbonenſi Secunda. 163
— *Atrebatum*, vid. *Atrebate.*
— *S. Bertrandi* (Cominges) *Urbs Epiſcop. in Novem-populana.* 165
— *Cacorum, quæ?* 104
— *Davidis.* 48
— *Lingonum*, vid. *Lingones.*
— *Longi Muri, Munimentum contra Barbarorum excurſiones, in qua Vicarii Thraciæ ſedem habuerunt.* 107
— *Palmarum.* 58
— *Rejorum in Narbonenſi Secunda.* 163
— *Rejorum Apollinarium*, vid. *Reji.*
— *Rhinocorura ubi?* 19
— *Rutenorum, Gallis* Rodez, *Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania.* 164
— *Sanetenſis, Urbs Epiſcop. in Alpibus Maritimis.* 166
— *Tungrorum*, Urbs *Epiſcop. in Germania Secunda.* 161
— *Valentinorum ad Rhodanum ſita.* 163
— *Vercellorum, Sedes Epiſcop. in Provincia Liguriæ.* 139
— *Eccleſiaſtica ex pluribus* παροικίαις *conſtabat.* 77
Quales ſeptem illæ Civitates ad quas ſcripſit Johannes in Apocalypſi? 63
Civitates quibus Libertas modò adempta, modò reſtituta. 51
Civitatibus quibuſdam Libertas quomodo à Romanis conceſſa? Ibid.
Clarummons Arvernorum Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania. 164
Clavenna Urbs Epiſcop. Rhætiæ Primæ. 144
Claudiopolis Metropolis Provinciæ Honoriadis. 103. Vid. *Alba Julia.*
Clazomenæ Peninſula, Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Clemens patruus Clementis Romani creditur fundaſſe Metenſem Eccleſiam. 157
Cleopatris Urbs Epiſcop. in Ægypto Prima. 89
Clermont, vid. *Clarummons Arvernorum.*
Clodovæus Francorum Rex primus Chriſtianus. 199
Clunia Urbs Epiſcop. Primæ Rhætiæ. 144
Cluſium Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Cnidus in Doride Urbs Epiſcopalis Cariæ. 96
Cnoſſi, vid. *Gnoſſi.*
Cocuſus Armeniæ Secundæ Urbs Epiſcop. in quam Paulus Conſtantinopolitanus ſub Conſtantio, dein & Chryſoſtomus in exilium miſſus. 101
Codanus Sinus, ubi? 193
Codanonia, vel Godanonia, Candanovia, & hoc pro Scandinavia, nobiliſſima Inſula Danorum in Sinûs Codani faucibus. 202
Cœleſtius Pelagianus erat Scotus. 177
Colchis ubi? 184
— *Chriſtiana facta quando?* Ibid.
Collectaneorum victrix in Nummis, quæ dicta? 171
Collis vel Mons Gareb, de quo Jerem. XXXI. 39. *ab Hadriano muro cinctus, quibuſdam idem cum Colle Golgothæ.* 56
— *Golgoltha, vel Golgotha,* τόπος κρανίυ, *& mortis Regio, ab Hadriano intrà mœnia concluſus.* Ibid.
— *Gihon, à quo fonti nomen.* Ibid.
— *Zophim unde Titus Templum & Civitatem conſpexit.* Ibid.
Coloniæ Romana dignitas, quænam? 61
— *Quarum Lupa inſigne, Legibus Romanis vivebant.* Ibid.
Coloniis honor Metropoleôs datus, & in quem finem? 62, 63. *Etiam aliæ Urbes in Provinciis, hoc honore, præter Provinciæ caput, inſignitæ.* Ibid.
Colonia Urbs Epiſcopal. Cappadociæ Tertiæ. 100
— *Agrippina, ſeu Agrippinenſis, unde ita dicta?* 160. *Metropolis Germaniæ Secundæ, etiam Tertiæ.* Ibid. *Unde ita dicta?* Ibid. *Aliàs Colonia Ubiorum; Collateralis facta Moguntiaco, quando?* Ibid.
— *Allobrogum, quæ?* 164
— *Aſturica Auguſta Hiſpaniæ Tarraconenſis Urbs Epiſcop.* 171
— *Auguſti, quæ?* 161
— *vel Julia Faneſtris.* 141
— *Julia, quæ?* 134
— *Londinenſium, quæ?* 178
— *Octavianorum, quæ?* 169
— *Patricia, quæ dicta?* Ibid.
— *Phocænſium, quæ?* 164
— *Sextanorum, quæ?* 163
— *Trajana, quæ?* 160
— *Ubiorum*, vid. *Colonia Agrippina.*
Colophon Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Coloſſæ Civitas Phrygiæ. 65. *Epiſcopalis Phrygiæ Pacatianæ Primæ.* 95. *Motibus terræ everſa, obſcurior evaſit.* Ibid.
A Spiritu S. ſub ſpecie Columbæ *fertur deſignatus ſucceſſor Apollinaris* I. *Ravennatenſis Epiſcopi.* 141
S. Columbæ Monaſterium in Hyenſi Inſula. 178
Columnæ Templi. 54
Comagena ad Danubii Ripam Urbs Epiſcop. in Norico Ripenſi. 146
— *Inclyta Civitas in Pannonia Prima.* 147
Comana Cappadociæ Urbs Epiſcop. Provinciæ ſecundæ ejuſdem nominis. 100
— *Armeniæ Secundæ Urbs Epiſcop.* 101
— *Ponti Polemoniaci Urbs Epiſcop.* 102
Comana τῦ Εὐξείνυ Πόντυ, *ſeu Cumana Pontica ad Irim Fluvium, ubi mortuus Chryſoſtomus.* 101
Comani, qui? 185
Cominges, vid. *inf. Convenenſis.*
Comites apud Romanos quinam dicebantur? 69
Commagena quæ dicta credatur? 85
Commagenum Medicamentum. Ibid.
Complutum Urbs Academiâ ſuâ celebris, & editis ibi Bibliis Complutenſibus; Epiſcop. in Carthaginenſi Provincia. 172
Compoſtella, hodie S. Jago, *poſterioribus Seculis Gallæciæ totius Metropolis.* 170. *Jacobi Apoſtoli ibi ſingularis cultus ex fama Reliquiarum ejus.* Ibid.
Comum Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139. *Fuit Colonia Romanorum ad Lacum Larium, & Plinii utriuſque patria, Cæcilii Poetæ, & Joviorum.* Ibid.
Concilium celebratum Aquilegiæ contra Palladium & Secundianum Arianos. 142
— *Milevitanum, quando habitum?* 152
— *Illiberitanum, quando habitum?* 169
— *Nicænum.* 104
— *Chalcedonenſe.* Ibid.
Conditio Terræ Sanctæ hodierna. 37
— *Diverſa Provinciarum Romanarum.* 67. *Ex diverſis Magiſtratibus & Rectoribus intelligebatur.* 68
Conimbria Urbs Epiſcop. Luſitaniæ. 170
Conſentia Urbs Epiſcop. & Caput hodiè Brutiorum. 136
Conſtantia, quæ prius Majuma propè Gazam, ita dicta a Conſtantio filio Conſtantini. 71
— *vel Conſtantina ſecunda Cypri Inſulæ Metropolis, hodie Famagoſta.* 84
Conſtantina, oppidum in Meſopotamia, a Conſtantino amplificata & Conſtantia dicta. 86
— vid. *Cirta.*
Conſtantinopolis, à qua denominata Quarta Diœceſis Orientis, dicta Thracica. 78. *Ejus prærogativa; Situs illius deſcriptio; Urbis Præfectura.* 108
Conſtantinus poſt Novam Romam erectam Romanum Imperium diviſit in illud Orientis & illud Occidentis. 76
Conſulares Viri quinam apud Romanos? 69
— *Sub Vicariis erant.* 156
— *Provinciæ quæ dictæ?* 69
Contentiones inter Romanum & Conſtantinopolitanum de Bulgaria. 125. *Quâ de cauſâ?* Ibid.
— *De Ordinationum Jure in Viennenſi Provincia.* 163
Convenenſis Epiſcopus dictus à Convenis Urbe ad Pyrenæos Montes, ſub Auſcitano Novem-populanæ Metropolitano. 165. *Hodiè* Cominges *dicitur; patria fuit Vigilantii; dicitur aliàs Civitas S. Bertrandi.* Ibid.
Converſio Danorum cui adſcribitur? 202. *Quomodo facta eorum converſio in Anglia?* 203
— *Normannorum in Galliis, quando?* Ibid.
Copia Urbs Epiſcopalis in Apulia & Calabria. 135
Coptos Thebaica, à qua Coptos, vel Coptis nomen, Urbs Thebaidos Secundæ antiquitùs celeberrima. 91. *Ampliſſima fuit, & Emporium Judaicarum, Arabicarum, & Æthiopicarum mercium.* Ibid.
Corbejenſe Monaſterium ad Viſurgim. 200
Corcyra Inſula, hodie Corfou, *Epiri Veteris Provinciæ attributa.* 117
Corduba ad Bætim Metropolis Hiſpaniæ Bæticæ. 169. *Patria Senecæ & Lucani.* Ibid.
Corſinium Urbs Epiſcop. Valeriæ. 135. *Olim*

Digitized by Google

lim Pelignorum Caput, & quò duxiſſe etiam Valeriam ait Strabo. Ibid.
Corinthus Metropolis Provinciæ Macedoniæ. 114. Proconſulum totius Achajæ ſedes; in Apoſtolicis & Cathedris Apoſtolorum primo loco recenſita à Tertulliano. Ibid.
Cornubia, quæ & Exonia. 179
Cornuchii Populi Circaſſis ad Ortum. 183
De Corona Hungariæ ab Angelo allata, fabuloſa multa. 199
Correctores Magiſtratus Romani, quinam? 69
Corſica Inſula in Provinciam redacta. 67. Urbis Romæ Vicario paruit. 131. Præſidialis Provincia fuit. 137. In Eccleſiaſticis cum Sardinia & Sicilia in Diœceſim conjuncta. Ibid. Ejus Metropolis. Ibid.
Corycus, vel Corycium, Urbs Epiſcop. Maritima Ciliciæ Primæ. 83
Cottius Alpium Cottiarum Regulus. 143
Cotyæum Urbs Epiſcop. Phrygiæ Salutaris. 95
Comba Urbs Epiſcop. Nubienſis Provinciæ. 192
Coventrienſis Epiſcopus ſub Cantuarienſi Britanniæ Primæ Metropolitano. 178
Cratia Civitas Provinciæ Honoriadis. 103
Cremna Colonia Rom. Lyciæ Urbs Epiſcop. 97
Cremona Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139
Creſcens creditur Viennenſem & Moguntinam Eccleſias fundaſſe. 157
Creta Provincia facta. 68. Septima Provincia Diœceſeôs Macedoniæ. 118. Princeps Inſularum, olim Ἑκατόμπολις, varia ejus nomina. Ibid. Conſularis Provincia fuit. Ibid. Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop. Ibid. hodie Candia. Ibid.
Croatia ad Hungariæ Regnum pertinuit. 195
Cteſiphon Urbs Perſidis, ubi? 186
Cumæ Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Cumæ Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 132
Cuppæ Urbs inclyta Mœſiæ Superioris. 126
Cura prima Principis ſalus populi. 73
Cures, unde Curites, Quirites, Urbs inclyta Piceni Suburbicarii. 134
Curia, vulgò Chur, Rhætiæ Primæ Metropolis. 144
Cuſſum, vel Caſium, Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Primæ. 90
Cuthæorum ſedes. 39
Cutiliæ Urbs Epiſcop. Piceni Suburbicarii. 134
Cyclades Inſulæ Tertia Provincia Diœceſeôs Aſianæ, Proconſularis & Præſidialis fuit. 94. Unde ita dictæ? Ibid. Quid complexæ? Ibid.
Cydiſſus Urbs Epiſcop. Phrygiæ Pacatianæ Primæ. 95
Cydonia, hodie Canea, Urbs Epiſcop. Cretæ Inſulæ. 118
Cypriani locus declaratus. 149
Cyprus Inſula Provincia facta. 68. Conſularis fuit, XI. Provincia Diœceſeôs Orientis. 84. Ejus Metropolis, Epiſcopales Urbes aliæ. Ibid.
Cypſela Urbs Epiſcop. Rhodopes Provinciæ. 108
Cyrene, Cyrenaica, in qua Hammonis Oraculum fuiſſe creditur. 89. Ab ea denominata ſecunda Provincia Diœceſeôs Ægypti. Ibid. Ejus Termini, Metropolis, aliæ Urbes Epiſcop. Ibid.
Cyrrus, Cyrus, Urbs Epiſcop. Provinciæ Euphratenſis. 85
Cyzicus Metropolis Provinciæ Helleſponti. 94

D.

Dabir Civitas Sacerdotalis in Tribu Simeonis. 28
Dabereth, vel Dabrath, Civitas Levitica in Tribu Iſſachar. 33
Dacia Antiqua, quænam? 118. A quo ſubacta & amiſſa? Ibid. Quot variis temporibus complexa Provincias? Ibid. Quæ Regiones Daciæ Vetus appellatæ? 119. Duplex fuit. Ibid. Ejus Termini, & quomodo deinceps fuit appellata? Ibid. Diœceſis hæc ut à Barbaris fuit infeſtata? Ibid.
Dacia Mediterranea Provincia Conſularis. 125. Prima Diœceſeôs Daciarum Provincia. Ibid. Ejus Termini, Metropolis, Urbes aliæ Epiſcopales. Ibid.
— Ripenſis Præſidialis Provincia fuit quoque Secunda Diœceſeôs Daciarum Provincia. Ibid. Unde illi nomen: Ejus Termini; Metropolis; Urbes ſub cujus diſpoſitione? Ibid.
Dalmanutha Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27
Dalmatia Provincia facta. 68. Cui olim juncta in Eccleſiaſticis Iſtria & Forum Julii: fuit ſub Perfectiſſimo Præſide: Sexta Provincia Tertiæ Diœceſeôs Præfecturæ Italicæ. 147. Ejus Termini. Ibid. Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop. 148. Pertinuit ad Hungariæ Regnum. 195
Damaſcena Vallis quomodo vocatur ab Amoſo? 7. Quare dicta ſedes voluptatis? Ibid.
Damaſcus Metropolis Phœnices Libani. 81. Colonia Rom. dicta etiam ἱερὰ καὶ ἄσυλος. Ibid.
Damnah, vel Dimnah, Urbs Levitica in Tribu Zabulon. 34
Danis Tribus, ejus anguſtiſſima ſors. 30 Fabula de Antichriſto ex Dane naſcituro. Ibid. Ibi primò Idololatria cultus admiſſus. Ibid.
Dan Civitas, primitùs Lais vel Leſhem, dein Paneas & Cæſarea Philippi. 19, 30. Tribus Danis Termini: Urbes præcipuæ. Ibid.
Dani à quo, & quo tempore orti? 202. Iidem eſſe creduntur qui Daci, cum Gotthis & Hunnis Scandinaviâ egreſſi. Ibid. Hinc Danne-Marck pro Dania. Ibid. Eorum in parte Angliæ dominatus. 175. Unde eorum nomen? 202. Eorum Inſulæ; Eorum converſio. Ibid.
Danski, Gdansky, Dantzig, Lat. Gedanum, unde factum? 202
Danuba, Danabe, an Cannaba, Urbs Epiſcop. Phœnices Libani. 81
Danubii Fluvii Fontes, ubi? 200. Ubi ſe exonerat in Euxinum? 110
Daphne Suburbanum Antiochiæ, luco & fontibus celeberrimum. 82
Darantaſia vel Durantaſia Centronum, la Tarantaiſe, Metropolis Alpium Grajarum & Penninarum. 163, 166
Daras Urbs Epiſcop. Meſopotamiæ. 86
Dardania Provincia Rom. facta. 67. Præſidialis fuit. 126
— Europææ Quarta Provincia Diœceſeôs Daciarum. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes Epiſcopales aliæ. Ibid.
Dardanum Urbs Epiſcopalis Provinciæ Helleſponti. 94. Olim τευκρὶς, & ubi hodie una ex Turcarum Dardanellis. Ibid.
Darnis Urbs Epiſcopalis in Libya Marmorica. 90
S. Davidis Epiſcopatus. 175, 177, 179
Dax nomen Urbis Epiſcop. in Novempopulana, vid. Aquenſis.
Dea, vel Dia, hodie Die, Urbs Epiſcop. Provinciæ Alpium Cottiarum. 144
Debir Civitas in Tribu Gad. 26
Decapolitana Regio quænam? 41. Syriæ attribuitur. Ibid. Ejus extenſio. Ibid.
Decus multarum Civitatum, quæ Urbs dicta? 163
Delos Inſula. 94
Delphinates, ubi? 163
Demetrias Theſſaliæ Phthiotidis, antea Pegaſæ, Urbs Epiſcop. Provinciæ Theſſaliæ. 116
Denarium Petri quomodo introductum in Angliam? 177
Dependentia Eccleſiarum Gallicanarum à Rom. Pontifice, qualis, & quando? 158. Nullum ejus exemplum totis quatuor prioribus Seculis. Ibid.
Derbe Urbs Epiſcop. Lycaoniæ. 98
Derdoſa, vel Dertoſa, Urbs Epiſcop. Tarraconenſis Provinciæ. 171
Derræ ad Sinum Singiticum Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
Dertonenſis Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140
Deſcriptio Hieroſolymæ unde petenda? 47
— ſitûs Conſtantinopoleôs. 108
— Termini Imperii Occidentalis. 127
— Patriarchatûs Romani. Ibid.
Deſcripſit Auguſtus cum Galliâ Ciſ-Alpina XI. Regiones Italiæ. 129
Deſertum Pharan. 19
— Cadeſch Barnea Ibid.
Deſerta magis fuit Judæa verſus Mare Mortuum, quare? 29, 58
Deſertum Engaddi. 58
— Capernaumi. 35
— Ephrem. 31
Dia Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi. 194
Diarrhythus, vid. Hippo.
Dignia, vel Dinia, nunc Burgus, Urbs Epiſcop. in Alpibus Maritimis. 166
Dignitas Coloniæ, quænam? 62
— Municipii. Ibid.
— Provinciarum Rom. ex Magiſtratibus earum intelligebatur. 68
— Præfecti Urbici major quam Vicarii. 130. Et quare? Ibid.
— Eccleſiarum Hiſpaniæ. 166
Dimnah, vid. Damnah.
Dio-Cæſarea Urbs in Galilæa Inferiori. 40
— Urbs Epiſcop. in Provincia Iſauriæ. 84
— Urbs Epiſcop. Cappadociæ Tertiæ. 100
Διοικηταὶ, qui? 70

Diœceſes uſu laxiore, quæ? 77
—— *ſubjectæ Præfecturæ Orientis.* 78
Diœceſis Prima quæ dicta eſt Orientis. 79
—— *Secunda Præfecturæ Orientis, dicta Ægypti.* 87
—— *Aſiana, quà ſic dicta?* 92
—— *Quarta Orientis dicta Pontica.* 99
—— *Quinta Orientis dicta Thracica.* 106
—— *Prima Illyrici dicta Macedoniæ & Theſſalonicenſis.* 113. *Ejus limites.* Ibid. *Cui ſuberat?* Ibid. *Princeps Civitas totius Diœceſeôs.* Ibid. *Habuit ſub ſe ſeptem Provincias.* Ibid.
—— *Secunda Illyrici dicta Dacia vel Daciarum.* 118
—— *Gentes Barbaræ quæ Dacias & Illyricum infeſtarunt, quæque dein in Europam omnem, & Africam ſe effuderunt, quæ?* 119
In Diœceſi Daciæ Eccleſiaſticâ mutationes. 124
Diœceſes ſeu Vicariatus quatuor in Præfectura Italiæ. 128
Diœceſis Prima Italicæ Præfecturæ. 129
—— *Secunda.* 138. *Quænam?* Ibid. *Quæ Provincia ei addita?* Ibid. *Suberat Vicario Præfecti Prætorio.* Ibid. *Barbari qui has Regiones infeſtarunt.* Ibid.
—— *Tertia Præfecturæ Italicæ.* 145
—— *Quarta Præfecturæ Italicæ, dicta Africana.* 148
Diœceſes tres Præfecturæ Galliarum, unaquæque ſub diſpoſitione Prætorio Præfecti, ſeu Vicarii Præfecti Prætorio. 154
Diœceſis Prima Præfecturæ Galliarum, dicta in ſpecie Galliarum. 155. *Varia earum diſtributio undè petita?* Ibid. *Ejus Termini.* Ibid.
—— *Secunda Præfecturæ Galliarum, dicta Hiſpaniarum.* 166
—— *Tertia Præfecturæ Galliarum quæ fuit Britanniarum.* 173
Diocletianopolis Urbs Epiſcop. Thraciæ in ſpecie ſic dictæ. 109
Dionyſiopolis Urbs Epiſcop. Mœſiæ Secundæ. Ibid.
—— *Urbs Epiſcop. Pacatianæ Secundæ.* 95
Dionyſius creditur fundaſſe Pariſienſem Eccleſiam. 157
Dioſpolis, quæ anteà Lydda, Urbs Levit. in Tribu Ephraim. 31
—— *In parte Ægypti maximè Auſtrali.* 11
—— *Eccleſia celebris Ægypti Secundæ.* 89
—— *Thebaidis Secundæ.* 91
—— *Thraciæ in ſpecie ſic dictæ.* 109
Diſciplina libera Britonum in Walliæ partibus circa res Eccleſiaſticas. 177
Diſtributio Terræ Sanctæ ſub Secundo Templo. 37
Diſtributio Eccleſiarum ſecundum Patriarchatus, &c. an ab Apoſtolis? 75
Diſtributio Rom. Imperii in Orientale & Occidentale, à quo propoſita, dein peracta? 76
Diviſio Orbis Orientalis. 78
—— *Occidentalis.* 127
—— *Hiſpaniæ.* 166
Dium ad Sinum Thermaicum Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
Divodurum Mediomatricorum, vid. *Mediomatrici.*
Dodone, vel Dodonæa, inclyta celebri Oraculo & Lebete, Urbs Epiſcop. Epiri Veteris. 117. *Undè hoc nomen?* Ibid.
Dolicha, vel Dolichium, Dolicum, Urbs Epiſcop. Provinciæ Euphratenſis. 85
Dolum, Dolenſis Epiſcopatus in Armoricâ ſubjectus Turonenſi Metropolitano Tertiæ Lugdunenſis, hodiè Dol. 162
Domûs ſeu Templi Salomonis Situs. 54
Dona Romæ mittebantur fidei & obſervantiæ pignora. 71
Donatianus primæ Sedis Epiſcopus Civitatis Teleptenſis. 152
Donatiſtica labes quam Africæ Provinciam præ reliquis infecit. Ibid.
Donatus, à Caſis Nigris Civitate Numidiæ Epiſcopus. Ibid.
Donatus Maſculæ Civitatis in Numidia Epiſcopus. Ibid.
Dor, ſive Dora, Civitas nobilis in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanica. 32
Doris Pentapolitana Regio Cariæ. 96
Dorticum Urbs Epiſcop. Daciæ Ripenſis. 125
Doroſtorum Urbs Epiſcop. Mœſiæ Secundæ vel Inferioris. 109
Dorylæum Urbs Epiſcop. Phrygiæ Salutaris. 95
Druſiana Foſſa, ubi? 198
Dubris, Dover, Urbs in Britannia Primâ. 178
Ducatus ac Pariatus Franciæ primarius. 159
Ducatus Twere. 196
Ducatus Wirtembergicus. 200
Ducum Bojariæ Regia. 145
Dunelmenſis (Durham) *Epiſcop. Urbs Maximæ Cæſarienſis.* 178
Dunkala Urbs Nubienſis. 192
Durius Fluvius, hodiè Duero, *ubi?* 170
Durobrovis (Rocheſter) *Urbs Epiſcop. Britanniæ Primæ.* 178
Durotorum Remorum, vid. *Remi.*
Durovernum, quæ nunc Cantuaria, *Metropolis facta Britanniæ Primæ in gratiam Auguſtini Monachi Præſulis Cantuarienſis.* 178
Dux Nordmanorum Rollo *quâ lege Normanniæ poſſeſſionem nactus?* 203
Dynaſtæ, quinam? Dynaſtiæ, quæ? 72
Dyrrhachium, quod & Epidamnus, Caput Epiri Novæ. 110. *Hodiè nuncupatur* Durazzo. 117

E.

Ebora, vid. *inf. Elbora.*
Eboracum Metropolis Maximæ Cæſarienſis. 178. *Sedes fuit Conſularium, Imperatorum & ipſius Conſtantini Chlori, hodiè* Yorck. Ibid.
An Eboracenſem Sedem inſtituerit Lucius? 174
Ebrodunum (Ambrun) *principium Alpium Cottiarum cenſetur, Urbs Epiſcop. Alpium Cottiarum.*
—— *ſeu Eborodunum, Eburudunum ad Druentiam ſita, Gall.* Ambrun, *Metropolis Alpium Maritimarum.* 166
—— *vel Ebridunum Helvetiorum ad Lacum ſita, hodiè* Iverdun. Ibid.
Ebroicæ (Evreux) *Urbs Epiſcop. in Secunda Lugdunenſi.* 162
Eccleſia Sedes conſideratur, qualis fuit vel ante Moſem, vel inde a Moſe. 5
—— *Sedes extra Rom. Imperium.* 183
—— *Barbaricæ, quæ?* Ibid.
Eccleſiaſtica forma ſenſim ad Civilem compoſita. 77
Eccleſiæ Illyrici Orientalis ut adminiſtratæ? 111
—— *Gallicanæ Antiquitas.* 157
—— *quæ memorantur antiquiſſimæ apud Irenæum?* Ibid.
—— *Gallicanæ antiquius quod exſtat Monumentum, ubi?* Ibid. *Quid ſummatim obſervandum circa Regimen Eccleſiæ Gallicanæ?* Ibid. *Ejus a Rom. Pontifice dependentia qualis & quando?* 158. *Nullum omnino ejus Auctoritatis in iſtas Eccleſias exemplum,* IV. *prioribus Seculis.* Ibid. *Quomodo tum eum reſpexerunt?* Ibid.
Eccleſia Burdigalenſis Primatûs Titulum favore Rom. Pontificum conſecuta eſt, ſed ſeriùs. 164
Eccleſiarum in Hiſpania Antiquitas & Dignitas. 167. *Earum Regimen.* 168. *Papis jus in Hiſpanicas Eccleſias olim nullum.* Ibid.
Eccleſiæ Britannicæ Antiquitas. 174. *Ejus Regimen ſub quibus?* 175. *A quo tempore Eccleſiæ Cantuarienſis & Eboracenſis Britanniarum Metropolitanæ factæ ſunt?* Ibid.
Eccleſiarum Britannicarum à jugo Pontificio Libertas. 177. *Earum calamitates.* Ibid. *Hæreſes quæ, inter alias, illas afflixerunt?* Ibid.
Eccleſiæ Scoticæ Antiquitas ac priſtinum Regimen. 176. *Quandiu ſubjecta Eboracenſi Metropolitano?* Ibid. *Proprios Metropolitanos acceperunt, quando?* Ibid. *Scotorum & Pictorum Schiſmatica habita.* Ibid.
—— *Britannicæ quando fœda ſervituti Papis mancipatæ?* 177
—— *In Scythiâ Aſiaticâ.* 183
—— *Arabiæ Petrææ vetuſtiſſimæ omnium.* 190
—— *Tres memorantur in Arabia Felice.* Ibid. *Quæ Hæreſes Arabiæ Eccleſias afflixerunt?* Ibid. *Adhæſerunt Jacobitarum Sectæ.* Ibid. *Miſeræ poſt Muhammedem.* Ibid.
Eccleſia Cherſonenſis Scytho-Tauricæ. 193
Nomina Epiſcoporum Eccleſiarum Tauricæ Cherſoneſi leguntur in Actis Conciliorum. Ibid.
Eccleſias in India Orientali an fundaverit Thomas Apoſtolus? 187
An Eccleſia in America ante Hiſpanorum tempora? 203, 204
Ecoliſma, aut Engoliſma, ex quo Angoulesme, vid. *Iculiſma.*
Eden fuit non Horti, ſed Regionis nomen. 8
Edenis & Paradiſi ſitus. 7. *In Orientali Tractu.* 8. *Rationes id confirmantes.* Ibid. *Ejus ambitus.* Ibid.
Ex Eden Moſis, Hedinenſem Arteſiæ Civitatem derivatam volunt quidam. 7
Edeſſa, Ediſſa, malè Aidiſſa, *Metropolis Oſrhoënæ Provinciæ.* 85
Edinburgum, olim Alata Caſtra, Metropolis in Civilibus Valentiæ Provinciæ.

Digitized by Google

cie. 180
Edomei, vid. *Idumæa*, *Idumæi*.
Edwardus Confeſſor Saxonicæ ſtirpis ultimus Rex, in Anglia. 203
Egeſta, dein Segeſta, Urbs Epiſcop. Siciliæ. 137
Egnatia, vid. *Gnatia*.
Elatea Phocidis Urbs Epiſcop. Achaiæ. 114
Elbora Luſitaniæ Urbs Epiſcop. 170
Elearchia Eccleſia celebris Ægypti Secundæ. 89
Elevenſis vel Elguenſis Epiſcopatus, vid. *Aſaphenſis*.
Eleutheropolis in Palæſtina patria Epiphanii. 80
Eliberis, vid. *Illiberis*.
Elkath, vel Chelkad, Urbs Levit. in Tribu Aſher. 34
Eluſa, vel Eluſo, Rufini Præfecti Prætorio patria, Metropolis Novempopulanæ, hodie diruta & è Civitatum Catalogo diſpuncta. 165
Elvira, vid. *Illiberis*.
Emath, Chamath, Regio & Urbs, Syriæ adſcripta, verſus Boream ſpectavit ad ſortem Tribûs Nephtali. 35
Emathea Regio, quæ & Amathitis, fuit in Tribu Aſher verſus Boream. 34
Emaus Urbs in Tribu Juda ad Occaſum. 29
Emmaus Vicus Judæ peramœnus in faſtigio Montis ad Occidentem Hieroſolymæ, undè itum in Ramah & Joppen, inſtauratus nomen accepit Nicopolis. 58
Emerita ad Anam fluv. Metropolis Luſitaniæ. 170. *Unde deſiit eſſe Metropol.* Ibid.
Emeſa, vel Emiſa, Urbs Epiſcop. in Phœnice Libani. 81
Emporia Urbs maritima Epiſcop. Hiſpaniæ Tarraconenſis. 171
Emporium Romanum *quænam Urbs à Philoſtorgio dicta?* 190
Engaddi deſertum in Tribu Juda. 58
Engannim Urbs Levitica in Tribu Iſſachar. 33
Ens *Lat. Anaſianum Oppidum ſurrexit ex ruderibus Lauriaci Metropoleôs Norici Ripenſis.* 146
Eous Oceanus, qui? 189
Ἐπαρχία *quæ?* 72
Ἔπαρχοι *qui?* 68
Ἐπάρχης *quis?* Ibid.
Epheſus Ioniæ Metropolis, & prima totius Aſianæ Diœceſeôs. 63, 92, 93. *Olim quoque Smyrna dicta.* Ibid. *Prima in Septem Aſianis.* 64. *Epheſii* Ἀλεξανδρεῖς *inſcribuntur in Nummis, quare?* 64. *Fuit Tertia Diœceſis Orientis dicta Aſiana.* 78
Ephraim Tribus. 31. *Ejus Termini; Urbes præcipuæ; Præſtantia Regionis; Montana.* Ibid.
— *Seu Iſraëlis Mons.* Ibid.
Ephrem Urbs & Deſertum in Tribu Ephraim. Ibid.
Epidamnus, aliàs Dyrrhachium, hodiè Durazzo, *Metropolis Epiri Novæ.* 117
Epidaurus, hodiè Raguſa, *Dalmatiæ Urbs maritima, Epiſcop. Civitas.* 148
Epiphania Urbs Syriæ antiquiſſima ab Epiphane condita, patria Evagrii. 81. *Urbs Epiſcop. Syriæ Secundæ.* 83
Epiphanii patria. 80. *Qui fuit Epiſcopus Conſtantiæ vel Conſtantinæ Urbis Cypri Inſulæ.* 84. *Mens de Piſhone & Gihone Edenis.* 7
Epirotarum Regio. 116
Epirus Provincia Romanorum facta. 67. *Vetus, quæ cum Epiro Nova ſub Illyridis nomine venit, Epirus ſimpliciter dicta.* 116. *Provincia Præſidialis fuit.* Ibid. *Quos populos complexa? Ejus Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Nova quæ dicta, Præſidialis fuit Provincia; Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 117
Epiſcoporum æqualitas mira. 157, 168. *Quibus Epiſcopis honor quidam Primatûs in Galliis delatus?* 157. *Tituli quibus in hunc diem ſuperbiunt in Galliis primarum Sedium Epiſcopi.* 158
— *Ordinationis tempus alios aliis tantum præponebat.* 168. *Epiſcopatus pleri que in Hiſpania ſunt recentioris inſtitutionis, qui inter alios?* Ibid.
Epiſcopatus & Abbatias an fundaverit in Britanniis Rex Britannorum Lucius? 174
Sub Epiſcopis fuit ab antiquo regimen Eccleſiarum Britannicarum. 175
Epiſcopo Rom. quando nulla fuerunt Primatûs & Patriarchatûs jura in Britannorum Eccleſias? Ibid.
Epiſcopi primi Scotorum Palladius & Patricius. 176
Epiſcopales Sedes Palæſtinæ Tertiæ. 81
Epiſcopus Rom. totum Illyricum ad Occidentem ſpectare contendit. 77. *Quomodo & quando Patriarcham Occidentis audiit?* 127
Epiſcopi Mediolanenſis Primatus. 138
Epiſcopatus in Anglia hodiè XXV. 170
— *Friſingenſis, ubi?* 145
— *per Saxoniam omnem vario tempore inſtituti, non expectato Rom. Pontificis aſſenſu.* 200. *Inveſtiti jure Regio & Imperatorio.* Ibid.
In reliquos Epiſcopos nulla Primatuum vel Metropolitanorum jura primis Seculis. 157
Epiſcopi Barbarici, qui? 183
— *Seleuciæ & Cteſiphontis ſubjecti Antiocheno Patriarchæ.* 186
Epiſcopos ſeculari gladio armavit Carolus M. ut Saxones mobiles in fide contineret. 200
Ἐπιστάλης *qui?* 68
Epitaphium Ovidii. 147
Epitheta Urbium Liberarum. 62
Ἐπίτροποι, *qui?* 68, 70
Epocha libertatis, quid? 62
Eporedia, Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139
Eroge, Mons; Prodigium in eo factum juxta Joſephum, & quare? 56
Errores circa Tetrarchias. 72
— *L. Holſtenii & aliorum Latinorum circa diſtributiones Patriarchatuum.* 75
Erythra Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Erythræum Mare ſecundum quoſdam complectitur Sinum Perſicum. 13. *Sed malè.* 14
Eſclave *Gallicum vocabulum, unde?* 123
Ethnarcha, Ethnarchia, quid? 72
Evangelii lumen, quando in Galliis ſparſum? 157
Eucarpia Urbs Epiſcop. Phrygiæ Salutaris. 95
Eudoxias, vel Eudocias, Urbs Epiſcopalis Pamphyliæ Secundæ. 97
Eumolpus, vid. *Philippopolis*.
Europæ nomen unde? 107
Europa in ſpecie ſic dicta, prima Provincia Thracicæ Diœceſeôs. Ibid. *Ejus Termini; Metropolis.* Ibid. *Urbs aliæ Epiſcop.* 108. *Europæ Caput, quodnam dicatur à Strabone & Ptolemæo?* 166
Evreux, vid. *Ebroica*.
Euſebius Samoſatenus, Orthodoxus, à Valente in exilium actus. 85
Exarchatus, qui? 77
— *Ravennenſis.* 141
Ἔξαρχοι Διοικήσεως, *qui?* Ibid.
Exarchorum poteſtas in Oriente ſub Patriarchis ſenſim deſiit. 78
— *vel Primatuum Galliæ nulla jura in Epiſcopos vel Metropolitanos reliquos.* 157
— *juris origo ſupra Primates Provinciarum, ſeu Metropolitanorum, eſt ab ambitione Patrocli Arelatenſis.* 157
Extramuralia Hieroſolymæ. 56

F.

Fabula Veterum & Recentiorum de Paradiſo. 7
— *De locis Palæſtinæ.* 44. *Et de iis quæ vulgò Sancta habentur.* 55
— *de Fluvio Sabbatico.* 36
— *Judæorum de* X. *Tribuum Deportatione Aſſyriacâ.* 36. *Aliorum de eâdem ſententia.* Ibid. *Certa hac de re ex Sacris & Hiſtoriis.* Ibid.
— *De Anti-Chriſto naſcituro ex Dane.* 30
— *Jeſuitarum de Chriſtianiſmo in Chinam jam primis Seculis illato.* 187
— *Luſitanica de Malabaribus.* 189
— *De Evangelio in Indiam Meridionalem illato.* 190
Fabuloſæ fundationes Eccleſiarum quarumdam in Galliis. 157
— *De Eccleſiis Britannicis.* 173, 174
— *Pleraque & obſcura quæ de Æthiopibus eorumque Sacris à Luſitanis & Jeſuitis referuntur.* 191
— *Multa de Clodovei Baptiſmo; Ampullâ, deficiente Chriſmate, è Cœlo delapſa.* 199
— *de Corona Hungariæ ab Angelo allata.* Ibid.
Facundus Epiſcopus Hermianæ tempore Juſtiniani. 153
Faenza Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Falen vox Saxonica, quid? 199
Familia Amalorum, ex quâ ſuos Reges Oſtrogotthi habuerunt. 193
Fanum Fortunæ. 141. *Herculis ubi?* 159
Fatidicos Libros recenſuerunt Cæſares Romani, quare? 74
Fauſtus Semi-Pelagianorum primipilus, erat Britannus. 177
Felicitas Julia, quæ Civitas? 170
Felſina, vid. *Bononia*.
Fenni, vel Finni, qui? 202
Ferraria ſub Ducatûs titulo nota, hodiè ju-

juris Pontificii, Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Fertilitas Terræ Sanctæ. 21
Fezzanum Regnum. 192
Filii Orientis, qui dicti? 15
— *Regum obſides dati.* 70
Filiorum Hinnon Vallis. 57
Finni, vel Fenni. 202
Firmum Urbs Piceni Suburbicarii. 34
Flaminia Via ponte jungebatur Æmiliæ. 140
— *Tertia Provincia Secundæ Diœceſeôs Italicæ, pars Romanulæ Cis-Padanæ, unde dicta?* Ibid. *Ejus Termini.* Ibid. *Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 141. *Hæc Provincia cum Piceno fuit ſub uno Conſulari.* Ibid.
Flavia Æduorum, quæ? 161
— *Cæſarienſis, quæ?* 179. *Quarta Provincia Britanniarum Diœceſeôs.* Ibid. *Unde ita dicta? quos populos complexa, quas hodie Regiones? Ejus Termini, Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Papia, hodiè* Pavia, 139. Vide *Ticinum.*
Flaviana Ala quæ Civitas? 147
Flavias, Φλαυιόπολις, *Urbs Epiſcop. Ciliciæ Secundæ.* 83
Flavium Solvenſe, hodiè Solvelt, *Oppidum in Norico Ripenſi.* 146
— *Brigantium Callaicorum, quod?* 170
Flevus Inſula, hodiè Fleet, Flee, ubi? 197
Flexum Urbs inclyta Pannoniæ Primæ. 147
Florentia Metropolis Tuſciæ & Umbriæ. 133
Flori locus explicatus. 38
Flumeſino, quaſi Fiume Eſino, qui Fluvius? 140
Fluvii Galliarum præcipui, qui? 155, 156
Fluvius Gozan, ubi? 36
Fluvii Palæſtinæ, qui? 20
Fluvius Pigah. Ibid.
— *Sabbaticus.* 36
Fœminarum Atrium. 54
Fons Gihon. 7. *Siloe.* 57
Forma Eccleſiaſtica ſenſim ad Civilem compoſita. 77
Formiæ Civitas Epiſcop. in Latio Novo. 132
Fortunæ Fanum quod? 141
Forum Appii, Civitas Epiſcop in Latio Vetere. 132
— *Claudii, quod?* 163
— *Cornelii,* vid. *Imola.*
— *vel Regium Lepidi,* vid. *Reggio.*
— *Livii, inclyta Urbs unde ſic dicta?* 141
— *Populi.* Ibid.
— *Sempronii.* Ibid.
— *Julii junctum fuit Dalmatiæ in Eccleſiaſticis.* 147
Francorum Gens indomita; multas alias complexa; unde ipſis hoc nomen? 198. *Eorum prima ſedes ubi? Quem poſt Terrarum Tractum occuparint?* Ibid. *Quando ad Chriſtianam fidem acceſſerunt?* 199. *Quæ Loca Galliæ Belgicæ inſederint? Quando ad Ligerim uſque dominati ſint?* Ibid. *Eorum Regnum diviſum in quatuor.* Ibid. *Unde eorum Regibus Tituli Primogeniti Eccleſiæ, & Chriſtianiſſimi Regis?* Ibid.
Franci dicti etiam Salii. 200
Francia Orientalis, quæ? 199
Franciæ Ducatus & Pariatus primarius. 159
Fretum Boſphoranum, ubi? 193
— *Gaditanum, ubi?* 172
Friſii Majores & Minores Gens Francorum. 198. *Eorum nomen in Saxonum illud poſteà coaluit.* 199. *Quorum operâ converſi ad Fidem Chriſtianam?* 200. *Qui populi in eorum regionem & nomen ſucceſſerunt?* 203
Friſingenſis Epiſcopatus, ubi? 145
Frumentarius ab Athanaſio Axumitarum ordinatus Epiſcopus. 191
Fundi Civitas Epiſcop. in Latio Novo. 132

G.

Gaba Civitas equitum. 39
Gabaa Regia Saulis. 30
Gabaon, undè Gabaonitæ, Civitas Sacerdotalis in Tribu Benjamin. Ibid.
Gad Tribus. 26. *Regionis Deſcriptio; Termini; Urbes nobiliſſimæ.* Ibid.
Gadara, à quâ Gadarena Regio. 23, 42. *Ubi & quorum fuit?* 23
Gadix, Gades, Cades, vid. *Stucci. Urbs atque Inſula ad Metropolitanum Eboracenſem in Portugallia ſpectavit; hodiè eſt ſub Hiſpalenſi.* 169, 172
Galaad Mons. 20. *Galaaditis.* 42
Galatia Prima, quæ & Gallo-Græcia, Provincia Conſularis, Diœceſeôs Ponticæ Provincia ſeptima. 102. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Salutaris, quæ & Secunda; Præſidialis fuit: Octava Provincia Diœceſeôs Ponticæ.* 103. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Galilææ nomen, unde? 39. *Planities.* 33. *Termini ejus.* 39. *Tetrarchia fuit.* 40. *Duplex, Superior & Inferior.* Ibid.
— *Gentium, quæ? & quare ita dicta?* Ibid.
— *Inferior, quæ?* Ibid. *Ejus Caput Tiberias.* Ibid.
— *Simpliciter dicta, quænam?* Ibid.
— *Ejus incolæ, quinam?* 41. *Eorum lingua.* Ibid.
Gallæcia, Conſularis olim, Tertia Provincia Hiſpaniarum Diœceſeôs, unde ita dicta? 170. *Ejus Termini; quos populos complexa; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcopales.* Ibid.
Gallia Provincia facta. 68
— *Cis-Alpina vel Togata occupata à Gallis Senonibus.* 38
— *Quomodo repræſentata in Nummis?* 148. *Quando in ea auditi Primates?* 150. *Et Primates Primatum.* 151. *Unus fuit Galliarum Vicarius.* 156
— *Narbonenſis olim Provincia Rom. Prætoria.* 154. v. *Provinciæ, quæ eam conſtituerunt, habuerunt Vicarium diſtinctum.* 156
Ex Galliarum XVII. *Provinciis, ſex Conſulares, reliquæ ſub Præſidibus fuerunt. Metropoles Civiles principes.* Ibid.
— *Eccleſiæ Antiquitas.* 157. *Adminiſtratio ejus Eccleſiaſtica.* 156. *Quid circa eam ſummatim obſervandum?* 157. *Quibus Epiſcopis honor quidam Primatûs delatus?* Ibid.
— *Eccleſiarum dependentia à Rom. Pontifice qualis & quando?* 158. *Nullum omnino illius Auctoritatis in iſtas Eccleſias exemplum totis* IV. *prioribus Seculis.* Ibid. *Quomodo eum reſpexerunt?* Ibid.
— *Epiſcopi miſerunt quoſdam in Britanniam, qui debellarent Hæreſim Pelagianam.* 178
Galli Burdi, qui? 164
Gallipoli, vid. *Callipolis.*
Galva Urbs Nubienſis. 192
Gamala. 27, 42. *Gamalitica Regio.* 42
Ganges Fluvius. 187
Gangræ Metropolis Paphlagoniæ. 103
Gap, vid. *Vapincum.*
Garamantes Libyca Gens ſub Getulis. 192. *Fidei Chriſtianæ ſociari deſiderarunt & impetrarunt, Juſtini Junioris A.* III. Ibid.
Gareb Mons vel Collis, ubi? 56
Garizim Mons, ubi? 21
Garumna Galliæ Fluvius. 155
Gath-Rimmon Urbs Levitica in Tribu Danis. 30, 32
Gatianus creditur fundaſſe Turonenſem Eccleſiam. 157
Gaulon Urbs Levitica in Dimidiâ Tribu Manaſſis Trans-Jordanicâ. 27
Gaulonitis Regio. 42
Gaza Urbs & Satrapia Philiſtinorum. 24. *Et Urbs in Tribu Simeonis.* 28
Gazer, vid. *Jazer.*
Gebenni, hodiè les Cevenes, *ubi?* 164
Gedanum, Emporium ad Mare Balticum. 202
Gedara Urbs Decapolitana Regionis. 41
Gemella Turdulorum Urbs Epiſcop. Bæticæ. 169
Gennava, vid. *inf. Genua.*
Genneſareth nomen unde ortum ſecundum Heiddegg. 7, 35
Geneva, quomodo olim dicta, lacui Lemano imperans, cui & nomen dat, Civitas Epiſcop. Viennenſis Provinciæ. 164
Gens Frentanorum, ubi? 135
— *Germanica quos populos complexa?* 122
— *Æduorum.* 161
— *Quæ Macedonas Perſiâ exegit, quænam?* 186
Gentes omnes Judæi & Arabes quomodò dividant? 14
— *Omnes diſtinctæ in Græcos & Barbaros.* 183
— *Liberæ, quæ?* 61
— Ἑτερόγλωσσοι, *quæ?* 183
— *Sub notione Vandalorum, Vindulorum, Vinulorum comprehenſæ, quæ?* 122
— *Moſchorum Imperatori ſubjectæ Chriſtian. Religionem nomine tenùs profitentur.* 184
— *Aſſyria, Babylonia, Perſis, &c. Chriſtianiſmum receperunt, quando?* 186
— *Slavonicæ Originis?* 123
— *Scythicæ & Sarmaticæ, aliæque ad Boream verſæ, quâ linguâ uſæ?* 194
— *Germanicæ Barbaræ, quæ?* 196
Genua hodie Liguriæ Princeps. 139. *Olim Metropolis in Secundâ Diœceſi Italicâ.* Ibid. *Archiepiſcopatum quando nacta?* Ibid.

Digitized by Google

Ibid. Aliquando ſub Taurinenſi fuit; olim ſub Mediolanenſi. Ibid.
Geographia Sacra & Eccleſiaſtica, quanam? & quid tradat? 5
Georgiani, qui? & ubi? 105, 184. Fuerunt, hodiéque ſunt, Αὐτοκέφαλοι ſub ſuo Metropolit. Ibid. Eorum Regio latè patet. Ibid.
Gepidi, vel Gepides, Populi, qui? 121. Unde ita dicti? Ibid. Fuerunt Gotthici generis. 194
Gepidia Dacia antiqua, quas hodiè Regiones capiat? Ibid.
Gerar Civitas Regia in Tribu Simeonis. 28
Geraſa Urbs Decapolitana Regionis. 27, 41
Gergeſai, & eorum ſedes. 23, 35
Germa Urbs Epiſcop. Myſia Minoris, ad Helleſpont. Patria Beliſarii. 94
—— Galatia ſecunda Urbs apud Ptolemaum. 103
Germania Civitas Epiſcop. Mauritania Sitifenſis. 153
Germanica Prima, ſeu Superior, ubi? 160. Ejus Termini; quos Populos complexa; Metropolis; inclyta Urbes alia Epiſcopales. Ibid.
— Secunda, ſeu Inferior, qua? Ibid. Ejus Termini; quos Populos complexa; Metropolis; Urbes alia inclyta Epiſcop. Ibid.
— Tertia, vid. Quinta Lugdunenſis. Ejus Metropolis, Urbes alia Epiſcop. 162
— Germania Veteris limites, qui? 196. Barbara Gentes eam incolentes, qua? Ibid. Unde hoc nomen? Latiſſimum fuit. Ibid. Extenſum ad Sarmaticas Gentes. 197
— Propriè qua dicta eſt? Ibid. Ejus Termini. Ibid. Eccleſia Chriſtiana ſedes non fuit ante medium Seculum V. Ibid.
Germanicia, etiam Germania, Urbs Epiſcop. Syria Commagenes in Provinciâ Euphratenſi. 85
Germanicopolis Civitas Iſauria. Ibid.
S. Germanus miſit quoſdam in Britanniam, qui debellarent Hereſim Pelagianam. 178
Geſſur, undè Regio Geſſurorum. 42
Geta vox cujus originis? 193. Getarum ſedes, & quanam ſub his comprehendenda Gentes? Ibid. Eorum ad Chriſtum converſio, quando? 194
Gethſemane. 58
Getulorum Sedes & Termini. 192. Quando Chriſtiani facti? Ibid. Sub iis veniunt Garamantes Libyca Gens. Ibid.
Gezer, vel Gazer. 26. & Civitas Refugii in Tribu Ephraim. 31
Gian, vel Gyan, unde quidam faciunt Preſte-Jan, Presbyter Johannes, quid ſignificet in Linguâ Æthiopicâ? 191
Gihon nomen, unde? 8
— Fons, qui Hieroſolymam alluit. 7
— Mons, à quo Fons cognominis. 56
Girgaſchai. 23. Eorum Sedes. Ibid.
Giſla Soror Honorii II. Imperatoris, & uxor Geiſa Ducis Hungaria plurimùm contulit ad converſionem Hungarorum. 195
Glannatera (Glandere, vel Glanderez) Urbs Epiſcop. in Provincia Alpium Maritimarum. 166
Glaſcovia Urbs Epiſcop. Valentia Provincia. 180
Glaſcovienſis alter Scotia totius Primas. 176
Glaſcuam quando tranſlatus Candida Caſa Epiſcopatus? Ibid.
Gnatia Urbs Epiſcop. Apulia & Calabria, 135
Gnoſſi Urbs Epiſcop. Creta Inſula. 118
Goar Fluvius, ubi? 190
Godanonia, vid. Codanonia.
Godofredus (Jacobus) 173. & paſſim.
Golan, vel Gaulan, Civitas Levitica & Refugii in Dimidiâ Tribu Manaſſis Trans-Jordanicâ. 27, 42
Golgotha Mons. 56
Gomorrha ubi? 22
Goſen Terra in Ægypto. 12
Gotthica, qua dicta Provincia in Galliis? 165
Gozan Fluvius. 36
Gracia Magna qua pars Italia dicta? 136
Gradus Templi. 54
—— Inſula in quam Sedes Patriachalis Aquilegia tranſlata poſt ſubverſam ab Attilâ Aquilegiam. 142
Granata unde ſic dicta? 169. Succeſſit in locum Illiberis facta Archiepiſcopalis. Ibid.
Graſſa (Graſſe) Urbs Epiſcop. in Provinciâ Alpium Maritimarum. 166
Gratiani Imperatoris patria. 145
Gratianopolis Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi. 164
Gregorius, Armenia Minoris primus Epiſcopus. 185
Gregorius Turonenſis. 157. & paſſim.
Guilielmus Nordmanus, cognomento Baſtardus, & à victoriis Conqueſtor, in Regni Anglicani ſucceſſionem vocatus. 203
An à Guirgaſais, vel Gergeſæis Cananæis dicti ſint Georgiani? 105
Γυργηλαὶ, qui dicti? 172
Gurgiſtan, Gorgeſtan, ubi? 105
Guriel, qua Regio dicatur? 184
Guta Populi, iidem qui Juti. 202
Gutthia, qua Regio? 193
Guthones Vandalica Gens. 197
Guthrumnus primus Rex Danorum Chriſtianus in Angliâ. 203

H.

Habaſſia, vel Habeſſina Regio, ubi? 191
Habeſſinorum hodiè mens de Piſhone & Gihone Edenis. 7
Hadria ad Padi Oſtia Urbs Epiſcop. ad quam duxit Via Valeria. Ibid.
Hadriana Urbs Epiſcop. in Provincia Honoriadis. 103
Hadrianopolis Urbs Epiſcop. ejuſdem Provincia. Ibid.
— Urbs Epiſcop. Epiri Veteris. 117
— Urbs princeps & Metropolis Hamimontis Provincia. 108. Varia ejus nomina. Ibid.
Hamus, vel Æmus, Hamimons, Hamimontus, Tertia Provincia Thracica Diœceſeôs. 108. Unde ſic dicta; Ejus Termini; Metropolis. Ibid. Urbes Epiſcopales alia. 109
Hareſis Montani. 95
— Pelagiana ſparſa fertur in Britannias operâ cujuſdam Agricola. 177
— Θνηλοψυχίτων. 190
Hereſes qua à principio Hiſpanias infecerunt? 167
— Damnata à Britannicis Eccleſiis ſine Pontificis Rom. auctoritate. 177
— Qua, inter alias, afflixerunt eas? Ibid.
— Qua afflixerunt Arabicas Eccleſias? 190
Hain, vel Ain, Civitas Sacerdotalis in Tribu Simeonis. 28
Hakeldama Ager. 56
Halberſtadenſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Halicarnaſſus Urbs Epiſcopalis Caria. 96
Ham, vid. Chami.
Hammonia Regio, unde dicta? 11
Hamburgenſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Hananeël Turris. 52
Har-Moab Moabitarum Metropolis. 14
Hartz, & Harzſchen Montana, ubi? 199
Haſmonaorum patria, ubi? 30
Haſſi, ubi ſiti? 196
Hattai, Hittai, Chittai, Chetita, ad quem Tractum Palaſtina referendi? 22. Iidem ſunt cum Anakais terribilibus. Ib.
Havelbergenſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Havila Terra, ubi quarenda? 6
Ἡγεμὼν, Ἡγεμόνες, qui? 68, 70
Hebal Mons, unus ex celebrioribus Canaanis Montibus. 21
Hebraorum mens de Piſhone & Gihone Edenis. 7
Hebron Civitas Sacerdotalis & Refugii in Tribu Juda. 29
—— Montana. Ibid.
Hedinenſem Arteſia Civitatem quidam ab Edene Moſis derivatam volunt. 7
Helenopolis Urbs Epiſcop. Bithynia. 104
Helenopontus undè ita dictus? 102. Sexta Provincia Diœceſeôs Pontica. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcop. Ibid.
Heliopolis. 81. Quò Phœnix nidum ſuum deferre creditus. Urbs Epiſcop. Auguſtamnica Secunda. 90
—— Malè ponitur Urbs Epiſcop. Galatia Prima, pro Juliopolis. 102
Helleſpontus Provincia Rom. facta. 68. Conſularis. 93. Tertia Provincia Diœceſeôs Aſiana. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcopales. 94
Helon Civitas in Tribu Danis. 30
Helvetii Populi Quinta Lugdunenſis. 162
Helvii, ſeu Albici, Populi Viennenſis Provincia. 163
Hemeria Urbs Epiſcop. in Provincia Oſrhoëna. 86
Henochia Urbs à Caino condita, ubi? 9
Hepheſtia, in Lemno Inſula, Urbs Epiſcop. Macedonia Prima. 116
Heptarchia Saxonum, ſeu Regna ſeptem, ubi? 173. Quando nata? 175
Heraclea Urbs Epiſcop. Provincia Honoriadis. 103
—— Primatus olim Diœceſeôs Thracica. 106. Se non extendit ultra Thraciam. 107. Jus ordinandi Conſtantinopolitanum diutiſſimè penes Heraclienſem fuit. Ibid.

Digitized by Google

Heraclea plures, quarum illa princeps. Ibid.
— *Urbs Epiſcop. apud Mæandrum Cariæ.* 96
— *Sintica Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ.* 116
— *Urbs Epiſcop. Cretæ Inſulæ.* 118
Herculis Fanum, ubi? 159
Hercynia Sylva, Hercyniæ juga, ubi? 200
Herefordienſis Epiſcopatus Britanniæ Secundæ. 179
Hermiana Urbs Epiſcop. Byzacenæ. 153
Hermiones, vel Herminones, nomen genericum eſt, complectens varias gentes. 201. *Quomodo dicantur ultimi Germanorum?* Ibid. *Converſionis earum Gentium non idem tempus.* Ibid.
Hermon unus ex Montibus Palæſtinæ celebrioribus. 20
Hermopolis, vel Hermupolis, Μεγάλη *Urbs Epiſcop. Thebaidos Primæ.* 91
— *Parva vel Minor, Urbs Epiſcop. Ægypti Primæ.* 89
Hermunduri pars Hermionum Gentis ſecundùm Plinium. 201
Heruli, Vandalicæ Gentis Populi. 197
Heſperiæ nomen cur aliquando Hiſpaniæ datum eſt? 166
Heſperidum Hortus ubi fuiſſe creditur? 89
Hettæi, Hittæi. 22
Hevæi, Chivæi. 23
Hiberia Aſiatica, vid. *Iberia.*
Hiberniæ varia nomina. 176. *A quibus dicta?* Ibid. *Scotia primò appellata quare?* Ibid. *Ogygia dicta antiquitùs.* Ibid. *Poſt Albania Scotiæ, & Scoto-Britannia.* Ibid.
— *Admiſit fidem Chriſtianam quando? & quorum operâ?* Ibid. *In ea quatuor Sedes Epiſcop.* 177
Hierapolis altera Secundæ Pacatianæ Metropolis; Epiſcopatu, aquis calidis, ſitu, magnitudine, &c. inclyta. 65, 95
— *Iſauriæ Provinciæ cognominis Urbs Epiſcop.* 84
— *Syriæ Commagenes Urbs Epiſcop.* 85
Hierichuntis Tractus a Strabone Paradiſus quare dictus? 7
Hieronymi mens de Piſhone & Gihone Edenis. 7
Hieroſolyma ſita in meditullio, ſive umbilico Palæſtinæ. 18. *Ejus varia nomina.* 47
— *Veteris deſcriptio unde petenda?* 47. *Ejus ſitus.* 48. *Montes.* Ibid. *Qui undequaque muro muniti fuerunt.* 49. *Ambitus ejus: Murus triplex.* Ibid. *Portæ.* 50. *Turres intermediæ & ſupereminentes.* 52. *Hippicus Turris, & Hananeel.* Ibid. *Pomeria & Amplitudo.* Ibid. *Interiora Urbis.* 53, 54. *Diviſa fuit in Superiorem & Inferiorem.* Ibid.
— *Ejus Intermuralia.* 56. *Extramuralia.* Ibid. *In ea nulli Horti ſecundùm Talmudiſtas.* 55. *Sed in ambitu frequentes.* 57. *In quibus habuere monumenta Viri honoratiores.* 58
— *Hodierna omnino alia à Veteri.* 55. *Quid reliquum de Vetere?* Ibid.
— *In qua parte Regia Salomonis ſita?* 53
— *Primò Sedes honoraria, deinde Patriarchalis.* 80
Hieſmes, vid. *Oximus.*
Hilarius Arelatenſis miſit quoſdam in Britanniam qui debellarent Hæreſim Pelagianam 178
Hildeshemenſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Himeria Urbs Epiſcop. in Provinciâ Oſrhoëne. 86
Hinnon (Filiorum) Vallis. 57
Hippicus Turris. 52
Hippus Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27
— *vel Hippo Regius, & ſiticuloſa Urbs Epiſcop. & Sedes Auguſtini in Africa Proconſulari.* 151
— *vel Hippo Zarrhytus, id eſt, Diarrhytus, irrigua Urbs Epiſcop. in Africa Proconſulari.* Ibid.
Hiſpalis unde dicta? 169. *Gotthorum Regia.* Ibid. *Metropolis ab antiquo Bæticæ Provinciæ.* Ibid.
Hiſpania, cur aliquandò dicta Heſperia? 166. *Unde dicta ex Bocharto?* 167
— *Facta Provincia Rom. quando?* 68
— *Quomodo repræſentata in Nummis?* 148. *Diviſio, & Provinciæ Civiles.* 167. *Ea varia apud Hiſtoricos.* Ibid. *Eadem obtinuit in Eccleſiaſticis, quæ in Civilibus.* Ibid. *Eccleſiarum Antiquitas, & Dignitas.* Ibid. *Calamitates earumdem.* Ibid. *Quinque Provinciarum in Hiſpaniis Vicarius unde ſic dictus?* Ibid.
— *Regimen Civile & Eccleſiaſticum.* 168. *Civile fuit ſub Vicario, & Comite Hiſpaniarum, Eccleſiaſticum ſub Epiſcopis* ἰσοτίμοις, *niſi quos Ordinationis tempus reliquis præponeret.* Ibid.
— *In ea quando auditi Primates?* 150. *Et Primates Primatum.* 151. *Papis jus in Hiſpanicas Eccleſias olim nullum.* 168. *Nullaque in ejus Synodis ſub Suevico & Gotthico Imperio auctoritas alia ſupra Regem agnita.* 169
Hiſtoria Ampullæ Remenſis, quando vulgata? 159
Hiſtoria Ampullæ Remenſis, quando vulgata. 159
Hiſtria, vid. *Iſtria.*
Hittæi, vid. *ſuprà Hettæi.*
Hollandi. 160
Holſatia in Borealem, Auſtralemque diviſa, ubi? 202
Holſati Populi, ubi? 199
Holſtenius. 77, 112. *& paſſim alibi.*
Hom, Terra in Tribu Gad. 26
Homeritæ, Arabiæ Felicis Populi, quomodo aliquando dicti? 191
Ad Homeritas Legatio Conſtantii Imperatoris. 190
Honor quidam Primatûs quibus Epiſcopis in Galliis delatus? 157
Honoratus Abbas celebris Monaſterii quod fundavit in Inſula Lerino. 166
Honorias decima Provincia Ponticæ Diœceſeôs. 108. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Horti ſecundum Talmudiſtas Hieroſolymæ nulli. 55. *Sed in ambitu frequentes.* 57
Hortus Jehovæ. 7
— *Domini quænam Regio appellari poteſt?* Ibid.
— *Heſperidum ubi fuiſſe creditur?* 89
— *Balſami, in quo Chriſtum Infantem latuiſſe fabulantur.* 90
Hortus Gethſemane. 58
Huetius paſſim.
Hungari, qui? 120. *Eorum Reges ubi ſepulti?* 147. *Eorum Lingua nihil commune habet cum Slavonicâ.* 195. Vid. *Ungari.*
Hunni, qui? 120, 121, 183. *Qui & Unni, Chuni, Cuni, Gens ampliſſima, ſub quâ aliquando Avares, Siberi, Ungri, Tatari, Turcæ, &c.* 194. *Quando converſi?* 195. *Exacti ab Ungaris.* Ibid.
Hydruns vel Brunduſium. 110
Hydrus, Hydruntum, Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Hyenſis Inſula in qua S. Columbæ Monaſterium. 176
Hyrcanis Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96

I.

Jaboc, vel Jeboc, Fluvius. 20
Jabnia, vel Jamnia, Urbs maritima in Tribu Danis. 30
Jacobi Apoſtoli reliquiæ ubi creduntur, & coluntur? 170
Jacobitarum Secta. 190. *Illi adhæſerunt Arabum Eccleſiæ.* Ibid.
Jacobus Godofredus. 173. *& paſſim alibi.*
Jahaſa, Jaſa, Civitas Levit. in Tribu Ruben. 26
Jalyſſus, Civitas Rhodia. 96
Jamnia, vel Jabne, Urbs & Satrapia Philiſtinorum. 24. Vid. *& Jabnia.*
Japho, vid. *Joppe.*
Japonenſium Imperium ignoratum Veteribus. 6. *An ad eos traductum à Sinis Euangelium?* 189
Jarmoch (Plinio Hieromax*) Fluvius Palæſtinæ.* 20
Jaramoth Urbs Levitica in Tribu Iſſachar. 33
Jaſſis ad Mare Urbs Epiſcop. Cariæ. 96
Jazer, vel Gazer, Civit. Levit. ad Lacum cognominem in Tribu Gad. 26
Iberia Aſiatica accenſita Diœceſi Ponticæ. 105. *Ejus Situs & Termini.* Ibid. *Ejus converſio.* Ibid. *&* 184. *Ea Regio unde dicta Georgiana, Gurgiſtan vel Gorgeſtan?* 105. *Chriſtiani Georgiani.* Ibid. Vid. *ſup. Georgiani.*
— *Alia quæ?* 166. *Unde ſic dicta?* 167. *Imeria, Imeretta, quoque dicitur.* 184. *Guriel appellatur verſus Phaſum Fluvium.* Ibid.
Icaune Galliæ Fluvius. 156
Iconium Metropolis Lycaoniæ. 98
Icoſium Urbs Epiſcop. Mauritaniæ Cæſarienſis. 154
Iculiſma, vel Ecoliſma, aut Engoliſma, unde Engoulesme*, Urbs Epiſcop. in Aquitania Secunda.* 165
Idumæa, Edomæi, vel Idumæi, ubi ſiti? 13. *Pars Arabiæ Petrææ.* Ibid. *Duplex ſecundum quoſdam, ſed una tantum.* Ibid. *Ejus Termini.* 37. *In Judææ poteſtatem redacta.* Ibid.
Idumæos vocarunt Judæi Romanos & Chriſtianos ipſos opprimentes, & quare? 14
Jeboc, vid. *ſupra Jaboc.*
Jebuſæi. 23. *A quibus Jebus Civitas, quæ & Salem, poſtmodum Hieruſalem.* Ibid. Vid. *Hieroſolyma.*

Je-

Digitized by Google

Jecona, vel Jocneah, Urbs Levitica in Tribu Zabulon. 34
Jelek Urbs Nubienſis. 192
Jeſuitarum fabula de Chriſtianiſmo in Chinam jam primis Seculis illato. 187
— *Artes in illiciendis ad Eccleſiam Rom. Æthiopum Imperatoribus.* 192. *Inde tandem ejecti.* Ibid.
Jethſon Urbs Levitica in Tribu Ruben. 26
Jeſrael, vel Jizrehel, Regia Achabi. 33
Jeſraelis Vallis. Ibid.
Igilgili Civitas Epiſcop. Mauritaniæ Sitifenſis. 153
Ignem accendebant Judæi in Monte Oliveto ad Neomeniam indicandam. 56
Ilerda, hodiè Lerida, *Urbs Epiſcop. Tarraconenſis Provinciæ.* 171
Iliſſum vel Liſſus, hodiè Lodrin, *Metropolis Provinciæ Prævalitanæ.* 118
Iliſtrum, Iliſtra, vid. *Lyſtrum.*
Illiberis Urbs Epiſcop. Bæticæ Provinciæ. 169. *In ejus Synodo nulli apparent Legati Pontificii, ut factum à temporibus Hildebrandinis.* Ibid.
Illyris, Illyricum, Provincia Rom. facta. 67, 68. *Ejus nomina.* 110. *Duplex.* 77, 78
— *Strictè dictum quid complectatur?* 110. *Et generaliori appellatione.* 111. *Quid complexum in tota ſua Latitudine?* Ibid.
— *Antè Diviſionem fuit ſub uno Præfecto Prætorii.* Ibid.
— *Orientale complexum Provincias* XI. *Diœceſes duas.* Ibid.
— *Diœceſis Prima, dicta Macedonia & Theſſalonicenſis.* 113
— *Secunda Dacia vel Daciarum.* 118
— *Occidentale Tertia Diœceſis Præfecturæ Italicæ.* 145. *Quale dicatur?* Ibid. *Ejus Termini Chriſtianis temporibus.* Ibid. *Provinciæ Sex ſub Vicario Illyrici fuere.* Ibid. *In eas Romani Pontifices ſuas quoque fimbrias dilatarunt.* 146
Imeria, & Imeretta, quæ Regio? 184. vid. *Iberia.*
Imola Urbs Epiſcop. in Æmilia. 140
Imperator quot habuerit naves in Scythico Limite? 110
Imperatores Chriſtiani aliquandiu Titulum Pontificis Max. retinuerunt. 74
— *Mogolenſium à quo Originem ducant?* 187
Imperatorum quoſdam Æthiopum conantur ad Eccleſiam Rom. allicere Jeſuitæ, quibus artibus. 192. *Verùm inde ejiciuntur.* Ibid.
Imperia tria maxima cognita Romanis in Oriente. 189
Imperium Japonenſium ignoratum Veteribus. 6
— *Sinarum, vel Chinarum, quoque ab iis ignoratum.* 6, 187
— *Tncarum in Peruano Orbe duravit circiter* DCCC. *annos.* 204
— *Romanorum diviſum in Orientale & Occidentale, à quo?* 76
— *Utrumque ſeu antè, ſeu poſt obitum Conſtantini diviſum in Sex Præfecturas Majores, &c.* 76, 77. *Utriuſque Imperii Termini poſt Conſtantinum.* 76
In Imperio Orientali duæ fuerunt Præfecturæ. 78
— *Occidentale diſtributum in duas Præfecturas Majores, & ſeptem magnas Diœceſes.* 127. *Ejus Termini.* Ibid.
Incerta de Paradiſo, quæ? 8
— *de Eccleſiis Britannicis, quæ?* 174
— *aut falſa de Caini, Abelis & Noachi Sedibus.* 9
Indi quandoque dicti ſunt Homeritæ Arabiæ Felicis Populi. 191
India Orientalis ſuas aliquando habuit Eccleſias. 187. *Et Epiſcopos.* 186. *Qui ſubſunt Antiocheno Metropolitano.* 187
— *Septentrionalis, quæ?* Ibid. *An in ea Thomas Apoſtolus fundaverit Eccleſias?* Ibid.
— *Meridionalis.* 189
An Indis prædicaverit Bartholomæus Apoſtolus? Ibid. *Seriùs huc illatum Evangelium, & à quo?* 190
Indorum Apoſtoli Bartholomæus & Thomas quo ſenſu dicantur? 191
— *Regnum cognitum Romanis.* 189
Indoſtan. 187
Ingauni Populi, qui? 140
Inſignia Regni à Romanis mutuabantur Reges iis ſubditi. 71
Inſubria quæ Regio? 139
Inſula Batavorum, hodiè Betua, *vel* Betue, *ubi?* 160
— *Hyenſis, in qua omnis Provincia, & ipſi etiam Epiſcopi, juri Abbatis Preſbyteri ſubjecti eſſe debent.* 176
— *Angleſey.* 178
— *Cephalenia.* 67. *Cui Provinciæ attributa?* 117
— *Rugia.* 121. *Oppidum Rugium,* Rugewolde. Ibid.
— *S. Margaritæ.* 166
Inſulæ ab Hiſpanis & Belgis in Oriente detectæ, olim ignoratæ. 6
— *Baleares,* vid. *Baleares.*
— *Cyclades Tertia Diœceſeôs Aſianæ Provincia, quid complexa?* 94
— *Maris Ionii Provinciæ Epiri Veteris attributæ.* 117
— *Sporades.* 94
— *Taprobana, Zeilan, Sumatra.* 189
Intemelii Populi, qui? 140
Interamnia. 134
Interfectionis Vallis, quæ? 57
Interiora Urbis Hieruſalem. 53, 54. *Intramuralia.* 55, 56
Jocneah Urbs Levitica in Tribu Zabulon. 34
Johannes Perſidis & Indorum Epiſcop. 87
Johannis Preſbyteri Regnum. 187. *An ſit in Æthiopiâ?* Ibid. *Non regnavit in Sinis.* 182. *Unde credatur ita dictus Æthiopum Rex?* 191
Jordanes Fluvius. 20. *Unde oritur? Quomodo dictus Straboni?* Ibid.
— *Diviſi in quatuor alveos nulla unquam apparuerunt veſtigia in Canaane.* 7. *Ejus Longitudo, & exitus ex Mari mortuò ut creditur?* 42
— *Planities, quæ?* 58
Joppe maritima Urbs in Tribu Benjamin, quomodo alias dicta? 30
Joſaphati Vallis. 56
Joſephi mens de Piſhone & Gihone Edenis. 7. *Ut & Hebræorum, & ex iis Hieronymi, Epiphanii, Auguſtini, & Habeſſinorum hodiernorum.* Ibid.
Joſ. Scaligeri patria. 165
Joſua Latro dictus à Phœnicibus, Gergeſæis, & Jebuſæis. 172
Joviorum Benedicti & Pauli patria. 139
Irenæus quas memorat antiquiſſimas Eccleſias? 157
Iria Flavia, quæ Civitas? 170
Irivan *eſt hodiè Armeniorum Urbs princeps.* 186. *Et juxta eos omnium antiquiſſima, prope quam Noachus vites plantavit.* Ibid.
Iſaura, Iſauropolis, Urbs Epiſcop. Lycaoniæ. 98
Iſauria Provincia Rom. facta. 68. *Fuit ſub Perfectiſſimo Judice, deinde ſub Comite Spectabili, Decima Provincia Diœceſeôs Orientis.* 84. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Iſbilian, vid. *Hiſpalis.*
Iſka Silurum, ſive Urbs Legionum, Regum ſedes, & Metropolis Britanniæ Secundæ. 179
— *Dumniorum, ſeu Cornubiæ, Sedes Epiſcop. Exoniæ.* Ibid.
Iſlandia Inſula. 202
Iſmaëlitarum Regio, ac Gentium vicinarum. 14
Iſraëlis Mons. 21. XII. *Tribuum Sors.* 24
Iſraëlis Atrium. 54
Iſſachar Tribûs Termini. 32. *Loca celebriora.* 33. *Iſſachar Urbs.* Ibid.
Iſſus Urbs Epiſcop. in Cilicia Secunda. 83. *Unde Sinus Iſſicus.* Ibid.
Iſtria juncta fuit Dalmatiæ in Eccleſiaſticis. 147
Italiæ eſt dicta Prima Præfectura Occidentis. 128. *In ea Diœceſes ſeu Vicariatus quatuor.* Ibid. *Ejus fines.* 129
— *Vicariatus Romæ, ſeu Prima Diœceſis Præfecturæ Italicæ.* Ibid.
— *Cum Gallia Cis-Alpina* XI. *Regiones deſcripſit Auguſtus.* Ibid.
— *Quæ pars Nova dicitur?* 138. *Quæ Provinciæ ei additæ?* Ibid. *Suberat Vicario Præfecti Prætorio.* Ibid. *Barbari qui has Regiones infeſtarunt.* Ibid.
Italiæ Vicariatus. Ibid.
Italica Annonaria, quæ? 133
— *Præfectura.* 138
— *Secunda Diœceſis Præfecturæ Italicæ.* Ibid.
— *Diœceſis quænam?* Ibid.
Italia & Roma ſub Vicariis diverſis. Ibid.
— *Tertia Diœceſis Præfecturæ Italicæ.* 145
— *Quarta, quæ dicta eſt Africæ.* 148
Italica Turdetanorum à Scipione Africano quare condita? 169. *Hodiè Pagus eſt, dictus* Sevilia la veia. 169
Italia dicta à vineæ plantatione Oenotria. 9
Ithabyrias Regio & Urbs cognominis. 33
Ituræa. 42. *Ejus ſitus, & qualis Regio?* Ibid.
Juda Tribus. 28. *Ejus Termini.* Ibid. *Sortis hujus conditio & præſtantia.* 29. *Ejuſdem Deſerta; Urbes celebriores.* Ibid. *Montana.* 20, 21
Judæa ſub ſecundo Templo. 38. *Tributaria facta Romanis.* Ibid.
— *Termini ejus & Diſtributio eo tempore in partes quatuor.* Ibid.
— *Rebellans facta Provincia Rom.* 68.

Digitized by Google

Judæi Romanos & Chriſtianos ipſos opprimentes Idumæos quare vocarunt? 14
— *pariter & Arabes dividunt Gentes omnes in Iſraëlitas, Iſmaëlitas & Edomæos.* Ibid.
— *omittunt Samariam in Terræ S. partitione.* 37
— *Fabulæ de* x. *Tribuum deportatione Aſſyriacâ.* 36
— *ignem accendebant in Monte Oliveto ad Neomeniam indicandam.* 56
Judices, qui? 69
Judiciariæ Naves, quænam? 110
Iverdun, vid. *Ebrodunum Helvetiorum.*
A Jugo Pontificio Eccleſiarum Britannicarum libertas. 177
Juguri, vid. *Hungari.*
Juhanna, vel Ung-Chan, Rex Chriſtianus Neſtorianus creditur regnaſſe in Oriente. 188
Julia Victrix quæ Civitas Plinio dicitur? 171
— *Cæſarea Metropolis Mauritaniæ Cæſarienſis.* 154. *Unde illi hoc nomen?* Ibid.
— *Felix Metropolis altera Phœniciæ Primæ.* 81. *Quomodo aliter dicta?* Ibid.
Julia, (Colonia) quî aliter dicta? 134
— *(ſeu Colonia) Faneſtris, quæ Civitas?* 141
— *Urbs Epiſcop. Lyciæ.* 97
— *Severiana quæ Civitas dicta?* 82
Julias, quæ anteà Bethſaida, Urbs in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27, 40, 71
Julii (Forum) Caput Regionis cognominis, hodiè Friuli. 142
Ἰυλιόπολις, *Juliopolis, Tarſus quare ſic appellata?* 83
—— *Urbs Epiſcop. Galatiæ Primæ.* 102
Jura nulla Primatuum vel Exarchorum Galliæ primis Seculis in Epiſcopos & Metropolitanos reliquos. 157
Jura quando nulla fuerunt Primatûs, vel Patriarchatûs, in Britanniarum Eccleſias? 175
Jura Metropolitica quando confirmata ſunt Metropolitanis ſuprà reliquos Epiſcopos? 157
De Jure Ordinationum graves in Viennenſi Provincia contentiones. 163
Juriſdictio diverſa Romæ. 129
De Juriſdictione Eccleſiaſtica Epiſcop. Romani, in Apuliam, Calabriam, &c. longa controverſia. 136
Jus Aſyli, quid & quibus datum? 62
— *Tutelæ.* 71
— *Ordinandi Conſtantinopolitanum diutiſſimè penes Heracleenſem fuit.* 107
— *olim nullum Papis in Hiſpanicas Eccleſias.* 168
— *Regium liberè exercitum in Britanniis circa inveſtituras, &c. nullo Papæ reſpectu.* 177
Juſtini Martyris patria. 80
Juſtiniana plures. 124
Juſtiniana prima quando Pannoniarum & Illyrici Metropolis in Oriente? 146
—— *prima, ſeu Achrido, quænam Civitas?* 123, 124. *Metropolis totius Daciæ.* Ibid.
Juſtinianopolis Metropolis Ciliciæ Secundæ. 83, 84
Juſtinianus Lazicus. 185
Juſtinopolis Urbs Epiſcop. Cappadociæ Secundæ. 100
Juti Incolæ Jutiæ, quaſi Guti, vel Gotthi, unde eorum Origo? Ibid.
Jutia, vel Juthia, à quibus dicta? 202. *In Borealem Auſtralemque diviſa.* Ib.
Jutia, vel Jutlandia. 193
Juvaria, Jovaris, unde Juvenſe, Caput fuit in Eccleſiaſticis Norici Mediterranei. 146

K.

Kadmonai ſeu Orientales, qui? 22
Kalmaki, vel Kalmuki, qui, & ubi? 188
Κάναθα, *Civitas, quæ?* 85
Κάνωπον, Κάνωβιν, Κανόβοιαν. 89. Vid. *Canopus.*
Κάῤῥαι, Κάῤαι, *Craſſi clade nobilis, Metropolis facta.* 86. *An ſit eadem cum Charan Patriarcharum?* Ibid.
Καρχηδὼν Μητρόπολις Λιβύης *eadem cum Magna Carthagine.* 90
Kaſhgar, ubi? 189
Kedemoth, quæ & Jethſon, Civitas in Tribu Ruben. 26
Kedes-Nephtalim Urbs Levitica & Refugii in Tribu Nephtali. 35
Kehilah, Urbs in Tribu Juda, quò fugit David. 29
Kellen vicus, olim Colonia Trajana. 160
Kenæi qui, & ubi? 22
Kenæorum, vel Cinæorum, Keniziorum, vel Ceneziorum nomina tempore Moſis deleta. Ibid.
Kenizii ubi? Ibid.
Kenedus Scotorum Rex. 176
Κέστρον *urbs Epiſcop. Pamphiliæ Secundæ.* 97
Kirjathaim ex Prophetis inclyta Civitas in Tribu Ruben. 26
Kirjath-Arbah, quæ & Hebron, Civitas Sacerdotalis & Refugii in Tribu Juda. 29
Kirkerianum Monumentum Sinicum. 189. *Illuſtratum ab Andrea Mullero.* Ibid.
Kirmion Fluvius ubi? 20
Kiſchion Torrens. 33
Kishon Urbs Levitica in Tribu Iſſachar. 33
Kitay nomen ſæpè cum Sinâ confunditur. 188
Κοινὸν Ἀσίας *quid?* 93
—— Παμφυλίων *Urbs Epiſcop. Pamphiliæ Secundæ.* 97
—— τῆς Φρυγίας *conveniebat Apamea, quæ Caput & Metropolis Secundæ Pacatianæ habita eſt.* 95
Κύδος *Urbs Epiſcopalis Euphrateſiæ.* 85
Kuina vox Sarmatica quid notat? 194
Kun Polonis hodiè quid ſit? Ibid.
Κυρεστῶν χώρα, *quæ Regio?* 85
Κῦρος *Cyrrhus, Cyrus, Urbs Epiſcop. Euphratenſis Provinciæ.* Ibid.

L.

Lacedæmon Urbs Epiſcop. Achajæ. 114
Lacus Aſphaltites. 22
—— *Brigantinus.* 144
—— *Flevo, hodiè Zuyder-zee.* 198
—— *Genevenſis, ſive Lemanus.* 164
—— *Brigantinus, aliàs Acronius.* 144
—— *Peiſus in Danubium immiſſus.* 148
Lampa Urbs Epiſcop. Cretæ Inſulæ. 118
Lampſacus Urbs Epiſcop. Helleſponti. 94
Langobardi Vandalica Gens. 197
Laodicea Phrygiæ Aſianæ. 65. *Dioſpolis olim appellata, fuit Metropolis.* Ibid.
—— *Scabioſa, veriùs Cabioſa, Colonia Romanorum, & Juris Italici facta, Urbs Epiſcop. Phœnices Libani.* 81
Laodicea Syriæ Metropolis Theodoriadis poſt refectam à Syria Prima Theodoriadem. 82
—— *ad Lycum Phrygiæ Pacatianæ.* 94
—— *Combuſta Urbs Epiſcop. Piſidiæ.* 97
Lappones qui Populi? 201
Lapſorum multitudo per Hiſpanias. 168
Lariſſa Urbs Epiſcop. Syriæ Secundæ. 83
— *quæ apud Livium* Cremaſte *dicitur, Metropolis Theſſaliæ.* 116
Latitudo Templi Salom. 54
Latium Vetus & Novum, quid & unde dictum Latinis & Hebræis? hodie Campagna di Roma. 132. *Civitates Epiſcopales in utroque inclytæ.* Ibid.
—— *Suburbicarium quodnam?* 130
Latopolis Urbs Epiſcop. in Ægypto Prima. 89
Laurea, Lauretum, hodiè Recens Civitas, in Piceno Suburbicario. 134
Lauriacum in Occid. ad Aniſii & Danubii confluent. Pannoniarum & Illyrici Metropolis. 146
Lauſanna, vid. *Aventicum Sequanorum.*
Lazarus creditur fundaſſe Maſſilienſem Eccleſiam. 157
Lazi, qui? 185. *Alias Lazica Regio, Byzantinis ſcriptoribus Zani, vel Tzani, hodiè Mengrelia.* 184, 185
Lazicus dictus Juſtinianus, unde? Ibid.
Lebda Nubienſis. 153
Lebna Urbs Regia & Sacerdotalis in Tribu Juda. 29
Lectorenſis Epiſcopatus, Gall. Lectoures, *ſub Archiepiſcopatu Auſcitano in Novempopulana.* 165
Legati nulli Pontificii apparent in Synodo Illiberitana, ut factum à temporibus Hildebrandinis. 169
Legatio Conſtantii Imperatoris ad Homeritas. 190. *Et Sabæos.* Ibid.
Legatoria Provincia, quæ? 69
De Lege Valentiniani III. 128
In Legibus promulgandis qualis mos obſervatus? Ibid.
Legionenſis Epiſcopatus, quando floruit & quot ſub eo Epiſcopi? 177
Legionum Urbs, quæ? 175
Lemovicenſem Eccleſiam Martialis fundaſſe creditur. 157
Lemovicum Aquitanorum, Gall. Limoges, *Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania.* 164
Lemovii Vandalica Gens. 197
Leo Allatius. 106. *& paſſim alibi.*
Leodium olim Vicus ad Moſam, poſt Civitas Epiſcop. Germanicæ Secundæ. 160
Leontopolis Eccleſia celebris Ægypti Secundæ. 89. *Quæ aliis dicitur Metropolis Auguſtamnica Secundæ.* 90, 91
Lepeda, vel Lebda, Urbs Tripolitanæ Provinciæ. 153
Leporius Agricola ſparſit Pelagianam Hæreſim in Britannias. 177

Lep-

Digitized by Google

Leptis Magna cujus Provinciæ Metropolis fuiſſe videtur? 153
— *Parva Urbs Epiſcop. Byzacenæ.* Ibid.
Lerida, vid. *Ilerda*.
Lerinus, Lero, Inſula citra Vari oſtia, ad Alpes Maritimas & Graſſenſem Diœceſim ſpectat. 166
Lesbos Inſula. 94. *Ejus Metropolis.* Ibid.
Leshe, vel Lais, quæ poſteà Dan, Civitas à Dane Tribu. 19, 30
Lete, vel Letum, Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
Leuca Gallica, quid? 20
Levitarum ſors & ſedes per ſingulas Tribus ſecundum quatuor ראשי אבות *ſeu* Ἀρχόντας πατέρων. 25
Leuteva (Lodeve) *Urbs Septimaniæ ſub Narbona Civitate.* 165
Lex Salica, unde dicta? 198
Lexovii, hodiè Liſieux, *Urbs Epiſcop. in Secunda Lugdunenſi.* 161
Leyda Germaniarum Caput dicta. 166
Libani Tractus quare à Strabone dictus Paradiſus? 7
Libani (Phœnice) ſeu Damaſcena, vel interior, quomodo dicta in Sacris? 81. *Fuit Præſidialis Provincia.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Libanus & Anti-Libanus ſæpè appellationibus confunduntur. 20
Liberalitas Julia, quæ? 170
Liberæ Urbes, quæ? 61. *Earum obligatio erga Populum Rom.* 62. *Prærogativa quæ?* Ibid.
Libertas quibusdam Civitatibus modò à Romanis adempta, modò reſtituta. 61
— *Quibuſdam Civitatibus, quomodo conceſſa?* Ibid.
— *A quibus hoc jus Libertatis datum?* Ibid.
— *Eccleſiarum Britannicarum à Pontificio.* 177
Libertatis Epocha, vel Æra. 62
Libna Urbs Regia & Sacerdotalis in Tri-Jugo bu Juda. 20
Libros Fatidicos recenſuerunt Cæſares Romani. 74
Liburnæ Naves, quænam? 110
Liburnum Urbs Epiſcopalis Tuſciæ. 134
Libya Provincia facta. 68
— *Superior, quæ & Pentapolitana, vel Cyrenaica, quas Regiones complexa?* 89. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Inferior, ſeu arida, dicta etiam Marmarica. Ejus Termini, & Urbes inclytæ.* 90
Libyæ interiora. 192
Lichfeeldenſis Epiſcopatus ſub Cantuarienſi Britanniæ Primæ Metropolitano. 178
Licfeldenſis Epiſcopatus Flaviæ Cæſarienſis antiquiſſimus. 179
Liger, Ligeris, Galliarum Fluvius. 156
Lightfootius. 41, 42, 48, 49. *& paſſim alibi.*
Liguria unde dicta? quæ Regio? 139. *Conſularis fuit Provincia; quid hodiè complectatur? Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Duplex, Plana & Inalpina, ſeu Montana.* Ibid.
Limes Scythicus, quid? 110
Limoges, vid. *Lemovicum Aquitanorum.*
Limyra Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Lindicolinenſis, vel Lincolnienſis Epiſcopatus. 179
Lindus Civitas Epiſcop. Rhodiæ. 96
Lingones Fœderati olim Pop. Romani, vel Civitas Lingonum, Urbs Epiſcop. Primæ Lugdunenſis. 161
Lingua Hungarorum nihil commune habet cum Slavonicâ. 195
Linguadokium (Languedoc) *undè ità dictum?* 165. *Hæc Provincia quare dicta Septimania?* Ibid.
Liſſus, vid. *Iliſſum.*
Lithuania ubi? 194. *A quibus occupata?* 195
Liturgia Malabarica, an ſincera? 189
Litus Barbaricum, quod? 191
Livias Urbs ab Herode in Liviæ Auguſtæ honorem condita. 26, 71
Livii (Forum) Urbs Epiſcop. in Flaminia. 141
Livonia à quibus occupata, ubi hodiè? 202
Livonii, ubi? 194
Locri Populi, quomodo aliter dicti? 136
— *Urbs Epiſcop. Brutiorum.* Ibid.
Locus Flori explicatus. 38
— *Socratis declaratus.* 98
An Londinenſem Sedem inſtituerit Lucius? 174
Londinum Britonum tempore fuit Metropolis Britanniæ Primæ. 178
An confundi debet cum Colonia Londinenſium? Ibid.
Londini Divo Paulo Templum poſuit Ætelbertus. Ibid.
— *Londini ſedes tranſlata in Cantii Urbem, quæ nunc Cantuaria, & facta illi ſubjecta.* Ibid.
Longi Muri Civitas, ubi? 107
Longitudo Templi Hieroſ. 54
— *Jordanis fl.* 42
— *& Latitudo Terræ Sanctæ ſecundum Scripturas.* 19, 20
Longobardi, vel Langobardi Populi? 121. *Eorum ſedes patriæ.* Ibid. *Ubi denique ſedes illas fixerunt?* Ibid.
— *A quibus oriundi?* 197. *Unde ita dicti?* Ibid. *A Narſe in Italiam invitati.* Ibid.
— *Quas in Italia ſedes occuparunt?* 197, 198
— *Quis eos ab Ariana, ad Orthodoxam fidem revocavit?* Ibid.
Lor, vel Lorch, Pagus conditus ex ruinis Lauriaci Pannoniarum & Illyrici Metropoleôs in Occidente. 146
Lubecenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Lucani Patria. 169
Luca Urbs Epiſcop. Tuſciæ & Umbriæ. 134
Lucania Urbis Romæ Vicario paruit. 130
— *& Brutii Septima Provincia Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ.* 136. *Fuit ſub uno eodemque Correctore.* Ibid.
— *Quomodo olim vocata, quid complexa? Ejus Metropolis; Urbes aliæ Epiſcopales.* 136
Lucius Rex Britannorum an in Britanniis Abbatias & Epiſcopatus fundaverit? 174
— *An Londinenſem & Eboracenſem Sedes addita Urbe Legionum,* Caërlon? Ibid. & 175
Lucus Aſturum, vel Auguſti, quando facta Metropolis Gallæciæ? 170
Ludentes Naves, quænam? 110
Lugdunum, (Lion) *Galliarum Caput, & Regni Burgundici.* 156, 161. *Metropolis Lugdunenſis Primæ.* 161
— *Batavorum, (Leyda) Caput Germaniarum.* 160
Lugdunenſis, quando ſupra reliquos Regni Burgundici Epiſcopos, ut Patriarcha, & Primas Galliarum Caput efferre cœpit? 158
— *Prima, quæ?* 161. *Ejus Termini; quot Populos complexa? Metropolis; Urbes ad ipſam ſpectantes.* Ibid.
— *Secunda, quæ?* Ibid. *Quos Populos complexa? Ejus Metropolis; Sedes ſub eâ Epiſcopales.* Ibid.
— *Tertia, quæ dicta?* 162. *Quot complexa Populos? Ejus Metropolis; Aliæ Urbes Epiſcop.* Ibid.
— *Quarta, quæ?* Ibid. *Ejus Termini; quid complexa; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
— *Nova quæ?* Ibid. *Sub Pariſienſi Præſule nata, quando?* Ibid.
— *Quinta, nunc Sexta, dicta quandoque Germania Tertia, & Maxima Sequanorum, quæ?* Ibid. *Ejus Termini; quid complexa olim & hodie; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 163
Lugii, vel Lygii, Hermionum Gens. 201. *Variè diſtributi; Sedes eorem ubi nunc Sileſii & Poloni cis & trans Viſtulam Fluvium.* Ibid.
Lugo Suevorum aliquando Regia; hodie quæ Civitas? 170
Lumen Euangelii, quando in Gallias ſparſum creditur? 157
Luna Etruriæ Portus, Urbs Epiſcop. 134
Lupæ Inſigne, quæ habebant Coloniæ, ex Legibus Romanis vivebant. 62
Lupus Trecenſis miſit quoſdam in Angliam qui debellarent Hæreſim Pelagianam. 178
Luſatii Hermionum gens. 201
Luſitani fabularum auctores. 188, 191
Luſitania Veteris, Qui Termini? 169
— *Quæ Hiſpaniarum Provincia; Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 170
— *Undè dicitur hodiè Portugallia?* Ibid.
Luſoriæ Naves in Limite Scythico, quæ? 110
Luz Civitas in Tribu Benjamin, quæ olim Bethel. 30
Lybiſſa Urbs Epiſcop. Bithyniæ. 104
Lycaonia Provincia Rom. facta. 68. *Undecima Diœceſeôs Aſianæ.* 97. *Ejus Termini.* Ibid. *Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 98
Lyci Fluvii origo. 144
Lycia Præſidialis primùm, dein Conſularis. 96. *Duplex, Interior & Exterior.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* 97
Lycnidus ubi? 110, 123, 124
Lycopolis Urbs Epiſcop. Thebaidôs Primæ. 91
Lydda, ſeu Dioſpolis, Urbs Levitica in Tribu Ephraim. 31, 39
Lydia Provincia facta Rom. 68. *Conſularis.* 96. *Diœceſeôs Aſianæ, ſexta.* Ibid.

Digitized by Google

Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Lyſaniæ Regnum & Tetrarchia. 43
Lyſtrum Urbs Epiſcop. Lycaoniæ. 98

M.

Macedones à quibus Perſide ejecti? 186
Macedonia Provincia facta Rom. 67
—— Quomodo dicta Hebræis? 113
Macedonicæ Eccleſiæ, quare fuerunt ſub Theſſalonicenſium Metropolitano? 111
Macedonia Prima quæ dicta? 115. Eadem quæ Theſſalonicenſis. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
—— Secunda, quæ? 126. Ejus Termini; hodiè pars eſt Albaniæ; Metropolis. Ibid.
Machærus Civitas Tribûs Ruben munitiſſima. 26
Machatitarum Regio ubi? 42
Madianitæ ubi? & unde oriundi? 15
Madritum Urbs Epiſcop. ſub Toletano Metropolitano. 172
Mæonia Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
Mæotis Palus. 183, 193
Magalona (Maguelone) Urbs Epiſcop. Septimaniæ ſub Narbona Civitate. 165
Magantia, unde Mayence, vid. Moguntina Eccleſia.
Magdala Civitas in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 27
Magdalenſium Regio ubi? 35
Magdeburgenſis Epiſcopatus à quo & quando in Metropoliticam Sedem evectus? 200
Mageddo Civitas in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanica. 32
Magia Urbs Epiſcopalis Primæ Rhætiæ. 144
Magiſtratus extraordinarii Provinciarum apud Romanos, qui? 69, 70
Magiſtratuum Rom. appellationes quando propriæ, quando diſtinctæ? 69
—— Eorum Nomina, aliquando communia, aliquando propria, quomodo? 68
Magna Græcia, quæ Italiæ Regio dicta? 136
Magneſia ad Mæandrum Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
—— Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
Magnopolenſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Maguſanorum ſedes, ubi? 159
Mahanajim Urbs Levitica in Tribu Gad. 26
Majorica Inſula ad Sardiniam refertur. 137
Majorinus Numidiæ Epiſcopus. 152
Majuma Civitas prope Gazam. 24. In Tribu Simeonis. 28. Ejus Feſtivitas, quid? Ibid.
An ad Malabares Apoſtolus Thomas peragraverit, ibidemque Eccleſias erexerit? 189
Malabarica Lithurgia an ſincera? Ibid.
Malacca, hodiè Malaga, Urbs Epiſcop. Bæticæ Provinciæ. 169
Malcolmo III. Scoti primam Epiſcopatuum inſtitutionem adſcribunt. 176
Maldon in Eſſexiâ, Latinis Camalodunum, Urbs Epiſcop. Britanniæ Primæ. 178
Maleventum, vide Beneventum.
Mameluchi undè oriundi? 188
Man Inſula, vid. Mona Inſulæ.
Dimidiæ Tribûs Manaſſis Trans-Jordanicæ Termini. 27. Quas Regiones comprehenderit? Ibid. Urbes illuſtriores. Ib.
Dimidiæ Tribûs Manaſſis Cis-Jordanicæ Termini. 32. Quas Regiones comprehenderit? Ibid. Urbes celebriores. Ibid.
Scenæ Mandræ, vel Mandrorum Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Secundæ. 91
Mango-Capac primus Legiſlator Yncarum ſaluberrimas ac prudentiſſimas Leges inſtituit, ſub Solis ductu tanquam hujus filius. 204
Mantua, Virgilii Maronis patria, Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 139
Illuſtris de Marca. 112, 113, 130, 150, 157, 158, 159, 168, 178, 186, 191. & paſſim alibi.
Marciana, Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Marcianopolis Metropolis Mœſiæ Secundæ. 109
Marcomannorum Sedes. 147, 201. Hermionum Gens. Ibid. Eorum meminit Vellejus Paterculus. Ibid.
Mare Suburbicarium quodnam? 130
— Erythræum. 13, 14
— Mortuum, ſeu Lacus Aſphaltites. 22
— Viridum, quodnam ſecundùm Arabes? 13
— Balticum. 194
— Hadriaticum, unde dictum? 135
— Caſpium. 188
—— Macedonicum. 116
—— Suevicum. 200
—— Tartaricum. 184
Margus Urbs inclyta & Epiſc. Mœſiæ Superioris. 126
Mariæ in ambitu Palæſtinæ ſecundum Talmudicos quot? 20
Mariamne Turris. 52
Mariana Urbs Epiſcop. Corſicæ Inſulæ. 137
Marmaria, ſeu Marmarica, Urbs Epiſcop. Libyæ Marmaricæ. 90
Marochanum Regnum, ubi? 192
Maronia, vel Maronea, Urbs Epiſcop. Rhodopes Provinciæ. 108
Marrubium, vel Marruvium, Urbs Epiſcop. Valeriæ. 135
Marſi Gens Francorum. 198
Martialis creditur fundaſſe Lemovicenſem Eccleſiam. 157
—— Epiſcopus Idololatriæ poſtulatus. 170
Martigny, alias Octodurum, Oppidum Veragrorum. 163
Martyropolis Urbs Epiſcop. Meſopotamiæ. 86
Maſcula Numidiæ Urbs Epiſcop. 152
Maſpha Civitas in Tribu Benjamin. 30
—— Quæ alias Ramoth-Maſpha, & Ramoth-Galaad, Urbs Præſidialis & Refugii in Tribu Gad. 26
Maſſagetæ Populi, qui? Eorum ſedes, ubi? 121, 122, 183, 193
Maſſilia Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi. 163
—— Et in Viennenſi Secunda. 164
—— Ejus origo, undè? & quibus clara? Ibid.
—— Ejus Eccleſiam creditur fundaſſe Lazarus. 157
Maſſra nomen hodiernum Ægypti, & Urbis Cairo, unde? 11
Matiſco, hodiè Maſcon, pluribus Conciliis celebris, Urbs Epiſcop. Primæ Lugdunenſis. 161
Matrona, vel Materna, Galliæ Fluvius. 156
Mavia Regina Chriſtiana Saracenorum. 190
Maurienna Urbs Epiſcop. in Provincia Viennenſi. 164
Mauritania Provincia Rom. facta. 68. Duplex. 149
—— Sitifenſis, Præſidialis fuit. 153. Cujus Diœceſeôs Provincia? Ibid. Sub quo Primate fuit antea? Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ib.
—— Cæſarienſis, ſeu Major, Provincia Præſidialis, Sexta Diœceſeôs Africæ. 154 Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid. Ab Arabibus quomodo appellatur? Ibid.
Maurorum appellatio quantum pateat? 153
Mauzal, vid. Moſul.
Maxima Cæſarienſis Conſularis, quæ Provincia Britannicæ Diœceſeôs? 178. Qui ejus Termini; quæ Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Maxima Sequanorum quæ Provincia, & quomodo aliter dicta? 162. Ejus Termini; quos Populos complexa? Ibid. Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop. 163
Maximianopolis Urbs Epiſcop. Arabiæ. 85
— Urbs Epiſcop. Rhodopes Provinciæ. 108
Meah Ophel Turris Hieroſolymæ. 52
Media Provincia Rom. facta. 68
Medicamentum Commagenum. 85
Mediolanum unde dictum? 139. Una inter maximas Europæ civitates. Ibid.
Mediolanum Μητρόπολις Ἰταλίας. 138. Ejus Epiſcopi Primatus, & Independentia primitus à Rom. Pontifice. Ibid.
—— Sedes totius Italicæ Diœceſeôs; & Vicariorum, frequentiſſime Imperatorum. 139
—— Santonum, vid. Santones.
Mediomatrici, qui? 159. Eorum Urbs aliquando Caput Regni Auſtraſiæ. Ibid.
Mediomatricorum Divodurum, alias Metti, Mets, Urbs Epiſcop. Belgicæ Primæ. Ibid.
Megalius Calamenſis Numidiæ Primas ordinavit Auguſtinum. 152
Megalopolis Arcadiæ Urbs Epiſcop. Achajæ. 114
Megare Urbs Epiſcop. Achajæ. Ibid.
Melchiſedeci ſedes & Regia ſecundùm Hebræos. 32
Meldi, Gall. Meaux, Urbs Epiſcop. ſub Metropolitano Pariſiorum. 162
Melita Inſula ſub notione Siciliæ comprehenſa. 137. Unde ita dicta ſecundùm M. Bochartum? Ibid.
Melitene, Meletena, Melita, Armeniæ Secundæ Metropolis. 101
Melito Sardis Epiſcopus primum in Provinciâ Eccleſiaſticâ Lydiæ ſibi vindicavit locum quando? 65
Melos Inſula. 94
Memmate, vel Mimmate, Gall. Mande, Urbs Epiſcop. in Prima Aquitania. 164
Memphis, quæ Moph in Sacris, Ægyptiorum Regia ad Occidentalem Nili ripam, & Metropolis Ægypti Superioris. 11, 90

—— Urbs

Digitized by Google

— *Urbs Epiſcop. Arcadiæ Heptanomi.* 91
Menapii Populi, qui, & ubi? 160
Menevenſis, ſeu S. Davidis Epiſcopus in Wallia, Metropolitani honore & titulo excidit, quando? 175
— *quando floruit, & quot ſub eo Epiſcopi?* 177, 179. *Metropolis Urbis Legionum* (Caerleon) *eò tranſlata.* 179
Mengrelia quæ Regio, & ubi? 184
Mennith Civitas in Tribu Gad tritici feraciſſima. 26
Mephat, vel Mephaath, Urbs Levitica in Tribu Ruben. Ibid.
Meroveus, à quo Merovingii, Dux Francorum. 198
Meſembria, imperitè Meridianum, *Urbs Epiſcop. Hæmimontis Provinciæ.* 109
Meſopotamia Provincia Rom. facta. 68. *Præſidem habuit.* 86. xv. *Provincia Diœceſeôs Orientis.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid. *Ejus Epiſcopi ſubſunt Moſulenſi Metropolitano.* 187
Meſſana Emporium Siciliæ, Urbs Epiſcop. 137
Meſſene Urbs Epiſcop. Achaja. 114
Meſſapia, vid. Calabria.
Meſra hodie Cairo. 11
Metelis, hodiè Roſetto, *Urbs Epiſcop. Ægypti Primæ.* 89
Metenſem Eccleſiam creditur fundaſſe Clemens patruus Clementis Romani. 157. Vid. & *Mediomatrici.*
Metropoleôs honor Coloniis à Romanis datus, & in quem finem? 62, 63
Metropoles plures in una eademque Provincia. 63. *Sic deſignatæ, Prima, Secunda, Tertia.* 77. *An quæ fuêre tales Civili Titulo, fuerint quoque in Eccleſiaſticis?* 66. *Dignitas Metropoleôs etiam Epiſcopis Urbium ſenſim acceſſit.* Ibid.
Metropolim Rom. quæ Regiones Suburbicariæ conſtituerunt? 130
Metropolitani appellatio nondum nata tempore Tertulliani & Cypriani. 150
In Metropolitanos reliquos an jura habuerint primis Seculis Primates vel Exarchæ? 157
Metropolitanis quando confirmata ſunt jura ſupra reliquos Epiſcopos? Ibid.
An ordo certus eminentiæ fuerit à principio inter Metropolitanos aut Provincias? Ibid.
Inter Metropolitanos in Hiſpaniis ordo promiſcuus ad uſque Seculum v. 168
Metropolitani tres in Britanniis quando nati? 175
Metropolitana Sedes in Britann. quando & quare tranſlata Londino in Cantuarienſem. Ibid.
Metropolitanæ duæ Sedes in Britanniis à quo tempore? Ibid.
Metropolitanos proprios quando acceperint Scoti? 176
Metropolitanus Cantuarienſis paſtoralem ſuam ſolicitudinem in Hiberniam extendit. Ibid.
Metropolitano Cypri cum Antiocheno multæ fuerunt lites de Ordinationibus. 84
Metzraim Ægyptus. 11
An apud Mexicanos Euangelium jam olim penetraverit? 204
Michael Bulgarorum Rex, Rom. Pontificem per Legatos conſulit de Viro idoneo, cui Archiepiſcopatum Bulgari crederent. 125
Migdol Urbs in qua Ægypti parte ſita? 11
Miletus Metropolis Cariæ. 96
Milevis Urbs Epiſcop. Numidiæ: unde Optatus Milevitanus, & Concilium Milevitanum. 152
Millo, vel Mello, ſtructura Salomonis. 48
Mimmate, vid. *ſuprà Memmate.*
Mindenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Minnith, vid. *ſuprà Mennith.*
Minorica Inſula ad Sardiniam refertur. 137
Minturnæ Civitas Epiſcop. in Latio Novo. 132
Mirandula Picorum Principatus Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Miſnenſes Hermionum Gens. 201
Miſnenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Miſſal Urbs Levitica in Tribu Aſher. 34
Mitzraim nomen Ægypti in Sacris. 11
Mixtarabes Chriſtiani, qui? 168
Mizonius Tſellenſis Epiſcopus Primæ Sedis Numidiæ. 153
Moabitarum ſedes. 14. *Eorum Metropolis Rabbath-Moab, Har-Moab quoque dicta.* Ibid.
Mociſſus, Mociſus, anteà Cappadociæ Primæ, poſteà Tertiæ Metropolis. 100
Modena, vid. *infra Mutina.*
Modin patria Haſmonæorum in Tribu Danis. 30
Mœnus Fluvius, ubi? 197, 200
Mœſia Prima ſeu Superior, Provincia Præſidialis, Diœceſeôs Daciarum Tertia. 126. *Hodiè pars ejus Regionis, quæ* Raſcia & Servia *dicitur; Ejus Termini; Urbes inclytæ.* Ibid.
—— *Provincia Rom. facta.* 67. *Fuit Præſidialis.* 109
—— *Secunda, vel Inferior, quinta Diœceſeôs Thracicæ Provinciæ.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Mogoli, vel Moguli, Mogores, qui & unde oriundi? 187. *Regio vocatur hodiè* Mogoliſtan, *Mogolenſis India.* Ib.
Mogolenſium Imperatores à quo originem deducant? Ibid.
Moguntia Metropolis Germaniæ Primæ. 160
Moguntinam Eccleſiam quis fundaſſe creditur? 157
Moguntinus quando Primas ſuprà Germanias eſſe voluit? Ibid.
Monachium hodiernum in mediâ ferè Vindeliciâ Urbs Epiſcop. Secundæ Rhætiæ. 145. *Cui ſubeſt in Eccleſiaſticis?* Ibid.
Monachorum quos Roma ſubmiſit ſolicitudo præcipua, quæ? 176
Monaco Civitas unde dicta? 140. *Urbs Epiſcop. Liguriæ.* Ibid.
Monarchiam hæreditariam Angliæ totius condidit Alvredus, vel Alfredus, quando? 175
Monaſterienſis Epiſcopatus quando erectus? 200
Monaſterium Virginum Margaritæ Martyri & Virgini ſacrum in Lero Inſula, quando & à quo conditum? 166
—— *Perſarmenorum quomodò hodiè dicitur?* 186
—— *S. Columbæ, ubi?* 176
—— *Corbejenſe ad Viſurgim.* 200
—— *Dolum*, (Dol) *in inferiori Britannia, antequam eſſet Epiſcopatus.* 162
Moneta ſignandæ jus quibus & à quibus conceſſum? 62
Mons Ararat, ubi? 6. *Armenis, quomodo dicitur?* 10
— *Acra.* 49
— *Ætna.* 137
— *vel Ager Hakeldama.* 56
— *Arnon.* 20
— *Calvariæ vel Golgotha.* 56. *Dictus & mortis Regio.* Ibid.
— *Carmelus in Tribu Zabulon.* 33
— *Chriſti.* 35
— *Domûs.* 54
— *Ephraim.* 21
— *Eroge.* 56
— *Gareb.* Ibid.
— *Garizim.* 21
— *Gihon à quo fons cognominis?* 56
— *Hebal.* 21
— *Hermon.* 20
— *Iſraëlis.* 21
— *Morijah.* 21. *In quâ parte Hieroſolymæ ſitus?* Ibid.
— *Nabo, vel Nebo.* 25
— *Olivarum.* 56. *Ejus ab Urbe diſtantia.* Ibid.
— *Sion.* 21. *Ejus ſitus.* 47
— *Thabor.* Ibid.
— *Titi.* 56
Montana Ephraim. 31
— *Hebronis & Judææ.* 20, 21
Montanus & ejus Hæreſis. 95
Montes Acroceraunii. 116
—— *Candavii, Caſpii.* 159
—— *Hartz & Harzſchen, ubi?* 199
—— *Palæſtinæ.* 20
—— *Sehir dividentes à Meridie Palæſtinam à Deſerto Pharan.* 19
—— *Solymi, ubi?* 97
—— *Succi, eorum anguſtiæ & plauſtra.* 77
Monumenta Viri honoratiores habuere in hortis Hieroſolymæ extramuralibus. 58
—— *Fabuloſa de Chriſtianiſmo Chinenſium & Malabarorum.* 187
Monumentum quod extat antiquius Eccleſiæ Gallicanæ. 157
—— *Sinicum Kirkerianum, quodnam? Illuſtratum ab Andrea Mullero.* 189
Moph, ſive Memphis. 11
Mopſveſta, Mopſveſtia, Μοψεστία, *Urbs Epiſcop. in Cilicia Secunda.* 83
Moravi Hermionum Gens, qui Populi, & ubi? 201
Morini Populi qui & ubi? 160
Mos qualis olim obſervatus in promulgandis Legibus? 128
Moſa, olim Maſa, Galliarum Fluvius. 156, 198
Moſchorum Imperatori ſubjectæ Gentes Chriſtianam Religionem nomine tenùs profitentur. 184
Moſcovitæ qui Populi, & unde oriundi? 196
—— *Eorum priſtina ſedes, quæ?* Ibid.
—— *Quomodo aliter dicti?* Ibid. Vid. *Ruſſi.*

Digitized by Google

— Ad fidem Chriſtianam adducti, quando & à quibus? Ibid.
— Quam Diſciplinam, Ritus, Characteres acceperint? Ibid.
— An ab Andrea Apoſtolo Religionem Chriſtianam hauſerint? Ibid.
Moſella, vel Moſula, Galliarum Fluvius. 156
Moſes quidam ordinatus primus Epiſcopus Saracenorum. 190
Moſul, Mozul, Mouſſoul, Mauzal, ad occiduam Tigridis ripam, quæ & quomodo Civitas Metropolis facta? 87
Moſulenſis Patriarcha, cui Perſæ ſubſunt, quomodo ſucceſſit in jura Antiocheni? Ibid.
Mozarabes Chriſtiani, qui? 168
Muhammedis, & ſequentium Chalifarum Religionis Chriſtianæ tolerantia, & in quem finem? 190
Municipii Dignitas, quænam? 62
Murcia quæ & ubi? 171
Muri Sionis. 53
Longi Muri Civitas, quæ & ubi? 107
Murus Hieroſolymæ triplex. 49
— Lapideus ſtupendæ longitudinis, latitudinis, & altitudinis, ubi? 187, 189
Mutationes in adminiſtratione Imperii, quæ factæ? 75
Pro Mutationibus Civilibus in Rom. Imperio, quomodo ſenſim facta ſint mutationes circa Eccleſias per illud diſperſas? Ibid.
— facta in Eccleſiis Illyrici Orientalis, quæ? 112
Mutina, hodiè Modena, Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Myndus Urbs Epiſcop. Cariæ. 96
Myra, Myrena, Metropolis Lyciæ. 97
Mytilena Metropolis Inſulæ Leſbos. 94

N.

Nabel Urbs quænam? 153
Nabo, vel Nebo, Mons in Tribu Ruben. 26
Nabriſſa Turdetanorum, Urbs Epiſcop. Bæticæ Provinciæ. 169
Nagayi Populi, qui & ubi? 184, 188, 193
Aram-Naharaim, vide Aram.
Nais Urbs in Dimidiâ Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ. 32
Naiſſus, ſeu Neſſus, Urbs inclyta & Epiſcop. Daciæ Mediterraneæ, patria Conſtantini Magni, ac ſedes nonnunquam Imperatorum. 125
Nak-Sivan Civitas ubi ſita? 10. Et quid ſignificet hæc vox? Ibid.
Narbo Martius quæ Civitas? 165
Narbo fuit ab antiquo Civitas Metropolis Narbonenſis Primæ. 165
Gallia Narbonenſis olim Provincia Romanorum Prætoria. 154. Provinciæ quæ illam conſtituerunt, quot? 156
— Ejus Primas ſupra Aquenſem & Tarraconenſem eſſe voluit. 158
Narbonenſis Prima, quot Populos & Regiones olim & hodiè complexa? 165. XV. Provincia Galliarum Diœceſeôs: Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcopales: Ibid. Gotthica, & Septimania quare dicta? Ibid.
— Secunda, quæ? Ejus Termini; quos Populos & Regiones olim & hodiè complexa? Ibid. Ejus Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. 166
— Galliarum, Hiſpanicis accenſita Provinciis, quando? 167
Nariſci, vide Noriſci.
Narnia Urbs Epiſcopalis Piceni Suburbicarii. 134
Naſamones Garamantum Populi in Libya. 192
Naſibis, Neſibis, Niſibis, celeberrima Urbs Epiſcop. in Meſopotamia. 86
Nathanael creditur Eccleſiam Bituricenſem fundaſſe. 157
Naves quot habuerit Imperator in Scythico Limite. 110
— Agrarienſes, quænam? Ibid.
— Judiciariæ. Ibid.
— Liburnæ. Ibid.
— Ludentes. Ibid.
— Luſoriæ. Ibid.
— Speculatoriæ. Ibid.
Navigationes in Americam, an jam pridem ſuſceptæ ſint, & unde? 204
Naupactus Urbs Epiſcop. Achajæ. 114
Naxia, vel Naxus, vinearum fertilitate celebris, una ex Cycladibus Inſulis. 94
Nazareth altera Chriſti patria. 34
Nazianzum Urbs Epiſcop. Cappadociæ Tertiæ. 100
Neapolis, quæ & Sichem olim, patria Juſtini Martyris, Urbs Epiſcop. Palæſtinæ Primæ. 80
— Piſidiæ Urbs Epiſcop. Provinciæ cognominis. 97
— Ad Sinum Strimonium Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
— Urbs Epiſcop. Campaniæ Stellatæ. 132
— Urbs Epiſcop. in Provincia Tripolitana. 153
Nebo, vid. ſuprà Nabo.
Nemauſus (Niſmes) Amphitheatro hodieque ſuperba, Urbs Epiſcop. Septimaniæ ſub Narbonâ Civitate. 165
Neo-Cæſarea Euphratenſis Urbs Epiſcop. Provinciæ cognominis. 85
— Pontica Metropolis Provinciæ Ponti Polemoniaci. 102
— Urbs Epiſcop. Bithyniæ. 104
Ad Neomeniam indicandam Judæi ignem accendebant in Monte Oliveto. 56
Nephtali Tribûs Termini; Conditio Regionis; Urbes celebriores. 35
— Quomodo ad Tribum Judam extenſa, Joſ. XIX. 44. Ibid.
Neſibis, vid. ſuprà Naſibis.
Neſtoriani qui audiant in Oriente? 187.
An reperta ſint eorum Eccleſiæ in Urbibus Regionis Mangi, id eſt, Sinarum Cingianfu & Quinſay? 189
Neuſtria, ſeu Weſtria, Regnum ubi? 199.
In quot Regna ſubdiviſum? Ibid.
Nicæa Bithyniæ Metropolis altera. 104
Nicer Fluvius, ubi? 200
Nicia, Antonino Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140
Nicomedia prima & antiqua Metropolis Bithyniæ. 104. Qui olim dicta? quibus rebus nobilitata? quomodo funditus everſa? Ibid.
Nicopolis Urbs Epiſcopalis Arcadiæ Heptapoleôs. 91
— Thraciæ in ſpecie ſic dicta. 109
— Ad Iſtrum Urbs Epiſcop. Mœſiæ Secundæ. Ibid.
— Ad Sinûs Ambracii oſtium, quibus rebus nobilitata? Metropolis Epiri Veteris; Caput Acarnaniæ Epirotarum Regionis. 116. In ea reperta in dolio Sexta Bibliorum Verſio. Ibid.
Nicopoles plures, unde ſic dictæ omnes? Ibid.
Nigritarum ſedes. 192. Unde ſic dicti? Ibid. Eos aliquando recepiſſe fidem Chriſtianam teſtatur Abulfarajus, ſed deinceps Muhammediſmi, tum & Paganiſmi tenebris obſcurata. Ibid.
Nili nomen unde? 7
Niſibis, vid. ſupra Naſibis.
Niſi-Novogorod Civitas, ubi? 196
Nitiobrigum Caput, quod? 165
Nizza Urbs Epiſcop. in Provincia Alpium Maritimarum. 166
No-Amon, quid? 11, 91
Noachi ſedes. 9. Prope quam Urbem vites plantarit? 186
Noalol Urbs Levitica in Tribu Zabulon. 34
Nobe Urbs in Tribu Benjamin. 30
Nomen antiquiſſimum Ægypti Regum, quod? 12
— Europæ, unde? 107
— Aquæ Urbes variæ ſortitæ ſunt. 166
— Gotthorum, Gutthorum, quid ſignificet? 193
In Nomen Saxonum, Friſiorum & Batavorum illud coaluit. 199
Quid Nomine Occidentis primitus venit? 127
Nomina per Judæam Romana, quando? 38
— Antiqua, quæ remanſerunt in Palæſtinâ? 44
— Magiſtratuum & Rectorum Romanorum aliquando communia, aliquando propria. 68
— Eorum qui Provincias, Cæſaris dictas, gubernabant, quæ? 69
— Eorum qui Provincias, Populi dictas, regebant, quæ? Ibid.
— Variæ Antiochiæ, quæ? 82
— Variæ Hiberniæ, quæ? 176
Noph, vid. Memphis.
Nordmanni, qui dicti? 202
— Eorum nomen terrificum, quando eſſe cœpit? Ibid.
— Infeſti penè Europæ toti, quomodo? 203
— In Friſiorum Regionem & Nomen, quomodo ſucceſſerunt? Ibid.
— Eorum in Galliis prima converſio, quando? Ibid.
Norici, vel Nariſci, qui Populi? 201
Noricum Provincia Romanorum facta, quando? 68
— Ripenſe, Præſidialis Provincia, & Prima Tertiæ Diœceſeôs Italicæ. 146. Quos Populos & Regiones complexum? Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
— Mediterraneum, ſeu Meridionale, quæ Provincia? Ibid. Quò uſque ſe extendit? Quid complexum? Ejus Caput, Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Normannia in Regno Francico, unde hoc mo-

Digitized by Google

nomen ſortita? 203. Et ſub quo Titulo accepta? Ibid.
Nordwegi, Norwegi Populi, qui? 302
Nova Mœſia Superioris Urbs inclyta Epiſcop. 126
Novaria Urbs Epiſcopalis in Provincia Liguriæ. 139
Novempopulana, unde ita dicta? 165. Dicta & Aquitania Tertia; quos Populos & Regiones complexa? Ibid. Quæ Galliarum Provincia; Ejus Termini; Metropolis, & ſub ea Epiſcopatus? Ibid.
Noviodunum Æduorum, ſeu Nivernum, olim Lugdunenſis Primæ, Urbs Epiſcop. ſub Metropoli Veſontione, in Quintâ Lugdunenſi. 163
Noviomagus Vermanduorum (Noyon) Urbs Epiſcop. Belgicæ Secundæ. 159
—— Nemetum, alias Spira, Urbs Epiſcop. Germaniæ Primæ. 160
Novus Terrarum Orbis, quæ Regio dicta? 173, 203
Nubæ, ſeu Nubii, qui Populi, & quomodo dicti ab Ariſtotele, Ptolemæo, Mela? 192
Nubienſium ſedes, atque Termini. Ibid.
Quando facti Chriſtiani? Ibid.
Nuceria, Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Numantia Urbs olim totius Hiſpaniæ munitiſſima. 172
Numidæ, qui Populi? 152
Numidia Provincia, quando facta? 68. Fuit Conſularis, & Prima Diœceſeos Africæ. 151. Ejus Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. 152
In Nummis quomodo Sicilia repræſentata? 148
Nurſia Urbs Epiſcop. Piceni Suburbicarii. 134
Nuvâla Urbs Nubienſis. 192
Νύσση, Νύσσ; Nyſa, Urbs Epiſcop. Arabiæ. 85
Nyſa, Neſſus, Niſus, Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Nyſſa Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
— Urbs Epiſcop. Cappadociæ Primæ. 100

O.

Obligatio Gentium & Urbium Liberarum erga Populum Romanum. 62
—— Regum, Regnorumque erga Populum Romanum. 70
Obſides ut domeſtica vincula fidei præſtandæ, quare dabantur? 70
Oby Fluvius omnium totius Septentrionis maximus. 184
—— Ejus oſtium ad Mare Tartaricum Aſiam ab Europâ diſterminat. Ibid.
Oc loco Ouy, qui pronuntient? 165
Occidentalis prima Præfectura, quæ dicta? 128. Secunda, quæ? 154
Occidentis nomine, primitùs, quid venit? 127
Oceanus Sericus, quis? 189
Ocricolus Urbs Epiſcop. Piceni Suburbicarii. 134
Octavia Colonia, quæ? 169
Octodurum, vid. Martigny.
Octodurum Vallenſium, ſeu Veragrorum, Urbs Epiſcop. ſub Metropoli Tarantaſia. 163
Odyſſus, vel Odeſſus, Urbs Epiſcop. in Mœſia Secunda. 109
Oenotria, quare Italia dicta? 9
Offa Rex Merciorum Monaſterium & Oppidum S. Albani, quare ſtruxit? 174
Officina Gentium, quæ Terrarum plaga dicta? 121
Ogi Baſanitarum Regis lectus ubi aſſervatus? 27
Ogygia antiquitùs dicta, quæ Regio? 176
Οἰκυμένη tempore Auguſti, quæ? 61
Oliva Civitas Epiſcop. Mauritaniæ Sitifenſis. 153
Olivarum Mons. 56. Ejus ab Urbe diſtantia. Ibid. In illo Judæi ad Neomeniam indicandam ignem accendebant. Ibid.
Olympus Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Olyſippo, Oliſippo, Urbs Epiſcop. Luſitaniæ. 170
Ommirabius Fluvius ex Montibus Atlantibus ortus. 192
Oniæ Templum ubi conditum? 90
Ooſtfalli unde dicti? qui, & quas ſedes occupârint? 199. Eorum nominis origo. 200. Ut à Carolo Magno in ordinem redacti? Ibid.
Opobalſamum precioſiſſimum quà in Regione creſcit? 21
Optatus Milevitanus ità cognominatus ab Urbe Milevi, cujus erat Epiſcopus. 152
Oraculum Ammon ubi fuiſſe creditur? 89
Orbis Novus quæ Regio dicta? 173, 203
—— ex Tabulis Moſaicis, & S. Geographia, cogniti ultimi fines. 10
—— Orientalis Diviſio. 78
—— Occidentalis Diviſio. 127
Ordinationum Ritus in Britannicis Eccleſiis diverſi à Romanis. 177
Ordo Provinciarum Romanarum ex Magiſtratibus & Rectoribus intelligebatur. 68
Ordo Eminentiæ certus an fuerit à principio inter Metropolitanos, aut inter Provincias? 157, 168
Oriens, quare & quomodo ita appellatus fuerit? 78
Orientis Filii qui dicti? 15
—— Præfecturæ, quot? 78
Orientalis Illyrici Præfecturâ. 110
Orientales Franci, qui? 201
Origo Primatuum Nationum ſeu Exarchorum ſupra Primates Provinciarum, ſeu Metropolitanorum; quænam fuerit? 157
—— Saxonum, Weſtfallorum, & Ooſtfallorum, & unde ita dicti? 199, 200. Ut à Carolo Magno in ordinem redacti? 199
—— Provinciarum in Romano Imperio. 67
Oſca, hodiè Hueſca, quomodo dicta in Nummis? 171. Urbs Epiſcop. Provinciæ Tarraconenſis. Ibid.
Oſius Epiſcopus Illiberitanus. 169
Oſnabrugenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Oſrhoëna quæ Diœceſeos Orientis Provincia? 85. Ejus Termini; Metropolis. Ibid. Urbes aliæ Epiſcop. 86
Oſſabona Urbs Epiſcop. Luſitaniæ. 170
Oſtia Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Oſtracina, Oſtracine, Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Primæ. 90
Otranto Urbs Epiſcop. in Apulia & Calabria. 135
Ovidii Epitaphium. 147
Ovilia, Ovilabis, Oviluvis, inter Lauriacum & Joviacum Urbs Epiſcop. in Norico Ripenſi. 146
Oximus, Gall. Hieſmes, Urbs Epiſcop. in Secunda Lugdunenſi. 162
Oxyrinchus Arcadiæ Heptanomi, ſeu Ἐπταπόλεως; Metropolis creditur. 91

P.

Pacatiana (Phrygia) Prima, pars Magnæ ſeu Majoris Phrygiæ, hujus Diœceſeos Provincia? 94. Ejus Metropolis; Ibid. Urbes aliæ Epiſcop. 95
—— Secunda; hujus Metropolis ſaltem honoraria. Ibid.
Padan-Aram, vid. Aram.
Paderbornenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Paganiſmi ab Anglo-Saxonibus in partes quaſdam Britanniarum invectio. 178
Pagus l'Auſtunois undè dictus, ubi? 161
Palæſtinæ varia nomina, quænam? 17
—— Ejus ſitus & limites. 18
—— Menſura. 19
—— Facies. Ibid. Et totius terræ conditio. 20
—— Maria quot in ejus ambitu ſecundum Talmudicos? Ibid.
—— Ejus Fluvii, Montes. Ibid. Ejus Pentapolis. 22. Sors in eâ Duodecim Tribuum Iſraelis. 24
Palæſtina ſub Chriſtianis Imperatoribus, quot? 43
—— Nova & ejus facies, quæ? 43, 44
—— Fabula de ejus Locis. 44. Antiqua quæ remanſerunt Nomina? Ibid.
Palæſtinorum, vel Philiſtinorum, Gens, quæ? 23
—— Eorum Satrapia & Urbes. 24
Palæſtina Prima quæ Provincia? 79. Quid complexa? Ibid. Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcopales omnes inclytæ, quæ? Ibid. Ex Conſulari Proconſularis facta, quomodo? 80
—— Secunda, quando à Primâ diſtracta? Ibid. Fuit inter Præſidiales, dein & Conſulares. Ibid. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcopales nec ignobiles, quæ? Ibid.
—— Tertia, quomodo aliter dicta? & quare? Ibid. Fuit Præſidialis Provincia; Ejus Termini. Ibid. Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Palatium Davidis. 48
Palatini, qui Populi? 201
Palladius Scotorum Apoſtolus. 176
—— Arianus. 142
—— & Patricius primi Scotorum Epiſcopi Hiberniam ad fidem Chriſt. adduxerunt, quando? 176
Pallii uſus in Galliis, quando cœpit? 158
Quatuor Pallia in Hiberniam miſſa leguntur, quando? 177
Palma Nova Arx munitiſſima Venetorum in Friuli. 142
Palmarum Civitas, quæ? 58
Palmyra Urbs Epiſcop. Phœnices Libani. 8. A quo ſtructa creditur, & ſub quo nomine? Ibid.

Palus Maotis, ubi? 183
Pamelius. 153. *& paſſim alibi.*
Pamphylia quando Provincia Romanorum facta? 68. *Conſularis fit ſub Theodoſio juniore.* 97. *Nona Provincia Diœceſeos Aſiana.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcop.* Ibid.
Pampelona Navarra Caput, Urbs Epiſcop. hodiè ſub Burgenſi Archiepiſcopo. 171
Paneas Civitas ad radices montis Antilibani, qua ſunt varia ejus nomina? 19, 30, 35, 81
Paneadis Regio. 35
Pannonia Prima, qua & Superior, qua Provincia? 146. *Ejus Termini; quid complexa; Metropolis; Urbes alia Epiſcop.* 147
— *Secunda, ſeu Inferior, qua?* Ibid.
Pars Pannonia Secunda quomodo dicta, & cui Provincia adjuncta? 126. *Ejus Metropolis; Urbes alia inclyta.* Ibid.
Panopolis Urbs Epiſcop. Thebaidôs Prima. 91
Panormus hodiè Sicilia Primatum obtinet. 137. *A quibus condita fuit?* Ibid.
Panticapaum Boſphoranorum Metropolis ad Boſphorum Cimmerium ſitum. 193
Paphlagonia Provincia Romanorum quando facta? 68. *Unde dicta ſecundùm Bochartum?* 103. *Sub Correctore fuit.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcop.* Ibid.
Paphos Urbs Epiſcopalis Inſula Cypri. 84
Papia, quaſi piorum patria, *qua Civitas?* 139
Papias Joh. Senioris auditor, & Millenariorum pater, quis creditus? 94
Papis quando nullum jus in Hiſpanicas Eccleſias? 168
Paparum formidabilis poteſtas in Occidente à quo tempore cœpit? 177. *Quando iis Eccleſia Britannica fœdâ ſervitute mancipata?* Ibid.
Paradiſi ſitus. 7. *Fabula Veterum & Recentiorum de illo.* Ibid.
— *Ejus ambitus quis putatur?* 8
— *An ſit in Canaane ſecundum quoſdam?* 7
— *Incerta de Paradiſo, qua?* 8
— *Certiora qua de eo haberi poſſunt, unde?* Ibid.
Paradiſi deleti Cauſa. 9
Paracopolis Urbs Epiſcop. Macedonia Prima. 116
Paralus Eccleſia celebris Ægypti Secunda. 89
Parietes Portarum Templi Hieroſ. qui? 54
Pariſienſe Regnum. 199
Pariſienſem Eccleſiam creditur fundaſſe Dionyſius. 157
Pariſii, ſeu Lutetia Pariſiorum, à Senonenſi Diœceſi ſubtracti, quando? 162. *Totius Regni Caput, primamque ejus Metropolim conſtituit, quando?* Ibid.
Parma Urbs Epiſcopalis Æmilia. 140
Parnaſſus Urbs Epiſcop. Cappadocia Prima. 100
Paros Inſula una ex Cycladibus. 94
Parthenope qua Civitas, & à quibus condita? 132
Parthia qua Regio, & ubi? 186
Parthorum Regnum an cognitum Romanis in Oriente? 189
Parthyene, qua? 186
Paſcha quouſque in Britannicis Eccleſiis cum Quartadecimanis? 177
Paſſaw, vid. *Patavium.*
Patabus quis Fluvius? 198
Patara Urbs Epiſcop. Lycia. 97
Patavium Urbs Epiſcop. in Provincia Venetia & Hiſtria. 142
— *Colonia Romanorum, Literarum ſedes, Livii natalibus ſuperbiens.* Ibid. vid. *& Petavium.*
Pathmus una ex Cycladibus Inſula, Johannis exilio nobilis. 94
Patrenſis Eccleſia Epiſcop. Achaia, Metropolitana Sedes audiit, quando? 114
Patria Beliſarii. 94
— *Epiphanii.* 80
— *Euagrii.* 81
— *Gregorii* VII. *Hildebrandi dicti.* 139
— *Haſmonaorum.* 30
— *Joviorum Benedicti & Pauli,* 139
— *Juſtini Martyris.* 80
— *Plinii utriuſque.* 139
— *Probi Imperatoris.* 145
— *Rufini Præfecti Pratorio.* 165
— *Seneca.* 169
Patriarcha, qui? 77
— *Diœceſeôn.* Ibid.
— *Omnes Orientis Titulum Archiepiſcopi ſervant, & alteri pramittunt.* 124
Patriarchales Tituli quando Theſſalonicenſi dati? 112
Patriarchatus Orientales an rectè trahant ad Vicariatum Pontificii? 125
— *Romani limites.* 127
Πατριάρχην *quem vocant Byzantini Scriptores.* 125
Patricius Scotorum Apoſtolus primus. 176 *Ab eo* 365. *Eccleſia cum totidem Epiſcopis fundata feruntur.* 176
Patrocli Arelatenſis ambitio fuit origo Primatum Nationum, ſeu Exarchorum, ſupra Primates Provinciarum, ſeu Metropolitanos. 157
Pavia ubi? 139. *Quomodo aliter dicta?* Ibid.
— vid. *Ticinum.*
Pavimenta Templi Hieroſ. 54
Paulus Samoſatenus cujus Civitatis Epiſcopus? 85
Peiſon Lacus in Danubium immiſſus. 148
Peking, vid. *Cambalu.*
Pelagius unde oriundus? 177. *Ejus Hareſim ſparſit in Britannias quidam Leporius Agricola.* Ibid.
Pella Chriſtianorum perfugio nobilis in Dimidiâ Tribu Manaſſis Trans-Jordanicâ. 27
— *Macedonia ubi ſita? Et undè nobilis?* 115
Peluſium Urbs Epiſcop. Auguſtamnica Prima, ubi ſita? 90
Pentapolis Palaſtina, qua? 22
— *in Flaminiâ Provinciâ qua Regio?* 141
Pentapolitana Provincia ſub Exarchatu Ravennatenſi, qua? Ibid.
Pentapolitana alia Regiones. 89
Peraa Regio. 23. *Qua dicta?* 41, 42
— *quid generaliùs, quid ſtrictiùs dicat?* Ibid. & 26
Percopita Populi, qui & ubi? 183
Perga Pamphylia Secunda Metropolis. 97
Pergamus, Majoris Phrygia, ſeu Myſia Metropolis. 64
— *in Æolide Urbs Epiſcop. Provincia Aſiana.* 93
— *Vox quid denotet?* Ibid.
Perinthus, vid. *Heraclea.*
Perizaorum vel Phereziorum ſedes, qua? 23
Perſarmenorum Monaſterium, quomodo hodiè dicitur? 186
Perſia an habuerit ſuos Epiſcopos? Ibid.
Ex Perſiâ Macedonas qua Gens exegit? Ib. *Ejus Epiſcopi cui Metropolitano ſubſint?* Ibid.
Perſicus Sinus à quibuſdam quomodo dicitur? 13. *An ſit pars Maris Erithrai?* Ibid. *Ejus periplus & in Mare Indicum effuſio.* 13, 14
Perſis ſpeciatim dicta, qua? 186
An apud Peruanos jam olim Euangelium penetravit? 204
Peruſia Urbs Epiſcop. Tuſcia. 134
Peſſinus Urbs Metropolis Galatia Salutaris, vel Secunda. 103
Petavium, Patavium, hinc Paſſavium, olim Bojodurum, & Batava Caſtra, Nobilis & Civitas Epiſcop. in Norico Ripenſi. 146
Pettaw Civitas Epiſcop. in Carnis ad Dravum. Ibid.
Petiliatius Conſtantinenſis in Numidia Epiſcopus. 152
Petitus. 150, 153. *& paſſim alibi.*
Petra Palaſtina Tertia Metropolis. 80
Petri denarium, quando introductum in Angliam? 177
Petrocorium, Gall. Perigord, *Urbs Epiſcop. in Aquitania Secunda.* 165
Petronella, vid. *Carnus.*
Petrus de Marca. 150, 151. *& paſſ. alibi.*
Pharan Deſertum. 19
Phaſelus Turris. 52
Phaſga Mons in Tribu Ruben. 26
Phaſis Urbs Epiſcop. Colchidis. 184
Phaſus Fluvius. 184. *An ſit idem ille qui in Scripturis dicitur Piſhon?* Ibid.
Phereziorum ſedes. 123
Philadelphia. 14
— *Lydia Aſiana Urbs Epiſcop.* 65
— *Urbs Epiſcop. Iſauria.* 84
— *Syria Urbs Epiſcop. Arabia.* 85
Philippopolis Urbs Epiſcop. Arabia. Ibid.
— *Metropolis Thracia in ſpecie ſic dicta.* 109
Philippi, vel Philippus, Urbs Epiſcop. Macedonia Prima. 115. *Ubi ſita; undè ejus celebritas in Civilibus?* Ibid. *Poſteà facta Metropolis.* Ibid.
Philiſtinorum Gens. 23. *Eorum Satrapia & Urbs.* 24
Phœnicia Regio. 12. *Undè dicta?* 18. *Quomodo diſtincta à Palaſtinâ?* Ibid. *Provincia facta.* 68
— *Prima & Conſularis, Provincia* IV. *Orientis Diœceſeôs.* 81. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcop.* Ibid.
— *Libani, ſeu Damaſcena Provincia quinta Orientis Diœceſeôs.* Ibid. *Ejus Termini; Metropolis; Urbes alia Epiſcop.* Ibid.
Phœnicia ſeu Cananea Gentes ſermone uſa ſunt Hebræo affini. 24
Phœnix quò nidum ſuum deferre creditur? 90

Pho-

Phogor Mons in Tribu Ruben. 26
Photius. 188. & alibi paſſim.
Phrygia utraque Provincia Romanorum facta, quando? 68
— Pacatiana quarta Diœceſeôs Aſianæ Provincia. 94. Ejus Termini; Metropolis, Urbes præcipuæ Epiſcop. 95
— Salutaris, cur ita dicta? 95. Quinta Provincia Diœceſeôs Aſianæ. Ibid. Ejus Termini; Metropolis, Urbes præcipuæ Epiſcop. Ibid.
Phumachamach nomen Solis apud Peruanos, id eſt, anima, vel Dominus, aut Creator mundi. 204
Phylarcha Arabum converſus cum tota ſua Gente, quando? 190
Picenum Suburbicarium, quod? 130. Paruit Urbis Romæ Vicario. Ibid. Annonarium. Ibid.
— Tertia Provincia Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ. 134. Quid olim complexum? Ibid. Ejus Termini. Ibid.
— Annonarium, quod? 140
Pictavi (Poitiers) ſub Burdigalenſi Aquitaniæ Secundæ Metropolitano fuerunt. 165
Picti & Caledonii qui Populi? 173. & ſeq. Quomodo dicti poſteà? 176. Quem primæ Sedis inter eos Epiſcopum agnoverunt? Ibid. A quibus ſubacti? Ibid. Eorum Eccleſia quandiu Eboracenſi Metropolitano ſubjecta? Ibid. Quando ſchiſmatici habiti? 177. Sunt Scythici generis. 203. Unde ità dicantur? Ibid.
Joh. Picus, & Nepos Joh. Franciſcus Principes Mirandulæ Doctrinâ eminentes. 140
Pigah Fluvius. 20
Pilati Domus, ſeu Prætorium, in quâ parte Hieroſolymæ ſitum? 53
Piſæ ad Arnum Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Piſaurum Urbs Epiſcop. Flaminiæ. 141
Piſhonis nomen, unde? 8
De Piſhone Fluvio Edenis, mens Joſephi quæ? 7
Pityus, Pitiuſa Chryſoſtomi exilio clare Urbs Epiſcop. in Colchide. 184
Placentia Urbs Epiſcop. Æmiliæ. 140
Plaga dicta officina Gentium, quæ? 121
Planities Galilææ. 33
— Jordanis. 58
Platea Urbs Epiſcop. Achajæ. 114
Plauſtra Succorum Montium, quid ſit? 77
Plotinopolis Urbs Epiſcop. Hæmimontis Provinciæ. 109
Pola Iſtriæ Civitas Epiſcop. 148
Polemonium Urbs Epiſcop. Provinciæ Ponti Polemoniaci. 102
Pollentia Urbs Epiſcop. in Provincia Liguriæ. 140
Poloni qui? 194. Sunt Slavonicæ Originis, & ſub Miciſlao eorum Duce Chriſtiani facti ſunt. 196
Pomœria Hieroſolymæ. 58
Pompeji M. ſepulcrum ubi fuerit? 90
Pompejopolis, quæ antea Sola, Urbs Epiſcop. in Cilicia Prima. 83
Πεντέπολις, quæ ſic dicta? 109
Pontica Diœceſis, quarta Orientis. 99
— Ejus Termini, ac Provinciæ. Ibid.
Pontifices Maximi dicti Cæſares Romani. 74. Eum Titulum an aliquandiu retinuerint Imperatores Chriſtiani? Ibid.
Pontificii fruſtrà Patriarchatus Orientales trahunt ad Vicariatum. 125
— Nulli Legati apparent in Synodo Illiberitana ut factum a temporibus Hildebrandinis. 169
A Pontifice Romano Eccleſiarum Gallicanarum dependentia qualis & quando? 15
— Illius Auctoritatis in Gallicanas Eccleſias an extet ullum exemplum totius quatuor prioribus Seculis? Ibid.
— quando eam exercere cœperint? Ib.
A Pontificio jugo Eccleſiarum Britannicarum Libertas. 177
— An ſine ejus Auctoritate Synodi coactæ, Reformationes inſtitutæ, Ritus ordinati, Hæreſes damnatæ in Britanniis fuerint? Ibid.
An Pontificibus Romanis aliquando nulla erant jura in Hiſpanicas Eccleſias? 168
Pontus Euxinus. 193
Pontus Provincia Romanorum factus quando? 68
— Polemoniacus. Ibid. Quinta Ponticæ Diœceſeôs. 102
— Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Populi ſalus prima cura Principis. 73
Forum Populi Urbs Epiſcop. in Flaminia. 141
Populi qui habiti Gotthici generis, quò effuſi ſunt? 120
Populorum Terræ Sanctæ numerus. 37
Poſonium, hodiè Presbourg, Civitas inclyta & Epiſcop. Pannoniæ Primæ. 147
Potentia Urbs Epiſcop. Brutiorum. 136
Potentianus creditur fundaſſe Senonenſem Eccleſiam. 157
Poteſtas Præfectorum Prætorio, quæ? 69
Præfecti, qui? Ibid.
— Præfecti Urbis & Vicarii diſcrimen, quod? 130
— Prætorio, eorumque Poteſtas, quæ? 69, 75
— Adminiſtrandis Provinciis Cæſaris Majoribus, quomodo appellabantur? 69. Minoribus. Ibid.
-- Prætorio, quot fuerunt Vicarii? 129
— Adminiſtrandis Provinciis Populi, quomodo appellabantur? 69
Præfectura, quæ? 77
Præfectura Urbica, quænam? 130. Sub Nomine Præfecturæ quandoque Sacerdotia veniebant. 73
In quot Præfecturas diviſum utrumque Imperium Orientale, & Occidentale? 76
Præfectura quot in Orientali Imperio? 78
— Quot in Occidentali Imperio? 127
— Orientis quot Diœceſes ſubjectæ? 78
Occidentis quot? 127
Præfectura Conſtantinopoleôs. 108
— Illyrici Orientalis. 110
— Italiæ. 128. Quomodo appellata? Ibid. Quot in ea Diœceſes ſeu Vicariatus? Ibid. Prima Diœceſis, quæ? 129. Secunda, quæ? 138. Tertia, quæ? 145. Quarta, quæ? 148
— Secunda Occidentis, quæ? 154. Unde illi hoc nomen? Ibid. Quæ ejus ſedes fuere? Ibid. Quot Provincias complexa, & Diœceſes? Ibid. Prima. 155. Secunda. 166. Tertia. 173
Præfectus Auguſtalis, quis? 69
Præneſte Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Prærogativa Liberarum Gentium, & Urbium apud Romanos, quæ? 62. Quanti has Prærogativas fecerint? Ibid.
— Conſtantinopoleôs & Epitheta. 107
An ſub Præſidentiæ nomine quandoque Sacerdotia venerint? 73
Præſides, quinam? 69
— quot ſub Vicariis? 156
Præſidiales Provinciæ, quæ? 69
Prætores, quinam? Ibid.
Precarium illud omne quod de Occidente univerſo Romano Pontifici ſubjecto aſſerunt Pontificii. 127
Precum Ritus in Hibernicis Eccleſiis diverſi a Romanis. 177
Presbyteri Johannis, ut putatur, Regnum, quodnam? 187. An ſit Rex Æthiopum? Ibid. An regnavit in Sinis? 189
Preſtegiani cognomen Perſicum, quid ſignificet? 189. Unde à Luſitanis dictus ſit Rex Æthiopum? 191
Preſter-Chan vox Perſica, quid ſignificet? Ibid.
Pretioſus Johannes quid ſignificet? Ibid.
Priene Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Primates, qui? 77
— Africæ. 150
Primatis appellatio an nata tempore Tertulliani & Cypriani? Ibid.
— Quando auditi in Africa, Hiſpaniis, Galliis? Ibid. & 151
— Primatum qui? Ibid.
— An primis Seculis fuerint quædam in Galliis jura Primatum vel Exarchorum in Epiſcopos vel Metropolitanos reliquos? 157
— Honor quidam, quibus Epiſcopis in Galliis delatus? Ibid.
— Quando emerſerunt in Galliis qui ſupra alios ejuſdem Regionis Metropolitanos caput efferrent? & unde hoc factum? Ibid. & 158. Vid. ſuprà Patrocli.
Primas Sirmienſis quibus præeſt? 145
— totius Angliæ, qui? 176
— Angliæ ſimpliciter, quis? Ibid.
Primatus olim Thraciæ Diœceſeôs, quinam? 106
Principis prima cura quæ eſſe debet? 73
Princeps Alamundarorum Hira imperans ad fidem Orthodoxam converſus. 190
Sub Principatûs nomine quandoque Sacerdotia veniebant. 73
Probi Imperatoris patria. 145
Proclianus Vicarius ſpeciatim quinque Provinciarum. 155
Proconſules, quinam? 69. Extraordinarii, qui? Ibid.
Proconſulares Provinciæ, quæ? Ibid.
In quot Proconſulatus diviſum utrumque Imperium Orient. & Occid. 76
Procuratores, quinam? Ibid.
Prodigium factum in Monte Eroge, unde juxta Joſephum? 56
Promontorium Actium. 116
— Cimbricum. 202
Pro-Præfectus, quis? 154
Pro-Prætoria Provincia, quæ? 69
In promulgandis Legibus qui mos olim obſervatus? 128
Προσάλης, quis? 68

Digitized by Google

Provinciæ quæ dictæ? 66, 77
— *Earum Origo, & diverſa Conditio.* Ibid.
— *Civiles primitùs, quot?* 79
— *Suburbicariæ, quænam?* 67. *Quando & unde ſic dictæ?* 108, 130
— *Factæ Romanæ ex Regnis ante Auguſtos, ſub Auguſtis, quomodo?* 68
— *Populi, Cæſaris, Majores, Mediæ, Minores, Proconſulares, Legatoriæ, Præſidiales, quænam?* 67, 69
— *Auguſtales, quæ?* 69. *Prætoriæ, Proprætoriæ?* Ibid.
— *Earum Conditio, Dignitas, Ordo ex Magiſtratibus & Rectoribus earum intelligebatur.* 68
In Provinciæ formam Regna quæ redacta? 71
Provincia ex pluribus Epiſcopatibus conſtabat. 77
Provinciæ ſubjectæ Præfecturæ Orientis, quæ? 78, 79
Provincia Prima, Primæ Diœceſeôs Orientis, quæ? 79. Vid. *reliquas ſuis locis.*
Provinciæ Diœceſeôs Ægypti, primitùs tres, quot deinceps additæ? 87
Provincia Auguſtamnica, duplex. 90. *Ejus Termini.* Ibid.
Provinciæ Diœceſeôs Aſianæ quot memorentur excepta Aſiana? 92
Provincia quam Romani Aſiam vocarunt, quænam? 93
Provinciæ Ponticæ Diœceſeôs quot? 99
—— *quæ Thracicæ Diœceſi ſubjectæ?* 107
—— *quot complexum eſt totum Illyricum?* 111
—— *quot in Præfectura Italiæ?* 129
—— *Eccleſiaſticæ Rom. Pontificis, quæ?* 130
—— *quot paruerunt Urbis Vicario?* Ib.
—— *Omnes quæ Vicario Urbis paruerunt, an fuerint Urbicariæ, vel Suburbicariæ?* 131
—— *Prima Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ, quæ?* Ibid.
—— *Additæ Diœceſi Italicæ, quæ?* 138
—— *quot in Italia?* 139
—— *quinque, quæ?* 154, 156
—— *Earum Vicarius, quis?* Ibid.
—— *Galliarum, quot Conſulares, quot ſub Præſidibus?* 156
Provincias (inter) aut Metropolitanos, an certus ordo fuerit à principio? 157
—— *Septem Galliarum, quomodo à decem prioribus diſtinctæ in Notitiis Antiquis?* 163
—— *Hiſpaniarum Eccleſiaſticæ, quæ?* 166
—— *Britannicæ Diœceſeôs, quæ?* 178
Provinciæ Barbaricæ in Aſiâ. 183
— *Barbaricæ in Africâ.* 190
— *Barbaricæ in Europâ.* 193
Provinciis Populi gubernandis Præfecti, quomodo dicti? 69
Provincia Pentapolitana ſub Exarchatu Ravennatenſi, quæ? 141
Pruſa ad Hypium Fluvium, nunc Burſa, *Urbs Epiſcop. Bithyniæ.* 104. *Quomodo aliter dicta?* Ibid.
—— *Regia Ottomanorum in Honoriade Provinciâ.* 103
Pruſſi Populi, ubi? 194

Prymneſia Urbs Epiſcop. in Phrygia Salutari. 95
Pſephina Turris. 52
Pſeudo-Abdias. 189. *& paſſim alibi.*
Ptolemæus Geographus. 187. *& paſſ. alibi.*
Ptolemaïs. 34. *Olim Acco, Europæis hodiè Acon, Urbs Epiſcop. Phœniciæ Primæ.* 81
Ptolemaïs Cyrenaica Metropolis Libyæ Superioris. 89
Ptolemaïs ad Nilum Metropolis in Eccleſiaſticis Thebaidôs Secundæ. 91
Ptyaſa Civitas Epiſcop. addita Ponti Polemoniaci Provinciæ. 102
Puglia-Plana Regio, quæ? 135
Pule S. Script. quæ Bocharto? 91
Puteoli Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 132
Pygmæi, qui Populi vocantur, eorumque Sedes. 192
Pyrrhi Regia ubi? 116
Pyrſaolis, vel Perſulis, Urbs Epiſcop. Rhodopes Provinciæ. 108

Q.

Quadi Populi, eorumque ſedes. 147, 197, 201. *Quibuſcum eos conjungit Tacitus?* 201
Quæſtores, qui? 69, 70
Quinſay, quæ Civitas? 189
S. Quintin, vid. *Auguſta Veromanduorum.*
Quintina Caſtra, Urbs Epiſcop. Secundæ Rhætiæ. 144
Quirites, unde dicti? 134

R.

Rabba, vel Rabbatha, Civitas Regia in Tribu Gad, in qua aſſervatus lectus Ogi Baſanitarum Regis. 27
Rabbath Regia Ammonitarum, quæ deinceps credita? 14
Rabbath-Moab, Moabitarum Metropolis, quomodo aliter dicta? Ibid.
Raceburgenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Radbodus Friſiorum Rex, Friſiâ pulſus, quomodo? 200
Ramah Urbs in Tribu Benjamin. 30. *Quæ & Ramatha,* Α'ρμαθᾶ, *Arimatha, vel Arimathea dicta eſt.* 58
Rameſſes, vel Rameſes. 12. *Nomen fuit antiquiſſimum Ægypti Regibus.* Ibid.
Ramoth-Galaad, quæ & Ramoth-Maſpha, & Maſpha ſimpliciter, Civitas Præſidialis & Refugii in Tribu Gad. 26
Raphaël Urbinus Pictorum princeps. 141
Raphaïm Gigantes. 22. *Ubi?* 23
Raſcia Regio quæ? 194. *Pertinuit ad Hungariæ Regnum.* 195
Ratisbone, vid. *inf. Reginum, Regium.*
Ravennatenſis independentia primitùs ab Epiſcopo Romano. 138
— *Civitas Sedes Archiepiſcopi totius Flaminiæ, Æmiliæque.* Ibid.
— *quàm diutiſſimè Romani Pont. Jugum neſcivit?* 139
Ravenna, Græcorum Colonia fuit, Metropolis Flaminiæ. 141
Reate inclyta & princeps Sabinorum Urbs Epiſcop. Piceni Suburbicarii. 134
Recaredus Rex Arianus in Hiſpania, quando factus Catholicus? 167
Recob, vid. *inf. Rohobo.*
Rectores, qui? 69
Rectorum Romanorum nomina ut aliquando communia, aliquando propria? 68. *Unde pendebant propriæ illorum appellationes?* 69
Reformationes in Britanniis inſtitutæ ſine Romani Pontificis Auctoritate. 177
Reges plurimarum Gentium, quomodo dicti à Romanis? 70
— *Alii hæreditarii.* Ibid.
— *Alii electi.* Ibid.
— *Alii reſtituti aut confirmati.* Ibid.
— *frequenter Romam proficiſcebantur obſequium præſtaturi.* Ibid. *Cæſares Dominos vocabant, ſupplicesque adorabant.* Ibid.
— *Dona mittebant fidei & obſervantiæ pignora.* 71
— *Templa, Sacrificia, Urbes Romæ & Cæſaribus dicabant.* Ibid.
— *ſubditi Romanis ab ipſis mutuabantur Inſignia Regni.* Ibid.
Reggio Urbs Epiſc. Æmiliæ. 140
Regia Achabi. 33
— *Ammonitarum.* 14
— *Barchochabi.* 30
— *Bojariæ Ducum.* 145
— *Minois.* 118
— *Pyrrhi.* 116
— *Salomonis in qua parte Hieroſolymæ ſita?* 53
— *Saulis.* 30
Regimen Hiſpaniarum Civile & Eccleſiaſticum. 168
— *Galliarum Civile ſub quibus?* 156. *Quid ſummatim obſervandum circa Eccleſiaſticum?* 157
— *Britanniarum Civile ſub quibus?* Ib.
— *Eccleſiaſticum ſub quibus?* Ibid.
— *Priſtinum Scotiæ Eccleſiæ.* 176
Regina Theodelinda Agilulphum Maritum ſuum induxit, ut pro Ariana Catholicam fidem amplecteretur. 198
Reginum, Regium, & Reginæ Caſtra, alias Ratisbone, *Urbs Epiſcop. Secundæ Rhætiæ.* 141
Regio Abilene. 43
Arbelis. 35
Auruncorum. 132
Bulgaria. 123
Chamath. 35
Chorazitarum. Ibid.
Decapolitana. 41
Emathea ubi ſita? 34
Epirotarum. 116
Faleſiorum & Faliſcorum. 134
Georgiana. 105
Gergeſſæorum. 35
Geſſurorum. 42
Habaſſia, vel Habeſſina. 191
Hammoniaca. 90
Iſmaelitarum, ac Gentium vicinarum. 14
Ituræa. 42
Latina, quænam? 130
Magdalenſium. 35
Moloſſorum Provincia Romanorum facta, quando? 67
Mortis. 56
Paneadis. 35
Peræa. 23, 26
Pieria. 82

Pu-

Digitized by Google

— Puglia Plana. 135
— Samnitum. Ibid.
— Trachonitis. 42
— Turcitana, ubi? 188
— Vallenſis, hodiè Le Valais. 163
— Volſcorum. 132
— dicta Pentapolis in Flaminiâ Provinciâ, quæ? 141
— dicta Septimania in Prima Narbonenſi, quænam? 165
Regiones Trans-Euphratenſes ſupra Tigrim, quando Provincia Romanorum factæ? 68
— Dacia Vetus, appellata, quæ? 119
— ſeu Provinciæ Urbicariæ, & Suburbicariæ, quæ, & quot? 130
— Suburbicariæ quæ conſtituerunt Metropolim Romanam, quæ? Ibid.
— quæ pertinuerunt ad Regnum Hungariæ. 195
Regnum Galliæ, quid? 163
Regna in Provinciæ formam redacta, quot modis? 71
— Fœdere Romanis innexa. 70
Regni inſignia a Romanis mutuabantur Reges iis ſubditi. 71
Regnum Aſtracanenſe. 184
— Aurelianenſe. 199
— Bengalenſe. 187
— Britonum. 179
— Burgundicum. 198. Quandiu Arianiſmo infectum? Ibid. Diviſum in duas partes, poſt utrumque conjunctum. Ibid.
— Caſanenſe. 184
— Franciæ. 199. Diviſum in Regna quatuor pro Clodovei Filiorum numero. Ib.
— Lyſaniæ. 43
— Presbyteri Johannis, ut dicitur? 188. An ſit in Æthiopia? Ibid.
Regum obligatio erga Populum Romanum. 70
— Ægypti nomen antiquiſſimum, quod? 12
Reii, vel Albece Reiorum Apollinarium, (Gall. Riez.) Urbs Epiſcop. ſub Aqu. Sext. Metropolitano in Narbonenſi Secunda. 166
Reliquiæ Apoſtoli Jacobi ubi creduntur, & coluntur? 170
Remi, vid. Rhemi.
Remiſſiana, Remiſiana, Urbs Epiſcop. in Dacia Mediterranea. 125
Rephaim Vallis. 57
Reſchit-Chan Princeps regni inter Bogar & Cathay, ubi Chriſtiani fuiſſe creduntur. 188
Reſcriptum expreſſum, imò dictatum à Leone Epiſcopo Romano. 128
Reſſania Urbs Epiſcop. in Meſopotamia. 86
Retiaria Myſorum Urbs Epiſcop. Daciæ Ripenſis. 125
Rha Fluvius. 123. Byzantinis Scriptoribus quomodo dicitur? 183
Rhætia Provincia Romanorum facta, quando? 68
— ubi incipit? 200
— Prima, quæ & Sexta Provinciarum Italicæ Diœceſeôs, Termini. 144
— Quot fluvii primis originibus ex ea fluunt? Ibid.
— Secunda ſeptima Provinciarum Italicæ Diœceſeôs, dicta Vindelicia. Ibid. Quid complexa; Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
— utraque Præſidialis Provincia fuit & malè non Italicæ Diœceſi, ſed Illyricæ adſcribitur. Ibid.
Rhaſina, vid. Reſſania.
Rhegium Metropolis Calabriæ. 135
— dicta Brutiorum & Rhegium Julium Metropolis Lucaniæ & Brutiorum, tam in Civilibus, quam in Eccleſiaſticis. 136
— Cui deinde ſubjiciendum in Eccleſiaſticis? Ibid.
— An ſubeſſet Sedi Conſtantinopolitanæ tempore Hieronymi merito dubitatur. Ibid.
Rhemenſis Campania in Francorum Ditione, quando ſenſim æmulus Trevirenſis, ſupra reliquos Belgicæ Secundæ Epiſcopos caput efferre cœpit? 158
Rhemi, Remi, Metropolis Belgicæ Secundæ Trevirenſis in Eccleſiaſticis ſoror & æmula. 159
— Quibus rebus illuſtris? Ibid. Ducatus ac Pariatus Franciæ primarius. Ib.
Rhemigius Epiſcopus. Ibid.
Rhenus Galliarum Fluvius. 155, 197. Ejus origo. 144
Rhinocorura, vel Rhinocolura, 19. Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ primæ. 90
Rhizana ad Sinum Rhizonicum Maris Hadriatici, Urbs Epiſcop. Provinciæ Prævalitanæ. 118
Rhodanus Galliæ Fluvius. 155
Rhodanuſia Colonia, quæ? 161
Rhodope ſecunda Thraciæ Provincia, Præſidialis fuit. 108. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Rhodus Inſula, ubi? 94. Cui olim ſacra? Ibid. Sedes ut plurimum Præſidis Romani. Ibid. Ejus Epiſcopus poſtea Archiepiſcopus factus. Ibid.
Rhotomagus Emporium ſitu opportunum, Gall. Rouen, Metropolis Secundæ Lugdunenſis. 161. Sub quo Primate diu fuit in Eccleſiaſticis? Ibid. A quo tempore αὐτοκέφαλος, & Normanniæ Primas evaſit? Ibid.
Rigaltius in Cyprianum. 149
Rimini, vid. Ariminium.
Ritus Ordinationum, Precum, in Britannicis Eccleſiis à Romanis diverſi. 177
—— Ordinationum in Britanniis ſine Pontificis Rom. auctoritate, quando? Ib.
A Ritibus quibuſdam Chriſtianis obſervatis apud Mexicanos, Tucatanos, Peruanos quomodo conjectant quidam jam olim Chriſtianiſmum apud eos penetraſſe? 204
Rodez, olim Civitas Rutenorum, Urbs Epiſc. in Aquitania Prima. 164
Rohobo Urbs Levit. in Tribu Aſher. 34
Rollo Dux Nordmanorum quâ lege poſſeſſionem Normanniæ nactus? 203
A Româ ſubmiſſorum Monachorum ſollicitudo præcipua, quæ? 176
Romani quare quibuſdam Civitatibus Libertatem modò ademerunt, modò reſtituerunt? 61
Romanum Emporium, quod dictum? 190
a Romano Pontifice Eccleſiarum Gallicanarum dependentia qualis & quando? 158
—— An ullum omninò ejus auctoritatis in Galliarum Eccleſias exemplum totis quatuor prioribus Seculis? Ibid. quando eam exercere cœpit? Ibid.
—— An ſine ejus auctoritate coactæ Synodi, Reformationes inſtitutæ, Ritus ordinati, Hæreſes damnatæ, in Britannicis Eccleſiis fuerint? 177
Roxolani, quaſi Ruſſi Alani, eorum ſedes. 195, 196
Ruben Tribus. 25. Ejus Termini; qualitas iſtius Regionis. 26. Montes, & Urbes præcipuæ. Ibid.
—— Quomodo hæc Regio cum Gaditicâ ſtrictius deinceps fuit appellata? Ibid.
Rubico, Amnis. 141
Rufini Præfecti Prætorio patria. 165
Rugia Inſula. 121
Rugii Populi, Vandalica Gens. 121, 197
Rungonia Civitas Epiſcop. Mauritaniæ Cæſarienſis. 154
Ruſpæ Urbs Epiſcop. Byzacenæ. 153
Ruſſi ubi? 194. Scythiæ Europææ Populi: Eorum priſtinæ ſedes quæ? Ibid. pars cui Imperatori ſubjecta? 196
Ruſſia Chriſtiana. 185, 196
—— Magna, quæ? 184
Rutheni, quando converſi ad Chriſtum? Ibid.

S.

Sabæi Arabiæ Felicis Populi. 190
— Quomodo aliter aliquando dicti? 191
— Ad eos facta Legatio Conſtantii Imperatoris, quando? 190
In Sabaria Hungarica Civitate ſepultum ferunt Ovidium. 147
Sabata, Sabatia, vide Savo, Savona.
Sabbaticus Fluvius, quis creditus à Judæis? 36
Sabbatum obſervant Abaſſini, quare? 192
Sabaudi Populi, qui & ubi? 163
Sabe Campus. 33
Sabinianus creditur fundaſſe Senonenſem Eccleſiam. 157
Sabiona, vel Sabio, Urbs Epiſcop. in Provincia Venetiæ & Hiſtriæ. 143
Sacerdotia adminiſtrata cum poteſtate Dynaſtarum, ſeu Civili. 72
— Quandoque nomine Principatûs, Præſidentiæ, Præfecturæ an venerint? 73
Sacerdotum Atrium. 54
Sacrificia in honorem Romæ & Cæſarum offerebantur. 71
Sagium (Seez) Urbs Epiſcop. in Secunda Lugdunenſi. 162
Sagonna, Saona, hinc (la Saone) Galliarum Fluvius. 156
Saguntus Urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis Provinciæ, quâ re memorabilis? 171
Sala Fluvius unde fluit? 201
Sala, vel Salle, vid. Scarabantia.
Salamis Inſula Cypri prima Metropolis. 84
Salem Melchiſedeci quæ fuerit? 16
Salernum Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 132
Salii, alias Franci, ut ſe in Sylvam Hercyniam extenderunt, & ad Mœni, Nicrique ripas? 200
Salim in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ Sedes & Regia Melchiſedeci ſecundum Hebræos. 32
Salisburgum (Salzbourg) quid fuit? 146. A quo fundatum? Ibid.
Salmantica, Urbs Provinciæ Luſitaniæ. 170
Salmaſius, 99, 112, 149. & alibi paſſim.
Salomonis ſtructura, quæ? 48

Digitized by Google

Salomonis Regia in qua parte Hieroſolymæ ſita? 53
Salona Metropolis Dalmatiæ. 148
Salonich, vid. Theſſalonica.
Salus Populi prima cura Principis. 73
Samaria quomodo aliter dicta? 31, 39
Samariæ Termini, & quid complexa? 38
— Metropolis, quæ? 39
Samariobriva Ambianorum, vid. Ambianum.
Samnium, ſeu Samnitum Regio, cui paruit? 131. Qui Populi ab eo detracti? 135
— Quæ Provincia Primæ Diœceſeôs Italicæ Præfecturæ? Ibid. Ejus Termini; quot Populos & Regiones olim & hodie complexa? Ibid.
— Caput Regionis; Urbes aliæ Epiſcop. Ib.
Samo-Getæ Populi, qui & undè dicti? 193
Samoſa Metropolis Provinciæ Euphratenſis. 85
Samoſata Metropolis Syriæ Comagenæ. Ibid.
Samſon Menevienſis in Wallia Epiſcopus, quò ſedem ſuam tranſtulit? 162
Sanitium, Saneſio, Urbs Epiſcop. in Alpibus Maritimis. 166
Sanct-Andreanus alter Scotiæ Primas. 176
Santones, vel Sanctones, (Saintonge, mendosè Xaintonge) ſub quo fuerunt Metropolitano? 165
Saphara, (hodiè Saphar) undè Sapharitæ, Metropolis Arabiæ Felicis. 190
Sapinum Urbs Epiſcop. Samnii. 135
Saraceni, quomodo dicti Arabibus? 15
— Quando irruptionem fecerunt in Hiſpanias? 168
Saracenorum Moſes quidam primus Epiſcopus ordinatus. 190
Sardes, (hodiéque Sard) Conſularis Lydiæ Civitas & Metropolis. 65, 96
— Quis ejus Epiſcopus primum ſibi vindicavit locum in Provinciâ Eccleſiaſticâ Lydiæ. 65
Sardica, vel potiùs Serdica, (hodiè Sophia) Metropolis quondam Daciæ Mediterraneæ, ut Civilis, ſic Eccleſiaſtica. 124
Supra Sardicenſem Theſſalonicenſis quæ Jura exercuit? Ibid.
— An fuerit Colonia? 125
— Sedes deinceps Deſpotarum Serviæ. Ibid.
Sardinia in Provinciam redacta. 67. Urbis Romæ Vicario paruit. 131
— fuit Præſidialis ſub Rationali Siciliæ. 137. Ejus Metropolis. Ibid.
Sarepta Civitas in Tribu Aſher. 34
Sarmatæ Aſiatici, qui & ubi? 183
Sarmatia duplex, Europæa. 121
— Aſiatica. 123
Sarmaticæ & Scythicæ Gentes, & omnes aliæ quæ ad Boream ſitæ ſunt, quâ linguâ uſæ ſint? 194. Ubi conſederunt egreſſæ ex Sarmatiâ Aſiaticâ? Earum Converſio ad fidem Chriſtianam. Ibid. 195
Saron Civitas in Tribu Gad. 26
Sarona Civitas in Dimidiâ Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ. 32
Sataſi, vel Sataſa Mauritaniæ Civitas Epiſcop. 153
Satala Urbs Epiſcop. Armeniæ Primæ. 101
Satrapiæ Philiſtinorum & Urbes. 24
Savaria, vel Sabaria, vid. Scarabantia.
Savia pars Pannoniæ Secundæ, dein avulſa, quæ poſteà facta Provincia? 147. Ejus Termini; quid complexa; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Saulis Regia. 30
Savo, Savona, patria Gregorii VII. Hildebrandi dicti, Urbs Epiſcop. in Provinciâ Liguriæ. 139
Sayd, vid. inf. Sidon.
Saxones Populi quinam? 122
— quomodo aliter dicti? 199. Eorum primæ ſedes, ubi? Ibid.
— quò Albi Fluvio ſuperato conceſſerint? Ibid.
— quarum Gentium nomina in nomen Saxonum coaluit? Ibid.
— In quot Populos diviſi Caroli M. tempore? Ibid.
— Eorum diſtinctio in Novos & Veteres, quæ? Ibid. Novi poſteà quomodo dicti? Eorumque ſedes. Ibid.
— quando Tributarii Francis facti? 200
— quando & quomodo admiſerunt Fidem Chriſtianam? Ibid.
— An Pontificis Romani interventu Baptiſmum ſuſceperint? Ibid.
— Illos mobiles ut coërceret Carolus M. Epiſcopos ſeculari gladio armavit. Ibid.
Scaligeri patria. 165. Citatus. 156. & paſſim alibi.
Scandia, quaſi Scantzia, Scandin-aw, undè ità dicta? 202. Quomodo habita à Plinio? Ibid.
— qui Germaniæ Populi ex eâ primitùs egreſſi? 193
— ubi hodiéque eorum nomen retentum? Ibid.
Scandinavia, vel Scandinovia, vid. Condanonia.
Scandinaviæ Populi, qui? 202
Scania, vel Sconia, Scandinaviæ Continens, unde dicta? Ibid.
Scavabantia, Savaria, vel Sabaria, Sala, vel Sale, Petovium, vel Petavium (Pettau) Urbs inclyta, & Epiſcop. in Provinciâ Pannoniæ Primæ. 147
Scenæ Mandræ, vel Mandrorum, Urbs Epiſcop. Auguſtamnicæ Secundæ. 91
Schomron, ſeu Samaria. 31, 39
Sciſſia, Sciſciana ad Savum ſita, Urbs Epiſcop. Saviæ. 147
Sclavi, Sclavini Populi, quando noti? 156. quid vox illa ſignificet apud Gallos, Italos, Germanos, &c. Ibid.
Sclavinia, Sclavonia, Gens Sarmatica. 123. Ubi prima ejus ſedes, quò deinde diffuſa? Ibid.
Sclavonicæ originis Gentes plurimæ. 123, 195. Vid. Slavi.
Scopi, vid. inf. Scupi.
Scoti, qui & Sciti, Scytæ, ſunt Scythici generis. 203. Eorum primæ ſedes, quæ? 176. Eorum nomen inditum Albaniis, vel Albinis. Ibid.
— Auſtrales, qui? Ibid. Subacti ab Anglo-Saxonibus, quando? Ibid. Eorum Eccleſiæ quandiu Eboracenſi Metropolitano ſubjectæ? Ibid. Malcolmo III. Regi primam Epiſcopatuum inſtitutionem adſcribunt. Ibid. Proprios Metropolitanos acceperunt, quando? Ibid. Schiſmatici habiti, quando? 177
Scoticæ Eccleſiæ, ac earum priſtinum Regimen, quod? Ibid.
Scordini Provincia Rom. facti, quando? 68
Scupi, vel Scopi, Metropolis Dardaniæ Europææ. 126
Scutari, vid. inf. Sodra.
Scythia ad Danubii oſtia Provincia Rom. facta, quando? 68. Quæ Provincia Diœceſeôs Thracicæ. 109. Ejus Termini. 109, 110. Ejus Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. 110
Scythiæ Aſiaticæ Eccleſiæ. 183
— Europæa, quæ? 193
— An in ea defuerint Eccleſiæ Chriſtianæ? Ibid.
— Parva, quænam & ubi ſita? Ibid.
Scythicus Limes, quid? 110. Quot Naves in hoc Limite habuerit Imperator? Ibid.
Scythici generis ſunt Scoti, & Sciti, Scytæ, Picti. 203. Vid. Scoti.
Scythopolis, olim Bethſan, in Tribu Iſſachar, Metropolis Palæſtinæ Secundæ. 80
Sebaſte, Sebaſtia, quæ Civitas? 39
— Sebaſtia Armeniæ Primæ Metropolis. 101
Sebaſtopolis Urbs Epiſcop. Colchidis. 184
Seboim Urbs olim Pentapoleôs Palæſtinæ. 22
Sectorium, vid. Tectorium.
Secundianus Arianus. 142
Secundus Numidiæ Primas. 152
Secuſtero, Gall. Siſteron, Urbs Epiſcop. ſub Aquar. Sextiar. Metropolitano in Narbonenſi Secundâ. 166
Sedes Amalekitarum. 14
— Ammonitarum. Ibid.
— Amorrhæorum. 23
— Cuthæorum. 39
— Eccleſiæ conſideratur quomodo? 5
— Et Regia Melchiſedeci, quæ ſecundum Hebræos? 32
— Epiſcopales Palæſtinæ Tertiæ, quæ? 81
— Mediolanenſis totius Diœceſeôs Italiæ Primatus. 138
— Vicariorum & frequentiſſimè Imperatorum, ſub Vicariis diverſis Roma & Mediolanum. Ibid.
— Duæ Metropolitanæ in Britanniis à quo tempore? 175
— Quatuor Archiepiſcopales ſurrexerunt in Hibernia. 177
Sedium Primarum in Galliis Epiſcopi, quibus Titulis in hunc diem ſuperbiunt? 158
Sedes Gergeſæorum. 23
— Girgaſchæorum. Ibid.
— Moabitarum. 14
— Noachi. 9
— Perizæorum. 23
— Phereziorum. Ibid.
— Voluptatis. 7
Seduni, quorum Civitas hodiè Sion, Populi ubi? 163
Sedunum, quò Epiſcopatus Octoduri Valenſium tranſlatus eſt, ſitum ad Rhodanum in Vallenſi Regione, hodiè le Valais, Urbs Epiſcop. ſub Metropolit. Tarantaſiæ. 163
Seduſii Populi, qui? 201. Marcomannis ſæpè juncti, quas ſedes habuerunt? Ibid.
Segalauni, vid. Valentia ad Rhodanum.
Segerbia, vid. inf. Segovia.
Segeſta Urbs Epiſcop. Siciliæ. 137

Digitized by Google

Segeſta Tigulliorum Urbs Epiſcop. in Provinciâ Liguria. 139
Segovia, Segobrigia, hodiè Segerbia, *Urbs Epiſcop. Tarraconenſis Provinciæ.* 171
Seguſiani, & eorum Civitas Seguſium, hodiè la Suze, *ubi?* 163
Seguſterum, vid. *Secuſtero.*
Sebir, vel Seir, Mons ubi ſitus? 13. *Egeſippi, Brochardi, Adrichomii circa eum Error, quis?* Ibid. *Origo iſtius Erroris.* Ibid.
— *Geminus ſecundùm quoſdam.* Ibid.
An unus tantum? Ibid.
Seleucia Babylonia an ſuos habuerit Epiſcopos? 186
— *Urbs Perſidis princeps Babyloniâ collapsâ.* Ibid.
— *Metropolis Iſauriæ, quæ?* 84
— *Babylonicæ Provinciæ, quæ?* 86
— *Piſidiæ, quæ & ferrea, Urbs Epiſcop. ejuſdem Provinciæ.* 97
— *Pieriæ Regionis Urbs inclyta Epiſcop. Primæ Syriæ.* 82
Seleucia varia. 84
Semaraim Urbs. 21
— *Montes.* Ibid.
Semneum, vid. *inf. Senna.*
Sempronii Forum, quod? 141
Sena, vel Siena, Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Senecæ patria. 169
Senes appellabantur etiam Primates quidam, quo ſenſu? 151
Senex Alypius. Ibid.
Senna eadem quæ Semneum, Urbs Epiſcop. Pamphiliæ Secundæ. 97
Senogallia, vel Sena Gallica, Urbs Epiſcop. Flaminiæ. 141
Senones unde dicti? olim Agedinum, Metropolis Quartæ Lugdunenſis. 162
Senonenſem Eccleſiam creditur fundaſſe Sabinianus. 157. *Quando ejus Primas omnium Galliarum & Germaniarum cum diſpendio Moguntini & Rhemenſis, Primas dici voluit?* 158
Senonum Umbriæ, quæ? 141
Septimania Regio in Galliis, unde ità dicta? 165
Septimia Col. Julia Auguſt. Metropolis, quæ? 153
Sepulchrum Davidis. 55
— *Pompeji Magni, ubi fuerit?* 90
— *Regum Hungariæ, ubi?* 147
Sepphoris, & Dio-Cæſarea, Urbs in Galilæa Inferiore. 40
Sequana Galliæ Fluvius. 156
Sequani Populi cujus Lugdunenſis? 162
Sera, ubi Metropolis fuerit? 189
Serdica, vid. *ſup. Sardica.*
Seres Populi, qui? 188. *Ubi ſiti?* 189. *Ad quos eorum appellatio extenſa?* Ibid.
— *Ab iis Serica Regio, & Serici uſus.* 189
— *Qui fuerint Veteribus?* Ibid. *Oceanus Sericus, quis?* Ibid. *Qui intelligendi qui cum Perſis & Medis Veritati Chriſtianæ coaluerunt apud Arnobium?* Ibid. *An eorum Regnum cognitum Romanis?* Ibid. *An in Æthiopia locati, & cum Indis Æthiopibus confuſi?* 191
Quo ſermone uſæ ſunt Phœnicia & Canaæa Gentes? 24
Servia ad quod Regnum pertinuit? 195
Sevilia, vid. *Hiſpalis.*
Sevilia la Veja, vid. *Italica.*
Shilo, vid. *inf. Silo.*
Siam, Sian, Samienſes, qui? 187
Siberi Populi, qui? 194
Siberienſe Regnum ubi? 184. *Quales ejus incolæ?* Ibid.
Sicambri Gens, quæ? 198
Sichem Metropolis olim Samariæ. 39. *Quis eam delevit?* Ibid.
Sichar Urbs Levitica & Refugii in Tribu Ephraim. 31. *Aſyli jure nobilis quare?* Ibid.
Sichor, qui & Fluvius Ægypti, limes Paleſtinæ ad Meridiem. 19
Sicilia quæ Provincia extra Italiam? 67
— *Cui paruit?* 131, 136
— *Cujus Regionis pars olim?* 136
— *Unde dicta Trinacria?* Ibid.
— *Cui adſcripta?* Ibid.
— *Quomodo repræſentata in Nummis?* 148
Sida, vel Syda, Pamphiliæ Primæ Metropolis. 97
Sidon ex poſteris Canaanis, à quo Sidonii. 21
—— *Hodiè Sayd Urbs Epiſcop. Phœniciæ Primæ.* 81
Sidyma Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Siena, vid. *ſupra Sena.*
Sigobrigia, vid. *Segovia.*
Silingi pars Wandalorum quam Regionem in Hiſpaniis occuparunt? 197
Silo, vel Shilo, Montana. 31
Siloë Fons. 57
—— *Vallis.* Ibid.
Simeonis Tribus. 28. *Qui ejus Termini, & Urbes?* Ibid.
Sinarum Imperium olim ignoratum. 6, 187. *Ad eos Serum appellatio extenſa fuit.* 189
Sini, vel Sinaus à quo ortus? 21
Sinicæ Regiones, ubi? 187
Sinope Urbs Epiſcop. Provinciæ Helenoponti. 102
Sinus Ambracius. 116
— *Arabicus quomodo aliquando dicitur?* 191
— *Barbaricus, quis?* 116
— *Codanus.* 202
— *Hadrumeticus.* 151
— *Iſſicus, unde dictus?* 83
— *Perſicus, quomodo à quibuſdam dictus?* 13. *An ſit pars Maris Erythræi?* Ibid.
— *Perſici & Arabici periplus, & in Mare Indicum effuſio.* 13, 14
— *Singiticus.* 116
— *Tarentinus.* 135
— *Thermaicus.* Ibid.
— *Venedicus, ſeu Mare Balticum.* 194
Sion Mons. 21
—— *Ejus Muri.* 53
—— *Situs.* 47
—— *Civitas Sedunorum, ubi?* 163
—— *Quomodò à Germanis dicitur?* Ib.
Sipontum Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Situs Domûs. 54
— *Templi.* 48
Sirmienſis, quis Primas? 145
Sirmium, vulgò Sirmiſch, *Metropolis partis Pannoniæ Secundæ.* 126, 147. *Sedes Præfectorum Prætorio Illyrici.* Ib. *Quando & quomodo totius Illyrici Caput?* 145
Sirpium Urbs Epiſcop. Samnii. 135
Sitifi, Metropolis Mauritaniæ Sitifenſis. 153
Slavi, Sclavi, Populi, ubi? 194. *Undè ita dicti?* 195. *Eorum priſtinæ ſedes, quæ?* Ibid. *Sub quibus nominibus Romanis cogniti?* Ibid. *In quas Regiones ſe effuderunt?* Ibid. *Quænam eorum Lingua?* Ibid. & 195
Slavonia ad quod Regnum pertinuit? Ib.
An Slavonicæ Linguæ commune aliquid ſit cum Hungarica? Ibid.
Slavonicæ originis Gentes plurimæ. 123. *Pars earum Gentium ad Chriſtum adducta, quando?* 196
Smyrna Proconſularis Civitas Proconſularis Ioniæ, & altera Aſiæ Metropolis. 64, 93
—— *Polycarpi Epiſcopatu & Martyrio inclyta.* 64
Socratis Locus explicatus. 98
Sodoma Urbs olim Pentapolis Palæſtinæ. 22
Sodra, hodiè Scutari, *Urbs Epiſcop. Provinciæ Prævalitanæ.* 118
Sol à Peruanis quomodo dictus? 204
Solicitudo præcipua Monachorum quos Roma ſubmittit, quæ? 178
Solvelt, vid. *Flavium Solvenſe.*
Solyma Urbs Epiſcop. Lyciæ. 97
Solymi Montes. Ibid.
Sophia Metropolis quondam Daciæ, ut Civilis, ſic Eccleſiaſtica. 124. *Sedes quoque Imperatorum.* Ibid.
Soria nomen undè? 12
Sors Duodecim Tribuum Iſraëlis. 24
Sors Levitarum. 25
Sortitione an opus fuerit in Trans-Jordanicâ Regione? 25. *Num item in Cis-Jordanica?* Ibid.
Σφαρηνῶν *Epiſcopus, quis?* 190
*Spalatum (*Spalatro*) Urbs Archiepiſcop. Maritima in Dalmatia.* 148. *Unde ejus nomen?* Ibid.
—— *quid in ea olim fuit?* Ibid.
Spalis, vid. *Hiſpalis.*
Speculatoriæ Naves quænam, & ubi? 110
A Spiritu Sancto quis fertur Apollinaris Primi Ravennat. Epiſcopi deſignatus ſucceſſor? 141
Σταυρόπολις *in Media Caria ejuſdem Provinciæ habita Metropolis.* 96
Stectorium, quibuſdam Tectorium, Urbs Epiſcop. in Phrygia Salutari. 95
Stellata undè dicta Campania? 132
Stephanus. 84. *& alibi paſſim.*
— *Baluzius.* 161. *& paſſim alibi.*
Stephani, Primi Hungarorum Regis, mater plurimùm contulit ad converſionem Hungarorum, quando? 195. *De Corona Regni ſui ab Angelo delata fabuloſa.* 199
Stobi, Colonia Romanorum, Urbs Epiſcop. Macedoniæ primæ. 116
Stobenſium Municipium Metropolis Macedoniæ Secundæ. 126
Stobiæ, Urbs Epiſc. Campaniæ Felicis. 132
Stratonis Turris, ſeu Cæſarea Philippi, cujus Gentis ſub Romanis Metropolis? 32
Στρατηγὸς, *quid, & de quibus dicebatur?* 68
Stratonica Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
Stridonium, Stridon, hodiè Strygna, *inclyta Pannoniæ Inferioris Civitas Epiſcop: Hieronymi patria, ubi ſita?* 147

Strigonium, *hodiè* Gran, *totius Hungariæ Metropolis Eccleſiaſtica*, *patria Stephani Hungariæ Regis.* 147
Stucci, *Acci*, *Urbs Epiſcop. Bæticæ Provinciæ.* 169
Studiorum Mater, *quæ Civitas dicta?* 81
Suani Lazis vicini, *qui Populi?* 185
Suburbicariæ Provinciæ, *quænam?* 67, 108. *Quando & undè ſic dictæ?* Ibid.
—— *& Suburbanæ Urbes*, *quæ & unde ſic dictæ?* 129, 135
—— *Regiones*, *quæ?* 130
—— *Mare*, *quodnam?* Ibid.
—— *Latium*, *quod?* Ibid.
—— *Tuſcia*, *quæ?* Ibid.
—— *Picenum*, *quod?* Ibid.
An Suburbicariæ fuerint omnes Provinciæ quæ Urbis Vicario paruerunt? 131
Succi Montes, *eorum anguſtiæ & plauſtra.* 77
Succoth unde ſic dictum? 12
Suedi, *vel Suicones*, *Sueones*, *quinam?* 202
Sueſſa Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 133
Auguſta Sueſſionum (Soiſſons) *inclyta Sedes Epiſcop. Belgicæ Secundæ.* 159
Sueſſionenſe Regnum, *quod?* 199
Suevi Populi, *quinam?* 122, 197
Suevia, *Suavia*, *unde Suevorum Gens*, *nobiliſſima & bellicoſa*, *Alemanorum patria*, *quid olim complexa?* 200
— *Quas in ſedes ſucceſſerunt?* Ibid.
— *Eorum Termini.* Ibid.
— *Eorum pars permixta Alanis & Vandalis*, *quodnam Regnum in Hiſpania erexerunt?* Ibid.
— *Strictè dicta*, *quæ?* 200. *Ejus Termini.* Ibid.
— *Unde nata ſit vox* Swabia? Ibid.
— *Quando*, *& ſub quo eorum Rege ex Ariana ad Catholicam Fidem revocati ſunt?* 201
Suevicum Mare, *quodnam?* 200
Suevus Fluvius poſteà, *quomodo dictus?* Ibid.
Sulmo Urbs Epiſcop. Valeriæ. 135. *Unde nobilis?* Ibid.
Sumatra Inſula, vid. *Taprobana.*
Σύμβυλοι, *qui?* 69
Suntgovia Regio, *ubi?* 200
Suppara, *veriùs Uppara*, *Emporium ad oſtia Goaris*, *ubi?* 190
Suza, vid. *Seguſium.*
Sybaris, *quæ olim Civitas?* 135
Syda Pamphiliæ Primæ Metropolis. 97
—— Vid. *Sida.*
Syene extremus Terminus Ægypti, *qualis?* 12
Sylva Hercinia, *quæ?* 200
Symbolum Africæ, *quod?* 148
Symmachus. 135. *& alibi paſſim.*
Synodi coactæ in Britanniis ſine Pontificis Romani auctoritate. 177
Syracuſa Metropolis Siciliæ in Eccleſiaſticis. 136
Syriæ vel Soriæ nomen unde? 12
—— *Quodnam apud Geographos?* 82
—— *An plures fuerint?* 12
—— *Salutaris.* 19. *Quando Provincia Romanorum facta?* 68. *Ejus Termini*; *Metropolis*; *Urbes Epiſcop.* 83
—— *Comagena*, *deinceps Euphratenſis*, *Provincia Præſidialis Romanorum facta.* Ibid. *Ejus Termini*; *Metropolis*; *Urbes Epiſcop.* 85. *Unde dicta?* Ibid.
—— *Cœle*, *vel Prima*, *Provincia Conſularis*, *Sexta Diœceſeôs Orientis.* 82. *Ejus Termini*; *Metropolis*; *Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid. *Tot Syriæ dictæ quot Urbes in eâ nobiliores.* Ibid.
Syria in Satrapias quatuor diviſa. Ibid.

T.

Taanak, *vel Thenach*, *Urbs Levitica in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ.* 32, 39
Tabernæ (*Tres*) *Civitas Epiſcop. in Latio Vetere.* 132
Tacitus, *quomodo Terram diſtribuit?* 61
Tagora, *vel Tagoſa*, *Urbs Epiſcop. Numidiæ.* 152
Tagus, *hodiè* Tajo, *Hiſpaniarum Fluvius.* 170
Tamerlanes, *ſive Temur-Leng*, *à quo deducit familiam?* 187
Tamnata, *vel Themna*, *Civitas in Tribu Danis.* 30
Tanais Fluvius, *ubi?* 193
Tanis Metropolis Ægypti Inferioris. 12
— *Urbs Epiſcop. in Auguſtamnica Prima.* 90
Tan-ju, *ubi?* 189
Tapharona, vid. *Saphara.*
Taphna Urbs Regia in Tribu Ephraim. 31
Taphes Urbs in quâ parte Ægypti? 11
Taprobana, *ſeu Zeilan*, *Inſula.* 189
—— *An Thomas illic prædicaverit Evangelium?* Ibid.
Tarantaſia quod oppidum? 163
—— *Quomodo hodiè dicitur?* Ibid.
Tarbe, *ejus Epiſcopus Tarvienſis*, vid. *Bigorrenſis.*
Tarbelli quæ Gens? 165
Tarentum Urbs Epiſcop. Apuliæ & Calabriæ. 135
Tarichæa Urbs in Galilæa Inferiore. 40
Tarracina Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Tarraco, *vel Tarracona*, *Metropolis quondam Civilis & Eccleſiaſtica Tarraconenſis Provinciæ.* 170. *Quomodo dicta aliquando?* Ibid. *Quota Hiſpaniarum Provincia?* Ibid. *Ejus Termini*, *& antiqui incolæ*; *quid hodiè complectatur?* 171. *Hodiè quomodo dicitur?* Ibid.
Tarſus Metropolis Ciliciæ Primæ, *ſeu Campeſtris.* 83
Tartaria Magna, *ubi ſita?* 187
—— *Minor*, *ubi?* 183
Tartaris quot Regna erepta? Ibid. *Archiepiſcopi quot in his Regnis?* 184
Tartarorum latiſſimum nomen, *quomodo*, *& de quibus dicitur?* 188. *A quibus*, *& quando ad Fidem perducti?* 189. *An in eâ perſtiterint?* Ib.
Tarteſſus Inſula, *quænam olim credita?* 169. *Hodiernum ejus nomen unde?* Ibid. & 172
— *Hiſpaniarum Fluvius*, *quod ejus hodiè nomen?* 169
Tarvienſis, vid. *ſupra Bigorrenſis.*
Tarviſium Urbs Epiſcop. in Provincia Venetiæ & Hiſtriæ. 142
Tatari Pericopenſes, *ſeu Crimenſes.* 193
—— *Qui Populi?* 194
Tavenſis, *ſeu Landavenſis*, *qui & Glamorgenſis*, *Epiſcopatus Britanniæ Secundæ.* 179
Tavia, *ſeu Tavium*, *Urbs Epiſcop. Galatiæ Primæ.* 102
Taurica Cherſoneſus, *ubi?* 193
Taurinum, *Bulgarorum linguâ* Belgradum, *Civitas inclyta Epiſcop. Saviæ partis Pannoniæ Secundæ ad confluentes Savi & Danubii.* 126, 147
— *Cis-Alpinum olim Metropolis in Secunda Diœceſi Italicâ.* 139
Teanum Urbs Epiſcop. Campaniæ Felicis. 133
Teatea Urbs Epiſcop. Samnii. 135
Tectorium, *quibuſdam Sectorium*, *Urbs Epiſcop. in Phrygia Salutari.* 95
Tectoſagi qui Populi, *& ubi?* 103
Teflis ad Chur, *vel Cyrum Fluvium*, *Civitas Epiſcop. Georgiorum.* 184
Tejum, *Tium*, *Tios*, *Urbs Epiſcop. Provinciæ Honoriadis.* 103
Telepte alia Metropolis, *& prima Sedes Byzacenæ.* 152
Teleſia Urbs Epiſcop. Samnii. 135
Telo Martius (Toulon) *Urbs Epiſcop. in Viennenſi Secunda.* 164
Tempe Theſſalica, *ubi?* 116
Templa olim Romæ Urbi, *& Cæſaribus dicabantur.* 71
Templi Hieroſ. Situs. 48
— *In qua parte Hieroſolymæ?* 53
— *Ejus Septum*, *Interius*, *Exterius.* Ib.
— *Gradus.* 54
— *Columnæ.* Ibid.
— *Pavimenta.* Ibid.
— *Longitudo & Latitudo.* Ibid.
— *Portæ*, *earumque Parietes.* Ibid.
Templum Oniæ, *ubi conditum?* 90
Temſa Urbs Epiſcop. Brutiorum. 136
Temur-Leng à quo ſe ortum dicit? 187
Tenos Inſula ubi? 94
Teos Urbs Epiſcop. Provinciæ Aſianæ. 93
Ternobum Civitas Mœſiæ Secundæ, *Bulgarorum Regia & Metropolis.* 125
Ternodurum, *Gall.* Tonerre, *Urbs Senonicæ Diœceſeôs.* 162
Terræ Diſtributio ſub tempus Dominici Natalis. 61
—— *Boreales & circa Circulum Articum olim incognitæ.* 6
Terra Sancta, vid. *Canaanis Terra.*
—— *Ejus Longitudo & Latitudo ſecundùm Scripturas*, *quæ?* 19, 20
—— *Ejus quanta amœnitas & fertilitas?* 21
—— *Ejus diſtributio ſub Templo Secundo.* 37
—— *Populorum & Urbium quantus numerus?* Ibid.
—— *Ejus Aromata.* Ibid.
—— *Ejus hodierna conditio*, *quæ?* Ib.
—— *Chus & Havila ubi quærendæ?* 8
—— *Goſen*, *ubi?* 12.
—— *Chabul*, *ubi?* 24
—— *Utz verus ſitus.* 13, 15, 16
—— *Thob in Tribu Gad.* 26
Terrarum novus Orbis qui dicitur? 173
Tetrarchæ qui dicti? 71
Tetrarchiæ, *quæ dictæ?* Ibid.
—— *Plures in unam conjunctæ.* Ibid.
Tetrachia Lyſaniæ. 43
——. *Galilææ.* 40
Tetrarchia Trans-Jordanicæ, *quæ?* 42
Teutones, *undè Teutſche*, *Theuſch*, *qui?*

Digitized by Google

quis? 201
Thabor Mons, ubi? 21
—— An in eo Chriſtus transfiguratus ſit? 33
—— Urbs in Tribu Zabulonis. Ibid.
Thadmor Mons à quo ſtructa putatur? 81
Thagaſta Numidiæ Civitas Epiſcop. in quâ natus Auguſtinus. 152
Thamiates Arcadiæ Heptanomi Urbs Epiſcop. 91
Thamnath, vel Thimnath-Serach, Urbs Levitica in Tribu Ephraim. 31
Thanac Urbs Levitica in Dimidia Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ. 32, 39
Tharſa, vid. infra Thirſa.
Thaſſus Inſula & Urbs Epiſcop. Macedoniæ Primæ. 116
Thatyris, & ſecundùm Bochartum Παθουρὴς, undè Paturites Nomos, Urbs Epiſcop. in Thebaide Secundâ. 92
Thebæ Phthiotica Urbs Epiſcop. Theſſaliæ Provinciæ. 116
—— Metropolis Thebaidôs in qua parte Ægypti? 11
—— Ægyptiæ Ἑκατόμπυλοι, etiam Θηβαὶς, alias Διόσπολις Magna, Heb. juxta Bochartum No-Amon. 91
Thebais quæ Provincia Diœceſeôs Ægypti? Ibid.
—— Ejus Termini. Ibid. Gemina fuit. Ibid.
—— A quibuſdam, qui vocatur? Ibid.
—— Prima Metropolis. Ibid.
—— Secundæ. Ibid.
Themna, vid. ſup. Tamnata.
Theman & Botzra in Dimidia Tribu Manaſſis Trans-Jordanica. 17
Theman & Botzra Idumæorum. Ibid.
Theodelinda Regina Agilulphum Maritum ſuum induxit, ut pro Arianâ Catholicam Fidem amplecteretur. 198
Theodomirus Rex Suevos ab Hæreſi revocavit. 170
Theodorias à Syria Prima reſecta, quæ? 82
—— Urbes in eâ Epiſcop. 83
Theodorus Gotthorum Epiſcopus ſubſcripſit Synodo Nicænæ. 194
Theodoſia, hodie Capha, vel Caffa, ad oſtium Iſtriani Fluvii, ampliſſima Civitas Epiſcop. Tauricæ Cherſoneſi. 193
Theodoſiopolis Urbs Epiſcop. Europææ Thracicæ. 108
Thermæ Urbs Epiſcop. Cappadociæ Primæ. 100
Thermopylæ, ubi? 116
Theſpiæ Urbs Epiſcop. Achaiæ. 114
Theſſalonica Civitas quomodo dicta? 113
—— Ejus nomen unde? Ibid.
—— Quanta Urbs & quot privilegiis aucta? Ibid.
—— Sedes Præfectorum Prætorio, & Caput totius Illyrici. Ibid.
—— Provincia tertia Diœceſeôs Macedonicæ. 116. Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Theſſalonicenſis an exercuit ſupra Sardicenſem jura quædam Patriarchica? 124
Theſſalonica quando Pannoniarum & Illyrici Metropolis? 140
—— Hujus Metropolitano dati Patriarchales Tituli. 112
Theſſalica Tempe. 116
Thibet, ubi? 189
Thimnath-Serac, vid. ſup. Thamnath.
Thina, quæ? 187
Thinites Nomos. 12
Thinitarum Regnum. Ibid.
—— Quæ ejus olim Regia? Ibid.
—— Quæ illi Civitas ſucceſſit? Ibid.
Thirſa Civitas in Dimidiâ Tribu Manaſſis Cis-Jordanicâ. 32
Thob Terra in Tribu Gad. 26
Thomas Apoſtolus an fundavit Eccleſias in India Orientali? 189
— An ſuperſint veſtigia quædam eum penetraſſe in Americam? Ibid.
Thomæ Pſeudo-Acta a Manichæis pridem conficta. Ibid.
Thomam Apoſtolum in Braſiliam penetraſſe, unde quidam conjectant? 204. Epicriſis Reverendi Auctoris de iſtis. Ibid.
—— Cananæus, quis? 190
Thraciæ nomen unde? 107
—— Omnis Provincia Romanorum facta, quando? 68
Thracica Diœceſis quæ dicta? 106
— Ejus Termini. Ibid.
— An ad Occidentem ſpectavit? Ibid.
— Quæ Civitas ejus Primatum tenuit? Ibid.
— Ubi Vicarii ejus ſedem habuerunt? 107
— Provinciæ ſubjectæ huic Diœceſi, quot? Ibid.
— Quando dicta Romania? Ibid.
Thracia, in ſpecie ſic dicta, quæ & Conſularis, Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. 109
Thraco-Getæ Populi, qui? 193
Thuringos, quando Bonifacius Moguntinus ab Ethnicâ ſuperſtitione ad Romanos Ritus revocavit? 200
Thurii, quæ Civitas? 135
Thuſcia, vid. Tuſcia.
Thyatyra. 64
—— Lydiæ olim Conſularis Civitas & Metropolis. Ibid. & 96
Thyle, quid? 202
Thyſſa-Getæ Populi, qui? 193
Tiberias Galilææ Inferioris Caput. 34
—— Unde celebris evaſit? 40, 71
—— Ab Herode Tetrarcha condita, unde ita dicta? 71. Vid. Cæſarea Philippi.
Tiberiopolis Urbs Epiſcop. Phrygiæ Pacatianæ Primæ. 95
Tibur, Tibura, Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Tibur Urbs Epiſcop. Valeriæ Provinciæ Suburbicariæ. 134
Ticini Fluvii origo. 144
Ticinum Urbs Epiſcop. in Inſubribus. 139
Tifernum Metaurenſe Urbs Epiſcop. in Flaminia. 141
Tifernum Urbs Epiſcop. Samnii. 135
Tigis Civitas Epiſcop. Mauritaniæ Cæſarienſis. 154
Tigiſis Urbs Epiſcop. Numidiæ. 152
Tigurini Populi Quintæ Lugdunenſis, qui? 162
Timenothyra Urbs Epiſcop. Phrygiæ Pacatianæ Primæ. 95
Tingi, hodie Tanger, Caput Tingitanæ Provinciæ, unde dicta? 172. Hæc Provincia, quando fuit ſub Primate Cæſarienſi in Eccleſiaſticis? 167
Tingitana Hiſpania ubi? 172. Præſidialis olim fuit. Ibid. Ejus Metropolis, quæ? Ibid. Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Tituli Magiſtratuum Romanorum, qui? 70
— Rectorum Urbium præcipuarum, qui? Ibid.
Titulo Cæſares Romani gaudebant, qui? 74. An eo uſi ſint Imperatores Chriſtiani? Ibid.
Quem Titulum omnes Patriarchæ Orientis ſervant, & alteri præmittunt? 124
— Quibus in hunc diem ſuperbiunt primarum Sedium Epiſcopi in Galliis? 158
— Francorum Regibus Primogeniti Eccleſiæ, & Chriſtianiſſimi Regis unde nati? 199
Tobol, vel Tobolka, ad Fluvium cognominem, Metropolis Regni Siberienſis. 184
Gallia Togata occupata à Gallis Senonibus, quando? 138. Vid. & ſup. Tarraco.
Tolerantia Muhammedis & ſequentium Chalifarum circa Religionem Chriſtianam, in quem finem? 190
Toletana Provincia, vid. Carthaginenſis.
Toletani Archiepiſcopi in Narbonenſem exercita primitus jura, quæ? 67
Toletum Carpetanorum Metropolis Carthaginenſis Hiſpaniarum Provinciæ. 171. Ejus Epiſcopus quomodo dictus? Ibid.
Toloſa (Toulouſe) Metropolis Narbonenſis Tertiæ, quando? 165
Tomos Metropolis totius Scythiæ. 110. Undè celebris facta? Ibid.
Toparchæ, qui? 72
Toparchiæ, quæ dictæ? Ibid.
Tophet Vallis. 57
Topiris, Topirium, Urbs Epiſcop. Provinciæ Rhodopes. 108
—— Subjecta Philippis Urbs Epiſcop. in Macedonia. 115
Torrens Arnon. 20
—— Seu Fluvius Ægypti Limes Palæſtinæ ad Meridiem. 19
—— Cedron unde ita dictus? 57
—— Kiſchion, vel Ciſon. 33
Trachon vox quid ſignificet? 42
Trachonitis Regio, quæ? Ibid.
Tractus Hiericuntis a Strabone quomodo dicitur? 7
—— Libani. Ibid.
Tragurium Peninſula, hodie Traou, Urbs Epiſcop. in Dalmatia. 148
Trajanopolis Metropolis Rhodopes Provinciæ. 108
Trajectenſes, qui? 160
Trajectum Inferius, vel Ulterius, Civitas Epiſcop. Germaniæ Secundæ. 161
Trallis Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
Trans-Jordanicæ Regionis Termini, qui? 24. Fuit ea Regio ſine ſortitione diſtributa inter duas Tribus cum Dimidiâ. 25
Trans-Jordanica Terra omnis, quæ? 41. Vid. Peræa.
Tranſpadani Populi, qui dicti? 138
Tranſſylvania, ubi? 194
Trapezus Urbs Epiſcopalis Ponti Polemoniaci. 102
Tres Tabernæ Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132

Treviri Sedes prima & ordinaria Præfectorum Prætorio, & Caput primum Præfecturæ Galliarum. 154. Quænam inter alias Metropoles Civitates? 156
— Metropolis Belgicæ Primæ. 159. An aliquid juriſdictionis in Secundam Belgicam, & in reliquas Metropoles habuerit? Ibid. Electoratus ac Cancellariatus illi annexus, quando? Ibid.
Tribuum Duodecim Iſraelis Sors. 24
— Asher, vel Aſſer, Termini, conditio Regionis, Urbes nobiliores. 34
— Benjamin Termini, Deſcriptio, Urbes principes. 29
— Danis Termini, Urbes præcipuæ. 30
— Ephraim Termini, Urbes inclytæ. 31
— Gad Termini, Regionis deſcriptio, & Urbium nobiliſſimarum. 26
— Iſſaehar Termini, Loca celebriora. 32
— Juda Termini, Sortis conditio, præſtantia, Urbes præcipuæ. 28, 29
— Levi. 24
— Dimidiæ Manaſſis Trans-Jordanicæ Termini, Urbes illuſtriores. 27
— Dimidiæ Manaſſis Cis-Jordanicæ Termini, Urbes celebriores. 32
— Nephtali Termini, Regionis conditio, Urbes aliæ nobiliores. 35
— Simeonis Termini. 28
— Zabulonis Termini, Montes inclyti, Urbes præcipuæ. 33, 34
Trica, vel Tricca, Urbs Epiſcop. Theſſalonicenſis Provinciæ. 116
Tridentum Urbs Epiſcop. in Provincia Venetiæ & Hiſtriæ. 143. Undè famoſa facta? Ibid.
Trigautius Jeſuita. 189
Trimontium, vid. Philippopolis.
Trinacria, quæ Regio? 136. Vid. Sicilia.
Tripolis Urbs Epiſcop. in Phœnicia Prima. 81
— Urbs Epiſcop. Lydiæ. 96
— Barbariæ, quomodo aliter dicta? 153
Tripolitana Provincia unde dicta? Ibid. Ejus Termini? Ibid. Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
Tripolitanum Regnum. 192
Troas ubi? 93. Urbs Epiſcop. Provinciæ Helleſponti. 94
Trocmi Urbs Epiſcop. Galatiæ Salutaris, vel Secundæ. 103
Throphimus creditur fundaſſe Eccleſiam Arelatenſem. 157
Tungri Populi, qui? 160
Tunquin Regnum, ubi? 187
Tunis, Tuniza, hodiè Barbarorum pyraticâ celebris, Urbs Epiſcop. in Africa Proconſulari. 151
Tunitanum Regnum. 192
Turcæ, qui? 188, 194. Et ad quos referendi? 188
— In quot Regiones effuſi ſunt? Ibid.
Turcitania, Turkeſtana Regio, ubi? Ibid.
Turcilingi, quæ Gens? 197
Turcomania Regio, ubi? 185
Turdetani Populi, qui? 169
Turonenſem Eccleſiam creditur fundaſſe Gatianus. 157
Turonenſis (Gregorius) citatus. 157. & alibi.
Turones, vel Turoni, (aliàs Cæſarodunum) Urbs nobiliſſima ad Ligerim, Metropolis Tertiæ Lugdunenſis. 162
Turris David. 52
— Emath. Ibid.
— Hananeel. Ibid.
— Hippicus. Ibid.
— Mariamne. Ibid.
— Meah Ophel. Ibid.
— Phaſelus. Ibid.
— Pſephina. Ibid.
— Antonia. 53
Turres intermediæ & ſupereminentes Hieroſolymæ. 52
Turris Stratonis, poſteà Cæſarea Palæſtinæ, Gentis Metropolis. 32
Tuſcania Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Tuſcia Suburbicaria, quæ? 130
— Omnis Vicario Urbis Romæ paruit. Ibid.
Tuſcia, vel Thuſcia, & Umbria Vetus, Tertia Provincia Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ, ſub uno Correctore fuit. 133
— Ejus Termini. Ibid.
— An Tuſciæ duæ? Ibid.
— Ejus Metropolis; Urbes aliæ celebriores. Ibid.
Tuſculum Civitas Epiſcop. in Latio Vetere. 132
Twere Ducatus, qui? 196
Tyana Metropolis Civitas Cappadociæ Secundæ. 100
Tyrrhenica, vid. Tarraconia.
— Cui permiſſum ſtruere Templum Anguſto, Urbs Epiſcop. in Tarraconenſi Provinciâ. 171
Tyrus, Tzor, & Tzur, Heb. corruptè Sur, Metropolis Phœniciæ Primæ. 81

V.

Vacca Rufa in Monte Oliveto combuſta. 56
Vada Sabatia, & Vada ſimpliciter, quæ Civitas? Vid. Savo, Savona.
Valentia quæ Provincia Britanniarum Diœceſeôs? 179, 180
— Unde ità dicta? Ibid.
— Ejus Termini, quos Populos complexa, quas hodiè Regiones? Ibid.
— Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
— Ad Rhodanum Urbs Epiſcop. & Caput Segalaunorum. 163
— Urbs Epiſcop. & nobiliſſimum Emporium in Provinciâ Carthaginenſi, ſeu Toletanâ. 171
— Urbs Epiſcop. in Provinciâ Viennenſi. 164
— Urbs Epiſcop. Brutiorum. 136
Valentiani III. Lex, quæ? 128
Valeria, quæ? 130
— Unde dicta? Ibid.
— Quid complexa? Ibid.
— A Samnio avulſa cui paruit? 131
— Quarta Provincia Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ. 134
— Quid olim, quid hodiè complexa? Ib.
— Ejus Termini, Urbes Epiſcop. 134, 135
— Ripenſis & Pannoniæ Secundæ, quæ Provinciæ? 148
— Quid hodiè complectatur? Ibid.
— Undè ſic dicta? Ibid.
Vallis Damaſcena, quomodo vocatur ab Amoſo? 7
— Quare dicta Sedes voluptatis? Ibid.
— Filiorum Hinnon. 57
— Jezraëlis. 33
— Interfectionis. 57
— Joſaphati. 56
— Rephaim. 57
— Siloe. Ibid.
— Tophet. Ibid.
Le Valais, vid. Sedunum.
Vandalaſium, vid. Andaluzia.
Vandali, Wandali, Gens Germanica, quot complexa Populos? 122. Sub quo Duce Hiſpaniâ pulſi in Africam trajecerunt? Ibid.
— Unde ita dicti? 197
— Cujus originis? Ibid.
— Eorum priſtinæ ſedes, & quò cum Gotthis conceſſerunt? Ibid. Vid. & Wandali.
Vapincum, hodiè Gap, Urbs Epiſcop. in Provinciâ Alpium Cottiarum. 144. 163
— Sub quo Metropolitano? 166
Varietates Getulorum. 192
— Quid ſit apud Tertullianum? 11
Varini, quæ Gens? 197
Varus Fluvius. 166
Vaſatenſis, Gall. Bazas, Epiſcop. ſub Auſcitano Novempopulanæ Metropolitano. 165
Vaſio, vulgò Vaiſon, Caput Vocontiorum. 163. Urbs Epiſcop. in Viennenſi Tertiâ. 164
Ubii Populi, ubi? 160
Ubiorum Colonia, vid. Colonia Agrippina.
Ucetina (Uzés) Urbs Epiſcop. Septimaniæ ſub Narbonâ Civitate. 165
Vedinum, vulgò Udene, Urbs Patriarchalis olim Sedes in Provinciâ Venetiæ & Hiſtriæ. 142
Vehiculatio quodnam onus impoſitum? 67
Vejentum Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Venedi, Winedi, Slavica Gens. 123
— Quibus Regionibus nomen impoſuere? Ibid. & 195.
Venedici, ubi? 194
Veneria Plinio, quæ? 169
Venetia Sedes Marci (ut ajunt). 138
— Ejus & Hiſtriæ Metropolitanus, & Patriarcha olim independens à Pontifice Rom. Ibid.
— Quæ Provincia Diœceſeôs Italicæ? 142
— Sub quâ Diœceſi in Eccleſiaſticis tempore Ambroſii? Ibid.
— Ejus Termini; Metropolis; Urbes aliæ Epiſcop. Ibid.
M. P. Venetus. 189
Venuſium, vel Venuſia, Urbs Epiſcop. Apuliæ. 135
Veragri, quorum oppidum Martigny, qui? 163
Verdenſis Epiſcopatus, quando erectus? 200
Verona Urbs Epiſcop. in Provinciâ Venetiæ & Hiſtriæ. 142
Verſio Sexta Bibliorum reperta in dolio in Actiâ Nicopoli. 116
Veſontio, vid. inf. Viſontio.

Veſu-

Digitized by Google

Veſuna, quæ olim Civitas ita dicta? 165
Vettones, qui? 170
Vgri, vel Ungari, vid. *Hungari.*
Via Æmilia per quæ loca duxit? 140
--- *Flaminiæ via jungebatur, quomodo?* Ibid.
--- *Quâ Annibal Italiam ingreſſus.* 143
--- *Quâ Copiis Romanis in Pannonias tranſitus.* Ibid.
--- *Præneſtina.* 132
--- *Valeria.* 135
Viadrus Fluvius quomodo antea dictus? 200
Vicariatus quot in Imperio Rom. Orientali & Occidentali? 76
--- *Quot in Præfectura Italiæ?* 128
--- *Romæ.* 129
Vicariatus Italiæ. 138
--- *Suberat Vicario Præfecti Prætorio.* Ib.
--- *Illyrici Occidentalis.* 145
Ad Vicariatum an benè trahant Pontificii Patriarchatus Orientales? 125
Vicarii, qui? 69
--- *Thraciæ in quâ Civitate ſedem habebant?* 107
--- *Duo fuere, Urbis alter, & Italiæ alter.* 130
--- *Urbis & Præfecti diſcrimen, quod?* Ib.
Sub Vicariis diverſis Italia, & Roma, & Mediolanum Vicariorum Sedes & frequentiſſimè Imperatorum. 138
Duo aliquando Vicarii Præfecti Prætorio in Galliarum Diœceſi. 155
--- *Unus fuit Galliarum Vicarius.* 156
Vicarius quinque Provinciarum per Gallias, quis? 154
--- *Quinque Provinciarum ſpeciatim, Proclianus.* 155
--- *Quinque Provinciarum per Hiſpanias, unde ſic dictus?* 167
Vicario Urbis Romæ paruerunt Provinciæ decem, quæ? 130. & *ſeq.*
Sub Vicariis erant Conſulares & Præſides. 156
Vicentia, vel Vicetia Urbs Epiſcop. in Provincia Venetiæ & Hiſtriæ. 142
Vicus dictus La Catholica, *ubi?* 141
--- *Batavodurum, hodiè* Wijk te Duerſtede. 160
--- *Vicus Kollen.* Ibid.
Vienna Caput Galliarum. 156
--- *Cum Lugdunenſi primò, dein cum Arelatenſi de Primatu, quando certavit?* Ibid.
--- *Ejus Eccleſiam creditur fundaſſe Creſcens.* 157
--- *Quando ſupra Narbonenſem eſſe voluit?* 158
--- *Quæ Provincia Galliarum Diœceſeôs?* 163
--- *Ubi ſita; Ejus Termini; quos Populos complexa?* Ibid.
--- *Ejus Metropolis, Urbes aliæ Epiſcop.* Ibid.
Viennenſem inter & Arelatenſem contentiones de Ordinationum jure, quæ? 163
--- *Quid conſecutus tandem favore Calliſti II.* 164
Vigilantii patria. 165
--- *Quid de eo Hieronymus?* Ibid.
Viminiacum, hodiè Widin, *Urbs Epiſcop. in Provincia Mœſiæ Superioris.* 126
Vincentius Lerinus Abbas. 166
Vincium (Vence) *Urbs Epiſcop. in Provincia Alpium Maritimarum.* Ibid.
Vindelicia, vid. *Rhætia Secunda.*
Vindelicii Populi, qui & ubi? 201
Vindelicium Provincia Romanorum factum, quando? 68
Vindoniſſâ everſâ ab Alemannis, quò ejus Epiſcopatus tranſlatus? 162
Vinduli, Winuli, vid. *Vandali.*
Virorum Atrium. 54
Viſigotthi Populi, qui? 120
Viſontio, vel Veſontio, vel Beſuntium, aut Biſuntium Sequanorum, Metropolis Quintæ Lugdunenſis. 163, 166
Viſtula Fluvius Germanos à Sarmatis diſtinxit. 193
--- *Ad eum Suevi ſedes ſuas habuerunt.* 200
Viſurgis Fluvius. 197, 199
Vita, Vite, *unde Victor Viticenſis, Urbs Epiſcop. Byzacenæ Provinciæ.* 151
Viterbienſis (Annii) Monumenta fabuloſa de Malabaris. 187
Viterbium Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Vivarium ad Rhodanum (Viviers) *Caput Gentis Helviorum, quæ vulgò* Vivarez, *Urbs Epiſcop. in Primâ Aquitaniâ.* 164
Ulyſippo, vid. *Olyſippo.*
Ulphila, vel Urphila, Gotthorum Epiſcopus in Valentis gratiam Arianus factus. 194
Ulpianum Urbs Epiſcop. Dardaniæ Europææ. 126
Umbria Vetus cui paruit? 130
--- *unde dicta?* Ibid.
--- *Cum Tuſcia Tertia Provincia Civilis & Eccleſiaſtica Italiæ.* 133
--- *Nova quæ?* 141
--- *Senonum, quare?* Ibid.
--- *Picenum.* Ibid.
--- *quid hodiè concludit in ſuo ambitu?* Ibid.
Ung-Chan, vid. *Juhanna.*
Ungri, Ugri, Uniger, Ungari, Populi. qui? 194
--- *Eorum prima ſedes, quæ?* 195
--- *unde ità dicti?* Ibid.
--- *quæ Gens, & quas Regiones occupavit?* Ibid.
--- *quando ad Fidem Chriſtianam converſa?* Ibid.
--- *Eorum Lingua, quæ?* Ibid.
Unni, Chuni, vid. *Hunni.*
Vocabulum Gallicum Eſclave, *unde?* 123
Vocuntiorum ſedes, ubi? 163
Volaterræ Colonia Romanorum Urbs Epiſcop. Tuſciæ. 134
Volcæ Populi, qui? 165
Volga, Vulga, Bulga, Fluvius. 193
--- *Tartaris quomodo dicitur?* 196
Volgari, vid. *Bulgari.*
Voſſius (*Gerard. Joh.*) 142
Ὑπάρχων, *quis?* 68
Uppara, vid. *Suppara.*
Ur Chaldæorum. 10
Urbs Victrix quæ dicta? 171
Urbes plures fuerunt cognomines, aut affinis appellationis, ubi? 25
--- *Variæ nomen Aquæ ſortitæ.* 166
--- *Terræ Sanctæ numerus.* 37
--- *Liberæ quæ, & unde ita dictæ?* 61
--- *Earum Epitheta.* 62
--- *Variis avita Libertas relicta.* 61
--- *Earum obligatio erga Populum Romanum.* 62
--- *quænam nomine Coloniæ inſignitæ?* 63
--- *Plures Metropoleôs honore an inſignitæ in unâ eademque Provinciâ?* Ibid.
--- *Inclytæ in Imperio Romano Eccleſia Apoſtolica Sedes.* 66
--- *Romæ & Cæſaribus dicatæ.* 71
--- *Epiſcopales Palæſtinæ Primæ.* 79
--- *Epiſcopales Palæſtinæ Secundæ.* 80
--- *Epiſcopales Phœniciæ Primæ.* 81
--- *Epiſcopales Phœniciæ Libani.* Ibid.
--- *Inclytæ Syriæ Primæ.* 82
--- *Inclytæ Theodoriadis.* 83
--- *Omnes Papales ut miſeræ & deſolatæ.* 140
An Urbem Legionum, (Caërleon) *Sedem Epiſcop. inſtituerit Lucius?* 174
Urbica Præfectura, quænam? 129
Urbicariæ Urbes, quæ? Ibid.
--- *quare ſic dictæ?* Ibid.
Urbis Vicario quæ paruerunt Provinciæ an Urbicariæ fuerint? 131
Urbigeni qui olim, hodiè Bernates. 162
Urbinum Urbs Epiſcop. in Flaminia. 141
Urſinus creditur Eccleſiam Bituricenſem fundaſſe. 157
Uſus Pallii quando cœpit in Galliis? 158
Utica Urbs Epiſcop. in Provinciâ Africæ Proconſul. 151
Utinum Urbs Epiſcop. in Provinciâ Venetiæ & Hiſtriæ. 142
Utz Terræ verus ſitus. 13, 15, 16
Vulturium Urbs Epiſcop. in Provinciâ Liguriæ. 139

W.

Wahalis Fluvius. 198
Walachia. 194
Walachri, qui? 160
Wallia Weſtrogotthorum, ſeu Wiſigotthorum Rex quos oppreſſit in Hiſpaniis? 194
--- *quouſque ibi ſuam dominationem extendit?* Ibid.
Walones unde dicti? 197
Wandali, unde dicti? 197. *quas Regiones cum Alanis juncti occuparunt?* 195. *Eorum prima ſedes.* 197. *quò deinde cum Gotthis conceſſerunt?* Ibid. *quomodo dicti in Daciâ?* Ibid.
Welſchen vox quid ſignificet? 178
Weſfali qui? & quas ſedes occuparint? 199
--- *Eorum nominis origo.* 200
Wiccenſis Epiſcopus à Metropoli Wigornienſis dictus. 179
Widin, vid. *Viminiacum.*
Willibrordus, vel Wilfridius Anglo-Saxo operam navavit poſt Bonifacium Moguntinum in Friſiis convertendis, quando? 200
Witikindus Saxonum primus Dux Chriſtianus. 200
Windiſch exiguus Vicus, ubi? 163
Windiſche-Marck quæ Regio? 123, 193
Wintonienſis Epiſcopatus ſub Cantuarienſi Metropolitano Britanniæ Primæ. 178
Winus, Vinus, vox Sarmatica quid ſignificet? 197
Wirtenberg Ducatus, ubi? 200
Wormatia Urbs Epiſcop. Germaniæ Primæ. 160

X.

Χειϛόπολις Civitas quæ vocata? 100

Y.

Yorck, vid. *Eboracum.*
Yncarum Imperium in Peruano Orbe, quandiu duravit? 204
An apud Yucatanos Euangelium penetravit? Ibid.

Z.

Zabi Civitas Epiſcop. Mauritaniæ Sitifenſis. 153
Zabulonis Tribus Termini, Montes. 33.
Urbes præcipuæ. 34
Zagylis, vel Zygilis, Urbs Epiſcop. Libyæ Marmaricæ. 90
Zani, vel Tzani, antiquitùs Sauni, Populi, qui? 185
Zara, quæ olim Jadera, Colonia Auguſti Cæſaris. 148
Zeilan Inſula, vid. *Taprobana.*
Zelandia Inſula Danorum, undè illi profecti qui Zelandiæ Batavæ nomen fecerunt. 202
Zephyrium Urbs Epiſcop. Maritima Ciliciæ primæ. 83
Zeugma ad Euphratem Urbs Epiſcop. Provinciæ Euphratenſis. 85
Zicchia Epiſcop. Sedes tempore Juſtiniani, ubi? 185
Zicchii, Zinchi, Zechi, qui Populi? Ib.
Zophim Collis. 56
Zuyder-Zee. 197

FINIS.

ERRORES CORRIGENDI IN GEOGRAPHIA.

Col. 6. *lin.* 16. *lege*, Carthaginenſes. 39, 50. appellatâ. 47, 20. *Coudſcheri*. 85, 62. *Σεργιόπολιν*. 96, 60. Cabyræi Antiochiæ. 110, 37. *πάσῃ*. 121, 10. Succorum. 125, 45. Seculo VII. 143, 66. Bobium. 155. lin. ult. *dele*, Belgicani. 170. ult. Mari. 175, 56. Doroverniam. 187, 16. Mogoles. *Ibid. lin.* 31. *poſt* puta, *adde*, Pegu, 191, 38. ſubtraxerunt. 202, 57. Danos. *Ibid.* 41. Sittones. 204, 33. Copac. *Ibid.* 36. Pachacamach.

IN CHRONOLOGIA, ET HISTORIA ECCLESIASTICA.

Col. 4. *lin.* 37. retractatâ. 6, 19. annos DCCCCL. 28, 28. anni 622. 34, 27. *poſt* labentis, *adde*, Hinc *Menſis* aliquando *Lunus* vocatur in Nummis, depictus per figuram virilem, veſte ſuccinctâ, Lunâ falcatâ, &c. cultus apud Ægyptios & Græcos. 37, 21. idoneæ. 42, 17. *à fine*, *Σηνδιμ-βειος*. 57, 49. Menſem IX. 63, 64. *poſt* Hebræorum, *adde*, Cyclus ille ſæpius venit appellatione *octo dierum*, etiam apud Judæos, ex Joſepho Hiſtor. hinc Johannem, ubi *μετ' ὀκτὼ ἡμέρας*, i. e. poſt hebdomadem, ipſo die octavo quo Chriſtus reſurrexerat, *Joh.* XX. 19, 26. ſeu primo ſeptimanæ. 68, 53. *ante* Diem, *adde*, Hinc *Janus* quadriceps, vel quadrifrons, etiam IV. puellis Clypeo ejus inſculptis, ut Solis dimenſiones, & IV. anni tempeſtates repræſentans. 86, 11. Conſtantii. In quo. 93, 23. *poſt* Euagrio, *adde*, eſt. 135, 25. poſt anno 11. *adde*, in Febr. *Ibid. lin. ſeq. poſt* Præivit, *adde*, in. 138, 17. aſſecuta fuit. 165, 64 invicem. 167, 10. Nino. 210, 9. Conſors. 272, 24 *poſt* Moſis, *adde*, &. 276, 24. complectuntur. 282, 20. *à fine*, paucitatis ſalvandorum. 291, 18. Gen. X. 311, 14. ſociata. 316, 26. *Πανήγυριν*. 342, 91. *dele*, &, *ac adde*, aliàs Apollinis & Dianæ Mater, in cujus honorem Ludos Tripolitani inſtituerunt, &c. Et. 361, 8. cumprimis de. *Ibid. lin.* 17. *dele*, verſ. 8. 451, 10. *poſt* Orientales, *adde*, Græcos. *Ibid. lin. ſeq. poſt* Inſcriptionibus, *adde*, & Nummis. *Ibid.* 12. *poſt* Arabum, *adde*, & Orientai 472, 3. frater. 473, 52. *Βασιλείας*. *Ibid.* 6. *à fine*, familiari. 474, 3. Gordiani. *ibid.* 8. *à fine*, Bithyniam. 493, 13. *à fine*, *ἀθεόλογα*. 495, 15. *poſt* Mariæ, *adde*, de Infantia Servatoris. *Ibid. lin.* 16. *à fine*, *Μηνσεως*. 520, 7. *repone*, minimum IX. vel X 523. 24. *lege* 5509. 545, 6 *à fine*, poſteriorem. 570, 53. *poſt* autem, *adde*, Iſ. Voſſio. *Ibid. lin. ſeq. poſt* anno XII. *adde*, vel certè ante A. LXXI. &. 596, 19. *à fine*, *poſt* Auguſti, *adde*, ut *Ἀπόλλωνι Νέρωνι*, habitu Apollinis Citharœdico, &c. 638, 13. *à fine, ante* &c. *adde*, ΑΕΗΙΟΥΣΩ. 660, 10 *poſt* luctuoſus, *adde*, fuit. 665, 21. *à fine*, *poſt* cenſuit, *adde*, Socrates L. V. C. XXII. paſſum ſub Gordiano, A. CCXL forte legendum *ἐπὶ Μάξιμου*. 687, 31. *poſt* Marcus, *adde*, A. CXXXV. Hadr. XIX. Olymp. CCXXVIII. a. 3. 700, 10. *à fine*, C. VII. 701, 33. *αἰῶνος*. 767, 8. *à fine*, Marcus. 815, 4. *à fine*, totum. 118, 23. *à fine*, Victorii. *ibid. lin. antepenult.* Papebrochii. 825, 5. *à fine*, Imaginem. 830, 49. L. III. l. 2. &c. 879, 14. effecère. 960, 47. Bructeri. *ibid.* 60. *ſcribe* CCCCLXXXX. 978, 35. *à fine*, vice. 1003. *lin. ult.* crucifixam. 1019, 145. iidem. *Ibid.* 71. Etiam iſti inquirerent. 1023, 30. ſimulatâ 1047, 24. *ante* de, *adde*, unde & Wallachi, 1055, 2. *à fine*, *poſt* litigant, *adde*, undè palmaris Synodus, ut apud Tullium, ſententia palmaris. 1273, 11. *à fine*, quos. 1418, 10. *à fine*, Hanc. *Ibid. lin. ult. dele*, fieri conſueta. 1556, 11. geſtas, 1643, 9. *à fine*, probante. 1781, 13. *à fine*, quum. 1900, 34. *dele*, qui. 1904, 22. *à fine*, non tantum qui. 1906, 36. collegerit. 1911, 31. *dele*, quas. *Ibid. lin.* 33. *loco* ſubmiſit, *repone*, dedit. 1913, 20. *à fine*, quorum.

Indices non ipſe Auctor, ſed illi adornarunt, qui hanc operam ultrò in ſe ſuſcepère.

FRI-

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII F. F.

CHRONOLOGIA SACRA,

IN DUAS PARTES

TRIBUTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII
CHRONOLOGIA SACRA.
PARS PRIMA,
Quæ eſt præcipuè
ΤΕΧΝΙΚΗ.

Caput I.

De Anni Tempeſtate quâ Mundus conditus. Quæſtionis ratio. Non in Solſtitiis figendum Mundi principium. Gerh. Mercator notatus. Qui pro Æquinoctio verno, & quibus rationibus inducti. Qui pro Æquin. autumnali. Sententia horum declaratur. Auctoris concluſio.

Quæſtionis hujuſce ratio. Quæſtionem hanc imperat una fere neceſſitas figendi certum terminum *à quo*, in putandis temporibus & comparandis Epochis; quâ nempe anni tempeſtate, hic Mundus cœperit, & cum eo humanum genus? Sive potiùs ad quem Cœli cardinem ſive *Solſtitialem*, ſive *Æquinoctialem* referas principium ſolaris motûs; vel in quâ *Zodiaci* parte, quo *ſigno*, Sol in principio rerum à Deo conditus poſituſque fuerit? Hinc à Chronologis penè omnibus hoc dubium vexatum, & à Magiſtris quoque, ut ex Seder-Olam conſtat, eorundemque inter ſeſe pugnâ ac diſcrepantiâ. Ne dicam prolixè hac de re quandoque diſſertare Theologos, ſuis in Sacram Hiſtoriam Commentariis, quos inter Bened. Pererius in *Gen.* Serrarius *in Joſuam*, & qui plures ſunt.

An in Solſtitiis figendum Mundi princip. Ad Solſtitium quod nobis *brumale* eſt, Sole Capricorni ſignum ingreſſo, undè initium anni Romani, olim etiam Attici, retulit certè hactenùs nemo. Quanquàm dum apud nos bruma eſt, in Auſtralibus plagis omnia æſtu adurantur, non tamen in climate Adami: Quod Septentrionale fuiſſe, certè intra XXX. & XL. gradum latitudinis Borealis, ex conceſſione penè univerſali, quemcunque Aſiæ tractum deſignaveris, omninò ſupponitur.

Ad *æſtivum*, Sole condito primùm vel in Cancro, vel in Leone, retulit noſtrâ ætate poſt *Aſtrologos* quoſdam veteres, & *Ægyptios*, Porphyrio, Solino, Firmico, aliiſque antiquorum teſtibus, ipſe Gerhardus Mercator, *Methodo Demonſt. Temp.* Cap. I. Sed Ægyptiorum reſpectus ſingularis fuit ad ortum *Sothios* ſeu *Caniculæ*, quando ſol in *Leone* eſt, olim & in *Cancro* oriri creditæ, quod ſidus in ſummo honore Sacerdotibus Ægyptiis fuit. Quo ſcil. tempore Nilus exundare & fœcundare terras inciperet, eodem & Mundum genitum eſſe voluerunt. Rationes autem Mercatoris, cùm aliæ quædam fuêre prolixè expenſæ Henrico Harvillæo, *Iſagoges Periodo* I. Difficult. XI. tùm potiſſima iſta: Eundem fuiſſe ordinem menſium, idem anni auſpicium *Diluvii* tempore, quod ab initio *Creationis*; atqui primum menſem circa Diluvii tempora, fuiſſe *Julium*, Sole attingente Leonem. Poſterius probari Vir ille cenſuit, ex loco *Geneſ.* VIII. 11. ubi folium Oleæ decerptum legitur, & quidem die XXV. menſis XI. ex *verſib.* 5, 6, 7, 8, 10. Hoc porrò folium contendit fuiſſe novellum germen, vel ſurculum θαλλὸν, hinc oleam tum primùm fuiſſe germinantem, frondeſcentem, germinare autem iis in locis ut vitem ſic oleam, Plinio teſte in *Naturali Hiſtoriâ*, quando Sol in *Tauro* eſt; ſed eo quidem anno contigiſſe ſeriùs, ob terræ ex Diluvio frigus, Sole nempè in *Geminis* conſtituto. Undè colligit Mercator, Menſem XI. Noachi tempore, fuiſſe *Majum*, adeoque primum menſem fuiſſe *Julium*, à Solis in Leonem ingreſſu: Hæc ille, ſed ratione haud perſuadere natâ.

Siquidem 1. nihil in Textu de ramo primùm germinante, nihil de novello ſurculo, ſed de *folio olivæ decerpto* 2. Abſurdum, *ſeptiduò* antè aquis omnia operientibus, tam brevi ſpatio, frigidiſſimo ſolo, oleam de novo fronduiſſe. 3. Manifeſtum quoque, oleam ſervare *virorem* ſub aquis qualemcunque potuiſſe, pro innatâ pinguedine, & pro oleæ, lauri, cupreſſi, palmæ, hederæ, myrti, citri, aliorumque ſemper vivorum indole, apud Plinium *Lib.* XVI. & rei herbariæ ſcriptores. *Gerh. Merc. ſententia rejecta.*

An cœperit ab Æquin. verno? Ad *Æquinoctium vernum*, ut ſol primùm conditus fuerit in *Arietis* ſigno, feriâ IV. an *Majo*, an *Aprili* menſe (eſt hodie *Martii* XXI. Stylo Gregoriano) retulerunt ſanè plerique Mundi & Eccleſiæ natalem.

> *—— Ver illud erat, ver magnus agebat*
> *Orbis, & Hybernis parcebant flatibus Euri.*

Rationes potiſſimæ, ſeu Veteribus, (quos inter G. Syncellus, poſt Athanaſium, Cyrillum, Greg. Nazianzenum, ſic in Latinis Ambroſius, Leo I. Beda, Iſidorus, Rabanus, &c.) ſeu Recentioribus plurimis, fuêre ſequentes.

1. Quia initio Creationis cœpit terra germinare, & è ſinu ſuo educere herbas, plantas, arbores, &c. *Gen.* I. 11. quod deinceps accidit, etiam in Orientis illis partibus, ſole *Arietem* ingreſſo. Nec enim, ajunt illi, neceſſe fuit ut quicquid eſſet Arborum in Paradiſo, maturos jam fructus exhiberent, ſed qui matureſcerent ſuo tempore, alii verno, ſic æſtivo, vel autumnali alii. Ita & vernâ tempeſtate mundum cœpiſſe Epicurus cenſuit, cùm omnia primùm germinare, florere, ac fœtus concipere viſa ſunt. Uti etiam

> *Vere concordant amores, vere nubunt alites.*

2. Quia haud alia ſit Menſes numerandi ratio in *Geneſi*, quàm quæ in *Exodo*, Exod. XII. 2. non alia antè Diluvium, quàm quæ poſt Diluvium fuit, Iſraëlitis Ægypto egreſſuris. Hic vero *primus* Menſis conſtanter incidit in Æquinoctium vernum, undè colligunt, *ſecundum* Menſem, tempore Diluvii, *Gen.* VII. 11. fuiſſe quoque menſem vernum, uſu Scripturæ perpetuo. Et hunc menſem *Iiar*, id eſt, *Majum*, interpretatus eſt quoque R. Joſua.

3. Quia ab Æquinoctio verno, ad Æquinoctium au-

autumnale, in Boreali hemiſphærio, dies noctibus longiores ſunt, tempeſtas gratior, ſolum feracius, animantia ad generandum proniora; quæ omnia in primum omnium ſemeſtre quadrare videantur. Pari ratione abſorpto aquis mundo priore, vix præcipiti autumno, & hyeme imminente, videri ſpectaſſe omnia ad novam inſtaurationem, quando & alimoniæ animantibus defeciſſent, ut cenſet quoque Gerh. J. Voſſius. Undè nec paucæ Gentes à Verno Æquinoctio annum exorſæ ſunt, & in hunc uſque diem Arabes, Syri, Perſæ, &c.

4. Patrum verò plerorumque (quos citant Harvillæus in *Iſagoge*, Pererius initio *Commentar. in Gen.* aliique paſſim, & Jac. Goar ad G. Syncellum,) ac Synodi Palæſtinæ Victore I. Papâ, cujus meminit Beda, fuit quædam ratio ſingularis, nec apodictica illa; Nempè *Adamum* conditum videri circà id tempus, quo *Dominus* uti *incarnatus* fuit, ità quoque *paſſus*, ac tandem *ſuſcitatus* à mortuis. Fixerunt autem d. Martii xxv. quæ illis πρωτόκτιστος ἡμέρα, ignari quantùm anticipaſſent à primâ rerum origine *Æquinoctia*. Accedunt viri magni nominis, Calvinus, Jul. Cæſar Scaliger, Genebrardus, A Lapide, Salianus, Tirinus, Keplerus, Adrichomius, Harvillæus, Jac. Goar, Jac. Capellus, Joh. H. Alſtedius, Gerh. Joh. Voſſius, Edw. Simſonius, ac recentiores non pauci. Et hæc Aſtrologorum ferè ſententia eſt, & in Magiſtris R. Joſuæ & R. Samuelis, à quorum tamen computis diſcedunt plerique Judæorum, cum R. Elieſer & ſequacibus. Quomodo *Alfonſinæ* Tabulæ Æram Adami conditi inchoant à xv. Maji, quæ fuerit feria VI. poſtridie Æquinoctii Verni, quod factum fuerit feriâ v. quum Sol creatus eſſet feria IV.

An ab Æquin. Autumnali? Pro *Autumnali Æquinoctio*, ut Lux creata vel Sol conditus fuerit in principio *Libræ*, cœperintque cum initio Autumni noſtri, ſeu *Septembri* menſe, ſeu veriùs *Octobri*, Lunâ in *Novilunio* conditâ, incunabula Mundi, cum rationes variæ, tùm authoritates militant.

1. Arguere id ipſum videtur maturitas frugum, ſeu terra fœcunda frugibus omne genus, in Creationis exordio; alimentum adeò jam præparatum creato homini, atque uti habet Joſ. Scaliger, *extemporaneum*. Quæ eſt Autumni veriùs prærogativa. Nec difficultas Gerh. Joh. Voſſii noſtri tanta eſt, undè Autumno Hyemeve alimenta paucis hominibus, & animantibus ſervatis à Diluvio? Si nempè ſolarem mox æſtum, ſereno cœlo, divinitùs conceſſum, in Aſiano illo tractu, penſitamus, ac novam virentemque impprægnatæ terræ faciem, recedentibus aquis: Qualis eſt in Ægypto, etiam in Indiæ Borealis nonnullis partibus, poſt exſiccatas autumno terras, virore & frugibus lætas hybernis menſibus, ſole in remotiſſimis ad Auſtrum ſignis morato.

2. Favet quoque principium *Anni civilis* Hebræorum, à Novilunio ſcil. quod eſt Autumnali Æquinoctio proximum; idemque principium anni & *Sabbathici* & *Jubilæi* in Sacris: Undè ſeptimus menſis ſacer, ex Moſaïco inſtituto, fuerit civilis primus in Republicâ Hebræorum, ut alibi demonſtratur, vel ex locis *Exod.* XXIII. 16. XXXIV. 22. ubi *exitus anni*, ſeu vertens annus, in autumno memoratur.

3. Squalor rerum omnium ex intenſiſſimo æſtu, in illis Meſopotamiæ ſeu Babyloniæ partibus, vel Climate conditi Adami, ab Æquinoctio *Verno* ad *Autumnale*; Uti contrà, in iiſdem partibus in quibus homo creatus, vix aliud *Ver* fuiſſe videatur, quàm inde ab inchoatâ Autumno, vel adultâ, ad Martium vel Æquinoctium vernum. Ità quidem Joſ. Scaliger, *Prolegom. ad Can. Chronolog.* experientiâ tamen, eo in tractu, antè Martium non infrequenter aërem inclementiorem teſtatâ, pro ſitu locorum.

4. Ad authoritates referunt, conſenſum 1. Ægyptiorum apud Joſephum *Lib.* I. C. IV. *Antiq.* M. Tullium, Lactantium, &c. Sic & Aſiaticorum complurium, atque Orientalium veterum, annum *civilem* ab Autumnali Æquinoctio inchoantium. Quâ de re adeundi Scaliger, Petavius, & alii. 2. Hebræorum tum veterum tùm recentiorum, ut ex Joſepho, *Antiq.* lib. I. cap. IV. menſem *ſecundum* conferente cum Δίῳ Syro-Macedonum; tum & Paraphraſte Chaldæo, Thalmudiſtis, Cabbaliſtis, hodiernâque Judæorum praxi, ſatis liquet, ſuum inde in Synagogis annum, ſuaſque Tekuphas in anno Civili, ac lectionem Sabbathariam, ordientium. Quod referri debere ad inſtitutum recentius Maſoretharum, & ad conformitatem cum Indictionibus Romanis ſubintroductam, precariò ab aliis aſſeritur. Altius enim ea conſuetudo repetenda eſt, & ex Moſis inſtitutione *Deut.* XXXI. IV. ubi Lectio Legis injuncta ſeptimo quoque anno, aſt in menſe *Tiſri*, & in *Feſto Tabernaculorum* peragenda. 3. In Veteribus Julii Firmici, Aſtronomi clariſſimi, Conſtantino M. imperante, ſtatuentis ex traditione antiquâ, Mundum in Librâ conditum. Quomodò *Orientales omnes* indè primitùs annum computaſſe tradidit alicubi Hieronymus. Et quanquàm Ægyptii annum Sacrum à *Caniculâ* auſpicarentur, tamen Terræ ac Mundi inferioris natales ad Autumnale Æquinoctium retulerunt, quando Sol in *Librâ* eſt, non unâ illis totius Univerſi Origine; ut præter alios pluribus ad Solinum Salmaſius, *in Exercitat.* 4. Plurimorum certè olim hodieque in Theologorum & Chronologorum choro, in quibus Lyranus, Toſtatus, Picus Mirandulanus, Pererius, Torniellus, Arias Montanus, Serrarius, Danæus, Joſ. Scaliger, (retractâ priori ſententiâ, quam amplexus fuerat in primâ Editione operis *de Emendatione Temp.*) Lansbergius, Helvicus, Dav. Pareus, Petavius, Lud. Capellus, Ubbo Emmius, Uſſerius, Calviſius, Baillius, aliique ſine fine, quos adire & conſulere qui voluerit poteſt.

Ut verò probabilior hæc nobis ſententia creditur, ſic nihil apodicticè unquàm demonſtrabitur, & controverſum *Concluſio Auctoris.*

---- dubiumque manebit, quod latet.

Aſſumatur ergò vel hæc vel altera Hypotheſis, haud magnoperè intereſt; aptior quanquam illa quæ ab *Æquinoctio Autumnali* orditur putationem omnis temporis.

Caput II.

De Diviſione Temporis. Ac primò de Annis, iiſque Aſtronomicis.

Conſtituto principio Temporis, iſtis verno, his autumnali, excipit Temporis Diviſio, eaque nobis primò τεχνικὴ ſeu *artificioſa*, deinde ἱστορικὴ *hiſtorica*, quæ varia eſt pro variè creditâ Duratione temporis, & varietate Ærarum ac Canonum Chronicorum. *Temporis non una diſtributio. Ac primò τεχνικά.* Prior ex principiis Aſtronomicis deducta, & artificioſè concinnata, diverſimodè rurſùm, pro *Aſtronomorum* inventis, & uſu vario *Civili* Gentium ac Populorum.

Ac primùm obvia eſt Diviſio Temporis in *Annos*, *Tekuphas*, *Menſes*, *Septimanas*, *Dies*, *Horas*, ne addamus *ſcrupula* & *momenta*. Quæ in quantum ad Hebræorum præcipuè tempora cognoſcenda, & ad Chronologiæ Sacræ Iſagogen quandam faciant, tyronibus hîc ſubjiciuntur, ne hac parte Introductio noſtra deficeret.

Quo ſenſu *Annus*, ſyſtema Menſium, dictus ſit He-

Digitized by Google

Hebræis, Arabibus, Chaldæis, Syris, Æthiopibus, Græcis, Latinis, &c. quaſi qui

In ſe ſua per veſtigia volvitur annus,

inſtar circuli, indè hieroglyphico *Draconis caudam mordentis* expreſſus, notius eſt, quàm ut in hunc locum referamus.

Anni Aſtronomici. Anni communiſſimè, alii *Aſtronomici* ſeu *Naturales*, alii *Politici* ſeu *Civiles*.

Naturales dicuntur à revolutionibus Planetarum, putanturque communiter, vel ad *Solis* motum periodicum, vel ad *Lunæ* cum Sole conjunctiones XII. quorum illi Anni *Solares*, hi *Lunares* nuncupantur. Adde tertiam anni ſpeciem, *mixtam* ex Lunari, & Solari, beneficio intercalationis. Quanquàm & *anni* quoque dicuntur circuitus reliquorum Planetarum, uti Saturni annus vulgò annorum XXX. Jovis annorum XII. Martis annorum II. Mercurii & Veneris, menſium XII. Tacemus magnum annum *Platonicum*, Macrobio annum *Mundanum*, ſpatium XV. *mille annorum*, quo ſidera omnia ad eundem locum redeant. Uti mittimus magnum annum *Patriarchicum* Scaligeri, definitum ſcil. annis CXX. quo ſpatio menſem ſolidum intercalarint, deſignato *Gen.* VI. 3. Sed vapulante τῷ πάνυ hoc nomine Dion. Petavio Lib. III. *de Doctr. Temp.* aliiſque.

Annus Solaris. Annus *Solaris* eſt ſpatium illud Temporis, quo Sol ab uno Cœli puncto ad idem punctum, perluſtrato toto Zodiaci circulo, revertitur. Hicque iterum duplex Mathematicis, *Naturalis* ſeu *Tropicus*, vel *vertens*, Græcis χρονικὸς *temporalis*; & annus *Sidereus* vel *Aſtricus*.

Tropicus. Tropicus is annus appellatur, quem Sol conficit egreſſus ἀπὸ τροπῆς εἰς τροπὴν, ab uno ex punctis tropicis, vel *Æquinoctialibus* vel *Solſtitialibus*, omnemque Eclipticæ ſeu Zodiaci longitudinem emenſus, atque ad idem præciſè punctum reverſus. Eſtque Syſtema *dierum* 365. cum diei ſeu *horis* 6. minus *ſcrupulis* aliquot horariis primis, olim ferè V. juxtà Hipparchum & Ptolem. hodie XI. Quamvis magnus Copernicus, ex rationibus ſuis, etiam ſuprà horas VI. addat XL. ſcrupula ſecunda; Cenſorinus verò exceſſum illum indubium ſuprà dies 365. non præciſè determinet. Hebræis dictus שנת ימים *annus dierum*; à *Julio* Cæſare dicendus vulgò *Julianus*, de quo operoſiùs loco ſuo. Atque pro ratione *quatuor* anni Cardinum, hujus anni Tropici, undè & quatuor ὧραι ſive tempeſtates, feruntur Arcades, & Achaii apud *Plin.* l. VII. c. XLIV. apud Cenſorinum *Cap.* XIX. Macrobium lib. I. *Saturn.* c. XII. annum habuiſſe *trimeſtrem*, alii *quadrimeſtrem*, pro variis anni tempeſtatibus: Nempe antequam ad Lunæ motum anni rationem Græci conſtituerent; ut quoque de Ægyptiis Manetho, apud G. Syncellum, ut ſtatim.

Aſtricus. *Aſtricus* is annus cenſetur, quo Solis motus menſuratur ad Stellas, vel fixas vel erroneas, atque ad eandem Stellam undè egreſſus fuerat, puta à Caniculâ ad Caniculam, revertitur. Quem annum Antiqui (Hipparchum antè) ab anno Tropico, quo major eſt Scrup. 20′. 11″. 22‴. non diſtinxêre. Primus Hipparchus ſub Ptolomæorum dominatu obſervavit, Stellas fixas æquè ac Planetas tardiore nonnihil motu Orientem versùs revolvi.

Annus Lunaris. *Lunaris* Annus vocatur, 1. Quandoque ſpatium *menſis* unius, quo Luna curſum ſuum conficit, motu ſibi proprio, qualeſque fuiſſe Ægyptiorum annos primitùs, ſeu *menſtruos* vel lunares, retulerunt Diodorus Siculus, Varro, Plinius, Solinus, Cenſorinus, Euſebius, Joh. Antiochenus, aliique. Hinc apud G. Syncellum ex Euſebio, Manetho Epiſt. ad Philadelphum, *pag.* 40. Ed. R. σεληνιαίους ſive μηνιαίους τοὺς ἐνιαυτοὺς ἐξ ἡμερῶν τριάκοντα συνεστῶτας, nempè vetuſtiores Ægyptios *conſtituiſſe annos Lunares* ſive *menſtruos*, *dierum* XXX. Joh. Mallela initio *Chronograph.* *Illis temporibus*, *nec Ægyptii*, *nec ulli alii*, *alium ab hoc habuère computandi modum*, *ſed revolutiones hi Lunares*, *illi vero Dierum periodos*, *pro annis numerabant. Modus verò per* XII. *ſupputandi*, *tum demum obtinuit*, *cùm Regibus vectigales fieri cœperunt homines.* Ita Chron. Alex. p. 41. Ed. Regiæ ubi de Regno *Solis* apud Ægyptios. Nempe ex malè aut relatis, aut intellectis, fabuloſis Dynaſtiis Ægyptiorum, & falsò tributis uni Regi, quandoque annis *trecentis* ex Diodori libro I. quomodo etiam apud *Xenophontem*, & ex eo Plinium, Rex Inſulæ Lamiorum vixiſſe dicitur annos DCCC. ut legit Salmaſius. Eundem errorem erravêre, qui Patriarcharum *annos* ſuſpicati ſunt fuiſſe *menſtruos*, ut eorum longævitatem cum noſtro vitæ modo conciliarent. Dum nempe ad milleſimum prope annum produxiſſe vitam referuntur, ad Noachum incluſivè, cui Scriptura tribuit, etiam Samaritani & Græci, annos DCCC. malè Salmaſius (cui memoriæ lapſus familiaris eſt) habet annos DCCCCLX. *de Annis Climact.* p. 653. Quo ipſo genuiſſent nonnulli eorum Patriarcharum, *quinquennes*, vel *ſexennes*; ac Mahaleël, qui juxtà Codd. Hebræos & Samarit. genuit anno ætatis LXV. id eſt, juxtà eum calculum, annô ætat. *quinto* cum 5. menſibus. Idem dicendum de generationibus *Enoſchi*, vel *Cainanis*, quæ accidiſſent antè annum ætatis *ſextum*, vel *octavum* adimpletum; ſic etiam brevioris ævi fuiſſent, quàm qui deinceps octogenarii vel nonagenarii. Sed rei abſurditatem jam alii demonſtrarunt; & ipſe Salmaſius in dicto Opere *de Annis Climacter.*

2. Communiter, ſpatium *duodecim* Lunationum, ſeu conjunctionum Lunæ cum Sole, poſt quas non procul à priori loco ad Solem rurſum Luna accedit. Eſtque hic annus vel *Communis*, vel *Emboliſmalis* ſeu *Intercalaris*.

Communis, ſeu merè Lunaris, quali utuntur Turcæ & Arabes, eſt ſyſtema XII. hujuſmodi Lunationum, ſeu dierum 354. horarum VIII. ſcrupul. 48. quæ ſuo tempore *diem* efficiunt, intercalandum Hebræis menſe ſecundo *Marcheſwan*. Hic tùm menſis fit ex cavo plenus, ſeu ὑπερήμερος, dierum 30. per πρόσθεσιν unius diei, & annus dicitur *abundans*, dierum 355. prout anni ordinarii reliqui ſunt dierum 354. *Defectivus* verò annus eſt, quando in cyclo decennovali, menſis *Caſleu*, tertius menſium civilium apud Hebræos, fit ex pleno cavus, dierum 29. dempto uno die, undè annus per eam ἐξαίρεσιν fit defectivus, dierum 353. Arabes verò & Turcæ horas illas VIII. cum ſuis ſcrupulis vertunt ſpatio XXX. annorum in dies XI. certis annis ejus cycli ἐμβολίμοις, puta *ſecundo*, *quinto*, *ſeptimo*, &c. quando tùm annus fit dierum 355. Quâ de re etiam infrà, ubi de Anno Civili Arabum. *Communis.*

Intercalaris eſt ſyſtema XIII. Lunationum (ex addito menſe uno Intercalari) ſeu dierum ordinariè 384. Additionis ratio, ut identidem annus Lunaris cum Solari anno rediret in gratiam, undè tertia quædam anni forma, *mixti* ſcilicet, vel *Luni-Solaris*; utque caput anni fixum immotumque ſemper recurreret. Minor enim eſt Lunaris Solari totis ferè diebus XI. Undè *ſecundo* aut *tertio* quoque anno recurrente facta unius menſis intercalatio fuit. Et Romani quidem, antè Jul. Cæſarem, uti poſt Julium, ſic Græci antè & poſt Solonis tempora, ſic Hebræi ſub priore Templo, dein ſub ductu Scribarum & Seniorum, poſteà à tempore Diſperſionis, diverſimodè intercalarunt, de quo infrà pleniùs, ubi de Annis, Menſibus, ac temporibus *Civilibus*. Et priora illa fusè pertractant, quotquot prima Chronologiæ fundamenta jaciunt, & in *ſuis Canonibus* ὁ πάνυ Scaliger. *Intercalaris.*

Anni *Politici* ſeu *Civiles* dicti, quorum uſus fuit apud diverſas ſeu Gentes, ſeu Civitates, in dimen- *Anni Politici.*

A 2 ſione

Digitized by Google

ſione aut enumeratione temporum. Varii hi pro vario populorum ingenio, & arbitrio, de quo modò dicendum eſt, quantum fert inſtituti ratio.

Ex quâ diverſitate annorum, in diverſis Gentibus, uti menſium, patet incertitudo Chronologiæ antiquæ. Dodwellus nuper, *Præl. Hiſtor.* p. 27. *Patres antiquiſſimi coæva Græcorum Patriarcharumque tempora colligunt, & pro coævis habent, quod ſcilicet pares utrobique annos, à temporibus exploratis, complecterentur retroactæ ſupputationes.* Item, *Ante Metonicum ſub Solone, forma anni obſervata eſt Solari Juliano* x. *ferè diebus auctior*, &c. quâ de re in Annis Græcorum.

Caput III.

De variâ annorum Civilium ratione, initio vario, in Comparatione Epocharum obſervando. Ac primò de Anno Civili Hebræorum.

Scriptores præcipuè conſulendi. NOn hîc vaſtiſſimum de *Annis Civilibus* campum ingredimur, variâque anni formâ & ratione, ſive Hebræorum, ſive Gentium cæterarum, ac Civitatum: Neque prolixas Munſteri, Scaligeri, Petavii, Petiti, Mulerii, Allatii, Seldeni, J. Capelli, Buxtorfii, Uſſerii, Jac. Golii, aliorumque id genus Heroum, quos inter Thomas Lydiatus, qui de Variis Annorum formis ſcripſit, commentationes compilamus.

Diſcriminis ratio inter annos Aſtron. & Civiles. Ad collationem modò Epocharum inter ſeſe, & Chronologiæ S. notitiam inprimis facit, cognoviſſe varia earundem *initia*, ac variam *Civilium* annorum formam, à *Julianâ* diverſam. Prout nempè Gentes aliæ ad *Solis*, aliæ ad *Lunæ* motum, vel etiam ad *utrumque* reſpexerunt, in menſurandis Annis & Menſibus; Et quidem exactiùs aliæ, aliæ imperitiùs, pro diverſâ intercalandi ratione. Quomodò etiam Annum Civilem diverſimodè inchoarunt, v. gr. hi à *Brumâ*, ut præter Romanos etiam primitùs Athenienſes, Bœoti, Germani antiqui, Peruani: Illi à Sole in *Aquarium*, aut in *Piſces* promoto, ſeu à Februario noſtro, ut Sinenſes, Mexicani: Plurimi à *Verno Æquinoctio*, ut in Oriente paſſim, Perſæ & alii: Græci à *Solſtitio æſtivo*, ut fusè poſteà: Ægyptii à *Caniculæ* exortu, dein à fine *Auguſti* Juliani: Æthiopes, Græci Conſtantinopolit. Ruſſi, Armenii, à capite *Septembris*: Syri, Græci, ſub Macedonum dominatu, ab *Autumnali Æquinoctio*, dein à capite *Octobris*: Cultæ aliæ, ſed & Barbaræ Gentes, ab eodem *Æquin.* verùm hæ à *Novilunio* illi proximo, iſtæ à *Plenilunio*, quod poſterius de Oceani accolis ſeptentrionalibus obſervatum: Denique Gentes aliæ annum auſpicatæ à menſe *vago* per omnes anni tempeſtates decurſuro; uſæque modò formâ *Solari*, neglectâ intercalatione quadrantis diei, ut Ægyptii veteres, Chaldæi, Perſæ, &c. modò formâ *Lunari*, nullis Epactis, ut fertur de Gallis antiquis, Japonibus, & cumprimis de Arabibus notum, inde à Muhammede. Quæ ex ſequentibus ſingula pleniùs conſtabunt.

Nec aliter ab annis *Aſtronomicis* ſeu *Naturalibus* annos *Civiles* ſeu *Politicos* diſtinxeris, quàm 1. Quod Civilium haud certum *caput* eſt, ſed varium, pro diverſâ Populorum conſuetudine. 2. Quod minùs iidem accurati ſunt naturalibus; undè Civilium annorum is optimus, qui proximè ad naturalem accedit, & *Solis Lunæque* motum quàm proximè coæquat.

Ac primò ſeſe offerunt anni *Hebræorum*, indè *Ægyptiorum*, *Chaldæorum*, *Perſarum*, *Æthiopum*, *Græcorum*, *Aſianorum*, *Macedonum*, *Romanorum*, *Arabum*, &c.

Anni Hebræorum *Hebræorum* annos quod attinet, alia ratio cenſetur anni Civilis, *antè* Exitum ex Ægypto & Politiam Moſaïcam, alia *poſt* Exitum. Prior vulgò cenſetur fuiſſe *Solaris*; conſtans ex menſibus ſolaribus, quorum ſinguli dierum xxx. quales menſes crediti antè Diluvium, quorum ſcilicet quinque (puta à 17. ſecundi menſis, ad 17. ſeptimi menſis) confecerunt dies 150. collatis locis *Gen.* VII. 11. 24. & *Gen.* VIII. 4. Atque adeò ſinguli fuêre dierum 30. Sic poſt Diluvium *tricenarii* menſes colliguntur ab aliis, ex loco *Gen.* XXIV. 55. ſcil. ex *denario dierum* ibi memorato. Quæ ſanè tertia pars menſis fuit apud Atticos veteres, diviſi in tres *decades*, quarum *prima*, menſis ſcil. ἱςαμένυ, *ſecunda*, menſis μεσῦντος, *tertia* φθίνοντος. Sed *Lunari* tamen his Populis menſe, qui ſi cavus eſſet, non retro numerabatur δεκάτη, ſed ἐννάτη φθίνοντος *nona deficientis*, ſcil. Lunæ vel menſis. Quâ de re alibi. Atque ita fuit annus menſium XII. menſes verò dierum xxx. qui multiplicati efficiunt dies 360. ſalvâ appendice dierum v. Quæ antiquiſſima quoque ut apud *Chaldæos*, ſic & *Perſas*, etiam *Græcos*, ſaltem antè Solonis tempora, anni ratio fuit, quam hi ab Ægyptiis acceperant, & vulgato ænigmate Cleobuli expreſſerunt. Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δώδεκα, τῶν δὲ ἑκάςῳ παῖδες τριάκοντα.

ratiô, antè Moſem, cum aliis collati.

Et his 360. diebus, dubio procul, Ægyptiorum in morem, additi ſub finem dies 5. ut annus eſſet dierum 365. Sex ità horis minor *Juliano*; quinque horis cum dodrante minor *Tropico* ſeu vertente; ſingulis adeò quadrienniis antevertens *die uno* annum Julianum. Quâ de re infrà in Anno Ægyptiorum.

Et hæc Scaligeri ſententia, ut quoque Petavii, Tornielli, Saliani, aliorum, probabili id ratione concludentium, quicquid ſecùs pauci recentiores.

Poſterior forma fuit omninò *Lunaris*, à Moſe uſque ad tempora Alexandri M. ſeu Æræ Alexandrinæ, & jugi Macedonici: Quicquid Keplerus in *Eclogis Chronolog.* poſt Criſt. Clavium, in *Kalend. Gregor.* annum Lunarem à Moſe introductum neget, ſed ſervatam anni priſtini *ſolaris* formam, ſolo menſe VII. vago mutato in I. & fixo in Æquin. verni tempus. Sed exploratum nimis eſt, Judæos toto illo temporis intervallo, Deo adeò per Moſem ſanciente, ſuas in Templo ceremonias, ſacra, feſta, ad motum *Lunarem* inſtituiſſe. Quò reſpicit locus Pſalmi CIV. 19. neque hic ulla inter Traditionales Judæos & Carræos diſcrepantia eſt. Niſi annum *Lunæ-Solarem* malis, ſeu mixtam anni formam, ad Solis motum, & ad Lunares ſimul rationes accommodatam. Ad illum quidem reſpectum fuiſſe habitum patet, 1. Ex anni ſacri principio, cujus Neomenia pendebat à verno Æquinoctio, 2. Ex faciendâ æquatione in anni fine, dùm menſes ſinguli *tricenarii* fuiſſe putantur & *æquales*, ad uſum civilem. Sive jam menſis poſtremus cum ἐπαγομένοις eſſet dierum xxxv. ſive duo menſes poſtea in unum, ultimum illum ac duodecimum, coaleſcerent, aut Lydiatus cenſuit; ſive etiam anno quovis ſecundo aut tertio fieret intercalatio integri *Menſis* XIII. qui ſanè in Scripturâ nuſquam legitur. Vocarunt poſteà Judæi עבורים ירחין *emboliſmos menſium*, aut ἑνικῶς עבור החדש *intercalationem menſis*, *ut* עבור השנה *intercalationem anni*. Menſis ille dicendus à reditu ex Captivit. *Adar ſecundus*, ואדר, Martio noſtro reſpondens; & additus in anni fine, & quidem Edicto Synedrii M. vel quando כן ירצא נשיא *ſic viſum eſſet Principi*. Quâ de re poſteà. Aliàs XIV. Niſan anticipaſſet Æquinoctium vernum, quod ab inſtituto Paſchali alienum. Præter intercalandi cauſas alias, quas recenſent ex Majemonide & Gemariſtis Cocceius noſter, *ad Sanhedr.* p. 6. 7. Seldenus in *Anno Civili Hebræor. Cap.* V. VI. &c. Ut verò anno quovis *ſecundo* aut *tertio* una in-

Indè à Moſe.

Digitized by Google

intercalatio, ſic XIX. annorum ſpatio *ſeptem* intercalat. factæ, ſeu *ſepties* inſertus menſis embolimus, ut cyclus menſium fuerit CCXXXV. qui aliàs fuiſſet nonniſi menſium CCXXVIII. ſi ſingulis annis menſes modò XII. adſcribantur. Hinc annus Judaïcus vel *communis* fuit, vel *embolimæus* XIII. Lunationum, qui שנה מעברת *annus intercalatus*, vel quaſi *imprægnatus* menſe embolimo, oppoſitè ad שנה פשוטה *annum ſimplicem*. De quo Cod. Sanhedrin, *Cap.* I. & qui ad eum commentati, ac prolixè Abenezra in *Exodi* XII. vel omnium inſtar Rambam, in הלכות קדוש חודש. Communis annus rursùm fuit, modò dierum 354. qui annus *ordinarius*; modò dierum 355. addito ſic die in menſe *Marcheſvan*, qui annus *abundans*; modò dierum 353. quando ſemel in Cyclo decem-novennali, in menſe *Caſleu* (qui *tertius* menſium Civilium, ut infrà in Diagr. Menſ.) dies unus per ἐξαίρεσιν demptus, qui tùm annus *defectivus*. Par ratio anni *Embolimæi*, qui modò dierum 383. modò 384. modò 385. Vide infrà, de *Menſibus* Hebr. nec Inſtitutiones aliorum Chronologicas compilamus.

Caput Anni Hebraici duplex. Principium verò ſeu caput anni Hebraïci, indè à Lege latâ, duplex fuit, aliud *Eccleſiaſticum* ſeu Sacrum, aliud *Civile* ſeu Politicum. Qualiter geminum anni caput, Sacrum & Civile, cùm olim Ægyptii habuêre, quorum annus Hierophanticus, à Solſtitio æſtivo; tùm poſteà Alexandrini Chriſtiani, qui Cyclum Paſchalem inchoarunt, ſeu annum Eccleſiaſticum, à menſe *Paſchali*, ut Civilem à *Thoth:* Sic & Armenii; ſed & hodieque Muhammedis Sectatores Arabes, Perſæ, Turcæ, *Civilem* ab *Eccleſiaſtico* diſtinguunt. Quomodò apud Athenienſes annus duplex fuit, *Lunaris* quem attenderunt in civilibus & ſacris, ac *Solaris* quo annuum ſpatium metiebantur; & ſic apud Gentes alias, quæ *Lunarem* annum in uſu Civili adhibuerunt, *Solis* intereà motu non neglecto. Sic anni & menſes qui dicti ſunt, in uſu Attico, πρυτανείας, quæ fuêre Magiſtratuum gerendorum ſpatia, in ſtatu Populari. Sic Arabum *menſes* alii dicti *ſacri* & *vetiti*, alii *liberi* & *profani*. Principium anni Sacri fuit menſis *Niſan*, in Scripturâ *Abib*, & uſitatè menſis primus, reſpondens Martio atque Aprili noſtro, incipienſque cum Novilunio, quod proximum Æquinoctio *verno:* Principium anni Civilis, ראש השנה, fuit menſis תשרי *Tiſri*, reſpondens Septembri & Octobri noſtro, incipienſque à Novilunio quod proximum Æquinoctio *autumnali*. Priori reſpectu *Niſan* perpetuò dictus menſis primus; poſteriori dictus *Tiſri*, initium anni vertentis, *Exod.* XXIII. 16. XXXIV. 22. Prius conſtitutione *novâ* & *Moſaïcâ*, in memoriam liberationis ex Ægypto, & inſtituti Feſti Paſchalis: Poſterius (ut videtur) ex obſervantiâ antiquâ & Patriarchali, jam ante Exitum ex Ægypto, in ordine ad tempus Creationis, quod innuit Joſephus *Antiq.* lib. I. c. IV. Moſem in uſu & adminiſtratione omni civili τὸν πρῶτον κόσμον διαφυλάξαντα, (alii νόμον) *prioris ſeculi decreta*, vel *priſtinum ritum* ab Orbe Cond. *ſervaſſe*, id eſt, *uſualem ordinem menſium*, interpretato Comeſtore. Licet Philo Alexandrinus, *Lib.* III. de Vitâ Moſis, ἐαρινὴν ἰσημερίαν *vernum æquinoctium*, undè primus menſis Moſaïcus, vocet τὴν ἀρχὴν *principium* Mundi. *Niſan* igitur menſis primus ratione primi Feſti, & cum αὐτῷ ad Feſtorum reliqua tempora; *Tiſri* primus, extrà rationem Feſtorum, quoad tempus civile, undè etiam putati anni *Sabbathici* & *Jubilæi*. Ab illo, in rebus Eccleſiaſticis, ab hoc in rebus Politicis initium ductum. Confirmant Joſephus *Antiq. L.* I. c. IV. & conſtans obſervantia Judæorum, de quâ dictum alibi. Quanquàm in Maſſecheth ראש השנה ſeu Tractatu Miſchnæ de *Anni principio*, ſtatim initio *Cap.* I. dicuntur ארבעי ראשי שנים *quatuor annorum principia*. Primum ſcil. primo die menſis *Niſan*, quod caput anni fuerit למלכים *Regibus*, ולרגלים & *Feſtis*, nempè ut trium Feſtorum tempora, ſic & Regum annos, puta ſecundum, tertium, &c. numerarint à Niſan, quocunque anteà menſe Regnum adiiſſent. Alterum caput anni, primo die menſis *Elul*, qui civilis ultimus fuit antè Tiſri, nempè למעשר בהמה ob *decimationem beſtiarum:* Tertium caput, primo die menſis *Tiſri*, undè incipiebant anni *Intermiſſionis*, *Jubilæi*, tempus לנטיעה *plantationi* deſtinatum, & לירקות *oleribus* decimandis. Quartum caput primo die menſis *Schebath*, qui Civilis quintus, nempe caput לאילן *arboribus* putandis. De quibus Gemariſtæ & Majemonides.

Annorum Civilium ratio ſub jugo Macedonico. Et hæc quidem ratio fuit anni Civilis Hebræorum, uſque ad tempora jugi Macedonici. Nec vivo tamen Alexandro, ut malè Judæi, poſt congreſſum ejus ſcilicet cum Jadduâ ſummo Sacerdote, verùm annis à morte Alexandri XII. à I. Seleuci Nicatoris Aſiæ Imperatoris, antè *Æram* Chriſtianam annis 312. undè incipit *Periodus Calippica*, de quâ alibi. Indè fluunt anni *Alexandræi*, ſive *Græcorum*, Hebræis anni *Contractuum*, de quibus infrà, in Collatione Epocharum ad Periodum Julianam. Et his uſi deinceps Judæi in *Civili* annorum ratione, etiam Hiſtorici, Joſephus, Libri Maccabæorum: Sive jam ad *Paſchales* ſuas rationes adhibuerint (ut contendit Scaliger) methodum *Calippicam*, ex IV. Cyclis *Enneadecaetericis*, ſive decemnovennalibus, de quibus Cyclis prolixè inferiùs, ubi de *Cyclo Lunari*; ſive imitati ſint (ut Petitus, Petavius, & alii obſervarunt) *octaëterides* Lunares Græcorum, qui hoc ſpatio *tres menſes* intercalabant; ſive propriam habuerint intercalandi rationem, adæquando exceſſui motus Solaris. Porrò Joſephus horum annorum caput conſtituit in menſe *Autumnali*, ſive ὑπερβερεταίῳ Syro-Macedonico, cum Exoticis Scriptoribus: Sed author Libri I. Maccabæorum, in *Niſan* antecedente, quod caput anni *Eccleſiaſtici* fuit, cujus *Niſan* XIV. vel in Æquinoctium, vel in proximum ab illo diem cadebat, quâ de re pluribus Petavius, & alii. Vide rurſùm infrà Diagramma Menſium Hebræorum.

Anni Judaici forma undè à R. Hillele. Tandem ſucceſſit nova *anni Judaici* forma, indè à R. *Hillele* principe Synedrii M. tempore Conſtantii Imperat. incipiens ab anno Æræ Contractuum 670. Æræ Chriſti vulg. 358. Quando nempè miſſâ priori intercalandi ratione, & obſervandi primas Lunæ *phaſes*, in conſtituendis Neomeniis, quæ *Edicto* Synedrii Judaïci decernebantur, conſtituit ex Aſtronomicis & Chronologicis rationibus novum *Cyclum decemnovennalem*, eundemque accuratiſſimum, ſibi & poſteris perpetuò obſervandum. Ità tamen ut anni *Solaris* quàm exactiſſima ratio habita quoque à Magiſtris fuerit, diſtributo anno in 4. partes æquales, ſeu anni cardines, *Tekuphas* appellatas, obſervatis momentis, ſeu *ſcrupulis* horariis, quibus Sol novam *Tekupham* ingreditur, ſeu primum punctum Æquinoctiale, vel Solſtitiale: Quæ variant prout anni *biſſextiles* ſunt, vel *primus*, *ſecundus*, *tertius*, à biſſextili. De quibus Scaligerum, Petitum, Petavium, Nic. Mulerium, Calviſium, Seldenum *de Anno Judaico*, alioſque conſulas. Ac de Tekuphis verbum infrà, *Cap.* X. Simul & putati tùm anni fuerunt ab *Orbe Cond.* calculo Judaïco, quæ vulgò Periodus Judaïca; de cujus vitio dicetur in parte Hiſtoricâ hujus Introd. Chronolog. ubi de *Ærâ Judaicâ*.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De annis Civilibus veterum Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, qui olim æquabiles, & vagi. Fixi quando?

Communis olim in Oriente anni ratio.

QUam ſuprà anni rationem diximus fuiſſe Patriarcharum, & ante-Diluvianorum, eadem *Chaldæorum*, *Sabæorum*, *Ægyptiorum*, *Perſarum* veterum fuit, & aliquando *Græcorum*, antè formam Lunarem introductam, de quâ poſteà. De *Ægyptiis* res certiſſima, ſed & de *Chaldæis*, prout ſimillima utriſque Sacra fuerunt, ità & Annorum ratio. Conſtat poſterius ex annis *Nabonaſſareis*, qui & *Ægyptii* vocantur, *& æquabiles*.

Annus æquabilis Ægyptiorum.

Nempè his Gentibus *annus* fuit Solaris, dierum 365. ſine diei quadrante, & ſine intercalatione; *menſes* vero XII. ſinguli dierum nonniſi 30. qui efficiunt dies 360. Hinc additi in fine, extrà menſium ordinem, dies v. qui dies ἐπαγόμεναι, ut exurgerent dies 365. Alias *appendices*, *acceſſorii* dies, *aſſumptitii*, etiam *furtivi* κλοπιμαῖοι, ex fabulâ de Mercurio, hos dies à Lunâ ſuffurato. Arabibus النسى *alniſi*, נסי, quod Linguâ Ægyptiacâ vetere *aſſumptitium* eſſe, docuit Salmaſius, & ex eo obſervavit Jac. Golius.

Ejus caput ut vagum. Ut fixum in Caniculâ.

Caput horum annorum fuit, Neomenia menſis *Thoth*, qui primus menſis Ægyptiorum, ſed vagus idem, nempè ſpatio annorum 1460. vagatus per omnes menſes anni Juliani. Ità 1. anno *Nabonaſſareo*, incepit Thoth Ægyptiorum cum XXVI. Febr. Juliani, ſecundùm *Canonem Mathematicum* Ptolemæi, de quo infrà. Ac ſingulis *quadrienniis* Julianis, *uno* ſemper die retrograditur Ægyptius ſive Nabonaſſareus, ſeu *uno* die hujus principium antevertit principium anni Juliani, ſingulis *octenniis* diebus *duobus*, & ità porrò; ſcilicet ob non additum *diem intercalarem*, ex diei quadrantibus exurgentem, anno Juliano. Ità tamen ut indè pateat, intellexiſſe Ægyptios eum defectum quadrantis Juliani, undè illa anticipatio *diei* unius, *quadriennio* quolibet vertente. Quod verò *intercalare* eum diem noluerint, Hierophantarum ſuperſtitioni imputandum, qui ſic Sacra Deorum fecêre ambulatoria, per omnes anni tempeſtates, ut idem Feſtum aliquando æſtivum, aliquando autumnale, tum hybernum, tum denique vernum evaderet. Undè etiam patet, ex multiplicatis 365. per 4. exurgere 1460. quâ annor. periodo Nabonaſſarei anni, ſive Ægyptii, exceſſerunt annos Romanos *anno uno*, putandi ſcil. anni 1461. *Menſibus* intereà ſingulis anni Ægyptiaci per *omnes menſes* anni Juliani retrogradiendo divagatis. Et ob rationem eandem, quum Σῶθις ſeu *Caniculæ* caput, *fixum* eſſet apud Ægyptios, ſingulis quadrienniis debuit promoveri uno die; puta a primo *Thoth* ad ſecundum, tùm ad tertium, &c. Et ſic totum anni contextum pervagabatur illud *Caniculæ* caput, ſpatio annorum Julianorum 1460. Ægyptiorum 1461. Undè periodus *Sothiaca*, ſive *Cynica*, ἔτος κυνικὸν, etiam ἔτος Θεοῦ, & *annus magnus*, appellanda, aliter quanquàm Joſephus Scaliger. Quâ periodo finitâ annus Ægyptiorum cum Solari vel æſtivo redibat in gratiam. Ità *ſecunda* Periodus Sothiana incepit A. M. Juliano 1460. *Tertia* A. M. Jul. 2920. *Quarta* A. M. Jul. 4380. &c. Quanquàm obſervarint Aſtronomi, eo ſpatio quo Periodus Sothiaca finitur, ſeu annorum 1461. *Sirium* gradibus xx. & ampliùs εἰς τὰ ἑπόμενα ſeu *in ſequentia* progredi, quod non obſervatum ab Ægyptiis. Sententiam verò Salmaſii, *magnum annum* Ægyptiorum interpretati, non de Periodo Sothiacâ, ſed de periodo 365. *annorum*, cum anni *quadrante*, pro numero *dierum* in anno communi, exploſam vide apud Petavium, *Lib.* v. Auctarii, *Cap.* VI. Et ſic *caput* anni Ægyptiaci primitùs Σῶθις fuit, ſeu Sotheôs exortus, propè *Cancrum*, ſeu Solſtitium æſtivum; Cenſorinus verò *Cap.* XXI. ſuo tempore *Caniculam* in Ægypto exortam tradit a. d. XII. Kal. *Auguſti*.

Quando fixum caput in XXIX. Aug. Et quare?

Poſtmodùm verò annus Ægyptiorum apud Græcos *Alexandrinos*, evaſit ex vago *fixus*, etiam antè Auguſti tempora, admiſsâ intercalatione, & fixo capite *anni*, inchoandi à Neomeniâ menſis *Thoth*, in XXIX. *Auguſti*. Præterquam in anno qui intercalarem proximè ſequitur, quando incepit Neomenia Thoth à XXX. *Aug.* ob diem ad præcedentis anni finem adjectum, inter XXVIII. & XXIX. *Auguſti*. Et hanc Anni rationem cenſuêre Viri Docti Julium ab Ægyptiis habuiſſe. Tandem ſub jugo Romanorum, poſt Antonii & Cleopatræ fatum, ab omnibus *Ægyptiis* ſeu *Coptitis* admiſſa anni Alexandrini ſeu intercalaris forma, cum Julianâ in quantitate concordans. Et etiamnum hodiè *Thoth* Ægyptiacum incipit à XXIX. *Aug.* totâ Ægypto. Ratio verò figendi hoc modo anni caput in 1. *Thoth*, non una fuit Alexandrinis: Nempè, exundatio Nili eo die, quo aquas ad ſummum excreviſſe publico tùm præconio indicebatur; tùm & finis XL. dierum adurentis omnia Caniculæ ſeu Syrii; initium quoque opportunum anni, æſtate & autumno jam temperati.

Cur Annus dictus Actiacus?

Hic annus Ægyptiacus fixus, ſub Romanorum dominatu, vocari cœpit *Actiacus*; nempè in memoriam Actiacæ victoriæ, v. annis poſt Æram Actiacam, A. *Per. Jul.* 4689. ut ex Ptolemæo, & Theone Alexandrino, fusè Petavius *Lib.* x. ex eo Golius, & alii. Ratio, quia eo quidem anno *Actiaco* v. utriuſque anni, Alexandrini & vagi Ægyptiaci, caput, in eundem diem concurrerunt, XXIX. Aug. diebus 241. à Kal. Januar. Qui etiam dies captæ Alexandriæ fuiſſe perhibetur, hinc Imperatori Auguſto ſacer, ex Senatuſconſulto, opportunum adeò initium anni vertentis. Ac *primus* annus *fixus* Ægyptiorum, concurrit cum anno eorundum *vago*, ſeu Æræ Nabonaſſ. 724. Et tùm popularis annus Ægyptiorum, vagus ille, figi aſtringique cœpit per Emboliſmum, ſive diem adjectitium, in quarti anni fine.

Diſcrimen ab Anno Juliano.

Manſit tamen diſcrimen hujus anni *Ægyptiaci* fixi, ab anno *Juliano*, 1. Quoad *principium* anni diverſum, ibi à XXIX. Auguſti, hîc a Kal. Januarii. 2. Quoad *intercalationis* locum, qui fuit apud Ægyptios inter XXVIII. qui terminabat ἐπαγομένας, & XXIX. *Aug.* in anni ſcil. fine; apud Romanos verò inter XXIII. & XXIV. *Febr.* ut infrà loco ſuo. 3. Quoad ipſum *annum intercalarem*, qui in Annis Actiacis fuit proximè præcedens annum Biſſextilem Julianum. 4. Quoad *menſes* diverſos, ſervatis apud Ægyptios v. ἐπαγομέναις, ad finem anni, & retentis menſibus dierum XXX. ut infra in Diagr. Menſium. Quas quinque ἐπαγομένας poſt Victoriam Actiacam inſeruêre à XXIV. Aug. Jul. ad ejuſdem Menſis XXVIII. incluſivè.

Idem Annus Æthiopum, Perſarum.

Annum *æquabilem* Ægyptiorum, dierum CCCLX. cum v. ἐπαγομέναις, obſervarunt etiam Æthiopes, fixo quoque capite in *Maſcaram*, qui menſis antiquiſſimâ in ea Gente appellatione reſpondet τῷ *Thoth* Ægyptiorum, & *Septembri* Juliano. Ac de his poſt Scaligerum, & alios, adeundus noviſſimè Jobus Ludolphus, in *Commentario ad Hiſtor. Æthiopicam*. Imitati & *Perſæ* veteres, ſed inſertis diebus illis v. in anni *medio*, poſt *Aban* menſem vel *Abanmah* qui octavus, non in anni *fine*, ut Ægyptii. Prætereà *quadrantis* diei, quo deficit annus Ægyptiacus, habita à Perſis ratio fuit, factâ ſuo tempore intercalatione *menſis* unius, dierum XXX. poſt annos 120. qui annus magnus Patriarchicus Scaligeri,

Digitized by Google

geri. Nempè hic numerus exurgit ex 4. ductis in 30. quùm *quarto* quoque anno, quatuor quadrantes diem unum efficiant. Ac promovebant intercalationem de *menſe* in *menſem*, à primo menſe *Ferurdin* in ſecundum, hinc tertium, &c. Unde ſpatio annorum 1440. ductis 12. in 120. redibat intercalatio ad priorem menſem, redibant & Feſta, ut Neuruz & reliqua, ad priſtinam ſedem; Et hæc ipſis *Periodus Emboliſmalis* dicta.

Mutatæ rationes anni Perſici.

Poſteà verò, ſub jugo Macedonico, poſt Alexandri M. de Perſis triumphum, acceperunt Perſæ annum *Macedonicum*, & Græcam *intercalandi* rationem. Rurſus ſub Muhammedis dominatu, omnem intercalandi rationem repudiarunt, retentâ *æquabili* annorum ratione Ægyptiacâ, 365. dierum, ſeu menſium τριακονθημέρων, cum v. *Epagomenis*, quas מוסתרקארת *Muſterakath* vocant, ſeu dies *furtivos*, κλοπιμαίους ἡμέρας, ut ſuprà. Hi anni etiam vocantur *Yezdagirdici*, ab *Yezdagirdo*, ultimo Perſarum rege à Saracenis interfecto, qui auſpicatus imperium eſt, anno Hegiræ XI. Æræ Chr. 632. Junii noſtri XVI. diebus 167. *à Kal. Januariis.*

Forma noviſſima.

Tandem *Perſæ* novam anni formam introduxerunt, annis poſt Jezdagirdum 419. Rege vel Sultano, *Gelalo-daula Salgucidâ*, in Meſopotamiâ imperante, ex Hiſt. Saracenicâ, undè Calendarium *Gelalæum*. Nempè fixerunt anni caput in *Æquinoctio verno*, à *meridie*, poſt ingreſſum Solis in *Arietem*; qui primus evaſit dies menſis *Ferurdin* Gelalæi, XVIII. tùm diebus adjectis ad præcedentis anni finem, tanquàm intercalaribus, quia dies tùm erat XVIII. *Ferurdin* veteris. Scopus fuit, ut panegyris ſeu feſtivitas *Neuruz*, ac ſi quæ aliæ, eodem ſemper die celebrarentur, quâ ratione *terminos Paſchales* fixos deinceps voluit Gregorius, in emendatione Calendarii. Undè annum deſcripſerunt ex diebus 365. horis 5. cum additis *Scrupulis* horariis, ut annus eſſet ſolaris Tropicus, motui ſolari quàm exactiſſimè reſpondens. Sed ità ut intercalatio *diei* non ad *quartum* annum relata ſit, ſed ad *quintum* annum prorogata, quando fuit annus dierum 366. Ratio prorogationis in v. annum, quia *quarti* anni intercalatio minor eſſe debet uno die integro; quæ ratio fuit caſtigati anni Juliani per Gregorium XIII. & omittendorum trium *Biſſextorum ſpatio* annorum 400. Quo de Perſarum inſtituto videſis Golium noſtrum ad Alferganum, & Chronologos paſſim, Chriſtmannum, Scaligerum, Petavium, Seldenum, &c.

CAPUT V.

De anno Græcorum, cumprimis Athenienſium; deinceps Macedonum, Syro-Macedonum, Aſianorum.

Varia anni inter Græcos ratio.

GRæcorum annum varias mutationes eſſe paſſum, modò *Solarem* & æquabilem, modò *Lunarem*, ex menſibus Lunaribus, poſteà ad Julianam menſuram acceſſurum; modò trieteride vel tetraeteride, modò octoeteride, tandem enneadecaeteride obſervatis; anni capite olim in brumali Solſtitio, dein in æſtivo, in Octobri poſteà conſtituendo, variis annorum ac temporum in Græciâ reformatoribus, una omnium conſenſio eſt. Prout nempè increvit apud eos ſcientia *Siderum*, partim ab Ægyptiis accepta, partim propriis inſignium Aſtrologorum obſervationibus firmata. Quomodò etiam, ſub Macedonico dominatu, nova anni forma *Macedonica* à Græcis & Aſianis recepta fuit.

Qui primitus annum Græcor. fuiſſe æquabilem.

Antiquiſſimum Græcorum *annum* fuiſſe *Ægyptiacum* & *æquabilem*, de quo modò dictum eſt, ex Herodoto, Ariſtotele, Hippocrate, Gemino, Cenſorino, Plinio, Solino, cæteriſque, pridem à Scaligero, Petavio, & aliis obſervatum. Sive jam à *Thalete* Mileſio, poſt ejus in Ægyptum profectionem, ut Laërtius, accepiſſent eam anni formam, ſive pridem antè Thaletis tempora, cui *Solon* ſuppar fuit. Hoc modo deſcriptus illis annus fuit diebus 360. in populari uſu, menſibus ſingulis τριακονθημέροις *tricenariis*, quicquid ſtrenuè neget Leo Allatius *de Menſurâ Temp*. cap. XI. undè vulgatum ænigma *Cleobuli*: Addendis tamen in fine, Ægyptiorum more, velut extrà ordinem, & in modum appendicis, ne ſolſtitiorum ratio turbaretur, *diebus* adjectitiis v. Parum enim ſimile vero eſt, quod Plinius *Lib*. XXXIV. C. VI. ubi de ſtatuis CCCLX. Demetrio Phalereo poſitis, *annum* Græcorum ne tum quidem *hunc numerum Dierum exceſſiſſe*. Qui numerus nec cum Solis, nec cum Lunæ rationibus conveniret. Ità de anno illo Græcorum *æquabili* ex menſibus *dier*. XXX. fruſtrà diſceptatur, (ut factum à magnis Nominibus) *Lunaremne* hanc formam intellexerint, à quâ valdè abfuit; an veriùs, invito Petavio, & aliis, *Solarem*, ut quæ ab Ægyptiis indubiè derivata, atque appoſita, ob æqualem diviſionem Menſium, menſurandis temporibus, annis, in uſu agriculturæ aliiſque id genus. Certè non *Lunares*, ſed *Solares* annos velle Hiſtoricos vetuſtiores, Herodotum, Thucydidem, Marmora, quando metiuntur tempora bellorum, fœderum, induciarum, &c. ſic *decennium* belli Trojani, aut *annos* belli Peloponneſiaci, rectè eſt à Seldeno & aliis monitum. Durum etiam videtur quod multis contendit Petavius, Libro IV. *Auctarii*, arbitratos eſſe Græcos vetuſtiores, *Lunarem converſionem* fieri demum ſpatio 360. dierum, ut ſic *annus*, quem totidem diebus deſcripſerunt, verè *Lunaris* fuerit. In eo diverſi ab Ægyptiis fuêre, quod diei *quadrantem*, ſuprà 365. neglectum ab Ægyptiis, intercalaſſe, ſaltem tacitè, ferantur apud Geminum, Cenſorinum, &c. ſuâ Tetraëteride, compenſato quoque eo *quadrante* in Periodo Calippicâ. Rectè etiam Viri Doctiſſimi cenſent, Græcos vetuſtiores à *brumâ* annum exorſos, *Gamelione* menſe primo Athenienſium, antè Periodum Metonicam, & antè fixum in *Hecatombæone* caput, ut pluribus infra. Ac non unum in his aſſertum Joſ. Scaligeri, non modò de Græcorum annis ac menſibus *Solaribus*, ſed de appendice *ſeptem* dierum, de *duobus* diebus ἀνάρχοις, de *Tetraëteridum* & *Octaëteridum* totâ ratione, de Ægyptiorum intercalatione *quarto* quoque anno, invitâ (iſtud quidem) omni Antiquitate, & turbâ Chronologorum, &c. caſtigant Dion. Petavius, *de Doct. Temp*. Lib. I. II. III. Leo Allatius, J. Seldenus, & alii, quos vide.

Annus Atticus Lunaris, & intercalandi ratio.

Certum verò eſt, ſaltem indè à *Solone* Legiſlatore, (qui Rempubl. Athenienſium & tempora ordinavit, apud Diogenem Laërtium, Ariſtophanem, & alios, idque Olympiade XLVI.) Atticum annum civilem ſive popularem, κατὰ πόλιν, conſtitiſſe ex menſibus *Lunaribus* XII. qui ſinguli ferè dierum XXIX. cum *dimidio*. Quo factum, ut alternis fuerint menſes πλήρεις *pleni*, ſeu *æquales*, dierum XXX. alternis menſes κοῖλοι vel κυλλοὶ *cavi* vel *mutili*, ſeu *inæquales* dierum XXIX. Utque dies *trigeſimus* diceretur ἔνη καὶ νέα, *ultima & nova* Luna, ob concurſum utriuſque *Lunæ* eo die, veteris & novæ, & quia in omni menſe Lunari τριακὰς ſemper obtinet, licet eam non impleat Luna: Anni Menſiſque principio in νεομηνίᾳ ſeu *novilunio* conſtituto. Et ſic annus Lunaris fuit dierum 354. (præter horas VIII. 48′. 38″.) adeoque minor Solari diebus XI. Atque indè etiam factum, ut aſſequendo Solari illi exceſſui, & ſervandæ concordiæ utriuſque Sideris, ſeu ut eſſet *annus Luna-Solaris*, adjecerint menſes ἐμβολίμους intercalares. Ac primò *biennis* ſingulis exactis, ſeu alternis annis, παρ' ἐνιαυτόν, videntur addidiſſe alternos dies modò XXII. modò XXIII. in anni fine, un-

Digitized by Google

undè διετηρίδες, quæ & τριετηρίδες quandoque dictæ, recurrentes *tertio* quoque anno. Deindè τετραέτηρις nata, ſeu πενταετηρὶς, quod *quinto* quoque anno in orbem rediret, uti Agones Olympici, & quidem attento illo exceſſu Solis, qui ſingulis quadrienniis *diem* conficit, ſi fides Cenſorino. Poſt Solonem non ità diu, primus Cleoſtratus clarus Olympiade LVIII. inſtituit Lunarem ὀκταετηρίδα, in civilibus Athenienſium temporibus, mox correctam ab Harpalo, ut quæ ſeſqui-die deficeret. Nempè in totâ octaeteride, ſeu VIII. annorum ſpatio, (ἐννεαετηρίδα etiam appellarunt, *nono* quoque anno redeuntem) *tres menſes* intercalarunt, tricenarios ſingulos; ſeu dies 90. id eſt, octies XI. *dies*, cum octo *quadrantibus*, qui addendi ſupererant octo annis Lunaribus, dierum 354. ſingulis. Et quidem facta intercalatio, non anno demùm *octavo*, ut Macrobius, & alii, ſed anno octaeteridis *tertio*, *quinto*, & *octavo*, qui anni tum fuêre Embolimæi, ut ex Gemino & aliis laudata Chronologorum nomina. Poſteà & animadverſo in his Octaeteridibus vitio, nec præciſam fieri æquationem Solis & Lunæ, inventa ἐννεακαιδεκαετηρὶς, ſeu Cyclus *decemnovennalis*, qui & Metonicus, à Metone Athenienſi Aſtrologo, filio Pauſaniæ, Olympiade exeunte LXXXVI. emendaturo deindè & hujus exceſſum Calippo Cyziceno, *Olymp.* CXII. tempore Alexandri M. Sed Cyclum *decemnovennalem* magis τεχνικὸν fuiſſe, quàm πολιτικὸν, ſervatis nihilominùs in uſu Civili *Octaeteridibus*, multis contendit Petavius. Parùm verò in omni illâ temporis Græci ratione convenit inter veteres, & recentiores, nec deerit unquàm litigandi occaſio, Petavio diffidente vehementer, in magno Opere, à Scaligero, & à Salmaſio, Caranzâ, aliis, & in *Auctario de Doctr. Temp.* Sic Sam. Petito in *Miſcellaneis*, & in *Eclogis Chronol.* recedente à Petavio, quem Uranologum vocat, & à reliquis.

Initium anni Græcorum.

Principium quod attinet, undè annum exorſi ſint Græci, videntur aliquando duxiſſe à *brumâ*, *Gamelione* menſe, qui Januario reſpondit. Nam intercalatio facta ad ποσειδεῶνα, proximè antè *ſolſtitium hybernum*, quando addidêre ποσειδεῶνα δεύτερον, in anni, ut videtur, fine. Et ità Iphiti tempore, fuiſſe anni exordium in brumâ, ipſe Petavius; quanquàm *incerta* eſſe iſta fateatur, uti tempus quando à Solſtitio æſtivo primùm inchoarint. Doctiſſimus autem Seldenus, in ſuo Canone Chronico *ad Marmor Oxonienſe*, factum putat jam antè tertium Intervallum, quod occupat Periodus Metonica, ab anno Per. Jul. 4294. ſcilicet ut caput anni πρυτανείας à *Gamelione* ſeu cardine hyberno tranſlatum ſit ad *Hecatombæona*, primum menſem à Solſtitio æſtivo.

Annus Athenienſ. duplex.

Duplicem autem fuiſſe Annum Athenienſibus, qualiter & Ægyptiis, Hebræis, ab Eruditis rectè obſervatum, *Naturalem* alium ſeu *Tropicum*, id eſt, Solarem à ſolſtitio ad ſolſtitium; alium *Civilem*, eumque *Lunarem*, ſed per emboliſmos cum Solari rediturum in gratiam.

Ac Lunaris quidem anni conſtans obſervatio fuit, in Uſu Athenienſium *Sacro*, & *Civili*, puta in Ludis ac Feſtis celebrandis, Archontôn principatu & Magiſtratibus adeundis, ſolutionibus præſtandis, &c. qui hinc anni πρυτανείας appellati; habituri in fine *dies* ἀνάρχους, inter poſitum Magiſtratum, & novum ſubſtitutum. Ut verò menſes à νεμηνία ſeu *novilunio* exorſi, (ſive jam à συνόδῳ, ſive à primâ Lunæ φάσει) ità & annum. Et quidem Athenienſes, indubiâ tot Veterum fide, inchoarunt iſtum à Neomeniâ, quæ μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς, ſeu quæ *ſolſtitium æſtivum* proximè ſequeretur, Sole *Cancrum* ingreſſo. Petavius licet, quandoque hanc *Neomeniam* præceſſiſſe ipſum ſolſtitium, ſatiſque Græcis fuiſſe, ob Ludorum ſolemnia, ſi *Plenilunium* τὰς τροπὰς ſequeretur.

Solſtitium æſtivum in quem diem fixum.

Rurſus τροπῶν θερινῶν *ſolſtitii æſtivi* figendi, quando Sol Cancrum ingreditur (qui *primus* dies καρκινῶνος *Carcinonis*) non conſtans apud Athenienſes ratio fuit, ob *inæqualem* Solis in Signis Zodiaci motum, κατὰ τὰ φαινόμενα, & dubias Signorum eorum *partes*, in quibus fiant Solſtitia, & Æquinoctia. Hinc aliter atque aliter *cœleſtium* ſive *ſolarium* Menſium initium (uti *primum* Κριῶνος Arietis, quando fit Æquinoctium vernum, hinc *primum* Καρκινῶνος, Cancri, quando Solſtitium æſtivum, tum *primum* Ζυγῶνος, Libræ, tandem Αἰγῶνος Capricorni) ſtatuerunt Iphiti tempore, dein Metonis & Euctemonis, poſtremò Calippi illo, qui Ariſtoteli & Alexandro coævus fuit, ex Ptolemæo, Gemino, Simplicio in Ariſtotelem, & aliis. Olim igitur primus Καρκινῶνος, ſeu τροπαὶ θεριναὶ, fixæ in diem *octavo Julii* reſpondentem, deinceps retroactæ ad XXVII. *Junii*, quâ de re multis Uſſerius noſter. Hinc proximè ſequens Νεμηνία initium ἑκατομβαιῶνος, & anni Attici fuit. In *Plenilunio* verò ejuſdem menſis peragebantur *Ludi Olympici*, Jovi Olympio apud Elienſes Sacri, & ab Iphito inſtaurati, inſtituto πεντάθλῳ, ut ex Pindaro, ejuſque Scholiaſtis fusè Scaliger, & Eruditi. Quanquàm Samuel Petitus, contrà Scaligerum, Ludicrum Olympicum incidiſſe quandoque etiam in primum Lunæ quadrantem, in Periodo annorum XL. quo nomine vapulavit Scaligeri defenſoribus. Ac quidem tempore I. *Olympiadis* incidit Plenilunium in diem qui XXIII. *Julii* reſpondit, Neomenia verò in *Julii* IX. Sole tum Cancrum ingreſſo. Et quum dies *quinque* fuerint iſtis Ludis attributi, primus eorum incidit in Lunam XI. id eſt, *Julii* XIX. ultimus demùm in Lunam XV. ſeu *Julii* XXIII. quando τέλειος ὁ κύκλος *perfectum plenilunium* fuit: Sed de Olympiadibus poſteà.

Mutatio anni Græci indè ab Alexandro M.

Hactenùs de vetere Græcorum & Athenienſium anno, circà quem obſcura multa & perplexa, vel ex commentationibus Veterum, dein Theod. Gazæ, Gyraldi, Hadr. Junii, Lalamantii, Morellii, Scaligeri, Petavii, Uſſerii, Allatii, Seldeni, aliorumque id genus Virorum primæ notæ. Sequitur annus novus *Macedonicus*, recipiendus à Græcis, & Aſianis, poſt victoriam Alexandri M. ad Granicum, quæ in Δαίσιον menſem incidit, infrà locandum ordine ſuo, quando ad Macedonas defecit pars major Aſiæ. Mutatio fuit, quâ menſes ex *Lunaribus*, quales anteà & Macedonum illi fuerant, (quorum ex. gr. Ξανθικὸς reſpondebat Hebræorum *Niſan*, Atticorum Μουνυχιῶνι, &c.) *Solares* evaſerunt; ac principium anni non ampliùs in *Neomeniâ Solſtitii æſtivi*, ſed in *autumnali Æquinoctio* fixum conſtitutumque fuit, in gratiam Alexandri tùm Victoris ad Arbela. Hinc igitur primus menſis Macedonum Solaris, Δῖος ipſis appellatus, reſpondens cœleſti Menſi ζυγῷ, quando Sol ζυγὸν ſeu *Libram* ingreditur, Juliani *Septembris* XXIV. ſeu VIII. *Kal. Oct.* Et hoc commune anni principium omnibus qui ſervârunt anni formam Macedonicam, uſque *Æra Seleucidarum*, quæ & *Græcorum*, & *Syro-Macedonum*, id eſt, Aſianis, (quos inter Pergameni apud Galenum) Bithyniis, Paphiis, Cypriis, Antiochenis, his certè antè Julium Cæſarem, omnibus tandem Σύροις vel Syro-Macedonibus. Indè quoque *Indictionum* Cæſarearum caput fuit, quod ad Kalendas Sept. poſteà retractum. Syri verò *Antiocheni*, ac reliqui, poſt Julium Cæſarem à *Kal. Octobr.* videntur annum inchoaſſe. Hinc in anno Syriaco, qui totus Julianus eſt, ità menſes diſpoſiti, ut *Tiſhrin prior*, qui anni caput, *Octobri* Juliano, cum eo incipiens

&

Digitized by Google

& finiens; *Tiſhrin poſterior* Novembri reſpondeat, & ſic deinceps. Quanquàm Evagrius & alii videantur Annos Antiochenos inchoare à *Kal. Septembribus*; quod & initium fuit Anni *Conſtantinopolitani*, & *Æthiopici*. Priorem anni menſiumque rationem, & cum Romanis συζυγίαν, ſervat in Annalibus Alex. Eutychius, Ibn. Batrik, aliique Orientalium. Igitur ut redeamus ad caput formæ novæ Macedonicæ, fuit juxtà hanc Δῖος Macedonicus primus menſis *autumnalis*, cujus Νȣμηνία incidit in XXIV. Sept. Et ità Περίτιος menſis primus *brumalis*, cujus initium XXIV. Dec. Ἀρτεμίσιος primus *vernus* à XXV. Mart.; Λῶος primus *æſtivus*, à XXV. Junii, Julio ità (qui deinceps ſequenti Auguſto) reſpondens; omnium autem poſtremus Ὑπερβερεταῖος, à XXV. Aug. qui & ipſe primus evaſit apud Syro-Macedones.

Confuſa Menſium ratio apud Græcos Sed verò non par apud omnes menſium civilium in anno diſpoſitio eſt; quod præprimis obſervandum in lectione Hiſtoricorum. Nam qui *ultimus* apparet inter Macedones Europæos, Pergamenos, Epheſios, alioſque, Ὑπερβερεταῖος *Hyperberetæus*, uti & apud Galenum, idem apud Syro-Macedones, & juxtà Uſſerium Smyrnæos, hinc apud Joſephum Ἀρχαιολόγον, & in monumentis Eccleſiaſticis variis, Epiphanio, Euagrio, Suidâ, apparet *primus*; Δῖος demùm menſis ſecundus. Cujus rei rationem ex Plutarcho in *Vitâ* Alexandri, *ad Granicum* contrà Perſas pugnaturi, pluribus expoſuit Uſſerius in Anno Aſiano, & præter eum alii. Quum enim ageretur tum menſis Δαίσιος Macedonicus, *Majo* ferè noſtro reſpondens, quo religio erat educere exercitum: monitus hac de re Alexander, edicto juſſit agi δεύτερον Ἀρτεμίσιον, ſeu *iterari* menſem præcedentem Ἀρτεμίσιον. Exinde factum, ad rei memoriam, ut retinuerit appellationem *Artemiſii*, qui anteà *Dæſius* menſis; ſicque *antecedentium* menſium appellatio ad *ſubſequentes* menſes tranſlata ſit. Quare, qui poſtremus antè menſis fuit, *Hyperberetæus*, evaſit apud iſtos primus, Δῖος ſecundus, & ſic porrò.

Exempla confuſionis Menſium. Nec deſunt aliæ confuſorum nominum menſiumque rationes: Dùm idem nomen, v. gr. Ἀπελλαῖȣ, Romanorum *Auguſto* applicatur apud Epiphanium, *Hær.* XI. quod & notat ad eam Hæreſ. Petavius, nempè juxta Achivorum formam; aliàs *Hær.* LI. *N.* XXIV. menſi Autumnali *ſecundo*, qui incipit XXIV. *Octobr.* nempè juxtà novam quam diximus formam Macedonum; idem tamen juxtà Syro-Macedones reſpondens menſi Autumnali *tertio*, ineunti XXIV. *Novembr.* Olim verò Ἀπελλαῖον, quum menſibus Lunaribus uterentur adhuc Macedones, tempore Philippi Regis, reſpondiſſe menſi *brumali* primo, ſeu Athenienſium *Gamelioni*; prout in ejuſdem Philippi literis ad Peloponneſios, Lous Macedonicus cum *Boëdromione* Athenienſium componitur; ex Uſſerii Laterculo intelliges, Diſſertat. *cap.* I. Mittimus alia confuſorum menſium exempla in utràque Hiſtoriâ: Quomodò v. gr. de *menſe natali* Alexandri Macedonis diverſiſſima Demoſthenes Orat. περὶ Στεφάνȣ, Plutarchus, Ælianus, & alii; Λῶον Macedonicum ejus ævi applicantes, prior quidem ex literis Philippi Regis, ad *Boëdromiona* Athenienſium, qui Septembri reſpondet; alter ſcil. Plutarchus ad *Hecatombæona*, qui menſis primus à Solſtitio æſtivo; tertius ad *Thargeliona* qui anterior, reſpondens Δαισίῳ veteri Macedonum, ac Majo Romanor. Λῶος verò Syro-Macedonicus apud Joſephum reſpondet Auguſto Juliano, & *Metageitnioni* Athenienſium.

Ità quoque perturbatus non infrequenter ordo *Atticorum Menſium*, quorum plurimi Authores, etiam Veteres, ex. gr. Μαιμακτηριῶνα, & Ἀνθεστηριῶνα, præpoſtero ordine locarunt: Sic & Πυανεψιῶνα, Ποσειδεῶνα, &c. ut infrà videre eſt in Diagramm. Menſium; alios etiam cum *Menſibus Romanis* diverſimodè contulerunt. Sed nec hujus iſta loci ſunt; nec jam vel *Harpocrationem*, qui Μαιμακτηριῶνα *quintum* dixit menſem Athenienſium, vel Theodorum Gazam, qui Ἀνθεστηριῶνα fecit menſem VI. Autumni deſinentis, & ſi qui alii hujus errores ſunt, Libro de *Menſibus Atticis*, ad partes vocamus. Multus in his eſt Petavius, ad Uranologium, etiam Animadverſionibus ad *Epiphanium Hær.* LI. præter Scaligerum, Mauſſacum, Petitum, Allatium, Seldenum, &c. & qui de *Menſibus* Græcorum ex profeſſo commentati ſunt. Unde poſteà confuſioni vitandæ, additi paſſim in Eccleſiaſticis Tabulis, ordinales numeri, v. gr. menſis Aſianorum aut Macedonum *primi*, *ſeptimi*, &c. quod factum utinàm fuiſſet ſemper. Atque hæc ratio fuit, cur Medicorum Senex Hippocrates, obſervante Galeno Comment. I. in *Lib.* I. Epidemior. acturus de variis affectionibus aëris, pro variis anni tempeſtatibus, nullam menſium Civilium mentionem fecerit, nec *Menſes* deſignarit, ſed Æquinoctia, ortum Arcturi, Pleiadum, Caniculæ, &c. Quia hæc ſunt κοσμικὸν πρᾶγμα *mundana res*, ut loquitur Galenus, quæ quibus *menſibus* acciderit, omnibus exploratum eſt, prout ſtuduit Hippocrates τȣ̀ς ἐξ ἁπάντων τῶν ἐθνῶν ὠφελεῖν, *benè mereri de omnibus omnium Gentium hominibus.* Dùm menſes Macedonum, Atticorum, & alii cujuſque Gentis proprii, eorumque omnis ratio, eſſet his & illis ignota, ſæpè anceps & dubia. Sed de Menſibus Atticis etiam poſteà, cum Macedonicis, & Romanis componendis.

CAPUT VI.

De anno Romano vetere, antè Julium Cæſarem. Tum de emendationibus factis à Julio: Deque anno Juliano. Tandem, de emendatione Auguſteâ.

DE anno *Romanorum* veterum, cùm *antè* Julium Cæſarem, tùm *inde* à Julio, à quo annus Julianus, ſuperiore Seculo à Gregorio Pontifice caſtigandus, verbum dicendum eſt. Quamvis incerta plurima, obvia alia, & prolixiſſimè diſcuſſa Chronologis, ubi de anno *Juliano*, & *Gregoriano*. Nos hæc pauca *Introductionis* vice. *Antiqua anni Romulæi ratio.*

Romulum X. modò menſibus annum deſcripſiſſe, quorum primus à *Martio* inciperet, ferè omnes indè à Livio, Varrone, Cicerone, Ovidio, Suetonio, Plinio, Solino, Caſſiodoro in *Chron.* &c. Macrobio etiam urgente Lib. I. *Saturnal.* Scaliger licet XII. menſes jam à *Romulo* derivet, & à Latinis ſeu Albanis, Trojanâ origine, cum paucis veterum Feneſtellâ, Licinio, Macro, &c. De quibus ex Cenſorino multis Onuphrius, Comment. in *Libr.* I. *Faſtor.* Sed & in his alia adſtruxit Scaliger, quæ flagellanda Petavio, *de Doct. Temp.* Lib. II. C. LXXII. Quomodò de menſium Romulinorum *diebus*, quos aliquando fuiſſe XXXV. Plutarchus; tum & de anni *quantitate*, an diebus CCCIV. quos *decem* menſes conficerent, alternis ferè XXX. & XXXI. diebus; an diebus CCCLIV. formâ Lunari; an CCCLX. pro vetere formâ Græcorum, ut alicubi idem Plutarchus, non ſatis convenit Eruditis. Id conſtat, ignariſſimum fuiſſe Mavortium Romæ conditorem cœleſtium motuum, viderique mutuatum anni rationem ſive ab Albanis, ut Cenſorinus, ſive à Latinis, at nec cum Solis nec cum Lunæ rationibus convenientem, ità ut (Macrobio teſte) aliquando *frigus anni æſtivis menſibus*, & contrà *calor hyemalibus proveniret.*

Numæ Pompilii rationes. Certiora quænam?

De *Numa Pompilii* emendatione, certa videntur alia, alia dubia & controverſa. Certum 1. de iis menſibus, qui ſub Romulo fuiſſent dierum XXX. & quales *ſenos* fuiſſe tradunt, dempſiſſe unum diem Numam, feciſſeque ſingulos dierum XXIX. dùm reliqui eſſent XXXI. ſc. *Martius*, *Majus*, *Quintilis*, & *October*, qui ſoli hodieque in Calendario Romano *ſex* Nonarum dies habent, reliqui modò *quatuor*. 2. Sub Numâ menſibus XII. conſtitiſſe annum Romanum; addendis *Januario*, cui dies aſſignati XXIX. (uti *Aprili*, *Junio*, *Sextili*, *Septembri*, *Novembri*, *Decembri*) & *Februario* tùm ultimo menſe, cui nonniſi dies XXVIII. Undè Ovidianum illud, L. 1. *Faſt.*

At Numa nec Janum, nec avitas præterit Umbras,
Menſibus antiquis addidit ille duos.

Ac conflati hi duo menſes, ex VI. diebus demptis de VI. *tricenariis* menſibus, qui facti dierum XXIX. & ex additis diebus LI. undè dies LVII. ex quibus conſtabant Numæ tempore Januarius & Februarius. 3. *Imparis* numeri religione ductum fuiſſe Numam, ut patet vel ex dierum imparium numero, ſingulis menſibus aſſignato, juxtà illud Virgilianum,

—— numero Deus impare gaudet.

Indeque *Februarium*, cujus pares dies XXVIII. infauſtum fuiſſe habitum, *Februo* ſeu Diis Manibus hinc conſecrandum. 4. Anni quantitatem fuiſſe *Lunarem*, uti apud Græcos veteres, ac conſtitiſſe annum communem ex diebus 354. cum *uno* die addito ex ſuperſtitione, cui nec certa ſedes adſcripta, ut *impar* eſſet numerus dierum 355. Quo factum, ut biennio exacto exceſſus Solis, ſuprà dies 355. reverà eſſet modò dierum XX. horarum XII. circiter. Undè *intercalationi* feciſſe locum Numam, indubium eſt, exemplo Græcorum, & ne turbaretur ratio tempeſtatum, quæ iiſdem anni temporibus ac menſibus recurrerent. At quali, incertum eſſe contendit Petavius, nec *Merkedonium* à Numâ inſtitutum, ſed poſteà, ut hic pluribus Lib. II. *de Doctrinâ Temp.* Quicquid ſit, ità conſtat fuiſſe intercalatum, ac ſi *dies* ille *ſuperfluus* &, ex ſuperſtitione modò dictâ, adjectus, nullus fuiſſet, manſiſſetque exceſſus Solis *dierum* XI. cum dimidio. 5. Etiam ad *Lunæ* φάσεις reſpexiſſe partitionem illam menſium, retentam à primâ Urbis origine, etiam à Julio Cæſare, ſcil. in *Kalendas*, qui dies Novilunii apparentis; in *Nonas*, qui dies ſplendentis jam novæ Lunæ, iſque *nonus* retrò dies ad Eidus; tum denique in *Eidus*, quo Luna plenam ſui ſpeciem oſtendit. Quomodò nec mutavit Julius ordinem *Nonarum*, in quatuor menſibus Romulinis. 6. Annum inchoaſſe Numam à *Januario*, mediâ brumâ, Sole à Solſtitio hyberno ad nos redeunte, undè menſis ille *Jano* bicipiti ſacer, quem *Martius* tum quidem excepit; terminaſſe verò annum in *Februario*, menſe tunc poſtremo, ex Varrone, Macrobio, Ovidio,

Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.

Item,

Qui ſacer eſt imis Manibus, imus erat.

Quod & pauciores *dies* illius Menſis; & *Terminalia* eodem menſe, quaſi anni terminus, die XXIII. Febr. qui ultimus antè *Regifugium*; & *intercalatio* ad illum menſem facta, ſatis indicant, & confirmat Macrobius, Lib. 1. *Saturnal.* C. XIII.

Incerta & controverſa.

De cætero inter ἀντιλεγόμενα ſunt ac controverſa, ex. gr. 1. A quo *Februarius* in menſium ordine *ſecundus* conſtitutus ſit, quod aliquot poſt U. C. Seculis factum, contendit Petavius, certè longo poſt Numam tempore. Ovidius,

Poſtmodò creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe Viri,

ſeu Decem-Viri Sacrorum. Alii viri Docti, à Macrobio præcipuè inducti, à Numâ ipſo, ſed ſeriùs, factum iſtud cenſent. 2. Sic dubium, à quo *Merkedonius* menſis adjectus ſit, tanquam Embolimus altero quoque anno, iſque dierum modò XXII. modò XXIII. Addendus idem poſt diem XXIII. Februarii, qui dies dictus *Terminalis*, quaſi anni terminus, uti olim fuerat; & quoniam immediatè præceſſit diem *Regifugii*, ſeu Romanæ libertatis, qui fuit XXIV. Febr. ſeu VI. Kal. Martii. Reſectis ità ex *Februario* V. diebus, ſed addendis per modum *appendicis* in fine menſis Embolimi, ut V. ἐπαγόμενας addebant Ægyptii, Æthiopes, Chaldæi, Perſæ. Quâ de re pluribus ὁ πάνυ Scaliger *de Emend. Temp.* lib. II. Petavius *de Doctr. Temp.* lib. II. C. LXXII. LXXIII. & præcipuè ex Varrone lib. V. *de LL.* & Cenſorino *de Die Nat.* C. XX. 3. Dubium conſimiliter, quid *de Romanâ Periodo* ſtatuendum ſit, de quâ Livius, Macrobius, alii, Scaligero in alia eunte. Quanquàm omninò XXIV. *annorum* ſpatium cenſeri debeat, quibus exactis demebantur dies XXIV. ut æquarentur Solis Lunæque rationes. Erant autem illi ſuperflui, ob *diem* à Numâ *quotannis* additum ex ſuperſtitione ad dies 354. & cujus ratio nulla habebatur in intercalando Merkedonio. Vide Petavium *de Doctr. Temp.* L. II. C. LXXIV.

Annus Julianus undè?

Succedit annus Romanus vulgò *Julianus*, cujus deinceps uſus in omni Chronologiâ, & collatione Epocharum. Nempè Julius Cæſar annum ex *Lunari*, aut *Lunæ-Solari*, conſtituit merè *Solarem* ſeu *Tropicum*, exigendum deinceps ad motum Solis; eumque adeò dierum 365. cum *quadrante*, ſeu ſex *horis*, inchoandum ſemper Kal. Januarii. Nec una ratio fuit Cæſari Dictatori & Pontifici emendandi Calendarii 1. Fœda ejuſdem *corruptio*, ac vitium non unum, hinc perturbatio temporum, per priorum Pontificum *licentiam*, penes quos fuerat ut Faſtorum cuſtodia, ſic *intercalandi* cura atque provincia, quod ex Cicerone, Suetonio, & aliis conſtat. Nam v. gr. ut citiùs vel tardiùs abirent *Magiſtratu*, qui annuum gerebant; ut longior *Vectigalium* redemptoribus eſſet annus, vel brevior, in lucrum vel damnum; ut etiam vitaretur concurſus *Nundinarum*, cum *Kalendis* Januariis, uti cum *Nonis*, aut alio die Romanis Sacro; & ſi quæ id genus aliæ cauſæ his Pontificibus eſſent, pro libidine aut non omninò, aut peſſimè intercalabant, modò plus, modò minùs. Quo factum ut *Januarius*, anni caput, & quidem cum ineunte brumâ, aliquando in Septembrem, vel in Octobrem Julianum inciderit. 2. Acceſſit conſuetudo Julii Cæſaris cum *Ægyptiis*, qui anno Solari uterentur dierum 365. quanquàm ſine intercalatione. Quâ intercalatione additâ, ut factum à Julio eſt, aptiſſima ſanè viſa eſt hæc menſura temporum, ac motui Solis quàm proximè reſpondens. Nec parùm etiam faciebat ad decus novi Dictatoris ex Ægypto modò reducis, reſtituiſſe tempora: Soſigene, inſigni in Alexandrinis Mathematico, operam commodante, exploranteque tùm 1. *Lunæ* cum *Sole* conjunctiones, ut cum Neomeniâ annum inciperet; 2. *Solis* in Signa ingreſſum, ſive δωδεκατημόρια, cumprimis in IV. Signa cardinalia *Arietis*, *Libræ*, *Cancri*, *Capricorni*, ad VIII. Kalendas circiter; ut ipſa Æquinoctia & Solſtitia quaſi in *Kalendas* ſequentium menſium inciderent, *Octavas* ſignorum partes. Ita Solſtitium brumale in Kalendas Januarias; undè illud Ovidianum, *Faſt.* 1.

Cauſæ emendati à Julio Calendarii.

Dic age Frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per Ver incipiendus erat?
Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus & Annus idem.

Nam in *octavis* ſignorum partibus confici Æquinoctia, & Solſtitia, putavit tum cum aliis Soſigenes.

Tem-

Digitized by Google

Quo anno facta emendatio?

Tempus reſtituti Calendarii, quando incepit annus *Reſtitutionis*, idemque annus *Confuſionis*, ob inſolitam intercalationem, ſed confuſionis ultimus, magno conſenſu incidit in annum U. C. 707. *Per. Jul.* 4667. Coſſ. Julio ipſo III. cum M. Æmilio Lepido, ſed & illo Pontifice Max. ac Dictatore. Ab *Octobri* autem menſe tum annus inchoatus eſt, qui deſiit adeò cum anno U. C. 708. *Per. Jul.* 4668. Ut ſic annus Julianus I. qui excepit annum eum Confuſionis, incipiat a *Kal. Jan.* Anno Urbis
Cond. — — — — — 709.
Per. Jul. — — — — — 4669.
Olympiadis CLXXXIII. anno — — — 3.
Anno Nabonaſſareo, à Septembri — — 704.
Antè Æram Chriſti Vulg. — — — 45.
Julio Cæſ. IV. & M. Lepido Mag. Eq. *Coſſ.* Anno uno antè ejuſdem Cæſaris necem, conſpiratione Bruti & Caſſii, ipſis Idibus Martiis. Undè *primus* annus Octavianæ potentiæ *ſecundus* eſt anni Juliani. Et hæc ex Cenſorino *de Die Nat.* C. XX. ex Suetonio, Dione, Solino, Macrobio, &c. explorata ſunt.

Modus reſtituti Calendarii. Emendatio prima.

Modus reſtitutionis hic fuit. 1. Emendandæ priorum temporum labi, annus ille Confuſionis conſtitit primò, ex diebus ordinariis anni Pompiliani, — — — — — — 355.
Hinc ex *Merkedonio*, eo anno intercalando, qui fuit, (quicquid Scaliger, & alii) dierum — — — — 23.
Tùm conſtitit ex adjectis à Julio Cæſ. *Menſibus duobus*, extrà ordinem; inter *Novembrem* & *Decembrem* inſerendis, qui fuêre, ut accuratiſſimi Chronologi, dierum — — — — — — 67.
Atque ità incepit annus ab *Octobri*, fuitque (aliter licet Manucius, Lucidus, Calviviſius, &c. ſtatuant) dierum — — 445.

Num vero Ciceronis illa verba, *Epiſt.* XIV. ad Ligarium, *Libro* VI. ad Familiares, *Cùm ad* V. *Kal.* (alii II. *Kal.*) *intercalares priores, veniſſem mane ad Cæſarem*, &c. reſpiciant ad hunc annum Correctionis Julianæ, & ad V. *Kalendas primi* horum menſium, antè Decembrem *intercalaris*, facilè cognoſcitur ex tempore quo ſcripta videtur à Tullio hæc Epiſtola, quam adi.

Emendatio ſecunda.

2. Introducta nova *Anni* forma eſt: Ut videlicet Annus *communis* eſſet dierum 365. quot diebus conſtitit annus Ægyptiacus æquabilis, additis diebus *decem*, ad Lunarem Numæ annum dierum 355. Eſſet verò annus alius *embolimæus*, ſeu *intercalaris*, rediturus anno quovis *quarto* exeunte, vel ineunte *quinto*, dierum 366. ſupplendis nempè illis *ſex* horis, ſeu diei *quadrantibus*, quos neglexerant Ægyptii, & qui quarto quoque anno diem efficiunt. Rurſùm Ovidius *Faſtor.* III.

Is decies ſenos ter centum & quinque diebus
Junxit, & è pleno tempora quarta die.

Sedes verò intercalationis manſit quæ prior, nempè VI. *Kalend. Martii*, ſeu XXIV. Febr. undè dies ille inſertus, inter Terminalia & Regifugium, dictus *biſſextilis*; ſed & annus *biſſextilis*, ob *bis* eo anno repetitum *ſextum* Kal. Martii, ne dies embolimæus augere videretur numerum dierum ordinariorum menſis. Sive jam idem ille annus Julianus fuerit *biſſextilis*, deinde Julianus V. IX. XIII. &c. ſive, ut quidam alii & Petavius, *biſſextilis* fuerit ipſiſſimus annus Confuſionis qui Julianum I. anteceſſit. Quamvis prius ſtatuendum, ſecundum *Æram* vulg. Dionyſianam, quâ natus eſt Chriſtus exeunte Juliano XLV. ipſo exeunte quoque *biſſextili* anno. Nam ſi *primus* Julianus biſſextilis fuerit, tum & *quintus*, *nonus*, *decimus-tertius*, *decimus-ſeptimus*, &c. & ità aſſurgendo *quadrageſimus quintus* Quo fit, ut annus I. Æræ vulgaris ſit proximus à *Biſſextili*, atque adeò dato anno quovis Æræ Chriſtianæ, facile ſit cognoſcere, qualis ſit annus, an Biſſextilis, an Communis, & quotus? Nempè ſi dati anni à Chriſto nato dividantur per 4. Hinc numerus ex *quaternaria diviſione* reſiduus oſtendet quæſitum; *Communis* enim annus indicabitur ſi aliquid remanſerit; *Biſſextilis* ſi nihil omninò; quemadmodùm proximo anno 1692. Aliter ex Cyclo Solari, & literis Dominicalibus, conſtant Biſſextiles, ut & infrà ad hunc Cyclum. Sic in periodo Julianâ, de quâ poſteà, quia *primus* ejus annus cenſetur Biſſextilis, ità quando à diviſione quaternariâ remanet *unitas*, is annus biſſextilis cenſendus eſt. Quales ſunt ejuſdem Periodi annus *quintus*, *nonus*, *tertius-decimus*, *decimus-ſeptimus*, *vigeſimus primus*, & ità porrò quaternario progreſſu.

Emendatio tertia.

3. *Menſes* paritèr *Solares* à Julio conſtituti, qui eſſent alterni dierum XXXI. indè à Januario, & XXX. præter Februarium, qui erat dierum XXIX. deinceps ob additum diem unum *Sextili*, ſeu Auguſto, dierum tantùm XXVIII. ſublatâ ſic ſuperſtitione imparis numeri, quum anteà menſes eſſent dierum XXIX. aut XXXI. Et quidem incidit I. Januarii, anno Juliano primo, in ipſum *Novilunium*, proximum à *Solſtitio* hyberno.

Errores poſt Julium admiſſi, & ab Auguſto emendati.

Mirum verò videatur, in re tam manifeſtâ, mox à Julio aberraſſe Pontifices, & ſi Suetonio ac Solino fides, intercalaſſe diem Biſſextilem non *quarto* quovis anno exeunte ſed *tertio*, ex ternis ità diei quadrantibus *diem* unum conſtituendo. Quo factum, ut ſpatio XXXVI. annorum dies XII. intercalaſſent, qui IX. fuerant adjiciendi. Igitur Auguſtus Cæſar, ut ſuperfluum illud *triduum* tolleret, 1. *Juſſit annos* XII. *ſine intercalatione decurrere*, ità Solinus, nempè ab anno XXXVII. Juliano, vel potiùs XXXVIII. ut Cenſorinus, ad XLIX. à quo tempore rursùs proceſſerunt, *quarto* quoque anno finito, *biſſextiles*. 2. Si Macrobio fides eſt, conſtitutum deinceps Biſſextilium ordinem *Æreæ tabulæ ad æternam cuſtodiam incidi* mandavit. Acceſſit & illud Auguſti, quod eodem anno quo vitio Pontificum mederi decrevit, *menſem Sextilem è ſuo cognomine* Auguſtum *nuncupavit*, ut Suetonius, *magis quam Septembrem in quo erat natus, quia hoc ſibi & primus Conſulatus, & inſignes Victoriæ obtigiſſent.* Eumque menſem eſſe voluit dierum XXXI. *Julio* æquandum, dempto uno die è *Februario*, qui ex inſtituto Julii Cæſaris erat dierum XXIX. A quo tempore Februarius in anno Communi non fuit niſi dierum XXVIII. Sed hæc obvia. Atque iſta Auguſtus, *C. Marcio Cenſorino* & *C. Aſinio Gallo* Coſſ. Anno Juliano XXXVIII. U. Cond. DCCXLVI. Octavianæ potentiæ à I. Conſulatu, XXXVI. antè Æram vulg. Chriſt. annis VIII. De quibus adi Cenſorinum ipſum de *Die Nat.* Dionem *Libro* LV. Suetonium in *Auguſto* C. XXXI.

Anni Juliani uſus in Chronol.

Et ab hoc tempore Chronologi hanc ſunt Anni formam ſecuti, utpotè communem quandam & aptiſſimam Menſuram temporum, ac motus Solis tropico quàm proximè, licet non omnimodè, reſpondentem. Undè Anni Æræ Chriſtianæ, vel Æræ Mundi Cond. vel Epocharum aliarum, Regnorum, Civitatum, &c. quoties putantur Chronologis, ſemper intelliguntur *Anni Juliani*. Ità eorundem uſus, in ſignandis Eclipſibus Solis Lunæque, ut & *Menſium* Julianorum. Nec ignorarunt hunc annum Hebræi, quibus *annus dierum* dictus eſt ille annus, qui dierum 365. cum diei quadrante, & qui in quatuor præcisè *Tekuphas*, ſeu anni quadrantes, diviſus iſtis fuit, de quibus loco ſuo.

Digitized by Google

Caput VII.

De Caſtigationibus factis per Gregorium XIII. Pontificem, ſeu de Anno Gregoriano. Deque Cyclo Epactali Novo. Vitia Novi Calendarii.

Anni Juliani emendandi ratio.

Tandem ſucceſſit ævo ſuperiore A. 1582. anni *Juliani* caſtigatio per *Gregorium* Pontificem, inſtitutâ formâ novâ Kalendarii, ſimul & caſtigatione *Cycli decemnovennalis* ſeu Paſchalis, operâ præcipuè Chriſt. Clavii Franci. A quo tempore dictus annus *Gregorianus*, & Kalendarium Gregorianum. De quo Petavius in *Epilogo* libri v. de Doctr. Temp. *Hoc invento nullum conſtat multis ab hinc ſeculis præſtantius ac divinius fuiſſe repertum; neque caſtigandi continendique intra legitimos terminos Anni viam ullam excogitari potuiſſe, quæ ad Civilem & Eccleſiaſticum uſum tutior eſſet & accommodatior.* Factum nempè eſt ſub hoc Pontifice, poſtquàm *totius Breviarii curam*, cujus partem faciunt annui *Feſtorum* recurſus, ad ſolum Romanum Pontificem pertinere, confirmaſſent Tridentini *ſeſſ.* xxv. Poſtquàm etiam fruſtrà priores Papæ, ſed & Concilia Conſtantienſe, Baſileenſe, Lateranenſe ſub Leone X. Tridentinum, eâ de re laboraſſent, conſultis pridem Joh. Regiomontano, Paulo Middelburgenſi, Nic. Copernico, Petro Pitato Veronenſi, & aliis.

Vitium illius quale?

Vitium igitur anni *Juliani* in eo fuit, quod major ſit *Tropico* vero, ſcrupulis horariis primis xi. circiter; dùm Sol curſum conficit, ſaltem juxtà pleroſque Aſtrologos, (nec in hoc conſenſus eſt) diebus 365. horis 5. m. 49. Igitur ſingulis *quadriennis*, anni Juliani excedunt totidem Tropicos, *ſcrupulis horariis* minimùm 44. quibus fit προήγησις ſeu anticipatio Æquinoctii veri & cœleſtis; Singulis verò annis 130. plus minùs, anni Juliani excedunt motum Solarem toto *die*, ſive uno *die* anticipant Æquinoctia & Solſtitia, ac præcedunt illum diem qui iis in Calendario deputatur. Ità ſpatio annorum 400. circiter, rotundo numero, (præcisiùs autem ſpatio annorum 393.) annus Julianus *tribus diebus*, ſeu tribus intercalationibus excedit motum Solarem. Quod tamen, obſervatum à variis licet, ſaltem inemendatum manſit, indè à conſtituto anno Juliano, xvi. & ampliùs ſeculis. Igitur ab anno Juliano i. antè Æram *Vulg.* annis 45. ad annum Reformationis Gregorianæ 1582. fluxerant anni Juliani 1627. Quo temporis ſpatio facta erat προήγησις, in anno *Tropico*, dierum fermè *tredecim*. Demendus igitur hic exceſſus fuit in anno *Juliano*, ut cum Tropico rediret in gratiam. Sed terminus *à quo* emendationis factæ per Gregorium Pontificem, fuit annus Æræ Vulg. 325. quo cenſetur habita Synodus *Nicæna* Oecumenica, & quando *Æquinoctium* vernum, ut obſervatum Alexandriæ fuit, ac retentum poſteà à Dionyſio Exiguo, fixum eſt in xxi. *Martii*; Cui adeò proxima Luna xiv. eſſet *terminus Paſchalis*; redituris in orbem iiſdem terminis, & eodem die, in *Cyclo* Lunæ *decemnovennali*, ſive Paſchali, de quo infrà, loco ſuo, pro modo hujus Iſagoges.

A Gregorio Pont. quid ſtatutum, pro figendo Æquinoctio verno.

Gregorius igitur fixurus eundem verni *Æquinoctii* diem cum Nicænis, nempè xii. Kalend. April. ſeu xxi. *Martii*, (quum eo tempore in xi. *Martii* incideret) ac reſtituturus *Terminos Paſchales* in ipſo Plenilunio, quod proximum Æquinoctio verno eſt; 1. *Decem* dies exceſſûs Juliani, qui acciderat ſpatio annorum 1257. (totidem fluxerunt ab anno 325. ad annum 1582. qui annus *Correctionis*) *eximi* juſſit, inter iv. & xv. Octobris, & ob προήγησιν illam Solis, loco iii. *Nonar.* ſeu v. *Octobris*, numeratæ ſunt *Idus Octobr.* ſeu dies xv. ità loco xxii. *Dec.* anni 1582. putatus eſt 1. *Januarii*, anni 1583. 2. In futurum ità proſpexit Gregorius, per Aloyſium Lilium Italum, iſti exceſſui anni Juliani, ut ſingulis annis 400. omitterentur *tres* intercalationes, ſeu *tres* dies biſſextiles, *triduum* adeò minùs putaretur, quàm in formâ Julianâ; fieretque hæc intermiſſio *tribus primis* annorum expirantibus *Centuriis*, puta Annis Æræ Chriſtianæ 1700. 1800. 1900. qui in formâ Julianâ Biſſextiles, ac in Gregorianâ futuri Communes, nonniſi xxviii. diebus adſcriptis Februario. Secùs tamen *quartâ* Centuriâ, ſeu Anno 2000. Et hic Cyclus *Tetracoſieteridis Liliana* vocatur, à Scaligero vexatus, *Canon. Iſagog.* L. iii. C. iv. vindicatus Clavio, Guldino contra Calviſium, & prolixiſſimè Petavio Libro v. *de Doctr. Temporum.* Et quia ſic neceſſe fuit, ob *decem* dies exemptos, & *ternos* dies non intercalandos ſpatio annorum 400. interturbari rationes *Cycli Solaris*, currentis in anno Juliano, & mutari *Literas Dominicales* in Calendario adſcriptas, præſcripta per eundem Lilium Methodus eſt, inveniendi in anno Gregoriano *Cyclum Solis*, hinc *Literam Dominicalem*, ex comparatione Cycli Juliani. Dùm enim Gregorius præter 7. *dies*, quibus totidem *Literæ* reſpondent, etiam 3. alios dempſit, hinc *tres Literæ* auferendæ ſunt ordine retrogrado (quo procedunt ſemper Literæ Dominicales) poſt Dominicalem *Julianam*, & habebis Lit. Dominicalem *Gregorianam* eo anno, quæ ſemper quarta eſt à Gregorianâ: Ut ſi hoc anno 1691. ſit Litera Dominic. Juliana D. demptis literis C. B. A. remanet Litera Gregoriana G. Sed nec hujus iſta loci ſunt; & ſuccurrunt *Tabulæ* hunc in finem adornatæ, cognoſcendis Cyclis, & Literis Dominicalibus formæ Gregorianæ. Quarum tamen ſeries interrumpetur iis annorum Centenariis, in quibus fiet omiſſio diei Biſſextilis ſeu Intercalaris. Plura de Literis Dominicalib. & Solari Cyclo, quantum ad hanc Introductionem ſatis eſt, infrà ubi de Characteribus Temporum.

Error alter in Cyclo decemnovennali.

Verùm neque id ſatis erat, ut reducerentur *Termini Paſchales* ad *Lunam* xiv. in quâ fixi à Nicænis. Alibi enim, in doctrinâ *Cycli decemnovennalis*, pluribus oſtenditur, ſpatio illo annorum xix. *Neomenias* anticipare ferè *ſeſquihorâ*; hinc ſpatio annorum 312. fieri προήγησιν Lunarem, *uno die*, cum minutis fortè quibuſdam; tandem ſpatio annorum 1257. quot elapſi à Nicænis ad caſtigationem Gregorianam, factam eſſe προήγησιν Neomeniarum, diebus *quatuor* & ampliùs, Lunâ in anteriora recedente, v. gr. à 1. *Martii*, ad xxv. *Febr.*

Triplex error circà Paſchata priora.

Undè *Termini Paſchales* veteres, ex Nicæno vulgò Calendario, incidebant non amplius in Lunam xiv. ſed in Lunam xviii. vel xix. & ſic nimis dilatum Paſcha, ut fit hodieque ſtylo vetere; Hinc quandoque Paſcha antiquum ſeu vulgare totâ *hebdomade* ſeriùs accidit, quàm patiebatur Terminus Paſchalis verus, ſeu xiv. Luna Paſchalis. Uti quandoque *quatuor hebdomadibus* poſterius fuit vulgare & vitioſum Paſcha, quàm oportuit; quoties nempè Luna xiv. antecederet d. xxi. Martii Julianum, non tamen *Æquinoctium* verum, ob dictam προήγησιν motûs Solaris indè à Nicænis tempor. undè expectanda fuit Luna xiv. ſequentis menſis. Tandem & xxxv. dierum intervallo, ſeu *quinque hebdomadum*, quandoque ſeriùs accidit Paſcha vulgare, quàm nunc eſt Paſcha novum, à reſtituto Calendario. Cauſa tùm erroris gemina, ob neglectam ſcil. utramque προήγησιν, tum Æquinoctii verni, tùm alteram Lunarem, quâ Novilunia indè à Nicænâ Synodo, jam ævo ſuperiore, *quatuor* diebus & ultrà anticipaſſent. Prætérquam

quàm quod ſub ejuſdem Synodi tempus *Termini Paſchales*, ſeu Lunæ XIV. uno quandoque & altero die *Plenilunia media* antecederent, ut ex *Diagrammatibus* videre eſt, apud Petavium *Lib.* v. p. 404. & alios.

Emendatio qualis facta ſub Gregorio? Hinc igitur miſſo Lunari illo Cyclo, & Aureis Numeris atque Epactis prioribus, (de quibus vidè infrà Tabulas) quoniam ejus Cycli vitium ſemper rediturum fuerat, alium Cyclum ſubſtituit Gregorius, cujus rationem Clavius in *Calendario Gregoriano*, & in *Apologiâ* expoſuit, ut Guldinum, Onganum, Petavium, alioſque taceam, vulgatis Scriptis. *Cyclus Epactalis novus.* Eſt is *Cyclus Epactalis* novus, juxtà quem rejectis Numeris Aureis Cycli Lunaris prioris, ad ſingulos anni Juliani Menſes, & Menſium dies, adſcribuntur *numeri*, incipiendo à *Kal. Januar.* ità quidem ut ſemper inchoentur hi numeri à *num.* 30. quæ ſumma Epacta, progrediendo ab hac, ordine retrogrado, per deſcenſum, ad 29. 28. 27. 26. &c. uſque ad *unitatem*. Et ita toto Calendario uſque ad 31. Decembr. cui reſpondet Epacta Gregoriana xx. quæ indicat ætatem Lunæ, *decimum* nempè diem à Novilunio. Atque hi numeri, qui *Epactarum* ſortiti ſunt appellationem, indicant ſemper ætatem Lunæ, ſeu anticipationem Lunarem ſingulis menſibus Julianis. Numerus verò 30. (quæ ſummus eſt, quia nulla in cœlo Lunatio, dies 30. exæquat) index idem Novilunii ſemper *Aſteriſco* ſignatur, quo Novilunium evidentiùs monſtretur, ac dicta προήγησις. Lunaris, quâ antevertunt Novilunia ſingulis menſibus, ac tandem in Anni Juliani fine totis diebus XI. undè natæ *Epactæ*, in Cyclo *Decemnovennali*, æquando motui Lunæ cum Solis illo. Rursùs quia ſingulæ Lunationes alternis modò ſunt dierum 30. modo 29. indè factum eſt ut in *ſex* locis Calendarii Epactalis Gregoriani, puta ad v. *Febr.* v. *April.* III. *Junii*, v. *Aug.* XXIX. *Sept.* & XXVII. *Dec.* duæ Epactæ, puta xxv. XXIV. ſimul adſcribantur uni & eidem diei, quando menſis Lunaris fit *cavus*, dierum ſcil. XXIX. ne videlicet Lunationes XII. excedant dies CCCLIV. Aliàs ſi ſingulis Lunationibus *duodecim*, dies xxx. adſcriberentur, foret annus Lunaris dierum CCCLX. ex ductione 12. in 30. Cautum etiam ne in Cyclo *Decemnovennali*, plura *Novilunia* in eundem *diem* idemque tempus recidant, contrà uſum iſtius Cycli. Accedit & hoc proprium Cycli Epactalis Gregoriani, quod *Epactæ majores*, Aſteriſco ſignatæ, & Noviluniorum indices, non exactè reſpondeant Neomeniis cœleſtibus, ſed has ſemper ſequantur *uno* ut plurimùm *die*. Quod factum eſt eo fine, ut dùm *Neomenia Paſchalis* uno die collocatur poſt Novilunium verum ſeu cœleſte, *Terminus* quoque *Paſchalis*, ſeu Luna indè XIV. reſpondeat exactè Plenilunio *medio*, ſeu Lunæ veriùs XV. quod non fiebat ſemper ex inſtitutione Nicænâ, quando Luna XIV. Paſchalis, (uti Neomeniæ Paſchales concurrerant cum Novilunio medio) ſæpiùs anteceſſit Plenilunium medium ſeu cœleſte. Nempè cenſuit Gregorius, & Romana tum Eccleſia, ſatius eſſe Paſcha celebrari poſt Plenilunium medium & paulo ſeriùs, quàm iſtud anticipari. Undè citimum Paſcha nunquàm antè d. XXII. Martii, nec Luna XIV. Paſchalis antè d. XXI.

Æquatio facienda qualis? Rursùs quia ſingulis annis 312. exactis, *Neomeniæ* anticipant die *uno*, ſeu verſus menſium initia uno die aſcendunt, (quæ προήγησις neglecta fuit in Cyclo Epactali vetere, ex dictis) requirit Liliana Methodus, ad faciendam æquationem, ut tùm ſumantur Epactæ *præcedentes*, ſive ut aſcendendo Epactæ *unitate augeantur*, v. gr. loco Epactæ 28. apponatur numerus præcedens 29. Tandem quia ſingulis centenariis, (*quarto* excepto) omittenda intercalatio *unius diei*, ut ſuprà, hinc neceſſè ſit *uno die tardiùs* accidere tùm Novilunia, ſtatuit eadem Methodus, ut tunc Neomeniæ prolabantur ad Epactas *inferiores*, ſeu *unitate minuantur*; prout Epactæ Gregorianæ ſemper deſcendendo minuuntur, ex modò dictis. Sed non hîc Computiſtam agimus, neque Calendarium ſcribimus. Ad oculum ſingula iſtorum apparent ex Tabulâ expansâ Cycli Epactalis Gregoriani, & ex Tabulâ Æquationis, præcipuè ac velut in ipſo fonte apud Chriſt. Clavium, Calendarii Gregoriani *Cap.* II. & Apologiæ ejuſdem *Lib.* II. C. IV. Ut innumeros Calendariographos & Computiſtas mittam, qui paſſim Tabulas exhibent; Adi prolixè explicantem ſingula Petavium, ſed & vindicantem contrà Scaligerianas difficultates, Opere *de Doctrinâ Temp.* Libro v. C. III. *& ſeq.*

At ne ſic quidem vitio caruit hæc ſtructura Calendarii Gregoriani, deſcripti promulgatique in modum Edicti, ab univerſis Chriſtianis recipiendi, Anno 1582. ſed ſequente demùm A. 1583. in Germaniâ recepti à Cæſare, & Ordinibus Imperii Romano-Catholicis; Saxone, Haſſo, & Proteſtantibus aliis ſtrenuè repugnantibus; quâ de re Limnæus, & qui de Jure Publico Germanorum. *Vitia Calendarii Gregor.* Sed præter uſurpatam à Romano Pontif. auctoritatem, in Feſtis ordinandis, & legibus ſcribendis toti Chriſtianorum genti, vitium non unum Calendarii Novi obſervatum eſt, ab accuratiſſimis Chronologis, idque ex rationibus Aſtronomicis: Qualia fuêre præcipua, ex. gr. 1. Radix æquationis ſeu emendationis, quantum ad προήγησιν Æquinoctiorum, & Solſtitiorum, figenda non in anno quo celebrata *Nicæna* Synodus, ſed in anno *Juliano* I. annis XLV. antè Æram Vulg. Dionyſ. vel in anno reformat. Auguſteæ, à quo tempore proceſſit illa προήγησις Solis, quæ fit in anno *Juliano*; & cui medetur annus *Gelalæus*, ut ſuprà in Anno Perſico. Debuiſſent ità eximi non dies x. ſed minimùm XII. quæ eſt differentia inter 1600. annos Julianos, & 1600. annos Gregor. ut redirent Æquinoctia ad eundem diem. 2. Demptio illa dierum x. ſemel & ſimul facta eſt uno eodemque anno, qui reſecari potuiſſent ſucceſſivè, omiſſis *decem* intercalationibus, ſpatio annorum XL. quâ ratione Auguſtus Cæſar ſpatio annorum XII. *tres* Biſſextos negligi omittique juſſit. 3. Vitium periodi *Tetracoſieteridos* Lilianæ: Quâ fit ut *Æquinoctium* non firmiter adhæreat XXI. Martii, per omiſſionem *trium* Biſſextorum *tribus* primis Centuriis; Prætereà ut excedat illa Periodus *exceſſum* anni Juliani, qui jam *tridui* eſt ſpatio demùm annorum 393. dum 400. numerantur. Quod diſcrimen poſt lapſum 3000. annum, *diem* efficiet, quo antevertet motus Solaris. 4. Vitium quoque non unum in *Cyclo Epactali*, quem ſubſtituit Gregorius *Cyclo Lunari* veteri, atque adeò in *Tabulâ Æquationis*, motuum Solis & Lunæ. Nec enim hanc fieri accuratè, per 30. currentes Epactas, nec *Novilunia* cœleſtia iſtarum currentium Epactarum finem expectare, ut mittam alia, ipſe Clavius agnovit *Capite* XII. Calendarii. Ità dum in eodem Calendario *Neomenia Paſchalis* excipit uno die Novilunium medium ſeu cœleſte, ex modò obſervatis, reverà non *quatriduum* emendatum eſt, quo Lunaris προήγησις facta fuerat, à Nicænis temporibus, ſed *triduum* tantum. Ità Scaliger. 5. Adde, *Æquinoctium* vernum, quale fuerat tempore Nicænorum, Anno Æræ Vulg. CCCXXV. malè fixum à Gregorio in d. XXI. Martii; qui veriùs in diem xx. uti hodie XIX Martii propiùs attingit.

Caput VIII.

De Anno Arabico vetere, tum de Lunari vago, & Muhammedico. Deque reductione ejus ad annos Æræ Chriſtianæ.

Arabicus annus alius antiquus, alius Muhammedicus.

SUpereſt Annus *Arabicus*, ſive *Muhammedicus*, ſive *Turcicus*, qui & anni *Hegiræ* nuncupantur: Quâ de Ærâ, quæ in locum Damaſcenæ ſeu Hagarenæ apud Arabes ſucceſſit, Anno Æræ Chriſt. Vulg. 622. Julii 16. labente anno Per. Jul. à *Kalendis Jan.* 5335. alibi traditur, ubi de *Æris* nobilioribus. Nempè anni formam merè *Lunarem* eſſe juſſit Impoſtor, tam in Sacris quàm in Civilibus, nullâ *æquatione* cum Sole, ut factum ab Arabibus, & à Judæis, Syris, Græcis, Romanis antè Julium Cæſarem, ac pleriſque Gentibus etiam Barbaris, Germanis, Gallis, aliiſque intercalare ſolitis, in anno Lunari, menſes ἐμβολίμους, ne turbarentur anni tempeſtates. Ità ratum eſt Arabes antè Muhammedem intercalaſſe *biennio* quoque, ac fixiſſe *Dulhagiam*, nempè *ultimum* menſem in Autumno, ob aëris temperiem, quo confluebant ad Templi Meccani Solemnia: Et quidem fuiſſe intercalandi poteſtatem penes ſuum *Pontificem*, uti apud reliquas Gentes, ob proxima Sacra, & anni tùm Eccleſiaſtici exordium Quo ipſo intelligitur Civilis eorum annus fuiſſe *Lunæ-Solaris*: Et *Epiphanii* ſeculo habuiſſe Arabas, & Hagarenos, annum Civilem Julianum, cujus caput fuerit XXII. Martii, à Petavio pluribus aſſertum eſt contrà Scaligerum, *Lib.* IV. C. X.

Annorum ac Menſium Muhammedica ordinatio.

Sublato igitur per Muhammedem omni *Emboliſmo*, ſeu *protractione* anni vertentis, tanquàm re profanâ, ut ſolemnia ſuis Sacra per omnes Anni tempeſtates decurrerent, quod & veterum Hierophantarum inſtitutum inter Ægyptios fuit, annum merè *Lunarem* conſtituit: Et *Aſtronomicè* quidem, dierum 354. horarum 8. min. 48. *Politicè* verò, alternis dierum 354. qui annus communis, & dierum 355. quando annus ὑπερήμερος. Hinc *menſes* XII. in anno Arabico, iique *Lunares*, conſtitutâ Neomeniâ in primâ Lunæ φάσει, incurrente in omnium oculos, هلال Arab. Quæ Neomenia *Politica*, *uno* die plerumque, quandoque (ſeriùs obſervata) *duobus*, poſterior eſt τῇ συνόδῳ, Neomeniâ *Aſtronomicâ*, ſeu cœleſti novilunio. Menſis quoque initio, uti diei civilis, à *veſperâ*, ſeu ab ortu *Lunæ*, ſemper ducendo; quod & Judæis in uſu fuiſſe conſtat, & Athenienſibus, aliiſque, ad *Lunæ* motum ſua tempora exigentibus. Undè Arabes, non quo *die*, ſed quâ *nocte*, aliquid actum ſit, in Hiſtoriis memorant; quod & de Gallis veteribus Cæſar, de Saxonibus, Anglo-Saxonibus, Danis, ut & de Americanis nonnullis Gentibus, non *dies* ſed *noctes* numerantibus, Hiſtorici obſervarunt.

Periodus Arabica tricenaria unde?

Quum verò Menſes Lunares Arabici eſſent dierum 29. horarum 12. min. 44. circiter, hinc alternis menſes fecerunt *plenos*, dierum 30. & *cavos* dierum 29. qualis quoque fuit *Dulhagia* menſis ultimus, ſcilicet *cavus*, extrà annos Embolimæos. Et quando *exceſſum* Lunarem ſuprà dies 354. obſervarunt eſſe horarum 8. min. 48. & has horas, cum dictis minutis, *tricies* ſumptas, efficere *dies* XI. præciſè; idcircò ſpatio 30. annorum (quæ Periodus Arabica τριακονταετηρὶς *tricenaria*) *undecies* diem intercalant, quando Dulhagia, qui per ſe cavus eſt, fit plenus, & ὑπερήμερος. Undè eâ Periodo ſunt anni *communes* XIX. quemadmodùm ſunt anni XI. *embolimæi* ſeu ὑπερήμεροι, dierum 355. iique annus *ſecundus*, *quintus*, *ſeptimus*, *decimus*, *decimus tertius*, *decimus ſextus*, (nonnullis Arabibus *decimus quintus*) *octavus decimus*, *vigeſimus primus*, *vigeſimus quartus*, *vigeſimus ſextus*, tandem *vigeſimus nonus*. Dies iſtos ἐμβολίμους, menſibus plenis, vocant Arabes كبايس πληρώματα *ſupplementa*, ſupplendo ſcilicet anni defectui.

Caput anni Arabici.

Porrò de Anno Arabico præcipuè obſervanda veniunt, ejus *caput*, *menſura*, & *comparatio* cum annis Æræ Chriſtianæ Julianis. *Caput* eſt Neomenia menſis *Muharram*, cujus primus dies etiam anni *Arabici veteris* caput fuit, atque illis ſolemnis, & quo *Menſe* pugnare nefas erat, uti *quatuor* Arabibus menſes olim fuêre *vetiti*: Quæ & aliarum Gentium certis Menſibus & diebus ſuperſtitio fuit, uti in *Plenilunio* Græcis, ſic *decreſcente lunâ* Germanis olim, bello interdictum conſtat. Quanquàm Muhammed exceſſerit Meccâ die primo *Rabie prioris*, qui menſis fuit *tertius*, diebus 59. poſt Epochæ veteris initium; retrotrahendæ ità, Impoſtoris decreto, in Hegiræ ſuæ memoriam. Annus verò I. *Hegiræ* concurrit cum Anno *Æræ Chriſti* labente 622. anno *Per. Jul.* 5335. incipitque à *Julii* noſtri die XVI. *feriâ* VI. & ita Turcæ; quanquàm Arabum alii, & Alfonſinæ Tabulæ, ordiantur à *Julii* XV. feriâ V. quum fuiſſet Συζυγία XIV. *Julii*. Atque ità caput anni Arabici, ſeu Æræ Turcicæ, ſequitur Æram Chriſtianam annis Romanis 621. diebus 196. quot dies fluxerunt à Kal. *Januariis*, anni 1622. ad XVI. *Julii*. In univerſum ſupputant Tabulæ *dies* 227016. quibus Arabum Æra poſterior eſt Ærâ Chriſtianâ Vulg.

Menſura Anni Arab.

Menſura verò anni Arabici ex dictis liquet, *Lunaris* ea, tùm Aſtronomica tùm Civilis; ut ità Juliano anno minor ſit Arabicus, diebus ferè XI. quibus anticipat eorum annus, ſemper in anteriora retrogreſſus, vagatuſque per *omnes menſes* anni Juliani. Undè menſes nulli Arabibus & Turcis *æſtivi*, vel *hyberni*, quales evadunt ſucceſſivè ſinguli, & ita quoque menſis eorum Sacer, quibus *Beiram* ſuum agunt. Idem quoque annus veterum *Gallorum* fuiſſe fertur, merè Lunaris & vagus, Emboliſmis nullis, uti annus *Japonenſium*, ex relationibus Jeſuiticis. Fit verò ſpatio annorum ferè 32. ut redeant ad idem principium ii menſes, completo orbe anni Juliani. Eodemque ſpatio annorum 32. eſt exceſſus annorum Julianorum ſuprà Arabicos *anni* I. minùs 6. *diebus*, ut ex dierum calculo quàm accuratiſſimè demonſtratur, in Tabulis. Quare juxtà regulam proportionum, & ex inſpectione quoque Tabularum, ſpatio annorum 1066. quot fluxêre ab Anno Æræ Chriſt. 622. ſeu ab anno I. Hegiræ Muhammedicæ, *Julii* XVI. ad Annum ex. gr. 1688. incluſivè, & ejus anni diem *Julii* XVI. factus eſt exceſſus Julianorum, ſuprà Arabicos, annorum 32. dierum circiter 261.

Ratio inveniendi annum Arab.

Hinc non difficilis inventio anni *Arabici*, dato anno Æræ *Chriſtianæ*, v. gr. ipſo quem diximus A. 1688. Nam primò demendi ſunt ex annis Chriſtianis, quot fluxerunt antè Æram Muhammedicam, ſcil. 622. reliquus numerus eſt — 1066. Deindè ſupplendus defectus Annorum Arabicorum, qui ſpatio annorum Julianorum 32. eſt anni unius Arabici, minus 6. diebus, ſeu dierum 348. uti ſpatio 33. annorum Julianorum, defectus ſeu retroactio anni Arabici, eſt anni *unius*, dierum 4. cum minutis horariis, ſive tantus eſt exceſſus anni Juliani, ex dictis. Exceſſus verò annorum Julianorum 1066. ſuprà Arabicos, modò fuit annorum 32. dierum 261. circiter. Hunc igitur exceſſum adde ad annos 1066. fient anni Arabici 1098. qui abſoluti ſunt diebus 261. antè XVI. *Julii*, quod eſt caput annorum Hegiræ. Atque adeò juxta hunc calculum annus Hegiræ 1098. inierit ſub finem *Octobris* præcedentis 1687. undè totidem dies numerantur, antè XVI. Julii 1688.

Si

Digitized by Google

Si verò ad dies 261. addas alios 93. fient dies 354. quibus abſolvendus annus Hegiræ 1099. ſi communis eſt, quod incidit in XVI. *Octobris* ſequentis.

Eumque vel Communem, vel Embolimæum. An verò is annus Hegiræ *communis* ſit, an ὑπερήμερος dierum 355. & *quotus* ſit annus Periodi *triacontaëteridos*, de quâ modò, facile eſt cognoſcere ex diviſione eorum Annorum per 30. & ex annis qui à diviſione remanſerint; Nam ſi remanſerint *duo*, *quinque*, *ſeptem*, &c. erit annus ὑπερήμερος, ex antè dictis, quoniam talis eſt in periodo tricenariâ annus *ſecundus*, *quintus*, *ſeptimus*, &c. *Item*, cognoſces annos *Hegiræ*, ex propoſito anno quocunque *Æræ Chriſtianæ*, v. gr. 1453. qui annus fuit captæ Conſtantinopoleôs. 1. Si abjicias ab annis Chriſti, 621. qui *Hegiram* præceſſerunt, ut remaneant ſic 832. 2. Si *reſiduos* annos 832. diviſeris per 33. quia tot annis Julianis completis deficiunt Anni Muhammedani *anno* 1. & diebus ferè *quinque*. 3. Si *quotum* ex diviſione, puta 25. *addideris* ad dictos annos reſiduos puta 832. qui ab Hegirâ numerantur; tùm *ſumma* oſtendet annum Hegiræ ſaltem ἐν πλάτει & παχυλῶς, puta 857. labentem, quam & ſignant Turcæ. Quando verò iniverit ille annus, ſeu quando completus ſit annus Arabicus 856. ex numero Syzygiarum ſciri poteſt, ut demonſtrationes operoſas mittam, apud Nic. Mulerium, G. Beveregium, & alios. Ex ſupputatione etiam *dierum*, qui fluxerunt ab *Æra Arabicâ*, ad datum annum *Æræ Chriſt.* eorumque æquatione cum *annis*; item ex comparatione cum annis *Æræ Alfonſinæ*, cujus initium figitur in A. 1252. & *Kal. Junias*, aliundè etiam cognoſcitur quotus labatur Annus Arabicus, & anni dies. Sed hæc nec loci hujus ſunt, nec inſtituti. Tabulas ipſas Alfonſinas conſule, & qui eas illuſtrarunt, Mulerium, alioſque; oculari enim demonſtratione opus eſt.

Ratio, ex datis Annis Hegiræ, cognoſcendi Annum Æræ Chriſt. Cumprimis verò in lectione Hiſtoricorum Arabicorum, operæ pretium eſt cognoſcere, ex ſignatis annis *Hegiræ*, quotus ſit annus *Æræ Chriſtianæ*. V. gr. ſignant annum captæ *Conſtantinopoleôs* à Muhammede II. Hegiræ 857. aut captæ *Rhodi* à Solimanno, Hegiræ 929. neglectis jam menſibus, & feriis. Reduces hoſce ad annos Æræ Chriſtianæ, 1. Addendo annos Chriſtianos 622. qui præceſſerunt Hegiram, ſeu 621. dies 196. 2. Reducendo annos *Arabicos* datos ad annos *Julianos*, ſupplendo iſtorum defectum, qui ſingulis *annis* Arabicis eſt dierum XI. quibus ſuperantur à Julianis; ſingulis periodis *tricenariis* Arabicis, eſt dierum ferè 327. ſingulis periodis annorum Arabicor. 33. eſt anni *unius*, cum diebus ferè 5. & ità porrò ſervatâ proportionis regulâ. Sed commodùm hujus accuratæ reductionis difficultati, quam & profeſſi ſunt graviſſimi Chronologi, ſuccurrunt omnium inſtar Regulæ, & Tabulæ Nic. Mulerii, olim Profeſſoris Groningani, in *Turc-Arabum Anno Lunari*, ſcripto longè utiliſſimo, & compendioſo, ut Guil. Beveregium alioſque recentiores ſileam. Habebis ibi *Canonem* geminum, & facilem, quem deſcribere hoc in loco piget. Primùm quo *anni Hegiræ* collecti, ab eorum capite, ac creſcentes per Cyclum annorum 60. uſque ad annum ejus Æræ 1080. reducuntur ad *annos Æræ Chriſtianæ*, cum *diebus* excedentibus à Kal. Januarii: Alterum, quo continentur *anni* Arabici *expanſi*, uſque ad 60. & è regione reſpondet ad ſingulos annos *defectus* anni Arabici, ſeu *exceſſus* in totidem annis Julianis. Igitur quæris connexionem Anni Arabici, v. gr. 929. quo Rhodus proditione capta. Juxtà *primum* Canonem Annus Hegiræ 900. expiraſſe intelligitur anno Chriſti Juliano 1495. cum diebus 263. à Kalendis Januarii. Juxtà *ſecundum*, habes quot diebus anni Arabici completi 28. ſuperentur ab annis Julianis totidem, hoc modo:

Anni Hegiræ.	*Anni Chr. Jul.*	*Dies plus, aut minùs.*
Annus Hegiræ 900. completus expiravit	Anno Chr. Vulg. 1495.	*addendis* inſuper d. 263.
Anni Hegiræ ſeu Arabici completi 28.	faciunt annos Julianos 28.	*minùs* diebus 305.
Ergò annus Hegiræ 928. completus	incidit in A. Chriſti Jul. 1523. (ſcil. addendo 28. ad 1495.)	propè expirantem, *minùs* diebus 42. Quod patet, ſi ſubtraxeris à majore numero, ſeu à defectu dier. - - 305. minorem numerum, ſeu exceſſum dier. 263. remanent d. 42.

Undè patet Annos Arabicos 928. abſolutos, effluxiſſe diebus 42. antè annum 1523. abſolutum; ſive diebus 323. poſt impletum annum 1522. Qui dies concurrit cum Novembris Juliani die 19. ut ſic Annus Arabicus 929. inceperit Novembris Jul. die 20. feriâ 5. labente ſcilicet anno Jul. 1523. Ulteriùs inquires in *menſem* Arabicum vel Turcicum, & *diem* menſis, quo fuit expugnata Rhodus. Atque hunc facilè comparabis cum menſe, & die Juliano, poſtquàm de anni capite conſtat, ex dictis. Sed hæc modò fuerit inveſtigandi occaſio iis qui Arabum tempora cum Chriſtianis conferre voluerint. Neque enim calculi & computi Aſtronomici, aut Tabulæ expanſæ, hujus inſtituti ſunt, quod prolixè à laudatis Nominibus occupatum eſt, & ſuffecerit omnium inſtar Nicolai Mulerii, Viri in his literis olim præſtantiſſimi præfata Tabula, ſeu Index Annorum *Turc-Arabicorum*, Groningæ editus Anno 1630. comprehendens annos Turcicos 330. æquandos annis Julianis 320. facto initio ab *Anno Arabico* 757. id eſt Juliano 1356. 5. Januarii, feriâ 3.

CAPUT IX.

De Annis Civilibus Barbararum Gentium in Orbe Occiduo, Orientali, Americano. De Anni ratione apud Sinenſes, Siamenſes, &c. deque Sinenſium Cyclo. Horum rationes aliquemne uſum præſtent in Chronologiâ Sacrâ, aut Exoticâ?

Anni Civiles Germanor. Saxonum, Gallorum, &c. HActenùs de *Annis Civilibus* cultiorum Gentium, quorum diverſitas omninò attendenda, in collatione Epocharum, & Chronologiæ Sacræ cum profanâ. *Barbararum* Gentium aliarum ſeu Annos, ſeu Cyclos, ſeu Epochas hoc loco negligimus, quarum nulli olim Annales Hiſtorici, nulla conſignata literis monumenta, Ex. gr. veterum

Ger-

Digitized by Google

Germanorum, aut *Saxonum*, aut *Danorum*, vel etiam *Gallorum* annos, ità quoque menſes, qui volet requirat apud Scaligerum, in Opere *de Emend. Temp.* & qui harum *Gentium* ſingularum origines, mores, ſacra, in commentarios retulerunt. Id conſtat tempora ſua, annos & menſes metitos eſſe ex motu *Lunæ*, quod & toto Oriente, & apud *Indos* obtinuit, in hunc diem, auſpicatiſſimum illis habitum tempus *Novilunii* & *Plenilunii*, contrà inauſpicatum tempus *decreſcentis* Lunæ. Ità tamen ut *Solis* quoque progreſſum obſervarent, haberentque annos *embolimæos*, ſaltem Germani, quod de Gallis negat Scaliger. Fixum porrò caput anni Civilis, fuit illis *Bruma*, ſeu brumale Solſtitium, id eſt Decembris noſtri d. xxv. à nocte initio ducto, undè annos vitæ, aut rerum geſtarum, per *hyemes* numerare ſoliti. Quanquàm primus menſis naturalis habitus fuit *Autumnalis*, ab Autumnali Æquinoctio, & *plenilunio* illi proximo, iis ferè Gentibus quæ Oceanum accolebant, quod maximè tum intumeſcant fluctus Oceani.

Anni Civiles Peruanor. Mexicanor. &c.

Idem nobis ſilentium hac Introductione, de annis *Americanarum* Gentium, quas inter principes *Mexicani*, & *Peruani*. Ac Peruanos quidem à *Brumâ* annum conſimiliter exorſos, quorum primus menſis reſponderit Hebræorum *Thebet*, ſeu Civili IV. menſibus tamen *Lunaribus* uſos cum Barbaris omnibus Gentibus, ſed tamen obſervato notatoque diligenter exceſſu Solis, eſt *jam* à Peruanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, hinc à Scaligero aliiſque monitum. *Mexicanorum* verò annus, ut & *Guatemalenſium*, vicinorumque Populorum, longè diverſus fuiſſe traditur, ab Acoſtâ & aliis Indicarum rerum narratoribus. Nam *Solaris* reverà fuit, qualis olim Ægyptiacus, & Perſicus, dierum CCCLXV. additis nempè quinque ἐπαγομένοις; idemque inchoandus ab exeunte penè *Februario*, ſeu exeunte nobis hyeme, & à *nocte* quoque. Menſium verò idem annus fuit XVIII. quorum ſinguli dierum XX. qui in univerſum efficiunt dies CCCLX. augendos *quinque* dierum, iiſdem Gentibus feſtorum, appendice. Ut verò menſem non in *hebdomadas*, ſed in periodos *dierum* XIII. diviſerint, redituris in orbem diebus demùm poſt annos *quater tredecim*, ſeu annos LII. (quæ maxima Periodus Mexicanarum Gentium, earumque Seculum, *Rotæ* figurâ expreſſum, *quatuor* veluti partibus diſtinctæ, *medio* in eâ *Sole*) nihil eſt quod hoc in loco pluribus moneam, ex Relationibus Corteſianæ expeditionis, vel ex ipſo Scaligero, Lib. III. *de Emend. Temp. pag.* 226.

De annis & temporibus Sinenſium.

De annis *Sinenſium* vel *Serum*, cultiſſimæ Gentis, dicendum paucis eſt, quo minùs de his Scaliger, & Chronographi alii. Quanquàm parùm hinc ad rem Chronologicam vel Hiſtoricam lucis, extrà res Sinenſium; quum ei Genti, vel Japonicæ, vel Tunquinis, Siamenſibus, &c. remotiſſimis toto Oriente, nullum fuerit cum Gentibus antiquiſſimis, Aſſyriis puta, Chaldæis, Arabibus, Ægyptiis, Græcis, commercium. Neque etiam Eſajæ ætate notiſſimos fuiſſe Sinarum incolas, neque intelligendos nomine סינים *Sinæorum*, de quibus *Eſaj.* XLIX. 12. quæ Gens ibi Judææ *ad Auſtrum* fuit, nec ignota Hebræorum illi, perſuaſiſſimum omnibus eruditis eſt. Aliter viſum licet Fr. Junio, Georgio Hornio, Sam. Purchaſſio Anglo, nuper Andreæ Mullero in Obſervationibus Sinicis, ut Jeſuiticas aſſertiones mittam.

Horumne uſus aliquis in Hiſtoriâ Vetere, aut Chriſtiana? Fabuloſæ Traditiones.

Sed neque Chriſtianam Hiſtoriam ex Monumentis Sinicis magnoperè illuſtrari credimus, quicquid tradant Boemianæ, Trigautianæ, Kircherianæ, & id genus Tabulæ. Ac credat qui volet, ex. gr. per Divum Thomam Apoſtolum, aut ut alii per Bartholomæum, *Sinenſes* ad Chriſti fidem fuiſſe converſos, æquè ac Æthiopas ſeu Indos interiores, & Malabares in oppoſitâ Continente: Ità Imperatore *Mim-Ti*, Cyclo Sinenſi XLVII. id eſt Æræ Chriſt. A. LXV. Chriſtianam Religionem ex Indiis in Sinas illatam, ſub nomine veræ Legis, vel Sectæ cujuſdam *Xacæ*, ſeu *Buddæ*: Ità *Crucem ferream* in Sinis fabricatam eſſe A. CCXXXIX. ac nuper demùm ibi repertam, fide Boemi, & relationum Jeſuiticæ Societatis: Ità *Scythas*, ad quos alterâ jam ætate fertur perveniſſe Evangelium, de *Seribus* quoque & *Cathaiis* intelligendos: Ita ſubeſſe fidem aliquam hiſtoricam & tutam *Lapidi* ſeu *Monumento Sinico*, columnis diſtincto, quod exhibent præ cæteris Kircherus in *Chinâ Illuſtratâ*, & nuper Andr. Mullerus, ac conjectant inciſum ſeculo VIII. tempore cujuſdam *Hanan-Jeſuæ*, *Catholici Patriarchæ*; undè conſtet fuiſſe jam ſuas Sinenſibus Eccleſias, Epiſcopos, omnemque ibi traditam Evangelii doctrinam de Chriſto, Virgineo partu, Magorum adventu, Redemptione humani generis, deſcenſu Chriſti ad Inferos, Aſcenſione in Cœlum, &c. Non hæc ſanè quemquam valdè moveant, ut in Sinenſium inquirat Annos, Menſes, Cyclos, Tempora.

Ratio anni Sinenſis & computandi temporis.

Neque tamen alienum fuerit ab hoc loco ſummatim obſervaſſe ſequentia, ex relationibus Chinicis, & certâ fide de ratione omni temporum antiquiſſimæ atque ingenioſiſſimæ Gentis. 1. *Annum* feruntur inchoaſſe primitùs Sinenſes à *Novilunio* quod proximum Veri adventanti, Sole in *Aquario* conſtituto, circà hujus Signi medium, ut *Piſces* adhuc in primum menſem Civilem inciderent, quod tempus *Februario* noſtro reſpondet. Et rationem dant, quod tum frigora Zephyris miteſcere, aquæ gelu adſtrictæ ſolvi, gramina redire campis, herbæ ac flores protrudi, arbores germinare, animantia ad propagationem ſpeciei præcipuè ſtimulari, incipiant. Quod & Mexicanorum, exeunte *Februario* annum olim ſuum ordientium, inſtitutum fuiſſe videtur. Prout *Siamenſes*, & Indiarum vicini Populi, annum Civilem à *Novilunio* ducunt, quod in *Novembrem* cadit, quando receſſuræ ſenſim terris aquæ, pluviis cœlo cohibitis, flante deinceps Aquilone, & aquas Mare versùs propellente. 2. Formam *anni* Sinenſis conſtanter ferunt fuiſſe *Lunæ-Solarem*, qualis & prudentiſſimarum Gentium; quemadmodum & Menſes habuiſſe *Lunares* XII. alternis plenos dierum XXX. & cavos dierum XXIX. ad quos & *Feſta* ſua exegerint. Undè etiam conciliando Lunæ motui cum Solari progreſſu, habuerint ab ævo ſuos menſes, hinc & annos, *embolimæos*, qui *ſepties* intrà annos XIX. vel *vicies* cum *duobus* inſuper toto Cyclo Sinenſi, qui ſemper annorum LX. recurrerint. Quo fit ut quemadmodùm præclara inventa alia, ſic etiam illud *Menſium intercalarium*, iſti Genti tribuatur. Communis & *Siamenſibus* intercalationum uſus, undè annus illis *Embolimus* XIII. Lunation. terminandus in *Decembrem* noſtrum. 3. A *mediâ nocte*, cum antiquiſſimis aliis Gentibus, annum & diem naturalem incepiſſe eoſdem memorant; quo tempore initium creati *Cœli* factum eſſe crediderint.

Sinenſium Cyclus Sexagenus.

Obſervaſſe etiam *Sinenſes* in computis annorum, conſtanter referuntur, ſed & Siamenſes & vicini Populi, *periodum* ſeu *cyclum* annorum LX. inſtar Aurei Numeri, vel Olympiadum, in Faſtis eorum ſignatum, hoc modo: Accidiſſe hoc & illud, vel incepiſſe hujus & illius *Familiæ* Imperium, aut hujus & illius *Imperatoris* in tali Familiâ annos inchoari, *Cyclo* tali, puta primo, aut tertio, aut ſeptimo, &c. & in eo Cyclo tali *anno*, puta X. aut XX. aut XXX. &c. uſque ad annum LX. incluſivè, quo Cyclus Sinenſium terminatur, & continuò novus incipit. Ac *duabus* modò *notis*, ſeu binis literis tanquàm characteribus, exprimunt annum quemque,

Digitized by Google

que, quarum prior Cyclum, altera Cycli annum, indicat. Concinnatum verò hunc Cyclum *Sexagenum* memorant à *Fo-Hi* primo Gentis Conditore, 200. circiter poſt Diluvium annis, ut putant, perfectum verò ab *Hoam-Ti*, aliis *Hoang-ti*, Fundatore Monarchiæ Sinicæ. Et quidem inſigni artificio, **ex *decem* quas habent primi ordinis *literis***, iiſdemque *ſexies* redeuntibus; tùm ex XII. numeris ſeu characteribus *horariis*, & his *quinquies* redeuntibus: Ita nempè in Tabulâ diſpoſitis his literis X. & ſub ſingulis, horarum dictis numeris, qui ſunt XII. ut ſingulæ *literæ* cum *iiſdem numeris* ſuppoſitis, nonniſi exhauſto cyclo ſexageno, ad primum ſitum ordinemque revertantur. Quâ de re adi Martinum, Kircherum, & Tabulam nuperam Monarchiæ Sinenſis, in quâ à Phil. Coupleto Belgâ, exhibitum Paradigma Cycli illius Sinenſis annorum LX.

Ratio putandi annos Imperatorum. Mittimus, quod ad conciliandam Sinenſium Chronologiam atque Hiſtoriam apprimè facit, parùm verò ad rem Hiſtoricam reliquam, ſingularem hunc alium Gentis morem, in putandis annis. Nempè annum aditi Imperii cujuſque Imperatoris non ordiri ſolent ab *anno* quo *mortuus* eſt præcedens Imperator, etiamſi primo anni menſe conceſſerit fatis; ſed demùm ab *anno ſequente*, & primo hujus anni *menſe*. Rursùm tempus nativitatis non ordiuntur à *die* quo Princeps lucem adſpexit, ſed ab initio ejus *anni* quo natus eſt, qui totus deputatur illius ætati, edito fortè licet in hanc lucem poſtremo ejus anni *die*: Ferè ut annos Regum Iſraëlis putaſſe dicuntur, apud Magiſtros, initio ducto non à *menſe* aditi Regni, ſed à *Niſan* menſe Sacro. Et illa quidem aliaque id genus obſervant qui Scriptores ejus Gentis, & Annales Imperii Sinici, legiſſe ſeſe atque aſſecutos eſſe teſtantur; quos qui volet conſulat.

CAPUT X.

De Tekuphis Judaicis, earumque diversâ conſideratione. De Menſibus, ac primò Aſtronomicis. Tum de Menſibus Civilibus, in theſi. Embolimæi qui dicti? Speciatim de uſu Hebræorum in conſtituendo initio menſium Civilium, & Emboliſmo.

Tekupharum ratio. AB annis fit tranſitus ad *menſes*, qui ſunt ſyſtema certorum dierum, ſeu jam XXX. ſeu plus aut minus. Quamquàm mediæ ſint *Tekuphæ* Hebræorum, de quibus prolixè Calendariographi. Eſt nempè *Tekupha* revolutio, converſio, Solis nempè. Et ἐξόχως quidem, התקופה, ſic primò Hebræis nuncupatum eſt illud momentum, in quo præcisè *annus Solaris* deſinebat, novuſque inchoabatur in menſe Tiſri, in puncto Juliani *Æquinoctii*, die Septembr. XXIV. vel XXV. ut fuit ætate Cæſaris. Dicta תקופת תשרי *converſio Solis menſe Tiſri*. Poſteà ſic nuncupati Hebræis quatuor anni *Juliani* quadrantes, ſeu τροπαὶ, *Solſtitia*, & *Æquinoctia*, quæ & tempora ſementis & meſſis, frigoris & æſtus.

Undè jam Tekupha Hebræis, eſt *revolutio quadrantis anni*, eademque verna, æſtiva, autumnalis, hyberna. Hinc *Tekupha* vel pro toto *quadrante* anni Juliani, dierum 91. horar. 7. ſcrupul. 30. vel pro *momento* ultimo quo Sol quadrantem unum perficit, alterum ingreditur, quod fit in Æquinoctio תשרי *Septembris*, in *Solſtitio* טבת *Decembris*, in Æquinoctio ניסן *Martii*, in Solſtitio תמוז *Junii*. Et hæc ſtudioſiſſimè Judæis momenta obſervata, tùm ob Tekupham *Niſan*, ſeu Æquinoctium Vernum, ex quo judicium de *plenilunio* Paſchali; tum ex ſuperſtitione quâdam, dùm ſingulis Tekuphis, tribuiſſe dicuntur vim miram in Elementa, ut brumali in aquam, ſolſtitiali in ignem, &c. Fixerunt autem Tekupham *Tiſri*, in 24. *Sept.* h. 9. ſi annus Biſſextilis, *ſex* horis ſeriùs, ſingulis annis primo, ſecundo, tertio à Biſſextili. Ità Tekupha *Tebeth*; affixa 24. Dec. 16'. 30". anno Biſſextili Juliano, reliquis, *ſex* horis ſeriùs. Conſimiliter Tekupha *Niſan* anno Biſſext. Jul. affixa Martii 26. 0. 0. Tekupha *Tamuz*, Junii 25. 7'. 30". De quibus, ut & de diſcrimine inter Tekuphas *R. Samuëlis*, ſecundùm annum Julianum in quadrantes diviſum, & illas Rabbi *Adæ*, longè accuratiores habitas, ſecundùm Cyclum decemnovennalem, adi Munſterum, Scaligerum, Calviſium, Mulerium, Petavium, &c. & hunc quidem *Libro* VII. à *Cap.* XX. fuſiſſimè ſingula enarrantem. Vixit uterque, Samuel & Ada, ſub initia Millenarii V. Judaici, ſeu medio circiter ſeculo III. Chriſtiano.

Menſes undè appellati? Annos excipiunt *Menſes*, μῆνες Græcis à μήνη, undè Latinorum *menſis* juxtà Macrobium, Ciceroni autem à *menſis* ſpatiis. Hebræis חדש, quaſi *novatio* Lunæ, etiam ירחא ירח, quaſi *Novilunium*, *Neomenia*, quæ ראש חדשים *principium menſium*, *Num.* XXVIII. II. Quomodò à *Lunâ* eſt conſimiliter *Menſium* appellatio apud Chaldæos, Syros, Arabes, Æthiopes, Perſas, Tartaros, Sinenſes, Indos, Germanos veteres, & Barbaras pleraſque Gentes, ne Mexicanis exceptis, quibus *Tona* & Menſem, & Lunam ſignificavit. Hinc Syracides C. XLIII. 6. Σελήνην ἐποίησεν εἰς ἀνάδειξιν χρόνου καὶ σημεῖον αἰῶνος, *Lunam condidit ad demonſtrationem temporis, & in ſignum ſeculi* labentis.

Menſes Aſtronomici Solares. Menſes, ut anni, alii *Aſtronomici* ſeu *Naturales*, alii *Politici* ſeu *Artificiales*. *Aſtronomici* dicti, quorum ratio ad Solis & Lunæ motum expenditur, undè *Solares* alii, alii *Lunares*. Solaris menſis eſt, ſpatium quo Sol duodecimam Zodiaci partem, ſeu ſignum unum pertranſit, ab Occidente in Orientem promovendo, motu *æquali*, atque adeò intervallum dierum XXX. horarum XI. circiter cum triente, & hæc verè pars eſt anni duodecima. Motu verò *inæquali* & *apparente*, diutius hæret Sol in uno Zodiaci ſigno quàm in altero, propter anomaliam Zodiaci, hìc v. gr. dies 29. cum horis aliquot, ibi dies 31. cum aliquot ſimiliter horis. Et hos *Solares* menſes Dionyſius Mathematicus, tempore Philadelphi, à XII. ſignis Zodiaci appellavit, ut primus eſſet à ſigno *Leonis* Λεοντών, & ità porrò; quum aliàs vel Ζυγών à ſigno *Libræ*, vel Κριών à ſigno *Arietis*, primi cenſeantur.

Lunares Periodici. Lunaris menſis rursùm eſt vel *Periodicus*, vel *Synodicus*. *Periodicus* eſt intervallum quo Luna ad idem Zodiaci punctum, undè digreſſa fuit, motu periodico revertitur, eodemque æquali, ab Occidente in Orientem ſeſe promovendo, quod ſpatium eſt dierum XXVII. horarum plus minùs octo. *Synodici.* *Synodicus* eſt intervallum ab uno Novilunio ad aliud, ſeu ab unâ conjunctione Solis & Lunæ, ad proximam ſequentem, quod ſpatium eſt dierum XXIX. horarum XII. 44'. 3". De quâ re adi Tabulas Friſicas. Adde tertiam menſium Lunarium rationem, quæ non ἀπὸ τῆς Συνόδου, à conjunctione, ſeu motu medio Luminarium, (מהלך דאמצעי vocant Hebræi) ſed ἀπὸ τῆς φάσεως à primâ Lunæ *phaſi*, ſeu viſione ducitur, quæ Hebræis & Orientalibus uſurpata, ac pleriſque Barbaris Gentibus, ex loco eminentiore, per ſpeculatores ad id conſtitutos, obſervare ſolitis hanc φάσιν. *Varia praxis obſervandis Noviluniis* Ità νουμηνίας vox apud LXX. Interpretes, promiſcuè ut *Interlunium*, ſeu occultatio Lunæ, in Synodo Luminarium, vel etiam *prima phaſis*, ex quâ Judæorum ſolemnitates menſtruæ & annuæ dependebant. Undè, pro ratione apparitionis, uno die citiùs aut tardiùs, quandoque *biduo*, *triduo*, his & illis fuit initium menſium. Apud Judæos verò caput menſis *duplicatum*, ſi aut ſerior, aut dubia apparitio Lunæ, per imbres & nubila, die menſis XXX. etiam XXXI. pro *Neomenia*, ſeu primo die menſis, habito. Habuiſſe eoſdem in Tabulâ depictas דמות צורות לבנה *imagines*

Digitized by Google

nes vel ſpecies φάσεων *Lunarium*, juxtà quas examinati teſtes novæ apparitionis, ex *Roſch Haſch.* c. ב. §. ח. à Scaligero, Petavio, Petito, Seldeno, Coccejo, & aliis obſervatum. Indicebantur autem Neomeniæ, ſimul ac pronunciatum eſſet in Senatu מקודש *Mekuddaſch*, id eſt, *ſanctificatum eſt*, per *faces* olim in ſummo montium accenſas, poſteà per שלוחין *legatos*, ἀποςόλους, in omnes partes dimiſſos, eodem Tract. c. ב. §. ג.

Civiles Menſes. *Civiles* menſes ſic dicti, quibus variæ Gentes uſæ, pro ſuo quæque inſtituto, & diversâ conſuetudine Populorum. Et quia diebus ſemper integris abſolvuntur, ità minus exactè reſpondent Solis & Lunæ motui, ſive Solares ſint, ſive Lunares: Hinc dicti *artificiales*, arte quadam concinnandi, ad Solis & Lunæ rationes; aliundè compenſandis *horis* & *ſcrupulis*, quibus menſes naturales abſolvuntur, ultrà certum dierum numerum. Et *Hebræorum* quidem menſes fuêre duûm generum: Alii enim ante Moſaica tempora, & hi ferè (ut videtur) *Solares*, ſeu dierum præcisè xxx. qui hinc *menſes dierum*, & æquabiles, qualibus & uſi Ægyptii, acceſſuris in fine anni v. Epactis, ut ſuprà monitum. Alii verò indè ab Exitu ex Ægypto, in ratione Feſtorum obſervandi, & hi *Lunares.* Quemadmodum & *Græcorum* menſes, quos ad Lunæ motum exactos fuiſſe probant Petavius, Lib. I. *de Doctr. Temp.* Leo Allatius, *de Menſ. Temp.* C. XI. plures alii, uti fuêre menſes *Romanorum* ante Julium Cæſarem, ac plerarumque Gentium. Quod mox in Tabulis Menſium apparebit, & ſummariis ad eas obſervatis. Undè uti in Sacris, ſic ferè in omni Gente, *Novilunium*, & *Menſis* renovatio, ſeu *Kalendæ*, ſunt ἰσοδυνάμα.

Cavi & Pleni. Et horum quidem menſium alii *æquales*, *inæquales* alii, hique *Cavi*, aut *Pleni* nuncupati. *Æquales*, qui ſinguli dierum xxx. τριακονθήμεροι, ſeu jam exigerentur ad Lunæ motum, quam xxx. plus minus diebus curſum ſuum implere cernerent, nunquàm ultrà; ſeu ad motum Solis, adſcriptis in fine anni diebus v. Et his uſi olim Ægyptii, Græci. Mexicanorum verò æquales quidem menſes, ſed ſinguli dierum xx. Cavi *Lunares* dicti, qui dierum xxix. quales erant plerumque menſes *impares* primus, tertius, quintus, &c. *Pleni* qui dierum xxx. quales erant menſes *pares*, ſecundus, quartus, ſextus, &c. Apud Hebræos etiam, in Calendario Vetere, *Thiſri* & *Niſan* primus & ſeptimus, apparent חסרים *cavi*; ſecus ac in Calendario novo Judæorum, ubi *Tiſri* ſemper *plenus* eſt, ita *Adar* ἐμβόλιμος, quos ſimiliter מלאים *plenos* dixêre. Marcheſvan & Ciſleu nunc ambo *pleni*, nunc ambo *cavi*, ut infrà. Sic ob dubiam aut obſcuram Lunæ φάσιν, menſis expirans, qui aliàs *cavus*, fiebat *plenus* dierum xxx. Quo factum ut ſæpè Novilunia aut Plenilunia *media* vel *naturalia*, initium menſis *Civilis*, ac medium, etiam Paſchalis menſis, anteverterent, *biduo*, *triduo*, *quatriduo*, *plus etiam*, ut rectè à Seldeno obſervatum, *de Jure Hebr.* L. II. C. IV. Sed alia praxis Carræorum, alia Talmudiſtarum fuit. Illi enim ſi menſis *plenus* eſſet dierum xxx. non expectarunt Lunæ phaſim ad Neomeniam indicendam, ſed ſine ראייה ſeu *Phaſi* diem xxxi. feſtum habuerunt; quâ de re idem Seldenus, libro *de Anno Civili Hebr.* Pariter *Solares* menſes, ob rationem eandem, alii *Cavi* ſeu dierum xxx. alii *Pleni*, ſeu dierum xxxi. Maximè omnium Cavus *Februarius*, qui aliquot ſæculis poſtremus menſium inter Romanos fuit, dierum is xxviii. extrà annum Intercalarem, ſeu Biſſextilem. Major verò inæqualitas menſium in Gentibus nonnullis conſpicua fuit, ut ex ſequentibus Laterculis liquet.

Menſes Intercalares. Speciatim Hebræorum illi. Sed & Menſes quoque alii Mathematicis dicti *Intercalares*: Nempè qui præter ordinem additi quandoque menſibus duodecim, anno prorogando. Additionis ſeu *Intercalationis* ratio & tempus, ſuprà ad annum intercalarem obſervata ſunt. Nempè ut idem ille annus appellatus ἐμβολιμαῖος, ſic & menſis ἐμβολιμαῖος, vel ἐμβόλιμος, *inſititius*. Et hunc quidem menſem XIII. Hebræi addiderunt in fine anni Sacri, antè Menſem Paſchalem, undè iteratum אדר, ſeu ואדר *alterum Adar*, idque anno *ſecundo* expirante, vel anno *tertio*, aliquando duobus annis *continuis*. Prout nempè intercalandi neceſſitatem cognoſcebant, v. gr. ſi Æquinoctium vernum (deinceps Tekupha Niſan) hinc Plenilunium Paſchale incideret antè tempus Abib; ſi, Paſchate imminente, novas fruges nondùm maturas animadverterent; ſi non ſatis eſſent adulti agri, ſi retardatæ arbores; ſi agni juxta Magiſtros nimis tenues, ſi feræ nives, ſi itinera aut viæ inſuperabiles imbribus hyemalibus, vel aquarum eluvionibus; ſi Fornaces Hieroſolymitanæ, aſſandis agnis, deficerent, ſeu minùs idoneæ eſſent, &c. Poſt conſtitutum verò Cyclum decemnovennalem, intercalaſſe *ſepties* eo Cyclo ex Magiſtris intelligitur, nempè annis Cycli III. VI. VIII. XI. XIV. XVII. XIX. Anno VII. non intercalaſſe obſervant Magiſtri, ſeu anno *Sabbathico*, ne prolongaretur ceſſatio à colendis agris. Quanquàm nonnullis dubium, Hebræine Menſem XIII. intercalarint, ſtante primo Templo, ex locis I *Reg.* IV. 7. I *Chron.* XXVII. 15. In quibus tempore Davidis & Salomonis Præfecturæ XII. diſtributæ, pro numero menſium XII. nullo veſtigio aut indicio intercalati unquàm menſis. Neceſſe tamen eſt *primo menſe* ſacro habitam fuiſſe rationem tum Æquinoctii verni, tum matureſcentium frugum, ad celebrationem Paſchatis Moſaici. Undè quum, Ezechiâ rege, Paſcha celebraretur *menſe ſecundo*, I *Chron.* XXX. 2. qui primo debuit ex Lege, videtur etiam intercalatus alter Niſan, ſeu Abib, quâ de re Seldenus, *de Calendario Veter. Hebræorum* C. IX. Igitur duplex hac ratione genus menſium obtinuerit in Iſraële, quorum alii *Solares*, in uſu Civili, *Lunares* alii, in uſu ſacro, & hi intercalandi. Ità *intercalares* Menſes pleræque Gentes & antiquiſſimæ habuerunt, quæ uſæ anno *Lunari*. Et ſic Arabes ab ultimâ antiquitate, antè Muhammedem, biennio quoque habituri ſuum النسي *embolismum*, ut Græci & Attici veteres, ſuum ποσιδεῶνα δεύτερον, Romani ſuum *Merkedonium*, & ità de reliquis; pauciſſimis Gentibus exceptis quæ uſæ ſunt annis & menſibus *vagis*, in quo Japones à Chinenſium prudentiâ, & priſtino intercalandi uſu, diſceſſiſſe feruntur.

CAPUT XI.

Menſes Civiles in hypotheſi variarum Gentium. Laterculi menſium Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Romanorum, Macedonum, Atticorum, Syro-Macedonum, Syro-Græcorum, Arabum, Perſarum. Varia de iis obſervata, ad ſingulorum laterculos. Præcipui inter ſe collati.

De Menſibus præcipuè obſervanda. AD cognoſcenda verò tempora, quæ utriuſque Hiſtoriæ Scriptoribus deſignantur, in ſpecie ad Cyclorum Paſchalium intelligentiam, conſtent neceſſe eſt I. Menſium diverſiſſima *nomina*, pro diverſitate Gentium quæ Hiſtoriæ Sacræ & Exoticæ præcipuum argumentum eſſe ſolent. 2. Varius eorum *ſitus*, *initium* varium. 3. *Habitudo* ſeu *collatio* ſingulorum inter ſeſe, ut ſibi mutuò reſponderunt. Et ab *Hebræorum* menſibus exordium, qui & *Chaldæorum* fuêre menſes, & *Syrorum* veterum antè Græcorum tempora.

Later-

Digitized by Google

Laterculus Menſium Civilium Hebræorum, Chaldæorum, Aſſyriorum.

Menſis	*Dies ſingular.*	*Dies collecti.*
תשרי *Tiſri* in Script. S. אתנים *Ethanim*, 1 *Reg.* VIII. 2. aliàs & communiter menſis *ſeptimus*, nempè in ordine Sacro vel Eccleſiaſtico, qui *primus* in ordine Aſtronomico & Civili, ſeu ראש השנה, *caput anni.*	30.	30.
מרחשון *Marcheſvan*, etiam חשון *Cheſvan*, ſemel בול *bul* 1 *Reg.* VI. 38. aliàs in Script. S. menſis *octavus.*	29.	59.
כסלו *Kiſlev*, vel *Caslev*, qui ex uſu Script. S. menſis *nonus.*	30.	89.
טבת *Thebeth*, qui ex uſu Script. menſis *decimus.*	29.	118.
שבט *Schebath*, qui in Script. menſis *undecimus.*	30.	148.
אדר *Adar*, qui in Script. S. menſis *duodecimus*, vel *ultimus*, hinc ſedes intercalationis.	29.	177.
ניסן *Niſan*, qui in Script. etiam אביב *Abib* menſis *ſpicarum*, communiter menſis *primus*, ſcil. ab egreſſu ex Ægypto.	30.	207.
איר *Jiar*, qui in Script. menſis *ſecundus*, ſemel *menſis* זיו *ziv*, 1 *Reg.* VI. 1. voce Chaldaicâ.	29.	236.
סיון *Sivan*, in Script. menſis *tertius.*	30.	266.
תמוז *Tamuz*, in Script. menſis *quartus.*	29.	295.
אב *Ab*, in Script. menſis *quintus.*	30.	325.
אלול *Elul*, in Script. menſis *ſextus*, qui ultimus Chaldæis, primus Samaritanis.	29.	354.
In anno Intercalari addidêre Chaldæi אלול תרניא *Elul ſecundum.* Hebræi ואדר *Adar alterum*, dier.	30.	384.

Unde Menſium hæc nomina?

Notum porrò eſt, hæc *nomina* Menſium, Chaldaica vel Aſſyriaca, legi nuſquàm in Script. S. antè tempus Captivitatis Babylonicæ. Undè ea nonniſi in Libris Nehemiæ, Eſdræ, Eſtheræ, Danielis, Zachariæ. Quo factum ut Grotius & alii, ex nomine זיו, quo venit menſis ſecundus, 1 *Reg.* VI. ſuſpicati ſint hos Libros ſeriùs ſcriptos. De ſingularum vocum ſignificatu Buxtorfius, Critici. Reſpexiſſe autem ea nomina partim ad Chaldæorum Deos & ſuperſtitiones, vel ex *Tamuz*, menſe IV. Sacro, partim ad ſtatum anni ac tempeſtatem, vel amœnam, vel vegetam fœcundamque, vel marceſcentem, &c. in aperto eſt. Quanquàm *quid ſingula notarint, in ultima Antiquitatis receſſu nos latere*, Golius noſter in Notis ad Alfraganum, *pag.* 17. Affines Hebraicis & Chaldaicis menſes *Samaritanorum*, præterquàm quod his אלול *Elul* ſit Menſis primus, qui iſtis ultimus in ordine Civili. Reliqua quæ ad menſes Hebræorum ſpectant, vide infrà in ſingulorum deſcriptione, ac collatione cum menſibus Solaribus, & illis Romanorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Macedonum, Atticorum, &c. Adde quæ in ſuperioribus de Anno Civili Hebræorum obſervata ſunt. In principio verò Menſis conſtituendo, hinc & ſolemnitatum, diſcreparunt *Carræi* à *Traditionalibus.* Illi enim initium *Neomeniæ* conſtituerunt demùm in veſperâ *tertiâ*, finito crepuſculo. Hi verò ſtatim ab Occaſu Solis, quæ veſpera *ſecunda.*

Laterculus Menſium Romanorum, à Numâ Pompilio ad Jul. Cæſarem.

De emendationibus per Jul. Cæſarem factis, ſuprà.

	Menſes Numæ.	*J. Cæſ. & Aug.*
Januarius, Jano Sacer, & anni Janua, primò tamen XI. menſis; fuit ſub Numâ dier.	29.	31.
Februarius, ſeu à Februis pro defunctorum Manibus, ſeu à Februo infernali Deo, infauſtus, idemque ultimus Numæ ætate, ſecundus diu poſteà, fuit ſub Julio dier. 29. in anno Comm. ſub Auguſto d. 28.	28.	29. 28. {*Biſſ.* 30. 29.
Martius, Marti Sacer, & primus tempore Romuli, quando menſes nonniſi X. ſecundus ſub Numâ, d.	31.	31.
Aprilis, ſeu ab apro, ſeu ab aperiendo, certè in honorem Veneris, ut Ovidius IV. *Faſtor.* d.	29.	30.
Majus, ſeu à Majoribus, ſeu à Majâ, vel Majo Deo, d.	31.	31.
Junius, ſeu à Junioribus, alterâ populi parte, ſeu à Junone, d.	29.	30.
Quintilis, *Quinctilis*, quaſi quintus à Martio, poſteà *Julius*, d.	31.	31.
Sextilis, poſteà ex S. C. *Auguſtus*, quia hujus Imperio feliciſſimus, & *augendus* uno die, qui *detractus* eſt Februario, d.	29.	30. 31.
September, ſeptimus à Martio, additâ poſtremâ ſyllabâ, ut in *Quintilis*, *Sextilis*, d.	29.	30.
October, octavus à Martio, d.	31.	31.
November, nonus à Martio, d.	29.	30.
December, decimus à Martio, d.	29.	31.
	355.	365. 366.

De addito menſe intercalari *Merkedonio*, ſeu à Numâ, ſeu diu poſt Numam, ut fieret annus *Luna-Solaris*; deque omnibus reliquis, quæ ad mutatam menſium annique Romani rationem ſpectant, vide ſupra Cap. VI. ubi de *Anno Civili* Romanorum.

Laterculus Menſium Ægyptiorum veterum, tam in Anno vago, quàm poſteà in anno fixo, ut & Coptitarum. De Menſibus Æthiopum.

	Dies ſing.	*D. coll.*
Θώθ *Thoth*, Coptitis توت *Tot*; Incepit Anno Æræ Nabonaſſ. I. cum XXVI. Febr. Jul. diebus LVII. à Kal. Januar. Fixum poſteà ejus caput in XXIX. *Auguſti* Jul. per emboliſmum anno quovis quarto, idque factum vertente Anno Æræ Nabon. 724. Fuit dierum, uti menſes omnes *reliqui* fuêre *tricenarii*, – —	30.	30.
Παωφὶ *Paophi*, Coptitis بابه *Babah*, inflexâ voce; incipiens in anno fixo, à XXVIII. *Septembris* Jul. dier. — — — — — —	30.	60.
Ἀθὺρ *Athyr*, Coptitis, هتور *Hatur*, fixum caput in XXVIII. *Octobr*. Jul. d. – –	30.	90.
Χοιὰκ *Choiac*, Copt. كيهك *Chihach*, fix. caput in XXVII. *Novembr*. Jul. d. —	30.	120.
Τυβὶ *Tubi*, *Tybi*, Copt. طوبه *Thuba*, fixum in XXVII. *Decembr*. Jul. d. — —	30.	150.
Μεχείρ *Mecheir*, Copt. امشير *Amſchir*, vel ut pronunciant, abſque Elif præf. *Mechir*, fixum in XXVI. *Januarii* Jul. d. — — — —	30.	180.
Φαμενὼθ *Phamenoth*, Copt. برمهات *Barmahat*, fix. in XXV. *Februar*. Jul. d. – –	30.	210.
Φαρμυθὶ *Pharmuthi*, Copt. برموده *Bermudah*, fix. in XXVII. *Martii* Jul. d. —	30.	240.
Παχὼν *Pachon*, Copt. بشنش *Baſchnaſch*; fix. in XXVI. *April*. Jul. d. — —	30.	270.
Παϋνὶ *Pauni*, Copt. بونه *Baune* fix. in XXVI. *Maji* Jul. d. — — — —	30.	300.
Ἐπιφὶ *Epiphi*, Copt. ابيب *Abib*, fix. in XXV. *Junii* Jul. d. – – – – – – –	30.	330.
Μεσορὴ *Meſori*, Μεσωρὴ G. Syncello, Coptit. مسري *Maſſari*, vel *Meſori*, fixum in XXV. *Julii* Jul. d. — — — — —	30.	360.
Dies ſuperadditi, veteribus Ægyptiis, النسي *Alniſi*, vel ſimpliciter ΝΙΣΙ *Niſi*, *Niſſi*, *Neſi* Coptitis, Græcis ἐπαγόμεναι, ad calcem menſis *Meſori*, & haſce vocant *menſem parvum*;	5.	365.
ſingulis verò *quadrienniis*, poſt fixos menſes, addita ἐπίθεσις unius diei intercalaris, quando annus fiebat ἐφεξαήμερος, Meſori ſcil. dierum XXXI. præter quinque ἐπαγομένας, ut in ſuperioribus dictum. – –	1.	366.

De horum Menſium *appellationibus* ex Theologiâ Ægyptiorum, (quomodò *Thoth*, à *Mercurii Ægyptii* antiquiſſimo nomine, qui & *Thouth*, *Theuth*, *Thoyt*, aliàs *Athothes*, *Thaautes*, *Theutates*, &c. Menis filius, Literarum atque Artium inventor, *Triſmegiſti* appellatione ornandus) variæ ſunt conjecturæ Lilii Gyraldi, Scaligeri, Voſſii, Kircheri, &c. & Criticorum, quæ hujus loci non ſunt. Reliqua quæ ad Ægyptiorum attinent tempora, vide ſuprà *Cap.* IV.

Uſus horum Menſ. Horum *Menſium*, collatorum cum Menſibus *Julianis*, cumprimis uſus apparet, in *Cyclo Paſchali* ſeu *Decemnovennali* Alexandrinorum veterum, adornato temporibus Chriſtianis, ac primum à Demetrio Alexandrino Epiſcopo, imperante Severo. Qui Cyclus primò à *Thoth* incepit, lunatione tum plenâ dier. XXX. quales ſunt impares omnes menſes. Deinceps traductum eſt ab Alexandrinis caput Cycli Decemnovennalis ad menſem *Pharmuthi*, ut menſem *primum*, eumque Paſchalem, cujus initium d. XXVII. *Martii* Jul. ſeu VI. *Kalend. April.* Ut ità remotiſſimum Paſcha in *primum* adhuc menſem incideret, ſcil. d. XXIX. aut XXX. *Pharmuthi*, ſeu VIII. vel VII. *Kal. Maji*. Sic Æquinoctium fixum ab Alexandrinis in d. XXV. *Phamenoth* menſis, qui reſpondet XXI. *Martii* Jul. ſeu XII. *Kalend. April.* Sed de variâ Cyclorum ac Canonum Paſchalium ratione, ſecundùm Alexandrinos, Cæſarienſes Patres, Theophilum, Victorium, Cyrillum, Dionyſium Exiguum, &c. videſis in recentioribus præcipuè Scaligerum, Petavium, Bucherium, Cangium ad Chron. Alex. alioſque. Plura nos infrà ubi de *Cyclo Lunari*.

De Menſibus Æthiopum. Laterculum Menſium *Æthiopicorum* ſeu *Habeſſinicorum*, ac ſingulorum Menſium *nomina*, quæ nec Ægyptiaca ſunt, nec Habiſſinicorum vocabulorum formam habent, ſed ab ultimâ antiquitate ab Æthiopibus accepta, (qualia ſunt *Maſcaram*, reſpondens τῷ *Thoth* Ægyptiorum, vel Coptitarum, *Tekerat*, reſpondens τῷ *Paophi* vel *Babah*, &c.) videſis præter Scaligerum & recentiores alios, in Faſtis Sacris Eccleſiæ Æthiopicæ, quos Commentario ſuo inſeruit Vir Ampliſſ. Jobus Ludolphus. Nec hîc deſcribere neceſſe eſt. Ac eadem omninò Anni Æthiopici, Menſiumque ratio eſt, quæ Ægyptiaci, vel Coptici, unâ diſcrepantiâ in nominibus. Præterquàm quod Calendarium Æthiopicum non à XXIX. *Auguſti* Jul. primum menſem inchoat, ut ab aliis ſcriptum, ſed à *Kal. Septembrib.* Ità ultimus menſis, qui *Nahaſſe*, reſpondens τῷ *Meſori*, à *Kal. Auguſti*. Quæ paucorum dierum diſtantia eſt.

Later-

Digitized by Google

Laterculus Menſium Civilium Atticorum, eorumque Lunarium, qui variè traduntur à Veteribus. Collati iſti cum menſibus Julianis, & cum Solſtitiis atque Æquinoctiis. De iis Menſibus obſervata quædam.

			Dies ſingul.	Dies collecti.
Menſes Æſtivi.	1	Ἑκατομβαιών. Initium à *Novilunio*, cujus Plenilunium proximè ſequebatur τροπὰς θερινὰς *Solſtit. æſtivum.* Quod *Novilun.* ex. gr. Anno I. Periodi Calippicæ (ex Tabulis Petavianis) id eſt Per. Jul. 4384. incidit in XXVIII. *Junii*, h. 15. hinc primus dies *Civ.* Hecatombæonis fuit XXIX. *Junii.* Solſtitium fixum à Calippo, poſt Metonem, Euctemonem, in I. *Carcinonis*, ſeu Junii XXVII. Nunquam Neomenia *Hecatomb.* in illâ Periodo Calipp. antè *Junii* XVIII. nunquàm poſt *Julii* XVII. Fuit hic menſis *Civ.* cavus dierum –	29.	29.
	2	Μεταγειτνιών. Initium A. I. Per. Calipp. XXVIII. *Julii*, menſis *plenus*, d. – —	30.	59.
	3	Βοηδρομιών. Init. A. I. Per. Calipp. XXVII. *Auguſti*, menſis *cavus*, d. — —	29.	88.
Menſes Autumnales.	4	Μαιμακτηριών, *quartus* Civ. juxtà Petavium & pleroſque proximus τῇ ἰσημερίᾳ μετοπωρινῇ *Æquinoctio Autumnali*, fixo in XXVII. Sept. Juliani, Ζυγῶν⊕ I. Cœpit A. I. Per. Calipp. cum *Septembris* Jul. XXV. M. *plenus*, d. — —	30.	118.
	5	Πυανεψιών, qui aliis IV. Init. A. I. Per. Calipp. XXV. *Octobris.* Menſis *cavus*, d. —	29.	147.
	6	Ποσιδεών. Olim menſis *poſtremus*, antè Periodum Meton. Hinc ad eum intercalatus Ποσιδεὼν δεύτερος. Init. A. I. Per. Calipp. cum XXIII. *Novembris.* M. *plenus*, d. — — — — — — — - -	30.	177.
Menſes Brumales.	7	Γαμηλιών. Olim menſis I. caput Anni Attici, & Anni cujuſque Archontis. Dein menſis Civ. VII. Init. à *Novilunio* prox. ταῖς τροπαῖς χειμεριναῖς *Solſtitio hyberno*, fixo in XXV. *Decembr.* Αἰγοκέρωτος I. Cœpit A. I. Per. Calipp. cum XXIII. *Decembris*, Menſ. *cavus*, d. — — — — —	29.	206.
	8	Ἀνθεστηριών. Init. A. I. Per. Calipp. XXI. *Januarii.* Menſis *plenus*, d. — —	30.	236.
	9	Ἐλαφηβολιών. Init. A. I. Per. Calipp. XX. *Februarii*, Menſis *cavus*, d. — —	29.	265.
Menſes Verni.	10	Μουνυχιών. Init. à *Neomeniâ* proximâ τῇ ἰσημερίᾳ ἐαρινῇ, *Æquinoctio Verno*, quod fixum à Calippo in I. Κριῶν⊕, id eſt *Martii* Jul. XXIV. Cœpit A. I. Per. Calipp. XXI. *Martii Jul.* Menſis *plenus*, d. — — — — -	30.	295.
	11	Θαργηλιών. Init. A. I. Per. Calipp. XX. *April.* Menſis *cavus*, d. — — —	29.	324.
	12	Σκιῤῥοφοριών. Init. A. I. Per. Calipp. XIX. *Maji*, Menſis *plenus*, d. — —	30.	354.
		Addito verò *Poſideone* δευτέρῳ, ſeu menſe Embolimo, quod ſepties factum in Cyclo Decemnovenn. fuit annus XIII. Lunationum, & ſic ultima incepit à XVII. *Junii*, terminanda in XVI. *Julii.* - - - - - - - - - - - -	29.	383.

Ad Menſes Atticos obſervata. Quantum interſit cognoviſſe Menſium Atticorum ſitum, initia, relationem ad Menſes Julianos, & ad anni Cardines, cumprimis in lectione Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Diodori Siculi, Ptolemæi, Plutarchi, Æliani, Ariani, Marmorum, &c. monuiſſe ſupervacuum eſt. His enim menſibus ſignant tempora, v. gr. Magiſtratuum, ſeu τῆς πρυτανείας, Captæ Trojæ, pugnæ ad Marathona, tranſitus Xerxis in Græciam, victoriæ ad Platæas, ad Pylas, ad Mycalim, ad Arthemiſium; ſic nati Alexandri M. aut victi Darii ad Granicum, &c. & quæ ſunt id genus memorabilia in Hiſtoriâ Græcorum. Quin & in Tabulis Eccleſiaſt. ſuus huic notitiæ uſus eſt, ad collationem Menſium.

Non una tamen pugna eſt ſeu veterum ſeu recentiorum, in ſignando ordine Atticorum menſium, ac figendo capite ſingulorum, iiſdemque componendis cum Menſibus Macedonicis, aut Julianis. Plures enim ex. grat. Πυανεψιῶνα, qui in ſuperiori Laterculo menſis eſt V. facere videntur menſem IV. & Autumnalem I. poſt Βοηδρομιῶνα, ipſe quandoque Diodorus, Plutarchus, Harpocration omninò, Lexicon vetus Henr. Stephani, & ex iis Scaliger *de Emendat.* Lib. I. Petitus in *Eclogis Chron.* Lib. IV. C. I. Mauſſacus in Harpocrationem, Salmaſius in *Plin. Exercitat.* p. 735. Uſſerius de *Anno Macedonum* Cap. I. &c. Quâ de re prolixiſſimè Petavius Libro I. *de Doctr. Temp.* & Libro VI. Auctarii, etiam ad *Epiphan.* ac qui hunc æmulati ſunt.

Ita Ποσιδεῶνα locarunt quidam poſt τροπὰς ſeu Solſtitium hybernum, interpretati *Januarium*, primum menſem à brumâ, & ipſe Plutarchus in *Julio Cæſ.* Qui tamen menſis à Veteribus, & inter eos ab Ariſtotele, locandus antè τροπὰς, ac cum *Decembri* Juliano componendus. Niſi factum aliquando ſit, ut poſtremâ ſui parte *Januarii* initium contingeret; præſertim verò Ποσιδεὼν δεύτερος ſeu intercalaris.

Ità Ἀνθεστηριών, Theod. Gazæ Libro *de Menſibus* Cap. VI. IX. quem edidit Petavius in *Uranologio*, eſt menſis Autumnalis poſtremus, ordine VI. componendus ferè cum *Decembri*, qui reverà menſis hybernus II. ordine VIII. reſpondens magis *Februario:* Undè tùm omnia ἀνθεῖν apud Harpocrationem, nempè calidioribus locis; ſub *vernum* tempus ab aliis locato eo menſe.

Mittimus collationes alias Atticorum menſium cum Romanis, aut Macedonicis, planè diſcrepantes à ſitu ſuperiore. Sic Ποσιδεὼν in Cod. veteri ad calcem Ptolemæi, de quo Seldenus ad Canonem Chronicon, *pag.* 239. eſt Romanorum Σεπτέμβριος, uti Γαμηλιὼν, Ὀκτώβριος, &c. In Lexico vetere Henr. Stephani, Appendice ad Theſaurum, Ἑκατομβαιὼν, qui primus æſtivus, & caput Anni Attici fuit, dicitur eſſe ὁ Σεπτέμβριος, & ità conſequenter æſtimati menſes reliqui. Apud Epiphanium verò Hæreſi LI. *Alogor.* Μαιμακτηριὼν menſis Atticus IV. confertur cum *Januario*, uti Μεταγειτνιὼν cum *Novembri*, ergò Ἑκατομβ. cum *Octobri* Juliano.

Quorum errorum, quarumve diſcrepantiarum, cauſæ dari poſſunt omninò plures. *Diſcrepantium de his ſententiarum cauſæ.* I. Attici menſes, qui primitùs *Lunares*, poſteà *fixi* habiti fuerunt, referendi ii in Annum Julianum à Scriptoribus. Indè etiam factum ut Ἑκατομβαιὼν, qui initium anni Attici, in Tabulis nonnullis incipiat à *Januario*, quia hoc caput anni Juliani. Ità qui contulerunt cum *Septembri* Romanor. eô falſi, quod

Digitized by Google

September menſis *primus* civilis evaſerit Græcis Conſtantinopolit. Ruſſis, Armenis, Æthiopibus, uti *primus* Athenienſibus Hecatombæon. Qui autem cum *Octobri*, reſpexerunt ad Syro-Macedonas, Smyrnæos, Paphios, &c. quod fecit Epiphanius, qui ab hujus Kalendis annum Civilem exorſi, poſt acceptum jugum Romanorum. 2. Alia etiam ratio fuit menſium Romanorum, antè Julium Cæſarem, quum *Lunaris* annus obtinuit, alia poſt Julium, reſtituto Calendario, & introducto anno *Solari Juliano*. Quâ de re prolixè ſuprà: Hinc non perindè ab Hiſtoricis conferri menſes Attici cum Romanis potuerunt. 3. Sed & *Theodorus Gaza*, dùm confert Atticos menſes cum Romanis, primò idem utriſque caput figit, *Capite* VII. ubi Hecatombæonem cum menſe *Junio*, Metageitnionem cum *Julio* confert. Deinde *Antheſterionem* facit menſem ſextum, atque ità concurſurum cum *Novembri*; Quanquam idem *Capite* IX. Ἀνθεστηριῶνος ἅψαιτ᾽ ἄν ποτε ἡ τροπή, *Antheſterionis extrema aliquando attingit Solſtitium*, ut ſic *Decembri* Jul. magnâ ex parte reſpondeat. 4. Notum etiam *Solſtitia* & *Æquinoctia* valdè anticipaſſe à temporibus Metonis, Euctemonis, Calippi, &c. Undè v. gr. τροπαὶ, quæ olim apud Athenienſes in VIII. *Julii*, poſteà in XXVII. *Junii* fixæ fuerunt, tandem incurrerunt in XI. vel X. *Junii*. Sed hæc ſpeciminis ergò.

Ut porrò Menſes Athenienſium verè *Lunares* extiterint, alternis πλήρεις *pleni*, & κοιλοὶ vel κυλλοὶ *cavi* aut *mutili* uno die, & qui ſinguli Aſtronomicè eſſent dierum circiter XXIX. cum dimidio; atque ut ἐμβολισμοῦ *Intercalationis* beneficio ad Solarem motum reducti fuerint, jam ex ſuperioribus prolixè intelligitur. Nihil etiam dicimus hoc loco de *Menſibus* πρυτανείας, qui ſinguli fuêre dierum XXXV. & quorum X. annum *Prytanicum* terminabant, pro numero Claſſium X. in quas diſtributi ſenatores, quæ per menſem ſingulæ, prout ſors ferebat, Rempublicam adminiſtrabant. Neque in his Scaligerum, Petavium, Lydiatum, Meurſium, Allatium, ac ſimiles Auctores compilamus. De Atticis menſibus poſt Theod. Gazam, ſublatum A. 1478. tradidêre etiam præter nominatos modò, & τὸν πάνυ Scaligerum, Morellius, Hadr. Junius, Gyraldus, Lalamantius, Sepulveda, Petitus, Calviſius, Uſſerius, Salmaſius, Seldenus, plures alii, quos vide.

Menſis Attici III. partes.

Obvium quoque eſt, vel imis ſubſelliis, diſtribuiſſe Athenienſes menſes ſingulos 1. In menſem ἱσάμενον *incipientem*, primis diebus X. Undè δευτέρα ἱσαμένου, τρίτη ἱσαμένου, & ità porrò. 2. In menſem μεσοῦντα *medium*, à die XI. ad XX. incluſivè. Undè πρώτη ἐπὶ δεκάτη, *dies undecimus*, δευτέρα ἐπὶ δεκάτη dies XII. & ità de reliquis. 3. In menſem φθίνοντα, *deficientem*, indè à XXI. qui πρώτη ἐπὶ εἰκάδι, aliàs ordine retrógrado, δεκάτη φθίνοντος *decimus deficientis* menſis, ſi plenus eſſet dier. XXX. vel ἐννάτη φθίνοντος *nonus deficientis*, ſi cavus idem dierum XXIX. Eadem ratio putandi dies menſium Macedonicor. Aſianor. Vide nos etiam *Cap.* V. ubi de *Anno Græcor.*

Laterculus Menſium Macedonum veter. Syro-Macedonum, Græcorum, Paphiorum Cypri, collatorum inter ſe, & cum Menſ. Atticis, cum Solarib. & Julianis. Obſervata de vario horum menſium capite. Et de Menſibus Syriacis.

M. Macedonici vet. qui & Aſianorum, Pergamenor. Epheſior. Antiochenor.	*Menſes Syro-Maced. etiam apud Joſeph. de B.J. Euſeb. &c.*	*Paphiorum in Cypro, ex Epiph. &c.*	*Ut reſponderint Menſ. Athenienſium.*	*Ut reſpondent menſib. Jul.*	*Ut menſibus Solaribus.*
1. Δῖος, *Autumnalis primus.*	Ὑπερβερεταῖος.	Ἀφροδίσιος.	Μαιμακτηριών.	à XXIV. *Sept.* ſeu Æquin. Aut. Poſteà reſpond. *Octobri Juliano, ſub jugo Rom.*	Sole ingreſſo Ζυγὸν *Libram.*
2. Ἀπελλαῖος.	Δῖος.	Ἀπογονικός.	Πυανεψιών.	à XXIV. *Octobr.* vel *Kal. Nov.*	Sole in Σκορπίῳ.
3. Αὐδυναῖος.	Ἀπελλαῖος.	Αἰνικός.	Ποσειδεών.	à XXIII. *Nov.* vel *Kal. Dec.*	Sole in Τοξότῃ.
4. Περίτιος, *Hybernus* I.	Αὐδυναῖος.	Ἰοῦλος.	Γαμηλιών.	à XXIV. *Dec.* vel à *Kal. Januariis.*	Sole in Αἰγοκέρωτι.
5. Δύστρος.	Περίτιος.	Καισάρειος.	Ἀνθεστηριών.	à XXIII. *Januar.* vel *Kal. Febr.*	Sole in Ὑδροχόῳ.
6. Ξανθικός.	Δύστρος.	Σεβαστός.	Ἐλαφηβολιών.	à XXII. *Febr.* vel à *Kal. Mart.*	Sole in Ἰχθύϊ.
7. Ἀρτεμίσιος. *Vernus primus.*	Ξανθικός.	Αὐτοκρατορικός.	Μουνιχιών.	à XXV. *Martii*, vel à *Kal. April.*	Sole in Κριῷ.
8. Δαίσιος.	Ἀρτεμίσιος.	Δημαρχεξάσιος.	Θαργηλιών.	à XXV. *Aprilis*, vel à *Kal. Maji.*	Sole in Ταύρῳ.
9. Πάνεμος.	Δαίσιος.	Πληθύπατος.	Σκιρροφοριών.	à XXV. *Maji*, vel à *Kal. Juniis.*	Sole in Διδύμῳ.
10. Λῷος *Æſtivus primus.*	Πάνεμος.	Ἀρχιερεύς.	Ἑκατομβαιών.	à XXV. *Junii*, Solſtit. vel à *Kal. Juliis.*	Sole in Καρκίνῳ.
11. Γορπιαῖος.	Λῷος.	Ἔσθιος.	Μεταγειτνιών.	à XX. *Julii*, vel à *Kal. Auguſt.*	Sole in Λέοντι.
12. Ὑπερβερεταῖος.	Γορπιαῖος.	Ῥωμαῖος.	Βοηδρομιών.	à XXV. *Aug.* vel à *Kal. Septembr.*	Sole in Παρθένῳ.

Multi-

Digitized by Google

Ad Laterculum hunc observata.

Multiplex uſus eſt hujus Laterculi; miſſis aliarum Gentium ut *Tyriorum*, *Bithyniarum*, &c. menſibus, quos apud Scaligerum, Petavium, Uſſerium, &c. & in nuperis *Variis Sacris* Clariſſ. le Moyne, requires ſi lubet. Ut componantur iidem cum menſibus *Judaicis*, infrà dicitur.

Forma Menſium, uti Annorum, apud *Macedonas* veteres, antè Alexandri M. tempora, eadem erat quæ apud *Athenienſes*. Hinc illis Menſes *Lunares*, initio à *Neomen.* alternis *cavi* & *pleni*. Hinc Anno intercalari geminatus unus ex dictis menſibus, uti Ποσειδεὼν Atticorum, v. gr. Δαίσιος πρότερος, Δαίσιος δεύτερος. Diſcrimen in Anni *principio*, quod Atticis Solſtitium æſtivum, Macedonibus Æquinoctium Autumnale fuit. Deinde Menſes Macedonum *Solares* evaſerunt, diviſo anno in IV. quadrantes, ut *Dius* ab Æquin. Autumn. *Peritius* à Solſtitio Brum. *Artemiſius* ab Æquin. Verno, *Lous* à Solſtitio Æſtivo, initium ducerent. Et hanc menſium rationem ſervaſſe *Pergamenos*, ex Galeno docuêre Viri Docti, Petavius, Uſſerius, alii, nempè ex ejus Comment. I. in Librum I. Hippocr. *de Morbis Vulgar.* ferè ſub initium.

Poſtea quum pugnaturus eſſet ad Granicum Alexander M. Δαισίῳ menſe, ut Plutarchus in *Alex.* quo nefas erat Macedonum Regibus educere exercitum, juſſit ut Δαίσιος nomine præcedentis menſis *Artemiſii* appellaretur, & ſic ageretur δεύτερος Ἀρτεμίσιος. Quo factum, ut in memoriam tantæ victoriæ, quæ Alexandro M. ad totius Aſiæ imperium gradum fecit, *Artemiſius* locum *Deſii* obtinuerit, & *Deſius* in ſequentem menſem relatus ſit. Et hinc novus menſium ordo, ſervato eodem capite Menſium, qui dicuntur *Græcorum*, *Syrorum*, *Syro-Macedonum*, quem & ſervaſſe *Smyrnenſes*, docent Eccleſiaſticæ Tabulæ, v. gr. ubi de tempore Paſſionis Polycarpi, ſaltem ex mente Uſſerii Armachani, diſſidente Valeſio *Notis ad Euſeb.* p. 174. Juxta quem ordinem, Menſis *præcedens* Macedonicus dat nomen *ſequenti* menſi Syro-Macedonico, & qui ibi ultimus fuit, ſcil. Ὑπερβερεταῖος, jam primus evaſit, & caput anni, juxta Syro-Macedonas, vel Ἕλλωνας, ſub Græcorum Aſiatico Imperio. Ita apud Joſephum hic ipſe menſis perpetuò reſpondet τῷ תשרי Hebræorum, cui *Tiſri* antè reſpondebat Δῖος. Ita Λῶος, qui apud Plutarchum reſpondet τῷ ἑκατομβαιῶνι Athenienſ. i. e. *Julio*, poſtea reſpondit *Auguſto*.

Rursùs poſt receptam ab Antiochenis, & Syris formam anni *Juliani*, ſub jugo Romanorum, Annus ille Syro-Macedonum ex *Tropico*, cujus menſes cardinales IV. cum Æquinoctiis & Solſtitiis inciperent, evaſit *Julianus*. Atque ita initium menſibus à Kalendis Julian. & ſic Αὐδυναῖος cœpit cum Kal. *Januarii*, Περίτιος cum *Februario*, Δύστρος cum *Martio*, Ξανθικὸς cum *Aprili*, ſic Ὑπερβερεταῖος cum *Octobri*, Δῖος cum *Novembri*, &c. Videſis Petavium *Lib.* I. C. XXIX. & Tabulam ſuperiorem. Quâ jam ratione putandi ſunt menſes Syrorum, vel Græcorum, ac cum Romanis componendi, pari dierum numero, apud Euſebium, Epiphanium, Eugrium, Suidam, &c. Imò & Joſephum in Libris Ἁλώσεως, aptare v. gr. Λῶον menſem, quo conflagravit Templum utrumque, *Auguſto* Juliano, rectè Scaliger, & alii, reluctante pro more Petavio.

Atque eâdem forma Anni *Syriaci*, idem ordo *Menſium* Syriacorum in Epochâ Seleucidarum, *Græcorum* ſeu الروماں *Romanorum* illos vocant Arabes, Perſæ. Nam menſis primus Syrorum, ܬܫܪܝ ܩܕܝܡ *Tishrin prior*, incipit à *Kal. Octobribus*, ad quas *Hyperberetæi* caput fixum ſub Romanis fuit, & ità reliqui, pari cum Julianis quantitate *dierum*. Ut etiam ܫܒܛ *Shabat*, qui *Februario* reſpondet, pari ſit dierum numero, XXVIII. in anno Communi, XXIX. in anno Intercalari. Quæ menſium ratio obſervanda, in lectione Scriptorum Oriental. ſpeciatim in Annalibus Eutychii Patr. Alexandrini, ubi is v. gr. de menſe & die Nativitatis Chriſti, vel Baptiſmi ejuſdem, ſic de menſe & die quo hic & ille *Patriarcha* mortuus, aut ordinatus, uti de ſe ipſo, ad calcem Operis. Nomina Syriacor. Menſium, ac ſeriem, habes præfixa eidem Eutychio, & συζυγίαν cum Menſibus Romanorum, Coptitarum; ut taceam Scaligerum L. II. *de Emend.* Alfraganum Golii, Varia Sacra Steph. le Moyne, &c. Adde qui *Syrorum*, ſeu hi jam Melchitæ, ſeu Maronitæ, ſeu Jacobitæ, ſeu Neſtoriani ſint, Liturgias, Feſta, Martyrologia, Faſtos, paſſim illuſtrarunt.

Laterculus Menſium Arabicorum, ſeu Hagarenorum, qui Lunares vagi.

	Dies ſingul.	*Dies collecti.*
محرم *Muharam.* — —	30.	30.
صفر *Sepher.* — — —	29.	59.
ربيع الاول *Rabîa prior.* — —	30.	89.
ربيع الاخر *Rabîa poſterior.* — —	29.	188.
جمادي الاول *Giumada prior.* — —	30.	148.
جمادي الاخر *Giumada poſterior.* —	29.	177.
رجب *Regeb.* — — —	30.	207.
شعبان *Shâban* vel *Xâban.* —	29.	236.
رمضان *Ramadan.* — — —	30.	266.
شول *Schawal*, vel *Xawal.* —	29.	295.
ذوالقعدة *Dulkadah.* — — —	30.	325.
ذوالحجة *Dulhagiah.* — — —	29.	354.

De horum Menſium *nominibus*, quæ in veterum locum ſucceſſerunt ſub Imperii Arabici auſpicia, adi præ cæteris Jac. Golium, *Notis* in Alferganum. Ac *Lunares* hi quidem menſes, ut liquet, inchoandi à primâ Lunæ φάσει veſpertinâ (undè ab *ortu Lunæ* ſeu veſperâ initium & dierum & menſium) iidemque alternis pleni & cavi, ſed & vagi ſine additis Epactis, aut ἐμβολίμοις menſibus, nempè à tempore *Hegiræ*. Nam *Paganiſmi* tempore intercalaſſe Arabes, decernente Pontifice, idem Golius & alii obſervarunt.

Ut

Ut vero annus Arabicus dierum CCCLIV. ſit totis diebus XI. minor ſolari, quibus iſte quotannis anticipat annum Julianum, pluribus ſuprà, ubi de *Anno Arabum*.

Aliâ ſerie diſpoſiti occurrunt apud Scaligerum, *de Emend. Lib.* II. ut primus menſis ſit *Rabia prior*, quo ſcil. Muhammed Meccâ exceſſit. Sed *Hegira* tamen annos putant à *Muharram*, cujus primus dies anni quoque Arabici veteris caput fuit. *Ramedhan* primus menſis dignitate, & Muhammedanis Sacer.

Vagantur itaque hi menſes, quotannis anticipando d. XI. per omnes menſes anni Juliani. Et qui *æſtivus* aliquando menſis, idem poſteà *hybernus* fit, ac viciſſim.

Interim ſpatio XXX. annorum intercalant Arabes dies XI. dùm eo intervallo menſis *Dulhagiah*, qui ſolemnis menſis fuit peregrinationis Meccanæ, etiam ante Muhammedem, *undecies* fit ex cavo *plenus*, ὑπερήμερος. Nempè non adæquando motui *ſolis*, quem minimè reſpiciunt, ſed ad ſupplendum anni *Lunaris* defectum, ſeu horas VIII. & ſcrupula prima 48′. ſuprà dies CCCLIV. ex dictis antea. Fit ea *diei* unius additio, anno 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18. 21. 24. 26. 29. ac vocant Arabes, *ſupplementa* كبايس. De his plenius Chronologorum Tabulæ, Jac. Golius ad Alferganum, *Cap.* I. & nos in Anno Arab. quantum ad hanc *Introduct.* ſatis.

Perſarum menſes veteres, æquabiles illos & fixos, uti Ægyptiorum, Coptitarum, Æthiopum, ſcil. d. XXX. cum V. ἐπαγομέναις, quorum primus فروردين *Ferwardin*, *Pherwdin*, &c. prolixè illuſtrant laudata Nomina, ac præ cæteris J. Golius. Illorum uſus præcipuè ad intelligentiam Anni *Jezdegerdici*, & poſtea *Gelalæi*, de quorum diverſâ ratione, iiſdem licet menſibus, dictum antè eſt *Cap.* IV. Nec vel iſtos, vel *Samaritanorum*, *Armeniorum*, *Bithyniorum*, *Indorum*, *Peruanorum*, *Mexicanorum*, &c. menſes, qui poſtremi dierum XX. dùm menſes illis XVIII. aut veterum *Danorum* illos, *Saxonum*, ac Barbararum id genus Gentium, hujus Introductionis modus admittit, uti nec *Annos* ſuprà. Pleraque etiam quæ de poſterioribus referuntur, aut exigui ad rem Chronologicam uſûs ſunt, aut vel dubiis documentis, vel otioſis conjecturis nixa.

Caput XII.

Hebræorum menſes Lunares ſigillatim declarati, ad intelligentiam Calendarii Judaici. Quæ in ſingulis notabiliora Feſta, Jejunia, alia. Collati iidem cum Menſibus Solaribus, & illis Romanorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Athenienſium, Macedonum, Syro-Macedonum, Paphiorum, Syrorum, Perſarum, &c.

תשרי *Thiſri*, vel *Thiſchri* Menſis I.

Menſis *Civilis* primus, *Sacer* ſeptimus: Idemque מלא *plenus*, in Calendario novo Judæorum, dierum — — — 30.

Sed in Calendario vetere, quod exhibet Seldenus, *Cap.* VII. ut *Niſan* habetur חסר *defectivus* ſeu *cavus*, ſic & ſeptimus ab eo *Thiſri*, dierum — — 29.

Incepit aſtronomicè à מולד ſeu *Neomeniâ*, vel *nativitate* Lunæ, quæ *Æquinoctio* Autumnali proxima; civiliter, à primâ Lunæ φάσει & occaſu Solis, ſeu *ſextâ* pomeridianâ. Ac primum *Novilunium* in Epochâ Judaicâ ab Orbe C. quæ incepit (ut monitum loco ſuo) anno *Per. Jul.* 953. componitur cum ſeptimo Octobr. feriâ 2. horâ 5: 204. dictum מולד תהו Νουμηνία τοῦ χάους, *Novilunium prolepticum*, quod fingatur anteceſſiſſe Mundi principium *anno uno*. Et indè procedit computum in Æra Judaicâ per Cyclos *decemnovennales*, quorum originem ducant à Moſe & à Prophetis. Singulis autem annis Julianis circiter 300. anticipant die *uno* Novilunia, non præciſè reditura ad idem punctum, ob exceſſum Julianum *horæ* 1. 485. *ſcrup.* in *Cyclo decemnovennali* vetere.

Æquinoctium Autumnale, ſeu *Tekupha Tiſri*, circà Chriſti Servatoris & Apoſtolorum tempora, incidit in XXIV. *Sept. Rom.* quod initium anni Syro-Macedonici. Igitur eo Seculo Neomenia *Thiſri*, Cyclo Lunæ I. figitur in XXIV. *Sept.* Sed prout fuit prima Lunæ φάσις, ità ראש השנה *caput anni*, ſeu dies I. Civilis, & *Clangor tubæ*, quandoque die uno, etiam altero, excepit *Molad Thiſri* ſeu Novilunium medium, indicente iſtud Synedrio Hieroſolymitano. Habita ratio & Neomeniæ *Niſan*, quæ mobilis fuit, & varians maximè, prout annus *communis* vel *embolimæus* fuit. Nam ab iſtâ diſtat ſemper Neom. Thiſri diebus 177. At ceſſante auctoritate Synedrii Cyclus Judaicus novus, iſque fixus & perpetuus, conſtitutus eſt, quo præciſus exceſſus Cycli Juliani, nempè horæ 1. 485. A quo tempore radix Anni Judaici fuit Novilunium medium, quod proximum Tekuphæ Tiſri. Si verò conferas has *Neomenias Thiſri* toto hoc Cyclo decemnovennali Judaico, cum anno Juliano,

Συζυγία *cum Menſibus Civilibus aliarum Gentium.*

Reſponderunt Menſi *Thiſri*:

Cæleſtis Menſis, ſive Metonicus, Sole Libram ♎ ingreſſo, — Ζυγών.

Romanorum menſes { *September*, ſed majori ex parte *October*.

Alexandrinorum, poſt fixos hos menſes, & Neomeniam *Thoth*, primi menſis, in XXIX. Auguſti, præcipuè { Παωφὶ, à 28. *Sept.*

Cophtitarum, ut ex ſuperiori Laterculo liquet, *Babah*. Ne dicamus menſes *Æthiopum*, qui menſem I. Civilem orſi à *Kal. Septembr.* Jul. menſem II. *Tekemt* à *Kal. Octobr.* Et ità quoque poſteriores *Græci*, *Armenii*, *Ruſſi*, &c.

Athenienſium menſis ὠπορινὸς ſeu Autumnalis *primus*, Civilis *quartus*, incipiens à νουμηνίᾳ *Æquin. Autumn.* juxtà pleroſque Veterum, & Th. Gazam, dictus — — — — Μαιμακτηριών.

At juxtà Harpocrationem, cui hic eſt πέμπτος μηνῶν, *Menſ.* V. hinc Mauſſacum, Scaligerum, Petitum, Calviſium, &c. Civilis IV. & Autumnalis I. fuit — — — — — — Πυανεψιών.

Macedonum Græcorum ſive Europæorum, *Pergamenorum*, &c. ut jam ſuprà monitum, de Anno Græcorum, — — — — — Δῖος, à XXIV. *Sept.*

Syro-Macedonum, qui & Græci dicti, ut etiam apud Joſephum Hiſtoricum, — — — — Ὑπερβερεταῖος.

Cypriorum, ac præcipuè *Paphiorum*, in Tabulis Eccleſiaſt. — — — — — — — — — Ἀφροδίσιος.

Bithyniorum, ex Ptolemæo, &c. — Ἥραος.

Syrorum recentiorum à Kal. Oct. Solari menſe primo, — *Thiſrin prior*.

Samaritani verò τῷ Thiſri præpoſuerunt אילול *Ilul*, menſem I. qui reſpondet *Thoth* fixo *Alexandrinor.*

Perſarum, poſt fixum menſem *Ferwrdin*, in vernum Æquinoctium, reſpondit menſis ſeptimus, ſeu Æquinoctii Autumnalis, — — — *Mihr-Mah.*

Re-

Digitized by Google

no, patet ex Tabulis *quinquies* eo Cyclo incidere iſtas in extrema *Auguſti* Juliani, nunquàm poſt XXII. *Septembr.* Vide Mulerium in Anno Judaico, *pag.* 22. & ſi quos alios.

Regulæ autem Judæorum, ſecundùm quas *transferenda* fuit Neomenia Thiſri (ſive ob translatam antè feriam Paſchalem, ex regulâ בדו, ſive ob cauſam Aſtronomicam, puta ſi Molad incideret ex. gr. in feriam quidem 2. ſed poſt elapſas horas XVIII. undè transferenda in feriam 3.) videndæ ex Judæorum Calendariis apud Munſterum, Middelburgenſem, Genebrardum, Scaligerum, Calviſium, Petavium, Mulerium, Seldenum, Coccejum in Cod. Sanh. &c. Sed meritò putantur recentioris inſtituti, æque ac Calendarium Judaicum hodiernum. Juxta has jam initium *Thiſri*, ſeu ראש השנה *initium anni*, non cadit niſi in ferias 2. 3. 5. 7. קביעות *Kebias* Thiſri vocant, ſeu *fixos* dies, nunquàm אדו, id eſt, in ferias 1. 4. 6. Uti Paſcha ex vetere ſuperſtitione, non certè ullâ conſtitutione Moſaicâ, nunquam incidens in בדו, ſeu ferias 2. 4. 6. Exempla tamen ex ipſo Talmude protulêre Viri Docti, quibus evincitur etiam, *Roſch-haſchana* cadere potuiſſe in אדו, v. gr. in feriam א ſeu *primam*, quandoquidem dies ſalicum, qui XXI. *Thiſri*, cadere potuit in feriam VII. ſeu Sabbatum. Idem de *Paſchate*, quod etiam accidiſſe בבדו *in Badu*, ſeu feriâ 2. 4. 6. diſertè Abenezra in *Levit.* XXIII. 4. quem vide. Ut taceamus diverſa inſtituta בעלי המקרא *Scripturariorum*, ſeu *Carræorum*, à Talmudiſtarum illis vel Traditionalium.

Die Thiſri 1. fuit *Clangor Tubarum*, *Lev.* XXIII. *Num.* XXIX. in anni principio.

Die 3. *Jejunium*, צום dies luctûs, ob Godoliam occiſum, 2 *Reg.* XXV. *Jer.* XLI. Unum ex *quatuor* Jejuniis occaſione Excidii primi, *Zach.* VIII. 19.

Die 7. *Jejunium*, ob decretum in Patres, qui Vitulum aureum fabricarunt. Sed hodie nullum eſt.

Die 10. *Jejunium* ſeu Feſtum ſolemne *Expiationum*, *Lev.* XXIII. De quo alibi. Magiſtri verò, juxtà regulas Eliezeris, nunquam incidiſſe Feſtum in ferias אגו 1. 3. 6. Quod tamen falſum, ſi caput anni cadere potuit in feriam 1. hinc dies ab eâ *decimus* fuerit feria 3. Nec enim hocce Feſtum unquàm transferendum in alium diem.

Die 15. Σκηνοπηγία, Feſtum *Tabernaculorum*, & *Lætitiæ*, *Lev.* XXIII. de quo poſteà.

Die 21. *Hoſanna Rabba*, ſcil. magnus dies Feſti. Ἡ βαιοφόρος. Geſtati rami ſalicis vel palmarum, *Lev.* XXIII.

Die 22. qui *octavus* à 1. Σκηνοπηγίας, Feſtum *Convocationis*, *Collectæ*, etiam *Interdicti*, *Lev.* XXIII. *Neh.* VIII. Eo die abſoluta *Lectio Legis* annua. Sequebatur die 23. שמחת תורה *feſtivitas Legis*, de quâ Buxtorfius, & alii.

מרחשון *Marcheſvan* Menſis II.

Menſis *ſecundus* Civilis, *octavus* Sacer.

Cavus idem, dierum ——— 29.

In Calendario Seldeniano, מלא *plenus*, dierum ——— 30.

In anno Civili *abundanti* בשנה שלימה, (qui ſcilicet dierum 355. ſi ordinarius, 385. ſi Embolimæus, ad ſupplementum *horarum* quæ in Anno *Lunari* excedunt dies 354.) hic Menſis ſecundus *Marcheſvan*, fit ex cavo *plenus*, dierum XXX. Quâ de re Scaliger in Canonibus, & Calendaria Judaica. Et ſic in eo anno *tres* Menſes priores ſunt ſucceſſivè *pleni*, juxtà regulas Calendarii Judaici, nempè *Thiſri*, *Marcheſvan* & *Caſlev*.

Die hujus ſecundi menſis 7. eſt צום vel צומא *Jejunium*, ob Zedekiam

Reſpondent Menſi *Marcheſvan*.

Cæleſtis menſis, Sole Scorpionem ♏ ingreſſo, ———— Σκορπιών.

Romanorum menſes, ex parte { *October*, præcipuè *November*.

Alexandrinorum poſt fixos menſes Civiles, præcipuè menſis tertius, { Ἀθύρ, incip. à XXVIII. *Oct.*

Cophtitis, ut ſuprà in Laterc. dictus Menſis *Hatur*.

Concurrit *Æthiopum* menſis III. à Kal. Nov. *Hedar*.

Athenienſium menſis Φθινοπωρινὸς autumnalis *ſecundus*, id eſt, Civilis *quintus* pleriſque, ut viſum modò — { Πυανεψιών.

Aliis ordine inverſo, * juxtà Harpocrationem, &c. ut pluribus ſuprà. { * Μαιμακτηριών.

dekiam Regem excœcatum, ejuſque Filios coràm Patre jugulatos, *Jerem.* LII. Sic Magiſtri.

Hunc menſem *ſecundum*, quo juxtà Scripturam cœpit Diluvium Noachicum, vocat Joſephus *Antiq.* Lib. I. C. IV. Μαρσουάνην, quæ vox ad *Marcheſvan* accedit, & hunc quoque *ſecundum* fuiſſe menſem juxtà *Ægyptios.*

Nec omittendum hoc menſe, qui *octavus* in Scriptura eſt, die ejus XV. inſtitutum ſolemne Feſtum à Jeroboamo, I *Reg.* XII. 32. opponendum indubiè Feſto Tabernaculorum & Convocationis, avocandis Judæis à Feſtivitate Hieroſolymitanâ.

Hujus etiam menſis dies 15. notatur in antiquo Calend. Jud. tanquàm feſtus, ob loca è reditu ex Captivit. Babylon. *Cuthæis* adempta, quæ injuſtè tenuiſſent.

Macedonum Europæorum, *Pergamenorum* ex Galeno, &c.

— — — Ἀπελλαῖος à XXIV. *Oct.*

Græcorum vel *Syro-Macedonum*, item *Smyrnæorum* Uſſerio, ab eodem die, — — — Δῖος.

Cypriorum, in ſpecie *Paphiorum*

— — Ἀπογονικός.

Bithyniorum

— — — — Ἥρμιος.

Syrorum menſis II. ſed demùm à *Kal. Novemb.* - - *Thiſrin poſterior.*

Perſarum menſis VIII. fixus, indè ab Æquin. verno,

— — — *Abân-mah.*

כסליו *Caſlev* vel *Ciſlev* Menſis III.

Menſis *tertius* Civilis, *nonus* Sacer.

Plenus idem in Calend. recentiore, dierum - 30.

In Cal. Seldeniano, *Cavus* d. - - - - 29.

In anno Civili *deficiente*, בשנה חסירה, (qui eſt dierum nonniſi 353. ſi Communis annus, aſt verò dierum 383. ſi annus Embolimæus, per ἐξαίρεσιν unius diei, quæ fit in menſe *Caſlev*) eſt is in recentiori etiam Calend. *cavus*, dierum modò XXIX. Tribus ſic menſibus *cavis* ſe continuò excipientibus, *ſecundo*, *tertio*, & *quarto*. Fit verò annus *deficiens*, quando abjectis omnibus Septimanis, remanent dies 3. in anno *Communi*, & 5. in anno *Biſſextili*. Hi enim numeri, in Anno Judaico, ſunt *Characteres* anni *deficientis*. Quemadmodùm ſi in Anno *Communi* 4. remanent, ſuprà integras ſeptimanas, annus eſt *Ordinarius* d. 354. ſi remanent 5. annus eſt *abundans*, d. 355. Rursùs in Anno *Biſſextili* ſi remanent 5. ſuprà integras hebdomadas, annus eſt deficiens d. 383. ſi reman. 6. annus ordinarius, d. 314. ſi reman. 7. annus abundans, d. 385. Quâ de re, ut & de Translationibus feriarum Judaicis, harumque cauſis, omnes qui de *Anno Judaico*, deque *Feſtis* Judæorum. Præter verò menſem *ſecundum*, & *tertium*, qui modò *pleni*, modò *cavi*, ob rationes dictas, reliqui Menſes Judæorum nullam dierum additionem aut detractionem admiſerunt.

Diem hujus menſis 7. qui reſpondet *Nov.* 25. Feſtum notant, ob Herodis Antipatri filii mortem, ex Megill. Thaan. apud Seldenum, loco cit. Nempè ob mortem Herodis M. inviſiſſimi huic Genti, quam in eum Menſem, Auguſti XL. Viri quidam docti conjiciunt, & nuperus Commentator in Nummum Herodis Antipæ, qua de re infrà.

Die 15. *Caſlev*, anni Græcor. 145. *Idolum* erigunt ſuprà Altare Domini, &c. I *Macc.* I. 57.

Diem 24. vocant Magiſtri יום הר גריזים *diem montis Garizim*, quo ſcilicet Judæi cauſam obtinuerint apud Alex. M. Pontifice Simeone Juſto, ac poteſtatem occidendi Cuthæos, & excidendi montem Garizimitanum; tacente rem Joſepho Hiſtorico, referente Tzemach David, ad A. 448. Millenarii IV. antè initium Æræ Contractuum.

Die 25. *Caſlev*, fuerunt *Encænia* Judæ Maccabæi, חנוכה, per *octiduum*, dedicatione Altaris & Templi. Vide I *Macc.* IV. *Joh.* X. 22. &c. Φῶτα etiam vocat Joſephus, ſeu Feſtum Luminum, de quo infrà. Ritus & in eo fuit σκηνοπηγίας, II *Macc.* I. 9. 18.

Die 28. *Jejunium*, ob combuſtum juſſu Jehojakimi Regis volumen à Barucho ſcriptum, dictante Jeremiâ, *Jer.* XXXVI. ex majorum inſtituto. Eodem die *menſis tertii*, qui reſpondit

Reſpondent Menſi *Caſlev.*

Cæleſtis menſis, Sole ♐ Sagittarium ingreſſo, — — — Τοξών.

Romanorum menſis præcipuè — *December.*

Alexandrinorum poſt fixos menſes, maximâ ſui parte menſis quartus; Cophtitis *Chihac.*

Æthiopibus à Kal. Dec. *Tachſas.*

(Χοιὰκ, qui Salaminiorum *tertius*, Alexandrinorum *quartus*, à XXVII. *Nov.*)

Athenienſium menſis Civilis *ſextus*, autumnalis *tertius*, deſinens in brumam, ſeu Solſtit. hybernum, — — Ποσειδεών.

Quod Plutarchus, in vitâ Cæſaris, hunc componat cum *Januario*, quaſi eſſet primus menſis, *poſt brumam*, ſeu *poſt Solſtitium* hyb. reſpicere videtur ad menſem intercalarem ſeu Ποσειδεῶνα δεύτερον, in annis Octaëteridos *embolimæis*. Sed difficilis collatio menſium Lunarium, cum Solaribus Romanis, *ut ſimul* incœperint: quod *Theodorum Gazam* in errorem induxit. Qualis & error Gazæ, hinc Morelii, aliorumque qui menſem Civilem *ſextum*, (nobis Ποσειδεῶνα) faciunt Ἀνθεστηριῶνα.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c.

— — — Αὐδυναῖος. à XXIII. *Nov.*

Syro-Macedon. Smyrnæorum, &c.

— — — Ἀπελλαῖος.

Paphiorum

— — — Αἰνικός.

Bithyniorum

— — — Μηλεῶος.

Syrorum menſis III. à Kal. *Decemb.*

— — *Canun prior.*

Perſarum menſis fixus IX. ab Æquinoctio verno, — — *Adar-mah.*

Re-

dit Decembris Jul. xx. ac *jejunio* ſolemnis fuit, (ut Ἀρχαιολόγος *Antiq.* L. xiv. C. viii.) Templum à Pompejo expugnatum: Intactis tamen, ex Joſepho *Lib.* i. C. vii. & ex Cicerone *pro Flacco*, Templi opibus, inſtrumentis, donariis.

טבת *Thebeth*, Menſis iv.

Menſis *quartus* Civilis, *decimus* Sacer.

Cavus in Calend. recentiore, dierum — — — — — — — 29.

Plenus in Calend. vetere Selden. d. — — — — — — — — 30.

Hoc menſe *Eſther* adducta coràm Ahaſſuero, *Eſth.* ii. 16.

Ad diem Thebeth 8. Judæi in Calend. ſignant צום vel תענית *jejunium*, propter *Legem* tempore Ptolomæi Regis Græcè tranſlatam: Quum Helleniſtæ Alexandrini, tempus illud, & locum tranſlationis, lætâ feſtivitate honorarent.

Die 10. Thebeth, *Jejunium* Judaicum, ob Urbem à Babyloniis obſideri cœptam. Unum ex *quatuor* Jejuniis, de quibus *Zach.* viii. 19. inſtitutis à Judæis, occaſione Excidii Urbis & Templi.

Reſpondent Menſi *Thebeth*.

Menſis *Cæleſtis*, Sole Capricornum ♑ ingreſſo — — Αἰγών.

Romanorum menſis præcipue } *Januarius*.

Alexandrinorum fixus menſis quintus, Cophtitis *Thibah*. } Τυβί à xxvii. *Dec*.

Æthiopibus à Kal. Januariis dictus menſis *Ter*.

Athenienſium menſis Civilis *ſeptimus*, χειμεριὸς brumalis *primus*, à Solſtitio hyberno, dictus — — Γαμηλιών. Malè Ποσιδεὼν apud Gazam.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, aliorumque in Aſianis, — Περίτιος. à xxiv. *Dec*.

Syro-Macedonum, etiam *Smyrnæorum* ex Uſſerio, &c. — Αὐδυναῖος.

Paphiorum in Cypro — — — Ἰοῦλος.

Bithyniorum — — Διονύσιος.

Syrorum menſis iv. à Kal. Januariis — — *Canum poſterior*.

Perſarum menſis fixus x. — — *Dei-mah*. qui & dictus — — *Hizm-mah*, de quo Golius, & alii.

שבט *Schebath*, Menſis v.

Menſis *quintus* Civilis, *undecimus* Sacer.

Plenus in Calend. novo Judæorum, d. — 30.

Cavus in Calend. vetere Selden. d. — 29.

Hujus menſis die 2. notant Judæi lætam mortem Alexandri Jannæi, ut alterius Herodis, infenſiſſimi Pharizæis, hinc יום טוב *dies* illis *feſtus*. Sub quo ajunt Synedrium Magnum conſtitiſſe totum ex Sadducæis, in carcerem truſis Seniori-

Reſpondent huic Menſi *Schebath*.

Cæleſtis menſis, Sole Aquarium ♒ ingreſſo — — Ὑδρῶν.

Romanorum menſis præcipuè } *Februarius*.

Alexandrinorum fixus menſis ſextus — — — Μεχείρ, à Jan. xxvi.

Cophtitis dictus *Amshir*. *Æthiopibus* à Kal. Febr. menſis *Jacatit*.

Athenienſium menſis Civilis *octavus*, brumalis

bus Iſraëlis, reſtituendis verò per Alexandram Reginam, ut ex Joſepho quoque conſtat *Antiq.* Lib. xiii. C. xxiii. xxiv.

Hujus die 5. ſignant Judæi, in ſerie תענית, *Jejunium* ob mortem Seniorum, qui Joſuæ coævi, *Jud.* ii.

Die 23. ſignant *Jejunium*, ob congregatos omnes Iſraëlitas contrà Benjamin, propter pellicem, & Idolum Michæ, *Jud.* xviii. xx.

Die 24. Darii anno ii. Verbum Domini ad Zachariam, *Zach.* i. 7.

Diem 29. Feſtum habuêre, חג, ob mortem Antiochi, i *Macc.* vi. i.

אדר *Adar* ordinarius, Menſis vi.

Menſis *ſextus* Civilis, *duodecimus* ſeu ultimus in anno Sacro.

Cavus idem, in Calend. Jud. dierum — 29.

Plenus in Calend. Vetere Seld. d. — 30.

Præceſſit immediatè hic menſis Civilis vi. ſine intercalatione, menſem Paſchalem *Niſan*, in anno *Communi*. Quoties nempè *Tekupha Niſan*, ſeu Æquinoctium vernum, aut antè diem xv. Niſan, qui Paſchalis *primus* fuit, aut certè ipſo die xv. accideret.

Si verò prævidérent xv. Niſan anticipaturam eſſe *Æquinoctium*, atque adeò non eſſe Feſto Paſchali aptam, nec vernantem adhuc eſſe tempeſtatem, ſeu nondùm eſſe tempus אביב *Abib*, ex Lege requiſitum, id eſt, maturas fruges, *Exod.* xvi. 4. xxiii. 15. xxxiv. 18. *Lev.* xxiii. 10. tùm addidêre menſem intercalarem, ſeu adjectitium, qui *tertius decimus* indè à Niſan priore, capite anni Sacri. Hinc repetendus menſis *Adar*, ſeu *Adar alter*, ואדר. Ità ut Adar *prior* cenſeretur ἐμβόλιμος, idemque ſemper *plenus* dier. 30. in Calendario Judæor. Quanquàm olim hic menſis intercalaris modò *plenus*, modò *cavus* fuiſſe videatur; Sed non

ſecundus, in quo jam initium τοῦ ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν, — — Ἀνθεστηριών. Malè apud Gazam, — — Γαμηλιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, aliorumque Aſianorum, — — Δύστρος. à *Jan.* xxiii.

Syro-Macedonum, *Smyrnæorum*, &c. — — Περίτιος.

Paphiorum — — Καισάριος.

Bithyniorum — — Ἡράκλειος.

Syrorum menſis v. à *Kal.* Februariis — — — *Schabath*.

Perſarum menſis fixus xi. — — *Bahmen-mah*.

Reſpondent Menſi *Adar*.

Cæleſtis menſis, Sole Piſces ♓ ingreſſo, — — — Ἰχθυών.

Romanorum menſes, ex parte } *Februar.* & præcip. *Martius*.

Alexandrinorum menſis fixus ſeptimus, à xxv. *Febr.* — — — Φαμενώθ.

Cophtitarum ab eod. die, *Barmahat*; Æthiopum, à Kal. *Martiis*, *Magabit*.

Athenienſium menſis Civilis *nonus*, brumalis *tertius*. — Ἐλαφηβολιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c. — — — Ξανθικός. à xxii. *Febr*.

Syro-Macedonum, & *Smyrnæorum* (qui menſis tempore Apoſtolor. deſinebat in tempus Æquin.) à xxiv. *Martii*, — — — Δύστρος.

Paphiorum, &c. — — — Σεβαστός.

Bithyniorum — — — Ἄρειος.

Syrorum menſis vi. à Kal. Martiis — — — *Adar*.

Perſarum menſis fixus xii. deſinens in Æquinoctium vernum. — — *Aſfendarmed-mah*.

non ex uſu hodierno Judæorum. Atque eâ geminatione menſis Adar, (de cujus cauſis jam ſuprà *Cap.* x.) factum ut, quemadmodùm Feſtivitas Paſchalis, ſic Feſtà reliqua transferrentur, decernente eam tranſlationem, pro judicio quodam ſuo, Synedrio M. in terrâ Iſraëlis, nondùm fixâ ratione Cycli novi Judaici.

Neomenia *Niſan*, quæ *Adar* proximè excepit; omnium citima fuit, paulo antè Chriſti tempora, XII. Martii, & ſic XIV. Luna incidebat in XXV. Martii, diem *Æquinoctii verni*. Quæ verò tùm præceſſit Neomenia, incidens puta in X. Martii, imputata fuit *Adar-ſecundo*.

In Calendario recentiore Judæorum, ità diſpoſitus uterque hic *Adar*, *primus* & *ſecundus*, ut Adar ראשון *prior* habeatur pro *intercalari*, idemque d. — — 30.

Adar שני *ſecundus*, pro ordinario, dier. – 29.

Intercalatio autem fit in *Cyclo Lunari* III. VI. VIII. XI. XIV. XVII. XIX.

Hoc menſe abſoluta Fabrica Templi Secundi, A. VI. Darii, d. 3. menſis Adar. Eodem menſe *Adar*, Magiſtri ex Traditione ſignant ad d. 7. *Jejunium*, ob mortem Moſis.

Die 9. *Jejunium*, ob contentiones inter Scholas Sammai & Hillelis.

Die 13. Feſtum *lætitiæ*, ob cæſum à Judâ Maccabæo Nicanorem, 1 *Macc.* VII. 43. 2 *Macc.* XV. 36, 37. Vocant יום נקנור *diem Nicanoris*, & plura de eo die ex Gemarâ utraque Seldenus.

Die 14. Feſtum פורים *Phurim*, הגורל *ſortium*, *Eſth.* IX. 27. quod *bis* celebrant in anno Embolimæo, utroque *Adar*. Φουραῖοι ἡμέραι.

ניסן *Niſan* Menſis VII.
Aliàs אביב *Abib*.

Menſis *ſeptimus* Civilis, Sacer *primus*.

Menſis *plenus*, dierum — — — 30.

Qui tamen etiam olim *cavus* eſſe poſſet, pro ratione fixæ *Neomeniæ*, ut Seldenus & alii monuerunt.

In Calend. Seldeniano, m. *cavus*, dier. — 29.

Ex hujus menſis *Neomeniâ*, quæ ex primâ Lunæ φάσει æſtimanda, feſtivi *dies* omnes Sacri intellecti, Paſcha, Azymorum dies, Pentecoſte, Clangor Tubarum, dies Expiationum, Scenopegia, &c.

Ejuſdem menſis *Luna* XIV. deſinens, quando immolandum fuit Paſcha, *Exod.* XII. 6. nunquam præcedere debuit vernum Æquinoctium. Sed aut in ipſum *Æquinoctii diem* incidit, aut proximè ab *Æquinoctio*. Si verò hoc in XVI. Niſan demùm incideret, tùm annus factus Intercalaris, ut ex Majemonide, Petavius, Seldenus, & alii. Adeò ut ex XIV. *Niſan* utriuſque anni, tam Sacri quàm Civilis, cardo æſtimaretur. Nam à Neomenia *Niſan* ad Neomeniam *Tiſri*, certus ſemper dierum Numerus intermedius fuit, nempè 177. dies. Nulla hoc ſemeſtri unquàm facta dierum vel πρόσθεσις, vel ἀφαίρεσις. Porrò Chriſti tempore, ut ævo Julii Cæſaris, Æquinoctium vernum medium accidit XXV. Martii.

An verò, ex Judæorum traditione, priſcis temporibus Paſcha nunquàm incidere debuerit in בדו ſeu feriam 2. 4. 6. Adeoque nec Neomenia Thiſri in אדו, ſeu feriam 1. 4. 6. (nam ſemper intermedii dies 177. inter Neomeniam *Niſan* & *Thiſri*, id eſt, feriæ *duæ* ultrà ſeptimanas XXV.) ſub judice lis eſt. Nec ſtringere rationem ſolam à concurſu *duorum Sabbatorum*, qui concurſus æquè obtinuit, ſi Paſcha incideret in feriam 1. poſt Sabbatum Judaicum, ac ſi in feriam 6. jam eſt à Viris Doctis obſervatum. Præterea nihil ad concurſum Sabbatorum feria 2. aut 4. Sed de *tranſlationibus* Judaicis *Feſtorum*, è feriâ in feriam, erit etiam infrà monendi locus: Uti & de tempore *Paſchatis* θανασίμου Chriſti Servatoris. Aſt

Addunt huic ἐπαγομένας V. in anno Communi, & VI. in anno Intercalari, de quo ſuprà. Quia ſunt menſes ſinguli *tricenarii*.

Reſpondent Menſi *Niſan*.

Cæleſtis menſis, Sole Arietem ♈ ingreſſo,
— — — Κελών.

Romanorum menſes ex parte, { *Martius*, ſed præcip. *Aprilis*.

Georgius verò Syncellus, & Veterum alii exordium menſis Niſan figunt in XXV. Martii, ut caput ſtabile & immotum.

Alexandrinorum. menſis fixus octavus,
— — — Φαρμουθὶ indè à XXVII. *Mart.*

Cophtitis *Bermudah*, vel *Bermoda*.

Æthiopum ſimiliter menſis VIII. à Kal. April. *Mijazia*.

Athenienſium menſis Civilis *decimus*, ἐαρινὸς vernus *primus*,
— — — Μουνυχιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c.
— — — Ἀρτεμίσιος. à *Mart.* XXV.

Syro-Macedonum, *Smyrnæorum*, &c.
— — — Ξανθικός.

Paphiorum, &c.
— — Αὐτοκρατορικός.

Bithyniorum, &c.
— — Βενδιδαῖος.

Syrorum menſis VII. indè à *Kal.* April.
— — — *Niſan*.

Perſarum menſis fixus I. ab Æquin. verno — — — *Ferwardinmah*, vel *Pherurdin*, d. 30.

Illud ماه *mah*, additum menſium nominibus, *menſes* Perſis notat. Et primum diem hujus menſis, omnium maximè feſtum Perſis, vocant النوروز *Alneuruz*, νεημερίαν.

Re-

Aſt verò inter Neomeniam *Thiſri*, & Neomeniam *Niſan*, ut in anno ordinario ſunt dies 177. ſic variat dierum numerus, prout ſunt anni *communes*, vel *embolimæi*; item anni *deficientes* vel *abundantes*. Quicquid enim additur dierum, vel demitur, fit hoc ſemeſtri ſpatio, poſt menſem Thiſri, & antè Neomeniam Niſan.

Igitur, primo hoc Menſe Sacro, *diebus* 1. & 10. & 20. lugent Judæi, ex traditione, mortem filiorum Aaronis, *Lev*. x. 1. & Mariæ ſororis *Num*. xx. 1. & Joſuæ *Joſ*. xxiv.

Die 10. ſeparandus Agnus Paſchalis *Exod*. xii. 3.

Die 14. ſub 1. veſperam, antè occaſum Solis, Paſcha immolandum, *Exod*. xii. *Lev*. xxiii.

Die 15. *primus* dies Azymorum, ſeu ſolemnitatis Paſchalis.

Die 16. *ſecundus* dies Azymor. undè numeranda *ſeptem Sabbatha*, ſeu 49. dies completi, ad Feſtum Pentecoſtes qui tùm dies 50. *Lev*. xxiii. 15, 16. *Deut*. xvi. 9. Vocant diem, undè putandæ ſeptimanæ, מחרת השבת *craſtinum* (ſeu poſterum) *diem Sabbathi* Paſchalis. Diſſentiunt circà hunc diem Karaïtæ, quem faciunt d. 22. Niſan, ſeu à ſecundo Azymor. diem *ſeptimum*, ut infrà ad Menſem viii.

Dies 15. & 22. ſeu *primus* & *ultimus* Feſti, dicti ſunt, ut in Græco τῶν LXX. *Eſaj*. i. 13. & *Joh*. vii. 37. μεγάλαι ἡμέραι, ut etiam Capellus & alii interpretati, ex *Joh*. xix. 31. Aliàs etiam *magnum Sabbathum*, cùm apud Judæos, tùm & Chriſtianos, dictum illud eſt, quod *Paſcha* proximè anteceſſit, Uſſerio & aliis pridem obſervantibus.

אייר *Jiar*, Menſis viii.

Menſis *octavus* Civilis, Sacer *ſecundus*.

Cavus in Calend. Jud. dierum —— —— 29.

Sed tamen quandoque *plenum* olim fuiſſe, undè anticipabat Pentecoſte unâ feriâ, ſequenti menſe *Siwan*, à Seldeno & aliis monitum.

Plenus in Calend. vetere Seld. d. —— 30.

Neomenia hujus menſis intelligitur, ex illâ *Niſan*.

Feſta Sacra hoc menſe nulla. Sed ex traditione Magiſtrorum, צום *jejunium* duplex:

Die 10. ob mortem Eli Pontificis, & captam Arcam Teſtimonii, 1 *Sam*. iv.

Die 28. ob mortem Samuëlis Prophetæ, 1 *Sam*. xxv.

Hoc menſe פסח קטן ſive שני, vel פסח זעירא *Paſcha parvum* vel *ſecundum* celebratum, die xiv. ſtante Templo, nempè à pollutis, aut à remotioribus, qui primum & ſolenne Paſcha celebrare non potuerant. De quo in Tract. פסחים, & in ראש ה"ש, *Cap*. 1.

Reſpondent Menſi *Jiar*.

Cæleſtis menſis, Sole Taurum ♉ ingreſſo: —— —— —— Ταυρών.

Romanorum menſes ex parte, { *Aprilis*, ſed præcipuè *Majus*.

Alexandrinorum menſis fixus nonus, —— —— —— Παχών.

Cophtitis *Bashnes*, —— —— à xxvi. *Apr*.

Æthiopum menſis pariter nonus, à *Kal. Maji*, nempè Ginbot.

Athenienſium menſis Civilis *undecimus*, vernus *ſecundus*, —— Θαργηλιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c. —— —— Δαίσι۝. à xxv. *Apr*.

Hoc menſe Macedonico, pugnatum ad Granicum. Quare ob ſuperſtit. Macedonum, appellatus Ἀρτεμίσι۝ eſt, de nomine menſis præcedentis.

Syro-Macedonum, *Smyrnæorum*, &c. —— —— Ἀρτεμίσι۝.

Paphiorum, &c. —— Δημαρχεξάσι۝.

Bithyniorum —— —— Στρατήγι۝.

Syrorum menſis viii. à *Kal. Majis*, —— —— —— *Aiyar*.

Perſarum menſis fixus ii. ſeu ſecundus vernus, —— *Ardabehisht-mah*.

סיון *Siwan* vel *Sivan*, Menſis ix.

Menſis Civilis *nonus*, Sacer *tertius*.

Plenus in Calend. Jud. dier. —— —— 30.

Cavus in Calend. vet. apud Seld. d. —— 29.

Menſis hic Pentecoſtalis. Nempè die 6. *Siwan*, ac præciſè die 50. ממחרת השבת ſeu (ut interpretantur Talmudici) à *die ſecundo* Azymorum, completis 7. ſeptimanis, celebrandum ex Lege *Feſtum ſeptimanarum*, *Lev*. xxiii. Atque ità Feſtum *Pentecoſtes* ſemper incidit in feriam ſequentem eam quæ *Paſchalis* fuit; ſeu ad primum Paſchale Sabbatum, quod xv. Niſan celebrandum, adjecit unitatem; ut ſi Paſchalis feria fuerit vii. hoc ipſo Pentecoſte in feriam 1. celebrant, ſi Paſcha feriâ 1. hoc ipſo Pentecoſte feriâ 2. & ità porrò.

Chriſtiani verò calculum aliter inſtituunt: Nam horum Pentecoſte præciſè incidit in diem L. *incluſivè* ab ipſo Paſchali

Reſpondent Menſi *Sivan*.

Cæleſtis menſis, Sole ♊ Geminos ingreſſo, —— —— Διδυμών.

Romanorum menſes, ex parte, { *Majus*, præcipuè *Junius*.

Alexandrinorum menſis fixus decimus, —— —— { Παυνί, à xxvi. Maji.

Cophtitis *Baunah*.

Æthiopum menſis quoque decimus, *Sene*, à Kal. *Juniis*.

Athenienſium menſis Civilis *duodecimus*, extrà intercalat. Vernus *tertius*, —— —— Σκιῤῥοφοριών.

Quidam addiderunt Σκιῤῥοφοριῶνα δεύτερον, in anno intercalari, ſed malè. Ad Ποσειδεῶνα intercalatum fuit.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c. —— —— Πάνεμ۝, à xxv. Maji.

Syro-Macedonum, *Smyrnæorum*, —— —— —— Δαίσι۝.

Paphiorum, —— —— Πληθύπατ۝.

 Bi-

ſchali die; ergò in feriam eandem quâ Paſcha, ſeu in Dominicam; dum Judæorum dies *quinquageſimus*, idemque Pentecoſtalis, putaretur à *craſtino* Paſchatis, ſeu à ſecundâ die Azymorum, ex dictis.

Karaitæ celebrant Pentec. hujus menſis die 12. ſeptem diebus ſeriùs, dùm numerant *ſeptem Sabbatha*, non à die craſtino ſeu poſtero primæ Azymorum, ſed à die poſtero totius Feſtivitatis Paſchalis, ſeu ab *octavo* Paſchatis: Nempè *Sabbathi* nomine, à cujus *craſtino* inſtituenda fuit ſupputatio 7. ſeptimanar. intelligentes totam Paſchalem feſtivitatem; Alii Sabbathum בראשית Sabbathum *creationis* interpretati, ſeu diem *Saturni* quod Paſcha proximè ſequebatur. Quo ipſo varius fuit, juxtà hos Scripturarios, Pentecoſtalis dies, hoc menſe Siwan.

Porro, juxtà Talmudicos, non ſemper accidiſſe Pentecoſtem menſis III. ſeu *Siwan* die *ſexto*, ſed quandoque die *quinto*, quandoque die *ſeptimo*, prout Niſan & Jiar, menſes duo præcedentes, quandoque ambo *pleni*, aut ambo *cavi* fuerunt, docet Seldenus de Anno Civ. Judæor. *Cap.* VII.

Die 23. Judæis *Jejunium* eſt, ob defectionem X. Tribuum ad vitulos Jeroboami, 1 *Reg.* XII. 28.

Die 25. *Jejunium* iſtis, ob occiſum R. *Simeonem*, Ben-Gamaliel, filium R. Gamalielis Senioris, principem Scholæ, paulo antè Excidium. Vide Chronica Judæor. ad A. Æræ Jud. 3810. 3825.

Eundem diem notant Gemariſtæ, feſtum eſſe habitum, ob ſententiam ab Alexandro M. latam, in favorem Judæorum, contrà actiones adverſùs eos inſtitutas ab Iſraëlitis, à Cananæorum reliquiis, & ab ipſis Ægyptiis, repetentibus ſcilicet jure quiſque ſuo, quæ Hebræi uſurpaſſent. Quâ de re Seldenus *de Jure Nat. & Gent.* L. VII. C. VIII. & Libro

Bithyniorum,
— — — Ἄρειος.
Syrorum menſis IX. à *Kal.* Juniis,
— — *Haziran.*
Perſarum menſis fixus III. ab Æquin. verno,
— — *Chordad-mah.*

III. *de Synedr. Hebr.* C. XIII.

Die 27. *Jejunium* ob combuſtum R. *Haninam*, vel *Chananiam*, Vicarium Sacerdotum, unà cum Libro Legis, in eodem Excidio. Vide Lib. *Juchaſin.*

תמוז *Tamuz* vel *Tammus* Menſis X.

Menſis Civilis *decimus*, Sacer *quartus*, idemque *Solſtitialis* æſtivus, undè תקופת תמוז, pro *Solſtitio* quod in Junium cadit.

Cavus in Calend. Jud. d. — 29.

Plenus in Calend. Vet. Seld. d. — 30.

Hoc menſe *quarto* Sacro, indictum *Jejunium*, ob Urbem captam à Babyloniis, *Jerem.* XXXIX. LII. Unum ex quatuor Jejuniis, de quibus *Zach.* VIII. 19.

Die 17. franguntur, ajunt Talmudici, Tabulæ legis, *Exod.* XXXII. Eodem ceſſaſſe juge Sacrificium, Urbe expugnatâ, Epiſtemonem Ducem Græc. cremaſſe Librum Legis; Poſuiſſe ſtatuam in Templo II. &c. Hinc dies צום *jejunii*, in Calend. Judaico.

Mittimus traditionem de quâ Seldenus, ex Megillath-Thaanit, hujus Menſis die 14. ſolenniter damnatam à Sapientibus atque ejectam Sadducæorum, ac Carræorum diſciplinam, qui rejicerent הלכות *halacoth* univerſas, ſeu conſtitutiones Talmudicas: Hinc feſtum illis fuiſſe diem.

Reſpondent Menſi *Tamuz*, vel *Tammus.*

Cæleſtis menſis, Sole ♋ Cancrum ingreſſo
— — Καρκινών.

Romanorum menſes, ex parte quidem { *Junius*, ac præcipuè *Julius.*

Alexandrinorum menſis fixus undecimus,
— — Ἐπιφί.

Cophtitis Menſ. *Abib*, utrique à die { *Junii* XXV.

Æthiopibus menſis quoque XI. *Hamle* à Kal. Julii.

Athenienſium menſis Civilis *primus*, idemque *primus* θερινὸς ſeu æſtivus, ὑπὸ τροπὰς θερινὰς ſub tempus Solſtitii æſtivi, nempè.
— — Ἑκατομβαιών.

Qui *Hecatombæon* ut malè poſteà compoſitus ſit cum *Septembri*, vel cum *Octobri* Juliano; quin indè menſem ſuum *primum* orſæ quædam in Oriente Gentes, obſervatum Capite ſuperiore fuit.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c.
— — Λῷος, à XXV. *Jun.* initium *Solſtit.*

Syro-Macedonum, *Smyrnæorum*, &c.
— — Πάνεμος.

Paphiorum
— — Ἀρχιερεύς.

Bithyniorum
— — Περιέπιος.

Syrorum menſis X. à *Kal.* Juliis,
— — *Tamuz.*

Perſarum menſis fixus IV. ab Æquin. verno
— — *Tyr-mah.*

تير *Tyr* Mercurium notat.

אב *Ab* Menſis XI.

Menſis Civilis *undecimus*, Sacer *quintus.*

Plenus in Calend. Jud. dier.

Reſpondent Menſi *Ab.*

Cæleſtis menſis, Sole ♌ Leonem ingreſſo,
— — Λεοντιών.

Ro-

dier. —— —— 30.
Cavus in Calend. vetere Seld. d. —— 29.

Die 1. notant Judæi in Calend. *Jejunium* ob mortem Aaronis, de quâ *Num.* XXXIII.

Die 2. *Jejunium*, ex eâdem traditione, ob ſententiam à Deo latam in non introituros in Terram promiſſam, *Num.* XIV. 13.

Jejunium cumprimis, ob deſolationem Templi utriuſque, prioris & poſterioris, hoc menſe v. qui *Auguſto* reſpondet, 2 *Reg.* XXV. 8, 9. *Zach.* VII. 3. XIII. 19. Joſephus *de Bello Jud.* L. VII. C. IX. εἱμαρμένην ἡμέραν *fatalem diem*, δεκάτην Λώου μηνὸς, *diem* X. *ſcilicet Loi* Syro-Macedonici, qui aliàs incepit à XXV. Julii. Sed aptat ibi *Loum* Joſephus *Auguſto* Juliano, ut monitum alibi fuit.

Die 18. notant *Jejunium* ob extinctam lucernam veſpertinam, in diebus Regis Achaz.

Die 22. קרבן העצים *Oblatio Lignorum*, δῶρον ξυλοφόρων, ſeu Feſtum Ξυλοφορίων, poſteà abrogatum; quibus de lignis *Neh.* X. 34. XIII. 31: & in Libro *Juchaſim.* Aſt Joſephus de *Bello Jud.* L. II. C. XVII. eo anno notat XIV. Λώου menſis, ſive *Auguſti* Jul. iſti Feſto dicatum, juxtà Scaligerum, *de Emend.* Lib. VII. p. 649. Quâ de re diſſentit Samuel Petitus in *Var. Lection.* à Scaligero, ut in Opere *de Emend. Temp.* ſic in Elencho Trihæreſii.

Aliud feſtum *Lignorum* in ejuſdem menſis diem 5. conjiciunt Magiſtri, in memoriam illorum qui à reditu ex Captivitate Babylonicâ, ſuffeciſſent *Ligna*, & *Sacrificia*, ex ſingulari munificentiâ.

Romanorum menſes ex parte { *Julius*, ſed præcipuè *Auguſt.* }

Alexandrinorum menſis fixus duodecimus, & ultimus, deſinens in XXIV. *Aug.* Additæ tum V. Epagomenæ.
—— —— —— Μεσορή, Cophtitis *Meſori.*

Æthiopum menſis quoque XII. *Nahaſſe*, à Kal. *Aug.*

Athenienſium menſis Civilis *ſecundus*, idemque *ſecundus* æſtivus,
—— —— Μεταγειτνιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, &c.
—— —— —— Γορπιαῖος. à XXV. *Jul.*

Syro-Macedon. *Smyrnæorum*, &c. —— Λῶος.

Hunc Λῶον cum Syrorum *Ab* fixo, à *Kal. Aug.* plerique componunt, & quoque Scaliger, ſub Romano dominatu.

Paphiorum
—— —— —— Ἐ'ῷιος.

Bithyniorum
—— —— Ἀ'φροδίσιος.

Syrorum menſis fixus XI. à *Kal.* Auguſti,
—— —— —— *Ab.*

Perſarum menſis fixus V. ab Æquin. verno
—————— *Mordad-mah.*

אלול *Elul* Menſis XII.

Menſis Civilis *ultimus*, Sacer *ſextus.*

Cavus idem in Calend. Jud. d. —— —— 29.

Plenus in Calend. Vet. Seld. d. —— —— 30.

Die hujus menſis 7. notant Magiſtri חנוכת שור ירו"ש *Encænia muri Hieroſolymorum*, de quo *Neh.* XII. 27.

Die 17. notant *Jejunium*, ob mortem Exploratorum, qui Terram diffamaverant, *Num.* XIV. 36, 37.

Et hæc Jejunia, ad ſingulos menſes notata, à Scaligero, Seldeno, aliiſque deſcripta, vocant Judæi etiam ימי תעניות, id eſt, *dies angariarum*, ut vertit Scaliger *Lib.* VII. p. 651.

Reſpondent Menſi *Elul.*

Cæleſtis menſis, Sole ♍ Virginem ingreſſo,
—— —— Παρθενών.

Romanorum menſes, ex parte { *Auguſt.* & præcipuè *Septemb.* }

Alexandrinorum menſis fixus (poſt appendiculam, ſeu ἐπαγομένας quinque, adjectas ad finem Μεσορὴ) omnium *primus*
—— —— Cophtitis *Thut.* { Θώθ, à XXIX. *Aug.* }

Æthiopum menſis quoque Civilis I. *Maſcaram*, à Kal. Septembr.

Athenienſium menſis Civilis *tertius*, idemque *tertius* æſtivus,
—— —— Βοηδρομιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, *Aſianorum*,
—— —— Ὑπερβερεταῖος. à XXV. *Aug.*

Reſpondit in anno vetere Macedonico, quum is Lunaris adhuc eſſet, menſis Λῶος in quo Alexander natus.

Syro-Maced. *Smyrnæorum*, &c. —— Γορπιαῖος.

Paphiorum
—— —— —— —— Ῥωμαῖος.

Bithyniorum
—— —— —— Δημήτριος.

Syrorum menſis XII. à *Kal.* Septembr.
—— —— —— —— *Elul*, vel *Ilul.*

Apud Samaritanos eſt אילול menſis Civilis *primus*, quem ſequitur *Thiſri*, &c. Chaldæi verò poſt אלול XII. menſem intercalarunt אלול תרניא *Elul ſecundum*, ut ſuprà.

Perſarum menſis fixus, ab Æquin. verno VI. —
—— —— —— *Xahrir*, vel *Schahrir*, *Xahryrmah.*

Hactenus *Menſium* ratio in Eccleſiâ Judaicâ Vetere, collatis *fixis* Menſibus aliarum Gentium qui Judaicis magis reſponderent. Nec perindè inſtitui potuit συζυγία eorum Menſium, qui ob defectum intercalationis fuêre *vagi* & *mobiles* per fixos omnes Menſes anni Lunæ-Solaris, vel anni Juliani. Quales illi primò Ægyptiorum veterum, Chaldæorum, Perſarum, Armeniorum, qui uſi ſunt formâ anni *Nabonaſſareâ*, ſingulis quadrienniis retrogreſſi uno die; Quales deinde Menſes Arabum, Turcarum, qui formâ Lunari, ſolarem anticipante, annis ſingulis, diebus XI. Quâ de re abundè ſuprà, ubi de variis *Annorum* formis, atque principiis.

CAPUT XIII.

De Septimanâ ſeu hebdomade. Hujus cycli origo & antiquitas. Simul de Gentilium praxi, deque diſcrepantiâ non unâ à Judæis. Et de ſeptimanæ diebus, eorumque ordine, nominibus.

SEptimana, Græcis ἑβδομὰς, Hebræis pariter à dierum numero שבוע, eſt ſyſtema vel cyclus ſeptem dierum civilium, à Deo ipſo ità diſtinctus ab exordio Mundi; 1. In memoriam perfectæ Crea- *Septimanarum origo, & uſus, etiam apud Gentiles.*

Creationis, ſeu Heptaëmeri primi, conſecrato die *ſeptimo* ex tanto Opere, *Gen.* II. 1. Undè Annianus Monachus apud Georg. Syncellum, Liber Enochi apocryphus, apud eundem *pag.* 16. 32. 33. ac ſi qui alii, tradiderunt *Adamo* non aliam fuiſſe cognitam menſuram temporis, quam *ſeptimanas*, per quas procederet ſupputatio; nondùm per menſes, annos, antè Enochi annum CLXV. 2. In uſum præcipuè *hominis*, quieturi Dei exemplo *ſeptimâ* die, ac vacaturi ſolemniori modo contemplationi Divinorum Operum, ac celebrationi conditoris. 3. In uſum *Chronologicum* ac civilem, putandis temporibus, dùm v. gr. *Luna*, poſt VII. dies adimpletos, novam ſpeciem accipit, ut quæ octavo fit διχότομος, decimoquinto πανσέληνος. Hinc Menſes ex Septimanis, cum ſupplemento, ad æquandas Lunæ Soliſve rationes, Anni ex Menſibus conſtituuntur. Quare ὁ πάνυ Scaliger *in Canonibus Iſagog.* hunc *ſeptenarium* numerum *accommodatiſſimum eſſe Solis ac Lunæ rationibus*. Quomodò Cyclus artificialis Solis, eſt orbis cujus characteres ſunt VII. literæ, τῷ G. terminandæ, pro VII. diebus ſeptimanæ. Certè antiquiſſimi hujus Cycli hebdomadalis veſtigia habentur; ſi non *Gen.* IV. 3. ubi קץ ימים *finis dierum* nonnullis eſt *finis hebdomadis*; ſaltem tempore Diluvii Noachici, quando poſt VII. dies (iteratâ vice *hebdomade* expectatâ) emiſſa columba, *Gen.* VIII. 8. 10: Et tempore Patriarcharum, quando complevit Jacob שבוע *ſeptimanam* Leæ, *quot dies* darentur nuptiali feſtivitati, uti apud Phœnices, & Palæſtinos, *Jud.* XIV. 12. &c. Nec aliundè hæc *ſeptem dierum* periodus (citrà reſpectum ad quietem aut ſanctificationem *ſabbathicam*) in cyclum rediens, omnibus penè Gentibus obſervata fuit, priſcis Orientalibus certè, Syris, Chaldæis, Ægyptiis, Arabibus, Perſis, Græcis, Romanis, &c. Hinc Arabibus, uti *Hebdomas* dierum obſervata, in creationis memoriam, ſic dies *ſextus* illis dies Conventus, addita ratione, ob abſolutam eo die Creationem Mundi, dùm quievit Deus die ſeptimo. Imò Theophilus Antiochenus, Lib. II. *ad Autolycum*, p. 95. Edit. Oxon. Πάντας μὲν ἀνθρώπους ὀνομάζειν τὴν ἑβδόμην ἡμέραν, *omnes homines celebrem habere diem ſeptimum*, id eſt, *ſeptimanam dierum*, dixerunt aliàs, ἡμέραν τὴν ἑβδομαδικήν. Quod liquet vel ex vetuſtiſſimâ appellatione dierum ſeptimanæ ab ἑπτάζωνῳ, ſeu à Planetis VII. undè ἑβδομὰς, & οἱ ἑβδόμαι, & Apollo ſeu Phœbus, qui idem cum Sole, apud Æſchilum ἑβδομαγέτης *dux ſeptenarii*, tam in Planetis, quam in diebus ſeptimanæ, qui à Planetis denominantur, aliter quanquàm Scholiaſtæ. Arabes porrò, ab antiquo, eundem etiam ordinem dierum, quem Hebræi, obſervaſſe intelliguntur, ſeptimo die à creatione illis appellato *die quietis*. Nec aliud voluit Joſephus, dùm ait *Lib.* II. adversùs Apionem Alex. nullam eſſe Civitatem, aut Gentem, ſive Barbaram, ſive Græcam, ad quam τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος *conſuetudo ſeptimanæ* recurrentis non pervenerit, tum & *ſeptimi diei* diſtincti ſingularibus ritibus & obſervantiis, quales ſunt Jejuniorum, Luminum accendendorum, ſacrorum faciendorum Apollini, &c. Quâ de re pluribus & ex profeſſo Seldenus, *Lib.* III. de Jure Hebræorum.

Certum tamen eſt Cyclo dierum VII. ſeu *Hebdomadibus*, non diſtincta fuiſſe Græcorum vel Romanorum *Calendaria*, ut nec hodieque Cyclum eum norunt Perſæ Gentiles, quos Indi Parſis vocant, & quæ Barbaræ Gentes aliæ ſunt. Equidem ut menſem per δεκάδας Græci diſtinxerunt, ſic Romanos ὀγδοάδας obſervaſſe conſtat. Undè *Nundinæ*, quia *nono* quoque die redituræ, ſcil. liberi Mercatorum in Urbe conventus, *dies nundinalis*, de quo Ovidius *Faſt.* I. 54.

Eſt quoque qui nono ſemper ab orbe redit.

Hinc etiam, ut nos Literâ G. terminamus ſeptimanæ dies, in Calendariis, ita Romani Literâ H. terminabant ſuam Ogdoadem, in Faſtis Calendaribus quos vocarunt, ab Ovidio deſcriptis, incepturi rursùs ab A. Nec *ſeptimana* vox uſquàm apud Latinos veteres, hoc ſenſu, niſi *ſeptimana* adjectivè, ut *primana*, &c. Neque etiam antè Theodoſii tempora *ſeptimanarum* obſervatio in Rom. Imperio obtinuit, uti Calendarium Romanum, nonniſi Dionyſii Exigui tempore, id eſt, Juſtiniani Imp. in eas diſtingui cœptum, ut pluribus Scaliger, Petavius, Seldenus, id genus Heroës. Certum quoque eſt, quicquid à Philone, Joſepho, Clemente Alexandr. Euſebio, & aliis, traditum videatur, Obſervationem *Sabbaticam*, ſeu conſecrationem diei unius ex *ſeptem*, religionis ergò, ad modum Hebræorum, temerè nimis adſcriptam fuiſſe ſive Græcis, ſive Romanis, ſive Gentibus pleriſque aliis. Quanquam de *Arabibus* vetuſtioribus conſtat, habuiſſe diem *Veneris*, qui ſextus eſt, Sacrum pridem antè Muhammedem, ut à Scaligero & aliis obſervatum. Et inter monita Pythagoræ, retulit Jamblichus iſtud, *Cap.* XXVIII. de Vitâ Pythag. Ἀφροδίτῃ τὶ θυσιάζειν τῇ ἕκτῃ, *Veneri ſacrificandum eſſe die ſextâ*; ambigant licet an *ſextam* voluerit in Orbe Hebdomadali, an ineuntis cujuſque Menſis. Uti non negandum eſt, ob *Septizonium* Planetarum modò dictum, item ob *Lunæ* hebdomadas, & ob ſacram Gentilibus τὴν ἑπλάδα, (quæ quaſi σεπλὰς Auctori Etymol. & apud Macrobium) atque etiam ob natum *ſeptimo* menſis die Apollinem, dictum fuiſſe quandoque Poëtis diem *ſeptimum* (neque tamen *Saturni* illum) ἱερὸν *ſacrum*, id eſt, fauſtum, bonum, fortunatum. Neque Meurſium, Seldenum, & Eruditos alios, qui Homerum, Heſiodum, Callimachum, Platonem, Plutarchum, Gellium, Lucianum, Macrobium, &c. vel Pythagoricorum Numerorum myſteria, hac parte illuſtrarunt, hanc in rem compilamus. Quo factum, ut ritus *Sabbaticus* Judæorum apud Trogum, Juſtinum, Ovidium, Senecam, Tacitum, Martialem, Juvenalem, Plutarchum, Dionem Caſſium, Lucianum, Julianum Apoſtatam, &c. notetur tanquàm illi Genti proprius. Quemadmodùm non *dies* tantùm ſeptimus ſacer Hebræis, ſed & ſuprà alios omnes *menſis* ſeptimus, & *annus* ſeptimus, ac poſteà ſepties ſeptimus, ſive Jubilæus.

Ut Cyclus tamen ille *dierum* VII. in orbem recurrentium, diſtinctus Gentilibus fuerit, arguunt præcipuè dierum ſingulorum *nomina*, & *characteres*. Nempè à VII. Planetis appellati, & eorum ſignis diſtincti dies VII. & eo quo nunc ordine, *Solis*, *Lunæ*, *Martis*, *Mercurii*, *Jovis*, *Veneris*, *Saturni*. Certè apud Ægyptios, hinc Græcos, Romanos, Celtas, Germanos, Danos, Saxones, Anglos, & Barbaras id genus gentes. De quorum nominum origine, uſu, ordine, videſis poſt Scaligerum, & multos alios, ac qui res Germanorum veterum, Danorum, Gothorum, Saxonum, Anglo-Saxonum, &c. illuſtrarunt, præcipuè Joh. Seldenum, prolixiſſime de his diſſertantem, de *Jure Nat. Hebræorum*, Lib. III. C. XX. XXI. Quanquàm ſe fatigent incaſſum ſatis Eruditi, poſt Plutarchum, in *Sympoſiacis* Lib. IV. C. VII. & Dionem Caſſium, *Libro* XXXVII. in cauſis indagandis ob quas v. gr. *Lunæ*, poſtremæ in Planetarum ſerie, dies ſecundus, *Marti* dies tertius, & ſic in reliquis aſſignati fuerint, ab ultimâ uſque antiquitate. Quum aliàs ſic deſcriberetur laterculus Septizonii, à ſummo Planetarum inchoandus, *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, *Luna*. Equidem à *Sole* omnes auſpicati ſunt, Planetarum prin-

Septimanæ Dies ut appellati Gentil.

Digitized by Google

principe, moderatore temporum, & medium ac centrum obtinente in Heptazono. Ac *Luna* dignitate illi proxima fuit, ob dominium in noctem, in ſublunaria, in tempus ipſum, quod ad Lunæ motum, æquè ac Solis, exigeretur. In reliquis, an ex ratione Aſtrologicâ, quod *Mars* horæ *tertiæ* præeſſe crederetur, ut Saturnus *primæ*, Jupiter *ſecundæ*, &c. an ex ratione Harmonicâ, quod *Mars* proximus à Sole eſſet, ut *Mercurius* proximus à Lunâ, *Jupiter* rursùm à Sole tertius, ut *Venus* tertia à Lunâ, *Saturnus* omnium remotiſſimus, expendere non hujus loci eſt.

Ut Chriſtianis? Primi verò Chriſtiani, horum nominum loco, dies ſingulos vocarunt Ἑορτὰς *ferias*, hinc feriam *primam*, *ſecundam*, *tertiam*, &c. perſtringente Gentiles Tertulliano, ob iſtam dierum à Planetis denominationem, quanquàm & ipſe *diem Solis*, ut & Juſtinus Martyr, ex uſu dicat. *Ferias* autem dixêre, à diebus Hebdomadis Paſchalis, qui ut ſinguli apud Judæos *feriati*, nam ſeptem fuêre Azymorum dies; ità apud Chriſtianos veteres *feriata* tota hebdomas Paſchalis, Lege etiam Conſtantini M. ἀπρακτος. Quin uti à *Sabbato* Judaico, non modò hebdomas tota dicta *Sabbatum*, ſed & ſinguli dies σάββατα *Sabbata*, in Euangelicâ Hiſt. ἡμέραι σαββάτων, ità à *Dominicâ* Chriſtianâ, quæ propriè feriata, & prima ſeptimanæ, nomen *feriæ* etiam ad diem ſecundum, tertium, &c. tranſlatum fuit. Ne dicam *ferias* vocaſſe, ex Vetere Vocabulario apud Cangium, quod *omni die feriare, id eſt, ceſſare à peccatis debeamus.*

Septimanæ genus duplex. Duûm porrò generum *Septimanas* occurrere apud Hebræos, obvium eſt. Aliæ enim *ordinariæ*, ſeu *communes*, quæ dierum VII. aliæ *extraordinariæ*, & *Propheticæ*, quæ annorum VII. illæ *diariæ*, hæ *annales* appellatæ. Et de Annalibus Daniel *Cap.* IX. 24. ipſis Judæis interpretatis; quanquàm terminum illarum, ſcil. *cohibitionem defectionis*, *abolitionem Sacrificii*, &c. explicent Verpæ de Captivitate ſuæ Gentis, liberandæ tamen aliquando, *reductâ juſtitiâ*. Ità Annales ſeptimanas annus quiſque Sabbaticus terminavit, de quo loco ſuo. *Diariæ* autem ſeptimanæ non præcisè deſcribunt *annum*, ſed adjiciendi ſemper dies 1. in anno Solari communi, aut 2. in anno biſſextili, ſuprà ſeptimanas LII. Sic Lunaris communis ad ſeptim. L. adjicit dies 4. abundans adjicit d. 5. defectivus adjicit dies 3. Undè totidem feriis tranſcendit caput anni ſequentis.

CAPUT XIV.

De die naturali, & civili, diverſimodè accipiendis. De diverſis initiis dierum, deque diei diſtributione apud Judæos, Græcos, Romanos. De Veſperis Judæorum, & Vigiliis. De Horis, earumque antiquitate, uſu apud Judæos, diſcrepantiâ. Horæ Sacræ, & Canonicæ. Scrupula, & minima partes temporis.

Dies Naturalis, & dies civilis. DIes ſimiliter, ſyſtema horarum, alius vulgò *naturalis* eſt, *civilis* alius. Naturalis plerumque cenſetur dies τὸ νυχθήμερον, Hebræis ערב בוקר ſpatium horarum XXIV. quo Sol ab uno puncto ad idem, pergendo ab Oriente in Occidentem, circumvolvitur; tempus noctis & diei, ſeu *veſpera* & *mane*, uti *Gen.* I. Quamquàm hic dies, alio reſpectu dicatur quoque aliis *Civilis*, reſpectu habito ad varium ejus initium, pro vario uſu Civili, & ità quoque Cenſorinus.

Dies Artificialis, alius naturalis. *Artificialis* dies vulgò dicitur, ſpatium diurnæ lucis, ab ortu Solis ad occaſum, *die* ſic nocti contradiſtincto, quo ſolo *die* utuntur hodieque Moſcovitæ. Quamvis hic ipſe aliis ſit revera dies *naturalis*, ſc. tempus naturale lucis, cujus tamen *artificioſa* eſt & varia diſtributio, ac horæ inæquales, pro vario Solis acceſſu vel receſſu, varioque regionum ſitu vel climate. Uterque igitur horum dierum, & *naturalis*, & *civilis*, dici poteſt, prout vel naturæ curſus, vel hominum inſtitutum, reſpicitur.

Initium diei varium. Naturalis diei, ſeu τοῦ νυχθημέρου, diverſum ſemper initium fuit. Romani, ut & apud Plinium Ægyptii, & Hipparchus Bithynius, item Cathayenſium Aſtronomi, Copernicus, Prutenicæ Tabulæ, &c. inchoarunt à *mediâ nocte*, quandò Sol rursùm ad nos accedit, quod & Pariſinæ Petavii Tabulæ, & uſus hodiernus obſervat. Babylonii apud Cenſorinum, Plinium, &c. Græci recentiores apud Theod. Gazam, initium ducunt à *Solis ortu*. Umbriæ populi, uti Aſtronomi & Mathematici plerique, poſt Ptolemæum, orſi diem à *meridie*, Sole in meridiano exiſtente: Sed alii à meridie *præcedenti*, ut Alphonſinæ Tabulæ, v. gr. Kal. Januarii ordiendo à meridie d. XXXI. *Decemb.* alii à meridie *ſequenti*, ut Tycho Braheus, Keplerus, & alii. Judæi verò ab occaſu Solis, ſeu à *nocte*, ex Majorum ſuorum inſtituto, & hiſt. Creationis, quæ ſemper incipit à veſperâ, & ab initio Sabbathi, quod à veſperâ ad aliam veſperam, ſic omnium Feſtorum, *Lev.* XXIII. 32. Qui & Arabum veterum ac recentiorum, Nomadum Libyæ, Athenienſium, ac Gentium plurimarum in Occidente, Celtarum, Germanorum, Britannorum, Danorum, Saxonum, Bohemorum, Sileſiorum, &c. etiam Americanorum quorundam, conſtans mos fuit, qui ſua tempora ad *Lunæ* motum, veſperè apparentis, exegerunt. Undè illi, quâ *nocte* quid geſtum ſit, quot *noctes* præterlapſæ, &c. ut nos dies putamus: *ſpatia omnis temporis*, ait de Gallis Cæſar *de Bello Civ.* L. VI. C. XVIII. *non numero dierum ſed noctium finiunt*; ut Italos hodieque taceam. Et indè νυχθήμερον Græcis, *nocte* præponendâ *diei*.

Dies apud Judæos ut diſtributus? Utriuſque diei tam *naturalis*, ſeu νυχθημέρου, quàm *artificialis* non una fertur diſtributio civilis, puta inter Hebræos, Græcos, Romanos. Num verò Hebræi in quatuor *quadrantes* diviſerint totum νυχθήμερον, *primum* à veſperâ ad mediam noctem, *ſecundum* à mediâ nocte ad mane, &c. vel etiam tempus diurnæ lucis, (quem diem *artificialem* plurimi vocant,) in IV. ſimiliter partes ſeu quadrantes, ſive trihoria, quæ *horæ* dicerentur, *prima*, *tertia*, *ſexta*, *nona*, ambigunt aut controvertunt Eruditi. Quanquàm indè petita conciliatio Ἐναντιοφανῶν in Hiſt. Paſſionis Dominicæ, præeuntibus Lyrano, Brugenſi, ſecutis Bezâ, & Interpretum aliorum turbâ, explicaturis Marci *tertiam* quâ crucifixus Chriſtus, *Marc.* XV. 25. de ſecundo quadrante, extendendo ad *ſextam*, ſive meridianam *Act.* X. 9. undè initium crucifixionis terminandæ horâ *nonâ*, ſeu tertiâ pomerid. *Act.* III. 1. quâ Chriſtus expiravit, *Matth.* XXVII. 45. 46. ſuccedente ultimo quadrante, ſeu *veſperâ*. Excipiunt quidem alii authoritate hos deſtitui, ac teſtimoniis, vel ex Scripturis vel ex penetralibus Judæorum, tum quoad *quadripartitam* illam diſtributionem, tum quoad appellationem, v. gr. *hora tertia*, pro *ſecundo* diei quadrante. Quâ de re nuper Vir Eruditiſſ. Stephanus Morinus, quem honoris causâ nominamus, eleganti *Diſſertatione* de Horis Salvificæ Paſſionis. Undè horam *ſextam* legere maluit Hieronymus, in Marci loco, alii *tertiam* in loco Johannis, C. XIX. 10. Quæ diſcuſſio non hujus inſtituti eſt. Quanquam expreſsè *Neh.* IX. 3. quatuor illi *diei quadrantes* רביעית היום, quibus alternis legebant, & confitebantur, diſtincti appareant à 1. ad tertiam, à tertiâ ad ſextam, à ſextâ ad nonam, &c. Neque etiam in Oriente caret exemplo illa *diei* naturalis, ut & *noctis*, in 4. *quadrantes* diſtributio, quam apud Indos receptam eſſe, in hunc diem,

Digitized by Google

obſervat Thevenotus *Itiner. Indici*, Lib. II. C. VI. Sed nec apud *Talmudiſtas* deſtitui apertis teſtimoniis, hanc diei diſtributionem, oſtenſum, ab iis qui ad Tract. ברכות commentati. Certior verò fuit diei artificialis inter Hebræos in *tria* tempora diſtinctio, *mane*, *meridiem*, & *veſperam*, quæ & tria precandi tempora, ſeu horæ, jam tempore Danielis, *Dan.* IX. 10. Dictæ aliàs horæ, *tertia*, *ſexta*, & *nona*, juxtà Grotium incluſuræ omne id quod inter ſtata illa tempora gereretur. Quæ horæ & priſcis Chriſtianis Sacræ, Apoſtolicâ imitatione, undè Septimius Libro *de Jejuniis*, Cap. X. ait, *tres iſtas eſſe horas quæ, ut inſigniores in rebus humanis, diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publica reſonant*, quæque *ſolenniores fuiſſent in orationibus divinis.*

Ut apud Græcos & Romanos.

Sed & diei *tripartita* illa diſtributio obtinuit apud Græcos & Romanos, ſcilicet in tempus *matutinum*, *meridianum*, & *pomeridianum*. Græci vocarunt, ut ex Homero, & antiquioribus, Suidas, Euſtathius, Auctor Etymol. M. tempus ἀγορᾶς ſeu *concionis*, ἀρίϛου ſeu *prandii*, & βουλύτου ſeu *boviſolvii*, aliàs δείπνου *cœna*, ὁ περὶ ἑσπέραν καιρὸς, ὅτε οἱ ἐργάζεσθαι τοὺς βόας λύομεν. Romani ſimiliter, *ortum*, *meridiem*, & *occaſum* dixêre, tria diei ſpatia. Apud Græcos indicabantur ſervorum miniſterio, quos ὡρολογητὰς dixerunt, ex Athenæo & aliis. Apud Romanos voce *accenſi*, ſeu præconis, ex Prætoris juſſu, clamatur ad populum eſſe horam ab ortu *tertiam*, vel *meridiem*, vel *nonam* ſeu occaſûs, ex Varrone *de Linguâ Lat.* Lib. V. Plinio *Hiſt.* Lib. VII. C. VII. aliiſque, pridem obſervatum. Quanquàm etiam ex uſu militari, ne longiores eſſent excubiæ, obtinuerit *quadripartita* diei diviſio in totidem *excubias*, quæ ſingulæ trihorii, ex Vegetio de Re Milit. ex Cenſorino, &c. Nec deſunt Gentes hodieque quæ 1. quadrantem terminant in tempus *jentaculi*, 2. in tempus *prandii*, 3. in tempus *merendæ*, 4. in tempus *cœnæ*.

Veſperæ duæ Hebræorum. Etiam plures.

Veſperæ pariter Hebræis *duæ* inſignes fuerunt; quarum prima incepit, his quidem, mox à *meridie* ſextâ cum dimidiâ, ſeu mediâ primâ; aliis, ut Jarchio, Kimchio, demùm vergente Sole ad Occaſum, pars diei ultima, putà à III. noſtrâ pomeridianâ, vel Judæis IX. quâ ipsâ Chriſtus in Cruce expiravit, dicta veſpera *declinationis*: *Altera* ſecundùm priores, ab *inclinatione Solis* ad Occaſum; ſecundùm alios ſtatim ab *Occaſu* Solis, pars hæc diei ſubſequentis prima, dicta veſpera *occaſus*. Quanquàm Aben-Ezra *in Exod.* XII. primam veſperam interpretetur ערבירת השמש *Occaſum Solis*, alteram, *Occaſum luminis* reſidui in crepuſculô, atque ita *tres quatuorve* veſperas memorant Talmudiſtæ. Carræi verò ſive Scripturarii *tres* etiam *veſperas* ſtatuerunt, ſed aliter ac Talmudici. *Primam*, ab Occidente Sole ad ipſam Occaſûs finem; *Secundam*, totum tempus crepuſculi; *Tertiam*, ab initio tenebrarum, finito crepuſculo. Et ab hac demùm tertiâ veſperâ, initium Carræis *diei* ſequentis, etiam *Neomeniæ* ſeu menſis, quando primùm Lunæ φάσις conſpicua fieret, nullo ampliùs crepuſculo.

Undè facilè intelligitur tempus quo *mactandus* fuit ac *preparandus* Agnus Paſchalis, ſc. *intrà duas veſperas*, die XIV. menſis primi, *Exod.* XII. 6. Joſephus Ἀλώσ. Lib. VII. C. VII. vacaſſe Judæos, τῷ θύειν *mactationi*, *à nonâ ad undecimam*. Ut tamen ineunte die XV. id eſt, azymorum primo, *alterâ* veſperâ, idem agnus *manducaretur*, & quidem cum azymis, per dies VII. continuandis. Qua de Feſtivitate infrà. Alii autem *duas veſperas* intellexêre veſperam *prioris* diei, inchoantem diem XIV. ac illam diei *poſterioris*, inchoantem ſcil. diem XV.

Noctis Vigiliæ tres, etiam quatuor.

Ut diem in partes ſuas diviſerunt, ſic & noctem in certas vigilias, quas Hebræi אשמורת vel משמורות *cuſtodias*, Græci hinc φυλακὰς, *Matth.* XIV. 25. Latini *vigilias* dixêre, ob cuſtodias tùm actas à vigilibus. Et primitùs vigiliæ ſolummodò *tres* Hebræorum, etiam Talmudiſtis ita diſtinctæ apud Buxtorfium, ex Libro ברכות. Quarum prima fuit ab Occaſu Solis, toto trihorio dicta Græcis ὀψὲ ſeu *veſpera*, & *caput vigiliarum* in Threnis *Cap.* II. 19. Secunda indè ad Medinoctium, undè quoque eadem Græcis μεσονύκτιον dicta, *media vigilia*, de quâ *Jud.* VII. 19. *Luc.* XII. 38. Latinis *nox concubia*, *intempeſta*. Tertia de quâ itidem *Luc.* XII. 38. à medinoctio ad tertiam indè horam, dicta אשמרת הבקר *vigilia matutina*, *Exod.* IV. 24. etiam ἀλεκτοροφωνία, vel ἀλεκτρυοφωνία, ſeu *Gallicinium*, quod *primus* tùm audiatur galli cantus, nocturnus ille, mediâ nocte exactâ; contradiſtinctus *ſecundo* cantui, ſeu matutino, Græcis & Latinis Scriptoribus ſic quoque appellato, de quo intelligendus omninò locus *Marc.* XIV. 30. *Quarta* deniquè vigilia Pompeji, & Romanorum tempore apud Judæos acceſſit, *Matth.* XIV. 45. *Marc.* VI. 48. à tertiâ nocturnâ ad diluculum, ſeu matutinum tempus, vel à ſecundo Galli cantu ad tempus lucis; & hæc à termino ejuſdem vigiliæ dicta Græcis πρωΐ, *manè*, Latinis *conticinium*, ſeu tempus quo Galli conticere incipiunt.

Veſpera Hebræis quid?

Cæterùm noctis tempus omne vocarunt Hebræi ערב *veſperam*, contradiſtinctam τῷ בקר *mane*, undè ὀψία pro *nocte*, ab occaſu Solis ad ortum, in Evangeliis paſſim; ὀψὲ itidem pro nocturno tempore, ad Solis ἀνατολήν.

Diſtinctiones aliæ dierum apud Romanos & Græcos.

De diebus *Romanorum* faſtis, nefaſtis, atris, infauſtis, profeſtis, religioſis, feriatis, juſtis, interciſis, vel Endoterciſis, intercalaribus, ex Varrone, Feſto, Ovidio, Macrobio, aliis; de Græcorum etiam diebus ἀνάρχοις, quibus Attica ſine Magiſtratu, quique Populi Comitiales dies; item de diebus ἐργασίμοις, ἀέργοις, ſive ἀνεσίμοις, ἑορτασίμοις, ἀποφράσι, ἐμβολίμοις, ἐπαγομέναις, &c. paſſim Critici & Chronologi. Nec ea vel loci hujus ſunt vel inſtituti; præterquam quæ de ἐμβολίμοις, & ἐπαγομέναις, in Annis Civilibus, tradita in ſuperioribus fuêre.

Horæ ut Græcis notæ, & antè hos Ægyptiis, Babyloniis.

Diei verò in *horas* noſtras diſtinctio, Græcis quidem vetuſtioribus ignota vulgò cenſetur, Anaximandro Sciotericorum inventore primo, Olymp. LVIII. apud Laërtium, Plinium, Euſebium, alios. Ὧρας porrò quatuor anni tempeſtates, & rerum agendarum tempora nuncupabant; quibus quia Sol præeſſet, ſeu Phœbus, Apollo, hinc Ὧρος *Horus* idem appellatus; niſi hæc vox Ægyptiaca fuit, Ὧρος Αἰγυπτιστὶ ὁ Ἀπόλλων, ut Euſtathius *in Iliad.* β. Diem tamen diſtinxiſſe in partes XII. δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας, quæ primò σημεῖα, ϛοιχεῖα, σκιὰς, Solarii nempè *umbras* appellarint, ex Herodoto aliiſque, Salmaſius *Plinian. Exercit.* p. 637. Scaliger de *Emendat. Temp.* Cap. I. Caſaubonus *in Athenæum* L. I. C. I. Petavius ad Uranologium *Lib.* VII. *Cap.* VIII. Joh. Seldenus, *de Jure Nat. Hebræor.* Libro III. C. XXI. & ſi qui alii. At ridet Leo Allatius inſcitiam, quod plerique diei illas partes XII. cenſeant ſerò admodum ὥρας appellatas, quos inter etiam Gerh. Voſſius Lib. VIII. *de Idololatr.* Imò ille etiam *horas* noſtro ſenſu in Platone & Vetuſtioribus reperit, & nota jam ὡρολόγια, ex Athenæi Libro IV. Deipnoſophiſt. de *Menſ. Temp. Cap.* IV. Equidem ut alia multa ab *Ægyptiis* & *Babyloniis* Græci didicêre, ſic & illam diei naturalis diſtributionem, in XII. partes, diurnas & nocturnas, ut Herodotus *Lib.* IV. in Euterpe affirmanter dixit. Quâ de re præfata Nomina. Sinas verò *diem* civilem diviſiſſe in *duas partes*, *aſcendentem & deſcendentem*, jam obſervavit Salmaſius, *Præfat. de Annis Climactericis.*

Digitized by Google

An Latinis? Obſcura autem *horarum* veſtigia apud Latinos priores: primuſque omnium Marcus Valerius Meſſala Horarium, ſeu Solarium, ex Siciliâ adduxiſſe in Urbem fertur; poſt Catanam captam tempore belli Punici I. idemque in foro ad Roſtra in Columnâ poſitum, anno U. C. CCCCLXXVII. Sed ne tum quidem ſatis aſſecuti videntur Romani rectam diſponendi Solarii rationem, ut umbræ horis exactè reſponderent. Quâ de re vide ex Plinio, Cenſorino, Eruditos ante memoratos. Igitur per *accenſos*, ſeu publicos præcones, indicabant anteà diei tempora Romani, quod & Turcis in more poſitum.

An Hebrais? Antiquior longè *horarum* obſervatio, ex dictis, apud Babylonios, & Ægyptios, ſive diei in horas XII. diſtributio. Ac de Ægyptiis ex Damaſcio apud Photium *Cod.* CCXLII. & ex Pierio Lib. VI. *Hieroglyph.* aliiſque notum, præiviſſe ipſis in hac diei diſtributione in intervalla XII. *Cynocephalum* animal, & *Ælurum* ſeu felem, qui duodecies diebus ſingulis, æquali intervallo, urinam profunderent. Nullum tamen *horarum*, quæ noſtris utcunque reſpondeant, veſtigium antiquius apud Hebræos, quàm in Solario Achazi, ſeu Solari indice, quæcunque ejus conſtructio fuerit, in quo umbræ per *gradus* vel lineas aut cæſuras diſtinctæ, *Eſai.* XXVIII. 8. 2. *Reg.* XX. 9. Quanquàm an *gradus* iſti מעלות, totidem *horæ* fuerint, merito dubitatur, an verò *ſemi-horarum* ſpatia, quæ deſcendens umbra indicaret. Ita nec vocem Hebr. שערה, Chald. שעא, שעתא, præcisè *horam* eſſe, ſed quandoque רגע *momentum*, breviſſimam particulam temporis, apud Jonathanem, Onkeloſum, Syrum, Buxtorfius & alii pridem docuerunt.

Aſt Chriſti tempore receptiſſima ſanè apud Judæos fuit diei in XII. *horas* partitio, ex loco præcipuè *Joh.* XI. 9. Quam nuper demùm à Romanis accepiſſe Salmaſius, & eum antè Scaliger, Caſaubonus, ſtatuerunt, vapulaturi Dion. Petavio, & Leoni Allatio. Sed habere Judæi etiam à Græcis, uti rationem anni Syro-Macedonici, potuerunt; & *horas καιρικὰς* digeſſit Ptolemæus in Almageſto ſuo. *Horæ inæquales.* Porrò horas haſce diei *Artificialis* ſeu *lucis*, apud Judæos, XII. ſed & Romanos, alioſque, neceſſe eſt fuiſſe *inæquales*, *καιρικὰς* ſeu temporarias vocant, variantes κατὰ καιροὺς ſecundum anni *tempeſtates*. Aliàs etiam *artificiales* dictæ, pro Solis acceſſu vel receſſu, modò longiores, modò breviores, cognoſcendæ ex elevatione Poli, ſeu diſtantiâ loci cujuſque ab Æquatore, & ex Solis in Zodiaci ſigna progreſſu. Ità ſemper horæ XII. diurnæ lucis, quæ aliàs in Palæſtinæ tractu, (ſi *æquales* horæ cenſerentur, quarum XII. medium νυχθήμερον abſolvunt) Solſtitio æſtivo ſunt XIV. brumali nonniſi X. Climate Aſtronomico Ptolemæi IX. intrà XXX. & XXXIII. gradum Latitud. Borealis. Et hæ poſtremæ dictæ ἰσημερειναὶ horæ *æquinoctiales*, quia totum Æquinoctialis ambitum, qui CCCLX. graduum, in XXIV. partes æquales dividunt, quo fit ut Sol motu diurno ab Ortu in Occaſum *horis* ſingulis conficiat XV. *gradus*, ſive μοῖρας. Dictæ etiam hæ horæ *naturales*, hodie uſu receptæ, quia faciliores ſunt obſervatu, in uſu civili. Et ſic *hora* apud Epiphanium, alioſque Veterum, pro parte XII. τοῦ νυχθημέρου.

Horæ Canonicæ. Sed & aliud horarum genus eſt, quæ dictæ inter Chriſtianos horæ *Canonicæ*, ſeu tempora precibus deſtinata. Origo ab Hebræis, qui *tria* communiter habuêre publicarum precum ac ſacrificiorum de die tempora, *matutinum*, *meridianum*, *veſpertinum*, ſeu nocturnum, undè jam praxis Davidis, *Pſalm.* LV. 18. & Danielis, *Dan.* VI. 11. Diebus verò feſtis accedebat מוסף *additamentum*, ſeu oratio extraordinaria, horis matutinis, à tertiâ ad ſextam: Ut in jejunio ſolemni addebant תפלת נעילה *precationem obſerationis*, ſole occiduo, & portis Cœli quaſi *obſeratis*. Atque hæc tria precum Judaïcarum tempora ſervaſſe indè ab Apoſtolis, primos Chriſtianorum, ex Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, aliiſque conſtat. His autem Judaïcarum precum temporibus tribus ordinariis, Muhammedani addidêre *quartum*, poſt Solis occaſum, & *quintum* à mediâ nocte, imò etiam *ſextum* & *ſeptimum* magis ſuperſtitioſi.

Pontificiorum illæ. Ex his præpoſterâ imitatione, natæ *Horæ Canonicæ* Pontificiorum, ſeu Officia diurna, dictæ pariter ad Judæorum imitationem, hora *prima*, *tertia*, *ſexta*, *nona*; quibus accedunt *matutina*, ſeu cantus antelucanus, & poſt nonam *veſpera*, & *completorium*. Sunt & Horæ *nocturnæ*, obſervandæ Monachis, juxtà Regulas à Benedicto, & Patriarchis id genus Ordinum, præſcriptas. Sed horas haſce Regulares, non una admixtâ ſuperſtitione, ignorarunt prima ſecula.

Horæ ſubdiviſiones. Hora rurſùm apud veteres Paſchalium Computorum conditores, Chaldæis & Orientalibus pridem præeuntibus, ſubdiviſa in *Atomos*, *Particulas*, *Momenta*, *Minuta*, *Puncta*, *Scrupula*. *Scrupulum* aliud *diurnum*, pars diei LX. aliud *horarium* pars LX. horæ, quæ etiam *minutum*, *momentum* appellari uſu laxiore conſuevit. Rursùs ſcrupulum *primum*, ſubdiviſum fuit in ſexaginta ſcrupula *ſecunda*; hæc in totidem ſcrupula *tertia*, &c. *Scrupulum* verò *Judaïcum*, vel *Chaldaïcum*, eſt pars unîus horæ MLXXX. exurgens ex LX. ſcrupulis primis per XVIII. multiplicatis, Hebræis חלק *Helek*, μόριον, *particula*: Et hoc ſcrupulum rurſûs ab Orientalibus in 76. particulas, verè individuas, quandoque dividitur, quæ ipſis רגעים momenta nuncupantur. De quibus vide Scaligerum, in *Canonibus*, & Chronologos paſſim. Scrupuloſiùs hæc ità diſtincta, præcipuè ad exactam definitionem menſium Lunarium, & obſervationem Noviluniorum, horumque in tabulis Ptolemæi conſenſionem cum Noviluniis Judaïcis. Sed & Tataros diem dividere ſolitos in *decies millenas partes*, refert Claud. Salmaſius, in Præfatione de Annis Climact. ſe *ex fide dignis didiciſſe*.

CAPUT XV.

De Feſtis Judæorum temporibus. De Sabbatho, Neomeniis, Feſto Clangoris, Paſchate, Azymorum diebus, Pentecoſte, Expiationum die, Tabernaculorum Feſtivitate, Octavâ Scenopegiæ, Feſtis aliis in Hiſt. S. memoratis, & Libris Maccabæorum. Difficultates in his quædam principes elucidatæ. Inſtitutionum fines oſtenſi. De Tranſlationibus feriarum Judaïcis; deque ultimo Chriſti Paſchate, & die.

Characteres temporum. Ac de Feſtis primò Judaicis. OBſervatis *partibus* Temporis, de variis nunc *Characteribus* temporum, ſeu Sacris ex Dei inſtituto, ſeu Civilibus ex hominum illo, ſeu Naturalibus vel Aſtronomicis, monendi qui ad doctrinam Temporum animum adjiciunt. Principio autem ad cognoſcenda Judæorum tempora, de temporibus ſacris ſeu *Feſtis* eorundem, quàm breviſſimè dicendum eſt, quatenùs ad Chronologiam ſpectant; non ad diſquiſitionem Rituum, aut Originis eorundem, ac variarum circumſtantiarum, de quibus ne Judæis ipſis, Traditionariis aut Carræis, ſatis convenit. Quæ Feſta, uti ſanè Ægyptiis, poſteà Græcis frequentiſſima (πανηγύρεις, ἑορταὶ, πομπαὶ, προσαγωγαὶ) ità quàm ſpecialiſſimè ex Dei inſtituto, Judæis obſervanda, quibus alii fuêre *dies* feſti, *anni* alii.

Dies Feſti Judæorum. Feſti dies alii à *Deo* ipſo, alii à *Judæis* inſtituti, illi *Legales* vulgò, hi Politici; quanquàm & Politici quidam dies ex Lege feſti, v. gr. VIII. Taber-

bernaculorum, &c. Priores plerique recenſiti, *Ex.* XXIII. *Lev.* XXIII. *Num.* XXVIII. XXIX. *Deut.* XVI. *Communia* his fuere 1. Oblatio ſacrificiorum, 2. Vacatio à laboribus, 3. Lætitia, convivia ſacra, poſt peractum ſacrificium, præterquàm in יומא, ſolemni die *Jejunii*. *Speciale*, ceremoniæ cuique Feſto propriæ, ex dictis locis. Omnia verò, Sabbatho excepto, iiſdem ſemper menſium *diebus* celebranda.

Sabbathum. I. *Sabbathum* cum Reginâ vel Sponſâ conferunt Hebræi, Dies reliquos cum Ancillis vel Concubinis. Inſtitutum nempè εἰς ἀνάμνησιν κοσμοποιΐας, *in memoriam Creationis*, hinc quietis divinæ; poſtea & in *memoriam* Liberationis ab operibus ſervilibus Ægypti; ut *medium* quoque ſanctificandi hominis; ut *ſignum* ἁγιαστικὸν ſanctificati Iſraëlis, præ reliquis Gentibus; tùm & *figura* ſeu typus quietis multiplicis, Chriſti ipſius, fidelium ſub N. Teſt. ac tandem glorificatorum.

Ejus Prærogativæ. Prærogativæ Sabbathi fuêre variæ: Quoad *opera* eo prohibita, undè reliqui dies ἐργάσιμοι dicendi חולים *profani*; quoad *Sacrificia* eo die præſcripta; quoad *loca* obſervationis, quæ indiſtincta, ubicunque agerent; quoad παρασκευὴν die ſexto, vocant ערובתא *veſperam* κατ' ἐξοχὴν, vel *veſperam Sabbathi*; quoad *cyclum* ſeptimo quovis die recurrentem; hinc quoad memoriam primi & maximi omnium *Beneficii*. Adde modum ſignificandi, *clangore buccinæ*, ſexies repetito indè à veſperâ declinat. Solis, ſeu horâ tertiâ, ut ex Maimonide alii.

Dubia Hiſtorica. De Sabbatho quæri hiſtoricè varia ſolent: Ut, de *tempore* inſtitutionis, an ſtatim à Creatione, ut poſt Philonem loco non uno, & haud obſcurè Joſephum, *Ant.* L. I. C. II. Talmudici veteres haud pauci; an demùm, ut alii etiam in Magiſtris, inſtitutum fuerit in Deſerto, *Exod.* XVI. XX. Sic de *objecto*, an Judæis tantum Lex lata, ſub Lege Ceremoniarum, an quoad ſcopum & genus præcepti, univerſis? Sic de ratione *quietis*, quæ præcisè opera prohibita, quæ permiſſa? Sic, de inſtituti hujus vel *perpetuitate*, vel *abrogatione*. Sic de ratione Sabbathi Chriſtiani, *Dominico* die, ab Apoſtolicis temporibus conſtanter celebrati, antè Legem Conſtantini Imperat. Sic de Sabbatho *Magno* ſeu Paſchali, *Joh.* XIX. 31. & de Sabbatho δευτεροπρώτῳ, *Luc.* VI. 1. non par eſt conſenſio Interpretum. De quibus non eſt hic dicendi locus, & nos Obſervat. Moralibus & Typicis ad *Leviticum*.

Neomenia. II. *Neomeniæ* Feſtum, חדש ſimpliciter appellatum *Pſ.* LXXXI. 4. ראשי חדשים, ראש החדש, *Num.* X. 10. XXVIII. II. cujus exemplum I *Sam.* XX. 5. 24. &c. Nempe ſub initium cujuſque menſis Lunaris: 1. In grati animi ſignificationem, pro beneficio divinæ gubernationis, totâ Lunâ præteritâ. 2. In conſecrationem *primitiarum* cujuſque menſis, quem ſibi fauſtum eſſe, ſub Dei regimine, precabantur. 3. In expiationem delictorum, admiſſorum eo menſe. 4. In præfigurationem *Eccleſiæ* renovandæ olim per Chriſtum, ejuſque Spiritum; hinc Eccleſia cum Lunâ collata, cujus diverſæ φάσεις, *Cant.* VI. 10. *Apoc.* XII. 1. 5. In præfigurationem felicium Noviluniorum, ut figuratè divinus Vates, *Eſaj.* LXVI. 23. ne alluſiones alias referam, quæ minùs huc ſpectant. Feſtum verò *Neomeniarum* inſtituiſſe Moſem imitatione Gentium, more jam Idololatris recepto, Lunam adoraturis, quod vult Spencerus, prolixè nuper expendit *Joh. Meyerus*, Diatribe *de Feſtis Hebr.* C. VI. quem honoris causâ nominamus. Potius illud ex praxi primævâ jam Patriarchis uſurpatâ, in honorem ſummi Numinis. Quam imitati poſtea Gentiles, uti Athenienſes ſoliti hac Lege, ταῖς νεομηνίαις θύειν, quæ Sacra νουμήνια fiebant in honorem non Lunæ, ſed *Deorum* in communi, uti ſecundum diem conſecrabant Ἥρωσι καὶ Δαίμοσιν, ex Plutarcho. Sacrificia eo Feſto ſpecialia habentur, *Num.* XXVIII. II. Ut & ritus clangendi tubis, excitando populo ad laudandum Deum, *Num.* X. 10. *Pſ.* LXXXI. 4. Tamen inter Feſta ſolennia Judæorum non recenſentur Neomeniæ, *Lev.* XXIII. utpotè jam primitùs obſervatæ, ritibus autem ſpecialibus à Moſe determinatis eo Feſto, non tamen *quiete* à laboribus imperatâ. Hinc accuratè obſervabatur tempus *Novilunii*, ſeu jam τῆς συνόδου, id eſt συζυγίας conjunctionis Luminarium, quando interlunium eſt, ſeu τῆς φάσεως, הראיה, primæ viſionis Lunæ, quando apparet σχῆμα μηνοειδὲς, quo utroque in caſu cenſeretur *nova Luna*, Lege non definiente. Quâ in re diverſæ ſententiæ, & praxis quoque diverſa Judæorum. Quomodò & *biduum* aliquando celebrare ſoliti, שני ימים, Lunam ἔνην καὶ νέαν veterem & novam, ſcil. τῇ τριακάδι, die menſis XXX. tùm & die ſequenti ob apparentem primùm ea nocte Lunam. Quæ Luna primò conſpecta propriè cenſeretur ראש החדש *principium menſis*, ſeu Feſtum Neomeniæ, ſtante Templo. Sed de his, ubi de menſibus & de Anno Hebræorum.

III. Feſtum *Clangoris tubarum*, יום תרועה *Feſtum Clangoris.* incidens in Neomeniam menſis *Thiſri*, ſeu in *caput* vel initium anni Civilis, ראש השנה, de quo feſto *Lev.* XXIII. 24. *Pſalm.* LXXXI. Diſtabat à primo die Azymorum diebus 163. à primo Niſan, d. 177. Judæi quidam *Feſtum cornu* cenſent appellari in memoriam liberati Iſaaci, & ſubſtituti Arietis, cornibus hærentis dumeto. Reverà ità dictum à *clangore* tubarum, vel buccinæ ex cornu *arietino*, præter tubas *argenteas* & ſonoras, de quibus *Num.* X. 2. 1. Ut ità excitarentur ſpeciali hoc ſono ad gratitudinem pro præcedentis anni fructibus, & beneficiis, & ad reſipiſcentiam à peccatis. 2. Ad recordationem primi hujus Mundi natalis, in autumnali Æquin. 3. Ad ſanctificationem quoque novi anni civilis, quo initium ſumebant ſationes, emptiones, venditiones, ſervitutes, &c. 4. Ut præpararentur, hinc ad decimum uſque diem, ad Feſtum ſolemne *Expiationum*. 5. Ut hinc computum eſſet ad annum *Sabbathicum*, & poſteà *Jubilæum*, hoc menſe inchoandos. 6. Ut clangor buccinæ in datione *Legis*, tum tubæ *Evangelicæ*, in novo anno Gratiæ, exprimeretur; Ne dicamus clangorem noviſſimum buccinæ, σάλπιγγος, *Matth.* XXIV. 31. 1 *Theſſ.* IV. 16. ad quem alii reſpexiſſe Moſem. Et ex hac Neomeniâ, collatâ cum alterâ menſis Niſan, dum utraque eſſet *prima* κατ' ἄλλο, in anno Civili & Sacro, cenſent Eruditi quidam explicandum eſſe *Sabbatum* δευτερόπρωτον, *Luc.* VI. 1. de Sabbato *primo* anni Sacri, *ſecundo* tamen, relatè ad primùm Sabbatum in menſe Thiſri. Porrò de hujus Neomeniæ tranſpoſitione, ex regulis Judæorum, alibi diximus, *Cap.* XII.

IV. Feſtum *Paſchatis*, פסח, פסחא, πάσχα, φασὲχ, φασὴ Veteribus, incidens in XIV. diem *Paſchatis.* primi menſis ſacri, vel Abib, ſub veſperam, quo de Menſe & die fusè ſuprà, *Cap.* XII. De Feſti hujus 1. Antecedentibus, in Hiſtoriâ S. & Moſaicâ, inter quæ exterminatio omnis *fermenti*. 2. Agni Paſchalis conditionibus, præparatione, à die *De hoc quæſtiones.* X. menſis, ſaltem in Ægypto. 3. Immolationis tempore, die XIV. & quidem intra duas veſperas. 4. Miniſtro tùm in Ægypto, tùm in Judæâ. 5. Celebrationis loco. 6. Coctionis & comeſtionis modo, & Convivio. 7. Ceremoniis variis cœnæ Paſchalis. 8. Cœnâ unâ, an pluribus. 9. Dilatione in menſem ſecundum *Jiar*, reſpectu immundorum, aut quibus iter longius, *Num.* IX. 10. 11. 10. Inſtitutionis fine, ſcil. tùm in memoriam liberationis

Digitized by Google

ex Ægypto, ratione *hiſtoricâ*, tùm in figuram veri Agni Paſchalis; ratione *myſticâ*, immolati in veſperâ Ceremoniarum Veteris Teſtam. & Judaicæ Eccleſiæ; 1 *Cor.* v. 7. tùm in uſus *morales*, homine intrà duas veſperas, *peccati* illam & *mortis* ac *judicii*, conſtituto; intrà quas offerendum. 11. Differentiis variis primi Paſchatis in Ægypto celebrati, & reliquorum in Palæſtinâ; Undè Judæi diſtinguunt פסח מצרים *Paſcha Ægypti*; & פסח דורות *Paſcha generationum*, ſcil. ſequentium, ac differentiam in *novem rebus* conſtituunt, בט דברים, de qua alibi. 12. Dilatione per ἐμβολισμὸν ſeu intercalationem menſis Lunaris, vel etiam per Tranſlationem Feſti, ſecundùm regulas Magiſtrorum, &c. De his, inquam, aliiſque id genus, ſatis aliundè obviis, non eſt hic tradendi locus. Et prolixè quicquid in his vel circumſtantiarum eſt, vel ſignificationis typicæ, vel etiam difficultatum circà naturam Paſchatis, v. gr. an *Sacramentum*, an *Sacrificium*; circà *Miniſtrum*, *Tempus*, *Locum* mactationis, &c. diſcuſſerunt viri magni præeuntibus Magiſtris, Majemonide, R. Bechai, Abenezra, Abarbanele, Elia Byzantino *Tract. de Paſchate*, &c. Omnium penè manibus triti Scaliger, Caſaubonus, Buxtorfius, L. Capellus, Tailorus, Th. Godwinus, Lightfootius, Cloppenburgius, Gerhardus, Bochartus *Parte* 1. *Hiſt. Animalium*, Lib. 11. C. L. & qui in noſtris plures ſunt, ac nuper V. Clar. Joh. Meyerus *de Feſtis Hebræor.* cum Spencero congreſſus.

Dubium de mactationis loco & miniſterio. Nec eadem horum omnium ſententia eſt: Uti non omni ex parte ſatisfacit vir ſummus Sam. Bochartus, in iis quæ ſupponit pro concurſu ultimi Paſchatis *Chriſti*, cum *Judæorum* illo; Johanne cumprimis Evangeliſtâ invito, *Joh.* XIII. 1. XVIII. 28. XIX. 14. ſed & Matthæo & Lucâ, qui rationem feſtinatæ cœnæ Paſchalis apponunt, quod eſſet καιρὸς ἐγγὺς, *Matth.* XXVI. 18. & ingens Chriſti deſiderium comedendi unà cum ſuis, πρὸ τοῦ αὐτὸν παθεῖν, *Luc.* XXII. 15. Quomodò & caverant Pontifices ne Chriſtus occideretur, ἐν τῇ ἑορτῇ, qualis certè *primus* Azymorum dies. Atque ità dubium meritò videtur, an Paſchales agni, in ſolo *Templo* & *Atrio* fuerint mactandi, & olim, & Chriſti tempore, adſpergendo ſingulorum *à ſacerdotibus* ſanguine, ut factum quandoque 2 *Chron.* XXXV. 11. Ità ſanè, poſt Clariſſ. Cloppenburgium, alioſque, Bochartus dicto loco, etiam Lightfootius. Sed intercedunt illi ſententiæ plurima, quæ hujus compendii non ſunt, & ipſe olim Philo Judæus, in Libro de *Decalogo*, & L. III. de *Vitâ Moſis*. Nec uſpiàm mactatio ipſa agni Paſchalis, manducandi ab omnibus Iſraëlitis, etiam extrà locum Tabernaculi, reſtricta fuit ad Atrium, vel ad Sacerdotale munus. Benè ſolennis mactatio fieri juſſa, in loco quem Deus elegiſſet, *Deut.* XVI. 2. uti in eodem loco agnus aſſandus, ac manducandus fuit, *verſ.* 7. nec tamen in Templo. Quanquàm oſtendendus idem Sacerdotibus, an purus & ſine maculâ, an maſculus, &c. Quâ de re prolixè Capellus, & nos in affecto pridem Opere, de Illuſtrioribus Ἐναντιοφανέσιν Scripturæ S. Scaliger in poſteriori *Edit. Operis de Emendat.* Lib. VI. p. 567. retractavit priorem errorem, Judæos Chriſti tempore receſſiſſe à Lege, mactaſſeque agnum die XIII. Niſan deſinente, comediſſe ineunte die XIV. & ità quoque Chriſtum. Rectè is poſteà, Chriſtum immolaſſe Paſcha reverà XIV. Niſan, in quâ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, vel quâ ἔθυον, id eſt, mactare ſoliti, dum eo anno Judæi demum XV. ἔθυσαν de facto, fortè tamen illis nonniſi XIV. ob Neomeniam ſeriùs indictam. Quâ de re etiam infrà, ubi de Tranſlationibus feriarum.

Azymorum. Feſtum *Azymorum*, incidens in XV. diem menſis ejuſdem Niſan, & continuatum totis ſeptem diebus, ad XXI. incluſivè. *Æquales* erant hi ſeptem dies. 1. quoad uſum Azymorum; 2. quoad oblationem ſacrificiorum eorundem, per ſingulos dies; *Num.* XXVIII. 24. *Inæquales*, quoad ſanctificationis modum; cùm *primâ* die & *ſeptimâ*, magnis diebus, abſtinendum eſſet ab omni opere ſervili, *Lev.* XXIII. 7. 8. non perindè quinque diebus cæteris. Finis inſtitutionis, præter rationem *hiſtoricam*, à feſtinato exitu, non unus fuit. 1. Ut memores eſſent panis *afflictionis*, quem comediſſent in Ægypto *Deut.* XVI. 3. *infermentato* pane duro & coctu difficili. Undè & herbæ *amaræ* comedendæ ſimul. 2. Ut memores forent divinæ *liberationis*; quemadmodùm & omnium Dei beneficiorum; & quidem per 7. dies, id eſt, totâ ſeptimanâ vitæ ipſorum. 3. Ut præfiguraretur panis afflictionis, & calix amaritudinis, ſeu paſſionis *Chriſti* Domini. 4. Etiam manducatio *carnis Chriſti*, qui verè panis infermentatus, expers corruptionis, *Joh.* VI. 54. 55. 56. 5. Ut intelligerent fugam *fermenti*, id eſt, malitiæ, corruptionis, faſtûs, acrimoniæ, maledicentiæ, &c. 1 *Cor.* V. 8. *Matth.* XV. 8. & quidem per *dies ſeptem*; quâ vitæ noſtræ tempus adumbratum. 6. Adde *primitias* frugum offerendas *ſecundâ* die azymorum, adumbraſſe Chriſtum; factum eâ die, quo tempore reſurrexit, *primitias mortuorum*, 1 *Cor.* XV. 20. Sed actum ab aliis non agimus; & de his pluribus *Moralia* noſtra in Exodum, & Leviticum.

Pentecoſtis. Feſtum *Pentecoſtis*, incidens ordinariè in diem VI. Menſis Siwan, ſeu L. diem à die *ſecundâ* azymorum, (non ut alii à die primâ,) ſeu à die XVI. menſis Niſan, quo primus *frugum* manipulus offerendus. Quâ de re ſuprà in Menſe Siwan, *Cap.* XII. Indè numerandæ erant ſeptem ſeptimanæ, ſeu ſeptem Sabbatha, ſeu dies 49. completi, & tùm *quinquageſimus* erat dies Feſti, *Lev.* XXIII. 15. 16. *Deut.* XVI. 9. ex praxi conſtante. Hinc Hebræis Feſtum *Sabbathorum*, ſeu *Septimanarum*, *Exod.* XXXIV. 22. quì aliàs & *primitiarum*, *Lev.* XXIII. 17. 20. nempè *panis novi*, & *fermentati*, agitandi coràm Deo, qui hinc *panis primitiarum*. Græcis dicta πεντηκοστή, quaſi dies *quinquageſima*. Atque ità in quam Feriam ſeptimanæ incidebat XVI. menſis Niſan; ſeu ſecundus Azymorum, in eandem incidebat ſemper Feſtum Pentecoſtis. Undè ſi hoc Feſtum, mox ab Aſcenſione Chriſti in Cœlum, incidit in diem (ut creditum hactenùs) *Dominicum*, quo & miſſus Spiritus S. in Apoſtolos, neceſſe eſt ut *ſecunda* Azymorum, undè VII. Sabbata numeranda, inciderit tùm in diem eundem, adeoque prima Azymorum in *Sabbatum*, quod hinc Sabbatum μέγα, non in diem *Veneris*, quo Chriſtus ſuffixus cruci. Qui nodus magnum Bochartum videtur premere, *Hierozoici* Lib. II. C. L. Ex Sabbatis verò intermediis, à ſecundâ die Azymorum numerandis, intelligi quid ſit Sabbatum δευτερόπρωτον, cenſuêre cum Scaligero Viri Eximii, & ipſe Lightfootius. Invitis tamen Petito, Grotio, Capello, Cloppenburgio, Lud. de Dieu, Criticis aliis, quorum ſententiæ aut de Sabbato *Pentecoſtali*, aut de *ſeptimo* Azymorum; aut de *Sabbato* ordinario, quod vel primum Azymorum exciperet, vel Neomeniam menſis, &c. ſunt ex eorum ſcriptis exploratæ. Magiſtris vocatur quoque hoc Feſtum עצרת ſeu Feſtum *convocationis*, & *interdicti*, qualiter *octava* dies Feſti Tabernaculorum, *Lev.* XXIII. 36. undè Genebrardus, *Octavam Pentecoſtis* ſolennem putavit, explodente Scaligero.

Ratio Inſtitutionis. Finis inſtitutionis, 1. Memoria *latæ Legis* in monte Sinai, quinquageſimo poſt egreſſum die. 2. Teſtatio gratitudinis pro feracitate terræ, & felici *meſſe*, & quietâ poſſeſſione Canaanis. 3. Præfiguratio miſſionis *Spiritûs S.* ἀπαρχῆς τοῦ πνεύματος, quæ poſt incidit in diem eundem, quo lata Lex fuerat, & per eam introductus *ſpiritus ſervitutis*; ut & *præfi-*

Digitized by Google

guratio primitiarum novæ Eccleſiæ, *Act.* II. & Apoſtolici miniſterii, & novi panis, quo paſcendi Judæi primùm, hinc Gentiles. 4. Figura *Sanctificationis* noſtræ, ſeu novitatis vitæ, novorum fructuum, quos operatur miſſio Spiritûs S. *notis* ex Paulo locis. Cætera de hoc Feſto ex *Lev.* XXIII. *Num.* XXVIII. apud Interpretes paſſim, & nos in *Moralibus* ad Leviticum.

Expiationum.

Feſtum *Kippurim*, ſeu *Expiationum*, Hebræis *dies* κατ' ἐξοχὴν appellandus, ex Titulo יומא, quem non unus in Eruditis illuſtravit, & in Anglis Rob. Sheringhamius, editis in eum Notis, Lond. 1648. Incidit in diem x. ſeptimi menſis Sacri, ſeu primi menſis Civilis Thiſri. Ratio nominis, & inſtitutionis, 1. Ex occaſione peccati filiorum Aaronis, *Lev.* XVI. 1. & ſeveriſſimi in eos judicii, undè lex de expiatione cùm Sacerdotum tùm Populi. 2. In memoriam Dei propitiati, ad interceſſionem Moſis, ergà Populum μοσχολατρείᾳ adoratione vituli aurei pollutum, *Exod.* XXXIV. 28. 3. In expiationem tùm peccati *primi*, quod multis creditur admiſſum die x. à creatione, tùm peccatorum *omnium* quibus ſeſe Iſraëlitæ toto anno inquinaſſent, *Levit.* XVI. 16. 21. 30. 34. Hinc reſpectu Populi propria erant huic feſto jejunium, & afflictio animarum, *Levit.* XV. 29. XXIII. 27. Undè & dictus dies jejunii, *Jer.* XXXVI. 6. & Joſepho, ac Talmudicis paſſim. 4. In præfigurationem *expiationis* per *Christum* faciendæ, ut fusè Theologi & Interpretes, præeunte Paulo *Hebr.* IX. X.

Ceremoniæ hujus Feſti principes.

Hinc reſpectu ſummi Sacerdotis propriæ quædam fuerunt Ceremoniæ, typicæ & figurativæ expiationis faciendæ per Chriſtum, ſummum Pontificem noſtrum. Tales, ex. gr. in *præparatione* Pontificis, de quâ Judæi multa tradunt, ſcil. ſequeſtrationem ad dies VII. plenam inſtructionem de ejus diei Ritibus, per Synedrii delegatos, noctem inſomnem Feſto præviam, &c. Tùm in *tempore* quo ingreſſurus fuit εἰς τὰ ἅγια, in Sanctuarium; in *veſtibus* quibus induendus; in *ablutione* præviâ carnis ſuæ, faciendâ in loco ſancto; in oblatione *duorum Hircorum*, tanquàm unius victimæ; in *mactatione* hirci unius & vituli; in accendendo *thymiamate* ex aromatis contritis; in *ingreſſu* in Sanctuarium, nec ſine *ſuffitu*; in *ſeptuplâ* adſperſione ſanguinis, *Orientem* verſus; in *Hirci* ἀποπομπαίῳ, tanquam ſacri καθάρματος, piacularis victimæ, quæ *ſors Azazelis*, לעזאזל, ſolemni emiſſione jactis ſortibus; in hujus, & vivi quidem in *deſertum* deductione, onuſti peccatis, reatu, maledictione populi; in *exutione* veſtium linearum, & priorum *aſſumptione*; in peragendis à Pontifice ritibus, *extrà caſtra*, &c.

Quæ omnia ad Chriſtum relata ſunt, *Eſai.* LIII. *Hebr.* IX. X. XIII. 13. 2. *Cor.* V. 21. &c. applicatione tum *myſticâ*, tum *morali*, apud Theologos obviâ. Nos hîc in Judæorum modò *tempora* inquirimus, reliqua in noſtris *Moralibus* ad Leviticum.

Ritus ex Tradit. Judæorum.

Ritus hujus Feſti pluribus deſcribunt Talmudiſtæ in יומא *Joma*, ſeu die Expiationis, ac prolixè Maimonides, in יד חזקה *Lib.* VIII. Tr. VIII. ubi de Ratione omni faciendi rem Divinam hoc die. In cujus deſcriptione ſunt Ritus plurimi ἄγραφοι, v. gr. circà præparandum Pontificem; circà ordinem faciendorum; prolationem Nominis יהוה; Hircos vittâ coccineâ alligandos; locum in quem alter mitteretur XC. ſtadiis ſeu XII. milliaribus ab Urbe diſtantem; deductionis modum, diſpoſitis in itinere tuguriis decem, ubi erant qui ductorem comitarentur; ità circà actiones Pontificis in Sancto Sanctorum peragendas; prævaricationes ejuſdem, quæ Sacra hæc irrita redderent; & quæ id genus plura ſunt. Ubique autem ſectati Judæi umbras, & corticem, & τὰ σαρκικὰ, corpore, medullâ, ſpiritualibus neglectis.

Tabernaculorum Feſtivitas.

VIII. Feſtum *Tabernaculorum*, incidens in diem XV. menſis Thiſri, & continuandum per VII. dies ad XXI. incluſivè, *Lev.* XXIII. 34. &c. Ratio nominis quidem, quia illis diebus Populus habitabat in Tabernaculis, de frondibus & ramis vel thyrſis ſpecioſarum arborum contextis, ſub dio, nec opertis aliundè; conſtruendis σκηνωαῖς in areis, in plateis, in ſummo ædium, in Atrio Sancto, *Neh.* VIII. 16. Hinc Græcis σκηνωποιΐα, σκηνωπηγία, non σκηνωφαγία ut quidam; ac *ſeptimus* dies dictus in ſpecie ἡ βαϊοφόρος ἡμέρα. Arbores adhibendæ in hunc uſum creditæ ſunt, cedrus, palma, myrtus, ſalices *Lev.* XXIII. 40. aut etiam loco cedri, olea, cupreſſus, pinus, hedera, arbores ſpecioſæ, ac ſemper virentes frondes.

Rationes inſtitutionis.

Rationes inſtitutionis partim *hiſtoricæ*, partim *myſticæ*, partim *morales* fuerunt. 1. In memoriam peregrinationis in deſerto, & habitationis in *tentoriis*. 2. In memoriam divinæ protectionis, Angelo Ductore, eos *tegente* tunc quaſi umbrâ ſuâ & nube. 3. In commendationem beneficii præſentis, ſeu *habitationis lætæ* in Terrâ Canaan, fructuum quorumcumque feraci, recens collectorum in anni Civilis fine, *Exod.* XXIII. 16. *Deut.* XVI. 13. 14. 4. In figuram hujuſce tranſeuntis vitæ, in quâ habitamus tanquàm in *deſerto* probationum, & tanquàm hoſpites in tranſitoriis *tabernaculis*, idque diebus *ſeptem*, quibus vitæ ſeptimana circumſcribitur. 5. In figuram Chriſti, qui per incarnationem ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, habitavit in carne, ut in *tabernaculo*, *Joh.* I. 14. Quomodò eodem Feſto dedicatum Templum Salomonis, 2 *Chron.* V. 3. quod fuit figura corporis Chriſti *Joh.* II. 19. 21. 6. In figuram *lætiorum* temporum ſub *N. Teſt.* veræ σκηνοπηγίας, *Zach.* XIV. 16. quæ inſtar Feſti perpetui, uberrimis jam Gratiæ fructibus; ſed ità ut hæc *Tentoria* ſint, in Mundi hoc *Deſerto*, comparatè ad Civitatem permanentem, ad Domum æternam in Cœlis, 2 *Cor.* V. 1. *Hebr.* XI. 13. 14. &c. Undè appellatum hoc Feſtum *lætitiæ Lev.* XXXIII. 40. productis & gaudio noctibus, atque acclamatum *Hoſchannah* quaſi הושיעה נא *ſalva quæſo*, ex *Pſ.* CXVIII. 25. quâ de acclamatione prolixè Interpretes. Sed & *palmis* manus ornatæ *Lev.* XXIII. 40. undè feſtum τῶν φοινίκων, in ſignum victoriæ, conſtantiæ, ſpei non fallacis, relatè ad beneficia quæ in Chriſto. De ritibus ac ceremoniis hujus Feſti plura ex Maimonide, & Hebræis Fagius, Buxtorfius, Godwinus, Lightfootius, Coccejus, &c. & qui de Feſtis, ac Republ. Hebræorum.

Feſti hujus collatio cum Bacchanalibus, apud Plutarch.

Abſurda porrò apud Plutarchum, Συμποσιακῶν *Lib.* IV. C. V. hujus Feſti collatio eſt, cum Bacchi ſacris, Semeles filii, ratione τοῦ καιροῦ καὶ τοῦ τρόπου *temporis*, *& modi*: Cujus ſolemni feſto fervente vindemiâ, Græci thyrſos geſtarent & palmites, tubas exiguas inflarent, citharis luderent, vino ſe ingurgitarent, acclamarent Ἐλελεῦ inter libandum, Pontifice mitrato, tintinnabulis ſtrepitum edentibus, &c. Hinc Feſtum Tabernaculorum non fuiſſe niſi βακχείαν, & θυρσοφορίαν. Imò Judæos *Bacchum* ſeu Διόνυσον Deum ſuum habuiſſe; hinc eſſe τῶν σαββάτων ἑορτὴν *Sabbatorum ferias*, quia Bacchos appellarent Σάββους *Sabbos*; hinc *mel* ſacrificiis non adhibuiſſe, ὅτι δοκεῖ φθείρειν τὸν οἶνον κεραννύμενον *quod mellis admixtione vinum corrumpi videatur.* Et quæ ibi plura Chæronenſis, pari abſurditate quâ illi *Aſinum* fuiſſe Judæis conſecratum. Huëtius contrà, *Propoſ.* IV. C. XI. putat Saturnalia, quibus Cereri & Baccho litarent, ex *Tabernaculorum* hoc feſto ortum habuiſſe; quemadmodùm & ex Saturnalibus quibuſdam Hebræorum, per *novem dies* agitari ſolitis, nempè initio *quinquageſimi* cujuslibet anni, qui Jubilæus erat, à I. Thiſri ad x. in quem incidebat Feſtum Expiationum. Scilicet ſic omnia ex Moſe

Digitized by Google

ſe derivaverit, ingenioſè tamen. Quomodò alius, Heinſius videlicet in *Ariſtar.* C. I. *Bacchum* à בכה derivandum cenſuit, quod eſt *lamentari*, & ſic veriùs in Bacchi Sacris expreſſiſſent Feſtum *Expiationum*; quæ quàm bellè Feſta convenerint, nemo non videt.

Convocationis.

IX. Feſtum *Convocationis* incidens in diem *octavum* à primo die σκηνοπηγίας *Lev.* XXIII. 36. *Num.* XXIX. 35. Thiſri XXII. Undè & ſæpè confunditur cum ultima die Feſti Tabernaculorum, hinc *octava ſcenopegiæ*. Aliis Feſtum vocatur *Collecta*, ut Latino, Toſtato, Lyræ, &c. Feſtum *Interdicti*, vel cohibitionis, ceſſationis ſcil. ab omni opere, *Lev.* XXIII. 36. *Num.* XXIX. 35. *Neh.* VIII. 19. Etiam *Exitus feſti*, clauſula quaſi; prout vox, עצרת, variè reddita, & à τοῖς LXX. ἐξόδιον; quod alii *exitum*, alii *egreſſionem*, quod Populus deberet tum domo egredi. Revera complementum quoddam fuit prioris Feſti, quo populus *convocatus* fuit ad Sanctuarium, *interdicto* omni opere ſervili; factâ etiam, ſecundum alios, *collectâ* pecuniarum, in fabricam & uſum Sanctuarii, hoc die qui ultimus feſtorum: Aut ſecundum alios, finitâ tum *collectione* frugum, undè חג האסף *feſtum collectionis*.

Specialia ejus Feſti.

Diſtinctio tamen quædam fuit à Feſto Tabernaculorum, dùm hâc die non ampliùs agerent in Tabernaculis, nec Ramos geſtarent. Specialia etiam fuêre, 1. *ſacrificia* eo die præſcripta, locis allegatis, & impetranda *benedictio* ac pluvia in ſementem mox ſecuturam. 2. Quod eadem die abſolverent, magno cum gaudio, ultimam ſectionem Legis, ſeu LII. primam inchoaturi ſequente Sabbatho, hinc dictus dies שמחת התורה *lætitia Legis*. 3. Quod, referentibus Talmudiſtis, ſolitus eſſet populus ea die magnâ ſolennitate haurire *aquam* è fonte Schiloah, & deferre ad Sacerdotes, effundendam ſuper altare cum *vino*, libaminis loco, abuſi etiam verbis *Eſai.* XII. 3. LV. I. 4. Quod item vocatus fuerit hic dies *Hoſhannah rabbah*, quaſi maximus dies Feſti, nempè ex æſtimatione Judæorum, & ita illuſtratur locus Johannis VII. 37. Ubi, 1. dies hic vocatur *magnus* dies Feſti, ut & dicebatur ultimus Azymorum. 2. Chriſtus alludens ad *aquas*, & cætera lætitiæ argumenta, ac deſiderium pluviæ in ſementem proximam, clamat, *ſi quis ſitit veniat ad me*; Quâ de re Buxtorfius in *Synag.* Lightfootius ad Johannem, Coccejus, Hammondus, & quicquid eſt Interpretum. Sed reverâ figuravit hic dies, magnam *convocationem ſanctorum* in Cœlis, ſeu Eccleſiæ triumphantis; poſt tranſactos *ſeptem dies* in Tabernaculis hujus vitæ, quæ conditio Eccleſiæ militantis.

Feſta Maxima tria, & quare?

Ex Superioribus Feſtis, tria erant quæ Judæi vocarunt κατ' ἐξοχὴν, שלש רגלים, *tres vices*, tria tempora, quæ etiam ſpecialiter recenſentur *Exod.* XXXIII. 14. *Deut.* XVI. 16. Nempe, 1. Feſtum *Paſchatis* & Azymorum. 2. Feſtum *Septimanarum* ſeu Pentecoſtis. 3. Feſtum *Tabernaculorum*, & *Convocationis*; Et obviæ ſunt rationes ſpeciales cur majora hæc Feſta dicerentur. Atque hinc conjectura Doctiſſ. Grotii, tria Sabbatha quæ hæc Feſta proximè contingerent, vocata Σάββατα πρῶτα, & ita feſtum Pentecoſtis vocari δευτερόπρωτον apud Lucam; meritò tamen caſtigante jam olim Lud. Capello, in *Examine* ſententiæ Grotianæ.

Feſta inſtituta à Judæis. Feſtum Purim.

Feſta alia leguntur in ſacrâ Hiſtoriâ, ſed inſtituta à Judæis, variis occaſionibus. In his fuêre 1. Feſtum פורים *Purim*, ſeu הגורל *ſortium*, κληρωτήρια, jactâ aleâ de perdendis Judæis, tali menſe & die; voce quidem priore peregrinâ & Perſicâ, redditâ Joſepho per φρουραίας ἡμέρας, quaſi פרורים, dies ſcilicet *conſervatorios*, ut Ruffinus reddidit *Antiqq.* Lib. XI. C. VI. Sed reverâ ſcripſit Joſephus φρουραίας ex *Phurim*, hinc *Phyræa*, addente de ſuo Interprete, præter textum Joſephi, *quaſi conſervatoria*. Incidit in diem XIV. & XV. menſis *Adar*, Δύστρῳ Syro-Maced. & Februario noſtro, ac præcipuè Martio reſpondentis. Continuatum idem toto *biduo*, & inſtitutum *Eſth.* IX. 20. 21. authore Mardochæo, vel ſecundùm Philonem, Joachimo Pontifice. Nota Schickardi hoc de Feſto Oratio, & quæ de eôdem ex Talmudicis alii, & ex praxi hodiernâ Judæorum, qui de eorundem Feſtis tradiderunt. Uſque adeo indulgebant genio, ut *inebriari* hoc Feſto tenerentur Judæi, ex Libro *Megillath Eſther*.

Feſtum Encæniorum.

II. Feſtum ἐγκαινίων חנוכה *Encæniorum*, ſeu *dedicationum*, *conſecrationum*, incidens in XXV. menſis noni *Caſleu* vel *Ciſleu*, reſpondentis ex parte Decembri noſtro, & continuatum per dies VIII. adeoque ſequente etiam menſe *Tebeth*. Auctor Feſti Judas Maccabæus, ut ex circumſtantiis liquet, non ut aliis creditum Nehemias, 1. *Macc.* IV. 59. Feſti mentio in N. Teſt. *Joh.* X. 22. hinc obvii ad eum locum Interpretes. Pluribus de *Encæniorum* ritibus apud Judæos, Græcos, Romanos, datâ operâ Joh. Seldenus, *de Synedriis Hebr.* Lib. III. Cap. XIII. & XIV. quem vide, ut Hoſpinianum, Gyraldum, & id genus Scriptores, mittam, qui de Gentilium Sacris, Templis, Conſecrationum ritibus.

Feſtum luminum.

Joſephus id vocat Feſtum *luminum*, τὰ φῶτα, ſeu τῆς λυχνοκαΐας, (quomodò olim ἡμέρα τῶν φώτων, *dies Baptiſmi*, poſteà τὰ ἅγια φῶτα τῶν Ἐπιφανιῶν, *dies Epiphaniæ*, tandem poſtridie Kalendas Februarii, *Cereorum* dies, qui & ὑπαπάντης vel *occurſûs* Simeonis, & καθαρισμοῦ Mariæ Virgin.) ſive ob lucernarum tùm accenſarum copiam, ſolſtitio brumali, ſive ob lucem quæ tùm Judæis divinitùs & inſperatò illuxit, *Antiq.* Lib. XII. C. XI. Plura habes ex Talmudicis, apud Buxtorf. *Synagog. Judæorum* C. XXVIII. Seldenum *de Synedriis* Lib. III. C. XIII. & qui de horum vel Republicâ, vel Feſtis. Sed & Feſto nomen apud Ægyptios fuiſſe Λυχνοκαΐης, *Lucernarum accenſionis*, noctu celebratum in honorem Minervæ, in urbe Saï, tum & totâ Ægypto, auctor eſt Herodotus, *Lib.* II. C. LXII. Quemadmodum & tria λαμπαδηφορίων *accenſarum Lampadum* feſta, Græci habuêre, *Panathenæa*, *Vulcanalia*, & *Prometheia*, ut ex Polemône Harpocration, in voce Λαμπάς.

Jejuniorum Tempora.

III. Jejunium menſis *quarti* ſeu תמוז Tammuz, *quinti* menſis ſeu אב Ab, *ſeptimi* ſeu תשרי Thiſri, & *decimi* ſeu טבת Tebeth, de quibus *Zach.* VIII. 19. De his Interpretes, & pluribus Buxtorfius, Seldenus, & alii, ac nuper Meyerus noſter de Feſtis.

Feſtum cæſi Nicanoris.

IV. Feſtum ob *caſum Nicanorem* Ducem, à Judâ Maccabæo, de quo 1. *Macc.* VII. 49. 2. *Macc.* XV. 37. Tempus indictionis dies XIII. Menſis Adar, ſeu ultimi menſis ſacri.

Feſtum ignis. Xylophoria.

V. *Feſtum ignis*, ſcilicet ignis ſacri inventi poſt reditum ex Captivitate, anteà occultati à Sacerdotibus, uti quidem refertur, II *Macc.* I. 18. 19. 20. Nec defuerunt aliæ ſolennitates, ſed non jugiter obſervatæ. Hujuſmodi inter cætera feſtum ξυλοφορίων, קרבן העצים, in memoriam ejus quod decretum *Neh.* X. 36. de lignis comportandis, ad fovendum ignem perpetuum in Altari. Cujus & Feſti meminit Joſephus in libris Ἁλώς. *Lib.* I. Cap. XVII. & Zacuthus in libro *Juchaſin*, incidens hunc juxtà, in diem X. menſis *Ab*, Scaligero autem in Elencho Trihær. in diem XXII. Petito invito in variis Lectionibus, *Lib. ultimo*. Ac præter ſolennia tempora *ordinaria*, habuere & *extraordinaria* Judæi, publicis in calamitatibus, belli, peſtis, &c.

Et feſtorum quidem dierum, quos cum lætitiâ celebrarent, ſed quæ in deſuetudinem abierunt, prolixum Indicem, ex antiquiſſimo Codice *Me-*

gillath.

Digitized by Google

gillath-Thaanith, ſecundùm ordinem Menſium, produxit Joh. Seldenus, de Synedr. *Lib.* III. C. XIII. à p. 235. incipiendo à menſe *Jiar*, qui à Niſan proximus fuit. Quæ videſis apud Doctiſſ. Scriptorem, & nuper ex Magiſtris illuſtrantem, Meyerum noſtrum, V. Cl.

Feſta à Judæis ad Chriſtianos tranſlata. A Judæis derivati ſunt in Chriſtianam Eccleſiam Feſti dies, non majores tantùm illi, ut *Paſchatis*, *Pentecoſtes*, ſed & Feſta Ἐγκαινίων *Dedicationum*; *Palmarum* ſeu *Hoſhanna*, tranſlatum hoc ad menſem Paſchalem; *Luminis* quale in Sabbato Paſchali; ſic *Jejuniorum* ſtati ac fixi dies, &c. De quibus nos in Eccleſiæ Hiſtoriâ, & qui de Chriſtianorum *Feſtis*, ſed & *Jejuniis*, ex profeſſo commentati ſunt, deque mutuatis Ritibus ex Diſciplinâ Judæorum.

Sic quum ſeptem Sabbatha à Judæis numerarentur inde à die II. Azymorum ad Pentecoſtem, pariter Græci *ſeptem* Dominicas pridem feſtas habuerunt: Quarum ſecunda, ſcil. à primâ Paſchali, eſt ἡ Κυριακὴ νέα vel καινὴ, vel τοῦ Θωμᾶ. Tertia, ἡ Κυριακὴ τῶν μυροφόρων γυναικῶν. Quarta τῆς μεσοπεντηκοστῆς. Quinta τῆς Σαμαρείτιδος. Sexta τοῦ τυφλοῦ, quam ſequitur Ἀνάληψις ſeu aſſumptio vel aſcenſio Servatoris; tum Dominica Septima, quæ τῶν ἁγίων Πατέρων ſcil. Nicænorum CCCXVIII. hinc Dominica ſequens *Pentecoſtalis*. Verùm de majoribus & minoribus Feſtis Chriſtianorum, eſt alibi dicendi locus. Unus *Paſchalis Cyclus* ad rationem temporum præcipuè ſpectat, de quo poſteà.

Tranſlatio Feſtorum. Feſtis Judaicis accidit *Tranſlatio Feſtorum*, cujus uſus in Hiſtoriâ & Chronologiâ Sacrâ. Et hujus tranſlationis auctor fuiſſe creditur R. *Eleazar*, vel *Eliezer*, ſub initia Templi II. ſi Magiſtris fides, annis antè Chriſtum natum circiter CCCL. certis *Canonibus* in hunc diem à Judæis obſervandis. Quos tamen Canones videndos apud Munſterum, Scaligerum, &c. Viri Magni Cloppenburgius, Coccejus, Bochartus, Lighfootius, Bucherius, alii, recentiores eſſe cenſent, ac poſt Talmudicum Opus confectos, ſecùs ſentiente nuper *Joh. Meyero*, Prof. Harderviceno, Diatribe de Origine & Cauſis Feſtorum, *Cap.* III. Igitur v. gr. Feſtum Clangoris Tubarum, ineunte anno civili, ſi incideret in אדו *Adu*, id eſt, feriam *primam* ſeu Solis, *quartam* Mercurii, aut *ſextam* Veneris, omninò transferebatur, ex cauſis mox indicandis. Ita Feſtum Paſchatis ſi incideret in בדו, ferias 2. 4. 6. atque ità ſi in feriam *ſextam* ſeu Veneris, transferebatur in ſequens *Sabbathum*; ut accidiſſe in ultimo Chriſti Paſchate, ex Doctiſſimorum quà Chronologorum quà Interpretum opinione, ſuprà monitum. Ita nec Pentecoſte unquàm גהז, id eſt, feriis 3. 5. 7. & qui id genus Canones plures ſunt.

Duplex illa. Tranſlatio illa Neomeniarum, ac Feſtorum, à die ex lege præſcriptâ in aliam diem, fuit duplex, alia *Lunaris* ſeu *Aſtronomica*, alia *Civilis* ſeu *Religioſa*, addit Scaliger, & rectè, *mixtam* ex utrâque.

Aſtronomica. *Lunaris* Tranſlatio vocatur, quâ ob ſeram apparitionem novæ Lunæ (puta ſi prima Lunæ φάσις vel character Thiſri, accideret vel momento poſt ſolem meridianum) transferebatur Feſtum Neomeniæ in Veſperam, ſeu diem ſequentem. Vocant tranſlationem *propter* יח *Jah*, ſeu *propter* XVIII. ſcil. horas, jam elapſas, antè verum characterem Thiſri. Ratio tranſlationis iſtius, ne Neomeniæ Feſtum celebraretur Lunâ veteri. Hæc denuò Lunaris tranſlatio, alia fuit juxtà *veram* novæ Lunæ apparitionem, quo tempore indicerentur Neomeniæ auctoritate Synedrii M. alia juxtà *putativam*, quum ſæpè fallerent obſervatores novæ Lunæ, & tardiùs obſervata eſſet prima φάσις ſeu apparitio; Vetere tamen Lunâ non extendendâ ultrà *trigeſimum* diem, qui & majoris certitudinis ergò ſacer habitus, ut & *ſequens*; Undè *triceſima Sabbatha* Judæorum memorat Horatius, ob duas Neomenias concurrentes, *Lib.* I. *Satyr.* IX. ſcil. ob continuatam Neomeniam ſeu τὴν τριακάδα, & poſt indictam φάσιν. Si verò accideret inſuper, ut *feria* ſequens, in quam transferenda Neomenia Thiſri, propter יח modò dictum, eſſet אדו feria 1. aut 4. aut 6. fiebat nova tranſlatio, puta à *primâ* feriâ ad *ſecundam*.

Politica. Et hæc *Politica* vel Religioſa Tranſlatio dicta, quandò ſeu ex ſuperſtitione quâdam, ſeu ob Sabbatum proximè ſequens, Feſtum transferebatur in illud ipſum Sabbatum, ne duo Sabbata continuarentur magnâ cum moleſtiâ, quod tamen ſemper vitari minimè potuit. Nam in illis, v. g. nec mortuos componi, ſepeliri, nec cibos apparari, nec lectos ſterni ægrotis, puerperis, nec infantum cunas purgari, nec ignem aut lucernas accendi, nec alia peragi Verpis fas erat, perneceſſaria ſæpè. Sic v. g. ſi Feſtum novi anni Civilis, (Clangoris tubarum) ſeu principium menſis Thiſri, incidere deberet eo anno in אדו, ſeu ferias 1. 4. 6. fiebat tranſlatio. Incidens enim v. gr. in diem *Veneris*, feriam VI. aut in diem *Solis*, feriam I. ni facta fuiſſet tranſlatio, duo Sabbata tunc illis fuiſſent continuata: Sic ſi idem Feſtum incidiſſet in diem *Mercurii*, tùm decimus poſt dies, quod erat Feſtum ſolemne Expiationum, incidiſſet in diem *Veneris*, & ità rursùs concurſus duorum Sabbatorum. Quanquàm vitari ſemper *concurſus* ille *Sabbatorum* non potuit, v. gr. in Feſto *Pentecoſtis*; nam ſi prima dies Azymorum incidiſſet in Sabbatum, hinc ſecunda Azymorum ſeu manipuli oblati, in feriam primam, in hanc neceſſariò & Pentecoſtalis dies. Ità pari ratione neceſſe fuit *ſeptimum Azymorum* incidere in diem Veneris, ſi primus cum Sabbato concurreret, & ſic rursùs duo Sabbata, ſeptimus Azymorum continuus cum ſequente Sabbato. Ac diſertè Abenezra de *Paſchate*, in *Levit.* XXIII. & Talmudici alii, potuiſſe XV. Niſan, ſeu primum diem Azymorum eſſe feriam 6. ſiquidem XVI. Niſan potuit eſſe *Sabbathum*, ſeu feria 7. Sed de his jam Viri Docti, quos compilare nihil attinet. Porrò ex hoc capite anni Civilis, ſeu *Neomeniâ* Thiſri, juxtà præfatos Canones, nunquàm incurrente in ferias אדו, ſequebatur feſtum *Tabernaculorum*, XV. Thiſri nunquàm in eaſdem incurrere. Hinc nec feſtum *Paſchatis*, ſeu XV. Niſan, incidebat in ferias בדו ſeu 2. 4. 6. adeoque nec *Pentecoſte* unquam in 3. 5. 7. addebat enim hoc unitatem ad feriam Paſchalem. Siquidem à Neomeniâ Niſan, ad Neomeniam Thiſri ſequentis ſemper dies 177. ſeu ultrà ſeptimanas XXV. dies II. Quo factum, ut ſi Niſan incideret in feriam 1. Thiſri incideret in 3. ſi Niſan in feriam 3. Thiſri in 5. ſi Niſan in 5. Thiſri in 7. ſi Niſan in 7. Thiſri in 2. Tranſlationum reliquos Canones, exhibent poſt Paul. Burgenſem, Paul. Foroſempronienſem, & ſi quos priores alios, Munſterus in *Kal. Hebr.* Hoſpinianus de *Origine Feſtorum*, Caſaubonus *Exercitat.* XIII. Scaliger de *Emend. Temp.* Lud. Capellus in Ἀνεκδότοις, Nic. Mulerus in Anno *Luna-Solari Judæorum*, Godwin in *Moſe & Aarone*, Langius *de Annis* Chriſti *Lib.* II. &c.

Conciliatio ἐναντιοφανῶν. Undè ſecundùm plurimos intelligitur, quâ ratione conciliari poſſint Euangeliſtæ, ex quibus Matthæus, Marcus, Lucas, dicunt Chriſtum comediſſe Paſcha, *primâ die* Azymorum, quâ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, adeoque in ipſo Feſto Paſchatis, hinc in ſpeciem ſimul cum Judæis; Johannes verò Chriſtum comediſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς, *antè Feſtum* Paſchatis, *Joh.* XII. 1. quo tempore adhuc emi poterant neceſſaria ad Feſtum, *Joh.* XIII. 29. *Chriſtum anticipaſſe Paſcha Pharizaicum.* Undè & dies paſſionis Dominicæ, poſtquàm jam Chriſtus comediſſet Paſcha, fuit dies παρασκευῆς, nec τοῦ σαββάτου tantùm, ſed τοῦ πάσχα ἐξόχως, præparatorius ad

ad *Paſcha*, ſive dies προεόρτιος, quem de ipſo Feſto die, eodemque *primo* & *magno*, violenter admodum etiam Cloppenburgius, & Bochartus, Viri Clariſſ. intelligendum cenſent, *Joh.* XIX. 14. Nec certè Judæi adhuc comederant idem *Paſcha*, *Joh.* XVIII. 28. quod de *Chagigâ Paſchali*, aut הפסחים *de ſacrificiis* toto feſto offerri ſolitis, coactè rursùm Viri magni. Non etiam crucifixuris Chriſtum Judæis, aut interdicta alia patraturis, reum ſiſtendo, producendo teſtes, deducendo ad Præſidem, hinc ad ſupplicium, ne dicam de Chriſti ſepulturâ, &c. ſolemni *die primo* Azymorum, planè ἀέργῳ, ex Lege, & ex confeſſis, *Matth.* XXVI. 5. Adde quæ jam ſuprà monebamus, de ratione anticipati à Chriſto Paſchatis, expreſſâ apud Matthæum, *Matth.* XXVI. 18. conferendum cum Lucæ *Cap.* XXII. 15. Quicquid igitur Græci veteres & novi, negaturi Chriſtum celebraſſe Paſcha Legale; quicquid Latini recentiores, quos inter Baronius, *Annal.* T. I. ad A. XXXIV. N. XXXIV. invitis Paulo Burgenſi, Foroſempronienſi, Onuphrio, Joh. Lucido, Dion. Petavio, &c. quicquid Scaliger in I. Edit. *de Emendatione Temp.* quicquid Hugo Grotius, quicquid nuper Viri alii ſummi, variè ſed & precariò excogitarint, tutiſſima conciliatio eſt ex præcedentibus obſervatis: Cumprimis de retardatis ſæpè Neomeniis, quæ ex Synedrii & Scribarum præſcripto indicerentur. Quanquàm facile damus, ſuprà dictos *Canones*, (quibus certæ *feriæ* rejicerentur in celebratione Feſtorum) ac ſcrupuloſum illum dierum delectum, in figendis Neomeniis, quæ ex *Molad Thiſri* ferè penderent, videri recentioris ævi, poſtquàm hæ nullâ ampliùs Synedrii auctoritate calarentur, & minutiis ac tricis implicaretur omnis Synagoga. Non igitur ad has *Calendarii Judaici* leges neceſſariò provocamus, aut ad vitatum Chriſti ætate concurſum Sabbatorum, qui concurſus ex variis Talmudis locis, Tract. *Succoth*, *Peſachim*, *Chagigah*, confirmari poteſt. Certum tamen & indubium 1. Celebraſſe Chriſtum ultimum ſuum Paſcha, verum illud ſanè & θύσιμον, (negante licet Grotio, vocanteque Paſcha μνημονευτικὸν *commemorativum*,) tempore ex Lege præſcripto, adeoque XIV. Neomeniâ Niſan, ſub veſperam, exeunte die Jovis, quum eſſet dies Veneris, juxtà id computum, & veram Lunæ ætatem, XV. Niſan, quo die crucifixus eſt. 2. Sed non minùs certum, ex dictis, Judæos haud celebraſſe ſolemne ſuum Paſcha eâdem die quâ Chriſtus, ἢ ἰδίᾳ θύσασθαι τὸ πάσχα, ſed tranſtuliſſe in diem ſequentem, ex Senatusconſulto, ſeu ab exitu diei *Jovis*, ad exitum *Veneris*.

Rationes translatæ à Jud. feriæ Paſchalis.

Sive jam ea tranſlatio *Lunaris* fuerit, quod ſeriùs obſervaſſent illo menſe apparitionem Lunæ, hinc ſeriùs indixiſſent civilem Neomeniam, quæ ſæpè à verâ Neomeniâ biduo, ſi non etiam triduo, aberraret: Sive quod qui dies jam XV. à φάσεως, מיום הראייה, quando Luna apparet corniculata, hinc omnes quidem celebrarent Feſtum juxtà φάσιν à Synedrio promulgatam, multi tamen etiam, certitudinis ergò, Paſcha manducarent die præcedente, certè *Carræi*: Sive quod Judæi olim *biduo* celebrarint ut Neomenias, hinc *triceſima Sabbata*, ſic Feſta maximè ſolemnia, ut fit hodie, & geminos dies appoſuerint ad quemvis Niſan, qualiter videre eſt in Tabulâ Periodi Jud. apud Bucherium, *de Cyclo Paſch. Jud.* Cap. IV. Tab. III. quam *geminationem* Neomeniæ Paſchalis, quo tempore Chriſtus paſſus eſt, ipſe adſtruxit Epiphanius, hinc & geminationem veſperæ Paſchalis *Lunâ* XIV. omni incertitudini removendæ; ut Chriſtus primam obſervarit, Judæi Hieroſolymitani ſecundam: Sive etiam, juxtà alios, quod per ea tempora Judæi obſervarent *Neomeniam* anni *Calippici* Syro-Macedonum, ſeriorem ex vitio ejus Cycli *uno die*, anno tum Calippico labente 362. Chriſtus verò obſervaverit *Neomeniam* anni *Naturalis*, ut poſt Marianam, & alios, Lydiatus de Emend. Temp. ad A. 4040. & Scaligeri ὑπερασπιστὴς contrà Petavium, Petitum, Reinh. Franckenbergerus, Wittenbergenſis; quâ de re nos infrà in Periodo Calippicâ: Sive quod tùm aliud Paſcha fuerit *populare*, tempore præſcripto ex Lege, quod uno die anteceſſerit, aliud *Pharizaïcum*, dilatum ex ſuperſtitione, longâ jam conſuetudine, quibus erat Luna XIV. quæ verè XV. ut Petavius ex Epiphanio; qui tamen Epiphanius craſſo errore cœnam Paſchal. Chriſti *biduo* anticipatam cenſuit, feriâ *tertiâ* ad veſperam, *Hær.* LI. Sive etiam hæc Tranſlatio *Politica* fuerit, ne concurrerent duo Sabbata, (qui tamen concurſus evitari perpetuò non potuit, ex antè monitis) nempè Sabbatum Veneris Paſchale, & ſequens mox hebdomadarium Sabbatum, ex mente Scaligeri, Caſauboni, & ſequacium. Optionem damus æquo Lectori; & plura de his qui volet conſulat Lud. Capellum, vel Coccejum noſtrum non uno loco, præter Viros non infimæ notæ modò laudatos.

CAPUT XVI.

De Annis Judæorum Sabbaticis, eorumque privilegiis ſingularibus, ſignificatione variâ, initio, hinc uſu Chronologico. De anno Jubilæo. An quinquageſimus quiſque, an ſepties ſeptimus? De primo Jubilæo, & hujus anni privilegiis; horumque rationibus Politicis, Myſticis, Moralibus.

HÆc de Feſtis Hebræorum *hebdomadariis*, *menſtruis*, *anniverſariis*. Sequuntur duo alii Chronici characteres apud Hebræos, ſeu duo Cycli inſignes, anni 1. *Sabbatici*. 2. *Jubilæi*.

Annus Sabbaticus, שבת, aliàs שמיטה, annus *Intermiſſionis*, *Remiſſionis*, vel *Dimiſſionis*, dicebatur *ſeptimus* quiſque, ut dies ſeptimus Sabbatum. Indicebatur ex præcepto Divino menſe ſacro ſeptimo ſeu *Thiſri*; erantque privilegia hæcce potiſſimùm:

I. Ἀγεωργησία, ſeu quies toto anno agris & vineis indulta, quod verò ſponte naſcebatur commune erat, *Ex.* XXIII. 10. Undè vocatur *Sabbatum terræ*, שבת שבתון *ceſſatio ceſſationis*, *Lev.* XXV. 4. 5. 6. Interdictum ergò arare, ſerere, plantare, metere, racemare, colligere, &c. Quare in Talmude habentur ut *rejectanei* הפסולין, ſi qui eſſent סוחרי שביעית *nundinatores fructuum anni ſeptimi*, pecuniâ datâ, Sanhedr. C. III. §. 3. *Sabbatici anni privilegia.*

Rationes erant 1. Ut Judæi à nimiâ terrenorum ſollicitudine abducerentur, æterni *Sabbati* memores, quod verè tempus remiſſionis, quietis, lætitiæ, ſpontanei proventûs, *Hebr.* IV. 9. quod etiam Judæi ex traditione Elianâ in *ſeptimum* millenarium rejecerunt. 2. Ut feracior quieſcens terra redderetur, ratione *œconomicâ*. 3. Ut eſſet Symbolum ceſſationis Divinæ à creatione, die ſeptimo, ratione *hiſtoricâ*. 4. Ut recrearentur pauperes, ſervi, peregrini, proventu terræ ſpontaneo, *Ex.* XXIII. 10. *Luc.* XXV. 6. ex ratione *Morali*. 5. Ut eâ ceſſatione à curâ βιωτικῶν *quieſcerent Jehovæ*, *Lev.* XXV. 2. beneficia prioris temporis recolerent, ac gratum Deo animum teſtarentur, *Morali* rursùm documento. 6. Ut præfiguraretur Sabbatiſmus Novi Teſt. quies ſpiritualis, per Chriſtum Eccleſiæ parta, ſeu à morſibus conſcientiæ, ſeu ab operibus peccati, ſeu etiam à jugo Legis carnalis, ratione *myſticâ* non unâ. Hinc annus acceptus Jehovæ, *Eſai.* LXI. 2. *Luc.* IV. 19. 2 *Cor.* VI. 2. totus feſtus animæ fideli. Cæteras quorundam alluſiones cujuſque ingenio & arbitrio permittimus. *Rationes quietis terræ.*

II. Remiſſio omnium debitorum, quæ ex mutuo

aut *vendito*, non autem ex *commodato*, quia commodatum non eſt debitum: Debita etiam intellige quæ contraxerant Judæi, non autem alienigenæ ſive peregrini, *Deut.* xv. 4. 9. 10. Figura rurſum remiſſionis debitorum in Chriſto, *Matt.* vi. 12. *Rom.* viii. 1. nec reſpectu omnium, ſed fidelium, veri Iſraëlis, *Act.* xx. 28. qui reverà ex ſe ſolvendo non ſunt.

III. Manumiſſio ſervorum Hebræorum, quorum nullus retineri poterat invitus, *Exod.* xxi. 2. Alienigenarum verò ſervitus perpetua, *Lev.* xxv. 44. Omnia cum relatione ad Chriſtum & annum libertatis, *Eſai.* lxi. 1. 2.

IV. Lectio Legis coràm toto Populo, in Feſto Tabernaculorum, *Deut.* xxxi. 10. Figura rurſus Chriſti Legem impleturi, hinc finis Legis, *Rom.* x. 4. eandemque indituri cordibus, *Jerem.* xxxi. 33.

V. Abundantia rerum omnium ad vitam, etiam ſine ſatione, culturâ, eaque ex præcedenti anno *ſexto*, feraci ad totum *triennium*, uſque ad perceptionem fructuum anni *octavi*, *Lev.* xxv. 21. 22. Ordinariâ nempè cœli beneficentiâ, ni fœdifragi evaderent, cœlo tùm non exauditura terram, nec terrâ frumentum, vinum, oleum. Typus (ut antè) æterni Sabbati, ubi panis ſine labore, *Sap.* xvi. 20. quemadmodum *ſex anni* figura hujus vitæ, quæ verè eſt tempus ſationis, id eſt, laboris ſudoriſque. Ad hæc, Communio omnium quæ ſponte proveniebant, *Ex.* xxiii. 10. figura communionis ejuſdem fidei, ſpiritûs, gratiæ, ſalutis inter fideles, nullo *pauperis* vel *peregrini* diſcrimine. Docti etiam omnes, quà divites quà pauperes, pendere à Dei providentiâ, hinc & Lege, à quo ſolo expectarent anxiè quæ in annos ſufficerent. Nec tamen par ſemper eo anno rerum omnium copia fuit. Quo factum ut Judæi ab Alexandro M. impetrarint, χρήσασθαι τοῖς πατρίοις νόμοις, *uti patriis Legibus*, καὶ τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι, *& ſeptimo quoque anno frui tributorum immunitate*, teſte Joſepho *Libro* xi. *Cap.* viii. Quæ tamen ab extraneis Regibus non ſemper indulta; undè ferant Regem Jannæum edixiſſe aliquando ut agri conſererentur *anno* vii. tributo pendendo.

Momentum horum annorum.

Hi autem Anni *Sabbatici*, numerandi ſeu ab anno primo *ingreſſus* in Terram promiſſionis, ſeu veriùs ab anno primo τῆς γεωργίας, poſt factam κληρουχίαν, quando agri coli cœpti, anno ab Exitu 47. Per. Judaïcæ 2310. Mundi juxtà hypotheſim Scaligeri 2499. A quo deinde annus *ſeptimus* fuerit Sabbaticus 1. Atque ità juxtà Scaligerum numerus annorum M. Cond. uſque ad Sabbaticum 1. hinc & Jubilæum 1. exactè dividitur per 7. & per 49. ut 1. annus *Mundi Cond.* fuerit 1. *primæ hebdomadis*, Cyclo ſolis 8. hinc annus 7. Cyclo 14. & ità porrò exactâ diſtributione. Fuit & ſententia Jac. Capelli & aliorum, qui annos Patriarcharum huic hypotheſi adaptant. Diſſentiente licet Petavio, aliam Mundi Cond. Epocham ſtatuente, aliam & Uſſerio Armachano, qui annum 1. τῆς γεωργίας, radicem annorum Sabbaticorum, refert in annum M. 2554. in Autumno: Qui per 7. diviſus relinquit 6. Hi verò anni Sabbatici cùm præcisè includant ſpatium 7. annorum; cum ſemper eodem modo decurrant, ſeptimo quoque anno (poſt primum) Sabbatico; cùm idem ſemper caput ſit in autumno, ut ſuprà; cùm hinc certæ illorum ſedes inveſtigari poſſint, *ſeptenariâ* diviſione; cùm Judæi eundem ordinem ſemper obſervarint, ſaltem in Faſtis notaverint annum quemque ſeptimum; merito etiam Chronologis ſunt quædam veluti ſtatuæ Mercuriales & certi characteres, ſeu in *anteriora* aſſurgendo, ſeu deſcendendo in *poſteriora* tempora. Quâ ratione fuêre Græcis ſuæ Olympiades, Romanis ſua Luſtra, Agones Capitolini, Indictiones, &c. Ità Mexicanis Periodi annorum 52. Sinenſibus Periodi annorum 60. Arabibus periodi *tricenariæ*, ſeu annorum 30. &c.

Porrò in Script. S. memorari annum Sabbaticum Scaliger quidem cenſet, *Ezechiæ* tempore. Nempè eum annum in quo debuerint comedi ſponte decidua, ſequenti verò ſponte naſcentia, tertio denique ſeri, *Eſaj.* xxxvii. 30. 2 *Reg.* xix. 29. Et hunc fuiſſe annum xiv. Ezechiæ ex 2 *Reg.* xviii. 13. Per. Jul. 4000. Diſſentit tamen Petavius qui conjecturam vocat, & Calviſius qui annum Ezechiæ xv. Sabbaticum facit. Ità annus *Excidii* Templi prioris, qui Scaligero eſt Mundi 3360. omninò *ſeptimus* eſt in Cyclo Sabbatico, ut *ex diviſione conſtat*, hinc annus דרור *libertatis*, *Jerem.* xxxiv. 8. idemque Zedekiæ xi. cujus annus 1. congruit anno 4. Cycli Sabbatici, ut ingenioſè Scaliger, ex perplexo loco *Jerem.* xxviii. 1. Aut in Cyclo Jubilæo, dividendo per 49. fuit annus Sabbat. 4. Jubilæi decimi-octavi. Sed & annus Sabbaticus is fuit quò exceſſit Antiochus Epiphanes, & quo Eupator Hieroſolymam obſidione cinxit, 1 *Macc.* vi. 49. 53. concurrens cum Anno Græcorum cxlix. ab Autumno inchoando, Per. Jul. 4551. A. *Mundi Cond.* juxtà Doctiſſ. Chronologos 3787. ut hi per 7. diviſi relinquant *ſeptenarium*, ſed hypotheſi dubiâ. Idem Petavius obſervat de anno quo Hieroſolyma ab Herode & Soſiâ capta fuit, A. P. Jul. 4677. numerando ab Autumno præcedente, ex Joſepho *Lib.* xiv. C. xxviii. Quem Chronologum vide.

Annus Jubilæus undè?

Annus Jubilæus, aliàs annus *Reſtitutionis*, fuit *quinquageſimus* quiſque, ut dicitur *Lev.* xxv. 10. 11. Ita dictus (quicquid alii aliter) vel à *Jubal* primo inventore Muſices, *Gen.* iv. 21. undè *jobel*, & *jubilandi* voces; vel à cornu יובל *jobel*, *Exod.* xix. 13. *Joſ.* vi. 5. 6. ſeu cornu arietinum fuerit, ſeu (ut Bochartus) bubulum, quod tùm, Jubilæo ineunte, toto Iſraële reſonabat; vel denique ab הוביל quod eſt *reducere*, quia is annus *reductionis* tùm ſervorum, tùm poſſeſſionum, ad priſtinos dominos. Incipiebat *decimo* die menſis *Thiſri*, ipſo die Expiationum, *Lev.* xxv. 8. quo proclamabatur, primoſque dies *novem* ſpe libertatis, feſtos agebant ſervi.

Quotus præcisè annus?

Dubium verò, nùm annus Jubilæus eſſet *quinquageſimus* quiſque *incluſivè*, an verò *excluſivè*? Sive an celebraretur quolibet anno xlix. qui idem *ſeptimus* hebdomadis *ſeptimæ*, ut novus Cyclus inchoaretur anno l. terminandus anno poſt xlix. Sabbatico xiv. utroque Jubilæo efficiente *Cyclum annorum* xcviii. An verò quolibet celebratus anno l. Pro priori ſententiâ pugnant Joſ. Scaliger, Ph. Lansbergius, Dion. Petavius, S. Calviſius, Jac. Capellus, Jac. Uſſerius, Eruditi alii. Poſteriorem amplexi Patrum plurimi, dein Toſtatus, Torniellus, ac plerique Romanenſium. Sed & hi rurſùm euntes in diverſa. Nam illi quidem novum Jubilæi Cyclum incepiſſe demùm anno li. ut ſecundus terminaretur anno c. alii incepiſſe *quidem* anno l. qui & primus novæ hebdomadis; ſed ità ut non indè *quadrageſimus nonus*, ſed l. eſſet denuò Jubilæus, adeoque annus à Sabbatico primo xcix. contendente hoc multis Wilhelmo Langio, *de Annis Chriſti* Lib. 1. C. xi. Jac. Capellus verò ad A. M. 2542. Tornielli quinque errores coarguit: 1. Quod Jubilæos à *tranſitu* Jordanis inchoandos cenſeat. 2. Quod definiat ſpatio *quinquaginta annorum*. 3. Quod velit annis 350. convenire 56. *Sabbatiſmos*. 4. Quod neget obſervatos fuiſſe etiam *antè* Captivitat. Babylonicam. 5. Quod à *verno*, non *autumnali* tempore, eoſdem ordiatur.

Nobis quidem indubium eſt, veriſſimam eſſe ſententiam Scaligeri, J. Capelli, Petavii, & ὁμοψήφων. Ac rationes hæ cuivis ſuffecerint:

Fuiſſe annum quemvis xlix.

1. Quia diſertè definitur ſpatium anni Jubilæi, ſeu

Digitized by Google

ſeu Cyclus ille, *per ſeptem Sabbata annorum*, ſive annos ſolidos XLIX. *Lev.* XXV. 8. Quod verò annus *quinquageſimus* dicitur Jubilæus eſſe, paulo inferius explicatur. Gratis verò Doctiſſ. Langius, juberi ut numerentur *anni* XLIX. *cum quinquageſimo ſolemni*, quod παρείσακτον. Alia ratio Feſti Pentecoſtalis, celebrandi *quinquageſimo* die à II. Azymorum, poſt exactas *ſeptimanas ſeptem*; ſiquidem additur expreſsè עד ממחר *uſque ad poſterum diem*, ſeu *quinquageſimum*, quo data Lex fuerat, & qui demùm feſtus eſſe debuit.

2. Quia ut annus Sabbaticus fuit *ſeptimus* quiſque, ſic Jubilæus, Sabbatico reſpondens, annus quiſque *ſepties ſeptimus*, ſed hoc ſolemnior, quod is hebdomadas ſeptem clauderet.

3. Quia aliàs turbatur ordo annorum Sabbaticorum, & numerus ſeptenarius, ſiquidem poſt annum XLIX. interſeratur annus *quinquageſimus*, tanquàm *Jubilæus*, & hoc exacto, rursùs inchoentur anni Sabbatici. Quod nec factum eſſe fatetur Torniellus; undè ſequeretur inter annum Sabbaticum & Jubilæum modò annum *unum*, aut *duos*, aut *tres* ad agriculturam interfuiſſe. Sed nec feliciùs annus Jubilæus dicetur fuiſſe unus ex *ſex annis* præcedentibus Sabbaticum, ſeu primus hebdomadis ſequentis, quæ Langii prolixa aſſertio eſt. Atque ità non *ſex annis* potuiſſent agri conſeri, ſecundùm Legem, *Lev.* XXV. 3. ſed quinque tantùm: Neque *ſex annis* ſerviendum tunc fuiſſet ſervo Hebræo, ex Lege, *Deut.* XV. 12. ſed quinque modò annis; ut mittamus alia.

4. Quia aliàs Terra quieviſſet duobus annis continuis, anno nempe XLIX. utpotè Sabbatico, & anno L. ſequente utpotè Jubilæo, rursùm ex Lege, *Lev.* XXV. 11. Sed hoc abſurdum, & obnoxium nimiis incommodis, de quo etiam nulla mentio, veſtigium nullum in Textu ſacro. Utque alia taceantur, haberetur ſanè benedictio ſingularis anni XLVIII. in tres annos ſequentes, ob *biennium* integrum *ceſſationis*, quæ nulla legitur. Et fruſtrà Langius huc trahit verba de proventu *in annos ternos*, *Lev.* XXV. 21. quæ disertè ad quemvis annum *ſextum* referuntur, incluſo nempè anno ſexto, ſeptimo, & octavo uſque ad tempus collectionis frugum, ineunte nono.

5. Quia ut Deus quievit *die ſeptimo*, ita *ſeptimum diem* quieti hominis deſtinavit, eundemque quieti Chriſti in ſepulchro; rursùs *ſeptimum menſem* ſacrum perpetuis Feſtis; *ſeptimum annum* agrorum quieti; *ſepties ſeptimum annum* eidem quieti, & reſtitutioni rerum alienatarum, & hoc quidem in *menſe* VII. Pariter *ſeptenarium* eum annorum numerum, & ſingularem ejus rationem, videmus in duobus ſeptenariis ſervitutis Jacobi; duobus ſeptenariis fertilitatis & ſterilitatis in Ægypto; decem ſeptenariis Captivitatis Babylonicæ; LXX. hebdomadibus annorum, *Dan.* IX. &c. Ne dicam *ſeptenarii* numeri rationem in Feſtis Azymorum, Pentecoſtis, Tabernaculorum, *Lev.* XXIII. 3. 6. 15. 34. ſic in Conſecrationibus, Purificationibus, Adſperſionibus, ſacrificiis variis, &c. Ejuſdem numeri myſteria in *Apocalypſeôs* Libro, Interpretibus relinquimus.

6. Quia opinio illa, de Jubilæo anno quovis *quinquageſimo* incluſivè celebrato, ſi non nata, certè hoc fortiùs Romæ adſtructa videtur, ex Jubilæo Pontificiorum: Quorum primum inſtituit Bonifacius VIII. A. C. 1300. ſecundum Clemens VI. A. C. 1350. tertio Jubilæo reducto ad annos XXV. à Sixto IV. Pontifice. De quo in Hiſt. Eccleſ. N. T.

Quomodò is annus quinquageſimus?

7. Quia nihil obſtat Jubilæum dici celebrandum anno *quinquageſimo*, *Lev.* XXV. 10. Ratio eſt, quia ab uno Jubilæo ad alterum ſunt anni *quinquaginta*, incluſo utroque termino. Præterea nihil uſitatius quam ut certi dies, anni, menſes, numerentur, modò *incluſivè*, modò *excluſivè*. Solet etiam Scriptura uti numeris rotundis quamvis aliquid deficiat, & inchoatos annos numerare pro abſolutis: Sic apud Latinos *octiduum* ſeptem dies; apud Græcos, πενταετηρὶς Olympias, ſeu *quinquennis*, licet non niſi annos quatuor ſolidos complexa. Sic *quintus* annus *Biſſextilis* dicitur, qui tamen reverâ quartus quiſque eſt. Sic Indictiones ſpatium annorum *ſedecim* apud Scriptores, quia tot anni ſunt, ab Indictione ad Indictionem, revera ſpatium *decem* & *quinque* annorum.

8. Quia probat idem *Kalendarium Hebræorum* adornatum circà tempora Conſtantini M. In quo ab Æra mundi, abjectis omnibus ſeptenariis, docetur quotus annus agatur à proximo Sabbatico. Non ergò turbari ille ordo potuit per annum quemque *quinquageſimum* interſerendum, poſt ſeptem annos Sabbaticos. Et indè quoque patet, ex dato primo anno *Sabbatico*, de quo dictum modò fuit, intelligi primum *Jubilæum*, A. Per. Jul. 3276. ab Autumno. Scaligero eſt Mundi 2548. Petavio 2546. qui pariter interpretatur *primum Jubilæum*. Tabulam omnium Jubilæorum à *primo* ad *ultimum*, qui fuerit annus Æræ Chriſt. LXVIII. Jubilæus XXXI. exhibet Scaliger *Canonum Iſagog.* Lib. III. p. 195. Quanquàm recentiores Judæi, poſt Majemonidem, uti Sal. Jarchi, cæteri, (quibus pridem ceſſatum obſervare Jubilæos) in annum *quinquageſimum* collocent. Quem errorem erravit quoque Euſebius in *Chronico*, & poſt eum Hieronymus, alii benè multi, qui numero vincunt, ac Jubilæum definiunt annis ſolidis L. In iis certè præter Pontificios ferè omnes, Petavio excepto, in noſtris quoque Hoſpinianus, Bucholcerus, Broughtonus, Willetus, &c. ac Commentatores plerique in Leviticum, Judæi etiam communiter.

Privilegia anni Jubilæi. *Communia.* *Propria.*

Privilegia anni Jubilæi duplicis fuêre generis, alia *communia* cum anno Sabbatico, uti quies Terræ, Remiſſio debitorum, Manumiſſio ſervorum; alia verò huic anno *propria*: In his fuêre:

1. *Manumiſſio ſervorum omnium*, ex Hebræis ſcilicet, *Lev.* XXV. 40. qui detenti anno Sabbatico fuerant, *Exod.* XXI. 6. *Jerem.* XXXIV. 8. 9. aut detenti ex defectu λύτρȣ, *Lev.* XXV. 48. 49. 54. Non tamen manumiſſio facinoroſorum, vel exulum, quorum illi ex Lege puniendi, hi in Iſraële nulli erant.

2. *Reditus avitarum poſſeſſionum*, quæ venditæ & alienatæ fuerant, ad hæredes priſtinos & legitimos, iſque ſine pretio & compenſatione ullâ: Undè vendebantur agri & vineæ cò auctiori pretio, quô ab anno Jubilæo plus diſtarent, & viceverſâ, *Lev.* XXV. 14. &c. Alia tamen ratio *domuum* intrà Civitatum mœnia, verſ. 30. & agrorum *interdicti*.

3. *Clangor tubarum* per totum Iſraëlem, indè à X. die menſis ſeptimi, ipſo Expiationum die, *Levit.* XXV. 9. A quo *jubilationis* ritu, ſeu clangoris, *Jubilæo* præcipuè nomen.

Rationes hiſtoricæ.

Rationes quidem aliæ fuerunt *Hiſtoricæ* & *Politicæ*, aliæ *Myſticæ*, aliæ etiam *Morales*. Illæ, ne confunderentur *Tribus* & *Familiæ*, ſucceſſu temporum: Ne etiam opulentiores prædia omnia, & alienas poſſeſſiones, ſenſim invaderent, deſtituendis tandem egenis, ut portione in Iſraële, ſic deſiderio ejus Terræ. Hinc *reditus* ille tùm poſſeſſionum ad priſtinos in quaque Tribu Dominos, tùm ſervorum ad familias cujuſque ſuas, & ſic verè annus המוביל *reducentis*. Idcircò autem diſtinctas manere Tribus ac Familias intererat, ut Meſſiæ venturi cùm *Tribus*, tùm *Familia*, illa ex Judâ, hæc ex Davide, ſuo tempore conſtaret. Ità etiam cautum tranquillitati Reip. Iſraëliticæ, reditu *ſervorum* in ſtatum liberum, & in avitas poſſeſſiones. Nam nihil magis poteſt turbare Remp. quàm numerus & copia *ſervorum*, & inopia quæ homines liberos in *ſervitute detinet*. Hinc Bellum ſervile natum, quod olim Populum Rom. vehementer afflixit.

Myſticæ. Myſticæ Rationes, aliæ figurativæ Liberationis per *Chriſtum*, aliæ *Æterni Jubilæi*. Prioris imago, dùm 1. Per Chriſtum plenaria manumiſſio, ex ſpirituali ſervitute, mortis, peccati, anno verè Jubilæo *Eſai.* LXI. 2. LXIII. 4. *Luc.* IV. 18. 2. Per eundem reditus ad Regnum cœlorum, tanquàm ad avitam poſſeſſionem, *Luc.* XXIII. 43. Reditus ad Deum ut Patrem noſtrum, *Joh.* XIV. 6. *Eph.* III. 15. inſtar prodigi redeuntis ad Patrem propitiatum, *Luc.* XV. 3. Per eundem jus filiorum Dei agentium in terris, licet de facto nondùm ſint immiſſi in poſſeſſionem, hæredes tamen, *Rom.* VIII. 17. ut hæreditas alienari non poſſit, *Rom.* VIII. 38. 39. 4. Clangor ſub eodem Tubæ Euangelicæ, velut Cornu arietini, per Orbem Univerſum, miniſtris Apoſtolis, *Matth.* XXVIII. 19. *Zach.* IX. 9. 14. *Rom.* X. 18. 5. Ut clangor ille non antè feſtum Expiationis, & afflictionem animarum, ſic omnia iſta beneficia fundata in expiatione per Chriſtum, *Rom.* III. 24. 25. *Heb.* II. 14. 15. requiſitâ ſimul maceratione ac contritione cordium, *Eſ.* LXI. 1. *Luc.* IV. 18. *Act.* II. 37. &c. 6. In eo quoque typus perſeverantiæ fidelium, qui licet aliquo modo venditi ſub peccatum, *Rom.* VII. 14. non tamen omninò venditi, & certa illis prolapſis ſpes reſtitutionis, dùm dona Dei ἀμεταμέλητα, & vocatio, *Rom.* XI. 29. Sed hæc aliò ſpectant.

Poſterioris imago fuit Jubilæus, ſi ſpectentur 1. Futurus clangor Tubarum, ineunte æterno Jubilæo, 1 *Cor.* XV. 52. 1 *Theſſ.* IV. 25. 2. Futura in Cœlis vacatio à laboribus mercenariis, à ſervitute omni, *Ap.* XIV. 13. 3. Futurus reditus ad primam poſſeſſionem, quâ ejecti per peccatum, quæ deinceps non poſſit alienari. 4. Futura ceſſatio omnium debitorum, hinc anxietatis omnis ex debitis. 5. Perpetua item Jubilatio, exultatio, *Eſai.* LXVI. *Zach.* IX. 9. *Pſ.* LXXXIX. 15. 6. Tollenda tandem diſtinctio ſervorum & Dominorum, *Col.* III. 24. unâ omnium gloriâ, uno denario, *Matth.* XX. 9. 10. &c.

Morales. Mittimus verò *officia moralia*, omnibus illis, velut picturis & imaginibus, adumbrata. Qualia fuere v. gr. ſublevatio ac conſolatio pauperum, *Lev.* XXV. 35. 36. 36. 37. redemptio captivorum, aut gementium ſub gravi jugo: Fuga uſurarum mordentium & enecantium pauperem: Offenſarum remiſſio: Cohibitio avaritiæ, ac cupiditatis nimiæ terrenorum: Fiducia in proviſorem Deum, à quo ubertas agris; & recordatio diutina beneficiorum: Ἐπιείκεια in ſervos, in domeſticos, quibus & ſua quies ac remiſſio indulgenda, *Lev.* XXV. 39. 43. Cogitatio poſſideri noſtra ad tempus, peregrinos nos his in terris eſſe, *Lev.* XXV. 23. 24. nec permanentem hìc nobis Civitatem: Officium maturandæ pœnitentiæ, ſignificatum in negato reditu ad venditas domos, intra Civitates munitas, niſi *intrà annum* à venditione redimerentur, *Lev.* XXV. 29. 30. Et quæ plura id genus officia ſubindicavit Legiſlator. Atque hæc de Judaicis & ſacris Temporum *characteribus*.

CAPUT XVII.

De Characteribus Temporum Civilibus, apud Græcos præcipuè & Romanos. Lycæa. Eleuſinia. Panathenæa. Olympia. Pythia. Iſthmia. Nemæa. Singulorum Epochæ obſervatæ. Ludi ſeculares Romanor. Singulorum intervalla à primis Ludis; Rationes intervallorum datæ. Ludi alii in Faſtos relati. Luſtrum Romanorum unde? Julianum Scaligeri.

SUnt & Notæ Chronicæ, ac quidam Temporum characteres, Euſebio in Chronico, Marmoribus antiquis, Hiſtoricis Græcis ac Latinis, ſignati, nempè *Agones* vel *Ludi*, publicâ auctoritate ſeu in Græciâ, ſeu in Latio inſtituti: Tertulliano quidem, Libro *de Spectaculis*, C. V. *Ludos* derivante à *Lydiis* vel *Lydis*, ex Aſiâ in Hetruriam delatis duce Tyrrheno.

In *Græcorum* Agonibus vel Certaminibus aut Ludis Gymnicis, vetuſtiſſimus putatur Joſ. Scaligero *Agon Lyciorum*, τ̃ Λυκίων habet Chronicon Euſebianum, *Num.* DCCCLXXVI. reliqui ex Pindaro, Pauſaniâ, Strabone, &c. τ̃ Λυκαίων. *Lycæa* nempè, ſive *Lupercalia* ſacra, in Arcadiâ primùm à Lycaone inſtituta, Pelaſgi primi Arcadum Regis filio, qui Jovem Lycæum in Lycæis Arcadiæ montibus humanis ſacrificiis coluit, interdictâ poſt à Lycurgo Lacedæmonio immanitate: Undè fabula, Jovi epulas ex humanis carnibus appoſuiſſe Lycaonem, hinc convertendum in *Lupum*. Horum duplex Epocha: Vel à primâ inſtitutione, de quâ Scaliger, *diluvio antiquiora ſunt Lycæa*, Deucalionio ſcilicet, dùm Lycaonem annis 150. Cecrope antiquiorem faciunt: Vel ab inſtauratione horum ſacrorum, quam ad Heli tempora retulit Euſebius, poſt Trojæ Excidium; Marmora verò ad tempus Pandionis II. poſt Cecropem II. in Atticâ regnantis, paulo antè Ægeum filium, & Herculem myſteriis initiandum, ſub initia ferè Ehudi Judicis, toto circiter ſeculo antè Excidium Trojæ. *Lycæa.*

Agon gymnicus ἐν Ἐλευσῖνι, ſeu in *Eleuſinâ* urbe, (ab Ogyge olim conditâ, & poſt Athenas maximâ) inſtitutus, refertur in Chron. Marmoreo, *Ep.* XVII. & in Chron. Euſebiano, ad tempus ejuſdem *Pandionis* II. regis Athenis regnantis. Nec confundenda *Sacra* Eleuſinia, cùm majora, τελεταὶ, tùm minora, dicta μυστήρια *initia*, προκάθαρσις quædam majorum, inſtituta ſub Erechthæo Pandionis I. filio, cum *Agone* gymnico Eleuſinio, qui celebratus primùm dicitur, ad majorem ſolennitatem, ſub altero Pandione. Et indicta hæc feſtivitas in memoriam ſationis frugum, & in honorem Cereris, ſeu Iſidis Ægyptiæ, cujus beneficio fruges ex Ægypto per Triptolemum fuiſſent advectæ, in ſummâ Atticæ penuriâ. Certamen verò celebratum VII. feſti die, poſt vires jam acquiſitas ex conſumptis frugibus, conſtituto ex his ipſis *hordeo* in Victoriæ præmium. Sed de Sacris Eleuſiniis, deque Fabulæ origine, non hìc eſt diſſertandi locus. Nos tempora attendimus. Vide & Marshami Canonem, *Lib.* II. *Eleuſinia.*

Agon Panathenaicus, Ἀθήναια primùm, dein Παναθήναια, quorum etiam meminit poſt Euſebium in *Chron.* Auguſtinus Lib. XVIII. *de Civ. Dei*, Cap. XII. Ludi fuère totâ deinceps Atticâ Minervæ ſacri, iidemque ex Ægypto tranſlati in Græciam, inſtituto *Quadrigarum* certamine, unde Ludi Curules. Sive jam ab Hellene Deucalionis filio primùm inventi; ſive ab Erichtonio Athenienſium Rege, Vulcani & Minervæ ſed tamen *terræ filio*, inſtituti, ut Marmora *Epochâ* X. Virgilius, Hyginus, & Veterum plurimi. Regnare cœpit Erichtonius, pulſo Amphictyone, juxtà Euſebium Anno ab Exitu XXV. Sed Theſeus, coactis in unam Urbem Atticæ populis, Ludos inſtauravit, ut commune omnium feſtum, undè Theſeo tributa hæc Παναθήναια, ut & Iſthmica certamina, ex Plutarcho in *Theſeo*, Pauſania in *Arcadicis*. Sic Epocha inibit Regni Theſei anno II. antè Excidium Trojæ, annis L. Per. Jul. 3463. juxtà Canonem Chronicon Seldeno tributum. Euſebius refert ad Tholæ Judicis tempora. Poſteà verò præter hoſce Ludos *annuos*, die XX. Thargelionis, ſeu Majo menſe, inſtituti πενταετηρικοὶ *quinquennales* alii, anno III. Olympiadis, die autem XXV. Hecatombæonis, id eſt, Julio: Et in iis certamina Equeſtria, Gymnica, Muſica, hique Agones *Panathenæa.*

μεγά-

μεγάλοι, & *ςεφανῖ*), ſed *recentioris* ævi, quâ de re Scaliger ad Euſebium, *Num.* MCCCLII. & Marshamus, Lydiatus, Prideauxius ad Chron. Marmor. alii.

Sed præter hos Agonas notiſſimi quatuor in Græciâ vetere, *οἱ μέγιςοι ϗ λαμπρότατοι*, iidemque *ςεφανῖται coronarii*, *κύκλος ϗ περίοδος ἀγώνων*, ſcilicet Ludi *Olympici* Elienſium, *Pythii* Delphenſium, *Iſthmii* Corinthiorum, *Nemai* Argivorum, quos cecinit Lyricorum princeps.

Olympici agones. *Olympici* quidem primùm inſtituti, in honorem Jovis Olympii, à *Pelope* Tantali filio, qui ex Phrygiâ cum magnis opibus in Græciam delatus, Piſæis & Olympiis Elide imperavit, & à quo toti Peninſulæ nomen datum *Peloponneſi*. Relatus à Clem. Alexandrino, Tatiano, Euſebio, ad Ehudi Judicis ferè initia; ex quo ſcilicet Atreus avus Agamemnonis & Menelai. Ludos porrò Olympicos inſtauravit, in honorem Pelopis, *Hercules* non Idæus ille, nec Tyrius, nec Ægyptius, ſed Græcus, Alcmenis filius, omnium Agonum victor, annis antè primam Olympiadem Iphiteam, ut Marmora docent, circiter 475. antè Excidium Trojæ, ferè 44. paulo antè Judicaturam Gedeonis, Scaligero & Petavio ſeriorem paulo Epocham conſtituentibus, poſt Euſebium, qui ad A. XIV. Jairi, Num. DCCCXII. Tandem poſt longam intermiſſionem reſtituendi Agones ab *Iphito* Elienſi, in honorem Herculis, ad Olympiam urbem, dubium tamen tempus. Iphitum enim Lycurgo æqualem faciunt, Ariſtoteles, Pauſanias, alii, Plutarcho ipſo teſte, undè anterior longè Olympias Iphitea fuerit Ærâ vulgari. Quanquam nec certum Lycurgi tempus. Vulgaris autem *Olympias prima*, in quâ Corœbus Eleus ſtadium vicit, (*Iphitea* prima, quia indè *Tetraëterides* Iphiteæ in putandis temporibus totâ Græciâ uſu receptæ) concurrit cum Anno Per. Jul. 3938. annis poſt Excidium Trojæ 404. Azariâ dudum in Judâ regnante, quâ de re poſtcà ubi de *Æris* nobilioribus. Porrò inſtitutum ab Iphito certamen *curſûs*, *δρόμος*, hinc *ςαδιοδρόμος*, qui ſi curſum iterarent *δίαυλοι*, & *δολιχοδρόμοι* ſi ſexies repeterent. Dein ſucceſſit *πένταθλον*, *quinquertium*, cui præerant Hellanodicæ, & Agonothetæ, *ſaltus*, *curſus*, *diſcus*, *jaculum*, *lucta*; quæ poſterior, ſimpliciſſimum & antiquiſſimum palæſtræ genus, ſi cum *pugilatu* conjuncta, ut pugnis & calcibus & toto corpore certaretur, *παγκράτιον* appellata, unde *pancratiaſtæ*, & *πάμμαχοι*. Sed quod hujus loci eſt fixus Agon Olympicus in Lunam XI. poſt *τροπὰς θερινὰς*, uſque ad Lunam XV. plenilunio terminandus, id eſt, à Julii XIX. ad Julii XXIII. Neomeniâ in Julii IX. incidente.

Pythia. *Pythia*, ſeu Pythicum certamen totâ Græciâ celebratiſſimum, ſacrum Apollini Pythio apud Delphos, tum apud Sicyonios, alioſque Græciæ Populos. Celebrandus hic Agon primitùs *octavo* quoque anno expleto, ſeu *nono* quoque redeunte, undè *ὀκταετηρὶς*, & *ἐννεαετηρὶς*, quod & Marmora docent. Deinde actus idem *quinto* quovis anno vertente, uti Olympia, undè *πενταετηρὶς*, etiam *τετραετηρὶς* periodus, ex Cenſorino *de die Nat.* C. XVIII. & aliis. Atque hinc Pythiadum Epocha ducitur, quando hic Agon factus eſt *χρηματίτης pecuniarius*, ex ſpoliis Cirrhæ Urbis ob ſacrilegia exciſæ, Olympiade XLVIII. anno III. ut ex Pauſania & aliis Scaliger ad Euſeb. Petavius Lib. I. C. XXXIII. *de Doctrina Temp.* Quamvis author Notarum in Canonem Chronicon, & Marshamus Sect. XVIII. malint Epocham ordiri ab Olympiade XLVII. Hinc ſanè *novennium* interceſſit, juxtà Chronicum Marmoreum, uſque ad Olympiadis XLIX. annum III. Signatum etiam Euſebio in Chron. quando primùm evaſit Agon *ςεφανίτης coronarius*, pecuniæ præmio ſublato; additâ jam antè *Αὐλῳδίᾳ*, & Muſicis ludis ad Gymnicos. Atque hæc *ſecunda Pythias* vocatur in eodem Chronico Marm. & apud Pauſaniam in *Phocic.* quæ *prima* apud Euſebium, nempè prima *coronaria*. Coincidit hæc ipſa cum anno Per. Jul. 4132. Urbis Cond. 171. Archonte Damaſiâ II. antè Æram vulg. Chriſt. 582. paucis annis poſt deſtructionem I. Templi.

Iſthmia. *Iſthmia*, ludi *trieterici*, ſeu tertiò quoque anno vertente redituri, in Iſthmo Corinthiaco ſeu Peloponneſiaco, ubi Stadium & Theatrum Agoni celebrando. Inſtituti olim à Glauco, vel Perſeo, ex Clemente Alex. in honorem Melicertæ, de quo fabula; tum Neptuni ad quem Iſthmus pertinere cenſebatur, & cui Templum in Iſthmo ſacrum. Atque huic dicati à Theſeo, qui ex nocturnis ludis diurnos fecit, ad imitationem Olympiarum, quæ Jovi conſecrarat Hercules. Factum anno regni Theſei X. quo circiter tempore Tyrus condita, paulo antè excitatum Gedeonem, ſed ſeriùs apud Euſebium, juxtà Marmora antè Excid. Trojæ, annis 42. id eſt, Per. Jul. 3462. Præerant hiſce ludis Corinthii.

Nemæa. *Nemæa* ſeu *Nemæi* ludi, de quibus antè Iſthmia cecinit Pindarus *Libro* III. olim ab Hercule conſecrati Jovi Nemæo, poſt occiſum Nemæum leonem; etiam à Thebanis Archemoro ſeu Opheltæ: Dein ab Argivis inſtaurati, in Nemæâ Sylvâ, ſuprà Argos, & Mycænas, paulo poſt primam *Pythiada* coronariam, juxtà Euſebium in *Chron.* Olymp. LIII. anno I. juxtà Petavium Olymp. LI. anno I. tempore Solonis legiſlatoris, paucis annis ab Excidio Urbis & Templi. Ac ludi hi Gymnici & Equeſtres, juxtà cum Iſthmiis, fuêre *triennales*, ſeu *tertio* quoque anno redituri, ex Pindaro, Statio, ut duo Iſthmia, & duo Nemæa, *uni Olympiadi* æquiparentur. *Eodem* etiam *anno* concurriſſe utroſque ludos, non eodem *die*, docet Scaliger. *Quinquennalia* tamen *Sacra* hæc Nemæa vocat Auſonius, in fine *Eclogarum*, nempè quinquenniis ſingulis *duplicia*, uti & Sacra Iſthmia, hinc *διπλᾶ duplicia* in pentaëteride, ex Epiſt. Juliani pro Argivis, quæ eſt XXXV. Hactenùs de Græcorum Ludis, ut in Chronicis characteribus cenſentur.

Ludi Romanorum. In Romanorum verò ludis inclyti præ cæteris *Ludi Sæculares*, nec tamen ſingulis præciſè *centenariis* celebrati, ut traditum Livio, Varroni, Sex. Pompejo, Zoſimo, Auguſtino, ſed longiore quandoque, quandoque breviore eo Sæculi intervallo, Cenſorino pridem obſervante. *Sæculares Ludi celebrati quando?* Varia enim *Sæculi* notio eſt apud Veteres, ut pluribus in hanc rem Onuphrius, Libro de *Ludis Sæcul.* Ac proximum vero eſt, ſic appellatos eos ludos, quod ſemel intrà hominis *ſæculum*, ſeu ætatem, hinc nec viſi nec videndi poſthac; *quos Ætas adſpicit una ſemel*. *Primis* quidem à Valerio Poplicolâ inſtitutis, ſed celebrandis ſeriùs, ex Cenſorino, A. U. Cond. Varr. CCXCVIII. Succeſſerunt *ludi ſecundi*, juxtà eundem Cenſorinum A. U. Cond. CCCCVIII. annis poſt primos CX. quem circuitum *ſeculo* Horatius adſcribit. *Tertii* ludi A. U. Cond. DXVIII. rurſùs actis CX. annis poſt ſecundos. *Quarti* ludi A. U. Cond. DCXXVIII. eâdem à tertiis diſtantiâ, ut pluribus Onuphrius de Ludis ſecular. *Quintos* ludos fecit Auguſtus Cæſar, A. U. Cond. Varr. DCCXXXVII. ex Cenſorino, & Dione, exactis rurſùs annis CIX. *Sextos* verò anticipavit pro libidine Claudius Cæſar, Anno U. C. DCCC. *Septimos* Domitianus Conſul XIV. Anno U. C. DCCCXLI. ut ex Veteribus Cenſorinus, & quoque Suetonius, ſcil. à novâ decade orſuro Domitiano, poſt exactum à ludis Auguſtæis ſeculum, *ſexennio* citiùs quàm *ordo* poſtulabat. Centenarii verò Claudii reſpexerunt, non intervallum à prioribus Ludis

dis Auguſti, ſed annos Urbis Conditæ *octies* centenos. *Septimos* ludos poſtulabat ordo celebrari A. U. C. DCCCXLVII. cum Auguſtus A. DCCXXXVII. Severus A. DCCCCLVII. Igitur *Octavos* ludos ſeculares Romani fecêre, annis poſt Domitianeos ludos, CXV. A. poſt U. Cond. DCCCCLVII. Æræ Chriſt. CCIV. imperante Severo, ut pluribus Herodianus, qui reſpexit ad Ludos ſeculares Auguſteos, à quibus *bis* CX. anni elapſi fuerant, ſeu CCXX. Nec repetitos fuiſſe ludos intrà præfatum intervallum annorum CX. neque poſteà habet Zoſimus; contrarium teſtatis Capitolino, Euſebio, Caſſiodoro, S. Aurelio Victore, Eutropio, & Nummis Philippæis. Igitur *nonos* Ludos Philippus uterque inſtituit, annis XLIII. poſt Severum, eoſdemque, ex dictis Nummis, Gentili ritu, undè nec hi Principes Chriſtiani: Accelerandis his Ludis ob *Sæculum novum*, ſeu *milliare ſæculum*, Anno Urb. C. *milleſimo* exacto. Sanè referri hos Ludos dixit Horatius, *undenos decies per annos*, ſeu poſt annos CX. quæ ſunt Romanæ periodi v. Scaligero, & Sæculum Romanum, ex luſtris XXII. conſtans; digeſtis quoque hunc in modum iis ludis in Commentariis *Quindecim-viralibus*. At rectè judicio noſtro Petavius, *Lib.* II. C. LXXVI. reſpexiſſe Quindecim-viros in ſpatio illo CX. annorum definiendo, quot hujuſmodi Sæcula fluxiſſent à primis ludis ad Auguſteos: Atque ità *quintos* ludos ſub Auguſto, celebratos A. Urb. Cond. DCCXXXVIII. quando præceſſerant à primis Ludis, (indictis juxtà eos Commentarios A. Urb. C. CCXCVIII. M. Valerio & Virginio Coſſ.) *quater* CX. anni. De *Ludis Sæcularibus* ſcripſit Tacitus, in eo ſacro functus Sacerdotio XV. virali; ſed periit Liber.

Ludi Actiaci, aliique. De Ludis *Actiacis*, quos Auguſtus inſtituit, qui & *Olympici* fuêre, paſſim toto Romano Imperio, etiam Cæſareæ & Hieroſolymis celebrati, ex Joſepho; de *Neronianis*, *quinquennali* certamine, quæ & Neronia, aliàs quinquennale ludicrum; De *Capitolinis*, quos ſurrogavit Domitianus in Luſtrorum locum, ut infrà in Æris Chriſtianâ poſterioribus, & *quadriennales* fecit in modum Olympiadum, Græcis Καπιτώλια, in quibus certamen equeſtre, gymnicum, muſicum; De Ludis *Iſelaſticis quinquennalibus*, quos apud Puteolanos inſtituit Antoninus Pius, in honorem Adriani, hinc dictis Εὐσέβεια; quorum & meminit perſonata Sibylla, ætatem hoc ipſo prodens, & fraudem; Deque id genus pluribus, etiam Imperatoriis Conſtitutionibus expreſſis, non eſt hic diſſertandi locus. Sic Tertullianus L. *de Spectaculis*; C. V. VI. VII. memorat Ludos Lupercos, Liberalia, Equiria, Conſualia, Robiginalia, Tarpeja, Ludos Megalenſes, Apollinares, Cereales, Neptunales, Latiares, Florales, & *Circenſium pompatiorem ſuggeſtum*; Uti de poſtremis frequens apud Eccleſiaſticos Scriptores memoria, & apud Joſephum, ubi de occaſione necis Caji Cæſaris, faciente Chæreâ, ludis Circenſibus quando ἱπποδρομίαι ἦσαν, Lib. XIX. *Antiq.* C. I. Adde Quirinalia, Feralia, Fordicidia, Tubiluſtrum, Vinalia, Compitalia, Lemuria, Volcanalia, Volturnalia, Saturnalia, Fontanalia, Meditrinalia, Auguſtalia, Laurentianalia, &c. Sed de his non tam Chronologi, niſi quâ parte Calendarium vetus Romanum illuſtrant (quale apud Petavium in *Uranolog*. Seldenum de *Jure Nat.* Lib. III. Cap. XV.) quàm Critici, & qui Antiquitates Romanas, ac rem Nummariam illuſtrarunt, & paſſim Varronem, Feſtum, Ovidium, Valer. Maximum, Suetonium, Plinium, Columellam, Plutarchum, Tertullianum, Macrobium, id genus alios.

Luſtrum Romanum. *Luſtrum*, cujus obvia eſt in Eccleſiaſticis tabulis mentio, vel *Romanum* eſt, vel *Julianum*. Romanum, fuit Syſtema *quinquennii* integri, ſeu jam à *luendo*, ut Scaliger ex Varrone, quod quinquennio exacto publicorum Redemptores Cenſoribus *luerent vectigalia*; aut cæteroquin *tributa* à Civibus Romanis, pro fortunis ſingulorum, in bellicos ſumptus ſolvenda exigerentur: Seu veriùs à *luſtrando*, vel à luſtratione populi, ex Livio, Halicarnaſſæo, Plinio, Salluſtio, Val. Maximo, aliiſque, quod ſpatio illo exacto, & cenſu habito conditionum, fortunarum, ætatum, populus luſtraretur, ſeu expiaretur in Campo Martio *Suovetaurilibus*, id eſt, ſue, ove, ac tauro cæſis, atque etiam, ſi quis graviùs deliquiſſet, capite minueretur pro delicti qualitate. Hoc *Luſtrum* inſtituiſſe primò Servium Tullium, *Ejus origo.* ſextum Romanorum Regem, ex dictis Scriptoribus & ex Cenſorino conſtat, ſub quo nempè Cives omnes Romani, etiam libertini, ſervi, ruſtici, primùm cenſi, ratione ætatis, uxorum, liberorum, facultatum, &c. relatis omnibus in Tabulas. Ac primo Luſtro cenſa fuiſſe XXC. Civium millia traduntur. Aſt de anno Tulliani regni, quem XI. vel XII. facit Cenſorinus, tum & anno Urbis Cond. non perindè conſtat, quâ de re fusè Onuphrius in Librum I. Faſtor. & adversùs τ̃ πάνυ Dionyſ. Petavius *de Doctr. Temp.* L. II. C. LXXVI. Cenſui verò agendo primò *Reges* ipſi præfuerunt, deinde ejectis Regibus *Conſules*, poſteà Conſulibus bello aliiſque impeditis, *Cenſores*, quibus à cenſu nomen, A. U. Cond. CCCXI. Iidemque magiſtri morum; De quibus prolixè Onuphrius, ex Cicerone, Varrone, Dionyſio, Livio, Pediano, Plutarcho, &c. ut alios ſileam. Interrupta quoque diu ſatis hæc *Lyſtra* ac prætermiſſa; producta ſæpè in VII. X. XVII. annum, ut ex Faſtis apparet; identidem ſub Coſſ. & Imperatoribus revocata; ac tandem deſitura in Tito Veſpaſiano, Annis à primâ inſtitutione DCL. ex Cenſorino *de die Nat.* Nam ſubſtituit iis Domitianus Agones ſeu Ludos *Capitolinos* Olympicos, *quarto* quoque anno exacto celebrandos, ut præter Romanæ Hiſtoriæ Scriptores, & Cenſorinum, etiam Clemens Alexandr. *Strom.* I. De quibus verbum infrà.

Luſtrum Julianum. Luſtrum Julianum eſt *quadriennii* ſpatium, ſeu Syſtema IV. annorum Julianorum, quorum ultimus eſt intercalaris, ſeu dierum 366. *Quinquennale* luſtrum, (quomodò & *quinquennis Olympias* apud Ovidium, & πενταετηρὶς eadem) dici potuit, ab utroque principio. At Julianum *Luſtrum* unquàm appellatum fuiſſe *Olympiadem*, affirmante Scaligero, aut numeratum Olympiadum loco, ſive à primo Juliano, ſive deinceps, negat multis Petavius, & meritò, Auſonii loco declarato, & Socratis in *Eccleſ. Hiſtoriâ* lapſu non uno indicato, *Lib.* IX. *C.* XL. Cæterùm *Juliano* luſtro convenit cum *Tetraëteride* antiquâ Græcorum, dum utrique dies 1461. teſte Cenſorino; quamvis initium aliud Olympiadibus, quæ ſecundùm Lunæ rationes, à Plenilunio inchoarentur, quod proximum eſſet à Solſtitio æſtivo.

CAPUT XVIII.

Chronici characteres Cycli, Periodi, Epochæ. De Cyclo Indictionum primò. Harum origo, & diverſa, ſecundùm diverſos, initia. Triplex ratio Indictionum declarata. Modus inveniendi.

INter *characteres Chronicos* quibus ſignantur ac diſtinguuntur tempora, ex hominum inſtituto, præter modò recenſitos ac declaratos, ſunt primò *Cycli* varii, in ſpecie ſic dicti; tùm *Periodi*, ſeu revolutiones Periodicæ certorum annorum, in orbem redeuntes, aliæ aliis majores: Deindè *Æra* vel *Epochæ*, quarum capita certis annis affixa, & immota, principium ſunt undè anni ſequentes numerantur. Atque ut horum deſignatio cumprimis obvia apud Scri-

Digitized by Google

Scriptores Eccleſiaſticos, Græcos & Latinos, ſic & deſiderata notitia in tractaturo Hiſtoriam Sacram. Ad Cyclos referimus illum *Indictionum*, Cyclum *Solis*, tùm & *Lunæ*, qui *Decemnovennalis*, & *Paſchalis*. Nam *Cyclos Judaicos* Sabbaticos & Jubilæos, antè vidimus. Cyclos verò *Sinenſium*, vel *Cathayenſium*, ſeu *ſimplices* annorum LX. ſeu *compoſitos* ex tribus ſimplicibus, annorum CLXXX. uti *Mexicanorum*, aliarumque Gentium Barbararum Cyclos, ut ab inſtituto hocce alienos, ſilentio tranſmittimus.

Indictionum ratio & origo.

Indictio eſt Syſtema *trium Luſtrorum* Romanorum, ſeu annorum Julianorum XV. ſemper in orbem rediens. Perpetua ejus mentio in Imperatoriis & Eccleſiaſticis Conſtitution. à temporibus Conſtantini M. & in Sacrâ Antiquitate. Græcis πεντεδεκαετηρίδες; & Byzantinis etiam Ἰνδίκτοι, Ἰνδικτιῶνες. Sed mirâ his ignorantiâ (ut Heſychio, Auctori Chronici Alex. Maximo Monacho, Cedreno, Conſtantino Porphyrogenn. aliis) ſic dictæ quaſi Ἰνακλιὼν in *Actio*, ἀπὸ τῆς ἐν Ἀκτίῳ νίκης, undè inchoat Maximus Monachus, auctor Computi Eccleſiaſt. & poſt eum G. Syncellus, p. Ed. Reg. 305. ab Anno *Auguſti* II. Euagriô eſt ἐπινέμησις, vel κύκλος τῆς νεμήσεως, ἐπινεμήσεως, paſſim in Hiſt. Eccleſiaſt. Eſt ſanè *Indictionum* obſcura antè Conſtantinum Imp. mentio, nulla etiam nec apud Cenſorinum, licet is *Cap.* XVII. ſic XXI. *de Die Nat.* temporum omnes notas deſignet, notando eo quo ſcribebat Anno. Primus Conſtantius uſus legitur, cujus certè nonnullis Conſtitutionibus, in Cod. Theodoſiano, apponuntur Indictiones, Conſulatu ejuſd. VIII. & deinceps; Et in Eccleſiæ Scriptoribus primus Athanaſius, memorans Synodum Antiochenam habitam *Indict.* XIV. Coſſ. Marcellino & Probino, Libro περὶ Συνόδ. ſcil. Ariminenſi & Seleucienſi; quæ quidem *Indictionis* notatio ſuſpecta eſt Petavio, tanquàm *inſerta poſteà* in textum Athanaſii. Originem tamen altiùs repetunt Eruditi, poſt Dionyſium Exiguum, Bedam, Auctorem Chronici Alex. alioſque Veterum. Nam de Hadriano Imperat. conſtat ex Dione & Spartiano *Hiſtoricis*, remiſiſſe eum *Reliqua*, ſeu debita adhuc Tributa & Vectigalia, *annorum* XVI. ſeu abſolutorum XV. quod tempus Indictionis, ſeu *indicationis* tributorum adhuc ſolvendorum, hinc Imperatoriæ indulgentiæ ſeu remiſſionis. Et altiùs ad J. Cæſarem aſſurgit Scaliger, *Animadv. Euſeb.* MMCXCIV. poſt dictum Auctorem Chronici Alexandr. qui inchoat à I. *Julii Cæſ. Coſſ. Lepido & Planco*, (vitioſo hocce Conſulatu ex Faſtis,) à I. *die Gorpiæi menſis* (Septembris) *Olymp.* CLXXXIV. anno 3. Sed has vocat Indictiones *Antiochenas*, à quibus diſtinguit *Conſtantinianas*, quas inchoat Anno Chriſti CCCXIII. Æræ Græcor. 5821. Certum equidem prioribus Indictionibus nondùm Faſtos fuiſſe ſignatos, nec in Græciâ, ubi ſufficiebant Olympiades, nec in Latio, ubi alii characteres; quanquam *Indictiones* frequenter memoratæ, etiam Juliano & Paulo in Pandectis. Uſus igitur Indictionum, annis & temporibus ſignandis, (abolendis poſteà Olympiadibus, poſt tempora Hieronymi, Proſperi) aliquo tempore ab Indictione Conſtantinianâ demùm cœpit, ut pluribus poſt Scaligerum Petavius, *Lib.* XI. C. XL. undè *Conſtantinianæ* Indictiones. Quarum caput figitur, poſt caſum Maxentii à Conſtantino devicti, VIII. Kal. Octobr. in Annum labentem Æræ Vulg. CCCXII. Conſtantino II. ac Licinio II. Coſſ. Et ſanè ab anno I. Antiochenæ αὐτονομίας ad Conſtantini A. CCCXII. lapſi anni CCCLX: qui conficiunt Indictiones XXIV. terminandas in VIII. Kal. Oct. Quanquàm à Jac. Godofredo, Cangio, & Eruditis aliis oſtenſum, non idem ubique initium vel caput Indictionum ſtatui. Hinc alii à Conſulatu Conſtantini III. & Licinii III. Conſtantinianas Indictiones auſpicantur, Æræ Vulg. CCCXIII. ut Faſti Siculi; alii ſeriùs, etiam ab Anno Æræ Vulg. CCCXIV. vel CCCXV. Quâ de re adeundus idem Godofredus, qui & diverſitatis cauſas reddit, in *Laterculo Indiction.* præmiſſo Codici Theod. T. I. *fol.* CLXXIX. An verò *quinquennalia* Conſtantini tunc celebrata (ut vult Scaliger, hinc Langius, alii) quæ tamen biennio antè videntur præceſſiſſe; an veriùs reportata de Maxentio victoria, *Septembri* menſe, & libertas Chriſtianis facta, huic Æræ ſeu Cyclo Indictionum originem fecerint, ceſſante tùm *Olympiadum* (ut vult Onuphrius) & *Ludorum Capitolinorum* Ærâ, inter magna Nomina controvertitur. Quod verò Onuphrius, de ſubſtituto illo Cyclo in locum Olympiadum, ex *Nicenâ* Conſtitutione, *ſeu novum hunc numerandi modum per Indictiones in Concilio Nicæno inventum eſſe*, ut iſte Comment. in Libr. II. Faſtor. p. 280. nullo teſte affirmavit.

Cæterùm triplex Indictionum ratio eſt, nam *Cæſarea* alia ſeu Conſtantiniana, alia *Conſtantinopolitana*, alia denique *Pontificia*. *Indictio triplex.*

Cæſarea vel *Conſtantiniana* Indictio, inſtituta fuit à Conſtantino M. anno Imperii VII. Æræ Chriſti Vulgaris CCCXII. *Septembris* die XXIV. ſeu VIII. *Kal. Octobr.* qui dies cladis & interitûs Maxentii, aſſertique Conſtantino M. Imperii. Undè & incipiunt Indictiones Cæſareæ, in Scriptoribus Eccleſiaſt. quarti, quinti ſeculi, etiam olim ex uſu Gallorum, Britanorum, &c. ut ex Bedâ Libro *de Rat. Temporum*, & Actis publicis liquet; quâ de re nuper, poſt alios, Cangius & Mabillonus. Ratio & cauſa Indictionis adfertur varia, alia à Scaligero, aliæ ab Onuphrio, Baronio, aliis, quas recenſet Calviſius, A. Chr. 312. Petavio nihil definiente. Quâ de re etiam Frater noſter Diſſertat. IX. *de Præſtantiâ & Uſu Numiſm.* ut Jac. Goar Notis ad G. Syncellum, *pag.* 73. Carolum du Freſne, non uno loco, alioſque præteream. Satis obſervaſſe, hoc temporis charactere uſos exindè eſſe, & Imperatores in *Reſcriptis* ſuis, & Juriſperitos, Actuarios, in *Inſtrumentis* conficiendis. Hodieque Imperatores Germanici notant annos Indictionum, uti Notarii, Tabularii, à XXIV. Septembris. *Cæſarea Indictio.*

Conſtantinopolitana vel Græca dicitur, quæ incipit à *Kal. Sept.* & cœpit indè numerari demum ſub Imperio Juſtiniani, ut quidem Joſephus Scaliger ex *Nov.* CXXVIII. Hoc dein principium Indictionum obſervarunt Imperatores Græci. Ratio, ut idem eſſet *Indictionum*, quod *annorum* principium, quum à Kal. Septemb. novum annum Conſtantinopolitani inchoarent, hodieque Græci Chriſtiani, Moſcovitæ, & alii. Sed jam antè Juſtinianum extat ſanctio Anaſtaſii Imperat. Codice de Annonis & Trib. Lege *ult.* ex quâ intelligitur, cum *Septembri* menſe inchoatam novam Indictionem, undè *September*, & *dimidium Septembri*, *futuræ Indictionis*. Atque hæ ipſæ Indictiones ſunt, Conſtantinopolitanæ ſcilicet, à *Kal. Septembrib.* (non ut Doctiſſ. Chronologus Ubbo Emmius *ab* VIII. *Kal. Oct.* Chronologiæ *Lib.* III.) quibus Gregorius I. Rom. Epiſcopus, tempore Mauricii *Imperat. ſignavit primus ſuas Epiſtolas*, *Acta*, *Decreta*. *Hinc Liber* I. Epiſtolarum Gregorii, incipiens cum *Septembri*, *Indictionem* IX. habet adſcriptam; Liber ſecundus *Indict.* X. XI. & ità porrò: Libro VII. rurſum orſuro ab *Indictione* I. Anno Ordinat. VIII. *Conſtantinopolitana.*

Pontificia dicitur quæ incipit à *Kal. Jan.* ſequentibus, aliàs *Romana*. Nempè à Menſe Septembris ad Kal. haſce Romani Pontifices retraxerunt Indictiones: Ut concurrerent cum anni Juliani principio. Planè ut Olympiadas recentiores, poſt Dionyſ. Halicarnaſſenſis, non à Plenilunio æſtivo, ſed à Kal. Januarii præcedentibus, putaverunt. Et hac poſtremâ Indictionum Epochâ uſos eſſe frequentiſſimè Romanos Pontifices, in ſuis Epiſtolis, Re- *Pontificia.*

Digitized by Google

Reſcriptis, jam ævo *Carolino*, imò in ſuis Diplomatibus Francorum Reges, Ludovicum Pium, Carolum Calvum, nos quoque aliàs demonſtravimus, ubi de *dato* Epiſtolæ ſuppoſitæ *Benedicto* III. Diſquiſit. de Papâ Fœminâ, *pag*. 393. *& ſeq*. Quamquam Gregorius VII. in ſuis Epiſtolis uſurparit Indictionem Græcam.

Ratio numerandi Indictiones. Obſervandum ità vulgò computari, Indictione *primâ*, *ſecundâ*, *tertiâ*, & ſic de cæteris, quod intelligendum eſt de anno, primo, ſecundo, tertio Indictionis: Ut non confundantur ipſæ *Indictiones* cum *annis* Indictionum, non magis quàm menſes cum diebus menſium. Sic Indictiones aliquando ſolæ, aliquando cum aliis temporum characteribus junctæ, undè magna Lux Chronologis.

Ratio inveniendi. Modus inveniendi annos Indictionum, ad quemque annum Æræ Chriſtianæ, hic eſt; Nempè ſi dato numero annorum Æræ Chriſtianæ addantur *tres* anni, & tota ſumma dividatur per 15. Quod *reſiduum* eſt, notat annum Indictionis, ſi *nihil* reſtat, Indictio anni propoſiti eſt 15. Ratio addendorum annorum *trium*, quia Chriſtus natus eſt, ſecundùm Æram Vulgarem, anno Indictionis *tertio*, aſcendendo per Indictiones inde à primâ Conſtantini, Anno Vulgari 312. Hinc verſiculi:

Si per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis Indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

Pariter annus *Periodi Jul.* currens dividendus per 15. & invenietur annus Indictionis, ut ex ipſâ Periodo Julianâ inferiùs intelligetur. Sed hæc cuivis obvia.

CAPUT XIX.

Cycli in ſpecie dicti. Cyclus Solis quis? Quæ Literæ Dominicales? De hujus inventi ratione. De modo cognoſcendi, quovis Cyclo, in quam feriam ſeptimanæ cadat hic & ille dies, hujus vel illius Menſis. Computi Veterum ratio. Facilior methodus ex Tabulâ, pluribus declaratâ. Modus inveniendi Cyclum Solis, ejuſdemque uſus multiplex, Eccleſiaſticus, Hiſtoricus, Chronologicus. Cycli Gregoriani à Juliano diſcrepantia.

Cycli in ſpecie ſic dicti, ut à *Periodis* majoribus diſtinguuntur, ſunt alter *Solis*, *Lunæ* alter. Cyclus *Solis*, in Julianâ anni formâ, eſt Syſtema, ſeu periodus, vel ſeries XXVIII. annorum Julianorum. Ratio appellationis, non quod ſit menſura motûs *Solaris*, aut quaſi ſpatio eo exacto fiat nova aliqua Solis συζυγία, aut ἀποκατάστασις, ſed quod ejus beneficio intelligatur quotannis Litera qua dies *Solis* ſeu *Dominica* ſignatur, & conſequenter Feriæ reliquæ hebdomadis; eoque Cyclo exacto redeant in orbem eædem Feriæ, & Literæ Dominicales, hinc & ſtata Feſta. Exurgit hic numerus ex multiplicatione 7. per 4. quia *ſeptem* ſunt in eo Cyclo *biſſextiles*, qui ſinguli duas ſibi Literas Dominicales vendicant, ex modò dicendis.

Litera Dominicalis. *Litera Dominicalis*, eſt una ex ſeptem Literis A. B. C. D. E. F. G. diem *Dominicum*, ſeu feriam *primam*, in Cyclo hebdomadali, per totum annum in Kalendario oſtendens, tanquam index & *Character*. Ità Romani in Calendariis ſuis & Faſtis, dùm *Ogdoadum* Cyclum obſervarent, ad deſignandum reditum *Nundinarum*, ſingulis Ogdoadis diebus apponebant unam ex octo Literis prioribus, terminandis literâ H. (ut Dominicales Literæ τῷ G. finiantur,) ut videre eſt in Calendariis antiquis editis à Paulo Manutio, & Aldo filio, Huberto Golzio, Dion. Petavio in *Uranol*. & ſi quibus aliis. Ac quotannis mutantur hæ Literæ ordine retrogrado, & ſi hoc anno fuit F. erit proximo anno E. In anno communi, *una* tantum Littera Dominicalis notatur: In anno biſſextili *duæ*, quarum *prior* locum habet à Kal. Januarii ad XXIV. Februarii, ſeu VI. Kal. Martias incluſivè, ſeu ad *diem* intercalatum, per dies LIV. *Poſterior*, à dicto termino ad finem uſque anni. In *Biſſextilem* autem, duabus literis notatum, G. F. incidit Cyclus Solis *primus*, cujus Kalendæ Januariæ incipiunt feriâ *ſecundâ*. Alio nomine dicuntur ſeptem illæ literæ, *laterculus ſeptizonii*, Bedâ ſic pridem appellante, expreſſæ juxtà ordinem retrogradum quem in Kalendario habent, hoc verſu technico,

Gaudet Flaccus Equo, Dorus Cane, Boſporus Agno.

Vel iſto,

Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu.

Vel hoc tertio,

Grandia Frendet Equus, Dum Cernit Belliger Arma.

Ut autem dies Solis ſeu feria *prima* deſignatur per unam ex ſeptem Literis majuſculis, ordine retrogrado quotannis procedentibus; ità feriæ *reliquæ* ordinariæ hebdomadis deſignantur per *ſex* literas ſequentes, has jam procedentes ordine directo, & alphabetico. Ut ex. gr. ſi Lit. Dominicalis diei *Solis* appoſita toto anno, eodemque communi, ſit Lit. G. qualiter ſit in anno 1. Calendarii, tum lit. *a*. quæ in orbem redit, erit characteriſtica diei *Lunæ*, ſeu feriæ 2. Lit. *b*. diei *Martis*, ſeu feriæ 3. &c. Lit. *f*. diei *Sabbati*, ſeu Feriæ 7.

Cauſa hujus inventi (de cujus vel auctore vel inventionis tempore non ſatis conſtat) eſt annus *Biſſextilis*, & intercalatio unîus diei illo anno. Nam in anno *communi*, dierum 365. caput ſequentis anni incidit ſemper in feriam quæ proximè ſequitur caput anni præcedentis. Eſt enim annus communis LII. ſeptimanarum, & diei unîus, ac ſi 365. per 7. dividas, remanebit unitas. Hinc ſi annus communis inceperit feriâ primâ, deſinet quoque ultimus anni dies ſeu 365. in feriam *primam*, atque ità ſequens annus incipiet à *ſecundâ*. Quare ſi Litera Dominicalis in anno communi fuit v. gr. F. proximo erit E. atque ità ſi anni omnes *communes* eſſent, & *æquabiles*, ut Nabonaſſarei vel Ægyptiaci, neceſſe foret redire in orbem Literas, & Concurrentes, poſt ſeptennium exactum. Sed verò, quum in anno *intercalari* dierum 366. ob inſertum ulteriùs diem, neceſſe ſit tranſcendi ſeu præteriri unam feriam, in conſtituendo capite anni qui ſequitur Biſſextilem, hinc fit ut propter adjectum illo anno diem unum, *binis literis* feriarum ordo promoveatur; nam 366. diviſi per 7. ferias, binas reliquas faciunt. Atque hinc accidit ut Litera *Dominicalis*, character feriæ primæ, ſpatio XXVIII. annorum quotannis in Kalendario variet, quemadmodùm & literæ *minores* quæ ferias ſingulas incipiunt, ac eo ſpatio exacto eædem recurrant. Ratio recurrentium literarum eo intervallo hæc eſt; quia *ſeptem* tantum ſunt Feriæ in hebdomade, ubi igitur illa Feriæ unîus tranſcenſio *ſepties* accidit, tum neceſſe eſt ferias omnes, & literas iis appoſitas, in orbem redire, ut ex Abaco liquet. Et quum in annis *quatuor*, ſeu Luſtro Juliano, *ſemel* accidat illa Feriæ tranſcenſio, ſeu præteritio, ob diem Biſſextilem adjectum, multiplicatis 7. per 4. exurgunt anni 28. quæ revolutio annorum eſt *Cyclus Solis*. Quamvis & ſinguli *anni* Cycli, etiam *Cyclus* Solis nominentur, ut fit in Cyclo Lunæ, & in annis Indictionum. *Inventi Ratio.*

Porrò dato *anno* Cycli, ſeu communi illo ſeu biſſextili, & *Lit. Dominicali* ejus anni, aut *Literis* in anno Biſſextili, cognoſci poteſt à quâ *feriâ* hebdomadis Kalendæ Januariæ, hinc Kalendæ reliquorum menſium incipiant eo anno; deinde etiam in quam ſeptimanæ *feriam* an primam, an ſecundam, &c. hìc & illę *dies* dati menſis incidat. *Modus cognoſcendi ferias Kalendar. & dierum, per totum Cyclum.*

Ac

Quid olim Epactæ ſolis? Quid Regulares?

Ac Computiſtæ quidem Eccleſiaſtici veteres, quales Maximus Martyr, Iſaacus Monachus, Beda, Rabanus Maurus, Durandus, alii, methodum inveſtigandi *ferias* ſeptimanæ, dato cujuslibet Menſis die, propoſuêre per doctrinam ἐπακτῶν τοῦ ἡλίου ſeu *Epactarum Solis*, & προσθετῶν ſeu dierum *addititiorum* apud Maximum, qui Latinis *Regulares* dici conſueverunt. Solis Epactas dixêre *menſtruas* alias, ſive Menſium, alias *annuas*, ſive Annorum: Illas quidem vocarunt, numerum dierum qui ſuperſunt quolibet Menſe, poſt XXVIII. dies exactos, ſeu poſt omnes hebdomadas Menſis, *undè intelligitur quâ feriâ inibit ſequens* Menſis. V. gr. Epactæ *Januarii* qui eſt dierum XXXI. ſunt 3. reſidui nempe dies poſt ablatas hebdomadas quatuor, ſive dies 28. qui reſidui nulli in Februario. Et hi 3. additi *Kal. Febr.* faciunt 4. Undè ſi Januarius incepit Feriâ 1. Februarius inibit Feriâ 4. Si Januarius Feriâ 2. Februarius inibit Feriâ 5. & ita in reliquis Menſibus, pro ratione dierum Menſis. *Annuas* Solis Epactas dixêre, numerum dierum qui ſuperſunt in anni fine, poſt exactas omnes hebdomadas Anni, & ex quo *feria* intelligitur in quam incident *Kalendæ* anni ſequentis. Nempè in anno *Communi* ſuprà hebdomadas LII. ſupereſt dies 1. qui adjectus Kalendis Jan. ſequentis, facit 2. Undè liquet Kalendas anni proximi incidere in feriam 2. ſeu proximam ab eâ *feriâ* quâ inceperant Kalendæ anni prioris. Si verò *Biſſextilis* annus, quia ſuperſunt ſuprà hebdomadas LII. dies 2. hinc & Kalendæ ſequentes incident in feriam à prioribus Kalendis 3. Et has Epactas Solis etiam *Concurrentes* alio nomine dixêre. *Regulares* verò Solis nuncupatæ, *feriæ Kalendarum* cujuſque Menſis per totum annum 1. inſtituti Kalendarii, quando Lit. Dominicalis eſt G. & *Regularis* Kalendarum *Januarii* eſt 2. qui character feriæ *ſecundæ*. Undè, ex dictis Epactis Menſium, Regulares Kalend. *Febr.* 5. character feriæ *quintæ*; Regulares Kalend. *Martii*, quia Februario nihil excidit ſuprà XXVIII. itidem 5. character feriæ *quintæ*, & ità conſequenter; *ſeptenarium* numerum nunquàm excedendo, prout feriæ ſunt modò *ſeptem*, & ſic redeundum ad 1. Atque abſtruſior hæc omnis doctrina Epactarum Solis, ſeu Concurrentium, & Regularium (de quibus fusè Petavius *Auctario ſuo* Lib. VII. & Computiſtæ paſſim) præter doctrinam de Epactis Lunæ, & Cyclo Paſchali (undè conſtarent *Feſta* partim *ſtata*, partim *mobilia*) fecit aliquando maximam partem eruditionis ſacræ. Et ex *Capitulis* Veterum intelligitur, ut Caroli M. Herardi Turonenſis, Hincmari Rhemenſis, Walterii Aurelianenſis, &c. neminem admitti potuiſſe ad *Presbyteratum*, niſi exploratum haberet *Compotum* vel *Computum*, ſeu rationem τῶν ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν Κύκλων *Cyclorum Solis & Lunæ*, quam & calluit apprimè ipſe Carolus Magnus.

Facilior ratio, & expeditior.

Verùm miſsâ hac omni doctrinâ, ad inveſtigandam ποσταῖαν τῆς ἑβδομάδος, ut loquuntur, ſeu *quotam ſeptimanæ*, ἐν τίνι τῆς ἑβδομάδος ἡμερῶν τι συμβαίνει, *quâ feriâ quid acciderit*, ſufficit quovis anno dato cognoviſſe *Cyclum* ejus anni, & *Literam Dominic.* ſeu characterem diei Dominicæ, ſingulas ejus anni Dominicas indicantem; Ut ſi v. gr. Lit. D. ſit Dominicalis eo anno, qualiter eſt Cyclo Solis Juliano XX. A. 1691. eaque appoſita inveniatur ad 4. *Januarii* Julianum, hinc cognoſcitur 4. Januarii Jul. fuiſſe diem Dominicum, ſeu *feriam* 1. Igitur v. gr. *ſeptimus* Januarii fuerit eo anno *feria* 4. *decimus* Januarii *feria* 7. *undecimus* Jan. *feria* rursùs 1. *viceſimus* Jan. conſequenter *feria* 3. facili computatione. Ità ſi Lit. D. eſt characteriſtica diei Solis, ſeu feriæ *primæ*, 4. Januarii, ergò Lit. *e.* illi proxima in Calendario, appoſita 5. Jan. eſt characteriſtica feriæ *ſecundæ*, Lit. *g.* appoſita 7. Jan. characteriſtica feriæ *quartæ*, Lit. *a.* (poſt *g.* in Cyclo ſeptenario rediens) appoſita 8. Jan. character feriæ *quintæ*, prout & eſt quinta litera in cyclo ſeptenario à Dominicali Lit. D. Et hunc Literarum Dominicalium Orbem, qui & Solis dicitur, nondùm in uſu fuiſſe Leonis I. aut Victorii tempore, aliàs obſervatum.

Sed juvandis junioribus ſuccurrat opportunè Tabula, ſeu Laterculus ſequens, qualem Chronologi pridem adornarunt, vel Computiſtæ: Undè per omnes annos XXVIII. Cycli Solaris, intelliguntur, quocunque *Cyclo* dato, ex numeris ſuppoſitis ſingulis Menſibus, quâ *feriâ* incipiant *Kalendæ Januariæ*, ſingulis Cyclis; tùm (ex regulâ Epactarum Solis modò datâ) *Kal. Februariæ*, *Martiæ*, *Apriles*, &c.

TABULA

Cycli Solaris, ac feriarum initialium ſingulis *Kalendis, ut Januarii, ſic Menſium reliquorum, per totum Cyclum.*

Dies initiales omnium Menſium, toto Cyclo Solari.

Num. annorum Cycli.	*Literæ Domin.*	*Januar.*	*Febr.*	*Mart.*	*Apr.*	*Mai.*	*Jun.*	*Jul.*	*Aug.*	*Sept.*	*Oct.*	*Nov.*	*Dec.*
I.	G. F.	2.	5.	6.	2.	4.	7.	2.	5.	1.	3.	6.	1.
II.	E.	4.	7.	7.	3.	5.	1.	3.	6.	2.	4.	7.	2.
III.	D.	5.	1.	1.	4.	6.	2.	4.	7.	3.	5.	1.	3.
IV.	C.	6.	2.	2.	5.	7.	3.	5.	1.	4.	6.	2.	4.
V.	B. A.	7.	3.	4.	7.	2.	5.	7.	3.	6.	1.	4.	6.
VI.	G.	2.	5.	5.	1.	3.	6.	1.	4.	7.	2.	5.	7.
VII.	F.	3.	6.	6.	2.	4.	7.	2.	5.	1.	3.	6.	1.
VIII.	E.	4.	7.	7.	3.	5.	1.	3.	6.	2.	4.	7.	2.
IX.	D. C.	5.	1.	2.	5.	7.	3.	5.	1.	4.	6.	2.	4.
X.	B.	7.	3.	3.	6.	1.	4.	6.	2.	5.	7.	3.	5.
XI.	A.	1.	4.	4.	7.	2.	5.	7.	3.	6.	1.	4.	6.
XII.	G.	2.	5.	5.	1.	3.	6.	1.	4.	7.	2.	5.	7.
XIII.	F. E.	3.	6.	7.	3.	5.	1.	3.	6.	2.	4.	7.	2.
XIV.	D.	5.	1.	1.	4.	6.	2.	4.	7.	3.	5.	1.	3.
XV.	C.	6.	2.	2.	5.	7.	3.	5.	1.	4.	6.	2.	4.
XVI.	B.	7.	3.	3.	6.	1.	4.	6.	2.	5.	7.	3.	5.
XVII.	A. G.	1.	4.	5.	1.	3.	6.	1.	4.	7.	2.	5.	7.
XVIII.	F.	3.	6.	6.	2.	4.	7.	2.	5.	1.	3.	6.	1.
XIX.	E.	4.	7.	7.	3.	5.	1.	3.	6.	2.	4.	7.	2.
XX.	D.	5.	1.	1.	4.	6.	2.	4.	7.	3.	5.	1.	3.
XXI.	C. B.	6.	2.	3.	6.	1.	4.	6.	2.	5.	7.	3.	5.
XXII.	A.	1.	4.	4.	7.	2.	5.	7.	3.	6.	1.	4.	6.
XXIII.	G.	2.	5.	5.	1.	3.	6.	1.	4.	7.	2.	5.	7.
XXIV.	F.	3.	6.	6.	2.	4.	7.	2.	5.	1.	3.	6.	1.
XXV.	E. D.	4.	7.	1.	4.	6.	2.	4.	7.	3.	5.	1.	3.
XXVI.	C.	6.	2.	2.	5.	7.	3.	5.	1.	4.	6.	2.	4.
XXVII.	B.	7.	3.	3.	6.	1.	4.	6.	2.	5.	7.	3.	5.
XXVIII.	A.	1.	4.	4.	7.	2.	5.	7.	3.	6.	1.	4.	6.

Obſervata quædam ad Tabulæ intelligent. & uſum.

Ad tabulæ hujus, & Cycli Solaris intelligentiam, obſervent modò qui in his tyrocinium ponunt. I. *Caput* Cycli vulgaris eſſe annum *biſſextilem*, habentem Literas Dominicales G. F. & incipientem à *feriâ* 2. ſeu Lunæ, unde annus præcedens inceperit à *Feriâ* 1. Lit. Dom. A. II. Hanc feriam initialem, in primo anno Cycli, nullo negotio ita deprehendi. Nempe initialis Litera *Januarii*, quæ perpetuus character eſt harum Kalendarum, eſt *Lit.* A. Siquidem hæ ſunt *initiales* literæ omnium *Menſium*,

Jan. Feb. Mart. Ap. Maj. Jun.
Acri Danubium Domuit Geta Barbarus Enſe.
Jul. Aug. Sept. Oct. Nov. Dec.
Grandævam Cybelem Fugit Attys Dindyma Frangunt.

Aliter,

Aſtra Dabit Dominus, Gratiſque Beabit Egenos,
Gratia Chriſticolæ Feret Aurea Dona Fideli.

Hæc litera A. reſpondet in numeris *unitati*, & exprimitur per 1. Adde alteram unitatem, ſeu 1. quæ fuit feria initialis anni præcedentis, & ſic conſtabit Kalendas Januar. incidere eo anno in Feriam 2. ſeu *Lunæ*. III. In anno ſequente, quia, Cyclus 1. fuit biſſextilis, neceſſe eſt ut augeatur iſte numerus 2. ſeu addatur una feria, quia *bini* dies reſidui, de ſeptenariâ diviſione; unde incidunt Kalendæ Januariæ in Feriam IV. ſeu *Mercurii*. Atque ità in Cyclis reliquis, augentur numeri deſignativi feriarum, ipſis Kalendis Januariis, die uno vel duobus, prout annus præcedens vel communis fuit vel biſſextilis, quod ex Tabula liquet. IV. Pariter Menſium reliquorum cujuſque Cycli, haberi levi negotio poſſe ferias initiales, in quas Kalendæ cadunt. Methodus convenientiſſima, primo ſcire *feriam initialem* anni, ſecundo *Epactam menſis*, ſeu *numerum* qui excedit XXVIII. incipiendo à Januario, nec ultra 7. aſcendendo, ut dictum modò fuit ubi de Computo Veterum; Quales Epactæ menſium ſingulorum annis *Communibus* & *Biſſextilibus*, conſpicuæ ſunt ex Tabellâ præced. Inquiro nunc v. gr. in quam Feriam ſeptimanæ incidant *Kal. Martii*, Cyclo X. Lit. Dom. B. à quo incipit Æra Dionyſiana. Ad Feriam initialem *Januarii*, quæ fuit eo anno 7. addo Epactam menſis qui præceſſit *Martium*, quæ in anno communi eſt 3. vel ex Tabulâ: Colligo ſummam & fiunt 10. detraho de hac ſummâ 7. ultrà quos non aſſurgitur, quia nonniſi dies 7. remanent 3. Adeoque *Feria initialis* Martii, Cyclo X. fuit tertia, ſeu dies *Martis*. Et ita in cæteris. Datâ Feriâ initiali cujuſque menſis, in uno quoque Cyclo, facilè jam colligi, etiam citrà regulam, in quam feriam dies quiſque menſis, in Faſtis notatus, incidat. Sed & regula hæc fuerit: Si ad diem menſis quemcumque deſignatum, detractâ tamen *unitate*, addas feriam *initialem* ejus menſis, & ex collectâ ſummâ auferas ſeptenarios, tum qui remanet numerus, indicabit feriam. Ex. gr. Vulgò cenſetur natus Chriſtus XXV. Decembr. Cyclo Solis exeunte IX. Lit. Dom. D. C. Inquiro in quam feriam ſeptimanæ inciderit tum XXV. Decemb. Detraho *unitatem*, & ſuperſunt XXIV. Addo feriam ini-

initialem ejus menſis, quæ fuit 4. Summâ contra-ctâ ex 24. & 4. prodeunt 28. Detraho ſeptenarios tres, nec poſſum plures, & remanent 7. Ergò xxv. Decembr. eo anno incidit in Feriam *ſeptimam* ſeu *Sabbatum*. vi. Pari ratione intelligi quàm facillimè poſſe, quæ ſit Litera cuique diei, in Hiſtoriâ deſignati, præfixa in Kalendar. quæ Litera prout ordine eſt à Dominicali, etiam feriæ numerum indicat. Modus hic eſt: Dato die anni, puta xxv. Dec. Cyclo ix. *Lit. Dom.* D. C. numera quotus ſit dies à Kalendis Januar. & deprehendetur in anno illo biſſextili eſſe 360. Quia verò dies unus biſſextilis acceſſit, hinc Litera eadem repetita in Calend. ad xxv. *Febr.* detrahe unitatem de 360. remanent 359. ſummam hanc divide per 7. remanent 2. cui numero reſpondet Litera ſecunda B. quæ à Dominicali C. ejus Cycli eſt ordine 7. Unde colligitur fuiſſe feriam *ſeptimam* ſeu *Sabbatum*. Rurſus datâ in Hiſtoriis feriâ, & die menſis, quo res accidit, vice verſâ certis indiciis colligitur annus Cycli Solaris, & Lit. Domin. eo anno. Hinc & annus Æræ Chriſtianæ, vel alterius Æræ, qui ſæpè dubius apud Hiſtoricos. Plura qui volet & abſtruſiora, adeat Computorum Scriptores.

Modus inveniendi Cyclum Solis,

Modus autem inveniendi ſemper *Cyclum Solis*, ſeu annum Cycli, ad quemvis annum propoſitum, hic eſt: Si nempè ad datum annum *Æræ Chriſtianæ* addas 9. (ſiquidem Chriſtus vulgò natus eſt exeunte Cyclo Solis 9.) & totam ſummam collectam dividas per 28. qui tùm numerus erit à partitione reſiduus, notabit annum Cycli; contrà aſcendendo à Chriſto nato ſunt 9. demendi, & anni reliqui pariter dividendi. Vel datum annum *Periodi Jul.* divide per 28. annus reſiduus erit Cyclus Solis. Vis jam invenire *Literam Dominicalem* cujuſque anni, dato *anno* Cycli, reſpice Abacum, ſeu Tabulam Cycli Solaris; & Cycli *numero* ad latus reſpondebit *Litera Dominicalis*.

Uſus Cycli Solis,

Uſus hujus Cycli Juliani ſunt varii, imprimis verò, 1. Ut ſtatim conſtet, ſitne annus *biſſextilis*, an *communis*, & quotus à biſſextili. 2. Ut intelligatur in quas *ferias* incidant ſtata *Feſta* ſeu immobilia, quæ perpetuum in Faſtis diem & menſem retinent, quæque adeò ratione *feriæ* quotannis cum *Literis* mutantur. 3. Ut dato in Hiſtoriâ vel in Faſtis die menſis, & anno Cycli, conſtet de ſeptimanæ feriâ; quæ feriæ cum Cyclo ſemper eædem in orbem redeunt, ex Tabulâ ſuperiore, & ad eam obſervatis, *Num.* iv. v. Atque hîc nobiliſſimus Cycli hujuſce uſus eſt, cumprimis etiam in Eccleſiæ Hiſtoriâ, in quâ perſæpè *menſes* & *dies* expreſſi, hujus & illius eventûs, non expreſſâ tamen *feriâ* ſeptimanæ, ut in allato exemplo, v. gr. de Chriſto nato xxv. *Decembr.* exeunte Cyclo Solis ix. 4. Ut hæc ſit ſtata periodus, ac certus character temporum, dùm expreſſo anno *Cycli*, facile eſt inter ſe comparare *Epochas*, & annum certum definire, eumque vel *Communem* vel *Biſſextilem*: Ex gr. hinc cognoſces facile annum *Periodi Jul.* quæ cum Cyclo 1. incipit; ſic Æræ vel Periodi *Judaicæ*, quæ etiam cum Cyclo Solis 1. Lit. G. F. Per. Jul. 953. Et ita Epochæ *Olympiadum* vulgaris, quæ cum Cyclo Solis 18. Lit F. Per. Jul. 3938. Sic Æræ *Urbis Cond.* Varron. quæ cum Cyclo Solis 13. Lit. F. E. Per. Jul. 3961. anno uno antè ÆramCaton. vel Capitolinam; Sic Æræ *Nabonaſſareæ*, quæ cum Cyclo Solis 19. *Lit.* E. Per. Jul. 3967. Æræ *Alexandreæ* vel *Seleucidarum*, quæ cum Cyclo Solis 6. Lit. G. Per. Jul. 4402. Æræ *Antiochenæ*, quæ cum Cyclo Solis 17. Lit. A. G. Per. Jul. 4665. Æræ *Hiſpanicæ*, quæ cum Cyclo Solis 28. Lit. A. Per. Jul. 4676. Æræ *Dionyſianæ* Vulg. quæ cum Cyclo Solis 10. Lit. B. Per. Jul. 4714. &c. Prolixè inter cæteros Calviſius in *Iſagoge* Chronologicâ, Parte iii. & quicquid ferè Chronologorum eſt.

Hæc de Cyclo Solis *Juliano*, cujus uſus eſt in Chronologiâ & Hiſtoria. Cyclus verò *Gregorianus*, 400. demùm annis perficitur, quo ſpatio exacto *Literæ Dominicales* redeunt in orbem: Ratio; quia *tribus* primis *centenariis* exactis, Annis 1700. 1800. 1900. dùm omittitur ſingulis Centuriis dies *unus* intercalaris, ſic interrumpetur ordo *Literarum* Dominical. ac ſeries Cycli Solaris; intercalando tamen *Quarto* centenario, Anno 2000. Igitur ejus Cycli caput eſt annus 1601. terminus annus 2000. *tribus* biſſextis in eo Cyclo omiſſis, annis 1700. 1800. 1900. ut ſuprà in *Anno Gregoriano*. De hoc adi Clavium, aut Petavium, aut Campanum, & Computiſtas alios. Itaque Stylo hoc Gregoriano hîc labens annus 1691. eſt Cyclus Solis Gregorianus 91. Lit. Dominic. G. continuando ordine Literar. uſque ad Ann. 1700. excluſivè; quo erit *biſſextilis* in A. Juliano, *communis* in A. Gregor. neglecto biſſexto. Undè hic unâ Lit. Dominic. ſignandus veniet, quæ erit C. Cyclo 1. Dum idem annus Julianus, *eodem* Cyclo, habebit Literas G. F. Ità dum 3. *Literæ* hactenùs ablatæ in Anno Gregoriano, ob 3. *dies* expunctos ſuprà 7. deinceps ab A. 1700. uſque ad A. 1800. diſcrimen erit modò 2. Literarum, quæ auferendæ fuerint à Dominicali Julianâ. Ità v. gr. Anno 1701. Cyclo 2. habebit dies Solis Julianus Lit. E. Gregorianus Lit. B. expunctis Literis D. C. Quare nec *Cyclus Jul.* Kalendariis novis rectè aptatur.

Cyclus Gregorianus, ut à Julianis diverſus?

Caput XX.

Cyclus Lunæ qui dictus, & variæ ejus appellationes. Paſchalis undè, & à quo tempore? Cycli varii à Chriſtianis uſurpati. Aureus Numerus undè? Cycli hujus uſus triplex oſtenſus. Diverſa illius ratio ſecundùm Alexandrinos, Latinos veteres, & Dionyſ. Exiguum. Cauſæ hujus diſcrepantiæ. Paſchales Termini quinam? Circà eos lites, & varia de iis obſervata. Rationes diverſorum Paſchatum Stylo Juliano, & Gregoriano. Cyclus Epactalis declaratus. Epactarum uſus duo inſignes. Epactæ Gregorianæ ut à Julianis diverſæ, & ut Paſchatis Gregor. indices? Cyclus Paſchalis Alexandrinus, & Romanus ac Dionyſianus, declaratus, addito Diagrammate. Ut & Cycli Gregoriani.

Cyclus Lunæ variè appellatus.

Cyclus *Lunaris* eſt Syſtema, ſeu periodus, ſeu revolutio annorum Julianorum xix. quâ periodo vertente, mediantibus *emboliſmis* menſium, ad certos annos ejus Cycli, Solis & Lunæ motus redire ad idem punctum, novâ συζυγίᾳ, crediti. Undè & Cyclus *decemnovennalis*, Græcis ἐννεαδεκαετηρὶς. Dictus & annus *Metonicus* à Metone Athenienſi Aſtrologo, filio Pauſaniæ, qui primus eum docuiſſe fertur, anno 1. Olympiad. lxxxvii. (annis 102. antè Imp. Alex. Magni, Per. Jul. 4282.) unà cum Euctemone Athenienſi. Emendante poſteà *Calippo*, ac in *quatuor* Cyclis decemnovennalibus *diem* demente, quum ſex horæ in ſingulis Cyclis Metonicis abundarent: Factum anno iii. Olymp. cxii. Alexandrei Imperii 1. Per. Jul. 4384. Græci dixerunt μέγαν ἐνιαυτὸν, *annum magnum*.

Dictus & *Cyclus Paſchalis*, ſed immutatus ad Paſchales rationes Chriſtianis temporibus, quia ejus beneficio cognoſcuntur *Termini Paſchales*, & *Neomeniæ*, in Kalendario. Traductus adeò hic Cyclus ad uſum Chriſtianum fuit ab Alexandrinis primùm, diu antè Synodum Nicænam; præeunte iſtis Anatolio Alexandrino, Laodicenſi in Syriâ Epiſcopo, in Canone Paſchali, quem Euſebius in Chronico laudat ad A. Æræ Chr. cclxxix. & de quo is pluribus *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ* Lib. vii. C. xxxii. dein Beda *de Rat. Temp.* Cap. iv. Ac de Euſebii loco

co multis Petavius, Lib. VI. *de Doctr. Temp.* & *Animadverſ.* ad Epiphanium, *Hær.* LI. *Alogor.* ac poſt eum Wilhelmus Langius, *de Annis Chr.* L. I. C. VII. prolixè Ægidius Bucherius, in Canonem Paſchalem Anatolii, tacente Henr. Valeſio in Annotatis. Et Cyclum quidem orſus Anatolius, ab anno Ch. CCLXXVI. alii CCLXXVII. à Menſe *Phamenoth*, die XXIX. qui reſpondet *Martii* Juliani XXV. ſeu VIII. *Kal. April.* (ut ex antiquis MSS. reſtituendus locus Euſebii) qui dies *Æquinoctii Civilis* apud Alexandrinos, indè à Julio Cæſare, antè fixum illud in XXI. *Martii*, ſeu XII. Kal. April. indè à Nicænis temporibus, nec tamen ullo Nicænæ Synodi decreto, ut vulgò ferunt.

Cyclus annor. XVI. Hippolyti.

Alio Cyclo Paſchali uſus eſt paulo antè Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, ſcribens anno XIII. Alexandri Severi, qui Imperium iniit A. Æræ Vulg. CCXXII. Nempè reperit Cyclum ἑκκαιδεκαετηρίδα ſeu annorum XVI. ex duabus *Octaëteridibus*, (quæ hactenus etiam Græcis Chriſtianis in uſu) conflatum; orſus ab Anno I. Al. Severi. Eumque Cyclum extendit in annos CXII. ſeu *ſeptem* Heccaidecaëteridas, quando *feriis* ad idem caput redire credidit: Quâ de re Petavius, Bucherius, Cangius ad Chron. Alex. & nuper Noriſius, de Paſchali Cyclo Latinor.

Cycli alii à Chriſtianis adhibiti.

Anatolii porrò & *Hippolyti* Cyclos, dùm vitio non carere animadverſum eſſet à Chriſtianis, ſubindè alios atque alios Cyclos Paſchales concinnarunt. Talis Cyclus annorum Julianor. LXXXIV. ſeu ſex *Teſſaradecaëteribus* conſtans, vel ſexies *bis ſeptem* annis, ſeptenario numero ad Lunæ rationes accommodato. Contextus idem ex Periodo Calippicâ annorum LXXVI. de quâ loco ſuo dicendum, & ex Octaëteride Lunari; atque adhibitus primum à Judæis, ſub jugo Syro-Macedonico, ſive jam à temporibus Alcimi, vel Jaſonis, aliis Simonis Maccabæi. Meminit Epiphanius, *Hæreſi* LI. *Alogorum*, & quidem uſos eſſe *Judæos* eo Cyclo, tempore Chriſti Servatoris, undè conficit Epiphanius, Judæos tempore Paſſionis Chriſti *biduo* vel *triduo* aberraſſe: Quia nempè poſt annos LXXXIV. Cyclus hic Neomenias cœleſtes retardaret, uno die, horis ferè VII. ſeu tantum ferretur Luna εἰς τὰ προηγούμενα. Adhibitus tamen hic Cyclus à Latinis, ad Paſchales rationes ſuas, cumprimis labente ſeculo IV. uſque ad Leonis I. Pontificis Rom. tempora; quia hoc Cyclo pari ferè dierum numero *Solis* & *Lunæ* rationes claudebantur, addendo modò ad Novilunium Cycli proximè elapſi, diem I. horas VI. 51′. Idque factum poſt Nicænam Synodum, juxtà quam Plenilunium Paſchale nunquàm antè Æquinoctium Vernum, Paſchalis ſolemnitas non antè Lunam XVI. Undè ſi incideret Dominica Paſchalis in Lunam XV. in ſequentem Dominicam, ſeu Lunam XXII. ſolennitas differebatur, juxtà Latinos quidem, non quidem juxtà Orientales. Poſteà verò *Dionyſius Exiguus*, conciliandis rationibus Paſchalibus Latinorum, cum Alexandrinorum illis, ſubſtituit *Cyclum*, parem illi Cyrilli Alexandr. ſcilicet ſyſtema annorum XCV. ex quinque Enneadecaëteridibus conſtantem, inchoandum ab anno DXXXII. teſte Dionyſio Epiſt. ad Petronium, & Bedâ. Ratio fuit, quia poſt annos XCV. redirent ſolemnia Paſchatis eodem ferè curſu quo antè, *die uno* nonnunquàm addito, vel ſubtracto, propter Biſſextum intervenientem, poſt annos XCV. De quibus Petavius, Bucherius, Noriſius, &c. Sed his omnibus ſucceſſit tandem *Cyclus Gregorianus* de quo ſuprà, & infrà quoque.

Aureus Numerus.

Dictus etiam Lunæ Cyclus *Aureus Numerus* Latinis: Sive ob uſum ejus verè aureum & eximium, in inveniendis ſine labore cujuſvis anni Neomeniis, & terminis Paſch. ſeu Lunâ XIV. ſive quòd ſinguli anni Cycli Lun. temporibus Chriſtianis *auro* notarentur in Faſtis, vel in margine Kalendarii, Alexandrini primùm tùm Romani; & quidem ad dies *Neomeniarum* in menſibus ſingulis, quo die Novilunium in Januario, Februario, Martio, & ſic deinceps, appoſitâ ad hos dies *unitate* in Cyclo I. qui Numerus aureus I. Et ſic Numeros cum annis Cycli augendo, uſque ad XIX. incluſivè. Ac poſterius quidem probant Scaliger in Canonibus Iſagogicis, Nic. Mulerius, alii. Sed qui olim numeri, antè A. Chriſti CCCC. *primam* Lunam indicabant, nunc Lunam *quintam*, ævo hoc noſtro, ob anticipationes Lunares; ità tamen ut quinta hæc in rationibus Paſchalibus, ſtylo vetere, pro primâ habeatur.

Hic Cyclus an in uſu Romanis veter.

An verò *Cyclum* Lunæ *decemnovennalem* Romani, jam à tempore Julii Cæſaris, Kalendario ſuo appoſuerint, dubitatur meritò. Licet *Calendarium Julii Cæſaris* cum *Cyclo Lunæ*, exhibuerint jam ſuperiore ſeculo, tempore Leonis X. Paulus de Middelburgo, Lib. de Rat. Celebrandi Paſch. Johannes Stofflerus edito Kalendario Romano, Oppenhemii A. 1518. & ſub Julio III. Lucas Gauricus Epiſcopus Geophonenſis, qui & de Eclipſi Solari in Paſſione Chriſti, de ejus Die Natali, &c. commentatus eſt. Sed nihil tale qui Faſtos, & Kalendarium Vetus Rom. deſcripſerunt ex Ovidio, Columellâ, Plinio, & Marmoribus antiquis.

Rationes inventi hujus Cycli, & uſus.

Cauſa inventi hujuſce Cycli annorum XIX. non una fuit. *Prima*, quod elapſis annis XIX. cùm Novilunia tùm Plenilunia ferè ad eundem terminum redeant, nec ἀκριβῶς tamen, & Lunationes CCXXXV. in quibus CCXXVIII. *ordinariæ*, VII. *emboliſmales*, paria ferè faciant cum annis Julianis XIX. Quod primus apud Græcos demonſtraſſe fertur Meton Athenienſis, æquans præciſè rationes Solis & Lunæ ſuâ Enneadecaëteride, in quâ anni XII. ſinguli XII. menſium, anni VII. menſium XIII. Lunationes eæ efficiunt dies 6939. horas 16. cum dimidia circiter; anni Jul. dies 6939. horas 18. ut ità poſt annos Jul. XIX. recurrant eodem die & tempore *Novilunia*. Sed deprehenſum poſteà Novilunia antevertere ſeu citiùs accidere quàm antè annos XIX. ferè *ſeſquihorio*, ſeu *horâ* I. 27. 31″. 55‴. Quâ *horâ* cum totidem *ſcrupulis* primis, ſecundis, tertiis, Cyclus Lunaris minor eſt annis Julianis XIX. quæ προήγησις Lunaris dicitur. Hinc elapſis XVI. Cyclis Lunaribus, ſeu annis 304. προήγησις hæc Lunaris eſt horarum 23. 20′. 30″. 40‴. id eſt, fermè unius diei, undè nata Periodus Hipparchi.

Cauſa *altera*, quod beneficio hujus Cycli Lun. *Termini Paſchales*, ſeu *Lunæ* XIV. Paſch. ſingulorum annorum, deinceps fixæ fuerint, juxtà mentem Synodi Nicænæ Oecumenicæ, certæ illæ, ac in orbem recurrentes Cyclo eo exacto, ut ex Tabulâ inferiore liquet. Magnis enim *Termini* illi difficultatibus laborare videbantur, fervente Paſchali controverſiâ, quum in ipſâ *diei* obſervantiâ Chriſtiani Sacri pars magna poneretur. Difficultates natæ, ob variam *emboliſmorum* rationem apud varios, pro varietate Cyclorum quibus uſi anteà, ut Octaëteride, Teſſaradecaëteride, Enneadecaëteride, Periodo Calippicâ, Judaïcâ annorum LXXXIV. Latinis veteribus uſurpatâ, &c. Deinde ob diverſitatem, I. In figendo *die Paſchali* ſeu à Teſſaradecatitis, ſeu à Chriſtianis reliquis, qui *Dominicam* Paſchalem modò *antè* Æquinoctium, Martii XX. modò ipſo Æquinoctii *die*, modo *poſt* illud definirent, ſcil. à XXII. Martii ad XXV. April. incluſivè. 2. In figendo die *Æquinoctiali*, verno, ſeu vero & cœleſti vel Aſtronomico, quando Sol in Arietem ingreditur; ſeu civili & vulgari, quem Soſigenes Mathematicus XXV. Martii diem ſtatuerat; & ità quoque Patres Concilii Cæſar. A. Æræ Vulg. CXCVIII.

Digitized by Google

cxcviii. ut Anatolius; alii verò anticipabant, die xviii. cum Judæis; aut xxi. ex mente Nicænorum. 3. In *Menſis Paſchalis* ſeu *primi* menſis initio conſtituendo, qui *Niſan* ex uſu Judæorum; Alexandrinis orſis à menſe *Phamenoth*, his à die xxvi. reſpondente Martii xxii. illis à die xxix. reſpondente Martii xxv. Poſteà fixo capite primi Menſis, intrà quem celebraretur Paſcha, in diem i. *Pharmuthi* ſeu xxvii. Martii. 4. In conſtituendo *limite Paſchali*; quem v. gr. Palæſtini in Synodo Cæſarienſi, cujus meminit Euſebius, A. Vulg. cxcviii. circiter, & Romani Victore Epiſcopo, definivêre ab xi. Kal. *April.* uſque ad xi. Kal. *Maji*, ſeu *Aprilis* xxi. Alexandrini vero extenderunt uſque ad xxx. Pharmuthi, ſeu ad *April.* d. xxv. vel vii. Kal. *Majas.* Latini veteres à xiii. Kal. *April.* id eſt, à viceſimo *Martii* ad ix. Kal. *Majas*, ſeu xxiii. *April.* Victorius qui poſt Leonem I. ſcripſit, Hilaro hujus ſucceſſore, à xxii. *Martii*, ad viii. Kal. *Maj.* ſeu xxiv. *April.* Ità his citima Neomenia Paſchalis fuit v. Martii, ex Latinorum veterum ſententiâ; quo ipſo Paſcha ſubindè antè Æquinoctium, aut in ipſo Æquinoctio recurrebat: Alexandrinis citima Neomenia fuit *Martii* viii. ſeu xii. *Phamenoth*; Victorio autem Aquitano, vii. Martii, undè citima feria Paſchalis, ac Dominica, nunquàm antè xxii. *Martii*, ſeu xi. Kal. *April.* incidebat, Lunâ xvi. 5. In *Anno* etiam variatum, qui his quandoque *Communis* fuit, illis *Emboliſmalis*, menſium xiii. pro varietate quam dixi modò Cyclorum ac Periodorum, quibus uſi in æquandis temporibus. Hinc & Judæorum cavilla, & καύχησις apud ſe ſolos Paſchata ſervari, ſeu Novilunia & Plenilunia Paſchalia.

Tertia denique ratio fuit, ut Cycli hujus beneficio & Epactarum quoque anno Cycli, *Neomeniæ* per totum annum & inveniri poſſent, & deſignari, adeoque etiam Plenilunia; cujus rei demonſtratio ex ſequentibus fiet illuſtrior.

Diverſa Cycli hujus olim ratio.

Rursùs varia fuit apud Chriſtianos veteres hujus Cycli Paſchalis methodus & ratio. *Et Alexandrini* quidem à menſe *Thoth* eundem inchoarunt, cum principio anni Civilis, ſeu à xxix. Aug. Juliani, Diocletiani anno i. Æræ Vulg. 284. Periodi Jul. 4997. Cyclo Solis xiii. annis viii. poſt Enneadecaëteridem Anatolii publicatam, antè Cyclum à Dionyſio Exiguo deſcriptum ccxlviii. Et hinc currit Æra Diocletiani, ſeu Martyrum, de quâ infra.

Alexandrinorum Cyclus.

Quanquàm poſteà eoſdem Alexandrinos Cyclum nonnihil immutaſſe, ob Paſchales rationes, caput Cycli decemnovennalis conſtituendo in menſe *Paſchali*, in quem ſcil. cadit Paſcha, id eſt, *Pharmuthi*; & hunc antè intercalando menſes embolimos, Cyclo nempè iii. vi. viii. xi. xiv. xvii. xix. pluribus Petavius, *de Doctrinâ Temp.* L. vi. C. iv. & qui de *Cyclis Paſchalibus* commentati ſunt. Undè prior Cyclus Alexandrinorum *Naturalis* ſeu Epactalis, *Paſchalis* alter.

Romanus.

Ab Alexandrinis Cyclum hunc mutuati Græci, & Romana Eccleſia, prout Alexandrinis, in hoc genere peritioribus, hæc Paſchalium rationum cura commiſſa à Nicænis & ab Imperatore fuit. Adeò quidem ut *Romanus* Pontifex ab *Alexandrino* expectaret denunciationem ſolemnitatis Paſchalis, ex Bedâ C. xlii. *de Rat. Temp.* nec diffitente Petavio, *Lib.* vi. C. v. ſub initium. Undè idem fuit Cyclus Lunaris Alexandrinus & Romanus, præterquàm quod hic incipiat à Kalend. Jan. cum anni Juliani exordio, ille à xxix. Auguſti præcedentis. Quo factum ut Cyclus Alexandrinorum idem eſſet cum Romano à Kal. Jan. ad xxviii. Aug. incluſivè: Sed hinc ad Januarium ſequentem Alexandrinorum Cyclus uno creſceret, Romanus uno minor eſſet, quod & de capite diverſo *Indictionum* aliàs obſervatum eſt. Et hoc intellige quoad *Cyclum* ſtrictiùs *Lunarem* appellatum Dionyſio, Bedæ, & Veteribus.

Dionyſianus.

Cæterùm Dionyſius Exiguus, qui Cyclum decemnovennalem deſcripſit A. Vulg. dxxvi. eumque ex Alexandrinis Faſtis, ſecundùm Nicænam conſtitutionem, in Romanum Kalendarium tranſtulit, inchoavit eundem Cyclum à menſe *Paſchali*, ac *ſex* ferè menſibus prævertit Cyclum Alexandrinum, qui à *Thoth* menſe ſeu xxix. *Aug.* ducebatur. Nempè *primum* Cyclum, ſeu caput Cycli conſtituit Dionyſius in Lunâ xv. Paſchali, ſeu à. d. xv. Kal. Maj. vel Aprilis xvii. qui erat Cyclus xix. ſecundum Alexandrinos, currens his ad finem Auguſti ſequentis. Hinc *ſecundum* incepit à Lunâ xv. quæ caderet in Aprilis ſequentis vi. & ità porrò; ut communis Cyclus terminaretur diebus cccliv. emboliſmalis diebus ccclxxxiv. præterquàm in *ſeptimo emboliſmo*, Cyclo xix. ex Alexandrinorum uſu, hinc Dionyſii Exigui, ubi dies *unius* diſſimulatur, qui aliàs redundaret, dum *Lunatio Julii* ex plenâ fit cava, uno die decurtato. Vocant *ſaltum Lunæ* Beda & Chronologi, Græci ὑπόλογμὸν σελήνης, illam diei unius ὑπεξαίρεσιν ſeu decurtationem. Quem *diem ſaltûs* Victorius & Sectatores Latini conjecerant in Cyclum xvi. & in xv. Kal. Decembris, ſeu xvii. Novembr. Cujus rei rationem ex Petavio *Lib.* vi. C. xvii. ex Bucherio, & Computiſtis, ſi lubet, require.

Diſcrepantiarum in his Cyclis cauſa.

Quo factum eſt ut Cyclus Paſchalis *Dionyſianus*, non à Cyclo communi, quo utimur hodie, primo, ſed à Cyclo xix. proficiſcatur, ac integro ferè anno antevertat Cyclum communem *Romanum*, qui incipit à *Kal. Jan.* ſequentibus, quibus adſcribitur Num. Aureus i. Termino tùm Paſchali ſeu Lunâ xiv. in Aprilis v. Neomeniâ in Martii xxiii. incurrente, vel ex Tab. Ratio fuit Dionyſio, ut conveniret illi cum Alexandrinis & Græcis, qui menſi illi Paſchali à quo orſus eſt Dionyſius, ad Neomeniam iv. April. adſcriptum habebant Numerum Aur. xix. quibuſque anni, in Numerorum iſtorum ſerie, iii. vi. viii. &c. erant embolimæi, uti iiſdem annis, ac in ſpecie *anno* viii. in *octaëteride*, intercalabant Judæi ac Græci vetuſtiores. Quod verò Cyclus communis ſeu hodiernus Romanus incipiat à *Kal. Januarii* ſequentibus, Aureo Num. i. Neomeniâ Paſchali incidente (ut in Tabulâ ſubjunctâ) in xxiii. Martii, Termino Paſchali in Aprilis v. (qui eſt Cyclus Dionyſii ii.) hinc factum fuit, 1. Quod Epactæ nullæ ſunt *incipiente* eo Cyclo, quæ in *fine* demùm xi. accedunt, vel ex Tabulâ. 2. Quod indè, id eſt, ab Aureo Num. i. Dionyſius Cyclos ſuos xxviii. ſeu Periodum ſuam Annor. dxxxii. de quâ infrà, duxerit. 3. Quod Annus primus Æræ Vulgaris, ſeu Epochæ Chriſtianæ, aliter non inciperet cum Cyclo Lunæ *ſecundo*, Solis x. nec is Cyclus eſſet *primus* qui anno uno Æram iſtam anticipat, ut eſt omninò ſecundùm Bedam, & qui à Kal. Jan. inchoant Cyclum.

Cyclus Latinor. veterum.

Sed & alia fuit ratio Cycli *Latinorum* ſeu Occidentalium veterum, quales erant Itali (nec tamen Mediolanenſes, Ambroſio ſecuto Methodum Alexandrinorum) Hiſpani, Galli, Britanni, quâ de re fusè, poſt Petavium, Æg. Bucherius, in Victorii Canonem *Cap.* x. Neque enim hi, in Paſchali hac causâ, admiſerant Cyclum Alexandrinum aut Romanum poſteà, ſed ſuum ordiebantur à *Niſan* menſe, ſeu v. *Martii* Jul. cum *Judæis* & *Teſſaradecatitis*, incidente tùm Lunâ xiv. Paſchali in *Martii* xviii. feriam vi. Dominicâ Paſchali ſeu Lunâ xvi. in xx. *Martii* antè Æquinoctium Nicænum. Initium præterea Cycli hujus veteris Latinorum, fuit à *Cyclo* decemnovennali Alexandrino

& Romano tertio, adeò ut Cyclus Alex. *octavus* illis eſſet v. & Cyclus Alex. *decimusnonus* illis eſſet xvi. Hinc fiebat, ut hi duo anni qui in Kalendario Alex. & Romano erant *biſſextiles*, lunationum xiii. unde Paſcha in *Jiar* ſeu Aprilem incideret, eſſent Latinis his, vulgò Judaïzantibus, *communes* anni, lunationum modò xii. adeoque his Cyclis Paſcha ſuum in *Niſan* Latini celebrarent, eſſetque iiſdem *Paſchalis* menſis idemque *primus*, qui Alexandrinis & Romanis erat menſis *ante-Paſchalis* & xiii. ut toto *menſe* Paſcha utrumque diſtaret. Hinc miræ concertationes, his ipſis Cyclis viii. & xix. Alexandrinorum, ut cauſas alias mittam, de quibus prolixè Petavius Libro vi. *de Doctr. Temp.* Sed cauſam hanc omnem poſt Petavium diligentiſſimè excuſſit Bucherius, ſuo in Canones Paſchales Comment. collatis inter ſe Cyclis, quod ab hoc loco alienum. Ac permanſit hæc Cycli ratio apud *Occidentales* diu ſatis, donec ad *Romanum* celebrandi Paſchatis ritum ſucceſſivè inducerentur. Hæc tyronibus ſuffecerint. Plura qui volet, perplexa plerumque & ſalebroſa, diſcenda ex *Computiſtis* ſeu veteribus ſeu recentioribus, ut Victorio Aquitano auctore Canonis Paſchalis, Bedâ Libris de Ratione Temporum, Brideferto Bedæ Scholiaſtâ, Campano ſcriptore Computi Majoris, cæteriſque, quales Petrus de Rivo, Paulus Foroſempronienſis Epiſc. Joh. Stöfferus, Chriſtoph. Clavius, Joſ. Scaliger, Dion. Petavius, Sethus Calviſius, Æg. Bucherius, Carolus du Freſne, & nuper H. de Noris de Paſchali Latinor. Cyclo.

Terminus Paſchalis quis? *Paſchalem terminum* vocavit Chriſtiana Antiquitas, *Lunam* xiv. quæ vel in Æquinoctium vernum incideret, id eſt, à Nicænis temporibus in xxi. Martii, vel illud proximè ſequeretur, uſque ad xviii. April. Ideoque hi dies Paſchalis *terminus* appellati, quia proximè ſequens *Dominica* Paſchali ſolemnitati dicabatur. Sic *Paſchalis menſis* dictus, cujus Neomenia omnium citima incideret in viii. Martii, remotiſſima in v. April. cujuſque adeò Luna xiv. quam excipiebat Paſcha, nec antecederet xxi. *Martii*, nec metam quæ in xviii. *Aprilis* tranſcenderet. Porrò circà hos Terminos, quorum Diagramma infrà ſubjunctum, obſervanda ſunt Chronologiæ tyroni, inter cætera: i. Lunam

Obſervata quædam. xiv. putatam à συζυγίᾳ Luminarium, non *præcisè* fuiſſe ipſum plenilunium medium, temporibus Nicænis, πανσεληνιακῆ ἡμέρᾳ, calculo Aſtronomico, ſed *deſiiſſe* in diem Plenilunii, ſeu in Lunam xv. prius licet ſupponente Scaligero, ſed meritò caſtigante Petavio. ii. Hinc ſi Luna xiv. in *Sabbatum* incideret, *Dominicam* ſequentem, juxtà Alexandrinos, ſeu *Lunam* xv. fuiſſe omninò *Paſchalem*, licet Plenilunium medium ſeu Aſtronomicum in hanc ipſam Dominicam incurreret, quod accidit Cyclo Alexandrino i. ii. iii. iv. v. vi. Ratio Alexandrinorum, quia hic Paſchæ dies, *Luna* xv. eſſet in Scripturâ S. definitus, uſque ad *Lunam* xxi. incluſivè. Quod verò contendunt Scaliger, Calviſius, aliique dilatum tunc fuiſſe Paſcha in Lunam xxii. quum *Luna* xv. incurreret in Dominicam ſeu feriam i. id ſanè Canon Victorianus decernit, ut nunquàm antè Lunam xvi. Paſcha indicatur, & praxi Latinorum obtinuit; ſed qui hoc ipſo ab Alexandrinis diſſiderent. Luna igitur xvi. ſecundùm iſtos, quoties incideret in feriam ii. ut Cyclo Victorii xi. xii. xiii. xiv. xv. xvi. dilatum Paſcha fuit in ſequentem Dominicam, & ità viii. diebus, poſt Alexandrinos, Feſtum à Latinis illis celebratum. Adi Bucherium in Victorii Canonem, *Cap.* viii. xi. Ratio non celebrandi Paſchatis *Lunâ* xv. fuit his Latinis præcipuè duplex; i. Quod ille ipſe dies fuerit Paſſionis Dominicæ, qui excepit Paſcha Chriſti θανάσιμον. 2. Quod in eandem Lunam incurreret Judæorum Paſcha, ſeu primus & maxime ſolemnis *Azymorum* dies Judaicus, atque ità Judaizare viderentur *Quintadecimani*. iii. *Terminos* hos Paſchales, & Paſchales *Neomenias*, habuiſſe diem fixum & immotum, per ſingulos annos Cycli decemnovennalis, ex Nicænâ (ut volunt) conſtitutione, & ex Canone horum Terminorum; quem tanquam *Nicænum* Dionyſius Exiguus repræſentavit, nullo (ut dictum aliàs) Synodi ejus comperto Decreto. iv. Factum tamen eſſe, ob προήγησιν Lunarem ſingulis Cyclis, (Lunâ non ità redeunte ad idem cum Sole punctum, poſt annos xix. Julianos, quin Novilunia & Plenilunia antevertant ferè *ſeſquihorio*,) ut quæ Luna xiv. tempore Nicænorum incideret v. gr. in xxi. Martii, Numero Aur. xvi. hodie incidat in xvii. Martii; ſitque dies Martii xxi. Luna xviii. factâ anticipatione *quatridui*, & *horarum* aliquot. Quod interim diſcrimen Chronica & Annales non obſervant, quoties Lunæ ætatem, & in eâ Eclipſes Solis aut Lunæ memorant, ſervato ſitu Aurei Num. priſtino. Atque hæc cauſa eſt, i. Emendationis pridem tentatæ, etiam inter Græcos à Nicephoro Gregorâ, & Iſaacio Argyro, quam videſis apud Scaligerum *de Emend.* Lib. iv. 2. Reformationis Gregorianæ, ſecundùm methodum Lilii Gyraldi, ſublato decemnovennali Cyclo, & Numeris Aureis, ut prolixiùs docuimus ſuprà *Capite* vii. Quanquàm emendationis rationem aliam, ſervato Cyclo, ſuggerat Scaliger in Libris *de Emend. Temp.* & in Elencho Kalend. Greg. 3. Diſcrepantiæ Paſchatum ſecundùm Kalendarium *vetus*, & Gregorianum *novum*, de quâ etiam dictum in *Anno Gregoriano*.

Diſcrepantiæ hujus ratio ex duabus præcipuè cauſis manifeſta eſt. Prima eſt, quod retineantur in Kalendario vetere Termini Paſchales Dionyſiani, licet in illos cadat non Luna xiv. ſed Luna xviii. ex dictis; quando ſingulis annis 312. circiter, anticipant toto die Novilunia, igitur & Plenilunia. Quare Gregorius XIII. reſtituit Terminos Paſchales in ipſum *Plenilunium*, ſeu in Lunam reverà xv. (licet xiv. nominetur) quæ vel in *Æquinoctium* incidit, vel proximè illud *excipit*; uno etiam die tardiùs quàm factum olim, dùm *Luna* xiv. *Nicæna*, ſeu Termini Paſchales veteres, quandoque Plenilunium medium uno die antecederent, ut monuimus jam notato *Capite* vii. Cauſa altera eſt, quod à temporibus Nicænis Æquinoctium vernum aſcenderit verſùs Martii principium totis diebus x. nec incideret ampliùs in Martii xxi. quum reformaret Gregorius, ſed xi. ut pluribus quoque nuper. Atque adeò in Calendario vetere dies xxi. *Martii Jul.* ſervatur pro regulâ Terminorum Paſchalium, nec Paſchale Plenilunium cenſetur quod illud antecedit; contrà ex reformatione Gregor. is dies jam eſt xxi. *Greg.* & Paſchale cenſetur Plenilunium, quod cadit in diem $\frac{xxi.}{xi.}$ *Martii*, aut ſequentes. Hinc fit ut *lunatione* totâ, imò *quinque* etiam *hebdomadibus*, diſtent quadoque à ſe invicem Paſchata, ut in Superioribus planum fecimus. Nempè i. ob expectatam *Lunam* Paſchalem ſequentem, Stylo Juliano, dum præcedens Luna Paſchalis fuit Stylo Gregoriano. 2. Ob incidentes *Terminos* veteres in Lunam hodie non xiv. ſed xviii. quæ quandoque in *feriam* i. aut ii. incurrit, undè rurſùs totâ ſeptimanâ Paſcha prorogatur, ac ſequens demùm Dominica feſta habetur. *Diſcrepantia Paſchatum Stylo Vet. & Greg.*

Ut verò pleniùs conſtet Cycli utriuſque, *Lunaris* ſeu *Epactalis*, & *Paſchalis* veteris ratio, en utriuſque mox Diagramma: Alterum exhibens Cyclum Lunæ vulgarem & receptum, cum Epactis, ductum à *Kalend. Jan.* Alterum Neomenias & Terminos *Paſchales* juxtà intentionem Synodi Nicænæ, reſpondentes ſuis Numeris Aureis.

TA-

Digitized by Google

TABULA

Cycli Lunaris, ſeu Epactalis Juliani.

Aur. N.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Epactæ.	XI.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.
A. N.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
Ep.	XVII.	XXVIII.	IX.	XX.	I.	XII.
A. N.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Ep.	XXIII.	IV.	XV.	XXVI.	VII.	XVIII.
A. N.	19.			Intercalantur hoc Cyclo XIX. dies tantùm XXIX. & Lunatio ex *plenâ* fit *cava*, quia aliàs redundaret *dies* unus, quum ſpatio XIX. annorum *exceſſus* anni Juliani ſuprà annum Lunarem, ſit dierum 209. quæ ſumma per 30. diviſa, dat menſes embolimos tricenarios 6. & dies 29. Hinc detrahitur dies 1. in menſe VII. *Julio*, qui *Meſori* Alexandrinis; & Neomenia Cycli XIX. quæ figenda in *Julii* XXXI. retrahitur in *Julii* XXX. atque ità dies unus prætermittitur: Vide Petavium, præter Computiſtas.		
Ep.	XXIX. pro quibus tamen XXX. ſignantur, & ſic Epactis XII. creſcit Cyclus XIX. tranſcendens uno die Cyclum Julianum; qui dies eximitur per *ſaltum Lunæ*, antè expoſitum.					

Hîc primò Aurei Numeri ità diſpoſiti, ut *emboliſmales* ſint Cyclus III. VI. IX. XI. XIV. XVII. XIX. contrà quàm in Cyclo Paſchali vetere, ubi emboliſmus fiebat Cyclo ſeu Num. Aureo VIII. Quâ de diſcrepantiâ dictum modò fuit, & pluribus Petavius, aliique. *Emboliſmi* verò ſemper ſunt *dierum* XXX. quos factos eſſe in dictis Cyclis, conſtat ex abjectione *tricenarii* Numeri in collectione *Epactarum*, ſervatis Epactis reſiduis. Et hinc exemptio illa unius diei, Emboliſmo VII. Cyclo XIX. ex dictis.

Epactæ. *Epactæ* Lunares ſunt vel *menſtruæ*, vel *annuæ*. *Menſtruæ* ſunt exceſſus dierum in menſe Juliano *qui* poſt Neomeniam ejus menſis relinquuntur: Ut ſi v. gr. Novilunium accidat Kalendis Januariis, Cyclo Lunæ I. ineunte ſimul menſe Lunari & Juliano, redeunte novâ συζυγίᾳ, relinquetur adhuc de Januario dies I. ſolidus ſuprà 30. menſem Lunarem plenum, qui dies addendus Kalendis Februar. Undè Epacta Februarii erit I. Et ità creſcunt Epactæ menſibus reliquis, extrà Februarium, donec anno exacto XI. dies ſeu Epactæ colligantur. *Annuæ* ſunt exceſſus dierum, quibus annus Solaris Lunarem ſuperat, quique in fine anni adjiciuntur æquationis ergò, hinc ἐπακλαὶ ἡμέραι dies *adjecti*, *adſcititii*, appendices anni Lunaris. Sunt hæ anno *primo* Cycli *ineunte* nullæ, Neomeniâ incidente in Calend. Jan. ſed in fine anni exeuntis XI. adjiciuntur, quibus annus Solaris communis dier. 365. ſuperat Lunarem communem dier. 354. anticipante totidem diebus novo anno Lunari, & Neomeniâ incurrente in XXI. Decembr. Atque ità per XI. *creſcunt*, ut *ſecundus* Cyclus habeat Epactas XXII. & totidem diebus præcurrat Neomenia, quæ ſic in X. Dec. Ad *tertium* Cyclum adjectis rursùs XI. fiunt XXXIII. quibus Luna à Sole ſuperatur, quo fit ut eo Cycli menſis *embolimus* intercaletur dierum triginta; & ſic abjecto tricenario ſuperſint ad *tredecim* Lunationes *Epactæ* III. undè Neomenia redit XXIX. *Dec.* *triduo* antè Cal. Jan. Quo fit ut Epactæ, tùm quando tricenarius abjicitur, in Cyclo emboliſmali, per XIX. *decreſcant*, quemadmodùm in anno communi per XI. *creſcunt*, ut in ſchemate adjecto videre eſt. Et totidem diebus XIX. ſuperat annus Lunaris emboliſmalis, (qui dierum eſt 384. ob additam Lunationem) Solarem annum, dierum 365. Aſt in Cyclo XIX. habente Epactas XXIX. addendæ ad XXIX. Epactæ XII. ut exurgant XLI. de quibus detractis XXX. (quamvis intercalentur tantùm dies XXIX. quod vocant *ſaltum Lunæ*) remanent XI. quæ ſunt Epactæ Cycli *primi* ſequentis, ut totidem fuerant Cycli *primi* prioris: Et hæc pluribus Chronologi, ac Computiſtæ.

Epactarum verò beneficio, & Cycli hujus Lunaris, intelligitur primò, Ætas Lunæ, & inveniuntur *Neomeniæ* ac *Plenilunia*. *Epactarum uſus.* Nam v. gr. in Cyclo *primo*, Neomeniæ dies ſunt Kalendæ Jan. hinc in fine anni detractis Epactis XI. relinquitur Decembris XX. quo terminatur Luna vetus, ac ſequens dies XXI. eſt dies Neomeniæ, hinc numerando dies XV. à Neomeniâ, noſcitur dies Plenilunii. In anno *ſecundo* Cycli, detractis Epactis XXII. redit Neomenia ducens novum annum Lunarem, in X. Decembris. In anno *tertio* Cycli, Neomeniæ dies detractis Epactis XXXIII. eſt XXIX. Nov. adde Lunationem emboliſmalem dierum XXX. redit Neomenia XXIX. Dec. IV. Kalendas Januar. manentque Epactæ III. In anno *quarto* Cycli, detractis rursùs de menſe ultimo Jul. Epactis, quæ tùm XIV. Neomenia incidit in XVIII. Dec. In anno *quinto* Cycli, detractis iterùm ultimo menſe Epactis XXV. Neomenia incidit in VII. Decembris; In anno VI. Cycli qui embolimæus eſt, detractis rursùs à VII. Decembr. Epactis XI. Neomenia

Digitized by Google

menia redit in XXVII. Novembr. adde *Lunationem emboliſmalem* XXX. dierum, redit Neomenia novi anni Lunaris XXVI. Decembris, manentque Epactæ VI. & ità in reliquis. Et hanc detractionem Epactarum de diebus menſis, inveniendis Neomeniis, vocant ἀποτομὴν *Apotomen*. Porrò à Neomeniâ quæ proximè Kalendas Januarias anteceſſit, ad ſequentem Neomeniam *primo menſe* Lunari, numerantur dies XXX. menſe Pleno, *ſecundo*, dies XXIX. menſe Cavo, & ità porrò alternis putantur Lunationes plenæ & cavæ. Diagramma Neomeniarum toto Cyclo, per menſes XII. Julianos, videſis apud Petavium, *de Doctr. Temp.* L. VI. C. XV. & alios. Nec intricatior *Epactarum* doctrina, & ad calculos Aſtronomicos revocata, hujus vel inſtituti eſt vel loci; uti per *Epactas* non præciſè & Aſtronomicè definitur ætas Lunæ, ſed ἐν πλάτει ſaltem *dies* Novilunii, hinc Plenilunii; ut toto die non aberraveris.

Ratio inveniendi Paſchalem Dominicam, hinc Feſta mobilia. Sed & Cycli hujus beneficio intelliguntur ut Neomeniæ, ſic hoc ipſo *Feſta mobilia*, quæ ad Lunæ rationes exiguntur, ut olim ſub V. T. cumprimis Paſchale Feſtum. Nam datâ Neomeniâ quæ incidit in VIII. *Martii*, aut illud proximè ſequitur, eſt eadem *Paſchalis*, & Luna indè XIV. Paſchalis olim *Terminus*, quem in Lunam reverà XV. ſeu in Plenilunium *medium*, præter reſtitutum Æquinoctii Verni diem, Gregorius Pontifex rejectum voluit, ex antè monitis. Præterquàm quod in Tabulâ Cycli Paſchalis ſubjunctâ, ſingulis *Numeris Aureis*, (quos aliter diſpoſuerunt in Cyclis ſuis Anatolius Alexandr. de quo ſuprà, tum Alexandrini poſt tempora Nicæna, ſecuturo Dionyſio Exiguo, tandem Victorius Aquitanicus, auctor Canonis Paſchalis) reſpondent ſinguli *Termini* Paſchales, qui *Dominicam* proximè ſequentem ſolemnem facerent, memoriâ Dominicæ Reſurrectionis. Fixo autem *Paſchali* die, reliqua *Feſta mobilia* indè protinùs intelliguntur, æquali ſemper à Paſchate diſtantiâ: Sive *antecedant* illud, ut *ſeptuageſima*, *ſexageſima*, &c. ſic Dominica *Palmarum*, Feria *Cœnæ Dominicæ*, *Paſſionis*; ſive ſequantur, v. gr. Feſtum *Aſcenſionis*, *Pentecoſtis*, & quæ alia adjecit ſequior ætas.

Modus inveniendi Cyclum Lunæ Epactalem. Invenitur autem *annus* Cycli Lunaris, hinc & *Epactæ* ejus anni, quocunque anno propoſito *Æræ Chriſtianæ* Vulgaris, aut etiam antecedente hanc ipſam Æram, expeditiſſimâ methodo. Nam dato anno v. gr. hoc ipſo *1691*. adde *unitatem*, ſeu annum I. & collectam ſummam divide per 19. reſiduum oſtendet annum *Cycli*, nempe I. Quod addenda ſit *unitas* exindè fit, quoniam natus eſt Chriſtus, ſecundum calculum Dionyſii ſub finem Cycli primi, putando à Kalendis Jan. præcedentibus, incipitque Æra Vulgaris Cyclo Lunæ 2. Pariter ſi annum quemvis datum Periodi Julianæ diviſeris per 19. reſiduum oſtendet Cyclum Lunæ: Quoniam in anno primo Periodi Jul. trium Cyclorum principia concurrunt, ut poſteà. Invento numero *Cycli*, reſpondent cuique Numero ſuæ *Epactæ*, ut in Tabulâ ſuperiore.

Epactæ Gregorianæ, & earum uſus. Ut verò Gregorius XIII. ſublatis Numeris Aureis & Lunari Cyclo, ſubſtituerit *Epactas* XXX. retrò numerandas à *Kal. Jan.* quarum beneficio intelligitur anticipatio Lunaris menſibus Julianis ſingulis, eſt jam ſuprà à nobis ſignificatum. Cui rei ſuccurrunt Tabulæ exhibentes *Calendarium Gregorianum*, idque perpetuum, per ſingulos anni *Menſes*, appoſitis diei cujuſque Menſis *Epactis*, hinc *Anno* cuique *Epactis annuis*; quæ ut habeantur, ſubtrahendæ X. ab Epactis Julianis, pro numero dierum quos exemit Gregorius XIII. uſque ad A. 1700. Sic Anno hoc 1691. Epactæ Julianæ ſunt XI. ergò Gregoriana Epacta I. Anno 1692. Epactæ Julianæ XXII. ergò Gregorianæ XII. & ità porrò. Si verò Epacta Juliana *minor* eſt quàm X. ut Cyclo III. VI. &c. tùm adduntur XXX. & è ſummâ collectâ ſubtrahuntur X. & numerus reſiduus oſtendit Epactam Gregorianam. Ab anno 1700. ſubtrahendæ erunt Epactæ XI. Datâ verò *Epactâ* Gregorianâ, cùm *Novilunii* dies, quocunque Menſe, tùm *Paſcha* Gregorianum nullo negotio inveſtigatur. Nempè computandæ primò *Epactæ* Gregorianæ ejus anni, quæ ineunt ſemper à *Martio* menſe Æquinoctiali; v. gr. anno proximo 1692. erunt Epactæ 12. His adde numerum *Menſium*, computando à Martio, id-eſt, *unitatem*, fiunt 13. quem numerum ſubtrahe de 30. remanent 17. Quare Novilunium Martii ſeu Neomenia Paſchalis Gregoriana, anno 1692. accidet ejus Menſis die 18. Indè Luna XIV. Terminus Paſchalis, quæ incidet in 1. Aprilis, *feriâ* 3. hinc ſequens *Dominica* fuerit Paſchalis, *Aprilis* 6. habens Lit. Dom. E. indè à XXIV. Febr. Anno Biſſextili.

DIA-

Digitized by Google

DIAGRAMMA

Cycli Paſchalis Decemnovennalis, ſeu Neomeniarum & Terminorum Paſchalium toto Cyclo, ſecundùm Alexandrinos, quæ vulgò conſtitutio Nicæna cenſetur: Etiam ſecundùm Calendarium Romanum Dionyſii Exigui, præterquàm quod in ſitu Aureorum Numerorum diſcrepantia eſt, ob diverſa Anni principia, Ægyptii ſcil. anni, & Juliani, illius à XXIX. *Aug. hujus à Kal. Januariis præcedentibus.*

Numeri Aurei.	Neomeniæ Paſchales Nicænæ.	Termini Paſchales Nicæni, ſeu Lunæ XIV. Paſch.	Diſtantia ſingulorum *Terminorum* à ſe invicem, eſt Dierum XI. vel XIX. Nam Neomenia Paſchalis in Lunari anno *Communi* XI. diebus priorem antevertit, in anno *Emboliſmali*, XIX. diebus priorem ſequitur.
I.	Martii XXIII.	April. V.	Hic Cyclus eſt *ſecundus* Enneadecaëteridis *Dionyſiana*, quæ incipit à Cyclo XIX. *Aprilis* XVII. *Lunâ* XV. Paſchali. Cyclus ſecundus Dionyſ. ab VIII. *Idus April.* uſque in VIII. *Kal. April.* ſeu *Martii* XXV. quando incipit novus Cyclus.
II.	Martii XII.	Martii XXV.	Cyclus *tertius* Dionyſ. à VII. *Kal. April.* uſque in *Idus April.* ſequentes, facto *Emboliſmo.*
III.	Martii XXXI.	April. XIII.	Cyclus *Emboliſmalis* primus, *deſinente* Emboliſmo, in *Idus Apriles*, ſeu XIII. *Apr.* unde incipit Cyclus Dionyſ. *quartus.*
IV.	Martii XX.	April. II.	Cyclus *quintus* Dionyſ. à III. April. ad Martii XXII.
V.	Martii IX.	Martii XXII.	*Citimum* omnium *Paſcha* Cyclo V. Martii XXII. altero poſt Æquinoctium die. *Paſcha nec undenas Apriles antè Calendas*, juxtà terminum à Cæſarienſi Synodo conſtit. A. circiter CXCVIII. A die XXIII. *Martii* incipit Cyclus Dion. *ſextus*, uſque in *April.* X. ſeu III. Eid. facto Emboliſmo II.
VI.	Martii XXVIII.	April. X.	Cyclus *Emboliſmalis* ſecundus, deſinente Emboliſmo in X. *April.* undè incipit Cyclus Dion. *ſeptimus.*
VII.	Martii XVII.	Martii XXX.	Cyclus *octavus* Dion. incipiens à XXXI. *Martii*, uſque ad *April.* XVIII. facto Emboliſmo III.
VIII.	April. V.	April. XVIII.	*Remotiſſimum Paſcha* Cyclo VIII. incidens in XXV. *April.* quia April. XVIII. ſeu Luna XIV. incidit in feriam I. hinc Dominica demùm ſequens Paſchalis eſt, *April.* XXV. qui extremus limes Paſchalis. *Ne poſt ſeptenas Maji valet eſſe Calendas*, ſcil. Dominica Paſchalis. Et hic Cyclus eſt *Emboliſmalis* tertius, deſinente Emboliſmo in XVIII. April. ſeu XIV. Kal. Maji. Undè incipit Cyclus Dion. *nonus*, uſque in VII. *Idus April.* qui & VII. *April.* ſimpliciter.
IX.	Martii XXV.	April. VII.	Cyclus Dion. *decimus*, à VII. *April.* uſque in XXVII. *Martii*, ſeu VI. *Kal. April.*
X.	Martii XIV.	Martii XXVII.	Cyclus Dion. *undecimus*, à XXVIII. *Martii*, uſque in *Aprilis* XV. facto Emboliſmo IV.
XI.	April. II.	April. XV.	Cyclus *Emboliſmalis* quartus, deſinente Emboliſmo in XV. *April.* undè incipit Cyclus Dion. *duodecimus.*
XII.	Martii XXII.	April. IV.	Cyclus Dion. *decimus tertius*, incip. à *Nonis April.* deſinens in IX. *Kal. April.* ſeu *Martii* XXIV.
XIII.	Martii XI.	Martii XXIV.	Cyclus Dion. *quartus decimus*, incip. à XXIV. Martii, deſinens in XII. *April.* facto Emboliſmo V.
XIV.	Martii XXX.	April. XII.	Cyclus *Emboliſmalis* quintus, deſinente Emboliſmo in XII. April. unde rurſus incipit Cyclus Dion. *quintus decimus.*
XV.	Martii XIX.	April. I.	Cyclus Dion. *decimus ſextus*, incip. à II. *April.* deſinens in Martii XXI. ſeu XII. *Kal. Apr.*
XVI.	Martii VIII.	Martii XXI.	*Citimus* omnium *Terminus* Paſchalis Cyclo XVI. uti citima *Neomenia* eſt, quæ incidit in VIII. Martii: *Dominica* Paſchalis XXII. Mart. Porrò à XXII. *Martii*, ſeu Lunâ XV. incipit Cyclus Dion. *ſeptimus decimus*, deſinens in *Aprilis* IX. facto Emboliſmo VI.
XVII.	Martii XXVII.	April. IX.	Cyclus *Emboliſmalis* ſextus, deſinente Emboliſmo in IX. *April.* ſeu V. *Eid. Apr.* Undè rurſus incipit Cyclus Dion. *octavus decimus*, deſinens in *Martii* XXIX. ſeu IV. *Kal. Apr.*
XVIII.	Martii XVI.	Martii XXIX.	Cyclus Dion. *decimus nonus* ſeu ult. in Enneadecaët. Paſchali Dionyſ. incipiens à XXX. *Martii* ſeu III. *Kal. Apr.* deſinens in *April.* XVII. ſeu XV. *Kal. Maji*, facto Emboliſmo hoc Cyclo XIX. qui Emboliſmus *ſeptimus.* Et hos Cyclos Dionyſianos ſingulos enumerat ipſe Dionyſius Exiguus *Epiſt. de Ratione Paſchæ*, ſcripta Anno Chr. Vulg. DXXVI. quam ediderunt Petavius, Bucherius, & ſi qui plures.
XIX.	April. IV.	April. XVII.	Ab hoc Cyclo XIX. die *April.* XVII. ſeu à XV. *Kal. Maji*, Lunâ Paſchali XV. orſus eſt Dionyſius Exiguus Cyclum ſuum Paſchalem. Et deſinit I. hic Cyclus Dionyſii in *Nonas Apriles*, ſeu V. *Aprilis*, undè incipit I. Cyclus Alexandrin. Eſt autem d. XVII. Aprilis, qui *primus* dies hujus Cycli I. Dionyſiani, etiam ultimus dies Cycli prioris Dion. XIX. Undè *bis* idem *dies* numeratus eſt Dionyſio: Ratio, ne primus hic Cycli annus *uno die* minor eſſet, qui prætermittitur Cyclo Epactali XIX. per *ſaltum Lunæ*, ut ſuprà. Porrò concurrunt *Emboliſmi* omnes hujus Cycli *Paſchalis*, cum Emboliſmis Cycli *Epactalis* ſuperioris, præterquàm Emboliſmo *tertio*, qui fit anno IX. Cycli Epactalis, anno autem VIII. Cycli Paſchalis, qui Biſſextilis fuit Alexandrinis, & Romanis qui hos ſecuti ſunt, ex intentione Nicænorum Patrum. Hi enim curam omnem determinandi diem ſolemnitatis Paſchalis Alexandrino Epiſcopo commiſerant, ut uno ore Veteres. Diſcrimen eſt etiam in *Aureis Numeris*, quum Cyclus I. *Dionyſianus* incipiat à Lunâ XV. Numeri Aurei *Epactalis* XIX. quæ fuit XV. Kal. Majas; ſecundus à Lunâ XV. Aurei Num. I. quæ incidit in *Nonas* April. ex ſuperiori Diagrammate, & deſinit in Lunam XIV. ſeq. Sed nobis multa & perplexa uno obtutu expoſuiſſe & compendio quodam ſufficiat. Qui abſtruſiorem notitiam deſiderat, ablegandus ad laudata ſæpiùs nomina; quibus acceſſit nuper Henr. Noriſius, Diſſertationibus de Paſchalibus Cyclis.

Digitized by Google

Termini Paſchales Gregoriani, toto Cyclo, hinc & Paſchata.

Terminos verò Paſchales *Gregorianos*, hinc & *Paſchalem Dominicam*, poſt emendatum (ut ſuprà abundantiſſimè) Kalendarium, nullo negotio quis deprehendat ex datis *Epactis* Gregorianis, eâ methodo quam modò ut facillimam innuimus, proximè antè Diagramma ſuperius. Sed ſuccurret Lecturis ſequens Tabula, exhibens ab Anno hocce 1691. quo incipit Aureus Num. 1. toto Cyclo Lunari, uſque ad Annum 1709. incluſivè, 1. Cyclum Lunæ, ſeu Aureum Numerum. 2. Συζυγίαν cum Cyclo Solis. 3. Epactas Gregorianas Cyclo Lunari reſpondentes. 4. Terminos Paſchales, ſeu Lunas XIV. 5. Paſchales Dominicas.

TABULA

Cycli Gregoriani, ab A. 1691. ad 1709.

Anni Æræ Vulg.	*Cyclus Lunæ.*	*Συζυγία cum Cyclo Solis.*	*Epacta Gregoriana.*	*Termini Paſchales Gregor. ſeu Lunæ* XIV.	*Dominicæ Paſchales Greg.*
1691.	1.	*Cycl.* 20. G.	1.	*April.* 12.	*April.* 15.
1692.	2.	21. F. E.	12.	*April.* 1.	*April.* 6.
1693.	3.	22. D.	23.	*Martii* 21.	*Martii* 22.
1694.	4.	23. C.	4.	*April.* 9.	*April.* 11.
1695.	5.	24. B.	15.	*Martii* 29.	*April.* 3.
1696.	6.	25. A.G.	26.	*April.* 17.	*April.* 22.
1697.	7.	26. F.	7.	*April.* 6.	*April.* 7.
1698.	8.	27. E.	18.	*Martii* 26.	*Martii* 30.
1699.	9.	28. D.	29.	*April.* 14.	*April.* 19.
1700.	10.	1. C. *negligitur Biſſext.*	9. *Epacta unitate minuitur.*	*April.* 4. qui aliàs *Apr.* 3.	*April.* 11.
1701.	11.	2. B.	20.	*Martii* 24.	*Martii* 27.
1702.	12.	3. A.	1.	*April.* 12.	*April.* 16.
1703.	13.	4. G.	12.	*April.* 1.	*April.* 8.
1704.	14.	5. F. E.	23.	*Martii* 21.	*Martii* 23.
1705.	15.	6. D.	4.	*April.* 9.	*April.* 12.
1706.	16.	7. C.	15.	*Martii* 29.	*April.* 4.
1707.	17.	8. B.	26.	*April.* 17.	*April.* 24.
1708.	18.	9. A.G.	7.	*April.* 6.	*April.* 8.
1709.	19.	10. F.	18.	*Martii* 26.	*Martii* 31.

CAPUT XXI.

De Periodis in ſpecie dictis. Periodus Metonica. Calippica, & ejus non unum caput, ac vitium. Periodus Alexandrea. Eâne uſi ſint Judæi, ſub jugo Macedonico? Diverſa putandi ratio. Periodus Damaſcena, vel Hagarena. Periodi Judaïcæ annorum XIV. *&* LXXXIV. *unde? Periodus Judaïca ab Orbe Cond. qualis, quando, & quare inſtituta? Periodi Chriſtianæ veteres, hodie abolitæ. Periodus Dionyſiana quæ, à quo, & unde nata? Ejus capita annis Æræ Chriſt. applicata. Minor illa quàm ut communis eſſet menſura Temporum.*

Periodi quid?

HActenùs de *Cyclis* in ſpecie ſic dictis. *Periodi* ſunt Orbes, ſeu revolutiones periodicæ majores, vario tempore à variis excogitatæ, æquandis vel emendandis Temporibus. Et aliæ quidem inventæ ab *Ethnicis*, etiam *Judæis*, ſeu antè ſeu poſt Chriſtiana tempora, aliæ ſpeciatim à *Chriſtianis*; utrumque genus frequenter in Scriptis Eccleſiaſticis memoratum, & ad Doctrinam Temporum pertinens.

Periodus Metonica.

Ac de *Periodo* quidem *Metonicâ*, quæ annorum XIX. dicere nihil attinet, poſt ſuperius examen *Cycli Lunaris* decemnovennalis, qui ex Enneadecaëteride Metonis natus eſt, ſed emendata ob illius exceſſum. Nec enim annis XIX. planè æquabat motum *Solis* cum *Lunari*, undè *exceſſu* peccavit horarum VII. & ultrà, calculo Aſtronomico, quibus ſcil. *horis*, CCXXXV. Lunationes Metonicæ, comprehenſæ unâ Enneadecaëteride, majores fuêre Lunationibus veris. Ac caput illius in *Neomeniâ*, ſolſtitio æſtivo proximâ, & in *Hecatombæone* menſe, qui antè Κρόνιος; eademque Neomenia, Cyclo 1. Metonis, congruit XVI. Julii Romani, nocte ineunte, Per. Jul. 4282. ut pluribus Scaliger, Calviſius, & alii. Solſtitium verò (τροπαὶ θεριναὶ) quod antè affixum fuerat VIII. *Julii* in annis Olympiadicis, ex ignorantiâ motûs Solaris, retractum fuit, poſt obſervationes Metonis & Euctemonis, ad *Junii* XXVII. ut ex Ptolemæo conſtat. Plura de hac Periodo, ex Cenſorino & Gemino, primi ordinis Chronologi, & fusè Franckenbergerus vindex Scaligeri, poſt Petavianas caſtigationes.

Quæ hanc præceſſerant Periodi.

Succeſſit autem hæc Periodus in locum *Octaëteridum* Harpali & Cleoſtrati, quæ & Ἐννεαετηρίδες *nono* quoque *anno* redeuntes, ſed mendoſæ, nec æquantes ſatis rationes Solis & Lunæ. Falsò enim exiſtimarunt, eâ Periodo annorum Solem & Lunam rursùs conjungi eâdem *die* & *horâ*, anticipantibus licet Neomeniis: Quâ ex anomaliâ, ſucceſſu temporis, magnam Civilis annus Athenienſium labem contraxerat, quod vidit Meton. An verò hujus Cyclus in Civilem uſum receptus ab Athenienſibus fuerit, ut antè Cyclus Octaëteridum, juxtà quem Delphis *Pythia* celebrabantur, controverſum inter Scaligerum & Petavium, hoc ab illo pro more diſſidente, Libro II. *de Doctr. Temp.* Quâ de re & Petitus in Eclogis *Libro* IV. & Marshamus ad Seculum XVIII. Pariter controverſa his *Periodus Olympica*, annorum LXXVI. quam Scaliger aſſerit uſurpatam in Elide fuiſſe antè Metonis tempora, negat ſtrenuè Petavius *Libro* I. etiam Petitus. Hic verò aliam *Periodum Atticam* commentus eſt, annorum XL. ex X. Olympiadibus, in quâ XXXIII. anni Communes dier. CCCLX. Emboliſmæi VII. dier. CCCXC. *Libro* VIII. Miſcellan. & *Lib.* IV. Eclogarum. Cujus Periodi 1. annum facit primum Olympiadicum, ab VIII. *Julii*, annum ſecundum ab *Julii* III. tertium à *Junii* XXVIII. &c. contrà rationes Aſtronomicas Tychonis, & Copernici, & Calendarii novi Judaïci R. Hillelis, ne dicam

Digitized by Google

dicam Scaligeri, aut Mulerii, aut Calviſii, quibus *Novilunia media* non reſpondent rationibus Petiti, majoris Critici quàm Aſtronomi, nec criſi tamen ſuâ felicis ſemper. Quo factum etiam ut Agon Olympicus, juxtà Petitum, incideret aliquando in primum *Lunæ quadrantem*, contrà uſum perpetuum Græcorum & Athenienſium. Sed non hujus iſta loci ſunt.

Periodus Calippica, & ejus caput. Etiam vitium ab Hipparcho emendat.

Periodus Calippica, quæ dicta eſt ſyſtema 76. annorum, conflatum ex 4. *Cyclis* decemnovennalibus, ſeu Metonicis, antè à Metone conſtitutis, ſed à Calippo emendatis, quod Cyclus Metonicus *quadrante* diei *excederet* motum Lunæ, hinc poſt Cyclos quatuor *uno die* major eſſet quàm oportuit. Inſtituit eam Calippus Mathematicus, toto poſt Metonem ſeculo, ejuſque *Caput* fecit idem cum capite anni *Metonici*, ſcilicet *Novilunium Solſtitii Æſtivi*, *Hecatombæone* menſe Attico, id eſt, 28. Junii, anno 2. Olympiadis CXII. Anni Metonici 103. Per. Jul. 4384. Cyclo Lunæ 14. Solis 16. anno I. à morte Darii, ſeu *primo* Imperii Aſiatici Alex. M. Atque adeò annis VII. antè Alexandri mortem, ſeu antè Æram *Ptolemæorum*, vel annos *Philippi* Aridæi, qui à morte Alexandri numerantur, annis verò antè Æram Chriſti Vulgarem 330. ſecundùm accuratiſſimos Chronologos. Poſt mortem autem Alexandri, caput ejus traductum eſt ad *Autumnum* præcedentem, & menſem *Æquinoctialem*, qualis fuit Syro-Macedonibus Ὑπερβερεταῖος, Atticis Βοηδρομιών, quo ſcilicet menſe, Eclipſi Lunari inſignito, Alexander de Dario poſtremùm triumphavit, ſalutatus Aſiæ Imperator, ex Plutarcho in *Alexandro*, Plinio, aliiſque. Ut verò hæc ipſa *Periodus* etiam vitium fecerit, & ſingulis annis 76. facta ſit προήγησις Lunaris horarum 5. 50′. hinc Periodis *duabus* elapſis προήγησις horarum 11. 40′. & ità porrò, Petaviana Tabula, *Lib.* II. de Doctr. Temp. C. XX. & id genus Tabulæ Aſtronomicæ Lunæ-Solares oſtendunt. Quare emendavit poſteà *Hipparchus*, duobus poſt Calippum ſeculis, demens diem I. ex IV. Periodis Calippicis; quæ *Periodus Hipparchi*, Annorum 304.

Periodus annor. Alexandreorum.

Porrò XIX. annis ab inſtitutâ Periodo Calippicâ, XII. annis à morte Alexandri, primo anno Regni Aſiatici Seleuci Nicatoris, ut & I. Olympiadis CXVII. Periodi Jul. 4402. antè Æram Chriſti Vulg. annis CCCXII. initium ducit *Periodus Syro-Macedonica*, de quâ prolixè Scaliger, quæ aliàs *Alexandrea*, ab Alexandri ſucceſſoribus: Hujus in *Autumno* ſeu ultimo *quadrante* Anni Jul. caput eſt; qui & dicti anni Græcorum, Syro-Macedonum, Seleucidarum, etiam *Contractuum*, שטרות Hebræis, quorum in Contractibus ineundis uſus eſſet. Nec aliàs differt Periodus *Alexandrea* à Calippica, quàm quod diverſo tempore inchoentur, iiſdem annis utraque conſtans, nempè 76. diebus 27759. Quod non ſatis attendens Petavius, dùm Calippicam admiſit, etiam ad Gemini mentem caſtigavit, tamen Alexandream Periodum ut commentitiam exploſit, *Lib.* II. *Cap.* XXII. Arabibus dicti hi anni ذو القرنين *du-lcarnain* ſeu Δικέρωτος *Bicornis*, Alexandri nempe, ſic vulgò Orientalibus appellati; quâ de appellatione nos infrà, ubi de nobilioribus *Epochis*, & Frater noſter de Præſtantiâ & Uſu Numiſm. *Diſſert.* V. Diverſi ab his anni *Philippi* vel *Philippei*, qui putantur à morte Alexandri, quando frater ejus Philippi nomine Rex ſalutatus eſt, ut multis contrà Scaligerum (qui à *Philippo* patre Alexandri ſic dictos hos annos) Dionyſius Petavius, *Lib.* X. C. XXXVIII. Scaligeri autem error ex *Arabum* illo eſt, qui hiſtoriæ Græcæ & Exoticæ haud ſatis gnari.

An Judæi uſi ſint Periodo Calippicâ?

Eo magis hi anni obſervandi veniunt, quod uſi illis ſunt *Judæi* ſub jugo Macedonico, XIX. annis poſt publicatam *Periodum Calippicam*, quæ & ipſa *Paſchalibus* ipſorum rationibus congrueret. Quamvis Calippicâ annorum Periodo uſos eſſe, contrà Scaligerum *Lib.* II. & V. *de Emend. Temp.* negent Petavius *Lib.* II. & X. & Petitus *in Eclogis Chron. Lib.* IV. & Miſcellaneor. *Lib.* VIII. ſolam *Octaëteridos* obſervationem illis tribuentes, verſam poſteà Chriſtianis temporibus in *Heccaidecaëteridem*, duplicatâ Octaëteride, tandem in *Enneadecaëteridem*. Hinc & Periodum Syro-Macedonicam Scaligerianam, vel Periodum Alexandream Judæorum, quæ nullæ fuerint in naturâ rerum, mirè exagitat Doctiſſ. Jeſuita *Lib.* II. C. XXII. XXV. &c. quem vide. Contrà, Scaligerum egregiè vindicavit præter Calviſium in Iſagoge Chron. Reinh. Frankenbergerus, in Fundam. Veræ Chronologiæ, ubi *Periodum Alexandream Scaligeri veram*, & declarat & adſtruit. Hinc alii demùm per impium *Jaſonem* Pontificem, Antiocho Epiphane Syriæ ac Judææ Rege, introductam Hieroſolymis cum ritibus Græcorum hanc Periodum Calippicam cenſuerunt, annis antè Æram Vulg. Chriſt. 172. nec alieno Æg. Bucherio. Certè Cyclus Judaicus annorum LXXXIV. de quo ſtatim, ſatis indicat in eâ Gente notitiam uſumque Periodi Calippicæ. Equidem annorum *Alexandreorum* computatio fit apud Joſephum, & in utroque Libro Maccabæorum. Aſt fabella Magiſtrorum eſt, derivantium מנין שטרות *numerationem Contractuum* Judaïcam, ut & *Alexandri* nomen impoſitum liberis Sacerdotum, indè à congreſſu Alexandri M. cum Jaddo vel Jadduâ, aliis Simeone Juſto, ſummo Judæorum Pontifice, de quo Joſephus *Antiq. Lib.* XI. annis XVIII. circiter antè initium Æræ hujus Alexandreæ, vel Seleucidarum. Rurſùs in annorum horum *capite* variant, ſcriptores Libri I. & II. *Maccab.* Nam v. gr. prior, mortuum Antiochum eſſe anno Græcorum CXLIX. alter anno CXLVIII. Quod indè factum cenſent Petavius, & alii, quod ille caput hujus Epochæ conſtituat in *Niſan*, hic in *Thiſri* ſequente, traducto ſic capite ab *Hecatombæone*, æſtivò Græcorum primoque menſe. Sed Joſephus initium pariter conſtituit, cum ſcriptoribus Exoticis, in menſe *Autumnali* Ὑπερβερεταίῳ, retentâ voce Macedonicâ.

Ex Annis Calippicis diverſum Paſcha oſtenſum, Chriſti ultimum, & Judæorum illud.

Atque ex hoc uſu Periodi Calippicæ Judaico, tempore Chriſti Servatoris, ſolvitur probabili ratione difficultas quam parit Paſcha Chriſti σαυρώσιμον, quod ſimul Legale fuerit & Moſaïcum, ſimul uno die anterius Paſchate Judæorum, ex antè demonſtratis, *Cap.* XV. Nimirum fluebat tùm Periodus *Calippica quinta*, ſeu annus Calippicus 362. Anno Epochæ Chriſt. 33. quo Chriſtus paſſus eſt. Undè ex vitio ejuſdem Periodi, quod Hipparchus animadvertit, *unius* ferè *diei* eſſe, in 4. Periodis Calippicis, factum eſt ut tempore Dominicæ Paſſionis, Judæorum Paſcha uno die integro poſterius fuerit tempore Legali, incidente primo Azymorum Judaïco in *feriam* 7. *April.* 4. Chriſti autem Paſchate σαυρωσίμῳ in *feriam* 6. *April.* 3. Juliano 78. Calippico 362. Olympiadico 808. Periodi Judaïcæ 3793. Periodi Jul. 4746. à Kalendis Jan. die 94. unde feria intelligitur & dies Aprilis menſis. Cujus rei ex Calculis Aſtronomicis (ſed ſuppoſitis v. *Paſchatibus* Chriſti) prolixam demonſtrationem aggreſſus eſt, per Tabulas Syzygiarum, & Kalendarium Judaïcum, Reinh. Frankenbergerus, magnus Scaligeri defenſor in Fundamentis Veræ Chron. *Scholio* quod vocat XVI. editis Wittembergæ anno 1644.

Accedit crebra horum Annorum Alexandreorum mentio apud Eccleſiaſticos Scriptores, quibus etiam Annis uſæ Synodi aliquot veteres, & Eccleſia Antiochena; quâ de re aliàs. Sed de ratione totâ *Periodi Calippicæ*, & Methodo inveniendi numerum elapſarum Periodorum, annoſque Calippicos, beneficio

Digitized by Google

Per. Juliana, reducendique Menſes *Atticos* ad *Julianos* fusè Scaliger, ac diſſentiens in plurimis Petavius, *Libro* II. de Doctr. Temp. *Cap*. XIX. XX.

Periodus Damaſcena. Huc refer *Periodum Damaſcenam*, annorum 228. conſtantem ex *tribus* periodis *Calippicis* abſolutis, ut fusè Scaliger *Lib*. II. de Emend. Temp. & in Canonibus Iſagogicis. Et quia eâ uſi præcipuè dicuntur *Arabes*, quod ſcil. deſultoria & vaga menſium intercalatio, ex eorundem uſu, poſt tres Calippicas Periodos in orbem rediret, ſeu poſt annos Julianos 228. vel Arabicos 235. Quo ſcilicet ſpatio elapſo Neomenia *Muharram*, per totum anni Solaris contextum vagata, redierit in eundem diem, juxtà formam Calippicam. Et hinc dictam eſſe volunt *Arabicam* Periodum vel *Hagarenam*. Sed & eâ uſi dicuntur *Syri*, ejuſque caput figitur in Æra *Antiochenâ*, annis antè Chriſtum natum 48. Period. Jul. 4666. initio facto *Syris* ab Autumnali Æquin. Petavius verò multis hac parte Scaligerum exagitat, ut ſolet, & Arabes ad ullam reſpexiſſe Periodum Calippicam ſtrenuè negat, ut quæ *uno* ferè *die* deficeret, quo anticipent Novilunia poſt annos 228. Julianos. De Æra *Antiochenâ* poſteà, cujus caput figit rectè Petavius in Autumno.

Periodi Judaicæ. *Periodus Judaïca* non una Chronologis obſervatur, in ratione Temporum. Ac de Periodis annorum *Sabbaticorum*, & *Jubilæorum*, prolixè ſuprà, quæ Lunæ-Solares fuerunt, fixo capite in I. Menſem Civilem, proximum autumnali Æquinoctio. Succeſſit Periodus Lunaris annorum 14. ſeu *bis ſeptem*, quæ *Teſſaradecaeteris*, ſeptenario numero ad Lunæ rationes accommodato, quâ Periodo *quinquies* intercalarunt.

Periodus Teſſaradecaeteris. Tùm Periodus annorum 84. cujus primus meminit Epiphanius, ut Chriſti tempore uſurpatæ, Hæreſi Alogor. LI. probaturus Judæos tùm aberraſſe *biduo*, vel etiam *triduo*, in Paſchali die ſeu Lunâ XIV. definiendâ, quæ ſæpiùs anticiparit Æquinoctium, & in Martii XVIII. vel XIX. inciderit, *Cyclo* VIII. & XIX. Alexandrino vel Nicæno, citimâ eorum Neomeniâ fixâ in V. *Martii*.

Periodus annor. LXXXIV. Igitur Periodus *Ogdoëconta-teſſara-eteris*, conflata fuit ex meris *ſeptenariis*, id eſt, ex ſexies *bis ſeptem* vel ſex *Teſſaradecaëteribus*, aliter etiam ex una Periodo Calippica annorum 76. & unâ Octaëteride, ut liquet. Quare manifeſtum eſt, Periodi Calippicæ uſum haud ignotum Judæis, & Periodum hanc annorum 84. Calippicâ poſteriorem fuiſſe. Adoptata verò hæc idcircò *Periodus* fuit, quod eo annorum 84. circuitu redire in orbem Novilunia, & Solem cum Lunâ per omnia æquari arbitrarentur. A quo verò tempore Judæis uſurpari hæc primùm cœperit, ſub judice lis eſt. Nec ſanè antè jugum Macedonicum, vel tempora Antiochi Epiphanis, cujus mors accidit anno Græcorum 149. ut ex Joſepho & Maccabæorum Libris conſtat, & cui proximum annum fuiſſe (indè ab Autumno) *Sabbaticum*, nempe 150. Græcor. Per. Jul. 4551. antè Æram Vulg. annis 163. ſuprà demonſtratum eſt *Cap*. XVI. Undè Periodi hæ *ſeptenariæ* apprimè congruunt in annos ſequentes, inchoando ab Anno Græcorum 151. ſed à *Niſan* Paſchali menſe, Per. Jul. 4552. antè Æram hodiernam annis 162. cui anno aptatur Cyclus Lunæ XI. Solis XVI. Plura qui volet adeat Petavium in dictum locum Epiphanii, Bucherium Tract. de Paſchali Judæorum Cyclo, & ſi quos alios: Probaturos etiam fuſè, ex Tabulis Syzygiarum, defuiſſe huic Periodo *biduum*, ad Solis rationes æquandos, dùm ſex Teſſaradecaëterides *Lunares* colligunt dies 40679. *Solares* verò totidem, dies 40681. Et hinc credita illa anticipatio Æquinoctiorum, & προήγησις Neomeniæ Niſan, quæ anteà v. gr. in XXII. *Martii* Juliani, poſteà incurſura in XX. facto regreſſu in anteriora.

Periodus Judaica nova. Aliàs *Periodus Judaica* ἐξόχως dicitur Chronologis, quæ ſucceſſit apud Judæos in locum Periodi Calippicæ, conſtituto tùm novo *Cyclo Lunari*, juxtà quem ità diſpoſiti *Emboliſmi*, & fixæ *Neomeniæ* mediæ toto Cyclo, ut non ampliùs neceſſe foret indicere Novilunia ex præſcripto φάσεως, Carræis tamen adhuc φάσιν ſervantibus, à quâ Neomenias ſuas putant. Hujus Cycli rationem, atque Emboliſmorum annis ejuſdem 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. quibus annis Embolimæis fit exceſſus anni *Judaïci* ſuprà *Julianum*, dierum 18. horar. 15. 589. fuſê explicuêre Scaliger, Mulerius, Petavius, aliique, oſtenſo diſcrimine à Cyclo Juliano. Ità nempè, ut Cyclus Judaicus *primus*, à Neomeniâ Thiſri, concurrat cum Cyclo Juliano labente *tertio*; Cyclus Judaicus 2. cum Cyclo Juliano 4. & ità ſucceſſivè. Adhæc, ut Cyclus Judaicus minor ſit Cyclo Juliano horâ 1. 485. qui vocatur *exceſſus Julianus*, idemque detrahendus Cyclis ſingulis, ut habeatur vera ſedes Novilunii Judaici in anno Jul.

Præterea *Periodus Judaica* vocatur ſyſtema annorum qui fluxêre, juxtà computum Hillenianum, indè à Creatione Mundi, capite conſtituto in anno *Per. Jul*. 953. *Octobr*. VII. Cyclo *Solis* 1. ſed *Lunæ* 3. Juliano, *Indict*. 8. *feria* 2. à *ſextâ* horâ veſpertinâ qualis eſt Hieroſolymis, & undè perpetuò dies calculare conſueverunt. Fuit autem dies ille primus Oct. VII. ſimul *Æquinoctii* autumnalis, & *Novilunii*, juxtà calculos Ptolemæi, vocant מולד תהו *novilunium tohu*, ſeu ἢ χάος. Anteceſſit ergò Æram Chriſtianam Vulgarem Periodus Judaica, annis 3760. deficit autem annis totis 189. juxtà hypotheſim Dionyſii, Bedæ, Sigeberti, &c. quâ de re in Collatione *Epocharum*. Auctorem volunt Hillelem principem, filium R. Judæ Naſi, anno 670. Æræ Contract. quæ Æram Vulg. anteceſſit annis 312. ut ſic congruat annus Æræ Chriſt. 358. Conſtantio Imperatore, Per. Jul. 5071. Periodi Judaicæ 4118. Porrò inſigne hujus Calendarii Judaici artificium multis extollit Scaliger, in Prolegom. *de Emendat. Temporum*. Ac procedit calculus Judæorum 1. indè à *Molad Tohu*, per *Cyclos decemnovennales* longè accuratiſſimos, quorum anni XII. ſunt Communes, VII. Embolimæi, reſecto omni exceſſu Cycli Calippici, aut Juliani. Id enim inprimis attenderunt Judæi, ut *annos* ſuos & *menſes* deſcriberent ſecundùm *motum Lunarem*, & conſtaret ità certa ratio Feſtorum, ac *Paſcha* tempore Legali præciſiùs quàm antè celebrarent, nullo ampliùs quod iſtud indiceret Hieroſolymitano Synedrio. Vitium enim faciebat in eo Periodus Calippica, quando ſingulis annis 76. ſeu 4. Cyclis Lunaribus Luna à Sole ſuperatur, juxtà tabulas Solares Ptolemæi, horis V. & 50. ſcrupulis. Quo factum ut anni circiter *trecenti* Calippici vel Juliani, paulo minùs quàm uno die majores eſſent annis Ptolemaicis Lunæ-Solaribus. Undè Neomenia Thiſri Judaïca, eo intervallo, anticipat *uno die*, in annis Judaïcis, *duobus* diebus poſt annos 600. & ità porrò. Imò quum Cyclus Julianus *decemnovennalis* excedat Lunæ rationes horâ 1. 485. ex antè dictis; reſecandus à Judæis fuit hic *exceſſus*, qui character eſt Cycli Decemnovennalis Judaïci, nempe 1. 485. Quâ de re adi Tabulas Mulerianas, vel Friſicas, longe præſtantiſſimas, aut Petavianas, aliaſque id genus, ſi lubet.

Inter Periodos *Chriſtianas*, referri poſſet Periodus Judaica *annorum* LXXXIV. primis Chriſtianis, ac Latinis veteribus uſurpata, ut fuſè Bucherius ſuis in Cyclum Victorianum Cap. VI. & in Judaicum *Cap*. IX. Commentariis. Quin etiam à Proſpero Chronographo (qui Chronicon terminavit ad mortem Valentiniani III.) vocat Cyclum *Proſperianum*, & *Latinum*, ejuſque totam rationem in Tabulâ diſponit,

Digitized by Google

ſponit, adſcriptis, juxtà cum annis expanſis hujus *Periodi*, etiam annis *Diocletiani*, *Cycli Solis*, *Cycli Lunæ*, *Neomeniarum Paſchalium*, &c.

Fuit & Periodus alia, à Cyrillo Alexandrino contexta, Anno Chriſti Vulg. 437. quæ hinc *Cyrilliana* annorum xcv. Conflata nempè ex *quinque* Cyclis Lunaribus, ſeu quinque Enneadecaëteribus initio facto ab A. 153. Æræ Diocletiani, qui eſt 437. Æræ Vulg. Et hunc Cyclum deſcripſit poſteà Dionyſius Exiguus, ut ipſemet refert Epiſt. 1. de Ratione Paſchæ, quam Ægidius Bucherius quoque vulgavit. Nempe hoc Cyclo redire in orbem ferias & terminos Paſchales crediderunt, abbreviato Cyclo majore Theophili Alexandrini, qui 418. *annorum Circulum Paſchalem inſtituit*, ut ipſe Cyrillus in Prologo præſcripto huic Cyclo, quem ex MS. Codice edidit idem Bucherius, ad calcem ſui Operis. Sed omnes illæ Periodi, vitio non uno laborantes, tandem locum fecêre *Periodo Dionyſianæ*, ut vulgò appellatur, de quâ modò.

Eſt igitur *Periodus* vulgò *Dionyſiana* ſyſtema vel ſeries annorum 532. in orbem rediens. Sic dicta à Dionyſio Exiguo Abbate Romano, à quo & Æra Chriſtiana dicitur *Dionyſiana*, & Cyclus Paſchalis *Dionyſianus*, Metonico minor 6. horis, & annis Julianis xix. magis congruens. Quanquàm præiviſſe exiſtimetur Victorius Aquitanicus, auctor Canonis Paſchalis ſub Hilario Papâ, Leonis I. ſucceſſore, & ità Petavius, Bucherius, aliique, undè etiam Periodus *Victoriana*. Aliàs ea Periodus nuncupata *Cyclus Magnus Paſchalis*, & Συζυγία ſive Conjunctio Cyclorum *Solis* & *Lunæ*, etiam *Periodus Magna*, comparatè ad priores. Ratio hujus Periodi eſt, quod eo annorum ſpatio exacto, accidat ut Cyclus *Solis* & *Lunæ*, (quorum in Canonibus Paſchalibus conſtans in Chriſtianâ Eccleſiâ ratio fuit) ità concurrant, ut idem ſit principium, caput, ſeu annus 1. utriuſque Cycli. Quod fit *annis* Æræ Chriſtianæ (initio putandi has Periodos annor. 532. facto ab Ærâ Orbis Cond. Dionyſianâ) primò 76. hinc 608. tum 1140. 1672. 2736. 3268. ut videre eſt in Tabulis Periodorum Victorianarum, ut vocant, apud Petavium & alios. Igitur ſemel toto eo ſpatio accidit, ut certus annus Cycli *Solaris*, concurrat cum certo anno Cycli *Lunaris*, v. gr. hoc anno 1691. Cyclus Solis 20. cum Cyclo Lunæ 1. Nam ſtatim à ſe invicem diſcedunt hi Cycli, anno hujus Periodi 20. quando eſt Cyclus Solis 20. ſed Lunæ rursùs Cyclus 1. nec antè impletam hanc Periodum redibunt iidem Cycli. Ità annus 1. Æræ Dionyſ. habet characteres Cyclum Solis 10. Lunæ 2. undè certiſſimè colligitur non redituram hanc Combinationem Cyclorum, ſeu annum iiſdem Cyclis Solis & Lunæ affectum, niſi anno Æræ ejuſdem 533. exactis 532. Ratio autem hujus *concurſûs* utriuſque *Cycli*, ſpatio illo exacto, eſt ex *multiplicatione* 28. quibus abſolvitur Cyclus Solis, per 19. quibus Lunæ Cyclus definitur, undè certò exurgit *productum* 532. Quo fit ut dato quovis anno *Periodi Dionyſianæ*, protinùs intelligatur *Cyclus uterque* congruens illi anno, dividendo annum Periodi propoſitum per 28. undè ex diviſione intelligitur Cyclus Solis, uti Cyclus Lunæ, factâ diviſione per 19. Exempla & praxim habes apud Petavium, Mulerium in *Iſagoge*, Calviſium, & *Computiſtas*. Porrò hunc numerum 532. ſi multiplices per 15. qui conſtituunt *Cyclum Indictionum*, oritur decantatiſſima *Periodus Juliana*, de quâ modò, omnium temporum intervalla, ab Orb. Cond. in ſe complexa.

Caput XXII.

De Periodo Julianâ, ejuſque utilitate, & origine. Ratio nominis, ſed & rei. Quo pacto ex annis Periodi Jul. cognoſcantur tres Cycli, aut viciſſim? Ut naſcatur eadem ex tribus Cyclis, Solis, Lunæ, Indictionum? Applicata eadem annis Æræ Chriſt. & Mundi Conditi, datis exemplis. Periodus Græco-Romana nupera explicata. Hujus incommoda quædam.

IGitur præ omnibus Periodis commendat ſe *Periodus* vulgò *Juliana*, tanquàm communis certiſſimaque & conſtans menſura Temporum, ad quam Æræ omnes vel Epochæ indè ab Orbe Cond. temporum intervalla omnia exigi, inter ſeſe conferri, haberique quàm facillimè poſſunt ſingulorum à ſe invicem diſtantiæ: V. gr. quid diſtet 1. annus Iphitæus à 1. anno Æræ Chriſt. vel quot anni 1. à morte Julii Cæſ. ad 1. Æræ Diocletiani, &c. dùm ſingulis apponitur certus annus Periodi Julianæ. Pariter ejus Periodi beneficio habentur anni propoſiti cujuſcunque proprii characteres, id eſt, quotus *Cyclus Lunæ*, *Cyclus Solis*, *Indictio*, quibus characteribus annus unus ab aliis quibuſcunque toto ejus Periodi contextu, diſcernitur. Ità in tantâ ſententiarum diverſitate, circà Epocham Mundi Conditi, præcipuè Latinorum, quid à *ſe invicem* diſtent, quid ab *Ærâ Chriſtianâ* Vulgari, docet hæc communis menſura, inſtitutâ ad Periodum Julianam collatione opportunâ, jucundâque, quod infrà præſtamus. Uſus alios, ad Chronologorum errores emendandos, memoriam juvandam, Aſtronomicos calculos inſtituendos, pluribus demonſtrant Nicol. Mulerius in Friſicis Tabulis, *pag.* 138. 208. &c. Dion. Petavius *Libro* VII. C. VIII. *de Doctr. Temp.* & ex his nuper Antonius Pagi, Diſſertat. de Periodo Græco-Romanâ, *Num.* III. & *ſeq.* *Periodi Jul. utilitas.*

Eſt igitur ea Periodus tempus *prolepticum*, ſeu *poſtulatitium* quod longè anticipat omnes Æras, etiam illam Mundi Conditi, ſeu Creationis, aſſurgens ultrà hanc Æram, ut à Scaligero inchoatur, totis annis 764. Dùm nempè ſtatuit ὁ πάνυ Mundum Cond. in Anno Per. Jul. 764. XXVI. Oct. feriâ 1. Æquinoctio Autumnali, ut 1. annus Orbis Cond. à *Kal. Januariis*, ineat cum anno Per. Jul. 765. Dùm inchoat Petavius cum anno ejuſdem Per. 731. Uſſerius, & alii, cum anno Per. Jul. 710. &c. qui anni omninò poſtulantur. Sive jam hæc Periodus debeatur magno Joſepho Scaligero primo inventori, ſeu prælucentibus pridem aliis; ut de *Roberto Lotharingo*, Herefordienſi in Britanniâ Epiſcopo, qui claruit ſeculo XI. tradidit Uſſerius Armachanus *Præfat.* in Annales; Petavius autem loco citato, de *Græcis* & Conſtantinopolitanis, qui Scaligero uſum *trium Cyclorum* commonſtrarint. Aliàs Periodus *magna*, veriùs quàm eſt Dionyſiana prior vel Victoriana; etiam Periodus *Scaligeriana*, vel hoc ipſo (fatente Petavio) quod primus eam ad *Romanum* annum, & *Paſchalem* Latinorum computum inſigni artificio applicavit Scal. Ratio autem nominis *Periodi Julianæ* eſt, quod conſtat ex *annis* merè *Julianis*, quorum exordium ſemper à *Kal. Januarii* Julianis; dùm Epochis variis initium aut *verno*, ut eſt illi Urbis Conditæ, aut *æſtivo*, ut Æræ Olympiadum, vel *autumnali*, ut Æræ Syro-Macedonum, vel etiam *brumali* alio tempore, prout caput Æræ Nabonaſſ. ducitur à XXVI. Februarii Jul. feriâ 4. &c. Ratio rei eſt, quod ſit *Periodus* ſeu Syſtema annorum 7980. quo demùm ſpatio exacto redit eadem συζυγία trium Cyclorum, *Solis*, *Lunæ*, *Indictionum*, quales Cycli perpetuâ annorum *Quid ſit? & quæ ejus origo?*

Digitized by Google

ſucceſſione notari in Eccleſiæ Faſtis, & de quibus eorumque uſu, Introductio ſuperior ad hanc Doctrinam Temporum. Ex. gr. annus labens 1691. habet Cyclum Solis 20. Lunæ 1. Indictionem 14. Sic annus Æræ Chriſtianæ Vulg. incipit cum Cyclo Solis 10. Lunæ 2. Indict. 4. Qui tres Cycli ità conjuncti, *in nullo alio anno concurrent*, *niſi poſt annos* 7980. Ut ità quilibet annus totâ hac Periodo propriis ſuis *Cyclis* gaudeat, & ex datis *Cyclis tribus*, quocumque anno, inveniri poſſit certo calculo annus *Periodi Julianæ*, in quem conveniunt; & viciſſim ex anno *Periodi Jul.* hi tres Cycli. Siquidem Periodi hujus initium eſt, in quo concurrit *trium* Cyclorum *unitas*, ſeu cujus annus *primus* habet Cyclum Solis 1. Lunæ 1. Indictonem 1.

Quo pacto ex anno Per. Jul. cognoſcantur Cycli ejus anni? Aut ex Cyclis annus Periodi?

Atque hinc, dato quovis anno *Periodi Jul.* illicò ſe produnt *Cycli* ejus anni, Solis nempe, Lunæ, & Indictionis: Dividendo enim annum propoſitum per 28. reſiduum oſtendit Cyclum *Solis*; dividendo per 19. reſiduum oſtendit Cyclum *Lunæ*; & dividendo per 15. reſiduum oſtendit *Indictionem*, ſc. eos *numeros* qui tali anno Periodi Jul. conveniunt. Uti v. gr. annus Per. Jul. 4713. quo exeunte *natus* eſt *Chriſtus* calculo Dionyſiano, ità diviſus per 28. per 19. & per 15. oſtendit Cyclos Solis 9. Lunæ 1. Ind. 3. Pariter annus Per. Jul. quo *Mundus Cond.* juxtà Dionyſ. 764. diviſus per 28. pro Cyclo Solis, per 19. pro C. Lunæ, per 15. pro Indict. oſtendit Cycl. Solis 8. Lunæ 4. Indict. 14. Si verò nihil ſuperſit à factâ diviſione, 28 erit Cyclus *Solis*, 19 erit Cyclus *Lunæ*, & 15 *Indictio*; quomodo ex. gr. nihil omninò ſupereſt, ſi per hos numeros diviſeris annum ultimum Periodi Jul. 7980. In hocce igitur anno concurrunt Cyclus Solis 28. Lunæ 19. Indictionis 15. qui poſtremi ſunt in his Cyclis; ut cum nova Periodo ab *unitate* hi *tres* Cycli rursùm ordiantur. Porrò quâ Methodo, datis *Cyclis tribus*, poſſit continuò innoteſcere annus *Per. Jul.* pluribus à Chronologis exponitur, Petavio, & aliis. Nempe in Tabellâ, ſingulis *trium* Cyclorum *annis* expanſis reſpondent è regione certi *numeri*, qui dicuntur *Solis*, *Lunæ*, *Indictionis*, & qui ſibi invicem *additi*, certò demonſtrant quæſitum annum Periodi Jul. Uti anni *Solis* & *Lunæ* in ſummam contracti, miſſis annis Indiction. indicant annum Periodi Dionyſ. Tabellam habes, & praxim apud Nicol. Mulerium in his ſtudiis accuratiſſimum, & magni habitum Joſ. Scaligero, Ubboni Emmio, & quibus non, Iſagoges in Kalend. (ſubjunctæ Tabulis ejuſdem Friſicis) *Capite* IV. & VIII. Adi & Dionyſ. Petavium, vel in Rationario *Lib.* I. P. I. C. VIII. Aliam quoque methodum exhibent alii, quos inter Guil. Beveregius Inſtit. Chronol. *Lib.* II. C. IX. quæ ſingula aut deſcribere, aut ex Arithmetices Chronologicæ fundamentis demonſtrare, non hujus inſtituti eſt. Quanquam etiam abſque Periodo Jul. dato anno Æræ cujuſcunque, ſeu præcedat Annum Natalitium, ſeu ſequatur, trium *Cyclorum* character haberi illo anno poſſit, modò conſtet 1. quo anno cœperit Æra ſive antè annum 1. *Æræ Chriſt.* ſive indè ab anno 1. ejuſdem Æræ. 2. Æram Chriſtianam incipere cum Cyclo *Lunæ* 2. *Solis* 10. *Indictione* 4. ut monitum ſæpè eſt. Praxim habes & exempla vel in Rationario Petavii, *Partis* II. *Lib.* I. C. VII.

Hæc Periodus quomodò naſcatur ex tribus Cyclis?

Exſurgit porrò hæc Periodus *Juliana* annorum 7980. hunc in modum. Præiverat nempè ſive Victorius, ſive Dionyſius Exiguus, Abbas Romanus tempore Juſtiniani, conſtitutâ Periodo, quæ ab ipſis dicitur *Victoriana* & *Dionyſiana*, & quæ ſpatium eſt annorum 532. ut viſum nuper: Quo ſpatio nempè exacto, redeunt præciſè iidem Cycli *Solis* & *Lunæ*; ſeu non niſi ſemel, totâ eâ Periodo, contingere poteſt eorundem Cyclorum ſyndrome. Jam *productum* eum numerum annorum 532. ex duobus iſtis Cyclis, ſi *duxeris* in 15. ſeu per 15. multiplicaveris, quibus abſolvitur Cyclus tertius *Indictionis*, oritur ex tribus Cyclis in ſe ductis numerus ille annorum 7980. quo abſolvitur Periodus Magna ſeu Juliana, hunc in modum:

Cycl. Sol. —— ——	28
Multipl. per Cycl. L.	19
	252
	28
Productum — ——	532
Multipl. per Indict. —	15
	2660
	532

Productum 7980. ſyſtema Periodi Jul.

Periodus Jul. applicata Æræ M. Cond. & Æræ Chriſt.

Rurſus duo hæc obſervabunt qui in his ponunt tyrocinia. 1. Ex ſententiâ Dionyſii Exigui, intellectâ quoque ex Sigeberto initio Chronologiæ ſuæ, *Mundum* conditum eſſe anno Periodi Julianæ 764. & quidem in *Octobri*, vel ducendo à Kal. Januariis, Anno *Per. Jul.* 765. Cyclo Solis 8. Lunæ 4. Ind. 14. qui Cycli ſoli illi anno congruunt. quæ & hypotheſis Scaligeriana eſt. Et ita quemcunque in annum alium ejuſdem Periodi, Mundi incunabula cum Chronologis aliis referas. 2. *Æram Chriſtianam* Vulgarem incipere apud omnes, (quæcunque ſit ſententiarum diverſitas circa Epocham *Mundi Cond.* inferius ſubjicienda) cum anno *Per. Jul.* 4714. Cyclo Solis 10. Lunæ 2. Ind. 4. Qui concurſus *trium Cyclorum* in hunc ſolum annum Per. Julianæ cadit, non alium totâ Periodo; undè fit ut omnes Epochæ omnia temporum intervalla, ad hunc annum Per. Jul. 4713. abſolutum, vel 4714. ineuntem exigi poſſent tutò ac certò, ſitque Communis *limes* ac *radix* fixa ſupputationum, quibuſcumque Chronologis: Licet reverà peccet Dionyſiana Æra, dum huic anno qui eſt Periodi Jul. 4713. affixit natalem annum Chriſti: Aſſumitur tamen ut *poſtulatum*, undè certa *demonſtratio* procedit. Igitur, ex duabus quas dixi hypotheſibus, facilis demonſtratio Temporum: Ex. gr. Quocunque anno dato à *Mundo Cond.* v. gr. 1656. qui fuit annus immiſſi *Diluvii*, ut habeas annum *Periodi Jul.* addendi ſunt ex ſuperiori hypotheſi anni 764. & ſic Diluvium juxtà Dionyſium incidit in A. Periodi Jul. 2420. quæ & ſupputatio Joſ. Scaligeri *Lib.* V. *de Emend. Temp.* & in *Canonibus*. Rursùs & alterâ hypotheſi quocunque anno dato *Æræ Chriſtianæ* Vulg. ex gr. hoc ipſo concurrente — 1691.
adde annos Periodi Jul. qui Æram Chriſtianam præceſſerunt, nempe —— —— 4713.

fiet annus currens Periodi Julianæ —— 6404.

Pari ratione, quocunque anno dato *Per. Jul.* cognoſces quotus ſit annus à *Mundo Cond.* vel à *Chriſto nato*. Prius, ſi detraxeris annos 764. reſiduus numerus notabit annum *Mundi* quæſitum, incipiendo à *Kal. Januar.* Poſterius etiam cognoſces, ſi dempſeris annos 4713. tum reſiduus numerus notabit annum *Æræ Natalitiæ* Vulg. quæſitum. Ex. gr. Æra Olympiadum vulgaris incipit anno Periodi Julianæ 3938. volo ſcire quis fuerit annus à Mundo Cond. ex hypotheſi Dionyſii vel Scaligeri; detraho ex 3938. —— —— —— —— —— —— 764.

Remanet annus Mundi Cond. —— —— 3174.

Rursùs, Æra Excidii Urbis & Templi incidit in An-

Annum Per. Jul. — — — — 4783.
Volo ſcire ann. Æræ Chriſti, detraho annos qui hanc præceſſerant — — 4713.

Remanet annus Æræ Vulg. qui idem Excidii eſt — — — — — — 70.

Et ſic in aliis.

Undè intelligitur, quâ ratione hæc Periodus Juliana ſit *Communis menſura* ad quam omnes Epochæ, inde à *Creationis* illâ, referri atque inter ſeſe conferri poſſint, quod ſequentia ſchemata oſtendent. Nihilominus hujus *Periodi Jul.* nuſquam meminit Sethus Calviſius, Scaligeri aliàs exſcriptor, & admirator, quam quo conſilio neglexerit, dubium. Vir autem in doctrinâ Temporum hodie præſtantiſſimus, Antonius Pagi, Monachus Franciſcanus, cenſuit nuper hac Periodo Julianâ nihil opus fuiſſe, nec cudendam Joſepho Scaligero Periodum novam, ſed ex prioribus Periodis aliquam fuiſſe applicandam anno Juliano, & cum Cyclis Julianis componendam. Hinc loco Periodi Julianæ, quæ merè *artificioſa* & ingenioſè excogitata, ſubſtituit ille Periodum *Græco-Romanam* ſeu Antiochenam Mundanam, quæ *hiſtoricè* decurrens juxta Antiochenos à Mundo Cond. & cum cujus anno 5493. congruat annus 1. Æræ Dionyſianæ Julianæ, uti is congruit cum anno Periodi Jul. 4713. Atque ita cenſet illum annum 5493. eſſe cardinem & limitem Chronologiæ univerſæ, & ad Periodum Græco-Romanam, ut communem menſuram, exigi poſſe omnes Epochas, quas in ſe includat, omnia temporum intervalla, omneſque temporum differentias.

Periodus Græco-Romana nupera, in Julianæ locum ſubſtituta.

Nempè ſi Græcorum & Orientalium Æræ (quales obviæ Hiſtoricis Græcis, Byzantinis, Syris, Arabibus, &c.) vel inter ſe comparantur, vel cum Ærâ Chriſtianâ, attendendum eſſe initium hujus Periodi à *Kal. Septembribus*; ejuſdemque Periodi *Cyclos* quos exhibet: Siquidem annus 5493 (qui annus Incarn. Dionyſ.) diviſus per 15. exhibet *Indict.* 3. diviſus per 19. exhibet Cyclum *Lunæ* 2. diviſus per 28. exhibet Cyclum *Solis* 5. Et tum dicenda hæc Periodus Græcorum, Antiochena Mundana. Si verò conferuntur Latinorum & Occidentalium Epochæ reductæ ad formam Julianam, ineuntes à Kalendis Januar. figendum quoque eſſe caput ejus Periodi in *Kalendis Januariis*, & Cyclos ejuſdem reducendos ad Cyclos Latinorum. Nam ut annus 5493. Antiochenus habet *Indict.* 3. Cyclum *Lunæ* 2. *Solis* 5. ità Annus Incarn. Dionyſianus habet eandem *Indict.* 3. quæ retinetur nullâ mutatione, ſed Cyclum *Lunæ* 1. *Solis* 9. Hinc è Cyclo Lunæ Græco, ſi abjeceris *unitatem*, & ad Cyclum Solis Græcum ſi adjeceris *quatuor* unitates, annumque Periodi Græcorum inchoaveris à *Kalendis Januar.* exurgit Periodus *Græco-Romana*. Ad quam ſimiliter exigas annos v. gr. Urbis Conditæ ſeu Varronianos, ſeu Capitolinos, ſeu Fabianos; ità annos Auguſtorum, annos Æræ Dionyſianæ, Æræ Diocletianeæ, & quæ id genus Epochæ plures ſunt. Vide eundem Pagium *Diſſert.* de Periodo Græco-Romanâ, exemplis iſta illuſtrantem.

Hujus incommoda quædam.

Quicquid vero ſibi applaudat Vir optimus ac diligentiſſimus, duo imprimis incommoda, ut mittam alia, ex uſu hujus Periodi, præ Julianæ illo, naſcuntur. 1. Quod reductio illa *Cyclorum* Antiochenorum ad *Cyclos* v. gr. Æræ Dionyſianæ, ac diverſa utriuſque Periodi *Capita*, moleſtiam qualemcumque pariant, & diſpendium temporis, expeditiore jàm Periodo Julianâ. 2. Quod Julianâ hac deinceps uſi opportunè ſunt omnes penè Chronologi, & Annalium ſcriptores, ut ſufficiente menſurâ; undè hujus notitia & uſus planè neceſſarius in examine ac collatione Temporum, Scriptorumque. Uti ex novæ Periodi uſu in tantâ jàm Periodorum diverſitate, memoriâ plus ſatis fatigatâ, non poteſt non confuſio aliqua exoriri. Ne dicam in capite annorum *Antiochenorum*, ſaltem Æræ Antiochenæ, diſſentire Chronologos; dum Pagius, poſt Uſſerium, figit in Kalendis *Septembribus*; Scaliger, Calviſius, Petavius & paſſim alii, in Kalendis *Octobribus*; alii, ut Henr. Valeſius in Kal. *Novembribus*; Chronicon verò Alexandrinum ſeu Faſti Siculi, inchoant à XII. *menſis Artemiſii*, ſeu Maji Juliani. Quâ de re & infrà, ubi de Ærâ Antiochenâ.

Caput XXIII.

Characteres temporum fixi, Æra. Quæ dicantur, & undè? Originationes falſæ; veriſimilior alia ſecundùm Auctorem. Epocha quid? Condendarum Epocharum variæ cauſæ, principia varia, enarrata. Æra Chriſtianis ſacra. Multiplex inter Æras diſcrimen, earumque certitudinem, oſtenſum. Quæ fixæ, quæ vagæ? quæ Aſtronomicæ, quæ merè Hiſtoricæ? quæ nixæ Auctoritate infallibili? quæ publicâ, quæ privatâ hominum? quæ fabuloſæ? quæ obſcuræ? Quæ ut Hypotheſes aſſumptæ, undè conſequens demonſtratio neceſſaria?

Æra quæ dicitur, & undè? Originationes falſæ.

FUêre nuper Characteres temporum, poſt certum annorum intervallum, in orbem redituri. Sint nunc Characteres *fixi* & *ſtabiles*, quorum capita certis annis affixa, ex conſenſione hominum, & Auctorum graviſſimorum fide, ſunt principium ſupputationis annorum; ſeu aſcendendo in antecedentes, ſeu ad conſequentes annos deſcendendo. Vocantur communi nomine *Æra*, *Era*, *Hera*, etiam *Epocha*, ſine quarum cognitione hærebit in utraque Hiſtoriâ ſtudioſus Antiquitatis. Arabes dicunt تاريخ *Tarich*, etiam ارخة *Archah*, definitum rei geſtæ Tempus, Æram, quandoque Chronicon. Undè Jac. Chriſtmannus & alii, *Æra* vocem Arabicæ originis cenſuerunt, ab ارخ *arach*, notavit tempus, adſcripſit æram, annum, menſem; vel ab alterâ affini & ſono, & ſignificatione, ارج *arag*. Sanè haud diſſonat magnoperè vox *Era*, vel *Æra*, Latinâ terminatione ab Hiſpanis primùm uſurpata, in ſignandis annis Æræ Hiſpanicæ, quibus Arabicæ multæ voces in linguam ſuam, hinc in Europæas alias, traductæ fuerunt. Verùm enim verò factum iſtud feriùs, poſt irruptiones Saracenorum, & poſt uſurpatam pridem Hiſtoricis vocem *Æra*, ad radicem ſupputationum deſignandam, ſeu, ut Alphonſus in Tabulis definivit, *tempus limitatum ab ævo aliquo ſumens exordium.* Neque id jam agimus, ut in criſi aut in etymis vocum, occupemur. Planè tamen luſit in re ſeriâ Vir ingenioſiſſimus, Iſaacus Voſſius, dùm vocem *Æra*, Judæis Hiſpanis acceptam tulit, derivandam illis ab הגר *bagger*, tanquàm cognomento Herodis *peregrini*, ſeu *alienigena*, vel proſelyti: A cujus regni primordiis, quâ ſcil. fuerint in Hiſpaniâ auctoritate, ſub Romanorum dominatu, quove Judæi in Herodem ſtudio, *Æram* condiderint quæ *Hiſpanica* dici ſolet, 38. annis præcedens *Chriſtianam*. Ac potiori jure, ſi quæ vocis originatio ab Hebræis petenda fuit, *Æram* derivaveris à ירח *jareach*, *jerach*, quâ voce ut *Luna*, ſic novilunium, menſis, principium temporis deſignatur. *Hegiram* Arabum Mohammedicam huc advocare, prope inſanire eſt.

Primus certè uſus legitur *Æra* voce, hoc ſignificatu, Idatius Epiſcopus Hiſpanus, clarus medio ſec. v. in brevi Chronico, quod orſus eſt ab aſſumpto in conſortium Imperii Theodoſio per Gratianum. Ubi Idatius, editus cum Chron. Euſebiano, *Alanos, & Suevos, & Wandalos Hiſpanias ingreſſos Ærâ* — *Veriſimilis origo.*

CCCCXLVII.

Digitized by Google

CCCCXLVII. *Honorio* VIII. *& Theodoſio Arcadii filio* II. Coſſ. id eſt, Æræ Natalitiæ anno 409. Undè non malè fortaſſis Gothicæ originis vocem ſuſpicemur, quorum lingua cum Anglo-Saxonicâ vetere, & Teutonicâ, magnam habuit affinitatem, uti ipſum *Gothorum* vel *Guthorum* nomen oſtendit: Sic illud *Wandalorum*, *Longobardorum*, & id genus Gentium, quæ communi ferè origine. Sic *Aëra*, *Era* nata ex voce *Gear*, *Tear*, *Jere*, quæ annum dicit; aut contrà hæ ipſæ voces ex *Erâ*, quæ primitus dixit *annum quemvis*, vel *numerum annorum*. Certè Idatio *Æra* eſt *annus* quo Hiſpanias ingreſſi Barbari: Et in hunc diem hic vocis uſus apud Hiſpanos eſt. Ita quoque Francos veteres, quos à Gothis etiam, vel Teutonibus, ortos ſuſpicantur Viri Docti, uſurpaſſe *Æram* pro *anno*, ex Chartis antiquis, & ex Luitprandi legatione, refert Nobiliſſimus Cangius. Notæ verò & obviæ originationes aliæ, uti ab *Herâ* Junonis ſive Aëris nomine; vel à literarum compendio, A. E. R. A. *Annus Erat Auguſti*; vel ab *Ære* quod penderent populi, cenſu exacto per Auguſtum; vel ab *Ære*, ſive tributo, quod Domitius Calvinus Proconſul Hiſpanis pendendum impoſuit; & ſi quæ ſunt conjecturæ plures, apud Sepulvedam, Scaligerum, Baronium, Petavium, Covarruviam, Vaſcum, Voſſium, Baluzium, Spelmannum, Mabillonum, Cangium, & id genus ſeu Chronologos, ſeu Criticos, ſeu Eccleſiaſticæ Antiquitatis indagatores.

Epocha quid? *Epocha* vox notioris ſignificatûs eſt, ut ἐποχὴ ſit *terminus*, radix, punctum, nota fixa in Hiſtoriis, ac monumentis Veterum; ſeu jam *terminus* ſit *in quo* ſiſtitur vel terminatur annorum ſupputatio, ſeu *terminus à quo* eadem inchoatur.

Æras vel Epochas quæ cauſæ condiderint? Hæ autem Æræ vel Epochæ, ſeu fixi hi characteres, fixa capita ſupputationum, à variis ducenda principiis fuêre, & ex diverſiſſimis cauſis, varias inter Gentes. Aliæ enim ab inſigni aliquâ *clade*, aut *caſu* aliquo inſigni, inſtitutæ; quales v. gr. Æra immiſſi Diluvii, Excidii Templi utriuſque, Captivitatis Babylonicæ; ſic Æra Diluvii Ogygii, Deucalionici, Excidii Trojani, everſæ Monarchiæ Aſſyriacæ, Perſicæ, Syro-Macedonicæ: Aut Imperii Occidentalis Romani, vel Orientalis Græci, vel Regni Gothici in Hiſpaniâ, &c. Aliæ deductæ à memorabili *victoriâ*, vel etiam à *ſalutari* eventu, qualis ex. gr. Æræ apud Græcos Pugnæ ad Marathona, ad Platæas, aliæ; apud Romanos Æra Pugnæ Pharſalicæ, Actiacæ Victoriæ, Hiſpaniæ domitæ & tributariæ; apud Judæos, Æra Exitûs ex Ægypto, Liberationis ex Captivitate Babylon. ſic Æra Maccabæorum; apud Syros Æra Libertatis Antiochenæ, χρηματισμὸς τ̃ Ἀντιοχείας, &c. Aliæ deductæ à fundationibus *Urbium*, vel *Templorum*, quales Æræ v. gr. Templi Salomonici Cond. Conditæ Tyri, Carthaginis, Urbis Romæ, dicatæ Conſtantinopoleôs, &c. Aliæ petitæ ab incunabulis *Monarchiarum*, *Imperiorum*, quales ſunt Æræ Imperii Aſſyriaci, Regni Medorum, Monarchiæ Perſicæ, Monarchiæ Græcorum, Imperii Ptolemæorum, Seleucidarum, Auguſtorum: Sic regni Gothici, Longobardici, Burgundici, Francici, Anglo-Saxonici, &c. Sic Imperii Occidentalis Carolini; ſic Ottomannici vel Turcici, &c. Aliæ derivatæ à novis *Magiſtratibus*, aut novâ formâ *Civilis Gubernationis*, ut fuerunt v. gr. apud Judæos Æræ Judicum, Regum, Pontificum Ἐθνάρχων; apud Athenienſes Æra Archontôn, abolitis Regibus, qui Archontes rursùs Perpetui, poſt Decennales, tandem Annui: Sic apud Romanos Æra Conſulum Romanor. poſt Regifugium; tum & creatorum Cenſorum, Tribunorum, &c. dein etiam Æra Cæſarum. Aliæ ab inſigni *mutatione* in *Regno* vel *Republ.* uti Æra diviſi Regni Iſraëlis; Regni Herodiani, tranſlato ſceptro in alienigenam; ſervitutis Romanæ, indè à Pompejo, vel Auguſto; ità in recentiore Hiſtoriâ, Æra Ducum Venetorum, Fœderatæ Helvetiæ, Belgicæ, &c. Aliæ inchoandæ à *principatu* vel *imperio* hujus & illius Regis, Principis, Imperatoris, quales celebres Æræ Nabonaſſari, Alexandri M. Philippi Aridæi, Julii Cæſaris, Octavianæ potentiæ, Diocletiani, quæ aliàs Martyrum, Conſtantini M. Muhammedis, Caroli Magni, Alphonſi Caſtiliæ Regis, &c. Aliæ à *Ludis* vel *Agonibus* inſtitutis, & *ſolemnibus* id genus in Faſtos referendis, quales fuêre præ cæteris apud Græcos Agones Olympici, undè Æra Olympiadum; apud Romanos Luſtra, Ludi Seculares, Triumphi acti, Agones Capitolini indè à Domitiano Imperat. poſteà Indictiones indè à Conſtantino M. Aliæ à *Bellis* inſignibus, aut *Expeditionibus* memorandis, quales ex. gr. Æræ Expeditionis Argonauticæ, Belli Trojani, Expedit. Heraclidarum in Peloponneſum, migrationis Jonicæ, tranſitûs Xerxis in Græciam, Alexandri M. in Aſiam, &c. ſic Æra Belli Peloponneſiaci, Belli Punici primi, ſecundi, &c. Aliæ etiam Æræ deducendæ à *morte* vel *fato* magnorum Principum, Heroum; v. gr. à morte Moſis, aut Joſuæ; ſic Darii Codomanni, Alexandri M. Julii Cæſaris, Herodis M. Conſtantini M. Jezdegirdis Perſarum Regis, &c. Aliæ à *ſupputatione* ſingulari *temporum*, *annorum*, vel eorundem *correctione*, *emendatione*, quales v. gr. Æra annorum LXX. Captivitatis, LXX. Septimanarum; annorum Sabbaticorum, &c. Sic Anni Juliani, vel Æra aut Editio Juliana, annis antè Æram Vulg. XLV. Æra vel Periodus Judaica, de quâ ſuprà; Æra Jezdegirdica, vel anni Perſici; Æra Gregoriana, &c. Aliæ ab introductis *novis Sacris*, & mutatâ *Religione*, uti Æra defectionis Tribuum ſub Jeroboamo; prædicati Euangelii à XV. A. Tiberii; Hegiræ Muhammedicæ; Antichriſtianiſmi Papalis indè à Bonifacio III. Aboliti Gentiliſmi in Rom. Imperio; Reformationis Germanicæ inſtitutæ; ejecti Papatûs in his & illis Regnis, Provinciis, ut Franciâ, Angliâ, &c. Aboliti Arianiſmi in Regno Suevico, Gothico. Aliæ à nonnullis *memorabilibus*, ſive in Republicâ ſive in Eccleſiâ: Ut Æræ Confuſionis Linguarum; Vocationis Abrahami, undè orditur Chronicon Euſebius; Servitutis Ægyptiacæ, &c. Sic Æræ Perſecutionum; Conciliorum, ſpeciatim Concilii Nicæni; initorum Fœderum; pactarum Induciarum, vel ſancitæ Pacis; partæ Libertatis, vel etiam amiſſæ; & quæ id genus plura ſunt, in Faſtos publicos relata.

Æræ Chriſtianis Sacræ. In ſpecie verò ſunt Æræ *Chriſtianis* omnibus Sacræ, ab iis rerum primordiis, & eventibus, qui ad omnes attinent. Hujuſmodi eſt Æra *Mundi Cond.* quæ & *Epocha Adami*, & *Anni Mundi*, variè hi quidem, ut poſteà monendum, ſupputati. Quæ Æra Gentilibus ignota, Judæis ſeriùs & mendoſè uſurpata, omnibus Chriſtianis tàm in Oriente quàm in Occidente in familiari ac perpetuo uſu eſt. Ac memorabiles ſunt Cenſorini voces, de die Natali, *Cap.* XX. *ſi origo Mundi in hominum notitiam veniſſet, indè exordium ſumeremus.* Altera Æra eſt *Nativitatis Chriſti*, ſeriùs iſta quidem inter Latinos inſtituta, præeunte Dionyſio Exiguo, undè *Dionyſiana*, etiam *Vulgaris*, quatenùs à *Verâ* anno non uno aberravit. Sed de iſtâ poſteà. Accedat Æra *Paſſionis* Chriſti, vel *Reſurrectionis*, in quam ſtudioſè inquiſitum à Canonum Paſchalium Conditoribus. Sic Æra *Converſionis Paulinæ*, de quâ ſpecialis ſcripta nobis eſt Diſſertatio. Mittimus Æras *fabuloſas*, vel etiam *ſuperſtitioſas*, quas inter Chriſtianos ſanxit ſequior Ætas: Ex. gr. *Natalis Mariæ*, aut *Aſſumptionis* ejuſdem; ſic Cathedræ *Petri*; ſic *Inventæ* Cru-

Digitized by Google

Crucis Dominicæ; ſexcentas id genus, ex Calendario Romano intellectas.

Multiplex inter Æras diſcrimen oſtenſum, earumque certitudinem.

Porrò non unum inter has Æras diſcrimen eſt. Sunt enim aliæ ſingularum Gentium, aut etiam Urbium *propriæ*; aliæ multis Gentibus *communes*, etiam Sectis vel Religionibus, ut Gentilibus, Judæis, Chriſtianis, tam in Oriente quàm in Occidente, ut fuerunt Æræ Olympiadum, Contractuum, Diocletiani, ſimiles. Sic Æræ aliæ conſtantes annis *fixis*, vario quamvis annorum principio, ut fusè ſuprà; aliæ annis *vagis*, deſultoriis, per totum decurſum anni Juliani, quales Æra Nabonaſſarea, Philippica, Arabica annorum Hegiræ, Jezdegirdica vel Perſica. Iterùm Æræ aliæ *Aſtronomicæ*, plures à Ptolemæo memoratæ, quæ confirmantur Aſtronomicis ac Mathematicis calculis, nempè ex obſervationibus Eclipſeôn, conjunctionum Lunarium, Æquinoctiorum, Solſtitiorum, ortûs occasûſve horum & illorum Siderum. Et ità Æram Peloponneſiaci Belli ex iis principiis firmat Thucydides; uti Ptolemæus caput Æræ Nabonaſſari, & ad eam reducendas Epochas reliquas, ex. gr. Nabopolaſſari, Cambyſis, Darii primi, Alexandri M. obitûs, Regni Philadelphi, Annorum Actiacorum, imperii Domitianei, Adrianei, Antoniniani. Aliæ autem Æræ nullis iſtiuſmodi principiis demonſtratæ, nituntur *Teſtium* & *Hiſtoricorum* fide, ut Æra Excidii Trojani, conditi Templi Salomonis, Olympiadum, Urbis Cond. LXX. annorum Captivitatis, &c. Quorum rursùs teſtium alii ſunt *auctoritatis Divinæ*, quâ firmantur Epochæ ſacræ Mundi Cond. Diluvii, vocati Abrahami, reliquæ uſque ad tempora Eſdræ & Nehemiæ, & ſic Epocha Joh. Baptiſtæ prædicantis, A. Tiberii XV. Aliæ verò nituntur *auctoritate humanâ*, ſeu *privatâ*, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii, Diodori Sic. Livii, Varronis, Plutarchi, Pauſaniæ, Dionis Caſſii, Auctorum id genus; ſeu etiam *publicâ* vel Faſtorum, quales olim Faſti Magiſtratuum, Olympiadici, Capitolini, Judaici, id genus alii, etiam fide *publicâ* Lapidum, Marmorum, Nummorum, &c. Ità Epochæ aliæ *fabuloſæ*, quales ſunt illæ Imperii Babylonici ſecundùm Beroſum, Dynaſtiarum Ægyptiacarum ſecundùm Manethonem, quas & Euſebius in Chronico repudiavit; & ſi quæ ſunt aliæ id genus, quæ aſſurgunt longè ſuprà Diluvium, imò ſuprà Annos Mundi Cond. Aliæ Epochæ *dubiæ* & *obſcuræ*, nullis certis aut evidentibus characteribus inſignitæ, quales ſunt illæ ex. gratiâ Imperii Aſſyriorum, Regni Medorum, Argivorum, Athenienſium, Regni Macedonici, &c. Sic illæ Diluvii Ogygiani, & Deucalionici, Expeditionis Argonautarum, Excidii Trojani, Herculis laborum vel obitûs, & quæ ejus commatis plures ſunt. Sic dubii anni Regni Herodiani, Cenſûs I. Auguſtæi, veri Natalis Chriſti, &c. Aliæ denique ſunt *Epochæ*, quæ uſu & conſuetudine receptæ ut *hypotheſes* aſſumuntur, veluti *poſtulata* quædam, & quarum eximius uſus eſt in demonſtratione ac collatione temporum. Talis eſt Epocha Periodi Julianæ, ſic Mundi conditi anno Periodi Jul. 764. Sic nati Chriſti anno ejuſdem Per. expirante 4713. ſic Cyclorum, Solis & Lunæ, quibus Epocha hæc & illa inſignitur. Ac de Æris quibuſdam nobilioribus Gentilium, Judæorum, Chriſtianorum; cumprimis de Epochis ſacris, ad conſtituendum Canonem Chronicum, & ſeriem ac durationem temporum *ab Orbe Cond.* demonſtrandam, factâ comparatione ad annos *Periodi Julianæ*, aut *Æræ Chriſtianæ*, dicimus infrà, pro hujus Introductionis modulo.

CAPUT XXIV.

De Characteribus naturalibus temporum. Conjunctiones Luminarium. Eclipſes undè indicia temporum? Cautela adhibenda, charactere aliquando dubio. Certus character quando? Undè cognoſcenda, ſeu inveſtiganda? Monachorum fallax calculus. Æquinoctia & Solſtitia, ac circà hæc obſervata. Anticipatio Æquinoctiorum qualis ab Orbe Cond. exemplis declarata.

Characteres naturales temporum.

HActenus Characteres Temporum qui ſunt ex hominum *inſtituto*, ſeu notæ Chronicæ, indices, menſuræ, quarum beneficio tempora inveſtigantur, & à ſe invicem diſtinguuntur. Sequitur aliud genus Characterum, quod ratione certitudinis, primum locum mereatur, nempè Characteres *naturales*, qui à naturalibus cauſis dependent. Quæ cùm certæ ſint & ſibi conſtantes, hinc & certitudinem Mathematicam producunt hujuſmodi Characteres, faciuntque ἀπόδειξιν. Tales ab Hiſtoricis paſſim, etiam à Ptolemæo, Cenſorino *de Die Nat.* aliiſque Aſtronomiæ peritiſſimis notati, aut ſignati in Faſtis, aut ex circumſtantiis rerum certiſſimè colligendi.

Conjunctiones Luminarium.

Inter illos Characteres primum ſibi locum vendicent, *Planetarum* motus ac ſitus in Cœlo, in ſpecie autem Συζυγίαι ſeu *Conjunctiones Luminarium*, Novilunia & Plenilunia, ſeu Ætas Lunæ certiſſimâ ratione demonſtranda. Quò faciunt Canones Lunæ Plenæ & Novæ, apud Aſtronomos; Cyclus Lunaris ſeu Epactalis, de quo ſuprà; & Tabulæ Aſtronomicæ Lunæ-Solares, quibus conſtant medii motus, & Syzygiæ; *Epactæ* ſingulorum Menſium, in menſibus Lunaribus, quales Judaïci, Attici, &c. aut Ægyptiacis tricenariis, aut Julianis. Et hi Characteres ab omnibus ſemper Gentibus obſervati, quanquàm non pari peritiâ; & modo exactiore calculo, ſecundùm motus medios & cœleſtes, modò rudiore methodo, & faciliore viâ, obſervatis Lunæ phaſibus, undè à primâ phaſi vel Lunâ Corniculatâ, demum Novilunium. Quare dùm in Hiſtoriâ geſtum aliquid memoratur circà *Novilunium*, aut *Plenilunium*, tali anno, aut *Menſe*, & *die* Menſis, ſeu Attici, ſeu Judaïci, ſeu Ægyptiaci, ſeu Romani; evidentiſſimâ ratione tempus deſignatum intelligitur, etiam feria. Ex. gr. ſic demonſtratur annum I. *Olympiadicum*, qui cum *Novilunio* cœpit, proximo à Solſtitio, annis antè Metonem 344. connecti cum Anno Per. Jul. 3938. à *Julii* die 9. *feriâ* 3. Sic intelligitur initium Periodi Calippicæ, quæ ſimiliter procedit à *Novilunio* in Solſtitium æſtivum incurrente, quod tum regreſſum eſt ad 27. Junii, Anno Olympiadico 447. Ita annis antè Calippum 102. Ptolemæo referente, *Novilunium* accidit proximè antè Solſtitium Metonis, die 10. *Phamenoth*, id eſt, Julii Romani die 16. Anno Nabonaſſareo 316. Olympiadico 344. undè Periodus Metonica. Exempla alia apud Petavium, Scaligerum, Calviſium, Petitum, alioſque obvia.

Eclipſes undè indicia temporum? Cautela adhibenda.

Secundo loco obſervandæ veniunt *Eclipſes* vel Solis, vel Lunæ, ſeu defectiones Luminarium, ab Hiſtoricis memoratæ, vel ab Aſtronomis circumſtantiis hiſtoricis ſignatæ, tanquàm certiſſima indicia ac criteria temporum, annorum, menſium, dierum. Sunt enim Eclipſes, quas Thales primus prædixiſſe fertur, *Periodicæ*, indè ab Orbe Cond. certis Aſtronomorum calculis ab unâ Eclipſi ad aliam; pro motu *Latitudinis Lunæ*, ſeu diſtantiæ à *nodis* Eclipticæ, vel à punctis duobus Solaris ſemitæ quæ Luna ſecat, illinc aſcendendo ad *Boream*, hinc deſcendendo ad *Auſtrum*, ibi in Capite, hìc in Caudâ Draconis. Certiſſimâ igitur ratione invenitur, quando Luna mo-

Digitized by Google

motu ſuo Latitudinis, propiùs aberit à *nodo*, in ſolem incidens tempore conjunctionis, undè Solaris Eclipſis; aut ex adverſo Solem reſpiciens, tempore oppoſitionis ſeu plenilunii, undè Lunâ in umbram terræ incidente, fit Lunaris Eclipſis. Rursùs certò cognoſcitur initium, medium, finis interceptionis illius ſive Solaris, ſive Lunaris luminis, quanta futura ſit defectio, quot digitis, quâ morâ, quo ſitu Luminarium, quâ altitudine, quâve parallaxi Solis & Lunæ, de quibus videndæ Tabulæ, & Canones Aſtronomici, inveſtigandis Eclipſibus. Atque hinc factum eſt, ut ſint *Eclipſes* utriuſque ſideris, accuratè à ſcriptoribus Græcis, Latinis, Arabibus, tanquam Character indubitatus connotati temporis, tranſmiſſæ ad poſteritatem. Nec ſatis fuit pleriſque inſigniviſſe hunc & illum *annum*, notatâ *Eclipſi* ſeu Solis ſeu Lunæ: Plures ſiquidem uno ſæpè anno Eclipſes, aut duobus, tribuſve annis contiguis, conſpicuæ ſub eodem meridiano. Undè ſi *annus* tantummodò memoretur, quo contigit Eclipſis, omiſſo *menſe*, & *die*, dubius hic fit Character temporis. Quomodò Tacitus *Lib*. I. Annalium annum emortualem *Augusti* ſignat charactere Lunaris Eclipſeôs, ſed non addito die, nec menſe, nec horâ noctis, undè ex hoc uno charactere incertum an anno Æræ Vulg. XIII. an. XIV. an XV. quibus annis tribus Luna deliquium paſſa. Sic Euſebius in Chron. ad Annum Dom. XIV. Auguſti LVI. Olymp. CXCVIII. *Defectio Solis facta*, inquit, & Auguſtus moritur. Sed & Dio *Libro* VI. ad A. Urb. Cond. 767. quod antè obitum, ὅ τε ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε *ſol totus defecit*. At nec circumſtantias addunt quæ Eclipſim diſtinguant; nec ſimilis Eclipſis *Solis* (Romæ viſa) Aſtronomicis calculis deprehenditur, ſeu anno ipſo quo exceſſit Auguſtus, ſeu antevertente.

Certus hic character quando?

Certum igitur Characterem reddunt *Eclipſes*, quando ità deſcribuntur ab Hiſtoricis, ut notetur *dies*, *feria*, *hora*, quâ contigerunt. Sanè redeunt quidem eæ defectiones Luminarium iiſdem menſibus, etiam diebus, longo annorum intervallo, eâdem Lunari ſectione, circà nodos Eclipticæ, menſtruo motu, eodemque ad Solem reſpectu, qui fons eſt omnis defectionis luminis. Verùm enim verò accidit nunquam ut eædem prorsùs *Eclipſes* redeant, ſibi per omnes circumſtantias ſimiles, tempore, loco, quantitate, duratione, momento quo incipiunt, quo deſinunt, digitis iiſdem Eclipticis, Sole in eodem ſigno, gradu, eâdem horâ, iiſdem minutis, parallaxi eadem: Igitur non tantùm ex *deliquiis* ipſis Luminarium, quæ fideliter relata ab Hiſtoricis ſunt, aut ab Aſtronomis obſervata, de anno Per. Jul. Cyclis, menſe, die, rei geſtæ, deque intervallis temporum, judicium eſt; verùm præcipuè ex *circumſtantiis* ipſis deliquiorum, quas diximus modò, quaſque diligentiùs ac curioſiùs obſervatas, ſervarunt poſteritati. Præivit hac in parte Chronologis Romanorum Doctiſſ. Terentius Varro, teſte Cenſorino, & poſt eum Auguſtino Libris *de Civ. Dei*, qui collaturus inter ſe tempora, Epochas, ſedulò *Eclipſium* Solis & Lunæ intervalla retrò numeravit, ope Tarrutii Firmani Mathematici, earumque beneficio Epocham *Urbis Cond*. Varronianam condidit, & ad annos Olympiadicos, aliaſque Epochas, comparavit. Exemplorum plena ſunt monumenta Veterum, Annales, Decades, Hiſtoriæ, Chronica, in deſcribendis prœliis, cladibus, natali Principum, Imperiorum, exceſſibus Regum, &c. Adde Obſervationes Aſtronomicas Ptolemæi, in quibus fundatæ ſunt *Epochæ Aſtronomicæ*, ab eodem memoratæ; & celebris ille Canon Mathematicus, adhibitus in computandis annis Aſſyriorum, Perſarum, Alexandri M. Philippi, Ptolemæorum, & Auguſtorum. Ex. gr. antiquiſſima eſt Epocha *Nabonaſſarea*, cujus caput Anno Per. Jul. 3967. Febr. XXVI. feriâ 4. Cyclo Solis XIX. Lunæ XV. invictâ ratione probatur, vel ex tribus *Eclipſibus Lunaribus*, Babylone obſervatis, anno Nabonaſſareo 27. & 28. addito deliquii menſe, horâ, minutis, Sole in tali ſigno, gradu, & tot minutis. Hinc certa demonſtratio, quam vide apud Scaligerum, aut Petavium, *Libro* IX. *Cap*. LI. & Chronologos alios ſine fine. Eâdem methodo apodicticè demonſtrantur, ex. rursùm gratiâ, primus Agon Olympicus, Æra Urbis Cond. tempus Belli Peloponneſiaci, initium regni Nabopolaſſari, ſic Cyri Babylone regnantis, Alexandri Victoris ad Arbella, quando Periodum ſuam Calippus inſtituit, ſic Seleuci fundantis Imperium Syro-Macedonicum, Julii Cæſaris annos Julianos condentis, Auguſti morte ſublati, ſcil. anno Æræ Dionyſ. XIV. Et quæ id genus Epochæ plures ſunt, uti etiam ſunt notati in Faſtis Conſulatus, cum Ærâ Chriſtianâ ſeu Dionyſianâ conferendi. Fuſi ſunt hac in re Behmii, Buntingii, Scaligeri, Mulerii, Petavii, Emmii, Calviſii, Langii, Frankenbergeri, id genus temporum putandorum magiſtri.

Eclipſes undè cognoſcendæ?

Ad Eclipſes vero ſeu Solares, ſeu Lunares inveſtigandas, faciunt Tabulæ Aſtronomicæ, ex quibus intelliguntur *medii motus* utriuſque Luminaris, Anomaliæ Solis & Lunæ, motus Latitudinis Lunæ, Poſthaphæreſes ſeu Æquationes, Elevationes Signorum, alia, præeunte Ptolemæo Aſtronomorum principe in Tabulis Ptolemaicis. Quæ deinceps variis Meridianis applicatæ, ut Alexandrino, ſic Toletano, Regiomontano, Freuburgenſi Boniſſiæ, Danico, Friſico, Pariſino, &c. varium nomen ſortitæ ſunt, & dictæ Tabulæ Alphonſinæ, Prutenicæ, Copernicianæ, Danico-Tychonianæ, Friſicæ, Pariſinæ, & ſi quæ plures. Require quæ in hanc rem ſufficiant ex Nicol. Mulerio, Viro Præſtantiſſ. in Tabulis Friſicis, ejuſdemque ad eas obſervatis, aut Petavium conſule Libro VIII. *de Doctr. Temp*. Atque ita fit ut retrò ſupputari poſſint tempora ab unâ *Eclipſi* ad aliam, eademque comparata ad Æram Chriſti Vulgarem, oſtendant non annum modò, & quotum ab hac Ærâ, ſed & feriam, horam, momenta. Quanquàm & iſtud obſervandum eſt, fallere in hoc quandoque Monachorum Chronica, quod memorant *Eclipſim* Lunarem à ſe viſam, ex. gr. *Lunâ* XII. aut XIII. Solarem accidiſſe Lunâ XXVI. aut XXVII. Quæ temporis notatio repugnat principiis Aſtronomicis, computata illa non ad veram Lunæ ætatem, ſed ad Cyclum Paſchalem veterem, non attentâ [illegible] Lunari, & vitio ejus Cycli, de quo ſuprà.

Monachorum calculus vitioſus.

Æquinoctia & Solſtitia. Obſervationes de iis neceſſariæ.

Tertius character naturalis, diſtinctivus temporum, ſunt *Æquinoctia* & *Solſtitia*. Id eſt, puncta Cardinalia quibus Sol ingreditur ſignum Arietis, aut Cancri, aut Libræ, aut Capricorni, ſicque tùm Æquinoctium *vernum*, vel *autumnale*, Solſtitium *æſtivum* vel *brumale*. Undè ſi res aliqua geſta, vel Epocha inſtituta, uno ex Æquinoctiis, vel Solſtitiis, hiſtoricè memoratur, aut tali diſtantiâ ab Æquinoctio, aut Solſtitio, in *annis* Olympiadicis, Nabonaſſareis, Calippicis, Æræ Chriſtianæ, &c, certa jam eſt demonſtratio temporis, etiam diei, & feriæ. Ità ex tempore *Æquinoctii verni*, intelligitur *Neomenia Paſchalis*, quæ nunquàm diſtare ab Æquinoctio debet, plus XV. diebus; undè ſi major ſit diſtantia ab inſtante Æquinoctio, additur Lunatio una, & annus fit embolimæus, ne Paſcha præcedat Æquinoctium. Obſervabunt autem, qui in horum ſtudiorum verſantur quaſi limine. I. Primum *Æquinoctium* medium *Autumnale*, indè à Creatione, (ſupponendo, Annum Per. Jul. 764.) incidere in XXVI. Octobr. feriâ I. Hinc primum *Æquinoctium Vernum* Anno

no Per. Jul. 765. Cyclo Solis 9. eodemque biſſextili, incurrere in xxii. Aprilis, feria 5. Nam ab Æquinoctio Autumnali ad Æquinoctium Vernum putantur dies integri 178. & *horæ* aliquot, quæ anno biſſextili pro completâ *die* numerantur. 2. Dato *Æquinoctii* die, facilè inveniri diem *Solſtitii* ſequentis. Nam ab Æquinoctio Verno ad Solſtitium Æſtivum, intervallum eſt dierum 93. *horarum* aliquot, 9. aut 12. diverſo calculo Alphonſino & Tychoniano. Sic à Solſtitio Æſtivo ad Æquinoctium Autumnale, intervallum dierum 93. & totidem horarum. Ab Æquinoctio Autumnali ad Solſtitium Brumale, intervallum dierum 89. cum horis 2. juxtà Alphonſinas Tabulas: A Solſtitio tandem Brumali ad Vernum Æquinoctium, intervallum idem. Quò faciunt Tabulæ Solares ſeu Alphonſinæ, ſeu Tychonianæ, hæ illis prælatæ, reducendæ facillimè ad alios Meridianos, quod à Mulcrio, Petavio, aliiſque factum. 3. *Æquinoctia* & *Solſtitia* media, in anno Juliano (ob hujus exceſſum ſuprà annum Tropicum, ſcrupulis horariis xi.) ſemper regredi in anteriora εἰς τὰ προηγύμενα, versùs Menſium initia, annuâ *anticipatione*. Ità quidem ut quolibet anno cxxxvi. elapſo, juxtà Tabulas Alphonſi, vel communiter poſt annos cxxx. anticipent toto *die*. Quo fit ut invento Æquinoctio, quocunque anno Periodi Julianæ, aut Æræ Chriſtianæ, facilis calculus ſit in anteriora, aut etiam in conſequentia tempora. Ita quod *Æquinoctium autumnale* Anno 1. Mundi Cond. Per. Jul. 764. incidit in xxvi. *Oct.* feriâ 1. tempore Hipparchi, Anno Periodi Jul. 4556. annis antè Chriſtum 158. regreſſum fuit ex *tertiâ* ejus obſervatione, Ptolemæo teſte, in *Septembris* xxvii. feriâ 1. factâ προηγήσει totius penè *menſis*. Hinc tempore Nativitatis Chriſti Æquinoctium medium autumnale incidit in xxvi. *Sept.* Juliani; ſuperiori autem Seculo, tempore emendati Calendarii, in *Sept.* xii. Idem de *Æquinoctio verno* ſtatuendum, quod Hipparchus A. Per. Jul. 4568. deprehendit xxiv. *Martii*; tempore autem Nicænorum congruit *Martii* xxi. deinceps verò *Martii* x. ſtylo Juliano. Atque hinc Calendarium Gregorianum, de quo ſuprà, juxtà quod Æquinoctium fixum eſt vernum in xxi. *Martii*, omiſſione *trium biſſextorum*, ſeu dierum intercalarium, ſpatio 400. annor. Quo fiet, ut vix *decem millibus* annorum Æquinoctia aut Solſtitia 2. diebus naturalibus anticipent. Pari ratione *Solſtitium æſtivum*, quod tempore 1. Olympiadis, civiliter quidem, fixum erat ad viii. *Julii*, Aſtronomicè autem accidebat xxx. *Junii*, poſteà tempore Metonis regreſſum fuit ad Junii xxvii. Calippi autem illo, ad Junii xxvi. hodie ad Junii x. Julianum; quâ de re videſis Petavii, & computiſtarum Tabulas. Quibus πλατικῶς obſervatis facilè intelligitur, quî ſeu Tabularum beneficio, ſeu Arithmetico calculo, dato anno quocunque, cujuſvis Epochæ, deprehendantur *Æquinoctia*, & *Solſtitia*; ac viciſſim quî his Aſtronomicè indicatis, annus inveſtigetur, menſis, & dies.

Anticipatio Æquinoct. qualis; & unde?

CAPUT XXV.

De Epocharum inter ſe connexione. Ratio connectendi laxior. Specialior alia exemplis illuſtrata. Exempla ex Hiſt. ſacrâ. Ex Varrone. Ex Ptolemæo. Ex Cenſorino. Applicatio ad annos Chriſtianos, & Periodi Julianæ. Cautela Cenſorini. Connexio Hiſtoriæ Exoticæ cum Sacrâ & Chriſtianâ. Exempla conjunctarum Epocharum. Ex Euſebio. Ex Evagrio locus illuſtris. Declaratus idem, etiam contra Valeſium, & Pagium. Parachroniſmi in connexione Epocharum, exemplis declarati, ex Joſepho, & Veteribus. Concluſio hujus 1. Partis.

SUperiorum quos diximus *Characterum* beneficio, fit opportuna & certa *Epocharum* inter ſeſe *connexio*, ſeu *concatenatio*. Per quam nempè, propoſito anno Epochæ cujuſcunque, vel facto, eventu, certò cognoſcitur quotus ille annus fuerit, non tantum v. gr. Æræ Olympiadum, aut Urbis Cond. aut Nabonaſſareæ, aut Imperii Auguſtæi, &c. ſed harum omnium Epocharum conjunctim, factâ connexione; imò etiam quotus Cyclus Solis, Lunæ, Indict. hinc quotus ille annus Periodi Jul. aut Mundi Cond. ex hypotheſi Scaligeri, vel Petavii, vel Uſſerii, &c. In ſpecie certò connectuntur Epochæ cum Ærâ Natalis Chriſti *Dionyſianâ*, cujus annus 1. congruit annò Periodi Julianæ 4714. Cyclo Solis 10. Lunæ 2. *Indict.* 4. uti Epocha Natalis *Euſebiana* connectitur cum A. Per. Jul. *ineunte* 4713. Et hæc connexio Epocharum Græcis vocatur συγχρονισμὸς, qui rursùm intelligitur vel generaliùs ſeu πλατικῶς, cum aliquâ latitudine, vel *ſpecialiùs* ac *diſtinctiùs* annos annis copulando. Priori modo, quando *ætas* unîus comparatur cum *ætate* alterius, tempus rei unîus tali loco geſtæ cum tempore rei alibi memoratæ, ſeu in ſacrâ Hiſtoriâ, ſeu in Exoticâ. Ità comparantur Euſebio, Chronicorum Canonum Libro Poſter. tempus *Nini* regnantis, & nati *Abrahami*; ſic *Nini* Aſſyriis, & *Aegialei* Sicyoniis imperantis; ſic *Iſaaci* ſexagenarii, & *Inachi* Argivorum regno admoti; ſic *Paſtorum* Dynaſtia in Ægypto, vel tempora *Phoronei*, *Niobes*, *Ogygis*, *Apis* Argivi, &c. cum temporibus *Jacobi* profecti in Meſopotamiam, dein *Joſephi* nati, venditi, præfecti toti Ægypto, ad deſcenſum uſque Jacobæum, ſub hujus Dynaſtiæ finem. Sic confert Euſebius *tempora* Aſſyriorum, Ægyptiorum, Argivorum, Athenienſium, &c. cum *temporibus* Abrahami, Patriarcharum, Moſis, Joſuæ, Judicum ſingulorum, Davidis, Salomonis, &c. Ità auctoritate θεοπνεύστω connectitur in Hiſtoriâ S. tempus *Hirami* (εἰράμου) inclyti Tyriorum Regis, cum tempore *Davidis* & *Salomonis*; tempus *Merodachi* vel *Merdokempad* Babylonii, item *Sennacheribi* Aſſyrii, cum tempore *Ezechiæ* Regis; tempus *Necos*, vel *Necao* Ægyptii, cum *Joſia* illo, ab Ægyptio interfecti; tempus *Nabocolaſſari* ſeu Nebucadnezaris Filii, cum regno *Jehojakimi*, *Jechoniæ*, *Zedekiæ*, ſub quo Urbs excíſa; tempus *Cyri* Babylone regnantis, hinc *Darii Artaxerxis*, cum temporibus *Zorobabelis*, *Jehoſuæ*, *Eſdræ*, *Nekemiæ*, &c. Et ità tempus Nativitatis Chriſti πλατικῶς & indeterminatè quoad annum, connectitur cum tempore *Auguſti* Cæſ. apud Lucam, & *Cyrenii* cenſum agentis; ſic cum regno *Herodis M.*

Epocharum inter ſe connexio.

Alia quæ fit πλατικῶς.

Poſteriori modo comparantur inter ſe Epochæ, quando etiam *annus* unîus Epochæ cum *anno* alterius connectitur, ſive in Hiſtoriâ ſacrâ, ſive in profanâ. In Hiſtoriâ S. ex gr. connectitur annus 1. fundati *Templi* Salomonici, & *annus* iv. *Salomonis*, cum anno 480. ab *Exitu*, 1 *Reg.* vi. 1. Sic iv. *Jehojakimi* Regis, cum 1. *Nebucadnezaris* Babylonii, aliàs Nabocolaſſari

Specialior alia.

Exempla Sacra.

Digitized by Google

laſſar, *Jerem.* xxv. 1. Sic annus 1. *Cyri*, cum fine annorum LXX. *Captivitatis*, 2. *Chron.* XXXVI. 22. Sic initium prædicati Euangelii, per *J. Baptiſtam*, cum anno xv. *Tiberii* Romæ imperantis, *Luc.* III. 1.

Exempl. ex Varrone.

In Hiſt. *exoticâ* præivit olim inter Romanos Epocharum huic connexioni, etiam annos cum *annis* combinando, imò & *dierum* certum numerum eruendo, Terentius Varro, doctiſſimus Latinorum, teſte Cenſorino, uſus operâ Tarrutii Firmani Mathematici. Is enim ex *Eclipſium* intervallis, & tempore *conjunctionis mediæ* Lunæ cum Sole, & ſitûs Solis in *Tauro*, tum ex tempore concepti & nati *Romuli*, teſte Plutarcho in hujus Vita, definivit Palilia Urbis Romæ, & conjunxit ut cum Epochis aliarum *Urbium* Italiæ, ſic cum anno III. deſinente VI. *Olympiadis*. Qui rurſùm Annus conjungitur cum Anno *Periodi Julianæ* 3961. ſi Roma *Aprili* menſe condita, Cyclo Solis XIII. Lunæ IX. Et ex anno Periodi Julianæ, intelligitur nullo negotio quot annis præceſſerit *Æram Chriſtianam* Natalis Urbis Cond. nempè annis 753. Ità quot annis præceſſerit Annos *Nabonaſſareos*, nempè VI. annis circiter, ſiquidem horum Epocha inivit, ut aliàs demonſtratur ex Ptolemæo, anno Per. Jul. 3967. Olympiadis VIII. anno II. in Febr.

Ex Ptolemæo.

Præivit in connexione Epocharum luculentiſſimâ ratione Ptolemæus Aſtronomorum princeps, clarus ſub M. Aurelio Imperatore. Non modò fixit is Æræ *Nabonaſſareæ* caput, calculo Aſtronomico, ex obſervationibus Eclipſeôn, aliiſque, in annum qui eſt *Periodi Jul.* 3967. Neomeniâ 1. menſis *Thoth* incidente XXVI. Febr. Jul. Sed rationem etiam oſtendit, connectendi cum annis *Olympiadicis*: Siquidem, ex gr. Anno Nabonaſſareo 316. incipiente tùm die IX. Decembr. Jul. notat cum Diodoro Sic. Archontem Athenienſium *Apſeudem*, quo tempore Meton ſuam Enneadecaëteridem publicavit, qui fuit annus 4. Olympiadis LXXXVI. ſeu Iphitæus 344. proximè antè Bellum Peloponneſiacum, cujus 1. anno accidit *Solaris Eclipſis*, Thucydidi memorata. Ità annum *Hegeſiæ* Archontis, qui idem exceſsûs *Alexandri M.* connectit Ptolemæus cum anno *Nabonaſſareo* ineunte 425. Et ſic certâ ratione hic annus combinatur cum anno *Iphitæo* 453. *Olymp.* CXIV. anno 1. Et quæ id genus ex Ptolemæo exempla plura ſunt. Rurſùs ex Annis Olympiadicis intelligitur, quotus annus fuerit antè *Æram Chriſti* Vulgarem, cujus Natalem conjecit Dionyſius Exiguus in annum 4. Olympiadis CXCIV. Uti Euſebius in annum qui præceſſit, ſcilicet 3. Olymp. CXCIV.

Ex Cenſorino.

Cumprimis verò Cenſorinus, qui claruit ſub Gordianis, & Librum ſuum de *Die Natali* conſcripſit anno 1. Gordiani Junioris, Ulpio & Pontiano Coſſ. conjunctionem Epocharum luculentiſſimam inſtituit Cap. XVII. certis Characteribus, ac facem prætulit Chronologis. *Conſulatum* enim illum docet concurriſſe cum Anno *Olympiadico* 1014. à Solſtit. æſtivo, id eſt, 2. *Olymp.* CCLIV. *Urbis Cond.* anno 991. à Palilibus ſecundùm Varronem; *Anno Juliano*, à Kalend. Januar. 283. *Anno Auguſtano* 265. à quo ſcil. Cæſar ſententiâ Numacii Planci *Auguſtus* appellatus eſt, Octavio Auguſto VII. Agrippâ III. Coſſ. Anno *Nabonaſſareo*, quo utebantur Ægyptii, 986. *Philippeo* à morte Alexandri M. 562. primo die *Thoth*, eo anno, incidente a. d. VII. Kal. Julii. Et connexionem tot Epocharum firmat obſervatio *Eclipſeôs Solaris*, quæ accidit eo anno *April.* 2. *horâ* 7.25'. poſt mediam noctem Romæ; quâ de Eclipſi Petavius, *Lib.* XI. C. XXIV.

Applicatio ad Æram Chriſt. & Periodum Jul.

Undè rurſus neceſſario connexio præfatarum Epocharum *inter ſeſe*, tum & copulatio cum annis *Æræ Chriſtianæ*. Ex hoc enim Cenſorini loco apparet, factâ ſupputatione, quoto anno Olympiadico fuerit Urbs Condita, calculo Varroniano; quoto anno Urbis Cond. cœperit Annus 1. Editionis Julianæ; quoto, anni Auguſtani: Ità quot annis ab initio Olympiadum, vel ab Urbe Cond. diſtat caput Æræ Nabonaſſareæ; ab omnibus verò iſtis, caput annorum Philippeorum, qui Ægyptii fuêre & æquabiles. Pari ratione intelligitur quàm exactiſſimè ex eâ comparatione, annus *Periodi Jul.* cui omnes illæ *Epochæ* congruant; ſiquidem demonſtratum eſt 1. Olympiadem incipere cum anno Periodi Jul. 3938. ex ſententiâ Lucidi, Scaligeri, Mulerii, Petavii &c. Ità ex fixo Capite *Æræ Dionyſianæ*, cujus annus 1. congruit cum anno Periodi Jul. 4714. cognoſcitur manifeſtiſſimâ ratione conjunctio annorum Chriſti, cum annis Olympiadicis, Urbis Cond. Nabonaſſareis, Philippeis, Julianis, Auguſtanis, &c. Quæ enim uni tertio ſunt æqualia, ea & inter ſe æqualia ſunt, juxtà Mathematicum axioma. Ità dùm conjunguntur Epochæ priores, cum aliquo tertio, puta cum anno *Per. Julianæ*, ſi cum hujus ipſius annis conjungis annos *Æræ Chriſtianæ*, neceſſe eſt eandem & cum prioribus Epochis rectè certoque connecti ac combinari. Sed tamen obſervatâ regulâ alterâ Cenſorini, ut cujuſque Epochæ, quæ inter ſe connectuntur, attendantur initia diverſa, in anni decurſu. Siquidem anni *Olympiadici* ab æſtate procedunt; *Urbis Cond.* à Palilibus vernis, Sole in Tauro exiſtente; anni *Juliani*, *Auguſtani*, *Conſulatuum*, à Kalendis Januariis; anni *Alexandrei* ab Autumno; anni *Nabonaſſarei*, *Philippei*, à 1. Thoth, ſed vagato per omnes menſes anni Jul. ſingulis quadrienniis *uno die* anticipando, indè à XXVI. *Febr.* quo cœpit primus Nabonaſſareus; undè facilis computatio eſt.

Cautela adhibenda.

Connexio Hiſtoriæ Exoticæ cum Sacra & Chriſtiana.

Rurſùs connectendo annum 1. *Æræ Chriſtianæ* cum annis v. gr. *Olympiadum*, quod fecêre Euſebius, Hieronymus, Proſper, Dionyſius Exiguus, quanquam diverſimodè; hujus collationis beneficio res Græcorum cum annis Chriſti, hinc cum Sacris Epochis connectuntur. Sic beneficio Æræ *Nabonaſſareæ*, & Canonis Ptolemaici, copulantur res & anni Chaldæorum, Perſarum, Alexandri M. Ptolomæorum, cum annis Olympiadicis, Romanis, Chriſtianis. Ità dum Polybius, Dionyſ. Halicarnaſſeus, Livius, Plinius, Solinus, Cenſorinus, copulant annos Urbis Cond. Conſulatuum, Cæſarum, cum Olympiadicis, hoc modo Hiſtoria Græca cum Romanâ, utraque cum Sacrâ & Chriſtianâ, facilè comparantur.

Exempla ex Euſebio.

Pari ratione *Euſebius*, in *Chronico ſuo*, Parte Poſteriore, ducit nos ad connectendas Epochas etiam antiquiſſimas, Aſſyriorum, Argivorum, Athenienſium, Excidii Trojani, tùm & illas Olympiadum, Urbis Cond. Seleucidarum, Ptolomæorum, Auguſtorum, &c. cùm inter ſeſe, tùm cum annis Abrahamicis, Moſaicis ab Exitu, ac ſequentibus Iſraëlitarum temporibus, tandem cum ipſiſſimâ Ærâ Chriſti nati, deindè paſſi. Dum connectit Ex. gr. annum nati *Abrahami* 1. cum *Nini* Aſſyrii XLIII. Annum à nato Abrahamo CLXI. cum *Inachi* Argivorum Regis 1. Annum rurſùs Abrahamicum CCCCLXI. cum 1. *Cecropis* Athenarum fundatoris; ſic Annum ejuſdem Abrahami DVI. cum Anno quo *Moſes* eduxit Populum ex Ægypto, & hunc cum Cecropis Athenienſis XLV. Acherris Ægyptii 1. &c. Rurſùs dum copulat annum *Azariæ* L. cum anno 1. *Olympiadico*, Abrahami autem anno MDCCXLI. Sic *Palilia* Urbis Romæ, cum Achazi anno VI. Olympiad. VII. anno 1. Sic poſteà annum *Chriſti nati* 1. cum Abrahamico MMXV. Olympiadis CXCIV. anno III. Auguſti Cæſ. XLII. Annum verò *Chriſti paſſi*, ex hypotheſi ejus temporis, cum Abrahamico MMXLVII. Olymp. CCII. anno III. Tiberii XVIII. Ætatis ſuæ XXXII. Quos annos facile eſt

Digitized by Google

eſt combinare cum annis *Per. Julianæ*, & ſic inter ſe conferre Euſebiana hæcce tempora, ad communem hanc menſuram. Obſervante tamen Petavio, caput annorum Euſebianorum duci ab *Autumno*, eſſeque annos *Antiochenos*, non Julianos.

Locus illuſtris ex Euagrio. Nec indicendus nobis *Euagrius* Scholaſticus, qui Hiſtoricum opus terminavit cum Anno Mauricii Imperat. XII. Nemo diligentius tempora ſignavit, atque inter ſe conjunxit, maximè ubi ingentes Terræ motus, qui Antiochenam Urbem univerſam concuſſerunt, hiſtoricè deſcribit. Certè *Libro* II. *Cap.* XII. exhibet θεήλατον illum Terræ motum, poſt furores Populi Antiocheni: Qui acciderit, Anno II. Leonis I. Imperat. χρηματισμοῦ τῆς Ἀντιοχείας, ſeu Æræ Antiochenæ DVI. *Menſe* Syro-Maced. Gorpiæo, vel Septembri Romano, *die* XIV. *feriâ* I. ineunte (Κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας) *horâ* noctis IV. *Indictione* XI. ſcil. propè expirante, deſinenteque in XXIV. *Sept.* vel Indictione ineunte, ſi Conſtantinopolitanam voluit Euagrius. Addit, factum Annis CCCXLVII. poſt illum Terræ motum qui ſub Trajano acciderat, Æræ Antiochenæ Anno CLIX. ſcilicet Meſſalâ & Pedone Coſſ. Quid ſcribi potuit accuratius, tempori connotando? Sanè difficultas eſt in verbis Euagrii, ὁ κύκλου ἕκτος τυγχάνων ἰσορρόμενος, ut legerunt alii; legente Valeſio poſt interpunctionem ad vocem κύκλου, quam refert ad *Cyclum Indictionis*, ἕκτος ſcil. *ſextus* hic Terræ motus *accidiſſe dicitur*, &c. Quid ſi ὁ κύκλου ἕκτος, nempè annus *ſextus* inchoati novi *Cycli*, ſcil. *centenarii*, poſt elapſos annos D. αὐτονομίας Antiochenæ, ut repetit ſtatim poſteà?

Connexio temporum hic quadruplex. Cæterùm connexio hîc multiplex temporum. *Prima* eſt, Anni II. *Imperii* Leonis Aug. cum *Indictione* XI. quæ habuit Cyclum Lunæ III. Solis XIX. Lit. E. Ergò annus fuit *Periodi Jul.* 5171. Undè rurſùs connexio cum *Ærâ Chriſtianâ* Vulg. Subtrahendo enim ex annis Per. Jul. qui Æram hanc præceſſerunt 4713. remanent anni Chriſti 458. *Secunda* conexio eſt, cum annis *Æra Antiochena*, quæ cœpit antè Æram Vulg. annis XLVIII. Undè Annus Antiochenus 506. abjiciendo 48. relinquit rurſùs annum Æræ Chriſt. 458. Primus *annus* etiam Æræ Antiochenæ combinatur cum anno labente Per. Jul. 4665. & ſic cum Annis Olympiadicis, Nabonaſſareis, Calippicis, &c. hic character connectitur. *Tertia* copulatio eſt, cum annis CCCXLVII. qui fluxerant indè à Terræ motu Antiocheno ſub *Trajano Imperat.* qui accidit anno ejus Principis XVIII. Meſſalâ & Pedone Coſſ. unde colligitur annus *Urbis Cond.* 868. *Julianus* 160. Malè tamen Euagrius (quod etiam Baronius, Valeſius, & alii obſervarunt) fuiſſe hunc ſub Trajano annum Antiochenum CLIX. qui veriùs CLXIII. copulando 48. (totidem annis præcedit Æra Antiochena Dionyſianam) cum annis Æræ Chriſt. 115. Juliano anno primo ſecuto χρηματισμὸν Antiochiæ, qui ab Autumno cœpit, totis annis tribus, cum aliquot menſibus. *Quarta* apud Euagrium connexio, eſt illa *Menſis* ſcil. *Gorpiæi* Syro-Macedonici *cum Septembri* Romano, & *diei* hujus XIV. cum *feriâ* I. Undè intelligitur, Cyclus Solis XIX. quo September cœpit *feriâ* 2. (ex Tabulâ ſuperiore Cycli *Solaris*) Ergò dies XIV. feria I. Indè etiam intelligitur annum Antiochenum DVI. propè ad finem perveniſſe, Septembris XIV. ſi inierunt anni Antiocheni ab *Octobri*, ut Scaliger, Calviſius, Petavius, & alii. Valeſius autem ad Euagrium, etiam Notis ad Euſebium, vult incepiſſe Antiochenos annum ſuum à Δίῳ Syro-Macedonico, ſeu *Novembri* Romano.

A. Pagius notatus. Pagius autem, Diſſertat. de Periodo Græco-Rom. *Num.* LXXXVI. ex hoc ipſo loco Euagrii contendit demonſtrare, inchoaſſe annum à *Septembri*. Nempè ex *Indictione* XI. notatâ Euagrio, quæ cœperit à *Kalendis Septembr.* non ab VIII. *Kal. Oct.* quæque ità pertinuerit ad Annum Chriſti CCCCLVII. & legendum *Anno* I. *Leonis*, &c. Quo ipſo Cyclus Solis fuerit XVIII. Lit. Dominic. F. Septembri tùm incipiente *feriâ* I. ut ſic XIV. dies Septembris fuerit *feria* 7. Sed primò ſupponit τὸ ἀμφισβητούμενον, *Indictiones* putari iſtic loci ab Euagrio à *Kal. Septembr.* more Conſtantinopolitanorum, non ab VIII. *Kal. Oct.* in quem diem terminari annos CCCLX. indè ab Epochâ χρηματισμοῦ Ἀντιοχείας, A. Ch. CCCXII. Doctiſſimi Chronologi conſentiunt. Deindè verba illa Κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας, quum eſſet *hora* noctis IV. a. d. Septembris XIV. gratis refert ad noctem quæ præceſſit feriam VII. Veriùs *die Dominicâ imminente*, id eſt, luce Domino ſacrâ, quam funeſta illa nox proximè antevertit, vel (ut emphaſis eſt Græcæ vocis) jam *aſſecuta fuit*. Fuit ergò Annus ille Euagrii Æræ Vulg. CCCCLVIII. Cyclus Solis XIX. ex dictis. Atque hæc ſpeciminis ergò. Infinita enim id genus connexarum Epocharum, collatorumque inter ſeſe temporum exempla, ſuppeditant Hiſtorici & Chronographi.

Parachroniſmi in connexione Epocharum. Quoties autem in comparandis ac conjungendis temporibus, Epochis, Hiſtoriis, Viris Illuſtribus, putando erratur à Chronographis, vocatur ἀναχρονισμὸς, παραχρονισμὸς, vel παραλογισμὸς, aut ἀλογισία. Quales in Euſebio frequentes arguit Joſ. Scaliger in *Animadverſionibus*; ac id genus errores ſine, ſine admiſſi à Theophilo Antioch. Clemente Alex. Africano, Epiphanio, G. Syncello, *Auctore* Chronici Alexandrini, & Chronographis mediæ ætatis Græcis, & Latinis. Quibus Joſephus Ἀρχαιολόγος in nonnullis prævivit, v. gr. dùm *Libro* I. contrà Appionem, Exodi Epocham dicit anteceſſiſſe Bellum Trojanum ἐγγὺς τοῖς ἔτεσι χιλίοις, *penè annis mille*. Qualem paralogiſmum admittit, circà adventum *Cadmi* & *Danai* in Græciam, quem tribus penè ſeculis vetuſtiorem ac par eſt ſtatuit. Ità Tacitus *Hiſtor.* L. V. ex antiquioribus, qualis Lyſimachus apud Joſephum, *Lib.* I. contrà Apion. Exitum ex Ægypto retulit ad tempora *Bocchoris*, Ægyptiorum Regis, quæ eadem Tranſportationis X. Tribuum; Apion Alexandrinus, & alii, apud Joſephum, *Lib.* II. ad Olympiadis VII. annum I. id eſt, totis ab Exitu ſeculis ſeptem, & ultrà. Contrà Africanus Exitum ex Ægypto retulit ad Ogygis tempora, annis MXX. antè I. Olympiadem, ex Euſebio L. X. προπαρασκ. C. X. Quando verò calculus ſe ipſum evertit, ἀντιχρονισμὸς propriè dicitur, qualis frequens eidem Joſepho, in putandis annis Patriarcharum, antè & poſt Diluvium; ſic in calculo annorum ab Adamo ad ſtructuram Templi; ſic in figendâ Epochâ Exodi, quam rectè poſuit in Antiquitatibus, peſſimè Libro I. contra Apionem Alexandr. de quo infrà. Vitium idem in Africano, in Euſebio quandoque, in Syncello, à Viris principibus obſervatum. Si verò in comparandis Epochis anticipatur alterius tempus, προχρονισμὸς appellatur. Qualem vidimus modò ex. gr. in comparando tempore *Moſis* (ut factum à Veteribus, quo Gentilium Deos infrà Moſem collocarent) cum temporibus *Inachi*, vel *Ogygis*; aut qualis προχρονισμὸς Juſtini Martyris, *Apolog.* II. Davidem anteceſſiſſe Chriſtum ἔτεσι χιλίοις καὶ πεντακοσίοις *mille & quingentis*; & quæ ſunt id genus exempla, in Clemente Alex. & antiquis Patribus. Tandem ſi deficit calculus in collatione temporum, μεταχρονισμὸς dicitur, qualis modò ille Taciti, & Apionis Alex. in aſſignando tempore Moſis. Similem v. gr. admittunt Græci in figendâ *Ærâ Nativ.* quum VII. vel VIII. annis faciunt poſteriorem Dion. Uti προχρονισμῷ ingenti peccant iidem, circà annos *Mundi Cond.* ſeu jam putent cum Antiochenis, uſque ad Æram Nativit. annos 5493. ſeu cum Alexandrinis annos 5500. ſeu

Digitized by Google

cum Conſtantinopolitanis annos 5508. quâ de re infrà.

Concluſio hujus Partis I. Sed de Epochis nobilioribus, ut ſunt *Hiſtoricè* inſtitutæ, deque earum comparatione ad annos *Periodi Jul.* ad annos *Mundi Cond.* denique ad annos *Æræ Chriſtianæ* Vulg. dicendum pluribus in Parte alterâ hujus ad Doctrinam Temporum Iſagoges. Hactenùs enim pars τεχνικὴ de partibus Temporis, deque hujus variis Characteribus, ſeu ex inſtituto hominum, ſeu ex legibus Aſtronomorum. Supereſt ἱστορικῶς de Temporum *Duratione*, indè à principio rerum, ſeu ab Orbe Cond. præcipuis Epochis, ſeu Æris hiſtoricè conſideratis, pro hujus Iſagoges modulo: Tùm de *diſtributione* omnis ævi in certas Ætates ſeu Epochas, *Canone Chronico* brevibus deſcripto, indè ab Adamo, uſque ad Æram Vulgarem Chriſtianam: Tandem de celebrioribus *Epochis* indè à Chriſto nato, quibus tempora aut Romanorum, aut Arabum, aut Chriſtianorum ſignantur ac diſtinguuntur. Ne quid eorum tyrones noſtri deſiderent, quæ ad *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ*, utriuſque Temporis, notitiam haud perfunctoriam ritè atque utiliter præparent.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

FRI-

FRIDERICI SPANHEMII
CHRONOLOGIA SACRA.

PARS SECUNDA,

Quæ eſt præcipuè

Ι Σ Τ Ο Ρ Ι Κ Η.

CAPUT I.

De Duratione Temporis, extrà Codd. Sacros. Æternitatis Mundi aſſertores. Fundamenta quæ illam deſtruant. Antiquitates fabuloſè. Chaldæorum illæ undè, eædemque revictæ. De Ægyptiorum calculis, & Dynaſtiis, ex Manethone. Ex Diod. Siculo. Nonnullorum explicatio qualis? Falſitas ſupputationum evicta. Ut & Sinicarum, Indicarum, &c. Auctores Durationis indefinitæ. Alfonſina Mundi Æra.

Temporis Duratio, dein diſtributio.

HUcuſque de Temporis Initio, Partibus, Characteribus. Excipit deinceps Temporis *Duratio*, quatenus illud à rerum primordiis fluxiſſe perhibetur, in ſuas tùm Ætates, atque Intervalla *diſtribuendum*. Eſtque duratio vel *falsò* ac *precariò* aſſerta, ſive à Paganis, ſive à Chriſtianis, utriſque ſapientibus extrà Verbum Dei revelatum; vel putata *ſaniore* calculo, & ſalvâ *Scripturæ S.* reverentiâ.

Æternitatis Mundi aſſertores.

In primo ordine ſunt *æternitatis* Mundi, qui ſine ortu ſit, ſine interitu, ac durationis per infinita ſecula, aſſertores maleſani, quales Ocellus Lucanus, Ariſtoteles, Plinius, Proclus, Averroës, Simplicius, & qui fuêre plures. Accedant illi Chaldæorum apud Diod. Siculum, *Lib.* 11. p. 82. qui τὴν τοῦ κόσμου φύσιν ἀΐδιον *naturam Mundi ſempiternam* aſſerebant. Nec planè ſunt extrà hanc claſſem *Platonicorum* illi, aut *Stoicorum*, qui Materiæ æternitatem, renovationes ſubindè hujus Mundi, abolitâ priorum ſeculorum memoriâ, atque infinitos rerum circuitus, crediderunt. Ne *Epicureos* dicam, Lucretium & ὁμοψήφους, qui Mundum caſu aut fortunâ, vel *naturâ*, factum eſſe ſtatuêre.

Fundamenta quæ eam æternitatem deſtruunt.

Quos præter conſenſum univerſalem Gentium, de primis rerum originibus, Populorum, Imperiorum, Artium, Diſciplinarum, Hiſtoriarum, Fabularum quinetiam, id eſt, Deorum Dearumque priſcæ Gentilitatis, ſatis arguat ipſa conditio hujus Univerſi. Ea enim eſt cùm totius Mundi compages, tum ſingularum ex quibus conſtat partium ratio, finitudo, conſtructio, diſpoſitio, concinnitas, varietas, motus, ſucceſſio, dependentia, tendentia ad certum ſcopum, certos ac ſapientiſſimos fines, tum univerſales, tum particulares, ut nec infinitus ſit Mundus qui finitis ex partibus conſtat; nec æternus, in quo lapſus ſeculorum, annorum, menſium, dierum; nec ſine Cauſâ, eâdemque intelligentiſſimâ, ſapientiæque infinitæ, ut in quo nihil, ac ne minima quidem, fruſtrà eſſe concipi ullo modo poſſit. Ac vel ſolum Hominem attende, & ſeu ſtructuram mirabilem Corporis, ſeu divinitatem Mentis, mortalem illum tamen, finitum, tot cum imperfectionibus ſeu animi ſeu corporis colluctatum; & hinc ad Creatorem Deum aſſurge, ſic Hominem finientem, ipſum verò uti perfectiſſimum, ità à ſe exiſtentem, & à quo ſunt omnia. Quæ ſingula deducere pluribus hujus nec loci eſt, nec inſtituti. Ac malim his contemplationibus Mundi, Cœli, Terræ, Hominum primordia adſerere, impugnatâ æternitate Ariſtotelis, vel Procli, vel cujuſcumque Pſeudo-philoſophi, quàm cum viro Clariſſ. Iſaaco Voſſio, *Diſſertat.* de Ætate Mundi, demonſtrare hujus creationem, vel novitatem, ex eo quod nondum *Montes* defecerunt perpetuo attritu; aut *ſcopuli* ſuprà mare extantes nondùm mari ſint obruti, quorum ſcilicet *radices* continuò exeduntur, nuſquàm verò *novæ rupes* ſuccedant; ſic ille.

Antiquitates fabuloſæ.

Sed miſſâ æternitate, fuêre complures *Gentes*, quæ inani & fabuloſâ oſtentatione Antiquitatis, ad multas *annorum Myriadas* Mundi principium removerunt. Ità tamen ut Periodi vel *commentitiæ* ſint, ac gratis confictæ, vel *Aſtrologicæ*; natæ ex Aſtronomicis calculis cœleſtium motuum, Solis, Lunæ, reliquorum Siderum. Quæ cùm in Diis haberentur, hinc Dynaſtiæ fabuloſæ attributæ *Diis* & *ſemi-Deis*, per immenſa ſeculorum ſpatia, quæ ferret natura Deorum. Hiſtorici enim nihil occurrebat iſtis Gentibus, Chaldæis puta, vel Ægyptiis, in tanto inani tot retrò temporum; undè Deorum fingendæ erant βασιλεῖαι, his ſpatiis implendis.

Chaldæorum illæ, paucis revictæ.

Ità *Chaldæi* vel *Babylonii*, ſi fides Diodoro Siculo *Bibl. Libro* 11. *pag.* 83. habuêre obſervationes, non profectò Hiſtoricas, ſed Aſtronomicas, ſuo calculo in anteriora promovendo, annorum *quadringentorum & ſeptuaginta duo Millium* ad Aſiaticam expeditionem Alexandri M. ſcil. ἀφ᾽ οὗ ὅτε τὸ παλαιὸν ἤρξαντο τῶν ἄστρων παρατηρήσεις ποιεῖσθαι, *ex quo ſidera obſervari cæptum eſſet*. Ità ſingulis Regibus, (quos x. antè Diluvium ſtatuit Beroſus, juxtà numerum Patriarcharum) plures σάρους, quorum ſinguli ſint annorum 3600. mendaciſſimè tribuerunt, Abydenus, & Apollodorus, in Fragmentis Græcis quos retulit Euſebius. Niſi obtineat ſententia Panodori, qui annos τοὺς Σάρους convertit in totidem *dies*, invito G. Syncello; quâ de re Scaliger in *Euſebium*. Quæ vel ex hiſtoriâ Alexandri M. & miſſis ad eum, poſt occupatam Babylonem, à Calliſthene Hiſtorico (qui Alexandrum ſecutus in Orientem fuit,) Aſtronomicis Babyloniorum calculis, refellit Simplicius

Digitized by Google

cius in Ariſtotelem *Lib.* II. de Cœlo, ex teſtimonio Porphyrii: Qui ipſe Simplicius eſt, cujus precationem Chriſtiano non indignam habes ad calcem Commentar. in Epictetum. Et ſanè quàm fallaces illæ παρατηρήσεις Aſtrorum fuerint, vel indè patet, quod (faſſo ibi Diodoro) *Solares Eclipſes* neſcirent aut *prædicere*, aut *deſcribere*, Chaldæi. Risêre etiam Cicero, Lib. I. *de Divinat.* & Lactantius Libro *de Vitâ Beatâ*, Cap. XIII. inquiens, *quia ſe poſſe argui non putabant, liberum ſibi crediderunt eſſe mentiri.* Undè non aſſurgebant Obſervationes illæ, repertæ à Calliſthene, ultrà annos 1903. uſque ad captam à Macedone Babylonem, Olympiade CXII. Anno Per. Jul. 4384. Quod non admodùm recedit à ſacro calculo, Babyloniorum primam originem, referente ad *Nimrodi* ætatem, longè infrà Diluvium, quicquid Scaliger ultrà Diluvium promoveat Beli & Nini imperium, ex Africano. *Nimrodus* igitur idem qui *Belus*, primus *Dominus*, Dynaſta, Rex, Babyloniorum, poſt interverſum Turris opus, ut quoque Bochartus, habiturus Ninum Succeſſorem, quâ de re infrà *Cap.* VI. Nec tam is conditor Urbis Babylonis, quam primæ *Dynaſtiæ* Babyloniorum, pater Nini, primi Regis Aſſyriorum à quo *Ninive* civitas, trans Tigrim, *Gen.* X. II. uti Babylonia dicitur *Terra Nimrod*, *Mich.* V. 6. Quod verò *Belum* Nini patrem neſciant Diodorus Siculus, Trogus, & alii, factum indè eſt, quod *Belum* pro deo habuerunt, ut Chaldæi poſteà, non pro Rege homine. Ac pridem exploſæ mendaces *Beroſi* Babylonii, Beli ſacerdotis, Dynaſtiæ, orbi propinatæ demùm circà tempora Antiochi *poſt Seleucum tertii*, ſive *Soteris*, ſive Θεοῦ, ut ex Tatiano Euſebius, προπαρασκ. *Lib.* X. *Cap.* XI. ſeu ultimo; quo ſcilicet tempore fuerunt Moſaicæ Origines in Græcum tranſlatæ, undè æmulatio Chaldæi ſacerdotis. Nam de Annii Viterbienſis fallaci Beroſo, æquè ac de ſuppoſito Manethone, nihil dicimus. Et Plinius ipſe, *Lib.* VII. C. LVI. juxtà Beroſum Babylonios habuiſſe *obſervationes ſyderum* CCCCLXXX. *annorum*. Quod planè congruit cum Canone Aſtronomico *Nabonaſſareo*, apud Ptolemæum, de quo infrà. Hinc abſurdè ibidem Plinius: *Ex quo apparet æternus literarum uſus.* Quod de fabuloſis Chaldæorum numeris, dictum modò eſt, à quibus orti Judæi Abrahamo patre, idem ſentiendum de calculis *Phœnicum*, quos ex Africano *Georgius* Syncellus, Chron. p. 17. jactaſſe pariter *tres myriadas annorum*, *nec non* XLVIII. *alias myriadas.*

De Ægyptiorum calculis, & Dynaſtiis, ex Manethone, Africano, &c.

Idem ſentiendum de mendacibus *Ægyptiorum* Dynaſtiis, dùm hi Chaldæorum æmuli fuêre; *Manethos* certè Ægyptius ſacerdos, æmulus Beroſi Babylonii, poſt hunc enim ſcripſiſſe conſtat Manethonem ex G. Syncello, Chronographiæ p. 18. Edit. Reg. Aliàs vetuſtiores Chaldæis Ægyptii, his coloniis Ægyptiorum, juxtà cum Argivis, Colchis ex Diodoro Siculo; uti in ſacris *Nimrod* dicitur nepos *Chami* Ægyptiorum parentis, & Ægyptus *terra Cham*. Fabulati ergò in *Chronico* vetere Anonymo, quod producit G. Syncellus *pag.* 51. Edit. Regiæ, Dynaſtiarum ſeu Principatuum ſeriem obtinuiſſe in Ægypto, ἐν γενεαῖς ριγ΄. *in generationibus* CXIII. χρόνον ἄπειρον *tempus immenſum*, ἐν μυριάσι τρισὶ καὶ ͵ϛφκε΄. *annorum videlicet myriadum trium & 6525.* Quod tempus ità diſtribuêre, ut *Vulcani nullum eſſet tempus*, (Ἡφαίστου χρόνος οὐκ ἔστιν) *Soli* tribuerentur *tres myriades annorum*, cæteris *Diis* & *Semideis* tempus reliquum. Undè mirari ſubit Claudium Salmaſium, *Præfat.* de Annis Climacter. *lit. c.* caſtigatâ lectione Scaligeri, (qui Manethonem citavit, Notis in Græca Euſebii, *pag.* 409.) interpretatum eſſe tempus *Vulcaniana* unîus Dynaſtiæ μυριάδας τρεῖς, qui ſint *millies decem millia cum tribus millibus annorum*; reliquos annos, in Chronico veteri expreſſos, *viginti novem reliquis Dynaſtiis* adſcribi. Idem, *poſt Vulcanum, ejus filium Solem imperium tenuiſſe per annos ſexcenta millia ſexcentos, &* LXXVI. Quæ nec in Chronico vetere, nec in Manethone, ità expreſſa, ſeu apud Jul. Africanum, ſeu apud Georg. Syncellum, vel apud Melam, Lib. I. C. IX. *Ipſi vetuſtiſſimi* (ut prædicant) *hominum*, 300. & 30. *Reges antè Amaſim, & ſuprà* 13000. *annorum ætates, certis Annalibus referunt.* Ex illo itaque Chronico vetere, putat Syncellus Manethonem Dioſpolitanum, τὸν Μανεθῶ, in errorem inductum; quando ſimiliter, ad Beroſi Chaldæi exemplum, deſcripſit portentoſas Dynaſtias Ægyptiorum, & in iis XVI. attributas *diis & ſemi-deis*, Vulcano, Soli, &c. per immenſa ſeculorum ſpatia, diſpari tamen calculo ab illo Chronici Veteris. Quas Dynaſtias ut fabuloſas, & Aſtronomicas veriùs quàm Hiſtoricas, rejicit quidem Julius Africanus, Chriſtianus Chronographus, ad tempora quæ *Diluvium* præceſſerunt; retulit tamen, datâ Epitome totîus Manethonis. Sed interpolavit pro arbitrio Manethonem dictus Africanus, fictis de ſuo Dynaſtiis, ut omnium XXX. Dynaſtiarum exordium demùm à Diluvio deduceret. Euſebius ſanior Africano, quicquid aliter ſentiat ὁ πάνυ, XV. prioribus Dynaſtiis reſectis, quæ Diluvium anteverterint, à XVI. quæ Thebæorum, orditur Chronicorum Canonum *Librum* II. in quam incidat tempus *Diluvii*, ſic & nati *Abrahami*, regnante *Nino*, Beli filio. Africanum tamen partim exſcribit Euſebius, partim interpolat, hinc flagellandus G. Syncello. Sed etiam is ab ipſo Scaligero emendandus ex Manethone, anticipatis *Diluvii* temporibus, quod anno 74. Dynaſtiæ XVI. contigerit; Uti *Nativitas Abrahæ* anno ejuſdem Dynaſtiæ CCCLXVI. Scaligerum verò carpunt Petavius & Marſhamus, omnium inſtar, ac Author Antiq. Temporum. Sed ſinguli litaturi hypotheſibus ſuis.

Ex Diod. Siculo.

Accedat Diodorus Siculus, qui Biblioth. *Lib.* I. docet Ægyptios, æquè ac illorum Hiſtoricos, ſpeciatim Herodotum, *portenta narrationum pro veritate amplexos, & voluptatis gratiâ fabulas commentos eſſe.* Hinc imperaſſe Θεούς τε καὶ Ἥρωας *Deos & Heroas* per annos circiter *octies & decies mille*; tùm *Hominès* regnaſſe, per XV. *ferè millia annorum uſque ad* CLXXX. *Olympiadem*, quæ iniit anno antè Æram Chriſti Vulg. LX. Alibi, memorari Reges Ægypti indigenas, ἰθαγενεῖς, qui eam Terram feliciſſimè adminiſtraverint πλείω τῶν ἑπτακοσίων καὶ τετρακισχιλίων ἐτῶν *pluſquàm annis quater mille & ſeptingentis.* Idem in anterioribus, *annos ab Oſiride & Iſide ad Alexandrum* M. numerari πλείω τῶν μυρίων, *plus decies mille*; vel ut alii, βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων, *paulo minùs ter & vicies mille.* Repetit paulo poſteà, à regno Solis ad Alexandri tranſitum in Aſiam, feciſſe ſacerdotes Ægyptios, ſupputationem annorum μάλιστα πως δισμυρίων καὶ τρισχιλίων, XXIII. *millium circiter.* Et ne quid ad fabulam deeſſet, Deorum antiquiſſimos regnaſſe *annos* MCC. poſteriores *non infrà* CCC.

Quorundam interpretatio.

Quæ quidem narraſſe ſatis eſt, ad fabellas arguendas. Undè aliorum opinio, referente Diodoro, annos *Lunares* intelligi, pro motu Lunæ periodico, dierum XXX. Opinatis deinceps aliis, tempore Theophili Alexandrini, Aniano ſcilicet & Panodoro, *annos* iſtorum *dies* eſſe, quod & Syncellus obſervat, *pag.* 17. & 32. *Ed. R.* ità nempè λογίσασθαί τινας τῶν καθ' ἡμᾶς ἱστορικῶν *conjeciſſe nonnullos ex noſtris Hiſtoricis*, Anianum & Panodorum, qui ſub Arcadio vixere, & quorum interciderunt ſcripta. Quod meritò Syncellus rejicit, ſe non admittere τὴν τῶν ἐτῶν εἰς ἀνάλυσιν ἡμερῶν ἢ μερισμόν, *annorum in dies partitionem ſive reſolutionem.* Alii an-

nos

nos finxêre *bimeſtres*, *quadrimeſtres*, quâ de re etiam videri poteſt Scaliger in Euſebium, Jac. Capellus in Hiſtoriâ, Salmaſius de Annis Climactericis, & quæ nos ſuprà monuimus, *Cap. de Annis.*

Falſitas ſupputationum evicta. Sed effugiis iſtis nihil opus eſt, fabellis confutandis. Riſit ipſe Diodorus, & exploſit. Manethonis autem, Sacerdotis Ægyptii ſub Ptolem. Philadelpho, (Gentis ſuæ antiquitatem, quæ *ſe*, ut Diodorus *Lib.* 1. *vetuſtiſſimos mortalium prædicabat*, ex Libris ſcll. Hermetis probaturi, & oppoſituri Chaldæorum calculis apud Beroſum, ità Syncellus Ed. R. pag. 16. magis autem Moſaïcis Originibus, quas variè interpolavit) ſunt omnia mendaciorum plena, quæ pridem impoſuerunt. Ex. gr. Regnum Aſſyriorum per *quinque millia* ſtetiſſe annorum, quod repetit Auguſtinus *de Civit. Dei*, Lib. XII. C. X. Perſarum imperium pluſquàm *octo millibus* annorum definiri; Sic multa de *Oſiride* & *Iſide* fabuloſa, ac pluribus Numinibus ac Regibus applicanda; Inextricabiles tandem *Dynaſtiæ*, ex quibus pugna mira ac diſſenſio ſeu inter Veteres, Joſephum, Africanum, Euſebium, Syncellum, ſeu inter recentiores Scaligerum, & Antagoniſtas. Sic neque ipſi Manethoni convenit cum Chronico illo Vetere, de quo Georgius, ad Nectanebi fugam perducto; ſeu in *numero* eorum, ſeu in *annis* Principatuum, quemadmodùm ex eodem Manethone aliter habet calculus hujus, aliter illius. Nec malè, poſt Parentem ſuum, Iſaacus Voſſius, Obſervationibus ad Melam, p. 57. *ex ſingulis Regibus qui uno eodemque tempore fuêre in diverſis Ægypti Nomis, unam feciſſe ſeriem* Herodotum, & alios, *&* *unicuique Regulo ſeparatim tribuiſſe annos aliquot, & hoc pacto* ἀπειργύλας *iſtas Genealogias & ſucceſſiones confinxiſſe.* Hæc fuſiùs Gerh. Joh. Voſſius declaravit, Lib. 1. *de Idololatriâ*, C. XXVIII. *annos eorum qui ſimul imperarunt*, in diverſis Dynaſtiis, ità *numeratos, quaſi omnes, in eâdem Dynaſtiâ, alii aliis ſucceſſiſſent.* Certè mendacium ſibi conſtat nunquàm, quod in hac causâ rectè monuit Marshamus. Et Periodos ſuas *Sothicas* Ægyptii, quæ annorum 1461. (ut ſuprà in Annis Ægypt.) multiplicatas per XXV. juxtà quem numerum fieri quoque ἀποκαλάσασιν *Lunæ* exiſtimabant, converterunt in Periodum annorum 36525. juxtà quam ſuas Dynaſtias XXX. (quarum XVI. Diis & ſemi-Deis tributæ) ſupputarunt. De quibus ex G. Syncello p. 35. Scaliger, Marshamus, alii. Manethoni autem plus nimiùm tribuerunt Chriſtiani illi Chronographi, uſi Ærâ Mundi Græcorum, cui tempora Ægyptiorum fictitia accommodarunt. Omnes autem iſtæ horum origines & Dynaſtiæ, derivandæ fuerunt ex Monumentis ſcilicet ac στήλαις *Columnis Hermetis* Ægyptii, ſeu Thoyti, ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ, *in Seriadicâ terrâ poſitis*, ac ſcriptis Sacrâ Dialecto, ἢ ἱερογραφικοῖς γράμμασι, poſt Diluvium vertendis in Græcanicam linguam, ut Georgius Syncellus, *Chronogr.* p. 40. Ex Manethone Joſephus Ἀρχαιολόγος, Antiquit. *Lib.* 1. C. III. aut ſi qui alii antè ipſum, fabricarunt *duas Columnas Sethi* κατὰ τὴν Συριάδα, extantes *in terrâ Syriâ*: Quò Iſ. Voſſius retulit *lapidicinas* propè Gilgalem, *Jud.* III. 19. Quum tamen aliud ſit Σηρία, Σηριαδικὴ γῆ, ut colligitur ex Plinio, Heliodoro, Euſtathio, (*ignotam eſſe* dixit Scaliger, Notis in Græca Euſebii) in cujus antris ſubterraneis, quæ σύριγγας *ſyringas* appellarunt, flexuoſos ſeceſſus, excisa illa eſſent hieroglyphica arcana, τὰ γλυπτὰ, nempè à Mercurio illo priore, qui Diluvium præceſſerit. De quorum fide proclive cuivis judicium eſt. Ne dicamus Ægyptiacas origines primas à Chamo Noachi, unde *Chamia*, *Chemia*, *Ammonia*, hinc Mizraimo filio, undè χώρα Μεσραΐα, Μέσρη, Μεσραῖοι, Μεσραῖοι, ex Sacro Codice conſtare; ſed vertendis Chamo hujuſque filiis, in *Hammonem*, *Thamum*, *Menem*, *Oſiridem*, *Saturnum*, *Belum*, *Athotim*, *Orum*, &c. Uti in fabulas & Deos abivêre, quæ fando acceperant de Creationis Hexaëmero, de Adamo, & Ante-Diluvianis temporibus; eademque ab Ægyptiis ad Græcos μυθικῶς propaganda. Ac de his conſulendi etiam Scaliger, Petavius, J. Capellus, Salmaſius, Marshamus, Goarus, Bochartus, Stillingfleetius, Voſſius uterque, Hornius, Mareſius in Fab. Præ-Adamit. Auctor nuperus *de Antiquitate Temporum Reſtit.* & qui id genus plures ſunt in choro Eruditorum noti.

Idem judicium eſt de fabuloſis *Sinenſium* vel *Serum* ſupputationibus. Hos enim ultrà *octingenties octagies quater mille*, *&* DCCC. *annos*, ab Orbe Cond. numeraſſe, monuit jam Scaliger de Emendat. Temp. *Lib.* 1. *pag.* 19. Et qui hujus Gentis Annales & Tempora recluſerunt Orbi Europæo Jeſuitæ, narrant ex Auctore *Magnorum Annalium* Sinicorum, qui CL. voluminibus conſtent: Primum Hominem ex ſterili terrâ prognatum, incertæ eſſe originis & temporis; Sepultum eum in Provinciâ ſive *Nan-Kim*, ſive *Pekim*; Tres hinc fuiſſe Imperatores, primum Cœli, ſecundùm Terræ, tertium Hominum; Horum Fratres alios aliis ſucceſſiſſe per annos ampliùs 49000. Poſt hos rursùs XXXV. familias, perpetuâ ſerie, per aliquot *annorum millia* imperaſſe. Quæ ut ſuis ſe characteribus produnt, & inſanum Antiquitatis ſtudium arguunt in vaniſſimâ Gente, ità de primis rerum Originibus, deque Creationis hiſtoriâ, ut & illâ Diluvii Noachici, aliqua accepiſſe à majoribus teſtantur. Quod ipſum de Phœnicibus, Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, Arabibus, obſervatum ab antiquo eſt; atque etiam de hodiernis *Bramanum*, *Perſarum*, Americanorum, Traditionibus Sacris. Ex dubiis igitur & nugacibus rerum ſuarum teſtibus, qui vaſtiſſima illa antè Diluvium ſpatia implevêre fabuloſis Imperiis, Annales iſti conſarcinati. Ac par hîc Sinenſium quæ Ægyptiorum veterum, aut Babyloniorum, ratio eſt. Hinc etiam, quum de Patriarcharum longævitate accepiſſent, finxêre majores ſuos VIII. aut X. *annorum millia* quandoque adimpleviſſe, millenos annos pro centenis computantes. Quanquàm ad *Lunares* annos recurrunt alii, ſive menſes, pro annis Solaribus numerandos. Hiſtoricum verò tempus, cujus ſuperſint in Sinis, ut ferunt, monumenta, non repetunt altiùs quàm à *Fo-Hi* Sinici Imperii Conditore, vel à tertio à Fo-Hi, cui nomen *Hoam-Ti*, vel *Hiven-Tven*, Cyclo 1. ſexageno. Nempè ut putatur, annis antè Æram Vulg. Chriſt. 2627. id eſt, paulo antè mortem *Mahaleelis*, quinti ab Adamo, juxtà calculum Hebraïcum, longè ità antè Diluvium *Noachicum*, non tamen *Sinicum*, quod acciderit annis antè Chriſtum 3000. Sed rationibus omnibus ſubductis, certos Sinenſium Annales, primoſque Imperatores, aliquot infrà Diluvium Moſaïcum ſeculis ordiri ipſe faſſus eſt Iſaacus Voſſius, Vir Clariſſ. *Diſſertat. de Ærâ Mundi.* Optimè verò cum Moſaïcâ Chronologiâ componi Sinenſium illam, Martinus Jeſuita, Trigantius, Kircherus, Coupletus, aliique ejus Scholæ Viri, exploſo commentitio annorum calculo, demonſtrare aggreſſi ſunt. Sinenſium fabulæ.

Pares *Indorum*, qui Paganiſmo adhærent, conſutæ fabellæ, Mundi Durationi infinita propè ſecula tribuentium. Confirmavit nuper ex eorum relatione *Bernerius*, Medicus Gallus, familiariter uſus Indorum conſuetudine complurium annorum decurſu, ac ſcrutatus hominum ſuperſtitioſiſſimorum arcana. Refert, ex horum opinatione ſtetiſſe Mundum quatuor *Dungis*; quarum ſingulæ ſint plurium *Lecquarum*, Lecquis ſingulis annos *centum mille* complexis. Planè ut apud Beroſum Σάρος ſpa- Indorum aliæ; & Perſarum Gentilium.

ſpatium fuit annorum 6000. Νῆρος (Salmaſius Νεῖρος) annorum 600. Σῶσος annor. 60. Sic apud Perſas *Tornan*, complexum annos *decem mille*; & quæ id genus majorum Periodorum in Oriente appellationes fuerunt. Patet etiam non eſſe hos niſi *Aſtronomicos* Indorum calculos, quales fuêre illi Ægyptiorum Hierophantarum: Uti de *Siamenſium* majori Epochâ, *merè Aſtronomicâ*, & ad *Planetarum motus* accommodata, retulit nuper verſatiſſimus in his calculis, & à Siamenſibus redux, Gallus ſcriptor. Concinunt ſatis prioribus Berneri, quæ ex Bramanum vetuſtiſſimo illiſque Sacro Codice retulit Henricus Lord Anglus, qui annos XVIII. egit in Orientali illo tractu. Nempè conſtituere Bramanes *quatuor* mundi *Ætates*, quarum prima fuerit Diluvio terminata; ſecunda Ventorum vehementi flatu; tertia Terræ motu, ſub quam Reges creati ſint ex Bramanum ordine; Quarta, Conflagratione univerſali finienda; à quâ ſint Animæ in Cœlum transferendæ. Pellucent undique fabellarum næniæ. Ac quæ Vir ille plura cùm de Bramanum traditionibus, tùm de illis Perſarum Gentilium, qui hodie *Parſis*, refert geminô, de utriuſque Gentis priſcâ Religione, Tractatu, planè evincunt Sacram apud eos Hiſtoriam fabulis obſcuratam eſſe. Hinc illa de confuſo Chaos primævo; de Creatione Hominis ex terrâ, mare & fœminâ; de conditis Angelis; de Univerſali Diluvio; de reparatione Humani generis ex tribus; & quæ hujus indolis plura ſunt. Ne jam ad Scythicas antiquitates, aut Mexicanas, Peruanas, aliaſque ejus commatis, deflectam, quandoque etiam ex interpolatâ Moſaïcâ hiſtoriâ, & pari vaniſſimarum Traditionum origine, ut jam ab aliis oſtenſum.

Aſſertores durationis indefinitæ.

Porrò aſſertores durationis Mundi non infinitæ quidem, ſed tamen *indefinitæ*, poſt Veteres, Cenſorinum, Ptolemæum, Julium Firmicum Maternum, alios, non defuêre infortunato hoc Seculo. Nempè, qui liberiùs quàm par eſt Chriſtiano homini de Mundi fabricâ, & primis Originibus, philoſophantur. Ac caput inter eos exeruit fabuloſus *Præ-Adamita*, fingens conditos homines antè Adamum, aliquot fortè annorum *myriadibus*, diſtinguenſque creationem hominis *Gen.* I. à plaſmatione Adami *Gen.* II. Quinimò adhibens ille auctoritatem Pauli, *Rom.* V. in cauſæ ineptiſſimæ præſidium, à Mareſio noſtro, ac viris compluribus profligatæ. Sed puduit mox hominem ineptiarum, & veniam pro laude petiit, errori miſſo publicè repudio. Prudentior olim Terentius Varro, qui contexturus Hiſtoriam univerſalem, teſtibus pridem Cenſorino, & Auguſtino in ſuis *de Civit. Dei*, tria Temporis intervalla diſtinxit. Primum quod dixit ἄδηλον, *obſcurum*; à Principio ſcil. rerum ad magnum Catacluſmum, cujus apud Gentes omnes memoria fuit. Alterum μυθικὸν, *fabuloſum*, inde ad I. Olympiadem uſque, quando fabulis omnia implevêre Ægyptii, Phœnices, Chaldæi, Græci, nullâ certâ notatione temporum. Tertium denique ἱστορικὸν, *hiſtoricorum* narrationum; à I. Olymp. ad Urbem Cond. hinc ad ſuum tempus; obſervatis diligenter, ope Tarrutii, Eclipſium interſtitiis.

Alfonſina Mundi Æra.

Alfonſinæ verò Tabulæ, quarum habemus exemplar, manu Nicolai Mulerii in pluribus illuſtratum, Mundum hunc *ter mille* circiter annis faciant vetuſtiorem, quàm fit ab iis qui Textui Hebraïco adhærent. Nempè Alfonſus relictis fontibus ſacris, quorum exigua illi auctoritas fuit, quæſivit Æram Mundi Cond. à motibus cœleſtibus, obſervatâ Periodo *Anomaliæ* motûs *Augium*, ut ſecunda Periodus inceperit Anno Mundi Juliano 7000. Qui annus concurrit, calculo Alfonſino, cum *anno* Æræ Nativitatis 16. inchoato. Igitur ab Adamo ad Diluvium Univerſale, cujus character feria 5. putant Tabulæ annos 3882. dies 167. A Diluvio ad Æram Chriſti, cujus char. feria 7. annos 3101. dies 319. Fiunt anni ab Adamo ad Æram Natalitiam, 6984. dies 121. Excedit calculus Æram Græcorum, de quâ ſtatim, annis penè mille quingentis.

CAPUT II.

De duratione Temporis ſecundùm Codd. Sacros. Ac primò, ſecundum eos qui ab Hebrais diſcedunt. Græcorum computatio. Qui iſti adhæſerint, qui ſecus? Precariæ hypotheſes. Inconſtantia ac pugna Codd. Diſcrepantia Veterum in putandis annis ab O. C. ad Æram Nativit. Græcorum Epochæ tres præcipuæ.

Anni ab Orbe Condito. Diſcrepantia ab Hebræis, Verſionis Samar.

VEra igitur duratio eſt, quæ Moſis Sacrorumque Codicum auctoritate ſubnixa, & cum Epochis exoticis comparata, fidem ſola meretur. Ubi non una rurſus ſententiarum claſſis apparet, pro triplici genere Codicum, Hebræorum, Samaritanorum, Græcorum. Diſcrimen autem aliud præcipuè ſanè, in annis *antè Diluvium*, aliud in annis à *Diluvio* ad natum Abrahamum. *Samaritanorum* enim calculus, quoad annos ante Diluvium brevior eſt Hebræorum illo, annis totis CCCXLIX. Contrà idem, quoad annos poſt Diluvium, ad Abrahami nativitatem uſque, excedit longè calculum Hebræorum, annis nempè DCL. Convenitque illi cum Græcis quoad annos τεκνογονίας Patriarcharum, diſcrepat idem quoad annos *vitæ*, & omiſſum *Kainanem*, in quo Samaritanum ſecutus Euſebius eſt. Videſis infrà Canonem Chronicon *Epochæ* I. & II. cum obſervatis, & mox *Caput* III.

Verſionis Græcæ.

Græcorum autem vulgò τ̃ LXX. computum, *ab Adamo* quidem ad Diluvium, excedit Codices Hebræos annis totis DC. & ità quoque Joſephus in *Originibus*, ut infrà. *A Diluvio* autem ad natum Abrahamum, Tharæ Patris anno CXXX. excedunt Græci annis circiter DCCCLXXX. variante tamen lectione Codicum; Quod fit tum ob inſertum *Caïnanem*, inter Arphaxad & Sale, tùm ob additos annis Hebraïcis παιδοποιΐας ſingulorum (*Semo* excepto, & *Teracho* patre Abrahami) annos alios *centum*, imò 150. in *Nachore* gignente Terachum. Ut ita, ex hac ſupputatione, natale Mundi tempus Æram ejuſdem Vulgarem ſuperet annis MCCCCLXXX. Supputationem hanc ſecuti ſunt, diverſis licet ac pugnantibus calculis, Joſephus, Africanus, Euſebius, Georgius Sync. ac plerique & antiquiſſimi Patres, ignari Hebraïcorum fontium (ſi Origenem inter eos excipias) & Græcæ Verſioni aſſueti. In Latinis Romana Eccleſia, ut ex Auguſtino, Juliano Toletano, Iſidoro Hiſpal. &c. & ex antiquis Martyrologiis probarunt alii, adhæſit eidem calculo τ̃ LXX. Cujus ſupputationis, totiuſque adeò Verſionis Græcæ, ſuſceperunt noviſſimè patrocinium Viri Eruditi, in Ordine utroque, Reformato & Pontificio; ſecutis & eum calculum Onuphrio in Chron. Eccleſiaſtico, Hier. Vielmio in Hexaëmero, ſeu de VI. diebus Cond. Orbis, A. Contio J. C. Notis ad Niceph. Chronolog. Cæſare Baronio, in Apparatu, & Notis ad Martyrol. Romanum, *Dec.* XXV. ac paucis aliis. Sed verò Hebraicæ veritatis calculo adhærent, Latinus Interpres, Hieronymus, Beda, Ado, Chronographi alii vetuſtiores. In recentioribus etiam Eruditi ac Chronologi principes, Picus Mirandulanus, Genebrardus, Harvillæus, Pererius, Bonfrerius, Malvenda, Deſpieres, Torniellus, Sixtus Senenſis, Salianus, Scaliger, Bucholcerus, Petavius,

Hebraico textui qui adhærent?

Ul-

Uſſerius, Voſſius pater, Lydiatus, Calviſius, innumeri alii, ac noviſſimè Antonius Pagi in Apparatu Chronolog. quem Baronio oppoſuit, *Num.* v. & ſeq. Adde quotquot ſunt Hebraïzantes proprii nominis Theologos, ſeu integritatis Textûs Hebraici defenſores, contrà oppugnatores nuperos Lud. Capellum, Joh. Morinum, Brianum Waltonum, Iſaacum Voſſium, Rich. Simonium, &c. Quin hic ipſe Simonius Criticæ Hiſt. *Lib.* II. C. IV. aliundè convulſurus fundamenta Chronologiæ Sacræ, ridet Voſſianam hypotheſim, & meritò, de expunctis ex Textu Sacro, fraude Judæorum, (puta R. Akibæ, vel Aquilæ Pontici, diu poſt exhibitum Servatorem) ſeculis XIV. ab Orbe Cond. ad vocatum Abrahamum; tùm & contractis magnoperè temporibus Judicum, ne ſcilicet crederetur expiraſſe tempus venturi Meſſiæ. Cujus aſſertionis vanitas, nullis præſidiis munitæ, nullâ auctoritate Veterum, ſolâ affirmandi libidine, nihil etiam profuturâ Judæis fraude, cui & Samaritanos implicant, fusè eſt ab aliis demonſtrata. Ac ſufficit Judæis coarguendis calculus hodiernus Hebraicorum Codd. & traditio Eliana, juxtà quam Meſſias exhibendus altero millenario poſt Legem latam elapſo. Nec alia Judæis media defuêre, vel effugia, prorogando Meſſiæ tempori, quàm temerando Textum Moſaïcum. Reponit tamen, confidenter admodùm, eandem hypotheſim de violato Hebræorum Codice, & inductis XV. *penè ſeculis* in annis Patriarcharum, Auctor nuperus Antiquitatis Temporum, *Capitib.* III. IV. V. prorogaturus deinceps Judicum tempora, ad Saulem uſque, totis penè annis 400. ut infrà notamus.

Undè vitium Verſionis Græcæ? Equidem ſuſpectior multis nominibus calculus *Græcæ* Verſionis, non ſemel à ſe ipsâ diſſidentis, in his annis Genealogicis. Quod infrà liquet ex Tabulâ utrâque, collatis inter ſe Codd. & Joſepho, Theoph. Antioch. Clemente Alex. Africano, Euſebio, G. Syncello, &c. ipſoque Samaritano Codice, qui magnam partem ex Græco interpolatus eſt, in annis à Diluvio ad Abrahamum. Nec ſanè par in hoc Textu Græco conſervando, quæ quidem in Hebraïco, religio fuit; vel ex mendorum illâ ſegete quæ in eam Verſionem irrepſerunt, hinc ſæpè in Textum Novi Teſt. & in Latinam interpretationem. Quam demonſtrandi provinciam fusè alii occuparunt. Ac veroſimilius longè eſt produxiſſe hos annos Patriarcharum Alexandrinos Helleniſtas, quàm contraxiſſe Hebræos, vel etiam Samaritanos, quo tempore fraus latere minimè potuit. Factum enim hoc pacto eſt, ut excedens ille calculus τῶν LXX. conveniret magis rationibus Ægyptiorum, & jactatis *Dynaſtiis*, quæ ſic intrà *Creationis* & *Diluvii Noachici* terminos coërceri magnam partem videbantur; additis nempè *centenariis*, ad annos Generationum, quandoque ad annos Vitæ poſt τεκνογονίαν, ut factum in annis *Mathuſalæ*.

Græcorum varius calculus, in annis ab Orbe Cond. Porrò *exceſſûs* Græcorum, & qui eos ſecuti ſunt, in annis putandis ab *O. Cond.* ad *Æram Chriſtianam*, aliæ etiam cauſæ patebunt, ex Canone ſingularum Epocharum, infrà ſubjiciendo. Nam & Æras alias, ex. gr. ab *Abrahamo* ad *Moſem*, tum Æram *Judicum*, ſed & illam *Regum*, &c. apparebit produxiſſe aliquando plus juſto. Undè ſunt excedentes illi calculi annorum, quos ſupputarunt ab *O. Cond.* ad *Chriſtum natum*, & nuper quoque Vir Doctiſſ. Iſaacus Voſſius, putans propè annos 5600. Undè & miræ ſunt in putationibus Græcorum diſcrepantiæ, ſi Veteres inter ſe conferantur. Ac Joſephus quidem (de cujus antichroniſmis *Cap.* ſequente) ſubductis calculis, non putat ab Adamo ad Æram Chriſtianam, quod & Petavius intellexit, ultrà annos — — — 4162.

Theophilus Antiochenus ad Autolycum, *Lib.* III. prout quidem à Johanne Oxonienſi reſtitutus eſt, ex Bodlejano Codice MS. Reverendiſſ. Epiſcopo mecum communicante, non putavit niſi annos 5507. cum Græcis aliis, & Chronico Alexandrino. Ait verò juxtà Editiones uſurpatas Petavio, Ricciolio, aliis, numeravit annos — — 5515.
Clemens Alexandr. *Lib.* I. Strom. modò colligit ab Adamo ad mortem Commodi ſummam annorum 5784. modò conficit, ſigillatim putando, annos 5818. A quibus ſi detrahas tempus quod fluxit ab Ærâ Nativit. ad Commodi exceſſum, ſeu annos 194. remanent ab Adamo ad Natalem Chriſti annum — — — — 5624.
Euſebius in Chronico, ſecundùm accuratiores (Pontaci judicio) Codd. conficit ab O. Cond. ad Nat. Chr. — — — — — 5329.
At juxtà probatos Joſ. Scaligero Codices, & Martyrologium Rom. ad XXV. Dec. ſunt præcisè anni modò — — — — — 5199.
Epiphanius, *Hær.* LXVI. quæ Manichæorum eſt, ait Baptizatum Chriſtum Anno ætatis XXX. Mundi 5509. A quibus ſi detrahas annos XXX. remanent ad Chriſti nativitatem, anni — — 5479.
Joh. Antiochenus, auctor Chronici, quod ex MS. Regio citat Cangius ad Chronicon Paſchale, putavit ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Κατακλυσμοῦ *ab Adamo ad Diluvium* annos βφνβ΄. MMDLII. Codex Anglic. MMCCLXII. Ad natum verò Chriſtum annos — 5500.

Abulfaragius Hiſt. Dynaſtiæ VII. *pag.* 72. ait Græcos ex Verſ. τῶν LXX. (accuſatâ fraude Judæor. circà Text. Hebr.) numerare ann. ferè ad Meſſ. uſque 5586.
Iſaacus Voſſius ex Græcis ſuis, imò ex Joſepho, putans à Creat. ad Alexandrum M. annos 5266. extendit hinc Epocham ad Chriſti Natalem, uſque in annum propè — — — 5600.
Sixtus Senenſis *Bibl.* L. V. tribuit Lactantio, & Philaſtrio Brix. calculum annor. ad Chriſti nativit. 5800. qui tamen ex iis non colligitur, ſed inferior longè. At Reſtitutor Antiquitatis Tempor. Gallus, *contrà Judæos & Novos Chronologos*, ſic ille, ſecutus itidem Græcos, & Joſephum, numerat annos ab O. Cond. ad Chr. — — — 5872.

Æra Græcorum Hiſtorica. Communiter autem Æra *Græcorum* vulgò *hiſtorica*, quam ſecuti præcipuè ſunt Julius Africanus, Maximus Monachus, Georgius Syncellus, Theophanes, Suidas in voce Ἀδὰμ, Nicephorus, & Alexandrini communiter, hinc in Arabibus Eutychius Ebn-Batrick Annalium T. I. *pag.* 311. putat ab Orbe Cond. ad Chriſti natalem, annos 5500. Sed primò hoc diſcrimine, ut annum *Civilem* vel *Popularem*, inchoent à Septembri, unà cum Indictionibus, more Græcorum, *Eccleſiaſticum* verò quandoque à XXV. Decembris, ſeu à *Natali* Chriſti, quandoque à XXI. Martii præced. ſeu ab *Incarnatione* Servatoris, vel à *Paſchate*. Quo fit ut diſcrepet nonnihil calculus, & alii Annum Chriſti componant cum anno Mundi 5500. quod faciunt Epiphanius, & ſequaces; alii verò ut Alexandrini, & Maximus Monachus, Theophanes, &c. cum Anno Mundi 5501. Prout nempè hi ordiuntur ab Anno quo Incarnatus eſt Chriſtus, & Decembri ſequente natus, illi demum à XXV. Dec. ſeu ab ipsâ Nativitate Chriſti, undè Annus I. inchoetur, vel etiam à Paſchate ſequente.

Secundò, & in hoc Græci ab Ærâ Chriſtianâ Vulgari ſeu Dionyſianâ diſcrepant, quod Epocham Nativitatis Chriſti faciant totis annis *ſeptem* vel *octo* poſteriorem, ingenti μεταχρονισμῷ. Undè fit ut ad Æram Diocletiani numerent illi Hiſtorici, & Alexandrini, ipſe quoque Batricides, nonniſi annos CCLXXVI. aut CCLXXVII. qui numerandi juxtà Æram Dionyſii Exigui CCLXXXIV. ut alibi monetur loco ſuo. Quo rurſum fit ut Æra noſtra Vulgaris,

ris, anterior Græca annis VII. vel VIII. incipiat ab Anno Periodi Græcorum 5494. Cyclo Solis X. Lunæ II. Indict. IV. Unde ex notatis Annis Mundi, juxta Periodum Græcorum, in iis quæ poſt Chriſtum acciderunt, abjice 5493. reſiduum notabit annos Æræ Chriſtianæ Vulgaris.

Æra Antiochena. Et hoc poſterius *Antiochenorum* quoque computum fuiſſe dicitur, qui uſi ſint eâdem Æra Incarnationis cum *Latinis*, concurrente etiam cum Anno *Juliano* XLV. Saltem juxta traditionem Panodori Monachi, qui in Ægypto Chronographiam ſcripſit Arcadio imperante, nonniſi Fragmentis in Georgio Syncello reliquis. Sequitur Antiochenam hanc ſupputationem Cyrillus Scythopolitanus ſcriptor Seculi VI. in Vitâ *Euthymii*, & *Sabæ*, editis à Cotelerio Monumentorum Græcorum *Tomis* II. & III.

Civilis Æra Græcor. vel Conſtantinopolit. Sed & *Civilis* eſt Æra Græcorum quâ uſi ſunt Imperatores Græci, præcipuè ab Heraclii temporibus, hinc Conſtantinopolitani, Moſcovitæ, Georgiani, Bulgari, Græci recentiores. Atque hæc Æra *Conſtantinopolitana* dici conſuevit, quæ ad Annos Hiſtoricos addit inſuper Annos alios VIII. & Æram Nativitatis Chriſti combinat cum Anno Mundi 5509. Ad annos verò Æræ Antiochenæ modò dictæ, quæ putat ad I. Annum Incarnationis Annos 5493. addit annos alios XVI. ut natus ſit Chriſtus A. M. 5508. abſoluto; quo annorum XVI. intervallo utraque hæc Æra disjungitur. Chronicon Alexandrinum quaſi novam Æram conſtituens, putat ab Adamo ad Chr. Antiocheni Theophili exemplo, annos 5507. Cedrenus annos 5506. anticipata ſic biennio Æra Nativit. Et quidem annos inchoant Græci hi & Orientales à *Kal. Septembr.* undè eſt Indictionum initium. Quæ ſupputationum diverſitas præprimis obſervanda, ut ratio temporum apud ſingulos conſtet, & conferri inter ſeſe hæ ſeu Æræ, ſeu Periodi poſſint. Porrò de hujus additionis, factæ per Conſtantinopolitanos, causâ, adi præcipuè Petavium *Lib.* IX. *de Doctr. Temp.* C. IV. cumprimis in Auctario, ſeu ad Uranologium *Libro* VIII. C. III. quem deſcribere, nihil hoc loco neceſſe eſt.

CAPUT III.

De vario & incerto Joſephi calculo. Ut ab Alexandrinis & Græcis diſſideat, non minus ac Hebræis Codd. & Samaritanis. Illuſtria rei exempla. Emendationes Iſ. Voſſii, & aliorum. An Theologorum fraude corruptus Joſephus? An ex Hebræis Codd. dicat ſe immediatè calculos ſuos promoviſſe? Contraria rei exempla. Ut Joſephus à ſe ipſo, in temporum ratione, diſſideat? Inſignia ἀντιλογισμῶν *documenta, in annis ab O. Cond. ad Artaxerxem; ad Æram Chriſti; ad Exitum ex Æg. ad ſtructuram Templi; ad Excid. ſub Nebucadnez. ad Joſephum ipſum; ad Excidium ultimum, &c. Errores ejuſdem alii Chronol. & antichroniſmi.*

Varius & incertus Joſephi calculus. JOſephum Ἀρχαιολόγον quod attinet, cujus calculi Veterum plurimos in errorem induxerunt, duo ſtrictim obſervanda hoc loco ſunt. Primum eſt, differre eundem non uno modo, in hoc Annorum computo, qui fluxêre ad Diluvium, hinc ad Abrahamum, à Codd. Græcis, etiam Samaritanis, & ab Epochis modò ſignatis. Ex. gr. Joſephus, cum Hebræis concordans, Mathuſalam genuiſſe anno ætatis CLXXXVII. *Lib.* I. C. IV. juxtà impreſſos Codd. Epiphanium Scholaſticum, Saidum Batricidem, (quicquid Codd. inediti detrahant annos X.) victurus itâ poſt τεκνογονίαν annos DCCLXXXII. Græci verò detrahunt Mathuſalæ gignenti annos XX. Lamecho autem filio addunt annos VI. etiam juxtà Euſebium, Hieron. Syncellum, emendantibus aliis per τὸ *fortè*. Joſephus de *Lamecho*, totius vitæ ſummam fuiſſe annorum DCCLXXVII. cum Hebræis, & Epiphanio, Eutychio Alexandr. dum Judæi Alexandrini putarint DCCLIII. Idem ab Adamo ad Diluvium exhibet Epilogiſmum annorum διχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ, id eſt, MMDCLVI. *quadringentorum* annorum exceſſu ſuprà Alexandrinos, ut Græci Joſephi Codd. Latinique; ſuſpicatis hinc aliis ſimplicem millenarium, ἐτῶν χιλίων cum Hebræo Codice, non διχιλίων. Quanquàm neuter *epilogiſmus* convenit cum ætate data ſingulis γενεαῖς, quando *generare* & *gigni* ſinguli Patriarchæ inceperunt, variantibus hac parte Codd. ipſoque Epiphanio Interprete. Voſſius ex nonnullis Codd. reſtituit διχιλίων διακοσίων, &c. Undè interpolatos non uno modo Joſephi numeros intelligimus, pro Interpretum & deſcribentium libidine, vel hypotheſi.

Diſcrepantia Joſephi, à Græcis, Samarit. &c. in annis antè Diluv.

In annis poſt Diluv. Idem Joſephus *Cainanum* alterum, medium inter Arphaxad & Sale, ignoravit omninò: Ἀρφαξάδου ὁ παῖς γίνεται Σάλης, quod & Theoph. Antioch. Africanus, Euſebius, & Hebræi conſtanter, ac Samaritani. Secus ac Græci Interpretes, ex quibus emendatum voluit Joſephum Iſ. Voſſius, ἀκολούθων τῇ ὑποθέσει, ut ſolet. Hinc iſte, *certum, expunctum hîc eſſe Cainanem*, à *Judæis* nempè *in Græciâ habitantibus*. Ingenuus hac parte magis Clariſſ. Bernardus: *Ut verum fatear, alterum illum Cainanem non amo. Cainanum juniorem plane ignoratum liquet huic Hierophantæ Hieroſolymitano*; quanquàm idem Voſſio aliàs aſſurgit, ut *Chronologiæ Joſephicæ egregio vindici*. Ἀρχαιολόγος rurſùm tribuit *Nachori* Tharem (Θάῤῥον) gignenti annos CXX. εἰκοστὸν καὶ ἑκατοστὸν ἔτος ἤδη γεγονότι, ut Græci Codd. omnes legunt, addentibus tamen ſuo arbitratu nonnullis *novenarium* numerum, ἔνατον καὶ εἰκοστὸν, ut natus fuerit Nachor annos CXXIX. Latinus Interpres ex Hieronymo, habet annos modò XXVIII. abjecto *centenario*. In quo nec cum Hebræis concordat Joſephus, qui gignenti Nachori tribuunt annos XXIX. Nec cum Samaritanis, qui LXXIX. etiam cum Africano, Euſebio; nec cum Græcis qui CLXXIX. ut fruſtrà Voſſius, forte *in ſuis quos ſecutus eſt Hebræis Codicibus itâ ſcriptum inveniſſe* Judæorum hunc ſacerdotem. Pariter idem Hiſtoricus, *Abrahamum* Tharæ patri genitum, anno poſt Diluvium δευτέρῳ καὶ ἐννενηκοστῷ πρὸς διακοσίοις, *ſecundo & nonageſimo ſuprà ducentos*, hactenùs cum Hebræis Codd. putans. Sic Codices Græci, Latinique, conſtanti Lectione. Dùm Samaritanus exhibet annos DCCCCXXXVII. vel DCCCCXLII. Græci autem, annos MLXXII. ne dicam juxtà Edit. Complut. & Romanam, MCLXXII. Voſſio augente, ob inſertum Cainanem, & annos hujus CXXX. uſque in annum MCXCII. Precariò verò Doctiſſimi Viri, emendandum Joſephum, legendum non ἐννενηκοστῷ, ſed πεντεκοστῷ, non πρὸς διακοσίοις, ſed πρὸς χιλίοις, vel etiam πρὸς ἐννεακοσίοις, ut nuper Vir Eruditiſſ. Iidem, mutilatos pridem Joſephi numeros *fraude Theologorum* quorundam, *quo conſentientem præſtarent Hebraico Codici ſummam rationis Joſephicæ*. Quam fraudem jam à Veteribus admiſſam oportuit, qui Græcæ Verſioni & calculo τῶν LXX. adhæſerunt, non ab Hebraizantibus Theologis. Quæ & inanis fuiſſet, ac *vaniſſima fraus*, ut rectè Cl. Bernardus; quandoquidem ſingulæ Joſephi rationes, in recenſitis annis παιδοποιΐας indè ab Arphaxado ad Therachum generantem, juxtà Græcos Joſephi Codd. & Ruffinum Voſſianum, efficerent annos DCCCCLXXXIII. juxtà Codd. Bernardo uſurpatos, annos DCCCCXIII. qui iterùm epilogiſmus nequidem cum Græcorum illo convenit. Quin, ſi Voſſio fides eſt, cenſuit Joſephus Tharam genuiſſe Abrahamum, non anno LXX. ut Græci, ſed anno CXXX. Neſcio cur

Voſ-

Digitized by Google

Voſſius, loco anni *ſeptuageſimi*, dixerit; *Tharam non genuiſſe Abrahamum anno ætatis ſeptuageſimo quinto*, Diſſertat. *pag.* XXVI. Sed en novam Joſephi ἀνʹιλογίαν! Qui enim expreſſis verbis, Θάῤῥον *Tharam* ἑβδομηκοστῷ *ſeptuageſimo anno* genuiſſe Abrahamum, & hunc anno LXXV. Chaldæam terram mutaſſe Cananæâ, id eſt, patris anno CXLV. idem tradit, fatente Voſſio, *ſepulto demùm parente in Canaanem ſe contuliſſe Abrahamum*; adeoque poſt exactum à Tharâ patre annum vitæ CCV.

Alii Joſephi παρεγχειρήσεις.

Ità ſecundùm Ἀρχαιολόγον fluxêre ab Adamo ad Moſem *tria* circiter annorum *millia*, vel *paulo minùs*, ex Præfatione, & initio Libri I. contrà *Appion. bis mille* verò, indè à Moſe ad everſam à Romanis Hieroſolymam, vel ad Neronis XII. Qui uterque calculus ab Alexandrinorum Interpretum illo, & ab Epochâ Græcorum, de quâ ſuprà, vehementer diſcrepat. Undè ſic Joſephum emendat Voſſius, cum ſuis, ut ab Adamo ad Moſem numeraſſe cenſeatur annos penè *quater mille*; hinc in *ſcripto contrà Appionem non rectè* τετρακισχιλίων *mutaſſe* librarios, aut corruptores Joſephi, *in* τρισχιλίων. Alii aliter evadere conantur, conciliando cum Græcis Joſepho, nec inter ſe, nec cum Voſſio, concordes. Quibus tamen ſi creditur, Joſephus omnia ſua deſcripſit ex *Hebraïcis Codd.* quales fuêre tempore hujus Hiſtorici, diu poſteà Judæorum impietate mutilandis. Qui ſanè omnem Judæorum ἀρχαιολογίαν, qualem deſcriberet, & διάταξιν, ait promptam ἐξ ἱεραῖς βίβλοις, *ex ſacris voluminibus*, & μεθερμηνευομένην ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, *ex Hebraïcis literis interpretatam*, ſeu à ſe, ſeu à Judæis Alexandrinis, initio his facto ſub Ptol. Philadelpho; quæ olim Verſio, ut rectè quoque Uſſerius Armachanus, ab hodiernis Codd. mirè diſcrepavit. Nec tamen Joſephus, vel ex Hebræis fontibus, vel ex Interpretibus Alexandrinis, ſed neque ex Samaritanis, ſeu rationem temporum, quam ſequitur, ſeu alia plurima habuit, quæ Antiquitatibus ejus continentur; ut in Hiſt. Vet. Teſtamenti docetur infinitis propè exemplis. Ità nec vel Hebræi, vel Græci, regnaſſe Salomonem ὀγδοήκοντα ἔτη *annos octoginta*, quod Hiſtoricus *Lib.* VIII. C. III. qui modò ארבעים τεσσαράκοντα *quadraginta*, 1 *Reg.* XI. 42. quod & Paraphraſes, ac quicquid Verſionum eſt: Quicquid Iſ. Voſſius, & Auctor Gallus *Antiquitatis Temp.* ἀποσιώπησιν Scriptoris Sacri hariolentur, quaſi tacuerit annos XL. impietatis Salomonicæ, ſeu *facta* ejus *poſteriora*, oppoſita *prioribus*, id eſt, pio regimini per annos XL. 2 *Chron.* IX. 29. Sed phraſis de Roboamo, Asâ, Joſaphato, aliiſque Judæ Regibus pariter uſurpatur; nec ſimilis reticentiæ in Sacris exemplum.

Ut Joſephus à ſe ipſo diſcrepet?

Quod ſi Joſephus ſummâ quâ volunt fide inſtitiſſet Hebraïcis Codicibus, quibus & uſi fuere Interpretes Alexandrini, uti neutiquam ab iis diſcreparet, ſic neque frequenter à ſe ipſo, in annis ſupputandis. Quod accidit tamen in Codd. Joſephi Græcis quotquot uſurpari potuerunt, etiam Latinis, ex interpretatione antiquâ Ruffini, & Epiphanii Scholaſtici. En παραλογισμῶν Joſephi vel ἀναχρονισμῶν ſpecimina quædam! Sacros Codices ait in Præfatione continere *hiſtoriam annorum* πεντακισχιλίων *quinque millium*, ſcilicet uſque ad Artaxerxis Longimani tempora, collato Libro I. contrà Appionem, quod de *Bibliis Hebraïcis* interpretantur. Neque tamen is calculus exurgit, ſeu ex Codicibus Hebræorum, conſtanti lectione; ſeu ex Tranſlatione Græcâ, ex quâ conficit Auctor nuperus ultrà annos 5400. uſque ad obitum Xerxis; ſeu denique ex Joſepho ipſo, ejuſque epilogiſmis, niſi pro arbitrio emendandis, ut viſum modò eſt, & inflectendis in hodiernas hypotheſes. Eâdem Præfat. ait Joſephus, Moſem πρὸ ἐτῶν διςχιλίων γεγονέναι *fuiſſe antè annos duo millia*, ſcil. antè extrema Neronis. Primo verò contrà Appionem Libro, à principio rerum ſeu Hiſtoriæ Moſaïcæ uſque ad *Moſis obitum*, dicit hoc omne tempus ἀπολείπειν τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν, *tribus millibus annis paululum minus eſſe.* Undè ab Adamo ad Æram Chriſt. quæ *duodecimum* Neronis anteceſſit annis LXV. fluxerint (juxtà Hiſtoricum) longè *infrà* V. annorum *millia.* Voſſius autem putat, vel uſque ad Alexandrum M. annos 5266. Auctor nuperus, Græcos pariter ſecuturus, ab Adamo ad Imperium Alexandri M. annos 5543. ad Æram verò Chriſtianam 5872. Hi tamen magnam cum Joſepho conſenſionem cauſantur, ejuſque ſe *auctoritate* muniunt, ut qui *authenticum Hebræorum exemplar, in Templo aſſervatum, & aureis ſcriptum literis tractaſſet, ſaltem authentica apographa*, idemque per omnia *conformis in annis Patriarcharum* τοῖς LXX. Sic præfatus Auctor, Reſtitutæ Antiquit. Temp. *Cap.* V. Si verò inſtituatur ex ipſo illo Joſepho calculus, quamcunque ſequaris lectionem, in Antiquitatum Libris, diſcrepat à ſe ipſo magnoperè. Primò, ſi ſacra volumina complexa fuêre Hiſtoriam annorum V. *millium*, uſque *ad Artaxerxem* τὸν μετὰ Ξέρξην, ubi deſinunt Libri Hiſtorici, *Lib.* I. contrà Appion. quî jam numeravit modò infrà V. millia annorum, uſque ad tempus quo Antiquitates conſignaret? Deindè quî quadrat calculus annorum minùs τρισχιλίων III. *mille*, ab Exordio rerum ad Moſis exceſſum, cum numeris alibi à Joſepho expreſſis? A Creatione ad Diluvium numeravit ſuprà, annos 2656. *Lib.* I. C. IV.

Hinc ad ortum Abrahæ — 292. *Lib.* I. C. VII.
Hinc ad ingreſſum in Canaan 75. *Lib.* I. C. VIII.
Hinc ad Exitum, Moſe duce 430. *Lib.* II. C. VI.
Hinc ad Moſis exceſſum — 40. *Lib.* IV. C. *ult.*

Fiunt anni — — — 3493.

Quod ſi eum ordinem Joſephus tenuit, in annis digerendis, quem Voſſius illi tribuit, Diſſert. de Ærâ M. *Cap.* VIII. fluxêre anni ab Exordio ad Moſis obitum 3974. Juxtà defenſorem alterum Chronologiæ Græcorum, calculum augentem, anni 3982. Aliter Clariſſ. Bernardus nuper, emendatis Joſephi numeris, animadverſionibus in Caput VI. Libri I. quas utinam perduxiſſet ad finem Ἀρχαιολογίας. Sed integros numeros expreſſit Joſephus, ut fit in Sacris Literis, non notis modò numeralibus ſignavit.

Alia Exempla.

Rursùs, illinc putat Joſephus annos Iſraëliticæ oppreſſionis in Ægypto, à morte Joſephi, quibus Jacobitæ ἐπὶ ταύταις διεκαρτέρησαν ταῖς ταλαιπωρίαις, *in his* (quas dixit Hiſtoricus) *miſeriis extiterunt*, omninò τετρακοσίους *quadringentos*, *Lib.* II. C. V. aliis IX. Hinc verò, ſequenti Capite, egreſſos Iſraëlitas, poſt Jacobi in Ægyptum μετανάστασιν *migrationem*, anno *ducenteſimo decimo-quinto.* Porrò ab Exitu Iſraëlitarum ad Salomonem Templum fundantem numerat idem Joſephus annos 592. *Lib.* VIII. C. II. non invitis modò Codd. Sacris, ut Hebraïcis, ſic & Græcis, 1 *Reg.* VI. 1. Sed & diſcordi ſecum Hiſtorico; mox enim ſupputat ab *Adamo Cond.* ad *Templ. ſtructuram* ἔτη τρισχίλια καὶ ἑκατὸν καὶ δύο, *annos* MMMCII. Quæ annorum ſumma cum ſuperioribus computis minimè conciliatur, niſi denuò vi illatâ Textui, pro libidine ab his Viris emendando. Adde Joſephum *Libro* X. Antiq. C. XI. in rationes inferentem, ab Adamo Cond. ad Templi primi Excidium, ἔτη τρισχίλια πεντακόσια δεκατρία, μῆνας ἕξ, ἡμέρας δέκα, *annos* MMMDXIII. *menſes* VI. *dies* X. Quo ipſo ſtetit Templum, à fundatione, A. M. 3102. annis modò 411. circiter. Idem tamen, eodem illo loco, ait ſtetiſſe Templum, ἀφ' οὗ κατεσκευάσθη *ex quo ædificatum fuerat*, annis totis τετρακοσίοις καὶ ἑβδομήκοντα CCCCLXX.

cum

cum *menſibus* VI. *diebus* X. Et hos annos 470. cum totidem menſibus, ſi detraxeris ex annis 3513. qui lapſi ſint ab Adamo ad Excidium Templi, remanent modò anni 3043. ab Adamo ad Templi ſtructuram, quum antè numeraſſet, *Lib.* VIII. C. II. annos 3102. Ità ſi calculos ſubduxeris, ex ipſo Joſepho, tertius epilogiſmus naſcitur, ſcilicet ab Adamo ad Excidium Templi, hoc modo. Anni Ab Adamo ad Diluvium, (ſecundùm Codd. omnes, Græcos & Latinos) vitioſè quidem, 2656.

A Diluvio ad Natum Abrah. — 292.
Hinc ad migrationem Abrah. - 75.
Indè ad Exitum, —— —— 430.
Inde rursùs ad Fundat. Templi, - 592.
Hinc ad ejus vaſtitatem — — 470. *menſ.* VI. d. X.
Fit ſumma annorum ab Adamo ad primam conflagrat. Templi, — — — 4515.

Undè ſatis liquet *millenarium* ex vulgato calculo reſecandum, nec videri Joſephum ab Adamo ad Diluvium annos putaſſe 2656. ut legunt Codd. ſed potiùs cum Hebræis, annos 1656. Aliàs ſi addideris ad annos 4515. reliquos qui fluxêre à primo Excidio ad ultimum ſub Tito, exceduntur magnoperè rationes omnes Hiſtorici. Adde quartum epilogiſmum, ex *Libro* VII. Ἁλώσ. *Cap.* X. Nam à primâ Fundatione Templi per Salomonem, uſque ad ultimum Excidium, anno II. Veſpaſ. colligit Hiſtoricus ἔτη χίλια ἑκατὸν τριάκοντα, μῆνας ἑπτὰ, καὶ πεντεκαίδεκα ἡμέρας, *annos* 1130. *menſes* VII. *d.* XV. Quos item poſtremos ſi addideris ad epilogiſmum, expreſſum *Libro* Originum VIII. C. II. qui eſt ab Adamo ad Fundat. Templi, annorum 3102. fiunt in univerſum ab Adamo ad poſtremum Excid. additis menſibus, anni 4233. exacti. Ab his ſi deduxeris annos 70. ab Æra Nativit. ad Excid. remanent anni, juxtà Joſephum, ab Orbe Cond. ad Chriſtum, 4162. Sixtus Senenſis licet, ex Joſephi rationibus, putet nonniſi annos 4103. Biblioth. *Libro* V. *Annot.* LXVIII. Hæc tu cum Joſepho ipſo, & cum Græcis Interpretibus, vel cum Epochis Græcorum, de quibus *Cap.* præcedenti, concilia ſi potes.

Error in Joſepho, de Duratione Templi Oniæ.

Similiter, ubi Joſephus agit de Templo *Oniæ*, ſtructo in Ægypto, in agro Heliopolitano, & clauſo tandem per Paulinum Præfectum Alexandriæ, *de Bello Jud.* L. VII. C. XXX. in temporum ratione turpiter hallucinatur, niſi mendum eſſe ſuſpiceris in contextu Joſephi. Cœperat illud Templum ædificari ſub Ptolemæo Philometore, A. Græcorum CLXI. Per. Jul. 4562. antè Æram Vulg. CLII. Clauſum tandem, & inacceſſum redditum, A. Æræ Vulg. LXXI. Per. Jul. 4784. ut in Hiſtoria noſtrâ ad *Epoch.* IX. Anni intermedii quibus ſtetit hoc Templum, fuêre circiter *ducenti & viginti-duo.* Interim habet Joſephus, loco cit. Χρόνος ἦν εἰς τὴν ἀπόπαυσιν τοῦ ναοῦ γεγονὼς, ἀπὸ τῆς κατασκευῆς, ἔτη τρία καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριακόσια, *anni trecenti quadraginta tres*, pro quo Rufinus, *anni* CCCXXXIII. Quo ipſo ultrà ſeculum extendit durationem hujus Templi. Undè variæ conjecturæ Eruditorum de genuinâ ſcriptione Joſephi.

Errores in Chronographiâ Græcor.

Παραλογισμοὺς alios Joſephi, & errores tùm Chronologicos tùm Hiſtoricos, ſed & ἀντιχρονισμοὺς, immemore ſui hocce Judæorum Hierophantâ, deſcribere non hujus loci eſt. Paſſim notamus in Hiſt. Eccleſiaſticâ Vet. Teſt. & infra locis ſuis. Exempli gratiâ, *Hebræos*, quos cenſet *Paſtores* Manethonis, in Ægypto regnantes, & à Thmoſi vel Tethmoſi expellendos, indè liberatos ait, *Lib.* I. contrà Apion. annis CCCXCIII. antè Danai in Græciam ad Argivos adventum, annis verò ἐγγύς που χιλίοις *propè mille*, antè Bellum Trojanum. Ità inter appulſum Danai & caſum Trojæ, annos circiter DC. intermedios ſtatuit Joſephus. Ex iſto error Juſtini Martyris, Theophili, Tatiani, Clem. Alexandrini, Epiphanii, G. Syncelli, ſcil. Moſem incidiſſe in tempora Inachi & Ogygis. Atqui Danaus Coloniam ex Ægypto deduxit, juxtà Marmora, annis antè Exitum circiter XV. antè Excid. Trojæ annis CCCII. juxtà Euſebium verò agentibus in Deſerto Iſraëlitis, anno I. Danai Argivorum Regis combinato cum Moſis Ducis XXXVIII. Inachus jam Argivorum Rex regnavit, ſuperſtite Abrahamo, ex Euſebio, annis antè Exitum CCCXL. Nec inter Exodum & caſum Trojæ, ultrà annos CCLXXXVIII. putant Marmora, paulo plures *trecentis*, Euſebius in Chronico. Adde ſibi ipſi fœdè contradicentem Joſephum. Siquidem hic in Antiquitatum Libris, *Lib.* II. C. VI. vel XV. Epocham Exodi rectè ſignavit, annis CCCCXXX. à Promiſſione, CCXV. ab ingreſſu Jacobi, Moſis *octuageſimo*, antè Joſuæ Ducatum annis XL. Dum Trojanæ res ad *Jairi* vel *Jephtæ* tempora, Judicum Epochâ currente, omninò ſpectant, de quibus Joſephus, *Lib.* V. *Cap.* IX. Igitur aliud agens in Libris contrà Apionem, dùm Græcorum res facit juſto recentiores, Moſis antiquitatem aliquot ſeculis in anteriora promovet. Hinc negat quoque Joſephus, initio *L.* I. contrà Apion. Inſcriptiones antiquas *Cadmejis literis*, aut antiquius ullum *Homero* poëmation: Ne ejuſdem falſiſſima alia, ac temerè aſſerta, quod alterius diſquiſitionis eſt, in hunc locum referam. Viderint Inſtauratores Antiquitatis temporum, qui Joſephi calculos ſuis adaptant! Unum excipi poteſt, corruptiſſimos eſſe Joſephi Codd. & oppidò diſcrepantes, ſeu in Periochis ſingulis, ſeu in Epilogiſmis annorum, vitio amanuenſium qui Verſionis Græcæ calculo aſſueti: Ut de germanâ Hiſtorici ſupputatione ſtatuere, ſit res aleæ plena; undè tot pugnantes conjecturæ, & emendationes.

Caput IV.

De Duratione Temporis ſecundùm calculum Judæorum. Epocha vel Periodus Judaica quæ dicta, & quando nata? Quo μεταχρονισμῷ *peccet? Rationes hujus computi Judaici, etiam* τεχνικαί. *Accurata annorum & menſium in eâ deſcriptio. Regulæ indè natæ, de tranſlationibus Feriarum. Canones pro reducendis annis Periodi Jud. ut ſunt in Chronicis Jud. ad annos Chriſtianos.*

Periodus Judaica quæ dicta?

Porrò in annorum calculo ſupputando qui fluxerint ab *O. Cond.* ad *Æram Chriſti* Vulgarem, vel ad Excidium Templi & Urbis per Romanos, in diverſiſſima abeunt etiam illi, qui *Hebraïcorum Codd.* fidem Verſioni Græcæ meritò anteponunt.

Omnium verò maximè deficiunt *Judæi*, quorum *Æra* לבריאת עלם *à Creatione Mundi*, præceſſit demùm Æram Dionyſianam Annis 3761. Ut primus annus Æræ vel Periodi *Judaicæ* incidat in annum Per. Jul. 953. Cyclo *Solis* 1. *Lunæ* autem 3. *Ind.* 8. d. VII. *Octobr.* Primus verò Æræ Chriſt. Vulg. incidat in annum Periodi Jud. 3761. currentem ab *Autumno* præcedente; uti annus Judaïcus 3762. incipit ab *Autumno* quæ Kal. Januarias excepit anni 1. Chriſtiani. Atque ità quantumvis τεχνικῶς inſigni artificio condita hæc Periodus fuerit, ſimul cum emendato Calendario, & Cyclo Lunari decemnovennali, fixiſque Tekuphis ſeu Æquinoctiis, & Solſtitiis; ἰσορικῶς interim deficere certum eſt, ac peccare inſigni μεταχρονισμῷ in figendo Orbis Cond. initio.

Nam ſecundùm calculum Dionyſii Exigui, qui & Bedæ, Sigeberti, Joſ. Scaligeri, Calviſii, & ſequacium, deficit totis annis 189. quos ſi addas ad Annos Judaïcos, fiunt Anni à Creat. M. 3950. quan-

quando incipit juxtà iſtos Annus I. Æræ Dionyſianæ. Si verò Æram Mundi Cond. figis cum Uſſerio, Lydiato, & accuratiſſ. Chronologis, quibus nos inſiſtimus, in annum Per. Jul. 710. antè Chriſtum natum 4003. addendi jam ad annos Periodi Jud. fuerint anni 243. ut veram Mundi Epocham, veramque ab Ærâ Chriſtianâ diſtantiam habeas. Plures verò adjiciendi vel pauciores, juxtà hypotheſes alias, Tornielli, Saliani, Petavii, Labbei, &c. de quibus Cap. ſequenti.

Ratio autem deficientis hujuſce calculi in *Ærâ Judaïcâ*, quam concinnavit R. Hillel Naſi, Anno à Creat. ſec. Jud. 4118. Æræ Contract. 670. (Chriſt. 358.) quando miſſam fecerunt hanc ipſam Æram, non una fuit: Primò ut contraherent annos, etiam Textu Sacro illibato, qui præceſſerunt Meſſiæ noſtri adventum, hinc ſuis perſuaderent, nondùm advenisse tùm Seculum Meſſiæ: Deindè, ignorantia Hiſtoriæ Exoticæ, quâ factum ut annos Monarchiæ *Perſicæ* mirè contrahant, ac demant totos annos 150. & ampliùs, aſſignandos inſuper iſti Æræ. Ita in *putandis* annis *Pontificum* & *Maccabæorum*, ad Herodem uſque, ac conferendis cum Æris Exoticis, uti Nobonaſſareâ, Græcorum illâ ſive Seleucidarum, oſcitantiam iidem atque imperitiam omnibus prodiderunt. Adde in concinnandâ hac Periodo, quæ τεχνικὴ tota fuit, rationem Aſtronomicam, Jac. Capello, Petavio, & aliis obſervatam. Nempè Cyclum utrumque Solis & Lunæ in ſe ductum obſervarunt conficere annos 532. ut ſuprà in Periodo Dionyſianâ. Hos annos per 7. multiplicarunt, & ſic confecerunt Epocham Judaïcam, complexam ab Adamo annos 3724. quando Herodes M. Hieroſolymam occupavit, A. Urbis Cond. 717. Undè à ſequente Niſan exorſus eſt Computiſta Judæus ſecundam Epocham Judæorum, ab anno I. Æræ Herodianæ, annis ante Æram Chriſti Vulgar. 36. Adde jam annos Epochæ Jud. ad Æram iſtam *Herod.* 3724. Fiunt in univerſum anni completi, ad Autumnum quæ præceſſit annum I. Æræ Vulg. —— 3760. Aſt verò *Seder-olam ſutha*, ſeu Chronicon minus Hebræorum, conjecit Chriſti natalem in A. Mundi Cond. 3671. & ſic deficit calculus à C. M. totis 277. annis. Defectus ratio, ex gr. I. Contracti nimis anni ab Exitu ex Æg. ad Captivitatem Babylonicam; tùm & anni ab Excidio primi Templi ad ſtructum Templum ſecundum, ſub Dario; tandem & anni quibus Templum II. ſteterit. 2. Falſa hypotheſis Chriſtum à Judæis jam comprehenſum, Anno CCXCIX. à ſtructo Templo Zorobabelis, mirâ ϖαρηγήσει.

Quod verò contendunt præstereà viri Doct. Judæos ultrò & ſpontè contraxiſſe annos *Patriarcharum* antè & poſt Diluvium, Textu Hebraïco improbâ manu violato, ſive factum à R. *Akibâ* fuerit, ſive ab hujus Diſcipulo *Aquilâ* Pontico, ſive à *Bar-Chochabâ*, ſive ab aliis, uti precarium eſt, inanibus conjecturis nixum, ità falſi arguerunt Viri Magni, & nos ſuprà notavimus. Quæcunque tandem ſit origo excedentis calculi, & additarum præcipuè centuriarum, in Verſione vulgò τ LXX. Hinc & doctiores Magiſtrorum, qualis Majemonides, producunt omninò annos qui fluxerint ab O. C. ad Æram Chriſtianam, ultrà annum *quatermilleſimum*; Nihil territi quod hoc ipſo Meſſiæ tempus tùm adveniſſe videatur, juxtà traditionem Elianam.

Summatim obſervanda in Calend. Jud.

Porrò de hoc novo Calendario Judaïco ſummatim obſervent, qui in his Studiis ponunt tyrocinium: I. Accuratiſſimam ſanè, in deſcribendis *annis* & *menſibus*, & in ratione omni *intercalationum*, habitam à Judæis eſſe rationem Syzygiarum Lunarium, mediorum motuum, & conciliationis motûs *Lunaris* cum *Solari*. In quâ defeciſſe Periodum Calippicam, juxtà quam ſingulis IV. Cyclis Lunaribus, ſeu annis LXXVI. Luna à Sole ſuperaretur horis V. & pluribus minutis, ſuperiori Libro monitum, & ex Tabulis Lunæ-ſolaribus, à Præſtantiſſimis Chronologis demonſtratum eſt. Hinc ſunt Paſchales rationes Judæorum accuratiſſimæ, quæ Chriſtianis facem præferant, ut pridem Scaliger, & alii monuerunt. Juxtà verò hanc formam Calendarii Judaïci, Neomeniam Paſchalem, cæteraſque, ex quibus Feſtorum ratio pendet, Magiſtri illi ità fixêre, ut Aſtronomicum calculum cœleſtibus motibus accuratiſſimè reſpondeant, miſſâ obſervatione φάσεως, quam *Carrais* reliquerunt. Nec altiùs derivant Viri Docti fixos illos annorum *Characteres*, ſeu קביעות *ferias*, quibus ſemper ineunt Civiles Judæorum anni, ſeu *Communes*, ſeu *Embolimæi*, iique *Deficientes*, *Ordinarii*, *Abundantes*, juxtà idem Calendarium: Et indè Regulæ partim ex cauſis Civilibus, partim ex Aſtronomicis, dictæ ארו , ברו , גהז , &c. Secundùm quas feriæ quædam ſunt פסולות *rejiculæ*, quibus nunquam auſpicantur vel Neomeniam *Thiſri*, vel *Paſcha*, hinc *Feſta* alia, quæ ab iſtis neceſſariâ habitudine dependent. De quibus & ſuperiori Libro monitum fuit.

2. Obſervent, ſolere Judæos in ſuis computis, exprimere nonniſi annos לפרט קטן *Æræ minoris*, ſeu ſupputationem minorem, omiſſo numero *millenario*, vel *millenariis* qui excedunt, brevitatis causâ; Addito tamen omiſſionis ſigno, qui adeo millenarii ſint addendi, ad annos in Chronicis Judæorum, Hiſtoriis, Itinerariis, quale illud Benjamini Tudel. &c. notatos. Sic *quatuor millenarii* ſemper ſunt ſupplendi, indè ab Anno Æræ Chriſti Vulgaris 240. quando incipit annus Judaïcus 4001. impletis annis 4000. anno vertente Chriſtiano 239.

3. Obſervent & iſtud tyrones, inchoari annos in Calendario Judaïco ab *Autumno*, ſeu à Neomeniâ *Thiſri*, ut I. annus ejus Æræ inceperit à VII. *Octobris*, quem diem vocant מולד תהו, ut ſuprà viſum in Menſibus Hebræor. Et indè procedit calculus omnis Periodi Jud. à VI. horâ veſpertinâ, ut hæc Hieroſolymis putata fuit. Quare in Conciliatione cum annis Æræ Chriſtianæ, qui incipiunt à *Kal. Januariis*, habenda ratio eſt hujus diverſi initii.

4. Adde, habendam & *Cyclorum* rationem eſſe, in conferendis annis Judaïcis cum Julianis: Nam *Cyclus* quidem *Solis* utrobique idem, dùm à Cyclo Solari I. procedunt anni Judaïci, & Juliani, hoc tamen cum diſcrimine, quod Cyclus I. Julianus incipit à *Kalend. Januariis*, Cyclus I. Judaïcus, demùm à *Neomeniâ Thiſri* ſequentis. At diverſa ratio eſt *Cycli Lunaris*, dùm primus annus Judaïcus, ex dictis modò, incipit cum Cyclo Lunæ Juliano III. eoque labente, ab Autumno orſis Judæis, Cyclo Lunæ Jul. IV. ducendo ſic à ſequente Januario.

5. Hinc facillimum eſſe conſtat, dato anno aliquo *Judaïco*, puta anno *Excidii* ultimi Templi, Urbis, Reipubl. quem notant 828. ſuprà *ter milleſimum* nempè, reperire quotus is fuerit annus *Æræ Chriſt.* Vulg. Abjiciendo videlicet eos annos qui, ſecundùm calculum Judaïcum, præceſſerunt Æram Dionyſianam, ſcil. 3761. Undè ex annis 3828. quos numerant ad Excidium, remanent anni 67. & ità indicatur annus Æræ Chriſtianæ concurrens cum notato anno Judaïco. Viciſſim dato anno Æræ Chriſtianæ, puta hoc ipſo —— — 1691. adde annos Judaïcos qui iſtam præceſſerunt 3761.

& habebis annum Æræ Jud. videlicet —— 5452.

De

Digitized by Google

De quibus adeundi qui Calendarium Judaïcum ex profeſſo illuſtrarunt, Munſterus, Scaliger, Calviſius, Mulerius, Buxtorfius, & qui plures ſunt.

Caput V.

De variâ duratione Temporis, ſecundùm Chronologos Hebraïzantes. Summarius conſpectus hujus diverſi calculi, relati ad Periodum Jul. & ad Æram Chriſtianam. Cauſæ hujus diverſitatis. Aſtronomicæ aliæ. Aliæ Hiſtoricæ, eæque plures, ſigillatim obſervatæ.

Quantum à ſe diſſentiant Chronologi qui Hebræos Codd. ſequuntur.

QUantum igitur ad *Chriſtianos*, qui ſint alicujus notæ, Chronologos, quotquot nempè adhærent Textui Hebraïco, ut authentico, minùs certè ſuſpecto corruptionis, non una rursùm computatio eſt annorum qui fluxerint ab Orbe Cond. ad Chriſtum natum. Ità tamen ut in illo diſcrimine, quod in aſſignandis Mundi Originibus apud iſtos apparet, haud multo longiore quàm *centum* annorum intervallo (Genebrardum, Vignierium, & pauciſſimos ſi exceperis) à ſe invicem diſcedant. Nempè ſuprà annos à Creatione M. ad Æram Vulgarem *ter mille & noningentos* addunt alii plures, pauciores alii; pauciſſimi infrà 3900. ſubſtiterunt, niſi Bened. Ariam inter eos objicias, & raros alios.

Collatio ad Periodum Julianam, & Æram Chr.

Quod ut clariùs conſtet, ac diſcrepantes eæ ſententiæ de Mundi exordio conferri inter ſe quàm appoſitiſſimè poſſint, utemur hîc *Periodi Julianæ*, modò indicatæ, beneficio. Nam conſenſus ferè in eo eſt, & recepta Hypotheſis, *Æram* Chriſti receptam ducere exordium à Per. Jul. anno 4714. Undè qui propiùs, qui longiùs abſint ab exordio *Per. Jul.* ſeu temporis poſtulatitii, in aſſignandis Mundo natalibus, proclive erit cognoſcere. Nempè detrahendo de annis *Per. Jul.* 4713. (qui præceſſerunt annum 1. à Chriſti Natali) eos annos quos ab O. Cond. numerant, & reſiduus numerus oſtendet Annum *Per. Jul.* quo Mundus juxtà eos cœpit. Et ex dato anno *Per. Jul.* de Cyclo *Solis* & *Lunæ*, deque *Indictione*, facile judicium eſt, juxtà regulas à Scaligero, & Chronologis datas. Vide quæ diximus ſuprà *Lib.* 1. *Cap.* XXII. ubi de Julianâ Periodo.

	Per. Jul.	*Antè Chr. Æram Dion.*
Igitur exempli gratiâ, ſuprà annos à Creat. M. 3900. addunt *Beroaldus*, *Broughtonius*, *David Pareus*, annos nonniſi 28. vehementer flagellandi Scaligero, in Elencho Orationis Pareanæ: Ut ità Chriſtus ex horum mente natus ſit A. Mundi 3928. Quos ſi detraxeris de 4713. conditus eſt Mundus, juxtà horum ſententiam anno *Per. Jul.* —	786	3928
Rob. Baillius, in Opere Chronolog. dicâ ſcriptâ pleriſque Chronologis, confidenter colligit annos Mundi ad Chriſti Nat. 3945. cum *dimidio*. Et ſic Æra Mundi illi componitur cum anno *Per. Jul.* — — — — — — — —	768	3945
Joſ. Scaliger, *Helvicus*, *Calviſius*, *Ubbo Emmius*, *Nic. Mulerius*, *Behmius*, *Franckenbergerus*, *Hornius*, &c. & quotquot ſequuntur τ̃ πάνυ, numerant ab Orbe Cond. ad Æram Chriſti *veram*, componendam cum Anno Juliano XLIII. Per. Jul. 4711. annos 3947. ad *Dionyſianam* verò (cujus calculum in anno Natali ſignando ſecuti Beda, in Rat. Temporum, Sigebertus initio Chronici) annos 3949. Juxtà quam Mundus Conditus fuerit, exeunte Octobri, (XXVI. nempè, ut Scaliger) anno *Per. Jul.* — — — — —	764	3949
Beda poſt Hieronymum, putat annos ad Chriſtum natum 3952. & ità *Hermannus Contractus* in Chronico, addens, *juxtà Hebraïcam veritatem*. Undè his annis detractis, ut ſuprà, de 4713. remanet Mundus Cond. A. *Per. Jul.* — — — — — — —	761	3952
Henr. Wolfius, Tigurinus, *Phil. Lansbergius*, & ſi qui plures, habent epilogiſmum annorum ab O. Cond. ad Chriſtum 3958. quibus adeò Mundi principium ducitur, ab anno *Per. Jul.* — — — — — — — — — — —	755	3958
Ph. Melanchthon, *Mart. Lutherus*, à quibus non longè abeſt *Sixtus Senenſis*, nec *Johannes Lucidus*, præeunte illis *Abbate Uſpergenſi*, numerant ferè annos à Principio rerum, ad Æram Chriſt. 3961. quem annum peſſimè combinat Lutherus cum anno IV. Olymp. CXCIV. qui poſtremus Scaligero componitur cum Anno Mundi 3949. Undè juxtà eos conditus Mundus, anno *Per. Jul.* — — — — — — — — —	752	3961
Gerh. Mercator in Chronologiâ, putat ab Orbe Cond. ad eandem Æram, (quam inchoari vult ab A. II. Olymp. CXCIV. Urbis C. DCCL. anticipatione triennii) annos 3966. Ut hinc Mundi Natalis inciderit in annum *Per. Jul.* — — — —	747	3966
Henricus Buntingius, non incelebris in Germaniâ Chronographus, anticipat anno uno, putans annos 3967. ad Chriſtum natum: Hinc annus Mundi Cond. fuit A. *Periodi Jul.* — — — — — — — — — — — — — — —	746	3967
Abr. Bucholcerus in Indice ſuo Chronolog. quem ſequuntur *Guthberletus* & alii, putat annos ad Æram Chriſti 3970. completos, & ſic Mundi origo fuerit anno *Per. Jul.* — — — — — — — — — — —	743	3970
Theod. Bibliander, in ſupputatione temporum, numerat ab O. Cond. ad Æram Natalitiam, annos 3979. & ſic Mundi origo anno *Per. Jul.* — — — — — —	734	3979
Dion. Petavius, Vir in his literis plurimus ac perpetuò oppoſitus Scaligero, numerat annos à conditu Orbis ad Chriſtum 3983. Statuitque Mundum Cond. XXVI. Oct. anno *Per. Jul.* — — — — — — — — —	730	3983
Henr. Harvillæus, & *Jac. Capellus*, inſignes Chronographi in ordine utroque Pontificio & Reformato, & cum his alii, putant ab O. C. ad Chriſti Natalem annos 4000. Undè Conditus illis Mundus eſt, & quidem verno tempore, anno *Per. Jul.* —	714	4000
Jac. Uſſerius, Vir nunquàm ſatis laudandus putavit ab O. Cond. ad Æram Dionyſ. Vulgarem annos 4004. A quo calculo non abludit in eâ Gente *Thomas Lydiatus*, diſcrepans tamen in anno Nativit. quem conjicit in Annum U.C. 556. qui toto biennio poſterior Ærâ Dionyſ. *Edw. Simſonus* putat pariter ad Chriſtum annos 4003. Nec noſter calculus multum diſcrepat, ut ex Canonibus infrà poſitis conſtabit. Et ſic Creatio, quam in *Octobri* figit Uſſerius, incidit illi in annum *Per. Jul.* — — —	710	4004

Au-

	Per. Jul.	Ante Chr. Æram Dion.
Auguſt. Torniellus, *Jac. Salianus*, *Henr. Spondanus*, *Phil. Labbeus*, & ſi qui alii, longiùs abeunt, figentes Æram Nativit. in annum Mundi 4052. vel 4053. aut 4054. ità enim inter ſeſe diſcrepant. Quo ipſo Mundus illis jam creatus cenſetur anno *Per. Jul.* — — —	661	4052
Vel, — — — — — — —	660	4053
Vel, — — — — — — —	659	4054
Gilb. Genebrardus, inter illos qui Iſraëlitarum manſioni in Ægypto, poſt deſcenſum Jacobi, tribuunt totos annos 430. prorogat ità tempus omne ab O. Cond. ad Æram Chriſtianam, ut ſtatuat Chriſtum natum A. M. 4089. mox inchoando A. 4090. Quo fit ut creationem Mundi conjecerit in annum *Per. Jul.* — — —	623	4089
Nicol. Vignier in Bibliothecâ *Hiſtor.* T. I. tribuens Æræ Judicum, indè à *Joſua* VII. ad I. *Samuëlis*, totos annos 450. auctoritate loci *Act.* XIII. & ſeriùs inchoans annos 480. de quibus 1 *Reg.* VI. 1. numerat Annos ab O. C. qui præceſſerint Æram Chriſti Dionyſ. 4128. Ut ſic Mundus cœperit Anno *Per. Jul.* — — —	586	4128
Auctor denique Examinis Chronologiæ S. quem flagellavit vehementer Petavius, Rationarii Parte II. erroribus caſtigatis, (nec ſententias plures conferre operæ pretium eſt) omnium longiſſimè abit ab Hebraïzantium ſuperioribus calculis. Putat enim, ut videre eſt apud Petavium, ab O. C. ad Æram Chriſtianam, annos 4200. ut hujus Æræ 1. annus, qui Periodi Jul. 4714. eſt, fuerit annus M. 4201. Et ſic Creationem M. conjicit in Annum *Per. Jul.* — — —	513	4200

Cauſæ Aſtronom. hujus diſcrep.

Si jam in hujus diſcrepantiæ cauſas inquiſiveris, aliæ quidem ſunt *Aſtronomicæ*, *Hiſtoricæ* aliæ. Priores, ex gr. à vario quem ſibi fingunt ſitu *Apogei* Solis, initio rerum, ejuſque dein variatione vel progreſſu, cum Anomaliis; ac comparatione cum Apogei ſitu Seculo *Hipparchi*, id eſt, *Per. Jul.* circiter A. 4557. quâ de re Petavius, & alii. Quo demonſtrationis genere nihil incertius, diſſidentibus à ſe Aſtronomis. Ità ex rationibus Aſtronomicis Alfonſus putavit ab Adamo ad Diluvium, Annos 3882. d. 167. ab Adamo verò ad Chriſtum Salvatorem, Annos 6984. d. 221. ut ex Tabulis Alfonſinis intelligitur. Ità nec Alfonſi, nec Copernici, nec Tychonis, nec Gerh. Mercatoris, nec Henr. Buntingii, nec Joſ. Scaligeri, nec Phil. Lansbergii, nec Dion. Petavii, nec Sethi Calviſii, &c. rationes Lunæ-Solares, aut æquationes Motuum cœleſtium, aut Eclipſeôn applicatio ad has & illas Epochas, ſemper conveniunt. Quorum nonnulla ut fori hujus noſtri non ſunt, ità ex iiſdem, aut ex Nic. Mulerio, Viro in his literis Præſtantiſſ. aut ſi vis, Reinholdo Franckenbergero, Scalegerianæ Chronologiæ fundamenta cum aliis conferente, & id genus Auctoribus, à rerum harum ſtudioſis, repetantur.

Cauſæ Hiſtoricæ ſummatim enarratæ.

Hiſtoricæ cauſæ, diverſiſſimæ hujus ſupputationis Annorum Mundi, in iis etiam qui de annis Patriarcharum conveniunt, juxtà Hebræos, præcipuæ fuerint. 1. Variæ *annorum Civilium formæ*, uti Anni Ægyptiaci, olim vagi, poſteà apud Alexandrinos fixi, Nabonaſſarei item; tùm & anni Græci, Romani, Arabici Lunaris, &c. de quibus annorum formis & diſcrepantiis, fuſè *Libro* ſuperiore traditum fuit. Ità varium annorum *Principium*, his verno, illis æſtivo, pluribus autumnali, at Romanis, Bœotiis, ac Græcis veteribus, brumali menſe inchoantibus; apud alios *vago* anni principio, qui intercalares annos neſciverunt. Hinc connexio annorum ſæpè dubia. 2. Diſcrepantes ſententiæ, v. gr. circà annum *nativitatis Abrahami*, quam multi referunt ad annum Patris 70. non 130. Ità circà annos *habitationis in Ægypto*, quos producunt magnoperè Ger. Voſſius, Genebrardus, & recentiores; Ità circà annos *Sabbaticos*, quis eorum primus fuerit, ut viſum ſuprà; & an *Jubilæi* demùm 49. an verò 50. annis ſolidis definiendi, &c. 3. Diſcrepantiæ in annis *Judicum* ſupputandis, ob intermixtos annos Servitutum; & difficultatem loci *Act.* XIII. 20. Ita etiam in conſtituendâ Epochâ *fundati Templi* Salomonici, & intervallo inde *ab Exitu* ſeu Liberatione *ex Ægypto*; diverſo hîc calculo, ex loco 1 *Reg.* VI. 1. variè accepto, etiam lecto. 4. Dubii anni *Regum*, à diſtractione Regni, ad ultimum Zedekiæ. In quibus difficultates non paucæ, ſeu ex collatione annorum qui tribuuntur Regibus *Judæ*, & *Iſraëlis*; ſeu ex variis ἐναντιοφανείαις in libris Regum, & Chronicorum; ſeu ex dubiâ collatione Chronologiæ Sacræ cum rebus *Græcorum*, *Medorum*, *Aſſyriorum*, *Chaldæorum*; & cum annis *Olympiadicis*, *Urbis Cond. Nabonaſſareis*, ex quorum connexione, præeuntibus Ptolemæo, & Cenſorino, magna Chronologiæ ſacræ lux accedit. 5. Dubii termini Epochæ *annorum* LXX. Captivitatis Babylonicæ, undè hi inchoentur, ubi finiantur? Hinc dubia Combinatio cum annis *Æræ Nabonaſſari*, & *Cyri* Regis. 6. Variantes ſententiæ de expreſſis in Scripturâ S. v. gr. *Belſaſare*, *Dario Medo*, charactere *primi* anni *Cyri*, ſic *Darii* alterius ſub quo Templum reædificatum, uti etiam *Artaxerxis*, de quo Eſdras & Nehemias. 7. Præterquàm quod in annis *Monarchiæ Perſicæ* itum in diverſiſſima, quam alii nimis contraxerunt, ad L. vel LXX. vel CVII. vel CXXX. annos, &c. alii protenderunt nimis, etiam ultrà annos CCL. quod facit Iſaacus Voſſius, vir magnus, ſed ſingulari calculo: Utrique ut ſuis hypotheſibus accommodarent, à Canone Ptolemaico, ab Epilogiſmo Canonis Nabonaſſarei, & accuratiſſimorum quorumcunque ſententiâ Chronologorum, nimiùm recedentes. 8. Difficultates non paucæ circà LXX. *hebdomadas* Danielis, undè præcisè inchoandæ, ſeu à quo Edicto, vel à quo *Exitu Verbi*; ubi terminandæ, an in deſolatione Templi per Antiochum, ut Marshamus; an in excidio Chriſti Servatoris, ut plerique; an in excidio Urbis per Romanos, ut Scaliger, & ſequaces? 9. Difficultates aliæ quæ occurrunt apud Chronologos, circà annos *Alexandri M.* & *Philippi*; circà initium Æræ *Græcorum*, vel *Contractuum*; circà initium *Ptolemæorum*; circà ſeriem & Succeſſionem *Pontificum* Hebræorum; circà annos *Julii Cæſaris*, tùm *Auguſti*; tandem circà annos regni *Herodiani*: De quibus fusè Petavius, *Tomo* II. Doctrinæ Temp. etiam Parens noſter Dub. Euangelicor. *Parte* II. ut mittam alios. Ac de his nos ſigillatim, infrà. 10. Hinc dubia omnium inter ſe collatio, & applicatio *Æræ Chriſtianæ* ad præfatas Epochas, ſpeciatim ad nobiliores illas *Olympiadum*, *Urbis Cond. Nabonaſſareæ*, de quibus, & earum connexione cum Per. Julianâ, & cum Annis Chriſtianis, ſpecialiùs dicetur modò. Non pari conſenſu, in comparandis his Epochis, Chronici *Euſebiani*, vel *Alexandrini*, aliorumque in Veteribus, cum rationibus *Dionyſii Exigui*, & ſequacium. Ac plurimæ harum difficultatum expedientur, in ſequentibus.

Caput VI.

De Æris quibuſdam Nobilioribus in Hiſtor. Exoticâ, cum Sacrâ Hiſt. conferendis. Epocha fundati Imperii Babylonici, vel Aſſyriaci. Rei obſcuritas. Cauſæ plurimæ enarratæ, & ſententiæ diſcordes. Ἐπίκριſις *Auctoris. Qui peccent* προχρονισμῷ, *in figendâ Epochâ Confuſionis Linguarum, & Diſperſionis Gentium. Qui annum temerè determinent. Nimrod Belus eſſe demonſtratur, fundator Imperii, poſt factam diſperſionem. Locus Gen.* x. 11. *declaratur. Tempus primæ fundationis Aſſyriacæ probabiliter aſſertum. Herodoti locus expenſus, & alter Dionyſii Halicarn. Aſſyrii in Scripturâ S. Reges, contrà Marſhamum. Nini antiquitas ſecund. pleroſque, contrà Uſſerium. Terminus Monarchiæ Aſſyriacæ, in Sardanapalo. Tempus indicatum, ſaltem* ἐν πλάτει. *Joſephi locus appoſitus. Scrupuli duo ſublati.*

De Æris nobilioribus in Hiſtoriâ Exoticâ.

HActenùs de Ærâ *Mundi Cond.* juxtà Chronologos Veteres ac recentiores, Judæos & Chriſtianos, Græcos & Latinos, deque vario annorum intervallo qui, pro diverſis Hypotheſibus, fluxiſſe putantur ab Orbe Cond. ad Æram Natalitiam, comparatione inſtitutâ ad communem menſuram, quæ eſt Periodus Juliana. Supereſt nunc de antiquioribus ac nobilioribus quibuſdam *Epochis*, ſignatis in Hiſtoriâ *Exoticâ*, & in ſcriptis *Eccleſiaſticis* Veterum, undè lux magna Hiſtoriæ ac Chronologiæ Sacræ affulget, paucis referamus; *Epicriſi* quandoque noſtrâ adjunctâ in dubiis & controverſis.

Æra Aſſyriaci Imperii.

Ac primò de Ærâ *Imperii Aſſyriaci*, cui & *Babyloniorum* primordia implicantur, indè ab ejus natalibus, ad ſubverſionem factam per Medos, pauca obſervanda veniunt. Nec enim in Hiſtoriâ ac Chronologiâ quicquam obſcurius, magiſque inter Eruditos controverſum. Cauſæ obſcuritatis præcipuæ ſunt: 1. Hiſtoria Moſaica, quæ *Diviſionem terræ*, id eſt, ut plerique interpretantur, diſperſionem Gentium, à molitione Turris, hinc & Babyloniorum initia, referre videtur ad tempus nati Hebero *Phalegi*, *Gen.* x. 25. anno poſt Diluvium 101. Quo temporis intervallo, recente à Diluvio terrâ, undè ex tribus Noachi filiis tot Gentes enaſci potuerint, Linguis, quas LXX. Hebræi numerant, jam tùm à ſe invicem dividendæ, meritò dubium. Quin tempore nati Phalegi, anno Heberi XXXIV. *Gen.* XI. 16. nondum fratri ejus Jocktano *Gen.* x. 25. nati illi filii XIII. qui recenſentur Auctori Geneſeos; à quibus poſteà, factâ Diſperſione, nomen Arabiæ Felicis ditiſſionis regionibus, *Scheba*, *Havila*, *Ophir*, *Jobab* undè Jobabitæ, &c. 2. Si autem ſeriùs, quod Hebræi volunt, & Seder Olam R. acciderit diſperſio Gentium, & confuſio Linguarum, ac vero conſentaneum eſt, dubium rurſus undè iſtud *Phalego* nomen, pridem antè rei eventum? Hinc ad *Spiritum Propheticum* recurrendum plurimis fuit, ipſi Chryſoſtomo, Hieronymo, ac Magiſtris præcipuè, quo prædixerit Heberus, *terram dividendam* fore vivo adhuc Phalego, ſeu *in diebus ejus*. 3. Accedit obſcuritas loci *Gen.* x. 11. quis *Aſſur* ille, qui *egreſſus Niniven condidiſſe* memoratur? Quum *Aſſur* ex Semo fuerit, non ex Chamo, *Gen.* x. 22. nec *Babylonicæ* origines à Semi filiis arceſſantur, quod facit Joſephus Ἀρχαιολόγος. 4. Adde diſcrepantes calculos ex. gr. Africani, Euſebii, G. Syncelli, &c. in conſtituendâ Epochâ *Aſſyriorum*, & hujus Monarchiæ in Belo *primordiis*. Et Africani Syncellique calculos dùm probat Scaliger, accuſato Euſebio malæ fidei, ut *diruente*, *ædificante*, *addente*, *detrahente*, aſſurgit totis annis 64. in anteriora Diluvii Noachici; quo nomine flagellandus Petavio fuit, *Libro* IX. *de Doct. Temp.* C. XII. In aliud extremum ivêre, qui annis 1000. poſteriorem Diluvio hanc Monarchiam cenſent, ut mox dicimus. 5. Cumprimis etiam difficultatem auget, pugna perpetua Hiſtoricorum, circà *durationem* Monarchiæ Aſſyriacæ. Cui Herodotus non ultrà annos 520. adſcribit, quem ſecutus Appianus Alex. Vellejus Paterculus *Lib.* I. C. VI. annos 1070. Euſebius à primo Nini ad exitum Sardanapali, annos 1240. Caſtor Rhodius, ſub Julio Cæſ. Chronographus, ex quo multa Euſebius, & Syncellus, indè à Belo, annos 1280. Plurimi ex Cteſiâ, de Rebus Aſſyriacis, à quo ferè cæteri ſua hauriunt, Diodorus Siculus, Trogus, Juſtinus, Clemens Alexandr. &c. indè à Nino putant annos 1300. vel nonnihil ſuprà; ut legit quoque G. Syncellus in Diod. p. 166. quanquam anni 1360. legantur apud Diod. Siculum *Lib.* II. p. 77. vel 109. G. Syncellus, omnium ſuperaturus calculos, numeravit ἔτη ͵αυξ'. *annos* 1460. indè à Belo ſcilicet, primo fundatore, Edit. Reg. p. 165. Sic Sardanapalus eſt aliis rex à Nino *triceſimus*, ut Diodoro Sic. ex Cteſiâ; aliis *triceſimus & tertius*, ut Vellejo; aliis *triceſimus & quintus* vel *ſextus*, ut Euſebio; aliis ut Africano, G. Syncello, *quadrageſimus & primus*. 6. Accedunt novi Chronologi, Iſaacus Voſſius, & ſequaces, qui antè *Aſſyrios* Reges, Belum & Ninum, in Babyloniâ obtinuiſſe cenſent, ex Africano, *Chaldæorum* Dynaſtiam, per annos 225. indè ab *Euechoo* Rege primo, qui longè diverſus ſit à Nimrodo; tum Dynaſtiam *Arabum* per annos 215. qui à Belo Aſſyrio fuerint expulſi, patre Nini, imperio admoti *ſex annis antequam Abraham naſceretur*. Sic illi, ut calculo Græcæ Verſionis, vulgò τῶν LXX. velificentur, & hypotheſi ſerviant. 7. Augent illi dubia, qui *Ninum* Aſiæ dominatorem, totis annis *mille* poſteriorem faciunt Diluvio Noachico, quos inter Auguſtinus aſſerens, ex Græcâ Verſ. *annos non multo ampliùs quàm mille tranſiiſſe*, Lib. XVIII. *de Civitate Dei*, C. XXII. Paulo enim antè *Cap.* XXI. tribuit illi Imperio, indè à *Belo* Nini patre, *annos fermè* 1305. Alibi Lib. IV. C. VII. *Imperium Aſſyriis ablatum, poſt mille ducentos & quod excurrit annos.* Ità *Aſſyriorum* recentiora omnia faciunt Uſſerius, Marſhamus, alii; ille quidem, auctoritate Herodoti, *Belum* Aſſyrium referens ad Annum Periodi Jul. 3392. id eſt, ad Ehudi Judicis tempora; *Ninum* verò Seniorem, Maritum *Semiramidis*, ad A. Per. Jul. 3447. & tempora Deboræ: Eaſdem rationes ſequitur G. Hornius, Diſſert. de Ætate Mundi Voſſio oppoſitâ, *Cap.* x. Suppoſitis ex Africano Dynaſtiis, & Regibus illis XIII. qui in Babyloniâ, indè à Diluvio, antè Belum Aſſyrium, regnaſſe feruntur. Marſhamus, *certò definiri non poſſe Aſſyriorum Epocham*, quorum cenſet recentiora omnia, Cteſianis narrationibus exploſis. 8. Par diſcrimen in conſtituendâ Epochâ *Medorum*. Dum *Arbacis* hiſtoriam, qui *Pharnaces* eſt Vellejo Pat. *Arbactus* Juſtino, hinc *Sardanapali* interitum, ultimi ex primâ ſtirpe Aſſyriorum Regum, referunt alii & plerique ad Amaziæ Regis Judæ, vel etiam ad Joaſi tempora, cum Petavio, Hornio, &c. A. Per. Jul. 3838. Quidam etiam ad A. Per. Jul. 3804. regnante in Judâ Joſaphato, in Syriâ Benadado, ut ex Vellejo Paterculo notat Marſhamus. Alii verò, quos inter Uſſerius, ad tempora demum Jothami Regis, & Baladan Babylonii, qui Ptolemæo & Cenſorino Nabonaſarus eſt, A. P. Jul. 3966. totis annis 128. ſeriùs, quàm ſtatuunt rationes Petavii. Pererius, Commentar. in Gen. *Libro* XV. differt ſubverſionem Imperii Aſſyriaci, Sardanapalo Rege, in annum XL. Manaſſis, id eſt, Per. Jul. 4056. tribuens illi Imperio indè à *Nino*, an-

Cauſæ obſcurit. ſigillatim enarratæ.

Diſcrep. calculi Veter. & Recent.

nos

Digitized by Google

nos 1390. additis annis aliis 30. ad Diodori Siculi annos 1360. Marſhamus tandem, quicquid de Arbace & Medorum initiis, referunt ex Cteſiâ Diodorus, Trogus, & alii, hinc Euſebius, Syncellus, id ut fabuloſum rejicit, orſus Medorum res à *Dejoce* Rege primo, Ecbatanæ conditore. 9. Accedit ad ſuperiores difficultates, *Scripturam S.* hujus Monarchiæ Aſſyriacæ, ſeu Aſſyriorum Regum, nullam prorsùs injicere memoriam, (ita quoque Marſhamus) niſi poſt deſitum Ægyptiorum in Aſiâ Imperium. Primuſque innoteſcit *Phul* vel *Pileſer*, *Rex Aſſyr.* annis à condito Templo Salomonis 232. tempore Azariæ Regis Judæ, 2 *Reg.* XV. 10. Denique, inter tot diſcrepanter calculos, nec negligi is debet qui apud Simplicium legitur, in *Librum* II. Ariſtotelis de Cœlo, *Comment.* XLVI. ex Porphyrio acceptus: Nimirum Calliſthenem Philoſophum, rogatum ab Ariſtotele poſt captam ab Alexandro Babylonem, ut inquireret in Babyloniorum antiquitates, tranſmiſiſſe indè in Græciam ad Philoſophum cœleſtes Chaldæorum obſervationes, παρατηρήσεις, ſervatas ad Alexandri M. tempora, quæ eſſent annorum 1903. Factum id anno Per. Jul. 4384. qui primus annus Imperii Aſiatici Alexandri M. Quo fit ut cœperint Chaldæorum obſervationes, longè antè Semiramidis ætatem, A. Per. Jul. 2481. qui Uſſerio eſt annus Mundi 1771. Petavio A. Mundi 1751. Calviſio A. Mundi 1717. annis LXII. à Diluvio. Quo tamen tempore conſtat ex Diod. Siculo *Lib.* II. p. 83. vel 117. ne quidem Aſſyrios, fortè nec Ægyptios, Obſervationes ſuas eoſque perfeciſſe, ut v. gr. *Solares Eclipſes* apodicticè demonſtrarent, aut certò prædicerent.

Æra Diviſ. Terræ, & Confuſ. Ling. diverſæ.

In tantâ diſcordiâ ſeu Interpretum, ſeu Chronologorum, nos quantum hujus loci atque inſtituti fert ratio, ἐπίκρισιν noſtram modeſtè ità ſubjungimus, ſalvo cujuſque arbitratu. Ac primò rectè illi cenſent, qui diſperſionem Gentium ex Linguarum confuſione, de quâ *Gen.* XI. negant accidiſſe anno Mundi 1757. à Diluvio 101. vel 102. quo tempore natus ſit Hebero Phaleg, qui aliis anno poſt Diluv. 132. ab O. Cond. 1588. Nec probat nomen פלג *Phaleg*, quicquid ſentiant magna Virorum nomina. Nihil enim hoc nomen aliud innuit, quàm quod ſub ortum Phalegi, נפלגה הארץ, *diviſa*, id eſt, *dividi* cœperit *terra*, *Gen.* X. 25. *Chron.* I. 19. Coloniis tùm deduci cœptis, à tribus Noachi filiis, & nepotibus, qui hactenùs in vicinis Armeniæ locis & regionibus ad *Ortum*, conſtiterant. Jam multiplicati nimis, & terris diu ſatis à Diluvio incultis, Orbis plagas inter ſeſe quaſi partiuntur, (an *forte*, ut Epiphanius in *Ancor.* C. CXIV. magis dubium) qui ex Chamo, Japheto, & Semo nati, ἀποδασμὸν (ἀπομερισμὸν) τῶν οἰκήσεων *diviſionem habitationum* vocat Joſephus, *Lib.* I. C. VII. Sed ſucceſſivè, poſtquam ea cœperat, hæc *diviſio* proceſſit, *in diebus* ejuſdem Phalegi, victuri ad annum ætatis 239. ex *Gen.* XI. 18. 19. non ſimul & ſemel, perficienda. At *Gen.* XI. 8. agitur de *diſperſione* ædificatorum Turris, & *confuſione linguarum* & vocum inter eos primùm natâ, nondùm inter omnes Noachi poſteros, quam Joſephus vocat, *Lib.* I. C. V. στάσιν *diſcordiam* & σύγχυσιν *confuſionem*, quâ facti ſibi invitem ἀλλόγλωσσοι, & ἀσύνετοι. Idque factum annis compluribus poſt *Colonias* deduci cœptas, in v. gr. Mediam, Aſſyriam, Chuſiſtanam, &c. hinc ſuperato fluvio, in campeſtria *terræ Sennaar*, ſeu Babyloniæ; ubi tantum nefas auſum eſt Chami veriùs quàm Semi, aut *Japeti*, *genus*. A quo tempore *Linguis*, & *Dialectis*, ut *Terris*, magis magiſque dividendi Noachidæ, ſucceſſivis mutationibus, & originibus ut Gentium, ſic Linguarum, Dialectorum, matrice Hebræâ conſpicuâ deinceps etiam in Syris, Phœnicibus, Aſſyriis ſive Chaldæis, Arabibus, Æthiopibus, & ſi quibus aliis, ut fusè Eruditi. Quare concidunt motæ difficultates, undè Spiritus propheticus in Hebero, qui nato ſibi filio præviderit futuram, hocce vivo, diſperſionem, à quâ indiderit *Phalego* nomen? Vel undè tot jam enatæ Gentes, & Linguæ, ſub ortum Phalegi?

Præciſum tempus molit. Turris determin. non poſſe.

Altera obſervatio eſt, præciſum annum, vel determinatum tempus aſſignari non poſſe, ſeu migrationi illi ex Oriente, id eſt, ex Trans-Tigritanâ regione, in *campeſtria Sennaar*, ſeu molitioni *Turris*. Illa quidem proximè excepit diviſionem, de cujus initiis, *Gen.* X. 25. Urbis etiam & Turris præcelſæ molitio, in habitationem fixam, & in munimentum, non diu admodùm tardaſſe videtur. Quam tamen precariò accidiſſe volunt illi annis à Diluvio circiter 152. Mundi 1809. ut Petavius; hi annis fortè 200. ut Vignierius, & alii; iſti præcisè anno poſt Diluvium 162. Mundi 1818. Vel etiam turbatam hanc fuiſſe extructionem Turris, confuſione Linguarum, anno poſt Diluvium 275. Mundi 1931. ut ex Torniello, vel Saliano, Kircherus. Pſeudo-Beroſus refert in annum à Diluvio 131. Hebræi in Seder-Olam Rabba ſeriùs, in annum 341. Precariis omnes dubiiſque hypotheſibus nixi; putantes alii tempus ædificatæ Turris ab ortu Phalegi, alii à medio vitæ, alii ab extremis ejuſdem, ut Magiſtri, & ex iis Genebrardus, aliique. Pari certitudine definiunt, tempus nati *Nimrodi*, annis ſcil. 40. antè migrationem in terram *Sennaar*; hinc ætatem illius, quando inſanæ molis extructionem fruſtrà molitus eſt, nempè annis poſt occupata illa campeſtria 143. ætatis Nimrodicæ anno 183. Ad quos addendi ſint anni 52. regni Nimrodici mox à confuſione inchoandi, ut habeantur anni vitæ ejuſdem 235. Ità *Phalegum*, ſub cujus ortum, venerit cum ſuis Nimrod in terram Sennaar, natum anno poſt Diluvium 132. non 102. addendo ſcilicet *Cainano*, inter Arphaxad & Sale. Hinc, ad annos 132. additis annis intermediis 143. confuſionem Linguarum accidiſſe annis à Diluvio 275. conſumptis annis circiter 22. in fabricâ Turris & Civitatis. Quæ ut gratis aſſerta, ſic vaniſſima ferè omnia, ex parte falſa, inter iſta quod de anno nati Phalegi, à Diluvio 132. Jac. Salianus, ad A. M. 1788. & 1931. aliique, & ex iis Ath. Kircherus in Turri Babel, *Lib.* I. & II.

Initium Imp. Babyl. & Aſſyr. à Nimrod.

Tertia obſervatio eſt, initia Imperii Aſſyriaci, ut & Babylonici, anguſtioribus primò finibus deſcripti, rectè, juxtà Canonem Sacrum, arceſſi à *Nimrodo*, Chami ex Chuſo nepote, νεβρώδην Joſephus vocat; qui *magnus* auſis, & *potens* armis, *regnandi initium* feciſſe dicitur in *Babele*, viciniſque oris, in regione *Sennaar*: Quæ magnâ conſenſione Babyloniam primitùs appellatam complexa, ut colligitur ex *Gen.* X. 10. XI. 2. 9. & aliundè ex *Dan.* I. 2. ac confirmat ex Heſtiæo Hiſtorico & ex Græcâ Sibyllâ Joſephus, etiam Abydenus, & Eupolemus apud Euſebium, *Lib.* IX. Præparat. Quâ de re fusè Bochartus noſter, poſt omnes alios. Et hic ipſe eſt qui à *potentis* vel *fortis* cognomento, גבור *gibbor*; & à *venatione* hominum magis quàm ferarum, quos ſub jugum mitteret, *Gigantum* fabulæ dedit ex parte originem; à *rebellione* ſive occupatâ tyrannide נמרד *Nimrod* dicendus; à *dominio* ſive *imperio*, quod ſenſim limitibus protendit, in Aſſyriam, Chuſitidem, magis autem Ninus & poſteri, *Belus* ex בעל *Baal*, *Bel*, ſive *Dominus*, Babylonicæ & Aſſyriacæ Dynaſtiæ primus conditor, abiturus in *Jovem* Babylonium. Undè à *Nino* demùm initium apud Diodorum, & Trogum, & Græcos pleroſque, quum *Belus* pro *Deo* haberetur, vel *Jove Belo*, ſive *Hammone*; Uti Beroſo Anniano, & Africano, malè Belus *Saturni* filius eſt, Saturnus verò illis *Nimrod*, ut Nimrod aliis *Euechous*,

Africani. Pari jam fide quâ fabuloſos Reges, longâ ſerie, indè ab Euechoo Chaldæo, antè & poſt Belum, obtrudunt, & ex Africano omnium primo Euſebius in Græcis Chronicis, & Georg. Syncellus, acceſſuris hodie quotquot rationibus Græcæ Verſionis favent. Sed contrà fidem ἐπιστήμων ἱστορικῶν (faſſo Euſebio, qui Polybium iis accenſet) à Belo & Nino *res Aſſyriacas* ordientium, uti Canon Ptolemæi *Aſſyrios* vocat, tàm qui Babylone quàm qui Nini imperarunt. Ac fruſtrà Auctor nuperus fidem Africani adſtruere conatur, vaniſſimis conjecturis, & interpretamentis, ex *Eſaj*. XLVI. *Jerem*. L. 2. vel ex narratione Ariani, *Libro* VII. *Hiſt*. de Veterum Aſſyriæ Regum Sepulchris, quæ tempore Alexandri M. in Babyloniæ paluſtribus locis deliteſcebant. Neque dubium quin hic ipſe Nimrodus, ſive Belus, firmatâ ſede in Babyloniâ, quæ hinc terra Nimrod, *Mich*. v. 6. & occupatâ tyrannide, poſt diſperſos eos qui Turrim moliti fuerant, non *diſperſus* tamen ipſe, (hinc regno poſterior diſperſione) cùm Urbes ſtruere cœperit, jactis futuræ Babylonis fundamentis, tùm in ſpecie *Ninum*, ſuperato Tigri, evaſuram ſedem Imperii. Rectè itaque locum *Gen*. x. 11. illi videntur interpretari, (ſalvo cujuſque judicio) qui *Aſſur* cenſent regionis nomen, *verſus* quam ſeu *in* quam *egreſſus* eſt Nimrod, armis nempè viriſque inſtructus, phraſi Scripturis familiari. Non modò enim *egredi*, ut dictum de Regibus, & Ducibus, eſt arma movere, bello inferendo, cujus phraſeôs apud Bochartum exempla; ſed etiam præpoſitio ad locum על vel אל vel ל ſæpè ellipticè omiſſa: Ità בית pro לבית vel אל בית 2 *Sam*. VI. 10. collato cum 1 *Chron*. XIII. 13. ità quoque 2 *Sam*. x. 2. ויבאו ארץ, pro אל ארץ *in terram*, vel *regionem*, ut eſt 1 *Chron*. XIX. 2. & quæ ſunt exempla plura, pridem antè Bochartum Doctiſſimis Interpretibus, & Grammaticis Hebræorum, obſervata; invitis licet Joſepho, Hieronymo, Auguſtino, Scaligero. Pariter, *ex illâ terrâ egreſſus eſt Aſſur*; id eſt, Nimrod (de quo ſermo) poſt factum initium regni in *Babele*, & vicinis huic locis, *ex terrâ Sennaar egreſſus in Aſſyriam*, ſeu *in terram Aſſur*, ἐπιθετικῶς, ſuperato Tigri ad Septentrionem, daturus *Nino*, *Civitati magnæ* originem, & memoratis ibi Urbibus aliis, *Gen*. x. 11. 12. Undè ſecurè nimis Auctor nuperus Demonſtratæ Antiquit. Temporum, *Cap*. XII. interpretatus de *Aſſur* Semi filio, qui ſcil. ejectus ex terrâ Sennaar, à Nimrode tyranno, *egreſſus ædificaverit Niniven*, & ex quo *Aſſur* poſt annos 740. deſcenderit *Belus*, invaſurus Nabonadum Regem Babyloniæ. Hæc *demonſtratio* temporum, an conjectura, dicenda fuit?

Initium Babyl. & Aſſyr. Dominationis.

Quarta obſervatio eſt, nuſquàm quidem certum & extrà dubitationis aleam poſitum annorum exordium figi, quod idem ſit Aſſyriacæ dominationis: Præviâ tamen utriuſque Hiſtoriæ luce, quàm probabiliſſimè colligi. Belo ſive Nimrodo, quod nobis jam *datum* ſit, tribuuntur ab ipſo Africano, G. Syncello, hinc à Chronologis principibus, anni LV. faſſo Petavio; veriùs quàm LX. aut LXV. ut facit idem Petavius ad A. Per. Jul. 2604. Ninus filius ſucceſſit, à quo Urbi nomen, protenſurus fines dominationis, & ut multi volunt, rebus geſtis obſcuraturus nomen patris; cujus anno XLIII. natum Abrahamum affirmat in Chronico Euſebius, & indè Epocha Euſebiana annorum Abrahami, cum Exoticis Epochis conferenda. Natus autem Abrahaham fuit, quod aliàs in Canone demonſtratur, anno Tharæ Patris 130. à Diluvio 352. Mundi 2008. Periodi Jul. 2718. Quare demptis de annis 352. qui fluxerint à Diluvio ad natum Abrahamum, primò annis *Nini* 42. tum *Beli* annis 55. ſuperſunt anni à Diluvio 255. quando regnare cœperit Nimrod, *Gen*. x. 10. Incidunt hi in annum à Mund. Cond. calculo Uſſeriano & noſtro, 1911. Per Jul. 2621. Tharæ patris Abrahami 33. Quo ferè tempore *Paſtores* innumerabili multitudine ex vicinâ Arabiâ in Ægyptum irrupiſſe memorantur, fundaturi novam Dynaſtiam, quæ Euſebio eſt XVII. Africano XV. dicendique (ex Manethone) *Hyc-ſos*, quâ de voce aliàs. A quo tempore Ægyptii ceſſuri extraneis, colonias in Aſiam deduxiſſe feruntur; qualem etiam fuiſſe coloniam *Beli*, ex *Ægypto* cum ſuis migraturi in *Babyloniam*, contendit Marshamus ex Diodoro Sic. Lib. 1. & Heſtiæo apud Joſephum, *Lib*. 1. C. v. Certè ex Chuſo Chami filio Nimrod, cui Chamo Ægyptus conceſſit, uti Chuſo Arabia, vicina Babyloniæ, à quo *Seba*, *Havila*, &c. & quoque *Nimrod*, *Gen*. x. 7. Undè *Nimrod Chuſæum ſeu Arabem* fuiſſe Bochartus, *Lib*. IV. C. XII. occupaturum ſcilicet deſerta à Turris Structoribus, in Babyloniâ, loca, & gradum ſibi facturum ad Imperium. Quod *Arabum* ope & viribus factum eſſe teſtatur Diod. Siculus *Lib*. II. *Nino* tribuens, quod à *Belo* ſeu Nimrodo cœptum, ex dictis.

Initium Sec. alios. Auctoritas Herodoti quanta.

Quinta obſervatio eſt, fuiſſe tamen qui Imperii *Aſſyriaci* incunabula, adeoque *Beli* & *Nini* in Babyloniâ & Aſſyriâ dominatum, referunt ad ſerius ævum, totis annis *mille*, & ultrà, à Diluvio Noachico. Nec probant ſatis vel ex Herodoto, vel ex Dion. Halicarnaſſæo. Nam nec unîus Herodoti, in vetuſtioribus illis Gentium originibus, & in ratione temporum, auctoritas tanta eſt, quæ tot in contrarium teſtibus opponatur: Dum ille circà Ægyptiorum antiquitates ἑκουσίως προηγκάλισται τῆς ἀληθείας τὸ παραδοξολογεῖν, *ſponte portenta narrationum pro veritate amplexus eſt*, ut Diodorus L. 1. p. 44. Quidni circà Aſſyriorum origines, in aliud extremum prolapſus ſit? Certè Herodotum πολλὰ ἐψευσμένον ὑπ' ἀγνοίας, dixit jam olim Manethon Ægyptius; ἐν τοῖς πλείστοις ψευδόμενον *in plurimis mendacem fuiſſe*, *cuncti* poſt eum *Hiſtorici*, apud Joſephum *Lib*. 1. contrà Ap. p. 1035. & 1039. Hinc raRò ad Libros antiquos provocat, nec ullæ tum ſuppetebant illorum temporum ſcriptæ Hiſtoriæ; ac obiter is modò de *Aſſyriis*, loco cit. Diod. contrà Siculus antiquiſſimos vidit & excerpſit Auctores, qui quum ad Trojam pugnaretur, Aſſyrios jam regnaſſe *plus mille annis*, *Bibl*. L. 11. Idem de *Cteſiâ* teſtatur, qui ſcripſit *Aſſyriaca* tempore Artaxerxis Mnemonis, & Cyri fratris, antiquiſſimos vidiſſe & excerpſiſſe auctores; qui etiam maximam ævi partem tranſegit in Perſide & Aſſyriâ, & de quo Photius *Cod*. LXXII. ſed Cteſiæ *Perſica* tantum ferè excerpens. Herodotum tamen maluerunt ſequi alii, & inter eos Appianus Alex. citatus Uſſerio Armachano, ex *Præfat*. in quâ exaggerat Imp. Romani diuturnitatem, comparatè ad Imperia alia, hinc Herodotum opportunè ſecutus. Præterea an Herodotus *Aſſyrios*, quibus tribuit *Aſiæ ſuperioris* dominatum per annos 520. diſtinguat à *Babyloniis*, qui primi indè à Belo regnarint; an velit fortè, anguſtiores primitùs fuiſſe *Aſſyriorum* limites, qui deinceps toti *Aſiæ ſuperiori* longâ ſerie ſeculorum imperarint, dubium eſſe poteſt. Certè is nec *Jovis Beli* Templum, nec *Babylonis* ſtructuram, *Libro* 1. adeò recentis fabricæ eſſe cenſuit; quanquàm hæc ſurrexerit in eam magnitudinem & opulentiam, longè à Beli temporibus. Quare nec alienum quibuſdam viſum eſt ſuſpicari, deeſſe in contextu Herodoti *millenarii* notam, & ſcripſiſſe ἐπ' ἔτεα α φ' κ'. *annis* 1520. *ſexaginta* annis excedens ità calculum Africani & G. Syncelli. Nec ſic aberraverit Herodotus magnoperè, ſi protendatur Epocha ad tempus Cyaxaris Medi, qui Ninum expugnavit, Aſſyrioſque ſubegit, apud eundem Herodotum *Lib*. 1. *Cap*. CVI. quod factum Joſiâ regnante.

gnante. Vel ſi initium ſupputationis fecerit Hiſtoricus, à quo tempore Babylonii Obſervationes cœleſtes ſervatas apud ſe jactabant. Idem eliſi *millenarii* judicium eſſe poſſet in verbis Appiani Alexandrini, *Præf.* p. 7. Ed. R. putantis ab origine Aſſyriaci Imperii ad Alexandrum M. χρόνον ἐνακοσίων ἐτῶν, *tempus annorum* 900. Quibus ſi præfigas millenarium, fiunt anni 1900. quot circiter annos ad Alexandrum uſque putabant Babylonii, ut ſuprà ex Porphyrio Simplicius. Sed intercedere videntur huic conjecturæ, verba, & ſcopus Appiani. Halicarnaſſeus autem veriùs ſuperiora, de antiquitate Aſſyriaci Imp. confirmare videtur. Verba ejus ſunt, *Lib.* I. Ἀρχαιολογ. p. 2. Ἡ μὲν γὰρ Ἀσσυρίων ἀρχὴ παλαιά τις οὖσα, καὶ εἰς τοὺς μυθικοὺς ἀναγομένη χρόνους, ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους. *Nam antiquum illud Aſſyriorum Imperium, retrò ad fabuloſa uſque pertingens tempora, modicam quandam Aſiæ partem obtinuit*, ſic Interpres. Ubi duo innuuntur ab Hiſtorico. 1. Antiquiſſimum quidem, quorum extaret memoria, fuiſſe Aſſyriorum Imperium; aſſurgens retrò, primis originibus, & ſucceſſionibus, ad tempora quæ μυθικὰ cenſerentur, Græcorum fabulis obſcurata; quales ex. gr. de Saturno, Hammone, Oſiride, Æſculapio, Dionyſio ſive Baccho, &c. Quæ fabulæ pertingunt ſui origine ad ea tempora quibus Aſſyriorum primordia cenſentur. 2. Modicam admodùm Aſiæ partem, ſub illorum fuiſſe dominatu, comparatè ad Perſarum, & mox Alexandri M. imperia; quicquid de Nini victoriis, commiſſi bello cum Bactrianorum Rege, Trogus, Euſebius, aliique. Quod verò Ill. Marſhamus, *Sec.* XVII. p. 479. nullos *Aſſyriorum* Reges in Script. S. memorari, antè *Phul* Aſſyrium, qui Menahemum ſibi tributarium fecit, vel antè initium *Ægyptiorum in Aſiâ imperium*, quo tempore floreret regnum utrumque Judæ & Iſraëlis, falſum in eo exiſtimamus. Quis igitur ille conditor *Ninives*, ſive qui Babyloniâ *egreſſus in Aſſur*, ſive *Aſſur* ipſe, fundans ibi, pro temporum ratione, ampliſſimum regnum, *Gen.* X. 10. 11? Quis Rex ille *Sennaar*, ut videtur, tempore Abrahami, *Gen.* XIV. 1. niſi Aſſyrius ſimul & Babylonius, conjunctis tùm à Nino Dynaſtiis? Joſepho ſolos ibi *Aſſyrios* memorante, quadripartito eorum exercitu; καθ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν Ἀσσυρίων κρατούντων τῆς Ἀσίας, *illo tempore Aſſyriis Aſiam obtinentibus*. Quomodò & *Aſſyrii* plerumque, etiam in Canone Ptolemæi Aſtronomico, qui Babylonem quoque tenuerunt. Taceo *Cuſanum* illum כושן רשעתים, opprimendum ab Othoniele, *Jud.* III. 8. qui Rex *Meſopotamiæ* dicitur, quæ Aſſyriæ & Babyloniæ contigua fuit, ut promiſcuæ nonnunquàm harum appellationes ſint, & Meſopotamiæ attributa aliquando Ninive, etiam Aſſyria, & Chaldæa, ac viciſſim. Ac notiſſimus Plinii locus eſt, *Lib.* VI. C. XXVI. *Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit, vicatim diſperſa; præter Babylona, & Ninivem.* Sic *Ur Chaldæorum*, fuit in Meſopotamiâ. Porrò non antè *Sethoſim* ſive *Seſoſtrim* Thebanorum Regem inclytum, (de quo nos in *Hiſt.* ad *Epoch.* III.) Ægyptii in Aſiam arma promoverunt; quem Marſhamus malè confundit cum *Seſaco*, & refert ad annum V. Rehoboami.

D. Halicarn. explic.

Marsh. notatus.

Duratio Imp. Aſſyriaci.

Ultima obſervatio eſt, intervallum à primâ fundatione Imperii Aſſyriaci, ad caſum *Sardanapali*, (qui *Tonos-concoleros* eſt apud unum Euſebium) Regis ejus ſtirpis ultimi, invaſuris Imperium Medis, colligi ſaltem ἐν πλάτει & παχυλῶς hunc id modum. 1. Ex conſenſu plerorumque Hiſtoricorum, quos ſecutus in Chronico ſuo Euſebius, ad A. MCXCVII. Æræ Abrahamicæ, fluxêre ab anno 1. Nini, ad exitum Sardanapali, anni 1240. Quibus ſi addideris annos Beli 55. (qui aliis 60. aliis 65.) exurgunt anni circiter 1300. rotundo numero, vel 1305. quibus ſtetiſſe res Aſſyriorum tradunt Cteſias, Diodorus, Trogus, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, G. Syncellus ex Diodoro, ſecuturus tamen Africanum, &c. Ne advocem Petavium, & Chronologos recentiores. Licet Jac. Capellus 1300. numerandos putet demùm ab obitu Beli; Uſſerius contrà, (ſecutus unum ferè Herodotum) arctet intrà ſpatium annorum 520. indè à Nino, cujus Imperium orditur ab A. Per. Jul. 3447. Mundi 1267. temporibus Deboræ. Quare ſi Nimrodi vel Beli initia, ex antè poſitis, incurrant circiter in annum Mundi 1911. Per. Jul. 2621. à Diluvio annis 255. fiet ut extrema Periodi hujus Aſſyriacæ, annorum 1300. indè à Belo uſque ad Arbacem Medum, incidant in tempora *Uzziæ* vel *Azariæ* Regis, *Jeroboamo* II. in Iſraële feliciter regnante, & ita Euſebius in *Chron. Num.* MCXCVII. Quicquid Doctiſſimi Chronologi interitum Sardanapali antevertant, referantque ad tempus *Joaſi*, vel *Amaziæ*, incertis oppidò conjecturis. Si verò anni 1300. inchoentur demùm ab obitu Beli, ſeu à Nino, (quod vult etiam Jacobus Capellus, ſed aliter rationes inſtituens) addendis inſuper annis Beli 55. quem Diodorus & Græci ferè in Aſſyriorum Regum ſerie prætereunt, ac ipſe Euſebius, terminabitur Aſſyriorum Epocha, quæ in Sardanapalo deſinit, Arbace victore, ad tempora *Jothami*, Regis Judæ, *Pekaſchi* Iſraëlis, & *Baladan* ſeu *Beleſſi* vel *Beleſis* Babylonii, qui idem Uſſerio creditur eſſe *Nabonaſſarus*, paulo poſt fundator novæ Dynaſtiæ Babyloniorum. Medi enim, excuſſo Aſſyriorum jugo, ſub Principibus modò egerunt, ſervato ſibi αὐτονομίας jure, ſeorſim à Chaldæis; donec Deioces Rex primus tyrannidem invaderet, Anno 1. Olymp. XVIII. juxtà Euſebium, id eſt, Nabonaſſareo XL. Nec à poſteriore calculo abludit multum Joſephus, *Lib.* X. C. III. quanquàm in ratione temporum minùs accuratus. Is enim ad tempora *Ezechiæ* regis, mentionem injecturus *Baladæ* Babylonii, qui prioris Baladan filius fuit, quaſi παρενθετικῶς, & occaſione oblatâ; Ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ (παχυλῶς, ut idem aliàs, & Scriptura S. frequenter) συνέβη τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι. *Circa eadem ferè tempora*, id eſt, haud multo antè, *contigit Imperium Aſſyriorum per Medos diſſolvi*; de quo alibi ſe dicturum pollicetur. Hinc Joſ. Scaliger Euſebium coarguit mutilatæ hujus Epochæ Aſſyriorum, ad *Num.* Euſeb. MCXCVII. quanquàm ipſe iturus in aliud extremum, ex Africano, & G. Syncello. Nec multum abeunt Uſſerii rationes, quoad tempus *deſtructi* Aſſyriorum Imperii, Arbacis fortitudine, nempè Jothami Regis Judæ anno XII. proximè antè caput Æræ Nabonaſſar. quando expirarunt anni 520. quos Aſſyriis tribuit Herodotus. Sed hoc modo in figendâ Epochâ *fundati* ejuſdem Imperii per *Ninum*, peccare creditur μεγαχρονισμῷ *octo* penè Seculorum, ex antè obſervatis. Nos cuique liberum judicium relinquimus.

Scrupulis duob. occurritur.

Superſunt duo ſcrupuli: 1. Qui hæ noſtræ rationes, orſuræ res Aſſyriorum ab A. M. 1911. Per. Jul. 2621. annis à Diluvio demùm 255. concilientur cum calculo Aſtronomico annorum 1903. quos Calliſthenes, ex Chaldæorum obſervationibus, tempore occupatæ ab Alexandro M. Babylonis, fluxiſſe retulit à primâ hujus origine? Si enim capta eſt ab Alexandro Babylon anno *Per. Jul.* 4384. ex Chronologorum computo, deductis annis 1903. incident initia Babyloniorum in annum *Per. Jul.* 2481. qui à Diluvio annus eſt 124. à Mundo Cond. 1771. 2. Alter ſcrupulus eſt, undè poſt jam extinctum Aſſyriorum per Medos Imperium, prima Aſſyriorum Regum mentio in ſacris occurrat, florentiſſimis tùm horum rebus, quando *Phul* vel *Tiglas-*

glat-Phul-aſſar Iſraëlitidem depopulatus eſt, & Galilæam redegit in Provinciæ formam, 2 *Reg.* XV?

Primum quod attinet, falſi in eo Chronologi, & hos inter Sethus Calviſius, ad A. M. 1718. qui *Obſervationum* illarum initium idem eſſe cenſent quod *Regni* Aſſyriaci vel Babylonici, & quidem annis demum LXII. poſt Diluvium inchoandi, juxtà Calviſium. Quicquid enim ſit de Obſervationum illarum antiquitate & fide, nihil neceſſe eſt Babyloniæ primos incolas, in terrâ Sennaar, ſiderum contemplationi vacaſſe tùm demùm, poſtquàm Nimrod occupavit tyrannidem. Ægyptii & Babylonii in *camporum potentium æquoribus habitantes, cum ex terrâ nihil emineret quod contemplationi Cœli officere poſſit*, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt, ità Cicero *Lib.* I. de Divin. Hinc anteriores illas Regno Aſſyr. Obſervationes *fuiſſe*, *non gravatè ſe conceſſurum* Petavius, *Lib.* IX. C. XIII. Nec calculos *Aſtronomicos* ſeu Chaldæorum, ſeu Ægyptiorum, &c. cum ſupputationibus *Hiſtoricis* confundendos eſſe, pluribus antè monuimus, *Cap.* I.

Alterum hoc modo ſolvitur. 1. Supponi iterùm ſecurè nimis, Aſſyriorum Regum nullam fieri in Sacrâ Hiſtoriâ mentionem *ante Phul* Aſſyrium. Quod nuper falſi revictum eſt, vel ex hiſtoriâ Abrahami, *Gen.* XIV. 2. Non confundendum eſſe novum regnum Aſſyriorum, cum vetere Gentis Imperio. Hoc ſcilicèt everſo per Medos, hi quidem αὐτονομίας καὶ ἐλευθερίας jure contenti fuerunt, confirmante Herodoto, *Lib.* I. C. XCV. Babylonii verò qui arma cum Medis conjunxerant, jugo frangendo, originem ex eo dedêre novæ Dynaſtiæ, duce *Beleſo*, *Beleſſo*, qui Pſeudo-Beroſo eſt *Phul-Belochus* Aſſyrius, aliis *Baladan* Rex Babylonius, & ipſe ille *Nabonaſarus* à quo Æra Aſtronomica Hipparchi, Ptolemæi, Cenſorini. Sive igitur jam initio conjuncta, ſive potiùs diviſa fuerint, ac intrà proprios terminos arctata, hæc Babyloniorum atque Aſſyriorum nova regna, alio Rege *Beleſi* Babylonio, vel *Baladano*, 2 *Reg.* XX. alio *Phul-Aſſyrio*, qui *Ninus* Junior apud Caſtorem Rhodium, etiam *Tiglat-Peleſer*, ſeu *Tilgat-Pilneeſer*, 2 *Reg.* XV. XVI. 1 *Chron.* V. *Thilgamus* apud Ælianum. Id certum confundi hos Reges apud Hiſtoricos & Chronologos paſſim; uti etiam *Phul-*Aſſur, & *Tiglat-Phul-Aſſur*, ab aliis fidenter diſtinguuntur, quos ipſe Marſhamus dubitanter modò diſtinxit ad *Secul.* XVII. *ſive hic alius eſt*, inquit, *ſive idem*. Certe in Exoticis & vetuſtioribus hiſce temporibus obſcura lux Græcis Romaniſque Hiſtoricis fuit; certa nobis, præeunte face Scripturarum.

CAPUT VII.

De Ærâ Regni Attici, indè à Cecrope. Ratio temporum. Finis Regni Attici quando. Relatio ad Æras alias. Cur Cecrops διφυὴς *appellatus. Æra Expedit. Argonautarum. Circa hanc obſervata quædam Chronol. Æra Laborum Herculis, Alcmenes f. Et Belli Thebani. Æra Belli & Excidii Trojani. Euſebii* μεταχρονισμοὶ, & προχρονισμοί. *Summa Hiſtoriæ. An fabula fuerit, an verò fabulis adſperſa Hiſtoria. Ita de Ænea in Italiam adventu, qui dubitarint. Conſenſus oppoſitus utriuſque Hiſtoriæ, ab Eruditis aliis.*

Æra Attica à Cecrope.

ÆRA *Attica*, undè incipit Chronologia Marmorea, quæ procedit per omnes Athenienſium Regum & Archontôn annos, initium ducit à *Cecrope* Ægyptio, conditore Regni Attici, & Athenarum, à quo & Attica *Cecropia*, Κεκροπὶς, primùm appellata eſt. Ab hoc colonia ex Ægypto in Atticam delata eſt, ductâ in uxorem Agraulo, filiâ Actæi, ſorore Phœnices, undè Ἀγραύλια ſacra; A quo *Actæo*, (vel ut Strabo) *Actæone*, *Actica* primùm hæc regio dicta; quam pro dote Cecrops acceperit. Quæ poſteà dicenda *Attica*, ab *Atthide* Cranai, ſecundi Regis, filiâ. Regnare cepit Cecrops, ex Marmore Arundelliano, Anno *Per. Jul.* 3132. antè Æram Chriſtianam annis 1582. Quo tempore *Moſes* nondùm fugerat in Arabiam, juxtà Petavium; imò nondum natus fuit juxtà Marmora, quæ inchoant Æram LXXXVI. annis antè Exitum. Euſebius in Chronico, *regnaſſe Cecropem in Atticâ triceſimo quinto anno Moyſis*. Relatè verò ad Æras alias, præceſſit *Trojæ* ἅλωσιν, ſecundùm Marmora, annis 373. finem regni *Attici* ſub *Codro* (tempore Davidis) annis 487. ſecund. Euſebium; *Olympiadarum* primam annis 806. *Urbem Cond.* annis 830. Regnavit autem hic Cecrops, omnium conſenſione annos 50. regnum relicturus Cranao indigenæ, à quo Attica *Cranaë*; quem Amphictyon gener expulit. De Cecrope fabuloſa multa, & eadem ferè quæ *Ægyptii* ſuo Hammoni vel Oſiridi tribuerunt. Ex *Moſis* Hiſtoriâ derivat pleraque Doctiſſ. Huëtius.

Cur Cecrops διφυής.

Cur vero διφυὴς ſit habitus, τὰ μὲν ἄνω ἀνδρὸς, τὰ δὲ κάτω ὄφεως, vel δράκοντος, alii τὰ κάτω γυναικὸς, ut Suidas, (quomodo & *Venus* antiquis διφυὴς, θῆλυς καὶ ἄρσεν, & *Pan* διφυὴς, & *Luna*, quæ & *Lunus*) variæ à Græcis rationes excogitatæ. Sive quod primus inſtituerit Conjugium inter duos, loco promiſcuæ veneris, ex Athenæo, Nonno, Suidâ, Euſtathio; Sive quod Linguæ utriuſque callens fuerit, Ægyptiacæ & Græcæ, ex Euſebio, Hieronymo, G. Syncello, Tzetze, &c: Sive quod Ægyptios mores Græcis conjunxerit, auctor Politiæ duplicis, Græcæ & Barbaræ; ut Diodorus Sic. *Lib.* I. C. XVII. de Peteo, patre Mneſthei Athenarum Regis, quem idem Diodorus Ægyptium facit: Sive quod Leges primus invenerit, & homines à ferinis moribus, quibus beſtias veriùs referrent, ad humanos traduxerit: Quod & de *Prometheo* dixerunt, homines quaſi de novo fingente; & de *Æaco*, qui ex formicis *homines fecerit*, dùm ex ſpecubus extractos artes edocuit, apud *Strabonem* Geogr. L. VIII. Alii verò *Draconis* formam illi tributam, quod ex bono Rege factus eſſet tyrannus; Plutarcho falſi arguente, Lib. de *Serâ Num. Vind.* Vide & Meurſium de Regno Attico *Lib.* I.

Æra Expedit. Argonaut.

Æra Expeditionis vel profectionis *Argonauticæ*, Jaſone duce, cum Expeditionis ſociis Hercule, Caſtore, Polluce, Theſeo, &c. qualem memorant Apollonius Rhod. Diodorus Sic. Apollodorus, Hyginus, hinc Strabo *Geogr.* L. I. Clemens Alex. *Strom.* Lib. I. aliique, omnium calculo anteceſſit Bellum Trojanum. Quicquid jam ſit de fabuloſis circumſtantiis, puta de Athamante patre Phryxi & Helles; horum fugâ in Colchidem, cum Chryſomallo Phryxi tutore; adſportatis eò paternis Theſauris; Æetâ tum Colchidis Rege, cui filia Medea, veneficiis cum Circe ſorore dedita, & amore dein Jaſonis capta; aut de Peliæ, vel Jaſonis cupidine pro Aureo Vellere auferendo, hinc Argonautarum appulſu in Lemnum primò, ubi fœminæ ſe illis permiſerint, &c. Quæ pro fabulis habuêre Ariſtoteles, Xenophon, alii plurimi in Veteribus, & recentioribus.

Scaliger ad Euſebium, vix cenſet Expeditionem hanc anteceſſiſſe Trojæ ἅλωσιν, annis 20. Quum tamen neceſſe ſit ſuſceptam, ſi quæ fuit, *Ægeo* Athenis regnante, *Theſeo* adhuc juvene qui ſocius Expedit. & qui poſteà regnavit annos XXX, antè Mneſthenum, cujus anno XXII. Troja Capta dicitur. Clemens Alexandr. L. I. *Strom.* p. 336, accuratus idem in temporum ratione, cenſet hanc navigationem Jaſonis præceſſiſſe Trojæ Excidium, annis circiter 79. Euſebius in *Chron.* refert ad A. Abra-

Digitized by Google

Abrahami DCCXLIV *Argonautas*, & A. DCCXLVI. *Argonautorum navigationem*, Gedeonis anno XIV. in paucis tamen annis variantibus Codd. Id eſt, contigerit ea Navigatio, juxtà Euſebium, annis antè Captam Trojam propè 90. In quo tamen rectè Euſebius vidit hanc difficultatem, quod ſi ſocii *Expeditionis Caſtor*, *Pollux*, *Theſeus*, vix cenſeri poſſit *Helenæ* à Paride rapta, & cauſa Belli Trojani; vel eadem Theſeum ad rapiendam eam inflammaſſe; niſi anus fuiſſe cenſeatur Trojani Belli temporibus. Alii tamen raptam à *Theſeo* viduo, & pluſquàm *quinquagenario*, *Helenam*, οὐ καθ' ὥραν *nondum maturam* viro, vix decem annos ſupergreſſam, contendunt ex Diodoro Sic. & Plutarcho in *Theſeo*. Quâ tamen hypotheſi admiſsâ, neceſſe eſt Caſtorem & Pollucem fratres Helenæ, & Theſeum, propiores fuiſſe in Argonauticâ Expeditione temporibus Trojanis; quando ſcil. rapta ab Alexandro Helena fuit, Menelai tum Conjux, atque Ilium abducta, ac toto poſt *decennio*, (quando reddita Menelao fuit) adhuc formâ in ſui amores illiciens.

Æra laborum Herculis. Et Belli Thebani.

Chronologia *Herculis*, Amphitruonis Thebani & Alcmenes conjugis filii, hoc ſpectat, quem natum cenſet Reverendiſſ. Lloid, ſummum in his literis lumen, Annis antè Chriſtum 1274. ſeu Anno Per. Jul. 3438. Hic primò inclaruit, (ex Apollodoro, Diodoro Sic. Palæphato, & notis Scriptoribus) cæſo Leone ad Cithærona, Bœotiæ montem, annos natus, ut ferunt, XVIII. cujus Leonis exuvias induit. Poſt labores XII. exorſus, anno circiter ætatis XXV. quando *Nemæum Leonem* interfecit, Ludis Jovi Nemæo conſecratis; qui anteà infelici *Archemoro*. Hinc *Hydram Lernæam* peremit, & cæteros Labores ſuſtinuit, intrà XII. annorum ſpatium, ſuperatis Gadibus Hiſpaniæ, Pyrenæis & Alpibus, Italiâ, Africâ, Ægypto, Arabiâ, Hyperboreis, &c. Donec L. annos natus, ex vitæ tædio, ad Oetam montem, ſtructo rogo ſe in ignem conjiceret; Quod accidiſſe putant, paucis poſt Bellum *Thebanum* exortum annis, inter Eteoclem & Polynicem, ex Clemente Alex. *Lib.* I. *Strom.* Nempè anno Per. Jul. 3491. antè Chriſtum 1223. antè Excidium Trojæ annis circiter 40. ante Heraclidarum κάθοδον in Peloponn. annis 120. Octo antè annis *Olympica* certamina ab Hercule, in Elide, inſtituta fuerant. Confunditur in multis cum Hercule *Tyrio*, vel *Phœnicio*, de quo Bochartus.

Æra Excidii Trojæ.

Æra *Excidii Trojani*, in Marmoribus, & Hiſtoriis plerumque notatur, ſive res antè illud Excidium, ſive poſt Excidium geſtæ memorentur. Magnâ autem conſenſione figitur in annum XXII. Meneſthei Athenienſium Regis, Agamemnonis Mycenæorum Regis annum XVI. (alii XVIII.) antè Æram Olympiadum annis 433. ſecundum Chronicon Marmor. vel 408. ſecund. Uſſerium, Periodi Jul. in Canone Seld. A. 3505. juxtà Uſſerium A. 3530. antè Æram Chriſtianam A. 1209. Euſebii tamen, & aliorum rationes variant, ille quidem figit Trojæ ἅλωσιν in annum, qui præceſſit Olympiadas, 406. familiari Euſebio μεταχρονισμῷ in rebus Exoticis, uti hic eſt μεταχρονισμὸς annor. XXVI. Quemadmodum idem προχρονισμῷ peccat, in comparatione annorum Hiſtoriæ S. puta Abrahami, Moſis. Itâ Ilii ἅλωσιν ponit *Abdone* Judice, quam veriùs Judice *Jairo*, quem Jephta excepit. *Decennio* antè ſuſcepta Expeditio, Græciâ totâ decernente, communi ὁμηγύρει, A. XIII. Meneſthei Regis, *P. Jul.* 3496. occaſione raptæ Helenæ uxoris Menelai, Laconum Ducis, gloris Agamemnonis, qui ambo Græciam univerſam ad ulciſcendam injuriam accenderunt. Quum nempè fruſtrà repetiiſſent adulteram, per legatos Menelaum, & Ulyſſem, Priamo licet, ex conſilio ſeniorum, in redditionem inclinante. *Paris* autem, raptor Helenæ, eo bello interfectus, hinc æmulatio inter *Priami* filios pro nuptiis Helenæ, quæ tandem Ilium perdidit. Steterat Troja, nec pari tamen potentiâ & magnitudine, ab initio quidem *Dardani* Reg. ex quo mediam regionem ab *Teucro* acceperat, annis paulo minus *trecentis*, Priamo Rege VI. à Dardano.

Occaſio Belli Troj.

An fabula, an hiſtoria?

Porrò fabulam eſſe, non hiſtoriam, quicquid de Agamemnone, Menelao, Helenâ, &c. Poëtæ referunt, vel etiam de Ulyſſis erroribus, voluit inter cæteros Metrodorus Lampſacenus, apud Tatianum *Orat.* contrà Græcos: Et noſtrâ ætate hanc cauſam agit Jeremias Hoelzlinus, *Præfat.* in Apollonium Rhodium, ut alios taceam. Melius illi, qui hiſtoriam, Poëticis figmentis fœdatam, cenſuerunt: Quemadmodùm ſunt *Ulyſſis* errores, apud Homerum; *Æneæ* navigatio, variâ fortuna jactati, apud Virgilium, qui vera fabuloſis miſcuit, ut illa de *Didonis* amoribus, quæ dudùm poſteà vixit, circà tempora Joaſi R. De Trojæ autem hiſtorico Excidio nemo *Græcorum* Hiſtoricorum dubitavit. Sic nullum fuiſſe *Æneæ* in Italiam adventum, neque regnum poſt Latini ſoceri mortem, quod continuatum ſit in *Aſcanio*, & Albanis Regibus, (quicquid Faſti, & Hiſtoriæ Romanorum, & monumenta Locorum teſtentur) contendunt præ primis Phil. Cluverius, & Samuël Bochartus; quibus inter alios Diſſertationem oppoſuit Ryckius noſter, ὁ μακαρίτης. Nos hic tempora reſpicimus.

Caput VIII.

Æra annorum Iphiti, ſive Olympiadum. Momentum illius. Antè adhibitum illum Characterem temporum, quæ Græcis ſupputandi ratio. Æra duplex, vera & vulgaris, & quare. Character primæ Olympiadis. Diverſa ſupputandi ratio. Error Joſ. Scaligeri.

Momentum ejuſdem.

ÆRA *Olympiadum*, aliàs Æra annorum *Iphiti* Elidenſium Regis, vel tetraëterica Græcorum, eo inſignior eſt, quod 1. Ab eâ ducitur, omnium conſenſione Veterum, tempus Græcorum Hiſtoricum: Ut quæ primam Olympiadum anteceſsêre, ſpectent ad tempus μυθικὸν, ſaltem certis nullis annorum Characteribus itâ diſtinctum. 2. Certum hujus principium eſt, collatæ ad Periodum Julianam, & ad annos Chriſti, vel ex Phlegonte Tralliano, qui Eclipſim ſolarem, quæ in annum Paſſionis incidit, notat charactere Olympiadis CCII. anno III. Sic Euſebius in *Chronico* annos antè & poſt Chriſtum cum Olympiadibus confert, ac deinceps Chronographi Chriſtiani, & Dionyſius Exiguus, auctor Æræ Dionyſianæ. Seriùs tamen hæc Epocha à Græcis Hiſtoricis ad uſum Chronologicum adhibita, contentis vetuſtioribus Hiſtoricis, ipſo etiam Herodoto, Thucydide, Xenophonte, res ipſas commemoraſſe, nullo certo temporis charactere; In quo Polybius laudem præ reliquis promeruit, & antè eum *Timæus* Siculus in Olympionicis, & Χρονικοῖς Πραξιδίοις, etiam Eratoſthenes apud Clem. Alexandrinum, *Strom.* Lib. I. dein Diodorus Sic. Dionyſius Halic. alii. Quanquàm ſic notant quandoque annos *Olympicos*, ut non diſtinctè ſatis exprimant ſingulos in *quaternario* numero, quoto nempè anno, Olympiadis talis, res geſta ſit.

Unde hæc Æra? Et quales ante eam Epochæ Græcorum.

Porrò Olympiades hinc diſtinctæ in Faſtis, quod *quarto* quoque anno Victorum nomina in Gymnaſio Olympico notarentur, ad æmulationem primò, deinde etiam ad obſervationem temporum, teſte Pauſaniâ in *Eliacis*, Lib. I. Longè ſanè anterior fuit *Æra Attica*, indè à Cecrope primo Athenienſium Rege, quem Moſi coævum facit Euſebus in *Chronico*, Num. CCCCLX. at paulo antiquiorem Marmora Arondelliana, ut ſuprà viſum. Anterior etiam

Digitized by Google

etiam fuit illa Archontôn *Perpetuorum*, διὰ βίου, abolendo horum imperio circà *Olympiadis* VI. annum 3. quando *decennales* facti ſunt Archontes. Quibus ſucceſſerunt Archontes *annui*, ab anno IV. Olympiadis XXIII. ex ejuſdem Euſebii *Chronico*, vel ab Olymp. XXIV. anno I. Sic præceſſerant dudùm inſtauratorum horum Ludorum tempora, puta *Iphiti* Elei, *Cleoſthenis* Piſæi, & *Lycurgi* Spartani, à cujus tutelâ *ſeculum* minimum fluxit, ad Olympiadem primam vulgarem, ſcilicet τῶν ἀελθμυμβίων, *Chorœbo* Elienſi tùm victore; vel ex Clemente Alexandr. *Strom.* Lib. I. & ex Chronicis Euſebii, ac G. Syncelli. Jam enim multæ præterierant Olympiades, cum primùm inciperet ratio numerandi per eaſdem; ut ignoraſſe videantur *primam* Olympiadem Iphiteam, qui omnium primi hanc temporum Epocham excogitarunt. A qua tamen ducendum erat exordium, quum cenſeatur demùm Olympias XXVIII. Iphitea, quam illi *primam* dixêre; & aptarunt deinceps uſibus Chronologicis. Supputabant verò primitùs tempora, eorumque rationem exigebant, ex propriis cujuſque Gentis *Archivis*, & *Magiſtratibus*, ſub quibus res geſtæ, pace belloque: Et ſic Athenienſes, tempora deſignarunt per ſuos Archontas ἐπωνύμους, Thebani per Bœotarchas, Corinthii per ſuos Πρυτάνεις, Lacedæmonii per ſuos Ephoros, aut Reges, Argivi per Junonis Argivæ Sacerdotes, &c. *Olympiades* autem, ex quo numerari cœperunt, communis omnibus Græciæ Populis character fuit.

Character I. Olympiadis.

Igitur, ex conſenſu Chronologorum, duplex eſt Æra Olympiad. Alia *vera*, qui dicuntur anni Iphitei, anterior Æra Chriſtianâ annis 884. Alia *vulgaris*, & recepta ſed ſeriùs, quæ totis annis CVIII. aliis CXI. ſit poſterior; ut prima vulgaris ſit XXVIII. Iphitea. Sive quod anteà in Archivis non reperiſſent nomina *Olympionicarum*, in *primis* Olympiadibus; nam per ea Nomina ſingulæ diſtinguebantur, & faciebat ad gloriam Stadionicæ: Sive ex ratione aliâ neglectæ fuerint illæ Olympiades priores. Jam ex Characteribus variarum *Eclipſeôn*, quas obſervarunt principes Hiſtorici, uti ex Cenſorini illuſtri loco, in quo Epochas confert, *de Die Nat.* Cap. XXI. incipit Olympias prima Iphitea vulgaris ab anno Periodi Jul. 3938. antè natum Chriſtum juxtà *Æram Vulgar.* annis Julianis DCCLXXV. completis, ut quæ incidit in *quartum* Olympiadis CXCIV. ſeu Iphiteum 776. Euſebius verò conjicit Natalem in III. annum ejuſdem Olymp. ſeu Iphiteum 775. Si verò conferatur Olympias prima cum annis Regum Judæ, incidit Epocha cum anno *Oziæ* vel *Azariæ* Regis XXXIV. vel XXXV. & itâ Chriſtmannus, Temporarius, Lucidus, Lydiatus, Calviſius, ac reliqui ferè; anni unius fortè diſcrimine, ex ſententiâ Copernici, Mercatoris, qui conjiciunt in annum Periodi Jul. 3939. Præcedit verò eadem Æra illam *Urbis Conditæ* ſeu Palilia prima Varroniana, annis XXIII. ſiquidem hæc concurrant cum anno III. exeunte Olympiadis VI. Errat cum aliis Phil. Labbeus, *in Introductione ad Chronologiam*, componens I. Olympiadem cum anno I. Jothami Oziæ filii, quod ex Africano & Euſebio colligi videtur; ſed qui explicantur à Petavio, *Lib.* IX. *Cap.* XLIII.

Diverſa putandi ratio. Olymp. quando deſière.

Aliter rursùm putatæ Olympiades ex vero earum capite, id eſt, ab æſtate anni Periodi Jul. 3938. ſeu à *plenilunio* proximè excipiente ſolſtitium æſtivum, *Hecatombæone* menſe; & itâ ſummo conſenſu Chronologi, Lucidi, Buntingii, Mulerii, Chriſtmanni, Scaligeri, Petavii, Calviſii, Uſſerii, &c. Aliter putatæ ſecundùm caput anni Juliani à *Januario* præcedente, quod Dionyſius Halicarnaſſeus, & recentiores Hiſtorici, in Olympiadibus numerandis obſervant. Rursùs aliter putantur *Olympiades* Iphiteæ, quæ ſunt ſingulæ annorum IV: Aliter *anni Iphiti*, qui exurgunt ex multiplicatione plenarum Olympiadum per IV. Nam ſi v. gr. notetur Olympiadis CCII. annus III. (qualiter à Phlegonte Tralliano, in deſignatâ Eclipſi ſolari, quæ Paſſionalis fuit) diviſis plenis Olympiadibus CCI. per IV. & additis annis III. conſtabit juxta hunc calculum inchoatus annus Iphiteus, tempore Paſſionis, 808. Rectè verò Petavius, falli Scaligerum ſtatuentem, Romanos *Luſtra* ſua Juliana numeraſſe more *Olympiadum*, & in illarum ſubſtituiſſe locum; poſtquam ſcilicet deſiit Ludicrum Olympicum, quod Conſtantino Imperat. contigiſſe, cenſet Onuphrius. Vide Petav. *de Doctrinâ Temp.* Lib. IX. C. XL.

CAPUT IX.

Æra Urbis Cond. Cur Palilia, vel Parilia? Diſcrepantia Æræ Catonianæ, & Varronianæ, undè? Conciliatio quorundam. Æra Fabiana quæ, & quibus probata? Varroniana collatio cum aliis Epochis. Plura alii.

SEriùs hæc etiam à Romanis adhibita fuit, notataque in *Faſtis*, circà tempora Julii Cæſaris, undè Urbis natales non ità certi, & mira ſcriptorum veterum hac in re diſcrepantia, de *anno & die U. Cond. Palilia* Urbis vocant, ſacra Pali Deæ, Paſtorali ritu, undè Propertius *Lib.* IV.

Diverſa illius Palilia.

Urbi feſtus erat, dixêre Palilia patres,
Hic primus cœpit Mœnibus eſſe dies.

Aliter *Parilia* dixêre, à *Pariendo*, quia huic Deæ pro fœtu pecoris ſacra faciebant. Hinc de anno quo jacta Urbis fundamenta, initio ſtatim diverſi fuêre calculi M. *Porcii Catonis*, Coſ. Anno U.C. 559. V. (vel ſecundùm Catonem ipſum, aut Faſtos Marmoreos, A.U.C. 557. aut 558.) & M. *Terentii Varronis*: Undè vulgò *Palilia* Catoniana, quæ cum Capitolinis congruunt, & *Varroniana*. *Catoniana* dicuntur, ſecundùm inveſtigationem Catonis ex Tabulis Cenſoriis, & ex Faſtis Capitolinis, quibus Urbem Conditam ſtatuit anno à Trojanâ clade CCCCXXXII. Olympiadis VI. anno IV. vel (ut Dionyſius Halicarn.) anno primo Olympiadis VII. Tribuitque Romanis Regibus, à *Romuli* primo ad Regifugium, & ad creatos Coſſ. annos CCXLIII. Et huic calculo ſuffragantur Faſti *Capitol.* Dionyſius Halicarnaſſ. Polybius, Solinus, ipſe quoque Euſebius, qui Palilia Urbis componit cum *Olymp.* VII. anno I. Inter recentiores Funccius, Bucholcerus, alii, & W. Langius nuper de Annis Chriſti. Nec admodùm abludunt *Faſti Marmorei*, quorum fragmenta ſuperiore Sec. Romæ effoſſa, (quanquàm medios cenſeat Lydiatus, inter Catonianam & Varronianam Epoch.) qui Romam Condit. ſtatuunt, ſub finem anni IV. *Olymp.* VI.

Catoniana.

Varroniana.

Varroniana verò, ſecundùm calculum M. Terentii Varronis, Doctiſſimi Latinorum, qui anno *uno* antevertit Catonianam Epocham, ſecundùm Lydiatum verò *biennio*: Statuit adeò ex Characteribus Aſtronomicis, ope *Tarrutii* Mathematici, Urbem Conditam anno III. *exeunte*, (alii *ineunte*, ut Lydiatus in Opere poſtumo, inſcripto, *Canones Chronologici*) Olympiadis VI. id eſt, labente Iphiteo anno XXIII. adſcriptis Urbi ab incunabulis ad Regifugium annis CCXLIV. Et hunc Varronis calculum probavit pars potior Romanorum, indè ab Auguſti Seculo, cum Cicerone, Auguſto, Vellejo, Plinio, Plutarcho, Tacito, Cenſorino, aliis: Juxtà hunc indicti ab Imperatoribus Seculares Ludi; Eidemque inſtitit Joſephus, in recentioribus Baronius, Scaliger, Petavius, Marshamus nuper; Calviſio utramque Epocham, Catonianam & Varroniana-

Digitized by Google

ronianam, conciliante. Nempè Palilia prima U. R. incidere in XXI. *April.* ut putatur; Olympiadas incipere demùm in menſe *Julio*: Undè factum ſit ut ſcriptores quandoque, ſequentem annum Olympiadicum pro anno U. C. poſuerint, qui reverâ ſpectat ad annum præcedentem.

Fabiana. Sed & *tertia* illorum ſententia eſt, qui ex Q. Fabio Pictore, antiquiſſimo Hiſtorico Romano, claro temporibus II. Belli Punici, conjiciunt prima Urbis incunabula in annum IV. *Olympiadis* VII. vel I. Olympiadis VIII. id eſt, anno proximo *Æræ Nabonaſſari*, ſeu Conditæ Babylonis; Et probat ferè Onufrius in Faſtis, quanquam ſequatur aliàs calculum Varronianum, ſimul & Catonianum; probat quoque Lydiatus in *Emend. Temporum*, & in ſerie *Romanor. Magiſtratuum*, poſt Julium Africanum, antiquiſſimum in Chriſtianis Chronographum, & Chronicon Alexandr. ſive Faſtos Siculos. Undè hæc Æra U. C. *Fabiana* dicitur, pluſquàm totâ Olympiade poſterior Catonianâ, quam probaſſe etiam volunt Diodorum Siculum, & Tit. Livium. Auguſtinus vero *Lib.* XVIII. de Civitate Dei, C. XXII. quem ſecuti nuper Phil. Labbeus, & nonnulli alii, cenſet Urbem Conditam quum Rex eſſet in Judâ *cui nomen erat Achaz*, vel ſecundùm alios *Ezechias*, in Iſraële Rex Oſee, annis ab ingreſſu in Terram DCCXVIII. Sed μεταχρονισμῷ annorum minimùm XX.

Collatio cum Epochis aliis. Epocha itaque *Varroniana*, ſeu Palilia Urbis prima, collata cum periodo Julianâ, incidunt in annum ejuſdem 3961: Cum Ærâ autem Chriſti, præcedunt eam annis 753: Cum annis Regum Judæ, concurrunt cum Jothami V. circiter: Cum annis verò Nabonaſſari, & hos annis ferè VI. antevertunt. Caput vulgò figitur in XXI. Aprilis, ſeu XI. Kal. Maji, quod tùm in *Autumnum* incidiſſe volunt, ſecundùm formam anni Albani, concinente Manilio, *Lib.* IV.

Heſperiam ſua Libra tenet, quâ condita Roma.

Solem & Lunam fuiſſe tùm in Eclipticâ conjunctione, obſervavit L. Tarrutius Firmanus Aſtrologus, apud Plutarchum in *Romulo*, diſſentientibus tamen Aſtronomis & Chronologis. Ac plura de hac Urbis Cond. Epochâ qui volet adeat Sigonium, Onuphrium, in Faſtis, Scaligerum, Petavium, Lydiatum, Emmium, Langium, aliosque in neotericis, qui ex profeſſo in eam inquiſivère. Nec actum agimus.

Caput X.

Æra Nabonaſſari. Uſus ejus Aſtronomis quare? Uſus in Hiſtor. Sacrâ, & Exoticâ. Nabonaſſar quis? Certa ab incertis diſtincta. Succeſſores quidam, in Hiſt. Sacrâ. Diſcrepantia in hoc Canone, quoad Nomina, & numeros annorum. Vera conciliatio cum Scripturâ S. Marshamus notatus. Applicatio ad Æras alias.

Uſus qualis? VOcat Cenſorinus, *Cap.* XXI. Æram *Nabonazaru*, Ναβονασάρου, cujus Canonem exhibet Ptolemæus, perductum ad ſuam ætatem, frequenter memoratum veteribus Chronologis, & ex MSS. Codicibus noſtro ævo reſtitutum. Et hæc primùm appoſitiſſima viſa eſt ad calculos *Aſtronomicos* motuum cœleſtium, ex quorum obſervationibus caput certiſſimum hujus Æræ fixit Ptolemæus; undè etiam perpetuus ejus uſus, ut apud Ptolemæum, ſic in Tabulis Alphonſinis, Prutenicis, &

Aſtronomicus. apud omnes Chronologos. Ratio Aſtronomici uſùs, quia annorum hujus Epochæ forma æquabilis eſt, ut & menſium, qui anni hinc dicti *Nabonaſſarei*, aliàs *Ægyptii*, & *æquabiles*, dierum 365. ſine diei quadrante, & ſine intercalatione, prout menſes omnes *tricenarii* ſunt, additis *in fine* diebus ἐπαγομένας V. ut exurgant dies 365. Quo fit ut horum annorum caput, qui *Thoth* menſis eſt, in Neomeniâ, vagetur per totum annum Julianum, ſpatio annorum 1460. Singulis enim quadrienniis *Julianis* uno ſemper die retrogreditur *Nabonaſſareus*, ſingulis octenniis diebus 2. & ità porrò, undè ſi 365. multiplices per 4. exurgent 1460. Quo annorum ſpatio Nabonaſſarei excedunt Julianos *anno uno*, menſibus intereà ſingulis per menſes omnes anni Juliani retrogrediendo divagatis. Hinc & *Thoth* menſis, à cujus Neomeniâ incipit Æra Nabonaſſari, (utpotè qui menſis caput eſt anni Ægyptiaci) incidit, ſecundùm Canonem Mathematicum Ptolemæi, anno illius Æræ I. in XXVI. Februarii. Sic Σῶθις, ſeu *Caniculæ* ortus, cujus fixum erat caput, ſingulis quadrienniis exactis promovebatur uno die, putà à primâ *Thoth* ad ſecundam, tum ad tertiam, & ſic totum anni contextum pervagabatur dicto ſpatio annor. Ægyptiacorum 1461.

Uſus in Hiſt. Sacri & Exoticâ. Sed & uſus hujus Epochæ inſignis eſt, illuſtrandæ Chronologiæ Sacræ, firmandæque, in annis qui fluxère ſub Aſſyriis & Babyloniis ad I. *Cyri*, quando expirarunt anni LXX. Captivitatis; & hinc rursùs ad finem Monarchiæ *Perſicæ*, vel etiam ad mortem Alexandri M. Gemina enim pars eſt hujus Canonis Nabonaſſarei apud Ptolemæum; quarum prima continet ſeriem Regum Aſſyriorum, qui Babylone & dein etiam Nini imperarunt, à I. Nabonaſſari ad I. Cyri, eſtque annorum 209. Altera ſeriem Perſarum ad mortem Alexandri M: annorum 215. quæ ſumma collecta conficit Epocham annorum 424. A quibus tùm procedunt anni *Philippi Aridæi*, & anni Ægyptiorum ſeu Ptolemæorum, qui continuarunt Canonem Nabonaſſareum, ſed interruptum in Ærâ Seleucidarum vel Syro-Macedonum, annis poſt XII. ſiquidem hæc XII. annis à morte Alexandri M. initium ſuum ducit. Adde Epocham hanc non modò cum Sacris appoſitè conferri, ſed & apud Ptolemæum, Cenſorinum, quàm accuratiſſimè cum Æris aliis, putà Olympiad. Urbis Conditæ, Philippi, Ptolemæorum, Auguſtorum, Actiacæ victoriæ, &c. Ut ſit hæc character eximius, & commune quoddam vinculum, quo *Epochæ* illuſtriores inter ſeſe continentur.

Nabonaſſar quis? Nabonaſſar porrò, à quo huic Æræ appellatio eſt, malè confunditur aliis cum *Nabuchodonoſore*, quod faciunt Alfraganus, Albategnius, Alphonſinæ Tabulæ; Aliis cum *Salmanaſſare* de quo in Sacris, quod faciunt Mercator, Funccius, Origanus, &c. Aliis, ut Lydiato ad A. 3257. idem putatur cum *Belo*, vel *Beleſi* Babyloniis ab Arbace præfecto, inſigni Aſtrologo, de quo Diodorus ex Cteſiâ, Plinius, alii: Qui tanquàm errores ſunt pluribus à Scaligero, Petavio, aliiſque caſtigati. Nec tamen niſi conjecturæ locus eſt, quando idem ſtatuitur cum *Beladano* vel *Baladan*, qui Βαλάδας Joſepho, *Lib.* X. C. III. cujus filius Merodach vel Berodach Legatos ad Ezechiam miſit, 2 *Reg.* XX. 12. *Eſaj.* XXXIX. I.

Certa ab incertis diſtincta. Id certum, I. Hunc *Nabonazarum* non Aſſyriis imperaſſe, ſed *Babyloniis*, occupato in hos imperio, quo tempore Aſſyrii Reges latè rerum potiebantur: Nam inclytus tùm Rex Aſſyriorum *Phul*, qui pretio conductus confirmavit Menahem Regem Iſraëlis, 2 *Reg.* XV. 19. Poſteà Rex *Tiglat-Phul-Aſſar*, qui tempore Pekachi, in Iſraële regnantis Galilæam & Trans-Jordanicam ſubegit, ab Achazo inductus, 2 *Reg.* XV. 29. I *Chron.* V. 26. occupatâ haud longè poſt Samariâ per *Salmanaſſarem* Aſſyrium, Ezechiâ Rege Judæ, Hoſeâ Iſraëlis, 2 *Reg.* XVIII. anno Nabonaſſareo XII. II. Hinc errare qui Nabonaſſarem *Aſſyriorum* regem fuiſſe cen-

cenſent, & quidem *Phul* memoratum, quos inter Genebrardus *Chronol.* L. I. in annis Oziæ; Præterquam quod *Phul* primus Aſſyriorum Regum qui inclaruêre, poſt deſitum Ægyptiorum imperium Aſiaticum, antecedit Æram Nabonaſſari, & Urbis Conditæ, annis pluribus, coævus Azariæ, Regi Judæ, clarus ſub initium Olympiadum. III. Geminam, Nabonaſſari tempore, fuiſſe ſedem Regni utriuſque, Aſſyriaci & Chaldaïci, *Ninum* & *Babylonem*. Ita tamen, ut rursùs coaluerit utrumque in *Aßar-haddone* (Ἀσαραδδίνῳ) Aſſyrio, filio Sennacheribi, qui Colonias in Samariam traduxit, 2 *Reg.* XVII. 24. *Eſdr.* IV. 2. Manaſſis temporibus 2 *Chron.* XXXIII. II. & Babylone potitus eſt, deficientibus Chaldæis Regibus, poſt Interregnum, ut in Canone Mathem. anno Æræ Nabonaſſ. LXVIII. ſecundùm Canonem. IV. Conditam eo magis à *Nabonaßare* Æram Babyloniorum, quod præter fundatum à ſe Imperium, ſummus is Aſtrologus fuerit, hinc à ſe Æram exorſus, cujus caput in Neomeniâ primi menſis Ægyptii Thoth conſtituit, proceſſuræ per annos *æquabiles*, Ægyptiorum more, ex modò dictis.

Nabonaſſari ſucceſſores quidam.

Porrò obſervamus I. *Merodach-Baladan* Babylonium, qui Legatos ad Ezechiam miſit, videri eum qui in Canone Nabonaſſareo eſt *Mardokempad*, Merodach-empad, qui anno Æræ Nabonaſſ. XXVII. regnum capeſſivit, contemporaneus adeò Ezechiæ, circà hujus poſtrema, & cui annos XII. tribuit Canon. 2. *Nabopolaßarum*, ſic dictum in Canone, Regem Chaldæorum, eundem eſſe qui Nebucadnezar primus pater Nebucadnezaris Magni, ſeu *Nobocol-aßari*, in eodem Canone; cujus poſtremi annus primus, nempe regni Syriaci, devictis Ægyptiis, & Cœle Syriâ ſubactâ, (vivo adhuc ut videtur Patre, ſecundum Canonem) connectitur in Scripturâ S. cum IV. Jehojakimi, annus verò XIX. cum anno XI. Zedekiæ Regis, 2 *Reg.* XXV. 2. *Jer.* XXV. I. LII. 5. quando Templum exciſum fuit, regno hujus Nebucadnezaris ad annos XLIII. protenſo. 3. Hinc in Canone eodem proximum Nebucadnezari Ἰλουαροδάμον *Ilvarodamum*, eſſe *Evil-Merodach*, filium Nebucadnez. cui ſucceſſit *Nericaßol-aßar*, vel Neriglissoroar, vel Nergalaſſar, Νιγλίσαρος, gener Nebucadnezari, affinis *Evil-Merodachi*, juxtà Beroſum apud Joſeph. *Lib.* I. contrà Appionem, & Euſebium *Lib.* IX. προπαρασκ.

Nabonnedus, Belshatzar, Darius Medus, apud Dan. qui?

Ac tandem in Canone Ptolemæi excipit Nabonadius, Nabonidus, qui Ναβόννηδος Beroſo, Ναβοννίδοχος Megaſtheni, etiam Labynithus Herodoto, idemque ſecundùm Joſephum Ἀρχαιολόγον cum Βαλτασάρῳ *Baltaſaro*, Lib. X. *Antiq.* C. XII. Atque hic Nabonadius exutus à Cyro fuit anno regni ſui XVII. Secundùm alios verò *Belſaſar* eſt ipſe *Evil-Merodach*, filius Nebucadnezaris, & ità quoque nuper Marshamus ad *Sæc.* XVIII. Aliis Belshaſar idem eſt qui Λαβοροσοάρχοδος, *Labor-aßarcad.* (cujus meminerunt Beroſus, & Megaſthenes, non autem Canon Mathematicus) nepos idem Nebucadnezaris ex filiâ, filius Neri-caſſol-aſſari, ſed aliquot menſium modò Rex, ut obſervant, poſt patris exceſſum; tranſlato ſic ad *Nabonadium* Regno. Et hunc filium fuiſſe Oxyaris, à Medis oriundum, eundemque cum *Dario Medo*, pluribus Scaliger, Petavius, Calviſius, &c. Contrà alii, ſecuti Joſephum, quos inter Uſſerius Armach. Nabonadium eundem faciunt cum *Belshaſare*, filio Evilmerodachi, nepote Nebucadnezaris; inducti præcipuè loco *Jerem.* XXVII. 7. De quo in Canone *Nabon.*

Diſcrepantiæ in hoc Canone.

Undè etiam obſervatur, non uno modo editum eſſe hunc Canonem Mathematicum, ſeu Nabonaſſareum. Variant enim illius ſchemata, tum in *Nominibus* exprimendis, tùm in *Numeris* annorum, qui nonnullis Babyloniis Regibus tribuuntur, ut tamen conveniant in epilogiſmo annorum CCIX. ad I. Cyri Monarchæ. Quo factum eſt ut variè applicentur anni hujus Epochæ ad annos Regum Judæ, & ad initium Captivitatis. Nam juxtà Græcum *Canonem* Ptolemæi, ex antiquo MS. productum ab Overallo, dein à Calviſio, aliiſque, annus I. Nebucadnezaris Magni eſt Æræ *Nabonaßarea* 144. Et hunc connectit Marshamus in Canone Babylonico cum anno III. ab Excidio Templi, quod Excidium acciderit ſub Nebucadnezare patre, anno 141. Æræ Nabonaſſ.

Vera conciliatio cum Script. S.

Juxta aliorum Schema, collatum cum calculo Beroſi apud Joſephum, quale & exhibet Wilh. Langius *Lib.* II. C. XII. annus I. Nebucadnezaris Magni, eſt Æræ *Nabonaßarea* 132. concurrens cum anno IV. Jehojakimi Regis, ut annus Æræ 140. qui ipſis eſt annus Captivitatis, & primus τῶν LXX. concurrat cum Captivitate *Jechoniæ*, & cum VIII. Nebucadnezaris. Sed juxta Scaligerum in *Canonibus Iſag.* Calviſium, ſequaces, nec longè abeunte Petavio *Lib.* IX. C. LXI. uti nec Uſſerio in *Annal.* annus I. Nebucadnezaris, ſeu vivo patre, ſeu ſublato, eſt Æræ Nabonaſſareæ CXL. vel CXLI. Jehojakimi IV. Per. Jul. 4106. vel 4107. Et hæc verior ſententia eſt, unde additis annis LXX. Captivitatis, conciliatur Canon Nabonaſſareus & Ptolemaïcus cum *Canone* Scripturæ, fiuntque anni ad I. Cyri CCIX. completi. Marshamus eum aliis ſic conciliat, ut IV. Jehojakimi ſit I. Nabopolaſſari ſeu Nebucadnezaris patris, Æræ *Nabonaß.* 123. ut adeò XI. *Zedekiæ*, à quo putat LXX. annos Captivit. ſit XIX. Nabopolaſſ. & Æræ Nabon. 141. Sed quiſque litat Hypotheſi à ſe receptæ; & Marshamus quidem illi, quâ *Verbum* Angeli contendit factum ad Danielem, tribus tantum Hebdomadibus elapſis, ſeu annis *Captivit.* XXI. Hinc VII. ſeptimanas ex LXX. Danielis, ſeu annos XLIX. terminari cum anno LXX. Captivit. Undè neceſſe habuit initium LXX. a. Captivit. ponere in anno Excidii Urbis & Templi, & cum hoc connectere annum *Æræ Nabon.* 141. qui reverà fuit 160. Captivit. XIX.

Applicatio ad Æras alias.

Tandem ſi applicetur Æra Nabonaſſari ad Periodum Julianam, & Epochas alias, concurrit I. illius annus, cujus caput eſt à XXVI. Febr. feriâ 4.

cum Anno Period. Jul. — — — 3967.

A fundato Templo Salomonis, juxta Petavium, Uſſerium, &c. anno — — — — — 265.

Olympiadis VIII. anno 2. id eſt, ab initio Olympiadum anno — — — — — 30.

Urbis Cond. ſecundùm Varron. anno — — 7.

Jothami Regis anno — — — — — — 11.

Antè 4. Jehojakimi, & initium annorum LXX. Captivit. Babyl. annis — — — — 141.

Ante Æram Chriſti vulg. annis — — 747.

Ut nunc alios Characteres mittam.

Digitized by Google

Caput XI.

SCHEMA EXHIBENS CANONIS PTOLEMAICI,

Secundùm Annos Nabonaſſareos,

PARS PRIMA,

Continens Regum Aſſyriorum & Babyloniorum Seriem, ad I. *Cyri Perſar. Regis, Annor.* CCIX. *Item illa Medorum Regum. Et Synchroniſmi quidam appoſiti, ac cum hac Æra collati.*

Babyloniorum & Aſſyriorum Reges, indè à Nabonaſſaro, & extincto Aſſyr. Imperio per Medos.	*Anni Regni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam, ex utrâque Hiſtoriâ, tam Sacrâ quàm Exoticâ, obiter indicati.*
Ναβονάσσαρος, Ναβονάζαρος, *Nabonetzar*, *Nabonaſſar*, Babylonis conditor, idem fortè qui *Baladan*, pater Merodach-Baladan, 1 *Reg.* xx. 12. Aliis etiam idem qui Alex. Polyh. *Beleſis*, *Beleſſus*, *Beleuſſus*, &c. Cœpiſſe cum extincto *Aſſyriorum* Imperio in *Sardanapalo*, (per Arbacem Medum) ex Herod. Uſſerius quoque, &c. Qui *Arbaces* Medis ſuis αὐτονομίαν reddiderit, ante regnum *Deiocis*, primi Medorum Regis. Contrà Euſebius, & G. Syncellus, ab Arbace ad incluſum Aſtyagem Reges VIII. numerant, per annos CCLIX. Oroſius *Lib.* I. ab *Aſſyriis* ad *Medos* tranſlatum Imperium, Arbace Rege I. tum ad *Scythas*, dein rurſùm ad *Chaldæos*. Petavius hos ſecutus, *de Doctr. Temp.* L. IX. C. XXXIV. Arbacem, à quo Regnum Medorum, præceſſiſſe Æram Olymp. annis *centum*, Æram *Nabonaſſ.* annis CXXIX. Cteſiam ſecutus, hinc Diodorum Sic. &c. Quicquid de Medis ſit, deque duratione Imperii Aſſyriaci prioris, (in quo diſcrepant Hiſtorici,) certum initium eſt *Æræ Nabonaſſari*, à meridie I. Thoth, qui in XXVI. Febr. incidit, feriam IV. Per. Jul. 3967. antè Æram Chriſt. ut dictum, annis 747.	14.	14.	Syracuſæ conditæ, imperante Nabonaſſaro, ab Archiâ Heraclidâ. *Jotham* Rex Judæ, cui mox ſucceſſit *Achaz*. *Pekach*, *Phacee*, Rex Iſraëlis, ſub quo III. Tribus deportatæ. *Tiglat-Pileſer* Rex Aſſyriorum, multis *Ninus Junior*, de quo in Hiſt. S. *Romulus* Romanorum Rex I. ab *Olymp.* VI. A. 4. ſecund. Varr. Regnat ann. XXXVIII.
Νάδιος, qui aliis *Nabi*.	2.	16.	*Sous*, *Sua*, *Soan*, *Sabacon*, Rex Ægypti & Æthiopum, 2 *Reg.* XVII. 4. aliis Μυκέρινος.
Κινζίρος ὁ Πῶρος. Ille etiam *Chozirus*, & *Chinzir*.	5.	21.	*Salmanaſſar* Rex Aſſyriorum: à quo dein *Samaria* obſeſſa, & capta, anno Æræ Nabonaſſ. 27. *Ezechiæ* Regis Judæ anno 6. *Hoſeæ* Regis Iſraëlis, anno 9.
Ἰουγαῖος, *Jugæus*, etiam *Ilul*, *Ilulæus*.	5.	26.	*Lydorum* Rex *Candaules* regnat, ultimus Heraclidarum, qui ab uxore & Gyge ſublatus eſt.
Μαρδοκεμπάδος, *Mardokempad*, *Merodach* in Sacris, *Merodac*, qui legatos ad Ezechiam miſit, 2 *Reg.* xx. Incipit ab anno Æræ Nab. 27. *Per. Jul.* 3993.	12.	38.	*Sennacherib* Aſſyriorum Rex, qui Aſiam, Ægyptum, Palæſtinam bello infeſtavit, Ezechiâ Rege; qui poſtremus jugum Aſſyriacum excuſſerat. Ad quæ Propheta Eſaias reſpexit. Partem hunc *Mediæ* obtinuiſſe patet, ex coloniis Iſraëlitarum eò tranſlatis, 2 *Reg.* XVII. *Midas* Phrygiæ Rex, taurino ſanguine potato moritur. Romanorum Rex II. ab A. U. C. XL. *Numa Pompilius*. Regnat ann. XLIII.
Ἀρκιανός, *Arkean*, *Arcianus*.	5.	43.	*Deioces* primus Medorum Rex, juxtà Herodotum, qui ab Aſſyriis defeciſſent, antè hunc αὐτονόμοι. Nempè poſt *Sennacheribi* cladem, *Medis* imperium reſtituiſſe creditur. Et ità, qui antè hunc numerantur *Cteſiæ* Medorum Reges, volunt

Reges Babylonior. & Aſſyriorum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni Collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
			lunt fuiſſe *Dynaſtas*, vel Præfectos Aſſyriorum. *Deioci* ſucceſſit, poſt regnum LIII. annor. (alii XL. tantùm) *Phraortes* filius, qui adimpletis regni XXII. Euſ. XXIV. annis, locum feciſſe dicitur *Cyaxaro* ſeniori, patri *Aſtyagis*. Ità quidem Herodotus; aliter *Cteſias*, ſcribens circà *Olymp.* XCV. hinc *Diodorus*, &c.
Ἀβασιλεύτου πρώτου, ſeu *Interregni* I.	2.	45.	Hîc interſerit Petavius *Nabuchodonoſorem* Aſſyriæ Regem, ex *Judith.* I. Anno Nab. 47. Ita etiam nuper in Galliis Monachus Benedict. aſſertor *Veritatis Hiſtor. de Judithâ.* Et ab hoc Nebucadnezare occiſum fuiſſe *Phraortem* Medor. Regem, poſt quem, ad *Cyaxarem*, *interregnum* fuerit IV. annorum. Ignorant hunc Nebucadnezarem Hiſtoriæ, & Canon Ptolem.
Βήλιβος, qui & *Belithus*, *Belith.*	3.	48.	*Manaſſes* Rex Judæ, ab An. *Jul.* 4016. Æræ Nabonaſſ. 49. regnavit Annos 55.
Ἀπαρανάδιος, Ἀπρωνάδιος, *Aporonad.*	6.	54.	Hoc intervallo conſtituunt Hiſtorias *Tobiæ* & *Judith.* Ac Petavius, ut ipſe fatetur, multa de ſuo conjectat, quo locum faciat Hiſtoriis iſtis Apocryphis: Nempè, *Nabuchodonoſorem Aſſyrium* in Manaſſis incidiſſe tempora; expeditionem *Holophernis*, in illud tempus quo Manaſſes Babylone vinctus, anno Nabonaſſ. 58. &c.
Ῥιγήβαλος *Regen-belus*, *Rigebelus*, *Erigebal.*	1.	55.	
Μεσεσιμορδάκος, *Meſeſſimordac*, al. *Noëſne-mordac.*	4.	59.	Status popularis Athenienſium; *Creon* primus *Archon* annuus, Anno IV. Olymp. XXIII. Nabonaſſ. 63.
Ἀβασιλεύτου δευτέρου, ſeu *Interregni* II.	8.	67.	
Ἀσαραδίνος, *Aſsar-adinus*, *Aſsar-haddon*, *Eſar-haddon*, *Jera-edden*, *Jear-jedinus.* Hic conjunxit utrumque regnum, *Babylone* & *Nino* potitus; de eo *Eſdr.* IV. 2.	13.	80.	Sub hoc veriùs, quàm ſub fictitio Aſſyriæ rege *Nebucadnezare*, *Coloniæ* Cuthæorum Samariam deductæ. Et *Manaſſes* Babylonem adductus. *Pſammitichus*, ſublatâ in Ægypto Δωδεκαρχίᾳ, quæ XV. annos duraverat, Regnum Ægypti ſolus obtinuit, ab anno Nabon. 77. & quidem annos totos 54. Cui ſuccedit *Nechos*; huic *Apries*, ſeu *Hophra*; hinc *Amaſis.* Idem *Azotum* urbem, ſeu Aſhdod, expugnavit, annis XXIX. obſeſſam juxtà *Herod.* *Tullus Hoſtilius* Rex Romanor. III. regnat ann. XXXII. ab a. U. C. 83. Nab. 77.
Σαοσδούχινος, *Saoſduchinus*, *Saoſduchæus*, Babylonior. & Aſſyriorum Rex. Cenſetur aliis idem qui in Hiſt. Apocryphâ Judithæ, *Nabuchodonoſor* appellatur, & quidem Rex *Aſſyrius*, cujus regia *Ninive.* Fabulæ!	20.	100.	Saoſduchino Rege, vixit adhuc Manaſſes, uſque ad annum Nabon. 105. Olymp. XXXIV. Per. Jul. —— 4071.
Χυνιλάδανος, *Chyniladanus*, *Kiniladal.* Qui & *Saracus*, imperans Babyloniis & Aſſyriis. Tandem à Nabopolaſſare, & Medis, regno exuitur.	22.	122.	Hoc intervallo Reges Judæ, poſt Manaſſem, *Amon* annos 2. & *Joſias*, ab anno Nab. 107. Anno autem *decimo tertio* Joſiæ Regis, initium eſt prædicationis Jeremiæ, *Jer.* I. *Ancus Martius* IV. Rex Roman. A. U. C. 115. Nab. 109. Regnat a. XXIV. *Cyaxares* Medorum rex tertius, pater *Aſtyagis*, regnat annos XL. ab anno circiter Nabon. 114. Sed initio ſtatim regni, à *Scythis* in Aſiam irrumpentibus, oppreſſus, per annos 28. ex Herodot. *Periander* Corinthiorum Tyrannus. Nec multo poſt *Draco* Athenienſium Legiſlator, ac poſteà *Solon.*
Ναβοπολάσαρος, *Nabopol-aſsar*, aliàs *Nabuchodonozor* pater, malè confuſus cum Nabonaſſaro. Regnat ab anno Æræ	21.	143.	*Necos*, *Nechao*, Rex Ægypti, à quo Joſias occiſus, cœpit A. Nabon. circiter 132. Movet contrà Aſſyrios. Redux

Digitized by Google

Reges Babylonior. & Aſſyrior.	*Anni ſingulorum.*	*Anni Collecti Æræ Nabonaſſ.*
ræ Nab. 123. Sunt qui huic tribuunt annos 25. etiam 29. Canon tantùm, 21. Vide *Petavium*, *Langium*, &c.		
Ναβοκολάσσαρος, *Nebocol-aſſar*, qui & *Nabuchodonozor* II. ſeu Magnus, filius prioris, à patre in ſocietatem regni aſſumptus, anno *Per. Jul.* 4107. Nabonaſſ. 141.	43.	186.

Synchroniſmi quidam.

dux ex bello Aſſyriaco, *Joachaſum* 3. menſium Regem amovit, & *Eljakimum* ſubſtituit.

Cyaxares, excuſſo *Scytharum* jugo, apud Herodot. circà annum regni XXIX. in *Aſſyrios* movet, ac *Ninum* expugnat, & ſecundùm alios etiam funditùs evertit: Nempè à *Nabopolaſſare* adjutus, contractâ affinitate inter Medum & Babylonium. Poſteà & *Lydis* bellum intulit, Alyatte Rege, Crœſi Patre. Ad hæc tempora refertur à Marshamo Regnum *Medo-Perſarum*, Perſis ſub jugum Medorum reductis, circà initia Zedekiæ, *Jer.* XLIX. 34. Et Regem primum facit *Aſtyagem*, qui idem ſit qui in Sacris *Darius Medus*, filius *Ahaſueri*, id eſt, Cyaxaris; *Dan.* IX. 1. Sed aut duo *Aſtyages* ponendi ſunt, aut peccat Marshamus προχρονισμῷ, in aſſignando initio Regibus *Medo-Perſicis*: A quibus *Suſa* expugnata, ſed aliquot annis poſt excidium Templi, quæ fuit Urbs territorii *Chaldæorum*, *Dan.* IX. 1.

Babylon deinceps, expugnatâ *Nino* à Cyaxare, ſtrenuè munita fuit, metu Medorum; & *Nitocri*, matri Labyneti, tribuit Herodotus novas foſſas in quas derivarit Euphratem, novos aggeres ſtupendi operis, alia, quæ vide *Lib.* 1. C. CLXXXV.

Roman. Rex V. *Tarquinius Priſcus*, A. U. C. 140. Nab. 134. Regnat ann. XXXVIII.

Ab hujus Nebucadnezaris, anno 1. Nab. 141. Jehojakimi deſinente III. vel incunte IV. inchoantur anni LXX. Captivitatis Babylon. terminandi in 1. Cyri. Fuit is annus XXIII. prophetantis Jeremiæ, *Jer.* XXV. 3. Vide infrà Canonem Epochæ VII.

Urbs exciſa, XI. Zedekiæ Regis, Nebucadn. anno 19. Æræ Nabonaſſ. 160.

Tyrus Vetus, *Palætyrus* nobiliſſimum Emporium totius Orientis, in continente poſita, tùm obſeſſa fuit per Nebucadn. & poſt annos XIII. Babyloniis dedita, ſecundùm Petavium permiſſa *Regibus tributariis*. Alii penitùs *exciſam* contendunt, prædicente Ezechiele, *Cap.* XXVI. Et indè *Tyrus Inſularis*, ſeu Tyrus *nova* ſurrexit, quam Alex. M. jacto aggere peninſulam fecit. Finitimæ Gentes etiam à Nebucadnezare ſubactæ, *Coele-Syri*, *Ammonitæ*, *Moabitæ*, &c. Vide *Ezech.* XXV. XXVI. &c.

Hophra vel *Apries*, Rex Ægypti, ſublatus eſt à Babyloniis, Ægypto occupatâ, juxtà Prædict. *Jeremiæ*, XLIV. & *Ezechielis*, *Cap.* XXIX. anno Æræ Nab. 171. Poſt eum regnavit *Amaſis*, qui ex Præfecto ſive Apries, ſive Nebucadnezaris, Regnum Ægypti, jugo excuſſo, invaſit, anno Nab. 185. Regnat juxtà Herodotum annis XLIV.

Cyrus ex ephebis exceſſit, circiter anno *Per. Jul.* 4142. Nabonaſſ. 176. quando exercitum duxit in Regem Babyloniorum, militans Cyaxari avunculo ſuo, ſi Xenophonti fides. Vide Xenoph. περὶ Κύρου παιδείας *Lib.* 1. &c.

Servius Tullius Rom. Rex VI. A. U. C.

 177.

Reges Babylonior. & Aſſyrior.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
			177. Nab. 171. regnat annos 44. Qui Romæ cenſum primus inſtituit.
Γλυαρυδάμος, *Ilvarodamus*, *Evil-Merodach*, filius Nebucadnezaris. Malè hic cenſetur eſſe *Belshaſar*, vel *Baltaſar*, ut Marshamo in *Can. Chron*, & ſi quibus aliis. Hic *Jechoniam* ex carcere liberatum extulit, & annonam illi decrevit, 2 *Reg.* XXV. *Jer.* LII.	2. completi, al. 3.	188.	*Aſtyages* Medus, Cyaxaris filius, (qui creditur eſſe *Ahaſuerus* Tobithæ) regnat annos XXXV. Poſt quos à *Cyro* nepote Mediæ regno exuendus fuit. *Cyaxares* II. Filius Aſtyagis, frater Mandanes Matris Cyri, regnat in *Medo-Perſis*, juxtà Xenophontem. Creditus Uſſerio & aliis *Darius Medus*, dictus filius *Ahaſueri*, *Dan.* IX. I. Aliis contrà creditur eſſe *Ahaſuerus*, de quo in hiſt. Eſtheræ, filius *Darii Medi* ſeu Aſtyagis, à quo *Suſa* expugnata fuerat, regni ſedes. *Piſiſtratus* Athenis Tyrannidem obtinet, A. Nab. 188. *Solone* paulo poſt defuncto. Septem antè Olympiadibus, *leges* à Solone latæ.
Νεριγασσολάσσαρος, Νεριγλίσαρος, *Neri-gliſſoroar*, *Nergal-aſſar*, gener Nebucadnezaris, affinis Evilmerodachi, de genere *Medorum*, ut Marshamus. Juxtà alios *tutor* Belshaſaris annis V. Λαβοροσοάρχοδος, *Labor-Aſſar-cad*, filius *Nergal-aſſari.* Tacet hunc Canon Ptolem. Habent verò Beroſus, Megaſthenes, Joſephus, Euſebius; ac ſolum hunc regnaſſe aliquot *menſes*, qui comprehenduntur in annis V. Patris. Petavio & aliis hic putatur eſſe, ex Beroſo cui nimium tribuunt, *Belshaſar* dictus *filius* Nebucadnezaris, quatenùs ejus ex filiâ nepos, filius verò *Nergal-aſſari.*	4. compl. vel 5.	192.	*Cyrus*, poſt Aſtyagem exutum, Medis imperat, ab A. Nab. 189. *Per. Jul.* 4155. Olymp. LV. anno II. antè exceſſum annis XXX. In Lydiâ regnat eo ferè tempore, *Crœſus*, affinis Aſtyagis, ab A. Nab. 190. qui bellum poſteà adversùs Cyrum movet, infelici ſucceſſu. A Cyro captus, & Sardes expugnatæ, *Olymp.* LIX. circa Ann. Nabon. 204. ut Petav. poſt Excid. annis 49. ut Marmora. *Amaſis* in Ægypto regnat, ut ſuprà. *Servius Tullius* adhuc Romæ regnat. In Græciâ tyrannidem adhuc *Athenis* exercuit Piſiſtratus, poſt eum Hipparchus filius.
Ναβονάδιος, *Nobonadius*, *Nabonidus*, *Naboneth*, *Nabonnidochus*, *Labyneth*, cujus mater Nitocris, apud Herodot. Plurimis ultimus ex ſtirpe Nabuchodonoſoris, filius *Evilmerodachi*, nepos Nebucadnez. idemque qui in Sacris *Belſhaſar*, *Jer.* XXVII. 7. *Dan.* I. Ita Joſephus, Hieron. Torniellus, Uſſerius &c. Ultimus hic Aſſyriorum vel Babyloniorum Regum, à *Cyro* victus, qui *Babylone* potitus eſt IX. annis antè exceſſum, *Nabon.* 210. VII verò ante obitum annis acceſſit regnum *Medo-Perſarum*, obitu Cyaxaris Soceri & Avunculi. Nec audiendi, judicio noſtro, Scaliger, Petavius, & alii, qui hunc *Nabonnedum* volunt eſſe filium *Oxyaris*, à Medis oriundum, eumque *Darium Medum*, de quo *Dan.* VI. A quo ſcilicet Belshaſar in convivio ex conſpiratione cæſus fuerat.	17.	209.	*Darius Medus* Doctiſſimis Chronologis creditur aliis *Aſtyages*, filius Ahaſueri, id eſt, Cyaxaris Senioris, & ità Marsh. Aliis idem qui *Cyaxares*, Aſtyagis filius, *Cyri* avunculus & ſocer, cui Imperium, poſt devictum *Nabonnedum*, & *Crœſum*, à Cyro Perſarum Monarchâ traditum fuerit, ulteriùs victorias ſuas Aſiaticas proſecuturo. Hæc ex Xenophonte, quem *Joſephus* ſequitur. Joſephum quidem *erroris* arguit Theodoretus, *Comm. in Dan.* VI. à p. 616. T. II. ſed ratione infirmâ; quod nempè aliud Regnum Darii Medi, aliud Cyri fuerit, hinc conjunctis copiis Babylonem aggredi non potuerint.

Digitized by Google

Caput XII.

Pars altera Canonis, complexa Æram Monarchiæ Perſicæ, cum incluſis annis Alex. M.

Eſt annorum CCXV. *Series Perſarum Regum.* I. *Cyri, & ultimus Captiv. in Script. S. quis annus? Initium* LXX. *ſeptimanar. Danielis, ubi figendum? Nobiliores quidam ſynchroniſmi Chronologicè notati, ex Hiſt. Græcâ, & Romanâ. Anni ſinguli Alexandri M.*

Reges Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
Κῦρος *Cyrus*, juxtà Canonem Ptolem. Nempè IX. anni Cyro tribuuntur; antè ejus exceſſum, initio ducto à victoriâ de Nabonnadio reportatâ, & captâ *Babylone*: Quando adhuc in vivis fuit *Cyaxares*, cujus copiis adjutus eam Expeditionem ſuſceperat Cyrus. Aliàs initium *Monarchiæ Cyri*, apud Xenophontem *Lib.* VIII. de Exped. Cyri, p. 233. refertur ad *ſeptimum* antè obitum annum, quando nempè Cyaxare defuncto, Imperium Medo-Perſarum ad eum devolutum eſt. Et hic I. annus *Cyri*, in Sacris. Et indè quoque, cenſendus eſt finis *Captivit.* LXX. annorum, quando ipſe profeſſus eſt, Deum ſibi *tradidiſſe omnia regna terrarum*, *Eſdr.* I. 2.	9.	219.	Tum nempè *Edictum* prodiit, pro reditu Judæorum, & inſtauratione Templi, exactis annis LXX. Captivit. 2 *Chron.* ult. *Eſdr.* I. prædicente *Eſai.* XLIV. 28. XLV. 13. *Per. Jul.* 4178. Anno 2. à reditu Judæorum *Templi* fundamenta jacta ſunt à *Zorobabele*, & *Joſua* Joſedici F. ſummo Sacerdote. Sed interturbatur opus calumniis Samaritanorum, ſive Cuthæorum. Malè à I. *Cyri* numerantur Euſebio LXX. *Hebdomades* Danielis.
Καμβύσης *Cambyſes*, pleriſque creditur *Ahaſſuerus* ille apud Eſdram, *Eſdr.* IV. Hunc alii fecerunt *Nebucadnezarem* eum, de quo in Hiſt. Judithæ, apud *Euſeb.* Includuntur menſes VII. Smerdis perſonati, ſive Magi.	8.	227.	Sub initia Cambyſis, moriuntur Athenis *Piſiſtratus*; & in Ægypto *Amaſis*, cui Pſammenitus ſucceſſit: Paulo antè expeditionem *Ægyptiacam* Cambyſis, ubi crudeliſſimè ſæviit. *Polycrates* Samiorum tyrannus regnat.
Δάρειος υἱὸς Ὑστάσπου, *Darius filius Hyſtaſpis*, Rex electus, aſtu ſtratoris ſui, ab anno P. J. 4193. *Nabon.* 227. expirante. Multis creditur idem qui *Ahaſſuerus*, *Eſdr.* IV. 6. & in Hiſt. *Eſthera*, & ita quoque Uſſerio Armachano; Non item Scaligero, nec Petavio. De quo in Hiſtoricis judicium, ad *Epoch.* VII. Certum, eſſe hunc *Darium*, ſub quo Templum II. inſtauratum, & abſolutum, anno VI. deſinente, *Per. Jul.* 4199. *Nabon.* 234. Et ità Petavius, Uſſerius, ac principes Chronologi. Dario Hyſtaſpis, juxtà Eteſiam, & Marmor Chronologicum, nonniſi 31. anni tribuuntur. Secùs apud Herodotum, Thucydidem, & in *Canone* Mathematico.	36.	262.	*Smerdes*, qui filii Cyri perſonam aſſumpſerat, putatur eſſe qui in Script. S. *Artachshaſta*, *Eſdr.* IV. *Darii* anno II. *ſecundum* Edictum pro Judæis, XVIII. anno à *primo* Edicto Cyri. *Pythagoras* Italicæ ſectæ princeps, floruit: Paulo poſt *Heraclitus* Epheſius. Sub Dario *Tarquinius Superbus* Româ pulſus, & Regium nomen extinctum, *Anno Nab.* 240. *Urb. Cond.* 245. Hinc Æra Regifugii. Coſſ. primi fuêre, *Lucius Jun. Brutus*, *L. Tarquinius Collatinus*, qui ob invidiam nominis, ceſſit eodem anno *P. Valerio*. Darii anno XXXI. pugna *Marathonia* contigit, *Boedromione* menſe. *Æſchylus*, *Pindarus*, *Simonides*, floruiſſe dicuntur in Chronico Canone, qui etiam ſub Xerxe.
Ξέρξης *Xerxes*, Darii filius, vivo Patre aſſumptus, A. Nabon. 262. Solus regnat, poſt mortem Patris annos 20. juxtà Diodorum, Euſebium, &c. Plurimis creditur *Ahaſſuerus* maritus Eſtheræ, Lydiato, Scaligero, Calviſio, &c. Joſephus malè ad *Xerxem* retulit, quæ leguntur apud Eſdram & Nehemiam, *Antiq.* L. XI. C. V.	21.	283.	Hujus anno VI. contigit Διάβασις in Græciam, appetente vere, Ponte Helleſponti freto impoſito, anno *Nabon.* 269. Olymp. LXXIV. anno 4. Euſebius habet *Olymp.* LXXVI. *Themiſtoclis*, & *Pauſaniæ*, & *Ariſtidis* tempora. *Sophocles* claruit, junior nonnihil *Euripides*. Claruit & *Herodotus*; qui deſinit in pugnâ ad Platæas, & ad Mycalen Joniæ montem, ſed navali prælio. Undè incipit æmulus *Thucydides*. *Joachimus* vel *Eljachimus*, II. Pontifex Judæorum à reditu.
Ἀρταξέρξης ὁ Μακρόχειρ *Artaxerxes Longimanus*, ſive *Prior*; pluribus *Artaſtha* ille	41.	324.	Coincidit I. Artaxerxis, cum anno *Per. Jul.* 4249. Olymp. LXXVIII. anno 4. Na-

Reges Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
Ille de quo *Eſdr.* VII. Aliis etiam dictus *Xerxes*, prout confuſa nomina *Xerxis* & *Artaxerxis*; & *Artä* regem ac principem ſignificare (unde *Artabanus*, *Artabarus*, *Artaphernes*, &c.) Eruditi. *Ahaſſuerum* hunc eſſe, Joſephus, Petavius, Salianus, alii. Hujus anno VII. prodiiſſe Edictum III. in Judæorum gratiam, cujus vi profectus Eſdras cum ampliſſimis muneribus, inſtaurator Cultûs & Politiæ, conſentiunt doctiores Chronologi. Edictum *ultimum* anno ejuſdem XX. *Neh.* I. II. *Joſeph.* L. XI. C. V. Duplex verò hujus *initium* ſuſpicantur: Alterum vivo adhuc Patre, anno *Nabon.* 275. Xerxis 12. Colligunt ex fugâ *Themiſtoclis*, ad *Xerxem*, juxtà nonnullos Hiſtoricos; quem Thucydides & alii, ad *Artaxerxem* confugiſſe memorant, apud Plutarchum, in Vitâ Themiſtoclis, probante Petavio. Alterum verò initium ferè *decennio* poſt, patre defuncto: Et à poſtremo hoc initio ſupputandos eſſe annos 40. Quibus ſi addis, poſt ejus obitum, *Xerxis* II. menſes duos, & *Sogdiani* menſes VII. ex Diodoro, Euſebio, &c. fiunt anni, juxtà Canonem — — — — 41.			Nabonaſſareo — — — 284. antè Chriſtum natum — — 465. Initium LXX. Septimanarum Danielis, juxtà Funccium, & ὁμοψήφους, ſumitur ab anno VII. Artaxerxis, id eſt, ab anno *Per. Jul.* 4256. Aliis cum Africano initium LXX. Septiman. ab anno XX. hujus Artaxerxis, *Per. Jul.* 4269. Sed ita ut ferè coincidat cum ſententiâ priore, ratione *termini*, ſcil. in anno Dominicæ Paſſionis. Nempè intellectis ità annis apud Danielem *Lunaribus*, ſeu *Arabicis*, contractis, ſine intercalatione, ſi à Xerxis obitu ſit initium Artaxerxis. Vel juxtà Petavium alioſque inchoando annum XX. Artaxerxis, non à *Xerxis obitu*, (ita enim non LXX. ſeptimanæ annorum numerari poſſent ad *Paſſionem* Dominicam) ſed à tempore, quo Artaxerxes vivo Patre *Regis* titulo gaviſus ſit, ſcil. à Xerxis anno 12. *Per. Jul.* 4259. Et ſic LXX. Septimanæ inchoantur, juxtà Petavium, Uſſerium, &c. ab A. Per. Jul. — 4260. anno *Nabon.* — — — — 295. antè Æram Nativit. — — 454. Quibus ſi addantur anni Chriſti, ad Paſſionem uſque, 33. fiunt anni 487. ut in *medio* ſeptimanæ ultimæ *Chriſtus* ſublatus ſit. *Eliaſib* III. Pontifex à Captivitate. Nehemias, anno XXXII. Artaxerxis, redit ad Regem, *Neh.* V. XIII. poſteà reverſurus cum novâ poteſtate, *Neh.* XIII. 6. Hoc intervallo, indè ab extremis Xerxis, & ſub Artaxerxe, nati *Socrates*, *Democritus*, *Hippocrates*, &c. *Pericles* floret, Dux & Orator, qui ſuaſu Alcibiadis Græcos implicat tandem Bello Peloponneſiaco. *Perdiccas* Rex Macedonum regnat, &c. Romæ I. *Ludi Seculares* acti, teſte Cenſorino, anno *Urb. Cond.* 298. *Nab.* 293. Romæ creati *Quæſtores*, quaſi *quæſitores*; Etiam *Decem-viri*, cum ſummâ poteſtate, ſed mox abrogandi; hinc *Tribuni Militum*; tum *Cenſores* primi, &c. *Græcia* bellis civilibus vehementer afflicta. Bellum *Peloponneſiacum* ortum anno II. *Olymp.* 87. Paulo poſt moriturus belli fax *Pericles*. Cyclus *decemnovennalis* Metonicus inſtituitur, à Metone Aſtrologo, filio Pauſaniæ, anno IV. Olymp. 86. anno Nabonaſſ. 316. Emendandus poſteà à *Calippo* fuit.
Δάρειος ὁ Νόθος, *Darius Nothus*, qui & *Ochus*. Malè hunc cenſent Druſius, Scaliger, Calviſius, Emmius, &c, ſub quo *Templum* II. inſtauratum fuerit. Malè etiam indè ab anno ejus 2. inchoant LXX. *hebdomadas* Danielis, quæ inchoandæ ab *Edicto*, de inſtaurandis muris & plateis Hieroſolymorum, ut ſuprà, ad XX. Artaxerxis Longim. obſervatum. *Darius*, de quo *Neh.* XII. putatur hic ipſe Darius *Nothus*, Uſſerio & aliis. Ἀρτα-	19.	343.	*Demoſthenes*, Dux Athenienſ. floret, & cadit in Siciliâ. *Ariſtophanes*, *Alcibiades*, &c. florent. *Diogenes* Cynicus naſcitur, moriturus *Nonagenarius*, eodem anno & die, quo Alexander M. *Eſdras* & *Nehemias* adhuc floruerunt; A reditu Pontifices fuerunt, *Jojada* IV. *Johanan* vel *Jonathan* V. poſt hunc *Jaddua* VI. qui tempore Alex. M. *Malachias* Nehemiæ σύγχρονος, ultimus Prophetarum; quibus Viros *Synagogæ Magnæ* Judæi ſubſtituunt. Da-

Digitized by Google

Reges Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
			Darii Nothi anno XI. *Ægyptii* Perſarum jugum excutiunt.
Ἀρταξέρξης ὁ Μνήμων, *Artaxerxes Memorioſus*, qui & Artaxerxes. II. anteà Arſaces. Malè hunc Scaliger, Calviſius, & ὁμόψηφοι cenſent eum eſſe, de quo Eſdras & Nehemias. Artaxerxi Mnemoni Diodorus tribuit tantùm annos 43. Euſebius, Scaliger, Petavius, Langius, &c, nonniſi annos 40. Sed viciſſim quos detrahunt annos Canoni Mathematico, eos addunt *Ocho* Succeſſori.	46.	389.	*Cyri* Junioris ἀνάβασις contrà fratrem Artaxerxem, auxiliantibus Lacedæmoniis, Artaxerxis anno 5. De quâ *Xenophon* Dux, & Hiſtoricus. Incipit undè deſierat Thucydides, ab *Olymp.* XCII. anno 3. *Socrates* cicutam haurit, anno I. Olymp. XCV. quod Deum dixiſſet quærendum non in ſimulachris, ſed in Cœlo. Hinc *nubes colere*, Ariſtoph. in *Nubibus*. *Dionyſius* Senior Syracuſis tyrannus. *Ageſilaus* Rex Spartanor. floret. *Ariſtoteles* naſcitur, teſte Dionyſio Halicarnaſſ. anno Nabon. 356. Olymp. XCIX. anno I. *Roma* à *Gallis* Senonibus capta, & incenſa, obſeſſo Capitolio. Victi paulo antè Romani ad *Alliam* fluv. (in Sabinorum regione, ad *undecimum* lapidem) anno U. Cond. 364. Liberatore tùm Romanorum *Camillo*, ac Dictatore. *Plato* Philoſophus, *Iſocrates* Sophiſta, &c. florent. Ille moriturus ſub *Ocho*, natus annos LXXXI. iſte ſub *Dario* ultimo, natus annos CVI.
Ἀρταξέρξης Ὦχος, *Artaxerxes Ochus*, ſive III. Euſebius huic tribuit annos 26. Et ità quoque Petavius, dùm nonniſi annos 40. priori *Artaxerxi*. Alii annos tribuunt Ocho 23. ex Diodoro. Falsò hic etiam creditur eſſe *Artaxerxes*, de quo Eſdras & Nehemias.	21.	410.	*Epaminondas* Thebanus ſub Ocho obiit: Sub hoc & *Bellum Sociale* contrà Athenienſes, Societate initâ inter *Byzantios*, *Rhodios*, *Chios*, &c. *Philippus* Pater Alexandri M. regnat, ab anno *Nabonaſſ.* 390. *Xenophon* Hiſtor. *Democritus Philoſ.* &c. fato functi; *Demoſthenes* Orator floret. *Curtius* in voraginem ſe præcipitavit pro Republicâ. Romæ primus è plebe *Conſul*, latâ lege, creatus eſt, A. U. C. CCCXCVIII. Primus quoque *Prætor*, è Patribus factus, qui abſentibus Coſſ. *jus diceret*, Collega Conſulum habitus: Undè *tres* Romæ ſupremi Magiſtratus, *Conſules*, *Cenſores*, *Prætores*. *Alexander M.* Pellæ natus eſt, juxtà Diodorum, Olymp. CVI. anno I. *Nabon.* 393. *P. J.* 4358. menſe Λώῳ Macedonico, Archonte Calliſtrato. Eodem *die* conflagravit Epheſi *Dianæ* Templum: Solinus & Gellius in uno alterove anno diſcedunt. Vixit ann. 32. menſ. 8. Sub extrema Ochi naſcitur *Epicurus*; & *Ariſtoteles* ad Philippum proficiſcitur. Hoc tempore *Theopompus* Hiſtoricus, & *Theodectes* Tragicus, vixiſſe dicuntur; quorum alter mentis, alter oculorum ſcotomate percuſſus, quod vulgare quædam ex Libris Sacris attentaſſent, apud Joſephum & Euſebium, ex *Pſeudo-Ariſteâ*. Idem Artaxerxes Ochus totam *Ægyptum* occupavit, Nectanebo II. Rege in Æthiopiam pulſo; & ſic finis Ægyptiorum Imperio A. 3. Olymp. CVII. XIX. annis antè initium Monarch. Alex. Dehinc plurimos *Judæorum* fertur Ochus abduxiſſe in Hyrcaniam & Babyloniam.
Ἄρσης τοῦ Ὤχου, *Arſes Ochi* filius. *Arſi* annos IV. alii tribuunt; & ità Euſebius,	2.	412.	*Jaddua* vel *Jaddus* ſummus adhuc Judæorum Pontifex.

Reges Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
bius, Petavius, Canon Mathem. 2. annos integros, ut *tertio* anno è vitâ ſublatus ſit à Bagoâ Eunucho, à quo & *Ochus* interfectus.			*Philippus Macedo* totius Græciæ contrà *Perſas* Imperator, anno qui præceſſit ejus necem, intentatam à Pauſaniâ.
Δάρειος ὁ Ἀρσάμου *Darius* Arſamis filius, anteà *Codomannus*, Rex beneficio Bagoæ; Sive jam is *Regio* genere, pronepos Darii Nothi, ſive ex *Aſtandarum* vel *Angarorum* ordine. Evectus ad regnum *Olymp.* CXI. anno I. U. C. CCCCXVIII. Alexander in ejus Throno conſedit, hinc Darius regnare deſiit, A. *Olymp.* CXII. an. III. U. C. CCCCXXIV. Duravit ergò Monarchia Perſarum à I. Cyri ad VI. Darii Codom. annos totos CCVIII. ſecundum *Canon.* Qui duraſſe volunt annos CCXXIX. incipiunt à I. Cyri quum *Perſis* regnare cœpit, XXX. annis antè obitum. Qui CCI. vel CCIV. vel CCVI. faciunt pro variatione Hiſtoricorum, circà annos nonnullorum Regum, ex ſuperiori *Diagramm.*	6.	418.	*Sanaballetes*, *Sannebalat* Cuthæus, in Samariam Satrapa miſſus, *A. Nab.* 413. Filiam ſuam deſponſat *Manaſſæ* fratri *Jaddi* ſummi Sacerdotis: Ædificaturus paulo poſt *Templum* in monte Garizimitano, permiſſu Alexandri M. ne gener Sacerdotio excideret. *Alexander Macedo* regnare incipit in Macedoniâ, A. *Per. Jul.* 4378. A. Nab. 413. *Olymp.* CXI. anno I. *In Aſiam* per Helleſpontum trajicit, anno regni 3. Primus Olymp. CXI. anno 3. cum Dario conflictus, ad *Granicum* Phrygiæ amnem. Alexander *Tyrum* expugnat, dein per Phœniciam in Ægyptum properat, anno regni 4. Tùm verò à *Judæis*, datis ad Jadduam literis, auxilia & tributa exegit, quæ primò negant. Captâ Tyro *Judæam* invadit: Hieroſolymam properat, obviam fit illi *Jaddua* Pontifex, cum habitu Pontificali, oſtenſurus Alexandro vaticinium Danielis, C. VIII. XI. Hinc *Gazam* expugnat. Hæc omnia Anno *Nab.* 417. *Per. Jul.* 4382. *Alexandriam* extruit, anno ſequente. Eodem contigit pugna ad *Arbela*, Kal. Octobr. Anno *Nab.* 418. *Per. Jul.* 4383. *Olymp.* CXII. anno 2. ingreſſuro mox Babylonem Alexandro. Indè initium *Monarchiæ Alexandri* M. quod inſignitum Charactere *Eclipſis Lunaris*, XI. die antè Pugnam.
Ἀλέξανδρος, *Alexander M.* potiturus Imperio Aſiatico annis VI. cum aliquot menſibus. Mortuus Babylone A. Per. Jul. 4390. Anno Nabon. 425. Olymp. CXIV. anno I. antè Æram Chriſtianam Vulg. Annis 324. Δαίσιον menſem, quo mortuus, alii Julianum *Aprilem*, alii *Majum*, alii cum Petavio *Julium* interpretati. A morte Alexandri, ſurgit caput *Æræ Alexandreæ* Ægyptiorum, Novembri Juliano: & *primus* Ptolemæi Lagi, ineunte anno Nabonaſſ. 425. Quando Æra *Nabonaſſarea* locum in Ægypto fecit *Alexandreæ*, quæ & Ptolemæorum.	6.	424.	Darius Alexandrum perſequentem è Mediâ fugiens, nefariè à Beſſo tollitur, anno *ſeq. Nabon.* 419. Eodem A. incepit Periodus Calipp. Pluribus Hiſtorici. A. *Nabon.* 422. Alex. Porum in Indiâ vincit.

Finis hactenùs Æræ Nabon. ſeu Canonis Mathemat.

CAPUT XIII.

Æra Alexandrea, quæ? Periodus Calippi undè? Mors Alexandri ſuis characteribus ſignata. Annos Philippi, undè dixerint? Æra Seleucidarum, & ejus varia Nomina. Alexander M. cur Arabibus Bicorniger? Diverſa hujus Æræ initia, in Libris Maccab. &c. Æra Lagidarum quæ? Duratio ſingularum, & collatio ad Per. Jul.

Æræ Alexandreæ triplex initium.

ÆRÆ *Alexandreæ* triplex initium, quandoque cenſetur; Primùm Olympiad. CXII. anno III. à I. anno Imperii Aſiatici, devicto Codomanno, Æræ Nabonaſſ. 419. Per. Jul. 4384. Indè incepit Periodus Calipp. ex IV. Cyclis decemnovennalibus, conflata: Sed ità ut imperium Aſiaticum Alexandri M. incipiat ab *Autumno*, Kal. *Octobr.* Boëdromione menſe; Periodus Calippi à ſequente *ſolſtitio æſtivo*; mortuo hinc Alexandro ejus *Periodi* anno proximè antè inchoato VII. Et quidem ſecundum Arrianum, Plutarchum, Canonem Ptolem. &c.

Alterum initium eſt, à morte Alexandri, incipiens ab anno Æræ Nabonaſſ. 425. ſecundum Canonem, Periodi Jul. mox ſecuturo anno 4391. & ità porro comparatis Æris reliquis. Et hinc procedunt anni *Philippi* Aridæi, fratris Alexandri, de quibus ſuprà in *Periodo Calipp.* Falluntur enim Arabes, & quoque Scaliger, qui Æram *Philippi* putant dici à *Philippo* patre Alex. M. veriùs à *Philip-*

po

po Aridæo, cui delatum ab Exercitu Imperium, ſtatim à morte Alexandri M. Et hæc Æra *mortis Alexandri*. Hinc etiam inchoantur anni *Ptolemæorum*, numeratis ab exceſſu Alex. annis Ptolemæi Lagi Filii, ferè XL. licet initio non Regis, ſed *Præfecti*, ex Canone Ptol. Euſebio, &c. Incipiunt hi anni à *Thoth* menſe Ægyptiorum, qui concurrit cum XII. *Novemb*. Juliani, a. U. C. 430. Per. Jul. 4390. ac currunt per annos *Ægyptiacos*, ſeu æquabiles, cum annis Nabonaſſareis. Familiaris hæc Æra eſt Ptolemæo, Cenſorino, Euſebio, &c.

Æra Seleucidar. Tertium initium eſt, annis XIX. à Periodo Calipp. inſtitutâ, XII. à morte Alexandri, I. *Seleuci* Nicatoris, ſeu Imperii ejus Babylonici, Periodi Jul. 4402. unde procedunt anni *Græcorum*, qui & *Alexandrei*, & *Seleucidarum*, vel *Syro-Macedonum*. Etiam anni Damaſcenorum, Apamenſium, Emeſenorum, &c. qui ſub Seleucidarum dominatu, hac uſi Epochâ, uti Syri omnes, Phœnices, Palæſtini, Chaldæi, &c. quod vel ex Nummis antiquis, nuper Viri in his literis principes demonſtrarunt. De his ſuprà, ubi de Periodo Calippicâ, à nobis

Judæis & Arabibus qui dicta? occupatum. Arabes vocant Æram الروم *Romanorum*, ſeu *Græcorum* qui novam Romam, Romanumque Imperium, tenuerunt. Et ità appellantur hi anni apud auctores Librorum *Maccab*. & Joſephum Hiſtoricum. Sed non unum eſt his annorum principium. Nam Liber I. *Maccab*. incipit à menſe *Niſan*, ſex menſibus antequam ordiantur Syri, qui à *Kal. Octobr*. ſequentibus; uti Liber II. *Maccab*. à menſe *Thiſri*, qui ſeptimus Hebræorum: Undè hujus calculus aliquando anno uno minor eſt, v. gr. memoratur annus CL. I *Macc*. VI. 20. qui auctori II *Macc*. XIII. I. eſt CXLIX. Ac conſentiunt hac parte Scaliger, in poſteriore Edit. *de Emendat. Temp*. & Petavius *de Doctr. Temp*. L. X. C. XLIII. ac Chronologi recentiores. Judæi hanc Æram vocarunt *Æram Contractuum*, מנין שטרות *numerationem contractuum*, ab ejus uſu in Inſtrumentis publicis, ſub dominatu Macedonum, hinc reddunt alii, Æram *dominatûs*.

Arabes quoque vocant Æram ذو القرنين *Dhul-Karnain*, id eſt, *bicornigeri*, ſeu Alexandri, ut

Qui Cornigero de Jove natus erat.

Orientales vulgò, quod Solis duo cornua, Orientem & Occidentem, ſuis victoriis aſſecutus eſſet. Warnerus in quodam MS. ſic appellatum Alexandr. quaſi ab eo fuiſſent *omnia belli infortunia*; quomodò Arabes vocant *infortunium hominis*, hominem habentem *duo cornua*, ſeu *cornibus petentem*, aliàs نطاج, unde نطيج *homò exoſus*. Dicta iiſdem Æra *Hagarena*, quatenùs uſi iſtâ Arabes antè annos *Hegiræ* in ſupputatione temporum adhibitos.

Duratio Æræ Ptolemæor. Seleucidar. Duravit *Æra Ptolemæorum*, ſeu Lagidarum, à morte Alexandri, & primo Lagi, ad captam à Julio Cæſare Alexandriam, & ſublatum ultimum Ptolemæorum, (quod factum anno Periodi Jul. 4667. annis ferè 4. antè necem Julii, quæ incidit in annum Periodi Jul. 4670.) annos circiter 276.

Ad ſublatam vero Cleopatram, XVII. poſt annis, & captâ ab Auguſto Cæſare Alexandriâ, poſt Actiacam victoriam, anno Periodi Jul. 4684. (unde procedunt anni Actiaci) exurgunt Æræ Ptolemæorum, etiam juxtà Canonem, anni — 294.

Æræ *Seleucidarum*, quæ initium ſumit à I. Seleuci Nicatoris Babylone imperantis, (XII. annis à morte Alexandri, Periodi Jul. 4402. antè Æram Chriſti Vulgarem circiter 312. Olymp. CXVII. anno I. U. C. anno CCCCXLII. ut fusè à Chronologis demonſtratum) huic inquam Æræ ad finem Antiochi Aſiatici, Pii Filii, à Pompejo in ordinem redacti, anno Periodi Jul. 4648. antè Æram Chr. annis 66. huic inquam Æræ tribuuntur anni circiter — — — — — — — — 246.

CAPUT XIV.

Æra Antiochena quæ Syris? Ejuſdem caput, variè conſtitutum. Uſus in Chronolog. quis? Arabibus dicta Æra Hagarena. Æra Urbium aliarum, in Oriente, Tyriorum, Laodicenſium, &c. Æra Juliana, ſeu Anni Juliani. Æra Auguſtea, ſeu Rom. Imperii. Triplex ejus initium. Qui ſtatim à morte Julii deducant? Antiochenorum nova Epocha. Æra Actiaca duplex caput. Duravit in Ægypto ad Æram Dioclet. Æra Hiſpanica. Cur ſic dicta, & undè uſurpata Hiſpanis? Petavius notatus: Et Iſ. Voſſius, non uno nomine.

HÆC non una fuit. Condita primùm ab Antiochenis Syris abdicatâ Ærâ Seleucidar. in honorem *Pompeji M*. poſtquàm hic in Syriam ingreſſus, conceſſit illis jus αὐτονομίας. Deinde nova Æra in honorem *Julii Cæſaris*, ob conceſſam iis αὐτονομίαν ac tributorum remiſſionem, quum poſt Pharſalicam victoriam Cæſar, Pompejum perſecutus, in Syriam veniſſet. Hinc & χρηματισμὸς Magnæ Antiochiæ. Æra Antiochena, quæ dicta?

Caput ejus incidit in *Conſulatum* II. Caji Julii Cæſaris, Collegâ *P. Servilio* Iſaurici filio, ſeu in Monarchiæ Julianæ initium, poſt devictum Pompejum M. labente Urbis Cond. A. DCCVI. Autumno; licet Æram ſuam inchoaſſe Antiochenos ab Anno U. C. DCCV. pluribus ex ſcriptore Chronici Alex. & aliundè oſtendat Henr. Noriſius, *Diſſert*. III. de Anno Syro-Maced. Factum Olymp. CLXXXII. anno IV. aliis CLXXXIII. anno I. menſe *Hyperberetæo* Syro-Macedonum, ſeu VIII. *Kal. Octobris*; quum Pharſalica victoria inciderit in XXIII. *Septembr*. veteris. Poſteà retrahenda ad *Kal. Oct*. qui I. Hyberberetæi menſ. apud Antiochenos fuit, quo menſe & Ludos Olympicos celebrarunt; annis antè Chriſtum natum XLVIII. antè primam Indictionem Conſtantinianam annis CCCLX. Sed Chronicon Alexandr. inchoat hos annos à XII. d. menſis *Artemiſii*, ſeu *Maji*; quod ſic intelligit Henr. Valeſius, ad *Euagr*. Lib. I. C. XII. ut tum factum ſit Senatus-conſultum, quo conceſſa Antiochenis αὐτονομία. Verùm in temporum ratione non ſibi conſtare Chronicon Alex. pluribus exemplis adſtruxit Carolus du Freſne, *Notis* ad Chron. Paſchale. Accedit tamen illi Joh. Vaillantius, in Hiſt. Regum Syriæ. Valeſius autem annum Antiochenum inchoandum cenſet, à *Kal. Nov*. ſeu *Dio* Macedonico, quo nomine vapulat Noriſio, *Diſſert*. III. de Epochis Syro-Maced. Alii à *Dio* incepiſſe in anno ſacro; à *Gorpiæo*, vel *Hyperberetæo*, in anno civili. De hac Antiochenorum Ærâ, prolixè diſſertat Petavius, *Lib*. X. *Cap*. LXII. & Frater quoque meus, *Diſſert*. IX. de Uſu & Præſt. Numiſm. p. 866. 867. ut Henricum de Noris, alioſque taceam. Initium variè conſtitut.

Uſus eſt hac Epochâ inter Hiſtor. Eccleſiaſt. Scriptores, *Euagrius* Scholaſticus, ipſemet Antiochenus, ut pluribus exemplis adſtruxêre Ubbo Emmius, *Chron*. L. III. Valeſius, Noriſius, Frater meus, &c. Sed inchoat annos Euagrius Antiochenus à primo die *Gorpiæi* menſis, id eſt, à *Kal. Septembr*. Notata eadem & Johanni Malelæ Antiocheno, ſed auctori parachroniſmis pluribus ſcatenti, nuper ab Anglis edito; & Euſebio quoque in *Chronico*; uti in Nummis antiquis ſignata, atque inter Chronologos celeberrima. V. gr. Euſebius in *Chron*. notat annum Antiochenum CCCXXV. qui Probi Imperat. II. quando Hæreſis Manichæorum primùm incepit. Is fuit annus U. C. MXXX. Æræ Chriſtianæ CCLXXVII. undè Probi Chronologia cognoſcitur, & metachroniſmus Baronii. Sic perſecutionem Diocletiani, quæ ejuſdem anno XIX. incepit, Martio menſe, in diebus Paſchæ accidiſſe memorat Euſebius, juxtà Antiochenos anno CCCLI. Ejus Uſus.

id eſt, Anno Chr. CCCIII. undè rurſùs error Baronii, ſed & Petavii, qui conjiciunt in Annum CCCII.

Æræ Urbium aliarum Orientis. Ut autem Antiocheni, ſic reliqui Orientis Populi, ſuas proprias Epochas habuerunt, ad tempora deſignanda, ut ex Nummis intelligitur. Quomodo Euſebius in *Chron.* ad A. Chr. CCLXXVIII. cum Anno Antiocheno CCCXXV. conjungit *annum Tyriorum* CCCCII. *Laodicenorum* CCCXXIV. *Edeſſenorum* DLXXXVIII. *Aſcalonitarum* CCCLXXX. Epocha autem *Tyriorum* inde deducenda, conſentientibus Scaligero, Uſſerio, Noriſio, Fratre meo *Diſſert.* IX. quando αὐτονομίαν iidem conſecuti, faciente ſeu *Antiocho Grypo*, ſeu *Alexandro* cognomento *Zebenâ*, initio regni, poſt devictum fugatumque *Demetrium*, Anno U.C. DCXXVIII. Æræ Seleucid. CLXXXVII. inchoato, antè Æram Chriſti Vulg. CXXVI. Menſe Syro-Maced. ὑπερβερεταίῳ. Quæ pluribus excuſſit, poſt Uſſerium, & alios, Henricus de Noris, in *Diſſert.* de Epochâ Syro-Macedonum.

Epocha *Laodicenorum* Syriæ, initium habuit cum jure αὐτονομίας, & cæteris quæ accepit à Julio Cæſare Dictatore II. Anno U. C. DCCVI. ab Autumno, ante Annum Julian. II. ante Æram Chriſt. XLVII. & ſic anno uno junior *Antiochenâ*.

Epocha *Edeſſenorum*, Urbis in Meſopot. Metropoleôs Syriæ Osrhoënæ, (cujus Epochæ ibidem meminit Euſebius) eadem fuit cum illa *Seleucidarum*, de quâ ſuprà.

Epocha *Aſcalonitarum*, Urbis Palæſtinæ, cujus quoque meminit Chronicon Alex. initium duxit ab anno partæ libertatis, deficiente in Palæſtina imperio Antiochi Cyziceni, & excluſo dominatu Ptolem. Lathuri, qui fuit Annus U. C. DCL. in Autumno. Olymp. CLXIX. ann. I. Seleucidarum ann. CCVIII. antè Æram Chriſtianam CIV. Quanquam in anno uno, alterove, diſcedunt Scaliger & alii.

Sic notant Nummi veteres Æras *Sidoniorum*, *Gazaorum*, *Tiberienſium*, &c. de quibus præfata Nomina, & omnium inſtar Ezechiel Spanhemius Frater, & Henr. Noriſius, in laudatis Diſſertationibus.

Æra Juliana. Sic dicta à reformatione Kalendarii per *Julium Cæſarem*, Pontificem Max. Conſulatu ejuſdem III. Olympiadis CLXXXIII. anno III. qui fuit annus *Reſtitutionis*. Initium verò à ſequentibus Kalendis *Januar.* expirante anno *Confuſionis*, (qui fuit menſium XV. ut ſuprà) Periodi Jul. 4669. U. Cond. 709. Æræ Nabonaſſ. 703. anno uno & paucis menſibus antè Julii Cæſ. necem; ſeu Conſulatu ejuſdem IV. antè Æram autem Chriſti Vulg. annis totis XLV. Cæterùm de anno *Juliano* dictum pluribus ſuprà fuit. Adi Cenſorinum, & ex eo Scaligerum, Petavium, reliquos Chronologos.

Æra Augustea, & varium ejus initium. Annorum *Auguſti* varium initium eſt, varia Epocha. Aliquando à *cæde Julii Cæſ.* quæ ex conſenſione incidit in Eid. Martias *Periodi Jul.* 4670. Urb. Cond. ſecundùm Palilia Varron. A. DCCX. Julianum II. Conſulatum ejuſdem Julii V. antè Æram Chriſtianam Vulg. annis XLIV. Num verò ab hoc ſint inchoandi anni *Octavianæ potentiæ*, an à proximè ſequenti, controvertitur. Nec deſunt rationes, quæ ipſo anno quo ſublatus Julius cœpiſſe Octavianam potentiam ſuadent; quando ſe Julii hæredem declaravit, & filium, & nomen *Caji Cæſaris Octaviani* aſſumpſit, & mox *Sextili* menſe, qui poſteà *Auguſtus*, exercitum comparavit, undè etiam LVII. anni Imperii illi tribuuntur, cum aliquot menſibus, ut apud Joſephum *Antiq.* L. XVIII. C. III. Et ità quotquot Natalem verum conjiciunt in annum Auguſti XLII. U. C. DCCLII. poſt Epiphanium *Hæreſ.* LI. Alogorum, Oroſium, Bedam, Freculphum, Iſidorum, Paulum Diaconum, Marianum Scot. Sigonium, Panvinium, Temporarium, Capellum utrumque, &c. Sed & Euſebium in *Chronico* favere huic ſententiæ, Pontacus obſervavit, & Baronius, aliique. Sunt tamen qui malint inchoare annos *Octaviani Imperii*, ſecundo à cæde Julii Cæſ. Juliano anno III. *Vibio Panſâ*, & *A. Hirtio* Coſſ. quando faciente Cicerone, inſignia *Prætoria*, cum *extraordinario* Imperio, à Senatu accepit, ut Petavius, & alii.

Alterum initium eſt, à *Triumviratu* Octavii, M. Antonii, & M. Lepidi; & ſic annus I. incidit in annum *alterum* à cæde Jul. Cæſaris, ſublatis Bruto & Caſſio, Coſſ. M. Æmilio, & L. Munacio Planco, U. C. DCCXI. *Periodi Jul.* 4672. Poſteà verò ſublato Lepido tenuit Octavius cum Antonio Rempubl. annos totos XI.

Tertium initium eſt ab *Actiacâ victoriâ*, à quo tempore ſolus Octavius πᾶν τὸ κράτος ἔχειν, ut Dio loquitur. Accidit illa *Per. Jul.* 4683. 2. *Sept.* Coſſ. Octaviano Cæſ. III. & M. Valerio Meſſalâ Corvino, U. C. anno 723. Olymp. CLXXXVII. anno II. devictis ad *Actium* Epiri promontorium, navali prælio, Antonio & Cleopatrâ. Quo tempore & *Antiocheni* novam *Æram* condiderunt, dictam *Auguſtanam*, in favorem Octavii Cæſ. diſtinctè nempè ab Ærâ *Julianâ*, in honorem Julii conditâ, à Pharſalicâ victoriâ. Et hujus Æræ anno v. g. XXV. conſtat ex Nummis, *Q. Varum* fuiſſe Syriæ Prov. præfectum, forſan Sentio Saturnino adhuc adminiſtrante Phœniciam & Palæſtinam.

Rursùs *Æra Actiaca* geminum caput eſt: Alterum, à dictâ modò victoriâ ad Actium *Septembri* menſe: Alterum, ab anno ſequente, expugnatâ *Alexandriâ*, 29. Auguſti, *Per. Jul.* 4684. Urb. Cond. Palil. Varron. DCCXXIV. Olymp. CLXXXVII. anno III. Coſſ. Cæſare Octaviano IV. & M. Licinio Craſſo. Et præceſſit hæc Æra, eam quam dicimus *Dionyſianam*, annis XXX. Et hinc numerantur *Anni Auguſtorum*, vel *Auguſtanorum*, apud Cenſorinum, ſeu *Monarchiæ* Octavii Auguſti. Hinc etiam anni *Ægyptii* ex vagis fixi evaſerunt, ex æquabilibus Juliani, capite conſtituto in XXIX. Auguſti, undè *Thoth* incipit. A morte Alex. ad hanc Æram, mortuâ Cleopatrâ, anni fluxêre 295. A primo Nabonaſſari, anni 718. ſecundùm Canonem Ptolemæi. Et hujus quidem Æræ, ab *Actiacâ* victoriâ, quæ dicta *Æra nova Ægyptiorum*, uſus fuit uſque ad Æram *Diocletiani*.

Æra [Hi]ſpan[ica]. Cur dicta? [Ca]put demum. Sic dicta quâ uſi cœpêre *Hiſpani*, receptâ formâ anni *Juliani*, poſtquàm eorum regnum in *Provinciæ* formam redactum fuit, de Hiſpanis triumphante Domitio Calvino Proconſule, ex Dion. *Lib.* XLVIII. Vide Scaligerum, Lydiatum, & doctiſſimos alios Chronologos. Et quidem *Æra* hinc natam appellationem, cenſuêre à gravioribus *tributis* (ſeu *ære*) quæ pendere coacti Hiſpani.

Quicquid ſit de voce *æra*, vel *era*, de quâ ſuprà, accidit clades Hiſpanica anno Juliano VII. Æræ autem initium à Juliano VIII. ſeu à Kalendis Jan. ſequent. Periodi Jul. 4676. Olymp. CLXXXV. anno III. antè Æram Dionyſ. annis XXXVIII. Quos ſi addas annis dictæ Æræ *Dionyſ.* habebis Æram *Hiſpanicam*.

Mentio hujus *Æræ* in Inſcriptionibus vetuſtis, in Conciliis Hiſpanicis & Carthaginenſibus, in quibus *Era* ſcribitur. Ac perpetuus illius inter Hiſpanos uſus fuit, uſque ad Seculum XIV. imò in Luſitaniâ uſque ad annum 1415. Uſi & Ærâ hac Afri, Galli, Itali. Eadem & *Æra Cæſaris*, nempè Dictatoris, cujus annos aſſumpſit, & hinc Petavius, nullam cenſet veriſimiliorem hujus Æræ inſtitutæ cauſam dari, quàm quod eo anno *Julianam formam* admiſerint: Cur verò præcisè eo anno,

Digitized by Google

no, id eſt, XXXVIII. antè Æram Chriſt. non antè, *neque ſciri* (inquit) *neque valdè intereſſe ut ſciamus.* Sed cauſæ ſatis, quod tùm Romanis ſubjecta fuit Hiſpania, triumphante Domitio Calvino. Nec ſatis eſt negaſſe *Æra* hujus originem arceſſendam à victoriâ C. Domitii, quia non in Hiſpanis ſolùm obtinuit, ſed ad Afros, alioſque tranſiit. Iſaacus Voſſius, *de Sibyll.* C. III. ait, coincidere cum initio Regni Herodiani, ab occupatâ Hieroſolymâ, quò reſpexerint Judæi Hiſpani. Sed incidere illud in annum Julianum IX. Periodi Jul. 4677. pluribus Scaliger, *Emend. Temp.* Lib. V. Petavius *Lib.* XIII. Pagius in Crit. Baronianâ Apparatu *Num.* LXXXIX. qui multis idem voluiſſe *Joſephum*, quem prolixè vindicat. Præterea ſupponit hanc Æram à Judæis Hiſpanis eſſe profectam, in honorem Herodis M. quem pro Meſſiâ habuerint, eundemque הגר *Hager*, id eſt, proſelytum, ἐξόχως appellarint; unde *Hagera*, & extritâ literâ G. *Haera*, *Aera*, ut ſuaviter ludit Vir Doctiſſ. Quomodò eandem originem vocis *Hegira*, hinc *Heira*, hariolatur, applicatam nempè Æræ Arabum, ſive *Machometi*, quem plures Judæi pro vero Meſſiâ agnoverint, relicto altero Meſſiâ, *Herode* ſcilicet. Et quia Machomet *proſelytus* credebatur, hinc idem dictus הגר *Hager*, unde *Hegira*. Quæ commemoraſſe, refutaſſe eſt.

CAPUT XV.

Æra Regni Herodiani, ſub quo natus eſt Chriſtus. Caput ejus duplex. Singulorum characteres. Dionis & Joſephi diſcrepantia. Regnum Herodis quamdiu duraverit? Nupera demonſtratio. Vitium Æra Dionyſ. quale, ſed diverſimodè notatum, comparatè ad Annos Herodis. Baronii inſignis error.

Æra Regni Herodiani.

MAgnoperè hanc intereſt cognoſcere, quum ſub Herodis extrema natus ſit Chriſtus. Ex nullo verò certiùs characteres Regni Herodiani cognoſcantur, quàm ex Joſepho *Antiq.* Lib. XIV. C. XXVI. XXVII. Hujus quidem Epocha duplex:

Ejus initium duplex.

Prior una, quando ex S. C. regnum Herodi delatum eſt, ſive *Rex Judæorum* Romæ primùm à Senatu appellatus eſt, favore Octavii & Antonii, Triumvirûm. Deſignat tempus Joſephus, duplici charactere; primo factum *Olympiade* CLXXXIV. (ρ π δ′.) deinde, *Domitio Calvino* & *C. Aſinio Pollione* Coſſ. Quia verò horum Conſulatus in Faſtis notatur ad *Olymp.* CLXXXV. annum I. reſpexit Joſephus ad *principium* Olympiadum, quod incidit in mediam æſtatem; & ſic Conſulatus à *Kal. Januarii* ſequentis, concurrit partim cum Olymp. CLXXXIV. partim cum CLXXXV. Quod vero dicit Herodem Romam properaſſe χειμῶνος ὄντος, *Cap.* XXV. non *hyemem* voluit, ſed cœli tempeſtatem, jactato Herode *procelloſo* mari, ὡς πλεύσαί τε διὰ χειμῶνος, ut verba Herodis ad Antonium habuêre, *Cap.* eodem. Connectitur verò annus I. *Olymp.* CLXXXV. cum anno *Per. Jul.* 7674. *U. C. Varr.* DCCXIV. Nabonaſſareo 709. al. 708. Juliano VI. antè Æram Vulg. XL. Et quidem Noriſius *Cenotaphiis Piſanis*, Diſſert. II. C. VI. contendit Herodem *Regem* appellat. eo anno, circà *Septemb.* vel *Octobr.* Ita Dodwellus, *regnum Romæ inchoaſſe à Septembris fine, vel Octobr. initio*, A. U. C. DCCXIV. *Diſſert.* I. in Iren. Quanquàm alii connectant cum Juliano V. U. C. DCCXIII. antè Æram Chriſt. XLI. ſed argumento apodictico nullo.

Poſterior Epocha Regni Herodiani, eſt ab expugnatâ ab Herode Hieroſolymâ, quando in plenam regni poſſeſſionem venit. Obſidione cinxit Urbem, *anno tertio* ineunte, poſtquàm Romæ Rex declaratus fuerat, & tandem, poſt V. menſium oppugnationem, teſte Joſepho *de Bello Jud.* L. I. C. XIII. copiis Romanorum adjutus, & virtute C. Soſiæ Syriæ Præfecti, Urbem expugnavit Herodes. Accidit hoc *menſe tertio* anni ſacri, *eodem die* menſis, quo Urbs à Pompejo occupata fuerat, antè annos XXVII. ut Joſephus, & quidem currente tùm anno *Sabbatico* Judæorum. Characteres iterùm ſignat Joſephus, Conſulatum *Marci Agrippæ* & *Caninii Galli*, (legitur in Joſ. Κανιδίου) & *Olympiada* CLXXXV. nimirum anno ejus IV. Concurrunt Annus *Per. Jul.* 4677. U. C. *Varr.* DCCXVII. Julianus IX. Auguſtanæ Potentiæ à cæde Julii VIII. à Triumviratu VII. antè Æram Vulg. annis XXXVII. Ac potiùs Joſephus audiendus, quàm Dio Caſſius, qui in annum præcedentem conjicit expugnationem Urbis *Claudio & Norbano Coſſ.* Iterum ſunt qui captam Urbem velint menſe tertio *ſacro*, circà ſolſtit. æſtivum, alii menſe tertio *civili*, ultimo *Decembr.* ut quoque Uſſerius Armach. Et ſic Dionem cum Joſepho conciliant, quando expirabat Conſulatus *Claudii* & *Norbani*, Dioni notatus.

At quot annos duraverit Regnum Herodis, non ità certum. A *priori* Epochâ putat Joſephus annos XXXVII. *Antiq.* L. XVII. C. X. A *poſteriori* annos XXXIV. *de Bello Jud.* L. I. C. *ult.* ſecundùm poſteriorem hunc calculum, anteceſſit mors Herodis Æram Dionyſ. *triennio*, & ita quoque Petavius, qui conjicit in annum *Per. Jul.* 4710. U. C. 750. *Olymp.* CXCIV. anno I. Anno Juliano XLII. Auguſtani Imp. 40. Pagius 41. Sed Petavius putat Herodem mortuum circà *Paſcha*, haud longè poſt Eclipſim Lunarem, quæ eo anno accidit XIII. Martii, alii mortuum demùm ſequente *Novembri*, *Coſſ.* Calviſio Sabino, & Paſſieno Rufo. Probat idem nuperus ſcriptor Gallus, *Rigordius* in Hiſtoricâ Diſſert. *de Nummo Her. Antipæ*, (ſignato A. XLIII. *Cajo Calig. Germanico*) mortuum eſſe Herodem Patrem A. U. C. 750. Juliano propè expirante XLII. regni ſui à primâ Epochâ XXXVII. à ſecundâ XXXIV. *Novembri* itidem menſe. Quod pluribus *confirmat* Noriſius ad Pagium: Et Judæi quoque in ſuo Calendario, apud Seldenum, Scalig. qui notant Herodis mortem ad VII. *Casleu*, id eſt, XXV. *Novembr.* Quod ſi fuerit, nec numeri in Joſepho ſint corrupti, (depravatiſſimo ſæpè ejus calculo Chronol. ſaltem librariorum & temporum vitio) neceſſe eſt *Æram Dionyſianam*, cujus annus I. concurrit cum anno I. *Olymp.* CXCV. Juliano XLVI. U. C. DCCLIV. Auguſtæi Imperii XLIV. Per. Jul. 4714. peccare μεταχρονισμῷ *quadriennii*, minimùm. Nam natus *Chriſtus* vivo adhuc *Herode* & ſuperſtite ſaltem aliquot menſibus, adeoque antè annum Julianum XLII. Sive jam natus Juliano XLI. ut Petavius, & alii, ſive etiam XL. ut Joh. Keplerus, M. Ant. Capellus, &c.

Duratio regni Herod. Mors ejus quando.

Sunt verò qui *Herodem* diutiùs regnaſſe ſtatuerunt, quàm habent numeri in Joſepho, & à priori Epochâ, non annos λ′ζ. 37. ſed λ′θ. 39. à *ſecundâ* Epochâ, ſive captâ Hieroſolymâ, non λ′δ. 34. ſed λ′ϛ. 36. ſupputandos, aut etiam plures, ſaltem ut falſus Joſephus fuerit. Et his cenſetur omninò peccare *Æra Dionyſiana*, incipiens ab anno Juliano XLVI. μεταχρονισμῷ annorum III. vel annorum II. Ut ità natus ſit Chriſtus vel A. U. C. DCCLI. *Septembri* menſe, ut Scaliger, Calviſius, Emmius, &c. vel A. U. C. DCCLII. Juliano XLIV. ut Jacobus Capellus, D. Blondellus, poſt Veterum plurimos. Ità *Herodis mors* inciderit antè Æram Vulg. anno I. Chriſti jam verè nati anno II. quo ipſo anno hic regreſſus eſt ex Ægypto, U. C. DCCLIII. Tribunitiæ poteſt. Auguſti XXIII. Juliano XLV. Archelai I. &c. Sed verò incertum eſſe characterem, petitum ab annis *Regni Herodis*, cujus mortem nullo Chronico charactere ſignavit Joſephus;

Joſephus aut falſus, aut corruptus.

ſephus; ut hinc veri Anni Natalitii certa deſignatio haberi non poſſit; prolixè Parens noſter demonſtravit, *Dub. Euang.* P. II. *Dub.* II. Quicquid jam ſit de *charactere* in præfato Nummo Herodis Antipæ, de cujus genuinâ antiquitate dubium eſſe poſſit.

Baronii antichron. Ingentem verò ἀνλιχρονισμὸν Baronii, *Appar.* ad Annales, *Num.* CXV. CXVI. obſervarunt Chronologorum principes, & nuper Pagius in Criticâ, poſt Parentem meum *Dub. Euang.* loco cit. Qui nempè annos inchoans Regni Herodiani XXXVII. non à *primâ* ejus inſtitutione, ut ſuprà, ſed à *reſtitutione* factâ ab Auguſto, Rhodi cum ſupplex apud eum appareret Herodes, eodem anno quo ad Actium pugnatum, Auguſto III. & Meſſalâ Corvino Coſſ. Juliano XV. U. Cond. 723. Olymp. CLXXXVII. anno 2. id eſt, annis *decem* ſeriùs quàm Joſephus. Hinc *differre* neceſſe habuit *mortem* Herodis in ann. Julianum LI. Aug. XLIX. U.C. DCCLIX. *Æmilio Lepido* & *C. Arruntio* Coſſ. qui Archelai ultimus fuit, *Æra Dionyſ.* VI. Πρῶτα ψεύδη Baroniana, pluribus apud dictos Auctores, & Noriſium in *Cenotaph. Piſan. Diſſ.* VI.

CAPUT XVI.

Ante Æram Incarnat. quibus Æris uſi Chriſtiani? Æra Dionyſiana, à quo & quando? Græcis ut nota? Quando publicè uſurpari cœpta? Diſcrepantia à verâ Ærâ Chriſti. Diſcr. Æra Vulg. à Dionyſianâ. Dies Θεοφανείας quis? Diagramma, exhibens ſententias diverſas de Vero Natali Chr. collato cum annis U.C. & annis Julianis, ac Ærâ Dion. Lydiati ſententia rejecta. Et Pagii de anno XV. *Tiberii.*

Quibus Æris uſi ſint Chriſtiani, ante Æram Incarnat. CHriſtiani Scriptores primò variis uſi ſunt Æris, antequam propriam, fixam, & Chriſtianis omnibus communem, ſibi habuerint. Græci quidem & Orientales uſi plerumque Ærâ *Mundi Cond.* quanquàm diverſo calculo, undè Æra alia Græcorum *hiſtorica*, alia *civilis*; aliter *Alexandrini*, aliter *Antiocheni*, ut ſuprà *Cap.* II. Tum adhibuêre Æram *Olympiadum*, quæ iſtis communis cum Hiſtoricis Græcis, & ita quoque Africanus, Euſebius, Syncellus, &c. Quanquàm Euſebius in Chronico Canone figat altiorem Epocham à nativitate *Abrahami*. Uſi & plerumque annis *ab exceſſu Alex. M.* vel annis *Syro-Macedonum*, &c. Notarunt ſanè etiam annos *Incarnationis* & *Nativitatis* Chriſti, indè à primis Seculis, Alexandrini; ſic & Africanus, Euſebius, G. Syncellus, &c. ſed nullum certum eorum caput figunt, nec certam Æram conſtituunt. Communiter Alexandrini inchoarunt annos *Incarnat.* ab A. Mundi 5501. id eſt, ab Anno U. C. DCCLI. Juliano XLIII. Occidentales & Latini ſcriptores uſi maximè Æris Paganicis, quibus Romani utebantur; Quales ex. gr. Anni *Urbis Cond.* Anni *Coſſ.* Romanorum, Anni *Auguſtæi*, vel *Actiaci*, Æra *Hiſpanica* quâ ſunt uſa etiam Concil. Æra *Diocletiani*, quæ & Æra Martyrum, Anni *Imperatorum*, *Indictionum*, &c. De pleriſque ex profeſſo ſuprà, pro hujus Introductionis modo. Docent Acta Conciliorum, & horum ſubſcriptiones; docent Monumenta Patrum, & Hiſtoricorum, in Eccleſiâ Chriſtianâ; docet Juſtinianus Imperator, Edicto ſanciens Nov. Conſtit. XLVII. C. I. ut in documentis omnibus ſic connotarent tempus, *Imperii illius ſacratiſſ. Imperatoris anno* tali, *Conſule illo anno* tali, *Indictione* tali, &c. nullâ factâ mentione annorum Incarnati Chriſti: Undè *Accurſii* J. C. inſignis lapſus notatus à Parente meo, *Dub. Euang.* P. II. Dub. I. ſupponentis Juſtinianum regnaſſe tempore Nativit. Chriſti, hinc fortè nihil dixiſſe *de annis Chriſti*.

Æra Dionyſ. quæ? Tandem verò Chriſtianorum omnium ſuffragio, quanquàm ſeriùs, uſurpata eſt *Æra Chriſtiana*, ſeu Æra *Natalis Chriſti*, ſeu Annorum *Incarnationis* Dominicæ. An G… cis no… Græci vocant annos τῆς ἐνσαρκώσεως, ἐνανθρωπήσεως, παρθενολοχίας, θεογεννησίας, Θεοφανιῶν, &c. Vulgò dicitur Æra *Dionyſiana*, à *Dionyſio* Exiguo natione Scythâ, profeſſione Monacho, & Abbate Romano, claro ſub Imperio Juſtiniani. Huic cùm alia debentur, tum illud, quod primùm docuerit Chriſtianos, loco annorum *Diocletiani*, quæ tum Æra communiſſima fuit, ſubſtituere annos ab *Incarnatione Domini*, quemadmodum ipſemet ſubſtituit anno Chriſti (ut ſupputavit ipſe) 532. Præiverat tamen ipſi in Oriente Panodorus Monachus Ægyptius, qui claruit ſub Arcadio Imperatore, quique annum Incarnationis combinavit cum anno Juliano XLV. Auguſti XLIII. ſcil. Æræ Orbis Cond. juxtà Antiochenos A. 5493. à Septembri menſe, teſte Georgio Syncello, qui Euſebium ex Panodoro quandoque caſtigat. Et hunc computum ſequitur Æra hodierna. Incipit ſecundum Dionyſium, hinc Scaligerum, annus Æræ hujus primus, à Kalendis Januariis, anno Periodi Jul. 4714. Mundi Cond. 3950. Olymp. CXCV. anno I. Nabonaſſareo 749. anno Juliano XLVI. Cyclo Solis X. Lunæ II. &c. De hujus Æræ defectibus prolixiſſimè Chronologi, & Parens noſter, ut ſupra ubi de Regno Herodiano. Ac *verus* Chriſti natalis, ſi Lucam conferimus, fortaſſe nonniſi XV. menſibus, putando ab *Octobri*, anteceſſerit Kalendas Januarias, unde fit initium anni *Dionyſiani*; quæ ſaltem ſummorum Chronologorum ſententia eſt.

Qua… uſur… cœp… Non tamen publicè tum & ubique uſurpari cœpta hæc Æra fuit, ſed alibi citius, alibi tardius. Alii Carolo M. adſcribunt primam hujus Æræ ſanctionem, alii Ludovico Pio, alii etiam Juſtiniano, ſed precariò. Referunt verò plurimi ad tempora Caroli Martelli, avi Caroli M. tum & Luitbrandi Longobardorum R. ac Philippici Imperatoris in Oriente, Romano autem Epiſcopo Gregorio II. Equidem in uſu Occidentalium paſſim eſſe cœpit, Germanis, Gallis, Italis, Anglis, præeunte his Bedâ, ab ævo Carolino: Nullum autem publicum receptæ Æræ exemplum in Diplomatibus, Reſcriptis, Inſtrumentis P. P. ante tempora Corolomanni, Ducis & Principis Francorum, cujus Synodus Germanica I. in *Præfat.* dicitur congregata, *Anno ab Incarnatione Dom.* DCCXLII. XI. *Kalendas Maji.* Vix tamen ubique locorum hæc Æra obtinuit, ante tempora Eugenii IV. Pontif. qui ſedere cœpit A. MCCCCXXXI. & publicis tabulis hanc Æram apponi inſtituit, ut teſtati Mariana, Blondus, Paulus Foroſempronienſis, & alii. Uſurpata quidem in Pontificum Scriptis, jam à Seculo XI. at nullâ lege ſancita.

Diſ… pan… circ… ram… ſti. Atque hæc ſerior obſervatio Æræ Natal. in cauſa fuit, potiſſima illa certè, ob quam in anno Chriſti natali definiendo, adeò adverſis frontibus pugnent ſententiæ Theologorum & Chronologorum, veterum, recentiorumque. Secundum alios enim anni Æræ Dionyſianæ, ut hodiè ſupputantur, peccant, προχρονισμῷ, ſeu *exceſſu*, aliquot annorum, & communiter ſecundùm Græcos, annorum VII. vel VIII. quos detrahunt; ſecundùm alios peccant μεταχρονισμῷ, ſeu *defectu*, unius vel plurium annorum, & in hâc ſententiâ omnes fere Chronologi, quanquàm alii *annum*, cum aliquot menſibus, alii & plerique *biennium*, alii etiam *triennium*, *quadriennium*, *quinquennium*, imò *ſexennium* addendum cenſent, cum Lud. Capello, Thoma Lydiato, &c. Unde etiam Æra *Vulgaris* dici conſuevit, quam tamen alii à *Dionyſianâ* diſtinguunt, ut hæc inceperit ab ipſo anno Incarnationis & Natalis Dominici, ſic Petavius; aut contrà, ut Keplerus, ab anno qui proximè Natalem ſeu Æram Vulg. ſequitur,

Digitized by Google

tur, & rectiùs. Quorum omnium ſententias, cum rationibus & fundamentis ſuis, prolixè expenſas habes, omnium inſtar apud Parentem noſtrum, *Dub. Euang*. P. II. Dub. I. Nec in anno tantùm definiendo variatum, ſed in anni *tempeſtate* & *menſe*; aliis natum Chriſtum cenſentibus in *Januario*, aliis *Aprili*, aliis *Octobri*, vel fine *Septembris* cum Beroaldo, Scaligero, Calviſio, &c. pleriſque *Decembri* menſe, d. XXV. vel paulo antè mediam noctem d. XXIV. ex vetere traditione Latinorum, quæ circà A. CCCLX. ſententia primùm vulgata. Diem vero definire *unius Dei eſſe, non Hominis*, dixit ὁ πάνυ Scaliger. Quâ de re infra pluribus, ad Seculum I. Æræ Chriſtianæ. Græci aliquando dixêre diem *Nativit*. diem τῆς ἐπιφανείας, & ſic Clemens Alexandrinus, Euſebius, Theophilus Alex. Caſſianus *Collat*. X. C. I. &c. uti etiam τὰ Θεοφάνια. Alii diem ἐπιφανείας à *Natali* diſtinguunt, & *Baptiſmi* diei applicant, ut aliquando Chryſoſtomus, Auctor Conſtitut. Hieronymus in *Cap*. I. *Ezech*. *Tomo* III. & alii. Sed tandem, ſic vocarunt diem quo ſtella *Magis* ἐπεφάνη, & his Chriſtus adorandus *apparuit*: Sic Iſidorus Hiſp. & Latini recentiores.

DIAGRAMMA

Exhibens Sententias Diverſas de Anno & Die Nativitatis Chriſti,

XV. *menſibus à Conceptione Joh. Baptiſtæ*, *Luc*. I. 24. 41. 42.

An. Urbis Cond.	*An. Juliani.*	*Antè Æram Dionyſ.*	Christum Natum cenſent,	
720.	12.	34.	Petrus Damiani, florens Sec. XI. Ep. XXI. ad Albericum; Nempè ex hypotheſi, Chriſtum *paſſum* Anno Urb. C. 753. d. VIII. April. feriâ VI. Lunâ XV. quod quadret in annum Chr. XXXIII. Et indè incipiendos *annos Domini*, ſc. à *Paſſione*. Secutus eſt, *Antonius Dulciatus*, Eremita Florent. *de Feſtis Mobilib*. P. I.	Sic Chriſtus paſſus eſſet, XIII. annis *antè* mortem *Auguſti*, minimùm XXXI. annis, antequàm ſub *Tiberio* affixus cruci.
748.	40.	6. 25. *Dec.*	Joannes Keplerus, M. Ant. Capellus, Henſchenius, Pagius in *Criticâ*, Henr. Dodwellus *Diſſert*. I. in Irenæum, p. 83. Lælio Balbo & Antiſtio Vetere *Coſſ*. *Per. Jul*. 4708. *Olymp*. CXCIII. anno III. *Aug*. XXXVIII. Chriſtum *conceptum* hoc anno U. C. DCCXLVIII. Martii XXV. Joh. *conceptum* anno præcedente XXIV. *Octobr*. *Zachariæ* enim familiam iniiſſe vices ſuas, ἐφημερίαν, משמרת המזבח, XVII. *Oct*. A. U. C. DCCXLVII. Ità Keplerus.	*Baron*. falsò, hoc anno Cajum Cæſ. præfectum Syriæ & Orienti. *Pagius*, poſt *Noriſium*, hoc anno *Quintil*. *Varum* ſucceſſiſſe in Syriæ Præfect. *Sentio Saturnino*. Probant ex duobus *Vari* Numiſmat. ſignatis Ærâ Antioch. Auguſtanâ XXV. quæ cum hoc anno concurrat. Contrà *Joſephus*, & Hiſtorici, & Tertullianus, *cenſus actos in Judæâ*, *per Sent. Saturninum*. Fuit annus Syro-Maced. 307.
749.	41.	5.	Joh. Chryſoſtomus, qui ſuppoſuit Joh. Baptiſtam conceptum XXIV. *Sept*. Thiſri X. An. U.C. DCCXLVIII. *Olymp*. CXCIII. Hinc Chriſtum conceptum XXV. *Martii*, anno ſeq. natum XXV. *Dec*. Hæc ſententia Liberio Rom. placuit, dein Damaſo, Ambroſio, & poſteà *Conſtantinopolitanis*. Et prout quiſque ſuppoſuit *diem* quo *Angelus* Zachariæ apparuit, *Luc*. I. alii *Septembri*, alii *Octobri* menſe, alii *Junio*, *Julio*, *Auguſto* (ſcil. pro variâ Computatione *Ephemer*. Sacerdotalium) ità hinc conjectarunt diverſimodè diem *Concept*. hinc *Nativit*. Chriſti. Sic Joh. Deckerus, Jeſ. Laurentius, Suſlyga Polon. Dion. Petavius, &c. Auguſto XII. & Corn. Sullâ *Coſſ*. *Per. Jul*. 4709. *Olymp*. CXCIII. anno 4. *Auguſti* XXXIX. Ità Dodwellus *Diſſ*. I. in Iren. p. 83. *Vel natus initio Anni* U.C. DCCXLIX.	Anno Syro-Maced. 308. Ch. natum *antè annum U. C.* 750. quo mortuus ſit Herodes, adeoque minimùm Anno U. C. 749. nuper quoque *Rigordius* Gallus, *Diſſert*. ad Nummum Herodis Antipæ; 1689. Et *Dom. Paulus Perzon*, Doctor Pariſinus, in Hiſt. Euangelicâ, A. 1695. Fundamentum alterum, *Q. Varum* ſuffectum in Syriæ Præfect. anno U. C. DCCXLVIII. ex Nummis nuper productis. Sed licet hi concedantur eſſe genuini, dubium, an non *Sentius* adhuc obtinuerit inferiorem *Syriam*, *Phœniciam*, &c. *Beryti* agens.
750.	42.	4.	Sulpicius Severus *Hiſt*. L. II. Et quotquot Chriſtum natum, ſaltem ali- quot	Mors Herodis (ſecundùm Joſephum) accidit hoc anno, U. C. 750. *Novembri* men-

Digitized by Google

An. Urbis Cond.	*An. Juliani.*	*Antè Æram Dionyſ.*	CHRISTUM NATUM cenſent,	
			quot menſibus antè mortem Herodis. Calviſ. Sabino, & Paſſieno Rufo *Coſſ. Per. Jul.* 4710. *Olymp.* CXCIV. A. I. *Auguſti* vulgo XL.	menſe. Sic quoque nuperi ſcriptores, Rigordius, Pagius, Noriſius, Dodwellus, Paulus Perzon, &c. A. Syro-Macedon. 309.
751.	43.	3.	Alexandrini *veteres*, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alex. (de cujus ſententiâ, & Euſebii illâ, prolixè Parens meus, *D. Euang.* P. II. D. I.) Maximus Monachus, G. Syncellus, Cedrenus, &c. In *recentioribus*, Baronius, Scaliger, Pererius, Torniellus, Calviſius, Emmius, Helvicus, Gerh. J. Voſſius, &c. C. Lentulo, & Val. Meſſalino *Coſſ. Per. Jul.* 4711. *Olymp.* CXCIV. anno 2. *Auguſti* vulgo XLI. Quidam numerantes à morte Julii, XLII. & ſic Pagius.	Alii menſe *Sept.* natum, vel *Octob.* Alii menſe *Martio* vel *April.* Alii 26. Martii conceptum, & *Decembri* exeunte natum. Tertull. *adverſ. Jud.* C. VIII. Chriſt. natum *quadrageſimo & primo imperii Auguſti*; ſed addit, *quo* (potius *qui*) *poſt mortem Cleopatræ imperavit.* Voluit, *poſt mortem Julii Cæſ.* Anno Seleucid. 310.
752.	44.	2.	Epiphanius *Hær.* LI. & Hær. LXXVIII. Hieronymus, Oroſius, Beda, Freculphus, Sigonius, Mar. Scotus, Onuphrius, Temporarius, &c. Euſebius quoque in *Chron.* teſte Pontaco; & ſic Henr. Valeſius, ac ſi qui alii. Ex noſtris Montacutius, Capellus uterque, David Blondellus, &c. Sed Epiphanius, natum Chriſtum anno ineunte, VIII. Idus *Jan. Tybi* Ægyptior. d. XI. *Thebet* XIII. Auguſto XIII. & Plautio Sylvano *Coſſ. Olymp.* CXCIV. anno 3. *Per. Jul.* 4712. *Auguſti* XLII. XV. annis ante mortem Aug. *Cyclo* Solis VIII. &c.	Fuit annus Seleucid. 311. *Cajus Cæſar*, Agrippâ & Juliâ genitus, miſſus hoc A. in Orientem, cùm Extraordinario ſeu Proconſ. Imperio, ad bellum Armeniacum, ex Vellejo, & Numiſmat. Sed mortuo Herode, venit Hieroſol. Archelao regn. *Sentius Saturninus* Præſes adhuc Syriæ, quo tempore Cenſus ſub Auguſto actus, *Tertull.* C. Marc. L. IV. Sed *Quirinius* tum in Oriente agens, confecto in Ciliciâ bello, potuit Saturnino adjungi, ad *Cenſum* eum tùm hominum, tùm facultatum, peragendum, *Luc.* II. I. Præſes & Syriæ hoc anno *Q. Varus*, ſucceſſor datus S. Saturnino, ante mortem Herodis, *Joſeph.* L. XVII. Antiq. C. VII.
753.	45.	1.	Panodorus Mon. Ægyptius, Antiocheni, Chronicon Alexandr. *Nat.* Ch. hoc anno XXV. *Dec.* Sic P. de Alliaco, Sixtus Sen. Mart. Lutherus, Joh. Lucidus, Alph. Salmero, Henr. Harvillæus, Phil. Labbeus, &c. Et hæc ſententia Vulg. ſecundùm Dionyſ. Exiguum. Corn. Lentulo, & Calp. Piſone *Coſſ. Per. Jul.* 4713. *Olymp.* CXCIV. anno 4. *Auguſti* XLIII. Tribunit. Poteſt. XXIII. *Cyclo* Sol. IX. *Lunæ* I. ante Æram Vulgarem (quæ primum annum Chriſti conjicit in ſequentes *Kal. Jan.*) anno uno.	Hoc anno mortuus creditur *Herodes*, ex Epiphanio; inter Eclipſ. Lunæ, quæ fuit *Jan.* IX. & Paſcha quod *April.* VI. Vide ſuprà *Æram Regni Herod.* Archelai ann. I. Chriſti nati 2. quo reverſus ex Ægypto. Ut vitium ſit in Joſepho, qui *triennio* ante mortuum Herod. Fuit annus Seleuc. 312.
		Anni Æræ Dionyſ.		
754.	46.	1.	Quidam *Nativ. Ch.* conjiciunt in hunc annum, 25. *Dec.* & ſic Faſti Conſul. in Cæſarianâ Biblioth. qui tum notant *Lunam* XV. manifeſto errore. Cajo Cæſ. (Auguſti filio) & Æmilio Paulo *Coſſ. Per. Jul.* 4714. *Olympiade* CXCV. an. I. Auguſti XLIV. Cyclo *Sol.* X. *Luna* 2. &c.	A. Seleucid. 313. Hoc anno *Auguſtus* LXIII. ætatis implevit, quem vocat κλιμακτῆρα, *Epiſt.* ad *Cajum* Cæſ. & inchoavit LXIV. Vide *Gell.* L. XV. C. VII.
755.	47.	2.	P. Vinicio, & P. Alfenio Varo *Coſſ. Per. Jul.* 4715. *Olymp.* CXCV. a. 2. *Auguſti* XLV. &c. Ita Paulus de Middelburgo, & qui hunc ſecuti.	In hunc annum *Lucii Cæſ.* obitus contigit: Et *Tiberii* ex Rhodo Inſ. reditus Romam, ſecund. *Lydiatum*, *Pagi*, &c. anno demùm ſequente, ſecund. *Petav.*
756.	48.	3.	Thomas Lydiatus *Recenſion.* C. XVI. & in Serie Magiſtratuum, cenſet hoc anno *natum* eſſe Chr. XXV. *Pachon*, ex Clem. Alex. qui dies inciderit hoc anno in *Maji* XX. Hinc Chriſtum circumciſum Ma-	Aliquot annis, antè hunc ipſum, *natum* eſſe Chriſtum, vel indè colligitur, quod *Cajus* Aug. filius, mortuo jam Herode, in Orientem profectus ſit; paulo poſt Conſulatum abſens initurus A. U. C. 754.

Digitized by Google

An. Urbis Cond.	*Anno Juliano.*	*Anno Æræ Dionyſ.*	Christum Natum cenſent,	
			Maji XXVII. ipſo die Pentecoſtis. Eundem annum, ſecutus Æram U. C. Fabianam, cenſet fuiſſe DCCLI. Ælio Lamiâ, & Servilio Gemino *Coſſ.* *Per. Jul.* 4716. *Olymp.* CXCV. a. 3. *Auguſti* XLVI.	C. 754. Conſule Joſephum, *Antiq.* L. XVII. C. XI.
757.	49.	4.		
758.	50.	5.		
759.	51.	6.	*Coſſ. Æmilio* Lepido, & L. Arruntio.	*Herodem* hoc demum anno mortuum, abſurdè Baronius.
760.	52.	7.	*Coſſ.* Licinio Nervâ, & Cæcil. Metello Cret.	*Archelaus* hoc anno miſſus in exilium: *Quirinius* verò in Syriam, cum Præſidiali poteſtate.
761.	53.	8.		
762.	54.	9.		
763.	55.	10.		
764.	56.	11.	Æmilio Lepido, & Statilio Tauro *Coſſ.*	Quidam hinc inchoant annos *Tiberii*, quando *Collega Imper.* & *Cenſor Tribunitiæ poteſtatis* aſſumptus, ut Tacitus *Annal.* I. Et hinc inchoare Lucam, *Cap.* III. I. Vide *Pagium.* Sed *poteſtas Tribun.* & *Proconſulare imperium*, ſine Principatu data. Nec illi ſoli obtigêre. V. Petav. *Lib.* XI. *Cap.* VII. Parent. *Dub. Evang.* P. II. D. X. &c.
765.	57.	12.		
766.	58.	13.		
767.	59.	14.	Sexto Pompejo, & Sex. Apulejo *Coſſ.*	Hoc anno mortuus Auguſtus, *Aug.* XIX. omnium conſenſione, Ætatis ſuæ LXXVI. completo, (natus IX. Kal. Oct. *Suet.*) Imperii à morte Julii LVII. à Triumviratu LVI. ab Actiacâ Vict. XLIV. Et hinc *Tiberii* I. incipit, cujus notatus A. XV. quum *Joh. Baptiſta* prodiit ad prædicandum, *Æra Dionyſ.* XXIX. Hinc Annales ſuos orditur Tacitus, à *morte Aug.* & I. *Tiberii.* *Primum facinus novi Principatus fuit*, &c. à quo & reliqui annos Tiberii numerant.

Caput XVII.

Æra Paſſionis. Sententia Veterum, & quorundam Recentior. Tertulliani illa, Ch. baptizatum Tiberii XII. *An duplex Epocha Tiberii ſit ſtatuenda. Variationes aliæ, circà annum notat. à Phlegonte. Circà diem Paſſionis. Undè Paſſ. affixerint Veteres anno* XV. *Tiberii. Ut parum illi in his tuti ſint duces. Certa ab incertis diſtinguenda.* Ἐπίκρισις *Auctoris. Diagramma exhibens ſententias Vet. & Recentiorum, circà annum Paſſ. Ad ſingulas obſervata quædam. Qui extenderint ad annum Æræ Dionyſ.* XXXVI. *& ultrà. Sententia Lydiati, & Dodwelli.*

Momentum hujus Æræ.

ÆRÆ *Paſſionis* Chriſti momentum intelligitur, vel ex LXX. *ſeptimanis* Danielis, in quarum ultimâ, & medio ſeptimanæ, exſcindendus fuit Chriſtus, Fœdus confirmandum, & abolendum Sacrificium, *Dan.* IX. Plurimi & antiquiſſimi Patres, quos ſecuti ſunt noſtrâ ætate Sam. Petitus, Ger. Voſſius, Ant. Pagi, Doctiſſ. Commentator nuperus in Lactantium, Æram *Paſſionis* conjecerunt in Tiberii annum XV. vel XVI. inchoandum ab *Auguſto* menſe, *Geminis* Coſſ. Fuſio & Rubello. Qui reverâ annus fuit primus prædicationis Euangelicæ, per *Joh. Baptiſtam*, præcurſorem Domini, *Luc.* III. I. Pontio Pilato jam Judææ Præſide: Undè &c, ad ſummum, annus is *Baptiſmi* Chriſti cenſendus eſt, quæ & Euſebii, & Epiphanii ſententia fuit. Hinc inextricabilibus difficultatibus ſe implicant, quotquot vel Veterum ſententiæ de morte Chriſti *Geminis* Coſſ. adhærent, vel eos inter ſe conciliare, aut cum Scripturâ annituntur, non uno modo rem declarantes. Tertullianus, qui Chriſtum paſſum quaſi agentem *annos* XXX. *Tiberii* XV. dixerat in Libro adverſ. Judæos, C. VIII. alibi contrà Marcion. L. I. C. XV. Chriſtum ait *revelatum*, ſeu orſum ſuum miniſterium, *clarificatum* ſeu baptizatum fuiſſe, Tiberii anno XII. videns tres minimùm annos tribuendos ejus Miniſterio. Hinc Pagius, in Diſſert. Hypat. & in Criticâ Anti-Baron. conciliari itâ poſſe putat, ſi *Tiberii* XV. apud Lucam, intelligatur non de Imperio Auguſtæo, ſed de Imperio Proconſul. quod inivit Tiberius triennio antè, C. Lentulo & Sabino Coſſ. Æræ Dionyſ. XXVI. At Tiberii XV. *Geminis* Coſſ. quo paſſus ſit Chriſtus, intelligendum de Imperio Tiberii Auguſtali, ex mente Veterum, quibus

An Chriſtus paſſus Geminis Coſſ.

bus accedit Vir ille. Quanquam duplex hæc Epocha Tiberiani Imperii, τῆς ἡγεμονίας & τῆς βασιλείας, illa ab U. C. DCCLXIV. nuſquam à Veteribus ità memoretur, aut ex Numiſmatibus Tiberii recepta intelligatur à Syrſs, aliiſve Provincialibus. Annos Tiberii quoties putant, ſemper à morte *Auguſti*, & annos τῆς βασιλείας, vel μοναρχίας intelligunt. Nec aliter Vellejus, Suetonius, Tacitus, Dio, &c. Hinc error etiam Matth. Paris Hiſtorici, qui ad Ann. MLXXIII. MLXXVI. perperàm accipiens ſententiam Tertulliani, de anno Baptiſmi, & Paſſionis, Chriſtum cenſuit multis annis antè baptizatum, & *duos magnos Cyclos*, ſeu annos 1064. *revolutos eſſe à Tiberii* XV. quando numerabat, ſecundùm Æram Dionyſ. annum 1073. Dionyſium itaque *tardius poſuiſſe nativitatem Chr. annis* XXI. *quam debebat*.

An duplex Epocha Imper. Tiberii?

Sententiarum diverſitas.

Rurſus alii annum *Paſſionis* Domin. facere annum 2. *Olymp*. CCII. quo Phlegon Mathem. contigiſſe Eclipſim Solarem, quæ in anno Paſſionis accidit, ab horâ 6. ad 9. ut Africanus in *Fragm*. quod exhibet G. Syncellus, & ex eo Hieronymus *Comm*. in IX. *Dan*. Alii dicere annum 3. *Olymp*. CII. cui alligat Paſſionem Euſebius in *Chron*. Alii annum 4. *Olymp*. CCII. ut alio loco idem Africanus, apud G. Syncellum, & Euſebius tanquam ex Phlegonte refert. Unde mendum ſubeſſe ſuſpicati, Petavius ad *Epiph*. & ſcriptum δ. pro δευτέρῳ ἔτει. Pagius verò errorem eſſe in Olympiade, & legendum *anno* 4. *Olymp*. CCI. Nempe Africanum uſum geminâ Ærâ Olymp. *vulgari*, & illâ quâ antevertit *biennio* vulgarem Olymp. computum. Omnes verò alligarunt eum annum *decimo-quinto* Tiberii, aut XVI. variè putando principium horum annorum, vel ab die emortuali Auguſti, ut Latini, vel à *Januario* ſeq. vel more Hebræorum à menſe *Niſan*.

Rursùs alii *diem*, quo paſſus eſt Chriſtus, faciunt communiter VIII. Kal. April. Lactantius *Lib*. IV. C. X. *antè diem* VII. *Kalend. April*. alii legunt *diem* X. Idem de Mortibus Perſecut. *poſt diem decimum Kalend. April*. Utrobique tamen contigiſſe Paſſionem *Geminis* Coſſ. Tiberii XV. ut Latini, vel Tiberii XVI. (Africanus apud G. Syncellum modò Tiberii ponit XV. modò XVI.) quo *quindecennalia* Imperii Tiberiani celebrata.

Cur Vet. anticiparint annum Paſſ.

Quod verò huic anno Æram Paſſ. Domin. fixerint, indè factum videtur, 1. Quod *primum* annum Chriſti fecerint illum *Incarnat*. eundemque fixerint (Iren. Tertull. Clemens Alex. &c.) ad Julianum XLIII. Auguſtei Imper. XLI. annis tribus antè *Æram Dionyſ*. 2. Quod baptizatum eundem cenſerent anno ætatis XXX. his ineunte, illis exeunte, *Jan*. VI. Tiberii XV. qui concurrit cum Anno *Dionyſ*. XXVIII. 3. Quod tùm *duo Paſchata* compleviſſe in Miniſterio, ſeu prædicaſſe anno *uno* & aliquot *menſib*. plerique ſtatuerint. Ut ità annus Paſſionis Dom. combinetur cum anno *Dionyſ*. XXIX. Tiberii XVI. Geminis duobus *Coſſ*.

Sed in temporum ratione conſtat Patres antiquos non tutos eſſe duces, nedum in deſignando anno *Paſſ*. vel teſte Irenæo. Et illos planum eſt in errorem induxiſſe *Phlegontis* illam Eclipſim, (Phlegontis utinam textus extaret) & diverſum Characterem *Olympiadicum*, quem illi aſſignarunt Africanus, Euſebius, Hieronymus, &c. Hinc & Keplerus, Petavius, Chronologi id genus, componunt Phlegontis calculum cum anno Dionyſiano XXXI. Scaliger cum anno *Dionyſ*. XXXII. Pagius noviſſimè, poſt Voſſium, & alios, cum anno XXIX. Prout Olympiadis CCII. faciunt annum alii 1. alii 2. alii (ut Scaliger) 4.

Certa ab incertis diſtincta.

Hic certa ab incertis diſtinguenda. Supponimus 1. Tiberii annum XV. quem Lucas expreſſit, tantum ἐν πλάτει, non ſatis conſtare an *labentem* voluerit, an *expletum*, ſcil. indè à XIX. Auguſti. 2. Connecti illum annum, apud Lucam, cum initio prædicationis *Joh. Baptiſtæ*, non verò cum Baptiſmo Chriſti, ex collatione *Luc*. III. 1. 2. 23. 3. Prædicationem Johannis præceſſiſſe Baptiſmum Chriſti Servatoris, uno minimùm anno, ſi non altero. Ob res intereà per J. Baptiſtam geſtas, Baptiſmum pœnitentiæ *toti populo* adminiſtratum, *Luc*. III. 21. imo curſum miniſterii ferè adimpletum, *Act*. XIII. 25. Ut qui compingendus in carcerem fuit, currente anno II. Chriſti manifeſtati. Malè tamen Lydiatus, *quadriennio* præceſſiſſe Johannis ἀνάδειξιν. 4. Prædicaſſe Chriſtum totum minimum *triennium*, cum paucis *menſibus*, quod & vidit Tertullianus; de Scaligeri *quadriennio* jam non dicimus. Adeoque non antè fuiſſe ſuffixum cruci, vel putando à XVI. Tiberii, quàm Tiberii XIX. Dom. Ahenobarbo, & Vitellio Coſſ. qui fuit annus Olymp. CII. annus 4. ex Phlegonte Tralliano notatus ab Euſebio in *Chron*. in commemoratione Eclipſeôs vel Deliquii Solaris. 5. Vel ſi supponitur XVII. Tiberii fuiſſe jam inchoatus, ab Auguſto præced. quo tempore Chriſtus Baptiſmum ſuſcepit à Johanne, (natus ὡσεὶ *circiter* annos XXX. completos puta) paſſus fuerit Tiberii anno XX. Olymp. CCIII. anno 1. Per. Jul. 4746. U. C. DCCLXXXVI. *Æra Dionyſ*. XXXIII. Cyclo Solis XVI. menſe Paſchali *feriâ* VI. Et ſic vixerit annos XXX. ſolidos, antè Bapt. & *tres* cum *ſemiſſe* poſt Baptiſmum: Quod & conforme videtur prædictioni Danielis, *Dan*. IX. 26. & calculo Chronol. LXX. ſeptimanarum Danielis, putando ab ultimo Artaxerxis Edicto, de quo ſuprà.

DIA-

Digitized by Google

DIAGRAMMA

Exhibens variantes Sententias circà Annum Paſſionis Chr.

A. Urbis Cond.	A. Tiberii.	A. Æræ Dionyſ.	CHRISTUM PASSUM fuiſſe cenſent,	
782.	15. & 16. à XIX. Auguſti.	29.	*Coſ.* Fuſio Gemino, & Rubellio Gem. Hunc annum Paſſionis Domin. ſtatuunt Veteres, Clem. Alexandrinus *Lib.* I. *Strom.* Tertullianus *Adverſ. Jud.* C. VIII. Origenes περὶ Ἀρχῶν L. IV. *Cap.* I. Lactantius *Divin. Inſt.* Lib. IV. C. X. ubi *antè* VII. *Kalendarum Aprilium Judæos crucifixiſſe Chriſtum*; at Libro *de Mortibus Perſ.* Chriſtum cruciatum eſſe *poſt* X. *Calend. April.* iiſdem tamen Coſſ. Accedunt, Anonymus in Faſtis Conſularibus quos edidit Noriſius, (qui tamen peſſimè notat *diem* Paſſionis tanquam *diem Solis*, *Lunam* XIV.) Sulpicius Severus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Turonenſis, Beda, Martyrologia, &c. Diem conſtanter notant VIII. *Kal. April.* ſeu XXV. *Martii*, feriâ 6. Eandem ſententiam revocavit Gerh. Joh. Voſſius, *Diſſert.* de Annis Chriſti, &c. Ut nempè Chriſtus baptizatus ſit, XV. Tiberii; ſcil. Æræ Dionyſ. A. XXVIII. paſſus ſit XVI. Tiberii, Æræ Dion. XXIX. natus triennio antè Æram Vulg. Pagi *Crit.* (ad A. *Tiber.* XIX.) Chriſtum paſſum eodem Anno, *Tiberii* XV. *Geminis* Coſſ. Sed geminâ Ærâ Tiberii conſtitutâ. Idem nuper *Paulus Perzon*, Mon. Ordinis Ciſterc. in Hiſtoriâ Euangelicâ, *tribus* tantùm *Paſchatibus* Chriſti miniſterio tributis. Annus *Julianus* fuit LXXIV. *Olymp.* CCII. ann. I. incipiens, à Solſt. Æſtivo.	Jul. Africanus, in *Fragm.* Euſebii, & Syncelli.
783.	16. 17.	30.	*Coſ.* M. Vinitio & Caſſio Longino. Hoc anno paſſum Chriſtum ſtatuerunt, *Alexandrini*, & *Georgius Syncellus*. Nempè paſſum A. XXXIII. à *Nativit.* A. *Mundi* ſecundum Alexandr. 5533. Phamenoth. d. XXVII. ſeu Martii XXIII. Ut primum annum Natalem ſtatuant A. M. 5501. quem inchoant à *Kal. Sept.* Æra Dionyſ. *tribus* annis poſterior eſt, A. M. 5504. à *Kal. Jan.* Connectitur verò annus 30. Æræ *Dionyſ.* cum anno *Incarn.* ſecundùm Alexandr. 33. Annus *Julian.* LXXV. *Olymp.* CII. annus 2. incipit.	
784.	17. 18.	31.	*Coſ.* Tiberio Cæſare V. & Ælio Sejano. Ità Concilium Cæſarienſe Anni CXCVI. aliis CXCVIII. Chronicon Alex. Maximus Mon. Nicephorus Conſtant. in Χρονογρ. Cedrenus, Græci in Menæo. Diem vulgò notant Græci *Phamenoth* XXIX. ſeu *Martii* XXV. vel VIII. Kal. April. Ut reſurrectio incidat in I. *Pharmuthi*, ſeu XXVII. *Martii.* Euſebius, & Epiphanius, eundem annum *Paſſionis* deſignant. Sed hic diem dicit XIII. *Kal. April.* triduum promovendo. At Chronicon Alex. Anonymus ad calcem ejuſdem Chron. Maximus Mon. editus à Petav. &c. ità Keplerus, Petavius, Bucherius *Comm.* in *Can. Paſch.* Patinus ad *Numiſm. Tiberii*, &c. cenſent quoque hunc annum Paſſ. Sed illi figunt in XXIII. *Martii*, ſeu X. Calend. *April.* feriâ VI. Lunâ XV. populari, ſed XIV. Phariz. reſurrexiſſe verò d. XXV. Mart.	Malè Chronicon Alex. *Tiberii* annum inchoatum fuiſſe XIX. Chriſtum etiam ſtatuit Epiphanius, *feriâ* III. (non ut Latini *feriâ* V.) Paſchalem cœnam inſtituiſſe, *biduo* prævertendo Lunam Judaïcam XIV. Tabulæ evincunt hoc anno *Lunam* XIV. cœleſtem ſeu Aſtronomicam, in *feriam* I. incidiſſe quæ non Paſſ. ſed Reſurrect. feria eſt. Ita paſ-

A. Ju-

ſus

Digitized by Google

A. Urbis Cond.	*A. Tiberii.*	*A. Æræ Dionyſ.*	CHRISTUM PASSUM fuiſſe cenſent,	
			A. *Julianus* LXXVI. *Olymp.* CII. ann. 3. incipiens.	ſus fuiſſet Chriſtus *Lunâ* XII. Decepti multi ab eo qui *Acta Pilati* deſcripſit, apud Epiphan. *Hær.* L. *Num.* I.
785.	18. 19.	32.	*Coſſ.* Domit. Ahenobarbo, & A. Vitellio. Sigebertus in *Chron.* Cæſ. Baronius, quamvis *diem* menſis non exprimat, ſed & Melanchton, Funccius, Scaliger, Jo. Langius, &c. Torniellum quidam citant, ſed ponit omnino annum emortualem A.U.C. 784. *Olymp.* CCII. 3. id eſt, *præcedentem.* A. *Juliano* LXXVII. *Olymp.* CCII. Anno 4..	
786.	19. 20.	33.	*Coſſ.* Sulpicio Galbâ, & Corn. Sullâ. III. April. 14. Niſan, feriâ VI. Reſurr. dies April. V. fer. I. Ad hunc annum referunt, ex Veteribus Apollinaris Laodicen. Victorinus Lemovix, Beda de Rat. Temp. &c. Lyranus (ſed putans Æram *Dionyſ.* eſſe veram Æram *ætatis* Chriſti) P. Burgenſis, Alphonſus Toſtat. Joh. Lucidus, Onuphrius in Faſt. Gauricus de Nat. Chr. Pererius, Temporarius, Buntingius, &c. Ex noſtris Calviſ. Jac. Capellus, Dav. Blondellus, Jac. Uſſerius, Joh. Pearſon, qui hoc *veritati maximè conſonum*, Henr. Dodwellus ad *Iren.* pag. 84. &c. Itâ plerique, abdicatâ ſententiâ Veterum, quos alter alterum videntur in errorem induxiſſe. A. *Juliano* LXXVIII. *Olymp.* CCII. 4. & *Ol.* CCIII. anno I. Cyclo Solis { 14. D. Lunæ { 15.	Quidam ſignant annum *Tib.* XX. à præced. *Aug.* inchoatum. Hoc ſolum anno, ſub Pilati præfecturâ, Luna XV. ſeu Plenilunium, incidit in III. *April.*
787.	20. 21.	34.	*Coſſ.* Paulo Fabio Perſico, & L. Vitellio. XXV. aut XXVI. Martii paſſum, XXVIII. reſurrexiſſe. Beda *de Rat. Temp.* C. XL. paſſum anno Æræ Dionyſ. XXXIV. Mariana, Auctor *Novæ Chronol.* refutatus à Petavio, *Lib.* XII. C. XII. A. *Juliano* LXXIX. *Olymp.* CCIII. anno I. ex parte an. 2.	Legitimi Paſchatis Jud. tempus, ſeu XIV. Niſan incidit in *Martii* XXIII. ſecundum Judaïci computi Epilogiſmum. Sic fingitur Chriſtum *triduo*, Judæos *quatriduo* ſerius, Paſchalem agnum manducaſſe, quam Lex poſtulabat; Chriſtus *Niſan* XVII. hi XVIII.
788.	21. 22.	35.	*Coſſ.* Ceſtio Gallo Camer. & Servilio Rufo. A. *Juliano* LXXX. *Olymp.* CCIII. anno deſinente 2. incipiente 3.	
789.	22. 23.	36.	*Coſſ.* Plautio, & Papinio Allieno, al. Gallieno. Paulus Foroſempron. Lauretus, Lydiatus, qui poſterior *Princip. Euangelii*, per præcurſorem Baptiſtam, refert ad ann. XVI. Tiber. Geminis Coſſ. *Baptiſmum* ad annum XIX. Tib. *Paſſionem* ad XXIII. Tiberii, his Coſſ. *Diem* ponunt XXX. Martii. Lydiatus ſimiliter *Natalem* Chr. rejecit in annum 3. *Æræ Dionyſ.* Vide ſuprà.	In hunc annum rejici non poteſt mors Chriſti; ſiquidem jam anno ſuperiore, *Vitellius* Syriæ Præſes *Pilatum* exauctoraſſet, vel certè ſub initium hujus anni.
790.	23. 24.	37.	Qui in ſequentes annos diſtulerint, pauci fuerunt. Unus eſt Irenæus, qui *Lib.* II. adverſ. Hær. *Cap.* XXXIX. & XL. traditum à Senioribus Aſiæ, paſſum eſſe Dominum quum *jam in ſeniorem ætatem declinaret*, id eſt, ut explicat, quum XL. *exceſſiſſet annos, nec multum à* L. *abſtiterit.* H. Dodwellus *Diſſert.* I. ad Irenæum; Ita egerit *Paſſionis tempore annum ætatis* XXXVIII. *qui certè multo propior eſt quadragenario Irenæi, quam tricenario Gnoſticorum.* Sed *Seniores* illi tradebant, etiam majorem fuiſſe annis XL. nec multum à *quinquageſimo* diſtantem. Ut hinc pateat, an omni prorſus exceptione major ſit *fides* illorum Veterum vel Seniorum *Hiſtorica*, quod vir Doctiſſ. intendit. Quâ de re noſtrâ Diſſertatione, de *Scriptoribus Hiſt. Euangelicæ.*	

CA-

Digitized by Google

Caput XVIII.

De Diſtributione omnis Temporis, à Mundo Cond. ad Natum Chr. Variæ Ætates à variis conſtitutæ.

Variæ Diſtribut. Temporum. Varroniana. SEquitur *Diſtributio* omnis temporis, eaque in Ætates, Epochas, Periodos certas. Non jam diſtributio *Poëtica*, in IV. Ætates, auream, argenteam, æneam, ferream: Non *Varroniana*, quæ & Cenſorini eſt, in tempus ἄδηλον ſeu obſcurum, ad Diluvii univerſalis tempora; μυθικὸν ſeu fabuloſum, ad tempora uſque I. Olympiadis, id eſt, Azariæ vel Uziæ Regis Judæ; denique ἱστορικὸν, inde à I. Olympiade & Hiſtoriarum fide: Non Judaica. *Judaica*, vel *Eliana*, (quæ & placuit Gerah. Mercatori, Gerh. Voſſio, & aliis) in tria Tempora quibus Mundus duraturus, ſingula annorum 2000. Quorum primum *Inane*, ſeu antè Legem; alterum *ſub Lege*; tertium ab *adventu* Meſſiæ. Quæ diſtributio eô notabilior, quô inter Judæos antiquior, & receptior, & Talmudiſtarum ac Kabbaliſtarum authoritate potior, jugulum verò petens cauſæ Judaicæ, *ſexto* Millenario magnâ ſui parte lapſo, ut fatetur quoque Manaſſeh Ben-Iſraël. Quâ de Traditione dicitur aliàs. Sed temporis diſtributio hîc obtinet *Chriſtiana*, & generaliſſima quidem bipartita, I. In tempus quod fluxit ab Orbe Condito ad Natum Chriſtum, ſeu in tempus vulgò *Vet. Teſtamenti.* II. In id quod fluxit à Chriſto nato, & exhibito, ad noviſſima hæc tempora, ſeu in tempus *Novi Teſtamenti.*

Qui in Ætates duas? Tempus prius, ſeu Vet. Teſtamenti, variè à variis ſubdiviſum fuit. Aliis in Ætates, ſeu intervalla majora *duo*, pro diſtributione Elianâ: Quorum I. ſe extendit ab O. Cond. ad initium rerum Hebræarum; ſeu ad vocationem Abrahæ; II. Hinc ad Chriſtum exhibitum, & vel natum, vel paſſum. Prius rurſùs intervallum faciunt *bipartitum*, ab O. C. ad Diluvium, & à Diluvio ad Abrahamum; Poſterius *quinque-partitum*, cujus ſcilicet pars prima tranſacta ſub Patriarchis, & in Ægypto; altera ſub Moſe, Judicibus, Regibus; tertia ſub Babyloniis, Perſis, Græcis, Syris; quarta, ſub Aſmonæis vel Maccabæis; quinta ſub Romanis ad Chriſtum uſque, & ita Gerh. Voſſius, *Iſag. Chronol. Diſſert.* I. *Cap.* V.

Qui in tres Æt. Aliis commodior viſa diſtributio in *tres* ſeu Ætates ſeu Periodos Majores, quarum I. Ab Adamo ad Moſem, annorum illis circiter 2454. II. A Moſe ad Captivitatem Babylonicam, annorum 912. III. A Captivitate ad Chriſtum natum, annorum 605. Singulas denuò in tres minores Articulos ſecant, qualiter noviſſimè, ex Abr. Bucholzero, Henr. Altingius in *Theologiâ Hiſtoricâ*, & Georgius Hornius in *Hiſtor. Eccleſiaſt.*

In quinque Ætat. Pluribus placuit diſtributio in ætates *quinque*, ut Græcis Latiniſque veteribus, nominatim Auguſtino *de Civit. Dei Lib.* XXII. *Cap. ult.* Quarum ſcilicet I. Ab Adamo protoplaſtâ. II. A Noacho. III. Ab Abrahamo. IV. A Moſe, aliis à Davide. V. A Captivitate ad Chriſti natalem. Quam probavit nuper diviſionem Vir Clariſſ. Chriſtianus Schotanus in *Biblioth. Vet. Teſt.* Quintâ rursùm Ætate in *quatuor* ſegmenta, ſecundùm quatuor Monarchias, ad Chriſtum uſque, ſubdiſtributâ.

In ſex Æt. Pleriſque in ætates *ſex* facta fuit diviſio Veteris Ævi, probante pridem Damaſceno, *de Orthod. Fide, Lib.* II. *Cap.* I. Secuti ſunt hanc diſtributionem Arias Montanus, Auguſt. Torniellus, Henricus Harvillæus, Dion. Petavius, Jacobus Uſſerius, alii innumeri, nec tamen eodem modo: Quandoquidem v. g. I. *Ætatem* terminant alii in Diluvio, alii demùm in vocatione Abrahami. Sic II. *Ætatem* alii in Abrahamo nato, alii in Exitu Populi ex Ægypto. Sic *Ætatem* III. extendunt plerique ad Moſem ſeu Legem latam; Arias Montanus non niſi ad viſionem ſcalæ Jacobo exhibitam, *Gen.* XXVIII. Recentiores ad Ædificationem Templi Salomonici. Sic *Ætatem* IV. producunt alii ad ædificationem Templi; alii (ut Arias) ad Legem latam: Recentiores ad Templi deſtructionem, & quæ hanc proximè exceperunt. Sic V. *Ætatem* iſte ad Davidem, illi ad Captivitatem uſque, ſeu Deſolationem Templi Salomonici: Recentiores quidam ad Chriſtum natum. VI. *Ætas* prioribus eſt ad Chriſtum natum; recentioribus, ad ejus uſque Aſcenſionem, & erectionem Regni Dei.

Aliis placuit annorum diſtinctio ſecundùm intervalla *ſeptem*, ex Sacrâ Hiſtoriâ illuſtria, quorum I. A Mundi ortu ad Diluvium. II. A Diluvio ad promiſſionem factam Abrahamo, *Gen.* XV. 13. III. Hinc ad Moſem Legem promulgantem, vel ad Exitum populi ex Ægypto. IV. Ab Exitu ad fundatum Templum Salomonis I. *Reg.* VI. I. V. A fundato Templo ad tranſmigrationem Babylonicam, eamque ſub Jechoniâ, II. *Reg.* XXIV. 14. VI. Hinc ad finem Captivitatis, quæ annorum LXX. id eſt, ad I. Cyri annum, Edictum de reditu promulgantis II. *Chron.* XXXVI. 21. 22. VII. Tandem ab Edicto de reditu Populi, ad finem LXX. ſeptimanarum Danielis; demptis tamen annorum iis *ſeptimanis*, quæ à Nativitate Chriſti ad Paſſionem fluxêre. Præivit hîc Beroaldus, cujus unîus veſtigiis inſtitit in *Chronol. Sacrâ* ſummus Theologus David Pareus, duriùs à Joſepho Scaligero hoc nomine exceptus, in *Elencho* utriuſque Orationis Pareanæ. In VII. Ætat.

Thomas Lydiatus conſtituit ab O. C. ad Principium Evangelii, ſeu ad XV. Tiberii, quo Chriſtus manifeſtatus eſt, Canones Chronicos, ſeu Epochas IX. I. Ab O. C. ad Diluvium, annorum 1656. II. A Diluvio ad Natalem Iſaaci, annor. 452. III. Hinc ad Exodum ex Ægypto an. 400. IV. Indè ad fundatum Templum à Salomone, an. 479. V. Indè ad Monarchiam abſolutam Nebucadnezaris; annis 17. antè everſionem Templi, an. 413. VI. Indè ad Monarchiam Cyri Babylonicam, an. 70. VII. Hinc ad ultimum Codomanni, & finem Monarchiæ Perſicæ, captâ Babylone ab Alexandro, an. 204. VIII. Hinc ad finem Imperii Macedonici, ſeu ultimum Ptolomæorum, & primum Julii Cæſaris à Pharſalicâ victoriâ, an. 282. IX. Denique à primo Monarchiæ Julii Cæſaris, ad principium Evangelii, quando baptizatus Chriſtus; mediis annis J. Cæſaris 4. Triumviratûs 6. Octavii Cæſaris 52. Tiberii 15. quæ Epocha annorum 77. Summa eſt, annorum 4033. Hactenùs ille. Sententia Th. Lydiati.

Caput XIX.

Auctoris diſtributio in IX. Epochas, ab O.C. ad Chriſtum. Cum ſingularum Canone Chronologico, & rationibus Canonis.

MIſſis diſtributionibus id genus, ac ſubdiſtributionibus; vel etiam *ſignis temporum* Propheticis, quæ vocant, qualia *ſex* vulgò conſtituunt, à Moſis exceſſu ad Chriſtum exhibitum; aut ſi mavis à Creatione ad Chriſtum, pro numero dierum Creationis; nos Tempus omne prius ab O. Cond. ad Æram Chriſti Natalitiam, in IX. *Epochas* inſigniores, ſeu totidem Intervalla, diſpertimur. Auctoris diſtributio.

Et ſingulorum placuit ſubjungere breviſſimum Canonem, ſeu rationem annorum qui Intervallis ſingulis effluxerunt, totidem quaſi Tabellis, ut uno obtutu Lectori ea ratio conſtet.

CANON EPOCHÆ I.

Ab Adamo ad Diluvium.

Cum Diſcrepantibus Calculis Verſionum, & Joſephi Hiſtor. in Annis antè παιδογονίαν.

	Gen. v. 3. & ſeqq. *Gen.* VII. II.	Hebr.	Samar.	οἱ LXX. pro diversâ Lectione.	*Joſeph.* Ant. L. I. C. IV.
I.	Adam genuit Seth, Anno ætat.	130.	130.	230. ut ſupervixerit Adam nonniſi An. 700.	230.
II.	Seth genuit Enoſch, An. ætat.	105.	105.	205. — —	205. 105. *Verſio Epiph.*
III.	Enoſch genuit Cainan, An. ætat.	90.	90.	190. — —	190. 90. *Ead.*
IV.	Cainan genuit Mahaleel, An. æt.	70.	70.	170. — —	170. 70. *Ead.*
V.	Mahaleel genuit Jared, An. ætat.	65.	65. Scal. ex Autogr. Samarit. 75.	165. — —	165. *al.* 162. *al.* 160.
VI.	Jared genuit Enoch, An. ætat.	162.	62.	162. — —	162.
VII.	Enoch genuit Methuſalah, An. ætat. — — — —	65.	60. al. 65.	165. — —	165.
VIII.	Methuſalah genuit Lamech, An. ætat. — — — —	187.	67. *Scal.* iterùm 77.	165. Euſeb. Hieron. Syncell. 167. Alii Codd. apud Bernardum, ut Samb. Big. Caſ. &c. 177. *neglectis* x. Codex Alex. & Africanus, probante Lud. Capello, Iſ. Voſſio, E. Bernardo, 187.	187.
IX.	Lamech genuit Noach, An. æt.	182.	53.	188. Alii leg. 182. cum Hebræis & Joſepho, & ſic Iſ. Voſſius, E. Bernardus, &c. demptis annis 6. Quidam Codd. LXXXII. omiſsâ *centuriâ*, ut Samb. Caſ. Baſ. Gen. &c.	182.
X.	Noach genuit demum An. ætat.	500.	500.	500. — —	500.
	Hinc ad Diluvium, quando Noach fuit natus annos 600. adde — — —	100.	100.	100. — —	100.
	Summa Annor. ab O. Cond. ad Diluvium.	1656.	132. al. 1307. al. 1327. Scaliger hos putat uſque ad nativit. Noachi, & addit *annos* Noachi 600. reverà jam incluſos in Epilogiſmo annorum priore. Veroſimiliùs, addidiſſe Samarit. ad annos Patriarcharum, totidem *centenarios.*	2240. At ſecundùm Euſeb. 2242. Secundùm Codicem Alex. & Jul. Africanum, G. Syncellum, 2262. Secundùm Joſephum, cui natus eſt Noach non anno Lamechi 188. ſed 182. fiunt anni 2256. Ut ità calculus τῶν LXX. ſuperet *Hebraicum* Canonem annis 600. quibus Diluvium ſeriùs acciderit; *Samaritanum* verò, annis 949.	2256. Legitur tamen in omnibus Codd. Græcis & Latinis, *Ab Adamo ad tempus* Diluvii, χρόνος δισχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ. Rectiùs autem, pro ἑξακοσίων legitur διακοσίων. Niſi obtineat conjectura, ſcripſiſſe Joſeph. ἐτῶν χιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ, ſeu 1656. Et reverà Epilogiſmi alii Joſephi, ab O. *Cond.* vel à *Diluvio* ad *Structuram Templi*, huc ferè ducunt *Antiq.* L. VIII. C. II. L. X. C. XI. ut ſuprà *Cap* III. Sed rationes Joſephi ſingulæ, conficiunt omninò annos antè Diluv. 2256. Et ſic Eutych. Al.

Diſcre-

Diſcrepantes calculi in Annis poſt παιδογονίαν,

Secund. Hebr. Samarit. Græcos.

	Hebr.	*Samarit.*	οἱ LXX.	
I. Adam.	800.	800.	700.	
II. Seth.	807.	807.	707.	
III. Enoſch.	815.	815.	715.	
IV. Kainan.	840.	840.	740.	
V. Mahaleel.	830.	830.	730.	
VI. Jared.	800.	785.	800.	Sec. Samarit. vixit tantùm an. 847.
VII. Enoch.	300.	300.	200.	
VIII. Mathuſala.	782.	653. Sec. Samar. vixit tant. ann. 720.	* 802.	* Secundum τῆς LXX. natus *Mathuſala*, A. M. — — — — — 1287. Vixit antè τεκνογονίαν, juxtà Codd. uſurpatos Euſebio, &c. ut ſuprà — — 167. Poſt genitum Lamechum, vixit — — 802. Collig. anni — 2256. A quibus ſi deducantur anni ab *Adamo* ad *Diluvium*, ſecundùm eoſdem LXX. 2242. ſuperſunt anni 14. quibus vixerit ultrà Diluv.
IX. Lamech.	595.	600.	565.	Sec. Samar. vixit a. 653. ſec. Gr. 753. at ſec. Hebr. 777.
X. Noach.	Ad Diluv. vixit ann. 600.	Conſent. Samar.	Et Græci.	Vixit ſec. Hebr. Sam. Gr. poſt Diluv. 350.

Ad *Canonem Epocha* I.

In hac Tabulâ, I. οἱ LXX. addunt totidem ἑκατοντάδας, ſeu 100. annos, annis Hebraïcis τεκνογονίας, quos detrahunt ætati quæ τεκνογονίαν excepit: Idque in ſex Patriarchis, *Adamo*, *Setho*, *Enoſcho*, *Cainane*, *Mahaleele*, *Enocho*. Secùs in *Iared*, *Methuſalah*, *Lamecho*, *Noacho*, ubi vel nulla, vel paucorum annorum in Græcis diſcrepantia eſt.

2. Iidem *Methuſala* gignenti detrahunt, ſecundùm pleroſque Codd. quos ſecuti Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, G. Syncellus, annos 20. Sed addunt ſequenti ætati Methuſalæ, ut vixerit poſt natum filium ann. 802. ut ſic totos 14. ſupervixiſſe *Diluvio* videatur, quod abſurdum. Nam ſecundùm τῆς LXX. à nato Mathuſala ad Diluvium fluxêre anni 955. vixit annos 969. Ergò 14. ann. ultrà Diluv. ut in Tabulâ. Et indè quæſtiones apud Auguſtinum de Civit. Dei, *Lib.* XV. C. XI. *ubi* tum fuerit Mathuſala, an in Arcâ, an in Paradiſo, &c. Græci poſt generationem vixiſſe a. 802. Hebræi 782. Alii tamen in hoc Hebræos Codd. ſequi maluerunt. Hinc mendoſos eſſe eos Codices, contendunt Lud. Capellus, Iſaacus Voſſius, Ed. Bernardus, &c. & convenire hîc τοῖς LXX. cum Hebræo. Et ſic Africanus, juxtà quem Methuſalah obiit 6. annis *antè Diluv.* Cui poſt nativit. Lamechi tribuit 782. Hieronymus ex Hebræis & Samaritan. Libris, *mortuum eo anno quo cœpit eſſe Diluvium*, paucis antè cœptum Diluv. diebus. Natus enim

anno Adami Cond. ſecund. Hebræos Codd. –	687.
Vixit annos ſaltem inchoat. — — —	969.
	1656.

3. Iidem *Lamecho* gignenti addunt 6. annos ſuprà calculum Hebraïcum; contra quàm Samaritanus, qui hîc deficit, & Joſephus.

4. *Samariticus* Codex, in *quinque* prioribus Patriarchis, nihil ab Hebræo diſtat. Deficit in annis *Iared*, *Enochi*, *Methuſala*, & *Lamechi*: Ità tamen ut Methuſalah exceſſerit eo anno, in quo ſecundùm Samarit. contigit *Diluvium*. Sed ſecundùm Hieronymum *Tradit. in Gen.* Samaritano conveniebat cum Hebræo in Methuſ. & Lamecho. Igitur mendoſiſſimus ille Codex; aut de Samaritano pronunciavit Hieronymus, licet non à ſe viſo.

5. *Vulgata* editioni cum Hebraïcis fontibus convenit, uti Hieronymo, Auguſtino, Bedæ, &c. quâ de re ſuprà, ut & de diſſenſu Baroniano à Vulgatâ. Ac Judæos ab accuſatione *abbreviatæ Chronologiæ* Patriarcharum, (quæ jam olim fuit accuſatio Græcorum, & ipſius Abulfaraji in Hiſtoriâ Dynaſtiarum, ex Verſ. Pocockii, p. 72. 73.) liberat ipſe Simonius. Parum enim eorum cauſam juvabat ille qui ſupererat calculus ſcil. 4000. annor. circiter, ad Meſſiam; quot effluxiſſe ipſe intellexit Maimonides, & qui adhærent Hebraïco Codici, in Generationibus ab Adamo ad Noachum, hinc ad Abrahamum. Unde illi, non eſſe inquirendum in tempus Meſſiæ, ut quoque Auctor Libri שבט יהודה. Conſtant etiam ſibi Hebræi Codices omnes, non Græci, non Samaritanus (qui ex Græco magnam partem natus) non Joſephus, ut liquet. Undè quos tutiùs ſequaris, facilè intelligitur. Ac receſſerunt à LXX. Interpretibus, & Martyrologio ſuo, doctiſſimi Pontificiorum, Genebrardus, Bonfrerius, Malvenda, Pererius, Ar. Montanus, Harvillæus, Deſpierus, Torniellus, Salianus, Petavius, Pagius, &c. & qui non? Ne Proteſtantium doctiſſimos modò dicam, ſuprà jam indicatos, *Cap.* 11.

Digitized by Google

CANON EPOCHÆ II.

A Diluvio ad Abrahamum.

Cum Diſcrepantibus Calculis Verſionum, & Joſephi, in annis antè παιδογονίαν.

Gen. XI. 10. & ſeq. XI. 26. XII. 4.	Hebr.	Samar.	οἱ LXX.	*Joſeph.* Ant. L. I. C. VII.
Sem genuit Arphaxad, Anno poſt Diluv.	2.	2.	2.	2. Alii leg. 12. Sic Voſſ. Et multi Codd. ac Verſ. Epiph.
Arphaxad genuit Cainan, An. ætat.	—	—	135. *Cainanem* non habuêre Codices, quibus uſi Theophilus Antioch. Africanus, Origenes, Euſebius, quos ſecuti Zonaras, Glycas, &c. At habent Chronicon Alexandr. Syncellus, Nicephorus, Eutychius Patr. &c. Quos ſequitur Iſ. Voſſius.	*Cainanem* inſerit Voſſius, contendens expunctum eſſe ex Joſepho: Contrà fidem omnium Codd. & Beroſi ipſius, Eupolemi, &c.
— genuit Selach, An. ætat.	35.	130. alii 135.	130.	130. alii 135.
Selach genuit Heber, An. ætat.	30.	130.	130.	130.
Heber genuit Phaleg. An. ætat.	34.	134.	134.	134.
Phaleg genuit Rehu, An. ætat.	30.	130.	130. In Bibl. Reg. Plantin. 134.	130.
Rehu genuit Serug, An. ætat.	32.	132.	132.	130.
Serug genuit Nahor, An. ætat.	30.	130.	130.	132.
Nahor genuit Therach, An. ætat.	29.	79.	179. Edit. Complut. Plant. & Romana, Sixt. Secundùm African. & Euſeb. 79.	120. al. 129. (patet *numeros* in Joſepho eſſe corruptos.)
Therach genuit Abram, Nahor, & Haran, An. ætat.	70.	70.	70.	70. al. ad natum Abraham. 130.
Id eſt 70. anno expleto gignere cœpit; *Abrahamo* ordine *dignitatis* primo, ut eſt *Sem* alibi, *generationis* autem ordine poſtremo, A. Therachi 130. Ut infrà demonſtratur.				
Summa Annor. à *Diluvio* ad 70. Therachi.	292.	937. 942.	1172. Edit. *Sixt.* & *Plantin.* addentes 100. annos ad Nachorem gignentem, hinc annos 880. ſuprà calcul. Hebr. 1072. Secundùm *Edit.* alias, ſunt an. 780. ſuprà calcul. Hebr. Secundùm numeros Iſ. Voſſii, Cainane addito, 1192.	983. al. 993. Secund. Voſſ. 1062. addito Cainane, 130. 1192. Scribit tamen Joſephus, *Lib.* 2. C. VII. Abramum natum poſt Diluv. anno 292. Et ità Codd. omnes Græci, Latini, in hoc annorum Epilogiſmo conveniunt. Quod cum ſingulis Joſephi rationibus rursùm non convenit; quæ minimùm effic. ann. 992.
Adde ad *natum Abrahamum* annos 60.	60.			
	352.			
Hinc ad primam *Vocat. Abrahæ*, ſeu ad Egreſſum ex Ur Chaldæorum, dein ex Charane, anno ætatis 75.	75.			
Summa juxtà Hebr.	427.			

Diſcre-

Diſcrepantes calculi in annis *à Diluv. ad Abrahamum*, poſt παιδογονίαν, ſingulorum Patriarch.

	Hebr.	Samarit.	Græci.	
I. Sem, Schem, vixit poſt παιδογον.	500.	500.	500.	
II. Arphaxad, Arpacſchad,	403.	303.	330.	
o. Cainan,	0.	0.	330.	
III. Schelach, Sala,	403.	330.	330.	
IV. Heber, Eber,	430.	270.	270.	Deficit Samarit. & Verſio Gr. in annis totius vitæ Heberi, totis annis 60.
V. Phaleg, Peleg,	209.	109.	209.	
VI. Rehu, Regu,	207.	107.	207.	
VII. Sarug, Serug,	200.	100.	200.	
VIII. Nachor,	119.	69.	125.	
IX. Thara, Therach, qui gignere cœpit anno 70.	135. vixit a. 205.	75. vixit a. 145.	135. vixit a. 205.	Hîc deficit Samaritan. in annis vitæ Therachi, totis annis 60. In cæteris Patriarchis concordant Epilogiſmi annorum *vitæ*, in Samaritano & Hebræo Cod.

Ad Canonem Epochæ II.

I. Græci rurſum in *ſex* Patriarchis, uti factum *antè Diluvium*, addunt ſuprà calculum Hebraïcum, in annis τεκνογονίας annos 100. ſcilicet ab Arphaxad uſque ad Serug incluſ. ut patet. 2. Addunt *Cainanem* genitum Arphaxadi anno 135. ignoratum Hebræis, Samaritanis, Beroſo, Onkeloſo, Philoni, Joſepho, Theophilo Antiocheno, Origeni in Hexaplis, Africano, Euſebio, &c. ac *Lucæ* contextui per errorem inſertum, ut evictum aliàs. Exempla irreptionum in *contextum* τ͂ LXX. ex falſo *gloſſemate*, habet quædam Jac. Capellus, *Hiſt. Exoticæ* p. 36. Et recentiores qui pro Hebr. veritate decertant. 3. Iidem ſecundùm quoſdam *Codd. Nachori* gignenti tribuunt annos 179. Atque ità ſecundum lectionem hancce, excedunt epilogiſmum Hebraïcum annis 880. Aut ſi Nachori tribuantur tantùm anni 79. dùm Hebræus Codex nonniſi 29. excedunt annis —— —— —— —— —— —— 780. Sed corruptos hac parte eſſe numeros τ͂ LXX. fatetur etiam nuperus Auctor *Antiquit. Tempor*. Ut hîc corrupti, ſic in diſcrepantiis reliquis ab Hebræo, idem accidere potuit.

II. *Samaritanus* Codex ſequitur in his τοὺς LXX. ſecùs ac in annis antè Diluv. Sed Cainanem neſcit, ut nec Joſephus. Excedit autem numeros Hebraïcos antè παιδογ. an. 650. vel 645. Diſcrimen Samar. ab Hebr. Codd. poſt τεκνογονίαν videſis in Tab. appoſitâ.

III. Qui Chronologiam *Patriarchalem* contexunt ex Verſione τ͂ LXX. ut noviſſimè quoque, poſt Iſaacum Voſſium, *Inſtaurator* Gallus *Antiquitatis Temp.* ſupponunt confidentiſſimè plurima. Ex. gr. 1. *Judæos*, poſt Chriſtum exhibitum, de induſtriâ detraxiſſe annos 1500. & ampliùs, de annis Patriarcharum, ut *Meſſiæ* tempus hoc magis prorogaretur. 2. *Verſionem* τ͂ LXX. vel *authenticam* in his numeris fuiſſe; vel remanſiſſe *integram*. Quod evidens diſcrepantia Codd. & Editionum; corruptionis antè manifeſtiſſima exempla; pugnantes numeri in Joſepho & Veteribus; judicium Hieronymi; fata hujus Verſionis; tempus & locus quo adornata, &c. ut ſileam alia, falſi arguunt. 3. *Joſephum* Hiſtoricum ſuos calculos ex *Hebraicis fontibus tranſtuliſſe* ipſummet; quod non dixit Joſephus, nec patitur ejus cum ſemetipſo pugna; ne dicam cum Hebræis Codd. 4. Convenire *Joſepho* per omnia, imò & *Samaritano*, ſaltem in annis poſt Diluvium, cum τοῖς LXX. quod falſum ex Tabula ſuperiore. 5. Magnam eſſe adhibendam fidem *computis* eorum Hiſtoricorum, quos citant Joſephus, Clemens Alex. Euſebius, Syncellus; Nec *Exotica* (certæ & indubiæ jam fidei) conciliari cum Hiſtoriâ Sacrâ poſſe, abſque hoc calculo τ͂ LXX. Vide ſuprà *Cap.* II. *Partis* II.

IV. Porrò anni-ne Patriarcharum *incompleti*, an *completi* intelligantur; item, anni *conceptionis*, quibus patres genuerunt, an *nativitatis*, quibus matres viris pepererunt, diſceptatur. Poſterius utrumque vero propius eſt. Quâ de re fusè Uſſerius in Chronol. S. *Cap.* III.

V. *Abrahamum* verò natum eſſe, non anno *Tharæ* Patris 70. ut cenſet quoque Petavius, poſt Abulenſem, Pererium, Scaligerum, Calviſium, &c. ſed anno 130. nos quoque cenſemus. Et ità Theodoretus Catenâ *in Geneſ.* Lyranus, Cajetanus, Torniellus, Temporarius, Calvinus, Beroaldus, Junius, Pareus, Joh. Diodati, Lud. Capellus Jacobi Patruus, Jac. Capellus, Uſſerius Armach. Iſ. Voſſius, &c. Cujus rei invicta demonſtratio eſt, 1. *Ætas Saræ*, x. tantum annis minoris Abrahamo, & quidem natæ ex *Harane* Fratre Abrahæ, ut colligitur ex *Gen.* XVII. 17. adſtipulante Joſepho *Antiq.* L. I. C. VI. VII. Si Abraham ſenior fuiſſet Harane, ſequeretur hunc genuiſſe anno ætatis ſuæ *octavo*, quod & Hebræi ſentiunt, in Seder Olam Rabba, & in Tractatu *Sanhedrin*, ac ipſe inter Chriſtianos Genebrardus, ſed abſurdiſſimè. Cumprimis etiam collatio loci, *Gen.* XI. 32. ubi Thara pater Abrahæ vixiſſe dicitur *annos* CCV. cum loco *Gen.* XII. 4. & *Act.* VII. 4. ubi Abraham *poſt mortem patris* dicitur *Charane* egreſſus, A. *ætatis* LXXV. undè natus fuerit anno Patris CXXX. Nam vana eſt illa profectio Abrahæ gemina ex Charane, quæ fingitur, una *vivo* Patre, quando natus annos LXXV. altera Patre *mortuo*, quando curatis omnibus quæ Charane perficienda habuit, μετῴκιζεν αὐτὸν *tranſtulit ipſum Deus*, ut factus ſit terræ Canaanis tùm demùm colonus & habitator, natus annos CXXXV. dudum nato Iſaaco. Quod pluribus refellunt Torniel-

niellus, Salianus, Harvillæus, Uſſerius, &c. & noviſſimè Joh. Henr. Heideggerus, *Diſſert.* XXIV. Hiſt. Patr. T. II. Et niſi Abrahamum ſtatuas aliquamdiu *Carane hæſiſſe* ad mortem Patris, κατοικῆσαι εἰς χαῤῥὰν, hinc ab exceſſu Patris primùm migraſſe in Canaanem, natum annos LXXV. quando Pater natus annos CCV. contortæ fuerint omnes reliquæ & violentæ conciliandi rationes, etiam illa Clariſſ. de Dieu, quam vide. Et omnium inſtar adiri poteſt magnus Uſſerius, in *Chronol. S.* à Th. Barlovio primùm editâ, *Cap.* VII. Ex quo patet non fuiſſe quod Hieronymus, in *quæſt.* Hebr. in Geneſ. *indiſſolubilem quæſtionem* appellaret; aut Scaliger, *Eliam eſſe expectandum qui nodum ſolvat*; ex falsâ hypotheſi, Abrahamum natum anno Tharæ Patris LXX. undè Stephanum cum Moſe conciliare neſciverunt.

CANON EPOCHÆ III.

A Vocatione Abrahami, ex Ur Chaldæorum, ad Exitum ex Ægypto.

Epilogiſmus Scripturæ S. non unus eſt. Illinc enim à Vocatione Abrahami, & initio *Peregrinationis*, poſt factam illi Promiſſionem, uſque ad Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, conſtituitur *Exod.* XII. 40. *Gal.* III. 17. Epocha annorum 430. Illinc peregrinatio in terrâ alienâ, παροικία ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ, & ſervitus ſeminis Abrahamici, δούλωσις, κάκωσις, dicitur *Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6. Epocha annorum 400. Quod dicitur phraſi altera, reverſuros in terram Canaanis generatione *quartâ*, *Gen.* XV. 16. nempè quatuor Ætatibus completis, ſeu annis 400. ſi à nato *ſemine* Abrahamo.

Undè variæ ſententiæ Chronologorum & Interpretum: Scaligero, poſt Veterum alios, inter ἀποχῇ reponente; Genebrardo & aliis Epocham 400. annorum, vel 430. inchoantibus à deſcenſu Jacobi in Ægyptum; Paræo noſtro illam annorum 430. exorſo ab Abrahami anno 85. ſcilicet *decennio* poſt primam promiſſionem, vel poſtquàm in terrâ Canaanis habitaverat, *Gen.* XVI. 3. quando facta fuit κύρωσις τῆς διαθήκης, ſolemni ritu, deſcripto *Gen.* XV.

Conciliationis vera ratio eſt: Fluxiſſe annos 430. ſeu à primâ vocatione Abrahami, quando egreſſus ex *Ur Chaldæorum* natus annos 70. annis antè natum Iſaacum 30. ut quoque Petavius, & alii; ſeu veriùs à migratione Abrahami ex *Charane* Meſopotamiæ, (ipſo anno quo egreſſus ex Chaldæâ fuerat) mortuo jam Patre, quando natus dicitur annos 75. *Gen.* XII. 4. etiam juxtà Joſephum *Antiq.* L. I. C. VIII.

Sed indè à nato hujus Patriarchæ *ſemine*, ſcilicet Iſaaco, in *terrâ peregrinâ*, annis 30. ab egreſſu ex Ur Chaldæorum, ut ferè Judæi; vel certè annis 25. ab ingreſſu in Canaanem; uſque ad eductionem ſeminis Abrahamici ex ſervitute Ægyptiacâ, (qui fuerunt anni *peregrinationis* Hebræorum, & *ſervitutis in terrâ alienâ*, partim in Canaane, partim in Ægypto, comprehenſis Patribus) fluxêre demùm anni 400. vel ad ſummum majori rotundoque numero in Scripturâ S. expreſſo, anni 405. Canon ità habet.

Ab anno Abrahami 75. quo egreſſus Charane eſt, *Gen.* XII. 4. (miſſis jam annis illis dubiis 5. quos ſupponunt hæſiſſe Charane,) ad natum Iſaacum, anno Patris *centeſimo*, *Gen.* XXI. 5. fuerunt anni — — — — — — — — — — — 25.

A nato Iſaaco, ad natum illi Jacobum, jam *ſexagenario*, *Gen.* XXV. 26. XV. annis antè mortem Abrahami, *Gen.* XXV. 7. 8. anni — — — — — — — — — 60.

Hinc ab deſcenſum Jacobi in Ægyptum, anno Joſephi 39. ſeu annis circiter 9. ab exaltatione Joſephi, *Gen.* XLI. 46. anni juxtà Scripturæ calculum, *Gen.* XLVII. 9. — — — — 130.

Fiunt anni ab ingreſſu *Abrahami in Canaanem*, ad migrationem *Jacobi* in *Ægyptum*, — 215.

Rursùs anni habitationis ac ſervitutis Iſraëliticæ in Ægypto, fuêre totidem ſcilicet 215. quos & ſtatuit Joſephus ſecundum accuratiſſimos Codd. Qui additi prioribus annis 215. antè deſcenſum *Jacobi*, cum omnibus ſuis, exurgunt anni 430. Moſi & Paulo memorati. Anni autem præfati habitationis Ægyptiacæ 215. ità colliguntur.

Certum primò eſt, *Joſephum* denatum eſſe anno ætatis, 110. *Gen.* L. 26. A quibus ſi demas annos 30. quando exaltatus in Ægypto fuit, *Gen.* XL. 46. hinc annos 9. ad deſcenſum Jacobi, ut tum natus fuerit annos 39. ſuperſunt anni completi quos vixerit *Joſeph*, à deſcenſu Iſraëlis patris, 71.

A morte Joſephi ad nativitatem *Moſis*, nepotis *Caathi*, qui antè pubertatis annos, cum patre *Levi* in Ægyptum deſcenderat, *Gen.* XLVI. 11. (contrà quàm Polyhiſtor apud *Euſeb. Lib.* IX. *Præparat.* C. IV.) & genuit filium *Amram*, patrem hunc ex Jocabedâ conjuge *Aaronis*, & *Moſis*, hujus quidem ſæviente jam perſecutione, putandi anni circiter — — — — — 64.

Sic fiunt anni à Deſcenſu ad natum Moſem CXXXV. Ut ità Caath, impubis (ut videtur) ſub Deſcenſum, genuerit Amram *ſexagenario* tum major, denatus anno ætatis CXXXIII. *Ex.* VI. 18. Amram verò genuerit Aaronem, *triennio* majorem Moſe, *ſeptuagenarius*, & ultrà, denatus anno ætatis CXXXVII. *Ex.* VI. 20. Alii aliter calculum inſtituunt, ſecuti Polyhiſtorem apud Euſebium, προπαρασκ. L. IX. C. IV. Conveniunt autem in epilogiſmo annorum CCXV. & ſic Auctor Gallus *Antiq. Temp. Reſt.* Vide & prolixè Uſſerium, calculos inſtituentem *Chronol. S. Cap.* XI. ac ſolventem difficultates, auctas ex Verſ. Vulgata, *Ex.* I. 6. II. 1. quem compilare hujus inſtituti non eſt.

A nato Moſe, ad ſuſceptam vocationem, & eductionem Populi ex Ægypto, *Exod.* VII. 7. anni — 80.

Fiunt anni *habitationis* Iſraelitarum *in Ægypto* — — — — — — — — — — — — 215.

Adde ſuprà, annos antè Deſcenſum, indè à peregrinatione Abrahami in Ægyptum, 215.

Judæi communiter in Seder-Olam Rabba, & aliàs, annos habitationis Ægyptiacæ faciunt 210. 430.

Et

Et ſic præceſſerant, ſecundùm eoſdem, ab Egreſſu ex Ur Chaldæorum anni 220. putando hos ab Abrahami anno 70. antè natum Iſaacum annis 30.

Dav. Pareus qui annos 430. putat ab Epochâ, non *Promiſſionis*, ut debuit, ſed κυρώσεως τῆς διαθήκης, in ſacrificio illo *Gen.* XV. *decennio* poſt primam promiſsionem, tribuit moræ in Ægypto annos 215.

Princeps verò difficultas manet, ex loco *Exod.* XII. 40. *fuiſſe* מושב בני ישראל *habitationem* vel *peregrinationem filiorum Iſraëlis, qui habitarunt in Ægypto*, CCCCXXX. *annorum*. Ubi obſervandum; 1. Vocem מושב denotare παροίκησιν *peregrinationem*, uti habet Verſio τῶν LXX. in vetuſtiſſimo Cod. Alexandrino, relatè ad tempus quo fuère גרים *advenæ, peregrini*, quod cœpit in terra *Canaan*, quæ terra *peregrinationis*, reſpectu Patrum, ut Abraham de ſe ipſo dicit *Gen.* XXIII. 3. 2. Græcos Interpretes in Cod. Alexandrino, in Edit. Complutenſi, Aldinâ, &c. ſuppleviſſe quod in Hebræo deerat, explicationis ergò, ut & Samaritano-Hebræum; ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. 3. Aliud, peregrinationem filiorum Iſraëlis, אשר ישבו *qui habitarunt* vel manſerunt in Ægypto, aliud, *quâ* habitarunt in Ægypto, cum determinatione temporis; Prius Vulgata Latina, in Bibliis Polyglottis Antwerp. & Pariſienſibus, &c. 4. Sic Joſephum quoque reddidiſſe, *Antiq.* L. II. C. XV. μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἄβραμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν. 5. Ità Paulus *Gal.* III. fluxiſſe hoc intervallum à *Promiſſione* factâ Abrah. ad datam *Legem* μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα. 6. Adde teſtimonium Euſebii in *Chron. A* LXXV. *anno Abrahæ, uſque ad egreſſum Hebræorum ex Ægypto, ſupputantur anni* CCCCXXX. Accedat conſenſus Magiſtrorum, in Seder Olam Rabba, & *Comment.* in Geneſ. in Exodum, item Sulpicii Severi, Auguſtini, Bedæ, &c. 7. Vetant etiam habitationem in *Ægypto* extendi ad annos 430. ipſa ætas *Caath*, jam nati tempore deſcenſûs, *Gen.* XLVI. & *Amram*, à quo *Aaron* & *Moſes*, quorum anni, ut ſimul juncti, cum annis LXXX. Moſis, efficiunt vix annos CCCL. Ac gratis quidem Genebrardus, inter iſtos & Moſem interveniſſe perſonas alias, prætermiſſas à Moſe in Libro Exodi; invitâ Scripturâ, Joſepho, ratione ipſâ, quaſi Moſes avum ſuum vel ignoraſſet, vel ſponte prætermiſiſſet. Quod verò habitationis *Iſraëlitarum in Ægypto* tantùm mentio, indè eſt, quòd hæc poſtrema fuerit, & ſtabilis, & celebratiſſima, & ipſa exaltatione Joſephi, ac multiplicatione Populi admiranda, quam illuſtris adeò Liberatio excepiſſet; præter *peregrinationem* ipſius Abrahami in Ægypto, ab adventu in Canaanem, de quâ *Gen.* XII. 10. Plura qui volet, adeat Uſſerium noſtrum, in Opere poſtumo, *Chronologia S. Cap.* VIII. Ac conſentit hac parte Scriptor nuperus, *Antiquit. Temporum Reſtituta*, Ætate III. *Cap.* III.

CANON EPOCHÆ IV.

Ab Exitu ex Ægypto, ad initium Samuëlis, cujus annis implicantur illi Saülis.

ÆRA *Exodi*, ſeu Exitûs Iſraëlitarum ex Ægypto, ipſis Gentilibus Scriptoribus celebratiſſima eſt, quanquàm fabulis fœdata, Manethonis, Chæremonis, Lyſimachi, Alexandri Polyhiſt. Artapani Hellenici, Diod. Siculi, Apionis Alex. Ptolemæi Alex. Trogi Pompeji, Corn. Taciti, Strabonis, Juvenalis, &c.

Incidit illa ſecundum accuratiſſimos Chronologos, comparata ad Period. Jul. & Epochas alias, Sacras & Exoticas, in *Period. Jul.* (Seldenus ad Marmora ſexennio circiter anticipat) annum 3223.
A Mundo Condito, juxtà Epochas priores, — 2513.
A Diluvio, juxtà Canonem priorem, —— 857.
A Peregrinatione Abrahæ, —— —— —— 430
Ab ingreſſu Jacobi in Ægyptum, —— —— 215
A nato Moſe, —— —— —— —— 80.
Poſt Danai in Græciam appulſum Navi Pentecontoro, quanquàm aliter Euſebius, ſecund. Marm. 15.
Antè Excidium Trojæ, (in paucis annis variatur) annis plus minùs 300.
Ante 1. Olympiadem annis circiter completis 714.
Antè Urbem C. annis — —— —— —— 738.
Antè Æram Nabonaſſ. annis —— —— 744.
Antè Æram Ch. Vulg. ſecundùm calculum Uſſerianum, qui & noſter eſt, —— —— — 1491.

Joſephus L. II. contrà Apion. Alex. (qui retulit Exitum ad annum I. Olymp. VII. quo Pœni Carthag. condiderunt, Lyſimachus ad tempus Bocchoris Regis, μετὰ χρόνον VII. Seculor.) ἐξ ἀμετρίας τῆς ἀνθολκῆς, anticipat Moſis tempus, comparatè ad tempora Græcorum: Et eum quidem, ex Manethone, Ægypto cum Iſraëlitis expulſum eſſe *Tuthmoſe* Rege, per aphæreſim *Thmoſe*, vel *Amoſe*, ſub quo veriùs exaltatio Joſephi; quem ſecuti Theophilus Antioch. Juſtinus Martyr, Africanus. Hinc Moſem referunt ad *Ogygis*, vel etiam *Inachi* anteriora tempora; & quidem quadringentis ferè annis antè Danaum. Uti *Danai* in Græciam appulſum faciunt priorem Trojano Excidio annis 600. Qui tamen Trojæ ἅλωσιν anteceſſit juxtà Euſebium, & Marmor Arondell. annis paulo plus 390. obſervante & Marſhamo ad *Secul.* IX. Exodum verò paucis annis. Hinc conturbatæ ſunt Joſephi rationes, & parachroniſmorum plenæ; ac Veterum qui Joſephum ſecuti.

Porrò Epocha *quarta* eſt, quæ fluxit *ab Exitu* Iſraelitarum *ad finem Judicum*, ſeu ad exitum Eli, & initium Samuëlis, cum cujus annis combinantur illi Saulis Regis Act. XIII. 20. 21. Atque hæc colligitur, ex annis Judicum ac ſervitutum, eſſe annorum circiter 396. Ità quidem ut verba Jephtæ *Jud.* XI. 26. de *trecentis* annis placidæ poſſeſſionis Iſraëlitarum, intelligi debeant de *tertio Centenario* magnâ ſui parte elapſo, indè à κληρουχίᾳ, vel indè ab *ingreſſu in* Terram Canaanis, laxiore hic numero rotundo. Quibus annis 396. ſi addas, ex Tabulâ ſequente, annos 84. qui fluxêre ad jacta jam *Templi* fundamenta, conficiuntur anni circiter 480. ab Exitu ex Ægypto, ad annum IV. Salomonis, quo Templum ædificare cœpit, irrefragabili authoritate loci 1 *Reg.* VI. 1.

Reclamant quidem in Veteribus, Sulpicius Severus, *Hiſt.* Lib. I. qui *corruptum* jam locum exiſtimavit, *librariorum negligentiâ*, tot Seculis intercedentibus

Digitized by Google

dentibus, legens annos 588. Eum antè Joſephus *Antiq*. L. VIII. C. II. removens Exitum in anteriora, extendit Epocham ad annos 592. Ità Lib. I. contrà *Apion*. Alex. & in *Præfat*. Antiquitatum, *Moſem*, ſub quo eductus Populus, facit coævum Inacho primo Argivorum Regi, & 2000. circiter annis natum, antequam ſcriberet. Secuti eum plerique Veterum, poſt Theophilum Antioch. Africanum, &c. quidam etiam ultrà annos 600. hanc *Epocham* prorogantes, Chronicon Alex. ad annos 630. Euſebio tamen excepto, qui in *Chronico* rectè putat, ab Exitu ad Salomonem & Ædificationem Templi, annos CCCCLXXX. In recentioribus, mendum, cum Sulpicio, in Textu Hebræo ſuſpicati Carolus Sigonius, Nic. Serarius, Chronologi alii, quos ſecutus Lud. Capellus, Gerh. Joh. Voſſius, & quotquot ferè annos *Servitutum* ſeparant ab annis *Judicum*. Undè Viri illi conficiunt Epocham annorum minimùm 580. legente ità locum I *Reg*. VI. I. & audacter emendante, poſt cæteros, Ludov. Capello. Aliis autem non corruptus quidem, ſed explicandus eſſe locus videtur; idque faciunt non uno modo. Quidam Scriptori Sacro recenſeri illos annos tantùm quibus *Judices* adminiſtrarunt Rempubl. omiſſis annis Interregnorum, aut *Servitutum*, quibus oppreſſi fuerant Iſraëlitæ; & in hanc ſententiam inclinat quoque Gerh. Joh. Voſſius, *Iſag. Chron*. C. VII. ſiquidem *locus* I *Reg*. VI. I. *non vitiatus ſit*. Alii autem, quos inter Laurentius Codomanus Chronolog. *Lib*. I. prolixè refutatus Uſſerio, cenſent reſpici potiſſimùm annos qui effluxerint ab Exitu, ad id tempus quo Danitæ tandem miſſi in poſſeſſionem ſuæ ſortis, *Jud*. XVIII. finitâ ſic peregrinatione Iſraëlitarum, à quâ abſolutâ, fluxerint anni ad fundatum Templum Salom. 480. Dionyſius autem Petavius, *de Doctr. Temp*. L. IX. C. XIII. quem ſecuti quidam alii, putat hos annos 480. ad ſtructuram Templi Salomonici, non ab *Exodo ex terrâ Ægypti*, ſed ab Εἰσόδῳ ſeu *Ingreſſu* in Terram, ſeu tranſitu per Jordanem; quod præter ſtylum Scripturæ eſt, protrahenſque hanc Epocham annis XL. Omnes mirâ inter ſeſe pugnâ commiſſi. Et omnium inſtar adeundus, præter Jac. Bonfrerium, & Commentatores alios, noſter Uſſerius, Chronolog. S. *Cap*. XII.

Nuperus verò Auctor *Antiquitatis Temporum Reſtituta*, ut vocat, *Cap*. IX. putat ab Exodo ad initium fabricæ Templi Salomonici, annos 873. Et ſic totis ferè annis 400. hoc ſpatium protendit, ut nempè ſerviat hypotheſibus, ac 2000. annos Legi attribuat, à Moſe ſcilicet ad Meſſiæ tempora; ex traditione Elianâ Hebræorum, & ex Joſephi calculo, ſed minùs ſibi conſtante, in *Præfat*. Ἀρχαιολογίας. Cui rei firmandæ ſupponit alia: Ex. gr. Moſem coævum *Inacho* fuiſſe, Argivorum Regi, qui regnaverit ferè *bis mille* annis antè Chriſtum: quem Euſebius, Marmora, Chronologi penè omnes faciunt *trecentis* & ampliùs annis, anteriorem Moſe, ipſe Marſhamus. Ità ſupponit ille Ægyptiorum Imperium (quorum ultima Dynaſtia in Nectanebo II. ſub Artaxerxe Ocho extincta, XIX. annis antè Imper. Aſiaticum Alexandri M.) duraſſe annos 2620. indè à Phalegi temporibus; quando ſcil. Hebræorum cœpit Dynaſtia ſub *Mene* Rege primo, juxtà Chronologiam G. Syncelli. Quum tamen, juxtà Hebræos Codd. vix fluxerint à nato Phalego, ad initium Monarchiæ Perſar. ultrà annos 1700. paucis additis; adde jam annos Perſarum, ex Canone Nabonaſſ. ſuperiore, ad Alexandrum M. 208. fiunt anni 1900. & qui excedunt; quod cum Obſervationibus Chaldæorum Aſtronomicis, à Calliſthene ad Ariſtotelem tranſmiſſis (de quibus ſuprà P. II. C. VI.) ſatis convenit. Rursùs ille, non modò *Belli* & *Servitutum* tempora, in Epochâ Judicum, diſtinguit ab iis annis qui *Judicibus* & *Quieti* Terræ, tribuuntur, ſed & longas *Anarchias* intermedias facit, ab annis Servitutum, & Judicum, diſtinctas: Atque ità, ex. gr. inter mortem *Joſuæ*, & initium *Othonielis*, medios facit annos *Seniorum Judæ* 50. *Anarchiæ* 35. annos 8. *ſervitutis* Meſopotamicæ, *Jud*. III. 8. quibus demùm ſubjungit *Othonielis* annos 40. Ex dubiis verò admodùm hypotheſibus, & precariis, pollicentur fruſtrà demonſtrationem *reſtitutionemque Temporum*.

Certiſſima autem nobis eſt ea Epocha, ſeu is calculus annorum, quem Sacer Textus ſignavit, I *Reg*. VI. I. Nec obſtat locus *Act*. XIII. 20. *Et poſteà, annis circiter* 450. *dedit Judices*, cui præcipuè inſiſtit G. J. Voſſius; variè idem & lectus, & conſtructus, & explicatus: Sed referendus omninò ad tempus *quando* dati *Judices*; *poſtquam* ſcilicet fluxiſſent totidem anni, *ὡς quaſi circiter*, (puta indè à nato *Iſaaco*) uſque ad κληρουχίαν ſeu ſortitionem Tribuum: Et ità legit antiquiſſimum Exemplar Alexandrinum, quod in Angliâ habetur, majuſculis literis exaratum; Κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτάς. Sic Exemplaria alia apud Rob. Steph. & Bezam. Refertur ergò ad tempus quo Terram ſorte illis partitus eſt Deus, annis 450. ſcil. à nato Iſaaco; καὶ μετὰ ταῦτα, *exactis* ſcilicet *annis* 450. circiter, ἔδωκε κριτάς, non inſuetâ Scriptoribus S. ellipſi, ut ab Uſſerio, & Doctiſſimis Interpretibus, obſervatum. Id convenientius, quàm ut explicetur (quod fit à viris Eruditis, & à præfato modò Scriptore *Antiq. Temp. Reſtit*.) de tempore *quamdiu* dati *Judices*, ſeu quamdiu duraſſet Judicum Epocha, ſcil. per annos 450.

Nempè à nato Iſaaco ad Exitum, ut ſuprà fuerunt anni 405. Hinc ad κληρουχίαν anni 46. undè exurgunt (ὡς) anni 450. numero rotundo poſito. Et ſic quoque magnus Armachanus, in Annal. & in Opere Chronologico.

Porrò anni ſuprà dicti 396. colliguntur in hunc modum;

Ab Exitu ex Ægypto ad ingreſſum in Terram Canaanis, fluxêre juxtà Scripturam anni — 40.

Hinc ad exceſſum *Joſuæ*, communiore Chronologorum calculo, ut ſupervixerit Joſua, *decennio* circiter, poſt *ſortitionem* Terræ, jam is ætate gravis tempore κληρουχίας, *Joſ*. XIII. I. colliguntur (quamvis Joſephus Archaiologus tribuat Joſuæ annos XXV. & ità quoque nuperus Marſhamus in *Can. Chron*. Euſebius verò, poſt Clementem Alex. & Jul. Africanum, annos XXVII.) anni — — — — — — — — — — — — 17.

Uſſerius verò & alii, *decennium* illud Joſuæ, poſt κληρουχίαν, includunt in annis ſequentibus 40. quibus *Terra quieviſſe* dicitur, ſeu *quieſcere* cœpiſſe, incluſis tamen annis *ſervitutis* VIII. *Jud*. III. II. Supplent verò aliàs, annos inſerendo 9. & aliquot menſes, inter *Gedeonem* & filium ejus *Abimelechum*, licet non expreſſos in Scripturâ S. Nulla tamen eſt neceſſitas annis quieti Terræ tributis, Othoniele Judice, includendi annos Ducatûs Joſuæ: Et ſatiùs faciunt illi, qui calculum ſic inſtituunt, ut numerentur ſemper anni à morte unius Judicis, ad mortem Judicis ſucceſſoris; quamvis anni luctuoſi interceſſerint *oppreſſionis* & *ſervitutis* intermediæ. *Quietis* tamen vocantur anni, denominatione factâ à *meliori* & *majori* parte, more in Scripturis familiari. Hinc ad mortem *Othonielis Jud*. III. II. *quiete Terræ* reſtitutâ, (*incluſis* quidem, ſed diſtinctis

ctis tamen ab annis *pacis* & *quietis*, annis *ἀναρχίας* à morte *Seniorum*, & annis *corruptionis*, *Jud.* II. 7. 10. 14. hinc annis 8. *ſervitutis*, ſub Rege Meſopotamiæ, *Jud.* III. 8.) fluxerunt anni — 40.

Hinc ad finem annorum 80. quibus quieverit Terra, (& quibus rurſùm includuntur anni 18. ſervitutis Moabiticæ ſub Eglone, *Jud.* III. 14. 30. 31.) Judicibus *Ehud* & *Schamgar*, anni — 80.

Hinc ad devictum Siſeram, ſub *Deborâ*, & quietem Terræ reſtitutam, incluſis annis 20. oppreſſionis, per Cananæos ſeu Jabin, *Jud.* IV. 3. V. 31. anni — — — — — 40.

Hinc anni quietis ſub *Gedeone*, *Jud.* VIII. 28. incluſis annis 7. ſervitutis Madianiticæ, *Jud.* VI. 1. anni — — — — — — — — — — — — — — 40.

Hîc verò inter victoriam à *Gedeone* de Madianitis partam, & exordium regni *Abimelechi*, filii Ged. interponit Uſſerius, *annos* IX. & *menſes* aliquot, compenſandis annis Principatus Joſuæ, à tempore *κληρουχίας*, quos incluſit in annis 40. Othonielis.

Hinc anni 3. *Abimelechi*, *Jud.* IX. 22. & *Thola* anni 23. *Jud.* X. 2. & *Jairi* anni 22. *Jud.* X. 3. 8. quibus nempè includendi ſunt anni 18. Hammoniticæ oppreſſionis; Et ſic exurgunt anni — 48.

Hinc ad *Samſonem*, incluſis annis *Jephtæ*, 6.
Ibzanis, 7.
Elonis, 10.
Abdonis 8. — ex *Jud.* XII. 7. — 14. fiunt in univerſum anni — — — — — — — 31.

Hinc ad finem Judicaturæ Samſonis, cui tribuuntur anni 20. *Jud.* XVI. 31. & ad finem Judicaturæ Heli, cui tribuuntur anni 40. fiunt anni 60. 1 *Sam.* IV. 18. Ità ut in iſtis includantur anni 40. oppreſſionis per Philiſtæos *Jud.* XIII. 1. Duravit nempè hæc ad Samuelem uſque, per quem depreſſi tandem Philiſtæi 1 *Sam.* VII. 13. Uſſerius, ſic quoque Marshamus, daturi Samſoni & Heli nonniſi annos 40. conjunctim. Ut ita Heli non numeretur inter Judices, ſeu Vindices Populi, qui obierit anno XX. ſervitutis Philiſtæorum, XX. annis antè devictos Philiſtæos. *Judicem* ergò appellatum cenſent *Heli*, reſpectu litium quas Pontificali auctoritate dirimeret, ut filii Samuëlis, 1 *Sam.* VIII. 1. & ipſe Samuël poſt unctum Saulem 1 *Sam.* VII. 15. Tum *Samuëli* daturus Uſſerius, & alii, annos 21. diſtinctos ab annis 40. *Saulis*, quos annos XL. Samuëlis & Saulis in ſequente Epochâ, combinamus. Epilogiſmus utrobique idem eſt, annor. — 60.

Fiunt anni ab Exitu, ad initium Samuëlis cum Saule combinati, — — — — — — — 396.

CANON EPOCHÆ V.

Ab initio Samuëlis & Saulis, (vel Saulis tantùm, ſi illi XL. *anni tribuantur) ad initium ſtructuræ Templi Salomonici: Hinc uſque ad diviſionem Regni per Jeroboamum.*

SI terminetur *Epocha* in jactis Templi Salomonici fundamentis, inchoato anno regni 4. fuerit modo annorum 83. qui additi ad annos 396. efficiunt annos 479. completos, juxtà Scripturæ S. calculum: Si verò extendatur Epocha ad diſtractionem Regni, & initium Jeroboami, *primo* anno à morte Salomonis, fuerit annorum 120. Qui anni hunc in modum colliguntur.

Ab initio Præfecturæ ſolius *Samuëlis*, Prophetæ ſimul & Judicis, poſt mortem Heli, 1 *Sam.* IV. uſque ad initium regni Saülis; 1 *Sam.* X. fluxerunt anni omninò plus quàm 20. Hi enim putantur indè à collocatâ Arcâ in Kirjath-Jearim, uſque ad tempus *reſipiſcentiæ*, & *liberationis* Iſraëlis à jugo Philiſtæorum, 1 *Sam.* VII. 2. &c. Undè ad unctionem Saülis, videtur adhuc interceſſiſſe annus 1. colligente Uſſerio ex 1 *Sam.* XIII. 1. Sic Samuëlis fuerint anni 21. antè unctum Saülem in Regem.

Hinc ad mortem Saülis, quæ acciderit haud longè poſt Samuëlis exceſſum, 1 *Sam.* XXV. XXXI. putandi ſunt anni reliqui, uſque ad impletos annos 40, qui tribuuntur juxtà pleroſque, toti tempori *Samuëlis* & *Saülis*: Combinato ſic utriuſque regimine, in epilogiſmo annorum, *Act.* XIII. 21. Sed ità ut deputentur Samuëli antè Saülem, ann. 21. Saüli verò anni 19. Licet quidam annos Saülis arctarint intrà illud *biennium*, expreſſum 1 *Sam.* XIII. Sed omninò accipiendum de *biennio*, ſcil. inchoato, antè oppreſſionem Philiſtæorum, vel certè antè rejectionem ipſius Saülis, de quâ 1 *Sam.* XV.

Igitur ab initio Samuëlis, ad initium regni Davidis, incluſis annis Saülis fluxerunt anni - - 40.

Ab inchoato Regno Davidis, in Hebron, ad mortem ejuſdem, putandi juxtà calculum Sacrum, 2 *Sam.* V. 4. anni — — — — — — — — — — — — 40.

Hinc ad fundari cœptum Templum à Salomone Rege, anno ejuſdem 4. inchoato 1 *Reg.* VI. 1. anni integri — — — — — — — — — — — 3.

Fiunt A. 83.

Sed extendi hæc Epocha poteſt, ad diſtractionem Regni Iſraëlitici, ſeu ad defectionem X. Tribuum, ſtatim anno 1. Rehoboami; additis ſcilicet annis completis Salomonis 36. qui fluxêre à fundato Templo ad hujus exceſſum, 1 *Reg.* XI. 42. Quod enim recentiores quidam Chronologi, inducti authoritate *Joſephi*, Lib. VIII. C. III. ad annos Salomonis in Scripturâ traditos, 1 *Reg.* XI. 42. 2 *Chron.* IX. 30. (ut hypotheſi ſerviant, & producant Epocham à fundato Templo ad ejus deſtructionem) addunt alios annos 40. quibus Salomon regnaverit impius & *Idololatra*, narrante & Theodoreto hunc Joſephi calculum, iſtud fit nullo documento, & audaci conjecturâ: Nec probant facta Salomonis *priora & poſteriora*; ut illi quidem vellent; quum & de

Digitized by Google

de Aſa, de Joſaphato, de aliis Regibus, eadem phraſis uſurpetur. Viſum etiam eſt, ſuprà *Cap.* III. ut *Joſephus* in calculo Chronologico, ab Hebræis Codd. & à ſe ipſo frequenter diſſideat, adaugeatque vehementer res Salomonis, pro ingenio Gentis; ſic durationem Vitæ & Regni mirè extendat, quem vixiſſe cenſet annos 94. regnaſſe annos 80.

Quare ad priores annos 84. (vel 83. antè cœptam ædificat. Templi) adde reliquos annos Salomonis, juxta Script. - - - - - - - - 36.

Sic fuerit hæc Epocha *Quinta*, annorum - - - - - - - - 120.

CANON EPOCHÆ VI.

A diſtractione X. *Tribuum, Anno* I. *Rehoboami Judæ, & Jeroboami Iſraëlis, ad initium Annorum* LXX. *Captivitatis Babylonicæ.*

EPocha à *diſtractione Regni* vel defectione X. Tribuum, ſeu ab anno I. Rehoboami I *Reg.* XII. XIV. 21. qui & I. Jeroboami, I. *Reg.* XII. 20. &c. ad initium *Captivitatis Babylonicæ*, ſeu ad initium annorum LXX. eſt jam intervalli non ſatis certi. Variat enim ſupputatio annorum hujus Epochæ, prout alii initium Captivitatis referunt ad annum IV. Jehojakimi Regis; alii ad I. Jechoniæ; alii ad Excidium Templi & Urbis, anno XI. Zedekiæ. Prout rursùm alii auctoritate loci *Ezech.* IV. 9. (ubi Propheta juſſus recumbere in latus per dies 390. ac ſibi de *pane* proſpicere, ſine alio obſonio,) indè ab anno I. Jeroboami, qui peccare fecit Iſraëlem, ad deportatum Populum, numerant annos 390. hos etiam diverſimodè terminatos, vel in Jechoniâ, vel in Urbis obſidione ultimâ, vel in Excidio. Prout denique variè computantur anni Regum *Iſraëlis*, & contemporaneorum Regum *Judæ*, in Scripturâ S. Unde fit ut modo illi hos ſuperent, in VI. Regibus prioribus Judæ, aliquot annis; modò ſuperentur annis plusquam XXI. anni Regum Iſraëlis, comparatione factâ, indè à *Jehu* ad *Hoſeam* Regem Iſraëlis ultimum, cum annis ab *Athalia* ad A. *Ezechiæ* VI. quando deportatæ X. Tribus: Hic enim numeri in Script. S. efficiunt annos CLXV. ibi nonniſi annos CXLIII.

Quare dubia non pauca hærent, v. gr. ſintne anni Regum intelligendi *completi*, an *inchoati*; numeruſne *præciſus*, an ſæpè *laxior*, ut rotundus numerus exurgeret? Quomodò anni Regum Judæ ex collatione, ſuperantur ab annis Regum Iſraëlis, ad *Athaliam* uſque & *Jehu*, annis amplius tribus, ut videre eſt in Laterculo quem ex Libro II. *Reg.* exhibet Uſſerius, in Chronol. & in Annal. Sic in annis *Aſæ*, *Joaſi*, & aliis, dubium an anni tantum inchoati, an completi. Pariter, ambiguum quandoque, anni-ne Filiorum *ſeorſim* ab annis Patrum ſupputandi, an quandoque *conjunctim*, Filiis aſſumptis in ſocietatem Regni à vivis Patribus. V. gr. Joramo *Judæ* aſſumpto, ob abſentiam Patris, I *Reg.* XXII. anno Joſaphati XVII. annis VIII. antè mortem Patris; vel etiam antè hanc annis III. Patris ſcilicet anno XXII. ob difficultates ex 2 *Reg.* III. I. VIII. 16. Sic Achaziâ conſtituto Rege, vivo Achabo, I *Reg.* XXII. 51. 52. Sic Joramo *Iſraëlis* regnante antè Joramum Judæ, annis V. id eſt, antequam hic regnaret ſolus, 2 *Reg.* VIII. 16. ſed jam poſt Joramum, ſcil. à Patre Joſaphato in regni conſortium aſſumptum, 2 *Reg.* I. 17. Sic Jeroboamo II. regnante annos XI. cum Patre Joaſo ad bellum Syriacum profecturo; undè æſtimandi anni illi XXVII. hujus Jeroboami, quando Azarias Judæ regnare cœpit, 2 *Reg.* XV. I. Sic non deſunt qui *Ezechiam* Regem cum Patre Achazo regnaſſe ſtatuunt, & quidem ab Anno Achazi VII. ut annus Achazi XII. fuerit Ezechiæ VI. idemque Hoſeæ Iſraëlis IX. quo Samaria capta; Ut ſic concilient annos *Hoſeæ*, cum annis *Achazi*, cujus anno IV. regnum invaſiſſe dicitur Hoſeas, 2 *Reg.* XV. 30. Dùm alibi Hoſeæ III. componitur cum I. Ezechiæ, & Hoſeæ IX. cum Ezechiæ VI. 2 *Reg.* XVIII. I. 10. Et ita Marshamus, initio *Seculi* XVII. ubi de Æra Templi, p. 386. Sed malunt plerique, & Doctiſſ. Chronologi, *Anarchiam* conjicere annorum IX. in regno *Iſraëlis*, quibus Hoſeas non miſſus fuerit in poſſeſſionem regni quod invaſerat.

Dubium etiam quandoque eſt, anni-ne Regum inchoandi *immediatè* à morte Patrum, hujus & illius Regis; an *mediatè* facto interregno, ut quidam volunt in annis *Azariæ*, 2 *Reg.* XIV. 23. alii in annis *Ezechiæ*, nati aliàs Achazo patre impubere, 2 *Reg.* XVIII. 2. de quo prolixè Parens noſter in Dub. Euang. Sic *Interregnum* annorum fere XII. concipitur, à morte *Jeroboami* II. ad *Zachariam* ſucceſſorem, Uzziæ A. XXXVIII. 2 *Reg.* XV. 8. regno ſcilicet Iſraëlis turbis & ſeditionibus diſtracto. Pariter *Interregnum* annorum circiter IX. concipitur, priuſquam *Hoſeas* rex Iſraëlis, (qui occiſo Pekacho, anno IV. Achazi, regnum invaſit) compoſitis turbis, placidè regnaret, ab anno Achazi expirante XII. 2 *Reg.* XVII. I. Quamvis alia alii conjectent. Sic dubium, anni-ne intelligantur *Regum*, an ſæpè *Regni* in illo Populo, quomodò de anno Aſæ XXXVI. id eſt, indè à Regno *Judæ*, diviſo à regno *Iſraëlis*, cui Judæ imperabat Aſa, 2 *Chron.* XV. 19. XVI. I. Rehoboamo enim tribuuntur anni XVII. Abiæ anni III. quibus ſi addideris annos Aſæ tùm regnantis elapſos XV. antè expeditionem Baaſæ Regis Iſraëlis adversùs Judam, fiunt anni completi XXXV. & XXXVI. inchoatus. Pariter dubium quandoque, ſintne anni Regni continuati in hac & illâ familiâ, nec tam de ætate *Regis*, quàm *Domûs* ad faſtigium Regium evectæ. Ità reddunt quidam annos Achaziæ XLII. quando incepit regnare, 2 *Chron.* XXII. 2. intelligendos, ſic illi, de annis domûs *Omri* in Iſraële regnantis, ex quo *Achaziah* per Athaliam matrem deſcenderat, 2 *Reg.* VIII. 26. *Omri* enim regnaſſe dicitur ſolus, æmulo Thibni ſublato, annos VI. Achab, avus Achaziæ, annos XXII. I *Reg.* XVI. 29. Achazia avunculus, filius Achabi, annos II. I *Reg.* XXII. 52. Joram alter Achabi filius, annos XII. 2 *Reg.* XIII. I. Qui anni in ſummam collecti efficiunt XLII. Sed & comparatis annis ad illos Regum *Judæ*, exurgit idem numerus annorum, ab *Aſæ* 31. quando Omri ſolus regnavit: Addendo nempe Aſæ annos reliquos IX. Joſaphati XXV. Jorami Judæ, VIII. cui ſucceſsit Achaziah, 2 *Chron.* XXI. 20. XXII. I. 2. Uſſerius tamen probat magis eam explicationem, quæ refert annos XLII. ad ætatem *Athaliæ*, quæ totidem annos egerit, quum *Achazia* filius regnare inciperet. Quod an ferat Textus Sacer, alii viderint.

Dubium nonnunquam, an anni expreſsi Regum, ſint intelligendi de annis *ætatis*, an verò de annis *regni* adminiſtrati. Quomodò nonnulli, & inter

eos

eos Marſhamus, ſic interpretantur locum 2 *Reg.* xv. 2. *Azariam* fuiſſe *filium* xvi. *annorum in regnando*, id eſt, totidem annos jam regnaſſe, quum leprâ percuſſus eſt: Sed coacta hæc interpretatio, & probatur aliàs Uzziam *ſenem* ea plagâ divinitùs percuſſum, *Jothamo* filio tùm admoto rebus Aulæ, & Regni, 2 *Reg.* xv. 5.

Tacemus dubiam quandoque *lectionem* Codd. Quomodò plerique, cum Græcis, Syro, Arabe, priori conciliatione rejectâ, cenſent 2 *Chron.* xxii. 2. mendosè eſſe expreſſos annos 42. quando Achazia cœpit regnare, pro quibus legendi ſint anni 22. authoritate loci 2 *Reg.* viii. 26. Et ſic Dionyſius Petavius, in Rationario, P. ii. p.m. 128. 129. *neceſſe eſt in Hebræis Codd. numerum eſſe corruptum*; quos ſequitur Latinus Interpres. Quanquàm nec laxanda hîc fibula, nec pro arbitrio ſint addendi, demendive, aut immutandi numeri; ut factum temerè non uno in loco à *Lud. Capello*, & qui eum exceperunt, novis ſeu Chronographis, ſeu etiam Criticis.

Contractis verò in ſummam annis Regum *Judæ* in Scripturâ S. expreſſis ſcil. à Diviſione Regni, ad iv. inchoatum Jehojakimi Regis, undè initium Captivitatis, & annorum lxx. (ità ut nonnulli dicantur regnaſſe totidem annos, nempè *inchoatos*, aut ex parte cum *Patribus*, ut ſuprà) exurgit epilogiſmus annorum propè 370. Ità, incidit diſtractio Regni Iſraëlitici, ſecundùm Petavium, Uſſerium, &c. in annum *Per. Jul.* 3739. Annus verò iv. Jehojakimi Regis, ſeu i. Nebucadnezaris, undè initium lxx. annorum Captivit. (ut prolixè nos ad eam Epocham, & fusè Uſſerius noſter in *Chronol. S.*) in annum *P. Jul.* 4107. aut 4106. Relinquuntur anni intermedii minimùm 367. At difficultates ſingulas, tam in annis Regum *Judæ*, quàm Regum *Iſraëlis*, omnium ſolidiſsimè, (pauca fortè dubia ſi exceperis) ſervatâ Scripturis reverentiâ, expendit magnus Uſſerius, in *Annal.* & in Opere *Chronolog.* à ſe inchoato, ac poſt mortem edito. Paulo aliter expedivit Dion. Petavius, *Doctr. Temp.* L. ix. C. liv. lv. Vide & Henr. Harvillæum, in Iſagoge Chron. Laurentium Codomanum in Annalibus S. Script. &c. ne longam Chronologorum ſeriem adducam: Taceo Matth. Beroaldum, in *Chronico* auctoritate Script. S. conſtituto, & à Scaligero vexato; vel Henr. Brougtonum in *Concentu* Script. S. Qui poſtremus pede preſſo Scripturis inſiſtit, quouſque ducit calculus earundem, ac multas difficultates compendiosè & feliciter ſolvit, collatis Magiſtris, & antiquis Patribus; ſed & Exoticis, cumprimis ad tempora Monarch. Perſarum, Seleucid. &c.

Sigillatim verò anni Regum *Judæ*, quales ſingulis tribuuntur, in Libris *Regum* & *Chronicorum*, ità habent.

Rehoboamo, duabus Tribubus imperanti, anni tribuuntur, 2 *Chron.* xii. 13. — 17.

Abiæ, in Textu Hebraico, (nam excedit calculus ꝟ LXX.) tribuuntur 1 *Reg.* xv. 2. 2 *Chron.* xiii. 2. anni — — — — — — — 3.

Aſæ 1 *Reg.* xv. 9. 10. qui incepit anno xx. Jeroboami i. tribuuntur anni aliis inchoati, aliis completi, — — — — — — — — — — — — — — — — — 41.

Joſaphato ab anno iv. Achabi completo, 1 *Reg.* xxii. 41. 42. 2 *Chron.* xx. 31. itidem anni xxv. Ut tamen poſtremo triennio Joramum fil. Regni conſortem fecerit, 2 *Reg.* viii. 16. Anni igitur Joſaphati fuêre — — — — — 25.

Joramo, dùm regnavit cum Patre, tribuuntur anni 8. incipientes ab anno v. Jorami in Iſraële ſolius regnantis, 2 *Reg.* viii. 16. 2 *Chron.* xxi. 5. Dùm verò ſolus, à morte Patris, anni completi, cum *uno* circiter menſe — — — — — — — 4.

Achaziæ, qui & Azaria, poſt mortem patris, 2 *Reg.* viii. 26. (cur omiſſus cum Joaſo & Amaziâ, in Geneal. Chriſti *Matth.* i. prolixè Parens meus *Dub. Euang.* P. i.) idem tollendus à Jehu, annus propè — — — — 1.

Athaliæ (Γοθολία) viduæ Jorami, matri Achaziæ, uſurpatrici regni, 2 *Reg.* xi. 1. 3. 4. 2 *Chron.* xxii. 10. 12. quæ eodem tempore in *Judâ*, cum Jehu in Iſraële, regnum invaſit, anni completi — — — — — — 6.

Joaſo, filio Achaziæ, à quo *Zacharias* (filius Jehojadæ, ſummi Sacerd. qui & filius *Barachiæ Matth.* xxiii. 35.) in Atrio Domûs occidi juſſus, 2 *Chron.* xxiv. 21. anni fuêre ſaltem inchoati, ex 2 *Reg.* xii. 1. 2 *Chron.* xxiv. 1. — — — 40.

Amaziæ, filio Joaſi *Judæ*, (regno admoto, anno 2. deſinente Joaſi *Iſraëlis*) anni juxtà Scripturas ſaltem inchoati, xxix. 2 *Reg.* xiv. 1. 2. In his tamen non una difficultas eſt. Siquidem Joas Rex Iſraëlis mortuus dicitur A. xv. *Amaziæ*, 2 *Reg.* xiv. 23. quando ſucceſſit Joaſi filius Jeroboam ii. annis ergò xv. antè mortem Amaziæ, qui regnavit annos xxix. Undè Amazias ſublatus Jeroboami ii. A. xv. Interim filius Amaziæ *Uzias* vel *Azaria* incepit regnare Jeroboami ii. anno demùm xxvii. ut diſertè eſt 2 *Reg.* xv. 1. Hinc anni toti xi. intermedii, qui ſcrupulum relinquunt Chronologis.

Concipiunt nonnulli, *Azariam* filium *Amaziæ* annos xi. regnaſſe vivo Patre, quum fugiſſet Amazia Hieroſolymis, anno regni circiter xviii. exul futurus ad mortem uſque: Populo ſcilicet ejus Idololatriam (de quâ 2 *Chron.* xxv. 14. 15.) deteſtato, ac Filium quadriennem in locum patris ſubſtituente, quod probant ex 2 *Reg.* xiv. 29. Alii Interregnum ſuſpicati, ab A. iv. Azariæ impuberis, ad ejus annum xvi. quando dicitur *regnaſſe*, 2 *Reg.* xv. 1. 2. 2 *Chron.* xxvi. 1. & ita quoque H. Brougtonus, & qui plures ſunt. At Petavius, *Lib.* ix. *de Doctr. Temp.* C. lv. Uſſerius in *Annal.* & qui iis accedunt, concipiunt Jeroboamum ii. à vivo Patre in conſortium regni aſſumptum, annos totos xi. juxtà quem calculum dici potuit Jeroboamum ii. regnaſſe annum xxvii. quum ſuccederet *Azaria* in locum Amaziæ patris. Igitur regnavit Amazia, ex dictis, annos — — — — — — — — 29.

Uzziæ vel Azariæ, qui cœpit A. ætatis 16. ex dictis Jeroboami ii. anno xxvii. 2 *Reg.* xv. 1. anni multi fuerunt: Ac dubium nonnullis, an non regno admotus poſt interregnum annorum xi. ut ſic Amazia pater interfectus ſit Jeroboami ii. anno xvi. quo tempore Azaria annorum iv. fuerit. Alii, & inter eos Petavius, Uſſerius, malunt interregnum annorum ferè xii. *Iſraëlitarum* regno attribuere inter mortem *Jeroboami* ii. xxvi. Azariæ, poſt quam omnia turbis in Iſraële mixta: Et *Zachariam* Filium Jeroboami ii. admotum regno anno Azariæ xxxviii. & nonniſi vi. menſibus

Digitized by Google

bus regnaturum, 2 *Reg*. xv. 8. 13. ut Schallum menſe 1.

Hujus Azariæ Anno xxxiv. vel xxxv. inchoato, incipiunt vulgò anni *Iphiti*, ſeu Æra vulgaris *Olympiadum*, ab æſtate, de quâ ſuprà dictum. Tribuuntur Azariæ, poſt mortem Patris, 2 *Reg*. xv. 1. 2. anni — — — — 52.

Jothamo filio Uzziæ, vel Joathamo, ad regnum admoto anno 2. Pekach Iſraëlis, 2 *Reg*. xv. 32. 33. cujus Pekach deſinente anno xvii. ſublatus eſt, 2 *Reg*. xvi. Anni ferè — — — — — — — — — 16.

Quod enim Jothami annus xx. memoratur, 2 *Reg*. xv. 30. intelligitur de tempore elapſo ex quo Jotham regnare cœperat, quando *Hoſeas* conſpiravit contrà *Pekach* Regem Iſraëlis. In Jothami verò hujus tempora, incidunt Æræ nobiliſſimæ *Urbis Cond*. & *Nabonaſſari*, de quibus ſuo loco.

Achazo Jothami filio 2 *Reg*. xvi. 1. 2. qui annos xx. natus cœpit regnare, anni, ſaltem inchoati, — — — — — — — — — 16.

Ezechiæ, cujus anno vi. *Hoſea* Iſraëlis ix. (ex quo nempè ceſſavit in regno Iſraëlis Interregnum quoddam, ſeditionibus pacatis) deportatæ fuerunt x. Tribus, anni tribuuntur (2 *Reg*. xviii. 1. 2.) ſaltem inchoati, à tranſportatione quidem x. Tribuum 23. regni autem 29.

Dubia quædam Chronolog. ex collatione annorum Achazi & Ezechiæ cum annis Hoſeæ, ultimi regum Iſraëlis, vide quàm accuratiſſimè ſoluta, Parentis mei *Dub. Euangel*. P. 1. *Dub*. v.

Manaſſi, ex impio Rege, tandem pœnitenti (incluſis annis Captivitatis ejus Babylon. ſub Aſſar-haddone, Babylone & Nino ſimul potito) anni in univerſum 2 *Reg*. xxii. 1. 2 *Chron*. xxxiii. 1. — — — — — — 55.

Amoni, à morte Patris Manaſſis, non anni xii. (ut Euſebius, authoritate τῶν LXX. qualem Codicem non novêre Euſebio priores Clemens Alex. Africanus, &c. unde G. Syncellus, *Euſebium* ψεύδεσθαι) ſed anni, juxtà loca 2 *Reg*. xxi. 19. 2 *Chron*. xxxiii. 21. — 2.

Joſiæ, optimo Regum, ſucceſſori regni anno ætatis viii. (à cujus anno xiii. prophetavit Jeremias) tollendo anno ætatis xxxix. anni ex 2 *Reg*. xxii. 1. 2 *Chron*. xxxiv. 1. &c. — — — — — — — — 31.

Jeoachazo (qui & Shallum antè dictus) trium menſium Regi, in Ægyptum abducendo, 2 *Reg*. xxiii. 31. 2 *Chron*. xxxvi. 2. &c. — — — — 3. Menſ.

Jehojakimo (qui Ἰεχονίας propter δυσφωνίαν *Matth*. 1. 11.) dato fratri in Succeſſorem, anni completi 3. ſed inchoato anno 4. quando fuit *initium* Captivitatis Babylonicæ, anno 1. Nebucadnezaris Filii; Ut ſuprà in Canone Nabonaſſareo, & in Hiſtor. ad *Epocham* vii. vel ex *Jer*. xxv. 1. 11. *Dan*. 1. 1. — — — 4.

Fit ſumma annorum à *Diſtractione Regni* utriuſque, (ſed putatis annis ἐν πλάτει, ſæpè *inchoatis* pro *completis*,) ad *initium Captivitatis Babylonicæ*, 371. – 3. Menſ.

Hinc verò addendi ad finem Jehojakimi Regis, qui regnavit annos xi. vix exactos, 2 *Reg*. xxiii. 36. anni certè completi, *octavo* anno labente, — — — 7.

Jechoniæ vel Jojachimo, annos xviii. nato quum regnare inciperet 2 *Reg*. xxiv. 8. (quod viii. tantùm *annos* natus fuiſſe dicatur, 1 *Chron*. xxxvi. 9. videtur reſpicere tempus ex quo Capta Hieroſolyma, anno iv. Jehojakimi; ſic fuit *annus* viii. ſervitutis Babylon. quum Jechonias regno admotus) trium modò menſium Regi, antè deportationem, 2 *Reg*. xxiv. 8. &c. tribuuntur. — — — — — 3. Menſ.

Zedekiæ, qui & Mattania, (cujus anno ix. Urbs à Nebucadnezare ultimò obſeſſa) ad *Excidium* ſeu conflagrationem Templi & Urbis, anni juxtà Scripturas, 2 *Reg*. xxv. 2. *Jer*. lii. 4. 5. — — — — — — 11.

Fit epilogiſmus annorum, à 1. Rehoboami, vel 1. Jeroboami, ad excidium Templi, ſed annis ſingulorum quandoque inchoatis tantùm, — — — — 389. – 6. Menſ.

Quando verò *primus* Rehoboam incidit in annum *Per. Jul*. 3739. Conflagratio verò Templi Salomonici, in annum *Per. Jul*. 4126. (ità Uſſerius, Petavius A. P. Jul. 4125. Marmora P. J. 4124. non magno diſcrimine, ex diverſitate in annis Regum) relinquuntur accuratiore calculo, anni ſaltem completi, — — — 387.

Et ſic ferè coincidunt anni, ænigmaticè indicati Ezechieli, *Cap*. iv. 9. ſub dierum numero, ſcilicet 390.

Adde jam annos Salomonis, poſt jaci primùm cœpta Templi fundamenta, ad hujus exceſſum, circiter, — — — — — — 37.

Fiunt anni completi à fundato Templo Salom. ad ejus conflagrationem, — — 424.

Παχυλῶς tamen, putatis annis in Script. S. expreſſis, numerantur 426. vel 427.

Marſhamus Æram Templi deſcribit annis modò cccc. combinatis quandoque annis Filiorum cum illis Patrum, ut in Amaziâ, Azariâ, Achazo; cujus anno *duodecimo*, & ſimul *ſexto* Ezechiæ, ſcil. cum Patre regnantis, Samaria capta ſit, & regnum Iſraëlis exciſum, A. P. Jul. 1978. juxtà eundem, Æræ Nabon. 12. Eſt autem προχρονισμὸς annorum xv. ſiquidem excidium Samariæ inciderit in ann. Nabonaſſ. 27. Scopus Marſhami fuit, Urbis & Templi Excidium anticipare annis totis xix. ab anno Nabon. 1. qui illi eſt idem cum xi. Zedekiæ, undè procedant anni lxx. Captiv. Babyl. Qui iterùm terminentur, juxtà eundem, cum *ſeptimâ Hebdomade* Danielis, harum Æra mirè anticipatâ.

Marmora, & Canon Anglicanus, Æræ Templi conſtituunt annos 427.

Euſebius in *Chron*. tribuit annos 442. falſus ex. gr. in annis Amonis, quos xii. facit; & ſecundum Scaliger. xv. annos plus juſto numerans.

Joſephus ab Exitu ex Ægypto ad jacta Templi fundamenta, putat annos 592. Hinc ad

Digitized by Google

ad conflagrationem Templi, LXXX. annis Salomonis regno tributis, annos — — 470.

Sic & Auctor Gallus *Antiquit. Temp. Reſtit.* addens ſimiliter XL. annos Salomoni, & in annis *Abiæ* (quos VI. facit) ſecutus lectionem ☧ LXX. De Joſephi calculis Chronologicis, dictum ſuprà, *Cap.* III.

CANON EPOCHÆ VII.

Ab initio Captivitatis Babylonicæ, ad finem LXX. *Annorum.*

HAnc Epocham annis LXX. ipſa Scriptura S. paſſim definit, *Jerem.* XXV. 12. XXIX. 10. 2 *Chron.* XXXVI. 2. *Dan.* IX. 2.

Quicquid alii hos annos ſeriùs inchoent, vel à Captivitate *Jechoniæ*, cum Joſepho Scaligero, & ſequacibus; vel ab Excidio Urbis & Templi, A. XI. *Zedekiæ*, cum Joſepho, & pleriſque Veteribus, & Marshamo (de quo ſuprà in Can. Nabon.) ſeriùs ità terminandos; Nobis placet ea hujus Epochæ ratio, quæ conciliat *Scriptura* Canonem cum Canone *Babylonico*, & cum Ptolemæi rationibus, ac Beroſi apud Joſephum, contrà Apionem *Lib.* I. terminatis annis LXX. in I. Cyri. Probantibus pridem, Sulpicio Sev. G. Syncello, &c. ut mittamus Petavium, Uſſerium, alioſque primæ notæ Chronologos.

Igitur, ab Anno 4. *Jehojakimi* Regis, inchoato ſcilicet, qui fuit A. 21. Nabopolaſſari, ſeu Nebucadnezaris Patris, & Annus I. Nebucadnezaris ejus filii, *Jerem.* XXV. I. *Dan.* I. I. 2. ad Excidium Urbis & Templi, fluxêre anni circiter — — — — — 19.

Hinc ad mortem *Nebucadnezaris*, cui anni 43. in univerſum tribuuntur, anni — — 24.

Hinc anni ſolidi *Evilmerodachi*, qui filius Nebucadnezaris, (nec *Belshaſar* idem, quicquid Petavius, Marshamus, &c.) conſentientibus præfatis Scriptoribus, — — — — 2.

Hinc anni *Neriglissoroari*, regnum invadentis ſui Affinis, & tranſmittentis dein (ad IX. circiter *Menſes*) ad filium ſuum *Labor-aſſar-chadum*, juxtà Beroſum, Joſephum, &c. — — — 4.

Hinc anni *Nadonnadii*, Nabonnedi, Nabonedi, qui filius Evilmerodachi, nepos adeò Nebucadnezaris (ſive jam is ſit idem qui *Belshaſar*, poſt Joſephum, Hieronymum, Torniellum, Uſſerium, & benè multos, *Jer.* XXVII. 7. *Dan.* V. 2. 30. ſive idem qui *Darius Medus*, *Dan.* V. 31. ut quidem vellent Scaliger, Petavius, &c.) antè expeditionem Cyri Regis, conſenſu Ptolemæi, Beroſi, &c. — — — — — — — 17.

Hinc *biennium*, ſive ad captam tandem à Cyro Babylonem, victo Nabonedo Babylonio ſeu Belshaſare *Jer.* LI. *Dan.* V. 31. ſive poſt eam jam occupatam, ad mortem uſque *Darii Medi*, qui fuerit ità *Cyaxares*, Aſtyagis filius, Cyri ſocer & avunculus, cui jam ſeni Imperium Babylone à Cyro traditum fuerat, ulteriùs victorias ſuas proſecuturo; invito licet Petavio, *Lib.* IX. C. VII. IX. Atque adeò ad annum I. *Monarchiæ* Perſicæ, VII. annis antè Cyri exceſſum, quando prodiit Edictum in favorem Judæorum, *Eſdr.* I. I. 2 *Chron.* XXXVI. 22. fluxêre anni. — — 2.

Fiunt anni Captivitatis completi, — 69.

Vide ſuprà, (*Cap.* XI. & XII.) de Annis Nabonaſſ. & Canone Ptolemæi; & juxta hunc annos qui fluxerunt à I. Nebucadn. ſeu Nabocolaſſari, ad I. Monarchiæ Cyri. Quo addito ad annos priores, conficiuntur, indè à IV. Jehojakimi Regis, anni — — — — 70.

CANON EPOCHÆ VIII.

A fine LXX. *Annorum, ſeu ab Anno* I. *Monarchiæ Cyri, ad Principatum Maccabæorum, circà Exceſſum Antiochi Epiphanis.*

NOn certior hujus Canonis ratio eſt, quàm I. Si putentur anni totius Monarchiæ Perſicæ, à I. Cyri Regis, *ſeptennio* antè ejus exceſſum, ad ultimum Darii Codomanni, præeunte Canone Nabonaſſareo apud Ptolemæum, de quo ſuprà; & Hiſtoriâ duce, ac conſentiente ferè (paucis fortè annis exceptis) Chronologorum choro. 2. Si hinc, ſcil. à primo Monarchiæ *Alexandri* Macedonis (undè Calippus Periodum ſuam exorſus eſt) ducamur ad primum annum Græcorum, ſeu *Seleucidarum*, annis XII. à morte Alexandri M. Et hinc ad annum quo cæſus Nicanor, & mortuus Antiochus *Epiphanes*, & *Judæ* Maccabæo communibus ſuffragiis data ἡ ἀρχιερωσύνη. Notatus ſcilicet Scriptori I. Maccabæorum, & Joſepho Ἀρχαιολόγῳ *Lib.* XII. *Cap.* XIV. XVII. annus Græcorum 149. *Olymp.* CLIV. I. P. Jul. 4550. quo Euſebius ipſe ait, Judam *patrias leges ſuis civibus reddidiſſe*; quanquàm Hiſtoricus, parum ſibi conſtans, *triennium* Principatus vel Ducatus Judæ inchoet, ab *Olymp.* CLV. anno I.

Annos quod attinet, quibus duraverit Monarchia Perſica, exploſus pridem calculus Hebræorum, qui *quatuor* tantùm Reges Perſis aſſignant, annos verò his 52. contrahendis temporibus, & prorogando adventui Meſſiæ. Errarunt etiam hac parte Clem. Alexandrinus, Tertullianus, alii Veterum. Sed & David Paræus, ſummus aliàs Theologus, ſecutus Beroaldum, ut LXX. *ſeptimanas* Dan. inchoandas illi à I. Cyri, terminaret ad tempus *excidio* Chriſti proximum; ſicque Chronologiam univerſam Vet. Teſt. ex ſolis characteribus Scripturæ S. contexeret.

Conſentit autem turba tota Chronologorum, Monarchiæ Perſicæ tribuendos eſſe annos minimùm 200. ex Canone Ptolemaico, & collatis Hiſtoriis Herodoti, Thucydidis, Diodori, Arriani &c. Undè alii putant 201. & ſic Lud. Capellus; alii 204. cum Lydiato; alii 205. ut nuperus ſcriptor de *Antiquit. Temporum*; plerique annos 207. vel 208. ſaltem inchoatos, & ità quoque Magnus Uſſerius. Cœpit enim annus I. Cyri Babylone imperantis anno Nabonaſſareo 211. Deſiit Imperium Darii Codomanni anno Nabonaſſ. 418. ut ſuprà in *Canone Mathemat.* Canon igitur ità habeat:

Digitized by Google

A. 1. Cyri, poſt mortem Darii Medi, Imperio Medo-Perſar. ad eum devoluto, ad Cyri exceſſum, anni — — — — — — — — 7.
Hinc ad ultimum Codomanni, & occupatam ab Alexandro M. Babylonem, *Olymp.* CXII. anno 2. impleto, ut quoque Diodorus Siculus, anni circiter — — — 201.
A primo Alexandri, ad mortem ejuſdem, *Olymp.* CXIV. anno 1. (quanquàm in anno & menſe fortè varient hi & illi Chronologi) anni completi, juxtà Canonem, — — 6.
Hinc ad L. annum Seleuci Nicanoris, ſeu Æræ Seleucidarum vel Græcorum, annis XII. completis à morte Alexandri, anni — — — — — 12.
Hinc ad *mortem* Antiochi Epiphanis, IV. hujus nominis, mortui anno *Seleucidarum*, (qui incipit à *verno* tempore, ſeu *Niſan* Hebræorum more, in 1 *Maccab.* ſed cum Syris ab *autumno*, apud Joſephum, ſeu ab Æquinoctio autumnali, ὑπερβερεταίῳ menſe, XXIV. Sept. undè initium *Thiſri*, de quo diſcrimine dictum, *Cap.* XIII. de Æra Seleucid.) 149. ex Joſepho *Lib.* XII. C. XIV. & 1 *Maccab.* VI. 16. ubi jam terminanda hæc Epocha; Anni numerantur — 149.

Fiunt anni — 375.

Singulorum fuſior demonſtratio, pendet ex illâ Canonis Nabonaſſ. ſuprà *Cap.* XI. XII. & Æræ Alexandreæ, *Cap.* XIII. *Part.* II. accedente autoritate *Joſephi*, ac 1. *Maccabæor.* locis indicatis.

CANON EPOCHÆ IX.

Ab Exceſſu Antiochi Epiphanis, ſeu à Principatu Haſſamonæorum, ad Æram Chriſti Vulgarem, ſeu Dionyſianam.

HUjus Epochæ intervallum variè à variis putari ſolet. Primò juxtà calculum *Joſephi* Hiſtorici, *Lib.* XIV. C. *ult.* putantis annos *Aſſamonæi* principatûs ad captam ab Herode Hieroſolymam, M. Agrippâ, & Canidio Gallo Coſſ. Nempè annos à Pontificatu Judæ Maccab. putat CXXVI. Totidem fluxerunt ab A. Græcorum 149. labente, qui fuit Periodi Jul. 4550. Olymp. CLIV. ann. 1. ad annum quo capta à C. Soſio & Herode Hieroſolyma, Kal. Januariis, A. ineuntis P. Jul. 4677. Olymp. CLXXXV. ann. 4. Hinc idem Joſephus putat annos à captâ Urbe, ad *exceſſum Herodis*; de quo, & diſtantiâ hujus *exceſſûs* ab *Ærâ Dion.* dictum ſuprà *Cap.* XV.

Deindè inſtitui poteſt illa ſupputatio, ex annis ſingulorum in Judæis *Pontificum*, & laterculo eorundem, juxtà Joſephum: Scil. à *Judâ* Maccab. ad Herodem uſque, & captum Antigonum; tum indè ab *Ananelo*, quem Herodes, captâ Urbe, Pontificem conſtituit, ad tempora nati Chriſti; Ita tamen, ut alii ſub *Matthiâ* Theophili F. quem Herodes paulo antè mortem Sacerdotio multavit, ex Joſepho, *Lib.* XVII. C. VIII. alii, ut Nicephorus, ſub *Joazaro* ejus ſucceſſore, Nativitatem Ch. accidiſſe putent. Quâ de re adi Petavium, *Lib.* X. C. LIV. & LV. & Seldenum *de Succeſſ.* in Pontif. *Lib.* I. C. X. XI. Quanquàm Æra Dionyſ. quæ incipit poſt mortem Herod. ex ſuperiore *Diagrammate*, C. XVI. incidat in Archelai tempora, qui ſtatim initio regni *Joazarum* removit à Pontificatu.

Tertiò inſtituitur ſupputatio, ex collatis *Olympiadibus* Græcorum, dum Chriſtum natum cenſuit Dionyſ. Exiguus *Olymp.* CXCIV. anno 4. Judas Maccabæus Pontificatum adeptus *Olymp.* CLIV. anno 1. Relinquuntur anni intermedii toti 163. vel 164. Ità Æra *Græcorum* vel *Seleucidarum*, quæ cœperat XII. annis à morte Alex. M. terminata fuit poſt Syriam in Provinciæ formam redactam à *Pompejo M.* & occupatam Hieroſolymam, anno P. Jul. 4651. Olymp. CLXXIX. ann. 2. Cicerone & C. Antonio Coſſ. Hinc, collatis Pompeji M. annis reliquis, Coſſ. Romanorum, Julii Cæſ. poſt devictum Pomp. vel poſt Æram Julianam conſtitutam, tùm Octavii Cæſaris, cujus anno XLIV. incipit 1. annus Æræ Dionyſ. Olymp. CXCV. anno 1. (ut ſuprà *Cap.* XIV. & XVI.) fluxêre anni 63. Ità ſi conferantur anni *Alexandrei*, à morte Alex. M. undè procedunt anni Ptolomæorum, iique æquabiles & Nabonaſſarei, ad ſublatum ultimum Ptolemæorum, & captam à *Julio* Alexandriam, de quâ dictum *Cap.* XIII. P. II. *Olymp.* CLXXXIII. ann. 2. Hinc anni uſque ad mortem *Julii Cæſar.* & initium *Octavianæ* potentiæ, vel ad captam ab *Octavio Auguſto* Alexandriam, poſt *Actiacam* victoriam, *Olymp.* CLXXXVII. A. 3. XXX. annis antè Æram Dionyſ. facilis eſt computatio. Et licet hi Characteres fortè in quibuſdam dubii, non relinquunt tamen ſcrupulum doctis Chronologis, nec niſi in anno *uno alterove* diſſenſus deprehendetur. Ità ex annis *Periodi Jul.* ut menſuræ communis, intelligitur diſtantia annorum à Judæ Pontificatu, qui iniit cum anno Græcorum 149. P. J. 4550. ad Æram Dionyſ. quæ annum Incarnat. componit cum anno exeunte P. J. 4713. ſcilicet annorum 163. vel 164. pro diversâ putandi ratione.

Pontificatum verò Judæ Maccabæi inchoant alii, à morte Mattathiæ, A. 146. Græc. *Olymp.* CLIII. A. 2. *P. Jul.* 4547. antè Chr. annis 167. Sic quoque Auctor *Reſtit. Temp.* Alii ab anno quo Templum repurgatum eſt, & Cultus Dei reſtitutus, A. 148. Græcor. Olymp. CLIII. A. 4. Per. Jul. 4549. antè Chr. 165. Veriùs inchoandus eſt anno ſequente, quo exceſſit Epiphanes, ut monitum ſuprà, ſcil Græcorum 149. inchoando à verno menſe, ſecundùm authorem 1 *Maccab.*

Igitur à 1. anno Pontificatûs Judæ Maccab. ſeu anno Græcorum 149. quo mortuus Epiphanes, A. Per. Jul. 4550. decurrente, uſque ad cæſum *Antigonum*, ultimum Haſſamonæorum, & expugnatam ab Herode *Hieroſolymam*, operâ C. Soſii Antonii legati, fluxerunt juxtà Joſephum, loco cit. conſentientibus ferè Chronologis, anni integri — — — 126.
Ab expugnatâ per Herodem Hieroſolymâ, ſeu ultimo *Dec.* ſeu Kalendis *Januariis*, (annis *tribus* poſtquàm Rex Romæ declaratus fuerat, favore Antonii & Octavii, ut ſuprà in *Epochâ* Regni Herod. ab occupatâ per Pompejum Hieroſolymâ, juxtà Joſephum anno XXVII. qui non poteſt eſſe niſi inchoatus, completus autem XXVI. Juliano anno IX. *Per. Jul.* ineunte anno 4677. à cæde Julii Cæſaris anno VII.) fluxerunt apud eundem Joſephum, uſque ad mortem *Herodis* eidem deſcriptam, *Antiq.* L. XVII. C. X. *de Bello Judaico* Lib. I. C. XXI. anni modò λδ'. 34. ἔτη τέσ-

τέσσαρα καὶ τριάκοντα, ut habent numeri hodierni. Et ſic mortuus fuiſſet Herodes M. Olympiadis CXCIV. anno 1. *Per. Jul.* 4710. anno Juliano 42. circà Paſcha, Coſſ. *Calviſio Sabino* II. & L. *Paſſieno Criſp. Ruſo*.

Quo fit ut Æra Dionyſiana (quæ conjicit Natalem Chriſti in Olympiadis CXCIV. annum 4. *Per. Jul.* annum exeuntem, in *Decembri*, 4713. Julianum 45. Coſſ. *Corn. Lentulo*, & *Calpurn. Piſone*) ſit poſterior triennio, & IX. circiter menſibus, morte illâ Herodis M. contrà fidem *Euangeliſtarum*. Hinc crux Chronologis, & conciliandæ Hiſtoriæ Sacræ cum illâ Joſephi, & Exoticâ, remedium duplex. 1. Si *numeri* apud Joſephum cenſeantur fuiſſe corrupti, quod Viris magnis creditum; ut legendi ſint anni, à detruſo regno Antigono, ad mortem Herodis, non λδ'. 34. ſed minimùm λϛ'. 36. Quo magis annum emortualem Herodis Joſephus nullo certo *charactere* ſignavit, ut facit annum expugnatæ Hieroſolymæ, *Lib.* XIV. C. XXVIII. 2. Si omninò cenſeatur erraſſe *Dionyſius Exiguus*; & Natalis Chriſti *verus* non uno anno anticipandus eſſe. Quâ de re ſumma hodie conſenſio eſt inter Latinos Chronologos, quamvis in annorum numero diſſenſus ſit. Vide quæ ſuprà diximus, *Cap.* XV. de Æra Regni Herod. & *Cap.* XVI. de Ærâ Nativit. Chr. quò Lectorem dirigimus.

Quicquid ejus rei ſit, à captâ per *Herodem* Hieroſolymâ, initio ducto à *Kal. Januar.* ut ſuprà, Olympiadis CLXXXV. anno 4. ex dictis, ad Æram Communem *Dionyſianam*, fixam in annum 4. Olympiadis CXCIV. *Decembri* exeunte, neceſſe eſt fluxiſſe annos — — 37.

Fiunt anni completi, à Principatu Judæ Maccab. ad Æram Chriſti Vulgarem, — — 163.

Æræ Vulg. ſeu Dionyſ. annus 1. incipit cum *Olymp.* CXCV. anno 1. *Juliano* autem anno XLVI. Coſſ. Cajo Cæſ. & L. Æmilio Paulo, ut primus *Scaliger*, Per. Jul. beneficio, invictè demonſtravit, *Baronii* errore detecto, qui alligavit annum 1. Dion. *Juliano* XLIV. Coſſ. Auguſto XIII. & Plautio Sylvano, cui ſuffectus Caninius Gallus, biennii προχρονισμῷ.

Summa Annorum, quos conficiunt hæ omnes Epochæ;

Ab Orbe Cond. ad Æram Communem.	*Anni Mundi Cond.*	*Per. Juliana.*
Incepit Creatio, juxtà hunc Canonem, in Æquin. Autumnali; anno *Periodi Jul.* — — — — —	0.	710.
Ep. I. A Creatione Mundi, ad Diluvium, anni completi — — —	1656.	2366.
Ep. II. A Diluvio ad primam Vocationem Abrahami, ſeu ad egreſſum ex Charane, vel ingreſſum in Terram Canaanis, anno æt. 75. anni — —	427.	2793.
Ep. III. A Vocatione Abrahami, ad Exitum ex Ægypto, anni — —	430.	3223.
Ep. IV. Ab Exitu ex Ægypto, ad initium Samuëlis, & Saülis, vel finem præfecturæ Heli, anni — — — — — — —	396.	3619.
Ep. V. Ab initio *Samuëlis*, (comprehenſis annis Saülis, hinc Davidis, Salomonis) ad diſtractionem Regni Iſraëlitici, anno 1. Rehoboami, anni — —	120.	3739.
Ep. VI. A diſtractione Tribuum, ad initium annorum LXX. Captivitatis Babylonicæ, anno III. Jehojakimi exeunte, ineunte IV. juxtà annos Regibus *Juda* in Script. S. tributos, ſed quandoque inchoatos, anni 370. Accuratiore verò calculo, ad Periodum Julianam exacto, anni completi — — —	367.	4106.
Ep. VII. Hinc anni Captivitatis Babylonicæ, ad 1. Cyri, *Babylone* jam imperaturi, completi — — — — — — —	69.	4175.
Ep. VIII. A 1. Monarchiæ Cyri, ad Pontificatum Judæ Maccabæi, poſt exceſſum Antiochi Epiphanis, Anno 149. Græcorum, ſunt anni, noſtro calculo, —	375.	4550.
Ep. IX. A Pontificatu Judæ Maccabæi, quum jam Epiphani ſucceſſit Eupator, ad Æram Communem Nativit. Chriſti, anni — — — — —	163.	4713.
Fiunt in univerſum, (concordante ferè hoc *Epilogiſmo* cum illo Uſſerii, Lydiati, &c. licet *diſcordent* in particularibus nonnullis computis, ut ſigillatim viſum eſt) anni ab *O. C.* ad *Æræ Vulgaris* annum 1. excluſ. — — —	4003.	4713.

Caput XX.

Epochæ quædam nobiliores, quæ exceperunt illam Æræ Natalitiæ, & Æram Paſſionis, de quibus antè. Exactæ quoque ad Periodum Julianam, & Æram Dionyſ.

Æra Converſ. Pauli Apoſt.

ÆRA *Converſionis Pauli* Apoſtoli, ea eſt à quâ ipſe Paulus orditur ſupputationem annorum, in *Epiſt.* ad Galatas. Et ex quâ judicium eſt de tempore Concilii Hieroſolymitani, cui Petrus interfuit, *Act.* XV. anno inchoato XIV. à Pauli converſione, *Gal.* II. 1. Item judicium, de profectionibus Pauli Hieroſolymitanis, quarum prima fuit, *triennio* à converſione, *Gal.* I. 18. *Act.* IX. 26. Item, de ſcriptâ poſteriore *ad Corinthios*, annis XIV. impletis, ab exſtaſi ſeu raptu Hieroſolymitano, 2 *Cor.* XII. 2. *Act.* XXII. 17. ſcil. in ſecundo itinere, *Act.* XI. 25. 26. A. Claudii IV. Agrippæ ultimo; Indè etiam judicium de tempore adventûs Paulini in *Urbem* primi, ubi nullus tùm fuit Petrus.

Incidere primùm hanc Pauli *Converſionem*, (contrà quàm plerique Veteres) non in annum à *Paſſione* II. ut nuper quoque Doctiſſ. Pearſonus, ſed in annum à *Paſſione* VI. vel VII. Caji Calig. ultimum, alibi demonſtravimus fusâ *Diſſertatione* de Ærâ Converſ. Pauli. Igitur Martyrium *Stephani* probamus accidiſſe, ut & διωγμὸν

Anni Per. Jul. | *Æra Chriſt.*

μέγαν qui illud excepit, non ſub *Tiberio*, vel ex Tertulliani *Apologetico*, ſed ſub *Cajo Calig.* nec ſtatim ab ordinatione Stephani, *Act.* VI. ſed intermediis Stephani ſignis, miraculis, famâ nominis, invidiâ illi conflatâ à Judæis Cyrenenſibus, &c. Quidam accidiſſe lapidationem Stephani A. U. C. DCCXCI. Æræ Dion. XXXVIII. Calig. II. quidam etiam Calig. III. vel IV. *ſexto* vel *ſeptimo* à Paſſ. ut Diſſert. noſtrâ, *Num.* XVI. &c. Inter Martyrium Stephani, quando Saulus νεανίας, *Act.* VII. 18. & converſionem ejuſdem Sauli, quando ἀνὴρ ὤν *Act.* IX. 13. princeps jam perſecutorum, fluxiſſe cenſemus ultrà *annum* I. ſi non *biennium*, ut converſus ſit Paulus ad ſummum *Caji ult.* (vel ut alii, *Claudii* I.) Anno Ch. XL. Undè à Converſione *quatuor* circiter anni intermedii ad *Claudii* IV. Agrippæ *ult.* Æræ Vulg. XLIV. quando iterum profectus Hieroſolymam eſt, poſt primum iter, unà cum Barnabâ *Act.* XI. 25. 26. 30. *Gal.* I. 18. Et hæc ſententia fuit quorundam Veterum, Hippolyti Thebani, Euodii Afri, Chron. Alexandrini, à quâ Valeſius Notis in *Euſeb.* L. II. C. I. & recentiores alii, non abſcedunt. Sed de hoc fusè aliàs, *Diatribâ* noſtrâ, modò indicatâ. Qui Converſionem Pauli vulgò conjiciunt in XXV. Jan. A. D. XXXV. ut quoque Rev. Pearſonus, habent ex Martyrologiis. Igitur incidit ea Converſio in annum veroſimiliter *Calig.* IV. — — — — — 4753. | 40.

Hinc annus XIV. ſaltem inchoatus, (Claudii Imp. XIII.) numerandus eſt ab Ærâ *Converſ.* in Epiſt. ad *Galatas*, *Cap.* I. 17. 18. II. I. ad Concilium Hieroſolymit. uſque, *Act.* XV. ut rectè quoque Reverendiſſ. Pearſonus, ſed ſignans A. Claudii IX. Quamvis Uſſerius malit inchoare annos XIV. à *primâ* profectione Hieroſolymit. Lud. Capellus, ab *Aſcenſione* Chriſti. Quemadmodum anni XIV. completi à raptu Paulino, de quibus 2 *Cor.* XII. 2. numerandi ſunt ab Anno Converſ. IV. quando in altero itinere Hieroſolym. ἐγένετο ἐν ἐκστάσει, *Act.* XXII. 17. Ut ſcripta ſit poſterior Epiſt. ad Corinthios, anno à Conv. Pauli inchoato XIX. Neronis circiter V. Quæ pluribus alibi confirmantur.

Æra Excid. Urbis, &c.

Æra *Excidii* Urbis, & Templi, & Politiæ Judaïcæ per Romanos, prædicente Chriſto, de quo pluribus in Hiſt. Chriſtianâ, *Sec.* I. *Cap.* XV. ubi de ultimo Excidio Urbis & Templi. In eo Joſephus Scaliger, Ubbo Emmius, & qui ſequuntur τὸ πάνυ, conſtituunt finem LXX. *ſeptimanarum* Danielis, ſed malè. Incidit hæc Æra, (quicquid Judæi *triennio* antevertant) in VI. Eid. *Sept.* anno — — — 4783. | 70.

Æra Agon. Capitol.

Æra primi *Agonis Capitolini*, à Domitiano celebrati, A. Imp. VI. Conſulatu ejus XII. & Ser. Corn. Dolabellæ; quam Æram notat Cenſorinus, Urb. Cond. A. 839. Fuerunt autem Agones Capitolini, Καπιτώλια, ſurrogati à Domitiano in *Luſtrorum* locum, & τελεσελῆρεῖς (vulgò *quinquennales*) facti, ad modum Olympicorum, qui anno uno ſemper anteceſſerunt Capitolinos. Condi cœpi ab Auguſto Cæſare, in memoriam Actiacæ victoriæ, & dicti *Actiaci* & *Alexandrini*. Inſtaurati verò, qui anteà neglecti fuerant, à Domitiano, & dicti *Capitolini*. Coincidit hæc Æra cum anno — — — — — — — 4799. | 86.

Æra Dioclet.

Æra *Diocletiani*, quæ *Martyrum*, & *Gratiæ*, & *Ægyptiaca*, à Chriſtianis poſteà eſt appellata, incepit ab Auguſti XXIX. apud Ægyptios, in ipſo *Novilunio*, cum principio anni Civilis, anno I. Diocletiani, Æræ Actiacæ 314. cujus in locum ſucceſſit illa Diocletiani. Concurrit cum Æræ Contractuum A. 595. Carino II. & Numeriano Coſſ. Papâ tùm Rom. *Cajo*. Uſurpata in Ægypto loco Annorum *Actiacorum*, ejuſque diuturnus uſus fuit apud Orientales: Ità Alexandrini hinc *Cyclum* ſuum ἐννεαδεκαετηρίδος inchoarunt, Novilunio incidente eo anno in I. m. *Thoth* Ægyptior. Sed cujus caput, ob Paſchales rationes retractum ab iis fuit in menſem *Pharmuthi*; à Latinis in Novilun. quod XXI. *Martii* quàm proximè attingit, qui CCVI. d. à I. *Thoth* diſtat. Vide ſuprà P. I. C. XX. Hujus Æræ meminerunt Latini etiam Chronographi, Beda, Hermannus Contractus, &c.

Obſervandum Cæſar. Baronium in *Annal.* ad hæc ferè uſque tempora conturbaſſe rationes Chronologicas, *biennio*, etiam *triennio* quandoque diſſidens ab Ærâ Vulg. Id tamen dedit operam ut in hac Ærâ Dioclet. aſſequeretur Æram Dionyſianam, viâ complanatâ in annis prioribus. Hinc poſtquàm Æram Dion. biennio antevertiſſet, ut viſum, dein *Philippo* Imp. tribuiſſet annos VII. qui nonniſi *ſextum* inchoavit, ſublatus A. CCXLIX. ejus Chronologia omnis fefellit. Ut mederetur, primò Annum CCLIX. Æmiliano & Baſſo II. Coſſ. juxtà Doctiſſ. Chronologos, totum reſecuit, tacito Conſulatu, & rebus in eo geſtis, relatis ad annos ſeq. Similiter Annum CCLX. Coſſ. Corn. Seculari II. & Julio Donato, pariter ex Annalibus ſuis expunxit. Tandem & Annum CCLXXVIII. Coſſ. Probo Aug. II. & Furio Lupo, diſſimulavit, & Conſulatum ad ſeq. annum retraxit. Quâ de re conſule, in recentioribus Chronologis, Pagium in *Criticâ*, & in Diſſertat. *Hypaticâ*, præter Noriſium, & principes Viros alios, qui ex Nummis ſuccurrunt laboranti Chronol. Ità demùm redit in gratiam cum Ærâ Vulg. eam aſſecutus, Anno CCLXXX. & deinceps. Biennium etiam reſecat de annis *Probi* Imp. quorum *primus* concurrit cum Æræ Dion. CCLXXVI. ut viſum ex Euſebio, ſuprà *Col.* 198. juxtà Baronium nonniſi cum Anno Æræ Chr. CCLXXIX. Sic mors Probi, quæ in Annum Æræ Dion. CCLXXXII. quo *Cari* I. iniit, à Baronio rejicitur in annum CCLXXXIII. Sed circà *Cari*, & filiorum *Carini*, & *Numeriani* Imperium, & Conſulatus, proximè antè Æram Diocletiani, quia non idem omnes tradiderunt, facile fuit Baronio hoc omne tempus contrahere.

Concurrit autem Æra Diocletiani cum anno — — — — 4997. | 284.

Æra Natal. Conſt. Imperat.

Æra *Natalis Conſtantini M.* non quidem nati, (natus enim A. 272. *Naiſi* vel *Naiſſi* Daciæ Mediterr.) ſed Imperatoris in Britanniâ ſalutati, à morte Conſtantii Chlo-

Anni Per. Jul. | *Æra Chriſt.*

Chlori, quæ incidit in A. Chr. CCCVI. VIII. *Kal. Aug.* ex Idacio in Chron. Socrate Hiſtorico, &c. Moriens Conſtantius, dicitur Lactantio Lib. *de Mortibus Perſecutor. Ei imperium per manus tradidiſſe*, ſed Auguſtæum: *Cæſaris* tamen appellatione contentus, quâ à Galerio, licet invito, anno eodem nuncupatus eſt, miſſâ ad eum Purpurâ Cæſareâ VIII. *Kal. Januarias*, qui dies Gentilibus Solis renaſcentis, Chriſtianis Natalis Dominici, habebatur. Eodem verò tempore, ſcil. à morte Conſtantii, Galerius, Severum ex Cæſare *Auguſtum* nuncupavit, ut qui eſſet *ætate maturior* Conſtantino, ex eodem Lactantio, *Cap.* XXV. dùm Maxentius, filius Herculii, Romæ à militibus Imperator ſalutatus eſſet, VI. *Kal. Nov.* ut idem *Cap.* XXVI. Concurrit hic Natalis Conſtantini, cum Anno Æræ Diocletianæ 22. — 5019. 306.

Æra Indict. Conſt. Æra *Indictionum Conſtantinianarum*, instituta fuit à Conſtantino M. ad VIII. *Kal. Oct.* diem ſcilicet cladis & interitûs Maxentii, novumque initium Principatûs Conſtantini M. & undè pridem initium anni Syro-Macedonici. Ac deinceps (abjectis *Olympiadibus*, & *Agonibus Capitol.*) notatæ hæ in Imperatorum reſcriptis, & in Actis publicis R. Imp. indè à *Conſtantini M.* temporibus; uti apud Francos & Germanos, indè à *Carolo M.* Incipiunt igitur *Indictiones* Conſtantinianæ, & Cæſareæ, quæ ſingulæ ſunt annorum XV. ab anno Imperii Conſtantini VII. — — 5025. 312.

Ut retroactæ ſint à Græcis Imperatoribus ad *Kal. Sept.* à Romanis Pontificibus ad *Kal. Jan.* alibi traditur. Vide totum Caput XVIII. Parte I. hujus *Chronol.*

Æra Conc. Nic. I. Æra *Concilii Nicæni* I. Oecumenici (quando Conſtantinus M. ſublato Licinio, jam totius Orbis Dominus evaſit, & ad componendas res in Oriente animum totus applicuit, hinc & Eccleſiaſtica diſſidia quæ tum diſtraherent; convocato Nicæam Bithyniæ Concilio, ἐκ πασῶν Ἐκκλησιῶν τῆς οἰκυμένης) ſpectat omninò ad Eccleſiaſticas Tabulas, & Chronol. S. non obſervata hæc licet Euſebio. Quo magis exindè factum, ut Alexandrini Plenilunium Paſchale fixerint illud, quod *Æquinoctium* vernum proximè ſequebatur, & hinc diem *Æquinoctialem* in XXI. Martii; undè etiam Gregorius XIII. initium fecit in reſtituendo Calendario. Communi ſententiâ, quam firmant Acta Concilii Chalcedon. *Act.* II. Socrates Hiſtoriæ *Lib.* I. C. XIII. iniit Synodus Nicæna, Æræ Hiſpanicæ Anno 363. Æræ Alexandreæ ſeu Contractuum, A. 636. Paulino & Juliano Coſſ. juxtà Socratem, d. XIII. *Kal. Junias.* Quamvis Jac. Godofredus in *Chronol.* Codicis Theodoſiani, putet iniiſſe XI. *Kal. Jun.* ſeu Maji XXII. Chronicon Alex. notat menſis Δεσίυ, qui *Majo* reſpondeat, diem XIX. Alii interpretati *Junium*, & Synodum indictam a. d. XIII. *Kal. Jul.* & ſic H. Valeſius, & alii. Id eſt, anno — — — — — 5038. 325.

Æra Urbis Conſtantinop. Æra *Encaniorum Conſtantinopolit.* Urbis, à Conſtantino M. recens extructæ, ex Byzantio vetere, nuper in poteſtatem Imperatoris reducto, poſt debellatum Licinium, ex Aurelio Victore. Cœptum opus, Anno Ch. CCCXXVI. poſt celebrata Vicennalia Conſtantini M. urgente operas Imperatore, qui Nicomediâ frequenter excurrebat Byzantium. Abſolutum opus inſtaurandæ Urbis A. CCCXXX. hinc magnifico apparatu *Encænia* Urbis, ſeu Natalitius dies, celebrata, tanquàm Urbis Regiæ, Novæ Romæ, totius penè Imperii ſpoliis locupletatæ: A quo A. Urbis Cond. Græci frequenter annos putarunt, ut Epochâ quadam ſuâ, Marcellinus Comes, & alii. Accidit XI. Maji, Anno CCCXXX. Conſtantini Imp. XXV. Indictione III. Olymp. CCLXXVII. an. 2. à Româ Cond. MLXXX. Coſſ. Gallieno & Symmacho, feriâ II. Ac *Deipara* Virg. fuiſſe conſecratam habent ſanè recentiores Græci, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus, &c. tacent vetuſtiores, ac ipſum Chronicon Alexandr. Eodemque anno mortuus *Alexander* Epiſcopus Alexandr. ſuccedente illi Athanaſio. Fuit A. — — — — — — 5043. 330.

Æra mortis Conſt. M. Æra *Exceſſûs Conſtantini M.* Tatiano & Feliciano Coſſ. XI. Kal. Jun. ſeu XXII. Maji, ipſo die Pentecoſtali. Qui character oſtendit annum Æræ Chriſtianæ 337. Teſtis eſt Euſebius de Vitâ Conſtant. M. L. IV. C. LXIV. & Socrates *Lib.* I. C. *ult.* Illatum funus è Nicomediâ Conſtantinopolim, fuitque Interregnum ad Septembrem ſeq. antè quem filii Conſtantini M. *Cæſares* tantùm, non *Auguſti*, ex Euſebio L. IV. C. LXVI. Concurrit cum anno 5050. 337.

Æra Calend. Jud. Æra reformati *Calendarii Judaici*, ſcil. à R. Hillele, Principe Captivitatis (de quo *Calend.* prolixè ſuprà in An. *Judaico*) etiam Chronologis obſervanda eſt. Accidit anno Per. Judaicæ 4118. Æræ Contractuum 670. ſecundùm Chronologiam Magiſtrorum, & quidem imperante Conſtantio Imperatore: Ab Excidio Templi & Reip. Judaicæ, anno ſecundùm Judæos 290. veriore calculo 287. Concurrens adeò cum anno — — — — — — — 5070. 357.

Æra Arab. ſeu Anni Hegiræ. Æra *Arabum*, ſeu *Hegira*, id eſt, migrationis Muhammedicæ, quæ ſucceſſit apud iſtos in locum Æræ Damaſcenæ ſeu Antiochenæ, ea eſt de quâ fusè ſuprà in *Anno Arabico*, P. I. C. VIII. Figitur nempè ejus caput in annum labentem Æræ Dionyſianæ 622. *Julii* diem XVI (licet ex ſententiâ Alfonſi Regis figenda in diem *Julii* XIV.) feriâ VI. Æræ Damaſcenæ A. 670. Periodi Judaicæ A. 4382. Concurrens adeò cum anno — — — — — — 5335. 622.

Æra Perſar. Æra *Perſarum*, aliàs *Jezdagirdica*, familiaris Orientis Scriptoribus (à Jezdagirdo poſtremo Perſarum rege, antè Saracenorum invaſionem, ſic appellata) ducenda eſt ab anno I. Imperii Jezdagirdi, id eſt, *Hegira* Arabicæ A. XI. diſtans ab anno *Incarnat.* ann. 631. diebus 167. Et quidem incepit à Neomeniâ menſis Perſici *Ferurdin*, vel *Ferwardin*, qui tùm vagus fuit, incidens in Junii d. XVI. De Menſibus Perſar. etiam Annis, vide quæ antè diximus *Cap.* IV. & XI. P. I. Concurrit hæc *Æra Perſ.* cum anno — — — — — — 5345. 632.

 Æram

Digitized by Google

Anni Per. Jul. — *Æra Chriſt.*

Æram anni *Gelalai*, novâ anni formâ apud Perſas introductâ, vide ſuprà ſub finem *Cap.* IV. *Parte* I.

Æra Caroli M. triplex.

Æra *Caroli M.* à quo inſtauratum Imperium Occidentis, omninò inter nobiliores reponenda eſt, ad Hiſtoriam mediæ ætatis. *Triplex* illa omninò ſtatuenda eſt, qualiter & ipſe diſtinxit Carolus M. in Diplomatibus & Reſcriptis, poſt ſuſceptum titulum *Imperatoris*, & *Auguſti*, A. DCCCI. & deinceps. V. gr. Inſcriptio illa, apud Goldaſtum, Baluſium, Mabillonum *de Re Diplom.* p. 194. *Datum*, &c. *Anno* XII. *Chriſto propitio Imperii Domini noſtri Karoli*, & XLIV. *Regni ejus in Franciâ, atque* XXXVIII. *in Italiâ, Indict.* III. Licet quandoque *tres* Epochæ in unam confundantur, notatis tantùm annis *Imperii*, aliquando etiam confuſis Epochis Regni *Francici* & *Longobardici*, ſeu in unam coalitis, & aſſumpto, etiam antè Romanam proclamationem, titulo *Imperatoris*; quâ de re noſtrâ *Diſſert.* de Facto *Leonis* III. Rom. Pontificis.

Prima eſt Epocha *Regni Francici*, quando Patri Pipino ſucceſſit: Cujus *Pipini* ad *Regnum* evecti, pulſo Childerico, Merovingiorum ultimo, figenda Æra eſt ad A. 751. ut fuſè Doctiſſimi Gallorum, vel certè ad A. 752. Quamvis Baronius demùm conſtituat in A. 754. quo ſcil. in Regem à Stephano Papâ in Galliis inunctus, & conſecratus, unà cum Filiis, & Bertradâ conjuge; Undè *ab hoc anno cœpti ſint numerari anni ipſius Regni*, ut falsò Annalium Scriptor, A. 754. *Num.* VI. tribuens Pipino nonniſi annos XIV. cui omnes Annales annos minimùm XVI. Succeſſit autem in Franciæ regnum Carolus, mortuo Pipino, A. 768. coronatus Noviomi VII. *Idus Octobr.* uti Carolomannus Frater coronatus *Sueſſione*, ſed qui vivere deſiit A. 771. tertio regni anno. Igitur Æra Carolina Francica, quamvis à morte Fratris ſolus Regni totius Monarcha, incepit anno — — — — 5481. 768.

Altera Epocha Carolina, eſt *Regni Italici*, ſive *Longobardici*, poſt victum & vinctum *Deſiderium*, ultimum Longobardorum regem, annis *ſex* poſterior Regno Francico, incidens in annum — — — — — 5487. 774.

Tertia Epocha Carolina, eſt illa *Imperii*; non quidem *collati* in eum, vel *tranſlati* authoritate ſcil. Pontificiâ Leonis III. ſed tamen geſti deinceps aſſumpto *nomine* Imperiali, poſt acclamationes S.P.Q.R. & conſecrationem Leoninam, expirante Anno Vulg. 800. in Feſto Natalitio. Quâ de re extat noſtra Diſſertat. Hiſtorica. Excipit hæc Epocha illam Regni *Francici*, annis 33. *Longobardici*, annis 27. procedens ab anno — — — — — — 5514. 801.

Æra Alfonſina.

Æra *Alfonſina*, ſic dicta eſt ab Alfonſo Caſtiliæ & Legionis Rege, qui & Rex Romanorum, etiam *Aſtrologus* ἐξόχως dictus: A quo ſunt *Tabulæ* Alfonſinæ Aſtronomicæ, inſervientes præcipuè æquationi motûs Solis & Lunæ: A quo etiam Æra *Mundi Cond.* hinc & illa *Diluvii*, à motibus Cœleſtibus conquiſitæ, planè aliæ ſunt ab iis quas conſtituunt ſeu *Græci* Codd. ſeu *Hebraici*; hinc & diverſiſſima connexio cum annis Periodi Julianæ, ut ſuprà *Parte* II. *Cap.* I. ſub finem. Primus etiam hic Diplomata vel Inſtrumenta publica non *Latino*, ut ſolebant hactenus, ſed *Caſtellano* idiomate ſcribi juſſit. Non modò autem Rex iſte accuratiſſimam ſupputationem inſtituit Æræ *Nabonaſſ.* qui illi *Nabuchodonoſor*, Æræ *Philippi* patris Alex. M. Æræ *Alexandri M.* Arabibus *Dulkarnaim*, Æræ *Jul. Cæſ.* Hiſpanicæ, de quâ ſuprà, Æræ *Diocletiani*, Æræ *Arabum* ſeu Hegiræ, Æræ *Jezdagirdis*; ſed & Æram à ſe condidit, quæ dicta *Alfonſina*. Cujus initium ſeu caput ducitur ab Æræ Chriſtianæ Anno 1252. *Kal. Junii*, feriâ VII. qui dies videtur fuiſſe inthronizati Alfonſi, Innocentio IV. adhuc tenente Pontificatum, biennio à ſublato Friderico II. Imperatore optimo. Incidit adeò hujus Æræ caput, (cujus multiplex uſus eſt in comparatione Epocharum, ex *Tabulis Alfonſinis*, apud Aſtrologos & Chronologos) in annum currentem — — — — 5965. 1252.

Æra Anni Gregor.

Æram *Gregorianam*, ſeu caſtigati Calendarii, & emendati Anni Juliani, ſupra ſignavimus; Prolixè iſtic dictum de ejus beneficio, ſed & de ejus vitiis, *Parte* I. *Cap.* toto VII. Et hæc Introductionis cujuſdam loco, accendendo rei totius Chronologicæ ulterioři deſiderio, in cultoribus Eccleſiaſticæ Antiquitatis.

FINIS CHRONOLOGIÆ S.

FRI-

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII F.

HISTORIA ECCLESIASTICA

A

CONDITO ADAMO

AD

ÆRAM CHRISTIANAM.

INSERUNTUR

SYNCHRONISMI INSIGNIORES

HISTORIÆ EXOTICÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII F.

HISTORIA ECCLESIASTICA

A Condito Adamo, ad Æram Chriſtianam.

Inſeruntur inſigniores Synchron. Hiſtoriæ Exoticæ.

Hiſtoriæ V.T. neceſſitas, uſus.

HIſtoriæ Sacræ *Veteris Teſtamenti*, ſeu temporis Eccleſiæ prioris, vel hinc *neceſſitas* intelligitur, quod abſque illâ foret ut pleraque, quæ *tempus hiſtoricum*, ſeu Olympiadas Græcorum, Oziâ in Judâ regnante, anteceſſerunt, nobis vel ἄδηλα forent, vel μυθώδη. Adhæc ignorarentur ut rerum ſic *Eccleſiæ* primordia, ſucceſſio, propagatio, ætates: Neſcirentur *origines* Populorum, de quibus *Gen.* X. XI. XIX. XXII. XXV. &c. Sed nec inſigniorum inter Ægyptios, Chaldæos, Phœnices, Æthiopas, Græcos, Indos, & ſi quos alios, Fabularum; omniſque adeò vetuſtioris Idololatriæ: Laterent *Facta* innumera, & *Oracula* jam indè à primâ ætate admiranda, Libris Moſaicis reliquiſque Sacris comprehenſa: Imponerent *Chaldæorum* mendaces calculi; *Ægyptiorum* fictæ Dynaſtiæ; *Serum* prodigioſi Annales; *Indorum* hodieque de ſuis originibus fabulæ: Obſcura denique foret *ſeries temporum*, inde à Mundi Natalibus, quæ hinc ad extrema Monarchiæ Perſicæ in Sacris protenditur, quæque ſuis nunc eſt *Epochis* inſignioribus diſtincta; de quibus dictum eſt fuſiùs, quantum ad Doctrinam Temporum, in *Chronol. S.*

Sed præter hunc uſum *Hiſtoricum* & *Chronologicum*, ſunt alii plurimi, ex hac eâdem Hiſtoriâ, uſus *Doctrinales*, *Elenctici*, *Politici*, *Practici*, qui per omnes Diſciplinas, cumprimis verò Sacram, ſeſe diffundunt. Ex quibus obſcura multa illuſtrantur; Fides roboratur; Pietas accenditur; Virtutum exempla hauriuntur; Leges, Politiæ, Inventa, Hiſtoriæ rituum, dogmatum, conſuetudinum, &c. intelliguntur; Atheiſmus expugnatur; Civilis prudentia acquiritur; Judæi, Muhammedani, Gentiles, Libertini revincuntur.

Fontes ejuſdem.

Colligitur 1. Ex *Moſe*, quo Gens nulla, non Babylonii, non Phœnices, non Ægyptii, non Seres, minùs Græci, antiquiorem produxêre Scriptorem; fontem omnium hiſtoriarum. Etiam quâ parte hæ, fabulis admixtis, inter Gentes obſcuratæ ſunt. Hiſtoriam verò *Geneſeôs* videtur habuiſſe, partim ex conſtanti traditione inter Capita poſterorum Jacobi; partim ex Adverſariis vel Tabulis ſe prioribus; quibus acceſſit afflatus & ductus Spir. S. Nulla certè memoria valuit retinere totas Genealogias, cùm ſingularum generationum *Nominibus*, & *Annis* cùm generationis, tum vitæ. *Moſem* verò Pentateuchi auctorem eſſe, ſpeciali Diſquiſitione demonſtratum damus.

2. Ex Scriptorum *Hiſtoricorum* & *Propheticorum*, in Sacris voluminibus, ſerie continuâ, ad inſtauratum Templum ſecundum, & extrema ferè Monarchiæ Perſicæ.

3. Ex Libris *Maccabæorum*, quorum primus orditur à temporibus Antiochi Epiphanis, & Mattathiæ Haſmonæi, finitque in nece Simonis; Secundus verò compendium eſt ex Jaſone Cyrenæo, in rebus Antiochi Epiphanis & Eupatoris, nonnullis Scriptori illi aſſutis. Scripſerat Jaſon Hiſtoriam Haſmonæorum *Libris* V. ſcriptor illorum temporum.

4. Ex *Chronicis* antiquioribus Judæorum, quâ parte fidem merentur: Subindè ex *Philone Judæo*, qui multa in primas rerum origines, & res Patriarcharum, hiſtoricè commentatus eſt, illuſtrando Libro præcipuè *Geneſeos*: Sic in Vitam Moſis, in Leges Moſaicas, in Decalogum, & varias *Leges* Ceremoniales, ſed & Politicas, ut de Feſtis Judæorum, &c. illuſtrandis paſſim reliquis Pentateuchi Libris, totique Hiſtoriæ Judæorum. Tum maximè ex *Fl. Joſepho*, in Antiquit. Judaïcarum Libris, productis ad XII. Neronis annum, quando cœpit Bellum Jud. ſub G. Floro, & de quibus Photius *Cod.* LXXVI. Libros VII. de Bello Jud. ad Excidii tempora, ſcripſit antè Antiquitat. Libros; tandem & contrà Apionem Alex. Libros II. qui Apion contrà Philonem Judæum, Romam ablegatum ſcripſerat, in contemptum Judæorum; Ut mittam quæ de *Vitâ* ſuâ commentatus eſt. De quo Scriptore extant Doctorum judicia. Stylum ſanè, dum καθαρὸς τὴν φράσιν, πιθανὸς ταῖς δημηγορίαις, καὶ ἐπίχαρις, &c. habes apud Photium *Cod.* XLVII. Eruditionem, diligentiam, prudentiam, fidem omnes collaudant, præterquam ubi nimio eſt in ſuam Gentem affectu; v. gr. in rebus Moſis, aut Salomonis, ſic in Hiſtoriâ Verſionis τῶν LXX. &c. Errores Hiſtoricos, Geographicos, Chronologicos, inconſtantiam in ponendis calculis temporum, ignorantiam ſubindè in rebus Exoticis, fidem temerè adhibitam Græcis quandoque Scriptoribus, imperitiam Linguæ S. ſilentium nonnunquam affectatum, ut in iis quæ probro cederent ſuæ Genti (qualis ex. gr. fuit *Vituli aurei* fabrica, & adoratio, tacita Joſepho) ità in iis quæ faverent Chriſtianæ rei, Eruditi paſſim notarunt, & nos ſubindè locis ſuis. De Chriſto an planè ſiluerit, contrà fidem omnium Codicum, & Veterum indè ab Euſebio, *Antiq.* L. XVIII. alibi ex profeſſo diſquirimus.

5. Ex Scriptoribus variis, ſeu *Judæis* ac *Talmudicis*, quos inter fide dignior Majemonides; ſeu *Orientalibus*, & *Arabicis*, quos inter Elmacinus, Batricides, Abul-pharajus; Chronicon Orientale A. Ecchellenſis, ἀνέκδοτοι innumeri; ſeu *Paganis*, memoratis paſſim Joſepho, Clem. Alexandrino, Tertulliano, Euſebio, Epiphanio, &c. Quos inter *Hecatæus* Abderita, ſub Alexandro M. *Cleodemus* Malchus, *Artapanus*, & *Eupolemus*, incertæ ætatis, *Beroſus*, & qui *Ariſtæus*, ſub Ptol. Philadelpho, *Alex. Polyhiſtor*, ſub Ptol. Latyro, *Nicolaus Damaſcenus*, ſub Herode M. &c.

6. Cumprimis verò huc conferunt Scriptores *Chriſtiani*. Et hi rurſùm *Chronographi*, quales in-

primis *Julius Africanus* ſcriptor πεντάβιβλε χρονολογικῆς, (præter Hiſtoriam quam Κεστοὺς nominavit, de quâ Photius *Cod.* XXXIV.) productæ ab O. Cond. ad tempora Antonini Elagabali Imp. Photius, ad Macrini tempora. Interverſum Africani Chronicon, compilavit ac recoxit in ſuo Chronico *Euſebius*, quod Scaliger dicere Africani Chronicon non dubitavit: Cujus Partem I. inſcripſit χρονογραφίαν, ſeu παντοδαπὴν ἱστορίαν, alteram χρονικοὺς κανόνας, quibus cum Moſaïcâ & Sacrâ Hiſtoriâ confert res Aſſyriacas, Ægyptiorum, Sicyoniorum, Athenienſium, &c. Tùm *Georgius* Taraſii Patr. *Syncellus*, ſub Irene Imperatr. vir ἐλλόγιμος καὶ πολυμαθέστατος dictus Theophani Confeſſ. qui ſcripſit ἐκλογὴν χρονογραφίας, ſeu Excerpta Chronologica, ab Adamo ad Diocletiani tempora, Euſebio toto compilato; Sed ità ut frequenter ab eo diſſentiat, & vehementer exagitet, addito jam *Cainane* ex Arphaxado; ſic in rebus & Dynaſtiis Ægyptiorum, Aſſyriorum Regum, Medorum, &c. vocans Euſebium τὸν Ἐμβρόντητον fulminis quaſi ictu *ſtupefactum*, p. 153. φρόνιμον δηλαδὴ κατ' ἀντίφρασιν, *ſolertem nempè per antiphraſin*, p. 169. &c. quæ vindicata Scaligero, paſſim in *Animadv.* ad Euſebium. Adde *Johannem Antiochenum*, Chronographum, cujus Excerpta ex Hiſtoriâ Chronicâ ab Adamo, habentur in Collectaneis Conſtantini Porphyrog. à Valeſio editis; Tum alterum *Johannem Antiochen.* cognomento *Malelam*, pariter ſcriptâ χρονικῇ ἱστορίᾳ, à Rerum primordiis ad A. XXXV. Juſtiniani, cum priori à multis Eruditis permixtâ; & quam noviſſimè ediderunt Oxonienſes, cum Humfredi Hodii V. Cl. ampliſſ. Prolegomenis. Hic verò *Malela*, quacunque ætate vixerit, alii ævo Juſtiniani Senioris, alii Seculo minimùm IX. Scriptor eſt anachroniſmis & antichroniſmis ſcatens, nugarum & fabularum plenus, ſtylo penè barbarus, Hiſtoriæ Sacræ, & Exoticæ conſtuprator potiùs quàm illuſtrator. Palmam longè huic præripit Auctor *Chronici Alexandrini*, aliàs *Paſchalis*, quod dictum *Faſti Siculi*, quia in Siciliâ inventi ab Hieron. Suritâ, quocunque tandem ſcriptore: Opus in multis lucem adferens Chronolog. S. & Hiſtoriæ, ab O. C. ad Heraclii annum XX. quanquam non ſibi conſtans, & parachroniſmis frequens. De quo fusè Caſaubonus, Scaliger, Holſtenius, Raderus editor A. 1615. & noviſſimè Carolus du Freſne, quem poſt omnes conſule. Tacemus, notiſſima *Chronica*, *Hiſtorias*, *Annales* in Græcis & Byzantinis, ut ſunt Theophanis Confeſſoris, Nicephori Patr. G. Cedreni, Joh. Zonaræ, Mich. Glycæ, &c. tum & in Latinis Scriptoribus, qui (poſt Sulpicium Severum *Libris* II. Proſperum Aquitanicum, ſed interversâ magnâ Chronici parte, Freculphum Lexov. &c.) ſunt Chronographi ſine numero, qui à Mundo Cond. res Orbis & Eccleſiæ complexi; Plerumque Monachi, & de quibus obvia ſunt judicia Scaligeri, Voſſii, Hankii, & Editorum paſſim.

7. Adde, utilem hîc operam ſæpè navare *Commentatores* eximios in Libros *Vet. Teſt.* præcipuè *Moſaïcos*, & *Hiſtoricos*, qui graviſſimas difficultates & ἐναντιοφανείας quandoque feliciter expediunt. Ità, ſcriptores obvii de *Patriarchali*, & *Iſraëliticâ* Hiſtoriâ, vel *Judaïcâ*; de *Hebræorum* Republicâ & Politiâ; Sic de primis *Gentium* ac *Populorum* originibus, ut & *Fabularum*, ac Paganæ Mythologiæ, in vulgus Eruditorum notiſſimi.

Univerſam porrò Eccleſiæ Hiſtoriam ad IX. *Epochas* referemus, ſignatas in noſtrâ Doctrinâ Temporum; ſingulas rurſùm *ſummariis* rerum *Capitibus*, facilioris methodi ergò, diſtinctas. *Synchroniſmos* etiam nobiliores Hiſtoriæ Exoticæ, non ſine ἐπικρίσει quandoque noſtrâ, paucis ſignaturi.

SUMMARIÆ ASSERTIONES,

Quibus

LIBRI MOSIS,

Ut fons omnis Hiſtoriæ, Auctori ſuo, hinc & auctoritati, vindicantur.

Libros hodiè MOSAICOS, in quibus Librorum omnium *Vet. Teſt.* & totius Hiſtoriæ Sacræ, fundatur veritas atque Auctoritas, ſed & illa *Teſt. Novi*, fuiſſe à Viro Dei *Moſe* reverà conſcriptos, Prophetâ, Legiſlatore, acto & inſpirato Divinitùs, ſequentia dabunt demonſtratum: Contrà hypotheſes Simonii, Hobbeſii, Spinoſæ, & qui alii, noſtro tempore in Moſis ſcripta, petulanter inſurgere non erubuerunt. Nec audaces ineneſque vel aſſertiones, vel conjecturas, ſolâ plerumque *Criticorum* fiduciâ nixas, excutere hujus inſtituti eſt. Id modò, *Pentateuchum*, qualem exhibet hodieque Codex Hebræorum, (quicquid jam ſit de *Nominum* quorundam fortè in eo mutatione, vel *parentheſibus* nonnullis interjectis, aut iis quæ ad calcem Deuteronomii) reverà ab ipſo *Moſe* eſſe conſignatum, evincent ſequentia: Librorum Moſaicorum ſpeciatim auctoritas aſſerta.

I. Arguet antè omnia Theologus, Auctorem eundem eſſe בראשית ſeu Libri *Geneſeôs*, qui *Exodi*, & reliquorum librorum *Pentateuchi*. Nam eodem cum reliquis tempore traditum hunc fuiſſe Iſraëlitis, nemo neget; eodem *Moſis*, & תורה *Legis*, nomine appellandum citandumque, ut in Vet. Teſt. & à Judæis communiter, ſic & in Novi Inſtrumenti Libris, *Lucæ* XXIV. *Joh.* V. 48. *Act.* VI. 14. VII. 2. *Gal.* IV. 21. 22. &c. Hinc eadem religione ab omni Iſraëliticâ Eccleſiâ & lectus, & ſuſceptus, eodemque charactere deſcriptus, quin baſis & fundamentum Librorum cæterorum eſt *Geneſis*. Nexus enim Hiſtoriæ inter ultima *Geneſeôs*, & *Exodi* prima nimis conſpicuus eſt. In *Geneſi* origo ut Mundi, ſic Iſraëlis; Hiſtoria Patrum; Promiſſio Seminis; altera promiſſio Terræ Canaanis; jus in hanc Terram; *Morijæ* & *Bethelis* nomina ominoſa; Inſtitutio Circumciſionis; Sabbathici diei, aliarumque de Sacrificiis & Cibis legum, fundamentum. Ibi, deſcenſus Jacobi in Ægyptum, Moſis Majores, Patres XII. Tribuum, Judæ & Joſephi prærogativæ, hujus etiam noviſſima; ac tandem Miniſterii ejuſdem ſecutura, in Ægypto oblivio, ſub immiti ſuperboque Pharaone, *Gen.* L. 26. *Ex.* I. 6. 8. Compendiosè pleraque, quia ibi rerum & hiſtoriarum ſufficiens ad inſtructionem, & ad Eccleſiæ fidem, ſumma, quorum conſtans inter Iſraëlis nepotes fama viguit. Hæc nempe ab Adamo ad Noachum, à Noacho ad Abrahamum, ab hoc ad Iſaacum, hinc ad Jacobum, ab his ad Nepotes tranſmiſſa. Nec intercedimus, quominus credatur horum omnium memoriam ſervaſſe Patriarchas in ſcriptis tabulis, reliquis adhuc, Moſis tempore, Hiſtoriarum fragmentis, documentiſque certis; quæ Divino impulſu Libro *Geneſeos*, quædam conciſiùs, quædam prolixiùs, ut expediebat, digeſſit. Summariæ hypotheſes; ac primò de libro Geneſeos.

II. Secundò demonſtrabit Theologus, Libros reliquos indè ab *Exodo*, non eſſe poſſe niſi *Moſis*. Prout *Moſi* adſcribuntur in ipſo Novo Teſtamento, v. gr. *Exodi* Liber, *Marc.* XII. 26. *Levitici* alter, *Matth.* VIII. 4. *Numerorum* quoque, *Joh.* III. 14. *Deuteronomii* denique, *Matth.* XIX. 7. 8. XXII. 24. &c. Libri hi utpote *Legis Moſaïcæ*, Moſis miniſterio primùm traditæ, ac per *quatuor* illos Libros Pentateuchi diſperſæ; inſertis ſimul Hiſtoriis aut latæ Legis præviis, aut intermediis, Secunda Obſervatio.

Digitized by Google

ac tandem ſubſecutis uſque ad Terram occupatam. Atque inde *Leges* omnes *Moſaïcas*, Morales ſcilicet, Politicas, Ceremoniales, inter Hebræos natas eſſe, renovandas in *Deuteronomio* ſub extrema Peregrinationis; nec ex monumentis aliis habuiſſe Leges illas Gentem Judæorum; fortiter ſuſtinebit vindex Hebraicæ veritatis. Quæ Leges, ut aliquoties fuêre illi Populo, ſæpè pervicaci, in Peregrinatione annorum XL. vivâ per Moſem voce, ità etiam ſcripto, prout res exigebat, repetendæ. Unde repetitiones rerum, πρωθύστερα, ἐπάνοδοι, περιλήψεις, prout viſum fuit Scriptori ſacro, vel ducenti potius Spiritui Sancto, non adſtringenti ſe legibus humanis, quas ſibi fixêre Hiſtorici Græci aut Latini. Quod verò ſomniat auctor Critices, vel audacter affirmat: Diſtinguenda ſcil. in Pentateucho, quæ ab ipſo *Moſe* ſcripta, ut ſunt Leges, Judicia, Statuta; & quæ ſcripta ab Actuariis publicis, *Scribis* & *Prophetis* dictis, jam tempore Moſis conſtitutis, ut ſunt quæ ad Hiſtoriam & memoriam poſteritatis pertinerent, iſtud ἄγραφον, ἀντίγραφον, & ſimul ἄλογον. Hinc (ait ille) *Moſes ſcripſit*, verba Jehovæ, vel, *ſcribe hæc in Libro*, *Exod.* XVII. 14. &c. tantundem valent quàm, *Moſes juſſit Scribas publicos ſcribere*, vel *jube hæc ſcribi*, &c. Quis hæc divinando præter audacem Criticum, & ejuſdem farinæ homines, conjectaſſet? Ità vocem נביא *prophetam*, qualis occurrit *Gen.* XX. 7. poſtea *Deut.* XVIII. 15. 18. fingit primâ ſui origine *Oratorem*, vel *Scribam* publicum, deſignare, quales habebant Ægyptii, & Moſes ad eorum imitationem inſtituit. Quum veriùs ſignificet, Virum cui ſe Deus revelaret, quocum loqueretur, qui nuncius divinæ voluntatis, & interpres etiam futurorum, hinc προφήτης. Quales poſteà communiter dicti in Iſraële *Videntes*, ſcil. per revelationem, 1 *Sam.* IX. 9. De quo Interpretes.

Tertia Obſervatio ſummaria. III. Evincet quoque tertiò Orthodoxus, Moſem non ſcripſiſſe ſolam *Legem*, ſolas Conſtitutiones, ſed & *Hiſtorica*, *Exod.* XVII. 14. *Librum Fœderis*, omniaque Dei Verba, *Exod.* XXIV. 3. 4. 7. *Ex.* XXXIV. 27. ipſumque tandem *Deuteronomium*, *Deut.* XXVIII. 58. XXXI. 9. 26. ſcriptis ſuis ad Latus Arcæ collocari juſſis, ex quibus de fide Patriarchis & Iſraëlitis traditâ, ſemper conſtaret. Sed & *ſcripſit* Canticum, & noviſſimas ad Iſraëlem voces, *Deut.* XXXII. XXXIII. uſque ad ſuum ab Iſraëlitis & è Terrâ diſceſſum, *Deut.* XXXIV. Ità quid Liber *Numerorum*, niſi ſeries Compendioſa ſtationum, profectionum, *Num.* XXXIII. 2. & quaſi diarium quoddam rerum præcipuarum, quæ intrà annos Peregrinationis XXXIX. acciderunt, ab Anno II. ad XL? Satis hoc fuit ad memoriam fidemque poſteritatis.

Et ſanè neceſſe fuit *Legibus* adjungi *Hiſtoriam*, Dei mirabilia, judicia, promiſſiones, benedictiones, maledictiones: Ac finem tandem Legis, *Meſſiam* venturum; non à Jacobo tantùm, aut Moſe ipſo in Geneſi & in Deuteronomio, notis locis, ſed ab ipſo etiam Bileamo deſignatum, *Num.* XXIV. Denique, adjungendum Legibus, quicquid *motivorum* fuit ad obedientiam Legi præſtandam.

Quarta Obſervatio. IV. Quartò, nullus etiam, parùm modò ingenuus, negare ſuſtineat, *Libros* quinque *Moſaïcos*, omnemque Hiſtoriam ſupponi in Libro Joſuæ; hinc in Libris Judicum, Ruthæ, Samuelis, Regum, Davidis, Salomonis, Prophetarum, Eſdræ, Nehemiæ, & Paralipomenôn. Ubique revocatur Populus ad Mandata *Moſis*, utique ſcripta, uti *Jud.* III. 4. ad maledictiones, benedictioneſque, *Deut.* XI. XXVII. XXVIII. quod factum jam ab ipſo Joſuâ eſt, *Joſ.* VIII. Tandem reſpectus in *Libris* illis Vet. Teſt. perpetuus eſt, ad omnia Hiſtorica, Genealogica, Prophetica, quæ paſſim in Libris Geneſeôs, Exodi, &c. occurrunt, quorum Hiſtoriam non ſemel etiam repetit Pſalmorum Liber, *Pſ.* CV. CVI. &c. Nec dubium eſt quin illi V. Libri *totius Legis* nomine veniant; 2 *Reg.* XXI. XXIII. in Tabernaculo iidem repoſiti; & aſſervati à Sacerdotibus ſummâ religione. Nec enim omnia in *Deuteronomio*, nec præcipuè, continebantur, ut ad eum reſtringatur totius Legis appellatio. Atque illud ipſum Moſis αὐτόγραφον, quod repertum fuit Joſiæ ætate, 2 *Reg.* XXIII. 2 *Chron.* XXXIV. de *Pentateucho*, ex conſenſu Hebræorum, interpretatus eſt quoque Joſephus, vocans τὰς ἱερὰς βίβλους τὰς Μωυσέως, *Antiq.* L. X. C. V. Ad quem aliàs Joſephum Hiſtoricum non ſemel provocat Auctor Hiſtoriæ Criticæ.

V. Quintò dicendum, aut Reipubl. & Eccleſiæ *Iſraëlitica* negandam eſſe eam quam omnes illi vindicant Antiquitatem, aut *Librorum Moſaïcorum* agnoſcendam τὴν ἀρχαιότητα. Siquidem indè à primordiis illius Reipubl. & ingreſſu in Canaanem, fuerunt illi Libri, & quicquid in iis eſt (hoc ipſo quia à *Moſe* Legiſlatore & Prophetâ) Legum in eâ Gente obſervandarum, totîuſque Judaicæ fidei & religionis baſis, norma, principium, hac parte ſibi ſemper conſtantis & invariatæ. Nec aliundè accepta eſt Hiſtoria Creationis, Diluvii, Patriarcharum, Fœderis cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, dein ſervitutis Ægyptiacæ, Liberationis miraculoſæ, Peregrinationis in deſerto: Non aliundè Sacerdotii Levitici inſtitutio; Tabernaculi & Arcæ fabrica; Meſſiæ venturi deſignatio; Benedictiones, Maledictioneſque intimatæ Iſraëli; Tribuum ordo, Politia univerſa, &c. Horum eadem ubique & ſibi conſonans fides, ac ratio fuit, tot ſeculorum ſucceſſione, indè à temporibus Joſuæ, Judicum, Samuelis, Davidis, Regum, Prophetarum: Et undè illa, quæſo, niſi ex *Scriptis Moſaïcis*? qualia non fortè multis poſt ætatibus in Breviarium redacta, ut de ſuo hariolantur, ſed qualia hodieque extant in *Canone S.* Abſque quibus, & iſtorum certâ auctoritate, fuiſſent omnia illa aut oblivione interverſa, aut cæteroquin neglecta, immutata, corrupta, ac fabulis adſperſa plurima. Jam quo tempore hariolantur *compilatos* fuiſſe hos Libros Moſaïcos; an tùm demùm cœperunt Judæorum manibus teri? An nulli antè Codices Moſaïci? Aut ſi exſtitêre prolixiores Commentarii, quis illorum meminit? quis ſimul ac ſemel evanuiſſe omnes, omnia ἀπόγραφα, & nuſquam vel jacturæ vel mutationis tantæ apparere veſtigia, in Judæorum Hiſtoriâ, facilè ſuſpicetur?

VI. Sextò, quis vel pauſum cordatus neget, eoſdem *Libros*, quales ſuperſunt hodiéque, tanquàm ab ipſo Moſe acceptos, ut in ipſâ Captivitate Babylonicâ, *Dan.* IX. ut inter diſperſas quoque Aſſyriacâ tranſportatione Tribus, ità ſtatim à reditu ex Captivitate, fuiſſe religioſè aſſervatos, lectos, uſurpatoſque in probatis Apographis? Hinc illa religio *Moſaïca* Legis tempore Eſdræ, Nehemiæ, Malachiæ; poſtremi etiam clauſuri Canonem eorum commendatione, *Mal.* IV. 4. Aut quis in dubium vocet, eos Libros tanquàm verè *Moſaïcos*, conſtanti religione retentos fuiſſe à *Samaritanis*, hoſque, inde à diſtractione Tribuum, Libros eos conſervâſſe, deſcripſiſſe, legiſſe, *Meſſiâ* etiam venturo ex iiſdem intellecto, *Joh.* IV? Quæcunque tandem in Codice *Hebræo-Samaritano*, maximè poſt inimicitias inter Gentem utramque natas, poſt mutatos Characteres, & natam Verſionem Græcam vulgô τῶν LXX. appareat hinc indè diſcrepantia; confirmans tamen ubique *Moſem* Pentateuchi auctorem. Sexta Obſervatio.

VII. Septimò, quis ſanus inficias iverit, *Chriſtum* Dominum & *Apoſtolos*, nec ineruditum in his *Paulum*, quorum auctoritatem reſpicit Criticus, Septima Obſervatio.

Digitized by Google

habuiſſe Libros quinque Pentateuchi, ut *Moſaïcos*, ut ab ipſo *Moſe ſcriptos*, *Luc.* XXIV. 27. *Joh.* V. 45. 46. 47. &c. non fortè abbreviationem, farraginem, aut compilationem quandam? Et illinc aut *decepti* à Pharizæis, aut *credulâ* ſimplicitate, ac cum vulgo errantes, ex Spinoſâ, Hobbeſio, ſimilibus? Vel an parùm iidem de Textu Moſaïco, ejuſque verbis, literâ, magis verò de *traditionibus* Magiſtrorum ſolliciti fuiſſe exiſtimandi? Qui etiam ne minimam κεραιὰν *Legis* perituram dixerunt, *Matth.* V. 19. Et illi ipſi qui toties ad ſingulares etiam in Scripturâ voces, & earum emphaſim, ne dicam ad expreſſos in Moſe textus, tanquàm qui eſſent *Moſis*, docendo arguendove reſpexerunt; Pharizæorum ſimul ubique perfidiâ, hypocriſi, corruptelis, δευτερώσεσι, ac diſceſſu ab illo Moſe cujus in Cathedrâ ſedebant, accuſatis & perſtrictis.

Octava Obſervatio. VIII. Octavò, quæcunque etiam Pharizæorum de Textu Moſaïco ſecuritas fuerit, ex hypotheſi Neo-Criticorum, an eadem fuit *Samaritanorum* illa, aut *Sadducæorum*, aut *Carræorum*, adhærentium literæ, & lectioni antiquæ? An non par omnium iſtorum conſenſio fuit, de *Moſe* Pentateuchi auctore? Quem ſolum tandem Samaritæ retinuerunt, dicentes ſe veros *Jacobitas*, à Jacobo oriundos; Sacerdotes ſuos verè *Aharonæos* Sacerdotes, &c. hinc Pentateuchi Samaritani hodie apud multos auctoritas. Sed & conſenſio eadem eſt, omnium quotquot fuêre unquam *Judæorum*, antè & poſt LXX. Interpretes, ſeu Helleniſtas Alexandrinos, puta Joſephi Ἀρχαιολόγου, Philonis Judæi, Paraphraſtarum, Tranſlatorum in Linguam Græcam, Syriacam, &c. Maſoretharum, Sapientum, Magiſtrorum veterum, & doctiſſimorum, nemine unquàm vertente in dubium. Sed nec profectò vertentibus illis ipſis, puta *Aben-Ezrâ*, aut *Abarbanele*, ad quorum auctoritatem aliàs provocat Criticus, in primis ad *Aben-Ezram*, poſt Auctorem Tractatûs Theolog. Polit. *Cap.* VIII. p. 104. Licet ille, commentatus ad *Deuteron.* notet quædam quæ poſt Moſem inſerta, aut diverſa à Pentateucho, videantur; ex. gr. בעבר *ultra Jordanem*, *Deut.* I. ut reddit; סוד השנים עשר *myſterium duodecim*, ſcil. lapidum, quibus ſupponit ille totum *Legis* librum deſcriptum, *Deut.* XXVII. 3. 8. *Joſ.* VIII. 32. quod in totum Pentateuchum non quadret, &c. ויכתב משה, *Et ſcripſit Moſes Legem*, *Deut.* XXXI. 9. vel ſcripſerat Moſes, quod ab alio quàm Moſe narrari putat; Sic *Canahanita erat in illâ terrâ*, *Gen.* XII. 6. *in Monte Dei providebitur*, *Gen.* XXII. 14. *Ecce lectus ejus, erat lectus ferreus*, *Deut.* III. 11. 12. &c. Hæc ſanè, & ſi quæ alia id genus, ubi προλήψεις manifeſtò videantur, ut in nominibus locorum, *Danis*, *Hebronis*, &c. cenſuerit Aben-Ezra fuiſſe poſt Moſem adjecta (quanquàm mentem ſuam Judæus non explicuerit) non eo negavit Pentateuchi totius vel auctoritatem vel antiquitatem. Sed de his difficultatibus poſteà.

Nona Obſervatio. IX. Nonò, non hujus ſpatii eſt, urgere pluribus vel illuſtrare quod prolixè ab Huëtio & Eruditis aliis occupatum: Libros illos *Moſaïcos*, Leges in iis traditas, & Hiſtorias commemoratas, niti teſtimonio & conſenſione vetuſtiſſimorum in Gentibus *Scriptorum*, imò nobiliſſimarum *Gentium*, Ægyptiæ, Arabicæ, Chaldææ, Phœniciæ, Græcæ, Romanæ, &c. Ad quas Gentes promanarunt ex Moſaïca ſive Hiſtoriâ, ſive Diſciplinâ, ab ultimâ antiquitate, tanquàm ex fonte rivuli, (ſed admiſcendis ſordibus ac cœno multo) tot facta *hiſtorica* Poëtarum *fabulis* obſcurata, v. gr. Κοσμογονίας, non ignoratæ multis Gentibus: Πρωτοπλάστων; immiſſi terris Diluvii; Noachi & Filiorum; diſtributi Orbis; Gentium diſperſarum; Fundatorum vetuſtiſſimarum Urbium, Nationum; ſic offerendi in ſacrificium Iſaaci, *unigeniti* illius & *dilecti*. Uti etiam tot evidentiſſimæ rerum origines, v. gr. Cycli hebdomadarii, οὐ τοῦ ἑβδομάδος ἔθους, erigendorum lapidum, ungendorum eorundem, ſanciendorum Fœderum cæsâ victimâ, & tranſitu per medium, aliorum id genus quæ ex Patriarchali hiſtoriâ nata: Adde ſpecialiſſimos Ritus, quales v. gr. Circumciſionis, Ciborum prohibitorum, Sacrificiorum, Oblationum, Altarium, Luſtrationum, Anathematum, &c. tùm Leges ac Inſtituta Civilia, Sacra, Militaria, uti aliàs à Viris ſummis invictè demonſtratum, Pithœis, Heinſiis in *Ariſtarcho*, Voſſiis, Seldenis, Bochartis, Huëtiis. A quibus etiam Gentibus *Moſes* ut antiquiſsimus *Legiſlator* habitus, quemadmodum & Propheta, Theologus, Magus, Vir Divinus, admirandus, &c. à quo ſuas habuiſſent Leges Ægyptii, Phœnices, ubique reſpectu habito ad contenta in *Moſaïcis* Libris. Nota ſunt quæ in Phœnicibus vetuſtiſsimus *Sanchoniathon*, Porphyrio pridem teſte, ex Creationis hiſtoriâ, de generatione primi Mundi, de primo Chaos, &c. tradidiſſe fertur, apud Euſebium *Lib.* I. & X. προπαρασκευ. Sic quæ in Chaldæis Beroſus de Diluvio Noachico, Arcâ, &c. in Ægyptiis Manetho, in antiquiſsimis Græcorum Hiſtoricis, aut Philoſophis, Orpheus, Chæremon, Numenius Pythagoricus, Chalcidius, Hecatæus, Abydenus, Polyhiſtor, Diodorus Siculus, Strabo, Nicol. Damaſc. Plutarchus, Longinus, Lucianus, &c. aut quæ in Latinis, Trogus, Juſtinus, Tacitus, Juvenalis, Plinius, Apulejus, & ſi qui alii; vel in Philoſophis ipſis, aut adverſariis tam Judaïci quàm Chriſtiani nominis, Apion Alexandr. Celſus, Porphyrius, Julianus, ipſe Muhammedes, &c. *de Moſe* ejuſque Scriptis, & factis, retulerunt, quæ hauſta & accepta *ex Moſaïcis* monumentis. Imò verò confirmant Hiſtoriam Moſaïcam, traditoſque ab eo Judæis Codices, *fabulæ* ipſæ & *calumniæ* ſatis notæ, v. gr. de Moſe, de egreſſu ex Ægypto, de erroribus per ſiticuloſa loca, de Judæis rebuſque Judaicis, ex Apione Alexandrino apud Joſephum, ex Trogo Pompejo apud Juſtinum, ex Diodoro Siculo de *Moſis* ſimulachro, ex Tacito de *Moſe* duce per Arabiæ deſerta, &c. Aut ſubindè ex Philone Byblio περὶ Ἰουδαίων, ex Celſo apud Origenem, ex Porphyrio ipſo, apud Euſebium, &c. Nec eorum quiſquam *Codices* illos, quos Judæi venerarentur ut *Moſaïcos*, arguit eſſe recentioris originis, aut non à Moſe ſcriptos, vel falsò pro talibus à Judæis fuiſſe venditatos.

Decima Obſervatio. X. Decimò, vel maximè in Libris Moſaïcis concedantur, poſt decurſum tot Seculorum, tot Eccleſiæ fata, aut *Lectiones* variæ, pro diverſitate Codicum, vel Verſionum antiquarum; Aut inſertæ fortaſſe *parentheſes*, vel *elucidationes* quædam, ſeu ab Eſdrâ, ſeu ab alio Prophetarum, v. gr. hoc & illud ſic dictum, appellatum, conſpectum, *in hunc uſque diem*, *Deut.* III. 14. &c. id eſt, longè poſt Moſem; quod dari poſſet inſertum, abſque præjudicio contextûs Moſaïci. Quanquàm iſtud precariò, & nullâ neceſſitate; familiari loquendi modo, obviis alibi exemplis, & ſpatio ſufficienti *intermedio*, uſque ad id tempus, quo hæc antè mortem ſuam ſcriberet Moſes. Aut dentur mutationes in *nominibus* Locorum, Urbium, ſubſtitutis nempè nominibus quæ poſteà nata; qualia ſint illa *Danis*, *Hebronis*, quibus addunt & illud *Ninives*, *Gen.* X. 11. *Morijæ Gen.* XXII. 14. *Migdal-Heder Gen.* XXXV. 21. quam fuiſſe volunt Turrim vel Portam Gregis Hieroſolymitanam? Eône conficiet Criticus, poſt Hobbeſium, Spinoſam, Præadamitam, & ſi quos alios, Contextum *Pentateuchi* univerſum recentem eſſe, nec Moſis omninò, ſi fortè *verba Legis* excipiantur? Vel an quia Mo-

Digitized by Google

Moſis *ultima*, obitus, ſepultura, laudes, ad calcem *Deuteronomii*, adjuncta ſive à Joſuâ, ſive ab Eleazare, ſive ab Eſdrâ Scribâ & Sacerdote, (uti ſupplementa id genus ad calcem Joſuæ, Nehemiæ, ſic ad Commentarios Cæſaris, &c.) conficietur hoc ipſo Librum *Deuteronomii* Moſis non eſſe; totiens legendum Populo, inculcandum, cum benedictionibus & maledictionibus, *Cap.* XXVII. XXVIII. & Prophetico Cantico, *Cap.* XXXII? Ità an abjudicanda fuerint Veteribus ſcripta plurima, licet inſerta iis fortè quædam, poſteriori ætate, vel manu? Sic juxtà plurimos, *Neh.* XII. 22. continuata Genealogia ad *Jadduam*, & *Darium* Codomannum; Sic addita ad extremum Pſalmum Davidis, *Pſ.* LXXII. 20. Sic ad calcem Epiſtolar. *Pauli*, &c.

Undecima Obſervatio.

XI. Undecimò, an etiam abjudicandi *Moſi* hi Libri, aut poſtremus Liber Deuteron. quia de Moſe in *tertiâ* perſonâ; *præcepit Deus Moſi*, *ſcripſit Moſes*, *Deut.* XXIX. 15. XXXI. 9. &c? Ità quoque *Exod.* VI. 26. *ille Aaron & Moſes*, cum demonſtrativo הוּא אהרון ומשה. Sed nec huic argumento ſatis fidit Auctor Hiſtoriæ Criticæ. Non is neſcius, haud Prophetas modò, quandoque Jeremiam, Ezechielem, Danielem, ſed & Cæſarem in Commentariis ſuis, Joſephum in Libris Ἁλώσ. Xenophontem in ſuis περὶ Κύρϐ, Johannem *Diſcipulum quem diligebat Jeſus*, &c. de ſe ipſis loqui & ſcribere aliquando in *tertiâ* perſonâ. Sic quoque Deus frequentiſſimè in tertiâ perſonâ loquens introducitur, in Textu Sacro. Quin illa, *& ſcripſit Moſes*, *Deut.* XXXI. confirmant continuatam ab eo ſcriptionem ad extrema Deuteronomii. Non etiam Moſes ſuæ ætatis hominibus tantùm ſcribebat, ſed & poſteris; unde *ille Moſes*, *ille Aaron*, ut ſcirent venturi nepotes qui illi eſſent, quâ ſtirpe oriundi, quâ auctoritate inſtructi, qui Aaronis primogenitus, &c. Quæ & ratio ſcriptarum à Moſe rerum, quæ ſuo tempore notiſſimæ quidem, v. g. de *lecto novemcubitali* ferreo, occiſi jam Oggi, *Deut.* III. 11. & delato in vicinam *Rabbatam* Hammonitar. Nempe ut perpetuum eſſet documentum, venturis ætatibus, victoriæ de Rege Giganteæ molis, & Gentis quæ *regio Gigantum*, *Deut.* II. 20.

Duodecima Obſervatio.

XII. Duodecimò, multo minùs ſcriptorum Moſaïcorum ſeu Auctorem, ſeu Auctoritatem ſuſpectam reddunt alia, quæ intorquere placuit Hiſtoriæ Criticæ Scriptori. Ex. gr. Cum Præadamitâ, Hobbeſio, & Spinoſâ, urget illud, *Gen.* II. 12. ubi nomina *Phiſon*, *Chavila*, & Regionum deſcriptio, ac mercium quæ indè efferrentur, non ità ſcilicet nota Moſis ætate: Sic *Gen.* X. XI. XIII. XIV. &c. *Babelis*, *Ninives*, *Hebronis*, *Danis*, quæ videlicet nata ſint poſt Moſem nomina. Quaſi verò hîc quicquàm à *Moſe* alienum fuerit! aut probatum ſit, ea *Nomina nondùm nata*, ſaltem quoad initia Babelis, Ninives, quo tempore Moſes ſcriberet! Imò deſcripſit Moſes earum Regionum veras ac certas origines, & Nomina jam tùm nota, atque oppida, de quo fusè Bochartus, & nos *Chronol. Sacr.* P. II. C. VI. Ità terra *Chus*, *Chavila*, undè Mercatores profecti jam tempore Joſephi, *Gen.* XXXVII. 25. & undè *aurum*, *margarita*, pretioſa alia, quæ jam tùm in uſu communiſſimo apud Ægyptios fuêre. *Hebron* pagi videtur antiquum nomen *Gen.* XIII. 18. tranſmiſſum ad poſſeſſorem qui hinc Hebron, 1 *Chron.* II. 42. *Dan* unus ex fontibus Jordanis, *Gen.* XI. 14. cum Ἀρχαιολογ. *Lib.* I. C. XI. Quamvis ſubſtitutio horum *Nominum*, in Textum Moſis, ſi quæ facta fuerit tempore Iſraëlitarum Terram incolentium, vel à Prophetarum aliquo, vel ab Eſdrâ poſt reditum ex Captivit. nihil præjudicet principali ſcriptioni Moſis. Sic ex verbis, *Gen.* XII. 6. *Erat tùm Cananæus in illâ terrâ*, fruſtrà urgent; Ergò non fuiſſe ibi ampliùs, quum iſta ſcriberentur! Non neſcius Vir ille, 1. Per *Cananæum* intelligi poſſe *ſtricto* ſenſu, illos qui *Cananæi* in ſpecie dicti, mediam eam regionem habitantes quam tranſivit Abraham, ad convallem Sichem, ab Ortu uſque ad Mare iidem extenſi, *Gen.* XV. 21. *Num.* XIII. 30. *Joſ.* XI. 3. quibus Cenæi ad Meridiem, Cadmonæi & Hevæi ad Ortum ſiti, ut Jebuſæi verſus montana, &c. *Joſ.* XI. 3. Pari ratione *terra Hebræorum*, *Gen.* XL. 15. non de totâ Cananæâ, qualiter poſt Joſuam dicta eſt, ſed de eâ *parte* quam Patriarchæ incoluerunt. 2. Rectè etiam Moſem ea dicere potuiſſe de Gentibus *Cananæis*, latiore ſenſu, iſtis jam tùm, Abrahami tempore, *ejus Terræ poſſeſſoribus*, quorum adeò barbaries, feritas, numerus, nihil terruit Abrahamum. Et ſic reddita ratio fidei & fortitudinis *Abrahami*, in illam *Terram* nihilominùs migrantis, figentiſque ſedem inter homines barbaros & feros, procul à cognatione ſuâ.

Tertiadecima Obſervatio.

XIII. Sed demus liberaliùs, novis Criticis, ut jam innuimus, perpauca hujuſmodi παρενθετικῶς Moſaïcis Libris inſerta fuiſſe, ſeu à Joſuâ, ſeu ab Eleazare, ſeu ab Eſdrâ, ſeu à quocunque alio Prophetarum, vel Scribarum, elucidationis causâ; aut etiam ex margine in contextum illata! Sint in hoc ordine cenſenda iſta, v. gr. *Cananæus tùm erat in illâ Terrâ*; item, *antequam Iſraëlitæ haberent Reges*, *Gen.* XXXVI. 31. Sic periocha eodem *Cap.* de *octo Regibus* qui in Edom regnavêre, ad *verſ.* 39. Sic illud *Exod.* XVI. 35. de continuatâ *manducatione Manna* per *annos* XL. uſque ad fines Cananææ, *donec veniſſent in terram quam habitarunt*, &c. Vel iſtud, *Jair filius Manaſſis occupavit illam terram*, *ac de ſuo nomine appellavit*, continuato *in hunc diem*, *Deut.* III. 14. Indéne inferant illicò Critici, totum Librorum Contextum non eſſe niſi compilationem, breviarium, farraginem poſterioris ævi? Qui tamen Libri à primâ uſque antiquitate totius Reip. & Eccleſiæ Iſraëliticæ, ut monitum antè, ſub *Moſis* nomine, auctoramentum fuêre & præſidium. Pariter Veterum Græcorum monumentis, ſed & Latinorum illis, Poëtarum, Hiſtoricorum, inſerta fuiſſe ſæpiuſculè, quæ non ab illis ipſis ſcripta, ſed ab aliis auctoribus ſuppleta, vel ex aliis deſumpta, reſtituenda genuinis Parentibus, Doctis exploratum eſt. Quanquàm & aliter, ut dictum, nodi iſti ſolvuntur. Nec iſta interceſſerunt quo minùs Chriſtus, Stephanus, Paulus, cenſerent Librum *Geneſeôs* tanquam partem *Legis Moſaïcæ*, ex *Luc.* XXIV. 27. 44. *Act.* VI. VII. *Gal.* IV. 21. 22. Sic & Librum *Exodi*, *Marc.* XII. 26. atque etiam Libros reliquos, citatos (ut ſuprà) ſub titulo Legis & Moſis, obviis locis. Quod verò Deuteronomii res enunciatæ & ſcriptæ dicuntur, בעבר הירדן *Deut.* I. 1. reddendum, *cis Jordanem*, ubi Moſes, & Iſraëlitæ, planè ut regio Amorræorum dicitur בעבר *cis* Jordanem, *Deut.* XII. 8. ità regiones quæ ימה *verſùs Mare*, dicuntur בעבר *cis* Jordanem, *Joſ.* XII. 7. Quod pridem ex uſu Linguæ Hebraïcæ, ex Chaldæo, Syro, &c. Docti Hebraïzantes obſervarunt. Joſephus verò reddit, nec malè, ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ *ad Jordanem*, ubi *Abila*; Aut (ſi velis) *trans Jordanem*, relatè nempè ad Terram occupandam, aut ſitum Hieroſolymæ. Quomodò *Manna* אכלו *comederunt*, ſeu comedere debuerunt, Moſe divinitùs præſcio, *uſque dùm venirent in Terram habitatam*, *Exod.* XVI. 35. Quæ poſtrema nihil ſanè intercedunt (ut vellent) ſcriptioni Moſaïcæ, conſcio Vate peregrinationis duraturæ per annos XL. *Num.* XIV. 33.

Obſervatio quarta decima.

XIV. Nec validiora ſunt quæ reponit ferè poſt alios Critica Simonii. Urget *ordinem* narrationis Moſaïcæ ſæpè confuſum, præpoſterum, ac res memoratas loco non ſuo, v. gr. hiſtoriam Jethronis,

nis, *Exod.* XVIII. migrationem Abrahami *Gen.* XI. mortem ejuſdem *Gen.* XXV. &c. Urget frequentes *repetitiones*, & in ſpeciem otioſas, ut in Geneſi, v.g. *Cap.* VII. 17. 18. 19. de incremento aquarum, ſic *verſ.* 21. 22. 27. de interitu omnis Carnis, & id genus alias in Exodo, & paſſim; præcipuè & in Deuteronomio, prolatis exemplis, poſt Præ-Adamitam, *Parte* I. Critices, C.v. undè non ab unâ manu hæc ſcripta iſti vellent. Cauſatur denique *voces* vel *phraſes* ambiguas, obſcuras, incerti ſignificatûs, v.gr. *Cap.* I. *Geneſ.* in, בראשית ברא, רוח, מרחפת, תהו, בהו, תנינם, & ſic in aliis, de quibus ille in *Parte* III. Critices.

Cum fontibus ſolutionum.

Ad quæ ſummatim obſervabit Moſaïcorum Librorum vindex; Primò, pari ratione controvertendos ferè *Auctores* in Græcis, Latiniſque principes, quorum in plurimis textus vel obſcurus, vel ambiguus, vel redundans, aut à Librariis tranſpoſitus; vel etiam minùs, ut videri poſſit, conveniens ejus notæ Scriptori. Undè Criſis Eruditorum, ad tot ſcriptores exercita, & emendationes crebræ locorum. *Tranſpoſitiones*, & πρωθύστερα, in Libris Moſaïcis, Hiſtoricis, Propheticis ut Eſajâ, Jeremiâ, Ezechiele, obſervarunt pridem graviſsimi Theologi, non unâ rei cauſâ. Ità *tranſpoſita* fuiſſe loco non ſuo longè plurima, in pleriſque Vet. Teſtamenti libris, Librariorum ſcil. culpâ, & Amanuenſium, ex Membranarum diſpoſitione, ſuſpicatus quoque nuper eſt Vir Doctus, editis ſpeciminibus; uti de Paulo aliàs conjectavit Tanaquillus Faber, Libro II. *Epiſtol.* ex. gr. ad *Caput* V. Ep. ad Romanos, *verſ.* 7. Neque tamen eò controverti Sacros Scriptores iſti voluerunt, Moſem, Prophetas, Paulum, vel protritam eorum Librorum auctoritatem. Quanquàm & prius gratis ab illis Criticis obſervatum. Sic etiam accidit, obſcura eſſe huic & illi Interpreti, quæ alteri clariſſima, ex inſtitutâ collatione, ut apparet hodie vel ad Caput illud primum *Geneſeôs*, & ex declaratione dictarum Vocum, רוח, ברא, מרחפת, &c. quam videre eſt apud Doctiſsimos Interpretes, qui ex affinibus etiam Linguis lucem hiſce fœnerati. Nempè cum multis Scripturarum comparatum eſt, ut cum Columnâ nubis, his *lucem* ſubminiſtrante, illis *tenebras* offundente, in *Exodo* memoratâ, *Ex.* XIV. 19. 20.

Cauſæ ex Materiâ ſubj. ex genio Linguæ, &c.

XV. Secundò, non diffitebitur ipſe Criticus, S. Scripturas haud exigendas ad methodum Logicam, nec *Deum* regulis *humanis* alligandum, iis omninò ſuperiorem: Sed & cauſas ſæpè fuiſſe, cur hæc & illa loco non ſuo inſererentur: Seu ob connexionem *materiæ*, ubi v. gr. mentio de morte Abrahami, *Gen.* XXV. ſic de illâ Iſaaci, *Gen.* XXXV. ſic quæ referuntur de Judâ, *Gen.* XXVIII. de Ephraimo & Manaſſe, *Gen.* XLVI. de Jethrone, *Exod.* XVIII. &c. ſeu etiam *occaſione* ſic ferente hoc & illud memorandi. Quod & accidiſſe non ſemel in Hiſtoriâ Euangelicâ, ex Harmonicis Scriptoribus liquet. Undè illa in ſpeciem narrationum πρωθύστερα, ac frequentes in Moſe παραλήψεις. Quò facit Magiſtrorum illud, אין מוקדם ומאוחר בת״ *Non eſt præmiſſum nec poſtpoſitum in Lege.* Aliud etiam ſcribere præmeditatè, & multo ſtudio ut homines ſolent; aliud quæ ſcripta fuêre, prout ducti Viri Dei à Spiritu S. prout internè afflati, ut multa Divini Vates ſcripſêre ex Prophetico raptu: Sic modò obſervantur ad præſentia reſpicere, modò redire in præterita, modò anticipare futura. Undè Joſephus *Antiq.* L. IX. C. VIII. ſe *in ſuos ordines* digeſſiſſe, quæ σποράδην ὑπὸ Μωυσέως κατελείφθη γεγραφέντα, καὶ ὡς ἕκαστόν τι παρὰ τοῦ Θεοῦ πύθοιτο, *ſparſim à Moſe ſcripta, ut quamque rem à Deo retulerat.* Sæpè etiam connexio materiæ eſt, ex uſu Linguæ Hebræorum, quæ talis Exoticis non videtur, ob varium uſum ꝟ *Vau*, quo periodi in Libris Moſaicis inchoantur, ſæpè Vau *adverſativi*, vel *cauſalis*, minimè *copulativi* cum prioribus. Et hoc Linguarum Orientalium ingenium eſſe, orationem ſæpè abrumpere, ac menti intelligenda relinquere quæ non legas; ſubindéque uti luxuriante redundanteque, ſubindè & conciſo dicendi genere, haud Viri Doct. repugnabunt.

Obſcura, vilia, minima Scripturarum, quare?

XVI. Per ardua etiam & difficilia Scripturarum, *obſcura* quandoque, ita ſæpè per vilia, præpoſtera, inſipientia in ſpeciem, uti per *ſtultitiam prædicationis*, placuit Deo Opt. Max. fidem exercere ſuorum, ac ridere *ſapientiam mundi*. Ità Chriſto placuit illinere oculos cœci, collyrio ex luto ac ſputo; Deo quoque mundare Naamanis lepram, aquis viliſsimis Jordanis; ità Populum deducere in Terram promiſſam per ambages Deſerti: Quemadmodùm & minutiſsimis in *Lege*, in ſpeciem ludicris aut inanibus, qualiter ſunt circumſtantiæ variæ Sacrificiorum, Oblationum, &c. (ut nos ad *Leviticum* frequentibus exemplis oſtendimus) adumbravit res maximas ac divinas. Addamus, nullo nobis quidem *ordine*, cujus dari ratio poſsit, apparere Stellas firmamenti; aut ſponté ſuccreſcentes in campis Flores; aut erumpentes ex terræ viſceribus Fontes, aquas, per varios flexus, & Mæandros, & errores, fluxuras. Par ratio ſapientiſsimi *ordinis* quem ſervat Providentia, in curſu humanarum rerum, eventuum, dùm confuſa omnia, inordinata, præpoſtera Carni judicantur. Labyrinthus videtur quidam, undè ſe expedire neſcit mens humana. Nec ſunt utique, in officinâ Fabri ferrarii, tot ferramenta inſtrumentave incurva, ſine uſu ſuo, licet uſum ignores.

Cauſæ aliæ, ſpeciatim repetitionum.

XVII. Nec miretur quis *obſcuritatem* quandoque obviam in Libris Moſaïcis, qualis & in Vetuſtiorum monumentis; cujus cauſæ in promptu ſunt: Conciſum narrandi genus; Vetuſtas rerum geſtarum; ignorantia ſæpè Hiſtoriæ, Rituum, Conſuetudinum, Locorum, Idiotiſmorum ejus ævi: Tum & luxuries Interpretum, ac cacoëthes etiam clariſsimis rebus tenebras offundendi, videndique quod antè ſe nemo. *Repetitiones* Moſaïcas quod attinet, reſumptiones, ἐπανόδους, ἐπεξηγήσεις, v. gr. in Hiſtoriâ Creationis, Diluvii, inſtituti Sabbathi, Levitici Sacerdotii, &c. ſupponuntur illæ eſſe otioſæ, inutiles, quæ minimè tales, uti v. gr. in corpore humano venulæ, glandulæ, fibrillæ benè multæ, quæ nullius in ſpeciem uſûs, maximi tamen. Sed benè habet fateri Criticum, hanc repetendi geminandique ſeu voces ipſas, ſeu res eaſdem ſub diverſis vocibus, rationem Moſaïcam, *eſſe poſſe ex genio Linguæ Hebraicæ (uti reverà eſt) quæ ut ſimpliciſſima eſt*, copiâ Linguarum aliarum deſtituta, ità *frequenter eadem repetat*, qui ſit *Scripturæ S. ſtylus.* Adde repetitionum cauſas, quales aut plenior explicatio, aut ingeminatio fortior, emphaſis major, inculcatio diligentior, ac momentum ſæpè rei; qualiter in commendatione operum Dei, beneficiorum, ſtatutorum, judiciorum, aut rerum quæ aliàs leviores videri potuiſſent. Sic in Libro *Deuteronomii*, modò priorum Legum nova explanatio, comparando cum Exodo; modò Leges novæ benè multæ, *Cap.* XVII. XVIII. XIX. XX. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. ad novum populum novos homines; Aut nova ad obedientiam motiva, expreſſiora promiſſa, ſeveriores minæ, intimata judicia, maledicta, *Cap.* IV. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. præter extrema Moſis, Canticum, Vaticinia, *Cap.* XXXI. & ſequent. Nihil hîc otioſum, aut inane.

Ità *repetita* in Moſaïcâ hiſtoriâ circumſtantiæ Creationis, πρωτοπλάστων, Diluvii, Sabbathicæ inſtitutionis, Legum plurimarum, quas preſſiùs urgeri

Digitized by Google

geri placuit. Quomodò & *Repetitiones* earundem rerum aut factorum, in Hiſtoricis Libris, in Jobo, Davide, Salomone, Prophetis, ſunt obviæ. Sic in *Somnio* Pharaonis, ſomnia diverſa, res & ſignificatio eadem. In *Vaticiniis* Prophetarum, prædictiones ſæpè eædem, ſed viſiones, emblemata, figuræ, imagines diverſæ. In *Parabolis* Chriſti, ſimilitudines quanquàm diverſæ, doctrina ſæpè eadem, ſcopus idem. Nec otioſæ ſunt Stellæ plurimæ firmamenti, licet paucioribus potuiſſet colluſtrari. Denique attendendum, non ſcripſiſſe ſua Moſem, uno tempore, aut uno contextu; ſed diverſis vicibus, variiſque temporibus, in longâ illâ Peregrinatione annorum XL. undè illæ etiam *repetitiones* ortæ.

Divina ut ab humanis diſtincta?

XVIII. Tota etiam *Scriptura S.* & quoad *res* ipſas, & quoad enunciandi *modum*, ubique docet, *paribus intervallis omnia Divina ab omnibus Humanis diſtare*, quod olim Seneca. Simplicitas illa Moſaïca, ſine fuco, ſine arte, cura, ſtudio, ſordens Criticis, ad majeſtatem facit, antiquitatis nota. Reges non decent pigmenta Rhetorum, nec caſtam Virginem aſcititius cultus. Et jam in Scripturâ his nauſeam creant, quæ in profanis Scriptoribus ab aliis quandoque laudata, v. gr. Homericæ repetitiones, aut Senecæ *arena ſine calce.*

Ultima Obſervatio.

XIX. Denique, (nec plura recipit hujus loci & inſtituti ratio) conferat prudens quiſquis eſt Lector, ſuperiora quæ diximus præſidia fidei ac certitudinis, de *Moſaïcis* Libris, atque adeò de *Propheticis* cæteris, cum conjecturis præſidiiſque Auctoris Critici, & qui cum eo ſentiunt, à ſolâ ſcribentis fiduciâ profectis: Qualia ſunt, v. gr. Libros *quinque Moſaïcos* non eſſe niſi compilationem quandam confuſam, inordinatam; *Prophetas* non fuiſſe primâ ſui origine niſi Scribas & Actuarios publicos; *Scribas* eos, fuiſſe communi nomine נביאים appellatos, licet nomen נביא *Propheta* plus ſemel occurrat apud Moſem, ſenſu excellenti, qualiter de Meſſiâ *Deut.* XVIII. 15. 18. Eoſdem à Moſe, ad imitationem Ægyptiorum, eum in finem inſtitutos fuiſſe, ac prolixiores ſcripſiſſe primitùs Commentarios, qui *perierint*; Reſtituendum fuiſſe aut de novo adornandum Corpus Scripturarum, à finitâ Captivitate; סופרים *Scribas* ſub II. Templo ſimilem habuiſſe auctoritatem cum *Prophetis* ſub priori; & quæ id genus hariolationes plures ſunt, jam ab aliis perſtrictæ. Ac judicet quivis ingenuus, annon hoc quicquid *Hiſtoriæ Criticæ* eſt (Præ-Adamitam, Spinoſam, &c. non dicimus,) à ſolâ cum φιλοτιμίᾳ Viri docti, & à captatione laudis apud Scepticos hodiernos, aut rerum imperitos, profectum eſſe videatur, potiùs quàm à conſcientiâ ullâ neceſſitatis, vel ſtudio liberandi Orbem omnem Judaicum & Chriſtianum à periculoſo aliquo ac certo errore. Addimus, profectam eam Criticam à præpoſtero ſtudio commendandæ *Traditionis*, hinc auctoritatis *Eccleſiæ*, quæ Papiſmi totius fundamentum eſt; ſed fundamentum jam longè magis incertum, ſuſpectum, varians, & cui tot Fabulæ, tot Apocryphæ næniæ, tot Superſtitionis præſidia innituntur, ridenda ſæpè doctiſſimis in Ordine Pontificio, ipſique Rich. Simonio. Et annon rursùs expendendum venit, re ſic iturâ in circulum, *Traditionis* illius vel judicii deciſivi *Eccleſiæ*, *fundamentum* quale ſit, undè videlicet illius certitudo, & infallibilitas? Eademque annon refundenda tandem in primos divinoſque Auctores Chriſtianæ fidei, à quibus ulteriùs ad intemeratam Judæorum religionem, quibus *concredita fuerunt* Moſis & Prophetarum hæcce eloquia, aſſurgendum eſt, & ad miraculoſæ Dei *Providentiæ* in Republ. Iſraëliticâ, perpetua indicia? Donec implerentur prædictiones *in Meſſiæ* adventu, qui Centrum quoddam eſt, in quod deſinunt omnes Lineæ & Oraculorum & Legis Moſaïcæ: Et donec, poſt hunc conſummatum, implerentur etiam reliqua, in Excidio perfidæ Gentis, abolitione Cultûs Carnalis, & Vocatione Gentium. Quâ de re diximus in noſtrâ Hiſtoriâ, & in Elencho de rebus controverſiiſque *Judaicis*. Et hæc ſtrictim indicata, fuſiori deductioni uberem materiam ſuppeditare, Lector æquus ſatis intelliget.

Auctores Libri Joſuæ, Judicum, &c. Summa obſervandorum Concluſio.

XX. Aſſertâ Librorum *Moſis*, uti Libri *Legis*, quem Moſes ſcripſit, & ad latus Arcæ collocavit, *Deut.* XXXI. 26. auctoritate, & antiquitate genuinâ, de reliquorum vel Auctoribus, vel auctoritate, minùs laborandum videtur. Sive jam v. gr. Liber *Joſuæ*, dein *Judicum*, *Ruth*, ex relictis à Joſuâ & Judicibus monumentis, & aſſervatis Annalibus, ut fuêre Liber הישר, & מלחמות יהוה, à Samuële, aut Prophetarum alio, hoc ordine conſignati, in uſum Eccleſiæ Iſraëliticæ, cenſeantur: Sive etiam poſtmodum ab Eſdræ ætate, Scripturas, cum Viris aliis Dei Spiritu afflatis, recenſentis (quæ etiam olim Theodoreti, & ſuperiore ſeculo Andr. Maſii ſuſpicio fuit) hanc formam conſecuti ſint. Additis ſanè aut interjectis quæ poſcebat ratio ac mutatio temporum, nominum, locorum, ut de Pentateucho jam antè obſervatum. Saltem illos quoad *materiam* & *formam* à Scriptoribus θεοπνεύσοις, & divinâ auctoritate inſtructis, Eccleſiæ traditos & conſignatos eſſe; imò jam Davidi, Salomoni, Prophetis, Danieli C. IX. uſurpatos; à Chriſto tandem atque Apoſtolis, dein omnibus non Judæis tantùm, ſed & Chriſtianis, ut tales approbatos, inter omnes conſtat. Libros hodiernos non eſſe niſi *Breviaria*, *Compendia*, eorum Librorum qui olim diffuſiores longè aſſervati ab Eccleſiâ Iſraëliticâ, mera ſuppoſitio eſt. Ut & natos hinc anachroniſmos, & confuſionem temporis, ordinis, èx illa *abbreviandi* ratione; ſed & *ſcribendi* in exiguis philyris, volvendis aliis ſuprà alias, citrà futuram aut cohæſionem; quæ hodiè Simonii audax aſſertio eſt. At rectè ille, *Verſionem τῶν* LXX. vulgò, divinam vel authenticam negat, eâque uſos ſcriptores Novi Teſt. non modò quia ſenſu in pleriſque conveniens; ſed & quia Græca fuit, & Lingua ea tum notior, diffuſior, cùm Judæis agentibus inprimis per Ægyptum, Aſiam, Græciam, &c. tùm Gentibus ad Chriſtum adducendis. Sed de *Verſionibus* abundè noſtrâ ætate Huëtius, Hottingerus, Waltonus, & alii plures, ut & de Pentateucho Hebræo-Samaritano, quem Judaicis Codicibus Joh. Morinus antepoſuit. Scopus verò fuit, Auctoris quidem Tractatûs *Theologico-Politici*, omnem Scripturis S. auctoritatem abjudicare; Richardi verò Simonii, in Eccleſiâ Pontificiâ Sacerdotis, illis ſubſtituere *Traditionem Eccleſiæ*, ut Religionis fundamentum immotum, independens à Scripturis, & cui inniti debeat omnis fides, omnis circà illas Critica, tanquam Regulæ ſaltem *facti*, v. gr. an Libri divini ſint, an à Moſe & Prophetis ſcripti, an integri hodieque, an itá legendi, aut quæ lectio probanda, &c. Si quæras, in quo fundetur illa Infallibilitas traditionis Rom. Eccleſiæ, in rebus *facti*? Tandem non ad Judaicam modò Eccleſiam recurrendum fuerit, *Rom.* III. 2. hinc ad Apoſtolicam, ſed & ad ſigna *Infallibilitatis* in Moſe & Prophetis conſpicua. De promiſſâ Romanæ Eccleſiæ perpetuâ, qualem jactant, aſſiſtentiâ *Spiritus S.* abundanter Theologi.

Digitized by Google

EPOCHA PRIMA,

Ab Orbe Condito ad Diluvium.

I. *Calculus Chronologicus varius.*

AB *Adamo* ad *Diluvium*, juxta conſtantem *Hebræorum* Codd. fidem *Gen.* v. VII. quos ſequuntur Vulgatus Interpres, Hieronymus, Auguſtinus, Beda, Latini, (ſecundum quoſdam & Epilogiſmo ſuo Joſephus) fluxêre anni —— 1656.
Juxta Cod. *Samaritanum*, qui deficit in *Jared*, *Methuſalah*, & *Lamecho* Patre Noachi, anni 1302.
Al. 1307.
Al. 1327.
Juxta *Græcos* vulgò τὰς LXX. pro diverſa lectione Codicum, alii —— —— —— —— 2240.
Euſ. Niceph. Sync. —— —— —— 2242.
Codex Alex. & plerique, hinc Africanus, &c. 2262.
Joſephi Codices vulgò, ſed à ſe ipſo diſſentientis, (etiam *Lib.* VIII. II. ubi anni à Diluvio ad fundat. Templ. Salomonis) habent —— —— 2256.
Hodie legitur —— —— —— —— 2656.
Eutych. Alexandr. in Annalibus —— —— 2265.
Soli Hebræi Codices ſibi conſtant, de quo in *Chronol. S.*

II. *Adam primus Eccleſiæ parens.*

Rationum ſumma contrà Præ-Adam.

PRimum ergo totius Eccleſiæ parentem conſtituimus *Adamum*, ut quæ ſunt generis humani, eadem ſint Eccleſiæ primordia. Quod quanquam in dubium hactenus vel Judæorum, vel Chriſtianorum nemo, ne ſomniando quidem, revocaverit; paucis tamen adverſus infrunitum Præ-Adamitarum patrem, & qui nuper indefinitam Mundo durationem, ſalvâ ſcil. Moſis auctoritate, tributam voluêre, ità demonſtratur.

I. *Ex Hiſtoriâ Creationis*, ubi primus homo conditus dicitur feriâ ſextâ, jam & plantis & brutis exiſtentibus; Atque eſſe hunc ipſiſſimum illum Adamum, cujus expreſſior mentio Cap. II. *Geneſ.* luce meridianâ clarius evincitur, I. *Ex nomine*, quo utrobique nuncupatur, האדם. Quod malè confundit Joſephus cum אדום πυῤῥὸς, *Lib.* I. *Antiq.* C. II. aliàs ἐρυθρὸς, unde Ἐρυθραῖα. 2. *Ex origine & cauſâ nominis:* Ita vocatus homo quia deſumtus מן האדמה *ex terrâ*, (ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς reddit Joſephus) quod ipſum de Adamo exertis verbis recenſetur *Cap.* II. 3. *Ex modo conditi Adami.* Neque enim ex terrâ formari potuit, niſi quia primus; quia nemo qui generaret; quia non aptior materia efformando homini; hinc omnes homines in terram reſolvi conſpicimus, ut in principium ſuum. 4. *Ex additâ Evæ Hiſtoriâ*, ſtupendo etiam modo efformatâ, ut fœminarum primæ, & verè אם חיים *matris viventium*, ex quâ viventes omnes prognati. 5. *Ex connexione primi & ſecundi Capitis.* Nempe quod primo conciſius de creatione hominis, & *in genere* dictum fuerat, ſecundo clariùs & *in ſpecie* explicandum fuit, quis fuerit homo ille mas & fœmina, & quâ ratione uterque conditus. 6. Quia diſertis verbis ante Hiſtoriam conditi Adami, addit Moſes C. II. v. 5. ואדם אין לעבוד ארת האדמה, *Et non erat homo qui coleret terram:* Id eſt, plantæ ſine culturâ *hominum*, imò *pluviis*, ſuccreſcebant. Quod falſum ſi pridem homines extitiſſent. 7. Quia recens condita animalia ad ipſum Adamum dicuntur adducta, *Gen.* II. 19 qui nomina ſingulis inderet ſua, pro cujuſque conditione & naturâ. Et neque antè vel nomina animalibus data, vel qui daret; de *modo*, non anquirimus. 8. Quia *Præ-Adamitarum*, in totâ Creationis Hiſtoriâ, ne γρῦ quidem; Ut neſcio magis impudentiam an inſcitiam prodiderit, qui ex ipſâ hac Hiſtoriâ Præ-Adamitas extundere ſuſtinuit. Tacemus illorum nugas, qui *Melchizedecum* aut *Meſſiam* antè Mundum conditum extitiſſe, animâ & corpore, ſomniarunt.

II. Atque hinc exurgit alterum Catholicæ veritatis præſidium: Veſtigium nullum Præ-Adamitarum in univerſâ quà latè patet Scripturâ reperiri: Contra Adamum ubique ut πρωτοπλαςὴν humani generis proponi; Homines בני אדם *filios Adami* in univerſum vocitari; Ab eo non Judæos tantùm, ſed omnes per Univerſum terrarum orbem diſperſas Gentes ac Populos derivari; Nullum denique Scripturæ locum, niſi contortum miſerè ac depravatum, vel aliquâ ſaltem ſpecie favere novæ hypotheſi. Et ſanè ſi qui præceſſerunt homines, cenſendi illi non *peccaſſe*; nam in confeſſo eſt, per Adamum τὴν ἁμαρτίαν εἰς τὸν κόσμον εἰσελθεῖν, *Rom.* V. Secundò cenſendi non fuiſſe *mortui*; nam demùm poſt peccatum ab uno illo homine admiſſum, *mortem* in omnes homines derivatam, eodem loco demonſtratur. At quàm abſurda hæc, ac toti Scripturæ è diametro adverſa; ſi tamen *Præ-Adamita*, & qui cum illo ſentiunt, de auctoritate Moſis, Scripturæ S. ſint ſolliciti.

Si qui homines antè Adamum, cenſendi, nec peccato, nec morti obnoxii.

III. Neque etiam dici poteſt prioribus illis retrò *imputatum fuiſſe peccatum Adami*; atque hoc nomine etiam morti fuiſſe obnoxios: Ratio, quia ad illos nullo modo ſpectat cauſa imputationis peccati. Nempe nobis omnibus, adeoque univerſo generi humano imputatur peccatum Adami, quia ex ipſo totum illud propagatum; ſed & in Adamo, in cujus lumbis cenſebamur, univerſi reatum contraxerunt, ut pluribus poſt Paulum, & Auguſtinum, Theologi. Quanquàm non neſcimus *imputationem* hanc rideri ab ἐμπαίκταις, & Moſaïcæ Hiſtoriæ hodiernis ſugillatoribus. Atqui neutro modo Adam dici poteſt principium illorum qui præceſſerunt; nec *ſeminale*, quia non ab ipſo geniti, nec *repræſentativum*, quia non illorum fons aut Caput fuit. 2. Si prioribus imputatum peccatum Adami, vel imputatum fuit *antequam* ab Adamo admitteretur, *vel poſt* admiſſum. Non *ante*; ſiquidem imputari non potuit, quod non erat, nec puniri ſcelus quod non admiſſum: Alia ratio imputatæ Patribus mortis Chriſti, qui reverà fuit ἀρνίον ἐσφαγμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *Apoc.* XIII. 8. tum *deſtinatione* Patris, *tum virtute* & *efficaciâ* ejus ſacrificii. *Non poſt* admiſſum peccatum, imputari demum potuit, quia tum primum mortis rei fuiſſent conſtituti, adeoque nec ante mori illos oportuit.

IV. Denique (quod occupatum aliàs) Adamum primum eſſe ut hominem ſic Eccleſiæ parentem, oſtendunt; *Novitas Hiſtoriarum*, etiam antiquiſſimarum, quæ vix ad Diluvium pertingunt; *Novitas artium & ſcientiarum*, quarum ferè omnium origo recentior deſignari poteſt; *Conſenſus Scriptorum Exoticorum*, qui plurima Moſi conſona contexuêre, etiam quoad creationem primi hominis; Et alia quæ ſuperius poſita, & obſervata contrà mendaces calculos Chaldæorum, Ægyptiorum, &c. *Chron. Sacr.* P. II. *Cap.* I. Non enim jam moramur audaces noſtri temporis Philoſophos, qui primum orbem ex Chao ſenſim eductum, adeoque homines in eo habitaſſe tempore *indefinito*, poſt Spinoſam, & Præ-Adamitam, aſſerere non dubitarunt, ipſamque Creationis Hiſtoriam, in Fabulam Judæis attemperatam convertere. Hinc per *Creationem*, κτίσιν ἀρχαίαν, nihil illi intelligere niſi antiquam rerum Naturam, ex ſe eductam ex Chao. Quâ in re ad ἐχεμυθίαν redigunt Viri in Britanniâ Reformatâ ſummi, Herbertus Herefordienſis Epiſc. in *Theoriâ Telluris*, Stillingfleetius iteratâ (ut accepi) Editione ſuarum *Originum*, Eraſmus Warren in *Geologia*, &c. ut alios taceam.

III. *Pri-*

Digitized by Google

III. *Prima Eccleſiæ naſcentis incunabula in familia Adami.*

Hedenis ratio, & ſitus.

1. PRimus ergo hic homo à Deo Opt. Max. conditus, eminentiſſimis animi & corporis dotibus inſtructus, & ad Conditoris ipſius imaginem effigiatus, in *Hedene*, & in eâ conſito deliciarum *horto*, collocatus fuit; quem Græci παράδησον, vulgò παράδεισον, ex Chaldæorum aut Armenor. voce פרדס, nuncuparunt. Erat nempè typus quidam & figura Paradiſi cœleſtis. Qui vero illius ſitus fuerit, noſtrum non eſt hoc loco diſquirere. Procul dubiò ſitus מקדם *ab Oriente*, ſeu Palæſtinæ totius, ſeu Arabiæ Petreæ reſpectu. Et quidem in eâ regione quæ עדן *Eden* ab amœnitate nuncupata eſt, in quâ Deus plantaverat הגן *hortum*, ſeu Paradiſum; ſcil. in eâ regione, quæ deinceps Meſopot. ac Chaldææ nomen accepit, vel etiam Armeniæ, (quidquid alii de Syriâ, aut agro Damaſc.) illinc *Tygri* hinc *Euphrati* irrigata, quorum origo in Armeniæ montibus, ad Septentrionem Aſſyriæ, *Gen.* II. Hi *duo* fluvii, diverſis ראשים diſtincti, ſeu alveis aquarum, pro diverſis fontibus, quos habent à Septentrione, junguntur circiter in loco ubi *Cteſiphon*, aut *Apamia* olim ſita: Undè *unus* fluvius dicitur *irrigaſſe hortum*; משם *exindè* rurſum *dividendus*, in duos alios fluvios, ſeu duas ἐκβολὰς, ad Meridiem ſcilicet fluentes. Quarum prima dicta *Piſchon*, quæ allueret terram *Chavila*, ſic poſteà nuncupatam, ad Sinum Perſicum, auri & margaritarum aliorumque quæ in pretio ſunt feracem, quemadmodùm quæ *Ophir* poſteà appellata eſt: Altera ἐκβολὴ, dicta *Gihon*, vel *Gichon*, fluvius cum vi erumpens, atque ex Tigri, cum Euphrate juncto, ſuo loco eductus, qui allueret aut *circumdaret* terram *Chus*, quam ſcil. poſtmodùm *Chus* dixêre. Quanquàm dubium aliis ſit, quis horum fluviorum *Orientalior*, quis *Occidentalior* fuerit: Prout terram *Chus* alii *Occidentaliorem* fecêre in Arabia Felice; alii in *Chuſeſtanâ* regione, quæ eadem cum Suſianâ, collocarunt ad *Ortum* Tigris, ut poſt alios Celeberr. Huëtius. Sed conjecturis tantùm locus erit; poſtquàm fluviorum mutatus curſus, mutata nomina, veteres alvei obſtructi, novi enati, imò arte educti, ob inundationes Euphratis, & ſiccitatem terrarum quas alluit. Quidam hos fluvios in *Syriâ* quærunt, Orontem, & Chryſorroam, nullo nexu cum Euphrate, & Tigri.

Hiſtoria lapsûs. An Parabolica?

II. Quâ arte *Serpens*, ſeu Cacodæmon Serpente inſtrumento uſus, Evam in Paradiſo adortus ſit; quâ triſti fatorum lege prima parens defecerit; quî Adamum ſeduxerit; quî uterque ex beatâ illâ ſede ejectus fuerit, in ſignum contracti reatûs, violatione Divini Fœderis, ex Sacrâ Hiſtoriâ repetere nihil attinet. Ni fabulam ſcripſerit Moſes, quam *parabolæ* falſo nomine velant; ut quæ cum parabolis, ſeu narrationibus rerum veriſimilium, quæ fieri poſſunt aut ſolent, (vocant πραγμάτων ὁμοίωσιν) nihil commune habet. Et hiſtoricè intellecta eadem à Salomone, *Eccl.* VII. 29. auctore Libri Sapientiæ, *Sap.* II. 24. Chriſto, *Joh.* VIII. 44. Paulo, 2 *Cor.* XI. 2. 1 *Tim.* II. 14. Johanne, 1 *Joh.* III. 8. ne dicam Philonem Jud. qui non hæc eſſe μύθου πλάσματα, Joſephum Hiſt. & Magiſtros: Quicquid cum ſenſu hiſtorico *allegoricum* multi conjunxerint. Iſtud tantùm addimus, incertum planè eſſe, an Adamus eâdem ex Paradiſo ejectus die, quâ in eum introductus. Nec enim dicit Textus Sacer; imò hiſtoria Tentationis & Lapſûs, à priori Introductionis in Paradiſum, & ſocietatis conjugalis inter Adamum & Evam, ſejungitur. Ac temerarium fuerit, *diem* à Creatione definire. Quanquàm juxta quoſdam Eruditos, dies mundi fuerit *decima*, quâ homo lapſus: Atque ad luctuoſiſſimi hujuſce caſûs memoriam, inſtitutam volunt inter Hebræos ſolennitatem כפורים ſeu *Expiationum*, die itidem *decimâ* VII. menſis ſeu Tiſri, in quâ univerſi, & inquilini & peregrini, animas ſuas à veſperâ IX. diei ad occaſum X. affligere tenebantur, ſanctione adjectâ, כל הנפש אשר לא תענה בעצם היום הזה ונכרתה מעמיה׃ *Lev.* XXIII. 29.

Promiſſio ſeminis qualis?

III. Fuit interim apud Conditorem Deum commiſerationi locus & veniæ. Et pro immenſâ ſuâ bonitate lapſos, promiſſione *ſeminis benedicti* erexit, ac credentibus in illud naſciturum aliquando, veniam peccatorum ac vitam æternam promiſit. Quod præter Paraphraſtas Chaldæos, qui hæc ad Meſſiam retulerunt, præter τοὺς LXX. qui reddunt αὐτὸς *ipſe*, licet præceſſerit Græcum σπέρμα, attendentes ad τὸ σημαινόμενον, præter magnam conſenſionem Interpretum, firmat univerſa analogia Scripturarum. Et hinc Chriſtum vocant ſemen mulieris, *Gal.* IV. 4. ſemen Abrahami, Judæ, Davidis, Virginis; cacodæmones & impios Serpentis vel *Diaboli* ſemen, *Joh.* VIII. 44. 1 *Joh.* III. 10. victoriam Chriſti de Diabolo, *contritionem* Serpentis, illius qui habet imperium mortis, *Pſ.* XCI. 13. *Matt.* IV. 6. 11. *Rom.* XVI. 20. *Hebr.* II. 14. *Apoc.* XX. 3. &c. ut pluribus Theologi. Atque hæc prima naſcentis Eccleſiæ incunabula. Sic Adam primam & antiquiſſimam Eccleſiam in ſuâ familiâ conſtituit; & ſtudioſè inculcavit doctrinam de Deo, creatione, lapſu, miſeriâ, ſemine mulieris, futurâ deſtructione Satanæ, cultu Dei tum interno tum externo, reſurrectione denique ac judicio. Obvium quod Rabbini tradunt, *ſex* hæc *præcepta* Adamum divinitùs accepiſſe: 1. Celebrandam divini Nominis majeſtatem, 2. Jura mortalibus eſſe dicenda, 3. Sanguinem humanum non eſſe fundendum, 4. Idola non eſſe colenda, 5. Rapinas non exercendas, 6. Inceſtus eſſe vitandos. Quæ ſanè ex ipſâ naturæ lege Adamo in creatione inditâ fluxerunt, ut *ſpecialiori* præcepto hæc tradi nihil neceſſe fuerit. Sed de his abundè Seldenus, de Jure Naturali Hebræorum, ut mittam alios.

Eccleſiæ ſedes extrà Parad.

IV. Hujus Eccleſiæ *Sedes*, extrà Paradiſum poſita, vel in Syriâ fuit, aut Meſopotamiâ, vel contiguis certè regionibus. Nam neque id certò conſtat, neque operæ pretium vel curioſitati fibulam laxare, vel aliorum etiam recenſeri fabulas & commenta. Quid verò cum Paradiſo actum fuerit, æquè ignoratur. Niſi fortè aut aquis deletus, aut cœleſtibus ignibus, ut Sodoma & Gomorra conſumptus, ſtatuatur, atque deſtructus. Cujus conjecturæ rationes potiſſimùm ſunt. 1. *Flamma illa gladii ſeſe vibrantis*, cujus meminit Moſes, & quæ tandem Paradiſum ipſum aſſumpſiſſe potuit. 2. Quia etiam in Babyloniâ integros tractus naphtâ, igne, & ſulphure flagrantes repertos, *Curtius*, *Strabo*, *Plutarchus*, aliique fide digni ſcriptores memorarunt. Sed hæc rurſum conjecturæ tantum, poſtquam Diluvio interveniente externa terræ ſuperficies (adeoque & loci in quo Paradiſus conſitus) penitus immutata fuit.

Tempus Divino cultui quod à principio ſegregatum?

V. *Tempus* divini cultûs quod attinet, *dies Septima* in eum finem à Deo ipſo fuit conſtituta. Quam Sacram & feſtam habuiſſe primum parentem, certè illam ipſam diem ſeptimam, vix eſt quod dubitemus. Ità enim ſancitum legimus *Gen.* II. ויברך אלהים את יום השביעי. Ubi emphaticè, diei *illi ipſi ſeptimæ*, LXX. τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, quæ prima fuit à peractâ creatione, quæque dies quietis divinæ, *Hebr.* IV. 3. 4. Deus *benedixiſſe* dicitur, ſeu ſegregaſſe ad uſum ſacrum, & diſtinxiſſe à reliquis. Sic, *ſanctificaſſe* diem illum, cùm ipſemet quieſcendo, *exemplo* quodam ſuo; tùm *verbo*, vocando hoc ipſo diem ſanctum, & benedictum; tum *opere*, eo ſe ſanctificando in Homine, creato ad Imaginem ſuam, & cujus eſſet contemplatio Operum Dei, & glorificatio Dei Conditoris; tùm denique *mandato*,

to, Deum ſingulari ratione eo die ſanctificandi, & figuratum in eo æternum Sabbatiſmum, indè ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, inchoandi. Πρόληψιν Moſaïcam, quum in Deſerto ſcriberet, poſt latam de Sabbato legem, voluerunt Judæorum plurimi, citati Seldeno *de Jure Hebræor.* Lib. III. C. IX. ſed & Patrum, ac Theologorum: At invitis Doctiſſimis Magiſtrorum, Abarbaneele, Aben-Ezra, Manaſſe-ben-Iſraël, aliis, poſt Philonem Judæum & Joſephum Ἀρχαιολόγον, qui Gentem ſuam *quieſcere* ad exemplum *Dei*. Ne dicam ὁμοψήφους, Patrum certè perſpicaciſſimos, Origenem, Hieronymum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Theodoretum. Ita tamen ut non confundi debeat, modus *ſanctificationis* qui à principio obtinuit, & ille qui per Legem acceſſit, veſtitus legalibus circumſtantiis. Quo etiam reſpectus ſingularis habitus, ad quietem ab operibus *Ægypti*, *Deut.* V. 15. & quietem *typicam* reſervatam temporibus Novi Teſt. Sed hìc Hiſtoriam ſcribimus. Certè derivat hinc Joſephus Contrà Ap. *Lib.* II. τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος, conſuetudinem circuli *hebdomadarii*, propè univerſaliter apud *Græcos* & *Barbaros* receptam.

Sacrificia à Deo inſtituta. VI. *Sacrificiorum* uſus ut à primâ naturæ corruptæ origine invaluit, ſic proculdubio inſtituente Deo; Unde & diſtinctio animantium *mundorum* ab *immundis*, jam antè Diluvium, *Gen.* VII. Hinc ex fide obtulerunt, Adam, Abel, Sethus, &c. Et ideò grata Sacrificia, quia cultus à Deo inſtitutus, cumprimis ob præfiguratum Sacrificium Chriſti. Mox verò corruptus eorum uſus, figura ablata, & peccatum cùm in objecto cultûs, tùm in materiâ Sacrificiorum. Abſurdi ſunt qui à Zabiis, aut ab Ægyptiis, Sacrificiorum ritus acceptos eſſe voluerunt, quâ de re prolixè alii.

Modus inſtitutionis. VII. Veriſimile quin etiam Eccleſiam tùm temporis non niſi vivæ vocis præconio eruditam fuiſſe atque inſtructam. Verbum adhuc erat ἄγραφον, non

Literæ. ἔγγραφον. Nullum tamen *ſcripturæ* & *literarum* uſum fuiſſe, quas Plinius æternas cenſuit, non fit veriſimile. Si Muſices, Aſtronomiæ, Artium aliarum inventa jam tùm fuêre, quidni & Literarum, docendis etiam poſteris, quum jam mortalitatem in-

Lingua primæva. telligerunt. De Linguâ, Hebræane fuerit, an Chaldaica, an alia quæ in iſtas deflexerit, ambigitur. Unam ſanè Linguam fuiſſe primitùs, ſatis indicat Moſes, *Gen.* XI. I. Et hanc in Heberi familiâ remanſiſſe, Hebraicæ linguæ veſtigia in Nominibus propriis, quæ retineri ſolent, ſatis indicant. Præter argumenta graviſſima alia, quæ nuper vindicavit Stephanus Morinus, *Exercitat.* de Linguâ Primævâ, *Cap.* VII. VIII. IX. Cumprimis è Linguæ ſimplicitate, majeſtate, ἐνεργείᾳ, & filiabus Arabicâ, Syriacâ, Chaldaicâ, Phœniciâ, Samaritanâ, Æthiopicâ, &c. At meritò ſubleſtæ nobis fidei ſit, quod tradit Joſephus L. I. *Antiq.* C. III. de duabus *Sethi Columnis*, in *Syriâ* exſtantibus, κατὰ τὴν σειράδα, quibus ſumma artium omnium, ſideralis inprimis ſcientiæ, inſculpta rudimenta. Niſi legas κατὰ τὴν σιρίδα, ut Byzantini Hiſtor. & Epiphanius Scholaſt. vel σηριάδα, ἐν τῇ σηρίᾳ, quæ fuerit, (quanquam hæc parùm veriſimiliter) Inſula in maris Erythræi receſſu, collato Plinio *Lib.* VI. C. XXIX. Aliis *Sehirath* in Guilgale, propè Hierichuntem, ubi lapidicinæ, vel הפסילים, quos *Cippos* interpretati, γλυπτὰ Helleniſtæ. Pari omnes certitudine, quantum ad commentitias illas *columnas Sethi*, ex Hermetis decantatis columnis natas, Joſephi ſcilicet tempore adhuc extantes! Quid verò in illis ſcriptum, quâ linguâ, quibus characteribus, quo teſte antiquitatis, aut *Sethi* eas columnas eſſe à Diluvio ſuperſtites, dicere debuiſſet Hiſtoricus.

Liber Enochi. VIII. In eundem cenſum referimus librum *Enochi*, qui circumferebatur olim, Apocryphus is & fabuloſus, teſte Auguſt. L. XV. *de Civit. Dei* C. XXIII. Eodem obelo confícimus quem alii commenti ſunt librum, ſatis grandi volumine, & literis *quater mille & octoginta duabus* exaratum, quem Judæi ſub Enochi nomine legerent & approbarent, & ad quem reſpiciat celebratiſſimus ille locus Judæ, v. 14. Sed Verba Judæ ſunt; προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ, &c. Ut non neceſſe fuerit ſcripto conſignari illam Prophetiam, uti ſanè non fuit, ignotam Patriarchis, Moſi, Prophetis; ſed oralis fuit & ἄγραφος: Unde quiſquilias & apocrypha nemo non intelligit, in illo Fragmento Libri Enochi, quod ex G. Syncello exhibet etiam Joſ. Scaliger; Ubi multa de ἐγρηγόροις, ſeu Angelis amore mulierum captis; & fabulæ id genus, terminandæ ad *judicium magnum*, in conſummatione ſeculi.

IX. Statum Patriarcharum *œconomicum* & *conjugalem* quod attinet, patet monogamiam à principio inſtitutam *Gen.* II. 24. Lamech primus *bigamus* in Scripturâ notatur, hinc primus *adulter* Veteribus. Silentio autem Moſes ferè involvit primorum Patriarcharum res geſtas domi foriſque, ab O. C. ad Abrahamum, quæ ultra 2000. annorum hiſtoriam, juxtà Hebræos Codd. complectitur. Undè non mirum eſſe obſcura multa, in eâ Hiſtorici Sacri brevitate, hinc Orientalibus licuiſſe impunè nugari. Nec tamen eo dicendum fuerit, eſſe Epitomen quandam ex fuſiore Hiſtoriâ contractam. Aut eô minus vera narrari, v. gr. *Gen.* I. II. III. quia συντόμως. Præcipuè inſtitit Moſes ſeriei Genealogicæ, & rationibus Chronologicis, iiſque accuratis, ut ſucceſſio temporum haberetur à rerum primordiis, & Coſmopoeiâ. In ſpecie hinc origo Conjugii *inter duos*; undè fabula Judæorum, de homine *androgyno*, & qui διφυεῖς, ab inſtituto conjugio, apud Græcos appellati; origo etiam prærogativæ *Viri*, ſuprà fœminam. Sic illa *Peccati*, & *Mortis*, non prætereunda Sacro Hiſtorico, hinc pœnarum quæ ſubſecutæ ſunt; ut Iſraëlitæ *religione* obſequii in *divinas leges* tenerentur, intelligerent quænam *Peccato* merces deberetur, præpararentur ad Fœdus *Gratiæ*, & ſerviret hoc inſtructioni *totius Eccleſiæ*. Quibus præmiſſis voluit imprimis Iſraëlitas ducere ad originem ſuæ *Gentis*, & Divini *Fœderis* cum Patribus initi, & Promiſſionum. Hinc quæ intermiſcentur Hiſtoriæ, ut Melchiſedeci, Sodomæ, reliquarum Gentium, breviſſimis commemorantur: Simul, præmiſſis *Generationibus* Patriarcharum, & *ſerie* Annor. qui fluxêre inde ab Adamo, Moſes hoc ipſo arguit Fabularum fictas Generationes, & Dynaſtias Ægyptiorum; Tum & alia ſuperſtitionis commenta, Profanarum Gentium, Chaldæorum, Arabum, Phœnicum: Tandem & *Idololatriam* earumdem coarguit, ubique ad cultum unius Dei, omnium rerum Conditoris, homines ducens.

Reli[...] Moſ[...] ſtori[...] Scop[...] ſcrip[...] Gen[...]

Sed & faſtum retundit, arguendis *vitiis* eorum quæ ut Numina coluêre; & indicatâ ſimul propudioſâ quandoque origine: Ut Ægyptiorum, ex impio Chamo; Chananæorum, ex *maledicto Chanaane*; Arabum, ex Concubinis Abrahami; Moabitarum, Ammonitar. ex inceſto Lothi concubitu; Babyloniorum, Aſſyrior. ex uſurpata Tyrannide Nimrodi, &c. Quæ pluribus diffundere ſuperſedemus.

IV. *Primorum Patriarcharum Hiſtoria.*

IN his, qui *decem* ad Noachum incluſum numerantur, eminent præ cæteris,

Adamus: De cujus proceritate Gigantæâ, pœnitentiâ, ſtudiis, liberis, ultimis verbis, morte, ſepulturâ, incerta multa & fabuloſa, quia tacente Moſe. Cumprimis ferax fabularum Arabum, Syrorum, &c. ingenium; qui, præter alia, mortuum eſſe

Su[...] na[...] rui[...] ſis. O[...] tal[...] C[...] m[...]

Digitized by Google

eſſe Adamum die Veneris, Lunâ XIV. ſexto Niſan, horâ IX. ejus diei, quâ horâ è Paradiſo ejectus, ut Eutychius in *Annalibus*, p. 18. Acceſſit & illud, ſepultum fuiſſe in *meditullio* terræ, eodem *colle* in quo Chriſtus crucifixus, tradente & Abulfarajo, in Hiſtoriâ Dynaſt. *pag.* 10.

Sethus, alter ab Adamo, natus anno Adami CXXX. poſt cædem Abelis, הבל, quem malè Joſephus cum אבל confudit, & πένθος *luctum* interpretatus eſt. De cujus quæritur tum *Columnis* duabus, lateritiâ & lapideâ, de quibus ſuprà, tùm *inventis* variis, literarum maximè, ut tranſmitterentur artes ad poſteritatem; ex Joſepho, Cedreno, Orientalibus. Ubi autem præciſè illæ *Columnæ* fuerint, quibus characteribus ſcriptæ, quâ linguâ, unde conſtet Sethum auctorem, vel eas Columnas quæ tum extarent Sethi eſſe, non docuit Hiſtoricus.

Enoſchus, natus anno Sethi CV. ad cujus tempora referri ſolet *Idololatriæ* origo, quâ de re Seldenus, alii, & nos verbum infrà: A nonnullis etiam ab Enoſcho deducitur origo *Monachatus*, ſeu peculiaris cujuſdam & ſublimioris Cultûs, quaſi verò Cœlibem vitam is egerit. Veriùs illa *publici cultûs*, & ſegregationis piorum ab impiis, quorum illi denominati de nomine Jehovæ. Confundit Joſephus *Enoſchum* cum *Chanocho*, אנוש cum חנוך, & illum facit natu maximum Caini, qui Sethi fuit; ni mendoſi ſint Joſephi Codices, *Gen.* IV. 26.

Chanoch, Henoch, ſeptimus ab Adamo, natus anno Jared patris ſui CLXII. Arabibus dictus ادريس *Edris*, vel *Adris*, quod Druſio eſt quaſi *Atlas*, hoc eſt, *Atlas* Græcorum, inventor Aſtrologiæ, de quo vide Bochartum. Conſpicuus vitæ ſanctitate, ſpiritu Prophetico, tranſlatione vel aſſumptione ad Deum, confirmante Paulo *Hebr.* XI. 5. & auctore libri *Sapientiæ*. Quæ qualis fuerit, Moſis βραχυλογία ambiguum multis fecit, undè fabulæ variæ. Hinc cum Romuli ἀφανισμῷ, id eſt, ſubitâ morte, non defuerunt qui conferrent. Sed de *tranſlatione* Henochi, prolixè Interpretes Moſis, & Pauli; At in *Paradiſum* terreſtrem tranſlatum, Judæorum primò, dein Chriſtianorum precaria hypotheſis fuit. Et ſub hoc Enocho, ſecundum Joſephum, Idololatria nata, corruptis ejus poſteris à Caini nepotibus, *Antiq.* L. I. C. IV. Nihil tamen Joſephus, de ejus *ambulatione coram Deo*; vel de ejus *prophetiâ*.

Mathuſalah, genitus Enochi anno LXV. omnium maximè longævus, non tamen vitâ XIV. annis ultrà Diluvium, ex Græcæ Verſionis calculo, productâ. Undè inanis quæſtio, ubi is tempore Diluvii, an in Arcâ, an in Paradiſo? Opportuniùs de cauſis tantæ *longævitatis* diſquiri ſolet, ut Adamus & Mathuſalah totum tempus impleverint ab O. C. ad Diluvium univerſale. Abſurdè autem *annos* Patriarchales *menſtruos* fuiſſe nonnulli crediderunt, quâ de re in Chronologicis. Nec videntur cauſæ aliæ vitæ adeò longævæ, quàm *naturales* quidem, v. gr. Naturæ recens conditæ vigor; temperamentum felix; aëris mira temperies; plantarum virtutes; victûs ſobrietas; ſera venus; & ſi quæ id genus aliæ: Præter cauſam *ſupernaturalem*, Deo ſic ordinante, ut traditio incorrupta faciliùs ità & tutiùs conſervaretur.

Noachus, ſuprà omnes illuſtris juſtitiæ divinæ ac pœnitentiæ præconio 1 *Petr.* III. 19. 2 *Petr.* II. 5. tùm Arcæ ſtupendâ fabricâ, mirâ in Diluvio conſervatione, inſtauratione divini Cultûs, pietate, vaticiniis, propagatione novi Orbis. Sed & de *Noacho* fabulæ non paucæ Orientalium, deque extremis ejus ad Semum verbis, prolixè apud Batricidem, in *Annalibus*, fusè apud Cl. Hottingerum, in *Smegm. Orient.* In ſpecie, quænam v. gr. præceperit Noach de tranſlatione Corporis *Adami*, deque *Melchiſedeco* injungendis, circà vitæ inſtituendæ rationem, cœlibatum, tonſuram, veſtes, ſacrificia, &c. legenda in dictis *Annal.* p. 46.

Hinc illius, in ſecundo Orbe, apud Chaldæos, Noachi fama inter Gentiles.
Ægyptios, Phœnices, Græcos, Latinos, Sinenſes, variis ſub nominibus, ut *Jani* bifrontis, *Oenotrii*, *Ogygis*, *Deucalionis*, *Saturni*, *Promethei*, *Bacchi*, *Galli*, *Xiſuthri*, *Vitey* vel *Yau*, &c. celeberrima fama. His, ſcilicet deinceps applicatis, quæ Scriptura S. de Noacho: Seu illi conditores Gentium fuerint, ſeu plantatores vitium, ſeu reparatores novi Orbis; ſeu ob inundationes aquarum quæ ſub Ogyge, Deucalione, Xiſuthro, &c. accidiſſe memorantur. De his fuſè Eruditi, & compendioſè Edm. Dickinſonus Diatr. de Noachi *Nominibus Ethnicis*, ad Delphos Phœniciz. annexâ. Et ſuperiorum *Patriarcharum* Hiſtoriam, ut prolixiſſimè exequitur Joh. Henr. Heideggerus, Vir Clariſſ. ità Arabum & Orientalium fabulas produxit Joh. Henr. Hottingerus, Collega quondam meus Heidelbergenſis, in *Smegmate Orient.* quos honoris gratiâ cito.

V. *Caini, & poſterorum impietas, & corruptio Eccleſiæ.*

I. SAnctiſſimæ ergò Eccleſiæ Adamicæ primus Cain & Abel. Joſephi, & Oriental. Fabulæ. Et Præadamitæ.
conturbator extitit *Cain*, omnium hominum natorum muliere primogenitus. Defectionis & impietatis origo, *fratricidium* fuit. Cui admittendo occaſionem dediſſe Orientales referunt, & quoque Batricides P. I. *Annal.* p. 17. quod Caini ſororem *Azrun*, & quam ipſe Cain deperibat, Abeli in uxorem cedere voluiſſet Adam. Sed occaſio ſceleris, ipſum ſcelus, ſecuta impœnitentia, & pœna, ex Sacrâ Hiſtoria conſtant. Fabuloſum quoque, quod de loco admiſſi ſceleris & modo, Orientales, ex his Adrichomius; ſcil. factum propè *Damaſcum*, in *deſcenſu Montis*, quem unà aſcenderant, projecto *lapide* in caput Abelis. Ità quod illi de *luctu* Adami & Evæ, qui Abelem luxerint *centum annos*. Ejuſdem generis illud Joſephi Ἀρχαιολόγου, Cainum, πολλὴν γῆν ἐπελθόντα, poſtquam *multam terram peragraſſet*, tandem conſediſſe in urbe quam *Naida* dixêre, ex Verſ. τῶν LXX. qui ארץ נוד *terram exilii*, *ad ortum Hedenis* ſitam, *Gen.* IV. 16. de loco & urbe *Naid* interpretati. Idem de Ἐνώσης nomine, quod Urbi à ſe conditæ impoſuerit Cain, à primogenito Ἐνώσῳ, *Enos* autem *Sethi* non Caini filius; undè meliùs illi Codices qui legunt Ἀνώχαν, ab Ἀνώχου *Hanocho*, ex Caino genito, *Gen.* IV. 17. Pariter ἄρχαφον illud Joſephi, *Cainum*, aſcitâ prædonum manu, evaſiſſe Latronum ducem ac patrem, collectâ ingenti vi *pecuniarum*, ad voluptates & libidines. Abutitur verò *Præadamita*, ad hypotheſim ſuam adſtruendam, eo quod addit Scriptura, *metuiſſe ſibi Cainum*, ne *caderet eum quilibet qui eum eſſet offenſurus*. Propagatum jam fuerat humanum genus 128. annis, & ampliùs, & Sethus, Abeli ſtatim ſuffectus, genitus fuit anno Adami 130. Quantum hoc temporis intervallo creſcere & multiplicari humanum genus potuerit, vi primævæ benedictionis, & in varias abire propagines, taceat licet Moſes, nemo non intelligit.

II. Sic itaque impius ille & ἀδελφοκτόνος *Cain*, Corruptio Cainitarum qualis? Idololatria an antè Diluvium?
Dei ſententiâ propter impœnitentiam ejectus, impia quoque & blaſphema dogmata inter ſuos propagavit. Huc facit imprimis locus Judæ, v. 11. ubi in ψευδοδιδασκάλους ſui temporis invectus, οὐαὶ, inquit, αὐτοῖς ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν. Quæ autem ejus Hæreſis fuerit expreſſè in Sacris Literis & diſtinctè non commemoratur. Juxtà Eruditorum ſententiam Cainitica impietas ad tria potiſſimùm capita revocatur: Primum eſt, abnegatio *ſe-*

minis

minis benedicti; undè *fidem* Abelis peculiari elogio prædicat Gentium Apoſtolus, *Heb.* XI. 4. oppoſitè ad incredulitatem & ἀπιστίαν Caini. Sunt qui exiſtimarunt Evam, edito in lucem Caino, putaſſe eum eſſe *ſemen* illud promiſſum divinitùs, indeque in hæc verba erupiſſe, קניתי איש את י״ה *Acquiſivi virum Jehovam*, q. d. θεάνθρωπον. Sed ludibrium debet hoc, & id genus interpretamenta, Viris Hebraicè doctiſſimis, quibus non aliud ſonant verba, quàm ſe nactam eſſe, vel acquiſiviſſe maſculum, את יהוה, id eſt, מאת י״ה *à Jehovah*, vel nactam ſe eſſe מאלהים *à Domino*, *Gen.* IV. I.

II. Secundum fuit *Idololatria.* Non quidem deſunt doctiſſimi viri, qui Idololatricum cultum obtinuiſſe negant ante confuſionem Linguarum; argumento ſed elumbi & ſtramineo, quod quamdiu una tantùm fuerit Lingua, unius etiam Dei cultus obtinuerit. Inter hos *Alſtedius*, & ſi qui noſtratium alii, poſt *Alexandrum de Hales*, ex quo ſapuit *Thomas Aquinas*, Idololatriam de ante-Diluvianis temporibus negantes præcipuè, *propter recentem memoriam ejus qui fecit cœlum & terram.* Atqui recens illa memoria impedire debuiſſet vitam profligatam ante-Diluvianorum. Ità pronunciat Lactantius L. II. Inſtit. C. XIV. *Errant qui Deorum cultus ab initio fuiſſe contendunt*, dein Cyrillus, & alii. Sed hiſce auctoritatibus meritò opponimus auctoritates alias, & rationum graviſſima momenta. Quâ de quæſtione, adiri poſſunt Viri ſummi, *Joannes Seldenus* in Prolegom. de Dis Syris C. III. *Gerardus Joh. Voſſ.* L. I. de Origine & Progreſſu Idololat. & qui deinceps Theologi hoc argumentum tractarunt. Neque ſpecie caret quod contendit Seldenus, Idololatriam obtinuiſſe jam Enochi temporibus ex *Cap.* IV. *Geneſ.* אז הוחל לקרא בשם יהוה: Vox enim הוחל eſt πολύσημος, & reddi poteſt, vel per *cæptum* eſt invocari nomen Jehovæ, nempè divinum cultum exerceri cœptum, & Familias paſſim in Eccleſias & conventus coiviſſe; vel *profanatum* eſt in invocando nomine Jehovæ, ut Nomen illud Sacroſanctum rebus creatis, & cœleſtibus inprimis corporibus, profanando tributum fuerit. Quam poſteriorem interpretationem ſequuntur uterque Paraphraſtes Chaldæus, *Onkelos, & Jonathan*, item *Sal. Jarchi*, & Rabbinorum alii. Et affine eſſe videtur quod *Cap.* VI. in eodem Originum libro, de extremâ ante-Diluvianorum proterviâ, & de pravis hominum figmentis, וכל יצר מחשבות לבם רק רע, expreſſè memoratur. Omnium verò antiquiſſimus Idololatrarum cultus, cœleſtibus corporibus delatus videtur, *Soli, Lunæ, Planetis*, quæ ut diei & noctis, tenebrarum & lucis, fertilitatis aut ſterilitatis, omnium adeò viciſſitudinum Dominos intuebantur. Hinc Solem & Lunam Diodorus Sic. habitos θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους; & Solem Phœnices μόνον οὐρανοῦ θεὸν, Dodecatemoria Ægyptii θεοὺς βουλαίους, Planetas ῥαβδοφόρους Solis lictores, nuncuparunt: Sic in ſiderum cultu & contemplatione tota *Chaldæorum* vetuſtiſſimorum Theologia occupata fuit. Interim & corruptiſſimam hanc Cainitarum ſectam ad *Dæmonum* etiam, & *Heroum* cultum defeciſſe, adeoque ad teterrimum Idololatriæ genus, conſtanter Orientales; undè Muhammedis in *Corano* fabulæ, de Idolis ante-Diluvianis.

Corruptio Sacrificior. Tertium caput fuit, *corruptio Sacrificiorum.* Quorum verum finem, initio ſtatim ſuæ defectionis, corrupiſſe Cainum patet ex Sacrâ Hiſtoriâ *Gen.* IV. Et Paulus veram rationem oſtendit, ſcil. Abelem πίστει fide obtuliſſe πλείονα θυσίαν, actu *interno* commendato. Fallit Joſephus Hiſtoricus, dùm placuiſſe Deo Sacrificium *Abelis*, potiùs quam *Caini*, quod illud eſſet αὐτομάτων καὶ κατὰ φύσιν γεγονότων, *ex ſponte à naturâ genitis*, hoc verò ex iis quæ *per vim*, labore & culturâ, extorquentur; qualia etiam ſub Lege conſtituebant מנחה. Sic ille, lac obtuliſſe Abelem, quod ἄγεωργον, & *lac* nullum in Sacrificiis. Caini autem veſtigiis procul dubiò poſteri inſtiterunt, corruptione in majus auctâ. Hiſce Capitibus, addunt alii tetros & damnoſiſſimos errores, imprimis de *mortalitate animæ*, quam impietatem ipſi Caino adſcribit *Targum Hieroſolymit.* in Paraphraſi ad Cap. IV. Geneſ. Nempe hanc fuiſſe Caini vocem, *Non eſt judicium, nec eſt Judex, nec ſæculum aliud, quo aut merces tribuenda ſit juſtis, aut vindicta de impiis ſumenda.* Et huc ſpectat Colloquium illud inter *Chriſtum* & *Adami filios*, ubi Cain confeſſionem editurus ſuam, inter alia nefaria dogmata, inquit, *de immortalitate animæ tum videro, cum ex hac vitâ diſceſſero.* Ab hoc Caino dicti poſtmodùm in Eccleſiâ Chriſtianâ quidam Hæretici, de ſtirpe Nicolaitarum, *Caini*, vel *Caiani*, potiùs *Cainiani*; ſcilicet *Cainum* tanquam fortiſſimæ virtutis hominem venerati; undè illud Evæ Matris, *acquiſivi virum:* De quibus videndi Tertullianus, Theodoretus, Auguſtinus.

IV. Hæc Cainitica impietas ſucceſſu temporis ea ſumſit incrementa, ut totum penè humanum genus occuparet, & in ipſa Eccleſiæ viſcera ſerperet. Unde *Gen.* VI. promiſcua illa commixtio *filiorum* Filii Dei cum Filiabus hominum, quid? *Dei* cum *filiabus hominum*, defectionem & ἀποστασίαν notat *Sethianorum*, ſeu purioris Eccleſiæ, ad profligatam *Caini* poſteritatem. Ut mirum ſit Judæorum & Chriſtianorum cætera doctiſſimos, uti τοὺς LXX. (ſecundùm quoſdam Codd.) Joſephum, Philonem, Juſtinum Mart. Cl. Alexandrinum, Tertullianum, Lactantium, &c. hunc locum de primo Angelorum lapſu, qui nonnunquam vocantur בני אלהים, eorumque impuris cum mulieribus commixtionibus, interpretari. Et ſic noſtrâ ætate Franc. Valeſius de Sacrâ Philoſoph. C. VIII. ut Delrionem, & alios ſileam, qui multa de Angelis *ſuccubis, incubis.* Quanquam aliter Chryſoſtomus ad hunc *locum*, Theodoretus Quæſt. *in Geneſ.* T. I. &c. & quibus judicium ſanius fuit. Atque hinc illæ fabulæ, de natis ex hujuſmodi commixtionibus נפילים *Geneſ.* VI. 4. id eſt (ut illi) *Gigantibus*, & Anakæis, de quorum ſtaturâ & proceritate, fabularum plauſtra. De his prolixè Vir Clariſſ. Joh. Henr. Heideggerus, *Hiſt. Patr.* T. I. Exercit. XI. Sed & Patres antiqui applicant huc locum celebratiſſimum Pauli, I *Cor.* XI. 10. Hebræi ante-Diluvianorum peccatum interpretati, de *Sodomitico* & *beſtiali.* Simpliciùs de omni genere libidinis & impuritatis intelligendum, tyrannide in Politiâ, in Conjugio violata fide, in Societate temulentiâ, promiſcuâ venere: Quò etiam referri debet πολυγαμία Lamechi, ſexti in poſteris Caini, qui eo nomine & à Nicolao Papâ, *Epiſt.* ad Lotharium Regem, primus *adulter* nuncupatur. Atque hunc ipſum Lamechum referunt Arabes, & ex iis Eutychius Alex. quum aliquando ludendo fortè ſagittam ejacularetur, fortuitò pectus avi ſui Caini, in ſylvis oberrantis, trajeciſſe, atque ità è vivis ſuſtuliſſe. Contrà *Gen.* IV. 15. Deum poſuiſſe *ſignum* in Caino. Adde fabulam adoptatam Joſepho Hiſt. fuiſſe Lamecho liberos *ſeptuaginta ſeptem*, natam ex verbis *Gen.* IV. 24.

Hinc diſtincti *filii Dei* in Eccleſiâ ante-Diluvianâ (Chaldæus reddit *filios Principum*, id eſt, Seth & ſequentium Patriarcharum) id eſt, homines pii, aut ex piis parentibus, à *filiis* vel *filiabus hominum.* In Libro Apocr. Enochi, vocantur verè ἐγρήγοροι, quaſi *excubias agentes* contrà Idololatriæ & impietatis contagium. Aliàs γενεὰ τοῦ Σὴθ, oppoſita τῇ γενεᾷ τοῦ Κάϊν. De ſeceſſu Seth cum ſuis, in montis faſtigium in quo ſepultus Adam, & factâ adjuratione

Digitized by Google

tione, ne filiorum ullus migraret ad Caini poſteros, undè cum uxoribus & liberis dicti ſint *filii Dei*, videſis Annales Alexandr. P. 1. *pag.* 20.

VI. *Arcæ Fabrica, aliaque antecedanea Diluvii.*

HUc ſummatim faciunt quæ Viris Doctis fuſiùs pertractata:

Circumſtantiæ in Sacris deſcriptæ.

I. *Tempus* pœnitentiæ tacitè conceſſum, *dies* ſcil. vel anni cxx. *Gen.* VI. 3. Qui ſunt Scaligero *annus magnus* Patriarchicus, quo exacto intercalarint *menſem* unum, ſeu dies 30. ob neglectas quotannis VI. horas; de quo in Chronologicis.

II. *Noachi* intereà monita, præconium, Spiritu Chriſti afflante: Cujus *fides* celebratur, *Hebr.* XI. 7. qui hinc præco Juſtitiæ; & *in ſpiritu profectus*, divinâ ſe in eo virtute exerente, prædicaſſe dicitur immorigeris, qui ſcil. inobedientiæ pœnam tum luerent, quum hæc ſcriberet Petrus, 1 *Pet.* III. 18. 19.

III. Præceptum de *Arcâ fabricandâ*, & ſufficiens tempus illi fabricæ conceſſum, hinc ſuſpicienda Noachi *fides*, & obedientia. Difficillima utique Deus illi præceperat: Struenda moles ſtupenda, nec antè viſa; conquirenda ligna; comparandi cibi; animalia congreganda; conſortium eorundem tolerandum; inſultus irriſorum ſuſtinendi; truculentia aliorum metuenda; res mirabiles animo præcipiendæ, & luctuoſiſſimæ, &c. Communiter volunt ſpatio *centum* annorum perfectam, ex *Gen.* V. 32. ab anno Noachi 500. ad annum 600. *Gen.* VII. 6. vel potius ab anno Noachi 480. quo ædificari cœpta ſit, & qui rotundo numero exprimantur per 500. Undè fuerit abſolutum opus XX. annis antè ingreſſum, qui ſimul annos cxx. efficiunt, poſt ſententiam de univerſali Diluvio latam, *Gen.* VI. 3. ſic vulgò interpretati. Quanquàm annos 500. natus dicatur Noach, *Gen.* V. 32. non quo tempore de Arcâ ſtruendâ mandatum accepit; ſed quo tempore Filii tres ſucceſſivè illi nati: Seu antè ἄτεκνος fuerit, ſeu pater quidem liberorum, ſed qui morituri antè Diluvium, nec in Arcâ ſervandi. Ità *dies* vel anni vitæ hominum dicuntur futuri 120. licet cum reſpectu ad πανωλεθρίαν tamdiu dilatam, tamen nullâ adhuc mentione *Arcæ* fabricandæ. Joſephus & Philo, de abbreviandâ eò uſque vitâ hominum. An verò ſtructæ Arcæ locus fuerit in Armeniâ, cujus in montibus poſteà conſedit; an in Meſopotamiâ, vel in Babyloniâ, difficile eſt ſtatuere: Alii ad *radices Caucaſi*, ob lignorum copiam, & aptitudinem loci à turbâ hominum remoti, undè ſit fabula, de *Prometheo* Caucaſo affixo; quem cum *Magogo* maluit conferre Bochartus, *Phaleg* Lib. 1.

Arcæ deſcriptio.

IV. *Arcæ* denique ipſius (κιβωτοῦ Hellenistis, λάρναξ τετράγωνος Joſepho, aliàs θήβης nomine Græcis, ex Hebræorum תבה *Thebah*) ſtructura univerſa. Nec enim *Navis* appellatione venit, ut cujus forma planè diverſa, ſine velis, & remis; *navem* quanquam appellent Arabes, & Batricides in Annalibus, السفينة.

Materia ex ligno *Gopher*, ſeu cupreſſum, ſeu lignum aliud intelligas, bitumine obductum; eſt enim ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Voſſius ex כפר, quod *bitumen* ſignificat, factum putat גפר.

Forma, ratione longitudinis, quæ 300. Cubitor. *ſexies* ſuperans latitudinem, *decies* altitudinem, *Gen.* VI. 15. Quæ proportio obſervatur in *corporis humani* fabricâ, longitudine illius *ſexies* ſuperante latitudinem, *decies* profunditatem pectoris, proni vel ſupini. Cubitos alii *communes*, alii *ſacros* volunt. De menſura אמה *Cubiti* poſt alios (ut Majemonidem, Obad. Bartenoram, Gedaliam in שלשלת ה״ק, &c. taceam) multis Jac. Capellus, in *Hiſt. Exoticâ*, & nuper E. Bernardus, Vir Clariſſ. Nempè ille, Cubitum communem *Hebræorum*, fuiſſe *ſeſquipedalem* Athenienſium, uti *pes* Hebræorum fuerit *cubitus* Romanorum. Alium verò fuiſſe *duplo longiorem*, quemadmodùm ſiclus fuit didrachmalis, & tetradrachmalis: Nempè *trium pedum* Cubitum, quo Arcæ capacitatem faciant duplo majorem. Sed aſſenſum non impetravit Vir Doctiſſ. & de his jam fuſè Interpretes, & qui de Arcâ Noachicâ plures commentati ſunt.

Capacitas ſanè immenſa, ratione dictæ longitudinis, latitudinis, altitudinis; *Tribus* ſcil. in eâdem ingentibus tabulatis, quorum ſingula x. cubitos alta; ſingulis rurſùm ſuis manſionibus diſtinctis, & apothecis, ſed & cochleis, vel ſcalis in extremitatibus Arcæ: Ità ut in *ſummo* locus eſſet hominibus, & avibus, in *imo* ſentina. De quibus extant diſſertationes Buteonis, Temporarii, Wilkinſii, Heideggeri, &c. quas vide.

Commoditates omnes, ad lucem; ad reſpirationem; ad tegumentum; ad annonam; ad pabulum; ad prohibitionem aquarum, ventorum; ad ingreſſum & egreſſum, &c. Ut nihil defuerit eorum quæ ad manſionem benè longam deſiderari poſſent. Quæ ſingula ad oculum demonſtrarunt Viri Docti, præcipuè Wilkinſius.

Animalium in eandem, & *ſeptenorum* quidem quoad munda, id eſt, quæ eſui vel ſacrificio apta, ſucceſſiva primùm *introductio*, miro ſanè impulſu Conditoris, ut ſpontaneo motu ad Arcam ferrentur: Tùm in Arcâ eorundem apta & conveniens *diſpoſitio*; tandem quoque *alimentatio* & conſervatio: Ubi de animalibus *Carnivoris* difficultas potiſſima eſſe videtur, undè his ad ſuſtentationem cibus? Quâ de re diſſentiunt Interpretes; Bochartus de *Animal. Lib.* 1. C. 11. cibo *parabili* & *facili* uſos eſſe, fœno, frugibus, etiam præter naturam tigridum, leonum, &c. qualis evaſit poſt peccatum; quum anteà herbæ & plantæ *hominibus* & *beſtiis* alendis ſufficerent, *Gen.* I. 29. 30.

Animæ tandem in Arcâ ſervandæ, *octo* videlicet, Noacho cum uxore, filiis, & nuribus, 1 *Pet.* III. 18. Adami verò *corpus* importatum in Arcam, & in ejus medio locatum, ſomniant Arabes: Sic viros ad partem Navis vel Arcæ *Orientalem*, fœminas ad *Occidentalem*, ſegregatos, ne ad ſe invicem accederent. Mittimus id genus Beroſi, & Sibyllæ Erythreæ, & Arabum atque Orientalium, de nuribus Noachi, obvias fabulas.

Typus denique in Arcâ Noachicâ mirabilis *Eccleſiæ*, & *Chriſti*, & paucitatis ſalvandorum; Quemadmodùm Aquæ diluvianæ fuêre *Baptiſmi* figura, 1 *Petr.* III. 20. 21. Sic *Corvus* ille Noachicus emiſſus, nec rurſus in Arcam admiſſus; *Columba* emiſſa, ſed reverſura, quia nuſquàm illi tuta quies extra Arcam; Folium *olivæ* decerptum, ſymbolum *Pacis*, &c. non caritura myſterio. Typus.

VII. *Hiſtoria Univerſalis Diluvii. Noviſſimæ Hypotheſeôs, de Duplici Terrâ, & cauſis Univerſalis Diluvii, vanitas perſtricta.*

HIc potiſſimùm obſervanda, quæ ab Eruditis Interpretibus latiùs declarantur:

I. *Tempus* immiſſi in primum Orbem Diluvii: Annus quidem ab eo condito, ex Hebraicorum Codicum fide, 1656. Noachi annus 600. ſeu inchoatus, ſeu terminatus; Menſis verò anni *ſecundus*, dies XVII. adeoque *autumnalis* anni tempeſtas, qualis eſt Novembri noſtro; ex hypotheſi, in Chronologicis aſſertâ. Circumſtantiæ ejuſdem.

II. *Cauſæ* tùm impulſivæ, tùm productivæ Diluvii; tùm morales, tùm phyſicæ; tùm naturales, tùm ſupernaturales, de quibus Moſes *Cap.* VI. 5. *& ſeqq.* VII. 11. 12. & ad eum Commentatores. Nec in iſta diffundi, patitur hujus Hiſtoriæ modus; vel inquirere in cerebri humani nupera figmenta.

III. Hinc *inundatio* ipſa *terrarum*, tùm extinctio *omnium* quæ ſpiritum *vitalem* ducunt: Quò ſpectant 1. *Magnæ abyſſi* fontes erumpentes undequaque, & exundantes; aquæ marium, fontium, fluviorum effuſorum ſuprà margines ſuos, *Gen.* VII. 11. VIII. 2. 2. *Cataractæ cœlorum* apertæ, id eſt, nubes toto cœlo in aquam ſeu pluvias magnâ vi effuſæ, in terreſtrem hunc orbem: Nempè *diebus* totis continuis XL. effuſi ſunt imbres inſoliti; atque ità erumpentibus undequaque aquis, è cœlo, terrâ, abyſſo magnâ, *Gen.* VII. 17. 19. 20. factum eſt ut XV. cubitis ſuperarent altiſſimorum montium vertices; Tùm dies inſuper additi CX. ſeu continuatæ pluviæ, & invaleſcentium aquarum, ſeu (ut alii) permanentium ſaltem eadem vi & altitudine, *Gen.* VII. 24. Tandem *decrementum* earundem, ſucceſſivum illud, poſt clauſos cœlorum fontes, & prohibitas pluvias, ac reditum aquarum in priſtinos alveos, *Gen.* VIII. 2. &c. Atque adeò poſt inductam terris vaſtitatem, & deleta animantia, ac quicquid in terris ſpiraret; quum ut omnia propter hominem creata, ſic *terra* ob hominis peccatum *maledicta* fuit, *Gen.* VIII. 21.

Circumſtantiæ reliquæ, ut hærentis fundo ſuo Arcæ ſuper aliquo ex Gordyæis, regionis *Ararat* ſeu Armeniæ, montibus: Mox illa detectorum cacuminum; tùm corvi emiſſi, emiſſæ & ter columbæ; tandem Noachi cum ſuis egredientis, ſiccatâ terrâ, anno ſolari poſt ingreſſum I. & diebus X. id eſt, XXVII. ſecundi menſis, quum Diluvii initium fuiſſet XVII. ejuſdem menſis, *Gen.* VII. 11. VIII. 14.

Univerſalitas Diluvii aſſerta.

IV. *Univerſalitas* quoque Diluvii, tùm ratione Orbis habitati, tùm & Globi terreſtris univerſi; Quæ, contrà recentiores, univerſalitas demonſtratur prolixè à Theologis & Interpretibus, ex deſcriptione ipſâ Moſaicâ, *Gen.* VII. 19. *& ſeq.* Tùm ex Petrinâ confirmatione, 2 *Petr.* II. 5. III. 6. Ex ſufficientiâ aquarum, ſuperiorum & inferiorum, ſi abyſſum magnam, ſi terræ cavitates, ſi fontium aquas, ſi aëris (undè pluviæ) ſublimitatem, reſpicias: Ex opertis omnibus, etiam altiſſimis toto cœlo montibus, quibus altiores eſſe nubes docent nives & pruinæ, quibus albicant, & quæ *Caucaſiis*, & *Albaniis* montibus, atque *Alpibus*, aliiſque id genus nomen dedêre. Adhæc, eadem Univerſalitas patet, ex capacitate *Arcæ*, ſpeciebus animantium recipiendis, ut à Doctis pluribus Geometricè demonſtratum; Ex cauſis immiſſi Diluvii, quaſi nullus Deus curaret res humanas, univerſali jam impietate; Ex conſervatione ſpecierum omnium, quæ aliàs non neceſſaria fuit; Ex nova reparatione humani generis per Noachidas, ut infrà; Ex unanimi Judæorum ac Chriſtianorum conſenſione; quin ex Gentilium ipsâ traditione, cujus hodieque paſſim memoria eſt: Denique ex *hypotheſibus* vel dubiis vel precariis ſententiæ negantis; Puta, impoſſibilitatis alicujus, ut Globus terreſtris univerſus inundaretur; hinc inſufficientium, ad ſubmerſionem tantam, aquarum; ſic Arcæ incapacis ſpeciebus omnibus animantium recipiendis; adhæc Originum Americanarum, quæ non à Noachidis deduci poſſint, &c. Hæc vaniſſima eſſe, pluribus oſtenſum eſt ab Eruditis.

Hypotheſis nupera de Dupli ci Terra, & modo Diluvii.

At novum eſt quod contendit nuper *T. Burnetius*, Vir Doctiſſ. Univerſali illo Diluvio periiſſe Tellurem antiquam, & antè-Diluvianam, diſſolutâ totius Terræ & Cœli aërei compage, idque voluiſſe Petrum, in verbis ἀπώλετο, *periiſſe* ſcil. primum Mundum, 2 *Pet.* III. 6. qualiter periturus hic ſecundus Mundus, in ultimâ conflagratione. Undè ſecundùm Virum Doctum, forma Telluris primævæ fuerit diverſiſſima ab hodiernâ, fundata quidem *ſuper Aquas*, Pſ. XXIV. ſeu ſuper facie Abyſſi extenſa, formata, ſtabilita, ſed ità ut Terrarum hic orbis fuerit integer, continuus, æquabilis, uniformis, ſine mari aut voragine marinâ. Adeoque lævi & æquali ubique ſuperficie, ſine montibus, ſcopulis, vallibus, cavernis, concavitatibus, aut hiatu ullo Maris, vel Marium: Eo etiam ſitu Terræ ad ſolem, ut perpetuum per omnia Climata Æquinoctium eſſet, Ver perpetuum, Homines ἄσκιοι, Æquatore deſcribente Solis viam, hinc Lunæ; cœlo impluvio ac ſine Iride, terrâ æthereâ, & Paradiſiacâ, ſive quæ tota *Paradiſus* eſſet, nullâ viciſſitudine tempeſtatum, æſtatis, hyemis, &c. Et hujuſmodi Terram æthereum, æquilibrem, noviſſe in Philoſophis Platonem, in *Politico* ſive *Regno*, præter Poëtas, qui multa de Aureâ ætate, & uniformi Anni ratione, ſub Saturni regno; imò in conſenſum vocat Judæos & Chriſtianos. Illam verò Terram primigeniam, in Diluvio univerſali, diſſolutam, abſorptam, in *Abyſſum*, cui ſuperſtructa fuit, magno cum ſtrepitu relapſam; quâ Abyſſo erumpente, veluti fœtu ex utero in quo antè clauſus, vel qualiter fracto ovo, nihil mirum aquis fuiſſe tectum atque obrutum totum globum terreſtrem; nec alio modo evenire Diluvium potuiſſe. Poſteà ſub finem Diluvii relegandis aquis & coercendis intrà ſuos alveos, ſeu repagula. Indè etiam nata illi Terræ & Zodiaci obliquitas, montes, valles, maria, &c. annique variantes tempeſtates, quas primus, aut ex primis, εὑρεῖν *inveniſſe* dicitur Thales Mileſius, apud Diog. Laërtium: Et hinc *Campi Elyſii* Poëtarum, antè miſeram illam diſſolutionem; & *Paradiſus* circà Lunarem Orbem à Veteribus Chriſtianis locatus, ubi Ver perpetuum: Qui reverà per totam terræ ſuperficiem, quâ latè patuit, diffuſus fuerit, Cœlo ubique ſereno, nullis frigoribus, nullis æſtibus, pluviis, &c. Hinc non aliam quærendam eſſe cauſam vitæ adeò longævæ & diuturnæ, *ante-Diluvianorum*. Hæc & alia ingenioſè Vir Eruditus, quæ reverà luſus quidam ingenii videantur; nullo illius Telluris fortunatæ, præter Noachum cum ſuis, teſte, qui Noachus 600. ante Diluvium annis vixit, ſed qui ejus notitiam poſteris, neſcio quâ de cauſâ, invidit.

Nam iſtorum nihil ex contextu *Moſis* erui poſſe, planum eſt. Supponit ille, *Cœlum* & totum *Exercitum Cœlorum*, ſic *Terram*, *Mare*, qualia hodie conſpiciuntur, à Deo eſſe à principio *condita*, & κοινῇ *ſimul*, interprete Syracide; Paradiſum fuiſſe *ad Orientem*, in regione quæ ab amœnitate *Edenis* nomen accepit; Conſitum eundem, ipſâ Dei veluti manu, *horti* cujuſdam inſtar; indè ejectos πρωτοπλάστους, ex beatâ illâ ſede, poſt Peccatum; tum *corruptionem* ſenſim enatam, qualem vidimus, quæ tandem ad omnes homines ſe extenderit; hinc Dei vindictam promeritos. Nec *cauſam* tantùm Diluvii, ſed & *modum* illius deſcribit Moſes; fontes quoque Cœlorum apertos, pluviam cœlitus delapſam, tempus continuatæ pluviæ, altitudinem aquarum, moram earundem, altiſſimos *montes* coopertos aquis, aquas tandem recedentes, &c. Sed hæc omnia in deſcriptionem allegoricam & parabolicam vertit Vir Doctus; uti hiſtoriam ἑξαημέρου Creationis, Paradiſi, Tentationis, Lapſûs; oppoſituro Moſe novam quam finxit ſuis Coſmogoniam, aliarum Gentium Coſmogoniis, traditionibus, fabulis, Mythologiis, ut ab harum Idololatriâ averſiores redderentur. Ità ille, *ſex dierum* ſpatio Mundum fabricatum dici, *ſex* abhinc propè millenniis, nempè Orbem hunc ſublunarem, Tellurem hanc noſtram

Ut eadem cum Moſe pugnans, & Scrip. univerſâ.

cum

cum ſuo Cœlo, idque ſtudio & datâ operâ, quoniam *diem ſeptimum* pro Sabbatico & ſacro habere decreverat Legiſlator. Ita abſurdum videri, quod 1. *Cap.* Geneſeôs idem commemorat, v. g. *unam diem parturiviſſe Solem*, *Lunam*, *Sidera*: quum *in ſingulis Planetis condendis* VI. *dies minimum impendendi* fuiſſent, *non minùs quàm in noſtro Planetâ*, Tellure videlicet. Nec enim concipienda hæc eſſe facta ex nihilo, ut in nihilum nil reverti poteſt. Tandem, ſic eſſe à Moſe deſcriptam hanc *Tellurem* non qualis *primigenia* fuit, aut qualis ex *Chao* ſuo ſenſim ac lento progreſſu, primùm emerſit: Nec *inæqualitatem* hujuſmodi, (puta montium eminentias, collium tumores, vallium hiatus, terræ cavitates, marium alveos, fluviorum errores, &c.) producturam fuiſſe Naturam omnium effectricem, & ad perfectionem ex ſe tendentem, poſt varias mutationes & formas. Sed deſcripſiſſe Terram hanc Moſem, qualis à *Diluvio* fuit, mutato ejus ſitu ex recto in obliquum, & omnibus illis inæqualitatibus, ex fractâ priori compagine, enatis, ut & obortis Tempeſtatum viciſſitudinibus, quibus ſubjacemus. Stupe, Lector, & ingemiſce, fuiſſe in Chriſtianis aliquem, qui Operum omnium Dei *Omnipotentis* primum, & maximum, exigere ſuſtinuerit ad decempedam noſtræ rationis, & modulo humano metiri divina & immenſa; Toties intercedente Libro Jobi, *Capit.* XV. XXVI. XXVIII. XXXVIII. XXXIX. &c. & paſſim Moſe, Davide, Salomone, Prophetis, Johanne, Paulo, perſpectis ſatis locis. Præter ſuppoſitionum portenta, ἄλογα, ἄγραφα, ἀντίγραφα. Ac de his *Philoſophicè* alii, *Theologicè* nos alibi diſputamus.

EPOCHA SECUNDA,

A Diluvio finito ad Vocationem Abrahami, ſeu Profectionem illius in terram Canaanis.

I. *Duratio hujus Epochæ, ſecundum Hebr. Codd. & ſecundum Samaritan. Græcos*, &c.

HEbræi quidem Codices ſignant à ceſſante *Diluvio*, ſeu ab anno Noachi DCI. ad annum *Therachi* LXX. quo gignere cœpit idem Therach, annos —— —— —— —— 292.
Ad annum verò Therachi CXXX. quo natus fuerit *Abraham*, veriore calculo, annos —— 352.
Hinc ad Migrationem Abrahæ in Canaanem, *Gen.* XI. XII. *Act.* VII. 4. adde annos —— —— 75.

Exurgunt in univerſum anni —— —— —— 427.
Sed juxta Cod. Samaritanum, ſecutum jam τοὺς LXX. præterquàm in omiſſo Cainane, fluxerunt uſque ad LXX. Therachi anni —— —— —— 937.
Alii habent —— —— —— —— 942.
Juxta τοὺς vulgò LXX. qui in *ſex* Patriarchis, ad annos Hebraicos τεκνογονίας ſingulorum, addunt annos alios 100. & *Cainanem* inſerunt medium inter Arphaxad & Selach, ad Therachi annum LXX. fluxêre,
Secundum Edit. Complut. Roman. Plantin. anni 1172.
Secundùm Edit. alias & calculum Afric. Euſeb. Sync. quos ſequitur Iſ. Voſſius, uſque ad annum Therachi LXX. —— —— —— —— 1072.
Hinc ad Nativit. Abrahæ, additis annis inſuper LX. juxta Voſſium, 60. —— —— 1132.
Secundum alios Codd. qui *Nachorem*, patrem Therachi, genuiſſe, non anno ætatis LXXIX. ſed demum anno ætatis CXXIX. quinquaginta poſt annis, quos ſequitur Chronologus nuperus, fluxêre anni ad natum Abrahamum —— 1182.
Adde ad ingreſſum ejus in Canaanem —— 75.

Fiunt in univerſum poſter. calculo, anni — 1257.
Joſephi calculum quod attinet, Antiq. *Lib.* I. *Cap.* VII. variant ut numeri, in Joſepho corrupti, (quod & factum aliàs) ſic Epilogiſmi annorum. Nam *Lib.* I. *Cap.* VIII. al. VI. ſcribit Joſephus natum Abrah. poſt Diluvium anno —— 292.
Quod alii fraudi adſcribunt, & numeraſſe Joſephum, ad Therachi annum LXX. omiſſo Cainane, annos —— —— —— —— 992.
Addito Cainane, quem inſerit Voſſ. ſeu annis 130.

Exurgunt anni — 1122.
Rurſùs alii, ſecundùm Joſephum, Nachorem genuiſſe A. non LXXIX. ſed CXXIX. undè additis hac ratione annis —— —— —— 50.

Fiunt anni — 1172.
Iſ. Voſſius, numerari annos ſecundùm Joſeph. 1192.

Emendationes alias Joſephi, prout cujuſque fert hypotheſis, his extendentibus, aliis contrahentibus calculum, mittimus hoc loco. Conſtant ſibi Hebræi Codd.

II. *Quæ Diluvium immediatè conſecuta: Diſperſio filiorum Noachi, & origines Gentium.*

1. HUc ſpectant primò, quæ Diluvium immediatè conſecuta ſunt. Nempè ut *octo animæ* egreſſæ ſint ex Arcâ, in locum qui hinc Arabibus dictus ثمنين, id eſt, *octo*, ſignantibus locum hodieque Armeniis & Arabibus (quanquam more ſuo) ad altiſſimum montem Armeniæ, in Mediæ confiniis, in regione τῶν Καρδῶν (malè Καιρῶν apud Joſephum) unde Καρδυαῖοι *Gordyæi* montes. Ubi ſcilicet Urbs *Thamanin* ſtructa fuerit à Noachidis, quaſi τῶν ὀκτὼ; hodieque Urbem Armeniæ *Nakſivan* vel *Nacchivan* vocant, haud longè diſtantem ab Araxi, ad quam Navis ſteterit, & quam fabulantur Armeni à Noacho poſt egreſſum ſtructam, hinc *Nacchivan* vetere Armenorum linguâ eſſe *primam habitationem*. Sed Ptolemæus urbem illam non novit, quæ ferè in locum Artaxatæ veteris poſteà ſucceſſit. Ut verò σωτήρια Liberatori Deo Noachus perſolverit, *altari ſtructo*, an è lapide, an è viridi ceſpite, quod olim Gentiles imitati in aris ἐσχεδιασμένοις: Ut Divinis promiſſis tum Providentiæ, tum Gratiæ, erectus fuerit in modum *Fœderis* cum eo pacti, additâ Fœderis teſſerâ, *Gen.* IX. 9. 10. 11. &c. Ut divinæ leges & ſanctiones acceſſerint; permiſſo ſtatim uſu & eſu promiſcuo *animantium*, prohibito tamen eorum ſanguine, *Gen.* IX. 3. 4. quod Judæi ſeptimum Noachidarum præceptum interpretantur, de *membro vivi animalis non comedendo*: Ut in ſpecie ità gradum fecerit Legiſlator ad horrorem *homicidii*, ſtatutâ pari ſceleri pœnâ, *qui ſanguinem effuderit, ſanguis ejus effundetur*; Nec tamen irrogandâ hac à privato cuique, per modum *talionis*, citrà ſententiam Judicis, quod jus Rhadamanti dicunt, quæ Hug. Grotii ſententia fuit, vindictam privatam, contrà mentem Chriſti Servatoris, ſed & Moſis *Deut.* XXXII. 35. jure primævo licitam ſtatuentis: Denique, Ut Noachus, ſpiritu Prophetico, tum *Chamitarum* ſervitutem, & maledictionem *Chananæorum*, tum *Japhetanorum*, ſeu Gentilium vocationem ad *tentoria Semi*, prædixerit; cui etiam Semo ſpeciatim benedixit his verbis, ברוך יהוה אלהי שם, *benedictus Jehovah Deus Semi*, id eſt, qui ſingulari ratione

Summa eorum quæ à Diluvio acciderunt. Noachus Arcâ egreſſus.

Digitized by Google

tione futurus eſſet Deus Semi, & ſeminis ejus, *Gen.* IX. 25. 26. 27. Hæc, inquam, omnia ex Moſe conſtant.

Dubia varia; etiam Fabulæ, de migratione Noachi, &c.

II. Undè quæſtiones variæ, & dubia hiſtorica naſcuntur: V. gr. An *eſus* animantium ante Diluvium licitus, ut ea mactarent, & in cibum verterent, negante etiam poſt Hieronymum, & alios, Hug. Grotio; Licet multa ſuadeant contrarium, ſacrificiorum uſus, dominium in animantia, multiplicatio eorundem aliàs nimia, cibus ex ſe innocuus, & alia. Ità de VII. *præceptis*, ſeu communi *jure* Noachidarum, vel naturali & univerſali Gentium; de quo Maimonides & Gemariſtæ multa, prolixo Libro expenſa Joh. Seldeno, quædam etiam Hug. Grotio Libris *de Jure Belli & Pacis*: Quæque adeò *præceptis* dein Abrahamo & Iſraëlitis datis, de Circumciſione & aliis, ſeu juri Hebræorum, contradiſtinguunt. Undè & diſcrimen Proſelytorum *Juſtitiæ*, qui poſteriora præcepta amplecterentur; & Proſelytorum *Domicilii*, qui ſaltem priora Noachidarum ſe recipere profiterentur, coram tribus teſtibus, ut inquilini haberi poſſent. Ità de *pœnâ capitali* diſquiritur, an primùm ſancita poſt Diluvium, coërcendæ hominum licentiæ; ut antè quidem commercium *homicidæ* vitari debuerit, at non ei *vita eripi*, quæ eſt ſententia Hug. Grotii, *Lib.* I. C. II. Ità diſquiri hiſtoricè ſolet de *Iridis* ſigno, ſeu קשת *Arcûs* Cœleſtis, qui אות ברית *ſignum* vel *ſacramentum Fœderis*, *Gen.* IX. 13. 17. an obtinuerit Iris, non ſanè ſecundum eam ſignificationem, ſed ſecundum ſubſtantiam vel apparentiam, prioribus jam ante Diluvium temporibus? Quod malè negare viſi ſunt Magiſtrorum, & Chriſtianorum plurimi. Sic prolixè anquiſitum, cur ob peccatum *Chami*, maledictio in *Chanaanem* pronuncietur, *Gen.* IX. 25. Nempè, aut quod conſcius ſceleris Canaan; aut quod patres in filiis puniantur; aut potiùs (quæ ſententia Auguſtini, Theodoreti, aliorumque) quod verba hæc *prophetica* fuêre, de ſpeciali maledictione poſterorum Canaanis, ſaltem magnæ eorum partis, eorumque miſerâ ſervitute, in ordine ad poſteros ex Semo natos. Rursùs, ex hiſtoriâ plantationis *vitium* per Noachum, hinc *vini* proventûs, ut & ſecutæ *ebrietatis* Noachi, videtur natum quod tradiderunt de *Jano*, & de *Oenotrio*, cum applicatione ad Noachum. Ex יין enim factum *Janem* vel *Janum* voluerunt, *bifrontem* illum, quia Orbis utriuſque teſtis; ità Οἰνώτριον eundem appellatum, quia primus invenerit *vites*, earumque culturam; quemadmodùm & *Saturnus*, maritus Rheæ, præſes ebrietatis in Saturnalibus, cum *Noacho* (qui איש האדמה *Gen.* IX. 20. *vir terræ*) ingenioſè confertur à Bocharto, initio ſui *Phaleg*. At fabuloſa ſunt quæ Leander Albertus in Deſcript. Italiæ, & alii, de *Noachi* in Italiam adventu, cum *Japeto*, *Javane* & filiis; & in Etruriam quidem, hinc ſub *Jani* nomine Latinis & Hebraicis culti. Uti כתים *Cethim*, Javanis filius, conditor fuerit Urbis totîus Etruriæ metropoleos; à quo dein Italia tota *Cethim*, & Itali, id eſt, Latini & Romani, *Cetii* vel *Citii* appellati, etiam juxtà Euſebium, hinc Bochartum. Sed de Noacho fabula, & Oenotrio, nata eſt ex fictis *Antiquitatum Etruſcarum* fragmentis, ab Inghiramio repertis, homine ſcil. Florentino; tum etiam ex Annii Viterbienſis fraudulento *Beroſo*, in Chaldæis ſcilicet Antiquit. Qui jam pridem ludibrium debuerunt Eruditis, & prior quidem ipſi Leoni Allatio, in *Animadverſionibus* ſuis ad ea Fragmenta, licet ad fabulas prono.

Diviſio Orbis inter Filios Noachi; ſecund. Veteres, & Magiſtros.

III. Diſperſio autem Filiorum Noachi, & Gentium ex iis Origines, de quibus Moſes *Gen.* X. prolixè à Veteribus & recentioribus, ſed diverſimodè explicata fuit. A Veteribus quidem, ut Joſepho *Antiq.* Lib. I. C. VII. Auctore Chronici de *Diviſionibus Gent.* quod Hippolyto eſt à Cangio & aliis adſcriptum; tùm Hieronymo *Tradition. Hebraicis*, Epiphanio in *Ancorato*, N. CXIV. CXV. Chronico vulgò *Alexandrino*, Edit. Reg. p. 26. 27. &c. Georgio Taraſii Syncello, *Chronographia* pag. 45. 46. & *ſeqq.* aliiſque, ut Cedreno, Hamartolo, &c. Illi nempe, ſic factam diſtributionem inter tres Noachi filios, ut *ſorte* putent aſſignatam cuique portionem, quod *Rhinocoruris* vel *Rhinocoluris*, ſitis inter Ægyptum & Palæſtinam, factum tradit Epiphanius loco cit. Et quidem *Semo*, ut primogenito, obtigiſſe quicquid terrarum eſſet ad *Ortum* à Perſide, & Bactris; & Indiâ ac Indico Oceano, ἕως τῆς χώρας Ῥινοκορούρων. *Chamo*, quem ſecundo-genitum faciunt, quicquid terrarum indè in *Meridiem* porrigitur, ἕως Γαδίρων *uſque ad Gades*, comprehenſis Syris & Chananæis Gentibus, & Maritimis Aſiæ Minoris, cum Inſulis, ut Ciliciâ, Pamphyliâ, Cypro, &c. *Japheto*, qui illis tertio loco natus, quicquid à Gadibus & Rhinocoruris, vel (ut Joſephus) à Tauro & Amano montibus, ad *Septentrionem* protenditur, ut tamen communes Chamitis & Japhetitis Inſulæ fuerint, quæ in Mari Ægæo, & Mediterraneo ſparſæ. Recentiores, præter Torniellum, Salianum, Goarem Notis ad G. Syncellum, &c. & doctiſſimos ad Moſem Interpretes, ſuperavit eruditione, ſagacitate, peritiâ omnis Antiquitatis, Samuel Bochartus, in ſuo *Phaleg*. Nulli omni ex parte ſatis faciunt; Auguſtino pridem obſervante, de Civit. Dei, *Lib.* XVI. C. XI. ſic mutata eſſe Locorum nomina, & habitati Orbis faciem, ut vel Doctiſſimi vix paucarum Gentium origines norint, nec niſi ſagacibus conjecturis in plurimis locus ſit. Magiſtri verò, (qui LXX. Linguas, uti Gentes, ſtatuunt, pro numero filiorum & nepotum Noachi *Gen.* X. quos ſecuti Patres Græci & Latini, qui LXXII. faciunt) omnis Geographiæ, ut & Hiſtoriæ, ac Chronologiæ, ignariſſimi deprehenduntur. Nos juxtà ordinem filiorum Noachi, & qui ex his nati ſunt, *Gen.* X. originem hujuſmodi antiquiorum Populorum, poſt Bochartum, & Doctiſſimos alios Interpretes, ſtatuimus.

JAPHET *Primogenitus.*

Japhet (ex quo in Fabulis nati *Japetus*, & *Neptunus*, ob quæſitas fortè navigatione terras Europæas, & habitatas Inſulas) natu maximus Noachi, *Gen.* X. 21. parens fuit ex Moſe,

1. *Gomeri*, à quo Galatæ ſecundum Joſephum, vel Phryges ſecundum Bochartum. Et ex eo geniti

Askenaz, Ἀσχανάξης Joſepho. Undè Aſcanius lacus, in Bithyniâ, & Aſcanii in Troade Phrygiæ.

Riphat, aliis *Diphat* (ut ד & ר ſæpè confunduntur) undè creduntur eſſe Rebas Bithyniæ fluvius, hinc Paphlagones, & Bithynii.

Thogarma, ad latera Septentrionis; undè Cappadoces, Cilices, Galatæ; Euſebio, Thogarma eſt *Armenia*.

2. *Magogi*, quem Prometheum credit Bochartus, Caucaſo affixum; Ex quo *Scytharum* populi, & in his Parthi, Tatari, Turcæ, Chatæi ſeu Seres, Sinenſes. *Terra Gog & Magog*, in Scripturâ eſt propriè Scythia ad *Caucaſios* montes, qui ex *Gog* videntur appellati.

3. *Madai*, à quo Medi, ex his Sarmatæ Medorum ſoboles, ad Mare Caſpium.

4. *Javanis*, non unius gentis conditoris, quem Græci *Jovan*, (undè *Jon*, *Jones*, invitis aliis) ex quo ſcilicet geniti,

Eliſha, undè Elis & Peloponneſii; ſecundum alios Æolis, juxtà Joſephum Hellas.

Tarſhiſh, Tarſis, Tarteſſus, à quo Iberes, Hiſpani ex Euſebio, aſſentiente multis Bocharto. Joſephus

Digitized by Google

ſephus de *Tarſo* Ciliciæ intellexit; alii *Macedoniam* metallis divitem, maluerunt.

Chittim, Chetim, à quo aliis Macedones; vel Cyprii ut Joſepho; Aliis Latini; & Itali, ut Bocharto poſt Euſebium, Cedrenum, &c. quem vide *Phal.* L. III. C. V.

Dodanim, Græcis *Rhodanim*, (permixtis ד & ר) à quo crediti Rhodanenſes ſeu Galli, Celtæ, ad oſtia Rhodani factâ extenſione. Quos alii ad Iſtrum, ubi Mœſia, Superior & Inferior, locant.

5. *Tubal*, à quo creduntur Tibareni, ſeu Chalybes, Cappadociæ gens, cum vicinis populis, ad Colchicos & Moſchicos, ſeu Caucaſios, montes. Vide Bochartum. Joſephus *Iberos* interpretatur.

6. *Meshech*, cum *Tubal* plerumque junctus, & cum *Rhos*, *Ezech.* XXXVIII. 2. A quo videntur profecti *Moſchi*, Ruſſi, Roxolani, & vicinæ ac conterminæ Gentes, indè à Colchicis montibus.

7. *Tiras*, *Thiras*, à quo Thrax, Thraces, etiam his vicini Mœſi, Pannones, &c. Non abludit Joſephus, Græcos indè formaſſe Θεῆκας.

SEM *Secundo-genitus.*

Sem (qui & *Simmas*, & *Pluto* in Fabulis, an quia Deorum & Idololatriæ oſor) filius ſecundus Noachi, genitus anno Patris 502. Parens fuit, ex Moſe,

1. *Elami* ſeu *Helam*, undè Populi Perſici *Elamitæ*, *Elymæi*; qui poſteà *Perſæ* à Cyri temporibus.

2. *Aſſur*, undè Aſſyrii ultrà Tigrim: Quam in regionem poſteà ingreſſus *Nimrod*, condidiſſe putatur eam urbem, quæ *Ninives* nomen accepit.

3. *Arphachſad*, undè Arphachſaditis, quam poſteà Chaldæam laxiùs dixêre; Ptolemæo *Arrapachitis*. Ex hoc

Salah, à quo *Heber*, pater Hebræorum uti pater *Pelegi*, ſub cujus nativitatem נפלגה *dividi* cœpta eſt terra, inter filios Noachi. A quo fuêre, *Rehu*, *Serug*, *Nachor*, *Therach*, *Abraham*, *Gen.* XI. Sed & pater idem *Jocktanis*, Jectanis, *Cahtan*, à quo Arabiæ Felicis populi, qui dicti *Amanitæ*, (aliàs *Jemanitæ*) & *Homeritæ*.

4. *Aram*, à quo *Aramæi*, gentis univerſæ Syrorum Pater, quæ latè patuit. Nec confundendus alter *Aram*, ex Nachore, *Gen.* XXII. qui pater Syrorum, nempè unius Tribus in ea Gente, uti pater hic Uz, *Buz*, *Cheſed*, &c.

5. *Lud*, à quo *Lydii*, Aſiæ Minoris populi, ad Mæandrum, *Ludorum* inventores; tùm *Mœſi* vel *Myſi*, *Cares*, &c. Non confundendi *Ludim* ex Mizraimo geniti, id eſt, *Æthiopiæ* populi.

CHAM *Minimus natu.*

Cham (qui in Hammonem, vel Ammonem abiit) pater Africanarum Gentium, & Cananæarum, quæ Ægyptiis ad Septentrion. & Mare conterminæ. Ex eo

1. *Chus*, cui ſedes non in Æthiopiâ, ſed in *Arabiâ* fuiſſe, multis Bochartus, *Phaleg Lib.* IV. C. II. Et ſanè pater nobiliſſimarum in Arabia, & vicinis huic regionibus, Gentium; Quibus *Suſianos* vel *Chuſianos* annumeres; & quoque ad occaſum Madianitas qui *Cuſchæi*, *Num.* XII. I. Ab hoc enim *Havilah* vel *Chavilah*, *Seba*, *Rhegma*, *Sabta*, *Sabtheca*, *Nimrod*, qui in Campeſtria Babyloniæ ſeceſſit, fortis venator, invaſurus tyrannidem. Ex Rhegma rurſus *Sceba* & *Dedan*, diverſus à *Dedan* Abrahæ nepote, *Gen.* X. 7. Ex tractu autem vicino Mari Perſico, ubi hi conſedêre, facilis in Indiam navigatio fuit.

2. *Mizraim*, à quo Ægyptus nuncupata, quæ & מצור *Maſor* in Sacris. Hinc Μέςη, Meſoris, Veſoris; eadem quæ & *Chamia*, & Ἀμμώνια regio, ut videtur à Chamo. Miſraim verò idem qui poſteà *Oſiris*; quanquàm hoc nomen pluribus tributum. Ex hoc לודים ſive *Æthiopes*, Patroſim ſive *Thebais*, &c. *Gen.* X. 13. 14. Etiam *Caſluchim*, & *Caphtorim*, vulgò Cappadoces; de quorum coloniis, verſus Colchos, & Aſiæ illam partem quæ ad Pontum Euxinum eſt, vide Bochartum, *Lib.* IV. C. XXXI. XXXII.

3. *Phut*, vel *Put*, undè & Libes (לחבים) Afri, Mauritani, ad mare Atlanticum; Multis & *nominis* Put veſtigiis apud Bochartum, qui cum Mizraimo Africam partitus ſit, *Lib.* IV. C. XXXIII.

4. *Chanaan*, magnâ conſenſione Chananæorum ac Phœnicum pater, quorum appellationes promiſcuæ apud τοὺς LXX. Indè præter *Cananæos*, qui nomen retinuêre, XI. *Gentes* natæ, Phœniciæ omnes: Puta *Sidonii*, *Hettæi*, *Jebuſæi*, *Amorræi*, *Gergeſæi*, *Hevæi*, *Arkæi*, *Sini* vel Sinæi, *Arvadæi* vel Aradii, *Tſamaræi* qui diverſi à שומרנים Samaritanis, denique *Hamathæi* terræ Hamath incolæ. *Philiſtæi*, ad oram maritimam, Ægyptiorum videntur coloni, æquè ac Caſluchim, *Gen.* X. 14.

III. *Conſervatio Eccleſiæ, in Familiâ Semi: Patriarchæ, qui à Noacho ad Abrahamum.*

I. Conſervata autem fuit *Eccleſia* in familiâ *Semi*, *Gen.* IX. 26. quemadmodùm *dignitate* hinc recenſione primi, *Gen.* V. 32. IX. 18. X. I. ſic plurimis *ætate* (ſecundùm Veteres pleroſque, & Scaligerum, Calviſium, Petavium, item Vulgatum, Syrum, Arabem, Samaritanum) primogeniti, etiam ex loco, *Gen.* X. 21. Joſephus facit Semum *tertium* ex Noachi filiis. Aliis tamen cenſentibus *medium* inter Japhetum & Chamum, ex locis *Gen.* IX. 24. XI. 10. collato cum *Gen.* V. 32. & VII. II. Unde colligi videtur natum Semum, qui biennio à Diluvio centenarius fuit, anno Noachi 502. qui gignere cœpit anno 500. *Gen.* V. 32. XI. 10. Et ſic conſtruuntur aliter verba, *Gen.* X. 21. ut ſcil. frater dicatur *Japheti majoris*, הגדול, in caſu obliquo. Quemadmodum Cham vocatur בנו הקטן *filius Noachi parvus*, id eſt, minimus. Et huic Semo facta promiſſio, Deum fore illi *in Deum*, quæ formula Fœderis, additâ *benedictione*, & vaticinio luculento, *ſerviturum illi Chanaanem*, *Gen.* IX. 26. 27. Ex quo naſciturus Abraham fuit, à Semo decimus ſecundùm Hebræos Codd. *Gen.* XI. 10. 27. & Joſephum. Sem quoius inter filios Noachi Eccleſiæ Parens.

II. Hiſtoria *Patriarcharum* qui inter Noachum & Abrahamum medii. Quò referuntur, vel inprimis, I. *Genealogica* difficultas, occaſione *Caimanis* inter Arphaxad & Selach, inſerti Verſioni Græcæ, & hinc contextui Lucæ, *Luc.* II. 21. taciti Hebræis, Chronicorum Scriptori, Beroſo, Joſepho Ἀρχαιολόγῳ, Africano, Euſebio &c. Vide Canonem meum Chronicum *Epochâ* II. Hiſtoria Patriarcharum à Noacho ad Abrahamum.

2. *Chronologica* difficultates, in annis horum Patriarcharum, ex diverſo calculo Græcorum, Samaritanorum, Joſephi Hiſtorici; ut in Tabulâ ſuperiore viſum, & Canone Chronico, quem exhibemus *Chron. Sacra* P. II. col. 223. 224.

3. *Semi* memorabilia, cùm authoritate tùm longævitate conſpicui, vitâ *quingentis* poſt cœptum Diluvium annis productâ, *Gen.* XI. II. Ut paucis ſic fatis annis ſuperſtes illi Abraham fuerit, nato pridem Iſaaco. Et hinc opinio nata, hunc *Melchizedecum* fuiſſe, quæ Judæorum ab antiquo fuit, & Paraphraſtæ utriuſque Chaldæi, adoptata dein Chriſtianis pluribus: Quamvis invitâ Hiſtoriâ, & Paulo, Melchizedecum *genus ducere* idem cum Hebræis, inficiato, *Hebr.* VII. 6.

4. *Heberus* ipſi Abrahamo ſuperſtes, *Gen.* XI. 16. 17. à quo veroſimiliter *Hebræorum* linguæ & genti no-

Digitized by Google

nomen; cœptâ diviſione terræ mox à filii ejus nativitate, *Gen.* x. 24. anno à Diluvio 101. Quæ *diviſio* non confundenda eſt cum natâ poſt *confuſione* & diſperſione, in ædificatione Turris Babel, *Gen.* xi. 8. Videtur autem Hebræorum lingua in Heberi familiâ purior remanſiſſe; quæ res pluribus à variis diſcuſſa. Quicquid ſecùs Viri magni ſentiant, ac quoque Doctiſſ. Huëtius, qui vult linguam Hebræorum eandem fuiſſe cum *Chananæâ*, ex quo Abraham illam terram incoluit, antè Chaldaicâ uſus. Cæteræ Gentes extrà familiam Heberi, (ex quo Abraham migravit ex Ur Chaldæorum) *Noachidarum* nomine Hebræis veniunt.

Hebræi ab Hebero.

Errant qui Hebræorum gentem appellatam volunt עברים, quaſi trans Euphratenſes, qui אנשי מעבר נהר 2 *Sam.* x. 16. Solus enim Abraham indè oriundus, non gens, non poſteritas. Veriùs quaſi בני עבר *filii Heberi*, ut hic ex patre Semo, *Gen.* xi. 21. Et ab עבר dicti עברים, ut ab *Iſraële* Iſraëlitæ, à *Judâ* Judæi, ab *Iſmaële* Iſmaëlitæ, &c. Quales & dicuntur *Heber* ſimpliciter, à patre Gentis, ut Juda, Iſraël, *Num.* xxiv. 24. Et ità quoque præter Veterum alios, Arabes Hiſtorici, Batricides, Abul-farajus, &c. Ab *Hebero* conditam eſſe *Hebronem* quidam voluerunt, affinitate nominum decepti, quum hæc ſit חברון.

5. *Sarugus* à Semo ſeptimus, ad cujus ætatem *Simulachrorum* & *Idolorum* cultus religioſus, inter Babylonios, ex antiquâ Orientalium traditione, referri conſuevit. Et ità Euſebius in *Chronico*, Epiphanius in *Panar.* Joh. Antiochenus, Beda, Iſidorus, Cedrenus, Suidas, &c. quam diverſimodè rem explicant. Antè Serugum ortum vult Epiphanius *Hær.* LI. Σκυθισμὸν, poſteà Ἑλληνισμὸν ad Abrahamum uſque; nullâ earum appellationum ratione ſatis notâ. *Sarug* ſanè pater Nachoris, avus *Therachi* fuit, quo tempore Idololatria jam inter Chaldæos irrepſerat, de quâ poſteà. *Abrahamum* verò natum anno Patris demùm 130. primum licet ordine recenſionis, in Chronologicis aſſeritur. Mittimus jam innumeras Judæorum & Orientalium de Patriarchis Chaldæis fabulas, quas hic locus non capit, & ex laudatis antè Nominibus repeti poſſunt.

IV. *Corruptio Eccleſiæ, initia, & progreſſus.*

HIc rurſùm ſummatim obſervare eſt:

Chamitarum corruptio.

I. *Initia* corruptionis in *Chamo* ipſo, ut in Patrem impio, ſic haud dubiè in Deum. Hinc is Magiæ author Judæis creditus, Gentilibus *Hammon* Patrem execans, quod per Magicam ἐπαοιδὴν ſeu incantationem factum, etiam Magiſtri tradiderunt: *Factus ſervus fratribus ſuis, & poſteri ejus Cophtitæ, Nigritæ, Æthiopes, & Barbari*, ait Batricides in Chron. Et Eximius Poëta Bartaſius Hebdom. *P.* II. *Lib.* I. Chamum introducit contrà Parentem ità diſſerentem, *Deus non gerit curam hominum, non eſt affectibus obnoxius, non iraſcitur, non placatur. Caini* hæreſes & damnatos errores, ſi non ipſe, ejus certè filii & nepotes, revocarunt. Chamum verò Patri Librum ex Arcâ ſurripuiſſe, qui de Magiâ Naturali ageret, figmentum eſt Rabbinicum.

II. *Progreſſus* in Chami Nepotibus, *Gen.* xi. 5. *Nimrodi* potiſſimùm auſpiciis, Chami ex Chuſo nepotis. Hic *ex Oriente* ſeu trans Tigrim regione Orientali, profectus, *Gen.* xi. 2. & Arabum ſuorum copiis adjutus, gradum ſibi fecit ad Imperium, initio regnandi facto in campeſtribus *Sennaar*, ſeu Babyloniæ, *Gen.* x. 10. xi. 2. 9. *Dan.* I. 2. Sub quo molitio Turris, ſeu arcis excelſæ & munitiſſimæ, initia Babelis quæ poſteà Babylon, & fundamenta Tyrannicæ dominationis. Sed & *confuſio* illa *labii*, quâ ſibi invicem facti ſunt ἀλλόγλωσσοι, *Gen.* xi. 8. Præceſſerant tamen coloniæ Noachidarum, & *diviſio* illa *terræ*, *Gen.* x. 21. A quâ Nimrodum vix regnare cœpiſſe niſi *ſeſqui* poſt *ſeculo*, quando ex Chuſeſtanâ regione fluvium ſuperavit, alibi oſtendimus, ubi de Epochâ Imperii Aſſyriaci, & Babylonici. Hinc diſperſis magis magiſque Populis, crevit confuſio ac multitudo Linguarum, ſic profanatio Religionis, hinc non unius *Idololatriæ* origines. Errat Joſephus, dùm tradit *Lib.* I. C. v. Nimrodum opem ſuam obtuliſſe, in ædificandâ *Turri*, excelſiore quàm quò aquæ pertingere poſſent, contrà minas novi Diluvii inferendi. Nec enim Diluvii ampliùs erat metus, *Gen.* ix. 11. neque in *campeſtribus*, ſed in excelſo monte, ſtruenda turris fuiſſet. Quid ſibi voluerint verba, נעשה לנו שם *faciamus nobis nomen*, פן נפוץ *ne diſpergamur*, ambigunt Interpretes. Alii quæſitam nominis famam, aut gloriam; alii *facere nomen*, id eſt, Deum, Idolum; alii, eſſe ponere nomen alicubi, ut ab habitatoribus locus ille appelletur; alii pro שם ſuſpicati legendum אם *matrem*, id eſt, metropolin; alii aliter. Sed omnes quæcunque ſunt Verſiones habent, *faciamus nobis nomen*; quamquàm ſequentia, *ne diſpergamur*, reddunt LXX. & Latinus, πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς, *antequam dividamur*. Quid ſi שם redderetur *ibi*, *illic*? *Ædificemus nobis urbem, & turrim*, inſignem altitudine, & *faciamus nobis illic*, ſupple urbem, & turrim jam dictam, (pleonaſmo familiari) vel habitationem aut ſedem fixam, (ellipſi nominis non inſuetâ) *ne diſpergamur*. Sed fruatur quiſque ſuo arbitratu. Ejus autem altiſſimæ molis, quæ poſteà dicenda *Babel*, *Gen.* xi. 9. (hæc tandem abitura in *Babylonem* apud Græcos, de quâ iidem multa fabulati) credidit ſupereſſe hodie veſtigia & rudera, poſt Benjaminum Tudelenſem, A. MCIII. *Petrus à Valle*, Itin. P. II. C. XII. & cum eo Kircherus de *Turri Bab.* Lib. II. C. x.

Semitarum corruptio.

III. *Propagatio* in ipſam *Eccleſiam*, & in familiam Semi; Nachore ipſo avo Abrahami, & Tharâ patre, ex parte Idolis addictis, ut colligitur ex Cap. *Gen.* xxxi. 53. *Joſ.* xxiv. 2. Ut tamen non tàm in *objecto* cultûs, quàm in *modo* ejuſdem ſuperſtitioſo peccaverint. Haud tamen pollutis hac labe, ex. gr. ſuperſtite adhuc Noacho, vel Semo, vel Hebero, quibus trans fluvium Euphratis in Meſopotamiâ & Chaldæâ ſedes, *Joſ.* xxiv. 2. *Semo* fruſtrà in Cananeæ Regulum, (*Melchizedecum* ſcilicet) à Judæorum Magiſtris, magniſque Theologis, converſo. Quâ de re nos alibi.

V. *Synchroniſmi Hiſtoriæ Exoticæ.*

I. UT *Fabulis* nonnullis Ægyptiorum, Phœnicum dederit originem Hiſtoria Diluvii, Noachi, trium Filiorum, in ſpecie Japheti, Chami, Nimrodi, Turris Babylonicæ, &c. pluribus eſt à Viris Doctis enarratum, Voſſiis præcipuè, & Bochartis. Sic & *Hiſtoricæ* quædam Origines ad hanc Periodum referuntur.

Res Ægyptiorum.

II. Certè huc ſpectant *Ægyptiacæ* origines, ſeu initium *Dynaſtiarum*, indè à Chamo, Mizraimo, & filiis, ſed mutandis in Hammonem, Ἄμμων, *Thamum*, Oſiridem, Menem, Athothem vel Taautem, Herculem, &c. Hac Periodo & *Thebas* Ægyptias conditas ferunt, κτίσμα Ὀσίριδος ἢ Ἴσιδος, quæ & Διόσπολις, & ἑκατόμπολις, undè *Thebais* dicta, cujus caput *Thebæ*, ad Orientalem Nili ripam. Et hæc antiquiſſima Ægyptiorum Dynaſtia fuit, cujus Rex primus Μένης *Menes*, multis idem qui in Scripturâ מצרים *Mizraim*, aliàs *Oſiris*; cujus regnum Georgius Syncellus ſub initia ferè nati Phalego Rehu vel Ragau ponit. *Athothes* filius illi ſucceſſit, qui ipſe eſt Θωὺθ vel Θὼθ Ægyptiorum, etiam Thautus, Theutates, Ἑρμῆς Græcis, literarum vulgò

Digitized by Google

gò inventor, uti & Aſtrologiæ, & Cultûs Deorum, hinc ſapientiæ & eloquentiæ omnis præſes. De quo Diodorus Sic. *Lib.* I. Euſebius *Præparat. Lib.* I. Clem. Alexandr. *Strom.* I. &c. Succeſſit illi *Athothes* II. Menis nepos, circà Rehu tempora, & Serugi nati. Et hi tres in *Deos* abiverunt, adauctâ ſuperſtitione, & natis fabulis. *Memphim* ſuperioris Ægypti, in Occiduâ Nili ripâ, Herodotus *Lib.* II. itidem à primo Rege conditam dicit; alii recentiorem faciunt, & in his Euſebius in *Chron.* ab Ape ſcil. Rege conditam, Joſepho jam nato. Hîc regnaſſe fertur *Toſorthrus*, qui Ἀσκληπιὸς *Æſculapius*, diviſis poſt Menen Dynaſtiis, Thebanâ & Memphiticâ, Anatomices vulgò & Medicinæ inventor, ut pluribus Clem. Alexandrinus L. I. *Strom.* quod & de Athothe retulerunt. Alius eſt Æſculapius Græcorum, qui ſocius fuit Jaſonis in Argonauticâ Exped. ex Apollonio Rhodio. *This* verò altera urbs Ægypti, ad Occiduam itidem ripam, propè Abydum, ubi *Thinitarum* Reges, ſive à *Mene*, ſive ab *Athothe* I. ejus Filio, aut *Athothe* II. ejus nepote condita: Nam iidem *Thebani* & *Thinitæ* primò fuêre Dynaſtæ, poſteà diviſi. *Tanis* Inferioris poſteà Ægypti Regia fuit, quam dicuntur Paſtores occupaſſe, de quo infrà. Porrò de Fabuloſis Dynaſtiis Chronici Veteris Syncello memorati, Eratoſthenis, Manethonis, Africani, videndis apud Euſebium, & G. Syncellum (qui Africanum in multis exſcribunt, ſed & ab eo diſcedunt, Syncellus præcipuè, novâ ſerie Regum Thebæorum adornatâ, quæ incipit anno M. juxtà Græcos 2900. annis 124. à diviſione Terræ ſub nativitatem Phalegi) dictum aliàs in Chronol. S. *Parte* II.

Sabii. III. Hinc & *Sabiorum*, *Sabæorum*, *Zabæorum* origines, à Sabâ filio Chuſi, *Gen.* x. 7. Ab his antiqua *Arabum* ſuperſtitio, & communis cum illâ Ægyptiorum, quæ ad Chaldæos quoque tranſiit, ut communis ex *Chamo* origo. A quo *Chus* fuêre ut Saba, ſic *Nimrod*, undè Sabæorum horum copiis adjutus, permixtis nempè his Cuſchi poſteris, tyrannidem fundaſſe videtur Nimrod. Arabum & Magiſtrorum fabulæ, de Sabæorum ſuperſtitione tempore Abrahami, habentur apud Hottingerum *Hiſt. Orient. Cap.* VIII. & Spencerum *Lib.* II. de Zabiorum Rit.

Babylonii & Aſſyrii. IV. Præcipuè illuſtres ſunt Origines *Babylonicæ* & *Aſſyriacæ*. *Nimrod* enim eumdem eſſe cum *Belo*, Nini patre, ſtatuimus, Conditore Dynaſtiæ Babylonicæ, ſed & (ſuperato fluvio) Ninives Aſſyriacæ, *Gen.* x. 8. 10. 11. XI. 2. 9. quam dictam veluti נין נוה *Nini habitationem*, ingenioſè pridem Viri Docti. Alii per περίληψιν *Niniven* appellatam volunt. Belo LX. anni tribuuntur, ab aliis LV. abituro tandem in Jovem Babylonium, de quo dictum in Chronol. Sacrâ, P. II. C. VI. Semiramis Aſſyriorum regina, de cujus ætate magnoperè ambigitur, cœptam jam antè ſua tempora in Turri vel Arce Babylonem, munivit, ampliavit, juxtà alios *muris* cinxit, hinc *condidiſſe* Babylonem referunt Diodorus, Strabo, Juſtinus ex Trogo, &c. de quo fusè Bochartus, *Lib.* IV. C. XIV. Quanquam in aſſignandâ ætate Semiramidis magnoperè diſſentiant, quam longè juniorem ſtatuunt plerique recentiores, ſecuti Herodotum; qui & aggeres fluvio coërcendo tantùm Semiramidi tribuit. Dum alii, & plerique ſecuti Euſebium, Syncellum, hinc Cteſiam, & Diodorum Siculum, &c. removent longè ad anteriora, ut Belum, Ninum, ità Semiramidem, quam DCCC. minimum annis anteriorem faciunt Trojanis temporibus, circà initia Abrahami. Iſ. Voſſius v. ferè Seculis *Ninum* facit juniorem *Euechoo*, primo Rege, ſcil. Chaldaicæ originis, qui in Babyloniâ antè Arabas regnarit, juxtà Africanum, ex quo habet in χρονογραφίᾳ Euſebius, & G. Syncellus. Uſſerius Armachanus, quem ferè ſequuntur recentiores, ex uno ferè Herodoto, Ninum, hinc Semiramidem, *mille* propè annis juniorem facit. Quâ de re diximus in Chronologicis. Nec de *Semiramidis* ætate, magnoperè contendimus, de quâ fabuloſa multa & abſurda; & quam confudiſſe videntur aliquando Hiſtorici, & ipſe Porphyrius, cum *Atoſſâ* filiâ Belochi, XVIII Aſſyriorum regis, quæ & Semiramis dicta juxtà Euſebium, *Num:* DLXXXIII. ad tempora Othonielis. De quo Photius *Cod.* CLXXXVI. in *Conone*, quem, *quicquid alii Atoſſæ Aſſyriæ tribuerunt, ad Semiramidem omnia retuliſſe*, ſcribit.

V. Adde Origines *Phœnicias*, à Chanaane, & Filiis XI. unde Sidonii, Chettæi, Jebuſæi, Girgaſchæi, &c. *Gen.* x. 15. De quibus prolixè Bochartus, & nos in *Geogr. S.* Phœnices, Sicyonii, &c.

In Græcia ſeu Peloponneſo, antiquiſſimi *Sicyonii*, ex Euſebio & Hiſtoricis, *Nino* tum juxtà eoſdem in Aſſyria regnante, *Ægialeo* (ut ferunt) rege primo, à quo Peloponneſus dicta primitus Ægialea. Et quidem, ut Euſebius in Chronico, ante natum Nachorem, avum Abrahami. Sicyonii regni antiquitatem prædicat quoque Auguſtinus, de Civit. Dei L. XVI. C. XVII. Quam tamen alii rejiciunt, tùm quod Inachus & Phoronæus Regum vetuſtiſſimi habeantur, ἀρχέγονοι; tùm quod Sicyon, Pelopis filius, prius Rex Sicyone, quàm Pater Argis fuiſſe memoretur. Sycion urbs fuit Corintho ad Occaſum. Sicyonii poſteà Argivis paruerunt.

VI. *Scythicarum* autem & *Gothicarum* Gentium maxima eſt antiquitas, parentibus haud longè à Diluvio, & à diviſis inter ſe poſteris Noachi, *Japeto*, & hujus filiis *Magogo*, *Madai*, *Tubale*, *Tyras*, *Meſchech*. Ab his indubium ortos eſſe Scythas, Sarmatas, Ruſſos, Maſſagetas, Thraces, Iberos, Colchos, Tataricas Gentes, & in his Chatæos, Seras, qui dein Chinenſium Imperium fundarunt. Vide ſuprà *Cap.* II. Ac præter Bochartum in Geogr. Sacrâ, cujus ingenioſæ & doctæ ſemper conjecturæ ſunt, de his conſulendi etiam Phil. Cluverius Germ. Antiquæ *Lib.* I. Wolf. Lazius, de Originibus Gentium, & qui de Originibus Americanis, aut de Sinenſium Hiſtoriâ & Chronolog. aut de antiquitatibus Gothorum, Gallorum vel Celtarum veterum, Latinorum, &c. commentati ſunt. Quicquid verò tradant *Sinenſium* Annales, aliquot ſeculis ſubſidere infrà Diluvium Gentis initia, ſeu Monarchiæ Sinicæ, conſentiunt Eruditi. Primum conditorem ferunt *Fohi*, quem & *Cœli filium* vocant, & Martinius aliique Diluvio anteriorem vellent. Sed Gentis hujus fabulas, & fictam vetuſtatem, ac certiorem Chronologiam Chinenſium indè à Noachi ac Magogi nepotibus, vide apud Coupletum in *Chronol. Sinenſi.* Nam Jeſuitarum hîc fide nitimur. Scythicæ Gentes.

VI. *Ethniciſmi ac Polytheiſmi Origo, Propagatio.*

MOx igitur à deductis coloniis, tum natâ diſperſione Gentium, & confuſione Linguarum, revixit Idololatria, atque Ethniciſmus pullulavit. Hæſêre ſanè unius Numinis, Cœli Terræque Domini, ſub *Jehovæ*, *Adonis*, *Baal*, *Beli*, *Melechi*, &c. antiquis nominibus, altè impreſſa veſtigia. Interim Ethniciſmus & *Polytheiſmus* ſenſim exortus, cujus ſequentes fuere gradus, prolixius aliàs illuſtrandi.

I. *Solis Lunæque*, Planetarum principum, admiratio primùm, tùm & cultus religioſus, ſeu *adoratio*, manu ori admotâ, inclinato capite, qui vetuſtiſſimus adorationis ritus, *Job.* XXXI. 26. 27. Hos putarunt Deos ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, apud Diod. *Lib.* I. Variis tandem ſuccedentibus in eo cultu cerimoniis, Templis, Statuis, Aris, Sacrificiis, &c. Cum pri- Gradus diverſi Polytheiſmi, cauſæ variæ.

primis apud Ægyptios, de quibus præ cæteris Diodorus Sic. vel Clemens Alexandr. in Stromatum libris; in recentioribus Ger. J. Voſſius, Seldenus, Herbertus, Marſhamus *Sec.* IV. alii plurimi. Mox victimis etiam *humanis* placari poſſe cenſuerunt, undè ἀνθρωποθυσία Ægyptiorum, ex Diodoro Sic. Phœnicum in Molochi Sacris, ac Gentium aliarum.

II. *Planetarum* reliquorum, ut Mercurii, Veneris, *Siderum*, *Cœlique* totius Apotheoſis, *Deut.* IV. 19. *Jer.* VIII. 2. Cernebant cætera omnia, in Mundo ſublunari, ut ortui ſic interitui obnoxia. Et facile ſibi perſuaſerunt, quos haberent pro diis, hos & vitâ, & intelligentiâ eſſe præditos. Hinc & *Cœlum* animatum, undè *Deus Cœlus*, ſummus Deorum, ob ejus vaſtitatem, ſublimitatem, perennitatem.

III. Hinc deſcenſus ad orbem inferiorem, & variis ſub nominibus Divinitas adſcripta *Telluri* ut Cœlo nuptæ, & antiquæ *Mari*, quam & Rhëam, Opem, Veſtam dixêre, undè Dii γαμήλιοι. Tùm *Oceano*, *Nilo*, *Aquis*, ut paſſivis generationis principiis, & undè ſibi vel *utilitatem* pollicerentur, vel *exitium*. Hinc *Igni*, ob virtutem activam, etiam purgandi & expiandi vires; undè *Ur* Chaldæorum, quod & lucem & ignem denotat, ex eo Græcorum πῦρ: Ægyptiis ſub nomine *Vulcani*, de quo fabulæ, cultus. Poſtea & *Aëri* adſcripta divinitas, ob vaſtitatem illius, & neceſſitatem, quem non cogitare poſſemus, at neutiquam non ſpirare, abituro in Græcorum *Jovem*. Tandem & divinitas tributa *Nubibus*, *Ventis*, *Imbribus*, *Fulguribus*, omnibus denique undè aliquis ad mortales ſeu terror, ſeu fructus, Naturæ beneficio, redundare intelligeretur. Quò reſpicit Paulus, ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει, &c. *Rom.* I. 25.

IV. Acceſſit cultus ſeu *Angelorum*, ſeu *Dæmonum*, Inviſibilium ſpirituum, variis ſub appellationibus, affectante honorem Patre mendacii: Moſi ſunt שְׂעִירִים, quod hircorum formam induere Ægyptiis crederentur, *Pan* certè; & שֵׁדִים noxii Spiritus, *Deut.* XXXII. 17. Hi Græcis poſteà Δαίμονες, Dii, Genii, etiam Satyri. Promovit hunc cultum Dæmon falſâ ſpecie *Oraculorum*, quæ dabantur ex antris, ſpeluncis, per occulta ſpiracula, primum inter *Thebanos* Ægyptios, ſuperſtitioſiſſimam Gentem: A quibus ad Græcos fraus ea Dæmonis promanavit, unde poſteà Oracula *Dodonæum*, *Delphicum*, &c. de quibus verbum infrà.

V. Nec defuit *Hominum* Apotheoſis, ſeu *Heroum* cultus, quotquot vel rebus geſtis, vel inventis, vel dignitate, vel fundatione Gentium, vel ſapientiâ illuſtres, quales initio *Noachus*, *Chamus*, *Nimrodus*, *Japhetus*, &c. mox πολυώνυμοι. Deinceps innumeri ubivis Gentium Duces, Legiſlatores, Sapientes, etiam præcellentes Fœminæ. Hinc pro Diis culti Saturnus, Jupiter vel Jovis, Oſiris, Vulcanus, Mercurius, Apollo, Mars, &c. Tùm Iſis, Cybele, Ceres, Minerva, Venus, & aliæ. Et relatis iis ad Aſtra, ut Saturnus, Jupiter, Mars, Mercurius, Venus, &c. communis illis cum *Aſtris* nomenclatura fuit, communis cultus.

VI. Succeſſit, ex mortuorum nimio deſiderio, *Columnarum* primùm, rudiori opere, tùm *Simulachrorum*, *Statuarum*, *Imaginum*, *Idolorum* multitudo, in Deorum ſcil. honorem, tùm & cultus. Hinc totidem rurſus Symbolica Numina, antiquiſſimis apud Babylonios veſtigiis, *Joſ.* XXIV. 2. & Ægyptios, *Herodoti* L. II. Tempus ſignatur circà *Serugi* ætatem, ex *Gen.* XXX. 31. *Joſ.* XXII. & ex Veterum ferè conſenſione Euſebii, Epiphanii, Joh. Antiocheni, Syncelli, &c. Hinc pro diverſitate Gentium, totidem Dii ſeu Dæmonia, totidem Oſirides, Iſides, Beli, Joves, Hercules, Veneres, &c. quot horum ſtatuæ, vel ſimulachra, apud hos vel illos erectæ, Ægyptios, Phœnicios, Cretenſes, Phrygas, Græcos, &c.

VII. Polytheiſmum auxit *Polyonymia* ſeu multitudo nominum, quæ varia unius ſubjecti (puta Solis, Lunæ, Martis, Veneris, &c.) Nomina, Polyonymia.
Cognomina, Epitheta, tandem & ipſa Deos auxêre: Quorum ſunt XXX. mille apud Heſiodum nomenclationes. Hinc Minutius: *Tot ſunt Jovis monſtra, quot nomina.*

Πολυωνυμίας verò cauſæ fuerunt, inter alias, Linguarum diverſitas, v. gr. *Sol* qui *Oſiris* vel *Serapis* apud Ægyptios, idem *Baal* Phœnicibus, *Bel* Chaldæis, *Adonis*, *Elagabalus* Syris, *Mithras* Perſis, *Hammon* Libycis, *Phœbus* Græcis, *Apollo* Græcis & Romanis, &c. *Luna* eadem *Iſis*, & cornuta quidem, *Baaltis*, *Ceres*, *Aſtarte*, *Artemis*, *Ourania*, *Juno*, *Diana*, *Venus*, *Proſerpina*, *Hecate*, *Meliſſa*, *Ilythia*, &c. Ità πολυωνυμίαν effecêre diverſitas munerum, vel virtutum, vel beneficiorum, quæ Diis ſingulis adſcripta, ut *Jupiter* Ἀφέσιος, Ἀκραῖος, Φίλιος, Βουλαῖος, Ἐλευθέριος, Στρατηγὸς, Πάτριος, Πολιεὺς, Πάνδημος, Σωτὴρ, &c. Et ita apud Latinos, *Jupiter* Conſervator, Stator, Depulſor, Militaris, Ultor, Tutator, Victor, Hoſpitalis, Tonans, Serenus, Sponſor, Tutelaris, Salvator, & quæ Epitheta ſunt id genus. Sic *Diana* Lucifera, Segetia, Victrix, Conſervatrix, Felix, Montium Dea, Montium Cuſtos, ut & Cuſtos Virginitatis, &c. Diverſitas etiam locorum in quibus Dii iſti illuſtres, undè v.g. *Jupiter* Ægyptius, Phœnicius, Olympius, Hellanius, Latiaris, Cretenſis, Idæus, Carius, &c. Sic *Apollo* Clarius, Delphicus, Delius, Selinuntius, &c. Sic *Diana* Epheſia, Pergæa, Perſica, & quæ Epitheta illius plura ſunt. Et ſic *Juno*, *Venus*, *Mars*, *Bacchus*, *Hercules*, &c. appellandi à *Locis* quibus colebantur, aut ubi Templa, Aræ, Statuæ, illis erectæ; ut paſſim ab *Eruditis* oſtenſum qui Græcos Poëtas illuſtrarunt, cumprimis (ut confidimus) à Fratre noſtro ſuis Animadvers. in Callimachum, quas propediem expectamus. Æmulatio denique polyonymiam peperit, dùm tanto *Deus* illuſtrior creditus, quanto *nominibus* ornatior, ut hoc Deorum Dearumque privilegium habitum fuerit.

VIII. Quin in Polytheiſmi cauſis, infinitæ ſupremi Numinis *Virtutes*, *Proprietates*, *Operationes*, *Productiones*; undè totidem Dii Deæque, qui quæve ſingulis præeſſent virtutibus, motibus, actionibus, cœptis, effectis, ac eventibus. Adeò nihil ſine Numine, fieri vel naſci intellexerunt, ut poſteà Romani. Ita Dei *ſapientiam* ſub Palladis, *potentiam* ſub Martis, *ſufficientiam* ſub Iſidis vel Cereris, *imperium* ſub Jovis appellatione, &c. venerati ſunt.

IX. Occaſio illi quoque nata ex *Hiſtoriâ Sacrâ*, quâ abuſus Dæmon ad cultum Idololatricum. Undè Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, præ cæteris variæ ſuperſtitiones; quin & Mythologia indè Græcorum penè tota, *Hiſtorias* ſacras vel antiquiores, vel memorabiliores, vertens in Poëticas *Fabulas*. Obviis apud Veteres & Doctos recentiores rei exemplis, uti de Prometheo, Epimetheo, hortis Adonidis, Vulcano, Jano, Deucalione, Saturno & Filiis, &c. Quæ pluribus alibi declarantur.

X. *Confuſio* tandem mira orta in Gentilium Numinibus, quâ factum ut progreſſu temporis *promiſcua* fuerint Dei ſummi, Lunæ, Siderum, Elementorum, Dæmoniorum, Heroum, Facultatum naturalium, Statuarum, Idolorumque nomina. Undè tandem deprehenſi *Joves* (teſte ex Varrone Tertulliano, *Apolog.* c. XIV.) *trecenti*, ne dicamus *Saturnos*, *Veneres*, *Martes*, *Mercurios*, *Apollines*, *Hercules*, *Bacchos*, *&c.* qui ſinguli plures fuerunt, omnes propemodùm ſine numero.

Hæc

Digitized by Google

Hæc de *objecto* Gentilis cultûs. *Modus* jam antiquiſſimus in ritu adorationis Orientalium more; in ritibus Sacrificiorum, Oblationibus, Holocauſtis, Altaribus, Excelſis, Delubris, Feſtis, &c. Mimicâ æmulatione cultûs Patriarchici, ſed degeneraturi in fœdas ſuperſtitiones. Verùm de Ethniciſmi progreſſu, plura ad Epocham ſequentem.

VII. *Modus Inſtitutæ Eccleſiæ. Fabulæ Sibyllinæ.*

Verbum ἄγραφον.

I. Coronidis loco obſervamus *modum inſtitutæ* tùm Eccleſiæ. Hîc Verbum ἄγραφον, Apparitiones, vivæ Voces, Oracula, Viſiones, Somnia, Figuræ, Typi; Relatè ad Chriſtum omnia, venturum illud *Semen*, verum Eccleſiæ *Noachum*, hinc relatè ad ſacrificium Chriſti, ejuſque ſanguinem. Sed hoc Theologicæ demonſtrationis eſt.

II. *Scriptioni* utique jam tùm locus, & uſui *literarum*, quibus caruiſſe hos Patriarchas veriſimile non ſit. Multa quidem varii tradiderunt, quanquàm vaniſſima illa, de literis *Adami*, *Sethi*, *Henochi*, tandem *Noachi*, cujus Alphabetum ad Etruſcum accedat; earumque figuras exhibuerunt, *J. Bonaventura Hepburnus* Scotus, *Angelus Roccha* Romanus, *Ambroſius Theſeus* Papienſis, *Annius* Viterbienſis, aliique; Certum tamen eſt Noachum & Filios habuiſſe uſum Literarum, quæ cum Linguâ primævâ conſervatæ in familiâ Semi, mox (obortâ confuſione) totidem evaſerint, quot Linguæ. Exhibuit *Alphabetum* Primævum Edw. Bernardus, quod fuerit ut *Adami*, ſic poſteà *Noachi*, *Nini*, *Abrahami*, &c. id eſt, Phœnicium & *Samaritanum*. A quo ſenſim efformatæ ſint literæ & characteres Chaldæi, Syriaci, Judaici, Arabici, Indici, Malabarici, Cadmæi ſive Jonici, Attici, Latini, Coptici, Æthiopici, &c. De literis ſacris aut Hieroglyph. Ægyptiorum, plura Athanaſius Kircherus. Sed quicunque Scripturæ tum uſus, ſcriptio adhuc omnis humana, in uſus privatos, privatas obſervationes, inſtitutiones, adverſaria. Rejicimus *apocryphas nugas*, Noachi Librum, Chami Prophetiam, Abrahami Revelationem, Teſtam. XII. Patriarcharum, &c. quorum Veteres paſſim meminerunt, & Poſſevinus, Sixtus Senenſis, alii.

Sibylla Erythræa commentitia.

III. Inſigne verò, præ reliquis, figmentum eſt perſonatæ *Erythrææ*, Lib. I. & III. Carminum Sibyllinorum, fingentis ſeſe *nurum Noachi*, ejuſque de ſanguine natam, quæ cum Marito, & Socero, & Affinibus in *Arcâ* fuerit, Diluvii ipſamet univerſalis teſtis, cujus & Hiſtoriam enarrat.

Hinc *ſcripta* hac ætate forent ea Carmina, ſi quæ Erythrææ iſti fides, ut nimiam illis habuit Chriſtiana Antiquitas. Habuit enim pleraque pro fatidicis ac genuinis *Sibyllarum* oraculis, nata utpotè firmandæ Chriſtianæ fidei, Ethnicis convincendis, Idololatriæ arguendæ. Quanquàm aliàs Sibyllarum nullam Moſe, ſcriptorum primo, antiquiorem eſſe profeſſi ſint Juſtinus, Tatianus, Clem. Alexandrinus, reliqui. Joſephus *Antiq.* L. I. C. V. Hiſtoriam de ædificatoribus Turris Babylonicæ, refert tanquàm ſub *Sibyllæ* alicujus nomine vulgatam.

Νοθεύσεως *Oraculor. Sibyllin.* tot ſunt indicia quot voces, ut ad Hiſtor. N. T. Sec. I. & II. pluribus demonſtratur. Fraudem arguentibus fictâ antiquitate; linguâ Græcanicâ; argumento Evangelico; ſtylo non referente Sibyllæ folia; diſpoſitione, citra Acroſtichidas, qualibus Acroſtichiis perpetuò diſtincta fuêre priſca Sibyllæ Poëmatia; ad hæc mendaciis, erroribus, enthuſiaſmis; tum ſilentio de his Scripturæ, ut & Paganorum veterum, ac Joſephi Hiſtorici; & Patrum tandem facili credulitate. De quibus præ cæteris David Blondellus, Tractatu de *Sibyllis*, multa in hoc nuper caſtigante Iſaaco Voſſio, Libro de *Oraculis Sibyllinis*. Sed qui ipſe nimium ſibi ſapit, dum Oracula vulgò Sibyllina, id eſt, ſub Sibyllarum *Erythrææ* & *Cumeæ* nomine vulgata, (undè iſtud promanarit tempore captæ à Pompejo Hieroſolymæ, *Regem Populo Rom. Naturam parturire*, de quo Suetonius in Auguſto C. XCIV.) vult à Judæis eſſe profecta, paulo antè adventum Chriſti. Qui ſcil. convicti ex LXX. ſeptimanis Danielis, ex Oraculo Jacobæo, *Gen.* XLIX. &c. Carminibus id genus vulgarint finem Regni Judaici, deſtructionem Hieroſolymæ, everſionem Idololatriæ Gentilis, Inſtaurationem Templi, &c. Quod an cum hypotheſibus Judæorum illius temporis quadret, nos aliàs.

EPOCHA TERTIA,

A Vocatione Abrahami, ad Exitum ex Ægypto.

I. *Duratio hujus Epochæ.*

Epilogiſmos annorum varios eſſe, pro variis Hypotheſibus Chronologorum, & S. Scripturæ interpretum, in Chronol. Sacrâ oſtendimus. Prout annos 400. Peregrinationis *Gen.* XV. 13. numerant alii, à nato Iſaaco, alii à deſcenſu Jacobi; ſic annorum 430. *Exod.* XII. 40. *Gal.* III. 17. non unum initium figitur. Hos enim alii putant ab anno Abrahami 70. quando migrare primùm juſſus fuerit; Alii verius ab anno Abrah. 75. quo migravit Harane, *Gen.* XII. 1. 4. confirmante Joſepho: Pareus ab anno Abrah. 85. ſeu ab anno κεκυρωμένης διαθήκης, ex *Gen.* XV. & *Gal.* III. Alii eunt in alia omnia, ut ſuprà viſum eſt *Canone Epochæ* III. *P.* II. Chronolog. S. Certè ab egreſſu ex Charane, ad Nativitatem Iſaaci, centenario Patre, fuerunt anni —— 25.

A nato Iſaaco, ad natum illi Jacobum, *Gen.* XXV. 7. 8. anni —— 60.

Hinc ad deſcenſum in Ægyptum, *Gen.* XLVII. 9. anni —— 130.

Fiunt, magnâ hactenus conſenſione, à migratione in Terram Canaanis, ad deſcenſum in Ægyptum, anni —— 215.

Nunc moram in Ægypto ad Exitum, Moſe Duce, variè definiunt Hiſtorici & Chronologi, ac fallunt rurſum in Joſepho Hiſtorico numeri. Nos definimus cum pleriſque & accuratiſſimis Chronologis, ut in Canone noſtro Chronico, annis —— 215.

Et ſic exurgunt anni tum παροικίας in terrâ alienâ, tum *ſervitutis* in Ægypto, conſentiente Moſe, *Ex.* XII. 40. —— 430.

Anni verò 400. definiti *Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6. inchoandi demum à nativitate *Iſaaci*, & numerum rotundum exprimunt, qui reverâ fuit annorum 405. quod vidit Beda. Alii putant ab Anno *Iſaaci* 5. & reſtrictâ *promiſſione* ad hujus ſemen.

II. *Vocatio Abrahami, modus, & tempus.*

Antecedanea vocationis.

Quò referuntur I. *Antecedens conditio* Abrahami, Tharæ ſcil. filii, à Semo decimi, in Chaldæis (quod cùm Gentis tùm Profeſſionis nomen eſt) nati & educati; Et Chaldæorum primò ſuperſtitioni, vel Arabum, (Zabiorum, Sabæorum, dicunt Orientales) atque Idolorum cultui addicti, *Joſ.* XXIV. 2.

Ut locus non ſit *Talmudicorum* fabulæ, ipſius Majemonidis, Abarbenelis, quam adoptarunt Muhammedani, imò Vulgatus, *Neh.* IX. 7. & cum eo Hieronymus, Auguſtinus, Latini alii: Nempè de Abrahamo detrectante Idolorum cultum, hinc in fornacem *ignis* à Chaldæis conjecto, ſententiâ Nimrodi, ſed miraculosè & ex *Ur* ſeu *igne* illo Chaldæorum educto, ſine læſione. Quum tamen non Abraham ſolus ex *Ur Chaldæorum* exierit, ſed & Therach pater, Loth filius Haranis, Sarai, *Gen.* XI. 31. & *Ur* dicatur *terra nativitatis* Haranis, in quâ mortuus idem, *Gen.* XI. 28. Quam alii *Montem*, alii *Vallem* Chaldæorum reddiderunt, Onkelos nomen proprium *loci*, ut & Verſio Samaritana, Syriaca, Vulgata in reddito textu *Geneſeôs*, &c. Nec prioris fabellæ refutatione opùs eſt, à variis ſuſceptâ, & nuper à Chriſt. Wagnero Lipſienſi.

Locus, nempè Ur.

II. Chaldæorum *Ur* quæ fuerit, an אור, id eſt גבול *terminus*, ut è Chaldææ confinio venerit; an *Vallis*, caverna, ut alii; an veriùs nomen loci, ſeu *Ur*, ſeu *Ura*, ſeu *Uria*, ſeu *Ur-cha*, *Orchoë*, ſeu *Auranitis*; iſque locus an in Chaldæâ, an in Meſopotamiâ, diſceptant Eruditi? Indubium de *Meſopotamiæ* aliquâ parte reddi, *Act.* VII. 2. in quâ Meſopotamiâ Civitas Nachoris, ubi cognatio Abrahami, in quam miſſus Eliezer, *Gen.* XXIV. in quam dein profectus Jacob, *Gen.* XXVIII. & *ſeq.* quæ hinc regio *trans fluvium*, ſcil. Euphratem, *Joſ.* XXIV. 2. eademque latiſſimè extenſa, & *Chaldæis* contermina à *Cheſed*, *Gen.* XXII. 21. Quemadmodùm & vicina Arabiæ Deſertæ, in quâ filii alii Nachoris vixêre, *Utz*, *Buz*, ut nos alibi in Hiſtoriâ Jobi. Nec de hujus tractûs conditione eâ ætate judicium ferendum eſt, ex ſecutâ ſterilitate, & vaſtatione locorum, in Meſopotamiæ pleriſque partibus. Aſt verò ex *Ur*, vel *Ura* ſitu, apud Plinium aut Ammianum Marcellinum, quaſi retentâ appellatione indè à temporibus Abrahami, minùs ſtringit ratio allata Viris Summis. Chaldæa verò quæ Babylonia eſt, à Nimrodo & poſteris habitata fuit, ex Aſſyriâ eò profectis.

Vocatio, & quæ eam ſecuta.

III. *Vocatio* ipſa, ac mandatum egrediendi ex Chaldæis, & ex cognatione ſuâ, cum potiſſimâ promiſſione Seminis benedicti, ex ejus lumbis naſcituri, mox formam fœderalem nactâ, *Gen.* XV. 18. Repetitis ſcilicet apparitionibus, ac Fœderis ſacramento, tandem & jurejurando confirmatâ, *Gen.* XII. XV. XVII. XXII. & apud Joſephum, *Antiq.* L. I. C. VIII.

Quò & refertur promiſſio de terrâ Canaanis dandâ in poſſeſſionem Semini ejus, *Gen.* XII. 7. &c. poſt annos CCCC. peregrinationis & ſervitutis, *Gen.* XV. 13. Quando additum ſignum luculentum, & emblematicum, ad petitionem Abrahami, *Gen.* XV. 8. & confirmatio in modum pacti vel fœderis, annis circiter X. poſt primam vocationem. Hinc ritus ille qui in ſanciendis fœderibus obtinuit; juxtà quem Deus victimas dividi *medias* juſſit, partibus iſtis hinc indè ſibi invicem opponendis, & tranſitu per medium facto, ut declaratur *Jerem.* XXXIV. 18. Undè phraſis, *diſſecare fœdus*, vel victimam in ſignum fœderis, ut pluribus Interpretes, & Bochartus in Hierozoico, P. I. *Lib.* II. C. XXXIII.

IV. *Profectio* Abrahami, eademque ſecundùm alios gemina, ut prima fuerit ex Ure Chaldæorum, cum patre Tharâ, anno ætatis LXX. *Geneſ.* XI. 31. XII. 1. altera ex Charane anno ætatis LXXV. poſt mortem Patris, *Gen.* XII. 4. *Act.* VII. 2. 3. Secundùm alios verò unica tantùm, ut ſit ex Chaldæâ profectus demùm anno LXXV. & paucis tantùm menſibus Charane, Patris ob morbum, hæſerit, ulteriùs perrecturus in Canaanem, factâ περιλήψει, *Gen.* XI. 31. 32. non utique alienâ. Fabula eſt apud Joſephum, Abrahamum ſubſtitiſſe *Damaſci*, & ibi regnaſſe, ex Nicol. Damaſceno, & ſic Juſtinus ex Trogo. Sanè iter per Damaſcum, ex Charane in Palæſtinam, Abrahamo fuit. Sed & nata fabula eſt ex Hiſtoriâ *Gen.* XIV. 15. de victoria Abrahami, & perſecutione hoſtium uſque ad regionem Damaſcenam.

Ε'ναλλοφανῆ quædam.

V. *Conciliatio* ἐναλλοφανῶς gemini. Quorum alterum eſt de annis Abrahami, illinc geniti in ſpeciem, ſecundùm ordinem *recenſionis*, anno Tharæ patris LXX. *Gen.* XII. 26. quod & ſentiunt Viri ſummi, & Joſephus Α'ρχαιολόγος. Hinc verò ejuſdem Tharæ anno CCV. quo is mortuus, natus Abraham nonniſi annos LXXV. ſi fides Moſi, *Gen.* XI. 32. XII. 4. Quâ de re in Chronolog. noſtrâ, ad Canonem *Epochæ* II. *col.* 226.

Alterum verò eſt de annis Peregrinationis & Servitutis Abrahamici Seminis, qui illinc CCCC. numerantur, *Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6. hinc CCCCXXX. *Exod.* XII. 40. *Gal.* III. 17. quod Scaligero ἄπορον viſum. Sed facili conciliatione, ſi conſtituantur diverſi termini, illinc à *profectione* Abrahami, vel ἀπὸ κεκυρωμένης διαθήκης, ut Paræus; hinc à *nativitate* Iſaaci, annis poſt XXV. ſi non XXX. Vide Canonem Chronicum III. ubi difficultates plures expediuntur.

III. *Circumciſionis Sacramentum inſtitutum.*

IN quartâ repetitione promiſſionis, addidit Deus Fœderis vel Teſtamenti, in ſemine Abrahamico perpetuandi, ſigillum vel ſacramentum, *Circumciſionem* nempè, *Gen.* XVII. 10. 11. *Rom.* IV. 11. De quâ hic modò obſervantur:

Tempus inſtitutæ Circumc.

I. *Tempus* inſtitutionis, anno uno antè natum Iſaacum, Abrahami XCIX. Iſmaëlis XIII. *Gen.* XVII. 24. 25. conſonante Joſepho. Igitur factum à profectione Abrahami annis XXIV. antè Exitum ex Ægypto annis CCCCVI. Aſſerunt autem, hæc ante tempora, Circumciſionis ritum familiarem fuiſſe *Ægyptiis*, *Colchis*, *Æthiopibus*, & ab iſtis accepiſſe Abrahamum, non immediatè à Deo inſtituente, ut Spencerus de *Leg. Moſ.* L. I. C. IV. Marshamus in *Can. Chron.* Sec. V. p. 72. Sic Commentatores Neoterici, putantes indignum fuiſſe Divinâ inſtitutione ritum parum honeſtum, qui nihil ad pietatem & bonos mores facere videretur. Quod eſt falſi arguiſſe Moſem, qui Circumciſionis inſtitutionem à Deo ipſo factam, ejuſdem modum, tempus, finem לברית עולם, prolixè ſatis deſcribit, *Gen.* XVII. 10. &c. Adhæc falſi arguunt Chriſtum, *Joh.* VII. 22. Stephanum, *Act.* VII. 8. Paulum, *Rom.* IV. 11. Joſephum L. I. C. XI. & teſtes in Paganis plures, Strabonem, Tacitum, alios apud Euſebium *Lib.* IX. Προπαρασκ. qui *Circumciſionem* ut peculiarem Judæis ritum, & διακριτικὸν Gentis, habuêre. Tacemus conſenſum totius Chriſtianæ Antiquitatis.

Fines inſtitut.

II. *Uſus* Sacramenti, futuri in ſignum ut variè *ſignificans*, ſic *obſignans* promiſſionem, cumprimis *de Semine*, in quo benedicerentur etiam Gentes; Commemorativum *beneficiorum*, quæ collaturus eſſet Deus Abrahamo, poſſeſſionis terræ Can. multiplicat. ſeminis, venturi Meſſiæ; Arguens etiam *peccata* quæ in nobis lege originis, & *remedium* in ſanguine Mediatoris; Demonſtrans etiam fidem & obſequium Abrahami; Sed & diſtinguens ſemen illius à reliquis Gentibus; Adumbrans circumciſionem cordis ἀχειροποίητον, inſtruens de reſecandâ malitiâ cordis, indè ab infantiâ, nec ſine dolore pœnitentiæ, &c. Speciatim diſtinxiſſe Abrahæ poſteros, ab Ægyptiis, ſic à profanis Gentibus, ut *hac diverſitate noſcerentur*, faſſi Gentilium Scriptores, & Tacitus. Quin circumciſio quæ ab Ægyptiis admiſſa, cùm diſcre-

crepans in plurimis fuit, ſubjecto, fine, &c. tùm ab Hebræis accepta, ut de Æthiopibus Artapanus apud Euſeb. *Lib.* IX. Προπαρασκ. C. XXVII.

Circumciſio undè ad Gentiles?

III. *Imitatio* variarum Gentium, quum ab Abrahamo & poſteris (non contrà, ut calumniatus apud Origenem Celſus, & mentiti, ut in his ſolent, Herodotus & Diodorus Sic.) imitatione quadam acceperint Circumciſionem *Ægyptii*, mundiciei cauſâ, quos inter & circumciſus Pythagoras apud Clem. Alex. Similiter *Arabes*, vel *Iſmaëlitæ*, *Madianitæ*, *Ammonitæ*, *Moabitæ*, *Idumæi*, *Æthiopes*, *Colchi*, *Troglodytæ*, *Phœnices*, *Syri*. Niſi Σύριοι apud Herodot. *Lib.* II. quos mentitur didiciſſe ab Ægyptiis περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα, ſint iidem qui Judæi vel Idumæi. Addit mendaciter, Syros illos hoc ipſum ὁμολογεῖν *confiteri*. Sic *Colchos ab initio* ſtatim pudenda reſecuiſſe, ſcribit Hiſtoricus, qui tamen Ægyptiorum Colonia jam antè Abrahamum, & *incircumciſis* populis accenſiti, æque ac *Philiſtæi*, qui ex *Chaſluchim*, *Gen.* X. 14. de quo Bochartus. Obvia ſunt ex eodem Herodoto, Diodoro, Strabone, Joſepho, Philone, aliis, hac de re teſtimonia. Sed & plana Circumciſionis apud eas Gentes origo eſt, indè ab *Iſmaële*, *Kethurâ*, *Edomo*, *Jetrone*, habitatione etiam *Ægyptiacâ*, & ex Coloniis Ægyptiorum, in *Cholcidem* quoque deductis, qui ſint Chaſluchim, *Gen.* X. 14.

IV. *Hiſtoria reliqua Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Filiorum.*

Summa Hiſtoriæ S. Fabulis miſſis.

NEmpe ad eam ſpectant quæ pleniùs enarrantur Authori Geneſeôs, & Joſepho *Antiq.* L. I. & L. II. ad C. V. uſque. Nam Fabulis Arabum in Alkorano, qui Abrahamum facit incolam Meccæ, qui Iſaacum cum Iſmaële confundit, qui vult cum Nimrodo congreſſum eſſe Abrahamum, &c. finis nullus eſt, legendis apud Cl. Hottingerum *Smegm. Orient. Cap.* VIII. Adde Eutychium Alexandr. in Annalibus *Tomo* I. qui multa ex Arabibus habet, quæ ἄγραφα. Sed & fabulas Judæorum à variis deſcriptas, videſis in Bereſchith Rabba, in Chaldæis Paraphraſ. & apud Talmudiſtas & Cabaliſtas paſſim. Huc verò faciunt;

I. *Abrahamicæ fidei* admiranda, variis caſibus exercitæ: Ex. gr. juſſu deſerendæ patriæ & cognationis; adeundi regionem incertam, certè ſibi ignotam hactenus; Deo ſe totum committendi ſecurum Dei promiſſis; expectandi promiſſum Semen, in quo benedicendæ omnes Gentes; admittendæ in carne ſuâ Circumciſionis; credendi naſciturum ſibi filium, *corpore* quaſi *emortuo*, uxore effœtâ; ſic multiplicandum eſſe ſemen, ut arena maris; *Canaanem* ſibi in poſſeſſionem dandam; in *Iſaaco* vocandum ſibi eſſe *ſemen*, κατὰ πνεῦμα; Deum ſibi adfuturum in tot periculis, probationibus; filium poſteà à ſe offerendum holocauſto, reddendum ſibi velut *ex mortuis*, in typum τοῦ μέλλοντος, *Rom.* IV. 18. 19. 20. *Hebr.* XI. 17. 18. &c. Tùm ejuſdem Abrahami domi foriſque diſcrimina; Apparitiones divinæ; Raptus Saræ geminus, à Pharaone, & Abimelecho; ſuſcepta Itinera; domeſtica Diſſidia; Bella ac fœdera; occurſus Melchizedecianus; Tentationes, ac probationes divinæ; Uxores, quarum poſtremam *Kethuram*, cum *Agar* ab exilio ſcil. revocatâ, Magiſtri aliquando confundunt; Hinc filii Iſmaël & Iſaacus, filiorum *carnis* & *promiſſionis* cùm typi, tùm exempla, *Rom.* IX. 7. 8. Abrahami denique conſtantia, mors, ſepultura ad *Cap. Geneſ.* XXV. II. In quibus *Lothi*, filiarumque, & *Sodomæ* ſubverſæ, hiſtoriæ intertextæ apud Moſem. Fabulas Veterum, de Statua Salis, quæ muliebria pateretur, apud Irenæum *Lib.* IV. C. LI. deque Aſphaltitis lacu, qui nullum corpus animatum reciperet, in quo Cameli fluctuarent, alias apud Plinium, Solinum, mittimus. Satis eſt celebre hoc Excidium fuiſſe, & meminiſſe hujus incendii Diodorum, Trogum, Plinium, Solinum, Tacitum, Strabonem, Geogr. *Lib.* XVI. Joſephi autem Hiſtor. error non unus eſt in rebus Abrahami. Ut quod re- Joſephi errores.
gnarit *Damaſci Lib.* I. C. IX. ex Beroſo, Nic. Damaſceno, aliis apud Euſebium; Quod Ægyptios Arithmeticam & Aſtrologiam docuerit *Cap.* X. ex Eupolemo, Alex. Polyhiſtore, Artapano, apud eundem; quod Iſaacum in holocauſtum obtulerit, annum agentem XXV. *Cap.* XIV; quod Abraham Eliezero viciſſim juravit, *manum* ejus *femori ſupponendo*; quod filii Kethuræ Troglodytarum regionem, & Arab. Felicis, quæ ad Auſtrum eſt (non ad *Orientem* ut *Gen.* XXV. 6.) habitarint, C. XVI. &c. Quemadmodùm & fabulæ notiſſimæ in *Alkorano*, de *Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Iſmaële*; de ſede Meccanâ; de congreſſu cum Nimrodo; de Iſmaële Dei Prophetâ, & Apoſtolo; de inſtituto per Abrahamum *Sabbato*; & quæ ejus generis plures, *Capitibus* II. XIV. XV. XVI. XIX. XXI. XXII. &c.

II. *Iſaaci* nativitas miraculoſa, ex Sacris conſtat; de quo Hebræi genitum menſe VII. quare partum *ſeptimeſtrem* vitalem eſſe: Hinc ablactatio, non ſine convivii feſtivitate; tum pia educatio; ſacrificium, ultrò ſubeundum; Conjugium cum Rebeccâ, ablegato famulo Abrah. Antecedaneum juramentum, *manu ſuppoſitâ femori* in ſignum reverentiæ, ſubjectionis, fidei, obligationis quâ ſervus ſe Domino obſtringebat; quomodò Deus ſignum Fœderis ſui cum Abrahamo poſuerat in *femore*: Tùm Iſaaci ſeceſſus; pericula; fœdera; divinæ revelationes; ſenium; hiſtoria liberorum Eſavi & Jacobi, qui pares *naturâ*, diſpares *gratiâ*, geniti autem anno Patris LX. à Promiſſione LXXXVI. Iſaaci extrema denique, memoratâ ejus morte per πρόληψιν, *Gen.* XXXV. 28. ut Jacobi Hiſtoria continuâ ſerie pertexeretur. Præceſſit enim matrimonium Judæ, inceſtus, *Gen.* XXXVIII. venditio Joſephi anno ætatis XVII. *Gen.* XXXVII. &c. De his adeantur cùm doctiſſimi paſſim Interpretes, tùm prolixa Hiſtoria Patriarcharum Cl. Heideggeri, *Tomo* II. ubi ſuperiora multis enarrantur.

III. Fusè Moſi deſcribuntur, & ab Interpretibus illuſtrantur, *Jacobi* cum Eſavo in utero lucta, & adultorum certamina; Jus primogenituræ ab Eſavo venditum; Factum Rebeccæ & Jacobi, benedictionem paternam ſurripientium, non ſine fraude, addito mendacio, quanquam *non mendacium* ſed *myſterium* interpretatur Auguſtinus; Jacobi fuga in Meſopotamiam; Occurſus Rachelis, pacta nuptialia, Lea pro Rachele ſubſtituta; *Septimana* altera ſcil. annorum addicta, ut potiretur Rachele; Liberi ex Conjugibus ſuſcepti, *omnes* in Meſopotamiâ, excepto *Benjamino*, *Gen.* XXXV. 26. *Viginti* anni ſervitutis in illâ exacti; *Benedictio* Dei ſingularis in Jacobum effuſa, quæ cauſa præcipua (mediis illi à Deo ipſo *in ſomnio* revelatis) aucti cenſûs, & multiplicatarum ovium, *Gen.* XXXI. 8. 9. 10. 11. 12. ut non ſit quod naſutuli rideant vel *naturales* cauſas, vel *ſupernaturalem* iis cooperantem; Tum Jacobi clandeſtinus in Palæſtinam reditus, cum uxoribus, liberis, peculio; Viſiones frequentes; Calamitates domeſticæ; Conciliatio cum Eſavo; Dinæ raptus, & ſecuta Sichemitarum ſtrages; Luctus ſuper Joſepho; Ad hunc ipſum, variâ fortunâ jactatum, mireque in Ægypto exaltatum legationes; Tandem profectio, cum omnibus ſuis & manſio in Ægypto, Terrâ *Goſſen*, omnium amœniſſimâ paſcuis, prætextu vitæ Paſtoritiæ; Jacobo & Liberis ad habitandum conceſſâ; Vaticinia Jacobi noviſſima; Mors denique, & funus, & luctus Ægyptiorum per dies LXX. Quibus terminatur Liber pri-

Digitized by Google

Geneſeôs, addito *Joſephi* exceſſu, annis poſt Patris deſcenſum LXX. à Promiſſione CCLXXXVI.

IV. In hac omni narratione Moſaïcâ duo cumprimis obſervanda I. προλήψεις nonnullæ familiares Scriptori Geneſeôs, ſeu hiſtoricæ *anticipationes*, in memorandis, verbi gratiâ *Capite* XI. 31. migratione Abrahami; *Capite* XXV. 25. morte Abrahami, antè nativitatem Eſavi & Jacobi, quam tamen ea mors excepit; *Capite* XXXV. 28. morte Iſaaci, antè venditionem Joſephi, quæ venditio facta XII. circiter annis antè mortem Iſaaci.

Προλήψεις.

2. Ἐναντιοφανῆ quædam, ſeu pugnæ in ſpeciem Scriptoris Sacri aut ſecumipſo, aut cum aliis Scripturæ locis: V. gr. illud *Cap.* XXXIII. 19. de emptione Jacobæâ à *filiis Hemor*, pugnans cum *Act.* VII. 16. Niſi hîc legas, παρὰ τὸ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ, *præter alterum agrum* emptum à filiis Emmor. De quo prolixè nos in noſtrâ Hiſtoriâ Jobi, *Cap.* XI. Sic illud de LXX. animabus in Ægyptum profectis, *Gen.* XLVI. 27. *Ex.* I. 5. *Deut.* X. 22. in ſpeciem pugnans cum recenſione, *Gen.* XLVI. 26. ubi animæ *ſexaginta & ſex*, egreſſæ ex femore Jacobi; & cum alterâ Stephani, ubi animæ *ſeptuaginta quinque*. Nempè LXVI. non numerato *Jacobo* ipſo, quia de prognatis ab eo, nec *Joſepho*, & *filiis duobus*, qui in Ægypto. LXXV verò animæ quod legantur in textu Lucæ, (quanquam nodum aliter variè expediant) videtur in mendo cubare illud irreptitium πέντε; ſiquidem Stephanus reſpexerit, non ad Verſionem τῶν LXX. ſed ad *Hebraicam* veritatem, ut cui res eſſet cum Judæis Hieroſolymitanis. Nec Lucæ, nec Stephani errori hoc mendum tribuendum, ſed amanuenſium & librariorum lapſui, qui collatâ Verſ. Græcâ τῶν LXX. non Hebraico textu, Lucam ex Helleniſtis emendandum cenſuerunt. Non placet *Bezæ* conjectura, πέντε loco πάντες, irrepſiſſe. Veriùs addendæ forent, ad animas LXX. *tres uxores* Jacobi, & Judæ filii *Her* & *Onan Gen.* XLVI. 12. ut efficias numerum LXXV. animarum. Sed *filii* illi *Judæ* jam tum mortui, & de deſcenſu viventium ſermo; *uxores* verò *Jacobi* non magis accenſendæ, quàm uxores filiorum. Quod vidit Clar. de Dieu, ſuâ conciliatione, quam ſi lubet conſule.

Pugnæ apparentes.

V. *Peregrinatio ac Servitus Iſraëlitarum in Ægypto.*

Tempus & duratio.

I. JAcobo ſuis Patribus adſcripto ſupervixit Joſephus annos circiter LIII. à deſcenſu verò in Ægyptum annos totos LXX. Natus enim Joſephus, quo tempore deſcendit Jacob, annos circiter XXXIX. Hinc ad mortem Joſephi ſi addideris annos LXX. vel LXXI. fiunt anni CX. quos vixit Joſephus, *Gen.* L. 26. Hinc verò ſcil. à morte Joſephi ad natum Moſem, anni LXV. à deſcenſu Jacobi, anni CXXXV. A Nato Moſe ad Exitum Iſraëlitarum anni LXXX. In ſolidum à morte Joſephi ad Exitum fluxêre anni CXLV. quemadmodùm à deſcenſu Jacobi ad Exit. anni CCXV. Quibus ſi adduntur anni totidem à Promiſſione ad deſcenſum Jacobi CCXV. ut totidem ex Moſe colliguntur, exurgunt anni Peregrinationis CCCCXXX. de quibus *Exod.* XII. 40. Vide noſtram *Chronol. S. Parte* II.

II. Undè illorum inſignis error qui Æram *habitationis* in Ægypto magnoperè producunt, & confundunt cum Ærâ totius *peregrinationis* poſterorum Abrahami, in terrâ non ſuâ, id eſt, tam in Canaane quàm in Ægypto. Aſt *quarta generatio* de quâ *Gen.* XV. 16. putanda demùm à tempore ingreſſûs in Ægyptum, quando *Caath* filius *Levi* admodum infans fuerit: Niſi quatuor generationes ſint quatuor illa ſecula, ſeu anni CCCC. *Gen.* XV. 15. Fallit Joſephus Hiſtor. *Antiq.* L. II. C. V. aſſerens laboratum fuiſſe in Ægypto, non ſine extremâ miſeriâ, poſt *Joſephi* memoriam obliteratam, per annos CCCC. Qui tamen moram Ægyptiacam facit, annorum CCXV. *Lib.* II. C. VI. (ſecundùm alios *Cap.* XV.) ut viſum in *Chronol.* & rectè.

III. Plana ex Moſe reliqua, ſcilicet I. Iſraëliticæ Eccleſiæ, poſt Joſephi fata, fœda *ſervitus*, ſecundùm prædictionem factam Abrahamo. Oppreſſio illa ingens cœpit ſub eo primum Pharaone, qui ἕτερος βασιλεὺς, natus poſt Joſephi exceſſum, quem alii *Amenophim*, alii veriùs hujus anteceſſorem *Rameſſem*, cognomento *Mijamun*, longi ævi & magnorum operum Principem, ex Hiſtoricis, & ex ſtructis urbibus, quas inter Rameſes vel Rameſſes, *Ex.* I. 14. Adde *Obeliſcos* huic attributos, *foſſas* è Nilo deductas, *ſervos* (quales Iſraëlitæ) in has operas adhibitos, &c. ex Diod. Siculo, & Plinio. Vide infrà, de *Rebus Ægyptiorum*.

2. *Multiplicatio* incredibilis indè à deſcenſu in Ægyptum, ſecundùm promiſſionem. Ut ſpatio annorum circiter CCXVI. memorentur ex animabus LXX. prognati maſculi *ſexcenties & ter mille* cum *quingentis & quinquaginta*, iidemque ſuprà annum ætatis XX. Præter *Levitarum* XXII. millia, & merſos atque enectos à Pharaone infantes, *Exod.* XXXVIII. 26. *Num.* I. 46. 47. III. 39. illuſis divinitùs conſiliis Ægyptiorum. Ac nihil de hac multiplicatione impoſſibile narrari, fœcundâ Gente, præmaturis Connubiis, pluribus Chronologi Sacri, Commentatores in *Exod.* atque Uſſerius noſter, *Chronol. Cap.* XI. à *pag.* 184. Nempè ſupponendo, ſub deſcenſum Jacobi, fuiſſe L. viros XX. annis majores, qui primo *decennio* totidem liberos procrearint; Et hos pariter, exacto anno XX. intrà X. annos totidem extitiſſe Liberorum patres, in quibus ſaltem *quinque* maſculi; Tùm ſupputatione factâ, vel intrà CXC. annos, longè plures numero quam ex Ægypto exiêre, nempè 781250. ab anno ætatis 25. ad 34. procreari potuiſſe, Viri illi demonſtrant.

Circumſtantiæ reliquæ.

3. *Corruptio* multa inter Idololatras Gentes contracta, *Joſ.* XXIV. 24. *Ezech.* XXIII. 3. 8. maximè à Joſephi exceſſu; Judæis excipientibus ab hac corruptione tribum Levi, ſed precariò, ut ſolent. Hinc Moſaïca plurima quæ odium Idololatriæ Ægyptiacæ, contrariis inſtitutis, ingenerarent, ut prolixè Eruditi, & nos *Moralibus* noſtris ad Librum *Levitici*.

4. *Calamitates*, oppreſſiones, ludibria, gemitus, quin, ſecundùm Magiſtros, combuſtio Iſraëlitarum in catino ignis, ex *Deut.* IV. 20. Ut pro viliſſimis mancipiis uſi ſint Ægyptii, ad ſerviles operas, publicas privataſque. Joſephus Archaiologus adhibitos dicit, ad aggerum, vallorum, Pyramidum extructiones, *Antiq.* L. II. C. V. Sed Pyramides Ægyptiorum non *lateritiæ*, ſed lapideæ fuerunt.

5. Factum *Obſtetricum* (ſeu jam *Hebrææ* illæ fuerint juxtà Auguſtinum, ſeu Ægyptiæ juxtà Joſephum) ſervantium puerulos Hebræorum, Dei magis quàm Regis habitâ ratione, & Regem deludentium reſponſo indefinito. Undè & retuliſſe memorantur divinitùs temporalis hujus vitæ præmium; non dicti quidem aut reſponſi ambigui, ſed pii facti, attentâ non iniquitate *mentientium*, ſed benignitate *mentium*, ut dixit nonnemo, in quibus major metus Numinis, quàm Pharaonis. Nempè Deus *ædificavit illis domos*, id eſt, auxit rem familiarem, להם poſito pro להן, per enallagen generis; quanquàm alii ad *Iſraëlitas* referre maluerunt, *Exod.* I. 21.

6. *Moſis* nativitas, occultatio, conſervatio, per filiam Pharaonis quam *Thermutin* Joſephus, Artapanus verò apud Euſebium, & Chronicon Alex. Μέῤῥιν *Myrrhinam*, Eutychius & Arabes سيعون *Siyun*, Magiſtri vulgò בתי *Bathian* (id eſt filiam) vocant. Hinc & ab eductione ex aquâ *Moſes* nuncupatus; voce

Moſes.

voce Hebraicâ, משתיהו *extraxi eum*, & ità quoque Vóſſius, Bochartus, J. Capellus. Aſt ſecundùm, Joſephum, Philonem; Clem. Alex. alios; voce *Ægyptiacâ*, ut *Mò* aquam ſignificarit, *Uſes* ſervatum, ſcil. ex aquis. Excepit educatio in Aulâ Regiâ; ſapientia Ægyptiaca teſte Stephano, *Act.* VII. 22. percuſſio Ægyptii vim Hebræo inferentis; ſeceſſus in Arabiam Madianitidem, A. ætatis XL. *Act.* VII. 23. matrimonium cum Sephorâ filiâ Jethro, Madianitici Sacerdotis; Paſtoralis vita inter Arabes tranſacta; hinc apparitio Dei in rubo, ad montem Horeb. Quæ omnia vel dubiis, vel fabuloſis, miſcent Joſephus, Philo, Hebræi pro more, & Artapanus apud Euſeb. *Lib.* IX. *Præpar.* C. XXVII. &c. Inter alia, Joſephus, *Lib.* II. C. V. & *ſeq.* Moſis ortum fuiſſe à Vate Ægyptio prænunciatum, & mala quibus Ægyptum premeret; hoc nuncio territum Pharaonem, juſſiſſe infantes maſculos in flumen projici, licet alia cauſa legatur *Ex.* I. 9:10. Amram, patrem Moſis, in ſomnio divinitus erectum fuiſſe, & de naſcituro filio, liberandiſque per eum ſuo tempore Hebræis ex Ægyptiacâ ſervitute, præmonitum; Thermuthim, liberis carentem, non tantùm adoptaſſe ut filium, ſed & patri ut *ſucceſſorem* obtuliſſe, qui Diadema ſuum puero impoſuit, mox tamen ab hoc pedibus conculcandum; Indè ereptum inſidiis Ægyptiorum Moſem, præfectum poſteà fuiſſe, cum ſummo imperio, bello adverſus Æthiopas, Ægyptiis graves, jamque Memphi imminentes; In eâ Expeditione, expertum in viâ Moſem noxios Exercitui ſerpentes, πλῆθος ἑρπετῶν, quorum quidam eſſent πτεινά, ſagaci proviſione immiſiſſe in eos ἴβεις, *Ibes alites*, quæ πρὸς μόνον τῶν ὄφιων γένος ἄγριοι, *in ſolos ſerpentes feroces*, cætera manſuetos; Tùm res à Moſe præclarè geſtas, qui Æthiopes in Urbem *Saba*, Regiam ejus Gentis, compulerit. Intereà *Tharbim* filiam Regis Æthiopum, Moſem è mœnibus conſpicatam, & amoribus percitam ambiiſſe ejus nuptias; quæ & celebratæ fuerint antè ejus in Arabiam ſeceſſum; ac quæ alia addit ibidem Joſephus, ἄτερ γραφῆς, de iis quæ Moſi contigerunt. Tùm de VII. filiabus Virginibus Raguëlis, cognomento Ἰεθεγλαίου, de ope per Moſem ipſis latâ, de unâ ex illis in uxorem Moſi traditâ, & quæ ſubjungit Hiſtoricus de apparitione Divinâ in Rubo ardente, & Dei ad Moſem vocibus; cum amplificatione ſingulorum.

Hiſt. Ephraimiticæ cladis. 7. Hiſtoria *Ephraimi* & *filiorum*, 1 *Chron.* VII. 21. &c. (cujus & meminit Chaldæus ad *Cant.* II. 7.) ſeu cladis per Gethæos Palæſtinos Ephraïmitis illatæ, nuſquam memoratæ Moſi, nec Joſepho. De cujus occaſione, tempore, loco, ſecutis generationibus *Ephraimi* filiis orbati, ad *Joſuam* uſque filium *Nun*, nonnulla dubia ſunt, quædam apud alios fabuloſa, & Chaldæum ipſum. J. Capellus, & alii cenſent, omnes hos (indè ab Ephraimo) Joſuæ majores, genuiſſe anno ætatis XVI. vel XVII. Undè fuerint generationes *decem* ab Ephraimo ad Joſuam incluſ. Et quidem omnes nati in Ægypto, ut patet ex *Eliſhamah*, ex quo *Nun*, v. 26. qui recenſetur ut Caput Tribus Ephraim, tempore Exitus, *Num.* I. 10. 11. 18. Et hinc nonnulli colligunt, ſpatium habitationis in Ægypto vix poſſe reſtringi intrà annos 215. Verùm difficultas facilè tollitur, quod & cenſuit Uſſerius Armachanus, ſi vocem בנו *filius ejus*, v. 25. retuleris ad caput ſtirpis *Ephraimum*; aliàs ſi ad proximum ſubjectum, ubi de filiâ Berihæ, v. 24. fuiſſet בנה. Præterquam quod *Thaan*, quarto loco recenſitus tanquam בנו *filius ejuſdem*, referatur inter Ephraimo immediatè genitos, *Num.* XXVI. 35.

Ex iſtâ hiſtoriâ de Ephraimitarum excurſione in Cananæorum fines (ut alii interpretantur) derivant quidam Eruditi primam profectionem *Paſtorum* ex Ægypto, finitâ Dynaſtiâ, poſt Joſephi ſcilicet exceſſum, & ità Nicolaus Abramus in Pharo Vet. Teſt. prolixè expenſus Uſſerio. Sed ut propria hæc irruptio fuerit filiorum *Ephraim*, non Gentis Iſraëliticæ totius; ità ne memorata quidem Moſi, nec priſcis Hiſtoricis, neque ejus celebritatis, ut indè famoſa illa expulſio Gentis fingeretur, per Thebanorum Reges: Minùs quadrat ille Paſtorum in Ægyptum reditus, apud Manethonem, hinc Joſephum contrà Apion. Sed *Gethæorum* hæc veriùs irruptio fuit in Ephraïmitas, qui vim repellendo occubuerunt.

VI. *Synchroniſmus ſanctorum Virorum, extrà familiam Abrahami.*

Præludium vocat. Gentium. 1. Nempè fuerunt etiam extrà familiam Abrahami, & Iſaaci, atque adeò extrà Eccleſiæ ſedem *ordinariam*, Viri à pietate & religione in verum Deum commendati, in præludium Vocationis Gentium. De quo præclarè Auguſtinus de *Civit. Dei*, L. XVIII. C. XLVII. agens de iis qui, extrà Eccleſiam Iſraëliticam, ad *ſpiritualem Jeruſalem*, vel ut alii Codd. *ſpiritalem Iſraël*, pertinuerunt: *Quod* (inquit) *nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitùs revelatus eſt Unus Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Jeſus; qui venturus in Carne, ſic Sanctis Patribus prænunciabatur, quemadmodùm nobis veniſſe nunciatus eſt.*

II. Neque dubium quin in his accenſendi ſint, *Nachor* frater Abrahami, & in ejus familiâ *Utz*, à quo veriſimiliter optimus Jobus; *Buz* à quo Baracheel, pater ſapientis Elihu, *Job.* XXXII. 2. & *Bethuel* à quo Laban. Sic in filiis Abrahami ex *Ketharâ* concubinâ; qui paternæ inſtructionis tenaciores, *Gen.* XVIII. 19. fuit indubiè ex iis Bildad filius Suachi, *Gen.* XXV. 2. dein & *Jethro* Madianita. Sic in poſteris *Eſavi*, *Eliphaz* Themanites, Jobi amicitiâ & colloquiis conſpicuus; fortè & in iis *Tzophar* Naamathites, amicus alter Jobi. *Septem* verò in Gentibus Prophetas Hebræi memorant. Ac de iſtis prolixè noſtra Hiſtoria *Jobi*, *Capite* toto XIV.

III. Omnium maximè illuſtris *Melchizedecus*, Melchizedec. de quo illinc brevitas Moſis, ſilentis natales, genus, vitam, mortem, ſucceſſores; hinc Pauli myſterium, *Hebr.* VII. reddidêre obſcura nobis multa. Undè quæſtiones retrò agitatæ:

Nùm is perſona *creata*, an verò *increata* & (Viris ut magnis placuit, ſed paucis) ipſiſſimus *Dei Filius*, apparens Abrahamo, ac præludens incarnationi? Alii *Spiritum S.* voluêre: Alii apud Epiphanium, Patrem Melchizedeco Heraclam; matrem Aſtartam; quod de *Sole* & *Lunâ* interpretatus Voſſius, de Idol. *Lib.* II. C. XXI.

Plures verò *Semum*, ut Samaritani apud Epiphan. *Hær.* LV. & Hebræi plerique ac Doctiſſimi; ne graviſſimos Theologos & Hiſtoricos dicam. Alii verò *Phalegum* cum fuiſſe, vel filium Phalegi *Rehu*, ut Orientales, & Batricides in *Annal.* Veriùs fuerit *Salemenſium* Regulus, ut alter Rex Sodomorum, non diſſitis admodum illis regnis; quales Reges in Cananæa plurimi, & ità quoque Joſephus & Philo.

Sed dubium quæ illa *Salem*, cui imperitaſſe memoratur; an Hieroſolyma juxtà Joſephum, Chaldæum Paraphr. Onkelos, cujus Rex alibi memoratur *Adonizedek*? An verò *Salem* altera, שלם juxtà quoſdam, *Gen.* XXXIII. 18. ut cenſuit quoque Hieronymus, quæ ſit *Salim*, *Joh.* III. 23. Ubi aquæ multæ, & cujus ſitus fuit in ipſâ illâ *valle*, certè juxtà eam, per quam iter faciendum Abrahamo, & ubi occurſus Regum.

Dubium, undè is *Sacerdos* Dei *Altiſſimi*, diſtinct. ergò in corruptiſſimis Cananæis, extrà Eccleſiæ viſibilis fines? Quo ipſo non planè extincta fuit Dei unius, in quibuſdam ex eâ Gente, notitia, & cultus per ſacrificia: Quales etiam *Pharao* ille, & *Abimelech*, de quibus in Hiſtoriâ Abraami, qui non prorſus ab ejus doctrinâ, aut cognitione veri Dei, fuiſſe videntur alieni.

Qualis illa *oblatio* panis & vini, per Melchizedecum

cum facta, non *Deo*, ſed Abrahamo, nempè ad refectionem militum, χορηγῆσαι τῷ Ἀβραάμῳ στρατῷ ξένια, habet Joſephus. Undè decimas, de omnibus ſpoliis, perſolvit illi Abraham, quæ jure belli acquiſita erant victori; & quas ſponte obtulit Melchizedeco, in gratitudinis ſignum, & reverentiæ Sacerdotis Dei Altiſſimi, ſimul & Regis. Vide *Gen.* XIV. 18. 20.

Melchizedec ut typus Chr.

In quibus idem Melchizedec geſſerit Chriſti Regis & Sacerdotis *typum*, & quì eidem reliqua apud *Paulum* elogia conveniant, *Hebr.* VII. 1. & ſeq. Nempè ratione *perſonæ* repræſentatur, κατὰ τὸν λόγον ἱστορίας, ut ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, nullâ eorum in Moſe mentione: Ratione *nominis*, מלך צדק, & מלך שלם, quod appellativè eſt *rex juſtitiæ*, & *rex pacis*: Ratione combinati muneris, ut *Rex* & *Sacerdos* Dei ſummi: Ratione *Sacerdotii*, ut in quo nec prædeceſſores habuiſſe legitur, nec ſucceſſores, & de cujus inſtitutione vel *initio*, ut & *fine*, nihil traditur à Moſe; Nec etiam iſtud *abrogatum* legitur, quaſi eſſet Sacerdos εἰς τὸ διηνεκὲς *Heb.* VII. 3. licet ceſſaverit, ceſſante in eâ Gente Dei unius cultu: Ratione *dignitatis*, ut major Abrahamo, cui *benedixerit*, *Hebr.* VII. 7. Ratione *beneficii*, ut qui Abrahamo panem & vinum, figuram alimenti ſpiritualis *Joh.* VI. offerendo dederit: Ratione *decimationis*, quâ expreſſit illud jus Dei, cui debemus omnium rerum decimas: Ratione modi *inaugurandi*, ut qui non κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, *ſecundum præceptum carnale*, quod poſtmodum acceſſit in Sacerdotio Aaronico, ſive Legali: Ratione *typi*, ut qui Melchizedec ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ſcil. ἐν παραβολῇ, qualiter dici poteſt de Iſaaco, Samſone, Davide, Salomone, &c.

Jobus.

IV. Sed & de *Jobo* ſunt obſcuriſſima omnia, inclyto calamitatum, pietatis, fidei, patientiæ, conſtantiæ, efficaciſſimarum precum, exemplo. Nempè fuit vel ex *Utzo* Nachoris, fratris Abrahami; vel ex Kethuræ filiis, oriundus, qui ſeceſſerunt in *Orientem* ſeu in Arabiam, in quibus *Suach*, à quo Bildad Suchites. Undè illa in Jobo ſemina veræ Religionis ac pietatis, qualia tradidiſſe Abrahamum ſuis, intelligitur ex *Gen.* XVIII. 25. Hinc & irreptitia illa lacinia eſt, ad calcem Jobi, in Verſione τῶν LXX. quæ Jobum cum Jobabo, Edomitarum Rege, *Gen.* XXXVI. 33. confundit. *Ætas* porrò indubiè ſpectat ad illud tempus, quo Iſraëlitæ ſervierunt in Ægypto, à morte Joſephi; hinc & in Jobo ſilentium eorum miraculorum quæ in Exitu & in Deſerto contigerunt. Sed de his adeatur noſtra *Hiſtoria Jobi*, deque Jobi Patriâ, Genere, Dignitate, Opibus, Religione, Reſtitutione, Amicis, Filiabus, Poſteris, &c. omnibuſque tandem Hiſtoriæ obſcuris. Sed & de *Fabulis* ex eâ Hiſtoriâ natis, in Gentilium & Poëtarum ſcriptis. De *Jobo* verò cur nihil Joſephus Ἀρχαιολόγος, qui modò Judaicas Antiquit. & ſuæ Gentis hiſtoriam, ut ipſe in *Præf.* complexus eſt, diximus *Hiſt. Jobi*, *Cap.* I. *Num.* XI. Non tacuit Ezechiel, qui meminit *juſtitiæ* Noachi, Daniëlis, & Jobi, C. XIV. Sed nec planè ſiluit Paulus, *Hebr.* XI. Jobo inter illos qui *liberati ab infirmitatibus* indubiè accenſito, v. 34. & frequenti alluſione Apoſtoli ad dicta Jobi: Præter Jacobum, commendantem illius *patientiam*, *Jac.* V. 11.

VII. *Synchroniſmi quidam inſigniores Hiſtoriæ Exoticæ. Res Babylonior. Aſſyriorum.*

De Babylon. antiquitate controverſa.

I. DE *Chaldæorum* & *Aſſyriorum* rebus, hâc Epochâ, obſcura fere omnia, ac dubii ex Julio Africano Reges, inde ab *Euechoo*, qui multis creditus idem cum Nimrodo, aliis longe poſterior. Servitur hic hypotheſi, ab Iſaaco Voſſio & Auctore nupero Antiquit. Temp. qui ab *Euechoo* ad *Ninum* (ſub quo natus Abrahamus, ex Euſebii Chron.) putant annos penè 500.

In aliud extremum ivit Marſhamus, qui in Canone *Chron.* ad *Sec.* VIII. & XVII. *Babyloniorum* & *Aſſyriorum* omnia facit recentiora, tantùm non exploſo Africano. Et quidem deducit Babylonios, cum Diodoro & Pauſaniâ, ex Belo homine Ægyptio, qui primus colonias in Babyloniam deduxerit, quo tempore Ægyptus à *Paſtoribus* eſſet occupata. Aſſyriorum autem primam mentionem occurrere, poſtquam deſiiſſet Ægyptiorum in Aſia imperium, & primum fuiſſe Regem *Phul*, 2 *Reg.* XV.

Certiora.

Certum jam ſtetiſſe Aſſyriorum & Babyloniorum aliquod Imperium, & ut videtur conjunctum, tempore *Abrahami*, ex dictis de Nimrodo ad Epocham ſuperior. Ità quoque ex Joſepho, & Euſebii Chronico, quin ex ipſa Hiſtoria Moſis *Gen.* XIV. 1. ubi Rex Sennaar Ἀμαρφῆλος, non eſt niſi Aſſyrius vel Babylonius, malè tamen idem qui *Nimrod*, Jonathani Paraphr. Raſchi, & aliis. Et hic Rex Aſſyrius tum temporis *Aſiam obtinuiſſe* dicitur, id eſt, ex potentiſſimis tum in Aſiâ regibus fuiſſe, Ἀρχαιολ. *Lib.* I. C. IX. Sic exercitum adversùs Sodomitarum regulos ductum, dicuntur *Aſſyrii* in μέρη τέσσαρα *partes quatuor* diviſiſſe; comprehenſis Aſſyriorum nomine etiam regulis in *Ellaſar*, vulgò Pontum reddunt, ſed gratis; in *Elam*, alii Scythas alii Perſas; & qui מלך גוים *Rex Gentium*, permixtarum ſcil. Gentium in Galilææ, & Phœniciæ, aut Arabiæ confiniis. Copias hi reges conjunxerunt, in gratiam illius qui dicitur *Rex Elam*, *Gen.* XIV. 4. Multa *Zabiis*, *Sabiis*, *Arabibus*, cum Babyloniis communia, communi origine à *Chuſo*, ex quo *Nimrod*, ſed & regionum notâ proximitate. Hinc & *Arabum* Dynaſtia, ex Africano, qui per annos 215. in *Babyloniâ* regnaſſe dicuntur.

Cæterum de duratione Imperii Aſſyriaci, & moto dubio ex Herodoto *Lib.* I. qui tribuit Aſſyriis dominatum per annos 520. diximus in *Chronolog.* P. II. *Cap.* VI. Porrò, de incremento *Idololatriæ* apud Babylonios, Aſſyrios, Syros, qui & Sabii quandoque, Capite ſequenti.

Res Ægyptiorum.

Ægyptiorum antiquiora temp.

II. Floruerunt hâc Epochâ indubiè res *Ægyptiorum*, creditæ omnium antiquiſſimæ. Docet (præter Exotica Manethonis, Eratoſthenis, Herodoti, Diodori Sic. &c.) Hiſtoria ſacra & Moſaica, in rebus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi, Iſraëlitarum.

Refertur ad tempora Jacobi, & extrema illa, *Nitocris* Ægyptiaca, (diverſa à Babylonica) quæ imperaverit *Thebanis*, *Thinitis*, & *Memphitis*, & tertiam *Pyramidem* ſtruxiſſe fertur. Nam pyramides omnes debentur antiquiſſimis Memphitarum Regibus. *Ægyptum* autem latè ſumtam incluſiſſe Thebaïdem, Thinitas, Memphitas certum eſt: *Inferiore* parte Ægypti illâ, in quâ egerunt Iſraëlitæ, ubi *Heliopolis*, & *Tanis*, Regia Tanitarum Regum, tempore Abrahami, & deinceps.

De Paſtorum Dynaſt. Non Hebræos fuiſſe.

De *Paſtorum* ſeu Extraneorum Regum Dynaſtiâ Taniticâ, ex Manethone apud Joſephum *Lib.* I. contrà Ap. Africano, Euſebio, Syncello, obſcura multa. Puta, nomen *Hycſos* quale, quod alii *Reges Paſtores*, & ſic Manetho, Joſephus *Captivos* reddit contra Apionem. Sic obſcura *origo* Gentis, quæ ex partibus Orientalibus, aut ex Arabiâ in Ægyptum venerit: Tum *tempus* adventûs in Ægyptum, quod Euſebio eſt illud quo Apis in Ægypto regnavit, Armamitris in Aſſyria, in Sicyoniâ Inachus, Jacobo circiter *tricenario*: Regnum à Paſtoribus invaſum, ſcil. in inferiore Ægypto, qui & Memphim diripuerint: *Duratio* hujus Dynaſtiæ, quæ

Mane-

Digitized by Google

Manethoni fertur annorum DXI. apud Joſephum C. Apionem p. 1040. quamvis *ſex* ex iis Reges nominet, qui regnarint ultrà annos CCL. Tandem illatæ clades Ægyptiis, bella geſta, expulſionis ratio & tempus, per Thebanos nimirum Reges; tùm loca in quæ profecti, quæ alii Syriam, alii Judæam, alii veriùs litora Maris Erythræi, dixêre. Nonnulla ſane videntur de iis commemorari, quæ aptari poſſint *Hebræis Paſtoribus*, inde à *Joſephi* dominatu, & ita Ἀρχαιολόγος contra Apion. Aſt repugnant quæ de iis narrantur pleraque, ſi non omnia, & ipſa ratio temporis in Chronico Euſ. ubi deſcendit Jacob in Ægyptum, ſub finem Dynaſtiæ XVII. anno antepenult. horum Paſtorum, quibus tribuit in *Chr.* Euſeb. annos CIII. Nec ſane Iſraëlitæ *Reges* fuerunt; non imperantes in Ægypto, ſed ſervientes; non hi diripuerunt Memphim; non venerunt in Ægyptum *armati*, & 240000. numero; non *regnarunt* pluribùs ſeculis; non pulſi à *Thebanis* Regibus; & diu regnaverant in Ægypto antè deſcenſum Jacobi, vel exaltationem Joſephi.

Tanitæ Reges Pharaones. *Pharaonum* commune Regum Taniticæ Dynaſtiæ, in Inferiori Ægypto nomen eſt, in Moſaïcâ Hiſtoriâ; ut poſteà *Ptolemæorum*, *Cleopatrarum* illa, ſic in Palæſtinâ nomina *Abimelech*, *Adonizedek*, vel poſteà *Cæſarum* illud & *Auguſtorum* apud Romanos. *Pharao* qui Joſephum evexit, videtur idem qui Manethoni *Mephramuthoſis*, cui *Tethmoſis* aut *Thmoſis* ſucceſſit, hinc *Amenophis*, tùm *Horus*, &c. Apud Euſebium evectus fuit Joſeph ſub finem Dynaſtiæ XVII. quæ *Paſtorum* erat, mox ſucceſſurâ Dynaſtiâ XVIII. quæ v. fuit *Dioſpolitarum*, quæ eadem aliàs Thebanorum Regum, quam orditur *Amoſis*, hinc *Chebron*, *Amenophis*, &c. Præceſſerunt hi *Rameſſem* cognomento Miamûn, regnaturum totâ Ægypto annos ferè LXVII. paulo antè natum Moſem, annis L. & ampliùs poſt exceſſum Joſephi. Et hic primus videtur oppreſſiſſe Iſraëlitas, natus poſt ſublatum Joſephum, longâ eâ oppreſſione quæ innuitur *Ex.* II. 23. Idemque non improbabiliter cenſetur cum Græcorum antiquiſ-

Seſoſtris quis? ſimo illo *Seſoſtri*, *Setooſi*, *Sethoſi*, (ingenti apud Marshamum μεταχρονισμῷ, qui cum *Seſaco* confundit, tempore Rehoboami) qui etiam *Oſiris* dictus ab Ægyptiis, maritus Iſidis, ut plures eo nomine fuerunt. Hic non modo arma protulit in *Æthiopiam*, *Arabiam*, *Perſidem*, *Mediam*, &c. ſed ingentes quoque foſſas ex Nilo deduxit ad Mare Rubrum, Obeliſcos erexit, exciſis lapidibus in tractu Heliopolitano, *Civitates* ſtruxit, quas inter *Rhameſſes*, prima ſtatio Iſraëlitarum, *Ex.* XII. 37. adhibitis ad ſtupenda opera ſervis, quales habiti Iſraëlitæ. Conferantur Diodorus *Lib.* I. Apollodorus, Plinius, &c. & nuperæ *Notæ* ad Marmora Oxonienſia. Hic eſt qui *Rhamſes* dicitur Tacito, *Ann.* II. 60. Ῥαμέσης in Inſcriptione antiqui Obeliſci, Thebis Ægyptiis reperti, apud Ammianum *Lib.* XVII. *C.* IV. Et hujus Rhameſſis filia eſt, quæ Moſem è fluvio ſuſtulit, quam Joſephus *Thermuthin* vocat *Antiq.* L. II. C. V. alii ex Artapano apud Euſeb. L. IX. Πρόπαρσον. *Merin*, *Merrhin*, *Merrhinam*, ex מרים, Eutychius in *Annal.* *Siyun*, ut ſuprà. Poſt hunc regnavit alter *Amenophis*, ex Manethone, apud Joſephum *Lib.* I. contrà Apion. qui ille Pharao ſub quo, anno *regni* hujus XX. Exitus Iſraëlitarum contigerit. Hic pater *Rameſſis* junioris, qui aliàs Ægyptus, & Belus, (Manethoni apud Joſephum, idem cum *Sethoſi*, vel *Seſoſtri* Herodoti, atque ità plurimi) & *Armais*, qui & Danaus Græcis, à fratre Ægypto exactus; undè *navem* primus in Græciam advexiſſe fertur. Ab hoc fuêre *Danai*, ut ex Euſebii quoque Chronico. Nec abludunt Marmora, licet *Danai* in Græciam appulſum faciant anteriorem Exodo, annis circiter XV. Joſephus rem totam pervertit, *Lib.* I. contra Apion. quoad *Danai* tempora, quæ longè in poſteriora removit. Nec certa ex Manethone colligitur ratio temporum.

Res Æthiopum; Idumæorum; Arabum; Phœnicum; Cretenſium; Argivorum; Athenienſium, &c.

III. Satis indicaſſe hoc loco quod, medio hoc tempore ab Abrahamo ad Moſem, floruiſſe dicantur, ex. gr. Res *Æthiopum*, intellectæ ex Euſebii *Chron.* qui Ægyptiis ad *Auſtrum*, hinc Æthiopia ſub Ægypto, *Indi* citeriores quandoque Veteribus. Quanquam & *Thebais* primitùs quoque Æthiopia, ut Nitocris quoque Regina Æthiopum. Sic res *Libum*, quorum regio dicta *Ammonia*, hinc Jupiter Ammon, in ea Gente cultus. De ejus Oraculo adiri ſolito ab Arabibus, Ægyptiis, Libyis, poſteà & ab Alexandro M. &c. ex profeſſo Eruditi, poſt Diodorum, Herodotum, Trogum, Pauſaniam, &c. Sic *Afros* hac Epochâ ortos ex Ὠφρὴν vel Ἀφρὴν, uno ex Kethuræis, unde ſit Ἀφρικα, (veriùs quam ex *ſpicis* fertilis Africæ; ut Bochartus) ex Polyhiſtore Joſephus *Antiq.* *Lib.* I. — Res Æthiopum, &c.

Sic floruerunt res *Idumæorum* ſeu poſterorum Eſavi, qui cur אדם dictus, Græcis Ἐρύθρας, Moſes *Gen.* XXV. 30. Hinc poſteri אדמים *Idumæi*, quaſi *rubri*, extenſi ad Auſtrum Palæſtinæ, versùs mare quod hinc *Erythræum*, aliàs ים סוף *Mare algoſum*, à fundo & litore algoſo: Niſi ſit mare *extremum*, terminans illinc *fines* Ægypti & Æthiopiæ, hinc Arabiæ, quæ πέρατα τῆς γῆς, *Matt.* XII. 42. Sic celebres in Scripturâ, ad Ortum Palæſtinæ, *Moabitarum*, *Ammonitarum* Gentes, notâ ex Moſe origine, dein potentiâ, bellis, &c. Irà venerunt *Arabum* communi nomine, qui ex Iſmaële, & Kethurâ, partim etiam ex Chami, & Semi quoque nepotibus, prognati. Unde *Arabiam*, alii *Petream*, incoluerunt, ut Medanæi, Dedanæi, Nabatæi, latiùs hi extendendi uſque in *Deſertam*, & *Felicem* Arab. Alii magis per *Deſertam* Arabiam diffuſi, ut Agræi vel Agareni, ſeu Saraceni, Sabæi ex Kethurâ, Kedareni ex Iſmaële, Uzitæ vel Auſitæ ex Nachore, Ituræi à Jethuro Iſmaëlis, Themaitæ vel Themanitæ à Thema Iſmaël. Alii per *Felicem Arabiam* diſpergendi, inde ab ejus aditu, verſus Mare *Suph*; ut Madianitæ ex Kethurâ; Magnâ tamen εὐδαίμονος Ἀρραβίας parte habitandâ à poſteris *Chuſi*, quales Chavila, Rhegma vel Rahma, Scheba, Sabtha, vel Sabbatha, &c. vel *Joctanis* fratris Pelegi, à quo Havilæi, Jobabitæ, Sabæi, Ophiræi, alii qui XIII. nominantur *Gen.* X. 26. & *ſeq.* De Jemamitis, diximus ad Hiſt. Jobi, C. XV. Tacemus *Chaſdim* ex Cheſed filio Nachoris, *Gen.* XXII. ſic appellandos; & aliquando per πρόληψιν memoratos, ut *Gen.* XI. 31. — Idumæi. Arabes varii.

Res *Phœnicum* jam tùm celebratæ, qui Cananæi, & Syri, & quorum Theologiam deſcripſit Sanchoniathon, ſi fides Philoni Byblio. Inprimis celebres jam *Sidonii*, qui Phœnicium litus tenuerunt, & quorum antiquiſſima nautica. Unde *Phœnicum* celebratiſſimæ Coloniæ. Certè *Cadmi* profectionem ex Phœnicio litore, (nati Agenore fratre Beli Ægyptii, à quo ora Maritima Phœnices occupata fuerit) plerique vetuſtiorem faciunt, annis aliquot, ipſo Exitu ex Ægypto, & ſic Marmora Oxon. Lydiatus, Seldenus, Marshamus, &c. — Phœnices.

Res *Argivorum*, quorum primus Rex *Inachus*, ad initia Jacobi referas, ex Euſebio. Plato nihil totâ Græciâ antiquius noverat, rebus Inachi, & Phoronei, unde *Inacho antiquior*. Aliis ſuppar habitus Abrahamo: Recentiores, inducti auctoritate Joſephi, Clem. Alexand. Theophili, Africani, &c. quorum Chronologia à veritate Hebraicâ plurimum ablu- — Argivi.

Digitized by Google

abludit, faciunt eum coævum Moſi. Hinc filius Inachi *Phoroneus*, ἀρχέγονος, & hominum primus habitus, quia primus coëgit in urbes, & legibus ac judiciis coërcuit: Quod & de *Cerere* dixerunt, θεσμοφόρῳ *Legiferâ*, quæ apud Callim. Hymno in Cererem, *v.* 19.

πολέεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε,

ſeu prima Civitates ad vitæ ſocietatem revocaverit, coactis in urbes qui diſperſi viverent. Huic Phoroneo fertur filia *Niobe*, mulierum omnium prima, (ità Græci ignari antiquitatis) à Jove compreſſa, mater *Apis* Argivi; ut Inachi filia ab eodem Jove ſtuprata, quæ *Io*, Ægyptiis mutato nomine *Iſis*, Oſiridi ſociatæ, ex Euſebio, Syncello, &c. Nempè mos antiquis, Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, omnia ad Deos referre, cumprimis ſtupra, & adulteria, unde *Romulus* ex Marte natus, à quo Rhea mater imprægnata. Ab *Api* Argivo, (quem in Ægyptum delatum, eundem eſſe cum *Serapi* Euſebius in *Chron.*) Rhodum conditam volunt Diodorus, Strabo, quemadmodùm *Memphim* Ægypti, Euſebius. Et huic filius *Argus*, à quo Argos, Argia, Argolis, urbs Peloponneſi, undè Argivi Reges.

Ità *Pelaſgum* Niobes ex Jove filium, in Arcadiâ regnaſſe ferunt, ex Ægypto eò delatum, circà tempora Joſephi abducti; undè Arcadia Pelaſgis, & Peloponneſii Pelaſgii. De quorum *coloniis* in Theſſaliam primò, duce *Theſſalo*, Pelaſgi vel Græci filio; dein in Epirum, hinc Italiam, duce *Oenotrio*, nato ex Lycaone Pelaſgi filio, à quo Lycaonia Peloponneſi, multa Hiſtorici, & Bochartus Libro de Phoenicum Colon. omnium inſtar.

Ogyges, Cecrops, Prometheus, Deucalion, Amphictyon, Hellen.

Res *Athenienſium*, *Bœotorum*, jam initium habuerunt. Quum hac Epocha celebretur *Ogyges*, in Atticâ & Bœotiâ regnans, ſexcentis ferè annis antè Excidium Trojæ, in *Chron.* Euſebii. Hinc apud Græcos ſi quid ἀρχαῖον haberetur, dictum ὠγύγιον; & *Diluvium Ogygium*, totâ Atticâ & Bœotiâ inundatis, cui *Deucalionis* illud, in Phocide, duobus & ultrà ſeculis poſterius fuit. Hinc Ogygio Diluvio præcipuè aptata, quæ ex traditione de Noachico accepiſſent Græci, & Latini. Cumprimis Regni Attici illuſtris fuit conditor *Cecrops*, & Urbis quæ dicta primùm *Cecropia*, poſtea Ara Athenarum. Cecrops, inquam, ille διφυής, ob legem de Matrimonio inter duos, loco promiſcuæ veneris: A quo & Attica *Cecropia*, coloniâ ex Ægypto in Atticam delatâ, ductâ in uxorem Agraulo, filia *Actæi*, ſorore Phœnices, à quo *Acticam* pro dote accepit, poſteà Atticam. Hinc incipit Æra Attica, Moſis nativitate anterior, ſecundùm Marmora, non ſecundùm Euſebium. *Minervam* primus coluiſſe fertur Cecrops, Ἀθηνᾶν, affini voce Phœniciâ, ארוני. Coævum ferè huic faciunt *Prometheum*, Patrem Deucalionis, ex Ægypto oriundum, apud Diodorum L. I. conſiliarium nempe Oſiridis Regis, providum, ſapientem, à quo Græcis fuerint traditæ artes ac Diſciplinæ. Unde eſt quod barbaris moribus profligatis, & artibus inventis, in ſpecie figulinâ, homines de novo finxiſſe fabulati ſunt. Frater illi *Epimetheus*, maritus Pandoræ, tùm & *Atlas*, filii omnes Japeti, antiquiſſimi mortalium crediti, de quibus Græcorum fabulæ.

Deucalion, Promethei filius, colonias & ipſe ex Ægypto deduxiſſe fertur, & ultrà Parnaſſum conſediſſe in Lycoreâ regione, quo tempore Cecrops in Atticâ regnaret. Diluvium verò Deucalionis, quod in Phocide fuit, uti Delphi in inferiori vertice Parnaſſi, (fuit mons δικόρυφος) accidit regnante Athenis *Cranao*; ſub quo famoſa lis nata *Martem* inter, reum ſanguinis, & *Neptunum*. Unde judicium natum Areopagitarum, qui in Ἀρείῳ πάγῳ, *Martis colle*, (quod Mars primus ibi judicatus ſit) de crimine capitis, & gravioribus cauſis judicium ferrent. De quo præ aliis Meurſius noſter, in *Areopago*. *Amphictyon* Deucalionis filius, pulſo Cranao, regnaſſe Athenis fertur, annis antè Exitum XXVII. circiter, juxtà Marmor Arundell. Ab eo dictus Senatus Amphictyonum, qui de communibus Græciæ rebus, pro communi ſalute conſuleret, per πυλαγόρας ſeu legatos, qui ad Thermopylas convenirent, primò ex finitimis Urbibus, & locis, dein totâ Græciâ. Alter Deucalionis filius, fuit *Hellen*, à quo Ἕλληνες primò in Phtiotide Theſſaliæ; uti *Hellas* antiquitus pro Achajâ: Poſteà circa primam Olympiadem, quando convenerunt totius Græciæ incolæ, & populi, evaſurum fuit commune Nomen, contradiſtinctè ad Barbaros.

Res *Cretenſium* etiam vetuſtiores creditæ, & ad hanc Epocham relatæ. Nempè *Crete* Rege primò indigenâ, multis uno *Curetarum*, quique, apud Euſebium, Jacobi nativitatem præceſſerit. Antiquiſſimum *Curetarum* nomen, qui Rheæ matris Jovis aſſeſſores, & armati coram Jove ſaltarent, vel luderent, undè iidem *Corybantes* à ſaltatione. Hinc *Curetes* Procerum nomen, quibus Rhea Jovem educandum tradidit, undè Κύριος, & fortè *Curia* Latinorum. Dictus hinc Jupiter Cretenſis Δικταῖος, vel Ἰδαῖος, ab Inſulæ hujus montibus, ubi Curetes educarant. Conditores & urbis *Cnoſſiorum*, undè *Cnoſſia* Corybantum ſaltationes; De quibus indubiè aget Frater meus, Animadverſ. in Callimachum, Hymno *in Jovem*. Res Cretenſium.

Phrygum & antiquiſſima memoria eſt, Gentis ex Japheti & Gomeri poſteritate, hinc de antiquitate certantium cum Ægyptiis, apud Herodotum, initio ſtatim *Libri* II. Hic *Cybele* magna Dea, mater Deorum, de cujus amoribus, & Attide amaſio evirato, (unde Cybelis ſacerdotes eunuchi) multa Diodorus Sic. Bibl. *Lib.* III. Servius in IX. *Æneid.* &c. in noſtris fuſe Voſſius de Idolol. L. I. *Cap.* XX. Euſebius Cybelis Templum memorat jam ad Ann. LVI. Abrahami, in *Chron.* Phrygiis ſunt accenſendi *Teucri*, *Dardanii*, ad Idam montem, qui poſtmodum *Trojani*; Ilium vel Troja ſtetit ante Excidium Trojanum annis propè CCC. Quamvis Thebano Trojanoque bello, nullum monumentum antiquius extare apud Poëtas, dixerit Lucret. L. V. de quo Epochâ *ſeq.* Phrygum.

VIII. *Idololatria ſpecialis variarum Gentium, currente hac Epochâ.*

I. Huc ſpectat Synchroniſmus firmatæ Idololatriæ in antiquiſſimis Gentibus. Hinc notæ ſuperſtitiones in *Aſiaticis* quidem (Semitis vel Chamitis) etiam antè Moſaica tempora, Chaldæorum illæ, Syrorum, Phœnicum, Arabum; adde & *Phrygum*, quos ex Japheto, & Scytharum quos ex *Magogo* prognatos, ſuprà diximus. Idololatria poſt-Diluviana.

In *Afris*, fuit cultus Ægyptiorum, Libum, poſteà quoque & Pœnorum, Phœniciâ matre.

In *Europæis*, ſeu in Japhetianis, cultus cùm maximè Scytharum Europæorum, ac vicinarum Gentium; qui præ cæteris in *Barbariſmum* abiit, quem Epiphanius antè-Diluvianis attribuit.

II. Aſiaticæ Idololatriæ parentes CHALDÆI, aliàs Babylonii, Aſſyrii, Syri, quibus vicini Phœnices. Quâ in ſectâ educatus primùm Abrahamus, *Joſ.* XXIV. 2. Certiora hæc videntur: Chaldæorum.

1. *Aſtrologiæ* ſtudio deditos, undè *Chaldæi* iidem qui Aſtrologi, Genethliaci, Mathematici, aliàs etiam *Magi*, variâ vocis originatione, apud Eruditos. De quâ fuſè Parens noſter, *Dub. Evang.* Parte II.

2. Hinc deflexum ad cultum *Solis*, tùm *Lunæ*, antiquiſſimum omnium pridem antè Jobum, *Job.* XXXI. 26. 27. & antè Moſem, *Deut.* IV. 19. ex immu-

Digitized by Google

immutabilitate, luce, altitudine, celeritate, viribus in hæc inferiora. Coluerunt ſub nominibus *Bel*, *Belſamen*, *Beltis*, *Mylitta* vel Mylithæ, &c. quod apud Babylonios Lunæ nomen. Phœnices Solem *Baal*, Pœni *Bal*, dixêre. Imò Afros univerſos Soli tantùm & Lunæ ſacrificaſſe, Herodotus.

3. Cultu *Ignis*, undè Ur Chaldæorum, πῦρ Græcorum. Quæ ſuperſtitio & Ægyptiorum, Afrorum, Libum, Perſarum, qui *ignem perennem* in uſu ſacro habuerunt, ex Strabone, & aliis. Idem Vulcani, & Veſtæ nomine cultus. Niſi ſecundùm alios *lucem* vel *ſolem* intellexerint.

4. Cultu ſymbolico *Idolorum*, ſimulachrorum, imaginum, quales in Scripturâ Teraphim, & Idola Niſroch, Rimmon, Nebo, vel Nabo, Beli ſimulachra, &c. De quibus Eruditi, & ad Scripturam Interpretes, ac fusè Seldenus de *Dis Syris*.

III. Affinia inplerisque *Syrorum* ſeu *Phœnicum* ſacra, & Ammonitarum, Moabitarum, Cananæorum, Philiſtæorum, Sidoniorum, &c. His Numen ſupremum *Sol*, quem dixêre Baal, Molech, Jevo, Adoni, El, Il, &c. tùm *Luna* quæ Baalath, Melecheth, Aſtarte, vel Aſtaroth, &c. Hinc Idola Soli erecta, quæ pro ratione locorum dicta *Baal Zephon*, *Ex.* XIV. 2. *Baal Peor Num.* XXV. 3. *Baal Mehon*, *Joſ.* XIII. 17. ſic *Baal-ſamen*, id eſt, Dominus Cœli, ut ex Sanchoniatone Euſebius, &c. De quorum fœdo cultu & formâ, præter Doctiſſ. Interpretes, Voſſius, Seldenus, Herbertus, alii.

Additus cultus tùm *Heroicus* illuſtrium Demortuorum, ſub nominibus Bacchi, *Jacchi*, Sabaſii, Vulcani, Mercurii, Herculis, ſimilibus; tum *Symbolicus* Idolorum, qualia in Hiſtoriâ Sacrâ memorantur varia, culta Ammonitis, Moabitis, Acaronitis, Philiſtæis vel Palæſtinis: De quorum nominibus, formâ, cultu, cultoribus, Voſſius, Seldenus, Herbertus, Hornius, Bochartus, Beyerus ad Selden. & eruditi Commentatores.

Nullius verò Gentis vel Numina, vel Idola, vel Sacra multa & inſtituta, aut fabuloſæ narrationes, tam evidentem habent ex S. *Litteris*, malè intellectis aut detortis, originem, etiam lucem. Quæ pluribus Eruditi ad voces *Baal*, *Molech*, *Jao*, *Adoni*, *Hel*, *Il*, *Iſraël*, *Jeud*, *Rimmon*, *Bacchus*, *Sabaſius*, *Aſtaroth*, *Dagon*, &c. Sic v. gr. Sacra *Molochi*, ex Hiſtoriâ de Iſaaco immolando à Patre ſuo; ſic *Lapides Betulii*, vel *uncti*, ut Bochartus de Col. Phœn. L. II. C. II. à Phœniciis culti, ex Hiſtoria Jacobi, ungentis lapidem in Bethel, *Gen.* XXVIII. 18. XXXV. 14. Pariter ex יח quod nomen Dei eſt, fecerunt *Jach*, hinc *Bacchum*, ſi Voſſio credimus, qui dictus Σαβάζιος ex voce Hebraicâ צבאות. Sic ex *Adonai* factum *Adonis*, quod Solis nomen, & Sacra *Adonia*; ut ex מלך Moloch, Solis nomen apud Ammonitas; & ex אל quidam factum eſſe ἥλιος. Plura de his Seldenus, Voſſius, Bochartus, & dicta Nomina.

Arabum. IV. Vicinorum *Arabum* ſuperſtitionem haud obſcurè innuit Jobus, Arabs ipſe gente & habitatione, Moſe nonnihil antiquior, *Job.* XXXI. 26. 27. in *Solis* & *Lunæ* præcipuè cultu poſitam. Sic ſtellam Veneris ut maximè lucidam, diei nunciam, ſub *Cabar* (כבר vel כביר *Dea magna*) aut *Cubar* nomine cultam iſti Genti, pridem obſervatum; unde dies *Veneris* ſacer jam olim Arabibus. Hinc communia his pleriſque cum vicinis Moabitis & Madianitis Sacra, *Num.* XXV. 6.

Iidem dicti *Zabii*, vel *Sabæi*; celebris jam ſecta Abrahami tempore, ſi fides Majemonidi in Moreh Neboch. & Orientalibus. Scaligero tamen, Seldeno, Salmaſio, aliis, *Chaldæis* & *Aſſyriis* accenſiti, aliis etiam habiti in Ægyptiis, quibus communia ferè Sacra. Vide inprimis Pocokium, Notis ad Albufarajum, de Gente & mor. Arabum. *Zabiiſmus* religionis horum Arabum nomen eſt, quam Religionum omnium *antiquiſſimam*, & toto olim Orbe *diffuſam*, fabulantur Arabes ſuæ Gentis pleni, & ex iis Majemonides, P. III. Moreh Neb.

V. *Phrygum* & antiquiſſima ſuperſtitio fuit, Gentis ex Japheti & Gomeri poſteritate. Coluerunt hi Magnam Matrem, *Cybelem*, vel *Rheam*, id eſt, Terram fœcundam frugibus. Sic de illorum *Cabiris* ſeu Diis μεγάλοις κ̀ δυνατοῖς, Phœniciâ vocis origine, כבירים Κάβειροι, Voſſius, Bochartus, &c. Quemadmodum de *Gallis*, Sacerdotibus Magnæ matris, & caſtratis, an à *Gallo* Phygiæ flumine? De *Sileno* Deo, cujus alumnum ferunt Bacchum, qui capite calvo, & φιλογέλως, plura Eruditi, & Mythologi. Phrygum.

VI. In eâ Africæ parte, Aſiæ contiguâ, ſuprà omnes cùm vetuſtate tùm ſuperſtitione inclyta fuit *Ægyptiorum* Theologia. Hinc primi crediti qui adepti ſint Deorum *cultum*, ſeu publica ac ſolemnia inſtituerint Sacra, in Templis, Delubris, Sacerdotali cultu, ex Diodoro, Herodoto, Strabone, Luciano, Ammiano. Nam primitùs *Templa* nulla, ſed loca editiſſima, montes, colles, luci, &c. Ægyptiorum.

Communia his cum aliis Sacra in *Solis*, *Lunæque* cultu. At ſpeciali appellatione *Oſiridis & Iſidis*, ac ſingularibus Ceremoniis, ut & Idolis iiſdem ſacratis; & additis fabulis, de Oſiridis ἀφανισμῷ, menſe Ἀθὺρ Novembri noſtro reſpondente: De quibus poſt Plutarchum in Libro de *Iſide*, fusè Eruditi, & Mythologi.

Culti his & *Planetæ* reliqui, ex Aſtrologicâ diſciplinâ, cumprimis *Mercurius* ex motu circà Solem maximè conſpicuus, Ægyptiis dictus *Thoit*. Et à Planetis *Septimanæ* dies diſtinxerunt, & cyclum illum obſervarunt, ſicut Hebræi. Culta & *Terra* ſub Iſidis appellatione, dein Cereris, etiam Ἑςίας, & *Veſtæ*, quibus tamen vocibus *Ignem* etiam Græci & Romani coluerunt. Culti & *Heroës*, Gentis conditores ac ſapientiæ Magiſtri, v. gr. Cham, Chus, Nimrod, Mizraim, ejus Filii, ſub nominibus Oſiridis, Bacchi, Saturni, Hammonis, Mercurii, Thoth vel Taauti. Imo cultum Ægyptiis Joſephum ſub *Apis* vel *Serapidis* appellatione, ut quem *Servatorem* ſuum habuêre, undè in Nummis illud φυλάξῃ; Et nomen eſſe ex שר *Sar*, & אב *Ab*, *Apis*, quaſi *Princeps Pater*; non defuerunt qui exiſtimarent, in Veteribus & Recentioribus. Sed quæ Joſephi fata mox ſubſecuta eſt *oblivio*, & in cognationem omnem durities, vix admittit ſolennem hanc ἀποθέωσιν. Quin veriùs *Serapis* Symbolum Jovis Ammonis, hinc cornu illi *arietinum*, ut & Æſculapii, & Ditis, & Neptuni, & Panis, & Solis ſeu Oſiridis, ut pluribus qui rem Nummariam illuſtrarunt. Joſephus an cultus Ægypt.?

Culti & *Cacodæmones*, quamvis κακὺς δαίμονας non agnoverit Plato, benè Porphyrius, Jamblichus ex Zoroaſtre, ac Ægyptiorum vetere diſciplinâ. Quorum nempè inſtrumenta Magi, Incantatores, tempore Joſephi, & Moſis; undè frequentia Moſaicæ Legis interdicta, *Levit.* XVII. 7. *Deut.* XXXII. 17. &c.

De *Aqua* & *Nili* ἀποθεώσει, eâque antiquiſſimâ, ob τὴν ὠφέλειαν quam ex Nilo perciperent, obvia res eſt. Imò & *Beſtias* conſecraſſe, ob eandem utilitatem, Taurum, Vaccam, Arietem, Hircum, Caprum, &c. in confeſſo eſt. Quarum figuræ inter *Aſtra* relatæ, ut Aries, Taurus, &c. Et ſub quibus Deos ſuos latere crederent, ut Jovem ſub figurâ Arietis, Panem ſub figurâ Hirci, Mercurium ſub figurâ Canis, Dianam ſub Felis illâ, &c. Aut in quas tranſmigraſſe cenſebant animas Deorum, ut illam, Oſiridis à Typhone occiſi in Bo-

vem. Hinc etiam *Paſtores* abominati Ægyptii, quod ad eſum paſcerent, etiam mactarent, ea animantia quæ illi ad cultum deſtinarent, *nefas illic fœtum jugulare capellæ*. Hinc animalia ſacrificari ſolita, ut boves, oves, capræ, vocantur תועבת מצרים, βδελύγματα Ægyptiorum, *Ex*. VIII. 22. Quædam & coluiſſe feruntur, ne nocerent, ut Crocodilum, Ibim, Ichneumonem, ac Serpentum vel reptilium genus, quod homini inprimis noxium. Imò *omne ferè genus beſtiarum Ægyptios conſecraſſe*, & quidem *ob utilitatem aliquam quam ex iis caperent*, poſt Herodotum & alios, Cicero de Nat. Deorum, *Lib*. I. & III. *Sus* Ægyptiis, ut Myſiis, Phœnicibus, Scythis, Arabibus, Indis, &c. exoſa, ἀνιερὸν ζῶον, ſic & *Hebræis*; quæ, benè ſaginata, Romanis, aliiſque Gentibus in deliciis habita.

Plantas & coluiſſe Ægyptios multorum ſententia tulit; *Porrum & cepe nefas violare, & frangere morſu*. Fidem vix habente Gerhardo Joh. Voſſio, *de Theol. Gentil*. L. V. poſtumo, C. XLV.

Idola, ſive ſimulachra iiſdem longè plurima, quibus & litarunt ſacrificiis, templis, feſtis, tripudiis: Famoſa ſunt præ cæteris *Oſiridis* illud & *Iſidis*, Thebanorum; *Apis*, Memphitarum; *Mnevis*, Heliopolitanorum; *Bovis* vel *Tauri* aut *Vaccæ* figurâ: Quod Idolum inprimis ſacrum Ægyptiis, ut propter tranſmigrationem animæ *Oſiridis*, hinc *niger* & pullâ veſte amictus; ſic ob utilitatem eximiam in aratione, triturâ, plauſtris trahendis, geſtandis oneribus, eſu & nutritione, &c. Quamvis bovis eſu abſtinerent Ægyptii, & plerique Africæ populi, ut & Phœnices, Phryges, etiam Attici, nempe bovis triturantis, & ad agriculturam idonei. Apim verò *Moſem* repræſentaſſe, ingenioſè quidem, ut ſolet, Eruditiſſ. Huetius, parum probabiliter tamen.

Non admittit inſtituti noſtri ratio, nec capiunt hæ anguſtiæ reliqua de Ægyptiorum *Sacerdotibus*, *Ceremoniis*, *Templis*, *Sacrificiis*, *Luſtrationibus*, *Feriis*, *Ludis*, *Tripudiis*, *Hieroglyphicis*, item *veſtibus*, *mundicie*, *abſtinentiâ*, &c. De quibus ex profeſſo & prolixè Viri ſummi, præter Kircherum in *Oedipo* ſuo; & nuper Witſius noſter in *Ægyptiacis*.

Inſtituta Moſaica, ut contraria Ægyptiorum illis.

VII. Certum verò quod in multis ſerpſit contagium ab Ægyptiis ad Iſraëlitas, vel in *Aureo* Vitulo conſpicuum; prout βοῦν διάχρυσον *bovem auratum*, imaginem Oſiridis, veneratos eſſe in Iſidis luctu, (quum lugerent תמוז *Thamuz*, Θαμμοῦζ, *Ezech*. VIII. 14. id eſt, Ἄμμουζ, Αμμοῦν, Ammonem, ut ex Herodoto & Plutarcho) auctor eſt idem Plutarchus *Libro* de Iſide. Quemadmodùm & illud indubium, reſpexiſſe frequenter Legiſlatorem ad Idololatriam, ad βδελύγματα, ritus, inſtituta Ægyptiorum, multis cum deteſtatione *damnatis*; quibuſdam in contrarium *mutatis*; quibuſdam aliis *permiſſis*, ac omninò *retentis*. Sed hæc poſtrema veriùs Ægyptii à Patriarchis, aut ab Hebræis acceperant, & ſuperſtitionibus fœdaverant; ut fuêre ſacrificiorum uſus; veſtes lineæ ſacerdotum; oblationes, purificationes; Circumciſio; Feſta; Decimæ; ſus exoſa, & alia. Sic multa ex Hiſtoriâ ſacrâ ad eos derivata, quæ fabulis ac ſuperſtitionibus conquinarunt. Multas verò leges Moſaicas fuiſſe contrarias conſuetudinibus Ægyptiorum, ipſe Manetho agnovit, apud Joſephum *Lib*. I. *contrà Apion*. Et pluribus Tacitus *Hiſtor*. L. V. *Cædunt* Judæi *arietem*, *velut in contumeliam Hammonis*; *Bos quoque immolatur*, *quem Ægyptii Apim colunt*. Sic Moſes præcepit, ſale adſpergi omne ſacrificium; hœdum & agnum mactari; vaccam rufam comburi &c. præ cæteris jam olim Ægyptiis ſacram, vel ex ſomnio Pharaonis. Contrà interdixit quæ Ægyptiis in uſu aut in deliciis erant, v. gr. Sacerdotes radi, tonderi quidem, ſed non in orbem; veſtes ex diverſis pannis conſutas, aut ex lanâ & lino textas; altare ex lapidibus cæſis aut politis; aſcenſum ad illud per gradus; uſum fermenti, aut mellis, quum μελισπόνδων uſus perpetuus eſſet in Deorum Sacris; ſic lucos eſſe juxtà altare Domini, &c.

VIII. Ægyptiorum illi proxima fuit, & cum his ferè communis, *Æthiopum* Idololatria, vicinæ Thebaïdi ad Auſtrum, & antiquiſſimæ Gentis; communiſque ut videtur cum Ægyptiâ originis, ex *Mizraimi* poſteris: Qui dicitur *genuiſſe Ludim*, *Gen*. X. 13. quos Ludim Æthiopas eſſe, Ægyptiorum colonos, multis Bochartus *Lib*. IV. C. XXVI. Quamvis Euſebius, ex Philoſtrato de Vitâ Apollonii, in Chronico *Num*. CCCCII. Æthiopas, ab *Indo flumine conſurgentes*, *juxtà Ægyptum conſediſſe tradat*, ſed precariò; Quod indè natum, quia Æthiopia Auſtralis vulgò audit apud Veteres *India*, quæ hinc *citerior*, diſtinctè ab Indiâ ulteriori, medio Oceano Æthiopico & Indico. *Libum* & vetuſtiſſima ſuperſtitio fuit, Gentis ut ortæ ex *Chami* nepotibus, ſic in quâ famoſiſſimum Delubrum Chamo ſtructum, Oraculis inclytum, ſub *Hammonis* appellatione, κελοπρεσωπου. De quo videri poſſunt Herodotus *Lib*. II. Diodorus Sic. Strabo, Euſtathius in Dionyſii περιηγήσιν, *pag*. 31. ad verba, καὶ τέμενος Λυβικοῖο θεοῦ, ψαμάθῳ ἐπὶ πολλῇ. Quos conſule, ut recentiores mittam. Indè Libya mediterranea *Ammonia* ſeu *Ammoniaca* regio, apud Stephanum, & alios. Æthiopum, Libum, &c.

IX. *Scytharum*, *Thracum*, *Sarmatarum*, *Celtarum*, &c. ex Japheti poſteritate, venit ſuperſtitio communi nomine *Scythiſmi*, & *Barbariſmi*, apud ipſum Paulum *Col*. III. 11. Quamvis Σκυθισμοῦ *Scythiſmi* appellatione veniat apud Epiphanium *Hær*. LI. omnis ille cultus Idololatricus qui inter Noachidas obtinuit, à Diluvio ad *Serugi* ætatem, ſub quo nempè Turris Babylonica condita fuerit. Quaſi verò omnes illi *Scythæ* fuerint, qui à Diluvio Idololatriæ addicti; ut Ἑλληνισμὸν imperitè vocat, cultum illum qui antè inſtitutam in Abrahamo Circumciſionem viguit. *Barbariſmus* fuit Gentium vulgò Barbararum, quæ ex Japheti poſteritate; quales poſteà contradiſtinctæ Græcis, etiam Romanis: Et ſic Βάρβαροι quotquot οὐχ Ἕλληνες, ut ſunt Trojani Homero, & Cares βαρβαροφῶνοι. Quotquot etiam incultis & ferinis moribus, ut Scytharum multi populi, ſic Æthiopes, Numidæ, Anthropophagi, &c. De quorum religione & ſacris agunt, qui de his Gentibus ſcripſêre; & compendio multa collegit, Elias Schedius, de Dis Germanis. Antiquiſſimum autem & hoc Idololatriæ genus eſt, (certantibus Scythis de antiquitate cum Ægyptiis, teſtibus Herodoto, Juſtino, &c.) ut & fœdum quandoque humano ſanguine, ac ſacrificiis. De *Helleniſmo* autem opportuniùs nos ad Epochas *ſequentes*, ubi de Phœnicum & Ægyptiorum in Græciam coloniis. Barbariſmus.

IX. *Media per quæ Ethniciſmus propagatus.*

TAndem huc faciunt ea *media* quibus inter haſce Gentes uſus eſt Cacodæmon, Dei ſimia, propagando ac firmando Ethniciſmo. Imitatus ille eſt, quæ à Deo ipſo inſtituta, vel à ſanctiſſimis Patriarchis Dei religione factitata noverat: Ex. gr. in *cultu* ipſo, quem ſibi & Idolis deferri voluit, in *modo* cultûs, per ſacrificia, holocauſta, altaria, Ædes Sacras, ſolennitates Conventuum, Feſtorum, &c. in *Oraculis*, & *Vaticiniis*, quæ impoſtores edebant, publicè, privatim; in *Divinandi* arte, ſeu revelatione arcanorum; in fictis *miraculis*, incantationibus, præſtigiis; in fictis *Apparitioni-*

tioni-

tionibus, & θεοφανείαις, quæ frequentes apud Ægyptios, Græcos, Gentes alias; tandem etiam in *Scriptis* fatidicis, qualia fuêre illa Mercurii Triſmegiſti, aut Sibyllarum.

Fraudes circa Orac. Fraus præcipua fuit, I. Circà *Oracula*, & in his celebriora illud Jovis Thebani apud Ægyptios; Jovis Hammonis in Libyâ; & Jovis Dodonæi in Theſprotiâ, Epiri regione; dein quoque illud Apollinis Pythii ſeu Delphici, in Phocide: De quibus χρηστηρίοις Herodotus, Diodorus Sic. Plutarchus, Plinius, Pauſanias, Strabo, &c. *Metrica* ut plurimùm fuêre, quia ſic ambigua, dein & obſcuriora, ne fallere crederentur; ut Oracula Jovis, Æſculapii, Serapidis, Apollinis, Amphiarai, & quæ id genus impoſturæ fuêre domicilia. Nempè in ſpecubus, aut antris obſcuris, in adytis, per occulta ſpiracula, infernè aura fatidica in Vatem aut Sacerdotem ſubibat, tripode ſpecus ori impoſito; tum ἐγγαστρίμυθοι & στερνομάντεις, ex imo pectore, clauſis quaſi labiis (quales & hodie cernimus) fundere oracula videbantur: Aut inter querceta, & arborum ac ventorum ſtrepitus, & æneorum Lebetum, adhibitis columbis, undè Columbæ Dodonides, fatidicæ voces emittebantur: Aut etiam pueri in eloquium Oraculi exerciti, & aviculæ, corvi, capræ, ἐπὶ μαντικὴν ἠσκημένα, impoſtorum σοφιστηρίοις, ut cum Clemente Alex. loquar, *Admonit. ad Gentes*, ſubſerviebant: Aut tandem vanam Ethnicorum credulitatem ſubdolis id genus artibus, & fictis reſponſis, non mali tantum Genii, ſed plerumque homines fallaces, illudebant, ut Clemens Alex. in Protrept. & Stromat. Libris, Tertullianus in *Apolog.* Euſebius L. IV. & V. Προπαρασκ. Auguſtinus *L.* VIII. de Civ. Dei, & alii, pluribus oſtendunt. Et plerumque uſus eſt Dæmon *fœminarum* miniſterio, quales fuêre primitùs, ex Herodoto, Sacerdotes *Thebanæ* Ægyptiorum; dein Sacerdotes *Dodonææ*; tum illæ Apollinis *Pythii* ſeu *Parnaſſii*; & ut plurimùm Pythoniſſas fœminas legimus, qualis illa in *Endor*, I *Sam.* XXVIII. Nempè aptiores illæ cùm ad faciendam fraudem, & ad requiſitas ſimulandi fallendique artes; tum ad fraudes paſſivè admittendas, ex innatâ ſuperſtitione, & credulitate. Exemplorum plauſtra hiſtoriæ & experientia ſuppeditant; præter *Evæ* exemplum, quam primùm ſubdolè adortus eſt Serpens antiquus.

Divinationes. II. Sic variæ fuerunt artes *Divinandi*, ac revelandi occulta, aut futura prædicendi: Modò per *Teraphim*, Taliſmanim, privata Oracula, per figuras, imagines fatidicas, Signa cumprimis Cœleſtia ſecundùm Aſtrologiæ præcepta repræſentantes; quas ſeu ſiderum quadam ἀποῤῥοίᾳ, ſeu προστατηρίου δαίμονος, aut aliâ aliquâ ratione, eſſe futurorum præſagas, aut averruncas malorum, opinabantur. Sed de nomine τῶ *Teraphim*, figurâ, uſu, diſcrimine ab *Urim* & *Tummim* Moſaico, & id genus aliis, adversùs Cl. Spencerum fuſè nuper admodùm Diſſert. Academicis & eruditè, Clar. à Marck, Collega Conjunctiſſ. Modò per magicas artes, Pythones, Aſtrologos, Augures, Haruſpices, μαντείας varia genera exercuerunt: Undè ῥαβδομαντεία, βελομαντεία, νεκρομαντεία, ὑδρομαντεία, κληρομαντεία, ὀνειρομαντεία, ὀρνιθομαντεία, οἰωνομαντεία, ἀλευρομαντεία, κελθομαντεία, κοσκινομαντεία, χειρομαντεία, id genus aliæ vaticinandi artes, & ſpecies; de quibus paſſim Eruditi, & Clemens Alexandr. in Προτρεπτικῷ πρὸς Ἕλληνας, *pag.* m. 9. &c.

Scripta Fatid. III. Sed neque *Scripta Fatidica* deeſſe voluit Dæmon, quæ Gentilibus eſſent inſtar Librorum Propheticorum, quæque magno Ethnicis in pretio habita, ſub nominibus Hermetis ſeu Mercurii Triſm. Zoroaſtris, Hydaſpis, Sibyllarum. Moſe autem poſteriora omnia, etiam *Libri* XLII. *Hermetis*, τοῦ τελομεγίστου, aliàs *ſecundi*, Exodo junioris, apud Euſebium, Syncellum, &c. Quos Libros omnem Ægyptiorum Philoſophiam complexos eſſe, Medicinam, Aſtrologiam, Theologiam, Politicam, & in adytis Templorum repoſitos, prolixè præ cæteris Clemens Alex. *Strom.* L. VI. Sed pro illis Mercurii Libris, qualeſcunque fuerint, jam pridem interverſis injuria temporum, eorum loco ſuppoſiti ſunt, cùm ab Ethnicis *Libri* alii, quorum meminit Galenus, L. VI. de Simplic. Medicam. Facult. dicens eſſe ἄδηλον ὅτι λῆρος εἰσὶ καὶ πλάσματα τοῦ συνθέντος. Tum à Chriſtianis, tertio minimùm poſt Chriſtum ſeculo, faciendæ fidei Myſteriorum Relig. Chriſtianæ, & Hiſtoriæ Evangelicæ, unde nomina *Dei Patris*, Λόγου, ὁμουσίου, ſic *baptiſmus* Chriſti ad Jordanem, alia. De his Libris jam olim Lactantius Lib. I. de Falsâ Rel. C. VI. *ſcripſiſſe Triſmegiſtum Libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes*, & quæ ibi plura.

De *Sibyllis* Paganis, earumque numero, (alii *unius* meminerunt, alii *duas* dixêre, Cumanam & Erytræam, alii *tres* addendo Delphicam, Lactantius *Lib.* I. C. VI. ex Varrone *decem* enumerat) de ætate earundem, ſcriptis fatidicis, dicitur aliàs; Uti de Pſeudo-Sibyllinis Carminibus, ad ſecula Chriſtiana, poſt Blondellum noſtrum.

IV. His addi debent fictæ *Revelationes*, & *Apparitiones* Deorum, θεῶν ἐπιφανείαι, undè Dii ἐπιφανεῖς, quales augurabantur ex fulgore inſolito circa Templa aut Fana exorto, plerumque ſtatis temporibus, aut feſtis: Quomodò Iſidem, Cybelem Deorum matrem, Apollinem, Minervam, Deos patrios vel domeſticos, apparere credebant, ex Poëtis Græcorum, ex Cicerone, Virgilio, Plutarcho, aliiſque. Mutuato illo fulgore, ac modo apparitionis, uti alia multa, ex veſtigiis quæ in Hiſtoriâ Sacrâ & Moſaïcâ deprehendimus, quando Deus apparuit Abrahamo, Moſi, &c. Hinc θύειν τὰ ἐπιφάνια, quando ſacrificiis, lotionibus, hymnis, aliiſque id genus ceremoniis, apparitiones Deorum accelerabant. Sic obtendebant hujuſmodi ἐπιφανεῖς θεοὺς, profani Legiſlatores, ac novatores ſuperſtitionum, conciliandæ auctoritati; de quibus necdùm hîc commemorandi locus eſt: *Moſe* enim plerique poſteriores fuerunt, ipſe *Minos* Cretenſium antiquiſſimus Legiſlator. Appariti. Deorum.

EPOCHA QUARTA,

Ab Exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, ad Extrema Judicum, ſeu ad initium Samuelis & Saulis.

I. *Duratio hujus Epochæ, variè putanda.*

INcipit, juxta calculum in Hebræis Codd. conſonum, ex ſuperioribus Epochis, ab A. mundi Cond. —— —— —— —— —— 2513.

At juxta Voſſium, & ſequaces totis annis *mille*, & *quadringentis* ad minimum ſeriùs. Joſephus, & qui eum ſecuti primi Chriſtianorum Chronographi, Moſem referunt ad *Ogygis*, vel *Inachi* anteriora tempora. Aliter in Chronico Euſebius.

Duratio hujus Epochæ rurſum cenſetur varia, pro variis hypotheſibus Chronologorum. Cumprimis extendunt magnopere hujus annos, qui *ſervitutis* illos ſeparant ab annis *Judicaturæ*, tum & longas *Anarchias* intermedias fingunt. Hinc Scriptor nuperus protrahit Epocham ad annos —— —— 810.

Sic variant alii Interpretes & Chronologi, in reddendis locis, I *Reg.* VI. I. *Judic.* XI. 26. *Act.* XIII. 20.

Digitized by Google

20. De quorum nos calculis, & ſententiâ, plenior noſtra *Chronologia Sacra*, Epochâ IV. *Part.* II. C. XIX.

Colliguntur certiùs, præcipuè auctoritate loci I *Reg.* VI. I. ab Exitu ſeu à *Moſis* anno LXXX. ad initia *Samuëlis* & *Saulis*, incluſis annis XL. oppreſſionis Philiſtæorum *Jud.* XIII. I. Vel, juxta Uſſerium, incluſis etiam annis XXI. Samuëlis qui diſtinguuntur ab illis Saulis, anni in univerſum 396.

Conſentit in hoc Epilogiſmo Marshamus, Chron. Can. ad Secul. XI.

II. *Moſis Vocatio, Legatio ad Pharaonem.*

1. DUm ſic propagatur Idololatria ubique Gentium, & obſcuratur vera Religio in *Abrahami* poſteris, graviſſimâ ſervitute preſſis; en *Moſem* miro quodam modo divinitùs excitatum, Eccleſiæ inſtaurandæ, Iſraëlitis Ægyptiaco jugo ſubducendis, atque inducendis in eam Terram quæ & promiſſa Patribus, & typus æterni Sabbatiſmi.

Antecedanea Moſaicæ vocationis.

Antecedanea Vocationis Moſaicæ ex ſuperioribus ſatis intelliguntur, Epochâ III. *Num.* V. Ejuſque matrimonium cum Sephorâ filiâ *Reguëlis* cognomento *Jethro*, Sacerdotis Madianitarum; quod originem dedit fabulæ de nuptiis contractis cum filiâ Regis *Æthiopum*. Ad *vocationem* ipſam, & quæ proximè inſecuta ſunt, ſpectant;

Vocatio ipſa, & circumſt.

Apparitio Dei in *Horeb*, jugo Montis Arabiæ Petreæ, quum Moſes oves paſceret, miniſter ſoceri ſui. Hinc *Rubi ardentis*, nec conſumpti tamen, myſterioſus conſpectus; figuræ afflictionum Eccleſiæ, mediis in ignibus ardentis quidem, non conſumptæ tamen, & accenſæ flammâ pietatis, ardore precum, atque erectæ apparitionibus gratioſis Dei.

Angeli Jehovæ, *Act.* VII. 30. 35. ſed qui ipſe etiam Jehovah, *Exod.* III. 6. 14. 15. VI. 3. & idem qui האלהים *Deus ille*, *Gen.* XLVIII. 15. qui *apparuerat* Jacobo, & cum quo luctatus, *Gen.* XXVIII. XXXI. XXXII. XXXV. qui ejus גאל *redemptor*, & ſolus, liberans ab omni malo culpæ & pœnæ, *Gen.* XLVIII. 16. qui Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, *Exod.* III. 6. VI. 15. 16. qui Angelus facierum, *Eſ.* LXIII. 9. Angelus Fœderis, *Mal.* III. I. Ductor Iſraëlis, *Exod.* XIII. 21. &c. Ejus, inquam, ad Moſem directæ voces, *Exod.* III. 5. 7. & ſeq.

Moſis *octogenarii* pavor, cunctatio, modeſtia; hinc gratioſa erectio, additâ prædictione in ſignum, *Exod.* III. 12.

Sociatio Aaronis fratris, nati tum annos LXXXIII. & utriuſque ad Pharaonem ablegatio: Ità quidem ut Moſes dicatur conſtitutus vel datus *Deus Pharaoni Ex.* VII. I. per quem explicaret Deus imperium ſuum, & potentiam exereret; Uti futurus *Aaroni in Deum*, cujus oracula ex Moſe exciperet, hic verò futurus *os Moſis*, id eſt, interpres, propheta, τ̃ θείων ὑποφήτης.

Confirmatio legationis per miracula, *prodigia*, *Exod.* IV. 23. Virgâ primùm in Serpentem verſâ, tunc reliqua quæ ibi prolixè deſcripta.

Mirac. Ægypti. Magi quales.

Certamina cum *Pharaone*, & *Magis*, qui חכמים *Sapientes* ex Sacerdotibus Ægyptiis, מכשפים *divini* vel *præſtigiatores*, חרטמים ἐπαοιδοὶ, *incantatores*, vel artem *in occulto* & *circà occulta* exercentes, muſſitando quædam. Seu jam verè portenta quædam à Magis edita, operante Cacodæmone, *Deut.* XIII. I. ſeu (ut alii) oculorum ludibria fuerint, & præſtigiis iſti illuſerint. *Jannes* & *Jambres* nuncupati 2 *Tim.* III. 8. uti quoque apud Jonathanem Paraphraſtem, & apud Talmudiſtas frequenter; quin apud Numenium, Plinium, Apulejum, Artapanum in Euſebii Προπαρασκ. L. IX. Miſſis de hoc certamine *fabulis*, & colloquio Magorum Ægyptiorum cum Moſe; Pœnitentiâ Jannis & Mambris, in Librum apocryphum relata; Sepulchro eorundem à Dæmonibus infeſtato, & oſtenſo adhuc Macarii tempore, in deſerto Thebaïdis, de quo Palladius in *Lauſiac.* C. XX.

Induratio Pharaonis Regis, indignati ſibi leges figi, proprio in regno, à ſubditis duobus, nomine *ignoti* Dei, ad imminutionem poteſtatis; & quidem cum interminatione plagarum.

Plagæ ipſæ, immiſſæ Ægyptiis, quæ *decem* numero, pluribus declaratæ à Moſe, & ad eum Commentatoribus. Comprehenduntur ſummatim vulgatis verſibus, ſed malè natis,

Prima rubens *unda*, ranarum *plaga ſecunda*,
Indè culex *triſtis*, *poſt* muſca *nocentior iſtis*,
Quinta pecus *ſtravit*, anthraces *ſexta creavit*,
Poſt ſequitur grando, *poſt* bruchus *dente nefando.*
Nona tegit ſolem, *primam necat ultima* prolem.

Ac tandem reliqua uſque ad hiſtoriam Exitûs, de quibus à Cap. III. ad XII. Exodi, & apud Joſephum *Antiq.* L. II. C. V. Et hinc opinio apud Ethnicos nata, de Moſe *Mago*, imò Magicæ Sectæ auctore, apud Plinium, *Hiſt. Nat.* Libro XXX. C. I. & Apulejum *Apol.* II. Unde Clar. Huëtius eundem cum *Zoroaſtro* eſſe vellet, & *Magi* nomen factum ex משה μόχος, μόχος, ingenioſè quidem, at non quæ perſuadeant.

III. *Quæ proximè Exitum præceſſerunt. Exitus ipſe Populi, ejuſque ratio.*

I. PRæceſſerunt immediatè Exitum ex Ægypto:

1. Inſtitutio *Paſchatis*, facta divinitùs ſub initium menſis *Abib*, ſeu *Niſan*, vel *Xanthici* apud Joſephum, Deo hunc menſium primum eſſe jubente, *Exod.* XII. 2. 18. De cujus Paſchatis tempore, circumſtantiis, ritibus, ſignificatione, diſcrimine primi à reliquis in Canaane celebratis, prolixiùs Theologi & Interpretes. Certè in primo fuêre multa ſingularia: Ex. gr. ratione *aſperſionis* ſanguinis agni, faciendæ ad poſtes ædium, & ſuperliminare, *Ex.* XII. 7. Sic in Ægypto tranſiturus *Angelus Jehovæ*, & præteriturus ædes in quibus conſpiceretur ſanguis aſperſus; Ibi etiam prohibiti *ædibus egredi* totâ nocte, ne inciderent in Angelum percuſſorem; Ita comedere illic debuerunt *ſtantes*, *calceati*, *ſuccincti*, manu *ſcipionem* geſtantes, & *cum feſtinatione*; Uſus etiam *azymorum* ibi continuatus toto menſe, uſque ad XV. d. menſis ſecundi, *Ex.* XVI. 2. Ita præparatio agni facienda *die* X. primi menſis, quia in Ægypto non facile repeniſſent tot agnos, niſi maturè quæſitos. Inſtitutio Paſchatis, aliæ Circumſt. memorabiles.

2. *Mandatum* divinum de petendâ *ſupellectile* Ægyptiorum, pro jure Dei αὐτοκρατορικῷ, ut in Ægyptiorum vitas, ſic bona; prædicente Deo ad Moſem, *Exod.* III. 21. 22.

3. *Traditio* ipſa vaſorum & ſupellectilis, à vicinis quibuſque Ægyptiis, *Exod.* XI. 2. flexis divinitùs eorum animis, ſeu ex metu percuſſionis, *Pſalm.* CV. 38. ſeu ex affectu ob ſublatas priores plagas, *Exod.* XI. 3. Sive jam factum ſit per modum *doni*, ut quoque vult Joſephus, ſive potius per modum *mutui* aut *commodati*, *Exod.* XII. 30. quanquam ſatis intelligerent non reverſuros Iſraëlitas.

4. *Plaga decima* & ultima, ſeu deletio primogenitorum, à primogenito *Pharaonis*, ad primogenitum *captivorum* qui agebant in vinculis, vel in ſervitute; tàm in hominibus, quàm in animantibus, *Exod.* XII. 29. 30. Et *marium* quidem, quorum ſola videtur eſſe in textu deſignatio. Et hanc immediatè excepit Exitus Populi, faciente illâ ipſâ nocte abeundi poteſtatem Pharaone Rege, *Exod.* XII. 39. &c.

II. Quan-

Exitûs ipſius Circumſtantiæ.

II. Quantum ad ipſum *Exitum*, conſtant ex Moſe ſequentia.

1. *Tempus*, dies XV. primi menſis ſacri, quum jam vaſa collegiſſent indè à die XIII. tempore autem nocturno, feriâ Hebræis V. annis poſt cœptam habitationem in terrâ peregrinâ, CCCCXXX. *Exod.* XII. 40. 42.

2. *Modus* & ratio, ut ejecti veriùs quàm dimiſſi fuiſſe videantur, *Exod.* XII. 39. duce conſtituto divinitùs *Moſe*, Principe Iſraëlitarum primo, hinc *Rege* appellato, *Gen.* XXXVI. 31. *Deut.* XXXIII. 5. Viam præmonſtrante Nube interdiu, Columnâ ignis noctu, ſymbolo Providentiæ; Itinere etiam non compendioſo Palæſtinam verſùs, ſed deflexo ad Mare rubrum & Arabiæ deſerta; Ordine quoque militari egreſſuris, in *quincurias* diſpoſiti, חמשים πεμ]αίζοντες, & ad iter accincti, nec prout ſolet confuſa multitudo; Deo educente elatâ manu, id eſt, palàm, non fugientium inſtar, *Exod.* XII. 37. XIII. 18. *Num.* XXXIII.

3. *Numerus* exeuntium, virorum ſc. & armatorum, *ſexcenta millia*, ut videre eſt, *Ex.* XII. 37. Qui anno ſequente, cenſu iterum acto, deprehenſi ultrà ſexcenta millia, inſuper 3555, *Exod.* XXXVIII. 26. *Num.* I. 46. Et hi quidem præter *Levitas*, ut diſertè *Num.* IV. 48. & præter *pueros* infrà annum XX. uti præter *ſenes*, *fœminas*, ac turbam promiſcuam ſe Iſraëlitis aggregantem; etiam præter *pecudum* agmina, *Ex.* XII. 37. Quæ ſtupenda multiplicatio, intrà 215. ann. ſpatium, ex L. viris qui deſcenderint in Ægyptum, haud inter ἀδύνατα videatur: Si attendimus ſpecialem promiſſionem, fore ut ſtellas cœli, *Deut.* X. 22. adhæc polygamiam Gentis, initium generationis ab anno XV. & deinceps, continuationem in longum ævi, fœminarum in Ægypto fœcunditatem, alia, de quibus jam Hugo Grotius, & Interpretes paſſim. Sed accuratiſſimè rem hanc expedivit, ac difficultates Genebrardi, Stapletoni, Duni &c. expendit, poſt Bonfrerium, Temporarium, Torniellum, alios, Uſſerius noſter, in Chronologiâ S. Cap. XI. quæ omnium manibus verſatur.

4. *Tranſlatio* facta *oſſium* Joſephi, *Exod.* XII. 19. vi mandati expreſſi, *Gen.* L. 25. Atque adeò & *cinerum Patriarcharum* reliquorum, qui repoſiti in monumento quod emerat *Abraham pretio argenti*; *præter illud* quod acquiſiverat Jacob à filiis Emmor, in quo ſola Joſephi oſſa locata, ob donationem *Gen.* XLVII. 30. Certè ſuadet ratio, & locus *Act.* VII. 16.

IV. *Quæ proximè Exitum exceperunt. Tranſitus Maris Rubri qualis? Stationes* XII. *uſque ad promulgationem Legis.*

1. MIraculum *fiſſi Maris* Erythræi, *Exod.* XIV. 16. & ſeq. complicatum fuit ex pluribus miraculis: Uti mediæ *nubis* inter Iſraëlitas & Ægyptios, effectu utriſque contrario; *Euri* opportunè excitati, qui fundum Maris exſiccaret, & ipſos poſteà Ægyptios arenis obrueret; *Noctis* opportunæ huic prodigio deſtinatæ, illique ſufficientis; Moſis *fidei*, cum *virgam elevantis*, Deo ſic jubente, dividendis aquis, tùm primi aquas ingreſſi, πρῶτυ ἐμβαίνον]ος, ut Joſephus, L. II. C. VII. Non refluentium, ſed *conſiſtentium* utrimque aquarum, adinſtar valli, medio ſicco; Pharaonis cùm inducti contrà omnes prudentiæ leges ad ingreſſum maris, tùm abſorpti *refuſione aquarum*, contrario miraculo, additis fulguribus, ignibus, &c. *Exod.* XV. 10. ut quoque Joſephus *Antiq.* L. II. C. VII. Nec aliter rem intellexit David Pſ. CVI. 9. CXXXVI. 13. 14. 15. &c. & omnis Antiquitas, etiam Ethnica apud Euſebium L. IX. Πρόπαρ. Ut cùm ignorantiam, tùm deſperatam incredulitatem prodant, qui in *naturales* modò cauſas, ut fluxum & refluxum, Eurum exſiccantem, id genus alias, quicquid id fuit, refundere cum Porphyriis, aliiſque non erubeſcunt. Et quæcunque fuerit collatio Joſephi Hiſtorici, de non abſimili tranſitu Exercitûs Alexandri M. per *Mare Pamphylium*, quaſi miraculo quodam; cùm id ad faciendam Gentilibus fidem Iſraëlitici tranſitûs, argumento ad hominem, ſcripſit ὁ Αρχαιολόγος, tùm ex Strabone Geographiæ L. XIV. & ex Plutarcho in *Vitâ* Alexandri M. vaniſſimum eſſe deprehenditur, etiam ex Arriano, *Libro* I. Obſervant Hiſtorici, legiſſe Alexandrum M. litus, non medium mare tranſiviſſe; & quidem non inſuetum fuiſſe iter, ſi fieret mari tranquillo, & exſiccato litore, ventis tum flantibus ab Aquilone (quod obſervat Arrianus) qui nudabant eminentiora litora. Aliàs milites Alexandri M. aquis vento refluis, uſque ad umbilicum demerſos fuiſſe, auctor eſt Strabo.

Errant etiam, qui cum Toſtato, Burgenſi, aliiſque Iſraëlitas negant *tranſiviſſe* in adverſum & oppoſitum litus, ubi deſertum *Shur*, *Exod.* XV. 23. quia vocatur Deſertum *Etham*, *Ex.* XIII. 20. in quo jam Hebræos antè tranſitum egiſſe, hariolantur. Præterquàm quod ſolitudo illa *Etham* latiſſimè extenſa fuerit, circùm Maris caput, *tridui iter* præbitura Iſraëlitis, ex *Num.* XXXIII. 6. Igitur rectiùs Joſephus, Philo Judæus, reliqui, cum Scripturâ S. uſâ phraſi עברו בתוך הים *tranſiverunt per medium mare*, non voce סבבו *circuiverunt*, ut ſæpè aliàs. Nec ea maris *latitudo* fuit, qualem ſupponunt, in ipſo pene capite extremi Sinûs Erythræi, quâ parte Iſraëlitæ tranſiverunt, deflexuri tùm ad dextram, & ad Meridiem, viâ moleſtâ, per deſerta; *redituri Manſione* VII. ad ripas *maris rubri*, & in extremis illis algoſi, undè plurimis ים סוף *mare algoſum*, *Num.* XXXIII. 10. hinc convertendi rursùs ad Septentr.

II. *Manſiones* ſingulæ deſcribuntur in Exodo, & Numerorum C. XXXIII. Et in iis prodigia rurſum varia, fruſtrà refundenda in cauſas naturales, vel in aſtum Moſis: Joſepho Hiſtorico non ſemel diſceſſuro à ſimplicitate Textûs ſacri, ut fidem Hiſtoriæ faceret Græcis, Romanis.

In his fuit, *edulcatio* aquarum in Marâ, V. Manſione, nullâ certè *ligni* injecti Phyſicâ virtute, *Exod.* XV. 2. ut Syracides, & qui virtuti Ligni Crucis patrocinantur. Nec Joſepho tuta fides, edulcationem illam præcipuè tribuenti *evacuationi* cujuſdam *putei* ibi reperti, hinc motui & agitationi ſuccedentis aquæ, dulcioris ità & limpidioris, *Libro* III. *Antiq.* C. I.

Subminiſtratio *Coturnicum*, Manſ. VIII. opportuno tempore, & tantâ copiâ, alendis tot centenis millibus, *Exod.* XVI. 13. De voce השלו *Selav* multa Interpretes, & Bochartus de Animalibus S. Script. P. II. Lib. I. C. XVI. ac noviſſimè Vir Ampliſſ. Diatr. de *Locuſtis Iſraëlit. in Deſerto.* Joſephus quidem reddit ὄρτυγας *coturnices*, Philo & Helleniſtæ *ortygometras*; Jonathan paraphr. פסיונין *Phaſianos*: Alii *locuſtas* malunt, & prolixè hanc ſignificationem adſtruit Jobus Ludolfus, etiam nuperis Vindiciis; cui ſavere videntur icones alatarum locuſtarum, undè עוף כנף *volucris alata*, *Pſ.* LXXVIII. 27.

Datio *Manna*, inſtar roris cœleſtis, loco panis deficientis, facto initio Manſione VIII. die ab Exitu XXXIV. Et quamvis, ex Joſepho aliiſque frequens in illo Arabiæ tractu Manna, Miraculum tamen arguant circumſtantiæ temporis, loci, copiæ, ſaporis, vis nutritivæ, durationis, duplicationis die *ſexto*, corruptionis præterquàm *Sabbato*; hinc aſſervandæ *aureo vaſe* mannæ, ad perpetuam rei memoriam, *Exod.* XVI. 15. *& ſeq.* Ne dicamus *typum* mirabi-

Digitized by Google

rabilem cibi ſpiritualis, 1 *Cor.* x. 3. & Chriſti Servatoris, *Joh.* VI. 32.

Sabbati non tam facta primum inſtitutio, quam ejus revocata memoria, penè obliterata ſub jugo duriſſimæ ſervitutis; hinc *cras fore Sabbatum Jehovæ.* Apion verò Alexandrinus, apud Joſephum *Libro* II. p. 1062. inſigniter nugatur; Iſraëlitas exacto *ſex* dierum itinere, quo in Judæam pervenerint, inguinum ulceribus affectos eſſe, qui morbus ab Ægyptiis vocetur σαββὼ, hinc *Sabbatum* dictum, non ſine magnâ vel ἀναιδείᾳ, vel ἀμαθίᾳ.

Percuſſio *rupis* ſeu *petræ Horeb*, manſione undecimâ, *Exod.* XVII. 6. quæ pars *Sinai* montis, ad ulteriorem Sinaitici jugi partem provectis Iſraëlitis, manſione duodecimâ, *Exod.* XIX. 1. Et quidem Aqua indè profluxit tantâ copiâ, ut Populum per deſerta & ſiticuloſa loca ſecuta ſit, ex Moſe, Davide, Paulo, 1 *Cor.* x. 4. non profectò ſecuta ipſa *Petra*, vel *Rupes*.

Victoria divinitùs conceſſa de *Amalekitis*, Eſavi propagine; pugnante Joſuâ, orante Moſe, ac manu tenente eam *virgam*, quæ ſignum Iſraëlitis potentiæ Dei exerendæ. Hi autem primi viam intercludere conati fuere, *Exod.* XVII. Undè decretum de Gentis memoriâ abolendâ, *v.* 14. & de bello cum eâ internecino, *v.* 16. quod fuiſſet manus ejus contrà *thronum Jehovæ*, in Iſraële conſpicuum: Ut nihil opus ſit ſuſpicari, cum viro Docto, loco כס *ſolium*, legendum נס, hoc eſt *ſignum*. Sic Altare ibi ſtructum, in memoriam fuiſſe *Jehovam vexillum*, vel καταφυγὴν ut LXX., populi Iſraëlitici.

Myſteria verò *typorum*, hujus nec compendii ſunt nec hiſtoriæ; quæ Theologici fori. Et aliàs id egimus in Moralibus noſtris & Typicis ad *Exodi* XIX. priora Capita, Auditoribus noſtris aliquando dictata.

Sabbatica lex.

III. *Sabbati hebdomadalis* expreſſa per Moſem ſanctio, *Exod.* XVI. 23. 25. nova fuit quoad circumſtantias, & obſervandi modum, & præceptionem factam huic Populo, cui futurum erat ſpecialiter *in ſignum:* Ut tamen *ſeptimum diem*, inſignem tot nominibus, uti perfecto *Creationis* opere, quiete Dei, divinâ *benedictione*, ac commendatione, Hominis quaſi natalibus, ac primitiis vitæ, & uſuræ tot beneficiorum, diſtinxiſſe credantur ſolemniore cultu, (at nondùm legalibus circumſtantiis veſtito) *Patriarchæ*, memores eo ſingulariter Dei beneficiorum. Sed occaſio Moſi, ex datione Mannæ, revocandi in memoriam diu fortè neglectum illud, de benedicto die VII *Gen.* II. 2. Tum & additæ novæ *circumſtantiæ*; novus obſervandi *modus*; novus reſpectus ad *quietem* illis conceſſam à ſervilibus operibus Ægypti, *Deut.* v. 15. Ut & *ſignum* fuit διακριτικὸν Fœderis cum Iſraële mox ineundi; hinc Deum eſſe *Jehovam qui ſanctificaret eos*, & carnaliter ac umbraticè, & ſpiritualiter ac verè, qui finis ejus ſanctificationis. Ubi diſtinguenda *certa* ab *incertis*, etiam *fabuloſis*, qualia ſunt de Sabbato Patriarchico nonnulla Magiſtrorum, vel in *Bereſchit Rabba*, v. gr. Ad Sabbatum in ſpecie reſpici in verbis, *Gen.* XXVI. 5. quoniam Abraham obſervavit *præceptum meum*, id eſt, Sabbatum; Jacobum dici caſtra metaſſe ad *Salem*, nempè ob inſtans Sabbatum, *Gen.* XXXIII. 18. ſic Jacobum fuiſſe auctorem *itineris Sabbatici*, quod erat ad diſtantiam 2000. cubitorum; Jobum ſingulis diebus VII. ſcilicet in Sabbatis, ſanctificaſſe filios, *Job.* I. 4. 5. Moſem petiiſſe à Pharaone, ut ſanctificationem Sabbati, & quietem à laboribus hebdomadariam, indulgeret afflicto Populo; & quæ ſunt id genus cogitata, pro ingenio Magiſtrorum.

IV. *Jethronis* tandem ad Moſem acceſſus, deſcribitur *Exod.* XVIII. In quo deſcribendo differt à Moſe Joſephus, *Lib.* III. C. III. Quod Reguelem veniſſe ait *ſalutaturum* Sephoram & liberos, quos imò reduxit ad Moſem, *Ex.* XVIII. 5. 2. Quod Magiſtratuum numerum, quos Moſes inſtituit ex conſilio Soceri, mirè multiplicet; quaſi ſingulis *legionibus*, quæ ex x. millibus conſtarent, prætecerit totidem duces, his rurſum diſtributis in *cohortes millenarias*, &c. Quum Moſes dicatur tantum, præfeciſſe populo *Chiliarchas*, *Centuriones*, & his ſubordinatos inferiores miniſtros, *Exod.* XVIII. 25.

V. *Promulgatio Legis è monte Sinai.*

HUjus promulgationis factæ, manſione XII. ex Moſe cognoſcuntur:

1. *Antecedanea*, qualia fuêre; Commemoratio divina beneficiorum, tùm Providentiæ, tùm Gratiæ, *Exod.* XIX. 4. 5. 6. Præparatio triduana, quoad mandatum & executionem; Nubes, tonitru, fulgura, ignis, &c. Signa *Fœderis* cùm politici & externi cum Iſraëlitarum gente, deſponſando quaſi Iſraële, & cooptando in Dei ſponſam, peculium, populum; tùm ſpiritualis & interni, cum veris filiis Abrahami. Hinc *Fœderis Gratiæ*, cum Abrahamo pridem initi, indicia multa, ut ſe *eſſe Jehovam*, *Deum ipſorum*; *ſe gratiam facere* in mille generationes, &c. Sed accedente *Fœderis Operum* externâ quâdam ſpecie, in ſignis divinæ Majeſtatis, nube, cancellis, interminatione mortis, ſanctificatione carnali, fumo, terrore, ipſâque præſcriptione *Legis* Operum, ut per eam ducerentur ad agnoſcendam *Fœderis Gratiæ*, ſeu Abrahamici, cum neceſſitatem, tùm præſtantiam, &c. *Exod.* XIX. 9. 10. 12. 13. 14. 18. *Deut.* v. 3. Haud ſatis tùm intelligente Populo ſuam ἀδυναμίαν, *faciemus omnia*, *Ex.* XIX. 8.

Circumſtantiæ antecedaneæ. Locus, Tempus, &c.

2. *Locus*, mons Sina, vel Sinai, in deſerto Arabiæ, *Sinna* Straboni, *Sinæus* Joſepho, *Nyſa* in Chronico Alexandrino, ubi Bacchum educatum ferunt. Cujus montis jugum vel cacumen ſupereminens fuit duplex, prius (venientibus ab Occaſu) *Horeb* dictum, longè tamen inferius altero jugo quod *Sinai* hodieque dicitur. Poſiti autem ad radices montis cancelli, quos tranſgredi nefas; Moſe & Aarone mediis inter Deum, & Populum, *Exod.* XIX. 24. Significatum ità, cùm *ſeparari* Populum à Deo per peccatum, quaſi *cancellis* intermediis, Lege modò augente reatum; tùm aliquando cancellos eos auferendos per Chriſtum, in quo ſolo liber eſt acceſſus ad *Thronum gratiæ*.

3. *Tempus*, dies ab Exitu ex Ægypto, & à primo Paſchate, *quinquageſimus*; hinc *Pentecoſtis* feſtum, πεντηκοστὴ ſcil. ἡμέρα, tertio menſe ſacro: De quo tempore diximus in Chronologicis, P. I. *Cap.* XII. & XV.

4. *Legiſlator*, Deus Iſraëlis, Jehova, contradiſtinctus falſis Diis, futurus in Deum, gratiam faciens, &c. *Exod.* XX. 2. 3. 4. 6. *Angelus* ſanè dictus, *Exod.* XXIII. 20. ſed Fœderis, Teſtamenti, facierum, ipſa Dei facies, *Exod.* XXXIII. 15. ſub formâ tamen Legiſlatoris. Unde indutus idem hìc quidem Majeſtate, ac formâ terrificâ; & hinc prohibitio ab acceſſu ad Montem, deprecatio Populi, Legales minæ, &c. Hinc *Moſis* prærogativæ, locuti *cum Deo facie ad faciem*; Etiam illa Moſaïcarum *legum*, quæ omnes produntur Divinæ originis, ex circumſtantiis hiſtoriæ, & ipſis legibus. Abſque quo certè nulla concipi poteſt vel voluptas, vel utilitas, quæ ad Moſem in illo Deſerto, & moleſtâ illâ peregrinatione, rediiſſet. Hinc verò factum, ut quicquid poſteà fuit Legiſlatorum in Gentilibus, finxerint omnes colloquia cum Jove, Veſta, Apolline, Mercurio, Bono Dæmone, Deâ Ægeriâ, &c. æmulatione Moſis.

5. *Adminiſtri* fuêre Angeli creati, quorum ſtipatus fuit pompâ, διαταγαῖς, ſatellitio; quorum & voce Lex promulgata. Hinc & futuri vindices quan-

quandoque violatæ Legis; an tamen eo dicenda Eccleſia Iſraëlitica, *Angelis* fuiſſe *ſubjecta*, qui hinc אלהים, λεγόμενοι θεοὶ, ſint appellati, alterius diſquiſitionis eſt.

Signa etiam addita, media inter fulgura, tonitrua, flammas, terræ-motus, clangores tubarum, &c. atque adeo cum terrifico apparatu, *Hebr.* XII. 18.21. Oſtendendæ Legiſlatoris Majeſtati, tùm & Legis proprio effectui, & aggravando reatui.

ipſa & ...us. II. *Lex* ipſa promulgata, ac primò verba decem, Decalogus, המצות *præcepta*, vulgò Lex moralis, *Legis* ubique nomine veniens, exigens in præceptis ipſis obedientiam, & adæquatam, qualem in fœdere *Operum*, cum ſanctione & tacitâ & expreſſâ, *Lev.* XVIII. 5. *Deut.* XXVII. 26. *Gal.* III. 10. 12. Idque ad gignendam conſcientiam peccati, & reatûs; ut memores Fœderis Abrahamici, & promiſſi, *Jehovam* fore illi & ſemini ejus *in Deum*, ducerentur ad ſpem Miſericordiæ, & excitaretur fides ac deſiderium Mediatoris, hinc extaret illis norma veræ reſipiſcentiæ, ſanctimoniæ, charitatis in Deum & proximum. Decalogum autem mox exceperunt המשפטים *judicia*, & החקים *ſtatuta*, Leges nempe Politicæ & Ceremoniales, datæ repetitis vicibus, per Moſem, & hæ quoque manuducturæ ad Chriſtum, & eouſque duraturæ. De quibus Theologi pleniùs.

Modus promulgationis, *ore* primùm, tum *ſcripto* ſeu tabulis *lapideis*, duritiei humani cordis arguendæ; quæ & *tabulæ Fœderis*, externâ ſpecie *Legalis*, quoad præcepta & ſanctionem, fine & ſcopo *Euangelici*, ejuſdemque cum Abrahamico.

Exaratæ autem hæ Tabulæ *digito* vel manu *Dei*, ſeu jam mediatè, ſeu immediatè, *Exod.* XXIV. 12. XXXI. 18. ſcriptæ hinc indè à dextris & ſiniſtris, & claudi aptæ: Mox autem ab *aureo Vitulo* confractæ, aggravando delicto, in ſignum iræ divinæ in Fœdifragos, & reos ſpiritualis adulterii: Sed eâdem Dei manu quoad Scripturam reſtituendæ, *Exod.* XXXII. 19. XXXIV. 1. Nihil de *Lege orali* quam acceperit Moſes, per modum מצוה *mandati*, & תורה פירוש *expoſitionis*, ſecundum quam *Lex* ſervanda eſſet: Et quam Moſes in ſuo Conſiſtorio docuerit LXX. Seniores; ac propagandam ab illo acceperint Eleazar, Phineas, Joſua, indè Seniores, hinc Heli, Samuel, &c. quæ Talmudiſtarum commenta à Caraïs rejiciuntur.

...æ eam ...ſecu- III. Quæ verò promulgationem Decalogi *conſecuta* ſunt, partim facta, partim præcepta alia, *Ceremonialia*, & *Politica*, illa deſcribit Moſes, *Ex.* XX. 18. & ſeq. *Capit.* Quorum recenſio, & examen alterius loci eſt. Id modò jam obſervamus ex his Moſaïcis legibus, ut fonte quodam, promanaſſe varias Gentilium vel leges, vel conſuetudines, primùm apud Ægyptios; hinc Arabes, Phœnices, Syros, Pœnos, quin Græcos, & Romanos, ut ſuis locis obſervatur.

Repetitio autem Decalogi, pauciſſimis fortè immutatis, ad præceptum IV. & X. *Deut.* V. 14. 18. facta eſt anno ab Exitu XL. cum repetitionibus aliis in *Deuteronomio*, ad homines novos, in Deſerto natos.

...abulæ ...dæor. ...t Joſe- ...i Hiſt. ...ρα. Mittimus verò fabulas Judæorum, quibus modus nullus eſt: Ut illæ v. gr. de creatione *Tabularum* ab initio, in *veſperâ* Sabbati, quando res *decem* creatas fabulantur: De harum *materiâ*, ex lapide adamantino; De *Scripturâ* Legis, creatâ quoque à principio; De *Miſna* ſeu Lege *orali*, de quâ nihil Joſephus, ut nec de *Cabbala*, de *Talmude*; De *horâ* latæ Legis, putà in veſperâ Sabbati, die VI. menſis, horâ VI. diei; De Moſe XL. diebus legente de die in *Mikra*, noctu autem in *Miſna*; De contentione inter *Angelos* & *Moſem*, illos, aſſerentes Legem propter ſe latam, hunc, ad eos non ſpectare præceptum *Honora Patrem*; & quæ fabulæ plures ſunt. De quibus in *Pirke* R. Eliezer, *Cap.* XIX. XLVI. &c. & Commentationibus Magiſtrorum. Sanior in his Joſephus, à ſcriptâ Hiſtoriâ decedere nefas ducens, *Antiq.* Lib. III. Cap. IV. Quod & promittit, imò ſibi ἀνάγκην ταῦτα ἱςορεῖν *eadem ſcribere*, uti in ſacris Libris ſcripta erant. Intereà mutat, vel addit, circumſtantias non paucas, ad *Exod.* Cap. XIX. XX. Ex. gr. Moſem triduo abfuiſſe; intereà epulas agitaſſe Populum; Dona expectaſſe per Moſem mittenda, δωρεὰν ὑφ' ἧς ἂν βιώσωνται *donum ad benè beateque vivendum*, &c. *Lib.* III. C. IV. Sic varias leges interpolat, in ſpecie *Lib.* IV. *Antiq.* C. ult. v. gr. *Non maledicendum Diis* Gentium; *Non eſſe ſpolianda* ἱερὰ ξενικὰ *fana extranea*; *Mulieribus, propter levitatem, teſtimonium dicere non liceat*, &c. quæ nuſquam in Moſe. Commentarium de Legibus patriis, & ἰδίαν ſingularum ἀφήγησιν, promiſerat ſanè Joſephus.

VI. *Hiſtoria reliqua Peregrinationis Iſraëlitarum in Deſerto.*

I. PORrò ex Sacris pleniſſimè conſtat, præcipuè ex *Numerorum* Libro, hiſtoria totius Peregrinationis Iſraëlitarum in Deſerto, per annos XL. à ſtatione XII. quæ omnium maximè memorabilis, ad montem Horeb, & Sinai, uſque ad XLII. & ultimam. Joſepho Hiſtorico ſubindè illuſtrante *Antiquit.* Lib. III. & IV. & ad Moſem Commentatoribus paſſim: Illo tamen à Moſe in non paucis diſceſſuro.

Eò ſpectant, repetiti Moſis ad Deum *aſcenſus*, quorum ultimus legitur *Ex.* XXXIV. 2. Moſes primâ vice *Montem* aſcendit, VI. primis diebus, intrà nebuloſam montis partem, dein ad faſtigium montis ignibus micans, uſque ad diem XL. *Exod.* XXIV. 16. 17. Alterâ vice rurſus in montem aſcendit, pro populo interceſſurus, *Exod.* XXXII. XXXIII. *Deut.* IX. 18. rediturus XL. inde die, à *Tamuz* XVIII. ad XXVIII. *Ab* menſis, *Deut.* X. 1. Quando duas Tabulas lapideas prioribus ſimiles dolavit; ac tertiâ vice conſcendit montem, menſ. *Ab* XXIX. *Exod.* XXXIV. *Deut.* X. 3. cum duabus Tabulis lapideis, quibus Deus *Decalogum* inſcripſit, ut prioribus Tabulis, *Deut.* X. 10. Rediturus XL. rurſùm poſt die, *radiante* facie, Tiſri IX. Atque ita jejunium Moſis ad CXX. dies extenſum, ſeu ter dies XL. Et ſic Judæi in Calendario. Summaria capita Hiſtoriæ S.

Hinc ad Moſis imitationem Legiſlatores Gentium (de quibus Diodorus, *Lib.* I. p. m. 48.) commenti ſunt ſe à Diis leges ſuas accepiſſe, ut *Zamolxis*, Thracum Legiſlator à Veſtâ, *Zathrauſtes* Arimaſporum à bono Dæmone, *Mneves* Ægyptiorum à Mercurio, ita *Minos* Cretenſium à Jove, *Lycurgus* Laconum ab Apolline, *Numa* Romanorum ab Ægeriâ Deâ, &c. Sic deinceps *Mahomet*, ab Angelo Gabriele, *Monachiſmi* auctores, ab apparentibus ſibi Angelis, Chriſto, Virgine, &c. ſua ſe habuiſſe. Ficta colloquia cum Diis, Angelis.

Hiſtoria conſtructi *Tabernaculi*, inſtar Templi portatilis, ad montem Sinai facta; de cujus dimenſione, materiâ, formâ, uſu, operariis, dedicatione, prolixè *Exod.* XXXV. XXXVI. *Num.* VII. VIII. Cum quo malè conferuntur, Tabernac. Molochi, *Amos.* V. & ναοὶ portatiles Chaldæorum, Phœnicum, Græcorum, quorum *Dii* eſſent in Capſulis, Arcis, Ciſtis reconditi; ſuperſtitione alieniſſimâ. Hinc Fabrica Arcæ Fœderis, Menſæ, Candelabri, Altarium, &c. De quibus ex profeſſo Viri Docti. Quid ſit *plumario* vel *polymitario* opere, quo confectum Tabernaculum *Exod.* XXVI. רוקם & חושב, diſquirit Torniellus ad A. M. 2544. N. LXII. J. Capellus ad A. M. 2509. Salmaſius ad Vopiſc. p. 510. 511. & Commentatores.

Inſtitutio *Sacerdotii* Aaronici, cum annexis Ce-

Digitized by Google

remoniis; de quibus nos prolixè diximus Exercitationibus noſtris in *Leviticum*.

Frequentia Populi carnalis, ac duræ cervicis in Deum murmura, & in Moſem ſeditiones; modò aquæ, modò panis & carnium penuriam cauſati, modò reditum in Ægyptum moliti, ad ea quæ decem Exploratores retulerant, ut eſt *Numer.* XIV.

Vituli aurei fabricatio.

Vituli aurei fabricatio, ad imitationem Ægyptiorum, dùm Moſe in monte morato, eundem aut flammis abſorptum, aut alio aliquo fato interceptum crediderunt Iſraëlitæ; hinc, *ὥσπερ ἀναρχίας γενομένης*, Aaronem ad conflandum Vitulum, ut ſymbolum præſentis Numinis, compulerunt. Joſephus quidem Hiſtoricus peſſimè diſſimulat cùm *μοσχοποιίαν*, tùm *μοσχολατρείαν*, conſulens honori ſuæ Gentis, *Lib.* III. *Antiq.* C. IV. Philo in Vitâ Moſis *Lib.* III. tribuit quibuſdam *μὴ βεβαίοις τὰς φύσεις*, qui eſſent *inconſtantis animi*. Alii tribuêre proſelytis *Ægyptiorum*, qui permixti eſſent Iſraëlitis, & Apis cultui in Ægypto aſſueti; aut in ſpecie Janni & Jambri, qui hujus facinoris auctores fuerint. Ità in ויקרא רבא Aaronem multis defendunt, qui metu mortis invitus & cunctanter opus ſuſceperit, ſpe Moſem intereà deſcenſurum ex monte; quomodò & Aaronem, & Levitas omnes ab Idololatriâ immunes pronuntiant, hinc non Idolo ſed *Jehovæ feſtum* indixiſſe. Quaſi verò cultus *veri Dei* in *Vitulo*, in *Idolo*, tanquàm in Symbolo aut in ſimulacro, æquè non ceſſerit in Dei contumeliam, *Neh.* IX. 18. Somniant Magiſtri, conjecto auro in fornacem, exiliiſſe Vitulum *boantem* vel *ſaltantem*, ut pluribus in Pirke R. Eliezer, *Cap.* XLV. & in תנחומא ſeu Commentario in Libros Moſis, *fol.* 46.

Sic multa fabulantur, occaſione aurei Vituli contriti & *in pulverem* redacti, dein ſparſi *ſuper aquas*, undè potare Iſraëlitas juſſerit Moſes, de quo *Exod.* XXXII. 20. Moſes quidem Vitulum illum primò liquefecit, dein limatum ita in pulverem redegit. Nugas verò tacemus Magiſtrorum, idcircò potandas illas aquas dediſſe Iſraëlitis Moſem, ut Idololatriæ reos ex potu illo cognoſceret, quomodò de *aquis amaritudinis* refertur *Num.* V. Et *barbam* quidem *auream* mox apparuiſſe in reis, quod & Petrus Comeſtor; quum tamen inter Iſraëlitas & eunuchi, & fœminæ, & pueri fuerint, in quibus barba defuit.

Radiatio faciei Moſis.

Notum & quod de Moſe memoratur, *Ex.* XXXIV. כי קרן עור פניו, *radiaſſe* ejus faciem, *δεδόξασθαι τὴν ὄψιν τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ*, quod Vulgatus reddidit, *cornutam ejus faciem*, qualem & credidit Hieronymus. Grotius, radios ſurrexiſſe *cornuum* in ſpeciem, indeque factum ut Mneves, qui cornutus apud Ægyptios, non alius à Moſe fuiſſe credatur. Hinc Moſis facies vulgò *ταυρόμορφος*, Moſes *corniger*, *δικέραιος*, exprobrans ità Iſraëlitis cultum Vituli, ſecundum quoſdam. Vana quidem omnia. Neſciebat ſiquidem Moſes faciem ſuam *radiare*, at cornua vel perſenſiſſet; nec frons ſola Moſis radiavit, aut emiſiſſe dicitur cornua, ſed & radiarunt oculi, genæ, mentum, cutis tota. Nec *duo* tantùm radii egreſſi eſſe dicuntur, inſtar *cornuum*; nec verbum קרן unquàm notat *cornutum* eſſe, licèt nomen קרן per metaphoram *cornu* deſignet, quod illud è capite animantis, ut ſolis radii è corpore ſolis, micant. Cæterum Gentiles Oſirim, Iſidem, Jovem, Bacchum, Neptunum, Alexandrum, Legiſlatores ſuos effingunt cornutos, modò *κεροπροσώπους*, modò *ταυρομόρφους* vel *ταυροκέρωτας*. Et cornua habuiſſe pro ſymbolo potentiæ, dominationis, divinitatis, eſt prolixè ab Eruditis obſervatum.

Porrò ut Moſes, juſtâ indignatione motus, *tabulas* priores *fregerit*, arguendæ infractioni Fœderis, & iræ Divinæ; Ut eaſdem reſtituerit, jubente Deo, poſt Moſis preces, & poſtquam pœnâ in præcipuos quoſdam animadverſum fuit, qui in textu Hebræo, etiam Cod. Samaritano, 3000. *viri*, *Exod.* XXXII. 28. at Vulgato 23000. ex *Num.* XXV. 9. vel ut alii Codd. 30000. Ut poſteà, Tabernaculo conſtructo, & Sacerdotio inſtituto (ut dictum modò eſt, & de quo toto Libro *Levitici*) promoverint iter è deſerto *Sinai* in deſertum *Pharan*, toto triduo, quæ ſtatio XIII. fuit, *Num.* X. 33. & reliqua, prolixè deinceps ab Hiſtorico Sacro enarrantur.

Continuatio Hiſtoriæ Peregrinat.

II. Ibi quidem Iſraëlitarum cum Amalekitis, Madianitis, Moabitis, Cananæis, Amorræis, & vicinis Gentibus quas obviam habuêre, certamina, victoriæ, clades; Miraculoſa Dei ergà Populum, etiam rebellantem, clementia, & ubique Providentia; Exploratores XII. à Moſe miſſi anno II. ab Exitu, quos inter Caleb, agens tùm annum XL. ætatis, *Num.* X. II. *Joſ.* XIV. 17. Reditus Exploratorum, & ſeditio ex eorum relatu excitata, ac ſententia quæ excepit, ſcil. morituros omnes in Deſerto, à natis XX. annos & ultra, exceptis *Joſua* & *Calebo*, *Num.* XIV.

Tum Hiſtoriæ variæ intertextæ, ut ſunt iſtæ: Corachi, Dathanis, in Moſem & Aaronem damno ſuo rebellantium; Serpentis ænei & ſymbolici, erecti in perticâ, nec tamen incantandis ſerpentibus, ex more Ægyptiorum, ut Marshamus; Mortis Aaronis Sacerdotis, ſucceſſuro Eleazare; Balaci Moabitarum Regis hiſtoria, Balaamum è Meſopotamiâ accerſentis, qui malè præcaretur Iſraëli, Deo vertente in contrarium, vaticinato etiam Bileamo de gloriâ Iſraëlis, & Meſſiâ venturo; Corruptionis Iſraëlis per Moabitides & Madianitides puellas, ex Balaami conſilio, hinc pœnæ inſecutæ; Novi cenſus Iſraëlitarum acti per Moſem, & Eleazarem, à XX. anno ætatis, & ſuprà, in Moabiticis campis, ante tranſitum Jordanis, in congruam mox diſtributionem Terræ, pro ratione Tribuum. Sic habentur in *Deuteronomio*, prolixa concio Moſis ad populum anno XL. ab Exitu, XI. menſe ineunte; Hiſtoria Sichonis Amorræi, & Oggi Baſanitarum Regis, ac de illis reportata victoria in finibus Idumeæ, Moabitidis, & Ammonitidis; quæ refertur *Deut.* II. III. Repetitio legum præcipuarum, illìc deſcripta, paucis de novo additis, ut *Deut.* XIII. XX. XXI. XXIII. XXIV. XXV. cum commemoratione frequenti præteritorum; Renovatio *ſolemnis* Fœderis cum Populo, in terrâ Moab, C. XXIX. & ſeq. Moſis ultima verba, vaticinia, Canticum quod ex ſcripto recitavit, prædictio mortis inſtantis, ac Joſuæ ſucceſſoris deſignatio; Benedictio ſingularum Tribuum nominatim, C. XXXIII. ſolâ Tribu *Simeonis* in Textu *Hebr.* omiſsâ; ſeu quod accenſita Tribui Judæ, aut Rubenis, ut quidam; ſeu quod rebellionis crimine ſe præ cæteris obſtrinxiſſet, & nuper in *Zimri* ejus Tribûs principe, *Num.* XXV. 14. Undè quæ primò LX. penè millia armatorum numeraſſet, *Num.* I. 22. jam ad XXII. millia, faciente Divina Nemeſi, reducta eſſet, *Num.* XXVI. 14.

Moſis obitus; ſepulchrum cur ignot.

III. Moſis denique noviſſima, cujus incidit obitus in diem VII. Menſis XII. anni ab Egreſſu XL. ætatis anno CXX. *Deut.* XXXIV. 7. Quem obitum exceperunt dies XXX. luctûs, *verſ.* 8. ut factum à morte Aaronis, *Num.* XX. 29. At *ſepulchro* Moſis in hunc diem ignoto, præterquàm quod conſtat ſepultum in valle Moab, *verſ.* 6. Cur verò ignorari *ſepulchrum* ſuum voluerit Moſes, factum videtur tùm arguendæ ſuperſtitioni *Ægyptiorum* circà cadavera, & ſepulchra, quæ curabant quaſi æternum duratura; tùm arcendæ illi *Judæorum*, qui adituri illud fuiſſent religionis ergò, vel tranſlaturi ſecum reliquias in Palæſtinam, futuras occaſionem multæ ſuperſtitionis, etiam venturis ætatibus. Joſephus *Lib.* IV. *Cap.* ultimo, circumſtantias plures refert exceſsûs Moſaici, tacitas in ultimis Moſis,

v. gr.

Digitized by Google

v. gr. ultimorum amplexuum, ultimi vale dicti Eleazaro & Joſuæ; nubis eum derepentè in vallem quandam rapientis, ut diſparuerit; ſcripſiſſe verò Moſem ipſum, ἑαυτὸν τεθνεῶτα *ſe mortuum*, ut nimiam Populi venerationem præcaveret, credituri eum πρὸς τὸ Θεῖον ἀναχωρῆσαι. Sic Philo ſub finem *Libri* III. de Vitâ Moſ. prædixiſſe eum ac ſcripſiſſe hæc ſua noviſſima, & ſepeliendum ſe, μηδενὸς παρόντος, χερσὶν οὐ θνηταῖς, ἀλλὰ ἀθανάτοις δυνάμεσι.

Obſerv. quædam in hac Moſis Hiſt.

IV. Longè verò prolixior fuit Moſes in recenſendis quæ priori *biennio* geſta, præcipuè quæ ad montem Horeb, in deſerto Sinai, Manſione XII. ubi & quæ in *Levitico* memorantur, geſta primo menſe anni II. Contractior idem in hiſtoriâ XXXVIII. annorum, præterquàm à menſe *undecimo* anni poſtremi. Certè à ſtatione XV. quando profecti ex *Haſeroth*, in deſertum *Pharan* (latiſſimè extenſum, per Arabiæ ſolitudines, ad montes uſque Sehir & Idumæorum) uſque ad ſtationem XXXII. quando regreſſi per illas ſolitudines à *Cadesh-Barne* ad *Aziongaber*, in litore Maris Rubri, à Septentrione ad Meridiem (circumeundo Montana Sehir, & regionem Idumæorum) *Num.* XIII. I. ad *Num.* XXXIII. 38. anni elapſi fuerunt XXXVII. circiter. De intervallo illo fatentur Hebræi, ſe ignorare quid eo contigerit, præter narrata à Moſe. Hinc multa commenti, & quoque (ex traditione ſuorum) Joſephus Ἀρχαιολόγος: Poſtmodum Moſes à manſione ad *montem Hor*, quæ XXXIV. fuit, anno nempe XL. menſe V. deſcribit *mortem Aaronis*, *Num.* XX. 26. XXX. 38. & reliqua, uſque ad hiſtoriam mortis ſuæ.

Manſiones fuêre ſeu caſtrametationes, ad Jordanem uſque, numero XLII. recenſitæ *Num.* XXXIII.

Quatuor ſingularia.

In eâ autem peregrinatione univerſâ, cùm innumera alia obſervantur prodigia, tùm quatuor imprimis inſigniora miracula, certè effectus ſingulares Divinæ Providentiæ, *Deut.* VIII. 3. 4. XXIX. 5. 6. *Nehem.* IX. 21. Primum fuit tantæ multitudinis, in vaſtiſſima Eremo, miraculoſa *alimentatio*, per annos XL. ratione cibi & potûs: Alterum, conſervatio *veſtium*, quæ aliàs longiſſimo uſu laceræ ac detritæ corpora denudaſſent: Tertium fuit, *pedum* roboratio, ac ſuſtentatio *corporum*, ne vel illi intumeſcerent moleſtiſſimis itineribus, aut iſta laboribus frangerentur: Quartum denique, *viæ* inter avia præmonſtratio, noctu & interdiu, in hac ſtipatio Angelica, præſentia Numinis, & quaſi σκλώωσις inter Iſraëlitas, tot ſignis & portentis conſpicua. Quanquam ità adoranda hìc venit providentia Dei, ut tamen cenſendum ſit non defuiſſe Iſraëlitis, in longâ illâ peregrinatione, media omnia, ſuppeditata ex. gr. aut ex devictis Gentibus, aut ex animantium pellibus, lana, pilis, &c. ſive ut compararent ſibi calceamenta vel ὑποδήματα, aut repararent detritas veſtes, vel conficerent novas. Quemadmodùm nihil illis defuit ad conſtruendum Tabernaculum, ex Moſis præſcripto; nec textores, opifices, nec materia ad id requiſita, aut opum ingens congeries, quas ex Ægypto aſportarant.

VII. *Scriptio Librorum* θεοπνεύστων, *& primò Pentateuchi Moſaici.*

Verbum ἄγραφον.

I. HActenùs inſtitutio Eccleſiæ ἄγραφος, vivâ voce, Divinâ, & Patriarchali Adami, Noachi, Abrahami, *Gen.* XVIII. 19. &c. variiſque apparitionibus Divinis, Symbolicis, Angelicis, vel κατ' ὄναρ. Deinceps verò futura ἔγγραφος, conſignante primùm Moſe, tùm quæ ad rerum *Origines* & *Hiſtoriam* Eccleſiæ, tùm quæ ad *fidem* & ad *mores* ſpectarent, *Exod.* XVII. 14. XXIV. 4. 7. XXXIV. 27. *Deut.* XXXI. 9. 10. XXXII. XXXIII. uſque ad Moſis noviſſima.

Moſes Scriptorum primus.

II. *Scriptorem* fuiſſe *Moſem* in Sacris & Canonicis *primum*, ſed & in Hiſtoricis, quorum apud Gentiles memoria eſt, Apocryphis miſſis, & dubiæ fidei, qualia apud Ægyptios, vel Seras, omnium penè conſenſio eſt. Undè quicquid antiquorum Hiſtoricor. eſt, longè ſubſidunt infrà Moſaïca tempora; imò primæ in Hiſtoriis origines Babylonicæ, Phœniciæ, Arabicæ, Ægyptiacæ, Aſiaticæ, Græcæ, Scythicæ, manifeſtam ex Moſaicâ hiſtoriâ originem in plurimis produnt. Quod ex profeſſo à Viris magnis occupatum eſt. *Abrahamum* verò ſcripſiſſe cùm alia, tùm ספר היצירה *librum de Creatione*, Cabaliſtæ & Gemariſtæ tradunt, & Majemonides *de Idololatriâ*, qui hodieque exſtet, pro more Gentis ad fingendum natæ; Dùm alii Librum eum *Aquilæ* tribuunt, qui vixit tempore Hadriani.

Auctor Pentat.

Sed & verè auctorem eſſe *Moſem* Librorum quinque, (qui hinc dicti *Moſes*, *Pentateuchus*, *Lex*, חמשה חומשי תורה *quinque quintæ* partes *Legis*,) conſtantiſſimâ Joſuæ, Judicum, Samuëlis, Davidis, &c. omnium denique Prophetarum, totiuſque Hiſtoriæ V. T. ad Moſaicos Libros ubique reſpicientis, ſed & Chriſti, atque Apoſtolorum auctoritate, firmatum eſt. Ita quoque illâ *Hebræorum* omnium antè & poſt Chriſtum, quæcunque inter illos Sectæ fuerint, de Moſe ſcriptore conſonæ; *Samaritanorum*, qui hos Libros jam inde à diſtractione Tribuum, ſacros habuêre; *Verſionum* antiquiſſimarum, maximè τῶν LXX. indè à Ptolemæorum temporibus; vetuſtiorum in *Gentilibus* ſcriptorum, qui de Rebus Judaicis aut de Moſe tradiderunt, aut primis originibus, quales fuêre, Sanchoniathon Phœnicius, Hecatæus Abderita ſub Alex. M. Beroſus Chaldæus, Manetho Ægyptius, &c. ſuperiùs indicati.

Minùs negavit in Magiſtris *Aben-Ezra*, ut aſſertum, quanquam nonnulla ſeu à Joſuâ, ſeu ab aliis inſerta velit *Geneſi*, & *Deuteronomio*, quæ Moſis mortem exceperunt; quemadmodùm ad hujus Libri calcem, & aliàs ejus in Commentariis, videre eſt.

III. Imperitè verò & temerariè, Adverſarii nuperi Moſis, Præ-Adamita, Spinoſa, Hobbeſius, Criticus Simonius, cauſantur varia, quæ Pentateuchum hodiernum Moſi abjudicent, pro ſuo ſinguli inſtituto.

1. Auctor impius Tractatûs Theologico-Polit. *Aben-Ezram* ex Magiſtris non bonâ fide inducit, ut ſuæ ſententiæ de recentiſſimo *Pentateuchi* ſcriptore auctorem; quod falſum eſſe demonſtravimus, *col.* 263.

2. Ex additâ ab alio, quàm Moſe, ſeu *calce* Deuteronomii, & Moſis ultimis, ſeu *parentheſi* unâ aut alterâ, quales ſunt, *Exod.* XVI. 35. *Deut.* III. 14. vel ex mutatione *nominis* obſoleti in recentius, ut v. gr. *Danis* illud, *Gen.* XIV. 14. peſſimè indè colligunt, totum Pentateuchum Moſis non eſſe, ut initio hujus Hiſt. dicebamus. Ac frequens, & continuata *Moſis* lectio, totiuſque etiam *Deuteronomii*, iis temporibus, quibus Viri Sacri præeſſent Judaicæ Eccleſiæ, & quibus rerum ac nominum haud levis mutatio ſucceſſerat, in cauſâ fuit paucarum id genus *parentheſeôn*, vel *elucidationum*, ac res ipſa loquitur. In eum cenſum referri poſſent, quanquam nec neceſſe eſt, quæ ſuperiùs indicata; *Erat tùm Cananæus in illâ terrâ*; *Antequam Iſraëlitæ haberent Reges*, *Gen.* XII. 6. XXXVI. 31. &c. Quâ de re Commentatores, & nos quædam in Præfat. hujus Hiſtoriæ, de *Libris Moſis*.

3. Supponunt, non quadrare in Moſis tempus, nec in Moſem Scriptorem, quod omninò, v. gr. *Præfationem* Deuteronomii, *Deut.* I. I. de ſermoni-

Digitized by Google

bus Moſis habitis בעבר *trans Jordanem*; quaſi ſcriptor in Cananæâ *cis Jordanem* habitarit, precariâ interpretatione ξ בעבר, quod & *trans* eſt, & *citra*, κατ' ἄλλο, ut antè viſum. Aut Hiſtoriam de *Ogi* lecto, qui diu demùm poſteà inventus fuerit, nec extiterit tempore Moſis in *Rabbat-Ammoniticâ*, ut falsò ſupponunt ex *Deut.* III. II. Et quæ id genus ſunt audaces ac precariæ hypotheſes, vel interpretationes.

4. Opponunt *partem* ſcriptionis, illi *totius* Pentateuchi. Sic ex *Libro Pacti* à Moſe conſcripto, *Exod.* XXIV. 4. 7. itidem ex *Libro Legis*, vel Libro *Pacti*, *Fœderis*, toti Populo prælegendo, *Deut.* XXXI. 9. II. qui ſcilicet *præcepta* contineret, repetita in Deuteronomio; vel ex *Cantici ſcripti* mentione *Deut.* XXXI. 19. abſurdè inferunt, nihil præterea à Moſe fuiſſe literis mandatum, nec *hiſtoriam* rerum geſtarum, contrà quàm *Exodi* XVII. 14. Et res ipſa ſuadet, feciſſe *Moſem*, quod omnes *Prophetæ*, Joſepho aſſentiente, qui res ſuo Miniſterio geſtas, *ſcripto* conſignaverint: Ità Moſem primas origines ſuæ Gentis, initio ducto à primis Patriarchis, atque adeò à Mundi primordiis ſcripſiſſe, jam dictum.

5. Inferunt quoque Moſis non eſſe, quæ in Pentateucho paſſim de Moſe in *tertiâ perſonâ* efferuntur, aut quæ aliquod Moſi *teſtimonium* perhibent, *Deut.* XXIX. 15. XXXI. 9. XXXIII. I. Ignari utrumque familiare Prophetis, & *Viris Dei*, quando de ſe ſcripſerunt, tùm alienam perſonam induere, tùm ſibi etiam teſtimonium modò laudis, modò vituperii, exhibere. Teſtes, præter Hiſtoricos profanos, antè producti *Eſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Johannes*, imò & *Nehemias Capit.* VII. 7. VIII. 9.

6. Ex repetitione Decalogi, *Deut.* v. & nonnullâ variatione, verbi gratiâ in Præceptis IV. & X. colligunt, alium Scriptorem eſſe hujus Decalogi, ac prioris illius, qui eſt *Exodi* Cap. XX. eſſeque (ut ſuſpicantur) Eſdram poſterioris auctorem. Cujus objectionis vanitatem omnes vident.

7. Quicquid eſt Hiſtoriæ Sacræ, indè à *Geneſi*, conſcriptum omne eſſe hariolantur ab uno Auctore, pridem à tempore ſolutæ *Captivitatis*; Ut adeò *Moſaicos* Libros v. quales habemus hodiè, & habuerunt Judæi Chriſti tempore, ignorarint Prophetæ omnes, David, Salomo, Succeſſores, Eſdras quoque, Nehemias, Samaritani veteres, gens omnis primæva Judæorum; impudentiſſimo ſanè mendacio.

8. Inferunt adeoque à *Pharizæis*, vel à *Sadducæis*, deceptos Chriſtum & Apoſtolos; Dùm Moſem in Geneſi, Exodo, Levitico, &c. hæc & illa *ſcripſiſſe* iſti docuerint; ac meminerunt *librorum* Moſis, tanquàm qui Prophetis omnibus præluxit, & de Chriſto ſcripſit; uti primus ſemper occurrit in citandis Scripturis Canonicis.

Nec aliter iſti de ſcriptis reliquis *Vet. Teſtam.* quorum nonnulla demùm paulo antè Chriſtum juxtà eos nata ſint, ut modum audaciæ nullum figerent. Sed non hîc prolixiori refutationi locus eſt, nec profectò operæ pretium eſt; quod duxit tamen contrà Præ-Adamitam, Doctiſſimus Huëtius, *Demonſtrat. Evang.* Propoſitione quartâ. Simonium alii adorti, ſed diverſâ viâ, & inſtituto; nos quoque in iſtum quædam obſervavimus in capite hujus *Hiſt.*

Tempus & ordo Scriptorum Moſaicorum. IV. Scriptionis verò Moſaicæ in Libris quinque, obſervantur:

1. *Tempus*, & *Locus*, in Deſerto ſcilicet, poſt divinam Vocationem, & Exodum, ac Legem in Sinaitico monte acceptam, Moſe tùm Viro Prophetico & θεοπνεύστῳ. Et ità etiam de *Geneſi* ſenſit Theodoretus, perductâ ad mortem Joſephi, undè incipit Liber *Exodi*, tanquàm continuata Hiſtoria. Licet de Libro *Geneſeôs*, ut ſcripto in ſeceſſu Madianitico, ſolandis Iſraëlitis, ſpe liberationis ex duriſſimâ ſervitute, poſt elapſos annos 400. juxtà prædictionem, *Gen.* XV. 13. 16. tradunt Joſephus, Philo, Hebræi communiter, non alieno Euſebio Cæſarienſi, L. VII. Præparat. Evangel.

2. *Ordo* hiſtoricus, *Geneſeôs* Libro complexo res ab Orbe Cond. ad Joſephi Exceſſum, annorum ſecundùm Hebræos Codd. MMCCCLXVIII. ut in Doctrinâ Temporum, & Canone Chronico.

Liber *Exodi*, complexus res à Joſephi exceſſu ad erectum Tabernaculum, anno *uno* integro poſt Exitum, *Exod.* XL. I. 17. Quod ſpatium annorum fuit CXLVI. ex Canone Epochæ III.

Liber *Levitici*, complexus hiſtoriam *menſis* unius, collatis locis, *Exod.* XL. 17. *Levit.* I. I. *Num.* I. I. hinc non tàm Hiſtoricus, quàm Doctrinalis; Nempè de Ritibus Leviticis, & cultu Tabernaculi, ſeu Ceremoniis Legis, totaque Politiâ Judaicâ.

Liber *Numerorum*, ſummatim complexus res geſtas annorum XXXVIII. & *novem* menſium, ex *Num.* I. I. collato cum *Deut.* I. 3. Nempè uſque ad menſem XI. anni ultimi Peregrinationis, ſeu anni XL. Undè incipit Liber Deuteronomii.

Liber denique *Deuteronomii*, complexus res menſis I. & dierum aliquot, ad eum diem qui Moſi fatalis fuit, *Deuter.* XXXIV. 5. *ſeptimum* nempè menſis XII. Quibus addendi dies XXX. luctûs, *Deut.* XXXIV. 8. qui luctus terminatur in *primum* menſem anni XL. ab Exodo. Joſephus autem Hiſtoricus arbitratus ipſam quoque Viri mortem, per anticipationem, à Moſe ipſo conſcriptam, *Antiq.* L. IV. C. ult. Fuit Deuteronomium Recapitulatio à Moſe facta, antè obitum, apud Populum novum, cùm beneficiorum Dei, tùm mandatorum; hinc promiſſionum ſimul in morigeros, ac comminationum in rebelles.

V. Fruſtrà verò ſcriptis Moſaïcis accenſetur *Liber Jobi*, conſcriptus ſcilicet in Madianitide, erigendis tanto exemplo Iſraëlitis, duriſſimâ ſervitute preſſis; Ut ex Hebræis pridem Pſeudo-Origenes, in Jobum, Methodius apud Photium, Veteres alii *Catenâ* in Jobum, tùm Abulenſis, Mercerus, Salianus, ac plerique recentiorum. Quibus & accedit Clariſſ. Huëtius, Demonſtrationis Evangel. *Propoſit.* IV. **Liber Jobi an Moſis?**

Sed *Moſis* non eſſe, invictis argumentis ex Jobo ipſo petitis, totiuſque Libri charactere, à nobis demonſtratum, Hiſtoriæ Jobi *Cap.* XVI. Quæ pleraque hactenùs immota, quicquid exceperit ad nonnulla Vir longè Eruditiſſimus; ſuppoſitis rurſus ἀμφισβητουμένοις. Nec aliundè quàm à Magiſtris hæc de Moſe conjectura eſt, qui de Jobo falſa pleraque, ex gr. fuiſſe Jobabum, ex Eſavi progenie, incolam Palæſtinæ, maritum Dinæ, natum anno Ingreſſûs in Ægyptum, denatum anno Egreſſûs, &c. Parùm verò intereſt, ſi *Moſem* quis pertinaciter auctorem velit, modò *Demonſtrationis* hiſtoricæ locum conjecturæ non obtineant, doctæ quamvis illæ aut ingenioſæ.

VIII. *Moſis apud Gentiles fama, Ægyptios, Phœnices, Arabes, Græcos, Latinos.*

I. TOt tantorumque perpetrator *Moſes*, nec in occulto, ſed in luce hominum, apud Ægyptios & Arabes primò, tùm & apud reliquas Gentes ita inclaruit, ut aliis *Deus*, aliis *Cacodæmon*, aliis *Magus*, aliis *Propheta*, aliis prudens *Legiſlator*, habitus fuerit, ἀνὴρ θεῖος, θαυμαστός, imo Θεὸς aliquando dictus, ut Cyrillus *Lib.* I. Cont. Jul. Idem Judæorum *Dux*, *Princeps*, *à formæ pulchritudine commendatus*; Vir juſtitiæ & pietatis cultor, magni animi, vitæ inculpatæ, ſapientiſſimus, divinorum ar- **De Moſe laudes, contumeliæ.**

arcanorum conſcius, Dei familiaris, &c. Nota ſunt loca ex Diodoro *Libro* I. Joſepho *Libris* II. Contrà Apion. Strabone L. XVI. *Geogr.* Plinio L. XXX. C. I. Juſtino ex Trogo L. XXXVI. Apulejo in *Apolog.* Tacito *Hiſt.* L. V. 3. 4. Longino *Lib.* περὶ ὕψους, Juvenali *Sat.* L. V. Euſebio Præp. Evang. L. IX. Trebellio Pollione in *Divo Claudio* ſub initium, ubi malè Moſem vixiſſe *annos* CXXV.

Nomina varia.

II. Hinc variis ſub nominibus celebratus creditur, *Mercurii* ſive *Theuth* Ægyptii, *Oſiridis* Arabici, *Bacchi* Indici ſeu *Dionyſii* θεσμοφόρου, βιμάτορος, Εὐπρεπῦς, *Bicornis*, &c. *Minois* Cretenſis, etiam *Typhonis* à quo Ægyptiis mala omnia, ex Plutarcho Libro de Iſide & Oſiride. Sic Moſes *Muſæus* Græcis appellatus, certè Numenio Philoſopho Pythagor. apud Euſeb. Πρoπ. L. IX. C. VIII. affini nomine. An verò ad Moſem efficti ſint Ægyptiorum *Thammuz*, *Apis*, *Serapis*, &c. Perſarum *Zoroaſtres*, Latinorum *Janus*, *Romulus*, Athenienſium *Cecrops*, aut Cretenſium *Minos*, ut ingenioſè Huëtius, Libris de *Demonſtr.* major ſanè eſt ambigendi ratio. De quibus præ cæteris Voſſius, Bochartus, Huëtius ipſe conſulantur, qui de his eruditè multa.

Ne dicamus Arabum de Moſe fabulas, in Alkorano paſſim, *Surat.* II. IV. XIV. XV. XVII. XVIII. XIX. &c. Et in ſcriptis Orientalium, quos inter *Keſſæus* ſcriptor Arabs, de Vitis Patrum, ſæpè citatus Cl. Hottingero, ex Biblioth. Golianâ. Collecta ex iſtis mendacia habes apud Bibliandrum, Phil. Guadagnolum, Pocockium, Hottingerum in *Smegmate*, & in *Hiſtoriâ Orient.* Henningium Holſatum *Notis* ad Mahummedanum Precantem, &c. quæ deſcribere piget.

Qui ſcriptores, in Gentilibus, de Moſe ſcripſerint.

III. De *Moſe* quoque plurima in Chaldæis, Ægyptiis, Græcis Scriptoribus, Beroſus, Manethos, Diodorus Sic. Apion Grammaticus, Strabo, &c. antè citati. Sic Artapanus, Eupolemus, Polyhiſtor, Lyſimachus, Chæremon, Polemon, Hellanicus, Ptolemæus Mendeſius, Numenius, Galenus, Celſus, Porphyrius, &c. Plerique apud Joſephum, & Euſebium, tum & Juſtinum Mart. Clem. Alexandrin. Origenem, Photium Cod. CXC. Sic in Latinis Scriptoribus modò laudati Tacitus, Plinius, & reliqui obvii ſatis.

Summa Fabularum de Moſe & Judæis, Maneth. Chærem. Lyſimachi, Appionis, Taciti, Juſtini, &c.

Falſi tamen magnoperè in variis quæ de Moſe retulerunt, ac perpetuæ ἀνιςορησίαι, ἀνλιχρονισμοὶ, γελοίδεις μῦθοι, ubique tamen veri quædam veſtigia, ex Hiſtoriâ Sacrâ manantia. Nota quæ Manetho, Chæremon, Lyſimachus, pridem de Moſe commenti ſunt, apud Joſephum L. I. contrà Apion. Nempè fuiſſe agmen hominum leprâ & tabe laborantium, qui modò ſuaſu Hammonis, modò Iſidis, Ægypto ejecti fuerint; qui modò CX. modò CC. modò CCL. millia hominum fuerint; qui Ducem habuerint *Moſem*, quod nomen poſteà aſſumpſerit, qui antè *Oſarſyphus*, ex Oſiri factâ voce, Sacerdos Heliopolitanus, qui Leges contrarias Ægyptiorum Sacris tulerit, Deorum in Ægypto Templa everterit, tandem in Judæam venerit, Hieroſolymam condiderit, quam Ἱερόσυλα à Sacrilegiis appellarit, & quæ plura ibi legas. Sic factum alii ſub Tethmoſe Rege, alii ſub Amenophe, Lyſimachus ſub Bocchore, μεταχρονισμῷ VII. ſeculorum. Apion Alexandr. Grammaticus, Lib. III. Rerum Ægyptiacar. referente Joſepho L. II. *Contrà Ap.* ait Moſem Heliopolitanum fuiſſe; Ducem ſe præbuiſſe claudis, cœcis, leproſis; hos Ægypto eduxiſſe *Olymp.* VII. anno I. quando Carthago à Pœnis condita; confecto ſex dierum itinere, quibus pervenêre in Judæam, inguinum ulceribus laboraſſe; hinc *ſeptimâ* die quieviſſe, quam idcircò appellarit *Sabbatum*, quia *Sabbo* vel *Sabbatoſis* Ægyptiis ſit inguinum morbus. Et quæ alia fingit ibidem Apion. Quæ pluribus confutat Joſephus Hiſtoricus; inter alia, illud Apionis, VI diebus perveniſſe eos in Judæam, qui tamen faſſus Moſem conſcendiſſe τὸ ὄρος Σίναιον, ibique delituiſſe XL. diebus, ac indè deſcendentem leges Populo dediſſe. *Tacitus Hiſt.* Libro V. *Cap.* II. III. IV. & ſeq. cautiùs rem pertractat. Præmiſſis de Judæorum initiis & origine, modo ex Idâ monte, modò ex Æthiopiâ, modò à monte Solymo & Gente Solymorum appellatos, unde nomen Urbi *Hieroſolymæ*, ſubjungit quoad rei ſummam: Ortâ per Ægyptum tabe vel leprâ (*vitiliginem* dicit Juſtinus, & Plutarchus Lib. IV. Sympoſ. ἐπιλδωκίαν) Regem Occhorim, alii Bocchorim, conſulto Oraculo Hammonis, juſſum purgare Regnum id genus hominibus, quod inviſum Diis eſſet. *Moſem* (quem Juſtinus ex Trogo dicit *Joſephi* filium) unum ex exulibus, monuiſſe ſibi ut cœleſti Duci crederent, nec aliam opem expectarent. Hinc fortuitum iter incepiſſe; ſed mox aquæ inopiâ fatigatis, viæ duces ad aquas fuiſſe *aſinorum ſylveſtrium gregem*, quos obſervaſſet Moſes rupem nemore opacam conſcendiſſe; undè ipſi conjectura, & ex herbido ſolo, aquarum ibi fontes reperiri, quos & aperuit Moſes. Ità levatos, poſt continuum iter VI. dierum, obtinuiſſe terras, pulſis cultoribus, in quibus *Urbs* & *Templum* à Judæis dicata ſint. Hinc Moſem, firmandæ in poſterum Genti, novos ritus & contrarios cæteris mortalibus, ut profana illic fuerint, quæ apud Gentes cæteras ſacra, indidiſſe. Ità v. gr. effigiem animalis (aſini) quo monſtrante viam ſitim depuliſſent, in *Penetrali ſacraviſſe*; Arietem, in contumeliam Hammonis, bovem in illam Apis, immolaſſe; ſue abſtinuiſſe, memoriâ lepræ ſeu ſcabiei cui id animal obnoxium; longam famem, vel (ut Juſtinus) VII. *dierum* illud jejunium, quo in deſertis Arabiæ fatigati fuerant, crebris Jejuniis inſtitutis, falſos eſſe, inprimis hebdomadario Jejunio, ut Trogus: Hinc ſeptimo *die* otium placuiſſe; ita ſeptimum quemque *annum* ignaviæ & inertiæ datum; ſeu *Saturno* hunc honorem habuerint, ſeu quod *pleraque cœleſtium* vim ſuam & curſum, ſeptimos per numeros, conficiant. Adhæc *fermento* abſtinere, quod raptarum frugum argumentum fuerit; *genitalia* circumcidere, ut diverſitate noſcantur; *Deos* contemnere; unum *Numen* mente ſolâ venerari, unde nulla in Urbibus ac Templis *ſimulachra*; *Animas* æternas putare, undè generandi amor, & mortis contemptus. Addit Juſtinus, *Arvam* Moſis filium, Sacerdotem Ægyptium primò, in *Regem* Genti datum, unde Judæis mos, eoſdem Reges & Sacerdotes habere; quod commentum ex *Aarone* Moſis fratre, & ex *Machabæorum* Principatu, juncto cum Sacerdotio, videtur derivatum.

Veritas in his Fabulis lucens.

Atque hinc intelligitur, quàm parum ſibi conſtet mendacium; imo veritatem Hiſtoriæ Moſaicæ in tantis tenebris micare: Exitum nempè Populi ex Ægypto; ingentem exeuntium numerum; tempus, quo regnavit Amenophis; iter per Arabiæ deſerta; acceptas in monte Sinaï leges; ſitim quâ fatigatus Populus; aquas profluentes ex rupe; fontes aquarum XII. repertos in Elim; longa incommoda quæ Iſraëlitis fuêre ſuſtinenda, priuſquàm ad loca culta pervenirent. Sic Tacitus ex vero refert, Deos contempſiſſe; nulla habuiſſe ſimulachra; unum Numen mente adoraſſe; immolaſſe animantia Ægyptiis ſacra, arietem, bovem; animas æternas crediidiſſe; à ſue abhorruiſſe; circumcidiſſe genitalia, diſtinctionis ergò, à reliquis Gentibus; & quæ plura vis veritatis illi expreſſit, fabulis & nugis permixta.

De aſino Judæis culto, contumelia undè?

In hoc genere eſt illud de *aſino conſecrato*, & quidem in *penetrali*; aut Apionis Alex. iſtud, *aureum aſini caput in ſacrario* collocaſſe Judæos, quod poſteà inventum fuerit ab Antiocho Epiphane,

Digitized by Google

ne, cum Templum expoliaret. Similia Strabo, Plutarchus, Damocritus Hiſtoricus qui de Judæis ſcripſit, apud Suidam, imò ſecundùm quoſdam Juvenalis *Sat.* XIV. *Nil præter nubes, & Cæli Numen adorant*, pro quo ſubſtituebat Vir Magnus *Cilli* Numen, quod dicas aſinum, laſcivum animal, quem κιλλὸν οἱ Δωριεῖς. Qualis & conjectura Iſ. Voſſii in vulgato Martialis *Epigramm. Jura, Verpe, per Anchialum*, pro quo legit, *ancharium*, id eſt, aſinum, Obſerv. ad Melam p. 48. Cujus infandæ contumeliæ originem fruſtra quærunt, in iis quæ à Moſe aut Salomone repoſita in *penetrali*; aut quæ in illo fuerint in II. Templo, de quo Tacitus ipſe, *Hiſt.* V. *nullâ intùs Deûm effigie, vacuam ſedem, & inania arcana.*

Nempè ὀνολατρείας rancida calumnia adversùs Judæos, videtur in Ægypto nata, poſteriori ætate, in ludibrium & contemptum Gentis. De cujus origine, notæ Heinſii in Laude Aſini, Bocharti, Tan. Fabri, & aliorum conjecturæ, eruditæ & ingenioſæ magis quàm ſolidæ. An fortè quod Judæi reverà ἀχθοφόροι, ὑποζύγιοι, onuſti jugo vel onere tot legum, rituum, hinc *aſinos* Aſinum venerari? Cui acceſſêre hiſtoriæ variæ in Sacris memoratæ, ut illa, *Gen.* XXXVI. 24. de Hanâ paſcente *aſinos* patris ſui, à quo tùm reperta הימים (vulgo *muli*, ſed refutante Bocharto *Hier.* L. II. C. XXI.) *maria*, ſtagna, congregationes aquarum, vel המים, *aquæ*, vel חמים, *thermæ*. Sic in Hiſtoriis Capitum Judaicæ Gentis, ut Abrahæ, *Gen.* XXII. 3. Judæ vel Silo, *Gen.* XLIX. 11. Moſis, *Ex.* IV. 10. Calebi, *Joſ.* XV. 18. Jairi, *Jud.* X. 4. Abdonis, *Jud.* XII. 14. Saulis quærentis aſinas patris ſui, I *Sam.* IX. 3. &c. mentio ſingularis *aſinorum*. Fortè & audiverant de Aſinâ Bileami, quæ humanam vocem imitata, in Deſerto quum agerent Iſraëlitæ: Undè conſecrati animalis commentum non unum, vel cavillum, naſci potuit. Cumprimis verò *Meſſias* Dei Filius, Rex Judæorum, dictus in celebri vaticinio venturus *inſidens aſino, filio aſinarum, Zach.* IX. 9. quod in *Chriſto* Hieroſolymam regio apparatu ingreſſuro, ad literam adimpletum, *Matth.* XXI. Hinc ſacrum Judæis animal ſibi facile perſuaſerunt craſſi Idololatræ; & quia in *adyto*, vel *penetrali* lateret Symbolum Numinis Judaici, indè fabula Apionis Alex. pluribus apud Joſephum, *Lib.* II. fidem apud Græcos & Romanos non ægrè impetratura. Hinc illud de *Meſſiâ* qui vehendus eſſet *aſino*, Saporem Perſarum Regem (שבור מלכא) vertiſſe Judæis in cavillandi materiem, referunt Talmudiſtæ in Cod. *Sanhedrin*, C. XI. S. XXXIII. Quæ poſteà in *Deum Chriſtianorum* contumelia verſa eſt, ut infrà ex Tertull. Tacemus commentum aliud Juliani Apoſt. de Moſe, apud Cyrillum *Lib.* IX. Contrà Julian. Nempè ἀποτροπαίοις δαίμοσι *Diis averruncis* ſacra peregiſſe, ex Dei Legiſlatoris indultu, quod infert ex Hirco ἀποπομπαίῳ, ſive πεμπομένῳ τῷ ἀποτροπαίῳ δαίμονι, qui *Deo averrunco*, & *depulſori malorum, dimitteretur*. Quod multis confutat Cyrillus, & vel ex lege ipſâ Moſaïcâ, *Exod.* XXII. 20. *qui ſacrificat Diis* vel Dæmoniis, præterquam *Deo ſoli*, יחרם *devoveatur* diris, morti. Jam verò Ægyptios ipſos, Phœnices, hinc Græcos, Etruſcos, Latinos, &c. Sacrorum Ritus quàm plurimos à Moſe eſſe mutuatos, dicitur ubi de harum Gentium Idololatriâ; & nos paſſim obſervavimus in Dictatis noſtris ad Librum *Levitici*.

IX. *Joſuæ poſt Moſem geſta, & Hiſtoria.*

I. MOſe ſublato ſucceſſit in Principatum *Joſua*, Ἰησοῦς Græcis, filius *Nun*, Ναυῆ, ab Ephraimo noni, I *Chron.* VII. 27. ſi tamen hæ ſucceſſivæ generationes fuerunt. Fuitque is ſeu Angelicâ voce, ſeu interno afflatu, ſucceſſor Moſi, ex ejus *Miniſtro* ſeu comite vel aſſeſſore, divinitùs deſignatus, Eleazare ſummo Pontifice, *Num.* XXVII. 18. *Deut.* XXXIV. 9. *Joſ.* I. 2. Fuit hic typus Chriſti & re, & nomine; in quo *Spiritus Moſis*, cum quo partem *gloriæ* ſuæ communicare debuit Moſes, id eſt, *auctoritatem*, impoſitis illi manibus, ac præſentato eo coram toto Populo, & de omnibus inſtructo. Hujus auſpiciis cùm memorabilia innumera geſta, de quibus Liber *Joſuæ*, & ad eum Interpretes, item Joſephus *Antiq.* L. V. C. I. tùm imprimis tria iſta, Tranſitus Jordanis, Terræ Occupatio, ac ejuſdem Diſtributio. *Terræ* verò terminus ab Oriente ſtatuitur *fluvius* Euphratis, *Deut.* XI. 24. *Joſ.* I. 4. ratione juris hæreditarii, cujus in poſſeſſionem miſſus demùm Iſraël ſub Salomone eſt.

II. Ac primò *Tranſitûs Jordanis*, ſeu introductionis in Cananæam, obſervanda potiſſimum: Tranſitus Jordanis.
I. *Tempus*, dies X. primi menſis Sacri, ſeu Paſchalis, *Joſ.* IV. 19. inchoantis annum XLI. ab Exitu: Poſtquàm XXX. dies luxiſſent Moſem, ſeu menſem integrum, uti Aaronem fleverant, *Num.* XX. & Joſephum, *Gen.* L. (addentes huic XL. dies conditura, quod Regium fuit) quum aliàs in communi luctu dies VII. ſufficerent. Intereà miſſi fuerant audaces *exploratores* Hierichuntem, quod refertur per ὑστέρωσιν, *Cap.* II. I. ac *triduana* anteceſſerat ad Jordanis ripam præparatio, *Joſ.* I. II. Antè quod *triduum* exactum reverſi Exploratores ad Joſuam, *Joſ.* II. 22. 23. qui dicuntur נערים νεανίσκοι, τοῖς LXX. Nempè viri juvenes, non hi certè *Phineas*, & *Caleb* octogenarius, ut Magiſtri, qui alia etiam de his Exploratoribus commenti, v. gr. ſimulaſſe ſe fabros, vel figulos, aut ſurditatem præ ſe tuliſſe, aut *Phineam* inviſibilem redditum, quod *Sacerdotum* privilegium fuerit, qui Angelis ſimiles, &c. Vide fabulas in Magiſtris paſſim, & in תנחומא, & מכילתא. Fallit & Joſephus, *Lib.* V. C. I. ſaltem Scriptura tacet, de his Exploratoribus, ſingula accuratè ſpectaturis, Hierichuntinos nihil hoſtile ſuſpicatos fuiſſe; imò contrarium patet, *Joſ.* C. II. 2. 3.

2. *Modus*, ſcilicet recedentibus miraculoſè aquis Jordanis, ad præſentiam Arcæ, in medio fluvio à Sacerdotibus ſuſtentatæ, donec Tribus ſingulæ ſicco pede ſuperaſſent oppoſitam ripam, deinde Sacerdotes XII. Tùm lapides XII. inibi erecti *medio fluvio*, ubi conſtiterant Sacerdotes, ad perpetuam rei memoriam, *Joſ.* IV. 10. Ubi Joſephus Hiſtoricus rursùm, imminuto miraculo, Jordanis aquas ait fluxiſſe minori quantitate & impetu, ad faciliorem διαβαίνειν, *Lib.* V. C. I. Dùm Textus, *aquas inferiores*, quæ jam fluxerant in Mare Mortuum, plane *defeciſſe*, & quæ deſuper fluerent *conſtitiſſe*, ſeu intumuiſſe inſtar valli, *Joſ.* III. 13. 16. 17. IV. 7. Lapides etiam XII. interpretatur βωμὸν *aram*, *ſuprà quam* Joſua ἔθυε τῷ Θεῷ *Deo ſacrificavit*. His lapidibus *Legem* fuiſſe inſcriptam, & quidem VII. Linguis, habet ex ſuis Seder-Olam.

3. Quæ Tranſitum illum Jordanis proximè ſunt conſecuta. Videlicet Cananæorum omnium ex eo tranſitu, terror; Populi in *Deſerto* nati neglecta antè, nunc repetita, hinc *ſecunda* poſt Ægyptiacam Patrum ſuorum, alii poſt Abrahamicam (*reductum præputium* arte medicâ, fabulatis Hebræis, quod de Symmacho Ebionitâ narrat Epiphanius) *Circumciſio*, *Joſ.* V. 7. Quâ factum, ut *ablatum fuerit opprobrium Ægypti*, ſeu Iſraëlitæ per Circumciſionem hanc, ex Ægyptiis quaſi, gente incircumciſâ & probroſâ, facti eſſent veri Abrahæ filii, mittendi in poſſeſſionem Terræ Canaanis. Mox ſecuta ſummatim, ex Joſuæ hiſtoria, *Paſchatis* (ſemel in Deſerto acti, anni *ſecundi* menſe I. *Num.* IX. 2.) nova per recens Circumciſos celebratio, ſub veſperam diei XIV. ſeu

Digitized by Google

ejuſdem primi menſis; hinc Manna ceſſans, & ſuccedens panis ex ejus Terræ frugibus, die XVI. ſeu ſecundo Azymorum, &c. *Joſ.* V. 10. 11. 12.

Occupatio Terræ. III. Ad *Terram occupatam* ſummatim, ex Joſuæ hiſtoria, ſpectant:

Belli per Joſuam, ut par eſt, denunciatio, datâ (ſecundùm Talmudiſtas) Gentibus iſtis optione, ut vel *aufugerent*, vel in *fœdus* venirent, vel *bello* experirentur, in Gemarâ Hieroſol. ad Tit. שביעית, Cap. VI. Cumprimis erigendo Joſuâ fiduciâ divinæ opis, quò ſpectavit apparitio *Principis Exercituum Domini*, *Joſ.* V. 13. 14. tacente Joſepho Hiſtorico; quem abſurdè Archangelum Michaëlem volunt, diſtinctum ab Angelo Fœderis, qui Moſi apparuerat, & qui ipſe יהוה, & *Dei facies* appellatur.

Obſidiones & expugnationes Urbium, & præcipuè illa *Hierichuntis*, *Joſ.* VI. mox *Hai*, inter Hierichuntem & Bethelem ſitæ, *Joſ.* VIII. Quæ ſunt multis circumſtantiis inſignes, cumprimis caſus Hierichuntis, *ſeptimo die*, nec Sabbato præciſè, ut Magiſtri volunt. Addito *anathemate* quo percutiendi qui eam inſtaurarent, implendo omninò ſub Achabo, 1 *Reg.* XVI. 34.

Hiſtoria *Rahabæ*, ſeu jam cauponariæ tantùm, פונדקיתא *πανδοχευτρίας*, ut Targum ad loc. parciturus illius honori, ſeu verè *meretricis*, *πόρνης*, ut & vox Hebræa ſonat. Ejus præcipuè notata *fides*, *Hebr.* XI. 31. de Dei omnipotentia, miraculis, favore in Populum, hinc cupientis ſe illi inſeri, &c. Nondum Viro juncta fuit, qui *Salmon* poſteà, longo ſatis intervallo, ſiquidem hic pater Boazi, *Ruth.* IV. 21. nec repugnantibus Judæis, Matthæo confirmante, *Matth.* I. 5.

Achani ſacrilegium, è Tribu Judæ, inquiſitio in reum *ſorte* facta, ut par eſt, & ejuſdem pœna, *Joſ.* VII. Ἄχαρος iſte Joſepho, quaſi *Achar*, id eſt, *turbator* Iſraëlis, hinc *turbandus*, pœna talionis, *Joſ.* VII. 25. ubi vox עכר, undè nomen *Achar*, levi mutatione, 1 *Chron.* II. 7. Et ut ceperat is interdictum, ità *cepiſſe eum Dominus* in Textu dicitur, ſorte apprehenſum.

Gabaonitarum fraus, & fictæ imago vetuſtatis, ac remotæ habitationis; qui in proximo agerent, inter Jebus Civit. & Siloh montanam, uti Gabaon Civitas in monte ſita. Undè Joſuæ cum iiſdem fœdus, mox addictio eorum in ſervitutem, juxtà præſcriptum Moſis, *Deut.* XX. 10. *Joſ.* IX.

Bella cum V. Regibus Emorræorum, malè multandis, & cum aliis Gentibus Cananæis, ac victoriæ mirabiles, deſcriptæ *Joſ.* X. XI. XII. Reguli XXXI. memorantur cis & trans Jordanem cæſi. His enim temporibus, ſingulis penè Urbibus totidem Reges præfuerunt. Deſcripta hæc dicuntur in Libro הישר, *Joſ.* X. 13. i. e. Libro Annalium Iſraëlis, qui Iſraël ישורון *Deut.* XXXII. 15. XXXIII. 5. 26. in quem relata hæc juſſu Joſuæ, civilem in uſum, partem fortè vel continuationem Libri מלחמות ׳׳י. Quorum ſumma, quantum ad Eccleſiæ notitiam requirebatur, deſcripta in Libris Sacris, ſeu Canone Hebræorum.

Grando lapideus, ſeu inſtar *lapidum*, in hoſtem jactus; quod translatum in fabulam de expeditione Bacchi Herculi Ægyptio ſociati, Gigantes bello fundentis, ac lapidibus cœlo miſſis profligantis: Sol etiam & Luna, Planetæ ſimul conſiſtere miraculo juſſi, luci prolongandæ, ac promovendæ victoriæ: Quod emphaticè repetitur *Joſ.* X. 12. 13. & confirmatur *Habac.* III. 11. *Eccleſiaſt.* XLVI. 51. Ne dicam Joſephum *Antiq.* L. V. C. II. *τὴν ἡμέραν αὐξηθῆναι πλέον*, *ne noctis interventu victori* eriperetur hoſtis. Vallis Ajalon vicina fuit oppido Gabaon, undè utriuſque loci combinatio. Nec eludendo miraculo exertim tradito, opus eſt confugere ad miracula non tradita, aut interpretationes alienas: Qualis eſt illa Majemonidis *Moreh-Neb.* L. II. C. XXXV. & poſt eum R. Levi Ben-Gerſon, in Libro מלחמות ׳׳י, quos haud obſcurè ſequitur H. Grotius: Nempè, ideò Solem & Lunam dici ſtetiſſe, aut non maturaſſe occubitum, quatenùs Joſua res tantas illo die, & tam celeriter confecerit, ut reverà Sol viſus ſit ſtare, & curſum ſuum morari; adeò incredibile viſum, tantam hoſtium ſtragem tam brevi ſpatio edi potuiſſe. Et hoc petitum à Joſuâ, ut priuſquam occiderent Sol & Luna, vindictam de hoſtibus caperet poſſet. Sed gloſſa eſt Textui contraria, qui ſanè innuit, inclinato jam die in veſperam, magnam adhuc ſuperfuiſſe hoſtium vim frangendam; undè nocti antevertendæ, ac præcavendæ hoſtium fugæ, petitum illud Joſuæ, de ſiſtendo *Solis* & *Lunæ* curſu, ab eo qui utriuſque Opifex & Dominus. Nec alio fine moti *Magiſtri* illi videntur, quàm ne *Joſuæ* majus miraculum, quale ſcil. imperium in Solem & Lunam, cogerentur adſcribere, quàm Moſi; cui ſimilis Propheta non ſurrexiſſe dicitur, *Deut.* XXXIV. 10. nempè qui Deo tam uſus fuerit familiariter. Et ex duplicato illo die, videtur poſtea *nox duplicata* in fabulâ Jovis & Alcmenes. Mittimus quæ plura in Sacræ Hiſtoriæ contextu expreſſa leguntur.

Nec tamen Palæſtina univerſa occupata per Joſuam fuit; Nam factæ poſteà ſunt expeditiones, v. gr. Tribûs Judæ, *Jud.* I. 8. 9. expugnandæ Hieroſolymæ, ubi ſita Arx Sionis; Arce tamen à Jebuſæis retentâ, ad tempora Davidis, 2 *Sam.* V. 6. Sic expeditio adversùs Debiritas, duce Othoniele, qui *frater* vel cognatus Calebi, aut *fratris* ſcil. filius, *Joſ.* XV. 17. Sic illa Tribus Danis, *Jud.* XVIII. pro reſiduo ſortis ſuæ occupando. Ut omninò ſint παραλήψεις quædam in Hiſtoriâ S. ubi de expeditione Danitarum, quæ eſt *Joſ.* XIX. 47. ut pluribus Interpretes, nominatim Andr. Maſius. Ac viciſſim ὑστέρωσις in hiſtoriis quæ leguntur *Judic.* XVII. XVIII. non loco ſuo inſertis, ne turbaretur ſeries Hiſtoriæ Judicum.

Deſtructæ verò Gentes VII. recenſentur, *Deut.* VII. I. *Joſ.* XXIV. II. *Hettæi*, *Amorræi*, *Gergeſæi*, *Chananæi*, *Pherezii*, *Hevæi*, *Jebuſæi*. Omiſſis *Kenæis*, *Cenizæis*, *Kadmonæis*, *Rephaim*, de quibus *Gen.* XV. 19. 20. & additis *Hevæis*, ad montem Hermon, qui aliàs קדמונים, *Joſ.* XI. 3. Prout, ab Abrahami tempore, permiſceri inter ſe hæ Gentes, & mutare appellationem potuerunt. Quâ de re nos in *Geographiâ Sacrâ*, ubi de Terræ Incolis, antè Iſraëlitas.

IV. Κληρουχίας ſeu *Diſtributionis* Terræ, hinc *ſationis*, proximo autumno, juxtà illud *Lev.* XXV. I. 2. circumſtantiæ memorabiliores ſunt: Diſtributio Terræ.

Quod incidit in annum VII. à Moſis exceſſu, & ab ingreſſu in Cananæam; annum XLV. à tempore quo miſſi erant per Moſem Exploratores, è Cadeſch-Barneâ in Cananæam, inter quos *Caleb*, quod factum XXXVIII. annis antè Moſis extrema, *Deut.* II. 14. quando reverſi ſunt Exploratores, non annis XL. ut Joſephus; ex falſâ eâ hypotheſi, diſtributionem factam anno V. ab ingreſſu in Terram, ſeu à tranſitu Jordanis, *Antiq.* L. V. C. I. Idemque annus VII. fuit *Sabbaticus* primus à Tiſri inchoandus, magnâ Terræ parte adhuc occupandâ, *Joſ.* XIII. I. & ſeq. Item quod ea Diſtributio facta per *Jeſum* vel *Joſuam*, nomine & re Chriſti Servatoris typum, *Hebr.* IV. 8. Quod *Gaditis*, *Rubenitis*, & dimidiæ Tribui *Manaſſis* portio ultrà Jordanem obtigerit, Moſe aſſignante, *Num.* XXXII. 13.

Quod *Calebo* in ſpecie ceſſerit terra Hebron, in Judææ montanis, vi Moſaïci jurejurandi, *Num.* XIV. 24. *Joſ.* XIV. 13. Undè nomen *Hebron* in ſcriptis Moſaïcis, tanquam notius, ac deinceps receptum,

Digitized by Google

ptum, ſubſtitutum fuit loco antiqui nominis *Kirjath-Arbe*. Quod in poſſeſſionem primæ mitterentur, *tres Tribus* ex ſingulari promiſſione ac benedictione principes, Judæ illa, Ephraimi, & Manaſſis, *Joſ.* XV. XVI. Quod *ſortibus* in Siloh (urbe editâ & peramœnâ ſitu, in ſorte *Ephraim*, ex quâ Joſua, ad Septentrionem Hieroſolymæ, & in quam Tabernaculum tranſlatum) jactis, omnia dirigente Numine diſtributa fuerint, eventu reſpondente Jacobææ prædictioni, *Gen.* XLIX. De modo *ſortium* facilis conjectura eſt, ſi duas urnas putemus, quarum in alterâ nomina Tribuum, in alterâ Tractuum, in quos Terra diſtributa fuit. Miſſi enim à Joſua *metatores* fuerant, in omnes Chananææ partes, qui Terram in VII. reliquas Tribus dividendam, accuratè metirentur, ac deſcriberent, *Joſ.* XVIII. Levitis aſſignatæ Urbes XLVIII. per omnes Tribus Iſraëlis, *Num.* XXXV. *Joſ.* XXI. In quibus XIII. primæ Sacerdotum eſſet, VI. autem civitates Refugii. Præter prærogativas alias Levitis in ſtipendium conceſſas, ut *decimarum*, *primitiarum*, *primogenitorum*, *oblationum* quæ ipſis cederent, &c. ut patet ex Libro *Levitici*. Diſpergenda autem fuit Tribus Levi, tùm ob prædictionem, *Gen.* XLIX. 7. tùm ob curam Sacrorum toto Iſraële, tùm etiam ut major illi portio obtingeret in honorem *Sacerdotii*.

Joſuæ poſtrema.

V. Reliqua à κληρουχία ad exceſſum *Joſuæ*, (incertis quidem annis principatûs communiùs X. illi adſcriptis) & ad exceſſum *Eleazari* ſummi Pontificis, Phineâ ſucceſſore, plana ſunt ex *Joſuæ* ultimis Capit. V. gr. Joſuæ *oratio* ad Tribus trans Jordanem dimittendas, C. XXII. poſtquàm impleviſſent pacta in quæ convenerant, *Num.* XXXII. Moſe ſtipulante, dein Joſuâ initio principatûs, *Joſ.* I. 15. Laudantur ergò ab obedientiâ præſtitâ Moſi, & Joſuæ, à fide ergà Fratres, à perſeverantiâ in hunc diem, (certè à trajecto ab iis Jordane anni minimum X. ſecundùm Judæos XIV. elapſi erant, relictis cis Jordanem conjugibus, liberis, fortunis omnibus) denique à pietate, & obſervantiâ mandatorum Dei, *verſ.* 2. 3. Quibus ſubjungit Joſua gravem parænesim ad unius Dei *amorem*, & *cultum*, cum benedictionis voto.

Altaris per Rubenitas & Gaditas, non in cultum (ut putabatur) vel *ſacrificium*, ſed in monumentum ac *teſtimonium* ſe conſtanter adhærere Dei unius cultui, erectio, *Joſ.* XXII.

Joſuæ extrema ad Populum verba, cum renovatione *Fœderis*, eâdemque *ſcriptâ*, & volumini Legis adtextâ, addito ſymbolo, *Joſ.* XXII. XXIII. XXIV. 25. 26. Nec dubium ſcripſiſſe Joſuam res principes ſuo Miniſterio geſtas, ad Moſis exemplum: Quanquàm *Libro Joſuæ*, uti in Canone extat, inſerta ſint dudum poſteà à viro Prophetico, vel ab Eccleſiâ Iſraëliticâ, opportunis locis, quæ poſt Joſuam acciderunt. Ex. gr. Expeditio Danitarum adverſus *Leſhem*, vel *Lais*, *Joſ.* XIX. 47. *Jud.* XVIII. 7. Montana *Iſraëlis* ſeu Samariæ, &c. diſtincta à Montanis Judæ, *Joſ.* XI. 21. ex uſu qui Diſtractionem X. Tribuum excepit. Illud, *& permanet in hunc diem*, C. IV. 9. VI. 15. & ſæpè aliàs, additio eſt poſteriorum Joſuâ temporum. De quibus præ cæteris conſule Andr. Maſium.

X. *Phœnicum Coloniæ, circà tempora Joſuæ. Cadmi celebris profectio. Origines Phœniciæ variæ inde deductæ; ut & Fabulæ.*

Cadmi profectio, & tempus.

OMnium celebratiſſima eſt, quam *Cadmus* Phœnicius, Phœniciâ & origine nominis ex קדם, undè קדמנים *Orientales*, in Græciam ſeu in Phocidem & Bœotiam advexiſſe fertur: Quâ occaſione & in Inſulis Cypro, Rhodo, Creta, Lemno, Eubœâ, &c. & orâ maritimâ Ciliciæ, Aſiæ, Africæ, Phœniciæ originis veſtigia permanſerint. De his ex Veteribus Marmora antiqua, Herodotus, Diodorus Sic. Plinius, Mela, Pauſanias, Apollodorus, Clem. Alexandr. Euſtathius, Euſebius, &c. ex quibus ſua Scaliger, Voſſius, Meurſius, Bochartus, Huëtius, & qui in Eruditis plures ſunt. Sive jam iſte Cadmus, gente Ægyptius & Thebanus fuerit, ſive potius Ægyptius origine, Gente Phœnicius, natus Patre Agenore, qui frater fertur Beli Ægyptii; & qui Agenor cum filiis Cadmo & Thaſo, oram Phœnices maritimam occuparit, *Sidonem*, & loca in quibus *Tyrus* poſteà condita fuit; quo ſenſu intelligendus in *Chron.* Euſebius, *apud Tyrum & Sidonem regnaſſe*. Quidam duos Cadmos ſuſpicati, ſed nullo in Antiquis fundamento. *Cadmus* autem tantoperè celebratus Hiſtoricis, & Mythologis, fertur à Patre miſſus, ex Phœnicio litore, ad quærendam ſororem *Europam*, id eſt reverà ad quærendas novas ſedes in Europa. Et multis quidem refertur ea Cadmi profectio ad tempus quod *Exitum* Iſraëlitarum proximè anteceſſit, & ſic Marmor Oxonienſe, & Lydiatus, Seldenus, Marshamus, alii; Euſebius ad A. XLII. ab ingreſſu in Canaanem, quo tempore rapta fuerit Europa. Conſenſio ferè eſt, circà tempora *Moſis*, & *Joſuæ* (cumprimis quando hic ſuperato Jordane terrorem Cananæis incuſſit, *Joſ.* II. 9. V. I) ſi non Cadmi profectionem contigiſſe, ſaltem mox ejus exemplo, forſan & invitatione, excitatos Phœnices & Cananæos alios ad quærendas novas terras, & Colonias aliò transferendas. Inſignis eſt locus Procopii Cæſar. de Bello Vandal. *Lib.* II. C. X. nempè de Columnis duabus ſuo tempore adhuc extantibus, ubi *Tingis* Mauritaniæ civitas, cum hac Inſcriptione, Phœniciâ linguâ, & Characteribus, *Nos fugimus à facie Jeſu, Latronis, filii Nave.* Undè & Tingitanos *Phœnices* appellat Mela, *Lib.* II. C. VI. ubi de Hiſpaniâ, *tranſvecti ex Africâ Phœnices*, quos *Tingitanos* intelligit.

Illatio Literarum in Græciam.

Hinc Cadmum omnium primum intuliſſe in Græciam, ex Phœniciâ ſeu Chananæâ, characteres ſeu *literas* Græcorum (diverſas à *Pelaſgicis*, de quibus Diodorus, Euſtathius) quæ hinc φοινικήϊα & Καδμήϊα γράμματα, Græca omnis Antiquitas tradidit. Phœniciæ autem literæ ex Syris vel Aſſyriis natæ. Negat ſanè Joſephus, *Lib.* I. Contrà Apion. Literarum uſum apud Græcos Cadmo recentiorem faciens, imò Trojanis temporibus. Tzetzes verò, in Chiliadibus, faciens multò antiquiorem. Sed Syram vel Phœniciam originem probant, Græcarum literarum *nomina*, *figura*, *ordo*, *poteſtas*, uſque ad ταῦ olim poſtremam Cadmi ætate, ut ת Phœnicum, vel Samaritanorum, Hebræorum, Syrorum. Quibus acceſſiſſe alias, & novas, per Palamedem, dein Simonidem, etiam Pythagoram à quo ſit ύ ψιλὸν, diſtinctum ab ȣ diphthongo, eſt à Mario Victorino Libris de Orthographiâ, & Ratione metrorum, Scaligero ad Euſebium, Bocharto in Chanaan, Waltono in Prolegom. Marsham. in Canone Chron. *Sec.* IX. Salmaſio Diatr. ad Inſcript. Herodis Attici, Thomaſſino Tract. Gallico de Reduct. Linguar. ad Hebræam, E. Bernardo in Tabulâ

bulâ ſuâ, in quâ Linguarum penè omnium Characteres ex Samaritano vel Phoenicio derivat; mittimus alios. Ne dicamus veterem *ſcribendi* modum qui primò fuerit à dextris ad ſiniſtram, ut ſoliti Phœnices certè ſcripſiſſe βυςροφηδὸν, id eſt, *verſum* faciendo, ut boves arantes ſolent, qualiter ſcriptæ *Solonis* leges, quæ hinc Ἄξονες & Κύρβεις, ex Pauſaniâ, Heſychio, Suidâ, aliis, obſervarunt pridem Scaliger, Meurſius, Voſſius, Salmaſius, Bochartus.

Lingua Græca ex parte Phœniciæ orig.

Sed & Græcorum hinc, ſi non lingua univerſa, certè voces innumeræ, ut indè ab Javane & Filiis, ſeu ab Jonibus, ſic à Cadmi & Sociorum in Græciam adventu, Phœniciæ originis deprehenduntur. Sic ענקים *Anakim* pulſos à Joſuâ, dediſſe Ἄνακες Græcorum populis, Heroas, Duces planum eſt. Sic ex קדם nomen Ἐκαδήμυς *Ecademi*, celebris in Hiſtoriâ Caſtoris & Pollucis, undè Ἐκαδήμεια, Ἀκαδημία poſtmodùm, in quâ docuit Plato. Ita ex פרדם, hoc ex פרה & רשא, παράδεισος, ex באר φρέαρ, ex אש ἑστία, ex הלל vel הוהל ἥλιος, ex גול, גיל ἀγαλλιάω, γελάω, ex ראה ὁράω, ex ארגמן ἀμοργὴ, ex קנמון ἄμωμον, ex שפר, שפיר, σαπφείρος, ex אף ἄψ, ὄψ, ὄψις, ex עשל ἄελλα, Æolus, ex ערב ἀῤῥαβὼν, ex רום ῥώμη, ex עצם רגל ἀστράγαλος, ex בוא βαίνω, βῆμα, ex בר & בארא βάρβαρος, ex גרף γράφω, à convolvendo quæ ſcribebantur, ex חרש κηρὸς, quia in *cera* ſculpebant, ex ידע δαίω, δαίμων, ex גלל εἱλέω, ex אור ὀρανὸς, ὥρα, ὀρθρὸς, πρωὶ, ex אלפים in Oriente ἐλεφάντες, ex תור, שור ταῦρος, ex ארץ ἔρα, χέῤῥος, ex ארעא ἄργιλος, ex שש ἕξ, ex קרן κεραυνὸς, ex קרן κέρας, ex כפר vel כופר κυπάρισσος, ex לח λάχανον, etiam χλόα, ex לבנה λίβανος, ex להם λοιμὸς, & λιμὸς, ex מנה μὴν, μήνη, ex פלג πέλαγος, ex מחה μάχομαι, μάχη, μάχαιρα, ex מור μύῤῥα, μύρον, ex נרד νάρδος, ex נוה ναίω, νάω, ναὸς, ex נין νάνος, νίνιον, ex ילל ὀλολύζω, ex אללי ἀλαλάζω, ex כתר κίδαρις, κίταρις, ex ערה ὁδὸς, ex יין οἶνος *vinum*, ex די δέω, ex ערבתא, ערבא *Syror.* ῥαβδίον, ex רוח ἀὴρ, *aura*, ex פלגש πάλλαξ, παλλακὴ, *pellex*, ex פרי ὀπώρα, ex שאר σάρξ, ex תירש τρύγη, ex תפף τύπτω, ex חרוץ χρυσὸς, ex חרש χαράσσω, &c. Innumera id genus ſunt quæ Phœniciam originem produnt; uti Phœnicum linguam, & Pœnorum vel Carthaginenſium, magnam habere affinitatem cum Syrorum illâ, & Hebræorum, pluribus probarunt Eruditi, inter alios fuſè Bochartus. Itá Græcos à Phœnicibus Grammaticam accepiſſe Clem. Alex. L. I. *Strom.* quemadmodùm ab his Latini. Itá Regionum & Locorum nomina, ut *Aſia*, *Africa*, *Europa*, *Iberia*, *Bithynia*, *Cypri*, *Caria*, *Rhodi*, *Creta*, *Samos*, *Carthaginis*, *Byrſa*, ſexcenta alia, eſſe à *Coloniis Phœnicum*, in Aſiam, Africam, Inſulas, Europam omnem deductis, Græciam, Italiam, Galliam, Britanniam, Hiberniam, Hiſpaniam, &c. fuſè à Bocharto, deinceps & aliis, oſtenſum. Quanquàm non ſola *originatio* vocum vel nominum, demonſtrationem faciat.

Origines aliæ, variorum Populorum, Deorum, Fabularum, &c.

Itá à Cadmo & ſociis origo eſt nonnullorum in Græciâ *populorum*. Hinc *Thebani*, & *Thebanorum* Regnum, poſtquam Cadmus in Græciam appulit, hinc bove duce in *Bœotiâ* conſtitit, ubi condidit *Καδμείαν arcem Thebarum*, & Urbem cognominem *Thebis* Ægyptiis. Sic *Illyriis* imperaſſe Cadmi filium *Illyrium*, & ab eo Gentem denominatam, Pauſanias in Bœoticis, & in Dionyſ. Periegetem Euſtathius. Thebis verò poſt Cadmum regnarunt *Polydorus*, *Labdacus*, tùm *Laius*, à quo *Oedipus* ex Jocaſta. Sic *Lacedæmonii* gloriati ſe Hebræorum fratres, communi patre Abrahamo, I *Macc.* XII. 21. Phœnices fortaſſis habentes pro Hebræis; unde quidam *Lacedæmonios* dictos, quaſi לקדמנים *Orientales*, præfixo ל. Sic à *Thaſo* Cadmi fratre, ferunt nomen fuiſſe *Thaſo* Inſulæ; & ità *Urbibus*, *Inſulis*, *Regionibus* variis, quas Phœnicibus, navigationis beneficio, debere ſuam originem, his ferè temporibus, præ cæteris Bochartus, Dickinſonus, Huëtius, Thomaſſinus, Hornius *Libro* II. de Gentib. American. & ſi qui plures, prolixè demonſtrandum ſuſcepêre.

Sic Græcorum indè natos quos pro *Diis* habuerunt, & unde fabulas ſuas auxêre, cumprimis à *Moſis* & *Joſua* ætate, convenit fere inter Eruditos. Inde multis contendunt natos, ex. gr. *Typhonem*, qui fuerit non modò Moſes, ſed & *Oggus* Gigas; *Bacchum* vel *Dionyſum* Arabicum, ſeu Phœnicium; *Herculem* Baccho ſociatum, in oppugnandis Gigantibus vel Anakæis; *Pythonem*, qui per anagramma ſit *Typhon*; imò (quanquam minùs probabiliter) indè factum Νῦν & Λητὼ, *Noun* & *Latonam*, ex patre Joſuæ *Nun*, & ignoratâ ejus matre, undè Λητὼ quaſi Λήθω à *latendo*; & ſi quæ veſtigia alia Phœniciæ originis, à Joſuæ temporibus. Hinc etiam à *Cadmi* in Phocidem & Bœotiam appulſu, nata fuêre illa Oracula Græcorum, in Phocide cumprimis & Bœotiâ, ſub nominibus Apollinis Delphici, Pythii, Caſtalii, Lebadii, Amphiarai, &c. Itá auctas fuiſſe fabulas, ex variis quæ de Hebræorum Gente accepiſſent Græci, ſive à Cadmo, ſive à Colonis aliis, conjectarunt pridem laudata nomina virorum. Quomodò etiam Cadmum rapuiſſe *Hermionam* conjugem fabulati, quam ſecum in Græciam advexerit; quod nempè ex tractu *Hermonis* montis uterque oriundus, undè *Hermonia*, quomodò *Hermon* pro Oriente, *Pſ.* LXXXIX. 3. & populi ad montem Hermon קדמנים, *Joſ.* XI. I. *Jud.* III. I. Sic à Cadmo introductum fuiſſe in Græciâ *armorum* & *æris* uſum; unde fabula fuerit de *ſerpentis dentibus* à Cadmo diſſeminatis, & indè ortis *militibus*, qui ſe mutuis vulneribus confecerint: De his Bochartus præcipuè, quem vide *Lib.* I. *Chan.* C. XIX.

Præter has *Cadmi* & Phœnicum illa ætate colonias, per Mare Mediterraneum deductas, nota & *Danai* in Græciam profectio, ex Ægypto quidem, qui fuerit *Beli* filius, ſive Amenophis qui Iſraëlitas expulit, frater *Ægypti*, aliàs *Armais* appellatus ex Joſepho, & Euſebio. Sed hæc aliò ſpectant. Imò per *Mare Erythræum* penetraſſe Phœnices in Orbem Auſtralem, & Orientalem, vel etiam ut alii, in Orbem Occidentalem incognitum, qui poſteà America, non defuerunt qui ſenſerint. Sed Phœnicibus non tam opportuna hæc navigatio per Mare Rubrum, quàm Arabibus, Ægyptiis, Æthiopibus; Uti etiam ſiti ad Occaſum & ad Septentrionem populi, per Mare Atlanticum & Septentrionale facilè ferri potuerunt, in novum illum Orbem. De quibus non eſt hic dicendi locus.

XI. *Res Aſſyriorum; Ægyptiorum.*

Obſcuræ res Aſſyriorum, &c.

I. QUantum ad res *Aſſyriorum*, & *Babyloniorum*, obſcuriores illæ ad hæc tempora, & obſcuri Reges in Chronico Euſebii, & G. Syncelli, ut & qui præceſſerant, poſt Ninum vulgò & Semiramidem. Signat uterque in Chronico, Aſſyriorum Reges *Aſtacadem*, & *Amyntem*, quorum tempore fuerint Moſes & Joſua; Poſteà *Belochum*, cujus filia Atoſſa, de quâ infrà.

Ægyptiorum Reges hac Epochâ. Fabulæ de Buſiride, Phaëtonte.

II. Celebriores fuêre res *Ægyptiorum*, quanquàm diſſidentibus inter ſe Manethone, Joſepho, Africano, Euſebio, Syncello, &c. hinc recentioribus. Alii enim fluxiſſe *Tanitarum Paſtorum* Dynaſtiam, quo tempore Moſes eduxit Populum ex Ægypto, ut ex Manethone quoque Marshamus. Alii, ut G. Syncellus ex Africano, factum ſtatuunt Ægypti Rege *Miſphragmutoſi*, Dioſpolitarum Dynaſtiæ XVIII. qui Paſtores vicerit, & Ægypto expulerit. Tenuit autem

 ille

ille Inferiorem Ægyptum, & Memphitim, Thebanis adhuc Regibus ſuperiori Ægypto dominantibus. Alii factum antè ſub *Amoſi*, qui primus fertur Dioſpolitanæ Dynaſtiæ; ſed juxtà Euſebium duobus & ultrà ſeculis *Exodum* anteceſſit. Euſebius enim *Exodum* ponit ſub *Cenchre* Rege, cui aquis immerſo ſucceſſerit *Acherris*. At Syncellus accuſat Euſebium, quod Reges fingat qui nulli ſunt. Si audimus Lyſimachum, apud Joſephum contrà Apion. & Tacitum quoque, contigerit demùm ſub *Bocchori*, qui longè poſterior eſt, Dynaſtiæ XXIV. ex Afric. μυζαχρονισμῷ annorum pluſquam DCC.

III. Nos cum Doctiſſ. Viris, ad Marmora Arundell. cum Uſſerio, & aliis, illum Pharaonem qui primus diuturnâ ſervitute oppreſſit Iſraëlitas, cenſemus eſſe *Rameſſem* cognomento *Myamun*, qui diuturno Regno præfuit annis totis LXVI. ſive hic fuerit *Sethoſis* ille Aſiæ dominator, qui aliàs *Seſoſtris*, ut quoque doctiſſ. Chronographi ſentiunt, ſive nonnihil Sethoſis ille poſterior. Nempè medius *Amenophes*, ſub quo Iſraëlitæ educti, aquis ſubmergendus; Rex annis propè XX. ut ex Manethone colligitur. Et huic filius *Rhamſes*, vel *Rameſſes* junior, Avi nomine appellatus, qui & *Ægyptus*, idemque creditus qui *Sethoſis* Hiſtoricis, vel Seſoſtris, frater *Agenoris* à quo Cadmus, qui Phœnices oram maritimam occuparit. Aliis frater hujus fertur *Armais*, qui idem *Danaus* Græcis, à fratre Ægypto Regno exactus, hinc ducturus Coloniam in Argolidem. Quæ tamen Danai colonia, & appulſus in Græciam, annis aliquot anterior (circiter XV.) Exodo ab aliis putatur, juxtà Marm. Oxon. Hi autem Reges toti Ægypto dominati ſunt. Vide quæ Hiſtorici paſſim ex Diodoro Sic. L. II. Juſtino *Lib.* I. & Manethone apud *Joſephum*, Theophilo *ad Autol.* &c.

IV. Mox excepit *Buſiris* ille inhoſpitalis, & ξενοκτόνος, qui Euſebio refertur ad initia Joſuæ. Alii fabuloſum credunt, & ipſe Diodorus Sic. *Lib.* I. natâ fabulâ ex conſuetudine antiquâ mactandi homines rufi coloris, ad ſepulcrum Oſiridis. Sic *Thiat*, filius Hermetis Triſmegiſti, qui dictus fuerit Ἀργειφόντης, quod ex Moſaïcâ Hiſtoriâ, *Exod.* II. derivat Ampliſſ. Huëtius. Ità *Hercules* ille Ægyptius, à parte Deorum pugnans, Gigantes bello fundens, lapidibus cœlo miſſis adjutus, *Baccho* in debellandis Indorum populis commilitone uſus, eſſe ipſiſſimum *Joſuam*, Cananæos & finitimas Gentes ſubigentem, pluribus Voſſius, Bochartus, Huëtius.

V. In *Æthiopia* regnaſſe fertur, his ferè temporibus, vel paulo antè Exodum, Rex *Phaëton*, quando ea regio æſtu ſolis inſolito conflagravit, undè dira lues: Et hinc de Phaëtonte Poëtarum fabula, apud Clementem Alexandr. *Strom. Lib.* I. qui Currum Solis regere neſcius, propiùs terris admoverit, undè inſolitus æſtus, & conflagratio terrarum.

Res Græcorum, Cretenſium. Fabulæ natæ.

Deucalion, Hellen, & Filii, &c. I. NOti jam ante Moſem *Pelaſgi*, primò in Arcadiâ, dein in *Theſſaliâ*, & *Græciâ* ſupra Iſthmum, à *Pelaſgo* juniore, à quo Theſſali dicti Pelaſgi. Quemadmodum iidem poſtea Ἕλληνες, ab *Hellene* Deucalionis filio, qui in Pthiotide regnarit, Theſſaliæ regione; alii ante Exitum ex Ægypto, alii Joſuæ temporibus. Unde tandem Ἑλλήνων commune nomen evaſit totius Græciæ, ſed ſeriùs, circa I. Olympiadis tempora. Sic *Æoles* ab Æolo, Hellenis filio, cui primùm in Theſſalia ſedes, dein & nepotibus in Peloponneſo fuerunt, ubi *Argivi*, *Elei*, *Meſſenii*. Fuit autem *Æolus* rex ventorum creditus, undè ἄελλα *procella*, ex עלעל, undè Syrorum עלעלא *turbo*. Sic & Hellenis filius *Dorus*, à quo Doris regio Phocidi contermina, ad Septentrionem. Sic Hellenis nepotes, ex *Xutho* filio, quales *Ion* (malè hic confuſus cum *Javane*, à יון, à quo *Iones* latiſſimè dicti, de *Græcorum* populis, jam antè hunc Xuthi filium) & *Achæus*, à quibus ſint Iones & Achæi, ex Herod. Strabone, Pauſania. De Ionum migratione Aſiaticâ poſteà.

II. Floruit adhuc Moſis & Joſuæ ætate, Regnum *Sicyoniorum*, ex Euſebio, G. Syncello, &c. Sicyonii. quod cœperat ab Ægialo, vel Ægialeo, Corintho nondum natâ. Sunt tamen quibus ſuſpecta eſt illa ſeries Sicyoniorum Regum, ſiquidem ipſe *Sicyon*, à quo Sicyonii, Pelopis filius fuit, collocandus ab Euſebio ad N. DCLXVIII. antequam *Debora* in Iſraële judicaret.

III. *Lacedæmon* Moſis tempore, agentis in Deſerto, à Lacedæmone condita fertur, apud Euſeb. Lacones, Thebani. & ab eo toti Regioni Laconum, etiam ab uxore Urbi *Spartæ* nomen eſſe, pluribus Pauſanias in *Lacon.* *Bœotiæ Thebæ*, tum à Cadmo conditæ, de quo ſuprà, ut videtur ad Ægyptiarum Thebarum imitationem, hinc *Cadmea* Arx appellanda, & hinc initium rerum Thebanarum. Cadmi adventum in Græciam, XXIII. annis circiter anteriorem faciunt Exodo, Marmora Oxon. Lydiatus, Seldenus, Marshamus. De eo fuſè, ubi nos de *Phœnicum Coloniis*.

IV. *Argivorum* regnum tranſiit hoc tempore ad Argivi, &c. *Danaidas*, poſtquam Danaus ex Ægypto primus Navem in Græciam advexit, & in Argolidem appulit, pulſo Gelanore Stheneli filio, circa Moſis extrema, ſecundum Euſebium; antè verò ſecundum Marmor. Oxon. Hinc *Danai* pro Argivis. De cujus Filiabus L. Maritos ſuos interfecturis, filios Ægypti, qui Danaum Ægypto expulerat, & ſecuta apud Inferos ſceleris pœnâ, nota fabula eſt. In *Phocide*, *Deucalionem* Prometheo natum, evaſiſſe cymba ex diluvio, κιβωτῷ, λάρνακι, nondum egreſſis Æg. Iſraëlitis, habent Veterum Tabulæ ſeu Marmora. Quæ Hiſtoria poſtmodum fabulis permixta eſt, ex Hiſt. Diluvii Noachici promptis, videndis apud Lucianum, de Deâ Syriâ, & Commentatorem nuperum, de *Nummo Apamenſi*, in ſelectis Numiſmat. Seguini. In quo nempè Nummo effigies *Severi Pertinacis*, & in ejus averſâ, Navigii genus *Arcam* κιβωτὸν repræſentans, cujus ope ſervatus à *Catacluſmo* Deucalion, in Arcâ ipſâ *Deucalionis* & *Pyrræ* ſimulachra, ſuprà Arcam *Columba* olivæ ramum geſtans; quomodò deſcribitur Diluvium Noëmi.

V. *Athenienſium* regnum floruit, præcipuè ſub Athenarum regnum. *Amphictyone*, Deucalionis filio, pulſo Cranao; A quo dictus Senatus Amphictyonum, pro communi Græciæ ſalute ad Thermopylas bis in anno indicendus, ferè ſub tempus Exitûs ex Ægypto. Eo pulſo regnum occupavit *Erechteus*, qui *Erichthonius*, per annos L. *Terræ* ſcil. filius habitus, potius quàm Minervæ, ex Vulcano patre qui ſemen in terram effuderit, iratus in reluctantem Minervam; undè natus ſit *Erichthonius*, ex *Erâ* ארעא, terrâ, quæ eadem ſit χθὼν, ut ſcilicet Minerva adhuc Virgo crederetur, aut ne ſpurius haberetur Erichthonius. Cui ſucceſſit *Pandion* ejus nominis primus, ſeu jam agentibus adhuc in Deſerto Iſraëlitis, juxta Chron. Marmoreum & Seldeni Canonem, ſeu Judice Othoniele, ut Euſebius in *Chron.* Et hujus filia fuit *Procne*, vel *Progne*, quæ Tereo Thracum Regi nupta, Marito poſteà filium epulandum tradidit, zelotypiæ furore accenſa, ut pluribus Mythologi, & Pauſanias, Ælianus, Photius in *Conone*. Sub hoc Pandione, vel ſub ſucceſſore *Erechteo*, *Ceres* raptam à Plutone, filiam Proſerpinam quærens, in Atticam veniſſe, & à Celeo *Eleuſine* Atticæ pago excepta

fer-

Digitized by Google

fertur, quæ ſerendi artem docuit Triptolemum; de quo vide Meurſium noſtrum in *Eleuſiniis*, C. II. III. Ubi pluribus de Sacrorum iſtorum origine, ratione, myſteriis; quæ vel *majora* fuêre, aliàs τελεταὶ, quibus initiati ἐπόπται, ἔφοροι, vel *minora* quibus initiati μυσταὶ. Majora *autumno*, minora *verno* tempore peracta.

Res Cretenſium. VI. Nec tacendæ res *Cretenſium*; ſcil. ex *Europâ*, Cadmi ſorore, à Jove, vel à Curetibus raptâ, & in Cretam inſulam tranſvectâ, ac Regi Aſterio miſcendâ, naſcituris ex eâ *Minoë*, *Rhadamantho*, & *Sarpedone*. Quæ de *Minoë* Legiſlatore, ejus nominis *primo*, referunt ſive Hiſtoriæ, ſive Fabulæ, & de *Rhadamantho* juri dicendo ſub Minoë præfecto, diligentiſſimè collegit Eruditiſſ. Huëtius, ut ex Moſis hiſtoria omnia deduceret. Hic Minos nepos fuit Phoenicis, fratris Cadmi, ex *Europâ* illius filia; & in antro Idæ montis leges à Jove accepiſſe fertur. Non confundendus cum Minoë II. Cretenſium Rege, qui θαλασσοκρατῶν cognominatus, cujus filia *Ariadne*, amoribus Theſei capta, ex fabulis nota eſt. *Sarpedon* Lyciis præfuit.

Ad hæc tempora refertur *Idæ* montis, ſylvis accenſis, conflagratio, quem alii Phrygium, alii Cretæ montem, intellcxerunt. Et eâ occaſione *ferrum* & *æs* inventum ferunt, ſeu artem cudendi ignis uſu, ab *Idæis* ſeu accolis Idæ montis, vulgò *Dactylis*, pro digitorum (ut videtur) numero ſic dictis: Quanquam duo ex illis præcipui, Κέλμις & Δαμναμενεὺς, feruntur. De quibus, Strabo, Mythologi, Scholiaſtæ paſſim, & Clemens Alex. qui ferrum iſtos inveniſſe ait ἐν Κύπρῳ *in Cypro*, Stromat. *Lib.* I.

Fabulæ variæ undè natæ? VII. His circiter temporibus occaſio nata videtur *fabulis* Græcorum innumeris, quas deinceps Græci auxêre ex iis quæ de Noacho, Abrahamo, Jacobo, Joſepho, Moſe, &c. ab Ægyptiis & Phoenicibus acceperant. Non longo certè temporum intervallo diſterminantur à ſe invicem, quæ de Jove non uno, de Marte, Vulcano, Apolline, Mercurio, Sileno, Baccho, Pane Arcade, Hercule Ægyptio, Minoë, &c. vel quæ de *Minervâ*, (Ἀθηνᾷ,) *Venere* illâ publicâ, *Cerere*, *Proſerpinâ* ejuſque raptu, *Europa* à Jove raptâ, *Semele* Bacchi matre, *Niobe* Jovis etiam pellice, &c. præter hiſtoriam Græci fabulati ſunt: Notiſſima ea ex Apollodoro, Hygino, Mythologis aliis, pro ingenio Græcorum & Poëtices. Occaſio his fabulis nata, ex factis hiſtoricis in Ægypto, Arabiâ, Atticâ, Bœotiâ, Arcadiâ, Phocide, Cretâ Inſ. Thraciâ, quo tempore inclaruerant apud Hebræos *Moſes*, *Joſua*, & prima *Judicum* tempora, ex Pauſania, Clemente Alexandrino, Tatiano, Euſebio, &c. & de quibus ex parte in ſuperioribus. Succeſſit tùm confuſio Nominum; quum plures Saturni, Joves, Apollines, Vulcani, Dionyſii, Mercurii, Hercules, Veneres, Minervæ, Pallades, quales in *Bœotiâ*, *Theſſalia*, *Libyâ*, &c. confundendi inter ſe fuerunt, variis temporibus nati, & diverſiſſimis in locis: Quod pridem à Cicerone de *Naturâ Deor.* & ab antiquis obſervatum eſt; ac pluribus noſtrâ ætate, Ger. Joh. Voſſius, Bochartus, Herbertus, Marſhamus, Notæ ad Marmora, frater meus ad Juliani Cæſares, & ad Callimachum, Huëtius in Demonſt. Evang. &c. Indicaſſe hoc loco ſufficit, quæ multis Viri illi declararunt.

XII. *Status Eccleſiæ ſub Judicibus Iſraëlis.*

NOn fert vel inſtituti ratio, vel anguſtia intrà quam coërcemur, hiſtoriam *Judicum*, ad quam Commentatores, perſequi univerſam. Digniora, hoc quidem in loco, obſervatu fuerint:

I. Variæ hujus Epochæ apud varios rationes, indè à morte Joſuæ ad initium Samuëlis: Quorum alii annos *interregnorum*, *oppreſſionis*, *ſervitutis*, ſeorſim putant ab annis qui Judicibus tribuuntur; mireque hanc Epocham extendunt, ut Genebrardus, Joh. Gerh. Voſſius, Lud. Capellus, Auctor Gallus de Antiquit. Temporum, &c. Alii, & verè, in annis Judicum priores annos complectuntur. Jubent certè Æram contrahere cùm alia, tum locus I *Reg.* VI. I. & hiſtoria Genealogiæ Chriſti; ex quâ intelligitur *Salmon* (cui nupſit Rahab) fuiſſe proavus *Jeſſæ*, *Matth.* I. 5. 6. Undè non ultrà annos circiter 300. putes, à morte Joſuæ ad initium Heli. Nec obſtat locus *Act.* XIII. 20. qui dicit non *quamdiu*, ſed *quando* dati Judices à Deo fuerunt. De quo nos diximus pluribus in *Canone Chronico*, *Ep.* IV. Chronologicæ difficultates.

II. *Judicum* (qui & latiori appellatione *Regum* nomine veniunt) imperium, quale fuerit, vel ex nomine intelligitur. Eſt enim *judicare*, primò regere, habere jus omne in perſonam, lites dirimere, expedire difficultates; quanquàm & *judicare* de Regiâ poteſtate, I *Sam.* VIII. 6. Secundò, eſt *vindicare*, liberare à ſervitute; Tertiò, *egredi* ad bellum, bella gerere. *Heli* etiam inter Judices, reſp. litium quas ſacerdotali auctoritate dirimeret. Sic *Samuël*, poſt unctum Saulem, I *Sam.* VII. 5. *Debora* quoque inter Judices collocatur, *Jud.* IV. 4. ut quæ acta Spiritu Prophetico conſilia dabat; ejuſque miniſterio Populus à Cananæorum ſervitute liberatus eſt. Fuit tamen *Judicum* munus cùm multis partibus à *Regio* diſtinctum, tùm hiſce cumprimis: 1. Quod extraordinarius hic Magiſtratus eſſet, ferè ut Romanorum Dictatores, & Interreges. 2. Quod in his afflatus immediatus Spiritûs, & motus heroici ac divini, *Jud.* III. 9. 10. &c. apparuerunt. 3. Quod ſucceſſio in his non immediata, mediis ſæpè interregnis, ſervitutibus, v. gr. inter Joſuam & Othonielem, (Κενίαζον Joſepho) inter Othonielem & Ehudum, &c. De quo in Chronologicis. 4. Quod iidem divino ſemper ſuffragio dati, *Judic.* II. 18. non humanis titulis, ſucceſſione, electione, jure belli, &c. Undè Deus dicitur, quod illos הֵקִים *ſuſcitavit*. 5. Quod Regimen eorundem non tam humanum quàm divinum crederetur, *Jud.* VII. 18. I *Sam.* VIII. 7. Hinc Θεοκρατίας quædam ſpecies, & *Judices* Dei Vicarii, idemque *gladius Dei*, qui *Gedeonis*, & *non dominabor ego vobis*, *non filius*, *ſed Dominus*, *Jud.* VIII. 23. Quanquam & ſub Regibus continuata Θεοκρατία, ſed modo diverſo, hinc Dei fuit præſcribere Regem, & jus Regium, *Deut.* XVII. 15. 17. Judicum à Regibus diſcrimen.

III. Ordinarius Magiſtratus penes Seniores Populi quales inſtituti à Moſe numero LXX. (quidam LXXII. & ita Baronius, Grotius, Druſius, &c. invitis Talmudicis) qui ſecum onera portarent, *Num.* XI. 16. Num verò continuatus hic Magiſtratus, etiam poſt Moſem, ſub Judicibus, in Textu Sacro non dicitur. At de ordinario Magiſtratu ſermo, *Deut.* XVI. 18. & XVII. 9. qui ibi nominantur, *Sacerdotes*, in rebus quæ ad cultum Leviticum attinerent; & *Judex*, vel *Judices*, qui forent *in diebus illis*, & de civilibus cauſis cognoſcerent, per ſingulas Tribus Iſraëlis; imò per ſingulas Civitates. Summa verò auctoritas penes Moſem, Joſuam, Judices extrà ordinem ſuſcitandos. An verò tum obtinuerit *Synedrium* M. penes LXX. Seniores, cum ſuo נשיא Principe vel Præſide Synedrii, qui à ſummo Sacerdote diſtinctus fuerit, controverſum inter Eruditos. Et certè quiquid ſecùs Magiſtri & Talmudici, obſcura ſunt illius ſummi Synedrii vel γερουσίας veſtigia, in ſcriptis Joſuæ, Judicum, Samuëlis, &c. Vel certè exigua tum illius auctoritas fuerit, quum quod quiſque vellet faceret, à morte *Joſuæ*, & deinceps, quoties diem obirent *Judices*, redeun- Ordinarius ſub Judicibus Magiſtratus.

Digitized by Google

redeunte Populo ad ingenium. Multo minùs auctoritas illius perſpicua ſub Regum dominatu, imò altum de iis ſilentium; quanquam vellent intelligendos eos Synedros vel Senatores vel Judices per חורים, *Jer.* XXXVIII. 5. *principes*, primores viros vel Aulicos; qui quatuor tantum nominantur, *verſu* I. nec hîc de proceſſu judiciario in Jeremiam, ſermo. Sic dubio procul alluſio eſt ad LXX. Seniores Iſraëlis, primitùs à Moſe conſtitutos, in viſione illâ Ezechielis, *Ezech.* III. II. ubi videt LXX. viros in Atrio interiori, facientes ſuffitum Idolis; qui ſcil. repræſentabant Duces & anteſignanos Populi. Quanquam perpetuum fuiſſe hoc Tribunal LXX. Seniorum in Iſraële, velint magna virorum nomina, Seldenus, Grotius, & plerique.

Conſiſtoria *ſubalterna* (à quibus provocatum volunt ad Sanhedrin) *Deuter.* XVII. 8. alterum *Judicum* XXIII. ad portas Civitatum majorum; alterum *Judicum* III. in minoribus locis; legi poſſunt apud Seldenum de *Synedr. Hebr.* & noviſſimè omnium inſtar apud limatiſſimi judicii Theologum, Herm. Witſium, *Miſcell. Sacr.* Lib. II. Diſſert. III.

Corrupta Judicum tempora, & Cauſæ. IV. Corruptiſſima ſub Judicibus tempora, & cumprimis adflictus ſtatus uterque, *Politicus* & *Eccleſiaſticus*. Docent, defectio mox à morte Joſuæ, Calebi, & ſodalium, (qui Ægypto egreſſi infrà annum ætatis XX. & teſtes miraculorum fuerant) ad Idololatricos cultus, *Baalis*, *Aſtaroth*, *Joſ.* XXIV. 18. *Jud.* II. 7. 10. &c. de quibus adi Seldenum de Diis Syris. Hinc promiſcua cum Cananæis conjugia, fœdera; Pœnæ divinitùs immiſſæ; Frequens ſervitus, vexatio, oppreſſio, quarum *ſexta* & maximè diuturna fuit ſub Samſone; Reſipiſcentia quandoque, ſed fucata, ſed ad tempus, & momentanea; Flagitia horrenda, cædes, ſtupra, adulteria, humanæ victimæ; civiles motus *cognataque bella*, ut *Ephraimiticum*, contrà Jephtam, *Jud.* XII. & alterum contrà *Benjaminitas*, ob facinus admiſſum in *Guibha*, de quo *Jud.* XIX. XX. Sed hæc ex S. Hiſtoriâ cuivis obvia ſunt.

Cauſæ adflictiſſimi ſtatûs, præter juſta & arcana Dei judicia, fuêre: Nova generatio, ſuccedens probatæ illi in deſerto; Exceſſus virorum auctoritate & pietate Illuſtrium, qui teſtes fuerant αὐτόπλαι Mirabilium Dei; Interregna, ſeu ἀναρχίαι; Cohabitatio cum impiis Gentibus, hinc & cum infidelibus conjugia; Abuſus divinæ χρηϛότητ☉, ſubducentis eos hoſtili jugo, reddentiſque pacem; Æmulatio inter ipſas Tribus, hinc diſſidia, bella, &c. Exempla *Judic.* II. 5. 6. 10. 18. 19. VIII. I. XII. I. &c.

Hinc ſceleribus reſponderunt Dei judicia, & magnitudini corruptionis, magnitudo calamitatum.

Joſephi errores. V. In hac omni Judicum Hiſtoria, non unus eſt error Joſephi Hiſtorici. V. gr. Quod Othonielem, *Kenazi* filium, perpetuò vocet Κενίαζον, & annis XL. principatum obtinuiſſe dicat, *Antiq.* L. V. C. IV. Quod itidem, *Jodem* ſive Ehudum, poſt excuſſum jugum Moabiticum, tenuiſſe principatum per annos LXXX. Quod in Hiſtoriâ *Gedeonis*, apparuiſſe illi *ſpectrum*, φάντασμα νεανίσκȣ μορφῆ, Scriptura dicit *Angelum Jehova*: Ita quod eos qui tumultuariè aquam manibus lamberent, pro ignavis & timidis; illos qui καταχλιθέντες biberent, pro fortibus & εὐψύχοις, habeat, L. V. C. VIII. quum tamen Textus, priores, ut intrepidos & fortiſſimos milites, electos dicat. Quod in Hiſtoriâ *Samſonis*, v. gr. Patrem Μανώχην zelotypiâ fuiſſe accenſum in uxorem referat, ac fuiſſe ſuſpectam illi Viſionem Angeli, *ſpecie Juvenis pulchri*, uxore exaggerante νεανίσκȣ τὸ κάλλος, *Antiq.* L. V. C. X. Quod Hiſtoriam Ruthæ ſub *Heli* Pontifice contigiſſe referat, *Ant.* L. V. C. XI. quod Scriptura S. non dicit, nec patitur Genealogia *Boazi* nati Salmone, *Ruth.* IV. 20.

XIII. *Hiſtoriæ quædam memorabiliores hujus Epochæ.*

IN cæteris dignæ cumprimis obſervatu ſunt Hiſtoriæ ſequentes, memoratæ V. poſtremis Capitibus, licet pridem antè Samſonem acciderint. Nec enim Tribus *Danis* uſque ad illud tempus fuerat ſine ſorte vel poſſeſſione, ut *Jud.* XVIII. I.

I. Micæ factum ſuperſtitioſum, *Jud.* XVII. hinc ſecuta ad hujus exemplum *Danitarum* Idololatria, qui omnium primi à patriâ religione defecerunt. Tempus fuiſſe videtur proximum à morte Joſuæ, durante interregno, *Jud.* XVII. 6. XVIII. I. Nec ὑϛερολογίας hîc pauca indicia, tùm in Danitis nondùm in poſſeſſionem miſſis, *Jud.* XVIII. I. tùm in mentione *Jonathani* filii Gerſom, filii מנשה, id eſt, משה, *Ex.* XVIII. 3. I *Chron.* XXVI. 24. hinc litera נ ſuſpenſa, ut παρένθετ☉: Ità mentio deinceps *Phinea* ſummi Sacerd. qui adhuc vixiſſe poſt mortem Samſonis, credi non poteſt. Narrantur autem iſthoc loco, poſt res Samſonis, ne Judicum geſta interrumperentur. Micæ factum.

II. Hiſtoria *Levitæ* & *pellicis* ejuſdem, hinc belli civilis in Benjaminitas hac de causâ excitati, *Jud.* XIX. XX. ſuperſtite adhuc *Phineâ* ſacerdote, *Jud.* XX. 28. Quem Scaliger, Seldenus, alii, poſt Magiſtros, ultrà 300. vel 350. annos nâtum fuiſſe putant, ὑϛερολογίᾳ quanquàm Scriptoris evidente. De quo prolixè diſſertavimus Hiſtor. Jobi, *Cap.* XII. Undè quo tempore illi memorantur, *Jebus* tota adhuc poſſeſſa à Jebuſæis, nondùm à Tribu Judæ, *Jud.* V. 21. Refert quoque Joſephus ad tempus quod Joſuæ mortem excepit, *Antiq.* L. V. C. II. Hiſtoria Levitæ.

III. Hiſtoria *Ruthæ* nuptæ Boazo, Rahabæ ex Salmone filio, notata generali charactere temporis, *Ruth.* I. I. Quam malè Joſephus, *Antiq. Lib.* V. C. XI. & communiter Hebræi, atque ex iis Zonaras, aliique Chronographi, referunt ad ætatem *Heli*, vel *Abdonis*. Quo ipſo Boaz nequit eſſe Salmonis & Rahabæ filius. Nec feliciùs alii ad ætatem *Ebzanis*, qui Jephtam excepit, quemque eundem cum *Boazo* cenſuerunt. Nam inter XXX. ejus filios nullus *Obed* legitur, qui genuerit Jeſſe; præterquam affinitate nominis decepti. Referenda veriùs ad anteriora Judicum tempora, puta Gedeonis, aut Deboræ; ob Rahabam ejus matrem, *Ruth.* IV. 20. ut tamen grandævus eſſet Boaz Rutham ſibi juncturus, *Ruth.* III. 10. Quemadmodùm & grandævi admodùm genuerunt hujus filius & nepos, Obed & Jeſſa. Niſi *generationes* intermediæ omiſſæ, in hac ſerie, exiſtimentur, quod tamen precariò aſſeritur. Sed de hac difficultate prolixè Parens noſter, *Dub. Evang. Part.* I. *Dub.* III. Hiſt. Ruthæ.

IV. Hiſtoriæ *Servitutum* & *Liberationum*, uti Aſſyriacæ ſervitutis, annis VIII. Moabiticæ, annis XVIII. *Jud.* III. Cananææ, annis XX. *Jud.* IV. Madianiticæ, annis VII. *Jud.* VI. Ammoniticæ, annis XVIII. *Jud.* X. Palæſtinæ ſeu Philiſtæorum, omnium longiſſimæ, annis XL. *Jud.* XIII. Liberatoribus Othoniele vel Cenizo, Ehudo vel Jode apud *Joſephum*, Deborâ & Baraco, Gedeone, Jephtâ, Samſone. De quibus Hiſtoria ſacra, & ad eam Interpretes, ac Joſephus, *Antiq. Lib.* V. Vide Chronol. noſtram, P. II. Epochâ IV. Servitutes & Liberationes.

V. Hiſtoriæ intermediæ memorabiliores, v. gr. *Abimelechi* illa, ex concubinâ Gedeonis nati, hinc ad ſucceſſionem evecti, non jure hæreditatis, non etiam divino impulſu, ſed uſurpatione, malis artibus, immani fratricidio, populari aurâ. Hinc & *Regis* titulum uſurpavit, contrà quàm reliqui Judices, Abimelech, Jephta, Samſon, Heli.

ces. Sed convertendo mox hoc Populi favore, in odium & inſidias, in pœnam ſceleris, *Jud.* VIII. 31. IX. 5. 23. &c. & apud *Joſephum* L. V. C. IX.

Sic *Jephta* illa, filiam, quam habuit unicam, temerarii voti (ſed quod irrevocabile intellexit) religione, poſt partam de Ammonitis victoriam, offerentis holocauſto, *Jud.* XI. 31. &c. Quod docent forma voti; objectum ejuſdem, *quicunque egreſſurus*, ut habent LXX. Latinus, Syrus, Arabs, &c. executio reſpondens voto; Patris filiæque cùm facta, tùm verba; ſtatutum in Iſraële pro annuo *planctu*, vel annua *celebratione* Virginis, ac circumſtantiæ aliæ Textûs. Adde conſenſum omnium Verſionum antiquarum, Fl. Joſephi, Hebræorum veterum, Patrum, Eruditorum, &c. Præter natam hinc *Iphigenia*, à Patre ſuo devotæ, virginis, principis, lugentis ſuam virginitatem, quaſi *Jephtigenia*, fabulam; De quibus fuſiùs noſtra quoque, poſt aliorum commentationes, hac de re Diſſertatio. Fruſtrà enim urgeant, vel Populum, vel Synedrium impediturum tale facinus fuiſſe; quod *retractari non potuiſſe* intellexit ipſe Jephta: Nec auſi in materiâ *interdicti*, ex *Lev.* XXVII. neque auctoritas tum ulla ſuperior fuit illa Judicis.

Samſonis memorabilia: Inter quæ, nativitas miraculoſa; Nazareatus, fortitudo, *Jud.* XIII. Leo dilaceratus, qui *ſuffocatus* Joſepho; Apes mellificantes in cadavere leonis, haud dubiè exſiccato, *Jud.* XIV. 6. 8. Hinc ænigma à Samſone propoſitum, ſolvendum intrà dies VII. feſtivitatis nuptialis; Trecentarum *vulpium* totâ Judæâ venatio, tùm copulatio mira; undè fortè à Phœnicibus acceptus *Vulpinalium* ritus, quum Ludi Curules in Circo celebrarentur apud Romanos, de quo Ovidius Faſt. IV. Heroicum facinus in Philiſtæos admiſſum, quorum *mille* proſtravit recente *aſini* duràque maxillâ, *Jud.* XV. 4. 15. Tranſportatio forium Gazæ, cum poſtibus, in vicinum atque editum montem; Apprehenſio & concuſſio duarum, in medio ædificio, majorum Columnarum cum epiſtyliis ſuis, quibus præcipuè fulciebatur ædificium, *Judic.* XVI. 3. 29. Divinâ plane virtute ſingula, nullo in omnibus vel *abſurdo* vel *impoſſibili*, quicquid profani & naſutuli rideant.

Hercules fabuloſi. Nec dubium quin dederint iſta originem Græcorum fabulis de *Hercule Tyrio*, ſeu *Phœnicio*, nam plures Hercules fuerunt; & hic *Tyrius* communiter ad hanc Epocham refertur, anterior Alcmenes filio. Illi autem gemina planè tribuuntur apud Mythologos, Apollodorum imprimis, & Palæphatum, tum Diod. Siculum; Scilicet, vires ſuprà humanam ſortem; Labores, quos XII. Mythologi faciunt; initium Laborum à Nemæi Leonis interfectione; clava Herculis, κοϱύνη, loco gladii, quæ imago quædam maxillæ Aſini; amores effœminati mulieris illecebris, hinc ſervitus apud Omphalem Reginam; oblivio laborum omnium, ex alto *ſomno* Samſonis; Columnæ duæ Gaditanæ, quæ vulgò Columnæ Herculis; proditio ab uxore, undè lethale vulnus; Cœlum ſuſtentatum ſuis humeris, *Atlantis vices gerimus*, qualiter portas Gazæ in ſublimem montem geſtavit; adhæc Mors in Oeta monte ſponte ſuſcepta, &c. Sed Mythologi confundunt ſæpè utrumque Herculem, Tyrium, & Amphitruonis filium ſeu Alcidem, quo hic nomine diu ſatis antè Trojanum Bellum apud Græcos inclaruit. Porrò *Hercules* ἡϱακλῆς, quod nomen loco *Alcidæ* poſteà retinuit, dictus putatur quaſi ἤϱας, id eſt, *aëris* κλέος, apud Macrobium *Lib.* I. *Saturn.* idemque *Solis* Symbolum, undè Hercules κεϱαυνοφόϱος *fulmine armatus*; quomodo שמשון *Simſon* apud Phœnices notavit *parvum Solem*, undè multis origo fabulæ. Atque hæc paſſim ab Eruditis obſervata ſunt. Ità ex hiſtoriâ *reſecti Capillitii*, proditione Delilæ, undè vires Samſoni ademptæ, & mors accelerata, nata & fabula eſt, apud Apollodorum, Ovidium, Pauſaniam, Servium; Nempè de *Niſo* Ægei fratre, Megarenſium Rege, perſuaſo quamdiu ſibi coma purpurea maneret intacta, regno & vitâ ſe potiturum; ſed prodito à filiâ ſuâ Scyllâ, quæ patri capillos abſcidit, amore Minois II. capta, tum adverſùs Niſum pugnanti.

VI. Hiſtoria denique *Heli* Pontificis & Judicis, quam *Samuëlis* & *Saulis* illa continuò excipit. De iſto memorabilia pariter ſunt:

Combinatus cum ſummo Pontificatu Principatus, à morte Samſonis, ſeu auctoritas *Judicis*, reſpectu litium forenſium quas dirimeret, ſub ſervitute Philiſtæorum; *Genus*, non ex Eleazare primogenito Aaronis, ſed ex Ithamare, *Joſepho* teſte in fine Libri V. Hiſtoria *filiorum*, reorum ſacrilegii, I *Sam.* II. 15. 16. tum illa paternæ indulgentiæ, & pœnæ, transferendo poſt *Sacerdotio* in familiam aliam ſc. Phineæ, I *Sam.* II. III. IV. quod impletum, quum Tzadocus in locum Abiatharis ſubſtitutus fuit, I *Reg.* II. 35. Præfectura per annos XL. I *Sam.* IV. 18. quibus includuntur anni XX. non ſequentes Samuelis, ut alii, ſed anteriores Samſonis, *Jud.* XV. 20. Populi vindicis. Quâ de re in Chronologicis.

XIV. *Synchroniſmi inſigniores Hiſtoriæ Exoticæ, ab exceſſu Joſuæ. Res Aſſyriorum, Ægyptiorum, Phœnicum, Aſianorum.*

I. ASſyrios Reges, ſed obſcuriores illos, poſt Cteſiam, Diodor. Sicul. etiam Africanum memorat quoque Euſebius in *Chron.* Et quidem poſt *Amyntem* refert *Belochum*, ad tempora Othonielis, qui pater fuerit *Atoſſæ*; quam alii cum *Semiramide* Nini conjuge confuderunt, & ſic Conon apud *Phot. Cod.* CLXXXVI. indignato ipſo Photio. Hinc opinio hanc demùm vixiſſe paulo antè Trojæ Excid. Certè ità duæ Semiramides fuerint, ſiquidem longè antiquiorem, & Nini quidem uxorem, tot rebus geſtis, & operibus Babylonicis inclytam referunt Cteſias, Diodorus, Trogus, Strabo, ex his Africanus, Euſebius, Syncellus, &c. Unus ferè & princeps Herodotus eſt, quem ſecuti Apianus Alexandr. Porphyrius, & alii, qui Babyloniorum vel Aſſyriorum res facit annis circiter mille recentiores. Atque ità ad hæc Judicum tempora, ſcilicet paulo antè tempora Belli Trojani, referunt Belum Aſſyrium, hinc Ninum, tùm Semiramidem, Uſſerius, Marſhamus, & alii pauci. Quâ de re in *Chronologicis* dictum. Aſſyrii Reges.

Belochum ſequuntur apud Euſebium, *Belleperes*, aliis *Balatores*, quo tempore *Cushan Riſchataim* Rex Meſopotamiæ, Iſraëlitas redegit in ſervitutem, *Jud.* II. III. Tum *Lamprides*, *Soſares*, &c. quorum ſola nomina ſuperſunt.

II. *Ægyptios* Reges, eorumque *Dynaſtias* diverſimodè referunt, ex Eratoſthene, Manethone, Africano, Euſebio, Syncello. *Paſtorum* Dynaſtiam duraſſe ad adulta Judicum tempora, Marſhamus in Canone Chron. Cui *Rameſſes Miyamun*, relegandus ad Davidis tempora, hinc *Amenophis*, tùm *Sethoſis* vel *Seſoſtris*, qui fuerat *Seſac* ille ſub Rehoboamo. Ægyptii.

Sed juxtà Manethonem, Africanum, Euſebium, &c. Paſtorum Dynaſtia jam obtinuit tempore Jacobi, & Joſephi. At quo tempore cœperunt Judices, cœpiſſe Dioſpolitarum Dynaſtiam XIX. cujus fundator fuerit *Sethos*, vel *Sethoſis*, ille qui Aſiæ imperium meruit, ſub nomine Seſoſtris notus, filius Amenophis, frater Armais ſive Danai; de quo ſuprà.

Perti-

Digitized by Google

Pertigerit ita ad tempora *Deboræ*, ſecundùm Euſebium in *Chron.*

Certum ad unius imperium redactam tum Ægyptum fuiſſe, diviſam antè inter *Thebanos*, *Thinitas*, *Memphitas*, *Tanitas*. Poſt excepit Dynaſtia xx. quæ *Dioſpolitarum* VII. & hanc inchoat Euſebius paulo antè tempora Samſonis, & duraſſe annos CLXXVIII. Celebris inter Reges Ægypti habetur *Proteus*, tempore belli Trojani, qui ſe in omnes formas transformaſſe dicitur apud Diodorum *Lib.* I. Μάντις idem & futurorum præſcius, à quo Menelaus edoctus eſt rationem placandi Deos, hinc domum repetendi, ex Hygini Fabulis.

Res Phœnicum. Tyrus condita.

III. *Phœnicum* res intereà ſic ſatis floruerunt, qui ope navigationis varias Colonias deduxerunt. In iis celebriores *Palæſtini* vel Philiſtæi, *Tyrii*, *Sidonii*, ad oram maritimam. *Iſraëlitæ* intereà, occupatâ Cananæâ, variis bellis, ac ſervitutibus, opprimendi fuêre, & ab iiſdem quoque liberandi, ut ex Hiſtoriâ *Judicum*.

Tyrus certè hac demùm Epochâ condita fertur, quum *Sidonis* conditor fuerit Canaanis primogenitus, & φοίνικες primitùs pro Sidoniis. Hinc Sidoniorum mentio in Hiſt. Judicum, *Cap.* XVIII. 7. & Tyrus à Sidoniis condita, dicta *filia Sidonis*, *Eſaj.* XXII. 12. Condita autem fuit, circà tempora Gedeonis, qui *Jerub-bahal* in Sacris, quique putatur eſſe ille *Jerombalus* ex Porphyrio, & Philone Byblio, Sacerdos *Dei Jevoh*, de quo ſcripſerit Sanchoniathon: Quanquam hic parum idoneus teſtis, & ſcribens (ſi ſcripſerit) circà tempora *Abibaali*, Tyriorum regis, id eſt, duobus à Gedeone ſeculis. A *Tyriis* ſunt *Tyrrheni*, piraticâ & navigationibus in Italiam inclyti, à quibus Latinorum Reges. Ab iiſdem Tyriis condi cœpta eſt *Carthago*, (*Cartha* civitas eſt Phœnicibus) & quidem, ſi Appiano fides, 50. annis circiter antè Excidium Trojæ; cui deinceps nova civitas (dicta Καρχηδών) acceſſit, & ſub Didone, circà Joaſi tempora, Arx ſive Βύρσα, de quibus ſuo loco. Hinc *Pœni* ex Phœnicibus orti. Et *Hercules* ille Tyrius, ſive Phœnicius fuit, qui in Heſperiam venerit, id eſt, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, à quo ſunt Columnæ Herculis; Cujus labores cum illis *Samſonis* multam affinitatem habent. Sed de tempore litigatur.

Trojanorum Hiſt.

IV. *Aſianas* res quod attinet, floruerunt res *Trojana*, indè à *Dardano* Rege primo, à quo Dardania, ubi antè Teucer, ferè circa Joſuæ tempora, ex Euſebio. Poſt Dardanum Reges *Erichtonius*, hinc *Tros*, à quo Troja, *Ilus* à quo Ilium, tum *Laomedon*, & *Priamus* pater Hectoris & Paridis: Sub quo *Trojæ* Excidium, Urbis ad Idam Phrygiæ montem ſitæ, lato ejus in Provincias IX. & in Inſulas, Leſbum & Tenedon, dominatu. Trojæ ἅλωσιν, poſt decennalem expeditionem, referunt ad tempora *Tholæ* Jud. vel *Jairi* Galaaditæ, alii *Jephta*, Euſebius paulo ſeriùs ad tempora *Abdonis*, qui ipſi *Labdon* eſt. Marmora ad A. P. Jul. 3505. annis poſt Exitum ex Æg. 288. ante primam Olympiadem annis 407. (alii 437.) Meneſtheo Athenis regnante. Nec *Trojani* Belli circumſtantiæ hujus loci ſunt; V. gr. *occaſio*, Helenæ ſcil. raptus, filiæ Regis Tyndari Spartanorum, Alex. Paridis facinore, non invitâ, ut videtur, Helenâ. Quæ cùm conjux eſſet Menelai, glos Agamemnonis, hinc Græci interpretati hanc communem injuriam. Sed & negata eadem Helena Græcis repetentibus per Menelaum, & Ulyſſem. Quare decreta tum, communi totius Græciæ ὁμηγύρει, expeditio, ſummo Duce Agamemnone, Mycenæorum, Sicyoniorum, Corinthiorum Rege, & inſtructa claſſis navium 1200. Eminuerunt in eo bello fortitudine bellica, *Ajax* ex Telamone, & *Achilles* ex Peleo nati, hic à Paride interficiendus; utroque ex *Æaco* Myrmidon. Rege, de quo fabulæ. Sunt autem in hac deſcriptione Belli Trojani, & quæ illud exceperunt, fabuloſa plura apud Homerum, qui 300. circiter annis poſterior fuerit, inventis Poëticis fœcundus: Sed & pugnantia multa apud Virgilium, cujus alius ab Homero ſcopus fuit.

Colchis, & in eam Expedit. Argonaut.

Colchidem floruiſſe, commerciis & opibus, docet hiſtoria, ſi hiſtoria eſt, Expeditionis *Argonautarum*, occaſione fugæ Phryxi & Helles ſororis in Colchidem, Peliâ in Theſſaliâ Rege eò Jaſonem ablegante. Cujus ſocii fuiſſe dicuntur Hercules, Caſtor & Pollux, Peleus, Amphiaraus, Theſeus, &c. ultra *quinquaginta*, ſpe (ut videtur) quærendarum opum, Nave *Argo* vecti, unde Argonautæ dicti. Et certè Medea Colchorum Regis filia, amore Jaſonis capta, videtur prodidiſſe Jaſoni Patris theſauros. Nec aliud per *vellus aureum* voluiſſe Poëtas, quàm aurum, opes, in propatulo eſt; ſive quod Colchi ditiſſimi tum commerciis eſſent, ac dives auro ferretur regio, ſive quod opes tùm ex pecudibus, ovibus, quas Græci μῆλα, pecuniâ nondùm notâ. Alii aliter; niſi *vellus aureum* dicas natum ex nomine *Chryſomalli*, Phryxi tutoris, qui cum pupillo fugerat trans Helleſpontum, & cum Helle Phryxi ſorore, in Pontum delapſâ, undè nomen *Helleſponti*. Sed ingenioſi ad fingendum Poëtæ. Si quid Hiſtoriæ eſt, Trojæ Excidium anteceſſerit, juxta Euſebium, annis LXXIX. juxta Scaligerum vix annis XX. Sed media ſententia tutior, & hiſtorica à fabuloſis diſtinguenda: Quâ de re diximus in *Chronol. Sacr.* P. II. C. VII.

Aſiana alia.

Poſt captam *Trojam*, regnaſſe adhuc in iis partibus Hectoris filios, alii regnaſſe iſtic *Æneam*, hinc *Aſcanium* (à quo ſit lacus Aſcanius, & Aſcania urbs Troadis) non defuêre qui tradiderint, apud Euſebium in *Chron.* Photium ex Conone, *Cod.* CLXXXVI. Unde Eruditi, poſt Metrodorum Lampſacenum, ex Homeri cumprimis ſilentio, habuêre ſuſpectum illum Æneæ in Italiam adventum, totamque narrationem Virgilianam; de quo vide Bochartum, poſt Cluverium, Hœſchelium ad Apollonium, &c.

In *Phrygia* ferunt Mæonibus imperaſſe *Tantalum*, patrem Pelopis & Niobes, abuſum ſua felicitate, raptorem Ganimedis, hinc luiturum apud Inferos. Sic ad oſtia *Thermodontis*, regnaſſe Amazonas, de quarum origine, ſede in Themiſcyreis campis, inſtituto, fortitudine, & bellis, ſuperandarum tandem ab Hercule, ablato Orithyiæ Amazonum Reginæ cingulo vel balteo, multa veteres Hiſtorici, Diodorus, Plutarchus, Pauſanias; Strabone tamen pleraque de Amazonibus habente in fabulis, *Geogr.* Lib. XI. Et in Lyciâ regnaſſe *Jobatem*, circà priora Judicum tempora, Euſebius; ad quem ut miſſus fuerit Bellerophontes à *Prœto* Argivorum Rege, cum literis proditoriis quibus accuſabatur adulterii, pluribus Apollodorus. Undè de *Chimærâ* fabula, ad quam conficiendam amandatus à Jobate Bellerophontes; *Piratam* putant Lyciæ infeſtum, cujus navis in prorâ Leonem, in puppi Draconem, in medio Capram, referret. Vide Mythologos.

Res Græcorum; Cretenſium; Latinorum; Hiſtoriæ Fabulis obſcuratæ.

Res Græcorum.

GRæcorum res ſunt propè infinitæ, quæ ad hanc Epocham memorantur; hiſtoriâ tamen, multis Poëtarum fabulis admixtis, conſpurcatâ.

I. Præcipuæ ſunt res *Athenienſium*, de quibus fusè in Atticis Pauſanias, notiſſimis hac Epochâ Regibus. Poſt Pandionem primum, fertur Rex *Erechteus*, Pandionis filius, Diodoro Sic. Ægyptius, ſub quo *Ceres*, quæ Δημήτηρ Græcis, *Iſis* Ægyptiis, fruges Athenis ſeminaſſe fertur, & hanc ſerendi artem communicaſſe Triptolemo, qui in agro Eleuſinio,

Digitized by Google

ſinio, ſeu campo Rario, primus hordeum ſeminarit. Nempè agriculturæ parens natura, ſed tùm fruges ex Ægypto advectæ, in ſummâ Attici agri penuriâ, undè Iſidi Ægyptiæ ſolemnia Sacra in Eleuſine inſtituta, de quibus alibi. Succeſſêre in Regno Attico *Cecrops* II. Erechtei aliis frater, ut Pauſaniæ, Euſebio, aliis filius, à quo colonia in Eubœam ducta, ut Pauſanias in *Atticis*. Huic *Pandion* II. à quo *Ægeus* Theſei pater, coævus Minoi II. Et ſub eo *Hercules* Athenis minoribus myſteriis initiatus, poſt Centaurorum cædem; factâ prius *luſtratione*, & *præparatione* ad illa ſacra, ex Oriente à Patriarchis & Moſe acceptâ, ſcilicet lavacro, jejunio, abſtinentiâ à concubitu, & votis de vitâ in poſterum ſanctiùs inſtituendâ. Ægeo *Theſeus* ſucceſſit, qui regnavit annos XXX. de quo prolixè Apollodorus, Plutarchus, Pauſanias; ab ineunte ætate æmulus famæ & laborum atque itinerum Herculis, undè ἄλλος ἡρακλῆς, & ἡρακλέους ἑταῖρος, *ſocius* expeditionum in Amazonas, in Colchidem, &c. Tandem & ad *Inferos* profectus, infelici ſcilicet profectione ad rapiendam Proſerpinam, Theſprotorum Regis filiam, inducente Pirithoo; quibus malè ceſſit ea expeditio. Sub Theſeo Rege Πρυτάνεις inſtituti, qui Regni ſocii, & βουλευταὶ *conſiliarii*; Cives in tres ordines diſtincti, εὐπατρίδας quaſi *patricios*, γεωμόρους *agricolas*, & δημιουργοὺς *opifices*; Civitas *Athenarum* ſtructa, amplificata, *Cecropiâ* deinceps Arcis locum occupaturâ, undè illa *Theſei civitas* in veteri Inſcriptione; Agones ab Hercule inſtaurati, Olympicus in honorem Pelopis, & Iſthmicus in honorem Neptuni; Oſtraciſmi lex invecta, quâ primus ejectus fertur Theſeus, &c. Et quæ alia plurima, vel à Meurſio ex Veteribus diſcenda. Rex ultimus *Codrus*, qui ſeptuagenarius ſe pro patriâ devovit, in Bello Peloponneſiaco, quum reſpondiſſet Pythias, *fore ſuperiores quorum Dux in bello occideret*. Quod ſub extrema Judicum, vel initia ferè Samuëlis, refertur ab Euſebio. A quo non Reges amplius, ſed *Archontes* fuêre, quaſi Prætores perpetui, διὰ βίου, tandem & hi abolendi. Primus *Archon* creatus fuit Medon, Codri natu maximus.

Res Æaci. Argivorum; Lacedæmoniorum; Thebanorum.

II. Nec hujus ſpatii eſt, retuliſſe plura. Ex. gr. de *Æaco* Æginetarum Rege, omnium optimo & ſapientiſſimo; qui homines ex ſpecubus vel foſſis ſubterraneis extraxit, ut videre eſt apud Strabonem *Lib.* VIII. hinc ex *formicis* dicitur homines feciſſe, undè ii Populi Myrmidones appellati. Sic de Regibus *Argivorum*, Prœto, & Acriſio patre Danaës, qui à Perſeo nepote occiſus eſt: Undè Perſeus regnum Mycenas tranſtulit, inter Argos & Corinthum, à quo Mycenæorum Reges; & eos inter Atreus, à quo adoptatus fuit Agamemnon, &c. Sic de *Lacedæmoniorum* Regibus, quos inter Tyndareus, pater Caſtoris & Pollucis, & Helenæ, & Clytemneſtræ; & poſt eum Menelaus, in quem regnum tranſtulit, poſtquam is Helenam in uxorem duxit: Sic de *Corinthiaci* Regni primordiis, quod Siſyphus Æoli filius, & Siſyphidæ primò diutiſſimè tenuerunt, ceſſuri tandem Heraclidis, circà Melanthi & Codri Athenienſium tempora, id eſt, circà finem hujus Epochæ. Qui *Heraclidæ*, armis & victoriis incluti, ſuâ καθόδῳ in Peloponneſum, totam occuparunt, Corinthum, Argos, Lacedæmonem, Meſſenas. Unde *Æolica* primùm in Aſiam migratio, quam excepit Jonum illa, Duce Neleo Codri filio, de qua Diodorus, Strabo, Pauſanias, &c. Sic celebris in Græcorum hiſtoriis *Pelopis* tranſitus, è Phrygiâ in Græciam, in quam magnas opes intulit, ejectus ab Ilo Trois filio. Nempè Pelops fuit Tantali filius, qui Ganimedem Trois filium rapuerat, abuſus ſuâ felicitate, & in *Mæonibus*, qui poſteà *Lydi*, imperitabat. Pelops tandem in *Piſæis* & *Olympiis* regnavit, ac pleroſque ejus Peninſulæ populos in ſuam poteſtatem redegit, undè dicta *Peloponneſus*; poſtquàm Hippodamiam, filiam Piſæorum Regis, accepiſſet in uxorem: Euſebius refert ad tempora Deboræ. Sic notum Regnum *Thebanorum*, cui admotus *Laius*, Cadmi pronepos, maritus Jocaſtæ, infelix pater Oedipi, exponendi juſſu patris, trajectis ferro pedibus, (undè à pedum tumore Οἰδίπους) ex cujus poſteà inceſtis cum Matre nuptiis (ob quas, recognitâ, oculos ſibi eruit) nati ſunt *Eteocles* & *Polynices*: A quibus bellum Thebanum; victore tandem Eteocle, Thebanorum Rege, à quo regnum ad Laodamanta tranſiit. Hæc pluribus leguntur apud Diodorum, Apollodorum, & Tragicos.

III. *Cretenſium* res hac etiam ætate celebres, cumprimis ſub *Minoë* II. imperante Athenis Ægeo: Cui Minoi filia fuit *Ariadne*, nuptura Theſeo, quem, à Patre in cuſtodiam traditum, liberaverat artificio quodam, poſt ab ingrato Theſeo deſerenda. Notæ ſunt fabulæ, de *Minotauro*, (Tauri & Paſiphaës ex adulterio reverâ filio) quocum ut certaret Theſeus, invitatus fuerat à Cretenſibus; tum de Labyrintho, Theſei cuſtodiæ loco, à quo liberatus beneficio fili Ariadnæi; de Dædali ſtructoris navigio, fugâ; de Icari in mare prolapſu; Dædali autem in Siciliam appulſu, ubi Minos eum infeliciter quæſivit, &c. apud Apollodorum in Bibliotheca, Pauſaniam in *Achaicis*, Plutarchum in *Theſeo*, &c. Quas fabulas non reponimus. Huc quoque ſpectant narrationes Poëticæ magnam partem. Ex. gr. de *Lycaone* ad aram Jovis Lycæi, in Arcadiâ, infantem mactaturo, mox in Lupum tranſmutato; undè Λυκαῖα *Lupercalia* inſtituta, vel potiùs inſtaurata Pandione II. regnante. De *Cerere* illa, fruges in Attico agro ſeminante, ſub Erechteo, uti Triptolemo hordeum ſeminandum dedit in Eleuſine, de quo ſuprà, undè *Sacra Eleuſinia*. De *Proſerpina* raptu, quam alii filiam fuiſſe Erechtei cenſent, à Patre ex Oraculo Diti immolatam, apud Meurſium de Regno Attico *Lib.* II. C. XIII. De *Dionyſo* ſeu Baccho, Semeles filio, Cadmi nepote, à quo vitis cultura; de *Hercule*, Alcmenes filio, omnium Agonum victore; De *Perſeo*, Acriſii Argivi nepote, ex *Danaë* nato, quantumvis arctiſſimâ cuſtodiâ recluſâ Virgine; De *Sphinge*, & *Oedipo* illius ænigma ſolvente, hinc Thebis & Jocaſtâ potituro; De *Atreo* & *Thyeſte* filiis, hujus adulterio, illius cruentâ vindictâ; De *Bellerophonte* Glauci filio, & de *Chimærâ* ab eo debellandâ; In ſpecie de *Ulyſſis* erroribus, Ithacam repetentis, ſed variè vi tempeſtatum ejecti in Corcyram, Siciliam, &c. Et quæ ſunt id genus alia benè multa, quibus hiſtoria Græcorum hujus temporis fabulis, aut Poëtarum commentis, permixta; de quibus Diodorus, Apollodorus, Pauſanias, Clemens Alexandr. Mythologi: Cumprimis de his egregiè Auguſtinus, Libro XVIII. *de Civit. Dei* C. XIII. recenſens Fabulas ſub *Judicibus* natas.

Fabulæ Græcorum.

IV. Nec tacenda ſunt primordia *Latinorum* Regum, originis Tyriæ vel Tyrrhenæ: Quorum primus *Janus*, qui refertur ad priora *Judicum* tempora, Ehudo vel Aodo Judice; ultimus verò ante Æneam, *Latinus*, Rex Aborigenum, ſocer futurus Æneæ.

Res Latinorum.

Cujus *Æneæ* in *Italiam* appulſum, *biennio* fortè à Trojæ Excidio, alii ſeriùs; hinc Urbes conditas, Lavinium, Albam; Regnum Albanum erectum; origines tandem Romulæi dominatûs apud Dionyſium Halic. Livium, Appianum, &c. non defuêre qui in dubium revocarent, poſt ſilentium Homeri, hinc Strabonem *Geogr.* L. XIII. nempè, Cluverius, Bochartus, Eruditi plures. Sed Hiſtoriæ veritatem, à fabulis Virgilianis purgatam, alii aſſeruerunt & longè plures, ac Romanorum veterum Annales, Faſti, vetant revocare in dubium: Hinc *Æneæ* nomen in IV. Rege Æneâ Sylvio conſpicuum, & tandem

dem ex Albanis Regibus *Romulus* & *Remus*, quadringentis & ampliùs annis ab Æneæ adventu.

EPOCHA QUINTA,

A Præfectura Samuelis, tùm & Regno Saulis, ad initium Roboami, ſeu ad Diſtractionem Regni.

I. *Duratio hujus Epochæ, & Annorum ratio.*

TErminari Epochæ priores ſolent in annum *Conditi Templi* Salomonis, undè nova Epocha 1 *Reg.* VI. 1. Quæ & in *Canone Chronico* Anglicano, confertur cum Epochis Exoticis.

Sed placuit hanc noſtram extendere ad annum 1. *Roboami* & *Diviſionem* Regni utriuſque.

Ab initio Præfecturæ *Samuelis* ad initium Regni *Saulis*, anni minimum 20. Marſhamus 16. Uſſerius prope 22. Hinc *tributi Sauli* Regi, ſeu *conjunctim* cum Samuele, ad mortem Prophetæ, 1 *Sam.* VII. 15. ſeu *ſeorſim*, anni reliqui: Qui faciunt Epilogiſmum annorum, qualiter *Act.* XIII. 21. & apud Euſebium, — — — — — 40.
Hinc Davidi tribuendi, à prima unctione in Hebron, ad ejus exceſſum, juxta calculum 2 *Sam.* V. 4. anni 40.
Tum Salomonis regno deputandi, juxta Hiſtoriam S. 1 *Reg.* XI. 42. non anni 80. ut precario Nuperi, ex errore apud Joſephum, ſed anni — 40.
Unde exurgit Epilogiſmus annorum hujus Epochæ, in univerſum — — — 120.

II. *Status Eccleſiæ Iſraëliticæ ſub Samuele.*

Corruptio Iſraëlis ſumma.

1. HUc ſummatim ſpectant; *Corruptio* eorum temporum ſumma, qualem teſtantur:

1. Impietas *Sacerdotum*, quorum eſſet præire exemplo, maximè illa *filiorum Heli*, peccantium, partim *ſacrilegio*, ſubtrahendo *adipem* ſacrificiorum, Deo ſacrum, & plus quàm ipſis competeret de victimis, jure unctionis, 1 *Sam.* II. 13. 14. cum *Lev.* VII. 31. 35. Partim effrænâ *libidine*, & promiſcuis adulteriis, etiam in loco ſacro, 1 *Sam.* II. 22. ubi mulieres fuêre, vel purificationis E. vel oblationum legalium, vel miniſterii cauſâ. Partim inobedientiâ in Patrem, de quâ 1 *Sam.* II. 25. Ut nec *Samuelis* poſtea filii Patris virtutem æmulati ſunt, 1 *Sam.* VIII. 3.

2. Idololatria *Populi*, & diutina quidem, ac cultus *Baalim*, & *Aſtaroth*, Numinum ſeu Idolorum utriuſque ſexûs, apud Sidonios & Philiſtæos; de quibus prolixè Seldenus. Exprobrante iſta Samuele, & Populum ad pœnitentiam agente, 1 *Sam.* VII. 1. 2. 3.

Calamitates.

II. *Calamitas* Eccleſiæ Iſraëliticæ, & afflictiſſimus ſtatus: Patet is 1. Ex clade Iſraëlitis per Philiſtæos illatâ, cæſis 30. millibus peditum, 1 *Sam.* IV. 10. 2. Ex capturâ Arcæ Fœderis, quæ Palladium Judaicæ Gentis, 1 *Sam.* IV. 11.

Arcæ variæ ſedes.

Arca hiſtoriam quod attinet, quæ Gentis Palladium, & *gloria Jehovæ*, 1 *Sam.* IV. 21. 22. ejus quidem ſedes ordinaria, uti Tabernaculi ſive Templi, indè à tempore Joſuæ, totis ſeculis III. cum dimidio, fuerat *Schilo* montana, in confiniis Benjaminiticæ & Ephraimiticæ Tribûs, *Joſ.* XVIII. 1.

Inde verò, habitura fuit Arca vagas ſedes: Ac primò illa temerario & ſuperſtitioſo inſtituto, ex Tabernaculo delata in *Caſtra* Iſraëlitarum, 1 *Sam.* IV. 3. 4. Mox à *Philiſtæis* intercepta, & *ſeptem* menſes apud eos retenta, modò in æde Dagonis quæ in Aſhdod, modò Gathe, modò Accarone, non ſine pœnâ ſacrilegii, 1 *Sam.* VI. 1. Ac tandem quoque reſtituta, & tranſlata in *Kirjath-jearim*, civitatem Judæ, in domum Aminadab, in colle eminentiſſimo civitatis, ubi totos annos XL. repoſita fuiſſe videtur, ſcilicet quamdiu præfuerunt Samuel & Saul, ad Davidem uſque: Licet XX. tantùm anni elapſi legantur, uſque ad tempus ſolemnis pœnitentiæ, & converſionis Iſraëlis ad Dominum, 1 *Sam.* VII. 2. quo ſcil. tempore parùm & de Arcâ, & de Jehovâ, ſolliciti fuerant. Donec Davidis tempore, in domum Hobed-Edom primò, deinde in Civitatem Davidis *traducta fuit*, 2 *Sam.* VI. 2. 3. 12. 1 *Chron.* XV. 1. Et hîc vocatur Arca, *illa ad quam invocaretur Nomen, nomen Jehovæ*, &c. nempè ritu ſolemni Iſraëlitarum, qui ad Arcam convertebantur invocaturi Jehovam.

Pœna Philiſtæor. Bethſemitar.

Eò ſpectat pœna divinitùs illata in profanatores Arcæ, 1. In *Philiſtæos*, divinitùs fœdo ulcere percuſſos, tumore vel protuberantiâ in fœdiſſimâ corporis parte, 1 *Sam.* V. 6. 9. 12. addentibus Græcis Codd. plagam murium, & famis, ac Joſepho *Antiq. Lib.* VI. C. 1. In Hebræo eſt עפלים, à protuberantiâ, nam עפל *tumere* eſt, LXX. habent ἕδρας. Cui in remedium appenderunt Philiſtæi, muneris loco, imagines *murium* & *mariſcarum*, *ad latus Arcæ.* taliſmata ſcil. quædam: Joſephus morbum interpretatus τὸ δυσεντερίας πάθος. 2. In *Bethſemitas*, ex Tribu Judæ, quorum vulgò percuſſi leguntur L. mille & LXX. Secundùm Joſephum verò *Lib.* VI. C. II. nonniſi ἑβδομήκοντα LXX. adeoque *quinquaginta ex mille*, חמשים מאלף איש pars reorum vigeſima, ſupplendo מ. ut *Exod.* XXXVI. 8. Niſi malis, *percuſſit in populo* LXX. *viros*, quum eſſent ibi *quinquaginta millia hominum.* De quo & Bochartus, *Hiſt. Anim.* P. 1. *Lib.* II. C. XXXVI.

Samuel Propheta & Judex.

III. Inſtauratio Eccleſiæ per *Samuelem*, divinitùs natum & excitatum, *Levitam* primum & *Sacerdotem*, tùm *Prophetam* Dei ad Populum, divinæ voluntatis interpretem, 1 *Sam.* III. 20. mox *Judicem* & aſſertorem, 1 *Sam.* VII. 6. 1 *Chron.* IX. 22. creditum jam præfuiſſe annos XX. tempore ſolemnis pœnitentiæ, 1 *Sam.* VII. 2. Certè diſciplinam inſtauravit, Idololatriam ſummovit, Populum ad reſipiſcentiam adegit, libertatem ac victoriam de Philiſtæis impetravit, ac de voluntate Dei cognovit. Nec deinceps quoque abjectâ Reip. curâ, etiam poſt imminutam auctoritatem, quum admotus eſſet ad regnum Saul, 1 *Sam.* VII. 15. Judicavit enim *toto tempore vitæ ſuæ.* Undè Samuelis & Saulis combinatio, *quiſquis non exibit poſt Saulem & poſt Samuelem*, 1 *Sam.* XI. 7. Uti in calculo Paulino, anni *quadraginta* utriuſque regimini adſcribuntur, *Act.* XIII. 21. de quo ſuprà in *Canone* Epochæ V. *col.* 233. 234.

III. *Regiæ dignitatis natales. Jus Regium in Iſraële.*

Cauſæ Regis deſiderati.

1. HUc cumprimis referenda, *occaſio* flagitandi communi conſenſione Regem, ſaltem prætextus & obtentus, qui fuit Samuelis ingraveſcens ætas, & degeneres filii, 1 *Sam.* VIII. 5. Hinc flagitant Regem à *Samuele*, non ut de jure ſuo decideret, aut transferret ipſe imperium quod habuerat, ſed ut à Prophetâ, & Judice Iſraëlis. Aſt veriſſimæ *cauſæ* (hinc nata Dei indignatio & Samuelis) fuerunt: Studium novitatis in Populo; & faſtidium regiminis prioris, 1 *Sam.* VIII. 7. Æmulatio profanarum Gentium, nam *ſuetus Regibus Oriens*, Syri, Aſſyrii, Ægyptii, Medi, Indi, Græci, Cretenſes, &c. Ammonitici per Nahaſum belli metus, dextro oculo ſingulos Iſraëlitas orbare geſtientem, in

in quo fuit Diaboli quædam imago, *Dei hujus ſeculi*, excœcantis incredulos, orbantiſque oculo mentis dextro, 1 *Sam.* XI. 1. XII. 12. Diffidentia in liberatorem hactenus Deum, & oblivio rerum per Judices miraculosè geſtarum. Pertinacia Populi, deſcripta 1 *Sam.* VIII. 19. Nec enim indignatio Dei fuit in *Regium* vel nomen, per ſe, vel regimen ipſum, quod ipſe prædixerat *ſtabiliturum ſe Regem*, ut liquet ex *Deut.* XVII. 14. 15.

Saul Rex. II. Ornatus primùm *Regio* titulo & axiomate *Saul*, ex Tribu Benjamin, formâ præſtanti, ætate jam adultâ; ut colligitur ex Jonathane filio, qui jam Chiliarcha anno II. Regni Saulis, 1 *Sam.* XIII. 2. Item ex ætate Isboſethi, XL. annos nati quum is regnare cœpit, 2 *Sam.* II. 10. Mox autem reprobandus, tranſlatâ dignitate ad Davidem & familiam ejus.

Non ità certi verò anni adminiſtrati à Saule Regni, malè intrà *biennium* arctantibus Interpretibus, ex malè intellecto loco 1 *Sam.* XIII. 1. qui locus agit de *biennio* regni inchoato, antè *oppreſſionem* Philiſtæorum, 1 *Sam.* XIII. 6. 19. vel antè *rejectionem* Saulis 1 *Sam.* XV. 28. Joſephus in fine *Libri* VI. tribuit regno Saulis annos XL. & ità Auguſtinus, alii, quibus tamen includendi anni Samuëlis, antè Saulis principatum. Scaliger in Orat. Paræanæ Elencho, Lud. Capellus in Criticâ, alii, locum 1 *Sam.* XIII. 1. ut corruptum emendant. Negant rectè Uſſerius, J. Capellus, Bootius, Buxtorfius, &c. & *filium unius anni* dici de Saulis *Regno*, quum geſta illa fuerunt, & *regnaſſe duobus annis*, ſcil. antequam à Deo reprobaretur, & regnum de jure transferretur in Davidem, 1 *Sam.* XVI.

Jus regium Civile, Eccleſiaſticum. III. *Jus Regium* à Samuele deſcriptum, & regnandi præcepta, 1 *Sam.* VIII. 11. Libro coràm Arcâ collocato, 1 *Sam.* X. 25. Prædicto antè *abuſu* juris Regii, vertendi quandoque ex ordinato in abſolutum, ex dominio in tyrannidem, ex poteſtate in licentiam, ut patet ex 1 *Sam.* VIII. 11. & ſeq. Quod enim ibi dicitur משפט המלך *judicium* vel *jus Regis*, intelligitur jus de facto, jus uſurpatum, hunc futurum *morem* vel *conſuetudinem* regnandi, ut vox uſurpatur de Davide, 1 *Sam.* XXVII. 11. & aliàs ſæpè. Deo ſanè ſic prædicente, non verò probante, & quidem in pœnam ut disertè *verſ.* 18. & *Hoſ.* XIII. 11. Talis fuit *modus* regendi violentus, contrà Legem, ut Achabi in opprimendo Nabotho, interdicente Deo diſertè *Ezech.* XLVI. 18. Sic deſcribitur Regum imperium ad libidinem explendam, modo violento, non verò quod ſpectavit ad *bonum* ſubditorum, *Rom.* XIII. Hinc abuſuri Reges ſubditorum bonis, in uſus ſuos, & Aulicorum, *v.* 14. 15. ſubditorum perſonis, liberis, filiabus, convertendis in mancipia, *v.* 16. 17. ut mos erat Regum Idololatrarum, qualem damnavit *Deut.* XVII. 16. 20. Ut mirum ſit de jure Regis abſoluto, & poteſtate ſibi à Deo conceſſâ, hæc faciendi juſtè, & pro arbitrio, Salmaſium adversùs Miltonum, alioſque, etiam Theologos nuper, interpretatos eſſe. Grotius de Jure Belli, *Lib.* I. C. IV. ſic vocari hoc *jus Regis*, adverſus quod non liceret inſurgere, remedium nullum in humanis eſſet, quomodo præter *jus reddere* dicitur, etiam quum iniquè decernit.

Poteſtas quæ, circa Sacra? Summa utique fuit Regi poteſtas, & ſubordinata Deo ſoli, ut circà *Civilia*, ſic & *Eccleſiaſtica*. In utriſque norma regiminis Dei *Verbum*, hinc conſulendum *os Eleazaris*, *Num.* XXVII. 19. *Deut.* XVII. 19. *Joſ.* I. 8. In Sacrorum verò curâ admittendum conſilium Sacerdotum, & ex iis Lex requirenda, *Num.* XXVII. 21. 2 *Chron.* XIX. 11. *Mal.* II. 7. qui Deum in gravioribus conſulebant, ut ordinariè Legem interpretabantur.

Nec Regias partes in externo regimine, circà Eccleſiaſtica, tam *res* quàm *perſonas*, vertere in dubium ſinunt cùm alia, tùm hiſtoriæ Davidis, Salomonis, Aſæ, Joſaphati, Joaſi, Ezechiæ, Joſiæ, & quoque Manaſſis, 2 *Chron.* XXXIII. 16. Hinc Reſp. Judæorum, *Regnum Sacerdotale*: Et *Regi* locus in Atrio Templi cum Sacerdotibus fuit, & illi inaugurando traditus in manum Liber Legis, ut in Joaſi exemplo, 2 *Reg.* XI. 12. Ut tamen formales partes *Imperii* & *Sacerdotii* diſtinctæ manſerint, vel Oziæ exemplo, 2 *Chron.* XXVI. 19. Certè Regiarum partium fuiſſe patet 1. *Leges* ſancire de rebus ſacris, Religione, Ordine in Eccleſiâ obſervando, Ritibus, Adiaphoris, Feſtis, Jejuniis, Pœnitentiâ, & aliis, 2 *Sam.* VI. 1 *Reg.* II. III. VI. VII. VIII. 1 *Chron.* XIII. XXIV. &c. *Jon.* III. 7. 2. Religionem collabentem, ſeu in doctrinâ, ſeu in cultu, & diſciplinâ, ſubindè reformare, & inſtaurare res Divinas, quod fecêre David, Joſaphat, Ezechias, Joſias, laudatiſſimi Reges, obviis locis. 3. Conventus Eccleſiaſticos ſuâ auctoritate indicere; & delegare qui judicarent ex lege latâ, in Urbibus ſingulis, ut docent exempla non Davidis tantùm, 1 *Chron.* XIII. XV. XXVI. ſed Salomonis, Joſaphati, Joaſi, Ezechiæ, 1 *Reg.* VIII. 2 *Chron.* XIX. XXIV. XXIX. Sacerdotes, Levitas, perſonas Eccleſiaſticas, vel miſſione ſuâ auctorare, vel depoſitione removere, ut à Davide factum legimus, Salomone, Joſaphato, Ezechiâ, 1 *Chr.* XVI. 2 *Reg.* II. 2 *Chron.* XVII. XXXI. &c. 4. Coërcere ac plectere Pſeudo-prophetas, Idololatras, Blaſphemos, Sacra polluentes, aut circà Religionem innovantes, ex præſcripto ipſius Moſis, *Deut.* XIII. *Lev.* XXIV. *Num.* XV. *Deut.* XVII. &c. 5. Fœdus cum Deo Iſraëlis ſubindè redintegrare, ſubditis juramento ad Legem obſervandam obſtrictis, ut refertur de Aſâ, 2 *Chr.* XV. de Joſiâ, 2 *Chr.* XXXIV. 6. Admonere ſubditos pietatis in Deum, officiorumque in Benefactorem, paternâ ſollicitudine, ut totiens legitur de Davide, Salomone, Aſâ, Joſaphato, Ezechiâ, Joſiâ, &c. Fruſtrà excipiunt nonnulli Vet. Teſtamenti Reges atque Principes multa factitaſſe, circà Sacra & Eccleſiaſtica, non ratione officii Regii, ſed ſpecialis mandati divinitùs accepti, ſic Davidem, Salomonem, &c. Verùm pari jure dixeris, ex ſpeciali mandato regnaſſe & imperaſſe. Nec factum extrà ordinem, quod ab omnibus, quotquot piorum Regum exempla meruêre. Secutos autem in eâ adminiſtratione, normam divinitùs præſcriptam, ordinem à Deo conſtitutum, ſeu per Moſem, ſeu per Verbum Propheticum, haud diffitemur. Quò faciunt iſta, Davidem à Domino *inſtructum*, 1 *Chron.* XXVIII. 19. Salomonem inſtitiſſe *præceptis* Davidis, viri Dei, 2 *Chron.* VIII. 26. Ezechiam reſtituiſſe Politiam Eccleſiæ, prout à *Jehovah* per Davidem, Gadem, & Nathanem, præceptum, 2 *Chron.* XXIX. 25. Et undè Dei hæcce ad Reges atque Imperantes mandata; niſi quia exequi talia officii Regii, imperii, ac juriſdictionis fuit. Hinc facta piorum Regum, circà res ſacras, ut Davidis, Joſaphati, cæterorum, in exemplum Regiæ ſollicitudinis, ac poteſtatis, Chriſtianis Principibus jam olim proponenda fuêre. Secundò excipitur non tam verſatos in iis eſſe ut Reges, Duces, ſummos Magiſtratus, quàm ut *Prophetas*, quales Moſes, Joſua, David, Salomon. Sed Joſua Dux veriùs ac Princeps Populi, quàm Propheta, ac ſucceſſor is Moſis, ratione principatûs & auctoritatis, *Num.* XXVII. 20. *Joſ.* XXIV. 29. Verùm *Prophetæ* & hi, & reliqui fuerint, an Prophetæ tantùm? annon iidem Magiſtratus, Reges, Principes populi? Quatenùs de futuris vaticinati, aut extrà ordinem inſtructi, vel acti à Spiritu S. hactenùs Prophetæ; quatenùs verò præfuêre ſeu Civilibus, ſeu Eccleſiaſticis, per modum imperii, executionis, externæ directionis ac coërcitionis,

hactenùs Reges iidem, & Magiſtratus. Nec aliter ac David, aut Salomon, verſati deinceps in Sacris repurgandis, moderandis, dirigendis, Joſaphat, Ezechias, Joſias, *Principes* iſti non *Prophetæ*. Et conſentiunt in hoc poſt Auguſtinum Epiſt. ad Bonifacium, ad Honoratum, &c. & Veteres paſſim, graviſſimi Theologi, nec Angli modò, aut Germani, ſed & Galli, Belgæ, ut P. Molinæus, Chamierus, Rivetus, alii, quorum in hanc rem loca in promptu ſunt. Sed hæc alterius loci fuſior diſquiſitio eſt.

Inaugurandi ritus. IV. *Inauguratio* Regis, ad quam ſpectat *Liber* Legis traditus Regi inaugurando ex præſcripto Moſis; Tùm & *unctio*, undè *uncti Domini*, Davide rege *ter* uncto, ſemel privatim, I *Sam.* XVI. tum publicè in Regem Judæ, 2 *Sam.* II. 4. & Iſraëlis tandem, 2 *Sam.* V. 9. nec uno tamen diſcrimine inter unctionem Regum, & Pontificum: Iſta ſiquidem neceſſaria & præcepti, *Exod.* XXIX. iſta nonniſi in publico ad oſtium Tabernaculi; denique iſta ex ſpeciali Chriſmate, quod oleum unctionis, deſcriptum *Exod.* XXX. 23. 24. 25. Diverſa jam unctio Regum, quâ nec omnes Reges inuncti, nec in publico, nec niſi oleo communi; quod *Gothici* poſtmodùm, tum & *Francici* Reges imitati, in Conſecrationis ritu. Tandem etiam *oſculum* Regibus adplicatum, qualiter I *Sam.* X. I. reverentiæ ſignum, & voti; Etiam *acclamatio* popularis, *Vivat Rex*, qualis I *Sam.* X. 24.

IV. *Status Eccleſiæ ſub Saule, Davide, & Salomone.*

I. Quæ fuerit *Eccleſia* ſub primis Regibus, qui toti Iſraëli imperarunt, conditio, prolixè ex utroque Libro Samuelis, ex primo Regum, ad *Cap.* XII. ex I. & II. Chronicorum ad *Cap.* XI. ex Fl. Joſepho, *Antiq. Libris* VI. VII. & initio VIII. & ex Commentatoribus paſſim, diſcere licet.

Saulis tempora. Reprobatio, quare? II. Ex hiſtoriâ SAULIS intelligitur, quibus illa ſub eo bellis vexata, per Ammonitas, Amalekitas, Philiſtæos, & in quæ diſcrimina adducta; *Davide* liberationis miraculoſo inſtrumento; *Samuele* Sacris dùm vixit invigilante; *Saule* occaſione violati interdicti reprobato, & tandem ad deſperationem, hinc ad necem acto, I *Sam.* XXVIII. *Reprobationis* occaſio proxima, peccatum tùm *avaritiæ*, etiam *ſacrilegii*, circà gregem Hamaleki, parcendo primis & optimis de grege, ac in prædam ſuam ſervando quæ ſibi Deus devoviſſet; tùm peccatum *hypocriſeôs*, pietatis nempè vano obtentu, I *Sam.* XV. Præterquam in *Davidem* ingratus Saul; in *Jonathanem* crudelis: in *Sacerdotes*, quos uno die LXXXV. interfici juſſit, I *Sam.* XXII. 18. impius, & ſanguinarius.

An illi Samuel apparuerit? Quantum ad Saulis noviſſima, nota eſt hiſtoria, ut fœminam habentem *Spiritum Pythonis* conſuluerit, quo per νεκρομαντείας ſpeciem, & ſuſcitato quaſi Samuele, Magicis præſtigiis, conſtaret quid faciendum ſibi eſſet. Hinc dicitur Mulier, (non profectò Saul ipſe) *vidiſſe Samuelem*, aſcendentem è terrâ, licet ex voce, & ex deſcriptione quam dedit mulier, judicaverit territus Saul, eſſe ipſum Samuelem. Hinc Auguſtinus, *imaginem Samuelis apparuiſſe*, non ipſum Samuelem, *illius machinamento qui ſe transfigurat in Angelum lucis*. De Diverſ. quæſtion. ad Simplicianum, L. II. q. IV. Quomodò frequentiſſimè ſeu Dæmon, ſeu fraus quædam impoſuerit, manibus evocatis, & excitatis imaginibus mortuorum in ſpeculo, aquâ, ſpecie externâ, &c. quod interdixerat Legiſlator, *Deut.* XVIII. II. Sanè vocatur *Samuel*, ſed φαινομένως talis, ut Magorum *dracones*, *ranæ*, &c. in Ægypto. Nec prædictio, *cras mecum eris*, &c. aliud dicit quàm imminere fatum deſperati Saulis, quod variis & certis conjecturis aſſequi potuit Dæmon. Præterquàm illud, מחר *cras*, latiſſimi ſignificatûs eſt apud Hebræos, de tempore imminenti, aut ſecuturo quocunque, ut *Ex.* XIII. 14. *Deut.* VI. 14. &c.

Davidis ſummaria hiſtoria. III. Ex hiſtoriâ DAVIDIS (primùm ad Judæ regnum, 2 *Sam.* II. 4. anno ætatis XXX. hinc ſeptennio poſt ad Iſraëlis illud evecti, 2 *Sam.* V. 4. 5.) intelligitur:

Ut variis ille caſibus exercitus fuerit, antequam in Regem ungeretur, multo magis antequam Regno potiretur: Hinc illi cum urſo & leone, cum fratribus æmulis, cum Goliatho, cum Saule Rege, cum inſidiatoribus, cum Philiſtæis detinentibus captivum, cum uxore moleſtâ, cum hominibus perfidis, cum liberis propriis luctandum perpetuò fuit.

Ut cœptam à Samuele *inſtaurationem* Eccleſiæ, quoad Doctrinam, Cultum, Regimen, Ordinem, Ritus, idem ſucceſſivè perfecerit, I *Chron.* XIII. XXIV. XXIX. &c.

Ut Rempublicam, protenſam limitibus, variis illi tributariis Regibus, tandem *pacatam* rexerit; non tamen ſine domeſticis calamitatibus, ſeu ex parte Liberorum, ſeu ex parte Aulicorum, & rebellantium ſubditorum.

Ut *Propheticum* munus, ejus in perſonâ, Regiæ ſociatum fuerit dignitati; vel ex *Pſalmis* propheticis, *Pſalm.* II. VIII. XVI. XXII. &c. ad Chriſtum applicatis, ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis.

Ut ſedem *Sione* collocaverit, civitate ſuperiore, munitiſſimâ illâ, in quâ Palatium Davidis, & Arx Sionis: *Jebuſæis* indè tandem expulſis, & Arcâ Domini eò transferri juſſâ, 2 *Sam.* V. VI. Undè Sion figura luculenta Eccleſiæ.

Ut ſtructuram *Templi* molitus ſit, etiam cum voto, *Pſ.* CXXXII. 2. 3. 4. Sed Deo executionem prohibente, ſtructurâ divinitùs Succeſſori Salomoni (relictis ad hoc à Davide Patre immenſis opibus) deſtinatâ, 2 *Sam.* VII. 5. I *Reg.* V. 3. VIII. 16. Rationes ex parte Davidis fuêre, quia David bellis undequaque implicitus fuit, I *Reg.* V. 3. negato ità tempore opportuno ſtructioni Templi; quia pollutus multo ſanguine, I *Chron.* XXVIII. 3. nec appoſitus typus ejus Chriſti, qui Princeps pacis futurus; quia denique potius & acceptius Deo eſſet Templum *ſpirituale*, quod ipſi David erexerat; undè hactenùs non habitarat Deus in Templis manu factis, 2 *Sam.* VII. 6.

Ut varia cùm eximiæ *pietatis*, ſuprà Reges omnes, puta in Canticis, Pſalmis, in curâ Sacrorum, in gratitudine pro beneficiis Dei, 2 *Sam.* XXII. &c. tùm & humanæ *infirmitatis*, ſpecimina dederit, vel in facto Uriæ, aut in cenſu Populi, 2 *Sam.* XXIV.

Ut exercitæ *fidei* infandis calamitatibus, ſtupro Ammonis primogeniti, rebellione Abſalonis, defectione Achitopheli, &c. ſed & *fortitudinis*, æternum exemplum evaſerit; In multis Meſſiæ *Typus* admirandus, ut paſſionibus, ut animi conſtantiâ, ſic liberatione ex iis, &c.

Salomonis hiſtoria. Ut *Salomonem* ſucceſſorem deſignaverit, ſe vivo ad regnum aſſumptum, I *Reg.* I. II. quod jurato promiſerat Bathſebæ, I *Reg.* I. 13. Quamvis Adoniah eſſet maximus natu, ex ſuperſtitibus tùm filiis, 2 *Sam.* III. 4. ſed Deo, Spiritu Prophetico, ratam habente electionem *Salomonis*, ut re & nomine *pacifici*, I *Chron.* XXII. 9. Undè ſub eo Templum ædificandum, futuro ita luculenter in Typum Chriſti, qui *Princeps pacis*, *Eſai.* IX. 5.

Ut extremis *verbis*, 2 *Sam.* XXIII. (in quibus & Pſalmus propheticus de Regno Chriſti, qui LXXII. accenſendus eſt) probaverit fidem, gratitudinem, pietatem ſuam, commemoratione beneficiorum Dei, &c.

Digitized by Google

& gratiæ, ergà ſe *filium Jeſſe*, quo ipſo abjectam ſortem ſuam priorem innuit. Etiam *factis* circà res ſacras, 1 *Chron.* XXIII. & ſeq. ex antè dictis.

Ut Deo efflaturus animam dederit Salomoni Filio ultima mandata, & monita, per eum poſt Davidis mortem obſervanda: Primò; de officiis in *Deum*, 1 *Reg.* II. 3. 4. deinde de pœnâ ſumendâ, cùm de *Joabo*, ob fuſum Abneri innocuum ſanguinem, quem quaſi in balteo vel *cingulo*, tum in *calceis* geſtaſſet, id eſt, qui ipſum ubique habuiſſet comitem, & accuſatorem; *verſ.* 5. tum de admittendis ad menſam Regiam filiis Barzillai Galaaditæ, de quo 2 *Sam.* XIX. Tandem de ſupplicio ſumendo, ob maledicta & execrationes atroces *Simehi* filii Gerar, quem relinquit puniendum Filio, quia ipſe David juramento obſtrictus erat, de vindictâ per ſe non exercendâ, *verſ.* 8. 1 *Reg.* II. 8. Non immemor tamen juramenti, 2 *Sam.* XIX. 23. de non ſumendâ vindictâ ſe vivo, & illo tempore, & ob facinus in ſe admiſſum.

Salomonis hiſtoria.

IV. Ex hiſtoriâ SALOMONIS intelligitur ſummariò: Ut hic *juvenis* quidem ad Regnum admotus ſit, ſed tamen jam איש חכם *vir ſapiens*, 1 *Reg.* II. 9. & pater *Rehoboami*, jam nati annum *unum*, 1 *Reg.* XIV. 21. qui anno XLI. ætatis ſucceſſit Salomoni, XL. annorum Regi, 1 *Reg.* XI. 42. Hinc Salomonem vix infrà XX. ætatis annum exorſum eſſe Regnum colligitur, ſiquidem regnaverit tantum annos XL. jam tum ſenex, 1 *Reg.* XI. 4. ſi fides Hiſtoriæ S. Hinc fabella Magiſtrorum eſt, fuiſſe puerum *duodecennem*, quum ſceptrum capeſſeret; quam adoptarunt Pſeudo-Ignatius ad Magneſios, Auctor Conſtitutionum Apoſt. Hieronymus, &c. Puer tamen dicitur, נער קטון 1 *Reg.* III. 7. morali ſenſu, & relatè ad pondus ſceptri.

Ut idem Salomo, quemadmodùm ſapientiâ, ſic divitiis, & felicitate tranſcenderit humanam ſortem, 1 *Reg.* III. 9. 12. IV. 29. &c. Et nulla unquàm lætiora aut pacatiora adſpexit Eccleſia tempora; Dominatus eſt ab Euphrate fluv. ad limites Ægypti, & Regionem Philiſtæorum ad Occaſum, Gentibus ſibi factis tributariis, 1 *Reg.* IV. 21.

Ut collectis immenſis opibus *Templum* primò, tùm *Regiam*, admirandis mox operibus, ſtruxerit, XX. annis in utroque opere tranſactis; At Deum jam *præcepiſſe Patribus*, ut quamprimum Terram occupaſſent, Templum ipſi ædificarent, mentitus Joſephus, L. VII. *Antiq.* C. VII. Deo in contrarium teſte, 2 *Sam.* VII. 6.

Ut ex Terræ extremis, vel ex Auſtro, ſeu Auſtrali Arabiâ, vel Sabæâ aromatiferâ, gentis ejus *Regina* ad Salomonem acceſſerit, 1 *Reg.* X. 2. *Chron.* IX. undè Regina Auſtri, يمن *Arabia*, & ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς adveniſſe dicitur, id eſt, non longè ab Oceano diſſitâ regione, qualis Sabæa Arabiæ Fel.

Joſephus Hiſtor. ex traditione Æthiopum vel Ægyptiorum, Reginam cenſet Æthiopiæ & Ægypti ſimul, qualis *Nitocris* fuit, ultimæ Dynaſtiæ *Memphitarum*, ſed longè hæc vetuſtior, etiam anterior illo Pharaone de quo *Exod.* I. Sed hi errores Joſepho familiares, in Exoticis recenſendis.

Nugantur *Cedrenus*, *Glycas*, & ſi qui alii, Reginam Sabæ, explorandæ ſapientiæ Salomonis, ſtatuiſſe coram eo pueros & puellas formâ præſtantes, pari veſtitu, & ornatu, ſi fortè ſexum internoſceret; quem dignoverit Salomo ex geſtu & actione utrorumque. Ita habentur in Fabulis, quæ Æthiopes pridem tradiderunt; hanc Reginam concepiſſe ex Salomone, vocatum ejus filium *David*, ad Salomonem poſteà miſſum, ab eo in Lege & Diſciplinis inſtructum, unctione Regiâ conſecratum, &c. Quæ ex Franc. Alvarez, & aliis, pluribus Jobus Ludolphus in *Hiſt. Æthiop.*

Vergente Salomonis ad finem regno, corrumpi Religio, & interpolari *Idololatria* cœpit, inducto ad hanc ſapientiſſimo Rege per mulieres Ægyptias, Sidonias, Tyrias, Ammonitidas, Idumæas, &c. 1 *Reg.* XI. & ſeq. Joſephus ejus Regno tribuit annos LXXX. contrà Scripturam; & calculum ſibi commodum adoptant Iſ. Voſſius, & Recentiores. Sic idem, *ſcripſiſſe* Salomonem *Incantationum* Libros, & *Conjurationum modos*, quibus Dæmones fugantur, *Lib.* VIII. C. II. Scriptura modò, Sapientiam Salomonis ſuperaſſe illam *Orientalium* & *Ægyptiorum*; & pronunciaſſe 3000. ſententias, ſeu parabolas: Præter ea quæ inſignem Poëtam, Philoſophum, & omnis Naturæ indagatorem ſagaciſſimum, demonſtrarunt, 1 *Reg.* IV. 32. 33.

De Salomonis *Ædificiis*, *Scriptis*, *Pœnitentiâ*, ſeorſùm pauca.

V. *Structura Templi Salomonici. Ejuſdem ſummaria Deſcriptio, & Gloria.*

I. TAnti fuit hujus Operis gloria, ut hinc ſurgat nova *Epocha*, in contextu ſacro, 1 *Reg.* VI. 1. & apud Chronologos.

Prolixè intelliguntur ex Sacris, & fuſe perſequuntur in Ezechielem Villalpandus, Capellus, Lightfootius, alii: 1. *Præparatio* ad ſtructuram; Tùm reſpectu *opum*, quæ ſuprà hominum fidem, ſeu à Davide relictæ, in Templi apparatum, puta *auri* centum millia Talenta, *argenti* decies plura, 1 *Chron.* XXII. XXIX. ſeu à Salomone adjectæ ad ſtructuram ipſam Ædificii, ad alimoniam operariorum, ad ſtipendia eorundem, ad machinarum extructiones, &c. Tùm reſpectu *materiarum* omnis generis, auri, argenti, æris, lignorum, lapidum, &c. quæ in anteceſſum præparatæ, à Davide ipſo, etiam aptatæ quoad formam convenientem, antequam adhiberentur ad Templi ſtructuram, 1 *Reg.* V. 18. VI. 7. Opes, & materiæ ad Templum.

2. *Tempus* jactorum *fundamentorum* Templi, anno Salomonis IV. menſe ſecundo, ab Exitu ex Ægypto annis CCCCLXXX. 1 *Reg.* VI. 1. memorabili numero; Totidem enim ſunt ferè anni ad II. Templi ſtructuram; & poſteà ab Exitu Verbi ad ultimam ſeptim. annorum, *Dan.* IX. Pro quo malè Joſephus habet annos ab Exitu DXCII. ut aliàs obſervatum, & fallunt ſæpè numeri in Joſepho. Tempus verò *abſoluti* tanti Operis, *ſeptennii* ſpatio, cum VI. menſibus, 1 *Reg.* VI. 38. admirationem parit, faciente Salomone pariter ἐπίδειξιν τοῦ πλούτου, καὶ τῆς προθυμίας, quum vix *integra hominis ætas ſufficere videretur tanto operi*, *Antiq.* L. VIII. p. 263. Tempus.

3. *Locus* ſtructuræ editiſſimus, in faſtigio montis *Morijæ*, in areâ Hornam *Jebuſæi*, & eâ parte quæ ad Tribum Benjamin ſpectavit; medio hoc monte inter *Sionem* ad Auſtrum, & *Acram* ad Occaſum & Septentr. ipſomet ad Ortum poſito. Complanata in ſummo quadrangularis area, quæ mons Domus; quam ambibant facto per gradus deſcenſu, *ſeptum* interius & exterius, ac *porticus exteriores* quadrilateræ; totum autem montem Murus excelſus, ab imâ valle ductus, circumdabat. Civitas Amphitheatri inſtar ambibat tota, tribus vallibus profundiſſimis intermediis: Etiam quâ parte Regia Salomonis reſpiciebat Templum, quæ huic ad *Auſtrum* fuit, mediâ valle; ſed mirandi operis *ponte* præbituro facilem tranſitum è Regiâ in Templum. Locus.

4. *Opifices*, iique mercede donandi, ac de publico alendi, partim ex Judæis, partim ex Gentilibus, iiſque Tyriis, Sidoniis, & Ægyptiis: Eo Gentibus, ferè numero cum *Præpoſitis* ſuis, ut vel hinc maximè conſtet cùm Salomonis potentia, & opulentia, tùm Ædificii magnitudo & gloria, 1 *Reg.* V. 13. & ſeq. 2 *Chron.* II. 2. &c. Summus Præfectus fuit *Hiramus*, vel Churamus, Tyri educatus, apud ma- Opifices.

Digitized by Google

magiſtrum, qui ejus *pater* dicitur, ſed natalibus Iſraëlita, è Tribu Nephthalim, matre è Tribu Danis, 1 *Reg.* VII. 14. & 2 *Chron.* II. 14. Præter ſervos Hirami, qui referuntur *octoginta mille* Tyrii, adduntur que totidem Ægyptii: De quibus Villalpandus, *Tom.* II. *P.* II. *Lib.* V. *Diſp.* II. C. XXXVII. ſed ut in aliis, ſic in hac ſupputatione reprehenſus à Lud. Capello. Hîc enim in univerſum tantùm CLXXX. mille operarios putat, ſubdiſtributos in Iſraëlitas XXX. mille, Peregrinos CL. mille, hoſque *onerarios*, *lignarios*, *latomos*, cum Præpoſitis ſuis, ut unus præeſſet L. operariis.

Materia. 5. *Materia* Templi, qualis *Lapides* exquiſitiſſimi, & ingentis molis, ex Pario marmore, ut pavimenta ex lapide Porphyrio, &c. *Ligna* precioſiſſima, *ſetim* vel cedrina, auro undequaque obducta, & aureis clavis infixa: *Aurum* puriſſimum & Ophiræum, dictum *Parvajim*, (fortè à loco, nec tamen *Peruanum*, ut quidam vellent) 2 *Chron.* III. 6. ubique intuentium oculis ſeſe ingerens, præter aurea vaſa innumera: *Argentum*, *Æs*, *Gemmæ*, ſine modo ullo & fine. Nec mirum tantas opes, & tantum auri, cumulatum, ſi attendimus primò legata Davidis Patris, deinde tributa à Solomone exacta, à tot Gentibus tributariis, & ab Iſraëlitis ipſis; tandem Claſſes Ophiræas, & navigationem Africanam, Arabicam, Indicam, de quâ infrà.

Forma Templi. 6. *Forma* ſeu exterior Templi, ſeu interior, digna tanto Architecto, 1 *Reg.* VI. VII. 2 *Chron.* III. IV. Partes *interiores* duæ ad formam Tabernaculi, *Sanctum* ſive Templum, היכל in quo Altare thymiamatis, Candelabrum, Menſa, longum XL. latum XX. cubitos; tum *Sanctum Sanctorum* ſive Oraculum, דביר *Adytum*, pari latitudine & longitudine, XX. cubitos. Eratque hoc Muro quaſi Velo intermedio, 2 *Chron.* III. 14. ſeparatum à Sancto, poſteà Aulæo tantum; obſcurius etiam intrinſecùs, ſine feneſtris, ut lucem ſolarem non admitteret. De cujus loci majeſtate, ſanctitate, myſteriis, plura Textus ſacer, & nos aliàs, Obſervatis noſtris ad *Levitici Caput* XVI.

His iterum pars *inferior* alta XXX. cubitos, cui alia *ſuperior* fuit, ut Hebræi tradunt, ſeu ſuperſtructæ contignationes, in habitacula & receptacula varia: Altitudine totâ, à parte anteriore ſeu Porticu vel Veſtibulo, CXX. Cubitorum, 2 *Chron.* III. 4. Quanquàm magnoperè intercedat Capellus, nullam proportionem hujus altitudinis eſſe putans ad longitudinem, & latitudinem. Hinc Veſtibulum Templi, ſeu Porticus, cenſet audaciore conjecturâ altum non niſi cubitos XX. & loco מאה עשרים *centum & viginti* Cubitorum, 2 *Chron.* III. 4. legit אמה עשרים *viginti cubitorum*. Certum Porticum anteriorem latiorem fuiſſe ipsâ Domo, unde obſervatum *Leonis* figuram expreſſiſſe Templum. De quâ 2 *Chron.* III. 4. & prolixè Villalpandus, & qui ad Cod. מדות commentati ſunt.

Partes *exteriores* ſeu ſubdiales, fuerunt 1. Atrium *Sacerdotum* ſeu interius, in quo Altare holocauſtorum, longum & latum L. cubitos, ad quod aſcenſus leviter acclivis, Mare æneum, reliqua, quæ ad uſum Sacerdotum ac Miniſterium Levitarum ſpectarent. 2. Atrium *Populi*, ſeu Atrium exterius, & magnum, Virorum & Fœminarum, ab utroque latere, inacceſſum Infidelibus, & Immundis. Quibus acceſſiſſe tertium, Atrium *Gentium*, negat Lud. Capellus; ſed tantum fuiſſe Porticus IV. magnificas & ſpatioſas Templum ambientes, & quò etiam Infideles pertingebant. Dabatur verò aſcenſus per *gradus*, à Porticibus ad Atrium Iſraëlis, ab hoc ad Atrium Sacerdotum, eminente ſuprà omnia, in ſummo Montis, Domo Sancta, undique conſpicuâ. *Sepimentum*, quod Populum arcebat à Sacerdotibus Joſephus vocat *γείσιον*, *trium cubitorum altitudine* fuit; alterum, quo Alienigenæ arcebantur ab Iſraële, vocat *δρύφακτον λίθινον*. Aliàs dixêre *περίβολον*, *ἑρκίον*, *θριγκὸν*, *loricam*, *munimentum*, etiam *σκέπην*.

Adde Porticuum & Columnarum ternos & perpetuos ordines; Portas ab Oriente, & ab utroque latere; Thalamos portarum; Parietes intergerinos; Loricas, Peribolos, Cancellos; Pavimenta Teſſellata; Exhedras, Cochleas, &c. Tùm Tabulatis tribus ipſam Domum diſtinctam, in quibus Cellæ & Cubicula, pluſquam DCC. nempè Sacerdotibus, Levitis, Miniſtris Templi, præter cœnaculum *ὑπερῷον*; Adde *Gazophylacia* in quæ inferebantur Primitiæ, decimæ, &c. & *Aulam* in quam reponebantur inſtrumenta Templi & Anathemata. Tùm Hypogæa; Turres ſeu Caſtella in angulis Atriorum; Columnas *æneas* duas in ipſo Templi aditu *Jacin*, & *Bohaz*.

Adde Columnas, Parietes, Feneſtras, (præterquam in Sancto Sanctorum) propè innumerabiles; tùm & Tectum, Capitella, &c. Omnia teſſellato opere, laminis aureis, tegulis æneis, cælaturis, gemmis pretioſiſſimis, aliiſque admiranda: Uti reliqua omnia, & Ædificium totum, quod artificio, ſymmetriâ, architecturâ, proportione Harmonicâ ſive Muſicâ, humanam induſtriam exceſſit. Præter ſitum, opulentiam, magnitudinem, & capacitatem immenſam, de quibus ex profeſſo alii.

7. Sanè *Magnitudo*, cum Atriis, & Porticibus, planè fuit ſine exemplo; ut capax eſſet Templum immenſæ hominum multitudinis, ad Feſta ter in anno confluentium. Nec tamen totius Iſraëlis capax, ut Villalpandus; licet Joſepho teſte 2700000 millia *virorum* Hieroſolymis, ad Feſtum Paſchale, coïrent. Fuit ambitus illius cubitorum Sacrorum 2000, quorum ſinguli pedem Romanum unum cum dimidio exæquarunt, ſingula autem latera cubitorum 500, quatuor Columnarum ordinibus ſplendida. Quæ & diſtantia eſt apud Talmudiſtas *itineris Sabbatici*, quò trahunt verba *Joſ.* III. 4. Magnitudo.

II. Iſtud verò, æquè ac Tabernaculum, ad formam Templorum *Ægyptiacorum* fuiſſe conſtructum, qualia deſcribit Strabo, *Geographiæ* (quam ſub Tiberio ſcripſit) Libro XVII. affirmare cum Doctiſſ. Marſhamo, & cum Spencero, eſt propè ludere in re ſeria. Quæ ſimilis formæ, ante tempora Moſaïca, apud Ægyptios veſtigia? Aut quia *Templorum* eſt antiqua memoria, vel Excelſorum, Lucorum, Simulachrorum, Statuarum, Altarium, &c. eone conferes cum Tabernaculo vel Templo Salomonico?

Et quæ veri ſpecies *Deum*, à quo forma Tabernaculi, *Exod.* XXV. *Davidem* à quo forma Templi 1 *Chron.* XXVIII. vel *Salomonem* filium ordinaſſe rem ad Ægyptiacæ & infandæ Superſtitionis imitationem, aut hujus memoriam quaſi conſecraſſe? Dum in ſtructuræ ea ratione ac formâ, Divina omnia, & myſterioſa, vel typica, ut multis ipſe Villalpandus. Sed hæc alterius diſquiſitionis ſunt, & jam Eruditi hanc in rem multa, Clariſſ. Witſius in *Ægyptiacis*, & Viri alii etiam in Pontificiorum ordine.

III. Mittimus *Contenta* & *adjuncta* Templi Salomonici, quæ ſuprà fidem, ſi putamus *Vaſa* omnia, *Altaria*, *Menſas*, *Candelabra*, *Pateras*, *Phialas*, *Cantharos*, *Lances*, *Crateres*, *Acerras*, &c. In his ex auro vaſa CCCCXL. mille numerant, ſuprà fidem, ex argento MCCCXL. ſi Joſepho fides. Adde *Veſtes Sacras*, *Tubas*, *Inſtrumenta Muſica*, alia plurima, recenſita accuratiùs locis cit. Joſepho, & Villalpando *Col.* 501. 502. ac Capello in Excerptis. Quibus acceſſit ingens illud *Labrum* ſeu *Mare æneum*, 1 *Reg.* VII. 23. 2 *Chron.* IV. 1. &c. in cujus deſcriptione nec quoad diametrum & circumferentiam, nec Contenta.

quoad

quoad capacitatem, ulla contradictio eſt, quantumvis eſſe aliqua videatur, 1 *Reg.* VII. 26. 2 *Chron.* IV. 5. Utpote quod non Mathematicæ rotunditatis; nec etiam ultrà 2000. bathos ordinariè contineret, licet capax eſſet 3000. 2 *Chron.* IV. 5.

Prærogativæ I. Templi. Adde *Prærogativas* alias ſingulares *primi Templi*, quæ defuerunt in ſecundo Templo.

Has *quinque* referunt paſſim Talmudiſtæ: *Arcam Fœderis* cum Operculo, ſeu Propitiatorio, & quæ tùm *intra* Arcam 1 *Reg.* VIII. 9. tùm *juxtà* eam repoſita, *Hebr.* IX. 4. Quamvis *virgam*, & *urnam*, in Templo Salomonis repoſitas negent Viri Docti. De quibus ex profeſſo, poſt alios, Cl. Buxtorfius, in *Hiſtoriâ Arcæ*.

Ignem ſacrum, miraculosè cœlo delapſum, *Lev.* IX. 23. 24. 2 *Chron.* VIII. 1. 2. 3. & aſſiduâ nutritione conſervandum.

Dei præſentiam ſeu habitationem, inter duos Cherubinos alatos, 1 *Reg.* VI. 23. quacunque hi formâ, ſeu animalium, ut Joſephus, ſeu veriùs humanâ.

Spiritum Propheticum, qui defecit ſub ſecundo Templo, pòſt Malachiam; auditâ tamen ſubindè בת קול *filiâ vocis*, de quâ Talmudici, & Targumim.

Urim & *Thummim*, in Pectorali ſacro recondita, (quicquid jam illa fuerint) edendis Oraculis, quum Deus conſuleretur. Quanquàm conſultum fuiſſe hac ratione, vel à Salomone, vel à Succeſſoribus, non dicitur.

Adde *Inaugurationem* ſolennem, conſecrationem, ἐγκαίνια: De cujus *tempore*, ſcil. menſe *Ethanim*, id eſt, Tiſri, die VIII. Menſis, inſtante Scenopegiæ feſto, continuatione per VII. dies, *ſolennitate*, convocatis זקני ישראל *ſenioribus Iſraëlis*; comprimis de *Miraculis* duobus, Dei ſcil. apparitione, ac igne θεοπέμπτῳ, quæ excepta ſunt alterâ ad Salomonem & gratioſâ apparitione, pluribus Hiſtoria S. 1 *Reg.* VIII. IX. 2. 2 *Chron.* V. VI. & Joſephus *Ant. L.* VIII. C. II.

VI. *Aliæ ſtructuræ Salomonis. Claſſes Ophireæ quò navigarint?*

1. ACceſſerunt ædificia alia Salomonis, in Sacris memorata. Cumprimis *Regia* ſeu Baſilica, in monte Sionis, è regione Templi, media profundiſſimâ convalle, cui Pons ſuperimpoſitus, & Mello, arx munitiſſima. Tum Domus *Reginæ*, ſeu filiæ Pharaonis, pari magnificentiâ ſtructa; & Domus *ſaltus Libani*, arboribus ac columnis Cedrinis è Libano ſuperbiens, 1 *Reg.* VII. 1. 2. &c. Domum Regiam, minore jam longè operariorum numero, nonniſi ſpatio XIII. annorum, tardiori opere, perfeciſſe dicitur: Ut ità XX. annos in ædificando conſumpſerit, quibus exactis Deus apparuit rurſum Salomoni, ſtabilitatem Regni & Templi pollicitus, Populo fideli, vel contraria omnia interminatus, ſi à Deo & Lege recederent, 1 *Reg.* IX. De Ædificiorum iſtorum magnificentiâ, amplitudine, ſitu in Sione, è regione Templi, partibus, contentis, vaſis, admirandis aliis, Libri Regum, Chronicorum, Joſephus, *Lib.* VIII. C. II. Euſebius IX. *Præp.* & ex iis prolixè Villalpandus & Lud. Capellus. Adde ſuperbiam *Throni* Salomonici, eburnei, auro denſo obducti, cum figuris leonum XII. 1 *Reg.* X. 19. 20.

Urbes etiam conditæ auſpiciis Salomonis, Tadmor deſerti vel Palmyra, in deſerto Tzobæ ſeu Syriæ Palmyrenæ, tum Azotus, Magedon, Gadara, Beth-horon utraque, Bahalath vel Baleth, &c. De his Joſephus *loco cit.* & 2 *Chron.* VIII. 2. &c. protenſis ad Euphratem Imperii Salomonici limitibus.

Claſſes Ophireæ. Ophir quæ? 11. Quo tempore intermedio Claſſes memorantur in *Ophir* tranſmiſſæ, 1 *Reg.* IX. 2 *Chron.* VIII. Eæque ſolventes ex portu *Hethſion-gueber*, è litore Maris Algoſi, ſive Rubri, 1 *Reg.* IX. 26. Quæ an Ophir Arabica, an Zofala Africana, ut Ortelius, an Indiæ Orientalis tractus, & ut Bocharto placet *Ceilon* Inſula, (ſolius Eboris & Cinamomi ferax) vel aliis *Sumatra*, Taprobanæ olim nomine, ſcil. ex פרוין *Prevan*, *Parvain*, diſceptatur. Fruſtra quidem, dum *Salomonicæ Claſſes*, ſuperato Mari Rubro ſeu Arabico, in varios tum *Africæ*, ubi Zofala auri ferax, & eboris, &c. tum *Arabiæ Felicis*, ubi Havilah, Ophir, regiones auriferæ, *Gen.* II. 11. *Job.* XXII. 14. &c. tum etiam *Indiæ* Orientalis Portus ac Sinus, pro diverſitate mercium & opum quibus abundarent, appulerunt: Generali *Ophir* nomine opulentis regionibus dato, à divite *Ophir* Arabicâ, quam fortè primò adibant; ut hodie Navigationis *Indicæ* nomine, etiam Portus Arabici, Sinus Perſicus, Inſulæ, China, Japponia, intelliguntur. Et hæ Claſſes magnam partem *auri* ac *pretioſorum* ſuppeditârunt, ad ſtructuras & ſumptuoſa Salomonis. Errant qui *Peruvianam* vel *Hiſpaniolam* intellexerunt, Novi Orbis regiones, ſuperando ita Africæ promontorio, quin & Freto Magellanico, ſi in Peruviam iter. Errori occaſionem dedit aurum *Parvaim*, quaſi eſſet factum ex *Peru*, quod poſterius nomen recentius, & ab Hiſpanis Regioni inditum. *Aurum* v. gr. petitum ex Sophala, Havilah, Sumatra, Pegu, &c. *Gemmæ* ex Pegu, vel propè Zeilan Inſ. & in Mari Perſico; *Ebora* ex Sophala, Siam, Zeilan; *Ligna odorifera* ex regionibus Pegu, Siam, Bengala, &c. *Simiæ*, *Pavones*, animantia id genus, ex non una harum regionum, quæ nomina hodiè mutarunt.

Joſephi Hiſtor. Errores. In hac omni *Hiſtoriâ*, *Samuëlis*, *Saulis*, *Davidis*, *Salomonis*, quæcunque fuerit Joſephi Hiſtorici fides & diligentia, diſcedit non infrequenter à Textu Sacro *Antiq.* Libris V. VI. VII. VIII. Nonnullis aſſertis quæ Scriptura tacet; V. gr. de Theſauris immenſi pretii, reconditis intra ſepulchrum Davidis, eruendis poſtea ab Hyrcano, & Herode M. *Lib.* VII. *Cap.* XII. Ità quæ ille de *ſuppellectile* & *vaſis* Templi Salomonici, mirum in modum ab eo multiplicandis; de Scriptis Salomonis, inter alia de *Incantatione*, &c. Aliis verò à Joſepho ſcriptis, quæ Sacro Textui contradicunt; V. gr. de *Naaſe*, Ammonitarum Rege, varias Urbes occupante, & Iſraëlitis dextrum oculum ipſo facto eruente, ante obſidionem *Jabis*, *Lib.* VI. c. V. De *Saule* Rege verè juſto, & omnibus gloriæ amatoribus, ſuâ morte, in exemplum poſito; De *Nicaule* Reginâ Ægypti & Æthiopiæ ſimul, quæ ad Salomonem acceſſerit, & quæ ſucceſſerit CXXX. Regibus Memphiticis, & quam confundit cum *Nitocri* Herodoti; Adhæc de Salomonici regni duratione ad annos LXXX. quod Script. S. annorum tantùm XL. de quo in *Chronol.* dictum. Et hæc ſpeciminis loco ſunt.

VII. *Libri Sacri & Canonici, hac Periodo conſignati, in ſpecie Libri Salomonis.*

HAc Epochâ crevit indubiè Canon Sacer Hebræorum, ſcriptoribus partim *certis*, partim *incertis*. In alterutrum cenſum referendi,

Liber Joſuæ. 1. Liber *Joſuæ*, continens hiſtoriam vulgò annorum XVII. cum annis VII. antè diſtributionem Terræ, ut colligitur ex *Joſ.* XIV. 7. 10. & ætate Calebi. Joſepho ſunt XXV. à Moſis exceſſu, ſeu à principatu Joſuæ ad hujus ultima.

Vix enim Joſuam ipſum Libri ſcriptorem eſſe, quanquàm concinnati ex hujus monumentis, *Joſ.*

XXIV.

Digitized by Google

xxiv. 26. & ex Faſtis publicis, *Joſ.* x. 13. deque rebus ſub Joſuâ geſtis; quod non pauca ſuadent, quæ narrantur *Joſ.* xi. 16. 21. xv. 16. xix. 47. xxiv. 29. Hîc enim memorantur plura, quæ poſt Joſuæ mortem acciderunt, παρενθετικῶς inſerenda. Quorum omnium eſſet publica & authentica fides, ac recentia & duratura in Iſraële monumenta. Qualia monumenta diu manſêre, v. gr. Tranſitûs Jordanis, exciſarum Urbium præcipuè Hierichuntis, Haï, ſervitutis Gabaoniticæ, Hebronis Calebo datæ, &c. Sic retardati Solis miraculum, ſeu ſtationis Solis, *Joſ.* x. celebre fuit in Iſraële. Præter deſcriptum exceſſum Joſuæ; & phraſim quâ res, indè à Joſuâ, dicuntur duraſſe *uſque in hunc diem.* Certum ferè eſt, ſcriptum antè *Davidis* tempora, & quo tempore *Jebuſæi* tenerent adhuc Hieroſolymam, *Joſ.* xv. 63. ſive jam ab Eleazare, ſive ab alio quocunque viro Prophetico, exaratum cenſeamus. Abſurdi, qui ſcriptum Librum poſt tempora Salmonaſſaris, vel Captivitatis Babyl. ex uno loco, *Jud.* xviii. 30. quem ipſe Grotius reddit, de Captivitate per Philiſtæos.

Judicum. ii. Liber *Judicum*, continens hiſtoriam circiter ccc. annorum, uſque ad mortem Samſonis & natum Samuelem. Quin & ibi res poſt Samſonem geſtæ, ut Captivitas Arcæ, poſt tranſlatam eam ex Schilo, *Jud.* xviii. 30. 31. de quo 1 *Sam.* iv. Sic dictus Liber, non ab *auctoribus*, ſed ab *argumento*, ſumpto pariter ex Judicum monumentis, & ex Iſraëliticis Faſtis; concinnatus tamen ſub Samuele, & antè tempora Davidis, ex *Jud.* i. 21.

Ruth. iii. Liber *Ruth*, continens ſeriem Genealogicam ad *Davidem* uſque, *Ruth* iv. 22. De quâ prolixè Parens noſter in *Dubiis Ev.* Appendix eſt Libri Judicum, eodem ut videtur Auctore.

Libri alii Hiſtorici. iv. Liber *Jobi*, complexus veram Hiſtoriam, ſed Poëtico ſcribendi genere; circà ætatem Davidis vel Salomonis probabiliter ſcriptus, ut nos aliàs pluribus, *Hiſt. Jobi*, C. xvi. Quò Lectorem amandamus.

v. Libri *Samuelis*, complexi Hiſtoriam à morte Samſonis, ſeu ab initio xx. annorum præfecturæ Heli, alii ab ejus ultimis, uſque ad Davidis ultima. Dicti Græcis & Latinis Interpretibus 1. & 2. *Regum*, quia continent Hiſtoriam Davidis & Saulis. Succeſſivè res eorum Librorum ſcriptæ, quo geſtæ ſunt tempore, à Samuele, Nathane, &c. poſteà in hanc formam collectæ à viro Prophetico. Certè quæ 1 *Sam.* vi. 18. ſcripta fuiſſe videntur, antequam petiiſſent Iſraëlitæ ſibi Regem dari.

Pſalmorum Liber. vi. *Pſalmi Davidici*, plerique Davide auctore, de cujus Canticis 2 *Paral.* vii. 6. Salomone tùm Rege. Et jam exſtitit collectio Pſalmorum Davidicorum tempore *Ezechiæ*, 2 *Chron.* xxix. 30. & ex citatis verbis Davidis, *Eſ.* xxxviii. 18. *Jer.* xvii. 7. 8. Certè in Pſalmorum Libro ejus nomen præferunt Cantica lxxxii. Et teſtantur luculenta de Chriſto vaticinia, in *Novo Teſtam.* ab ipſo Servatore, *Luc.* xx. 42. ſub Davidis nomine, adducta. Sine inſcriptione ſunt Pſalmi xxv. Reliqui Moſi, Salomoni, Aſapho, Hemani, Ethani, filiis Core, Cantoribus ſcil. adſcripti; poſt Captivitatem uno aut altero accedente, quales cxxvi. & cxxxvii. niſi hi *Prophetici* habeantur. Forma voluminis & diſpoſitionis *Eſdræ* & *ſociis* videtur tribuenda, mox à Captivitate; Talmudiſtæ à *Davide* ipſo in volumen collectos volunt, quum tamen nullus ibi ordo temporis obſervatus, vel ex *Pſalmo* lxxii. qui continet extrema verba Davidis. *Pſalmi* vii. *Pœnitentiales* dici ſolent, nempe vi. xxxii. xxxviii. li. cii. cxxx. cxliii. Græci, Syri, Arabes habent Pſalmos 151. poſtremum additum ab Helleniſtis, tanquàm qui Davidis fuerit, poſt devictum Goliathum. Pſalmus ix. & x. Græcis & Latinis in *unum* conſtantur, hinc nobis eſt xi. qui illis modò x. ut Syri in unum contrahunt, *Pſ.* cxiv. cxv. Poſt in *duos* Pſalmos dividendo, qui in Hebræo eſt cxlvii. ut ità tres poſtremi coincidant.

Salomonis Libri. vii. *Libri Salomonis*, in quibus ſunt alii *Canonici*, alii verò non tales, alii *genuini*, alii ſuppoſititii. In ſecundo ordine ſunt qui ex 1 *Reg.* iv. 33. Joſepho memorantur, Zoologici, Botanici, Medici, Poëtici, imò etiam Magici de Incantationibus, & Auguriis, &c. Joſepho res Salomonis in aliis quoque, ſtudio ſuæ gentis, adaugente. Unde *libros ter mille* Parabolarum ſcripſiſſe Salomonem, *Ant. Lib.* viii. C. ii. Sed nec ſcripta hæc dicuntur à Salomone, verùm ore tenùs pronunciata; ut & quæ de Arboribus, Plantis, Animantibus, &c. tradiderit; facientia ad ubertatem cognitionis rerum naturalium, aut ad civilem diſciplinam, non ad auctoritatem Religionis. Sed & falsò ei adſcriptus eſt Liber *Eccleſiaſtici*, ob ſententiarum ſimilitudinem, quas collegit Syracides; & quoque Liber *Sapientiæ*, Philoni veriùs adſcriptus, quem modò *Interpretem* ſtatuit Huëtius. Multis hi documentis intelliguntur eſſe recentioris ævi, nec θεόπνευστοι, de quo fusè Chamierus, Rainoldus, Druſius, &c.

In Canonicis ſunt, *Canticum Canticorum*, ἐξόχως appellatum, quod dicitur *Salomonis*, verſ. 1. & *Salomoni*, ſcil. inſpiratum, florentiori ætate, in modum Epithalamii, vel Idyllii. Eſt is de *Salomone* non tam typico & literali, quàm vero & myſtico, ejuſque *ſponſâ* ſive Eccleſiâ, in Synagogâ vetere repræſentatâ. Eſſe modò garritum conjugum inter ſeſe, in quo nuptiarum arcana ſub honeſtis verborum involucris lateant, temerè Hugo Grotius. Scriptum totum allegoricum, & metricum, à præſtantiâ *Canticum Canticorum*, ad cujus lectionem non admiſſi à Judæis, niſi qui xxx. annum implevìſſent, teſte Hieronymo, *Prol. in Ezech.* Certè ætate Apoſtolorum receptum illud in canonem Hebræor. hinc commendatum cum Libris cæteris à Paulo, *Rom.* xv. 4.

Proverbiorum liber, concinnatus ex ſententiis & parabolis Salomonis, *Prov.* i. 1. 1 *Reg.* iv. 32. præter ultima duo Capita: Seu jam Salomone ipſo eo ordine concinnante, quo occurrunt, ſaltem xxiv. prioribus Capitib. Seu poſt colligente, ex ter mille ſententiis, ſeu Parabolis, quas ex ore Salomonis excerpſerant, aliquo *Prophetarum*, vel *Scribarum*, Ezechiâ Rege, *Prov.* xxv. 1. Moralis veriùs & doctrinalis, quàm Propheticus Liber, undè in illo genere citatus in Novo Teſt. *Rom.* xii. 20. *Hebr.* xii. 5. 6. Et multas harum ſententiarum poſteà expreſſiſſe ſapientiores Gentilium, Theognidem, Menandrum, Sophoclem, Euripidem, Platonem, &c. eſt à Doctiſſimis Interpretibus oſtenſum.

Eccleſiaſtes, auctore filio Davidis *Cap.* i. 1. multis & in Libro rei argumentis, *Eccleſ.* i. 16. ii. 3. 4. 10. vii. 26. viii. 16. xi. 8. Auctor nempè, *ſapientiâ* ſuprà omnes excelluiſſe dicitur, poſt animum adjeciſſe ad *ſtultitiam*; *deliciarum* omne genus expertum; *fœminas* inveniſſe, quæ retia, compedes, res amaras; *experientiam* ſibi univerſalem fuiſſe, & longam, *multis annis* continuatam; omnia tamen eſſe *vanitatem vanitatum.* Præcipuè verò *Cap.* xii. 1. 7. 11. 12. 15. 16. morti jam proximus, deſcriptionem inſtituit *corporis ſenilis*, infirmitatum, mortis, judicii, noviſſimorum hominis. Concio adeò fuit pœnitentiæ, tùm *verbis* tùm *exemplo*; enarratis vaniſſimis & factis, & cogitatis, cùm ſuis tùm aliorum, deindè damnatis iis. Hinc nonnulla in eo, non utique *præcepta* eorum quæ fieri debeant, ſed *narrata* eorum quæ fiunt, aut ab hominibus cogitantur, ut fit ſæpè aliàs, vaniſſimè quidem, *Eccleſ.* v. 18. coll. cum xi. 8. &c. Tum etiam comparatio *hominis* & *beſtiæ*, *Eccl.* iii. 19. ſpectat externa, & vitam animalem, ut hæc

Digitized by Google

hæc nobis *apparet*; quo pietatem ac timorem Dei magis commendaret, ſiquidem *ſpiritus ad Deum redeat*, *Eccl.* XII. 7. Hinc præclara monita, *Cap.* IV. 17. V. I. &c. VII. 1. 26. 28. &c. VIII. 2. 3. 4. &c. IX. 1. XI. 5. 9. XII. 3. &c.

VIII. *Salomonis ad Idololatriam defectio. Pœna. Pœnitentia.*

Defectionis circumſtantiæ.

I. D*Efectionis* quidem Salomonicæ conſtant, ex 1 *Reg.* XI. XII. & ex Joſepho *Lib.* VIII. C. II. ſub finem:

1. *Tempus*, provectiori ætate Salomonis, 1 *Reg.* XI. 4. vulgò circà XXX. annum Regni adminiſtrati. Initium tamen defectionis ponunt Joſephus & Hebræi, in figuris boum mari æneo ſubjectis, 1 *Reg.* VII. 24. precariò quidem. Vir magnus Iſ. Voſſius, defeciſſe anno Regni XL. hinc alios annos XL. regnaſſe, non ſupputandos, ob fœditatem lapſus. Sed non ſatis eſt affirmaſſe, quin potius deliciis fractus, & enervatus, videtur non attigiſſe annos Patris *Davidis*, anticipatâ ſenectute.

2. *Occaſio* defectionis, uxores nempe alienigenæ, Moabitides, Ammonitides, Idumeæ, Phœniciæ, Hettææ, &c. numero DCC. In quibus princeps Reginarum Ægyptia; præter concubinas CCC. ſpreto Moſaico interdicto, *Exod.* XXXIV. 16. quod & Joſephus obſervat. Hinc fœminas vocat *retia*, *compedes*, *vincula*, ac morte ipſâ amarius malum, cum animi reſpectu, tum corporis, ſcil. expertus, *Eccleſ.* VII. 26.

3. *Modus* verò defectionis longè fœdiſſimus: Ut *ſecutus ſit Deos alienos*, nempe עשתרת *Aſtoreth*, Idolum ſeu Veneris, ſeu Lunæ, Sidoniorum numen, vel *Aſtaroth*, à diverſitate Locorum quibus hoc Idolum colebatur; Tùm המולך *Molechum*, vel Saturnum, Ammonitarum, & כמוש *Chamoſum*, Moabitarum Numen; quod poſtremum alii Bacchum (undè factum ſit κῶμος, *Deus temulentiæ*) alii Saturnum, quaſi כמוש abſconditum, interpretati. Sed de his Seldenus, & qui poſt eum de Diis Syrorum, Arabum, commentati ſunt. An jam peccarit Salomon, actu Idololatriæ *directo*, ut Joſephus, & plerique Patres ſentiunt; an tantùm *indirecto*, ædificatis Excelſis & Idoleis, etiam in loco ſancto, è regione Urbis, in monte (ut videtur) Oliveti, &c. 1 *Reg.* XI. 5. & ſeq. utrimque diſceptatur.

4. *Increpatio* divinitùs facta, ſeu apparitione immediatâ, ſeu (ut Joſephus) legatione ad eum mediatâ alicujus Prophetæ; expreſſus eſt textus 1 *Reg.* XI. 9. 11. 12. &c. Ad quam perculſum fuiſſe Salomonem, memorem præteritorum, ac territum comminatione futuri, non eſt dubium.

II. Hinc *Pœna* excepit, tum inchoata vivo Salomone, inſtrumentis *Hadado*, (Joſepho & Græcis *Adero*) Idumæo, *Razone*, vel *Razaro* Syro, & *Jeroboamo* Ephratienſi, qui eſt Arabibus *Rabaamus*, ſed hic in Ægyptum profugus, quoad vixit Salomon, 1 *Reg.* XII. 1. Tum conſummanda pœna ſub filio Rehoboamo, 1 *Reg.* XII. averſis ab eo X. Tribubus, & *Jeroboamo* Regnum Iſraelis inſtituente, de quo Epochâ ſeq.

Pœnit. Salomon.

III. Sed & *Pœnitentia* meritò Salomoni adſcripta eſt, pluribus (cùm ex Hiſtoria S. tum ex promiſſionibus Dei, 2 *Sam.* VII. 14. 15.) apud Theologos argumentis, denique, ut ſuprà, ex *Eccleſiaſtis* Libro, & titulo קהלת. Nec alienus Joſephus, quanquam dicat ἀκλεῶς ἀποθανόντα. Ita & communius Hebræi, qui abjectum Pœnitentiæ modum deſcribunt; imò Salomonem in triviis & compitis Hieroſolymorum oſtiatim mendicaſſe. Adde in Eccleſiæ Scriptoribus Hilarium, Hieronymum, Ambroſium, Cyrillum Hieroſolymit. Joh. Chryſoſtomum, alios, Pœnitentiæ Salomonicæ haud obſcurè patrocinatos; de quâ Theologi: Anceps verò & dubia videtur fuiſſe ſententia Auguſtini. Secus Arabes, & diſertè cum aliis Abulfarajus, Hiſt. Dynaſt. p. 55. *mortuus eſt ſine pœnitentiâ*.

IX. *Synchroniſmi Hiſtoriæ Exoticæ inſigniores, tempore Samuelis, Saulis, Davidis, & Salomonis.*

Res Aſſyriorum.

I. A*Sſyriorum* hâc Epochâ obſcuri ſunt Reges, *Eupales*, *Laoſthenes*, &c. videndi apud Euſebium, in Chron. Syncellus, ex Africano, recenſet Reges Aſſyrios XLI. ad Sardanapalum; & jam ſub initia Judicum, putat Aſſyriorum Regem *trigeſimum*. Contrà alii Aſſyriorum *Belum* & *Ninum* ad hæc tempora recenſent, quibus in Sacris notantur *Ehud*, *Debora*, *Barak*: Scilicet res Aſſyriacas ille vetuſtiores facit, hic recentiores; media ſententia tutior, ac de his jam à me occupatum in *Chronol.* & ad ſuperiores *Epochas*.

Syrorum.

Syrorum res floruiſſe tempore Davidis, puta Syriæ Tzobæ, 2 *Sam.* VIII. & Syriæ Damaſcenæ, intelligitur ex Hiſtor. S. & ex Joſepho *Antiq. Lib.* VII. C. VI. quem vide, ex Nicol. Damaſceno referentem. Apud quem *Adadus*, (*Adad-hezer* in Sacris) Syriæ Tzobæ imperitavit, qui ſuperandus à Davide; æquè ac Rex Damaſci, qui validâ manu in auxilium Adad-hezeri venerat. *Adad* verò חדד (quod tranſiit in commune nomen Regum Syriæ, *Hadad*, *Ben-hadad*) fuit nomen Dei Syri vel Aſſyrii, qui idem videtur cum *Molecho*, & quo *Solem* deſignarunt, *Regem Deorum*. Macrobius *Saturn.* L. V. ait, *interpretationem ejus nominis*, *ſignificare unum*; quaſi factum ſit ex אחד, חד, undè repetitione literæ חדד. Improbante tamen Seldeno, qui aliud eſſe הדד *Hadad*, (vel *Adod*, apud Euſebium ex Philone Byblio) contendit de Dis Syris, Syntagm. 1. C. VI. ſcilicet *clamorem* vel celeuſma vel ἔγε hortantium, dum pueri offerrentur Molocho.

Phœnicum.

II. *Phœnicum* res quod attinet, floruiſſe Tyriorum Reges, intelligitur ex *Abibaale*, & *Hiramo*, Patre & Filio, tempore Davidis & Salomonis. Sunt Joſepho Ἀβίβαλος, Εἴρωμος. Euſebio Ἀβέλβαλος, cui ſucceſſit *Hiramus* anno Davidis XXXIV. dein Βελεάζαρος, vel Bele-aſtartus; tum *Abd-aſtartus*, ſub extrema Salomonis, id eſt, *ſervus Aſtartis*, Sidoniorum Deæ, cui Salomon Excelſa ædificavit. Vide Joſephum contrà Apion. *Lib.* I. Quod verò Clemens Alex. *Strom.* I. ait, Menelaum in Phœniciam delatum, *Hiramo* regnante, neceſſe eſt de anteriore Hiramo intellexerit.

Sanchoniaton an genuinus?

Ad hæc tempora refertur *Sanchoniaton* ille ſcriptor Phœniciæ Hiſtoriæ, Phœnicius ipſe, tranſlatus ſcil. à *Philone Byblio*, ſub extrema Trajani; Hiſtoricorum omnium antiquiſſimus. Qui ſua accepiſſet ex ſcriptis *Taauti*, ex ὑπομνήμασι Civitatum, ex ἀναγραφαῖς Templorum, cumprimis ex *Memoriis* (ὑπομνήμασι) *Hierom-Baalis*, Sacerdotis Dei Ἰευὼ, quem Gedeonem fuiſſe putant, ob affinitatem nominis *Jerub-baal*. Abſurdè quidem, quum eſſet Gedeon ex Tribu Manaſſe, non Sacerdotali. Nempè ſic ſolitæ Apocryphæ Tabulæ, ex antiquis Inſcriptionibus, Columnis, Cippis, Lapidibus; ſua derivare; more quidem primis mortalium recepto, ſed trahendo ſæpè in fraudem. Qualiter Columnæ *Hermetis*, *Sethi*, de quibus ſuprà, ϛῆλαι Ἀκικάρου apud Clem. Alex. *Strom.* I. *columnæ Acicari*, vel ἀναγραφαὶ *Babyloniorum* apud Beroſum in Græcis Euſebii, ſexcenta id genus dubia vetuſtatis monumenta. Qualia ſunt etiam monumenta *Etruſca*, *Malabarica*, *Sinica*, quæ ſuperiori & noſtrâ ætate ab Annio, Inghiramo, Jeſuitis, Miſſionariis, & ab Ath. Kirchero,

ro, Andreâ Mullero, &c. orbi venditata ſunt. Ità Clariſſ. Dodwellus, Diſcurſu de Sanchoniathone, Philonis Byblii ſuppoſitionem ex eo ſuſpicatur, quod antè eum nemo hujus Hiſtorici meminerit; & quod *Byblum*, patriam Urbem, Phœnicia illa Hiſtoria extollat ſuprà omnes alias.

Colonias Phœnicum in Africam continuatas, circà Davidis tempora, docet nova *Carthago* hac ætate condita, ex Euſebio. Nam Phœnicio nomine eſt קרתא חדתא *Civitas nova*, Νεάπολις, undè *Carthada*, *Carthago*, Καρχηδών, Θ in x permutato, quod Siculorum proprium docuit Salmaſius. *Didone* tamen nondum hujus temporis, nec fratre Pygmalione, à quo Sicharbas vel Sichæus (maritus Didonis) interfectus fuerit.

Phœnicum populi *Palæſtini*, ſeu *Philiſtai*, ſed & *Jebuſæi*, qui Arcem Sionis tenuerant, à Davide tandem ſubigendi fuêre 2 *Sam.* v. VIII. &c. Sic & tributarios ſibi fecit Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Amalekitas. De quibus refert Hiſtoria Sacra in rebus Davidis & Salomonis. Poſt Salomonem tamen Gentes illæ jugum denuò excuſſerunt.

Ægyptiorum. III. *Ægyptiorum* Reges variè memorant, Africanus ex Manete, Euſebius, Syncellus, &c. Euſebius refert ad hanc Epocham, xx. Dynaſtiam *Dioſpolitanorum*: Quam excepit illa *Tanitarum*, quæ XXI. tum *Bubaſtitarum*, quæ XXII. Inclyti Reges memorantur: *Chemmis*, ſtructor maximæ Pyramidis, apud Diodorum Sic. cui erigendæ XXXVI. hominum myriadas vexaſſe dicitur, ſpatio xx. annorum; Χαίωψ Herodoto, circà tempora Davidis: *Vaphres* I. ejus nominis, coævus Salomoni, apud Clem. Alex. Idemque qui *Pharao* ſocer Salomonis, & qui Taniticæ Dynaſtiæ; multis *Pſuſennes* Manethonis. Errat Joſephus, qui poſt hunc locat Reginam Ægypti quæ venerit ad Salomonem. Veriùs locandus Seſacus, Σέσαχος, *Sezonchis* Africano, qui bellum intulit Rehohoamo, primus Dynaſtiæ *Bubaſtica*.

Aſianæ res. Migrationes Græcorum. IV. *Aſianæ* res floruerunt, maximè poſt *Æolicam*, hinc *Ionicam* & *Doricam* migrationem, in Inſulas, tum Continentem minoris Aſiæ. *Æolica* ſimul & *Bæotica* migratio, quæ omnium prior tempore, τεττάρσι γενεαῖς πρεσβυτέρα τῆς Ἰωνικῆς, ut Strabo *Geogr.* L. XIII. refertur ad initia Samuëlis. Excepit hæc Heraclidarum κάθοδον in Peloponneſum, ubi duo præ cæteris ampliſſima regna fundarunt, Corinthiacum, & Spartanum. Auctor primus migrationis *Oreſtes*, filius Agamemnonis, poſt excluſos Peloponneſo Oreſtidas; perfecturo hunc in Aſiam tranſitum Penthilo Oreſtis filio, adjuto à Bœotiis, qui & Coloniam deduxêre. *Ionica* deinceps in Aſiam migratio Davide Rege, contigit, ſcil. ſecedentibus tum Ionibus ex Attica, magno numero, ducibus Codri filiis, Davidis A. v. juxta Euſebium, aliis paulò ſeriùs. Litora ab Æolibus, tum & ab Ionibus occupata; Urbes ἀρχαίας Aſiæ ab iis conditas, puta *Cumam Æolicam*, *Myrinam*, *Smyrnam*, &c. ab Æolibus; dein ab Ionibus conditas *Miletum*, *Epheſum*, *Myuntem*, *Prienem*, *Lebedum*, *Teon*, *Erythras*, *Colophonem*, *Clazomenem*, *Phocæam*, *Chium*, *Samon*. Urbes has Ionicas numero XII. ex Strabone, *Lib.* XIV. Pauſania in *Achaïcis*, aliiſque Hiſtoricis, pluribus diſcere eſt. *Phocæam* tamen non Iones, ſed οἱ Φωκαιεῖς *Phocæenſes* condidiſſe referuntur apud Pauſaniam, uti poſtmodum iidem Maſſiliam condidêre, propè Oſtia Rhodani, ex Trogo, &c. Nec ſimul hæ Urbes extiterunt, ſed ſucceſſivè. *Magnetum* migratio mox Ionicam excepit, anno ſequente, à quibus condita *Magneſia* ad Mæandrum. Magnetes autem ſub Pelio monte habitarunt, trans Penæum fluv. De quibus & Photius ex Conone *Cod.* CLXXXVI.

Dorica migratio in *Cretam*, *Rhodum*, tum in *Cariam* ἑξάπολιν, ejuſdem fere cum Ionicâ temporis eſt. Fuerunt hi ex Heraclidarum genere, ab Ionibus ex Peloponneſo invitati, à quibus & Doridi Aſianæ nomen, qui antea tenuerunt Δωρίδα ἑξάπολιν juxta Parnaſſum. Dein in Peloponneſo ſedes habituri, pulſis Achæis; hinc in Aſiam trajecturi. Ac Rhodum primò adnavigarunt, undè Cares pepulerunt; hinc in proximam continentem effundendi, quæ *Doris* appellata eſt. *Lydis* etiam ſui ex *Heraclidis* Reges fuerunt, jam ante iſtorum Deſcenſum in Peloponneſ. qui maris imperium tenuerunt, hinc Θαλασσοκρατήσαντες.

V. De cæteris *Græcorum* rebus, hac Ætate, ſatis iſta verbo indicâſſe. *Athenienſium* Rex ultimus *Codrus* refertur Euſebio, ad XXVII. Samuelis & Saulis. Exinde *Archontes*, quaſi Prætores perpetui, διὰ βίου, quorum primus fuit *Medon* Codri filius, per annos xx. Poſt hunc Codri alter filius *Neleus*, qui poſtea cum Ionibus in Aſiam ſolvit, quum annos XIII. principatum tenuiſſet: Relicturus hunc *Acaſto* Medonis filio, hic *Archippo* filio, à quo *Therſippus* Archippo natus, accepit Archontis dignitatem, ſub quo Marmora ponunt Templi Salomonici fundationem. De primis *Archontibus* Athenienſium, quaſi Prætoribus perpetuis, abolitis *Olymp.* VI. ex Pauſania in *Achaicis*, & aliis, fusè Meurſius noſter. Res Athenienſ. Corinthior. Laconum.

De *Aris* Dearum *Eumenidum*, quæ σεμναὶ appellabantur, antiquiſſimo Græciæ Aſylo, refert Pauſanias in *Achaicis*: Occaſione perfugii ad eas Aras Lacedæmoniorum, quum hi jam in urbem penetraſſent, deſerti à ſuis; undè incolumes ab Athenienſibus dimiſſi. Quando ſcil. auditâ Codri morte, cognitoque mortis ejuſdem genere, Peloponneſii exceſſiſſent Attico ſolo, Megaridem ſibi tum vendicaturi.

Corinthiorum & *Lacedæmoniorum* regnum invaſerunt Heraclidæ, pulſis Achæis & Oreſtidis; Annis circiter LXXX. poſt Excid. Trojæ. Iſtorum Rege I. *Alete*, qui ut Corintho potitus ſit, quam Siſyphidæ hactenùs tenuerant, prolixè Pauſanias; horum Regib. *Euryſtene* & *Procle*, fratribus, qui ſimul Lacedæmone regnarunt; Euſebius refert ad eandem Samuelis Epocham. Ab illo Euryſtene prognatus *Agis*, inclytus rebus geſtis, à quo *Agidarum* nomen; coævus Davidi fuit.

Non deſunt qui ad hanc Ætatem referant *Heſiodum*, & *Homerum*, ſed ex Chronico Marmoreo, & Doctiſſ. Chronologis, omninò cenſendi juniores.

Latinorum. VI. Latini Reges hujus Epochæ ſunt, apud *Euſeb.* Æneas Sylvius ab Ænea IV. Latinus Sylvius, & Alba Sylvius. An tamen hi verè *Æneidæ*, diximus nuper ab aliis controverti. Plura hæc pagina non capit.

EPOCHA SEXTA.

A Roboamo & Diſtractione Regni, ad initium Annorum LXX. Captivit. Babylonicæ.

I. *Rationes Chronologicæ hujus Epochæ.*

I. SUpponimus terminari hanc Epocham ad Annum IV. *Jehojakimi* Regis, unde initium Captivit. Babylon. ſeu ſupputationis Annor. LXX. quam Epocham Scriptura diſtinguit: Conſentiunt accuratiſſimi Chronologi. Aliàs produceremus *ſextam* noſtram ætatem, ad Excidium Urbis ſub Zedekiâ.

II. Sup-

Digitized by Google

II. Supponimus, quod ferè pro confeſſo eſt, Annos qui tribuuntur Regibus Judæ, & Iſraëlis, non perindè ſemper in Hiſt. *Regum* & *Chronicorum* ſupputari. Quandoque enim anni *inchoati* ſunt non completi, & contrà; quandoque numerus *laxior*, ut rotundus numerus exurgat; quandoque etiam inchoandi anni, non *ſeorſim* à morte Patrum, ſed *conjunctim* vivis adhuc Patribus, aſſumptis filiis in ſocietatem Regni, ut in annis v. gr. *Jorami* filii Joſaphati, ſic *Jeroboami* II. filii Joaſi; de quibus in *Canone Chron.* ad Epocham VI. Et ex hac ſupputandi diverſitate factum, ut in comparatione annorum qui tribuuntur Regibus *Iſraëlis*, & qui contemporaneis Regibus *Judæ*, puta ad Athaliam uſque, anni priorum ſuperent annos poſterior., ferè *annis* IV.

III. Supponimus annum I. Roboami, ſeu diſtracti Regni, coincidere cum anno *Per. Jul.* etiam juxtà Petavium, Uſſerium, &c. 3739. Annum verò IV. Joakimi Regis, unde incipiunt anni LXX. Captiv. cum anni *Per. Jul.* 4108. Relinquuntur anni intermedii —— —— —— 368. Quamvis inductione factâ annorum qui ſingulis Regibus tribuuntur, ſed *inchoati* ſæpe pro *completis*, exurgant anni circiter —— —— —— 370.

IV. Si verò ducatur Epocha à ſtructo Templo Salomonis, annis 37. antè ejus exceſſum, A. *Per. Jul.* 3702. ad deſtructionem Urbis & Templi ſub Zedekiâ, A. *Per. Jul.* 4126. exurgent anni completi, quibus ſtetit Templum Salomonis, cum aliquot menſibus, —— —— —— —— 424. Differt nonnihil Canon Chronicus Anglicanus, qui Templum Salom. deſtructum fuiſſe, poſtquam extructum fuerat, annis —— —— —— —— 427.

II. *Schiſma tùm in Republicâ, tùm in Eccleſiâ natum.*

Schiſmatis Jeroboamici circumſtantiæ.

HUjus conſtant ex Sacrâ Hiſtoriâ, I. *Tempus*, mox ab exceſſu Salomonis, in Comitiis Sichemi habitis, quum de inaugurando Rege, ſeu mittendo in poſſeſſionem Regni, ageretur, 1 *Reg.* XII. 1.

II. *Occaſio*, Roboami nempè, ætate non conſilio maturi, 2 *Chron.* XII. 13. *pertinacia* in ſpernendis conſiliis Seniorum Iſraëlis, qui ſuaderent liberari populum à graviſſimo onerum ac tributorum jugo, quod urgebant Tribus. Sic olim Priamus perdiderat Trojam, in ſpretis Antenoris & ſeniorum conſiliis de reddendâ Helenâ. Scilicet onerum auctor *Salomon*, occaſione Aulæ ſuprà modum ſumptuoſæ, 1 *Reg.* IV. Templi, Regiarum, Ædificiorum, Operarum, ad quas adhibebantur toto Regno Iſraëlitæ. Adhæc *imprudentia* in admittendis conſiliis juniorum ſumma, in additis à Regno minis, 1 *Reg.* XII. 11. & in non obſervatis inſidiis Jeroboami, ac neglecto vaticinio Ahiæ Prophetæ, vivo adhuc Salomone, 1 *Reg.* XI. 29. 30. &c. Adde in capeſſendâ Regni curâ, non primam fuiſſe *Religionis* illam, nec incepiſſe à *Domo Dei*, ſed magis ſollicitum fuiſſe Rehoboamum de Tributis.

III. *Caput* defectionis, Jeroboam Ephraimita, ſervus antè Salomonis, Regnum illi prædicente pridem Ahiâ Prophetâ, addito ſymbolo *ſciſſæ veſtis* in XII. partes, vivo adhuc ſpiranteque Salomone, 1 *Reg.* XI. 30. & XII. 15. Undè metus Salomoni ab homine ambitioſo, hinc quærendo ad necem, ſed conſulturo ſibi ſuâ in Ægyptum fugâ, 1 *Reg.* XI. 40. Factum juſto Dei judicio, in pœnam Salomonicæ defectionis.

IV. *Modus* ſciſſi Regni; Dùm idem ille Regnum à X. Tribubus ſibi oblatum occupat, munimentis firmat, diviſo ſic *Ephraim* à *Judâ*, *Eſai.* VII. 17. & uno Imperio in duo Regna diſtracto: Quorum alterum *Judæ* dictum, à potiori, ex Tribu Judæ & maximâ parte Benjaminis, accedentibus Levitis, 2 *Chron.* XI. 14. alterum *Iſraëlis*, *Ephraim*, *domûs Iſraël*, ex X. reliquis Tribubus, & parte exiguâ Benjam. Regia Jeroboami primò *Sichem* fuit, 1 *Reg.* XII. 25. dein *Thirza* in Tribu Manaſſis, donec *Samaria* conderetur in Tribu Ephraim, regnante Amri.

Idololatria.

V. *Medium* confirmando Schiſmati; fuit erectio novi cultûs, & immutatio Sacrorum, quod proprium omnium Uſurpatorum fuit. Idque neceſſe habuit Jeroboam, ne Hieroſolymam, Metropolim regni Judæ, deinceps Tribus confluerent, 1 *Reg.* XII. 17. cumprimis in Feſtis majoribus. Hinc *Vituli duo* ad cultum inſtituti, ex Ægyptiorum diſciplinâ, quos inter verſatus Jeroboam, alter Dane, alter Bethele, duobus extremis Regni terminis; Sicque Altare Altari, Bethel Sanctuario, cultus Idololatricus Moſaico, oppoſita, Rege ipſo adolente thura, & immolante vitulis aureis, 1 *Reg.* XII. 2 *Chr.* XI. XIII. & in Joſepho *Lib.* VIII. C. III. Ac fruſtrà futurus Rehoboam, in congregando exercitu 180000. delectorum hominum ex Tribubus Judæ & Benjaminis, 1 *Reg.* XII. 21. Nempè monitus à Semajâ Vate, ut dimiſſis copiis quiſque domum reverteretur, poſtquàm Deus ità ſtatuiſſet, dividere Regnum. Quamvis immemor poſteà Rehoboam perpetuum adversùs Jeroboamum bellum geſſerit, 1 *Reg.* XIV. 30.

Effectus.

VI. *Effecta* ejuſdem: Nempè Religionis & Eccleſiæ in *Iſraële* ſubverſio; Scholarum diſſipatio; Sacerdotum ac Levitarum exauctoratio, 2 *Chron.* XI. 14. defectio ad Gentium Idola, Sidoniorum, Acaronitarum, Syrorum; morum denique univerſalis corruptio: Reſiduo tamen aliquo piorum etiam ſub Achabo, 1 *Reg.* XVIII. 4. XIX. 18. quin & Prophetarum, quibus ſua Collegia, Bethele, & Gilgale, 2 *Reg.* II. 3. IV. 38. &c. Præter Prophetas alios extrà ordinem ſuſcitatos, in Regno *Iſraëlis*.

Ac duravit Schiſma quamdiu ſtetit Regnum Iſraëlis, uſque ad deportationem Tribuum ſub Hoſeâ, Rege ultimo; de quâ infrà.

Pœna.

VII. *Pœna* impietatis, primùm denunciata Jeroboamo, per eundem Ahiam, 1 *Reg.* XIV. 10. 15. & antè per Prophetam anonymum, cum circumſtantiis ſuis, prædicto *Joſiâ* Rege vindice, 1 *Reg.* XIII. 2. Scil. evertendam Domum Jeroboami, & poſteros gladio perituros, & Iſraëlem aliò tandem tranſlatum iri, ac comburenda tum Altare Jeroboami, tum Sacerdotum oſſa ipſa. *Pœna* in Regnum, univerſum infligenda deinceps, 2 *Reg.* XVII. 6. &c. ipſâ deportatione Tribuum per Aſſyrios, de quâ infrà. Cæterùm Joſephi *Antiq.* L. VIII. C. III. non unus error eſt, in deſcribendâ hiſtoriâ Prophetæ Bethelem miſſi, & Vatis alterius qui Bethele habitabat. Hunc enim *ſeductorem* primum Hieroboami facit; tum prædictum fuiſſe Prophetæ Judæo, fore ut à *Leone diſcerperetur*; quod non in prædictione, ſed in eventu ipſo apparuit. Sic falsò Joſephus, hunc poſteà Vatem *Betheliticum* negaſſe apud Hieroboamum *Miracula* quæ contigerant; & elevaſſe quicquid factum erat per Judæum Prophetam. Quæ, & id genus alia, dicuntur præter Textum S.

III. *Hiſtoria Regum Judæ, & Iſraëlis, à tempore Diviſionis.*

I. NEc compendii hujus ſunt nec inſtituti, quæ ex hiſtoriis *Regum* & *Chronicorum*, harmonicè diſpoſuerunt paſſim Chronologi, Hiſtorici, Annaliſtæ ſacri, & perſequitur Joſephus à *Capite* III. *Libri* VIII. ad finem *Libri* IX. quoad Regnum Iſraëlis, & ad finem *Libri* X. quoad Regnum Judæ. Quan-

Digitized by Google

Quanquàm ſanè intereſt plurimùm cognoſcere utriuſque Regni conditionem, ſucceſſiones, bella civilia, bella externa, victorias, clades, idololatriam, impietates, pœnas divinitùs denunciatas & inflictas. Ex quibus mira lux *Scriptis Propheticis*, quæ perpetuò ad *hiſtoriam* reſpiciunt, & ad peccata, calamitates, liberationes, in regnis Iſraëlis & Judæ. Quæ omnia ipſis evenerunt *in typum*, & in exemplum Eccleſiæ Novi Teſt.

Collatio Regum Judæ, & Iſraëlis. II. Reges *Judæ*, à Rehoboamo ad Mattaniam ſeu Zedekiam, ultimum, fuêre numero xx. Athaliâ incluſâ. *Iſraëlis* verò à Jeroboamo ad Hôſeam numero XIX. *Zimri* 7. dierum Rege, 1 *Reg.* XVI. Multiplici aliàs inter utroſque Reges *diſcrimine* obſervando: Ratione *generis*, quod in R. Judæ omnes à Davide duxerunt, etiam Joramus maritus Athaliæ: Ratione *tituli* quo Regnum habuerunt, in Judâ quidem electione divinâ David, tùm ſucceſſione legitimâ omnes, exceptis *Athaliâ* 2 *Reg.* XI. 2. & ſub jugo Babyloniorum, *Eljakimo*, & *Zedekiâ*, ſeu *Mattania*; Quum Reges Iſraëlis etiam jure belli, uſurpationis, tyrannidis, &c. regnum adepti legantur, excepto *Jehu*, qui electione Dei, 2 *Reg.* IX. in Achabum vindicis: Ratione *cultûs* ſacri, quum pauci *Judæ* reges evaſerint Idololatræ, multi qui ambularunt in *viis Davidis & Salomonis*; *Iſraëlis* Reges impii ad unum omnes, ne Jehu excepto, qui ſuſcitatus fuerat ad exſcindendam familiam Achabi, 1 *Reg.* X. 28. 29. Denique diſcrimen fuit, in *duratione* utriuſque Imperii, *Judæ* regno ad *centum* & *quinquaginta* circiter annos longiùs extenſo, indè ab anno I. Rehoboami, ad conflagrationem primi Templi. Adde diſcrimen, inter utrumque regnum, ratione *felicitatis*: Quum longè graviora Dei judicia ſint exercita in familias *Jeroboami*, *Achabi*, &c. & in Regnum *Iſraëlis*, bellis vexatiſſimum. Cui Syriæ præcipuè Reges infeſtiſſimi fuerunt, Aſſyriæ poſtea, donec illud extinguerent. Acceſſit *Verbum Propheticum* continuatum ſalutariter in Regno Judæ, inde ab Ahiâ, Semajâ, Jeddone, &c. Prophetis nonnullis quidem in Regno Iſraëlis, ſed in ejus perniciem, vel ex hiſtoria *Eliæ* Thesbitæ, & *Elizæi*, à 1 *Reg.* XVII. ad 2 *Reg.* XIII. 20. ut infrà patebit.

Difficultates Chronolog. III. Porrò in hac omni Hiſtoriâ libris *Regum* & *Paralipom.* deſcriptâ, antilogiæ apparentes non paucæ, quoad annos *Regum*, Periodos *Regnorum*, *Locorum* nomina, & ſimilia. In ſpecie, Chronologiâ annorum regum Judæ & Iſraëlis nihil perplexius, conciliatione nihil difficilius, & ſi uſquam in Textu ſacro dantur ἄποϱα, hîc ſanè dantur. Quod occurrit tum in annis *expanſis* ſingulorum, tum in *comparatione* annorum qui tribuuntur illinc Regibus Judæi, hinc Iſraëlis. Undè alii Hebræos Codices corruptionis accuſare; alii audaciùs reſtituere; alii, quos inter Beroaldus noſter, opus *divino afflatu*, ut expediantur multæ difficultates. Ex. gratia in annis Aſæ, comparatis cum annis Baaſæ, 2 *Chron.* XV. 19. XVI. 1. Sic in annis *Zimri* & *Amri* comparatis cum annis ejuſdem *Aſæ*, 1 *Reg.* XVI. 15. 23. Ità in comparatione annorum *Jorami* Judæ, filii Joſaphati, cum annis *Jorami* Iſraëlis, filii Achabi, 2 *Reg.* I. 27. III. I. 2 *Reg.* VIII. 16. inſolubili nodo, niſi diſtinguantur diverſæ Epochæ regni *Jorami Judæ*, vel cum Patre regnantis, vel à morte Patris. Sic in annis *Achaziæ* vel *Ochoziæ* Judæ, qui modò regnum iniiſſe A. XII. Jorami Iſraëlis, 2 *Reg.* VIII. 25. modò anno hujus XI. 2 *Reg.* IX. 29. nempe à Patre aſſumptus. Sic *Achaziæ* regnum capeſſenti tribuuntur anni XXII. 2 *Reg.* VIII. 26. aſt verò anni XLII. 2 *Chron.* XXII. 2. Sic in annis *Amaziæ* Judæ, & filii *Azariæ*, collatis cum annis *Jeroboami* II. moleſta conciliatio, 2 *Reg.* XIV. I. 17. XV. I. dum illinc Amazia mortuus intelligitur Jeroboami anno XV. &c. hinc filius ejus Azaria regnum iniiſſe Jeroboami anno XXVII. Hæc ſpeciminis ergo. De quibus dictum in *Chronologiâ* S. P. II. ad Epocham VI. quantùm ferebat inſtituti ratio. Nos ſingula modò indigitamus, in ipſâ *Regum* hiſtoricâ ſerie. Conciliandi autem ratio potiſſimum quadruplex. 1. Si anni *inchoati* & currentes pro *completis* habeantur; aut etiam, in annorum numero, planè non cenſeantur anni illi *inchoati*. 2. Si Filii ſtatuantur regnaſſe *vivis* quandoque Patribus, ſocio imperio, undè anticipandum illorum regnum. 3. Si varia annorum initia diſtinguantur, v. gr. à menſe *Niſan*, aut menſe *Tiſri*, quorum ille primus ſacer, hic civilis. 4. Si quandoque intelligantur anni non Regum quidem, ſed ſtantis Regni, ut in exemplo *Aſæ* indicatur; vel regni pacati, à factione liberi, ut in *Omri*. Vide *Chronolog. S. P.* II. col. 236. 237.

Singulos Reges quod attinet, en ſtrictim eorum *ſeriem*; *qualitates* qui boni vel mali; *bella* quibus exerciti Reges Judæ & Iſraëlis, aut quibus alios ipſi exercuerunt; *Prophetas* ſub ſingulis Regibus divinitùs ſuſcitatos, qui aut ſacra purgarent, aut ad pœnitentiam hortarentur, aut Judicia Dei, vel Liberationes prædicerent, aut venturum Meſſiam prænunciarent.

I. *Roboamus* ex bono malus & Idololatra, regnat annos XVII. admotus regno anno ætatis XLI. 1 *Chron.* XII. 13. Sub hoc *Bellum* Ægyptiacum, motum per *Siſac*, 2 *Chron.* XII. Σούσακον Joſepho *Lib.* VIII. C. IV. Σουσακεὶμ τοῖς LXX. Σουσακεὶμ G. Syncello. Qui anno V. cum innumerabili multitudine, domitis primo Æthiopibus, Lybis, Judæam invaſit, & Hieroſolymam ingreſſus theſauros Templi & Regis diripuit, ac ſcuta vel arma aurea Salomonis abſtulit, 1 *Reg.* XIV. 2 *Chron.* XII. Euſebius habet *Semedim*, XXI. ſcil. Dynaſtiæ Regem, undè eundem binominem fuiſſe colligitur, aut ſimul duos in Ægypto Reges imperaſſe. Fallunt qui *Seſacum* volunt fuiſſe *Seſoſtrim*, & in iis Marshamus, totius Aſiæ dominatorem, rebus geſtis maximè inclytum, apud Herodotum, Diodorum, & Hiſtoricos; qui aliàs *Sethos*, *Sethoſis*, *Seſooſis*. Hunc enim longè antiquiorem & ante Minois primi tempora, ſtatuunt omnes Græci veteres, certè vetuſtiorem fuiſſe bello Trojano. Roboam.

Propheta ſub hoc Semaja, vel Semia, à quo admonitus non ſemel Rehoboamus, 1 *Reg.* XII. &c. Tum & Propheta Anonymus, qui de *Joſiâ* vaticinatus eſt, deſtructuro excelſa & Idola Hieroboami, 1 *Reg.* XIII. 1. 2. &c. *Iſraëlis* Rex Hieroboam I. de quo ſuprà. Cujus uxori prædixit Ahia Propheta totius familiæ interitum, ſed & Iſraëlis, 1 *Reg.* XIV. Metropolis regni *Thirza*, in Tribu Manaſſis, antè Samariam conditam.

II. *Abia* filius Roboami, deſignatus à Patre ſucceſſor, ſuſceptus ex Maachâ, Abſalomi *filiâ*, id eſt, *nepte*, 1 *Reg.* XV. 2. quæ *mater* dicitur Aſæ, *verſ.* 10. id eſt, *avia*, familiari uſu apud Hebræos: Regnat annos III. incompletos, 2 *Chron.* XIII. 2. Sub hoc *bellum* cum Jeroboamo, cæſis *quingentis millibus* Iſraëlitarum, quamvis impar viribus, quâ victoriâ nullâ inſignior, 1 *Reg.* XV. 2 *Chron.* XIII. Joſephi *Antiq. L.* VIII. C. V. Fuit ſanè Rex *hoſtibus haud tergo*, *ſed forti pectore*, *notus*, at religione in Deum impius, & verè patriſſans. Abia.

Propheta fuit *Ieddo*, *Iddo*, 2 *Chron.* XII. 15. à quo res Roboami conſcriptæ. *Iſraëlis* Rex idem Hieroboam, cui anni regni XXII. tribuuntur, nec tamen completi, 1 *Reg.* XIV. 20. Nadabo ſucceſſore anno Patris XXII. modò inchoato; uti *Aſæ* Regis Judæ anno II. 1 *Reg.* XV. 25. Sed non duraturum regnum Nadabi, ſecundo anno tollendi à *Baaſâ*, qui totam Jeroboami familiam extinxit; uti Baaſæ familiam extinxit *Zimri*, juxtà prædictionem.

III. *Aſa*

Aſa. III. *Aſa Ἄσαιγος*, in laudatis Regibus, & Reformatoribus; quanquàm *non amotis Excelſis*, niſi tardè, aut impediente populo, 1 *Reg.* xv. 14. Regnavit annos XLI. 1 *Reg.* xv. xvi. inde à xxi. Jeroboami, & à Regni Judæ labente anno xx. Aviam ſuam, quæ *mater* dicitur, amovit ab honore Auguſtæ, quod turpiſſimum *Idolum* in luco collocaſſet, 1 *Reg.* xv. 13. Culpanda in hoc Rege, Fœdus initum, ex diffidentiâ, cum Benhadad Rege Syriæ; compedes injecti Hanano Prophetæ, ob prædictam divinitùs pœnam; tandem perfugium in morbo ad *Medicos*, veriùs quàm ad illum qui *maximus ægris Auxiliator adeſt*, 2 *Chron.* xvi. Sub hoc *bellum* defenſivum Æthiopicum, vel Arabicum, Zarâ Æthiopum Rege cum x. centenis millibus armatorum in Judæam irrumpente, Joſephi *L.* viii. C. vi. 2 *Chron.* xiv. xv. Bellum & cum *Baaſâ*, Rege Iſraëlis, qui regnum adiit III. Aſæ, 1 *Reg.* vi. 23. ut ità *Nadabo* Baaſæ deceſſori nonniſi annum integrum tribuas, quo ſolus regnaverit.

At difficultas maxima, undè 2 *Chron.* xvi. 1. idem *Baaſa* dicatur regnum Judæ infeſtaſſe, anno *Aſæ* currente xxxvi. qui ipſe mortuus anno Aſæ xxvi. Poſtquàm regnaſſet annos xxiii. completos, ſeu xxiv. inchoatos. Communis ſolutio eſt, annum xxxvi. deſignari, non *Aſæ* ipſius, ſed *regni* Judæ, inde à factâ diviſione, Petavio quoque probata. Sed de hac difficultate actum in *Chronol. S.* col. 236.

Propheta tùm Azaria, Hananus, Jehu Hanani filius, de quorum miniſterio legitur, 2 *Chron.* xv. xvi. 1 *Reg.* xvi.

Iſraëlis σύγχρονοι Reges, Nadab, Baaſa, Elah, Zimri, Omri vel Amri (anti-Rege Thibni) ſub quo *Samaria* in monte condita, & in Metropolim erecta, 1 *Reg.* xvi. Denique Amri filius *Achab*, profligatiſſimus Regum Iſraëlis, 1 *Reg.* xxi. 25. cum impiâ Jezabele. De his Joſephus *Lib.* viii. C. vii. viii. Non exiguus ſcrupulus in annis *Omri*, qui anno xxxi. Aſæ regnum adiiſſe dicitur, regnaſſeque annos xii. 1 *Reg.* xvi. 23. Quum tamen ſucceſſerit ille *Zimri* Regi, ſublato anno Aſæ xxvii. 1 *Reg.* xvi. 10. 15. 18. poſt vii. dierum regnum, quando ſe cum Regiâ ſuccendit; atque indè putentur anni xii. regni Omri. Sed æmulum habuiſſe cenſendus eſt *Thibni*, in primo regni *quadriennio*, quo ſublato, anno xxxi. Aſæ, ſolus regnum adminiſtravit. Sed hæc ad *Chronologiam* ſpectant.

Joſaphat. IV. *Joſaphat*, Rex optimus, Reformator inſignis, melior Patre, regnat annos xxv. ab anno iv. Achabi completo. De hoc 1 *Reg.* xxii. 2 *Chron.* xvii. & ſeq. *Abſtuliſſe* dicitur lucos & excelſa, 2 *Chron.* xvii. 6. quantum in ipſo fuit, non tamen ubique potuit, quo ſenſu rurſum *non abſtulit* excelſa, 1 *Reg.* xxii. 44. & 2 *Chron.* xx. 33. Filium *Joram* ſe adhuc vivo aſſumpſit in conſortium regni, ut mox obſervamus.

Sub hoc *bellum* ſociale cum *Achabo*, iniquo fœdere, 1 *Reg.* xxii. ut & altero cum *Achaziâ*, quem aſſumpſit Joſaphat in ſocietatem Claſſis Ophireæ, 2 *Chron.* xx. 35. 1 *Reg.* xxii. 50. *Defenſivum* verò bellum adverſus Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, 2 *Chron.* xx. devictis hoſtibus ad vallem quæ hinc Joſaphati, *Joël* iii. 2. Peccavit etiam Joſaphat, in delectu uxoris filio locatæ, ſcil. impiæ Athaliæ, Achabi filiæ, 2 *Chron.* xviii. 1. Quæ cauſæ ſunt cur inter meliores Reges, quales *David*, *Ezechias*, & *Joſias*, non numeretur, *Eccleſiaſt.* xlix. 5.

Propheta ſub hujus regno, *Micha* à Scriptore is Sacro diverſus, Jehu, Jahaziel, Eliezer, 1 *Reg.* xxii. 2 *Chron.* xix. xx. In Iſraële, Elias Thesbites, Micha, Elizæus, de quibus prolixè Textus Sacer. Notæ ſunt Hebræorum fabulæ de *Eliâ*; fuiſſe ipſiſſimum Phineam, filium Eleazari; nativitatem ejus ab Angelo prædictam; aſſumptum in Paradiſum terreſtrem; ibi ſociandum Enocho; & quæ fabuloſa alia, etiam de *Elizæo*. Abſurdiſſimi verò Monachi, & qui abuſi ſunt nomine *Joannis Hieroſolymit.* ſcriptoris iv. Sec. T. v. *Bibl. Patrum*; qui ſcilicet Eliam Monachum fuiſſe volunt, & auctorem *Carmelitici* Ordinis, ob ejus incolatum in monte *Carmelo*, & cœlibatum: Uti fabulas alias commenti, de variis apparitionibus Mariæ Virginis, unde dicendus Ordo *B. Mariæ, de Monte Carmelo*; de quo nos ad Secul. xii. xiii.

Iſraëlis Reges Achab, de quo, & ejus Conjuge, impia multa commemorantur, ſpeciatim circà *Nabothum*, ejuſque *vineam*, in quo error Joſephi non unus eſt, *Antiq. Lib.* viii. C. vii. Tùm *Achaziah*, filius Achabi; hinc *Joram*, ſub quo Samaria miſere obſeſſa, miraculo liberata, 2 *Reg.* vi. vii. & apud Joſephum *Lib.* ix. C. ii. Qui Joſephus non pauca addit ἄγραφα, & ἀνέγραφα, in Hiſtoria Syriacæ Expeditionis, quæ eſt 1 *Reg.* xxii. ut videre eſt *Antiq.* L. viii. C. x. inter alia, cecidiſſe in prælio contrà Syros neminem, præter *ſolum Regem* Achabum.

Prophetiis, factis, miraculis excellunt ſub his *Elias*, & *Elizæus*, Ἐλισσαῖος, inde à 1 *Reg.* xvii. ad 2 *Reg.* xiii. de quibus adeantur Interpretes. Mirabilis cumprimis eſt *Eliæ*, typi ac præcurſoris Chriſti, in Cœlos aſſumptio, 2 *Reg.* ii. curru igneo, & in turbine. Sic hiſtoria memorabilis *Naamanis* Syri, (quam mirum prætermiſiſſe ſilentio ſuo *Joſephum*) à leprâ mundati; & reſponſum illud Elizæi, ad quæſitum Naamanis (ut indulgeretur ſibi, ſi quando miniſtraret ſuo Regi, adoranti in Templo Rimmonis) *abi in pace*; quo viſus eſt ignoſcere fragilitati Naamanis, in actu illo *extrinſeco* Aulici miniſterii. Poſt Eliæ raptum, Elizæo in Hiſtoriâ S. xvi. circiter Miracula tribuuntur, indè à diviſis pallio aquis, 2 *Reg.* ii. uſque ad 2 *Reg.* ix. quæ vide.

V. *Joram*, conſors Regni paterni annos iii. minimùm, regnat annos viii. 2 *Chron.* xxi. 2 *Reg.* viii. 17. Quicquid alii addant annos xx. inglorios, quibus ſcil. *Achazia* filius veriùs regnaverit, ſolus hic demùm regnaturus anno ætatis xlii. ob difficultatem quæ eſt 2 *Chron.* xxii. 2. collato cum 2 *Reg.* viii. 26. Sed de hoc dictum eſt in *Chronologicis*, col. 235. 236. Et hic quidem fuit Rex malus, ἀδελφοκτόνος, Idololatra. Nempè corruptus ab Athaliâ conjuge, Achabi filiâ, 2 *Chron.* xxi. xxii. Joram.

Sub hoc defectio *Edomitarum* à Judâ, excuſſo jugo ſervitutis, cui indè à Davide fuerant obnoxii, 2 *Reg.* viii. 20. juxtà vaticinium, adimplendum in poſteris, *Erit quum jugum excuties de collo tuo*, *Gen.* xxvii. 42. Et hæc quidem in pœnam ſcelerum, & impietatis Regni *Judaici*.

Propheta iidem, & memorabilis *Eliæ* ad Joramum Epiſtola, 2 *Chron.* xxi. antè ſanè ſcripta, ſed tradita demùm aliquot annis, ix. circiter, poſt raptum illius miraculoſum, 2 *Reg.* ii. Confert Grotius cum *ſomnio* divinitùs immiſſò Judæ Maccabæo, & viſione Oniæ Summi Sacerdotis, ac Jeremiæ Prophetæ, 2 *Macc.* xv. 12. &c. qui pridem occubuerant. Sed reverà prædixerat Elias, tùm cladem ab Idumæis & Arabibus Joramo inferendam, tùm plagam inſanabilem longæ δυσεντερίας, quâ idem percuſſus legitur 2 *Chron.* xxi.

Iſraëlis Rex σύγχρονος & cognominis *Joram*, filius Achabi, de quo modò. Perſequitur omnia Joſephus *Lib.* ix. C. ii. iii. iv.

Inſuperabilis videtur difficultas in conciliandis annis Regum συγχρόνων *Joſaphati*, *Jorami* Judæ, *Achabi*, hujuſque filii *Jorami* Iſraëlis. Nam uno loco, 1 *Reg.* xxii. 41. Joſaphat regnat ab anno 4. Achabi impleto, annos 25. Sublatus ergò Achab,

 (cui

Digitized by Google

(cui anni XXII. tribuuntur,) Joſaphati 17. annis 8. antè mortem Joſaphati, & ſucceſſionem Jorami Judæ. Altero loco, 2 *Reg.* I. 17. *Joram* filius Achabi, biennio ab hujus morte, medio *Achaziâ*, cœpiſſe dicitur anno 2. *Jorami* Judæ, vivo tamen adhuc Joſaphato, cujus tùm labebatur annus XX. ut ita V. anni Jorami Iſraëlis, coincidant cum V. annis poſterioribus Joſaphati. Tertio loco, 2 *Reg.* III. I. idem *Joram*, Achabi filius, cœpit regnare anno Joſaphati expirante 18. Quarto loco, 2 *Reg.* VIII. 16. Joram *Judæ* regni habenas capeſſivit anno V. Jorami *Iſraëlis*, huic jam poſterior; qui tamen Joram Judæ præponitur Filio Achabi, 2 *Reg.* I. 17. Porrò *quintus* Jorami Iſraëlis, coincidit cum Joſaphati anno 22. Nec felicior conciliandi ratio, quàm ſi Joramo Judæ *tria* regnandi principia tribuantur; *duo* tanquam *Proregi* aſſumpto, vivo Patre, anno Joſaphati XVII. quo tempore hic profectus ad bellum ſociale cum Achabo, 1 *Reg.* XXII. tum anno XXII. profecto Joſaphato ad bellum cum Ammonitis & Moabitis, 2 *Reg.* VIII. 16. 17. tertium denique Patre ſublato, 1 *Reg.* XXII. 51. Alii alia conjectant, & Lud. Capellus, aliique, mendum eſſe in Textu 2 *Reg.* I. 17. nec illud *anno ſecundo*, eſſe in Verſione LXX. ut nec illud extat quod in Hebræo eſt, *& Joſaphat Regis Judâ*, 2 *Reg.* VIII. 16. Sic videtur ſtatuendum, *Achaziam* vel Ochoziam *Iſraëlis*, habuiſſe conſortem Regni fratrem ſuum Joramum, ex quo iſte ex lapſu decubuit, undè hic Joram regnare cœpit anno XVIII. Joſaphati, id eſt, conregnare, 2 *Reg.* III. I. Quæ deducere pluribus non hujus inſtituti eſt.

Achazia. VI. *Achazia*, qui & Azaria, Johahaz, Regnum adiit ſolus anno Jorami Iſraëlis 12. incipiente, 2 *Reg.* VIII. 25. vel ejuſdem anno *undecimo* expirante, 2 *Reg.* IX. 29. Rex impius corruptus à matre Athaliâ, regnat annum I. ab ætatis anno XXII. ut eſt 2 *Reg.* VIII. 26. Sed moleſtâ conciliatione, & variâ ſimul, cum loco 2 *Chron.* XXII. 2. ubi regnare cœpiſſe anno ætatis XLII. Mendum in poſteriore loco ſuſpicantur Mercerus, Grotius, Capellus, Petavius, Uſſerius, &c. Alii intelligi XLII. annos non ipſius *Achaziæ*, ſed domûs *Omri* Patris Achabi, ex quo Achazia per matrem Athaliam, de quo in *Chronol. S.* à me anquiſitum.

Sub hoc bellum in Syros, iniquo *Achaziæ* cum *Joramo* fœdere, 2 *Chron.* XXII. 5. utroque mox per *Jehu* ſublato, Joſephi *Libro* IX. C. V. ex 2 *Reg.* IX. 24. 27. 2 *Chron.* XXII. 9. Ubi difficultas ratione loci necis Achaziæ, qui in Libro Regum eſt *Megiddo*, ille ipſe locus in quo cecidit poſteà Joſias, 2 *Reg.* XXIII. 29. 30. quum Achazia fuiſſet in curru vulneratus; & in Chronicis eſt *Samaria*, niſi hæc ſit nomen Regionis totius, non præciſè Urbis. *Iſraëlis* Rex idem qui antè Joram.

Athalia. VII. *Athalia* fœmina, (Γοθολία) uſurpatrix Regni, mater infelicis Achaziæ, anteceſſoris; Crudelis ea, ut quæ Regiam omnem Davidis familiam extinxit. Idololatra, ut quæ in *Baalis* cultu promovendo tota fuit. Regnat annos VI. 2 *Reg.* XI. 2 *Chron.* XXIV. Subducto ejus furori uno Joaſo nepote, curâ Materteræ, uxoris Jehojadæ, & incluſo illo in domo Dei cum ejus nutrice, ad annum ætatis VII. 2 *Reg.* XI. I. 2. 9. Vide & Joſephum *Antiq. L.* IX. C. VII.

Rex *Iſraëlis* contemporaneus fuit *Jehu*, unctus divinitùs in deſtructionem domûs Achabi, 2 *Reg.* IX. 6. 14. Undè Jezabelem è feneſtrâ proſpicientem ex alto præcipitari mandat, miſerè conculcandam, futuram prædam & eſcam canibus, ſecundum prædictionem Eliæ Thesbitæ, 2 *Reg.* IX. 32. &c. Quin & in LXX. *Achabi* filios Samariæ educatos, ac cognationem omnem, & in *Baalis* Sacerdotes ac Prophetas omnes, obtentu ſolemnis ſacrificii Baali offerendi, immiſericorditer ſæviit, 2 *Reg.* X. Quanquàm & ipſe cultor Idolorum, 2 *Reg.* X. 29. 30. 31. hinc ad IV. generationem regnaturus; de quo Joſephus *Lib.* IX. C. VI.

Sub hoc natum inſtitutum *Rechabitarum*, *Jerem.* XXXV. 6. 7. auctore *Jonadabo* filio Rechabi *Kinæi*, de genere Jethronis, undè Rechabitæ etiam *Kinæi*. Hic certè Jonadab dicitur obvius factus Jehu Regi, 2 *Reg.* X. 15. Erant Kinæi iſti proſelyti, peregrini in Iſraële, prima origine νομάδες, ἁμαξόβιοι, vagis ſedibus, qui Moſi iter per deſerta commonſtrarant. Undè votum de abſtinentiâ à *vino*, uvis; de non conſerendis agris, nec plantandis vineis; de non ædificandis domibus in Iſraële; de ſedibus habendis ἐν σκηναῖς *tentoriis*, ut quorum majores fuiſſent Scenitæ. Idque ut ſuæ ſortis & originis meminiſſent, atque abſtraherentur à curis ſeculi. Nec ad voti meritum, ſed ad obedientiam Patri præſtitam reſpexit Deus, *Jerem.* XXXV. 14.

VIII. *Joas* filius Achaziæ, Rex ex bono malus, talis certè à morte *Jojadæ* (Barachiæ) Pontificis, regnat annos XL. ſed incompletos, 2 *Reg.* XI. XII. XIII. 2 *Chron.* XXIII. XXIV. Hìc rursùm difficultas, primò ex 2 *Reg.* XIII. I. ubi *Joachaz* filius Jehu admovetur Regno Iſraëlis anno Joaſi 23. quo anno inſtaurationem Templi, ab Athaliâ matre neglecti, pecuniis in hanc rem collectis, & in Gazophylacio Templi collocatis, cœpiſſe dicitur. Deinde ex 2 *Reg.* XIII. 10. ubi *Joas* filius Joachazi ſuccedit in Regnum Iſraëlis anno Joaſi Judæ 37. id eſt, Joachazi patris anno 14. vel 15. qui cœperat Joaſi Judæ 23. Regnavit autem annos 16. ex priore loco, 2 *Reg.* XIII. id eſt, ad annum inchoatum XVII. Conciliandi ratio eſt; ſi priore loco annos *Joaſi* putes tantum XXII. completos, poſteriore annos regni *Joachazi* XVI. completos; Undè exurgent Joaſi Judæ anni XXXVII. completi, trigeſimo octavo regni currente. Joas.

Bellum ſub hoc Rege Syriacum, cum Hazaële Syro, prædicente Elizæo, funeſtum Urbi, Templo, Regi, ſacro Ærario tùm in manus Hazaëlis tradito, ad pacem redimendam, 2 *Reg.* VIII. 11. XII. XIII. 3. & in Joſepho *Lib.* IX. C. VIII.

Hic *Zachariam*, Filium Jojadæ (*Barachiæ* apud Matthæum, affini nomine, quoad rem ſignificatam, ex Verſ. LXX. *Eſ.* VIII. 2. ut Eljakim & Jehojakim, &c.) inter Templum & Altare holocauſtorum, *in atrio* occidi juſſit, 2 *Chron.* XXIV. 20. 21. *Matth.* XXIII. 35. Sed mox daturus Joas pœnas ſacrilegii; à ſervis ſuis, in ultionem cædis Zachariæ, nefariè in lecto ſuo percutiendus.

Reges *Iſraëlis* coævi, Jehu, & Johachaz, 2 *Reg.* XIII. de quibus antè dictum, vivo adhuc *Elizæo*.

IX. *Amazia*, qui dicitur *feciſſe quod rectum erat in oculis Jehovæ*, 2 *Reg.* XV. 3. ſed ex bono corruptus ad malum. Regni habenas capeſſivit anno Joaſi Iſraëlis 2. quemadmodùm hic anno Joaſi Judæ 37. 2 *Reg.* XIV. I. Ac regnavit quidem Amazia annos 29. ut ſubjungitur 2 *Reg.* XIV. 2. & 2 *Chron.* XXV. I. Superſtes Joaſo Iſraëlis fuit annos 15. ut eſt 2 *Reg.* XIV. 17. Quo fit ut Jeroboam II. filius Joaſi, admotus regno ſit anno Amaziæ 15. ut diſertè 2 *Reg.* XIV. 23. & Amazia ſublatus ſit, ſucceſſore Azariâ, poſtquàm Jeroboam regnaſſet annos ferè XI. Hinc difficultas redit ex 2 *Reg.* XV. I. ubi Jeroboamo tribuuntur anni 27. quum ſuccederet Azaria in regnum Judæ; rurſus mortuus fertur Jeroboam anno Azariæ 38. 2 *Reg.* XV. 8. Seu jam *interregnum* concipiatur annorum XI. in regno Iſraëlis, cujus tamen certa veſtigia non apparent; ſeu Azariæ anni XI. priores coincidant cum annis Amaziæ patris, quocum regnaverit, in regni ſocietatem à Populo aſſumptus, 2 *Reg.* XIV. 23. Sed de his dictum in *Chronol.* ad Epoch. VI. Amazia.

Sub

Sub Amazia *bellum* cum Idumæis primò, tùm cum Joaſo Iſraëlis Rege. Prius felix, poſterius, in quo Amazia Joaſum bello provocavit, Regi & Urbi luctuoſum, capto Rege, & Urbe, in quam Triumphali curru Joas ingreſſus eſt, 2 *Reg.* XIV. Vide & Joſephum *Lib.* IX. C. IX. X. ubi refert murum Hieroſolymorum ad 300. cubitos à Joaſo dirutum, Scriptura autem ad 400. 2 *Reg.* XIV. 13.

Prophetæ anonymi duo ad Regem divinitùs miſſi, de quibus vide 2 *Chron.* XXV. 7. 15.

Reges *Iſraëlis* Amaſiæ coævi, fuêre Joas, & Jeroboam II. de quibus dictum modò eſt.

Azaria. X. *Azaria*, qui & Uzzia, Ozias, *Joramo* immediatè ſubjunctus, *Matth.* I. 8. tribus hic Regibus mediis omiſſis, Achaziâ, Joaſo, Amaziâ, ob maledictionem ſuper Domo Achabi, & ut τεσσαρεσκαιδέκας exurgeret, juxtà calculum *Matth.* I. 17. Omnium hic Rex feliciſſimus, regnavit ann. LII. extremâ ætate, 2 *Reg.* XV. 2. Patris avique laudatiſſimis initiis æmulator, laudatiore ſucceſſu, niſi uſurpati ſacerdotii reum ſe peregiſſet, 2 *Reg.* XV. 5. Quod facinus admiſiſſe videtur jam provectâ ætate, ejectus tum à Sacerdotibus ob *lepram* quâ divinitùs correptus; *Jothamo* interim filio (nato anno regni paterni XXVIII. & ſucceſſuro anno ſuæ ætatis XXV. 2 *Reg.* XV. 33.) ejus jam ætatis & prudentiæ, ut cum *regere domum Regis*, tum Regnum adminiſtrare, & *judicare Populum terræ*, capax eſſet. Quibuſdam *vivo Patre* admotus regno creditus, quum ſeditio in Amaziam mota, annis circiter XI. antè obitum Patris, 2 *Reg.* XIV. 19. &c. cui ſupervixit annos XLI. undè exurgunt anni LII. Et ſic Jeroboam mortuus anno Uziæ vel Azariæ XXXVIII. 2 *Reg.* XV. 8. XXVII annis à morte Amaziæ, anno regni XLI. ducto initio ab anno Amaziæ XV. 2 *Reg.* XIV. 23. Aliis verò placet *Interregnum* annorum minimum XI. inter mortem Jeroboami, quæ accidit Azariæ anno XXVII. & initium *Zachariæ* filii Jeroboami, quod collocatur demùm in annum Azariæ XXXVIII. 2 *Reg.* XV. 8. turbatiſſimis ſcilicet rebus Iſraëlitici regni. Vide noſtram Chronol. S. *Parte* II.

Ut florentiora hæc fuêre tempora (in quæ incidit *Olympias* I. Græcorum, ad annum circiter XXXV. Azariæ, an. P. Jul. 3938. ut in noſtrâ Chronol. *Part.* II.) ſic corruptiſſimi mores in utroque Regno. Ad quos reſpiciunt cumprimis *Eſaias*, *Hoſeas*, *Amos*, *Prophetæ* coætanei, uſque ad Ezechiæ ultima.

Hujus & ætatis ſunt *Prophetæ* Joël, & *Jonas*, poſterior utique, ex 2 *Reg.* XIV. 25. collato cum *Jon.* I. I. & ex Joſepho *Lib.* IX. C. XI. Nam idem *Jonas* eſt, *filius Amithai*, *Propheta*, 2 *Reg.* IV. florente tum Regno Aſſyriorum, nempe *Phule* inclyto Rege, cui non ignotus Deus Iſraëlitarum fuit, adversùs quos expeditionem ſuſceperat, hinc metus Regis, ad vaticinium Jonæ. Fuit autem Jonas iſte oriundus ex *Gath-hopher* urbe Galilææ, in Tribu Zabulonis, 2000. paſſibus diſtante à Sepphori, in quâ oſtenſum fuiſſe *Jonæ* monumentum Hieronymus *Præfat.* in Jonam. Undè commentum Pharizæorum intelligitur, Prophetam nullum *ſurrexiſſe ex Galilæâ*, *Joh.* VII. 52.

Iſraëlis Reges Jeroboam II. & poſt interregnum annorum ferè XII. Azariæ anno XXXVIII. *Zacharias*, qui ultimus fuit ex poſteris *Jehu*, 2 *Reg.* XV. 8. 10. 12. Hinc Schallum, Menachem, Pekahia & Pekach.

Regnante Menachem, *Phul* Rex Aſſyrius veroſimiliter Ninivitarum Rex ille, de quo in Hiſtoriâ Jonæ, (minùs rectè Belochus, Uſſerio, & aliis, creditus pater Sardanapali, *Sardan-pul*) Iſraëlis regnum primus invadit, pretio redimendum, 2 *Reg.* XV. 19. Hinc non neſcius veri Dei, quem Iſraëlitæ adorabant. Succeſſit *Tiglat-Phul-Aſſar*, (Τεγλαφαλάσσης Joſepho, Θαλγαθφελλασὰρ τοῖς LXX.) divinitùs quoque excitatus; à quo Syriæ regnum, dein regio trans-Jordanica, & ſuperior Galilæa, occupatæ 1 *Chron.* V. 26. Undè initium *tranſlationis* Tribuum.

XI. *Jotham*, *Joathan*, Rex bonus, & felix, Jotham.
quanquàm peſſimis temporibus, populo ſacrificante in Excelſis, ex Hiſtoriâ, & ex querelis Prophetarum Eſaiæ & Michæ. De hoc Rege 2 *Reg.* XV. 2 *Chron.* XXVII. & Joſephi *Libro* IX. XII. quem fuiſſe ædificiis ſplendidum, bello contrà Ammonitas felicem, in Deum pietate, in homines juſtitiâ, in Rempublicam ſollicitudine, inſignem, obſervat quoque Hiſtoricus. Regnavit annos XVI. incipiens à ſecundo Pekachi, 2 *Reg.* XV. 32.

Sub hoc *Trans-Jordanica*, & *Galilæa* in Aſſyrii, Tiglat-Phul-Aſſaris, poteſtatem redacta, ac Tribus III. deportatæ, Rege *Iſraëlis* Pekach, 1 *Chron.* V. 26. 2 *Reg.* XV. XVI. Undè Aſſyriaci imperii & Ninives ſubverſionem, in ſolatium Eccleſiæ, prædixit Nahum, κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν προφήτης, ut Joſephus, reſpondente eventu annis poſt hoc vaticinium CXV. juxtà Chronologiam Joſephi, L. IX. Antiq. C. XI. ſub finem.

Prophetæ Eſaias, Hoſeas, Micha, ipſimet in vaticiniis de ſe teſtibus, & de tempore quo vaticinati.

Hujus temporibus incipiunt Æra *Urbis Cond.* A. Per. Jul. 3961. & illa *Nabon-aſſaris*, qui in Sacris eſt Beleſis, Baladan, A. Per. Jul. 3967. Babylonis conditor. Quibus de Æris traditum ſuprà, in *Parte* II. *Chronologiæ Sacræ*.

XII. *Achaz*, Rex præ cæteris impius, nec for- Achaz.
tunatior, regnat annos XVI. 2 *Reg.* XVI. 2 *Chron.* XXVIII. inde à Pekachi anno XVII. deſinente.

Sub hoc *bellum* per Rezinem (Ἀράσην Joſepho *Lib.* IX. C. XII.) & Pekachum *Syriæ* & *Iſraëlis* Reges illatum Judæ, & quidem infeſtum, Hieroſolymâ etiam ab utriſque *obſeſſâ*, à quâ abducta 200000. virorum, mulierum, &c. cum prædâ multâ in Samariam illatâ; ſed ad monitum Prophetæ reddendis captivis, 2 *Chron.* XXVIII. Deo interim Achazum erigente, in ſuorum gratiam; etiam *renuenti* petere ſignum, tamen in gratiam fidelium, & reſidui bonorum, addente *ſignum* geminum: Alterum *futurum*, in naſcituro *Immanuële* ex העלמה *Virgine*, hinc conſervandam tam diu fore *Domum Davidis*; ex quo etiam conſtare poſſet, cum qui majus quid promitteret, poſſe etiam minus, ſcil. liberationem ex manu hoſtium, *Eſ.* VII. 14. &c. Alterum ſignum *præſens*, in *Schear-Jaſhub* filio Prophetæ, quod nomen filii ſymbolicum & propheticum, tùm de inſtanti liberatione, tùm de *reliquiarum* Judæ *converſione* ad Dominum, *Eſ.* VII. 3. &c.

Achaz confidit in Aſſur, *Eſai.* LVII. 9. 2 *Reg.* XVI. 10. cui ut placeret altare *Damaſcenum*, ſeu ad formam Altaris quod *Damaſci* viderat, placiturus *Tiglat-Phul-Aſſari*, conſecrat: Locandum hoc in medio Atrii, *è regione* Templi; remoto ad latus *ſeptentrionale Altari æneo*, ne eſſet illud intrà Altare Achazi & Domum Jehovæ, 2 *Reg.* XVI. 14. Tum & Templum ipſum ſpoliare auſus Achaz, hinc claudere; quæ pluribus intelligas ex 2 *Reg.* XVI. 2 *Chron.* XXVIII. & Joſephi *Libro* IX. C. XII. XIII. Achazi anno 4. cœpit regnare *Hoſeas* Iſraëlis, Pekachi autem à ſe interfecti anno 20. Sed & cœpit hic anno 20. *Jothami* Judæ, 2 *Reg.* XV. 30. id eſt, ex quo Jotham regnare cœperat, cui nonniſi 16. anni tribuuntur, reverà tum annus *Achazi* quartus, cujus Hiſtoriam orditur demùm ſacer Scriptor *Cap.* XVI. Alibi dicitur cœpiſſe *Hoſeas* Achazi anno 12. 2 *Reg.* XVII. 1. ſcil. regno tùm placidè adminiſtrato, excuſſo jugo Aſſyriorum, quibus fuerat regnum tributarium,

2 *Reg.*

2 *Reg*. XV. 29. & Iſraële jam ultrò Hoſeæ ſe ſubmittente.

Ezechias. XIII. *Ezechias*, Rex optimus, pius, felix, diſſimillimus Patri, quo defuncto factus eſt inſignis Eccleſiæ Reformator; admotus regno, vivo adhuc Patre, anno hujus ultimo, Hoſeæ *tertio* deſinente, ſcil. putatis annis Hoſeæ indè à XII. Achazi, 2 *Reg*. XVIII. 1. 2. Annos tum natus fuit Ezechias XXV. genitus adeò patri Achazo, (qui vixit annos XXXVI. ſcil. XX. antè ſucceſſionem in regnum, 2 *Reg*. XVI. 2.) *undecim* tantum annos adulto, undè alii interregnum hariolati. Regnavit annos XXIX. De hoc 2 *Reg*. XVIII. XIX. XX. 2 *Chron*. XXIX. & ſequentib. & apud Joſephum ad *Caput* IV. *Libri* X. Solemniſſimum *Paſcha* ſub Ezechiâ, poſt longam intermiſſionem, quod Bucholzero aliiſque creditum medium inter primum Moſaïcum, & ultimum Chriſti, 2 *Chron*. XXX. Certè *Jubilæus* ſub eo Rege *decimus quintus*, & omnium medius, celebratus fuiſſe putatur. Hujus anno VI. tranſportatæ, per Salmanaſſarem Aſſyrium, Tribus reliquæ *Iſraëlis*, *Hoſeâ* rege poſtremo, poſtquam cognoviſſet Aſſyrius hujus cum Ægypti Rege *Soo*, (qui *Sabacon* Hiſtoricis) conſpirationem. Quâ de re infrà. Hac occaſione *Tobiam* ſeniorem Ninivem abductum, hinc *Rages* Medorum Civitatem profectum, ubi credidit *Gabelo* agnato ſuo X. Talenta argenti, &c. refert pluribus Hiſtoria vulgò Tobitæ: Quam apocrypham, certè non Canonicam, habuerunt Melito apud Euſebium, Origenes, Athanaſius, Cyrillus Hieroſol. Gregorius Nazianz. Hieronymus, &c. ut fusè Theologi.

Memorabile & ſignum ſanationis Ezechiæ, quod in Solario Achazi conſpicuum fuit, retrogradâ *umbrâ* decem *gradibus*, 2 *Reg*. XX. 11. quod de *Sole retrogrado* dicitur, *Eſai*. XXXVIII. 8. X. *Gradus* ſunt ſpatium horarum V. retrogadrâ umbrâ, in Solario à XII. ad VII. matutinam. Et ſanè hinc Legati Babylonici miſſi ſunt ad Ezechiam, qui inquirerent in veritatem & rationem miraculi, cujus fama ad Babylonios pervenerat, Aſtrologiæ dedititiſſimos, 2 *Chr*. XXXII. 31. Babyloniis autem oſtentaſſe Ezechiam quicquid theſaurorum eſſet in *domo* ſuâ, teſtatur Scriptura; tacet interim de theſauris *Templi*, & quæ repoſita fuêre in *Adyto*, quod non patuiſſe Regi in propatulo eſt, quicquid nugentur Magiſtrorum quidam.

Sub hoc bellum offenſivum cum devictis Philiſtæis, 2 *Reg*. XVIII. tùm defenſivum *Aſſyriacum*, illatum per Sennacheribum. Hujus cladem miraculoſam, occiſis ab *Angelo* unâ nocte Aſſyriis 185000. 2 *Reg*. XIX. 35. λοιμικὴν νόσον interpretatur Joſephus, *Lib*. X. C. 11. Nequicquàm ab *Ægyptiis* expectante auxilium Populo, quò reſpicit Eſaias, *Cap*. XXX. XXXI. Hiſtoriam confirmant libri 2 *Chron*. XXXII. *Eccleſiaſtici* XLVIII. 24. *Tobithæ* I. 21. 1 *Macc*. VII. 41. Sennacheribi, à reditu in Aſſyriam, luctuoſus per Filios ſuos, *Adramelechum* & *Salennarum*, interitus, memoratur ibidem, 2 *Reg*. XIX. 37. 2 *Chron*. XXXII. 21. Joſephi *Ant*. L. X. C. 11.

Prophetæ, Eſaias qui hiſtoricè de Ezechiâ non pauca; Hoſeas, Micha, Nahum ſolaturus Iſraëlem contrà Niniven & Aſſyrios, *Nah*. 1. 1. &c.

Manaſſes. XIV. *Manaſſes*, ex omnium profligatiſſimo Rege tandem pœnitens, & Reformator, regnat annos LV. incluſis annis captivitatis ſuæ Babylonicæ, 2 *Reg*. XXI. 2 *Chron*. XXXIII. & Joſepho *Lib*. X. C. IV. Hanc captivitatem Manaſſis, per inſidias capti, gratis Petavius interpretatur de Expeditione Holofernis, ſub *Nebucadnezare* Aſſyrio, quem Saoſduchinum fuiſſe volunt. Ignorante Scripturâ, ſed & Hiſtoriâ, hunc Regem Aſſyrium, & ſimilem invaſionem Judææ, & obſidionem *Bethuliæ*, qualem exhibet Liber Apocryphus. Utque captus per inſidias Manaſſes, ſic brevi in libertatem fuit aſſerendus à Rege Babylonio. Sub impio hoc rege, antè hujus vincula Babylonica, profanato Templo, videtur ſive amiſſum, ſive ſtudio reconditum fuiſſe Moſis αὐτόγραφον, repertum tandem in loculo quodam, ſub Joſiâ Rege, 2 *Chron*. XXXIV. 14.

Prophetæ tùm memorantur anonymi, 2 *Reg*. XXI. 10. & ſecundùm Hebræos *Eſaias*, quem ſerrâ diſſectum ferunt; tùm quoque Habakuk, in Babylonios, ut Nahum in Aſſyrios, vaticinatus.

XV. *Amon* Rex peſſimus, regnat annos II. 2 *Chron*. Amon. XXXIII. 2 *Reg*. XXI. Natus annos XXII. quum regnare inciperet, 2 *Reg*. XXI. 19. Malè Euſebius in Chron. ſignat annos XII. regni, provocans ad auctoritatem Verſionis Alexandrinæ τῶν ό, quæ habuit annos ιβ'. pro β'. Sic & Nicephorus Conſtantinopol. in Chronologiâ; ſecùs Hebræi Codices, & Editio quæ Κοινὴ dicta.

XVI. *Joſias*, Rex pietate & virtutibus, ac rebus Joſias. pro Eccleſiâ geſtis, admirandus, regnat ab anno ætatis VIII. ad XXXIX. 2 *Reg*. XXII. XXIII. 2 *Chr*. XXXIV. &c. De eo vaticinium, etiam nomine expreſſo, ſub initium Schiſmatis Hieroboamici, 1 *Reg*. XIII. 2. Cumprimis dignum obſervatu eſt, ut totus fuerit in repurgandis Sacris, & diruendis Excelſis, quæ priores Reges erexerant, vel indiruta reliquerant, ipſoque illo Altari quod ſtruxerat Rex Jeroboam Bethele, combuſtis ſuper eo oſſibus mortuorum, 2 *Reg*. XXIII. 15. 16. ut prædictum fuerat *trecentis* circiter annis antè eventum, 1. *Reg*. XIII. 2. Pariter omnia Excelſa per urbes Samariæ in cineres & favillas convertit, ut pluribus Hiſtoricus ſacer.

Memorabilis & hiſtoria, de reperto *Moſis autographo* in Domo Dei, per Hilkiam ſummum Sacerdotem adhibitum illi repurgandæ: Sive jam is Liber per Manaſſem, aut Amonem, fuiſſet interverſus, ſive piorum Sacerdotum curâ occultatus; qui aliàs repoſitus ad *latus Arcæ*, in Sanctuario, uti Manna, & Virga Aaronis, *Deut*. XXXI. 28. quæ fuerunt ἐν τῇ σκηνῇ in Tabernaculo priore, *Heb*. IX. 4. Hinc Joſiæ exultatio, & populi totius; eo tempore quo amiſſus tantus theſaurus credebatur, & Lex ipſa priorum temporum infelicitate, ferè ignoraretur, paucis (ut videtur) *apographis* exſtantibus. Reliqua Joſiæ, omniſque ejus Hiſtoria, ex Textu ſacro obvia eſt. Regnavit annos XXXI. malè Sulpicius Severus nonniſi annos XXI. *Lib*. I. *Hiſt*.

Poſt Joſiam gratis quidam *interregnum* fingunt; quum continuatio regni in Joachazo & Eljakim, ſucceſſoribus, intelligatur vel ex calculo Jeremiæ, *Cap*. XXV. 1. 3. *Bello* autem infelix fuit, illato Pharaoni Necho, in quo vulneratus occubuit in valle Megiddūntis, 2 *Reg*. XXIII. De quo & Joſephus, *Lib*. X. *Cap*. VI. Ab hujus quoque morte animam agere Hebræorum Reſp. cœpit, Lamentationibus hinc Jeremiæ expreſſis.

Prophetæ, Jeremias, indè ab anno Joſiæ XIII. & Zephanias, ut ipſi teſtantur, *Jer*. 1. *Zeph*. 1. Sed & Hulda propheteſſa, vaticinata divinitùs extrema Genti Judæorum, quum ſublatus foret Joſias, 2 *Reg*. XXII. 14.

XVII. *Joachaz*, qui & Johanan, Sallum, Rex Joachaz. malus, trium *menſium* gaviſurus regno, in Ægyptum abducendus, juſſu Pharaonis Necho, ubi tandem animam efflavit, 2 *Reg*. XXIII. 2 *Chron*. XXXVI. *Jerem*. XXII. 11. Ut Religio ſic Reſpublica ſub hoc ruere cœpit, omnibus ſenſim collabentibus.

XVIII. *Jehojakim*, vel Eljakim fratri datus à Pharaone ſucceſſor, Rex impius, regnat annos circiter XI. nec tamen exactos: Factus tributarius Nebucadnezari, 2 *Reg*. XXIV. anno ejuſdem IV. inchoato, Nebucadnezaris primo. Hinc initium ſub eo Captivitatis Babyl. ut infrà pluribus in *Chronologicis*. Vide & Joſephum *Libro* IX. C. VII. Jehojakim.

Pro-

Digitized by Google

Propheta Jeremias, & Urias alter, *Jer.* xxvi. occidendus hic ob infeſta Urbi vaticinia.

Jechonias. xix. *Jeojachinus* vel Jechonias per διφωνίαν, filius Jehojakimi, haud multo melior, trium menſium Rex; Mox deportandus, & captivus per annos 37. 2 *Reg.* xxiv. xxv. De deportatione infrà.

Zedekias. xx. *Mattania* omnium poſtremus, in locum Jechoniæ ſuffectus, patruus illius, & Joſiæ filius, dicendus à Nebucadnezare צדקי־יה *Tzedki-jah*, id eſt, *Juſtitia Domini*; ſcil. ut memor eſſet juramenti fidelitatis, à Nebucadnezare modò exacti, cujus Dominus futurus eſſet vindex. Rex malus, regnat annos totos xi. ad excidium Urbis & Templi, quod fusè deſcribitur 2 *Reg.* xxiv. xxv. *Jer.* i. 3. xxv. xxxix. lii. &c. & Joſepho *Libro* x. C. x. Ex annis ſingulorum Regum, colliguntur anni, indè à Roboamo, ad excidium Templi, ferè cccxc. Ità tamen ut de hac ſummâ nonnihil ſit detrahendum, ut annos Chronologicos habeamus, ſi conferantur ad *Period. Julian.* Sed de his in *Canone Chronico*, & ex profeſſo Commentatores, & Chronologi inſigniores, Torniellus, Salianus, Scaliger, Harvillæus, Petavius, Capellus uterque, Calviſius, Uſſerius, Baillius, Parens noſter in *Dub. Evang.* &c. Ut mittam Catallacticos Scriptores haud paucos, & Joh. Buxtorfium in *Anti-Criticis* adverſus Lud. Cappellum.

IV. *Corruptio Religionis in ipſo Judæ Regno. Reformationes inſigniores.*

Corruptionis initium & ἀκμή. I. UT incepit Judæ *corruptio* ſub Roboamo, poſt laudabile *triennium*, 2 *Chron.* xi. 17. ſic ἀκμὴ ejuſdem fuit cumprimis ſub Athaliâ, impiâ fœminâ, Achazo, Manaſſe, & Amone, Regibus. Hîc Religio penitùs collapſa, populus ſeductus, Templum ſpoliatum, clauſum, Arca ipſa loco ſuo mota, ex 2 *Chron.* xxxv. 3. Altare Damaſcenum loco Dominici ſubſtitutum, 2 *Reg.* xvi. 14. Sacra contaminata, Prophetæ malè habiti, Gentium Idola culta, ut *Baal* Phœnicum, *Molech* Ammonitarum, *Aſtaroth* Aſſyriorum, *Baalzebub* Acaronitarum, *Rimmon*, undè רמון derivat Grotius, Ῥεμφὰν, Ῥεφὰν, qui Ægyptiis eſt Saturnus. De quibus nos, ubi de *Idololatriâ* Syrorum. His Statuæ, Luci, Excelſa, Altaria, Templa dicata; Filii Regii per *ignem traducti*, & luſtrati, 2 *Reg.* xvi. 3. ſanguine etiam humano libatum; victa denique jacuit pietas, atque erupit *vena pejoris in ævum omne nefas*.

Tres Reges Reformatores. II. Reformatio verò ſuo tempore inſtituta fuit, tùm impulſu *Prophetarum*, qui nunquàm in Judâ defuerunt; tùm auctoritate optimorum *Principum*. In quibus hoc diſcrimen apparet; quod plures *boni* cenſeantur, qui *fecerint rectum in oculis Dei*, ex gr. Aſa, Joas, Amazia, Azaria, Joathan, nec tamen ii omni ex parte boni, aut *zelotæ* ſatis, in cultu Dei repurgando, aut Excelſis amovendis: *Tres* verò in iis præ cæteris excelluêre, *Joſaphatus*, *Ezechias*, & *Joſias*, ſinguli tamen notati ſuis nævis. Duos tantùm ex iis recenſet Siracides, *Eccleſiaſt. Cap.* xlix. 5. omiſſo Joſaphato, quâ ex ratione ſuprà viſum eſt.

Modus reformationis præprimis fuit, tùm in deſtructione Idolorum, Excelſorum, quæ identidem optimorum Regum Succeſſores, ut Manaſſes, Amon, inſtaurabant; tùm in ſummotione reliquiarum omnium Idololatrici cultûs; tùm in repurgatione Templi, & Ordinis omnis ſacri; tùm in revocatione Feſtorum: Maximè ſolemni *Paſchatis* illo ſub Ezechiâ, quod medium cenſetur, Chronologico computo, inter Moſaicum & θανάσιμον, diſtans ab utroque annis 775. 2 *Chron.* xxx. 2. maximè autem ſacro & religioſo illo Feſto ſub Joſiâ, 2 *Reg.* xxiii. 12. 2 *Chron.* xxxv. 18. Quod nempè pari devotione nullus vel *Judicum*, vel *Regum*, antè Joſiam celebrarat, certè non à temporibus Samuëlis, & vel intermiſſum ſæpè anteà, vel profano ritu celebratum fuiſſet. Adde renovationem Fœderis cum Deo, adacto in ſacramentum populo; & prælecto Moſis autographo ſub Joſiâ Rege, ſeu *Libro Fœderis*, invento in Domo Dei, ſive in fiſſurâ aliquâ muri, ſive in ſecretiore & abdito loco, ubi videtur à piis Sacerdotibus occultatus, ſub furore priorum Regum, 2 *Reg.* xxiii. 2. 2 *Chron.* xxxiv. 30. 31. Adde pietatem, ipſo Regum exemplo accendendam, ac poſtliminio quaſi revocandam. Reliquiæ tamen prioris impietatis plurimæ, ex querelis paſſim Eſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, maximè antè Joſiam Regem.

III. Tribus iſtis eximiis Reformatoribus *Joſaphato*, *Ezechiæ*, *Joſiæ*, impii fuêre Filii & Succeſſores, per quos iterùm omnia collapſa. Ut nempè intelligatur *pietatem in* Deum non eſſe ex ſe hæreditariam, nec *naturæ* donum, ſed *gratiæ*. A *Joſiæ* autem exceſſu, qui regnavit annos xxxi. & à primâ ætate Deo deditus fuit, 2 *Chron.* xxxiv. 3. nulla ampliùs inſtauratio fuit. Senſimque ad interitum vergere Politia & Eccleſia, & adparere ſervitutis auſpicia, ſtatim in *Joachazo*, in Ægyptum abducto, ac depoſito à Pharaone Neco, 2 *Chron.* xxxvi. Ac prædixit temporum calamitatem Jeremias. Vates. Calamitates poſt Joſiam.

V. *Prophetæ hac Periodo inſignes. Libri Prophetici.*

I. PRæter *Sacerdotes* qui ordinariè Sacra in Templo peragerent, excitavit Deus quoque *Prophetas*, qui ſtante Regno utroque, tùm *ordinariè* in Scholis traderent verum Dei cultum *filiis Prophetarum*, tùm *extraordinariè* in Aulis, Urbibus, Regno, Eccleſiâ, Prophetico munere fungerentur. Collegia Prophetarum fuêre, Hieroſolymis, Gilgale, Bethele, Hierichunte, &c. Prophetarum munus.

II. Fuêre autem alii qui *ore* tantummodò, ut Jehu, Micha, Eliezer, Elias, Elizæus, &c. alii qui etiam *ſcripto* Eccleſiam docuerunt: Alii in Regno *Judæ*, alii in Regno *Iſraëlis*, alii in *utroque*: Alii nominatim expreſſi, alii autem anonymi, ut in ſuperiori Regum ſerie videre eſt: Quin & *Propheteſſæ* fœminæ, in quibus Hulda, vel Chulda, Joſiæ tempore, 2 *Reg.* xxii. 15. 16. &c.

Videturque omninò *Samuëlis*, & *Regum hiſtoria* Canonica ex iſtorum Adverſariis & Commentariis contexta, ſcribente uno quoque horum Prophetarum quæ eorum miniſterio acciderant, innuente & Joſepho contra *Appion. Lib.* I. Sed & colligitur haud obſcurè ex Libris *Paralipom.* ubi de rebus Davidis, Salomonis, Roboami, Joſaphati, Azariæ, regum Judæ; horum *res* ſcriptas per *Samuelem*, *Nathanem*, *Gadem*, *Ahiam*, *Jeddonem*, *Scemajam*, *Jehu* filium Hanani, *Eſaiam*, &c. I *Chron.* xxix. 30. 2 *Chr.* ix. xii. xx. &c. Quæ deinceps in unum volumen collecta; ſaltem excerptis indè quæ è re Eccleſiæ foret cognoſcere, ſive à Jeremia, ut etiam H. Grotius, ſive jam antè ab aliquo alio Propheta: Certe ſub *Jeremiæ* nomine aliquando à Veteribus citati hi Libri cognoſcuntur. Hinc Libri *Regum*, ut & *Samuelis* illi, inſcripti Hebræis titulo נביאים ה"ר *Prophetarum priorum*.

III. Prophetarum *poſteriorum* Libri, ſeu Majorum, ſeu Minorum, utique non digeſti ſunt ordine temporis quo ſcripſerunt aut prophetarunt. Nec de ſerie ſatis inter Hebræos aut Doctos convenit, quorum illi variam eam inſtituunt, ubi de *Cabbalæ* ſuæ ſucceſſione, in *Juchaſin*, *Tzemach David*, &c. Prophetarum ſeries.

Antiquiſſimus multis creditus *Jonas*, σύγχρονος

Je-

Jeroboamo II. & Amaziæ, 2 *Reg.* XIV. 25. Nec is tamen filius ille viduæ Sareptanæ, de quo 1 *Reg.* XVII. 22. ut tradebant, Hieronymi jam ætate, Hebræi, ex *Præf.* illius in Jonam. Nempè ex verbis viduæ, *Nunc cognovi quia in ore ſuo* אמת *veritas eſt*; hinc hariolati vocatum Jonam *filium Amittai*, id eſt, veritatis. Ex Jonæ hiſtoriâ, fabula Græcorum fuit, de Hercule devorato à Ceto, ſed vivo reddito, apud *Lycophronem*.

Contemporaneus creditus *Joël*, vaticinatus in regno *Judæ* circà tempora *Uzziæ*: In Seder-Olam quidem recentior, at nonnullis antiquior, ac prænuncius (juxtà alios) *famis* illius quæ deſcribitur 2 *Reg.* VIII. 1. 2. Joramo Rege Iſraëlis: Aliis veriùs auguratis famem eandem eſſe, ſub Uzziâ Rege, quam deſcribit Amos, *Cap.* IV. 6. &c. hinc Joëlem Amoſo contemporaneum.

Amos, *Hoſeas*, *Eſaias*, *Micha* Moraſhites, certæ jam ætatis, vel ex Librorum exordio, quæ ſe protendit à temporibus Jeroboami II. & Uzziæ Regum, ad Ezechiæ ultima, deportatis jam X. Tribubus. Prophetandi occaſionem tempora corruptiſſima in utroque regno, ſuggeſſerunt. De Michâ quoque Moraſhitâ, prophetante in diebus Ezechiæ Regis, *Jerem.* XXVI. 18. De *Eſaiâ* Hebræi, & Patres incerta nonnulla, v. gr. Fuiſſe ex Tribu *Juda*, de ſanguine regio; prophetaſſe etiam ſub *Manaſſe*; Eſaiæ hunc Regem *generum* fuiſſe; Prophetæ officio annos LXXX. perfunctum; ſerrâ ſub hoc Rege Prophetam eundem diſſectum, &c. Quam autem hi Vates luculenter de venturo Meſſiâ, de ejus Perſonâ, Officiis, Paſſionibus, Morte, Exaltatione; de reprobatione Judæorum, ac vocatione Gentium; de imminentibus utrique Regno judiciis, per Aſſyrios & Babylonios, &c. vaticinati ſint, prolixè Interpretes, nec ea hujus loci ſunt.

Nahum anterior quibuſdam creditur, captivitate X. Tribuum, ex *Cap.* I. 13. ubi Sennacheribi interitum, & frangendum jugum Aſſyriorum, prænunciat. Aliis poſterior, ut in Seder-Olam, & poſt clades jam Aſſyriis illatas, Salmanaſſare, Sennacheribo, Eſſar-addone. Deſcribit certè interitum *Ninives*, quæ Judæos afflixerat, fruſtrà antè à Jonâ præmonitæ; & quidem inſtrumentis Medis, Scythis, Chaldæis. Non alienum hinc ſub *Joſiâ* collocare.

Habakuk probabiliter ſub Joſiâ, prænuncius inſtantis Captivitatis Babylonicæ, & juſti judicii in Gentem Judæorum, oblitam divinæ Legis, *Hab.* I. 1. 5. Solatur tamen pios mediis in calamitatibus *fide* in Jehovam ejuſque promiſſiones erectos. Hinc quod *juſtus*, vel à Deo juſtificandus, *fide ſuâ* (באמונתו) in *Unctum Domini*, venturum לישע *in ſalutem*, *Hab.* III. 13. *vivet*, liberatione temporali & ſpirituali, illâ quidem per *Cyrum*, hac per *Chriſtum*, *Hab.* II. 4. &c. Seder-Olam hunc Vatem ſub Manaſſe ponit. Hebræis filius Sçunamitidis, ex voce Hebræâ חבקת בן, quæ eſt 2 *Reg.* IV. 16. *amplexatura es filium*, more interpretandi Judaico.

Zephonias vel *Zephanias*, ejuſdem ætatis, ut expreſſè dicitur, *Zoph.* I. 1. gravi tùm *Juda* & *Hieroſolymis* vaticinio. Sed & præmiſſis exhortationibus C. II. liberationem ex Captivitate prædixit, ac vocationem Gentium, additis promiſſionibus Evang. in ſolatium Eccleſiæ, C. III. Incerta verò ratio nominis, & Tribûs, hujus Prophetæ.

Jeremias huic quoque σύγχρονος, *Jer.* I. 1. ex Sacerdote Propheta, ab anno XIII. Joſiæ, diutiſſimè vaticinatus, antè & poſt Captivitatem, in Judæâ, poſt in Ægypto; *incerto* termino vaticiniorum, & vitæ. Multa paſſus corruptiſſimis poſt Joſiam temporibus, cui colluctandum fuit cum falſis Prophetis, cum Sacerdotibus, cum Regibus, cum Populo, quia fideliſſimè executus Dei ad ſe mandata. Comminationibus interpoſuit promiſſiones, cùm de liberatione à fine annorum LXX. Captivit. *Jer.* XXV. 12. XXIX. 10. tùm de præcipuâ liberatione Eccleſiæ per Chriſtum, *germen juſtum*, cui nomen quo *vocaretur* יהוה צדקנו, *Jer.* XXIII. 5. 6. XXXIII. 15. &c. Vetus eſt de *Platone* Fabula, ab Jeremiâ edocto in Ægypto, inſigni anachroniſmo; de quâ & Auguſtinus, ex Ambroſio, *Libro* II. de Doctr. Chr. C. XXVIII. Sed retractaturus *Lib.* II. C. IV.

Obadias, in *Edomitas* gravis, Judæis jam permixtos, planè ætatis incertæ: Hebræis falsò creditus proſelytus Idumæus; aut idem qui Hobadia 1 *Reg.* XVIII. 3. 4. in diebus Achabi, à ſimilitudine nominis. Videtur omninò poſterior, coævus Jeremiæ & Ezechieli, ut ex vaticiniis apparet, *Jerem.* XLIX. V. *Ezech.* XXV. XXXV. collatis cum Obadiâ. Judæi per *Edomum* Rom. Imperium, & in eo Chriſtianos, vulgò intelligunt, frequentibus ex Talmude documentis; ſed & putidiſſ. fabulis, de animâ *Eſavi*, *Edomi*, quæ in Jeſum migraverit. Quidam *Idumæos* deſignare *Judæos* Chriſti tempore, ſub Herodis dominatu, genere Idumæi, ut *Eſai.* LXIII. 1. &c. Sed & vaticinatus Obadia de liberatione *Zionis*, ac Eccleſiæ, per gratiam Chriſti, *verſ.* 17. ad finem *Cap.*

De Prophetis qui *ſub* Captivitate Babylon. Jeremiâ, Ezechiele, Daniele, & *poſt* eam, Aggæo, Zachariâ, Malachiâ, dicendum poſteà.

IV. *Falſi* Prophetæ in Regno utroque innumeri; in quos paſſim invecti Viri Dei, Eſaias, Hoſeas, Micha, Zephanias, Jeremias, & Hiſtoria S. 1 *Reg.* XVIII. XXII. &c. Poſteà quoque Ezechiel, ac Nehemias, C. VI. 14. Falſi Prophetæ.

VI. *Finis Regni Iſraëlitici, & Deportatio Tribuum Aſſyriaca. Samaritaniſmi origo.*

HUjus Deportationis X. Tribuum obſervari debent,

I. *Antecedens* proximum, deportatio Tribuum trans-Jordanicarum, in Peræa regione, & Tribûs Nephtali, ſub Pekacho, 2 *Reg.* XV. 29. 1 *Chron.* V. 26. ſubactâ tùm Galilæâ per *Tiglath-Phul-Aſſar*, Regem Aſſyriæ, evocatum ab Achazo, adversùs *Rezinem* Regem Syriæ Damaſcenæ, & Pekachum vel Pekam Regem Iſraëlis, 2 *Chron.* XXVIII. Factum ſecundùm Hebræos totis annis XVIII. antè reliquas Tribus tranſlatas. Circumſtantiæ Deportationis.

II. *Tempus* ultimæ deportationis, fuit anno VI. Ezechiæ, IX. Hoſeæ Iſraëlis, de quo teſtimonium extat 2 *Reg.* XVII. 2. A. Per. Jul. 3993. antè Chriſti Æram Vulg. 721. à cœpto ſub Jeroboamo Regno Iſraëlis, annis circiter exactis CCLIV. Joſephus habet, annis CCXL. menſ. VII. d. VII. Quo tempore *Mardocempad*, ſive *Merodach* Babylone regnaret; & eſſet inter Medos ἀναρχία quædam, antè Dejocem; *Candaule*, Gygis anteceſſore, Lydis imperitante, qui ultimus *Heraclidarum* fuit. Joſephus *Antiq.* L. IX. C. XIV. migrationem X. Tribuum ſtatuit acci-diſſe, annis poſt egreſſum ex Ægypto DCCCCXLVII. ingenti parachroniſmo; quum ne putandi quidem ſint ab Exodo anni DCCC. de quo in Chronologicis.

III. *Cauſa* ſuprema, judicium Dei pridem indè ab Hieroboamo denunciatum, 1 *Reg.* XIV. 15. & impietas Iſraëlis, nequicquàm Ægyptiorum & Æthiopum opem implorantis, 2 *Reg.* XVIII. 4. Auctor verò *Salmanaſſar* Rex Aſſyriorum, à quo Samaria tandem expugnata, poſt cœptam tribus antè annis obſidionem, 2 *Reg.* XVII. XVIII. Hic eſt Magiſtris idem cum Sennacheribo, omnia in Hiſtoriâ pervertere & confundere natis. *Sennacherib* filius, demum poſteà bellum Palæſtinum, & obſidionem Hieroſolymit. aggreſſus eſt.

IV. Lo-

Digitized by Google

In quæ Loca tranſport.

IV. *Loca* tranſportationis immediatæ, ultrà Euphratem, fuerunt: *Chalach*, unde Chalachene Ptolemæi, terminans Aſſyriam à Septentrione; tum *Hara* ſeu *montana*, vel עָרֵי *civitates* Mediæ, versùs *Gozan* fluvium qui influit in Mare Caſpium (undè *Gauzania* urbs & regio, apud Ptolemæum) & ille ipſe quem *Cyrum* poſteà in Cyri honorem dixêre. Prætereà *Chabor*, undè Chaboras mons, & cognominis fluvius, Mediam inter & Aſſyriam. Nec hic confundi debet cum *Chebar* fluvio, qualis & dicitur Euphrates, *Ezech.* I. I. ut nec Gozan cum *Gange* Indorum, nec Chalach cum *Colchide*. Etiam in *Perſidis* regionem traductum populum vult Joſephus, *Antiq.* L. IX. C. XIV. Quâ Suſianam vel Chuſeſtanam intellexit, quæ Mediæ ad Auſtrum, & quam à Perſide diſtinxit Ptolemæus. Hinc in remotiſſimos Orientis tractus poſteà diſpergendi, plurimis & in Ægyptum atque Africam profugis, 2 *Reg.* XVIII. II. Miræ hîc Fabulæ Judæorum, in Talmude utroque, & in Libro Juchaſin, &c. de fluvio שמבטיון *Sambatione* vel *Sabbatico*, quo intonet ſex diebus, quieſcat VII. die, ſed inacceſſus tamen, & dividens Judæos à reliquis Gentibus: Aliis verò idem qui fluvius *Gozan*, aliis *Oxus*, aliis quærendus in extremâ Africâ, aliis in Indiâ ultrà Gangem, &c. De quo Fullerus, Caſaubonus, Hottingerus, l'Empereur, Spizelius, alii. Sic fabulæ de regione פריטי יואן *Preti-Johannis*, quam vulgò Abeſſinam, alii etiam Magiſtrorum (ut Autor Orchot-Olam, & Libri Juchaſin) *fretum Javanicum*, ex affinitate quadam nominis imperitè reddiderunt. Sic quæ illi, & præcipuè Manaſſeh Ben-Iſraël, ex Apocrypho Eſrâ, C. XIII. de *Aſtoreth* regione, remotiſſimâ illâ, & generi humano non habitatâ, in quam iter fuerit *ſeſqui-anni*; miraculoſo rursùs Euphratis tranſitu, quem obſtructis fontibus tranſierint ſicco pede, ut olim Jordanem; ubi manſuri ſint, patriis legibus viventes, donec veniat Meſſias. Sic quæ mentiuntur R. Eliezer, Benjamin Tudel. Manaſſeh Ben-Iſraël, &c. de Iſraëliticis hodieque regnis, in ultimo Oriente, puta *Tatariâ*, (ex שתר *Tatar* Syris, quod ſonet *Reliquias*) *Cathayâ*, *Sinis*, ex *Eſai.* XLIX. 12. vel in Regione *Presbyteri Johannis*, ad Nili fontes; vel etiam in *America* interioribus locis, in quam per Tatariam, vel fretum Anian, tranſitus fuerit, ubi diſtinguantur Iſraëlitæ *candore* cutis, *cultis* moribus, &c. Nec fabulis Judaicis finis eſt. Quod verò ibi *Sceptrum* Judaicum, Magiſtratus, Synagogas, Genti ſuæ vindicant, in eo diſſentientes habent Majemonidem, Kimchium, Abarbenelem, alios ſtrenuè negantes; quos vide ſi tanti eſt.

Duratio ſervitutis.

V. *Duratio* ſervitutis, perpetua illa, ſaltem indefinita, ſecùs ac fuit Captivitas duarum Tribuum. Quanquàm tamen certum plurimos ex *Iſraëlitis* reduces factos eſſe in Judæam, ſimul cum reductione duarum Tribuum ex Captivitate Babylonicâ, *Jer.* L. 4. *Eſ.* XI. 12. Licet Joſephus, *Lib.* XI. C. V. nunquam perſuaderi potuiſſe X. Tribus, ut poſteà cum Tribu Judæ & Benjamin, in Patriam reverterentur; & ſuâ ætate adhuc μυϱιάδας ἀπείϱους diſperſæ Gentis, in remotiſſimis Orientis locis, ſuperfuiſſe. Certum quoque, reliquias quaſdam *Iſraëlitarum* ab Aſſyriis permiſſas eſſe manere intrà Patriæ fines, permixtas mox Chuthæis, profanis Gentibus, habitatione, cultu. Certum denique ſub adventum Meſſiæ, ſpiritualis illis liberationis lucem affulſiſſe, *Eſai.* IX. 1. 2. *Matth.* IV. 15. 16. multis ex Tribubus τῆς διασποϱᾶς, & perditis ovibus Iſraëlis, ad fidem Chriſti converſis. Quemadmodùm futura eſt *totius Iſraëlis*, ut opponitur *Gentilibus*, *Mundo*, converſio ἀπὸ τῆς ἀπιστίας, πϱόσληψις, πλήϱωμα, quando ſcil. Deus ἀποστϱέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ, juxtà *myſterium* à Paulo revelatum; tacitum tamen quoad *modum*, & *tempus*, *Rom.* XI. 25. 26.

Samaritaniſmi ratio & occaſio.

VI. Suffectis in terra Iſraëlis, in captivorum locum, novis ex Syriâ, Aſſyriâ, Babyloniâ, Perſiâ, &c. Colonis, nova ibi ſacra, nova Religio, ex commixtione ſacrorum ſive Iſraëliticorum & profanorum rituum, exorta, *Samaritaniſmi* nomine, & Gens nova *Samaritana*, 2 *Reg.* XVII. 24. & ſeq. Ratio *nominis* à loco, in quo hic cultus primùm natus; *occaſio* ex immiſſis leonibus in novos Idololatras; *progreſſus*, in multiplicatis ibi Sacerdotibus, æmulaturis cultum Jeroboami, & Excelſis: Donec abirent Samaritani in Judæorum æmulos; etiam ſtructo Templo in monte Garizim, & in Sectas varias, de quo poſtea. Hæc cùm ex dicto Capite conſtant, tum ex Joſepho, in fine *Libri* IX. & ex Epiphanio, Panar. *Lib.* I. &c.

Quod verò de immiſſis *Leonibus* Scriptura, frequentiſſimis in Judææ ac Syriæ montibus, id Joſephus λοιμὸν *peſtem* reddit, dicto loco, λοιμὸς γὰϱ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν. Dicta aliàs hæc gens Samaritanorum *Chutæa*, χουθαῖοι, tranſlata nempe ex parte מכותא de *Chuthâ*, ἐκ τῆς χουθῆς καλουμένης χώϱας. Joſephus in Perſide locat, alii in Arabia Felice, quæ gens veriùs ex Trans-Tigritanâ regione, ubi *Chus*, *Chuſeſtan*, *Coſſæi*, Mediæ & Aſſyriæ ad Auſtrum. Gens colore fœda, Judæis exoſa & abjecta, hinc vile his *Chuthæorum* nomen.

Chuthæi unde?

VII. *Synchroniſmi præcipui Hiſtoriæ Exoticæ, ab exceſſu Salomonis, ad initium Captivitatis Babylonicæ.*

Res Aſſyriacæ, Babylonicæ.

Finis Aſſyriorum Imperio.

I. ASſyriorum Imperium, (quodcunque fuerit illîus exordium, quæcunque duratio, de quo Chronol. noſtræ P. II. *Cap.* VI.) deſiit hâc Epochâ in *Sardanapalo*, ut pluribus poſt Cteſiam Diod. Sic. Trogus, &c. Hic apud Euſebium eſt *Tonos-Concoleros*, quo nomine nuſquam venit apud Hiſtoricos veteres. Dicitur ab Arbace Medorum Præfecto in Urbe Ninive obſeſſus, anno obſidionis tertio, ſe cum Regiâ & Aulâ incendio abſumpſiſſe, ut pluribus Diodorus Lib. II. Petavius factum integro antè I. Olympiad. ſeculo, ſub initia ferè Joaſi Regis Judæ. Aliis meritò ſeriùs, & Euſebius quidem in *Chron.* N. MCXCVII. regnante Azariâ Judæ, in Iſraële verò Jeroboamo II. Uſſerius anno XII. Jothami, patris Achazi; quâ de re in *Chronologicis*. Quidam conjectant totam de *Sardanapalo* Hiſtoriam fabuloſam eſſe, & confudiſſe ſcriptores exoticos hanc narrationem, cum illâ de *Zimri*, in Thirzâ obſeſſo, qui ſe & regiam ſuam, ne in hoſtium manus incideret, flammis permiſit, 1 *Reg.* XVI. 18. Sed non patiuntur ratio temporis, nec locorum, nec nominum, nec circumſtantiæ aliæ apud Hiſtoricos.

Babylonica Æra.

II. *Medis* ſic reddita libertate ab Arbace Præfecto Medorum, αὐτονομίαν aliquamdiu obtinuerunt uſque ad *Dejocis* regnum, quod incidit in extrema Ezechiæ, vel initia Manaſſis Regis. *Babylonii* mox Dynaſtiam novam condiderunt, unde incipit Æra *Nabonaſſari*. Hic idem creditus cum eo qui *Beleſis*, *Beleſſus*, *Baladan*, 1 *Reg.* XX. 12. Babylonis inſtaurator, qui per annos XIV. regnavit *Babylone*; nec ante hunc memorari uſpiam Babylonem, aut imperium Babyloniorum, ſenſit *Marshamus*. Quartus ab eo, in Canone Ptolem. eſt *Merodach* ille, coævus Ezechiæ, 2 *Reg.* XX. ſive Μαϱδοκεμπάδος. Vide Canonem Aſtronomicum, vel Æram Nabonaſſar. in noſtrâ *Chronol. Sacrâ*, P. II. C. XI.

Reſtauratio Aſſyriaci regni.

III. *Aſſyrii* interea Imperium inſtaurârunt, ſed ad proprios terminos Aſſyriæ coarctatum, primo

Rege

Rege *Phul*, de quo 2 *Reg.* xv. qui & *Ninus Junior*, ab Hiſtoricis dictus. Alii diverſus, & idem cum *Tiglat-phul-aſſar*, vel *Tiglat-pileſer*, qui Trans-Jordanicam & Galilæam ſubjugavit. Poſt hunc Reges *Salmanaſſar*, à quo Samaria obſeſſa, & capta A. Nabon. xxvii. *Sennacherib*, qui Aſiam, Palæſtinam, Ægyptum bello infeſtavit, & partem *Mediæ* obtinuiſſe patet ex coloniis Iſraëlitar. eò tranſlatis. Tùm *Aſſar-addon* Ἀσαρεδῖνος, qui Babylone potitus, conjunxit utrumque Imperium Aſſyriacum & Babylonicum A. Nabonaſſar. lxxx. à quo tempore Babylonii dicti ſunt & Aſſyrii. Nec Marshamus audiendus, qui Aſſyriacum Imperium nullum fuiſſe vellet, antè *Phul* Aſſyrium; *Sardanapalo* Rege ultimo, in poſteriora tempora remoto; uti hunc in anteriora nimis protrudit Petavius. Cujus & *Nabuchodonoſor* Aſſyrius, ſub extrema Ezechiæ, fictitius eſt, ex Libro *Judith*, uti expeditio tota Holophernis, & obſidio urbis *Bethuliæ*, &c. de quâ notum eſt ſilentium Joſephi. Grotius vult nomina omnia, in hoc libro, eſſe allegorica & αἰνιγματώδη.

Et Huëtius contigiſſe rem ſub Captivitate Babylon. Alii poſt reditum ex Captivitate, ſub Perſarum dominatu, Cambyſis, vel Xerxis, & Artaxerxis Longim. Alii ſub Artaxerxis Ochi Imperio. Adeò incerta omnia quæ ſupponit Petavius, & nuper Bernardus de Montfaucon, in *Hiſt. Judithæ*, quam *ſub Manaſſe* pariter contigiſſe hariolatur, & cui Nabucadn. ille eſt *Saoſduchinus* ſucceſſor Aſſaradini. Nec quadrat his temporibus, tùm mentio nulla Regis in Judæâ regnantis, tùm *Joachimus* ille Pontifex, de quo Judithæ *Cap.* iv. xv. qualis legitur ſecundus à reditu ex Captivitate, poſt Joſuam, Pontifex, *Nehem.* xii. 10.

Aſſyr. & Babyl. Imper. iv. Cæteri Reges *Aſſyrii* ſimul & *Babylonii*, uſque ad annum 1. Nebucadnezaris Magni, (undè & initium Captivitatis Babylon.) fuerunt, *Saoſduchinus* vel *Saosduchæus*, vivo adhuc Manaſſe Rege; *Kinidalanus*, qui coævus Joſiæ fuit; *Nabopolaſſar*, ſeu Nebucadnezar pater, qui regnare incepit Anno Nabonaſſ. 123. & qui filium aſſumpſit ſocium Imperii Anno Nabonaſſ. 141. *Per. Jul.* 4107. Quo tempore celebres in Ægypto Reges, *Pharao Neco* vel Necao, vel ex Hiſt. Joſuæ notus in Sacris; & *Apries* vel *Pharao Hophra*, qui exutus tandem à Babyloniis, & à Nebucadnezare fuit Anno Æræ Nabon. 171. Per. Jul. 4143.

Res Ægyptiacæ.

Ægyptiorum res. I. PRimus Rex Ægyptius, rege Roboamo, legitur ipſe *Seſacus*, *Suſakim* Euſebio, vel Sezonchis apud Maneth. *Bubaſtica* Dynaſtiæ, quæ xxii. eſt, primus, *Taniticâ* ſubactâ. Hic à Jeroboamo excitatus, bellum intulit Roboamo, anno hujus v. & Theſauros Hieroſol. ac *Scuta aurea* Salomonis diripuit.

Dynaſtiæ xxii. Reges alii memorantur apud Euſebium, G. Syncellum, ut *Pſeuſennes*, & reliqui, quos vide in dictis *Chronicis*.

Dynaſtia xxiii. refertur Euſebio ad initia Azariæ ſeu Oziæ Regis, primo Rege *Petubaſte*, poſt quem *Oſorthon*, Hercules cognominatus, & *Pſammis*.

Rex inclytus *Bocchoris* Saïtes, eodem Oziâ regnante, fertur Dynaſtiæ xxiv. aliis Rex ſæviſſimus, aliis Juris apud Ægyptios conditor, laudatus Diodoro Sic. Ad hujus ætatem retuliſſe videri poſſet (poſt Lyſimachum apud Joſephum, contrà *Apion.* Lib. 1.) Tacitus, Exitum Judæorum ex Ægypto, leprâ ſcil. vel tabe laborantium, *Hiſt.* L. v. C. iii. Niſi Tacito planè alius fuerit, veriùs *Occhoris*, ut pridem Eruditi, ex Vett. Codd. reſtituendum putarunt.

Dynaſtiæ xxv. Æthiopum, Rex *Sabbacon*, qui Uſſerio, Marshamo, & aliis, idem cum *So*, *Sua*, *Soano*, ad quem legati ab Hoſeâ miſſi, 2 *Reg.* xvii. 1. potentiſſimo ac longi ævi Rege, qui Bocchorim vivus combuſſerit, ex Africano, Euſebio, &c.

ii. Excepit Dynaſtia xxvi. dicta *Saïtarum*, poſt Δωδεκαρχίαν ab exceſſu Sabbaconis, de qua Herodotus, Diodorus, &c. Primus Rex *Pſammitichus* Saïtes, qui totos annos liv. regnaſſe fertur. Poſt quem regnaverint *Necho* vel *Necos* filius, qui & *Pharao* in Sacris, celebris non uno nomine, bello implicitus cum Aſſyriis, ex Joſephi *Lib.* x. C. vi. & cauſa interitus Joſiæ ac luctuoſi exceſſus, 2 *Reg.* xxiii. 2 *Chron.* xxxv. Hinc *Pſammis*, filius Nechonis; tum *Apries* II. vel *Hophra*, ad quem Judæi confugiunt, poſt Hieroſolymam occupatam, exuendus à Babyloniis, juxta prædictionem *Jerem.* xliv. Anno Æræ Nabonaſſ. 171. Nabocolaſſaris ſeu Nebucadnezaris II. anno circiter xxx. Poſt eum *Amaſis* regnum obtinuit, antè Præfectus, ſed excuſſurus jugum Babylonior. De his jam occupatum ex parte ad Canonem Nabonaſſ. P. ii. C. xi. *Chronol.*

Æthiopes, permixtos *Arabibus*, ſive Cuſchitis, jam ante Sabbaconem, potentiâ formidabiles fuiſſe, docet exemplum *Zerachi*; qui, cum exercitu x *centum mille* armatorum, Judæam invaſit, Aſâ regnante, 2 *Chron.* xiv. 9. Nec in Scriptura S. occurrit numeroſior exercitus: Videntur & permixti Æthiopibus *Ægyptii*, aut illis fœderati, aut ſub uno tum Dynaſtâ.

Res Phœnicum, Syrorum, Medorum, Lydorum, &c.

I. TYriorum res & *Sidoniorum* obſcuræ, poſt Hiramum, memorato *Ithobaale* vel *Ethbaale*, Sidonio Rege, cujus filia fuit impia *Jezabel*, 2 *Reg.* xvi. 31. *Eliſa* Phœnicio nomine, אל־אשה, quæ & *Dido*, Soror Tyrii Regis *Pygmalionis* (à quo Sichæus interfectus) deductâ in Africam Coloniâ, Carthaginis *Acropolim* condidit, *Bozram*, Græcis Βύρσαν (unde fabula de Corio bubulo) à condito Templo Salom. annis 143. (male Euſeb. à Bello Troj.) ex Joſepho *Libro* 1. contrà Apion. Joaſo Rege Judæ. Tandem ſub Nebucadnezare dedita Chaldæis *Tyrus* vel *Palætyrus* in Continente poſita, poſt 12. annorum obſid. & permiſſa Regibus ſuis, ſed tributariis: Accidit res ſub captivit. Babylon. *Idumæi* ſub Joramo Judæ excuſſêre jugum, quod ſubierant ſub Davide, 2 *Chron.* xxi. *Moabitæ* etiam ab Iſraëlitis defecerunt mortuo Achabo, 2 *Reg.* i. iii. &c. luituri tandem. — Tyriorum & Sidon. res.

ii. *Syrorum* aliquot Regum meminit Hiſtoria S. Cumprimis *Benhadadi*, antiqui Syrorum Regum nominis, (qui Benhadad nepos fuit *Reſonis* ſub Davide, primi Damaſcenorum Regis) invaſuri Samariam, A. Achabi xviii. Tum *Hazaëlis* ejus filii, & ſucceſſoris, infeſtiſſimi Joramo Regi Iſraëlis, 2 *Reg.* viii. xiii. — Syrorum.

iii. *Medorum* Regnum primus geſſiſſe traditur ab Herodoto *Dejoces*, poſt cladem (ut videtur) Sennacheribi, Aſſyriorum jugum excuſſurus. Ante Medi αὐτονομίᾳ quadam gaviſi juxtà Herodotum, ſed tamen Aſſyriis tributarii. Dejoci ſucceſſit *Phraortes*, poſt regnum annorum liii. Phraorti *Cyaxares* Senior, a Scythis exutus, pater *Aſtyagis*. Alii ſecuti Cteſiam, hinc Diodorum Siculum, ab *Arbace* regnum Medorum auſpicantur, & ſic Euſebius, Oroſius, ac ix. Reges putant uſque ad Cyrum. Petavium inter Regnum *Arbacis Medi*, & *Dejo-* — Medorum.

Digitized by Google

Dejocis, ponit intervallum ferè CC. annorum, interea affligendis Medis per Aſſyrios, Scythas, Chaldæos, donec rediret regnum ad Medos.

Lydorum. IV. *Lydorum* inclyti hac Epochâ Reges; *Ardys* vel *Ardylus* primus, tempore Oziæ Judæ, apud Euſeb. Poſtea *Alyattes* I. hinc *Meles* (celebri hoc nomine fluv. Homerico) tùm *Candaules*, ultimus Heraclidarum: A quo ad *Gygem*, regium antè paſtorem, vili conditione hominem, Candaulis ſatellitem, regnum unà cum ejus Conjuge tranſiit, Ezechiæ circiter tempore. Nota eſt hiſtoria *Candaulis*, uxorem ſuam *Gygi* nudam oſtendentis, undè in Candaulem Uxoris & Gygis conſpiratio. Narrant Herodotus, Trogus, Plutarchus in *Sympoſiacis*, &c. Addit Cicero de Offic. *Lib.* III. hiſtoriam *annuli* Gygis, quo ad palmam converſo à nemine videbatur; undè ejus annuli opportunitate uſum, Reginæ ſtuprum intuliſſe, poſteà in Regem conſpiraſſe.

Phrygum. V. *Midas* Phrygum Rex, Gordii filius, ut artificiis, opibus, avaritia, ſic fabulis de eo ſparſis inſignis, Scaligero putatur Homero æqualis, Petavio Pelopi. Recentior longè aliis, diu poſt natas Olympiadas, & Urbem Cond. & quidem circa tempora Manaſſis. Ejus avaritiam & pœnam avaritiæ, deſignarunt Poëtæ, ſtolido illo voto, quo à Baccho petiit, ut quicquid contingeret in aurum verteretur: *Effice quicquid Corpore contigero fulvum vertatur in aurum*, *Annuit optatis.* Reliqua apud Ovid. L. XI. *Metam.* Fabula de auribus *aſininis* inde orta eſt, quod per internuncios & exploratores, de rebus omnibus quæ vel dicerentur, vel gererentur à ſuis, certior fieret, & ſic apud Photium *Conon* Hiſtoricus *Cod.* CLXXXVI. Hic epoto ſanguine taurino mortem ſibi conſciſſe traditur. *Cyzicus* in Aſiâ, ad oram Helleſponti condita fertur ab Euſeb. quo tempore Manaſſes in Judâ regnaret.

Res Græcorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Macedonum, &c. verbo indicatæ. Olympiadum Epocha. Inclyta nomina.

Res Atheniens. Apud *Athenienſes* Archontes perpetui, locum fecêre *Decennalibus*, A. Æræ Marmoreæ 490. poſt Cond. T. Salom. 264. *Olymp.* vulg. VI. anno 3. proximè antè U. Cond. Annui deinceps Archontes, ferè LXX. poſt annis, *Olymp.* vulg. XXIV. ineunte, Creone ex illis Archonte primo, Æræ Nabon. LXII. De quo vide Notas ad Marmora, & Meurſium noſtrum.

Dudùm antè Archontas Decennales, floruêre inclyta nomina, *Heſiodus*, *Homerus*, *Lycurgus*, *Iphitus*, quanquàm non ſatis certæ ætatis. Euſebius, Cyrillus, & alii Homerum Heſiodo antiquiorem fecêre; qui primus Poëtarum habitus, & αὐτοδίδακτος, canens ex afflatu Numinis, idemque Orator, Hiſtoricus, Geographus, Philoſophus, Theologus. Hinc divinis honoribus cultus, ſtatuæ illi poſitæ, Nummi ejus vultu ſignati, Aris, Sacrificiis, & Templis honoratus, & quæ alia nuper elegantiſſimè collegit Vir magnus Giſbertus Cuperus, in Apotheoſi Homericâ. Secùs tamen de ejus antiquitate ſtatuit Marmorea *Epocha* XXIX. XXX. quæ Homerum juniorem facit Heſiodo annis ferè 40. Hic *Aſcrâ* Bœotiæ oriundus, patre *Cumæ* Æolicæ nato; undè quidam Heſiodi Poëmata deſignari per *Cumæum carmen*, Eclogâ IV. Virgilianâ. Joſephus autem Homerum cenſet omnium Poëtarum primum; quem tamen præceſſiſſe videntur *Linus* Thebanus, *Amphion*, *Orpheus*, *Eumolpus*, *Muſæus*, nec tamen ille qui Leandri & Herûs amores ſcripſit. Quin ſcriptores Belli Trojani vetuſtiores Homero memorant Ælianus, Clemens Alexandr. Euſtathius. *Lycurgus* Spartanus, Eunomi Regis filius, regni ἐπίτροπος & legiſlator, floruiſſe putatur circà tempora *Joaſi* in Judâ regnantis; Cujus leges ſaluberrimas, nonnullas cum Moſaicis congruentes, memoriâ autem non *ſcripto* conſervandas, quâ ratione firmarit apud Lacedæmonios, doctus ab Apollinis Oraculo, fusè Plutarchus, & alii. Huic coævus putatur *Iphitus* Eleus; à quo Iphito præcipuè *Olympia*, in honorem Herculis, apud Eleos inſtaurata; Agones toti Græciæ communes, πένταθλοι & στεφανῖται. Nec tamen indè cœperunt numerari tempora per *Olympiadas*, ſed ann. minimum CVIII. ſeriùs.

II. *Olympias* I. Vulg. in quâ Corœbus Stadium vicit, conſenſu Doctiſſ. Chronologorum, eſt XXVIII. Iphitæa, coincidens cum anno *Per. Jul.* 3938. poſt Excid. Trojæ, annis 434. Azariæ Regis Judæ anno XXXV. &c. Undè duplex Epocha Olympiadum, vera ſeu Iphitæa, & Vulgaris. Ante hanc menſuram temporum fallunt ſupputationes Græcorum Hiſtoricorum, & ipſius Polybii. Sed de Olympiadibus dictum in Chronologicis, Parte I. & II. Olympias I. Vulg.

Draco Athenienſibus leges tulit, θεσμὸς, Olymp. XXXIX. à Solone dein abrogandas. Hæ *ſanguine* quaſi ſcriptæ dicuntur, ob pœnam capitalem minimis etiam delictis decretam, v. g. otio, furto rei exiguæ, &c.

III. *Lacedæmoniorum* Rempubl. ſaluberrimis legibus ordinavit Lycurgus, Tutorio nomine, ut dictum modò eſt, Charilao regni hærede, de quo Plutarchus in Lycurgo. Factum toto & amplius Seculo antè I. Olympiad. Vulgarem, *Joaſi* in Judâ regnante, ſecundùm Euſeb. alii autem antevertunt. Præceſſit Ageſilaus inclytus Rex Lacedæmonior. ad tempora Aſæ referendus eidem Euſebio, ſub quo natum Lycurgum putant. *Agis* jam Saulis & Davidis tempore Spartanis præfuerat. Lacedæm. res.

IV. *Corinthiis* imperitarunt *Bacchiadæ*, à *Bacchide* Rege V. qui coævus Ageſilao fuit, de quo Pauſanias in *Corinthiacis*. Poſt *Cypzelum* patrem, à quo exuti ſunt regno Bacchiadæ, *Periander* filius Corinthiorum tyrannidem obtinuit circa *Olymp.* XXXVIII. regnante *Joſiâ*. Hic unus è VII. ſapientibus; quamvis cum *Matre* rem habuiſſe ſcribat Laërtius, quam alii μιγῆναι voluêre, alii à Matre fuiſſe circumventum. Hic primum tunc Magiſtratum in *tyrannidem* convertiſſe fertur; omniaque ad hanc conſervandam adhibuiſſe. Corinthior.

Corinthiorum Colonia fuit Urbs, deinceps ampliſſima atque opulentiſſima, *Syracuſarum*. Deducente Archia Corinthio in Siciliam, & Urbem condente in Ortygiâ Inſ. *Olymp.* V. anno 3. vel 4. Æſchylo adhuc Archonte, paulò antè conditam *Catanam*, ſed & *Romam*.

V. *Macedonum* regnum fundatum hâc Epochâ ab Heraclidis, ſeu à *Carano* Heraclidâ, Pheidonis Argivi fratre, qui occupatâ *Argis* tyrannide, primus Nummum argenteum in Æginâ cudit. Coævi ferè Homerus Poëta, (non multò is anterior) Lycurgus, Pheidon, Caranus, &c. hi quidem Azariâ Rege Judæ, apud Euſebium. Rex à *Carano* vulgò XXI. cenſetur Philippus Pater Alexandri M. Herodotus initium Regum Macedonum ducit demùm à *Perdiccâ*, qui τὴν Τυραννίδα κληρωσάμενος miro quodam modo, *Lib.* VIII. C. CXXXVIII. ſubactâ Macedoniâ, & Regio titulo aſſumpto. Macedonum.

VI. Mittimus Urbes celeberr. hâc Epochâ conditas, deductis Græcorum Coloniis; puta *Chalcedonem* Olymp. XXVI. *Byzantium* in oppoſito Thraciæ promontorio, *Olymp.* XXX. aliaique ad oram *Helleſponti*, ſcil. *Parion*, *Cyzicum*, *Lampſacum*, &c. *Maſſiliâ* Galliæ poſteà quoque à Phocæenſibus condendâ, Marshamo antè Olymp. XLIV. Euſebio O-

Digitized by Google

lymp. XLV. De quibus Strabo, Solinus, Stephanus, Euſebius in Chron. Hæc rurſùm ex innumeris pauca.

Helleniſmus. Ejus Origo & progreſſus.

Theologia Græcorum undè? CUrrente hâc Epochâ floruit jam *Helleniſmus*, ſeu Theologia Græcorum, cujus primordia refert Epiphanius ferè ad Cecropis ætatem in Α'νακεφαλαιώσ. hauſta primùm ex Ægyptiorum, Babyloniorum, Phrygum, Phœnicum ſuperſtitionibus. Initio, Græcorum Dii *communes* ipſis cum cœteris Gentibus fuerunt, *Sol*, *Luna*, *Planetæ*, *Heroes* ac demortui, vel dignitate, vel inventis, vel rebus geſtis, vel alio nomine celebrati. Poſtmodum Deos *novos* ab exteris gentibus, Ægyptiis maximè mutuati ſunt, poſt itinera Lycurgi, Thaletis, Solonis, Pherecydis, Pythagoræ, &c. ut ex *Herodoto* conſtat L. I. & *Diodoro* L. IV. Senſim autem fabularum acceſſione & innumeris de Diis ſuis figmentis, Saturno, Jove, Marte, Dionyſo, Apolline, Junone, Mivervâ, Rheâ, &c. exorta eſt Theologia illa fabuloſa, & μύθων varietate propemodum infinitâ, ac permixtione nominum, ſtupendum in modum intricata; quam vetuſtiſſimi Græcorum Theologi *Orpheus*, *Muſæus*, *Linus*, *Homerus*, *Heſiodus*, &c. carminibus ſuis deſcripſerunt. Præcipuarum verò fabularum origo non alia quàm ex depravato & malè intellecto Sacræ Hiſtoriæ ſenſu, & ad res ſuas applicato; imò ex Phœniciarum aut Hebræarum vocum ſignificationibus, perperam detortis & applicatis; ut ſolidè & multis noſtro ſæculo demonſtrarunt Scaliger, Seldenus, Voſſius, Herbertus, Hornius, Bochartus, Dickenſoniis, &c. Græcorum autem δεισιδαιμονέςατοι fuerunt Athenienſes, qui & defenſores Deorum, προςάται, ac vindices, audiebant. Unde in eorum ſuperſtitionem refunditur, quod ne Deorum quenquam præterirent, θεῷ ἀγνώςῳ *aram* quoque ponendam cenſuerint, ut confirmant *Pauſanias* in Atticis, & *Lucianus* in Philopatride. Ita dum Paulus Jeſum ipſis nuntiaret, ϗ τὴν ἀνάςασιν, hanc confeſtim novam quandam Deam exiſtimabant homines ad ſuperſtitionem proclives, quibus erat Paulus ξένων δαιμονιῶν καταγγελεὺς, novorum Numinum ac Deorum nuncius. Ab hac tamen ſuperſtitione alieniores ſapientiſſimi Græcorum extiterunt, *Socrates* & *Plato*, quorum ille ob Deorum contemptum cicutâ enectus; hic verò omnium proximè veri Dei naturam aſſecutus eſt, ac ſublimia de Deo philoſophatus. Neque is tamen uſus fuit Jeremiâ præceptore in Ægypto, ut refert *Auguſtinus* L. II. de Doctrina Chriſt. c. XXVIII. & *Fr. Petrarcha* L. I. Rerum memorab. C. II. aliique etiamnum hodie. Quo commento nihil ineptius, cum inter utrumque hiatus intercedat annorum ducentorum & amplius, vixeritque Plato vergente ferè ad finem Perſarum imperio, Jeremias ſtante Monarchiâ Aſſyriorum ac florente. Ejuſdem commatis eſſe putamus, quod de ſubreptis ab eo depromptiſque ex *Moſaicis* ſcriptis, Numenius Platonicus, Ariſtobulus Judæus, Juſtinus Martyr, Clem. Alex. Euſebius, Ambroſius, Theodoretus, Johannes Philoponus, tradiderunt. Neque enim ante Alexandri M. tempora, vel Græca ſacrorum codicum verſio extitiſſe videtur, vel Græci cum Judæis verſati familiariùs. Ut vero ſimilius ſit Platonem, quæ ſaniora de Deo & Mundo ſuis prodidit monimentis, ex *Phœnicum* hauſiſſe Theologiâ & commentariis, quos cum Hebræis plurima habuiſſe communia, tum ob quotidiana commercia, tum ex ſacrorum auditione Codicum, ſuprà oſtendimus. Certè videntur ex Moſe derivata, v. g. Luſtrationes, Lotiones, varia Libamina, Primitiæ, Decimæ, Pollutio ſuper mortuo, Talionis lex, Α'συλία, Anathemata, Mola ſalſa, Α'ζυμα, Puerperæ ad dies certos immundæ, ἕβδομον ἱερὸν ἧμαρ, Neomeniæ, &c. Sic Pœnæ Civiles homicidii, adulterii, furti, falſi teſtimonii, &c. Porrò in vulgus notum, Theologiam Græcorum diſtributam fuiſſe in ἐμφανῆ ϗ γνωριμωτέραν, ſeu *vulgarem* & *explanatam*, quæ communis religionis articulis contenta non altiùs aſſurgebat, & ἀπόῤῥητον ϗ μυςικὴν, ſeu *exquiſitam* & *ſublimiorem* doctorum & ſapientum. Hæc denuò tripartita ut patet ex *Euſebio* IV. προπ. & *Auguſtino* L. VI. de Civit. Dei C. V. Μυθικὴ ſive *fabuloſa* Poëtarum, φυσικὴ ſeu *naturalis* Philoſophorum, πολιτικὴ ſeu *civilis* Sacerdotum & plebum, in ritibus variis & ceremoniis conſiſtens. Cæterùm abivit hic *Helleniſmus* in ſectas varias, dictas *Pythagoreorum*, *Socraticorum*, *Platonicorum*, &c. de quibus poſtea.

Res Latinorum. Urbis Conditæ Palilia.

Romæ initia. I. AB Æneâ in Italiam tranſlato, & Aſcanio filio, poſt quem Silvius ejus frater Lavinâ natus, aſſumpſit imperium, fuit Rex Latinus XV. *Amulius*: Ille qui fratrem *Numitorem* circumvenit, natu maximum ex Silvio Procâ, circiter annis CCCC. poſt conditam Albam. Ex Numitoris filiâ *Rheâ Silviâ*, quam Veſtæ conſecrârat Amulius, naſcituri ſed incerto patre, *Romulus* Silvius, & *Remus* Olymp. II. ann. 2. mirabiliter educandi, nec ſine fabulis admixtis.

II. Porrò ut iſta fusè ex Faſtis, & Dionyſio Halicarnaſſ. Livio, Plutarcho, &c. Onuphrius, Pighius, alii, ita ex iiſdem intelligitur: Ut Romulus & Remus avum Numitorem in Regnum reſtituerint; Ut *Albâ* illi permiſſâ Urbem novam condiderint, *Romam* dicendam, Romulo mox ſolo, anno æt. XVIII. Ut prima Urbis *Palilia* vel *Parilia*, XI. Kal. Maii, concurrant, ſecundum M. Ter. Varronem, cum *Olymp.* VI. anno 4. ſecundum M. Porcium Catonem, cum *Olymp.* VII. anno I. ſecundum Q. Fabium Pictorem, cum *Olymp.* VIII. anno I. Ut Palilia Varroniana hæc Fabii Pict. toto *quinquennio* antevertant. Quâ de re Chronologi. Hinc ad Regifugium, pro diverſo Computo, anni CCXLIV. ut quoque Cenſorinus, vel CCXLV. Varr.

III. Eodem fere tempore quo *Roma* condita fuit, *Ninive* antiqua per Medos deſtructa, unà cum Imperio Aſſyriaco Vetere: Et *Babylon* cum Imperio Babylonico inſtaurata per Nabonaſſarum, cujus *Æra* concurrat, cum A. *Urb. Cond.* VII. ſec. *Varr.* quem calculum ſequitur Euſebius in *Chron.* Et de his dictum ad Æram *Nabon.*

Primi Reges Romani. IV. Cœterùm *Romuli*, annos XXXVII. regnaturi, hiſtoriam & Quirini cognomentum; Populum in Patres & Plebem diviſum; Senatores ex Patribus centum primò lectos; Sabinas mulieres raptas; Populum in XXX. Curias diviſum, &c. hæc pagina non admittit. Uti nec hiſtoriam *Numæ* Pompilii, Ezechiæ coævi, & Sennacheribo; à quo novæ Leges, & Hetruſca Diſciplina, Sacra, Sacerdotes, Hoſtiæ, Aſyla, Anni ratio, Menſium, Dierum faſtorum, nefaſtorum, &c. inſtituta. Cui *Tullius Hoſtilius* ſucceſſit, Manaſſe adhuc regnante, qui primus ſellam curulem, lictores, togam pictam, inveniſſe fertur. Tùm *Ancus Marcius* Sabinus, qui cum Numâ Pomp. Romam venerat, coævus Joſiæ: Quintus verò fuit *Tarquinius Priſcus*, ità diſtinctionis ergò cognominatus, quo regnante contigit initium Captivitatis Babylonicæ, anno IV. inchoato Jehojakimi. De quibus Hiſtoria Romanorum, & Faſtorum Libri, ac ſequens Epocha.

V. Quan-

Digitized by Google

Theol. Romanor.

v. Quantum ad Theologiam Romanorum, qualem introduxit primus Numa Pompilius, è Sabinis oriundus, hæc à Terentio Varrone pridem deſcripta, tùm ab Halicarnaſſæo, Livio, Plutarcho, &c. & ex his in pluribus ab Auguſtino, Libris de *Civ. Dei*.

Conſtitit eadem initio cumprimis in *Aruſpicum* & *Augurum* diſciplinâ, quæ Hetruſca, à Gente illius cultrice, appellata eſt. Undè nihil agere vetuſtiſſimi Romanorum, domi foriſque, in pace, in bello, in conſiliis, expeditionibus, fœderibus, niſi conſultis primùm *auguriis*, id eſt, avium volatu & cantu, quem ſcil. dirigeret Numen, & quarum aliæ auſpicatæ, aliæ infauſtæ, hinc bonis vel malis avibus: Item conſultis *auſpiciis*, *extiſpiciis*, antè, in & poſt hoſtiarum ſacrificia, unde illis de Deorum voluntate judicium fuit. Quâ & ſuperſtitione fuiſſe Julianum Apoſtatam refert Ammianus Marcellinus. De quibus ex profeſſo Auguſtinus Niphus, Jul. Cæſar Bulengerus, & ſi qui alii, recudendi illi in Theſauro Græviano.

Inſtituta Moſaicis congrua.

Sed & indubium habuiſſe uti Græcorum, ſic quoque Romanorum priſca inſtituta, haud pauca quæ cum *Moſaicâ diſciplinâ* congruerent, ut pridem Clemens Alexandr. apud Euſebium L. IX. προ-παρασκ. V. gr. Huc referri poſſit, *Pontificis Maximi* inſtitutio, & jura Pontificum interpretandi Sacra, nulla tamen jura Majeſtatis; interdictum illi cadaver adſpicere, feralia attrectare, uxorem ducere niſi caſtam, intactam viro: Sic requiſitum, ut adminiſtri Sacrorum eſſent corpore integro, nullâ parte mutilo, aut diſtorto: Sic prohibitæ pollutiones, & lotiones imperatæ Sacerdotum, victimarum, pollutorum ex lege: Sic victimarum à Pontificibus probatio, eſſentne puræ, integræ, legitimæ: Sic ritus ſacrificiorum, ſanguinis in arâ fundendi, arietis offerendi, in quem pœna rei transferretur: Sic oblationum ritus ex farinâ, vino, molâ ſalſâ, ac libationum: Sic feſtorum dierum religio, & in iis epularum ſacrarum, εὐωχιῶν, in loco ſacro, puta Capitolio, &c. Sic Dei nullâ primitùs ſimulachra Romanis, ex lege Numæ Pompilii, quam totis annis CLXX. viguiſſe, ex Varrone, Plutarcho in hiſtoriâ Numæ, Auguſtinus de Civit. Dei *Lib.* IV. C. XXXI. Sic ritus ſanciendorum fœderum, cæſâ victimâ, juramento; jus Azylorum, ad Deorum Aras, undè *ara Miſericordiæ*, ad quas confugere ſoliti rei, & ſupplices; & quæ id genus ex Romanorum Antiquitatibus peti poſſunt. Ità juri Moſaico conformes leges Civiles, v. gr. lex talionis, ex Rhadamanti lege expreſſa, ut hæc ex Moſe; leges contrà Inceſtus, Adulteria, Homicidia, Furta, Plagia, Abigeatores, Incendiarios, Mathematicos, &c. Sic lex circà ſucceſſiones ab inteſtato, terminos poſſeſſionum, aliæ; De quibus P. Pithœus, & Jureconſulti paſſim, ad *Collationem* Moſaicarum & Romanarum legum, quæ jam ſub Theodoſio Juniore in Codicem relata fuit.

Dii Romanorum infiniti.

Crevit valdè ſuperſtitio, cum incremento Imperii. Hinc Dii *primi*, *ſecundi*, *tertii* ordinis; Dii Conſentes vel Selecti, ſeu præcipui, aliàs Majorum Gentium Dii, naturâ cœleſtes habiti,

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dii Indigetes, ob merita in cœlum recepti, quales Heroes & ſemi-Dei: Sic Dii qui præeſſent Tempori, Loco, Generationi, Ætatibus hominum, Morbis, Funeri; qui Senſibus, Actionibus, Paſſionibus, Diſciplinis, Oeconomiæ, Politiæ, Agris, &c. Adeò perſuaſi, nullam actionem, nullam virtutem, eventum nullum eſſe, qui non à Dei nutu penderet. Adhæc Dii Peregrini, Deus Fidius, Oſiris, Iſis, &c. Statuæ etiam & Simulachra, ſine fine. Ut omnium Gentium Numina Romani colerent, hinc ſe & omnium Gentium imperia meruiſſe crederent, ſapientioribus in *Unum ſummum* erectis. De quibus præ cæteris nuper, poſt Clementem Alex. Euſebium, Auguſtinum Libris de Civit. Dei, Viri qui de Idololatria Gentili, & de Romanorum Antiquitatibus, Diis, Sacris, ex profeſſo commentati.

Atque ex hac Deorum multitudine factum eſt, ut ſævierint Romani in Chriſtianam Religionem, quæ πολυθεΐαν funditùs aboleret, habitam illis Imperii ſui firmamentum.

EPOCHA SEPTIMA,

Ab Initio Captivitatis Babylonicæ ad finem LXX. Annorum.

I. *Rationes horum annorum* LXX.

HUnc annorum calculum fixit Textus Sacer, *Jerem.* XXV. XXIX. 2 *Chron.* XXXVI. *Dan.* IX.

Sed in *capite* eorum annorum figendo, & *termino*, mira Chronologorum diſſenſio; Joſepho, & pleriſque Veteribus, ducentibus initium demùm ab anno XI. Zedekiæ, & Urbis ac Templi excidio.

Sed magnâ conſenſione Principes Chronologi ducunt ab anno IV. *Jehojakimi*, qui fuit annus I. *Nebucadnezaris* filii, *Jerem.* XXV. I. &c. à Patre in ſocietatem regni aſſumpti, qui in Canone eſt Ναϐοπολάσαρος, A. *Per.* Jul. 4107. Olympiade XLII. Æræ Nabonaſſ. CXXI.

Conſentit Canon Babylonicus cum Canone Script. S. Nam ab anno I. hujus Nebucadnezaris, ſeu à IV. Jehojakimi, ad excidium Urbis ſub Zedekiâ, Nebucadnezaris anno XIX. colliguntur anni — — — — — 19.

Hinc ad mortem Nebucadnezaris; (Evilmerodacho filio interea regni habenas adminiſtrante, & fortè *Nitocri* conjuge, dum ille de ſtatu mentis dejectus eſſet) ſecundum Canonem — — 24.

Tum anni *Evilmerodachi* filii Nebucadnez. qui extulit Jechoniam, 2 *Reg.* XXV. anni — — 2.

Hinc *Neriglissoroari*, Nebucadnezaris generi, affinis Evilmerodachi, incluſo aliquot menſium regno *Labor-aſſarchadi* filii (de quo tacet Canon Ptol. habent Beroſus, Megaſthenes, Joſephus, Euſebius) anni — — — — — 5.

Dein *Nabonadii* (qui & *Labynethus*) nepotis Nebucadnez. & qui pleriſque ille Belshaſar, *Jer.* XXVII. 7. *Dan.* V. I. Certè Joſepho, Hieronymo, Torniello, Uſſerio, &c. (invito Scaligero, Petavio, Calviſio, qui Darium Medum eſſe putant) anni — 17.

Tum, ſive ad captam à *Cyro* Babylonem, poſt occiſum *Belshaſarem*, ſeu (ut alii) à captâ Babylone, ad mortem *Darii Medi*, qui multis videtur fuiſſe ſocer & avunculus Cyri, nempe Cyaxares Medus, anni — — — — — 2.

Exurgunt ad I. Cyri excluſ. anni compl. — 69.

De quo diximus ad Æram Nabon. & ad Canon. Ep. VII.

II. *Captivitatis Babylonicæ tres gradus. Initium* LXX. *annorum unde?*

I. MΕτοικεσίας Babylonicæ referuntur in Hiſtoriâ S. *tres* potiſſimùm gradus, aliis *quatuor* numerantibus; de quibus Joſephus *Lib.* X. *Cap.* VII. & ſeq.

1. *Prima* transmigratio facta ſub Jehojakimo Rege Judæ, qui dicitur Ἰεχονίας, *Matth.* I. II. & qui à Pharaone, quocum bellum Nebucadnezari, Rex fue-

fuerat conſtitutus. Hic anno Regni IV. inchoato, Nebucadnezaris (qui *Nabo-col-aſſar*) *primo*, Æræ Nabon. 141. factus eſt hujus tributarius, prænunciante Jeremiâ, & ſcribente manu Baruci, *Jer.* XXV. I. XXXVI. I. I. Devicto antè per Babylonium Pharaone Ægyptio, *Jer.* XLVI. 2. 2 *Reg.* XXIV. 7. Tum tranſportatus fuit Daniel cum ſociis, *Dan.* I. I. inſigni errore Joſephi Hiſtor. qui tranſportatum demum cum Zedekiâ, *Ant.* L. X. C. X. Anno VIII. quum rebellare inciperet Jehojakim, graviori ſervitutis jugo preſſus eſt, 2 *Reg.* XXIV. I. Anno verò XI. tribus poſt annis, ob rebellionem vinctus, & extinctus in vinculis, & hinc ſepulturâ fraudatus, juxtà vaticinium, *Jerem.* XXII. 19. Multi etiam Judæorum tum Babylonem deportati, 2 *Chron.* XXXVI. *Jer.* LII. 28. *Joſephi Lib.* X. C. VII. VIII.

Secundus. 2. *Secunda*, ſub Jeoiachino vel Jechoniâ filio, anno hujus I. poſt trium menſium regnum, ac Nabucadnezaris VIII. ex 2 *Reg.* XXIV. 8. & ſeq. Joſephi *Lib.* X. C. IX. Pœnituit ſanè mox Nebucadnezarem reſtituti Jechoniæ. Ac grave tum fuit Jeremiæ vaticinium neminem de *ejus ſemine* ſeſſurum in ſolio Davidis, *Jer.* XXII. 30. Memoranda hæc ſanè Tranſport. cùm ob dignitatem tranſportatorum, tum ob numerum qui X. millia.

Nempe tranſportati Rex, Mater, Optimates, Sacerdotes, Prophetæ, Artifices, alii benè multi, etiam Mardochæus Benjaminita, & Jehojadah Pontifex, *Jerem.* XXIX. I. 2. 26. *Eſth.* II. 6. item Ezechiel Sacerdos, *Ezech.* 2. 3. Indè factum, ut hæc ſit Ezechielis *Epocha*, unde annos putat in ſuorum vaticiniorum libro, nempe à deportatione ſuâ *Ez.* XL. I. quando viſio Templi myſtici exhibita, &c. Initio vaticinandi facto ab anno Captivit. Jechoniæ V. *Ezech.* I. 2. qui ibidem dicitur annus XXX. Sed fuerit ille annus XXX. alterius Epochæ, nonnullis Babylonicæ, à I. Nabopolaſſaris ſeu Nebucadnezaris patris, Æræ Nabon. 123. P. Jul. 4089. ad V. Jechoniæ, Æræ Nab. 153. P. Jul. 4119. Niſi malimus Prophetam ducere exordium annorum, à Joſiæ XVIII. quando liber Legis inventus in Domo Dei, & Joſias renovavit fœdus cum Deo, 2 *Reg.* XXII. hinc ad V. Jechoniæ pariter exurgunt anni XXX.

Tertius. 3. *Tertia* ſub Zedekiâ, rebellante in Nebucadnezarem anno regni ſui IX. Nebucadnezaris Magni XVIII. Undè Hieroſolyma tertiùm obſeſſa, intrà biennium capta, Templum excïſum, quod ſtetit annos ultrà CCCC. Rex vinctus & excœcatus, unaque cum ſubditis tranſportatus; relictis agrorum cauſâ tenuioris fortunæ hominibus, nonnullis in Ægyptum transfugis, *Jer.* XLIII. 6. 7. LII. 29. 30. 2 *Chron.* XXXVI. 2 *Reg.* XXV. Fruſtrà Ægyptii obſidionem ſolvere moliti, *Jerem.* XXXVII. 7. quibus occurrit Nebucadnezar initio ferè obſidionis. Joſephus *Antiq. Lib.* X. *Cap.* XI. dicit Templum ſtetiſſe, à ſuâ fundatione, annos CCCCLXX. & VI. menſ. à tranſmigrat. ex Ægypto, annis MLXII. menſ. VI. &c. inſigni μεθαχρονισμῷ. Quum ab Exodo ad fundatum Templum Salomonis, Scriptura ponat ann. CCCCLXXX. I *Reg.* VI. I. Et à fundato Templo ad ejus ſubverſionem, infrà annos CCCCXXX. omnes accurati Chronologi numerant, ut ſuprà P. II. *Chronol.* Epochâ VI.

Hic Nebucadnezar qui expeditionem ſuſcepit, filius fuit prioris, *Joſeph.* L. X. C. XI. ſub finem. Prior aliàs Nabopolaſſar, vel Nebucadnezar pater ſeu primus, alter Nebucadnezar filius, etiam Magnus.

Quæ tertiam Captiv. exceperunt. Quinquennio poſt, *Nebucadnezaris* XXIII. reliquiæ Judæorum, occiſo Gedaliâ, quem iis præfecerat Nebucadnezar, *Jer.* XLI. pariter abductæ, & Terra penitùs vaſtata, *Jer.* LII. 30. *Tyrus* hinc vetus à Nebucadnezare obſeſſa, & poſt annos XIII. certis conditionibus dedita, Ithobalo Tyri regnante, ſecundùm alios & Marshamum, penitùs exciſa. Sed & Gentes finitimæ ſubactæ, prædicente Ezechiele, *Cap.* XXIV. XXV. XXVI. Succeſſit verò Tyrus nova & Inſularis, ab Alexandro M. deleta. Fuerat nobiliſſimum totius Orientis emporium. Tùm quoque & ſubacta *Ægyptus* à Nebucadnezare, prædicentibus Vatibus, *Ez.* XXIX. XXX. *Jer.* XLIII. XLVI. &c. Tota nempè ſubacta indè à *Sin* ad *Syenem* uſque, Hophrâ Rege, ſeu Aprie II. Anno Nabon. 171. Nebucadnezaris ineunte anno XXXI. juxtà Petav. vel potius, juxtà Uſſerium, XVII. annis ab Excidio Urbis, Nebucadnezaris verò XXXVI. Præceſſerat excidium *Ninives*, per Cyaxarem Medum, hujus nominis I. poſt excuſſum Scytharum jugum, initâ affinitate inter Medum & Babylonium, ut pluribus Herodotus in *Clio*. Quod Petavius conjicit in Annum Nabon. 142. Nebucadnezaris filii ſecundum. Prædixerant divini Vates (Nahum C. III. 7. & Zophonias *Cap.* II. 13.) ampliſſimæ hujus Urbis fatum, ad Tigrim ſitæ, quæ juxtà Diodorum complexa fuit in ſuo ambitu ſtadia CCCCLXXX. Confirmat Tobithæ Liber, *Cap.* XIV. 16. *Niniven* everſam armis *Ahaſſueri*, ſeu Cyaxaris Medi, & *Nebucadnezaris*, ſeu Nabopolaſſaris, contractâ affinitate inter utrumque.

II. Ex tribus hiſce Captivitatibus, à quâ initium ſumant anni LXX. quibus Captivitas definita fuit, *Jerem.* XXV. XXIX. I *Chron.* XXXVI. *Dan.* IX. 2. controverſum eſt. Undè initium annis LXX. Refert quidem Euſebius in Chron. quoſdam ponere LXX. annorum exordium in anno Joſiæ XIII. quando hanc Captivitatem prædixit Jeremias, *Jer.* XXV. 3. 8. &c. Sed malè iſti initium Captivitatis, cum initio prædictionis illius, confundebant, neſcii Jeremiæ vaticinium XXIII. annis ipſa hæc mala populo infligenda anteceſſiſſe; Præter expreſſum Dei Oraculum, 2 *Reg.* XXII. 20. de plagis hiſce non immittendis vivo ſpiranteque Joſiâ.

Igitur conſtituêre in *primo* gradu harum Captivitatum (nempe in IV. Jehojakimi, quo Hieroſolyma à Nebucadnezare primùm obſeſſa fuit) hujus Epochæ caput, poſt Euſebium in *Chron.* Sulpicium *Hiſt. Sacra* L. II. & vetuſtiorum alios, Petavius, Uſſerius, Baillius, & ſi qui plures. Et rectè hi quidem, juxtà Jeremiam, dùm hujus Exilii attendit non initium ſed durationem, annis LXX. circumſcriptam, *Cap.* XXIX. 10. & juxtà Danielem, C. IX. 2. ac Ptolomæi Canonem, ut viſum in Doctrinâ Temporum.

In *ſecundo* gradu Captivitatis ſub Jechoniâ Rege, initium LXX. annorum ponunt, potior numerus Chronologorum & Interpretum, cum Joſepho Scaligero. Inducti calculo Ezechielis, *Cap.* I. VIII. XX. XXXVIII. &c. Non animadvertentes, numerare annos Ezechielem ab Epocha ſuæ deportationis, *Ezech.* XL. I. *anno* (inquit) XXV. *noſtræ Captivitatis*, XIV. *poſt excidium Urbis*: Deportatus Ezech. annis XI. antè Excidium Urbis, & annis VIII. poſt primam deportationem.

In *tertio* denique gradu, nempè Captivitate ſub Zedekiâ, ſtatuêre initium hujus Epochæ, Joſephus, Clem. Alex. Africanus, Euſebius, Lactantius, Hieronymus, Veteres, & plerique, tum Salianus, Pererius, Funccius, &c. & nuper *Marshamus.* Moti potiſſimùm excidio Urbis & Templi, ac terminaturi annos LXX. in annum II. Darii, ſed malè, vel ex 2 *Chron.* XXXVI. 21. 22. *Dan.* IX. 2. Marshamus verò reſpexit ad Epocham LXX. Septimanar. quam totam pervertit, ut nos in Chronolog. *col.* 180. & infrà C. IV. Epochæ ſeq.

III. *Sta-*

Digitized by Google

III. *Status Eccleſiæ ſub Captivitate Babylonicâ.*

HUc faciunt ſummatim, pro inſtituti noſtri ratione;

Corruptio Judæor. I. *Defectiones* Judæorum (nec omnium tamen) ad ſuperſtitiones Gentium ſub Captivitate, paſſim Ezechiele conqueſto, *Cap.* XX. XXI. XXXIII. XXXVI. Hinc ſumma corruptio in terrâ Captivitatis, ac mox à Captivitate, & pro defectionibus imperatus luctus, jejunium, *Eſdr.* IX. *Neh.* IX. X. qualiter & *Dan.* IX. Signant ex oppoſito alii, in terrâ Captivitatis, diſperſorum *Judæorum Converſionem*, ut unum ex *ſignis temporum*, & huc trahunt vaticinium Salomonis, 1 *Reg.* VIII. 47. &c. Sanè pii multi tùm ingemuêre, memores promiſſionum divinarum.

Miracula. II. *Miracula* varia ad Eccleſiæ conſervationem ac ſolatium, ſub Nebucadnezare, Belſhazare, Dario Medo, divinitùs patrata, *Dan.* II. III. IV. V. VI. Capit. Ubi ſunt *quæſtiones* illuſtres, tùm Chronologicæ & Hiſtoricæ, de illis ipſis Regibus, de quibus ſuprà in *Chronol.* ad Canonem Nabonaſſar. tum Exegeticæ ad Textum S. *Balthaſar.*, *Belſhazar* videtur ſanè fuiſſe qui Exoticis eſt *Naboneth*, *Labineth*, filius Evilmerodachi, nepos Nebucadnezaris Magni, & ità quoque Joſephus. *Darius Medus* non incongruè videtur fuiſſe Rex Medo-Perſa, ſive jam Aſtyages, filius *Ahaſſueri*, id eſt, Cyaxaris ſenioris, *Dan.* IX. I. avus Cyri; ſive etiam Cyaxares junior, Cyri ſocer & avunculus, qui conjunctis viribus cum Cyro, Babylonem ceperit, *Dan.* V. 31. Prius vult quoque Marſhamus, ſed tum negat hunc Darium Medum cepiſſe Babylonem, & verba *Dan.* V. 31. non eſſe continuationem prioris hiſtoriæ, ſed introductionem ad ſequentem. De quibus videndi ad Danielem Interpretes, & prolixè ſententias confert Doctiſſ. Willetus, ſuo in *Daniel.* Commentario.

Ità de *Nebucadnezare*, *Dario Medo*, *Cyro*, controverſum utrum ad fidem veri Dei fuerint adducti. Affirmativam jam olim *Hieronymus*, *Lyranus*, *Bullingerus*, *Melanchton*, aliique propugnarunt: Sed negativa potior, quum nec eorum converſio in Sacris deſcribatur; neque Idololatriam Gentium ſuſtulerint; neque certa admodum dederint fidei ſuæ documenta; nec cognitio quam de *vero Deo* habuêre, fuerit niſi generalis & convictiva, & ferè momentanea, ut cenſet *Calvinus*, citò obſcurata atque etiam extincta.

Scholæ. III. *Scholæ* & Judæis fuêre, purioris Sapientiæ domicilia; veroſimiliter auctoritate Danielis, (totius Babyloniæ, poſt & Mediæ, Sapientibus præfecti) paſſim erectæ. *Prophetæ* etiam nonnulli conſervati, Daniel, Ezechiel, Jeremias; præter Baruchum, Mardochæum, Zorobabelem, Joſuam ſummum ſacerd. Eſdram, viros alios ſanctos, & actos Spiritu Dei.

S. Volumina. IV. *Sacra Volumina* conſervata, quæ periiſſe cum Urbis excidio, etiam Apographa, ab Eſdrâ reſtituenda, non ſine miraculo, refert Pſeudo-Eſdras *Lib.* IV. C. XIV. ſomniorum venditor. Sed & crediderunt plerique Patres, & Latini in hunc diem, ſecus tamen ſentiente Theodoreto. Traditionis vanitas nimis obvia eſt, vel ex Daniele C. IX. & Joſepho *Lib.* XI. C. I. ex quibus conſtat Moſis, Eſaiæ, Jeremiæ Libros, in Captivitate uſurpatos. An veriſimile fuerit nullum horum voluminum exemplum, aut certè partes, pene *Ezechielem*, *Danielem*, *Jeremiam*, *Aggæum*, *Zachariam*, *Mardochæum*, ipſum Eſdram, tum viventes extitiſſe? An tanta fuerit horum oſcitantia, an neglectus, ut eripi ſibi è manibus cœleſtem hunc theſaurum paſſi ſint? Quî ergo Daniel captivitatis tempore meminit librorum *Moſis* & *Jeremiæ*, ut qui integri adhuc & illibati, & ex hoc finem captivitatis intelligit C. IX. Quî Joſephus L. XI. *Antiquit. Jud.* memorat Cyrum Regem, ad donandam populo libertatem, potiſſimùm adactum, quod & nomen ſuum & geſta in *Eſaiæ* libro deſcripta, ſibi à Judæis, vel, ut Theodoretus, ab ipſo Daniele fuiſſet oſtenſum? Quî credamus etiam decem Tribus, & cum iis viros pios & ſanctos, antè longe lateque per orbem terrarum diſperſos, à temporibus Aſſyriacis, ſacris Codicibus, Legis illo ſanè, in totum fuiſſe deſtitutos? Mittimus abſurda id genus plura, quæ ex Pſeudo-Eſdrâ intelliguntur; quum totalem interverſionem ſacrorum Codd. ne Antiochus quidem θηριώδης, quâvis inquiſitione, aſſequi potuerit.

Periêre tamen *Autographa* Moſis & Prophetarum cum Templi excidio: *Apographis* poſt ab Eſdrâ Scribâ & Sacerdote, vel ejus auſpiciis, ut & Joſuæ, Nehemiæ, &c. recenſitis, ac digeſtis; ut doctiſſimi in Veteribus, & Magiſtris, quos inter *Kimchi*, *Elias Levita*, & qui hos ſecuti, cenſuêre.

V. *Conventus* Judæorum in Babyloniâ habiti, ſed privati: Nempè ad preces, ad jejunia, ad lectionem Moſis & Prophetarum, ad inſtitutionem Propheticam, ad hymnos ſacros, ut colligitur paſſim ex Ezechiele, *Cap.* VIII. I. XIV. I. XXXIII. 31. &c. ex Daniele, *Cap.* VI. 10. II. IX. 2. 3. ex Jeremiâ, *Cap.* XXIX. 7. ex Zachariâ, *Cap.* VII. 5. VIII. 19. ex Pſalmis nonnullis, ut CII. CXXXVII. &c. Conventus Judæor. quales?

VI. *Conſervatio* in ipsâ Captivitate Ordinis Sacerdotalis, Levitici, Summi Sacerdotii, Familiarum principum, &c. *Serajâ* ultimo Pontifice, tempore Captivitatis. Cujus Succeſſor fuit *Joſedec*, frater Eſdræ natu maximus, hujus verò *Jehoſchuah.* Quâ de re, in Eſdræ & Nehemiæ hiſtoriis, *Eſdr.* II. VIII. *Neh.* XII. & fuſè Seldenus *de Succeſſ.* in Pontificatu Judæor. Ordo ſacerdotalis.

VII. *Pœnæ* de ſuperbis Regibus ſumptæ, e. gr. de *Nebucadnezare* Magno, ad tempus vitam acturo à conſortio hominum remotam; & *Balthaſare* vel *Belſhazare*, qui malè idem cum Evilmerodacho, 2 *Reg.* XXV. 27. rectiùs ejuſdem filius, tertius verò ab iſto, in Canone Aſtron. & apud Joſephum, *Lib.* X. C. XII. Abſurdè quidam Nebucadnezarem verè mutatum fuiſſe in *beſtiam*, & ipſam mentem amiſiſſe, & ita Bodinus. Omnis mutatio fuit quoad *uſum rationis*, quem amiſit, & quoad formam *externam*, ratione habitus, victus, habitationis, &c. reſumpturus tandem ſanam mentem, cujus uſu exciderat. Sub Belshazare, vel Nabonnedo, extinctum Babyloniorum Imperium, & tranſlatum ab *Aſſyriis* ad *Medos*, *Dan.* V. 29. tùm à Medis ad *Perſas*, ſub Cyro. Pœnæ miracul.

VIII. *Diplomata* in favorem Judæorum, & Judaici cultûs, expreſſa Nebucadnezari, *Dan.* III. 29. Dario, *Dan.* VI. 25. & Cyro Regibus, *Eſdr.* I. 2. &c. Cæterùm nulla veræ converſionis, & ejuratæ Idololatriæ indicia, quicquid Hieronymus, & Veterum alii ſtatuerint. Mittimus *Apocrypha.* Diplomata in favorem Jud.

IX. Dubium verò hujuſne Epochæ ſint res *Eſtheræ*: Quæ Hiſtoria, qualis eſt in Canone Hebræor. authentica eſt toti Antiquit. ut Judaicæ vel ex feſto Phurim, ſic Chriſtianæ. Joſephus, *Lib.* XI. Antiq. C. VI. malè rem geſtam refert ad *Artaxerxem Longim.* antè quem aliàs *Canonem* Hebræor. à Prophetis conſignatum, & abſolutum cenſet, *Lib.* I. contrà Apion. p. 1036. Eundem errorem erravit Cedrenus in Chron. T. I. & nuper Petavius, in Opere de Doctrinâ Temp. conjiciens ad annum Æræ Nabon. 290. Magis erraruntqui ad *Artaxerxis Mnem.* vel *Ochi* tempus retulerunt. Scaliger *Xerxem* eſſe putavit hunc Ahaſſuerum, *Proleg.* XLI. XLII. etiam Lydiatus, Calviſius, alii. Nec defuêre qui *Cambyſem* interpretati. Certè ſi hic unus ex Perſarum Regibus fuit, potior eſt ſententia *Uſſerii* Armachani, quæ ad *Darium* Hyſtaſpis applicat quæ Script. de hoc Ahaſſuero, eundemque cenſet cum illo, de quo *Eſdr.* IV. 6. Nam, ut de conjecturâ & etymo po-

Digitized by Google

nominis *Ahaſſueri* nihil dicam, in hunc Monarcham verius quàm in Perſarum alium, quadrat conſideratio Mardochæi adhuc viventis, & tamen cum Jechonia deportati, *Eſther.* II. 5. 6. Quem nulla neceſſitas jubet alium credere Mardochæum, ab eo qui tranſportatus fuerat, redux cum Zorobabele, *Neh.* VIII. 7. Adhæc mentio Regis illius mox à Cyro, quæ eſt *Eſdr.* IV. 6. Sic conſideratio duarum Uxorum, Potentiæ, Opum, habitationis Suſianæ, Regni diuturni, &c. quæ *Dario Hyſtaſpis* aptari queunt.

Sed vero ſimilior nobis ſententia eſt, quæ olim Clementis Alex. fuit, & quam nuper Marshamus adoptavit in Canone Chron. Scilicet eſſe eundem *Ahaſſuerum* maritum Eſtheræ; qui Hiſtoricis eſt *Cyaxares* Medus, affini nomine cum illo Ahaſſueri, ut faſſi pridem Scaliger, Grotius, & Doctiſſ. Commentatores ad Danielem; ubi *Darius* Medus dicitur fuiſſe *filius Ahaſſueri*, id eſt, Aſtyages, filius Cyaxaris ſenioris. Sive jam hic maritus Eſtheræ cenſeatur eſſe ille Ahaſſuerus, apud *Daniel.* vel *Cyaxares ſenior*, à quo captæ *Suſæ* fuerant, *Suſan*, *Dan.* VIII. 2. poſt pulſos Scythas; & qui in Aſſyrios deinceps movit ac Ninum expugnavit, adjutus à Babyloniis: Sive potiùs *Cyaxares junior*, Aſtyagis filius, ſocer & avunculus Cyri Regis, Medo-Perſarum Rex, cujus regnum ſe extendit ad *Indorum* uſque fines, versùs Ortum, ultrà Tigridis Oſtia; & terram *Cush*, id eſt, Arabiam *Felicem* ad Occaſum, *Eſth.* I. I. Hic *Suſas* urbem tenuit, & inſtauravit, Regni *Metropolim*, *Eſth.* I. 2. Et ſic perbellè quadrant illa de *Mardochæo*, uno ex abductis cum Jechoniâ, *Eſth.* II. 6. & quicquid de *Medo-Perſis* in Hiſtoriâ dicitur. Nec tamen cuiquam hac in re præſcribimus, liberâ optione Lectoris.

IV. *Prophetæ qui ſcripſerunt hac Epochâ.*

IN his ſuperfuêre, tres inſignes Prophetæ:

Jeremias. I. *Jeremias*, divinitùs ſuſcitatus ab Anno XIII. Joſiæ, continuavit ſua vaticinia, *antè* & *poſt* Urbis excidium. Ac in Judæâ primùm, invitis Regibus, Scribâ ejus Barucho, ubi multa perpeſſus eſt; tùm in Ægypto, quò tandem reliquias Judæorum ſecutus, prædixit ruinam Ægyptiorum per Babylonios, *Jer.* XLII. & ſeq. *Threnos* & illi Jechoniæ Captivitas expreſſit; diverſos à prioribus, ob Joſiæ Regis exceſſum, de quibus 2 *Chron.* XXXV. 25.

Solatur captivos literis, vaticiniis, prædictione temporis, & utriuſque liberationis; ac confundit Pſeudo-Prophetas ſibi adverſos, nominatim *Hananiam* quendam, cui prædicit inſtantem mortem, *Jer.* XXVIII. XXIX. Ineptit verò Scriptor nuperus Tractatûs *Theolog. Polit.* deſiderans ordinem Hiſtoricum, in ſcripto Prophetico. Nam modò de *futuris*, modò de *præteritis* ſermo, uti Capite XXII. à *Zedekiâ* cui prædixit exitium, tranſit ad præterita in *Jehojakimo*, quæ narrat terrendis legatis Zedekiæ.

Daniel. II. *Daniel*, abductus cum ſociis ſub Jehojakimo, cœpto prophetandi munere ab interpretatione ſomniorum, Nebucadnezaris Magni anno II. ac continuato illo munere ad annum Cyri III. *Dan.* II. I. X. I. Magiſtri *Eunuchum* fuiſſe dicunt, non alieno olim Hieronymo, ſed nec Doctiſſ. Huëtio, quia is ſub Præpoſito Eunuchorum.

Teſtimonium illi ut Prophetæ, καὶ ἑνὶ τῶν μεγίστων, perhibet Joſephus, *Lib.* X. C. ultimo, iterùm *Lib.* XI. C. VIII. & Ezechiel *Cap.* XXVIII. 3. & Chriſtus *Matth.* XXIV. 15. & anteriores Rege Antiocho Græci Interpretes. Ac loquuntur prædictiones, & vaticinia admiranda, de mutationibus cùm in Republicâ, tùm in Eccleſiâ; cùm antè, tùm poſt Meſſiæ exhibitionem; ſub Chaldæis, Perſis, Græcis, Romanis, maximè ſub Antiocho Epiphane, tùm ſub Meſſiâ, ſuo tempore exhibendo, & adducturo *juſtitiam ſeculorum.* De LXX. ſeptimanarum Epochâ, dicimus infrà.

Auctor Tract. Theol. Polit. notatus. Audacter igitur, & imperitè ſimul, Auctor Tractatûs *Theolog. Polit.* Primò ſeptem Capita priora negat eſſe Danielis, ſcil. ob admixtam vaticiniis hiſtoriam, & ob Chaldaicum idioma, à *verſ.* 4. Capitis II. ad Caput VII. incluſivè. Non animadvertens uſum Danielem linguâ Chaldaicâ, quia de rebus Chaldæorum, ut teſtes eſſent veritatis, ac de rebus ſuis convincerentur. Linguam enim *Aramæam* Daniel, juſſu Regis, edoctus fuerat, *Dan.* I. 4. & aſſueti illi Judæi, ſub Captivitate. 2. Viſionem primam *Capite* VII. facit alterius Scriptoris; indivulſo licet nexu conjunctam cum Viſione ſecundâ *Cap.* VIII. tanquam quæ priorem exceperit. Deſcripta hæc Dialecto Hebraicâ, quia de rebus quæ acciderent poſt Babylonios, ſub Perſis, Græcis, & Antiocho. 3. Librum Danielis pro Hiſtorico, cum Judæis ſuis, habet, relato inter כתובים, cui connectatur Liber Eſdræ, eodem ſcil. Scriptore. *Aude aliquid brevibus Gyaris, ſi vis eſſe aliquis.* Danielis vaticinia adeò admiranda fuêre, ut olim Porphyrius, ſcripta fuiſſe, poſt rerum eventum, & poſt res ab Antiocho Epiphane geſtas, teſte Hieronymo *Præf.* in Daniel. Quaſi verò imponere aliquis ſcriptor potuiſſet toti Judæorum Genti, & mentiri ſeſe Danielem Prophetam, totis tribus & ultrà ſeculis anteriorem, ac perfecto dudùm Canone Hebræorum. Utque de LXX. ſeptimanis annorum nihil dicam, & prædictis τοῖς βδελύγμασι τῆς ἐρημώσεως, Lib. XI. *Antiq.* ſub finem; idem *Danielis Librum*, & vaticinia, in ſpecie de ariete ab hirco, ſeu de Rege Perſarum à Rege Javanis (id eſt, Græco) debellando, oſtenſa fuiſſe Alexandro M. Hieroſolymis agenti; & lætatum hoc nomine Macedonem, Judæis indulſiſſe varia privilegia, ultrà ſpem & votum.

Ezechiel. III. Ezechiel, Daniele in officio Prophetico nonnihil junior; ex Sacerdote Propheta, cœpit miniſterium Babylone, *Ezech.* I. 3. Beatus primâ Viſione annis V. à deportatione Jechoniæ, annis XXX. à ſolemni renovatione Fœderis, *Ezech.* I. I. 2. 2 *Reg.* XXIII. 23. ſexennio antè excidium Urbis, & Templi, de quo vaticinatus eſt.

Ex hac inſigni Epochâ Ezechieli ſignatâ, & ex modo incipiendi familiari Hebræis, ויהי *Et factum eſt in triceſimo anno*, & ex verbis *Cap.* I. 3. *Factum fuit verbum Jehovæ ad Ezechielem*, inſulſè Auctor dicti Tractatûs *Theol. Polit.* colligit jam præceſſiſſe commemorationem rerum quæ prioribus annis geſta eſſent, illius quæ ſignatur Epochæ. Atque ità eſſe hunc Librum modò fragmentum, & continuationem aliquam rerum.

Prodit & peſſimum ſtudium, dùm prædictionem Ezechielis apud Joſephum, *Lib.* X. C. X. (quæ etiam extat *Ezech.* XII. 13.) Zedekiam *non viſurum Babylonem*, committit cum illa Hieremiæ Vatis, & ipſius Ezechielis, *Cap.* XVII. 20. de Zedekiâ *ducendo Babylonem.* Diſſimulavit vel neſcivit quæ addit & explicat Joſephus, initio ferè Capitis XI. & eventus comprobavit. Nempè adimpletam fuiſſe utriuſque Prophetæ prædictionem, Jeremiæ, & Ezechielis: Jeremias enim, fore ut Zedekias captivus abduceretur Babylonem; Ezechiel, non *viſurum eſſe Babylonem*, quia excœcatus juſſu Nebucadnezaris, ad quem adductus propè Hierichuntem fuerat.

Prædixit uti ruinam, ſic inſtaurationem *Templi*, cùm *veri*, tùm *myſtici*, magnificâ hujus deſcriptione à *Cap.* XL. annis XIV. à Templo priore exciſo, à deportato Jechoniâ XXV. C. XL. I. Quanquàm in de-

Digitized by Google

deſcriptione Templi Ezechielis, diſcrepantia quædam videatur à Templo Salomonis, conveniunt tamen ratione Sitûs in Monte edito, Formæ utriuſque Templi, Atriorum, partium interiorum Domûs, Menſuræ longitudinis, latitudinis, &c. ut hæc pluribus Villalpandus, horum diligentiſſimus explorator. Scrupulum autem relinquunt v. gr. longè *auguſtius* videri hoc Templum Ezechielis, quàm fuerit illud vel Salomonis, vel Zorobabelis, ſi attendimus atria plurima, porticus, ambulacra, columnarum ordines, portas, exhedras, gazophylacia, cœnacula, &c. quæ deſcribit Vates; Sic *montem editum valdè*, *Ez*. XL. 2. qui mons Templi fuerit, non videri montem Morijæ, qui tantæ altitudinis non fuit; Sic Civitatem dici poſitam ab *Auſtro*, reſpectu Templi ut videtur, qualis ſitus non fuit Hieroſolymæ, vel Templi Salomonis. Alii tamen has difficultates expediunt, & ſitum ad *Auſtrum* non dici Ezechieli, niſi reſpectu Babylonis, unde tranſlatus fuit in *viſione*, ſeu ecſtaſi. Tutiſſimum, ſenſui literali commodo, adjungere myſticum; nempè figuratum fuiſſe novam & ſpiritualem Hieroſolymam, domum ἀχειροποίητον, *Eccleſiam* Novi Teſt. *Apoc*. XXI. 10. &c. cùm militantem, tùm triumphantem: Sic per *Angelum* metientem funiculo & calamo, *Chriſtum* ædificatorem ſuæ Eccleſiæ; de quo Doctiſſimi interpretes. Judæi hinc *tertium* materiale Templum adhuc expectant; de quo fabulæ plures Magiſtrorum.

Prophetavit adhuc XXVII. anno à deportatione Jechoniæ, *Ezech*. XXIX. 17.

V. *Apocrypharum Hiſtoriarum incerta.*

AD hæc ferè tempora referuntur hiſtoriæ, an fabulæ? eæque extrà Canonem Hebræorum, *Tobiæ*, *Juditha*, *Baruchi*, *Suſanna*, *Beli & Draconis*, Additionum *ad Eſtheram*, &c. De quibus prolixè præ reliquis Joh. Raynoldus, Chamierus, Parens noſter, Diſputationibus de Libris *Apocryphis*. Sed & noviſſimè de hiſce Libris in *Evangelicâ Demonſtratione* Dan. Huëtius, vir ſummus, facturus rem Chriſtianæ rei magis utilem, ſi non parem Apocryphorum demonſtrationem, quæ Canonicorum, eſſe voluiſſet.

Tobias. I. *Tobiæ* vel Tobithæ hiſtoriam ut Hebræus Canon, ſic Joſephus tacuit; fictæ in compluribus narrationis certis argumentis. Incipit à deportatione Tobiæ cum Filio per Salmanaſſarem, *Cap*. I. 10. qui conſtitutus fuerit Curator annonæ in Civitate *Rages*, quæ Medorum fuit; dein ſub Sennacheribo (ſæviente in Iſraëlitas poſt reditum ex Judæâ) cæſorum Judæorum corpora furtim terræ mandaverit, undè latitare neceſſe habuerit. Meminit autem ex Verſione Hieron. quæ è Chaldaico facta, Templi incenſi, *Cap*. XIV. 7. etiam Ninives poſt ſubverſæ per Nebucadnezarem, *Cap*. XIV. 16. equidem antè Tobiæ filii exceſſum: Longiore jam hac Epochâ, quàm quæ ætatis hujus Tobiæ fuit, cui tamen tribuuntur, in Textu Græco, anni CXXVII. Tacemus ſuperſtitioſa, & fabuloſa hujus Libri, de quibus Theologi.

Judith. II. Nota *Judithæ* narratio, de inſigni liberatione Populi Dei ab Aſſyriorum manu, ope Judithæ viduæ, ex Tribu Simeonis, à quâ *Holofernes* Dux Aſſyrior. callido conſilio circumventus & enectus fuit, anno Regis Nebucadnezaris XVIII. &c. Hæc Joſephi ac Hebræorum veterum ſilentio, & anachroniſmis, & fictis Regibus, & multis indiciis aliis fabuloſa, fruſtrà torſit Eruditos, quam ad Epocham referrent. Nec ad tempora certè *antecedentia* Captivitatem, ſpectare poteſt, quicquid ſtatuerint Pererius, Bellarminus, Petavius, Serarius, Salianus, Huëtius, & noviſſime Bernard. de Montfaucon, Monachus Benedictinus. Hi enim ad Manaſſis tempora retulerunt, alii priora tempore hujus captivitat. alii poſteriora: Quum tamen Manaſſis illa captivitas, aut Judæorum diſperſio, particularis fuerit; nec vel hujus Regis, vel alterius in Judâ regnantis, fiat ulla mentio; nec *Eljakim* illo tempore ſummum Pontificatum geſſerit; & *Bethulia* civitas in Tribu *Zabulonis* fuiſſe dicatur, quæ tum à novis Aſſyriorum colonis incolebatur. Nec meliùs refertur ad tempora *ſubſequentia* Captivit. Babylonicam; quando nullum fuit Aſſyriorum imperium, quod jam antè everſum per Medos, & Cyaxarem patrem Aſtyagis, *Joſiâ* regnante: Nec tum Judæi Aſſyriis ignoti, ut tradit Apocryphus ſcriptor *Cap*. V. aut hujuſmodi expeditio Nebucadnezaris, vel Holophernis, eâ ætate cum Hiſtoriis Eſdræ, Nehemiæ, aut cum Exoticâ Hiſt. conciliari ullo modo poteſt. Grotio ſunt nomina omnia parabolica & αἰνιγματώδη, ut illud *Judithæ* pro Judaicâ Gente quaſi viduâ, *Bethuliæ* pro Templo vel Domo Dei, &c. de quibus vide Auctorem.

III. *Baruchi* Liber hujus Epochæ foret, lectus utpotè (ut refert) anno V. Captivitatis, *Bar*. I. 1. 2. Niſi fraudem Scriptoris vel ipſum Exordium multis nominibus argueret, Jechoniæ adeò duriſſima captivitas; tantùm abeſt ut lectus liber Babylone fuerit, coràm Jechoniâ, & toto populo. Baruch etiam tùm non in Babylone, ſed in Ægypto, ubi tranſlatus cum Jeremiâ fuerat, *Jerem*. XLIII. 6. Adde pecunias miſſas dici ad Sacerdotes Hieroſolymit. ut ſacrificia & holocauſta, pro detentis Judæis Babylone, Deo offerrent, *Bar*. *Cap*. I. 6. 7. Quod quidem nefas fuit, Urbe jam incenſâ, & Templo deſtructo, ut innuitur *verſ*. 2. Baruch.

Suſanna in captivitate agentis, & excitantis duorum Senum impuram libidinem, Drama; & alterum *Beli* Idoli Chaldæorum à Daniele deſtructi, & *Draconis* interempti, & *Habacuci* Babylonem tranſlati, &c. dictione, ſilentio Joſephi Hiſt. argumento, pugnâ cum Canonicis, &c. ſeſe produnt. Senſit olim præclarè Africanus, & pro fabulâ habuit, ſeu πεπλασμένῳ ᾗ νεωτερικῷ συγγράμματι, *Epiſt*. ad Origenem, quam edidit primus Clar. Wetſtenius, & quem ſecutus Hieronymus. Qui *Theodotionem* primum hujus Dramatis Editorem fuiſſe contendit, & Traditionis vetuſtatem negat, *Proœm*. in Danielem. De Fabulâ Suſannæ, Addit. ad Eſth. &c.

Additiones ad Eſtheram planè Hiſtoriam Canonicam evertunt, in nomine Regis *Artaxerxis*, quem Longimanum eſſe volunt, in notatione *temporis* detectarum inſidiarum, *Cap*. I. 1. in deſcriptione Hamanis ut Macedonis, &c. & in plurimis id genus. *Helleniſtæ* igitur alicujus otioſa commentatio fuit, quod & olim vidit Hieronymus, & faſſus Origenes *Epiſt*. ad African. apud *Hebræos non haberi*. Quanquam inter Scripta habeat quæ faciant πρὸς οἰκοδομήν. Precariò Cl. Huëtius, cùm ſuis, hanc laciniam à LXX. Interpretibus ex Hebræo verſam eſſe contendit.

VI. *Synchroniſmi hac Epochâ inſigniores. Res Aſſyriorum, & Babyloniorum; Medorum; Lydorum; Ægyptiorum.*

I. ASſyriorum & *Babyloniorum* Reges ex Canone Aſtronomico conſtant, & ex ſerie annorum LXX. ſuprà *Num*. I. *Nebucadnezar* pater, qui *Nabopolaſſar*, regnavit ab anno Nabon. 123. annis XVIII. ante initium Captivit. Hic affinitate cum Cyaxare I. Medo initâ, in Aſſyrios movit, & Ninum expugnavit; Tyrum etiam obſidione cin- Aſſyrior. & Babylon. Reges.

 xit,

Digitized by Google

xit, Anno Nab. 129. Adverſus Cœle-Syriæ & Phœniciæ Satrapam, ad Ægyptios deficientem, miſit filium Nebucadnezarem; quâ occaſione Jehojakimum in ſervitutem redegit, tunc Jehojakimi IV. ineunte, P. Jul. 1907. A. Nabon. 141. prædicente Jeremiâ, *Cap.* XXV. I.

Nebucadnezar filius, ſeu *Naboolaſſar*, omnium potentiſſimus regnare cœpit jure proprio, poſt mortem Patris, Anno Æræ Nabon. 144. Hieroſolymam obſidione cinxit, Zedekiæ IX. & tandem expugnavit, Anno Zedekiæ XI. deſinente, Nabon. 160. P. Jul. 4126. Marſhamus antevertit in *Can. Chron.* Hic bellicoſiſſimus Regum, poſt ſubactam Judæam, Syriam, Phœnicem, & Palætyrum exciſam, in Ægyptum movit, totâ Ægypto potiturus Aprie Rege, cujus loco Amaſim Præfectum (Regem poſtea) conſtituit. Idemque Babylonis magnificus inſtaurator, conſentiente utrâque Hiſtoriâ, ex Beroſo, Megaſthene, Abydeno, &c. apud Joſephum, & Euſebium Libr. IX. Præp. Evang. Phreneſim hujus Regis ſeptennem, ſuperbiæ pœnam, deſcribit Daniel, nec ignotam plane Ethnicis ſcriptoribus, ut ex Euſebio diſcimus.

Nitocris inclyta Regina, non Ægyptia illa, longè antiquior Salomone, undè error Joſephi; ſed Babylonica, mater *Labynithi*, (לבוניט) ſeu *Nabonadii*, vel *Nabonidi* (נבוניט) quem diximus eundem cum Belſatzare; illa, inquam, multis laudibus effertur apud Herodotum, Lib. I. Cumprimis multus eſt in deſcribendis ejus ſtructuris Babylonicis, ſtupendi operis, muris, aggeribus, molibus, munitionibus; florente tum Medorum regno, pacato & ingenti; quorum verita eſt potentiam, & inſidias, poſt ſubactos *Aſſyrios* per Cyaxarem I.

Succeſſit *Evilmerodach*, *Iluarodamus*, quem gratis Marſhamus, accommodans rationibus ſuis Chronologicis, cenſet eundem cum Belſatzare Danielis, qui potiùs Evilmerodachi filius fuit. Nec diuturni imperii fuit, ſublatus inſidiis affinis ſui, *Neriglſſoroari*: Uti hic poſt quatuor annorum Imperium vivere deſiit, relicturus (juxta Beroſum, apud Joſephum contra Ap. *Lib.* I. & Euſebium) *Labor-Aſſarcado* filio, adhuc puero; hic poſt IX. menſes (unde omiſſus in Canone Ptol.) *Nabonnedo*, vel juxtâ alios *Nabonidocho*, qui in Sacris videtur eſſe juxta Joſephum, *Belſatzar*. Et hic cæſus à *Dario Medo*, adjuto Cyri copiis Perſarum Regis; qui Darius videtur fuiſſe *Cyaxares* junior, filius Aſtyagis, Avunculus Cyri, de genere Medorum, *Dan.* IX. I. diſtinctionis ergo à Dariis Perſar. Reg. Quod ex Xenophonte, qui hanc expeditionem multis deſcribit, ſenſit quoque Joſephus, invito Theodoreto, qui Joſephum erroris arguit, Comm. in Danielem T. II. *Lib.* VI. p. 616. Satis eſt breve fuiſſe hujus in Babylonios imperium, jam annos LXII. nati, quum horum regnum invaderet, *Dan.* V. 31. mox tranſiturum à *Medis*, ad *Cyrum* Perſam.

Reges Medorum. II. *Medorum* res, & *Medo-Perſarum*, ex eodem Canone conſtant. Cœpit eorum potentia ferè ſub initia Nebucadnezaris II. & annorum LXX.

Reges inclyti *Cyaxares* Senior, tertius à *Dejoce*, Phraortis filius, ſubiturus jugum Scytharum; poſtea excuſſo jugo, & Scythis devictis, etiam Ninum expugnaturus, juxta Herodotum, Dionyſium, Halicarnaſſ. Appianum Alex. *Aſtyages*, filius Cyaxaris (Ahaſſueri) *Dan.* IX. I. avus Cyri, tandem poſt XXXV. annorum regnum, à Cyro nepote, quem exponi juſſerat, exutus annis XXI. ante hujus Imperium Babylon. Nota *ſomnii* Aſtyagis hiſtoria, & Harpagi, & quæ illud exceperunt, ex Herodoto, Xenophonte, Diodoro Sic. Juſtino, &c. Et hic Marſhamo eſt *Darius Medus*, filius Ahaſſueri, ſive Cyaxaris Senior. de ſemine Medorum, *Dan.* V. 31. IX. I.

Cyaxares Junior, multis creditur eſſe *Darius Medus*, ipſi Joſepho, quem ſequitur Uſſerius Armach. reclamante non ſolum in veteribus Theodoreto, loco cit. ſed & multis ipſo Petavio, *Libro* X. de Doctrinâ Temp. C. IX. qui vult Darium Medum eundem eſſe cum *Nabonido* Beroſi. Quem Nabonidum nos potius *Belſatſarem* eſſe exiſtimamus, nepotem Nebucadnezaris, *Jerem.* XXVII. 7. qui in Canone XVII. annos imperavit, à Dario Medo vitâ & regno privandus. *Cyaxares* II. fuit Rex Medo-Perſarum, uti ante eum fuerat *Aſtyages* Pater, à quo Aſtyage *Suſa* expugnata fuit, Chaldaïci imperii propugnaculum, ſecunda Urbium poſt Babylonem. Regia hæc fuit hujus Cyaxaris, qui in Libro Eſther dicitur Ahaſſuerus, ut ſupra Cap. III. hujus Epochæ. Quem tamen filium Aſtyagis neſciunt Herodotus, Cteſias, Juſtinus. Omnis tandem Medorum & Medo-Perſarum potentia ceſſura fuit in *Cyrum* Perſarum Regem, poſtquam is Babylone potitus fuit.

III. In *Lydorum* Regibus inclyti his temporibus *Alyattes*, pater Crœſi, à Gyge quartus, à Cyaxare Medo bello impetitus, apud Herodotum: Poſt diutinum regnum locum fecit *Crœſo*, qui rebus in Joniâ, & Æolide feliciter geſtis, Perſarum damno ſuo æmulus, tandem Cyri armis ceſſit, extincto cum eo Lydorum regno, *Olymp.* LIX. annis VII. ante finem annorum LXX. Crœſus affinis fuit Aſtyagis; ejuſque cum Cyro & Perſis infelicem conflictum, expugnatas tandem Sardes, in Cyri poteſtatem delapſum, liberationem ab igne, reliqua ad hujus hiſtor. habes apud Herodotum, Xenophontem, Diodorum, Plutarchum in *Solone*, &c. Lydorum Reges.

IV. Res *Ægyptiorum* quod attinet; ſub initia ferè Captivitatis, Regnum obtinuit adhuc *Pſammis*, de quo Herodotus *Lib.* II. Regnavit *ſex annos*, poſt expeditionem in Æthiopiam vitâ functus, ut idem Hiſtoricus. Hinc *Apries*, vel *Hophra*, ſive *Vaphres*, regnaturus annos XXV. Donec exutus paulo poſt à Nebucadnezare & Babyloniis fuerit, juxta prædictiones Jeremiæ C. XLIV. Ezechielis C. XXIX. Hinc ἀναρχία quædam in Ægypto annis XI. quâ fit ut, hâc neglectâ, plures annos *Pſammi*, & *Vaphri*, Euſebius attribuat, (id eſt, conjunctim annos XI.) quàm patitur Herodotus. Res Ægyptior.

Amaſis præfectus Ægypto à Nebucadnezare, excuſſo jugo Babylonico, & Aprie penitus oppreſſo, tyrannidem invaſit, XL. & amplius annis ab initio Captivit. Longi ævi Princeps, ante & poſt Cyrum regnaturus, ac φιλέλλην, teſte Herodoto; *Cyprum* primus omnium tributariam facturus. Hic *Pſammenitum* infelicem ſucceſſorem habuit, impetitum armis Cambyſis, & in ejus poteſtatem deditum cum familiâ totâ, ut pluribus Herodotus. Natus Cambyſes ex Matre Ægyptiâ, filiâ *Apries*, non Amaſidis, (ut putavit Cyrus ab Amaſide deceptus) ulturus in Amaſidis filium necem Apries avi ſui, in quem Amaſis inſurrexerat. Pluribus iſta Herodotus, *Lib.* III. & Polyænus, quem primus Græcè edidit Caſaubonus, *Lib.* VIII. ſive ultimo.

Res Græcorum, Romanorum.

I. GRæcorum res memorabiliores, his LXX. annis geſtas, indicaſſe verbo ſuffecerit. Græcorum Memorabilia.

Floruit medio hoc tempore *Helleniſmus*, de cujus primordiis ſupra, hauſtis à Cadmo Phœnicio, & Danao Ægypt. tum ex fabulis Ægyptiorum, & horum Diis propè infinitis, tandem ex S. Hiſtoriâ mire corruptâ, conſarcinatus. Cumprimis multa in hoc emendarunt Philoſophi & Legiſlatores, hujus & proximi temporis; ſuſceptis in Phœniciam, & in Ægyptum itineribus, Lycurgus, Solon, Thales, Helleniſmus: qui ex Moſe.

Digitized by Google

les, Pherecydes, Pythagoras, &c. Hinc in Græcorum dogmata, ritus, diſciplinam, multa fluxerunt, quæ ex Hebræorum diſciplinâ: Ut v. gr. τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος, ſeu ſeptem dierum Cyclus, vel feſtivitas ſeptimæ diei, Saturno & Apollini ſacræ; Neomeniæ ſeu Novilunia, Plenilunia; *Myſteriorum* diebus, ſeu feſtis, imperatæ feriæ, ſeu quies à negotiis civilibus; Fœdera ſectione victimarum ſancita; Ablutiones manuum, pedum, antè Sacra; Lotiones & Unctiones Cadaverum; Ablutio poſt elatum funus, ex pollutione ſuper mortuo; Salis ſeu molæ ſalſæ uſus in ſacrificiis; Aviti fundi alienatio, prohibita Locrenſium legibus; Virgo in uxorem à ſacerdotibus ducenda; Lex ne Virgo ἐπίκληρος nuberet extra cognationem; ſic Talionis lex, τὸ ἀντιπεπονθός; Crines detonſi, ſacri Apollini κουροτρόφῳ; Puerperæ ad certos dies immundæ; Aſylorum jus; Decimarum oblatio; Pœna infamiæ in otioſos, timidos; Leges civiles in adulteros, lenones, homicidas, fures, raptores, falſos teſtes, &c. Quæ jam antè ex parte obſervata ſunt.

Inclyti VII. Græciæ *Sapientes*; ſub initia jam Captivitatis, de quibus præcipue Plato, Cicero, Laërtius, &c. Horum principes *Solon* Athenienſis, Dux, Legiſlator, Philoſophus, Aſtronomus, Poëta; de quo fuſè ex Veteribus, Meurſius noſter in *Solone*; Tum *Thales* Mileſius, Aſtrologus inſignis, Jonicæ Philoſophiæ parens: Adde reliquos; nempè *Periandrum* Corinthium, pro quo alii conſtituunt *Myſonem* vel *Myſonium*, Chenis Laconiæ oppido oriundum; *Cleobulum*, Lindium, aliis Carium, cujus notum ænigma anni δωδεκαμήνου; *Biantem* Prienæum, ab Alyatte Crœſi patre patriâ ejectum, hinc illud Biantis (apud Tullium) fugâ ſe quoque recepturi, *omnia mea mecum porto*; *Pittacum* Mytilenæum, Regem & Legiſlatorem; *Chilonem*, χείλωνα, Lacedæmonium, cujus inter alia apophtegma hoc fuit, τὸν τεθνηκότα μὴ κακολογεῖν, &c. De his prolixè Diogenes, & qui ad Diogen. Laërtium commentati ſunt, Menagius, & alii. Incerta de his plura & fabuloſa memorantur. Nec eodem modo narratur hiſtoria & fabula, *de tripode aureo*, aliis *menſâ aureâ*, à Piſcatoribus Mileſiis jactu retis capta, & ad VII. hoſce in orbem miſsâ, ut ſapientiſſimos mortalium habitos; quæ cum rediret in gyrum, ſingulis modeſtè recuſantibus, tandem à Solone Delphis conſecrata fuit. *Pythagoras* his paulo junior fuit, ſub tempus Monarchiæ Perſicæ inchoatæ.

Apud *Athenienſes*, Piſiſtratus, Codri de ſanguine natus, *Diacriorum* apud Athenienſes caput, fraude Tyrannidem occupavit, nonnihil antè Solonis obitum, *Olymp.* LIV. circiter annis XXX. poſt Excidium Templi: Succeſſuro illi in Tyrannide Hipparcho filio, cætera ſapientiæ & juſtitiæ cultore, *Olymp.* LXIII. Sed de Piſiſtrati & Filiorum rebus, Libro ſingulari Meurſius noſter. Paulo antè, ſub extrema Solonis, prima *Comœdia* Athenis acta, ex κώμαις vel δήμοις in Urbem traducta, primò ſine ſcenarum ornatu, conſtans ex ſolo cantantium choro; De quâ Grammatici, & qui ad Poëtas, tum ad Epocham Marmor. XL. commentati ſunt.

Latinorum Reges.

II. *Latinorum* Reges intereà Romæ imperârunt: *Luc. Tarquinius* à Tarquiniis Etruriæ Urbe, Rex quintus, cognomento *Priſcus*, diſtinctionis ergo à Juniore vel Superbo, Olymp. XLI. U. Cond. CXL. Is ab Anco Marcio in *Senatorum* numerum adlectus, tandem tutor relictus ejus Liberis, Regnum ambitioſè obtinuit, ſub extrema Joſiæ Regis. Hic Senatorum numerum ad CCC. auxit; Circum maximum ex hoſtium manubiis fecit; alia pace & bello præclara geſſit, ſublatus LXXX. annis major.

Servius Tullius, nobili patre, ſed matre captiva natus, undè *Servii* cognomen, Rex ſextus, Olymp. L. A. U. Cond. CLXXVII. Quo fere tempore Nebucadnezar Ægyptum ſubegit, Æræ Nab. 171. Sub eo *Cenſus* primus actus fuit, Populo in Claſſes VI. & in Centurias CXCIII. (undè Comitia Centuriata) diſtributo, coactoque æſtimare bona ſua & facultates; adhæc profiteri patriam, nomen uxoris, liberos, libertos, ſervos, habitationem. Undè belli paciſque munia diſtribuenda, ſaluberrimo Populo Rom. inſtituto. *Luſtrum* primum, quo factus in cenſendo finis, celebratum Anno U. C. CXXCVI. Varr. quando Civium Romanorum cenſita ſunt LXXX. millia, ſecundum Livium, etiam plura, ſecundum Dionyſium Halic.

Tarquinius Superbus, Rex VII. Priſci aliis nepos, aliis filius, invaſor Tyrannidis, occiſo Servio Tullio Rege & ſocero, ſuaſu Tulliæ conjugis, etiam ſepultura prohibito, U. Cond. A. CCXXI. *Olymp.* LXI. Regnaturus annos circiter XXIV. uſque ad *Regifugium*; occaſione ſtupri Lucretiæ illati à ſexto Tarquinio filio, natu maximo. Factum *Olymp.* LXVII. U. C. anno CCXLIV. Caton. vel CCXLV. Varr. ferè ſub initia Templi II. ſub Dario Hyſtaſpis. Hic Tarquinius eſt, ſecundùm Jul. Solinum, Polyhiſt. C. II. cui Sibylla Cumana *tres* libros, continentes fata Urbis Æternæ, obtuliſſe fertur; ſed Rege parcius pretium offerente, duos priores exuſſiſſe, tertio tandem retento. Verùm fallitur Solinus, qui ipſe notat factum *Olymp.* L. adeoque ſub extrema Tarquinii Priſci. Nec ipſa Sibylla dicitur Libros obtuliſſe Tarquinio, verùm *anus hoſpita atque incognita*, ut A. Gellius, vel *mulier quædam quæ ſe Malteam diceret*, ut Servius, vel *Amalthæam*; nec *tres* tantùm Libros, ſed *novem*, habent iidem Scriptores. At Sibyllam Cumæam vel Cumanam, ἐν θαλάμῳ καταγείῳ *Sacello ſubterraneo* agentem (alii Erythræam fuiſſe) ad Trojani belli tempora retulerunt Virgilius, Ovidius, quum Æneæ Oracula daret: Id eſt, antè Tarquinios ſexcentis annis circiter, quum jam huic fatidicæ Sibyllæ *ſecula ſeptem acta forent*. Vide Salmaſ. in Solinum, ut Blondellum, aliosque taceam.

Fab. de Sibyllæ Libris, Tarq. oblatis.

EPOCHA OCTAVA,

A fine Annorum LXX. ſeu ab Anno I. Monarchiæ Cyri, ad Principatum Judæ Maccabæi.

I. *Rationes Chronologicæ hujus Epochæ.*

INitium ab anno 1. *Cyri*, in Perſiâ & Babylone regnantis, hinc ab A. I. Imperii Babylonici Perſici, ex Eſdræ *Cap.* I. I. 2 *Chron.* XXXVI. 22. *ſeptennio* ante Cyri exceſſum, jam Medorum & Lydorum Domitoris; annis XXII. à regno Perſico, Olymp. LX. Æræ Nabon. 211.

Hinc ad finem Monarchiæ Perſicæ, ſeu ad 1. Alexandri, vel Monarchiæ Græcorum, A. Æræ Nabon. 419. anni completi, juxtà *Canon.* Ptol. & Doctiſſ. Chronologos, —— —— —— 207.
Ab A. 1. Alex. Magni, Aſiæ Imperatoris, ad mortem ejuſdem, quæ accidit menſe *Dæſio* Macedon. exeunte, id eſt, *Majo* Jul. anni —— —— 7.
Hinc ad A. 1. *Seleuci* Nicanoris, ſeu Æræ *Seleucidar.* vel *Syro-Maced.* vel *Græcorum*, (quam inchoat Auctor 1. Maccabæor. à menſe Verno, ſeu *Niſan* præcedente, Joſephus & Liber II. Maccab. à *Tiſri*, ſeu Autumno ſeq.) anni completi à morte Alex. M. —— —— —— —— —— —— 12.
Hinc ad Pontificatum, ſimul & Principatum Judæ Maccabæi, poſt repurgatum Templum, A. CXLVIII. Græcorum, XXV. d. Menſis *Caſleu*, qui tertius civilis Hebr. Decembri fere reſpondens, 1. *Maccab.* IV. anni completi CXLVIII. Sed putando eo Pontifi-

tificatu ab anno ſeq. Græcorum CXLIX. quo & mortuus Antiochus, ut quoque Petavius, *Per. Jul.* 4550.
Olymp. CLIV. Anni igitur —— —— 149.
Unde exurgit Epocha annorum, jam antè ——
in *Chronologicis* demonſtrata, —— —— 375.

II. *Edictum Cyri pro libertate Judæorum. Retardata executio, & quouſque.*

Edictum & circumſtantiæ.

1. MEmoratur hoc Cyri Perſarum Imperatoris *Edictum* pro reditu Judæorum, & inſtauratione Templi Hieroſolymitani, in Libris *Eſdr.* I. 1. 2 *Chron.* XXXVI. 22. Cujus factæ à Cyro poteſtatis obſervantur compendio:

Tempus, annus *primus* Cyri, Babylone ſcil. imperantis, & *ſeptuageſimus* à Captivitate, ſecundùm prædictionem. Cui computo concinit Canon Babylonicus, ſeu ſeries Chronologica Regum Babylone imperantium, inde à primo Nebucadnezaris filii ad 1. Imperii ſeu Monarchiæ Cyri.

Edictum ipſum ab Eſdrâ exhibitum; In quo *Dominus Deus cœli* (hanc confeſſionem Cyro expreſſit conſuetudo cum Judæis, & conſcientiâ unius ſummi Dei) *omnia Regna Terræ* jam tùm ſibi dediſſe, Cyro memoratur. Id eſt, Imperium Monarchicum in Perſas, Medos, Lydos, Aſſyrios, Babylonios; prout Scriptura πᾶσαν οἰκουμένην dicit Imperium Romanum. Edictum autem fuit *de ædificandâ Domo Dei in Jeruſalem*, non de ædificandâ Urbe, ut contendit Petavius.

Occaſio, ſcilicet monſtratum Cyro *Eſaiæ* de ipſomet oraculum, etiam expreſſo nomine, *Eſ.* XLIV. XLV. Autor Joſephus *Lib.* XI. C. I. *his lectis admiratum eſſe Regem Vatis divinitatem, correptum cupidine exequendi quæ ſcripta legerat*, ὁρμή τις ἔλαβεν καὶ φιλοτιμία ποιῆσαι τὰ γεγραμμένα, ſcil. ſcripta, (ut Joſephus) CCX. *annis antè Cyri ætatem.* Et ſanè multâ Cyrus clementiâ & moderatione fuit, probatâ jam in *Aſtyagem*, victum & clementer habitum, ut *nepotem* potius quam *victorem* decuit, ità Juſtinus; & in *Crœſum* Lydorum nuper Regem, qui apud Cyrum, & Cambyſem etiam, conſenuit, ut poſtremum Herodotus, *Lib.* III. C. XXXIV. redditâ illi vitâ proximâ Majeſtati, & parte patrimonii, & amicitiâ Cyri.

Cauſa ſuperior, Dei nempè in Eccleſiam ſuam providentia, & impletio Oraculorum quæ præceſſerant, *Eſai.* XLV. 28. *Jer.* XXV. 12. Qualia & vaticinia de excidio Babylonis per Cyrum, *Eſai.* XLVII. *Jer.* LI. &c. Hinc dicitur Deus *ſuſcitaſſe ſpiritum* Cyri Regis Perſar. id eſt, hanc illi mentem dediſſe, ut publicaret iſtud Edictum toto ſuo Imperio, 2 *Chron.* XXXVI. 22.

Effectus denique hujus conceſſionis Cyri; ſcilicet *vaſorum* ſacrorum reſtitutio quæ *Nebucadnezar* tranſtulerat Babylonem, & in *Templo Dei ſui* poſuerat: Quæque tam *aurea* quàm *argentea*, è ſacrario regio producta, extradi juſſit לששבצר *Sheshbazari*, quo nomine videtur veniſſe apud Chaldæos *Zorobabelem*, ut Nehemias nomine *Atherſata*, *Eſr.* II. 63. *Neh.* VIII. 9. & ut Chaldaica nomina & aulica, loco nominis patrii, indita Danieli & ſociis, *Dan.* I. 7. Hinc profectio *Zorobabelis* Ducis, הנשיא ליהודה, προστάτου τῶν Ἰουδαίων, non Regis jam ſed αἰχμαλωτάρχου, ſecùs enim prædictum *Jer.* XXII. 30. Nempè cum Joſuâ Pontifice, Nehemiâ, Serajâ, Mardochæo, &c. & Judæis innumeris, qui ad 42360. numerantur, abſque ſervis & jumentis, C. II. 64. 65. Tum denique initium factum *ſacrificiorum*, & Templi ſecundi prima *fundamenta*, anno à reditu II. inter hymnos, laudes, & vota, *Eſdr.* I. II. III. Etiam fuſis lacrymis à ſenibus, qui *Templi prioris* meminerant, ante annos LIII. deſtructi, cujus ſplendori & magnitudini non reſponderet hoc ſecundum. Porrò promovendo tanto operi, principes familiarum in donarium ultrò obtulerunt *auri ſolidos* ſive *drachmas* (Græcâ voce in textu expreſſâ דרכמונים) 61000. præter argenti minas 5000. & veſtes ſacerdotales, pretioſiores puta, 100. Joſephus *Lib.* XI. C. IV. habet μνᾶς χρυσίου minas auri c. pro quo Apocryphus Eſdræ C. V. 43. χρυσίου μνᾶς χιλίας. *Minam* verò conſtare apud ſuos *Libris duabus cum dimidiâ*, monet idem Joſephus *Lib.* XIV. C. XII. At Nehemiæ C. VII. 70. & *ſeq.* à Primoribus familiarum, & populo univerſo, dicuntur oblatæ *drachmæ auri* 41000. ſed hæc collatio ad poſterius tempus ſpectat, quando cenſum egit Nehemias Populi totius, *v.* 5. 6.

Dubia hiſtorica. Ἐναντιοφανῆ quæd.

Dubia verò in his nonnulla ſunt, & gravia, ac primò de genere Zorobabelis, hujuſque poſteris. Nam apud Matthæum eſt filius *Salathielis*, ut hic dicitur filius *Jechoniæ*, *Matth.* I. 12. Et quidem genitus uterque, & Salathiel à Jechoniâ, hinc Zorobabel à Salathiele, μετὰ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, *poſt tranſportationem*, id eſt, in ipsâ Captivitate Babylonicâ. Hinc inter Zorobabelem, apud Matthæum, & inter Joſephum, *novem* generationes tantùm intermediæ. Contrà verò Lucas *Cap.* III. 27. Salathielem dicit filium *Neri*, hunc *Melchi*, &c. plane diverſis majoribus. Ità Zorobabel apud Matthæum dicitur genuiſſe *Abiud*, contrà apud Lucam genuiſſe τὸν Ῥησά, ſeu hunc fuiſſe filium Zorobabelis. Ità inter Zorobabelem, apud Lucam, & Mariam Virg. XVII. generationes intermediæ recenſentur; ut ſic Zorobabel Lucæ, anterior videatur eſſe Zorobabele apud Matthæum. Rurſus alia difficultas naſcitur, ex collatione loci 1 *Paral.* III. 17. 18. 19. cum Matthæi *Cap.* I. 12. *Luc.* III. 17. Nam illo loco Zorobabel dicitur fuiſſe filius *Pedajæ*, ut hic *Salathielis*, Salathiel verò Jechoniæ; quum tamen Evangeliſtæ dicant, *Zorobabelem* fuiſſe immediatè filium *Salathielis*, quod & cum Eſdrâ convenit, *Eſdr.* III. 2. *Agg.* I. I. Quoad poſtremam hanc difficultatem, non occurrit magis expedita ſolutio, quam ſi Zorobabel à Pedajâ quidem genitus, ſed educatus à Salathiele avo ſuo, utpote relictus impube, hinc *filius Salathielis*. Alii aliter, & *Pedajam* fuiſſe fratrem *Salathielis*, ut hic filius Jechoniæ, natu maximus; cui, ex Lege leviratûs, ſine liberis extincto, ductâ uxore Salathielis, genuerit Pedajas Zorobabelem, hinc filius hic *legalis* Salathielis. Quoad priores difficultates, expedivit quo ſolet judicio Parens noſter, *Parte* I. Dubior. Evangel. *Dub.* XXII. Nempè propendet in eam ſententiam, quæ alium ſtatuit *Zorobabelem*, hinc *Salathielem*, apud Matthæum, alium apud Lucam, utpotè diverſas genealogias contexentium; Ille ſcilicet genus Joſephi, ex Davide per Salomonem deductum; hic Mariæ ex Davide per Nathanem: Hinc non mirum diverſas perſonas utrobique recenſeri, quamvis nonnullas cognomines; ut olim fuêre, *Joas* Judæ, & *Joas* Iſraëlis Reges, *Joram* item, alter Joſaphati, alter Achabi filius, iique σύγχρονοι.

Secundò, dubium de Mardochæo reduce cum Zorobabele, idemne cum illo de quo in Hiſtoriâ Eſtheræ, an diverſus? Sed difficultatem expediet tempus in quod Eſtheræ & Ahaſſueri geſta conjicimus, durante Captivitate; ut Epocha ſuperiore *Cap.* III.

Tertiò, dubium, undè Area Templi ſecundi, ſeu locus deſtinatus offerendis ſacrificiis Judæorum, *Eſdr.* VI. 3. altitudine & latitudine major eſſe videatur illa Templi prioris, 1 *Reg.* VI. 2. Ibi enim utraque dicitur fuiſſe LX. cubitorum; hîc altitudo XXX. cubitorum tantùm, latitudo XX. ſcil. præter latitudinem Conclavium, quæ ad latera ſtructa. Sed priore loco, non latitudo Domûs, ſed *extenſio*, ſcil. in longitu-

Digitized by Google

tudinem intelligitur, quæ utrobique LX. cubitor. Poſteriore *altitudo* XXX. cubitorum, intelligitur à pavimento Domûs ad ſupernam concamerationem, vel ad primam contignationem; non verò altitudo molis univerſæ cum Porticu, quæ inſtar altiſſimæ Turris eminuit, & quæ alta dicitur CXX. cubitos, 2 *Par.* III. 4. Confer Joſephum Ἀρχαιολ. *Lib.* VIII. C. II. Diverſa etiam ratio *cubitorum*, qui ſacri in Templo Salomonis, profani autem in Edicto Cyri, videri poſſint.

II. Interceſſit verò ulteriori reſtitutioni, & ædificationi Templi, non unum impedimentum, uſque ad *Darii* tempus.

Hujuſmodi fuêre: Samaritanorum apud Judæos ſeu Chutæorum artes; calumniæ in eoſdem apud Cyrum; mors Cyri Regis; calumniarum continuatio apud Ahaſſuerum, & Artaxerxem, id eſt, Cambyſem, & Pſeudo-Smerdim, (quanquam invitis aliis) qui *Darium Hyſtaſpis* præceſſerunt, *Eſdr.* IV. I. 2. 3. & ſeq. Quò refertur luctus Danieli expreſſus, anno Cyri *tertio*, *Dan.* X. 3. quando ſcil. prævaluerunt hoſtes Judæorum, ſeu apud Cyrum, ſeu apud hujus filium Cambyſem (*Ahaſſuerum*) abſente Patre, bellis externis diſtricto, proregem.

Duravit retardatio ad annum uſque II. *Darii* Regis, ſcil. Hyſtaſpis, quo demùm ſtrenuè cœpta Templi inſtauratio, dedicandi anno ejuſdem *Darii* VI. apud Eſdram, Haggæum, Zachariam; De his & Joſephus, *Lib.* XI. Cap. II. III. IV. ac nos Capite ſequenti.

III. Dubium verò cumprimis, quis ille apud Eſdram, poſt Cyrum, *Ahaſſuerus*, quis *Artaxerxes*, quis *Darius*? Nec probabilis ſententia Scaligeri, quæ & Grotii, *Ahaſſuerum* eſſe demum *Xerxem*, *Darium* vero illum eſſe Darium *Nothum*. Nullâ ſic in Eſdrâ mentione Cambyſis, Smerdis, Darii Hyſtaſpis, de quibus multa Joſephus, dicto loco. Igitur *nomina* hæc Gentilitia fuiſſe videntur Perſarum Monarchis, præter illa quæ jam antè Imperium habuerant; ut idem cognominetur *Ahaſſuerus*, vel *Artaxerxes*, qui alio nomine Cambyſes, Smerdes, Darius, Ochus, ut de hoc diſertè Diodorus Sic. *Lib.* XV. ſub finem.

Dubium etiam quî Templum ſecundum annis XLVI. ſtructum memoretur, *Joh.* II. 20. Nondùm enim tot anni à *primo* Cyri Babylone regnantis, ad VI. Darii Hyſtaſpis; plures verò longè fluxêre uſque ad VI. Darii Nothi, imò ultrà CXX. Quare de Templo *Herodiano* infrà interpretamur, cœpto Herodis XVIII. id eſt, antè annos XLVI. quum hæc expreſſa ſunt Judæis, Chriſti anno XXX. impleto.

III. *Inſtauratio Templi, Sacrorum, & Politiæ Judaicæ. Auctores. Lingua, Characteres, aliaque poſt Reditum.*

De illâ pluribus in *Eſdra* cumprimis & *Nehemia* hiſtoriis. Summatim huc faciunt:

Edictum Darii. I. Edictum *alterum* in favorem Judæorum, pro *Templo* inſtaurando, & opere, quod interruptum fuerat, rurſùm promovendo perficiendoque; *ſumptibus* etiam de ſuo ſuppeditatis per Darium Regem, anno ejus II. ut legere eſt *Eſdr.* VI. *Hag.* I. 14. Æræ Nabon. 211.

Darius ille quis? Fuiſſe hunc, ex tribus *Dariis*, (prout tres fuêre Perſarum *Artaxerxes*) Darium *Hyſtaſpis*, ſummus eſt conſenſus Veterum, cum Joſepho, L. XI. C. IV. Ea quoque ſententia fuit Euſebii, Hieronymi & inter recentiores Calvini, Pererii, Petavii, Uſſerii, Capelli, Baillii, Marshami, &c. Nec pauca ſuadent, cumprimis ne in longum nimis differatur calamitas Judæorum, contrà effatum *Zach.* I. 12. ubi de LXX. annorum indignatione tantùm mentio. Et fuiſſe ſub hoc Dario qui prius Templum viderant, diſertè Joſephus, *Lib.* XI. C. IV. Sacerdotes & Levitæ, καὶ τῶν πατριῶν οἱ πρεσβύτεροι *familiarum ætate provectiores*, qui illud *prius Templum videre meminerant*, *magnum & opulentum*, &c. *temperare à lacrymis non poterant*. Et colligitur haud obſcurè ex *Hagg.* II. ubi ad eos Propheta, *qui viderant hanc Domum in primâ ſuâ gloriâ*. Quod alii impoſſibilitatis arguunt, Scaliger ipſe, & Hugo Grotius, ex falſâ hypotheſi, fuiſſe hunc *Darium Nothum*. Eſt enim intervallum annorum penè CXX. à I. Cyri, ad hunc hujus Darii annum VI. Adde intervallum ab excidio Templi I. vel illud annorum LXX. ab anno IV. Jehojakimi ad I. Cyri, ut ſuprà demonſtratum.

Placuit tamen Druſio, Scaligero, Calviſio, Emmio, Chronologis non paucis, eſſe hunc Darium *Nothum*, Artaxerxis Longimani ſucceſſorem. Viceritque horum ſententia, ſi *Ahaſſuerus* & *Arthaſaſtha*, *Eſdr.* IV. ſint duo diverſi Perſarum Monarchæ poſt Cyrum, Cambyſem, & Darium, nempè *Xerxes*, & *Artaxerxes* ille qui aliàs Longimanus: Non potiùs fuerit *Ahaſſueri*, & *Artaxerxis* appellatio, commune quoddam cognomen; אחש *Achas* ורוש *verosch* Princeps & Caput, undè *Ochus*, quo nomine Cambyſes veniat, & *Artaſaſtha*, id eſt, *Artaphernes* Magorum princeps, apud Cteſiam: Quomodò *Arta* Regem aut Principem ſignificare, vel Magnum, volunt Eruditi, undè Perſis familiaria nomina, *Arta-banus*, *Arta-barus*, &c. Hinc rectè illi medii inter Cyrum, & Darium Hyſtaſpis quando ſublati Magi, apud Eſdram collocantur: Hos enim Magos τὴν Περσῶν ἀρχὴν ἐνιαυτὸν κατασχεῖν, habet Joſephus. Sanaballat verò, de quo Nehemias, *Cap.* II. 10. (ſi idem ille de quo Joſephus, in hiſtoriâ Alexandri M. ſub caſum Monarchiæ Perſicæ, *Antiq. Lib.* XI. C. VIII.) neceſſe fuerit hunc grandævum oppidò fuiſſe.

Occaſionem verò hujus Edicti ſingularem exhibent *Eſdras* Apocryphus, *Cap.* III. IV. & Joſephus, *Lib.* XI. C. IV. ſilet autem Eſdras Canonicus *Cap.* V. Nempè diſceptationem trium Darii ſatellitum, inter quos Zorobabel, inſomni fortè Rege, & quæſtionem proponente, quid viribus præpolleat, an *vinum*, an *reges*, an *mulieres*, an denique *veritas*. Quum autem Zorobabelis ſententia maximè placuiſſet, hinc occaſio illi nata petendi inſtaurationem Hieroſolymæ & Templi. Interim haud ſatis eſt ſimilis vero, omnis illa de ſatellitum certamine narratio.

II. Perfectio operis, ac *Templi* totius extructio, Darii ejuſdem anno VI. menſe *Adar*, *Eſdr.* VI. 15. In quem & feſtum *Phurim*, & *Lætitiæ* ob cæſum Nicanorem, incidebant. Tantis ſcilicet ἐργοδιώκταις, Zorobabele, Serajâ, Eſdrâ, Nehemiâ, Joſuâ, ſuaſoribus imprimis Haggæo & Zachariâ; tantâque Judæorum multitudine, rem ſtrenuè promovente. Joſephus Templum abſolutum fuiſſe anno Darii IX. *Lib.* XI. C. IV. ᾠκοδομήθη δι' ἔτεσιν ἑπτὰ, καὶ τῷ ἐννάτῳ τῆς Δαρείου βασιλείας, in quo recedit diſertè à Scripturâ. Breviſſimum ſanè ſpatium temporis fuit, tantæ moli extruendæ.

Modum extructionis, dedicationem, acclamationes, encænia, feſtivitates Judæorum, etiam lachrymas, exhibet Eſdras, *Cap.* VI. & Joſephus, dicto loco. Certè typus luculentus Chriſti fuêre, *Zorobabel*, & *Jehoſchua* ſummus Sacerdos. In eo quod Duces fuêre Populi; quod ædificarunt Dei Templum; quod *pax inter duos* & *concordia* fuerit, *Zach.* VI. 14. quod adverſarios experti *Cuthæos*; & quæ alia ad Theologos ſpectant.

III. Edictum *tertium*, ſcil. à Cyri illo, in Judæorum gratiam, de ſumptibus ſuppeditandis ad ſacrificia, *Eſdr.* VII. emanavit anno VII. *Artaxer-* Edictum anno VII. Artax.

xis,

xis, Regis Perſarum, aliis Xerxes, ut Joſepho, plurimis Longimanus, aliis Mnemon, multis idem cum *Dario* ſuperiore. Sed omninò fuit Μακρόχειρ *Longimanus*, ex conſenſu quoque Africani, Euſebii, Hieronymi, in recentioribus Funccii, Petavii, Uſſerii, &c. caſtigando rurſus hac parte Joſepho.

Tenorem Edicti exhibet Eſdras, *Cap.* VII. Joſephus *Lib.* XI. C. V. quo ille inſcribitur ab Artaxerxe, *Rege Regum*, ἱερεὺς καὶ ἀναγνώστης τοῦ θείου νόμου, ita Joſephus, in Chaldaico eſt, ספר *Scriba* Legis, vel *Doctor* conſummatus, perfectus. Hic jam Regio Edicto, inſtructus fuit ampliſſimâ poteſtate, omnes quos vellet Iſraëlitas ſecum abducendi, pecunias colligendi, ab omnibus per Babyloniam Judæis, in uſus Templi & ſacrificiorum; Regia munera, tum & vaſa ſacra, ornandæ Domui Dei, ſecum auferendi; à Præfectis ærarii, trans fluvium, id eſt, Syriæ & Phœniciæ, quæ vellet exigendi, in eoſdem uſus, etiam triticum, oleum, &c. Adhæc facta illi poteſtas conſtituendi Judices, & Præſides, qui cultum Dei inſtaurarent; & jus dicerent omnibus trans fluvium Judæis, pro datâ illi in talibus prudentiâ. Hinc profectus cum his Regis mandatis, & muneribus *Eſdras*, primarius in ſacerdotibus, patruus *Joſua* ſummi Pontificis, frater *Joſedeci*, filius alter *Seraja*, & Scriba. Atque hic futurus inſtaurator Cultûs, & Politiæ Judæorum, ut deſcribitur *Eſdræ* Capitibus VIII. IX. X. Inter alia præcepiſſe dicitur, ut qui duxerant uxores *alienigenas*, eaſdem *dimitterent*, quod intellige de iis uxoribus, quæ nollent converti ab Idololatriâ ad cultum Veri Dei. Errant qui hinc deducunt initium LXX. ſeptimanarum Danielis, Phil. Lansbergius, & alii: Nec enim fuit hoc Edictum de *reædificandis Hieroſolymis*, ſed de populi reducendo, deque apparatu Templi & ſacrificiorum. Haud pauci tamen Judæi manſêre in Babyloniâ, ſic multi poſt in Ægyptum conceſſerunt, undè hæ regiones *Judæis* refertæ.

Edictum anno XX. Artax.

IV. *Quarta* conceſſio Nehemiæ facta, pincernæ regio, anno hujus Artaxerxis XX. qui Perſis eſt *Artaſaſtha*: Cujus occaſio deſcribitur *Neh.* I. II. & Joſepho *Antiq. Lib.* XI. C. V. Nempè triſtitia ſumma in vultu Nehemiæ à Rege obſervata, ex relatis de Judæâ nuntiis, cumprimis ob mœnia Hieroſol. diſſipata, & portas combuſtas igne. Edictum fuit de *reædificandis Hieroſolymis*, Mœnibus, Turribus, Portis: Artaxerxis hunc annum XX. Petavius, Uſſerius, & alii arceſſunt à XII. Xerxis patris, octennio toto antè Patris obitum; qui XX. annos regnaverit. Colligunt enim duplex Longimani initium; alterum vivo Patre, anno Nabon. 275. Xerxis labente XII. Per. Jul. 4240. alterum à morte Patris. Idque ex fugâ Themiſtoclis ad Xerxem, ut nonnulli Hiſtorici, quem Artaxerxem alii interpretantur, ut Thucydides, Diodorus, &c. & de quo Plutarchus in *Vitâ* Themiſtoclis. Concinit Euſebius qui fugam Themiſtoclis refert ad annum 4. Olymp. LXXVI. qui annus convenit cum anno P. Jul. 4241.

Nehemias utique, idem qui *Eſdræ* II. 2. ex Levitico genere, inter Capita deportatorum, quamvis ex Scaligerianâ hypotheſi diverſus. Provectus hic fuit in multum ævi, vegetus adhuc anno XXXII. Artaxerxis, *Neh.* XIII. 6. qui Xerxes eſſe non poteſt ſecundùm Joſephum, ex dictis. Hic igitur inſtructus literis & mandatis Regis, ad Præfectum Phœnices ac Samariæ, pervenit Hieroſolymam, & opus ſibi demandatum, (frendentibus nequicquàm Sanballato cum Samaritanis ſuis, Moabitis, Ammonitis) aggreditur, promovet, perficit (muros nempè Hieroſolymorum) ſpatio LII. dierum, menſe approximante *Tiſri*, quo Judæorum Feſta ſolenniſſimè celebrata, & lectus Liber Legis, coram toto Populo. Ac Nehemias, quum annis XII. præfuiſſet tanto operi, reverſus eſt ad Artaxerxem, anno ejus XXXII. quo abſente dùm varii motus fiunt, & corruptelæ gliſcunt Hieroſolymis, obtinetur ab Artaxerxe ut rediret Nehemias, ſeverè emendaturus omnia, *Neh.* XIII. 6. 7. &c.

Mutationes factæ in Rep. Judæor.

V. Spectant huc quoque, à reditu Judæorum, & inſtauratâ Hieroſolymis tùm politiâ, tùm Eccleſiâ, inſignes quædam mutationes. Fuit 1. *lingua* quædam nova Judæorum, quâ uſi poſt reditum ex Captivitate, ſub Templo II. Qualis non purè Chaldaica ſeu Babylonica, ſeu Aramæa vetus, *Dan.* II. 4. cui aſſueverant ſub Captivitate; ſed mixta ex Hebræâ vetere, quæque ſpecialiùs Syriaca dicta, ſeu *Hieroſolymitana*, ſenſim ab Exoticis linguis magis corrupta. De quâ poſt alios Waltonus, de Dieu, Hottingerus, alii. 2. *Characteres*, quos à reditu uſurpaſſe traduntur, Babylonios ſcil. ſeu Chaldaicos, ſibi familiares, qui ſint *quadrati* hodierni. Et ita, poſt Euſebium *in Chron.* & Hieronymum paſſim in Commentar. & in Prologo Galeato, cenſent Viri ſummi, antiquis ſcil. Characteribus manentibus apud Samaritanos. Ut nempè Populo facilior eſſet lectio ſacrorum voluminum; utque à Samaritanis, odio Gentis, qui veteres Characteres retinuerant, ſeſe Judæi diſtinguerent. Et Doctiſſ. Bernardus, in his literis ſummus, è Samaritanis Characteribus, ingenioſè deduxit Hebraicos ſive Chaldaicos hodiernos, Syriacos, Arabicos, Brachmanicos, Copticos, Æthiopicos, Armenios, Græcos ſive Cadmæos, Latinos, Francicos, Saxonicos, &c. Contrà alii, quos inter Ligtfootius, teſtimoniis Talmudiſtarum nixi, primævam ſcripturam fuiſſe *Aſſyriacam* contendunt, eandemque ab Eſdrâ reſtitutam, uti hic inſtauravit omnia. Argumentum à *Nummis* antiquis magis videtur eſſe dubium, ob dubiam Nummorum qui producuntur Samaritanorum vetuſtatem. Sed de his poſt Ariam Montanum, Scaligerum, Villalpandum, Capellum, Morinum, Waltonum, alioſque, non dicimus. 3. Diſcrimen Templi II. maximum, à prioris Salomonici gloriâ, *Hag.* II. 3. & apud Joſephum, ſaltem quoad ornatum, & ſplendorem, ſi non quoad aream & latitudinem. Capellus ad Villalpandum contendit latius fuiſſe Templum II. XX. cubitis; de quo jam ſuprà. Adde diſcrimen quoad ſtatum *Reipubl.* tot partibus collapſæ, undè cumprimis lachrymæ populo expreſſæ. Adde defectus *quinque* prærogativarum, (numerant alii *ſeptem*) quibus ſuperbiverit Templum prius, quales, Ignis cœlitùs accenſus; Arca Fœderis; Urim & Thummim; Oleum unctionis; Spiritus S. & Oracula Prophetica, quorum loco ſubſtituunt בת קול *filiam vocis*; ac Proventus duplex anno quoque VI. Fabula de *igne ſacro* ab Hieremiâ abſcondito, & reperto per Nehemiam, cum annexis, extat etiam 2 *Macc.* I. Ubi ignis ille in aquam oleaginoſam mirabiliter converſus fuiſſe dicitur, quâ, jubente Nehemiâ, adſperſa ligna ad ſacrificium, & ſic ad Solis radios continuò flamma extitit. Mittimus fabulas alias Magiſtrorum; Puta, de Eſdrâ reſtituente Codd. Sacros ac dictante ex *Memoria* promptuario, qualis antè revicta; Vel de eodem auctore *Cabbala* Judaicæ, qualem exhibent Libri צוהר & יצירה, & qui ad illos commentati ſunt; ac nos ſummatim in *Elencho* Anti-Judaico, *Contr.* III.

IV. *Septuaginta ſeptimanæ Danielis. Varia illarum ſupputatio, & cauſæ.*

Paraphr. & diſtributio LXX. ſeptiman.

I. HUc revocanda celebratiſſima Epocha LXX. *ſeptimanarum*; Quas nempè vaticinatus eſt Daniel, *Cap.* IX. 24. ſuper *Dei Populo*, & *Urbe Sanctâ*, eſſe *deciſas*, ſeu accuratiſſimè ſupputatas ac defini-

finitas, jam indè *ab Exitu verbi*, ſeu Edicto de inſtaurandâ Urbe, uſque *ad Chriſtum*, ſeu Unctum, (ad ejus ſcil. exhibitionem,) qui & futurus eſſet *Dux* ac Princeps populi ſui.

Diſtribuuntur verò ita ſeptimanæ, ut 1. Prima periodus ſit *ſeptem ſeptimanarum*, *Dan.* IX. 25. ſeu annor. XLIX. antè ædificatam & munitam Hieroſólymam, muro & foſſâ; Petavius, *Veriſimile toto illo ſpatio abſolutam fuiſſe penitùs Urbem.* 2. Altera ſit LXII. *ſeptimanarum*, ſeu annorum CCCCXXXIV. poſt ædificatam Urbem Sanctam, & munitam, per Nehemiam ſcilicet, non ſine *anguſtiarum* quarundam interventu: Quo circiter tempore elapſo *exſcindendus* eſſet Chriſtus, at non *ſibi ipſi*, nec expiandæ culpæ ſuæ; poſteà quoque *Urbs & Sanctuarium* deſtruenda. 3. Tertia denique periodus ſit *unius* ſeptimanæ, ſeu ſtrictiùs, ſeu ἐν πλάτει magis acceptæ, *confirmando Fœderi* per prædicationem, & mortem, *in medio* ultimæ ſeptimanæ; altero *medio*, *conſummandâ* extremâ deſolatione, per legiones Romanorum.

Summa fuit, ſtatum Judæorum non iri penitùs abruptum, donec omnia conſummata eſſent, ſtante Urbe & Templo; ſcil. cohibitio defectionis, obſignatio peccatorum, expiatio, adductio juſtitiæ æternæ, obſignatio Viſionis, excidium Meſſiæ, abolitio ſacrificiorum, &c. Definitur LXX. *ſeptimanarum* ſpatium ἐν πλάτει, minùs ſcilicet tempus non fore, uſque ad adventum *Meſſiæ*, *Schilo*, & reliqua.

Interpretationum diverſitas, ejuſque cauſæ.

II. Quanquàm verò planiſſima videatur mens Vaticinii, nihil tamen eo viſum obſcurius aut intricatius. Hinc cavilla Judæorum in Chriſtianos, *Abarbanelis* cummaximè, diviſos in tot interpretationum claſſes. Quamvis potiora eſſe conſtet diſſidia Judæorum, circà *Meſſiam*, ejus *Adventum*, & ſenſum tot *Oraculorum* Propheticorum: Et ad Verporum ſcommata reſpondendum ſit, quod olim Joſephus Apioni Alex. πλεῖον γοῦν διὰ τῶν βυβλίων ἀλλήλους ἐλέγχουσι, καὶ τὰ ἐναντιώτατα περὶ τῶν αὐτῶν λέγειν οὐκ ὀκνοῦσι, quod exemplis illuſtrat.

Cauſæ nempè obſcuritatis, & diſſidiorum, potiſſimæ ſequentes:

1. Ambiguitas in voce שבועים *ſeptimanarum*, quæ & de ſeptimanis *annorum*, *Lev.* XXV. 8. De quibus & verba Danielis omnes interpretantur; niſi intrà anni unius & quatuor *menſium* ſpatium, hoc vaticinium complementum ſortitum ſit?

2. Ambiguitas termini *à quo:* Inchoantur, ſc. *ab Exitu Verbi*; Quod an verbum Angeli Gabrielis factum ad Danielem, *verſ.* 21. (ità Marſhamus in Can. Chron.) tribus ſeptimanis Captiv. jam elapſis, de quo ſuprà in *Chron. S.* An verò Cyri edictum, an Darii Hyſt. an Artaxerxis illud, dubitatum. Scaliger ab Exitu verbi ſub *Dario Notho*, ſub quo Templum II. ædificatum autumavit. Nec defuêre, quales Lyranus, Lucas Brug. Vatablus, Galatinus, qui hanc LXX. ſeptimanarum periodum duxerint inde ab Anno IV. Zedekiæ, VII. annis antè Excidium I. Templi, quando ſcil. *verbum exivit* à Jeremiâ, de Captivitate LXX. annis terminandâ, & Populo in patriam revocando. Quo & verbis Danielis, qui initium ſeptimanarum non ponit in vaticinio Jeremiæ, & rationi temporum quæ fluxerunt uſque ad Excidium Hieroſol. vis illata. Veriùs itaque illi cenſent, qui putandas Hebdomadas, vel à VII. Artaxerxis Longimani, nempè ſolius regnantis; vel à XX. ejuſdem Artaxerxis, ut quoque Euſebius, ſed qui cum Patre aliquamdiu regnaverit, initio XX. annorum fixo, in annum Xerxis XII. ut jam Lemmate præcedente. Nec magno utrique diſcrimine à ſe invicem diſſociantur. Hi putant ab *Anno* Per. Jul. 4260. Olymp. LXXXI. 3. U. Cond. 300. antè Æram Nativitatis 454. Illi, quos inter eſt David Blondellus, ut obſervaſſe memini, ſeptimanas inchoant ab anno *Per. Jul.* 4257. U. Cond. 297. quem combinant cum Artaxerxis anno VII. ut ultima Hebdomas incipiat ab Per. Jul. 4740. U. Cond. 780. qui fuit Tiberiani Imperii XIV. Et ſic ultimus cujuſque ſeptimanæ annus in *ſabbaticum* deſinet, qualis fuerit annus Urb. Cond. 779. penultimæ ſeptimanæ poſtremus. Et ſanè utrobique ſic terminatur *media* ſeptimana LXX. in annum Paſſionis Dominicæ; quem Petavius facit annum Per. Jul. 4744. U. Cond. 784. A quo vix *biennii* diſcrimine recedunt alii & ſaniores fortaſſe Chronologi, poſt Bedam, Onuphrium, Temporarium, Calviſium, &c. quos inter noviſſimè Jac. Uſſerius, Joh. Pearſonus, Henr. Dodwellus, qui Paſſionem Chriſti conjiciunt in annum U. C. 786. Per. Jul. 4746. Tiberii labentem XX. Ut nos in Diagrammate Chronologico exhibemus uno obtutu, *Col.* 213. &c. Judæi autem mirâ torſione referunt ad Exilium tertium ſuæ Gentis; quod acciderit poſt annos illos CCCCXC. quando *cohibenda* foret *defectio*, per Captivitatem Judæorum, & excidium Reipublicæ; ſecuturâ ſuo tempore adductione juſtitiæ, per Judæorum reſtitutionem. Quaſi verò vaticinium ſit de eo quod poſt LXX. *ſeptimanas* accideret; imò verò, quod indè ab earum initio, quod poſt VII. ſeptimanas, tum LXII. tandem in *medio* ultimæ ſeptimanæ: Aut quaſi per Excid. Reipubl. *cohibita* fuerit *defectio*, &c. vel promiſſio hîc ſit ulla de futurâ *inſtauratione* Judæorum.

3. Dubius terminus *ad quem:* An terminentur ſcilicet, in deſolatione Urbis & Sanctuarii per Antiochum, *qui ceſſare fecit ſacrificium*, ut multis Marſhamus in Canone Chron. initio ducto ab anno Excidii Hieroſ. XXI. quando Angelus mandatum acceperit *Verbi* edicendi ad Danielem; *ſeptem* ità *ſeptimanis* adhuc reliquis, uſque ad *Edictum* Cyri de *redeundo*. An verò terminus ille quærendus in excidio Chriſti, ut disertè Vates, & plerique Chronologorum, ſaltem in *medio* ultimæ ſeptimanæ, *Dan.* IX. 27. An autem in excidio Urbis & Templi per Romanos, & ità Junius noſter, Joſ. Scaliger, & qui τοῦ πάνυ ſequuntur. Ut tamen hic terminet in annum XII. Neronis; à quo auferenda ſit *media ſeptimana*, latius accepta, pro illo tempore quod fluxit ab anno Ner. XII. ad Excidium Reipubl. Judaicæ, A. II. Veſpaſ.

4. Variæ horum verbor. exegeſes, & paraphraſes, varia applicatio: Multis illa quæ verſ. XXIV. *conſummandam prævaricationem*, *expiandam iniquitatem*, *adducendam juſtitiam*, *obſignandam viſionem*, &c. ad ſtatum Captivitatis Babylonicæ, & liberationem ex eâ referentibus; aliis aliò: Præcipuè autem ſpectarunt ad *Beneficia* ex adventu & Morte Meſſiæ, per quam expiatum peccatum, ſacrificium abolitum, &c.

5. Variæ interpretationes circà *Chriſtum* illum, ſeu *Unctum:* Quem Cyrum, Zorobabelem, Nehemiam, Sacerdotes, Templum, Maccabæos, &c. denique *Meſſiam* Interpretes reddiderunt, ſcil. *Unctum* illum κατ᾽ ἐξοχὴν, *Anteceſſorem* vel *Ducem* Eccleſiæ ſuæ, exemplo, doctrinâ, ſpiritu, virtute, quâ ducit in vitam æternam.

6. *Tripartita* illa diſtinctio LXX. ſeptimanarum, ut ſuprà, quæ Chronologis & Interpretibus mirè crucem fixit. V. g. *ſeptem hebdomadas* annorum, referentibus aliis ad ſpatium quod fluxit ab Edicto *Cyri*, ad inſtaurationem Templi ſub *Dario*, ut Calvinus, & alii: Quibuſdam interpretatis de tempore quod fluxit à Templo *inſtaurato*, ad *perfectos* muros Hieroſolymæ, & Civitatem totam extructam ſub Artaxerxe, ut quoque Joſ. Scaliger, nempè à II. Darii Nothi, ad XXXII. Artaxerxis Mnem. Aliis, tempus denotari, *ab exitu Verbi de redeundo, & de reædificandis Hieroſolymis*, ſeu jam à VII. ſeu à XX. Artaxerxis Longimani; & eo circiter intervallo perfectum iri quicquid ad inſtaurationem Urbis

ſpectaret: Hoc tamen tempore, & ſecuturis LXII. ſeptimanis, non fore Populum ſine *anguſtiis*, & calamitatibus. Nonnulli etiam numerant LXII. ſeptiman. uſque ad Antioch. & quidem à *reditu* Judæor. VII. prioribus relatis ad reliquum tempus Captivitatis Babyl. indè ab hoc Danielis vaticinio; & ſic Marsh.

7. Mirus diſſenſus in ſerie, numero, nominibus, annis *Perſarum* Regum definiendis: Aliis *tres*, aliis *quatuor*, ex Eſdræ *Cap.* IV. VI. ut Hebræi, dùm plures in Eſdrâ non legunt; aliis *octo* tantum, aliis *novem*, numerantibus, omiſſo *Arſe* anteceſſore Darii Codomanni; aliis *decem*, ut Canon Aſtronom. Ptolemæi: Aliis etiam XI. cenſentibus, quin XIV. aliis, cum Hieronymo, additis Smerde, Artabano, Xerxe II. & Sogdiano. Hinc variat calculus annorum, ut Epocham hanc Perſicæ Monarchiæ vel producunt; vel nimis contrahunt.

8. Varia Chronologorum ſupputatio circà annos Monarchiæ *Græcorum*, ſecundùm varias Æras Regum Syriæ vel Seleucidarum, Ptolemæorum, Olympiadum, Romanorum, &c. Nec certus Hebræorum calculus in annis *Pontificum*, *Haſmonæorum*, *Herodianorum*. Sic annos alii *Luna-Solares*, alii *Arabicos* cenſent, ſeu *Lunares* contractos, ſine intercalatione, & ità qui LXX. ſeptimanas inchoarunt à XX. Artax. & hos demùm à morte Xerxis patris.

9. Dubium hinc annorum intervallum à primo Cyri, ad Nativitatem Chriſti Servatoris; quod Doctiſſimi Chronologi extendunt ultrà annos minimùm 536. vel 537. alii contrahunt: Joſephus, excedens calculum, ſecundo Templo deputat annos DCXXXIX. Vide Tabulas Chronolog. *Parte* II. Chronol. Sacr. C. XII. & ſeq.

10. Difficultates circà præciſum tempus Nativitatis Chriſti, quem alii collocant in annum U. Cond. DCCXLVIII. & ità porrò, uſque ad A. U. Cond. DCCLVI. in quo Lydiatus ponit Natalem Chriſti. Sic diſcrimen jam olim fuit, circà tempus Baptiſmi, ita & Mortis, quum alii paſſum A. Tiberii XV. vel XVI. plerique Tiberii A. XIX. vel etiam XX. De quibus nos in Chronologicis; & Diſſidia circà verum Chriſti Natalem, uti circà tempus Baptiſmi Chriſti, vide in Æris Incarnat. Nativitatis, & Paſſionis, ſuprà P. II. *Chron. Sacr.* C. XVI. XVII. ne dicam Patrem meum *Dub. Evang.* P. II.

11. Præciſa (ſecundùm quoſdam) terminatio harum LXX. *ſeptimanarum* quæſita in ipſiſſimo tempore vel Nativitatis, vel Baptiſmi, vel Mortis Chriſti, vel etiam deſtructionis Hieroſolymor. Undè difficultates non leves in computo. Nec minùs fortè conſtat vaticinio ſua veritas, ſi LXX. ſeptim. ἐν πλάτει accipiantur. Scilicet, minus tempus non fore VII. ſeptimanis, & LXII. uſque ad excidium Meſſiæ; *ultimâ ſeptimanâ*, deſtinatâ *confirmando fœderi*, & *abolendo ſacrificio*, latè rurſus accipiendâ, ſaltem quoad poſteriores illius annos, *exciſo* jam *Chriſto*, quando Apoſtoli cœperunt prædicare, accepto Spir. Sancto. Qualis latitudo & in vaticinio illo; *Non recedet ſceptrum à Judâ, donec venerit Shilo.*

Omnium de his accuratiſſimè & prolixiſſimè commentatus eſt pridem inter Theologos Reformatos, Andreas Willetus, ad *Cap.* IX. Danielis, ſaltem quoad ſententias diverſas inter ſe comparatas. In Chronologis adeantur Petavius, Tomo II. *de Doctr. Temp.* Langius de *Annis Chriſti*, Baillius, cæteri, in vulgus Eruditorum noti. Conſule & Clar. Coccejum, in Theologis recentioribus.

V. *Viri Synagogæ Magnæ, ſeu Concilium Hieroſolymitanum, Eſdrâ ejus principe. Quarum rerum Auctores dicantur.*

Hîc certa ab incertis, & dubia à fabuloſis Magiſtrorum, diſtinguenda.

1. *Certum*, Templo & Urbe inſtauratis, cœpiſſe Cultum publicum reviviſcere, Sacrificia inſtitui, Feſta celebrari, Preces publicas fundi, Abuſus varios tolli & corruptelas, ſeu in doctrinâ, ſeu in vitâ & moribus, quos corruperat cohabitatio cum alienigenis. De his *Eſdræ* & *Nehemiæ* Libri. Certiora de geſtis Hieroſolymitanis.

Certum præſediſſe his omnibus Viros graves, & Propheticos & Sacerdotales, inter alios *Eſdram* Sacerdotem, ampliſſimâ poteſtate inſtructum, alterum Hebræis Moſem, vel Joſuam. De his & prolixè Joſephus, *Lib.* XI. *Cap.* IV. V. Habitum verò tunc, vel ut alii reſtitutum, Synedrium vel Concilium Magnum, ex שרים viris *Primoribus*, Eſdrâ, Zorobabele, Joſuâ ſummo Sacerd. Haggæo, Zachariâ, Nehemiâ, &c. Concilii Eſdrâ, ut videtur, præſide, juxtà factam illi poteſtatem Edicto Artaxerxis. Cujus auctoritate Synedrii, בעצת השרים והזקנים, *juxta conſilium Principum & Seniorum*, *Eſdr.* X. 8. reſtituta fuêre omnia tam quæ ad Sacra, quàm quæ ad Politiam pertinerent. Ex quot verò conſtiterit illud Synedrium Viris, non dicitur, Talmudiſtis facientibus hunc Senatum Viror. CXX. qui Viri *Synagogæ magnæ*, & ità Majemonides Præf. ad *Jad-Chaſ.* Gedalia in *Shalſcheleth*, Auctor *Juchaſin*, &c. De quibus ex profeſſo Buxtorfius in Comment. Maſorethico, ſive *Tiberiade*, *Cap.* X. Seldenus de Synedriis, *Lib.* II. C. XVI. Schicardus de Jure Regio Hebræor. &c.

Certum quoque primam fuiſſe curam in recenſendis, & emendandis Sacris Codicibus, poſtquàm periiſſent *Autographa* Moſis & Prophetarum, quæ prima Eſdræ, ut *periti Scribæ Legis divinæ*, ſolicitudo fuit. Quo ſenſu Veteres, Irenæus, Tertullianus, Euſebius, &c. interiiſſe cum Urbe & Templo *Scripturas S.* hinc fabula, ab *Eſdrâ* ex memoriæ promptuario reſtitutas, *Eſdr. Lib.* IV. C. XIV. Certè tum Codices Sacri recogniti, à mendis repurgati, definiti quoad numerum Librorum, aucto tùm Canone Hebræor. ſed & in ordinem digeſti; & ſi quid pravi aut heterogenei irrepſerat, in diutinâ Captivit. rejectum. Tum & ratio præſcripta, eos dilucidè legendi, exponendique ſingulis Sabbatis, ut factum *Neh.* VIII. 8. Et hæc ferè ἐξαγώνια.

11. *Dubia* verò ſunt non pauca. Primò, numerus ille Virorum qui dicuntur Eſdræ tempore *Synagogam magnam* conſtituiſſe, nempe CXX. Quod totum pro inſigni fabulâ Viri Magni habuerunt, & in Theologis noſtris, Joh. Hoornbekius Socinian. Confutati *Tomo* I. C. II. Jacobus Altingius, Herm. Witſius, alii celeberrimi nominis. Seldenus verò loco cit. putat fuiſſe ipſiſſimum Synedrium M. Judæorum, Virorum nonniſi LXX. qui tamen numerentur CXX. quod fortè, Eſdrâ adhuc ſuperſtite, primis illis acceſſerint L. Viri alii, ſucceſſivè in demortuorum locum ſubſtituendi. Dubia & controverſa.

Alii XII. tantùm putant delectos, ex Viris tum Propheticis, & primariis Sacerdotum, alii aliter; tacet certè Hiſtoria ſacra.

Secundò, dubia traditio, ne quid gravius dicam, quâ Eſdræ & Collegis tribuuntur *Maſoræ* primordia, ſive Criticæ Sacræ Hebræorum: Id eſt, digeſtio hodierna ſacrorum Volum. quâ v. gr. *Pſalmi*, *Daniel*, extrà cenſum *Prophetarum* referuntur: *Variarum* lectionum diligentiſſima notatio; qualis ſanè & occurrit in iis *Libris*, qui poſt Captivitatem Babylonicam ad Canonem acceſſerunt: Sic etiam *punctationis*

Digitized by Google

tionis origo, & hodierna ratio, ſilentibus rem magni adeò momenti Joſepho, Philone, Origene, Euſebio, Hieronymo, &c. ne ad Pentateuchum Samaritanum, & vetuſtiſſimos Codd. MSS. omnes carentes punctis, & ad morem Orientalium, nunc provocem. Tamen veriſimile quædam primordia hujus Maſoretici inſtituti, & fortè puncta quædam διακριτικά, deberi Pharizaicæ ætati, haud longè à Maccabaicis temporibus: Quæ complementum ſuum acceperunt, & formam hodiernam, longè à Chriſto nato; ſive jam à Magiſtris Tiberienſibus, ſive hi ſaltem principes auctores fuerint hujus omnis Critices, quæ otioſa multa habuit, & ſuperſtitioſa, circa voces, ſyllabas, literas, apices. Sed de his, poſt Eliam Levitam, Aben-Ezram, D. Kimchium, &c. ex profeſſo *Arcanum Punctationis Revelat.* ejuſque *Vindiciæ*, Buxtorfio oppoſitæ.

Tertio, dubium & illud, magnâ ferè conſenſione hodie probatum Eruditis, num novos *Characteres* introduxerit Eſdras, quadratos & Chaldaicos, relictis antiquis Characteribus uſui Samaritanorum, &c. de quo jam ſuprà.

Fabuloſa. III. *Fabuloſa* omninò ſunt, quæ Judæi præterea de *Cabbalâ*, & *Lege Orali*, per iſtos tranſmiſſâ, ac ſcripto conſignatâ, juſſu Numinis, à Scribis per dies continuos XL. huic operi incumbentibus. Hinc vetuſtiſſimus liber Cabbaliſticus, *Sepher Sohar*, ex iis ſcil. concinnatus, quæ Eſdras deſcribi juſſerit LXX. voluminibus. De his verò nihil in *Eſdrâ*, *Nehemiâ*, & poſterioribus Prophetis, minùs in Moſe, Pſalmis, Prophetis prioribus. Ejus commatis eſt adſcripta his Traditionum Judaïcarum acceptio à *Prophetis*; ab his tranſmiſſio earundem ad Succeſſores; uſque ad *Hillelem* Jehudæ poſtremi filium, ejuſque filium *Gamalielem*, annis circiter 430. à Chriſto Nato. De his adi Sam. Petitum in Obſervation. Seldenum *Lib.* II. de Synedr. ut nunc mittam alios.

VI. *Libri Sacri & Canonici tùm conſignati. Prophetæ hujus periodi.*

I. Libri *Sacri* qui his temporibus Canoni acceſſerunt, ſunt alii *Hiſtorici*, alii *Prophetici*. Et hiſtorici quidem ſunt:

Libri Chronicorum. 1. *Libri Chronicorum*, quorum *primus* eſt rerum ab Adamo, *Cap.* I. ad Davidis ultima; occaſionaliter tamen inſertis quæ diu poſt Davidem acciderunt, ut *poſteri* Davidis ad Jechoniam uſque, *Cap.* III. & nomina *reducum* ex Captivitate Babylonicâ, *Cap.* IX. Continet hic Liber *Genealogiarum* ſeriem, depromptam haud dubiè ex monumentis, quæ penes primores Sacerdotum, in ipſâ Captivitate, fuerunt aſſervata, & antè in Archivis recondita. In quibus ſi quid obſcurum, aut in ſpeciem pugnans cum *Genealogiis* quæ in Geneſi, Joſuâ, Libris Samuelis, Regum, non id mirum accidet iis, qui norunt mutationem, vel diverſitatem ſæpè Nominum, aut cæteroquin difficultates Genealogicas; quarum nodos nihil neceſſe eſt nos expedire. *Secundus* Liber, eſt à Salomone Rege, ad reditum ex Captivitate ſeu factam poteſtatem à *Cyro*. Hebræis dicti *Verba dierum*, ſeu Res dierum vel temporum Eccleſiæ. Græcis *Paralipomena*, ob inſerta his quædam quæ non in præcedentibus Hiſtoriarum Libris. Sicque complectuntur hiſtoriam annorum ultrà MMMCCCCL. Auctor Eſdras vulgò perhibetur (quanquàm & alii tùm fuêre Viri θεόπνευστοι) ex collato loco 2 *Chron.* XXXVI. 22. 23. cum *Eſdræ* I. 1. 2. 3. quæ planè ſunt eadem. Non verò hi *Chronicorum* Libri cenſendi ſunt iidem, cum Faſtis publicis, & Annalibus Regum Judæ & Iſraëlis, quæ jam olim aſſervata, & frequenter allegantur in Libris Regum, 1 *Reg.* XI. 41. &c.

2. Liber *Eſdræ* vel *Ezræ*, continens hiſtoriam ab Edicto *Cyri* Regis, uſque ad annum VII. *Artaxerxis*, ſeu hic (juxta alios) ſit Xerxes, ſeu Longimanus, ſeu Mnemon, qui Dario Notho ſucceſſit: Sed veriùs ad *Longimanum* referens propriorem Cyro; ut viſum antè; & ſic conſtat Epocha LXX. hebdomadum, ac perbellè conciliatur ratio temporum. Certè IV. poſtrema Capita *Eſdræ*, non continent niſi Hiſtoriam illius anni VII. quo Artaxerxis prodiit Edictum. Ezræ *Apocryphi* Viſiones & Somnia recentior Judæi Helleniſtæ fœtus cenſeri debent. De Pentateuchi Moſaici, & Librorum qui extitêre Propheticorum, ac Pſalmorum, per Ezram recenſione, caſtigatione Codicum, non ſine gratiæ cœleſtis afflatu, dictum ſuprà; proſcriptâ fabellâ quæ legitur, *Lib.* III. Ezræ, C. XIV. Eſdræ.

3. Liber *Eſtheræ*, continens hiſtoriam aliquot annorum ſub regno Ahaſſueri, de quo ſuprà, à III. nempe anno regni, *Eſth.* I. 3. *Eſdræ* alii, alii *Mardochæo* ex Cap. IX. 20. alii cum Philone, *Joachimo* Sacerdoti tributum voluerunt, alii aliis: Nec quemquam offendat nomen *Dei* nuſquàm in hoc Libro expreſſum; qui admirandam Dei Providentiam in conſervandâ Eccleſiâ, Preces ad eum fuſas, Gratiarum actiones, Feſtum in ejus honorem, &c. ex profeſſo tradit. Eſtheræ.

4. Liber *Nehemiæ*, omnium poſtremus ex Hiſtoriis Canonicis Teſtamenti Veteris, Hebræis *Secundus Eſdræ*, contractus nempe cum libro Eſdræ in volumen unum. Continet autem hiſtoriam ab anno XX. Artaxerxis, quo Dux & inſtaurator miſſus in Judæam Nehemias fuit, uſque ad Annum XXXII. ejuſdem Artaxerx. *Neh.* XIII. 6. Reliqua Nehemiæ, duratio Regiminis, mortis tempus, non expreſſa in Hiſt. S. Certè vix produxit vitam uſque ad Darium Codomannum, & Jadduam ſummum Pontificem, quæ deinceps inſerta ſunt *Cap.* XII. II. 22. Nam à XX. Artaxerxis Longimani, quo jam tempore provectus ætate Nehemias fuit, (redux enim is cum Zorobabele) ad initium Darii Codom. fluxêre anni circiter CXIX. Continuata igitur Sacerdotum genealogia, ad Jadduam uſque *Neh.* C. XII. 22. (de quo Joſephus in rebus & hiſtoriâ Alexandri M.) ab aliquo viro Prophetico, aut Scribâ Judæorum, ad id inſtructo auctoritate Synedrii. Placet tamen portentoſa longævitas Scaligero, Huetio, Eruditis aliis. Nehemiæ.

Nec dubium quin Nehemias ſit ſcriptor Libri, ferè ubique in 1. perſonâ locutus. Impudenter rurſum, ut ſolet, tradit auctor *Tractatûs Theol. Polit.* Cap. X. Libros *Danielis*, *Eſdræ*, *Eſtheræ*, *Nehemiæ*, videri ſibi eſſe unius Scriptoris, dudùm poſt Judam Maccabæum, auctoribus ſcilicet Phariſæis. Hinc eſſe *mendis* refertos, hinc *reſurrectionis* mentionem occurrere, *Dan.* XII. 2. hinc alios à *Sadducæis* libros confictos eſſe eodem tempore, ſub iiſdem nominibus *Danielis*, *Eſdræ*, *Eſtheræ*, &c. Et hæc confirmat per τὸ *Non dubito*, *non dubitandum* eſt, diſſimulatis omninò quæ iſta ſubvertunt, & vel malitiâ ubique proditâ, vel ignorantiâ, ut jam in ſuperioribus Epochis obſervatum, ſpeciatim ad Librum *Danielis*. Quem etiam *Porphyrius* relegavit ad tempora quæ Antiochi furores exceperunt: Quando nempe perfectus dudum fuit Canon *Hebræorum*; & ſic imponendum fuiſſet ab hoc Pſeudo-Daniele toti Genti, ſi nullus antè Danielis Liber, qui totis III. & ultrà ſeculis vixit antè Antiochi tempora: Cujus etiam, (præter vaticinia quæ ad Antiochum ſpectant) tot fuêre clariſſima alia, quæ longè poſt adimpleta; puta de Monarchiâ Romanorum, de exſcindendo Chriſto poſt VII. & LXII. ſeptimanas annorum, de abolitione ſacrificii, de excidio ultimo & deſolatione Urbis & Templi, per alas Romanas, &c. Ne dicam oſtenſum Danielis Vaticinium Auctor Tract. Theol. Polit. notatus.

adventanti Hieroſolymam Alexandro, ut ſuprà viſum ex Joſepho *Lib.* XI. C. VIII.

II. Libros *Propheticos* quod attinet, *tres* acceſſerunt hâc Epochâ: Quanquam Abarbenel, & alii Magiſtrorum iſtos in *Prophetis* non habeant, hoc obtentu quod fuêre מחכמים *ex Sapientibus*, & אנשי כנסת ה"ג *viri Synagogæ magnæ.* Quicquid Eſdras, *prophetaſſe* בשם *in nomine* Dei Iſraëlis, C. V. 1. 2. nominatim *Aggæum & Zachariam.*

Haggæus. 1. *Haggæus*, cœpto munere ab anno II. Darii, (quem *Hyſtaſpis* fuiſſe demonſtratum, quanquam Cl. Coccejus ſequatur Scaligerum) ſub quo rursùs incepta & perfecta Templi Secundi inſtauratio. Nec in Prophetico munere ultrà paucos *menſes* continuaſſe intelligitur *Cap.* I. 1. & *Cap.* II. 18. 20. Hic unus fuit ex ἐργοδιώκταις, pro ſtructurâ Templi II. at inſtauratione Urbis, & murorum Hieroſol. ſervatâ in Nehemiæ tempora. Et luculentum hujus Prophetæ vaticinium fuit; de *gloriâ ſecundæ Domûs*, longè ſuperaturâ gloriam *primæ*, ob ingreſſum *deſiderati omnium Gentium*, Meſſiæ, qui veram *pacem* Eccleſiæ ſuæ conciliaret. Myſticè & Propheticè omnia, ut etiam Paulus intellexit, *Hebr.* XII. 26.

Zacharias. 2. *Zacharias*, cœptis paulo poſt vaticiniis, ab eodem anno II. Darii, ſed diutiùs continuatis, factâ mentione anni ejuſdem Darii IV. menſis IX. *Cap.* VII. 1. Sed Vates hic ſtylo ſublimior, viſionibus myſterioſior, prophetiis diffuſior, etiam de Meſſiæ Perſonâ, Modo Adventûs ignobili, Officiis, Morte, Miſſione Spiritûs S. incredulitate Judæorum, vocatione Gentium, &c. De quibus adeundi Interpretes, nec audiendus Hugo Grotius, illud v. gr. *Zach.* IX. 9. 10. ad Zorobabelem referens. Et hic Zacharias filius *Barachiæ*, *Zach.* I. 1. pleriſque idem eſſe putatur de cujus nece Chriſtus *Matth.* XXIII. 35. quæ ſub II. Templo acciderit. Quanquàm nihil Scriptura de morte hujus Zachariæ; nec alius deſit Zacharias, filius *Jehojadæ*, vel (quod idem ſit) *Barachiæ*, ut Hieronymus, occiſus ſub Joaſo Rege, in *atrio* Sacerdotum, inter Altare & Templum, 2 *Chron.* XXIV. 20. 21. Id enim malumus, quam ſtatuere, verba Servatoris (ἐφονεύσατε) eſſe prophetica, de facto Zelotarum, qui *Zachariam* quendam, virum locupletem, *filium Baruchi*, in medio Templo occiderint, ſub Veſpaſiano Cæſare, ut Joſephus refert de Bello Jud. *Lib.* V. C. 1. Certamen inter *Jehoſchuam* ſummum ſacerdotem, & *Satanam* ab ejus dextris ſtantem illique adverſantem, tùm increpantem eum *Angelum Jehovæ*, יגער בך יהוה, *Zach.* III. aliud videtur ab illo de quo Judas, *verſ.* IX. Nec ibi quicquam de *Corpore Moſis* ſeu *vero*, (de quo hiſtoria *Deut.* XXXIV. & ſuprà *col.* 328.) ſeu *figurato*; qualiter apud Judam plures reddiderunt de Corpore umbrarum & cultûs Moſaici, vel de Corpore Templi II. inſtaurandi, &c. Quod alterius diſquiſitionis eſt. Hujus porrò Prophetæ vaticinium fuit, *Zach.* XI. 12. 13. de *mercede* ſeu pretio venditi *Meſſiæ*, *triginta argenteis*, & *projecto pretio* in *Domum Dei*, quo pretio emendus fuit à *figulo* ager; qualis prophetia reſpicitur indubiè à Matthæo, C. XXVII. 9. 10. Igitur malè ſcriptum olim à librariis fuit, διὰ Ἱερεμίου, quod non additum à Matthæo; qui ſimpliciter (ut ſolet) ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, vel (ſi Hebraice) ביד הנביא, pro quo alii ביר" διὰ Ἱερεμίου.

Malachias. 3. *Malachias*, ultimus Prophetarum, (Jonathani & aliis creditus *Eſdras*, aliis *Angelus meus*, appellativè, &c.) vaticinatus dudùm perfectâ Templi Secundi fabricâ, hinc poſterior Haggæo & Zachariâ: Nehemiæ idem contemporaneus, ex abuſuum quos uterque reprehendit, ſimilitudine, *Neh.* XIII. cum *Malach.* II. & III. *Capit.* Verè hic מלאכי *nuncius* Domini, prophetans ultimò adventum *Meſſiæ*, *Angeli Fœderis*, in *Templum ſuum*, & illum præcurſoris Baptiſtæ, qui in virtute & ſpiritu *Eliæ* pararet vias Domino, *Cap.* III. 1. & c. IV. 5. Hinc & excidium Gentis, ac incendium Templi II. ſimul prædixit, *Mal.* IV. 1. 5.

VII. *Bibliorum in Linguam Græcam prima Tranſlatio.*

AD hæc tempora referenda eſt *Bibliorum* Verſio in Græcam Linguam:

I. *Cauſa* Tranſlationis, Judæorum ſcilicet diſperſio inter Gentes, ſub Alexand. M. ejuſque Succeſ- Judæi Helleniſtæ.
ſoribus, præcipuè in Ægypto, Aſiâ, linguâ *Græcâ* ubique tùm uſurpatâ, & patriæ linguæ oblitis non paucis Judæorum. Et hinc *Helleniſtæ* dicti, ſeu Græcizantes, Græcum ſermonem uſurpantes, nec tamen Græci, ſed Judæi origine, & religione, ut prolixè Claud. Salmaſius. Adde Gentiles ſic fuiſſe inſtituendos & præparandos ad notitiam Evangelii, & ad fidem Chriſti.

II. *Tempus*, non quidem antè Alexandrum M. Tempus I. Verſionis.
ut Clemens Alexandrinus, *Lib.* I. *Strom.* & Euſebius *Lib.* VIII. παρέργως. tradiderunt. Quo tempore nihil dùm Judæis cum Græcis commercii, nullis etiam Verſionis talis vel teſtibus vel veſtigiis. Undè precariò Clemens Alex. Platonem ex eâ Verſione multa depromſiſſe, & tranſtuliſſe in Librum de Legibus. Vide & quæ habet Joſephus ex Hecatæo Abderitâ. Sed neque vel *antè* Ptolemæum *Lagi*, ut vult Saidus Batricides in *Chronico* ſuo Arabico, vel *ſub* eodem *Lagidâ*, ut ſtatuunt Clemens Alex. *Lib.* I. *Strom.* & Irenæus *Lib.* III. C. XXV. nullo idoneo teſte. Igitur verius *Legem* ſaltem tranſlatam fuiſſe ſub Ptolemæo Philadelpho, communi Veterum conſenſione; niſi vivus tùm adhuc Pater fuerit, ſocio Imperii Filio. De Coloniis Judæorum ſub Ptolemæo Lagi in Ægyptum traductis, poſt Hieroſolymam dolo circumventam, pluribus Joſephus *Lib.* XV. C. 1. & infrà in Rebus Ægypti, poſt Alexandri M. obitum.

III. *Auctores* vulgò putati LXXII. Seniores, acceſ- Auctores.
ſiti magnis ad ſtuporem muneribus, & ſplendidâ Ptolemæi ad Eleazarem ſummum Pontificem legatione; *ſex* ex ſingulis, ut ferunt, Tribubus, (quanquàm in Judæâ duæ ferè Tribus tantùm reliquæ) genere, doctrinâ, & rerum uſu præcellentes, de quibus fuſè Joſephus *Lib.* XII. *Antiq.* C. II. Quæ habuit ille ex Pſeudo-Ariſtæâ, Judæo perſonato, Scriptore Libelli de LXX. Interpretibus, uno ſcil. ex legatis Philadelphi, quem nuper recudi in Angliâ curavit Vir Clariſſ. Edw. Bernardus. Summa narrationis ex Joſepho ipſo obvia eſt.

IV. *Occaſio* fertur, ſtudium Ptolemæi Philadelphi, Occaſio
de ornandâ inſigni illâ Bibliothecâ Alexandrinâ, quæ fer-
& hoc theſauro locupletandâ, quo tempore literæ tur?
& literatores eſſent Alexandriæ ſummo in pretio. Conſilii verò *auctor* fuiſſe fertur Demetrius ille Phalereus, Philoſophus Athenienſis, Athenarum quondam princeps, tum exul. Sed & hoc in fabulæ argumentis eſt, utpotè qui nec Bibliothecæ Alexandrinæ præfectus fuit, nec ullâ apud Philadelphum gratiâ valuit: Profugus utpotè fuit ad Ptolemæum Lagi, Philadelpho autem exoſus, & poſt mortem Lagi agendus in exilium, in eo periturus, ut ex Laërtio probarunt Scaliger, Wowerius, Menagius, Hody, &c. Ad hæc, quæ Demetrius ille ad Ptolemæum, in commendationem *Legis*, ut *divinæ* & *ſacro-ſanctæ*; quæ de Theopompo quodam, & *Theodecte* Poëtâ, aggreſſis quædam ex eâ Lege transferre, ſed irato Deo, &c. hæc Judæi Helleniſtæ eſſe nemo non videt.

V. *Modus* Verſionis, planè ut miraculoſus, ſic Modus
& fabuloſus; nempe quaſi 72. dierum ſpatio tota miraculo-
Ver- ſus.

Verſio adornata ab iiſdem fuiſſet, agentibus in ſeparatis cellulis, aut *binis* in cellulis ſingulis, juxtà Epiphanium, nullâ inter eos communicatione, iiſdem tamen non ſententiis modò, ſed *literis* etiam & *ſyllabis*, ubique expreſſis. Quanquam in his circumſtantiis variant Veteres, nec de LXXII. cellulis, aut de nullâ factâ collatione, quicquam Ariſtæas. Adduntur alia, non minùs fabuloſa, quæ Verſionem immediatè præceſſerint, & quæ eam ſubſecuta ſint, magnifica ſanè, & pro ingenio Judæorum. Quæ pridem à Ludovico Vives, Joſepho Scaligero, aliiſque magnis nominibus exploſa, à Pſeudo-Ariſtæâ, Judæo-Helleniſtâ, ad conciliandam Verſioni iſti auctoritatem conficta; à Veteribus credulâ nimis (ut ſolent) mente ſuſcepta; avidiùs autem à Latinis & recentioribus defenſa. Quâ de re noviſſimè edidit Commentarium, fabulæ Ariſtæanæ confutandæ, Humfredus Hody, Oxonienſis, Vir Clar. Certior itaque conjectura eſt, auctores Verſionis Græcæ primos, fuiſſe Judæos Alexandrinos, ſive jam ſub Ptolemæo *Philad.* ſive ſub ejus ſucceſſore *Evergete*, à quo Hieroſolymis Eucharistica Deo oblata feruntur. Qui Hebraicè & Græcè ſanè perdocti, in gratiam Judæorum Helleniſtarum, qui multi in Ægypto, opus illud aggreſſi ſint; fortaſſis & Ptolemæo ut gratificarentur. Originem verò fabulæ, de admirandâ illa conſenſione LXXII. Interpretum, in ipſis etiam verbis & ſyllabis, quanquàm nullâ inter ipſos conſpiratione, ſubodoratus eſt Dan. Heinſius, in Ariſtarcho ſuo ad Nonnum *Cap.* x. Nempè derivandam illam ex verbis *Exod.* XXIV. I. ubi dicitur Moſes, cum LXX. ſenibus, aſcendiſſe ad Deum, & ex illis neminem diſſentiſſe, καὶ τῶν ἐπιλεκτῶν τοῦ Ἰσραὴλ διεφώνησεν οὐδείς. Ingenioſè, nam Hebræa longè aliter habent.

Libri Tranſlati. VI. In *Numero* etiam Librorum converſorum variatum. Et plerique quidem Biblia univerſa V. T. tranſlata, alii ſolum *Pentateuchum* ſeu Libros *Legis* memorant. Inter quos poſteriores ſunt ipſe Ariſtæas, & Joſephus, à quibus omnis traditio eſt; hinc Talmudiſtæ varii, Hieronymus, ex recentioribus Claudius Salmaſius, Uſſerius Armachanus, in Syntagmate de Verſione LXX. nec pauci Eruditi, ac ipſe Rich. Simonius. Ut tamen ſub Ptolomæis perfectam fuiſſe reliquorum Librorum verſionem ſimul ſentiant, quod indubium. Et Talmudiſtæ quidem *Verſiones* omnes Bibliorum profanas cenſent, exceptâ hâc Græcâ: Quam Judæi ferè omnes, uno ore, à LXXII. Interpretibus, ex Hebræo fideliter & ad verbum tranſlatam eſſe cenſent. Si tamen Judæum R. *Azariam* excipias, qui Tranſlationem arbitratur factam ex Chaldaicis libris, charactere Samaritano deſcriptis, qua de re conſule Morinum in *Epiſtolis*.

VII. Porrò de Verſionis vulgò τῶν LXX. *hiſtoriâ*, ejus *conſervatione*, vel mirâ *interpolatione*, *puritate* vel *corruptione*, *auctoritate* ſuprà vel infrà Codicem Hebraïcum, ejus *Uſu* in Scripturis Novi Teſtamenti, aliiſque, extant tota Volumina. Diverſiſſima Doctorum, etiam inter Reformatos, judicia ſunt. Verſioni plus nimium tribuere in noſtris Lud. Capellus, Brianus Waltonus, Iſ. Voſſius, ex his alii, ac nuper Paulus Colomeſius in ſuis *Obſervation. ſacris*. Contrà multifariam hodiernæ Verſ. corruptionem, diſcrepantiam à Vetere Alexandrinâ, errores Interpretum ſine fine, collatis Hebraïcis Codd. poſt Chamieros, Buxtorfios, Uſſerios, aſſerere plerique hodie Theologi, Hebraïcè docti. Mediam viam tenuiſſe videtur ſummus Bochartus, illinc plurimùm tribuens huic Verſioni, hinc notatis ſæpiſſimè his Interpretibus. Novam ingreſſus nuper R. Simon, in *Hiſtoriâ Criticâ* Vet. Teſt. omnem & Tranſlationi Græcæ, & Textui Hebræo, auctoritatem abrogaturus, & Verſionibus quotquot deinceps ſunt ex utroque adornatæ. Ut ità ſola Traditio Rom. Eccleſiæ ſecuritatem fidei noſtræ præſtet.

VIII. *Pontificum in Judæorum Eccleſiâ geſta quædam, ambitio, corruptio, defectiones.*

I. POſt *Nehemiam* miſſum ab Artaxerxe, Anno ejuſdem XX. verè inſtauratorem & reformatorem Reipublicæ, penes quem, ſub Perſarum dominatu, ſumma rerum & adminiſtrationis inter Judæos fuerat, rediit hæc ad *Pontifices ſummos*, ſimul quoque factos *Ethnarchas*. Hinc mox nata ambitio, & libido dominandi; hinc in adeundo *Pontificatu* adhibitæ fraudes, munera, vis, artes iniquæ, auctoritas exterorum Regum, Syriæ nempè & Ægypti. Et horum tandem ambitione & avaritiâ Pontificum, hinc perfidiâ, peſſundata fuit Judæorum tùm Religio, tùm Reſpublica; accedentibus *Samaritanis*, Judæorum æmulis, horumque in vicinos molitionibus. De quibus prolixè Joſephus *Antiq. Lib.* XI. C. ult. *Lib.* XII. &c. in recentioribus Cunæus de *Rep. Hebr.* Seldenus de *Succeſſ. in Pontif.* alii Judaïcæ Hiſtoriæ Scriptores. Summorum Pontificum ſurgens auctoritas.

Pontificum Genealogiam tradit Nehemiæ Liber, *Capite* XII. protenſam à *Joſuâ* reduce, filio Joſedeci, ad *Jadduam* uſque, contemporaneum Alex. M. Huic *Onias* I. hinc *Simon Juſtus* filius, tùm *Eleazar* & *Manaſſes* Simonis fratres, impubere *Oniâ* II. huic *Simon* II. *Onias* III. *Jaſon*, *Menelaus*, *Alcimus* &c. in Pontificatu ſucceſſerunt, quo jure quâve injuriâ. Quâ de ſucceſſione, poſt Joſephum, Euſebium, Zonaram, Nicephorum, & Magiſtros eorumve Chronica, prolixiſſimè noſtro ſeculo, Doctiſſimus Seldenus, Libris de Succeſſ. in Pontificatu. Series eorundem.

II. Ad Pontificum iſtorum hiſtoriam, qui ſimul Judæorum Ethnarchæ, uſque ad tempora Antiochi Epiphanis, ſpectant præ cæteris, memoranda hoc loco: Memorabiliora Pontificum.

1. Quod *Jonathani*, ſive *Jannæo*, vel *Johanni* apud Joſephum *Antiq. Lib.* XI. C. VII. hinc Euſebium, Hieronymum, (qui à Jehoſchuâ quintus *Jeſum*, æmulum Pontificatûs, in Templo ipſo nefariè interfecerat) ſucceſſerat *Jaddua* vel *Jaddus* ſummus Pontifex. Cujus frater Manaſſes ad Samaritanos defecturus fuit, ut infrà *Cap.* x. De quo memorabilis eſt ſubita apud Alexandrum M. gratia, quum hic Hieroſolymas ad ultionem Judæorum properaret, apud Joſephum *Lib.* XI. C. VIII. Ut videlicet Alexandro M. Infulatus Pontifex, obviam factus cum toto Sacerdotum choragio, expreſſerit illi venerationem quandam, & ergà Judæorum Gentem ſingularem gratiam, ut nimirum viverent patriis legibus, & *ſeptimo* quoque anno eſſent à tributis immunes. Rogatum autem Alexandrum unde hæc ſubita mutatio, reſpondiſſe ſimilem *Deum*, pari habitu, ſibi apparuiſſe in Macedoniâ, & animos addidiſſe ad trajiciendum in Aſiam. Confirmavit in eâ voluntate Alexandrum, oſtenſio Vaticinii Danielis, ut pluribus Joſephus.

2. Celebris & inter horum temporum Pontifices *Simon* cognomento *Primus*, etiam *Juſtus*, Jaddi ex Oniâ I. Pontifice nepos, ob virtutem & pietatem ſic dictus, de cujus laudibus & præclarè geſtis Syracides *Cap.* I. Sed & ſunt de hoc Simone fabulæ, quales v. gr. fuiſſe eundem cum *Simeone* illo ſeniore, de quo *Luc.* II. quia hic ἀνὴρ δίκαιος *vir juſtus*; vixiſſe ultra annos 300. vel 350. apud Batricidem in *Annal.* fuiſſe unum de LXX. Interpretibus; & quæ alia Hiſtoriæ repugnant. Hic autem reliquit filium impuberem, poſteà *Oniam* II. nec tamen illum qui ædificavit Templum in Ægypto, qui Onias IV. Simon Juſtus.

 At

Digitized by Google

At non immediatè illi ſucceſſurus filius in Pontificatu, verum *Eleazar* frater, qui ultrà annos xxx. Pontificatum tenuit: Tùm, ſive Onias adhuc in minoribus cenſeretur, aut minus habilis ad Pontificatum, ob βραχύτητος τὴν διάνοιαν, quòd *parvulus eſſet mente*, & deſidiæ deditus, ſive ex cauſâ aliâ, poſt Eleazarem Pontifex evaſit *Manaſſes*, illius patruus, Oniæ autem propatruus. Adeò poſt hæc tempora vix ampliùs hæreditario jure, pretio autem, & ſubdolis artibus, invaſum Pontificatum fuiſſe, teſtantur Hebræi apud Seldenum. Poſteà tamen admotus Onias II. ad Sacerdotium eſt, qui quum *tributum* xx. talentorum ſolvere Ægypti Regi recuſaret; tandem hunc placare neceſſe habuit, præſtitâ ſolutione. De quibus adi eundem Seldenum de *Succeſſ. Lib.* I. Cap. VI. VII. VIII.

Legatio ad Eleazarem. 3. Memorabilis & *legatio* Ptolemæi Philadelphi *ad Eleazarem* Pontificem, pro impetrandis Legis Judaïcæ Interpretibus. In quâ nihil adeò foret abhorrens à veri ſpecie, ſi traditum eſſet tantummodò, v. gr. Evocatos fuiſſe in hanc rem à Ptolemæo ſapientes Judæos, miſſis ad Pontificem literis, & muneribus; Sic miſſos ab Eleazare delectos ex ſuâ Gente viros, qui Hebraicè & Græcè doctiſſimi haberentur. At Pſeudo-*Ariſtea*, legati ſcil. Ptol. Philadelphi, qui Joſepho & toti Antiquitati impoſuit, narrationem omnem eſſe fabulæ proximam, cui aliæ fabulæ adjectæ, v. gr. illa de LXXII. cellulis, pro numero Interpretum, ſuprà viſum. Et ex profeſſo hoc egit nuper Humphr. Hody, in *Diſſertatione* editâ contrà hunc Ariſtæam, perſonatum ſcil. Judæum. *Ariſtæam* tamen, munitum ſuffragiis Antiquitatis, Joſephi, Philonis, Juſtini Mart. Clem. Alex. Origenis, Tertulliani, Euſebii, Epiphanii, &c. edidit Græcè & Latinè Edw. Bernardus.

Simonis II. factum animoſum. 4. Memoratu quoque dignum eſt factum *Simonis* II. Oniæ II. filii, ſummi Pontificis, circà Ptolemæum *Philopatorem*, quartum Ptolemæorum, bello commiſſum cum Antiocho M. Hic enim tranſiens Judæam, victor Antiochi, quum Templi Hieroſolymitani interiora & adytum videre geſtiret, reſtitit profanæ curioſitati hic Simon: Et converſus ad Deum precibus, verſus Sanctuarium, impetravit ut Rex ſubito terrore & plagâ θεηλάτῳ perculſus, indè digrederetur; & quæ alia legere eſt in III. *Maccabæorum*, (tacente Joſepho Hiſtorico) ſic dicendo, ob res in eo fortiter geſtas, animo *Maccabaico*, licet antè tempora Maccabæorum. Et hunc Librum, Canon vulgò Apoſtol. LXXXV. *Canonicis* annumeravit, quanquam non tantæ auctoritatis olim habitus, ut ejus Latina verſio extaret. Additur, *Cap.* III. Philopatoris, in Ægyptum reverſi, furor in Judæos, & vis *corporibus* ac *conſcientiis* eorum illata, ſcriptis literis quaquaverſùm ad Ægypti Præſides: Undè etiam ingentem multitudinem ad *Græcorum* ſuperſtitiones, & ad defectionem compuliſſe dicitur; novis tamen apparitionibus territus, Edicta revocaſſe. Hæc quidem de immiti Principe, & in patrem Euergetem parricidâ, in luxuriem ac libidines effuſo, Liber Apocryphus.

Legatio Arii ad Oniam. 5. Non omittenda *Lacedæmoniorum* Legatio & Epiſtola ad Judæos, ſollicitandæ eorum amicitiæ, tanquàm *fratrum*, pari ab *Abrahamo* origine. Accidit iſtud Oniâ Pontifice, Areo vel Ario (Ἀρείῳ) Spartanorum Rege, de quo Livius, *Lib.* XXXIX. Pauſanias in Laconicis, etiam Plutarchus, ſed cujus Arius antiquior eſt. De hâc legatione Joſephus, *Antiq. Lib.* XII. C. V. & primus Liber *Maccab. Cap.* XII. & ad hunc Commentatores. Controverſum verò quis ille Onias, aliis *primum* ſtatuentibus, ut Scaliger ad Euſeb. pleriſque cum Joſepho, & Euſebio, Oniam *ſecundum*, filium Simonis Juſti; aliis etiam Oniam III. filium Simonis II. Aliis verò rem totam habentibus pro confictâ. Et ſanè undè illa ſcriptura, in quâ inventum, Judæos & Spartianos *fratres* eſſe, ambos *ex genere Abrahami*? Huëtius quidem, ſcriptum fuiſſe, & ità reperiſſe Lacedæmonios, *Judæos* eſſe *Cretenſium Idæorum* colonos, quemadmodùm Cretenſes ipſi eſſent coloni Spartanorum. Sed Taciti illa conjectura, *Hiſt.* V. de Judæis Cretâ oriundis, nondum ejus ævi fuit, nec ex eo communis origo ex *Abrahamo* colligi potuit. Sic Turcæ olim ad Italos, communem ſibi originem eſſe à *Trojanis*, undè & faverent Itali Turcis, contrà *Græcos*, communes ſcil. hoſtes. Nec alienum, hanc Epiſtolam Lacedæmonior. videri ſuppoſitam, ut olim Abgari illa ad Chriſtum. Et *Arius* ille, de quo Plutarchus, incidens in Olymp. CXXII. fuit temporibus Seleuci Nicatoris, & Ptol. Philadelphi. Alii Lacedæmonios ſe velle *Phœnices*, pari cum Hebræis origine; alii *Pelaſgios*, & hos ex Arabiæ & Syriæ confiniis ortos, ex poſteris ſcil. Kethuræ; alii alia hariolati.

Inſignis autem error eſt in Fragmentis Græcis, apud Euſeb. quo poſt Simonem II. Oniæ filium Pontificatum geſſiſſe dicitur, *Jeſus filius Syrach*, ὁ τὴν Σοφίαν γράψας: Niſi potiùs voluit, hunc *Jeſum* tum floruiſſe; ſed malè additur, ἀρχιερατεύσας.

Jaſonis Schiſma. 6. Memorandum eſt *Schiſma* ſecutum ſub Oniâ III. ſummo Pontifice, filio Simonis II. Schiſmatis auctor fuit *Jeſus* frater Oniæ III. *Jaſon* dictus Græcorum more, qui muneribus effecit ſuis apud Antiochum Epiphanem, & pollicitatione annuæ penſionis immenſæ, ut amoto fratre in locum hujus ſufficeretur, Oniâ IV. impubere. Unde, in gratiam impii Regis, Sacris omnibus violatis, Sacrificiis neglectis, cultu Dei ſpreto, Helleniſmum invexit; tandem triennio poſt à *Menelao* fratre circumventus, & ſublatus, ut pluribus Joſephus, *Lib.* XII. C. VI. VII. & auctor II. *Maccab.* C. IV. Et prima hæc exempla ſummi Sacerdotii fœdè deſultorii, quum antè *inſolitum neque permiſſum cuiquam eſſet non perpetuo Sacerdotio perfungi*, quomodò legendus eſt Sulpicius Severus, *Lib.* II. ut monuêre pridem Sigonius, Druſius, & Seldenus probat. Nam perpetuus hactenùs Pontificatus ille fuerat. Sed de his pluribus ad ſequentem Epocham.

IX. *Librorum Apocryphorum conſcriptio. Genus varium. Auctores.*

1. Appellationis Librorum *Apocryphorum* plana ex Theologis & Eruditis ratio eſt, de quâ & Auguſtinus, *de Civit. Dei*, *Lib.* XV. C. XVI. Ineptiſſimus verò qui dictos cenſuit ab ἀπὸ & κρίσις, de quibus ſcil. *non* certum ſit *judicium*; alii ab ἀπὸ & κρύπτης, alii aliter; veriùs, quaſi ἀποκεκρυμμένοι, *Hebr.* גנוזים, quâ de re Hottingerus, & alii.

Apocryphorum ratio diverſa. II. Nec unius hi generis, nam conficti alii à *Judæis*, alii à *Chriſtianis* iiſque hæreticis & maleferiatis: Alii rurſùm *morales*, alii *hiſtorici*, alii *dramatici*: Alii Canonicis ſubjungi ſoliti, alii minimè, ut v. gr. qui ſub *Adami*, *Sethi*, *Enochi*, *Abrahami*, *Moſis*, *Habacuci*, &c. nominibus pridem in Chriſtianâ Eccleſiâ venditati, & à Gelaſio in Concilio Romano damnati ſunt.

Auctores, & auctoritas. III. Illorum qui Textui ſacro attexi ſolent, varia rurſùm origo eſt ratione *auctorum*, & *temporis*. Indubium eſt auctores, uti hodie extant, fuiſſe Judæos Helleniſtas, & Alexandrinos; qui Græcè ſcriptitarint, poſt factam Translationem Bibliorum Græcam; quicquid de *Tobiâ* ut Chaldaïcè primùm ſcripto, vel de I. *Maccabæorum*, ut Hebraïcis, id eſt Syriacis (ut tùm loquebantur Judæi Palæſtini) literis primùm conſignato, tradiderit Hieronymus. Scripti autem partim *antè* tempora Maccabaïca,

Digitized by Google

baïca, qualis Syracides, Liber Iησȣ̃ ȣ̃ Σιρὰχ, qui floruit tempore Simonis II. filii Oniæ II. cujus & meminit *Cap.* L. Nepos verò, cujus eſt interpretatio Græca quam habemus, vixit temporibus Ptolemæi *Phyſconis* ſive Euergetis II. in Ægypto tum agens, interpres ſententiarum quas collegerat Avus circà tempora Ptolemæi Epiphanis, & Antiochi Magni. Partim vero ſcripti, ut plerique, à temporibus Maccabaïcis, Auctoribus quidem viris *piis*, & minimè malis, ſtudioſis ſuæ Gentis, inter Judæos Helleniſtas: Quales libri Hiſtorici ſub nominibus *Baruchi*, *Eſdræ*, *Juditha*, *Maccabæorum primi*, & *ſecundi*; hi ipſi quanquàm diverſiſſimis ſcriptoribus, ſed &, eruditorum calculo, planè incertis: Tum & liber Doctrinalis, ſub nomine *Sapientiæ Salomonis*, Eſdræ & Hebræis veteribus ignotus, Philoni Judæo à multis adſcriptus, quanquàm precariò; certè auctore Judæo Helleniſtâ, & qui μετεμψύχωσιν cum Pharizæis credidit, *Cap.* VIII. 20. A Salomone ſcriptam, ſed à Philone tranſlatam in Græcum abſurdiſſimè cenſuerunt Viri Docti, ipſe Huetius: Quum in Canonem Hebræorum nunquam receptus ſit, è Canonicis Scripturis multa mutuetur, & Græcanica dictio prodat ſcriptorem ἑλληνίζοντα. Druſium, Raynoldum, Grotium, &c. non compilamus.

IV. Quidam verò debentur hominibus *otioſis* & *nugacibus*, fabellas attexere natis ad Sacras Hiſtorias, pro Judæorum & Helleniſtarum ingenio. In quibus poſtremis ſunt *Dramatum* auctores, & *Additionum* ad Eſtheram, & Danielem, & Eſdram, cumprimis Eſdræ IV. qui fabulis Talmudicis ſcatet. Cœperunt dehinc, ſaltem horum quidam, inter Helleniſtas attexi Græcis Bibliorum Codicibus, ſeu ob *Hiſtoriæ* ſeriem, ſeu ob *Morum* egregia præcepta, & quia inter illos ipſos nati hi Libri fuêre. Hebræis verò nunquàm in Canonem admiſſi, ſed nec in Catalogis Melitonis, Euſebii, Athanaſii, Nazianzeni, Epiphanii, Hieronymi, &c. Qui in *Canonem* recepti ſint à Latinis poſterioribus, & quando, dicitur in Hiſtoriâ *Novi Teſt.*

X. *Samaritanorum hac Epochâ Turbæ, Fabulæ, Dogmata, Pentateuchus, Secta.*

DE Samaritanis, ſive Chutæis, ſequentia potiſſimùm ad hanc Epocham ſpectant, de quibus ex parte ſuprà, & Joſephus, *Antiq. Lib.* XI. C. VIII. *L.* XII. C. I.

Manaſſis ſchiſma.

I. *Manaſſis*, fratris Jadduæ ſummi Pontificis, ad Sanballeten ſocerum, Samariæ tùm Præfectum, impia defectio, quod Hieroſolymitani uxorem ἀλλόφυλον, qualis erat hujus Manaſſis, non ferrent in Sacerdote. Quo factum, ut à Dario primùm, tùm ab Alex. Magno veniam impetraret ſocer Manaſſis, ædificandi *Templum* in monte Garizim, æmulum Hieroſolymitano Sacrificiis, Sacerdotibus, Feſtis, Judæorum ceremoniis aliis, ad imitationem tractis: *Manaſſe* illis Sacris præfecto tanquàm ſummo Sacerdote; ac multis Judæorum eò illectis, qui ſeveriori ſe Judæorum diſciplinæ ſubduxêre. Hinc in Pentateucho Hebræo-Samaritano, *Deut.* XXVII. 4. loco *Hebal*, in quo erigendi lapides in monumentum, mons *Garizim* ſubſtitutus eſt. Adi Joſephum *Lib.* XI. *Cap.* VIII.

Samaritanor. commenta: Et in Judæos cavilla.

II. *Figmenta* deinceps Samaritanorum varia, ex æmulatione Judaicæ Gentis, quæ jam indè à reditu ex Captivitate, & ab inſtauratione Templi ſecundi, cœperat, *Eſdr.* IV. *Joſeph.* L. XI. C. IV. & flagrabat adhuc Chriſti tempore, *Joh.* IV. Hujuſmodi fuêre, Jacobo ſe Patriarchâ ex filiis duobus, Joſepho natis, oriundos; ex Ægypto eò tranſlatos; ſibi à Joſuâ eam Terram aſſignatam, ubi ſepulchrum Joſephi, *Sichemi* nempè, *Joſ.* XXIV. poſſeſſores ſe ab ævo Montis benedicti, ſcil. *Garizim*; Sacerdotes ſuos verè Aaronicos eſſe, ex ſemine Phineæ, *Aaronæos* dictos; *Pentateuchum* ſe habere, ſcriptum in diebus Phineæ, filii Eleazaris, *Sichemi* aſſervatum, quæ Samaritanorum Metropolis, undè Pentateuchi Hebræo-Samaritani venditata auctoritas. Diſſimulata ſic defectione X. Tribuum, tùm origine Aſſyriacâ vel Chutæâ, & permixtione cum Idololatris. Imò *Judæos* accuſarunt violatæ Legis, non uno in capite: Puta, non obſervati *Sabbati*, ex præſcripto Moſis, quando Judæi in eo foras egrediuntur extrà urbem, ignem accendunt, cum mulieribus dormiunt; non obſervatorum pari religione *Feſtorum* reliquorum; ſic variarum *traditionum*, quibus delererent quod ſcriptum eſt in Lege Moſis, &c. Videatur Epiſt. Synagogæ Samaritanorum, quæ eſt Sichemi, hodie *Naplouſe*, ad Joſeph. Scaligerum ſcripta, & à Joh. Morino in Latinum tranſlata; Item alia, ejuſdem argumenti, à Samaritanis, qui in Ægypto agunt, ad eundem Scaligerum exarata.

Dogmata & inſtituta.

III. *Dogmata* Samaritanorum & *inſtituta* quod attinet, poſt erectum Templum Garizimitanum, repurgata illa fuêre à Gentiliſmo magnam partem, & affinia Judaïcis.

Hinc unus illis Deus Iſraëlis, Chriſti adhuc tempore, *Joh.* IV. 2. Idolorum nullo veſtigio. Sic Meſſias expectatus, *Joh.* IV. 25. ſacrificia oblata; Mons Garizim Sioni oppoſitus, ex *Deut.* XI. 29. dies Feſti religioſè obſervati; Circumciſio ſtrictè uſurpata; pollutiones omnes damnatæ; Moſis ſcripta admiſſa, ſeu Lex ſcripta & Pentateuchus, retentus indè à defectione X. Tribuum. Prolixè de his Epiphanius, Tudelenſis in Itinerario, & Magiſtri paſſim, ac recentiores. A *Judæis* verò diſcrepabant, circà Locum cultûs quem illi ad Montem Garizim; circà ſcripta Prophetica, nata à defectione X. Tribuum, Prophetis in Iſraëlem invectis; circà Hiſtorica, & Canonem qualis ab Eſdrâ recenſitus fuit; quemadmodum & circa Legem Oralem, & Traditiones per Scribas & Pharizæos invectas.

Judæorum de Samaritanis figmenta.

IV. *Judæorum* de Samaritanis varia *commenta*, odio æmulæ Gentis, vili apud ipſos *Chutæorum* nomine, hinc & Chriſtianis impacto. Undè nata iſta, de culto à Samaritanis *Columbæ* quodam ſimulachro, & Idolis repertis in monte Garizim, undè notant Samaritanos per ע״ז. Quanquam Idololatria talis nulla fuerit tempore Chriſti. Sic commenta de defectu apud eos trium literar. ע. ח. ה. quibus adeò carerent nomina אברהם, יצחק, יעקוב; de corrupto initio Geneſeôs, de quo Scaliger de Emend. Temp. L. VII. p. 666. ſic de negatâ mortuorum reſurrectione, &c. Origo commenti, Samaritanos *tres* literas non habere, ע. ח. ה. indè eſt, quod gutturales has pronunciarent ut *Aleph*, hinc ſæpè permutarent, ע. uſurpando loco ȣ̃ א. vel ȣ̃ ח. ut pluribus Morinus, *Epiſt.* XXXVIII. Sed & notæ imprecationes Judæorum, in *Pirke-Avoth* R. Eliezeris, & anathemata; v. gr. Ne quis comedat *panem* Cuthæi; ne *carnem*, quæ ſit tanquàm *caro porci*; ne Cuthæus fiat *proſelytus*; ne Cuthæis pars ſit in Reſurrectione mortuorum, &c. Hinc in Ægypto acerrimæ inter Judæos & Samaritanos contentiones, natæ ſub Ptolemæis; quales fuêre ςάσεις ſub Ptolemæo Lagi, dein ſub Ptolemæo Philometore, relatæ pluribus à Joſepho Hiſtorico, *Antiq.* L. XII. C. I. & *Libro* XIII. C. VI. quem vide.

Pentateuchus Samaritanus.

V. *Pentateuchus* Hebræo-Samaritanus, id eſt, Hebraicus, ſed Characteribus Samaritanis deſcriptus, haud dudùm in Europam illatus, antiquus ſanè eſt, cujus meminêre Euſebius, Hieronymus, Cyrillus, alii. Hinc Scaliger, qui non viderat unquam eum Pentateuchum, (ſuppeditatum noſtro ſeculo, ſtudio

dio Nic. Peireſcii V. Ampliſſ. item ex Bibliothecis Oratorianâ & Cottonianâ) conqueſtus de negligentiâ Chriſtianorum, in veſtigandis Samaritanis Codd. utpotè oppidò antiquis, de quo & ſollicitus fuit Nobilis Italus Petrus à Valle, quum in illis Orientis partibus verſaretur. Tanti autem habitus eſt Joh. Morino, ut *purum putum eſſe Moſis Pentateuchum* aliquando pronunciaverit, præhabendum Hebraicis Codd. multo magis Verſioni τῶν LXX. Quamvis de illis aliter ſentiat, nempè, *Judaicos Codd. cæteris paribus eſſe Samaritanis quibuſcunque præferendos*, in Epiſt. ad Thomam Comberum, datâ *Pariſ.* 1633. Certè nec genuinum ἀρχέτυπον Moſis eſt, nec antiquior Græcâ Verſione, imò recentior longè eſt, & quidem, opinante Uſſerio, auctore famoſo illo & Apoſtolis circiter coævo *Doſitheo*, de quo Tertullianus, Origenes, Photius in Bibliothecâ. Quæ doctiſſimi viri quædam conjectura eſt, alto hujus Doſithei ſilentio apud Joſephum, ſic nullo documento depravati ab eo *Pentateuchi*. Alii Samaritanum Cod. ex Hebraico deſcriptum fuiſſe poſt Eſdram. De quo vide Walton. Prolegom. XI. Conflatus autem hic Textus videtur, partim ex Hebræo, partim ex Græco, in multis diſcedens ab utroque, modò auctior, modò etiam mutilus, ac mutationibus fœdus. Ut fruſtrà auctoritatem illius, hypotheſibus ſuis firmandis, cumprimis de Characteribus antiquis, extulerint Morinus, Capellus, Waltonus; invitis Clariſſimis nominibus Simeone de Muis, Seldeno, Uſſerio, Bootio, Hottingero, Buxtorfio, aliis. Verſio Pentateuchi apud Samaritanos triplex: *Samaritana*, ſeu Samaritano-Chaldaica; *Græca*, in uſum Samaritanorum qui Græcâ linguâ uterentur; & *Arabica*, ex Oriente etiam noſtro ſeculo advecta, ac ſuppeditata, à Nic. Peireſcio. Samaritanam Verſionem ex Oriente advexit Petrus à Valle, reſpondentem ferè textui Hebræo-Samaritano.

Sectæ Samarit.

VI. *Secta* denique, in quas diviſos fuiſſe Samaritanos refert Epiphanius, *de Hæreſ.* L. I. Quæ quatuor recenſentur *Gortheni*, *Sebnæi* vel *Sevæi*, *Eſſeni* vel *Eſſæi*, *Doſitheani*. Quanquàm veroſimile videatur *Eſſenos* Judæorum potius fuiſſe ſectam, eandemque cum illâ de quâ Joſephus, & nos infrà. De Samaritanis multa & Scaliger contra *Serarium*, ac Libris de *Emendat. Temp.* Daniel Heinſius Ariſtarchi *Cap.* XX. &c. præter Viros modò nominatos, occaſione Pentateuchi Samaritani.

X. *Synchroniſmi præcipui Hiſtoriæ Exoticæ, à fine Captivitatis Babylon. ad Maccabæos.*

Res Babyloniorum, Medorum, Perſarum.

Monarchiæ Babylon. finis.

I. B*abylonici* excidium Imperii, poſt *Belshazarem*, ſive *Nabonadium*, qui malè aliis eſt *Darius Medus*, ejuſque Imperii ad Medos & *Perſas* devolutionem, ſuperiora docuerunt. Factum annis ante obitum Cyri IX. Ac prædixerant divini Vates, Eſaïas cui כורש eſt Κῦρος *Cyrus*, C. XLV. & Daniel *Cap.* VIII. Præcipuè, ubi hic de *Ariete bicorni* mirè ferociente, omniaque pro libidine ſubigente, de Medis ſcil. & Perſis; tandem verò de frangendis hujus Arietis Cornibus, ab *Hirco*, ex *Occaſu* veniente, id eſt, à Rege Javanis, ſeu ab Alexandro M. *Dan.* VIII. 20. 21. Ità Imperio Aſſyriaco ſucceſſurum fuit aliud, *Regnum aliud argenteum*, Perſicum nempe ob immenſas opes, & auri atque argenti copiam, ex ſubactâ à Cyro Aſiâ, teſte Plinio *Hiſt. Nat.* L. XXXIII. C. III. Quod dicitur Babylonico *minus*, *inferius*, nempe in ſuis initiis; idemque figuratum in Statuâ illâ exhibitâ in ſomnio Nebucadnezari, *Dan.* II. 32. Rursùs in Viſione quæ habetur *Dan.* VII. 5. figuratum idem, in *Beſtiâ alterâ* quæ *Urſo* ſimilis, habens *tres ordines* in ore & in dentibus, voraturâ *carnes plurimas*: Quibus deſignati Perſæ, & inexplebile ſubigendi deſiderium, jam in Cyro conſpicuum, in quo adunata vis omnis *trium* Imperiorum, Perſarum, Medorum, Babyloniorum.

Res Perſarum. Cyri tria regnandi initia.

II. De *Perſarum* rebus verbo dicendum eſt, propter earundem nexum cum Hiſtoriâ Sacrâ. Cyro *tria* regnandi initia tribui à Chronologis & Hiſtoricis, obſervatum eſt. *Primum* fuit ab occupato Imperio Medorum, & exuto Aſtyage *Ecbatanis* regnante, ſed moderatè habendo; quem bello aggreſſus fuit ſuaſu Harpagi, cui Aſtyages filium epulandum tradiderat. Accidit *Olymp.* LV. anno II. Anno Nabonaſſar. 189. Per. Jul. 4155. annis circiter XXX. antè Cyri exceſſum, quum natus eſſet Cyrus annos XL. annis autem XXI. antè Cyri imperium Babylonicum, Captivitatis Babyl. anno 49. Et hoc magnâ conſenſione Hiſtorici, poſt Herodotum, Diodorum, Trogum, &c.

Alterum regni initium, (pridem devicto Crœſo, & Sardibus expugnatis, anno Olymp. LVIII. primo, vel ſecundo) fuit annis IX. antè mortem Cyri, devicto *Nabonnedo* Babylone regnante, dùm Cyaxares Junior, Cyri avunculus Medo-Perſis imperaret. Igitur Cyrus, Babylone tandem potitus eſt, poſt longam obſidionem, averſis aquis Euphratis fluvii, quem vadoſum reddidit Cyrus, ut multis Herodotus, & Xenophon. Atque ità *Nabonnedus* (Nitocridis filius, aliàs Labynethus, & filius Evilmerodachi, idemque multis cum *Belshazaro*) ad deditionem adactus, ac ſecundùm Joſephum, ex Beroſo, humaniter exceptus eſt. Factum hoc *Olymp.* LX. anno III. anno Nabon. 210. Per. Jul. 4176. ubi terminantur anni LXX. Captivitatis Babyl.

Tertium regni initium collocatur, indè ab obitu Cyaxaris Medo-Perſæ, Soceri nuper Cyri, (qui multis eſt *Darius Medus*) quando devolutum ad Cyrum Regnum Medo-Perſarum, jure hæreditario, *ſeptennio* antè fatum Cyri, in expeditione adverſùs Scythas, *Olymp.* LX. A. I. Anno Nabon. 212. Per. Jul. 4178. Et hæc ex Herodoto, Beroſo apud Joſeph. Trogo, Juſtino, &c. concinente Canone Aſtron. etiam Xenophonte, quanquàm in nonnullis diverſo ab Herodoto. Mors autem Cyri (cujus cauſam & modum diverſimodè narrant Diodorus Sic. Cteſias, & Herodotus, Juſtinus, illi *cruci affixum*, hi *caput Cyri amputatum* fuiſſe juſſu Thomiris Maſſagetarum Reginæ, & in utrem conjectum, repletum humano ſanguine, &c.) incidit magnâ Chronologorum conſenſione, Anno ætatis LXX. Imperii Medor. & Aſſyriaci anno XXX. Lydici poſt devictum Crœſum, Anno XIX. Babylonici anno IX. Medo-Perſici, quo adepto verè Monarchiam iniit, Anno VII. *Olymp.* LXII. anno 4. Æræ Nabonaſſ. 219. U. Cond. anno 225. Per. Jul. 4185.

In *Cyro* eminuit inprimis, *clementia* quâ fertur uſus in *Aſtyagem*, Avum maternum; in *Crœſum*, Lydorum Regem; in *Judæos*, redeundi factâ poteſtate: Undè Diodorus Sic. *Lib.* XIII. τῇ πρὸς τοὺς κρατηθέντας εὐγνωμοσύνῃ *Aſiæ totius imperium occupaſſe*; quod & de *Gelone* Syracuſano idem obſervat, qui τῇ ἐπιεικείᾳ, quâ omnes alliciebat, ex *privato* Siciliæ totius Principatum meruiſſet. Adhæc Princeps fuit, in quo ſummoperè commendata præ cæteris *fortitudo* bellica, *juſtitia*, *temperantia*, *beneficentia*, variis documentis apud Herodotum, Xenophontem, &c. Hic tamen, in Libris περὶ Κύρου παιδείας, non tam deſcripſit qualis *fuerit* Cyrus, quàm qualem eſſe *oportuit*.

Cambyſes.

Cambyſes, (qui multis eſt *Ahaſſuerus* Eſdræ, ipſi Uſſe-

Uſſerio Armach. apud quem Samaritani calumniis in Judæos prævaluerunt) Patris moribus diſſimillimus, intrà *octennium* moritur. Nota expeditio in *Ægyptum*, Amaſide jam mortuo, quam ſubegit univerſam, anno regni ſui v. editis immanis ſævitiæ documentis pluribus, de quâ Herodotus, & Juſtinus ex Trogo.

Magi. *Magi*, quos inter notiſſimus *Pſeudo-Smerdis*, (nempè Smerdis juxtà Herodot. filii Cyri, quem Cambyſes ſuſtulerat, perſonâ aſſumptâ) menſibus vii. rerum in Perſide potiuntur, magnâ conſenſione Hiſtoricorum; qui menſes in *Canone* Aſtron. adſcribuntur Cambyſi. Et hic viris ſummis cenſetur eſſe ille *Artachſaſta*, qui antè Darium regnaverit, *Eſdr.* iv. 7.

Darius Hyſtaſpis. *Darius Hyſtaſpis*, ſub quo *Templum* ii. inſtauratum, ut ſuprà, regnavit annos xxxvi. quanquam alii tribuant modò xxxi. Sed anno regni xxxi. contigit illa celeberrima pugna *Marathonia*, luctuoſiſſima Perſis, Athenienſium duce Miltiade, *Olymp.* lxxii. A. ii. centum circiter annis poſt Excidium i. Templi. Occaſio autem belli in Græcos à Dario Hyſt. ſuſcepti, fuit 1. Defectio Jonum Mileſiorum à Perſis, quibus Athenienſes auxilio fuerant, recuperatis per Darium Joniæ civitatibus maritimis, & Inſulis Chio, Leſbo, Tenedo, &c. 2. Hippiæ, Piſiſtrati filii, Athenis pulſi perfugium ad Darium, à quo deducti Perſæ in Atticum ſolum, & tandem in campos *Marathonios*, ubi infeliciter pugnarunt, Hiſtoricis Græcis & Latinis teſtibus. Quam vehementer eſſet animatus Darius adverſus Athenienſes, docet iſtud quotidiè ad menſam ſibi ingeri juſſum, *Domine memento Athenienſium*. *Ahaſſuerum* hunc, Eſtheræ maritum, (quæ fuerit *Artyſtona* virgo apud Herodotum, præter *Atoſſam*, quæ olim Cambyſi nupſerat) veriùs faciunt Doctiſſ. Interpretes, quam alium ullum Perſarum Regem: Licet nos *Cyaxarem* Medo-Perſam intelligendum putamus, ad *Epoch.* ſuperiorem; & Artyſtona virgo dicatur Herodoto fuiſſe *Cyri* filia, de Perſarum ſanguine, eodem ferè tempore ducta quæ Atoſſa, quod in Eſtheram non quadrat.

Xerxes. *Xerxes* (qui malè Lydiato, Scaligero, Calviſio, &c. eſt *Ahaſſuerus*, maritus *Eſtheræ*, Joſepho autem Archaiologo, *Lib.* xi. C. v. malè confunditur cum *Artaxerxe*, de quo Eſdras vii. & Nehemias) regnavit annos totos ſeu completos, à morte patris, xx. producto in xxi. regno. Ejus anno vi. contigit famoſa illa Xerxis διάβασις in Græciam, ponte Helleſponti freto impoſito, undè Cicero, *maria ambulaſſe*, *navigaſſe terram*, Olymp. lxxiv. A. 4. Pugnatum eodem anno navali pugnâ, inter Salaminem & Æginam, Themiſtoclis prudenti conſilio; quando Artemiſia Halicarnaſſ. Regina, quæ Xerxi in auxilium venerat, *virilem audaciam* teſtata, dum Xerxes *timorem muliebrem*, pugnæ otioſus ſpectator, ſic Juſtinus. Tranſiturus hic rurſum piſcatoriâ ſcaphâ, ponte tempeſtatibus diſſoluto, ſed & inſanâ irâ flagellaturus, Helleſpontum. Sequenti anno ad *Plateas* Bœotiæ, contrà Mardonium Perſam, pugnatum eſt, cæſum à Græcis, Pauſaniâ & Ariſtide ducibus, ſed diſpari in patriam fide. Eodem die pugna navalis ad *Mycalen*, Joniæ montem, contigit. Euſebius hic peccat μεταχρονισμῷ integræ Olympiadis. Aliquot poſt annis fugâ ſibi conſuluit Themiſtocles, tranſitu facto ad Perſas, Xerxe adhuc Rege, Artaxerxe tamen in ſocietatem regni jam à patre aſſumpto; ut conciliant Hiſtoricos Petavius, Uſſerius, & alii.

Artax. Longimanus. *Artaxerxes Longimanus*, Μακρόχειρ, aliàs *Prior*, (qui multis, ſed inſigni errore, habetur, *Ahaſſuerus* ut Joſepho, ſic Petavio, Saliano, &c.) eſt ipſe ille de quo in Hiſtoriâ Eſdræ, & Nehemiæ, ut nos pluribus ſuprà. Certè in Judæos ſuprà modum clemens, & beneficus fuit. Longi ævi princeps, cui à morte Patris tribuuntur, in Canone, & apud Chronologos, anni completi xl. vel xli. quibus addendi *Xerxis* ii. quem filium reliquerat, menſes ii. & *Sogdiani* ſpurii, & parricidæ, menſes vii. ex Cteſia, Diodoro Siculo, &c. Pacem cum Græcis paciſcitur, poſtquàm infelici Claſſe pugnaſſent Perſæ juxtà Cyprum, Cimonis virtute, Miltiadis filii, eminente. In Ægypto tamen felicior fuit, quos tandem, in Perſas rebellantes, ſubegit, *Olymp.* lxxxi. Regnante hoc Artaxerxe, Græci diſſidiis domeſticis inter ſe mixti, ac ortum tandem Bellum Peloponneſiacum, de quo *Thucydides*.

Darius Nothus. *Darius Nothus*, qui antè Ochus, regno admotus Olymp. lxxxix. Anno Nabon. 326. id eſt, à reditu ex Captivitate ſub Cyro, annis minimum cxv. malè cenſetur Scaligero, Druſio, Emmio, (quos ſequitur V. Cl. Joh. Coccejus) ille *Darius* ſub quo Templum reædificatum; & unde etiam lxx. hebdomades Danielis ſint inchoandæ. De quo in anteceſſis. Hunc *Darium* quidam interpretantur, ipſe Uſſerius, illum de quo *Nehem.* xii. ſub quo adhuc floruerit Nehemias. Cætera Darii Nothi ex Hiſtoricis nota, cujus uxor Pariſatis docuit illum uti *verbis byſſinis & holoſericis*, diſſimulandi artifex, quo conſilio rebellionem oppreſſit. Mortuus anno Imperii xix.

Artax. Mnemon. *Artaxerxes Mnemon*, ſive II. Darii filius, cui antè nomen *Arſaces*, *Mnemonis* ſive Memorioſi cognomen accepit, à memoriæ inſigni felicitate. Hunc verò Joſ. Scaliger, & ὁμόψηφοι, quos inter Cl. Coccejus, cenſent eſſe illum Artaxerxem, de quo Eſdras & Nehemias, cujus Anno vii. & xx. prodierint Edicta in favorem Judæorum. Fruantur illi judicio ſuo. Alii veriùs, ſub hoc Mnemone expiraſſe vii. priores *ſeptim.* Danielis. Cepit autem hic imperii gubernacula, Olymp. xciii. A. 4. Anno Nabonaſſ. 344. id eſt, à fine lxx. annorum Captiv. 134. Variant autem Chronologi in annis, quos huic Mnemoni tribuunt, de quo in *Chronol.* Bellum *Cyri*, fratris Artaxerxis, in hunc Monarcham ſuſceptum, auxiliantibus Lacedæmoniis, ſed iterato prælio ſuccubituri, deſcribit Xenophon, dux exercitus, & Hiſtoricus: Rediturus hic cum reliquiis Græcorum, poſt exactum in ἀναβάσει & καταβάσει annum i. & menſes iii. Incepit autem Xenophon *Græcorum* Hiſtoriam, ubi finierat Thucydides, ſcil. ab anno xxi. Belli Peloponneſiaci. Cæterum à *Perſis* defecêre ſub extrema Mnemonis, Jones, Lycii, Pamphylii, Syri, Phœnices, Aſiæ maritimæ accolæ, ex Diodoro Sic. &c.

Artax. Ochus. *Artaxerxes Ochus*, ſive III. filius Mnemonis, (cui *Euſebius* attribuit annos xxvi. & ità Petavius, nempè huic addentes annos quos Artaxerxi Mnemoni detrahunt) perperam à nonnullis habitus ille *Artaxerxes* de quo Eſdras, & Nehemia; imò ipſe *Ahaſſuerus* Eſtheræ, quam ſententiam, poſt alios, amplexus Jac. Capellus A. M. 3641. Certè Princeps ſævus, qui initia Regni ſuorum omnium cæde, non ſanguini, non ſexui, non ætati parcens, cruentavit. Cæterum bello felix, ſubactâ Cypro, Phœniciâ, Ægypto totâ, & pulſo Nectannebo in Æthiopiam, de quo Diodorus Sic. Euſebius, &c. Atque ex Ægypto, aliiſque Orientis locis, ingentem *Judæorum* multitudinem in Hyrcaniam, ad mare Caſpium, tranſportavit, ex Euſebio. Sublatus à Bagoâ Eunucho, qui in cadaver mirum in modum ſævivit, ut Diod. Ælianus, &c.

Arſes. Dar. Codomann. *Arſes*, vel *Arſames*, in ſolium paternus à Bagoa evectus, mox anno iii. Imperii ab eodem Eunucho, metuente debitam parricidio pœnam, tollitur. Hinc *Darius Codomannus*, Arſamis filius, beneficio *Bagoæ* Regnum adeptus, hunc tandem potare juſſit illud venenum quod ſibi paraverat. Atque hic *Darius* eſt, qui ceſſit *Imperio* Alexandro M. Cœpit hic in Aſiam trajicere, anno Regni Macedonici iii. Darii Codom. ii. quando ad Grani-

cum pugnatum eſt; tandemque in Throno Darii ſedit, Suſianâ occupatâ, anno Darii VI. Olymp. CXII. anno III. quo Monarchia Perſarum extincta. Hinc in Nummis Alexandri M. *Victoria volans* in aëre, *Pegaſus*, *Equus currens*, à velocitate quâ ille victorias proſecutus eſt. Variè putantur anni hujus Monarchiæ, prout alii Cyro IX. annos, poſt adeptam Monarchiam, alii VII. tribuerunt, ut antè; ſic pro diſcrepante calculo in nonnullis Regibus, de quo in *Chronol.* ſuprà dictum, P. II. C. XII.

Res Ægyptiorum uſque ad Alex. M. Continuatio poſt Alexandrum.

Res Ægypt. ſub Perſis, dein Alexandro M.

I. VAriæ in Ægypto hâc Periodo mutationes: Sub *Perſarum* jugum mittendis *Ægyptiis*, Pſammenito rege ultimo, armis Cambyſis; ſcil. nati matre Ægyptiâ, filiâ Apries, à Babyloniis regno exuti: Quam loco *filiæ* ſubſtituiſſe *Amaſidem* ſucceſſorem, veritus ne filia ſua pro pellice à Cyro haberetur, Herodotus & alii retulerunt.

Sed identidem perduelles in Perſas Ægyptii, cumprimis ſub Artax. Longimano, ſub Dario Notho, ope Græcorum, & ſub poſtrema Artaxerxis Mnem. Donec hi *Alexandro* M. ſe dederint, à quo condita Alexandria, *Olymp.* CXII. A. II. U. Cond. A. CCCCXXII. Æræ Nabon. 418. Tandem, ab Alexandri morte, *Ptolemæorum* jugum ſubiverunt.

Regnum Ptolemæorum.

II. Incipit Æra *Ptolemæorum*, ſive *Græcorum* in Ægypto, cum annis Philippi Aridæi, ſtatim à morte Alexandri: Quando *Ptolemæus Soter*, Lagi obſcuri Macedonis filius, Ægyptum, Libyam, Cyrenaicam obtinuit, primò *Satrapæ*, dein *Regio* nomine aſſumpto annis XVII. exactis à morte Alexandri. Idem Syriam & Phœniciam ſubegit, Hieroſolymam dolo cepit, Judæorum c. millia in Ægyptum traduxit, quorum 30000. ſelecti ſtipendia ejus meruêre. Quæ Joſephus pluribus *Lib.* XII. *Antiq.* C. I. II. & *Contrà Apion.* Lib. I. ex Agatharcide Cnido, præter Appianum in *Syriacis*. Ut etiam Princeps fuerit literarum & literatorum amans; ut locupletem Bibliothecam primus inſtruxerit Alexandriæ; ut illi in conquirendis Libris operâ Demetrii Phalerei, Athenienſis Philoſophi, ſed patriâ pulſi, & delectati illo otio literario, uſus ſit; ut Ptolemæus ipſe Alexandri M. res geſtas conſcripſerit, teſtibus Arriano, Plinio, Plutarcho, &c. hæc & alia de Ptolemæo Sotere ex dictis Hiſtoricis, & ex Diogene Laërtio, repetantur. Adeò ut huic Ptolemæo adſcripſerint, ſtudium illud Tranſlationis Scripturarum in ſermonem Græcum, quod alii Philadelpho, ut *Irenæus* L. III. C. XXV. & alii.

Poſt annos XL. Principatus, ſucceſſores hi fuêre, uſque ad Antiochi Epiphanis tempora: Ptolemæus *Philadelphus*, κατ' ἀντίφρασιν talis, ob ſublatos fratres ex Eurydice, ipſe *Berenice* natus; laudatus aliàs Princeps ex impenſo in Literas, in Libros, & in Literatos ſtudio, qui tum Alexandriæ floruerunt, Callimachus, Aratus, Theocritus, Bion, Hipparchus, &c. An etiam flagraverit deſiderio inferendi in Bibliothecam Sacra Volumina, ſaltem Libros Legis, ſub judice lis eſt. Undè, ex conſilio *Ariſteæ* regii Satellitis, ad captandam gratiam Judæorum, redemiſſe fertur toto Regno detentos ſub ſervitute & captivitate Judæos, indè à Perſicis temporibus, etiam lactantes & pueros, ultrà X. *myriadas*, expenſis capitatim XX. *drachmis*, ad ſummam DCLX. *talentorum:* Deinde ſcriptis ad Eleazarem Pontif. blandiſſimis literis, rogaſſe, ad ſe mitterentur *electi ex quaque Tribu* ἓξ Πρεσβύτεροι *ſex Seniores*, in Lege periti, interpretandi facultate præ cæteris inſtructi; additis muneribus ad uſum Templi Hieroſolym. ampliſſimis, per Andream & Ariſtæam, ἀρχισωματοφύλακας, & legatos ad Eleazarem. Tum quæ de hujus Pontificis reſponſo, delectu Interpretum, Nominibus ſingulorum, admiſſione ad convivium Regium diebus continuis VII. (Joſephus XII.) probatione eorundem, *quæſtionibus* Politicis & Ethicis propoſitis; tum deductione in Pharum Inſulam, & adornatâ ibi Verſione LXXII. dierum ſpatio, &c. prolixè commemorat perſonatus Ariſtæas; de quâ Verſione, & fabulis Ariſtæanis, jam diximus ſupra, *Cap.* VII. Reliqua Philadelphi mittimus. Sororem *Arſinoëm* conjugem duxit, undè in Nummis Capita jugata, Philadelphi ſcilicet & Arſinoës, cum inſcriptione, Ἀδελφῶν; ut jugata quoque Capita Ptol. Soteris, & Berenices conjugis, cum inſcriptione, Θεῶν. *Ptolemæus*, dictus *Euergetes*, veriori nomine, ſub quo clarus præ cæteris Apollonius Rhodius, Callimachi Diſcipulus, Ἀργοναυτικῶν ſcriptor. Redux à Syriaco Bello, de quo Daniel *Cap.* XI. 7. *Hieroſolymam* veniſſe, & ſacrificia Euchariſtica Deo obtuliſſe auctor eſt Joſephus *Contra Ap.* Libro II. Qualia & imperata fuiſſe à Cyro, ab Alexandro M. ab aliis Ethnicæ ſuperſtitionis Principibus, conſtat.

Poſtea regnum obtinuit *Ptol. Philopator*, Euergetæ filius, impius ſcilicet & ignavus Parricida, interfector quoque Eurydices ſororis ſimul & conjugis: Sub quo mulieres & protervæ meretrices Regem ſimul & Regnum poſſederunt, omnia pro libidine adminiſtrantes, ex Polybio, Juſtino, Athenæo, &c. Reliquit quinquennem filium, ex Eurydice ſorore, Ptolem. *Epiphanem*; qui puer bello impetitus eſt ab Antiocho Magno, Syriæ Rege, exuendus magnâ parte Phœnices, & Urbibus Syriæ, Palæſtinæ, quas Ptolemæi tenuerant. Sed Romanis ejus tutelam ſuſcipientibus, miſſo Româ M. Lepido, tandem pax inter Antiochum & Ptol. Epiphanem firmata eſt; & in pacis pignus, data illi in uxorem Cleopatra, Antiochi M. filia. Succedit *Ptol. Philometor* Epiphanis filius, (ſub quo demùm adornatam Verſionem reliquam Bibliorum, à Judæo Helleniſtâ, cenſet Jac. Uſſerius, in *Syntagm.*) cui etiam Cleopatra ſoror fuit & conjux. Eadem quoque *Euergeti* II. fratri Philometoris, nuptura, undè in Euergetis Nummis, *Caput Cleopatræ*, cum Inſcriptione, Βασιλίσσης Κλεοπάτρας. Verè hic Κακεργέτης, ab Alexandrinis appellandus, & à ventris ac corporis saginâ, cognominandus *Phyſcon*. Porrò Philometore adhuc impubere, cùm Tutores Syriam & Phœniciam ab *Antiocho Epiphane* repeterent, natum eſt illud bellum, cujus occaſio Judæis exitioſa fuit. De quo Joſephus *Lib.* XII. Appianus in Syriacis, Polybius in Legationibus, Diodorus Sic. in Excerptis Valeſ. Livius, Juſtinus, alii.

Res Macedonum, tùm & Alexandri M. Monarchiæ hujus à morte Alex. diviſio.

I. DE originibus regni *Macedonici* antè dictum, cujus numerantur Reges XV. indè à Carano, ad Philippum patrem Alexandri M. Emerſit præcipuè Macedonum potentia, ſub hoc *Philippo*, Amyntæ II. filio, fratre Perdiccæ, ultimi antè Philippum Regis, qui regnavit ab *Olymp.* CV. A. II. Ex Olympiade uxore ſuſcepit Alexandrum filium; qui dùm *Hammonis* ſe filium poſteà, in literis ad Olympiadem datis, jactitaret, à Matre joculariter increpitus, *malum ſibi prorſus magnum daturam Junonem, quum in literis ad ſe datis, pellicem ſe illi* adjunctam *confiteretur*, ità ex Varrone A. Gellius, *Lib.* XIII. C. IV. Atque hinc *Hammonis*, Capite arietino, figurâ expreſſus; & *Dul-carnaim* dicendus, de quo

Regnum Macedonum. Philippus Alexand. M. pater.

Digitized by Google

quo in Chronol. S. P. II. Uti *Olympias* mater Alexandri, expreſſa in Lectiſternio, cum *Serpente* retrò & *Delphino*, habita fuit ex *Jove* deſcendere, ex Æacidarum utpotè genere. Regnavit Philippus quo tempore Ochus ſucceſſor fuit Mnemonis; & Græci nòn uno bello impliciti eſſent. Poſtea Helleſpontiis, Byzantinis, Athenienſibus, Bœotis, aliiſque etiam à Philippo coërcitis; hinc pavore conſternatis præcipuis Græciæ Urbibus; tandem huic latè victori, & πολυμηχάνῳ, permiſſura fuit omnis Græcia, Conventu Corinthi habito, ſummam bellicæ rei, ut ſummo Græcorum Duci, retundendæ Perſarum potentiæ. Sed anno ſequente Philippus à Pauſaniâ Macedone inter ludos interfectus, locum fecit Alexandro filio, annos xx. nato, *Olymp.* CXI. A. I.

Alexandri M. ſummatim res geſtæ.

II. *Alexandri M.* res geſtæ & hiſtoria hujus ſpatii non ſunt. Ex Hiſtoricis ea prolixè conſtat, Diodoro, Arriano, Curtio, Plutarcho, Juſtino, &c. Ut is nempè, anno regni II. declaratus fuerit Græcorum, adverſus Perſas, Imperator: Ut anno III. per Helleſpontum traduxerit exercitum in Aſiam, eodemque pugnatum ſit ad Granicum Phryg. amnem: Ut anno IV. contigerit prælium ad Iſſum, in confiniis Ciliciæ & Syriæ Comagenæ: Ut anno V. per Phœniciam & Judæam in Ægyptum properaverit, Tyro, & Gazâ expugnatis: Ut Hieroſolymam ingreſſurus, Jadduam Pontificem, ſibi cum habitu Pontificio occurrentem adoraverit, atque aſcendens in Templum ex Sacerdotum præſcripto Deo immolaverit, permiſſurus Judæis vivere πατρῴοις νόμοις; & quidem poſt oſtenſa Alexandro vaticinia Danielis, *Cap.* XI. 13. &c. quæ multis apud Joſephum, *Lib.* XI. C. VIII. Ut tum anno VI. Alexandriam Urbem fundaverit; indè digreſſus ad Ammonis Oraculum in Cyrenaïcam; eodemque anno, *Calend. Octobr.* fuſurus Darii omnes copias ad Arbela, in Aſſyriæ campeſtribus: Ut anno tandem regni VII. occupatâ Suſianâ, & Perſide, finem fecerit Perſarum Monarchiæ, auſpicaturus illam *Græcorum* juxta Danielis vaticinia, *Dan.* II. VII. VIII. XI. Deinde in Perſicum luxum ſuccedens Alexander, maximè ab anno IV. Imperii, tamen victorias proſecutus eſt; Caucaſia juga ſuperavit; Tum ad Indos progreſſus Porum devicit; in Sogdianos etiam movit, & Caſſæos, &c. De quo prolixè dicti Hiſtorici, & qui rem Nummariam noſtro ævo illuſtrarunt, occaſione Nummorum complurium Alexandri M. Ubi Alexander modo ſignatus cum *Exuviis leonis*, & ſic ut plurimùm, modò cum Capite Palladis galeatæ, vel Jovis Cornigeri, cum Pharetrâ, Clavâ, Stellâ, Ramo palmæ, Diademate, Equo currente, Victoriâ, &c.

Succeſſores.

III. Monarchiam tandem Alexander, anno VII. labente ab inchoato Orbis Imperio (poſt Expeditiones varias, Babylone moriturus) nullo ſucceſſore deſignato, Ducibus ſeu Satrapis XVI. & ſucceſſoribus, diſpeſcendam reliquit in varios Principatus, hinc Regna & Imperia. Poſtquàm nempe adverſis hi frontibus, & bellis graviſſimis, inter ſe commiſſi eſſent, *Antigonus* cum *Eumene*, *Seleucus* cum *Antigono*, *Demetrio*, *Lyſimacho*, *Ptolemæus* Lagi cum eodem *Antigono*, *Demetrius* Poliorcetes cum *Caſſandro*, &c. Ex tot Regnis *quatuor* præcipua ſurrexerunt, ſed ſublato jam Perdiccâ, (cui Alexander annulum tradiderat, & quem, ſub *Phil. Aridæo*, cæteri Duces conſtituerant Curatorem ἐπιμελητὴν) dein ſublatis Olympiade matre, & Roxanâ viduâ Alex. M. cum ejus Filio: Nempè Regnum *Macedonicum*, ad Occaſum, ceſſurum tum Antipatro, hinc Caſſandro, cujus *Caput* in Nummis, ut illud Alexandri ſolet, *pelle leonis* tectum conſpicitur; quod familiare fuit Macedonum Regibus, ut caput ſtirpis ſuæ *Herculem* indicarent, & Heraclidas in Macedonia conſediſſe, de quo Frater meus: *Aſianum*, verſus Pontum Euxin. ad Septentrionem, ceſſurum primùm Antigono: Hinc *Ægyptium* ad Meridiem, ceſſurum Ptolemæis: Tandem *Syriacum* ad Ortum, quod Antiochis obtigit. Quò retulerunt Doctiſſ. Interpretes, *quatuor Cornua*, verſus *quatuor* Mundi plagas, oritura *ex uno Cornu* Hirci, *Dan.* VIII. 8. &c. Sed ex his duo potentiſſima deinceps fuerunt; *Seleucidarum* in Syriâ & Oriente, & *Ptolemæorum* in Ægypto, regnum.

Res Syrorum, Phœnicum, Seleucidarum; Parthorum initia, &c.

I. JUdæâ à Babyloniis ſubactâ, *Tyrus* quoque vetus, ſeu *Palætyrus*, Urbs maritima, cui imperitabat Ithobaalus, parem ſortem ſubiit, ſub Nebucadnezare primo, poſtquam XIII. annos obſeſſa ab eo fuiſſet. Tyri eam vaſtationem ac interitum prædixerat Ezechiel Vates, *Cap.* XXVI. Indè evaſura Tyrus *Inſularis*, ſub Regibus aut Præfectis tributariis, quorum ſucceſſionem, ex Hiſtoriis Phœnicum, refert Joſephus *Lib.* I. Cont. Apionem. Tandem Alexandro M. dedita, poſt ſemeſtrem obſidionem, rurſùs, jacto aggere, continenti adjecta eſt, *Peninſulæ* in modum. Quâ de re Joſephus, Arrianus, Curtius, Euſebius, &c.

Tyri varia fortuna.

II. *Judææ & Samariæ* ſtatum, ſub Perſarum Regibus, dein ſub Seleucidarum, vel Syro-Macedonum, tum & Ptolemæorum dominatu, ſuperiora ex parte expoſuerunt, uſque ad calamitates ſub Antiocho Epiphane. Poſt Perſarum autem, dein Alexandri M. Aſiæ Dominatoris, imperium, anni XII. *Syria* ac ſuperior *Aſia*, ſubitura tandem fuit *Syro-Macedonum*, ſeu *Seleucidarum* jugum. Imperator primus *Seleucus* cognomento *Nicator*, qui ex Præfecto ſociorum Equitibus, ſubactâ Babyloniâ, Mediâ, Suſianâ, & regionibus uſque ad Indum protenſis, ac victis Antigono Aſiæ Rege, Demetrio, Lyſimacho, &c. fundavit ampliſſimum Orientis Imperium, iturum ad poſteros, annis à morte Alexand. M. XII. *Olymp.* CXVII. A. I. Unde incipit æra *Seleucidarum*, *Syro-Macedonum*, vel Anni *Alexandrei*, *Contractuum*, &c. De quibus diximus in Chronologicis.

III. Hiſtoriam Regum *Syriæ*, inde à Seleuco Nicatore, exhibent Hiſtorici, Joſephus, Strabo, Appianus, Juſtinus, Pauſanias, Memnon in Excerptis Photianis, Euſebius, &c. & qui noſtro ævo Rem Nummariam illuſtrarunt, quos inter Doctiſſ. Vaillantius, qui ex Numiſmatibus quæ reperiri à ſe potuerunt, hiſtoriam Regum Syriæ præ reliquis eruit. Numiſmata quidem duo tantùm *aurea* illi viſa, ſcil. Antiochi Dei, & Seleuci Callinici; *argentea* verò longè rariſſima, præ *æreis*, quæ Gazæ Chriſtianiſſimi Regis, Medicea, Palatina, Brandenburgica, & aliæ ſuppeditant.

Seleucus Nicator, Antiochi clari inter Philippi Duces & Laodices filius, longi ævi Princeps fuit, extremo ſenio ſublatus, Juſtinus quidem, anno æt. LXXVIII. Nec poſt fundatum modò vaſtiſſimum Imperium, ſed & poſt ſtructas Urbis nobiliſſimas, quas inter Syriæ *Tetrapoleôs* illæ, à Patre, Matre, Conjuge, & à ſe ipſo denominandæ, Antiochia, Laodicea, Apamea, & Seleucia: Quibus & aliæ acceſſerunt, Edeſſa, Beroëa, Pella in memoriam Alexandri M. Pellæ Macedoniæ nati. In Nummis, inſcribitur Βασιλέως Σελεύκου, quæ & *Seleuci* II. & III. inſcriptio legitur, & Caput *exuviis leonis*, ut illud Alex. M. ornatum. Rarâ fuit in filium *Soterem* indulgentiâ, cui, occulto amore deperienti Stratonicam ſocrum, hinc languore confecto, ubi res cognita à Patre fuit, eandem illi conceſſit in

 uxo-

uxorem, ex Appiano in *Syriacis*, confirmante Juliano in *Miſopogone*.

Secundus à Seleuco fuit *Antiochus Soter*, Patri facie ſimillimus in Numiſmatibus; hinc *Apollo nudus* in iis expreſſus, ex cujus ſcilicet concubitu concepiſſet Laodice mater Seleuci, qui *Apollo nudus* familiaris in Seleucidarum Nummis. Tertius fuit *Antiochus* II. cognomento Θεὸς, ex adulatione Mileſiorum nato. Cui Antiocho, commiſſo diutino bello cum Ptolemæo Philadelpho, ceſſit tandem in uxorem, poſthabitâ *Laodice* priori conjuge, *Berenice* Philadelphi filia, cum immenſi pretii dote, undè φερνοφόρος appellatus eſt. Cætera vide apud Appianum. Quartus Syrorum Rex fuit *Seleucus Callinicus* (κατ' ἀντίφρασιν) à victoriis nullis ſic appellandus. Sub quo *Arſaces*, uſus fratrum diſcordiâ (Callinici, & Antiochi cognomento Ἱέραξ, à regnandi aviditate) in rem quidem ſuam, fundaturus in Oriente fuit potentiſſimum Imperium *Arſacidarum* ſeu *Parthorum*, circa tempora Belli Punici I. jam flagrantis in Occidente. Anno non ita certo, quâ de re Petavius collatis Juſtino, Strabone, Euſebio, &c. Sed anticipat tempus idem Petavius, ſignans Parthorum defectionem ad *Olymp.* CXXXII. A. III. quo tempore Antiochus Θεὸς, pater Callinici, regnum adhuc obtinuit. Expreſſum in Numiſmat. *Caput Arſacis* coronatum, & barbatum, lato diademate vinctum; de quo qui has literas tractant.

Huic ſucceſſit Seleucidarum quintus, *Seleucus* III. cognomento Κεραυνὸς, prioris Seleuci & Laodices filius natu maximus, qui veneno maturè ſublatus eſt. Poſt ſextus Seleucidar. *Antiochus Magnus*, inclytus bellis geſtis cum Arſace Parthici regni fundatore; cum Ptolemæis, *Philopatore* rege ignavo, ejuſque filio *Epiphane* ſed impubere; tandem (ſed infeliciter) cum Romanis, & Scipione qui hinc cognomento *Aſiaticus*. Ad hujus Antiochi hiſtoriam, & bella cum regibus Ægypti, reſpiciunt illa Danielis *Cap.* XI. 11. 12. & ſequent. ubi Rex *Aquilonis* Syrum, Rex *Auſtri* Ægyptum denotat. Sed conceſſâ poſt in uxorem Ptolemæo Epiphani *Cleopatrâ* filiâ, & dotis nomine adjectis Cœle-Syriâ, Phœniciâ, Samariâ, Judæâ, Antiochus M. ab Ægypto deinceps, quanquam invitus, abſtinuit. Hic *Achæum* Provinciis cis Taurum Præfectum, ac Regium ſibi titulum vendicantem, poſtquàm cecidit in poteſtatem Antiochi, dirè excruciavit, Anno Seleucid. XCIX. Septimus Seleucidarum fuit *Seleucus* IV. cognomento *Philopator*, (Joſepho *Soter*) Rex ignavus. Cujus ſunt varii Nummi, & qui filium Demetrium Romanis obſidem dedit, in locum Antiochi fratris, qui poſteà Epiphanes. Igitur octavus à Seleuco *Antiochus Epiphanes*, ab A. CXXXVII. Græcorum: Nec hic Rex fuit ipſo jure, quum ad *Demetrium*, Seleuci Philopatoris filium, Antiochi M. nepotem, qui Romanis obſes datus à Patre fuerat, regnum pertineret. Hinc jure non tribuendus ipſi *honos Regius*, qui *Regnum* eſſet invaſurus *fraudulenter*, juxta vaticinium *Daniel.* XI. 21. &c. De quo Epiphane, qui & cognomento Θεὸς Ἐπιφανής, hinc *Corona* illi *radiata* in Numiſmatibus, deque ejus filio *Eupatore*, ad Epocham ſeq. quum Philometor & Euergetes II. Ægyptum obtinerent.

Res Græcorum, ſtante Perſarum Imp. Tum ſub Alexandri M. aliquot Succeſſoribus.

Ex Hiſtoriâ Græcor. ſelecta quædam.

RES prope infinitas, inde à primordiis Perſici Imperii, non capit rurſum hæc pagina.

I. *Piſiſtratidarum* apud Athenienſes dominatus, qui cœperat ab Olymp. LIV. anno 4. cum Hipparchi nece, & Hippiæ (alterius Piſiſtrati filii) exilio, extinctus eſt, Olymp. LXVII. Latâ tum *Oſtraciſmi* lege à Cliſthene Archonte, ſub initia ferè Darii Hyſtaſpis, adverſus eum qui tyrannidem affectaret, aut affectatæ ſuſpectus eſſet; ejus ſcil. nomine ὀστράκῳ ſeu *teſta* inſcripto, à potioribus Civibus.

Nil memoratu dignius eſt celeberrimis prœliis commiſſis inter Perſas & Græcos. Primum fuit propè *Marathonem* Atticæ πολίχνιον, ſeu in Campis Marathoniis, Darii Hyſtaſpis anno XXXI. *Olymp.* LXXII. Miltiade Cimonis filio, cum exigua Athenienſium manu, fuſuro Perſas; ſed malè mulctando, dum proditionis accuſatur, & in carcerem compingitur. Prælium alterum fuit, poſt Xerxis διάβασιν, toti Græciæ formidabilem, Anno ejus VI. & poſt cæſum Leonidam, cum trecentis Spartanis, ad *Thermopylas* Theſſaliæ: Quando pugnâ navali & impari (ſed conſilio Themiſtoclis, munirent ſe Athenienſes muris ligneis) pugnarunt Græci, inter *Salaminam* & *Æginam* Inſulas, & Xerxem fugere compulerunt ad Helleſpontum, trajecturum hinc rurſùm in Aſiam, relictâ Mardonio conficiendi belli curâ. Tertia pugna memorabilis fuit ad *Plataas*, in mediâ Bœotiâ, *Olymp.* LXXV. fuſis iterum Perſis, & cæſo Mardonio Duce, virtute Ariſtidis; quæ victoria ſaluti fuit Græciæ univerſæ. Eodem die Græci, ſub *Mycali* Joniæ monte, navali prælio victores fuêre, Duce Leotychidâ Lacedæmonio. De his videndi Herodotus, Diodorus Sicul. Cornelius Nepos, Juſtinus, Pauſanias in *Atticis*, &c.

II. Eminuit virtus ac fides *Ariſtidis*, qui in tantâ rerum geſtarum gloriâ, pauper moriturus fuit; Sic prudentiâ & fortitudine excelluit *Themiſtocles*, quâ patriam ſervavit, ſed Oſtraciſmo poſtea ejiciendus, & ad Artaxerxem Longimanum ſe recepturus, à quo lautè habitus, dixiſſe fertur, *Perieramus, niſi periiſſemus.* Par ſors fuit *Cimonis* Miltiadis filii, ingratam patriam experti, ac pellendi Oſtraciſmo, faciente præcipuè Pericle; Cujus tamen virtute, Perſæ paulo antè navali prælio fuſi juxta Cyprum fuerant, & terreſtri, ad Eurymedontem Pamphyliæ fluvium. Poſteà tamen probatâ à Cimone fide atque innocentiâ, revocandus ab Exilio fuit. *Pauſania* verò Lacedæmonii perfidiâ ab Ariſtide detecta fuit, & clandeſtina cum Perſis conſilia; undè captus ille, & incluſus in Æde Minervæ, fame ibidem periit, ut referunt Thucydides, Diod. Siculus, Corn. Nepos, &c.

Viri in Græciâ clari.

Celebres tum in Græciâ *Philoſophi*, *Poëta* Tragici, Lyrici, & *Hiſtorici* inſignes. In his *Herodotus* Halicarnaſſ. hujus temporis Hiſtoricus, qui deſinit in pugnâ ad Platæas, & Mycalin. Indè *Thucydides* incepit, æmulus laudum Herodoti, deſcripturus præcipuè hiſtoriam Belli Peloponneſiaci, quod cœpit Olymp. LXXXVII. Et hunc excipit *Xenophon*, orſus hiſtoriam ab Olymp. XCII. an. 3. De quorum virtutibus & nævis Voſſius, Caſaubonus, alii. In Philoſophis *Pythagoras* Samius, ſub Dario Hyſtaſpis florens, de cujus ſectâ infrà. Coævi ferè, vel nonnihil juniores, *Anacreon*, *Pindarus*, *Æſchylus*, *Simonides*, *Sophocles*, *Euripides*, *Ariſtophanes*, in Poëtis clari, de quibus judicia J. C. Scaligeri, G. J. Voſſii, &c. Dein ſtante adhuc Perſarum Monarchiâ, celebres Philoſophi *Zeno* Eleates, *Socrates*, *Democritus*, *Diogenes*, *Plato*, *Ariſtoteles*, ſunt, de quibus qui ad Laërtium commentati, & inter eos Menagius. In Medicis principatum meruit *Hippocrates* Cous, cujus Caput in Nummis laureatum, mortuus ſub extrema Darii Nothi, *Olymp.* XCIV. In Oratoribus *Iſocrates*, qui propè centenarius obiit, voluntariâ inediâ, teſte Pauſaniâ in *Atticis*; tùm *Demoſthenes*, & *Æſchines*, Philippo Maced. coævi, & invicem æmuli.

Civilia Bella Græcor. &c.

III. Civiles poſt diſcordiæ Græcis exitio fuerunt. *Pericles* auctor fere Belli *Peloponneſiaci* inter Athenienſes & Lacedæmonios, orti anno II. Olymp.

Digitized by Google

lymp. LXXXVII. regnante adhuc Longimano; nec diu ab illo inchoato ſuperfuit. Duravit iſtud annos totos XXVII. fuſè deſcriptum à Thucydide *Libris* VIII. Belli Peloponneſ. Et ab hujus fine incipit Hiſtoria *Xenophontis*, & Ἀνάϐασις Cyri junioris, cum X. millibus Græcorum, Duce eodem *Xenophonte*, qui magnificè de ſe ipſo ſcribit. Excepit deinceps Bellum *Bæoticum*, Olymp. C. inter Bœotos & Lacedæmonios. In quo eminuit contrà Spartanos virtus & fortitudo *Epaminondæ* Thebani, victoris ad Leuctra Bœotiæ, Artaxerxe Mnemone regnante, ac pacificatore tandem. De quo Diodorus Siculus, Xenophon, Plutarchus, Corn. Nepos, & alii.

Intereà laudati Athenis Duces fuêre *Pericles*, *Alcibiades*, *Demoſthenes* Dux Athenienſium, qui in Siciliâ occubuit, &c. Celebres & qui Athenis damnati τ͂ ἀσεϐείας vel ἀθεότητ☉, *Protagoras* Abderites, *Diagoras*, & *Socrates*, qui cicutam bibere coactus eſt. Ridebant hi præcipuè ſuperſtitionem Athenienſium, & Eleuſinia ſacra.

Status Græciæ poſt Alex. M.

IV. De rebus *Philippi* Maced. quo regnante accidit Bellum *Sociale* & *Sacrum* Græcorum; deque illis *Alexandri* M. dictum ſupra fuit. Poſt hujus exceſſum nova Græciæ facies apparuit. *Antipatro* Macedonia obtigit, hinc *Caſſandro* filio, ſed vi & perfidiâ omnia acturo. Hic, Democratiâ *Athenis* abolitâ, Demetrium Phalereum Urbi præfecit: Sed reſtituenda paulò poſt Athenienſibus libertas à *Demetrio* Poliorcete, Antigoni filio, qui Caſſandrum ſummovit dominatu. Et hujus *Demetrii* poſteri in Macedoniâ regnârunt, cujus frequentes Nummi repræſentant Caput *imberbe*, redimitum diademate, cum Victoriâ alatâ, &c. Regnum tandem Macedonum in Provinciæ formam à Paulo Æmilio redactum fuit, victo *Perſeo*, quo tempore Epiphanes in Judæâ ſæviit, *Olymp*. CLIII. U. Cond. 587. *Pyrrhus* quoque, Rex Epiri, ex Æacidarum genere, affinis Demetrii, his temporibus floruit, variâ fortunâ: Exutus à Caſſandro, reſtitutus à Ptolemæo; probaturus fortitudinem bellicam adversùs Demetrium, Romanos, Siculos, Macedonas, Lacones. Undè in Nummis exprimitur, modò cum Capite Martis, modò cum illo Palladis, &c. additâ inſcriptione, Βασιλέως Πύῤῥȣ. Illiſu tegulæ, facto mulieris, periit *Olymp*. CXXVII.

In Laconicâ celebris ille *Areus*, de cujus ad Oniam Epiſtolâ, diximus ſuprà. Nec diu poſt *Cleomenicum* cum Macedonibus bellum, extinctum Laconum imperium fuit, per Achæos, tum Romanos.

Tandem ut *Siculi*, ſic *Ætoli*, *Lacedæmonii*, *Achæi*, Græcia omnis, Romanorum jugum ſubitura fuit. Quorum potentia mirè aucta fuit à Bello *Punico* II. magis autem à Bello *Punico* III. poſt everſam Carthaginem, Anno U. Cond. DCVIII. Hæc & alia Polybius, & cæteri Hiſtoriæ Exoticæ Scriptores, Græci & Latini.

Res Romanorum: Bella: Gradus ad Imperium Univerſale.

Status Roman. hac Epochâ.

I. R*omanorum* res hâc Epochâ geſtas, magnas illas & præclaras, quas hic locus non capit, Faſti & Annales memorant. *Regifugium*, pulſo Tarquinio Superbo, accidit a. d. VI. Kal. Mart. Anno U. C. Varr. mox inchoando CCXLV. primis eodem A. Coſſ. creandis, *C. Junio Bruto*, & *L. Tarquinio Collatino*; ſed hocce ob invidiam nominis, mox facturo locum *Valerio Publicolæ*. Concurrit Olympiadis LXVII. annus 4. Anno Urb. Cond. Varr. CCCII. Olymp. LXXXII. A. 2. conſtituti Romæ *Decem-viri* qui jura Populo ſcriberent. Ab iis promulgatæ Leges X. Tabularum, ex Atticis Solonis Legibus, per Legatos tres, in Græciâ deſcriptæ. Quibus ab iiſdem Decem-viris, mox additæ, in ſupplementum, *duæ* aliæ Tabulæ, undè Leges XII. Tabularum dictæ.

Nec diu poſt, *Cenſores* Romæ creati, ſublevandis Coſſ. Anno V. C. CCCXI. Varr. *quinquennali* primum imperio, poſtmodùm *anno & ſemeſtri*, faciente Mam. Æmilio II. Dictatore; de quibus vide Onuphrium, in *Lib*. I. Faſtor.

II. Principio autem varia Romanis fuêre cum finitimis bella; cum *Etruſcis*, Porſennâ Rege, *Sabinis*, *Volſcis* (ad quos defecit M. Coriolanus) *Æquis*, *Vejentibus*, *Fidenatibus*, *Faliſcis*, &c. De quibus adeundi Dionyſius Halicarn. Titus Livius, &c.

Maximum Romanis periculum à *Gallis Senonibus* fuit, Urbe ab iis captâ A. U. C. (ex Faſtis) CCCLXIV. alii ſignarunt A. CCCLXIII. Olymp. XCVII. anno 2. vel. 3. Capitolio tamen excepto, virtute M. Manlii liberando, qui hinc Manlius *Capitolinus* dictus eſt. Fugati Galli, ſed ſæpius in Romanos poſtea exciti. Dein *Samniticum* bellum Romanos diu exercuit, ſuſceptum anno U. C. CCCCXII. cum ſe Campani Romanis dedidiſſent, M. Valerio Corvo, & A. Cornelio Coſſo Arvinâ, Coſſ.

Bella Romanor. uſque ad fin. Punici III.

Bellum deinceps cum *Tarentinis* fuit; quâ occaſione *Pyrrhus* in Italiam trajecit Tarentinis opem laturus, A. U. Cond. CCCCLXXIV. Sed poſt variam belli fortunam, quam faventem initio expertus Pyrrhus, ſemel atque iterùm victor, junctis illi Samnitibus, Lucanis, Brutiis, tandem in Lucaniæ Campis Aruſinis, ultimò victus, A. U. C. CCCCLXXIX. ac pellendus in Epirum. Ut Pyrrhus miratus ſit fortitudinem Romanorum, etiam victor, & Cineas ejus Legatus majeſtatem Senatûs Rom. multis Plutarchus in *Pyrrho*.

III. Bella *Punica* tria omnium celeberrima fuêre. *Primum* ex æmulatione Carthaginenſium natum, eorumve fœdere cum *Hierone* Syracuſano, A. U. Cond. *Varr*. CCCCXC. undè & Polybius, *Lib*. I. & Græci, Bellum *Siculum* vocant ſeu propter Siciliam geſtum. Duraturum annos XXIV. ad U. Cond. DXIII. quando *Amilcar* pacis leges à Romanis accepit, facientibus potiſſimùm L. Lutatio Proconſ. & Q. Valerio Faltone Proprætore. Nec diu poſt clauſum Jani Templum, pace terrâ marique partâ, T. Manlio Torquato, & C. Attilio Balbo Coſſ. A. U. Cond. DXX. Quod brevi poſteà rurſus aperturi Romani, nec illud antè tempora Auguſti Cæſaris claudendum ampliùs fuit.

Secundum Punicum cœpit A. U. Cond. DXXXVI. P. C. Scipione & T. Sempronio Longo Coſſ. quo tempore Antiochus Θεὸς, & Ptolemæus Philopator, de Cœle-Syriâ certabant. Duravit hoc Bellum annos XVIII. Tandemque Romani, poſt varias clades acceptas, *Hannibalem* Amilcaris filium, (qui Alpes ſuperaverat tranſitu in Italiam facto A. U. C. 536. hinc victor ad Cannas, quin ad ipſas Romæ portas acceſſurus) revocatum jam in Africam, ad patriæ defenſionem, adegêre ad conditiones pacis A. U. Cond. DLIII. Factum virtute *P. C. Scipionis*, qui hinc à devictâ Africâ *Africani* cognomen accepit. Intereà in Romanorum poteſtatem venêre, *Tarentum*, aſtu Fabii Maximi Conſulis: Paulo antè *Sicilia*, captis Syracuſis M. Claudii Marcelli virtute, Anno U. Cond. DXLI. Provincia facta Prætoria; Secuta exemplum *Sardiniæ*, *Corſica*, quæ virtute Manlii Torquati, A. V. Cond. DXIX. ſubactæ fuerant, inter primum & ſecundum B. Punicum. *Siciliæ* autem nobiliſſimi Reges, antè Romanorum invaſionem (quales Gelon Syracuſanus, Hiero I. Dionyſius tyrannus, Agathocles figuli filius, Hiero II. Hieronymus) paſſim in Numiſmatibus hodieque conſpiciuntur; undè ſi genuini hi Nummi, antiquiſſimos cenſueris. Quia

Digitized by Google

verò Reges hi *Diademate* ornantur Capita, quo abſtinuiſſe docet Livius (æquè ac Romanorum Reges) antè Hieronymum Siculum, L. XXIV. C. V. hinc Frater meus de eorum antiquitate meritò dubitat, *Diſſertat.* V. p. 470.

Tertium Bellum Punicum dudum excepit Bella quæ præceſſere alia. Quale *Aſiaticum* cum Antiocho M. quando Scipionis Aſiatici, Africani fratris, adjuti tamen ab Eumene Pergamenor. Rege, virtus eminuit; ceſſuro Antiocho Regionibus omnibus cis montem Taurum, A. U. C. DLXV. Dein *Macedonicum*, victo tandem Perſeo Rege ultimo, & Macedoniâ Provinciis Rom. adjectâ, virtute L. Æmilii Pauli, Proconſulis, A. U. Cond. DLXXXVII. Eodem anno Judas Maccabæus Patri Mattathiæ ſucceſſit; quum paulò ante *Antiochus Epiphanes*, juſſu Popilii Legati Romani, Ægypto excedere juſſus eſſet. A quo tempore Romani magnis paſſibus ad Monarchiam Univerſalem contenderunt: Maximè autem ab everſâ *Carthagine*, virtute P. Scipionis Æmiliani, creati hunc in finem Conſ. quem aliàs ætas, & Lex lata, prohibebant illâ dignitate. Atque hinc *Africanus* junior dicendus fuit, à quo confectum Bellum *Punicum* III. A. U. Cond. DCVIII. antè Ch. CXLVI. quod cœperat Anno U. Cond. DCV. Funditùs nempè deleta Carthago, Aſdrubale clàm ad Scipionem ſe recipiente, cum ramo oleæ; Sed conjuge Aſdrubalis, invicti animi fœminâ, in Arce Carthag. intrà Æſculapii Templum, ſe & liberos incendio abſumptura; ex Appiano in *Bellis Punicis.* Nec diu poſtea confectum ab eodem Scipione bellum *Numantinum*, incenſâ miſerè Numantiâ, ac reliquis Hiſpaniæ civit. in poteſtatem Romanorum redactis. Anno eodem quo deleta fuit Carthago, incenſa fuit & *Corinthus*, omniſque *Achaja*, in deditionem à Romanis accepta, L. Mummio Duce & Conſule. Adeundi Diod. Siculus, Dion. Halicarnaſſ. Livius, Polybius, Plutarchus, Liviana Epitome, Florus, Appianus Alex. Pauſanias, &c. Et qui de Incremento Romanæ Reipubl. & Provinciis ab eâ ſubactis, diſtinctiùs egêre, ut Franc. Robortellus, & alii.

XI. *Helleniſmus florens. Philoſophorum ſectæ hac Epochâ natæ.*

Helleniſmus, ex Sectis Philoſoph.

I. UT ex Poëtarum ſcriptis Helleniſmus mythicus ac fabuloſus natus eſt, ſic ex Philoſophorum Scholis, qui hac Epochâ in Græciâ floruerunt, idem ſapientiæ quandam formam accepit. Factum poſt reditum Judæorum ex Captivitate. Undè Ἕλλην *religionis* nomen in Sacris, ſeu cultioris Gentiliſmi, contradiſtinctum Judæo, & Barbaro. Et variæ quidem antè Platonem Sectæ obtinuerunt, inferiorem Pythagorâ penè ſeſqui-ſeculo. Talis fuit Secta *Jonica*, à Thalete Mileſio ſic dicta, Naturæ diligentiſſimo exploratore, diem obituro *Olymp.* LVIII. Hujus veluti tradux *Socratica* fuit, ut Socraticæ Platonica; Socrate de Cœlo ad Terram, id eſt, ad uſum vitæ Philoſophiam traducturo, cicutâ hauſtâ ſublato *Olymp.* XCV. Succeſſit Jonicæ Sectæ *Italica*, auctore Pythagorâ, Pherecydis Syri (qui primus animos immortales eſſe docuit, teſte Tullio) Diſcipulus: Atque hic à peregrinationibus redux, Ægyptiacâ maximè, ubi XXII. annos cum Sacerdotibus verſatus, tandem relictâ Samo patriâ, cujus Polycrates tyrannidem tenuit, in Magnâ Græciâ, Italiæ parte, conſedit, moriturus *Olymp.* LXX. Hanc Secta *Eleatica* excepit, ab Eleatis in Lucaniâ Philoſophis, Xenophane, Parmenide, ac Zenone Eleate, diverſo à Zenone Cittico; è cujus poſtmodùm Scholâ prodierunt Leucippus, Democritus, & Epicurus, hic *Olymp.* CIX. Fuit & *Cynicorum* Secta, à mordacitate & caninâ impudentiâ, Magiſtris Antiſthene, & Diogene, quem poſtremum eodem anno & die, quo Alexander M. mortuum eſſe Plutarchus refert. Secta item *Pyrrhoniorum*, ſeu Scepticorum, & Dubitantium de rebus omnibus, à Pyrrhone Philoſ. qui coævus Epicuro fuit, & de quâ prolixè Sextus Empiricus: Secta etiam *Megarenſium*, ſeu Ἐριστικῶν, ab Euclide Megarenſi, Socratis auditore, diverſo ab Euclide Mathematico, qui ſub Ptolemæo Lagidâ Matheſin Alexandriæ docuit.

II. Aſt verò omnium celebratiſſimæ Sectæ quatuor principes, in quas reliquæ tandem abierunt; & de quibus prolixè qui de Philoſophis commentati ſunt: *Platonica*, *Peripatetica*, *Stoica*, *Epicurea*. Quatuor tandem Sectæ principes.

Platonica ſeu, à loco Athenis proximo, & nemoroſo, *Academia*, dicta, omnium princeps, nata quo tempore Artaxerxes Mnemon, & Artaxerxes Ochus in Perſis regnarunt, Plato autem Athenis floruit; poſt auditos in Græciâ, in Italiâ, Philoſophos tùm maximè inclytos, & inter hos Socratem, Parmenidem, Euclidem Megaricum; & poſt conſultos in Ægypto Sacerdotes, aliquot annorum decurſu. In Numiſmatibus exprimitur, Capite *barbâ* prolixâ ornato; ut *Solon* Capite *imberbi*; de quo videantur Sponius, & Frater noſter ad Juliani *Cæſar.* & Animadverſionibus in *Miſopogon.* Omnium hic optimè philoſophatus de Naturâ incorporeâ ſummi Dei; de univerſali rerum omnium Cauſâ; de Mundi opificio; de immutabili Providentiâ; de Pietate in Deum; de Animæ immortalitate, & Vitâ Beatâ. Platonica.

Imò *Platonicæ* & *Moſaicæ* doctrinæ σύγκρισιν inſtituere Euſebio placuit, *Præpar. Evang. Lib.* XI. Placuit & Juſtino Martyri ſtatuere *non alienam* à præceptis Chriſti *Apol.* I. Uti Clementi Alex. *Lib.* I. *Strom.* C. VI. viſa *pædagogium* ad Chriſtum, eademque (hunc antè) *juſtificationis* medium. Plurimi autem Veterum, ipſe Auguſtinus, tribuerunt Platoni notitiam myſterii *Trinitatis*, & Verbi *Filii*, aliorumque revelatorum in *Scripturis S.* quia is magnificè v. g. de Numero ternario, ut perfecto, ac ſancto; de νοῦ quem Deus ex ſe creaſſet, uti λόγον, &c. Undè Juſtinus M. Socratem μετὰ λόγου βιώσαντα, & Chriſtum ab eo ἀπὸ μέρους γνωσθέντα, Apol. I. & II.

Undè ex Platonicâ Philoſophiâ (cui impensè addicti antiquiſſimi Patrum, quæque ut προπαιδεία Religionis Chriſtianæ ipſis habita, quâ adverſus Gentiles munirentur) fluxerunt in Theologos Chriſtianos errores non pauci. Errores Patrum ex eâ. Quales circà diſcrimen Perſonarum in *Trinitate*, in Sabelliniſmum aliis, aliis in Tritheiſmum prolapſuris; Sic de Creaturis rationalibus, ut ſunt Angeli, Animæ, ab omni ævo creatis; Περὶ τοῦ αὐτεξουσίου, de *libero Arbitrio*; de Salute Gentilium; de Angelorum officio, claſſibus; de Animarum origine, προϋπάρξει, purgatione; de myſticâ & arcanâ Reſurrectione, undè Syneſius ſuum errorem habuit. Videſis inter alios Cl. Huëtii Origeniana. Ità Tertull. Lib. de Animâ, dixit eam Philoſophiam eſſe *omnium Hæreticorum condimentum*, Hermogenis maximè, qui *materiam Deo coæternam*, ſtatueret.

III. *Peripatetica* Philoſophiæ conditor *Ariſtoteles*, Stagirâ oriundus, quam alii Macedoniæ, alii Thraciæ urbem cenſuerunt, natus *Olymp.* XCIX. Peripatetica. Ejus porrò ætas, ingenium, laudes, ſententia de Motore primo, deque ejus unitate, infinitate; ſic error de Mundi æternitate, nonnullis dubius; alius de Providentiâ nullâ in ſublunaribus, &c. obvia omnibus ſunt, nec hujus inſtituti. Sic nota Ethices & Politices præclara apud Stagiritam præcepta; Scripta ejuſdem, poſt Theophraſti Succeſſoris mortem, variè interpolata; deinceps verò nec intellecta, ἀκροαματικὰ præcipuè & ἐσωτερικὰ, omnium verò mi-

Digitized by Google

minimè à *Scholaſticis*, ſed neque ab adverſariis Ariſtotelis, &c. Vide quæ de Ariſtotele Laërtius *Lib.* v. & Ælianus *Lib.* III. Variæ Hiſt. C. XIX. ut taceamus alios.

IV. *Stoïca* Philoſophia, toto poſt Platonem ſeculo exorta, vetus altera fuit, quæ ferè in *Sophiſticâ* Zenone Magiſtro, Cittio urbe Cypri oriundo: Recentior altera, quæ magis in *praxi* ſeu *moribus* conſiſteret, illuſtrioribus Magiſtris Senecâ, Epicteto, quorum hic duobus præceptis omnia complexus eſt, τῷ *ſuſtine*, & *abſtine*. Hinc felicitatem eſſe intrà hominem, exuendos affectus, animi conſtantiam ſervandam, mortem contemnendam, &c.

Multa adeò cum *Chriſtianâ* Philoſophiâ *Stoïcis* communia fuerunt, & ex eâ Scholâ prodiit Pantænus Alexandr. quanquàm Stoïci ſapuêre ex diverſiſſimis principiis. Portentoſa verò fuêre dogmata, de *Mundo* ut Deo primario; de *Fatali* rerum neceſſitate; de infinitis rerum *Circuitibus*, &c. De quibus multa Cicero, Seneca, Clem. Alexandrinus, Origenes contrà Celſum. Tertullianus ſcitè, Zenonis in *Stoâ* vel *Porticu* inſtitutioni, oppoſuit *inſtitutionem de Porticu Salomonis*. Et hi Paulo, de Reſurrectione docenti, reſtitiſſe leguntur, *Act.* XVII. 18. Tamen & ſaniora quædam ſenſiſſe videntur, de *uno* ſummo Deo, & Mundi Opifice; de Providentiâ immutabili; de ultimâ ἐκπυρώσεως, & conſummatione ſeculi; ſed addebant, reditura omnia eadem, *Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.*

V. *Epicurea*, eodem tempore cum Stoïcâ nata, omnium teterrima ratione *dogmatum*, præeunte Democrito, qui ληρόκελος appellatus. Hujuſmodi, quæ de Diis corporeis, de Atomis, de Mundi caſuali opificio, de infinitate ejuſdem, de Animorum mortalitate, de Providentiâ nullâ, &c. Epicuri de grege Philoſophi tradiderunt. Hinc magno niſu Chriſtianis Veteribus oppugnata, neque ex eâ niſi ſolutioris *vitæ* homines prodire potuerunt. Quanquam *Voluptatem*, quæ illis ſummum bonum, ſaniori ſenſu accepiſſe videntur prudentiores: Tùm reſpectu *Corporis*, tùm reſpectu *Mentis*, dùm illud à dolore, hanc à perturbatione immunem conciperent; ad prius facere temperantiam, & Medicinam, ad poſterius rationem cum virtute conjunctam. Illuſtravit hanc Philoſophiam præ cæteris noſtrâ ætate, nec ſine *Antidotis*, Petrus Gaſſendus, quem conſule.

Confucius, Sinenſis Philoſophiæ parens.

VI. Cæterùm dicitur ſub initium hujus *Epochæ*, in extremo Oriente, mediis in Ethniciſmi tenebris, fulſiſſe ſplendidum ſidus, Sinenſis Sapientiæ ac Philoſophiæ princeps, *Confucius*, aliàs *Cum-Fu-çu*, qui & *Chum-Nhii*, mortales ſcilicet omnes ſcientiâ, virtute, & ſaluberrimis præceptis ſupergreſſus. Natum ferunt ex familiâ Imperatoriâ, ſeptuagenario patre, anno XLVII. Cycli Sinenſis *ſexagenarii* (de quo in *Chronolog.*) XXXVI. id eſt, annis antè Chriſtum DL. circiter, quo tempore Cyrus in Perſis, Crœſus in Lydis, emerſêre. Claruit itaque Confucius ſub initia ferè Monarchiæ Perſicæ, quo præcipuè tempore Cambyſes, & Darius Hyſtaſpes, imperarent. Nec ſemel (ad aliorum Philoſophorum, Thaletis, Solonis, Pherecydis, Pythagoræ exemplum) dicitur de peregrinis Terris adeundis, & ſuperandis Maribus, cogitaſſe. Moralis omnis ac Naturalis diſciplinæ, tum & Civilis prudentiæ, & Oeconomicæ, ſaluberrimis præceptionibus Parens apud ſuos habitus. Qui & præclara de *Deo* ejuſque naturâ tradiderit, ſeu perfectionibus, ſed & myſterioſa quædam; item de Dei Providentiâ in hæc inferiora: Tum & *Mente*, antè omnia purgandâ à præjudiciis ac erroribus, & veri cognitione imbuendâ; poſteà & purgandâ à vitiis, ac virtutibus, quibus à teneris opera danda eſſet, exornandâ: Tandem etiam de Animarum *Immortalitate*, & ad Cœlum reditu, adhæc *præmiis* ac *pœnis* poſt hanc vitam, abſque quibus fruſtrà ſuas præceptiones fore ſentiebat.

Nec hoc viva voce tantùm, (afflictis tamen illi dictis non paucis) ſed & ſcripto tradidit, conſcriptis Libris innumeris; ſed abolendis ex parte, cum Libris reliquis toto Sinarum Imperio (Medicis & Judiciariis exceptis) per *Xi-hoham-ti* Imperat. tertio à Confucio ſeculo labente. Relicturus fuit, ut ferunt, *ter mille* Diſcipulos. *Mandarini* munus, ut vocant, ac *Præfecti* in patrio regno, quod *Lu* dictum, hodie *Xantum*, id eſt, ſummos Magiſtratus geſſiſſe fertur; pari jam à teneris modeſtiâ, gravitate morum, animi moderatione, temperantiâ, fide, æquitate, juſtitiâ, beneficentiâ, contemptu opum, honorum, & ſi quæ ſunt virtutes aliæ, ſupereminens. Oraculum Chinarum habitus, & *Magnus Magiſter*, *Literarum Rex* inclytus, in graviſſimis conſuli ab Imperatoribus ſolitus, & cui honores penè divini, nullâ tamen ἀποθεώσεως, poſt mortem decreti. Deceſſurus anno ætatis LXXIII. & *quinquageſimo nono* Cycli Sinenſis XXXVII. id eſt, antè Chriſtum natum circiter 477. vel 478. Et hujus nepotes ac poſteros, non interruptâ Succeſſione, ad hodierna tempora ſupereſſe ferunt, memorato in Hiſt. Sinicâ Confucii Nepote LXVIII. qui in natali Confucii ſede reſideat cum *Ducis* prærogativâ. Hæc uno ore referunt Chinenſium Annales, & ex iis Martinius, Kircherus, Coupletus, ac cæteri Societatis Viri.

EPOCHA NONA,

A Principatu Haſſamonæorum, ad Æram Chriſti Vulg. ſeu Dionyſianam.

I. *Rationes Chronologicæ hujus Epochæ.*

COlliguntur anni hujus Periodi, ex Libris *Maccabæorum*, in quibus anni Græcorum deſignantur, collatis cum Joſepho *Antiquit. Lib.* XII. C. XVII. ubi ſignat initium Pontificatûs Judæ Maccabæi: Item *Antiquit. Lib.* XIV. C. VIII. ubi ſignat tempus captæ à Pompejo Hieroſ. & extincti Regni Syrorum: Item, *Lib.* XIV. C. *ult.* ubi definitur tempus deſinentis Principatûs Maccab. & captæ à Soſio & Herode Hieroſol. addito charactere *Olympiadum*. Jam Æra communis Natalem Ch. figit in Olympiadis CXCIV. annum 4. Unde omnibus ad *Periodum Julian.* ut ad menſuram communem, exactis, certa annorum ratio exurgit, de quâ nos in *Chronol.* ad Epoch. IX.

Pontificatum igitur *Judæ* Maccabæi cum Principatu conjunctum, inchoant alii à morte Mattathiæ, A. 146. Græcor. alii à Templo repurgato A. 148. Græcor. Nos inchoamus ab A. ſequente, qui Græcorum eſt 149. quo cæſus Nicanor, & mortuus Epiphanes, *Olymp.* CLIV. anno I. *Per. Jul.* 4550. id eſt, ante Æram Vulg. Dionyſ. annis 163. alii 164. Et concinit Joſephus Antiquit. *Lib.* XII. C. XVII. tum communibus ſuffragiis datam Judæ τὴν ἀρχιερωσύνην. Vidit Euſebius in *Chron.* qui ad *Olymp.* CLIV. A. I. *Judæorum Dux Juda, qui & Maccabæus.* Sed mox ſibi contradicit, dum triennium Pontificatûs Judæ, incipit ab *Olymp.* CLV. A. I.

Igitur à *Pontificatu* Judæ Maccab. *Olymp.* CLIV. A. I. qui eſt annus Per. Jul. 4550. ad expugnatam à Soſio & Herode Hieroſolymam, *M. Agrippâ* & *L. Caninio* Gallo Coſſ. *Olymp.* CLXXXV. A. IV. exeunte menſe Civili Hebr. III. inchoando tùm Anno *Per. Jul.*

Digitized by Google

Jul. 4677. fuerunt (notante & Joſepho L. XIV. C. ult.) anni completi —— —— 126.
Hinc ad A. I. *Æra Vulgaris* quæ incipit, juxta calculum Dionyſii (vitioſum ſanè) *Olymp.* CXCIV. A. IV. *Per. Jul.* 4714. ſunt anni —— —— 37.
Fallunt numeri in Joſepho, dum putat à captâ Hieroſolymâ ad mortem Herodis, annos tantum 34. de quo Parens meus in Dub. Ev. & nos ſuprà *Chron.* P. II. C. XV.
Fiunt anni hujus Epochæ compl. ——— 163.

II. *Perſecutio Antiochi Epiphanis in Judæorum Gentem.*

Circumſtantia temporis. I. DEſcribitur hæc tum in Libris *Maccabæorum*, diverſâ utriuſque Scriptoris fide, tùm apud *Joſephum*, Antiquit. L. XII. à *Cap.* VIII. *Euſebium* in Chronico, ad Olymp. CLII. *Sulpicium Severum*, Lib. II. &c. Initio tamen obſervandum, nequaquàm convenire his Scriptoribus, in circumſtantiis variis. *Tempus* quod attinet inchoatæ Perſecutionis, fuit Annus Antiochi Epiphanis VI. antè Æram Chriſtianam Vulg. Annis 170. Olymp. CLII. anno 3. Per. Jul. 4544. Anno Græcorum vel Seleucidarum 143. Nempè quum Antiochus, à primâ expeditione in Ægyptum, reverſus in Judæam, & efferatus in Hieroſolymitanos, quod ſparſo rumore de morte ſuâ gaudium indè concepiſſent, Urbem obſidione cinxit, & tandem cepit, quæ initia malorum, apud Joſephum L. XII. C. VII. Biennio poſt captam Urbem, ſecundùm Joſephum, Anno Græcor. 145. Olymp. CLIII. accidit illa Templi profanatio, qualem prolixè deſcribit Hiſtoricus. Quanquàm alii veriùs hanc ponant à primâ expeditione Ægyptiacâ, eodem quo capta Urbs anno, ſcil. Græcorum 143. I *Macc.* I. 21. quando & crudeliſſimè ſæviit Antiochus in Cives Hieroſolymitanos, & Templi theſauros expilavit, & Altare profanavit, I *Macc.* I. 23. 24.

Cauſa, Judæi ipſi. II. *Inſtrumenta*, in *Judæis* quidem, per quæ Urbs prodita, & Antiochi furor accenſus, fuêre par fratrum ſceleratiſſimum, filii *Simonis* II. de quibus ad Epoch. ſuperiorem: *Jeſus* qui & *Jaſon*, tum *Onias* qui *Menelai* Græcum nomen affectavit, uterque fratres *Oniæ* III. ex Joſepho *Lib.* XII. C. VI. Prævit in ſcelere *Jaſon* ille, qui *triennio* ante ſuis ad Antiochum muneribus, effecerat ut amoto fratre Oniâ III. Pontificatum adipiſceretur; ſic Auctor 2 Maccab. quamvis Joſephus *mortuum* tum Oniam fuiſſe, ἀποθανόντος καὶ Ὀνίου τοῦ ἀρχιερέως. Verùm anno qui perſecutionem anteceſſit, *Onias* ille qui *Menelaus*, filius minimus natu Simonis, fraude impetrato ab Antiocho Pontificatu, non Jaſonem modò dejecit, ſed & Oniam III. perfidè ſuſtulit, ut Jaſonis quidem abbreviator, 2 *Maccab.* IV. 34. Imò Helleniſmum Hieroſolymis ſanxit, ejuratis legibus Moſaïcis, reducto præputio, & ſtructo Gymnaſio (ſic Joſephus) inſtituendis Ephebis more Græcorum, permiſſione ab Antiocho impetratâ; quod tamen *Jaſoni* tribuit rurſum Auctor 2 *Maccab.* IV. 12. Unde ſeditionibus omnia mixta; tollendo rurſus Menelao factione *Jaſonis*, poſtquàm hic Antiochum defunctum ratus eſt, ex falſo rumore, atque ea factio Jaſonis potior fuit, 2 *Maccab.* V. Et hinc Antiocho Epiphani occaſio, vel obtentus, ſæviendi in Urbem ac Templum, irruptionem Jaſonis interpretatus ut defectionem Judæorum.

Pugna I. & 2 Maccab. & Joſephi, Sulpicii, &c. In hac omni narratione, non una pugna eſt inter Auctorem *primi* & *ſecundi* Maccab. *Joſephum*, *Euſebium* & *Sulpicium Sever.* qui 2 Maccab. fere ſcriptorem ſecutus eſt. V. gr. Joſephus libro de *Maccabæis*, Seleucum Antiochi M. filium, miſiſſe Apollonium Hieroſolymas, ad expilandum Templum, ſed viſione Angelicâ territum, abſtinuiſſe. Aliter Jaſonis abbreviator, 2 *Macc.* III. ubi *Heliodorus* dicitur miſſus, & ab Angelis flagellatus, ac ſemianimis relictus.

Sic Joſephus, tempus ſpoliati Templi facit annum Græcor. 145. poſt reditum Antiochi à ſecundâ expeditione, quando excedere juſſus Ægypto, à legatis Roman. Contrà Auctor I *Maccab.* ponit annum Græcor. 143. qui Olymp. CLII. annus 3. Rurſùm Joſephus *Ant.* L. XII. C. VII. Antiochum Hieroſolymam cepiſſe ἀμαχητὶ *abſque pugnâ*; Auctor Lib. II. *Maccab.* C. V. urbem δοριάλωτον *armis captam*, & ita Joſephus in Libris de *Bello Jud.* L. I. C. I. Antiochum vi Urbem expugnaſſe, & in obſidione multa *perpeſſum*.

Joſephus *Oniam* III. morte ſublatum fuiſſe, quum *Jaſon* ab Antiocho Pontificatum obtinuit, *Antiq.* L. XII. C. VI. Contrà Auctor 2 *Maccab.* V. 34. fraude *Menelai* fuiſſe Oniam interfectum; Et Sulpicius Severus, *depulſo Oniâ*, *Sacerdotium Jaſoni eſt mandatum*; niſi per *Oniam* intelligat Menelaum, ſeu qui Menelai nomen aſſumpſerat.

Joſephus *Antiq.* L. XV. C. III. violatam primùm legem ſucceſſionis in Sacerdotium, ab Antiocho Epiphane, quando pro *Jeſu* (vel Jaſone) ſurrogavit in Sacerdotium fratrem ejus *Oniam*, ſive Menelaum. At Sulpicius Severus, *Jaſonem fratrem Oniæ*, primò auſum pretio redimere Pontificatum ab Antiocho; quum ante inſolitum nec permiſſum cuiquam eſſet, *perpetuo Sacerdotio non fungi*, ut indubiè legendum eſt.

Joſephus, *Oniam*, ſeu Menelaum, natu minimum fuiſſe Simonis, τὸν νεώτατον ἀδελφὸν L. XII. C. VI. Contrà Jaſon Cyrenæus, 2 *Macc.* IV. 29. *Lyſimachum*, ſucceſſorem Oniæ, τὸν αὐτοῦ ἀδελφὸν vocat, quartum ſcil. filium Simonis.

Joſephus nihil de irruptione *Jaſonis* in Menelaum, ejuſque fugâ ad Lacedæmonios, de quâ 2 *Macc.* V. 9. Ita tribuit *Menelao* cùm ſuis, quod rogaverit Antiochum ut ſibi permitteret Gymnaſium Hieroſolymis extruere, more Græcorum; quod *Jaſoni* adſcribitur, 2 *Macc.* IV. 12. 13.

Joſephus, Pontificatum *Judæ* traditum, ſtatim poſt *Alcimum* morbo extinctum πληγῇ ἀφνιδίῳ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *Lib.* XII. C. XVII. At libro *Antiq.* XX. C. VIII. ait, poſt Alcimum *ſeptennio* urbem caruiſſe Pontificatu. Contrà Alcimum fuiſſe, poſt Judam, ſuperſtitem, Auctor 2 *Maccab.* IX. 54. Sic & Petavius de *Doctr. Temp. Lib.* X. C. L.

Sic Polybius refert, Antiochum divinitùs percuſſum periiſſe, quod conatus eſſet *Dianæ* Templum & Theſauros diripere, nihil Hiſtoricus de Templo Hieroſolymitano: At Joſephus illud redarguit, & potiorem longè cauſam accelerati interitûs, fuiſſe ſacrilegium *Hieroſolymis* admiſſum. Hæc ſpeciminis loco.

III. *Inſtrumenta* ex parte *Græcorum*, quæ furorem in Judæos exercuerunt, fuêre: *Antiochus* ipſe, redux ex Ægypto, à primâ expeditione, à quo Templum profanatum, ſpoliatumque, eo modo quo refertur I *Maccab.* I. & 2 *Maccab.* V. aſportatis ex Templo 1800. talentis, etiam porcis ſuper Altare mactatis, & jure carnium illarum adſperſo Templo, ut Joſephus *Antiq. Lib.* XIII. C. XVI. Tum in Antiochi miniſtris *Apollonius*, μυσάρχης, biennio poſt captam Urbem miſſus in Judæam, cum 22000. exercitu, qui Hieroſol. fraudulenter ingreſſus, graſſatus eſt immanem in modum in ſexum omnem, & ætatem, ipſa die Sabbathi, ut pluribus I *Maccab.* I. 22. &c. & 2 *Maccab.* V. 15. 26. Donec *Antiochus* ab alterâ expeditione redux ex Ægypto, quâ exceſſerat juſſu Popilii legati Romani, modum deinceps nullum ſervaverit in perſequendis Judæis, & imperandâ, totâ Judæâ, abolitione Judaiſmi, & obſer- Quibus ducibus uſus Antiochus.

Digitized by Google

ſervatione ſuperſtitionum atque Idololatriæ Græcorum. Factum *Olymp.* CLIII. anno I. quando excitatus in civitate *Modin* Mattathias cum Filiis, ad aſſerendam Judæorum Libertatem, ac Legem. Inſtrumenta Antiocho alia, præter *Apollonium* Samariæ Præfectum, & à Judâ ſublatum, 1 *Maccab.* III. fuêre *Lyſias* Syriæ & Aſiæ Præfectus, à quo *Gorgias*, & *Nicanor*, Duces & amici Regii, cum ingenti manu adverſus Judæos ſubmiſſi. Poſtea ſublato Antiocho, ſucceſſurus in odia Judæorum *Antiochus* V. filius, dictus *Eupator*, non diu Patri ſuperſtes, intrà biennium ſublatus; undè unicum hujus Nummum obſervavit Vaillantius. Tum *Demetrius Soter* Seleuci filius, (in Numiſmatibus cognomento Θεὸς Φιλοπάτωρ Σωτὴρ) à cujus Duce *Bacchide*, interfectus eſt Judas Maccabæus, 1 *Macc.* IV. V. VI. VII. IX.

Quis obtentus Antiocho?

IV. *Occaſio* igitur totius perſecutionis prima fuit, *Jaſonis* ille in Menelaum impetus, recuperando Pontificatui; irritus quidem hactenus, Arce à *Menelao* occupatâ, & pulſo Jaſone, qui ad Arabas, hinc ad Lacedæmonios fugiſſe fertur, 2 *Macc.* V. 8. 9. Sed præcipua *cauſa*, præter Dei judicium in Judæorum Gentem, prædicente Daniele, *Cap.* VIII. XI. fuit Antiochi Epiphanis ex Ægypto reditus, à *prima* expeditione. Quando, ferox animo rebellionis Judaïcæ obtentu, Hieroſolymam occupavit, ἀμαχητὶ *ſine pugna*, ut Joſephus, nec ſibi conſtans, editâ ingenti Judæorum ſtrage: Sed & Templum ingreſſus, Duce *Menelao* proditore, illud Theſauris omnibus ac vaſis ſpoliavit, 1 *Macc.* V. *ingreſſus in Sacrum Dei adytum*, ut Diodorus Siculus *Lib.* XXXIV. & ex eo Photius Cod. CCXLIV. Non igitur confundendum tempus ſecundi reditûs Antiochi ex Ægypto, juſſu Popilii Legati Romanorum, A. *Græc.* 145. Olymp. CLIII. de quo Polybius, Vellejus, alii, cum primo illo, quod facere videtur Joſephus, *Lib.* XII. C. VII. Nam hoc demum anno, in Syriam regredi compulſus Antiochus, quo tempore Romani terra marique formidabiles erant, victo Perſeo Macedonum Rege, irâ percitus ac frendens animo, Judæos opprimere ſtatuit. Hinc primò graſſatus in Hieroſolymitanos per Apollonium, poſtquàm is ſimulatâ pace Urbem ingreſſus eſt. Tum Edicto Regio prohibuit Sacrificia, Circumciſionem, Sabbatum Judæorum. Poſteà per *Legatos* imperat, ut abolitis Legibus Moſaïcis, Sacra in Templo facerent, ſed Διὶ Ὀλυμπίῳ, vel Διὶ Ἑλληνίῳ, ut Samaritani Ξενίῳ Jovi Hoſpitali, ex Joſepho dicto loco, & ex utroque Maccabæor. Libro. Hinc Idolum *Jovis Olympii* ſuprà Altare erigit; Judaïcam Religionem exſcindit; ſuperſtitiones Græcorum ſummâ tyrannide introducit; Judæorum omnia inſtituta pervertit; Libros ſacros, quoſcunque reperit, Vulcano ſacrat; exquiſitiſſimis tormentis in obſervatores Legis ſævit; non tenellis infantibus, non matribus, non ætati, non ſexui parcit; quod cœperat per Exercituum Duces ſucceſſive promovet, &c. Quæ omnia fuſius deſcripta in utroque *Maccabæorum* Libro, & apud dictos Auctores, Danieli verò luculenter prænunciata, *Cap.* VIII. XI. Qui verè, Regem fore *deſpectum*, *clam venturum*, *regnum obtenturum fraudulenter*, &c. Neque enim jure regnum obtinuit, quod ſpectabat ad Demetrium, filium Seleuci fratris, nepotem Antiochi Epiphanis, ſed Romæ detentum obſidem aſtu Antiochi. Hinc *Seleuco* intereà oppreſſo ab *Heliodoro* Satrapâ, qui Syriæ regnum affectabat, patuit idem Epiphani regnum invadenti; Attalo & Eumene faventibus, in quos gazas ſuas, uti in Milites ſuos, profudit. Quæ pluribus Polybius, Joſephus, &c.

Perſecut. cruentæ ratio.

Fabula Aſinaria.

V. Fabuloſum verò eſt quod refert Diodorus Siculus in Eclogis, ex *Libro* XXXIV. ſub init. & ex eo Photius *Cod.* CCXLIV. p. 1150. conſpectum fuiſſe ab Antiocho Epiphane, in Templo Hieroſolymitano, & quidem in Sacro Adyto, Moſis lapideum ſimulachrum, *aſello* inſidentis, tenentiſque manibus Librum. Contrà quàm Tacitus ubi de Pompejo, *Hiſtor.* V. hunc, Templum jure victoriæ ingreſſum, reperiſſe *nullâ intùs Deûm effigie vacuam ſedem*, & *inania arcana*. Sed de ejus fabulæ origine, & de calumniâ *Aſinariâ* ſeu ὀνολατρείας in Judæos conjectâ, ab Apione Alex. Plutarcho, Tacito, &c. obviæ ſunt Baronii, Heinſii, Fabri, Bocharti, aliorum hac de re conjecturæ. Sagaces ſanè, ſed pleræque coactæ, nec innatâ facilitate ſeſe probantes. Verius fortè ab inſigni contemptu, quo habita ſacra Judæorum, Græcis Romaniſque; aut à Rege eorum Meſſiâ Dei Filio, qui *aſino vectus*, ut à Prophetâ, ſic ab Euangeliſtis ferebatur. Vide conjecturas noſtras alias, ſuprà ad Epocham IV. *col.* 324. 325. Hinc calumnia deinceps in Chriſtianos redundavit, ex Minucio Fel. & Tertulliano, & de quâ nos ad tempora Chriſtiana.

III. *Inſtauratio Reipublicæ & Eccleſiæ per Maccabæos. Ratio Nominis. Et ſucceſſionis. Dubia quædam hiſtorica.*

Mattathias Sacerdos.

I. PRimus fuit *Matthias* vel *Mattathias*, ex primâ Sacerdotali familiâ, & ex Eleazari ſtirpe; qui cum filiis *quinque* (rebus Judæorum conclamatis) animo, fortitudine, conſtantiâ invictâ, bellis cruentis, collapſa erigunt, nec Politiam tantùm, ſed & Religionem reſtituunt. Gratis verò hunc *Mattathiam* ſummum Pontificem fuiſſe Hebræi tradunt, ipſe Auctor Libri *Juchaſin*, & ex iis fragmenta Euſebiana, Sulpicius Severus, Gorionides, alii. De quo adi Seldenum, *Lib.* I. C. X. de Succeſſione in Pontific. Peſſimè etiam Baronius, & Genebrardus, eundem ex Tribu *Juda*, quoad paternum genus, deducunt, ex Tribu *Levi* quoad maternum, inducti ex loco 1 *Macc.* V. 62. Filii Mattathiæ fuêre; *Johannes* qui & Gaddis; *Simon* qui & Matthes; *Judas ὁ μακκαβαῖος* dictus per excellentiam; *Eleazarus* qui & Auran; & *Jonathus* qui & Apphus cognomento; ſic Joſephus *Lib.* XII. C. VIII.

Haſmonæi unde?

II. Dicti hi *Haſmonæi* vel *Aſſamonæi*, ſi Joſepho fides *Lib.* XII. C. VIII. *Antiq.* à Proavo Mattathiæ *Aſſamonæo*, חשמוני, cui filius Simeon, huic Johannes, à quo Mattathias. Druſius ſuſpicatur *Haſmonæos* dictos ab oppido Tribus Judæ חשמון *Heſhmon* vel *Haſmon*, de quo *Joſ.* XV. 27. Secundùm alios dicti à voce Hebræâ & ἅπαξ λεγομένη חשמנים *Haſmanim*, *Pſal.* LXVIII. 32. quæ notat אנשים נכברים בעמיהם, גדולים, qualis Mattathias dicitur apud Gorionidem, *Lib.* III. C. VIII. id eſt, viros *Principes*, ſeu Optimates, ſeu Primarios Sacrorum Antiſtites. LXX. reddunt πρέσβεις, Fullerus τοπάρχας, νομάρχας, quomodò Ægyptus in Νόμους diſtributa; alii ἄρχοντας, ὑπερόχους ἄλλων. Voce non tam Hebræâ, quàm peregrinâ, vel Gentilitiâ, huic poſtmodùm *familiæ*, ob Dignitatem & Principatum, tributâ. De quibus Druſius, Scaliger, Fullerus, Petavius, Seldenus, l'Empereur, alii.

Maccabæi unde?

III. Dicti iidem *Maccabæi* à Judâ *Maccabæo*, tertio ex Mattathiæ filiis, belli Duce, in Patris locum ſuffecto ultimâ ejus voluntate; tandem etiam cum *Principatu* ſummum *Sacerdotium* poſt *Alcimum* (Jacimum, Joachimum) adepto, Anno Græcorum 149. Olymp. CLIV. anno I. ut ſuprà, & fusè Petavius de *Doctr. Temp.* L. X. C. LII. De quo diximus in Chronol. ad Canonem Epochæ IX. Rationem & etymologiam vocis alii aliam aſſignant. Imperitè Magiſtri nonnulli *Græcam*, quaſi Μαχοβίας, ſigni-

Digitized by Google

ſignificatu *fortis*, *bellicoſi*. Veroſimillima autem omnium, quæ & probata H. Grotio, (invito Scaligero, qui id nomen vult fuiſſe Judæ *Maccabæi* cognomen) ex quatuor *literis* initialibus, Judæ *vexillo* inſcriptis, vocum quæ *Exod*. xv. 12. quæque per *ſigla* efficiunt מכבי. More ſcil. Hebræis veteribus & Talmudiſtis familiari, ſcribendi per compendium, vocant ראשי תיבות & סופי תיבות, adhibitis literis *initialibus* quandoque *finalibus* vocum; more & apud Arabes, Perſas, Orientales, quin Romanos, uſitatiſſimo, vel ex Inſcriptionibus, & qui de *Siglis* Arabum ſcripſêre. Alii quaſi מכה בי *per me eſt plaga*; alii à מכאב, juſto *dolore* quo excitati Maccabæi; alii à כבה *extinxit*, undè מכבי *extinctor*, ut in his indulgere ſibi ingenia ſolent. Ac deinceps *Maccabæorum* cognomentum, ut ἐξόχως Haſſamonæis Principibus proprium fuit, uſque ad Ariſtobulum fratrem Mariamnes; ità quandoque commune iis omnibus, qui forti & invicto animo, Legis cauſâ, mortem & extrema quæque ſubiverunt, & ſic Joſephus Libello de *Maccabæis*: Tranſlata deinceps vox eſt etiam ad Martyres Chriſtianos.

Hiſtoriæ hujus fontes, & dubia.

IV. Hiſtoriam Judæ & Maccabæorum quod attinet, exhibet eam prolixiſſimè Joſephus, *Libris* XII. XIII. XIV. Chronologia Judæorum, Joſippus Gorionides, Euſebius, &c. Omnes poſt Scriptores utriuſque Libri *Maccabæorum*; quorum *prior* ſcriptus (ut videtur) ex conſenſione Judæorum ejus temporis, deſinit in nece Simonis, & ſucceſſione Johannis Hyrcani hujus filii: *Alter* verò Jaſonis Cyrenæi, ſeu Jeſu cujuſdam ex Cyrenaicâ regione, (ſcribentis geſta Maccabæorum ſub Ptolem. Philometore, *Libris* v.) abbreviator, ſi modò abbreviator tantùm, deſinit in cæde Nicanoris per Judam Macc. Uterque uſus Ærâ Seleucidarum ſeu annis Græcorum, ſed diverſimodè: Primi Libri Auctor principium ducit à menſe *Niſan*, ſeu verno menſe, more Judæorum, quibus hic primus menſis ſacer; Secundi Libri ſcriptor incipit à menſe *Tiſri*, ſeu ab Autumno, undè quoque Judæi ordiuntur Æram Contractuum, Arabes Æram Dulkarnaim, Græci Alexandream vel Antiochenam. Et ità antevertit *ſex* menſibus Æra primi Libri Maccabæorum; numerans v.gr. annum 149. Græcorum, indè à Niſan, menſe primo, 1 *Macc*. VI. 16. ubi ſecundus numerat adhuc annum 148. 2 *Macc*. XI. 21. 31. 39. Atque ità de aliis, 1 *Macc*. VII. IX. X. XIII. &c.

Secundus porrò Liber haud obſcuris mendaciis & ἀντιλογίαις contaminatus eſt, obviis vel in Capitibus I. IX. X. XII. XIV. XV. exemplis. V.gr. in deſcriptâ morte Antiochi, quæ in I. *Libro Maccab*. accidit in Babylonia, ex animi mœrore, ob infeliciter res geſtas in *Elymaide* ſeu Perſide regione; malè Joſephus, L. XII. C. XIII. πόλιν ἐν Περσίδι πλούτῳ διαφέρουσαν, Ἐλυμαΐδα τοὔνομα, quomodò & legitur vulgò in 1 *Macc*. VI. Tum ob devictum in Judæâ *Lyſiam*, & Duces cæteros, ac creſcentes res Judæorum. In II. Libro dicitur Antiochus, modò lapidibus obrutus in Templo *Nanææ* (Ναναίας vel Νανναίας, Deæ *Matris*, Polybius Ἀρτέμιδος *Dianæ*) quum illud expilare moliretur; modò in itinere percuſſus plagâ θεηλάτῳ & ἀοράτῳ, nempè interaneorum cruciatu, qualis plaga legitur fuiſſe Herodis Agrippæ, *Act*. XII.

Nec certa in omnibus *Joſephi* fides eſt, nec dubia pauca hiſtorica ſuperſunt, ex pugnâ Hiſtorici, aut ſecum ipſo, aut cum Libris *Maccab*. pro quibus ſemper pronunciat Petavius, *Lib*. x. de Doctrinâ Temp. C. L. LII. &c. Ità falluntur nonnunquam Euſebius, & Sulpicius Severus. Dubium ex gr. ex quâ familiâ fuerint Mattathias, & Haſmonæi, num ex *Eleazaridis*, adeoque etiam ex Phineæ proſapiâ, num verò ex *Ithamaridis*? Quamvis prius colligi videatur, ex 1 *Macc*. II. 54. Sic Mattathiam pro *ſummo Pontifice* habuiſſe videntur Judæi, in Sepher Juchaſin, & aliàs, hinc Sulpicius Severus, G. Syncellus, &c. Contrà Scaliger de Emend. Temp. *Lib*. v. & Petavius de Doctr. Temp. *Lib*. x. C. III. Sic in Mattathiæ filiis, *Judas*, qui tertius ordine, in Chronico Jud. Templi II. habetur *primogenitus*, & ità confundunt ordinem reliquorum filiorum, traditum à Joſepho *Lib*. XII. C. VIII. Sic ἀσύστατα tradunt, de annis tùm Principatûs, tùm Pontificatûs Judæ; de *Alcimo* poſt Judam ſuperſtite ex 1 *Macc*. IX. 54. Joſepho invito, qui Judam ſuffectum demortuo *Alcimo*, τελευτήσαντος τούτου, ἀποθανόντος, *Lib*. XII. C. XVI. Menda etiam in *Euſebio* notarunt præ cæteris Scaliger, *p*. 144. 145. *Animadv*. & Seldenus Libro I. de Succeſſ. ad Pontificatum.

Judæ vulgò tribuuntur anni VI. ab aliis VII. incluſo *triennio* Pontificatûs, quem inchoavit A. 149. Græcor. quo cæſus Nicanor, & mortuus Antiochus; ut in rationibus Chronolog. hujus Epochæ. *Jonathani* fratri in Ducatu quidem (quem inchoavit anno Græcor. 152. Olymp. CLIV. anno 4.) tribuuntur anni XVIII. à morte Judæ Maccab. Sed in Pontificatu, poſt Sedem ad *quadriennium* vacuam, nonniſi anni XIV. acceptâ tam demùm ab Alexandro Syriæ Rege ſtolâ purpureâ, inſigni Dignitatis. Euſebium ſibi non conſtantem, vide apud Scaligerum, animadverſ. ad Num. MDCCCLXVII. Succeſſit *Simon* frater Anno Græcor. 170. 1 *Macc*. XIII. & apud Joſephum *Lib*. XIII. C. XIV. futurus per *octennium* Pontifex; quem excepit *Joh. Hyrcanus* hujus filius, de quo poſteà. Maccabæorum ſucceſſio, indè à Judâ.

IV. *Samaritanorum ad Ethniciſmum, ad tempus, defectio.*

I. Hujus defectionis. 1. *Tempus*, fuit ſub Antiocho Epiphane, poſtquam Hieroſolymis occupatis, & Templo expilato profanatoque, verum Dei cultum in Judæâ Edictis ſuis, & immani Tyrannide, abrogare eſſet aggreſſus. Circumſtantiæ enarratæ.

2. *Cauſa* fuit, metus perſecutionis ſimilis, hinc turpis ad Gentiliſmum defectio, digna Samaritanorum Sacris.

3. *Ratio*, dùm datis ad Antiochum literis, in modum ὑπομνήματος, quas exhibet Joſephus *Antiq*. *Lib*. XII. C. VII. inſcribunt, Βασιλεῖ Ἀντιόχῳ Θεῷ Ἐπιφανεῖ: Quem Θεοῦ Ἐπιφανοῦς titulum poſteà ſemper retinuit; Capite *coronâ radiatâ* ornato, vel Capite *Jovis Ammonis*, ut Conjux ejus ſpecie *Junonis*, in Nummis Mediceis. Quomodò in memoriam hujus Antiochi, idem cognomen aſſumpſit Θεοῦ Ἐπιφανοῦς, *Antiochus* VI. nepos ex Alexandro Bala, cujus rei teſtem Nummum rariſſimum Gazæ aſſervant, obſervante Fratre meo *Diſſert*. v. Deindè fingunt ſe à *Sidoniis* & *Perſis* oriundos, ac Gentiles origine; rogant ne pro Judæis habeantur; in horum rebellionem, Sabbathum, & Sacra invehuntur; ac Garizimitanum Templum, quod dicunt fuiſſe hactenùs ἀνώνυμον, Διὶ Ἑλληνίῳ *Jovi Hellenio* conſecrant. Hinc Antiochi gratiam merentur, Nicanori & Apollonio commendantur, ac pro Græcis haberi jubentur. Sed intuitu originis primævæ ac peregrinæ, ſive *Sidoniæ*, & quod ſe Medorum ac Perſarum Colonos dicerent, placuit Antiocho, Templum Garizimitanum dicari Διὶ Ξενίῳ *Jovi Hoſpitali*.

II. Receſſerunt tamen poſtmodùm ab eâ Idololatriâ poſt ſublatum Epiphanem, & ejus filium Eupatorem, ac profligatos Græcorum Duces, virtute Maccabæorum. Hinc mox ſub Ptolemæo Philometore refert Joſephus acrem contentionem inter *Judæos* & *Samaritanos*, de Sanctitate Templorum Hieroſolymitani, & Garizimitani, *Lib*. XIII. C. VI. In quâ ceciderunt ſuâ cauſâ Samaritani. Sed & Chri- Samaritani reſipiſcunt.

Digitized by Google

Chriſti tempore de *loco* adorationis potiſſima adhuc controverſia fuit. Samariam Urbem & Templum Garizimit. diruit poſtmodùm *Joh. Hyrcanus*, Simonis Succeſſor, illam ab Herode inſtaurandam, ſed mutato nomine in illud Σεβάστης, in honorem Auguſti. Ille ipſe Hyrcanus, (de quo Joſephus, *Lib.* XIII.) qui dicitur aperuiſſe ſepulchrum Davidis, poſt annos MCCC. & *tria millia Talentorum indè protuliſſe*, Antiquitatum *Lib.* VII. *Cap.* ult.

V. *Schiſma novum in Judaïcâ Eccleſiâ. Oniæ Templum.*

An duo Oniæ Schiſmatici?

I. A*Uctor* Schiſmatis fuit ex Joſepho, Euſebio, &c. *Onias*, filius Oniæ III. חוניו Talmudiſtis, ſed his filius Simeonis Juſti habitus, Onias II. Indignatus ſcilicet ſummum Sacerdotium *Alcimo*, à Pontificum cognatione alieno, datum eſſe auctoritate Antiochi Eupatoris, filii Epiphanis, poſt ſublatum ejus juſſu impium Menelaum, ut Joſephus. Quem *Alcimum* Joſephus facit anteceſſorem Judæ Maccabæi, in Pontificatu, *Lib.* XII. C. XVII. Quanquàm dubium ex Joſephi *Haloſ.* *Lib.* VII. C. XX. annon pridem antè alius *Onias*, Simeonis filius, præiviſſet in Templo extruendo & Alexandriæ quidem, ut tradunt Talmudici ad Mishnam Tit. *Menachoth*, in Gemarâ Babylon. At verò in eodem Tractu Heliopolitano factum dicit Joſephus, favente Seldeno, *Lib.* I. *De Succeſſ.* C. VIII. Diſcrepant utriuſque narrationis & Templi ſtructi *tempus*, *locus*, *perſonæ*.

Oniæ Templum.

II. *Ratio* duraturi Schiſmatis hæc fuit: Dum *Onias* Oniæ III. Pontificis filius, fugit in Ægyptum, ibidemque in Ptolemæi *Philometoris*, & *Cleopatræ* conjugis gratiam ſe inſinuat; ſtruendi Templi Hieroſolymitano æmuli veniam impetrat; erigit illud non *Alexandriæ*, ut Talmudici volunt, qui de Templo Oniæ II. multa, ſed ut Joſephus *Antiq.* L. XII. C. XV. L. XIII. C. VI. L. XX. C. VIII. apud Leontopolim, & Caſtrum quod τῆς ἀγρίας βουβάστεως, in Præfecturâ *Heliopolitanâ*, haud longè à Memphiticâ; ejuſdem Templi ſummum ſe Pontificem conſtituit; Sacerdotes etiam & Levitas creat, qui Sacra peragerent, omniaque hæc ad ritum Judæorum inſtituit. Joſephus quidem *Antiq. Lib.* XIII. C. VI. affingit Ptolemæo & Cleopatræ, in permittendo Templo Oniæ, apud Leontopolim, ſollicitudinem hanc; *ſi poſſit eſſe Deo gratum* & acceptum hujuſmodi *Templum*, *quod* καθιδρυσόμενον *conſtructum foret in loco agreſti*, *impuro*, & *pleno animalibus*; ne fortè Lex Moſaïca violaretur. Hinc *Oniæ Templum* appellatum eſt בירת חוניו, oppoſitum בית המקדש *Domo Sanctuarii*. Et inde Tanaquillus Faber in *Epiſtol.* derivat contumeliam de culto ὄνῳ *aſino*, in Judæorum Sacris, ab hoc *Oniâ*, ejuſque Templo, frigidâ ſatis conjecturâ. Hic cultus ſiquidem tributus Hieroſolymitanis Palæſtinis, & in Templo Hieroſolymit. Nec *Onias* ibi cultus, adoratus; cujus etiam nomen Hebraicum חוניו nil habet commune cum ὄνῳ. Et hanc contumeliæ originem non ſiluiſſet Joſephus Hiſtoricus.

Cur ibi ſtructum?

III. Potiſſimum autem *argumentum* quo ad temerarium ſchiſma defendendum uſus, fuit Oraculum *Eſai.* XIX. 18. 19. *Tempore illo erunt quinque Civitates in terrâ Ægypti loquentes ſermone Cananæo*, *Civitas deſtructionis* (עיר ההרם) *dicetur unaquæque*, vel *ex his una. Tempore illo erit Jehovæ Altare in mediâ terrâ Ægypti.* Ubi pro עיר ההרם, ex literarum affinitate, legerunt alii עיר החרם πόλις ἡλίου, (ſcil. reſpondebat *Heliopolis*, ubi *Mnevis* Idolum Soli apud Ægyptios ſacrum) ut reddunt *Symmachus*, *Hieronymus*, & *Chaldæus Paraphraſtes.* Et eò quoque trahunt eam prædictionem Joſephus, & Talmudiſtæ, factam, *antè ſexcentos ampliùs annos*; & quidem fore, *ut Templum aliquando ædificaretur in Ægypto* τῷ μεγίστῳ θεῷ, (*Lib.* XIII. C. VI.) idque ὑπὸ ἀνδρὸς Ἰουδαίου, ſic de B. Jud. L. VII. C. XXX. Hinc & *Heliopolitanum* agrum ei Templo ſtudio delegiſſe videtur Onias, confirmante Scaligero, *Animad. Euſeb.* MDCCCLVI. Fuiſſe autem illud Templum conſtructum ad ſimilitudinem Hieroſolymitani, ſed longè cedens prioris opulentiæ, miniſtrantibus & Levitis ac Sacerdotibus, multis Joſephus, cumprimis de *Bello Jud.* L. VII. C. XXX.

4. Duratio Schiſmatis fuit uſque ad tempus quod excidium Hieroſolymitanum ſub Tito Veſpaſiano excepit. Nec enim diu poſteà, A. Chr. Vulg. LXXI. juſſu Veſpaſiani Oniæ illud Templum, à *Lupo* Alexandriæ Præfecto clauſum fuit, dein à *Paulino* ſucceſſore redditum inacceſſum, ut Joſephus de Bello Jud. *Lib.* VII. C. XXX. Mendoſo autem calculo idem Hiſtoricus, clauſum fuiſſe Templum annis, poſtquàm conditum fuerat, τρία καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριακόσια, id eſt, 343. Ruffinus habet 333. Jac. Capellus ad A. M. 3837. legendum cenſet annos 233. Sed vix ſtetit Templum ultrà annos 222. putando ab anno 161. Græcorum, Per. Jul. 4562. antè Æram Chriſt. CLII. ad A. Chriſti Vulg. LXXI. Per. Jul. 4784. Tacet rem in Chronico ſuo Euſebius. Plura habent Scaliger, Seldenus, alii rerum Judaïcarum & Annalium Eccleſiaſticorum Scriptores: Hæc ad hiſtoriam ſatis. Dirutum quando?

VI. *Status rerum Judaicarum ſub ſucceſſoribus Judæ Maccabæi.*

I. J*Udâ* Maccabæo infelici prælio extincto, quo commiſſus cum Bacchide, Duce Demetrii Soteris, 1 *Macc.* IX. ſucceſſit illi in Ducatu *Jonathas* frater, Anno Græcorum 152. in Pontificatu autem (faciente Alexandro Bala, ut eum in partes ſuas obſtringeret, contrà Demetrium) anno Græc. 160. antè Chriſtum 153. Quo feliciſſimè defunctus, gratiam promeritus trium Regum, Demetrii Soteris, Alexandri Balæ, Antiochi VI. Θεοῦ Ἐπιφανοῦς, tandem tollendus fuit à Tryphone tyranno, Regnum Syriæ invadente, Anno Græc. 169. 1 *Maccab.* XII. XIII. Hujus locum occupavit *Simon* frater, ſolus è Mattathiæ filiis ſuperſtes, ſub quo libertatem recuperavit Judæorum Reſpubl. & Arcem Sionis, à Tryphonis milite occupatam, favente Simoni Demetrio Nicatore, qui olim à Tryphone pulſus regno fuerat. Atque ità uſus Simon Maccabæus feliciſſimo Principatu, ejus familiæ hæreditario jure alligato, unà cum ſummo Sacerdotio. Quin & tutus fuit amicitiâ præcipuè Romanorum, qui jam Populis jura dabant, annis aliquot à confecto bello Punico III. ex 1 *Macc.* XIV. Sed nefariè tollendus Simon, inſidiis generi ſui Ptolemæi, Hierichuntinæ regioni Præfecti, & in convivio quidem, A. 177. Græcorum; de quo & Joſephus, *Lib.* XII. C. XIV.

II. Hinc Simoni ſuffectus *Johannes* filius, cognomento *Hyrcanus*, qui Euſebio etiam *Jonathas*, ereptus inſidiis Ptolemæi, ut iidem Scriptores. Ac longus hujus Pontificatus fuit, totos annos nempe XXXI. ſimul cum adjuncto illi Ethnarchatu. Initium luctuoſum, obſeſſâ ab Antiocho *Euergete*, aliàs *Sidete* ob venandi ſtudium, (Joſephus Σωτῆρα & Εὐσεβῆ vocat, *Lib.* XIII. C. XVI. XVII.) Urbe Hieroſolymâ; dein reſtituendus in integrum, favore Romanorum. Garizimitanum ſcil. Templum, ducto in Syriam exercitu, funditus everſurus; ſubacturus Idumæos, & compulſurus ad Moſaïcas Leges; aliaque executurus feliciter; ſectâ (ut obſervat Joſephus) primò *Pharizæus*, ſed qui ad *Sadducæos*

caos defecerit, *Antiq.* L. XIII. C. XVIII. Dicitur Joſepho eminuiſſe his tribus; longo & felici Principatu, Pontificatûs dignitate, & Prophetiæ chariſmate, quod parùm in *Sadducæum* convenit. In hujus initiis deſinit 1 *Maccab.* & in A. 178. Græcor. ipſe Joh. Hyrcanus obiit A. Græc. 208.

III. Hyrcano fatis functo, *Olymp.* CLXIX. A. I. U. Cond. DCL. ante Chriſti Æram Vulg. CIV. ſucceſſit *Ariſtobulus* filius. Impius quidem hic matricida, quod æmulam Principatûs crederet, fame in vinculis enectam; tùm & in fratres immitis, etiam ſicariis immiſſis in *Antigonum* fratrem, ex ſiniſtrâ ſuſpicione: Undè mox conſcientiæ tormina, ut intra annum Principatûs impiam animam efflaret. Hic non contentus Majorum titulis, τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθεὶς, *Regium* diadema & nomen Maccabæorum primus aſſumpſit. Tamen naturâ *æquum* & *modeſtum* dicit Joſephus, L. XIII. C. XIX. Locum facturus *Alexandro Jannæo* natu maximo fratrum, ope Alexandræ conjugis, quæ Salome Judæis.

Nec filius melior Patre, primò licet *modeſtior* viſus, ut *Joſephus.* Mox enim evaſit fratricida, edendis & deinceps immanis ſævitiæ documentis, in Gazæos, Hieroſolymitanos, Judæos perduelles. Adeò ut Hieroſolymam redux, epulans in excelſiore loco, undè dabatur proſpectus, *octingentos* potentiſſimorum Judæorum crucibus ſuffigi juſſerit, uxoribus & liberis in anteceſſum jugulatis, de quo Joſephus *Antiq.* Lib. XIII. *Cap.* XXII. Ac bello non uno exercitus à Ptolemæo Lathuro Ægypti Rege; à Demetrio III. Philometore, Damaſci regnante; etiam à Judæis in eum rebellantibus; tandem contracto ex temulentiâ morbo, mortuus eſt A. regni XXVII. *Olymp.* CLXXV. A. 3. U. Cond. DCLXXVI. Qui fuit annus ille ipſe, quo *Sylla* Dictator obiiſſe fertur, & *phtiriaſi* quidem; *nunc Conſul*, *nunc Proconſul*, *nunc Dictator*, *ſemper Tyrannus*, retentâ vi militari, apud Plutarchum.

Turbæ inter Jann. Filios natæ.

IV. Ex Joſepho cætera conſtant *Lib.* XIII. & XIV. *Antiq.* Ut ſcilicet Jannæus uxori *Alexandræ*, ſagaciſſimæ fœminæ, & populo gratæ (ἐςέργετο μὲν ὑπὸ τοῦ πλήθους) ſed avidæ dominandi, ſummam rerum Teſtamento permiſerit; *Pharizæorum* etiam ſectâ illi commendatâ, quam plebi gratiorem eſſe cognoverat: Ut hæc *Hyrcanum* filium, majorem natu, illicò Pontificem fecerit: Ut deinceps annis poſt adminiſtratum regnum IX. ſeptuagenariâ major, moritura *Olymp.* CLXXVII. A. 4. *Hyrcano* regnum tradiderit, cum Pontificatûs combinatâ dignitate; licet aliter Euſebius, in Fragmentis Græcis, commiſſam τὴν Ἀρχιερωσύνην Ariſtobulo: Ut mox *Ariſtobulus* Principatum invaſerit, bello fratri denunciato, ac Hyrcano, mitis animi viro, ad privatam vitam adacto: Donec ſuaſu *Antipatri* Idumæi, poſt quam & occupaſſet Pontificatum Ariſtobulus *Olymp.* CLXXVIII. A. 3. Hyrcanus ad Aretam Arabum Regem confugeret, cujus copiis adjutus, Hieroſolymam obſidione cinxit. Sed mox Arabas ſolvere obſidionem juſſit Æmilius Scaurus, Pompeji M. legatus. Qui Pompejus his civilibus diſcordiis in Judæam excitus, Urbem occupavit, & Templum quod tenebat Ariſtobulus, annis ante Æram Vulg. LXIII. A. Urb. Cond. DCXCI. *Olymp.* CLXXIX. Pontificatu autem reddito Hyrcano. Quâ de re adhuc infrà.

VII. *Sectæ variæ inter Judæos hâc Epochâ celebratæ.*

Sectæ quales inter Jud.

I. DE *Samaritanorum* Sectâ, & familiis, dictum ſuprà fuit. Nunc de *Judæorum* illis, quæ his ferè temporibus inter eos exortæ, & quæ doctrinæ Moſaicæ & Propheticæ puritatem mirum in modum infecerunt. Nam priſtina *Rechabitarum* familia, ex poſteritate Jonadabi, qui Jehu obviam factus, 2 *Reg.* X. *Jer.* XXXV. (cujus inſtitutum, voto adſtrictum, *morale* fuit & *politicum*, de vino non bibendo, non conſerendis agris, non ædificandis domibus, &c.) Hæreſim nullam conſtituit, deſitura ipſa in *Haſidæorum* ſectam. Quæ enim habet Benjamin Tudelenſis, in *Itinerario*, de Rechabitarum hodieque ampliſſimo regno, XVI. dierum itinere terminando, in regione *Thema*, fabulis deputamus. Hinc tres modò αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων, ad tempora Jonathæ Maccabæi, refert Joſephus, *Antiquit.* L. XIII. C. IX. Ἰουδαίοις φιλοσοφίας vocat, ad tempora Quirinii & Coponii, *Lib.* XVIII. C. II. diſſentientes περὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, *de rebus humanis.* Nempe celebres hâc ætate *Pharizæi*, *Sadducæi*, *Eſſeni*, quos *Oſſenos* dixit Epiphanius, contrario ordine locati, poſteriori Joſephi loco. Auctores Libri utriuſque Maccabæorum, addunt *Haſidæos*, *Aſſidæos*; Epiphanius in Panario, *Lib.* I. addit *Scribas*, Hær. XV. *Nazaræos* Hær. XVIII. *Hemerabaptiſtas* Hær. XVII. *Herodianos* Hær. XX. Addunt etiam alii *Gaulanitas*, factionem veriùs ortam à Judâ Galilæo, vel Gaulanitâ, de quo *Act.* V. & Joſephus *Antiq.* L. XVIII. C. I. II. Sed omnes ortum traxiſſe ex *tribus* illis principibus, & ad eas revocandas eſſe, vel certè natos ex ita dictis *Haſidæis*, ſi Sadducæos excipias, Scaliger, Petavius, Grotius, Eruditi alii cenſuerunt.

Ad tres reductæ.

II. Nec de ſingulis commentari hujus ſpatii eſt, vel inſtituti. Prolixè hanc rem occuparunt, diverſimodè quanquam, Scaliger in Elencho *Trihæreſii*, Druſius de *Tribus Sectis*, ſed & Baronius, Serarius, Petavius, Caſaubonus, Buxtorfius, Parens meus Dubior. Euangelicor. P. III. Hottingerus, Ligtfootius, Wagenſelius, Friſchmutius, Th. Godwinus, Coccejus ad Sanhedrin, &c. & alii, quos non compilamus. Verbum modò de ſingularum nomine, origine, dogmatis, vitæ inſtitutis, progreſſu denique, ad *Hiſtoriæ* Euangelicæ lucem.

De Haſidæis, Ἀσιδαίοις.

Haſidæi qui dicti?

I. HOrum mentio 1 *Maccab.* II. 42. VII. 13. 2 *Maccab.* XIV. 6. Dubiumque, an *ſpeciale* nomen Sectæ inter Judæos, ἑκουσιαζομένων τῷ νόμῳ, ſeu Legi addentium ἐπίμετρον, cultum voluntarium, peculiares vivendi regulas, 1 *Maccab.* II. 42. qui contradiſtincti τοῖς in ſpecie dictis צדיקים *juſtis*, qui nempè tales ex Lege cenſebantur: An verò *commune* piorum omnium inter Judæos nomen, qui חסידים dicerentur, ὅσιοι ἄνδρες, ἐλεήμονες, *probi*, *benefici*, vel *ſancti*, *benigni*, apud Joſephum ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους, *Antiq.* Lib. XIII. C. XVI. Poſterius quidem cenſet Doctiſſ. Caſaubonus *Exercit.* I. C. IX. prius Magnus Scaliger, in *Trihær.* Hugo Grotius, & alii. Fortè diſtinguenda tempora, & fuiſſe quando חסידים dicerentur in communi, omnes boni, benefici; qui deinde à Maccabaicis temporibus deſituri in peculiarem quandam Sectam.

II. Atque ex *Haſidæis* iſtis ortas cenſent Scaliger, Druſius, Grotius, &c. Sectas Judæorum eminentes externâ & ſpeciali ſanctitate, ut *Pharizæos*, & *Eſſæos.* Imò quidam, ex חסידי *Haſidi* natum eſſe nomen חסי ἐσσαῖος, Eſſæus, de quo poſteà. Qui verò צדיקים in ſpecie dicti, Legi adhærentes, rejectis Traditionibus, & κατηχήσεσι quales Pharizæor. ac ἐθελοθρησκείαις, poſteà in קראים *Scripturarios* abivêre: Quorum diſtinctæ, in Aſiâ & Europâ, Synagogæ, Scholæ, Sacra, Conjugia, Explicationes Legis, Libri Rituales; rariſſimos aſſervante Biblioth. noſtrâ Leydenſi.

De

Digitized by Google

De Pharizæis.

Nomen. I. ORigo *nominis* perperam Theophylacto deducta à voce Hebræorum פרוצים, quaſi ἀποκεκομμένοι *reſecti*, per vim ſeparati. Nihilo meliùs alii dictos voluêre quaſi המפרשים, פורשים, *Legis Interpretes*, quod nec omnium Phariſæorum, nec eorum tantùm fuit, interpretari Legem. Veriùs ergò dictos exiſtimarunt *Druſius*, *Scaliger*, alii, quaſi פרושים vel פרישין formâ Chaldæorum, aut פרישא Syrorum, i. e. qui ἀφωρισμένοι *ſeparati* à reliquis, aut *ſepararent* ſe ipſos à commercio turbæ & populi, מעם הארץ, affectatione ſingularis ſuprà cæteros *mundiciei*, externæ *ſanctitatis*, & *vita* (ipſo habitu & inſtituto) *rigidioris*; tum & obſervantiæ Legis ἀκριβεστάτης. Quales olim נזירים *Nazaræi*, quaſi *ſeparati* à communi aliorum conſuetudine. Hinc Pharizæi illius ſupercilium, *Luc.* XVIII. II. & inde quoque epithetum hujus Sectæ, ut ἀκριβεστάτης αἱρέσεως, *Act.* XXVI. 5.

Origo Pharizæorum. II. Prima illorum origo in obſcuro eſt. Alii deduxêre jam inde à *Viris Synagoga magna*, CXX. illis, quorum Præſes fertur Eſdras, qui ſcilicet præiverint huic inſtituto: Cumprimis verò ab *Antigono Sochæo*, Principe Synedrii M. quem Magiſtri volunt accepiſſe Cabbalam à *Simeone Juſto* A. Judaico 3460. paulo poſt Alexandrum M. & cujus Diſcipuli fuêre, *Zadok* & *Baithos*. Alii à temporibus *Jonatha Maccabæi*, fratris Judæ, qui jam exceſſit CXL. & ampliùs annis antè Chriſti ἐνανθρώπησιν, & ità Joſephus *Antiq. Lib.* XIII. C. IX. L. XVIII. C. II. Alii à temporibus *Ariſtobuli*, vel *Alexandri Jannai* Judæorum Regis, toto circiter ante natum Chriſtum ſeculo; ſub quo certum Pharizæos multâ jam apud Judæos gratiâ & auctoritate polluiſſe, quos & hinc Alexandræ conjugi commendarit, teſte Joſepho *Antiq.* L. XIII. C. XXIII. XXIV. Alii recentioris originis faciunt, ut Hieronymus L. III. *Comm. in Eſai.* C. VIII. 14. qui ortos cenſet Scribas & Pharizæos tempore *Schammai*, & *Hillelis* Babylonii, in celeberrimis Judæorum Doctoribus, circà tempora Herodis: De quorum doctrinâ, dignitate, pugnâ, diſcipulis, cum primis de *Jonathane* Paraphraſtâ Hillelis diſcipulo, (de quo mira fabulantur) & de *Jehoſuâ* præceptore ſcilicet Jeſu Nazareni, multa mentiuntur Talmudiſtæ, & Chronica Judæorum. Sed omninò vetuſtiores his Pharizæi, Haſidæorum propago, ut ſuprà.

III. Αἵρεσις verò Pharizæorum, omnium ἀκριβεστάτη, ſpectatur vel in *dogmatis* Pharizæorum, vel in *morum præceptis*, ac vitæ inſtituendæ ratione.

Dogmata eorundem. *Dogmata* potiſſima fuêre, ex Joſepho, Epiphanio, & Euangelicâ Hiſtoriâ: Illud de Lege orali, ſeu Traditionibus non ſcriptis, Moſi in monte Sinai revelatis; Περὶ τῆς εἱμαρμένης *de Fato*, ſeu jam Stoïco, ſeu ut aliis placet Aſtronomico, cui *quadam* tantùm tribuiſſe Joſephus, *Antiq.* L. XIII. C. IX. alibi nec uno loco, tribuiſſe *omnia*; De *Liberi* arbitrii viribus, ſeu indifferentiâ ad bonum, πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν; de Μετεμψυχώσει animarum bonarum; De Præceptis Moſaïcæ Legis variè reſtringendis, ut eſt *Math.* V. & XXIII. Atque etiam alia, cumprimis apud Epiphanium περὶ Φαρισαίων *Hær.* XVI. Sed & ſaniora tradidêre contrà Sadducæos, ut *Reſurrectionem mortuorum*; *Præmia & pœnas poſt hanc vitam*; *Dari Angelos*, *Spiritus*, &c. undè accepti Populo fuêre.

Vitæ instituta. *Inſtituta* vitæ quod attinet, in genere, omnia ad pompam externam, & ementitum pietatis ſchema, comparata. In ſpecie affectabant Cœlibatum; Jejunium hebdomadale repetitum; decimationem univerſalem, ablutiones ſuperſtitioſas, preces & eleemoſynas in publico; dilatationem τῶν φυλακτηρίων (quibus veluti Legis *cuſtodienda* monitoriis, & precum fundendarum, ſed & amuletis, ac antidotis, utebantur) καὶ τῶν κρασπέδων, ציצית *fimbriarum*, *filaminum*, ex veſtium *quatuor angulis* dependentium, juxta illud *Deut.* XXII. 12. ut colligitur ex *Math.* XXIII. *Luc.* XI. XVIII. ex Joſepho, Talmudiſtis, Gorionide, Epiphanio, Suidâ, aliis. Addit Epiphanius *ſomnum* ſuperſtitioſum ſuper dodrantibus tabulis, ſubſtratis lapillis; peculiare item & affectatum *veſtis* genus, ac molle, quale deſcribit, ſed minus quadrans cum rigidiore vitæ inſtituto. De quibus prolixè Scaliger, Druſius, Viri alii antè indicati.

IV. *Secta* inter Pharizæos, quales *ſeptem* recenſent Talmudiſtæ, & ex iis Druſius, appellatas à ſingularibus inſtitutis, geſtibus, placitis: Undè dicti alii referente Druſio, שכמיים *Sichemita*, qui licere Deum colere lucri causâ, ut Sichem propter nuptias Dinæ ſe circumcidi paſſus eſt: Alii נקפיים, quaſi *truncati*, qui immoti conſiſtebant, ut ne pedes elevarent è terrâ, ac ſi truncati fuiſſent, ab נקף *truncandi* ſignificatu: Alii קיזים quaſi *inciſi*, qui percutiebant caput ad parietem uſque ad ſanguinem, ab הקיז *venam incido*. Alii appellati מה חובתי *quid facere adhuc debeo*, quaſi debitum jam Deo exſolviſſent, τί ἔτι ὑστερῶ, *Math.* XIX. 20. Alii dicti מדוכאים quaſi *contuſi*, humiliter incedentes Capite inclinato, & Corpore incurvo. Alii dicti מאהבה *ab amore*, qui amore virtutis obſervabant præcepta, *oderunt peccare boni virtutis amore*: Alii denique, מיראה *à timore*, qui timore pœnæ Legem obſervabant, præcepta inprimis *Negativa*, & vitanda fugiebant, *oderunt peccare mali formidine pœnæ*.

De Scribis & Nomodidaſcalis.

PHarizæis in Hiſtoriâ Euangelicâ jungi plerumque ſolent *Scribæ* & Νομοδιδάσκαλοι. Qui fuerint, prolixè Parens meus, omnium inſtar, in Dubiis Evangel. P. III.

I. *Nomen* quod attinet, dicti in Novo Teſtam. Γραμματεῖς ad imitationem vocis סופרים. Nomen non *ſecta*, ſed *ordinis* & gradûs, quo varii nuncupati ſunt inter Judæos. Diſtribui poſſunt in claſſes duas, ut fuerint alii *Politici*, alii *Eccleſiaſtici*, prout vox כהן modò Principes, modò Sacerdotes notat. Scribarum genus varium. *Scribæ Politici* fuerunt inter Judæos alii *Superiores* ſeu regii, qui Regibus à Secretis aut etiam à Conſiliis, penes quos Inſtrumenta & Acta publica, & ratio temporum, geſtorum, redituum; alii *inferiores* & plebeji, quales erant actuarii & notarii communes. *Scribæ Sacri* ſeu *Eccleſiaſtici* fuerunt Doctores & interpretes Legis, quorum erat Scripturas interpretari, vindicare, populo in Templis & Synagogis prælegere, *Act.* XV. 27. dubia ex Moſe & Prophetis objecta ſolvere, obſcura declarare, enodare perplexa, Genealogias etiam Tribuum, Regiæ maximè ſtirpis, aſſervare, undè conſulti ab Herode, *Math.* II.

II. Quod ad *originem*, deduxerunt eam alii, jam à temporibus *antè Captivitatem*, ſtatim à promulgatione Legis, aut à Davide, vel à Joſaphato. Et ſic quidam *Scribas* dictos eſſe qui etiam *Prophetæ*, quorum eſſet conſcribere Acta publica, ac Libros Sacros, etiam mandata Dei referre ad Populum, inſerenda Archivis publicis. Hinc nuper P. Simon, ſed vaniſſimè & de ſuo, *Prophetas* nil niſi *Scribas* fuiſſe publicos, quorum deinceps Acta compilata ſint, & in compendium digeſta, *Hiſt. Crit. L.* I. C. II. III. IV. Alii longè *poſt Captivitatem* natos cenſent, à Schammai & Hillele, celebratiſſimis Hebræorum Doctoribus, paulo antè Chriſti tempora, & ſic Hieronymus: Alii & veriùs, à temporibus quæ Origo eorundem.

Digitized by Google

proximè Captivitatem exceperunt, deficientibus Prophetis, nempè indè ab *Eſdræ* temporibus, qui Scriba dicitur, *Eſdræ* C. VII. 6. Cujus ſcilicet potiſſima opera fuit Legem prælegere, interpretari, docere, Sacros quin etiam Codices recognoſcere atque deſcribere, aut deſcribendos curare, undè nomen & deinceps munus τῶν סופרים *Scribarum*. Quales vocantur à Talmudiſtis Viri cxx. Synagogæ Magnæ, ſeu Magni Sanhedrin, cui præſedit *Eſdras*, & *Joſua*, *Zorobabel*, *Mardochæus*, *Seraja*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Nehemias*, &c.

Sectæ. III. Quantùm ad Sectas, in varias feruntur familias diviſi, Prophetâ nullo litibus decidendis ſuperſtite. Hinc natæ *Pharizæorum*, *Sadducæorum*, & *Eſſæorum* propagines: Hinc Scribæ alii de factione Pharizæorum, *Act.* XXIII. 9. ſeu *Traditionarii*, alii Sadducæis magis adhærentes, qui dicti קראים *Scripturarii*. Frequens ſanè in N. T. conjunctio *Scribarum* cum *Pharizæis*, quia utrumque multi titulum poſſidebant, & qui Scribæ ratione *muneris* & *officii*, Pharizæi eſſe poterant ratione *ſectæ*. Hinc qui *Matth.* XXII. 34. Φαρισαῖοι, iidem Γραμματεῖς *Marc.* XII. 28. nuncupantur. Ut iidem qui Monachi profeſſione, etiam ſæpè Doctorum officio defunguntur.

IV. Scribis junguntur in Euangelio perſæpè Νομοδιδάσκαλοι, Νομικοί. Hos multi eoſdem cum Scribis crediderunt. Hinc qui νομικὸς dicitur *Matth.* XII. 35. idem vocatur unus ex *Scribis*, *Marc.* XII. 28. ità *Luc.* XI. 46. collato loco cum *Matth.* XXIII. 3. 4. Et ſic apud Syrum Interpretem, promiſcua utrorumque nomina. Alii tamen utroſque variè diſtinguunt, maximè quod *Scribæ* etiam forenſia & civilia tractarent, *Matth.* XX. 18.

V. Sed & arbitrati Viri alii Docti, tria fuiſſe Doctorum inter Judæos genera; 1. סופרים γραμματεῖς *Scribas*, qui aliàs בעלי מקרא quos interpretantur *Scripturarios*, ſeu Legi ſcriptæ addictos, aliàs νομικοὺς & νομοδιδασκάλους. Malè, quum & δευτερωταὶ ac Traditionarii eſſent Scribæ poſteriores, Pharizæis ſæpè juncti. 2. חכמים σοφοὺς *Sapientes*, qui dein בעלי משנה, ſeu δευτερωταὶ, Legis oralis tenaces, & בעלי תלמוד *Talmudiſtæ*, quales poſt nati ſunt. 3. דרשנים συζητηταὶ *Inquiſitores*, concionatores, diſputatores, ſeu בעלי מדרש *Doctores allegoricos*, in ſectando *ſenſu myſtico* Legis, etiam in movendis ſolvendiſque dubiis præſtantes, quò alluſerit Paulus 1 *Cor.* 1. 20. Et hinc Cabbaliſtarum nata myſteria. Porrò de Scribarum veſtitu, aliiſque, plura habet Epiphanius, & ex eo recentiores, qui adeantur.

De Sadducæis.

SUccedunt *Sadducæi*, de quibus aliquoties Hiſtoria Euangelica, & prolixè *Epiphanius*, Hæreſi τῶν Σαδδουκαίων, poſt Joſephum Hiſtor. In recentioribus adeantur Scaliger, Druſius, Parens meus, &c.

Nomen, & origo ſectæ. 1. *Nomen* quod attinet, & *originem*, malè Epiphanius à צדק quæ eſt δικαιοσύνη *juſtitia*; veriùs alii (ex conſenſu Magiſtrorum) derivant à *Zadoko*, altero ex diſcipulis Antigoni Sochæi, clari poſt Simonem Juſtum, annis antè Chriſtum circiter ocxxvi. *Occaſio* autem fuiſſe dicitur, quod hic cum *Baithos* vel *Baitho*, diſcipulo altero, Præceptoris mentem & axioma, quaſi nullum homini præmium eſſet poſt hanc vitam repoſitum, imperitè detorſerit. Undè hi *Sadducæorum* patres evaſerint, circà tempora Simonis II. Oniæ filii, ſub Ptolemæo Euergete I. annos ultrà ducentos antè Chriſtum natum. De tempore tamen, & occaſione, non ſatis convenit inter Talmudiſtas. De quo plura in Chronologiâ Judæor. à Vorſtio tranſlatâ, ſeu *Tzemach Dav.* & Chronicis aliis. Atque huc de *Karæis* ſpectat diſquiſitio; quales dicti *Scripturarii*, *Textuales*, ſolo Scripturæ Textui adhærentes, Traditionibus reſectis. In quos abiêre tandem *Sadducæi*, ſed & *Samaritani*, nec confundendi tamen cum Sadducæis veteribus, de quibus dictum eſt ſuprà.

II. Αἵρεσις Sadducæorum ſpectatur rurſùm vel in *dogmatis*, vel in *moribus* ac vitæ inſtitutis. *Dogmata* cumprimis fuêre: Non eſſe Providentiam circà *mala*, ſi Joſepho fides, *Lib.* XII. C. IX. imò planè nullam eſſe, ſi aliis; Dari ἀδιαφορίαν circà bonum & malum, quod & Pharizæi ſenſêre; Hominem ſuarum actionum Dominum eſſe; Nullas poſt hanc vitam pœnas eſſe, præmia nulla; Animam haud eſſe corpori ſuperſtitem, utpote corpoream; nec dari Reſurrectionem corporum, nec futurum Seculum: Undè perpetua fuerit in Orationibus clauſula, adversùs hanc ſcilicet Hæreſim, מן העולם עד עולם, prout Chriſtus ipſe diſtinxit, τὸν νῦν αἰῶνα καὶ τὸν μέλλοντα, *Matth.* XII. 32. Imprimis negabant Sadducæi, dari πνεύματα *ſubſtantias ſpirituales*, adeoque dari Ἀγγέλους *Angelos*, *Act.* XXIII. 8. nempè qui eſſent πνεύματα naturæ *ſpiritualis*, qualem illi negabant; quod alii ad *malos* Angelos ſive Dæmonas reſtrinxerunt. Creditum etiam vulgò admiſiſſe ſolam *Legem*, nec habuiſſe Scripta *Prophetica* ut à divino Spiritu profecta; quanquàm nullo teſte idoneo, nec ullibi hac Sadducæorum hæreſi notatâ à Joſepho, Chriſto, Paulo. Confuſi videntur in hoc Capite Sadducæi cum Samaritanis, quod illi ex *Moſe* objicerent, contrà reſurrectionem, *Matth.* XXII. 24. hinc Chriſtus ex *Moſe* reſponderit, *verſ.* 32. Ac diſertè Joſephus, recepiſſe πάντα τὰ γεγραμμένα, ſeu πᾶσαν τὴν Γραφήν. Certum nullam admiſiſſe Legem oralem, nullas δευτερώσεις, undè קראים *Lectionarii* ſeu *Scripturarii* audivêre. Sed & indè quædam invidioſiùs his afficta videntur, aut ſecùs fuiſſe explicata, ex odio quo in eos Pharizæi & δευτερωταὶ ferebantur, ob rejectas Traditiones. Dogmata ſeu vera, ſeu affićta.

Mores Sadducæorum quod attinet, deſcribuntur Joſepho ut ἄνδρες ἄγριοι καὶ ἀπηνεῖς *viri agreſtes & feroces*, cùm inter ſeſe, tùm ergà alios præcipuè plebem. Hinc & *plebi* inviſi, contrà grati Pharizæi, πολιτικώτατοι, externâ ſanctitatis ſpecie, & Traditionum apparatu, plebem faſcinantes. *Sadducæis* autem faviſſe videntur Primores, Magnates, Aulici; ut *Pharizæis* plebs ſuperſtitioſa. Herodes etiam putatur in Sadducæos fuiſſe propenſior, quorum ſcil. dogmata magis ad palatum eſſent Tyranni, de futuro Seculo parùm ſolliciti, ut ſolent etiam Regum paraſiti. Et hinc quidam *Herodianos Matth.* XXII. 16. habuêre pro *Sadducæis*, ipſe Doctiſſ. Beza, oppoſitè ad *Pharizæos*, de quibus erant Gaulanitæ: Quâ de re infrà. Mores.

De Eſſæis, ſive Eſſenis.

EXcipit Secta *Eſſenorum*, qui & *Eſſæi*, *Heſſæi*, etiam apud Epiphanium *Oſſeni*, *Oſſæi*, ſed qui huic diverſi eſſe creduntur. Favit huic ſectæ Joſephus Hiſtor. dum ejus innocentiam & ſanctitatem vivis coloribus effingit; ut & Philo Alexandrinus, dùm Libro περὶ θεωρητικοῦ βίου, *Therapeutarum* vitam multis commendat, quam hinc Chriſtianorum illam fuiſſe, credidêre Euſebius, Hieronymus, alii.

1. Originem *nominis* alii cum Euſebio Græcam, *Lib.* VIII. προπαρασκ. C. XI. (frequenti uſu Patrum) quaſi חסאי ὅσιοι, ὁσιαῖοι, quæ & Philonis ſententia fuit; alii Syram, ab אסא θεραπεύειν *ſanare*, undè θεραπευταὶ, θεραπευτρίδες, niſi hi *cultores* Numinis ἐξόχως dicti: Alii Hebraïcam tradidêre, & hanc rurſùm variam, ſeu à עשה quaſi πρακτικοὶ, ſeu à חסה quaſi eſſent in ſolitariis locis *latitantes*, ſeu à חשה quaſi *ſilentiarii*, ſeu à חסידים quaſi Origo nominis.

Aſi-

Aſidæi, eliſo *daleth*; Grotio poſterius probante, ac confundente cum Haſidæis.

Sectæ origo. II. *Sectæ* originem quod attinet, falluntur qui confundunt *Eſſæos* cum *Aſidæis*, de quibus ſuprà, hominum genere longè antiquiori; ex quibus tamen Pharizæorum Sectam prodiiſſe, hinc & rigidiorem alteram *Eſſæorum*, eſt quàm ſimillimum vero. Nam *Eſſenos* adjeciſſe ſuprà Pharizæorum juſtitiam ἐξ ἐπιμέτρε, ὑπερτέρως λίαν, disertè Suidas. Multa & habuere *Eſſeni* cum *Pythagoreis* communia, inter alia, quod eſſent κοινόβιοι, ἐχέμυθοι, &c. ſeu jam, Pythagoræ ætate, eſſent inter Judæos qui rigidiorem hanc vitam agerent, à tempore Captivitatis; ſeu Judæi hauſiſſent quædam ex Pythagoreorum diſciplinâ, ut Pharizæi quoque ſuum *fatum*, ſuam μετεμψύχωσιν. *Tempus* autem natæ inter Judæos Sectæ, proximè excipiet illud Pharizaiſmi exorti, ut increſcere ſolet ſuperſtitio. Gravior longè eſt hallucinatio Baronii ad A. Ch. LXIV. qui *Eſſenos* cùm Chriſtianos, tùm Monachos fuiſſe putat, converſos ſcilicet prædicatione Marci. Quâ de re diximus quædam, Exercit. de *Marco* Evangeliſtâ, & plura ad Secul. I. Eccleſiæ Chriſtianæ. Plinius verò in Nat. Hiſtoriâ, *Lib.* V. C. XVII. Eſſenos per aliquot *ſæculorum millia* ſtetiſſe tradit, *Gentem æternam*, ad Judæorum reſpiciens antiquitates.

Dogmata. III. Αἵρεσις rursùm conſtitit vel in *dogmatis*, vel in vitæ *inſtitutis*, & de his prolixiſſimè Joſephus, L. II. de Bello Judaïco, C. VII. Euſebius ex Philone, προπ. C. XI. XII. Epiphanius *Lib.* I. &c. *Dogmata* in pluribus ſana, ut de Dei univerſali Providentiâ; de animarum ἀθανασίᾳ, & habitatione in corpore ut carcere quodam; tùm migratione in loca vel gaudii vel pœnæ, &c. *Myſticum* quoque Scripturæ ſenſum ſectati perhibentur, apud Euſebium ex Philone de *Præp.* L. VIII. C. VI.

Vitæ instituta. Vitæ *inſtituta* prolixè enarrantur, cumprimis apud Joſephum *Antiq.* L. XVIII. C. II. & de Bello Jud. L. II. C. XI. & Philonem Judæum, hinc Euſebium L. VIII. Προπαρασκ. nonnulla utique digna memoratu. Hujuſmodi ſunt, vulgata illa, verbi gr. De non admiſſis in Societatem niſi viris ſenibus & gravibus, apud Euſebium *Lib.* VIII. Præparat. Evangel: De probatâ bonorum communione, & communibus *Cænobiis*, συσσιτίοις: De probato Cœlibatu, paucis tamen eorum apud Joſephum exceptis; Plinius, *ſine ullâ fœminâ, omni Venere abdicatâ*: De vitæ mirâ auſteritate quoad laborem, victum, veſtimenta: De famulitio nullo admiſſo, neque etiam ad iter viatico: De Artibus nullis exercitis ex quibus aliquid ad homines rediret detrimenti, aut undè vitia foverentur, ut mercaturâ, cauponariâ, fabrili, nauticâ, &c. De ſtatis jam antè ſolis exortum precibus, & diſciplinæ totius ἀταξίᾳ, verè Aſceticâ: De Sabbati obſervantiâ planè ſuperſtitioſâ, ut ne ἀποπατεῖν vel *alvum exonerare* liceret; lepido apud Matthæum Paris exemplo, de nolente extrahi cloacâ in Sabbato, *Sabbata Sancta colo, de ſtercore ſurgere nolo*: De ſtudio ſingulari pietatis, beneficentiæ, hoſpitalitatis: De amore ſolitudinis, ſilentii, ἐχεμυθίας Pythagoricæ: De probatis Diſcipulis *quadriennio* toto, deque *quatuor* Ordinibus, inter quos pro receptionis tempore diſtributi eſſent: De ſeveritate animadverſionum in delinquentes, & panis etiam ac cibi omnis interdictione: De fugâ litium, contentionum, diſputationum, undè nec *Chriſto* Domino, aut Apoſtolis, moleſti fuiſſe leguntur in Evangelicâ Hiſt: De vitâ theoreticâ, & ob victûs ſimplicitatem in longum ævi provectâ: Et quæ de Eſſenis plura, legenda apud Druſium *de Tribus Sectis Jud.* L. IV. vel Scaligerum in *Elencho* Trihæreſii contra Nic. Serarium, ut recentiores mittam.

Undè nihil mirum videatur, *Monachorum* veterum quandam in iis imaginem deprehendiſſe Baronium, ut etiam pro Monachis & Chriſtianis habuerit.

De cæteris apud Judæos ſive Sectis, ſive Factionibus.

I. HEmerobaptiſtarum mentio eſt apud Epiphanium, *Lib.* I. C. XVII. 1. Origo *nominis* Græca ἀπὸ τῆς καθ' ἡμέραν βαπτίζεσθαι, à cotidiano baptiſmo ſeu lavacro; quæ & profanarum inter Idololatras religionum ſuperſtitio fuit. 2. *Dogmata*, eadem in cæteris quæ Pharizæorum; at de Reſurrectione ſenſiſſe cum Sadducæis perhibentur. 3. Ad *inſtituta* vitæ potiſſimum illud ſpectat, μὴ εἶναι ζῆν ἀνθρώπῳ, *non poſſe hominem vivere*, ut eſt apud Epiphanium, nempè εὖ, καλῶς, καθαρῶς, *probè ſanctéque*, ſine baptiſmo cotidiano. Qui tantùm abeſt ut faceret ad purgandam animam, ut neque ad id ſufficerent *aquæ* omnes *Oceani*, *Marium*, ut rectè idem Epiphanius. Hemerob. Origo, & inſtitutum.

II. *Doſitheanos* Samaritanorum Sectam, Δοσιθέους dicit Epiphanius, de *Hær.* L. I. C. XIII. à *Doſitheo* Samarit. de quo multa Origenes *Lib.* I. contrà Celſum. Doſitheani, dogmata, mores.

Inter alia fertur ſe pro Chriſto venditaſſe, Moſi prænunciato: Sic adulteraſſe Pentateuchum Moſis, apud Photium ex Actis Synodi ab Eulogio coactæ, contrà Samarit. undè Uſſerius Armach. hunc auctorem habuit Pentateuchi Samaritani: Ità Sabbati obſervantiam planè rigidam præſcripſiſſe, lepidis etiam rei exemplis. Quoad mores, feruntur fuiſſe μονόγαμοι, vel etiam παρθενεύοντες & omninò cœlibes, apud dictum Epiphanium. Vide & Photium in Eulogio, *Cod.* CCXXX. ſub finem.

III. *Herodiani* celebres ex Hiſtoriâ Euangelicâ, *Matth.* XXII. 16. *Marc.* XII. 13. & ex Perſio *Sa-tyr.* V. *Herodis venêre dies*, &c. An verò *Civilis* factio, an *Eccleſiaſtica* quædam, dubitatum eſt: Sic an ab Herode Magno ſic dicti, an ab Herode Antipâ, vel Herode Agrippâ, qui demùm ſub Cajo Calig. emerſit, in priorum ditiones ſucceſſurus. Herodiani. De his ſententiæ variæ.

Aliis nomen Gentis eſt, iidem qui Ἑλλωνιᾶοι, quæ Druſii & Genebrardi ex errore quodam, conjectura fuit, pro יונים הורדסיות *columbis Herodianis*, (quas ex Deſerto petitas Herodes cicurari, ſeu Domi ſuæ educari juſſit, in Lexico Aruch, voce יון) legentium יונים *Jonas*, *Græcos*, ab Herode ex Deſerto in locum habitatum traductos, obſervante Buxtorfio in Lex. Talmud. ad vocem הורדסי. Quidam *Herodianos* habuêre pro *ſervis*, miniſtris Herodis, vel *Domeſticis*, qui à Domino ſuo denominarentur: Alii pro hujuſmodi qui *Herodem* M. haberent *pro Chriſto* ſeu Meſſiâ, cenſerentque impletum in eo oraculum *Gen.* XLIX. 10. uti Joſephus ad Veſpaſianum traxit illud, *Mich.* V. 2. de *dominatore* egreſſuro ex Judæâ; Et ità in Veteribus Tertullianus, *de Præſcr. Hæret.* C. XLIV. Epiphanius *Hær.* XX. alii, faventibus Baronio, Caſaubono, Hug. Grotio, Iſ. Voſſio. Quum tamen is homo profanus, crudelis, inviſus Judæis, nec *Judæus* is origine, ſed alienigena & Idumæus, invitis licet Torniello, Sculteto, &c. nec in eo fuerit ſpes, aut deſiderium, aut aggregatio Populorum. Quamvis hoc ipſo habitum Meſſiam illi voluerint, quod *receſſiſſet* jam *Sceptrum à Judâ*, tranſlatum ſcilicet ad Herodem, ſenſu Jacobæo oppoſito, & expectationi hactenùs Judæorum. *Herodianos* alii habuerunt pro ſectâ ex Judaiſmo & Paganiſmo conflatâ, quum Herodes M. ritibus Sacris profanos miſcuiſſet, in gratiam Cæſaris. Alii autem *paraſitos* vel gnathones Herodis Antipæ, vel Aulicos, qui & faverent *Cæſari*, ac pro *Domino* haberent, audituri an Chriſtus illi κῆνσον vel *tributum* quoque negaret, quod faciebant Zelotæ, &

& qui è factione Judæ Galilæi, faventibus haud obſcurè Pharizæis. Et ſic Hieronymus in Matthæi *Cap.* XXII. atque eum antè Origenes Comment. in *Matth.* ad hunc locum, ex Edit. Græcâ Huëtii, p. 482. Ità *laqueus* utrobique prætenſus Chriſto Servatori, ut rectè Origenes, ſive *cenſum* Cæſari dandum eſſe negaret, quod *Herodiani* vertiſſent in accuſationis materiam apud Romanos; ſive dari permitteret, quod apud Judæos in invidiam adduxiſſent *Pharizæi.* Caſaubonus putat *Sodalitatem* in honorem Herodis M. inſtitutam, quæ diu ſatis manſerit poſt ejus obitum; ut qui Romæ dicti ſocii *Auguſtales*, *Flavii*, *Hadrianales*, *Antoniniani*, &c. Vel Sodales *Alexandrini*, (*Alexandriani* ut Salmaſius) dati Alexandro Severo à S. P. Q. R. apud Lampridium *pag.* 136. in ejus ſcil. honorem: Quod tamen à moribus Judæorum, & ab exoſâ Tyranni memoriâ, alienum.

Secta qualis? IV. *Gaulanitæ*, vel *Galilæi*, factio hæc potiùs *Civilis* quàm *Eccleſiaſtica*; de quâ Joſephus quædam, *Antiq.* L. XVIII. C. I. II. & de Bello Judaïco, L. II. C. VII. & ex eo Origenes, Euſebius, alii. *Nomen* Sectæ à *Judâ* quodam Gaulanitâ ſecundùm Joſephum, vel Galilæo *Act.* V. 37. ſocio ejuſdem Sadduco Pharizæo. *Simonem* etiam Galilæum alibi dixit Joſephus, de Bello Jud. L. II. C. VII. Qui verò hunc antè memoratur Theudas, *Act.* v. 36. tanquàm ſub Auguſto Cæſare, alius eſt ab eo de quo Joſephus ſub Claudio, interfecto à Cuſpio Fado Judææ Præſide, *Antiq.* L. XX. C. II. (Theudas Act. v. 36.)

Tempus igitur exortæ factionis fuit non longè à Nativitate Chriſti, poſt relegatum Archelaum, *Quirinio* tùm cenſus in Judæâ exigente: Quæ eſt ἀπογραφὴ ſecunda Scaligero, & aliis, ſed Valeſio ad Euſeb. L. I. C. v. primæ ἀπογραφῆς continuatio; aliis etiam illa ipſa de quâ *Luc.* II. quo de loco alibi diximus.

Occaſio factionis. Undè *occaſio* iſti factioni, duce videlicet *Judâ*, impatienter ferente iſtas exactiones, ſervitutis Judæorum teſtes, neganteque tributa Romanis perſolvenda, aut Cæſarem pro Domino habendum, aut preces pro ejus ſalute fundendas. Hæc quidem ſpecie libertatis, reipſâ (ut Joſephus) οἰκείων κέρδων ἐλπίσιν, *privati lucri ſtudio.* Hinc *Zelotæ* nuncupati, quarta quædam Secta Judæorum, à tribus illis *Pharizæorum*, *Sadducæorum*, & *Eſſenorum* diſtincta; quâ occaſione Joſephus de Trihæreſio diſſerit, *Lib.* XVIII. C. II. Ac per hos tandem peſſundata fuit Reſpublica Judæorum, ut nos ex Joſepho ad Secul. I. Hiſt. Chriſtianæ.

Hinc verò ſint illi *Galilæi*, ex factione Judæ, quorum ſanguinem Pilatus miſcuiſſe dicitur cum Hieroſolymitanis ſacrificiis, ut videtur in Paſchate, *Luc.* XIII. I. quod cenſent Grotius, Godwinus, & Doctiſſimi alii Interpretes; An de Samaritanis accipiendum, & tumultu ad montem Garizim excitato, de quo Joſephus *Antiq.* L. XVIII. C. v. inter Eruditos diſceptatur. Nihil tamen vel hîc legitur de *Sacrificiis*, vel apud Lucam de *Samaritanis.*

VIII. *Maccabæorum ultima. Primi gradus ſervitutis Judæorum ſub Romanis.*

SUmmatim huc ſpectant, quæ pluribus Joſephus indè à *Libro* XIV. Antiquitatum, & de Bello Judaïco *Libro* I. executus eſt. Hujuſmodi ſunt,

Mala ex Hyrcani & Ariſtobuli diſcordiis. I. *Mala* Reipubl. & Eccleſiæ ex contentione *Hyrcani* & *Ariſtobuli* fratrum, Alexandrâ matre extinctâ, annis antè Chriſtum natum plus minùs LX. *Hyrcanus* II. ad ſummam rerum admotus fuit, poſt Alexandræ Matris exceſſum, *Olymp.* CLXXVII. A. 4. licet Euſebio ſerius, A. *Urb. Cond.* DCLXXXV. antè Æram Chr. annis LXIX. Eodem anno bellum civile inter fratres exortum, *Ariſtobulo* Hyrcanum deturbante & Regno, & Pontificatu. Tum & gradum ſibi fecit ad majorem potentiam *Antipater* Dux Idumæorum, conſilio & opibus valens, ſuaſurus Hyrcano, ſegni alias & miti, ut ope Aretæ Arabum Reguli Principatûs jura vindicaret. Hinc mox prælium commiſſum; Hieroſolyma ab Hyrcano obſeſſa; *Æmil. Scaurus*, Pompeji in Syriâ legatus, pretio CCCC. talent. in Ariſtobuli partes pertractus; Obſidio Hieroſol. Scauri juſſu ab Hyrcano ſoluta. Nec diu poſt *Pompejus* M. victo Mithridate, ac Tigrane dedito, Syriâ potiturus, in quam ipſe Romana ſigna circumtulit, Libanum Syriæ ac Damaſcum tranſgreſſus eſt. Hinc cauſa utriuſque Fratris, ad Pompejum ut arbitrum delata, Antipatro pro Hyrcano dicturo, quum ante *vite aureâ* D. talentorum, ceimelio in domo Haſſamonæorum aſſervato, donaſſet Pompejum Ariſtobulus. Donec prudens Imperator cognitâ Ariſtobuli tyrannide, ſed & peſſimâ fide, ad obſidendam Hieroſolymam induceretur. Cujus Templum (quod tenebat Ariſtobuli factio) tertio demùm menſe cepit, ipſo die Jejunii, A. U. Cond. DCXCI. *Cicerone* & *C. Antonio* Coſſ. *Olymp.* CLXXIX. A. 2. ante Chr. annis LXIII. Et quod in ſtuporem rapuit, non modò durante obſidione, Romanis Machinas admoventibus, nullum intermiſêre Judæi ex ſacrificiis Lege præſcriptis; ſed ne quidem poſt militem Romanum intromiſſum, quum omnia plena cædibus eſſent; quo tempore ceciderunt Judæorum XII. millia, ut pluribus hæc Joſephus, Lib. XIV. C. VIII. qui rei teſtes citat Strabonem, T. Livium, &c. Undè Gentis jam tùm ſuperſtitio intelligitur, quam *pietatem* interpretatur Joſephus, ſecùs olim ſentiente Mattathiâ, I *Macc.* II. 40. 41. *pugnandum* etiam in *Sabbato.* Pompejus autem, cùm non paucis Romanorum, ingreſſus eſt in Templi Sanctuarium, confirmante Joſepho, ſed quod addit fuiſſe hactenus ἄβατον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ, καὶ ἀόρατον, in eo ſui oblitus eſt, in iis quæ de Antiocho Epiphane ipſe retulit, *Antiquit. Lib.* XII. C. VII. Quâ occaſione Florus *Lib.* III. C. v. *vidit illud grande impiæ Gentis arcanum patens*, *ſub aureo uti cœlo.* De quo variæ fuerunt, uti ſunt, Eruditorum conjecturæ, videndæ in Notis compendio J. G. Grævii. Nos autem ſimpliciſſimè reddimus, *patuiſſe* Pompejo illud Gentis Arcanum, ſeu Adytum, *ſub aureo uti cœlo*, veluti ſub aureo cœlo, inauratis laquearibus, cæteriſque, quæ Pompeji oculos ſubiêre, auro obductis. (Pompejus Hieroſ. obſidet.)

Mutationes in Syriâ Palæſt. II. Mox Hyrcanus in Principatum, & Sacerdotium, à Pompejo reſtitutus, Ariſtobulus Romam cum filiis abductus, ſervandus Triumpho; Syria in Provinciæ Romanæ formam redacta, extincto Regno Seleucidarum, Anno eodem; Urbes variæ in Cœle-Syriâ, & Maritimæ Gaza, Joppe, Dora, Stratonis Turris, eidem *Provinciæ* attributæ; *Antiochia* libertatis jure donata; *Judæa* autem Romanis facta tributaria, uno Fratrum diſſidio cauſa amiſſæ tùm primùm libertatis. Et hæc pluribus Joſephus *Lib.* XIV. *Antiq.* primis VIII. Capitibus, præter Salluſtium, Dionem, Romanos Hiſtoricos. Pompejus *Templo* Hieroſ. capto, poſt trium menſium obſidionem, ſacrilegio abſtinuit, nihilque *præ pietate* ex illo Fano attigit, ſic Joſephus, quod ad illud pertineret, (ut poſtea auſus M. Craſſus) quin & purgari protinus juſſit. Quanquàm Cicero Orat. pro L. Flacco: *Non religionem Judæorum impedimento fuiſſe*, *ſed pudorem*, *ne locum ſermoni obtrectatorum relinqueret.*

Incrementa ſervitut. Judæorum. III. Aucta mox ſervitus Romana Judæorum. *Gabinius* enim Proconſul, Româ ſubmiſſus, *Alexandrum* Ariſtobuli filium, in Romanos rebellantem, collectis ab eo XXX. millibus Judæorum, ad de-

Digitized by Google

deditionem adegit; *Hyrcanum* dejectum reſtituit, ac in principatu confirmavit, permiſſurum *Antipatro* ſummam adminiſtrationis; & Synedrium Magnum in *quinque* Conventus Juridicos, pari auctoritate, totâ Provinciâ diviſit, ut Joſephus *Lib.* XIV. C. X. quorum primum Hieroſolymis, reliqua Gadaris, Amathunte, Hierichonte, & Saphoræ Galilææ. Ariſtobulum etiam, Romanis vinculis elapſum, & in Judæâ expugnatum, captumque, Romam cum Antigono filio remiſit *Antiq. Lib.* XIV. C. XI. Nec diu poſt *M. Craſſus*, Gabinio Proconſuli ſuffectus, ac contra Parthos exercitum ducens, *Templum* Hieroſolymit. expilavit, ad 10000. talenta, ut Joſephus; præter *trabem* illam ex *auro ſolido*, unde pendebant Templi aulæa, quam pro auro reliquo ab Eleazare accepit, Annis ante Æram Chr. LIV. *Julius Cæſar* poſteà, ab *Antipatro* adjutus in Ægyptiacâ expeditione, *Hyrcanum* quidem, & ejus liberos, Ethnarchas ac Pontifices eſſe juſſit, *Antipatrum* verò totius Judææ Procuratorem conſtituit, Anno qui præceſſit *Dictaturam* II. Jul. Cæſ. & Annum *Confuſionis*, proximum antè A. *Julianum* I. Hæc pluribus idem Joſephus *Lib.* XIV. ad *Caput* XVI. Et ne quid deeſſet ad ſervitutem Judæorum, C. *Caſſius*, à nece Jul. Cæſaris Syriæ Proconſul, DCCC. argenti talenta à Judæis extorſit, & aliquot civitatum plebes, præcipuè *Gophna*, *Emauntis*, *Lydda*, & *Thamna*, haſtæ ſubjecit. *M. Antonius* deinde ſervitutem auxit, ſaviturus Herodi, quem unà cum Phaſaëlo fratre Tetrarchas in Judæâ conſtituit, accuſatoribus Herodis in vincula conjectis, atque etiam interfectis. Cumulum additurus poſteà *Octavius Auguſtus*, quem Herodes quoque ſibi conciliavit, etiam ab eo confirmatus in Regno Judæorum; ſub quo tandem Auguſto Judæa omnis *Provinciæ* formam accepit, mortuo Herode, & Archelao relegato, A. Æræ Vulg. VII. abolito penitùs *Sceptro* Judæorum, & ſupremâ *Legiſlaturâ*, ac jure Gladii, ad Romanos tranſlatis.

IV. Nec omittenda extinctio totalis ſanguinis *Aſſamonæorum*, facientibus partim Romanis, partim Herode M. *Ariſtobulus* quidem Hyrcani frater, à Pompejanis veneno ſublatus eſt. *Alexander* filius, in Romanos rebellans, juſſu Pompeji Antiochiæ ſecuri percuſſus. Poſteà *Antigonus*, alter Ariſtobuli filius, recuperato Regno & Sacerdotio, Parthorum ope, oppreſſus à Soſio & Herode, poſt triennale bellum, par fatum ſortitus eſt quod Alexander, ab Antonio in eadem Urbe Antiochenâ capite multatus; finito ſic Aſſamonæorum Principatu, Annis CXXVI. à Judæ Pontificatu. Supererat *Hyrcanus* ſenior, avus Mariamnes, ex Alexandrâ filiâ, & *Ariſtobulus* junior, frater Mariamnes. Hic Pontificatu donatus ab Herode ad preces aſſiduas uxoris, perfidè in ipſo flore juventutis, anno ætatis XVIII. ſuffocandus in piſcinâ fuit, A. primo Pontificatûs, Juliano XI. antè *Æram* Chr. XXXV. ut magnâ conſenſione Chronologi, etiam Petavius, Uſſerius, Pagius, &c. *Hyrcanus* autem octogenarius (quem Herodes à Parthis è Babyloniâ revocaverat, magnificis promiſſis lactatum) ante Herodis ad Cæſarem Aug. profectionem, cui Rhodi occurrit, obtentu clandeſtinæ cum Malcho Arabe conſpirationis, ad quam Hyrcanus pertractus invitus, crudeliter necari juſſus eſt. Poſtremò *Alexandra* & *Mariamne*, Mater & Filia, Socrus & Conjux Herodis, parem vitæ exitum ſortituræ; hæc prior, Salomes ſororis Herodis calumniis oppreſſa, & adulterii falsò ſuſpecta, illa mox novarum molitionum poſtulata. Quin ne quid Heroïci ſanguinis ſupereſſet, non modo ſuſtulit quicquid reliquum ex cognatione Hyrcani, ſed etiam ſuſcepti ex Mariamne Herodiani filii, *Ariſtobulus* & *Alexander*, in ſuſpicionem adducti conſpirationis in Patrem, falſis *Antipatri* fratris delationibus, causâ nequicquam dictâ, Sebaſtem ducti, ac Patris juſſu ſtrangulati ſunt miſerandum in modum, Annis ante Æram Vulg. circiter V. Quod poſtremum pluribus refert Joſephus, *Lib.* XVI. C. XVII. & Belli Jud. *Lib.* I. C. XVII.

Sanguinis Maccab. totalis extinctio.

IX. *Herodianæ dominationis conſpectus. Gradus ad eandem. Servitus Judæorum ſub Herode M.*

I. GRadus *Herodi* ad dominationem in *Antipatro* primùm fuit, Patre Herodis Magni, Idumææ Duce, quem τῇ φύσει *à naturâ* factioſum dicit Joſephus, *Antiq.* L. XIV. C. II. Per hunc enim, conſilia *Hyrcano*, ad res gerendas ſegniori, ſuggeſta; Hyrcanus Julio Cæſari conciliatus, ac ejuſdem Antipatri induſtriâ, poſtpoſito à Cæſare *Antigono* Ariſtobuli filio, licet hic oppreſſus à Pompejanis eſſet, reſtitutus in Pontificatum; Judææ autem & Syriæ Procuratio Antipatro commiſſa, cùm ampliſſimis honoribus & privilegiis, ſolo Pontificalis honoris Titulo penes Hyrcanum. Falluntur qui Antipatrum Gente *Judæum* fuiſſe cenſent, ac præ cæteris Torniellus in *Annalib.* poſt *Nicol. Damaſcenum* qui hoc in gratiam Herodis, Antiquit. L. XIV. C. II. nam Judæus ſolùm religione fuit. Undè Herodem *Idumæum*, hoc eſt, *Semi-Judæum* dicit Joſephus, *Antiq.* L. XIV. C. XXVII. Quanquam ob aggregatos Judæis Idumæos ſub Joh. Hyrcano, ex Joſepho L. XIII. C. XVII. hoc ipſo *alienigenam* fuiſſe Herodem negarit Joſ. Scaliger, Caſaubonus, Scultetus, alii; de quo fusè Parens meus in *Dub. Euang.* P. II. Antipatri exaltatio.

II. Primordia *Herodiani* dominatûs fuerunt: Dùm hic *Galilææ* à Patre præfectus, admodum juvenis, poſt à Caſſio etiam præfectus *Cœle-Syriæ*, multa fortiter gerit; Antigonum Ariſtobuli filium, Galilæam invadentem, profligat; cum Hyrcano in gratiam redit, deſponſatâ Herodi Mariamne, *Ariſtobuli* ex filio Alexandro, & *Hyrcani* ex filiâ nepte: Dein ab Antonio, cujus gratiam meruit, cum Phaſaëlo fratre, *Tetrarcha* renunciatur; nam Ethnarchæ dignitas nuſquam illi tributa legitur: Poſt reſtitutis *Antigoni* rebus Parthorum auxilio, & *Phaſaëlo* fratre ſpontaneo illiſu capitis ad ſaxum, ut Antigoni manus effugeret, (quod bonum factum interpretatur Joſephus) è vivis ſublato, deſperabundus Romam ad Antonium fugit: Tùm Antonii & Octavii favore, medius inter utrumque, *Judæorum Rex* à Senatu proclamatus, Coſſ. Cn. Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione. Et hinc prima *Regni* Herodiani Epocha ducitur, An. U. C. DCCXIV. *Olympiadis* CLXXXV. anno I. licet apud Joſephum notetur *Olympias* ρ'. ϰ π'. ϰ δ'. CLXXXIV. De quo dictum *Chronol. S.* P. II. C. XV. Herodianæ dominationis gradus.

III. Poſt hæc Herodes Antigonum dejecturus in Judæam redit, & poſt triennale ferè bellum Antigonum opprimit, Parthos è Syriâ pellit, Hieroſolymam XXVII. annis poſtquàm occupata à Pompejo fuerat, eodem die expugnat; ſicque tandem (Aſſamonæorum principatu in *Antigono*, quem in Herodis gratiam mox ſecuri percuſſit Antonius, extincto) Judææ regno placidus potitur, annis antè Æram Vulgarem circiter XXXVII. Et hæc prolixiùs Joſephus toto Libro XIV. *Antiq.* Atque hinc ſecunda Epocha Regni Herodiani, nempe à captâ Hieroſolymâ, anno tertio deſinente *Olymp.* CLXXXV. Juliano IX. Auguſtali à cæde J. Cæſaris VIII. variis hîc Euſebii & ſequacium parachroniſmis, de quibus Parens noſter *Dub. Ev.* Parte II. Baronius verò tertiam Epocham de ſuo finxit regni Herodiani, in ſuo *Apparatu*. Nempè à factâ ab Auguſto, in Rhodo Inſulâ, poſt Actiacam victoriam, confirmatione regni Herodiani, quo ſcil. excidiſſet ob adjutum Incrementum & ακμὴ.

jutum Antonium, Olympiadis CLXXXVII. anno II. De quo διϛήματι Baroniano multis Parens noſter, & nos in ſuperiori *Chronolog.* P. II. C. XV. Atque ità *Sceptrum* in Gente Judæorum, quod per Pompejum M. & Romanos primò concuſſum, tandem à Judæis *ablatum*, tranſlatumque fuit in alienigenam; omninò autem *fractum* & extinctum ſub Auguſto Cæſare, quo imperante natus eſt *J. Chriſtus*, cui fuit aggregatio Populorum.

Judæorum ſub Her. M. Servitus.

IV. *Servitus* Judaïcæ *Eccleſiæ* ſub regno Herodis intoleranda fuit. Hinc idem Herodes, Galilææ adhuc Præfectus cùm eſſet, adoleſcens XV. annorum, Concilium majus Judæorum dictum Sanhedrin, contumelioſè habuit, afficiens ultimo ſupplicio latronum quoſdam duces, non expectatâ ſententiâ Synedrii: Et citatus à Judicio ad cauſam dicendam, apparuit in eo purpuratus, & cum armatis ſtipatoribus, ut pluribus Joſephus, *Lib.* XIV. *Cap.* XVII. Poſteà admotus Tetrarchiæ, cum Phaſaëlo fratre, dein etiam Regno Judæorum, Judæos ut potuit, tutus Antonii patrocinio, poſt etiam Octavii Auguſti, vexavit, afflixit: Aſſamonæos omnes, Antigono victo, à quo ſibi maximè periculum imminebat, ac ſecuri Antiochiæ percuſſo, delere inſtituit: Cædibus immitem in modum ſæviit, non dignitati, non ſanguini, non ſexui parcens, nec ætati: In omnibus Antonio primùm, dein Octav. Cæſari, gratificari ſtuduit, conditâ etiam *Cæſareâ*, ornatâque in honorem Cæſaris, ad litus Phœnicum inter Doram & Joppem, quæ antea Πύργος Στράτωνος *Turris Stratonis*, hinc Καισάρεια Στρατονικέων apud Goltzium, communiter *Cæſarea Palæſtina*, diſtinctionis ergò à *Cæſareis* aliis, cumprimis à *Cæſareâ Philippi*, vel *Paneade*, aut ὑπὸ Πανείῳ *ſub Panio* monte, (alia fuit *ſub Argæo* monte, in Cappadociâ) quam condidit Philippus in honorem quoque Auguſti, inter annos U. C. 751. & 755. ut Noriſius, ſuppoſitâ jam *morte* Herodis M. an. 750. Sic Herodes M. *Samariam* in honorem ejuſdem Auguſti Σεβάστην dici voluit, id eſt, *Auguſtam*, ut Hieronymus Epiſt. ad Paulam, vel *Cæſarauguſtam* (undè Καισαρέων Σεβαστηνῶν) extructam A. U. C. 729. (Euſebius A. 736.) XX. ſtadiorum circuitu, diſtantem ab Hieroſolymis itincre unius diei, apud Joſephum *Antiq. Lib.* XV. C. XI. ſub finem. Sic idem Herodes Judæorum ritus cum profanis miſcuit, inſtitutis Ludis & certaminibus Athleticis in honorem Auguſti, *quinto* quoque anno redituris; ſtructis *Theatro* in ipſa Urbe, & *Amphitheatro* in Campo, ſumptuoſiſſimo opere, etiam Cæſaris titulis, & tropæis mirè exornandis: Poſt & *Aquilam Auream* ingentis magnitudinis, ſuprà majorem Templi portam, contrà Legem Judæorum, ſuſpendi juſſit: *Pontifices*, anteà perpetuos, pro libidine ſummovit, *Ananelo* obſcuro Sacerdote creato ſummo Pontifice, ac poſt *Ariſtobuli* Junioris necem, (in quo ſucceſſionis ἀρχιερατικῆς jura extincta) in Pontificatum reſtituto: Succeſſuris ſub eodem Herode M. *Jeſu* quodam, Phabeti F. tum *Simone* Boëthi Alexandrini F. cujus filiam Mariamnem deperibat Herodes; hinc *Matthiâ* Theophili F. cui paulò ante mortem eripuit Sacerdotium Herodes, quod ejus indultu Aquilam Auream plebs ſeditioſa effregiſſet; tandem *Joazaro* Simonis Boëthi Filio, ſub quo natum eſſe Chriſtum vult Nicephorus, Petavius autem ſub anteceſſore Matthiâ *Lib.* X. de Doctr. Temporum *Cap.* LII. Atque huic Sacerdotium ademit Archelaus, *Eleazaro* fratre ſubſtituto; quod tamen, Archelao relegato, recepit *Joazarus*: Sed ſeditione in eum excitatâ, quod faveret cenſui Romanorum, locum facturus *Anano*, cujus gener fuit *Cajaphas* ille, ſub quo paſſus eſt Chriſtus. Inſuper Judæos innumeris cædibus, terrore, molibus paſſim extructis, coercuit; *Aquila aurea*, pro foribus Templi ſuſpenſæ, effractores Judam & Matthiam, Legis Doctores, omneſque complices, vivicomburio affecit: Davidis ſepulchrum, ſpe ingentis theſauri, mox deluſus eo aperto, violavit. In familiam, in conjugem, in filios (Ariſtobulum, Alexandrum, poſtea & Antipatrum) in Sororium Joſephum, in domeſticos, in amicos, in ſe ipſum αὐτοχειρίᾳ ſibi intentâ, miſerè ſæviit: Tandem (ut mittamus *Beethleëmiticam* cumprimis ſtragem, puerorum infrà bimatum, cujus veſtigium apud Macrobium eſt) morti ſe proximum ratus, *Hierichunti* molitus eſt immane in Judæos facinus, ſcil. nobiliſſimorum Judæorum mox ab exceſſu ſuo internecionem, quos eò evocatos & in Circo concluſos, voluit immiſſo milite jugulari, quamprimùm expiraret, ut ità Judæi ſe *lachrymis decorarent*. Hæc & alia pluribus exequitur Joſephus, uſque ad *Caput* XI. *Libri* XVII. Antiquit. & de Bello Jud. *Lib.* I. Tum & Uſſerius noſter prolixè & accuratè ut ſolet, in *Annalibus*; ac prolixiſſimè Parens meus *Dub. Euang.* P. II. Dub. II.

V. Mortuus creditur Herodes, ſeptuagenarius circiter, Conſulatu Calv. Sabini, & Paſſieni Rufi, *Olymp.* CXCIV. A. I. V. Cond. DCCL. Sed adeò hic variant Chronologi, Euſebio etiam à Joſepho diſſidente, ut vix certò definiri poſſit annus emortualis Herodis, & duratio Regni Herodiani. De quo prolixa extat Parentis mei Diſſertatio Dub. Evang. P. II. Baronius, poſtquam I. Regni Herodiani annum conjeciſſet demum in tempus confirmati ab Auguſto Regni Herodiani, poſt Actiacam victoriam, neceſſe habuit mortem conjicere in annum VIII. *Æra* Chr. *Julianum* LI. Porro factâ ſibi poteſtate ab Auguſto hæredem ſcribendi, Teſtamentariis Tabulis mutatis, *Archelaum* poſt ſe Regem Judæorum deſignavit; Herodem *Antipam* Galilææ, ſimul ac Peraæ, *Philippum* autem, germanum fratrem Archelai, Trachonitidis, Gaulanitidis, Bataneæ, & Paneadis *Tetrarchas* conſtituit; Salomæ ſorori attributis, *Jamniâ*, *Azoto*, & *Phaſaëlide*, oppido circa vallem Hierichuntinam quâ itur ad Septentrionem. Præter legata alia pecuniaria, & vaſa aurea, argentea, cum centenis mill. (μυριάσι χιλίαις) argenti ſignati, quæ Cæſari legavit. Hæc Joſephus *Lib.* XVII. C. X.

X. *Templi Hieroſolymitani per Herodem Inſtauratio.*

Summa hiſtoriæ

I. DEſcribit hanc Joſephus *Antiq. Lib.* XV. *Cap.* ult. & de Bello Jud. Lib. VI. C. VI. & XVI. hinc Joſippus Gorionides *Lib.* V. C. XXV. in nonnullis diverſus ab Ἀρχαιολόγῳ. Favent Talmudici, ut *gloriam* II. *Domûs* ſuprà illam *primæ* extollant. Summa eſt: Ut anno XVIII. Herodiani regni molitus ſit Herodes (aucupandæ gratiæ Judæorum) novam conſtructionem Templi, ab ipſis *fundamentis*, ampliore ambitu, & convenientiori altitudine; Ut materias in hunc finem præpararit, mille plauſtris convectas; Ut Artificum decem millia ſelegerit; Ut à fundamentis, ex ſaxo ingentis magnitudinis (undè voces illæ *Marc.* XIII. I.) Templum excitarit; Ut Operarum, Columnarum, Porticuum, Portarum, Murorum, cæterorumque, magnificentiâ, & amplitudine, ſuprà Ædificium prius, exornaverit; Ut etiam *vitem auream*, è quâ botri ingentis magnitudinis dependebant, ſuprà columnas, in interiore Portæ Templi parte, erexerit, non profectò in Sanctuario, ubi ἔκειτο οὐδὲν ὅλως, undè in Nummis Herodis M. *Botrus* expreſſa. Et tantum quidem opus infrà annum *decimum*, nullis (ut Joſephus) interdiu pluviis interruptum, perfeciſſe Herodem referunt. Quod intellige de interiori

riori parte Templi, abſolutâ menſibus XVIII. uti connexa ædificia & exteriora annis VIII. Structurâ reliquâ, ut videtur, per multos annos continuatâ. Hæc omnia, uti factam dedicationem Templi, & celebrationem anniverſariam, pluribus videſis apud Joſephum. Ac Herodiani hujus Templi ἰχνογραφίαν dedit ex Joſepho Lud. Capellus, in Hiſtoriæ Apoſtol. calce. De *Atrio Gentium* lis illi contrà affirmantes iſtud Hebræos, & Villalpandum, nec enim hoc aliud fuiſſe quàm priorem & exteriorem Templi ambitum, quatuor Porticibus diſtinctum, Judæis & Gentibus communem. Cæterùm fidem Joſephi, in hac *Templi Herodiani* deſcriptione, tanquàm à fundamentis planè novi, *ſublatis veteribus fundamentis*, & quidem ſuperaturi gloriâ & magnificentiâ Zorobabelicum Templum (ut *Ant. Lib.* XV. C. XIV. & de Bello Judaico *Lib.* VI. C. VI.) non uno nomine deſiderarunt Villalpandus, & Viri alii perſpicaces, ac Theologi graviſſimi. Obſtare videntur, Herodis jam profuſæ in ſtructuras alias opes, Urbes, Aras, Templa, Caſtra, Theatra, &c. Largitiones in Romanos immenſæ, exhauſtum Ærarium *frumento* ex Ægypto comparando, &c. Joſepho ipſo horum teſte: Sic obſtat vaticinium Haggæi, de *gloriâ ſecundæ Domûs*, non externâ ſanè, hinc lachrymæ expreſſæ Populo, ſed ſpirituali & myſticâ, adventu ſcil. Meſſiæ. Denique obſtat *Secundi Templi* appellatio, quâ venit hæc Domus, etiam ab inſtauratione Herodis, & *Excidium* vulgò *Templi* II. apud Joſephum ipſum, & Magiſtros. Potuit ergò Herodes uſus eſſe materiâ vetere, nec diruiſſe totum ſimul & ſemel, ſed per partes inſtauraſſe exornaſſeque, ut inter cæteras *Porticum Salomonis*, cujus ornatum egredientes è Templo Diſcipuli Domini mirabantur, *Marc.* XIII. 1. &c. Sed in deſcriptione hujus Templi non unum Joſephi errorem Architectonicum, ac commentum, notat Villalpandus, *Tomo* II. in Ezech. *Lib.* V. P. IV. C. LXVIII. Idque eo magis credibile, quod deſtructo pridem Templo, quum hæc ſcriberet, impunè exaggerare potuerit illius gloriam ac magnificentiam, ut & Gentis Judæorum, pro more ſuo, hinc potentiam Romanorum qui evertiſſent, nullo tùm in Judæis qui falſitatis arguere, aut vellet, aut poſſet aliquo documento.

Locus Joh. II. explic.

II. Atque hinc commodùm intelligi videntur, anni illi XLVI. de quibus *Joh.* II. 20. Dùm à cœptâ Templi ſtructurâ anno regni ſui XVIII. (quidam à *primâ* Epochâ regni Herodiani, Uſſerius à ſublato Antigono & Epochâ *ſecundâ*) vixit Herodes ad Nat. Ch. annos XVI. dehinc computatis annis circiter XXX. ad tempus illud quo Judæi verba hæc ad Chriſtum habuerunt, ante primum Paſcha publici miniſterii, exurgunt anni XLVI. completi, nempè à cœptâ Herodis ſtructurâ. Conſentiunt & doctiſſimi Interpretes ac Chronologi, Uſſerius Armach. in Annal. P. II. p. 514. ac fusè hac de re Ligtfootius in Horis ſuis ad Johannem.

XI. *Facies Eccleſiæ ſub tempus Nativitatis Chriſti.*

CORruptiſſimus ſanè illius ſtatus fuiſſe intelligitur:

Romana ſervitus.

I. Ex *Sectis* prædictis Judæorum, ex factionibus, ſchiſmatis, & oppreſſione Herodianâ, Romanâque, de quibus ſuprà. Et hæc quidem cœperat dudùm antè Chriſtum natum. Ex quo Pompejus occupatâ Hieroſolymâ, annis LXIII. antè Æram Vulg. Judæos Romanis tributarios fecerat, multaſque eorum Urbes Provinciæ Syriæ attribuerat; Auctâ deinceps in majus ſervitute, per Gabinium Proconſulem, M. Craſſum, Julium Cæſarem, C. Caſſium, M. Antonium, Auguſtum denique, ut dictum. Et in Auguſti gratiam facere omnia Herodes, quem ut *Dominum* ſemper reſpexit, qui Judæos in *cenſum* retulit, iteratâ deſcriptione; quorum & regionem, Judæam, Samariam, & Idumæam, in Provinciæ formam redegit mortuo Herode, & relegato Archelao. Hæc videſis vel apud Joſephum *Lib.* XIV. & XV. Antiq. ut Strabonem, & Hiſtoricos Romanos taceam.

Phariſaicæ corruptelæ, ex Traditione.

II. Ex *Phariſaicâ* cumprimis doctrinâ, & Legis perverſione, & occultatione Clavis Propheticæ, ac Traditionum Judaicarum vanitate, ut & allegoricarum ad Textum S. explicationum, ac ſenſûs מדרש. Adde impia *Sadducæorum* dogmata, circà ſtatum noviſſimum; de quibus prolixè dictum in antecedentibus. In quæ toties invehi Salvatorem neceſſe fuit, tantùm abeſt, quod ſupponit P. Simon in Hiſt. Criticâ nuperâ, *Lib.* I. C. XVII. ut Chriſtus, in Scripturis interpretandis, Phariſæos imitatus ſit, poſteà & Paulus, Traditiones ſcilicet eaſdem, & allegorias ſectati, non verò ſenſum literalem. Iſaacus autem Voſſius, Chriſtum *Græcè* locutum, ad ſolum Textum Græcum τ̃ LXX. reſpexiſſe, hunc ſolum Hieroſolymis in Synagogis perſonuiſſe, &c. & quæ alia gratis aſſerta, ac perſtricta jam Viris eruditis.

Opinio de Meſſiâ tùm recepta.

III. Ex corruptiſſimâ ſpeciatim doctrinâ de *Meſſiâ*, ejuſque *Regno*, quod *terrenum* tantùm, ſublatâ quâ premebantur ſervitute, plerique ſibi promittebant. Undè *magnum Regem* dicuntur Judæi Alexandrini expectaſſe, quo tempore Romani Ægypto potiti ſunt. Adeò ut vix ex *Diſcipulorum* animis, nec niſi Chriſto ad Patrem recepto, evelli id præjudicium potuerit. Quod in hunc diem *velum* Judæorum cordibus obductum manet. Intelligebant ſanè adeſſe tempus quo, poſt tranſlatum à Judæis *Sceptrum*, poſt tot vaticinia, Prophetica veriùs quàm *Sibyllina*, & inter ſuos, veriùs quàm inter Romanos, (quæcunque de *Rege* Pop. Romano naſcituro, ex fatis Sibyllinis, Suetonius, & alii) vulgata; poſtque Eliana annorum *millia* quatuor, Meſſias tandem exhiberetur. Sed præjudicio hoc faſcinati Chriſtum non agnovêre. Hinc Pſeudo-Meſſiæ tùm ſurgentes, vel turbantes Theudas, Judas Galilæus, alii. Imò regnantem Herodem, faventemque Judæorum Sacris, quanquàm alienigenam, nonnulli tùm pro *Meſſiâ* habuiſſe creduntur, paraſiti ſaltem, quum jam *receſſiſſet Sceptrum à Judâ*. Nec tamen indè confecerit Doctiſſ. Iſaacus Voſſius, feciſſe id pleroſque aut prudentiores Judæorum, vel aliquot poſt ejus mortem ſeculis, hujus Pſeudo-Meſſiæ Æram computaſſe Judæos Hiſpanos, ac ſanxiſſe etiam legiſlatoriâ poteſtate. Undè natum ſit nomen *Æræ*, quaſi *Hegira*, & hoc ex הגר, id eſt, *peregrinus*, quod Herodis ſcilicet cognomentum. Quæ commemoraſſe hoc loco ſufficiat.

Bonorum reſiduum.

IV. Ex perexiguo bonorum *reſiduo*, uti Elianis temporibus, expectantium veram liberationem Iſraelis, & adventum Regni Dei, qualem Prophetæ prædixerant. Inter quos fuêre pauci ex Hiſtoriâ Euangelicâ, qui exhibitum in CHRISTO JESU Meſſiam mirâ obſequii promptitudine exceperunt, Simeon ſenior, Zacharias Sacerdos, Joſephus, Cleophas, Elizabetha, Anna Prophetiſſa, Joh. Baptiſta, Nicodemus, Joſ. Arimatheus, &c.

Incerta & fabuloſa.

V. Porrò fabulis ac commentis de iis quæ adventum Chriſti proximè anteceſſerunt, finis nullus eſt, vel apud ipſum Baronium in *Apparatu*, ex Pſeudo-Sibyllinis, Nyſſeno, Oroſio, Damaſceno, Suidâ, Nicephoro, &c. Hujuſmodi ſunt de reſponſo Apollinis ad Auguſtum, de Arâ primogeniti Dei, de Parentibus Mariæ, de conſecratione Virginis, de Joſepho ſponſo, &c. Adde hiſce Caſaubonum; de qui-

quibus ad Hiſt. Novi Teſtamenti quædam dicenda fuerint.

XI. *Synchroniſmus Hiſtoriæ Exoticæ, uſque ad Æram Chriſti Vulgarem.*

HOrum multa jam occupata, ob nexum hiſtoriæ *Maccabaicæ* & *Herodianæ*, cum hiſtoriâ *Antiochi Epiphanis*, & aliquot Succeſſorum, cum illâ *Ptolemæorum* in Ægypto, & *Romanorum* indè à Pompejo M. Julio Cæſare, M. Antonio, &c. ſtrictim ſecutura ſubnotamus.

Res Syriacæ, & Aſianæ.

Series Regum Syriæ. Ex Nummis lux.

I. Syriæ regnum, (ſublatis Antiocho *Epiphane*, & ejus filio *Eupatore*, adhuc puero, vitâ & regno privando anno II. Imperii) obtinuit legitimus hæres *Demetrius* cognomento *Soter*, filius Seleuci Philopatoris. Poſtquam is Româ, ubi obſes detinebatur, fugâ elapſus, anno Seleucid. 157. ætatis XXIII. & ità in Syriam delatus eſt, conſilio ipſius Polybii Hiſtorici Romæ tum exulis, ut prolixius ex Polybio ipſo, *Excerptis* de Legation. CXIV. Juſtino *Lib.* XXXIV. Joſepho *Lib.* XII. C. XVI. intelligitur. Atque hic *Demetrius* Soter, Θεοῦ quoque & Φιλοπάτορος cognomento ornatus, continuis revolutionibus ac bellis vexatiſſimus fuit, tandem anno XII. Regni ſublatus, cùm adverſus Pſeudo-Alexandrum pugnaret.

Alexander Balas, ut Strabo, *Balles* ut Joſephus, homo *ignotus & incertæ ſtirpis* habitus, falsò ſe jactans Antiochi Epiphanis filium (forſan nothus) favore Antiochenſium, Demetrium vitâ & regno exuit. Hic ipſe cùm Ptolemæi Philometoris filiam Cleopatram in conjugem accepit, tùm Jonatham fratrem Judæ Maccabæi in honore habuit, ut Joſephus iſta pluribus *Antiq. Lib.* XIII. *Cap.* VII. In Nummis aliquando inſcriptus, Ἀλεξάνδρου Βασιλέως. Quandoque *Capita jugata*, unum Mulieris, id eſt, *Cleopatræ*, alterum Viri cum Diademate, id eſt, *Alexandri*, Θεοπάτορος Εὐεργέτου.

Demetrius cognomento *Nicator*, filius Soteris, egreſſus annos pubertatis, in Alexandrum per Ciliciam movit, tandemque & regno, & conjuge Alexandri potitur, Anno Sel. 167. favore ipſius Philometoris, & Antiochenſium: Idemque Jonathæ Maccabæo favet, ut Joſephus *Lib.* XIII. C. VIII. in fœdus & amicitiam recepto. Qui Demetrius cum *Antiocho* Balæ filio, cum *Tryphone* hujus tutore, dein tyranno & invaſore regni, tandem cum *Arſace* Parthorum Rege, in cujus poteſtatem devenit, prælio victus, variâ fortunâ uſus eſt. Tandem & *Antiocho Sideta*, fratre ſuo, qui intereà regnum obtinuerat, per annos circiter IX. ſublato, A. Seleuc. 182. deſinente, quacunque tandem ratione (variè enim ejus mortem referunt Hiſtorici) regnum recepit *Demetrius*, ſed poſt annos IV. cum vitâ amiſſurus. Undè hic Demetrius à Parthis redux, cum prolixâ barbâ, Parthorum more, fortè in memoriam captivitatis, in Nummis conſpicitur. Aliquando inſcribitur in Numiſm. Βασιλ. Δημητρίου Θεοῦ Φιλαδέλφου Νικάτορος, vel Θεοῦ Νικάτορος ſimpliciter. Poſt ſucceſſuri in Syriæ regnum hi fuêre; *Antiochus* VI. Θεὸς Ἐπιφανὴς Νικηφόρος, cognomine ab Avo mutuato, Antiocho IV. Epiphane: Hic fuit Alexandri & Cleopatræ filius, puer, brevis ævi, oppreſſus anno Sel. 170. Demetrio intereà majorem Syriæ partem tenente. *Tryphon*, regni uſurpator, *Diodotus* anteà vocatus, & Αὐτοκράτωρ, quum pro Pupillo bella gereret, undè Βασιλέως Αὐτοκράτορος nomen etiam Rex retinuit. *Antiochus* VII. Εὐεργέτης, vulgò *Sidetes* (*Sid* linguâ Phœnicum *venationem* dicit) idemque *Soter*, & *Pius*, Demetrii Nicatoris Pater, IX. annos regnaturus ab Anno 174. ad 182. deſinentem, quo occiſus. *Alexander* II. vulgò *Zebenna* à Ptolemæo ſubornatus, tanquàm quem adoptaſſet Antiochus, & à rebellibus Syris Rex ſalutatus anno Seleucid. 184. Capite in Nummis *radiato*, & *diademate* revincto, tandem à Grypo cæſus. *Seleucus* V. Demetrii Nicatoris & Cleopatræ filius natu maximus, à matre jaculo transfixus, quod ejus injuſſu Diadema ſumpſiſſet, undè nulla ejus Numiſmata. *Antiochus* VIII. vulgò *Grypus* ob naſi aduncitatem, etiam cognomento Ἐπιφανής, Demetrii Nicat. & Cleopatræ filius natu minor, Anno Seleuc. 187. Fratri à Matre ſubſtitutus, ſed ità ut jus Imperii ac Regia poteſtas penes ipſam eſſet, undè in Nummis Caput Matris, jugatum Filio, præponitur, Βασιλίσσης Κλεοπάτρας, Βασιλέως Ἀντιόχου, & quidem ſola inter Syriæ Reginas arrogavit ſibi cognomen Θεᾶς, ex Nummis: Tres utpote Maritos Syriæ Reges habuit, *Alexandrum* cognomento Θεοπάτορα, *Demetrium* II. cognom. Nicatorem, & *Antiochum* VII. cognomine Euergetem vel Sidetem; ex quibus IV. Filios ſuſcepit, omnes etiam Syriæ Reges, quorum poſtremus Antiochus Philopator. Bibere tandem coacta id venenum, quod Filio Antiocho Grypo propinaverat, apud Appianum, & Juſtinum. *Antiochus* IX. *Philopator*, cognomento *Cyzicenus*, filius Antiochi VII. Euergetis, ex eâdem Cleopatrâ, *Epiphanis* frater uterinus, Rex ſalutatus A. Sel. 199. & annos XVIII. regnaturus. Hujus Nummi repræſentant Caput diadematum, radiatum, & cum lanugine. *Seleucus* VI. dictus Ἐπιφανὴς Νικάτωρ, filius natu maximus Antiochi Grypi ſive Epiphanis, Regium titulum aſſumpturus contrà Philopatora, Patruum ſuum, A. Sel. 216. quem prælio vicit; ob ſævitiem à Mopſveſtenis vivus comburendus, ſi Appiano fides in *Syriac.* Hinc regnum occupaturus A. Sel. 218. *Antiochus* X. cognomento Εὐσεβής, & Φιλοπάτωρ, nempè Antiochi Philopatoris & Cleopatræ Phyſconis filiæ, unigenitus; Qui mox anno ſequente, Sel. 219. in flumine ſubmerſus, vitâ & regno deceſſit *Antiocho* XI. Epiphanis ſecundo-genito, undè illi cognomen Ἐπιφανής, & Φιλάδελφος, ob amorem ergà *Philippum* fratrem, tertium ex Epiphanis filiis; Qui *Philippus* ipſe quoque Ἐπιφανοῦς & Φιλαδέλφου nomen accepit, poſt mortem Fratris; intrà biennium locum facturus *Demetrio Eucæro*, quarto ex filiis Antiochi Epiphanis, qui Damaſci Rex declaratus à Ptolemæo Lathuro, A. Sel. 221. Hic in Nummis apparet, Βασιλεὺς Δημήτριος, Φιλομήτωρ, Εὐεργέτης, Καλλίνικος. Tandem & quintus ac ultimus Epiphanis filius, *Antiochus* XII. cognomento Ἐπιφανὴς & Διόνυσος, ſumpturus Diadema A. Seleuc. 225. cujus frequentes Nummi exhibent Caput Diademate & radiis ornatum, ac coronâ hederaceâ, inſtar Διονύσου *Bacchi*, à quo cognomen habuit; cujus & imago cum Cotylo & Thyrſo in Nummis iiſdem viſitur. Panth- rum ges.

Poſt *Tigranes*, Armeniæ Majoris Rex, filius Artavaſdis, Syriâ occupatâ, & Palæſtinâ, A. Sel. 229. Seleucidarum regali domo extinctâ, regnum Syriæ obtinuit, Appiano annos XIV. aliis ut Juſtino XVIII. Dicendus Βασιλέων Βασιλεὺς, *Rex Regum*, de quo Plutarchus in *Lucullo*, Trogus, Appianus. Hujus Nummi obſervantur eſſe rariſſimi, iique Antiochiæ percuſſi, ex *Solis* Symbolo, & quem calcat *fluvio*, qui Orontes eſt. Tandem ultimus Regum Syriæ *Antiochus* XIII. vulgo *Aſiaticus*, quod in Aſiâ, Tigrane regnum occupante, educatus eſſet, *Antiochi* Εὐσεβοῦς & *Cleopatræ* Σελήνης Filius, à regno recuperato A. Sel. 244. dictus *Callinicus*, etiam in memoriam patris, Εὐσεβὴς & Φιλοπάτωρ, in

in Nummo quem unicum produxit Vaillantius. Et in hoc Antiocho deſiit Antiochorum vel Seleucidarum in Syriâ regnum, cui reliquit Pompejus Prov. Commagenam in Regnum erectam, hinc primus cognomen habuit *Commageni*, iturum ad Succeſſores, uſque ad Veſpaſiani tempora, quando exutus Antiochus IV. ut Joſephus *de Bell. Jud.* L. VII. C. XXVIII. Syriæ hoc regnum variè adminiſtratum ab iis Regibus fuit, qui ferè omnes aut inceſtis conjugiis, aut flagitiis & crudelitate infames, aut domeſticis ac fraternis diſcordiis miſerè inter ſe commiſſi, aut Parthorum armis oppreſſi, aut Tigranis tandem Armenii fortunæ ceſſuri. Finitum hoc Regnum, poſt *Tigranem* à Pompejo devictum, & *Antiochum* Aſiaticum, vel Commagenum, eundemque ultimum, Regno avito ab eodem *Pompejo* exutum. Stetit illud annis CCXLIX. quicquid hos contrahat Petavius, ad A. U. Cond. DCXCI. ante Æram Vulg. annis LXIII. ut ſupra monitum. Et ſic *Syria* omnis Provinciis Romanis acceſſit, Antiochiâ & Seleuciâ libertate donatis; cum Judææ & Phœnices parte nobiliſſimâ, Syriæ adſcriptâ, Gadarâ, Pellâ, Scythopoli, Samariâ, Azotho, Jamniâ, &c. cum maritimis Urbibus Gazâ, Joppe, Dorâ, & Stratonis Turri, quas liberas eſſe juſſit. De his adeundi Liber I *Maccab.* Joſephus *Libro* XIII. & XIV. Livius, Salluſtius, Strabo, Dio, Juſtinus, Euſebius, &c. ex parte *Polybius*, qui floruit tempore Demetrii Nicatoris.

Parthorum Reges.

II. *Parthorum* ſeu *Arſacidarum* initia in Oriente, refert Euſebius ad *Olymp.* CXXXIII. ſub initia *Seleuci* II. *Callinici*, paulò poſt mortem Antiochi Θεοῦ, quanquam hæc ex Hiſtoriâ ſint obſcura ſatis. Juſtinus defeciſſe ait à Seleuco III. *Ceravno*, Callinici filio, qui cum Attalo Rege commiſſus eſt, & à victoriis cis Taurum montem, cum Taurino capite in Nummis exhibetur. Sed verò emerſit præcipuè Parthicum Imperium, tempore *Demetrii* Nicatoris, quando hoc in Parthorum poteſtatem ex inſidiis prolapſo, adjecerunt Bactrianam, Hyrcaniam, Elymaidem, Babyloniam, dominati indè ab *Euphrate* fl. ab Occaſu, ad *Indum* uſque fluv. ab Ortu. Undè non una Epocha *Parthici* Imperii videtur diſtinguenda: Prior, cum primùm Macedonicum jugum excuſſerunt, ſub Antiocho Θεῷ. Altera, à victoriâ de Callinico reportatâ; aucto Imperio, poſtquam Demetrius Nicator in Arſacis poteſtatem devenit. Et ut de Seleucidis, ſic de Romanis aliquoties triumpharunt Parthi, irrupturi in Ditiones Rom. Imperii, perituro in iis M. Craſſo, A. U. C. DCCI. Olymp. CLXXXI. an. 4. Series *Parthorum Regum*, ab Arſace ad Auguſtum uſque, qui ſe etiam Βασιλεῖς Βασιλέων dixêre, hæc fuit: *Arſaces*, *Teridates*, *Arſaces*, *Priapatius Arſaces*, *Phraates Arſaces*, *Mithridates Arſaces*, *Phraates*, *Artabanus Arſaces*, *Mithridates Magnus*, *Orodes*, *Phraates* qui ſupplex Auguſto factus eſt. Dicendi etiam in Epigraphis Nummorum Φιλέλληνες, Εὐεργέται, Ἐπιφανεῖς, Δίκαιοι. Duravit autem Parthorum Dominatio, uſque ad tempora Alexandri Severi, Mammeæ filii, quando ad Artaxerxem Perſam, & Succeſſores tranſiit Imperium.

III. His temporibus, cùm Fratres Seleucidæ, Antiochi VIII. Grypi filii, Syriacum regnum civilibus diſcordiis diſtraherent, *Aretas* Arabum Rex Cœlen-Syriam circà Damaſcum occupavit. Alii verò Arabes, *Edeſſam Oſrhoënam*, ac contermina Meſopotamiæ loca invaſerunt, novo quodam Regno exorto, *Abgaro* duce, nomine his deinceps Regibus familiare, quod *Magnum* Arabibus ſignificare, docuit Pocokius, ex eo Frater meus, Diſſert. de *Nummis*. Sub Pompejo M. fœdere Romanis juncti; ſub M. Craſſo, maximam Romanis cladem attulerunt, ex Dione, & Appiano. Diuque ſub Imperatoribus Romanis hi Oſrhoënes & Edeſſenorum reguli imperitarunt, ut etiam *Gordiani* Imp. temporibus Nummi exhibeant *Abgarum* coram Imperat. ſtantem, Epigraphe additâ illi Gordiano, Ἄβγαρος Βασιλεύς. Omnes ferè capite *barbato*, & *tiarâ* ornato, diſtinguendi ex Auguſtis ſub quibus eorum Nummi ſignati, ut videre eſt apud harum literarum φωστῆρας.

IV. *Attali* cognomento *Philometoris*, Eumenis filii, morituri ſine hæredibus, regnum *Pergamenum* teſtamento ad Romanos tranſiit, & cum eo Regno Aſiæ partes quæ *Pergamenæ* ditionis fuerant, Myſia, Phrygia, Lydia, Jonia, Caria, &c. Cujus regni conditor fuerat *Philetærus* (Φιλέταιρος) Eunuchus, Præfectus theſaurorum Lyſimachi Thraciæ Regis, à quo defecit anno U. C. 469. Facta hæc inſtitutio, quo tempore Joh. Hyrcanus in Judæâ rerum potiretur *Olymp.* CLXI. A. 4. Teſtamenti tenor fuerat: *Populus Romanus bonorum meorum hæres eſto.* Qua occaſione Tib. Sempr. Gracchus, quum *Legem Agrariam* tuliſſet, in favorem Populi, in Capitolio occiſus eſt, Scipione Naſicâ Pontifice Max.

Regna, Pergamenum & Bithyniæ ad Romanos ex Teſtam.

Poſteà quoque moriens *Nicomedes*, qui à Romanis in regnum reſtitutus fuerat, quo illum exuerat Mithridates, Teſtamento Populum Rom. Bithyniæ regni hæredem inſtituit, An. U. C. DCLXXIX. *Olymp.* CLXXVI. A. 2. Alexandrâ viduâ Judæam adminiſtrante. Undè nova Belli occaſio nata Mithridati, Bithyniam armis invaſuro. Nicomedes ille *Pruſiæ* nepos fuit, qui Annibalem, apud ſe deliteſcentem, & quæſitum per Legatos Romanorum, prodere coactus fuerat, ſed veneno, quod ſemper paratum habuit, evaſurum Romana vincula, An. U. C. DLXXII. Hujus Pruſiæ filius fuit *Nicomedes Epiphanes* cognomento, capite in Nummis imberbi; nepos *Nicomedes* cognomine *Philopator*, in quo Regnum deſiit.

Sic *Sadales* vel *Sadalus* Thraciæ Rex moriens ſine liberis A. U. C. 710. Populum Romanum hæredem inſtituit; quod avitum Regnum poſteà Cotys IV. ejus vel frater, vel cognatus, à M. Antonio, cujus partes ſecutus fuit, recepit, apud Dionem, *Lib.* XLVII. confirmandum ab Auguſto Cæſ.

Mithridates plures. Omnium famoſiſſ. Mithr. Eupator.

V. Nec tacendus ille ipſe *Mithridates*, cognomento *Eupator*, Ponti Rex famoſiſſimus, qui XL. annis bellum cum Romanis geſſit; de quo Appianus in Libro de *Bellis Mithridat.* Diſſimillimus *Mithridati* Patri, cognomento *Euergeta*, qui Φιλορωμαῖος *Romanorum amicus* ac ſocius, appellatus eſt. Plures autem fuêre ejus nominis, cum inter Parthicos Reges, tùm inter Ponticos; etiam Commagenos, qualis *Mithridates* qui Antiocho Aſiatico ſucceſſit, & Antonio copias miſit apud Plutarchum. Fuit autem *Mithridates* I. vel *Teridates*, qui deficiens ab Antigono Cappadociam & Gentes Ponticas obtinuit, dictus à ſuis Κτίστης; à quo Rex Ponti *octavus Mithridates Eupator*: Et hic jam à puero matricida, & cui eadem ſoror & conjux; Bacchus potu, robore Hercules, crudelitate Nero, fortitudine autem & rebus geſtis Alexander. Memoriæ uſque adeò portentum, ut imperaturus XXII. Gentibus, ſingularum & linguam percalluerit, ut nunquam Interprete apud ſubditos uteretur, ex Valer. Max. Plinio, A. Aurelio Victore, &c. Invaſurus ſcilicet ſucceſſivè *Colchida*, *Iberiam*, *Paphlagoniam*, *Galatiam* ſeu *Gallo-Græciam*, *Cappadociam*, *Armeniam*, *Phrygiam*, *Bythiniam*, *Joniam*, *Helleſpontum*, *Thraciam*, *Scythiam*, *Macedoniam*, *Græciam*, *Athenas*, &c. *Maris* etiam imperio potiturus ἀπὸ Κιλικίας *à Ciliciâ uſque in Jonium Pelagus*, ut Appianus. Cum *Romanis* prælis variis commiſſus fuit, hi poſtquam ei bellum indixiſſent, ob exutos Ariobarzanem Cappadociæ, Nicomedem Bythiniæ regno, A. U. C. DCLXVI. Corn. Sullâ, & Pompejo Rufo Coſſ. Du-

Digitized by Google

ravit bellum Mithridaticum minimùm annos xxx. quamvis plures attribuant Juſtinus, & Appianus, qui xl. Victor quandoque Romanorum, Fimbriæ, Murenæ, Cottæ, M. Fabii, Triarii, L. Caſſii, M. Aquilii, & ipſius Sullæ, Luculli; ab his tandem victus, ac poſtremò ceſſurus armis *Pompeji Magni*, regnis omnibus exutus: Et quum denuò Italiam, per Scythiam & Pannoniam, invadere cogitaret, deficientibus ſuis mortem optavit. Corporis ſui cuſtodiam non armis tantùm, & ſatellitio, ſed & Equo, Tauro, & Cervo, quos manſuefactos ſemper aluit, committere ſolitus, ſi fides Æliano; quomodò & *Cervus paſcens* in Nummis ejus apparet. Sed quod dignum execratione hominum, & Cicero quoque *Orat.* pro Lege Maniliâ horruit (ac ſuperiori ſeculo *Carolus* IX. & *Catharina* mater in exemplum adduxêre, ſtragi Bartholomæanæ excuſandæ) unâ die, uno nuncio, unâque Epiſtolâ, totâ Aſiâ, *octingenta millia civium Romanorum*, per Urbes negotiandi gratiâ diſperſorum, interemit, A. U. C. dclxvi. ante Chr. lxxxviii. Sortiturus fatum Parricidâ dignum, nempè compulſus ad extrema à *Pharnace* Filio, Rege à ſuis proclamato, cujuſque opem fruſtra imploraret; hinc mortis remedium, modò in veneno, (quod parùm in ipſum potuit, venenis & pharmacis aſſuetum) modò in gladio, & ſuo, & hoſtium, quærere coactus. Eodem anno, quo *Hieroſolyma* à Pompejo capta, & Syriæ regnum extinctum fuit, ac Romæ *Catilinaria* conſpiratio oppreſſa. Legendi Appianus, Dio, Florus, Plutarchus, Oroſius *Lib.* vi. &c.

Res Ægypti, ad finem Æræ Ptolemæorum.

Reliqui Ptolemæi, ad Cleopatram Regin.

SUperior Epocha terminata ad tempora Ptol. *Philometoris*, & fratris *Euergeta*, potius Κακεργέτε, inceſtu non uno, parricidiis, cædibus, ac ſceleribus infamis. Succeſſerunt *Ptolemaus Lathurus* Phyſconis F. qui aliis *Soter*, idemque in Judæos, Alexandro Jannæo Rege, prælio à ſe victos, crudelem in modum graſſatus, apud *Joſeph.* L. xiii. C. xx. xxi. Huic & uxor & ſoror *Cleopatra Selene*, quæ poſteà Antiocho Pio nuptiis conjuncta. Ptolemæus *Alexander*, Lathuri frater, favente Cleopatrâ matre, ſed rurſum hic facturus locum *Lathuro*: Tùm *Alexander* nepos, ex fratre Ptolem. Lathuri, Alexandro, ſed paucorum dierum Rex, id eſt, xix. Cui *Alexandrum* alterum, cognom. Philadelphum, ſed mox ab Alexandrinis pulſum, ſubſtituunt Rom. Hiſtoriæ Scriptores, & qui Populum. Rom. Regni ſui (Tyri moriturus in exilio) hæredem fecerit. Tùm *Ptol. Dionyſius Auletes*, Lathuri filius, pulſus quidem regno, ſed à Romanis reſtitutus: Hinc *Ptolem. Dionyſius* II. Auletis filius, poſtremus Ptolemæorum, qui adhuc puer xi. annorum cum Cleopatrâ deſponſatâ conjuge, & ſorore, (fuit enim hæc Auletis filia) iv. annos regnum obtinuit, poſteà etiam ſolus pulſâ ſorore; Et hic deteſtandæ perfidiæ in Pompejum primò, poſt in J. Cæſarem pœnas daturus fuit, de quo Appianus, Suetonius, Dio, Plutarchus in *J. Cæſ.* Tandem *Cleopatra* ſola regnum obtinuit, favore Jul. Cæſaris, cujus conſuetudinem meruit; Poſt nuptura M. Antonio, quem ad *Octaviam* repudiandam induxit, Octaviani Auguſti ſororem: Amoribus eadem, cumprimis Julii & Antonii, libidine, luxu, ſuperbiâ, plurimis aliis, ac ſupremo aſpidis morſu, celeberrima, Βασιλίδα Βασιλέων *Reginam Regum* ſe dictura, apud Dionem, *Lib.* xlix. Et in Nummis *Cleopatra Regina Regum Filiorum Regum*; Item, ex unâ parte Βασίλισσα Κλεοπάτρα Θεὰ Νεωτέρα, ex alterâ M. Ἀντώνιος Αὐτοκράτωρ Τρίτον Τριῶν Ἀνδρῶν, *Tertium* iii. *Vir.* apud Patinum, & Fratrem meum, ad Juliani Cæſ. Intermedius quidem fuit *Archelaus* Rex Ægypti, filius Ducis Mithridatis, ab Alexandrinis adſcitus, pulſo Ptolemæo *Aulete*; ſed reducendo à Romanis Aulete, per Gabinium Proconſ. juſſu Pompeji M. annis circiter antè Chr. lv.

Peritura *Cleopatra*, anno ætatis xxxix. ut Plutarchus, ipſo illo anno quo Octavius Cæſar Ægyptum ingreſſus, Alexandriam occupavit, & Ægyptum Provinciæ formam habere juſſit: Unde procedunt Anni *Actiaci*, ab A. Per. Jul. 4684. U. Cond. dccxxiv. *Olymp.* clxxxvii. an. iii. A. Jul. xvi. ante Chr. annis xxx. Æræ *Ptolemæorum*, incluſis annis xvii. Cleopatræ ſolius regnantis, poſt captam à *Jul. Cæſare* Alexandriam, juxta Petavium annis cclxxxiv. at juxtà Canonem Aſtron. Clem. Alexandrinum, tum & Euſebium, annis pluribus, qui Lagidas regnaſſe in Ægypto, inde à morte Alex. M. Annos ccxcv.

Res Romanorum ad Æram Chriſti Vulg.

i. DE exitu *Belli Punici* iii. & deleta *Carthagine*, quam delendam Cato cenſuerat, Corn. Lentulo & L. Mummio Coſſ. A. U. C. dcviii. deque incensâ *Corintho*, & omni Achajâ Mummio deditâ, præoccupatum eſt ad finem Epochæ præced. Nec diu poſtea decretum fuit Bellum *Hiſpanicum*, hinc *Numantinum*, *Numantia* à Scipione Æmiliano funditus everſa eſt, ut jam dictum, A. U. C. dcxxi. Coſſ. Minucio Scævolâ & Calfurnio Piſone.

Ut etiam Teſtamento ad Romanos pervenerint, Regnum *Pergamenum*, & *Bithyniæ* alterum, cum ampliſſimis Ditionibus, monitum in rebus Aſianis. Nec diu poſt Mithridatem Regno Pontico exuit Lucullus, Pompejo M. & M. Craſſo Coſſ. Triennio poſt *Cretam* Inſulam ſubjecit Q. Cæſ. Metellus Creticus Proconſul; quo anno recuperavit Regnum ſuum Mithridates. Tandemque Pompejus M. cæſo exercitu Mithridatis, fugatoque Rege, mox potiturus fuit *Armeniâ*, ſed Tigrani Regi & ſupplici redditâ, *Syriâ*, *Phœniciâ*, *Cæle-Syriâ*, *Palæſtinâ*, *Euphratenſi* regione, A. U. C. dcxii. M. T. Cicerone & Cornelio Nepote Coſſ. Romæ triumphaturus de Mithridate, M. P. Piſone, & Val. Meſſalâ Coſſ. A. U. C. dcxciii.

ii. Cæteri Reges, ut *Thraciæ*, *Boſphori*, *Iberiæ*, *Albaniæ*, *Cappadociæ*, *Ponti*, *Armeniæ*, *Commagenes*, *Oſrhoenes*, *Judææ* ſub Hyrcano, Herode, Archelao, *Numidiæ*, *Mauritaniæ*, *Parthiæ* tandem, coacti fœdus & amicitiam Romanorum ambire ac petere; Filios Romam obſides mittere, quomodo *Phraates* quatuor Filios Auguſto obſides dedit; Regna à Paludatis Imperatoribus, ut à Pompejo, Julio Cæſ. M. Antonio, Auguſto, &c. ſupplicantium & adorantium habitu recipere, unde *Regna Adſignata*, *Data*, *Reſtituta*; ſubire Dominantium legem, adempto quandoque Regno captis Regibus, vel in alium tranſlato; Urbes, Templa, Ludos in honorem Cæſarum, dicare; Tributa annua pendere, etiam Moderatores extraordinarios admittere; & quæ alia fuêre indicia Majeſtatis Romanæ.

iii. Reliqua quæ ad Romanorum hiſtoriam ſpectant, antè Æram Chriſtian. ex Velleio Paterc. Salluſtio, Appiano, Plutarcho, Dione, &c. intelligere eſt. Ut v. gr. *Gracchorum* hiſtoriam, ſcil. *Tib. Sempronii* anteà bis Conſ. in plebem transferre geſtientis ſummam poteſtatis; & poſtea *Caii Sempronii* Gracchi tribuni plebis, qui ſeditioſarum legum Auctores, habent Plutarchus in *Gracchis*, Appianus de Bellis Civil. *Lib.* i. & alii, undè illud, *quis tulerit Gracchos*, &c. Hiſtoriam *Belli Jugurthini*, adver-

verſùs Jugurtham Numidorum Regem, nothum illum, & oppreſſorem filiorum Micipſæ, cui pater Maſſaniſſa fuerat, Salluſtius ex profeſſo deſcribit: De quo Jugurtha *C. Marius*, ſecundo hujus Conſulatu, triumphavit, & de Numidiâ univerſâ A.U.C. DCL. Relicto Micipſæ nepotibus *Mauritania* regno, quod tenuit, poſt *Jubam* ſeniorem, ille *Juba* cui nupſit *Cleopatra*, M. Antonii & Cleopatræ filia, ſucceſſorem habiturus Ptolemæum ſub Auguſto. Cajus autem Marius (qui Ducum Romanorum primus *Aquilam in vexillo* uſurpaſſe dicitur) poſt res fortiter & feliciter geſtas, adverſùs Numidas, Teutones, Ambrones, Cimbros vel Jutios qui Italiam invaſerant, Marſos denique, tandem per civiles diſcordias, quæ Sullam inter & Marium exarſerunt, Urbe pulſus, dein armatâ manu Urbem ingreſſus, & cædibus ac rapinis in eam graſſatus, paulo poſt nempe VII. ejus Conſulatu, initio ſtatim Magiſtratus, ex morbo periit. Atque LXX. ætatis annum quum attigiſſet *ſepties* ſine exemplo Conſul, ſortem tamen ſuam deploraſſe in extremis fertur, quod immaturè nec votorum adhuc compos, decederet, ut Plutarchus in *C. Mario*. Jam *Cinna* IV. Conſulis, res novas & violentas cum Mario molituri, ſed à ſuis interfecti quum bellum Syllæ pararet, A.U.C. DCLXX. item *Sylla* Dictatoris, Regnum affectantis ſine nomine Regio, non longam dominationem, ex Appiano cumprimis, & Plutarcho, diſcere eſt. Conjurationem *Catilinariam* adverſùs Remp. cœptam A. U.C. DCLXXXIX. biennio poſt à Cicerone, Conſulatum gerente cum C. Antonio, oppreſſa extinctaque fuit, A. U. C. DCXCI. quo anno Pompejus Syriam Romanis Provinciis adjecit, Templum Hieroſol. expugnavit, & Cn. Octavius, poſteà Auguſtus, natus eſt.

Pompeji M. Cn. Pompejo Strabone nati (Anno U.C. Varr. DCXLVIII. eodem quo & natus M. Tullius Cicero) æmuli ab adoleſcentiâ Alexandri M. poſteà III. Conſulis, & *tertiò* quidem ſine Collegâ, A. U. C. DCCII. (quod nulli unquam contigerat) res præclarè geſtas, in Africâ, Hiſpaniâ, Armeniâ, Colchide, Parthiâ, Syriâ, Judæâ, &c. triumphos tres ei decretos, æmulationem in C. Julium Cæſarem, paulo antè ſocerum, tandem Pompeji (Civili Bello inter eum & Cæſarem exorto A.U.C. Varr. DCV.) infelix fatum, victi in Pharſalicis Campis, mox juſſu Ptolemæi in Ægypto obtruncati, An. U.C. DCVI. ex Plutarcho, Dione, Appiano, &c. pluribus intelligere eſt. Adde Ciceronem de laudibus Pompeji M. in Orat. pro Lege Maniliâ. Ejus verò ut & *M. Craſſi*, in expeditione contrà Parthos perituri, nuper *Triumviri*, (initâ inter Pompejum, M. Craſſum, & Julium Cæſ. ſocietate, ne quid in Republ. fieret quod uni è *tribus* diſplicuiſſet) ceſſura tandem potentia in unum Cajum Jul. Cæſarem; ut pluribus Plutarchus in horum *Vitis*, Vellejus Paterculus, *Lib.* II. Suetonius in *Jul. Cæſare*, Dio Caſſius *Lib.* XXXVIII. XXXIX. XL. &c.

Nec tacendus *M. Terentius Varro*, Romanorum doctiſſimus, Conſul anno U.C. DCLXXXI. Qui ingreſſus *duodecimam annorum hebdomadam*, id eſt, annum LXXXIV. conſcripſerat, ad eum diem LXX. *hebdomadas Librorum*, id eſt, CCCCXC. Libros, in omni Diſciplinâ, ut de ſe ipſe teſtatus eſt, & refert A. Gellius, *Lib.* III. C. x. Ejus encomium videre eſt apud Tullium, *Acad. Quæſt.* Lib. I. & Auguſtinum, præcipuè *Lib.* VI. de Civit. Dei, *Cap.* II. Et poſt Varronem memorandus *M. Tullius Cicero*, qui homo novus, nullis majorum imaginibus clarus, ſurrexit incomparabili virtute, facundiâ, doctrinâ, ad ſummas Reipubl. dignitates; Conſul cum C. Antonio A. U. C. Varr. DCXCI. quando *Catilinariam* conſpirationem fregit, poſteà & *Proconſul* in Ciliciâ Provinciâ atque Imperator. Poſt Philippicas in *M. Antonium*, à nece Julii Cæſaris in ſenatu habitas, deſertus ab Octaviano Cæſ. cujus dignitatem auxerat, ſub Triumviratu oppreſſus fuit, *proſcriptorum* ferè princeps, occiſus in fugâ à Popilio Lænate, (cui Cicero vitam patrocinio ſuo ſervaverat) præciſo ei Capite, & manu dextrâ, quâ ſcripſerat Philippicas, amputatâ, A.U.C. DCCXI. VII. Idus Dec. ætatis LXIV.

IV. *Julius Cæſar*, natus Quintili menſe (qui hoc ipſo *Julius* poſteà dicendus, lege Antoniâ) Annis antè Æram Vulg. XCVIII. C. Mario & L. Val. Flacco Coſſ. quibus gradibus ad ſummam adminiſtrationis aſcenderit, moriturus V. Conſ. & Dictator, ac fundaturus Monarchiam Romanorum, quæ in *C. Octavio Cæſare* mox ſe exeruit, ex Hiſtoriâ Romanâ notum. Quæſtor idem, Ædilis, Pontifex Max. ſortitus hinc Hiſpaniam, poſteà, geſto Conſulatu, Galliam in quinquennale Imperium: Indè quum juſſus eſſet dimittere exercitum, Galliaque Provincia decreta eſſet L. Domitio, Romam properans, dum Conſules & Cnejus Pompejus in Epirum ſe reciperent, omnia ibidem ex ſententiâ ſuâ egit, primùm Dictator appellatus, quo Anno Bellum Civile, eum inter & Cn. Pompejum exarſit, nempè U.C. DCCV. Anno ſequente Pompejum M. prælio victurus, mediâ æſtate, in Pharſalicis Theſſaliæ Campis; paulo poſt interfectum in Ægypto, antequam adveniret eò Cæſar: Hinc Conſul, & Dictator II. poſtquam, victis Alexandrinis, Dictaturam iniit Alexandriæ: eodem Anno & victurus Pharnacem Mithridatis filium, Boſphori Regem, qui Colchidem, Armeniam, Pontum occupaverat: Mox Dictator III. quo anno Romam reverſus quater triumphavit, nempè de Galliâ univerſâ ſubactâ; de Ægypto; de Pharnace Rege Pontico; de Jubâ denique, unà cum Scipione & Catone hoc Anno in Africâ devicto: Hinc *Dictator Perpetuus*, ab Anno *Juliano* I. reformato jam Calendario, poſt annum *Confuſionis*, qui menſium XV. fuit, quum antè Kalendæ Januarii in Octobrem inciderent. Tandem anno proximè ſequente, *Juliano* II. factâ conjuratione, in Senatu occiſus, confoſſus XXIII. vulneribus, Eid. Martiis, Anno U. C. DCCX. in Curiâ Pompeji, ætatis anno LVI. juxtà Suetonium; antè Annum Nativitatis ſecundùm Æram Vulg. annis XLIV. *Quinquagies* ſignis collatis pugnavit; neque quiſquàm feliciori Marte, aut majore clementiâ uſurus ergà hoſtes, qui ſe ultrò dedidiſſent; undè Senatores *Clementiæ Templum*, in gratitudinis argumentum, extruxêre. Plura apud Suetonium, Plutarchum, Dionem Caſſ. Appianum, &c.

V. Res *C. Octavii* (vel Octaviani) *Cæſaris*, à morte Julii patris, Commentarium integrum depoſcunt, prolixè legendæ apud eoſdem Hiſtoricos. Pronepos fuit Julii, ex Attiâ matre, filiâ Juliæ ſororis Cæſaris, undè hujus in Octavium amor. Anno ætatis XVII. induit eum Cæſar *Lato Clavo*, inſigni Dignitatis, quo Senatorum filii nonniſi anno XXV. hactenùs ornari conſueverant. Proximè antè necem Julii adoptatus in Nomen, Gentemque Juliam, ac Magiſter Equitum deſignatus fuerat, annos *undeviginti* natus. Anno qui necem Patris excepit, invaſit Conſulatum; dein *Triumvir* unà cum M. Lepido, & M. Antonio, initâ inter eos in *quinquennium* ſocietate, qui multis annus I. Octavianæ Potentiæ fuit, quo & M. T. Cicero periit. Anno I. Triumviratûs, periêre M. Brutus, & C. Caſſius, J. Cæſaris interfectores, propè Philippos prælio devicti, ab Octaviano & M. Antonio, undè mortem ſibi conſciverunt. *Triumviratus* alter in aliud quinquennium renovatus, A. U. C. DCCXVII. *Varr.* eodem quo capta ab Herode Hieroſolyma, ſuppetiis C. Soſii, Legati M. Antonii. Sequente anno, U. C. DCCXVIII. quum M. Lepidus Triumvir in Siciliâ ſum-

ſummas ſibi partes vindicaret, Cæſar à ſuis deſertum coëgit abdicare ſe Triumviratu, perpetuo exilio relegandum Circejis, propè Romam; poſteà clementer habitum, ut Cenſoriam & Conſularem dignitatem exercuerit. Anno U. C. DCCXXII. transacto altero *quinquennio* Triumvir. exarſêre ſimultates inter Cæſarem & M. Antonium, qui Octaviâ repudiatâ, Cleopatræ ſeſe manciparat; bellumque adverſùs Cleopatram & Antonium, hoſtem Reip. à Senatu judicatum, decernitur. Hinc victor ad Actium, Epiri promontorium, navali prælio, *Septembri* menſe, à cæde Julii Cæſ. annis XIII. Urbis Cond. A. DCCXXIII. Ut tamen *Æra Actiaca* inchoetur demùm ab anno ſequente, quo ſcil. Alexandriam cepit, & Ægyptum Rom. Imp. Provinciis adjecit.

Anno U. C. DCCXXV. Octavianæ Potentiæ à cæde Julii XV. Conſulatu C. Cæſaris V. cùm triplici triumpho Romam ingreſſus eſſet, *Pater Patriæ* appellatus eſt, ex decreto S. P. Q. R. & *Princeps Senatus*. Ac pace terrâ marique partâ, *Jani Quirini* Templum, quod ab Urbe Cond. bis tantummodò clauſum fuerat, *tertium* claudi juſſit Octav. Cæſar, teſte Dione *Lib.* LI. Anno ſequente, Senatus Conſulto, *Reipubl. conſtituendæ* poteſtatem, cum Imperio, in decennium accepit, poſteà prorogandam. Mox anno U. C. DCCXXVII. Cæſare Auguſto VII. Agrippâ III. Coſſ. *Auguſtus* proclamandus, titulo majeſtatis, ex ſententiâ C. Munacii Planci, undè exurgit *Æra Auguſtorum*, quod deinceps Cæſarum cognomentum fuit. Anno U. C. DCCXXIX. Conſ. ſuo IX. ex bello Cantabrico redux, in ſignum pacis terrâ marique ſtabilitæ, Jani Templum quarto Romæ clauſum, ſub Auguſto, IX. ejus Conſulatu, ex Dione *Lib.* LIV. Nec diu poſt, Anno ſcilicet U. C. DCCXXXI. *Tribunitia Poteſtas* ſacroſancta illa, ἡ ἐξουσία τῶν Δημάρχων, in perpetuum Auguſto delata eſt, qui odioſa *Regis*, & *Dictatoris* nomina fugiens, præeminentem illam poteſtatem aſſumpſit, nec multo poſt *Cenſoriam*, in quenquennium. *Ludos Seculares* quintos, poſt decies undenos annos revolutos, ſive CX. à prioribus, Conſulatu *Lepidi* & *Oreſtis*, celebrari juſſit magnâ pompâ, A. U. C. DCCXXXVII. *Pontificatum Maximum*, poſt mortem Lepidi, aſſumpſit, qui unus Titulus deerat ad implendum jus αὐτοκρατορίας, & quem deinceps ſoli Imperatores geſſerunt, titulo ad Chriſtianos etiam Impp. tranſituro. Hinc *Calendarium* reſtituit, A. U. C. DCCXLVI. quum XXXVI. annorum ſpatio *tridui* intercalatione peccatum eſſet; quo anno *menſis Sextilis* ex S. Conſulto *Auguſtus* deinceps appellandus fuit. Circà finem anni U. C. DCCXLVII. Octavianæ Potentiæ XXXVII. *Tiberium*, generum jam & privignum conſortem fecit *Tribunitiæ Poteſtatis*, mox tamen anno ſequente ſeceſſurum in Rhodum, ad ſeptennium. Quando nempè Conſul. XII. Auguſtus *Cajum*, nepotem ex Juliâ & filium adoptivum, tyrocinio ſuo eduxit in forum, *Conſulem* deſignatum anno ætatis XIV. mirâ Populi adulatione. Anno proximo, U. C. DCCL. creditur mortuus Herodes, circà Paſcha, juxtà Joſephum *Lib.* XVII. C. VIII. & XI. aliis nonniſi A. U. C. DCCLIII. ut ſuprà. Hinc anno U. C. DCCLI. Auguſti Cæſaris XLI. natum eſſe CHRISTUM, ſed autumnali menſe, quæ ſit Æra vera Nativit. cenſent Scaliger, Calviſius, Emmius, &c. quam tamen Æram in annum ſequentem U. C. DCCLII. Auguſti XLII. plerique Veteres poſt Euſebium, Bedam, &c. conjecerunt. Nec omittendum illud, circà tempus quo naſciturus erat CHRISTUS, Auguſtum Cæſarem *tertiò* cluſiſſe *Jani Templum*, ut quoque cenſet Caſaubonus; alii A. U. C. DCCXLVIII. ut Noriſius nunc Cardinal. alii A. U. C. DCCXLVI. poſt Sicambros ſubactos, apud Dion. Lib. LV.

Te cæde gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

Rom. ſcilicet Imperio hinc fruito altâ pace, uſque ad extrema ferè Aug. quo tempore naſciturus fuit PRINCEPS PACIS. Lydiatus clauſum demùm, tertiâ vice, Anno U. C. DCCLIV. quo tempore pax cum Parthis redintegrata. Et hic annus eſt in quem Æram Nativit. conjecit *Dionyſius Exiguus*, ut natus ſit Chriſtus ſub exitum anni U. C. DCCLIII. Cornelio Lentulo, & Calpurnio Piſone Coſſ. ut I. annus Dionyſianus concurrat cum Anno U. C. DCCLIV. Auguſti XLIV. De quo in Chronologicis.

Cætera Auguſti Cæſaris, ut & virtutes tanto Principe dignas, nempè fortitudinis bellicæ ſine exemplo, prudentiæ admirandæ, clementiæ ſingularis, modeſtiæ in recuſandis honoribus ſummæ, effuſæ liberalitatis in Amicos, in Milites, in Cives Rom. frugalitatis magnæ in victu, & in omni vitæ conſuetudine, &c. Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores, ſuprà memorati, referunt. Moriturus Auguſtus anno ætatis jam exacto LXXVI. Imperii LVII. Æræ Vulg. XIV. quando incepit *Tiberiani* Imp. annus *primus*, cujus XV. annum notavit Lucas, *Cap.* III. *verſ.* I.

FINIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ VET. TESTAMENTI.

FRI-

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII F.

HISTORIA ECCLESIASTICA

A

NATO CHRISTO

AD

COEPTAM SUPERIORE SEC.

REFORMATIONEM.

INSERUNTUR

MUTATIONES INSIGNIORES IN REPUBLICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CANONES ISAGOGICI ET CRITICI,

AD

FONTES GENUINOS CHRISTIANÆ ANTIQUITATIS DISCERNENDOS A NOTHIS AC SUPPOSITITIIS.

Fraudes circà Monumenta primæ Antiquitatis.

I. PErpendenti quæ cauſæ Chriſtianam Antiquitatem, in ipſis ſtatim incunabulis, vehementer obſcurarint, obſervantur iſtæ præ aliis multis. 1. *Interverſio* tot monumentorum quæ ab indubiis Teſtibus, mox ab Apoſtolis, fuêre profecta, ſed negata illa ſequenti ætati. Uti conſtat de *Hermæ* genuinis, ſi idem ille de quo Paulus; de Scriptis *Papiæ* Aſiani; de *Apologiis Ariſtidis*, *Quadrati*; de variis *Juſtini Martyris*, ut contra Marcionem, contra omnes Hæreſes, &c. Sic & de variis *Irenæi*, *Theophili Antioch.* *Melitonis*, *Hegeſippi*, *Apollinaris* Hierapolitani, *Clementis* Alexandr. *Origenis*. Quorum nonniſi Fragmenta, aut Tituli Scriptorum ſuperſunt, præcipuè apud Euſebium, Hieronymum, Photium. Ità nec omnia quæ fuerunt vel *Euſebii*, vel *Ambroſii*, vel *Hieronymi*, vel *Auguſtini*, vel *Chryſoſtomi*, ad nos pervenêre, temporum injuriâ deperdita; quorum Catalogum alii ediderunt, & nuper in *Hiſt. Literariâ* Guil. Cave. 2. Illorum quæ ſubducta ſunt dentibus vetuſtatis, aut malitiæ hominum, mira quandoque *interpolatio*, detractione, adjectione, aut tranſmutatione. Notæ ſunt Obſervationes Eruditorum, ad Epiſtolas vulgò *Barnabæ*, *Ignatii*, *Polycarpi*, &c. Tum & *Hæreticorum* veterum licentia, in interpolandis genuinis Scriptis, nec ſacro Codici parcentium, ut de Nazaræis, Ebionæis, Gnoſticis, Docetis, de Tatiano, Marcione, Artemone, horumve Diſcipulis, conqueſti Veteres, Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, Epiphanius, Socrates, &c. Ne dicam de Româ Papali jam olim in rem ſuam perfidâ, deque Monachorum fraudibus, & adornatis Romæ *Indicibus Expurgatoriis*, quibus expuncta, vel interpolata, quæcunque in Antiquorum monumentis jugulant Cauſam Pontificiam. 3. Tandem Scriptorum quæ omninò ſpuria, quæque ab otioſis, aut maleferiatis, ſeu improbâ libidine, ſeu præpoſtero ſtudio excogitata, genuinorum in locum *ſuppoſitio*. Et hujus fraudis nullum fuiſſe modum, in ſupponendis affingendiſque ſanctiori Ætati *Euangeliis*, *Actis*, *Epiſtolis*, *Hiſtoriis*, *Revelationibus*, id genus Scriptis, ſequentia firmabunt. Ad duo revocaſſet Tertullianus, Libro de Præſcriptionibus Hæretic. *Cap.* XXXVIII. *Alius* (inquit) *manu Scripturas, alius ſenſus expoſitione intervertit.* Et *manu* illi *interverterunt*, qui aut vera abolevêrunt, vel certè adulterarunt; aut pro veris falſa ac commentitia venditarunt; quomodò τὸ παρεγχειρῆσαι, & ἀπαρεγχείρητον, uſurpant quandoque Græci.

Cauſæ obſcurioris Hiſtoriæ primi temporis.

II. Et horum quidem quæ ἀποβολιμαῖα ac ψευδεπίγραφα, tanta fuit inde à primis ætatibus ſeges, ut vix caperet orbis Chriſtianus, tam ſubdolè, tamque artificioſè fraus contexta fuit, ut perſpicaciſſimorum quandoque Patrum oculos effugerint. Tacemus quæ altero jam ferè Seculo, ſed craſsâ nimis fraude, ipſis etiam *Patriarchis*, *Moſi*, *Prophetis*, aliiſque prioris ævi mendaciſſimè adſcripta, imò Clementis τοῦ Στρωματέως aliorumque paſſim calculo adprobata, Gelaſio autem Romano pridem exploſa. Mittimus etiam *Pſeudo-Sibyllinos* Libros VIII. circa Antonini Pii tempora editos in hominum lucem, ex Montani, ut videtur, officinâ, eâ quidem veri ſpecie ut à Sibyllâ Erythræâ, aut à pluribus Sibyllis, profectos omninò fuiſſe, crediderint univerſi Patres, nec pauci recentiorum. Iſaacus Voſſius profectos primùm eſſe hos Verſus, ſub Sibyllarum nomine, à Judæis, toto Orbe diſperſis, ac magnum Regem expectantibus, indè à Pompejanâ ſervitute, hinc de Chriſto ſeu de Meſſiâ fatidicos; ſed augendos fuiſſe hos Verſus Chriſtianis temporibus, ex Euangelicâ Hiſtoriâ. Quâ de Doctiſſ. viri conjecturâ pluribus aliàs.

Suppoſita temporibus antè Chriſtum natum.

III. Dicimus nunc eas potiſſimùm fraudes quæ rerum Chriſtianarum Hiſtoriam, & primæ Eccleſiæ vel doctrinam, vel diſciplinam, vel ſtatum faciemque, obſcurare ſunt natæ. Vix enim recepti cœlo fuerant fundatores Chriſtiani nominis, quum ecce illorum nomen atque auctoritatem ementitæ ſunt nugaciſſimæ Tabulæ, certè poſterioris fabricæ. Hinc inſcripta alia *Chriſti* ipſius Servatoris, alia *Apoſtolorum*, alia *virorum Apoſtolicorum*, alia *Fœminarum*, Mariarum puta, alia *Gentilium*, ut Agari, Pilati, Lentuli, Senecæ, aut ſi vis Phocylidis, alia denique *Judæorum*, uti Joſephi, Philonis, &c. ſplendidis Nominibus. Quæ in tantum crevit licentia, ut nullis deinceps eorum pepercerit, qui fuiſſent alicujus in Chriſtiano ordine auctoritatis: Imò nec reſpexit ea *Conciliorum*, etiam *Oecumenicorum*, auguſtum nomen, *Pſeudo-Canones* ſupponendo, ut qui pro Nicænis non ſemel obtruſi fuerunt.

Suppoſititia ſub Chriſtianis nominibus.

IV. Duo autem potiſſimùm conſequi ſeſe poſſe putabant hujuſmodi fraudum Architecti, 1. Ut Religioni Chriſtianæ apud Ethnicos, etiam Judæos, fidem à teſtimoniis domeſticis, piâ ſcilicet fraude, conciliarent. 2. Ut novis ſæpè errorum atque opinionum monſtris, Hæreſes dixêre, apud Chriſtianos ipſos auctoritas accederet, perſtringendos fulgore tantorum Nominum, à quibus lux omnis veritatis in Chriſtianum orbem fuiſſet primùm ſparſa atque diffuſa. Vixque alio ex fonte errores haud paucos

Fraudis hujus fines.

Digitized by Google

in vetuſtiorum Patrum mentes, hinc monumenta, derivatos fuiſſe, Doctis obſervatum eſt, ſeu *Theologicos* illos, ſeu *Hiſtoricos*. Quomodò v. gr. vel ex ſolis *Pſeudo-Sibyllinis* fluxiſſe hypotheſes falſas, v. gr. de Statu animarum poſt mortem, de Precibus pro mortuis, de Chiliaſmo, de Sanctis in Paradiſum terreſtrem reducendis, de Purgandis animabus ultimo igne, &c. obvias paſſim in Veterum Scriptis, apertiſſima res eſt. Sic à Sanctis nominibus *Apoſtolorum*, *Clementis Romani*, *Dionyſii Areopagitæ*, *Ignatii Antiocheni*, &c. quæſita auctoritas eſt, modò falſis narratis de iiſdem Apoſtolis, ac vaniſſimis Traditionibus; modò novæ Diſciplinæ, novis Ritibus, Dignitatibus; & tandem Erroribus, puta, de Perſonis Trinitatis, de Angelis, de anabaptiſmô Hæreticorum, &c.

Horum Canonum uſus.

V. Noſtrâ certè, ad quos pervenêre poſteriora tempora, non parùm intereſt, in reſerandis fontibus Chriſtianæ Antiquitatis, cognoſcere quatenus vel puri fluant, vel lutulenti ac conturbati. Operæ ſanè pretium eſt, in tantâ ψευδεπιγράφων & Apocryphorum multitude, quæ ſeu Veteribus ſeu Poſterioribus impoſuerunt, jam ab ipſâ Eccleſiæ infantiâ, dignoſcere ſuppoſititia à genuinis, vera à commentitiis, à dubiis certa. Undè etiam laudatiſſimam operam, in hoc genere Scriptionis, poſuêre ut inter Pontificios, ſic inter Proteſtantes quâ Theologos, quâ Criticos, bene multi, & quidem οἱ ἐν ὑπεροχῇ, accuratius ſub examen revocatis iis monumentis, quæ ſpeciem tantùm haberent primæ Vetuſtatis, aut nomen mentirentur. Nec eſt quod addamus iſtorum vel laboribus vel obſervatis, aut hæc ipſa operoſè compilemus, pro aliorum more, ratemve vaſtiſſimo huic mari committamus. Id nunc agimus modò, ut ex iis quæ ſparſim per tot eruditas lucubrationes diſſeminata, conficiamus certos quoſdam *Canones*, certas Regulas, ad quas exigi poſſint dubia id genus, in Eccleſiaſticis Scriptis, monumenta: Seu ut eliciamus certos *Characteres*, certas notas, ex quibus internoſci queant τὰ κίβδηλα καὶ τὰ δόκιμα, τὰ νόθα καὶ τὰ γνήσια, ac pretioſum à vili, ab antiquis muſtea, à gemmeis vitrea, theſauri à carbonibus, orichalcum ab auro, ſecerni clariſſimè poſſint, à Studioſis piæ Antiquitatis.

Canon I.

Meritò accenſentur Pſeudepigraphis *& Suppoſititiis, ea Scripta (tributa vel Apoſtolis vel Diſcipulis eorundem, ac primæ Ætati) quæcunque deprehenduntur fuiſſe ignota cùm illâ ipſâ Ætate, tùm proximè ſequentibus.*

Unde conſtet ignotum fuiſſe aliquod ſcriptum primâ ætate?

I. Ignota autem fuiſſe conſtabit, ſi conſtiterit nuſquam eorum meminiſſe, qui aliàs potuiſſent & debuiſſent, nempè Scriptores primi, ſecundi, tertii, quandoque & ſequentium Seculorum. Ejus enim Scripta id genus Apoſtolica fuiſſent momenti, ut implicet hujuſmodi ſilentium, ſiquidem ea primorum Chriſtianorum manibus fuiſſent trita. Porrò applicatur hoc Criterium ad Scripta quæ ſuppoſuêre innumera, ſeu *Apoſtolis*, ſeu Συνεργοῖς eorundem, ſeu Viris *primæ* & *ſecundæ* Ætatis, quæ recenſuit Gelaſius, in Concilio Romano, ſub finem Seculi v. apud Gratianum, *Diſt*. xv. apud Burchardum Wormatienſem, alios. Si tamen *Gelaſii* hoc Decretum eſt, negante pluribus Pearſono, Viro maximo, in Vindiciis anti-Dallæanis. Enimverò iſtorum nulla ſunt memorata Veteribus, antè *Clementem Alex.* ſub initia Seculi III. facilem in citandis Apocryphis *Prophetiis*, *Euangeliis*, *Traditionibus*, *Epiſtolis*, &c. qui primus quoque citavit Epiſtolam *Barnabæ*. Si fortè Carmina *Pſeudo-Sibyllina* excipias, & *Hermæ* Paſtorem jam laudatum Irenæo ſub Scripturæ nomine, antè Clem. Alexandrinum, ut ipſe quoque Euſebius obſervat, Hiſtoriæ *Lib*. v. C. VIII. Plurima nonniſi ex *Euſebio* nota, quarti Seculi Scriptore, vel etiam ex *Epiphanio* in Panario; & qui hos exceperunt; uti quædam Pſeudo-Euangelia, Pſeudo-Acta ab Hæreticis conſarcinata, nonnulla quoque *Petro* Apoſtolo falſò inſcripta. Sic notæ Epiſtolæ, Chriſti ad Abgarum, Abgari ad Chriſtum, apud Euſebium ſub finem Libri I. &c.

An Canon applicetur Epiſtolis Ignatianis?

Et in hâc claſſe cenſentur nonnullis *ſeptem* famoſæ Epiſt. *Ignatii Antiocheni*, quotquot putant aſſutam eſſe laciniam ad Epiſtolam Polycarpi, in cujus calce hic Ignatianarum meminit, quas miſiſſet ad Smyrnæos, referente & Euſebio *Hiſt*. *Lib*. III. C. XXXVI. Quanquam meminit earundem Epiſtolarum antè Euſebium Origenes, Homiliis *in Lucam*, & *in Canticum Canticorum*, quæ Scripta interpolata quidem dici poſſunt ab Interpretibus, at non omninò Origeni ſuppoſita. Irenæus certè non meminit Epiſtolarum, benè dicti Ignatiani, ὥς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων, *ut dixit noſtrorum quidam*, nempè, *quoniam frumentum ſum Chriſti vel Dei*, &c. ſub finem Libri v. citante etiam Euſebio, dicto loco.

Sunt & alia quæ poſt *Euſebium* ipſum demùm tradita, vel commemorata: In his Κανόνες τῶν Ἀποστόλων *Canones Apoſtolorum*, in vulgatâ Sylloge; Sic Διαταγαὶ ſeu *Conſtitutiones Clementis*; Sic *Pauli* Epiſtolæ ad Senecam, ad Laodicenos, de quibus poſtremis primùm tradidit Hieronymus: Pariter & Scripta *Dionyſii Areopagitæ* nomine vulgata, quæ in genuinis Origenis, vel Athanaſii, vel Chryſoſtomi, &c. memorari, falsò ſuppoſuêre.

An Canonibus Apoſtolorum?

Et ita quidem de *Canonibus Apoſtolorum* cenſet Vir magnus, Johannes Dallæus, prolixo Commentario. Quanquàm certum mentionem fieri τῶν Ἀποστολικῶν Κανόνων, in Synodi Conſtantinopolit. ſub Arcadio & Nectario, (in quâ, de cauſâ duorum Epiſcoporum litigantium, diſceptatum fuit) Fragmento illo quod Balſamon & Zonaras produxêre. Ità τοῦ Ἀποστολικοῦ Κανόνος *Regulæ Apoſtolicæ* & *Eccleſiaſticæ*, meminit Conſtantinus M. Epiſtolâ quâdam ſcriptâ ad Euſebium, ut teſtis eſt ipſe Euſebius de *Vitâ Conſt*. Lib. III. C. LXI. An verò per τοὺς Ἐκκλησιαστικοὺς vel ἀρχαίους Κανόνας, *Eccleſiaſticas*, vel *antiquas Regulas*, Apoſtolicos hoſce Canones intellexerint Nicæni, Epheſini, Antiocheni, Athanaſius, Baſilius, aut qui Cypriano inſcriptus eſt Tractatus de *Ablutione pedum*, major eſt ratio dubitandi; affirmante nuper contra Dallæum, ejuſque vindicem, Doctiſſ. Beveregio.

Canon aliis ſuppoſitiis applicatus.

Sed & non pauca hujuſmodi Scripta celebrari cœpta ſunt demum VI. VII. VIII. vel ſuccedentibus *Seculis*: Hujuſmodi, quæ Dionyſio Areopagitæ falsò inſcribuntur; Sic *Epiſtolæ* vulgò *Decretales*; *Ignatianæ* poſteriores quinque; *Liturgiæ* ſub nominibus Petri, Jacobi, Matthæi, Marci, &c. alia innumera, Latina magnam partem, relata inter *Orthodoxographa*. Obſtetricantibus ſcilicet Monachis, in altiſſimo otio, vel fictæ Antiquitatis jactatoribus, in rem ſuam, cumprimis in rem Romanæ Eccleſiæ; quo tempore multa jam ſuperſtitio invaluit, pari credendi facilitate, nec minori inſcitiâ, cui imponere facillimum fuit fraudum Architectis.

Uti Traditionibus Romanis non paucis.

II. Ex hoc ipſo Criterio judicium eſſe poteſt non de *Scriptis* modò, ſed & Factis illuſtrioribus, aſſertis hodieque tanquàm ex Apoſtolicâ & antiquâ Traditione, tacitis autem nec memoratis illâ Ætate, quâ vulgari tanti res momenti cumprimis oportuit. Eſto exempli loco, ſuſceptum illud credulâ nimis mente, de *Petro* in urbe *Româ* Epiſcopo, per *annos* XXV. imò Univerſali Pontifice; tacentibus equidem

B. Lu-

B. Lucâ, Clemente Romano in genuinis & conſeſſis, Juſtino Mart. Irenæo, & reliquis; uſque ad ætatem Hieronymi, qui *in Verſ. Chronici Euſebiani*, Petri *Epiſcopatum*, haud tamen Pontificatum memorat: Quâ de re prolixè Theologi, & nos de Petri in Urbem Romam profectione.

Sic alterum illud, de Aſſumptione *Virginis Mariæ*, ex manifeſtè Apocryphis, de *Tranſitu Mariæ*, & de *Aſſumptione* ejuſdem, inſertis Operibus Hieronymi; Silente autem totâ Antiquitate, præterquam quod primus Euſebius habet in Chronico, *quoſdam* homines id *ſibi revelatum ſcribere*. Unde fluctuans eſt inter incerta & apocrypha Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, indignatus Euſebium *hiſtoricam veritatem* (ſic ille) *incertorum hominum revelationi committere*, ad Ann. Chr. XLVIII. N. IV. Et faſſi in eo grege cordatiores, nec Melitonis eſſe, nec Hieronymi, nec Sophronii, nec Auguſtini, nec Ildefonſi Toletani, quæ de hâc Aſſumptione, & ejus Feſto, Viris illis adſcribuntur. *Baronius notatus cum ſuis.*

Idem de infinitis propemodùm *Traditionibus* judicium eſto, quas idem Baronius, tum in Apparatu, tum in primo Tomo Annalium (ut mittam Turrianum, Binium, Bellarminum, Bzovium, Arcudium, Morinum, Petavium, Perronium, Halloixium, Allatium, &c. id genus Hyperaſpiſtas) pro veris aut Apoſtolicis obtrudit. Hujuſmodi ſunt, ſigna varia exhibita Auguſto Cæſari circà Chriſti nativitatem: Fabulæ de Annâ & Marito, Mariâ Virgine, Joſepho, Miraculis bene multis antè & poſt genitum Servatorem, in Judæâ, Ægypto, Galilæâ: Dein Petrinus Dominatus, Pſeudo-Concilia Apoſtolica, Pſeudo-Conſtitutiones de Imaginibus, de Ceremoniis, Ritibus, Hierarchico regimine, Diſciplinâ Clericali, Symbolo Apoſtolico, &c. Quorum ut fidem faciat Cæſar Baronius, non teſtes ullos ejus aut proximæ ætatis, probatos illos, ſiſtit, nec aſſurgit altiùs (extrà Apocryphorum manifeſtiſſimum ordinem) quàm ad *quarti*, *quinti*, *octavi*, *decimi*, *undecimi*, *decimi-quarti* Seculi Scriptores: Puta ad *Gregorium Nyſſenum*, *Epiphanium*, *Oroſium*, *Damaſcenum*, *Metaphraſtem*, *Germanum Conſtantinopolitanum*, *Cedrenum*, & plerumque *Nicephorum*, Doctorum ferè omnium conſenſione, vel credulos nimis, vel quandoque nugaces.

CANON II.

Criterium alterum νοθϵίας eſt: *Si Scriptum* (de quo dubitatur ſit-ne ab Apoſtolicis Viris profectum, an verò illi Ætati ſuppoſitum) *conſtet ſilentio prætermiſſum fuiſſe, atque adeò ignotum ipſi ſpeciatim Euſebio in Hiſtoriâ ſuâ, Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Gennadio Maſſilienſi continuatori Hieronymi, quandoque & Iſidoro, & Photio in Biblioth. diligentiſſimis inquiſitoribus Monumentorum ſe priorum.*

Canonis hujus veritas auctoritate, & exemplis, adſtructa. NEc enim veriſimile eſt, aut fugiſſe horum Hiſtoricorum ac Criticorum notitiam, aut ſpontè ab iis fuiſſe diſſimulata hujuſmodi monumenta, quæ primas in antiquis illis mererentur. Neque regulam hanc improbavit Baronius, ubi de Epiſtolâ Dei Genetricis ad Ignatium, & aliis; *Sed Hieronymus & alii antiquiores eas non noverunt*, Tom. I. ad A. Ch. XLVIII.

Ad hanc nunc regulam exigat qui volet *Pſeudo-Areopagitica*, *Pſeudo-Conſtitutiones* Apoſtolicas, *Clementina* varia, *Ignatianas* complures Epiſt. in poſteriori Sylloge: Sic Paparum vulgò *Decretales*, quarum nullæ in Codice Rom. Eccleſiæ comparent antè illas Syricii Papæ, ſub finem Seculi IV: Sic quoque *Pſeudo-Epiſtolas* alias, *Liturgias*, ſive *Miſſas*, *Apocalypſes*, *Narrationes*, *Hiſtorias* de Nativitate, de Infantia Salvatoris, de Mariâ, aut etiam *Acta* varia Apoſtolorum, ac Martyrum ſine fine, &c. Hi jam fœtus ad unum omnes ſpurii deprehendentur, & vel nondum nati Patrum iſtorum ætate, vel certè flocci ab iiſdem habiti, undè de iſtis ſilentium. Quo etiam refer non pauca v. gr. *Melitoni*, *Juſtino Martyri*, *Clementi Alexandrino*, &c. falsò inſcripta, in Catalogis apud Cocum, Rivetum, Criticos alios, nec invitis Sixto, Baronio, Bellarmino, Poſſevino, Perronio, &c. ne recentiores dicam & cordatiores, Oudinum, vel Du Pinum. Undè rurſus hunc Canonem applicat (ut ſuprà) Annalium Scriptor, T. I. ad An. Chr. XLVIII. N. XII. Trithemium de *Melitone* plus ſibi vindicaſſe quàm S. Hieronymum, qui illius Scripta recenſens nihil prorſus ejuſmodi numerat.

CANON III.

Tertium eſto Criterium: *Si Scriptum, de cujus auctoritate controvertitur, ipſi Veteres habuerint pro Apocrypho & Suppoſititio, vel certè pro Dubio: Et cumprimis illi quoque, quorum auctoritas Romanæ Eccleſiæ ſacra eſſe debet, & eſt aliàs.*

ATqui ſuperiora quæ indigitavimus omnia, & ψευδεπίγραφα alia quamplurima, retulit jam olim in Apocryphorum cenſum *Gelaſius* Papa, in Concilio Rom. vergente ad finem Seculo V. ſeu Anno CCCCXCIV. exhibentibus Decretum hocce Burchardo, Gratiano, aliis: Quod ſi *Gelaſii* eſſe dubitetur, cui & vindicat Elias Dupinus, certè antiquum eſſe nemo neget, adſcriptum etiam Damaſo, vel Hormiſdæ, & in Romanâ Eccleſiâ fabricatum. Sic habuêre in ſuppoſititiis v. gr. Euſebius, *Hiſt.* Lib. III. C. XXV. *Actus Pauli*, *Librum Paſtoris*, *Apocalypſim Petri*, *Barnabæ*, quæ ferebatur, Epiſtolam, &c. hanc licet Clementi Alex. laudatam. In eodem ordine habuit Hieronymus, περιόδους *Pauli & Teclæ*; *Hermæ* Paſtorem, etiam Proſper Aquitanicus, Gelaſius Papa, Auctor Stichometriæ; *Conſtitutiones Apoſtolicas*, Gelaſius, etiam Trullana Synodus; *Dionyſiana* Hypathius Epheſius, Seculo VI. *Ignatiana* Nicephorus Conſtantinopolitanus in Stichometria, quam Latinè vertit Anaſtaſius, ſub initia Seculi IX. &c. Quæ expreſſis horum teſtimoniis conſtant. Quare nec mirum videri debet, ſi ſagaciori hâc ætate veniant quoque ea ſcripta in ſuſpicionem νοθϵίας, quam & novis indiciis Eruditi paſſim prodiderunt. *Scripta ipſis Veteribus, Pſeudepigrapha.* Nec me tamen fugit quid ad *Decretum Gelaſii*, & ad expreſſas voces auctori *Stichometriæ*, Nicephoro adſcriptæ, excipiant Uſſerius, Hammondus, Pearſonus, Viri utique magni, Ignatianarum defenſores. Nempè *Decretum* illud prius gratis adſcribi Gelaſio, in Synodo ſcil. LXX. Epiſcopor. Aſterio & Præſidio Coſſ. iſtud tacente quoque Dionyſio Exiguo: Itâ *Stichometriam* Nicephori Patr. Conſt. non eſſe, in quâ inter Ἀπόκρυφα recenſentur illa Ἰγνατίου, Πολυκάρπου, &c. Præterquàm quod Ἀπόκρυφα, in Decreto Gelaſii, ſolis opponi videantur *Canonicis*, non verò probatis Eccleſiaſticis. Hæc illi. Ad quæ videſis noviſſimum, in Galliâ Reformatâ, Salmaſii & Dallæi Hyperaſpiſtem contra Doctiſſ. Pearſonum; tùm Commentatores nuperos de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *Gelaſio* & *Nicephoro* ea Scripta vindicantes. *Exceptiones ad teſtimonia contra Ignatianas.*

Digitized by Google

Canon IV.

Quartum Criterium erit : *Si in eandem Apocryphorum, ſaltem dubiorum, claſſem referant ipſi quoque Adverſarii, quorum aliàs intereſſet habere talia pro Genuinis.*

Pontific. ipſis pro Apocryphis habiti.

QUò faciunt cordata ſæpè judicia, in ipſis Pontificiorum caſtris, Virorum non obeſæ naris; ex. gr. Laurentii Vallæ, Eraſmi, Rhenani, Cajetani, Sixti, Poſſevini, Molani, Bellarmini, Cani, Baronii, Sirmondi, Perionii, Albaſpinæi, Petavii, Perronii, Miræi, Valeſii, Godavi, Huetii, Labbæi, Launoii, Ducæi, Baluzii, Oudini, Mabilloni, Du Pini, Le Nourry, &c. Puduit hos quandoque fraudis, nec cæca crudelitate admiſère ſtatim omnia ut Apoſtolica, vel ut *Clementis*, *Dionyſii*, *Ignatii*, *Romanorum Pontificum*, *Martyrum*, *Martialis*, *Prochori*, *Abdiæ Babylonii*, vel etiam ut *Juſtini*, *Clementis Alex. Origenis*, *Cypriani*, &c. quæ horum ſub nominibus, vel ſeorſim, vel conjunctim in Orthodoxographis, aut in Bibliothecâ Patrum, in Conciliorum Tomis, in Collectionibus Decretorum, & in Patrum iſtorum Operibus, exhibentur. Quod de *Epiſtolis Decretalibus* priorum, qui vulgò cenſentur Pontificum, luculenter Blondellus demonſtravit in Pſeudo-Iſidoro, ubi *Judicia Pontificiorum* ad ſingulas ſubjecit.

Non pari tamen candore, etiam doctiorum.

Sed neque pari hi omnes candore in æſtimandis iis verſati ſunt, vel unius Baronii, aut ſi mavis Bellarmini, ſibi haud conſtantium exemplo, modoque (prout cauſa eorum exigebat) probantium, modò reprobantium. Eadem nuper Philippi Labbæi levitas, ſed impotentia major, in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis Commentario, edito *Pariſ.* 1660. Idem de Leone Allatio judicium eſt, inter alia *Jacobi Liturgiam* Apoſtolo iſti tribuenti, in Symmictis, poſt Lindanum, Sanctium, alioſque hypotheſi ſervientes; invitis Doctis omnibus, etiam Critico nupero Nicolao de Nourry, Monacho Benedictino, in *Apparatu ad* I. Seculum. Sic mirari nuper licuit Ant. Godavium, illinc, in *Præf.* Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, de Apocryphis & Fabuloſis benè multis ſaniùs judicantem, hinc in ipſâ Hiſtoriæ ſerie, non infrequenter eadem conſectatum. Qui tamen de Baronio rectè ibidem pronunciavit, *Præf. Hiſt. Eccleſ.* 1637. *Accuſatur ab ipſis Orthodoxis Baronius, quod Scriptis utatur ſuppoſititiis tanquam veris.*

Canon V.

Quintum Criterium : *Si in ejuſmodi Scripto controverſo memorentur res geſtæ, aut perſonæ, quæ poſteriores ſint ac recentiores longè illo Scriptore, cujus nomen falsò præſcriptum legitur.*

Applicatio Canonis ad Pſeudepigrapha.

NEc feliciore indicio Viri ſummi fraudes aperuère, ſeu ſpuria à legitimis diſtinxère. V. g. meminerunt *Canones* vulgò *Apoſtolici* Controverſiæ Paſchalis, quæ alterius eſt à Chriſto Seculi : Sic *Clementinæ Conſtitutiones* meminère Controverſiæ de Rebaptizandis Hæreticis, quæ tertio Seculo in nervum erupit : Sic *Abdias* Babyloniæ Epiſc. Apoſtolis ſcil. coævus, unus ex LXX. Diſcipulis habitus, in *Hiſtoria Certaminis Apoſtolorum*, meminit Hegeſippi, qui claruit ſecundo jam inclinante Seculo : Sic *Ignatianæ* Epiſtolæ, ſomniorum *Valentini*, & *Siges* ex quâ negat *Filium prodiiſſe*; qui tamen Valentinus Ignatio Antiocheno poſterior, ut qui *Romam venerit ſub Hygino, medio Seculo* II. *& tempus prorogaverit uſque ad Anicetum*, qui ſedere cœpit (in Chronographiâ Pontificum) A. CLXV. ex Irenæo, Prologo in *Lib.* IV. confirmante Euſebio in *Chronico*. Nonnulla hîc quanquam ingenioſè excipiat Doctiſſ. Pearſon, in Vindiciis Ignatii Epiſt. *Parte* II. C. III. & ſeq. ſcil. non ad *Sigen* Valentini, ſed ad hæreſin *Ebionis* reſpexiſſe Ignatium; nec conſtare omninò *Valentini* errores fuiſſe ignotos Ignatio, quem antè Hadriani Imperium *hæreſin* ſuam ſparſiſſe vellet. Ità fictus *Areopagita* meminit, Templorum Chriſtianorum, Altarium, Monachorum, aliorum id genus. Pariter *Hegeſippus*, qui ſecundo Seculo floruit, in *Excidio Urbis Hieroſol.* perperam illi adſcripto, (pro *Joſippo* vel *Joſepho*, undè ſua decerpſit) meminit Conſtantini M. & urbis Conſtantinopoleôs, &c. Sic obſervatum Eruditis, Librum Quæſtionum, & Reſponſionum ad Orthod. *Juſtini Martyris* non eſſe, in quo Irenæi, Origenis, Manichæorum mentio; unde alteri *Juſtino*, ac recentiori longè, tribuerunt Eruditi. Idem judicium de nonnullis adſcriptis *Origeni*, v. gr. Commentario in Marcum, in quo mentio fit ipſius Origenis, ſic Euſebii, Chryſoſtomi, &c. ut etiam ab ipſo Huëtio *Lib.* III. Origenianor. à Simone Criticæ Novi Teſtam. T. III. rectè obſervatum eſt : Quod & locum habet in nonnullis quæ abjudicata ſunt *Tertulliano*, *Cypriano*, *Athanaſio*, *Auguſtino*, &c. ut in horum Scriptorum Cenſuris Eruditi paſſim.

Sic quoque *Decretales* Romanorum Epiſcoporum *Epiſtolæ*, inde à Clemente Romano ad Syricium, collectæ ætate Caroli M. ſub nomine *Iſidori Mercatoris*, ſeu *Peccatoris*, non evidentiore ſeſe produnt, quàm hoc quod diximus, indicio : Dum ex. gr. Clemens Romanus, Cherſonæ mortuus anno Chriſti C. & proximi huic Anacletus, Euariſtus, Alexander, Teleſphorus, Hyginus, reliqui, perpetuis ἀναχρονισμοῖς, meminerunt vel rerum, vel auctorum, vel controverſiarum puta *Arianæ*, aliorumque, quæ Epiſtolarum iſtos Scriptores multo tempore exceperunt. Nec opus eſt uberiori ſpecimine, poſt congeſta rei exempla apud Centuriatores Magdeburg. Cocum, Parkerum, Rivetum, Blondellum in Prolegom. ad Pſeudo-Iſidorum, Dallæum de Dionyſianis & Ignatianis Scriptis, &c.

Canon VI.

Sextum Criterium factæ fraudis, ſequens eſto : *Si in Scripto quod fingitur Apoſtolicæ aut proximæ huic Ætatis, mentio in ſpecie fiat Ceremoniarum, Rituum, Diſciplinæ, Politiæ Eccleſiaſticæ, ſimilium, quæ dudum poſteà in Chriſtianam Eccleſiam fuère introducta.*

Rituum & Diſciplinæ ratio, Pſeudepigraphis recentior.

ATque hoc rurſus indicio intellectus fucus, ac prodita impoſtorum temeritas fuit, qui auguſta illa tùm Collegii *Apoſtolici* totius, tum ſigillatim Beati *Petri*, *Matthæi*, *Marci* Euangeliſtæ, *Jacobi Apoſtoli*, *Clementis Romani*, *Lini*, *Anacleti*, *Dionyſii Areopagitæ*, nomina, & plura id genus primæ ac ſecundæ Ætatis, commentis ſuis præſcripſerunt. Id nempe egiſſe videntur, ut novitatem Conſtitutionum larvâ Antiquitatis obvelarent, eâ jam Ætate quâ à primævâ ſimplicitate omnia in Eccleſiis deflexerant. Hujuſmodi ſunt quæ in vulgatis illis ac meritò ſuſpectis *Conſtitutionibus*, vulgò *Apoſtolicis*, ſic in *Apoſtolicis Canonibus*, *Recognitionibus Clementis*, compluribus *Liturgiis*, *Epiſtolis*, præcipuè etiam *Decretalibus*, *Hierarchicis* Libris, dicta modò Nomina per fraudem ementitis, operoſè & ad

Digitized by Google

ad faſtidium legas, de alieniſſimis certè inſtitutis ab Eccleſiæ Chriſtianæ illâ infantiâ. Exempli gratiâ, nimis ibi multa de Ritibus Baptiſmalibus, puta Exorciſmo, Inſufflatione, Temporibus Baptiſmorum, annexis aliis; ſic de Ritibus Pœnitentialibus, ſecundum rigorem Eccleſiaſticorum ac poſteriorum Canonum, uſque ad ipſam *infamiæ* pœnam, ad *ſatisfactionem* irrogandæ, de quâ Pſeudo-Clemens *Epiſt.* I. Sic de Ritibus Euchariſticis ſive Miſſalibus, in dictis Liturgiis; Sic de Feſtis publicis Chriſtianorum, etiam Dominici natalis, hujus tamen ignoti ante tempora Conſtantini M. Sic de Quadrageſimâ, & Jejuniorum ſtatis temporibus; de Monachorum inſtitutis, de Vigiliis, Templis, Altaribus, Thurificationibus, Conſecrationibus, Veſtibus ſacris, Decimis; De Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, & Archiepiſcoporum, ſuprà reliquos gradibus, dignitate, juriſdictione; De B. Petro Principe Apoſtolorum; De ſanctâ & Apoſtolicâ ſede, ſcil. Romanâ; de Diviſione Provinciarum ab Apoſtolis factâ, &c. de Clericorum variis ac diſtinctis Ordinibus, ſuperioribus & inferioribus, Subdiaconis, Exorciſtis, Acolythis, &c. De Ordinationum ritibus, lege Cœlibatûs, Sacerdotum prærogativâ, quâ *à ſolo Deo, non ab aliis aut judicandi eſſent, aut removendi*, ut eſt in Clementis jam & Anacleti Epiſtolis, illius *Epiſt.* I. ad Jacob. & hujus *Ep.* II. &c. & quæ plura ſcriptis iis memorata non unam paginam implerent. Sed horum omnium recentiorem eſſe Apoſtolicâ & primâ ſaltem ætate originem, abhorrentium ſanè à conſuetudine, & ſimplicitate, ac conditione primi illius ævi, pluribus eſt à Viris ſummis demonſtratum. Nec de pleriſque inficiati ſunt cordatiores in choro Pontificio, & ſuperiori & noſtrâ Ætate, ut paſſim poſt Walafridum, Durandum, alios, Caſſandri, Eſpencæi, Albaſpinæi, Rigaltii, Valeſii, Launoii, Baluzii, Du Pini, & quibus frons fuit verecundior, ac judicium ſubactius. De ſingulorum autem ſucceſſivâ *origine*, cumprimis III. IV. V. aut inferioribus Seculis, nos ex profeſſo aliàs.

CANON VII.

Septimum nobis eſt ὑποβολῆς Criterium à *doctrinâ* deſumptum: *Si in Scriptis* τοῖς ἀμφισβητουμένοις *Dogmatica reperiantur, vel planè aliena à doctrinâ Apoſtolicâ, vel ignota adhuc illi Ætati, quam præ ſe ferunt Apocrypha.*

Pſeudepigrapha ex erroribus prodita.

QUo Criterio ad ſuperiora *Scripta* applicato, puta ad Apoſtolicos Canones, Conſtitutiones aut Recognitiones Clementis, Epiſtolas, Decretales, Areopagitica, Ignatiana certè quædam, reliqua ejus farinæ, fraus eſt in propatulo. Heic enim inſperſos paſſim intelligas errores Manichæos, Arianos, Anti-Trinitarios, frequentibus apud Cenſores noſtros, antè laudatos, exemplis. Sic defenſa iis quandoque ἀνέγγραφα & ἀθεόλογα alia. V. gr. De Papæ *Summo Sacerdotio*, ſive Oecumenico Pontificatu, Decretalibus ferè omnibus Epiſtolis aſſerto; De cultu religioſo Imaginum, ſive *ſtatuæ Chriſti* Servatoris, in Canone ſcilicet Apoſtolico, ſeu Antiocheno VIII. Turrianis, Baroniis, Biniis approbato; De Rebaptizandis iis qui baptizati à quocunque genere *Hæreticorum*, in *Conſtit. Apoſt.* L. VI. C. XV. De *neceſſitate*, eaque tanquam ex præcepto Apoſtolico, ſtatorum Jejuniorum, Quadrageſimæ, obſervantiæ Feſtorum, ſervandi Cœlibatûs, ac Rituum in ſe aliàs ἀδιαφόρων, quæ in omnibus illis Pſeudepigraphis obvia ſunt. Aſt quàm parum illa quadrent cum doctrinâ Chriſti & Apoſtolorum, prolixè in Controverſiarum iſtarum tractatione demonſtratur, & in ſerie noſtræ Hiſtoriæ, ad ſingula Secula. Ità, dum Canones vulgò Apoſtolici, Canone *ultimo*, inter Libros Canonicos N. T. accenſent Clementis Epiſtolas duas, & Conſtitutiones, & inter Libros V. T. *tres* Maccabæorum, omiſſis hîc quidem *Eſdrâ*, ibi *Apocalypſi* Johannis, ſuppoſitio ſanè eſt in propatulo, ſaltem quoad hunc Canonem.

Unius adhuc aut alterius exempli loco, rectiſſimè collegerunt Viri ſummi, *Origenis* non eſſe Libros tres Commentarior. in Jobi priora, in quibus Arianam Hæreſim auctor propugnat, ſententiam verò de *Trinitate* vocat *ſectam*, *hæreſim trionymam*, *infidelitatem*, *trium Deorum hæreſin*, notans etiam voces *Triada* & *Homouſion*. Veriſſimè iidem, *Athanaſii* non eſſe Homiliam de Dei-parâ Virgine, in quâ Mariæ invocationem adſtruit, qui alibi docuit κτίσμα κτίσματι ὁ προσκυνεῖν, *Orat.* III. Rectè quoque, *Ambroſii* non eſſe, nec *Hieronymi*, nec *Auguſtini*, in quibus patrocinantur hæreſi Pelagianæ, ut ſit prioris Commentario in Epiſt. ad Romanos, & poſteriorum Epiſtolâ ad Demetriadem, utrique ſcilicet per fraudem adſcriptâ. Nec ſunt errores pauci in Quæſtionibus Vet. & Novi Teſtam. quæ Auguſtino tribuuntur, *Oper. Aug. Tom.* IV. qui ab aliis enarrati. Quomodo *Cyrilli Alexandrini* nomine peſſimè ſunt inſcripta Homiliæ in Leviticum, paſſim à Pontificiis in cauſæ ſuæ patrocinium adductæ, quæ tamen Origenianis *erroribus*, ut de Creatione primævâ Animarum, de terminando Inferorum ſupplicio, &c. *ſcatent*, judice ipſo Bellarmino, *de Scriptor. Eccleſ. in Origene*. Atque idem eſto de Viris aliis gravibus judicium, & Catholicis quoad doctrinam Patribus, quorum tamen ſe auctoritate larvarunt, non infrequenter Heterodoxi. Exempla à III. & ſequent. Seculis.

CANON VIII.

Octavum ſuppoſitionis Criterium eſt: *Si in iiſdem Scriptis reperiantur paſſim* ἀντιχρονισμοὶ, & ἀνιστορησίαι *nimis craſſæ, contra Hiſtoriæ Apoſtolicæ, Sacræ, aut Exoticæ evidentiam ac conſenſionem, contrà facta notoria, aut inverſo plane ordine Temporum & Chronologiæ certioris.*

EXempla de multis pauciſſima eſſe poſſunt: In *Conſtitutionibus Clementis* illud, Jacobum Zebedæi revixiſſe poſt mortem, de quâ *Actor.* XII. *In Ignatianis* paſſim Epiſtolis iſta, Dallæo aliiſque notata, V. gr. Salomonem judicaſſe de matribus litigantibus, anno ætatis ſuæ XII. Paulum Apoſtolum fuiſſe conjugatum; erroris dein aſſertore Clemente Alexandrino, ex malè intellecto loco *Phil.* IV. 3. Cæſarem Ignatii ætate fuiſſe ſub Chriſtianâ diſciplinâ; Alia id genus de Clemente, Johanne, Mariâ, quæ *Interpolatorem* vel *Fictorem* arguere, ipſe fatetur Pearſonus, *Vindic. Parte* II. C. VIII. X. &c. Quomodo & in *Quæſtionibus ad Orthod.* Juſtino Martyri inſcriptis, mentio fit κρατοῦντος τοῦ Χριστιανισμοῦ, ſeu *Chriſtianiſmi dominantis*, everſo *Paganiſmo*. Sic in *Pſeudo-Dionyſianis* illud, Timotheum, nihil certè inferiorem Dionyſio, comparatè tamen & hujus reſpectu fuiſſe παῖδα, &c. In *Pſeudo-Abdiâ*, vidiſſe Chriſtum in carne: In perſonato *Hegeſippo*, Jacobum fratrem Domini de Templi faſtigio fuiſſe præcipitem actum, cujus tamen mors alia ex Joſepho conſtat, *Antiq. Jud.* L. XX. C. VIII. In Clementis *Epiſt. ad Jacobum*, vixiſſe hunc adhuc Apoſtolum poſt mortem Petri; poſt hanc enim ad Jaco- Ἀντιχρονισμῶν & ἀνιστορησιῶν exempla in Pſeudepigr.

cobum illum ut vivum adhuc ſcribit Clemens, niſi mortuum Epiſtolâ ſalutaverit: In *Decretalibus* reliquis, ſexcenta ejus commatis, mendaci etiam ubique notatione *Conſulatuum*, quæ à Davide Blondello, Viro inexhauſtæ memoriæ, & incomparabilis diligentiæ, ſunt accuratè ſubnotata. Nec hujuſmodi παροραμάτων in Suppoſititiis finis eſt.

Tacemus *Fabulas* prope infinitas, à Gnoſticis, Marcionitis, Manichæis, id genus Pſeudo-Chriſtianis, aut otioſis ac maleferiatis hominibus profectas, quibus fœdata eſt Apoſtolorum ut doctrina, ſic etiam hiſtoria, ut Chriſti illa, Mariæ Virginis, Theclæ, &c. in Pſeudo-*Actis* bene multis, Pſeudo-*Euangeliis*, *Proto-Euangelio Jacobi*, *Epiſtolis* primi Ævi, Libellis de *Nativitate Mariæ*; de *Tranſitu Mariæ*, de *Paſſione Petri & Pauli*, &c. Sed ſpecialis hâc de re Canon eſt, ordine nobis *decimus*.

CANON IX.

Nonum fraudis Criterium: *Si in iiſdem vel Dubiis, vel Apocryphis legantur, ſeu res, ſeu voces, phraſes, quæ ex Scriptoribus dudum poſt natis, aut ex Actis poſteriorum Synodorum ſint manifeſtè depromptæ, aut etiam verbotenus indè deſcriptæ.*

Scriptores poſteriores à Pſeudepigr. malè citati.

ET hoc factum eſſe perpetuò ac paginis ſingulis, à Collectore *Epiſtolarum Decretalium*, operoſè Blondellus noſter oſtendit. Ibi myriades exemplorum, quotiens inducuntur primi, ſecundi, tertii Seculi Pontifices haurientes ſua ex Latinâ Bibliorum (& quidem in iis quæ ſunt per Hieronymum emendata) Verſione Hieronymi, itèm ex Conciliis, ex Patribus, ex Scriptis poſt eorum Pontificum ætatem natis. Hujuſmodi ſunt vocabula *Pontificum*, *Primatum*, *Patriarcharum*, *Archiepiſcoporum*, *Metropolitanorum*, *Apocriſiariorum*, *Comitum*, &c. id genus alia plurima, apud Blondellum noſtrum in *Pſeudo-Iſidoro*, Dallæum in Pſeudepigraphis, Criticos alios circa primæ antiquitatis monumenta, & in noſtris Commentationibus paſſim. Ità in *Liturgiis* quæ Jacobo, Marco, Petro, &c. inſcribuntur, & in Scriptis pleriſque ſuprà indicatis, quæ *Apoſtolorum*, *Dionyſii*, *Clementis*, *Ignatii*, *Prochori*, *Hermæ*, &c. nomina præferunt, ſunt ſanè longè plurima quæ ex tertiæ, quartæ, quintæ Ætatis Scriptoribus aut Canonibus videntur eſſe mutuata. Quò etiam ſpectant inclytæ voces Τρισαγίου, Τριάδος, Μονάδος, Ὁμοουσίου, Θεοτόκου, Ὑποστάσεως, Προσώπου, Ἀσυγχύτου ἑνώσεως; ſic illæ Μητροπολίτου, Ἱερέως, Ἀρχιερέως, Πάπα, Ἀρχιπρεσβυτέρου, Μοναχοῦ, Λαϊκοῦ, Κατηχουμένου, Θυσίας, Προσφορᾶς, Μνήσεως, Καθολικῆς Ἐκκλησίας, & quæ ſunt id genus bene multa. Ità ex Fabulis ſequioris ævi natum illud in vulgato *Hermæ* Paſtore, de *Purgatorio* ſibi ab Anu quâdam revelato. Ità in *Quæſtionibus* Juſtini Martyris citantur (ut ſuprà) Irenæus, Origenes, &c. Ità Eraſmo, Sixto, aliiſque pridem obſervantibus, nuper Huetio, dein & in noſtris Coco, Riveto, G. Cave, &c. nec verbi gr. *Origenis*, ſed nec *Ambroſii* eſſe poſſunt, nec *Auguſtini*, nec *Hieronymi*, nec *Eucherii Lugd.* nec *Junilii Afri*, quæ in illorum Operibus ex Boëtio, ex Gregorio, ex Bedâ, ex poſterioribus id genus Auctoribus, deſcripta intelliguntur. Loca in dictis Scriptoribus requiras, qui Criſim ſuam exercuerunt in dictos Patres.

CANON X.

Decimum factæ fraudis Criterium: *Si in narrationibus illis Hiſtoricis, quæ mentiuntur primam Antiquitatem, venditentur pro veris Fabulæ nimis quàm pueriles, & Hiberæ næniæ, & apertiſſima mendacia, ac res omninò ludicræ.*

HUjuſmodi ſunt, Ex. cauſâ, in Actis vel περιόδοις *Theclæ* Virginis, quæ à multis Proto-martyr appellata, fabella de Thecla ab igni, & à beſtiis ſeu leonibus, quibus fuiſſet objecta, illæſâ; immò ſi placet altera, de Leone baptizato: In *Pſeudo-Clemente*, illud ſupra quoque notatum, de Jacobo Zebedæi poſt mortem reviviſcente; quemadmodum & aliud in *Pſeudo-Iſidoro*, de ejuſdem Jacobi in Hiſpanias profectione, de quâ fabulâ loco ſuo: In *Clementis* vulgò *Recognitionibus*, illa de Diſputationibus Petri cum Simone Mago Romæ habitis, deque aliis Petri Sermonibus, Itineribus, Actitatis, otioſiſſimè conficta, quæ Ruffinus in Latinum vertiſſe fertur. Quemadmodum & *Lib.* I. *Cap.* LXV. Gamaliel, de quo in Actis, dicitur latenter fuiſſe Chriſtianus, *frater noſter in fide*, qualis olim Nicodemus. In *Pſeudo-Dionyſio*, illud de Conventu Apoſtolico ad viſendum Mariæ Virginis corpus: In *Pſeudo-Ignatio*, illud de Chriſto à ſe in carne viſo, poſt ejus reſurrectionem, in Epiſt. ad Smyrnæos, niſi pro εἶδον *vidi* legatur οἶδα, ut in Florentino Codice, & apud Euſebium, ac Theodoretum: In *Paſſione Petri* & *Pauli* ſub Lini nomine, fabellæ innumeræ de circumſtantiis loci, temporis, ſupplicii, ſepulturæ ac complurium miraculorum in Martyrio utriuſque Apoſtoli, deque v. gr. non ſanguine, ſed *lacte* ex truncatâ Pauli cervice erumpente, vehementer approbante hoc quoque Baronio: *In Epiſtolâ* quæ *Martiali* Lemovicenſi adſcribitur, commentum non unum: V. gr. Chriſtum, ſe præſente, oſculum præbuiſſe Judæ proditori, ità converſum ſuo tempore fuiſſe in Galliis Stephanum Gallorum Regem, &c. In *Fragmentis Edeſſenis* apud Euſebium, *Lib.* I. *Hiſt.* C. XIII. fabula de Abgari morbo, reſponſione Chriſti, ſanatione Reguli illius per ablegationem Thaddæi; Ut poſteriora taceam ex Euagrio, ex Actis Nicænæ Synodi II. de Chriſti Imagine θεοτεύκτῳ ad Abgarum miſſâ, &c. In Jacobi Juſti *Protevangelio*, nugæ de Joachimo & Annâ parentibus Virginis; de hujus mirâ nativitate, infantiâ, educatione in Templo, nutritione per Angelum, reliquis, quæ fabuloſos Chriſti Natales complectuntur. In *Pſeudo-Prochoro*, qui fuerit conſobrinus Stephani, & Johannis Apoſtoli ſocius, de hujus in Aſiam profectione, in Pathmum, & ibidem geſtis, aut quæ Romæ paſſus ſit, narratiunculæ: In *Pſeudo-Epiſtolis Lentuli* ad Senatum, *Pilati* ad Tiberium, teſtimonia de Chriſti ſtaturâ, ore, capillitio, barbâ, fide Pilati habitâ Miraculis, ac Reſurrectioni Servatoris: Et ſi recentioris nomina, v. gr. in Scriptis Athanaſii, narratio perabſurda de Paſſione Imaginis Chriſti in Beryto, *Tomo* II. producta in Nicænâ Synodo II. Sic prodiit Libellus nuper Arabicus, vertente Henrico Sike Bremenſi, quod inſcribitur *Evangelium Infantiæ Servatoris*; quod Muhammedanis fabulis nugiſque totum ſcatet, undè ſua Keſſæus Arabs, & alii: Interpolato pridem, à Muhammede ipſo, Libro Apocrypho altero, cujus meminit Gelaſius in Decreto, *de Infantiâ Salvatoris*, novis ſomniis pro ingenio adjectis.

Nugarum Scriptores; ſuppoſititii hoc ipſo.

Nec finis fabellarum eſt quibus Chriſti, Apoſtolorum, LXX. Diſcipulorum, Fundatorum Eccleſiarum

Digitized by Google

ſiarum per Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, Britanniam, &c. itá quoque tot Epiſcoporum ac Martyrum hiſtorias, vel conſpurcarunt, vel de ſuo integras finxêrunt hujuſmodi Apocrypha. Quarum imprimis plena ſunt veterum Acta Martyrum, uti *Romanum Martyrologium* vulgò dictum, primis, ſi Deo placet, auctoribus Romanæ Eccleſiæ Proto-Notariis, à Clemente Romano (ut ajunt) inſtitutis, qui Acta Martyrum in volumen colligerent; deperdita quidem magnam partem, ſed mirè deinceps ſucceſſivis temporibus (ſic illi) reſtituta. Aſt fraus evidentior fuit, quàm ut non Acta illa ſugillaret frequenter Baronius, nugaci Metaphraſte, Jacobo de Voragine, & ſimilibus conſarcinatoribus. Ex quibus tamen & ipſe Baronius, & reliqui, fabellas propemodùm innumeras Eccleſiaſticis Annalibus inſeruêre, quibus etiam Romana ſuperſtitio magnam eſt partem innixa. Puduit ſæpe Launojum, Baluzium, & ingenuos alios æſtimatores Antiquitatis, obviis Diſſertationibus, Annotationibus, & ſcriptis in vulgus notis.

CANON XI.

Undecimum fraudum Criterium : *Si hujuſmodi Scriptores perſonati, qui ſub larvâ primæ Antiquitatis latent, utantur ipſimet Scriptis Apocryphis, & nimium fabuloſis, ex quibus ſua propinant, ſed & quibus ſe ſuomet indicio produnt.*

Apocryphæ citationes quandoque arguunt Pſeudepigrapha.

ITà, unius aut alterius exempli loco, videas *Clementinas Conſtitutiones*, uti Apocryphis Teſtamenti Veter. & Pſeudo-Sibyllinis; *Ignatianas* Epiſtolas, & Scripta *Areopagitica*, uti teſtimoniis ex Euangelio Nazaræorum, ex falſo adſcriptis Juſto, Bartholomæo, Thaddæo, &c. Quæ ſcripta vix nata fuêre Apoſtolicâ ætate; quanquàm proximè ſequenti, dudum ante Clem. Alexandrinum, paſſim Apocryphis uſum, multa id genus Orbi Chriſtiano impoſuerint. Exempla autem habes præcipuè apud Joh. Dallæum, in Scriptorum illorum cenſurâ. Excipiat quanquàm ad Ignatium Clariſſ. Pearſonus, P. II. C. IX. at fortaſſe diſſimilibus exemplis, & *Papiam*, & *Clementem Romanum*, citaſſe quoque Apocryphas Scripturas, nec tamen eo cenſeri ſuppoſititios : Imò, quod *Judam* ipſum, in Epiſt. Catholicâ, citare *apocryphum librum Enochi*, ipſe Hieronymus in *Catalogo* ſuo cum aliis cenſuerit. Sed malè; & *dicti* non ſcripti Enochiani, apud Judam mentio eſt, ut ſæpè ad Chriſti dicta, ex traditione, primi Patres reſpexêre. Ità Decretalium Epiſtolarum Auctorem ſua ſæpe ex Apocryphis derivare, Blondellus palam fecit. Sic v. gr. *Pſeudo-Clemens* plurima haurit ex Recognitionibus Clementis, ſcripto itidem omnium ferè conſenſione ψευδεπιγράφῳ; uti *Euariſtus*, & alii, ex Pſeudo-Clementinis Epiſtolis, probante multis Blondello noſtro; & ità de cæteris.

Indubium tamen eſt, *Apocryphis* plus ſatis deinceps uſos eſſe genuinos & antiquos Patres, cumprimis indè à Clemente Alexandrino, Origene, Euſebio, &c. exemplis obviis. Ne Iræneo quidem excepto, qui nonnulla à *Papiâ*, (fabulæ non unius auctore, tanquàm acceptæ à *Diſcipulis* Apoſtolorum) ac ſimilibus habuit; imò nec excepto Juſtino Martyre, uſo quoque Hyſtaſpis & Oraculorum Sibyllinorum auctoritate.

CANON XII.

Duodecimum fictionis Criterium : *Si legantur & alia in iiſdem Scriptis aliena à gravitate Apoſtolicæ Ætatis; aut etiam à modeſtiâ, vel à conſtantiâ ipſius Scriptoris, cujus nomen mutuantur.*

Apocryphorum criterium, ex materiæ quandoque indignitate.

QUo rurſum indicio & argumento, non infrequenter impoſturam produnt memorata Scripta, *ſub Apoſtolorum*, *Abdiæ*, *Dionyſii Areopag. Clementis Romani*, *Ignatii*, *Prochori*, *Martialis Lemovicenſ. Epiſtolarum Decretalium*, &c. venerandis nominibus. Nimis enim inverecundè mentiti ſunt οἱ ὑποβολεῖς nomen, ætatem, patriam, facta varia tanquàm Apoſtolica, quorum tamen pellucet fucus. Exempla habes in horum Scriptorum Cenſuris criticis apud Cocum, Rivetum, reliquos in Ordine utroque, & nuper apud Eliam Du Pinum. Sic ſui non infrequenter obliviſcuntur iſti Fictores, mendaces parum memores, ἀνηλογίαις craſſioribus: Quomodò v. gr. in Chriſti reſponſoriâ ad Abgarum ſive Agbarum, *beatus* hic à Domino pronunciatur, quod *in ſe crediderit*; mox poſt reſurrectionem Chriſti convertendus dicitur cum ſuis, per Thaddæum quendam, quem & adventantem *adoravit*, ut eſt in fragmento Euſebiano, *Hiſt. Lib.* I. *cap.* XIII. Ità Pſeudo-Dionyſius illinc pleraque ſua inſcribit *Timotheo*, ut admodum tum juveni; hinc poſt *Ignatium* videri vult ſcripſiſſe, cujus ex Epiſtolâ ad Romanos laudat alicubi dictum, ὁ ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται. Ignatius, ut vulgò creditur, in Epiſtolâ ad Smyrnæos, quæ una ex ſeptem probatioribus, profitetur ſe taciturum Hæreticorum nomina; aliis tamen Epiſtolis meminit Simonis, Menandri, Baſilidis, &c. imò & Theodoti toto ferè Seculo recentioris Ignatio : Niſi quis hæc nomina non *Ignatii* eſſe dicat, ſed *Interpolatoris*, quæ in Codice Florentino utique nulla. Sic *Pſeudo-Clemens* Epiſtolâ I. illinc meminit mortis Petri Apoſtoli, hinc ſcribit ad *Jacobum* Fratrem Domini ſublatum ante Petrum, toto minimum ſexennio, id eſt, anno VII. Neronis, ex receptâ hypotheſi, de tempore Petrinæ mortis. Nec id genus contradictionum finis eſt, quibus implicuerunt ſeſe fraudum infelices fabri. Ludicra verò & puerilia non pauca obſervarunt, in ſuperioribus paſſim, laudata ſæpe Coci, Riveti, Dallæi, Blondelli, &c. nomina, ſeu Hiſtoriam ſpectes, ſeu Ritus & Ceremonias. Sic laudis propriæ elatos ſæpe præcones videas, & infra dignitatem. Multa quandoque dicta immodeſtiùs, quale etiam eſt illud Ignatii, *Epiſt.* ad Trallianos, quæ ordine *tertia* eſt apud Voſſium & Uſſerium, idemque Dallæo notatum, ſe quædam de Angelis, eorum natura, officiis, dignitatibus, &c. & ſcire, & ſcribere poſſe, quæ ſua ſublimitate Trallianos *ſtrangularent*, μήποτε (inquit) οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι στραγγαλωθῆτε. Sane *ſuffocandi* illa phraſis, ubi agitur de cibo ſolidiore, haud adeò videri poſſit aliena, vel ex Tertull. *Epiſt.* LXIV. ubi is de Origenianis : Aſt verò in hoc argumento, ubi de Angelorum diſtinctis Ordinibus, Dignitatibus, Miniſteriis, vix ſapit Apoſtolicam ſimplicitatem, ſive res ipſa, ſive enunciandi ille modus.

Digitized by Google

CANON XIII.

Decimum tertium argumentum νοθείας eſt: ***Si cumprimis ex ſtylo, oratione, linguâ, & contextu toto, fraus clariſſimè deprehendatur.***

Criterium ex ſtylo, & formâ ſcriptionis.

ATque hoc præ cæteris omnibus Criterio diſcernuntur Apocrypha, ſuo nempe *Sibboleth*, ſuoque *ſermone*, qualiter proditus Petrus *Matt.* XXVI. 73. Quò ſpectant primò *Latinitas* Orationis in Scriptoribus aliàs Græcis aut Orientalibus, qui Hebraïcâ potius, vel Syriacâ, vel Græcâ fuiſſent ſcripturi Linguâ, aut inter ſeſe commutaturi literas. Quis enim, verbi gr. vel *Mariam* Virginem, vel *Johannem* Apoſtolum, vel *Ignatium*, Latinas Epiſtolas ſcripſiſſe, aut commutaſſe invicem, credat? Quis à *Petro*, *Paulo*, *Apoſtolis*, *Clemente Romano*, *Dorotheo* cujus *Synopſis* fertur de Vitâ & Morte Prophetarum &c. profectas credat, ſeu Epiſtolas, ſeu Hiſtorias, ſeu ſcriptiones id genus, non Latinas modò, ſed & hujuſmodi Latinitate quæ ejus Ævi minimè fuit? Nec aliundè magis ſuſpecta ſunt Latina alia, Græcis Patribus tributa, v. gr. Origeni, quod inſcribitur Lamentum, aut Comment. in Jobi priora; Melitoni, Liber de Tranſitu Mariæ; Athanaſio, de Trinitate Libri XII. & Epiſtolæ ad Marcum, Liberium, Felicem, &c. ac quæ id genus plura ſunt, quàm quod è Græco minimè verſa, ſed Latinè primùm conſignata fuiſſe intelliguntur.

Huc ſpectat *identitas* ſtyli, in Scriptis cœtera à diverſiſſimis parentibus, ſecundum inſcriptiones, profectis, quo nomine v. gr. *Epiſtolarum Decretalium* ὑποβολεῦς ludibrium debet. Huc quoque faciunt *Barbariſmi*, *Solæciſmi*, ſordes, inſcitiam ſuppoſitorum arguentes, & Monachalem ætatem aut huic proximam; quo nomine vapulant rurſum Auctor *Decretalium*, & Latina plurima inter *Orthodoxographa*, barbaras Scholaſticorum voces, ac phraſes mutuata.

Eodem referuntur *phraſes* inſolitæ & novæ, aut *dictiones* ſequentis demùm temporis, non ejus quale ſcripta mentiuntur. Abſit enim ut credamus eſſe ea primorum ſeculorum, quæ uſurpant Latinas voces, v. gr. *Papa*, *Sanctitatis* ſuæ, *Epiſcopi Epiſcoporum*, *Sedis Apoſtolicæ*, *Canonizationum*, *Bullarum*, *Præbendarum*, *Annatarum*, *Inveſtiturarum*, *Diſpenſationum*, *Miſſæ*, *Transſubſtantiationis*, *Sacramentalium Characterum*, *Purgatorii*, *Indulgentiarum*, &c. Ità quis in *Canonibus* Apoſtolicis, aut Apoſtolorum *Conſtitutionibus* (ſi nempe ab ipſis Apoſtolis profecta eſſe iſta cenſeantur, ſcriptave) ferat ſenſu poſteriorum, voces Ἀναγνώστου, Ψάλτου, ἱερέως, κληρικοῦ, λαϊκοῦ, μυήσεως, νεοφωτίστου, ἀκροωμένου, ſexcentas id genus. Quis ſimiliter in *Ignatio Martyre*, vocem Ἀρχιερέως pro Epiſcopo, Ἱερέως pro Presbytero, Αἱρεσιώτου pro Hæretico, &c. niſi priores quis aliò referat, quod Reverendiſſ. Pearſonus facit. Prout idem, eruditiſſimis cætera obſervatis, negat à conſuetudine vel Apoſtolicæ ætatis, vel Græcorum, abhorrere ampullata in Ignatio vocabula Χριστοφόρου, Θεοφόρου, Πνευματοφόρου, χριστεμπορευομένων, &c. Quis etiam in *Dionyſio Areopagitâ* probet voces Μοναχοῦ, Θεραπευτοῦ, Ἱεράρχου, Ἀδελφοθέου, Φιλοθεωτάτου, Θεοπάτορος, id genus innumeras, à Caſaubono, Riveto, Dallæo, aliis perſtrictas: Vide & ſuperiùs Canonem IX. Quò etiam referri debent Epiſtolarum *Inſcriptiones* variæ, & ἐπωνυμίαι, alienæ à ſimplicitate & uſu Apoſtolici ævi; ut in Ignatianis, Clementinis, Decretalibus variis, ſic in Epiſtolis adſcriptis Mariæ Virgini, Mariæ à Caſſobelis vel à Caſtabalis, Paulo, Martiali, &c. apertè ſatis liquet. Adde *Contextum* totum, Diſpoſitionem, Methodum, Characterem, dicendi genus vel ſimplex nimis vel ſublime; vel affectatum nimis vel abjectum; vel terſum magis vel impurum; vel benè vel malè conſutum; vel ſolutum vel adſtrictum. Ex quibus facile eſt judicare quid per fraudem his & illis, hâc & illâ ætate, fuerit aſſutum.

CANON XIV.

Criterium decimum quartum factæ ſuppoſitionis, priori quadantenùs affine eſt: ***Si Scriptores hujuſmodi longè ſint diſſimiles, ſtylo & charactere dictionis, iis quorum nomina præferunt; factâ collatione Scripti dubii & controverſi, cum aliis ejuſdem Auctoris, quæ ſint certæ & dubiæ fidei.***

Styli diſſimilitudo, cumprimis diverſitatem Scriptorum arguens.

ATque hanc ad regulam diligenter exegerunt Viri Magni ſcripta innumera, quæ tributa his & illis Patribus, ac Auctoribus Eccleſiaſticis, quorum extarent alia hodieque monumenta. Nam, inſtitutâ συγκρίσει, vel ex *ſtylo* intellexerunt Eraſmi, Sixti, Poſſevini, Bellarmini, Perkinſii, Coci, & quibuſcunque fuit naſus Criticus, & familiarior uſus Scriptorum veterum, v. gr. non *Pauli* eſſe Apoſtoli quæ proſtant ad Senecam Epiſtolæ; non *Senecæ* quæ ad Paulum; non *Clementis* quæ ad Jacobum Fratrem Domini, & ad Diverſos, &c. Ità rectè judicarunt nequaquàm eſſe *Juſtini Martyris*, quæ in Ariſtotelem ſcripſit, ad Paulum Presbyterum; Ut nec *Origenis*, quæ extant Commentaria in Jobum, aut Homiliæ in Diverſos, aut Lamentum Origenis, &c. Nec *Cypriani* longè plurima, quorum Catalogum exhibent Scultetus, Cocus, Rivetus, Bellarminus, Rigaltius, Labbeus, Fellius, Pearſonus, alii, Bellarmino ipſo in dubium vocante v. gr. Cypriani Librum de Spectaculis, ob *ſolam ſtyli diverſitatem*: Pariter negarunt Viri docti v. gr. *Hilario* Epiſtolas quaſdam, uti ad Abram filiam; negarunt *Ambroſio* Commentarios in Epiſtolas Pauli, aut libellos de Sacramentis; negarunt *Athanaſio* Homilias, Epiſtolas, Narrationes quaſdam, Dialogos de Trinitate, alia; negarunt *Hieronymo* Exegetica varia, varias Epiſtolas, varia Opuſcula, laudatis Auctoribus recenſita; negarunt *Auguſtino* ſexcenta, quæ (juxta Tomorum ſeriem) poſt Eraſmum ſagaciſſimum in iſtis Criticum, poſt Sixtum Senenſem, Poſſevinum, Perkinſium, vel ex ſermonis charactere à genuinis diſtinxerunt, etiam noviſſimi in Galliâ Editores Benedictini. Et ità quiſquiliæ aliæ pro theſauris venditatæ, quæ *Patribus* cæteris, à rerum aut characteris ignariſſimis Interpolatoribus, aſſutæ fuerunt.

Cautela circa hoc Criterium.

Quanquàm circa hoc κριτήριον majori ferè cautione quam in reliquis opus eſſe videtur. Nec enim idem Scriptor ſui ſemper ſimilis eſt, pro diverſitate argumenti aut generis in quo verſatur, & pro diverſâ quoque ſcribentis vel ætate, vel diſpoſitione. Sæpe etiam fingitur ſtyli quædam inſignis diverſitas, à nimium profectò Criticis, qualem cordati, nec plane obeſæ naris, haud ſatis intelligunt. Nempe hypotheſibus & ſententiis erroneis tum litatur, quas indignantur fautores convelli, modò *Athanaſii*, modò *Epiphanii*, modò *Hieronymi*, modò *Gelaſii*, & ſimilium auctoritate. Exempla adverſus *Pontificios*, quoties è re ſuâ eſt Veteres lancinantes, habent Cocus in Præfat. Perkinſius, Rivetus, Chamierus, Dallæus, alii paſſim Antiquitatis Eccleſiaſticæ promi condi. Nec indictam volumus quoque temeritatem viri ſane pereruditi, Tanaquilli Fabri, qui in Epiſt. Criticis v. gr. L. I. *Epiſt.* XLIV. ſugillat

lat *Teſtimonium Flavianum* de Chriſto, hoc cumprimis nomine, quod mira ſit in *vocibus* pene *ſingulis* orationis diſcrepantia à Joſephi reliquis; qualem certè nec Caſauboni, nec Uſſerii, nec Voſſii, nec Valeſii, nec Huëtii, nec emunctioris naris Critici obſervare in iis ſingulis potuerunt. De quo nos pluribus ſpeciali Diſſertatione, quâ Tanaquilli reliqua hoc de teſtimonio caſtigamus, forſan in paucis voculis interpolato. Non illubentes autem largimur Iſaaco Voſſio, Viro maximo, *Notis ad Epiſt. Barnab.* p. 311. difficilius eſſe de ſtylo pronunciare, quando *committi* non poſſunt, aut *comparari* ſcripta cum ſcriptis, nec alia vidimus eorum quorum de ſcriptis dubitatur. Sic negat de *Ignatii*, aut *Barnabæ* Epiſtolis, rectè ex ſtylo illos pronunciare, quibus non aliundè *innotuit quo ſtylo uſi Barnabas, & Ignatius.* Sed tamen judicari aliis ex indiciis poſſe, quis ſtylus à Viris talibus, tali ætate, in tali argumento, & ad tales, videatur alienior, non inficias ibit Voſſius. Aliàs fruſtra lancinarentur innumeræ *Decretales*, aut *Mariarum* Epiſtolæ, vel *Martialis Lemovicenſis* illa, &c. iis ſc. adſcriptæ quorum alia *nemo vidit.* Et eo effugio defunctus Turrianus Jeſuita, in iis quæ pro Epiſtolis Decretalibus adverſus Magdeburgenſes commentatus eſt, *Lib.* 11. C. 1. *Quia* (inquit ille) *ab iis Pontificibus, quorum Magdeburgenſes Epiſtolas negant, nihil præter ipſas Epiſtolas ſcriptum habemus, diſſimilitudo ſtyli ob hanc cauſam objici non potuit.* Dictum feliciter!

CANON XV.

Decimum & quintum eſto Criterium: *Meritò cenſeri dubia non pauca vel Apocrypha, quæ ſic in Verſionibus extant, ut non in Primigenio & Authentico contextu, quæque fruſtrà pro tranſlatis ex ipſo authentico, venditantur.*

Scripta quorum textus Originalis & Authenticus nunquam uſurpatus.

ITa ex gr. quicquid ſit de priori parte Epiſtolæ *Clementis* Romani ad *Jacobum*, quam ſanè Ruffinus de Græco tranſtulit, certum eſt Appendicem illius, & ſequentes, Græcè extitiſſe nunquam, Blondello noſtro revincente: At ſcripturus Græcè fuit Clemens, qualiter in ſuis ad Corinthios. Sic Græcè, uti primùm prodiiſſe illa oportuit, nunquam habita ſunt, præter alia quæ diximus ad Criterium XIII. V. gr. *Melitonis* de tranſitu Mariæ, ut inſcribitur Liber; *Clementis Alexandrini* ſcholia breviſſima in Epiſtolas Canonicas, inſerta *Tom.* I. Biblioth. Patrum, nempè in I. Petri, Judæ, I. Johann. de quibus Caſſiodorus Inſtitut. Divin. *Lib.* I. Sic *Origenis* Lamentum, ſive Pœnitentia, *Ejuſdem* Homiliæ ad diverſos; *Athanaſii* Epiſtolæ ad Marcum Papam, ad Felicem, & Liberium; *Canones Arabici* DLXXX. Synodi Nicænæ, de quibus diximus Diſſertat. ad Canonem VI. Nic. Inſerta quædam Verſioni *Chronici Euſebiani* præter fidem Græcorum Codicum, Scaligero, Valeſio, aliiſque obſervata; ſic *Homiliæ* ſive ſermones nonnulli tributi *Chryſoſtomo*, Latino Auctore, ut prolixè Cenſores Operum Chryſoſtomi, &c.

Non paucorum tamen Scriptorum, &c. quidem primæ quos jam volo in Eccleſiâ Antiquitatis, erutus nuper eſt, ex obſcurâ & longiſſimâ nocte, *Græcus* & authenticus textus, qualem debemus in hoc genere Patriciis, Uſſeriis, Voſſiis, Holſteniis, Gudiis, Huëtiis, Viris incomparabilis diligentiæ. Nec pauca etiam nunc ex Bibliothecis ſuperſunt eruenda, quorum ante aut Fragmenta nonniſi quædam, aut dubias Verſiones, certè interpolatas, eruditus Orbis adſpexit. Interim Criterium illud prius, qualiter eſt à nobis poſitum, ſi vel maximè deeſſent alia, ſufficere poſſet accuſandæ vel conjectandæ ſuppoſitioni. Quo & indicio Apocryphis Vet. Teſtamenti, Græcè aut Latinè tantum extantibus, Canonica auctoritas detracta fuit.

De Ruffini verſionibus.

Hunc in modum *Ruffini* Verſiones, quales adornavit benè multas, (puta Hiſtoriarum Joſephi, Recognitionum aliorumque quæ tributa Clementi Romano, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebianæ, Origenianorum ſcriptorum plerorumque, variorum Baſilii, Gregorii Nazianzeni, ſic Nicænorum Canonum, &c.) ſunt meritò nonnunquam ſuſpectæ, maximè ubi negatur uſus Textûs primigenii, ut fit in illorum plurimis. Fuit enim id hominis ingenium, quale ipſe prodit in *Prologô* ad Libros Origenis, περὶ Ἀρχῶν, ut prout conveniens ſibi videretur, & è re ſuâ, prætermitteret, adderet, mutaret, interpolaret, non ſemper fallendi ſtudio; ſed ſæpe judicii critici defectu. Quod cumprimis illi vitio datum in verſione Euſebii, & in tranſlationibus ſeu Tomorum ſeu Homiliarum Origenis, ac Librorum περὶ Ἀρχῶν, iſtorum autem quam maximè, accuſante pridem Hieronymo. Quo factum, deperditis magnam partem Græcis iſtis Origenis, (nuper demùm reſtitui cœptis operâ Petri Dan. Huëtii, viri ad decus & incrementum literarum nati, quin & Clariſſ. Joh. Rod. Weſtenii) ut de Origenis ſententiis vix certi quicquam potuerit in permultis pronunciari. Nec alio id factum à Ruffino eſt inſtituto (præter liberius quoddam ingenium, vafrum alii dixêre) quàm primò ut errores Origenis haud paucos, fautor illius anteſignanus, vel occultaret, vel emendaret; deinde etiam multa in ſuam ipſius ſententiam detorqueret, quando in materiâ præprimis de Gratiâ, & Libertate arbitrii, *Pelagianæ* hæreſi prævivit proximè Ruffinus, & Origenis errores adauxit. De quibus nuper admodùm in *Origenianis* ſuis fuſè, & quotiens non implicatur cauſa Pontificia, accuratè, laudatus Huëtius.

Cautela circa Criter. ſuperius.

Cavendum verò hic ex oppoſito fuerit, ne qui *authenticus* eſt textus pro *tranſlato* demum habeatur. Quod circa Paulinam Græcam ad Hebræos accidiſſe alibi eſt à nobis demonſtratum, Tractatu de *Auct. Epiſt. ad Hebr.* P. 111. Ne dicamus jam Canonicos alios, Euangelium Matthæi, Marci, Epiſtolam ad Romanos, Canonicas quaſdam, quas non Græce primùm ſcriptas, ſed in Græcum tranſlatas, nonnulli voluerunt. Quâ de re infrà, ubi de *Scriptis* N. T. Et in eum lapidem offenderunt v. gr. qui *Joſephum* Hiſtoricum Hebraïcè ſcripſiſſe cenſuerunt, ut præter Abarbanelem, Kimchium, Magiſtros alios, Sebaſtianus quoque Munſterus, etiam Druſius: Nempè Hebraïcus ſi qui Joſephi Codex extat, de quo Cæſar Baronius Annalium T. I. ad A. Chr. XXXIV. N. 226. verſio utique fuerit, interpolante Judæo aliquo, unde nihil mirum ſi in eo deſideratum inclytum *de Chriſto* teſtimonium. Sed confudiſſe hominum, vel malitiam vel ignorantiam Flav. Joſephum, cum recentiore Judæo, *Joſepho Gorjonide*, Hiſtoriæ Hebraïcæ de Bello Judaïco (Flavium ut mentiretur) artifice, recente illo, homine in Galliis nato, Græcè neſcio, ex Ruffini verſione ſua interpolante, fabulis etiam & putidis mendaciis paſſim diſtinguente, pridem Viris magnis obſervatum eſt.

Digitized by Google

Canon XVI.

Decimum ſextum vel fraudis, vel erroris Criterium, coincidens quanquam ex parte cum ſuperioribus nonnullis: *Si memorentur quidem hujuſmodi Scripta, in Veterum Catalogis, ſed tamen ſub alio nomine, quam vulgati hodie Tituli præferunt:* Vel, *ſi idem ſcriptum pluribus ac diverſiſſimis Auctoribus legatur tributum.*

Scripta alio ſub nomine veteribus memorata.

PAucis ſingula exemplis illuſtrantur: *Prius* quidem, v. gr. dum quæ *Cypriani* nomen præfert Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum, ex Gennadio intelligitur fuiſſe Ruffini Aquilejenſis, recentioris ſeſqui ſæculo. Sic qui *Tertulliano* vel *Cypriano* adſcriptus eſt Liber de Trinitate, ex Hieronymo intelligitur eſſe Novatiani: Sic qui *Arnobio* inſcriptus eſt Octavius, Minucio ex eodem Hieronymo reſtituendus fuit: Sic qui *Ambroſio* Mediol. adſcribitur Comment. in Epiſtolas D. Pauli, intellectus eſſe Hilarii Diaconi Rom. Eccl. Et ita de quibuſdam aliis, etiam recentioribus Patribus, ut Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, &c. malè adſcriptis. De quibus ſingulorum Editores, etiam Pariſini noviſſimi, & Critici ſacri.

Scripta pluribus attributa.

Alterius obſervationis exempla ſunt propemodum innumera, quando non infrequenter accidit, ut idem Opus ſit attributum v. gr. *Origeni*, & *Cypriano*, & *Hieronymo*, & *Auguſtino*, ut Liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus: Sic idem *Dorotheo* & *Epiphanio*, puta de Vitâ & Interitu Prophetarum: Sic idem *Hieronymo* & *Auguſtino*, ut Epiſtola ad Demetriadem, Epiſtola de Celebratione Paſchæ: Sic idem *Hieronymo*, *Sophronio*, *Ildefonſo*, ut liber de Aſſumptione Mariæ Virginis: Sic idem *Primaſio*, & *Haimoni* poſteriori non uno ſæculo, ut Commentarius in Epiſt. ad Hebræos: Et hujuſmodi fœtus ſexcenti πολυπάτορες, vel πολυώνυμοι. Abeſt enim ab iſtorum Scriptorum vel doctrinâ vel gravitate, ut plagiarii eſſe voluerint, aliena tranſcribentes ut ſua, quod in Hiſtoricis Byzantinis, ut Cedreno vel Curopalatæ accidit, ſuperiori Ætate Galatino, ac ſæpe aliàs.

Canon XVII.

XVII. Fraudis Criterium eſt: *Si hujuſmodi, de quo quæritur, ſcriptum illi reticeant, qui ſuorum ipſimet Operum Indicem confecerunt*: vel, *Si ob ſimilitudinem Nominum, quod unius fuit, alteri cognomini ſit per errorem adſcriptum.*

Libri ab Auctoribus non agniti, quorum nomine inſcribuntur.

PRima obſervationis exemplum, quando tribuuntur v. gr. *Auguſtino*, ut ſunt ſanè plurima apud Rivetum noſtrum & Criticos cæteros, etiam Benedictinos Editores, quorum ipſe in *Retractationibus* non meminit: Quæque adeo poſt Retractationes non ſcripta eſſe ab Auguſtino, (quas paulo antè obitum recognovit) tum ex ſe ipſis, tum ex Poſſidii *Indiculo*, quem ad calcem *Vitæ* Auguſtini edidit, in quo ſupplentur omiſſa in Retractationum Libro, intelliguntur. Sic Scriptorum ſuorum Indicem confecit ipſe *Hieronymus*, ad calcem Catalogi Scriptor. Eccleſiaſticor. Anno CCCXCII. nec perductum ultra Theodoſii Senioris annum XIV. ut ipſe refert. Atque utinam omnes Veteres, noſtrâ quod frequens ætate eſt, & ſolemne Viris ſummis, ſuarum Indices lucubrationum reliquiſſent!

Libri per errorem adſcripti Scriptoribus ejuſdem nominis.

Secundi obſervati ſpecimen eſt, quando v. gr. tributum Scriptum *Hilario Pictavienſi*, puta Epiſtola gemina ad Auguſtinum, quæ alterius potius Hilarii eſt, Arelatenſis ſcilicet. Sic permixtum fuiſſe Hilarium *Diaconum* cum Hilario *Pictavienſi*, utroque Viro contemporaneo; permixtum Arnobium *Rhetorem* cum Arnobio *Juniore*, auctore Commentariorum in Pſalmos; confuſos ab ignaris quandoque vel malevolis, diverſos *Ignatios*, *Clementes*, *Hippolytos*, *Cyrillos*, *Baſilios*, *Euſebios*, *Gregorios*, *Vigilios*, &c. eruditi ſæpè monuerunt. Sic confuſi Victorinus *Petavionenſis*, cum *Pictavienſi*, prior ſub Diocletiano Martyr, quâ de re extat J. Launoii Diſſertatio; Cyprianus *Carthaginenſis*, & Cyprianus *Præſtigiator*, poſtea Martyr; *Novatianus* quoque & *Novatus*, &c. Uti in recenſione locorum, Urbes cognomines, fuêre ſæpiùs permixtæ, uti inclytæ *Cæſareæ* plures, in honorem Cæſaris, & Metropoles, v. gr. Cappadociæ, Palæſtinæ, Phœniciæ ſub Panio; *Antiochiæ* XVI. omnes in memoriam patris Seleuci Nicatoris; *Apolloniæ*, quas XXIV. enumerat Stephanus; *Apameæ* item diverſæ, à matre Antiochi Soteris; *Laodiceæ*, Phrygiæ ſcil. vel Lydiæ, Syriæ, Cœle-Syriæ ad Libanum; *Nicopoles*, Epiri ad Actium, Mœſiæ ad Iſtrum, ad Meſtum Thraciæ fluv. quem vulgò *Neſtum*, *Neſum* etiam Ptolemæus; *Nicææ*, quas VIII. novit Stephanus; *Nyſa* vel *Nyſſæ*, quas X. memorat idem Stephanus, &c. Quâ de re in noſtra Introductione ad Geographiam S. Et Veteres non ſemel confuderunt *Philippum* Apoſtolum & Euangeliſtam; *Johannem* Apoſtolum, Seniorem, & cognomento *Marcum*, *Act.* XII. 25. &c. Ita in Græcis recentioribus, ſeu Byzantinis, confunduntur omninò *Gennadius* Patriarcha Conſt. indè à captâ per Muhammedem Conſtantinopoli, anteà *Georgius Scholarius*, acerrimus in Synodo Florent. defenſor cauſæ Græcorum, cum alio neſcio quo *Gennadio* in Latinos propenſiſſimo, ut pluribus nos aliâ *Diſſertat.* de Diſſenſ. Eccleſiæ Orient. à Romanâ. Sic confundunt Allatius, aliique Barlaamum Græcum Monachum, Scriptis bene multis adverſus Latinos notiſſimum, cum *Barlaamo* Calabro, Hieracienſi Epiſcopo, quod pluribus evictum dedimus, in noſtrâ Diſſertat. de Papâ Fœminâ, *Paragr.* LIV. LV. LVI. Errores id genus circa Byzantinorum *Germanos*, *Georgios*, *Symeones*, *Stylitas*, *Pſellos*, *Gregorios*, *Nicephoros*, &c. ob diverſos cognomines viros, pluribus enarrare, loci ratio & inſtituti non patitur.

Canon XVIII.

Addi poteſt Criterii decimi & octavi loco: *Si præferatur Nomen puta Juſtini Martyris*, vel *Origenis*, vel *Cypriani*, vel *Athanaſii*, vel *Ambroſii*, vel *Hieronymi*, vel *Cyrilli*, vel *Auguſtini*, &c. *& tamen tradantur iſtis contraria, aut diverſa planè ab iis quæ genuinis illorum Scriptis expreſſa legimus.*

Scripta quæ adverſantur iis quorum nomen præferunt.

VErbi cauſa, in *Quæſtionibus & Reſponſion.* ad Orthodoxos, *Quæſt.* CXLII. perperam tributis Juſtino Martyri, Angelus qui cum Jacobo & Moſe locutus eſt, venitque *Dei* appellatione, explicatur de Angelo ſimpliciter, creato, naturali; quum alibi Juſtinus, Dialogo cum Tryphone, prolixè arguat fuiſſe Angelum increatum, & *fuiſſe* & *vocari Deum* & *Dominum*, pag. 280. 281. *Edit. Pariſ.* 1615. Origenes, *Commentarior. in Jobum* Lib. II. docet Chriſtum prædicaſſe *tribus* annis cum dimidio; qui tamen alibi non ſemel, ſecutus Clementem Alexandrinum, prædicaſſe docet nonniſi anno uno, & ali-

Digitized by Google

aliquot menſibus, *Lib.* IV. περὶ Ἀρχ. & *Hom.* XXXII. in *Lucam.* Idem, ut vulgò inſcribitur, Homiliâ primâ, ex iis quæ *in Diverſos* inſcriptæ, ſtatuit Mariam peperiſſe utero clauſo, qui in ἀναμφιλέκτοις diſertè, peperiſſe eam Dominum apertis uteri clauſtris. Ità ſub Origenis nomine citavit Bulengerus, contra Caſaubonum, hæc verba pro Tranſſubſtantiatione; οὐ γὰρ εἶπε, τοῦτο ἐστι σύμβολον, ἀλλὰ τοῦτο ἐστι τὸ σῶμα, δεικτικῶς, ἵνα μὴ νομίσῃ τις τύπον εἶναι: Quæ tamen non modò nuſquam legi in Græcis & genuinis Origenis, faſſi Combefiſius, Huëtius, Simonius Criticus, ſed & è diametro adverſa iis quæ alibi tradidit Origenes, ut *Libro* VIII. contrà Celſum, ſic *Tom.* II. Commentar. in Matth. Editionis Huëtianæ; Quibus locis τὸν ἄρτον vocat, non ſemel, σύμβολον, τὸ τυπικὸν καὶ τὸ συμβολικὸν σῶμα, ut nos pluribus infra demonſtramus, ad *Secul.* III. *Cap.* III. Cyprianus, Opere adſcripto de *Cardinalibus Chriſti Operibus*, Sermone IV. docet, Baptiſmum ab *indignis* adminiſtratum ejuſdem eſſe utilitatis & ponderis; contrà quàm ſenſit Cyprianus, de rebaptizandis qui ab Hæreticis tincti eſſent. Hieronymus, Annotationibus *in Pſalmos* falsò inſcriptis, multa habet, Sixto Senenſi jam obſervante, quæ adverſa fronte cum aliis Hieronymianis pugnant. Auguſtinus, *Quæſtionibus Vet. & Novi Teſtamenti*, *Quæſt.* CIX. Melchizedecum facit Spiritum Sanctum; alibi Adamum negat habuiſſe Dei Spiritum; Mulierem negat creatam ad imaginem Dei, &c. Quibus, in genuinis Auguſtini, docentur oppoſita atque contraria. Exemplorum id genus ſeges uberrima eſt, præter ea quæ ad Criterium VII. obſervata ſunt. Unde ex ſententiarum illâ diverſitate, nullo *Retractationis* indicio, quales fuêre Retractationes Auguſtini, colligitur diverſiſſimos eſſe Scriptores, qui oppoſita illa ac pugnantia ſtatuerunt.

CANON XIX.

Criterium decimum nonum nobis eſto: *Si producantur Scripta ſub antiquioribus nominibus, quàm ſunt illæ Hæreſes, ad quas nominatim, vel certe evidenter reflectunt, aut etiam contra quas animoſius inſurgunt.*

QUod Criterium, quamvis referri poſſit ad nonnulla ſuperiora, uti ad V. vel X. placuit tamen ſeorſim exprimere. Certè indubium, eſſe v. gr. in *Liturgiis* ſub Jacobi, Marci, &c. nominibus, in *Pſeudo-Dionyſio*, in *Pſeudo-Prochoro*, in *Pſeudo-Ignatio*, in *Pſeudo-Clemente*, &c. quæ ſole clariùs ſupponunt, natas tum fuiſſe Theodoti, Arii, Neſtorii, Eutychis, aliaſque Hæreſes, quo tempore Scripta illa adornarentur. In *Origenis* Commentariis ad Jobum, & Homiliis in Diverſos, Ariana hæreſis ex profeſſo defenditur, Manichæa memoratur. In Expoſitione *Cypriano* adſcripta Samoſateni, Arii, Eunomii, Manichæorum, expreſſa mentio. In *Arnobio* in Pſalmos, Photini Hæreſis, multo junioris, nominatim arguitur. In *Athanaſii* quibuſdam, obſervantibus pleriſque Cenſoribus, plura ſunt quæ Neſtorianam, & Monotheliticam Hæreſim natas præſupponunt. In *Hieronymi* nomen mutuatis, quandoque mentio Neſtorii, Eutychis, quorum ſparſæ Hæreſes poſt Hieronymum, ſublatum circa A. Chr. CCCCXX. Sic ad Pelagianam Hæreſim, vel Maſſilienſem, alii reſpiciunt, qui Pelagio & Maſſilienſibus fuêre vetuſtiores.

Scriptores qui Hæreſium meminerunt, ſe poſteriorum.

Nec modus eſſet huic Diſſertatiunculæ, ſi conquiſitis rerum exemplis pagellas haſce impleremus. Iſta ſummatim prælibaſſe, introductionis cujuſdam vice, hoc loco ſatis eſſe putamus.

Digitized by Google

FRIDERICI SPANHEMII
HISTORIA ECCLESIASTICA,
A
CHRISTO NATO
AD
TEMPORA REFORMATIONIS.

I. *Neceſſitas illius, & Utilitas per omnes Diſciplinas diffuſa.*

1. QUot ſeſe amœnitatibus, ſed & uſibus, ut *communibus* in omni propè Diſciplinâ, ſic *ſpecialibus* in Theologiâ Sacrâ, commendet Hiſtoria Eccleſiaſtica *Novi Teſtamenti*, Chriſtianæ res Eccleſiæ complexa, dicere hoc in loco nihil attinet. Ad *Præfationem* noſtram Parænetícam, pro commendando ſtudio Eccleſiaſticæ Antiquitatis, Lectorem ablegamus. *Jucunditas* quidem, ex rerum infinitâ varietate, ex earundem magnitudine, & admirandis, denique ex uſu per omnes Diſciplinas diffuſo, ſatis intelligitur. *Utilitas* verò nullis penè limitibus circumſcribitur.

II. Equidem in hac omni Hiſtoriâ, per ſingula Secula, diſtinctis lemmatibus velut in tabella quadam exhibentur, primæ rerum *Chriſtianarum Origines*, cumprimis indè ubi deſinunt Apoſtolicæ chartæ, cum rerum *Judaicarum* decremento, excidio: *Progreſſus* ſtupendus, medios inter rogos, & Perſecutiones, atque Hæreſes ex Orco natas: *Doctrinæ* purioris antiquitas, ſimplicitas, ſucceſſio, propagatio, conſervatio planè divina: *Errorum* omnium atque *Hæreſium* natales, indoles, momenta, propugnatores, & flagella quoque: Hodiernorum cum veteribus Hæreticis *conſpiratio*, in Papiſticâ Eccleſiâ, in Arii, Socini, Mennonis, Weigelii, &c. nepotibus: *Pontificiæ* cùm dominationis, tum ſuperſtitionis, & Idololatriæ primordia, progreſſus, faſtigium quoddam: *Veritatis* contrà hanc perpetui Teſtes, vindices, adſertores, per ſingulas Ætates, poſt natum Antichriſti dominatum: Eccleſiæ utriuſque in *Oriente* & *Occidente* Doctores incluti, Antiſtites, Scriptores præcipui, ætas, characteres, Canones dignoſcendis genuinis à ſuppoſititiis: *Concilia* cùm Univerſalia, hæcque aut verè habita, aut falſo nomine venditata, tum Topica, ſeu Nationalia ſeu Provincialia, digniora quidem memoratu: Imperatorum ac Principum, vel *contrà* Eccleſiam molimina, indè à Nerone, Domitiano, &c. vel *pro* Eccleſiâ geſta, decreta, cumprimis circà Res Sacras, ex quo Chriſtiani facti ſunt, indè à Conſtantino M: Conſtitutiones eorundem, & facta præcipua: Hinc *Cæſarei Juris* in Codice utroque Theodoſiano, & Juſtinianæo, origines non paucæ, ut & dicti vulgò *Canonici* Juris: Tota ratio *Adminiſtrationis Civilis* & *Eccleſiaſticæ*, in Imperio utroque Occidentali & Orientali, Præfecturarum, Diœceſeôn, Vicariatuum, Provinciarum, Metropoleôn, &c. vera, ſucceſſivis quidem mutationibus & incrementis, ratio: Nata, cum decremento Imperii, Occidente toto *Regna*, *Exarchatus*, *Ducatus*, *Reſpublicæ*, *Principatus*, &c. *Rituum*, *Ceremoniarum*, *Conſuetudinum*, *Diſciplinæ* Eccleſiaſticæ diverſitas, pro ratione locorum, Nationum, Eccleſiarum: Luctuoſa Imperii & Eccleſiæ facies, per *irruptiones Barbarorum*, Hunnorum, Gothorum, Vandalorum, Francorum, Burgundionum, Suevorum, Saxonum, Longobardorum, Ungarorum, Bulgarorum, Slavorum, Normannorum, &c. *Chriſtiani Nominis* modò cum Catholicâ Fide, modò cum Arianâ, dein cum Papali ſuperſtitione & Tyrannide, inter Gentes eas propugnatio: *Muhammedanæ*, *Saracenicæ*, *Turcicæ*, *Tataricæ* vaſtationes, ac nova in Oriente Sacra, Imperia: Reſtitutum ſub Carolo M. *Imperium Occidentis*, mox per *Papas* in ſucceſſoribus concutiendum, invadendum, undè horrida & duratura Bella: Expeditiones in Terram Sanctam, obtentu *Belli Sacri*, aliquot Seculis infeliciter ſuſceptæ: Reformationis à Papatu Gradus, & Auctores varii, *Iconomachi*, *Berengariani*, *Valdenſes*, *Albigenſes*, *Wicleſitæ*, *Huſſitæ*, *Bohemi*, &c. Noviſſimæ indè à *Luthero*, *Zwinglio*, *Calvino*, &c. *Reformationis* antecedanea, neceſſitas, modus: *Antiquitatis* cum Theologiâ *Orthodoxâ*, vel Reformatâ, conſenſus, ab Heterodoxis diſſenſus: Illîus inanis plerumque in Adverſariis *jactantia*, etiam obſcuratio, perverſio, cumprimis in Baronianis paginis: Et quæ innumera id genus pari ſeſe probant utilitate ac neceſſitate, utrâque mixtâ ſtudii hujus ſuavitati.

II. *Fontes Genuini, undè hauritur Chriſtiana Hiſtoria.*

PEtitur autem Hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti, & quicquid ad Chriſtianas origines ſpectat, ex variis, iiſque diverſiſſimis, fontibus: Alii quidem *turbidi*, *impuri*, undè rivi lutulentum fluentes, Scripta nempè Apocrypha, Pſeudo-Acta, Pſeudo-Liturgiæ, Pſeudo-Canones, Pſeudo-Epiſtolæ, & Fabulæ Eccleſiaſticæ ſine fine, ac ſuppoſita Sanctiſſimis Nominibus ſcripta, vel ex conſenſione Doctiſſimorum Romanenſium, de quibus infrà locis ſuis, & ſuprà in *Canonibus Criticis*: Alii verò *limpidiores purioreſque* fontes, ex quibus jucundiùs certiuſque hauriuntur res Eccleſiæ, & quæ cum iis connexæ, omnium doctiorum conſenſione. Puta,

I. Ex Scriptis *Euangelicis* & *Apoſtolicis*, Canonicæ auctoritatis, ducentibus non modò uſque ad Fontes generales.
geſta ſub Nerone, ſed etiam ad extrema Domitiani, cui ſupervixit Johannes.

II. Ex

II. Ex antiquis & probatis Chriſtianæ Eccleſiæ *Doctoribus*, qui Apoſtolos ſucceſſivè exceperunt, ac tradiderunt paſſim *Apologeticis*, aliiſque Scriptis, de Eccleſiæ Doctrinâ, Diſciplinâ, Ritibus, Hæreſibus, Certaminibus, aliiſque. Quales memorandi ſuis locis, ad ſuam ætatem, Clemens Rom. Polycarpus, Juſtinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Irenæus, Clem. Alexandrinus, Tertullianus, Minucius, Origenes, Cyprianus, reliqui. Nec omittendus *Joſephus*, in poſtremis Libris Antiquitat. Judaïcarum, & in Libris de Bello Judaico; accenſendus Hieronymo ſcriptoribus Eccleſiaſticis, de quo jam ſuprà.

III. Ex *Conciliorum* tam Univerſalium, quàm Particularium per Aſiam, Africam, Europam, Actis & Decretis, eorundemque Canonibus. Cumprimis ex *Canonibus* vulgò Apoſtolicis, tum illis qui inſcribuntur Eccleſiæ Univerſæ, itemque Eliberitanis, Africanis, Hiſpanicis, Gallicanis, &c. de quibus nos locis ſuis.

IV. Ex profanis quin etiam ſeu *Exoticis Scriptoribus*: Puta *Hiſtoriæ Romanæ*, ne Tacito aut Suetonio aut Dione exceptis; tum *Hiſtoriæ* (ut inſcribuntur VI. Scriptores) *Auguſtæ*, in Vitis Adriani Cæſaris & ſequentium Imperatorum, vel Cæſarum, ac Tyrannorum, uſque ad tempora Diocletiani; deſideratis tamen in hoc Corpore Vitis Philipporum, Deciorum, Auguſtorum aliquot antè Valerianum, poſt Gordianos qui breviſſimi Imperii, ipſiuſque etiam Diocletiani, Maximiani, Galerii, ob inviſam Chriſtianis, Deciani præcipuè & Diocletianei nominis, memoriam. Quâ de re adeundi Salmaſius, Caſaubonus, ac poſt omnes Clariſſ. Dodwellus in Prælectionibus Academicis noviſſimis. Iſtos, atque in ſpecie Treb. Pollionem, Vopiſcum, Capitolinum, Lampridium, exceperunt *Aurelius Victor* ſub Conſtantio ſcribens, editus à Schotto, *Eutropius* Breviator Hiſt. Aug. ſub Valente Imperat. Sextus *Rufus* Epitomator itidem ſub Valentiniano Seniore; quos Hieronymus in Chronico, Oroſius, & alii excerpſerunt.

V. Sed quoque ad res Eccleſiæ Univerſæ conferunt, Scriptores Hiſtoriæ (ut dicuntur) *Byzantinæ*, ex Voſſio, Labbeo, Hankio, & Biblioth. Regiâ, ſatis noti; tum & Hiſtoriæ *Geticæ*, *Gothicæ*, *Longobardicæ*, *Mahummedanæ*, *Turcicæ*, *Germanicæ*, *Francicæ*, *Britannicæ*, *Slavonicæ*, *Hungaricæ*, *Normannicæ*, *Bohemicæ*, &c. tum denique *Geſtorum Dei per Francos*. Quorum Collectiones in Bibliothecis obviæ: Ut & *Chronica* Univerſalia, quibus res Sacræ Secularibus implicantur.

Speciatim hauritur Res Chriſtiana ex *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Compilatoribus ac Scriptoribus diverſiſſimis: Quorum alii *Veteres* ſeu I. Claſſis, alii *Medii* ſeu II. alii *Recentiores* ſeu III. Claſſis. Miſſis Scriptoribus vel planè *fabuloſis*, vel *ſuppoſititiis*, qui ſuis indicabuntur locis. Speciatiores fontes.

In primâ Claſſe (poſt *Theophilum* Antiochenum Epiſcopum, qui *tertio* ad Autolycum Libro, Chronographiam ſcripſit, ſeu exactam temporum computationem, *Librum de temporibus* dixit Lactantius; poſt *Julium Africanum*, accuratiſſimum Chronologum, coævum Origeni, qui de Chronographiâ Libros v. ſcripſerit, ab O. C. ad Chriſtum exhibitum, ſed legendos tantum in *priori* Chronicorum parte Euſebii, Africani nullâ mentione factâ, dein in Georgii Syncelli Chronographiâ) memorandus eſt primo loco *Euſebius Cæſarienſis*. Hic vulgò Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primus conditor & pater, Libris Hiſtoricis x. conſarcinatis incredibili ſtudio, ex monumentis & ſcriptis Eccleſiaſticis, quæ fideliter atque utiliter exſcripſit: Deductâ Hiſtoriâ indè à Chriſto exhibito, ad pacem Eccleſiæ redditam, poſt ſublatum Licinium, *Lib* X. *cap.* IX. id eſt, ad annum Chriſti CCCXXIV. paulò ante Concilium Nicænum, de quo in Hiſtoriâ tacet. Præmiſerat *Chronicon* ſeu χρονικὰς Κανόνας, à condito Adamo, præcipuè ab Abrahami nativitate, quorum meminit *Hiſtor. Lib.* I. C. I. terminandos in Vicennalibus Conſtantini M. (ſaltem in Latinâ Chronici verſione) Nicomediæ primò, tum Romæ peractis, niſi hæc adjecta fuerint ad calcem Chronici. Faciunt huc & Libri IV. de *Vitâ Conſtantini* M. ſeu Panegyricus ejus Principis, qui Libri ſcripti poſt mortem Imperat. opus noviſſimum Euſebii. Quorum etiam Socrates & Photius non ſine cenſura meminerunt, ſed tamen ut Euſebii; Jac. Godofredo abjudicante eos Euſebio, licet is meminerit v. gr. *Epiſtolæ* à *Conſtant. M.* ad ſe ſcriptæ, occaſione recuſati Epiſcopatûs Antiocheni, L. III. C. LXI. *Martyrologium* Euſebianum, cujus ipſe meminit non ſemel in Hiſtoriâ ſuâ, deſideratur; ſi excipis Libellum de *Martyribus Palæſtinæ*, ad calcem Lib. VIII. adjectum. Ac de Euſebii Scriptis plura Scaliger, Valeſius, Hankius, Du Pinus, omnium inſtar. Iniquiores in Euſebium jam olim Theodorus Mopſveſtenus, Epiphanius, Hieronymus, Patres VII. Synodi, Photius in Bibliothecâ, Cod. IX. &c. & *Epiſt.* CXLIV. aliique, tanquam *Arianiſmi* labe infectum, & in Filium Dei *blaſphemum*. A quâ tamen labe, poſt Concilium Nicænum, liberant eum Veteres non pauci, & ipſe Socrates Hiſtoricus, *Lib.* II. C. XXI. ne dicam Uſuardum, Adonem, Gallos, qui Euſebium Sanctis adſcripſere. In recentioribus quandoque iniquiſſimus Joſeph. Scaliger, etiam Cæſar Baronius: Ille, nullius Hiſtorici *plura errata*, *plures hallucinationes* extare; Hic, *malæ fidei* poſtulans, & *impietatis Arianæ*, quia Romanæ Eccleſiæ, aut Epiſcoporum ejuſdem imaginariis juribus, primâ illâ ætate, præjudicat non infrequenter Euſebii pagina; ſic fictæ Donationi Conſtant. M. ficto Baptiſmo per Sylveſtrum Papam, & id genus aliis. Tamen alibi idem Baronius, *Tomo* III. ad A. CCCXL. N. XLI. agnoſcit Euſebii diligentiam in *ſcribenda Hiſtoria*; *laborem* in colligendis tot antiquis monumentis; *fidem* quoque in iis tranſmittendis ad poſteros; undè *ter quaterque felicem tot peregregiis lucubrationibus* pronunciat.

Poſt Euſebium ſunt, *Ruffinus* Aquilejenſis, Euſebii tranſlator parùm fidus, additis, omiſſis, quæ libuit; ſed & Continuator ad Theodoſii M. exceſſum Libris II. Tùm Eccleſiaſticæ *Hiſtoriæ* Scriptores tres ſibi contemporanei: *Socrates* Scholaſticus, Cauſidicus Conſtantinopolit. Libris Hiſtoriæ VII. terminatis ad Annum CCCCXL. Theodoſio Juniore adhuc imperante; ſcripturus magnâ curâ, & fide, ſed & judicio, ut pluribus H. Valeſius, & alii, propenſior is in Novatianos. *Sozomenus* itidem Cauſidicus, cognomento Salaminius, qui aliàs origine Palæſtinus, Hiſtoriæ Eccleſ. Libris IX. perductis quoque ad annum CCCCXL. Stylo, quam eſt ille Socratis, ſeu τῇ φράσει βελτίων, (ita Photius,) judicio multis partibus inferior, fœdiſſimis quandoque lapſibus. Tum *Theodoretus* Cyri in Syriâ Euphrat. Epiſcopus, Libris Hiſtor. Eccleſiaſticæ, qui ſuperſunt v. ſuppleturus plurima, ab iſtis prætermiſſa, ſtylo convenientiore; prolixus in Hiſtoriâ Arianâ, & in rebus Synodi II. Oecumenicæ; ac terminaturus Hiſtoriam in Annum circiter CCCCXXVIII. ante natam Hæreſim *Neſtorii*. Cujus diu ſuſpectus poſtea fuit Theodoretus, abſolvendus in Synodo Chalcedon. Atque ſic tres Hiſtorici Euſebium ſinguli continuarunt, uſque ad Theodoſii Junioris tempora, Latinè vertendi ab Epiphanio Scholaſtico, Gente Italo, ſub initia Seculi VI. nec diu poſt à M. *Aurelio Caſſiodoro* in compendium XII. Libris collecti, nomine *Tripartitæ Hiſtoriæ*. Qualem & collegit ex *tribus* iiſdem *Hiſtoricis*, à XX. Conſtantini in quo deſiit Euſebius, ad

ad Juliani Imperium, Theodorus Lector Conſtantinop. (cujus habentur *Eclogæ*) ſed in Bibliothecis latens. Acceſſerunt his Hiſtorici alii, ſed interverſi injuriâ temporum, quos inter Libri *Hiſtoriæ Chriſtianæ*, ſcripti circa A. CCCCXX. à *Philippo*, Presbytero Conſtantinopol. patriâ *Siditâ*, & inchoandi à Mundo Cond. quorum meminit Socrates illi σύγχρονος *Hiſt. Lib.* VII. & pluribus Photius *Cod.* XXXV. additâ hujus Philippi cenſurâ.

Philoſtorgius Cappadox, qui, imitaturus Euſebium, Libris XII. ἰσαρίθμως ad literas ſui nominis, Ἐκκλησιαστικὰς ἱστορίας complexus eſt, inde ab *Arii* initiis, ad pulſos in ſuas ſedes *Hunnos*, virtute Aëtii Comitis, ſub Theodoſio Jun. ſeu ad Annum circiter CCCCXXV. Fuit ille ſectâ Arianus; nec eorum Librorum habemus niſi Epitomen ex Photio, ad quam vide *Prolegomena* & *Diſſertationes* Jac. Godofredi.

Sulpicius Severus Presbyter Aquitanicus B. *Martini* Epiſc. Turonenſis magnus admirator, cæterùm Salluſtianæ elegantiæ, *Eccleſiaſticorum puriſſimus ſcriptor* Joſ. Scaligero; ſcilicet in terſiſſima Epitome *Hiſt. Sacræ*, à Mundi *Exordio* ad Conſulatum *Stiliconis* & *Aureliani*, id eſt, A. Chriſti CCCC. Recentior nonnihil *Paulus Oroſius* ſcribens ſub Honorio Hiſtoriarum *Libros* VII. ab Orbe Cond. occaſione direptæ ab Alarico Romæ A. CCCCX. idque ſuadente Auguſtino, abſtergendis calumniis Paganorum: Majore in his verſatus ſtudio, quàm judicio, nimiâ ſæpè in credendis rebus facilitate, ſed & parachroniſmis ſæpè peccans.

Proſper Aquitanicus, Auguſtini ſectator, contrà Maſſilienſes, auctor Compendioſi *Chronici* ab O. Cond. ad Annum CCCCLV. ſed auctiore paulo Parte hujus Chronici alterâ, quæ incipit ab A. CCCLXXIX. in quo deſiit Chronicon Hieronymi. Continuavit *Marius Aventicenſis* ad extrema ferè Seculi VI. videndus apud Du-Cheſnium, Collectionis ſuæ *Tomo* I.

Marcellinus Comes, ſub Juſtiniano Imp. magnâ Vir dignitate, idem quoque Auctor *Chronici*, deducti ab eodem Anno in quo finiit Hieronymus, ad IV. Juſtiniani Conſulat. id eſt, Chriſti DXXXIV. quo Beliſarius de Vandalis triumphavit. Ac eodem ferè tempore *Dionyſius* Abbas Romanus, ſupputavit Annos ab Incarnatione Domini, unde Æra Dionyſiana, orſa ſupputationem Annorum ab Olymp. CXCV. anno I. Cyclo Solis X. à *Kal. Januar.* De quâ in Chronologicis.

In Oriente claruit porrò *Theodorus* Lector Conſtantinopolitanus, cujus ſuperſunt *Eclogæ* breves, ſeu Collectaneorum Libri II. ab extremis Theodoſii Junioris, ad tempora Juſtini Imperat. Senioris, ſeu ad A. DXVIII. Excerpſit Nicephorus Calliſtus, ex *duobus* Libris Hiſtor. Eccleſiaſticæ ejuſdem Theodori.

Euagrius Scholaſticus, diſtinctionis ergo à prioribus Euagriis, Antiocheno & Pontico: Continuator iſte Tripartitæ Hiſtoriæ, uſque ad Mauricii Imperat. annum XII. vergente ad finem Seculo VI. De quo ſunt obvia judicia Eruditorum. Scripſit ſanè fide non malâ, nec inconcinnè, ſed pronior in fabulas Hiſtoriæ admixtas, & in Miracula adſcribenda Ligno Crucis, Reliquiis variis, Imagini Abgarenæ, &c. quæ erant tempora.

Johannes cognomento *Malela*, & *Antiochenus*, cujus extat Χρονικὴ ἱστορία *Libris* XII. tum Pars altera, de Chriſtianis Imperatoribus, indè à *Conſtantino* M. ad *Juſtinianum* uſque, in cujus rebus deſiit, ſaltem mutilus in fine; uti à principio *Liber* I. & pars *Libri* II. deſiderantur. Latuit hactenus MS. in Bibliothecis, Gerh. Voſſio, Labbeo, Allatio, de nomine tantùm notus. De hoc extat prolixa Diſſertatio Oxonienſis, Humfr. Hodii, Viri Cl. Putatur idem ſcriptor τῆς Ἀρχαιολογίας, cujus meminit non ſemel Salmaſius in Exercit. Plinianis. Quanquàm & alius cognominis fuit, *Johannes Antiochenus*, cujus extant apud Conſtantinum Porphyrogenitum Excerpta. Cæterum hic Scriptor, *Malela* cognominatus, Scriptor eſt exigui judicii, nugis & fabulis ſcatens; parum ſibi conſtans, & ſtylo barbarus, tam in iis quæ præceſſerunt Chriſtum, quam quæ ſubſequuntur. Obſervandum autem, non res tantùm eaſdem, ſed voces quoque, in plurimis reperiri in *Chronico Alexandrino*, ſeu Chronico Paſchali, undè ambigunt Eruditi uter alterum exſcripſerit. Quemadmodum Johannis Malelæ ætas ambigua, plurimis vixiſſe cenſentibus paulo poſt tempora *Juſtiniani*, Doctiſſ. Hodio relegante ad *Seculum* IX. quem vide. Excerpta quædam fabuloſa, unde Viri judicium cognoſcas, dedimus in noſtrâ Diſſert. quâ *Petrum Romæ nunquam fuiſſe* demonſtratur.

Theophylactus Simocattus, Euagrio ſuccedens, Libris VIII. de rebus à Mauricio geſtis. Ut mittamus jam, in hâc eâdem Claſſe, celebres Hiſtoricos Byzantinos, *Procopium* Cæſarienſem, & *Agathiam* Scholaſticum, de Juſtinianæis rebus commentatos, de quibus obvia ſunt Eruditorum judicia.

Mediæ quaſi ætatis, poſt barbariem invectam, inde à VII. VIII. & ſeq. Seculis, noti Hiſtorici & Chronographi, ex. gr. in Latinis, Venerabilis *Beda*, Anglo-Saxo, *Uſuardus*, *Freculphus*, *Paulus Diaconus*, *Haymo*, *Anaſtaſius*, *Ado*, *Marianus Scotus*, *Sigebertus*, *Otto Friſingenſis*, *Conradus Uſpergenſis*, *Mart. Polonus*, alii: Et qui res Turcicas, Arabicas, Francicas, Gothicas, Germanicas, &c. in Commentarios retulerunt. Hiſt. Eccleſ. Scriptores II. Claſſis.

In Græcis verò & Byzantinis, poſt Simocattum, celebres ſunt: Auctor *Chronici* vulgò *Alexandrini*, ſaltem Continuator vivens ſub Heraclio, quo tempore multæ traditiones vanæ & falſæ irrepſerant; *Georgius* Taraſii Patriarchæ Syncellus, qui Euſebii univerſum Chronicon compilavit; *Georgius Hamartolus*; *Theophanes Confeſſor*; *Nicephorus* Patr. Conſtant. *Photius* Patriarcha; *Symeon* Metaphraſtes Legendarum Parens, controverſæ ætatis; *Petrus* & *Johannes Siculus*; *Michaël Pſellus*; *Georgius Cedrenus*; *Anna Comnena*; *Joh. Cinnamus*; *Joh. Zonaras*; *Mich. Glycas*; *Conſt. Manaſſes*; *Nicetas Choniates*; *Georg. Acropolita*; *Georg. Pachymeres*; *Nicephorus* Calliſti filius; *Nicephorus Gregoras*; *Sylveſter Sgyropulus*; *Georg. Phranza*; *Georgius Codinus*, &c. Quorum ferè Catalogum exhibuit Phil. Labbeus, edendorum in corpore Hiſt. Byzantinæ. Adi eundem Labbeum, Mart. Hankium, & editores ſingulorum; tùm Leonem Allatium de Georgiis, Symeonibus, Pſellis, Scriptoribus Eccleſiæ Orientalis. Plurimi notati ἀνιστορησίας, ἀναχρονισμῶν, ſuperſtitioſæ credulitatis, ac barbariſmorum recentioris Græciæ. Nec par tamen de omnibus judicium eſſe debet. Quemadmodum alii in ſupputatione annorum ab O. C. vel à Nato Chriſto, uſi Ærâ *Alexandrinâ*, vel *Antiochenâ*, alii *Conſtantinopolitanâ*, quâ de re nos in Chronologicis, & fusè quoque Cangius *Præfat.* in Faſtos Siculos Byzantinorum. Adi Gerh. Joh. Voſſium, de Hiſtoricis Græcis, Martinum Hankium de Scriptoribus Byzant. & qui nuper commentati de Scriptoribus Eccleſiæ Chriſtianæ, Caſim. Oudinum, Guil. Cave, &c.

In Arabibus celebres ſunt *Eutychii* ſeu Saidi Ebin-Batrick, Patr. Alexandrini, Annales Arabici ab *Orbe Cond.* ad Patriarchatum hujus Felicis Alexandr. vel Batricidis, ſeu ad A. Heiræ CCCXXI. vel Chriſti DCCCCXXXIII. edente ex Seldeni Bibliothecâ, ac interpretante Edw. Pocockio. Cujus & *Origines Eccleſiæ Alexandrinæ* edidit, cum Verſione & Commentario, Joh. Seldenus, A. MDCXLII. Cui Editionem aliam Verſionem, ac prolixam Commentationem

Digitized by Google

tionem, de Patriarchis & Epiſcopis Alexandrinæ Diœceſeôs, ab hujus *Eccleſiæ* ſcilicet primâ *Origine*, oppoſuit Romæ Abrah. Ecchellenſis, A. MDCLXI. In Annalibus multa Eutychius, ad utramque Hiſtoriam, quæ alibi deſideres. *Epochâ* autem uſus eſt qua Alexandrini communiter, ſeu Hiſtoricâ Græcorum, quæ putat Annos ab Adamo ad Chriſtum Natum *quinquies mille quingentos*, ut ipſe *Lib.* I. *p.* 311. Adeoque *annis octo* recentiorem facit Æram Nativitatis Chriſti, quàm ſit in Ærâ Vulgari Latinorum, & in Antiochenorum computo.

Addendus eſt *Georgius Abul-Pharajus*, Malatienſis Medicus, fide Chriſtianus, in Hiſtoriâ Compendioſâ *Dynaſtiarum*, inde ab Adamo ad ſuam ætatem, ſeu ad Annum Heiræ DCLXXXIII. Chriſti MCCLXXXIV. ſub *Jingiz-Chanico* vel Tatarorum *Mogulenſium* dominatu. Vertit ex Arabico Edw. Pocockius, ac *Supplementum* Hiſtoriæ Orientalis adjecit, ad A. Chriſti MDCXLVIII. Confert præcipuè Abul-Pharajus ad eandem Hiſtoriam, inde ab ortu Muhammedis, qui Hiſtoricos Latinos & Græcos non intellexit.

Mittimus Scriptores alios *Hiſtoriæ Orientalis*, de quibus fusè Hottingerus in Bibliothecario ſuo, & in Orientali Hiſtoriâ: Ac notiſſimum *Chronicon Orientale* eſt, Ægyptii Cophtitæ Anonymi, initio ducto ab Adamo, uſque ad medium Secul. VII. *Heiræ* Muhammed. Chriſtianæ Æræ Sec. XIII. Cum ejuſdem Hiſtoriâ *Patriarcharum Cophtitarum*, & addito *Supplemento* Hiſtoriæ Arabum, per Abrah. Ecchellenſem. Cui accedat *Hiſtoria Saracenica* Georgii Elmacini, ab ortu Muhammedis ad initia ejuſdem, Seculi Chriſtiani XIII. in quâ res Chriſtianorum admiſcet: Adjicit Erpenius editor, & tranſlator, *Hiſtoriam Arabum* Roderici Archiep. Toletani, mortui A. MCCXLV. qui & Res Hiſpaniæ, & Gothorum, Suevorum, Alanorum, Vandalorum, compendioſam Hiſtoriam digeſſit. Ut *Marmolii* Hiſtoriam Arabum in *Africâ* ſuâ, ſed recentiorem illam, & Hiſtoricos id genus benè multos, reticeam.

Nec loci hujus ſunt *Chronica Judæorum*, tempora Chriſtiana quoque complexa: Ex. gr. *Seder Olam Rabba*, pertingens ad tempora Hadriani, quem cum Verſione & Notis edet quoque Meyerus, Theologus Hardervicenus Clariſſ. *Seder-Olam Sutha*, Chronicon minus ad initia uſque Seculi XII. Latinè redditum, cum priore, à Genebrardo. Tum Chronographi recentiores, inclyti inter Magiſtros, quales R. Gedaliah Auctor *Schalſchelet-Hakkabala*, ſeu Catenæ Cabalæ, terminandæ ad A. Judaicum 4921. R. Abraham Zacuth Auctor Libri *Juchaſin*, ſeu Chronici ad A. Judaicum 5262. R. David Ganz, Auctor *Zemach-David*, ſeu Chronologiæ deductæ ad *A. Mundi* Jud. 5352. id eſt, Chriſti Vulg. MDXCII. &c.

Scriptores III. Claſſis. In recentioribus, ſuperiori & noſtrâ ætate, Hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ aggreſſi ſunt benè multi, tam in *Proteſtantium* ordine, quàm in illo *Pontificiorum*: Idque vel univerſam, à Chriſto nato, ad noviſſima tempora & Secula; vel productam aliquouſque, aut reſtrictam ad certa Secula; vel ad certarum Eccleſiarum Antiquitates, puta Orientalis, Africanæ, Gallicanæ, Britannicæ, Gothicæ, &c. vel ad Hæreſium, Conciliorum, aut Martyrum hiſtoriam, prout tulit cujuſque inſtitutum: Ità conciſiùs alii, & κατ' ἐπιτομὴν, alii ſucculentiùs & operoſiùs: Alii rurſum res Eccleſiæ, & quicquid ad eam ſpectat, ſeorſim pertractarunt; Alii Eccleſiæ ſimul ac Reipublicæ hiſtoriam, cùm Sacram tùm Exoticam, in unum conjunxerunt ac variè digeſſerunt.

In *Auguſtanæ* vulgò Confeſſionis Scriptoribus, primas obtinent *Centuriatores Magdeburgenſes*, quales præcipuè Matthias Flacius Illyricus, Joh. Wigandus, Matthæus Judex, Baſilius Faber, Andr. Corvinus, Thomas Holthuterus, qui Seculo ſuperiore omnem Eccleſiæ Hiſtoriam, ad Secul. XIII. productam, diligenter & operoſè perſecuti ſunt: Diſtinctè enarrantes quicquid, in ſingulis Ætatibus, ad conſpectum illius Ætatis, ad Propagationem Eccleſiæ, ad Statum vel tranquillum, vel turbatum, ad Doctrinam, Hæreſes, Ritus & Ceremonias, Regimen & Politiam, Turbas & Schiſmata in Eccleſiâ nata, Concilia vel Synodos, Doctores & Epiſcopos, Martyres & Confeſſores, denique Religiones Eccleſiæ infeſtas, & Mutationes in Civili Regimine atque Imperio, pertinere viderentur. Id certè de hoc Opere ingenuè fatendum eſt, *Bibliothecam* eſſe totius Chriſtianæ Antiquitatis, ſi non pari ubique delectu vel Auctorum vel Materiarum; nec pari diſcretione genuinorum à ſpuriis, certorum ab incertis, verorum ab apocryphis & fabuloſis (quæ ubique adhibito judicio, & ſubjunctâ ἐπικρίσει, ſecernenda) incredibili tamen cum ſtudio, fide optimâ, methodo utiliſſimâ, & ad revincendas *Romano-Pontificiæ* Eccleſiæ fraudes, errores, ſuperſtitiones, accommodatâ, congeſtam & adornatam. In quod adeò Opus certatim inſurrexêre, ſuperiori jam Seculo, Conradus Brunus, Nicolaus Harpſfildius ſeu Alanus Copus, Franc. Turrianus, Gilb. Genebrardus, Corn. Schultingius, Guil. Eiſengreinius, & alii: Cumprimis verò ſub finem Seculi, *Cæſar Baronius*, potiſſimùm à ſuis impulſus ad conſcribendos Eccleſiæ Annales, immenſo XXX. annorum labore, ut eſſet quod Roma Pontificia Centuriis Magdeburg. opponeret, tanquam *è portis Inferis in Eccleſiæ detrimentum progreſſis Centuriis Satanæ*; *Conſurgente illo ex adverſo pro domo Iſraël, præliaturo prælia Domini*, &c. ut ipſemet ſcribit in Gratiarum actione, pro Annalibus Eccleſiaſticis, inſcriptâ *Beato Patri Philippo Nereo*, Congregationis Oratorianæ fundatori, præfixâ Tomo VII. Annal. Secuti ſunt in eodem ordine, Theologorum nempè *Auguſtanæ* Confeſſionis, quo Rerum Chriſtianarum Hiſtoriam colligere, aut etiam illuſtrare aggreſſi ſunt, variâ methodo, *Joh. Cario*, *Phil. Melanchthon*, *Joh. Funccius*, *Lucas Oſiander* Centuriis XV. *Joh. Pappus*, *Sethus Calviſius*, *Conr. Hornejus*, *Joh. Micrælius*, *Ph. Mart. Friedlibius*, *Vitus Ludov. à Seckendorf*, *Caſp. Sagittarius*, & qui alii fuerunt.

In Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus, poſt *Onuphrium Panvinium*, *Alanum Copum*, *Guil. Eiſingreinium*, *Gilb. Genebrardum*, ſurrexit omnium inſtar *Cæſar Baronius*, De Bardnii Annal. Auctor Annalium Eccleſiaſticorum, per Sec. XII. Quod opus aggreſſus eſt ſub Sixto V. perfecit ſub Clemente VIII. cujus anno v. ad Purpuram evectus fuit, denatus A. 1607. Quanquàm plura Secula feratur adornaſſe, *tribus* inſuper *voluminibus* abſolutis, quos Romæ dicuntur aſſervare Congreg. Oratorii Patres; fide meritò dubiâ latentis tanti theſauri. Quod Annalium Eccleſ. Opus, ut ab inſigni diligentiâ, labore ſtupendo, eruditione plurimâ, utilitate in multis commendandâ, induſtriâ denique, & ſtyli elegantiâ, paſſim à Viris Magnis laudatur; ita laborat omnium ferè calculo, quotquot ſervire non didicerunt, iis defectibus ac vitiis, quæ maximè culpantur in Hiſtorico, reſeraturo fontes Chriſtianæ Antiquitatis, procul ſcil. præjudiciis, & cauſæ ſtudio, & factorum aut dictorum detorſione, & fide habitâ Apocryphis, Nothis, Fabuloſis, denique procul convitiandi & declamandi κακοήθει. Obvia ſunt judicia, non modò in Proteſtantium choro, Joſ. Scaligeri, Iſ. Caſauboni, Phil. Mornæi, Nicol. Vignieri, Melch. Goldaſti, Rud. Hoſpiniani, Petri Molinæi, Jac. Capelli, Hug. Grotii, G. Joh. Voſſii, Cl. Salmaſii, Uſſerii Armachani, Davidis Blondelli, Joh. Pearſoni, Joh. Henr. Hottingeri, aliorumque Virorum primæ notæ, ſed & cordatiorum in Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus. Notarunt in Ba-

Digitized by Google

Baronio, præter immodicum ſtudium omnipotentiæ Pontificiæ, tanquàm à Chriſto ſtabilitæ, errores infinitos hiſtoricos, chronologicos, criticos, Jac. Auguſtus Thuanus, Petrus & Franc. Pithœus, Fr. Combefiſius, Jac. Sirmondus, Dion. Petavius, Henr. Valeſius, Petrus de Marca, Joh. Launoius, Joh. Dartis, Gabr. Naudæus, Guid. Patinus, Stephanus Baluzius, Joh. Mabillonus, M. Ant. de Dominis, Paulus Sarpius Venetus, Elias Dupinus, Henr. Noriſius, Ant. Pagi, Natalis Alex. Lud. Maimburgius, plures alii; cumprimis etiam Lucas Holſtenius, Canonicus Lateran. qui VIII. *millia falſitatum* in Annalibus notaſſe ferebatur à Gabr. Naudæo, referente Guid. Patino Pariſienſi Medico, in Epiſtola quæ in ſylloge Gallicanâ eſt LXXXVI. Fr. Combefiſius, in Defenſ. Actorum VI. Synodi, inſertâ Hiſtoriæ Monothelit. cum Baronio congreſſus, *Cap.* II. III. &c. *deſiderari* in ipſo ait *Hiſtorici fidem*; *addere ac demere Synodo pro lubitu*, & quæ plura ibi legas. Pridem produximus Ant. Godavii, nuper in Galliis Epiſcopi, iſtud de Baronio effatum, *Præfatione* Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, Gallico idiomate vulgatæ: *Accuſatur* (inquit ille) *ab ipſis Orthodoxis Baronius, quod Scriptis utatur ſuppoſititiis tanquàm veris. Quod erret ſæpiùs circà Antiquitates Romanas, & in Chronologicis; Quod confundat Epocham Dionyſianam, cum vero anno Nativitatis Chriſti; Quod longius perſæpè digrediatur; Quod imprimis ſummorum Pontificum cauſam liberaliùs agat, eorum auctoritatem ultrà debitos limites extendat, eam quibuſcunque documentis ſuffulciat, nullo diſcrimine controverſorum à non controverſis; ſupremarum in terris Poteſtatum depreſſâ nimis auctoritate.* Addere potuit, accuſari meritò, præpoſterarum declamationum, ubi Teſtes deſunt, frequentiſſimorum lapſuum, oppreſſæ perpetuò veritatis, turpiſſimarum contradictionum, infelicis Critices, ignorantiæ Linguarum Orientalium, etiam Græci ſermonis; uno verbo *Gabaoniticæ* fraudis, quâ *ſequioris* Romæ inventa, & placita (tàm in Dogmatibus, quàm in Superſtitionis ritibus, & Hierarchiâ omni Pontificiâ, ac poteſtate Romanæ Sedis per fas & nefas aſſerendâ) ubique veſtit habitu primæ ac venerandæ *Antiquitatis*. Hinc non Annales Eccleſiaſticos inſcribi debuiſſe hoc Opus, ſed de *poteſtate Papæ*, vel *Romanæ Sedis Dominatu*, dixère in Galliis duo ejus lumina, Petrus Pithœus, teſte Caſaubono, in *Præfat.* Exercitat. & Joh. Launoius in *Epiſtolis*.

Porrò tanti hi Annales viſi mancipiis Romanæ Curiæ, ut alii in Linguas exoticas vertendos cenſuerint, partem eorum ſaltem, puta Italicam, Germanicam, Polonicam, etiam Arabicam, curante Romanâ Congregatione: Alii in Compendium redegerint, ut *Cornelius Schultingius*, *Joh. Gabriel Biſciola*, *Henricus Spondanus*, *Abrahamus Bzovius*, *Joh. Horatius Scoglius* Cathacenſis, anno 1642. præter Epitomatores Italos, Polonos, Germanos, Belgas, &c. Alii denique Annales, terminatos in anno MDXCVIII. continuarint. Et inter hos notiſſimi, *Abrahamus Bzovius*, è familiâ Dominici, qui Continuationis VIII. Tomos adjecit, uſque ad A. Chriſti MDLXIV. (proditur etiam *Nono* poſtumo) idemque eruditione, ſtylo, judicio, pudore etiam, Baronio longè inferior, fœdè adulatus Rom. Pontifici, ac Monachiſmum ubique redolens: *Henricus Spondanus*, Appamiarum in Galliâ Narbon. Epiſcopus, qui produxit Annales ad A. MDCXLV. multo jam conciſiùs, elegantiùs, & acriori judicio: *Odoricus Raynaldus*, Congregat. Oratorianæ Presbyter, continuaturus Annales Eccleſiaſticos ab Anno MDXCVIII. ad Annum MDLXV. Tomis VIII. editis ſe vivo, *Nono* poſt mortem prodituro; ſed ità ut leges omnes Hiſtorici, id eſt, judicii, fidei, candoris, verecundiæ, violaſſe omnium judicio decernatur. Poſt hunc, *Leander de Coloredo*, ejuſdem Congregat. Socius, magnus R. E. Pœnitentiarius, Purpuratis adſcriptus ab Innocentio XI. admoviſſe operam fertur, promovendis iiſdem Annalibus, ſeu cauſæ Pontificiæ.

Tacemus jam Baronii in multis caſtigatores, ac Romæ inviſos: *Ludov. Maimburgium*, ex-Jeſuitam, in editis, Hiſtoriâ (quàm vocat) Arianâ, illâ Romanæ Sedis, tum in ſpecie Hiſtoriâ Leonis I. Gregorii I. Iconoclaſticâ, Schiſmatis Eccleſiæ Orient. collabentis Imperii Occident. fuco tamen ubique Lectoribus facto; ſcil. de veritate parùm, de gratiâ ſcriptionis nimium ſollicitus: Tùm *Natalem Alexandrum*, Monachum in Galliis Dominicanum, jurium Regiorum aſſertorem ſtrenuum, cæterùm ubique cauſæ ſervientem; nec tam Scriptâ Hiſtoriâ, quàm compilatis Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus, in Controverſis Dogmatibus, Ritibus, Factis, Traditionibus innumeris. Nempè recoctâ plerumque crambe, voluminoſis Diſputationibus, in quibus quæ ad primam Antiquitatem ſpectant, decidit ſæpè ex Epiſtolis Decretal. Pontificum, ex teſtibus vel ſuppoſititiis, vel poſterioris ævi, ex Actis Martyrum, Tabulariis Eccleſiarum, ſequiorum Seculor. Patribus, Metaphraſtâ, Nicephoro Calliſti, Thoma Aquinate, Durando Mimatenſi, Vincentio Bellovacenſi, Antonino Florent. Bonaventurâ, Surio, Conciliis Lateranenſ. Bullis Papalibus, &c. nullo delectu habito vel ætatis, vel ordinis quò ſcripſêre, vel auctoritatis, modò Romæ probentur. Longè verò & doctrinâ, & candore, & genuinæ Antiquitatis ſtudio, antecellunt in Gallis nuperis, (*H. Valeſium*, alioſque non dicimus) *Edmundus Richerius*, & *Joh. Launoius*, uterque Doctor Pariſinus, & familiaris Jac. Sirmondo. Ille in Hiſtoriâ *Conciliorum* Generalium, Baronio; Bellarmino, Bzovio, Binio, Vallio, & paraſitis reliquis Romanæ Sedis, opponendâ; præcipuè id agens ut Romanum Pontificem in ordinem Patriarcharum cogat, Conciliis ſubjiciat, poteſtatem illius ex Canonibus æſtimandam doceat, Baronium in factis plurimis erroris coarguat. Quod & negotii datum celebri Launoio, Baronium accuſanti paſſim ὀψιμαθείας, *mendacii*, *malæ fidei*, *diſſimulatæ veritatis*, *violatarum hiſtoriæ legum*, &c. Adhæc vaniſſimas Traditiones, & Fabulas, Monachorum fraude creditas, E. gr. de primis Galliarum Apoſtolis, de Tranſitu Mariæ, de Magdalenâ, & Lazaro Maſſilienſi, de ſeceſſu Brunonis, de Scapulari Ordinis Carmelitici, de Metaphraſtæ & Legendariorum commentis, egregiè & ex profeſſo ſcriptis Diatribis conficit. Temp prædi- cam.

In *Reformatorum* denique caſtris res Sacras, ad Eccleſiæ hiſtoriam pertinentes, longè plurimi digeſſerunt, diverſis ſinguli methodis & inſtitutis: Cujuſmodi fuerunt, *Bullingerus*, *Hyperius*, *Pezelius*, *Perkinſius*, *Danæus*, *Taffinus*, *Foxius*, *Capellus*, *Caſaubonus*, *Montacutius*, *Uſſerius*, *Jonſtonus*, *Altingius*, *Hottingerus*, *Hornius*, *Le Sueur*, &c. ne dicam Scriptores notiſſimos *Hiſtoriæ Papatûs*. Sed deſideratum hactenùs ut vel Caſauboni, poſt Exercitationes, vel Salmaſii, vel Blondelli, vel Uſſerii, vel Voſſii, vel id genus Antiquitatis Eccleſ. promi condi, *Annales Eccleſiaſticos* continuâ ſerie oppoſuiſſent illi Operi quo ſuperbit Roma Pontificia. Aggreſſus rem nuper fuerat Vir inſignis diligentiæ *Joh. Henr. Ottius* Tigurinus, cujus Anti-Baronium integrum promiſêre Hæredes. Ac pridem expectata magni *Blondelli* ad Baronium Annotata & caſtigationes perpetuæ; ſed expectationi non omninò reſpondent Notulæ hinc inde marginales, ad Baronianum Exemplar, in Biblioth. Amſtelodamenſi repoſitæ, ſed exiguitate characterum vix oculis uſurpandæ. Feruntur & Stricturæ in Baronium *Gerh. Joh. Voſſii*; at quæ premuntur hactenùs, qualeſcunque ſint illæ. Nos in

in hac *Hiſtoriâ Chriſtianâ*, (quâ res omnes ſelectiores ſuis ſub Titulis, ac diſtinctis Capitibus, apparent, per ſingula Secula) quantum ſatis eſt, *Baronii* errores, abuſum Apocryphorum, fidem non bonam, ſervitutem ubique abjectam, pervertendi facta dictave aut decreta Eccleſiæ veteris præpoſteram libidinem, inconſtantiam denique, & inanes declamationes, in gravioribus omnibus ſubnotamus.

HISTORIÆ CHRISTIANÆ SECULUM PRIMUM.

INcipit *Primum Seculum* indè à Chriſti Nativitate, undè oritur Æra Chriſtiana. Quæ vel *vera*, ducenda à vero anno Natali, ſed non ſatis certo, quem totis annis IV. vel V. præceſſiſſe contendunt non pauci, ut ſuprà in *Chronol.* P. II. C. XVI. Vel *Vulgaris*, aliàs *Dionyſiana*, ſecundùm computum Dionyſii Exigui, Abbatis Romani, de qua jam ante, & ſtatim adhuc in Circumſtantiis Nativitatis. Quæ Æræ utriuſque permixtio apud Annalium Scriptorem, in limine turpiter impingentem, hinc Abbreviatorem ejus Spondanum, à Chronologis omnibus, ac nuper ex profeſſo ab Antonio Pagi, pro merito caſtigatur. Continuavit errorem uſque ad Annum CCLXXXIV. Carino & Numeriano Auguſtis II. Coſſ. qui jam verè *Dionyſianus* eſt; quum annus CCLXXXIII. apud eundem Baronium, ſit reverà Æræ Dionyſianæ tantum A. CCLXXXI. Hoc Seculo, quæ digniora ſunt obſervatu, ad ſequentia Lemmata referemus.

I. *Proximè antecedentia Nativitatem Chriſti.*

Tempus prædictum. HUc faciunt præ cæteris, 1. *Plenitudo temporum*, ſecundùm vaticinia Prophetarum, LXX. nempè ſeptimanis annorum *Dan.* IX. 25. antè quarum ultimam non tollendus Meſſias, mox expiraturis, initio ducto à XX. anno Artaxerxis Longimani: Sceptro etiam à *Judâ*, à quo Terræ, Genti, Reipublicæ, & Regno, nomen, noviſſimè tranſlato in Herodem Idumæum, hoc ſenſu alienigenam, non *Gentilem* proſelytum, ut Baronius, hinc ad Romanos; Atque adeò tranſlatâ ſupremâ *Legiſlaturâ*, Jacobo vate, *Gen.* XLIX. 10. Reliquis tamen hujuſce, ſed ad breve tempus, quibuſdam veſtigiis, in *Synedriis* Judæorum, & permiſſâ iis judicaturâ ſecundùm Legem, *Joh.* XVIII. 31. XIX. 7. non tamen, ut videtur, judiciis Capitalibus, non certè executione ſententiæ latæ ex Lege, abſque conſenſu Romanorum Præſidum, *Joh.* XVIII. 31. Quod confirmant Joſephus & Talmudiſtæ, ſaltem ademptam illis poteſtatem in reos mortis, ſeu jus Gladii, XL. circiter antè Excidium annis; ſi tamen zelotarum ac tumultuantium furores excipias, qualis ille fuit in Stephanum, *Act.* VII. 57. Hinc opinio illa quæ percrebuerat, inter ipſos Romanos, fore ut brevi *Judæâ profecti rerum potirentur.* De Meſſiâ tum Judæis expectato, multa Iſ. Voſſius *de Orac. Sibyll.* Nec quæ in Chronologicis, & Hiſt. Vet. Teſt. nos de LXX. Septimanis, aut de tempore Adventûs Meſſiæ, in Elencho noſtro Controverſ. cum Judæis, hunc in locum referimus. Vitiligant, qui ſceptrum Davidis in Aſſamonæis ſuo modo perſeveraſſe nolunt, ut qui eſſent ex aliâ Tribu. Quæſtio tota, an horum *ſceptrum* aliquo ſenſu dici poſſit geſtatum in *Judâ*, & Judaicum, ut fuit nomen Gentis, Regni, Cultûs, ab illâ Tribu denominati.

II. *Tenebræ* quæ univerſum propemodum orbem occupabant, in Idololatriâ Gentium omnium; cujus compendium Roma Dominatrix; in Judæorum Sectis, & Pharizæorum corruptelis, ut ſuprà nos ad calcem Hiſtoriæ Teſt. Vet. *Epochâ* IX. Quæ adeò tenebræ tandem diſcutiendæ ortu *Stellæ* ex Jacobo, & *Solis Juſtitiæ*, & *Orientis ex alto*, qui futurus eſſet *Lux mundi*, *Joh.* I. 9. VIII. 12. diſcuſſis etiam Legis umbris, & Lampadibus extinctis, & Velo Sanctuarii diſciſſo. Quâ de re Theologi. Tenebræ illius temporis.

III. *Deſcriptio Orbis Romani* juſſu Auguſti Cæſaris, *Luc* II. I. ſive Cenſus capitum in Tabulas relatus, Principis vel ambitione vel curioſitate, ſed quæ ancillaret tamen divinæ Providentiæ, & partui Bethlehemitico. Eademque facta *Cyrenio* tùm vel *Quirinio*, aliis *Quirino*, in Syriâ & Judæâ non quidem Præſide ordinario (qualis tùm *Sentius Saturninus*, nec diu poſteà antè mortem Herodis *Quintilius Varus*, ac deinceps demùm *Quirinius*, Archelao Herodis filio relegato, & Judæâ in Provinciæ formam redactâ, apud Joſephum, *Lib.* XVII. *Cap. ult. Lib.* XVIII. *Cap.* I.) ſed Cæſaris Procuratore, vel Legato extraordinario, ad deſcriptionem hanc procurandam delegato. Duo enim fuiſſe genera Magiſtratuum apud Romanos, conſtat. Quorum alii *Ordinarii*, ſeu in Provinciis Cæſaris, ut Proprætores, Legati Pro-prætore, Legati Auguſtales, Conſulares, Præfecti; ſeu in Provinciis togatis Populi, ut Proconſules, Prætores: Alii verò *Extraordinarii*, miſſi, v. gr. agendo cenſui, aut tributis exigendis, nomine *Proconſulum*, quales Cæſarum filii vel proximi, ut Germanicus, Druſus, &c. Sic nomine *Quæſtorum*, qui jus Prætorium exercebant quandoque in Provinciis, interpoſitâ ad eos appellatione; Aut *Procuratorum*, ἐπιτρόπων, qui ab Auguſto primùm inſtituti, ex Dione, & quibus quandoque plures Provinciæ attributæ, cum ſumma poteſtate: Quod Lucæ eſt laxiſſime ἡγεμονεύειν. Diverſos hos ſæpè fuiſſe à Legatis Cæſaris, aut Præſidibus Provinciarum, docuêre Eruditi qui Romanas Antiquitates, Magiſtratus, aut Rem Nummariam, illuſtrarunt. Imò vel ex Taciti Annalium *Libro* I. *C.* 31. qui tradit *Germanicum*, non certè ordinarium Legatum Cæſaris, in Galliis ſummo cum imperio *egiſſe Galliarum cenſum*; quo & de Galliarum cenſu, (cui agendo commiſit Germanicus Vitellium & Cantium) idem *Libro* II. *C.* 6. Et Sulp. Quirinio hanc provinciam fuiſſe demandatam, nihil mirum, jam antè Conſuli ſub Auguſto, cum M. Valerio Meſſalâ A. V. C. Varr. DCCXLI. Deinde victori in Oriente, ac triumphalibus ornamentis donato, poſt confectum per Ciliciam bellum contrà *Homonadenſes*, de quibus Tacitus Annal. L. III. & Strabo *Libro* XII. Quâ occaſione, quum in Orientis illis partibus, & in Syriâ, ſummam adminiſtrationem obtineret Quirinius, Cajo Cæſare, cui Rector datus fuerat, ex acDeſcriptio, de quâ Luc. II.

Digitized by Google

ce..o vulnere ad res gerendas inutili, ut pluribus Annalium Scriptor, (quod in annum qui præceſſit Incarnat. & Urbis Cond. DCCLI. varii Chronologi referunt) nihil mirum eſt præfectum eundem fuiſſe Quirinium illi Cenſui, quem agere tum cœpit Auguſtus univerſalem, per Syriam & Palæſtinam promovendo: Sentius licet Saturninus, per quem *cenſus actos ſub Auguſto Cæſare*, Tertullianus C. Marc. *Lib.* IV. C. XIX. adhuc Syriæ cum ordinariâ poteſtate præeſſet, *Beryti* ut creditur agens, Coloniæ tùm Roman. inde à Julio Cæſ. undè *Julia*, poſteà & *Auguſta*, ex Joſepho L. XVI. Plinio &c. Nec ex Anno *vero* Natalis Chriſti, ſatis coargui poteſt hæc Quirinii, in Oriente Præfecti, ad Cenſum agendum Procuratio, utpote nullis certis characteribus in Hiſt. Sacrâ definito. Vide quæ pluribus de Anno Nativitatis, & variantibus Sententiis, diximus *Parte* II. Chronol. S. C. XVI. *col.* 206. 207. Et eò referri poſſit, ad tempus hujus ἀπογραφῆς, quod Joſephus Antiquitatum *Libro* XVII. C. III. πᾶν τὸ Ἰουδαϊκὸν *totam Gentem Judæorum*, ſub extrema Herodis, juſſam Sacramento obſtringi Cæſari, negantibus ſolis Pharizæis. Joſephum ſanè falſi arguit Baronius, in *Apparatu num.* LXXX. & ſeq. quod deſcriptionis per Quirinium factæ meminerit, amoto Archelao, novem annis ab Herode. Neſcius de diverſâ Deſcriptione loqui utrumque Hiſtoricum, Lucam de *primâ*, Joſephum de *alterâ* per eundem Quirinium factâ; ac utriuſque diverſitatem fuſè demonſtratam vide, Dub. Evangelicor. P. II. Dub. III.

Qui Ἀπογραφὴ πρώτη, &c. Et hæc deſcriptio *prima* Lucæ dicta, ſeu reſpectu *Quirinii* primò deſcribentis, iteratò poſteà facta, eodem Syriæ Præſide, *Act.* V. 37. ſeu reſpectu Judææ, in quâ nondùm cenſus per Romanos acti; ſeu quatenus prima fuit generalis vel Oecumenica, toto Orbe Romano, dum τοπικαὶ aliæ. Trium cenſuum *Populi* ſub Auguſto actorum meminit Suetonius, in Octavio C. XXVII. & Monumentum Ancyranum in Lipſii Auctario, & apud Gruterum in *Inſcript.* ac Leunclavium in *Pandectis* Turcicis. Et ἀπογραφὴν hanc ad unum ex illis Cenſibus referri, peragendis ſucceſſivè, nec unius anni ſpatio, haud quicquam obſtare videtur. Henr. Valeſius in *Lib.* I. *Euſebii* C. V. & Ludovicus Capellus in *Hiſt. Jud.* Compendio p. 107. nodum non ſolvunt ſed ſecant, dùm nullas *Quirinii* partes in hac primâ Deſcriptione agnoſcunt. Et ille quidem pro Quirinio legendum eſſe cenſet, *Sentium Saturninum*, cujus præfectura ad Chriſti nati tempus perveniſſe potuit, invito Baronio: Hic verò legendum, *Quintilium Varum* (Κ. Οὐάρου) jam illi ſuffectum, & de cujus præfecturâ Joſephus, *Antiq. Lib.* XVII. C. VII. Celeberr. Huëtius, in Demonſtrat. Evang. *Prop.* IX. *Cap.* IX. legit, Κυιντιλλίου, & urget ſimilitudinem Nominum, & characterum affinitatem. Sunt verò Viri Eruditiſſimi, qui verba Lucæ, (Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου) ſic conſtruunt, quaſi hoc voluerit, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος &c. id eſt, ἐγένετο πρὸ ἡγεμονεύειν Κυρήνιον, vel πρότερον τοῦ ἡγεμονεύειν, ſcil. *antè facta eſt quàm præſideret Syriæ Quirinius.* Quæ arbitrentur alii annon vim inferant verbis, & ſtylo Lucæ, & conſtructioni, dùm πρώτη præcedit verbum, ἐγένετο, cujus diſſimilia ſunt quæ proferuntur exempla: Et annon ſit, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, genitivo abſolutè poſito, ut ἡγεμονεύοντος τῆς Ἰουδαίας Ποντίου, *Luc.* III. I. ſexcentis id genus in Græcis auctoribus, ſubaudito ὄντι, vel ὑπὸ, ut βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κέκροπος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσίου, &c. Annon etiam aliud ſit, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Κυρ. aliud πρὸ τοῦ ἡγεμονεύειν Κυρ. Sic oratio Lucæ fiet obſcura, perplexa, certè ſenſus ambigui, nulli Veterum ſic intellecta, ac ne Syro Interpreti, reddenti; *Hæc deſcriptio prima fuit in* vel *ſub præfecturâ* ܩܘܪܝܢܘܣ

Cyrini. Præterquàm quod ſic notaverit Lucas circumſtantiam temporis, quæ illud Nativitatis ne ἐν πλάτει deſignaret; *Cyrenio* cum ordinariâ Præſidiali poteſtate miſſo demùm A. U. C. DCCLX. annis poſt natum Chriſtum, (ſecundùm recentiores Chronologos, Pagium, Dodwellum, &c.) XII. ſecundùm alios minimum VIII. vel IX. Sed fruatur ſuo quiſque judicio.

IV. *Deſponſatio Mariæ* Virginis cum *Joſepho*, ſapientiſſimo Dei conſilio; qui Joſephus ex eâdem non quidem familiâ fuit (Maria enim ex Nathane, Joſephus ex Salomone) ſed tamen *Tribu*, quum nubere in eâdem familiâ requiſitum tantùm eſſet in filiabus hæredibus poſſeſſionum, ἀγχιστεύουσαις κληρονομίαν, ex lege *Num.* XXXVI. 8. Ergò Maria æquè ac Joſephus, ratione paterni generis, ex tribu *Judæ*, ex ſemine *Davidis*, atque hinc aſcendens in *urbem David*, *Luc.* II. 4. prout & fœminas Romani cenſebant. Undè utriuſque Stemma *Genealogicum* in Euangelio exhibitum, de quorum difficultatibus & ἐναντιοφανείας, prolixè Parens noſter *Dub. Euang.* P. I. Errant qui Scripturas *Mariæ genus* tacuiſſe cenſent, cui pater *Eli*, *Eliakim*, *Jehojakim* vel *Joachim* Veteribus, *Luc.* III. 23. Quem precariò Baronius ex Africano, & Veteribus aliis, Apparatû *Num.* XXXIV. facit patrem Joſephi *legalem*, ſecundùm jus Leviratûs *Deut.* XXV. ut ſic duo Joſepho patres, naturalis alter, alter legalis. Quâ de re non eſt quod addamus quicquam ad Parentis noſtri fuſam diſſertationem, Dub. Evangel. Parte I. *Dub.* XX. XXI. XXII. Joſephi & Mar. Sponſal. Genus.

V. *Conceptio Johannis Baptiſtæ*, ſex circiter menſibus antè annunciationem Euangelicam, *Luc.* I. 26. 36. nec ſine miraculo, Zachariâ & Elizabethâ effœtis, *Luc.* I. 7. Illo quidem *Sacerdote*, ſed non Summo, hinc Sacris operato in ordine ſuæ ἐφημερίας, I *Chron.* XXIII. quam eo anno incidiſſe in menſem *Julium* Scaliger, Jac. Capellus in *Junium*, arbitrantur. Atque adeò ſtante Zachariâ non in *Sanctuario* (qualiter ſummus Sacerdos in Feſto Expiationis) ſed in *Sancto*, ad Altare *thymiamatis*, *Luc.* I. 9. II. quum illi Johannis nativitas ab Angelo denunciaretur. Prius tamen creditum Veteribus, qui hinc Johannem conceptum fuiſſe poſt x. Thiſri colligebant, Chriſtum igitur conceptum Martio menſe, natum Decembri, ſed malè. Baronius audacter, conceptum J. Baptiſtam VIII. *Kal. Oct. poſt æquinoctium, ſolemnis Jejunii tempore*; Æquinoctium licet tum XXV. aut XXVI. Septembris acciderit, Jejunium certè non antè I. Octobris. Joh. Bapt. Conceptio.

VI. *Denunciatio* ac *Salutatio Angelica* ad Mariam, non profectò hujus invocatio, aut par Orationi Dominicæ formula: Hinc Mariæ ad eam voces, fides; Sponſi poſteà diffidentis (quem jam tùm *maritum* fuiſſe autumant, contrà quàm *Matth.* I. 18. 23.) per Angelum erectio; viſitatio Elizabethæ, quæ ex Tribu Levi, hinc Mariâ *cognata* nonniſi per maternum genus, quicquid olim Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum; tùm profectio in Bethlehem, &c. De quibus Hiſtoria Euangelica, & ad eam Interpretes, quo jam officio minimè defungimur. Reliqua de Maria & Joſepho.

VII. *Fabulis* verò Baronianis, in *Apparatu*, *num.* XXVII. XL. & aliquot ſeq. nullus ferè modus eſt. Puta de Annâ & Joachimo Parentibus Virginis, ſed non ſine miraculoſâ hujus conceptione, ad exemplum Samſonis, Samuëlis, J. Baptiſtæ, advocandis huc Nicephoro, & Legendariis: Tùm de Virgine ipſâ, *trimulâ* ſcil. Deo devotâ, annos XI. in *Sancto Sanctorum* recluſâ, ut ex Euodio Baronius; quaſi iſte ignorarit, τὰ ἅγια ſoli Summo Sacerdoti fuiſſe pervia, inter quæ & γυναικῖτιν *gynæceum*, duo χάσματα: Hinc illa, de Joſepho ſemper virgine, pari cum Mariâ voto, futuro ſic non tàm Mariæ ſponſo, quàm cuſtode virginitatis, quæ Hieronymi hariolatio fuit ſcri- Fabulæ Baronianæ.

Digitized by Google

ſcripturi contrà Helvidium; invitis Origene, Euſebio, Epiphanio, Hilario, Ambroſio, aliis, quibus Joſephus bigamus, & ex priori conjugio pater. Tandem, ut mittamus alia, de antecedaneis ſignis ac præſagiis Nativitatis Chriſti, in cœlo viſis, ab Auguſto ipſo Cæſare, v. gr. de Circulo Solem ambiente, mox à cæde Julii Cæſ. ità de reſponſo Apollinis Delphici ad Auguſtum Cæſarem; de oleo è terrâ trans Tiberim erumpente, ac fluente toto die; aliiſque id genus portentis. Et iſta quidem ex Euodio apocrypho apud Nicephorum, ex Nyſſeno, Epiphanio, Oroſio, Damaſceno, Cedreno, &c. Scriptoribus cùm miræ in credendo & narrando facilitatis, tùm quarti demùm, quinti, octavi, ac poſteriorum Seculorum. Ita ex Euodio citans hujuſmodi quædam Baronius, ſed ut ſunt apud Nicephorum, qui ψευδεπίγραφα admiſcuit: *Quod ſcriptum Euodii* (inquit ille) *alicui antiquorum innotuiſſe nondum reperimus.* Credo equidem, & hoc ipſo dubiæ oppidò fidei. Errores Hiſtoricos, ac narrationes fabuloſas ſeu Epiphanii, ſeu Gr. Nyſſeni, ſeu Pauli Oroſii, ne ad ſequiora tempora deſcendamus, deſcribere hoc loco nihil neceſſe eſt. Paſſim id agimus.

II. Nativitas *ipſa & Circumſtantiæ.*

De Nativitate Chriſti obſervamus modò ſequentia:

I. *Tres Characteres*, ex Euangelicâ Hiſtoriâ, quibus tempus ejus circumſcribitur, ſed *communes* illos, nec qui ſufficiant ad Æram Nativitatis præciſè deſignandam. Nempè,

1. Quod natus ſit Chriſtus ſub *Herode* Magno, *Matth.* II. tacito interim *anno* Regni Herodiani, & dubio hujuſce cùm *principio*, undè inchoari debeat, tùm *duratione* & *fine*. De quo nos in Chronologicis ſummatim diximus, *Parte* II. C. XV. & Parens meus in *Dubiis Euang. Parte* II. *de Periodo Regni Her.* Idem auctor *Dubiorum* prolixè, de errore Baroniano circà annos Herodis, & tempus mortis, jam ſuprà deſignato. Nam dùm confundit Deſcriptionem Quirinii poſteriorem, de quâ Joſephus, cum priori de quâ Lucas, ex Lucâ Joſephum mendacii coarguit. Hinc ille *novem annis* factam hanc ἀπογραφὴν antè mortem Herodis, cujus regnum inchoandum ſit ab eo tempore, quo Auguſtus, poſt devictum Antonium, Herodi regnum reſtituit, Senatuſconſulto firmatum. Abſurditatem commenti Baroniani omnes intellexerunt, & prolixè Ant. Pagi in *Apparatu* ad Criticam Baronio oppoſitam, *Num.* XCVIII. Rectius illi qui mortem Herodis conjiciunt in Annum U. C. DCCLIII. Seleucidar. CCCXII. A. præcedente Æram Dion. Incarnati Chriſti A. I. circà Paſcha, aliquot poſt Infanticidium menſibus.

2. Quod natus idem ſit ſub *Auguſto* Cæſare, *Luc.* II. ſed tacito *anno* imperii Auguſti, uti Herodis. Hinc dubia connexio Æræ Chriſtianæ veræ cum annis Auguſti: Quos ducunt alii à cæde Julii Cæſaris, A. U. C. DCCX. Varroniano; alii à primo ejus *Conſulatu*, Sextili menſe A. U. C. Varron. DCCXI. Alii ab anno I. *Triumviratûs* Octaviani, Coſſ. M. Æmilio Lepido & L. Munatio Planco, Anno U. C. DCCXII. Alii ab Imperio Auguſti ſingulari, ſeu ab ejus *Monarchiâ*, poſt devictum M. Antonium, ad Actium, dein etiam expugnatam Alexandriam, Anno U. C. DCCXXIV. undè ſurgunt Anni Actiaci, de quibus nos in *Chronol.* Mittimus Æram à tributâ illi appellatione *Auguſti*, quæ Æra *Auguſtorum*, A. U. C. DCCXXVII. à cæde Julii Cæſaris XVIII. tùm & alteram ab acceptâ *Tribunitiâ poteſtate*, ſupremâ illâ ac præeminente, quadriennio poſt, A. ſcil. U. C. DCCXXXI. Certum verò eſt Æram Vulg. à *Nativitate* Chriſti, quatenùs connectitur ejus Annus I. cum Anno Auguſti XLV. uti annus *Incarnationis*, quo deſinente natus Chriſtus, cum Anno Auguſti XLIV. ordiri hujus annos, (quod & factum a pleriſque Veterum) à cæde Julii Cæſaris, non demùm à primo Octavii Conſulatu, vel à Triumviratu, atque adeò ab Anno U. C. Varroniano DCCX. Juliano II. Ut ità Octavianæ potentiæ tempus, ad Auguſti exceſſum, extendatur in Annum LVII. A. U. C. DCCLXVII. undè ordiri annos Tiberiani Imperii neceſſe ſit.

3. Ultimus character extat dicto loco, *Luc.* III. 1. 2. 3. quo annus *Tiberii* XV. (dubium an currens, an verò impletus,) connectitur cum initio ἀναδείξεως ſeu prædicationis Joh. Baptiſtæ, præcurſoris Chriſti. Quæ *anni* minimùm *unius* intervallo præceſſit Baptiſmum Servatoris, ſi ad ea omnia attendimus quæ intereà peregit Johannes, ac de Johanne memorantur. Sed rursùs dubium nonnullis, an Tiberiana Epocha apud Lucam inchoanda ab Imperio ejus *Proconſulari*, quando *Collega* Auguſti deſignatus, A. Aug. LV. Æræ Chriſt. XI. an verò demùm ab Imperio *Auguſteo*. In priorem ſententiam concedentibus eruditiſſimis Viris, ut ſibi opportunam, & haud obſcurè nuper Antonio Pagi, in Apparatu Anti-Baroniano. Quanquàm hæc Æra Hiſtoricis inſueta, multumque diſtet *Proconſularis* poteſtas, in Provinciis Cæſaris, de quâ Suetonius, & Vellejus, ad *Imperio* ſimpliciter, τῇ ἡγεμονίᾳ, & quidem *Tiberii Cæſaris*, ut dicitur de *Auguſt. Cæſare*, *Luc.* II. Jam quo tempore Chriſtus à Baptiſtâ aquâ perfuſus eſt, *auſpicatus* mox ſuum *Miniſterium* ἀρχόμενος τῆς λειτουργίας, dicitur fuiſſe annorum ὡσεὶ τριάκοντα *quaſi* XXX. παχυλῶς & indefinitè, ſeu cum aliquâ latitudine, Tiberii XVI. Quod non ſatis attenderunt multi Veterum, ſed neque Chronologorum plurimi, in figendâ verâ Epochâ Nativitatis: Juxta Æram Dionyſii Exigui Tiberii XV. prout diverſimodè putatur, concurrit cum Chriſti XXVIII. vel etiam XXVII.

II. *Annum* quod attinet, obſervatum pridem & invictiſſimis rationibus demonſtratum, *verum* annum ſeu Incarnationis ſeu Nativitatis ac *proprium*, diverſum eſſe à *vulgari* ſeu *communi*, alias Dionyſ. cujus Æræ uſus eſt in putandis temporibus, ſeu antè ſeu poſt Chriſtum natum. Fruſtrà tamen expectetur præciſa Anni veri determinatio, in tantâ ſententiarum varietate, cùm ob rationes modò dictas de dubiis Characteribus in Hiſtoriâ Evangelicâ ſignatis, tùm ob diſcrepantiam veterum inter ſe Chriſtianorum, eorundemque neglectum in figendâ hac Epochâ, & in Tabulis Cenſoriis conſulendis, quâ de re adeundus rursùm Celeberr. Parens, in Dubiis Evangelicis, Parte II. Quo fit ut Annus Chriſti nati *verus* & proprius, incertus utpotè, & varius, nullam Æram conſtituat, & ipſe Baronius qui *biennio* Dionyſianam anticipat, crediderit ſe hanc ipſam ſequi, errore animadverſo ad Annum CCLXXX. Æram verò *Dionyſianam*, quam alii ordiuntur ab anno *Incarnationis*, ſub cujus finem natus ſit Chriſtus, alii ab anno ſequente, ſeu à *Nativitate*, fallere μετὰ χρονίου *ſeu* anni *unius*, ſeu *duorum*, ſeu etiam *plurium*, una omnium Chronologorum conſenſio eſt. Quam diſcrepantiam in comparandâ hac Æra cum vero anno Natali, prolixè expendit Parens noſter laudatis Dub. Evangelicis, P. II. *Dub.* I. Errorem Dionyſii tum aliundè, tum ex collatione Olympiadum, ut natum ſtatuit Servatorem exeunte anno IV. Olymp. CXCIV. coincidente cum A. U. Cond. Varron. DCCLIII. Juliano XLV. omnes intellexêre. Quo fit, inter alia, ut natus ſit Chriſtus mortuo jam Herode, cujus obitum Joſephus Hiſtoricus (comparatus cum ſe ipſo, & Hiſtoria Romanâ, id eſt, Dione, Tacito, Suetonio, &c.) refert omninò ad Olympia-

Digitized by Google

piadis CXCIV. A. I. U. C. Varr. DCCL. Julianum XLII. ubi is putat annos regni Herodiani, *Antiq.* L. XVII. C. X. & de *Bello Jud.* L. I. C. VII. Undè aut ſeriùs mortuus Herodes fuerit, aut antè natus Chriſtus, ſcil. antè Ann. U. C. DCCL. I. Nec infallibilis Joſephus, neque ſibi ubique conſtans, in ratione cumprimis temporum, & Epilogiſmis Chronicis, ut in *Chronol.* P. II. C. III. oſtenſum. 2. Neque etiam Codd. Joſephi extrà periculum corruptionis, maximè in numeralibus; qualem corruptionem ſuſpicati Eruditi, ut alibi, ſic in *numero* annorum λ'ζ'. ab interfecto Antigono, & occupatâ Hieroſolymâ. 3. Nullo etiam certo Charactere Joſephus ſignaſſe intelligitur Herodis illum annum emortualem, prout ſignavit aliàs tempus oppreſſi Antigoni, & cladis Hieroſolymitanæ, notatis Conſulatu, Olympiade, menſe, die, intervallo à captâ olim Urbe per Pompejum *Libro* XIV. C. *ult.* Igitur annus *primus* Æræ Dionyſianæ, ſeu Vulgaris, indè à ſubſecutis Nativitatem Kalendis Januariis, collatus cum Epochis aliis, juxtà Dionyſium Exiguum, coincidit cum anno

Periodi Conſtanſtinopol. ſeu Græcorum	5510.
Periodi Julianæ	4714.
Mundi Conditi, ſec. Scaliger.	3950.
Primo Olympiadis	195.
Iphitæo	777.
Nabonaſſaris	749.
Urbis Conditæ Caton.	753.
U.C. Varron.	754.
Juliano	46.
A cæde Julii Cæſaris	44.
A Triumviratu	43.
Ab Actiacâ victoriâ	31.
Cyclo Solis ineunte	10.
Lunæ Cyclo ineunte	2.
Indictione	4.
Lit. Dominic.	B. proximo anno à Biſſextili.

Menſis & dies. III. *Menſis* verò & *Dies*, variè à variis traditi, ſed incertè; quomodo fatetur Scaliger *diem definire ſolius Dei eſſe*, magis *horam*, in quam fruſtrà inquiſivit Baronius, in Apparatu, *num.* CXXII. Falſum verò eſt quod aſſerit Purpuratus; *Die Dominico natum eſſe Dominum, in ſextâ Synodo Græci profitentur*, citato Canone VIII. Nec enim hujuſmodi quicquam apparet in Canonibus Trullanis, & Græco Textu; & qui citatur Canon, unus eſt ex *novem* ſuppoſititiis, iiſque Latinis tantum, quos non eſſe Synodi VI. fatetur Surius, & notant Collectores. Alii Veterum *natum* eſſe Chriſtum die VII. horâ diei hi III. illi VII. iſti veſperâ, paulo antè mediam noctem, exeunte Decembr. XXIV. undè ab ineunte Dec. XXV. feriâ I. inchoavit Dionyſius, Cyclo Solis X. perſuaſurus rem Bedæ & aliis. Indè illi *conceptum* Chriſtum, XXV. Martii, feriâ VI. Porrò de *Menſe*, ac *die* menſis, laborant ferè omnium ſententiarum fundamenta, quarum tres præcipuæ ſunt:

Sententiarum diverſitas. *Prima* Chriſtum natum aſſerens VI. *Januar.* ſeu VIII. *Eid. Jan.* quo die eſt feſtum *Epiphaniorum*. Sed olim Ἐπιφάνια, ἡ ἐπιφάνιος ἡμέρα, uti Θεοφάνια, de apparitione Chriſti Dei in carne, & Feſto Natali, opponendo Theophaniis Paganorum; trahendâ deinceps voce ad tempus quo Chriſtus in *Baptiſmo* ἐπεφάνη, & ad Adventum *Magorum*, quibus ſtella ἐπεφάνη. Prius igitur Eccleſiæ olim Orientales, Hieroſolymitana, Ægyptiacæ, Aſiaticæ, ante & poſt Euſebium, fatente Scaligero. Et ſic quoque Philippus Lansbergius, *Chron. S. Lib.* II. & III. trahens huc Epocham Ephemeriarum, & in præſidium hujus Traditionis advocans.

Chr. non *Altera* Chriſtum natum cenſens XXV. *Decembr.* ſeu VI. *Kalend. Januar.* Et hæc communis ſententia, antiqua ſatis, cumprimis in Latinâ & Occidentali Eccleſiâ, traditioni Apoſtolicæ adſcripta in Conſtitut. Clement. *Lib.* V. *Cap.* XII. Deinceps & à Græcis, Antiochenis, Syris, Ægyptiis poſterioribus communiter recepta; indè à Seculo V. VI. & ſequentibus. Sed dubia illa tamen, imò cùm falſis hypotheſibus, tùm frivolis ſubnixa. Huc enim traxêre verba Joh. Baptiſtæ, *Joh.* III. 30. alluſione ad verbum αὐξάνειν, & dierum *incrementum*, quod à Solſtitio brumali incipit. Sic ex Solis ad nos reditu, ex anno vertente, ex rerum omnium incrementis, Oroſius & alii ratiocinati. Falſiſſima verò fuit hypotheſis de conceptione Joh. Baptiſtæ in fine *Septembris*, immediatè à feſto Expiationis, Zachariâ patre ſcil. Summo Sacerdote: Undè colligebant conceptum Chriſtum exeunte *Martio*, Æquinoctio verno, hinc natum Solſtitio brumali. Atqui nec *Summus* Sacerdos Zacharias fuit; nec in *Sancto Sanctorum* apparuiſſe illi Angelus legitur, ſed ad altare thymiamatis; ſed nec *immediatè* poſt, eo ipſo die, conceptus fuiſſe Baptiſta dicitur; uti Dies X. *Tiſri*, poſt Æquinoctium autumnale, falsò componitur cum XXIV. Sept. ſeu VIII. Kal. Octobr. Ac ſeriùs quidem, diu à Conſtantino Magno, tempore Chryſoſtomi, hic *Natalis Dominici* dies inter Chriſtianos feſtus eſſe cœpit; toto vero Oriente non antè Juſtini Imperatoris tempora, Seculo VI. Planè ut *Æra Chriſtiana* lege introducta ſeriùs, nec antè Seculum VIII. uſurpata. Sed de Ærâ Nativit. in Chronologicis.

An Sept. aut Octobri menſe? *Tertia* Chriſti Natalem conjiciens in finem *Septembris*, aut initium *Octobris* die non definito. Quæ rurſùm ſententia nova eſt, *Beroaldi*, *Scaligeri*, *Calviſii*, &c. incertis etiam conjecturis, ac diverſis quoque hypotheſibus nixa. Quales iſtæ v. gr. de LXX. *Septimanarum* Danielis præciſo termino, qui omninò dubius & controverſus eſt; De *Natali Baptiſtæ* in menſe *Aprili*, ſeu *Pharmuthi* Alexandrinor. d. XXVIII. ex traditione antiquâ Eccleſiæ Alexandrinæ, ſed non minùs incertâ; De tempore *Ephemeriæ Abiæ*, ex quâ familiâ fuit Pater Baptiſtæ, quem hinc *Julio* exeunte conceptum fuiſſe hariolati, natum ergò exeunte *Aprili*.

Ἐπιχείρησις Auctoris. Si quis ἐπιχείρος locus eſſet aut ratiociniis, cenſendus potius foret Chriſtus eſſe natus *verno* tempore, quando ſe aperit nova ac læta rerum facies; *Paſchate* in id tempus incidente, typo Liberationis per Chriſtum, quod & apud Clementem Alexandr. Libro I. *Strom.* olim nonnulli voluêre: Vel certe, natus *autumnali* tempeſtate, menſe *Tiſri*, ſeu typum σκηνώσεως Chriſti in carne reſpicimus, in Feſto *Tabernaculorum*; ſeu etiam tempus *Mundi* naſcentis, hinc & renaſcentis per ἐπιφάνειαν Chriſti Servatoris. Sed hæc Elias ſolvet.

Quare tutiſſimum ἐπέχειν, nihil definiente Scripturâ, diu etiam de Natali Chriſti certante Vetere Eccleſiâ.

Circumſtantiæ Euangelicæ. IV. Tacemus *circumſtantias* alias ex Sacris notas, quales ſunt v. gr. Locus nativitatis; Cunæ abjectæ; Angelicum nuncium; Circumciſio die octavâ; Magorum adventus, adoratio, munera, quum Infans adhuc Bethlehemi eſſet cum Matre, antè expletos XL. dies; Herodis ſollicitudo, metus; Infanticidium Bethlehemiticum, quod in Novembrem aut Decembrem conjiciunt, qui præceſſit mortem Herodis, quæ inter Eclipſim Lunarem & Paſcha contigit; Joſephi in Ægyptum fuga, mora ibidem in annum III. & revocatio; Seceſſus in Nazareth Galileæ, ut Chriſtus *Nazarenus* non ſine omine vocaretur, &c. Quem peſſimè Baronius ſeceſſum in annum Chriſti IX. conjicit. De quibus Hiſtoria Matthæi & Lucæ, & ad eam veteres & moderni Interpretes; quam provinciam hic non ſuſtinemus, occupavit autem

Digitized by Google

autem omnium inſtar Parens noſter. *Dub. Evang. Part.* II.

Joſephi Hiſt. ſilentium. Ac multa horum *Joſepho* Hiſtorico prætermiſſa fuiſſe nihil mirum; uti *Deſcriptionem primam πάσης τῆς οἰκυμένης*, *Magorum* apparitionem, *Stellam* ducem, *Infanticidium*, alia. Utpote qui ad Hiſtoriam Vet. Teſtamenti ſilentium de plurimis affectavit, quæ refert Hiſtoria Moſaica & Sacra; dùm ex. gr. nihil ille de Vaticinio Jacobæo, *Gen.* XLIX. de Clade Ephraimiticâ per Gettæos Palæſtinos; de circumſtantiâ ſabbaticâ in datione Mannæ; de adoratione Vituli aurei; de electione LXX. Seniorum, *Num.* XI. &c. Quid mirum jam ſi verbis paucis, de iis quæ ad Chriſtum attinerent, refert? Seu ignorarit illorum quædam, ſeu diſſimularit, ſeu generalioribus verbis expreſſerit, uti aliàs crudelitatem ac promiſcuas cædes Herodis, ob prædictionem quandam de Regno à ſe auferendo, *Antiq.* L. XVII. C. III.

Fabulæ, Baronio probatæ. Occaſione Infanticidii, huc referunt necem *Zachariæ*, patris J. Bapt. quod filium quæſitum ad necem occultaſſet; undè inter *Templum* & *Altare* occidi juſſus fuerit, cum in Miniſterio eſſet, Nov. menſe, A. U. C. DCCLII. Ità Petrus Alexandrinus, in Canonibus Pœnitentialibus quos ſcripſerit A. D. CCCVI. occaſione Perſecutionis Diocletianeæ. Sed præter eum id Vetuſtiorum nemo; natum præpoſterè, ex verbis Chriſti, non id Herodi ſed Judæis tribuentis, occidentibus Prophetas ſuos, *Matth.* XXIII. 35. & alio reſpicientis, ut Docti Interpretes, & nos ſuprà ad *Epoch.* VIII. *Col.* 423.

Quicquid præter iſta Baronius, aliique, ad Annum Chr. I. ex Apocryphis, aut ſequioris ævi credulis nimium Scriptoribus, referunt, de circumſtantiis variis, & miraculis in Nativ. Chriſti, ut de Mariâ omninò experte dolorum, illæſis clauſtris Virginitatis; de Sacris Faſciis in hæc tempora ſervatis; de Speluncâ Bethleëmiticâ; de Præſepi argenteo; de Bove & Aſino alligatis; de fonte ex rupe profluo, &c. id omne in *fabulis*, quæ ſunt propemodùm infinitæ, & vanis *traditionibus*, haberi debet. Ignoravit certè Evangelica Hiſtoria, ac ſanctior prima Chriſtianorum ætas. Idem judicium de *Miraculis* quæ in *Ægypto* acciderunt: Ex. gr. de Arbore incurvatâ ad ſolum uſque, & Chriſtum adorante, in Urbe Thebaidos Hermopoli; de Arbore quæ Chriſto tranſeunti ſeſe aperuit, eique ceſſit, quam reverenter Arabes obſervant; de *ſimulachris* in Ægypto collapſis, mox à Chriſti in Ægyptum deſcenſu, *apud* ipſum Sozomen. de *Horto Balſami* inter Heliopolim & Babylonem, ubi fons ſcaturiverit, ex quo Maria Jeſum ac panniculos mundare ſolita fuerit, *Matarεam* locum vocant, diſtantem ab Urbe Cairo, X. millibus paſſuum, pro quo Baronius Maturæam, ad A. I. N. XLVI. Nec fabellis id genus finem faciunt Græculi, Cophtitæ Ægyptii, Arabes, lucri causâ, quibus aſſurgit Romana ſuperſtitio. Pluribus referunt P. Martyr, Bellonius, Brochardus, quæ ſuis ſe circumſtantiis produnt.

Ejuſdem commatis ſunt quæ Paulus Oroſius, *Lib.* VI. C. XX. & alii, de *fonte largiſſimo olei* ex trans-Tiberinâ Tabernâ Romæ profluente, totâ die, quo tempore Chriſtus ſeu *Unctus* naſciturus, deque *prodigiis* id genus, non tacendis Annalium Scriptori. Rectè idem fabulam coarguit, de *Templo Pacis* Romæ collapſo, eâ nocte quâ Maria Chriſtum peperit, ex Petro Damiani *Sec.* XI. Scriptore; utpotè Templo Pacis nonniſi poſt domitos Judæos, ac triumphatos, Romæ exſtruendo per Veſpaſianum, in monumentum firmiſſimi ſtatus Rom. Imp. Quod ex Joſepho, Suetonio, & aliis conſtat.

III. *Res intermediæ uſque ad Miniſterium Joh. Baptiſtæ, & Chriſti.*

HUc compendio referuntur:

Educatio J. Bapt. I. *Educatio Johannis* Baptiſtæ, uti *Chriſti* illa, vita ſcilicet utriuſque privata & obſcura, ad annum ferè ætatis XXX. ut quidem de Chriſto Lucas. Nec tamen latens in *antris* & *deſertis*, ut de Johanne fabulantur, indè ab anno ſuæ ætatis V. Habitarit licet in montanis Judææ, ἐν τῇ ὀρεινῇ, nec in Eremo ſimpliciter, ſed in *Eremo Judææ*, Hieroſolymis ſic ſatis ad Auſtrum vicino, ubi *locuſtarum* & *mellis agreſtis* copia; procul Anachoretarum inſtituto. Adi Dubia Evangelica Parentis mei, *Parte* II. *Dub.* XCVII. *& ſeq.*

Chriſti prima Educat. in Nazareth. II. *Habitatio Chriſti* in urbe Nazareth poſt reditum ex Ægypto, in quâ hæſiſſe *quadriennium* uſque ad mortem Herodis, Euſebius & Epiphanius tradiderunt. Sed per *triennium* ad ſummum, aut in annum *tertium* labentem, in Ægypto vixiſſe credendus eſt; nec ideò Herodes *triennio* ſuperfuit. Intereà enim Archelaus ex Italiâ redux factus eſt, & ingentes totâ Judæâ motus compoſiti, de quibus Ἀρχαιολόγος, Joſepho tranquillam ſedem ſibi & Infanti quæſituro in *Galilæâ*. Ac vixit ibi Servator uſque ad tempus Baptiſmi; Undè & illi nomen, nec ſine myſterio, *Nazareni Matth.* II. 23. Hinc in urbem Nazareth duodecennis reverſus, *Luc.* II. 51. & ex Nazareth prodiens ut baptizaretur, *Matth.* III. 13. Indè factum ut Judæi jam olim Jeſum noſtrum per contemptum dixerint הנוצרי *Nazarenum illum*, & Chriſtiani vocarentur *Nazaræi*: Quemadmodum viciſſim Chriſtiani *Nazaræos* dixêre, qui Chriſtum quidem colerent, ſed retento ex parte Judaiſmo, ac ſervatis Legalibus.

Tres circumſt. in Hiſt. Evangel. III. *Memorata tria alia*, quibus tota Hiſtoria infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis Chriſti abſolvitur, 1. *Incrementum* in ipſo tùm *ſtaturæ*, reſpectu corporis, tùm *ſapientiæ*, quoad cognitionem actualem & experimentalem, tùm *gratiæ*, quoad manifeſtationem illius, & favorem quo valuit apud Deum & homines, *Luc.* II. 52. 2. Actio Chriſti *duodecennis*, ducti pro Judæorum more ad *Feſtum* (ut videtur) Paſchatis, & initiati jam præceptis Legis. Nempe *ſediſſe* dicitur in *Templo*, ſeu in Atrio Templi, non quidem in Doctorum (ut putarunt) Cathedrâ, ſed in Diſcipulorum ordine, qui aut coram Magiſtris ſtabant, aut ſedebant in ſubſelliis ad pedes Magiſtrorum, uti ſedebant auditores, dùm Magiſtri inſtituerent. Et hos viciſſim interrogare licuit, tum inſtare ad reſponſa; atque ità Chriſtus his cum Doctoribus congreſſus eſt, non *reſponſis* modò ſuprà ætatem, ſed & *interrogatis*, & inſtantiis ad reſponſa Magiſtrorum, *Luc.* II. 42. 46. 3. Vita apud *Parentes* tranſacta, cum reverentiâ & *ſubjectione* illis debitâ, ab eo qui ſubjici in omnibus debuit, & præire exemplo, qui poſtmodùm doctrinâ. Indubium verò, tranſactum fuiſſe illud tempus, inter meditationes Sacras, & præludia adminiſtrandi Muneris, & officia in Parentes. An etiam in opere *manuario* ſe exercuerit, & eodem cum *Joſepho*, ut quidem traditum multis Veterum, Juſtino, Baſilio, Chryſoſtomo, aliis, in medio relinquitur. Dubium & tempus exceſſus *Joſephi*, qui haud diu ſupervixiſſe videtur, poſt rem memoratam, *Luc.* II. 43. Chriſto tum *duodecim* annos nato, ac Joſepho deinceps tacito, ex. gr. in nuptiis in Canâ Galil. *Joh.* II. & aliàs. Fabulis verò, & Apocryphis narrationibus, quales v. gr. in Libro de *Infantiâ Servatoris*, & quarum non paucæ probatæ ipſi quoque Baronio, nullus denuò finis. Inter quas inſignis illa eſt, de *Caſâ Mariæ*, tacitâ Lucæ, omnibuſque Veteribus, & quæ tot

poſteà

Digitized by Google

poſteà Seculis, ab Angelis ex Nazareth tranſlata fuiſſe fertur, eademque quæ hodie Lorettæ colitur. De hac Baronius ad Annum Chriſti IX. *nec eſſe quod de re geſtâ quis dubitet*. Quâ de impoſturâ, primùm firmatâ ſub Bonifacio VIII. poſt Latinos Terrâ vulgò *Sanctâ* penitùs exactos, A. 1294. quæſtui in Italiâ faciendo, nos pluribus loco ſuo.

Res geſtæ intermedio tempore. IV. Huc faciunt *mutationes*, quæ indè à Chriſti Nativitate ad ejus Miniſterium accidêre, in Judæorum cùm Republ. tùm Eccleſiâ. Quò ſpectant, inter alias propè innumeras:

Mors Herodis, & quæ illam exceper. Mors *Herodis*, & Teſtamentariæ Tabulæ, apud Joſephum, *Antiq*. L. XVIII. C. X. non certo ſatis anno mortis, utique poſt Chriſtum natum, ex antè memoratis. Juxtà Joſephum & Dionem acciderit Anno Herodiani regni XXXVII. *Nov*. m. A. Jul. XLII. U.C. DCCL. Auguſti XL. Ità nuperus Commentator in Nummum Herodis Antipæ, mortuum Herodem A. Per. Jul. 4710. Novembri menſe, quo Anno Eclipſis Lunæ contigerit d. 13. Martii. Atque adeò antè Æram Vulg. Annis 4. U. C. DCCL. Aug. XL. &c. Sic neceſſe eſt, natum Chriſtum eſſe (qui natus regnante adhuc Herode) antè A. Jul. XLII. & antè Annum U. C. DCCL. juxtà hoſce Hiſtoricos. Mortuum autem Herodem *Novembri* menſe habent quoque Judæorum Faſti, ad VII. d. *Caſleu*, qui reſpondet XXV. *Nov*. Sed periit omninò Herodes A. Auguſti XLIII. inter Eclipſim Lunar. (cujus meminit Joſephus) quæ contigit Januarii IX. & inter Paſchâ quod incidit eo anno in Aprilis VIII. Eodemque anno Chriſtus ex Ægypto regreſſus eſt. Abſurditatem calculi Baroniani, qui mortem Herodis conjicit in Ann. VIII. Æræ Natal. Dionyſianum VI. Auguſti XLIX. Archelai VII. viderunt Doctiſſ. Chronologi.

Succeſſio Filiorum, quales fuêre: *Archelaus Ethnarcha* tantùm ab Auguſto declaratus, ſed Regio mox dominatu, nec ferendâ Judæis tyrannide, in Judæam, Samariam, Idumæam; *Antipas* Galilææ & Perææ Tetrarcha, Tiberio acceptus, à Cajo Cæſare relegandus, quum Herodiadis inductu *Regium* titulum affectaſſet, ex Joſepho *Antiq*. L. XVIII. C. IX. *Philippus* denique, Tetrarcha Trachonitidis, Bataneæ, Ituræ, Paneadis, in Palæſtinæ & Syriæ Damaſcenæ confiniis. Quâ in Paneade *Cæſaream* urbem, olim Danem, de nomine Cæſaris appellavit; ſicut *Tiberiadem* Galilææ, Antipas à ſe conditam in Tiberii honorem appellavit.

Motus ſub *Archelao* Rege, Judæâ perpetuis diſſenſionibus laborante: Hinc accuſatio coram Auguſto; ejus depoſitio; relegatio in urbem Viennam, *decimo* poſt Principatum anno. Factum A. Æræ Dionyſ. IX. ætatis Chriſti minimum A. XI. miſſo Quirinio, qui patrimonium fiſco addiceret, Judæam in Provinciæ formam redigeret, &c. Vide Joſephum *Antiq*. L. XVII. C. XV. & de *Bello Jud*. L. II. C. VII. Harduinus Jeſuita Joſephum hac parte falſi arguit, tum ex Nummo Judaico, ex quo pateat Archelaum mortuum A. VIII. Æræ Chriſt. tum ex *Luc*. II. ubi Chr. annor. XII. aſcendit Hieroſ. ſublato pridem Archelao. At quo anno perierit Archelaus poſt relegationem, incertum; ejus cadavere è Galliâ in Judæam transferendo, ut teſtatur Hieronymus, *de Locis Hebr*.

Præſides Judææ. Judæa in *Provinciæ* formam à Romanis redacta, miſſo (ut dictum) *Quirinio*, qui Procuratoris nomine, antè decennium, Syriam Judæamque cum laude adminiſtraverat. Hinc miſſus idem rurſùm ἡγεμὼν, διοικητὴς, & δικαιοδότης, *Coponio* tum ſubſtituto in Archelai locum, qui Judææ peculiariter eſſet ἐπίτροπος. Et hac occaſione rebellaſſe videtur Judas ille Gaulanites, quâ de re vide Baronium ad A. XVI. Tum & Quirinius Ananiam Summum Sacerdotem ſubſtituit, alienum ab hoc munere, novo exemplo: Quum ante reſtitutus quidem Hyrcanus auctoritate Cæſaris, ſed cui jus ſummi Sacerdotii competebat. Poſt Coponium Judææ præfectus, Ἀμβίβουλος Joſepho, *M. Ambivius* Latinis; tùm *Annius Rufus*, quo Præſide exceſſit Auguſtus; hinc *Valerius Gratus*, annos XI. gubernaturus; cui ſucceſſit *Pontius Pilatus*, annis circiter duobus antè Miniſterium Johannis, Æræ Vulg. Anno XXVI. Veræ ut putatur XXVIII. Et hic quidem *decennio* Judæam adminiſtraturus fuit, homo pertinax, αὐθάδης, & ad ſævitiem compoſitus, ut prolixè ex Joſepho intelligitur, *Lib*. XVIII. *Antiq*. & de *Bello Jud. Lib*. II. & ex Philonis Legatione ad Cajum Cæſ. Undè ſeditiones ſub eo variæ: Quum Imagines Cæſaris, ſeu ſigna militaria cum ejus Effigie, noctu Hieroſolymam inferri juſſiſſet, reducendas poſteà Cæſaream; Quum ſcuta itidem aurea, ἐπιχρύσους ἀσπίδας, in Palatio Herodiano Tiberio conſecraſſet, ſine Imagine quidem, ſed cum Inſcriptione tamen, in odium Populi; Quum deinde expilaſſet Theſauros Templi, obtentu Aquæductûs ducendi Hieroſolymam à *ducenteſimo ſtadio*, immiſſo in ſeditioſos milite; quâ occaſione Joſephus, *Lib*. XVIII. C. IV. ſubnectit narrationem de *Jeſu* pro *Chriſto* habito, & per Pilatum affixo cruci. Pilati reliqua apud Joſephum vide, & Philonem, & Euſebium, qui mortem violentam ſibi ipſi illatam deſcribit *Hiſt*. L. II. C. VII. & in Chronicis ad A. Chr. XL.

Seditiones Judæor. Varii in Judæâ & Samariâ novique motus, ac in Romanos ſeditiones: Auctores (præter illam *Samaritanorum*, de quâ Joſephus *Lib*. XVIII. C. V. quam ità compeſcuit Pilatus, ut hinc accuſatus apud Vitellium Romam ire cogeretur, ſub extrema Tiberii,) hi fuêre inſigniores: Nempè *Juda Galilæus*, vel potiùs ex Gamalâ Gaulanitidis Trans-Jordanicæ, unà cum *Sadduco Pharizæo*, occaſione Romani dominatûs, *Act*. v. 37. & apud Joſephum *Antiq*. XVIII. I. His nempè Galilæi ſe adjunxêre, undè *Galilæorum* huic factioni nomen, quorum *ſanguinem* videtur *miſcuiſſe* Pilatus cum Sacrificiis, Paſchali tempore *Luc*. XIII. I. Dicti poſteà *Zelotæ*, illi ipſi qui Rempublicam perdiderunt. Præceſſiſſe videtur, ex Lucâ, *Act*. v. 36. *Theudas* ille impoſtor, ſtatim à morte Herodis, cujus meminit Gamaliel, & quem à Judâ Galilæo diſertè diſtinguit, tanquàm *poſteriore*. *Theudam* verò præſtigiatorem, ſed alium hoc ipſo à priori, ſub Claudio memorat Joſephus, *Antiq*. L. XX. C. II. à Fado Procuratore Judææ interemptum. Nec neceſſe cum L. Capello lapſum μνημονικὸν impingere Scriptori Sacro; aut παρέλληψιν fingere in verbis Lucæ.

Auguſti exceſſus. Conſpectus Tiberiani Imp. *Auguſti* Cæſaris intereà exceſſus, anno à nato Chr. circiter XIV. ut colligi poteſt ex *Luc*. III. I. 23. Juliano LIX. ætatis anno LXXVII. currente A. Imperii LVII. U. C. DCCLXVII. quando Auguſtus Luſtrum condidit, appendicem Cenſus, teſte Suet. Dione, Lapide Ancyrano. Undè liquet annos Cenſuales fuiſſe U.C. Annos 752. (quo putatur Natus Chr.) 757. 762. 767. Succeſſit *Tiberius* Anno ætatis LV. cujus *initia* laudabilia, vivo Germanico cujus æmulus fuit, ſed ſublato anno VI. Tiberii, faciente in Syriâ Piſone. Hinc ſpernere viſus honores; ad Senatum omnia referre; Leges ſaluberrimas ſancire in Hiſtriones, Magos, Adulteros, Fœneratores, Famoſorum libellorum autores: Faviturus & *Chriſtianis* tùm naſcentibus, poſteà & mitigandus *Judæis*, poſt mortem Sejani. Sed & ſummus diſſimulandi artifex, de quo Tacitus, Suetonius, Dio. Modum etiam quendam ſervavit, dùm vixit Mater Livia, ſublata anno Tiberii XVI. quo ferè tempore contigit Baptiſmus Chriſti. Periit hic Imperator ſuffocatus in lecto, anno Imperii exacto XXIII. Æræ Vulg. XXXVII.

Plures Ἀρχιερεῖς. Summi dignitas Pontificatûs deſultoria, & ambulatoria, facto Herodum primò, tùm Romanorum

Digitized by Google

rum Præſidum, poſt Judæam in Provinciam verſam, quando Quirinius Ananum Pontificem creavit. Undè xxvi. Ἀρχιερεῖς numerantur, ab Ananelo ſub Herode M. ad Pontificatum admoto, uſque ad Excidium Urbis & Templi. Sed & leguntur plures ſimul Ἀρχιερεῖς memorati in Euangeliis, altero ſcilicet *Expontifice*, qualis *Annas* vel *Ananus*, Cajaphæ ſocer, retinens appellationem Ἀρχιερέως, quum *Cajaphas* ipſo facto fungeretur tum Pontificatu. Quanquàm & Ἀρχιερεῖς vocari potuerunt principes familiarum Sacerdotalium, iidemque cöoptati in Synedrium Judæorum. De quo adeantur Caſaubonus, Seldenus, Cunæus, Parens noſter *Dub. Euang*. P. II. D. XXXVII. & in recentioribus plures alii.

IV. *Hiſtoria Miniſterii Joh. Baptiſtæ, & Chriſti Servatoris, uſque ad Tempus Aſcenſionis; undè incipit Hiſtoria Apoſtolica.*

Saltus Evangeliſtarum, ab Infantiâ Chriſti ad Baptiſm.

I. Nihil mirum, Euangelicam Hiſtoriam uno quaſi ſaltu tranſire ab infantiâ Servatoris, & Joh. Baptiſtæ, ad utriuſque Miniſterium, exceptis iis *tribus*, quæ ſuprà de Chriſto memorari dicebamus. Quia ad nos cumprimis, & ad ſolatium Eccleſiæ ſpectavit ipſum illud Chriſti Miniſterium, ac functio Officii triplicis, cui per Baptiſmum initiatus eſt. Mirum verò videatur, undè Matthæus, memorato ſeceſſu Joſephi in Urbem Nazareth, ſub finem *Cap*. II. & ſequentem Hiſtoriam exorſurus demùm ab Anno Chriſti xxx. tacitâ Infantiâ, Pueritiâ, Adoleſcentiâ, Juventute, & ex parte Virili ætate Chriſti, dixerit quaſi continuatâ Hiſtoriâ, ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *in diebus autem illis*, nempè adfuit J. Baptiſta, &c. Plana verò eſt Hebraiſmi ratio, *in diebus illis*, ſeu poſt illos dies, annos, ſimili phraſi *Exod*. II. II. &c. Et attenta Matthæo eſt *habitationis Nazarenæ* continuatio, uſque ad id tempus de quo is *Matth*. III. ἐν ἡμέραις ἐκείναις ſcil. τοῦ κατοικισμοῦ, Chriſto adhuc habitante in Nazareth, *Matth*. III. 13. *Luc*. II. 51.

Tempus inchoati miniſterii Joh. B.

Huc igitur ſpectat, *Joh. Baptiſtæ*, τοῦ προδρόμου, antecedaneum Miniſterium, cœptum Tiberiani Imperii anno xv. Pilato Judææ Procuratore, *Luc*. III. I. 2. Ejuſdem adeo Habitatio, Victus, Amictus, Concio Pœnitentiæ, Baptiſmus, de Chriſto teſtimonia, fama Johannis, Incarceratio, Decollatio juſſu Herodis Tetrarchæ, &c.

An verò *ſex* tantùm *menſibus* præceſſerit ejus ἀνάδειξις Chriſti Baptiſmum, ác Miniſterium, an *longiore* intervallo (quidam enim voluêre præceſſiſſe aliquot annis, & Lydiatus quidem annis IV.) non ſatis conſtat. Certè vix intrà *anni* ſpatium geſta, quæ de Baptiſtâ, antè Chriſtum initiatum ſuo Muneri, *Act*. XIII. 25. memorantur: Quum jam prædicaſſet univerſo populo, famam ſuam diffudiſſet quaquaverſùm, præparaſſet Chriſto Populum inſtructum, idemque jam anno manifeſtati Chriſti II. compingendus in carcerem, *impleto curſu* miniſterii.

Tempus Chriſti baptizati.

II. Ætas Chriſti quâ baptizatus eſt, *exorſurus* Miniſterium ſuum, vir ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα *quaſi annorum triginta*: Dubium intelligendi-ne *completi* an *incompleti*, an natus annos XXIX. an. XXX. his completis? Chriſtum anno Æræ veræ Natalitiæ XXX. fuiſſe baptizatum volunt Maximus Monachus & Anaſtaſius Nicænus, cum ajunt factum *Januarii* VI. feria 3. Epiphanius ait baptizatum Chriſtum hoc quidem anno, ſed *Novembris* d. VIII. cum Chriſtus XXX. annum iniret, agens tùm annum XXIX. vitæ, (quod antè ipſum Irenæus, & alii) Tiberius verò annum Imperii XV. inchoaturus annum XVI. à d. XIX. Auguſti ſequentis, quum Chriſtus præcedente Septembri iniiſſet annum XXX. David Blondellus, & cum eo Eruditi plures, credunt Chriſtum baptizatum, cùm annos ſolidos XXX. natus eſſet, Æræ Vulg. A. XXVIII. Certè annus ætatis *trigeſimus* completus, fuit ipſiſſimus Miniſterii Sacerdotalis, ex lege *Num*. IV. 3. ætas eadem virilis, gravis, apta muneri capeſſundo, ætas admoti Joſephi ad Præfecturam, Davidis ad Regnum, *Gen*. XLI. 46. 2 *Sam*. V. 4. Et ut ἀνάδειξις Baptiſtæ connectitur cum Tiberii anno xv. ſic illa Chriſti Servatoris, cum Tiberii A. XVI. connectenda, ſi paſſus Chriſtus Tiberii XIX. Vel cum Tiberii XVII. inchoato, ſi paſſus anno Tiberii XX. Vide *Chronol*. noſtram, P. II. *Cap*. XVII.

Ut verò Chriſtus, per baptiſmum *Johannis* initiari voluit, ſic veriſimile eſt, quod aſſerit Tertullianus de *Bapt*. C. XII. *Diſcipulos* Chriſti eodem baptiſmo fuiſſe tinctos, de quo tamen tacet Hiſt. Euangelica: An verò poſtmodùm baptizati à *Chriſto*, vel Petrus ſaltem, qui deinceps Andream, hic Johannem, Jacobum, &c. baptiſmo abluerit, quod tradunt Veteres IV. V. & ſequentium Seculorum Scriptores, habemus inter incerta, ſi non precariò vendidata.

Duratio Miniſterii.

III. *Duratio Miniſterii Chriſti*: Cui Clemens Alexandrinus *Lib*. I. *Strom*. Origenes *Lib*. IV. περὶ Ἀρχῶν, Veterum alii, & recentiores quidam, tribuêre nonniſi annum *unicum*, cum aliquot menſibus, ut paſſus ſit anno ætatis *trigeſimo*, ſed inſigni errore. Qualis & ille Clementis ejuſdem, Chriſtum nec eſuriſſe nec ſitiiſſe. Ità Gerh. Joh. Voſſius duo tantum Paſchata Chriſto attribuit. Tertullianus, & poſt eum Latini plerique, *triennium* quidem adſcribunt, ſed ità ut Chriſtus exorſus ſit miniſterium Tiberii XII. paſſus Tiberii XV. ſeu XVI. inchoato à XIX. Auguſti præcedentis, Geminis Coſſ. Qui tamen annus non Paſſionis apud Lucam, ſed prædicationis *Joh. Baptiſtæ*, *Luc*. III. I. 2. Alii annos ſolidos *quatuor*, numerantes quinque Paſchata, cum Gerh. Mercatore, Scaligero, Caſaubono, Calviſio, &c. quò referunt illud *Lucæ* VI. I. de Sabbatho δευτεροπρώτῳ. Plerique, & ſaniores, poſt Euſebium, tribuunt à Baptiſmo annos ſolidos *tres*, cum aliquot *menſibus*, ſeu *medium ſeptimanæ*, ex Vaticinio *Dan*. IX. 27. Ut nempè Chriſtus baptizatus ſit ſeu jam in Januario, ut vulgò Veteres die Januarii VI. ſeu in Autumno præcedente; hinc celebrarit quatuor Paſchata, quorum ultimum fuit θανάσιμον, pridie *mortis ſuæ*, Aprilis. II. Paſſus adeò anno ætatis ſuæ XXXIII. veriùs *completo*, quanquàm ſecundùm alios *labente* ſeu inchoato. Sed ità ut Annus Ætatis Chriſti XXXIII. non ſit niſi XXXI. Æræ Dionyſianæ, & ita (poſt Auguſtinum) Dion. Petavius. Qui autem *Chriſtum* paſſum volunt A. Dionyſiano XXXIII. faciunt annum Ætatis Chriſti XXXV. & ità plerique Veterum, cum Bedâ *de Rat. Tempor*. ſed & recentiorum cum Joſ. Scaligero, J. Capello, Setho Calviſio, prorogato hinc Chriſti Miniſterio. Quod Irenæus à *quadrageſimo* ad *quinquageſimum* circiter annum extendit, ſeu ad *ætatem ſeniorem*, cum aliunde ratiocinio ſuo deceptus eſt, tum loci *Joh*. VIII. 57. præpoſtero (ut videtur) intellectu, *Libro* II. adversùs Hær. C. XXXIX. De quo tamen aliter cenſet Clariſſ. Dodwellus, Irenæo patrocinaturus, nempè eo fuiſſe *vultu* Dominum, ut *quadragenario* majorem repræſentaret; natum A. U. Cond. DCCXLVIII. paſſum A. Tiberii XIX. U. C. DCCLXXXVI. ut ſic *propior quadragenario* Irenæi Chriſtus fuerit. Ita Vir Eruditiſſ. *Diſſert*. I. quâ de re monuimus in Chronol. P. II. C. XVII. Ac de Ærâ Paſſionis adi præthereà Diſſertationes noſtras Hiſtoricas, de Ærâ Converſ. Paulinæ, *Num*. IX. & ſeq.

Paſchatum ordo.

Paſchatum verò ſingulorum ordo ſic conſtituitur apud Johannem, reliqui enim Euangeliſtæ unius tantùm ultimique Paſchatis exertim meminerunt;

Primum nempè fuerit illud in quo Templum repurgavit, *Joh.* II. *& ſeq.* expreſsâ mentione τοῦ Πάσχαλος. *Alterum*, illud *Joh.* v. 1. 2. in quo ægrum ſanavit in Sabbato, ad piſcinam Betheſdæ, licet mentio nulla Paſchatis, ſed τῆς ἑορτῆς τῶν Ἰουδαίων qualiter *Marc.* xv. 6. *Luc.* II. 42. XXIII. 17. Feſtum Paſchale ἐξόχως deſignatur. *Tertium*, illud de quo *Joh.* VI. 4. ubi expreſſum τὸ Πάσχα, quod tum erat in proximo, quanquam aſcenſus Chriſti Hieroſolymam exertim non memoretur. *Quartum*, illud quo approximante petiit Hieroſolymam, conſummaturus omnia, *Joh.* XI. *Matth.* XX. *Marc.* X. *Luc.* XVIII. ac reſurrecturus die *tertiâ*, & quadrageſimâ poſt aſcenſurus ad Patrem *Act.* I. 3. *& ſeq.* Sed hac de re Harmonici Scriptores. Neque hic locus eſt demonſtrandi, Chriſtum Paſcha θανάσιμον celebraſſe pridie quàm celebrarunt Judæi, non occiſuri Chriſtum in die feſto, *Matth.* XXVI. 5. Quacunque hi de causâ diſtulerint eo anno εἰς τὴν μεγάλην ἡμέραν τοῦ σαββάτου, ex Johanne XIII. 1. 29. XVIII. 28. XIX. 14. 31. Quâ de re alibi diſſertamus. Extat Tractatus antiquus, ſub nomine Petri Alexandri editus à Petavio in Vranolog. & à Du Freſnio in Chronico Paſchali, in quo contenditur Chriſtum nullo modo manducaſſe *Paſcha Legale*, crucifixum utpote illâ ipsâ die, Lunâ XIV. quâ Judæi mactaturi (ex Lege) agnum Paſchalem; ſed Cœnam ordinariam cum Diſcipulis inſtituiſſe, nec opus fuiſſe ut manducaret *Paſcha typicum*, præſente *vero Paſchate*. Adoptavit ſententiam nuperus in Galliâ Bernardus l'Amy, Congreg. Orat. Presbyter, in *Harmoniâ Euangelicâ*, quem prolixè Galli alii confutarunt, & confutat Hiſt. Euangelica; Nec hujus iſta loci Diſputatio eſt.

Summa Hiſtoriæ Euangelicæ.

IV. *Hiſtoria Euangelica* reliqua, ex Textu Sacro, & ad eum Commentatoribus, haurienda: Uti, illa Baptiſmi Chriſti: Tentationis in Deſerto; Prædicationis publicæ; Concionum; Miraculorum; Vocationis ac primæ Miſſionis Diſcipulorum; Certaminum; Itinerum; Paſſionum; Cœnæ inſtitutæ; Lotionis pedum, infimo miniſterio; Antecedaneorum mortis; Mortis ipſius; *Tenebrarum* quæ in eâ contigerunt, nec veræ tamen *ſolaris Eclipſeos* (quicquid de Phlegonte referat Euſebius) utpote in Plenilunio; ſic Sepulturæ; Reſurrectionis; Apparitionum poſt reſurrectionem; Inſtitutionis Baptiſmi; Aſcenſionis in cœlum. Quæ omnia, fabulis deinceps contaminata, quo *ordine* & *tempore* acciderint, neglecto ſæpè ab Euangeliſtis, (in res ipſas intentis quæ ad fidem, ad ſolatium facerent, nec profectò inter ſe colludentibus,) docent *Harmonici* Scriptores, ac Scriptores *Catallactici* ſeu Conciliatorii contradictionum apparentium, veteres ac recentiores, in quibus & Parens noſter, in *Dubiis Euangel.* Item celebres in Hiſtoriam Euangelicam *Commentarii*, *Annotationes*, *Obſervationes*, *Exercitationes*, *Horæ Hebraicæ*, &c.

Contradictiones in eâ apparentes.

Concihabunt illi, ex. gr. *Genealogias* diverſas apud Matthæum & Lucam, quod tentavit jam olim Julius Africanus, Ep. ad Ariſtidem: Ità circumſtantias diverſas Concionis Chriſti, *Matth.* v. *Luc.* VI. Orationis Dominicæ, *Matth.* VI. *Luc.* XI. adverſas minimè, ut prolixè à Doctiſſimis Interpretibus oſtenſum: Ità anticipatum à Matthæo tempus captivitatis Johannis, C. IV. 12. 17. ſimili προλήψει *Matth.* XI. 2. cum XIV. 3. Ità ἐναντιοφανῆ id genus hiſtorica, quando verbi causâ, alter Euangeliſtarum duos *cæcos* refert, duos *pullos*, duos *latrones*, *Matth.* XXI. XXVII. unum tantùm Marcus, vel Lucas; ſic Gallicinium ſimpliciter Matthæus, *ſecundum* Gallicinium Marcus, *Marc.* XIV. 30. Sic ubi diverſa putandi *horas* Crucifixionis Chriſti occurrit ratio, apud Matthæum, Marcum, Lucam, pro diverſis ejus Tragœdiæ partibus; Quemadmodùm quæ ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων Matthæo eſt, & Marco, & Lucæ, ſeu XIV. Niſan, Johanni fuit ἡμέρα τῆς παρασκευῆς, reſpectu Judæorum, qui poſtridie celebrarint eo Anno, *magno ſabbato*, ex combinatione utriuſque Feſti. Adde circumſtantias id genus *diverſas* in hiſtoriâ Euchariſtiæ celebratæ, tum Paſſionis Chriſti, ac Reſurrectionis, *adverſas* minimè, quando *plus* ab uno Euangeliſtâ refertur, vel *modo* alio, aut alio *ordine*; multa etiam à *Johanne*, quæ omiſſa reliquis. Sed hæc ſpeciminis ergò, dùm intrà limites noſtros coërcemur.

V. *Teſtimonia Exotica, Euangelicæ Hiſtoriæ adſtipulantia. De Teſtimonio Joſephi* Ἀρχαιολόγου.

Teſtimonia Gentilium de Chriſto.

I. Obvia ſunt *Gentilium* illa, de circumſtantiis variis ſeu Nativitatis Chriſti, qualis *ſtella* quæ Magis apparuit, apud Chalcidium; ſeu præcipuè Mortis ac Crucis Servatoris noſtri. Obſervata illa diligenter cùm Veteribus, Tertulliano, Origeni, Euſebio, Ruffino, Hieronymo, &c. tùm recentioribus multis, ac Grotio nominatim, nuperque Huëtio in *Demonſtratione*, quam vocat, *Euangelicâ*, qui ſint omnium inſtar. Comparent hîc Pilatus ipſe, Suetonius, Tacitus, Plinius Jun. Phlegon, Chalcidius Platonicus, Celſus, Lucianus, Porphyrius, Lampridius, &c. & Acta publica Romanorum. Hinc enim putatur habuiſſe Tertullianus, quod refert Apologet. C. v. *Tiberium annunciata ſibi ex Syriâ Palæſtinâ, quæ illi veritatem Divinitatis Chriſti revelarant, detuliſſe ad Senatum cum prærogativâ ſententiæ ſuæ.* Quod ex Tertulliano Euſebius, Chryſoſtomus, Oroſius, Gregorius Turonenſis, Cedrenus, Nicephorus. Moris ſanè Tiberio fuit, ſummo diſſimulandi artifici, referre omnia ad Senatum, exploraturo etiam an Senatus decerneret eos honores Chriſto, quos Tiberius *in ſe non probaverat*. Quæ nimis faſtidiosè exploſit Tanaquillus Faber, an ſuperciliosè, *Lib.* II. Epiſt. XII.

Talmudiſtarum illa.

II. *Talmudiſtarum*, quorum ex ſcriptis mira ſubindè lux Hiſtoriæ Euangelicæ, apud Raymundum, Galatinum, Buxtorfium, Lud. Capellum, Joſeph. le Voiſin, Joh. Coccejum, Guil. Henr. Vorſtium, Wagenſeilium, Carpzovium, Hoornbekium, Hulſium, Lightfootium, ac recentiores alios. In his quædam veritati ſatis conſona; v. gr. Extitiſſe *Jeſum* filium Mariæ, vulgò *Stada*, *Nazarenum*, interemptum in vigiliâ *Paſchatis*, תלוי *ſuſpenſum*, &c. Alia mendaciſſima, ſed quæ ſimul *Euangelicam Hiſtoriam* adſtruunt, undè detorta ſunt: Ex. gr. In Ægypto fuiſſe, edoctum Magicas artes, commento nato ex itinere Ægyptiaco, *Matth.* II. 14. ממזר eundem ſeu ſpurium, quia ſine Patre; ſeductorem Populi, ex Prædicatione Euangelii, & accuſatione Pharizæorum; *quinque* habentem Diſcipulos, nato numero ex IV. *Euangeliſtis*, & illo *Thoda* quem addunt, ſeu Thaddæo: Sic, *lapidatum* in *Lud*, Hieroſolymâ in vicinam Lyddam, & ſupplicio Romano in Judaicum, commutatis; Sic fuiſſe datum per XL. *dies* ejus defenſioni locum, qui dies XL. nati ex Hiſtoriâ tentationis, & manſionis in terrâ à Reſurrectione Chriſti; Sic, *duos teſtes* in Jeſum productos, ſeu ex duobus Latronis nata imperitè fabella, ſeu ex Herode & Pilato, ſeu ex Judæis & Romanis, Chriſtum damnantibus. Sed Judæi recentiores, cum R. *Lipmanno*, ad invidiam Chriſtianorum declinandam, Talmudicum illum *Jeſum* in Tract. Berachoth, Sanhedrin, Avoda-ſara, Schabbath, in Toledoth-Jeſchu, &c. eundem cum noſtro Servatore eſſe negant, hinc & circumſtantias permutant.

Muhammedis.

III. *Muhammedis* ipſius, cum admixtis fabulis, Alkorani *Cap.* II. IV. V. XI. XII. XIII. XIV. XVI. XIX. XXIII. & deinceps. Hinc faſſus Impoſtor, Chriſtum fuiſſe

fuiſſe Mariæ filium, natum ex Virgine, ſine Patre, Meſſiam fuiſſe Dei Verbum, Prophetam, Miraculis illuſtrem, venturum ad Judicium, &c. Undè Chriſtianos etiam Sectis reliquis præhabuit Muhammed. Admiſcuit autem Impoſtor blaſphema, & falſa, ex Gnoſticorum, Marcionitarum, Antitrinitariorum Hæreſibus: Ex. gr. Chriſtum fuiſſe nudum Hominem; non æternum Dei Filium; non verè mortuum; ſic nec verè reſurrexiſſe; nec virtute propriâ patrâſſe Miracula; prædixiſſe etiam de adventu Muhammedis, quum is de adventu *Paracleti*, &c. Ità pro ingenio Arabum, & Impoſtoris, fabellas adjecit, de Chriſto locuto jam in ipſis cunis, de Creatione ejus immediatâ unà cum Virgine, & ſi quæ plures in *Alcorano*.

Joſephi teſtimonium. IV. Cumprimis verò eminet teſtimonium his omnibus antiquioris, & dignioris teſtis, *Joſephi* Ἀρχαιολόγου. Ut enim Hiſtoriam Euangelicam paſſim confirmat, in Libris *Antiquit.* & de *Bello Judaico*, in ſpecie Vaticinia Servatoris, de Excidio Hieroſolymit. ejuſque Circumſtantiis; Ut de *Joh. Baptiſtâ* luculenter teſtatur *Antiq. Lib.* XVIII. C. VII. de ejus nempè ſanctitate, concione Pœnitentiæ, Baptiſmo, ad illum confluxu, vinculis, ſupplicio juſſu Herodis Tetrarchæ; Uti idem de *Jacobo Juſto* fratre Domini, ſeu τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, *Lib.* XX. C. VIII. Ità & præclarum exhibet de Chriſto teſtimonium, *Lib.* XVIII. C. IV. Nempè poſtquàm is de ſeditione in *Pilatum* motâ, ob ſacrum ærarium violatum, non habitâ ratione connexionis rerum, ſed temporis, ſaltem ἐν πλάτει, ut ſæpè aliàs, ſubdit: Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, hoc eſt, Pilato eodem in Judæâ Præſide; γίνεται Ἰησοῦς τις, *fuit Vir quidam nomine Jeſus*, ut ſæpè Hiſtoria, id eſt, σοφὸς ἀνὴρ *Vir ſapiens*, חכם, quod & de Chriſto infenſiſſimi Hoſtes; εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, *ſi fas eſt eum Virum dicere*, id eſt, in quo aliquid fuit *ſuprà hominem*, quod de Heroibus, & magnis in Antiquitate Viris, Scriptores Exotici non ſemel. Et quæ reliqua apud Joſephum legas, à nobis aliàs ſigillatim expendenda.

De ejus fide dubia. Aſt verò Teſtimonii illius fidem dubiam facere cùm alia nonnulla credita ſunt, ut tot piarum fraudum exempla, ſtylus Joſepho inſuetus, nexus cum prioribus nullus, variatio Codicum, ſilentium Juſtini Mart. Tertulliani, Clementis Alex. Origenis contrà Celſum, dein & Photii, &c. Ità cumprimis magnifica illa de Jeſu, tanquàm non *Viro* ſed *Deo* (ſic illi) etiam *Chriſto* ſeu Meſſiâ, elogia, ejuſque Sapientiâ, Miraculis, Reſurrectione, de quo & *Propheta* prædixiſſent, &c. Undè & νοθείας poſtularunt, non Judæi modò, qui hunc Joſephum pro genuino non habent, ſed & ſuperiori ac noſtrâ ætate Luc. Oſiander, H. Giſanius, Rich. Montacutius, Jac. Salianus, Capellus uterque, Cloppenburgius, Blondellus, Tanaquillus Faber, & ex iis recentiores quidam.

Genuinum eſſe aſſeritur. Contrà pro genuino haberi ſuadent non pauca, fortaſſe licet in voculis unâ & alterâ interpolato; Ex. gr. Laudatio hujus teſtimonii apud Euſebium, Ruffinum, Hieronymum, Iſid. Peluſiotam, Sozomenum, Suidam, &c. Fraudis in Joſepho admiſſæ à Chriſtianis, nulla pridem criminatio; Codicum Joſephi diſtractio, quo tempore natum creditur hoc additamentum; Conſtans, quoad ſubſtantiam ipſam Teſtimonii, in Codd. lectio; Joſephi candor, fides, cura in tradendâ Hiſtoriâ ejus temporis; memorati inferiores Chriſto Baptiſta, & Jacobus frater Domini; Locus appoſitus ſatis memorandi de Jeſu Nazareno, ubi de Pilati factis circà Judæos, intrà Hieroſolymam; Senſus Teſtimonii commodus, quale à candido Hiſtorico, etiam à Chriſtianis ſacris alieno, proficiſci potuit, magis à *Joſepho*, cujus nullum in Chriſtianos odium fuit, vel ex laude Jacobi Juſti, & Joh. Baptiſtæ: Nam Jeſus *Chriſtus* vulgò appellatus eſt, ὁ λεγόμενος Χριστὸς, & *paradoxa* fecit, & *Vir* ordinarius minimè fuit, & *apparuiſſe* ſuis à reſurrectione conſtanter ferebatur, (Pilato ipſo ad Tiberium referente) & ad eum *Prophetiæ* trahebantur, &c. Quod verò refert Joh. Malela Antiochenus, in Opere Hiſtorico (adhuc, cùm iſta ſcriberemus, ἀνεκδότῳ, poſteà edito, ex Biblioth. Oxonienſi) *Lib.* X. p. 319. tanquàm *Joſephi* effata de Chriſto, in Joſepho certè non ità legimus. Εἰρηκὼς καὶ τοῦτο, ὅτι ἐξότε Ἰουδαῖοι ἐσαύρωσαν Ἰησοῦν, ὃς ἦν ἄνθρωπος ἀγαθὸς, δίκαιος, εἴπερ ἄρα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον δεῖ λέγειν, καὶ μὴ Θεὸν, ἐν οἷς ἐποίησε σημείοις, οὐκ ἐξέλιπεν ὀδύνη ἐκ τῆς Ἰουδαίας χώρας. Planè ut de Jacobi exitio referunt, tanquàm *causâ Excidii Hieroſolym.* apud Joſephum, quod non ità legitur, *Antiq.* L. XX. C. VIII. ut nec quædam alia, quæ velut ex Joſepho confirmat Euſebius.

Hinc & pro γνησίῳ habuêre, poſt Veteres nominatos, poſt Freculphum, Suidam, Trithemium, etiam Galatinus, H. Junius, Pag. Gaudentius, Sixtus, Poſſevinus, Baronius, Bellarminus, Caſaubonus, Uſſerius, Grotius, Voſſius uterque, H. Valeſius, Reineſius, Becklerus, Huetius, Pearſonus, H. Dodwellus, *Diſſert.* I. in Iren. p. 76. alii benè multi, ac Theologi plerique non infimi ſubſellii, nec obeſæ naris. Neque Samuel Petitus, in ſuis Animadverſ. MSS. ad Joſephum, locum hunc caſtigavit, aut pro ſuppoſititio habuit, quantum obſervavi in MS. Oxonienſi, quum à Clariſſ. Bernardo mihi oſtenderetur. De quibus nos pluribus ſpeciali *Diſſertatione*, adversùs Tanaquillum Fabrum; qui aliàs in *Canonibus Criticis* amamus diſcernere pretioſum à vili.

VI. *Hiſtoria Apoſtolorum, Acta, Labores, Diſperſio.*

HUc faciunt ſummariâ narratione Lemmata ſequentia.

I. *Acta* illa quæ deſcribit *Lucas*, inde ab Hiſtoriâ Aſcenſionis, quæ accidiſſe ſupponitur A. Æræ Vulg. XXXII. veriùs XXXIII. Tiberii A. XIX. terminando in ſequente Auguſto, undè Annus Tib. XX. Deduxit autem Lucas, uſque ad adventum Pauli in Urbem, *Act.* XXVIII. qui accidit juxtà pleroſque A. Ch. LIX. à Paſſione XXVI. Neronis V. juxtà Capellum A. Ch. LVI. Aſt Neronis IX. juxtà Uſſerium Armachanum, Æræ Dion. LXIII. Juxtà Pearſonum, & alios, Anno Ner. VII. Æræ V. LXI. Nos quoque conjecimus in Annum Neronis VII. Æræ Vulg. LXI. à Converſione Pauli circiter XXI. ut pluribus in *Diſſert. Hiſtor.* de Ærâ Paulinâ. Contextum porrò Hiſtoriæ univerſum exhibent Analyſes ad Lucam, & præ cæteris Lud. Capellus *in Hiſt. Apoſtol.* Uſſerius in *Annal.* Lightfotius in *Acta*, Joh. Pearſonus in *Poſthumis* à Clariſſ. Dodwello editis. **Hiſtoria Lucæ.**

II. Memorabilis in hac Hiſtoriâ eſt *Pauli* Apoſtoli Converſio, *Act.* IX. de cujus tempore non ſatis convenit Eruditis. Ex cujus tamen notatione pendet tempus aſſignandum itineribus Pauli Hieroſolymitanis, (ut qui hanc Æram figit in Epiſt. ad Galatas I. 18. II. 1.) tùm Concilio Apoſtolico *Act.* XV. hinc ſcriptioni Epiſtolarum antè Romanum iter, adventui denique in Urbem Romam, atque etiam illi tempori quod relinquitur Petro, ſi Romam unquàm adiit Petrus. **Tempus Converſionis Paulinæ.**

Aliis itaque cenſetur converſus Saulus Anno à Paſſione proximo, Æræ Vulg. XXXIV. qui Baronio eſt XXXVI. confundenti Æram utramque Vulgar. & Veram; Aliis, Anno XXXV. ſecundo à Paſſione, ut Ado, Uſuardus, &c. & quoque Clariſſ. Pearſonus, in Annal. Paulinis, ſcil. Tiberii XXII. Aliis, Tiberii XXIII. ſeu ultimo, ut quoque Euſebius in *Chron.*

 Ludov.

Digitized by Google

Ludov. Capello & aliis, ſignatur Annus Æræ Vulg. XXXVIII. Caligulæ II. id eſt, à Paſſione quintus: Aliis tandem placuit converſum demùm fuiſſe Saulum Anno à Paſſ. *ſexto* vel etiam *ſeptimo*, Caligulæ III. vel IV. ſeu ultimo, Æræ Vulg. XXXIX. vel etiam XL. ex Hippolyto, Euodio, nec abludente Henr. Valeſio Notis in *Libr.* II. Euſebii, *Cap.* I. Quâ de re extat noſtra Diſſertatio, de Ærâ Converſionis Paulinæ, quæ poſtremæ ſententiæ accedit. Auctor verò Chronici Alexandrini, ſeu Paſchalis, rejecit Converſionem Pauli in Annum Claudii II. Chriſti XLII. ſed μεταχρονισμῷ evidente.

Itinera Pauli Hieroſolym. quatuor. Eorum tempus.

Equidem profectio *prima* Hieroſolymitana, quæ contigit *triennio* à Converſione, *Gal.* I. 18. eadem eſt de quâ *Actor.* IX. 26. incidens in Annum Claudii Imper. III. Claudio Aug. & L. Vitellio Coſſ. Quod & Chronicon Alexandrinum rectè notat, à ſe jam diſſidens, & *optimè concludi ex Lucæ Hiſtoriâ*, rectè Valeſius. Quo fit ut Converſio Sauli præceſſerit Caligulæ IV. ſeu ultimo. Excepit hinc profectio *altera*, poſt *annum unum* moræ Antiochenæ, ſocio Barnabâ, *Act.* XI. 25. 26. 30. cum delato ad fratres ſubſidio, paulo antè mortem Herodis Agrippæ, quæ incidit in Claudii Imperat. annum IV. Chriſt. XLIV. ex Joſepho, & Euſebio. Hinc nulla in hoc itinere Hieroſolymitano cum Apoſtolis collatio, ſæviente tùm Herodianâ perſecutione, undè hac de profectione ſilentium in *Epiſt.* ad Galatas. *Tertia* Profectio, poſt *quatuordecim* annos, nempè ab eâdem Converſionis Epochâ, ſeu XIV. inchoato, *Gal.* II. I. eſt omninò illa de quâ *Act.* XV. 2. quando utique contulit cum Apoſtolis, & Barnabam comitem habuit. Hinc ad iter *ultimum* Hieroſolymitanum, quando mox in cuſtodiam Cæſareæ traditus eſt, accuſatus coràm Felice, poſteà & coràm ſucceſſore Feſto, Neronis A. VI. Æræ Vulg. LX. vix *ſexennium* alibi ſupputamus, Diſſert. *de Ærâ Converſ.* Paulinæ. Qui verò Concilium Hieroſolymit. conjiciunt in Annum Æræ V. XLIX. Claudii Imp. IX. ut quoque Pearſonus, neceſſe eſt prorogent tempus Paulinorum deinceps itinerum, laborumque. Certè fallit Chronologia Baroniana, Converſionem Pauli referens ad annum XX. Tiberii; qui annus XX. Tiberii (ſaltem XIX.) fuit annus ipſiſſimus Paſſionis & Aſcenſionis Dominicæ, ex conſenſu quoque Valeſii. Gratis etiam Lud. Capellus, XIV. illos annos, *Gal.* II. I. inchoat non à Converſione Pauli, ſed à Paſſione vel Aſſumptione Domini, *App. ad Hiſt. Apoſt.* *p.* 56. Cui tamen præivit Chronicon Alexandr. ad A. Claudii VI. Undè Capellus quoque Concilium Hieroſolymit. habitum cenſet A. Claudii VI. currente, omnibus penè invitis, & repugnante Textu Paulino ad Galatas; ubi Æram ſupputationis figit tempus ſuæ Converſionis, *Gal.* I. 18. II. I. ut quoque Pearſonus multis probat in *Annalibus Paulinis.* Precariò autem Hugo Grotius, ſed & Capellus, legi vellet *Gal.* II. I. ἔπειτα διὰ τεσσάρων *poſt quatuor annos*, loco δεκατεσσάρων, nullâ auctoritate. Uſſerius XIV. annos inchoat non à Converſ. ſed à triennio illo exacto, de quo *Gal.* I. 18. precariò quidem.

De Petri itinere & Epiſcopatu Romano.

III. Altum *ſilentium Lucæ*, & *Hiſtoriæ Sacræ*, & primæ illius Ætatis, de Petri Apoſtoli Oecumenico Pontificatu; De profectione illius Antiochiam versùs, tùm Romam longis itineribus, peragratâ Aſiâ, Macedoniâ, Græciâ, Siciliâ, & Italiæ parte; De utroque Epiſcopatu Antiocheno primùm, tùm Romano; De hujus extenſione ad annos XXV. ab A. Æræ V. XLII. De Actis Petri Romanis, converſione Pudentis Senatoris Rom. amicitiâ initâ cum Philone Judæo, &c. De Sede Pontificiâ ibi erectâ; De Cathedræ Petrinæ initio, olim a. d. XXII. Febr. nunc a. d. XVIII. Januar. De Petri ſociis Martiali, Apollinari, &c. De profectionibus aliis Petri, ex Urbe Româ; De certamine cum Simone Mago; De Succeſſore à Petro inſtituto; de Martyrii Petrini tempore, circumſtantiis, loco, antecedaneis, aut quæ illud proximè exceperint, &c. *Quod tamen* (ità rectè Godavius in *Præf.* ſuæ *Hiſt. Eccleſ.*) *cognoſcere noſtrâ vehementer intererat.* Undè Romæ incerta omnia, quæ quàm certiſſima eſſe oportuit. Nec pugnantes Scriptorum ſententias, & recentiorum divortia à Baronio, & exploſa quæ huic authentica fuêre, enarrare hujus eſt inſtituti. Certè *Recognitionum* Libros, *Itinerarium* Petri, & *Metaphraſtis* commenta, id genus Apocrypha, docti omnes explodunt.

Fabulæ indicia.

Hinc propè eſt ut in Lucam ſtomachentur Pontificii Scriptores, quandoque in Paulum, vel Clementem, qui de iſtis nihil. Quo magis

1. Nihil momentoſius fuit in Hiſt. Eccleſiæ Apoſtolicæ, ſiquidem res ità geſta fuerit ut Romæ traditur. Totîus enim Romanæ Hierarchiæ hæc una baſis eſt, Roma *Petri Sedes*.

2. Quando tot alia habet de Petro Lucas, etiam dudùm poſt Converſionem Pauli, *Act.* X. XI. XII. XV. & quidem illo ipſo tempore geſta, quo Petrus *Antiochiæ* Epiſcopus, vel *Romæ* ſediſſe creditur Pontifex. Nam Baronius, & alii, fundaſſe ſedem *Antiochenam* anno V. à Paſſione, ibi VII. annis futurus Epiſcopus; tùm fundaturus *Rom.* Eccleſiam anno II. Claudii; cujus anno IV. Petrus adhuc in Palæſtinâ fuit, conjiciendus in carcerem, *Act.* XII. Hinc *Epiſcopatus* hoſce Petrinos *rem eſſe admodùm perplexam*, (embarraſſânte) ſcriptor Gallus nuperus, D. T. aliàs *Tillemontius* Notis ad *Petri* hiſtoriam, *Not.* XXV.

3. Quando etiam abſonum videtur, narrare Lucam quandoque minima, & præterire de Petro maxima, quæ fundationem principem Eccleſiarum attingerent; qualia ſunt quæ Romæ obtenduntur.

4. Quando occaſio fuit Lucæ non una memorandi ſuperiora, tùm maximè quum Apoſtolorum deſcribit itinera, quum etiam Paulus Romam venit, Neronis Anno ſive VI. ſive VII. & contulit cum *primoribus Judæorum Act.* XXVIII. 17. ipſo (ut omninò videtur) Lucâ Romæ horum teſte, Petro ubique tacito.

5. Imò quicquid de Petro Lucas, id omne in *Palæſtinâ* geſtum, & quidem poſt illud tempus, quo Romam profectus fingitur, ſcil. poſt annum Claudii Imperatoris *ſecundum*. Nam conjectus Hieroſolymis in carcerem Petrus ab Agrippâ, Ariſtobuli filio, Herodis M. nepote, anno Claudii IV. quo mortuus ipſe Agrippa, teſte Euſebio in *Chron.* & fatente Valeſio *convenire inter omnes*, Notis in *Euſeb. Lib.* II. *Cap.* XVI. Rursùm Petrus Hieroſolymis egit tempore Concilii Apoſtolici *Act.* XV. anno Chriſti minimùm LI. ut vult Baronius, Claudii IX. Veriùs Claudii Anno XIII. non intercedente ipſo Valeſio Veterum illi ſententiæ, quæ Converſionem Pauli conjicit in annum Chriſti XL. ſeptennio à Paſſione, Claudii verò annum I. malim Caligulæ ultimum, ut nos de his aliàs. Hinc ſi *Antiochiam* profectus Petrus, *ſeptennio* illîc futurus Epiſcopus, valdè acciditur Romanus ejus Epiſcopatus; ut vix pauci anni illi ſuperſint, uſque ad ultimum Neronis. Hinc etiam Onuphrius, Petri Epiſcopat. *Antiochenum* poſtponit Epiſcopatui Romano, *Addit.* ad Platinam: Alii (& hæc extrema hodie anchora eſt) veniſſe demum Romam Petrum *ſub Nerone*, ex Lactantio de *Mortib. Perſ.* Sed ne id quidem patiuntur indicia & argumenta alia, ex eodem Lucâ, ex Paulinis Epiſtolis, cumprimis Româ ſcriptis, ex ſilentio Clementis Romani, ex Traditionis origine manifeſtâ ſatis, &c. Extat autem hac de re noſtra *Diſſertatio*, cum prolixo exceptionum atque inſtantiarum examine, etiam Doctiſſ. Pearſoni, in Opere Poſtumo de primis Romæ Epiſcopis. Quanquàm nullo in his contendendi ſtudio ducimur, ſolo hi-

ſtoricæ veritatis, de quâ liberum cuique judicium eſt.

Origo Traditionis. *Epiſcopatum* autem Petri Romanum, eumque per annos XXV. nemo antè Hieronymum tradidit, in Verſione Chronici Euſeb. Quo de annorum numero, uti de reliquis, dicta modò Diſſertatio. Ubi in rei totius originem diligentiùs inquiſitum: Natâ Traditione, ex malè intellectâ *Babylone*, quæ Ægyptia fuit, non Urbs Roma, 1 *Pet*. v. 13. ex errore alio Juſtini Mart. de *Simone* Mago, ut Romæ culto, quod antè eum nemo; ex æmulatione Romanæ Sedis, quum principem Apoſtolorum *Petrum* Hieroſolyma, Cæſarea, Antiochia, Alexandria, Corinthus, Babylon, ſibi vendicarent. Hæc & alia ibi pluribus.

Incerta hujus ætatis. IV. *Defectus Hiſtoriæ Apoſtolicæ*, ubi deſinit Lucas in *Actis*. Undè alicubi Joſephus Scaliger, *à fine Actorum Apoſtolicorum ad tempora Plinii Junioris, nihil certi haberi in Hiſtoriâ Eccleſiæ.* Dionyſius Petavius in *Rationar*. de eodem intervallo, *Pleraque fabulis & incertis narrationibus aſperſa.* H. Dodwellus, Diſſert. 1. in Irenæum p. 76. *Intervallum à Nerone ad Trajanum non adeò fuit rebus Chriſtianor. celebre.* Idem Albertus Miræus, Joh. Launojus, & ingenui quivis in Romanâ Eccleſiâ, de iis quæ Romæ ut certa venditantur. Nec ulla fides Scriptis Apocryphis ſine numero, affictis huic ſeculo, Pſeudo-Euangeliis, Actis, Narrationibus, Revelationibus, Epiſtolis, Liturgiis, Canonibus, &c. Uti nec in ſpecie Actis Martyrum primæ hujus ætatis, ac Legendariis, quæ *fabuloſa eſſe omnia* fatentur cordati quivis, ac ipſe Apocryphis deditus Godavius Epiſcopus, Præf. ad Hiſt. Eccleſ. Suppletur tamen hic defectus utcunque 1. Ex Epiſtolis Paulinis, & Canonicis, ipſâque Apocalypſi Johannis, undè conſtant facta plurima, & variarum Eccleſiarum ſtatus, ſparſæ Hæreſes, motæ Perſecutiones, &c. 2. Ex Joſepho *Antiq. L.* XX. & Libris de *Bello Judaico*; in quibus narrantur plurima, de geſtis ſub Tiberio, Cajo, Claudio, Nerone, de rebus Judæorum, Herodum, Pilati, ſucceſſorum, &c. quæ cum Hiſtoriâ Apoſtolicæ ætatis, & Lucæ ipſius, connexionem quandam habent. 3. Ex Tacito, Suetonio, Plinio ad Trajan. Dione Caſſio, &c. exoticis aliis. 4. Ex Clemente Rom. ex Ignatio, ut multi cenſent, ex Juſtino, Irenæo, Theophilo Antioch. Athenagorâ, Clemente Alex. Tertulliano, Origene, Euſebio cumprimis, &c. In quibus omnibus plurimùm contulit *Euſebius*, ad eruendam Hiſtoriam Apoſtolicæ ætatis & διαδοχῆς, multaque Veterum ab interitu vindicanda: Summâ certè diligentiâ, & fide non malâ, ſi non pari ſemper judicio, delectu, ordine; aut non pari fide eorum ex quibus ſua excerpſit Euſebius, in Hiſtoriarum prioribus Libris, quorum nempè ſcripta ſuâ adhuc ætate ſupereſſent, ut Clementis, Ignatii, Polycarpi, Papiæ, Polycratis, Quadrati, Hegeſippi, Dionyſii Corinthii, Clementis Alex. Hippolyti, Caji Rom. 5. Ex traditionibus quæ tribuuntur τοῖς αὐτόπταις, ex Papiâ, Quadrato, &c. apud Euſebium, *Lib.* III. C. XXXVIII. XXXIX. L. IV. C. III. &c. Quos inter Joh. Senior, Ariſtion, Simeon Cleopæ, qui poſtremus ad annos CXX. vitam prorogaſſe fertur, & ad Trajani Annum X. Et horum Traditiones vocarunt τῶν Ἀποςόλων διδαχάς, uti διαδοχὴν τῶν Ἀποςόλων τὴν πρώτην extendunt ad Diſcipulos eorum qui fuerant αὐτόπτ., ipſe Euſebius *Hiſt.* L. III. C. XXXVII. Sed in his dubia ſæpè nimis etiam *facta*, vel *dicta*, pro certis & Apoſtolicis venditata fuêre.

De Diſperſione Apoſtolorum. V. *Diſperſio Apoſtolorum* per varias Orbis partes, Euangelio propagando, vel Marco teſte, *Marc.* XVI. 20. Quam Diſperſionem præceſſiſſe illam *Diſcipulorum omnium*, exceptis ſolis Apoſtolis, occaſione Perſecutionis à Saulo excitatæ, habet Lucas *Act.* VIII. 1. Cur verò *Apoſtoli omnes* & *ſoli* Hieroſolymis remanſerint, ſæviente eâ Perſecutione, referunt ex incertâ admodum traditione, Euſebius, *Hiſt.* L. V. C. XVIII. tum Clemens Alexandrinus L. I. *Strom.* Scilicet, quod præcepiſſet illis Dominus, ne ante XII. *annum* ab Aſcenſione Hieroſolymis excederent, μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ. Quæ traditio pari loco habenda, quâ id genus innumeræ, etiam de hac ipsâ Diſperſione, ex Apocryphis ſcriptis petitæ; qualiter hæc ex Libro qui inſcriptus Κήρυγμα ſive *Prædicatio Petri*, de quo paſſim Veteres.

Quicquid ejus ſit, Diſperſionis Apoſtolorum, qualis poſteà contigit, conſiderari hiſtoricè poſſunt:

1. *Tempus*, vulgò creditum (Baronio & ſequacibus) illud ipſum quo Herodes Agrippa *Jacobum* Zebedæi gladio ſuſtulit, *Petrum* verò conjecit in vincula *Act.* XII. ſcil. anno Chriſti XLIV. Claudii II. ut putat Annalium ſcriptor; quum tamen fuerit is annus Claudii IV. Agrippæ ultimus, conſentiente Valeſio. Hinc nata traditio eſt, Apoſtolos, habitâ *Synodo*, ut perſecutionem fugerent, Provincias Orbis peragrandi inter ſe diviſiſſe, & *ſorte* quidem. Cujus Pſeudo-Synodi origo Apocryphis ſcriptis debetur, inter quæ eſt *Hiſtoria Prochori*, in quâ *Johannes* Apoſtolus hac ſorte minimè contentus fuiſſe perhibetur. Petrus autem, in eâ ſortitione, nactus eſſe dicitur Occidentem, & Urbem Romam Caput Orbis. Quæ *Romæ* jactitata ſunt à tempore Leonis I. quando Primatum in omnes Occidentis Eccleſias Romanus affectavit. Adjicit poſteà Metaphraſtes videndus apud Surium, Petri *imaginaria itinera*, ut rectè nuper ſcriptor Hiſt. Eccleſiaſt. Pontificius. Sed horum nihil apud Lucam, imò neque apud Clementem in 1. ad Corinthios, ubi is de laboribus Petri. Quin ex *Actis* conſtat, Apoſtolos aliquot poſt annis egiſſe adhuc in Palæſtina, & Hieroſolymis, ubi coïvêre in Concilium, anno (ut volunt ipſi) Claudii IX. A quo demùm à ſe invicem ſeparati, teſte Chron. Alexandrino, ad A. Claudii VI. Olymp. CCVI. ubi Apoſtolos ſcripſiſſe Epiſtolam ad Antiochenos, *Act.* XV. imò Catholicas ſuas Epiſtolas, uti Matthæus ſuum Hieroſolymis Euangelium, πρὸ τῆς διασπορᾶς αὐτῶν *antè ſuam diſperſionem*.

2. Diſperſionis Apoſtolorum *antecedanea*, v. gr. Euangelium jam prædicatum *Gentibus* longè latéque, quarum primitiæ Cornelius, cum familiâ universâ, *Act.* X. Quo ſenſu Petrus primus *aperuit* Regnum Cœlorum *Clavibus* Miniſterii Euangelici, ut Judæis *Act.* II. ſic Gentilibus, quod confirmat *Act.* XV. 7. Tum apertum idem τοῖς Ἕλλησι (vel Ἑλληνιςαῖς) in Urbe Antiochenâ, *Act.* XI. 19. 20. hinc per Barnabam, Saulum, & ſocios, ut eſt *Act.* XI. XIII. XIV. XV. Sic plurimorum ex LXX. Diſcip. facta jam fuerat diſperſio, in Samariam, Syriam, vicina loca, indè à Stephani cæde, *Act.* VIII. 1. quod & multis Euſebius *Hiſt. Eccleſ. Lib.* II. *Cap.* III. Ità *Chriſtianorum* nomen jam adoptatum in Eccleſiâ Antiochenâ, *Act.* XI. 26. Ut mittamus alia, ſeu hiſtorica ex Joſepho, & Euſebio *Lib.* II. ſeu commentitia ex Apocryphis, quorum ampliſſima ſeges eſt, de quibus locis ſuis, & *Cap.* ult. ad hoc Secul.

3. *Symbolum Apoſtolicum* eâ occaſione, (ut ex Ambroſio, Hieronymo, Ruffino, Iſidoro, referunt) immediatè ab Apoſtolis cuſum. Nempè tanquàm σύμβολον *teſſera* quædam communis doctrinæ ὁμοδοξίας, in eâ deinceps locorum diviſione; aut tanquàm συμβολὴ & *collatio* Articulorum fidei, per ſingulos Apoſtolos facta. Addunt cauſam aliam, quod tum ex *Judæis* plures Chriſti ſeſe Apoſtolos ſimularent, undè hoc Symbolo veri Apoſtoli diſtinguendi fuerint, & ità Juſtinus citatus Baronio ad Annum XLIV. Num. XVI. Sed traditionis vanitatem ar- De Symboli Apoſtolici origine.

Digitized by Google

arguunt, 1. Silentium *Lucæ* in Actis Apoſtolicis, qui aliàs Herodianam perſecutionem, diſperſionem Diſcipulorum, Concilia Apoſtolica, & alia, memorat. 2. Silentium omnium Vetuſtiorum, τ̃ ἐν γνησίοις, *Juſtini Martyris*, *Irenæi*, *Clementis Alex. Origenis*, *Tertulliani*, *Euſebii*, *Hilarii*, *Cyrilli Hieroſ.* &c. *quatuor* ferè primis à Chriſto nato Seculis. 3. Alia *Symbola* in Eccleſiis Orientalibus primitùs uſurpata, terminanda ea in Articulo de *Spiritu S.* Alia quoque in Conciliis Oecumenicis, ut Nicæno, Conſtantinopolitano, condita atque ſancita, & ab Epheſinis, ac Chalcedonenſibus confirmata; *Apoſtolici* nullâ omnium mentione. 4. Hypotheſes falſæ quibus hæc fabella nititur: Seu à nomine *Symboli Apoſtolici*, quaſi συμβολὴ *collatio* quædam fuerit, ut reddit quoque Pſeudo-Clemens in *Epiſt.* ad Jacobum; ſeu ab Articulorum numero *duodenario*; ſeu ab uſu illius Symboli, recitandi ſcilicet ante *Baptiſmum* Apoſtolicum, quod factum ſanè tempore Ambroſii vel Auguſtini. Locus, quem ut ex Auguſtino citat Annalium Scriptor, probaturus *ſingulos* Apoſtolos *ſententiam* ſuam contuliſſe, *Petrus dixit, Credo in Deum Patrem*, &c. deſumptus eſt ex Sermonibus de Tempore, & Sermone quidem CXV. quem inter *ſuppoſitos* Auguſtino, etiam Editores nuperi Benedictini retulerunt. Ut taceam ſucceſſiva hujus Symboli, ad fidem in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. additamenta, occaſione Hæreſium ſubnaſcentium, Cerinthianorum, Gnoſticorum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Montani, &c. Et hinc Symbolum *Apoſtolicum* nuncupatum, quia contineret doctrinam *Apoſtolicam*, quam Hæreſes illæ oppugnarent, cujus doctrinæ ſumma & compendium eſſet. Plura videſis apud Jac. Uſſerium, vel Gerh. J. Voſſium, Diſſertationibus *de Symbolis*.

De locis diſperſionis, & itineribus Apoſtol.

4. *Loca* in quæ iidem diſperſi; ubi certa à dubiis, vera à fabuloſis, quæ propè infinita ſunt, diſtinguenda.

Certum, diſperſos omninò fuiſſe Apoſtolos, & eorum cooperarios *Euangeliſtas*, vel qui è LXX. Diſcipulorum numero ſuperfuêre, per nobiliſſimas partes Romani Imperii, etiam in Provincias Barbaricas, ex Euſebio, prædicente & Chriſto, *Matth.* XXIV. *Marc.* XIII. 10. Ut tamen neque in *Americam*, Orbem iis ignotum, ſed & iiſdem ſanè eo tempore inacceſſum; neque in *Africam* Meridionalem, Idololatricam in hunc diem; neque ad Auſtrales incognitos, vel ad Groenlandos, aut Pygmæos; neque in *Inſulas* innumeras Maris Barbarici, Chinenſis, Indici, Atlantici, Hyperborei, &c. pervenerint. Ac ſupervacua hac de re Diſſertatio videri poſſit, quum ſi quæ affirmans ſententia ſit, de delatis Apoſtolis v. gr. in Americam, aut in extremas Orbis partes, cùm paucorum ea ſit, & fabellis nixa, aut inanibus conjecturis, tùm nata ex torto huc mandato Chriſti *Marc.* XVI. 15. 20. & Paulino effato, *Col.* I. 6. 23. quæ à Theologis vindicantur ubi de Vocatione Univerſali. Nihil tale Euſebius Hiſt. *Lib.* II. C. III. nec Veteres, ne ipſe quidem Nicephorus fabellarum inſignis propola, ubi iſte de Andreâ, Thomâ, Simone Cananæo, Matthæo, *Lib.* II. C. XXXIX. XL. XLI. Quanquàm ad *Anthropophagorum* regionem, ſeu quæ τ̃ Ἀνθρωποφάγων ὠνόμασαι, deducat, Andream & Matthæum, Thomam etiam εἰς τὴν Ταπροβάνην, nullo teſte, fabellis aliis admixtis.

Certum quoque eſt v. gr. *Paulum* Apoſtolum prædicâſſe indè ab urbe Hieroſolymâ, uſque in extremam Illyridem, & in Italiam, *Rom.* XV. 19. *Jacobum* utrumque, fratrem Johannis, & Domini illum, docuiſſe Hieroſolymis, hunc vulgò Hieroſolymorum Epiſcopum, ſed incertiore Epochâ apud Euſebium in *Chron.* nempè A. à Paſſione Dominicâ proximo: Sic prædicaſſe *Johannem* in Judæâ, & in Aſiâ Minore, Epheſi (ut vulgò, & ex Origene Euſebius, *Lib.* III. C. I.) mortuum: *Petrum* quoque prædicaſſe Judæis, poſteà & Antiochenis, viciniſque Syris, (an etiam Aſianis, Bithyniis, Galatis, Cappadocibus, quicquid Hieronymus, & Epiphaniut tradans, non ità certum) omninò & Ægyptiis, ac Babylone Ægypti, (ut aliàs à me demonſtratum) comite hujus *Marco*, I *Petr.* V. 13. Quem Marcum indè ab anno Claudii Imperatoris III. in *Ægypto* ſedem fixiſſe, refert Euſebius in Chronico, & Veteres paſſim, Chronicon Alexandr. ab A. Caligulæ III. Eutychius in Originibus Alexandr. ab A. Claudii IX. Nicephorus, *Tiberio* adhuc *imperante*, Hiſt. L. II. C. XLIII. quod & Ritualia Græcorum. Sanè Faſti Siculi, id eſt, Chronicon Alex. dùm referunt ad A. Tiberii XVIII. *Romæ Petrum*, *Alexandriæ Marcum*, &c. χειροτονηθέντας Ἐπισκόπους, non dicunt factum eo anno, quod vult Seldenus, Comment. ad Eutychium, p. 2. Sed per πρόληψιν memorant, præmiſſâ electione Diaconorum VII. quæ electio non facta antè Tiberii XX. vel XXI. Sed de Marco nos alibi.

Quæ incerta.

Incerta magis ſunt (vel fatente de multis Baronio) v. gr. quæ ex Origene refert idem Euſebius *Hiſt. Lib.* III. *Cap.* I. Clemens in Recognitionibus, Martyrolog. Romanum, Acta Thomæ, Andreæ, &c. Metaphraſtes, Nicephorus *Hiſt. Lib.* II. & quæ Dorotheo, Sophronio, Iſidoro, Veterum aliis tribuuntur: Ex. gr. *Thomam* ſortitum eſſe Æthiopiam, Parthiam, Indiam, multis inibi hodieque de Thomâ fabulis, apud Orientalis Indiæ modernos Deſcriptores: Confuſo nempè cum *Thomis* aliis de quibus Theodoretus, in Hæret. Fab. & rerum Indicar. Scriptores Jeſuitæ. Sic *Andream* ſortitum eſſe Scythiam, Thraciam, Byzantium, Moſcovitis eum hodieque jactantibus ſuæ authorem fidei: Sic *Matthæo* obtigiſſe Æthiopiam, Abyſſinorum Apoſtolo; *Judæ Thaddæo* Syriam, Meſopotamiam, Armeniam, Armenorum hodieque *parenti*; *Bartholomæo* quoque Indiam, ubi Matthæi Euangelium Hebraicis literis conſcriptum reliquerit, referente Euſebio *Lib.* V. C. X. Sic *Philippo* Apoſtolo Iſidorus Hiſpaniam, Galliam alii, Britanniam, Baronius Galatiam, Phygiam, &c. adſcripſêre; *Simoni Cannæo* vel Cananæo, aliàs Zelotæ, & Simoni Judæ, (de quo tacent Origenes, Euſebius, Veterum alii) hi Perſidem, alii Africam, plures Britanniam, prædicando Euangelio, tribuerunt; *Matthiæ* quoque Apoſtolo, Æthiopiam. Diſcrepantes ſententias exhibebit ipſe Baronius, cùm Annal. Tomo I. tum Notis in Martyrolog. ad cujuſque diem. Tacemus *Paulum*, iiſdem auctoribus, delatum in Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, &c. de quo fuſè Uſſerius *Antiq. Brit.* C. I. & Stillingfleetius noviſſimè Originum Britannicar. C. I.

Multo magis incerta ſunt, quæ de ſuſceptis laboribus, & itineribus, hinc Epiſcopatibus, ab Apoſtolorum Diſcipulis & συνεργοῖς tradunt. Sic *Barnabam*, de quo in Actis, Romam deferunt ante Petrum & Marcum, hinc Mediolanum, cujus Epiſcopus fuerit; de quo dubitant doctiores, & in vetere *Catal.* Epiſcoporum Mediolanenſium, apud Mabillonum Itin. Ital. P. I. *Barnabæ* nomen præmiſſum manu recentiſſimâ. *Lucam* etiam deducunt in Gallias, cum *Creſcente*, *Trophimo*, & reliquis Gallorum vulgò Apoſtolis; *Epænetum* Carthaginem; *Ariſtobulum* in Britanniam, cum *Joſepho Arimathæenſi*, & XII. Philippi Diſcipulis; *Tychicum* Chalcedonem; *Narciſſum* Patras; *Clementem* Metas; *Apollinarem* Ravennam; *Linum* Veſuntionem, &c. Quorum pleraque ex dubiis teſtibus & ex adſcriptâ Dorotheo Tyriorum Epiſcopo, & Martyre ſub Diocletiano, *Synopſi de Vitâ & Morte Prophetarum*, *Apoſtolorum*, &c. pluribus refert Baronius, & Blondellus noſter caſti-

Digitized by Google

caſtigatis erroribus Dorothei, in Apologiâ pro Hieronymo, *Sect.* III. §. III. IV. & alii: Integrum verò Fragmentum Græcum Dorothei, deſcriptum ex duobus Codd. MSS. ab Henr. Dodwello, Viro in his literis ſummo, exhibet in Hiſtoriâ Literariâ Guil. Cave, Vir Clar. ad Annum CCCIII.

Quæ fabuloſa omnino. Sed verò non in *incertis* modò habenda ſunt & dubiis, verùm planè in ordine τῶν ἀποκρύφων, releganda ad Græcorum & Monachorum, quandoque Hæreticorum, fabulas, quæ de variis *Apoſtolorum*, ac Virorum *Euangelicorum* & *Apoſtolicorum* profectionibus paſſim tradiderunt, & quibus, ut Martyrologia, Beda, Uſuardus, Freculphus, &c. ſic Baronius, nec pauci alii Recentiorum, Hiſtoriam Eccleſiæ fœdant. Plerique ut Hypotheſibus ſerviant, & Traditionibus Veterum addant auctoritatem, in rem ſuam. Undè nec hujus inſtituti eſt Menologiorum, Legendariorum, & Pſeudo-Actorum fabellas, vel Pſeudo-Clementis, Pſeudo-Prochori, Pſeudo-Dorothei, Pſeudo-Dextri, aut Oroſii, Venantii Fortunati, Metaphraſtis, Nicephori, Vincentii Bellovacenſis &c. illas, hoc loco recenſere. Cumprimis modum

De Petro, Apoſt. Commenta. exceſſerunt commenta de tribus Apoſtolorum principibus, *Petro*, *Johanne*, *Jacobo*. Nec *Petrus* Romam tantum deducendus, ut ſuprà, peragratâ omni Aſiâ, Macedoniâ, Græciâ, Siciliâ; verùm etiam in Hiſpaniam, Africam, & hujus caput Carthaginem, Ægyptum, Thebaida, poſteà & Mediolanum, & in Britanniam ipſam, ubi diu egerit, Romam reverſurus Anno Neronis XII. Nempè ut totius Orbis cura, omniumque Eccleſiarum principum fundatio, Petro principi Apoſtolorum tribueretur, hinc in eas jura cùm Petri, tùm Succeſſorum. Videnda illa itinera Petri, ex Metaphraſtâ, apud Surium XXIX. *Junii*. Sed pudet næniarum quicquid eſt ingenuæ & eruditæ turbæ, in ipſo Papatu, quandoque Baronium.

De Johanne Apoſt. *De Johanne* nihilo inſulſiores fabellæ ſunt. Ex. gr. Prædicaſſe eundem non modò Parthis, ſed & Indis, confirmante Baronio ex literis *Apoſtolicorum virorum è Societate Jeſu*, Notis ad Martyrol. XXVII. *Decemb.* Mariam Virg. quam translatam volunt A. Chr. XLVIII. Epheſi aliquamdiu Johannis contubernio uſam: Sic Romæ in ferventis olei dolium conjectum Johannem, antè Portam Latinam, ſub Domitiano, undè illæſus in Pathmum Inſulam relegandus fuerit; quod ſanè alicubi Tertullianus, Libro de Præſcript. ex eo Hieronymus, & Pſeudo-Acta, ac Martyrologia, hinc *ab omnibus recipi* dixit Baronius. Inſulſiſſima alia, quæ de ejus Immortalitate, ad Cœlos in Carne tranſitu, vitâ productâ ad annum ætatis CXX. &c. fabulati ſunt; qua de re adeundus erit Baronius ad A. CI.

De Jacobo Maj. Zebedæi filio. Nihilo abſurdiora ſnut quæ illi de *Jacobi Zebedæi*, gladio percuſſi ab Herode A. Claudii IV. profectione præviâ in Hiſpaniam, & factis ibi fundationibus, nempè ſtatim à morte Stephani, quando ſanè *diſperſos omnes* teſtatur Lucas *Act.* VIII. I. Sed hac additâ limitatione, I. nonniſi per *Urbes Judææ*, & *Samariæ*. 2. πλὴν τῶν Ἀποςόλων *exceptis Apoſtolis*. Putidiſſimæ tamen Hiſpanorum fabulæ (ex vulgò inſcriptis Hieronymo in Martyrologio Rom. Venantio Fortunato, Iſidoro Hiſpal. Flavio Lucio Dextro Hiſpano, Maximo Cæſaraugustano, Bedâ in Collectaneis, Leone III. Pontifice, apud Baronium in Notis ad Martyrol. XXV. *Julii*, &c.) addunt fidem & auctoritatem, qui inſcribitur Turpinus de Vitâ Caroli M. Calliſtus II. fautor Tranſlationis, & Miraculorum Jacobi in Gallæciâ, Mariana de Rebus Hiſp. *Lib.* IV. Sanctius Append. in Acta Apoſtolor. Franc. Bivarius Monachus Ciſterc. Commentario in Pſeudo-Dextrum, & qui ſunt ejus farinæ plures. Imò occaſione itineris Hiſpanici, deducendus *Jacobus* iſte fuit in Gallias, in Britanniam, in Hiberniam. Quâ de re, uti de Britannorum Apoſtolis aliis, *Philippo*, *Simone Zelotâ*, *Simone Petro longo tempore in Britannia morato*, *Philippo*, *Ariſtobulo*, *Joſepho Arimathenſi*, &c. fuſè Uſſerius in Primordiis Eccleſiar. Britannicar. ex memoratis antè Scriptoribus, tùm & Reverendiſſ. Stellingfleetius, in Originibus Britannicis, *Cap.* I.

Tacemus τῶν Ἀποςόλων περιόδους, Librum de quo Photius *Cod.* CXIV. complexum acta Petri, Johannis, Andreæ, Thomæ, Pauli, peſſimæ notæ, ipſo Photio referente. Hujuſmodi ſunt de Apoſtolis Commenta, ὡσεὶ νόνις. In quo genere ſunt quæ traduntur de *fundationibus* Apoſtolicis, omnium ferè per *Occidentem* Eccleſiarum, ut ſuæ quiſque auctoritatem Eccleſiæ conciliaret. Sic quæ de Romano certamine Petri cum Simone Mago, ex errore Juſtini Martyris, hinc Irenæi, Tertulliani, Arnobii, ipſe Euſebius, Hieronymus, Ambroſius, Sulpicius, Auguſtinus, ſed ſinguli in circumſtantiis diverſi, imò etiam adverſi, prodiderunt. Quâ de re alibi dicendi locus eſt, & nos pluribus *Diſſert.* Petrum Romæ nunquam fuiſſe *Parte* IV. ubi de *Simonianis* fabulis.

VII. *Conſignatio Librorum Novi Teſtamenti.*

De his ſummatim & hiſtoricè ſequentia obſervantur:

Auctores certi, dubii. I. *Auctores*, qui non ſoli *Apoſtoli*, ſed & *Euangeliſtæ*, quales Marcus & Lucas; quanquàm, apud Tertullianum *contrà Marcionem Lib.* IV. *Cap.* V. Marci Euangelium *Petro*, Lucæ illud *Paulo*, quorum iſti Diſcipuli, adſcriptum fuerit, dùm ſolos *Apoſtolos* Propheticâ auctoritate inſtructos crederent. Omnes verò fuiſſe θεοπνεύστους, ἀναμαρτήτους, etiam in ſcribendâ Hiſtoriâ, ipſum Lucam omnia aſſecutum ἄνωθεν, ἀκριβῶς, cum πληροφορίᾳ, &c. *Luc.* I. I. 3. ſupponimus cum univerſâ Antiquitate: Contrà recentiores Γραφομάχους, quandoque Criticos, qui aut *memoriæ lapſum* impingunt, à quo tamen ſe purgavit Eraſmus, in *Apologiâ* quadam adverſus Monachos Hiſp. aut Lucam quidem *piè ſcripſiſſe*, non tamen *divino afflatu*, quod poſterius Hugo Grotius, in *Voto* pro Pace Eccleſ. Alii verò Auctores *certi*, nec negantibus olim Adverſariis; alii jam olim *dubii*, ut *Epiſtolæ ad Hebræos*, ſic *Canonicarum*, quarum dubia auctoritas, & *Apocalypſeôs*. Hinc Libri Sacri alii ἀναμφίλεκτοι, ἐνδιάθηκοι, ὁμολογούμενοι, alii ἀντιλεγόμενοι *controverſi* apud *Euſeb. Lib.* III. *Cap.* XXV. Quibus adde tertium genus, ſcilicet νόθους *ſpurios*, vel ἀποκρύφους *apocryphos*, quos inter Pſeudo-Euangelia, Pſeudo-Acta, Pſeudo-Epiſtolas, Pſeudo-Apocalypſes, &c. Sed ſumma hodiè conſenſio eſt de genuinis, etiam de Epiſt. Jacobi, Judæ, poſtremis Johannis, & Apocalypſi, quicquid *novis Hæreticis* impingat Pamelius ad dictum locum Tertulliani. Videri poteſt, inter cæteros, Tractatus noſter de *Auctore Epiſtolæ ad Hebræos*, quam à Petro fuiſſe deſignatam, 2 *Pet. Cap.* III. evictum dedimus; laudante noſtrùm hoc Opuſculum, Clariſſ. Dodwello, *Diſſert.* I. in Irenæum, p. 74.

Scriptionis ordo, tempus. II. *Ordo* Scriptionis, inter Euangeliſtas, non unus ſignatur apud Veteres, ſed nec *occaſio* quâ ſcripſerint, nec in quorum gratiam. Gregorius Nazianzenus ſanè, uti tum tradebatur, *Carm.* XXXIII. de Germanis S. Script. Libris: *Matthæum ſcripſiſſe* Hebræis, *Marcum* Italis, *Lucam* Achaiis, *Johannem* verò *cœlos penetrantem Omnibus ſublimiora* tradidiſſe. Lucam omnium primum ſcripſiſſe Euangelium, uti exordium hujus nonnullis perſuaſit, quaſi reſpexerit ad *Apocryphas* antè ſe narrationes, ſic aliis perſuadet contrarium; ſcilicet eum ante πολλοὺς ἀνά-

τάξα-

ταξαμένυς multos adornaſſe, *concinnaſſe* (ut videtur) ſcripto, Hiſtoriam Chriſti, ſaltem iſtud ἐπιχειρήσαντας *tentaſſe*, *aggreſſos* eſſe; καθὼς παρέδωκαν, *ſicut tradiderunt* οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, teſtes à *principio oculati*, quos inter certè Matthæus, qui ſcripto tradiderat, & quidem ἡμῖν *nobis*, veræ Eccleſiæ. Nec reſpici ſtatim ad *Pſeudo-Euangelia*, puta Thomæ, Matthiæ, Cerinthi, Nazaræorum, &c. vel probat vox media ἐπεχείρησαν, tum quod fuerint διηγήσεις περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, & quidem ſicut tradiderunt οἱ αὐτόπται. Ergò primus ſcripſit *Matthæus* Apoſtolus, omnium conſenſione Veterum, etiam Codicum, idem qui Λευὶς, pro quo legendum quidam ſuſpicati Λεββαῖος. Quâ verò occaſione, & quo præciſè *anno*, determinari nequit; unde ingenuè Valeſius ad Euſebii L. v. C. viii. *de Sacrorum Euangeliorum ſcriptione*, *nihil ferè certi habemus*, *niſi quatuor tantum eſſe*, *& à quatuor Auctoribus ſcripta*. Aliis verò creditur ſcripſiſſe Matthæus, anno à Paſſ. vii. vel viii. & ſic in antiquiſſimis Codd. MSS. nec tamen iis primæ ætatis: Aliis anno à Paſſ. xv. antè Concilium Hieroſolymit. & ſic Nicephorus, & quidem ex mandato Apoſtolorum, ut *Epiph. Hær.* li. Chronicon Alexandrinum ſcripſiſſe Matthæum Hieroſolymis, antè *diſperſionem Apoſtolor.* quam malè refert (utpote poſteriorem illi ipſi Concilio Apoſtol. *Act.* xv.) ad A. Claudii vi. id eſt, Æræ Dionyſ. xxxix. Caji Imp. iii. quo anno Petrus ad Cornelium venit, vel anno proximè ſequente, uti Claudii iv. Agrippæ ult. conjectus ille in carcerem fuit. Irenæus verò *Lib.* iii. C. i. ſeriorem Epocham hujus ſcripti Euangelii ſtatuit, nempè *quum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent*, ergo ſub Nerone demùm: Quicquid Irenæi verba inflectat in ſuam Hypotheſin Baronius, ſupponens initium prædicationis Romanæ Petri Apoſt. accidiſſe anno Claudii ii. & hunc componit cum A. Chriſti xlv. Qui tamen Claudii ii. componitur cum A. Æræ Dionyſianæ xlii. nec *Petrum* tantùm, ſed & *Paulum* jam *Romæ euangelizaſſe*, dixerit Irenæus. Nec ſcribendi Euangelii Matthæo tum adhuc occaſio nata, Apoſtolis diu poſtea adhuc hærentibus in Judæâ, ut viſum. Scripſiſſe autem Matthæum in gratiam *Hebræorum*, qui *Nazaræi* à Judæis reliquis dicerentur, *Act.* xxiv. 5. magna conſenſione Veteres, & in iis non uno loco Euſebius, poſt Papiam, Irenæum, & Origenem. Neque tamen hinc conficitur neceſſariò, ſcripſiſſe *Hebraïcè* vel *Chaldaico Syroque Sermone*, linguâ ſcil. Hieroſolymitanâ, ut iidem crediderunt, & quoque Hieronymus, transferente ſcil. in Græcum aliis *Johanne* Apoſtolo, aliis *Jacobo*, aliis *Barnabâ*; Multo minùs hinc ſequitur, Euangelium illud Hebraïcum, quod jactitarunt Nazaræi Hæretici, & Ebionitæ, & dictum fuit καθ' Ἑβραίους, fuiſſe illud ipſum *Matthæi* authenticum, idemque incorruptum atque intemeratum, quod penes ipſos remanſerit, poſt adornatam Verſionem Græcam, ut *Epiph. Hær.* xxix.

Marcus Euangel. Succeſſit *Marcus*, Matthæi quodammodo Epitomator, quanquam vetuſtiſſimi Codd. Euangeliorum, qualis eſt Cantabrigienſis, *Johannem* ſubnectant Matthæo, habitâ nempè ratione dignitatis Apoſtolicæ. Is verò *Marcus* Euangeliſta, Diſcipulus vulgò Petri, idem omninò videtur cum *Johanne* cognomento *Marco*, ſocio Barnabæ & Pauli, *Act.* xii. 25. & ita quoque Hieronymus in *Epiſt.* ad Philemon. Hinc idem commendatus, Spiritu S. duce, à Lucâ pariter in Actis, & à Paulo non ſemel in Epiſtolis, & à Petro quoque 1 *Pet.* v. ut vir Apoſtolicus eſſe intelligeretur. Epiphanio quidem, unus eſt ex lxx. Diſcipulis, hinc αὐτόπταις, & probant quidam ex verbis Lucæ *Luc.* i. 2. repugnante tamen traditione Papiæ, apud Euſebium *Lib.* iii. C. xxxix. Et inde etiam Irenæus *Lib.* iii. c. i. ſcripſiſſe *Marcum*, *poſt Petri & Pauli exceſſum*, de quo pluribus nos ſpeciali Diſſertatione. Quod Marcum *Petri Interpretem* dixerint, in conſcribendo Euangelio, voluerunt illi non amanuenſem, non tranſlatorem ex Hebræo, ſed eadem Græcè ſcribentem quæ ab ipſo Petro audiviſſet prædicata Hebræis fuiſſe, & ita quoque H. Valeſius. An *ſecundo* Ann. Claudii, vel ut alii iii. aut iv. aut omninò ſerius, & ut videtur in Ægypto, ſcripſerit, non certè Romæ, aliàs à me diſquiritur, ſingulari Diſſertatione. Marco Euangeliſtâ nullus in conſignandis temporibus accuratior, contrà quàm (ex Euſebio & Papiâ) Baronius, ad A. xlv. *Num.* xxx.

Excepit *Lucas* Pauli diſcipulus & comes, profeſſione non *Pictor* ut Nicephorus, natâ fabulâ poſt Iconoduliam introductam, ſed *Medicus Col.* iv. 14. Hic in Achajâ *ſcripſiſſe* Euangelium fertur, circà A. Chr. lviii. ut Baronio, dubium an antè ejus cum Paulo in Urbem iter. Occaſionem ſcriptioni dediſſe *Pſeudo-Euangelia*, ſeu narrationes vel apocryphas, vel dubias, quibus, cum aliis antè ſe αὐτόπταις, ipſe quoque opponit veras & indubitatas, tradunt ſanè Veteres ferè omnes, Origenes, Ambroſius, Epiphanius, citati Baronio, de quo paulo antè dictum. *Acta* verò poſteà ſcripſit Romæ, τὸν δεύτερον λόγον, ſub *finem* Paulinæ cuſtodiæ, in quâ deſinit Hiſtoricus *Act.* xxviii. 16. 30. 31. Pauli in eo itinere perpetuus comes; vel ſcripſit poſtquàm Româ diſceſſerat. Lucas.

Epiſtolarum conſcriptio. Intereà *Epiſtolas Canonicas* ſcripſêre: *Petrus*, primæ ſuæ auctor ad Judæos diſperſos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam; Nec admodùm diu à converſione eorundem, ex collatione *Act.* ii. 9. 10. Hinc vocat ἀρτιγέννητα βρέφη *infantes modò genitos*, 1 *Petr.* ii. 2. ex *ſemine verbi Divini*, quod audierant à Petro, 1 *Pet.* i. 23. & quidem per *reſurrectionem Chriſti* ex mortuis, 1 *Pet.* i. 3. 21. quam annunciarat illis Petrus, *Act.* ii. 24. Ac poſt miſſum è *Cælo Spiritûs S.* Donum, in primâ Pentecoſte 1 *Pet.* i. 12. Annum tamen definire, Chriſti xliv. vel xlv. cum Baronio, vel Hammondo, cujuſdam temeritatis eſt. Nihil tamen intercedit quominùs inter Epiſtolas prima, & antiquiſſima cenſeatur. Alteram dudùm poſt Paulinas ſcripſit, morti proximus, 2 *Pet.* i. 14. iii. 15. Romæ ſcriptam volunt, & Baronius ad A. lxviii. N. iii. ſed precariâ ſuppoſitione, quod *Petrus tum ageret Romæ*, nec ſatis habuerit *Eccleſiæ Romanæ proſpicere*. Tempus planè incertum. Hic annus notatus Baronio, eſt *Æra Dion.* lxvi. Neronis xii. U. C. dccc xix. *Olymp.* ccxi. an. 2. quando Nero (vaticinante ſc. Apollonio Thyanæo) fuit Τελσολυμπιονίκης, & Πυθιονίκης, dilatâ Olympiade in hunc annum, juſſu Neronis, ex Philoſtr. Euſebio, Pauſaniâ. Hinc Gaditani juſſi Εὐαγγέλια θύειν, ut *Philoſtr.* L. v. C. ii. iii. Baronius diverſitatem ſtyli utriuſque Epiſt. de quâ jam Hieronymus, rejicit in diverſitatem Interpretum; prioris *Marcum*, poſterioris *Glauciam* fuiſſe interpretem ex Clem. Alex. L. vii. Strom. Sed de *interpretibus* iſtis *Petri*, aliàs à nobis diſſertatur, Exerc. de Marco Euangel.

Jacobus Apoſtolus, qui idem *frater Domini Gal.* i. 19. (de quo variæ conjecturæ Veterum, ipſius Chryſoſtomi in Ep. ad Galatas, Hieronymi, Epiphanii &c.) id eſt, probabilius, Conſobrinus, ut Theodoretus, & alii, *Mariæ* alterius filius *Matth.* xxvii. 56. quæ τοῦ Ἰακώβου, & filius *Alphæi*, vel *Cleophæ*, חלפי, *Matth.* x. 3. Etiam is *Minor* dictus, diſcriminis ergò à Majori, per Agrippam ſublato, *Marc.* xv. 40. idemque cognomento *Juſtus*; Etiam *Oblias*, voce Arabibus Chriſtianis adhuc ſervata, quæ ſignificet Προεστῶτα, Arab. ابلي Rabinis אבולא; Undè apud Hegeſippum factum Ὠζλίας vel Ὠβλίας, *Euſeb.* L. ii. C. xxiii. apud Photium corruptius, *Cod.* ccxxii. Ἰώβ-λίας, vel Ὠβίλας. Ne dicamus in hanc rem

rem conjecturas Scaligeri, Fulleri, aliorum. Certè in priore ſententiâ me confirmavit literis ſuis Ed. Bernardus V. Clar. Fuit autem Jacobus in magnâ apud Judæos ejus temporis, & Chriſtianos, veneratione, & his, etiam ſine *Petalo*, longè honorabilior ſummo Pontifice. De quo tradidit Hegeſippus, apud Euſebium L. II. C. XXIII. Martyrium ejus ſub Nerone, refertur ad Annum Æræ Vulg. LXII. Neron. VIII. U. Cond. DCCCXIV. in Feſto Paſch. juxtà Martyrol. id eſt, ſeptimanâ Paſchali, Niſan XXI. feria VI. Scripſit is quoque Epiſtolam ad Judæos τ̃ διασπορᾶς, aliquot (ut videtur) antè Martyrium annis, quod Hieroſolymis ſuſtinuit ſub Nerone, faciente Anano Pontifice, apud *Joſeph. Lib.* XX. *Cap.* VIII. Nempè *Feſto* jam mortuo, cui IV. annos tribuit Euſebius, nihil definiente Joſepho; Viris autem Eruditis non plus *biennio* illi tribuentibus. Hunc verò non *Epiſcopum* modò Hieroſolymitanum fuiſſe, ſed verè *Apoſtolum*, unum ex XII. quicquid ſecùs ſentiant, poſt Veterum nonnullos, Walo Meſſalinus, Blondellus, Hammondus, Valeſius, Bollandus, alii, eſt à me diſcuſſum, Diſſert. de *Apoſtolis*, Num. XIII. *& ſeq.*

Paulinæ Epiſtolæ. Dubia quædam. *Paulus* Apoſtolus varias conſcripſit Epiſtolas, vario tempore, tùm ad *Eccleſias* integras, tùm ad *privatos*, quæ XIV. numero, confirmante totâ Antiquitate, præterquàm de Epiſtolâ *ad Hebræos* dubitatum aliquando in Latinâ Eccleſiâ. Sed hanc *Paulo* prolixè alibi vindicavimus, Tractatu noſtro de *Auctore Epiſt. ad Hebræos*, diſcuſſis quæ de Lucâ, Clemente, Barnabâ, alii tradiderunt. Baronius de Epiſt. ad Hebræos fuſè, ad A. LX. Idem *Num.* LVIII. ex Origene, Paulum ad Hebr. XI. multa habere ἄγραφα, ex Judæis, qui *ſervarent illa in arcanis*, & quæ ſuſtuliſſent *à cognitione Populi*. Nempè quia hic mos eſt Rom. Eccleſiæ, in Traditionibus venditandis, uti concinnandis Indicibus, quos Expurgatorios vocant, hinc placuit Origenis conjectura. Sed Paulus omninò reſpexit ad Hiſtorias Vet. Teſt. quæ Judaicæ Gentis perpeſſiones ubique repræſentant, ne dicamus de iis quæ paſſi ſunt Judæi ſub Antiocho Epiph. Sed ratio alia dari poſſet, quia omnes Libri Hebræor. aboliti ſunt ſub Antiocho, ſolo Canone excepto; ut nihil *ſcriptum* antè Antiochi tempora ſuperfuerit Judæis. Indè etiam Joſephus nullum citat; nihil fide dignum refert ex monumentis quæ antè Tyrannum hunc fuiſſent conſignata, extrà Canonicas Scripturas. Inter *Paulinas* primæ omnium ſummâ conſenſione, ſunt Epiſtolæ ad *Theſſalonicenſes*, paulò poſt annunciatum ibi à ſe Euangelium, *Act.* XVII. I. I *Theſſ.* II. 5. 2 *Theſſ.* II. 5. & poſt Annum Chriſti minimùm LIV. Grotius, II. ad *Theſſ.* ſcriptam eſſe ſub *Cajo Calig.* omnium primam, ut explicationi ſuæ faveat de *Antichriſto*. Prima certè Eccleſiarum Macedoniæ credidit Theſſalonica, quam ἀπαρχὰς *primitias*, juxtà Vulgatum, dixit Paulus, 2 *Theſſ.* II. 13. quò & refertur illud *Phil.* IV. 15. Poſtrema omnium eſt *poſterior ad Timotheum*, Româ Epheſum per Tychicum tranſmiſſa, paulò antè Martyrium ſuum, Neronis XIV. 2 *Tim.* IV. 6. 7. ut ſtatim.

Reliquarum *ordinem* chronicum, haud ſemper adeò certum, poſt Theodoretum, alioſque Veterum, paſſim exhibent Chronographi Sacri, & Commentatores in Paulum, & Ludov. Capellus in *Hiſt. Apoſtol.* Pearſonus in *Annalibus Paulinis*, alii. Nos in his quædam caſtigavimus, & tempus ſcriptæ Epiſtolæ ad *Romanos*, Corintho nempè, proximè antè ultimam ſuam in Syriam profectionem, ſcriptæ etiam paulò antè *poſterioris ad Corinthios*, (annis XIV. poſt raptum Paulinum, ab hujus Converſione XIX. Nerone dudùm imperante) notavimus in noſtris de *Æra Converſionis Paulinæ* obſervatis.

Nec hic diſquirendi locus eſt, contrà Salmaſium, priorne ad *Timotheum*, & ad *Titum* illa, ſcriptæ fuerint, antè ſalutatam Romam, invitis pleriſque. Undè verò factum, ut Paulus poſtquam *biennium* Romæ egerat in liberâ cuſtodiâ, indè dimiſſus, Romam reverſus ſit, undè poſtremas Epiſtolas ſcripſit; certè alteram ad *Timoth.* hæc cauſa omninò fuit. Dimiſſus nempè fuerat Paulus, eâ lege ut in *Aſiâ* coràm Accuſatoribus ſuis ſiſteretur, aut Romæ is rursùm ſe ſiſteret, quum antè nulli in ipſum Romam miſſi à Judæis eſſent. Eâ occaſione adiit Corinthum, hinc Troada, Miletum, (niſi legas Μιλήτῳ) Coloſſas, collatis locis, 2 *Tim.* IV. 13. 20. cum *Coloſſ.* IV. 9. *Philem.* 22. Sed apparentibus Hieroſolymâ Judæis, Romam redire coactus fuit, annò (ut videtur) ſequente, ubi conjectus in vincula, ibidemque ultima Pauli certamina, in quibus deſertus à ſuis, in primâ defenſione, 2 *Tim.* II. 9. IV. 16. tandem & oppreſſus, ipſomet prædicente, 2 *Tim.* IV. 6. & expectante coronam in cœlis, *verſ.* 7. 8. 18. Ut rectè II. ad Timotheum ultimò Romæ ſcriptam ſenſerit Pearſonus, cum pleriſque Interpretibus; quam Hammondus referre maluit ad primam detentionem de quâ *Act.* XXVIII. Græci verò à primâ cuſtodiâ Paulum deducunt in *ultimas partes Occidentis*, ſcil. Hiſpaniam, Galliam, Britannias, ex Clementis Epiſt. ad Cor. *pag.* 8. ex Theodoreto ad *Philipp.* I. 25. & Traditionibus dubiis, de quibus *Cap.* præced.

Judas Apoſtolus frater *Jacobi* Minoris, ut & *Simonis* Cleophæ, poſteà Epiſcopi Hieroſolymitani, *Judæ* I. *Matth.* XIII. 55. *Luc.* VI. 16. ille ipſe eſt qui *Thaddæus* Syriacâ Dialecto, etiam *Lebbæus* à Lebbâ urbe Galilææ, appellatus, *Matth.* X. 3. quandoque *Zelotes* Veteribus, etiam *frater Domini*, unus ex XII. quicquid ſecùs alii ſenſerint. Scripſit Epiſtolam ſerò admodùm, poſt *Petri* & *Pauli* noviſſimas ad quas reflectit, *verſ.* 17. 18. collat. cum 2 *Pet.* III. 2. Adeoque poſt Excidium Urbis, & Annum LXX. poſtque natas turpiſſimas Hæreſes, ut Simonis, Menandri, Ebionis, &c. quæ pacem Eccleſiæ turbarent. Niſi impietates illæ inter *Judæos* fuerint, hoc ipſo juſtè à Deo reprobandos. Hinc dubitant Viri Magni, (& ipſe Blondellus, J. Capellus) an Petrus & Judas ad eas *Hæreſes* reſpexerint, quas communi *Gnoſticorum* nomine appellarent, quod cenſet Epiphanius, *Hær.* XXVI. N. XI. & alii. Quicquid Euſebius *Lib.* III. C. XXV. Epiſtolam *Judæ*, ut & *Jacobi*, referat inter ἀντιλεγομένας γραφὰς, dicit tamen ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις *publicè legi* ſolitas, unà *cum reliquis* Epiſtolis, *Lib.* II. C. XXIII. ſub finem. Hinc Tertullianus, Origenes, Laodiceni *Can.* LIX. Cyrillus Hieroſolymit. Athanaſius, Nazianzenus, Ruffinus, Ambroſius, Auguſtinus, &c. pro Authenticis habuerunt. *Grotii* precaria de auctore Epiſt. quæ *Judæ* inſcribitur, conjectura eſt. **Judas Apoſt.**

Johannes Apoſt. Euangel. Epiſtolæ, & Apocal. *Johannes* denique Apoſtolus, Scriptor omnium poſtremus, uti maximè longævus Apoſtolorum, idem omninò qui Johannes *Theologus*, qui etiam ὁ πρεσβύτερος, II. & III. *Joh.* quod nomen ætatis juxtà & honoris fuit. Scripſit is *Euangelium* ex voto Eccleſiarum Aſiæ & Orientis, tùm ut *omiſſa* à reliquis Euangel. *Paſchata* &c. ſuppleret, tùm ut Chriſti *Divinitatem*, & *Incarnat.* contrà Cerinthum & Ebionem, aſſereret. Scripſiſſe id creditur ſub Nervâ, redux ex Pathmo, mortuus III. *Traj.* Prius-ne ſcripſerit *Epiſtolas*, quas itidem *Cerintho* oppoſuit, *primam* potiſſimùm, quæ ejus eſt omnium conſenſione Veterum, nec Irenæus habet, nec Euſebius. Fabula eſt quam refert Auctor Chronici Alex. ex editione Caroli du Freſne, *pag.* 5. Euangelii S. Johannis τὸ ἰδιόχειρον aſſervatum fuiſſe in Epheſiorum Eccleſiâ, ſuo adhuc tempore, quod ibidem προσκυνεῖσθαι ſeu *adoratum* à fidelibus dicit. Secundam Epiſt. quam inſcribit ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, Athanaſius in Synopſi, aut quiſquis eſt, putat inſcriptam fœminæ cui nomen Κυρίας. Citat eandem *Epiſt.* Irenæus, ut Johannis, diſcipuli

puli Chriſti *Lib.* I. C. XII. qui Irenæus unum tantùm Johannem agnovit, qui *Apoſtolus*, & Πρεσβύτερος.

Apocalypſis. *Apocalypſim*, revelatam quanquàm circà ultima *Domitiani*, poſtremò conſignaſſe videri poſſet, morti proximus, *Apoc.* XXII. 20. Canone per eam clauſo, ac velut obſignato, *verſ.* 18. 19. controverſo licèt pridem *auctore*. Hinc inter Latinos Cajus Romanus, apud Euſebium, inter Syros Laodiceni, Canone LIX. inter Græcos Dionyſius Alexandrin. apud Euſeb. L. VII. C. XXV. Greg. Nazianzenus, *Orat.* XXXII. Cyrillus Hieroſolymit. *Catech.* IV. imò pleræque *Græcorum Eccleſiæ* apud Hieronymum, *Epiſt.* ad Dardanum, Apocalypſim non habuêre, ut à Johanne *Apoſt.* profectam. Hinc alii à *Johanne* Presbytero, alii etiam à *Johanne* qui Marcus cognominatur. *Apoſtolum* licet auctorem prodant *Libri* Inſcriptio, Exordium, Argumentum, Eccleſiæ ad quas diriguntur Epiſtolæ, Vaticinia, & prima omnis Antiquitas, indè ab Irenæo, Juſtino, Tertulliano, Origene, Euſebio, Athanaſio, Baſilio, Nyſſeno, Epiphanio, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, &c. *Alogi* ſanè Hæretici, apud Epiphanium *Hær.* LI. Apocalypſin Johannis, hoc etiam nomine repudiabant, quod nullam fuiſſe *Tyatirenſium* Eccleſiam contenderent; ſcil. everſam ſuo tempore, & concuſſam terræmotibus. Sed de his prolixè Docti Commentatores in Apocalypſim.

Lingua N. T. III. *Lingua* quâ libri iidem conſcripti, communiſſima tùm Orbe toto, in Palæſtinâ, Syriâ, Ægypto, Aſiâ minore, & remotiſſimo etiam Oriente, *Græca* ſcilicet, aliis *Helleniſtica*, id eſt, Judæorum ἑλληνιζόντων. Quanquàm dubitatum de *Matthæi* Euangelio: Quod, ſi auctoritatibus agitur, omninò Hebraïcè ſcriptum fuit, nec tamen idem cum Euangelio καθ' Ἑβραίους; ſi autem argumentis ex ipſo Textu, ex Verſione Græcâ plerumque uſurpatâ, & ex traditionum Papianarum ſæpè vanitate, veriùs idem Græcè conſignatum. Dubitatum itidem, ſed ex vaniſſimâ hypotheſi, de *Marci* Euangelio, quod Latinè ſcriptum vellet Annalium ſcriptor; quia in uſum Latinorum. Quum Paulus ad Romanos ſcribens, tamen *Græcè*. Imò in gratiam *Alexandrinorum* Marcus, qui *Græcè* communiter loquebantur, & ità Chryſoſtomus *Homil.* I. in *Matth.* Sed de linguâ qua ſcripta ſunt Euangelia *Matthæi* & *Marci*, alibi diximus, *Diſſert.* de Scriptoribus Hiſt. Euang. Sic de Paulinis ad *Romanos*, & *Hebræos*; deque Catholicis *Jacobi*, *Petri*, *Johannis*, quas poſtremas ex Hebræo quoque in Græcum converſas, ſtatuere videtur Illuſtris Salmaſius. De illâ ad Hebræos, prolixè nos in noſtris de ejus *Auctore* Exercitationibus. Certè Linguæ Græcæ uſus apud Gallos etiam à Maſſilienſibus propagatus, qui Galli ſolerent καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν, ut Strabo Geogr. L. IV. p. 125. Hinc Romanorum γνωριμωτάτοις perſuaſum, Auguſti tempore, ut loco Athenienſis peregrinationis Maſſilienſem amplecterentur, φιλομαθεῖς quum eſſent. Hinc multo plures Romani *Græcè* ſcripſerunt, Æliani & aliorum exemplo, quam Græci *Romanè*. Nec mirum Apoſtolos *Græcè* ſcripſiſſe, familiari Linguæ uſu non modò in Aſiâ utrâque, Ægypto, Africâ, ſed & in Europâ.

Libri Canonici. IV. *Numerum* Librorum, qui nobis ſunt authentici, quod attinet, huc ſpectant;

Libri Novi Teſt. controverſi. 1. Dubia de Libris Novi Teſtamenti, quibus *contradictum* jam olim, Euſebio teſte, & noſtrâ quandoque ætate; ut ſunt *Epiſtolæ ad Hebræos*, *Jacobi*, *Judæ*, poſteriores *Petri* & *Johannis*, & tandem *Apocalypſis*. Sed quo jure prolixiùs alibi exponitur. Ac de his fusè Viri docti, qui ad hos Libros commentati ſunt; & nos, de *Auctore* Epiſt. ad Hebræos.

2. Dubia de *Libris* qui creduntur *excidiſſe*, ut ſunt *Epiſtolæ* variæ Pauli, præter extantes: V. gr. quædam alia ad *Corinthios*, ad *Theſſalonicenſes*, ad *Laodicenos*, quam poſtremam alios *Lucæ* Euangeliſtæ adſcripſiſſe, teſtis eſt Philaſtrius de Hær. C. XLI. Marcionitas verò inſcripſiſſe Epiſt. ad *Laodicenſes*, quæ à Paulo eſſet ad Epheſios ſcripta, auctor eſt Tertullianus, L. V. Contrà Marc. C. XVII. Sed iſta ex falſâ (ut videtur) interpretatione locorum quorundam Paulinorum, in ſpecie *Col.* IV. 16. Quâ de re aliquid diximus, de Auctore Epiſtolæ ad Hebr. *Parte* I. *Cap.* II.

3. Dubia de Libris *nothis*, *apocryphis*, *humanis*, quandoque tamen Canoni à nonnullis Veterum accenſitis, ut ſunt v. gr. Epiſtola *Barnabæ*, Liber *Paſtoris*, Conſtitutiones *Clementis* nomine. De quibus Euſebius *Lib.* III. *Cap.* XXV. & paſſim, & nos infrà *Cap.* XII. & XIV. ubi de Scriptis ſuppoſititiis.

VIII. *Fundatio prima Eccleſiarum in Palæſtinâ, Aſiâ, Africâ, Europâ. Certa ab incertis, & fabuloſis, diſtincta.*

I. PRima omnium fuit *Hieroſolymitana*, ut tempore, ſic dignitate; fundata utpote ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis, illiuſque præſentiâ, concionibus, morte, aſcenſione in Cœlum, miſſione Spiritûs S. *Act.* II. honorata. Ac locus, primæ congregationis Apoſtolicæ fuiſſe dicitur τὸ ὑπερῷον *cœnaculum*, *Act.* I. 13. qualia ὑπερῷα, עליון, & in Templo fuêre, & in Ædibus privatorum, ſeu ἀνώγαια, ἀνώγεα *Luc.* XXII. 12. loca precibus, uſibuſque ſacris deſtinata, & conventibus fidelium, *Act.* II. I. IX. 37. Frequentibus jam in V. T. exemplis, *Jer.* XXXVI. 10. *Dan.* VI. 10. &c. Ibi autem ſtructam fuiſſe *Eccleſiam*, in monte *Sionis*, quæ extaret tempore Hadriani, non ſatis firmatur auctoritate Epiphanii, *Libro* de Ponder. N. XIV. Gubernarunt eam Eccleſiam *Apoſtoli* primò in communi, poſt ſpeciatim *Jacobus* Alphæi, Frater Domini, martyrio ibidem coronatus, vulgò *primus Epiſcopus* Urbis, ex uſu ſequentis ætatis. *Pellam* hæc ipſa dein Eccleſia, versùs τὰ ὄρη, *Matth.* XXIV. 16. in Trans-Jordanicâ, imminente Urbis Excidio, ſingulari providentiâ Numinis tranſlata fuit, apud Euſebium, Epiphanium dicto l. uſque ad Hadriani tempora. Hieroſolymitana Eccleſia.

II. Succeſſerunt Eccleſiæ per *Palæſtinam*, Samariæ, Cæſareæ, Lyddæ, Joppæ, &c. *Act.* VIII. IX X. Tùm in *Syriâ*, Antiochiæ imprimis, & Damaſci: Poſt in vicinâ *Arabiâ*, in quâ Paulus egit aliquamdiu à Converſione, *Gal.* I. 16. 17. Tum in *Cypro* Inſulâ, Tarſi *Ciliciæ*, Pergæ *Pamphiliæ*, Antiochiæ *Piſidiæ*, Iconii *Lycaoniæ*, Lyſtræ *Iſauriæ*, &c. ex *Actis*, Capitibus I. X. XI. XIII. XIV. Sic meminit Petrus I *Pet.* V. Eccleſiæ quæ erat in *Babylone*, nempè Ægypti, ut nos alibi demonſtramus, Diſquiſit. Hiſtoricâ de Petro. Tandem natæ *Eccleſiæ* illuſtriores aliæ, ad quas Paulus, Petrus, & Johannes in Apocalypſi, Epiſtolas divino impulſu ſcripſêre, aut quarum in iiſdem Epiſtolis meminerunt, *fundatæ* maximam partem in *Aſiâ*, *Græciâ*, *Macedoniâ*, *Illyrico*, *Dalmatiâ*, *Latio*, &c. poſt Synodum nempè Hieroſolymitanam, *Act.* XV. & diſperſionem Apoſtolorum, de quâ antè *Cap.* V. Quod verò *Corinthiorum* Eccleſiam *Petri* præſentiâ & inſtitutione, antè illam *Pauli*, fundatam volunt, ex I *Cor.* I. 12. nos alibi diſcutimus, *Diſſert.* de Petro. Huic proximæ ex Hiſtoriâ S.

III. Accedunt *Eccleſiæ* primâ hac Ætate, præter ſuprà dictas, paſſim fundatæ ex Veterum Traditione. Quæ rursùs traditio aut magis *certa*, aut magis *dubia*, quemadmodum antè de *Diſperſione Apoſtolorum* monuimus. Certum fundatas fuiſſe Eccleſias, v. gr. *Alexandriæ* Ægypti, ſic *Babylone*, & in vicino tractu, ſeu *Marco* Euangeliſtâ, ſeu *Petro*, vel Apoſtolorum alio fundatore. Quanquàm nondùm Aliæ ex traditione.

Digitized by Google

dùm *Philonis* tempore, ut putavit Euſebius, qui de *Therapeutis* Judæis, Eſſenorum propagine, non de Chriſtianis agit, in Libro περὶ βίου Θεωρητικοῦ, &c. ut alibi dicimus. An *Africa* reliqua, inprimis Carthago, luce Euangelii, primo hoc Seculo, colluſtrata fuerit, nulla docent monumenta, nulli teſtes, antè *Innocentium* I. Ep. ad Decentium, quâ per *Africam*, *Siciliam*, &c. Eccleſias à *Petro* fundatas eſſe dicit. Ita certum, illatam lucem Euangelii in extremum ferè *Orientem*, ut Meſopotamiam, Chaldæam, Parthiam, &c. Quicquid jam de Eccleſiis in *Indiâ* ulteriore, de *Malabaribus*, imò *Sinenſium* regione, ex Actis *Thomæ* Diſcipuli Manetis (de quo Theodoretus Hæret Fab. *Lib*. I. C. XXVI.) ex Lapidibus & Inſcriptionibus, quas venditarunt Jeſuitæ & Miſſionarii Rom. Eccleſiæ, inſuper fabulentur. An verò in extremum *Occidentem*, uti in *Britanniam* per Joſephum Arimathæum, Paulum, & ſocios; in *Hiſpaniam* per Paulum, in quam proficiſci decreverat, *Rom*. XV. 24. imò & Petrum, in Pſeudo-Flavio Dextro; in *Galliam* per Creſcentem, (ſic enim locum 2 *Tim*. IV. 10. interpretandum eſſe cenſent Epiphanius, Theodoretus) per Lucam, Trophimum, Paulum ipſum; in *Germaniam* per Marcianum, Maternum, Creſcentem, &c. quicquid tradant, non ità certum. Imò pellucent fabulæ, hauſtæ ex Scriptis Apocryphis, de quibus infrà, aut ex Monumentis ſequioris ætatis, ac peſſimè reddito quandoque Textu Sacro. Quomodò apud Paulum, 2 *Tim*. IV. 10. & apud Euſebium *Hiſt. Eccl*. L. III. C. IV. non legendum Γαλλίαν ſed Γαλατίαν, Aſianam nempè, ſeu Gallo-Græciam, rectè obſervarunt Petrus de Marca, Henr. Valeſius, Joh. Launojus, & alii. Quum Galatarum nomen jam amiſiſſent Galli, vel J. Cæſaris tempore; olim licet etiam Galatæ, Celto-Galatæ dicti, quâ de re in Geographicis. Unde cordatioribus, in Galliâ Pontificiâ præcipuè, ſuſpecta omnia quæ de Eccleſiarum *Antiquitatibus*, & *Fundatoribus*, paſſim Baronius, & qui de his ex profeſſo commentati ſunt, ex monumentis & teſtibus planè dubiis, ſi non ex fictione propriâ, quiſque pro ſuo in has & illas Eccleſias affectu. Ingenuè jam Godavius Epiſcopus in *Præf. Plurimi modernorum de Eccleſiarum fundatoribus ſcripſêre, ſed alii excogitatis fabulis, alii ex malâ teſtium fide*, &c. Quò refer paulo antè dicta, de fictitiis Itineribus Apoſtolorum; Et illa Baronii, Allatii, ſimilium, *Petrum* eſſe, qui fundavit *Eccleſias Patriarchales*, nec Antiochenam tantùm, Alexandrinam, Romanam, ſed & primum Epiſcopum *Byzantii*, quæ poſteà Conſtantinopolis, ordinatum eſſe à Petro, quod probat ex Literis Agapeti *Sec*. VI. ad A. XLIV. Idem de præcipuis totius Orbis Eccleſiis Romæ aſſertum, fundatas eſſe a *Petro*, vel per ſe, quum ſcil. Orbem peragraret (ut ſuprà viſum) puta Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, Africam, imò Britannias ipſas, &c. vel per miſſos & delegatos. Videndus præ cæteris inter Pontificios Joh. Launojus de *Pſeudo-Dionyſio* Pariſienſi, cæteriſque *Gallorum Apoſtolis* commentitiis, Gratiano Turonenſi, Trophimo Arelatenſi, Paulo Narbonenſi, Saturnino Toloſano, &c. ſcilicet à Petro vel Clemente miſſis; qui à Gregorio Turonenſi, *Hiſt. Francor*. L. I. C. XXVIII. referuntur ad Decii & Grati Conſulatum, A. CCL. Adde Fabulam de *Mariâ Magdalenâ* cum Marthâ, Marcellâ ancillâ, Lazaro, Maximino, Cidonio, aliiſque *Maſſiliam* Galliæ appellentibus, poſt perſecutionem in Stephanum excitatam A. Chriſti XLIV. Et hos *Provinciæ* Gallicanæ Converſores primos fuiſſe fabulantur, & univerſæ quidem, ac illuſtres, ut Lazarum Epiſcopum Maſſiliens. Maximinum Aquenſis Eccleſiæ, &c. Si teſtes quæris, provocant ad Eccleſiaſticam Traditionem, firmatam auctoritate & Bullis multorum Pontificum; ad fundationem Conventus S. Maximini, ubi Magdalenæ Reliquiæ; ad Antrum S. Balmæ, ubi pœnitentiam egerit Magdalena, hodieque miraculis conſpicuum; ad Flavii Dextri Chronicon, mendoſiſſimas ſanè tabulas, Dextro illi ſuppoſitas; ad veſtigia locorum quæ frequentavit Magdalena, in Provinciâ Phocæenſi; ad Francorum aut Siculorum Regum in hæc loca religionem; ad Acta Sanctorum, &c. & quæ id genus præſidia, digna Monachis, & Jeſuitis. Vide Joh. Bapt. Gueſnæi putidam Diſquiſitionem de Adventu Magdalenæ in Gallias; poſt commenta Petri Equilini, Vincentii Bellovac. Antonini Florent. Ribadeneiræ, aliorumque. Puduit nugarum præfatum Launojum, qui Mar. Magdalenam *Epheſi* ſepultam fuiſſe ex Monumentis Eccleſiaſticis docuit; *Maximinum* verò Aquenſem Epiſcopum, omninò in Martyrologiis Romanis fuiſſe ignotum, antè ſuperius Seculum. Sed fabellis arguendis Volumen vix totum ſufficeret.

IV. *Quatuor* autem ex illis omnibus, à primâ origine habitæ in *primariis*, dein in *Patriarchalibus*: **Primariæ quatuor, quæ dein Patriarchal.**

Hieroſolymitana, ut prima Chriſtianiſmi ſedes, & ob glorioſam ac noviſſimam Chriſti Domini præſentiam, totiuſque Collegii Apoſtolici, ac miſſionem Spiritûs S. Undè hujus Eccleſiæ prærogativas meritò opponunt Græci, etiam hodierni, prærogativæ Romanæ Sedis, quam ipſa ſibi vendicat ſuprà omnes reliquas, à ſuppoſitâ Petri præſentiâ, & morte ſub Nerone; Quæ longè infrà illam Domini, ac Hieroſolymitanæ Eccleſiæ gloriam, ſubſidit. Undè hanc, *Matrem omnium Eccleſiarum* rectè dixerunt Patres Conſtantinopolitani, ſub Theodoſio M. Epiſt. Synodicâ ad Damaſum, & Epiſcopos Romæ congregatos, A. CCCLXXXI. *Matrem Chriſtiani nominis* Juſtinus Imperator, Epiſt. ad Hormiſdam, datâ A. DXX. Et *quod principem locum in univerſali Eccleſia teneat*, & *primatum*, ut Avitus Epiſt. XXIII. &c. Hujus-ne *Jacobus* frater Domini, Ἀδελφόθεος dictus, *Epiſcopus* fuerit ordinatus, ſtricto ſenſu, ſtatim à Paſſione, & *ab Apoſtolis*, quod videtur velle Euſebius in *Chronico*, imò in *Epiſcopalis* dignitatis ornamentum geſtarit πέταλον χρυσοῦν *laminam auream*, ut Baronius ad A. XXXIV. N. CCXCIII. alibi à nobis diſquiritur, Diſſert. de *Apoſtolatu*. *Pontificale Petaſum* dixit Ruffinus, alii *Pileum* expanſum, qui ſi modò rubri coloris, Cardinalem eâ ætate nobis exhiberet.

Antiochena, in quâ primò natum *Chriſtianorum* nomen, in quâ primi Doctores Barnabas, Paulus, *Act*. XI. XIII. poſteà etiam *Petrus*, *Gal*. II. II. ſed nonniſi poſt Concilium Hieroſolymit. Antiochiam delatus, ut faſſus quoque Onuphrius eſt; quicquid fingant de prævio Epiſcopatu Antiocheno, de quo nihil Lucas in Actis. Undè *fundatam à Petro Antiochenam* Eccleſiam cur dixerint Veteres, aut Doctiſſ. Pearſonus *Lectione*. I. in Acta Apoſt. ratio nulla ſubeſt. Quo magis fatetur Pearſon in Annalibus Paulinis ad A. L. *Petrum non adiiſſe Antiochiam ullo tempore, quo in eâ Urbe Paulus fuit, antè Concilium Hieroſolymit*. Sed ſerviunt hypotheſi, Petrum adiiſſe Romam anno Æræ V. XLII. qui Antiochiam eum deducunt A. XXXVI. ejuſdem Æræ, (Baron. A. XXXIX.) ut locus ſit Antiocheno Epiſcopatui. Maximè verò caput extulit ejus Eccleſiæ Antiſtes, in Diœceſi Orientis, non Petri ullo intuitu, ſed quia *caput Orientis* Antiochia: Cui adeò *tertius* poſt Romam & Alexandriam datus eſt in Civilibus & in Præfecturis locus, ob Urbis dignitatem, quæ in Edicto Jul. Cæſ. ἄρχουσα καὶ προκαθημένη τῆς Ἀνατολῆς, hinc ſedem Comitum Orientis, apud Joſeph. Strabonem, Malelam Antiochen. &c.

Romana, minimè certè (ut vulgò dicunt) *omnium Eccleſiarum mater*, quando eam præceſſêre *Hieroſolymitana*, *Palæſtinæ*, *Syriaca*, *Aſiatica*, &c. Minimè etiam à *Petro* Apoſtolo primùm fundata, cujus fundamento noluiſſet ſuperædificare Paulus, *Rom*. XV.

20.21. Pluribus etiam Romæ Chriſtianis jam ſub Tiberio, ſi Tertulliano fides, *Apolog.* C. VI. etiam antè adventum Petri, quem ſub Nerone primùm Romam veniſſe, ex Lactantio, ferè recentiores. Ita Chriſtiani jam Romæ, ubi nondum fuerat Petrus, quando Simonis Magi præſtigiis multi ſeducerentur, ex traditione Veterum, in *Conſtit. Apoſt.* Lib. VI. C. IX. & apud Euſebium *Lib.* II. C. XIV. Aſt verò mox eadem evaſura *Caput* omnium Eccleſiarum, cui tributa τὰ πρωτεῖα, τὰ πρεσβεῖα, ἡ ἐξαίρετος τιμὴ, quia tùm Caput Orbis Romani, ſedes Imperii, & Urbium princeps Vetus *Roma*, ad quam ob *potentiorem* Urbis *principalitatem*, ſic poſteà Irenæus, undequaque confluerent.

Alexandrina denique, fundatore, ut omnes volunt, *Marco Euangeliſtâ*, ſub Claudio Imperatore. Eutychius factum anno Claudii IX. in *Originibus Alex.* Euſebius & ex eo plerique, anno Claudii III. Chronicum Alexandr. & Ritualia Græcorum, anno Tiberii XVIII. anticipato tempore, unde hîc incerta multa. Utque Urbium omnium ac Præfecturarum Romani Imperii *ſecunda* tùm fuit, poſt Romam, Alexandria, ἡ πόλις dicta ἐξόχως, indè quoque factum eſt, ut ſecundum poſt *Romanam* Eccleſiam locum, in Eccleſiaſtico Canone, nacta ſit Alexandrina. Nugantur Baronius, Allatius, alii, qui hunc *Patriarchatuum* Ordinem Petri decreto adſcribunt. Quâ de re nos pluribus in *Diſſert.* de Canone VI. Nicæno, contrà Allatium, Schelſtratium, &c. Quo factum ut *Byzantinam* ſeu Conſtantinopolitanam Eccleſiam à Petro quoque fundatam poſteà dixerint, quod ex Agapeto probare nititur Baronius ad Ann. XLIV. N. XII.

Eccleſiæ aliæ Apoſtolicæ illuſtres.

V. Nec fortè, primâ illâ ætate minùs illuſtres fuêre *Eccleſiæ* aliæ: Cumprimis *Epheſina*, ſeu ſpectamus *Urbis* dignitatem, ſeu *Eccleſiæ* ejus prærogativas, in quâ poſt Paulum, Timotheum, Johannes Apoſtolus ultimo & ſedit, & diem obiit extremum. Ordine temporis præmittimus Eccleſias, ex. gratiâ *Damaſcenam* Syriæ, in quâ Paulus primò prædicavit, *Act.* IX. 19. 20. *Tarſenſem* Ciliciæ, uni mox idem euangelizavit, *Gal.* I. 22. 23. *Salaminenſem* & *Paphenſem* Cypri, *Act.* XIII. 4. 5. 6. *Antiochenam* Piſidiæ, *Pergenſem* Pamphyliæ, *Act.* XIII. 13. 14. *Iconienſem*, *Lyſtrenſem*, *Derbenſem*, Lycaoniæ & Iſauriæ, *Act.* XIV. 3. 6. &c. Secutæ Eccleſiæ celeberrimæ per Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Aſiam, Phrygiam, Myſiam, Macedoniam, Græciam, Achaiam, ex Hiſtoriâ Lucæ Paulini comitis, ſaltem ex quo Troade ſolvit, *Act.* XVI. 10. Eminuiſſe in his conſtat, *Laodicenam* & *Coloſſenſem* Phrygiæ; *Cæſarienſem* Cappadociæ; *Ancyranam* cæteraſque Galatiæ; *Theſſalonicenſem* Macedoniæ, quæ poſtrema fuit omnium prima Paulinis Epiſtolis duabus ſalutata, omnium conſenſione; adde *Athenienſem*, dein *Corinthiacam* Achaiæ, in quâ poſtremâ diu Paulus, *Act.* XVIII. 1. 2. &c. quam ſalutavit Epiſtolâ geminâ, antè poſtremum iter Hieroſolymitanum. Quod verò *Petrum* Apoſtolum Corinthi prædicaſſe ferunt, cùm ibi Apollos verſaretur, antequàm Paulus I. ad Corinthios ſcriberet, nata traditio eſt ex loco 1 *Cor.* I. 12. qui nihil aliud evincit, quàm fuiſſe Corinthi Judæos, qui *Petri* vel *Cephæ* nomen obtenderent, uti alii ſaniores nomen *Chriſti*. Ac miror Clariſſ. Pearſonum hanc *Corinthiacæ* Eccleſiæ per *Petrum fundationem* tanto ſtudio urgere, *Diſſert.* I. de ſucceſſione Epiſcopor. Romanorum, C. VII. nixus ſolâ auctoritate Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi apud Euſebium, *Lib.* II. C. XXV. qui æmulus Eccleſiæ ſuæ *falſus non uno modo eſt*, ut rectè Valeſius. Explodunt ipſi Chryſoſtomus, Theodoretus & Doctiores in Pontificiis. Quâ de re nos in Diſſert. de Petro. Quæ omnes Eccleſiæ Urbium ſplendore, & fide Chriſtianâ, & laboribus Apoſtolicis, ac pleræque Epiſtolicis ſcriptis, ſuprà alias multas eminuêre. Tacemus inclytas Aſianas in Apocalypſeôs Libro, *Cap.* II. III. eo etiam ordine locatas, quem & ſitus Urbium, & dignitas, flagitavit. Nempè poſt *Epheſinam*, à Paulo fundatam, *Act.* XVIII. XIX. apparet *Smyrnenſis*, Aſianæ Provinciæ; *Pergamenſis* Myſiæ, Attalorum quondam ſedes; *Thyatirenſis* Lydiæ, & ipſa Metropolis; quam ſitu *Sardenſis* excepit ad Auſtrum, ejuſdem Lydiæ quondam Regia; hinc *Philadelphenſis* Lydiæ & ipſa, ſub Sardibus; tandem *Laodicena* Phrygiæ Pacatianæ, cui vicinæ *Coloſſenſis* vel *Colaſſenſis*, & *Hierapolitana*, fuerunt.

Nævi earundem.

VI. Porrò dictæ Eccleſiæ, pro talibus certè ætate Apoſtolicâ habitæ, haud caruêre *erroribus*, *ſchiſmatis*, *nævis*, in illâ Eccleſiæ infantiâ. Hinc tot peccata, tùm circà *doctrinam*, tùm circà *praxim*, in ſcriptis Apoſtolicis perſtricta, in Eccleſiis Corinthiorum, Romanorum, Galatarum, Coloſſenſium, &c. Adde Epiſtolas ad Eccleſias Aſianas, in *Apocal.* *Pergamenſem*, *Thiatyrenſem*, *Sardenſem*, *Laodicenam*, in quibus ſingularum vitia, corruptio, ſeductiones, hæreſes, perſtringuntur, quâ de re Scriptores Exegetici: Ne addamus Hiſtoriam ſchiſmatis Antiocheni, de quâ *Actor.* XV. Undè ἐπιεικείας Chriſtianæ, & tolerantiæ mutuæ officium, ubi in *fidei* ſummâ conſenſio eſt, procul opinione ἀναμαρτησίας, & faſtu Novatiano, vel Donatiſtico, prolixè conſtant.

IX. *Forma Eccleſiaſtici Regiminis, & Diſciplinæ Apoſtolicæ.*

De Apoſtolicâ Doctrinâ.

DE Apoſtolicâ *Doctrinâ*, ex ſcriptis Euangelicis & Apoſtolicis, prolixè agunt Magdeburgenſes, Confeſſiones, Theologi. Nec aliundè de eâ Doctrinâ judicium eſſe poteſt quàm ex indubiis *Apoſtolorum Literis*, ſeu ex Verbo Scripto, & iis quæ apud *omnes* Veri nominis Chriſtianos, & *ſemper*, & apertè, atque à principio tradita eſſe conſtat, *nec eſſe à Conciliis inſtituta*, ut pluribus Vincentius in *Commonitorio*: Et cum antè Auguſtinus, contrà Donatiſtas, Libro IV. *de Bapt.* C. XXIV. *Tomo* VII. præeuntibus Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Origene, Athanaſio, reliquis. Conſentiunt omnes in hoc Criterium Apoſtolicæ traditionis: Quæ ſcil. 1. ab ipſis primordiis accepta, 2. Apoſtolicis literis ſcripta, 3. Ab univerſâ Eccleſiâ conſtanter retenta, 4. Non à *Conciliis* aut hominibus primùm inſtituta. Quod ſanè Criterium fruſtrà *Traditionibus* Latinæ Eccleſiæ poſterioris, id eſt, Pontificiis, vel Tridentinis, applicetur, puta Transſubſtantiationi, Miſſæ vero ac proprio Sacrificio, Adorationi Hoſtiæ, Communioni ſub unicâ, Cultui Imaginum, Mariolatriæ, Sanctorum Invocationi, Confeſſioni Auriculari, Indulgentiis Papalibus, Purgatorio, &c. De quibus locis ſuis, ubi de errorum ac ſuperſtitionum iſtarum hiſtoricâ origine dicemus.

Diſciplina, Regimen.

Quoad *Gubernationem* ac *Diſciplinam*, qualis obtinuit in Apoſtolicâ Eccleſiâ, obſerventur modò, ſummatim:

I. *Functiones Sacræ* inſtitutæ à Chriſto & Apoſtolis, ſeu *extraordinariæ*, ſeu *ordinariæ*. Nempè inſtituti,

Apoſtolorum Dignitas.

1. *Duodecim Apoſtoli*, ἀπόστολοι, שליחין, (quales ferè in Synagogis Hebræorum in ſpecie dicti, qui δίδραχμον deferrent à Synagogis ad Templum, aut *miſſi legati*, à ſummo Sacerdote, vel Synedrio) qui eſſent Chriſti legati, miniſtri, pro numero XII. Patriarcharum, φυλάρχων, & XII. Tribuum *Matth.* XIX. 28. & Exploratorum XII. *miſſorum* per Moſem *Num.* XIII. & Gemmarum XII. in Pectorali Summi Pontificis, ad denotandum novum Iſraëlem, ſeu Eccleſiam Novi Teſt. Quanquàm numerus adauctus, Chriſto ſublato, in Paulo Apoſtolo,

nihilo

nihilo inferiore cæteris, *Gal.* II. 9. ſecundùm alios & in Barnabâ, *Act.* XIV. 14. Retinuit tamen hoc Collegium appellationem τ̃ Δώδεκα, ut illa Triumvirûm, Decemvirûm, Septemvirûm, &c. licet numero hæc poſteà adaucta.

Apoſtolorum verò fuit ut ἰσοτιμία, ſic προστασία ſeu cura univerſalis, Eccleſiæ non *unius* ſed *omnium*, *Matth.* XXVIII. 19. 2 *Cor.* XI. 28. Ut non magis cogendi ſint *Apoſtoli* in ordinem *Epiſcoporum* certæ Eccleſiæ, puta Antiochenæ, Romanæ, &c. quàm olim Præfecti Prætorio, aut Vicarii univerſales, in ordinem Rectorum unius Civitatis vel Provinciæ, & οἰκυμενικοὶ in ordinem τοπικῶν. Hinc rectè Doctiſſ. Valeſius, Notis ad Euſebium *Libr.* III. C. XXI. *Irenæum & Euſebium Apoſtolos in ordine Epiſcoporum minimè numerare.*

Ex more igitur ſequentium ætatum iſtud natum eſt, ut Jacobus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, Petrus Antiochenæ primùm, dein Romanæ, Johannes Epheſinæ, Byzantinæ Andreas, &c. *Epiſcopi* audiverint; reſtricti ſinguli ad ſuas ἐπαρχίας, διοικήσεις, & ut interpretatur doctiſſ. Hammondus, ad τόπον τ̃ ἴδιον, *Act.* I. 25. Hinc Bedæ & Latinorum vulgò ſententia, *Apoſtolis* ſucceſſiſſe *Epiſcopos*, quorum formam & munus illi præmonſtrarint. Sed de his fuſè noſtra de *Apoſtolis* & *Apoſtolatu* commentatio, infrà loco ſuo ſubjuncta.

LXX. Diſcipuli.

2. *Diſcipuli* LXX. proximi Apoſtolis munere, auctoritate, donis, *Matth.* X. *Luc.* X. ut LXX. Conſiliarii Moſi olim additi, *Num.* XI. 16. aut LXX. palmæ juxta fontes XII. in Elim, *Ex.* XV. 27. Quamvis Auctor Conſtitut. Clementis, Origenes, & alii multi, numerent LXXII. Diſcipulos, ut LXXII. feruntur Interpretes; Euſebius nonniſi LXX. ſtatuit, *Hiſt.* L. I. C. XII. Quibus accenſent Veteres, nec tamen ſine controverſiâ, *Marcum*, *Lucam*, *Barnabam*, *Philippum* Euangel. *Cepham* reprehenſum à Paulo, Petro cognominem, *Jacobum* fratrem Domini, *Thaddæum* miſſum ad Abgarum, ut videre eſt apud Euſebium, *Hiſt.* Lib. I. C. XII. XIII. Succeſſêre in eum locum celebres in Hiſt. Apoſt. *Timotheus*, *Titus*, *Epaphroditus*, *Soſthenes*, *Silas*, *Sylvanus*, &c. Apoſtolorum συνεργοὶ, μαθηταὶ, ἀκόλουθοι, ſubadjuvæ, Collegæ, & ſuccenturiati, aliàs *Evangeliſtæ* dicti, & *Secundarii Apoſtoli*; Imò quandoque *Apoſtoli* ſimpliciter, ut paſſim apud Veteres, Clementem Alex. Euſebium, Epiphanium, & in Feſtorum Calendariis. *Epiſcopos* verò propriè dictos, hos omnes fuiſſe tradit *Pſeudo-Dorotheus*, Tyri ſcil. Epiſcopus, & Martyr ſub Dioclet. in Tractatu de LXX. Diſcipulis, quem ſecuti alii: Qui hinc *Ananiam* fecit Epiſcopum Damaſci; *Philippum* Diaconum Trallium; *Prochorum* Niomediæ; *Cleopham* Hieroſolymæ; *Silam* & *Apollo*, Corinthi; *Sylvanum* Theſſalonicæ; *Creſcentem* Chalcedonis, quem in Galliis prædicaſſe Epiphanius, & cæteri; *Tychicum* etiam Chalcedonis Bithyniæ; *Titum*, Cretæ Inſulæ; *Timotheum*, poſteà *Phygellum*, *Cajum*, Epheſi; *Johannem Marcum* Bybli; *Clementem* Sardicæ; *Soſthenem* Colophoniadis; *Herodionem*, etiam *Narciſſum* Patrenſium Epiſc. &c. Sic *Zachæum* Cæſareæ Epiſcopum fabulantur, tacente Euſebio Cæſarienſi; imo ſi vis etiam *Cornelium* à Petro baptizatum, *Act.* X. Epiſcopum Cæſareæ, apud Uſuardum, & Martyrologos. Tacemus *Philemonem*, quem Conſtit. Apoſtolicæ, *Lib.* V. C. XLVI. faciunt Epiſcopum Coloſſenſium, Menæa Græcorum, Gazenſium; uti *Oneſimum* Beroenſium Macedoniæ, quem alii Epheſi Epiſcopum dixêre. De quorum vanitate certè plerorumque, videatur (ut alios mittam) David Blondellus, in Cenſurâ hujus Dorothei, *Apolog. pro Hieron.* Sect. III. p. 103. *& ſeq.* Alii verò hos LXX. Diſcip. proximos Apoſtolis munere, chariſmatibus, ablegarunt ad *ſecundi ordinis* Sacerdotium, ſeu ordinem *Presbyterorum*; quæ Bedæ ſententia fuit, non antè eum Ambroſii, Hieronymi, &c. ut fuſè idem Blondellus.

Diaconi Diaconiſſæ.

3. *Diaconi* VII. inſtituti *Act.* VI. qui miniſtrarent, non Sacerdotibus, non Altaribus, ut ſequiori ætate, ſed *menſis*, *pauperibus*, *orphanis*, *viduis*, *ægrotis*. Objectum ergò muneris fuit, miniſterium circà τὰ βιωτικὰ, & cura corporum potius quàm *animorum*. In horum verò nonnullis combinata ἡ διακονία τ̃ τραπεζῶν cum διακονίᾳ τ̃ λόγυ, ut in Philippo & Stephano, *Act.* VI. VIII. Nulla *Diaconatu* inferiora tùm miniſteria fuêre, quod & rectè Doctiſſ. *Pearſonus* (*Lect.* III. *N.* VIII.) obſervavit. Atqui hi, æquè ac Presbyteri, per Impoſitionem manuum ordinati fuêre. Sæpè tamen Διάκονοι de Miniſtris Verbi, adjuncti τοῖς Ἐπισκόποις, non præcisè de *tertio Ordine*, ut cenſet laudatus modò Pearſonus. Sed & fuêre *Diaconiſſæ* fœminæ, ex Apoſtolicâ inſtitutione, 1 *Tim.* V. 9. quas *Ancillas* dixit Plinius, in Epiſt. ad Trajanum, adhibitæ in *Baptiſmo* fœminarum ob pudorem muliebrem, & in pauperum, ægrotorum, incarceratorum, miniſteria; Habitæque ἐν τῷ τάγματι, κανόνι, κλήρῳ, idque per χειροθεσίαν ſeu *ordinationem*, de quâ & non ſemel Tertullianus. Hinc utrumque munus *Diaconorum* & *Diaconiſſarum*, diu reſtrictum fuit in Chriſtianâ Eccleſiâ, ad *analoga* primæ inſtitutioni Miniſteria, ad curam τ̃ βιωτικῶν, creſcentibus Eccleſiæ opibus, facultatibus: Et quatenus pauperum curam gererent, dicti πτωχοτρόφοι, ægrotorum νοσοκόμοι, Senum γεροντοτρόφοι, Peregrinorum ξενοδόχοι, infantum βρεφοτρόφοι, ὀρφανοτρόφοι, &c. ſanè in ſenſu merè miniſteriali. An idem ſit hoc *Diaconorum* munus, ex primævâ inſtitutione, cum illo חזנים *Chazzanitarum*, qui adhibiti ad vilia Synagogæ miniſteria, & quibus cum Eleomoſynis adminiſtrandis, diſtribuendis, aliiſque charitatis officiis (ex præſcripto ſanè Eccleſiæ) peragendis, nihil commune fuit, alibi diſquirendi locus eſt.

Epiſcopi. Presbyteri.

4. *Epiſcopi* in Eccleſiis ſingulis ordinati, ſic dicti fuêre à curâ τ̃ ἐπισκοπῆς, frequenti notione apud τὺς LXX. Ut apud Hebræos עירים *vigiles*, פקידים vel מפקדים præfecti alicui rei, ut *Num.* IV. 16. apud Athenienſes etiam ἐπίσκοποι, id eſt, κατάσκοποι, & φύλακες, vel qui miſſi à Magiſtratu εἰς τὸ ἐπισκέψασθαι *ad inſpicienda* in Urbibus ſingula. Sed & iidem πρεσβύτεροι *Seniores* ab ætate, & gravitate, etiam dignitate, ex more Synagogæ Judaïcæ, in quâ Presbyteri ſummam auctoritatem habuerunt (זקנים) tùm in Politicis, tùm in Eccleſiaſticis. Quo ſenſu Apoſtoli, Petrus, & Johannes, etiam πρεσβύτεροι appellantur. Iidem & ποιμένες *Paſtores* à paſcendi regendique munere; διδάσκαλοι, διάκονοι τ̃ λόγυ *Doctores*, *Miniſtri*, à functione docendi, & miniſtrandi Chriſto; προεστῶτες, ἡγούμενοι, *Præpoſiti*, *Rectores*, à regendi prærogativâ, &c. Quin verò ferè promiſcua fuerint primitùs *Epiſcoporum* & *Presbyterorum* nomina, *Act.* XX. 17. 28. *Tit.* I. 5. 7. etiam munera, 1 *Pet.* V. 1. 2. etiam requiſita, 1 *Tim.* III. 2. 8. ac plures in unâ quandoque Eccleſiâ *Epiſcopi*, ut Hieroſolymitanâ *Heb.* XIII. 17. Philippenſium *Phil.* I. 1. Epheſinâ, *Act.* XX. 28. ſic, in Romanâ ſimul Clemens, Linus, Cletus, &c. multis pro indubio habetur. Mox tamen, natis factionibus, ſchiſmatis, vel iis præcavendis, tum etiam reverentiæ E. ergà ἀπαρχὰς τ̃ Ἀποστόλων, (ad exemplum Synagogæ quæ ſuos *Archiſynagogos* habuit) paulatim unus reliquis συμπρεσβυτέροις præpoſitus eſt, qui ſpecialiter dictus *Epiſcopus*. Quod in majoribus primùm Eccleſiis factum, ut Alexandrinâ, Romanâ, &c. tùm *Orbe toto*, conſuetudine potiùs, & ex inſtituto humano, quam divinâ diſpoſitione, ut Hieronymus Epiſt. *ad Evagr.* & *Comm.* in *Epiſt.* ad Titum. Aliter ſanè Viri Doctiſſimi, in Anglica-

nâ Eccleſiâ innutriti, inprimis Henr. Hammondus, & Henr. Dodwellus, qui (omnium inſtar) *Epiſcopatum* ſuprà Presbyterorum Ordinem, non facti tantum eſſe, aut Juris Eccleſiaſtici, ſed & *Divini Juris*. Hinc multa ad *Hieronymi* præfata loca objiciunt, Romanæ ſcil. E. *Presbyteri*, & qui ſuam dignitatem tueretur contra ſui temporis Diaconos: Sic ſatis eſſe aliter ſenſiſſe Ignatium, & priora Secula; & *toto Orbe decretum fuiſſe*, ut unius ſuperponeretur reliquis: Quin Celeberrimus Pearſonus, *Præl.* v. in Acta Apoſt. ex eo quod ſoli *Apoſtoli* dicantur *impoſuiſſe manus* recens baptizatis, ac contuliſſe Spiritum S. infert hinc ritum *Confirmationis*, cui *Chriſma* ſtatim acceſſerit poſt Apoſtolorum tempora, ad ſolos *Epiſcopos*, ut *Apoſtolorum ſucceſſores*, à primâ illâ ætate, & antiquo jure, pertinuiſſe. Sic Dodwellus, ex formâ Regiminis Eccleſiaſt. ſub Trajano, quam ſupponit fuiſſe ubique Monarchicam, ſeu merè Epiſcopalem, colligit eam *inſtitutam* fuiſſe *ab Apoſtolis*, nec *ipſis invitis* innovari quicquàm potuiſſe, *Diſſert.* 1. in Iren. p. 77. In quibus non unum ἀμφισβητήμενον eſt, nec hîc eſt diſputandi locus.

Presbyteria. 5. *Presbyteria*, ſeu Collegia Epiſcoporum & Presbyterorum in Eccleſiis ſingulis, penes quæ fuit adminiſtratio illarum in communi, *ordinariè* ſcilicet, & abſentibus *Apoſtolis*. Sic dicti Sacri ii Conſeſſus, vel Sacra Conſiſtoria, ad morem Synagogæ veteris, & Græcorum etiam ac Romanorum. Ex his *Presbyteris* (prout diſtincta tùm fuêre chariſmata) alii fuêre præ aliis κοπιῶντες diligenter laborantes in ſermone & doctrinâ, 1 *Tim.* v. 17. qui præ aliis eſſent διδακτικοὶ, & donis ad docendum inſtructi, 1 *Cor.* XII. *Eph.* IV. Alii verò vacantes *functionibus* aliis, inprimis quæ ad cenſuram morum, ad regimem, & diſciplinam attinerent, 1 *Cor.* XII. 28. *Rom.* XII. 8.

Extraordin. functiones. 6. Adhæc *prophetantium*, *interpretantium*, loquentium *linguis*, ἐν ἑτερογλώσσοις, functiones, 1 *Cor.* XII. 28. *Epheſ.* IV. 11. quæ dubium multis an *ordinario*, an *extraordinario* chariſmate? De quibus Commentatores, & qui de his *Chariſmatibus* ex profeſſo commentati. *Prophetare* ſanè quandoque eſt *docere*, ex ſpiritu Prophetico, & ſic olim Prophetarum filii, id eſt, auditores, diſcipuli; quandoque prædicere futura, ut Agabus, filiæ Philippi, &c. nonnunquam Scripturas Propheticas ex ſingulari dono interpretari; quandoque *pſallere*, in hymnos ſacros erumpere, ut 1 *Sam.* x. 5. undè mulier *orans*, aut *prophetans*, 1 *Cor.* XI. 5. niſi Paulus ibi de facto inter Corinthios, cujus rem poſteà emendavit. *Loqui linguis*, ut v. gr. ſi Græcus aliquis ſubitô donaretur facultate loquendi Hebraicè, Arabicè, &c. vel facultate explicandi linguâ vernaculâ, quod alium audiviſſet elocutum linguâ ſibi antè ignotâ. Cl. Dodwellus, *Diſſertationibus* in Iren. *Donum Prophetiæ* communicatum cenſet primo Sec. etiam ſecundo, tertio, omnibus quotquot cooptarentur in *Sacerdotium*, per impoſitionem manuum, idque ex promiſſione Chriſti, *Matth.* XVIII. 20. de ſenſibili φανερώσει Spiritûs S. Hinc factum ut Spiritu Prophetico afflati *Seniores*, eſſent *infallibiles*, ſaltem in rebus *facti* & *hiſtoriæ*, non tamen in ratiociniis, aut explicatione Scripturarum. Et indè derivat Vir Clar. certitudinem Traditionum primâ illâ ætate, quæ in Hermâ, Ignatio, Papiâ, Irenæo, &c. Quamvis in Dogmatis quandoque hallucinati ſint. Quâ de re diximus in *Diſſert.* de Scriptoribus Hiſt. Euangelicæ. Conjuncta hæc porrò in *Apoſtolis* dona & munera fuerunt, quæ in aliis erant ſeparata, undè Paulus, ᾧ μὲν δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ γνώσεως, &c. 1 *Cor.* XII. 8. 9. 10.

Errores Latinorum. 7. Fruſtrà verò ad hanc ætatem Baronins A. C. XLIV. refert ex Pſeudo-Ignatio *Epiſt.* ad *Antiochen.* & tanquàm ex *inſtitutione Apoſtolicâ*, Ordines diu poſt in Eccleſiâ natos, quos *minores* & *miniſtrantes* dixerunt, ut *Subdiaconos*, *Lectores*, *Cantores*, *Oſtiarios*, *Laborantes*, *Exorciſtas*, *Confeſſores*, &c. Reverendiſſ. Pearſon, *Lect. in Acta*, p. 55. *De horum plurimis altum in primævis temporibus ſilentium*; Pag. 60. *neſcivit hæc S. Lucas.* Uſſerius Armach. *Notis in Ep. Ign. ad Antioch.* Hæc *officia à Pſeudo-Clemente, in Apoſtolicis Conſtit. laudata*, *Clementis atque Ignatii temporibus poſteriora fuiſſe* alibi *indicavimus*. Vide eundem Prolegom. ad Clementinarum & Ignatianarum κακοπλασίαν, *pag.* CXV. CXVI. De quorum Ordinum ſucceſſivâ origine, dicitur locis ſuis. Primus inferiorum Ordinum qui obtinuit, fuit *Lectorum* ille, hodieque Ordo infimus apud Orientales. Minùs horum temporum fuêre *Dignitates* Eccleſiaſticæ, Patriarcharum, Primatum, Ἐξαρχῶν, &c. de quarum origine Seculis III. IV. & *ſeq.* Nec rectè Valeſius ad Euſebii *Lib.* VI. C. XLIII. *Presbyterorum* ejus ætatis proprium officium facit, *Euchariſtiam & Calicem fidelibus tradere:* Imò prædicare, invigilare, hortari, benedicere, panem frangere, &c.

II. *Modus vocandi*, *eligendi*, *mittendi* ad functiones ſacras, fuit varius. Modò enim factum *ſorte*, *Act.* I. 26. modò ſuffragio *multitudinis* *Act.* VI. 3. 5. 2 *Cor.* VIII. 19. modò *Apoſtolorum* delectu, cum conſenſu Eccleſiarum, *Act.* XIV. 22. 2 *Tim.* IV. 12. modò per ipſos Apoſtolorum *delegatos*. 1 *Tim.* V. 22. *Tit.* I. 5. At nemo ſine miſſione, vocatione, *Rom.* X. 15. Χειροτονίαν porrò ſic dictam à *manuum extenſione*, (undè χειροτονηταὶ, quibus plures porrigebantur manus) excepit χειροθεσία, *electionem* legitimam *ordinatio*, promiſcuis deinceps vocibus, quâ de re in noſtrâ Diſſertat. *De Impoſit. Manuum.*

Diſciplinæ. III. *Exercitium diſciplinæ*; eô tùm rigidius & ſequente ætate, quod deeſſent Chriſtiani Magiſtratus, ad quos delinquentes, in pœnam ac vindictam ſcelerum, deferrentur. Hinc correctiones, cenſuræ, animadverſiones Apoſtolicæ, *ordinariæ* & *extraordinariæ*, *privatæ* & *publicæ*, *ſpirituales* 1 *Cor.* V. 2. & *corporales* ut in Ananiâ, Sapphirâ, *Act.* V. in Elymâ *Act.* XIII. 2. De *traditione Satanæ*, 1 *Cor.* V. 5. fuerit-ne pœna extraordinaria & corporea, ad deſtructionem *carnis*, ut *ſpiritus* reſipiſceret; An verò ordinaria, & formula quædam ejiciendi ex *communione Eccleſiæ*, *tradendo Satanæ* ut tortori, carnifici, cum objurgatione, & ejectione, ſub judice lis eſt. Certè à Synagogâ mos ille mutuatus, quo dicebantur fieri ἀποσυνάγωγοι, ἀφορίζεσθαι, ἀπεκκλησιάζεσθαι, ἐκβάλλεσθαι, ἐξαρθῆναι, ejici ex Synagogâ, per modum חרם, undè ἀνάθεμα Paulo, & hortatio cum talibus μὴ συναμίγνυσθαι, συνεσθίειν, 1 *Cor.* V. 2. 11. 2 *Theſſ.* III. 14. Finis verò fuit, mortificatio carnis, pudefactio, adductio ad pœnitentiam. Et indè nata ἐξομολόγησις in Eccleſiâ vetere, & rigor Publicæ Pœnitentiæ, de quâ ad ſeq. Secul.

Εὐταξία, Ritus. IV. Huc ſpectant *Conſtitutiones* quæ ad *ordinem* & εὐταξίαν facerent, quales paſſim ſancitæ ab Apoſtolis. Qui ità ordinem præſcripſêre in *communi*, 1 *Cor.* XIV. 43. quandoque etiam hunc & illum in *particulari*, ut ibidem in Corinthiorum Eccleſiâ, 1 *Cor.* XI. XIV. qui multa etiam ſtatuêre de *Ritibus*, *Ceremoniis*, *Agendis* Eccleſiaſticis; ut tamen quantùm ad externa illa, & media naturâ ſuâ, libertatem fecerint Eccleſiis ſtatuendi pro *temporum* & *locorum* circumſtantiis. Intelligebant enim cùm ex ſe *media* eſſe, externa utpotè, in quibus nec Regnum Dei, nec fundamentum, nec ſalus conſiſteret; tùm neceſſariò *variatura*, pro ſtatu Politiarum, Rerumpublicarum, Imperiorum, per quæ diſpergendi eſſent Chriſtianorum greges, quæque diverſiſſimis plerumque legibus, moribus, inſtitutis, regerentur. Hinc deinceps Rituum & Ordinis diverſa ratio, apud Syros, Ægyptios, Æthiopas, Græcos, Romanos, &c. Quâ de re diximus ex profeſſo in

in

Exercitationibus de Variâ Eccleſiarum Politiâ, & illâ de Anglicanis Diſſidiis circà Diſciplinam, Liturgiam, Ritus. Certè Apoſtoli, inter *Judæos* verſati, multa iſtiuſmodi retinuerunt ex Judæorum Diſciplinâ; quoad Congregationes mutuas, vel Collectas, Lectionem Moſis & Prophetarum; Cantus, Hymnos, Conciones habitas, Orandi modum, Horas Canonicas, &c. Ità Petrus & Paulus aſcenderunt in Templum ad horam IX. quæ hora ſacrificii veſpertini; ſic horam III. matutinam, etiam VI. meridianam, ad Judæorum morem, obſervaſſe poſteà Chriſtianos ex Tertulliano, & Cypriano, conſtat, quanquam non omnes nec ubique. Viciſſim inter *Gentes* diſperſi ſeu Apoſtoli, ſeu horum συνεργοὶ, in plurimis ſe accommodarunt Ritibus vel Moribus quibuſdam in ſe mediis, etiam loquendi modis ex Ethnicâ Diſciplinâ: Undè poſteà Chriſtianis familiaris fuit occultatio Myſteriorum, precatio versùs Orientem, Commemorationes Martyrum, Altarium, & Sacerdotum, ac Sacrificii appellationes, dein Suffitus, Cerei, Conſecrationes, Vota, aliaque, de quibus ad ſequentem Ætatem.

Ritus Apoſtol. temporarii. Certè de multis conſtat Apoſtolorum *praxis*, non perindè *mandatum*, aut ſi mandatum non *perpetuum* illud vel *univerſale*, quin habita ratio temporis, loci, occaſionis. Quò referuntur v. gr. *Agapæ Apoſtolicæ*; *Bonorum primitùs communio*; *infirmorum Unctio*; *manuum* frequens *Impoſitio*; *Baptiſmalis immerſio*; *Exorciſmus*; *Cotidiana* & *Veſpertina Communio*; *Plurium* ſimul *prophetantium* conſuetudo; *Sabbati* & *Dominicæ* ſimul obſervatio; *Oſculum pacis*; *Abſtinentia à ſanguine*, *ſuffocato*; *Electionum*, *Collectarum*, *Congregationum*, hic & ille *modus*, *tempus*, &c. de quibus erit infrà monendi locus. Fruſtrà Baronius, Turrianus, Caſalius, ſimiles, huc referunt uſum *Imaginum*, & per eas facta *Miracula*; ut legitur de miraculis per *umbram Petri*, *Act.* V. quæ fuerit *imago expreſſa corporis Petri*, ut Baronius ad A. XXXIV. N. CCLXXV. *Ut ex his videas*, addit ille, *imaginum pium cultum in* umbrâ Petri, *à Deo primitùs in primævæ illâ Eccleſiâ*, tot *tantiſque miraculis eſſe conſecratum.* Sed idem dixêre Patres, Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, de *umbrâ mirificâ* Pauli, ut cæterorum Apoſtolorum, quorum hoc privilegium fuerit. Sic juxtà Baronium, ex Pauli *Sudariis* & *Semi-cinctiis*, per quæ ſanabantur ægri, *Act.* XIX. infert ille ad Ann. LV. N. VIII. & *ſeq. Pauli Apoſtoli exemplo, & auctoritate, cultum Sanctarum Reliquiarum eſſe inſtitutum, ſtabilitum.* Nec quæ fuerunt *divinitus conceſſa orariis & ſemi-cinctiis*, eadem *neganda ſunt* (inquit Purpuratus) *Pauli oſſibus eſſe attributa.* Hæc vaniſſima eſſe, nemo non videt, nec ſaltem quod vult ille intellexit Eccleſia Chriſtiana, non hujus tantùm Seculi, ſed nec II. III. ut infrà pateſcet pluribus. Idem dicendum, de Jejuniis, aut Feſtis in honorem Apoſtolorum vel Mariæ inſtitutis, Cœlibatu obſervato, Decimis imperatis, aut Cultu præſtando Sanctis demortuis, &c. & id genus ſuperſtitionibus Latinorum, quæ affictа ſunt *Apoſtolicæ* ætati, imò inſtitutioni. Quæ non aliam habere *auctoritatem* in comperto eſt, quàm ementita Apoſtolorum vel Apoſtolicorum nomen ψευδεπίγραφα, in quo genere cenſentur *Conſtitut. Apoſtol.* L. VIII. ſub nomine Clementis.

Conſociatio Eccleſiarum. V. Adhæc in Apoſtolicâ Eccleſiâ, conſpecta fuit plurium Eccleſiarum *unio* ſive *conſociatio*, de quâ Parens noſter *Epiſt. ad* David. Buchananum A. 1645. Quanquàm nondùm talis fuit, qualem vidit ſequens ætas, adunatis unius Provinciæ Eccleſiis ſub *Metropolitano* propriè dicto, unius Diœceſeôs ſub *Exarcho*, aut Nationis ſub *Primate*, vel plurium Nationum ſub *Patriarchâ*. At correſponderunt amicè inter ſe Eccleſiæ, ſeu *vicinæ* & unius Nationis, ut Palæſtinæ, Aſianæ, Galatianæ, Phrygianæ, & in his Laodicenſis & Coloſſenſis, *Coloſſ.* IV. 16. ſeu *remotiores*: Quomodò factum ab Eccleſiis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, I *Pet.* I. I. Sic Syriacæ & Cilicienſes, ut colligitur ex Actis, *Cap.* XV. Sic deinceps Eccleſiæ Syriacæ, Palæſtinæ, Ægypti, Aſianæ, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, & Africanæ; inter ſe frequenter communicarunt, ut ſequenti Seculo exemplis conſtabit. Et in hoc correſpondentiæ & communicationis mutuæ officio fundati *Synodales* Conventus, etiam in Apoſtolicâ Eccleſiâ, quamvis Apoſtoli ducti à Spiritu S. Quomodò *Act.* XV. 6. conventus coactus ex Apoſtolis & Senioribus, ad quem miſſi Paulus & Barnabas, cum fratribus aliis, cujus Decreto ſteterunt Eccleſiæ per Antiochiam, Syriam, Ciliciam diſperſæ, æquè ac Palæſtinæ. Nec tamen *dependentia* ex ſe fuit unius Eccleſiæ, puta Antiochenæ, aut Tarſenſis, ab Hieroſolymitanâ, ut nec harum à Romanâ; ſalvâ prærogativâ *Apoſtolici* muneris, nam quod Apoſtolis videbatur, *viſum idem Spiritui S.*

X. *Perſecutiones in naſcentem Eccleſiam motæ. De Neronianâ, & Domitianeâ: Contrà Baronium quædam.*

I. Harum antè omnia obſervari debent *Cauſæ*, quarum aliæ quidem *Judæos* ſpectarunt, aliæ *Gentiles* & Romanos. **Cauſæ odii Judaici.**

1. *Judæorum* quidem notus in Chriſtum, hinc in Chriſti Diſcipulos *furor*, quibus adeò & *Pilatus* in Chriſti cruce, malè tandem multandus, & poſt *Herodes*, nepos Herodis M. ex Ariſtobulo filio, in perſecutione Diſcipulorum, *Act.* XII. gratificari voluerunt. Ac θεηλάτε hujus interitûs, ſolemni Ludorum die, poſt adulatorias Populi ad Herodem voces, confirmat luculenter Joſephus *Antiquit.* L. XIX. C. VII. Odii verò *Judaici* cauſæ, aliæ *veræ*, ſcilicet publicè traducta hypocriſis Phariſæorum; Lex à Chriſto vindicata, & applicata ad ſcopum; Templi deſtructio prædicta; Populus ad Chriſtum inclinans; Præjudicia in Jeſum Nazarenum (pro Meſſiâ à ſuis habitum) ex vilitate perſonæ, ex modo adventûs plane abjecto, ex converſatione cum Peccatoribus, ex doctrinâ de ſui unitate cum Patre: Aliæ *obtentæ* prætextu quodam, ſcil. *blaſphemia* non una in Deum, & *ſeditio* in Cæſarem, ut qui ſe *Regem Judæorum* diceret. Hinc tandem Crucifixio Chriſti, more Romano, quæ ſeditioſorum, ſicariorum, ſervorum pœna fuit.

2. *Gentiles* quod attinet, variæ hos cauſæ ad perſequendum Chriſtianos primitùs induxerunt. Ac quidem primò *ignorantia*, quâ rebellantes identidem Judæos confundebant cum primis Chriſtianis, undè promiſcuè in utroſque ſævierunt. Hinc *Claudii* Imp. Edictum, pro pellendis Urbe Judæis, *Act.* XVIII. 2. (cujus meminit quoque Oroſius *Lib.* VII. C. VI. 2. non tamen *Joſephus*, ut mendaciter idem ait Oroſius) Chriſtianos quoque involvit, ut Aquilam Ponticum, & Priſcillam. Sic error Suetonii in Claudio, *Chriſto*, vel *Chreſto impulſore*, *Judæos aſſiduè tumultuatos.* Hinc fuit calumnia de Chriſtianis ὀνολάτραις, *Aſinariis*, quæ Judæis pridem impacta, ut ſuprà *col.* 334. 335. Ac *Judaicam ſuperſtitionem*, in lege III. de Decurion. *par.* 3. Alciatus & Interpretes alii de *Chriſtianâ* acceperunt, quæ communiter Romanis Hiſtoricis, & Plinio, *ſuperſtitionis pravæ, novæ, immodicæ, exitialis*, nomine venit. **Cauſæ perſecut. Gentilium.**

Acceſſit *Superſtitio* eorundem, & *Idololatria*; undè non ferebant eam Sectam quæ aboleret Gentium omnium *Deos*, quos Romani colerent univerſos; Sectam cui nullæ Aræ, nulla Simulachra, Delubra; quæ item Hominem ſupplicio affectum religioſè coleret. Undè Chriſtiani audiebant *Athei*, *Gru-*

Digitized by Google

Crucicolæ, *Superſtitio nova*, *prava*, *malefica*, &c. & ſi quæ alia odioſiſſima nomina. Imò non *Crucifixum* tantum, ſed *Crucem* ipſam, pro Deo ab iis coli mentiebantur. Exindè everti *cultum omnem Deorum* clamitabant; cumprimis ceſſantibus ferè Oraculis, deinceps neglectis, deficientibus paſſim victimis, contemptim habitis Sacerdotibus, Flaminibus, &c.

Tùm *Calumniæ* in Chriſtianos, qualis illa fuit de incenſâ Urbe ſub Nerone, teſte Tacito *Annal.* xv. ſic illæ, de conſpirationibus nocturnis; de manducatione humanæ carnis; de promiſcuis ſtupris, inceſtibus; de infanticidiis; & ſi quæ aliæ poſteà Chriſtianis impactæ, de quibus fuſius ad II. *Sec.* Quæ partim ex malè intellectis Chriſtianorum *myſteriis*, vel *ritibus*, uti oſculo pacis, pœnitentium geſtibus, *fratrum* appellatione ac *ſororum*, &c. partim ex conventibus clanculariis, & antelucanis, quos pro ἑταιρείαις habuêre *ſodalitiis*; partim ex nefandarum hæreſium, ut *Nicolaitarum*, *Simoniarum*, *Carpocratianorum*, &c. ſceleribus, adſcriptis veris Chriſtianis. Quò & refer impactam his ὀνολατρείαν, ut apud Minucium in *Octavio*, pridem adſcriptam Judæis, ex Tacito, Plutarcho, & Joſepho contrà *Appion.* dein & colluviei Gnoſticorum, de quâ ſequente Seculo.

Tandem *Politica ratio* in Chriſtianos movit, quâ in Religione nihil quicquam Romani immutatum voluêre, minùs totum Deorum cultum ſublatum. Intelligebant enim, Religionis obtentum nunquàm defuiſſe nova machinatis; & *novis atque incognitis Religionibus hominum animos commoveri*, ut Paulus JC. dixit, hinc & in auctores *pœna capitis* decreta.

Acceſſit *multitudo* ingens Chriſtianorum ſuſpecta Romanis Imperat. cumprimis circà poſtrema Domitiani. Habebant præterea Chriſtianos pro *inimicis Imperatorum*, quod nempè nollent *Divinitatem* iis adſcribere, more Romanor. vel dicere *Domine Cæſar*, vel jurare *per Genium Cæſaris*, ut patebit poſteà. Item, habebantur pro inimicis *Legum*, *Naturæ*, hinc pro *hoſtibus generis humani*, ut ex Tacito, & ex Tertulliano conſtat, prædicente Chriſto, *Matth.* x. 22. xxiv. 9. Etiam habebantur pro *inſanis*, *deſperatis*, *temerariis*, &c. ex martyrum mirâ conſtantiâ. His de cauſis quicquid eſſet publicarum calamitatum tributum Chriſtianis eſt, & indè *perſecutiones*; ſed & indè luculentæ *Apologiæ*, Chriſtianis expreſſæ, de quibus pleniùs loco ſuo.

Auctores Judæi. Et quales? II. *Auctores* Perſecutionum igitur, partim *Judæi*, partim *Gentiles*. *Judæi* quidem Chriſtianos perſecuti, partim in *Palæſtinâ*, partim *extrà* illam, in Syriâ, Ægypto, Aſiâ, Macedoniâ, &c. ut paſſim in Actis Apoſtolorum, & Hiſtoriâ Judaicâ. Cumprimis huc fecit:

Stephan. martyr. quando? 1. Perſecutio *Zelotarum*, & *Sauli* in Hieroſolymitanam, Damaſcenam, &c. Sub quâ contigit *Stephani* Martyrium, quod Veteres malè conjiciunt in annum ipſum Paſſionis Chriſti, Euſebius, mox ab ordinatione in Diaconum, *Hiſt.* L. II. C. I. Imò factum eſſe aliquot ab *Aſcenſione* annis, probamus in noſtrâ Diſſertat. de Ærâ Converſionis Paulinæ, *Num.* xv. & ſeq. Et hanc Stephani necem mox excepit διωγμὸς μέγας, *Act.* VIII. & Eccleſiæ Diſperſio, *multis Sanctorum carceribus incluſis*, *Act.* XXVI. 10. Utique non ſub Tiberio, qui Chriſtianis favit, ſed ſub Cajo, & Claudio, *Act.* VIII. IX. XI. 16. Reverendiſſ. Pearſon, *Lection.* in Acta Apoſt. p. 62. ſupponit omnes *Diſcipulos* ſæviente hac perſecutione fuiſſe diſperſos; *Apoſtolos* autem omnes & ſolos Hieroſolymis manſiſſe, idque ex præſcripto Chriſti Servatoris, qui præceperit, ne *intrà annos* XII. *egrederentur Hieroſolymis*: Quod tamen non probari dicit ex contextu, ſed auctoritate *Apollonii* ſcribentis XL. annis poſt ſparſam Montani Hæreſim, apud Euſebium *Hiſt.* L. V. C. XVIII. tùm ex Libro Apocrypho, qui dictus κήρυγμα Πέτρου, undè habuerit Clemens Alex. *Strom.* L. VI. Sed quàm incerta hæc ſint nemo non videt, ac ſæpè nimis Clemens Alex. ſapit ex Apocryphis, uti aliàs demonſtratum.

2. Altera *Herodis Agrippæ*, nepotis Herodis M. ex Ariſtobulo, patris Agrippæ de quo *Actor.* XXV. XXVI. & qui in flagrantiſſimâ gratiâ fuerat apud Cajum Caligulam, à quo, pulſo Herode Antipa, Galilææ regnum obtinuit; deindè etiam à Claudio Cæſare, Judæam inſuper & Samariam, ut pluribus Joſephus, & Dio Hiſtoricus. Per quem atrox perſecutio, cumprimis in Apoſtolos, Jacobi Majoris, & Petri exemplo, *Act.* XII. quæ accidit Anno Agrippæ ultimo, Claudii Imp. IV. Chriſti ſecundùm Æram Vulg. XLIV. conſentientibus præter noſtros H. Valeſio *Notis* in Euſeb. L. II. C. XVI. Pagio in *Criticâ* ad A. Ch. XLIII. Claud. 3. Falſum igitur quod contendit Roma Pontificia, & Baronius ad A. Claudii II. ex Euſebii Chronico, Petrum eo anno magnis itineribus Romam contendiſſe; & quidem poſtquàm è carcere liberatus fuit, quod innuerit Lucas his verbis, *Act.* XII. 17. *profectus abiit in alium locum.* Explodunt ipſi Pontificii, Valeſius, Pagius, Baluzius, &c. ut nos aliàs: Et antichroniſmus Baronianus apparet, qui Annum II. Claudii componit cum A. Chriſti XLIV. Ac vidit ipſe Baronius, dum annum quo interiit Herodes Agrippa, fatetur eſſe *Claudii* Imp. IV. *Coſſ.* Q. Criſpino, & M. Statilio Tauro. Nec antè hoc tempus fieri potuiſſe, ut Petrus Romam proficiſceretur, *qui in Judæâ ac Syriâ ſemper manſerit*, *uſque ad ultimum annum Agrippæ Regis qui anno* IV. *Claudii mortuus*, *ut inter omnes convenit*; ſic laudata in Pontificiis Scriptoribus nomina. Porrò ſecutam mox in Tyrannum divinam planè ultionem, viſcerum torminibus extinctum, & ſubito, poſt acclamantium ad Herodem voces, iiſdem cum Lucâ circumſtantiis, ex Joſepho ſuprà vidimus.

3. Tertia fuit *Anani* ſeu *Annæ* Junioris, ſummi Pontificis Sectâ Sadducæi, per quem coactis in Concilium Judicibus, (mortuo Porcio Feſto Judææ Præſide, & Albino nondùm in Judæam delato) ſublatus fuit, cum aliis *Jacobus Juſtus*, *frater Jeſu* τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, filius *Alphæi* vel *Cleophæ*, & Minor dictus: Controverſo tamen mortis genere, ex diverſa narratione apud Joſephum Lib. XX. *Antiq.* C. VIII. & Euſebium. Nam ille *lapidatum*, ſententiâ Judicum, ſcilicet ob fidem *Jeſu Chriſti*, hic, ex Clemente & Hegeſippo, de *Templi* faſtigio præcipitem actum, tum *fullonis* fuſte percuſſum, cum aliis mortis circumſtantiis, *Lib.* II. C. XXIII. Quam ob Jacobi necem Agrippa, rogatu Judæorum, *Anano* Pontificatum ademit, quem tres tantum menſes geſſerat, ſubſtituto *Jeſu* filio Damnei. Factum A. Neronis VIII.

III. *Gentiles* verò perſecuti Chriſtianos ſub Romanis Imperatoribus, indè à *Nerone* Perſecutore *primo*, apud Tertullianum, Lactantium, Euſebium, Veteres paſſim. Nam *Tiberius* quidem faviſſe Chriſtianis fertur apud Tertullianum in *Apolog.* Euſebium in *Chron.* Chryſoſt. in II. Cor. *Homil.* XXVII. item apud Oroſium, Cedr. Niceph. Tertulliani verba ſunt *Apolog.* C. V. *Tiberius*, *cujus tempore nomen Chriſtianum in Seculum intravit*, (Romanis innotuit) *annunciata ſibi ex Syriâ Palæſtinâ*, *quæ illic veritatem iſtius Divinitatis revelarant*, (ex relatu & literis nempè Pilati de Chriſto edoctus) *detulit ad Senatum*, (ut ſolitus Tiberius, & quia nefas conſecrari in Deorum numerum abſque ſententiâ Senatûs) *cum prærogativa ſuffragii ſui*. *Senatus quia non in ſe probaverat* (nempè oblatam ſibi Divinitatem, Templa, Sacerdotia, &c. reſpuerat) *reſpuit*, ne quem Tiberio majorem Gentiles Perſecutores. De Tiberio, & Claudio, quædam.

habe-

Digitized by Google

habere Senatus videretur. Quæ verba Tertulliani, Apologetico inſerta, Hiſtoriæ non abſona, Veterum ſuffragiis munita, & narrata tanquam quæ ex *Actis Senatûs* confirmari poſſent, neſcio cur Tanaquillus Faber, *Ep.* ad Boherellum, *Lib.* II. ſarcaſticè exagitavit. *Claudius* etiam moleſtus fuiſſe Chriſtianis nuſquam legitur; niſi quod ſub eo prodiit Edictum, *de pellendis Urbe Judæis*, quod Chriſtianos quoque involvit, non tamen ſub nomine *Chriſtiano*, ſed Judaico: Sive jam *Chreſtus* quidam Judæos ad ſeditionem impuliſſet, de quo tacet Tacitus, Dio; ſive tumultûs Judaici cauſam per errorem inſignem *Chreſto* vel *Chriſto* tribuerit Suetonius, in *Claud.* C. xxv. Sed pulſio illa Judæorum quibus *Aquila* involutus, *Act.* XVIII. 2. non duratura fuit. Quod verò Oroſius, Edictum Claudii in Judæos refert ad A. Claudii IX. ac præter eum nemo alius, planè precarium eſt & falſum. *Joſephum* fruſtrà in conſenſum vocat, qui nihil tale habet. Et parachroniſmi reum Oroſium, non in hoc modò capite, ſed & aliis, peragit Celeberr. Pearſon, *Annal. Paulinis*, ad A. Claudii XII. Æræ Dion. LII. quo anno Judæi demùm Româ pulſi fuerint. Baronius verò avidè hauſit illud Oroſii, ad A. Chriſti (ut ille) LI. N. I. *& ſeq.* ut contenderet, *expulſum fuiſſe cum cæteris Judæis Romæ commorantibus, etiam Petrum Apoſtolum*, de quo *nulla ſit dubitatio*; *niſi tamen* (adeò ipſe animadvertit *dubitandi* cauſas) *alia aliqua occaſio indè eum antè abduxerit*. Et ratio hujus aſſertionis Baronianæ, quia ex ejus hypotheſi, hoc anno celebratum fuit Concilium Apoſtolicum, in urbe Hieroſolymitanâ, de quo *Act.* XV. cui ſanè Petrus tùm interfuit. Et hinc Auctor ipſe Chronici Alexandrini negat, Petrum exceſſiſſe Palæſtinâ antè hujus Concilii celebrationem. Sed de Petri itinere Romano, nos alibi ſpeciali *Diſſertat.*

Prima Perſecutio ſub Nerone.

Igitur ex *Decem*, quas vulgò putant, gravioribus ac generalioribus in Chriſtianos Perſecutionibus, *prima* fuit ſub *Nerone*: *Conſulite Commentarios veſtros*, ità Tertullianus in Apolog. C. v. *in illis reperietis Neronem primum, in hanc ſectam, tùm maximè Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociiſſe.* Lactantius de Mortibus Perſec. C. II. *Execrabilis ac nocens Tyrannus, primus omnium perſecutus eſt Dei ſervos.* Hinc Veteribus creditum, *Neronem*, qui perſequendi initium fecit, vel *Antichriſtum* vel ejus *præcurſorem* fore, redivivum *in fine ſeculi*, ac ſæviturum in fideles, ut Lactantius, dicto loco, Sulpicius Sever. *Hiſt. Lib.* II. & in Dialogis, Auguſtinus *de Civit. Dei*, L. XX. C. XVI. Accidit Imperii ejus X. Chriſti LXIV. Baronius removit ad A. Chr. LXVI. biennii μεταχρονισμῷ. Pagius fatetur accidiſſe quum *Decennalia* Nero celebraret, ſed dilata in Ner. A. XI. Baronio nempè datâ operâ extendente calculum, & differente martyrium Petri in annum Neronis XIV. Chriſti A. LXIX ne ſcilicet deſit quicquam annis XXV. Epiſcopatûs Petri. Hos enim præciſè putant à II. Claudii ad XIV. Neronis, ſeu ultimum. Hujus Perſecutionis ex *Tacito* ipſo, ac *Suetonio* hæc intelliguntur:

1. *Occaſio*, ex incendio Urbis Romæ, dùm *novæ Urbis condendæ* deſiderio Nero teneretur. Hinc *abolendo rumori, ſubditi rei Chriſtiani*, invidia omnis in eos derivata, ità Tacitus; quos quæſitiſſimis pœnis affecit, vel *ſuppliciis afflixit*, ut Suetonius, ſcilicet *genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.* Tempus apponit Tacitus, XIV. *Kalend. Sextil.*

2. *Modus*, longè crudeliſſimus, & qualem Tacitus ipſe deſcribit, *Annal.* XV. C. XLIV. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.* Nempè in *cereos* quaſi converſi, *tædâ* & *papyro, & cerâ* circumdati, ut lucerent ſpectantibus, cum fixa illis eſſent capita unco gutturi ſuffixo, nè ſe incurvarent. Eò alluſit Juvenalis Sat. I. *Pone Tigellinum: tædâ lucebis in illâ, Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant. Hortos autem ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat*, &c. Ex Tacito ferè eadem tranſcribit Sulpicius Severus. *Horti* autem Neroniani, & *Circus* ad agitandos equos, fuêre in Vaticano monte trans Tiberim ſiti, in cujus ſummo Petrum cruci affixum ferunt. Undè traditio, Paulum quidem in viâ *Oſtienſi*, Petrum verò ſepultum in imâ parte *Vaticani*: Quod Baronius non niſi ex *Hieronymo*, *Prudentio*, & ſequioris ætatis ſcriptoribus probat, ad A. LXIX. N. XVIII. XX.

3. *Loca* in quæ Perſecutio hæc Neroniana ſeſe diffudit. Non enim Urbs ſola hujus Theatri ſedes, ſed & paſſim Romani Ditiones Imperii, ut ex Lactantio de *Mortib. Perſec.* ex Sulpicio *Hiſt. Lib.* II. Oroſio *Lib.* VII. C. VII. Cùm nempè animadvertiſſet Nero, non modò Romæ, *ſed ubique cotidie magnam multitudinem deficere ab cultu Idolorum, & ad religionem novam, damnatâ vetuſtate, tranſire*, ſic Firmianus. Sic in *Hiſpaniâ* ſæviiſſe Perſecutionem, ex antiquâ Inſcriptione colligitur apud Baronium, ad Annum LXIX. *Num.* XLVI. & Scaligerum *Lib.* de Emend. Tempor. p. 471. ac Gruterum, in Inſcript. p. CCXXXVIII. repertâ in ruinis pagi Marqueſiæ, in Luſitaniâ: *Nerone Claudio Cæſ. Aug. Pont. Max ob provinc. Latronib. & his qui novam Gener. hum. ſuperſtition. inculcab. purgatam.* Hoc enim veniebat nomine religio Chriſtiana, apud Tacit. Suetonium, & diu poſteà tempore Diocletiani. Et ut Chriſtus inter duos *Latrones* cruci affixus, ſic *Chriſtianos* cum *Latronibus* copulandos cenſuit Nero; cui eo nomine Hiſpani gratias agunt, ejus Triumphi erecto ad perpetuam rei memoriam monumento.

Finis Perſec. quando?

4. *Duratio* Perſecutionis diverſimodè putatur. Cl. Dodwellus Diſſert. XI. ad Cyprianum, putat non extrà Urbem Romam, graſſatam eſſe perſecutionem, in eos quibus incendium Urbis imputatum. Baronius extendit ad Annum Neron. XIV. Chr. LXIX. nempè Æræ Baronianæ, id eſt, Æræ Dionys. LXVII. Pearſonus Epiſcopus itidem, putat ex teſtimonio Clem. Romani Petrum cum Paulo paſſum *ultimo Neronis anno*, XXII. Febr. qui vulgò *Cathedra Petri*. At Pagi rectiùs noviſſimè, continuatam fuiſſe perſecut. in annum qui incendium excepit, id eſt, ab Auguſto menſe, ac Septembris initio, Anni X. Neroniani, cujus annus XI. iniit mox Octobri menſe, ad ſequentem Septembr. vel Octobr. quando iniit Neronis XII. Æræ Dionyſ. LXV. labente. Et certe vix licuit Neroni ultrà annum, aut quod excurrit, his curis animum intendere, quem tranſverſum agebant iter in Græciam, & inſanæ aliæ ſollicitudines. Tum ex Inſcript. Hiſpanicâ liquet, jam tum deſiiſſe Perſecut. *Provinciâ purgatâ his qui ſuperſtitionem novam inculcabant.* Etiam ex ſilentio ſcriptorum Rom. Hiſtoriæ, de ulteriori perſecutione, qui alia Neroniani furoris argumenta proferunt. Et Epiphanius *Hær.* XXVII. N. VI. *Pauli & Petri necem in* XII. *Neronis incurrere.* Ne dicam Hiſpanos qui Inſcriptionem ſuperiorem Neroni poſuêre, haud longè poſteà deſciviſſe à Nerone, ut ex Suetonio conſtat, C. XLII. *Poſtquàm Galbam, & Hiſpanias deſciviſſe* Nero *cognovit.* Vaniſſima igitur ſunt quæ Annalium Eccleſ. Scriptor, de continuatâ Perſecutione ad Neronis extrema, & de Martyribus utriuſque ſexûs, ex Metaphraſtâ & Martyrologio Romano, habet ad A. Chr. LXIX. *Num.* XLIV. & ſeq. Quemadmodùm & illud, quod idem *Num.* XLVIII. *quieviſſe* tùm demùm *Neronem à Chriſtianorum perſecutione, poſtquam à Petro & Paulo in viſu*, ſeu apparitione, *perterritus fuit, idque eadem ſæpiùs citata Acta teſtari.* Sunt autem illa *Acta* quæ dicuntur *Paſſionis*

Digitized by Google

Petri & Pauli, ſub *Lini* nomine, in quibus v. gr. narratur Petrus, inſcio Nerone, juſſu *Agrippæ* necatus; ſeditio ob Apoſtolorum condemnationem Romæ excitata; miracula in eorum martyrio conſpicua, &c. de quibus *Actis*, ut nothis, ſpuriis, fabellarum & mendaciorum plenis, prolixa extant judicia Valeſii, Du-Pini, aliorum, & noviſſimè *Nicol. le Nourry*, Monachi Benedict. *Apparatu* ad Biblioth. Patrum, *Diſſert.* VI. de Libris B. Lini, de Paſſione Petri & Pauli. Quicquid Baronius hariolетur, extitiſſe olim hæc *Acta* magis ſincera, ab hodiernis diverſa, quæ genuina nulla Antiquitas novit.

Secunda Perſec. ſub Domitiano. IV. *Altera* Perſecutio, interjectis aliquot annis, excitata ſub *Domitiano* Imper. anno Imperii non quidem IX. Chriſti XC. ſecundum Æram Dion. ut vult Baronius, (ratione frivolâ, ab Anno Paſſionis *Cleti*, qui æquè incertus, imo Cletus, juxtà Valeſium, & alios, fictitius) ſed potius XCII. vel XCIII. ut poſtremum notat Euſebius in *Chron.* triennio circiter antè Domitiani necem, quæ A. Æræ V. XCVI. contigit. Dodwellus *Diſſert. Cypr.* XI. *vix annum unum implere potuiſſe perſecutionem*, utpote, prævento Domitiano à percuſſoribus: Quod colligit ex Conſulatu Flavii Clementis, qui incidit in A. XCV. à Domitiano occiſi ob ἔγκλημα ἀθεότητος *accuſationem impietatis*, ſic vocat Dio Caſſ. accuſationem Chriſtianiſmi *Lib.* LXVII. in *Domit.* Idem Euſebius in Hiſt. Eccl. L. III. C. XVII. ut quæ contigerit ſub extrema Domitiani; tum Tertullianus, Lactantius, Sulpicius Sev. ac cæteri.

Certa ſunt quod pro ingenio Principis, qui ipſe *Deus* haberi voluit, (*Edictum Domini Deique noſtri*) graviſſima fuerit ac nihilo Neronianâ inferior; Quod paſſim graſſata ſit per Romanum Imperium, promiſcuè in *Judæos* & *Chriſtianos*, permixtim habitos à Romanis; Quod in eâ *Johannes* Apoſtolus in Aſiâ agens, relegatus ſit in Pathmum Inſulam, ut exiguam ac deſertam, tanquam ſeditioſus, *& ſuperſtitionis novæ* reus; Quod *Fabium Clementem*, Patruelem Domitiani, virum Conſularem, initio Anni XCVI. ob Chriſtianam religionem interfecerit; uti *Flavia Domitilla*, neptis ex ſorore Flavii Clementis, relegata fuit cum aliis plurimis in Pontiam Inſulam, teſtibus Dione, Suetonio, Euſebio, &c. Domitillam Dio Hiſtoricus, loco citato, *Judæam* facit, id eſt, Chriſtianam, familiari errore; Denique & illud certum, duraſſe hanc Perſecutionem, & in Chriſtianos Edicta, ad necem Tyranni, opportunâ morte ſublati, à Flaviæ Domitillæ Procuratore, A. Imperii XV. ætatis XLV. Æræ Dionyſ. XCVI.

De hac Incerta, vel fabuloſa. *Incerta* nobis ſunt ſi non fabuloſa, v. gr. quæ ex *Martyrologiis*, vel ex Pſeudo-Areopagitâ, Pſeudo-Prochoro, Metaphraſtâ, Nicephoro referuntur, de his & illis Martyribus utriuſque ſexûs; de *Virginibus* voto conſecratis; de *Johanne* Apoſtolo in *ferventis olei dolium*, antè exilium, conjecto, ſed tamen illæſo, hinc poſteà relegando. Quanquam poſterius quoque Tertullianus, *de Præſcript.* C. XXXVI. ex eo Hieronymus, ſed de quo tacent Irenæus, Origenes, Lactantius, Euſebius, Athanaſius, Sulpicius Severus, &c. Et ejuſdem generis locus ille, Romæ oſtentatus apud *Portam Latinam*, ubi ſævum iſtud ſupplicium & miraculum contigiſſe dicitur, apud Baron. ad A. XCII. N. III. cum innumeris aliis quibus Roma & credula ſuperſtitio addidit auctoritatem, & mendaces paginæ, qualis illa fuit, quæ dicta περίοδοι τοῦ Ἰωάννου *Circuitus Johannis*, de Johannis itineribus, & egreſſu ex dolio olei ferventis. Quæ ejuſdem farinæ cum περίοδοις Πέτρου, Θωμᾶ, Παύλου, &c. reprobata etiam auctori *Synopſ.* Scripturæ, tributæ Athanaſio.

Trajani illa ad ſequens Sec. *Tertia* Perſecutio ſub *Ulpio Trajano* optimo aliàs Principe, plana eſt ex *Plinio Secundo*, *Euſebio*, *Sulpicio*, reliquis. Nempè ejus *initium* vulgò creditur ſub exordium ferè Imperii, circà annum Chriſti C. à quo Baronius ſecundum Seculum orditur, nos à CI. ſeu completo *centeſimo*. Tacet verò eam Perſecutionem Lactantius, cujus vis ad ſuccedens Seculum ſpectat, hinc & Hiſtoria.

XI. *Martyres hoc Seculo Illuſtriores. De Martyrolog. Rom. & Actis Mart. ſuppoſititiis. Certa ab incertis, & à fabuloſis diſtincta. Ecquis honos corporibus habitus?*

I. MArtyres quod attinet, fuerunt ſanè primo hoc Sec. plurimi; *Confeſſores* plures, intra Palæſtinam primò, dein excitatis à Nerone, & Domitiano, perſecutionibus. In duobus autem extremis hac parte peccatum eſt: Hinc ab iis qui *paucos* oppido fuiſſe Martyres hoc Seculo exiſtimarunt, de quo extat Dodwelli Diſſert. Hinc à *Martyrologiis* & *Menologiis*, qui in ſingulos anni dies Martyres multiplicant; quod facit Martyrologium *Romanum* à Roſweido editum, à Baronio Notis illuſtratum, quod primæ antiquitatis eſſe, ex Actis Martyrum à temporibus Clementis Romani aſſervatis, auctum dein ſequentibus Seculis, à Hieronymo, Bedâ, Uſuardo, Adone Viennenſi, &c. multis contendunt, & præ omnibus Annalium Scriptor, hinc Bollandus, alii. Contrà, Faſtos nullos eſſe antiquiores de Natalibus Martyrum, Epiſtolâ Eccleſiæ Smyrnenſis, ad Philomelienſes Lycaoniæ vel Piſidiæ ſcriptâ, de Martyrio Polycarpi; quam refert Euſebius *Lib.* IV. C. XV. Doctiores profitentur. Quanquam extent hujuſmodi *Faſti*, vel *Calendaria* vetera, quæ deinceps dixêre Martyrologia, ut quod edidit Ægidius Bucherius, ex Membrana vetere, circà Liberii Ep. Romani ætatem adornatum, *Comment.* ad Victorii Canonem, *Cap.* XV. Quæ autem fides illi habenda, de primæ Ætatis Martyribus teſtanti, docent quæ de eodem *anno* & *die* Martyrii Pauli & Petri in Catacumbas, & aliis Martyribus refert: Quorum *tranſlationem*, Reliquiarum ſcilicet, confundunt, cum die *mortis*, & *depoſitionis* vel *ſepulturæ*, ut à Dodwello rectè obſervatum. Excipit quidem Pagius, ad A. *Neronis* XIV. *Tranſlationem* Reliquiarum fieri ſolitam eodem die, quo *Natalis* vel *Depoſitio* contigerat, ita tranſlationem Corporum Petri & Pauli ad *Catacumbas*, à *Xyſto* II. Rom. Epiſcopo factam eſſe A. C. CCLVIII. eodem die, qui Natali eorum dicatus erat, ſcil. *Junii* XXIX. Sed alium eſſe diem Tranſlationis, aut ſi mavis *depoſitionis*, cujus Feſtivitas fixa ad III. *Kal. Jul.* alium diem Paſſionis horum Apoſtolorum, qui nequidem conſtat, ab aliis etiam deſignatus XIII. *Kal. Martias*, Doctiſſ. Pearſonus, & alii, ex Veteribus probarunt. — De Martyrolog. Actis Martyr. Calendar. I. hujus Ætat.

Sic *Acta Martyrum* I. Seculo olim diligentiſſimè conſcripta à VII. Notariis Rom. Eccleſiæ, pro totidem Urbis regionibus, (quas XIV. fuiſſe Tacitus, Plinius, cæteri Rom. Hiſt. ſcriptor.) decernente Clemente Romano Epiſc. contendit Baronius, ad *Martyrol. Rom. Cap.* I. & ad A. XCVIII. N. III. Et quidem probat ex Pontificali Damaſi, in *Clemente*, & ex numero VII. *Diaconorum* R. Eccleſ. qui *regionarii* dicebantur. Sed & recentius eſſe iſtud Pontificale, *Damaſo* falsò adſcriptum, vel ipſo judice Fabrotto *Præf.* in vitas Anaſtaſii, & illud inſtitutum *de* VII. *Diaconis*, ad imitationem Apoſtolicam, regionariis dictis, quorum aliàs inſtitutionem *Fabiano* Papæ Seculo III. adſcribit idem Auctor Vitarum Pontif. & Catalogus Pont. Romanor. à Bucherio, & — De Rom. Eccl. Notariis. An perierint Acta in Perſecut. Diocler.

Digitized by Google

& Schelſtratio, editus. Et *Diaconorum* longè alia primitùs cura fuit, ex inſtitutione Apoſtolicâ, quam *deſcribere Acta Martyrum*; nec Romæ tantùm, ſed in Majoribus omnibus Eccleſiis, idem fuit Diaconorum numerus, ex Neo-Cæſar. Canone XIV. Qui poſtmodùm ad XIV. auctus, quum Eccleſia Rom. in totidem Titulos, ſeu Parœcias, vel Eccleſias diſtributa fuit, ſanè poſt tempora Sozomeni Hiſtorici, ut patet ex ejus Hiſtoriâ, *Lib.* VII. C. XIX. *Διάκονοι δὲ παρὰ Ρωμαίοις εἰσέτι νῦν οὐ πλείους εἰσὶν ἑπτὰ, καθ' ὁμοιότητα τῶν ὑπὸ τῶν Ἀποςόλων χειροτονηθέντων.* Nec pro *Faſtis* deſcriptis illo tempore, aut in Romanâ Eccleſiâ, aut etiam in ſingulis Eccleſiis, atque *Actis Martyrum* aſſervatis, faciunt annuæ *Commemorationes* Martyrum; quas recentiores eſſe Apoſtolico ævo, quanquam adulto Seculo II. jam introduci cœptas, fatentur Eruditi, ex Tertulliano, & Euſebio. Hinc *nomina Martyrum* primæ ætatis demum in recentioribus *Calendariis* apparuerunt, quorum nulla habentur vetuſtiora Seculo IV. poſt tempora Conſtantini M. quando ſtudium Reliquiarum cœpit, ut patet ex vetuſtiſſimis, quæ deſcripſêre Cuſpinianus, Bucherius, Papebrochius, Schelſtratius Vaticanæ Biblioth. Cuſtos, *Faſtis*, & *Calendariis*. Nam *Acta Martyrum* vetuſtiora, quæ producit Baronius, (exceptis monumentis quæ legimus apud Euſebium, Eccleſiarum Smyrnenſis, Viennenſis, & Lugdunenſis) ad unum eſſe ſuppoſititia, ferè inter omnes conſenſio eſt. Excipit quidem Baronius, ad A. XCVIII. N. VII. & ex eo Pagius ad A. Ch. LXIV. Neronis XI. eadem Acta ſæviente Perſecutione *Diocletiani* fuiſſe miſerum *naufragium paſſa*, hinc nihil mirum in antiquiſſimis Martyrologiis, & in libro Prudentii περὶ ςεφάνων, paucorum Martyrum nomina haberi. Sed præterquam nihil de illis Martyrologiis, aut Faſtis primæ ætatis, tùm naufragium paſſis, Euſebius, qui decimam perſecutionem prolixiſſimè deſcripſit, aut vetuſtiores Euſebio Scriptores; nemo non videt hanc *exceptionem* eſſe inane quoddam effugium, & ultimam illis tabulam in hoc malæ cauſæ naufragio.

Certa ab incertis, aut fabuloſis diſcreta. II. Igitur *certiora* de Martyribus primæ Ætatis, ab *incertis* aut *ſuppoſititiis* planè diſtinguenda.

De Jacobo Maj. fabulæ. *Certi* Martyres, ut *Stephanus* πρωτομάρτυς *Act.* VII. quocunque jam *anno*, de quo pluribus nos in *Diſſert.* de Æra Converſ. Pauli; *Jacobus* Zebedæi, ab Herode Agrippâ gladio percuſſus, *Act.* XII. anno circiter Claudii IV. ut ſuprà. Et ille ipſe eſt Jacobus Major, quem mox à cæde Stephani, antè Martyrium, in *Hiſpanias*, (imò & *Britannias*, de quo Uſſerius in Antiq. Britannicis, p. 5. 6. 7.) delatum fabulantur, ex Iſidoro Hiſpalenſi, Bedâ, Breviario Toletano, Pſeudo-Dextri Chronico, imò id *omnes Hiſpaniarum Eccleſias ex æquo profiteri*, Baronius ad A. Ch. XLIV. *Num.* I. Non modò ridentibus fabellam prudentioribus in Rom. Eccleſiâ, inferendam in illud Chronicon ſub nomine *Flavii Dextri*, quod Fr. Bivarius Monachus Ciſterc. edidit A. 1627. ut tantum Nomen, & in Hiſpaniis olim celebre (filius utpotè Barcinonenſis Epiſcopi) obtenderetur putidis fabellis, quibus totum ſcatet. Nec de illo *Dextri* Chronico quicquam conſtitit Annalium Scriptori. Sed *nec mordicùs ſe defendere, aut invitos iis adſtipulari cogere*, addit prudenter Baronius, Notis ad Martyrol. *Jul.* XXV.

De reliquis Apoſtol. Jacobus *frater Domini*, lapidatus ſecundùm Joſephum, *Antiq. L.* XX. C. VIII. quanquàm aliter apud Euſebium, *Lib.* II. C. XXIII. Baronius anno Neronis VII. & Pagius quoque, poſt Euſebium; qui in *Chron.* malè Anno *Ner.* VI. ſucceſſiſſe *Albinum* Feſto, imò eodem An. quo ſublatus Jacobus, ex Joſepho *Ant.* XX. C. VIII. Valeſius gratis, occiſum Jacobum *Ner.* IV.

Paulus Apoſtolus ſub Nerone capite plexus, & Romæ quidem, aliis anno Chriſti LXIV. aliis LXV. ut Pagi, & Salmaſius quoque in *Appar.* p. 42. aliis demùm LXVII. Pearſono LXVIII. Baronio LXIX. Junii d. XXIX. antè liberatus ex ore Leonis, 2 *Tim.* IV. 17. 18. Ità *Petrus* Apoſt. qui martyrio certiſſimè coronatus, prædicente Chriſto *Joh.* XXI. 18. dubium tamen an ſuffixus cruci, quod plerique, an decollatus? an Romæ, ut conſtanter volunt, an Babylone? an *eodem* die & anno cum Paulo, an diverſis? Certè Clemens Romanus, quo teſte nullus antiquior, in *Ep.* I. ad Corinthios, ubi dicit Petrum μαρτυρήσαντα, nec locum martyrii deſignavit, nec tempus, nec genus mortis, uti de Paulo teſtatur, ipſum in *Occidentis fines* profectum, μαρτυρήσαντα ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, martyrium paſſum ſub *Imperatoribus*, Nerone ſcil. Quod alii, *ſub Præfectis*, ut evincant paſſum cum Petro Paulum, abſente ab Urbe *Nerone*, ſcilicet in Græciam profecto, ſaltem nondùm *Romam* reduce, quo tempore paſſi Apoſtoli fuerint. Hinc Salmaſius Petrum anno X. *Claudii* mortuum, annis XI. antè Paulum, quod tamen ſine juſtâ probatione. Dionyſius autem Corinthiorum Epiſcopus, quem primum teſtem producit Euſebius, dicit Petrum ac Paulum *in Italiam ſimul profectos*, κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν μαρτυρήσαντας, *Lib.* II. C. XXV. ex quo collegerunt, *eodem die* paſſos eſſe, quod non dixiſſe Dionyſium, Valeſius & alii rectè obſervarunt, imò ne *eodem* quidem *anno*, ut benè Dodwellus, *Diſſert. Cyprianicâ* XI. §. XIV. quanquam aliter Pearſonus Ceſtr. Epiſcopus. Sed parùm intereſt, ut credantur paſſi eodem anno, vel diverſo: Quod verò *eodem die*, alii XXII. Februar. juxta Antiochenos & vetera Calendaria, alii XXIX. *Junii*, juxta Romanos, quo *tranſlata* eorum reliquiæ, ſub Xyſto II. patet dubiis hypotheſibus, aut incertis narrationibus niti. Hinc litigia de *die* martyrii Petri & Pauli, etiam nupera. Teſtimonia Veterum, ut Dionyſii Alex. Caji Romani, Tertulliani, Origenis, quoad martyrii *locum* & *tempus*, alibi fusè ſunt à nobis expenſa, *Diſſert.* de Petro. Adduntur *fabulæ*, de apparitione Chriſti ad Petrum; de veſtigio pedis Chriſti lapidi impreſſo, quale in *Româ Subterr.* L. III. C. XXI. aliæ id genus, ſtudioſè à Baronio collectæ, ex Apocryphis tabulis.

Et ſic *Apoſtoli* reliqui variè, variis in locis, Chriſti cauſâ creduntur ſublati, ſed certis Monumentis nullis primæ hujus Ætatis.

Incerta autem de martyribus hujus Seculi ſunt penè innumera: Sic quæ de *circumſtantiis* loci, temporis, modi, quibus ſublati fuerint Apoſtoli, v. gr. Petrus, Matthæus, Thomas, Bartholomæus, Andreas, Philippus, Matthias, Simon; Et ex Apoſtolicis viris, Lucas, Marcus, Barnabas, Oneſimus, Linus, Clemens, Cletus Romanus, Antipas, &c. De quo poſtremo tantùm conſtat, inter Pergamenos occiſum ob teſtimonium Chriſti; nam quod habent Menologia, paſſum in ardente χαλκουργήματι, κατὰ τύπον βοὸς, ſuis auctoribus relinquimus. De quibus ſingulis ex poſterioris ævi *Calendariis*, *Martyrologiis*, *Menologiis*, *Actis* Apocryphis, *Greg. Turonenſi*, *Iſidoro*, *Anaſtaſio*, *Metaphraſta*, *Nicephoro*, &c. multa nimis Baronius, *Tomo* I. Annal. & *Notis* ad Martyrol. Roman. ut cæteros nunc mittam. Hinc jactationes harum & illarum Eccleſiarum, tam in Oriente quàm in Occidente, apud ſe depoſitas eſſe Reliquias hujus & illius *Apoſtoli*, vel certè *Apoſtolici viri*, quæ certè fundamento omninò deſtitutæ.

III. *Fabulis*, & apertiſſimis quidem, nullus jam finis eſt. Tales ſunt ſine fine de Martyribus utriuſque ſexûs, quæ jam olim confecta mendaciſſimis Tabulis. Hujuſmodi illa eſt, de *Theclâ* Iconienſi *Virgine* & *Martyre*, à Paulo converſâ ſub Claudio, *Iconii* quum ageret; tùm amore Chriſti, & *perpetuæ Virginitatis*, ſponſum, cui jam deſponſata erat, de- **Fabuloſa.**

Digitized by Google

deſerente; hinc à ſponſo accuſatâ, & damnatâ ad beſtias, ad Leones; ab his planè illæſâ, etiam manſuetudine quadam blandientibus, hinc exponendâ flammis, nihilo magis depaſturis, evaſurâ illâ ut beſtiarum, ſic flammarum impetus; tandem ferocibus tauris alligatâ, ſed nec ab iis diſcerptâ, &c. Hæc & alia de Theclâ, quæ modò ſub *Claudio*, modò ſub *Nerone* contigiſſe memorant, ut Martyrologium Roman. Credita ex parte licet quartâ Ætate, quum *perpetuæ Virginitatis* creſceret admiratio, apud Ambroſium, Nazianzenum, &c. exploſa autem (tanquam apocrypha, Lucæ ignorata, & ab Aſianis conficta) jam ab ipſo Tertulliano, Libro de *Baptiſmo*, & Hieronymo de *Script. Eccleſ.* in Lucâ. Qui iſta ſcire deſiderat, adeat Baronium, fabularum id genus ſtrenuum defenſorem, *Annal.* ad A. Ch. XLVII. & in *Notis* ad Martyrol. 23. *Septembr.* Hujuſmodi Martyres *fœminas*, quas ſub *Claudio* vel ſub *Nerone* paſſas ferunt (E. gr. Martham uxorem Marii, Uxorem Petri, Petronellam filiam, Perpetuam Petri diſcipulam, Baſiliſſam, Anaſtaſiam, Xanthippam & Polyxenam ſorores, &c. ſic fœminas alias ſub *Domitiano*, Patientiam virginem, Martham, Mariam Magdal. Marcellam, &c. & quæ id genus plures ſunt) legendas apud ipſum Baronium, ex recentioribus Martyrologiis, Chronicis Monachorum, Legendis, & confictis Tabulis, recenſere hujus inſtituti non eſt, quando nemo ingenuus probat. Idem dicendum de variis Epiſcopis & Apoſtolicis viris, tanquam Martyrium paſſis primo hoc Seculo, e. gr. *Lino*, & *Cleto* Romæ, *Romulo* in Thuſcia, Ep. *Oneſimo* qui Puteolis paſſus; ſic *Eutropio* Epiſc. Santonenſi, *Nicaſio* Rotomagenſi, *Luciano* Bellovacenſi, *Lazaro* Maſſilienſi, *Maximino* Aquenſi, &c. Sic de *ſeptem Epiſcopis*, Torquato, Cteſiphonte, Secundo, &c. à ſanctis Apoſtolis in *Hiſpanias* miſſis, prædicando Euangelio, & qui *ſanguine ſuo Eccleſias dedicaverunt*, ut Baronius ad Martyrol. Rom. 15. *Maii.* Sic de *Joſepho Arimathæenſi*, ad Britannos delato, & ſecundùm alios Chriſti Martyre, A. LXXVI. atque à ſuis ſepulto in Glaſtonienſi Inſulâ, reperto demùm divinâ revelatione, ſub Eduardo III. A. MCCXLV. ut pluribus, ex Tabulis Monachorum, Uſſerius Armach. Antiquit. Britann. C. II. p. 27. & *ſeq.* Sic de *Ariſtobulo* fratre Barnabæ, (uno ex LXX. Diſc. apud Pſeudo-Dorotheum) in Britanniam miſſo, ibidem Epiſcopo, & tandem Martyre, XV. *Martii*, in Martyrolog. quem Græci colunt XXXI. *Octobr.* in Menæo; Tacentibus rem vetuſtioribus Tabulis, & *Bedâ* in Hiſt. Eccleſiaſt. Anglo-Saxonum, ac *Chronico Saxonico* vetere nuperrimè edito Oxonii 1692. Ne dicamus *Martyrum* aliorum ſegetem, quos finxêre tanquam hujus Sec. etiam *Milites* qui Petrum in carcere Romano cuſtodiverant, *Proceſſum*, & *Martinianum*, apud Surium, d. 2. *Julii*, T. IV. De quibus Metaphraſtes, & Legendarii, aut Græcorum Monologium. Ac de quibuſdam jam dictum ſuprà fuit, *Cap.* de Fundatione Eccleſiarum. Quò & referri debet putidiſſima fabula de Corpore *Jacobi Majoris*, qui ab Herode ſublatus eſt, tranſlato divinitùs maritimo itinere, in Hiſpaniæ quendam portum Iriam Flaviam, operâ Cteſiphontis, qui ab Apoſtolis in Hiſpaniam eſſet deſignatus. Quæ Iria Flavia, Iſaaco Voſſio, Notis ad Melam, eadem eſt cum *Compoſtellâ* Gallæciæ, facto nomine ex *Giacomo-poſtolo*, id eſt, Jacobo Apoſtolo. Et hinc fabulæ aliæ ſine fine, de hujus Compoſtellanæ domûs miraculis, mirè extollente Baronio, ad A. DCCCXVI. N. I. XXII. De quibus nos ad Secul. IX. pluribus.

Martyrum reliquiæ; quis honos illis habitus? De *honore* Martyribus habito, primâ hac Ætate, opportuniùs nos infrà ad *Secul.* II. vel III. Certè hoc Ævo *reliquiæ* nullæ Martyrum vel conquiſitæ, vel aſſervatæ, minùs religioſo cultu proſequendæ. Quomodò *Stephani* Protomartyris corpus συνεκόμισαν, *terræ mandarunt* (vocab. ſepulchrali) ἄνδρες εὐλαβεῖς, ſtatim ab ejus nece, *Act.* VIII. 2. quam ut ſepultura ſic *planctus magnus* excepit, vel luctus fidelium, cumprimis ob ſimul obortum διωγμὸν μέγαν. Quanquam Baronius, ad A. Ch. XXXIV. N. CCCVII. CCCVIII. negat ſtatim ſepultum fuiſſe Stephani corpus; ſed (ex Traditione *Luciani* Presbyteri Hieroſol. qui claruit ſub initia *Seculi* V. in *Epiſt.* quam Græcè ſcripſit, de *Revelat.* & *inventione Stephani*) jacuiſſe aliquamdiu inſepultum, donec *Gamaliel, compatiens Chriſti miniſtro*, curaret illud deferri in villam ſuam, XX. milliaribus ab Urbe Hieroſ. &, planctu ſuper eum facto LXX. dierum, Corpus in monumento novo deponi juberet. Et hinc derivat ibidem Purpuratus *Num.* CCCX. CCCXI. Apoſtolicam ſcilicet traditionem, de curandis Corporibus defunctorum, & aromatibus condiendis, tum *cereis accenſis, proſequendi cantu pompam funeris*: De cultu tamen *Reliquiarum* iſtic nihil. Et quod de *cereis accenſis* dicit, quia *nihil tam ſanctum quod non poſſit humanâ pravitate perverti*, hinc ſuſpicatur Baron. Eliberitanos Patres, *Sec.* IV. ſanxiſſe, Can. XXXIV. *cereos per diem in Cœmeteriis non incendi*, nec *inquietandos iis Sanctorum ſpiritus*, fortè quos adſiſtere tumulis, aut *ſub Altaribus requieſcere*, in illis Cœmeteriis arbitrarentur, de quo ad Sec. II. Sic *Commemorationes* annuas Martyrum, hinc *Feſta* in eorum honorem, aliaque, nondum hujus Apoſtolicæ ætatis fuiſſe, ferè in confeſſo eſt; præterquam *Baronio*, ad A. LVIII. *Num.* XCIII. & *ſeq.* *Caſalio* de Eccl. Ritibus, &c. Quos cave credas probare iſtud ex teſtibus hujus ætatis; ſed *Natalitia* tamen *Martyrum*, ex praxi Smyrnenſis Eccleſiæ circà Polycarpum, tum ex Tertulliano, Cypriano, Greg. Nyſſeno, poſteà loco ſuo conſtabunt.

XII. *Primi Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ, poſt Apoſtolos. Qui Epiſcopi habeantur Eccleſiar. principum? Certa ab incertis diſtincta. Apoſtoli & Apoſtolici conjugati. Scriptores Chriſtiani, primâ Ætate.*

HUc ſpectant, (de quibus jam antè *Tit.* VIII.) quantum patitur hujus Inſtituti ratio: Do uni les.

I. Doctores Univerſales, quales *Apoſtoli*; dein *Euangeliſtæ*, tanquàm illorum ſocii, & miniſtri, Eccleſiarum fundatores, pluribus paſſim Eccleſiis invigilantes, ut Barnabas, Marcus, Philippus, Sylvanus, Silas, Lucas, Epaphroditus, &c. & reliqui ex LXX. Diſcipulis. Vide quæ ſuprà *Cap.* VIII.

II. Doctores *Particulares*, in Eccleſiis ſingulis, quales *Epiſcopi* & *Presbyteri* earundem. De quorum muneribus itidem ſupra. Pa lar. ſiai ćtc in ſiis cij

Sic v. gr. *Hieroſolymitanæ* Eccleſiæ præpoſitus (poſt *Jacobum* fratrem Domini, ſed hunc *Apoſtolico* chariſmate inſignitum, dicendum *Epiſcopum* tamen ex Clem. Alexandrino, Euſebio, &c.) *Simeon* Cleophæ Jacobi frater, qui aliis *Simon*, ſub Trajano Imp. & Attico Syriæ Conſulari, poſt varias perpeſſiones, Crucis ſupplicio affectus, anno ætatis, ut ferunt, CXX. Adi Euſebium ex Hegeſippo referentem, *Lib.* III. C. XXXII. *Lib.* IV. C. XXII. ne dicam Auctorem Chronici Alex. Ideò autem hunc Symeonem factum eſſe *Antiſtitem* Hegeſippus, quod eſſet ἀνεψιὸς τοῦ Κυρίου.

Alexandrinæ, poſt Marcum Euangeliſtam, Anianus, vel Hananias, apud Eutychium Alexandr. in Orig. Alexandr. & Sophronium, qui primus ejus Eccleſiæ *Epiſcopus* fuit: *Patriarcham* poſteà dixêre, ſed natâ poſt inter Chriſtianos dignitate, ex uſu Judaico,

Digitized by Google

daico, quorum Patriarcha, ab Excidio, plerumque Alexandriæ & in Ægypto egit. Euſebius ſimpliciter *Lib.* II. C. XXIV. *Annianum*, poſt Marcum, τὴν λειτουργίαν δέχεται τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παροικίας. Aniano Abilius vel *Avilius* ſucceſſit, IV. Domitiani anno, ut Euſebius in *Chron.* & in *Hiſt. Lib.* III. C. XIV. Huic Cerdo ſub initia Trajani, A. ejuſdem I. de quo Euſeb. *Hiſt. Lib.* III. C. XXI.

Antiochena, poſt fictum Petri Epiſcopatum per annos VII. (alii XI.) Euodius, hinc Ignatius ad A. X. Trajani: Imò antè compoſitum *Schiſma* Antiochenum, utrumque ibi *ſimul* Epiſcopum, alterum Judæorum, Gentilium alterum, conjectat Baronius, Notis ad Martyrol. *Febr.* I. Et in Annal. quoque ad A. XLV. N. XIV. alterum à Petro, nempè Euodium, alterum à Paulo, nempè Ignatium, creatos fuiſſe Epiſcopos. Certè id tradit Auctor *Conſtit.* Clementis nomine *Lib.* VII. C. XLVI. quem tamen errare in eo cenſet Baronius, quod *Ignatium* non immediatè à Petro, ſed à Paulo ordinatum tradit, ſic enim Paulus æquè ac Petrus geſſerit Epiſcopatum Antiochenum. Et alii tradunt, *Ignatium* primum poſt *Petrum* fuiſſe Epiſcopum Antiochenorum, ut Chryſoſtomus ejuſdem Eccleſiæ olim Presbyter, Theodoretus, & alii, ipſo falſo Cæſ. Baronio. Scilicet, *plures* ſimul Epiſcopi, in majoribus Eccleſiis, qualis Antiochena, Eccleſiam tunc adminiſtrabant, ut viſum de Eccleſiâ *Epheſiorum*, *Philippenſium*, &c. & mox de *Romanâ*.

Romana, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, ſi tamen hic à Cleto diverſus, quem eundem eſſe cum *Cleto* Halloixius Jeſuita, in Vitam Irenæi *Cap.* VII. Valeſius Annot. ad Euſeb. L. III. C. XIII. Mabillonus in *Anal.* T. III. aliique, poſt Irenæum. Quis verò horum primus, quis ſecundus, quis tertius, annon v. gr. *Linus* vivo Petro adminiſtraverit Eccl. Rom. aut an Petri *Chorepiſcopus* tantùm, vel *Vicarius*, ut cenſet quoque Ant. Pagi, ad A. LXV. LXXVIII. ſic an *Clemens* non ſit præponendus *Cleto*, quod facit Onuphrius, poſt veteres Indices Seculi IV. apud Bucherium & Schelſtratium, & nuper Ant. Pagi, ſub judice lis eſt inter Adverſarios. Verius dicetur, non *ſucceſſivè* (ut volunt) Pontificii, ſed *ſimul* olim fuiſſe numeroſiori Eccleſiæ præpoſitos, & συλλειτουργούς, ut fruſtrà de ordine Papatûs litigetur. Primus autem Romanor. Epiſcoporum Tabulas dicitur feciſſe *Hegeſippus*, florens ſub Aniceto Pontif. quo familiariter uſus eſt, circa A. CLXX. ut teſtis eſt Euſebius, *Lib.* IV. C. XXII. διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, *Succeſſionem compoſui*, vel Tabulas Succeſſionis, *uſque ad Anicetum*, ita Pearſonus, de Succeſſ. *Diſſert.* I. p. 26. Quâ de re adeundi quoque Blondellus, Salmaſius, & nos ſub initia *Sec.* II.

Sic ex *Euſebio*, & iis quos citat, Dionyſio Corinthio, Irenæo, Hegeſippo, aliis, *Smyrnenſi* Eccleſiæ præpoſitus à Johanne ipſo Polycarpus, A. Chr. LXXXI. *Epheſinæ* à Paulo Timotheus, & à Johanne Apoſtolo, ut ferunt, Johannes ſenior; *Damaſcenæ* Ananias; *Athenienſi* Dionyſius Areopagita; *Theſſalonicenſi* Sylvanus; *Corinthiacæ* Silas; *Trallienſi* Philippus Euangel. & Diaconus; *Cæſarienſi* vulgo Zachæus; *Samaritanæ* Nicolaus, &c. Hi-ne verò dictarum Eccleſiarum *Epiſcopi* propriè dicti fuerint, in ſingulis ſinguli, ſubordinatis iſti Dignitati Presbyteris, quantum ad primam hanc & Apoſtolicam Ætatem, ſub judice lis eſt. Hoc ſane axiomate veniunt apud *ſecundi* jam Seculi Scriptores, quos deſcribit Euſebius, & ità (ſtabilito ſemel Epiſcopatu) apud omnes ferè, pro more tùm ubivis in majoribus Eccleſiis recepto.

Doctores conjugati. Nec Doctoribus Eccleſiæ hoc Seculo repugnaſſe *Matrimonium*, docent conjugatorum exempla vel in *Apoſtolis*, Petro, Philippo, fratribus Domini, I *Cor.* IX. 5. Judâ Thaddæo certe, cujus υἱωνοὶ vel υἱοὶ memorantur, ex Maria conjuge ut alii, apud Euſeb. *Lib.* III. C. XX. Ità certe ipſe Valeſius, Annotat. in eum Euſebii locum. Quanquàm pro more Baronius, non vixiſſe ut cum uxoribus, ſed ſororibus, poſt adeptum Apoſtolatum, & illud *reliquimus omnia*, Matth. XIX. 17. non tantum ad piſcationes, menſas, telonia, lucra, ſed & *uxores*, extendendum eſſe. De quo fuſè Pearſon, de Succeſſ. *Diſſ.* II. C. VI. Ignatius *Epiſt.* ad Philadelph. ſed interpolatâ, ὡς Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ τῶν ἄλλων Ἀποστόλων, τοῖς γάμοις προσομιλησάντων. Contendit quidem Baronius, ad A. LVII. N. LXIV. *Novatores* fraudis reos, qui contrà fidem Græcorum Codicum, intulerint in Textum nomen *Pauli*, *in defenſionem ipſorum incontinentiæ*: Sed vapulat hoc nomine ab Uſſerio Armachano, *Proleg.* ad Epiſt. Ignatii, C. XVII. probante veriùs expunctum nomen *Pauli*, *à Latinis Miſogamis*. Et certè id ipſum de Paulo conjugato etiam Clemens Alexandr. apud Euſebium, *Lib.* III. C. XXX. ex eo quod in Epiſt. ad Philipp. C. IV. 3. γνήσιον σύζυγον *conjugem* ſuam appellare non veritus ſit, quam tamen non *circumduxerit*, ut expeditius eſſet ſuum Miniſterium. In quo tamen, ut in aliis, falſus videtur Clemens Alex. Jam uxorati fuêre in *Apoſtolicis* Viris, Philippus, & Nicolaus Diaconus, indubiâ fide, apud Euſeb. L. III. C. XXX. Irenæum *Lib.* I. C. VII. Clementem Alex. L. III. *Strom.* undè Veteres ſectam *Nicolaitarum* interpretati ſunt, de quâ poſteà. Imò & Clemens Romanus, juxtà quoſdam, ex ejus I. ad *Corinth.* ubi quomodò verſari oporteat ergà τὰς γυναῖκας ἡμῶν, τὰ τέκνα ὑμῶν, citato loco Clementi Alex. *Strom. Lib.* IV.

III. *Scriptores* porrò *Eccleſiaſtici* hujus Seculi, qui genuini ſint atque indubii, poſt ſacros & *Canonicos*, nulli ferè ad noſtram ætatem pervenerunt; Faciente ita Providentiâ, ne par ſcriptis aliis honos haberetur. Excipimus tamen, *Clementis Romani* Epiſt. I. ad *Corinthiorum* Eccleſiam, gravi Schiſmate laborantem, ſcriptam ex nomine *Romanæ Eccleſiæ*, laudatiſſimam Veteribus paſſim, Irenæo, Euſebio, Hieronymo, Photio, ac referentem ſimplicitatem illius ævi, doctrinam, diſciplinam, ritus. Quâ de Epiſt. adi Patricium Junium, qui primus edidit, A. 1633. ex antiquiſſimo MS. quod manu Theclæ, fœminæ Ægyptiæ, creditur exaratum circà tempora Concilii Nicæni I. Editiones alias mittimus, & noviſſimam edit. Oxonienſem. Quo verò tempore ſcripta fuerit, non ſatis conſtat, tacentibus Dionyſio Corinthiorum Epiſc. Irenæo, Hegeſippo, Euſebio, &c. Pleriſque tamen datam arbitratis fervente perſecutione *Domitiani*; Pearſono autem & Dodwello, citiùs Anno Chr. LXV. Neronis anno XII. antè Excidium Templi, ex ejus Epiſt. loco (pag. 53. *Edit.* P. Junii) in quo meminiſſe videtur *Templi*, & *Sacrificiorum*, ut quæ adhuc *Hieroſolymis* offerentur. Niſi loquatur in *præſenti* de victimis nuper admodùm offerri ſolitis, & per μωμοσκόπους diligenter inſpectis, familiari enallage temporis. Scripta Eccleſiaſt. I. Seculi.

Addunt alii *Barnabæ* Epiſtolam *Catholicam*, quam ut genuinam, poſt Uſſerium, edidit Iſaacus Voſſius, hinc indè Græcè mutilam, nuper verò typis noſtris Leydenſibus novâ veſte ornatam. Diſſimillima hæc priori *Clementis*, ſtylo, argumento, allegoriis perpetuis, & ſalebroſo docendi genere, ac inauditâ enarratione Scripturarum, vix quicquam habens Apoſtolicæ ſimplicitatis. Uſſerius tamen, & Viri Docti cenſent non longè à Barnabæ temporibus ſcriptam, certè antè Clem. Alex. tempora; Pearſonus *Lect.* in Acta Apoſtol. p. 44. *nihil in eâ apparere, quod eam ætatem non ferat.* Diſputat autem contra Judæos, Judæus ipſe, oſtenſurus ex Moſe & Prophetis, Legem Ceremoniarum fuiſſe abrogandam

dam, & ſacrificia, præter ſpiritualia *Cordis* & *Spiritus*. Certè inter τὰ νόθα, ſeu ἀντιλεγόμενα, vel apocrypha retulit eam Epiſt. Euſebius, Hieronymus, quantum ad auctoritatem Epiſt. Comparatè ad Epiſtolam ad *Hebræos*, quam olim Tertullianus & alii, *Barnabæ* Epiſtolam eſſe voluerunt, & noſtrâ ætate, poſt Joh. Cameronem, Stephanus le Moyne, *Proleg.* ad Varia Sacra, & *Notis* in Ep. Barnabæ. De quo nos alibi, de *Auct. Ep. ad Hebræos.* Illi autem Epiſtolæ aſſuta fuiſſe, quæ non erant Barnabæ, in poſteriori Epiſt. parte, aut connexam eam unâ ſerie cum Epiſt. *Polycarpi*, monuerunt Halloixius ad Vitam Polycarpi, If. Voſſius, Le Moyne, Dodwellus, Viri Celeberr. Eam verò *Barnabæ* noviſſimè vindicavit, contrà argumenta Hugonis Menardi, (qui edidit cum Verſione antiquâ & Notis, *Paris.* 1645.) Nat. Alexandri, Stephani le Moyne, & aliorum, Nicolaus le Nourry, de *Scriptoribus Eccleſ. Seculo* I. De Ignatianis, & Polycarpi Epiſt. infrà, ad *Sec.* II.

XIII. *Concilia hoc Seculo habita, Apoſtolica omnia.*

COncilia hac Ætate leguntur nulla alia quàm *Apoſtolica*. Hæc rurſus *certa*, ex Lucæ Hiſtoriâ, alia *incerta*, vel omninò *commentitia*.

Concilia ἄγραφα. *Certa*, qualia ſunt, *Primum* in quo ſurrogatus *Matthias* Apoſtolus, *Act.* I. mox ab Aſcenſione, antè Feſtum Pentecoſtis. Locus, fuit ὑπερῷον vel ἀνώγαιον, *Cœnaculum*, in quod aſcenderunt reverſi à monte Oliveti, *Act.* I. 13. qualia erant in privatis ædibus Judæorum, ad preces & alia pietatis exercitia deſtinata; Et fortè in ædibus *Mariæ*, matris Johannis qui *Marcus* cognominatus eſt, ubi congregati Diſcipuli, *Act.* XII. 12.

Secundum, in quo electi *Diaconi* VII. *Act.* VI. non immediatè ab electione Matthiæ, ut Euſebius; ſed poſt bona fidelium hinc indè diſtracta, mirè etiam aucta cum Eccleſiæ incremento, ex *Hebræis*, *Syris*, & *Helleniſtis* ſeu proſelytis, (diſtinctè ad Ἕλληνας, *Græcos* religione) conflatæ. Et quum ratio habita ſit ab Apoſtolis γογγυσμοῦ Helleniſtarum, eo quod Viduæ eorum παρεθεωροῦντο *deſpectui* haberentur, vel præterirentur, hinc patet quoque ex *Helleniſtis*, (qualis certè Nicolaus Antiochenus) fuiſſe habitum cum Diaconorum delectum. De *Diaconis* jam ſuprà dictum fuit, quorum munus mirè in Eccleſiâ variavit, tùm ſanè ad βιωτικὰ & ad *Menſarum miniſterium* reſtrictum. In hac Synodo, patet jus ſuffragii datum fuiſſe *multitudini* congregatæ, non autem ex *gratiâ* & *conceſſione Petri*, ut Binius, Baronius, & gnathones. Quod ſanè diu etiam poſteà in Eccleſiâ, & Synodis, ut *plebs* ſententiam rogaretur, ac Synodis ſubſcriberet, obtinuiſſe conſtat, Romæ, Antiochiæ, Carthagine, de quo locis ſuis.

Tertium, in quo actum de lege Ceremoniali, & ſancita libertas Chriſtiana, exceptis *quatuor* illis obſervandis *ad tempus*, lege Ceremoniali nondùm planè mortuâ, nec mortiferâ, occaſione, *ſcandali* ex familiari uſu *Gentilium*, à Judæis accepti, in partibus Antiochiæ, Syriæ, Ciliciæ, *Act.* XV. 23. 24. 28. 29. Niſi excipias interdictum πορνείας ſtrictè dictæ, & εἰδωλοθύτων ubi fuit conſcientia quod eſſent Idolis ea ſacrificata, quæ ſanè aliundè prohibita ad ſemper. Permiſcentur autem hæc prohibitioni *ſanguinis*, & *ſuffocati*, quia ea in rebus mediis, ut certè fornicatio ſimplex, concubinatus, à Gentilibus habebantur. Uſus verò *ſanguinis*, & *ſuffocatorum* animantium, ſanguine ex iis non expreſſo, Judæis non minùs βδέλυγμα habebatur quàm πορνεία, & εἰδωλόθυτα. De hujus autem Concilii *tempore*, ſcil. anno XIV. inchoato à *Converſione* Pauli, quando cum Barnabâ profectus eſt ad Conventum Synodalem, *Gal.* II. I. (non *Claudii* VI. vel VII. vel IX. ut communiter, etiam noſtrates) ſed veriùs XIII. converſo demùm Paulo *Caji* Imp. anno ultimo, eſt alibi prolixiùs à nobis pertractatum. Vide Diſſertat. meam de *Ærâ* Converſ. Paulinæ. In hac porrò Apoſtolorum Synodo, non præcipuas fuiſſe partes *Petri*, *principis Apoſtolorum*, (quicquid Baronius & Binius *Notis* ad Concil. Apoſt.) patet: Quod neque Petrus *convocaverit* Synodum; neque tractanda in eâ *propoſuerit*, locutus demùm poſt multam συζήτησιν verſ. 7. neque ipſe *concludendi* partes uſurpaverit, vel concluſum Synodi ſuâ auctoritate *confirmaverit*; nec ad *Eccleſias* obſervandum cum mandato direxerit: Deciſio certè à *Jacobo* facta, *miſſio* ad Eccleſias, facta *ab Apoſtolis*, *& Senioribus*, *cum totâ Eccleſiâ*, conjunctim, *Act.* XV. 13. 22. Sed de hoc prolixe Theologi.

Quartum denique, in quo actum de tolerantiâ *Legalium* ad tempus, ſtante adhuc Templo, & ſacrificiis *Legis*, vulgò ut lucrarentur infirmiores, præſente *Jacobo*, ac moderante tùm Eccleſiam Hieroſolymitanam, Apoſtolico axiomate, σὺν τοῖς πρεσβυτέροις. Accidit Neronis circiter A. IV. Æræ Dion. LVIII. Quia verò poſteà iſtud Epiſcoporum fuit, hinc Frater Domini *Epiſcopus* Hieroſolymorum poſteà habitus. Sed & præſente in eo Conſeſſu *Paulo*, ac ſemet legaliter purificante, *Act.* XXI. 18. ut ſe à Legis contemptu purgaret apud Judæos.

Omnia *Hieroſolymis* celebrata, ut verè matri omnium Eccleſiarum, de quo *Cap.* VIII. dictum fuit. Tertium autem Conciliorum veriſſima norma, hinc Concilium Apoſtolicum ἐξόχως dictum: In quo deliberandi partes *Apoſtolis & Senioribus* Eccleſiæ, conſenſum addente *toto Cœtu*; Concludendi verò, fuêre *Jacobi* fratris Domini, ut ejus tùm Eccleſiæ curam vel adminiſtrationem gerentis. Addunt alii Conventum de quo *Act.* IV. 24. etiam illud Presbyterorum Eccleſiæ Epheſinæ, *Act.* XX. 17. 18. ſed nulla ibi deliberatio Synodalis.

Incerta, vel *commentitia* ſunt: Illud in quo conditum ferunt *Symbolum Apoſtolicum*, antè Apoſtolorum diſperſionem, occaſione perſecutionis, *Act.* XII. Et conventum hunc referunt in Annum Claudii II. Chriſti XLIV. imò Julii XV. ac Baronius quidem, *par eſt ità credere*, Num. XIV. In eodem etiam, *alias abſque ſcriptis Eccleſiæ traditiones impertiiſſe* Apoſtolos, ac *diviſiſſe ſibi*, *ad quas ſinguli proficiſcerentur*, *Orbis terræ Provincias*. Sed horum nihil aut ex Actis Apoſtol. probat, aut ex Scriptoribus primarum Ætatum, ſi Pſeudo-Prochorum, & Pſeudo-Acta, vel Martyrologia, excipias. Sed de his jam ſuprà Cap. VI. Ἄγραφα, & commentitia.

In *Commentitiis* & illa ſunt, in quibus *Canones* Apoſtolicos ſeu LXXXV. ſeu L. quales Latinè vertit Dionyſius Exiguus; & *Conſtitutiones* Apoſtolicas, Libris VIII. ſub Clementis Rom. nomine, de Vitâ Moribuſque fidelium, cuſas fabulantur. Has quidem ut *ſacras* recepiſſe Eccleſiam Æthiopicam, tradit Alvares *de Abyſſinis*, uti ſacros & Canonicos numeraſſe Libros LXXXI. ſed inſcitiæ & erroris hæc ipſa ſunt argumentum. Adde Concilium *Antiochenum*, apud Turrianum, & ex eo Baronium, Binium, in quo decreti ſint IX. Canones, ac in ſpecie *Canon* VIII. qui fuerit pro aſſervandis Imaginibus, &, loco Idolorum, religioſe habendâ *columnâ* vel *ſtatuâ Deivirili Domini noſtri J. Chriſti*. Qui Canones olim inauditi; quum etiam Nicæna II. Synodus, Εἰκονόδουλος, rejecerit tamen γλυπτὰς εἰκόνας, καὶ ἀνδριάντας, ut alibi viſum *Hiſtoriâ* noſtrâ *Imag. Reſtitutâ*. De quibus omnium inſtar, ex noſtris Joh. Dallæus, de *Pſeudepigraph. Apoſt.* Libro III. Sed & fingunt *Concilium* aliud *Apoſtolicum*, in quo monente Johanne Apoſt. convenerint Apoſtoli & Diſcipuli, inter eos etiam Dionyſius Areopag. &

Digitized by Google

& Hierotheus ejus in Athenienſi Eccleſiâ deceſſor, ad ædes Johannis in monte Sion, & ad viſendam *Mariam Virginem*, exceſſui proximam: Hinc poſtquam ea valedixiſſet omnibus, triumphali Angelorum pompâ per aëra in Cœlos corpore aſſumptam, alii anno ætatis LXII. vel LXIII. Dionyſius Areopagita, qui præſens adfuerit, Cedrenus & alii, factum anno ætatis veriùs LXXII. Hinc alii factum anno Æræ Chr. XLVIII. alii A. LVII. qui additi ad annum XV. ætatis Mariæ, quando concepit Servatorem, efficiunt annos LXXII. Alii primò mortuam B. Virginem, alii ſine morte in Cœlos evectam; Baronio inter incerta & dubia fluctuante, ut videre eſt ad A. Chr. XLVIII. Sed rident doctiores Pontificii commentum illud *Pſeudo-Dionyſii*, probatum in ejus Vita prolixè Halloixio Jeſ. hinc Gregorii Turon. Damaſceni, Nicephori, &c. Inter alios Joh. Launoius Doctor Pariſinus, in *Judicio* de Pariſ. Eccleſiæ Martyrologio, ejuſque Vindiciis. Et illud de Apoſtolis Hieroſolymam convenientibus, hinc teſtibus hujus Aſſumptionis, rectè ait *ex apocrypho de Tranſitu Mariæ Libro deprompta*, qui Melitoni Sardenſi per fraudem adſcriptus. Conſentiunt Eruditi, in Rom. Eccleſiâ, Virginem Mariam *mortuam*, & *ſepultam*, an Epheſi, an in Palæſtinâ dubium; itâ dubium quo anno ætatis ad Dominum *aſſumpta*, quod exprimunt Græci per κοίμησιν, μετάστασιν, ἀνάλυσιν, ἀνάληψιν, *dormitionem*, *tranſitum*, *tranſlationem*, *aſſumptionem*, ut pluribus Doctiſſ. Launoius, & Critici. Doctores locum Dionyſii vulgò Areop. de *Divin. Nom.* C. III. interpretantur, de conventu Apoſtolorum ἐπὶ θέαν τοῦ θεαρχικοῦ καὶ θεοδόχου (non σώματος, ut vulgò legitur) ſed σήματος, ad conſpiciendum non *Corpus Mariæ*, ſed *ſepulchrum Dominicum*.

XIV. *Hæreſes hoc Seculo natæ.*

Qui Hæreticis non accenſentur

I. AD Trajani uſque tempus fuiſſe dicitur *Virgo* Eccleſia, παρθένος inſtar καθαρᾶς καὶ ἀδιαφθόρου, ab Hegeſippo apud Euſebium, L. III. C. XXXII. Quod non de ipſis *Hæreſiarchis* primâ jam Ætate exortis, quam de turbis per eorum Diſcipulos excitatis, quum priores veriùs Judæi cenſerentur, à quibus *Secta* Simonianorum, Doſitheanorum, Gorthenorum, &c. de quibus Epiphanius, poſt Euſebium *Hiſt.* L. IV. C. XXII. Certè *Doſitheum* Simonis *popularem*, non *Diſcipulum*, vocat Origenes. Epiphanius numerat Doſitheanos inter Samaritanorum Hæreſes, exortas antè Natum Chr. Ac Simonianos nullos uſpiàm Gentium extare, Doſitheanos *vix triginta* ſupereſſe habet Origenes contrà Celſum *Lib.* VI. p. 282. ferè diſtinctos ab aſſiduo jejunio, abſtinentiâ, virginitate, & probatâ cum Pharizæis reſurrectione mortuorum, quam negaſſe dicuntur *Simonis* Diſcipuli. Quales verò Hæreticos deſignet Paulus, dum accuſat ψευδωνύμου γνώσεως 1 *Tim.* VI. 20. deſertores ἐπισυναγωγῆς, *Hebr.* X. 25. falſos fratres, 2 *Cor.* XI. 26. *Gal.* II. 4. &c. non perindè conſentiunt Interpretes; qui omninò privatas quorundam molitiones, & clandeſtinas, *fratrum* ſub externâ ſpecie, ex æmulatione vel odio Paulinæ Doctrinæ, magis innuit, quàm publicas notaſque Hæreſes, quales ſecundâ Ætate, indè à Trajani atque Hadriani temporibus. Non enim trahendus huc eſt *homo peccati* de quo is 2 *Theſſ.* II. Poſt Paulum Johannes non ſemel in Epiſtolis, & in Apocalypſi, ut & antè utrumque Petrus, ſed hic ſpiritu magis Prophetico, 2 *Pet.* II. I. memorant Pſeudo-Prophetas, Seductores, Antichriſtos, αἱρέσεις ἀπωλείας, βάθη τοῦ Σατανᾶ, imitatores Caini, Bileami, &c. Quibus paſſim occultos & ſubirrepentes hypocritas ſeductores deſignarunt, *Jud.* IV. 12. & jam ſurgentes Ebionitas, Cerinthianos, ac reliquos de quibus in Apocalypſi II. 14. 15. 20. Nam *Gnoſtici* in ſpecie dicti, mox ſecundo Seculo noti fuêre, parentibus inprimis Menandro, Carpocrate, Baſilide, Valentino, &c. de quibus poſteà.

II. Igitur Hæreſes celebriores, ſeu potiùs Sectæ in naſcente Eccleſiâ, traduntur ab *Irenæo*, *Tertulliano*, *Origene*, *Euſebio*, *Epiphanio*, *Auguſtino*, *Lib.* de Hæreſibus, *Theodoreto* de Hæreticis Fabulis *Lib.* I. &c. ſequentes:

Simonianorum Secta, auctore Simone Mago, ex *Gittâ* Palæſtinæ oriundo; Si modò *hæreſis* dicenda eſt, & Simon Chriſtianus, quia is μέχρι λουτροῦ *ad Baptiſmum uſque* τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καθυπεκρίνατο, *fidem in Chriſtum ſimulavit*, ut ex Actorum hiſtoriâ obſervat Euſebius *Lib.* II. C. I. Epiphanius *Hær.* XXI. vocat Simonis Magi Hæreſim, τὴν πρώτην αἵρεσιν ἀπὸ Χριστοῦ καὶ δεῦρο ἀρξαμένην, eandemque falſò ſibi uſurpare *Chriſtianum* nomen. Sectam primùm fecit Magus ille, temporibus Caji Caligulæ, in Samariâ & Palæſtinâ, latiùs dein propagandam. Capita Hæreſeôs potiſſima fuiſſe dicuntur: 1. *Simonem ipſiſſimum* Meſſiam *ſeu Chriſtum eſſe*: 2. *Apparuiſſe in monte Sinâ in perſonâ* Patris; *tempore Tiberii in formâ* Filii; in Apoſtolos autem deſcendiſſe in linguis igneis, ſub formâ *Spiritûs S.* 3. Chriſtum *putativè* tantùm apparuiſſe, & *paſſum*, vel ſe pro Chriſto crucifixum. 4. *Mundum* non à Deo, ſed ab *Angelis* creatum. 5. *Carnis* reſurrectionem *non dari*. 6. Promiſcuum *uſum fœminarum licitum*, & *carnales libidines*, ſpecie ſcil. libertatis Chriſtianæ. De his *Irenæus* adversùs Hæreſes, L. I. C. XX. Pſeudo-Clemens *Conſtit. Lib.* VI. C. VII. VIII. Tertullianus de *Præſcript.*, Euſebius *Lib.* II. *Cap.* XIII. Epiphan. *Hæreſi* XXI. Theodoretus de Hæret. Fabulis, *Lib.* I. *Hær.* I. &c. Alias Simoni Hæreſes tribuit quidem Epiphanius, quæ veriùs Diſcipulorum Simonis, à quibus orti ſint *Gnoſtici*. Hæreſis Simonianorum.

Abſonum verò eſt, quod in odium Trinitatis ſcripſit Chriſtophorus Sandius, in *Nucleo Hiſt. Eccleſ. Lib.* I. in Hermogene: Fuiſſe hanc hæreſim Simonis Magi, quam & propagavit Hermogenes; *In unâ eâdemque numero ſubſtantiâ divinâ tres eſſe*, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum S.* Quod tamen ſic emollit, ut ad Sabellianam Hæreſim referat, hinc alibi, ſtatuiſſe Simonem, *unam eſſe Perſonam Patris*, *Filii*, & *Spiritûs S. Lib.* I. in Simone Mago. Dùm verò Simon modò adſcripſiſſe fertur ſibi Perſonam Patris, modò Filii, modò Spiritûs S. ex conſtanti traditione Veterum, hoc ipſo doctrinam *Trinitatis*, Patris, Filii, & Spiritûs S. ab Apoſtolis traditam fuiſſe confirmatur, quam à Domino accepiſſent, *Matth.* XXVIII. 19.

Ab hoc autem *Simone* Mago, ut impuriſſimo fonte, *omnes Hæreſes* promanaſſe, Irenæus, Euſebius, & Hæreſiologi veteres teſtantur. Ex hujus ſiquidem Scholâ prodière Γνωστικοί, quorum patres fuerunt Menander, Saturninus, Carpocrates, & cæteri, de quibus *Sec.* II. Hinc & Sabelliani, & Antitrinitarii, quotquot tres in Deo Perſonas oppugnarunt. Tùm Marcionitæ, & Manichæi, qui Deum Patrem negarunt eundem eſſe cum Creatore Cœli & Terræ, & Deo Vet. Teſtamenti, qui Prophetas inſpiraſſet. Poſteà *Angelolatræ*, ſurgentes jam Pauli ævo, *Col.* II. ut qui Angelis Creationem, hinc Cultum adſcriberent, de quo Tertullianus L. de *Præſcr. Hær.* C. XXXIII. Sed & Εἰκονολάτραι, à Simonianis exorti, quo imagines colerent *Simonis* & *Helenæ* vel *Selenæ*, figurâ *Jovis* & *Minervæ*, ut diſertè Irenæus, *Lib.* I. C. XX. etiam Imaginem *Chriſti* circumgeſtarent, καὶ ἑτέρων τινῶν, ut Photius *Epiſt.* XXXVIII. quamvis hos accenſeat *Iconomachis*, Εἰκονόδουλος ipſe Photius. Itâ præivit Valentinianis Simon, in negatâ Reſurrectione mortuorum; *Docetis*, Marcionitis, atque aliis, qui Chriſtum non verè, Simon Magus Parens Hæreſium, & Idololatriæ.

ſed

Digitized by Google

ſed apparenter (δοκήσει) *veniſſe in carne*, quorum princeps defenſor Jul. Caſſianus, Valentini diſcipulus, ex Clemente Alex. Lib. III. Strom. In hoc & *Hæreſiarchis* præivit, quod inter *fœminas*, & fœminarum ope, virus ſuum propagavit; qualis *Helena*, vel *Selene* apud Ruffinum, Σελήνη, Tyrium ſcortum, quam velut *Ægeriam* quandam Deam habuit Simonius perpetuam comitem, ex Juſtino Mart. *Apol*. II. Irenæo *Lib*. I. obſervante & Euſebio, *Lib*. II. C. XIII. Theodoreto, *Lib*. I. C. I. *de Hæret*. Idem factitaſſe Hæreſiarchas alios, ſuis locis obſervatur. Quod verò ferunt Simonem Magum ſub Claudio *Romam* veniſſe, cultum pro Deo ſub Nerone, alia, expendimus fusè in noſtrâ Diſſert. *de Petro*.

Menandrianorum. *Menandrianorum* Secta, à *Menandro* Diſcipulo Simonis, origine Samaritano, ἀπὸ κώμης Καπαρατταίας ut Euſebius, delirante eadem cum Magiſtro. Ordine hæc ſecunda, apud Irenæum, Euſebium, Epiphanium; Theodoretum, &c. Videtur autem Menander Hæreſim ſuam propagaſſe poſt mortem Simonis Magi, circà tempora Domitiani, vergente Seculo, habiturus Diſcipulos *Saturnilum* & *Baſilidem*, & dictos *Menandrianiſtas*. Speciatim docuit, *Mundum non eſſe à Deo, ſed ab Angelis* (qui ipſi ſint ab Ἐννοίᾳ *Mente* producti) eſſe *factum*; *Se Dei virtutem, ad ſalutem hominum miſſum*, ſc. σωτῆρα ἑαυτὸν προσαγορεύων; *Chriſtum verum hominem non fuiſſe*, quæ omnium *Docetarum* Hæreſis. De his Euſeb. *Hær*. XXII. Epiphan. *Hæreſi* XXIV. Theodoretus, *Lib*. I. de *Hær*. C. II. ex Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Origene. Et de horum propaginibus plura nos ad Seculum II.

Nicolaitarum. *Nicolaitarum* Secta, de quâ *Apoc*. II. 15. ubi *opera Nicolaitarum*, hinc διδαχὴν *doctrinam*, ſaltem factis & exemplo, Chriſtus odiſſe dicitur, à Theodoreto inter Hæreſes I. Seculi prætermiſſa fuit, licet meminerit *Libro* III. C. I. antè Hæreſim *Montaniſtarum*: Ab Irenæo obiter memorata, poſt Cerinthum & Ebionem; ab Epiphanio poſtpoſita Hæreſi Saturnili & Baſilidis; ab Euſebio, ex uno Clemente Alex. *Lib*. III. Stromatum, recenſita Lib. III. C. XXIX. à Tertulliano verò Libro de *Præſcript. Hæret*. quaſi ſuo tempore & *alii eſſent Nicolaitæ*. Nempè hæc Hæreſis in ipſis primordiis extincta videtur, ſed iterùm ſuſcitata à Gnoſticis & Valentinianis, contrà quos Irenæus, & Tertullianus. Dubium an ſic dicta à *Nicolao* illo Antiocheno, uno ex VII. Diaconis, *Act*. VI. an ab alio quodam *Nicolao*. Prius certè ſic ſtatuerunt Veteres, ut Nicolaum ipſum temperantiâ inſignem repræſentent, etiam filium habuiſſe Cælibem, filias Virgines, ut Clemens Alex. Sed abuſos quoſdam fuiſſe ipſius nomine, &, ut falsò jactabant, exemplo. Hinc alii, Nicolaum, cui formoſiſſima eſſet uxor, accuſatum *Zelotypiæ*, produxiſſe illam in medium, cuicunque ducere vellet permittendam, ut hanc calumniam amoliretur; & ità Clemens Alexandrinus, hinc Euſebius, & Theodoretus. Alii, & prolixè Epiphanius, *Hær*. XXV. abſtinuiſſe Nicolaum ac temperaſſe ſibi aliquamdiu ab uſu conjugis ſuæ; tandem quum continere diutiùs non poſſet, in aliud extremum eſſe prolapſum, ut diceret, εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λαγνεύει, *niſi quis quotidie luxuriæ det operam*, non poſſe ſalutem æternam conſequi. Tandem & in alia fœda, & in uxorem ſuam contumelioſa, prolapſum eſſe dicit, de quo tacent Irenæus, Clemens Alex. &c. Hinc *Nicolaitarum* Hæreſi nulla non turpia adſcribit Epiphanius, & dictu nefanda, ac familiarem inter ipſos vocem προύνικος, προυνικεύειν, de actu venereo, quæ vox formata videtur ex πορνικός, hæc ex πόρνη, πορνεύειν. Hinc feruntur dogmata, ſi non veriùs facta fuerunt, quæ palliarent hi Nicolaitæ. *Licitas eſſe vagas libidines, & communitatem uxorum*; *Fornicantes octavâ die pacem accipere*; *Veſci licere Idolothytis*; quod *indiſcretè vivere*, dixit Irenæus L. I. C. XXVII. Hinc facta Nicolaïtarum damnata in *Apoc*. à Petro etiam *Epiſt*. II. & in Judæ *Epiſt*. damnari multis credita. Et imitatores Bileami habiti illi Nicolaitæ, κρατοῦντες τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, qui per fœminas Moabitarum, ad Idololatriam Iſraëlitas ſollicitavit. Frigida quorundam alluſio eſt, *Nicolaitas* dici, quaſi νικῶντες τὸν λαὸν *populum faſcinantes*, ut Bileam, quaſi בעל עם *princeps populi*. Satiùs ſtatuere cum Clemente Alex. *Stromat*. Lib. II. docuiſſe ſuos Nicolaum δεῖ παραχρῆσθαι τῇ σαρκί, id eſt, *carnem exercendam*, nempè ſubigendam, quod illi poſteà, de libero carnis uſu interpretati, ſeu potiùs abuſu ad turpitudinem, quod eſt in *proprium corpus peccare*. Sic, quam voluit fortè *communionem* cum Chriſto, & Sanctis, communionem charitatis, illi poſtmodum de communione promiſcua mulierum reddiderunt. De tempore tamen hujus Nicolai, quicunque fuerit, ſuos ità inficientis, nihil determinari poteſt. Certè Johannes XXX. circiter annis poſt mortem Petri, *Nicolaitas* damnans, videtur innuere hos recentiores ſcriptione priorum Apoſtolorum. Paulus etiam multos Hæreticos nominatim coarguens, nec *Menandrum*, nec hos *Nicolaitas* uſquam expreſſit, neque ratio eſt, cur illis pepercerit, ſi jam tùm noti. A morte ergò *Nicolai* Diaconi, ſi tamen ab illo denominati fuerint, nati hi Nicolaitæ, offendiculo Chriſtianis eſſe cœperunt.

His præcipuè auctoribus profluxit ſpeciatim colluvies *Gnoſticorum*, ad quam, nempè jam tùm in principiis ſuis ſubnaſcentem, Paulus, Petrus, Judas, Johannes non ſemel reſpexiſſe creduntur, Hammondo, & aliis. Sed de Gnoſticis ad Seculum II. Videtur enim hæc colluvies, Simonis impietate exceptâ, recentior fuiſſe Apoſtolicis Epiſtolis; nec propalam erupiſſe, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, (ut Hegeſippus apud Euſebium, L. III. C. XXXII.) quàm *ubi Apoſtolorum nemo ſupereſſet*.

Nazaræorum, Ναζωραίων, & *Pſeudo-Apoſtolorum* Hæreſes, quales ſic dicti, quotquot Judaizantes eſſent, varieque pervertentes doctrinam Euangelii, paſſim apud Paulum: Cumprimis *urgentes Circumciſionem*, & *Legalium omnium* ac *Ceremoniarum neceſſariam obſervantiam*, licet Chriſto exhibito, & profitentes ſe credere in Chriſtum. *Matthæi Euangelium*, & ſolum quidem Hebraicè uſurpaſſe, ſed variè interpolatum, modò *auctius* variis circumſtantiis, modò in quibuſdam *mutilatum*, hinc dictum Καθ' Ἑβραίους, ſimiliter traditi; de quo dictum à me in *Exercit*. de Scriptoribus Hiſtoriæ Euang. *Nazaræos* autem ſemet appellarunt, id eſt, Chriſtianos, communi his primùm nomine, à Jeſu Nazareno, ut *Actor*. XXIV. 5. deinceps reſtrictum ad *Judæos* hoſce *Chriſtianizantes*. Imprimis à tempore Excidii Urbis & Templi, antè quod *Ceremoniæ* adhuc Chriſtianis Hieroſolymitanis & Palæſtinis obſervatæ, toleratæ ſaltem, quæ poſt illud ſenſim ſepeliendæ fuerunt. Theodoreto dicuntur, de *Hæret. Fab*. L. II. C. II. uſi eſſe Euangelio quod *ſecundum Petrum*, τὸ κατὰ Πέτρον, dicebatur, an quod Petrus *coëgiſſet* aliquando *Gentes Judaizare*, *Gal*. II. 14. Sed Clemens Alexandrinus, *Strom*. L. III. & VII. attribuit illud Euang. Δοκηταῖς Hæreticis, qui indè à Valentino & Caſſiano ejus Diſcipulo præcipuè emerſerunt. De his prolixè Epiphanius, *Hær*. XXIX. dein Theodoretus, Auguſtinus. Scripſit contrà *Nazaræos* Hæreticos, Juſtinus Martyr, Irenæus, Origenes, teſte quoque Theodoreto, *de Lib*. II. *Hæret. Fab*. Diſtinguunt quidam Ναζωραίους, ut nomen Gentis; Ναζηραίους à נזיר Naziræus; & Ναζαραίους vel Νασαραίους, nomen Hæreſeôs. Sed promiſcuè hos vocat Epiphanius, & Theodoretus, Ναζωραίους: Sic Chriſtus Ναζωραῖος, & Ναζαρηνός, *Marc*. I. 24. Sic *Eſſeni*, & *Eſſai*, Ἐσσαῖοι.

Nazaræorum, Pſeudo-Apoſtolorum.

Phi-

Philetianorum. *Philetianorum* illa, auctoribus Hymenæo & Phileto, *negantibus Reſurrectionem ſecundam*, ſive *Corporum* illam, 2 *Tim*. II. 17. Quales fuêre & in Corinthiorum Eccleſiâ, 1 *Cor*. XV. 12. Seu jam Sadducæorum in Judæis propagines; ſeu Simonis hæreſiarchæ Diſcipuli, quales deinceps & Valentiniani hoc in Capite, contrà quos Irenæus & Tertullianus. *Myſticam* autem Reſurrectionem, per pœnitentiam, vel emendationem vitæ, ſeu παλιγγενεσίαν, admiſiſſe videntur, quæ Reſurrectio *prima*.

Cerinthianor. *Cerinthianorum* illa, (quæ & *Merinthianorum*, apud Epiphanium) Cerintho auctore Hæreſiarchâ, natione Judæo, qui Petro in Judæâ, & Johanni in Aſia Apoſtolis, reſtitiſſe fertur, apud Irenæum, Euſebium, Epiphanium, Theodoretum, Auguſtinum. Epiphanius quidem, anticipato tempore Cerinthi, reſtitiſſe hunc Petro Hieroſolymis, occaſione viſionis, & Cornelii baptizati *Act*. x. ut videre eſt *Hæreſi* XXVIII. *Num*. II. Capita Hæreſeôs potiſſima feruntur, apud dictos auctores: *Mundum ab Angelis factum eſſe*, vel ab Virtute ſeparatâ à Deo, quod & Menander delirabat; *Chriſtum fuiſſe nudum hominem*, nec ex Virgine natum, ſed ex Joſepho & Mariâ, quorum prius neminem antè *Socinum* ſomniaſſe, ſomniat ipſe Chriſt. Sandius, Arianus, in *Nucleo* Hiſt. Eccleſ. *Lib*. I. *Circumciſionem* & *Legis ceremonias neceſſariò obſervandas*; *Fore Chriſti regnum terrenum & carnale*, *inſtauratis Hieroſolymis*, & duraturum per *annos mille*, undè hic craſſorum Chiliaſtarum pater. Refert etiam Irenæus, *Lib*. I. C. XXV. Cerinthum diſtinxiſſe *Chriſtum*, à *Jeſu*; hunc ſanè mortuum, & à morte reſurrexiſſe; illum verò impaſſibilem, in Jeſum *deſcendiſſe* quidem ſpecie *columbæ*, ſed deinceps *revolaſſe* iterùm *de Jeſu*. Epiphanius autem, *Chriſtum* paſſum quidem & crucifixum, *nondùm* tamen *reſurrexiſſe*, quod futurum demùm quum omnes reſurgent. Nec ſibi conſtant ſemper Veteres, ubi de verá *Hæreſium* iſtarum indole referunt, niſi harum fautores variarint. Idem Cerinthus, *Apocalypſeos* Auctor à nonnullis creditus, ſub Johannis nomine, apud Euſebium, ex Dionyſio Corinth. *Lib*. III. C. XXVIII. & *Libro* VII. C. XXV. Sed & auctor idem creditus *Euangelii*, ab Alogis, apud Epiphanium, Hæreſi *Alogorum* LI. N. III. IV. Quod tamen Euangelium directè Cerinthi Hæreſim everteret. Ac memorabilis hiſtoria apud Irenæum, L. III. C. III. hinc Euſebium, ex *Polycarpi* relatione, de Johannis fugâ ex *balneo* in quo Cerinthus cum ſuis eſſet, metu *ne balneum concideret*. De Cerinthianis poſt Irenæum *Lib*. I. C. XXV. prolixè Epiphanius *Hær*. XXVIII. Theodoretus *de Hær*. *Fab*. L. II. C. III. &c.

Ebionæorum. *Ebionæorum* illa, qui ab *Ebione* Magiſtro, poſt Urbis excidium, ſic dicti; niſi voce appellativâ, אביונים οἱ πτωχοὶ, ut pridem Origenes, quem ſecutus Euſebius: Seu ſeipſos ità nunçuparint, ſpecie *humilitatis*, ſeu à Judæis contemptim ità dicerentur. Eadem illi ferè cum Nazaræis, quibuſcum ſæpè confunduntur, & cum Cerintho, eructantes, diſſeminanteſque in Syriâ, Aſiâ, Cypro, Romæ, ac paſſim. Irenæus hos collocat antè *Nicolaitas*, uti poſtponit longe Nicolaitarum Hæreſim Theodoretus; alii, ut Tertullianus, Epiphanius, Auguſtinus, poſtponunt *Nicolaitis*: Sic Ebionem Cerinthi diſcipulum fuiſſe, Tertullianus, etiam Epiphanius; alii æquales & coævos faciunt proximos à Simone, nec *ſimiliter opinatos* eſſe *Ebionitas ut Cerinthus*, & *Carpocrates*, in iis quæ Dominum attinet, obſervat Irenæus. Quomodò fallitur Euſebius, *Lib*. v. C. VIII. quum ait, *Ebionitas ſecutos* Verſionem *Theodotionis Epheſii*, & *Aquilæ Pontici*, dum Chriſtum *ex Joſepho genitum* aſſeruit Ebion, quomodo verterunt illi locum *Eſai*. VII. (ubi עלמה in Hebr.) per νεάνιδα *juvenculam*. Sed longè anterior Ebion his Verſionibus, adornatâ illâ Aquilæ temporibus Hadriani Cæſ. Theodotionis illâ ſeriùs, niſi Ebionis Sectatores velit Euſebius, quos in errore confirmarit Aquilæ tranſlatio. Summa autem Hæreſeos fuit: *Chriſtum natum Joſepho patre mortali*, ut dictum, ex Euſebio, Epiphanio, Theodoreto, Auguſtino; quæ eadem Cerinthi Hæreſis: Aliis tamen ex eâdem diſciplinâ, faſſis *nativitatem* Chriſti ex *Virgine*, & *conceptionem ex Spiritu*. *S*. Uti Irenæus negat, eadem ſenſiſſe Ebionitas cum Cerintho, ſed & Origenes Libro VI. contrà Celſum *pag*. 272. Euſebius diſertè *Lib*. III. C. XXVII. duplex hoc genus hominum ſtatuit, quorum alii, Chriſtum è *Virgine natum* faterentur, iidem cum *Nazarenis*; docerent ſolum, *Circumciſionis*, ac *Sabbati*, & *Legalium obſervantiam eſſe neceſſariam*, revocantes ità Judaiſmum. Sic illi *ſolum Euangelium*, *ſecundùm Hebræos dictum*, *recipiendum eſſe*, id eſt, *Matthæi* illud, quia Hebraicis conſcriptum literis, idemque auctum, mutilum, interpolatum variis modis; de quo egimus in *Diſſert*. noſtrâ, de *Scriptoribus Hiſt*. *Euangel*. Plures inſuper errores addunt Irenæus, Epiphanius, & alii, ut inprimis damnatum eſum *Carnium*, & *animantium*, ex Pythagoricâ Diſciplinâ; & *Epiſtolas* omnes *Pauli* reprobandas, quod ſcilicet abolitionem Ceremoniarum ex profeſſo docuerit. Epiphanius adversùs Ebionitas, *Hær*. XXX. N. I. Ebionem accepiſſe ab *Oſſæis* & *Nazaræis* dogmata; à *Cerinthianis* τὸ εἶδος formam; à *Corpocratianis* τὴν κακοτροπίαν nequitiam morum; à *Chriſtianis* denique τὴν προσηγορίαν, ſeu quod ſe appellatione Chriſtiani nominis velarent. De Ebionitis, Irenæus *Lib*. I. Origenes contra Celſum, L. II. v. Euſebius *Lib*. III. C. XXVII. Epiphanius *Hær*. XXX. Theodoretus de Hær. Fab. L. II. C. I. Auguſtinus, de Hæreſibus C. x. &c. Ebionem verò Origenes, ut diximus, *appellativè* interpretatus eſt quaſi πτωχὸν *pauperem*, (אביון Hebræis) Ebionæos πτωχοὺς, initio *Libri* II. contrà Celſ. homines *Judæos* ſcilicet, & pauperes, *Jeſum* tamen habentes *pro Chriſto*. Euſebius, πτωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ δοξάζοντας dicit, *Lib*. III. C. XXVII.

Adversùs quas Hæreſes faciunt paſſim quæ in Epiſtolis *Pauli*, *Jacobi*, *Judæ*, *Petri*, & in *Johannis* ſcriptis, manifeſtiſſimè iiſdem opponuntur. Hinc, Legalium amore, *Ebionæi*, aliique, Paulinas Epiſtolas non modò non admiſêre, ſed in Paulùm ut apoſtatam debacchati: Nempè *Græcum* eum fuiſſe, atque ex Gentilibus oriundum, contrà diſerta Pauli verba *Phil*. III. *Proſelytum* factum ob adamatam filiam Sacerdotis; rursùs ad *Chriſtianos* converſum, ut Legem & Ceremonias impugnaret, &c. Quæ fuſius legere eſt apud *Epiphan*. Hær. XXX.

XV. *Scripta Apocrypha & Pſeudepigrapha, afficta huic Seculo.*

ET iſta quidem propè ſunt infinita, non hac jam Ætate conficta, ſed tamen huic Ætati afficta. Et alia quidem *Chriſto* ipſi Servatori, alia *Apoſtolis*, alia *Apoſtolicis* Viris, alia *Fœminis* Chriſtianis, alia *Ethnicis* & Gentilibus, pro cauſâ Chriſtianâ orantibus, tributa fuerunt. **Diſtributio eorumdem.**

1. *Chriſto* afficta ſunt Acta, Epiſtolarum in modum, *ad Petrum* & *Paulum*, antequam moreretur, ridente Auguſtino, de Conſenſu Euangeliſt. *Lib*. I. C. x. Cumprimis verò, affingitur *Epiſtola* reſponſoria ad *Abgarum*, *Augarum*, aliis *Acbarum*, *Agbarum*, *Agabarum*, id eſt, Arabibus *Potentem*, Gentilitio nomine, Regem aut Phylarcham Edeſſenorum, Gentis trans Euphratem, Baronio *Syrum*, aliis & Valeſio *Arabem*: Quæ ſcilicet reſponſoria fuerit ad Reguli hujus literas, ſanitatem à Chriſto flagitantis per tabellarium expreſſum, moti famâ miraculorum *Matth*. IV. 24. Hanc ab Edeſſenis ja- **Epiſt. Chriſti ad Abgarum.**

ctatam, extollendæ ſuæ Eccleſiæ, & ex eorum ſcil. Archivis erutam, atque ex Syro à ſe fideliter tranſlatam, habet Euſebius *Hiſt.* L. I. C. XIII. Imò pro monimento in Portis Edeſſæ ſervatum hoc Chriſti reſponſum, tradit Procopius *de Bello Perſ.* L. XI. C. XII. De hac nihil certi pronunciare auſus eſt Doctiſſ. Caſaubonus, *Exercit.* XIII. ad A. XXX. Suppoſitionem verò, quicquid ſecùs H. Valeſius ſentiat & nuper *Tillemontius* Gallus, cùm ſilentium vetuſtiorum, & Hiſtoriæ Euangelicæ, tùm circumſtantiæ ipſæ hujus Epiſt. ſatis arguunt. Abgarus quidem, ex *auditis* fando *miraculis* Chriſti, collegit quod vix hactenùs Diſcipuli, eum aut *Deum ipſum*, aut *Dei filium* eſſe. Chriſtus *beatum* eum pronunciat, qui *in ſe crediderit*, licet *non ab ipſo viſum*, quæ ex verbis Chriſti ad Thomam ſunt mutuata, *Joh.* XX. 29. Promittit ſe, poſt *reditum* ad eum qui ſe miſerat, *miſſurum ex Diſcipulis* aliquem, qui ipſum *ſanaret*; quum ſanare vel abſentem, & verbo ſolò, & illicò, potuiſſet. Addit ex iiſdem Archivis Edeſſenis Euſebius, *Judam* qui & *Thomas dictus*, (imò dictus *Thaddæus*, nuſquàm *Thomas*,) miſiſſe poſt Aſcenſionem *Thaddæum*, id eſt, Judam miſiſſe Judam, quem Euſebius unum ex LXX. Diſcipulis, Hieronymus unum ex XII. Apoſtolis, dicit. Tacemus reliqua quæ ibidem Euſebius; adventum Thaddæi Edeſſam, hoſpitium apud quendam *Tobiam Tobiæ filium*, editas ab eo virtutes, famam rei ad Abgarum perlatam, colloquium ejuſdem cum Thaddæo, indignationem Regis ob Crucifixum Chriſtum, parati (ni obſtitiſſet metus Romanorum) Rempubl. & Gentem Judæorum bello aggredi, & *internecione delere*. Scilicet hæc Regulus vel Phylarcha unius *Edeſſæ*? Additur Epocha Anni quo hæc geſta, ſcilicet τεσσαρακοστῷ καὶ τρίτῳ ἔτει, anno XLIII. ſcil. Æræ Chr. ut quoque Baronius: Pro quô Valeſius, ex Codd. MSS. τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει, *anno quadrageſimo & trecenteſimo*, ſcil. Æræ Edeſſenorum, quæ eadem cum Ærâ Seleucidarum, qui annus concurrit cum *Tiberii* XVI. A. *Dionyſ.* XXIX. quo baptizatus Chriſtus, ſecundum *Lucam*, nec fama miraculorum adhuc diffuſa fuit. Adde ſimilium ſuppoſitionum frequentia exempla; ingenium Syrorum ad commenta pronum, ut & Græcorum; Fabulas alias, de hoc *Abgaro*, uti promiſiſſe illi Chriſtum, μηδένα τῶν ἐχθρῶν κατισχῦσαι τὴν πόλιν, *Edeſſam* ſcil. ut Conſtantinus Porphyrogen. in Opuſculis à Combefiſio editis: Sic illa de Chriſti *Imagine* θεοτεύκτῳ ad Agbarum à Domino tranſmiſſâ, ex Euagrio Scholaſtico, de quâ diximus *Hiſt. Imagin. Reſtit. Sect.* VI. p. 421. Undè infert Simonius Criticæ *Cap.* III. *Non nimis facilè adhibendam eſſe fidem primis Originibus Eccleſiarum.*

Scripta Pſeudo-Apoſtolica.

II. *Apoſtolis* Viriſque θεοπνεύστοις afflicta Pſeudepigrapha ſine fine. Factum ab Hæreticis, Ebionitis, Nazarænis, Gnoſticis, Encratitis, Marcionitis, Montaniſtis, Manichæis, &c. De his videndus Auguſtinus, contrà Fauſtum *Lib.* XXII. C. LXXIX. Nec ſemel, ubi de his Hæreſibus, ex Hegeſippo & aliis, in Hiſtoriâ Euſebius, Epiphanius in Panario, Cyrillus Hieroſol. in Catecheſi, Hieronymus de Scriptoribus Eccleſ. Gelaſius in Decreto de Apocryphis, &c. Quorum nulla ab Eccleſiaſticis Scriptoribus antiquis in veritatis teſtimonium adducta eſſe, monet Euſebius *Hiſt. Eccl.* L. III. C. III. In his ſunt potiſſimùm;

Canones Apoſtolici, ſive LXXXV. ſecundùm Græcos, Photio excepto, ſive L. ſecundum Latinos, & Bellarminum, ſive LXXXIII. ſecundùm Baronium, duobus demptis. Sunt hi de omni Eccleſiæ regimine, Ritibus, Ceremoniis, & Clericali cumprimis Diſciplinâ. Ac de his jam nos ſuprà, in Canonibus Criticis. Nec dubium quin *Apoſtolicos* dixerint Veteres, ut Symbolum *Apoſtolicum*, doctrinam *Apoſtolicam*, alia quæ traditionis Apoſtolicæ eſſe crediderunt, aut ab Apoſtolorum diſcipulis & διαδόχοις tradita fuiſſe. Sed non eſſe ab Apoſtolis hoſce Canones præſcriptos, cùm *materia* ipſa plurimorum *Canonum*, v. g. Can. I, III. IV. V. VIII. XXI. XXIII. XLVI. &c. tùm *phraſeologiæ* & voces uſurpatæ, ſenſu qui nondum Apoſtolici temporis fuit; tum conſenſus Gelaſii Romani, Iſidori Hiſpal. præter ſilentium veterum Scriptorum II. III. IV. ſeculi, qui nuſquam hos Canones, ut ab ipſis *Apoſtolis* profectos, citaſſe aut urſiſſe leguntur. Accedunt ferè recentiores Pontificii, qui Criſim ſuam exercent in Scripta I. Ætatis, ipſe Natalis Alex. *Diſſert.* XVII. *Sec.* I. præter Du-Pinum, & alios.

Διατάξεων ſeu *Conſtitutionum Apoſtolicarum Libri* VIII. edente Bovio, ſub nomine Clementis Romani, de vitâ ſcil. & moribus fidelium. Hos Libros *Æthiopica* Eccleſia in Canonicis habere traditur, & Epiphanius vocavit τὸν θεῖον λόγον *Dei Verbum*, Hær. LXXX. N. VII. ſi tamen eaſdem Conſtitutiones voluit. De quibus, & quando primùm natæ ſint, ex profeſſo Joh. Dallæus de *Pſeudepigraphis Apoſtol.* Blondellus refert ad annum Chriſti circiter CCLXXX. & plerique ad III. Seculum, recentiores autem facit Dallæus. Joh. Halloixius Jeſuita, in Vitâ Polycarpi, C. VII. fatetur *haberi in Apocryphis*, ſic Du-Pinus, & quotquot vel parùm ingenui, poſt Gelaſium in Syn. Rom. Trullanos Patres *Can.* II. Photium Sec. IX. &c. Certè forma Templorum, Conſecrationum ritus, Veſtium apparatus, Ordines diſtincti Catechumenorum, Pœnitentium, Euergumenorum, Fidelium, Decimæ, & alia multa, *tertii* demùm aut etiam *quarti* Seculi fuiſſe intelliguntur.

Pſeudo-Euangelia; ut Petri illud (præter ejuſdem *Actus*, *Prædicationes*, *Apocalypſim*, *Librum Judicii*) & Euangelia Jacobi Alphæi, Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi, Philippi, Nicodemi, &c. imò & *Evæ* & *Judæ* Iſcariotæ. Sic *Protevangelium* Jacobi Juſti, in quo fabella de Nativitate & Infantiâ Mariæ Virg. Euangelia *ſecundùm Hebræos*, ſecundùm *Ægyptios*, quod Euangelium τῶν δώδεκα, (apud Theophylactum Comm. *in Luc.* I. I.) & Euangelium *Omnium Apoſtolorum*. Quod idem fuiſſe cum eo quo Nazaræni utebantur, diverſiſſimumque in multis ab hodierno Matthæi Euangelio, conſtat ex Veteribus, & nos alibi in Diſſert. de *Scriptoribus Hiſt. Euang.* Tacemus εὐαγγέλιον quod τελειώσεως ſeu *perfectionis* dixêre Gnoſtici, apud Epiphanium *Hær.* XXVI. Meminerunt paſſim Veteres, inprimis Clemens Alex. Euſebius, Hieronymus, Epiphanius, Gelaſius in Synodo (ut creditur) Romanâ, apud Gratianum in Decreto, *Diſt.* XV. C. III.

Pſeudo-Acta Apoſtolica, ut Pauli & Theclæ, Petri, Andreæ, Philippi, Johannis, Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi, &c. Ac rejicit ipſe Baronius, ob fabulas ubique admixtas.

Pſeudo-Epiſtolæ Apoſtolicæ, ut Pauli ad Laodicenos, & ad Senecam Philoſophum: Illa olim circumlata, occaſione loci *Coloſſ.* IV. 16. hæ hodieque in Operibus Senecæ. Ac probavit ipſe Hieronymus, undè & *Senecam* Sanctorum Catalogo inſeruit; antè Hieronymum verò tacuerunt Juſtinus, Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, Origenes, Euſebius, Ruffinus; ac ſtylo ſe produnt.

Pſeudo-Liturgiæ Apoſtolicæ, quales *Matthæi* Liturgia, quæ eſt Æthiopum; *Marci* Liturgia, quæ Alexandrinorum eſt; Liturgia ſeu Miſſa *Petri*, quam ex Codice MS. Cardinalis Sirleti edidit Guil. Lindanus; ac cumprimis Liturgia ſub *Jacobi* nomine, quam tradiderit is Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, & ad quam Miſſas omnes adornatas fuiſſe contendunt quoque Leo Allatius, Abrah. Ecchellenſis, Cardinalis Bona. Quanquàm priores ferè docti omnes Pontificii in dubiis habeant, vel ſuppoſititiis. Adde Liturgias ſub *Barnabæ* nomine; item ſub nomine

Digitized by Google

ne xii. *Apoſtolorum*; ſpeciatim ſub nomine *Clementis Romani* in Conſtitutionum Libris, quam ſcil. Apoſtolis dictantibus Clemens ediderit, ac probantibus poſtremam Baronio, Bellarmino: Sed de hac fusè in noſtris Joh. Dallæus, *in Pſeudepigr.* nec probans in Pontificiis Joh. Bona Cardinalis, *Liturgicor.* L. i. Ne dicam Doctos recentiores in Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus, falſos *Liturgias Apoſtolicas* nullas haberi certiores, quàm quas exhibent Paulus i *Cor.* xi. vel Juſtinus Mart. in *Apol.* ii. proximus Apoſtolicis temporibus.

Pſeudo-Apocalypſes, ſeu *Revelationes*, quales ſub nominibus, ut *Abrahami* apud Epiphanium, *Hær.* xxxix. ſic Petri, Pauli, Thomæ, Stephani: Ità *Prædicationes* Petri, *Itinerarium* Petri, *Traditiones* Matthæi, Ἀναβατικὸν Παύλου *Aſcenſus* Pauli, *Apoſtolorum* Διδαχαὶ *Doctrina*, *Memoria Apoſtolorum*, Priſcillianiſtis auctoribus, &c. ſexcenta id genus. Ac multa horum jam primis Ætatibus nata, vel ex Clem. Alexandrino, omnibus ingenuis exploſa.

Aliis præter Apoſtolos aſficta.

iii. Viris *Apoſtolicis*, & *primæ* illius Ætatis, falsò ſimiliter inſcripta longè multa: V. gr. Sub nominibus Nicodemi, Prochori, Abdiæ Babyl. Dionyſii Areopagitæ, Lini, Clem. Romani, Martialis Lemovicenſis, Presbyterorum Achaïæ, & *Hermæ* de quo *Rom.* xvi. 14. Obvia ſunt ſcripta, ſeu ſeorſim edita, ſeu conjunctim in Biblioth. Patrum, & inter Orthodoxographa, Græca partim, partim Latina. Sed & nota in vulgus doctiorum in ipſa Rom. Eccleſiâ de hiſce judicia, collecta nuper à Du-Pino, Cave, Oudino, Tillemontio, Le Nourry, &c. Viris Clariſſ. qui adeantur. *Acta* quidem *Paſſionis Andreæ*, quæ Presbyteris & Diaconis Achaiæ tribuuntur, in modum Epiſtolæ, A. circiter Chriſti lix. & à Poſſevino, Baronio, Bellarmino, Labbeo, Allatio, & ὁμοψήφοις, nuper à Natal. Alex. habentur in genuinis, ignota fuêre primis Seculis, & toti Antiquitati, antè viii. ix. x. Seculum. Foret aliàs iſtud antiquiſſimum Eccleſiæ monumentum, poſt Apoſtolica Scripta. Sed ſuppoſitionem Acta ipſa produnt, & Hiſtoria Proconſulis Achaiæ, *Ægeæ* nomine, & geſtorum ac dictorum in *Achaia*, & *ſupplicii* Andreæ illati, iis circumſtantiis quarum pudet quotquot non obeſæ naris. Sic diverſa illa Acta, ab iis quæ finxêre olim Manichæi, apud Auguſtinum, *de Fide* contrà *Manich.* Philaſtrium *Hær.* xl. Nec alio fine à Baronio, & reliquis pro Genuinis habita, quàm ob verba quædam in ſpeciem faventia *Tranſſubſtant.* & *Sacrificio* Miſſatico, expenſa ab Aubertino de Euchar. *Lib.* ii. ſub init.

Cumprimis quæ feruntur *Dionyſii Areopagitæ* Scripta, de *Hierarchia Cœleſti*, in quâ tres Hierarchiæ Angelorum, ſingulæ in tres Ordines alios diſtributæ; Tùm de *Hierarchiâ Eccleſiaſticâ*, ubi de Divinis Myſteriis, deque ſacrorum Ordinum functionibus, conſecratione, aliiſque, etiam quæ ad *Monachalem* diſciplinam, & *Mortuorum* ſepulturam, ſpectant; Tandem, Diſputationes de *Divinis Nominibus*, de *Myſticâ Theologiâ*, &c. præter *Epiſtolas* x. quarum poſtrema eſt ad *Johannem* agentem in Patmo Inſulâ; ea non modò non eſſe Dionyſii Areop. ſed ignota fuiſſe totis v. primis Seculis, producta primùm Sec. vi. in Collatione Conſtantinopolit. à *Severianis* Hæreticis, A. 532. ac prodere ſemet ipſa ſtylo, methodo, argumento, memoratis ritibus Eccleſiæ, etiam fabulis; non modò à *Dallæo* noſtro fusè demonſtratum eſt, ſed etiam à Sirmondo, Petavio, Launoio, Adverſariis aliis primæ notæ, ac noviſſimè ab Eliâ Du-Pino, omnium inſtar, & Nic. Le Nourry, de Scriptor. i. Seculi. De *Hermæ* autem *Paſtore*, qui idem creditus qui ſub *Scripturæ* nomine citatur ab Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, Origene, major eſt ratio dubitandi. Quicquid ſit de ſententia Veterum, qui diverſimodè de hoc Libro tradiderunt, qui etiam *Apocryphis* quandoque plus nimiùm tribuêre, alii adſcripſerunt illi *Hermæ* qui Diſcipulus Pauli, *Rom.* xvi. & quem antè Excidium Hieroſolymit. ſcripſiſſe *Viſiones* ſuas, arbitrati etiam noſtrâ ætate Viri Doctiſſ. Hammondus, Dodwellus, Pearſonus, &c. alii *Hermæ* fratri Pii Epiſc. Rom. altero Seculo. Certum, qui hodiè proſtat *Hermæ Paſtorem*, Latinum tantum, jam ab ipſo Gelaſio habitum ἐν νόθοις, cenſeri Eruditis pleriſque Apocryphum, vel certè interpolatum, & ab ipſo Uſſerio Armachano in *Biblioth. Theol.* MSS. quæ ab Anglis aſſervatur, teſte ex eâ Doctiſſimo Cave. Pius tamen, & utilis hic Liber habitus ad vitam, ad informationem Morum, & eo nomine à Veteribus commendatus, ac legi publicè ſolitus in quibuſdam Græcorum Eccleſiis. Nuper etiam in vernaculum ſermonem tranſlatus, à viro Eruditiſſ. *W. Wake*, Sacellano Regio, nobiſque conjunctiſſimo, qui multa de hoc Scriptore *præfatus* eſt, & de Apoſtolicis (quos vocant) Patribus, Barnabâ, Clemente, &c.

Accedunt Libri id genus ſuppoſititii, quales de *Infantiâ Salvatoris*, de *Nativitate ejuſdem*, de *Mariæ Nativitate*, *Tranſitu*, de *Actis Martyrum*, &c. De his fuſiùs ſuprà in Canonibus noſtris Criticis; ac de *Ignatianis* quoque infrà ad Seculum ii.

iv. *Fœminis* etiam falsò inſcriptæ fuerunt *Epiſtolæ*: Tales Epiſtola *Mariæ* Deiparæ ad Ignatium, & Latina quidem; Sic *Mariæ ex Caſſobelis*, vel *Caſtabalitidis*, (à Caſtabali Ciliciæ oppido) Epiſtola ad eundem Ignatium, Græcè extans, inter Pſeudo-Ignatianas. Nec de ſuppoſitione dubitatur; & ex hac ipſâ, nata eſt commentitia altera, ſcil. *Mariæ Virginis*. Fœminis adſcriptæ.

v. *Ethnicis* & *Gentilibus* hujus Ætatis, per fraudem ſimilem, adſcripta non pauca: Sic ex. gr. Ethnicis Scriptor.

Agbaro Regi Edeſſenorum, morbo graviſſimo laboranti, Epiſtola ad Chriſtum, per curſorem miſſa, de quâ dictum modò eſt.

Pilato Judici, Epiſt. ad Tiberium, de Morte & Reſurrectione & Miraculis Chriſti, qualis habetur ſuppoſititia, in *Anacephalaioſi* Librorum v. Pſeudo-Hegeſippi, T. vii. Bibliothecæ Patrum, *col.* 573. edita quoque inter Orthodoxographa, ſed quæ dicitur, inſigni parachroniſmo, ſcripta ad *Claudium* Cæſar. De quo Hegeſippo vide Obſerv. Eccleſ. J. F. Gronovii, quod nomen laudibus non eget. Sic *Acta*, *Pilati* nomine falsò inſcripta, partim à *Gentilibus* & Perſecutoribus, in odium Chriſtiani nominis, de quibus Euſebius *Hiſt. Lib.* ix. C. v. partim ab *Hæreticis*, cumprimis Quartadecimanis; de quibus Epiphanius *Hær.* l. ut certum Paſſionis Chriſti tempus, ex *Pilati* ſcilicet relatione, ſtatuerent. Atque hæc *Acta*, Ἄκτα Πιλάτου, non una fuerunt, variè deſcripta; hinc diem Paſſionis figentes alii & plerique, in viii. *Kal. Apriles*, alii in xv. *Kal.* eaſdem, id eſt, in xxv. vel in xviii. *Martii*. Sed alia inſuper *Pilati* Acta, vel relationes ad Tiberium, finxit ſuperſtitio, de quibus Gregorius Turonenſis Hiſt. Francor. *Lib.* i. & quæ refert Bollandus ad iv. *Febr.* Cui Paſcha ſuum alligarent Quartadecimani, ſecuri illi de Lunâ xiv. Quanquàm nullum dubium ſit *Pilatum*, pro more Præſidum in Provinciis, retuliſſe ad Tiberium quæ tunc circà Chriſtum geſta, & de illo prædicata, ex Juſtino Martyre, in *Apol.* Tertulliano in *Apologet.* Euſebio in Hiſtoriâ, *Lib.* ii. C. ii. Quâ de re jam ſuprà, *Cap.* x.

Lentulo Romano, Hieroſolymitanorum Præſidi, (qualis nunquàm fuit Lentulus) Epiſt. ad S. P. Q. Romanum, de Formâ & Staturâ Chriſti; & Altera ad eundem, de Doctrinâ Chriſtianorum, Miraculis, &c. Vide inter Orthodoxographa Patrum, *Baſil.* ſuperiore Seculo impreſſa, 1569.

Senecæ Philoſopho, Epiſtolæ ad *Paulum* Apoſt. familiares, Operibus illius inſertæ, ab Hieronymo in

Digitized by Google

in *Catal. Script. Eccleſ.* & ab Auguſtino laudatæ, *Ep.* LIV. omnium autem calculo exploſæ: Quarum ſcil. ſuppoſitionum & *ſtylus*, & *argumentum*, & tempus quo *data* dicuntur, ſatis arguunt. Ne jam de ſuppoſitis *Joſepho*, & *Philoni* Judæo, dicam, quorum utrumque Hieronymus Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticor. adſcripſit: Illum, ob teſtimonium de Jeſu Chriſto, de quo alibi diſquirimus, *Antiq.* XVIII. Hunc ob laudatam *Chriſtianorum* ſcil. Alexandrinorum converſationem, & *primam Marci* apud Alexandrinos *Eccleſiam*, ſcripto Libro περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ θεραπευτικοῦ, *de Vitâ contemplativâ*, & *therapeuticâ*, apud eundem Hieronymum, poſt Euſebium, *Lib.* II. C. XVIII. Hinc non modò impoſuerunt illi Baronio, ſed & plurimis Veterum, ac recentiorum, ac nuper Thomæ Brunoni in Diatribâ de *Therapeutis Alexandr.* quam edidit Paulus Colomeſius. Vide noſtram *Diſſertat.* de Marci Euangelio.

Criteria verò quibus ſcripta primæ Antiquitatis, *Genuina* à *Suppoſititiis*, dignoſci poſſint, ſuis ſingula exemplis illuſtrata, initio hujus Hiſtoriæ rerum N.T. fusè produximus.

XVI. *Res Judæorum. Urbis, Templi, ac Reipublicæ Excidium. Quæ illud conſecuta ſunt. Doctores Judæorum ab Excidio.*

Hiſtoriæ hujus Scriptores.

FAtum tandem ſuum experta eſt Reſpublica Judæorum, prædicentibus Chriſto & Prophetis. Cujus prolixiorem Hiſtoriam, ex *Joſepho* in Libris *de Bello Jud.* tanquam teſte omnium oculato, qui quæ patriâ primùm linguâ digeſſerat, poſteà Græco ſermone expoſuit; etiam ex Tacito *Hiſt.* L. v. cumprimis & *Euſebio* L. III. *Cap.* v. (ut *Joſippum*, *Nicephorum*, alioſque taceam) exhibent in recentioribus Cæſ. Baronius, Ludov. Capellus, Jacobus Uſſerius, & Hiſtorici paſſim. Compendio obſervari debent:

Mala quæ Excid. Reip. Jud. præceſſer. Præſides Rom.

I. *Antecedanea* Judaici Excidii. Hujuſmodi fuêre varia, digna cumprimis memoratu. Ac primò variæ in Judæâ mutationes, ac perpetui motus. Et horum quidem cauſæ fuerunt, ex parte *Romanorum Præſidum*, ſive Procuratorum Judææ, inviſa ac tyrannica dominatio. Viſa jam *Pilati* illa, (indè ab anno XXVI. Æræ Vulg. ſucceſſoris dati Valerio Grato) hominis pertinacis, ac ſævi, cujus factis excitati non ſemel ad ſeditionem Judæi. Cumprimis, quando ſigna Imagine Cæſaris expreſſa Hieroſolymis noctu ille ſtatuit, quod per priores Præſides non factum; undè Judæorum motus, profectio Cæſaream, ſupplicatio facta Præſidi, hujus pertinacia, ſed tandem ceſſuri conſtantiæ Judæorum. Sic, quando Pilatus expilavit theſauros Templi, obtentu aquæductûs ducendi Hieroſolymam, à ducenteſimo ſtadio, undè tumultuantes Judæi, cædendi nullo diſcrimine, quæ pluribus Joſephus *Antiq.* L. XVIII. C. IV. qui eâ occaſione ſubjungit narrationem de *Jeſu* à Pilato in crucem acto. Tum *Cap.* ſequenti, narrat Pilatum in Samaritanos ſæviiſſe, occupato jugo montis Garizimitani, unde querelæ ad Vitellium motæ, Syriæ Præſidem, à quo Pilatus Romam ad Cæſarem miſſus, ſub extrema Tiberii, exilio à Cajo multandus; ſuffecto Marcello, in Procuratione Judææ. Mox *Marcellus* ſub Cajo Caligulâ conſtitutus Judææ Procurator, in iis partibus quæ ad Agrippæ regnum non pertinebant: Sicut *P. Petronius*, à Cajo in Syriam miſſus, cum Præſidis poteſtate, mandatum accepit, ut *Caji ſtatuam* in Templo Hieroſol. tanquam *novo Jovi*, collocaret, profanationem eam non laturis omninò Judæis, nec Agrippâ ipſo, hoc nomine ſupplice apud Cajum. Sed hinc eò pertinaciori Cæſare, qui per literas iteratò mandatum dat Petronio, de ſtatuâ in Templum inferendâ, ex Joſepho *Antiq.* L. XVIII. C. XI. & pluribus apud Philonem *Legat.* ad *Cajum.* Sed opportunè intervenit mors inſanientis Caligulæ, priuſquàm Literæ Petronio redderentur, ut ille *de Bello Jud.* L. II. C. IX.

Poſteà *Cuſpius Fadus* ſub Claudio Judææ præfectus, à quo deletus Theudas ille, qui pollicitus Judæis miraculoſum tranſitum per Jordanem, *Antiq.* L. XX. C. II. Tum *Tiberius Alexander*, ex Judæo (nepos utpote Philonis Jud.) factus apoſtata, ſub quo fames illa memoranda, *Act.* XI. 28. Hic poſteà Præfectus Alexandriæ, magnam tumultuantium Judæorum ſtragem edidit, de *Bello Jud.* L. II. C. XXI. tandem ſociatus Tito in Urbis Hieroſ. obſidione, *Lib.* VI. C. I. Hinc Judææ præfectus *Cumanus*, ſub quo repleta Urbs Latronum receptaculis, & varii in Judæâ & Samariâ motus, *Antiq.* L. XX. C. V. inſurgentibus primò Samaritanis in Judæos Galilæos, ituros Hieroſolymam ad Feſtum. Hinc cauſâ à Claudio cognitâ, & miſſo in exilium Cumano, qui faverat Samaritanis, ſuffectus illi *Felix*, A. Claudii XIII. frater Pallantis, famoſi Liberti Claudii Imp. qui tùm omnia apud Cæſarem potuit, favore Agrippinæ quam laudaverat Claudio. Felix ille, de quo *Act.* XXIV. qui Druſillam, ſororem Agrippæ Junioris, priori marito Emeſenorum regulo ereptam, ſibi junxit; & ſub quo Judæorum varia molimina & ſtrages, de quibus *Antiq.* L. XX. C. VI. ac *Jonathæ*, ſummi Pontificis, liberiùs Felicem admonentis, mors violenta, immiſſis clàm ſicariis. Poſtea Judæam ſub Nerone adminiſtrarunt *Porcius Feſtus*, de quo *Act.* XXV. hic quidem ad breve tempus, accuſandus etiam à Judæis coràm Nerone; tum *Albinus* ſucceſſor illi datus anno Ner. VIII. qui tributis, & oneribus, ac licentiâ rapinarum, latrociniorum, Judæos magnoperè afflixit, *de Bello Jud.* L. II. C. XIII. Tandem *Ceſtius* vel *Geſſius Florus*, à Nerone ſubmiſſus, A. Ner. XI. Chriſt. LXIV. ſuperaturus omnium priorum antè ſe Judææ Procuratorum avaritiam, crudelitatem, nec ſervaturus modum, occaſionem ultimæ rebellioni daret. *Duravit patientia Judæis*, ſic Tacitus, *uſque ad Geſſium Florum*, *Procuratorem*; *ſub eo bellum exortum*, Hiſtor. L. v. C. x. De quibus adi Joſephum, in poſtremis Antiquitatum Libris, & de Bello Jud. *Lib.* I. II. &c.

Herodum inviſa dominatio.

Secundò, Excidium Reip. præceſſerunt, *Herodum* varia in eâ gente geſta, ac molimina; Non modò *Magni* Herodis, qui Judæos intolerandâ ſervitute afflixit, ut viſum antè; aut *Archelai* filii, qui accuſatus tandem ſub Auguſto, in exilium actus eſt x. Principatûs anno; ſed & ſequentium ex eadem Herodianâ familiâ: Uti Herodis *Antipæ* Tetrarchæ, qui Johannem Bapt. interfecerat, à Cajo Cæſare in exilium pulſi poſt longam dominationem; Herodis *Agrippæ* Regis, Nepotis Herodis M. ex Ariſtobulo filio, de quo *Act.* XII. adulati majorem in modum Cajo, & Claudio; Herodis *Chalcidis* Regis, fratris Agrippæ Magni, cui, ſublato Agrippâ, à Claudio jus conceſſum in Templum, in Ærarium, in Summos Pontifices, defuncto A. Claudii VIII. juxtà Joſephum, tribus filiis ſuperſtitibus, *Antiq.* L. XX. C. III. Et denique *Agrippæ Junioris*, de quo *Act.* XXV. qui faciente Claudio in jus idem, & in Tetrarchias ſucceſſerat, augente dominationem Nerone. Et hic aliquamdiu Excidio Judaico ſupervixit, Romanis acceptus, ex Joſepho, quicquid Magiſtri mentiantur, à Romanis hunc antè Excidium fuiſſe ſublatum. Juſtus tamen Tiberienſis in *Chronico*, ſi Photio credimus *Cod.* XXXIII. mortuum Agrippam tradidit A. Trajani tertio, id eſt, Chriſti *centeſimo*; ſed pro τρίτῳ Τραιανοῦ, Eruditiſſ. Dodwellus legit τρίτῳ ἔ αὐτοῦ ſcil. Οὐεσπασιανοῦ, ut III. Veſpaſiani ſublatus

Digitized by Google

latus fuerit Agrippa, id eſt, anno uno & aliquot menſibus poſt Excidium Urbis, audaci certè conjecturâ. Syncellus ad A. M. 5566. Agrippæ tribuit A. XXIII. ab A. ſcil. Chriſti XLVIII. quo deceſſit Herodes Chalcidis, Claudii VIII. (ut Joſephus) qui ità Herodum Dominatum, ad C. annos extenſum, terminaverit A. Incarn. LXXI. vel LXXII. Herodum *regnum*, *ab Herode omnium primo*, *Bethlehemeticorum Infantum parricidâ*, *ad minorem Agrippam prorogatum*, *extinguitur*. *Herodes* M. *annis* 37. *Archelaus annis* 9. *Herodes ejus frater*, Antipas, *annis* 24. *Agrippa Herodis filius* (ex Ariſtobulo nepos) ὁ σκωληκόβρωτος, *annis* 7. *Poſtremò filius ejus minor Agrippa*, *annis* 23. *Quorum ſumma*, *anni* 100. Superſunt verò Nummi, relati à Fratre meo, de Uſu Numiſm. in quibus ſignatur Agrippæ Regis annus XXVI. & annus XXIX. cum effigie *Veſpaſiani*, etiam Titi & Domitiani *Cæſarum*, quod incidit in A. Ch. LXXVIII. aliquot annis à tempore Excidii.

Tertiò, præceſſerant *Summorum Pontificum* ambitio, æmulatio, factiones; quos ab Herode M. ad Templi Excidium, fuiſſe XXVIII. Hieroſolymis, plerumque malis artibus adeptos Pontificatum, obſervat Joſephus, *Lib.* XX. *Antiq.* C. VIII. Item, Judæorum paſſim rebelliones, ſeditiones, rapinæ, latrocinia per Palæſtinam, ac cædes in Urbe, & extrà illam; *Zelotarum* tandem inſani ac pertinaces motus, qui Gentem perdiderunt.

Zelotæ qui? Factio Hieroſolymitana triplex.

Zelotæ dicebantur, propago Judæ Galilæi, teſte Joſepho *Antiq.* L. XVIII. C. II. qui ſpecie zeli pro tuendâ religione & libertate, nec tributum Romanis ſolvere, nec eos pro Dominis agnoſcere volebant. Hinc obtentu excutiendi jugi Romanorum, poſtquàm cædibus & latrociniis omnia miſcuiſſent, in *Urbem* iidem recepti ſunt, duce Menahemo filio Judæ Galil. occupato mox *Templo*, tum *Idumæis* clàm acceſſitis, & in Urbem ac Templum admiſſis: Accidit A. Chr. LXVII. Neronis XIII. Undè cædes, rapinæ, incendia, *profanatio* in Loco Sancto, per hos ipſos Zelotas; quæ nullo alio igne expianda, quàm illo Romanorum, & tandem excidii. Ac eò reſpexerant Daniel, C. IX. 27. & Chriſtus *Matth.* XXIV. II. ac multi indè inchoant *mediam ſeptimanam* τῆς ἠρεμώσεως; uti Joſephus indè inchoat Bellum Judaic. Ità illi conſtituto ſibi Pontifice Maximo, *Phanniâ* quodam filio Samuëlis, nec ex Pontificibus orto, nec quid eſſet ſummum ſacerdotium ſciente, in *Ananum* ſummum Pontificem, tùm in *Jeſum* Gamalielis filium, ac nobiliores Judæorum, horrendum in modum ſævierunt. Quæ pluribus Joſephus, de Bello Jud. L. IV. A *Zelotis* mox Idumæi deficiunt, horrore ſcelerum, & ad ſuos revertuntur. Hinc nova factio per *Simonem* Gioræ filium, juvenem audacem, comparatâ latronum manu formidandum, qui, poſt *Idumæam* armis ſubactam, favore Idumæorum intrà mœnia receptus, ſuperiorem Civitatem ſeu *Sionem* occupavit. Rursùm *Zelotæ* in duas factiones diviſi, quarum una *Johannis*, è Guiſchalis Galilææ oriundi, & Hieroſolymis tandem Zelotis adjuncti, quem cum Simone Gioridâ confundit Tacitus; altera *Eleazari* fuit, qui princeps Zelotarum dux fuerat, quique à Johanne, æmulus hujus potentiæ, defecerat, occupato Templi Septo interiore, multiſque circà illud incenſis, ac magnâ frumenti copiâ; dùm *Johannes* Septum exterius, & partem Civitatis Inferioris ſibi ſuiſque tenuit. Undè *trifariam* ſic diviſa Hieroſolyma, tres inter Duces, *Simone* ſuperiorem munitioremque Civitatem, cui adfuêre X. millia Judæorum, Idumæorum VI. millia; *Johanne* Septum Templi exterius, &, juxtà Tacitum, mediam Urbem cum IV. millibus circiter armatorum; *Eleazaro* cum ſuis Septum interius Templi obtinente. Donec ſuperato per Johannem Eleazaro cum ſuis, (dùm XIV. Niſan Eleazarus Portas Templi Populo aperuiſſet) & Septo interiore ac Templo per Johannem occupato, duæ factiones remanerent, *Simonis* illa & *Johannis*; Quibuſcum *Tito* ad mœnia appropinquanti, futurum certamen. Hæc pluribus Joſephus, *de Bello Jud. Lib.* IV. V. VI. & Tacitus *Hiſtor.* L. V. C. XII.

II. *Occaſio proxima* extremarum calamitatum. Videlicet *Ceſtii Flori*, (Γεςίυ Græcis, ut Γαΐος & Cajus, ex Ceſtiorum familiâ, malè *Sextius*, Γέσιος Joſepho *Antiq.* L. XX. C. IX.) Judææ Procuratoris, Albino per Neronem ſucceſſoris dati, avara in Judæos crudelitas, expilationes, rapinæ, ſupplicia ſumpta, undè expugnata Judæorum patientia. Secutæ hinc Cæſareæ, Hieroſolymis, & paſſim Judæorum in Romanos rebellio, ſtrages, quæ tandem in fatale Genti bellum exarſerunt; Rege Agrippâ nequicquam renitente, circa ultima Neronis, Imperii XII. anno Chriſti circiter LXVI. Quo ferè tempore Paulus Apoſtolus iteratò Romam petiit, ubi conjectus in vincula, tandem gladio Neronis percuſſus eſt, anno (ut traditur) *Neronis ult.* Prolixiſſimè autem ſuperiora Joſephus, in fine *Antiq.* & *Lib.* II. *de Bello Jud.* Quanquàm Suetonius in *Veſpaſiano*, rebellionis aliam cauſam dicat; Opinionem ſcil. quæ Oriente toto percrebuiſſet, *eſſe in fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur.* Quod Oraculum, verè in Chriſto impletum, Judæi rebellantes ad ſe traxerunt, vanâ ſpe inflati; Romani autem, & Joſephus ipſe, ad Veſpaſianum Imperat. retulerunt, qui *Judæâ profectus*, Imperium adeptus fuit. Joſephus autem, Judæus quamquàm, obſidionis *Hieroſ.* & Excidii Gentis ac Reipubl. ex parte cauſam fuiſſe ſtatuit, Gentis *ſcelera*, *Zelotarum* cumprimis, qui Urbem perdiderunt; tùm *necem Jacobi*, *fratris J. Chriſti*, quæ *bonis omnibus & legum ſtudioſis vehementer diſplicuiſſet*, Antiq. L. XX. C. VIII. Ità quidem tradidit Origenes, ſic exiſtimaſſe Joſephum, & Judæos ejus temporis, *Homiliâ Gr. in Matth.* Editionis Huëtianæ, *pag.* 223. Idem refert Euſebius, Hiſt. *Lib.* II. C. XXII. ità δοξάζειν τοὺς Ἰουδαίων ἐμφρονας, *ſic exiſtimaſſe Judæorum prudentiſſimos.*

Occaſio proxima Excidii.

III. Auctores Excidii Judaici, ex parte *Judæi* ipſi, ſuimet interitûs cauſa, ex parte verò *Romani*. Ac *primus* gradus calamitatis, poſt Ceſtii Flori violentum, jam ultrà annum, dominatum, à *Judæis* exordium cepit, A. XII. Neronis. Quando nempè *Eleazarus*, Anani Pontificis filius, Præfectus militibus Templi, & tunc Zelotarum in Urbe caput, perſuaſit Judæis ne hoſtias pro Cæſare & Romanis offerrent, ut moris erat. Quâ occaſione mox Hieroſolyma turbis mixta, & ſeditioſi, adjunctis ſicariis intrà Urbem, breviſſimo ſpatio temporis, invadunt Templum & *Inferiorem* Civitatem, mox *ſuperiorem* incenſâ Agrippæ regiâ, & domo ipſius Anani Pont. tum *Turrim Antoniam* præſidium Romanorum; tandem tres munitiſſimas Turres, *Hippicum*, *Phaſaëlem*, & *Mariamnem*, Romanis ad deditionem adactis ipſo Sabbathi die: Et hæc ope *Menahemi*, ſicariorum ducis (qui Zelotarum ſe nomine velabant) filii Judæ Galilæi, à quo *Maſſada* paulo antè, præſidium Herodianum validiſſimum, capta direptaque fuerat; ſed ipſe *Menahem* paulo poſt, cum *Ananiâ* Pont. ab Eleazari factione, oppreſſus fuit. Hæc pluribus Joſephus, de Bello Jud. L. II. C. XVII. XVIII. Adde tumultuantes paſſim Judæos, totâ Palæſtinâ, Syriâ, & Alexandriæ Ægypti; hinc viciſſim ſtrages Judæorum editas immanem in modum, cæſis Cæſareæ ad XX. millia Judæorum, Alexandriæ ad L. millia; & paſſim per Syriam, & Palæſtinam, luituris Judæis furores exercitos, & rebellionem in Romanos excitatam.

Auctores Excidii. Belli Jud. Gradus diverſi.

Hinc *ſecundus* quaſi belli gradus, quando *Ceſtius Gallus*, Syriæ Præſes, (qui paulo antè Hieroſolymis,

 mis,

mis, in Feſto Paſchatis, Judæorum adversùs Ceſtium Florum clamores audiverat; edoctus tum etiam de numero agnorum Paſchalium, qui 256500. tùm cæſi, minimùm *pro vicies centenis* & *ſeptingentis millibus*, Joſepho teſte, de Bello Jud. L. VII. C. XVII.) cum validâ Romanorum, & ſociorum manu, adjutus ab ipſo Agrippâ, adverſùs Hieroſolymam movit, Urbem obſeſſurus, Ptolemaide, Joppe, Lyddâ antè incenſis. Ac jam Inferiorem Civitatem tenuit, & Bezetham, ac Superiorem quoque, Judæis intrà Templi interiora concluſis, jamque oppugnatum Templum erat à Romanis, quum Ceſtius obſidionem ſubitò ſolvit, de eventu deſperans, ac fugâ ſibi & ſuis conſuluit, Antipatrida receſſurus. Hinc Judæi quaquaverſùm ſe ad Bellum muniunt, conſtitutis Ducibus; intrà Urbem quidem præfecto Joſepho Gorjonidis filio, & Anano Pont. in Idumæam miſſo Eleazaro, à quo ſeditionis in Romanos initium ſuprà fuit; Galilææ verò utrique præfecto Joſepho Matthiæ filio, qui ipſe Α'ρχαιολόγος, hæc deſcribens, de B. Jud. L. II. C. XXV. &c. Prudentioribus quidem ingemiſcentibus, ad prævifas Gentis & Urbis calamitates.

Mox *tertius* Belli gradus excepit, quum Nero monitus literis Ceſtii Galli, *Veſpaſianum* ſubmiſit ad compeſcendam Gentem Judæorum, A. Chriſti LXVII. Neronis XIII. Qui terreſtri itinere in Syriam delatus, prout Titus maritimo in Ægyptum, ac collecto exercitu LX. mille armatorum, quà equitum, quà peditum, *Sepphorim* Galilææ mediterraneam præſidio munit; hinc *Gadaram* capit; tùm *Jotapatam*, Urbem inter Tiberiada & Magdala, in quâ Joſephus concluſus, cum ingenti Judæorum multitudine, poſt ſeptem ſeptimanarum obſidionem, tandem vi expugnat; ipſeque Joſephus captus Veſpaſiano ſiſtitur, cui prædixit Imperium, teſte etiam Suetonio in *Veſp.* C. V. Hæc multis idem Joſephus de Bello Jud. L. III. C. V. VI. &c. Hinc totam ferè Galilæam ſubigit, ac Urbes cumprimis *Tiberiada*, *Tarichæam*, *Gamalam*, *Guiſchala*, undè *Johannes* ille, Zelotarum tandem caput, Guiſchalis Hieroſolymam evaſit: Mox *Tranſamnanam* occupat; *Judæam* univerſam atque *Idumæam* pervadit; per *Samariam* caſtra ducit Hierichuntem; hinc Cæſaream reverſus, ad obſidionem Hieroſolymitanam omnia parat: Dùm Judæi undique *Hieroſolymam* fugerent, ut ad tutiſſimum receptaculum, intereà cædibus, latrociniis, factionibus miſcendam; quò refert Joſephus necem *Zachariæ* cujuſdam, filii *Baruch*, divitiis, auctoritate inter Hieroſolymitanos præpollentis, qui nonnullis creditus *Zacharias* ille de quo Chriſtus *Matth.* XXIII. Intereà *Neronis* mors Veſpaſiano nunciatur, mox hanc alii in Romano Imperio motus exceperunt: Donec ſalutato *Veſpaſiano* in Imperatorem, Alexandriæ quum eſſet, hinc à toto Exercitu, & ab omnibus Syris, hic Judaicum bellum conficiendum *Tito* relinqueret.

Obſidio Hieroſ.

IV. Hinc tandem *Titus*, Patre ad Imperium admoto, Alexandriâ Cæſaream ſeſe confert, ac ingentem exercitum cogit, belli Judaici reliquias ex voto Veſpaſiani confecturus, Urbemque ac Templum, licet præter inſtitutum, deleturus. Et hic *quartus* gradus eſt Judaici Belli, quem Urbis, Templi, & Gentis excidium excepit, legendus præcipuè apud Joſephum de B. J. *Lib.* VI.

Ac *Judæi* auctores ipſimet fuêre excidii ſui; Hieroſolymâ nullâ vi expugnandâ, niſi feciſſent interni motus, Zelotarum furores, ſtrages, ac inter ſe factiones, quæ Urbem oppreſſêre. Adeò ut ipſe Titus, poſt Urbem expugnatam, Dei mirabile auxilium, ac de Gente vindictam, ſuſpiceret, Joſepho teſte, *de Bello Jud.* L. VII. C. XVI. Sed neque gratulantium populorum voces idem Titus admiſit, non enim ſe tantarum rerum auctorem, ſed *Deum* Genti *iratum*, Philoſtrato in *Vitâ Apollonii* referente, *Lib.* VI. C. XIV. Quare nec JUDAICI cognomentum, inter titulos alios, Veſpaſianus aut Titus, leguntur admiſiſſe.

Tempus obſid. & Excidii.

Tempus Urbis poſtremò *obſeſſæ*: Scil. Veſpaſiani anno II. Æræ Chriſt. ſecundùm Scaligerum, Uſſerium, Capellum, Chronologos pleroſque, anno LXX. at ſecundùm Baronium LXXII. (qui confundit annum Chriſti *verum*, cum anno *Dionyſiano*) Urbis autem Cond. DCCCXXIII. Et paulo antè Feſtum *Paſchatis*, quum non modò in Urbem Gens tota confluxiſſet, ad ſolennia Azymorum; ſed & factionibus Simonis Gioridæ, Johannis Zelotæ, & Eleazari, mox à Johanne in ipſo die Azymorum opprimendi, Urbs tota ſcinderetur; *frumento* etiam, ſufficiente aliàs plures annos ad ſuſtentationem Urbis, cum aliis circà Templum, per factiones Zelotarum incenſo, ac corrupto, ut Joſephus L. VI. C. I. *de Bello J.* Tempus verò *Templi incenſi*, (invito quidem Tito, faciente autem milite quodam Romano, qui ignem in *θυρίδα χρυσῆ feneſtram auream*, hinc in Cellas Templo circumſtructas, immiſit, teſte Joſepho, de Bello Jud. L. VII. C. X.) fuit X. dies *Auguſti* ſequentis; Totîus tandem *Urbis expugnatæ*, & Civitatis *ſuperioris*, fuit dies VIII. *Septembris*, in ipſo Sabbatho, quo Titus Urbem ingreſſus eſt: Urbe totâ miſerando deinceps ſpectaculo, mox Titi juſſu excisâ, nec tamen *aratro* ſuprà ejus ſolum inducto, quicquid Magiſtri tradant; at evulſis ipſis *Templi* fundamentis, ne quid ad prædictionem Chriſti deeſſet, non ſuperfuturum *lapidem ſuprà lapidem*: Parte autem Muri Urbis Occidentali, & tribus Turribus exceptis, *Hippico*, *Phaſaëlo*, *Mariamne*, memoratis in *Deſcriptione* Topographicâ *Hieroſ.* Ideò autem has ſupereſſe voluit Titus, ut eſſent fortunæ ſuæ monumentum, miratus munitiones, & magnitudinem operum, ac ſolidam ſuprà cautes altitudinem, & alia quæ teſtimonium futura poſteris, qualem Urbem Romani evertiſſent; *Deo planè adjuvante, ac Judæos deſerere tanta munimenta* jubente, *de Bello J.* L. VII. C. XVI. Hæc pluribus Joſephus, dicto l. de Bello Jud.

Magnitudo calamitatis.

V. *Magnitudo calamitatis*, tanta fuit, ut, Joſepho Hiſtorico teſte, (qui Genti in eo bello navavit egregiam operam, Galilææ à Judæis præficiendus, ſed captus in excidio Jotapatæ Urbis, & ad Veſpaſianum ductus, tandem libertate donatus, & gratiâ etiam Imperatoris) ceciderint cùm gladio, tùm fame, ac lue peſtiferâ, in ſemeſtri ferè obſidione, XI. *Centena millia* hominum; quæ ſtrages, intrà Urbis unîus mœnia, & infrà ſpatium ſemeſtre, ſine exemplo. Capti verò ac venditi XCVII. *mille*, & in captis *Simon ac Johannes*, factioſorum capita, pœnas condignas luituri. Nec vero hos zelo accenſos fuiſſe patet, non tantum ex *ſacrilegiis* in res ſacras admiſſis, & Templi donaria, de quibus Joſephus L. VI. C. *ult.* ſed etiam ex turpi in cloacas fugâ, ubi præſens mortis imago apparuit, qui juſjurando ſe obſtrinxerant, deditionem non facere, quod fecêre tandem: *Johannes* primò ſe ultrò dedens Tito victori, tùm *Simon*, aſſervandus triumpho Romano, hinc ſupplicio. Porrò non mira videri debet tanta hominum ſtrages, intrà unam Hieroſolymam, quum ad feſtum *Azymorum*, eo tempore, ex Paſchalium hoſtiarum numero, confluxiſſe intelligantur *viginti ſeptem centena millia* hominum, qui mundi eſſent ſecundùm Legem. *Famis* autem horrenda & inaudita, Joſephus deſcribit, L. VI. C. XI. XVI. L. VII. C. VII. VIII. &c. quæ initio *Maii* jam plebem afflixit, ſenſim habitura majora incrementa: Uſque adeò ut *talento* unus modius vænierit, jamque ad *Kal. Jul.* CXV. millia & DCCC. egenorum, poſteà ultrà DC. millia portis elata fuerint; tandem (mittimus alia quæ apud Hiſto-

ricum)

Digitized by Google

ricum) ut exeunte *Julio*, *Mater* infortunata, è nobili genere, in proprium infantem, mammis avulſum, ſævierit, atque in ollâ coctum medium comederit, ſervatura reliquam partem futuræ cœnæ. Adi Joſephum, L. VII. C. VIII. & exhorreſce, ac calamitatis magnitudinem, qualem nulla prior ætas vidit, ex ipſomet diſce. Reſpondit illa omni ex parte prædictionibus *Danielis*, *Amoſi*, *Chriſti*; atque ità Gens relicta ſine *Templo*, ſine *Sacrificio*, ſine Ephod, Cultu, Fœdere, &c. Præter Judæorum ſtrages & interneciones alias, Palæſtinâ totâ, & paſſim in Syriâ, Africâ, Ægypto, &c. de quibus jam ſuprà.

Divina in hoc Excidio & Admiranda.

VI. *Circumſtantiæ* hujus Excidii quædam dignæ ſunt æternâ memoriâ, in quibus præcipuæ ſequentes: Primò ratione *loci*, dùm Urbis & Templi obſidio ab eâ potiſſimùm parte cœpit, (Romanis uſque ad vallem Cedron, indè à Pſephinâ, mox extenſis, & Urbem cingentibus) undè fuſæ Chriſti ſuper Urbe *lachrymæ*, *Luc.* XIX. 41. Dein ratione *temporis*, obſidio cœpta in feſto Azymorum, XIV. tùm Niſan, quo tempore Iſraëlitæ olim Ægypto egreſſi; poſteà in Terram introducti; quo dein Chriſtus cruci fuerat affixus; & Gens quaſi tota intrà Hieroſolymas concluſa. Tùm Templi incenſio, illo ipſo die & menſe, *Auguſti* x. ſeu Loi Macedonici, quo ſub *Nebucadnezare* Templum prius conflagrarat, & quidem feriâ VI. imminente *Sabbato*, ſed jam æternum abolendo. Acceſſêre, *Titi Imp.* irriti conatus, quibus Urbem ab excidio, (veniâ ſæpè Judæis oblatâ, & *Joſepho* aliquoties ad eos miſſo) Templum verò ab incendio ſervare voluit, cum periculo vitæ, ſed renitente vi majore, Dei de Gente vindictâ. Dein expugnatio Urbis totius in ipſo *Sabbato*, in fine anni Civilis, *Septembri* ineunte, quando ceſſaturum Sabbatum, & cùm Civitas ipſa, tùm ſtatus Civilis *Judæorum*. Modus etiam obſidionis, prædictus à Chriſto, περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί πάντοθεν, *Luc.* XIX. 43. quando nempe Titus omnem Urbis ambitum ac circuitum *muro* XXXIX. ſtadiorum cinxit, caſtellis ædificatis circum circà XIII. omni ſpe evaſionis Judæis præcludendâ. Quod etiam Veteres ſedulò obſervarunt, Chriſtiani nulli in eo Excidio deleti, qui juxtà Chriſti prædictionem, *Luc.* XXI. 20. 21. & divino quodam inſtinctu præmoniti, paulo antè ad *montana* confugerant, & *Pellam* Transamnanæ, adſcriptam Decapoli, obſervantibus Euſebio, *Lib.* III. C. V. & Epiphanio in *Hæreſi Nazaræorum*. Adhæc obſervanda veniunt ſigna iræ divinæ prænuncia, in Palæſtinâ ipſâ; qualia ſunt, *Regni* ſeu Tetrarchiæ unîus in aliam irruptiones, ſtrages, fames, peſtiferæ lues, proximè antè obſidionem: Concuſſio totîus *Romani Imp.* indè ab extremis Neronis, motibus obortis inter Othonem, Vitellium, Veſpaſianum, Tacito ipſo obſervante: *Pſeudoprophetæ* & ſeductores exorti, *Zelotæ* factioſi, de quibus anteà, & orti ex Judæis ipſis Simon Magus, Theudas, Philetus, Hymeneus, Cerinthus, Ebion, Pſeudo-Apoſtoli: *Euangelium*, jam antè Excidium, & τέλος Reip. Judaicæ, toto Orbe Romano inter Gentes *prædicatum*, & Populus novus aſſumptus, antè repudium Veteris: Item, ne *lapis relictus ſuper lapide*; Templi certè nullâ parte ſervatâ, imò ut Magiſtri tradunt, & Maiemonides in תעניות, C. VII. *aratro* ubi illud ſteterat *inducto*, tacentibus Rom. Hiſtoricis: Tandem calamitas verè tanta cui ſimilem nulla vidiſſet, nulla videret ætas, *Matth.* XXIV. 2. 21.

Addi poſſent, Anni *Sabbatici*, ſecundùm quoſdam Chronologos, fruſtraneus tùm reditus, certè *Sabbati* ſervilis & Judaici; Templo incenſo feriâ VI. Urbe captâ ipſo Sabbato, quum Typo nihil amplius eſſe opus: *Ceremoniarum* & *Sacrificiorum*, veritate exhibitâ, opportuna atque æterna abolitio, deleto Templo, & loco quem ſibi Deus elegerat: *Herodianæ* familiæ, tam anteà numeroſæ, circà hæc ferè tempora interitus, infrà ſeculum duraturæ, Joſepho ipſo obſervante deſiiſſe in Herodis Chalcidis (fratris Agrippæ M.) nepotibus, quos *tres* recenſet, *Antiquitatum* L. XVIII. C. VII. De *Gente* denique totâ divina & admirabilis vindicta, duratura donec facinus ſuum intellexerit. Conferantur prædictiones Danielis *Cap.* IX. & Chriſti Domini *Matth.* XXIII. XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI. cum his ipſis, & cum Hiſtoriis Joſephi, Taciti, Euſebii, locis antè indicatis.

Omina imminentis Excidii.

VII. Accedunt ſigna & prodigia, ſeu *omina*, quæ hanc calamitatem Judæorum præceſſerunt, & varia illa, Joſepho referente, *Lib.* VII. C. XII. ac ipſo Tacito, *Hiſtoriar. Lib.* V. C. XIII. & Photio, *Bibl.* Cod. XLVII. Ex. gr. *Jeſu* cujuſdam, Anani filii, hominis plebeji, quadriennio antè cœptum Bellum, Albino præſide, emiſſæ derepentè in publico ferales voces, & *Væ* horrendum, adverſùs *Hieroſolymam* & *Templum* & *Cives* intonatum, continuatumque ad ipſum tempus Obſidionis; quicquid hominem pœnis ac tormentis coërcerent: Vox illa, in interiore Templi Septo, ipſâ Pentecoſtis die à Sacerdotibus audita, *Migremus hinc*, vel ut Tacitus, *Excedere Deos*; quâ occaſione accidiſſe ut *migrarint* Chriſtiani Pellam, non abſonum fuerit ſtatuere: Porta Orientalis *ænea*, quam vix *viceni* aperire poterant, (quod & Magiſtri narrant) ſponte horâ noctis VI. adaperta, *expaſſæ*, inquit Romanus Annalium ſcriptor, *repentè Delubri fores*: *Lux* inopina, affulgens circà *Templum* & *Altare* imminente Bello, horâ nonâ nocturnâ, ipſo die *Azymorum*, ut *dies* eſſe videretur, in præſagium flammæ quæ Templum & Aram abſumeret: Prodigia alia memorata Antiquitatum Judaic. Scriptori, viſa Hieroſolymis in Cœlo, in Templo, uti *Aſtri* ſuprà urbem pendentis, *Gladii* minacis inſtar, ῥομφαίᾳ παραπλήσιον, &c. Vide Joſephum.

Quæ proxime conſecuta Excidium.

VIII. Denique, huc ſpectant ea quæ Excidium proximè *conſecuta* ſunt. Qualia ſunt: Superba *Templi* Hieroſol. *ſpolia*, Romam tranſportata, ut Vaſa Sacra ex auro puro, Menſa aurea πολυτάλαντος, Candelabrum aureum, Veſtes ſacerdotales auro & purpurâ intextæ, Liber Legis, Vela Sanctuarii purpurea, &c. & poſteà à Veſpaſiano in *Templum Pacis* à ſe ædificatum illata: Excepit Veſpaſiani & Titi de ſubactâ Judæâ ſuperbus *Triumphus*, A. III. Veſpaſ. LXXI Æræ Chriſt. DCCCXXV U. Cond. in quo præter opima illa *ſpolia* palàm circumlata, *Simon* ille Goriæ fil. in pompâ circunductus fuit, laqueo quo cæſus primò, hinc ſtrangulatus fuit, circundatus: *Arcæ* verò inter ſpolia nulla mentio apud Joſephum, ſicut nullum locum invenit inter *vaſa* abducta, & reducta ab Eſdrâ, aut Jeremiæ memorata; quanquam meminit Gruterus Inſcriptionis Arcæ Titi triumphalis, in quâ *Arca Fœderis* quoque inter ſpolia memoratur: Hinc *Lucilius Baſſus* miſſus in Judæam legatus, à quo *Machærus* ultrà Jordanem, & *Herodion*, Caſtella munitiſſima, in poteſtatem Romanorum redacta, ut prolixè Joſephus, de *B. Jud.* L. VII. C. XXV. ac magna Judæorum, qui excidio ſuperfuerant, ſtrages edita: Tum Baſſo mortuo ſuffectus *Fulvius Sylva*, qui *Maſſadam*, arcem validiſſimam excidit, & reliquias Belli Judaici confecit: *Judæa* etiam, juſſu Veſpaſiani, & ejus terræ omnes divenditæ, *Emmaunte* ad habitandum relictâ; LX. ſtadiis Hieroſolymis diſtante: *Nummi* etiam Veſpaſ. Imperatoris cuſi, hac cum Inſcriptione, *Judæa Capta*, *Judæa devicta*, paſſim in Gazis: Inſcriptio etiam reperta, quæ apud Gruterum eſt *fol.* CCXLIV.

IMP. TITO. CÆSARI. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUG. PONTIFICI. MAX. TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P.

Digitized by Google

P.P. PRINCIPI. SUO. S.P.Q.R. QUOD. PRÆCEPTIS. PATRIS. CONSILIISQUE. ET. AUSPICIIS. GENTEM. JUDÆORUM. DOMUIT. ET. URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE. DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUSQUE. AUT. FRUSTRA. PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT. Ità dum Titus Hieroſolymit. *Templum* evertit, Veſpaſianus Romæ inſtauravit *Capitolium*, purgatis ruderibus, & factâ Dedicat. XI. Kal. Jul. ex Dione, & Suetonio. In quod Capitolium inferri quotannis deinceps juſſit nummum *didrachmum*, quod in Templum inferri ſolitum, Joſepho teſte, de B.J. *Lib.* VIII. C. XXVI. & Dione Caſſio *Lib.* LXVI. ex Xiphilino: Quanquam loco Didrachmi Sacri, *Patriarchæ* Judæorum poſteà per *Apoſtolos*, & ἐγκύκλια γϱάμματα, exegêre à Synagogis *Aurum Coronarium*, de quo alibi. Pariter ſecuta eſt excidium Templi Hieroſol. alterius illud in Ægypto, quod *Onion* vel *Oniæ* dicebatur, in agro Heliopol. ædificatum, metu tumultuantium identidem Judæorum, per Lupum Præf. Alexandriæ, ablatis donariis, occluſio; quod tandem à Paulino, Lupi Succeſſore, penitùs inacceſſum redditum, poſtquam nihil donariorum, ἀναθημάτων, in eo reliquiſſet. Narrat rem Joſephus, de *Bello J. Lib.* VII. C. XXX. Sed vitioſâ hujus Templi Epochâ ſignatâ, quod ſtetiſſe dicit, ex quo conditum fuerat, annos CCCXLIII. Cui tam enſtruendo licentiam primùm impetravit Onias, filius Oniæ III. A. Græcorum CLXI. antè Chr. CLII. de quo in Chronologicis. Tandem ſecuta eſt Gentis per Orbem Terrarum diſperſio, ac novi ſubindè conatus, ſpes novæ, tantâ Gentis multitudine ut datura Leges Victoribus videretur:

Latiùs exciſæ Gentis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos Natio victa premit.

Magiſtri hoc tempore clari habiti. Claruerunt apud Judæos, proximè antè, vel etiam ab Excidio Templi, omnes ex Scholâ Hillelis (qui c. circiter annis floruit antè Excidium) præ cæteris R. *Gamaliel* ſenior; R. *Johannes* filius Zechai, quem acceptum ferunt fuiſſe Veſpaſiano & Tito; tum R. *Gamaliel* ſecundus; R. *Eliezer* Haggadol, à quo ſunt *Pirke* ſeu *Capitula* Patrum; tandem R. *Akiba*, Proſelytus, qui Gamalieli II. ſucceſſiſſe dicitur, x. annis defuncto poſt Excidium, quique *ſecundus* habetur, aliis *tertius* ex Doctoribus תנאים, ſeu Miſchnicis vel Traditionariis. Primum horum ferunt ab Excidio *Gamalielem*; & hos antè fuerant Doctores *Horæi*, ab הורה, quos cenſent ab obitu Simeonis Juſti, ad Excidium Urbis & Templi. Tribuit Zacuthus in Libro *Juchaſin*, tribus Doctoribus Judæorum ſingulis annos CXX. *Hilleli* nempè, *Johanni* filio Zechai, & *Akibæ*. Confundunt nempè Ætatem horum trium, cum Principatu vel præſidio; quod faciunt XL. annorum in ſingulis, id eſt, conjunctim CXX.

Joſephus Hiſtoric. Extrà horum ordinem collocandus *Joſephus* Matthiæ vel Mattathiæ filius, ex ſacerdotali familiâ, malè Judæis idem cum *Joſippo* Gorionis filio, qui de *Bello Judaico* Hebraicè extat, & quem verum Joſephum Magiſtri mentiuntur. Qui natus ſub initia Caligulæ, A. Æræ D. XXXVII. Romam dein à ſuis miſſus ſub Nerone; Præfectus poſteà utrique Galilææ, in ipſis Belli Judaici exordiis; tandem in Veſpaſiani ac Titi ſe favorem inſinuavit. Ac Romæ quidem, ſcripturus primò Hiſtoriam Ἁλώσεως, cui non *Agrippa* modò multis ad eum literis, ſed & Titus manu ſuâ ſubſcripſiſſe fertur, ut Joſephus in *Vitâ ſuâ*, p. 1026. his Libris in Biblioth. Publicâ collocari juſſis. Dein *Antiquitatum Judaicarum* Opus, anno XIII. Imp. Domitiani, Ætatis ſuæ LVI. hinc *Vitam* ſuam, quandam Antiquitatum Appendicem, Romæ concinnavit: Mortuus ſub extrema (ut videtur) Domitiani; ac *ſtatuam* ſibi erigi à Romanis meritus, Euſebio teſte, *Hiſt.* L. III. C. IX.

XVII. *Memorabilia Miſcella; Fabuloſa plurima. Res Gentilium, & Status Ethniciſmi. Alia quæ ad Hiſtoriam Eccleſiæ, & Romanorum quoque, ſpectant.*

De Pilato quæ referuntur. OBſervaſſe hîc compendio, in modum ſpicilegii, ſuffecerit: I. Quæ de *Pilati* interitu referuntur. Qui poſtquam Judæam *decennio* toto gubernaſſet, ab anno Æræ Dion. XXVI. ad XXXVI. à Vitellio Syriæ Præſide primùm Romam ire juſſus eſt ad Cæſarem, & ſe purgare ab accuſationibus Judæorum, ut Joſephus *Lib.* XVIII. *Antiq.* C. V. Romam tamen, quæcunque ejus itineri interceſſerint, non pervenit niſi poſt mortem Tiberii, quæ accidit menſe *Martio*, Anni Vulg. XXXVII. Hinc ſub Cajo Calig. relegandus, imò adeò coarctandus, variis calamitatibus, ut *ſemet propriâ manu interfeciſſe* referatur, in Chron. Euſebiano A. XL. ex *Rom. Hiſtoriæ* ſcriptoribus, id eſt, ex Phlegonte Mathematico, in Ὀλυμπιονικῶν ϗ χϱονικῶν εἰσαγωγῇ, cujus meminit Photius, *Cod.* XLVII. ut Scaliger in ſuis Animadverſ. MMLV. Concinunt Oroſius, Caſſiodorus, Ado Viennenſis, qui in *Chronico* ſuo, Ætate VI. poſtquam de *Herode Tetrarchâ* Viennam Allobrogum relegato, de Pilato ſubjungit: *Pilatus, qui ſententiam damnationis in Chriſtum tulerat*, & *ipſe exilio perpetuo Viennas recluditur. Tantiſque ibi, irrogante Cajo, languoribus coarctatus eſt, ut ſuâ ſe manu tranſverberavit, ac malorum compendium celeritate quæſiverit.* Sed de *Viennenſi* Exilio, primus Ado *Viennenſis* Epiſc. ex ſuorum traditione, medio Sec. IX. Cui traditioni fabellæ aliæ acceſſerunt: Ut de *lacu Pilati*, in Helvetiâ ſito, Joachimus Vadianus ad *Plinii* Lib. II. ferri ait, manifeſtare ſe ibi quotannis Pilatum cum veſte Judiciariâ, quem ſi quis viderit, intrà annum moriatur.

Fabulæ Hiſt. Euangel. & Apoſtol. aſſutæ. II. *Fabulis* & compoſitis mendaciis, indè ab origine fermè Chriſtiani nominis, horum malitiâ, illorum ignorantiâ & credulitate propalatis, nec modum nec finem eſſe, ſuperiora docuerunt. Hujuſmodi ſunt illa quorum pudet doctiores in Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus, Sirmondum, Petavium, Holſtenium, Rigaltium, Launoium, Baluzium, Du-Pinum, Pagium, quandoque etiam Papebrochium, Tillemontium, &c. repoſita tamen, probata, aut fuco illita, à Baronio, Allatio, & ejuſdem farinæ viliſſimis mancipiis, ac nuper à Natali Alexandro in *Sec.* I. *Hiſtoriæ Eccleſ.* Verbi gratiâ Fabula, de B. *Mariæ Magdalenæ*, *Lazari* fratris, & *Marthæ* ſororis, cum *Marcellâ pediſſequâ*, *Maximino*, *Cidonio* qui cœcus à nativitate, aliiſque, in Galliam appulſu, A. XLIV. & Maſſiliam quidem; indeque Lazaro primo Meſſilienſium, ut & Maximino primo Aquenſium Epiſcopis; Magdalenæ Pœnitentiâ, actâ iſtâ in Antro vel ſpeluncâ quæ S. Balmæ dicitur; Marthâ apud Tharaſcos Galliæ Norbonenſis depoſitâ, &c. Quæ ex profeſſo à Doctiſſ. Launoio *Diſquiſit.* de Magdalenâ Maſſilienſi advenâ, & annexis, confutata ſunt; fruſtrà notante *Cenſurâ* Aquæ-Sextienſium Theologorum, & eludente argumenta Launoii, ut Monachi ſolent, Natali Alex. Dominicano prædicto, quem vide, ſi tanti eſt. Sed & quædam hac de re ſuprà, *Cap.* VIII. ubi de Fundatione Eccleſiarum.

Inter fabellas, & conſuta mendacia, ſimiliter habuerunt in quibus vel gutta ingenui ſanguinis fuit, illa quæ finguntur ex Apocryphis Scriptis: V. gr. De *Simeone* Sacerdote; *Anna* matre Virginis; *Joſepho* ſponſo; *Mariâ* θεοτόκῳ, quæ infinita ſunt, ut de ejus Nativitate (ſcribente ea ſcil. *Jacobo*) Infantiâ, Vitâ, Morte, Reſurrectione, &c. De *Caſâ* Mariæ, Lauretum deinceps ab Angelis tranſlatâ; De

Za-

Zachariâ patre J. Bapt. De *Magis* Regibus, & Tranſlatione eorundem; *Infantibus*, qui Innocentes appellantur, ab Herode occiſis, & quos XIV. millia Græci faciunt; *S. Veronicâ*, ejuſque ſudario; *Latrone* converſo, & antè baptizato ſcilicet; S. *Longino* milite, transfodiente latus Chriſti; De *Capite* Joh. Baptiſtæ variè tranſlato, & à variis Eccleſiis aſſervato, &c. Ità quæ traduntur, de *Joh. Apoſtolo* ſponſo, in nuptiis celebratis in Canâ Galilææ, quem Nicephorus Calliſti dicit fuiſſe *Simonem Cananæum*, poſteà Apoſtolum; De Jacobi Majoris in Hiſpanias profectione, antequam ſub Agrippa pateretur; De *Reliquiis* ejuſdem Iriam Flaviam ſeu Compoſtellam delatis; De Socio Martyrii ejuſdem apud Euſeb. L. II. C. IX. Sic de *Petri* itineribus, & actitatis, ex Metaphraſte; de *Johanne* Apoſtolo non mortuo, ex verbis Chriſti *Joh.* XXI. 23. aut etiam à mortuis ſuſcitato, ut pluribus in Florentii *Notis* ad Martyrolog. De *Andrea* Apoſtolo, poſt varia certamina cruci affixo, de quibus Acta Paſſionis Andreæ; De *Thomâ* ad Indos profecto, ad Malabaras, ibique paſſo; De *Bartholomæi* martyrio, ex Indis in Armeniam delato, & ibi variè paſſo, Uranopoli, alii Albaniæ civitate, ignotâ veteribus Geographis; De *Philippo* Galliarum Apoſtolo, & ejuſdem *filiabus*, confuſo Philippo Apoſtolo, cum Euangeliſta; De *Dionyſio Areopag.* in Galliis Pariſiorum Epiſcopo, & martyre; ſententiam hanc tuito nuper Nat. Alexandro, initio T. II. *Hiſt. Eccl.* ridente Eruditorum in Galliâ choro: Et quæ ſunt hujus generis prope infinita, indigna quæ retractentur, multa à me jam in ſuperioribus indicata, & diluta, locis quæque ſuis. Cumprimis ubi his inſiſtit Annalium Eccleſiaſtic. Scriptor.

De Apollonio Tyanæo fabulæ.

III. Fuit hoc Seculo Gentium Doctor famoſiſſimus, & tributis illi portentis ac præſtigiis inclytus, *Apollonius Tyana* Cappadociæ urbe inclytus, hinc *Tyanæus*, ſub Nervâ extinctus, major centenario. De quo mira & portentoſa ex Philoſtrato, Vitam Apollonii ſcribente ſub Severo, tertio inchoato Seculo, & ex Hierocle Philoſopho ſub Diocletiano eadem confirmante, in præjudicium doctrinæ & vitæ Servatoris, Euſebius Cæſarienſis libello de Miraculis adſcriptis Apollonio, dein Anaſtaſius Nicænus, Photius in Biblioth. Suidas, & alii retulerunt. Prolixus eſt in his commemorandis Baronius, ad An. Chriſti LXVIII. N. XCI. &c.

Ut vixerit hujuſmodi Apollonius, clarus cumprimis ſub Flaviis, & ſub Nervâ; ut Indorum Brachmanum, & Pythagoræorum diſciplinâ imbutus fuerit; ut eâ larvâ ſapientiæ, & temperantiæ opinione, & portentoſis in ſpeciem artibus, Chriſtianæ Religionis curſum apud Gentilium multos ſufflaminaverit, nulli intercedimus. Quomodò ex eâdem Pythagoræ diſciplinâ prodiit *Baſilides*, *Manes*, undè incantationes, & Magicæ præſtigiæ, quas cum Pythagoricis communes illi habuerunt. Aſt fuiſſe hujuſmodi illa Apollonii, ut αὐτοδίδακτος Linguas omnes calluerit, ut cogitata & intima animorum habuerit explorata, ut futura prædixerit, ut compedes ſibi ipſi ſolverit, ut quæ Romæ fiebant ea *Epheſi*, eodem temporis articulo, nunciarit, ut Dæmonas pro imperio ejecerit, peſtem Epheſi graſſantem averterit, ægros ſanarit, ſuſcitarit mortuos, diſparuerit ἄφαντος Magicis artibus, & quæ id genus alia illi tribuuntur, (teſtibus ſcilicet Imperatoribus, Nerone, Veſpaſiano, Tito, Domitiano, teſte Româ, Ægypto, Aſiâ univerſâ) nemo Hiſtoricus retulit antè Philoſtratum, poſteriorem toto & ampliùs Seculo, cujus alia παραλογώτατα, ἀπιστότατα, ἀνοίας μεστὰ obſervat Photius, *Codice* XLIV. Tacent ea certè Tacitus, Suetonius, Plinius, Plutarchus, Dio Caſſ. Celſus, reliqui omnes anteriores Philoſtrato; niſi quos hic ipſe teſtes fingit. Lud. Vives, de Tradend. Diſcipl. *Lib.* V. *Philoſtrati Apollonius penè totus, figmentum eſt rabioſum, ac blaſphemum, hominis in fingendo non inexercitati, quique hiſtorias comminiſceretur de iis quæ nemo unquam vel vidiſſet vel audiviſſet.* Et Gabr. Naudæus Medicus Clariſſ. invehitur hoc nomine in Philoſtratum, totum hoc de Apollonio, ejuſque præſtigiis, commentum, ut ſtylum exerceret, in Libro quem contrà *Magiæ* accuſationem ſcripſit. Lucianus hujus *Apollonii* meminit ſanè, (niſi alium Apollonium Tyanæum velit, iſto juniorem) ſed meminit ut Pſeudo-mantis, ubi Alexandri impoſturas detegit, ex hujus diſciplinâ profecti, in *Pſeudo-Manti.* Sed & *Hierocles* Philoſophus *Chriſto* æquiparare Apollonium ſuſtinuit, Libro in hanc rem ſcripto, egregiè & modeſtè flagellandus Euſebio, Λόγῳ hac de re ſcripto. In quo ad oculum demonſtrat, falſiſſima narrari, & quæ ſe ipſa ex narratis deſtruunt, ut quod Linguas omnes noſſet, hæc & illa prædixerit, miracula patraverit, &c. Tum Damim & Maximum, ex quibus ſua Philoſtratus, mentitos eſſe pleraque, aut ſecus interpretatos quæ Epheſi, Romæ, & coram Veſpaſiano, Domitiano, Nervâ Impp. geſta; vel tribuiſſe tandem Apollonio, quæ veriùs illudenti & colludenti Dæmoni tribuenda, qualia narrantur apud Indos & Brachmanas, Magicis artibus celebres, vel ipſo judice Philoſtrato, & de quibus Photius *loco cit.* Nec *Divorum* cultus illi adſcriptus legitur, niſi poſt commenta *Philoſtrati*, nempè ſub Caracallâ, Alagabalo, Alexandro Severo, qui in Larario habuerit imaginem Apollonii, teſte Lampridio; non duraturâ credulitate. Vide & P. Molinæi Vatem, *Lib.* III. C. XV.

Gentilis ſuperſtitio.

IV. *Ethniciſmi* autem, florentis Orbe toto, compendium fuit: Deorum Dearumque multitudo infinita, ut nulla Gens eſſet quæ non Deos ſibi haberet peculiares, Genios, Penates, Cuſtodes Genios; V. gr. *Phryges* Cybelem Deorum matrem, *Ægyptii* Oſirim, Apim, Serapidem, *Lybes* Hammonem, Phœnices, *Syri* Aſtartem, quæ *Dea Syria*; Sic Afri Uranon, Tyrii Herculem, Cyprii Venerem, Athenienſes Minervam, Argivi Junonem, Lemnii Vulcanum, Delphi Apollinem, Naxii Bacchum vel Dionyſium, Epheſii Dianam, Lacones Jovem Epidotam & Σκοτίταν, Carthaginenſes Junonem, Lampſaceni Priapum, Arcades Panem, Hetruſci Janum bifrontem, Cyziceni Solem Elagabalum, Latini Faunum à quo Fanum, *Alabandi* Cariæ Alabandum conditorem, Sabini Semonem Sancum & Feroniam Deam, Romani Romulum vel Quirinum, Germani Mannum. Præter Deum ἄγνωστον cui Ara Athenis, Deos ξενικὰς ſeu *Peregrinos*, quos oppoſuere Diis *Patriis* πατρῴοις θεοῖς, & quos Romani adoptarunt univerſos, hinc univerſarum ſe Gentium Imperia meruiſſe. Sic receptus orandi modus, *Obſecro Deos Deaſque*, *Superos Superaſque*; receptus & ubique Simulachrorum infandus cultus: Ità Mortuorum Conſecrationes, ἀποθεώσεις, Æternitas illis dari credita, ac Divinitas; Animarum credita Metempſychoſis; Philoſophorum in Græciâ, Latio, (ex Pythagoræ, Platonis, aut Zenonis ſcholâ) Druidum in Occidente, Magorum in Oriente, Brachmanum apud Indos, &c. placita, ac diſciplina; Sacerdotum, Flaminum, Haruſpicum, Augurum, &c. ſacra; Ludorum ſine fine ſpectacula, ac Feſta in honorem Deorum. Et quæ alia, ex Ethnicis hujus Ævi Scriptoribus, Cicerone, Suetonio, Tacito, Plinio, Plutarcho, Dione, &c. tùm ex primis Chriſtianorum *Apologiis* ac Diſputationibus, intelliguntur. Sed & de Gentilium Religionibus, cumprimis Græcorum ac Romanorum, præter Lilium Gyraldum, in Hiſt. Deorum, & alios, plu-

Digitized by Google

plura à me indicata ſunt in *Hiſt.* V. T. ad Epoch. VI. & VIII. Ludibrium verò quo Romani habuêre Chriſtianam Religionem ſubnaſcentem, ut Religionem vel *Superſtitionem novam*, *inſanam*, *immodicam*, *maleficam*, *exitialem*, notis locis ex Tacito, Suetonio, Plinio, &c. dicere hoc loco ſupervacuum. Hinc *Græcis* eadem vel Ἕλλησι (quod Gentilis religionis nomen eſt, ut Judæus Judaicæ) μωρία habita, 1 *Cor.* 1.23. Ut non tam argumentis, quàm ſannis, contumeliis, imò ſuppliciis perſequendam cenſuerint, ut ſuprà *Cap.* IX. & deinceps ad ſequens Seculum. Profeciſſe tamen videntur ex Chriſtianorum cum doctrinâ tum vitâ, recens cognitâ, Philoſophi poſteriores, Seneca, Epictetus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, &c. quâ de re aliàs.

Oraculorum ceſſatio. V. Memorabilis ceſſatio *Oraculorum*, cujus illuſtre initium in ſilentio Apollinis *Delphici*, ferè circà Chriſti exhibiti tempora. Nam aut nulla ampliùs ſecundùm *M. Tullium*, aut vilia nec ἔμμετρα edebat Oracula, ſecundùm *Plutarchum*, Libello Περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *de Oraculis deficientibus*, & altero, Περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν. Hinc Prophyrius in Chriſtianos invectus, quod *mortales, ex quo Jeſus colitur, nullam ex Diis utilitatem ſenſerint.* Juvenalis ſcribens ſub Domitiano, *Sat.* VI.

—— *Quoniam Delphis Oracula ceſſant;*
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Et Plutarchus, *Bœotiam nunc prorſus deſtituiſſe Oracula.* At cauſa, quam probat Baronius, in *Apparatu*, N. XXV. ex Cedreno, Suidâ, Nicephoro Calliſti, expreſſa ſcilicet in hoc *Apollinis* reſponſo ad Auguſtum Cæſ.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum,
Aris ergò dehinc tacitus abſcedito noſtris,

habere Auctores vetuſtiores debuit, ad faciendam fidem. Verior cauſa, Chriſtus exhibitus, ſumma *Prophetiarum*; idem verum Patris *Oraculum*, in Urim & Thummim figuratum; pudor Ethnicorum, ad tam evidentes, in edendis illis *Oraculis*, & multifarias quidem fraudes, in eâ luce Euangelii, de quibus dictum ſuprà, ad *Epoch.* III. *col.* 317. *Satan ligatus* per illum qui habet clavem abyſſi, & vis illius fracta, per diffuſionem Euangelicæ Doctrinæ; & quæ id genus aliæ, deficientium Oraculorum, etiam hiſtoricæ cauſæ. Conſummatum hoc *ſilentium* fuit, circà exceſſum Apoſtolorum, omnibus tùm ferè Oraculis ſilere juſſis, ex Lucano, Juvenali, Plutarcho qui hac de re Commentarium ſcripſit. Nec negarunt olim Luciani, Celſi, Porphyrii, adverſarii Chriſtiani nominis. Quanquam conſuli à ſuperſtitioſis, & faſcinatis hac opinione Deorum reſponſa dantium, hinc indè non defierunt, hâc & ſequenti Ætate; ut Ammonis Oraculum, Daphnæum, apud Lebadiam in Trophonio antro, ex eodem Plutarcho, & Hiſt. Auguſtæ Scriptor.

Fabuloſa. VI. *Fabuloſa* autem planè ſunt, quæ ex dictis Græculis, Cedreno, Nicephoro, &c. adfert Baronius, à noſtris quandoque ſuſcepta credulâ mente. Ex. gr. de dicto *Reſponſo* Apollinis ad Auguſtum Cæſarem, Oraculum conſulturum: De *Arâ* ab Auguſto hinc Romæ in Capitolio erectâ, cum inſcriptione, *Ara Primogeniti Dei*, quæ deinceps in Eccleſiam verſa eſt, dicendam hodieque *Ara Cœli*: De eodem, appellationem *Domini* idcircò recuſante, quod naſciturus erat *Dominus* dominantium, Dei *Filius*; *Virgine* eidem Auguſto, in aëre, ſublimi apparente, cum Infante in ulnis, &c. quæ videſis in *Apparatu* Baroniano, & refutata à Caſaubono *Exercitat.* I. N. XII. XIV. &c.

De Virgilii Eclogâ IV. Mirè & fefellit cùm Veteres, Euſebium inprimis, Conſtantinum M. Auguſtinum, alios, tùm Recentiores, *Ecloga* IV. Virgilii, relata tanquam ex *Sibyllæ Cumanæ* vaticiniis, ad *Chriſti nativitatem ex Virgine*, ſub Imperio Auguſti, & Conſulatu Pollionis, feliciſſima ſecum tempora allaturam.

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas, &c.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primùm
Deſinet, & toto ſurget gens aurea Mundo,
Caſta fave Lucina; Tuus jam regnat Apollo, &c.

Tùm referenda ea Ecloga fuit, ad *Chriſti beneficia*, redemptionis illud, remiſſionis peccatorum, ac conciliationis cum Deo Patre.

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetuâ ſolvent formidine terras.

Divinitas quoque Servatoris viſa eſt eo Carmine aſſerta, & *Reſurrectio*, *Aſcenſio*, &c.

Ille Deûm vitam accipiet, Diviſque videbit
Permiſtos Heroas; & ipſe videbitur illis.

Pacem etiam de quâ Prophetæ ſub Meſſiæ regno, prædixiſſe credita Sibylla;

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem, &c.

Contritionem etiam *Serpentis*, qui primos homines in fraudem induxit, expreſſiſſe creditur Vates,

Ipſa tibi blandos condent cunabula flores,
Occidit & Serpens, & fallax herba veneni,
Occidit, &c.

Ità quoque Iſaacus Voſſius nuper cenſuit, in nupero ſuo de *Sibyllinis* Commentario, hæc ipſa ex *Eſaiæ* C. VII. fuiſſe deſcripta, ac ſub *Cumææ* Vatis nomine à Judæis Alexandrinis edita, undè ea habuerit Virgilius. Quæ quidem ſeu ſententia *Conſtantini* M. quæ habetur *Orat. ad Sanctorum Cœtum*, C. XVIII. XIX. XX. XXI. ſeu nupera *Iſaaci Voſſii*, an perſuaſura ſit Viros aliquam hodie judicii & doctrinæ laudem promeritos, alii arbitrentur. Quanquàm Eraſmus Schmidius, in ſuâ hac de re Diſſertatione, *rem ipſam loqui*, ſcil. de Chriſto hæc intelligenda; Quæ & Petri Molinæi ſententia fuit, Vatis ſui *Lib.* III. C. XIV.

Mens Poetæ. Sed pace tantorum Virorum, reſpexit Poëta, ad natum Pollioni Conſuli filium Saloninum, A. IV. Auguſtanæ potentiæ, annis XL. antè Æram Vulg. Cujus Natales dùm gratulatur, blanditur ſimul Patri, Filio, Auguſto Cæſari; pollicetur, tanquam quæ Sibyllæ *Cumana Carmin.* eſſent prænunciata, *renovationem* totius Orbis, *Inſtaurationem* Temp. *Aureæ Ætatis* reditum, *progeniem* hominum *novam*, reditum & *Virginis* Aſtrææ ſeu Aſtartes, Reginæ *Cœlorum* habitæ, & omnimodæ *felicitatis*, *qualis ſub Saturnio regno*: Hoc *initurum* eſſe *Conſule* Aſinio *Pollione*, cui Collega Cn. Domitius Calvinus: *Regnante* verò vel imperante Auguſto, quem *Apollinem* dicit, nempè ſimulacro & inſignibus Apollinis ſæpius repræſentatum, affectantem & nomen, & honores Apollinis. Undè *Apollo Actiacus*, *Palatinus*, in Palatio ſcil. dicatus ab Auguſto, poſt Actiacam victoriam; *Apollini Auguſto*, Inſcr. in Nummis ſæpè, cùm Cytharâ, Plectro, Ramo ſc. oleæ, &c. quod Symbolum affectarunt ſæpè ſequentes Auguſti; ſic Auguſtus *Thurinus* appellatus, ab *Apolline Thurio*, hic verò à Tauro cornupetâ, qui Chaldæis תור, תורא θῶρ, undè θούριος, de quo in Numiſmatibus Magnæ Græciæ, in Theſauro *Brandenburg.* Hunc ait, (niſi velit *Saloninum* jam Pollioni natum) in *Deorum* & *Heroum* numerum aliquando tranſcribendum, & *patriis* Julii Cæſaris *virtutibus* recturum *Orbem pacatum*; redditâ Orbi ſecuritate ac pace, profligatâ priorum temporum *formidine*, & abolitâ *ſcelerum*, qualia ſub ferreo Seculo, triſti memoriâ; & loco *Serpentum*, ac *herbæ* mortiferæ, naſcituris *floribus* & *Aſſyrio Amomo*. Cætera reſpondent, quibus Poëta luxuriante ſtylo, & Poëticâ exaggeratione, deſcribit felicitatem temporum ſub Auguſto, tùm læta quævis portendit Salonino & Parentibus, adulatus hac ratione & Cæſari, & Conſuli Pollioni. Neque profectò Virgilius oculis uſurparat aut legerat *Sibyllæ Cumanæ Carmina*, pridem exuſta Olymp. 173.

Digitized by Google

173. conquiſitis dein undique quæ illorum locum ſupplerent, teſte Dionyſio Halic. L. IV. & quorum inſpectio patebat ſolis Patriciis & Quindecim-viris Sacrorum: Sed ſic canit, communi Romanorum opinione imbutus, contineri illis Carminibus fata Urbis Æternæ, uſque ad finem magni illius anni Platonici, & reſtaurationem rerum omnium, ſub Aureo Seculo. Quamvis non defuerint qui exiſtimarunt, non ad Sibyllarum Carmina reſpicere Poëtam, ſed ad Heſiodi Poëma, quo *quatuor Ætates* deſcribit, *Auream* ſub Saturni regno, &c. cujus Heſiodi pater *Cumis* Aſianæ *Æolidis* habitaſſet, indè profecturus *Aſcram* Bœotiæ. Similis autem adulatio Virgilii, quâ blanditur Auguſto, legitur Æn. VI. *verſ.* 789.

> ——— *Hic Cæſar, & omnis Juli*
> *Progenies, magnum Cœli ventura ſub axem.*
> *Hic Vir, hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis,*
> *Auguſtus Cæſar, Divûm genus; aurea condet*
> *Secula qui rurſum Latio, regnata per arva*
> *Saturno quondam,* &c.

Ἀποπήματος ſive Euſebii, ſive Conſtantini M. dicto loco, in explicandâ Eclogâ Virgilii, & trahendâ ad Conceptionem ex Spir. S. & Nativitatem Filii Dei ex Virgine, ad conditionem Eccleſiæ, ad fructus eximios Pacis, felicitatis, gaudii, ex ejuſdem Nativitate & Morte naſcituros; præter malè intellectum Ciceronem de *Divinat.* L. II. & rationem *acroſtichidum*, in *Sibyllinis* Carminibus; vide expenſa illa & perſtricta tùm magno Blondello, Tractatu Gallico de Sibyllis, *Cap.* XI. XII. XIII. XIV. tum H. Valeſio in Annotat. ad Euſebium, quos egregiè vindicavit contrà Craſſetum Joh. à Marck V. Clar. mihique Collega conjunctiſſimus.

Memorabilia Miſcellan. **Indulgentia Paſchalis, quando cœpit?** VII. Inter *memorabilia* quæ huc referri poſſent, illuſtrandæ Hiſtoriæ S. ſunt verbi gratiâ: Mos ille apud Judæos *indulgentiam* faciendi *reo*, feſtivitate Paſchali, ut & cæteris Feſtis Majoribus, de quo meminit Euangelica Hiſtoria. Quæ quidem non à Judæis profecta, quibus nefas erat de pœnâ capitis remittere, judicante lege χωεὶς οἰκλεμῶν, non à Regibus, non ab Ethnarchis, aut à Synedrio; ſed à Romanis, & quidem poſt Judæam in Provinciæ formam redactam ſub Auguſto Cæſ. Hinc ad morem Græcorum diebus *Cereri* τῇ Σωτείρᾳ & *Magnæ* Deæ Sacris, & Romanorum illum tempore Lectiſternii, hanc poteſtatem induliſſe videtur Auguſtus Præſidibus Prov. Judaicæ, aliquem ex reis capitis dimittendi, *Matth.* XXVII. 15. Ac ſimilem poſteà indulgentiam Paſchalem conceſſit reis & vinctis Valentinianus Senior, A. Ch. CCCLXVIII. lege hac de re latâ, Cod. Theod. L. IX. T. XXXVIII. Excepit tamen, *Sacrilegos, reos Majeſtatis, necromantiæ, veneficii, adulterii, raptûs, homicidii*: Imitati Gratianus, Valentinianus Junior, Theodoſius, factâ poteſtate Præſidibus Provinciarum, etiam non expectato Edicto Principis, L. IX. hoc *Tit.* de *Indulgentiis Crimin.*

Uxores permiſſæ Provinciar. Præſidibus, quando? Mos & erat Romanorum, interdicendi *mulierum & uxorum comitatu* Provinciarum Magiſtratibus, quæ ſcil. *pacem luxu, bellum formidine morarentur*; & quæ cauſæ aliæ apud Tacitum, *Annal.* III. C. XXXIII. Etiam ſub Auguſto, vix permiſſum Rectoribus Provinciarum, nec niſi hybernis menſibus, uxores interviſere; licet Auguſto Livia, Germanico Agrippina, in Provinciis comites itinerum legantur. At ſub Tiberio, quicquid obſtaret Severus Cæcina, hujus ſententia eluſa, & mos antiquus obtinuit, ne uxores à maritis divellerentur in gerendo in Provinciis Magiſtratu, & dùm adirent longinqua Imperii, Tacito eodem teſte. Hinc *Pilato* Judææ Procuratori comitem fuiſſe *uxorem*, in Euangelio legimus, *Matth.* XXVII. 19.

Caligula vult pro Deo coli. Nota inſania *Caji Caligulæ*, qui non tantùm à Romanis pro *Deo* coli voluit, ſed & à Judæis, miſſâ per Petronium ſtatuâ ſuâ, quam in Templo Hieroſolymitano collocari juſſit, nomine *Novi Jovis, Illuſtris Caji*: Proritante quidem Apione Alex. reſiſtentibus Judæis, ac eo nomine Legationem ad Cajum ſuſcipiente Philone Judæo, ut viſum ſuprà ex Joſepho, & Philone, *Cap.* XV. ubi de Rebus Judæorum. Imò *Templum* nomini ſuo proprium extruxit, & *Sacerdotium* in honorem ſui, inſtituit, & veſana alia, quæ legantur apud Suetonium, C. XXII. XXIII. &c.

Judicium Dei in primos Perſecut. *Domitii Neronis* initia ſanè fuêre optima, orſi à pietate in Patrem; matri ſummam rerum permittentis; profeſſi ſe imperaturum ex præſcripto Auguſti; Clementis tùm, Liberalis, Modeſti; in Literas proni; in Judiciis, in Conſiliis, maturè de omnibus decernentis, & quæ laudabilia alia leguntur apud Hiſtoricos. Mox evaſurus ex homine bellua, in Britannicum filium Claudii, in matrem Agrippinam, in Conjuges Octaviam, Popæam, in Senecam præceptorem, in Optimos quoſque nullo diſcrimine ſæviturus; Parricida, Hiſtrio, Auriga, Citharœdus, Cynædus, Inceſtuoſus, Incendiarius tandem, ipſâ Urbe incendi juſſâ anno Imperii XI. ut Trojæ ardentis imaginem exprimeret. Quâ occaſione diximus natam Perſecutionem in *Chriſtianos*, uti mox natum Bellum *Judaicum*, A. XII. Neronis, de quo abundè ſuprà. Inter tot flagitia, quaſi mortale faſtigium egreſſo, *Templum Divo Neroni* decernitur. Sed ut nemo malus felix, ſic in magiſtrum ſcelera ſua redierunt, non impunè abiturum; variis ominibus primò territum, poſt deſertum ab univerſis, etiam *amicis*, tandem ferrum jugulo adacturum, & cui mori beneficium fuit. Primum ſic inter *Eccleſiæ Perſecutores* Divinæ Nemeſis exemplum, apud Lactantium *de Mortibus Perſecut.* C. II. Poſt hunc, interjectis aliquot annis, alter Tyrannus exortus eſt; Domitianus nempè, qui *tutus regnavit, donec impias manus adversùs Dominum tenderet*; tùm demùm luiturus pœnas, nec ſatis ut interficeretur domi, niſi etiam *memoria Nominis eraſa eſſet, ut neque Imaginum, neque Titulorum ejus relinqueret Senatus ulla veſtigia.* Verba ſunt ejuſdem Lactantii, C. III.

De Galba, & Veſpaſiano quædam. *Galba*, laudatiſſimarum virtutum exemplar, dùm Miles, Dux, Proconſul fuit, ſub alieno Imperio: Major privato viſus, dùm privatus fuit, & omnium conſenſu capax Imperii habitus, *niſi imperaſſet*, imò affectaſſet imperium, conſpiratione factâ dùm Proconſul in Hiſpaniis eſſet. Quod ipſum de multis Principibus obſervarunt Hiſtorici. Contrà de *Veſpaſiano*, majorem viſum, poſtquàm factus eſt *Imperator*. *Veſpaſiani* X. annos imperaturi, ab A. Ch. LXIX. tum *Titi* filii, veneno maturè nimis ſublati, poſt biennale Imperium, quæ huc ſpectant, dicta ſunt in Hiſtoriâ Excidii Hieroſolymit. De Veſpaſiano Imperatore, non omittendum illud Taciti *Hiſtor.* L. IV. eundem inclamanti ſe *cæco*, *uſum lucis*, & alteri qui *manu æger*, *uſum manus*, ſolo attactu Principis reſtituiſſe, adſtante in Urbe Alexandrinâ multitudine: Quod ipſum de Hadriano Spartianus, *cæco nato* ſolo attactu Principis viſum reſtitutum, pro quo mavult Salmaſius, *veteri cæco*. Similia de Pyrrho, *ſpleniticos* ſanante ſolâ compreſſione pedis, & de Francorum Regibus, ſalivâ ſuâ *ſtrumoſos* morbo liberantibus. Factum, illinc credulâ ſuperſtitione plebum, hinc fœdâ adulatione eorum qui Principes circumſtant; tum & ratis Principibus *cuncta fortuna ſua patere*, ut Tacitus: Ne de occultis fraudibus jam dicam, qualium myriades in Hiſtoriis Monachorum, ac Miraculis quæ venditat quotidie Romana ſuperſtitio.

FINIS PRIMI SECULI.

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ

SECULUM SECUNDUM.

INcidunt *Seculi Secundi* primordia in annum à Chriſto nato, ſecundùm Æram Vulgarem, ci. *Trajani* verò Imperatoris iii. Pontifice (juxtà Baronium) *Clemente* Romano, qui tamen anno c. Cherſonæ in exilio deceſſit, & anno lxxvii. Epiſcopatum Romanum abdicâſſe fertur, probante ex Damaſo vel Anaſtaſio Ant. Pagi; aliis A. lxxxiii. locum feciſſe *Euariſto*, ut ex Eutychio Alex. Pearſonus; Dodwellus autem ſediſſe A. demùm xci. Sic alii Clementi præponunt *Cletum*, alii etiam *Anacletum*; quos poſtponunt Clementi Onuphrius & alii, & quos diſtinguit quoque Pagius, ſcil. *Cletum* & *Anacletum*: Contrà Henr. Valeſius, Halloixius, Mabillonus, ex antiquiſſimis Indicibus, & Herm. Contracto, ſic Pearſonus, Dodwellus, *hos* meritò unum eundemque fuiſſe autumant. Rursùs Anno Chriſti ci. *Euariſtum* in Sede Romanâ locant alii, alii eundem ſediſſe tantum ad A. xci. hinc *Alexandrum* illi ſuffectum; quem Martyrol. Romanum paſſum ſub Trajano Anno Imp. xix. & ità Pagius in Criticâ, Baronius verò paſſum ſub Hadriano. Adeò de primis Romanæ Eccl. Epiſcopis eorumve ſucceſſione, incerta & vana ferè omnia, & aliter Euſebius, aliter Tertullian. Epiphan. aliter Vitæ Pontif. Damaſo adſcriptæ; uti *Acta* eorum Pontificum recentiora eſſe conſtat. De quâ re plura diximus, in *Hiſt. Papæ Fæminæ*, ubi de conturbatâ Chronol. Pontificum Romanorum.

Hoc porrò Seculo ſtrictim & ſummariò obſervanda veniunt:

I. *Statu Chriſtianæ Eccleſiæ, ſub initium hujus Seculi.*

Status Imperii.

QUò referri debent, i. *Status Imperii*, ſub initium hujus Seculi, imperante ſcil. *Trajano* (ab A. Vulg. xcviii.) cujus tum annus iv. agebatur. In quo Principe ut Clementia, Juſtitia, Beneficentia, undè *Optimi* cognomentum, commendantur, ſic certum ex Lactantio qui inter bonos Principes refert, ex Euſebio, & ſuffragantibus ferè hodie Eruditis, nondum illi expreſſum in Chriſtianos Reſcriptum ullum, nec Perſecutionem adhuc in eos excitatam, quicquid Baronius eam ad exordium propemodum Imperii Trajani referat. Sed ex Baronio fruſtrà deſideres certam rationem temporum; ſic putavit idem *Plinium* Juniorem ſtatim à geſto Conſulatu (qui incidit in Trajani iii. Septembri menſe, Chriſti Vulg. c. juxta Baronium ci.) miſſum Proconſulem in Bithyniam, vel Legatum Auguſti, Conſulari poteſtate. Quod fuſè refutatum à Noriſio, in Epiſt. Conſulari, & Pagio ad A. Chriſti cii. & Doctiſſimis Chronologis aliis: Quod factum A. cx. ut Pagius; & Perſecutionem demùm motam anno cxi. occaſione ſolemnium quæ tum celebrata, id eſt, *Quindecennalium* Imperii Proconſularis, ex quo Trajanus Collega Imperii creatus à Nervâ, & confirmat *Idacius* in Faſtis. Alii referunt Plinii in Bithyniam legationem ad A. Æræ Vulg. ciii. ut Guilielmus Lloydius, referente Pagio, in Annales Baron. p. 25. quo Nomine doctius nullum nec venerabilius habet hodiè Britannia. Felix adhuc itaque, quoad ſtatum externum, naſcens *Eccleſia* fuit, ineunte Seculo, indè à Domitiani nece; occupato tùm in Daciâ Trajano, de quibus Dacis mox triumphavit, undè *Dacici* cognomentum. Quando Plinius *Auguris* dignitatem exercuit, ex Epiſtolis *Lib.* iv. Ep. viii. & *Lib.* x. Ep. xiv. & *Quinquennalia* celebrata Imperii Proconſularis Trajani.

ii. Diffuſa jam per Orbem univerſum Chriſtiana Religio fuit, ſparſâ illius doctrinâ per *Aſiam*, in Palæſtinâ, Syriâ, Armeniâ, Arabiâ, Parthiâ, Babyloniâ, Aſiâ Minore, Inſulis Cypri, Cretæ, Marii Ægæi: Per *Africam*, in Ægypto, Cyrenaïcâ, Libyâ, Æthiopiâ, &c. Per *Europam*, in Græciâ, Macedoniâ, Thraciâ, Illyrico, Italiâ, Hiſpaniâ, Britanniâ, &c. Nec Urbes modò principes impleverat, ſed & *pagos vicoſque*, ſcribente ad Trajanum Plinio, *Epiſt.* xcvii. *Lib.* x. *Neque enim Civitates tantùm, ſed Vicos etiam atque agros Superſtitionis iſtius contagio pervagata eſt.* Undè nati poſteà, ex multiplicatione Eccleſiarum per Oppidula, Vicos, Pagos, *Chorepiſcopi*, primâ ſui origine quaſi οἱ χωρῶν ſeu ἐν ταῖς χώραις ἐπίσκοποι, vel ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, Epiſcopi vel Paſtores *rurales*, *vicani*, *villani*, etiam *regionarii*, iidem cum Presbyteris: De quibus tamen nulla in Eccleſiaſticis Scriptis mentio (non in Epiſtolis Ignatii, non in Canonibus, aut Conſtitutionibus vulgò Apoſtolicis) antè Concilium Ancyranum, *Can.* xiii. & Neo-Cæſarienſe, *Can.* xiii. Conſtantino jam ad Imperium admoto, & prærogativâ *Epiſcopali* adſtrictâ majorum Urbium Epiſcopis. Propagatus jam Chriſtianiſmus.

iii. *Superſtites* tùm in Eccleſiæ Doctoribus, referentibus Irenæo, Euſebio, &c. E. gr. ex Apoſtolis *Johannes*, qui ſub initium hujus ſeculi Anno ci. Epheſi defunctus creditur, ſepultus, *nonagenario* major; Longævitate utique donatus, non fabuloſâ immortalitate, vel reſurrectione ex mortuis, quæ Seculis vi. vii. demùm venditari cœpta. Nec tamen certus eſt annus emortualis Johannis, quem Irenæus non definit. Euſebius in *Chron.* facit *centeſimum* Chriſti, Trajani iii. Conſulib. Trajano iii. & Julio Frontone. Chronicon Alex. refert ad A. Chr. civ. lxxii. annis à Paſſione Chr. quum *centenario* major eſſet Johannes, plane decrepitæ ætatis. Dubium omnino eſt, quot annos vixerit à reditu ex Patmo Inſ. aut quotum annum egerit, quum in Chriſti Diſciplinam ſe dedit; uti dubia pleraque ſunt quæ de Apoſtolis traduntur, & Euangeliſtis, Lucâ, Marco, ac lxx. Diſcipulis. Doctores Eccleſiarum, ineunte Sec. ii.

In *Hieroſolymitanâ* Eccleſiâ ſuperſtes adhuc *Simeon* filius Cleopæ, qui & Zelotes, *frater* Jacobi Juſti, ut Nicephorus Conſtant. in Χρονολ. vel ἀνεψιὸς *patruelis*, ut Epiphanius Hær. lxxviii. & cui ſucceſſit in Epiſcopatu Hieroſolym. ſuffragio Apoſtolorum, teſte Euſebio *Hiſt.* L. ii. C. xi. An immediatè illi ſucceſſerit, an poſt annorum aliquot intervallum, ut Chronicon Alexandr. parùm intereſt. Malè confunditur à Pſeudo-Dorotheo, Iſidoro, cum Simone Judæ vel *Zelotâ*, de quo pariter fabu-

Digitized by Google

buloſa tradunt Nicephorus & Græculi. Simeon Cleopæ annum ætatis cxx. attigiſſe dicitur, martyr ſub Trajano A. cvii. aliis ſerius, de quo ex Hegeſippo Euſebius *Hiſt.* L. iii. C. xxxii.

In *Alexandrinâ* Eccleſiâ fertur vulgò quartus à Marco Epiſcopus, *Cerdo*, ab Hananiâ vel Aniano tertius, proximus ab Abillio vel Avilio; qui *Trajani* xi. Chriſti cvii. locum feciſſe fertur Primo Alex. Epiſcopo apud Euſeb. in *Chronico.* Diverſus ille *Cerdo* Hæreſiarcha, à quo Marcion ſua hauſit, teſte Tertulliano, de quo infrà.

Antiochenæ Eccleſiæ præerat *Ignatius*, mox futurus Martyr, ſub Trajano, quo anno dubium. Baronius facit A. Trajani x. Chriſti autem cix. ſolito errore, qui Trajani decimus concurrit cum Chriſti cvii. Pagius ex Venerando Lloydio probat, Ignatium Antiochiæ damnatum præſente Imperatore, poſt gravem terræ motum, qualium cauſæ Chriſtiani cenſebantur. Hinc Romam delatum ad beſtias, ubi martyrium conſummavit, Anno Æræ V. cxvi. & ità quoque H. Dodwellus, & Ant. Pagi. Saltem poſt annum cxii. & inchoatum à Trajano Bellum Parthicum, Ignatii Antiocheni apparitionem coram Imperatore, ut Chriſtianorum primarii Antiſtitis, referendam Docti cenſent.

Romanæ Eccleſiæ quis tùm Epiſcopus fuerit, inchoato ſecundo Seculo, vidimus magnoperè controverti. Et alios Clementem, ut quoque Pontificale Damaſi, alios Cletum vel Anacletum, Euariſtum alios, alios denique Alexandrum in eâ Sede collocare, quem in Catalogo Epiſcoporum Roman. omittit Optatus *Lib.* ii. adverſùs Parmen. Nec mirum de ordine horum *Epiſcoporum* controverſum jam olim, ut alium ſucceſſionis ordinem Irenæus, Euſebius, alium Optatus, Auguſtinus, alium Epiphanius, alium Tertullianus, Hieronymus, alium Pſeudo-Clemens & vulgò Pontificale Damaſi, hinc *Catalogi* Romanor. Pontificum quos exhibent noviſſimè Bucherius, Schelſtratius, & Mabillonus, repræſentarint. Nempè initio fundatæ ampliſſimæ Eccleſiæ, plures ſimul fuêre illius Paſtores vel Epiſcopi, quod & viderunt Ruffinus, Beda, &c. Scilicet Petrus & Paulus, *Irenæo* teſte, tùm & Linus ac Cletus, ut habet Epiphanius *Hær.* xxvii. N. vi. qui Clementi adjuncti fuêre, & quos Petri *Chorepiſcopos* facit Onuphrius in *Chronico*, vel *adjutores*, ut alii. Quibus ſucceſſive ſublatis, & ultimò Clemente Rom. anno Chr. c. (de quo *Legenda* apud Metaphraſtem, *Nov.* 23. & Gregorium Turon. de Gloriâ Mart. C. xxxv. xxxvi. fuſè à Baronio refertur ad A. cii.) tandem ad unum rediiſſe videtur Epiſcopatus, indè ab Euariſto, vel Alexandro. Ità Philippis, Epheſi, plures ſimul fuiſſe *Epiſcopos* ſeu *Paſtores* ποιμένας conſtat, ex *Actor.* xx. 20. *Phil.* i. & majorum Eccleſiarum ratio poſtulabat, *Epiſcopatu* ſtrictè dicto, necdum (ut videtur) inſtituto; certè nullâ diſtinctione ordinationis vel muneris *Epiſcopi* & *Presbyteri*, 1 *Tim.* iii. *Tit.* i. 1 *Pet.* v. 1. 2. Primus Euſebius ſingulorum Epiſcoporum ſucceſſiones, in iv. Sedibus primariis, repræſentat, quem habuiſſe ex Tabulis vel Diptychis authenticis, in Eccleſiis diligentiſſimè ſervatis, H. Valeſius quidem cenſet, negante meritò Doctiſſ. Pearſono, Archiva illa uſquàm tradi, Diſſert. i. *De ſucceſſ.* C. ii. Et ipſo Euſebio fatente, ſe *Epiſcoporum*, qui Hieroſolymis præfuiſſent, & quos à *Jacobo* ad *Judam* uſque, omnes ex Circumciſione, xv. recenſet, τοὺς χρόνους γραφῇ σωζομένους οὐδαμῶς εὑρηκέναι, *tempora ſcripto conſervata nuſquam reperiſſe*; Quod confirmat luculenter in Chronico, ad A. D. clxxxvi. Gratis igitur aſſignat paſſim annos Epiſcopatûs ſingulorum, & ſucceſſionis, in Apoſtolicis Eccleſiis: In ſpecie etiam in Romanâ, ut *Libro* iii. C. xiii. xv. xxxiv. *Lib.* iv. C. i. iv. notans ibi *annos* Lini, Anacleti, (nullo Cleto) Clementis, Euariſti, Alexandri; precariò utique, nec ex certis Tabulis, vel ex pugnâ perpetuâ quam in annis primorum Epiſcoporum determinandis, aliàs obſervavimus. Primum omnium Hegeſippum Tabulas hujuſmodi edidiſſe circà medium Seculum ii. ex eodem Euſebio *Lib.* iv. C. xxii. cenſet Pearſonus, ſic reddens verba, Γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, *Romæ quum eſſem, ſucceſſionem compoſui uſque ad Anicetum*, de Succeſſione Epiſc. Diſſ. i. C. v. Pro quo Halloixius, Valeſius, & alii, *manſi uſque ad Pontificat. Aniceti*, pro διατριβὴν ἐποιησάμην μέχρις, &c. Hæc verò ſententia de pluribus ſimul Romanæ Eccleſiæ ſeu Epiſcopis, ſeu Paſtoribus, diſplicuit licet Pearſono, &c. placuit Salmaſio, Blondello, Iſ. Voſſio ad Melam, & in Epiſtolis quas Pearſonus Vind. Ignat. ſubjunxit, & neceſſaria eſt ad tollendam inter Veteres pugnam.

Tùm & ſuperfuiſſe creduntur, v. gr. in *Athenienſi* Eccleſiâ Πόπλιος *Publius*, poſt quem rexerit eam Eccleſiam *Quadratus*, quem Hieronymus Apoſtolorum Diſcipulum facit; alii Athenienſem Quadratum diſtinguunt, de quo Valeſius ad Euſeb. L. iv. C. xxiii. In *Philippenſi* Eccleſ. Polycarpus, Martyr ſub Marco Ant. In *Epheſinâ*, ſi Ignatianæ Epiſt. ad Epheſios, hinc Euſebio L. iii. *Hiſt.* C. xxxvi. fides eſt, poſt Timotheum (& Gaium, ſecundùm *Dorotheum* atque Hippolytum) Oneſimus, qui auctori *Conſtit. Apoſtol.* Beroëæ in Macedonia Epiſcopus fuiſſe dicitur, *Lib.* viii. C. xlvii. aliis Martyr ſub Domitiano, ut Nicephoro Calliſti, L. iii. C. xi. In *Hierapolitanâ* Papias Johannis auditor, ſecundùm Euſebium; in *Magneſienſi* ad Mæandrum, referente Ignatio ad *Magnes.* Damas, pro quo malè apud Baronium, Demas, ad A. cix. N. ix. &c. Imò ſecundùm Annalium Scriptorem, & gregales, in *Pariſienſi* Eccleſiâ Antiſtes tùm *Dionyſius Areopagita*, mortuus (ſi ipſis fides) demùm ſub Hadriano. Qui tamen *Dionyſius* Pariſiorum Epiſcopus diverſiſſimus ab Areopagitâ fuit, taliſque demùm ſub Decio, medio Seculo iii. nec negantibus Jac. Sirmondo, Joh. Launojo, aliis in choro Pontificiorum. Vide poſtremi vindicias ſententiæ Gregorii Turon. & Sulpicii Severi, de primis *Galliarum* Epiſcopis, Dionyſio, Creſcente, Trophimo, &c.

iv. Chriſtianæ Eccleſiæ felicitas ſingularis, in illâ puritate Doctrinæ, ſanctitate Morum, Rituum ſimplicitate, ac Diſciplinæ ordine; ut quo longiùs abfuit à ſuâ origine, & Apoſtolorum ἀπαρχαῖς, hoc magis ab eadem felicitate receſſerit. Turbare jam cœperant & affligere mirum in modum, 1. Fœdiſſimæ *Hæreſes* Pſeudo-Apoſtolorum, Nazaræorum, Menandrianorum, Nicolaïtarum, Cerinthianorum, aliæ antè recenſitæ, quibus redditum inviſum Chriſtianum nomen eſt, & doctrina obſcurata. Quamvis Eccleſiam manſiſſe *Virginem*, id eſt, nondum vanis hominum figmentis corruptam ad Trajani ferè tempora, tradat Hegeſippus apud Euſebium, *Lib.* iv. C. xxii. Quod tamen de Eccleſiâ Hieroſolymitanâ voluit, quam primus infecerit *Thebuto* quidam, *indignè ferens quod minimè creatus eſſet Epiſcopus*, ut occaſione Simeonis Cleopæ, ejus Eccleſiæ Antiſtitis, idem refert. 2. *Gentilium* creſcens in Chriſtianos odium, & *Philoſophorum* paſſim oppoſitiones, ſarcaſmi, calumniæ in Gentem innoxiam; De quibus itidem ſuprà, ad Seculum i. *Cap.* xvii. Status & conditio Eccleſiæ.

Digitized by Google

II. *Propagatio ejuſdem toto hoc Seculo.*

Eccleſiæ hoc Sec. natæ. QUò ſpectant, 1. *Eccleſiæ* fundatæ hoc Seculo, in variis Orbis habitati partibus, ut vix ullus eſſet angulus, in quo Chriſtiani deſiderarentur. Indubii teſtes Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, Minucius, Euſebius, &c. Sanè Dodwellus in Iren. *Diſſert.* 1. uſque ad Trajanum, & hujus temporibus, *paucos fuiſſe Chriſtianos*, probare nititur ex Tacito, & Celſo, imò ex Joſepho, nullis extrà Aſiam, ubi Seniores vixerant, peregrinationibus. Sed conjecturis fallere natis, & ipſe Plinius ad Trajanum, *non civitates* tantùm, ſed *vicos*, *pagos*, Chriſtianis repletos, ut ipsâ multitudine perturbatus eſſet Imperator. Veroſimilius tamen hoc demùm Sec. fundatas fuiſſe Eccleſias varias in *Germaniâ*, *Galliâ*, *Britanniâ*, *Hiſpaniâ*, &c. quarum dicti Scriptores meminerunt. Certè Irenæus meminit Eccleſiarum *Germanicarum*, Adversùs Hæreſes, *Lib.* 1. & poſt eum Tertullianus Adversùs Jud. C. VII. Quod de Germanicis Provinciis in Rom. Imperio, non de Barbaricis accipiendum. In *Gallicanis* floruêre hoc Seculo Viennenſis, & Lugdunenſis, perſecutionem paſſæ ſub M. Aurelio Antonino, Photino primùm, dein Irenæo Epiſcopis: Nec antiquius Gallicanæ Eccleſiæ monumentum eſt, Epiſtolis illis ad Eleutherum, & Aſianos, de quibus Euſebius, *Lib.* v. C. 1. De quâ re poſteà.

De converſione Lucii Regis judicium. In *Britanniâ* hoc Seculo baptizatus fertur Rex *Lucius*, cum Conjuge ſuâ, & Gente totâ, Eleuthero Epiſcopo Romano Monachos eò ablegante, circà A. CLXXIX. Referunt Beda Anglo-Saxo, Ado, Martyrologia, Vitæ Romanorum Pontificum, ac Britannorum Chronica ferè omnia, quanquàm diverſimodè. Quin in Britannias penetrarit hac Ætate Euangelium, Provinciam Rom. Imperii, uſque ad Vallum Adriani, dubitare non ſinunt Juſtinus M. Tertullianus, Euſebius, Ruffinus, quâ parte iſtæ Romanis paruerunt. At *Lucii* illa hiſtoria, quam ponunt ſub extrema Marci Aurel. ſcil. legatio ad Eleutherum; ſubmiſſio Monachorum qui Regem converterent; fundatio Epiſcopatuum, Abbatiarum; incerto autem Regni Britannici loco, & circumſtantiis quibus rem hanc omnem referunt oppidò diverſis; meritò eſt cordatioribus ſuſpecta. Ubi certiora ab incertis & fabuloſis diſtinguenda. Potuit ſanè tum regnaſſe *Lucius* aliquis, quanquam dubium an in eâ Britanniæ parte quæ Romanis pareret, an in ſolo Barbarico, aut ultrà Vallum. Nec inficiari omnino volumus, fieri potuiſſe ut Chriſti fidem Regulus ille amplexus ſit. At rem omnem, prout narratur, ambiguam faciunt; 1. Diſſenſus de *tempore* quo Lucius ille converſus fuerit: Alii jam baptizatum à *Timotheo*, ad quem Paulus; alii ad fidem adductum ſub Hadriano, alii ſub Antonino Pio, ſub M. Aurelio alii, alii ſub Commodo ut Baron. de quo diſſidio Uſſerius Antiq. Brit. C. III. & Edw. Stellingfleetius, de Antiq. Eccleſ. Brit. C. II. 2. Diſſenſus de *modo* converſionis, & *motivo*. Alii Eleutherum Papam ad Lucium miſiſſe, alii Lucium ad Eleutherum: Sic Legatorum, quos miſerit Ep. Romanus, convertendo Regi, & Genti, diverſiſſima exprimuntur nomina, *Fragadius*, *Friganus*, *Figinus*, *Euganus*, & *Dervianus*, *Damianus*, *Duranus*, &c. Et *Monachi* iſti quidem, præter morem illorum temporum. 3. *Epiſcopatus* XXV. *Abbatiæ* plures, ſedes *Metropolitanæ* III. fundatæ, ſeu à Lucio, ſeu ab Eleuthero, loco Flaminum, Archiflaminum; quæ vaniſſima eſſe deprehenduntur. 4. Silentium *Irenæi*, coævi Eleuthero, qui *Lib.* 1. C. III. memorat Eccleſias fundatas in Germaniâ, in Celtis, Iberis, Oriente, Ægypto, Libyâ, nuſquam meminit Eccleſiarum fundatarum in Britanniâ, aut Lucii Regis. Sic tacent Hiſtorici Veteres, & Chronicon Saxonicum, nuper editum, in Codicibus pleriſque MſſI. excepto Cottoniano. 5. Fabuloſa, certè dubia alia, de Fundatione Eccleſiarum per *Britannias*, à Petro Apoſt. Jacobo Zebed. Paulo, Philippo, Barnabâ, Joſepho Arimath. &c. Quæ debentur Monachorum commentis, ut ſuis Eccleſiis, Monaſteriis, conciliarent famam antiquitatis, quales *Glaſtonienſes* Monachi, *Weſtmonaſterienſes*, *Wintonienſes*, *Landavienſes*, ſimiles, qui Chronica vel ediderunt, vel procurarunt. Imò & *Cantabrigenſis* Academiæ Diploma ab Arthuro Rege conceſſum, fundat Privilegia illius Academiæ in eo quod, *Rex Lucius converſus fuerit*, *prædicatione Doctorum Cantabrigenſium*, ut Joh. Cajus dictus Londinenſis, de Antiq. Cantabr. Acad. Lib. 1. p. 69. Sed de Antiquitatibus Britannicis judicium, Viris in eo Regno principibus, ſubjicimus.

Hiſpanos, *Iberos*, admiſiſſe Euangelium, auctores ſunt Irenæus, *Lib.* 1. C. III. & Tertullianus *Adversùs Judæos* C. VII. ait, *Chriſto ſubditos* fuiſſe *Hiſpaniarum omnes terminos*. Cave tamen fidem habeas Hiſpanorum Chronicis, aut illi *Flavii Dextri* ex Monachorum officinâ profecto, de Hiſpaniarum Eccleſiarum fundatoribus, Jacobo Majore, Petro, Apoſt. hujuſve Diſcipulis, Dionyſio, Marcello, Eugenio, &c. Gentes aliæ Converſæ.

Sic variis in *Oriente* Gentibus, *Ægyptiis*, *Æthiopibus*, *Indis*, prædicatum fuiſſe, & his à Pantæno, reperto ibi Matthæi Hebraico Euangelio, tradit Euſebius, *Hiſt.* L. v. C. x. ex eo Hieronymus, reliqui. De quo diximus *Diſſert.* noſtrâ de Euangel. Hiſtoriæ Scriptoribus. *Indiam* autem confundere Veteres quandoque cum Æthiopiâ, & Arabiâ Fel. ad Oceanum *Indicum* ſitis, alibi obſervatur.

Imò ſub finem hujus Seculi, auctor Tertullianus dicto loco, Chriſto ſubditos fuiſſe etiam *Getulos*, *Sarmatas*, *Dacos*, *Scythas*, *Mauros*, &c. id eſt, homines in illis Orbis partibus diſperſos, & luce Euangelii colluſtratos, extitiſſe.

II. *Scholæ* etiam Chriſtianæ, Eccleſiæ ſeminaria, & κατηχήσεων, & ἱερῶν λόγων διδασκαλεῖα, hoc Seculo erectæ. In quibus celeberrima omnium *Alexandrina* fuit, florentiſſima Doctoribus, Literis; *Pantæno* Philoſopho, ex Stoicâ diſciplinâ, inclyto in eâ Doctore, ſeu Catechetâ Chriſtiano, quâ voce, quâ ſcriptis; poſt eum *Clemente Alexandrino*, hinc *Origene*, XVIII. nato. Undè nec *Presbyteros* neceſſariò fuiſſe patet, qui huic muneri admoverentur. De hac Scholâ Euſebius Hiſt. Eccleſ. *Lib.* v. C. x. XI. Falluntur tamen, qui ejus Scholæ *Marcum* Euangeliſtam fundatorem fuiſſe autumant, eamque *primo* jam *Seculo* floruiſſe; interpretati ſic verba Euſebii, ἐξ ἀρχαίου ἔθους, *à priſcis temporibus*: Sed hoc relatè ad Euſebii ætatem, διδασκαλεῖον jam olim Alexandriæ fuiſſe conſtitutum. Sed de Chriſtianæ Doctrinæ *Propagatoribus*, infrà. Scholæ Chriſt.

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi.*

I. QUalis tutiſſimè colligitur, 1. Ex Scriptis Euangelicis & *Apoſtolicis*; ad quæ perpetuò provocant Catholici hujus Ævi Scriptores, Clemens Rom. Polycarpus, Ignatius, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, &c. ut doctrinæ ſuæ normam, regulam, fontem, ſeu, ut loquitur Irenæus, initio *Libri* III. *ut fundamentum & columnam fidei noſtræ*. Jamque hoc tempore recepta fuiſſe *quatuor Euangelia*, diſcreta ab Euangeliis apocryphis, cæte- Teſtes ejus indubii.

te-

teroſque Libros *Apoſtolicæ* & Canonicæ auctoritatis, diſcretos à *Pſeudo-Actis*, *Epiſtolis*, *Revelationibus*, Κηρύγμασι, quæ ſenſim prodierunt, eſt ſuprà à nobis indicatum, *Seculo* I. C. XIV. & in Diſſertatione de *Scriptoribus* Hiſt. *Euangelicæ*. De *Doctrinâ* autem *Catholicâ*, quatenus ex Libris Euangelicis & Apoſtolicis adſtruitur, fusè Theologi.

2. Ex Scriptis *Symbolicis*, quum veroſimillimum ſit in Romanâ Eccleſiâ *Symboli Apoſtolici* jacta eſſe hoc Seculo, in baptizandorum uſum, fundamenta, quoad primarios certè Articulos, de fide in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Et cum *Africanis* Eccleſiis *conſenſiſſe* fidem Romanæ Eccleſiæ disertè Tertull. de Præſcr. Hær. C. XXXVI. Hujus Symboli ἐξηγήσεις reperias apud Irenæum *Lib.* I. adverſùs Hær. C. II. III. XIX. Tertullianum *de Præſcript. Hæret.* C. XXXVI. Adv. Praxeam, C. XIII. &c. Eadem fuêre & *Orientalis Symboli* initia, quo uſæ ſunt Orientis Eccleſiæ antè Nicænam Synodum; quod *omnium pene* idem communeque Symbolum fuiſſe teſtatur Ruffinus, in *Expoſit. Symboli*: Cùm illud Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, *matris omnium Eccleſiarum*, apud Theodoretum Hiſt. L. V. C. IX. & quale Cyrillus, in Catecheſibus, ſuis φωτιζομένοις explicavit; tùm Eccleſiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, cæterarum. *Catecheſim* etiam *Marci* memorat Euſebius, aliam *Dionyſii* Corinthii Nicephorus, ſed memorant tantùm; aut interverſis iis monumentis, aut deinceps per fraudem interpolatis.

3. Ex *Scriptis Apologeticis*, pro fide & moribus Chriſtianorum: Uti fuerunt Apologia gemina *Juſtini Martyris*, oblatæ Antonino Pio, & Veri Succeſſoribus, quamvis ſub Pio paſſum Juſtinum velint Valeſius, Pearſonus, Dodwellus. Jamque ab aliis obſervatum eſt, *primam* fuiſſe quæ Antonino Pio nuncupata eſt, & quæ nunc *ſecunda* apparet, in Editionibus Juſtini. Alteram, quæ ad *Senatum Romanum* inſcribitur, & quæ vulgò prima habetur, Euſebius quidem oblatam eſſe Marco Aurelio, Antonini Succeſſori, de quo fusè diſſertat Valeſius, Euſebium erroris arguens; contrà vindicat Euſebium, A. Pagi ad A. CLXII. Tùm ſupereſt hodieque integra *Athenagoræ* Athenienſis Philoſophi Apologia vel Legatio pro Chriſtianis, Πρεσβεία περὶ vel ὑπὲρ Χριστιανῶν, ad Marcum Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum; de quâ tamen tacent Euſebius, & Hieronymus in *Catal.* Ex his patet quàm ſincera fuerit fides Chriſtianorum, omniſque Diſciplina, etiam ad Ethnicam comparata. Præter *Melitonis* Apologiam, oblatam Antonino Vero, & cujus Fragmentum exhibet Euſebius, *Hiſt. Eccleſ.* L. IV. C. XXVI. Et *Tertulliani* Apologeticum, ſequente Seculo ſcriptum, ſub Severo.

4. Ex Scriptis aliis *Secundæ* hujus Ætatis, poſt *Clementis* I. ad Corinthios Epiſtolam, de quâ *Sec.* I. Nempè ex genuinis *Juſtini* Martyris, *Theophili* Antioch. *Tatiani*, *Athenagoræ*, *Irenæi*, *Clementis* Alexandrini, *Tertulliani*; item ex fragmentis *Dionyſii* Corinthiorum Epiſcopi, *Melitonis* Sardicenſis, *Hegeſippi*, &c. paſſim apud Euſebium. Adhæc, ex *Polycarpi* Smyrnenſis ad Philippenſes Epiſtolâ; *Barnabæ* Catholicâ hoc quoque Seculo, (ut ex Clemente Alexandrino liquet) ſcriptâ, & fortè *Ignatianis* ſex vel ſeptem, quales vulgarunt Uſſerius, & Voſſius. Ut *Pſeudo-Dionyſium* Areopagitam, & Pſeudepigrapha Apoſtolicis viris ſuppoſita, taceam.

Summa doctrinæ Christianæ.

II. Ex his omnibus colliguntur, *Articuli* fidei Chriſtianæ & Catholicæ proprii. Nec modò Articuli *indubii*, v. gr. Eſſe unum Deum Creatorem, &c. Filium Dei veniſſe in mundum; Mortuum pro peccatis; Reſurrexiſſe tertiâ die; Aſcendiſſe in cœlos; Venturum ad judicium; Dari Reſurrectionem mortuorum, & vitam Æternam; Sanctificationi & Bonis Operibus operam dandam, &c. Sed & Articuli deinceps *controverſi*, & noſtrâ etiam ætate: Hujuſmodi ſunt v. gr. De Canone Scripturar. ſeu Libris Canonicis; de Sufficientiâ Scripturarum, ad fidem & vitam; de Divinitate Patris, Filii, & Spiritûs S. De *Chriſto* in ſpecie, Deo & Dei Filio; de Satisfactione ejuſdem, ſeu fuſione Sanguinis pro peccatis; de Juſtificatione, ſeu de Remiſſione Peccatorum, ex gratiâ, per fidem; de Gratiâ etiam prævertente, ejuſque neceſſitate & efficaciâ; de Euchariſtiæ ſacris, ut ſymbolis, typo, memoriali, figurâ; de Unius Dei cultu Religioſo, &c. Ac de ſingulis unum vel alterum ſubjicere exemplum, dictis ex fontibus, & pro hujus Introductionis modo, operæ pretium eſt.

De Canone, & Sufficientia Scripturæ S.

III. Ac primò, *Canonem* Scripturarum eundem habuêre, quem & nos hodieque, reſectis Apocryphis. Certè *Melito* Sardenſis Epiſcopus, qui in Orientem profectus Vet. Teſtamenti Libros diligenter didicerat, circà A. Chriſti CLXX. ſub Marco Antonino, in Epiſtolâ ad Oneſimum, enarrat *Libros* Canon. V. T. in hunc modum apud Euſebium, *Hiſt.* L. IV. C. XXVI. Μωυσέως πέντε, Γένεσις, &c. & reliqua. Nuſpiam ibi comparent Libri, *Tobithæ*, *Judithæ*, *Sapientiæ* (nam Σοφίαν *Sapientiam* vocat, quæ Salomonis Παροιμίαι *Proverbia*) *Eccleſiaſtici*, *Maccabæorum*. Et lepidè Baronius, ad Annum CLXXII. N. V. *Profectio illa in Orientem de Hieroſolymâ eſt intelligenda, ubi agens, ex Canone Hebræorum tantùm, quos recitat, Libros recenſuit.* Utique ſanè, & Hebræis *concredita fuiſſe Dei eloquia*, monet Paulus, *Rom.* III. 2.

Sufficientiam Scripturarum, ad fidem, ad mores, ad dijudicandas Controverſias, omnes hoc Seculo agnovêre, poſt Chriſtum & Paulum.

Clemens Romanus, ſub finem jam prioris Seculi, *Epiſt.* I. *ad Corinth.* p. 58. Ἐγκύπτετε εἰς τὰς γραφὰς, τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος τοῦ ἁγίου, & quæ ibi ſequuntur. *Incumbite lectioni Scripturarum, quæ vera ſunt Oracula Spiritûs S.* dehortatus proximè antè, ab iis quæ μὴ ἀνήκοντα εἰς σωτηρίαν *ad ſalutem minimè pertinentia*. Hinc paſſim totâ Epiſtolâ, γέγραπται γὰρ, λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, *Scriptum enim eſt, dicit enim Scriptura.*

Polycarpus *Epiſt.* ad Philippenſes, Irenæo & Veteribus laudatâ: Εἰς ἃς (Pauli Epiſtolas innuit) ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν. *Quibus* legendis *ſi incubueritis, poteritis ædificari in fide quæ vobis data eſt.* Et totâ Epiſtolâ nihil præter Scripturas ſapit, καθὼς αὐτὸς (Chriſtus) ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμᾶς Ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται οἱ προκηρύξαντες, &c. *Sicut ipſe* Chriſtus *mandavit, & ſecundum quod nobis euangelizaverunt Apoſtoli, & Prophetæ prædixerunt.* Ac in citandis Scripturis totus eſt, cumprimis Novi Teſt. & in rejiciendis traditionibus vanis; commendans τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον, *Verbum quod à principio nobis traditum eſt.*

Nec aliter Juſtinus Martyr, cùm in *Parænesi* ad Græcos, tùm in *Dialogo* cum Tryphone Judæo. Hìc enim id ex profeſſo agit, ut ex *Solis* Scripturis Propheticis & Apoſtolicis veritatem hauriendam eſſe doceat; πάντα εἰς τὰς γραφὰς ἀνάγων, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποδείξεις ποιεῖσθαι σπουδάζων, *omnia ad Scripturas referens, & ex iis demonſtrationes inſtituere ſtudens*, ut eſt in *Dial.* cum Tryphone, *Edit. Pariſ.* p. 277. Idem *Apol.* II. Τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν, ἀναγινώσκεται.

Irenæus in Libris *adverſùs Hæreſes*, cumprimis *Lib.* II. III. IV. nec negante Fevardentio, multus eſt in aſſerendis *Scripturis* S. ut *perfectis*, ut contінen-

Digitized by Google

nentibus *omnem doctrinam Domini*, ut ſufficientibus *adverſus omnes Hæreſes*, &c.

Et ſeu ex Irenæo, ſeu deinceps ex Tertulliano loca, & luculenta, (in hujus Lib. *adverſus Hermogenem*) pro Scripturarum perfectione, & normâ unicâ credendorum, fusè vindicata habes vel apud Chamierum, in *Tomo* I. de Canone. Ut mittam quotquot de *Scripturâ* commentati, Chemnitium, Witakerum, Meſtrezatium, Rivetum, &c.

Loca in hanc rem alia ex *Clemente Alex.* in Protreptico, & in Stromatum Libris, item ex *Ignatianis* Epiſt. ex *Theophilo* Antiocheno, exhibent Magdeburgenſes, *Cent.* II. C. III. Scultetus in *Medullâ* dictorum Patrum, ubi de Doctrinâ, Vedelius in ſuis ad Ignatium *Exercitat.* ne dicam Petavium, &c.

S. Trinitatis dogma. IV. De *S. Trinitate* quid ſenſerint hujus Ævi Chriſtiani, præter *Symbola* Romanum & Orientale Vetus, ex Clemente Romano, Ignatianis, Polycarpo, Juſtino Martyre, Tatiano, Athenagorâ, Irenæo, Theophilo Antioch. Clemente Alexandr. &c. probavit nuper (poſt Magdeburgenſes, Scultetum, Petavium, Hoornbekium, alios) Samuel Gardinerius Theologus Britannus, in iis quæ oppoſuit Chriſtophoro *Sandio*, nupero Ariano; & Georgius Bullus, in Deſenſione *Fidei Nicænæ*, ubi de hujus Seculi Patribus diſſertat. Horum omnium Symbolorum, & Confeſſionum, ſumma eſt, nec negante *Epiſcopio*, ex formulâ in *Baptiſmi* adminiſtratione ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſitatâ, Πιςεύω εἰς τὸν Θεὸν, τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.*

At nemo luculentior eſt Juſtino Martyre; cumprimis in Apologiâ quæ dicitur ſecunda, ad *Antoninum. Pag.* 56. Edit. Pariſ. 1615. Ἀλλ' ἐκεῖνόν τε (πατέρα) καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, &c. πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. *Verùm hunc ipſum (Patrem) & qui ab eo venit, atque iſta nos docuit*, &c. *Filium, & Spiritum Propheticum, colimus & adoramus.* Ubi de *unius* & *veriſſimi* Dei cultu religioſo ex profeſſo Juſtinus agit. *Angelos* quî παρενθετικῶς inſeruerit, ut à Chriſto etiam edoctos, Langio ipſo ità vertente, aliàs docetur.

Idem, *Ead. Apol.* p. 94. Ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. *Nam in nomine rerum omnium Parentis, & Domini Dei & Servatoris noſtri J. Chriſti, & Spiritûs Sancti, in aquâ tum lavantur*, nempè ſecundùm formulam Chriſti, *Matth.* XXVIII. 19. de quâ nos alibi. Sic vindicat idem Juſtinus ab *Atheiſmi* crimine, dicentes Deum Patrem, & Deum Filium, & Spiritum S. Plura mox *de Filio*. Perſonas autem haſce τάξει *ordine* proceſſionis, item ἀριθμῷ diſtinguit, non ἐσίᾳ, vel ἀξίᾳ, vel (ut loquitur γνώμῃ. Et τοὺς ἀλλήλοις συνόντας *invicem coexiſtentes* dicit, licet ἀριθμῷ ὄντας ἑτέρους, in *Dial.* cum Tryph.

Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ultimis vocibus quibus piam animam Deo efflavit, apud Euſebium, ex Epiſtola ejuſdem Eccleſiæ, L. IV. C. XV. p. 133. Περὶ πάντων σε αἰνῶ, σε εὐλογῶ, σε δοξάζω, διὰ τοῦ αἰωνίου Ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ σοῦ παιδός. Δι' οὗ σοι, σὺν αὐτῷ, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, Ἀμήν. Ubi Chriſtum non tantùm dicit *ſempiternum Pontificem, & dilectum* (ſeu unigenitum) *Dei* Patris *Filium*, ſed & claudit uſitatâ Veteribus δοξολογίᾳ; *Per quem Tibi, unà cum Ipſo, in Spiritu S. gloria nunc* & *in Secula Seculorum, Amen.*

Theophilus Antiochenus ad Autolyc. *Lib.* II. *Edit. ejuſd.* cum Juſtino, *pag.* 94. Ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ. *Similiter & tres dies, qui Luminarium creationem præceſſere, repræſentant Trinitatem, Deum ſcil. & Sermonem ejus, & Sapientiam.*

Athenagoras Legat. pro Chriſtianis, *Edit. ejuſd.* pag. 11. Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν θεόν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους. *Quis igitur non miretur, dicentes Deum Patrem, & Deum Filium & Spiritum S. oſtendentes, & unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem, Atheos vocari.* Mox ſtupet totus illam ἕνωσιν καὶ διαίρεσιν, *unionem & diſtinctionem*, ἑνουμένων τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδός, τοῦ πατρός, *unitorum Spiritûs S. Filii, & Patris.*

Irenæus auditor Polycarpi, Lugdunenſis Epiſcop. *Adverſ. Hær. Lib.* I. *Cap.* II. *init.* Deſcripturus fidem ab Apoſtolis acceptam, dicit eam eſſe *in unum Deum Patrem Omnipotentem*, &c. *& in unum J. Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtrâ ſalute, & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicavit*, &c.

Clemens Alexandr. Pædagogi *Lib.* III. *in fine:* Εὐχαριστεῖν τῷ μόνῳ πατρὶ, καὶ υἱῷ, &c. σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, πάντα τῷ ἑνὶ, ἐν ᾧ τὰ πάντα, δι' ὃν τὰ πάντα ἕν, &c. *Gratias agere uni Patri & Filio*, &c. *unà cum Spiritu S. qui unus eſt omnia, in quo ſunt omnia, per quem omnia unum ſunt, &c.*

Imò vel ex Luciano ipſo, (niſi alius ſit etiam antiquior hujus libelli parens,) in *Philopatride*, doctrinam Chriſtianorum licet ridente, qualis fuerit hoc ſeculo intelligere licet. Inducit enim Catechetam Chriſtianum, qui Catechumenum ſuum jurare docet, per ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, Πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε Ζῆνα. *Deum altè regnantem, magnum, æternum, & æthereum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria, hæc tu Jovem puta, hunc Deum.* Mox ſummam fidei Chriſtianæ hiſce complexus, dicit; *Galilæum* illum, εἰς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσαντα, καὶ τὸ κάλλιστα ἐκμεμαθηκότα, δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνακαινίσαι, εἰς τὰ τῶν μακάρων ἴχνια παρεισοδεύσαι, καὶ τῶν ἀσεβῶν χώρων ἡμᾶς λυτρώσασθαι, *in tertium uſque Cœlum per aërem ingreſſum, & quæ pulcherrime ſunt indè edoctum, per Aquam nos renovaſſe, in beatorum veſtigia inſiſtere feciſſe, & ex impiorum regionibus nos redemiſſe.*

Ex quibus patet effræna licentia nuperi *Enucleatoris* Hiſt. Eccleſ. hoc de S. *Trinitate* dogma tribuentis Simonianis, Praxeanis, Montaniſtis, Hermogeni, Sabellio, &c. Patres verò docuiſſe tres numero *ſubſtantias ſeparatas, Patris, Filii, & Spiritûs S.* id eſt, Tritheiſmum.

V. *Jam de verâ Divinitate Filii*, Chriſtianis Catholicis creditâ, teſtes ſint; Ex. causâ, Plinius Secundus Junior, prioris ex ſorore nepos, Epiſtolâ ad Trajanum *Lib.* x. anno hujus x. vel xi. ſcriptâ, ſecundùm Chronicon Euſebii, verſum ab Hieronymo, (variant editiones Pontaci, & Scaligeri) cujus & meminit Tertullianus in *Apologet.* referens de Chriſtianis, eorumque conventibus antelucanis, ait; *Carmen ſecum invicem Chriſto*, UT DEO, *canere* ſolitos, Θεῷ δίκην Χριστὸν ὑμνεῖν, *tanquam Deum hymnis proſequi*, ut habet Euſebius. Tertullianus, *Chriſto & Deo*, ſed corrigendus ex Plinio. Qui omninò voluit, Chriſtum *ut Deum* veneratos eſſe Filii æterna Divinitas.

Chr-

Chriſtianos, & *cultu divino* proſecutos, qui tamen *unum Deum* profiterentur. Confirmat Euſebius, *Hiſt.* L. IV. C. XXVIII. *Pſalmos & Hymnos* ἀπ' ἀρχῆς *ab initio à fratribus fidelibus ſcriptos, quibus* τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι, θεολογοῦντες *Divinitatem ei tribuentes.* Quod opponit errori Theodoti, qui *primus dixiſſet Chriſtum* ψιλὸν ἄνθρωπον *nudum hominem.*

Juſtinus Martyr, qui paſſim *Apolog.* II. ad Antoninum, cumprimis verò in *Dialogo cum Tryph. Verbum* docet genitum πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων *ante creaturas omnes*, πρὸ τοῦ αἰῶνος *ante ſecula:* Eſſe Sapientiam illam de qua Salomon *Prov.* VIII. retentâ quidem vulgatâ verſione ſeu lectione, ἔκτισέ με, intellectâ tamen generatione *æternâ*, ut Λόγος & Sapientia Dei æterna eſt, planè ut mox Athenagoras, *loco* citando: *Eſſe* (inquam) *& dici Deum, & Dominum; verum Deum & verum hominem; Deum hominem factum; conſpectum Abrahamo, Jacobo, Moſi, per quem omnia condita, &c.* Inter alia, *Dial. cum Tryph. pag.* (*Edit.* ſuperior.) 267. dicit ſe perſuaſurum ex Scripturis, ὅτι οὗτος ὅ τε τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὦφθαι λεγόμενος καὶ γεγραμμένος Θεὸς, ἕτερός ἐστι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, ἀριθμῷ λέγω, ἀλλ' οὐ γνώμῃ, *Iſtum qui apparuit Abraha, & Jacobo, & Moſi, denique qui dictus & ſcriptus eſt Deus, alium ab eo eſſe qui cuncta creavit Deo, numero dico, non animi conceptione, vel ſententiâ.* Mox addit; *feciſſe eadem* quæ ille qui mundum fecit, & probat ex *Geneſ.* I. *Faciamus hominem*; item, *factus ut unus ex nobis*, quibus verbis Moſes ἀριθμὸν τῶν ἀλλήλοις συνόντων, καὶ τὸ ἐλάχιστον δύο, μεμήνυκεν, *numerum eorum qui unà eſſent, & ad minimum duos* (ſupponens & tertium Spiritum S.) *indicaverit.*

Athenagoras, Legat. pro Chriſtianis, (Edit. quæ ſuprà) *pag.* 10. de Filio, ſeu Verbo: Πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, ὄντος δὲ τοῦ Υἱοῦ ἐν Πατρὶ, καὶ Πατρὶ ἐν Υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει Πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Ab ipſo enim & per ipſum omnia facta ſunt, quum Pater & Filius unum ſint: ita ut Filius ſit in Patre, & Pater in Filio, per unionem & potentiam Spiritûs, ſiquidem mens & verbum Dei Filius eſt.* Ibidem hanc progeniem Patris, (quanquàm citato loco *Prov.* VIII. ſecundùm lectionem vulgatam, ἔκτισέ με) *æternam* eſſe docet, οὐχ ὡς γενόμενον, *non ut factam;* Deum enim νοῦν ἀΐδιον εἶναι, ἀϊδίως λογικὸν, *mentem æternam eſſe, ab æterno rationalem*, hinc qui ab æterno εἶχεν ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, *habuit in ſe ipſo Verbum.*

Irenæus Adverſ. Hær. *Lib.* I. *Cap.* II. *ut Chriſto Jeſu, Domino noſtro, & Deo, & Salvatori, & Regi omne genu curvetur*, &c. Et quo ſenſu Deum vocet, *Lib.* III. *Cap.* VI. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus S. neque Apoſtoli eum qui non eſſet Deus definitivè & abſolutè* DEUM *nominaſſent, niſi eſſet* VERUS DEUS, *neque Dominum aliquem appellaſſent ex ſuâ perſonâ, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus*, &c.

Et ne quis Arianiſmi inſimulet Irenæum: Idem *Lib.* II. *Cap.* XLII. *ſub fin. Non enim infectus ô Homo, neque ſemper* COEXISTEBAS DEO, *ſicut proximum ejus* VERBUM. Undè colligit *eum qui factus eſt, & initium facturæ accepit*, ſc. Hominem, (ibi contradiſtinctum Verbo) *minorem eſſe illo qui factus non eſt, & qui ſemper idem eſt.* Alibi *Cap.* XX. *Lib.* III. *Filius ſemper exiſtens apud Patrem.* Rursùs C. XXI. ejuſdem *Libri*, & *Lib.* V. C. I. ex profeſſo invehitur in Cerinthianos, Ebionæos, aſſerentes Chriſtum *nudè tantum Hominem*, &c. *& unctionem Dei & Hominis per fidem non recipientes*, &c.

Idem de *Melitone* Sardenſi Aſiano, qui claruit ſub M. Aurelio Anton. refert Euſebius, *Hiſt.* L. V. C. XXVIII. etiam de *Miltiade*, *Tatiano*, ſecundi Seculi ſcriptoribus, in quorum Scriptis θεολογεῖται ὁ Χριστὸς *Chriſti divinitas adſtruitur*, τὸν Χριστὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλονται, *Chriſtum Deum & Hominem prædicarunt.* Fragmentum ex Melitonis libello Apologetico refert *Chronicon* Alex. *Olymp.* CCXXXVI. p. 259. Ed. R. *Non ſumus cultores lapidum*, οὐδὲ μίαν αἴσθησιν ἐχόντων, *ſed* ἐσμὲν θρησκευταὶ *ſolius Dei qui eſt ante omnia, & in omnibus*, ut eſt ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ *in Chriſto ſuo*, ὄντως Θεοῦ Λόγου πρὸ τῶν αἰώνων *verè Deo, Verbo antè Secula*, &c. Ità etiam Artemonis Hæreſim, aſſerentis Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον γενέσθαι, refert Euſebius, ex antiquo Scriptore Chriſtiano, (quem Photius *Cod.* XLVIII. *Cajum* eſſe affirmat) πίστεως ἀρχαίας κανόνα ἠθετηκέναι *primitivæ fidei Regulam irritam feciſſe.*

Ità *Filius* dicitur *unigenitus* in Symbolis veteribus, tum Romanæ Eccleſiæ, tum Hieroſolymitanæ (quale explicatur à Cyrillo in Catecheſibus) tum Eccleſiarum Orientis; ſeu Filius μονογενὴς παρὰ πατρὸς, *Joh.* I. 14. *unigenitus à Patre*, quatenùs à Patre genitus eſt, & ſolus quidem, & antè Secula πρὸ πάσης κτίσεως, & verè ac propriè genitus, quàm verè & ἀρχετυπικῶς *Filius* eſt, modo ſcil. Naturæ divinæ convenienti: Quod eſt à Theologis prolixè demonſtratum; *conſentientibus Patribus* qui hoc & ſequente Seculo vixêre, Juſtino, Irenæo, Clem. Alex. Tertulliano, &c. Videantur, Joh. Pearſonus, in Expoſit. Symboli, ad *Artic.* II. & Georg. Bullus in Judicio Eccleſiæ Cathol. Trium Secul. *Cap.* V. VI.

Quibus conſona addi poſſent, cùm ex iiſdem, tùm aliis hujus Ætatis monumentis, uti ex Epiſt. *Barnabæ*, ex *Ignatianis*, quæ puriores habentur, uti illâ ad *Epheſios*, ad *Smyrnæos*, &c. & ex *Polycarpo* Ep. ad Philipp. Nec loquendi modus in iis ſpectari debet, ubi planiſſima ſententia eſt, Hieronymo pridem jubente, in *Apologiâ* II. adversùs Ruffin. *Antequàm in Alexandriâ, quaſi dæmonium meridianum, Arius naſceretur, Scriptores Eccleſiaſtici innocenter quædam*, & *minùs cautè locuti ſunt.*

VI. Hinc præter Chriſtophorum Sandium, modò notatum, nihilo minùs eſt æneæ frontis alter Belga, in nupero *Irenico Irenicorum*; qui ad *teſtimonia* excipiens, quæ pro iiſdem Myſteriis ex hujus Ævi Patribus proferuntur; 1. Objicit nonnulla ex *Apocryphis* & *ſuppoſititiis* ſcriptis, uti ex Hermæ Paſtore, ex Conſtitutionibus Clementis, & ex Ignatianis ad Tarſenſes, ad Philippenſes; ſcriptis aliis, & iis quæ magis referunt ingenium Ignatii, diſſimulatis. 2. Tuetur ſe *ſilentio* Clementis Rom. & Polycarpi in *Epiſtolis* quæ eorum nomen præferunt: In quibus tamen nihil reperit quod vel in ſpeciem ſacroſanctis de Trinitate, aut Divinitate Filii, dogmatis adverſetur. Aliud etiam agentibus iis Epiſtolis, quàm ut adſtruerent ea dogmata, quæ eſſent Chriſtianæ fidei, jam à Baptiſmo ipſo, fundamentum, nec inter Chriſtianos dubia. Sed & tacet is luculentam confeſſionem Polycarpi, apud Euſebium *Lib.* IV. C. XV. in rogo ipſo laudantis ac gloriam tribuentis *Deo* Patri, *per ſempiternum Pontificem J. Chriſtum, Filium ejus* ἀγαπητὸν, &c. loco antè citato. 3. Excipit ad *Juſtinum Martyrem*, ac tot in eo eximia loca, in Apologiâ II. & in Dialogo cum Tryph. Nempè ſapuiſſe eundem ex Orphei carminibus, in Exhortatione ad Græcos; ac præluſiſſe etiam Arianæ Hæreſi. Quorum illud ſuâ ſe abſurditate conficit, ut ſi Paulus ſapere diceretur ex Arato quem citat; iſtud nihil dicit, niſi incommodas quaſdam Juſtini *locutiones*, quibus Ariani deinceps abuſi fuêre: Sententiâ porrò Juſtini, de æternâ Divinitate τοῦ Λόγου, ſolis radiis ubique ſignatâ, vel ex ſuperioribus allegatis, quæ Scriptor diſſimulat. Sed adversùs

Scriptores nuperi malæ fidei.

hunc Auctorem *Irenici Irenicorum*, & ὁμοψήφους, pro fide Patrum I. II. III. Seculi, & adverſùs negantes Hæreticos *Ebionem*, *Theodotum*, *Artemonem*, *Paulum* Samoſatenum, vide ſolidè diſputantem Georgium Billium, Presbyterum Anglicanum, in *Judicio* nupero Trium primorum Seculor. *de Neceſſitate Credendi quod D. N. Jeſus Chriſtus ſit Verus Deus*, Oxonii 1694.

Satisfactio Chriſti.

VII. *De Satisfactione Chriſti* pro peccatis, teſtes hoc Seculo omnium inſtar:

Clemens Romanus, Ep. I. ad Cor. Editionis primæ Oxonienſ. *pag.* 30. Τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, οὗ τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη, ἐντραπῶμεν. *Dominum Jeſum Chriſtum, cujus ſanguis pro nobis datus eſt, veneremur.* Similia ſæpè *Ignatius*, in vulgatis Epiſt.

Polycarpus Epiſt. ad Philippenſ. (Edit. Uſſerii, vel Helmſtad. 1653.) Προσκαρτερῶμεν, &c. ἀῤῥαβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, ὃς ἀνήνεγκεν ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας τῷ ἰδίῳ σώματι ἐπὶ τὸ ξύλον, ex I *Pet.* II. 24. Addit, ἀλλὰ δι' ἡμᾶς, ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέμεινε, *ſed propter nos omnia ſuſtinuit, ut vivamus in ipſo.* Vide & *pag.* 2.

Barnabas Epiſt. Catholicâ, quæ ſaltem hujus Seculi eſſe videtur, (Edit. Voſſianæ *pag.* 223. 224.) Filium Dei *paſſum*, ἵνα ἡ πληγὴ αὐτοῦ ζωοποιήσῃ ἡμᾶς, *ut plaga illius vivificaret nos.* Item, ὅτι οὐκ ἠδύνατο παθεῖν, εἰ μὴ διὰ ἡμᾶς, *quod non potuit pati, niſi propter nos.* Item, quod ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἤμελλε σκεῦος τοῦ πνεύματος προσφέρειν θυσίαν, *pro peccatis noſtris oblaturus fuit vas Spiritûs hoſtiam* vel *ſacrificium.* Et id *typis* præfiguratum oſtendit, in quo totus eſt.

Ibid. pag. 219. Εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν ἐν σαρκὶ, πῶς ἂν ἐσώθησαν οἱ ἄνθρωποι. *Niſi enim veniſſet in carne, quomodò ſalvari homines potuiſſent?*

Juſtinus Martyr, paſſim in *Apolog.* II. in *Dialogo cum Tryph.* in *Epiſt. ad Diognet.* profitetur Chriſtum Jeſum, Dei Filium, factum προσφορὰν *oblationem pro peccatis* reſipiſcentium; ἀναδεξάμενον *ſuſcepiſſe* peccata noſtra; datum in λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν, *pretium redemptionis pro nobis*, τὸν ἄκακον ὑπὲρ τῶν κακῶν, δίκαιον ὑπὲρ τῶν ἀδίκων, *mali neſcium pro improbis, juſtum pro injuſtis*; διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, *per ſanguinem ejus, & ejus mortem* liberari nos à morte, purificari, ſalvari; διὰ τοῦτο ἀποθανεῖν αὐτὸν, *propterea mortuum eſſe*; *prædicta* hæc olim ab Eſaiâ, *Cap.* LIII. ac *præfigurata* ſymbolis, typis, &c.

Irenæus Lib. III. Cap. XX. agens de cauſâ *Verbi Incarnati*, pluribus docet, *Chriſtum nobis ſuâ morte ſalutem præſtitiſſe*; *factum pro nobis maledictum*; *per obedientiam ejus juſtificari multos*, &c. Mittimus alia Iren. Clementis Alex. Tertulliani, &c. Quorum loca Grotio de *Satisfact.* & Theologis paſſim, producta.

Juſtificatio per fidem, abſque Operum merito.

VIII. De Juſtificatione ex gratiâ, per fidem, abſque operum merito, teſtes itidem ex multis ſunto:

Clemens Romanus, *Epiſt.* I. ad Corinth. (Edit. ſuper.) *pag.* 41. Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων, &c. ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ ἐδικαίωσεν. *Sic & nos ex voluntate ejus in Chriſto Jeſu vocati, non per nos ipſos juſtificamur, neque per ſapientiam noſtram, intelligentiam, pietatem, vel opera*, &c. *Sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio juſtificavit.*

Polycarpus Epiſt. ad Philipp. (Edit. Helmſtad. *pag.* 2.) Εἰδότες ὅτι χάριτι ἐστε σεσωσμένοι, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Scientes quia gratiâ ſalvi facti eſtis, non ex operibus, ſed in voluntate Dei per Jeſum Chriſtum.*

Juſtinus Martyr, Epiſtolâ ad Diognetum (Edit. ut ſuprà *pag.* 500.) Τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ; *Quid enim aliud peccata noſtra potuit tegere, quam ejus juſtitia? In quo alio nos iniqui & impii pro juſtis haberi poſſumus, quam in ſolo Dei Filio?*

Ibid. ὢ τῆς γλυκείας ἀνταλλαγῆς, *ô dulcem permutationem*, &c. ἵνα ἀνομία μὲν πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ, *ut iniquitas quidem multorum in Juſto uno abſconderetur, juſtitia autem unius faciat, ut multi injuſti pro juſtis habeantur*, ex Verſione Langi.

Idem Dialogo cum Tryph. *pag.* 229. Pluribus docet non *purificari* hominem ſuis operibus, neque etiam hircorum vel ovium ſanguine, ἀλλὰ πίστει, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὃς διὰ τοῦτο ἀπέθανεν, &c. *Sed fide, per ſanguinem Chriſti & mortem ejus, qui eâ ipſâ de cauſâ mortuus eſt.*

Irenæus, ut ſuprà, *Lib.* III. *Cap.* XX. *Ita oportuit per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus eſt, juſtificari multos, & percipere ſalutem.* Idem, *Lib.* IV. *Cap.* XIII. ubi fidem Abrahami eandem cum noſtrâ fuiſſe docet, *credidit ei, quapropter & deputatum eſt ei ad juſtitiam à Domino. Fides, quæ eſt ad Deum, juſtificat hominem*, &c.

Nec ex *Clemente Alexandrino* in hanc rem deſunt loca, plus nimiùm aliàs tribuente operibus. Imò diſertiſſimè nos χάριτι σώζεσθαι, πίστει, διὰ τῆς πίστεως, etiam per *ſolam* fidem, *non* tamen *ſine operibus Legis*, Strom. paſſim *Lib.* V. &c.

Doctrina de Gratiâ.

IX. De *Gratiâ*, ejuſque neceſſitate & efficaciâ, etiam Gratiâ *prævertente*, quid ſenſerint Patres hujus Seculi, fuſè Gerh. Voſſius *Hiſtoria Pelag.* Lib. III. Part. I. & IV. Parte II. p. 449. Ubi injuriam fieri illis docet, quaſi eadem ſenſerint, quæ poſtmodùm Pelagius & Sectatores, contrà Peccatum Originis, contrà Gratiam illuminantem, aut Gratiam prævenientem, & pro *Libero Arbitrio*, ac *Impeccabilitate* hominis. Citatque in hanc rem appoſitiſſima loca ex *Juſtino Martyre*, *Irenæo*, *Clem. Alexandrino*, *Tertulliano*, &c. quæ ibi conſulant juniores, nec reponere illa neceſſe eſt. Adde qui hoc de *Gratiâ* argumentum ſpeciatim vindicandum ſuſceperunt, cumprimis etiam cauſæ Godeſchalci, & Corn. Janſenii Vindices, editis quæ ex Antiquitate huc faciunt Monumentis. Id certum occurrere in illis enunciata plurima, *Græcis* cumprimis, quibus locuti incautiùs de Hominis *libertate*, & *viribus*; at nec omnes, nec plurimi, nec ſemper, nec niſi reſpectu *boni moralis*, & *naturalis*, & eo etiam intuitu, ut bonas actiones *voluntarias* eſſe docerent, contrà quàm Bardeſaniſtæ & Manichæi. *Antè mota certamina Pelagiana*, (ſic ipſe pridem Auguſtinus, contrà Julianum Pelagian. *Lib.* I. C. II. *Tomo* VII.) *Patres ſecuriùs loquebantur.*

De Euchariſtiâ.

X. De *Euchariſtiæ* Symbolis, uſu, inſtitutione, &c. (oppoſitè ad *Tranſſubſtantiationem*, aut *Corporalem præſentiam* in Sacramento) quid ſenſerint hujus Ætatis & ſequentis Scriptores, prolixè nimis ab aliis demonſtratum eſt. Sic v. gr. Euchariſtiam inſtitutam ut eſſet *memoriale*, *ſymbolum*, *figura*, ἀντίτυπον, &c. Corporis & Sanguinis Chriſti: Symbola, ut percipiuntur *poſt conſecrationem*, manere *panem* & *vinum*, verè, propriè, in naturali ſuâ ſubſtantiâ.

Sic, *Panem* dici Corpus & vinum dici Sangui-

nem

nem Chriſti, id eſt, figuram Corporis & Sanguinis, ſive σύμβολα, ἀντίτυπα, εἰκόνας, *ſymbola*, *antitypa*, *imagines*, *Sacramenta*. Hinc eſſe *Corpus typicum*, *myſticum*, &c. Undè B. Rhenanus ad verba illa Tertulliani, *Hoc eſt Corpus meum*, id eſt, *figura Corporis mei*, Lib. IV. adverſùs Marcionem Cap. XL. ſententiam illi noſtram adſcribit, ut quoque Nicol. Rigaltius, citatis locis aliis parallelis, ex *Lib.* I. & III. *adverſus Marc.* Abſurdè verò, ad eundem locum Tertulliani, Phil. Priorius; *Locus pro veritate Corporis Chriſti inſignis.*

Sic, Chriſtum nunc quidem *Corpore*, *Carne* eſſe *abſentem*, eſſe *in Cœlo*, ibi futurum *donec veniat*, &c. Hinc *præſentem* quidem nobis eſſe, ſed *Spiritu*, *Majeſtate*, *Divinitate*, *Gratiâ*, &c.

Sic, *Sacrificium expiatorium* fuiſſe & eſſe *unicum*, *perfectum*, *in cruce* peractum; fidelium autem oblationes eſſe *ſpirituales*, precum, laudum, &c. vel θυσίαν ἀναμνήσεως, *commemorationem* veri *Sacrif.*

Loca, quæ hæ anguſtiæ non capiunt ex *Pſeudo-Dionyſio*, & *Ignatio*, (his Nominibus enim tribuuntur ab Adverſariis) *Juſtino*, *Theophilo* Antioch. *Clemente* Alexand. *Tertulliano*, & reliquis, fideliſſimè allegata, explicata, vindicata habes, cùm apud noſtros paſſim, tùm præ aliis, in Scriptis de *Euchariſtiâ*, apud Edmund. Albertinum, Davidem Blondellum, & nuper Matthæum Laroquium, in *Hiſtoriâ* Euchariſticâ, ac *Joh. Claudium* Miniſtrum Pariſienſem, in ſuis *de Perpetuitate Fidei circà Euchariſtiam*, adversùs Arnaldum Sorbonitam Theologum.

De cultu Religioſo Dei ſolius.

XI. Sic de *Cultu Religioſo* ut Deo *ſoli* debito, Patri, Filio, & Spiritui S. atque etiam exhibito à primis Chriſtianis, hoc quoque Seculo, teſtes ſunt paſſim: V. gr. Juſtinus Martyr, *Apol.* II. ad Antonin. *pag.* (Edit. ſuper.) 63. Ὡς ὁ τὸν Θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, οὕτως ἔπεισεν, εἰπὼν, μεγίστη ἐντολή ἐστι, Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, &c. *Deum porrò ſolum colendum eſſe, ità ſuaſit dicens, maximum mandatum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Idem gemina paſſim habet in eâdem *Apolog.* Unus excipitur locus, *pag.* 56. ubi inter objecta adorationis, poſt Deum *Patrem*, & *Filium*, antè *Spiritum Sanct.* videtur Juſtinus collocare καὶ τὸν Ἀγγέλων ἀγαθῶν στρατὸν, *bonorum Angelorum exercitum.* Sed nihil eâ eſſe exceptione frigidius, & verba ibi inſerta, inter Filium & Spiritum S. ſcil. καὶ τὸν στρατὸν Ἀγγέλων, &c. non conſtrui cum ſequentibus σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, ſed cum antecedente verbo activo διδάξαντα & accuſativo ἡμᾶς, *qui* (ſcil. Filius) *hæc cùm nos, tùm Angelorum exercitum docuit*, cùm rei ipſius evidentia, & oppoſitæ aſſertionis abſurditas, tùm Joh. Langi, hominis Pontificii, quam uſurpamus Verſio, oſtendunt.

Loca planè gemina, pro cultu, invocatione, adoratione, *unius* veri *Dei*, oppoſitè ad cultum Creaturarum; atque adeò teſtimonia *Eccleſiæ Smyrnenſium*, apud Euſebium, *Clementis Romani*, *Irenæi*, *Theophili Antiocheni*, *Tatiani*, *Athenagoræ*, *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, &c. accuratè nuper collegit, ac vindicavit Joh. Dallæus, de *Relig. Cultûs Objecto*, adverſùs Latinos, *Lib.* I. & *ſequent.* Quo ſenſu Irenæus *Lib.* v. adversùs Hær. Mariam dixerit *Evæ advocatam*, id eſt, παράκλητον *conſolatricem*, minimè certè ab Eva invocatam, eſt ab eod. Dallæo, & aliis oſtenſum. Longè abſurdiores fuerunt, qui *Evam* à Mariâ eductam *ex coſtâ Adami*, hinc à Mariâ creatam; ut in *Hiſtoriâ Creationis*, Auguſtæ Vindelic. in Eccleſiâ Cathedr. expreſſâ ære, in *Portâ æneâ*. Nec longiùs nunc digredi fas eſt. Plura dicimus infrà de *Martyribus*, & *honore* illis habito.

Silentium de Traditionibus

XII. *Porrò* in omnibus, quæ indicavimus, hujus Ævi Scriptis ac Monumentis, undè *doctrina* & *praxis* Chriſtianorum conſtat, altiſſimum ſilentium eſt, neque veſtigium ullum doctrinæ hodiernæ: V. gr. nihil in γνησίοις, nam Apocrypha non moramur, de *Papa Romani* Occumenico Pontificatu, Vicariatu, Infallibilitate; aut de *Romanâ Eccleſiâ*, ut ſolâ Catholicâ, ut Matre, Dominâ, Capite Eccleſiarum, &c. Imò *Hieroſolymitanæ* Eccleſiæ has prærogativas veriùs tribui ſuprà viſum, & diu adhuc poſteà imperante Juſtino Seniore, *Epiſt.* ad Hormiſdam, citatâ col. 550. aut quum Avitus Viennenſis, ſub finem Sec. v. ſcribens ad Epiſcopum Hieroſolymitanum, quem *Papam* dicit, *Epiſt.* XXIII. à Sirmondo editâ: *Exercet Apoſtolatus veſter conceſſos à Divinitate primatus, & quod principem locum in univerſali Eccleſia teneat*, &c. Sanè proferuntur Vulgata illa ex Irenæo, *Lib.* III. C. III. *Ad quam*, ſcil. Romanam Eccleſiam, *ob potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt ubique fideles*, &c. Scripſerat Irenæus Græcè, quod barbarè reddidit Interpres; ſcilicet *neceſſe fuiſſe convenire*, vel congregari, concurrere ad *Romanam Eccleſiam*, eam adiri ut Metropolim, ab omnibus aliis Eccleſiis, & fidelibus, διὰ τὸ ἐξαίρετον αὐτῆς πρωτεῖον, id eſt, *propter eminentem ejus prærogativam*, in Urbe ſcilicet quæ Caput Imperii, & Sedes Imperatorum. Vel, neceſſe eſſe omnes Eccleſias *convenire cum Romanâ Eccleſiâ*, συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν, cum ob illius πρωτεῖον, quod nullæ ipſi denegarant, tum ob fidem, puritatem, *in quâ ſemper conſervata* eſſet *ab Apoſtolis* accepta doctrinæ *traditio*. Nec poſt Blondelli de *Primatu Eccleſiæ*, p. 16. & *ſeq.* vel Salmaſii de *Primatu Papæ*, C. v. prolixiores vindicias, quicquam addere eſt operæ pretium. Tertulliani autem quæ objiciuntur, ex *Cap.* I. de Pudicitiâ, indignati Romanam Eccleſiam, ejuſque Epiſcopum (qui tum Zephyrinus) *mœchis pœnitentibus* veniam indulgere, contrà Montaniſtarum praxim, ea ſarcaſticè & luſu quodam, ſibi non inſueto, ſuperbiam & Tyrannidem illi exprobrant. Ille *Pontifex ſcilicet Maximus*, ille *Epiſcopus Epiſcoporum*, ſic *edicit*, &c. quæ adverſari magis quàm favere, vidit Rigaltius, viderunt alii.

Pontif. hoc Seculo.

Ità nihil in genuinis, Chriſtianorum hujus Seculi, de *Cultu religioſo Creaturarum*, Mariæ Virginis, Divorum, Angelorum, Reliquiarum, Euchariſtiæ, &c. ex dictis. Nihil de *Purgatorio*, *Indulgentiis* Rom. Curiæ, *Satisfactionibus humanis*, Deo præſtandis, in remiſſionem. Nihil de *Tranſſubſtantiatione*, vel μετουσιώσει Symbolorum, in Euchariſtiâ; Licet Tertullianus C. *Marcion. Lib.* IV. C. XL. Chriſtum, *acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, Corpus ſuum illum fuiſſe*; ſed addit ἐξηγητικῶς, *id eſt, figuram ſui Corporis*; Nihil quoque de *Sacrificio Miſſæ*, vero ac propitiatorio, pro peccatis Viventium & Mortuorum, cotidie in Altaribus offerendo. Nihil de Communione *ſub unâ* tantùm ſpecie, ex lege Concomitantiæ, Laicorum reſpectu. Nihil de *Ubiquitate*, vel *Multi-præſentiâ* Carnis Chriſti, variis Juſtini & Irenæi locis deſtructâ, contrà ſententiam Docetarum Hæret. veritatem Carnis negantium. Nihil de *Votis* qualia hodiè, Monaſticis, aut de *Meritis* operum propriè dictis, &c. Et quæ alia hujus temporis Religiones, ac Pontificiani præ cæteris, à Reformatâ diſtinguunt. Si qui ſint ſecùs affirmantes, næ illi ſoli oculati! Sed neque ſola affirmatio ſatisfacit, aut ſuppoſitio Scriptorum quæ vel omninò *dubia*, vel palàm *apocrypha*. Plura qui volet, præter hoc noſtrum ſpecimen, conſulat eos Theologos, qui de ſingulis Capitibus ex primâ Antiquitate diſputarunt. In ſpecie etiam ſint Junioribus ad manus, *Catalogus Teſtium Verit.* ad Secul. II. *Magdeburgenſes* Centur. II. in Cap. de Doctrinâ, *Abr. Sculteti* Medulla Patrum hujus Ævi, *Chemnitii* Examen Concilii Tridentini, *Chamieri* Panſtratia, & qui alii in vulgus noti.

Digitized by Google

Error de Statu Mortuor. Preces pro Mortuis quales?

De *navis* verò in doctrinâ hujus Ætatis, cumprimis circà Statum noviſſimum Mortuorum, eſt aliàs dicendi locus. Sanè fuit hæc ſententia hoc jam Ævo recepta, ab Auctore Carminum Sibyllin. hinc ab Hermâ fratre Pii I. Juſtino Mart. Irenæo, Clem. Alexandrino, tùm Tertulliano, Origene, &c. *Animas*, etiam piorum, poſt mortem ſubire loca ſubterranea, εἰν ἀΐδαο δόμοις ἰέναι; ibi *ſequeſtrari* ad diem Domini, Judicii; nec compotes fieri beatificæ viſionis, aut æternæ felicitatis, antè tempus univerſalis Reſurrectionis. Undè etiam frequentatæ hoc Ævo *preces pro mortuis*, *oblationes pro defunctis*, pro *animabus eorum* qui cæteroquin in Chriſto quieſcerent. Nempè ex perſonatæ *Sibyllæ* Scriptis, quæ circà A. Vulg. CXL. ex Montani & Cataphrygum officinâ prodiiſſe cenſet quoque Dav. Blondellus, mox derivatum in Patrum horum Scripta errorem eſſe autumant. Quicquid ejus ſit, ſive ex Carminibus iſtis error hauſtus, ſive ex *Eſdræ* IV. Apocrypho, C. IV. 35. VII. 32. ſive cum aliis erroribus (ut de Angelis, de Animabus, de Lib. Arbitrii viribus) ex Gentilis Philoſophiæ reliquiis; obſervandum eſt, non crediſiſſe Animas fidelium non frui ſuâ quiete, beatitudine, utpotè quæ ὀκεῖ μάκαρες, ὄλβιοι, τιμὴν ἔχοντες, &c. hinc in *ſinu Abrahæ*, in manu Dei, exſpectantes plenitudinem & conſummationem gloriæ: Sed tamen 1. In Locis illis inferioribus putarunt obnoxias eſſe Dæmonum inſultibus; hinc preces, liberaret eas Deus de *ore Leonis*, Dæmonis, de *profundo lacu*, de *manu Inferni*, &c. 2. Precabantur ut accelereret Deus *Reſurrectionem*, & *Conſummationem* (τελείωσιν) rerum omnium. 3. Ut etiam fruerentur refrigerio ac ſolatio quodam, in illo æſtu, illâ ſiti, plenæ liberationis, tanquàm in loco *refrigerii*, *lucis*, *pacis*, *quietis*. 4. Ut utilis eſſet *oratio*, piis defunctis, quicunque illi tandem, *Patriarchis*, *Prophetis*, *Apoſtolis*, *Martyribus*, &c. tanquam in *itinere* quodam conſtitutis, longo illo ac moleſto; ut contrà Aërium Sebaſtienſem, preces illas vehementiùs damnantem, Epiphanius, *Hær.* LXXV. *Num.* VII. 5. Precabantur denique, ut *propitius* eſſet Deus & *miſericors*, ἵλεως, εὐμενὴς, erga eos qui ex hac vitâ deceſſiſſent peccatis onuſti, aut infirmatibus circundati, conſtituendos in *ſinu Abrahæ*, ὅπου οὐκ ἔνι λύπη, ὀδύνη, στεναγμὸς, &c. ut pluribus Auctor Conſtit. L. VIII. C. XLI. 6. Addebant etiam, pro iis orandum, ut eſſet diſcrimen inter *juſtos* demortuos, & *Chriſtum*, qui ſolus pro omnibus intercedit, ut nemo pro ipſo; quæ pluribus ex Epiphanio refert, Blondellus de *Sibyll.* L. II. C. XIX. Saltem hinc liquet, quantùm à ſententiâ & praxi Veterum abeat illa Romanæ Eccleſiæ poſteriorum temporum. Tum & orabant vivi *pro Sanctis demortuis*, deinceps Sancti demortui *pro vivis* orare crediti, hinc iſtorum orationes ad Sanctos.

IV. *Ritus, Ceremoniæ, Diſciplina, Praxis Chriſtiana hujus Seculi.*

COlligitur omnis hic uſus Chriſtianorum ex iiſdem, quibus antè Doctrina, Eccleſiæ Catholicæ Scriptoribus, atque teſtibus. Huc faciunt, primo loco:

Conventus Sacri, eorumque ratio, agenda.

Tempus Sacrorum Convent. Dies Dominica.

I. Horum refertur *Tempus*, quod *diem ſtatum* fuiſſe docet vel Plinii Epiſt. ad Trajanum. Maximè ſolemne verò, & commune omnibus Chriſtianis fuit *Feria* I. quæ & *dies Solis* dicta apud Juſtinum *Apol.* II. & Tertull. in *Apol.* ut ſe Gentilibus accommodarent. Ea dies *Dominica*, *Domino* Sacra, ἡ κυριακὴ, undè in Canon. Apoſtol. vetitum νηστεύειν τὴν κυριακήν. Ἡμέρα ἀναστάσιμος apud Ignatium ad *Antioch.* &c. aliis etiam ἡμέρα φωτὸς *dies lucis*; in Novo Teſt. ἡ μία vel πρώτη τῶν σαββάτων *prima ſeptimanæ*. Nec dubium quin ab Apoſtolicâ, ſi non inſtitutione, ſaltem praxi & obſervantiâ. Illâ enim die conſtat 1. Euchariſtiam eoſdem celebraſſe, *Act.* XX. 7. 1 *Cor.* XVI. 2. 2. Collectas inſtituiſſe, ac vacaſſe exercitiis cùm pietatis tùm charitatis. Poſitâ enim illinc neceſſitate Sacrorum Conventuum, & ſolemnis cultûs, hinc libertate Chriſtianâ circà τὰς ἡμέρας, hunc *diem* præ cæteris elegerunt, συνάξιας ergò, in memoriam tùm *Reſurrectionis* Dominicæ, quâ conſummatum opus Redemptionis; tùm & *Apparitionum* Chriſti eâ die, *Joh.* XX. 19. 26; cumprimis & miſſionis *Spiritûs S.* in 1. Pentecoſte; tum primæ *Creationis*, ut qui Mundi natalis: Hæc pluribus ex Ignatio, Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Pſeudo-Clemente in *Conſtitutionibus*, conſtant.

Dies Sabbati.

Sed & aliis diebus convenêre, quanquàm liberè, nec omnes, nec ubique Chriſtiani, fatente *Valeſio* ad Euſebii Orat. de Laudibus Conſt. C. IX. Ità conveniſſe dicuntur etiam feria VII. ſive *Sabbati*, in variis ſaltem Orientis partibus, ad imitationem Apoſtolorum, Judæos eâ die inſtruentium, *Act.* XIII. XVI. XVII. XX. Nec tamen fecêre, Judaico ritu, & adinſtar Sabbatariorum; quanquam ἐξισώθησαν σχεδὸν Sabbatum & Dominica, dierum *biga*, *fratres*, &c. Hinc Juſtinus Martyr ſe *non ſervare Sabbata*, contrà *Tryphon. Jud.* Sabbati tamen dies, in quo memoriam *quietis* Chriſti in Sepulchro celebrabant, habitus illis [illegible] Dominicæ, & Feſtus Chriſtianis dies, in quo nec *jejunabant*, ex Canone *Apoſt.* LXVI. & ex Tertulliano adverſus *Pſych.* C. XIV. & Pſeudo-Clemente in *Conſtitutionib.* Uſque adeò ut Canon qui Apoſtolicus dicitur, *Clericum* jejunantem eo die, καθαιρεῖσθαι, *Laicum* ἀφορίζεσθαι jubeat; imò Χριστοκτόνος habeatur ſeu *Chriſti interfector*, ſicut in Pſeudo-Ignatio ad *Philipp.* qui Sabbato non jejunaverit. Et diutiſſimè hæ ſepultæ Synagogæ reliquiæ in Eccleſiâ Chriſtianâ permanſêre. Continuandâ praxi, cumprimis in *Oriente*, in hunc uſque diem; oppoſitè olim ad Marcioniticam praxim, quibus *Sabbatum*, quo Mundus perfectus, cauſa fuit luctûs & jejunii, apud Epiphanium *Hær.* XLII. Secùs deinceps Romæ obtinuit, à quarto & quinto Seculis, jejunaturis in memoriam ſepulturæ Chriſti, quaſi *ablati ſponſi*, undè triſtitia Apoſtolorum.

Feriâ IV. VI. Cœtus antelucani.

Convenêre etiam feriâ IV. quâ proditus Chriſtus, & VI. ſeu in Paraſceve, quâ Cruci affixus, ut die σταυρωσίμῳ, ex Canone *Apoſt.* LXIX. Pſeudo-Clemente in Conſtitut. *Lib.* V. & VII. etiam Tertulliano, Clemente Alex. Et hi *Stationum* dies, ſeu orationum, conventuum, & ſemi-jejunii, nempè ad horam uſque *nonam*. Ad tempus quoque ſpectat, quod *noctu* ſeu *antè lucem* plerumque convenirent, vel ex Plinii *Epiſtolâ*, undè dicti cœtus *antelucani*, & Chriſtiani *Lucifugæ*, per contumeliam, & *latebroſa ac Lucifugax natio*. Cujus ejuſdem moris ratio non una fuit; ſpeciatim, cùm metus Perſecutionum, tùm teſtanda ſic fides Reſurrectionis, & ultimi Adventûs Chriſti, quem antelucano tempore futurum arbitrabantur. Ex quo tamen more factum, ut accuſarentur Chriſtiani, cùm *nocturnarum* conſpirationum, tùm commixtionum *promiſcuarum*, etiam inceſtarum. Hinc etiam *Cereorum* ac lucernarum uſus, ſublatâ neceſſitate, in Eccleſiâ permanſit, poſt Conſtantini M. tempora, ut loco ſuo.

Loca Sacrorum Conventuum.

II. *Loca* Sacrorum conventuum quod attinet; fuêre hoc Seculo, partim *Ædes privatorum*, Cœnacula, Balnea, Porticus, Cryptæ, *Loca abdita*, ex

ex neceſſitate, & ob Perſecutores. Non certè ad *Pythagoræ* exemplum, qui in antro, extrà Urbem, Philoſophiæ & amicorum colloquiis vacabat; aut ad *Magorum* imitationem, qui ſacra ſua peragebant in antris, & ſpelæis, ut horror loci religionem conciliaret. Partim etiam fuêre *Cœmeteria*, ſeu ſepulchreta Martyrum, ad quæ conventus indicerent, zelo accendendo his conſtantiæ exemplis, ex Tertulliano, vel Euſebio, & ex Onuphrio de *Cœmeter.* fortè etiam ex loco *Apoc.* VI. 9. ubi *animæ occiſorum* viſæ *ſub Altari*, de quo infrà. Hinc & μαρτύρια, κοιμητήρια, *Areæ*, dicta ex *loca Conventuum*, etiam προσευχαὶ *Proſeuchæ*, qualiter dicta apud Judæos loca Orationi deſtinata, apud Joſephum, & Philonem, & in Actis Apoſtol. C. XVI. 16. *Templa* adhuc Chriſtianis nulla, nullæ Baſilicæ, nullæ Aræ, apud Minucium in *Octavio*, ut etiam vel ex ſilentio Veterum, ac conditione temporum, liquet. Nec legendum eſſe, in loco Tertulliani *de Pœnit.* C. IX. *Aris Dei adgeniculari*, ſed *Caris Dei*, Confeſſoribus, Presbyteris, jam eſt Doctis obſervatum; quicquid aliter viſum Grotio, Seldeno, Eruditis aliis.

III. *Modus indicendi* Conventus ſacros, ſeu convocandi Eccleſiam, fuit per *Miniſtros*, & *Miniſtras* ſive Diaconiſſas, κατ' οἶκον, *domatim*: Nec dùm enim vel *ligni* pulſatio, vel *campanæ* ſonitus, vel χαλκοῦ ψόφος, vel *præconum* hunc in finem voces, qualiter olim apud Romanos, & hodieque apud Turcas; ne conventus Chriſtiani Ethnicis proderentur. Silent hoc Seculo Plinius, Juſtinus, Tertullianus.

Agenda publica. IV. *Ratio* horum Conventuum, atque *Agenda* in iis, ex Apologeticis Juſtini Martyris, & Tertulliani, & ex Euſebio paſſim, intelliguntur, uti ex Canonibus Apoſt. & Conſtitutionum Libris. Fuêre autem compendio ſequentia: 1. *Lectio* S. Scripturarum Vet. & Novi Teſtam. per ἀναγνώστην ſive *Lectorem*. Et hoc ad imitationem Synagogæ Judaicæ, & Lectionis Sabbatariæ. *Lectorum* meminit Tertullianus, de *Præſcr.* C. XII. qui Ordinum tùm Sacrorum infimus fuit, per quem poſteà ad majores aſſurgebant, ſenſim probandi. Quanquam hoc adhuc Seculo *Presbyteris* commune ſæpè fuit, *legere* & *prædicare*; undè vetuſtiſſimi Canones Eccleſiæ Britannicæ utrumque Lectori adſcribunt. Legebant autem *ſtando*, ex *pulpito*, & eminentiore loco, ut circumſpici ab omni populo poſſent.

Lectio Script. S.

Preces publ. 2. *Preces* publicæ, quas diebus Dominicis *ſtando* fundebant, in memoriam Reſurrectionis, (undè prima notio *ſtationum*, & *ſtare*, *ſurgere ad Orationem*,) & ad imitationem Synagogæ Judaicæ. Ita etiam, ſe *excubias* agere pro Eccleſiâ, inſtar Excubitorum, ſignificabant. In cæteris *de geniculis* precati. Et hoc poſterius, jejuniorum tempore, vel extraordinariis temporibus, in ſignum luctûs, pœnitentiæ, ſummæ humiliationis, quod & Judæis obſervatum, & Chriſto, & Apoſtolis. Hinc phraſis κάμπτειν τὰ γόνατα, γόνυ κλίνειν, ἱκετεύειν, pro actu adorandi. Quandoque & *pronâ facie* in terram procubuêre, undè προσκυνεῖν, & προπίπτειν. *Sedentes* nunquàm precabantur, niſi quos carpit Tertullianus, *de Orat.* C. XII. ut *facientes contrà Scripturam*, & ad morem Nationum. Quia verò Preces publicæ ſunt quoddam *Sacrificium* Spirituale, hinc & *Loca* ſacrorum Conventuum, & ipſam *Eccleſiam* preces concipientem, *animumque* orantium, vocarunt primitùs θυσιαστήριον, βωμὸν; & ſic *Ignatius* ad Magneſios, Trallianos, Philadelphenſ. *Clemens Alex. L.* VII. *Stromat.* p. 717. Alluſione jam ad altare θυμιάματος, quomodò Clemens ibidem, τὴν ὁσίαν εὐχὴν vocat θυμίαμα τῆς δικαίας ψυχῆς, & ità paſſim Veteres, non de *ſuffitu* propriè dicto.

Preces cur ad Orientem? Sed & precati *ad Orientem*, ex Juſtino Mart. Tertulliano, Canonibus; πρὸς ἀνατολὰς ὁρῶντες. Non modò diſtinctionis ergò à Judæis, converſis ad Occidentem, ut ſitum Sanctuarii: Sed cumprimis intuitu Chriſti, veri Orientis, veri Luminis; ut & ſitûs ejuſdem in Cruce; etiam Reſurrectionis; etiam Lucis Euangelicæ; quin & Paradiſi ad Orientem ſiti, ac futuræ Reſurrectionis, ut mittam nunc reſpectus alios. Hinc calumnia, Chriſtianos eſſe ἡλιολάτρας, apud Tertullianum *Apol.* C. XVI. *Solem credunt Deum noſtrum.* De quo ritu diximus ſpeciali *Diſſert.*

Materia precum, primò fuit ex Sacrâ Chriſtianis omnibus formulâ *Orationis Dominicæ*, quam κυριακὴν, δεσποτικὴν, θεοδίδακτον, καθημερινὴν ſeu *quotidianam* appellarunt. Cujus certè uſus ex Juſtino M. Tertulliano, Origene, Luciano ipſo in *Philopatride*, & ex Liturgiis omnibus conſtat: Sed permiſſa hæc deinceps ſolis πιστοῖς *fidelibus initiatis*, ſive baptizatis, poſtquam creditum, hos ſolos poſſe Deum appellare *Patrem noſtrum*; & deinceps petitiones ſingulæ reſtrictæ ad *ſtatum baptizatorum*. Undè ejus uſus perpetuus antè Conſecrationem Symbolorum. Præterea materia precum intelligitur ex Tertulliani *Apol.* C. XXXIX. Orabant nempe, præeunte Præpoſito, pro recens Baptizatis, pro Pœnitentibus, pro Catechumenis, pro Energumenis; Item pro Imperatoribus, pro Miniſtris eorum, pro Statu ſeculi, pro rerum quiete, pro *morâ finis*, quem ſcilicet præcederent luctuoſiſſima tempora, ut ibi Tertullianus. Licet aliàs orarent Chriſtiani, pro *adventu Regni* Dei, & pro acceleratâ *Reſurrectione* & *Conſummatione* Beatorum. Sic recepta hoc Seculo Chriſtianis δοξολογία, in omnibus Græcorum & Latinorum precibus, publicis, privatis. Cujus *origo* non tantùm à Judæis, & à clauſulâ ipsâ Orationis Dominicæ, ſed & à profeſſione Trinitatis in ipsâ Baptiſmi formulâ. Nondùm *Litaniis*, & *Antiphonis* locus; Populo licet in fine orationis τὸ *Amen* acclamante. Orabant de *pectore*, ut loquiquitur Tertull. τῷ πνεύματι, τῷ νοΐ, *oculis* in *cœlum* ſublatis, certa licet eſſent paradigmata fundendarum precum; præter ſpeciales precandi occaſiones, quæ in Eccleſiis ſubnaſcebantur. Sed de *formulis* precum, ex praxi primæ Antiquitatis, diximus ſingulari Diſſertat.

Conciones. 3. *Conciones* publicæ, habitæ ex ſublimiore loco, ut audiri poſſent, Cathedram, ambonem, pulpitum, thronum poſteà dixêre; In quibus fierent; ἐξηγήσεις τοῦ λόγου, διδασκαλίαι, παραινέσεις *hortationes ad populum*, ὁμιλίας *Homilias* poſteà dixêre, familiares ſermones, & ad vulgi captum accommodatos, coëunte in concionem *Eccleſiâ*, undè *Concio*, *Collecta*, Σύναξις, ex Plinii Epiſt. XCVII. L. X. Juſtino Mart. Apol. II. Tertulliano, in *Apologet.* Habitæ præcipuè Sabbato, Dominicâ, Feſtis diebus. Concionum prævia fuêre, Preces publicæ, Lectio Scripturæ, in ſpecie *Textûs* pro concione explicandi, ſilentio vel voce vel manu facto. Ac Concionatores iidem qui οἱ διδάσκοντες, *Rom.* XII. 7. διδάσκαλοι, *Eph.* IV. 11. etiam προφῆται, *Rom.* XII. 6. προεστῶτες apud Juſtinum, aliàs ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι. *Laici* nulli, niſi fortè in conſtituendâ adhuc Eccleſiâ, uti *Actor.* XI. 20. *Mulieres* in publico nunquàm, quibus datum quidem προφητεύειν ſeu pſallere, laudare Dominum, 1 *Cor.* XI. 5. concionari minimè. Ac de Concionum ritibus, ſuis locis aliàs.

Cantiones. 4. *Cantiones*, Hymni qui Dei laudes, Cantica quæ in Dei opera, ᾠδαὶ quæ in honorem Dei, & Chriſti, etiam *Pſalmi* qui moralia complexi; quanquàm & *Pſalmorum* vox laxior pro quibuſvis Canticis Sacris. Undè Plinius *ad Trajanum*; Chriſtianos in conventibus ſuis *Carmen ſecum invicem Chriſto Deo canere.*

canere. De quarum vocum diſtinctione plura Critici. Sed eum antè Paulus, de ſacris cantionibus, Pſalmis, Hymnis 1 *Cor*. XIV. *Epheſ*. V. *Col*. III. Et quidem ex praxi vetere Judæorum, & illâ Chriſti Servatoris *Matth*. XXVI. 30. Deinceps hinc ψαλταὶ & ψαλμίςαι, *Cantores*, à Lectoribus ipſis diſtincti, & Ordo infimus habitus in Oriente, quem excepit Lectorum ille.

5. *Panis* & *Vini* Euchariſtici *oblatio*, à populo, & collocatio ſuper ἁγίᾳ τραπέζῃ *ſacrâ menſâ*; tùm per preces *conſecratio*; hinc *diſtributio* in fideles & baptizatos, factâ *commemoratione* mortis Chriſti. Ac de ritibus Euchariſticis poſteà. Quin ipſis *ſtationum* diebus, feriâ IV. & VI. finitâ ſtatione, communicaſſe horâ Veſpertinâ, ex Tertulliano, probat Albaſpinæus, *Obſerv*. L. I. *Obſ*. XVI.

6. *Collecta* in gratiam pauperum, viduarum, ægrotorum, orphanorum, captivorum, damnatorum ad metalla, confeſſorum & exulum, &c. Et hæ Eleemoſynæ inter concionandum indictæ, & in arcas, menſas, Corbonas repoſitæ, ut *depoſita pietatis*. Uti ab opulentioribus Eccleſiis, ex. gr. Romanâ, Carthaginenſi, ſubmitti ſolitæ, in uſus egenarum Eccleſiarum; de quo Euſebius, ex Dionyſii Corinthiorum Epiſc. Epiſtolâ quadam ad Soterem, *Lib*. XXIV. C. XXIII. Cæterùm *Collecta* nomen, etiam de Collectione fidelium, Cœtu, Συνάξει, Precibus, Agendis omnibus Eccleſiaſt. etiam de *Precatiunculis* in pauca *collectis*; ut poſteà hic uſus vocis frequentatus eſt.

Memoriæ Martyrum.

7. *Commemorationes Martyrum*, factæ in eorum Cœmeteriis, poſt publicas preces, vulgò antè Euchariſtiam, die cujuſque *emortuali*, *Natalitia* Martyrum dixêre, τὴν τοῦ μαρτυρίου ἡμέραν. Fuêre Panegyres, in quibus & lecta eorum geſta, unde *Legendarum* poſteà nomen: Sed *Acta* Martyrum conficta innumera, in Orbe utroque Orientali & Occidentali, quibus ſcatent Annales Baroniani, & quæ ſtudioſè collegerunt qui *Acta Sanctorum* vulgarunt. Aliàs dictæ *Memoriæ Martyrum*, cùm in honorem eorundem, tùm in ſtimulum viventium, undè praxis Smyrnenſis Eccleſiæ, in memoriam Polycarpi, apud Euſeb. L. IV. C. XV. Quo deinceps nomine ipſa *Oratoria*, ipſas *Baſilicas* intellexêre, ſuper Martyrum ſepulchris extructas, Seculo IV. & deinceps. In iiſdem factæ *oblationes pro defunctis*, ſeu dona, Martyrum vel mortuorum nomine, à proximis conſanguineis, aut hæredibus oblata, poſt teſtatam fidem, teſtatum genus mortis, in uſus pios. Sed & *oblationes pro defunctis* apud Tertullianum, de *Coronâ Mil*. C. III. & de *Monog*. C. X. preces ſunt annuæ, pro iis fuſæ, die dormitionis eorum; ex hypotheſi illorum temporum de ſtatu Animarum poſt mortem, de quo fusè ſuprà.

Cenſuræ, Oſcula, &c.

8. *Cenſuræ* etiam publicæ, exercitæ in delinquentes, ſcandaloſos; Tertullianus dicit *caſtigationes*, & *cenſuram divinam*. Prævia erat ἐξομολόγησις, ſeu Confeſſio publica, additis ſignis externis doloris, & pœnitentiæ, uſitata jam tempore Irenæi & Tertulliani. Sed de Exomologeſi infrà.

9. *Oſcula mutua*, φιλήματα, ἀσπασμοὶ, quibus indè ab Apoſtolorum ævo, *Rom*. XVI. 1 *Cor*. XVI. 2 *Cor*. XIII. 1 *Theſſ*. V. 1 *Pet*. V. finitis precibus, ſemet excipiebant, quæ dicta *oſcula ſancta*, *pacis*, *charitatis*, *fraternitatis*, Tertulliano *ſignaculum orationis*. Et hæc Græcis in hunc diem uſurpata. Quanquam Paulus non tam præcepit illud *oſculum*, quàm monuit ut *ſanctum* eſſet, caſtum, ſincerum. Juſtinus Martyr. *Apol*. II. ἀλλήλους φιλήμασιν ἀσπαζόμεθα. Symbolum variè fuit, amoris fraterni, ſanctæ conjunctionis, conciliationis mutuæ, pacis cum Deo (hinc dictum *pax Domini*) ſpiritualis gaudii, etiam valedictionis fraternæ, quum à ſe invicem diſcederent. Et aliud *oſculum* fuit antè Communionem Euchariſticam, præmonente Diacono, *oſculamini vos oſculo ſancto*; aliud poſt Communionem, ſacris peractis, confirmandæ illi fraternitati. Cujus in locum ſuffecit gliſcens ſuperſtitio *oſculatorium*, ut vocarunt, ſeu tabulam cum Crucifixi imagine.

10. *Sacramentum*, ſive juramentum quo ſe Chriſtiani obſtringerent, *ne furta*, (ſunt verba Plinii Secundi) *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depoſitum appellati abnegarent*: Quibus peractis morem diſcedendi fuiſſe, ut idem addit, ſeu poteſtatem abeundi, & iterum ad Convivium, ſeu ad ἀγάπην, redeundi. Niſi *Sacramentum* Plinii referas ad Sacramentum *Euchariſtiæ*, cujus ſumptione Chriſtiani ſemet, veluti juramento, obſtringerent ad illa quæ commemorat, ſcil. *ne committerent furtum*, *latrocinium*, *adulterium*, &c.

Agapæ.

Circumſtantiæ earundem. Finis.

Agaparum celebratio, qui mos jam ab Apoſtolorum ætate derivatus, uti *menſæ* promiſcuæ, *Act*. VI. Undè ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, *Jud*. ℣. 12. Nempè ſymbola charitatis & dilectionis mutuæ, & pietatis in egenos; *inopes quoſque refrigerio iſto juvamus*, ut Tertullianus in *Apologet*. C. XXXIX. Vocat hic etiam, *Libro* II. ad Uxor. C. IV. *Convivium Dominicum*, ſolemne ſcil. diebus Dominicis; Undè Plinius, *ſtato die coiviſſe ad capiendum cibum*, *promiſcuum & innoxium*. Origo ab Epulis ſacris, receptis 1. Inter Ethnicos, apud quos Sacrificiorum individui comites *epulæ*, hinc συσσίτια, φιλίτια, φρατρικὰ, χαρίσια, ὀργεωνικὰ, etiam φιδίτια ἀπὸ τῆς φειδοῦς. 2. Inter Judæos, quorum nullæ *Feſtivitates* ſine Epulis ſolennibus, ex Sacrificiis pacificis; imò nulla ferè *Sacrificia* quæ non iis peractis conjunctas haberent epulas, in loco Sacro, & Atrio cùm Sacerdotum, tum etiam Populi. 3. A Chriſti Cœnâ Paſchali; ac præcepto Domini, de vocandis ad δοχὴν *convivium* pauperibus, πτωχοῖς, ἀναπήροις, χωλοῖς, τυφλοῖς, *Luc*. XIV. 3. Undè *pauperes* promiſcuè in iis aſſidebant divitibus. Olim Apoſtolicis temporibus, antè Euchariſtiam ad Chriſti imitationem, & *veſpertino* tempore, hinc *cœnam noſtram*, dixit Tertullianus, *cœnulas noſtras*; & indè calumnia Gentilium de Cœnis Thyeſtæis, & inceſtis, ut eſt à Salmaſio, & aliis oſtenſum. Ità Lucianus in Morte Peregrini, meminit δείπνων ποικίλων *variarum Cœnarum*, id eſt, ut Tanaquillus Faber, *Agaparum*, in quibus ἱεροὶ λόγοι ἐλέγοντο *Sacri Sermones habebantur*. Deinceps verò *poſt Euchariſtiam* Sacram inſtitutæ, μετὰ τὰ μυστήρια, & horis matutinis, etiam *ante-lucanis Cœtibus*, ut hac Ætate jam fieri cœptum ex Tertulliano de *Cor. Mil*. Et quidem in ipſo loco Chriſtianorum Conventuum, ac ſuper ſepulchris Martyrum, adhibitis orationibus, ſermonibus religioſis, lectione Scripturarum, &c. Nec diſcumbebant, ob permixtas *viris fœminas*, ſed ſedebant, antiquo more: Ità quidem ut Viri unum latus occuparent, alterum Fœminæ; quod & de Judaicis conviviis retulit Philo.

Fines, 1. Ut eſſent *ſymbolum* fraternæ *Charitatis*, & communionis, undè ἀγάπαι. 2. Ut *Pauperes* reficerentur, communi his convivio, hinc convivium *promiſcuum*. 3. Ut in iis fieret commemoratio mortis Chriſti, & frangeretur panis *Euchariſticus*. Undè conveniebant ad panem tùm *ſacrum* & *ſpiritualem*, tùm *corporalem* & *communem*, neget licet Albaſpinæus; quod ex Paulo ſatis conſtat, 1 *Cor*. XI. & ex *Actorum* Hiſtoriâ.

Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmus ejus Ætatis.

Circà adminiſtrationem Baptiſmi S. conſtat iiſdem ex Teſtibus:

Parvuli baptizari.

1. *Subjectum* capax Baptiſmi habitos quoque *Infantes*, *puerulos*, diſertè apud Irenæum *Lib.* II. C. XXXIX. & poſt hunc apud Tertullianum de *Bapt.* C. XVIII. ne dicam Auctorem Conſtitut. Origenem, &c. Undè *Sponſorum* apud eundem Tertul. mentio, dicto *loco*, uti apud Auctorem Conſtitut. *L.* III. C. XVI. & Pſeudo-Dionyſium Areopagitam, in *Hier. Eccleſ.* Qui nempè pro fide Infantum fidejuberent, qualibus ſuſceptoribus, fidejuſſoribus, ſponſoribus, (qui deinceps patrimi, matrimi, compatres, &c. Græcis etiam ἀνάδοχοι, ὑπόδοχοι, χειραγωγοὶ, ἡγημόνες) adultis opus minimè fuit; licet tales *cum periculo ingeri*, moneat Septimius.

Catechumeni.

2. *Præparatio* antecedanea in adultis: Undè *Catechumeni* primò, in ſtatu κατηχήσεως *inſtitutionis*, ſeu καθάρσεως, μυήσεως, ἀκροάσεως, (undè & *audientes* apud Tertullianum) quam ſequebatur τελείωσις. Et hæc non theoretica tantùm fuit de doctrinâ, ſed & practica de vitâ Chriſtianâ, per Catecheſas, quales hâc Ætate in Eccleſ. Alexandrinâ Pantænus, Clem. Alexandrinus, apud Euſebium *Lib.* VII. C. III. Hinc poſt primam *Pœnitentiam*, quâ ab Ethniciſmo ad Chriſti Diſciplinam accedebant, quo facit Tertulliani illud, *pœniteat errorum*, *pœniteat amaſſe quod Deus non amat*, L. de Pœnit. C. IV. & poſt ſufficientem probationem, recipiebantur in ſtatum Catechumenorum, per Impoſitionem manuum: Qui ſtatus aliquando ad *triennium* extendendus fuit, vel ex auctore Conſtitutionum Apoſt. *Lib.* VIII. C. XXX. etiam ad *biennium*, ex Canone Eliber. XLII. tandem ad *trimeſtre* ſpatium in Romanâ Eccleſiâ, etiam ad XL. *dies* ex Cyrillo Hieroſ. *Catecheſi* I. Tùm facti *Competentes* Baptiſmi; tandem *Fideles* & *Perfecti*. Baptiſmum verò immediatè præceſſère jejunium, cilicium, orationes, fidei confeſſio, *renunciatio Diabolo*, & *pompæ*, & *Angelis ejus*, &c. ex Tertulliano de *Bapt.* Cap. XIX. & *de Cor. Mil.* C. III. In ſpecie, priori vitæ conſuetudini ac profeſſioni renuntiabant, ſi qui antè Caupones, Aſtrologi, Vates, Augures, Gladiatores, Citharœdi, Meretrices, &c. quod fuit ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς.

Tempus Bapt.

3. *Tempus*, tùm quodcunque habile creditum eſt ad Baptiſmum, tùm maximè *ſolemne* in *Sabbato*, ſeu Pervigilio Paſchatis & Pentecoſtis, de quo tamen Juſtinus Martyr & alii tacent. At Tertullianus loco cit. *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat*; mox, *exindè Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt.* Rationes obviæ, ſc. figura mortis, & ſepulturæ, & reſurrectionis cum Chriſto, etiam gratiæ Spiritûs S. adhæc Sabbati æterni.

Locus.

4. *Locus* Baptiſmi, *quivis* omninò hoc Seculo, in Fontibus, Fluminibus, Carcere, Ædibus privatis, Lecto, undè *Grabbatarii*, nullo certè diſcrimine locorum, ad imitationem Apoſtolorum, *Act.* II. VIII. IX. X. XVI. At verò baptizaſſe ſuper *Martyrum ſepulchris*, indè à Pauli ætate, undè ſit phraſis *baptizari* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *ſuper mortuis*, 1 *Cor.* XV. 29. gratis aſſertum à Viris Magnis. Nec meminerunt quæſiti hujus Baptiſmo loci Juſtinus, Athenagoras, Irenæus, Tertullianus, &c. Neque dixiſſet Paulus, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ſed ἐπὶ τῶν νεκρῶν, vel περὶ τοὺς νεκροὺς, quâ de re noſtra de *Baptiſmo propter Mortuos* Diſſertatio. *Cryptæ* demùm quæſitæ ſub Perſecutionibus, quales ſub extrema Neronis, Domitiani; Rariores ſanè Martyres quo tempore hæc ad Corinthios Paulus.

Miniſter.

5. *Miniſter* Baptiſmi, hoc adhuc Seculo, ſolus *Præpoſitus*, ſive Epiſcopus vel Presbyter, ex Juſtino Martyre, Ignatio, Tertulliano. *Summum ſacerdotem* primo loco nominat Septimius, *de Bapt.* C. XVII. id eſt, Epiſcopum quemvis, hinc Epiſcopi auctoritate *Presbyteros*, *Diaconos.* Quanquàm & *Laicis jus eſſe dicit*, abſente Presbytero, & in caſu neceſſitatis, *cùm viget circumſtantia periclitantis*, ſcil. baptizatis, at Mulieribus minimè; Additâ ratione, *quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt*: Quæ & ſequentis Seculi praxis fuit.

Forma.

6. *Forma* in Baptiſmo uſurpata, ſcil. *Immerſio*, vel κατάδυσις nudati corporis in aquam (ſeu viri eſſent, ſeu fœminæ, ſeu infantes) & *trina* quidem, undè τρία βαπτίσματα, in S. Trinitatis Symbolum, more hodieque Orientalibus uſurpato. Mulierum pudori in Baptiſmo conſulebant *Diaconiſſæ.* Et ipſa *veſtium* exutio, ac nuditas, moralem illis ſignificationem habuit. *Ægri* tamen vel *Clinici* adſpergebantur in lecto, quæ περίχυσις dicta; adhibita quoque (ut videtur) in Eccleſiâ Hieroſolymit. ubi *multitudo baptizandorum*, ter mille, mox quinquies mille, *Act.* II. IV. nullo ibi flumine in quem demitterentur. Acceſſit invocatio S. *Trinitatis*, ex Ignatio, Juſtino, Irenæo, Tertulliano, ſecundùm Formulam à Chriſto præſcriptam. *Conſignationis* in Baptiſmo, quâ ſigno Crucis baptizatus ſignabatur in fronte, vel pectore, nulli hoc Seculo genuini meminerunt, niſi Dionyſium Areop. velis.

Succedanei ritus.

7. *Succedanei* Baptiſmo ritus, quales fuêre, v. gr. *Unctio*, ſtatim à Baptiſmo, cujus tacet Juſtinus, aſt meminit Tertullianus, *Cap.* VII. de *Bapt.* & aliàs. Figura *unctionis* Spiritûs S. abſterſionis ſordium, lætitiæ, roboris, luctæ ſpiritualis cui deſtinarentur: Adhæc inaugurationis quidam ritus, recens cooptati in diſciplinam Chriſti. Tùm *conſignatio*, de quâ primus Tertullianus, poſt Unctionem, *Caro ungitur, Caro ſignatur, ut anima muniatur*, de Reſurr. Cap. VIII. At nec univerſalis illa fuit, nec neceſſitatis credita, aut virtutis alicujus ſpiritualis. Hinc impoſitio manuum, benedictio, advocatio Spiritûs S. preces pro baptizato, fuſæ à totâ Eccleſiâ, quæ deinceps traxêre ad Sacramentum *Confirmationis*, quâ de re in noſtrâ Diatr. de *Impoſit. Manuum.* In ſpecie, tempore Tertulliani, acceſſit guſtatio lactis & mellis, quam vocat *lactis & mellis ſocietatem quâ Deus ſuos infantat*; adverſus Marc. *Lib.* I. C. XIV. In Epiſt. *Barnabæ*, (quam ſecundi hujus Seculi cenſet Uſſerius Armachanus) *Cap.* VI. ὅτι πρῶτον τὸ παιδίον μέλιτι καὶ γάλακτι ζωοποιεῖται, οὕτω καὶ ἡμεῖς, &c. quæ reſpicere hunc ritum credita. Quò jam & reſpexiſſe Petrum, 1 *Petr.* II. 2. Viri Docti cenſuerunt; ſed abſque neceſſitate, *lac* enim infantum proprius cibus eſt. Et fuit imitatio quædam Chriſti infantis, de quo *Eſai.* VII. 15. præter figuram *regenerationis*, & chariſmatum *Spiritûs S.* & *ſuavitatis* doctrinæ Chriſtianæ, lacte & melle repræſentatæ.

Acceſſit & in Eccleſiis Africanis (quanquàm obſcurior hoc Seculo, manifeſtior ſequente) *Communio Euchariſtica*, reſpectu *Infantum*, ſtatim à Baptiſmo, Auguſtini adhuc tempore utplurimùm recepta.

Nondùm verò hujus Ætatis fuiſſe intelligitur *Exorciſmus*, *Inſufflatio*, *Chriſmatio*, ritus alii baptiſmo prævii, ſequenti Ætate. *Cereorum* uſus fuit, quia in vigiliâ Feſtorum baptizari ſoliti; & appoſitum hoc luminis Spiritualis ſymbolum fuit, undè φωτισμὸς, φώτισμα, φωτίζεσθαι, νεοφώτιστοι, ἡμέρα τῶν φώτων. Ritus alii Baptiſmales, ad ſequentia Secula.

Eucha-

Euchariſtici Ritus.

Quoad *Euchariſtiam* S. hæc ſummatim, ad hanc Ætatem obſervamus:

Nomina varia. 1. *Nomina* hoc Seculo promiſcua, quæ fuêre illa εὐχαριστίας, εὐχαριστηθέντος ἄρτου, ἀναμνήσεως, κοινωνίας, συνάξεως, προσφορᾶς, μεταλήψεως, ἀγάπης, &c. Ut poſtremo nomine venit Euchariſtia in Ignatio ad Smyrnæos, ἀγάπην ποιεῖν, id eſt, *Euchariſtiam facere*, ut quoque Salmaſius reddit. *Oblationem* quoque dixit *Irenæus*, reſpectu habito ad *oblationes* panis fermentati, vel ſimilæ, & vini, à populo hunc in finem factas, *Lib.* IV. C. XXXII. *Miſſæ* nomen hoc Seculo ignotum, pro ſacrificio Euchariſtico; quanquàm Cardinalis Bona, poſt Baronium, probat ut genuinam *Epiſt.* Pii P. ad Juſtum Viennenſem, in quâ occurrit illud, *Miſſas agimus.* Et hanc Epiſt. ſcriptam anno CLXVI. hariolantur, quum ſederit Pius antè Anicet. non ultrà A. CLVII. Quo tempore, an à Catechumenorum & Pœnitentium *miſſione*, ſubſequens Euchariſtiæ adminiſtratio jam dicta fuerit *Miſſa*, ἐξόχως, meritò ambigitur, quod ſequentis Ævi fuit. Pearſon, ſcriptam Epiſt. antè A. CXLIII. quo Pius eſſe deſiit.

Tempus. 2. *Tempus* celebrandæ Euchariſtiæ, ex Juſtino, Tertulliano, communiſſimum ac ſolemniſſimum fuit *dies Dominicus*; alicubi etiam *feria* IV. & VI. finitâ ſtatione. Imò *cotidiana* apud nonnullos communio, obtinuit, ad Apoſtolorum exemplum, patetque ex Juſtini *Apol.* II. Ac diu poſteà ad eam hortatus adhuc Cyprianus, *Epiſt.* LVI. ad Thibaritas. Sumpta eadem multis in locis *veſperi*, in Agapis, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, vel ut Tertullianus, *de Cor. Mil.* C. III. *in tempore victûs*, de quo ſuprà. Ut plurimùm tamen in cœtibus *ante-lucanis*, matutinis, & à jejunis, ex Plinio, Juſtino Mart. Tertulliano, locis indicatis.

Qui admiſſi ad Euch. 3. *Subjecta* ad Euchariſtiam admiſſa, ſoli *baptizati* & capaces, vix dum *infantibus* hoc Seculo ad hoc Sacramentum deſtinatis. Quod neque ex Juſtino Mart. neque ex Irenæo, aut Tertulliano conſtat. Subjectum fuêre & *ægri*, decumbentes, ad quos Euchariſtica ſymbola delata fuerunt, nec *panis* tantùm ſed & *vinum*, ex Juſtino *Apol.* II. & Irenæo apud Euſebium, quæ Communio *privata*, *domeſtica*. *Viaticum* ſeu ἐφόδιον poſteà dixêre, metaphorâ à longum iter facturis, ſupponente Antiquitate manſionem Animarum in locis ſubterraneis, ad diem Judicii; ut diſceſſuris ex vitâ prodeſſet Euchariſtia inſtar *Commeatûs*. Hinc etiam *intinctorum* uſus, ſeu panis vino intincti, atque è cochleari uſurpati, habitâ ratione infirmorum.

Symbola. 4. *Materia*, fuêre ſymbola *Panis* & *Vini*. Panis *vere* talis, ἔνζυμος *fermentatus*, quo utebantur in ipſis Agapis; qui diſtribuebatur in pauperes; qui in alimentum cederet, 1 *Cor.* X. XI. Hinc & ipſum nomen *oblata*, *oblationes*, pro pane fermentato & alimentario, à fidelibus offerri ſolito, ex Juſtino Mart. Irenæo, &c. Cujus pars in communionem Euchariſticam, pars in Agapas ceſſit, reliqua in uſum Pauperum, & Cleri. Ut ſuppoſititia ſit, quæ obtenditur pro *azymis*, Conſtitutio Alexandri I. Sed ingenuus hoc in argumento Sirmondus, Diſſert. de *Azymis*, quas antè Leonem IV. & Seculum XI. lege obtinuiſſe negat. Nec tacendus hic error eſt Claudii Salmaſii, ſub nomine Simplicii Verini, in Libro de Transſubſtant. contrà Hug. Grotium; nempè hoc Ævo etiam *oblatum* ad *altare lac* loco *vini*, & *Infantes quibus Communio dabatur*, *ità aliquando communicaſſe*.

Vinum porrò *aquâ* dilutum fuiſſe docet Juſtinus, qui meminit *Apol.* II. τοῦ εὐχαριστηθέντος οἴνου καὶ ὕδατος. Quanquam *vini* in *poculo* Euchariſt. tantùm mentio apud Euangeliſtas, *aquæ* nulla, ut nec apud Paulùm. At ſecundo Seculo ſolenne Chriſtianis fuit vinum *aquâ* temperare, idque ex ratione *hiſtoricâ*, ad Chriſti (ut putabant) exemplum, & ob *ſanguinem* & *aquam* quæ ex ejus latere profluxiſſent; tum ex ratione *politicâ*, ut Gentilium calumnias præverterent; tùm *morali*, ne in Agapis quiſquam meraco vino plus ſatis indulgeret, aut offenderentur *Encratitæ*; tùm *myſticâ* & Sacramentali, adumbrandæ unioni Spirituali Chriſti & Eccleſiæ, illâ *vini* & *aquæ* mixtione. Hinc neceſſariam eam poſteà crediderunt, & *præcepti* divini, ut Cyprianus, Julius Romanus Epiſc. &c.

5. *Miniſter* Euchariſtiæ, primarius quidem, & conſecrans, ſeu benedicens, fuit ὁ προεστώς, Epiſcopus, vel Presbyter; *ſecundarius*, & diſtribuens conſecrata ſymbola, fuit Diaconus. Utrique *habitu* ſimplici & ordinario, pallio ſcil. Hebræis & Græcis uſitato, vel toga laneâ & rotundâ; ejuſdem cum aliis hominibus *victûs*, *habitûs*, *inſtructûs*, ut Tertullianus in *Apolog.* Et fatetur H. Valeſius Notis ad Euſebium, *p.* 122. Undè Tertulliani Apologia de *Pallio*, quod Togâ depoſitâ aſſumpſerat, ut auſteriorem diſciplinam & quaſi eminentiorem Philoſophiam profiteretur. Nondùm Sacerdotales ſequentis Ætatis, amictus, ſtola, infula, &c. minùs Pontificales veſtes, Dalmatica, caligæ, chirothecæ, *Pallium* quale Archiepiſcoporum vel Patriarcharum proprium, quicquid horum tum uſum obtinuiſſe probabile cenſeat Cardinalis Bona, *Liturg. Lib.* I. C. V. Abſurdiſſimè verò huc trahunt *penulam* Pauli, Troade relictam 2 *Tim.* IV. 13. veſtem itinerantium, φελόνην, Syro autem *arculam* vel *domunculam* in quâ Pauli ſcripta. Miniſter; Habitus.

6. *Actiones* in celebratione Euchariſticâ, fuêre aliæ *adminiſtrorum*, aliæ *participantium*. Actiones Euchariſticæ.

Adminiſtrantium fuêre: *Conſecratio* ſymbolorum, quæ fiebat clarâ voce, præviis orationibus, ſpeciatim *Dominicâ*, hortationibus ad populum, recitatione Symboli, tùm verborum Inſtitutionis. Patet ex Juſtino, Irenæo, Tertulliano, &c. Ac factam eandem *voce* clarâ, intelligibili, populo ad verba Conſecrationis τὸ *Amen* acclamante, ex iiſdem conſtat, & confirmavit adhuc Seculo ſuo Juſtinianus *Nov.* CXXIII. Tùm excepit *fractio panis*, ex inſtitutione Chriſti, & praxi Apoſtolicâ; factum hujus Ætatis inficiari auſo nemine, tot rei teſtibus, Irenæo, Ignatio, Clemente Alexandr. &c. Et quidem analogicè repræſentata ſic *laceratio Corporis Chriſti*, & ſeparatio animæ à Corpore. Quanquam hunc ritum *neceſſitatis* fuiſſe negarint poſteà, & nuperus *Antiquitatis Euangelicæ*, id eſt, Ubiquitariæ, demonſtrator. Mox fracti panis in buccellas, μοιρίδας, ψωμούς, quomodocunque fregerint, ſive digitis ſive cultro, facta per Diaconum, vel *Præſidentes* ipſos, ut habet Tertullianus, ipſorum manibus *diſtributio*; vel expoſitio in diſco, unoquoque de menſâ Sacrâ partem ſibi ſumente, ἑκάστου λαβόντος τὴν μοῖραν, apud Clementem Alex. *Strom.* L. I. qui mos Orientalibus diu poſt ſacer fuit, ex Canonibus *Trullanis*. Ad ægros & abſentes, jam Juſtini Ætate, mitti ſolitum panem conſecratum, ex Juſtino Mart. *Apol.* II. mox etiam particulas ejus reſervatas, & domum aſportatas, ex Tertulliano *Lib.* II. ad Uxor. liquet. Tandem Preces & Gratiarum actiones ſucceſſerunt, ac dimiſſio Populi, poſt εὐχὴν ἀπολυτικήν, undè *miſſa fidelium*.

Participantium actiones fuerunt v. gr. Debita *præparatio*, precibus, jejunio, eleemoſynis, auditione Verbi; Tum menſæ Sacræ *accubitus*, hinc *communio*; Tandem *gratiarum actio*, eleemoſynæ, oſcula mutua, confirmandæ fraternitati, quæ poſteà in deſuetudinem abiverunt.

7. *Conſequens* fuit inter alia, *Reliquiarum* ex oblatio- Succedanea.

Digitized by Google

tionibus Populi, τῶν προσοδημάτων, converſio in uſum Agaparum, pauperum, egenorum, &c. Imò in Eccleſiâ *Hieroſolymitanâ*, ad Judaicæ Legis exemplum, concremaſſe aliquando eas reliquias, ſeu panem non comeſtum, uti carnes Judæi *Lev.* VII. 17. imprimis quando *Judæi* Rectores illi Eccleſiæ præerant, uſque ad Hadriani tempora, Salmaſius in ſuis contrà Grotium obſervavit, ſub nomine Simplicii Verini, *pag.* 483. Undè rectè idem, non profectò crediviſſe ſe *Corpus Chriſti*, ſeu panem *transſubſtantiatum*, comburere.

Diſciplina circà Lapſos & Pœnitentes.

Circà *Lapſos* poſt Baptiſmum videlicet, & publicè *Pœnitentes*, ritus hoc Seculo potiſſimùm leguntur, apud Irenæum, Clem. Alexandrinum, Tertullianum, Euſebium:

Correptio. 1. Lapſorum *correptio* per Eccleſiæ Præpoſitos, objurgatio, emollitio, converſio, admonitionibus, precibus; rei hujus exemplis apud Euſebium ex Clemente Alexandrino, & apud Irenæum. Ac *Lapſi* quidem cenſebantur in ſpecie Apoſtatæ; generaliùs verò qui ſe Idololatriæ, vel Homicidii, vel Adulterii, ſeu Mœchiæ crimine obſtrinxiſſent, ex præcepto Apoſtolico ſcilicet, *Act.* XV. 29. quæ delicta cenſebantur *capitalia*. Ex *Lapſis* fiebant *Pœnitentes*, petitione primùm, hinc *datione* Pœnitentiæ; præviis precibus, & Impoſitione manuum, quâ ſolvebatur vinculum interdicti. Quæ tamen nonniſi *ſemel* dabatur, relapſis autem vel pertinacibus negabatur, ex Tertulliani Libro de *Pœnitentiâ*, ſi Tertulliani eſt, ut ſanè videtur, invitis Eraſmo & Rhenano. Petere veniam delictorum, & in iiſdem rursùs perſeverare, *ſimulacrum Pœnitentiæ* dixit Clemens Alex. *Strom.* II.

Exomologeſis. 2. Succeſſit *Exomologeſis*, ſeu publica delictorum Confeſſio, quæ vel *ſtrictiùs* dicta, quâ primùm in facie Eccleſiæ crimen confitebantur; ſeu ultrò & ſpontè, ſemet deferentes, ſeu coactè, publicâ correptione & ejectione compulſi: Vel *laxiùs* dicta Exomologeſis, pro externâ Pœnitentiæ profeſſione, ſeu pro totâ illâ diſciplinâ quâ Lapſi agebant in ſtatu humiliationis, cum Pœnitentiæ argumentis externis, proſtratione, lachrymis, jejunio, deprecatione, &c. Meminit jam Irenæus *Lib.* I. C. IX. *Saccum* etiam & *Cinerem* Tertulliani Ætate adhibitum legimus, ex ejus de Pudicitiâ Libro, *Cap.* V. & altero de Pœnitent. quem antè iſtum Orthodoxus ſcripſit. Et quia Pœnitentes *advolvebantur* pedibus Presbyterorum, ex eodem Tertulliano, hinc calumnia Gentilium, adorari genitalia Sacerdotis. Gratis Valeſius cum ſuis, in *Socrat. Lib.* V. C. XIX. negat *publicam Confeſſionem unquàm obtinuiſſe ex Eccleſiæ moribus*, ſed invitis Rigaltio, Albaſpinæo, Sirmondo, cordatis aliis. Imò primis duobus Seculis Ἐξομολόγησις nulla niſi *publica*, quæ tertio Seculo in Oriente mutari cœpit in privatam, ut poſteà.

Duratio Pœnit. 3. *Duratio* hujus varia fuit, pro delictorum & pœnitentium conditione, κατ' ἀναλογίαν τῶν ἁμαρτησάντων. Nondùm tamen adſtricta hoc Ævo rigore Canonum, ad eos *gradus*, & eas *annorum* leges, quæ ſequenti Ætate obtinuerunt. Uti nec certum tempus circà inceſtuoſum determinaverat Paulus, I *Cor.* V. Sed neque par in Eccleſiis omnibus rigor, major viſus in Orientalibus, in Africanis, & Hiſpanicis ex Canone Eliberit. VII. VIII. minor in Romanâ Eccleſiâ. Ipſeque etiam Tertullianus minùs rigidus, *Catholicus* quum eſſet; rigidior Montaniſta factus, collato Libro de *Pudicitiâ*, cum priore de *Pœnitentiâ*, quum in illo vel admitti ad Pœnitentiam noluerit *Mœchos* & *fornicatores*, qui rigor obſervatus circà *Apoſtatas* fuit, antè Novatiana tempora. Cumprimis verò ad *interceſſionem Martyrum*, vel *Confeſſorum*, in carceribus agentium, *pax* dabatur pœnitentibus, quæ graviſſimorum exceſſuum origo fuit. Undè hi *libellos* pacis exorare hunc in finem à Martyribus conſueverant, ex *Tertull. ad Martyr.* & paſſim. Et hæ literæ *pacis*, *pacificæ*, *confeſſoriæ*, *commendatitiæ*, ac *libelli* ſimpliciter, gravi jam abuſu tempore Cypriani, ut ſuo loco videbitur.

Prohibitio à Communi. 4. *Prohibitio* tamdiu à Sacris *Euchariſticis*, donec conſummata eſſet Exomologeſis. Imò *oblationes* pœnitentium & abſtentorum non admiſſæ, quæ ſpecies προσφορᾶς, κοινωνίας, ut nec *nomen* eorum offerre, recitare ad altare, commendare Deo precibus, licuit. Deinceps etiam, aucto Diſciplinæ rigore, prohibiti quoque à *precibus*, & *ab auditione* Verbi. *Excommunicationis* tamen nullâ voce apud Juſtinum, Irenæum, Tertullianum. Aſt *ligari*, de Eccleſiâ *auferri*, extrà Eccleſiam *projici*, &c. dicebantur. Origo ejus ſeveritatis non una fuit. 1. Exemplum *Apoſtolicum* circà inceſtuoſum, I *Cor.* V. & Pauli regula, I *Tim.* V. 20. 2. *Impunitas* in foro Civili, ſub Magiſtratu Ethnico, plerumque his delictis indulgente. 3. *Prudentia* Chriſtianorum, non deferentium iſta ad tribunal τῶν ἀδίκων, caventium etiam ne probare ea crimina Gentilibus viderentur, aut laboraret aliquâ infamiâ Chriſtianum nomen. 4. *Scandali* denique infirmioribus dati reparatio; & ut ea ſeveritate, ac neceſſitate tùm Confeſſionis, tùm Pœnitentiæ Publicæ, abſterrerentur alii ab hujuſmodi lapſibus.

Abſolutio. 5. *Abſolutio* tandem excepit, ac *reconciliatio* Pœnitentium; Quanquam ea fuerint delicta, ad quæ nulla Abſolutio ſequebatur; quod Tertulliano jam Montani deliriis infecto, in Libro de Pudicitiâ, C. III. eſt *non accipere pacem*, *communionem*, *fundere lachrymas jejunas pacis*, &c. quum jam in ſolâ Dei miſericordiâ ſpes illis ſupereſſet. Eademque *publica* fuit, in cœtu Eccleſiæ, major nempè, & quâ perfectionem (τελείωσιν) conſequebantur. Præviâ ſcilicet deprecatione, ac petitione veniæ ab Epiſcopis, Presbyteris, Fraternitate totâ, & adjunctâ Oratione, ac Manuum ſolenni impoſitione, &c. Quod *palàm abſolvi*, dicitur Tertulliano, (rectè negante Albaſpinæo de Sacramenti abſolutione accipienda hæc eſſe verba) ſeu pacem, benedictionem accipere. Relapſis Abſolutio nunquàm data, uti nec Pœnitentia ipſa, quia *ſimulachrum* tantùm *Pœnitentiæ* egiſſe cenſebantur, ut viſum. Quod idem ex *Hermæ* Paſtore aliquando probant, clariùs ex Tertulliano, Clemente Alexandr. probantibus Eliberitanis, Ambroſio, Auguſtino, &c.

Tempus magis ſolemne datæ pacis, fuit ante-Paſchale, ex Irenæo apud *Euſeb.* L. I. C. XXIV.

Ritus alii Miſcellanei.

In cæteris *Ritus varii* ſua huic Ætati, ſed plerumque labenti, debent exordia, in cujus fine ſcripſit Tertullianus. Et Chriſtiani quidem multos ritus tranſtulerunt in Eccleſiam à *Judæis*, ſed & à *Gentilibus*, ut Judæi quoſdam ab Ægyptiis. Indè Probationes, Vigiliæ, ἀσκήσεις; abſtinentiæ, jejunia, feſta, ſtatæ preces, veſtis candida, & alia.

Feſta hujus Sec. 1. *Feſta* tùm quidem non alia, quàm dies *Dominicus*, *Paſcha*, & *Pentecoſtes*, cum horum *Paraſcevis*; multâ hoc tempore de die Paſchali controverſiâ, uti poſteà. Niſi addantur *Commemorationes Martyrum*, factæ anniverſario Martyrii die, ut relatum ſuprà eſt, de Eccleſiâ Smyrnenſi. Feſtis poſteà Martyrum, juſſu Conſtantini M. promiſcuè inſtitutis, apud Euſebium de Vitâ Conſt. *Lib.* IV. C. XXIII.

Digitized by Google

Ne *Natalitium* quidem feſtum vel *Epiphaniæ*, hujus Sec. fuit; ut nec *Aſcenſionis* illud legitur, præterquam quod totum tempus inter Paſcha & Pentecoſtem Chriſtianis feſtum fuerit, ac tempus lætitiæ continuæ. Hinc nullæ eo *ſtationes*, *jejunia*, aut preces de *geniculis*, ut aliàs obſervatur. Hinc & Tertullianus, de *Coronâ*, C. III. *eâdem immunitate à die Paſcha in Pentecoſtem uſque gaudemus*; & alibi, omnes feſtivitates Paganorum, quas prolixè enumerat, *implere* (vel adæquare) *Pentecoſtem non poſſe*, ſeu quinquaginta dierum feſtivitatem. Minùs verò hujus Ætatis fuerunt, Feſta in memoriam Transfigurat. in honorem Apoſtolorum, vel Mariæ Virginis, aut Annunciationis, Purificationis Feſta, &c. quicquid Baronius, Caſalius, & cæteri mentiantur. Ingenuus magis eſt Thomaſſinus, Presbyter Oratorii nuper in Galliis, in *Libro* I. de *Feſtis* Gallicè ſcripto, C. IV. Minùs Feſta reliqua in Calendariis notata, hujus Sec. fuêre.

Jejunia. II. *Jejuniorum* ut varians ratio fuit, ſic libera, ità etiam tempore Apoſtolorum, & illis proximo. Nam de jejunio Therapeutarum Alexandrinorum quod retulit Philo, malè Euſebius ad jejunium Chriſtianorum, inſtituente Marco, retulit, *Lib.* II. C. XVI. Utque Judæorum maximè ſolenne fuit, illud *Cippurim* ſeu Expiationum; quale & Ægyptiorum in Iſidis Sacris, & Athenienſium in Cereris illis, jejunium fuit, eodem quo Hebræi Menſe (quod νηςείαν ἐξόχως dixêre) jejunantium; ità Chriſtianorum ſolemne fuit jejunium *ante-Paſchale*. Et hoc rurſùs non uno modo obſervatum; aliis quidem *unius* diei, puta die ipſo Dominicæ Paſſionis (fatente ad Tertullianum Rigaltio) aliis *plurium*, aliis *ſeptimanæ* totius fuit. Concurrebat enim eo tempore multiplex jejuniorum cauſa: Memoria Paſſionis Dominicæ, & dolorum Chriſti Servatoris; Ablatio ſponſi, *Matth.* IX. 15. Reconciliatio Pœnitentium, facta inſtante Paſchate; Baptiſmus Catechumen. in vigiliâ eadem Paſchali; Euchariſtiæ tandem proxima & ſolemnis celebratio. Speciatim XL. non *dies*, ut Moſes vel Elias, vel Chriſtus, quod exemplum Auguſtini demùm ævo allegatum fuit, ſed *horas* jejunaſſe nonnullos, auctor Irenæus apud Euſebium, *Lib.* V. C. XXIV. οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας, ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς, συμμετρῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν, iis horis metientes *diem Jejunii* Paſchalis, ſcil. die ςαυρωσίμῳ, & Sabbato ſequente. Quæ prima *quadrageſimæ* origo viſa Eruditiſſimis Viris, aliud ſtatuentibus Anglis noviſſimis, Elienſe Epiſc. Pearſono, Beveregio, & qui Traditionibus vulgò Apoſtolicis, ſed ἀγράφοις, nimium quandoque tribuunt. Feriâ *quartâ* & *ſextâ* jejunabant quoque plurimi, ſed ex accidente, & *ſemi-jejunio* tantùm, uſque dùm Stationes eſſent peractæ, circà nonam quam vocabant, à quâ & refectionis tempus Romanis, undè *annona* quibuſdam, quaſi *à nona*. At Stationes hujuſmodi nullæ, ſeu *jejunia* feriæ IV. vel VI. poſt Paſſionis Dominicæ hebdomadem, per VII. continuas ſeptimanas, ad Pentecoſtem uſque; quod ex διατάξει Apoſtolicâ, Epiphanius derivat, in *Expoſit. Fidei Catholicæ* Panario ſuo ſubjunctâ, N. XXII. Et iſta ex Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Euſebio. *Quadrageſimale* jejunium, ut & *Sabbati*, & *Rogationum*, & *Quatuor temporum*, nondùm hujus Ævi, tacent certè Irenæus, Tertullianus, Dionyſius Alexandr. &c. Quanquàm τὴν ἁγίαν τεσσαρακοςὴν καὶ πάσχα νηςεύειν, præcipiat Canon *Apoſtol.* LXIX. ſed hoc ipſo recentior. Et *quadrageſima* poſteà nomen commune omnium jejuniorum fuit; ut *tres quadrageſimas* feciſſe Montani Sectatores, Hieron. ad Marcellam, T. II. id eſt, *tres ſeptimanas* Xerophagiarum. *Xerophagias* verò Montani primùm invexit diſciplina, in quam ſe dedit pro auſteritate ſuâ Tertullianus, ex Libro de *Jejuniis*. Nam *abſtinentiam* à *carnibus* partem Eccleſiaſtici *jejunii* ſemper fuiſſe, hoc etiam Seculo, nullis prætereà authenticis documentis probant, quæcunque ex IV. V. VI. Seculi Scriptoribus adferat Baronius, cum ſuis. Niſi pariter urgeant abſtinentiam à *vino*, quæ non minùs in iſtorum Jejuniis obſervata. *De his*, inquit Theodoretus de Abſtinentiâ, Hæret. Fabular. L. V. C. XXIX. ἡ Ἐκκλησία ὐδὲν νενομοθέτηκε, *Eccleſia nihil præſcripſit, nullas leges tulit.* Sed tulerunt ſuis leges *Valentinus*, *Marcion*, *Montanus*, *Tatianus*, de quibus infrà *Cap.* de Hæreſibus.

III. *Preces* primitùs ad *Orientem* fieri ſolitas, πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν, *ad ortum matutinum*, ut Judæorum illas ad Occaſum, jam monitum ſuprà, in ratione ſacrorum Conventuum. Quanquàm non videri hunc ritum ab Apoſtolis vel inſtitutum, vel propagatum, patet ex ſilentio Scriptorum Apoſtolicorum, Clementis Rom. in I. ad *Corinthios*, Juſtini Martyris in *Apolog.* Barnabæ in *Epiſt.* adhæc Irenæi, Athenagoræ, &c. Auctor tamen Quæſt. & Reſponſ. ſed is Juſtinus falsò creditus, εἶναι τῦτο παρὰ τῶν ἁγίων Ἀποςόλων. Interim ſub finem ſecundi Seculi hunc fuiſſe morem Chriſtianis pleriſque, ut precaturi ſe converterent πρὸς ἀνατολὰς, colligitur ex Clemente Alex. L. VII. *Stromat.* Tertulliano in *Apologet.* ubi *Chriſtianos ad Orientis regionem precari*; dein ex Origene, & Canonibus paſſim. Ratio nec una fuit, & inter alias hæc apud Tertullianum, quia *Oriens Chriſti figura eſt* in Scripturis, adversùs *Valentinian. Cap.* III. Et alia apud Clementem Alex. L. VII. *Strom.* quia *exortus* eſſet *dies cognitionis*, tempus veræ lucis; de quibus diximus pluribus Diatribâ ſingulari de Ritibus quibuſdam Veterum. Sic *Orationes* jam frequentatæ, ſive *oblationes pro mortuis*, & quibuſcunque, etiam pro Martyribus, ex Juſtino Mart. Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano. Niſi hic memorias vel commemorationes Martyrum hac phraſi deſignavit, *de Coronâ* C. III. Precum illarum finis, ut lucem, ut quietem ab inſultibus Satanæ, ut refrigerium in illâ deſideriorum ſiti, ut beatam reſurrectionem, atque inductionem in cœlos, Animabus illis, ſequeſtratis quaſi ad diem Judicii, apprecarentur. De quâ re diximus jam ſuprà, Capite de *Doctrinâ*. Preces.

IV. *Signaculum Crucis*, quo frontem ſignare ſoliti, *ad omnem aditum & exitum*, *ad calciatum*, *ad lavacra*, *ad menſas*, *ad lumina*, *ad cubilia*, *ad ſedilia*, ad quamcunque *converſationem*, ex Tertulliano *de Coronâ* C. III. Nempè finis haud alius, quàm ut ſe à Gentilibus diſtinguerent, hac Chriſtianiſmi teſſerâ, nec puderet eos Crucis Chriſti, Pauli exemplo *Gal.* VI. 14. minùs Chriſti crucifixi, pro quo etiam crucem ſe ferre paratos eſſe teſtabantur. Hinc & ſignum Crucis in Catecheſibus, & in Baptiſmo adhibitum, ut viſum, *Caro abluitur*, *Caro ungitur*, *Caro ſignatur*, apud Septimium, de *Reſurr. Carnis*, C. VIII. Et in Conſtitut. vulgò Apoſtolicis, *Lib.* III. C. XVII. ſed quæ nondùm hujus Ævi. Ac præfiguratum hoc ſignum fuiſſe in Græcorum literâ *Tau*, *T.* monuit jam idem Tertullianus, contrà Marcion. *Lib.* III. C. XXII. Signum Crucis.

V. *Agapæ*, ſeu convivia Charitatis, de quibus modò dictum ad Ritus Sacrorum Conventuum. Modus Agaparum fuit, quod eſſent hæc Convivia I. *Sobria*, omni exceſſu vitato tam in cibo, quàm in potu. 2. *Hilaria*, unde Minucius in Octav. *gravitate hilaritatem temperamus.* 3. *Religioſa*, in quibus miſcebantur Sermones ſacri, & quæ dirimebantur *Oratione*, & Exercitiis ſacris, quaſi *comediſſent & cœnaſſent diſciplinam*, ut Tertullianus *Apolog.* C. XXXIX. 4. *Promiſcua*, non obſervato diſcrimine divitis & pauperis, & eodem utriſque appoſito *cibo*; undè damnati à Paulo, qui in Corinthiorum Eccleſiâ non in commune veſcerentur, τὸ ἴδιον Agaparum varium genus.

ἴδιον δεῖπνον προσλαμβάνοντες. 5. Denique etiam *Euchariſtica*, in quibus τὸ Κυριακὸν δεῖπνον celebrarent, quâ de re ſuprà. Et præter Agapas *Dominicas*, vel *Euchariſticas*, habuêre etiam *Natalitias*, *Funebres*, *Connubiales*. *Natalitia* tamen magis ad diem emortualem ſpectabant, quàm ad diem nativitatis. Abſtinebantque ſtudio Chriſtiani à moribus & ſuperſtitionibus Gentium, his in conviviis ſuis.

Abſtinentia à ſanguine, &c. VI. Abſtinentia à *Sanguine* & *Suffocato*, familiaris primis Chriſtianorum, tùm ex interdicto Apoſtolico, adhuc ſervato; tùm ut ſe ab immanibus Gentilium calumniis eo faciliùs purgarent. Inter has illa de *Cœnis Thyeſtæis*, & ſanguine *humano* quo fœderarentur, apud Juſtin. Athenagor. Minucium in *Octavio*. Et ità quidem abhorruêre Chriſtiani, ut abſtineat eo cibo totus Oriens in hunc uſque diem, tanquam *cibo dæmoniorum*, 1 Cor. x. 20. 21. Vide Scripta *Apologetica* hujus Ævi. Pythagorici, & Eſſeni, abſtinebant etiam ab Animantibus.

Ritus alii. VII. Ritus deferendi *Symbola conſecrata* ſive Eulogias, ad Ægros, Abſentes, Peregrinos, Hoſpites, ex Irenæo apud Euſebium. Et hinc Communio privata, domeſtica, peregrina, de quâ dictum antè eſt. Fuêre alia paſſim inſtituta, pro diverſitate Gentium, Locorum, ex ſe innoxia, & quæ aliquando ſequior Ætas in abuſum pertraxit.

Ritus Sec. affiicti. *Ritus* autem huic Ætati *affiicti*, ex falſâ Traditione, & Pſeudepigraphis ac ſuppoſititiis Apoſtolorum, Lini, Clementis Romani, Areopagitæ, primorum Paparum, &c. ſunt propemodùm innumeri. Tales ſunt, de *Habitu Clericorum*, ſeu Sacerdotali, ſeu Pontificali; De *Conſecrationum*, *Ordinationum*, *Funerum*, *Proceſſionum*, *Peregrinationum* etiam ritibus, qui deinceps acceſſerunt; De toto *Choragio Miſſatico*; De *Miſſis privatis*, aut *Miſſis* pro juvandis *defunctis*; De *Extremâ Unctione*, quam (ut obſervatur in Rom. Eccleſ.) altum ſileri in priorum Ætatum monumentis, ipſe Pagius contrà Baronium ad A. Ch. LXIII. De *Aquâ luſtrali*; De *Votis Monaſticis*, *Confeſſione Auriculari*, *Abſtinentiis* quæ originem debent Montani, Tatiani, atque Encratitarum diſciplinæ; De *Feſtis* innumeris; De cultu religioſo *Imaginum*, *Sanctorum*, *Reliquiarum*, &c. Fallunt hìc Baronius, Turrianus, Bellarminus, Pamelius, Tridentini, &c. ac in plurimis nuper Joh. Bona in *Liturgicis*, & Joh. Baptiſta Caſalius, de *Sacris Chriſtianorum Ritibus*, multa huic Seculo affingentes, ex Pſeudo-Decretalibus, Pſeudo-Lino, Pſeudo-Clemente, ſimilibus. Ingenuus olim magis Walafridus Strabo, Durandus, Polydorus Vergilius, B. Rhenanus, Eraſmus, Caſſander, Albaſpinæus, Sirmondus, Morinus, Rigaltius, Launoius, Valeſius, Baluſius, Noriſius, eruditi alii, quos medio in Papatu puduit ſæpè vaniſſimarum *Traditionum*, ut ſuis paſſim locis indicamus.

Mores Chriſtianorum hujus Ævi.

Sanctitas & ſimplicitas Chriſtiana. Tandem obſervandi *mores* Chriſtianorum, vita, praxis, iiſdem quibus antè Teſtibus.

Nempè, quòd vigerent præcepta & officia *Pietatis* in Deum, *Charitatis* in proximum, in quibus tota Chriſtianorum diſciplina occupata fuit; ut ex antè dictis patet. Quòd ſeſe *fratres* & *ſorores* Fideles appellarent, etiam conjugati; undè *Fraternitas* pro Eccleſiâ: Et hinc calumniæ illæ ac ſuſpiciones Gentilium, de promiſcuo concubitu, atque inceſtu Chriſtianorum, quam Athenagoras Πρεσβ. ὑπὲρ Χριστιαν. hoc modo refellit; *Nos verò tantum abeſt ut promiſcui ſimus, vel* ἀδιάφοροι, *ut ne adſpicere quidem fœminas liceat ad concupiſcentiam.* Quod pro *inimicis* etiam precarentur, eorumque *ſalute*, apud Juſtinum M. *Apol.* II. Tertullianum, & reliquos. Quod *Verbum Dei* aſſiduè tractarent, Virgines etiam & ancillæ ad *lanam ſedentes*, apud Tatianum. Quod *Imperatorib. Magiſtratibus*, in externis omnibus ſe ſubjicerent, *vota* etiam pro eorum ſalute fundentes; Quanquam non Idololatrarum more, non *thura* adolendo, non jurando per *Genium Cæſaris*, non *Deorum* titulos illis tribuendo, non vocando Θεὺς Σωτῆρας, *Divos*, *Opt. Maximos*, Deos Cuſtodes, Conſervatores, Auſpices, &c. non ἀποθεώσεις, Sacrificia, Templa, Vota Publica, & quæ alia in honorem Principum, probando. Quod hoſpitalitati, veracitati, candori, beneficentiæ, ac mutuis officiis, cumprimis ſtuderent, *Sacramento* etiam ad ea ſe obſtringerent. Quod circà ægros, afflictos, captivos, pauperes, &c. magno affectu occuparentur; Et hæc magna pars Diſciplinæ Chriſtianæ, & cura hoc Ævo *Diaconorum*, *Diaconiſſarum*, Miniſtrantium, ut ſuo loco dicetur.

Cur nefas intereſſe Spectac. Ità Chriſtianis vetitum, intereſſe Gentilium *Spectaculis* & *Theatralibus* Ludis, ſtudioſè à ſe fugendis: Theophilus ad *Autol.* L. III. τὰς θέας τῶν Μονομάχων ἡμῖν ἀπείρηται ὁρᾷν· ἀλλ᾽ οὐδὲ τὰς λοιπὰς θεωρίας ὁρᾷν χρὴ, ἵνα μὴ μολύνωνται ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ τὰ ὦτα, &c. Unde Tertulliani Liber de *Spectaculis*, ne his ſe Chriſtiani immiſcerent, ea abdicarent, quod illi eſt *abdicare voluptates*. Rationes illius fuêre, & Chriſtianorum ejus Ævi; 1. Quod omnes hujuſmodi feſtivitates eſſent *Idololatrica*, Saturnalia, Lupercalia, Liberalia, Conſualia, Cerealia, Floralia, &c. Ludi Latiares, Capitolini, & id genus alii, Jovi Latiari, Capitolino, Marti, Dianæ, Veneri, Baccho, & cæteris Gentilium Diis ſacri. 2. Quod ad *laſciviam*, ad libidinem, ad luxum accenderent, ut Floralia, & quæ Veneri, Baccho, Priapo, ſacra. Sic, adiri hujuſmodi Spectacula ut *viderent*, & *viderentur*. 3. Quod ad *ſævitiam* componerent animos, ut Ludi gladiatorii, Monomachiæ, atrocitate ſuâ execrandæ, aut pugnæ cum Leonibus & Beſtiis. 4. Quod in *Spectaculis*, ac Theatris, nonniſi conſortia impiorum; undè Tertullianus, *quid luci cum tenebris*, & *væ qui abiit in concilium impiorum*. 5. Quod Chriſtianus ad aliam palæſtram, aliud genus pugillatûs, luctatûs, exercitiorum, atque etiam voluptatum, à Chriſto vocetur, nempè *faſtidium voluptatum*, *ſeculi totius contemptum*, *mortis timorem nullum*, vitam *quâ Deo vivitur*; *hæ Voluptates*, *hæc Spectacula Chriſtianorum*, &c.

Ità ſoliti tum Chriſtiani ad impios ſermones, & blaſphemas voces, *aures obturare*, longiuſque fugere, ne iis pollucrentur, teſtibus Irenæo, *Lib.* III. C. IV. & Euſebio *Lib.* V. C. XX. Auctore Recognitionum Clementis nomine, *Lib.* II. *aures continuò occludens*, *veluti ne blaſphemiâ polluantur*, *verteris in fugam*. Sic familiare Chriſtianis, quod *martyrii* ſtudio flagrarent; multis etiam ad Martyrii gloriam ab Eccleſiâ conſtitutis, de quibus loco ſuo, uti ad *Lapſorum* infamiam ac pœnam. Denique fuit in habitu modeſtia, in victu frugalitas, in veſtitu ſimplicitas, in officiis juvandi promptitudo, in moribus Chriſtiana urbanitas. Multorum autem Rituum, qui jam ſecundâ Ætate paſſim uſurpati, & *Diſciplinarum* ut Tertullianus de Coronâ Milit. C. III. quarum ibi quædam recenſet exempla, *ſi legem expoſtules Scripturarum*, *nullam invenies*. *Traditio tibi prætenditur auctrix*, *Conſuetudo confirmatrix*, & *Fides obſervatrix*. *Rationem traditioni*, *conſuetudini*, *fidei patrocinaturam*, *aut ipſe perſpectes*, *aut ob aliquo qui perſpexerit*, *diſces*. Et hæc ſummatim de *Ritibus* ac *Moribus* hujus Ætatis.

Digitized by Google

V. *Politia Eccleſiaſtica, Regimen, Ordines Sacri, alia huc ſpectantia.*

Epiſcopalis ὑπεροχή.

HUc denuo ſummatim referimus, 1. *Epiſcopalem* prærogativam (quâ jam *Epiſcopi* ſuprà Presbyteros eminuêre, habitumque nomen dignitatis & *honoris*, ut diſertè Hieronymus) fuiſſe hoc Seculo in Eccleſiâ conſpicuam: *Indubiè* ſanè in Eccleſiâ Alexandrinâ, indè à Marci exceſſu, vel Hieronymo teſte, *Epiſt.* LXXXV. ad Euagrium; ſed & indubiè quoque in Eccleſiis Romanâ, Antiochenâ, Aſiaticis, Achaicis, Africanis, &c. Quod ex variis hujus Ævi, & ineuntis III. documentis conſtat. Quanquàm ſanè Polycarpus in ſuâ ad Philippenſes, commendat ſubjectionem debitam *Presbyteris* & *Diaconis*, nullâ *Epiſcopi* mentione, quem Epiſcopum Doctiſſ. Pearſonus in vivis tùm eſſe deſiiſſe ſuſpicatur, *Vindic. Ign.* P. II, C. XIII. Sic in Gallicanâ Eccleſiâ *Epiſcopi* memorantur Photinus Lugdunenſis, tùm Irenæus. An verò in Britannicâ, poſt Lucii ſc. converſionem, Flamines in *Epiſcopos* & *Archiepiſcopos* mutati ſint, major eſt ratio dubitandi, ex ſuprà dictis, C. II. *Origo* Epiſcopalis prærogativæ eſſe videtur; 1. Exemplum *Judaicæ* Eccleſiæ, in quâ *Archiſynagogi* dicti Præſides vel Moderatores cujuſque Synagogæ, vel Sacri Conſiſtorii. 2. Ὑπεροχὴ quæ fuerat *Apoſtolorum*; quibus ſublatis, delata fuit ſuprema auctoritas, Senioribus Eccleſiarum, vel ἀπαρχαῖς τῶν Ἀποστόλων, eorumve Diſcipulis, συνεργοῖς, Auditoribus, quales Symeon Cleopæ, tùm Polycarpus, Ignatius, Papias, & qui Timotheo, Tito, Lino, Clementi, &c. ſucceſſerunt. 3. Hinc primatus olim *ordinis* tantùm, & *præſidentiæ*, ut quorum eſſet ἡ πρωτοκλησία, vel πρωτοχειροτονία, ſeu qui inter illos eſſent ἀρχαιότατοι, (ut de Palmâ Pontico Euſeb. *L.* V. C. XXIII. & de *Afris* conſtat). etiam illorum eſſet ἡ πρωτοκλισία vel πρωτοκαθεδρία, primus conſeſſus, aut προστασία præſidium, ut colligitur ex Euſebio, Hieronymo: Hinc iſte, præſidium *miniſterii* fuiſſe non *imperii*, *ordinis* inter plures, non *poteſtatis*; *conſuetudine* introductum, non *Dominicâ diſpoſitione*; *paulatim* primò, in Majoribus Eccleſiis, deinceps *Orbe toto*. Quod verò addit, factum ad præcavenda *Schiſmata*, turbas, confuſionem, utique ſanè; Sed & hinc nata mox in Eccleſiâ Schiſmata, turbæ, ut teſtis eſt paſſim in Hiſtoriâ ſuâ Euſebius, ex æmulatione & ambitione *Epiſcopatus*, poſtquàm ei ὑπεροχὴ quædam honoris & ἐξουσίας adſcripta fuit. Interim quæcunque fuerit hoc Seculo *Epiſcoporum* auctoritas, non illi quicquam ſine conſilio *Presbyterorum*, qui & *Antiſtites* appellati, & ποιμένες, ne Epiſtolas quidem dare ad Eccleſias, ut ex *Epiſt.* Polycarpi ad Philippenſes, Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Πρεσβύτεροι, &c. Imò *Diaconi* venêre in partem regiminis Eccleſiarum, hinc ſequente adhuc Sec. συλλειτουργοὶ dicti, ut conſtat ex *Epiſt.* Synodicâ in Paulum Samoſat. apud Euſeb. *L.* VII. C. XXX. Et tam *Presbyterorum* hoc Ævo fuit, qui modo donis inſtructi eſſent, quam *Epiſcoporum*, concionari, hortationes habere ad populum; quicquid poſteà non ſine conſenſu vel juſſu Epiſcopi. Undè gratis Sirmondus, ad vulgatos ab eo Sermones Auguſtini; *Verbum Dei ſoli olim in Eccleſiâ prædicabant Epiſcopi*, (contradiſtinctè ad Presbyteros) *quorum propriè id munus erat*, & primitùs fuiſſe contendit. Quod de Seculo Apoſtolico, & proximè ſequente, putamus non verè dici; ac neſcio cur illa Sirmondi citaverit ut *eruditionis plena*, & à ſe probata, commentatus ad Epiſt. Polycarpi Monachius noſter, ὁ ἐν ἁγίοις, *pag.* 36.

Utrum probetur ex Ignat.

Dubia autem eſt plurimis *Ignatianarum* Epiſtolarum fides, (ne de Pſeudo-Dionyſio, & Pſeudepigraphis Apoſtolicis dicam) in quibus *Epiſcopalis* dignitas & auctoritas ſuprà Presbyteralem mirum in modum effertur, & indè ferè litis deciſio pendet. Adeò quidem ut abſque Epiſcopo, ſociato Presbyteris, *Eccleſiam conſtare* poſſe neget. Hinc fidem Epiſtolarum adſtruunt in Proteſtantibus ipſis Uſſerius, Iſ. Voſſius, Hammondus, ac nuper Doctiſſimus Pearſon; deſtruunt, poſt Centuriatores, inter noviſſimos Blondellus, Salmaſius, ac fusè Dallæus, ejuſque ὑπερασπιστὴς Laroquius. *Sex* verò (alii *ſeptem*, Epiſt. ad Polycarpum diſtinguentes, ab illâ ad *Smyrnæos*) genuinas quidem, ſed multum poſteà interpolatas, cenſent ex noſtris Vedelius, Rivetus, alii, ad *Epheſios*, ad *Trallianos*, ad *Magneſianos*, ad *Romanos*, ad *Philadelphienſes*, ad *Smyrnæos*. Certum variare Editiones, & puriores longè eſſe, uti breviores ſunt, quas Uſſerius Græcè & Latinè, ex antiquis Codd. etiam quoad Verſionem non unam antiquiſſ. & Iſ. Voſſius ex Codice Medicæo, cum Epiſt. Barnabæ, publicarunt, ille A. MDCXLIV. hic A. MDCXLVI. Poſtmodùm Uſſerius Armach. addidit Appendicem Ignatianam, editis rurſùm Epiſtolis ſex, ex Græco Exempl. Medicæo, additâ novâ Verſione, A. MDCXLVII. Hinc dubium, an jam tùm ubique, an in majoribus tantùm Eccleſiis, *Epiſcopi* præſiderent? An non is primatus ordinis tantùm & ſeſſionis, (undè & *Præpoſiti* dicti, & *Præſidentes*) adeoque præſidentia *miniſterii*, non *imperii*, ut locutus Tertullianus, *Lib.* de Pudicit. *Cap.* XXV.? An non veriùs à reverentiâ ætatis, & ſuperſtitum ex Apoſtolicâ Diſciplinâ, quàm ab Apoſtolico inſtituto? *Conſuetudine*, dixit Hieronymus, & *paulatim* introductum fuiſſe, ut unus præponeretur reliquis Epiſcopus, ut dictum modò eſt. Certiora à dubiis diſtincta.

Quicquid ſit, indubium eſt auctum ſenſim cum labente hoc Seculo, & ſequentibus III. IV. Epiſcopalem fuiſſe poteſtatem. Certè cum Presbyteris, ut Collegis, ut συμπρεσβυτέροις, συλλειτουργοῖς, συνεδρεύταις, Eccleſiam rexêre hujus Ætatis Epiſcopi, adlectis iis in idem Collegium; ut *Epiſcopi* nomen honoris quidem ſed & muneris, curæ, miniſterii fuerit, ſolâ illis, ut videtur, προστασίας vel προκαθεδρίας, mox & χειροτονίας ſeu *ordinationum*, relictâ prærogativâ. Nondùm Ἀρχὴ, Imperium, Juriſdictio, *Thronus*, *Tribunal*, & quæ alia ſequentis ætatis. *Summum ſacerdotem* quamvis nominare Epiſcopum videtur Tertullianus, *de Bapt.* C. XVII. id eſt, primum ordine inter Presbyteros, qui conſortes ejuſdem Sacerdotii. Clemens autem Romanus in I. ad *Corinth.* Ἀρχιερέα *Summum Sacerdotem* Judaicum voluit, non Chriſtianum; diſtinguit enim Ἀρχιερέα cui ſua eſſet λειτουργία, ab illâ τῶν Ἱερέων, & Λευϊτῶν, & de Sacrificiis Legalibus ibidem Sermo, *pag.* 53. Edit. Patricii Junii. Nec *Sacerdotis* vox apud Chriſtianos, pro Presbyteris, in genuinis & ἐνενδοιάστοις hujus II. Sec. uſquam occurrit.

II. *Ordines Eccleſiaſtici* haud videntur noti alii hac Ætate, ex Clemente Rom. Polycarpo, Ignatio, Juſtino, Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, præter *Epiſcopos*, & *Presbyteros*, (diſcrimine horum, ut ſuprà) ac *Diaconos*. Niſi *Lectores* addimus, Ἀναγνώστας Græcis, ex Septimio, *hodie Diaconus qui cras Lector*, *hodie Presbyter*, *qui cras Laicus*, nempè apud Hæreticos confuſa omnia, *De Præſcr.* C. XLI. Et *Lectorum* quidem Ordo, omnium infimus, ut antiquiſſimus habitus inter ὑπηρετικὰς *miniſtrantes*, à quo deinceps aſſurgere ſoliti ad ἱερατικοὺς, quales *Diaconi*, *Presbyteri*, ſed ſequenti Ætate. Ac *Ordinis* nomen à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum, à Politiâ ad Eccleſiam traductum. Prout Ordo Senatorius, Equeſtris, Ordines Co- Ordines alii qui hujus Sec.

mitum

Digitized by Google

mitum, Decurionum, omnis Ordo, ſeu ex omni Dignitate; Sic ordine moveri, in ordinem recipi, redire in ordinem, &c. Et prout vox Ordinis ad Sacras Sanctiones tranſlata, unde Ordines Haruſpicum, Sacerdotum, cæteri; ita quoque ad Ordines Sacros Chriſtianorum, quos Græci *τάξιν*, *τάγμα*, *εὐταξίαν*, undè *ἡ πᾶσα εὐταξία omnis ordo*; etiam *τ̃ κανόνα*, *εἶναι ἐν τῷ κανόνι*, undè Canonicus, Canonica diſciplina, &c. Et indè *Ordines* conferre, accipere, hinc *ordinare*, *ordinatio*, de cujus ritibus infrà. Alio nomine *κλῆρος*, undè *κληρικοί*, *Clerus*, *Clerici*; diſtinctè *ἀπὸ τ̃ λαῦ*, *λαϊκῶν*, quales cenſiti quotquot extrà ordinem Eccleſiaſticum.

Clerus Clerici undè?

Clerus verò, *κλῆρος* à *ſorte* miniſterii, *Act.* I. 17. 25. in quod adlecti divinâ quaſi ſorte, providentiâ, virgulâ. Quomodò Gentilium *ἱερεῖς* Sacerdotes dicti *κλήρῳ* *ſorte eligi*, undè *κληρωτοὶ* ſorte electi, (teſſeris in ciſtellam conjectis) iique *ὁλόκληροι*, id eſt, corpore integro, ut Hebræorum Sacerdotes. Deinde abuſu vocis intellectum quaſi *Clerus*, diſtinctè à Laicis, eſſet *hæreditas Domini*; qualiter Petrus vocavit non *ποιμένας*, ſed ipſum *ποίμνιον gregem*, *μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τ̃ κλήρων*, I *Pet.* v. 3. Quanquam Doctiſſ. Dodwellus, *Diſſert.* I. Cyprianicâ, putet hoc velle Petrum, ne *Compresbyteri*, id eſt, Epiſcopi, *κλήρων κύριοι*, abutantur Dominio illo quod habebant in *Cleros*, id eſt, in Collegium Presbyterorum & Diaconorum. Niſi *κλῆροι* ſint (quæ altera Viri Docti interpretatio eſt) *hæreditates* Eccleſiæ, quarum diſtributio ſpectabat ad Epiſcopos, & quibus non vult ut pro *ſuis* uterentur, tanquam earum *κύριοι*, quum eſſent earum diſpenſatores tantùm. Quod an moribus illius temporis, ſcopo Petri, nexui verborum, ſatis quadret, alii viderint. Certè *Cleri* & *Clericorum* Diſtinctio à *Laicis*, Ætate Tertulliani jam Montaniſtæ, id eſt, ſub initia III. Seculi recepta fuit, ex Libro de Monogam. C. XII. ubi de iis qui *ſunt in Clero*, qui *adleguntur in Clerum*, oppoſitè ad Laicos. Sed & tempore Clementis Alex. ut patet ex fragmento quod profert Euſebius, *Hiſt.* L. III. C. XXIII. ex Libro *Τίς ὁ πλούσιος σωζόμενος*, in quo ille de Johanne Apoſtolo profecto ad Provincias Aſiæ, ut *κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσῃ in ſortem Domini*, ſeu in *Clerum*, cooptaret quos Spiritus S. illi indicabat. Nempe de Johannis tempore ex moribus ſui ævi locutus.

Fruſtrà verò ſunt qui ad hanc Ætatem referunt, ut diſtinctos à reliquis Ordines, illum *Subdiaconorum*, *Exorciſtarum*, *Acolythorum*, ut Baronius, & gregales, ex Apocryphis nempè documentis. Neſciunt hodieque Græci, Syri, in Ordine Eccleſiaſt. nec *Exorciſtas*, nec *Acolythos*, nec *Oſtiarios*. Et ſicubi *Exorciſtæ* ab exſufflandi, vel catechizandi, munere jam tùm appellati, nondùm hi à Presbyteris, aut Diaconis diſtincti fuerunt, combinatis ſcil. muneribus; fatente & nuper, Notis ad Euſebium, Henr. Valeſio. Imò *ἐξορκίζειν* ſeu *adjurare* dæmonem, *cuilibet Chriſtiano* tùm licuiſſe, invocato Chriſti nomine, nulli tunc Ordini alligato hoc ſeu dono ſeu munere, eſt ex Juſtino Mart. *Dialogo* cum Tryph. Irenæo *Lib.* II. Tertullian. in *Apolog.* ab Eruditis oſtenſum. Ex iſtis liquet Chriſtianos ſimplici Oratione, *verbis* tanquàm *flagris*, Dæmonas ejeciſſe nullâ certâ formulâ, Deum modò & Chriſtum invocando. De Ordinibus reliquis, dicetur ad ſequentia Secula.

Dignitates Eccleſiaſt.

III. Adde, *Gradus* Eccleſiaſticarum *dignitatum*, quibus ſequens ſuperbivit Ætas, tùm adhuc ignotos Chriſtianis. Hinc nuſquàm in genuinis hujus Ævi monumentis (Pſeudo-Decretales Paparum, & Pſeud-Epigrapha non dicimus) legas *Archiepiſcopos*, *Archidiaconos*, *Archipresbyteros*; Nuſquàm *Metropolitanos*, *Primates*, *Exarchos*, *Catholicos*, *Patriarchas*; imò, nec ſenſu poſteriorum, uſquàm *Vicarios*, *Suffraganeos*, *Apocriſiarios*, *Referendarios*, *Abbates*, & quicquid eſt hujuſmodi in Oriente aut Occidente Eccleſiaſticarum dignitatum. Undè Baronii mira eſt in aſſerendo fiducia, ad A. CXII. N. III. &c. Patriarchatus tres, à Petro ſcil. inſtitutos, Alexandrinum, Antiochenum, Romanum, *cenſitos* tantum fuiſſe *unam ſedem*, *unius Petri nomine & auctoritate firmatam*. Quanquàm *primos Epiſcopos*, ordine & præſidio tales, in Provinciis ſingulis, qui præeſſent in Urbe primâ, vel Metropoli, haud negemus huic Ætati. Meminit Canon vulgò *Apoſt.* XXXIV. & tales in Aſiâ Epheſinus, in Palæſtina Cæſarienſis, in Africâ Carthaginenſis, in Italiâ Romanus, in Galliâ Lugdunenſis, &c. Sarcaſticè enim & ironicè *Epiſcopum Epiſcoporum* dixiſſe Tertullianum, in Libro de *Pudic.* Romanum Epiſcopum, ipſe Perronius, ne dicam Rigaltium & alios, agnovit. Minus fuerunt hujus Ævi *Cardinalium* & Purpuratorum ſeu nomina, ſeu dignitas; quicquid Petro eandem, vel Clementi Rom. ineptiſſimè tribuant Sec. I. Derivandam etiam ex inſtitutione Moſaicâ, *Deut.* XVII. eundum ſcil. in dubiis ad *Pontificem* & *Sacerdotes*, id eſt, ad Papam & Cardinales, ut Panormitanus de Privileg. Cardinalium, & alii. Huic autem Seculo *ſecundo* adſcribit illorum inſtitutionem Alphonſus Ciaconius in ſuo *Pontificali*; nempè Evariſto & Hygino Papis (quorum hic ſub Marco Aurelio & Vero ſediſſe fertur) à quibus creati ſint *Præfecti Sacrorum* pro Regionibus Urbis, ad morem veterum Romanorum, undè nati ſint Tituli Cardinalium. Sed pudet nugarum magis ingenuos, vel ex ſilentio Scriptorum hujus & ſequentis Ævi, de hujuſmodi Dignitate & Titulis.

An Patriarchæ hoc Seculo?

Lis tamen inter Eruditos v. gr. de nomine *Patriarchæ*, quo jam Hadriani tempore, in primordiis hujus Seculi, Alexandrinus venire videtur Epiſcopus, ex Hadriani *Epiſt.* apud *Flavium Vopiſcum*. Nam *Patriarchas* & *Primates* in Decretalibus Clementis, vel Anacleti, memoratos, parùm reſpiciunt Eruditi. Sic ex more ſequentis Ævi dixit Eutychius in *Originibus* Alexandr. edente primùm Seldeno, Marcum conſtituiſſe Hananiam primùm Alexandriæ بطرير كا *Patriarcham*. Ac quicquid de Patriarchâ illo Hadriani, ut Chriſtiano, ſenſerint Baronius, Caſaubonus, Salmaſius, alii, nos aliàs de *Judæorum* Patriarchâ, qui ראש גלותא *αἰχμαλωτάρχης*, intelligendum eſſe Fl. Vopiſci locum, poſt Scaligeros, Seldenos, Godofredos, demonſtratum dedimus, in *Diſſert.* de Apoſtolis, & Apoſtolatu. Nec antè Seculum IV. hoc *Patriarchæ* nomen uſurpatum inter Chriſtianos fuiſſe, quanquàm latiſſimo ſignificatu, dicimus aliàs: Seculo autem V. poſtquàm deſierant ſub Theodoſio Juniore, Judæorum Patriarchæ, tranſlata vox ad Romanum, Conſtantinopolitanum, & cæteros, de quibus loco ſuo.

Papatus nullus.

IV. *Papatûs* ſeu *Oecumenici Pontificatûs*, adſcripti Romano Epiſcopo, Evariſto, Alexandro, Sixto, Teleſphoro, Hygino, Pio, Aniceto, Soteri, Eleuthero, &c. hoc Seculo in probatis Scriptoribus nulla veſtigia. *Papæ* quaſi Patres (vel ex uſu Syrorum quaſi Patres Patrum, Avi) diù etiam poſteà omnes Epiſcopi appellati ſunt. Romanæ Sedis illi tùm ſanè eminentes ſanctitate, martyrio, etiam *ordinis* prærogativâ, ob Urbis illam, tùm adhuc dominantis: *poteſtate* autem in reliquas Eccleſias nullâ, niſi quam ſibi arrogare *Victor* Africanus cœpit, Seculo exeunte. Imò Romanum Epiſcopum ſubindè hortari, objurgare, ab eo diſſentire Eccleſiæ, *Epheſina*, *Aſiana*, *Gallica*, paſſim ex Euſebio; ut pluribus dicetur in causâ *Paſchali*, & de Bapt. non *iterando*. Quo verò ſenſu *poten-*

 tiorem

tiorem *Principalitatem* Romanæ Sedi, id eſt, Urbi, tribuerit Irenæus; quo *Pontificatum maximum*, & *Apoſtolici titulum*, Sardonio quodam riſu, factus jam Montaniſta Tertullianus; aut quo ſenſu Μοναρχίαν tradant veteres hujus Ætatis Chriſtiani, Juſtinus certè, Irenæus, Tertullianus, Euſebius, nempè de *Deo* omnium Conditore acceptam, oppoſitè ad *Polytheiſmum*, (uti Οἰκονομίαν dixêre de adminiſtratione Filii & Spirit. S. in negotio noſtræ Salutis) eſt aliàs explicatum. Adi præ cæteris Blondellum de *Primatu Eccleſiæ*, pro Jacobo Rege, contrà Perronium, vel H. Valeſium ad Euſebium, Rigaltium ad Tertull. ſimiles. Meminit ſanè & Pſeudo-Clemens in *Conſtitut.* L. VI. C. XIV. τῆς καθόλου ἐπισκοπῆς, ſed ut omnibus conjunctim Epiſcopis commiſſæ; Quod pluribus ſequenti Ætate docuit Cyprianus, *unum eſſe Epiſcopatum*, ſed multorum concordi numeroſitate Epiſcoporum, in *Epiſt.* ad Antonianum.

Singularum Eccleſiar. regimen.

V. *Singularum* Eccleſiarum Regimen penes *Epiſcopos*, *Presbyteros*, & *Diaconos* fuit: Illis quidem coëuntibus, in Eccleſiis ſingulis majoribus, in Collegium quod dictum πρεσβυτέριον, à Presbyteris conſtituentibus τὸ ἱερὸν σύστημα, (non certè ἐπισκόπιον, uti ab hujus Capite appellari debuit) cujus communi conſilio Eccleſia regebatur. Nec in eo Collegio etiam *Seniores* de plebe, ſeu Presbyteros *Laicos*, ordinariè aſſediſſe intelligimus; Licet ſua his eſſent miniſteria in Africanâ Eccleſiâ, conſuli in gravioribus ſolitis, puta in ordinandis Clericis, Epiſcopis, Presbyteris, in impertiendâ Pœnitentibus veniâ, id genus aliis, quæ ad ſolam Eccleſiæ *diſciplinam* attinerent; *Quod ſi diſciplinæ ſolius officia ſortitus es*, &c. Tertullianus de *Pudic.* C. XXI. Γέροντας *Seniores* nempè dixêre, diſtinctionis ergò, non πρεσβυτέρους, reſtrictâ hac jam voce ἐκκλησιαστικῶς ad Ordinem *Presbyterorum*; prout *Seniores* appellati apud Romanos qui ex jure Municipiorum in Ordines adlecti, & זקנים apud Hebræos. Meminit iſtorum Tertullianus in *Apologet.* & in Libro de *Pudicitiâ*, ac *præſidentiam* illis attribuit, quanquàm obſolevîſſent ſub Imperatoribus Chriſtianis. Sed de Senioribus Laicis, uti de Presbyteris *non laborantibus in Verbo*, 1 *Tim.* V. 17. diximus alibi, ubi de *Politiâ Eccleſiarum*.

Diaconorum porrò erat miniſtrare Martyribus, Confeſſoribus, incarceratis; in ſpecie pauperibus, ægrotis, viduis, &c. Sic oblata à populo in menſâ diſponere; Euchariſtiam diſtribuere, ſeu porrigere populo; miniſtrare menſis; Symbola conſecrata ad ægros deferre, & abſentes; id genus alia, ex primævâ inſtitutione, quæ in ſervitium *Miſſaticum* vertit ſuperſtitio. Ac quamvis in *Epiſtolarum* inſcriptionibus, & aliàs, adjungantur Presbyteris, cum quibus & Epiſcopo unum Collegium conſtituerent, atque Eccleſiam adminiſtrarent, Diaconis tamen *miniſterium* non *Sacerdotium* commiſſum fuit, & τῶν βιωτικῶν cura, non τῶν πνευματικῶν, vel τῶν βελτιωτικῶν, ut aliquando Veteres. Hinc & honorem Presbyteris debuêre, Canonibus ſancitum, coràm quibus ſtabant; inſolentiores facti tempore Hieronymi, undè querimonia hujus in *Epiſt.* ad Euagrium, Presbyteratum eâ occaſione efferentis.

Diaconiſſæ acceſſerunt jam indè ab Apoſtolicâ Ætate, ſeu viduæ LX. annorum, *miniſtræ* vel *ancillæ* Plinio, quarum miniſterium fuit hoc Seculo 1. In Baptiſmo *fœminarum*, ἕνεκεν σεμνότητος τοῦ γυναικείου γένους, quum nudæ immergerentur. 2. Circà *Ægrotos*, *Viduas*, *Pauperes*, *Confeſſores*, ſolandi, miniſtrandi, hortandi gratiâ, tempore inprimis Perſecutionis, quum minùs ſuſpectæ Perſecutoribus eſſent fœminæ. 3. In obſervandis *portis* per quas ſubirent loca Sacrorum Conventuum fœminæ, ubi ſeparatæ à Viris erant. Poſteà & adhibitæ in mulieribus rudioribus *antè Baptiſmum* inſtituendis, & qualiter illis verſandum eſſet in Baptiſmo, & poſt Baptiſmum, ut patet ex Canonibus Eccleſiæ Africanæ.

Plurium inter ſe adunatio.

VI. Adde *plurium* ſimul junctarum *Eccleſiarum* regimen & conſociationem, ut communi conſilio de Eccleſiæ Doctrinâ, Hæreſibus, Ritibus, Diſciplinâ, ac ortis litigiis, ſtatueretur. Et viguit hæc jam tùm in *Synodis*, *Conciliis*, penes quæ ſumma in rebus Sacris, ſub infideli quidem Magiſtratu, auctoritas fuit. Nempè convenerunt modò unius *Provinciæ* Epiſcopi & Presbyteri, modò unius *Nationis*: Ut in cauſâ Paſchali fecêre hoc Seculo, Eccleſiæ *Palæſtinæ* ſub Theophilo Cæſarienſi, & Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo; Eccleſiæ *Aſianæ* ſub Polycrate Epheſiorum; *Ponticæ*, ſub Palmâ ὡς ἀρχαιοτάτῳ. *Italicæ* ſub Victore Romanorum Epiſc. vel ſub Mediolanenſi; *Gallicanæ* ſub Irenæo Lugdunenſium; *Achaicæ* ſub Bacchyllo Corinthiorum; pariter *Oſdroënæ* Provinciæ αἱ ἐκεῖσε πόλεις, apud Euſebium *Hiſt.* L. V. C. XXIII. in Synodos coactæ ſingulæ. Hinc Cæſareæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Epheſi, Corinthi, Romæ, Lugduni, &c. conventus Synodales habiti, adunatis Eccleſiis. Sed de Synodis hujus Ætatis, infrà.

Ordinatio Clericorum. A Laicis diſcrimen.

VII. Adde *Ordinationes* ſeu Conſecrationes *Clericorum*, peragi ſolitas, 1. Legitimâ χειροτονίᾳ, ſeu electione per ſuffragia, ad imitationem Apoſtolicam, *Act.* XIV. Quomodò apud Athenienſes, Sacerdotes & Magiſtratus alii κλήρῳ ſorte, alii χειροτονίᾳ creati, ſeu ψήφῳ, ψηφισμῷ, undè κληρωτοὶ & χειροτονητοί, hi quibus plures porrigebantur manus, aut qui extenſione manuum probabantur. Ac *plebis* etiam requiſita fuiſſe ſuffragia, aut ſeniorum de plebe, in Epiſcopis ac Presbyteris eligendis, vix eſt qui dubitet. Hinc Liber Pontifical. in Zephyrino, de Romanâ Eccleſiâ, *ut præſentibus Clericis & Laicis fidelibus, ordinetur Clericus, Sacerdos*, &c. quod ex Tertulliano, Origene, reliquis luculenter confirmatur. Adi Blondellum, de Jure plebis in Eccleſiæ regimine. 2. Uſitatâ χειροθεσίᾳ, ſeu conſecratione, benedictione per manuum impoſitionem, ad Synagogæ ritum, Presbyteris unà cum Epiſcopo *manus* imponentibus: Ut tamen *ordinatio*, benedictio, deinceps cenſeretur ſolius eſſe Epiſcopi. Atque hinc diſtinctio inter *Ordinem* & *Plebem*, ſive inter *Clericos* & *Laicos*, quam χειροθεσία fecit, confirmantibus poſteà Nicænis, *Can.* VIII. XIX. ut illi cenſerentur *Laici* quotquot non eſſent conſecrati per χειροθεσίαν. Cujus origo à Judæis mutuata, apud quos λαὸς *populus* diſtinctè à Sacerdotibus, Levitis, cæteriſque προεστῶσι, appellatus eſt. Tum & à Politico regimine, in quo *plebs* à *Magiſtratu* diſtincta. Et quemadmodum *Cleri* appellatio hoc Seculo occurrit apud Tertullianum, & Clementem Alex. ut ſuprà viſum, ita λαϊκοὺς *Laicos* à Sacerdotibus & Presbyteris diſtinguunt, idem Tertullianus, de *Præſcr. Hæret.* C. XLI. & antè eum Clemens Romanus, quamvis ad praxim Judæorum & ad Synagogam reſpiciens, in priore ſuâ ad *Corinthios*, *Edit. Junii* p. 53. Λαϊκὸς ἄνθρωπος *homo Laicus* τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι δέδεται, *præceptis Laicis conſtringitur*; ut Canones vulgò Apoſtolicos, aut Conſtitutiones Clem. taceam. Ignoti verò conſecrandi ritus Latinæ deinceps Eccleſiæ, per traditionem Inſtrumentorum, etiam *ſine* Impoſitione manuum. Sic ignota *Tonſio*, *Unctio*, *Traditio Clavium*, *Codicis Epiſtolar. Evangeliorum*, *Patenæ*, *Calicis*, *Stolæ*, *Dalmaticæ*, *Pallii*, &c. Nec inficiatur Morinus, in ſuo de Ordinationibus Sacris Commentario, Parte III.

Conjugium permiſſ. Clericis.

VIII. Tandem (nec enim omnia hujus inſtituti ſunt) nullæ hoc Seculo leges de *Cœlibatu Eccleſiaſticorum*

Digitized by Google

corum, contrariis haud paucis exemplis. Tertullianus Preſbyter Carthaginenſis, *Lib.* II. ad Uxorem, *Uxores ducimus, & quas ducit unuſquiſque noſtrum*, &c. Sic Uxorati fuere, Valens Preſbyter, apud Polycarpum, *Epiſt.* ad Philipp. & Diaconus Aſianus, apud Irenæum, *Lib.* I. C. IX. cujus uxorem corrupit Marcus Hæreticus. Athenagoras, Apol. ad M. Aurel. Anton. & Commodum; γυναῖκα μὲν ἕκαςος ἡμῶν, ἣν ἠγάγετο κατὰ τὰς ὑφ' ἡμῶν τεθειμένας νόμας, νομίζων, &c. *uxorem quidem unuſquiſque noſtrum, quam duxit ſecundum poſitas nobis leges, reputans*, &c. Ità *Polycrates* Epheſiorum Epiſcopus, apud Euſebium, L. V. C. XXIV. dicit ſe eſſe *octavum* ex familiâ vel cognatione ſuâ *Epiſcopum*, ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς μοι ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος. Undè è patribus in filios ſæpè Sacerdotia tranſivêre; quomodò & Epiſcopatus *Hieroſolymitanus* hæreditarius fuit, in poſteris Judæ fratris Domini, quamdiu duravit familia Davidica, de quo non tantùm Pearſonus, *de Succeſſ. Epiſc. Diſſert.* II. C. VI. ſed & Valeſius ad Euſeb. L. III. C. XX. Imò cùm, M. Aurelio Imperante, Sotero Epiſcopo Romano, inclinante hac Ætate, *Pinytus* Gnoſſiorum in Cretâ Inſ. Epiſcopus imponere cœlibatûs jugum vellet, interceſſit gravi Epiſtolâ Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, ne βαρὺ φορτίον *onus grave*, neceſſarii cœlibatûs, fratribus imponeret. Auctor eſt Euſebius *Hiſt.* L. IV. C. XXIII. tacente ad hæc Valeſio, imò & Baronio, ad A. CLXXV. *Num.* XIV. XV.

VI. *Hæretici & Pſeudo-Chriſtiani hujus Seculi.*

Initium Hæreſ. quando? I. IN genere obſervandum, fuiſſe hoc Seculum fœcundiſſimum Hæreſibus, indè ab extremis Trajani, & Hadriani temporibus, extinctis jam Apoſtolis; quum ſurgeret hydra biceps ex Simonis & Menandri Diſciplinâ, *Saturninus* Antiochiâ & *Baſilides* Alexandriâ orti, ut Euſebius L. IV. C. VII. dein ſucceſſivè reliqui. Conſentiunt in hoc Hegeſippus apud Euſebium, *Hiſt.* L. III. C. XXXII. Eccleſiam vocans euſque *virginem*, quo circiter tempore Martyrio affectus Symeon Cleopæ, ſub Trajano. Clemens Alexandrinus, L. VII. *Stromat.* κατὰ τὰς Ἀδριανοῦ βασιλέως χρόνους, *circa tempora Hadriani Cæſaris*, extitiſſe primum τὰς τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντας, qualis *Baſilides*, *Valentinus*, *Marcion*. Id eſt, cœptum his temporibus, poſt extincta Eccleſiæ Luminaria, adversùs veritatem ab Apoſtolis traditam, γυμνῇ quod ajunt κεφαλῇ, adulterinis doctrinis inſurgere, ut idem Euſebius ſub finem *Capit.* XXXII. *Lib.* III.

Saturninus. II. In his primus *Saturninus* (quamvis poſtponat Baſilidi Irenæus *Lib.* I. C. XXII. XXIII.) ut eum vocant Irenæus, Tertullianus, Euſebius; at Juſtino Mart. Epiphanio, & Theodoreto, *Saturnilus*. Hic turbavit Antiochiæ, & in Syriâ ſub Hadriano Imperat. ex Euſebio & Hieronymo, in *Chron.* Simonis ille Magi & Menandri Diſcipulus, de quo fusè Epiphanius *Hæreſ.* XXIII. poſt Irenæum, & Theodoretus Hæret. Fabular. *Lib.* I. *Hær.* III. tùm Philaſtrius, Auguſtinus, reliqui. Magiſtrorum hic blaſphemiis novas adjecit, communi ferè nomine Simonianorum, Menandrianorum, & Saturninianorum, tandem & *Gnoſticorum*, ut Epiphanius ad Hær. Saturnili. Hujus princeps Hæreſis fuit, 1. *Mundum*, ſic *Hominem*, ab Angelis creatum, qui juxta eum *ſeptem* numero, nullis hic partibus Dei Patris. Imò Judæorum *Deum* unum ex Angelis fuiſſe. 2. Chriſtum Servatorem, qui νοῦς & primogenitus Dei, reverà fuiſſe *ingenitum* & *incorporeum*; nec verè apparuiſſe in carne, φαντασίᾳ οὐκ ἀληθείᾳ, nec verè crucifixum, ſed pro eo *Simonem Cyrenæum* qui angariatus, portavit crucem, & cujus formam acceperit Jeſus, ut pluribus Irenæus, dicto loco. 3. *Nuptias* eſſe Diaboli doctrinam; abſtinendum eſſe ab *animatis*; *Prophetias* V. Teſt. non eſſe à Deo, ſed ab Angelis profectas, vel à Satanâ; Non dari *Reſurrectionem* Carnis, & ſi quæ alia. Et hinc ſuam Valentiniani, Marcionitæ, & Manichæi hæreſin hauſerunt.

Baſilides Alexandrinus, in Ægypto ſua eructans, Alexandriæ, & in *Saitide* Νόμῳ ſive Præfecturâ cujus Urbs illa Metropolis, ſub eodem Hadriano, eodem ferè tempore cum Saturnino, ex eodem ſodalitio, eâdemque Scholâ. De quo poſt dictum Irenæum, & Tertullianum, etiam Euſebium, Epiphanius *Hæreſ.* XXIV. & Theodoretus *Hæreticar. Fabul.* L. I. *Hær.* IV. Ab hoc *Gnoſtici* eſſe dicuntur, apud eundem Euſebium in *Chron.* & Hieronymum in *Catalogo*. Hos verò jam antè Hadrianum ſparſiſſe ſuas hæreſes, multis contendit contrà Dallæum, Reverendiſſ. Pearſonus, *Vind. Ign.* P. II. C. VII. adeoque antè Ignatii obitum. Sed nec probat ratio Reverendiſſ. Præſulis, à jactatione Baſilidianorum, quod habuiſſet Baſilides *Glauciam* Magiſtrum, qui fuiſſet *interpres Petri*, quæ traditio oppidò dubia. Et repugnat ipſe Cl. Dodwellus, Ceſtrienſi Epiſcopo aliàs aſſurgens, *Diſſert.* I. in Irenæum, hos Hæreticos *ſcil. Hadriano tandem in lucem prodiiſſe*, quod Clemens Alex. disertè, Euſebius, & alii; & vixiſſe Baſilidem ad Antonini Pii tempora. *Capita* Hæreſeôs, eadem ferè cum Hæreſi Saturnini. Hoc ſpeciale habuiſſe dicitur Baſilides, quod principem Angelorum, vel Vim his ſuperiorem, Deum Summum, continentem Angelos ſeptem, Cœlorum præſides, vocant ſancto & myſterioſo nomine, Ἀβραξὰς vel Ἀβρασάξ: Cujus nominis ſupputatio, ſecundùm valorem Græcarum literarum VII. efficit CCCLXV. quot dies in *Anno ſolari* apud Ægyptios, ut quoque nomen Μίθρης vel Μείθρας, quod Solem deſignavit. Baſilides.

A	1	M	40
B	2	E	5 ει pro
P	100	I	10 ι
A	1	Θ	9
Ξ	60	P	100
A	1	A	1
Σ	200	Σ	200
	365		365

Tot enim numero *Cœlos* eſſe dicebant; idque nomen variis Gemmis & monſtroſis Imagunculis inſculpere ſoliti, quibus ut amuletis, ἀλεξητηρίοις, aut ad ſimilem ſuperſtitionem, utebantur. Etiam appoſitum nomen ſummi Dei ΙΑΩ, & ΣΑΒΑΩΘ, & ΑΔΩΝΑΙ, & ΙΕΣΟΥ, &c. quæ ex Hebraicis Dei nominibus corruptè facta. Et hæc Baſilidianorum portentoſa myſteria, & magica amuleta, & Gemmæ, iſtiuſmodi hieroglyphicis Imaginibus ſignata fuerunt, quæ pleræque relatæ ad Solem, ad Sacra Ægyptiorum, cum figuris hieroglyphicis, quibus Ægyptii repræſentabant Symbolicè *Solem*, Μίθραν, Ἥλιον, denotandæ *luci* τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Sic *Anubim* iidem, Capite canino vel aſinino, quali figurâ expreſſiſſe Gnoſticos Deum *Sabaoth*, Epiphanius, *Hær.* XXVI. Sic exhibebant figuras *Leonis*, *Corvi*, *Accipitris*, &c. pro Sole; *Harpocratis*, ſilentii Dei, in myſteriorum ſcil. tacendorum Symbolum; *Æſcula-*

Digitized by Google

ſculapii ὀφιομόρφυ, qui idem & Σωτὴρ frequenter in Nummis; undè *Ophitæ* Serpentem venerati, à quo fuiſſet cognitio boni & mali, ut Tertullianus de *Præſcript.* C. XLVII. Et quæ Figuræ aliæ, quarum hîc ſpecimen exhibemus. Scaliger nomen illud ΑΒΡΑΣΑΞ corruptè factum ex Hebræo הברחשם; refutante Salmaſio de Annis Climacter. *pag.* 572. Alii, Α eſſe אב Patrem, Β eſſe בן



Filium, Ρ eſſe רוח Spiritum, alterum Α deſignare הקדש Sanctum, nempè ΑΒΡΑ, & ΣΑΞ eſſe, Σωτηρία ἀπὸ ξύλυ *Salvatio Beneficio Ligni.* Alii aliter. Exercuerunt certè iſta *Baſilidianorum* arcana, & myſticum illud Nomen, cùm Veteres, Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, &c. tùm recentiores, Pignorios, Scaligeros, Baronios, Salmaſios, Seldenos, Peireskios, Gaſſendos, Kircheros, Macarios, Chifletios, Wendelinos, & quos non?

Carpocrates.

Carpocrates, *Carpocras* Epiphanio, genere Alexandrinus, Philoſophus Platonicus, coævus Saturnino & Baſilidi, parens & hic habitus *Gnoſticorum*, eademque cum prioribus tradens. Præter impiam de Deo ſententiam, quâ primus *duos Deos* diverſiſſimæ naturæ fecit; præter blaſphemas de *Chriſto* voces, nato ſecundum illos ex *Joſepho & Maria*, ut alii homines ſolent; præter Magicas præſtigias; & negatam Reſurrectionem carnis; nulli *turpiores* Hæretici fuerunt, nequidem *Nicolaitæ*, de quibus ad Secul. I. Promiſcuam libidinem & incontinentiam quaſi pro lege habebant, *opinione*, non veritate, res cenſeri bonas vel malas; omnia pro Adiaphoris habenda, modo *fidem* & *charitatem* habeas, quibus ſalveris. Et hinc Borboritæ à nonnullis appellati, quaſi *cænoſi* & doctrinâ turpiſſimi. Graſſata hæc peſtis non tantùm in Ægypto, & Aſiâ, ſed etiam Romæ, ſub nomine Gnoſticorum. De hac fusè Irenæus *Lib.* I. Tertullianus de Præſcript. Epiphanius *Hær.* XXVII. Theodoretus de Hæret. Fab. L. I. *Hær.* V. &c.

Valentinus.

Valentinus, Philoſophus in Ægypto Platonicus & Pythagoricus, hinc *Platonis* Sectatorem Tertullianus, Pythagoricum dicit Philaſtrius. Hunc refert Tertullianus in petitione Epiſcopatûs rejectum, hinc Hæreſiarcham factum, αἱρεσιάρχην vocat Epiphanius, à quo dicti *Valentiniani*; qui ſcilicet priorum Hæreticorum venenum cùm ſubtilius, tùm hoc ipſo nocentius reddidit: Undè contrà hanc Hæreſim ex profeſſo inſurrexêre Irenæus, Tertullianus, Epiphanius Hær. XXXI. Sparſit ſua deliria, etiam Romæ, ſub Hadriano ut alii, vel Antonino Pio Imp. circa A. C. CXL. ut Euſebius L. IV. C. XI. Hygino Epiſcopo Romano, ut Epiphanius, & eum antè Irenæus, qui vixiſſe uſque ad Anicetum, L. III. C. IV. Sed jam anteà alibi agnitum Hæreſiarcham, in Ægypto puta, multis Pearſonus, *loco cit.* ut contendat ad illum reſpicere potuiſſe Ignatium, *Epiſt.* ad Magneſios; quamvis fateatur potiùs reſpexiſſe ad Hæreſim *Ebionitarum*, Dodwellus ad illam *Simonianorum* Diſſ. I. in Iren. *ſi tamen vocem* σιγῆς *Ignatius Technicè uſurpaſſe cenſendus eſt*: Scil. quando dixit Ignat. Chriſtum eſſe λόγον Θεῦ ἀΐδιον, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα *Verbum non à ſilentio proveniens*, quale illud eſt, quod in tempore profertur, & præceditur à *ſilentio*. Igitur præter negatam à Valentinianis *Carnis reſurrectionem*; ſic veritatem *Carnis Chriſti*, quæ per *Mariam* tanquam per rimam vel fiſtulam tranſiiſſet; & alia quæ cum prioribus communia habuêre, iſtud ſingulare Valentini delirium fuit: Eſſe triginta Αἰῶνας *Æonas*, quos tanquam Deos ſucceſſivè genitos ſomniabant; ex Conjugio quidem Βύθυς *Profundi* cum Σιγῇ *Silentio*, proceſſiſſe *Intellectum* & *Veritatem*, Νῦν καὶ Ἀλήθειαν; ex quibus, prognati *octo* Æones. Mentem rurſus & Veritatem coeuntes, Λόγον καὶ Ζωὴν, *Verbum* produxiſſe & *Vitam*, & ex hac συζυγίᾳ natos *decem* Æonas: Rurſus ex iſtorum συζυγίᾳ genitos Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν, *Hominem* & *Eccleſiam*, ex quâ συζυγίᾳ nati Æones XII. In univerſum Æones VIII. X. XII. qui collecti ſunt XXX. Ex *triceſimo* autem Æone, ut abortivo fœtu, nata Cœlum, Terram, Mare, vel Angelos malos à quibus hic Mundus factus ſit: In cujus auxilium & ſalutem miſſus ſit Chriſtus Servator. Sic triplex Hominum genus fecêre, ſcil. πνευματικὺς, ψυχικὺς, σαρκικὺς, apud *Epiph.* Quæ ex Θεογονίᾳ Aſcræi vatis, & Pythagoricis numerorum myſteriis, deſumpta fuêre; nomina autem *Æonum* ſuppeditante ferè Johannis Euangelio.

Gnoſtici.

Gnoſtici ſuperiorum omnium infelix propago (ut & Βορβοριανοὶ, & alii apud Theodoretum, qui nomen Gnoſticorum tacet, auditum tamen circà tempora Hadriani) ſic dicti quotquot ex Simonis, Menandri, Nicolaitarum, Saturnini, Baſilidis, Carpocra-

pocratis, Valentini, diſciplinâ prodierunt. Scitè Epiphanius, dicendos veriùs, Καταγνωστικοὺς *damnantes*. Variis quidem inter eos differentiis, ſed communi nomine, quo ſemet ipſos, ſtatim ab initio, diſtinxerunt, eodemque ſuperbo, ſcil. ἀπὸ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, 1 *Tim.* VI. 20. ſeu à *cognitione* myſteriorum falsò ſibi vindicatâ, & ſublimiori ſapientiæ ac doctrinæ gradu, quomodò & πνευματικοὶ dici amarunt. Et hanc oppoſuêre veri nominis γνώσει, quæ non inflat ſed humiliat, & per charitatem operatur, ac ſimplicibus & νηπίοις revelata dicitur, non Philoſophis, & id genus Monſtris. Γνῶσιν autem dicebant, primum & præcipuum Chariſma promiſſum Eccleſiæ Chriſtianæ, à quo cætera fluerent. Prout alii ſe *Apoſtolicos*, *Catharos*, *Puros*, *Illuminatos*, aliiſque id genus nominibus appellavêre. Gens, ut doctrinâ impia, ſic vitâ in omne flagitiorum genus effusâ; undê in veros Chriſtianos nata Paganorum odia, calumniæ. Ac Chriſtiani hi ſolo nomine, *Chriſti Jeſu nomen tanquam irritamentum præferentes*, ut Irenæus *Lib.* I. C. XXX. Incredibilia penè ſunt quæ de Gnoſticis tradunt Veteres, ac præ cæteris Epiphanius, *Hær.* XXIX. Seu *Portenta* Gnoſticorum reſpicimus, de Sabaoth Conditore Cœli & Terræ, cui modò *Aſini*, modò *Porci* figuram tribuêre, de Principibus, de Æonibus, de Abraxâ, de Chriſti in phantaſmate adventu, &c. ut ſuprà viſum; Seu *dogmata* alia impia, adverſus Providentiam, Immortalitatem Animæ, Judicium, Reſurrectionem, Martyrii conſtantiam; Seu *fœditatem* morum, ut ſtupra, adulteria, inceſtus, ſordes, philtra, magiam, infanticidia. Eorum nefanda alia Chriſtianis imputata; quæ tacuiſſe quàm commemoraſſe ſatius eſt. Et indè Cl. Hammondus, deſignatos à Paulo, per *hominem peccati*, ſed nondum illi eorum temporum. Atque in eos ut prolixè Irenæus, ſic quoque Tertullianus hac Ætate invectus, ſpeciatim contrà *Valentinianos*, & in *Scorpiace* ubi Gnoſticos adoritur, *Martyriorum refragatores*; fusè autem Epiphanius, etiam Auguſtinus, Iſidorus, alii. Ac de totâ *Gnoſticorum* Theologiâ, pluribus egit Joh. Croius Vir Clariſſ.

Hermogenes.

Hermogenes quidam (diverſus ab eo de quo 2 *Tim.* I. & ab alio qui Hermogenes Rhetor, de quo dictum, *Inter pueros ſenex*, *inter ſenes puer*, & ab Hermog. de quo infrà) ex Stoicâ Diſciplinâ profectus, ac Chriſtianiſmum inficiens, docenſque in Africâ, medium ultrà Seculum. Palmarium ejus dogma fuit, *Materiam Deo eſſe coæternam*, & quod cum eâ Hypotheſi connexum, ex *nihilo* nihil fieri aut creari potuiſſe; item *peccatum* ex materiæ vitio neceſſariò ortum eſſe, &c. Et quum hic eſſet *Polygamus*, etiam profeſſione *Pictor*, Tertullianus ſcitè & ſarcaſticè, *pingit illicite*, (nam interdicta Chriſtianis *pictoria*) *nubit aſſiduè*. Scripſêre in eum, Theophilus Antiochenus Libro contrà Hermogenem, ſed qui deperditus eſt, ut ejus alia contrà Marcionem; ac deinceps etiam Tertullianus jam Montaniſta, Libro *Adverſ. Hermog.* hinc Origenes, & alii.

Marcus, Colarbaſus, Secundus, Ptolem. Heracleon.

Marcus à quo Marcitæ, Μαρκώσιοι Epiphanio *Hær.* XXXIV. *Secundus* à quo Secundiani, *Ptolemæus* à quo Ptolemiani, *Colarbaſus* vel Colorbaſus à quo Colarbaſiani, *Heracleon* à quo Heracleonitæ, σύγχρονοι ferè omnes fuerunt, ex Epiphanio, omnes ex Valentini & Gnoſticorum impiâ diſciplinâ profecti, ac eadem ferè cum Valentino & cæteris delirantes. *Marcum*, quem cum *Colarbaſo* conjungit Tertullianus, præter nefanda dogmata, de Bytho & Silentio, & XXX. Æonibus; de Chriſto putativè tantùm paſſo; de non futurâ Reſurrectione Carnis, &c. inſignem præterea Magum ac præſtigiatorem fuiſſe, id eſt, qui *mulierculas* & *imbecilliores* præſtigiis ac fraudibus deciperet, tradunt uno ore Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus: Φίλτρα etiam & amatoria pocula mulieribus bibenda porrigebat. In ſpecie, *vinum* Euchariſticum quod erat in Calice, mutari μεταβάλλεσθαι in *ſanguinem* dixit, undè ſpecies quædam μετουσιώσεως *Tranſſubſtantiationis* à Marcoſiis aſſerta. Mittimus portenta alia; ac Numerorum myſteria, à Platonicis & Pythagoricis hauſta, uti *Duados*, *Tetrados*, *Ogdoados*, *Decados*, *Duodecados*, undè ſuum *tricenarium* numerum conficiebant; quæ ex Irenæo *Lib.* I. C. IX. multis reponit Epiphanius. Fœda & alia ſilentio involvimus.

Colarbaſus eadem ferè cum Marco ſenſit, ut ex Irenæo Epiphanius *Hær.* XXXV. Theodoretus, *Lib.* I. Fabulâ XII. At Auguſtinus *Lib.* de Hæreſibus, C. XV. unum hoc addit Colorbaſi dogma; Aſtris, & in iis ſeptem *Planetis*, ſubjacere omnium hominum generationes, actiones, & eventus.

Secundus quidam, Valentini ipſiſſimos errores & Gnoſticorum recoxit, modoque adeſſet γνῶσις, *opera* ſive bona ſive mala perindè ſe habere docuit. Ita Pythagoricos imitatus, ſic partiebatur *octo* præcipuos Æonas, ut *quatuor* dextro lateri, *quatuor* ſiniſtro tribueret, quomodò numeri vim ineſſe ἐν τοῖς τέσσαρσι καὶ τῇ τετράδι, & ſimilia tradidiſſe Pythagoricos, Plutarchus de Placitis Philoſ. *Lib.* I. C. III. *Ptolemæus*, quem Tertullianus *Secundo* adjungit, & de quo fusè Irenæus *Lib.* I. C. VI. Epiphanius, *Hær.* XXXIII. tacetur hinc Clementi Alex. Theodoreto, Euſebio, quod eadem cum priori ſenſerit & tradiderit. *Heracleon* prioribus æqualis, juxtà Irenæum, Epiphanium, Theodoretum, anterior verò juxtà Tertullianum, eâdem veſania quâ illi laboravit: Et hic inter Valentini aſſeclas periculoſior, quod major ipſi fuerit auctoritas, teſte Clemente Alex. L. IV. *Strom.* Hebraicè & Syriacè doctus, ac in Oriente & Ægypto verſatus, dicitur. In ſpecie, abuſus Jacobi loco *Cap.* V. 14. morientes *unxiſſe* dicitur *oleo*, aquâ, & balſamo, ut eos ſic ab æternâ morte redimeret. Quod & de *Archonticis* traditum, de quibus prolixè Epiphanius *Hær.* XL. Theodoretus *Lib.* I. Hæretic. Fabularum, *Cap.* XI. &c.

Ophitæ, Sethiani, Cainitæ, Antitactæ, Floriani.

Ad hanc colluviem *Hæreticorum* ſpectant, *Ophitæ* vel *Ophiani*, ὀφιόμορφοι, quos Heracleonitis ſubjungit Epiphanius *Hær.* XXXVII. Valentinianis, Gnoſticis, Irenæus *Lib.* I. C. XXXIV. Coluiſſe dicuntur *Serpentem*, qui Evam ſeduxit, & qui fuerit Chriſtus, auctor notitiæ boni & mali, quomodò Serpentem exaltavit Moſes in Deſerto *Num.* XXI. Ex Ægyptiorum Θεολογίᾳ & moribus ſua habuerunt, apud quos Ibes, Crocodili, Serpentes culti; & *Æſculapius*, qui Σωτὴρ dictus, auctor *ſalutis* allatæ, Serpentis barbati, vel Serpentis Epidaurii, & Draconis figurâ expreſſus fuit, & hodieque in Nummis apparet. Sic *Sethiani*, vel *Sethitæ* apud Tertullianum, qui cum Ophitis conjunguntur à Theodoreto *Lib.* I. C. XIV. Nempè appellationem ſortiti à Setho, Adami filio; uti *Caini*, *Cainitæ*, *Cajani*, apud Epiph. Hær. XXXVIII. à Caino: De illo ſomniantes, in Abelis locum fuiſſe ſuffectum tanquam purum, ob omni labe immunem; De iſto, fuiſſe fontem & auctorem principem bonorum omnium, uti de *Judâ* proditore, fuiſſe ſalutis humanæ diſpenſatorem. Dicti etiam horum Diſcipuli, *Antitactæ*, de quibus Clemens Alex. L. III. *Strom.* Theodoretus Hær. Fab. *Lib.* I. C. XV. quod legi de *non mœchando*, tanquàm à Deo malo profectæ, adverſarentur. Horum omnium portenta, & eorum qui dicti Ἀρχοντικοὶ ferè intrà Palæſtinam, (ſed qui poſteriores videntur, ſua περὶ τῶν Ἀρχόντων τοῦ κόσμου τούτου, de *Archangelis*, *Angelis*, &c. ſomnia ſub Conſtantino Filio ſpargentes) prolixè apud Epiphanium, *Hær.* XXXVIII. XXXIX. XL. & Theodoretum *Lib.* I.

C.XIV.XV.XVI. ne dicam reliquos, Irenæum, Clementem, Tertullianum, aut Philaſtrium, Auguſtinum, &c. Sed non diu admodùm, nec latè hæ graſſatæ videntur Hæreſes, ſub his nominibus, & earum aut nullas ſuperfuiſſe reliquias, aut πάνυ ὀλίγȣς ϗ διαριθμήτȣς, monuit Origenes contrà Celſum, *Lib.* VI. p. 293. Si tamen *Ophitas* excipias, de quibus adhuc Juſtinianus *Cod.* de Hæreticis & & Manich. L. V. & alibi. Tales & qui dicti *Floriani*, vel *Floriniani*, à Florino vel Floriano, Valentinis deliriis faſcinato, cum *Blaſto* quodam, in albo ſeu catalogo Presbyterorum Romæ conſcripto, ut Theodoretus *Lib.* I. Fabulâ XXIII. ſub Commodo Imp. Eleuthero Rom. Epiſcopo. De his & Euſebius *Lib.* V. C. XV. ſed breviter admodùm, tanquam gradu Presbyterii dejectis: Palmarium dogma fuiſſe intelligitur: Deum Creatorem malorum, & peccati ac vitiorum auctorem eſſe, in quo *Manichæo* præiverunt; Præter *Æonum* productiones.

Cerdon.

Cerdon, (non ille qui Alexandr. Eccleſiæ Epiſcopus fuit, ſub Trajano) Marcionis anteceſſor, ut Irenæus *Lib.* III. C. IV. circà tempora Hygini Rom. Epiſcopi digreſſus è Syriâ, & *Romam* delatus fuit, coævus Valentino; quanquam Theodoretus Florino & Blaſto poſtponat, *Lib.* I. C. XXIV. In Valentini nempè & Simonis, Menandri, qui Patriarchæ Hæreticorum, Scholâ eruditus, Hæreſim fabricavit, quâ *Duo Principia*, *Duos Deos* aſſeruit, ſibi adverſos, & è ſe independentes, unum *Bonum*, alterum *Malum*, hunc auctorem Mundi, Legis, & Prophetarum, adeoque Veteris Teſt. illum verò Patrem J. Chriſti, eumque bonum ac juſtum. Vetus Teſtamentum idcircò à *Deo Malo* profectum dixerunt, 1. Quod interdixiſſet eſu *Arboris ſcientiæ* boni & mali, adeoque τὴν γνῶσιν livore quodam homini invidiſſet. 2. Quod prohibuiſſet eſu *Arboris vitæ*, atque ità ad vitam homini negaſſet aditum. 3. Quod *crudelitatem* prodiderit, immiſſo terris Diluvio, excidio Sodomæ, deletione Cananæorum, innumerorum etiam mortibus, ac ſuppliciis. 4. Quod auctor fuerit Legum, dentem pro dente, oculum pro oculo; odio habebis inimicos tuos, &c. ſic illi. *Infirmitatis* etiam multiplicis arguebant illum Deum, V. gr. quod ante Lucem conditam in tenebris latitaſſet; quod Angelis, ad cuſtodiam Paradiſi, opus habuiſſet; quod probationibus edoceri debuerit de hominum fide, obedientiâ, factis, cogitatis; quod pronus fuerit in affectus *iræ*, *odii*, *zelotypiæ*, *pœnitentiæ*, &c. Quo referebant, Iram Dei in pœnis infligendis; Zelotypiam, ob non delatum ſibi honorem divinum; Pœnitentiam, ob Mundum conditum; Odium in Cainum, Eſavum, &c Quibus opponebat Cerdon *Patrem* D. N. *Jeſu Chriſti*, tanquam bonum, clementem, miſericordem, amorem etiam inimicorum præcipientem, vindictam omnem arcentem, &c.

Error de duobus Principiis ſummis, Boni, & Mali.

His aliiſque Hæreticorum præſidiis, pro duobus Summis Principiis, æternis, independentibus, quorum alterum *boni*, alterum *mali* omnis cauſa, dùm Patres ſecundi, tertii, quarti Seculi, &c. obſcuriùs aut invalidiùs reſpondere viderentur, vires acquiſivit ea Hæreſis, quantumvis abſurda, & ſeipſam evertens. Satis erat, retundendo faſtui turbonum; 1. Eos admittere Patrem J. Chriſti ut ſummum Deum, hujuſque doctrinam ut bonam, ut ſanctam: Quæ tamen ubique ſe tuetur auctoritate Vet. Teſt. ut θεοπνέυςȣ γραφῆς, quæ provocat ad Deum Abrahami, Iſaaci, &c. ad teſtimonia Prophetarum; & eadem attributa effert de illo *Deo Creatore* Mundi, ſcil. ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, miſericordiæ, juſtitiæ, quæ de *Patre* J. Chriſti. 2. Eos fingere *duo Principia* quæ ἀσύςατα, quæ ſemet everterent; adhæc *Deum malum*, quum qui *Deum* dicit, talem intelligat qui & eſſentialiter bonus ſit, & formaliter ipſa bonitas, atque efficienter fons & origo omnis boni, & quicquid facit, hoc ipſo bonum ſit, quia ille facit. 3. Ignorare illos etiam, *Deum*, ex ſe hominibus ἀκατάληπτον, per admirandam συγκατάβασιν, deſcribere ſe non qualis eſt ipſe, ſed quales nos ſumus, obnoxii affectibus iræ, odii, zelotypiæ, pœnitentiæ, &c. & quæ ἀνθρωποπαθῶς λέγεται, eadem debere θεοπρεπῶς νοεῖσθαι, nec accipi de *affectibus* ipſis in Deo, ſed de *effectis* talibus, quales nos iræ, odio, zelotypiæ, pœnitentiæ, ſolemus adſcribere. 4. Illum ipſum Creatorem, Mundi, & Hominis, *potuiſſe facere de ſuo quod vult*, quomodò & quantum vult, pro jure ſuo abſoluto, liberrimo, & αὐτοκρατορικῷ, atque adeò Legem homini dare, & auxilium ſufficiens ad ſervandum illam Legem, & libertatem indifferentiæ, ac facultatem eâ libertate abutendi; uti etiam ea præcipere per quæ homini ipſi conſtaret, aut manifeſtum fieret, quid poſſit ſibi ipſi relictus, vel ab actuali Gratiâ adjutus, &c. 5. *Malum*, hoc ipſo quod accidit in Mundo, fieri omninò non poſſe, *Deo* inſcio, vel invito, vel impedire neſciente, vel otioſo ſpectatore, aut non dirigente in finem ſibi glorioſum, aut ſuis ſalutarem. Atque adeò non repugnare hujuſmodi *permiſſionem mali*, quod actu ipſo fieri cernimus, *Dei* neque bonitati, neque ſanctitati, neque juſtitiæ, neque perfectionibus reliquis. 6. Eos eſſe humani *ratiocinii* limites, ut nec omnia Dei opera comprehendere, nec ex omnibus ſe difficultatibus expedire, nec ipſe talem ſe eſſe, creatum, finitum, materiâ circundatum, ignorare poſſit, ſi ſuo ſe modulo metitur; Cumprimis ſi Deum cogitat æternum, infinitum, incomprehenſib. ut *optimum*, ſic *maximum*, ſic ſapientiſſimum, qui è tenebris lucem, ità ex malo bonum eruere novit. 7. Nec hìc urgeri poſſe v. gr. illud ſimile, *Matris* præſciæ Filias ſuas abuſuras eſſe libertate quam illis facit, & id genus alia, quia procedit ratiocinium ab *Hominibus* finitis, ἐννόμοις, certi legi obnoxiis, ad *Deum* infinitum, liberrimum, ſapientiſſimum, & qui leges homini dat, ipſe nullas accipit. Acceſſit & proprium Cerdonis hujus dogma, Chriſtum neque *natum* fuiſſe ex fœminâ, Mariâ Virgine, neque *verè Hominem*, aut verè *paſſum*, *mortuum*, ſed ſimulatè tantùm; undè Δοκητῶν Hæreſis appellata eſt, quanquàm hujus non primus auctor Cerdon. Adhæc, negata illi *Reſurrectio Mortuorum*, ut Valentino, & cæteris. Et diutiſſimè vixiſſe fertur hic Cerdon, totos annos XXXVIII. virus ſuum diffundens; quandoque fictâ Exomologeſi pœnitentiam teſtatus.

Sed præcipuè *Marcion* natione Ponticus, Sinope Paphlagoniæ Coloniâ Romanorum oriundus, Cerdonis diſcipulus, ſi non Auctor certè latè propagator fuit Hæreſeôs, quæ ab ipſo *Marcionitarum* nomen accepit. Atque hæc vehementer flagellata eſt à Juſtino Mart. Irenæo, Rhodone Aſiano, Theophilo Antioch. Tertulliano cumprimis *Libris* V. Euſebio L. IV. & V. Epiphanio, *Hær.* XLII. Theodoreto Hær. Fab. L. I. C. XXIV. Occaſio ſeceſſionis in partes, & adoptatæ Cerdonis Hæreſeôs, fuit ſeverior diſciplina à Patre ſuo Epiſcopo in eundem exercita, ob ſtuprum illatum *Virgini* cuidam, undè etiam pœnitentiam ſimulantem admittere in Eccleſiam noluit. Quare Romam, ſublato jam Hygino, & Pio, ad *Anicetum* ſub Antonino Pio ſe contulit, id eſt, circà An. Chriſti CLX. (malè alicubi Tertullianus, ad *Eleutherum*) ut veniam ab hoc faciliùs impetraret. Sed Romanus noluit ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, nec eum recipere *ſine permiſſione proprii patris & Epiſcopi*, ut habet Epiphanius. Undè in Cerdonis prolapſus Hæreſim, de duobus Principiis, de quibus antè, præeunte Platone, & aliis: Quam etiam auxit novis in ſpeciem præſidiis, & errorum

Marcionitæ.

aliis

Digitized by Google

aliis portentis; v. gr. *Nuptias* damnandas eſſe, adeò ut conjugatos non tingeret; *Baptiſmum* eſſe iterandum; *Mulieres* poſſe baptizare; *Animas* poſt mortem tranſire in alia Corpora, &c. Ex Euangeliis præcipuè *Lucam* admiſit, ſed rejectâ tamen Hiſtoriâ Nativitatis, & *Genealogiâ* Chriſti, & *Matthæi* quoque illâ, quod poſteà imitatus Fauſtus Manichæus, ut ex Auguſtino conſtat. Auctor eſt Irenæus L. III. C. III. & apud Euſebium *Hiſt. Lib.* IV. C. XIV. Romæ incidiſſe aliquando in Marcionem Polycarpum Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopum, qui quum illi diceret Marcion, ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, reſponderit, ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ, *agnoſco primogenitum Satanæ.* Eo certè gravior hæc Hæreſis fuit, quo magis altas radices egit, longè lateque diffuſa per Occidentem, Africam, & Orientem, teſte Epiphanio: Qui quoque Marcionis Scripta recenſet, & innumera S. *Scripturæ* loca quæ ſubdolè & impiè in Hæreſim ſuam detorqueret, ex Euangelio ſcilicet *Lucæ*, & Pauli Epiſtolis ad *Romanos*, ad *Corinthios*, *Galatas*, &c. ſed non integris, verùm mutilatis ac variè interpolatis. Ac illa quidem loca vindicat Epiphanius, adverſus Marcionis Scholia, & corruptelas, *Hær.* eâdem. Diu hæc Hæreſis propagata eſt, duratura adhuc Seculis III. IV. V. ex Epiphanio, Theodoreto; imò *Martyres* ſuos jactavit, & πλείστους quidem, ut Euſebius *Lib.* V. C. XVI. ſub finem, quemadmodùm jactarunt Montaniſtæ vel Cataphryges. Sed præterquàm hoc jactantiæ cujuſdam fuit, qualem in falſâ Eccleſiâ vidit omnis ætas; præterquàm *cauſa Martyres facit*, non pœna; inſuper *Marcionitæ* haberi potuerunt, qui miſſâ eâ vel emendatâ Hæreſi, verè pro Chriſto ſanguinem profuderunt, ut Metrodorus ille, de quo in Epiſtolâ Smyrnenſium, apud Euſebium, *Lib.* IV. C. XV.

Lucianus. Apelles. Severus. *Lucianus* & *Apelles*, (plures autem fuêre hujus nominis qui huc non ſpectant,) Marcionis Diſcipuli, atque inter ſectatores præcipui, cum Potito, Baſilico, Synero, &c. inter ſe diſſentientes, ut Euſebius *Hiſt.* L. V. C. XIII. Apellem vocat τὸ Μαρκίωνος γνώριμον, Origenes contra Celſum *Lib.* V. p. 267. De illis meminit Tertullianus, & in Lucianiſtis atque Appellejanis (Apellicianos dixit Septimius) Epiphanius *Hær.* XLIII. & XLIV. Theodoretus de *Hæret. Fab.* L. I. C. XXV. Nova hi monſtra prioribus, quæ Magiſtri excogitarant, ſuperaddidiſſe referuntur, in primis, illud Apellis, *unum* tantum eſſe Principium, Deum bonum, ſed à quo Deus malus qui Mundum condiderit. Librum & edidit *Philumenæ Prophetiam*, à Philumenâ fœminâ impuriſſimâ, quam futura prænunciare dixit, uti nulla ferè Hæreſis quæ non ope *fœminarum* propagata fuerit, ut Hieronymus pluribus oſtendit ſcribens *ad Cteſiphontem*, contrà Pelagium. Eadem de hac fœminâ ſentiebant *Severiani*, diverſi hi à Severitis Hæreticis ſub Anaſtaſio Imperat. Hi fuerunt ex Apelle nati, à Severo coætaneo, quorum fabulamenta apud *Epiph. Hær.* XLV. Theodoretum *Lib.* I. *Hær.* XXI. Auguſtinum *Hæreſi* XXIV. *Vinum* hic Severus damnaſſe dicitur, ut venenum Draconis, quod & mentes perturbaret, & Veneris illecebras proritaret, & ad iracundiam ac furorem ſtimulis ſuis impelleret. *Fœminam* etiam Satanæ opus eſſe dicebant. *Actorum* Hiſtoriam & *Paulinas* Epiſtolas reprobaſſe dicuntur, apud Theodoretum, uti Vetus Teſtam. cum reliquis ejus farinæ hominibus.

Tatianus. *Tatianus* natione Syrus vel Aſſyrius, in Græcorum diſciplinis verſatiſſimus, Romæ converſus per Juſtinum Martyrem, primò quidem utilem Eccleſiæ operam navavit. Hinc adornata ab eo, ut ferunt, *Harmonia Euangeliorum*, aliaque ei ſcripta expreſſa contrà Græcos, πολύ τι πλῆθος τῶν συγγραμμάτων, apud Euſebium *Hiſt.* L. IV. C. XXIX. In quibus eſt λόγος ὁ πρὸς Ἕλληνας, *Oratio adverſus Græcos*, quem Euſebius dicit κάλλιστον καὶ ὠφελιμώτατον πάντων αὐτοῦ συγγραμμάτων, hodieque Juſtini Martyris Operibus annecti ſolitum. Verùm poſt Juſtini martyrium, regreſſus in Orientem, M. Aurelio Imperante, ex Marcionis & Valentini diſciplinâ hauſit impura non pauca, ut φιλόδοξος fuit. Undè *Tatianorum*, (male à *Tacio* quodam eſſe dixit Auguſtinus) ſive *Encratitarum* Hæreſis nata, poſteà & *Aquariorum*, *Apoſtolicorum*, &c. etiam *Severianos* dictos eſſe refert Euſebius, dicto loco, à *Severo* quodam ſucceſſore, fortè eodem de quo ſuprà. Hi *Nuptias* reſpuebant omnemque concubitum; *Carnium* & animatorum eſum, κρεωφαγίαν; quæ à Pythagorâ, & Marcione habuit Tatianus; etiam *Vini* uſum damnavit, & *aquam* ſolam ad Myſteria adhibuiſſe refert Epiphanius, undè ὑδροπαραστάται dicti. In *Phrygiâ* potiſſimùm, & vicinis *Galatiæ* locis, hæc Hæreſis pullulaſſe fertur. Undè etiam ex eâ hauſit non pauca *Cataphrygum* Hæreſis, inter alia quæ in Conjugium debacchavit, probatâ ſaltem Monogamiâ. Sic *Adamum*, in quo omnes moriantur, Salutem conſecutum eſſe negavit Tatianus, apud Irenæum *Lib.* III. C. XXXIX. hinc Epiphanium, *Hær.* XLVI. Contrà quam, poſt hujus *Seculi* & ſequentis Catholicos ſcriptores, Irenæum, Clementem Alex. Tertullianum, Euſebium, fuſè Epiphanius *Hær.* XLVI. Theodoretus *Lib.* I. *Hær.* XX. & Αἱρετιολόγοι.

Montanus. *Montanus* Phryx natione, aut Myſius potiùs, ex Myſiæ vico ignobili *Ardabâ*, vel etiam *Pepuzâ*, oriundus, ſed qui Phrygiæ conterminus, undè ἡ κατὰ τὴν Φρυγίαν Μυσία, ac is vicus Phrygiæ etiam accenſitus. Hinc *Cataphryges* Latinis, Montani ſectatores, vel κατὰ Φρύγας *ſecundum Phrygas* ſentientes, ut *Procliani* dicti *Cata-Proclum*, primarium Montani auditorem. Dicti etiam *Phryges* ſimpliciter, αἵρεσις τῶν Φρυγῶν, per utramque Phrygiam diſperſi; ac *Pepuziani*, uti Pepuzæ nomen dedêre *Hieroſolyma Cœleſtis*, ubi videntur habitaſſe Priſca & Maximilla. Hic ſub M. Aurelio, Commodo, vel ut vult Epiphanius, ſub Antonino Pio, Grato Aſiæ Proconſule, ut Euſebius *Lib.* V. C. XVI. ſpecie auſterioris vitæ, & prophetici chariſmatis obtentu, Hæreſim condidit vel Sectam, ex placitis Encratitarum, reverà ambitione inductus, ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ τῆς φιλοπρωτείας, ut ibidem Euſebius. Auſterius igitur prætexuit Chriſtianæ vitæ inſtitutum, obtentu Paracleti; ac miniſtris fœminis duabus, quas propheteſſas dixêre, *Priſcillâ* & *Maximillâ*. Undè obſervatio Hieronymi, ad Cteſiphontem, *Tomo* II. *Oper. Simon Magus Hæreſim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio; Nicolaus Antiochenus, choros duxit fœmineos; Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendo ſibi animos præpararet; Apelles Philumenen ſuarum habuit comitem doctrinarum; Montanus immundi Spiritûs prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deindè Hæreſi polluit.* Indè de Ario, Donato, & Hæreſiarchis cæteris, idem obſervat. Nempè hic Montanus, etiam *Mulieres*, Maximillæ exemplo, ad publica Eccleſiæ munia, Epiſcopatum & Presbyteratum, admiſit: Adventum *Spiritûs S.* tanquam *Paracleti*, à Domino promiſſi, in ſe & ſuis conſpicuum eſſe aſſerebat, magis quàm in Apoſtolis: Prophetias cum *extaſi*, & *entheo* furore, habuit pari loco cum Verbo ſcripto: *Secundas nuptias*, tanquam πορνείαν damnavit; ac portentoſa de iis alia Epiphanius, *Hær.* XLVIII. Tamen doctrinam de Trinitate, de Creatione Mundi, alias, non corrupiſſe teſtatur idem Epiphanius, & Theodoretus, L. III. *Hæret. Fab.* C. II. Feruntur etiam communionem Bonorum habuiſſe, & communem *Arcam* in quâ ſua reconderent. Tandem ſuperbè ſemet πνευματικοὺς dixêre, reliquos qui μονογα-

Digitized by Google

νογαμίαν non probarent, ψυχικοὺς & Carnales, quâ voce Catholicos appellare amat Tertullianus, Montaniſta factus. Sparſum mox per Aſiam venenum fuit, imò favente tunc *Epiſcopo Romano*, an *Aniceto* ut quidam, ſublato A. LXVIII. vel potiùs *Victore Rom.* qui *prophetias Montani*, *Priſcæ*, *Maximillæ agnoviſſe* dicitur, id eſt, pacem indulſiſſe Eccleſiis Montanizantibus, miſſis literis pacis, ob ſervatam adhuc Fidei regulam, ut Tertullianus adverſùs Praxeam, *Cap.* I. Tandem & ipſe Tertullianus in eundem errorem pertractus, auſteriore Viri ingenio eò hominem ducente, undè nati Libri *adverſùs Eccleſiam*, quos rècenſet Hieronymus in *Catal.* nempè de Pudicitiâ; De Jejuniis; de Fugâ in Perſecutione; de Monogamiâ; De Coronâ Militis, quales in capite geſtare Chriſtianis illicitum eſſe contendit, hinc *Traditiones non ſcriptas*, in ritibus ac diſciplinis ex ſe mediis, ibi magnoperè commendat. Famoſi Sectatores fuêre *Theodotus*, *Patroclus*, *Artemon*, &c. Etiam alio nomine *Quintillianorum* veniunt, à Quintillâ quadam, in eodem Pepuzæ oppidulo agente, & jactante revelationes; uti nomine Τασκοδρουγιτῶν, dùm nempè τάσκος eorum linguâ πάσσαλον *paxillum*, δροῦγγος verò μυκτῆρα *naſum* ſignificavit, quod inter orandum indicem manus naſo apponerent, inſtar paxilli, animi mœſtitiæ denotandæ, ita Epiphanius *Hær.* XLVIII. N. XIV. Hinc antidotum Montani veneno oppoſitum, ab Apollinari, Miltiade, Apollonio, Serapione, aliiſque Aſiæ Epiſcopis, ac Synodis, ut prolixè Euſebius L. V. C. XVII. XVIII. XIX. Fusè de iis Epiphanius *Hær.* XLVIII. Theodoretus *Hær. F. Lib.* III. poſt Euſebium, *Hiſt. Lib.* V.

Theodotus. *Theodotus* Θεοδότος quidam Byzantinus, idemque Σκυτεὺς *Coriarius*, ſub finem Seculi, Victore Urbis Epiſcopo, in Chriſtum blaſphemans, malè ab Auguſtino & aliis *Theodotion*. Primus enim aſſeruit Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον *nudum hominem eſſe*, ut Euſebius L. V. C. *ult.* quanquàm conceptum ex *Spiritu S.* fateretur. Undè à communione Eccleſiæ per Victorem Romanum ejectus fuit, ut pluribus Euſebius, & Theodoretus *Hæret. Fab.* L. II. C. V. Severo tum Romanis imperante. Et hujus diſcipulus *Artemon* fuit, à quo *Artemonitarum* Hæreſis, ſub initium Seculi ſeq. etiam *Theodotus* alter τραπεζίτης. De iiſdem Tertullianus, de *Præſcr. Hæret.* hinc Euſebius, Epiphanius *Hær.* LXV. & Hæreſiolog.

Praxeas. *Praxeas*, à quo *Praxeani*, & ob Patris paſſionem aſſertam, *Patripaſſiani*, ſparſit Hæreſim ex Aſiâ in Italiam, ac Romam intulit, ſub finem Seculi. Hujus meminit Tertullianus, ſub finem libri *de Præſcript. Hæret.* & Libro expreſſo *adverſùs Praxeam*, quem anno Vulg. CCIX. ſcripſiſſe Pamelius cenſet. Certè Praxeam *heſternum* vocat, id eſt, novum vel nuperum hominem. Hæreſis eadem quæ Sabellii, in Africâ primùm ſparſa, Praxeâ, Hermogene ejus defenſoribus, eandem ſcil. eſſe ὑπόστασιν Patris, Filii, & Spiritûs S. hinc quod Filio accidit, naſci, pati, &c. idem & Patri accidiſſe. *Hermogenes* ille diverſus eſt, & poſterior illo de quo ſuprà, quem expreſſo Libro confutavit Tertullianus.

Bardeſanes Edeſſa Meſopotamiæ Syrus, ἀνὴρ ἄριστος Epiphanio, *Hær.* LVI. inter Hæreticos hujus Ævi recenſetur, vir Hebraicè, Syriacè & Græcè doctus, ſub M. Aurelio & L. Vero Imperatoribus. Negaſſe dicitur Reſurrectionem Carnis, & in Valentinianorum incidiſſe hæreſim: Sed agnito poſt errore ad rectiorem ſententiam tranſiiſſe fertur; idemque ædificaſſe Eccleſiam vitâ & ſcriptis, inprimis contrà Hær. Marcionis, ut Euſebius L. IV. C. XXX. *Bardeſianiſtas* tamen notavit Antiquitas in Catal. Hæreſium.

Capita præcipua Hæreſeôn. *Capita* verò harum omnium Hæreſeôn, per Religionem Chriſtianam Univerſam diffuſa, conſpiciuntur hunc in modum:

I. Alia quippe in *Scripturas* S. in Legem, Prophetas, Apoſtolica Scripta, eorumque vel auctoritatem, vel ſufficientiam arietarunt. Nempê id commune Hæreticis fuit, cum ſua ex Scripturis probare non poſſent, in earundem ferri accuſationem, ut teſtatus Irenæus, *Lib.* III. C. II. Hinc accuſatâ variorum Libror. inſufficientiâ, *Tradition. non ſcriptas* de Fide urgere, ut nihil minoris auctoritatis, undè uſurpabant illud Chriſti, *Multa habeo dicere*, &c. quales *Baſilid. Gnoſtici*, *Montaniſtæ*. Sic vexatâ integritate, & auctoritate Textûs S. pro arbitrio eoſdem Libros convellere, *Canonem* mutilare, *Apocryphas* Scripturas fingere, eaſque pro Divinis ac Canonicis habere, quod factum à *Gnoſt. Valentinian. Marcionit.* Ità modò *Euangelia* mutilare, aut expungere, ut (præter Lucæ illud) fecère reliqua *Marcionitæ*; modò *Pauli Epiſtolas* quaſdam damnare, ut iidem *Marcion. Encratitæ*; modò in *Johannis* Scripta invehi, ut *Cerinthiani*, *Theodot. Artemon.* Imò etiam eradere hinc indè multa auſu ſacrilego ſuſtinuerunt, διορθῶσαι ſeu ῥᾳδιουργῆσαι τὰς Γραφὰς, v. gr. *Genealogias* Chriſti, ex Euangeliis Matthæi & Lucæ diſpungendo, quod de *Tatiano* quoque Theodoretus. Sic loca quædam ex Epiſtolis *Johannis* delere, interpolare, ut *Artemonitæ* apud Euſebium & Socratem; undè multis origo credita expuncti loci πολυθρυλλήτου, I *Joh.* V. 7.

II. Alia Hæreſeôn Capita in Doctrinam *de Deo*, *Dei Naturâ*, *Unitate*, &c. palàm inſurgere: Ità, non unum eſſe ſed plures, hinc Dei diverſas appellationes; alios autem ex aliis factos, genitos, hinc XXX. *Æonas* diſtinxerunt; *Valentiniani*, *Gnoſtici*, & *Sectatores.*

Duo eſſe Principia coæterna, *Bonum* & *Malum*, hinc duo Numina, illud bonorum, hoc malorum cauſam; *Gnoſt. Cerdon*, *Marcion*, &c. *Apelli* tamen tribuitur, quod unum modò principium ſtatuerit. Sic Deum auctorem eſſe *malorum*, peccatorum; *Florin.*

III. Sic alia pugnarunt cum doctrinâ de *Trinitate*: Patrem, Filium, Spiritum S. diſtingui tantùm *nominibus*, non *perſonis*; Hinc & Patrem in cruce paſſum eſſe, &c. *Hermog. Praxeas.*

Patrem J. Ch. alium eſſe à Deo conditore Mundi, Deo Vet. Teſtam. *Valentin. Marcion.*

Filium ſeu Λόγον eſſentiâ diverſum eſſe à generante, quò ſpectârunt *Valentini* deliria de progreſſu Λόγου à *Sige* & *Nun*, &c.

Spiritum S. in Montano fuiſſe, hunc verum eſſe *Paracletum* quo afflabatur cum ſuis, &c. *Montaniſtæ*, *Cataphryges.*

IV. Alia Doctrinæ de *Chriſto* adverſa: Chriſtum fuiſſe nudum hominem, natum ex ſemine Joſephi; aut quidem ex Virgine, ſed hominem fuiſſe tantùm, non verum Deum; Sic poſt *Ebionitas*, *Cerinthianos*, *Carpocrates*, *Theodotus*, *Artemon.*

Chriſtum hominem fuiſſe tantùm *putativum* & *apparentem*; Carnem *de cœlo* attuliſſe, & *per Mariam* tranſiiſſe ut per rimam, canalem, vel rivulum; Corpus ejus vel *phantaſticum* fuiſſe, vel *ſidereum*, vel *ſpirituale*; Eundem putativè tantùm *natum* & *paſſum* eſſe, &c. *Gnoſtici*, *Valentiniani*, *Marcionitæ*, *Appellejani*, *Tatian. Ophitæ.*

Chriſtum non fuiſſe *unam Perſonam*, ſed alium fuiſſe Jeſum, alium Chriſtum, alium autem Λόγον, ſive Sermonem; *Valentinus* & *Sectatores.*

V. *De Creatione*, deque *Homine*: Deum conditorem Cœli & Terræ, fuiſſe alium à Patre J. Chriſti. Nec Deum fuiſſe bonum ſed malum, undè creationis ſugillatio; *Valent. Gnoſt. Marcionit.*

Mundum per *Angelos* conditum fuiſſe, & ſpeciatim Hominem, undè verba *Faciamus*, &c. *Gen.* I. *Saturnin. Baſilid.* &c.

Materiam mundi Deo eſſe coæternam, *Hermog. Valentiniani*, &c.

Hominem agere in ſuis actionibus *neceſſitate phyſicâ*

Digitized by Google

ſicâ ſeu naturali, everſâ Libertate Arbitrii; *Valentin. Gnoſtici.* Quos dùm refutant Juſtinus, Irenæus, &c. hi *Libero Arbitrio* quandoque plus nimiùm tribuerunt.

VI. *De Lege & Prophetis*: *Vetus Teſtamentum* à malo Deo profectum, obnoxio invidiæ, crudelitati, &c. Libros *Vet. Teſtam.* abrogatos eſſe ſub Novo; *Moſem* & *Prophetas* falſa ſcripſiſſe de Deo; *Legem* non eſſe bonam, antiquatam, correctam, &c. *Gnoſtici, Sethiani, Antitactæ, Cerdon, Marcion, Apelles*, &c.

VII. *De Juſtificatione, Salute*: Hominem ſalvari *naturâ*, non gratiâ; fidem eſſe *naturalem*, &c. *Gnoſtici, Valentin.*

Salutem dari in quâvis Sectâ, doctrinâ, religione, modò in Crucifixum ſperent, hinc non inquirendam eſſe doctrinam, &c. ut *Apelles* apud Euſeb. *Adamum* fuiſſe damnatum, nec conſecutum remiſſionem peccati; *Tatian.*

VIII. *De Sanctificatione, Perfectione*: Solâ *cognitione* homines ſalvari, nec neceſſarias eſſe actiones, ſeu Sanctificationem; *Gnoſtici. Licitas* eſſe libidines vagas & promiſcuas, inceſtus, opera quævis turpitudinis, imò ad perfectionem iſta eſſe *neceſſaria*: *Baſilid. Saturnin. Carpocrat. Valentin.* &c.

Solos Gnoſticos eſſe *perfectiſſimos, primos* Dei filios, &c. *Gnoſt. Valentin. Marcoſii.* Eadem de ſuis opinio fuit *Encratitis, Montaniſt.*

IX. *De Perſeverantiâ*, vel *Apoſtaſiâ*: Licitam eſſe *abnegationem*, tempore perſecutionis, etiam cum perjurio; ſic rem eſſe indifferentem, uti & eſum *Idolothytorum*; *Baſilides, Gnoſtici.*

Lapſis veniam negandam eſſe, nec conſequi tales remiſſionem peccatorum; *Montaniſtæ.*

Fugam omnem in perſecutione eſſe illicitam, cumprimis Dei miniſtris; *Montaniſtæ, Tertullian.* Libro de *Fugâ in Perſ.*

X. *De Noviſſimis*: Dari *Animarum* Pythagoricam μετεμψύχωσιν, hinc migrare animas è corpore in corpus, ſeu in præmium, ſeu in pœnam; *Baſilid. Carpocr.*

Non dari *reſurrectionem* Corporum, hinc nec ſalutem, ſed corpus interire; Salvari animam tantùm; *Gnoſtici, Valentiniani.*

XI. *De Conjugio*: Uxores communes eſſe oportere; unde promiſcua illis Venus in cœtibus publicis, lumine ſublato, ut ferunt de *Gnoſt. Valentinianis.*

Conjugium eſſe ex Diabolo, damnandum, nihil differre à fornicatione; *Gnoſtici, Encratitæ. Secundas nuptias* eſſe illicitas, nec niſi fornicationem; *Montaniſtæ, Cataphr. Divortium* Viri & uxoris licitum, religionis ergò; ut *Iidem.*

XII. *De Baptiſmo*: Baptiſmum eſſe *iterandum*, ad ſe accedentibus, ſcilicet Pſychicis, quod *Montaniſtis* tribuitur à nonnullis, & *Tertulliano*, quanquàm nondùm Montaniſtæ, in Libro *de Bapt. Cap.* XV.

Mortuos eſſe etiam baptizandos; *Cataphryges.* Vivos pro *mortuis* ſeu vice mortuorum tingendos aquâ baptiſmali, quod Tertulliano eſt *Vicarium baptiſma*, undè argumentum Pauli, à *baptiſmo pro mortuis*, 1. *Cor.* XV. id eſt vice mortuorum, ἀντ᾽ αὐτῶν, εἰς τὸ ὄνομα αὐτῶν, ut Syrus Interpres; & ità *Cerinth.* juxtà Epiph. & *Marcionitæ. Virgines* ſolas, *Viduas, Cœlibes*, eſſe baptizandos; *Marcion.*

XIII. *De Euchariſtia*: Vinum in Euchariſtiâ, per quandam verborum prolationem, & gratiarum actionem, *tranſmutari* in *ſanguinem* Chriſti, undè ex albo rubrum apparebat; *Marcoſii* apud Iren. & Epiphan.

Euchariſtiam celebrandam eſſe *pane* mixto *ſanguine* humano, ex infante anniculo punctionibus expreſſo, ut ità *corpus* Chriſti appareret; *Gnoſtici, Cataphryges.*

XIV. De *Jejunio, Abſtinentiâ*: *Carnium* eſum eſſe illicitum, cibum ex ſe immundum; *Vini* quoque uſum damnandum; *Encratitæ.*

Piſcium uſum *ſanctiorem* eſſe quàm carnium, certis etiam anni temporibus abſtinendum eſſe à *carnibus*, & omni *jurulentiâ*: Undè *Xerophagiæ*, per ſeptimanas aliquot indictæ, quas qui non obſervarent eſſent *Pſychici*, ſeu animales; *Montaniſtæ.*

XIV. De *Imaginum* cultu: Imagines ſeu Chriſti, (qualem fingebant à Pilato ad vivum expreſſam) ſeu Sanctorum Apoſtolorum, vel Sapientum (quales habiti *Simon Magus, Pythagoras, Plato*, &c.) eaſdemque pictas, aureas, argenteas, &c. religioſè colendas eſſe & adorandas; *Simon. Carpocr. Gnoſtici.*

Et hinc ferè Errorum, qui ſequentis & noſtræ etiam Ætatis fuêre, originem ducimus. Hinc etiam iniquitas illorum patet, quos paralleliſmum inſtituere nihil puduit inter *Gnoſticos*, & Reformatos vel Euangelicos, vel (ut illi) *Calviniſtas & Lutheranos*, ut fecêre in Pontificiis Jod. Coccius, Jac. Gualterus, Joh. Harſcherus, alii, & nuper Natalis Alexander ad Secul. II. *Diſſert.* XVI. Et ſi quam in Gnoſticos aut Marcionitas *traditionem* urſit Irenæus, planum eſt egiſſe de Doctrinâ etiam *ſcripto traditâ*, ac poſteà ſucceſſivè indè ab Apoſtolis propagatâ ad ſua tempora. Crambem à Natali de *Traditionibus* recoctam ex locis 2 *Theſſ.* II. &c. in redivivos ſcilicet Hæreticos, Lutheranos & Calviniſtas, non attingimus, quia fusè iſta à Theologis excuſſa. Sed retaliationi ac retorſioni opportunus locus eſt.

VII. *Tranſlationes S Scripturæ hoc Seculo factæ.*

NEmpè hujus Ætatis ſunt, omnium ferè conſenſione,

Tranſlatio Syriaca.

I. Verſio *Syriaca* Novi Teſtamenti, Auctore quidem incerto, (quem *Marcum* Euangeliſtam fuiſſe Syri pro ingenio ſuo tradunt, qui & incerta plurima) ſed tamen, Eruditorum conſenſione, haud longè inferiori Apoſtolicis temporibus. Hæc Verſio è Græco & authentico ſimplex eſt, accurata, in quâ verba verbis quàm fideliſſimè reſpondent, & undè lux ſæpè Interpretibus: Præterquàm quo tempore adornata fuit, Græca exemplaria variarint, & in quibuſdam defuerit Hiſtoria adulteræ *Joh.* VIII. ſic illud de tribus teſtibus, 1 *Joh.* v. 7. quæ noſtro tempore ex Oriente ſupplevit Edw. Pocockius. Ità deſideratæ in eâ Verſione, prout edidit eam primus Albertus Widmanſtadius, A. 1555. interprete Fabric. Boderiano, controverſæ dudum *Epiſt. Catholicæ*, & *Apocalypſis*; ſuppletæ poſtmodùm quoad Epiſt. II *Petri*, II. & III. *Johannis*, & Epiſt. *Judæ*, ex Bibliothecâ Bodleianâ, ab Edw. Pocockio, & quoad Apocalypſim, ex Biblioth. Scaligerianâ, à Lud. de Dieu. Undè quorundam conjectura fuit, ſed vana, ſcriptam eam Verſionem antè Canonem Novi Teſt. abſolutum. Veriùs extitiſſe quidem in Oriente horum Librorum Verſionem Syriacam, quod & teſtatur Widmanſtadius *Præf.* in Epiſt. Canonicas, ſed in Canone Novi Teſt. quo uſæ ſunt Eccleſiæ Syriacæ; & quem communicavit Ignatius Patr. Antiochenus per Moſem Meridinæum, ultrò omiſſas fuiſſe; quod laborarit pridem apud Syros, alioſque in Oriente Chriſtianos, harum Epiſtolar. & Apocalypſeôs fides; uti de hac ſecùs ſenſiſſe Laodicenos *Can.* LIX. & Dionyſium Alexandr. apud Euſebium, L. VII. C. XXV. conſtat.

Latinæ Verſ.

II. Verſio *Latina* Vet. & Novi Teſtamenti, quâ uſi ſunt primitùs in Latinâ & Romanâ Eccleſiâ Occidentales, & quoque ſub finem hujus Ætatis Tertullianus. Undè proximè ab Apoſtolicis temporibus adornatam, in uſum Latinæ Eccleſiæ,

& à Romanis receptam, videtur indubium. Nec unam tamen ſed plures obtinuiſſe docet collatio locorum, apud Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, &c. Adornatæ autem illæ ex Græcâ Verſ. quæ κοινὴ dicta, non ex Hebræo. In his celeberrima quæ *Vetus*, ſeu *Communis*, & *Italica* dicta. Hieronymus autem emendavit hanc primùm ex *Græcâ* Verſione τῶν LXX. & puriori; quamvis novam Pſalmorum, Jobi, & Librorum Salomonis, adornaſſe videatur, ut ex Hieronymo ipſo probarunt Eruditi. Dein etiam ex Hebraicis fontibus, maledicis ut Judæis occurreret, novam aggreſſus eſt Tranſlationem Bibliorum, quum & Verſionis Græcæ τῶν LXX. & Latinæ Veteris, varias corruptelas intelligeret; præter Verſiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quæ ab Apoſtatis, & Semi-Chriſtianis eſſent fabricatæ. At *Novi Teſtam.* Libros recognovit tantum Hieronymus, & emendavit, præcipuè *Evangelia*; undè ipſe in *Catalogo* Script. Eccleſ. *Vet. Teſt. juxta Hebraicum tranſtuli, Novum Græcæ fidei reddidi.* Sed de Hieronymi laboribus aliàs. Italica autem vetus obtinuit in Romanâ Eccleſiâ, diu adhuc poſt Hieronymum, & uſque ad tempora Gregorii I. quando novæ quoque Verſionis uſus eſſe cœpit.

Aquilæ. III. Verſiones *Græcæ* (aliis *Helleniſticæ*) Vet. Teſtam. Hæ rursùs hoc Seculo adornatæ plures: Hujuſmodi ſunt Verſio *Aquilæ* Pontici, vel Sinopitæ, urbe Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum, ex Chriſtiano excommunicato *Judæi* Proſelyti. Malè hic cum *Onkeloſo* Paraphraſtâ confuſus à nonnullis fuit. Hic ad verbum V. Teſt. tranſtulit, ſub *Hadriano* Imperatore, cui etiam affinitatis vinculo junctus fuerit, teſte Epiphanio, in Libro de *Ponder. & Menſ. Num.* XIV. qui Aquilam dicit τοῦ Ἀδελανοῦ πενθερίδην, id eſt, *affinem*, alii *ſocerum*. Quæ nempè à Judæis, pro more conficta ſunt. Sic autem tranſtulit ἀκριβῶς quoad verba Hebraïca, Græcè literaliter reddita, Hieronymo teſte, *Præf.* I. *in Job.* ut ſenſum ſubdolè ſæpiùs depravarit, quò reſpexit Epiphanius, ac de hoc etiam vaticinia aliò torſerit: V. gr. *Pſ.* XXII. 17. ubi pro כארי ὤρυξαν, maluit legere כערו ᾔσχυναν. At verò *corrupiſſe* vel adulteraſſe fraudulentâ manu *Textum* Hebraicum, cumprimis abbreviaſſe rationes temporum, in Genealogiâ Patriarcharum, precariò & nullis documentis noſtrâ Ætate ab Iſaaco Voſſio & aliis aſſertum; nec id tum à Judæis agebatur, ut efficerent nondùm fluxiſſe 4000. annorum ad Chriſtum noſtrum, hinc contraherent ſingulorum Patriarch. annos. Et *Aquilæ* id omnes laudi tribuunt, quod nemo caſtiùs & majori religione adhæſerit Hebraici textûs literæ.

Theodotionis. Hinc illa *Theodotionis* Epheſii, ſub initia *Commodi* Imperat. ex Hæretico Marcionitâ conſimiliter *Judæi* Proſelyti, quo nullus majori fide in tranſlatione verſatus ſit, & ex Hebræo quidem. Hunc ſæpè ſecutus Hieronymus, in emendatione τῶν LXX. cum quâ maximè concordaret, ut patuit ex *Hexaplis* & *Tetraplis* Origenis, in quibus Verſio Theodotionis ad latus illius τῶν LXX. poſita fuit. Danielem certè ex hujus Verſione legebat Eccleſia, ut idem *Præf.* in Dan. Non tamen vertiſſe ubique ſecundùm literam, ſed ſecundùm quem ipſe putavit ſenſum, docet v. gr. illud *Gen.* IV. וישע יהוה אל הבל καὶ ἐπεῖδεν ὁ Θεὸς ἐπὶ Ἄβελ, quod Theodotion, in fragmentis ex eâ Verſione reliquis, vertit, καὶ ἐνεπύρισεν ὁ Θεὸς τὴν θυσίαν, *& inflammavit Deus Sacrificium Abelis*, igne cœlitus miſſo, quo ipſo gratum & acceptum ſibi eſſe teſtatus eſt; undè Paulus *Hebr.* XI. 4. μαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ.

Symmachi. Tertia *Symmachi* genere Samaritani, hinc ſecundùm Epiphanium *Libro cit. Judæi* Proſelyti, ſecundùm Hieronymum ex Judæo *Hæretici* Ebionitæ, Verſionem hic pariter ex Hebræo concinnavit, iterato etiam labore: Dubium an antè Theodotionem, ſub Lucio Vero, an demùm poſteà ſub Severo, ut diſertè Epiphanius. Ac *ſenſûs* magis quàm *verborum* aut literæ habuiſſe rationem videtur, ex iis quæ ſuperſunt Fragmentis, & ex teſtimonio Hieronymi, Præf. in *Job.* Aquilam *verbum è verbo*, Symmachum *ſenſum è ſenſu* expreſſiſſe, nimirum pro ingenio hominis Judaizantis. Theodotionem mediam quandam viam iniviſſe, & interpretationis genus adhibuiſſe *ex utroque commixtum*, idem Hieronymus.

Quo autem fine hi Viri, Chriſtianis adverſi, aggreſſi ſint Interpretationem Bibliorum, ex dictis *Patribus* liquet, & docet res ipſa. Nempè ut Chriſtianorum Verſiones elevarent, receptæ τῶν LXX. auctoritatem minuerent, quâ Chriſtiani utebantur, ac dicta plurima, ad *Chriſtum* in Novo Teſt. relata, aliò contorquerent.

Acceſſerunt poſteà Verſio *Hierichuntina*, & *Nicopolitana*, ſeu ibi repertæ, Hierichunte, & Nicopoli ad Actium, ſeu ibidem ſcriptæ. Quanquam prius dicit Epiphanius, *Libro* de Ponder. & Menſuris, & quidem repertas ἐν πίθοις vulgò in *doliis*, (niſi ſit ἐν Πύθοις, *Pythis* nomen loci, quod voluit Auctor *Synopſeôs* tributæ Athanaſio, potiùs Πυθίῳ, de quo Stephanus) ſequenti demùm Seculo; undè ab Origene in lucem productæ, in *Octaplis* ſuis: Prior ſub Baſſiano Caracallâ, poſterior ſub Alex. Severo. De quibus adi Huëtium, de Claris Interpret. Waltonum, Morinum, alios. Dictæ ſunt *Quinta* & *Sexta* Verſio, nempè quæ collatæ & additæ ſuis Hexaplis ab Origene: Seu jam Judæis, ſeu potiùs Chriſtianis Auctoribus.

VIII. *Perſecutiones excitatæ hoc Seculo in Chriſtianos.*

I. HArum *Cauſæ* eædem ferè quæ ad I. Seculum obſervatæ. In quibus primum quidem locum habuerunt, *Calumniæ* quibus gravabantur Chriſtiani atrociſſimæ illæ, v. gr. Atheiſmi, ſpretæ Majeſtatis, ἑταιρείων *Sodalitiorum*, odii in Rempubl. anthropophagiæ, commixtionum Οἰδιποδείων. Refutarunt Juſtinus, Athenagoras, Theophilus Antioch. Tertullianus, Minucius Felix, Origenes, dein Arnobius, Lactantius, ac in Gentiles potiori jure retorſerunt. Calumniæ in Chriſtianos.

Nempè calumnia *Atheiſmi* hinc nata, quod *Gentilium* Deos reſpuerent Chriſtiani univerſos, Deaſque ſine fine, quorum pudenda Numinum retegebant. Hinc ſpreti vel everſi Deorum cultûs, ac ceſſantium paſſim ut Oraculorum, ſic Sacrificiorum, reos peragebant Chriſtianos: Quibus ſcil. nullæ Aræ, nulla Templa, Delubra, Simulacra, Sacrificia, Ceremoniæ; imò qui *Deos deſpuerent, riderent Sacra, Templa & buſta diſpicerent*, &c. apud Minucium. Undè Plinius ad Trajanum jam *cœpiſſe*, poſt perſecutionem ab eo excitatam, *deſolata Templa celebrari, & Sacra ſolemnia diu intermiſſa repeti, paſſim venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inveniebatur.* Accuſationi *Spretæ Majeſtatis* locum fecit, quod Cæſari appellationes eas recuſarent quas communiter dabat Idololatrica & adulatrix Roma: Ut quando Cæſarem vocarunt *Jovem* (φίλιος Ζεὺς Τραιανὸς, Ἀδριανὸς Ὀλύμπιος, Κόμμοδος Ὀλύμπιος, &c.) vel θεὸν αὐτοκράτορα, qualiter dici voluerat Caligula; aut σωτῆρα, qualiter Hadrianus ab Athenienſ. Sic frequenter *Deum, Deum & Dominum, Deum Dei Filium, Dominum noſtrum*, ut videre eſt in Nummorum Inſcriptionibus, etiam illis Auguſtarum, ut Θεὰ Σεβάςη, Θεὰ Φαυςίνα, &c. Sic nolebant dicere, *Domine Cæſar*, exemplo Polycarpi, aut jurare per Ge- Origo earundem. Undè Atheiſmi & impietatis criminatio?

Digitized by Google

Genium, vel per *Fortunam* Cæſaris, id eſt, per Deos Cuſtodes, inter quos τύχην *Fortunam* repoſuêre, communiter depictam cum Cornucopiæ & Gubernaculo vel temone, quaſi ab eâ penderent opes, abundantia, regimen rerum humanarum: Sic *Sacrificare* in honorem Cæſaris, vel *thura* adolere, aut *thure & vino ſupplicare*, recuſabant, aut *Conſecrationibus* eorum intereſſe, ἀποθεώσεσι, quum illis Aræ, Templa, Lectiſternia ponerentur, quum in *Divorum* ac *Divarum* numerum referrentur, & donarentur *Æternitate*; unde illud, ÆTERNITATI AUGUSTI, AUGUSTÆ, &c. Parati quanquàm Chriſtiani pro ſalute Principis *Vota* ad Deum Opt. Max. fundere, etiam per *ſalutem* illius *jurare*, ex Tertulliani Apologetico, C. XXXII. & ex hiſtoriâ necis Polycarpi, apud Euſebium, *Hiſt*. L. IV. C. XV.

Criminationes aliæ undè natæ?

Criminationibus Gentilium reliquis, ut ἑταιρειῶν, *Conſpirationum*, *Odii* in Rempubl. apud eoſdem occaſionem dedêre Cœtus *nocturni* & antelucani; etiam doctrina de Chriſti *Regno*, quod temporale intelligi ſuſpicabantur Gentiles: Sic, *Eucharistica* Chriſtianorum ſacra, quibus *carnem* Chriſti manducarent, & *ſanguinem* biberent, quod ſuo modo Gentiles intellexêre; adhæc quibus ſe *ſacramento* obſtringerent ad ſervandam Chriſto fidem, & præceptis ejus obedientiam, Plinio Sec. hoc æquius ad Trajanum Imp. interpretato. Sic aucta ſuſpicio, quod *Ludis*, Spectaculis, Sacrificiis, Votis Gentilium, pro Salute Publicâ, intereſſe detrectarent. Ità accuſati *Cœnarum Thyeſtæarum*, *Infanticidii*, *Inceſtuum*, *Promiſcuæ veneris*, & ſi quod ſcelus aliud nefandum fuerit, ex *nocturnis* iiſdem conventibus, in quibus *piaculo fœderarentur*, & impudentibus tenebris infandos cupiditatis nexus involverent. Idem ex *Agapis* & promiſcuis conviviis, dum (ajebant) *inceſtæ libidini ebrietatis fervor exarſit*; Ex *oſculo* pacis, fraternitatis, quo ſe invicem exciperent: Ex *Fratrum* & *Sororum* promiſcuis nominibus, quibus ſe etiam mariti & uxoris appellarent: Ex ritu in *Exomologeſi* Pœnitentiali, quo Presbyteris advolvebantur, genua eorum amplexi, unde calumnia, *Colere genitalia Sacerdotis*, & *quaſi parentis ſui adorare naturam*, apud Minucium Felicem: Tandem ex *Gnoſticorum* impuriſſimâ doctrinâ, & flagitioſis inſtitutis, magicis præſtigiis, philtris, aliiſque, quæ prolixè refert cumprimis Epiphanius, in Carpocratianis, Marcoſianis, Ophianis, Gnoſticis, &c. Quæ ſanè diu Gentiles latere non potuerunt, & quæ ad infamiam totius Chriſtiani nominis inter eos diffuſa fuêre, ea veris Chriſtianis per calumniam impacta. Imò etiam talia in eos extorta, vi tormentorum, à viliſſimis ſervis, mancipiis (pro more Romanorum) qui naturâ oſores Dominorum erant, ex Euſebio Hiſt. *Lib*. IV. C. VII. XI. *Lib*. V. C. I. Nedicam Irenæum adverſ. Hæreſ. Tertullianum, in Apologet. & ad Nationes, aut Minucium in Octavio, Origenem contrà Celſum *Lib*. III. VI. VII. oſtenſuros nihil ſibi rei eſſe cum Pſeudo-Chriſtianis & Impoſtoribus. Quomodo expreſſiſſe Gnoſticos Deum Sabaoth, illos quidem *aſini*, hos *porci* figurâ, refert Epiphanius, *Hær*. XXVI. N. X. undè calumnia nata, Chriſtianos *turpiſſimæ pecudis caput Aſini conſecratum venerari*, ut Cæcilius in Octavio. Licet ipſiſſimum hoc cavillum Apion Alexandr. pridem in Judæos intorſiſſet, *eos Aſini caput*, in Sacrario collocatum, & aureum quidem, *colere religioſè* ſolitos, ſed ablatum inter Templi ſpolia ab Antiocho Epiphane, apud Joſephum, C. *Apion*. L. II. Ac pari errore traducebant Gentiles adorationem Chriſti *Crucifixi*, tanquàm flagitioſiſſimi hominis; aut quaſi ipſam *Crucem adorarent*, *Ecce vobis non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces*, &c. ut Cæcilius apud Minucium; cui reſpondit Octavius, *Cruces nec colimus, nec optamus*. Unde Chriſtianos vocarunt *Crucicolas*. Ita ſi quæ eſſent publicæ *Calamitates*, ſi fames, peſtes, bella, incendia, terræ motus, eluviones aquarum, ſiccitates Cœlo ſtante, &c. horum cauſæ Chriſtiani eſſe dicebantur; hinc odia & furores populorum, clamantium, *Chriſtianos ad beſtias, ad leones*, ad rogum; ut hæc pluribus Tertullianus in Apolog. C. XL. & ad Nationes, *Lib*. I. C. IX. dein Origenes contrà Celſum, Arnobius initio Libri V. adverſùs Gentes, Lactantius, Euſebius, Cyrillus contrà Julian. Auguſtinus de Civit. Dei, &c. Tandem in calumniæ ac cavillorum materiam verterunt *Confeſſorum* ac *Martyrum* conſtantiam, quam ut temeritatem, pertinaciam, deſperationem, maniam, ſuperſtitionem pravam, immodicam, & ſi quibus vocibus aliis, traduxerunt. Acceſſerant cauſæ Perſecutionum aliæ: Quarum una fuit lex *Romanorum*, ne quicquam innovaretur in religione, & antè omnia religiones Deorum eſſent inviolatæ. Tum *ſuperſtitio* Principum, qui aliàs in bonis & laudatis eminuêre, ſed qui faſcinati τῇ πολυθέῳ πλάνῃ, quicquid eveniret iis fortunati, ſic quod Imperium adepti, quod de hoſte Victores, &c. adſcribere pietati in Deos ſuos, cumprimis Trajanus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius. Tandem, creſcens in dies Chriſtianorum *multitudo*, adeò ut Pagani ſibi ſuiſque Sacris metuerent, dum *per univerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcerent*, ut querebatur Cæcilius. Vide & *Epiſt*. Plinii ad Trajanum, de multitudine conqueſtam, ſcil. contagium ſuperſtitionis *non Civitates tantum, ſed vicos, & agros pervagatum eſſe*.

II. His de cauſis excitatæ ſunt, etiam ab optimis cætera ac moderatiſſimis Principibus, atroces in Chriſtianos perſecutiones, quarum ſeriem Tabulæ Eccleſiaſticæ hanc repræſentant. Tertia Perſecutio ſub Trajano.

Lactantius quidem, Libro de mortibus Perſecutor. à *Domitiano* ad *Decium* nullam perſecutionem ponit, quum Eccleſia *non modò in ſtatum priſtinum reſtituta eſt, ſed etiam multò clariùs ac floridiùs enituit*. Ut quæ memorantur Perſecutiones intermediæ, partim nullo Principum Edicto videantur primùm motæ, partim μερικαὶ & particulares hinc indè in Provinciis fuiſſe, *Judæis* frigidam ſæpè ſuffundentibus, ubi ipſi magno numero verſarentur, uti in Syriâ, Ægypto, Aſiâ. Quicquid ſit, *tertia* Perſecutio (de quâ tacent Melito Sardenſis Apol. ad Antoninum, Tertullianus in Apolog. Lactantius loco citato) contigiſſe fertur ſub Ulpio *Trajano* Imperatore, optimo alias ſed ſuperſtitioſo Principe, undè *Optimi* cognomentum, Trajano *nemo melior*, & ſymbolum ejuſdem, *qualis Rex, talis Grex*. Ac diuturna illa quidem fuit, non tamen ab Imperii primordiis, ad ejus ferè extrema, & annum Chriſti Vulg. CXVII. quod Baronius ſtatuit, ut fabuloſis Martyribus innumeris locus eſſe poſſit. Alii poſt Euſebium in *Chronico*, ponunt initium Perſecutionis in Anno Trajani X. Chriſti Vulg. CVII. Quo tempore paſſus fuerit *Ignatius* Antiochenus, & *Simeon Cleopæ*, Quo annò Trajani. quando *Decennalia* Imperii ejus Proconſul. celebrata, Conſulatu *Senecionis* & *L. Suræ*, & ità quoque Uſſerius Armach. *Notis* in *Acta* ſeu Martyrium Ignatii, p. 36. Sed omninò horum Martyrium non contigiſſe antè annum Chriſti CXIII. vel ſeriùs, poſt non modò Dacicum bellum à Trajano confectum, ſed & poſtquam profectus eſt in Orientem, adverſùs Parthos, Antiochiam tranſiturus, ubi præſens audivit Ignatium. Reverendiſſ. Lloydius, in his literis ſummus, *Epiſt*. ad Pagium, quam hic inſeruit *Criticæ* ſuæ Anti-Baronianæ, adſtipulante Pagio, cenſet factum quando annus Ch. XVI. Trajani XIX. labebatur, poſt gravem terræmotum, hinc ſecuta mala quæ *Chriſtianis*, & *Judæis* paſſim rebellantibus, ſimul imputabantur, (ut promiſcuè eos ferè habuerunt) quæ occaſio Perſecutionum fuêre.

Digitized by Google

re. Sed Terræmotus Antiochiam afflixit Trajani A. XVIII. *Olymp.* CCXXIII. Pedone Conſule, ut Dio in Xiphilini Excerpt. p. 781. id eſt, A. Ch. CXV. Tillemontius eam profectionem Trajani in Orientem, accidiſſe anno Æræ Chriſt. CVI. idque ex Actis Ignatii Mart. & ex Joh. Malelâ Antioch. & Euſebio; qui ſanè in Chronico ad v. Trajani coacervat victorias, ſequentibus demùm annis reportatas. Igitur tutiſſimè æſtimari poteſt cœpta Trajani perſecutio, ex Plinii Epiſt. ad Imperatorem datâ, quo tempore Bithyniam regeret, quæ eſt XCVII. *Lib.* X. Indè conſtat Plinium, primò ἑταιρείας *eſſe vetuiſſe*, ſecundùm Trajani Edictum, ſeu clandeſtinos conventus, collegia, ſodalitia. Quâ occaſione Præſidibus Provinciarum, & ipſi Plinio Proconſuli Bithyniæ, cauſa ſæviendi in Chriſtianos, agentes nocturnos Conventus, more ſolito, & ad ſe delatos. Quorum qui confitebantur ſe Chriſtianos, & conſtantes, ad ſupplicium *ducti ſunt*, qui autem ex iis *cives Romani*, in Urbem miſſi. Sed ex eadem Epiſt. conſtat, eundem Plinium *multitudine eorum territum*, ſimul & conſtantiâ, quam *inflexibilem obſtinationem* dicit, quæſiviſſe ex Trajano quid facto opus eſſet? Ad quod extat Reſcriptum Imperat. ſeq. *Epiſt.* XCVIII. *Conquirendos non eſſe, ſi deferantur & arguantur, puniendos.* De tempore ſcriptæ Epiſtolæ peſſimè (ut ſolet) Baronius, qui ſtatuit A. Ch. CIV. (id eſt, CII.) Trajani v. Poſtquam ſtatim à geſto Conſulatu adiiſſet Provinciam Bithyniæ, A. Chr. CIII. juxtà Baronium, id eſt, CI. ſecundùm Æram Dionyſ. Idacius in Faſtis, Marianus Scotus in Chron. ſcripſiſſe hanc de cauſâ Chriſtianorum Epiſtolam Plinium, A. Æræ Chr. CX. vel CXII. Conſulatu Trajani & Africani, quo anno Perſecutio in Chriſtian. mota, occaſione *Quindecennalium* Trajani *Auguſti*, quæ eo anno celebrata. Alii anno præcedente factum, & ſcriptam Epiſtolam Plinii A. Chriſti CXI. quando *Quindecennalia* fuêre, ab Imperio Trajani *Proconſulari.* Ita adierit Provinciam Plinius, & Bithyniam intraverit A. Chr. CX. XV. *Kal. Octobr.* quo tempore certum eſt Trajanum, ad quem Plinius, Romæ hæſiſſe, antè inchoatum in Oriente bellum; & ſolebant Perſecutiones dari Populorum clamoribus, ſolemnibus hujuſmodi Ludis, quando Vota pro ſalute Principum fundebant, Quinquennalibus, Decennal. Quindecennal. Imperatorum, ut infrà in Hadriano, Antonino Pio, Marco, &c. Qui volunt ſtatim à *Conſulatu* adiiſſe Provinciam Plinium, cenſuêre adiiſſe ut Proconſulem; quam adiit ut *Legatus Auguſti*, vel *Propratore*, Conſulari poteſtate, fuit enim Prov. Cæſaris; quâ de re Noriſius, Pagius, recentiores alii. In *Ponto* autem & *Bithyniâ*, innumeri agebant Chriſtiani, undè ad eos *primam* ſuam ſcripſit Epiſtolam Petrus. Eodem porrò tempore quo Plinius in *Bithyniâ*, etiam Arium Antoninum perſecutum eſſe in *Aſiâ*, (de quo Tertullianus *ad Scap.*) avum ſcil. maternum Antonini Pii, ad quem extant Plinii *Epiſt.* cenſent Viri Docti, & inter hos Cl. Dodwellus *Diſſert. Cypr.* XI. §. XXVII.

Plin. quando ſcripſit Epiſt. de Chriſt.

Mitigatio autem facta eſt, poſtquàm, in tantâ Chriſtianorum qui deferrentur multitudine, Plinius Junior eâ perturbatus, ac cauſâ eorum penitiùs exploratâ, in favorem Chriſtianorum reſcripſit ad Trajanum, in dictâ *Epiſt.* cujus & meminit Tertullianus, *Apolog.* C. II. dein Euſebius, Hieronymus. Undè monitus Imperator nihil adeò eſſe in illis facinoroſi, neci etiam ultrò ſeſe offerentibus, primò vetuit *inquiri*, at *puniri* permiſit ſi deferrentur. Sed quum deferri & accuſari non deſinerent, *libellis* propoſitis, hinc & vetuit *puniri*; indè voces Tertulliani, *O ſententiam neceſſitate confuſam! parcit & ſævit, diſſimulat & animadvertit.* Factum itaque tandem, ut etiam deferri punirique prohiberentur, niſi facinorum convicti, ſeu *à cædibus Chriſtianorum abſtinerent*, interdicto ad Præſides Provinciarum miſſo: Idque acceptis *Tiberiani*, qui *primæ Palæſtinæ* præerat, literis ad Trajanum, de quibus Suidas, in voce Τραιανός. Quam Epiſt. ex Joh. Malelâ Antiocheno retulit primus Uſſerius, in *Acta* Ignat. p. 55. ſed excuſam deinceps, cum Chronographiâ Malelæ, p. 356. Sed laborat apud alios hujus Epiſtolæ fides, vel relatione Joh. Antiocheni, ſcriptoris mendaciſſimi: Cujus nec meminit Euſebius, Palæſtinus ipſe; uti nec in Trajani tempora quadrat ea diſtributio Palæſtinæ in *primam* & *ſecundam*, de quâ in Geograph. Adde inſcriptionem Epiſt. Tiberiani, θειοτάτῳ Τραιανῷ Diviniſſimo Trajano, qualis nuſquam in Inſcriptionib. aut Nummis; nequidem *Divo Trajano*, niſi poſt Conſecrationem, ut in Nummis Hadriani, Plotinæ; quando *Divi* Θεοὶ, & *Divæ*, dicebantur Auguſti & Auguſtæ conſecratæ. Sic Titulus in eadem Epiſt. νικητῇ, & τροπαιούχῳ, qui inſuetus tum Romanis; quum à Gentibus devictis, dicendus Trajanus fuerit *Germanicus*, *Dacicus*, *Parthicus*, uti communiter *Optimus*, ex S. C.

Effectus Perſecutionis, fuêre martyria bene multa, dùm ſævitum promiſcuè in omnem ætatem, ordinem, ſexum; quamvis de *ætate* dubitaſſe ſeſe ſcripſerit Plinius, illi-ne *parceret*? Sed de Martyribus ſub Trajano feruntur fabuloſiſſima plurima, ex Pſeudo-Actis, & Scriptoribus recentioris Ævi, de quibus poſteà.

III. *Quarta* Perſec. mota ſub *Hadriano* Cæſare, juxtà Sulpicium Sever. ſed quæ veriùs *tertia* appendix Euſebio, Hieronymo, Auguſtino, Oroſio, & aliis cenſetur. Tacent hanc quoque Perſecutionem Lactantius, Lib. de Mortibus Perſec. & antè eum Tertullianus, & Melito Sardenſis apud Euſebium *Lib.* IV. C. XXVI. Undè nec ita cruenta fuiſſe videtur, nec ullo Edicto Principis, de quo tacent Veteres, ſed potius clamoribus Populorum, & Præſidum indulgentiâ, excitata. Nam de Hadriano Lampridius, in Alexandro Severo; *Quod & Hadrianus cogitaſſe fertur*, ſcil. Chriſtum inter Deos recipere, *qui Templa in omnibus Civitatibus ſine ſimulachris juſſerat fieri*; quod tamen falſi arguit Caſaubonus ex ſilentio Juſtini Mart. Athenagoræ, Tertulliani, & Templa illa ab Hadriano *ſuo nomine* conſecranda fuiſſe arbitratur. *Cauſæ* verò eædem cum prioribus, eademque ſuperſtitio *Populorum*, Præſidum; præter turpiſſima illa Gnoſticorum Sacra, quæ Chriſtianis tributa, nomine Cœnarum Thyeſtæarum, & commixtionum Οἰδιποδείων. Acceſſit odium in Judæos ſub Hadriano, qui paſſim cum Chriſtianis confundebantur. Princeps aliàs cujus familiare dictum, *Non mihi ſed Populo*, *ſalus Populi prima lex eſto*; qui ingenio, doctrinâ, patientiâ laborum, ac in ſpeciem juſtitiæ cultu, eximius; ſub quo Celſus, Julianus, Domit. Labbeo, J. Conſulti celebres, ſed infenſi Chriſtianis.

Perſecut. ſub Hadriano.

Ac *tempus* cœptæ vel continuatæ Perſecutionis, idem ferè cum exordio Imperii, ſaltem anno ejus II. Quo circiter tempore Carpocratis, & aliorum Gnoſticorum, obſcœna & nefanda myſteria innoteſcere cœperunt.

Modus paſſim crudelis cumprimis & atrox; hinc & Martyrum myriades cujuſcunque dignitatis & ſexûs, ac ſuppliciorum inaudita, referuntur, ſi fides Martyrologiis, & Actis apud Surium, Baronium ad A. CXXII. &c.

Ità *loca* Perſecutionis feruntur Romæ, Mediolani, in Illyrico, Græciâ, Aſiâ, Syriâ, Africâ, &c. Sed parùm tuta fides dictis *Actis* Martyrum, ac eorum collectoribus, & *Reliquiis* quas multis poſt Seculis eruit ſuperſtitio ex Catacumbis, Cœmeteriis, Cryptis, de quibus adhuc poſteà. Ità fallitur Annalium Scriptor, ad A. CXXIII. N. IV. qui ea quæ de *Ario Antonino*, Aſiam gubernante refert Tertullia-

lianus Libro ad *Scapul.* deque Chriſtianis qui ſe totis agminibus ad Martyrium offerrent, ad quos attonitus Antoninus, *O miſeri, ſi mori cupitis, præcipitia habetis & reſtes*, interpretatur de *Antonino Pio* qui ſub Hadriano Proconſulatum Aſiæ geſſit, poſteà Imperator: Quum tres *Arii Antonini* Aſiæ Proconſules legantur, unus ſub Trajano avus Imperatoris; alter ſub Hadriano, qui deinceps Antoninus Pius Imp. & tertius ſub Commodo, qui fictis à Cleandro criminibus occiſus eſt, apud Lampridium in *Commodo*; cur de Antonino Pio hæc dicta voluerit Tertullianus, & cur eum *Arium* Antoninum (*obſoleto nomine* inquit Caſaubonus) potius quàm *Pium* dixiſſet?

Duravit ea Perſecutio ad plures annos, donec circa Hadrianici Imperii annum x. quando *Decennalia* Auguſti celebrata, & Indulgentiæ criminum concedi ſolitæ eſſent, mitigaretur in Chriſtianos Princeps, edito ad *Minucium Fundanum*, Aſiæ Proconſulem, hunc in finem Reſcripto: Cujus ſumma, *ne quis poſthac Chriſtianus*, ad ſolas *petitiones Provincialium*, & *ſolos clamores*, inauditâ cauſâ pro Tribunali, *condemnaretur*, *calumniandi occaſione* ſic datâ delatoribus: *Punirentur* verò ſi probatum eſſet *contrà Leges quicquam egiſſe*. Quod Reſcriptum Juſtinus Martyr Apologiæ ſuæ ſecundæ attexuit, & Latinè quidem, ac (Scaligero arbitrante) Græcè verſum fuit ab Euſebio, *Hiſt.* L. IV. C. IX. Meminit & hujus Reſcripti Melito Sardenſis in Libello ad Antoninum Verum, apud Euſebium L. IV. C. XXVI.

Remiſſio, & cauſa. *Occaſio* itaque remittentis in Chriſtianos ſævitiæ fuit, 1. Scriptum ſeu Epiſtola *Sereni Granii* vel *Graniani*, Aſiæ ἡγεμένε *Præſidis*, ad Imperatorem, in favorem innocentium Chriſtianorum, apud Euſeb. *Lib.* IV. C. VIII. *Iniquum videri Chriſtianos nullo objecto crimine, ad tumultuoſos vulgi clamores, indictâ causâ*, (ἄνευ ἐγκλήματος καὶ λόγε κατηγορίας) *occidi*, ſcilicet *nominis* tantùm & *ſectæ reos*. Et hujus ſucceſſor fuit iſte *Minucius Fundanus*, ad quem reſcripſit Hadrianus. 2. *Apologiæ* pro Chriſtianis *Quadrati*, & *Ariſtidis*, de quibus Euſebius L. IV. C. III. Athenienſis Eccleſiæ Doctorum, & ſcripto & coràm, captatâ occaſione, ex molitionibus adversùs Chriſtianos πονηρῶν ἀνδρῶν, cùm Imperator Athenis ageret, Anno Ch. CXXV. Imperii Hadrianei IX. inviſurus Eleuſinam, ut omnibus penè Græciæ ſacris erat initiatus. Ita quidem Hieronymus hanc perſequendi occaſionem refert, *Catal.* in Quadrat. cui ſedandæ hæ natæ ſunt Apologiæ. Alii in ſequentem annum referunt, & Euſeb. in *Chron.* occaſione Decennalium Hadriani. Undè *inquiri* rursùs vetuit Princeps, ad deceſſoris exemplum, etiam *puniri*, niſi reos facinorum, aut conſpirationis in Rempubl. Hæc ex Juſtino, Spartiano, Euſebio, omnium inſtar. Fallit Baronius, ad An. CXX. N. III. dùm probare nititur perſequendi ſtudium in Hadriano, hinc continuata in Chriſtianos ſupplicia, ex ejus literis datis paſſim ad *Civitates*, *quod ſibi Chriſtiani non placerent*, hinc cauſæ ſatis fuiſſe, ad *vindictam* in eos excitandam. Nec enim *Dio Caſſius*, ex quo rem narrat, de ſectâ Chriſtianorum agit, quaſi univerſim ſibi exoſâ, ſed de privatis *qui eum aliquando offendiſſent*; ad quorum vindictam ſatis eſſe putabat, *ſi de iis in patriam eorum ſcriberet*, *illos ſibi nequaquam placere*. Quo ipſo probat Hiſtoricus, Hadrianum *ad cædes proclivem non fuiſſe*, *Lib.* LXIX. planè ſub finem. Tantum abeſt, ut hæc ſententia fuerit, in omnes Chriſtianos, ubicunque eſſent, ſævirent Civitates ſine modo, & fine, & hos eſſe qui *ſibi non placerent*. Sed familiare id Baronio, in ſuam hypotheſim torquere dicta, factave à re, de quâ agitur, alieniſſima. Undè Xiphilinus in Dione Caſſio, *Libro* LXX. meminit τιμῆς ἣν ἐκεῖνος ἐτίμα Χριστιανὸς, uſque adeò ut *jurasſet Herculem ſe in eos eſſe animadverſurum*, *qui Chriſtianos affligerent*, τοῖς λυπεσι τι ἢ κατηγορεσι τῶ Χριστιανῶν δεινὰ ἀπειλῶν, &c. in Epiſt. ad Aſiæ Proconſulem, de quâ Euſebius *Lib.* IV. C. IX. & ad calcem Apol. II. Juſtini Martyris. Quod verò interpretantur Sulpicius Severus, Oroſius, & alii, factum ab Hadriano eſſe ut *Chriſtianam fidem perimeret*, *loci injuriâ*, quod ſub Imperii finem *Templum Jovi* conſecraverit, & *Veneri* ſtatuam conſtituerit in *loco Dominicæ Paſſionis*, nec de Hadriano dixerat Euſebius, de Vitâ Conſt. M. *Lib.* III. C. XXVI. nec veriſimile factum animo perſequendi Chriſtianos; quin in *Judæorum* contumeliam potiùs, uti & *ſuis* illâ effigies ſuprà portam Bethleemiticam collocata, de quâ poſteà.

Quod verò auctor eſt *Lampridius* in Alex. Severo, de Hadriano Cæſare, intendiſſe hunc quoquè Principem *Chriſto* Templum conſecrare, nihil mirum videri poſſet; qui *Antinoum* ſuum, in Nilo demerſum, conſecrari à Græcis voluit, inter *Divos* & *Aſtra* relatum, illique Templa, Altaria, Ludos, Statuas, Urbem etiam cognominem, erigi.

Atque etiam ſub Hadriano ſæviit in *Chriſtianos* impoſtor *Barchocab*, ad ſupplicia paſſim raptatos, ni Chriſtum abnegarent; ut Juſtinus M. Apologiâ ad Antoninum Pium, donec ipſe ille Barchochab crimen expiaret. De quo poſteà.

IV. *Quinta* Perſecutio juxtà Sulpicium Sever. aliis demùm *quarta*, cœpit ſub *Antonino Pio*, qui anteà dictus T. Aurelius Fulvius à Patre & Avo, & Antoninus ab Avo materno à quo adoptatus, idem Proconſul Aſiæ ſub Hadriano. Imperator notus *Pii* cognomento, qui & Εὐσεβὴς, & Πεῖος quoque Græcis, ut Μάγνος, Αὔγεστος, Ιεστος, Ιενίωρ, &c. *Pii* cognomentum habuit, à Senatu, non ſolùm ob religionem in Deos, ſed & ob clementiam, æquitatem, amorem in Senatum, P. Q. R. Et ſi Sulpicio credimus, *ſub eo pax Eccleſiis fuit*; & Dio apud Xiphilinum, *Lib.* LXX. Antoninum ἔτε τῶ ἄλλων ὑπηκόων τισὶ βαρὺν, ἔτε Χριστιανοῖς ἐπαχθῆ, ἀλλὰ πολλήν τινα τέτοις νέμειν αἰδῶ, *neque cæteris ſubditis gravem*, *neque Chriſtianis infenſum fuiſſe*, *quin imò vehementer obſervaſſe*. Ita Lactantius de Mortibus Perſecut. *Eccleſiam*, ſub bonis Principibus, qui Imperii clavum tenuerunt, *nullos inimicorum impetus paſſam*. Quod confirmat Euſebius *Lib.* VIII. Hiſt. Eccleſ. C. I. ubi laudat τῶ κρατέντων *imperantium benignitatem* ergà *noſtros*. Interim ſub hoc Imperatore varios paſſos fuiſſe Martyres, cùm in Aſiâ, Syriâ Græciâ, tùm in Urbe Româ ſub Præfecto Urbis, memorat Juſtinus in utraque *Apologiâ*: Et patet etiam ex Antonini Reſcripto πρὸς τὸ Κοινὸν τῆς Ἀσίας, & ex Luciano de Morte Peregrini, qui Chriſtianos Aſianos dicit vehementer perculſos ob *vincula Peregrini*, inter Chriſtianorum primipilos habiti, ſic ille.

Quinta Perſ. ſub Antonino P. M. Aurelio, Lucio Vero.

Ac continuata hæc cumprimis Perſecutio fuit ſub *M. Aurelio Antonino Philoſopho*, & *Lucio Vero* Fratribus, poſt annum Chriſti CLX. & mortem Antonini Pii. Hinc *Pii* illa à pleriſque præteritur, in cujus Principis gratiam hæc obſervanda: Primò, nullo videri hujus Imperatoris Edicto, à *perdendis* etiam *Hoſtibus* alieniſſimi, continuatam fuiſſe perſecutionem, cumprimis in *Aſiâ*, prout hæc ex Apologiâ Juſtini M. ad Antoninum Pium, & ex Martyrologiis, intelligitur. Certè non conſciis ſemper Principibus factum eſt, quicquid fuſum Chriſtiani ſanguinis per Præſides Provinciarum, & furores Populorum, ut ex ſuperioribus liquet. Alterum eſt, publico Edicto inhibuiſſe τῷ Κοινῷ τῆς Ἀσίας (ſcil. Συνεδρίῳ, Concilio Aſianorum) *Antoninum Pium*, poſt viſas Juſtini Apologias, Chriſtianos ne perſequerentur; quos & laudat à fiduciâ in Deum, (διὰ παρρησιαςοτέρες πρὸς τὸν Θεὸν) ac contemptu mortis, eligentibus τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζῆν, ὑπὲρ τῦ οἰκείε Θεῦ; Additâ ſanctione, ut puniantur *delatores* vel accuſa-

ſatores, apud Euſebium, *Hiſt.* L. IV. C. XIII. ὁ δὲ καταφέρων ἔνοχος ἔςαι δίκης. Scio hoc Reſcriptum non Antonino Pio, ut vult Euſebius, & in recentioribus Halloixius in Vitam *Juſtini Mart.* C. v. ſed *Marco Aurelio* tribui, tùm in *Inſcriptione*, tum ab auctore Chronici Alexandr. & Euſebium *erroris* coargui, ab ipſo Valeſio. Quod ſi Marci Aurelii fuit, (quidam utriuſque eſſe potuiſſe, alii interpolatum, aut ad mentem Chriſtianor. conceptum) id tamen certum ab Antonino Pio Reſcripta alia in favorem Chriſtianorum emanaſſe, qualia recenſet Melito Aſianus apud Euſebium *Lib.* IV. C. XXVI. nempè ad *Lariſſæos*, ad *Theſſalonicenſes*, ad *Athenienſes*, & ad *omnes Græcos*, undè Perſecutio Helladem vexaſſe intelligitur.

Apolog. Juſt. quæ I. quæ II.

Certè ſtatim initio Imperii, ut cenſent quoque Scaliger, Petavius, Anno Chriſti CXL. vel CXLII. ut Euſ. in *Chron.* (alii CXXXIX. de quo Pagius ad A. Ch. CXLVIII.) Apologiam *primam* illi obtulit Juſtinus Martyr, inſcriptam *Antonino Pio & Liberis* adoptivis: Quæ licet *ſecunda* vulgò appelletur, omnium conſenſione prima fuit, & patet ex Euſebio, *Lib.* IV. C. XII. XVIII. à *ſecundâ* diſertè diſtinguente. Quæ poſtrema fuit oblata Antonino Vero, & Senatui Rom. quâ in *Creſcentem* Philoſophum invehitur, ut idem Euſebius L. IV. C. XVI. & quod in eâ *Apologiâ*, quæ vulgò *prima* inſcribitur ad *Senatum Romanum*, habetur p. 46. iiſdem verbis extat apud Euſebium *l. cit.* Quanquam Scaliger & alii, II. Libellum Apologeticum nuſquam hodiè extare arbitrati ſint, fortè ſuppreſſum à Gentilibus, & quod non parem habuiſſet ſucceſſum cum priore Apologiâ. Sed rectè diſtingui utramque Apologiam in operibus Juſtini, viderunt alii, & Scaligerum coarguit Valeſius, Notis ad *Lib.* IV. C. XVI. & Antonius Pagi in Criticâ contrà Baronium, *Sec.* II. p. 47. Quamvis illa quæ inſcribitur ad *Senatum Romanum*, veriùs fuerit oblata Cæſari M. Aurelio, & Lucio Antonino Vero, ut ab aliis obſervatum, licet fortè inſcripta non Imperatoribus tantùm, ſed & Senatui Rom.

Cauſæ porrò *quintæ* Perſecutionis, eædem fuêre quæ ſuprà: In ſpecie, peſtis Aſiam populata, terræmotus Urbium ruinâ inſignes, aliaque prodigia Chriſtianis, ut calamitatum cauſis, & καθάρμασι, ab Ethnicis pro more impacta. Acceſſit *ſuperſtitio* Principum, cumprimis M. Aurelii, Numam Pompilium ſuperſtitionibus æmulati, ex Dione, & J. Capitolino. Tum *Majeſtatis* accuſatio, quod nec jurare vellent per *Genium Cæſaris*, nec dicere *Domine Cæſar*, &c. ut ſuperius declaratum, & fuſè Theophilus Antioch. *Lib.* I. ad Autol. Tandem, ut prolixè nos antea, innocuis veriſque Chriſtianis imputata *Infanticidia*, & *Oedipodei* inceſtus, matrum cum filiis, &c. ut patet ex Euſebio *Hiſt.* L. v. C. I. & Apologeticis hoc Ævo ſcriptis.

Loca Perſecutionis fuêre paſſim per Romanum Imperium, Romæ, in Italiâ, Aſiâ, Africâ, Galliâ, & in hac Viennæ cumprimis & Lugduni, fuſè apud Euſebium *Lib.* v. C. I. De martyrio Juſtini Philoſophi, Polycarpi Smyrn. Photini Lugdunenſ. aliorumque, *Cap.* ſequenti. Perſecutio verò ſub M.

Duæ Perſec. inſignes ſub M. Aur.

Aurelio, nullo Edicto Principum videtur excitata, nullis legibus quæ ſpeciatim Chriſtianos reſpicerent, & confirmat Tertullianus in *Apologet.* C. v. At mortuo optimo Principe Antonino Pio, paſſim reviviſcere odia Populorum, ac præjudicia in Chriſtianos, ſolennibus cumprimis Ludis, & Feſtis. Quales fuêre Ludi *quinquennales*, *L. Veri*, Anno VII. Imperii Marci, & *ſepties quinquennalia* Imperii Proconſul. Marci, anno Imperii ejus XVII. Quo ipſo *Ludi Druſiani* Lugduni Galliæ celebrarentur, in honorem Auguſti, ad ejus Aram, *quinto* quoque anno ineunte, menſe Auguſto; confluente ea panegyri maximâ hominum frequentiâ, ut pluribus ex Euſebio intelligitur, *Lib.* v. C. I. Qui uterque annus, Marci VII. & XVII. cumprimis luctuoſus Chriſtianis fuit. Prior perſecutione *Aſiana*, cujus meminit Euſebius, & Melito *Lib.* IV. C. XV. & XXVI. & quâ periiſſe creditur *Polycarpus*, (aliter licet Pearſonus, Dodwellus, qui ſub *Pio* paſſum volunt) & quæ aliquot poſt annos, Anno Chr. CLXX. Marci X. continuata videtur; ſiquidem Melito eo anno Apologeticum ſcripſerit, ex Chronico Euſebii: Poſterior annus luctuoſus perſecutione Eccleſiarum *Viennenſis* & *Lugdunenſis*, de quâ Euſeb. L. v. C. I. quam alii A. Ch. CLXXV. contigiſſe putant, alii ut Pagius Anno CLXXVII. Utraque non Edicto Imperatoris, ſed tumultu & clamore populari concitata, indulgentibus Præſidibus; qui hunc in finem paterentur *ſervos*, mulierculas, infantes, dirè omni tormentorum genere excruciari, ut criminum fœda & inaudita ab iis in Chriſtianos extorquerent. Quâ occaſione dicunt Lugdunenſes, in Epiſt. ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ, apud *Euſeb.* L. v. C. I. reſcripſiſſe Cæſarem, ut *confitentes quidem gladio plecterentur*, (ſuppoſitis criminibus quæ Chriſtianis imputabantur) *negantes verò*, ſcil. ſe Chriſtianos, *dimitterentur*.

Apologias quoque alias ſeu Libellos pro cauſâ Chriſtianorum, ſcripsêre *Theophilus* Antiochenus in ſuis ad Autolycum, tùm *Melito* Sardenſis, & *Apollinaris* Hierapolitanus, in Aſiâ Epiſcopi, qui ſuas exhibuêre M. Antonino, Pii ſucceſſori, eodem circiter tempore. De his Euſebius *Hiſt.* L. IV. C. XXVII. qui & fragmenta exhibet. *Legationem* etiam tùm ſuſcepit, & ſcripſit pro Chriſtianis *Athenagoras*, Philoſophus Chriſtianus, hodieque ab interitu vindicatam, licet ejus non meminerint Euſebius, Hieronymus, Photius, Suidas; ſed genuinam eſſe Eruditi agnoſcunt, inſcriptam *M. Aurelio* & *Commodo* ejus filio, quos *Armeniacos* & *Sarmaticos*, nuper ſubactis Gentibus, dicit: Unde non antè M. Aurelii annum XVII. videtur oblata, Æræ Chr. CLXXVII. quo recruduit Perſecutio. Addit Euſebius, *Libro* v. C. XVII. *Apologeticum* Miltiadis ſcriptum ad Κοσμικοὺς ἄρχοντας, id eſt, M. Aurelium & Commodum. Ac toti hi fuêre in diluendis criminibus, quibus falſiſſimè traduceretur Chriſtianum nomen; imò evincebant, ex quo adoleviſſet illud in Rom. Imperio indè ab Auguſto Cæſare, & Sacra illa lux illuxiſſet, *omnia proſpera* & *magnifica* eveniſſe, eidem Imp.

Remiſſio Perſecutionis accidiſſe, fertur ſub M. Aurelio, occaſione *pluviæ* miraculoſæ, Chriſtianæ Legionis (quæ Melitenſis dicta) precibus impetratæ Romano exercitui, languenti in ſiticuloſo loco, undique ab hoſtibus circumcluſo, *Quadis* nempe, qui hodie Bavari & Auſtriaci, nobis cis Danubium; *fulmine* contrà in hoſtes detonante, undè Victoria Romanis. Hinc Legio κεραυνοβόλος *fulminatrix* dicta, ut vulgò cenſent; antiquiore tamen in Rom. Hiſtoriâ appellatione, Auguſto jam Cæſare, à ſcutis *fulmine* inſignitis. Hinc etiam Cæſar, literis ad *Senatum* ſcriptis, interdixit accuſari Chriſtianos, taleſque eſſe permiſit; delatorem verò Chriſtiani, nullius alterius criminis rei quàm quod Chriſtianus ſit, *vivi-comburio affici*, juſſit. Factum Marci Ant. anno XIV. Chriſti CLXXIV. quo Bellum Quadicum contigit. Teſtes ſunt Apollinaris, Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, &c. & Marci literæ, inſertæ Operibus Juſtini, hæ quanquàm in genuinarum locum ſuppoſitæ videantur. Non verò Chriſtianorum, ſed Marci Aurelii precibus, hinc diis ſuis, ſcil. Jovi pluvio, miraculum adſcribunt Julius Capitolinus, Themiſtius, Claudianus, homines Ethnici. Dio autem, qui prolixè rem deſcribit, *Lib.* LXXI. tribuit Ægyptio cuidam Mago, nomine *Arnuphis*, qui fortè aderat Imperatori poſt invocatum à ſe ma-

Remiſſio Perſecut.

gicis

Digitized by Google

gicis artibus τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον, ἄλλους τε τινὰς δαίμονας.

Ἐπίκελσις de Pluviâ miracul. & Edicto Marci.

Sed Antonino nihil commercii fuiſſe cum Magis, Incantatoribus, prolixè ipſe teſtatur, τῶν εἰς ἑαυτὸν, *Lib.* I. De totâ narratione, qualis habetur apud Xiphilinum ex Dione Lib. LXXI. p. 805. 806. Tertullianum *Apologet.* C. v. & ad Scapulam Africæ Præſidem C. IV. hinc Euſebium *Lib.* v. C. v. deque Marci literis, & Edicto, quale eſt ad calcem *Apolog.* II. Juſtini M. anxiè diſquiri ſolet. Ubi certiora omninò ab incertis aut etiam fabuloſis, diſtinguenda veniunt. *Certiora* ibi videntur, fuiſſe exercitui Romano, aquæ penuriâ laboranti, pluviam ſubitò impetratam; & precibus quidem hominum Chriſtianorum, qui in eâ Legione fuêre quæ *Melitina* dicta, ab urbe Cappadociæ ſub Trajano ædificatâ, poſt Armeniæ II. adſcriptâ, in quâ ſtationem habuit *Legio* XII. confirmante Procopio de Ædif. L. III. C. IV. Prout Chriſtiani multi meruêre ſub Trajano, & Hadriano, ac deinceps, vel ex Tertulliano ipſo, non uno loco, in *Apologetico*, & Libro de *Coronâ Militis.* Sic *Edictum* aliquod emanaſſe in favorem Chriſtianorum, quale ſub Traj. ſeu obſervaſſet eorum innocentiam Imperator, ſeu aliquid debere ſe precibus Chriſtianorum militum, in reportatâ illâ de Quadis victoriâ, *Germanicâ expeditione*, intellexerit, dubitare non ſinit, præter Dionem Hiſtor. in *Excerptis* Xiphilini, Tertullianus; qui id falſò Romanis objicere, rem adeò publicam & recentem, geſtam antè annos plus minus XXX. quum *Apologeticum* ſcriberet, nec debuit nec potuit. Quæcunque tandem fuerit cauſa neglecti illius Edicti, *tribus* poſt *annis*, quum Perſecutio in Galliâ Lugdunenſi mota fuit, ſolennibus ejus Urbis Ludis, qui *quinquennales* fuêre. Sed ex hac patet, referente Euſebio, nulla non *crimina* fuiſſe Chriſtianis improperata, & extorta Confeſſione ſervorum, qui metu tormentorum perterriti, Infanticidia, inceſtos Concubitus, & alia de Chriſtianis fatebantur, undè populorum furor, & Præſidum ſævities. Certè

Pax Eccleſ. ſub Comm.

Commodus filius Marci, præterquàm quod is de religione parum ſollicitus fuerit, memor is paternæ in Chriſtianos indulgentiæ, & Edictorum, nullam in Chriſtianos perſecutionem movit, ut conſtat ex Dione, Lampridio, Tertulliano, Euſebio *Lib.* v. C. XVI. XXI. Natus is fuit A. Æræ Vulg. CLXI. Auguſti menſ. XXXI. Tribunitiâ Poteſtate donatus A. Ch. CLXXV. quum paulo ante togam Virilem accepiſſet. Imperator ſalutatus, Ætatis XVI. Anno Chr. CLXXVI. paulo poſt Germanicam Expeditionem; ſolus imperaturus Patre mortuo, anno CLXXX. Martii XVII. Ætatis XIX. occiſus tandem Decembris ultimo A. CXCII. quum annos XII. imperaſſet, quæ omnia ex Nummis confirmantur.

At verò ſuſpecta piæ fraudis reliqua ferè omnia. Ex. gr. I. Miraculum illud palàm adſcripſiſſe Marcum Aurel. *Deo Chriſtianorum*, ſcil. precibus Legionis Chriſtianæ victo; quum aliter Dio Caſſius, Jul. Capitol. Lampridius, Claudianus. 2. *Legionem* eam ex merè *Chriſtianis* conſtitiſſe, idque indicatum Marco, à Præfecto Prætorianorum. Quod tamen non habent Marci literæ, quæ *magni* Chriſtianorum *numeri* in Exercitu ſuo tantùm meminêre. Quæ enim de *Thebaâ* Legione, à Maximiano decimatâ, ex Actis ſuppoſitis per fraudem Eucherio Lugdun. Sec. v. alii Eucherio Juniori qui *Seculi* VI. tacente Tertull. Lactantio, Euſebio, qui accuratiſſimus eſt in poſtrema Perſecutione ſub Dioclet. nimis quàm ſuſpecta ſunt Eruditis. 3. Eandem hac de cauſâ appellatam κεραυνοβόλον *fulminatricem.* Quo nomine jam venit Legio XII. ſub Auguſto Cæſare, (quales XXV. numerat Dio, XXVIII. Appianus, in Epiſt. Galbæ ad Ciceronem, XXXV. non tamen omnes ex Nummis intellectas, Urſinus, Goltzius) deinceps in Inſcript. frequenter, à ſcutis *fulmine* inſignitis, undè *fulminea*, quæ eadem *Melitina*, *Cappadocia* adſcripta, ut diſertè Dio Caſſ. *Lib.* LV. in Cæſare Auguſto. Sed Marci literæ ad Senatum, mentionem tantùm faciunt Legionum Primæ, Gemellæ, Decimæ, Fretenſis. 4. Sic ipſas *Literas*, quæ attexuntur Apologiæ II. Juſtini Mart. falſas eſſe, aut certè interpolatas, ſummâ conſenſione Eruditi, Scaliger, Salmaſius, Blondellus; Huetius, Pagi; & Witſius noſter V. Cl. Eruditâ Diatribe. Non tantum ex *barbarie*, quæ poſterioris Seculi, ſeu Latina ſeu Græca attendimus, ſed etiam ex *materiâ* ipſâ. Ibi enim Marcus, ἀναμφισβήτως pluviam à Chriſtianis, & ſolis, impetratam dicit: Quod Dio Caſſius & reliqui *Mercurio*, cujus ſtudioſus erat Imperator, & confirmat Nummus M. Aurelii, hoc ipſo anno XXVIII. *Trib.* Pot. Aut *Jovi Pluvio*, quem exhibet Imago in Columnâ Marci victorias repræſentante, apud Baronium ad A. CLXXVI. N. XXIV. & alios, adſcripſiſſe Marcum teſtantur. Imò Tertullianus in *Apologet.* impetratum imbrem *Chriſtianorum* FORTE *militum precationibus.* Neceſſe eſt itaque literas Marci Imp. Latinè ut videtur datas, fuiſſe ab aliquo Græco Scriptore multum interpolatas, & has rurſum nactas Latinum interpretem, & malum; tandem genuinarum locum obtinuiſſe inter Chriſtianos. Certè Inſcriptio Marco Aurelio, cum Titulis *Germanici*, *Sarmatici*, &c. poſita à S. P. Q. R. Romæ reperta, ut eſt apud Gruterum CCLX. nihil habet quod Chriſtianos reſpiciat, nec mirum.

IX. *Martyres illuſtriores. Certa alia, alia fabuloſa. Honos Martyribus hoc Seculo habitus.*

I. MArtyrum hujus Ævi, ſexûs omnis, omnis Acta ætatis, & conditionis, amplior nume- Mart. rus eſt quàm ut deſcribi poſſit. Diſtinguendi ta- ſuppoſita. men Martyres certi, & de quibus antiquæ Tabulæ, à fabuloſis & commentitiis. Hujuſmodi ſunt qui traditi *Actis Martyrum* ſuppoſititiis, qualia ſunt Acta Clementis Papæ, Acta Nerei & Achillei, Acta Praxedis Virginis, Acta S. Sabinæ, S. Euſtachii, S. Hyacinthi, &c. alia ſine fine, memorata in Menologiis, Legendariis, Gregorio Turon. Simeone Metaphraſtâ, Nicephoro, Vitis Sanctorum apud Surium, Lippomannum, Baronium, Aringhum, Bollandum, Papebrochium, &c.

Ac ſub *Trajano* illuſtriores præprimis hi memorantur:

Clemens Romanus, poſt biennii circiter, alii quin- Clemens quennii exilium, *Cherſonæ* trans Pontum Euxinum, Rom. ſublatus; & ut volunt καταποντισμῷ: Mortuum ſanè Clementem Trajani A. III. Chriſti C. habent Euſebius, & Hieronymus, quem *annum* Trajani III. Perſecutione, etiam Martyriis, & morte Johannis Apoſt. inſignem faciunt. Chronicon verò Alex. *deceſſiſſe* Clementem anno Trajani VIII. Chr. CIV. quo & Johannem obiiſſe notat. Sed Clementini martyrii nec ipſi meminerunt, nec antiquiores Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, Origenes. Fabulæ ſunt, quæ de præcipitato in mare Clemente, & quidem centenario, referunt; de miſſo Cherſonam, à Trajano, Præſide Aufidiano, qui innumerabilem illis in locis Chriſtianorum multitudinem ſuppliciis tolleret; de Corpore Clementis *anchora* alligato, ne Chriſtiani illud ex aquis extractum pro Deo colerent; de reperto ejus Corpore, inſigni miraculo, mari ad tria milliaria refluo, & quidem in Templo Marmoreo, creato illi mediis in fluctibus; De vado ad illud facto miraculoſo, anniverſario Martyrii die; & quæ ludicra alia habet Legenda, ex Metaphraſtâ, Greg. Turonenſi, Epitome Re-

 co-

Digitized by Google

cognit. Clementis, &c. apud Surium, Baronium, alios. Quanquàm Baronius, ut ſolet ad A.C. CII. *non eſſe dubitandi locum*. Cl. Dodwellus putat *Clem. Romanum* confuſum cum *Flav. Clemente* Conſ. Anno Domit. XV. qui eo anno morti traditus à Domitiano, Æræ Chriſtianæ XCV.

Simeon Cleopæ. *Simeon Cleopæ* filius, (ejus qui Patruus Domini habitus, frater Joſephi, patris Chr. putativi) Epiſcopus Hieroſolymitanus, cruci affixus, anno ætatis ut ferunt CXX. Trajani X. Chriſti CVII. Dodwellus ſeriùs, anno Trajani XVIII. vel XIX. Chriſti CXVI. Et quidem delatus à Judæis, vel ab Hæreticis, ad *Atticum* Syriæ *Conſularem* (ſeu poteſtate Conſulari Syriam adminiſtrantem, quâ de re Salmaſius *Notis* ad Spartianum, p. 56.) tanquàm qui non Chriſtianus modò, ſed è regiâ Davidis Tribu oriundus eſſet. Sic enim, Judæis Syriæ Meſopot. rebellantibus, Romanis inviſum reddidêre, quaſi læſæ Majeſtatis reum, undè excarnificatio & ſupplicium.

Ignatius. *Ignatius* Antiochenus, è Syriâ Romam delatus, tanquàm Civis Romanus, ibique à beſtiis laceratus in Amphitheatro, circa A. Ch. eundem CVII. Baronio CIX. Poſtquàm annos circiter XXX. Antiochenæ Eccleſiæ præfuiſſet, ex Chronicis Græcorum. Sed alii ſeriùs accidiſſe Ignatii mortem exiſtimant, & quidem Trajani anno XIX. Chr. CXVI. Quâ de re non eſt quod dicamus poſt Diſſertationes antè citatas Uſſerii, Pearſoni, Dodwelli, Lloydii, Pagii, & quæ monuimus *Cap.* I. & de Perſec. Trajani C. VIII. hoc *Seculo*. Vulgatæ ſunt hujus Martyris voces, quas ex traditione refert Irenæus *Lib.* V. C. XXVIII. nempe, ſe eſſe *triticum Domini*, *molendum ferarum dentibus*, *ut panis purus efficeretur*. Alias ejuſdem voces cedro dignas ex *Epiſt.* quam ad Romanos ſcripſit, citat Euſebius *Hiſt.* L. III. C. XXXVI. Ejus cum Trajano Imperat. colloquium, in urbe Antiochenâ, hinc ſententiam ab Imperatore ipſo prolatam, quamvis in Civem Romanum, *ut vinctus à militibus duceretur in magnam Romàm, cibum beſtiarum futurum, in ſpectaculum plebis*, in Amphitheatro ſcilicet, habent Acta de Martyrio Ignatii, quæ Uſſerius edidit, & Notis illuſtravit, A. MDCXLVII. Et hæc quidem Acta, antè inedita, à Philone, Gajo, & Agathopode, qui ex Syriâ S. Martyrem ſecuti dicuntur, deſcripta fuiſſe, ut teſtibus rei oculatis, ibidem feruntur. Porrò in itinere, dùm Romam ducitur, *Smyrnæ* quidem ſalutaſſe Polycarpum, indeque ſcripſiſſe ad *Epheſios*, ad *Magneſios*, ad *Trallianos*, ad *Romanos*, auctor eſt Euſebius, *Hiſt.* L. III. C. XXXVI. Deinceps Troade Phrygiæ, Epiſtolis ſalutaſſe *Philadelphenſes*, & *Smyrnæos* à quibus nuper diſceſſerat, ac ipſum denique *Polycarpum*, cui Antiochenæ Eccleſiæ curam commendarit. Quamvis hanc Vir ſummus, Uſſerius Armachanus, neget eſſe Ignatii, ut qui unam modò, conjunctim ſcil. ad Smyrnenſes & Polycarpum, Epiſtolam direxiſſe videatur, etiam ex mente Euſebii & Hieronymi, diffidente nuper Reverendiſſ. Pearſono, & qui cum eo ſentiunt. Quâ de re non eſt hîc diſſerendi locus.

Oneſimus, Anacletus. XI. mille Martyres ſub Trajano, &c. Baronius notatus. Tacemus alios qui vulgò feruntur ſub Trajano Martyres, ſed vel dubios, vel fabuloſos. Inter iſtos eſt martyrium *Oneſimi*, quem Paulus poſt Timotheum Epheſior. Epiſcopum ordinaſſe dicitur, & quem *Trajani* anno XI. ſublatum ferunt in Urbe Româ. Alii verò ſub *Domitiano* paſſum retulerunt, anno XCV. inter quos eſt Nicephorus, quem hoc nomine coarguit Baronius, *Notis* ad Martyrol. XVI. *Febr.* Sic referunt huc *Anacletum*, Rom. Epiſcopum, ut martyrem ſub Trajano Anno XIII. Chriſti juxtà Baronium CXII. Qui tamen Doctiſſimis viris, etiam Romanæ communionis, idem eſt cum *Cleto*, ſublato ſub Domitiano; de quo diximus alibi, ad calcem Diſſert. de *Papâ Fœminâ*. Hujuſmodi ſunt qui ex mendaciſſimis Tabulis recenſentur Martyres ſub Trajano: *S. Cæſarius* martyr, qui Diaconus fuerit, Terracinæ paſſus; S. *Zoſimus*, S. *Rufus*, quos ſocios faciunt Martyrii Ignatiani; S. *Romulus*, quem dicunt Acta apocrypha & barbara, *Aulæ Imperatoriæ Præpoſitum*, & qui ſociatus XI. *millibus* Chriſtianorum militum, qui ſacrificare Gentili more recuſarant, dicuntur martyrium paſſi ſub Trajano, vel Hadriano, in Menologio VI. *Sept.* Et in Martyrol. Romano, XXII. *Junii*, dicuntur X. *mille crucifixi*, in *monte Ararath* coràm Imperat. quem *montem* Acta Apocrypha dicunt ſitum *propè Alexandriam*. *Rei veritas*, inquit Baronius Notis ad Martyrolog. *etſi tam Latinorum quam Græcorum teſtimonio ſatis firma videri poſſit, tamen operæ pretium ducimus de his agere, illaque ſtabilire quæ alicui fabuloſa, & minùs credibilia videri poſſunt.* Hinc multus eſt, ut oſtendat *Alexandriam* deſignari propè Tigrim; X. vel XI. *mille* crucifixos fuiſſe nihil mirum, qui attenderit ad ea quæ de *Judæis* refert Joſephus, & Hegeſippus de Excidio Hieroſol. *Saporem* Regem, in iis *Actis* memoratum, fuiſſe Regem Armeniæ, Provinciæ tum Romanis ſubjectæ; acta *coràm Imperatore* dici, quæ ſub ipſo à Præfectis executioni mandata; non negare ſe tamen *in his Actis* (*ut in aliis omnibus*) *ineſſe quædam quæ levi aliquâ indigeant emendatione.* Stupe, Lector, candorem & fidem Hiſtorici, hæc de Trajano, vel Hadriano aſſerentis, præter & contra fidem hiſtoriæ, ingenium Principum, conditionem temporum, veri omnem ſpeciem, & ex poſterioribus Græculis, mendacio & fabulis aſſuetis.

II. Sub *Hadriano*, creduntur ſanè Martyres, at non eâ frequentiâ, quâ referunt Martyrologia, Menologia, & Acta fabuloſa. V. gr. S. Sabinæ, S. Euſtachii, S. Sophiæ, S. Mariæ ancillæ Tertulli cujuſdam, ſic Euariſti, *Alexandri Papæ*, & *ſociorum*, &c. *quæ nimiâ antiquitate mendoſa*, fatetur Annalium Scriptor, ad A. CXXXII. N. I. His fabellis recenſendis non immoramur. In his multus prolixuſque eſt nuperus Tillemontius, in Hiſtoria Imperat. Gallicâ, *Notis* ad Perſecutionem Hadrianeam. Cumprimis de S. *Euſtachio*, ejuſdem uxore, Liberis, nota fabula eſt Græcorum pariter & Latinorum: Qui omnes ſub initia Imperii Hadrianeí, (Baronius refert ad annum CXX.) nequicquam Leonibus objecti, tandem in bovem æneum, & ardentem vivi conjecti fuerint, Hadriano Phalaridis ſævitiam æmulato. Hinc Romæ ſplendida Euſtachio Baſilica ſtructa, quæ hodieque commendat ſe vetuſtate. Pudet tamen doctiores narrationis fabuloſæ, quam alii ad Secul. VIII. rejiciunt. Combefiſius edidit A. 1660. *Acta S. Euſtachii*, quæ ſint Scriptoris illi Martyri συγχρόνου, περὶ τῶν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντων. Meminit Allatius, Diatribâ de *Symeonum* ſcriptis, probaturus non ſcripſiſſe primum Euſtachii Acta Metaphraſtem, *pag.* 108. πρόκειται μὲν, &c. Sed Scriptoris fraudem, præter materiam ipſam, & ſexcenta id genus in Menolog. & apud Metaphraſtem, arguit ſtylus, ab ingenio ſcriptorum primæ illius Ætatis alieniſſimus. Quò refer editam à Steph. Baluzio, *Miſcell.* T. II. *Paſſionem Sanctarum Seraphiæ & Sabinæ*, ſub perſecutione Hadriani ſcilicet, A. CXXII. p. 106. Tum *Paſſionem S. Mariæ, Mart.* ſervæ quidem Tertulli, ſed *quæ Chriſto ſe probavit ingenuam*, A. CXL. *pag.* 115. Quas ex Codicibus Bibliothecæ Thuaneæ & Colbertinæ, ut ſuis gratificaretur, produxit Vir diligentiſſimus. Martyres ſub Hadriano. Acta fabuloſa nuper producta.

Quod refert Tertullianus *ad Scapul.* ſub finem, de *Arrio Antonino*, Proconſule Aſiæ, graviùs perſequente, & circumſtantes ejus Tribunal ſpontaneo motu Chriſtianos ejus Civitatis, quaſi ſe offerentes ad *Martyrium*, ſic allocuto: ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε, cenſet Dodwellus de Arrio Antonino Avo materno *Anton. Pii*, ad quem extant Plinii Epiſtolæ, intelligen-

Digitized by Google

gendum eſſe: Alii de ipſo Antonino, Hadriani poſteà ſucceſſore, quod cenſuit Baronius, ſuprà notatus hoc nomine.

Martyres ſub Antonino Pio, M. Aurelio, & L. Vero.

III. Sub *Antonino Pio*, & *Veris* ſucceſſoribus, de quorum Perſecutione ſuprà, nobiles Martyres fuêre:

Juſtinus M.

Juſtinus Martyr, cujus necem ſub Antonino Pio Anno ejus XII. collocat Euſebius in *Chronico*, & poſt hunc alii, Henr. Valeſius, Pearſonus Ceſtr. Epiſcopus, Henr. Dodwellus *Diſſert.* III. in Irenæum, N. XIX. &c. id eſt, *ſecundo* Seculo mediâ ſui parte lapſo, vel anno ſaltem CXLIX. Epiphanius, *Hær.* XLVI. quæ eſt Tatianorum, mirâ ἀνιςορησίᾳ, collocat ſub Hadriano; τέλ☉ ὑπὲρ Χριςȣ̃ μαρτυρήσας ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥȣςικȣ̃ ἡγεμόν☉, ϗ Ἀδριανȣ̃ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεςώση ἡλικίᾳ; quæ certè de die *natali* Juſtini intelligi non potuêre, ut vellet Cl. Dodwellus. Baronius & plerique, paſſum ſub Veris Fratribus, poſt annum CLX. *anno* non ità certo. Equidem Apologia quæ inſcribitur *ad Senatum Rom.* oblata fuit M. Aurelio & Antonino Vero, ut diſertè Euſeb. *Hiſt.* L. IV. C. XVI. quicquid unum *Imperatorem* videatur appellare, multis exemplis apud Anton. Pagi, in Criticâ, ad A. Ch. CLXII. Qui idem oſtendit *M. Aurelium Antoninum* ſæpè *Pium* cognominatum, etiam in Nummis, ex Sponio & aliis. Et *Junio Ruſtico* Præf. Urbis exiſtente paſſus dicitur Juſtinus, qui omninò ſub M. Aurelio & L. Vero *Præf. Urbis* dicitur, ab Ulpiano Dig. de *Appellat. Lege* 2. *Cum ad Junium Ruſticum amicum noſtrum Præf. Urbi provocares*, &c. ex *Reſcripto Divorum Fratrum*. *Acta* enim quæ *Juſtini Martyris & ſociorum* necem deſcribunt, qui ſecuri Romæ percuſſi ſint, *Ruſtico* Urbis Præfecto, & quæ leguntur apud Surium, & Baronium ad A. C. CLXV. nimis quàm ſunt dubiæ fidei, ex Metaphraſtâ, & id genus fontibus hauſta.

Polycarpus.

Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *centenario*, ut vulgò creditur, major, ordinatus utpotè juxtà Menæum Græcorum, & Baronium, Anno Ch. LXXXII. à *Johanne* (ut volunt) Apoſtolo, vel ut Euſebius ex Irenæo, *Lib.* IV. C. XIV. ab ipſis *Apoſtolis*, qui ſuperfuêre Excidio Hieroſolymit. qualiter ordinatus Simeon Cleopæ, apud Euſeb. L. III. C. XI. Sed à quo aut quando præciſè *ordinatus* fuerit, non liquidò conſtat, diutiſſimè tamen & ultrà LXX. annos Eccleſiæ Smyrnenſium præfuiſſe, cenſet quoque Uſſerius Armach. Hinc profeſſus ad Pro-Conſulem Aſiæ *Statium Quadratum*, ſe LXXXVI. annos Chriſto *miniſtraſſe*; quod non de annis *Miniſterii*, ſed nec *Vitæ* totius, ut Valeſius & alii, rectiùs de annis iis intelligas, quibus *Chriſtum* profeſſus indè à Baptiſmo ſuo, quod & Uſſerius cenſuit. Et hujus quidem apprehenſionem, cum Sociis XI. è Philadelphenſi Eccleſiâ *Smyrnam* deductis, quorum unus *Germanicus* dicitur; proditores ejuſdem domeſticos; cumprimis *Irenarcham*, qui *paci* & diſciplinæ publicæ in Smyrnenſium urbe *præeſſet*, nomine *Herodem*, qui & κληρονόμ☉ dictus; interrogata *Proconſulis*, ætatem ſuam revereretur, juraret modò *per Cæſarem*, *Cæſariſque Fortunam*, ſeu Genium, formulâ conſuetâ, ſed à Chriſtianis repudiatâ, ut pluribus Tertullianus, C. XXXII. *Apologetici*; petitum populi *ad Aſiarcham Philippum*, ut Leones immitteret in Polycarpum, de quâ *Aſiarchæ* dignitate, qui idem Ἀρχιερεὺς, prolixè Frater meus, *Diſſert.* VIII. Martyris ad iſta omnia reſponſa, conſtantiam admirandam, ultimas voces, vivi-comburium, Martyrii circumſtantias omnes, &c. hæc, inquam, ſingulari *Epiſt.* Smyrnenſis mox Eccleſia complexa eſt, quæ ἐγκύκλι☉ fuit, ad omnes Chriſtianorum Eccleſias, quamvis immediatè directa ad *Philomelienſem*, ſeu quæ ἐν Φιλομηλίῳ Phrygiæ majoris Urbe; Acta habent, ἐν Φιλαδηλφίᾳ quæ Lydiæ fuit. Hanc, nec tamen integram, Euſebius exhibet, *Hiſt. Lib.* IV. *Cap.* XV. Supplevit verò reliqua ex antiquiſſimo MS. atque integram edidit Vir ſummus, Jacobus Uſſerius Armachanus, Notis à ſe illuſtratam, cum Actis Ignatian. Anno 1647. & ex eo Henr. Valeſius, *Notis* ad Euſebium. Polycarpum autem paſſum eſſe ſub *Antonino Pio*, A. CXLVII. quando Decennalia fuêre Proconſularis Imperii, exiſtimavit Pearſonus Epiſc. & accedit illi Dodwellus *Diſſert. Cypr.* XI. *par.* XXXIII. At verò paſſum veriùs ſub Veris Fratribus, & quidem anno Ch. CLX. cenſet Valeſius; quum Quinquennalia & Conſulatus L. Veri celebrarentur, ut Pagius oſtendit ad eum Annum. Sed annus præciſus in obſcuro latet, nec quicquam Epiſt. Smyrnenſium de Imperatore, vel anno Imperii. Uti diem XXIII. Febr. notant Acta Pionii, Martyrologia, Menæa Græcorum; quum tamen Euſebius Polycarpum in urbem deductum ὄντ☉ Σαββάτȣ μεγάλȣ, id eſt, *Sabbato, ante-Paſchali*, & Acta Uſſeriana, martyrium *Polycarpi* accidiſſe VII. *Kal. Maj. majore Sabbato horâ* VIII. Idem Uſſerius paſſionem Polycarpi referendam cenſet ad A. Chr. CLXIX. à quibus ſubductis LXXXVI. quibus ſervierat Chriſto, relinquitur annus Chr. LXXXIII. quo non *natus* quidem, ſed *renatus* Chriſto, jam tùm puerulus. A quo XVII. anni fluxêre uſque ad obitum Johannis, per quem ordinatum volunt Epiſcopum, Tertullianus certè de *Præſcr.* Hær. C. XXXII. & Smyrnæ quidem, majorem utique annis XVII. Igitur modò conſtat, Polycarpum extremo ſenio conſummatum, πάνυ γηραλέον *natu admodum grandem*, ut Irenæus *Lib.* III. C. III. Porrò Romanum iter Polycarpi, Aniceto jam ſedem obtinente, de quo Irenæus, & Euſebius *Lib.* V. C. XXIV. ſuſceptum ab eo fuit jam octogenario majore, & juxtà Chron. Alexandr. imperante Antonino Pio, A. Chr. CLVIII. ut cum Aniceto de *levibus* quibuſdam *controverſiis* amicè conferret, ut ex Irenæo Euſebius.

Photinus Lugdunenſis in Galliâ Epiſcopus, (cui Irenæus ſucceſſit) mirâ conſtantiâ, corpore quamvis æger, *nonagenario* major, piam animam efflavit poſt multas perpeſſiones, in gravi illâ perſecutione Lugdunenſis Eccleſiæ, de quâ ſuperiùs doctum. Martyres Lugdunenſ.
Tum *Attalus* Pergamenus vir celebris, civis Romanus, poſt acceptum Cæſaris reſcriptum, & diras antè perpeſſiones, gladio percuſſus. Sic *Alexander* profeſſione Medicus, Phryx natione, aliique quam plurimi, utriuſque ſexûs, dirè primò excarnificati, eodem tempore martyrio coronati ſunt. Satis erat, confeſſos eſſe, *Chriſtianus ſum*, *Chriſtiana ſum*, ut in carcerem ducerentur, deſtinandi ſuppliciis, inter inſanæ plebis acclamationes, plagas, raptationes, ſpoliationes bonorum, lapidum jactus, &c. Tum tauris objecti, vel ferreæ cathedræ impoſiti, aut toſti in ſartagine, & quæ alia dictu horrenda, refert Epiſt. Eccleſiarum *Lugdunenſis* & *Viennenſis*, (ut quæ vicinæ Eccleſiæ, ſub eodem Præfecto, eâdem cauſâ, & communi amoris vinculo conjunctæ) ad Fratres per *Aſiam* & *Phrygiam* conſtitutos, quod antiquiſſimum eſt Eccleſiarum Galliæ monumentum. Plerique enim illi Martyres ex Aſiâ & Phrygiâ eò delati fuerant, & *Photinus*, *Attalus*, *Alexander*, *Alcibiades*, *Irenæus* ipſe Phryges erant natione; quemadmodùm & Eccleſiæ illæ Gallicanæ à Smyrnenſibus literas acceperant, de Martyrio Polycarpi. Hinc etiam ad Aſianos *Græcè* ſcribunt, Aſiani ipſi, familiari apud eos ſermone, in Galliis licet, uti de Maſſilienſibus alibi obſervavimus. Tum videntur Gallicanæ Eccleſiæ captaſſe occaſionem monendi Aſianos, Phrygas, ut ſibi à *Montani* & *Cataphrygum* fermento caverent. Scripſiſſe putatur literas ad Aſianos Irenæus ipſe, Lugdunenſis Eccleſiæ

Digitized by Google

ſiæ Presbyter; qui & alias ad Eleutherum, Romæ tum Epiſcopum, nomine Lugdun. Eccleſiæ ſcripſit. An verò literas Martyrum, & Cleri Lugdun. ad Eleutherum & Aſianos perferendas ſuſceperit Irenæus, quod Euſebius teſtatur *Hiſt.* L. v. C. iv. ſub judice lis eſt: Quod *promiſiſſe* quidem Irenæum, quum ſcriberentur hæ literæ, ſed interveniente morte Photini, præſtare id non potuiſſe, H. Valeſius contendit; aliter Baronius, Feuardentius, &c. Annum ſuprà Perſecutionis Lugdunenſis notavimus CLXXVII. M. Aurelii XVI. cum Euſebio in Hiſt. Eccleſ. Dodwellus verò ſignat A. CLXVII. Marci VII. refutante Pagio pluribus argumentis, quem adi. Certè Clariſſ. ille Vir tempus in omnibus anticipat, tùm Perſecutionis Gallicanæ, tùm Eleutheri, tùm ipſius Irenæi; quem Irenæum facit propiorem Apoſtolicis temporibus, majorem *Juſtino Mart.* & iſtorum *Traditiones indagaſſe ſub initium Hadriani*, (id eſt, A. Chr. CXVIII.) *recenti* illarum *memoriâ*; hinc & Irenæum conſulere potuiſſe eos Seniores, *Johannem Presbyterum*, *Ariſtionem*, qui Apoſtolos viderant. De quibus ille fuſè totâ *Diſſert.* III. in Irenæum, ut *Traditionibus Seniorum*, & *Irenæi*, conciliet auctoritatem. Sic uſu venit maximis etiam Viris qui Eccleſiaſticas Antiquit. pertractant, ut τῇ ὑποθέσει δουλεύειν nimis quàm frequenter contingat; quod in *Baronio* ſuprà omnes alios culparunt univerſi.

Celebris quoque Martyr, inter alios, *Apollonius* Senator Romanus, juxtà Hieronymum, tacente Euſebio hanc dignitatem, *Lib.* v. C. XXI. Hic à ſervo ſuo delatus, ſub Commodo, *Perenni* tùm Præfecto Prætorio, Commodi ſolius imperantis anno VIII. Chriſti CLXXXVII. poſtquam fidei ſuæ rationem coràm Senatu elegantiſſimâ Oratione reddidiſſet, ipſe quidem ſententiâ Senatûs capite plexus, neceſſitate legis, *ne quis Chriſtianus, ſi delatus eſſet, ſupplicium evaderet.* At delator *crurifragio* mulctatus, ſecundùm Antonini Edictum, ut habet Euſebius, hinc Hieronymus; certè delatorem pœnâ capitali puniendum, μὴ ἐξὸν ζῆν τοὺς τοίων μηνυτὰς, habuerat Edictum, ſed pœna *ſervi* crurifragium. Num hic ſit Apollonius, de quo Hieronymus *Ep.* LXXXIV. ex iis in quibus neſcias *quid plus admirari debeas, eruditionem Seculi an ſcientiam Scripturarum*, aliis diſquirendum relinquimus.

Martyres alios ſub M. Aurelio recenſet Euſebius, ad calcem literarum Smyrnenſium, *Pionium*, *Carpum*, *Papylum*, *Metrodorum*, &c. ex Euſebio alii, & quoque Baronius: Sed inſigni Hiſtoriæ errore, ut qui *Pergameni* martyres, & qui demùm ſub *Decio* martyrium ſubierint, obſervante & Doctiſſ. Valeſio, Notis ad *Euſeb. Lib.* IV. *Cap.* XV. Ut hinc duas *Epiſtolas* fuiſſe, conjunctas ob argumenti ſimilitudinem, rectè Eruditi conjectarint.

Incerta vero in *Martyrologiis*, & conficta penè innumera memorantur, uti apud Metaphraſtem, ac Nicephorum, & in Menologio Græcorum, hinc Baronium Notis ad Martyrol. Romanum, tùm apud Surium, Bollandum, & alios qui Acta Sanctor. collegerunt. Talia ſunt Acta S. *Glyceriæ*, ſub Sabino quodam Græciæ, vel Europæ, Præfecto; Acta S. *Victoris*, & S. *Coronæ*, ad XIV. *Maji*; Acta S. *Hermiæ*, quæ Bollandus edidit ad XXXI. *Maji*, &c. Sexcenta id genus. Nos precioſum à vili, certiora ab incertis vel apocryphis, ſecernere didicimus, & Doctiores ipſi in Rom. Eccleſiâ rident fabellas.

Honos Martyribus quis hoc Sec. habitus?

IV. *Honores* quod attinet hoc Seculo Martyribus habitos, & Martyrii *prærogativas*, verbo indicamus. Præcipua ſunt:

1. Singularis cura *Sepulturæ Martyrum*, ubi facta Chriſtianis horum corporum, oſſium, cinerum, copia fuit. Tùm ſanè hæc Corpora, ſive Reliquiæ, ſtudioſè à Chriſtianis ſubductæ interfectoribus, religioſè inhumabantur. Nec enim cremari ad Gentilium morem illa voluerunt, aut alitibus in pabulum cedere, quod facinoroſorum fuit, ſed honeſtè ſepeliri. Sic quicquid ex reliquiis à beſtiis, aut flammis ſupereſſet, diligenter collectum *terræ* mandabant, ut concremato corpore B. Polycarpi, Smyrnenſes diligentiſſimè oſſa quæ ejus haberi potuerunt, collegiſſe, condidiſſe, addidiſſe diem natalem, conſtat ex Hiſtoriâ; idemque feciſſe ſequentibus Seculis, ex Cypriano, Euſebio, & aliis intelligitur. Teſtes ſunt hoc ipſo Athenagoras, Tertullianus, Epiſtolæ Smyrnenſium, & Gallorum apud *Euſeb. Lib.* IV. & v. & quæ proferuntur Acta Ignatii, Juſtini Martyris, & Sociorum, ac id genus alia. An verò quæ dicuntur *Catacombæ* in Româ Subterraneâ, inſervierint ſepulturæ Martyrum, & Conventibus Chriſtianorum, meritò diſceptatur. Negantes noviſſimè legas, Reverendiſſ. Burnetum in *Itin. Ital.* & alios quotquot periti Roman. Antiquitatum. Nec aliundè affirmatum Romæ eſt, quàm ut ex ſubterraneis illis locis, Specubus, Cryptis arenariis, Cœmeteriis, Fornicibus, Cubiculis, Sacellis, Sarcophagis Marmoreis, Porphyreticis, &c. cum Inſcriptionibus, Actis, Tabulis, Urnis, tanquàm inexhauſto penu eruantur novæ ſine fine reliquiæ, fovendæ ſuperſtitioni populorum, & explendæ aviditati Romanæ Curiæ, & Monachorum. Fuiſſe potiùs excavatas eas ſpecus & ſubterraneos fornices, loculos, puticulos, deſtinatos recondendis cadaveribus, aut urnis, Romanæ plebis, cùm locorum iſtorum ratio, quæ minimè laterent Romanos, tùm illa Epitaphiorum, Inſcriptionum, Urnarum, Vaſorum, quæ Gentilem ritum referunt, ſatis apertè docet. Tantùm abeſt ut Chriſtianis indulſerint perſecutores, ædificia id genus & monumenta ſuis Martyribus exſtruere, ut rariſſimè Corporum, vel Oſſium, vel Cinerum copiam iis fecerint, imò in profluenta, in Rhodanum, Tiberim, &c. projeciſſe conſtat. Multò minùs potuêre illa tot Seculis ſupereſſe integra, adhæc reperiri, dignoſci, tranſferri corpora; ſeculis plerumque ſuperſtitioſis, & Reliquiariis, VIII. IX. &c. ex Monachorum aut Mulierculârum fide, ex viſionibus, revelationibus, ad quas perpetuò perfugium ſuperſtitioni fuit.

2. *Commemorationes* vel *Memoriæ Martyrum*, ad eorum memorias vel ſepulchra (Confeſſiones, & μαρτύρια, poſteà dixêre) celebratæ, anniverſario martyrii die, additâ Hiſt. vitæ & mortis, Græcor. ergà illuſtres viros antiquo ritu. Et hoc ſe Polycarpum honore proſecuturos eſſe, Smyrnenſes declarant, in dictâ *Epiſt.* Quo de ritu jam ſuprà quantum fuit ſatis, ad Caput de Ritibus ac Ceremoniis hujus Seculi. Et eò ſecuriùs Chriſtiani hoc officio defungebantur, quod fierent illa extrà Urbes, v. gr. trans Tiberim in agro Vaticano, deſerto, ſterili, ſic in Chriſtianorum prædiis, areis, cryptis, locis à turbâ remotis.

3. *Conventus* publici in Cœmeteriis, & ad *Martyrum* tumulos, *areas* dixêre apud Tertullianum, ad Scapulam, C. III. tanquam ad προσευκτήρια, de quibus & ſuprà, ubi de Conventibus Sacris. Hic enim & ampliùs conveniendi ſpatium, extra Urbium pomœria, & tutior aptiorque locus, ob ſolitudinem, & cryptarum atque arearum vaſtitatem, ipſis Gentilibus *Manes temerare ſepultos* veritis. Hinc & *Menſa* Euchariſtica, (quam deinceps Seculo III. & ſeq. θυσιαστήριον, Latini *altare*, ſed impropriè, dixerunt, maximè ob *preces* ad eam oblatas, tanquàm θυσίαν μεγίστην, ut Athenagoras in *Apol.*) ſuprà loca ſepulturæ Martyrum, & Sanctorum fidelium, collocanda. Non profectò ullo intuitu veri *ſacrificii* in eo oblati, quod negat disertè de Chriſtianis Athenagoras; minus intuitu alicujus cultûs aut Sacrificii *Sanctis* demortuis offerendi: Sed i-

quod

quod Cœmeteria loca eſſent abdita, ſubterranea, capacia, in quibus Chriſtiani liberiùs ſua Sacra peragerent. 2. Quod in iis Martyrum memoriam recolerent, & ad parem Martyribus conſtantiam, illis in locis ubi μαρτύρια, id eſt, *martyrum ſepulchra* & memoriæ, excitarentur. 3. Superimponebant illis menſam Euchariſticam, tanquam altare quoddam, undè poſteà dixère, *Miſſas* ſuper Martyrum memorias celebrare. Factum cum alluſione ad locum *Apoc.* VI. 9. ubi, aperto V. Sigillo, vidit Johannes *ſub Altari animas illorum qui mactati fuerant propter Verbum Dei*, &c. Nec jam Animas Martyrum adorandas, aut invocandas, minus Reliquiis vel Exuviis præſtito cultu; ſed quæ ipſæ Animæ *adorarent*; invocarent altâ voce Dominum, *verſu* 10. Dicuntur autem quieviſſe *ſub Altari*, myſtico & cœleſti, Chriſto Jeſu, *Hebr.* XIII. 10. cui μαρτυρίαν teſtimonium præbuiſſent, ſuâ morte, & ſanguine; ſub cujus oculis & præſidio tutò agerent; hinc emphaticè ἐσφαγμένων *ſub altari*, (alluſione ad Altare holocauſtorum, ad cujus pedes ſanguis victimarum effundebatur, *Ex.* XXIX. 12.) participes ita ejus *ſacrificii* quod in arâ Crucis oblatum; & *ſanctificata* non tam ſuâ, quàm Chriſti oblatione, uti *Altare* eſt quod ſanctificat oblatum, & quodcunque illud attingebat, *Ex.* XXIX. 37. *Nec ibi* (ad memorias Martyrum) *erigimus Altaria in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & martyrum, & noſtro, Sacrificium immolamus; Ad quod Sacrificium ſuo loco & ordine nominantur, nec tamen invocantur* Martyres, &c. ut multis Auguſtinus de *Civ. Dei* L. XXII. C. X. Et hinc Reliquias ſub Eccleſiarum *Altaribus* vel *Menſis* ſacris recondendi mos profluxit, de quo jam Ambroſius in *Epiſt.* Baſilicam dedicaturus Mediolanenſibus, circà A. CCCLXXXVII. *faciam* (inquit) *ſi Martyrum Reliquias invenero.* Quanquàm *Cœmeteria* illa in quibus Collectas inſtituebant primi Chriſtiani, non Martyrum propria, ſed fidelium omnium communia eſſent. Undè fruſtrà Doctiſſ. Valeſius, ut Baronium, Pamelium, Caſalium, alioſque taceam, hunc ritum ad *Reliquiarum* cultum traxit, *Annot.* in Euſebium, *pag.* 73.

4. Privilegium Martyrum, ſive Confeſſorum, qui in carceribus agerent, ut dare poſſent lapſis & pœnitentibus *pacis literas*, ſeu condonare pœnæ Canonicæ rigorem, & reconciliationem cum Eccleſiâ, ſuâ interceſſione, procurare. Undè poſtmodùm natæ *Indulgentiæ*, & interceſſio Martyrum habita tandem *meriti*, & *poteſtatis*. Quo de abuſu pluribus ad III. *Sec.*

Honos non habitus. Valeſius notatus.

V. Nihil verò hac adhuc Ætate, in genuinis quidem monumentis, de Reliquiarum *aſſervatione*, *adoratione*, collocatione ſub *Altaribus*, quod ſequentis Ævi, aut de factis ad illas *oblationibus*, votis. Nihil de Reliquiarum *inventione*, *revelatione*, *miraculis*, *efficaciâ* in morbis, in perſecutione, &c. Ut fruſtra Doctiſſ. H. Valeſius *Ann.* in *Euſebii* L. IV. p. 73. trahat ad *Reliquias Martyrum*, earumque aſſervandarum *ſtudium*, juxta morem *Catholicæ Eccleſiæ*, verba hæc Euſebii; fuiſſe multos ἐπιθυμοῦντας τὸ σωμάτιον αὐτοῦ (Πολυκάρπου) λαμβάνειν *deſiderantes corpus ejus auferre*, ut nempè à ſe honorificè ſepeliretur, atque ità κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ *communicare ſacro ejus cadaveri*, annuâ ad ſepulchrum recordatione. Nec aliter explicat in ſequentibus. Abſurdiſſimè etiam huc trahit Valeſius locum Pauli ad Romanos *Cap.* XII. 13. *Memoriis Sanctorum communicantes*; Quum ſit in Græco, ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων *neceſſitatibus Sanctorum* communicantes, vel eorum *indigentiæ*, communem quodammodò cenſum cum iis habentes, ut quoque legunt Syrus, Latinus Interpres, &c. Illud μνείαις, ſequiori ætate ob affinitatem vocis irrepſit, nec cohæret cum ſequentibus. Præterquàm τὸ, *memoriis Sanctorum communicare*, ſit non præſentium tantùm, ſed abſentium quoque meminiſſe: Nihil hoc profectò ad *Reliquias*. Imò ex eorundem ſtudioſâ ſepulturâ, intrà terræ viſcera, pari ritu quo ſepulti Chriſtianorum cæteri, contrarium planè colligitur. Ac factum demùm eſſe ſub Chriſtianis Imperatoribus, ut Martyrum Reliquiæ Altaribus ſupponerentur, ipſe Cardinalis Bona monet *Liturg. Lib.* I. C. XIX. Nihil etiam hac Ætate legimus, de defunctorum *invocatione* martyrum, aut religioſo cultu; *pro quibus* è contrà orabant, ut ſuprà fuſè ubi de *precibus pro defunctis*, *Cap.* III. ſub finem. Et verò ſufficiant *Smyrnenſes*, in laudatâ modò Epiſtolâ *pag.* 135. Edit. H. Valeſii: Qui nempè à Judæis quibuſdam obſervati, an defunctum Polycarpum, aut Reliquias ejus, cultu ſimili proſecuturi eſſent, monent disertè, ſe *unum Deum*, & *Dei Filium* σέβειν, προσκυνεῖν, *colere*, *adorare*; Martyres verò, ut Domini diſcipulos & imitatores, ſe ἀγαπᾶν ἀξίως *merito amore proſequi.* Addidit ſanè Ruffinus, præter Græcum textum, etiam τὸ *venerari*; mediâ voce, uti *veneramur* Senes, Presbyteros: Ad quas memorabiles voces nihil obſervavit H. Valeſius, qui aliàs locum attingit, *Notis* ad Euſeb. *pag.* 73. Quomodò Euſebius, *Lib.* VII. C. XIX. Chriſtianos περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας, ὃ θεοφιλοῦς ἕνεκεν, ἀποσώζειν σέβας, id eſt, *ſanctos viros venerari*, quemadmodùm & *Jacobi thronum*, ſeu ſedem Hieroſolymitanam, vel καθέδραν τῆς αὐτοῦ ἐπισκοπῆς, *Cathedram* in quâ ſederat Epiſcopus, in debito honore haberent, ſeu veneratione, pretio.

X. *Doctores & Scriptores Eccleſiaſtici hujus Seculi.*

Horum Catalogi, qui extant.

1. DOctorum omnium quotquot fuêre alicujus hoc Ævo nominis, in Eccleſiis *Aſianis*, *Africanis*, *Europæis*, prolixum & accuratum indicem, poſt Euſebium, Hieronymum, & vetuſtiores, ſcripſêre more ſuo Magdeburg. *Cent.* II. *Cap.* X. cum ſingulorum hiſtoriâ, ſcriptis, virtutibus, nævis. Præcipui verò qui *Patribus* vulgò accenſentur, vel *Scriptoribus* Eccleſiaſticis, ſcil. tranſmiſſis Scriptis aut Fragmentis ad noſtram ætatem, eo ferè quo claruerunt aut ſcripſerunt ordine, fuêre quos infrà deſignamus. De quibus eò breviùs, quò prolixiùs hæc opera occupata, noſtro etiam tempore (poſt notiſſima nomina Trithemium, Sixtum Sen. Poſſevinum, Geſnerum, Simlerum, Perkinſium, Bellarminum, Miræum, Scultetum, Labbeum, Halloixium in Vitis Patrum II. Seculi, Cotelerium in *Patribus Apoſtol.* & iſtorum compilatorem Natalem Alex. in *Hiſt.* quam vocat *Eccleſiaſt.* &c.) à Viris in hoc ſtudio conſummatiſſimis, Eliâ Du-Pino, in *Bibliothecâ Novâ* Scriptorum Eccleſiaſt. majori, quàm factum hactenùs eſt in Romanâ Communione, fide atque ingenuitate elaboratiſſimâ; Tùm à Caſimiro Oudino, in *Supplemento ad Bellarm.* de Script. Eccleſ. quod Vir Eximius multis partibus auctum, caſtigatum, emendatumque ad prælum paravit; Tandem à Viro Celeberr. Guilielmo Cave, in diffuſæ eruditionis Opere quod inſcripſit *Hiſtoriam Literariam.* Quibus adjungendus eſt Vir ſummus Jacobus Uſſerius, in iis quæ diſſertavit ad Scripta *Ignatiana*, *Polycarpi*, *Conſtitut. Apoſtolicas*, *Canones Apoſt.* & *Monumenta* quædam alia ſecundi Ævi: Nec tacendus Vir longè hodie Doctiſſimus, mihique conjunctiſſimus, Wilhelmus Wake, in *Apoſtolicis* quos vocat *Patribus*, Barnabâ, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Hermâ, quorum Anglicè edidit quæ extant, & de ſingulis eruditum judicium tulit. Hìc modò paucis ſubjicimus eos Scriptores qui Eccleſiam ſecundo Seculo illuſtrarunt, controverſos nonnullos licet, v. gr. *Epiſtolas* Ignatii, *Hermæ* Paſtorem,

rem, ne quid ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam hac parte deſit.

Ignatius. 11. *Ignatius* Epiſcopus vel Præpoſitus Eccleſiæ Antiochenæ, Apoſtolorum diſcipulus & auditor, martyr ſanctiſſimus, ut ſuprà viſum. Hunc in Scriptoribus Eccleſiaſticis habent Veteres omnes, antè & poſt *Euſebium*; Quales *Irenæus*, *Lib.* v. C. xxviii. (qui tamen *dicti* Ignatiani tantum meminit, ut ſæpè alias mentio *dictorum* Chriſti, & virorum Apoſtolicor. ex traditione ἀγράφῳ, falſo in Vindiciis Ignatian. Pearſono) *Origenes* Homil. vi. in Lucam, Athanaſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus, &c. Ac iſtius quidem Epiſtolæ *ſeptem*, ſaltem *ſex* ex illis, præ reliquis, à pluribus approbantur, Petavio, Uſſerio, Voſſio, Grotio, Heinſio, Hammondo, Pearſono, Anglis communiter, nec Riveto repugnante. Sunt illæ nempè, ad *Romanos*, ad *Epheſios*, ad *Magneſios*, ad *Trallianos*, *ad Philadelphenſes*, ad *Smyrnæos*, & in ſpecie ad *Polycarpum*. Quam tamen poſtremam in genuinis non habet Uſſerius Armach. & ad *Polycarpum* cenſeri directam *Epiſt. ad Smyrnenſes*, quorum hic erat Epiſcopus, undè *ſex* tantùm Ignatianas cenſet, Diatr. de Ignatii Epiſtolis, *Cap.* 11. poſt Honorium Auguſtodun. in Libro *de Luminaribus Eccleſiæ*, & recentiores alios ab eo citatos. De quibus jam ſuprà, & inferiùs, ad Caput de Scriptis Suppoſititiis. Caſtigatiſſimæ autem editiones ſunt Uſſerii illæ, & Iſaaci Voſſii ex Codice Medicæo. Ac perſuaſum volunt hi Viri, viſas has ipſas Epiſtolas Irenæo, Origeni, Euſebio, Hieronymo; Memorari eaſdem Polycarpo, in genuina appendice Epiſt. hujus ad Philippenſes; Nihil in illis eſſe, quoad doctrinam, diſciplinam, ritus, hiſtoriam, imò nec phraſim, quod ſit ab ætate Ignatii, id eſt, à primordiis Seculi 11. alienum; Nec Gelaſii eſſe *Decretum* illud de Apocryphis, in Synodo vulgò Romanâ, nec Nicephori eam *Stichometriam*, in quâ Ignatiana in *Apocryphorum* claſſe reponuntur: Et quæ alia videri poſſunt in *Vindiciis Ignatianis* Illuſtris Pearſoni, J. Dallæo oppoſitis. Contrà Salmaſii, Blondelli, Dallæi, Larrocani hujus vindicis, aliorum non infimæ notæ, parùm faventia *Epiſtolis* Ignatianis judicia, in vulgus nota ſunt; Eſſe nempè in iis plurima quæ Ignatio poſteriora videantur; v. g. *Phraſeologia*, Ignatii Θεοφόρου, à Domino ſcil. in ulnas ſuſcepti; ἱερέως pro Presbytero; Ἀρχιερέως pro Epiſcopo; αἱρεσιώτου pro hæretico; aliæ multæ loquendi formæ, à gravitate Scriptoris alienæ: Sic *facta*, ut quod *Paulum* pro *conjugato* habeat; Quod Chriſtum à ſe *viſum in carne* aſſeveret; quod Chriſtus poſt reſurrectionem *biberit*; alia plurima à Dallæo caſtigata: Sic *Hæreſes* haud obſcuræ memoratæ, poſteriores Ignatio, ut Saturnini, Valentini, Theodoti, Patripaſſianorum, &c. Sic *Ritus*, & alia Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, quæ vix fuiſſe primæ illius Ætatis, ex ſuperioribus intelligitur, v. gr. Quadrageſimam, Jejunium Sabbati, Feſtorum obſervantiam, &c. Sic Ordines Oſtiariorum, Lectorum, Cantorum, Copiatarum, Exorciſtarum; Cumprimis Epiſcoporum illum, poteſtate, dignitate ſuprà Presbyteros, &c. illos loco *Dei*, *Chriſti*, eſſe, Presbyteros longe inferioris ordinis & gradus. Quanquàm non neſcimus multa paſſim excipi, non ab Halloixio tantùm, & ejus farinæ hominibus, ſed & ab Uſſerio, Hammondo, Pearſono, Dodwello, Cave, Viris ſanè Doctiſſimis: Ut hic ſapere quemvis pro ingenio ſuo, & pro Hypotheſi quam tuetur, faciles patiamur.

Polycarpus. *Polycarpus* Smyrnenſis Epiſcopus Eccleſiæ, & Martyr ſub M. Aurelio, minimè ſub Gordiano, ut abſurdè Socrates Hiſtor. de quâ re jam ſuprà. Ejus ſupereſt Epiſtola inſcr. *ad Philippenſes*, (nam plures ab ipſo conſcriptas *Epiſtolas*, teſtatur Irenæus, apud Euſebium, *Lib.* v. C. xx.) edita Græcè & Latinè Pariſiis, Baſileæ, Argentinæ, Duaci, Oxonii, Helmſtadii, Leydæ 1685. laudatâ Irenæo, Euſebio, Hieronymo, Photio, & olim publicè lecta ab Aſianis, teſte Hieronymo in *Catal.* Nec in hac quicquam quod à ſimplicitate, aut ſanctitate ejus Ævi recedere videatur, nec quoad materiam, nec quoad phraſim; dùm v. gr. Deum vocat παντεπόπτην, voce & Clementi uſurpatâ; ſic dùm *viduas* vocat θυσιαστήριον Θεοῦ, *Sacrarium* vel *Altare Dei*, quam vocem ex Polycarpo uſurparunt Pſeudo-Clemens in *Conſtit.* Pſeudo-Ignatius, in Epiſt. ad *Tarſenſes*. Vide de hac *Ep.* Notas Uſſerii, Patricii Junii, & illas Steph. le Moyne, Collegæ noſtri conjunctiſſ. cum ampliſſima Præfatione, in quâ Doctiſſ. Rullæi errorem, qui annexam in Biblioth. Laurentianâ Epiſt. Barnabæ pro continuo textu Polycarpi ſumpſerat, ſeveriùs caſtigat: Quod verò in quibuſdam Codd. Latina quædam ad calcem ſubjiciuntur, quæ Uſſerius edidit, undè colligit Vir ſummus, *vixiſſe jam Polycarpum*, *quum Paulus ad Eccleſias ſcriberet Epiſtolas*, *licet Chriſto nondùm nomen dediſſet*, (quo evaſerit *centenario* multò major) hoc ipſo habentur nobis ſuſpectæ fidei. De laciniâ Græcâ, ad calcem itidem Epiſtolæ, in quâ Polycarpus meminit tranſmiſſarum ad Philippenſes τῶν Ἐπιστολῶν Ἰγνατίου, non unum judicium eſt, quamvis extent hæc ipſa Græcè apud Euſebium *Hiſt. Lib.* iii. C. xxxvi. Plura quidem Polycarpo tributa ſunt Scripta, & Fragmenta, de quibus Halloixius, in *Vitis* Scriptorum Eccleſiæ Orient. *Tomo* i. in Vitâ Polycarpi, C. xvi. teſtibus Hieronymo, Maximo, Bedâ, Adone, Suidâ, de quibus altum apud vetuſtiores ſilentium eſt. Acta *Pionii* nomine vulgata, ejuſdem ſunt farinæ cum Actis reliquis, quæ in Menologio Græcorum, & Collectionibus aliis.

Papias Hierapoleôs in Phrygiâ Epiſcopus, creditus Joh. Apoſtoli auditor, ex Irenæo, aliis Johannis τοῦ πρεσβυτέρου, aliis etiam Petri, Clementis. Certè familiarem ſe dixit, & normam fidei accepiſſe, ἀπὸ τῶν Ἀποστόλοις γνωρίμων, uti idem Sodalis Polycarpi, apud Euſebium L. iii. C. xxxix. Vir *modico judicio*, Euſebio teſte, *proclivior* ad credendum Epiphanio, parens *traditionum* incertarum, ac *fabularum* complurium. Aliàs Vir λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων, apud eundem Euſebium, *Lib.* iii. C. xxx. ſcripſitque τῶν Λογιῶν Κυριακῶν ἐξήγησιν, *Libris* v. cujus nihil ſupereſt. Sed errorum poſtulatus, ut aſſerti Regni *millenarii*; & *fabellarum* v. gr. de Judâ proditore, ſuſpendio ſuo ſuperſtite; de filiabus Philippi Apoſtoli; de Marco Euangelium ſuum Romæ ſcribente, &c. Fabula eſt, Papiam hunc fuiſſe Angelum Eccleſiæ Pergamenſis, *Apoc.* ii. Ac nimio affectu hujus Papiæ cauſam agit Halloixius Jeſuita, in Vitis Græcorum Patrum, *Tomo* i. Martyr fertur ſub M. Aurelio Imp. & noſtrum aliàs de Papiâ judicium dedimus in Diſſertat. Hiſtoricarum *Quaternione*. Papias.

Hermas, aliis creditus frater Pii P. ſub M. Aurelio, aliis verò & Doctiſſimis, (quos inter Guil. Cave, tum & Guil. Wake Diatr. de *Herma Paſtore*, poſt Hammondum, Pearſonum, Dodwellum, &c.) ille de quo Paulus, *Rom.* xvi. 14. Librum ſcripſit ſub titulo *Paſtoris*, quem *Scriptura* nomine citant Irenæus, Clemens Alex. obſervante & Euſebio, *Lib.* v. C. viii. ut quem καὶ ἀποκάλυψιν ſcripſiſſe crediderunt. Sed præter diverſiſſima judicia Tertulliani, Origenis, Hieronymi, &c. ſaltem interpolatum eſſe multis partibus, qui *Hermæ* & *Paſtoris* nomine hodie inſcribitur, ac Latinè tantùm extat, in confeſſo eſt. Vide Guil. Cave de Hermâ diſſerentem, in *Hiſt. Literariâ*, p. 20. 21. Hermas.

Quadratus Athenienſis Eccleſiæ, poſt Publium, Antiſtes, Vir *excellenti ingenio*, ita Hieronymus, imò *prophetico charisмate* ornatus, apud Euſebium, Quadratus.

Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt. L. III. C. XXXIII. ac ipſe quoque ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων ἀκουστής, ut idem Euſebius in *Chron.* ac primi ordinis inter Succeſſores Apoſtolorum. At precariò nonnulli, *Philadelphenſis* eum Eccleſiæ Angelum cenſuerunt, de quo *Apoc.* III. Apologiam hic pro Chriſtianis, dilutis calumniis Gentilium, obtulit Hadriano Cæſari, laudatam Euſebio; qui & refert apud ſe & alios extitiſſe illud ipſum σύγγραμμα, *Lib.* IV. C. III.

Juſtinus M. *Juſtinus Martyr* Neapoli Palæſtinæ oriundus, ex Philoſopho Platonico Chriſtianus, Romæ decertans pro Chriſtianâ fide; inprimis commiſſus cum *Creſcente* Philoſopho Cynico, quem dum liberiùs & falsè perſtringit, tandem ab hoc delatus ad Imperatorem, *martyrium* ſubiit. Veriùs mortuus cenſendus eſt, ſub M. Aurelio, quàm ſub Antonino Pio, de quâ re ſuprà, *Cap.* IX. Epiphanius perperam ſub *Hadriano* locat. Scripta ejus intercidêre plurima, uti adversùs *Hæreſes*, adversùs *Marcionem*, Commentarius *in Hexaëmeron*, alia de quibus laudata Nomina. Sic affictа per fraudem *Juſtino* fuiſſe plurima, ut ſunt *Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos*, ſic aliæ *ad Græcos*, Expoſitio Fidei *de S. Trinitate*, &c. ſumma hodie conſenſio eſt, quicquid ſecùs de priori Scripto ſenſerit Photius, *Cod.* CXXV. Superſunt genuina, *Apologiæ duæ*; de quibus ſuprà, *Dialogus cum Tryphone Judæo*, *Epiſt. ad Diognetum*, inter præceptores M. Aurelii, &c. Errores *Juſtini* Hiſtoricos, de *Simone Mago*, pro Deo Romæ culto, de Moſe, Davide, &c. Philologicos, ex ignorantiâ Hebraici ſermonis; Theologicos de Deo, Angelis, Animabus ſeparatis, Libero Arbitrio, Regno millenario, Chriſto ἀπὸ μέρους cognito Gentilium Philoſophis, &c. alii jam obſervarunt, qui de Patrum, in ſpecie Juſtini, erroribus ac nævis.

Melito. *Melito* Aſianus, Sardenſis in Lydiâ Epiſcopus, florens ſub M. Aurelio Antonino Imper. quo tempore Apollinaris, Antiſtes Hierapolitanus fuit. Hunc perperàm *Eunuchum* paſſim vocant Veteres, quia ſtatu *Cælibem*. Eidem varia ſcripta ab Euſebio & Hieronymo tributa, dogmatica, & hiſtorica, enarrata Euſebio *Lib.* IV. C. XXVI. Inter cætera eminuit *Apologia* pro Chriſtianis, exhibita M. Aurelio, cujus fragmentum apud eundem Euſebium, *Lib.* IV. C. XXVI. Scripſiſſe fertur & Libros II. in cauſâ *Paſchali*, pro Aſianis, quam Polycrates cum ſuis tantis animis egerunt. Sed & idem Melito Catalogum Librorum Canonicorum Vet. Teſt. contexuit, in *Epiſt.* ad Oneſimum, quam exhibet dicto loco Euſebius, planè eundem cum noſtro Canone; niſi quod *Eſtheram*, & *Nehemiam* prætermiſit, hunc fortè comprehenſum ſub *Eſdræ* nomine, ac Proverbia *Sapientiæ* quoque nomine (ut Irenæus & alii) deſignavit. Fragmentum aliud ex eodem Melitone, id eſt, ex ejus Apologetico, exhibet Chron. Alexandrinum, *Olymp.* CCXXXVI. *pag.* Ed. R. 269. Liber de *Tranſitu Mariæ*, ſuppoſitus Militoni eſt, ut infrà *Cap. ſeq.*

Athenagoras. *Athenagoras* Athenienſis, ex Philoſopho Presbyter Chriſtianus, ſub M. Aurelio Antonino, & Lucio Vero, aliis Commodo, Imperatoribus: Cujus ſupereſt *Legatio* ſive *Apologia* pro Chriſtianis, de quâ jam antè; in quâ Chriſtianos à *tribus* potiſſimum criminibus purgat, ſcil. ab *atheiſmi* illo, quem retorquet in Gentiles, & Gentilium Deos; ab imputatâ *anthropophagiâ*; & ab *impudicâ Venere*. Ejuſdem extat *Oratio* de Reſurrectione mortuorum, quam valdè probabilem Gentilibus facit, & undè Methodius apud Epiphan. *Hær.* LXIV. contrà Origeniſt. de Reſurrectione diſputans, tùm Photius quædam excerpſit *Cod.* CCXXXIV. Quæ verò feruntur Latinè ut ejuſdem Athenagoræ, *de vero & perfecto Amore*, noſtro abjudicarunt Viri Docti, & omnium inſtar Vir ſummè Doctus Pet. Dan. Huëtius, in Diatriba Gallicè ſcriptâ, de Fabularum Romanenſium origine, quæ Latinâ veſte donavit Guil. Pyrrhus. Ejus verò Athenagoræ nec Euſebius, vel Hieronymus, vel Veterum alii meminerunt. Ὁμῆλιξ videtur fuiſſe Melitoni, Apollinari, aliis tamen junior habitus.

Hegeſippus ex Hebræo Chriſtianus, Euſebio teſte, clarus aliis ſub A. Antonino, aliis ſub Commodo Imp. & Irenæo æqualis, ſecundùm Doctiſſ. Valeſium, etiam Aniceto Rom. Epiſcopo familiaris. Hujus memorantur apud Euſebium, & Hieronymum; Ὑπομνήματα Ἐκκλησιαστικῶν Πράξεων, ſeu *Libri* V. *Actuum Eccleſiaſticorum*, quorum præter fragmenta Euſebiana pauca, (ut *Lib.* II. C. XXIII. *Lib.* III. C. XX. & XXXII. *Lib.* IV. C. VIII. XXII.) nihil ſupereſt. Photius etiam quædam recenſet ex *Steph. Gobaro* Tritheitâ, God. CCXXXII. N. 13. Nec confundi cum Pſeudo-Egeſippo debet, ſcriptore de *Bello Jud.* ſeu *Excidio Urbis Hieroſolym.* qui videtur natus ex *Joſippo*, de quo nuper Colomeſius, Cave, poſt Voſſium, Gronovium patrem, &c. Hegeſippus.

Theophilus Epiſcopus Antiochenus ordine VI. ſcribens ſub M. Antonino Vero Imper. vel potius ſub Commodo, Vir multiplici eruditione; defenſor fidei Catholicæ, contrà calumnias Gentilium, & Hæreſes Hermogenis, Marcionis, &c. Periêre ſcripta quorum Euſebius, & Hieronymus meminerunt; præter *Libros tres* ad Autolycum, de *Fide Chriſtianorum*, qui Græcè & Latinè extant. Ac quum primò hæſiſſet in Articulo de *Reſurrectione*, Philoſophicis præjudiciis imbutus, poſtmodùm acquievit veritati Scripturarum ex ejus *Lib.* I. & II. Interim in capite de generatione τοῦ Λόγου præiviſſe Ario viſus; parùm & felix Criticus. Ità *Eden* ſignificare τροφὴν *verſionem*; ſic nomen *Chriſti* videtur a χρηστῷ deduxiſſe, undè alluſio in vocibus εὔχρηστος, ἄχρηστος, *Lib.* I. p. 4. Primus eſt, antè Africanum, & Euſebium, qui Hiſtorica ferè tractat, & Chronologiam ab Orbe Cond. complexus eſt, *Libris* II. & III. undè Lactantius *Lib.* I. de Falſâ Rel. vocat *Librum de temporibus ad Autolycum*. Clar. Dodwellus autem negat eundem eſſe cum *Theophilo*, in Antiochenor. Epiſcoporum ordine *ſexto*, Additamentis ad Reverendiſſ. Pearſoni *Diſſert.* I. *Caput* II. de Succeſſione primor. Epiſc. Urbis Romæ. Conjectura ejus indè potiſſimùm nata, quia *Libro* III. ſub finem, videtur *Perſecutionem* memorare ἕως τοῦ δεῦρο, quæ fuerit illa *Severi* Imperatoris, ut ita poſt annum CCIII. ſcripſerit. Sed nihil neceſſe eſt reſpexiſſe ad eam Perſecut. quum nunquam defuerint, nequidem ſub Commodo, qui odio in Chriſtianam religionem, & Spiritu perſecutionis ferrentur, quanquam nullo Edicto Imperatorum. Theophilus Antioch.

Irenæus Polycarpi in Aſia, primâ ſuâ ætate, auditor ut ipſe Irenæus Lib. III. C. III. etiam Papiæ apud Hieronymum, *Catal.* in *Papiâ*. Lugdunenſis dein Eccleſiæ Presbyter, Photino ejuſdem tùm Epiſcopo; hinc delegatus à Gallicanis Eccleſiis ad Eleutherum, ſi Hieronymo fides eſt, imo ad Eccleſias Aſianas; poſtea Photini, martyrio ſublati, in Epiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſor, ſub M. Aurelio Antonino; ac tandem Martyr ſub Severo Imp. ut plerorumque ſententia fuit, negante Clariſſ. Dodwello, *Diſſert.* III. *in Iren.* qui mortuum cenſet antè perſecutionem Severi: Vide fusè hac de re diſſertantem, p. 260. 261. &c. Magni certè habitus eſt in Eccleſiâ, & ab Euſebio dicitur πρώτην τῶν Ἀποστόλων κατειληφὼς διαδοχήν, *Hiſt.* L. V. C. XX. ab Hieronymo Vir *Apoſtolicus*, *Apoſtolicorum temporum*, Ep. XXIX. & aliàs à Baſilio, ἐγγὺς τῶν Ἀποστόλων *non longè ab Apoſtolorum temporibus*, à Theodoreto, διάδοχος τῶν Ἀποστόλων *ſucceſſor Apoſtolorum*, & ſic alii. Irenæus.

Intercidêrunt varia hujus Doctoris ſcripta, præter *Libros* V. *adverſus Hæreſ.* cumprimis *Valentini* & *Gnoſticorum*. Quin *Græcè* ſcripſerit dubitare nos non

finunt, contra Eraſmum, Irenæi natales, educatio, phraſis Græcanica, Græca fragmenta, item Hieronymus, Epiphanius, Photius, ac Verſionis character, perantiquæ ſanè. Nævos Irenæi *Hiſtoricos*, qualis ille circà ætatem Chriſti paſſuri, ex impetu refellendi Gnoſticos, *Lib.* II. C. XXXIX. Sic *Grammaticos* ex Linguæ S. ignorantiâ, in nominibus *Adonai*, *Sabaoth*, *Jaoth*, *Jeſus*, *Satanas*, &c. *Dogmaticos*, v. gr. *Dominum* Deo Patri commiſiſſe agnitionem *illius diei & horæ*, ſc. Judicii, L. II. C. XLIX. Sic errores de Animâ ſeparatâ, retinente characterem Corporis; de Viribus Naturæ ad bonum ſalutare; & alios ac eoſdem ferè cum Juſtino M. cùm Feuardentius ipſe paſſim obſervavit, tum in noſtris Scultetus, in *Medulla*, Dallæus de *Uſu Patrum*, quos adi.

Clemens Alex.

Fl. Clemens Presbyter *Alexandrinus*, patriâ tamen Athenienſis creditus, clarus ſub extrema hujus Seculi, magni Pantæni auditor & ſucceſſor, itemque præceptor Origenis, *Stromateus* etiam nuncupatus à *Stromatum* Libris, qui primas tenent inter Clementis Scripta. Claruit poſt annum Chriſti CXC. mortuus ſub extrema Caracallæ, anno non ità certo. Fervente perſecutione ſub Severo, in Orientem & Hieroſolymas ſe contulit. Vir ad miraculum doctus, quod vel illud ipſum *Stromatum* Opus, ex omni eruditione variè contextum, undè illi nomen, abundè probat. Interciderunt autem ejus ſcripta benè multa, quæ videri poſſunt apud Du-Pinum, Cave, &c. inter alia Ὑποτυπώσεων *Libri* VIII. de quibus parùm favens eſt *Photii* judicium *Cod.* CIX. & undè excerpſit quædam Euſebius: V.g. *Lib.* I. C. XII. *Petrum*, cui Paulus Antiochiæ κατὰ πρόσωπον reſtitit, fuiſſe Petro Apoſtolo ὁμώνυμον, unum ex LXX. Diſcipulis: Sic *Lib.* II. C. I. IX. XV. de *Jacobo* qui electus fuerit in Epiſcopum Hieroſolym. de *Petro* & *Marco* qui Romæ fuiſſent, ille Simoni Mago opponendus, hic Euangelium ſcripturus ad inſtantiam Romanorum, &c. de quâ re nos ſpecialibus *Diſſertation.* Alia quoque eidem ſuppoſita, & ut videtur Latinus Commentarius in *Epiſt. Canonicas*, qui extat T. III. Biblioth. Patrum. Nonnulli verò Viro tanto *errores* condonantur, quos nec mordicus defendit. Quales rursùm, vel *Hiſtorici*, inter alios de Semiramide reginâ Ægypti; de Moſe qui anteà ſit vocatus *Joachim*; de Salomone, genero Hirami; de Amos Proph. patre Eſaiæ; de tempore Paſſionis Chriſti, anno ejuſdem XXX. ſic de Traditionibus variis quas pro Apoſtolicis habuit, ut & de *Carminibus Sibyllinis*, & quæ *Hyſtaſpis* nomen præferunt, ab ipſo ſcil. *Paulo* commendatis, L. VI. Strom. Vel *Dogmatici* errores; de Angelis corporeis qui ad mulieres defecerint; de Salute Gentilium quibus Philoſophia fuerit neceſſaria εἰς δικαιοσύνην, utilis πρὸς τὴν θεοσέβειαν, & Pædagogus ad Chriſtum; de Libero Arbitrio & viribus Naturæ ad bonum ſalutare; de locali Chriſti Deſcenſu ad Inferos, ut multos indè ſervaret qui in eum crediderunt; de Pœnis Inferni purgatoriis, & deſituris aliquando, &c. paſſim in *Stromat.* & *Pædagogo*.

Tertullianus.

Septim. Florent. Tertullianus, Carthaginenſis Afer, JCtus & Cauſidicus, (hinc plura ejuſdem credita reſponſa in Pandectarum libris) poſt Chriſtianam fidem amplexus, ex quo illam habuit *in comperto*, ut *Apol.* C. I. id eſt ejus integritatem, ſanctitatem; dehinc *Presbyter* Carthagine factus, undè ſe à Laicis diſtinguit non ſemel; ſub initia quidem Severi Imperatoris, (tradente Hieronymo) florere inter Chriſtianos cœpit, nempè poſt Annum Domini CXCII. Latinorum hic Patrum ut primus ordine (nec enim tranſmiſſum ad poſteros quicquam vel *Victoris* Epiſcopi Romani, vel *Apollonii* Senatoris, quos præmittit Hieronymus in *Catal. Script. Eccleſ.*) ſic eruditione, acumine, eloquentiâ, acer cumprimis ac vehemens, rebus ac ſententiis ubique denſus, pietate flagrantiſſimus, ingenio autem & moribus auſterus, hinc facilè in *Montani* auſteriorem diſciplinam pertractus. An nupſerit antè fidem Chriſtianam ſuſceptam, *conjugii* autem uſu ſe continuerit poſteà, ut Pamelius, Baronius, ex nullis Tertulliani locis colligitur; imò verò contrarium evincunt, vel ex ejus *Libris* ad Uxorem, Viri Doctiſſimi, & eos inter Rev. Allixius, de Tertulliani *Vitâ* & *Scriptis*, Cap. II. Libri quos adhuc *Orthodoxus* ſcripſiſſe videtur, quanquam annus, quo palàm ad Montani diſciplinam defecerit, dubius & controverſus ſit, ſunt *Ex. gr.* Liber de Baptiſmo, de Pœnitentiâ, de Oratione, Adverſus Judæos, de Præſcriptione Hæreticorum, &c. quem poſtremum ſcripſiſſe Tertullianum non Montaniſtam, docent illa *Cap.* LII. ubi *blaſphemiam* vocat, docentes *in Apoſtolis Spiritum quidem S. fuiſſe*, *Paracletum non fuiſſe*, & *Paracletum plura in Montano dixiſſe*, imò *meliora atque majora*, *quàm Chriſtus in Euangelium protuliſſet*. Niſi cum Doctiſſimo Viro cenſeas hæc non eſſe Tertulliani, ſed alterius qui de *Hæreticis* ſcripſit, edito eorum *Catal.* quæque ob affinitatem argumenti Tertullianeæ Præſcriptioni ſint annexa; quod videtur probari ex *Codice Agobardi*, in Biblioth. Regiâ, ubi Liber ille de *Præſcriptione Hæret.* XLV Capitibus tantùm conſtat. Sed potuit Tertullianus attexuiſſe, illi ipſi Libro, hunc *Catalogum Hæreticorum*, quos generali Præſcriptione ſubmovendos cenſuerat; de quo vide Rigaltium, ad *Cap.* XLV. contrarium ſentiente R. Allixio *Cap.* X. Sic Vir idem Doctiſſ. *Apologeticum* Tertulliani, quem alii ad anteriora removent, contendit ſcriptum A. CCXVII. dudùm poſt Severi mortem; eodemque tempore quo Libellus ad *Scapulam* Africæ Proconſulem, & *Libri ad Nationes*, ſub vitæ finem ſcripti. Quam litem noſtram non facimus. Libri autem quos *adverſus Eccleſiam* ſcripſiſſe dicit Hieronymus, quique læſerunt non fidem, ſed Eccleſiæ diſciplinam, fuêre: De *Pudicitiâ*, de *Jejuniis*, de *Monogamiâ*, de *Fugâ in perſecutione*, de *Ecſtaſi*. De cætero præter errores *Hiſtoricos* Tertulliani, v. gr. de *Jobo* orbo à reſtitutione; de *Chriſto* paſſo ætat. A. XXX. &c. ejus *Theologicos* alios de *Deo* corporeo, humanis affectibus obnoxio, &c. de *Filio*, qui ſit *derivatio & portio* ſubſtantiæ Patris; de Spiritu S. qui tertium *gradum* vel *locum* ſit conſecutus; de *Angelis* amore mulierum captis; de *Animâ* corporeâ, ex traduce; de *Baptiſmo Hæreticorum* pro non baptiſmo habendo; de *Animarum* è corpore migrantium *Statu noviſſimo*; de Regno *millenario*, &c. collegerunt olim Magdeburgenſes, & deinceps Jacobus Pamelius in *Paradoxis* Tertulliani, Scultetus noſter, Dallæus de Uſu Patr. *Lib.* II. p. 259. & ſeq. & qui plures alii. *Vitam* Tertulliani, ſeu Hiſtoriam XXIV. annorum, concinnavit Pamelius; *Vindicias* Tertulliani prolixas dedit Georgius Ambianenſis; *Genium* ac laudes Nicol. Fayollius Gallus; ac de ejuſdem *Scriptis* prodiit nuper limatiſſimum judicium Petri Allixii, Miniſtri nuper Pariſienſis.

Mittimus *Tatianum*, *Muſanum*, *Bardeſanem*, *Pinytum*, *Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum*, *Polycratem*, *Apollinarium*, *&c.* de quibus Euſebius, inprimis *Hiſt. Lib.* IV. & Hieronymus in *Catalogo*, tùm qui de *Scriptoribus* Eccleſiaſticis noſtrâ ætate commentati ſunt, Du-Pinus, Cave, &c. Ac paſſim nos ſuprà, & Commentario de *Petri* in urbem Romam profectione. Cæterùm quàm parùm ſit in his omnibus Scriptoribus, ut *Arii*, *Socini*, & ſequacium dogmatis, ſic hodiernæ *Latinorum* cauſæ præſidii, in Doctrinâ, Cultu, Ritibus, Diſciplinâ, ex parte indicatum ſuprà fuit. Ac faſſi ſubindè Doctiſſimi Pontificiorum; atque etiam ex profeſſo demonſtrarunt Magdeburgenſes *Cent.* II. Catalogus Teſtium Veritatis *Lib.* II. & III. Chemnitius, Cha- Scriptores alii hujus Sec.

mi-

mierus, Rivetus, Albertinus, Abr. Sculterus, Joh. Forbeſius, Dallæus de *Uſu Patrum*, ac Theologi paſſim.

Patrum hujus Ævi errores quæ excuſent.

Sed neque id prætereundum, quod à magnis in *Latinâ* & *Reformatâ* Eccleſiâ nominibus obſervatum eſt, veniam eo faciliùs impetrare Patrum hujus Ævi παροράματα quædam, vel ἀκυρόλογα, 1. Quod ſecuriùs antè exortas quaſdam Hæreſes, & ſciſſam iis Eccleſiam, & Capita quædam diligentiùs excuſſa, (uti factum in cauſâ *Arianâ*, *Macedonianâ*, *Pelagianâ*, &c.) locuti eſſe videantur.

In extrema ſæpè ut iverint.

2. Quod ſæpè in extrema quædam delati, ut fieri amat, in diſputationis æſtu, dum *Hæreſes* ſui temporis oppugnant: V. gr. Juſtinus Martyr, Irenæus, reliqui, dum *libertatem* humanarum actionum tuentur, contrà evertentes iſtam Gnoſticos: Sic Tertullianus, dùm *materiæ æternitatem* oppugnat, de Filio incommodè locutus, *Ario* quaſi præluſurus; idemque, dum *Praxeanam Perſonarum confuſionem* tollit, nimiam viſus diſtinctionem aſſerere, &c. 3. Quod falsâ opinione de Librorum quorundam (v. gr. *Sibyllinorum* Carminum quæ jam viderat Juſtinus M. vel etiam Traditionum v. gr. *Papianarum*, aut ſimilium, teſte Euſebio, *Lib.* III. C. XXXIX. & paſſim) auctoritate & veritate decepti, in *hiſtoricis* quandoque & *dogmaticis* impegerint. Hinc iſta, Animas demortuorum deferri εἰς ἀΐδαο δόμους; Sanctos, inſtauratâ Hieroſolymâ, regnaturos per annos mille; ſic multa de Paulo, Petro, Apoſtolis, vel dubia vel apocrypha, ab iiſdem (in ſpecie *Papiâ*, *Irenæo*, *Dionyſio* Corinthio, *Clem. Alexandr. Tertulliano*) commemorata, & ſuis locis à nobis caſtigata. 4. Quod recentes etiam ex *Platonicâ* Philoſophiâ, multa de Providentiâ, de Angelis, de Animabus, de Αὐτεξουσίῳ, ex principiis ejuſdem philoſophati ſint, quæ cum Scripturis Sacris, ut minùs eſſentialia Chriſtianæ fidei, nondùm ſatis contulerant. Vide quæ de hac re diximus, in Hiſtoriâ Vet. Teſt. ad Epocham VIII. *col.* 444. Hactenùs de Patribus ſecundi Seculi.

XI. *Scripta Apocrypha vel Suppoſititia, huic Ætati falsò adſcripta.*

QUibus potiſſimùm *Criteriis* τὰ γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων, *genuina* ſcripta à *ſuppoſititiis*, ſincera ab interpolatis dignoſci poſſint, nos quoque poſt viros Eruditos diximus, ſpeciali Diſſertatione, huic Novi Teſtam. Hiſtoriæ præmiſſâ.

Suppoſita jam hoc Ævo.

1. Neque hìc agimus de Scriptis hoc Ævo confictis, ſeu piâ quorundam, ſeu impiâ hæreticorum fraude, tanquàm quæ à *Patriarchis*, *Prophetis*, *Apoſtolis*, eſſent profecta, ac Clementi Alex. magnam partem approbata, damnata deinceps Gelaſio, in Concilio vulgò Romano, A. 494. Quibus accenſeri debent Carminum *Pſeudo-Sibyllinorum* Libri VIII. hujus Seculi fœtus, illorum qui amarunt ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συστῆσαι. Viſi utpotè hi Libri & laudati, quia in rem ſuam, Juſtino M. Irenæo, Theophilo Antiocheno, Athenagoræ, Clementi Alex. Tertulliano; quamvis *Acroſtichidos* de quâ Conſtantinus M. apud Euſeb. *Orat.* ad Sanctorum Cœtum, C. XIX. non meminerint. Seu jam profecti ex *Montani* ingenio, ut Capellus, Blondellus, & alii cenſuerunt, ob jactatum Spiritum Propheticum, & ob Phrygiam patriam, in quâ fuiſſent primi mortalium; ſeu conſuti ab alio quocunque, Ethnicis piâ fraude arguendis. Quo tempore *Sibyllina* Oracula, Romæ condita ab Auguſto Cæſ. duobus forulis auratis, ſub Palatini Apollinis baſi, flammis Neronianis pridem abſumpta eſſent; prout vetera Sibyllæ folia, in Æde Jovis Capitolini aſſervata, ſub cuſtodiâ *Decemvirûm*, unà cum Capitolio, igne conſumpta fuerant, Anno U. C. DCLXXI. Undè Romanis (Scriptorum iſtiuſmodi perquàm avidis, & extare adhuc illa Carmina, incendio ſubducta, ſibi perſuadentibus) facilè fuit fucum facere, & pro genuino Sibyllarum fœtu Libros *Carminum Sibyllinorum*, quales hodieque circumferuntur, incautis ſupponere. Quam fraudem ſubodoratus eſt ipſe Celſus, hinc Chriſtianos διασυρτικῶς vocans Σιβυλλιστὰς, apud Origenem; C. Celſ. L. V. p. 272. Et ſanè non hi Libri pro commendandis Gentilium Diis, & τῇ πολυθέῳ πλάνῃ, non de Ludis, Victimis, Sacris Jovis, Æſculapii, Apollinis, Cereris, Veneris, &c. ut Carmina quæ à Romanis aſſervata: Sed de Chriſtianorum Sacris, de Jeſu, Mariâ, Baptiſtâ, S. Triade; de Chriſti Morte, Deſcenſu ad Inferos, Reſurrectione, Aſcenſione in Cœlos, Miraculis; Regno, ſecundo Adventu, Signo ejus apparituro è Cœlo, quale Ἀστὴρ λαμπρὸς παμφαίνων ἀπ' οὐρανοῦ αἰγλήεντος, &c. Atque ex hoc ſuppoſititio fœtu, ceu fontibus lutulentum fluentibus, promanaſſe conſtat graviſſimos errores qui ſecundo Seculo à pleriſque Patribus adoptati: V. gr. de ſtatu *Animarum* poſt mortem; quæ recipiantur εἰν ἀΐδαο δόμοις, i.e. Tartaro, Loco ſubterraneo; De *purgandis* omnibus ultimo igne, fidelibus ipſis διὰ αἰθομένου πόλοιο, ἢ φλογὸς ἀσβέστου διελθομένοις; De Sanctis εἰς Παράδεισον poſt reſurrectionem corporum reducendis; tandem de *Chiliaſtarum* hypotheſi, quæ & Juſtini Mart. Irenæi, Papiæ, &c. Sed de his eſt aliàs diſſertandi locus, nec poſt Dav. Blondelli, & tot Eruditas Commentationes Capelli, Caſauboni, Salmaſii, Becmanni, Voſſii patris, Opſopæi, Petiti, &c. etiam noviſſimè Craſſeto Jeſuitæ à Cl. Markio oppoſitas, crambem hanc recoquimus. Vide etiam noviſſimam *Sibyllinorum* Carminum Edit. Servatii Gallæi, & illi annexas *Diſſertationes*.

Adſcripta falsò huic Ævo. Pſeudo-Ignatianæ Epiſt.

II. Illuſtriora verò hujus Seculi Nomina, ſub quibus edita deinceps Pſeudepigrapha, fuerunt: *Ignatius* Martyr, cui afficta *Epiſtolarum* ſi non prior Sylloge (quæ VII. complectitur Epiſtolas, aut veriùs *ſex* Ignatianas, *ſeptimâ* quæ ad Polycarpum ſuppoſititiâ juxtà Uſſerium, de quibus antè dictum) ſaltem Sylloge poſterior: In hac ſunt ſex Epiſtolæ aliæ; ſcilicet ad *Mariam* ex Caſtabalis, ad *Tarſenſes*, ad *Antiochenos*, ad *Heronem*, ad *Philippenſes*, ad *Polycarpum*, cordatioribus pleriſque pernegatæ eſſe Ignatii, quod fusè occupatum ab Uſſerio eodem, Dallæo præ cæteris; quibus accedit in novo Commentario de Script. Eccleſ. Oudinus modò noſter. Et hoc Epiſtolarum additamentum VI. vel VII. eſſe Seculi exiſtimatur, citante nemine antè Anaſtaſium Antiochenum, Joh. Damaſcenum, Stephanum Gobarum Tritheitam apud Photium, circà A. DLXXX. ac ſimiles. Sed & tres Latinæ hujus nomine inſcriptæ, *una* ad Mariam Virginem, *duæ* ad Johannem, ignoratæ Antiquitati, ac prodentes ſe indicio ſuo. Tres autem Ignatianarum Epiſtolarum *Collectiones* refert Uſſerius Armachanus, in ſuo de his Epiſtolis Commentario. Quarum *prima* fuerit, illa cujus meminit Polycarpus ad calcem *Epiſt.* ad Philippenſes, ſex Epiſtolas complexa: *Secunda*, quando non priores tantùm illæ à Græculis variè interpolatæ, mutatæ, amplificatæ fuerunt, ſed & totidem aliis auctæ, quæ ad priorem Syllogen acceſſerunt, quas modo recenſuimus: *Tertia*, quæ præter XII. illas Epiſtolas, habet tres alias adjectas, & *Latinas* quidem; duas ad *Johannem* Apoſtolum, præceptorem ſuum, quem *Sanctum Seniorem* dicit, tertiam ad *Mariam Virginem*, cum hujus ipſius reſponſoriâ Epiſtolâ. Et has, cum aliis aliquoties recuſas curante primùm Champerio, contendunt Caniſius, Halloixius, & alii videri tranſlatas in *Latinum* ſermonem, à vetere prio-

priorum Interprete; quum manifeſtò Latinam, & ſequiorem originem prodant. Omnes verò ad unam ſuppoſititias eſſe, etiam priores *ſex* vel *ſeptem*, ſed has tamen II. vel III. Seculi, crediderunt, poſt Gelaſium, Nicephorum Conſtantinopolit. & Anaſtaſium Bibliothec. Magdeburgenſes, Calvinus, Witakerus, Cocus, Caſaubonus, Salmaſius, Blondellus, Dallæus, Laroquius, & alii. Quâ de re non hîc diſſertandi locus eſt, arctiore hujus paginæ ſpatio, monendi hiſtoricè tamen locus fuit.

Melito Sardenſis, de quo antè, cujus nomine ut alia quædam edita, ſic Liber de *Tranſitu Mariæ*, ſeu de *Aſſumptione* illius Corporeâ, nempè omnium conſenſione Apocryphus. Hinc idem Liber etiam aliorum nomine inſcriptus, ut Hieronymi, Sophronii, Ildefonſi Toletani. Ac de ſuppoſitione nullum eſt hodie Docto cuiquam dubium, ne ipſi Baronio, & Μαριολάτραις. A Synodo Romanâ A. 494. *Liber* de *Tranſitu Mariæ* inter Apocryphos relatus; ſed qui eâ Ætate nondùm natus videtur, ut nec alia quædam Scripta, in eo *Decreto* expuncta; quod hinc incerti Auctoris, veriùs quàm Gelaſii, à magnis nominibus habitum. *Aſſumptionem* quamquàm Mariæ dixerunt, tempus *dormitionis*, *mortis*, *disjunctionis*, *tranſitûs*, *migrationis*, beatæ ἀναλύσεως, προσλήψεως, &c. (ut paſſim Veteres) animæ nempè in regna Cœleſtia ſublevatæ.

Hegeſippus Hiſtoricus, cui falsò inſcripti Hiſtoriarum Libri v. de *Bello Judaico & Excidio Hieroſolymit.* Latinus is ſcriptor, quem alii Ambroſium eſſe voluerunt, certè σύγχρονον, & eos inter Bartius in *Animadv. Lib.* XLVI. C. IV. & J. Fred. Gronovius, qui rem ex profeſſo agit in *Obſervat.* ad Scriptores Eccleſiaſt. E contrà illud de *Ambroſio* interprete, totum commentitium eſſe contendit pluribus Gerh. Voſſius, de Hiſt. Lat. *Lib.* III. p. 706. 707.

Juſtinus Martyr, cui affictacùm alia, tùm imprimis Liber *Quæſtionum* & *Reſponſionum ad Orthodoxos*; & *Expoſitio fidei de S. & Conſubſtantiali Trinitate*, &c. Quæ quarti, quintive Seculi eſſe conſentiunt in Pontificiis caſtris, Bellarminus, Sixtus, Poſſevinus, Petavius, Perionius, Labbeus, alii.

Theophilus Antiochenus, cui falsò tributum opus *Commentariorum Allegoricorum in* IV. *Euangelia*, Latinè extans in Biblioth. Patrum T. II. pridemque *Hieronymi* cenſurâ notatum; undè tamen tranſcripſit quædam in Commentar. ſuis.

Clemens Alexandr. cujus etiam nomine editæ *Adumbrationes* ſeu *Commentariola* in I. Epiſt. Petri, Judæ, & Johannis illas. Latinus fœtus in Bibliothecâ Patrum. Quamvis ſcripſiſſe hujuſmodi Commentarios referat Caſſiodorus, quos in Latinum Sermonem curavit transferri, de *Inſtit. Divin. Script.* C. VIII. Ut certè multa Clementis ſunt deperdita, ſic eô faciliùs fuit impoſtoribus abuti tanto nomine.

Tertullianus, cujus quoque nomen mentiuntur Tractatus Varii: Sic liber de *Trinitate*, Novatiano Presbytero pridem adſcriptus ab Hieronymo & Ruffino, & ſub ejuſdem nomine editus à Pamelio. In quo & locutiones ſunt, quas idem Pamelius in *Antidoto ult.* ab Arianiſmo vindicat. Sic Liber de *Pœnitentiâ*, quem Tertulliani eſſe negarunt Eraſmus, & Beatus Rhenanus: Quanquàm Tertulliani eſſe, antequàm Montani ſpiritu duceretur, conſentiant ferè omnes, & nuper Joh. Dallæus, de *Confeſſ. Lib.* III. *Cap.* IV. & P. Allix de *Scriptis Tertull.* *Epiſtola de Cibis Judaicis*, Novatiani veriùs, quàm Tertulliani eſt, Pamelio, Rigaltio, & reliquis aſſentientibus. Sic *Poëmatia* quædam, cùm elenctica adversùs Marcionem, *Libris* v. tùm hiſtorica, & moralia, de *Judicio Domini*, de *Geneſi*, *Sodomâ*; quæ Tertulliani non eſſe pridem judicarunt Viri Docti, & multis Rigaltius, Allixius quoque de Vitâ & Scriptis Tertull. C. x. qui adeantur.

Epiſcopi Romani, hujus Seculi, quibus ſuppoſitæ ſunt Epiſtolæ *Decretales*, majore inſcitiâ an impudentiâ dubium. Quod fere in confeſſo eſt apud *eruditos Catholicos*, ut illi, ibidemque ea decernuntur quæ poſterioris demùm ætatis fuêre: V. gr. in Eccleſiæ Diſciplinâ, de *Patriarchis*, *Primatibus*, *Archiepiſcopis*, *Metropolitanis*, *Sacerdotibus*; de *appellandâ Sede Apoſtolicâ*; de *Jejunio* VII. *Septiman. ante-Paſchali*; de *Celebratione Miſſarum*; de *Hymno Angelico*; de *Sacris vaſis non attrectandis* niſi à Sacratis hominibus; de *Tonſurâ Clericorum*, & *Habitu* eorundem; de *Virginibus antè* XXIV. *annum non conſecrandis*, &c. Ità in Doctrinæ capitibus, illud de *S. Trinitate* exertim, in Unitate Deitatis, ut eſt in Epiſt. Alexandri I. ad Omnes Orthodoxos, qui Alexander tempore Trajani Romanum Epiſcopatum geſſit. Et tamen ab Editoribus Conciliorum inſeruntur hæ locis ſuis Epiſtolæ, velut authenticæ, & in Notis Severini Binii iiſdem patrocinium quæritur, ſubindè apud ipſum Baronium, *Tomo* II. Annalium. In hoc ordine ſunt, *Anacletus*, cui Decretales Epiſtolæ III. in Collectione Pſeudo-Iſidori, affictæ; *Euariſtus*, cui tribuuntur ad Africanos & Ægyptios duæ; Uti *Alexandro* ad Univerſos tres; *Sixto* duæ; *Teleſphoro* unica, qui ſe *Archiepiſcopum* Romanæ Urbis cum Sixto & Pio, nominat; *Hyginio* duæ; *Pio* quatuor; *Aniceto* ad Gallos unica; *Soteri* ad Italos duæ; *Eleuthero* ad Gallos unica; *Victori* denique in cauſâ Paſchali, plures. Quas omnes, poſt Magdeburgenſes, ſigillatim expendit, & fictas ſexto, ſeptimo, aut ſequentibus Seculis, contrà Turrianum demonſtravit David Blondellus in *Pſeudo-Iſidoro*, quem adi. Sed & apocryphas Doctiſſimi in Pontificiis largiuntur, Cuſanus, Anton. Auguſtinus, Contius, Petavius, Sirmondus & cæteri quibus de meliore luto finxit Deus præcordia. Imò quandoque Baronius ipſe, citatus non ſemel Blondello. Nempè genuinæ nullæ Decretales, ità vocari placuit, antè *Siricii* Epiſtolas, poſt annum CCCLXXXV. à quibus & Collectionem ſuam incepit Dionyſius Exiguus. De illâ Pſeudo-Iſidori, circà tempora Ludovici Pii, prolixè laudatus Blondellus; & poſt eum Gerh. à Maeſtricht, Vir inexhauſtæ doctrinæ, in *Hiſtoriâ Juris Eccleſiaſt.* Nec horum labores aut Scripta compilamus.

De Epiſt. Decretalibus hujus Sec.

XII. *Concilia hoc Seculo habita, eorumque cauſæ.*

PRæcipuorum, certè quorum memoria ſupereſt, attendi ferè debent ſequentia:

I. *Occaſio*, eaque non una: I. *Hæreſes*, ut Heracleonis, Colarbaſi, Cerdonis, Marcionis, Theodoti Coriarii, Artemonis, &c. quarum occaſione habitæ Synodi feruntur, in partibus v. gr. Siciliæ, contrà Hæreſim *Heracleonis*, qui Baptizatum quemvis loco Sancti habebat, qualiscunque tandem eſſet, Alexandro adhuc Urbis Epiſc. Sic contrà Hæreſim *Colarbaſi*, in Myſiâ Mediterraneâ, Theodoto Pergami Epiſcopo Synodum cogente Pergamenam, A. CLII. Ità contrà Hæreſim *Cerdonis*, Apollonio Corinthiorum Epiſcopo hanc damnante, cum omni Synodo Orientali, ut Auctor de *Hæreſibus*, à Sirmondo editus *Libro* I. Speciatim Synodos exercuit Secta *Montani* & *Cataphrygum*, circà annum CLXX. graſſari cœpta, Aniceto vel potius Sotere Epiſcopo Rom. Si hæc tamen *Hæreſis*, in primo ſui ortu, dicenda fuit, quæ nonniſi auſteriorem diſciplinam, frequentiam jejuniorum, monogamiam, ac ſimilia obtenderet, nec recedente Tertulliano à Catholicâ doctrinâ, poſtquàm is Montaniſta factus. His

Occaſiones ex Hæreſibus, Schiſmatis.

igitur,

Digitized by Google

igitur, poſtquàm malum latè ſerpſiſſet, conjunctis ſuffragiis oppoſuerunt ſeſe pii Antiſtites, maximè in Aſiâ Epiſcopi, apud *Euſeb.* L. IV. C. XXVII. & *Lib.* V. C. XVI. XIX. Undè in Libello Synodico, jam Synodus celebrata *Hierapoli* Aſiæ civitate, Apollinari ejus Antiſtite, circà An. CLXXIII. contrà Montanum & Maximillam, ac ſimul *Theodotum* Coriarium; de quâ vide Stephan. Baluzium in Supplemento Concil. p. 6. 2. Inprimis verò occaſionem Synodis dedit Controverſia *Paſchalis*, quæ tùm de *die* ipſo celebrandi Paſchatis, tùm de *jejunio* ante-Paſchali, quod deinceps *quadrageſimale* dictum fuit.

Contr. de Jejunio & Die Paſchali.

Nam *Jejunium* hocce quod attinet, varia erat Eccleſiarum, ac fidelium praxis, ut ex Irenæo Euſebius, *Lib.* V. C. XXVI. Aliis *diem* unum ante-Paſchalem, aliis *biduum*, aliis *plures dies*, etiam *hebdomadem* totam jejunantibus, ut tamen ſub veſperam jejunium ſolveretur, fatente Valeſio, Notis ad Euſebium, *Lib.* V. C. XXIV. Sic fuêre qui *diem*, quo jejunabant, XL. horis diurnis nocturniſque metiebantur, ut ibidem Euſebius. Sic Tertullianus agnovit tres Jejunii ſpecies: Primam quæ in *abſtinentiâ* ab omni cibo; Secundam, quæ in parco, vel imminuto cibo, ut Xerophagia, quam *portionale* jejunium vocat; Tertiam, quæ Semi-jejunium dicta, ſeu Stationum. Dionyſius verò Alexandr. qui μέγας cognomento, poſt Heraclam in Sede Alexandrinâ Epiſc. addidit quartum genus, quod ὑπέρθεσιν *ſuperpoſitionem* vocat, ſecundùm quam jejunabant uſque ad galli cantum. At verò in nothis habemus, etiam illa quæ nuper publicata ſunt à Steph. Baluzio ex Concilio Cæſar. A. CXCVIII. ubi *in Italiâ* dicuntur jam tùm *alii plenos* XL. *dies jejunaſſe*, *alii dies* XXX. &c. Quod verò Judæorum *Therapeutarum* (de quibus Philo de *Vitâ Contemplat.*) jejunium, ad VII. ſeptimanas extenſum, huc quidam trahunt, planè eſt à re quæſitâ alienum. *Diem* verò feſtum quod ſpectat, omnes per Aſiam Minorem Eccleſiæ celebrabant XIV. *Lunâ*, ex antiquâ traditione, & Judaico more, & quidem prout à *Johanne* Apoſtolo acceperant, ad cujus praxim conſtanter provocarunt, & ad *Polycarpi* illam; ut conſtat ex duobus monumentis antiquis, anni (ut putatur) CXCVII. *Epiſt.* ſcil. Synodicâ ſcriptâ à Polycrate Epheſiorum Epiſc. ad Victorem & Romanam Eccleſiam, apud *Euſeb.* L. V. C. XXIV. quam Supplemento ſuo inſeruit Baluzius: Et *Epiſtolâ* alterâ Synodicâ Epiſcoporum Galliæ, apud eundem *Euſeb.* quam ab *Irenæo* ſcriptam plerique augurantur, in quâ licet accedant ad praxim in Rom. Eccleſiâ obſervatam, tamen pro Quartadecimanis adferunt *Polycarpi* & *Johannis* obſervantiam, tùm urgent rei ἀδιαφορίαν, quæ non ſit ex eorum genere quæ Eccleſiæ pacem & concordiam lædant. Quam & Syrorum, Meſopotamenorum, Cilicum praxim fuiſſe Uſſerius, Halloixius, alii, contendunt, negante Valeſio ad *Lib.* V. Euſebii, C. XXIII. Quum tamen Lunam XIV. non eandem celebrarint, pro vario Cyclo Paſchali quo utebantur; prout etiam initium menſis Paſchalis alii conſtituerunt in I. *Niſan*, Alexandrini in *Phamenoth* diem XXVI. vel XXIX. dein in I. *Pharmuthi*; Latini veteres in XX. Martii. Vide Diſſertat. noſtram de Cyclis Paſchalibus *Chronol.* P. I. C. XX. Contrà Romana Eccleſia, & cum eâ Eccleſiæ Palæſtinæ, Ægyptiæ, reliquæ ferè, *die Dominico* celebrandum cenſebant, qui proximè excepit Lunam decimam quartam; in memoriam Reſurrectionis, de quo & eſt Canon Apoſtolicus VII. ignotus hic tamen Aſianis & Orientalibus. Undè apud Euſebium L. V. C. XXIII. & in Actis Conciliorum, Synodus habita fertur *Cæſareæ* Palæſt. Theophilo urbis illius Epiſcopo, Severo imperante, circa A. CXCVIII. Cujus Synodi Acta ex MSS. Codd. nuper publici juris fecit St. Baluzius, ſed manifeſtò ſuppoſititia; nempè inter alia, *Victorem Rom.* dediſſe *auctoritatem Theophilo Cæſarienſi*, (quia tunc Hieroſolyma Metropolis non eſſet) cogendi Synodum, &c. Et nuper Schelſtratius Antiquit. Illuſtratæ, P. I. *Diſſert.* I. C. III. *Polycrati Epheſino Epiſcopo à Victore mandatum fuiſſe, quæ illi ex Apoſtolorum inſtituto competebat auctoritas, Concilii Aſiani convocationem.* Quod omninò non habet Euſebius, ſed tantùm Victorem & Romanam Eccleſiam ἀξιῶσαι *dignatos eſſe*, rogare *Polycratem*, cui id juris *ex Apoſtolorum inſtituto*, ut Epiſcopos Aſianos convocaret. Extat tamen particula Epiſtolæ Synodicæ à Theophilo ſcriptæ, contrà *Quartadecimanos*, qui cum Judæis XIV. Lunâ celebrabant, quæ laudata eſt Hieronymo, in *Catal. Scriptor.* & cujus Fragmentum exhibet Euſebius *Hiſt. Lib.* V. C. XXV. Undè acerrimæ tunc inter Eccleſias contentiones, in luctuoſum Schiſma erupturæ.

II. Loca Conciliorum varia habita. Cùm in *Oriente*, qualia fuerunt Concilia celebrata in Aſiâ, ut *Pergamenum* Anno CLII. *Orientale* A. CLX. Hierapolitanum A. CLXXIII. adverſ. Montan. *Ponticum* Palmâ Epiſcopo, A. CXCVII. circiter, *Aſiaticum* ſeu Epheſinum Polycrate Epiſc. circà A. CXCVIII. *Oſrhoënum* circà idem tempus, de quo *Euſeb.* L. V. C. XXIII. *Palæſtinum* ſeu Cæſarienſe, de quo modò dictum. Tum Concilia celebrata in *Occidente*; eaque vel omninò dubia, ut quod refertur à Steph. Baluzio, ex Auctore incerto *de Hæreſibus*, Concil. *Siculum*, A. D. CXXV. ſub Pontificatu Alexandri, qui tum pridem eſſe deſierat, de quo Pearſonus *Diſſert.* II. *Cap.* VII. Vel certiora: Ut ſunt *Romana* tria in cauſâ Paſchali, & *Gallicanum* ſeu Lugdunenſe, apud *Euſeb. Lib.* V. *Cap.* XXIII. & ſeq. ac dictum Auctorem Libri de Synodis, ſanè pleraque ſub finem Seculi II. Et in cauſâ Paſchali, tum contrà Hæreſes, præcipuè *Montani* & *Maximillæ*, qualia fuêre Concilia Hierapolitanum, in Anchialo, Sotâ loci Epiſcopo, & Gallicanum; tum adverſus *Ebionem*, *Theodotum*, *Artemonem*, *Noëtum*, *Sabellium*, qualia dicuntur Romæ habita, Victore Urbis Epiſcopo. De his apud Euſebium, *Lib.* V. à *Cap.* XXIII. ad XXVIII. *incluſ.* tum in Tomo I. *Concilior.* in Libro *Synodico* Græcorum, & in *Supplemento* quod edidit Baluzius.

Synodi hac Ætate.

III. *Deciſiones* eorundem: Nempè contrà *Quartadecimanos* pronunciavit I. Victor Epiſcopus, tùm in Synodo *Romanâ*, Anno CXCVIII. tùm per literas Synodicas, quarum meminit Euſebius, *Hiſt.* L. V. C. XXVIII. hinc indè miſſas ad Eccleſias. 2. Ejus exemplo, Theophilus in Synodo *Cæſarienſi*, cum Narciſſo Hieroſolymitano; Palmas in Synodo *Ponticâ*; Irenæus in Synodo *Gallicanâ*; Bachyllus Corinthiorum Epiſcopus *Corinthi* Achaiæ; imò & Oſrhoeni in Synodo habitâ ſub Commodo, ac *Edeſſæ* Meſopotamiæ, ut videtur.

Deciſiones in Cauſâ Paſchali.

Pro *Quartadecimanis* contrà pronunciavit Polycrates Epheſiorum Epiſcopus, in Synodo *Aſianâ* Epheſi coactâ, Anno CXCVII. poſt literis ad Victorem datis, quibus conſtantiſſimam praxim, indè à *Johanne* Apoſtolo, per Aſiæ Eccleſias receptam, Victoris decretis opponit: Hinc Johannem *Pontificem* fuiſſe, (ſic Polycrates apud Euſeb.) ſeu *Sacerdotem* Novi Teſt. & Chriſti ἐξόχως, quod oppoſuit Pontifici Rom. ſuperbiùs ſe efferenti; *Martyrem* fuiſſe, qui luculenter de Chriſto teſtatus eſt; & qui πέταλον geſtarit, ſeu *laminam auream*, quod in ſenſu metaphorico videtur accipiendum, non ad literam, ut Valeſius inquiens, *Chriſtianorum primos illos Pontifices hoc honoris inſigne geſtaſſe*, inſtar ſummorum apud Judæos Pontificum. Atque etiam opponit Polycarpum Johannis auditorem, Sagarim Laodicenum in Aſiâ Epiſcopum & martyrem, B. Papirium itidem Epiſcopum in iis partibus, Melitonem Sardianum, &c. ſimulque Victorem ad pacem hortatus. Hæc apud

Digitized by Google

Euſebium, *Lib.* IV. C. XXVI. & *Lib.* V. C. XXIV. Atque hinc *Schiſma* Eccleſiarum, Victore Aſianos communione prohibente, ut ſtatim.

XIII. *Schiſmata hoc Seculo in Eccleſiâ nata.*

Schiſma Montaniſtarum.

I. POtiſſima fuêre: Primò in cauſâ *Montani*, qui cum Priſcâ & Maximillâ, etiam Quintillâ, Prophetiſſis ſuis, & Alcibiade, Theodoto, ac ſociis aliis, *Aſianas* & *Phrygianas* Eccleſias mirè conturbavit, apud Euſebium *Hiſt.* L. V. *Cap.* XIV. XVI. Diſſidii *cauſa*, quod vigente adhuc nuper dono Prophetiæ in Eccleſiis, accederent plurimi Montano & ſociis, ac Prophetico chariſmate verè inſtructos eos eſſe faſcinati crederent. Acceſſit vitæ ac diſciplinæ Montaniſticæ auſteritas, qui *Mœchos* non admitteret ad pœnitentiam, *digamos* damnaret, &c. ſic jejuniorum frequentia, martyrii contemptus, cætera intactis fidei & doctrinæ Capitibus. Undè pii multi illaqueati, ipſe Tertullianus, & in partes ſciſſa per factioſos Eccleſia, ſaltem per imprudentes, qualis fuit Septimius: Qui an à *Proclo* Montaniſtâ, an à proprio ingenio, ad ſeveriorem diſciplinam inclinante, ſeductus fuerit, accedentibus *contumeliis Romani Cleri*, ut Hieronymus; ſic quo præciſè anno factum, Baronius vult CXCIX. (qui ipſi malè eſt CCI. ut viſum) non convenit Eruditis. Hoc tamen convenit, quicquid Catholicos habuerit pro *Pſychicis*, illum tamen, nec Paracletum, nihil in *regulâ fidei* aut ſpei immutaſſe aut reprehendiſſe, ut profeſſus ipſe eſt *Lib.* de Jejuniis *Cap.* I. de Monogam. *Cap.* II. Itaque contrà charitatem, in rebus ex ſe mediis nimiùm rigidus, undè Libri de *Jejuniis*, de *Monogamiâ*, de *Velandis Virginibus*, de *Cultu Fœminarum*, de *Exhortatione caſtitatis*, Libri *duo ad Uxorem*, de *Pudicitiâ*, contrà Mœchos etiam *Pœnitentes*; de *Corona Militis* in *capite* non geſtandâ, de *Pallio*, ſive tùm proprio Presbyteris, ſive Chriſtianis quos dixêre Ἀσκητὰς, eo habitu ſe à cæteris diſcernentibus, &c. Tandem verò *Montano* cum *Maximillâ* ſublato, & quidem infauſtâ morte, ut fama fuit, dum ab inſano Spiritu agitati laqueo ſibi gulam fregiſſe, inſtar Judæ proditoris, referuntur apud Euſebium *Lib.* V. C. XVI. *Theodoto* quoque illius Sectæ ἐπιτρόπῳ *procuratore*, miſerabilem exitum ſortito, ut idem Hiſtoricus; meliores inſanire deſierunt, ad communionem Eccleſiæ redituri, Aſianorum operâ Epiſcoporum, & concurrente Gallicanâ Eccleſiâ per legationem Irenæi, de quâ in antecedentibus.

Schiſma inter Victorem & Aſianos.

II. In cauſâ *Victoris* Romani, contrà *Polycratem* & Aſianos. Ubi rurſùs attendenda:

1. *Antecedanea* Schiſmatis: Praxis Eccleſiarum pridem varians, tùm quoad formam jejuniorum; tùm quoad diem Paſchatis feſtum, aliis XIV. Lunam, aliis Dominicam ſequentem. Undè res tum operoſa & controverſa, τὴν πανσεληνιακὴν ἡμέραν *plenilunium* Paſchale rectè conſtituere; & hinc varietas *Cyclorum* & *Periodorum* quibus uſi Chriſtiani veteres, undè diſſidia inter illos ipſos qui *Lunam* XIV. obſervari vellent. Quò faciunt quæ *Parte* I. Chronol. S. diximus, *Cap.* XX. XXI. præter Bucherium, Noriſium, & qui ex profeſſo de his commentati. Hoc igitur nomine diſſenſiones jam diu obortæ inter Orientalem & Romanam Eccleſiam. Quibus factum, ut *Polycarpus* Romam concedens, ad *Anicetum* Epiſcopum, ſub M. Aurelio Antonino, ut vult Baronius, (ſed veriùs ſub Antonino Pio, ut tradunt Euſebius, Hieronymus, Suidas in Πολυκάρπῳ, &c. hinc Valeſius, Pagius, & alii, antè annum CLX.) & cum eo de levioribus quibuſdam amicè conferens, etiam de Die Paſchali mota ſit controverſia: Fruſtrà quidem quoad conſenſionem in re ipſâ, manente Polycarpo in praxi Aſianâ, ſed tamen fraternè agentes invicem, & ſine contentionis ſtudio, cum mutuo amplexu & mutuâ communione: Polycarpo nihil obſtante diſſidio Paſchali, ſacra Euchariſtica Romæ faciente, loco præſentis tùm Aniceti apud *Euſeb.* ex Irenæo, *Lib.* V. C. XXIV. & fatente nuper Valeſio in *Notis*, *pag.* 109. A quo tempore, ſervantibus ſuum morem illinc Aſianis, hinc Romanis, hujus ſedis Epiſcopi cauſam eam acerbiùs ac contentioſiùs egiſſe videntur, maximè ſub *Victore*.

2. *Cauſa proxima* hujus Schiſmatis fuit: Nempè illinc Victoris Romani Epiſcopi molimina, ut Aſianas & Orientales Eccleſias, factâ lege, reduceret ad obſervantiam diei Paſchalis *Dominici*; hinc Polycratis Epheſii, Viri ſenis, cedere neſcii Victoris imperiis, aut terreri minis, conſtantia in obſervandâ Majorum traditione; undè decretum Aſianæ Synodi, pro *decimâ quartâ* Lunâ, & literæ ad Victorem datæ. Quod adeò impotenter tulit Victor, ut illicò Aſianas, vicinarumque Provinciarum Eccleſias, ſententiâ latâ, & literis miſſis, ipſo facto communione & fraternitate prohiberet, vergente ad finem Seculo. Auctor eſt, diſertis verbis, ex publicâ fide, Euſebius *Lib.* V. *Cap.* XXIV. & poſt eum Socrates rem ità intellexit. Ac Conciliorum Editores, *Tomo* I. exertim; *Victor, quam diu minatus fuerat, excommunicationis ſententiam contrà pertinaces executus eſt*, id eſt, ſemet ab iis abſcidit, declarans nullam cum iis communicationem ſibi eſſe velle.

Victoris temeritas in excommunicandis Aſianis.

Quanquàm vult Doctiſſ. Valeſius, Victorem non excommunicaſſe ipſo facto Aſianos, ſed tantùm *interminatum* eſſe excommunicationem, *Notis* ad Euſeb. pag. 105. Probat ex verbis Euſebii ἀποτέμνειν πειρᾶται, quæ tamen ex ſequentibus plana, ἀκοινωνήτους πάντας ἀνακηρύττων, &c. Prioribus itaque verbis id voluit Euſebius, factum Victoris ac *conatum* fuiſſe irritum, & nullum ipſo jure. Pagius ad An. CXCVI. *non potuit Euſebius clariùs loqui, ut oſtenderet reverà latam fuiſſe Excommunicationis ſententiam.* Nec *monita* Irenæi ac preces ad Victorem mox directæ, pro ſervandâ pace Eccleſiarum, ac ſecuta poſt qualiſcunque concordia, probant nondùm eum ſententiam excommunicationis tuliſſe. Sed ſpreverunt Orientales factum Victoris, nihilominus inter ſe & cum aliis, etiam diſſentientibus in hac cauſâ, communicantes. Sozomenus *Libro* VII. C. XIX. mox in gratiam rediiſſe docet Polycratem & Aſianos, cum Victore Romano: *Ex communi conſilio placuit, ut ſinguli Feſtum, prout conſueverant, celebrantes à mutuâ inter ſe communione nequaquàm diſcederent.* Hæc autem communionis prohibitio à Victore intentata, *facti* fuit, non *juris*; & potuit quilibet Epiſcopus hoc modo fraternitatem aliis vel ſocietatem renunciare, ſexcentis in Hiſt. Eccleſiæ exemplis, cumprimis à Sec. IV. exorto Arianiſmo, & deinceps.

3. Igitur hic tandem fuit inchoati Schiſmatis ſucceſſus: Primò facti Victoris damnatio, improbatio, cùm ab Aſiaticis aliiſque Eccleſiis, tùm à Gallicanâ ipſâ; ſcribente ejus nomine *Irenæo* Lugdunenſi, poſt coactam Synodum, ad Victorem Romanum, & partim *objurgante* πληκτικώτερον, ob inſolentius factum; partim *cohortante*, ut deceſſorum exemplo in re leviori, communionem cum dictis Eccleſiis coleret, quæ traditum ſibi primitùs morem cuſtodirent. Habet Epiſtolæ verba Euſebius, *Hiſt. Lib.* V. C. XXIV. quæ nec fructu caruerunt.

Facti improbatio.

Secundò, antiqui moris continuata obſervantia, à pleriſque *Orientalibus*, ſaltem ad Nicænam Synodum uſque, ut celebrarent XIV. Lunâ, ex Athanaſio, Chryſoſtomo, Euſebio de Vitâ Conſtantini,

Duratio Schiſmatis.

Digitized by Google

ni, &c. Fatente & de *Syris*, *Meſopotamenis*, *Oſrhoënis*, Henrico Valeſio, qui redierint mox ad priorem obſervantiam. Imò & de *Britannicis* ac *Scoticis* in Occidente Eccleſiis, obſervaſſe Orientalium morem, auctor eſt Beda in Hiſtoriâ *Anglo-Sax. Lib.* III. C. XXV. *Scoti Dominicam Paſcha Diem*, *contrà Univerſalis Eccleſiæ* (ut ſupponit) *morem*, *celebrabant*. *Hac diſſonantia Paſchalis obſervantiæ*, *vivente Ardano Epiſc.* Scotorum, *patienter ab omnibus tolerabatur*, &c. Colmanno mox urgente, ſub initia VII. Seculi, quid *ipſum eſſet Paſcha quod B. Joh. Euangeliſta*, *diſcipulus*, *cum omnibus quibus præerat Eccleſiis*, *celebraſſe legeretur*. Sed verò ſub tempora Concilii Nicæni, ad *Romanam* conſuetudinem pleræque Eccleſiæ revocatæ, per Italiam, Africam, Ægyptum, per Hiſpanias, Gallias, Britannias, Libyas, per univerſam Achaiam, &c. facto decreto, & ſcriptis à Conſtantino literis ad Eccleſias, apud Euſeb. de *Vitâ Conſtant. Lib.* III. C. XVIII. XIX. Quinimò & *Aſianos* ac *Ponticos* cum Latinis & Occidentalibus tùm feciſſe, abdicato veteri more, idem Conſtantinus ſcribit. Multi tamen tenaces fuerunt priſtini moris, ex dictis.

XIV. *Res Judæorum hâc Ætate. Rebellio inſignis ſub Hadriano. Scholæ, Magiſtri principes, Liber Miſchnaioth.*

QUò referri ſummariò debent: I. Renata Judæorum multitudo, & myriades paſſim per Orbem terrarum diſperſæ, cumprimis in Aſiâ, Africâ, Ægypto: Undè Gentis animi, & feroces ſpiritus, & ſævities paſſim ab iis exercita, ac tentata non ſemel inſtauratio Reipubl. ſuæ.

Rebellio ſub Trajano. II. Rebellio prima ſub *Trajano* Imperat. circà annum Trajani XVIII. cumprimis in Palæſtinâ, Ægypto, Libyâ, Cyrenaicâ, Cypro, & vicinis oris. *Initium* fuit à lanienis Gentilium quibus cohabitabant, & ſtragibus horrendis exercitis per Judæos, dictis in locis, ut Ægyptum, Libyam, totas penè devaſtarint: *Progreſſus*, in bello apertè geſto, adversùs Lupum Ægypti Præſidem, & factâ expeditione Hieroſolymam versùs: *Exitus*, in variis Judæorum cladibus, per Trajani Præfectos; qui terrâ marique adortus rebelles, variis præliis fudit ac delevit, in Palæſtinâ, Ægypto, Cyrene, Syriâ, Meſopotamiâ. Undè Trajanus antè mortem viſus ſibi fuerat Bellum confeciſſe, ſed paulo poſt obitum recruduit, ac *triennio* poſt ſopitum eſt; tandem *tanto* majore impetu redintegratum, Baronius A. XII. Hadr. alii potius A. XVI. Furor hic ultimus aliis *trium*, aliis malè *ſex* annorum fuiſſe dicitur. De quibus in Gentilibus Dio Caſſius, *Lib.* LXIX. Spartianus *in Hadriano*, in Chriſtianis Euſebius, Oroſius, Patricides Alexandr. &c.

Rebellio ſub Hadriano. Igitur ſecuta rebellio altera ſub *Hadriano*, omnium digniſſima memoratu: Quamvis Judæi ignariſſimi Chronologiæ, & Hiſtoriæ Romanæ, rem ſub *Trajano* accidiſſe memorant, qui miſerit contrà Ben-Chochab, & rebellantes Judæos, ducem Exercitûs ſui *filium ſororis ſuæ Adrianum*, &c. Imò alii hoc bellum referunt ad tempora *Veſpaſiani*.

Summa Hiſtoriæ. 1. *Initium* illius fuit circà annum XVI. Hadriani, ut Euſebius in *Chron.* Chriſti CXXXII. (malè alii CXXVIII. aut etiam anteriorem) vel CXXXIII. Kal. *Septembr.* Legato Cæſaris in Palæſtinâ Tinio Ruſo, quem Legatum *Pro-Pratore* dixerunt.

2. *Occaſio* variè à variis reddita, Euſebius quidem in *Chronico*, & in Libris Ἀποδείξεως, *Æliam* ab Hadriano conditam ſcribit, occaſione Belli Judaici, & poſt illud confectum, quam ſententiam ſequitur Baronius. Contrà verò alii cenſent Bellum Judaicum indè exortum, quod *Hieroſolymam* à Tito everſam, ab Hadriano verò anno II. vel III. Imperii à fundamentis reſtauratam, antè bellum Judaicum ſeu Barchochabicum, (ut ex *Dione* Caſſio Joſ. Scaliger Animadv. in Euſeb. Henr. Valeſius in Euſebii *Lib.* IV. C. VI. Pagi in Criticâ ad A. CXXII. & alii) indignè ferrent à Gentilibus habitari, in eâque ſacra fieri non Jehovæ, ſed Jovi Capitolino cui Ædem ſtruxit. Adeoque quod non ferrent duræ ſervitutis jugum, ut *circumcidere* nefas illis eſſet, ex Spartiano; hinc turbones reliquis animos facere, ſpemque fovere recuperandæ libertatis, Hadriano procul agente; quum antè tamen in Syriam adventaſſet, ac tumultuari Judæos cognoviſſet.

3. *Caput* rebellionis fuit impoſtor quidam, qui ſe בר כוכב *Bar-Chochab* vel *Bar-chochba*, ſeu filium ſtellæ, Βαρχωχέβαν vel Βαρχοχεβᾶν, alluſione ad *Stellam* ex Jacobo orituram, *Num.* XXIII. nuncupavit, hinc à Judæis ipſis, agnito errore, dicendus Βαρκωζιβᾶς *Ben-Chuziba* בר כוזיבא, *filius mendacii*: Nempè impoſtor ille, ſe Meſſiam inſtauratorem Regni, à Prophetis prænunciatum; hinc & *ſtipulam* in ore accenſam anhelitu ventilabat, ut ignes evomere videretur, ſtellarum illos imitatus, ex Hieronymo *Apol.* II. *adverſ. Rufin.* Ac initio parvi facere hos motus Hadrianus; donec Judæi ſuâ multitudine formidabiles facti, quibus ſe Gentes aliæ lucri cauſâ adjunxêre, Romanos ad vim majorem opponendam excitarent, *Julio Severo* è Britanniâ cui præerat accerſito, qui bellum conficeret. Hæc pluribus Dio Caſſius.

4. *Sedes* belli Palæſtina, & in hac urbs *Bethera*, aliis Βιθθῆρα, *Bethara*, *Bitter*, *Bittur*, Regia Barchochabi: Urbs munitiſſima, vicina ſatis Hieroſolymis; an vicus antè, 12. millibus P. diſtans ab Urbe, an quæ à Salomone condita *Bethoron* nomine, quæ Inferior fuit & Superior. Hæc ipſa, in quam totius Belli vis exarſit, poſt longiſſimam obſidionem, tandem à Romanis expugnata, Judæis fame & ſiti oppreſſis, Judaicæ tragœdiæ theatrum fuit, A. XVIII. Hadriani, ut diſertè Euſebius *Libro* IV. C. VI. nempe ad finem labente, Chriſti CXXXVI. quando finis Bello Judaico fuit.

5. *Exitus* tandem luctuoſus fuit miſeræ Genti, quæ poſtquàm Romanos variè exercuiſſet, in Chriſtianos etiam, quod ſuppetias negarent, ſæviiſſet immanem in modum, tandem fame, ſiti, præliorum ſtragibus deleta, arcibus ſuis expulſa, (quas munitiſſimas fuiſſe L. φρέρια πεντήκοντα ἀξιολογώτατα refert Dio Hiſtoricus) capite ſuo Bar-chochabo orbata, ac Palæſtinæ finibus æternùm proſcripta fuit. Idem cæſa fuiſſe DVIII. *millia* Judæorum, in excurſionibus & præliis; fame verò, morbo, igni, extinctam infinitam multitudinem, πλῆθος ἀνεξερεύνητον. Et ex profugis hoc ex bello Bar-chochabico fuit ille *Tryphon*, vel Tarphon Judæus, in Græciâ tùm agens, quo cum commiſſus Juſtinus Martyr, ex initio *Dial. cum Tryph.* Adeò quidem ut lege interdictum Judæis fuerit ſubire *Hieroſolymam*, deinceps *Colon. Æliam Capitolinam* appellandam, nam plures *Æliæ* fuerunt; imò & nefas Palæſtinam ingredi, ſi fides Tertulliano, *adverſ. Jud. Cap.* XVI. *Quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceſſum.* Quamvis *unico anni die* permiſſum fuiſſe patriam adire, ut proſpectantes eam eminùs lugere exilium ſuum poſſent, & excidii meminiſſe, refert Greg. Nazianzenus *Orat.* XII. Hinc nec *Hieroſolyma*, ſed *Ælia Capitolina* nomen Urbi hæſit, etiam poſt ætatem Conſtantini M. quando prius nomen ſenſim recuperavit: Saltem Ælia adhuc poſt Concilium Nicænum, cujus *Can.* VII. *Æliæ* nomine venit; ſed & poſteà apud Romanos, ut in Itinerario Antonini, undè Chryſoſtomus *Orat.* III. adverſus Judæos, T. I. Oper. Αἰλία μέχρι τοῦ νῦν ὀνομάζεται. Nec à Templo Jovis Capitolini dicenda tantùm Αἰλία Καπιτωλίνη, ſed & Judæos eidem

dem Jovi tributum annuum pendere juſſit. Commodus quidem *Commodianam* dici voluit, ſed cum Imperatore extincto nomine. Inter Nummos Hadrianeos habetur Numiſma majus, ubi JUDÆA GENUFL. 3. circundata *pueris*, habitu ſupplicantis. Acceſſit in opprobrium Gentis, & Religionis, Euſebio in *Chron.* referente, *ſuis* effigies, juſſu Hadriani, ex marmore ad portam Bethlehemiticam ſtructa: Seu ſignum fuerit, Gentem Judæorum eſſe fœdam, inſtar illius animantis; ſeu in contumeliam factum Gentis, quibus *ſus* cumprimis exoſa; ſeu abſterrendæ ab ingreſſu Urbis, tam probroſâ imagine; ſeu denotando fini Belli Judaici, ut *Porcorum* imago in ſigno militari fuit Symbolum pacis, & abundantiæ, hinc animal *Cereri* ſacrum; ſeu novæ etiam Urbis monumentum, qualiter olim *ſcrofa* cum porcellis ſugentibus ubera, Æneæ *Lavinium* condituri ſignum fuit. Hæc quidem ex Dione, Spartiano, Juſtino, Tertulliano, Euſebio, Hieronymo, Oroſio, &c. Et quoque de his Scaliger Animadv. ad Euſebii Chronicon, Valeſius, ac rei *Nummariæ* illuſtratores paſſim.

6. Sed & utilitas quædam, ex hac Judæorum calamitate, ad Chriſtianos Hieroſolymitanos rediit. Tum enim purgatam fuiſſe à Judaiſmo & *Legalibus* Eccleſiam, nec admiſſos ampliùs Epiſcopos qui eſſent ex *Circumciſione*, ut factum hucuſque fuerat, ex reliquiis Judaicæ ſuperſtitionis, teſtes ſunt Euſebius, *Hiſt.* L. IV. C. VI. & Sulpicius Severus, *Lib.* II. Primus quidem, ex Gentilibus, Sacerdotium vel Epiſcopatum ſuſcepiſſe dicitur *Marcus*.

Scholæ Judæorum. IV. *Scholæ* Judæorum hâc quoque Ætate celebrantur. Altera quidem, ſed minùs illuſtris, *Jafna* ſeu *Jamnia* Judææ exculta, antè diſperſionem ſub Hadriano, tribus milliaribus diſtans à Joppe maritimâ: Altera *Tiberiade* in Galilæâ Palæſtinæ, quò tranſlatum fuit Synedrium Judæorum. In utrâque celebrant Talmudiſtæ paſſim Magiſtros Rectoreſque complures; ac poſtrema, poſt Hadriani exceſſum, fuit Patriarcharum Judaicorum ſedes, ſeu αἰχμαλωτάρχων, ac diu floruit, ceſſura tandem Scholæ Babylonicæ. Omnium celebratiſſimi hoc Seculo fuêre Magiſtri ſequentes: *R. Akiba* ſub Hadriano, infenſiſſimus Chriſtianis, proſelytus juſtitiæ, ut ferunt, ſucceſſor Gamalielis II. *decem* annis poſt Excidium; qui XL. annis præfuiſſe dicitur, & mortem ejus Magiſtri referunt in annum ab Excidio LII. id eſt, Chriſti CXXII. & 24000. Diſcipulos habuiſſe fertur. Reverà is prodromus fuit *Barchochabi*. *R. Aquila* Ponticus עקילוס, diſcipulus R. Eliezer, à quo *Capitula Patrum*, malè confuſus cum Onkeloſo Paraphraſte, qui אונקלוס, & antiquior. Atque hic ipſe Aquila auctor eſt Verſionis Græcæ, de quâ in ſuperioribus dictum, idemque ex ſacrificulo Idololatrâ proſelytus factus. Tandem memorandus præ cæteris R. *Jehuda*, dictus הקדוש *Hakkadoſch* ſeu *ſanctus*, cujus appellationis rationes, ex Magiſtris, vide apud Cl. Wagenſeil. in Sota, C. IX. p. 999. Fuit Tiberiadis Scholæ princeps, idemque (ex tabulis ſcil. Judæorum) imprimis charus ac familiaris Pio Antonino Imperatori; quem etiam fabulantur eodem *die* natum, quo exceſſit *Akiba*, undè dictum Magiſtrorum, *Sol exortus eſt, & Sol occidit.* Sic quod tradunt Antoninum Imp. perſuaſum à R. Jehuda, paſſum ſe eſſe *circumcidi*, habemus in Judaicis fabulis.

Talmudici operis initia. V. *Talmudici Operis* fundamenta hoc Seculo jacta, circà A. C. CXC. Magiſtri citiùs, imperante Antonino Pio. Nempè confectus Liber eſt, per R. *Jehudam*, ex omnibus Judæorum ſui temporis, quas colligere potuit, memorabilibus ac diſperſis ſchedis, oralium Traditionum ſumma & compendium, dictus hinc *Sepher Miſchnaioth*, ſeu Liber δευτερώσεων, & *Lex Oralis*. Cui rei inſervierunt, tùm R. *Judæ* opes quas poſſedit immenſæ, tùm Antonini Pii, ut ferunt, indulgentia, & favor. Eſtque hic *Textus* Talmudicus, ſeu Jus commune Hebræorum, VI. Partibus abſolutum, idemque per Capita & aphoriſmos diſtinctum. Partes illæ ſex ſunt 1. זרעים ſeu de Seminibus & fructibus terræ. 2. מועד de Sacris Feſtis. 3. נשים de Mulieribus, jure Connubiorum, &c. 4. נזיקין de Damnis. 5. קדשים de Sanctitatibus, oblationibus, &c. 6. טהרות de Purificationibus. Textui Miſchnico poſtmodùm Commentarii acceſſerunt; ſeu latior Magiſtrorum explicatio, *Gemara* nomine, tanquàm *Complementum* δευτερώσεων. Ex Textu & Commentariis ſurrexit *Talmudis* opus, ſeu *Liber doctrinalis* Judæorum, abſolutus demùm in Babyloniâ, VI. Seculo ineunte, undè *Talmud Babylonicum*, diſtinctum idem à *Hieroſolymitano*; poſt tranſlatas ſcil. ex Palæſtinâ in Babyloniam Scholas & Magiſtros, diu poſt mortem Rabbi Jehudæ. Plura de his, omnium inſtar, Buxtorfius uterque, Lud. Capellus, Conſt. Lempereur, Joh. Coccejus, Joh. Wagenſeilius, &c. doctiſſimis Commentariis. Porrò Magiſtris iiſdem Scholæ Tiberienſis, qui floruêre adhuc Ætate Hieronymi, debetur ex Abenezræ & Eliæ Levitæ ſententiâ, à L. Capello aſſertâ in *Arcano Punctationis Revelato*, *Maſoreticum* Opus, ſeu Critica Sacra Hebræorum; cui ultima manus impoſita ſit circà A. à Chriſto 500. Buxtorfio utroque vehementer reclamante, in *Tiberiade*, & aliàs.

XV. *Res Gentilium, ſeu Status Ethniciſmi. Memorabilia quædam alia, ſub Impp. hujus Sec. Philoſophi inſectatores Chriſtianiſmi.*

SUmmatim huc ſpectant, ut mittamus ab hoc loco aliena, præcipuè ſequentia:

Superſtitiones Gentil. quædam novæ. I. Vigens orbe toto *Gentiliſmus*, ſub Ethnicis Imperatoribus, & cumprimis ſuperſtitioſis, Trajano, Hadriano, Antonino, Aurelio, Commodo, Severo. Hinc præjudicia in Chriſtianos, & novæ Superſtitiones, nova paſſim Delubra, nova Numina, Simulachra, novi Ludi, Agones, &c. apud Hiſtoricos. Cujuſmodi fuêre, *Agones Capitolini*, Καπιτώλια, recurrentes quinto quoque anno, à Domitiano ſurrogati in Luſtrorum locum, dein à Trajano, & cæteris celebrati; iidemque Jovi Capitolino Sacri, in quibus certamen Equeſtre, Gymnicum (cujus v. genera, ſaltus, curſus, jactus, corporis robur, luctatio) & Muſicum: *Æliana* certamina, & *Hadrianalia*, in honorem Ælii Adriani exhibita in Mœſiâ, & Athenis, cum ea loca luſtraret Hadrianus: Ἀντινόεια, Ludi Gymnici in honorem Antinoi adoleſcentis, Bithynii genere, ab Hadriano conſecrati apud Ἀντινοόπολιν Ægypti; quemadmodum in *Arcadiâ*, *Achaiâ*, ac plurimis Urbibus, habuiſſe Templa & Sacerdotes, & Statuas nudas, novum hunc Deum conſtat, à Celſo *Jeſu* noſtro opponendum: Imò Oracula edi credita, μαντείας, Ἀντινόου πνέοντος θεήλατον πνοιὴν, ut Origenes contrà Celſum, *Lib.* III. p. 132. vulgò legitur τῶν ἐν θεήλατον πονίην, ſed prius Salmaſio placuit, Notis in Spartianum. Sic Agones ſeu Ludi *Iſelaſtici*, ab Antonino Pio, in honorem Hadriani, inſtituti (undè & dicti Εὐσέβεια, qui potius Ἀδριάνεια) iidemque *quinquennales*; ab honore εἰσελασίας, quo Athletæ Victores, quadrigis vecti, curru triumphali Civitatem intrarent, & publicis impenſis, perpetuo vectigali percepto, alerentur. Dicti iidem *Oecumenici*, ſeu quod Orbe toto celebrarentur, ſeu veriùs quod ad eos undique confluerctur. Atque jam inſtituti hi Agones fuêre, quum perſonata Sibylla ſcriberet, μέγας δ' ἀγὼν εἰσελαστικὸς ἔσῃ. Sic inſanam Idol. eorum temporum

porum docent ἀποθεώσεις, ſeu Conſecrationes, ut *Antinoi* ſuprà, ſic *Fauſtinarum* Matris & Filiæ, quæ ad omnem libidinem proſtitutæ; ſic *Commodi* illa per Severum facta, crudeliſſimi atque impuriſſimi hominum: Quibus adeò dicata Lectiſternia, Templa, Aræ accenſæ, Sacrificia, Feſta, etiam Aquilæ, Pavones, Leones, Elephanti, &c. & quæ alia Æternitatis & Divinitatis fuêre Symbola, ex Nummis eorum hodieque conſpicua. Nec tacenda *humana* Sacrificia, ſeu ἀνθρωποθυσία, hoc adhuc Seculo Romæ, in Africâ, Cypro, &c. paſſim recepta, interdicente nequicquam Hadriano, apud Lactant. *Inſtit.* L. I. C. XXI. *quod eſt nuper Hadriano imperante ſublatum.* Auctor eſt Tertullianus in *Apolog.* C. IX. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, uſque ad proconſulatum Tiberii*, qui Sacerdotes ipſos in votivis arboribus *votivis crucibus expoſuit.* Tiberii ejus recens fuit memoria, quum hæc Tertullianus ſcriberet. Sic Commodus, *Sacra Mithriaca* (quæ olim non ſine humanâ victimâ peragebantur, ſed ritu ab Hadriano ſublato) *non ſine homicidio vero polluit*, revocatâ ἀνθρωποθυσίᾳ. Fœda Superſtition. Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antioch. Clemens Alex. Tertullianus, Minucius, Arnobius, egregiè perſtringunt. Imò & Chriſtianos ſui temporis carpit Tertullianus, de *Idol.* C. XIV. quod miſſis *Sabbatis*, & *Neomeniis*, &c. *Saturnalia*, *&* *Januarias*, & *Brumas*, & *Matronales frequentarent*; nempè Saturnalia mediâ *brumâ*. Et quanquàm fari pridem Apollo Delphicus deſiiſſet, teſte Tullio in Libris de *Divinat.* interim & *Delphicus*, & *Daphnæus*, cujus Templum conflagravit ſub Juliano, conſuli non deſierunt; & quæ Oracula alia tùm fuêre in Orbe Rom. atque etiam dudùm poſteà Seculo IV. adhuc à Juliano in ſummâ veneratione habita. Sed reſponſis aut nullis, aut parùm faventibus ruenti ſuperſtitioni, aut de re præſenti; ut quando conſultum Oraculum Delphicum de ſucceſſoribus Commodi, num Severus, an Niger, an Albinus, reſpondit,

Humana Sacrif.

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peſſimus Albus,

ubi Fuſcus Nigrum deſignavit, Afer Severum, Albinum Albus. Vide exempla plura, apud Ælium Spartianum, in Peſcennio Nigro, & Clod. Albino; ſic apud Euſebium de *Vitâ Conſt.* L. II. C. L. Theodoretum *Hiſt.* L. III. C. X. etiam Ammianum Marcell. L. XXII.

Odii in Chriſtianos cauſæ

II. Odium *Chriſtianiſmi*, quod cum hujus incremento, & diſperſione per Orbem Romanum, in majus quoque crevit. Hinc *perſecutiones* Cæſarum, Præſidum, Philoſophorum, Populorumque. Hinc quoque *cavilla* in Chriſtianos, qui audiebant deinceps *Aſinicolæ* (cavillo, ut viſum, à Judæis & Gnoſticis in Chriſtianos torto) homines *Novelli*, *Sordidi*, *Rudes* artium, *Pauperes*, *Deſperati*, *Temerarii*, *Crucicolæ*, *Sibylliſtæ*; etiam *Piſcicolæ* vel *Piſciculi*, ab Acroſtichidis Sibyllinæ initialibus lit. XXXIV Verſuum, ΙΧΘΥΣ, i. e. Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτήρ, Σταυρὸς, quod cum veteribus Acroſtichiis Sibyllar. planè alio artificio diſpoſitis, peſſimè Conſtantinus M. & Veterum alii, contulerunt. Hinc etiam Carminum *Sibyllinorum*, quæ hâc Ætate Ethnicis Chriſtiani objecerant, lectio interdicta feralibus Edictis, apud Juſtinum Martyrem, *Apol.* II. Conſulebant tamen ſubindè Libros Fatidicos Romani, ex ſententiâ Pontificum, vel Imperatorum: Undè Aureliani illa (ob neglectos Libros *Sibyllinos*) increpatio, Sec. ſequente; *Miror vos, Patres Conſcripti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe Libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſiâ*, &c. quam exhibet Flavius Vopiſcus in *Aurel.* malè intellectam Baronio, & aliis, ut loco ſuo dicendum. Nec Gentilibus traducti ſolùm Chriſtiani, ſed & *Judæis*:

Inſcript. apud Tertull.

Qualis illa pictura, ejuſque probroſa inſcriptio, in Deum Chriſtianorum, quam à Judæo quodam, ſed ſuæ religionis deſertore, & mercenario, productam refert Tertullianus, in Apologetico C. XVI. & ad Nationes *Lib.* I. C. XIV. Nempè pictum erat illud σέβασμα Chriſtianorum, ſcilicet, cum *auribus aſininis*, *altero pede ungulato*, *altero librum geſtans*, idemque *togatum*, cum ejuſmodi Inſcriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES. Quam ut expedirent mirè ſe torſerunt Eruditi. Iſaacus Voſſius pro *onochoëtes* legit ὀνοχοιρίτης, habens ſcil. formam ὄνου καὶ χοίρου, ut Deus *Sabaoth* Gnoſticorum: Quod tamen Epiphanius disjunctivè expreſſit de illo Sabaoth, geſſiſſe formam ſecundùm alios *aſini*, ſecundùm alios *porci*: Et in deſcriptione illâ Tertulliani, nihil eſt quod *porci* figuram referat. Notæ aliorum conjecturæ: Modò legendum ὀνωνυχίτης *aſinungulus*; modò ὀνοκοίτης *aſininæ* proſapiæ; modò ὀνοκορσίτης, reſpectu habito ad caput *auribus aſininis*, vel ὀνοκαρίτης *aſinino capite*. Quidni ὀνοχοίτης, aſinus *admiſſarius*? vel potiùs ὀνοχηλης *aſino* ſublimis *vectus*? Ut *Deus* Judæorum (aliis putatum ſimulacrum *Moſis*) in ſacro adyto repertus ſcilicet, ab Antiocho Epiph. *Aſino inſidens, &* *tenens manibus Librum*, quidni & *togatus*, ut ex Diodoro Sic. in Excerptis, L. XXXIV. Photius refert *Bibliothecæ* Cod. CCXLIV. Ferè ſic *Anubim* effigiarunt Ægyptii, *Capite aſinino*, reliquo corpore *togâ induto*, vel paludamento, cum Inſcr. DEO SERAPIDI, quæ Capiti Juliani aptata fuit.

Memorabilia quædam de Trajano.

III. Memorabilia alia (præter jam obſervata ſuis ſub Titulis) forent propè infinita, ſi id jam ageremus. Hæc jam hiſtoricæ veritatis, ut mittamus *fabuloſa*, & in ſuperſtitionis præſidium verſa. De Trajani quidem clementiâ, beneficentiâ, undè *Optimi* cognomentum, juſtitiâ & æquitate, quæ à Plinio referuntur in Panegyrico, & ab Hiſtoricis, ſunt in vulgus nota. At fabula huc ſpectat, cujus auctor Joh. Diaconus Sec. IX. in *Vitâ* Gregorii I. *Lib.* II. C. XLIV. & quidem ex *Anglorum* vel *Saxonum* monumentis, in eorum Eccleſiis aſſervatis: Nempè eſt illa de *Animâ Trajani*, ex Inferis liberatâ, precibus ardentiſſimis *Gregorii* I. alii ejuſdem lachrymis, in Baſilica Petri fuſis, commiſeratione quadam pro eo Principe; cujus ſumma fuiſſet ergà *Viduam*, filio ſuo per vim orbatam, & in audiendâ eâ manſuetudo, & in exaudiendâ promptitudo atque juſtitia. Pudet fabulæ ipſum Baronium, ad A. Chr. C. *Num.* XVII. probè conſcium neque ullam ex Inferis eſſe redemptionem, neque pro eo oraturum fuiſſe Gregorium, quem cognoſceret hoſtem fuiſſe Chriſtiani nominis, Perſecutorem etiam, adhæc pæderaſtiæ & intemperantiæ conſtanter accuſatum, apud Spartianum: Quin ipſe Julianus in Satyrâ *Cæſarum*, vel Silenus, *charum* illi *Ganymedem* exprobrat, undè quorundam alluſione ad τρύγον, dicendus fuit per deriſionem, Τρυγανός. Cæterùm cedro dignæ ejus voces ad Præfectum Prætorianorum, cui nudum gladium tradidit, inſigne Officii, addens, *Accipe gladium, quem pro me, ſi benè atque ratione imperavero; ſin minus, eo ad interitum meum utere.* Plures à Trajano ſtructæ Urbes, quæ ab Imperatore, Uxore, Sorore denominatæ, *Trajanopolis*, & *Auguſta Trajana*, *Plotinopolis*, *Marcianopolis*, in Mœſiâ, & Thraciâ Mediterr. etiam Phrygiâ, Ciliciâ, &c.

De Hadriano.

Hadrianus, in quo magnæ virtutes cum magnis vitiis certarunt, ex ejus extremis æſtimandus eſt. Ille qui *Sacra Romanorum diligentiſſimè curaverat*, ut ait Spartianus, tamen ſibi ipſi *Templa* in omnibus Civitatibus ſine Simulachris ſtrui juſſit, ſuo Nomini indubiè (ſi vixiſſet) ulteriùs conſecranda: Quod Lampridii ætate ferebant, ac ſi non ſibi *Hadrianus*, ſed *Chriſto* ea Templa extruxiſſet, quia ἀνδ ἀγάλματος.

Vi-

Vide Caſaubonum, ad Ælii Lampridii Alex. Severum, & illa verba, *quod & Hadrianus cogitaſſe fertur*; ſed ferebatur ex errore. Plures ſaltem Urbes ab Ælio Hadriano nomen habuerunt, dicendæ *Æliæ*, ut de Hieroſolymâ viſum, *Æliopoles*, *Hadrianæ*, Ἀδριανοὶ, *Hadrianopoles*, qualis hodieque princeps Thraciæ civitas, antè Uſcudama vel Oreſta, apud Ammianum & Lamprid. in Elagabalo. Sic Hadrianæ vel Hadrianopoles plures ad Olympum in Lyciâ, in Bithyniâ, Veteri Epiro, Paphlagoniâ, Macedoniâ, Ponto, Syriâ Palmyrenâ, Cyrenaicâ, & ſi quæ aliæ. Etiam Ἀδριανοθῆραι *Hadrianothera*, oppidum Mœſiæ, in loco ubi Urſam occidiſſet, teſte Spartiano. Sic *Tarſus* nuncupata Ἀδριάνης Ταρσοῦ, vel Ἀδριανῶν Ταρσέων Μητρόπολις, ut inſcriptiones Nummorum. Sic novæ quas condidit *Athenæ* dicendæ *Civitas Hadriani*, *non Theſei*, ex Inſcript. antiquâ apud Sponium & alios. Etiam Carthaginenſium Civitas dicenda *Hadrianopolis*, *quod neſciremus niſi docuiſſet Spartianus*, ut Salmaſius in Notis ad Hiſt. Aug. p. 53. Sic inter ſtructuras Hadriani, referendus ille *Murus* per LXXX. millia paſſuum, quem in Britanniâ erexit, ut Barbaros, id eſt, Scotos, Pictos, Albanios, Caledonios, à Romanis divideret. Quò alludebat ille Florus, *Ego nolo Cæſar eſſe*, *Ambulare per Britannos*, *Scythicas pati pruinas*: Pro quo rectè legas *Scoticas* pati pruinas, nam Vallum illud contrà incurſiones Scotorum Albanenſ. & *Scoticæ* pruinæ, ut *Caledoniæ pruinæ* apud Claudianum, & *glacialis Ierna*, apud eundem. Ultimas ejus voces, quas moriens emiſiſſe fertur, & verſu quidem, refert Spartianus in ejus Vitâ, dignas Homine qui ſine Deo, ſine ſpe vixerat.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles, dabis jocos.

Dicta aliàs memoranda, cumprimis illud, *Salus Populi prima Lex*, *Non mihi ſed Populo*, & quæ id genus de Hadriano ἀξιομνημόνευτα plura ſunt, habent Dio, Spartianus, Julianus. Sic Juriſprudentiam fuiſſe cordi Hadriano, quam reſtituit, docent Codices dicti *Gregorianus* & *Hermogenianus*, quorum Conſtitutiones inceperunt ab Hadriano; qui putatur *Edicto Perpetuo* Juriſprudentiæ formam & materiam ſanciviſſe, qualis poſteà retenta, novis licet Codicibus naſcituris. Quâ de re Jac. Godofredus in Prolegomenis ad Cod. Theodoſ. Ità Officia Imperii Palatina, Militaria, paucis per Conſtantinum & Succeſſores immutatis, Hadrianeæ conſtitutioni originem debent, v. gr. dignitas Præfectorum Prætorio, illa Comitum Auguſtal. qui comitarentur Imperat. quos inter Juriſconſulti, &c. Sic Italica Juriſdictio inter quatuor *Conſulares* diviſa, de quo ad Spartianum prolixè Salmaſius, p. 56. Porrò egregiæ fuêre voces *Turbonis* Præf. Prætorio, ad Hadrianum, ſuadentem ut aliquando quieſceret à Laboribus; *Præfectum* (inquit) *ſtantem mori oportet*. Et illa *Similis* alterius, Præfecti itidem Prætorio, ſed abdicanti tandem id muneris, an oneris, ac poſteà VII. annos adhuc ſuperſtitis in ſeceſſu; undè inſculpi tumulo juſſit, *Hic jacet Similis*, *cujus ætas multorum annorum fuit*, *ipſe tamen* VII. *duntaxat annos vixit*.

De Antoninis. *Antonini Pii*, ſine exemplo Principis, ſed futuri in exemplum Marco ſucceſſori, & qui *mallebat unum civem ſervare*, *quàm mille hoſtes perdere*, notiſſimæ virtutes, facta præclara, Felicitas Temporum, memoranda alia, ad Hiſtoriam civilem ſpectant. Culpanda tamen in hoc Principe, 1. Quod inter *Perſecutores* Chriſtiani nominis habeatur, de quo antè. 2. Quod ipſe temperantiæ habitus exemplum, (non tamen Juliano in *Satyrâ*) non modò tulerit diſſolutiſſimam Conjugem Fauſtinam Matrem, ſed etiam poſt mortem divinos illi honores decreverit, & haberi paſſus ſit, inter Divas ſolemni ritu Conſecratæ. 3. Quod, accuſante Juliano in *Cæſaribus*, minima etiam ſcrupuloſiùs inquireret, undè Κυμινοπρίστης audiit, vel ἐκ τῶν διαπριόντων τὸ κύμινον. Quemadmodùm Hadrianus eidem Juliano eſt Σοφιστὴς, quod de omnibus Scientiis, Artibus, Diſciplinis, aut quæreret, aut pronunciaret, inſtar Magiſtri & Dictatoris. *Marcum Aurelium* prædicant ſatis eximiæ virtutes, Philoſopho dignæ (ut Philoſophiam *matrem ſuam* appellabat) facta inclyta pace & bello, domi foriſque; Cumprimis Libri qui ſuperſunt τῶν εἰς ἑαυτὸν, ſeu præceptionum Moralium quas ſibi ipſi imperaret, & quæ, exceptâ Fide, perfectiſſimum ſunt omnium Virtutum ſpeculum. Culpantur verò in M. Antonino: 1. Quæ feruntur de *Perſecutione* ſub ejus Imp. & Martyribus, de quo diximus ſuprà. 2. Immodicus affectus in filium *Commodum*, quem Fauſtinam ex adulterio ſuſcepiſſe, & Gladiatore patre, Julius Capitol. in M. Antonino Philoſ. Quem addit, paucis antè obitum diebus amicis ſententiam de Filio ſuo declaraſſe, qui jam *turpem ſe & cruentum oſtentabat*. Undè amor Patris in Filium præponderavit amori in Rempubl. Et Julianus illi exprobravit, quod τὴν ἀρχὴν συναπολλυμένην περιεῖδεν, *nullam ruentis Imperii rationem habuiſſet*, in Cæſaribus, nuperæ Edit. Operum *pag.* 312. 3. Divini honores delati *Fauſtinæ* prioris Filiæ, Conjugi ſuæ, impudicitiæ famâ graviter laboranti, ſed Marito inſcio: Quam *Divam Fauſtinam Piam* appellari, eidemque ſtatui voluit Lectiſternium, Pavonem, ſc. in Cœlum Animam deferentem, quadrigam Elephantor. Rogum, Templum, Aram, Sacerdotes (*Puellas Fauſtinianas*) dictas, Simulachra nominibus Junonis, Cybeles, Veneris, &c. Nummos cum Æternitatis Auguſtæ ſymbolo, ſcil. Globo cui inſideret Phœnix; & alia quæ Romanis Fauſtinam in Divas aſſumptam, Sideribus receptam, Æternitati conſecratam, pro Ἀποθεώσεων more, teſtarentur. Maritum comitata fuerat in itinere Syriaco, moritura ad Taurum montem.

De Commodo. *Commodus*, quem moriens Pater ſaluberrimis præceptis ac monitis inſtruxerat, Imperii paterni maturè nimis conſors (*Cæſarei* certè jam adhuc Infans) *Auguſtus* ſalutatus anno ætatis XVI. non tantùm degeneravit tanto Patre, ſed & natus ad infamiam Romani nominis, omnium ſcelerum ſentina. Eouſque etiam veſaniæ proceſſit, ut ſe *Romanum Herculem*, & *Deum* dici paſſus ſit; Romam à ſe *Coloniam Commodianam*; Senatum, Populum, Annum, Menſem, Diem quo *Roma* à ſe ex S. C. appellata eſſet, *Commodium* vel *Commodianum*; Hieroſolymam ipſam *Commodianam* dici voluerit. Sed ejus hiſtoriam perſequuntur, Dio Caſſius Xiphilini, Ælius Lampridius, Herodianus, & alii. Martyres qui feruntur ſub Commodo, (uno *Apollonio* excepto ex Senatorio Ordine, quem à ſervo ſuo delatum Perennius interfecit, ſed *delatore* crurifragio multando) quales *Euſebius* quidam, *Pontianus*, *Vincentius*, *Peregrinus*, &c. fictitii ſunt, nullis in Antiquis teſtibus, Martyrologio tamen Romano inſerendi, & à Surio, Baronio, cæteris, *Martyribus* accenſendi. Nam pacem fuiſſe Eccleſiis ſub Commodo, omnes ſummo conſenſu teſtati.

Viri ſub his Imperat. cumprimis Clari. IV. Viros undequaque doctos & inclytos fovit hæc Ætas. Sub *Trajano* inprimis clari, ex. gr. *Frontinus* ſcriptis Strategematum Libris; C. *Tacitus*, Prætor, Conſul, Hiſtoricus inſignis, cujus initia ſub Veſpaſiano fuere, ex *Hiſtoriar*. L. 1. *Plinius* Junior, cognom. Cæcilius Secundus, Conſul. A. Chr. c. de quo ſuprà C. VIII. *Plutarchus* Cheronæâ Bœotiæ oriundus, vulgò creditus præceptor Trajani,

Digitized by Google

jani, ab eo ſaltem in honore habitus, & *Conſularibus* ornamentis donatus; de quo tacere præſtat, quàm pauca dicere.

Sub *Hadriano* clari præcipuè: *Phlegon* Mathematicus, qui de Olympiadibus XVI. Libros ſcripſit, & *Libro* XIII. meminit *tenebrarum* quæ in Crucifixione Servatoris acciderunt, de quibus ſuprà in *Chronol.* P. II. C. XVII. *Favorinus* Sophiſta, Græcè doctiſſimus, ſed & Latinè; variis ex Scriptis celebratus; qui de tribus gloriabatur, quod *Gallus* Græcè loqueretur, quod *Eunuchus* vel Ἀνδρόγυνος adulterii cauſam egiſſet, quod tandem cum Imperat. *Hadriano* contendere eſſet auſus. *Epictetus*, conditione ſervus, Philoſophus Stoicus celeberrimus, ſed & Orator ad perſuadendum natus; cujus lychnum fictilem *mille* drachmis quidam emit, ex inſanâ æmulatione, falsè ridendus Luciano, πρὸς τὸν Ἀπαίδευτον. Ac attigiſſe hunc extremum ſenium, neceſſe eſt, ſiquidem vitam produxit ad tempora Anton. Pii, ut qui ſervus jam *Epaphroditi*, Neronis familiaris. *Arrianus* Epicteti admirator, Hiſtoricus laudatiſſimus, cujus ſuperſunt Libri VII. de Expedit. Alexandri M. & *Periplus* tum Ponti Euxini, tum Maris Erythrei, inſcriptus Hadriano Imp. *Philo Byblius*, cujus Origenes contrà Celſum, Porphyrius contrà Chriſt. Euſebius in Libris Προπαρασκ. & Suidas in *Philone* Byblio Grammatico, mentionem faciunt. Qui, inter alia, *Sanchoniatonis* Hiſtoriam Phœniciam dicitur in Græcum ſermonem tranſtuliſſe, ſi modò verè Sanchoniaton eandem ſcripſerit; de quo nec Juſtinus Martyr, nec Theophilus Antiochenus, nec Tatianus, Athenagoras, Clemens Al. Origenes contrà Celſ. Tertullianus, habent quicquam. C. *Suetonius* Tranquillus qui Hadriano fuit Magiſter Epiſtolar. ex Spartiano, & qui Flavio Vopiſco in Firmo Saturnino, ſub initium, dicitur *emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor*; tum in Hiſtoriâ XII. Cæſarum, tum de Illuſtribus Grammaticis, Poëtis, Oratoribus, & de quo adi Caſaubonos, Salmaſios, Voſſios, Grævios, &c. Et eodem ferè tempore inclaruit L. Annæus *Florus*, quanquam ſub Trajano, in *Præfatione* Compendii ſui Hiſtorici, ſcripſerit. Atque hunc ipſum *Florum* eſſe, qui ad Hadrianum luſerit, apud Spartianum, *Ego nolo Cæſar eſſe*, *Ambulare per Britannos*, &c. cenſet Illuſtr. *Salmaſius*, *in Notis p.* 44. cui falsè reſpondit Princeps, *Ego nolo Florus eſſe*, &c.

Sub *Antonino Pio* famam ſcriptis diffuderunt: Omnium princeps *Herodes Atticus*, Conſul Rom. præceptor M. Aurelii & L. Veri in Græcâ eloquentiâ, cujus laudes fuſè apud Gellium, Philoſtratum, Suidam, &c. Tùm Claudius *Galenus* Medicorum ſui temporis facilè princeps, natus Patre illuſtri, & Mathematico tum temporis doctiſſ. Ità *Juſtinus* Trogi Epitomator, ſcriptor terſus & elegans, item *Appianus* Alex. qui Hiſtoriam Romanam, & Bella Punica, Syriaca, Parthica, Mithridatica, &c. ſcripſit; tandem *Diogenes* Laërtius, (an à Patre, an à Patriâ Laertâ Ciliciæ oppido) cujus extant Libri X. de *Vitis Philoſophorum*, in quos varia commentati noviſſimè Menagius, & Kuhnius; omnes ferè ſub Antonino Pio claruerunt. Sub *Veris Fratribus* inprimis ſub *M. Antonino* floruerunt: Claudius *Ptolomæus* Peluſiota, Geographorum facile Princeps, ſummus Aſtronomus, θειότατος quandoque Veteribus, qui horum temporum fuit, Suidâ teſte: *Sextus* Empiricus, in Bœotiâ natus, Pyrrhonius Sectâ, quibuſdam Plutarchi nepos, apud Suidam; *Numenius* Platonicus, Apamius gente, de quo Euſebius in Libris de *Præpar.* & Origenes contrà *Celſum*, tanquam qui ex Moſe multa hauſerit, ſed & Platonem vocarit Μωσῆν Ἀττικίζοντα *Moſem Atticizantem*: L. *Apulejus* Philoſophus Platonicus, Magiæ accuſatus, ſed ſcriptâ hanc in rem Apologiâ: *Pauſanias* Cæſareâ Cappadociæ oriundus, Diſcipulus Herodis Attici, juxtà Philoſtratum, cui debentur Græciæ Veteris Antiquitates, *Libris* X. qui & Φοινικικὰ & Συριακὰ ſcripſiſſe fertur, de quo Voſſius & alii: Aulus Gellius, vel *Agellius*, celebris *Noctium Atticarum* Scriptor, cujus inſcriptionis in *Præf.* rationem reddit, Auguſtino quidem *Vir elegantiſſimi eloquii*, & *multæ ac facundæ ſcientiæ*, de Civit. Dei, L. IX. C. IV. & de quo obvia Criticorum judicia. Mittimus alios, Photio, Suidæ, obſervatos. Denique ſub *Commodo* clari in primis habentur, Julius *Pollux*, celebris auctor Onomaſtici, creditus in præceptoribus Commodi; & *Athenæus* Grammaticus inſignis, quem etiam mortuo Commodo, (id eſt, poſt annum Chr. CXCII.) ſcripſiſſe Δειπνοσοφιστῶν Libros, quidam arbitrati, de quo Caſaubonus, & Voſſius pater. *Lucianum* Samoſatenum dicimus poſteà.

Sed celebres Juriſconſultos hæc Ætas tulit, quales ſub *Hadriano*, Spartiano teſte, Julius Celſus, Salvius Julianus, Neratius Priſcus, Domitius Labbeo, de quibus adi Rutilium de Celebribus Jureconſultis. Quin Hadrianus itinerum ſuorum Comites habuit, & ad Conſilia adhibuit, in contubernium Majeſtatis adſcitos: Undè Juriſconſulti adſcripti in *Comitum* ordinem, qui dicti *Comites* Sacri Conſiſtorii, ſeu Conſiſtoriani; & hi vel primi ordinis fuêre, vel ſecundi, &c. de quo multis Salmaſius Not. ad Spartianum, J. Godofredus, & alii. J. Conſultorum dignitas ſub Hadri. & deinceps.

V. Huc quoque referendi ſunt clariores quidam adverſarii Chriſtiani nominis, in Philoſophis Gentilium, partim ſcriptis editis, partim habitis diſputationibus in Chriſtianos. In iis hoc Seculo præ reliquis inſignes fuerunt: Philoſophi hoſtes Chriſt.

Peregrinus hic non prætereundus, ex oppido Pario Helleſponti, Philoſophus Cynicus Luciano, Stoicus aliis, clarus jam ſub Trajano Imper. ſed qui vivere deſiit Marco Aur. imperante. Idem poſteà *Proteus* cognomento appellatus, ut præter Lucianum Libello πρὸς Ἀπαίδευτον, Agellius, *Lib.* XII. C. XI. non *Protei filius*, ut quidam; quamvis ipſe Gellius vocet *virum gravem* & *conſtantem*, minimè Proteum. Qualiſcunque fuerit, fertur olim Chriſtianus fuiſſe, Luciano referente; ſaltem ſe ſimulaſſe Chriſtianum, ut ab iis charitatis officiis juvaretur, & pecuniam corraderet. Dein in carcerem conjectum, Chriſti causâ, pro more fuiſſe obſervatum, adjutumque à viduis, miſſis etiam ex Aſiæ variis locis ſubſidiis. Undè auro ſuffarcinatus, in patriam rediit, à Chriſtianis poſteà ejectus; Tandem æmulus gloriæ *Martyrum* qui ad rogum damnarentur, (alii Herculem ſponte moriturum eſſe æmulatum) ſe in rogum conjecit Ludis Olympicis, *Olymp.* CCXXXVI. teſtibus Luciano de *Morte Peregr.* & Philoſtrato L. II. de *Vitis Sophiſt.* Athenagorâ, *Apol.* pro Chriſt. Ejus & meminere Tertullianus, *Exhort.* ad Martyr. Ammianus Marcell. *Lib.* XXIX. omnes de inſano illo vivicomburio teſtati. Cujus βακτηρίαν *baculum*, quo depoſito in ignem inſiliit Peregrinus, *talento* emiſſe quendam refert Lucianus, Libello πρὸς τὸν Ἀπαίδευτ. Pari inſaniâ, quâ concupivit ille Orphei lyram, alter Æſchilis pugillares, aut Epicteti lampada. Peregrinus.

Creſcens Philoſophus Cynicus, homo vitæ impuriſſimæ, φιλόσοφος καὶ φιλόκομπος Juſtino Mart. Chriſtianorum inſignis ſub Antonino & Aurelio inſectator, cum Juſtino Martyre Romæ commiſſus non ſemel, ex Juſtino ipſo, & Euſebio. Deſcribit eum Tatianus, tanquàm qui *nunc Veneri*, *nunc Apollini ſimilis*, *omnium Deorum accuſator*, *ſuperſtitionis epitome*, *præclararum actionum calumniator*, *hypocrita*, *cædium adulteriique promotor*, *inſaniæ*, *avaritiæ commendator*, *cynædorum doctor*, *condemnatorum auctor*. Undè, calumniis ejus retundendis, ſc. atheiſmi, impietatis, &c. expreſſæ ſunt Juſtino *Apologiæ*. Quin Creſcens.

idem Creſcens auctor optimis cæterà Principibus, de perſequendis Chriſtianis, ſtructis & Juſtino inſidiis, ac morte illi conciliatâ. De hoc Tatianus *Orat. contrà Græcos*, Juſtinus ipſe *Apol. ad Senat.* Euſebius *Hiſt. Lib.* IV. C. XVI. &c.

Lucianus. *Lucianus* Samoſatenus, Epicureus, Ἀτηκώταλ@, primùm (ſi fides Suidæ) Chriſtianus & Concionator Antiochenus; ſed inſigni errore, nato fortè ex Luciano Samoſateno, Presbytero Antiocheno, qui Martyr fuit ſub Maximino. Si autem Doctioribus fides, & Luciano ipſi in *Alexandro* ſuo ſeu *Pſeudomanti*, quem inſcripſit *Celſo* Epicureo, verſatus primùm inter eos qui prodierant ex Scholâ Apollonii Tyanæi, quos inter fuit Præſtigiator aliquis & pæderaſta. Hinc evaſurus Scepticus, ſimul & Scopticus, undè illi δυσφήμυ & βλασφήμυ ſeu *maledici* ac *blaſphemi* cognomentum. Aliis quidem ponitur ſub Trajano, ut Suidæ quoque, vel etiam antè, ex adſcriptâ illi *Philopatride*, & quod æqualis videatur fuiſſe *Peregrino* Philoſ. claro jam ſub Trajano. Alii veriùs ſub M. Aurelio & Commodo, Chriſtum & Chriſtianam Religionem putatur eſſe inſectatus. Hinc blaſphemæ voces quibus Chriſtum traducit, vocans ἀνεσκολοπισμένον Σοφιςὴν, *Crucifixum Sophiſtam*, *Dial. de morte Peregr.* quibus item S. Trinitatem ridet, ὑὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, ἢ τρία ἐξ ἑνὸς, ut jam ſuprà obſervatum, ex *Philopatride*. Quamvis *Philopatrida* Dialogum non eſſe hujus Luciani, imò antiquioris alicujus, *Marcilius* & alii. Ex quâ tamen luculentum argumentum de fide Chriſtianorum, quoad S. Trinitatem, & Divinitatem Chriſti; ſiquidem hic claruerit Auctor tempore Trajani, quamvis fingat ſe baptizatum à *Paulo*. Sugillat ibidem Aſcenſionem Chriſti (niſi ibi de Paulo) εἰς τρίτον ὀρανὸν, hinc Vitam Æternam, Capita alia. Interim Chriſtum vocat μέγαν ἄνθρωπον, & Chriſtianorum Doctrinam, falſè quanquàm, θαυμαςὴν σοφίαν. Fert eum Suidas, ſed incertâ fide, à canibus diſcerptum interiiſſe, qui alios canum inſtar laceraſſet, præcipuè Chriſtianos. De vitæ tempore Gerh. Voſſius, Guil. Spencerus, alii.

Celſus. *Celſus* Epicureus, haud paulò Origene prior, ſi vixerit jam ſub Hadriano, ut innuit Origenes *Lib.* I. p. 8. Quem tamen ad initia tertii Seculi vixiſſe cenſet, Clariſſ. Dodwellus, natâ jam Artemonis Hæreſi, *Diſſert.* I. in Iren. p. 31. Nam *quis fuerit Celſus, & quando vixerit, ipſum ignoraſſe Origenem*; quum tamen *primis Origenis* temporibus coævum eum dicat Vir Clariſſ. *pag.* 32. Ab omnibus diſciplinis, verſutie, eloquentiâ, inſtructus fuit ſuprà fidem, & huic Celſo inſcripſit Librum Lucianus, cui titulus *Alexander*, ſeu *Pſeudo-mantis*. Cujus quæ fuerit in Chriſtum Servatorem, in Chriſtianos, in Scripturas Sacras maledicentia, vel unus Origenes docet, *Libris* VIII. contrà Celſum, quibus Celſi, fato jam functi, Ἀληθῆ λόγον, pernicioſiſſimum in Chriſtianos ſcriptum, tributum in 2. Tomos, egregiè confutavit. Celſianarum calumniarum ſumma fuit: *Chriſtum* quidem natum Matre adulterâ, hinc à marito ejectâ; nec è Virgine natum, nec Dei Filium fuiſſe, quæ ex Græcorum fabulis hauſiſſent Chriſtiani; Magicis illum artibus in Ægypto imbutum fuiſſe; obambulaſſe Circulatorum more; Spectri in modum ſuis poſt mortem apparuiſſe, &c. *Chriſtianos* verò eſſe homines Magos, uſos libris Magicis; laſcivos, ac perditiſſimæ vitæ; timidos, ſeditioſos, hoſtes Magiſtratûs; ex Platone, Sibyllis, Fabulis Græcorum multa ſuffuratos; in fœdiſſimas ſectas diviſos, &c. Nec æquior Celſus in *Scripturas Sacras*, & Hiſtorias *Teſtam. Veteris*, uti Creationis, Diluvii, Patriarcharum, Sodomitici excidii, Moſis, Moſaicæ Legiſlationis, reliquas, falſè ab eo perſtrictas, ab *Origene* autem luculenter vindicatas.

FINIS Secundi Seculi.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM TERTIUM.

Chronologicæ rationes.

TErtii Seculi primordia incidunt in annum Chriſti vulgarem CCI. *Severi* Imperatoris, juxtà Euſebium in *Chron.* & Chronologos, An. IX. Coſſ. Anno Fabiano, & M. Nono Muciano; Romano adhuc Epiſcopo *Victore*, ſed mox ceſſuro locum, hoc ipſo anno, ſucceſſori *Zephyrino*; quanvis Pagi contendat Victorem mortuum anno CXCVII. & Zephyrinum jam ſediſſe annos circiter IV. *Nam per duo priora Eccleſiæ Secula, quot Menſibus ſuprà Annos Romani Pontifices ſederint, vix ſciri poteſt, ob numeros in Catalogis corruptos, & durationem Interpontificii incertam*, ut idem Pagi, ad A. Chr. CCI. En iterùm, ut incerta ſit Chronologia Romanor. Epiſc. Baronius, pro more, confundens rursùs Æram *Veram* cum *Vulgari*, Conſules ponit P. Cornelium Anulinum, & M. Aufidium Frontonem, qui biennio antè ſignantur in Faſtis, Æræ Vulg. anno CXCIX.

Facies Chriſtianæ Eccleſiæ, hoc Seculo, ad ſequentia Capita revocatur:

I. *Status Eccleſiæ hoc ineunte Seculo.*

Sedes Eccleſiæ Orbis cognitus.

I. S*Edes* quidem Eccleſiæ fuit Orbis cognitus propemodùm univerſus, teſte cumprimis Tertulliano, adversùs *Judæos*, hinc Euſebio *Lib.* III. cæteris. De *Indiâ* Malabaricâ, de *Sinarum* regione, imò de *Americâ*, in quas illata fuerit lux Euangelii, nullo teſte affirmarunt alii. Ex variâ ſcil. & fabuloſâ traditione, de Thoma, de Bartholomæo, &c. & ex hypotheſi, Apoſtolos *Orbem univerſum*, etiam extremum Orientem & Occidentem, inter ſeſe partitos eſſe, juxta Chriſti mandatum ſcilicet, datum XII. Apoſtolis: Puta, in illo Marium repagulo, & rei nauticæ infantiâ, & locorum intercapedine, quorum innumera ignota fuerunt, & inacceſſa. Novo Orbe incognito ipſi adhuc Ptolemæo, temporibus Antoninorum, ac detegendo demùm exeunte Seculo XV. à Luſitanis, dum in Indias Orientales per Mare Atlanticum navigant, caſu potiùs quàm conſilio in Occiduum continentem delatis; dein à Chriſtophoro Columbo A. 1492. Americo Veſputio A. 1497. & ità ſucceſſivè à Ferd. Corteſio, & aliis. Ac fruſtrà Nicephorum Calliſti huc appellant, *Hiſt. Lib.* II. C. XLI. ubi indè à *Matthæo* Apoſtolo *Anthropophagis* prædicatum refert, id eſt, Lerio interprete, in Hiſt. Americana, *Cannibalis, qui vicini Braſilianis*, ſed pari hiſtoriæ fide.

Doctores ſuperſtites inclyti.

II. *Doctores* tùm ſuperſtites, ac ſcriptis indubiis inclyti, fuerunt *Irenæus*, mox tollendus, an Martyrio, & quo anno, incertum; *Tertullianus*, *Pantænus*, *Clemens* Alex. ſecundùm alios & *Minucius* Felix. *Origenes* autem agebat, in ipſis Chriſtiani hujus Seculi auſpiciis, annum ætatis XVI. vivo Leonidâ Patre, quem Severi perſecutio ſequente anno ſuſtulit, anno Æræ Vulg. CCII. ipſe autem cum Matre & parvulis fratribus numero VI. orbus relictus eſt, annum agens ætatis XVII. natus itaque Chriſti A. CLXXXV. apud Euſebium, *Hiſt.* L. VI. C. II.

Præerat adhuc *Romanæ* Eccleſiæ *Victor*, de quo ad ſuperius Seculum, *Zephyrino* mox ceſſuro; quanquàm alii jam *Zephyrinum* ſucceſſiſſe, ab A. CXCVII. vel CXCVIII. Hunc quidem Conſtitutionibus apocryphis, v. gr. de *Calicibus* in Euchar. *vitreis*, de *Sacerdote* qui aſſiſtat *Epiſcopo* celebranti, &c. & Epiſtolis Pſeudo-Decretalibus, notiſſimum. *Hieroſolymitanæ* præerat Narciſſus ætate grandævus, ac θαυματȣ̃ργος, exemplis apud Euſebium, L. VI. C. IX. Dicitur is adhuc in orationibus perſeveraſſe, annum agens CXVI. ex Epiſtolis Alexandri Succeſſoris. Qui *Alexander* factus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus, dum Epiſcopatum adhuc adminiſtraret Narciſſus, & disertè Euſebius *Lib.* VI. C. XI. meminit τῆς Ναρκίσσȣ σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ προεδρίας. Quod confirmat *Hieroſolymitana* Eccleſiæ plures ſimul curam ſuſcepiſſe Epiſcopos, numerante Euſebio indè à *Jacobo* fratre Domini (qui A. Chr. LX. vel LXI. ſublatus eſt) ad Hadriani tempora, & Annum circiter CXXXVI. *Epiſcopos* XV. Hiſt. L. IV. C. V. qui brevis ævi omnes, ſi ſibi invicem ſuccenturiati. Sic præerat *Antiochenæ* Eccleſiæ Serapion, à ſcriptis compluribus & eximiâ pietate, ac zelo contrà Δοκητὰς, alioſque Hæretic. Euſebio & Hieronymo laudatus. *Alexandrinæ*, poſt Julianum præfectus *Demetrius*, ab A. (ut quoque Pearſonus, Pagius) CLXXXVIII. ad A. CCXXX. quo deceſſit Heraclæ Succeſſori: Fautor is primò, dein perſecutor Origenis, ut idem Euſebius, *Lib.* VI. C. VIII. *Cæſarienſi* autem Palæſtinæ adhuc præfuit Theophilus, favens in causâ Paſchali partibus Victoris, & de cujus Synodicâ Epiſt. Euſebius, *Hiſt. Lib.* V. C. XXII.

III. *Felix* ſic ſatis Eccleſia, nondùm infeſto Chriſtianis *Severo* Imperatore, quum inchoaretur Seculum; cujus etiam filium *Baſſianum Antoninum*, poſteà Caracallam, *lacte Chriſtiano educatum* fuiſſe dixit Tertull. ad Scapulam: Sive jam quod Severus, dum infans fuit filius, faverit Chriſtianis; ſive quod nutrix fortè Antonini fuerit Chriſtiana; ſive quod familiaris idem *pueris Chriſtianis*, Caſaubono, ſed & Baronio, illud Spartiani in *Caracallâ*, (ægerrimè ferente *Colluſorem puerum, ob Judaicam religionem, graviùs verberatum*) interpretato de religione Chriſtianâ; ſive denique quod ejus educator (τροφεὺς αὐτȣ̃) *Euodus*, apud Dionem, Proculo Chriſtiano, familiariùs uteretur, utpotè *Procuratore* ſuo, ſi obtinet P. Pithœi, hinc Baronii, Rigaltii, lectio ad Tertulliani *Libr.* ad *Scap.* C. IV. Jam *Euodi conjugem* fuiſſe Chriſtianam, gratis Baronius colligit ex iis verbis Tertulliani, educatum Baſſianum *lacte Chriſtiano*, ad A. CXIII. *Num.* II. Et Educatorem illum ſuum poſteà ſuſtuliſſe Caracallam, auctor eſt Dio; contrà quàm Antoninus Pius, qui Educatorem ſuum *flevit*, dicens permittendum ſibi *ut Homo eſſet*. Certè Chriſtiani in Africâ & alibi paſſim, etiam ad Reipublicæ munia admiſſi, magnis ſub Commodo Chriſtianiſmi incrementis. Mox tamen, anno ſequente *Decennalibus* Severi, perſecutionis initia Alexandriæ & in Ægypto, dein in Africâ apparuerunt. Undè Tertulliano expreſſi Libri Apologetici; quos tamen non niſi poſt mortem Severi, quæ anno Chr. CCXI. accidit, ſcriptos eſſe noviſſi-

Status Chriſtianorum.

Digitized by Google

me quoque Rev. Allixius contendit, imò eſſe in poſtremis Tertulliani. De quo aliàs.

Præcipui verò tùm Eccleſiæ *hoſtes* fuêre: Partim Gentilium *Philoſophi*, de quibus ad finem Seculi II. partim *Pſeudo-Chriſtiani*, quales erant Gnoſtici, Marcionitæ, Artemonitæ, reliqui; de quibus fusè in Capite de *Hæreſibus*, ad Sec. ſuperius.

II. *Propagatio Eccleſiæ hoc Seculo. Philippi Impp. an Chriſtiani? Mamæa item, & Severa, Auguſtæ?*

Eccleſiæ jam notæ.

HUc ſpectant I. *Exiſtentium* jam Eccleſiarum creſcens frequentia, quibus indies novi hoſpites, Chriſtiani novi, accederent. Hinc mira incrementa Eccleſiarum; quales fuêre Eccleſiæ Palæſtinæ, Ægyptiacæ, Alexandrina, Antiochena, Byzantina, Aſiaticæ, Græcæ, Achaicæ, Thracicæ, Africanæ, Italicæ, Hiſpanicæ vel Ibericæ, Gallicanæ, Britannicæ, &c. paſſim ex Irenæo; ex Tertulliano, Origene, Euſebio, aliis. De quibus & infrà erit dicendi locus.

Novarum Eccleſiar. fundatio.

II. *Non exiſtentium* antè Eccleſiarum plantatio, quomodò hoc Seculo novæ paſſim Eccleſiæ innoteſcere cœperunt. Sic illa in *Arabiâ*, miſſis à *Duce Arabum* literis Alexandriam ad Demetrium Epiſc. & ad Præfectum Ægypti, quibus Origenem accerſivit, qui ſe & ſuos in fide Chriſtianâ erudiret; quod factum, annuente Demetrio, apud *Euſ.* L. VI. C. XIX. *Gallia* ſanè jam colluſtrata fuerat ſuperiore. Sec. luce Euangelii, non quidem à Philippo Apoſt. Lucâ, Creſcente, ſimilibus Apoſtolis aut Apoſtolicis Viris, (niſi eam Italiæ partem velis quæ *Gallia* Ciſalpina) ſed à Photino & ſociis, Smyrnâ eò delatis ſub Hadriano, quorum ille Martyr fuit in Perſecut. Lugdunenſi ſub M. Aurelio, A. CLXXXVII. *nonagenarius* quum eſſet. Hoc autem Sec. circà Ann. CCL. Decio II. & Annio Grato Coſſ. miſſi eò feruntur *Dionyſius* Pariſienſis (confundendus deinceps cum Areopagitâ) *Gratianus* Turonenſis, *Trophimus* Arelatenſis, *Paulus* Narbonenſis, *Saturninus* Toloſanus, *Martialis* Lemovicenſis, *Stremonius* Arvernorum Epiſc. & horum Diſcipuli, apud Gregorium Turonenſem, *Hiſt. Fr. Lib.* I. C. XXVIII. XXIX. & ex eo Nicol. Fabrum, Petr. Puteanum, Dion. Petavium, Jac. Sirmondum, Morinum, Marollium, Launoyum, alios, iſtum præcipuè in diſceptatione cum Petro de Marcâ, de *Tempore quo primum in Galliis ſuſcepta eſt Chriſti fides.* Quamvis admiſceat Gregorius Turon. pro more, hiſtoricis fabuloſa, ut, de circumſtantiis Martyrii *Saturnini*, & de primâ *Eccleſiâ* ſtructâ apud Bituricenſes, quæ illic vide. In *Helvetiâ* hoc jam Seculo πρωτομάρτυρες feruntur Tigurini, *Felix* & *Regula*, quorum Hiſtoriam edidit Joh. Jacobus Ulricus Tigur. ſed dubiâ fide.

De Scotia quæ referuntur.

In *Scotiâ*, ſeu Albaniâ Vet. quæ olim limes Rom. Imp. alii de *Hiberniâ* intelligunt, quæ tum *Scotia* appellata apud harum Antiquitatum Scriptores, converſus fertur ad Chriſtum *Donaldus* I. Scotorum Rex, anno Chriſti CCIII. *Victore* ſcilicet tùm Urbis Epiſcopo; ex Johanne Fordono, Joh. Majore, Hect. Boëthio, Dempſtero, & aliis, in Hiſtoriis & Chronicis Scotorum. Hinc de Scotiâ vulgatum eſt Diſtichon,

Chriſti tranſactis tribus annis atque ducentis,
Scotia Catholicam cœpit habere fidem.

Sed anno CCIII. vivere pridem deſierat Victor, Sedem Roman. occupante *Zephyrino*. Et *Nummi* ad quos provocat Boëthius, cuſi ſcil. à Donaldo, cum *Imagine Crucis* ab unâ parte, & *ſui Capitis* ab alterâ, ignoti ſunt rei Antiquariæ ſtudioſis. Sic fabuloſum quod pluribus commemorat Dempſterus, in *Hiſt.* Eccleſiarum Scoticarum; Fuiſſe converſum Donaldum operâ *Fulgentii* cognomento *Audacis*, Britonum Albanenſium Ducis, quos à Scotis diſtinguit, cujus Opera & Scripta, ut de *Fide Chriſti*, & alia ad Donaldum, ibidem recenſet ille Hiſtoricus. Sed (præter ſilentium vetuſtiorum, & Bedæ, Mariani Scoti; tùm quæ obſervavimus de Converſ. Lucii Regis ad ſuperius Sec.) incertarum de rebus in *Britanniâ* Chriſtianis narrationum, ac fabularum Britannicarum, plena hoc Seculo omnia. Quomodò eidem Ætati afficta eſt fabula de *Urſulâ* Britannicâ, cum Sociis XI. mille Virginibus, tempore *Cyriaci* ſcilicet Papæ, qui ſucceſſor fuerit *Pontiani*; de quâ poſteà. Adi præ cæteris Uſſerium *Antiquit. Brit.* C. XV. & Edw. Stillingfletium in Opere quod de eodem argumento ſcripſit. In genere Tertullianus, Libro *Adverſus* Jud. C. VII. quem ſcripſit ſub ultima Severi Imp. ait *Britannorum inacceſſa Romanis loca*, id eſt, ultra Vallum Hadriani & Severi, *Chriſto ſubdita* jam tùm fuiſſe; de quo vide Reverendiſſ. Stillingfletium de Antiq. Brit. C. II. Adde in *Hiſpaniis* Eccleſiarum incrementum, in Bæticâ, Tarraconenſi, Luſitaniâ, Gallæciâ, Aſturiâ, &c. vel ex *Epiſt.* Cypriani XXXV. & XXXVIII. & ex Concilio Illiberitano, ſub initia Seculi ſequentis indicto, de quo poſteà.

Converſiones illuſtres.

III. Eo autem hæc illuſtrior propagatio fuit, quo fuêre I. Inſigniores qui Chriſto nomen dederunt: Ex. gr. Viri Celebres, Philoſophi, quales Ammonius, cui Liber inter alios tribuitur de *Conſenſu Moſis & Jeſu*, apud Euſebium *Lib.* VI. C. XIX. & quem Porphyrius mentiebatur ad Gentiliſmum à Chriſto defeciſſe; Ambroſius, à Valentini Hæreſi ad Chriſti Diſciplinam traductus, magnus Origenis admirator; *Cyprianus*, à Cæcilio Presbytero Carthag. inductus ad amplexandam Chriſti fidem, circà A. 246. ut cenſet Pearſonus. Sic converſi *Aulici*, quales illi Alexandri Severi, cujus οἶκον ἐκ πλειόνων πιστῶν συνεστῶτα repræſentat Euſebius *Lib.* VI. C. XXVIII. Sic *Principes* viri fœminæque, quibus etiam *Reges* accenſet Origenes, *Dialogo* contrà Marcion. ſed vel hoc ipſo ſuſpectæ aliis fidei. In iis certè fertur Arabum Princeps, converſus operâ Origenis, apud Euſebium, *Lib.* VI. C. XIX. Jul. Mamæa Auguſta Alex. Severi mater, quæ ſcilicet accerſito Origene converſa à Gentiliſmo fuerit, apud Euſeb. L. VI. C. XXI. Imò Philippus uterque Imperator, apud eundem Euſebium *L.* VI. C. XXXIV. cum Otaciliâ Severâ Philippi conjuge. Ac nuper quoque in hanc ſententiam Huëtius in Origenianis ſuis, Patinus in Theſauro Numiſmatum, Joh. Rod. Wetſtenius, *Præfat.* ad Origenis quædam antè ἀνέκδοτα, Steph. le Moyne, qui *Philippum à Sacris Chriſtianis non alienum* ſcribit, *Præf.* ad Varia Sacra, & in *Obſerv.* p. 1106. &c.

Mamæa Auguſta an Chriſtiana?

Mamæam ſanè Euſebius θεοσεβεστάτην dicit, ac εὐλαβῆ τὸν τρόπον, ſic Origenem ab eâ accerſitum, pleniùs ab hoc divinis de rebus edocendâ; *Chriſtianam* tamen non dixit, nec Hieronymus, quicquid alii Chronographi his poſteriores, tradiderint. Ab Origene κατηχηθεῖσαν τὸν λόγον habet Suidas, in Ὠριγένης. Nimirum de Chriſtianorum doctrinâ pleniùs informata, moribus proba, religioſa, θεοσεβὴς καὶ εὐλαβὴς, qualiter de Cornelio, & Proſelytis portæ, qui εὐσεβεῖς, σεβόμενοι, φοβούμενοι τὸν Θεόν. Et Poppæam ipſam, Neronis conjugem, dixit Joſephus θεοσεβῆ, *Antiq.* L. XX. C. I. At Chriſtianam non dicunt nec Euſebius, nec Hieronymus. Et certè in Nummo Mamææ antiquo, inſcribitur, ab unâ parte, *Jul. Mamæa Aug.* ab alterâ, *Juno Conſervatrix*, ut Alex. Severus in Nummo altero, *Jovi Conſervatori.* Sic in honorem Mamææ Aug. Nummi cuſi à Cyzicenis, Smyrnæis, Νεωκόροις, cum *Herc. Pavon.* & Figuris Idololatriæ Gentilis. Quamvis faviſſe videatur Chriſtianis, quibus quies fuit ſub Alexandro Severo, qui Chriſtum in *Larario* habuit,


imò


imò in *Deos* relatum voluit, ni interceſſiſſent eorum temporum Jureconſulti, Domitius Ulpianus, Jul. Paulus, Modeſtinus, quod nec patiebatur Religio Chriſtiana.

De Philippis, an Chriſtiani?

Major autem dubitandi ratio de *Philippis* Imperatoribus, Patre & Filio, mediis inter Gordianum & Decium; quos Chriſtianos fuiſſe tradunt Euſebius, Hieronymus, Oroſius, Caſſiodorus, Beda, Freculphus, Auctor Chronici Alex. Ado Viennenſis, Georgius Syncellus, Cedrenus, Nicephorus Calliſti, Chronographi reliqui, & hinc recentiores illi Viri modò *cit.* poſt Annalium Eccleſ. Scriptorem. Qui etiam *Severam matrem* Phil. Arabis (voluit Otaciliam Sever. Uxorem Philippi, matrem Phil. Junioris) Chriſtianam fuiſſe dicit, ad cujus exemplum Pater & Filius *Chriſtianâ Religione initiati ſint*, ad A. CCXLIX. *Num.* II. At negant, nec ſine gravi cauſa, Scaliger *Animadv.* ad Euſebii Chronicon, Caſaubonus Notis in Aug. Hiſtor. p. 201. Blondellus de *Primatu Eccl.* ubi de honore adorationis Papæ delato, Frater noſter Diſſertatione IX. de Numiſmatibus; & haud obſcurè nuper Ant. Pagi, ad Ann. *Baron.* CCXLIX. ac complures alii non obeſæ naris. Ac favet his ſilentium Capitolini, Aurelii Victoris, Zoſimi, etiam Origenis c. Celſum, Lactantii, Sulpicii Sev. Ambroſii, Paulini, Chryſoſtomi, Theodoreti, cæterorum, qui Conſtantino M. hanc *Chriſtiani* Principis ſive Imperatoris laudem primùm adſcribunt. Quin Euſebius diſertè de Vita Conſtant. M. L. IV. C. LXII. Quod enim limitant Oroſius, Freculphus, & cæteri, *excepto Philippo, qui Chriſtianus annis pauciſſimis*, precarium eſt; nec ferunt verba ipſius Euſebii, *μόνος τῶν ἐξ αἰώνων Αὐτοκρατόρων Κωνςαντῖνος*, &c. Ratio etiam horum vaniſſima eſt: *Ad hoc tantum* Chriſtianum factum videri, *ut milleſimus Romæ annus Chriſto potius quàm Idolis dicaretur.* Imò Nonos Ludos Seculares (ſeu Sacra Secularia, Milliarium Seculum, Seculum Novum, ut paſſim in Nummis Philipporum) Anno V. C. *Milleſimo*, Gentili ritu, & *Pontif. Lege*, fuiſſe à Philippo celebratos, docent omnes Nummi quotquot ſervati in hanc ætatem; Quidam etiam *Otaciliæ Severa Aug.* quæ aliquando *Juno Dea* inſcribitur, & Inſcript. Romæ repertâ, apud Gruterum p. XXIX. *Matri Deûm Marcia Otacilia Aug. D.* Repræſentant verò Nummi figuras *Animalium*, quæ Populo in Circo exhibita, *Leonis*, *Leopardi*, *Elephanti*, &c. Sic *Lupam* cum Gemellis; *Templum* cum fig. Jovis; *Imperat.* cum Virgâ quâ aditum ad *Templum* demonſtrat; *Figuram* Sacra facientem Gentili ritu, ad Aram, coràm Templo; *Templum* pluribus Fig. ornatum, coràm quo *Philippi* ad Aram ſacrificant, cum Inſcriptt. ſolitis, Æternitas, Pietas Augg. &c. Et qui id genus *Numm.* plures. Abſurdè Baron. ad A. CCXLIX. N. IV. exhibet Numiſmata duo, alterum Philippi P. cum *Columnâ ſtante*, quæ firmitatem Imperii deſignavit; & Philippi F. alterum, virgâ monſtrantis aditum Templi, (ut in ectypo hocce) mediâ *Columnâ* inter Imp. Cæſarem, & Templum, cum inſcriptione MILLIARIUM SÆCULUM: Addens, *Philippum cum novo Seculo novam Religionem*, id eſt Chriſtianam, *proponere, quod haud inſulsè dici poſſe videatur.* Imò inſulſiſſimè; quo magis Baronius negat, fuiſſe Chriſtianam fidem amplexum Philippum, antè hunc annum *M.* Et A. Pagi, ad A. 247. *Philippus nondum Chriſtianam religionem ſuſceperat, quum hos Ludos edidit.* Nempe Nummus fuit cuſus ex S. C. *Templum* illud fuit Jovis Cuſtodis, vel Jovis Capitolini; *Virgâ* autem *monſtrat* Imperator, expectandam ab eo Cuſtodiam Imperii cum Novo Seculo, poſt *Milliarium* impletum; & ex Zoſimo intelligitur *Lib.* II. C. V. in *Capitolio* ſolenniter immolatas hoſtias hiſce Ludis Secul. indè Apollini & Dianæ Ludos factos. Et *Jovis* figura, cum *Templo*, VI. vel VIII. *Columnis* ornato, in Nummis aliis *Philipporum* viſitur, & cum *Arâ*, coràm quâ Imper. Pater & Filius *Sacra faciunt* Gentili ritu, cum *figuris* aliis Idololatricis, & inſcriptione, SÆCULUM NOVUM, SÆCULARIA SACRA, quæ utique Inſcriptio Gentilis eſt. Vel etiam illud *Templum*, in Nummo Baronii, fuit *Ædes Palatina Apollinis*, qui hinc *Apollo Palatinus*, cui dicabantur Seculares Ludi, ut *Conſervatori*, *Propugnatori* Rom. Imp. quod *Virga* commonſtrat; Cui & *Paanes* & *Hymni* canebantur, à *ter novem* illuſtribus pueris, & totidem Virginibus, ut diſertè Zoſimus in horum Ludorum deſcriptione. Quomodò in alio Philippi Numiſmate, eſt in averſâ p. *Templum Apollinis*, & *Inſcriptio*, *Ex Oraculo Apoll.* cujus Numiſm. meminit Sponius. Hinc inſulſum, ex hujuſmodi *Nummo* hariolari Philippum Chriſtianum; qui *Anno U. milleſimo Ludos omnium Gentium celebraſſe*, dicitur expreſſè A. Victori. Et ipſa illa *Sacra Secularia*, & *Ludi Seculares*, celebrati in *Campo Martio*, Paganorum ritu; à *Chriſtianis* poſteà Imperat. non repetiti, (nam ab *Honorio* omiſſa *Sacra Secular.* ut Frater meus, A. Pagi, &c.) ſatis arguunt Philippum Gentilem. Sic alius Nummus argenteus *Philippi* exhibetur à Du Choul, Libro de Religione Romanorum, p. 56. 57. cum *Caprâ Jovi αἰγιόχῳ* ſacrâ, & Inſcriptione, JOVI CONSERV. AUGUSTI. Interim Goltzius in *Iconibus* Imperatorum, ad Philipporum Numiſmata, addit ex hypotheſi apud ſuos receptâ, & precariò, ut ſæpè aliàs ſolet, eſſe *hos primos inter omnes Cæſares qui fidem Chriſtianam publicè profeſſi ſint*, & hinc *Decium interfeciſſe Philippum Fil. Chriſtianiſſimum Imperat. ut Chriſtianis eſſet formidini.* Tacemus, quod Julio Capitolino in *Gordianis Tribus* expreſsè dicitur, & ab Eutropio confirmatur, *Lib.* IX. Philippum ſublatum à ſe Gordianum *Divum ſemper appellaſſe*, θεῶν προσηγορίᾳ τιμήσαντα, & procuraſſe ejus ἀποθέωσιν à Senatu, *qui adoleſcentem inter Deos retulit.* Quin Philippos ipſos, palàm ſcil. Chriſtianos, *Chriſtianam fidem publicè profeſſos*, ut fidenter Goltzius, poſt mortem τῶν θεῶν ἀξιωθῆναι προσηγορίας *Divos appellat.* Eutropius L. IX. C. III. faciente Decio, omnium quotquot fuêre Imperatorum Chriſtianis maximè infeſto. Hinc Nummus Phil. P. in quo *Elephas* cum *Rectore*, Apotheoſ. ritu, apud Vaillant.

Nec fuit quod Vir Clariſſ. qui edidit Græcè *Origenis Dialogos* contrà Marcion. ſic Tillemontius, & alii, provocarent ad Nummum Apamenſ. à Viro Illuſtri Octavio Falkoniero elucidatum, ut prior edoctus ex relatione Viri Magni: *Imprimis* (inquit) *cauſæ noſtræ favet Nummus Apamenſis, in quo ab unâ parte Philippi Imperat. Imago, ab alterâ Vir in Arcâ ſedens, & columba ſuper eo volitans, cum inſcriptione*, ΝΩΕ. Habeo ectypum illius Nummi, &






Digitized by Google

De Nummo Apamenſi.

Eruditam Diſſert. Octavii Falconerii, ut Romæ impreſſa eſt A°. 1668. Nempe repræſentatur *Phil. Senioris* Caput Laureatum, & averſâ parte Diluvium Deucalionis, cum imagine Navigii tetragoni, κιβωτ̃, λάρνακος, (unde *Larnaſſus*, dein *Parnaſſus*, quò Deucalionis Arca appulit, apud Stephanum in Παρν.) aquis innatantis, in quo ſimulachra duo Viri & Mulieris, id eſt, Deucalionis & Pyrrhæ, ante Arcam duæ figuræ, Mulieris primùm tum Viri, ſuprà Arcam duæ Columbæ, altera ramuſculum unguibus tenens, cum Inſcript. Ἐπ. Μ. Αὐρ. Ἀλεξάνδρυ Β. (ΒΕΛ. additum in *Num.* Chigiano) Ἀρχιερ. Ἀπαμέων, & tribus in fronte Arcæ Literis expreſſis, Ν, Ω, Ε. Quibus ab Apamenis (ſeu Apamea Syriæ fuerit, ſeu Phrygiæ ad Mæandrum, quam Marſyas præterfluebat, Κιβωτὸς etiam *Arca* appellata) repræſentatum Diluvium Deucal. ex quo ſalvus evaſit cum Uxore, Columbâ dilabentium aquarum nuntium adferente, cujus *duplicem* emiſſionem memorat Plutarchus, hinc Columbæ duæ. Tres verò literæ, ΝΩΕ, Deucalionem notant, quem ſub *Noëmi* nomine Beroſus, Nic. Damaſcenus, &c. uti nota Gentilibus *Japheti*, *Chami*, *Abrahami*, *Moſis* θεσμοφόρυ, *Iſraëlis*; *Davidis*, &c. nomina, & quomodò Alexander Severus *Abrahamum* in Lario habuit. Non ergò Chriſtianus hic Nummus, qui *Philippi* Caput exhibet; minùs Inſcriptio hæc, *Alexandro* II. *Pontifice Apamenſ.* vel B. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜ. id eſt, *Secund. Optimo Pont. Apam.* Nec multum diſtabat Hierapolis in quâ Templum Deæ Syriæ, ac Sacra ibi peragi ſolita, in memoriam Diluvii Deucalionæi, (ſed quale Noëmicum in Geneſi deſcribitur) apud Lucianum de *Deâ Syriâ*, hauſtum ἐξ ἱερῶν λόγων *ex Sacris Literis.* Et pariter hic Ἀρχιερέως *Pontif.* meminit, qui mutari quotannis ſolitus. Sed dubitare non ſinit Nummus alius in Gazis Chriſtianiſſ. Regis, Αὐτοκ. Μ. Ἰȣλῖος Φιλ. σεβ. & averſâ Θεᾶς Συρίας Ἱεροπολειτῶν, cum fig. Cybeles Leone vectæ, ut ſolet hæc Dea exprimi cum Leone, vel inter duos Leones. Itâ *Columba* repræſentatur aliàs in Imaginibus Deæ Syriæ, *ovo inſidens*, quæ poſt aliquot dies excluſit *Deam Syriam*, id eſt, Venerem, de quo Mythologi. Sic alius Nummus eſt *Septimii Severi*, ab iiſdem Apamenſibus percuſ-



ſus, cum averſâ planè ſimili ei quæ in priore Nummo Philippi, ſi *Inſcr.* excipias; de quo adi Falkonierum de Nummo Apam. p. 171. Nullum ergò prorsùs ex Nummis antiquis ac genuinis præſidium, pro Philippo Chriſtiano. Imò contrarium oſtendunt Nummi veteres Philippi Patris, Filii, Otaciliæ Aug. qui frequentes habentur in Gazis, omnes Sacra Paganorum referentes, ut ſuperiùs indicatum, & infrà ubi de *Pœnitentiâ* Philippi. Nec ſatis eſt cum Doctiſſimo Huëtio hariolari, Philippum hæc ſacra *occultè* & *clàm Ethnicis* profeſſum eſſe; ſed quo indicio? Adde ingenium Principis ferox, crudele, perfidum, in quo nihil Chriſtiani, Gordiano nefariè ab eo ſublato. Tum & dubiam meritò narrationem, de Philippo aditu Eccleſiæ palàm prohibito, in vigiliâ Paſchatis; quod *Fabiano* Rom. Epiſcopo Baronius, Veteres *Babylæ* Antiocheno tribuunt: Euſebius verò, G. Syncelus ad An. 237. & Zonaras, *neutrum* exprimunt; hic ſolùm memorari ex *quorundam* relatione, eum ad *fidem Chriſti* adductum, & ad *pœnitentiam* à *Præpoſito Eccleſiæ* adactum. Sub *Fabiano* pœnitentiam egiſſe, primus ſcripſit Paulus Diac. A. 780. Huëtius rectè, *ex incertâ auditione iſtud Euſebium retuliſſe*, Origenian. L. I. C. IV. Adde fabulas de Philippo alias: Uti à *Pontio* Martyre converſum, qui familiariter notus & amicus Philippis; baptizatum à *Fabiano*; Patrem fuiſſe *Eugeniæ* martyris, &c. Quod poſterius Zonaras *Annal.* Lib. XII. p. 624. Ed. R. ex errore ortum tradit, & confuſum cum Philippo *Imper.* Philippum *Præfectum* Ægypti, cui filia Eugenia, martyrii coronam adepta ſub Gallieno, ut ferunt, & aſſentitur Baronius, A. CCXLVI. Petavius *Lib.* XI. C. XXV. Et priora hæc Baronius ex Surii Tomo VII. in *Actis Pontii* Mart. quibus intextam *fabellam* non unam eſſe, cùm ipſe fatetur ad eundem A. *Num.* IX. tùm cordatiores omnes, & Petavius dicto loco: *Quantùm ſit Actis illis tribuendum, indicat ipſe Baronius.* Edidit Acta illa Stephanus Baluzius, *Miſcell.* T. II. in quibus Pontii cum Philippis Impp. prolixus Dialogus, tum interventus Fabiani Papæ, Baptiſmus, accurſus *omnis Populi*, alia, quæ ſuopte indicio ſe produnt. Igitur ab uno *Euſebio*, ex aliorum relatione, hæc omnis traditio; & à pace Eccleſiæ ſub Philippis; & à *Literis* illis Origenis ad Philippum Imperat. & Severam Auguſtam, quarum ut *extantium* meminit Hieronymus; quas autem φέρεϑ *ferri* eſſe Origenis, habet Euſebius, *Hiſt.* L. VI. C. XXXVI. Sed præterquàm Hadrianus quoque & Antoninus P. Libellos acceperunt à Chriſtianis; inſuper fictas eſſe Literas, quarum nec conſtet argumentum, nec occaſio, contendunt Scaliger, & Eruditi alii. Auctoritates quæ adferuntur, Oroſii, Caſſiodori, Bedæ, Freculphi, Cedreni, Nicephori, &c. non præponderant ſilentio Origenis, Lactantii, Sulpicii Severi, Ambroſii, Theodoreti, &c. ne dicam Eutropii, Zoſimi, Victoris, & Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptorum. Quod verò Baronius indicium Converſionis Philippi facit, *coërcitam garrulorum Poëtarum linguam*, *uſum virilis ſcorti remotum*, & ſi quæ *alia ab eo piè ſancteque fuêre ſtatuta*, ſed *quæ exciderunt*, &c. non magis id probat Chriſtianum fuiſſe *Philippum*, quam ex. gr. Platonem, qui *Poëtas Republicâ* ſuâ eliminavit; aut quam *Domitianum* initio Imperii, qui in Adulteros, in Stupratores Veſtalium, in Eunuchos ne tales fierent, &c. ſaluberrimas leges tulit; ne leges Hadriani, & Princip. aliorum dicam. Quomodò idem Baronius, ex eo quod refert Aurel. Victor de Philippo filio, puero *ſeptenni*, quum Pater Imperium capeſſeret, illum fuiſſe ἀγέλαςον, *ſeveri & triſtis animi*, ſic vultûs, hinc infert, *ſic fortaſſe à Severâ matre, Chriſtianâ fœminâ, moribus informatum.* Abſurdè, quum talem fuiſſe à naturâ, & *jam à quinquenni ætate*, notet Hiſtoricus; nec religio Chriſtiana *hominem* exuere doceat. Idem tamen V. Cl. le Moyne, *Var. Sacr.* p. 1110. hunc Puerum *à Matre*, vel *Aviâ*, &c. *audiviſſe*, *Chriſtum nunquam riſum ſibi permiſiſſe.* Alios Baronii errores mittimus, ut quod VII. annos Philippo tribuat, corruptâ & Faſtor. Conſular. ſerie: Quum conſtet annos integros V. imperaſſe, VI. inchoato; undè ſingularis Nummus profertur, Α. Κ. Μ. Ἰȣλ. Φιλιππ͂ος Εὐσ. &c. notato anno *Imp.* ϛ́. ſcil. VI. inchoato.

Teſtes Doctri[nae] hujus S[eculi]

IV. Non graviores unquàm in Chriſtianos perſecutiones, ac frequentiores fuêre, quàm hoc Seculo, ſub Severis, Maximinis, Deciis, Valerianis, Aurelianis, Diocletianis. Ut verè ſanguis Martyrum audiverit *ſemen Eccleſiæ*, fueritque flamma hæc perſecutionum inſtar fornacis illius Babylonicæ, in quâ *quartus* acceſſit. Ac de Perſecutionibus hujus Ætatis, & conſtantiâ Martyrum, & incredibili ut ferunt, numero, fuſè poſteà.

Summa illius.

III. *Do-*

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi.*

Teſtes Doctrinæ hujus Sec.

I. **C**Olligitur illa indubiâ certâque fide, 1. Ex *Symbolis*, formuliſque publicis, puta ex Symbolo Romano ſeu Apoſtolico, quod hoc Seculo eâ formâ habuiſſe, qualiter hodieque eſt, excepto Artic. de *deſcenſu ad Inferos* (Vetera Symbola ſimpliciter, *ſepultus eſt*) idque recitaſſe S. Baptiſmum ſuſcepturos, vel ex Ruffino intelligimus. Adde Symbola Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ; de quibus ex Veteribus referunt Armachanus de Symbolo Apoſt. Vetere, Voſſius, de Tribus Symb. J. Forbeſius, Eruditi alii, ac Tomi Conciliorum. Sic Epiphanius Hæreſi Noëtianorum, quæ eſt LVII. habet declarationem Symboli factam ab Aſianis, Epheſi contrà Noëtum coactis, circâ A. CCXLV. *Et nos*, inquiunt, *unum Deum colimus, ſed quemadmodùm* δικαίως *legitimè colere novimus. Itidemque unum Chriſtum, ſed ſicut novimus unum Chriſtum Dei Filium, paſſum quomodò paſſus eſt, mortuum quomodo mortuus eſt, qui & reſurrexit, & in cœlum aſcendit*, &c.

2. Ex *Patribus* qui hoc ſcripſêre Seculo, & in quibus ſufficere poſſunt genuina *Clementis Alex. Tertulliani*, *Minucii Felicis*, *Origenis*, *Cypriani*, *Gregorii Neo-Cæſar. Arnobii* etiam, monumenta: Præter Euſebiana paſſim teſtimonia & fragmenta, cumprimis *Hiſt.* L. VI. aliaque quæ habentur in Operibus Cypriani, ac Photii illa quoque in *Biblioth.* ex *Cajo Romano*, *Hippolyto*, *Africano*, *Ammonio*, *Ambroſio*, *Dionyſio Alexandrino*, *Cornelio Romano*, aliis. Adde Acta *Synodorum* Carthagine, Antiochiæ, Iconii, Alexandriæ, Romæ habitarum, in cauſis variis adverſus Cataphrygas, Novatum, Samoſatenum, &c. De quibus *Tomo* I. Conciliorum, & Baluzius in Supplemento, ac nos infrà.

Summa illius.

II. Ex his quidem conſtat *fundamentalis* doctrina de Deo Patre eodemque Creatore, de ejus Filio Unigenito, concepto ex Spiritu S. nato ex Mariâ Virgine, &c. de Spiritu S. & quæ reliquis Articulis continetur, eadem cum prioribus Seculis, & cum hodiernâ Catholicâ Eccleſiâ. Et ſummam ejus, quam dicunt *Regulam fidei* & *veritatis*, exhibent poſt Irenæum *Lib.* I. C. II. Tertullianus quoque de Præſcript. C. XIII. & de Velandis Virgin. in *initio*, Cyprianus paſſim in ſuis, Origenes in *Proœmio Libri* περὶ Ἀρχῶν, Gregorius Neo-Cæſarienſis, in tributâ illi *Expoſitione Fidei*, quæ extat Gr. Lat. & de quâ Greg. Nyſſenus, fuiſſe ei cœlitùs revelatam; Antiocheni in Symbolo ſuo, Anno Chriſti CCLXX.

III. Quod ad *controverſa* hodie inter Chriſtianos Capita, eximia ſunt omninò, in dictis monumentis, Catholicæ, quæ eadem & Reformatæ, cauſæ ac doctrinæ omnis præſidia. Exempla erunt de multis pauca, ne deeſſe videar illorum deſideriis, qui hanc mihi opellam expreſſerunt.

Capita controverſa illuſtriora.

De Canone Scripturarum.

1. *Canonem* eundem cum noſtro, reſectis Apocryphis, ut ſuperioris Seculi Patres, ſic hoc quoque receperunt Clemens Alex. Origenes, Cyprianus, &c. De *Libris V. T.* Maccabæis aliiſque diſpunctis, conſentit cum Hebræis Clemens Alex. in Libris *Hypotypoſeôn*, ſeu in Excerptis Theodoti, fatente Valeſio ad Euſebii *Lib.* VI. C. XXV. Hinc & Origenes, apud eundem Euſebium, ex ejus in Pſalmos Commentario, Canonicis recenſitis, dicto *L.* VI. C. XXV. Quanquàm non neſcimus utrumque Patrem, citare ſæpiuſculè Apocryphos, etiam nomine τῆς γραφῆς, ſed voce latiùs acceptâ pro *Libris Sacris*; prioribus attextis, & ubi illorum cum S. Scripturis conſenſus eſt; uti *Hermæ Paſtorem*, Epiſtolas *Barnabæ*, *Clementis*, etiam hoc nomine allegant. Sic Origenes in *Epiſt.* ad Africanum pro Hiſtoriâ Suſannæ, quam debemus Clariſſimo Wetſtenio, itâ hujus veritatem & utilitatem adſtruit, contrà Africanum, ut tamen *Canonicam* illi auctoritatem non adſcribat. Sic in *Canonibus Apoſtol.* qui hujus creduntur Ævi, *Canone* LXXXV. non alius recenſetur Canon Teſt. V. ab Hebraico, præter *tres Maccabæorum*, qui tamen in Collectione Canonum Græcâ Joh. Antiocheni, in quâ idem hic Canon eſt, nulli comparent. Adde Euſebium, ſub initia ferè Seculi ſequentis, inter βιβλία τὰ ἀντιλεγόμενα *quibus contradicebatur*, recenſere quos dicimus Apocryphos, dùm reliquos vocat ἐνδιαθήκους, ἀναμφιλέκτους, ὁμολογουμένους, καθολικούς.

Auctoritatem Scripturarum ac *Sufficientiam*, ad fidem & vitam, omnes hujus Seculi Scriptores pluribus adſtruunt, *Traditionibus* nullis admiſſis, nempè de Fide, Doctrinâ, (alia ratio eſt de Eccleſiarum Ritibus, Diſciplinâ, Conſuetudine, &c.) niſi ἐγγράφοις, ſeu quæ ex *Scripturis* demonſtrarentur. Undè illud Tertulliani, ſub initia Secul. III. de *Monog.* C. IV. *Negat Scriptura quod non notat*; in quo à *veritate devium* Tertullianum, quiritatur Priorius: Loca *ejuſdem*, in ſenſum eundem, ex Libris aliis, uti adverſùs Hermogenem, C. XXII. de Reſurrectione Carnis, C. III. Sic loca ex *Origene*, in Libris contrà Celſum, Homiliis in Leviticum, Comment. in Matthæum; ex *Cypriano*, cumprimis ejus *Epiſt.* LXXIV. ad Pompejum fratrem, &c. produxerunt pridem Theologi, ac vindicarunt contrà Tridentinos. Reſpondendum ergò provocantibus ad Traditiones ἀγράφους, quæ reſpondit Pompejo Epiſcopo Sabratenſi Cyprianus, contrà Epiſt. Stephani; *Undè eſt iſta traditio? Utrumne de Dominicâ & Evangelicâ auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt, Deus ipſe teſtatur, & proponit ad Jeſum Nave, dicens; Non recedet Liber Legis ex ore tuo*, &c. *Si ergò aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus continetur, obſervetur divina hæc & Sancta Traditio.* De Sufficientiâ earundem.

Præſcriptio Tertulliani.

Ac fruſtrà Tertulliani methodum obtendunt, ex Libro de *Præſcriptione Hæreticorum*, Latini hodierni, tuentes ſe non deciſione Scripturarum, ſed auctoritate Eccleſiæ, fidei traducem conſervantis, hinc conſuetudinis vel *præſcriptionis* titulo. Et itâ nuper, poſt Pamelium, Fabrum, Walenburgios, Lud. Maimburgius, Theologus Societatis, *Methodi* ſuæ *Cap.* I. Atqui 1. Septimio res erat cum hujuſmodi Hæreticis, qui ipſam *fidei Regulam*, ut liquet *Cap.* XIII. de Dei Unitate, Creatione mundi, Perſonarum Trinitate, Veritate Carnis Chriſti, Reſurrectione, Judicio, imò ipſam ſubindè Scripturarum auctoritatem, in controverſiam vocarent; hinc tales ne ad diſputationem quidem ullam aut collationem admittendos cenſuit, *Cap.* XV. 2. *Præſcriptio* illa ipſa Tertulliani, non eſt antiquitatis aſſertio nuda, ſed illius evictio, *demonſtratio*, indè ab Apoſtolis, indubiis teſtibus, *Cap.* XIX. XXI. XXXVI. &c. qualem à Latinis expoſcimus, in aſſertis à ſe Capitibus. 3. Sed & alibi Septimius Hæreticos eoſdem ex Scripturis revincendos eſſe cenſuit, undè Libri adversùs Marcionem, Praxeam, Hermogenem, Valentinianos, &c. Hinc *ſalvâ iſtâ Præſcriptione, utique tamen propter inſtructionem & munitionem quorundam, dandum eſſe etiam Retractatibus locum*, ut idem adversùs Praxeam, C. II. Vide noſtram de *Præſcriptione Pontificiâ* Diatribam.

III. *Dei Unitatem in Trinitatem diſpoſitam*, ut loquitur De S. Trinitate.

tur Tertullianus, contrà Praxeam, *Cap.* II. *adunatam Trinitatem*, in *cujus nomine* jubemur baptizari, ut Cyprianus ad Jubajanum, *Epiſt.* LXXIII. *Regulam fidei in unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.* ut Novatianus adhuc Catholicus in Libro de Trinitate; *Trinitatem* ſimul & *Monarchiam*, μονάδα κ̀ τελάδα, uti, poſt Septimium, defendit hoc Seculo Dionyſius Romanus, apud Athanaſium de Decretis Synodi Nicænæ, *Tomo* I. Τελάδα τελείαν *Trinitatem perfectam*, *quæ nec dividitur nec alienatur*, ut apud Ruffinum Gregorius Neo-Cæſarienſis, *Hiſt. Euſ.* L. VII. C. XXV. &c. adeò profeſſi ſunt omnes hujus Seculi Patres, ut his vindicibus Hæreſes Praxeæ, Noëti, Sabellii, Pauli Samoſateni confectæ jacuerint. Nec loca huc congerere neceſſe eſt, poſt Dionyſium Petavium de *Trinit. Lib.* I. & in Præfatione, *Capitib.* IV. V. Joh. Forbeſium, Inſtructionum *Lib.* I. c. V. ac nuper quoque Samuelem Gardinerium, Theologum Britannum, de Fide *Patrum Ante-Nicænorum*, contrà Chriſtophorum Sandium, ex his ipſis Patribus prolixè diſputantem. Hos adeas velim.

De loco 1 Joh. v. 7. Hinc & celebrem ac vexatiſſimum locum, 1. *Joh.* v. 7. de *tribus* Teſtibus qui *unum ſint*, citat hoc Ævo non ſemel Cyprianus. Sic in *Epiſt.* ad Jubajanum, quæ eſt LXXIII. dicens *baptizatum Templum Dei* eſſe factum, colligit factum Templum *Dei* Patris ſui *Creatoris*, *Dei Filii* ſeu Chriſti, & *Spiritûs Sancti*, quia *hi tres unum ſunt*, manifeſto reſpectu ad locum *Johannis*. Hinc qui unum ex tribus oppugnat, *Patrem*, vel *Filium*, & *Spiritum S.* huic Deum *placatum eſſe non poſſe*, quia Pater, Filius & Spir. unum. Idem L. de Unitate Eccleſiæ haud procul ab init. poſtquam citaſſet verba Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*, addit: Et *iterum* de *Patre & Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt*, *& hi tres unum ſunt*, *& quisquis credit hanc unitatem*, &c. Quibus reſpexiſſe Cyprianum ad verba ℣. 8. *Spiritus & Aqua & Sanguis*, *& hi tres unum ſunt*, ut Vulgatus habet, neſcio qua fronte dixerit Criticus nuperus: Quum diſertè is de *Unitate* & Indiviſibilitate *Dei*, qui tamen *tres* ſint, & hi *Pater*, *Filius*, *Spiritus S.* & quidem loco gemino alludens ad Johannis verba. Unde præter argumenta pro hoc Loco innumera, patet ævo Cypriani illum fuiſſe in Epiſt. Johannis; & in Verſionem Latinam, jam priore Sec. extantem, non potuiſſe derivari, niſi ex Græco & authentico. Quamquam jam Secundo Sec. Libros ſacros Novi Teſtam. paſſos eſſe mutilationes varias, fraude Hæreticorum, Ebionæorum vel Nazaræorum, Marcionitarum, Gnoſticorum, &c. tum *Evangelia*, tum *Epiſtolas*, multis documentis conſtat, præcipuè apud Euſebium, & Epiphanium. Ita à *Theodoti* & *Artemonis* (de quibus dictum II. Sec.) Diſcipulis, uti alia ex Scripturis S. & ex Epiſt. Johannis, quæ Chriſti Divinitatem aſſererent, jam tum ſacrilegas manus experta, ita videtur hic quoque locus, in multis ſaltem Codicibus, ſeu ἀντιγράφοις, par fatum eſſe ſortitus. Siquidem vera ſunt quæ narrat Euſebius, de Scripturis S. ab iis corruptis, *Lib.* V. ſub finem, Διὰ τοῦτο ταῖς θείαις γραφαῖς ἀφόβως ἐπέβαλον τὰς χεῖρας, λέγοντες αὐτὰς διωρθωκέναι. *Quapropter Divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas à ſe emendatas eſſe dicentes.* Εἰ γάρ τις θελήσει συγκομίσας αὐτῶν ἑκάστου τὰ ἀντίγραφα ἐξετάζειν πρὸς ἄλληλα, κατὰ πολὺ ἂν εὕροι διαφωνοῦντα, &c. *Nam ſi quis exemplaria illorum undique conquiſita ſimul inter ſe contulerit, inveniet illa inter ſe plurimum diſſentire.* Rurſùs, πολλῶν δὲ (ἀντιγράφων) ἐστιν εὐπορῆσαι, διὰ τὸ φιλοτίμως ἐγγεγράφθαι τοὺς μαθητὰς αὐτῶν, τὰ ὑφ' ἑκάστου αὐτῶν (ὡς αὐτοὶ καλοῦσι) κατορθωμένα, τουτέστιν ἠφανισμένα: *Multa verò hujusmodi Exemplaria nanciſci licet, propter quod diſcipuli eorum ſtudioſè perſcripſerunt illa quæ à Magiſtris ſuis (ut ipſi dicunt) emendata fuerunt*, hoc eſt, *corrupta*, vel expuncta. Confirmat Theodoretus, *Hæret. Fabul. L.* II. c. V. in Theodoto, referens ex Libro quodam inſcripto *Labyrinthus*, ſive Origenis fuerit, ſive alterius, ὡς οἱ τὴν αἵρεσιν συντεθηκότες ῥᾳδιουργῆσαι τὴν θείαν γραφὴν ἐτόλμησαν, καὶ τὰ μὲν περικόψαι, τὰ δὲ προσθεῖναι. *Quomodo qui hanc Hæreſim conflarant, Divinam Scripturam interpolare auſi, & quædam amputare, quædam adjicere*, &c. ut ibi pluribus. Et Socrates *Hiſt. L.* VII. C. XXXII. diſertè teſtatur, ex *Epiſt. Catholica Johannis ſuſtuliſſe quædam* (exemplum refert ex 1. *Joh.* IV. 2.) qui ſeparare ſtuderent τὴν θεότητα, ἀπὸ τοῦ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου *divinitatem ab hominis diſpenſatione.* Hinc, τινὲς ῥᾳδιουργήσαντες τὴν Ἐπιστολὴν, *fuiſſe qui hanc depravarint.*

De Divinitate æterni Filii, & Incarnatione. IV. In ſpecie, *Filii* veram *Divinitatem*, ut paris ſeu æqualis Patri, unius cum eo ſubſtantiæ vel eſſentiæ, à Patre non creati ſed geniti, nec in tempore ſed ab æterno, dein ἐνανθρωπηθέντος, κατ' οἰκονομίαν, *carnem induentis*, *aſſumentis*, *œconomicâ* diſpenſatione, clariſſimis verbis tradidêre, non Cyprianus modò, vel Gregorius Thaumaturgus, vel Dionyſius Alexandrinus, vel Antiocheni in *Symbolo*, Anno CCLXXII. contrà Paulum Samoſatenum; ſed & ipſe Origenes apud Athanaſium, in Libro de *Decretis Synodi Nic.* ferè ſub finem. Ac quamvis ille ipſe Origenes, & Tertullianus, & deinceps quoque Lactantius, in multis *de Filio*, & quoque *de Spiritu S.* locuti periculoſiùs; tamen ut prior ille ab Athanaſio ipſo, ita ſinguli à Petavio, & nuper Gardinerio, in plurimis adverſus Arianos defenduntur. Fruſtrà autem in omnibus excuſentur, dum Hæreticos coarguunt. Ita nuſquàm Catholici hujus Ævi Filium verè *creaturam*, nuſquàm factum ἐξ οὐκ ὄντων, nuſquàm fuiſſe tempus *quando non eſſet*, quod voluit Arius: Sed factum eſſe *ex ſubſtantiâ Patris*, Filium *æternum*, cum Patre *ſemper exiſtentem*; at diverſum ὑποστάσει, quod de *ſubſtantiæ* diverſitate accipiunt Ἀρειανίζοντες. Sic dùm Filium *creatum* aliquando dixêre, reſpexerunt ad locum *Prov.* VIII. 22. ubi legebant ἔκτισέ με, pro ἔκτησε vel ἐκτήσατο; *Creaſſe* etiam abuſivè dixerunt, id eſt, produxiſſe per γέννησιν, aliàs ὅλον ἄκτιστον dixêre Antiocheni. Ità non γεννητὸν, ſed γενητὸν, dixêre Filium, malè confuſis vocibus; quomodo diſertè Origenes *Lib.* VI. *contrà Celſ.* Filium dicit ἀγέννητον, ut Pater eſt ἀγέννητος. Sed ſint omnium inſtar *Antiocheni* Patres, editâ Expoſitione Fidei, contra Paulum Samoſat. Anno CCLXX. Ὁμολογοῦμεν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς κατὰ Πνεῦμα πρὸ αἰώνων γεννηθέντα, &c. ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ Θεότητος οὐρανίου, καὶ ἀνθρωπείας σαρκός; ὅλον Θεὸν, καὶ ὅλον ἄνθρωπον. Ὅλον Θεὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα θεόν. Ὅλον ἄκτιστον καὶ μετὰ τοῦ σώματος &c. ὅλον ὁμοούσιον Θεῷ καὶ μετὰ τοῦ σώματος, &c. Et paulo poſt, Filium diſertè *Deo Patri ſecundum Spiritum* dicunt ὁμοούσιον, &c. Vide hanc Expoſitionem in Tomo III. Concil. inter Acta Synodi Epheſinæ *P.* III. *col.* 980. undè Joh. Forbeſius in ſuas *Inſtructiones* Hiſtorico-Theol. transtulit. Et Dionyſius *Alexandrinus*, unà cum ejuſdem Eccleſiæ συμπρεσβυτέροις, *Epiſt.* adverſùs Paulum Samoſatenum ſcriptâ A. circit. CCLXIV. & inſertâ *Tomo* I. Concil. *col.* 850. cujus meminit Euſebius *Hiſt. L.* VII. *C.* XXVII. Ἡ δὲ Θεοῦ μορφὴ ὁ Λόγος αὐτοῦ, καὶ Σοφία υἱὸς Θεοῦ, καὶ Θεὸς αὐτὸς ὡμολόγηται, ἓν πρόσωπον ὢν ἀεὶ, καὶ μία ὑπόστασις προσώπου, &c. *Forma autem Dei Verbum ejus, & Sapientia Filius Dei, & Deus ipſe, ſemper exiſtens, una Perſona, & una Hypoſtaſis perſonæ*, &c. Poſteà, *unus eſt Chriſtus qui eſt in Patre, coæternum Verbum, una ejus Perſona, Deus inviſibilis, viſibilis factus*; *Deus apparuit in carne, natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus*, &c. Et Eccleſia Hieroſolymitana in *Symbolo* ſuo ſane antiquiſſimo,

ut

Digitized by Google

ut quæ Mater omnium Eccleſiarum habita, & quod ſequente Seculo Cyrillus Hieroſolymit. in Catecheſibus ſuis per partes explicavit, in uſum Competentium Baptiſmi; Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα, &c. καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἀληθινὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, &c. *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem*, &c. *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſecula, Deum verum, per quem omnia facta ſunt*, & quæ ſequuntur. Ita tenacem fuiſſe Romanam Eccleſiam Doctrinæ Catholicæ de S. Trinitate, & Divinitate Chriſti, in confeſſo eſt; & hinc *Cajus* Romanæ Eccl. Presbyter calamum ſtrinxit adverſus Cerinthum, & Artemonem, apud Theodoretum, *Hær. Fabul.* l. II. c. III. IV. Photium Biblioth. *Cod.* XLVIII.

Et hinc rurſum Chriſtophori *Sandii* improba fides; diſſimulantis ea omnia loca, quæ Arianiſmum in his Patribus ſubvertunt, alia verò præter ſententiam eorundem paſſim contorquentis. Nec is meliori fide doctrinam Orthodoxam de Uno Deo Patre, Filio, & Spiritu S. ut ὁμοουσίοις, in *Sabellianiſmum* vertit; quemadmodùm ipſius *Samoſateni* hunc potiſſimum errorem facit, *Enucl. Hiſt. L.* I. *P.* 114. Reverà negantis tres ὑποστάσεις, ſed & Jeſum Chriſtum aſſerentis merum Hominem fuiſſe, ac minimè Deum, ex Actis Antiochenis, & Epiſtolâ Dionyſii Alexandrini, *Tomo* I. *Concil.* ac Euſebio *Hiſt. L.* VII. *C.* XXVII. dehinc Athanaſio, Theodoreto, reliquis. Fruſtrà etiam nuperus, in Belgio noſtro, auctor *Irenici Irenicorum*, cum Samoſateno & Socino ex profeſſo ſentiens de Chriſto *mero Homine*, multus eſt in colligendis Patrum hujus Ævi locutionibus quæ Arianiſmum ſpirent, nullo jam cauſæ quam agit patrocinio. Sed ſive hos, ſive ὁμοψήφους alios, & Simonem Epiſcopium, adverſarios æternæ *Divinitatis Chriſti*, vide (ex Patribus, qui hoc Seculo claruerunt) pluribus confutatos apud Georgium Bullum, in *Judicio Eccl. Catholicæ* III. *Primorum Secul.* Oxon. 1694.

De Satisfactione Chriſti.

V. Pro *Satisfactione* Chriſti, ut fine Incarnationis, ex Græcis Patribus ſufficiat Clemens Alexandr. Qui non ſemel aſſerit in *Protreptico*, Chriſtum τὸν θάνατον εἰς ζωὴν ἀνασταυρώσαντα, *mortem in vitam affixiſſe cruci*, ἐξαρπάσαντα τῆς ἀπωλείας τὸν ἄνθρωπον, *eripuiſſe hominem exitio*, καὶ προσκρεμάσαντα αἰθέρι ac *in æthere ſuſpendiſſe*. Et alibi, *Lib.* I. *Pædag. C.* V. agens de Iſaaco puero, ut typo Domini, negat Iſaacum paſſum, quia τὰ πρωτεῖα τοῦ πάθους παρεχώρησε τῷ Λόγῳ, *primas Paſſionis partes Chriſto conceſſit*; ideò autem riſiſſe, quia præfiguravit gaudium quo implendi eſſent οἱ αἵματι Κυρίου ἐκ φθορᾶς λελυτρωμένοι, *qui ſanguine Domini ab interitu*, vel *corruptione*, *redempti ſunt*. Nec pauca in hanc rem Origenes, in Homiliis paſſim, & adverſus Celſum, *Lib.* VIII. *pag.* Edit. Cantabr. 386. Ἀξιοῦντες αὐτὸν, ἱλασμὸν ὄντα περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν ὡς Ἀρχιερέα καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν, &c. *Rogantes ut ipſe, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, dignetur tanquam Pontifex, preces noſtras, & ſacrificia, & interceſſiones, offerre Deo Opt. Max.* Quanquàm liberari ab errore haud poſſit Adamantius, quo Chriſtum etiam pro *Angelis*, pro *Dæmonibus*, pro *Aſtris*, pro Creaturis univerſis paſſum eſſe ſenſit, quâ de re adi Clariſſ. Huetium, in *Origenianis L.* II. *Quæſt.* III. Dionyſius Alexandr. *Epiſt.* adverſus Paulum Samoſ. antè citatâ: Δι' ἡμᾶς γὰρ κατεδέξατο ἐκ γυναικὸς γενέσθαι, ὅθεν καὶ τὸ πάθος ὑπὲρ ἡμῶν κατεδέξατο, κενώσας ἑαυτὸν καὶ ταπεινώσας ἕως θανάτου, &c. citatis locis *Phil.* II. 8. *Gal.* IV. 4. 5.

In Latinis, omnium inſtar eſto Cyprianus *Epiſt.* LXIII. ad Cœcil. Fratrem; ubi aliquoties, *ſanguine Chriſti nos redemptos, vivificatos; nos omnes portaſſe Chriſtum, qui & peccata noſtra portabat; ſacrificium Patri ſe obtuliſſe*, &c. Similia in ſcripto adverſus *Demetrianum*, planè ſub finem: *Hanc gratiam Chriſtus impertit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit; ſubigendo mortem trophæo Crucis, redimendo credentem pretio ſanguinis ſui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cœleſti.* Plura non addimus ex Sermone de *Paſſione Chriſti*, in Libro de Cardinalibus Operibus, quem Eraſmus & Eruditi non adjudicant Cypriano. Huic conſenſiſſe Romanam Eccleſiam, in Articulo Principe de *Morte Chriſti pro nobis*, ſeu loco noſtri, &c. de quo nulla fuit hoc Seculo controverſia, non eſt quod conquiſitis documentis demonſtremus.

De Juſtificatione per Fidem ſolam, ex Gratiâ &c.

VI. *Juſtificationem* ex merâ gratiâ, per fidem, citra operum meritum, docuit hac Ætate Tertullianus, locis benè multis. Ex gr. *Lib. contra Marc. C.* III. *De cætero pergat Apoſtolus, negans ex operibus Legis juſtificari hominem, ſed ex fide, ejuſdem tamen Dei cujus & Lex.* Quod pluribus illo ipſo Capite confirmat, illuſtrat, ut obſervabitur legenti. Adverſus Judæos, *Cap.* VIII. in quo de Danielis hebdomadibus diſſertat: *Signata eſt viſio & prophetia, & dimiſſa ſunt peccata, quæ, per fidem nominis Chriſti omnibus in eum credentibus, remittuntur.*

Origenes, uti aliàs, ſic cumprimis in *Comment.* ad Romanos, *Lib.* III. ad *Caput* III. pluribus doctrinam Pauli de Juſtificatione *ſolius fidei*, *ſolâ fide*, *ſine operibus*, ſi quis *tantummodò credat*, aſſtruit vindicatque. Sic, Paulum *non gloriari ſuper juſtitiâ ſuâ, neque ſuper caſtitate*, &c. ſed unicè *in Domino gloriari*, id eſt, in *cruce Domini noſtri J. Chriſti*. Conſule ipſum Origenem, & ex illo Obſervationes Forbeſii noſtri, *Inſtr. Hiſtor. L.* VIII. *C.* XXIV. §. 3. Quò & refer illa in Matthæum, & Græca quidem, edente Clariſſ. Huetio, *Tomo* I. p. 287. Ἀλλ' εἴπερ Χριστός ἐστιν ἡ δικαιοσύνη, ὁ τὴν δικαιοσύνην ἀνειληφὼς, οὐχ ἑαυτὸν, ἀλλὰ Χριστὸν, ὁμολογεῖ. *Si Chriſtus juſtitia eſt, is qui juſtitiam ſuſcepit, non ſe ipſe ſed Chriſtum confitetur.* Ad quæ verba nollem Virum magnum, Notis ſuis in *Heterodoxos* invectum, negaſſeque, ex mente Origenis, *imputari Chriſti juſtitiam* iis qui juſti apud Deum ſunt. Undè Origenem ex Tridentinis *Seſſ.* VI. *C.* VII. interpretandum eſſe dicit, precariò nimis.

Cyprianus haud aliter ſenſit ac Tertullianus, vel Origenes; ac ſufficiant iſta, *Epiſt.* LXIII. ad Cœcilium Fratrem: *Nam ſi Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ei ad juſtitiam: Utique quiſquis Deo credit, & fide vivit, juſtus invenitur, & jam pridem in Abraham fideli benedictus, & juſtificatus oſtenditur, ſicut beatus Apoſtolus probat, &c.* Vide reliqua, quæ pluribus in hanc cauſam ſubjungit. Nec fugiunt nos tamen alia quædam Cypriani, cumprimis in Sermone de *Lapſis*, ac ferè in iſto ſub finem, huic in ſpeciem doctrinæ adverſantia.

Hic enim, nos *Dominum fidei ac timoris obſequio promereri*; martyres *Domino ſatisfeciſſe*; *juſtis operibus peccata purgari, redimi*; *eleemoſynis à morte animas liberari*. Ac ſimilia idem ille in tractatu *de Opere & Eleemoſynis*. Aſt demonſtratum aliàs ad nauſeam, *promereri* haud eſſe aliud, Cypriano, cæteriſque ferè Patribus, (ne claſſicos Auct. dicam) quàm conſequi, impetrare, obtinere: Idem *Ep.* LXXIII. *miſericordiam merui*, id eſt, ex Vulgato I *Tim.* I. 13. *miſericordiam conſecutus ſum*, ἠλεήθην. Sic τὸ *ſatisfacere*, dicunt vel in ordine ad Deum, ſenſu plebejo, quum peccatis ſuccedit pœnitentia, ſuccedunt lachrymæ, deprecatio, ſuccedunt Dei laudes, honos, confeſſio; Vel in ordine ad Eccleſiam, & pœnas Canonicas, oppoſitè ad indulgentias Martyrum, Confeſſorum, contrà quas Cyprianus *Epiſt.* X. & aliàs: Sic *peccata purgari, redimi*, non in ordine ad *pœnam* iſtis operibus exantlandam, ſenſu Tri-

Digitized by Google

Tridentino, ſed in ordine ad *culpas* præteritas, quæ emendantur, corriguntur, jejunio ſcil. orationibus, lachrymis, eleemoſynis, ac bonorum operum ſtudio. Nec plura hujus loci ſunt, & obvia in hunc ſenſum loca Tertulliani, dein Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, &c. quæ paſſim à Theologis conquiſita.

De Libero Arbitrio & Gratiâ.

VII. *Liberum arbitrium*, τὸ ἐφ' ἡμῖν, in ſtatu Naturæ, & hominem αὐτεξούσιον, licet non παντεξούσιον, ſanè plus nimiùm extulêre cumprimis Clemens Alex. & Origenes, idque ex Platonicâ diſciplinâ, & ſecuriùs antè Pelagium exortum. Hinc *Pelagianorum magiſter* Origenes, accuſante non ſemel Hieronymo. Utrique tamen & ſaniora expreſſà. Nam Clemens Alex. *Lib*. v. & vi. *Stromat*. non ſemel docet egere nos τῆς θείας χάριτος, τῆς τοῦ πατρὸς ὁλκῆς, τῆς πατρικῆς δυνάμεως, *Divinâ gratiâ*, *Patris attractione*, *potentiâ*. Et Origenes, à Ruffino interprete frequenter interpolatus, in genuinis & indubiis contrà Celſum, & in Philocaliâ, *Gratia* ſimiliter neceſſitatem aliquoties agnoſcit, ſaltem ad perfectionem boni: Et *Lib*. iv. *Comment*. in Epiſt. ad Romanos *Cap*. iv. *Etiam hoc ipſum quod agere aliquid poſſumus, vel cogitare, vel proloqui, ipſius dono & largitione facimus*. Hinc is modò vindicatus, modo accuſatus à Magdeburgenſibus, *Cent*. iii. Corn. Janſenio in Auguſtino ſuo, *Tomo* i. *Lib*. iv. Gerh. Voſſio, in *Hiſt. Pelag. Lib*. iii. *P*. i. Daniele Huëtio, in Origenianis, *Lib*. ii. C. ii. *Quæſt*. vii. ut plures taceam.

In Latinis Tertullianus, frequenter cùm Naturæ corruptionem, & immundiciem, ex Adamo, tùm Gratiæ neceſſitatem adſtruit, cumprimis in Libro de *Animâ*. Cyprianus autem ab ipſo Auguſtino oppoſitus Pelagianis non ſemel eſt, ut *Lib*. i. contrà Julian. & *Lib*. iv. ad Bonifacium; ſimiliter ab Hieronymo, in fine *Libri* iii. adverſùs Pelagianos. Ac Dei *voluntati*, *dono*, *gratiæ*, *influxui*, *omne quod poſſumus*, ſæpiùs attribuit, vel initio Epiſtolarum, *Epiſt*. i. ad Donatum.

De Prædeſtinatione.

VIII. De *Prædeſtinatione* autem parciùs, & perfunctoriè, atque etiam minùs cautè, locutos eſſe Patres hujus Ævi, cumprimis Origenem, antè Pelagiana certamina, eſt jam à Theologis obſervatum, & à Voſſio, Janſenio, Huetio, aliis. Tamen aſſurrexiſſe ad decretum quoddam Dei, ἀνεξιχνίαστον ἢ ἀνεξερεύνητον, ſecundum quod diſpenſentur *media* ſalutis, hi vocentur præconio *Evangelii*, alii non vocentur, fatetur idem Voſſius, *Hiſt. Pelag. L*. vi. *Th*. ix. Vide & Cl. Huëtium, *Origen*. L. ii. p. 124.

De Præſentiâ reali in Euchariſtiâ S.

IX. In capite de *Euchariſtiâ* S. poſt Tertullianum de quo ad ſuperius *Seculum*, Præſentiam realem, Tranſſubſtantiationem, Oralem manducationem, neſcivêre hac Ætate vel Origenes, vel Cyprianus, ut hi ſint omnium inſtar. Ac poſtremus quidem, in *Epiſt*. lxiii. ad Cœcilium Fratrem, in quâ de Sacramento Calicis Dominici: *Invenimus Vinum fuiſſe, quod Sanguinem ſuum dixit*. *Epiſt*. lxxvi. *Sanguinem ſuum Vinum appellat*. Planè ut Clemens Alexandrinus, ſcribens initio hujus ipſius Seculi *Lib*. ii. *Pædag*. *C*. ii. paulò antè finem: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα, αἷμα τῆς ἀμπέλου, *Hic eſt ſanguis meus, ſanguis vitis*; & *allegoricum* in verbis Chriſti ſignificatum ibidem agnoſcit. Sed nemo tum inter Chriſtianos movit hac de re controverſiam.

Origenis quædam loca; & exceptiones Clariſſ. Huetii.

Verùm Origenem audiamus, qui in hoc argumento, poſt alios, ipſum quoque Huëtium, Virum Clariſſ. exercuit. Is ita *Lib*. viii. *contrà Celſ*. Edit. Cantabrig. p. 416. Ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος: *Habemus etiam ejus apud Deum gratiarum actionis ſymbolum, panem qui Euchariſtia vocatur*. Et eodem Libro p. 399. προσαγομένους ἄρτους *panes oblatos*, quos Chriſtiani manducarent, σῶμα γινομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μεθ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους, *Corpus effici per precationem* (conſecrationem) *ſanctum, & ſanctificans eos qui cum ſano propoſito eo utuntur*. Quæ fruſtrà *ad Euchariſtiam minimè pertinere* contendit Doctiſſ. Huëtius, in *Origenian*. *L*. ii. p. 179. Sed expreſſior Origenes, Tomo ii. Comment. in Matthæum, Edit. Græcæ Huëtianæ, p. 253. & 254. Reſpondet nempè Origenes ad objectionem iſtam, *quod in os intrat* non inquinare hominem, ergò nec ſanctum facere, adeoque nec ſanctos nos facere τὸν ὀνομαζόμενον ἄρτον τοῦ Κυρίου. Summa autem Origeniani reſponſi eſt: 1. Sanè id quod per Verbum Dei & orationem conſecratum eſt, οὐ τῷ ἰδίῳ λόγῳ ἁγιάζειν τὸν χρώμενον *non ex ſe utentem ſanctificare*; aliàs ſanctificaturùm etiam τὸν ἐσθίοντα ἀναξίως τοῦ Κυρίου, *illum qui indignè Domino comedit*. 2. Panem ità conſecratum Verbo & oratione, κατ' αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν *ſecundùm illud ipſum quod materiâ conſtat*, in ventrem demitti; utilem verò fieri demùm κατὰ τὴν ἐπιγινομένην αὐτῷ εὐχὴν, *ſecundùm orationem quæ illi acceſſit*, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *ſecundùm proportionem fidei*, cuicunque μὴ ἀναξίως τοῦ Κυρίου τὸν ἄρτον ἐσθίοντι, *non indignè Domino panem eum comedenti*. 3. Tandem vocat illud, τὸ τυπικὸν καὶ τὸ συμβολικὸν σῶμα, *typicum & ſymbolicum corpus*. Hæc eo diſtinctiùs, quod premant τοὺς ἐξ ἐναντίας, undè pridem Sixtus Senenſis, *Bibl*. *L*. vi. *Annot*. 66. voluit locum *ab Hæreticis depravatum*. Huëtius autem, viſum jam aliis locum in MS. Codice, quem ipſe uſurpavit, non ſuſtinens diſpungere, quo ſanè candore eſt, effugia captat ut conciliet *cum Eccleſiæ doctrina*, in Origenianis *Libro* ii. *C*. xiv. Hinc Vir Inſignis, *edi* ſanè ab omnibus promiſcuè *Corpus* Chriſti in Euchariſtiâ, ſed nullam pollutis vel indignis ex ejus eſu eſſe utilitatem; *Materiam* quæ in ventrem demittitur, eſſe *accidentia materiæ panis inhærentia, quæ corrupta à ſtomacho, & in novam converſa ſubſtantiam, in ſeceſſum abeunt*; quaſi verò de merè accidentibus, abſque ſubſtantiâ, id dici vel concipi poſſit; *Symbolicum* idem *corpus* dici, eo quod ſub ſpecie & ſimilitudine, vel accidentibus panis, deliteſcat; *Symbolum* idem eſſe ſui ipſius *extrà ſacramentum*; ſeu corporis *ut fuit olim in Cruce, & ut eſt nunc in Cælo*, &c. qui tamen, ipſum illud *Corpus eſſe in Euchariſtiâ*, poſt Conſecrationem, *quod fuit in Cruce*, apertè docent. Et quæ ibi alia habet Vir Magnus, quæ ejus acumen, ſed & ὑπόθεσιν, & Eccleſiam in qua ſcriberet, produnt. Confer etiam locum ex Comment. in Johannem, *Tomo* xxxii. *P*. 411. Ed. Huëtii, ubi Origenes illam offam quæ *Judæ* porrecta eſt à Chriſto, ejuſdem generis (ψωμίον ὁμογενὲς) fuiſſe dicit cum illâ, quam Jeſus dedit *cæteris Apoſtolis*, dicens *Accipite*, *Comedite*; Utrobique ψωμίον ὁμογενὲς acceperunt, inquit Origenes, ejuſdem panis fragmenta, ſed diverſo effectu; ille in judicium, condemnationem, hi in ſalutem, quia ille *affectu malo* operante τὸ κρῖμα, hi *affectu bono* ἐργαζομένῳ τὸ βελτίον. Confer ſimul ratiocinium Albertini, ex hoc loco, de Sacram. Eccl. *Lib*. ii. *Cap*. ii. *p*. 530. cum reſponſis Celeberr. Huëtii, Origen. *L*. ii. *P*. 180. Scil. *Chriſtum* non reſpexiſſe ad panis, Judæ & Apoſtolis porrecti, *naturam, de quâ hic nulla diſputatio*, (credo equidem, quum ſupponantur fuiſſe participes ejuſdem ſubſtantiâ *panis*) ſed ad utriuſque *effectum*, & vim juvandi vel nocendi, pro internâ διαθέσει bonâ vel malâ; ſecundùm quam ille indignè & ad condemnationem, hic dignè & ad ſalutem, manducaret. Vide eundem Origenem in *Dial*. iii. contrà Marcionitas, à Cl. Wetſtenio edito, p. 116. Ποίας σαρκὸς ἢ σώματος, ἢ ποίου αἵματος εἰκόνας διδοὺς, ἄρτον τε καὶ ποτήριον, ἐνετέλλετο τοῖς μαθηταῖς διὰ τούτων τὴν ἀνάμνησιν αὐτοῦ ποιεῖσθαι. *Cujuſmodi carnis vel corporis, & cujus ſanguinis Imagi-*

gines, videlicet Panem & Poculum, tradidit, & per hæc Symbola memoriam ſui celebrare præcepit ſuis *Apoſtolis*, &c.

De Cultu religioſo Dei ſolius.

X. Unum Deum, & Chriſtum, fuiſſe hujus Ævi Chriſtianis objectum *cultûs religioſi*, ſeu Invocationis, non *Angelos*, non *Virginem*, non *Sanctos*, non *Imagines*, non *Reliquias*, non *Crucem*, non *Euchariſtiam*, prolixis diſputationibus cùm à noſtris paſſim, tùm in ſpecie ab Rainoldis, Molinæis, Chamieris, Uſſeriis, Forbeſiis, Voſſiis, Dallæis, aliiſque demonſtratum eſt. Et quum v. gr. ex religioſo *Chriſti cultu* inferrent Celſus, & alii, Chriſtianos alium præter unum Deum colere, reſpondet Origenes L. VIII. p. 385. contra Celſ. Εἴπερ ἐννενοήκει ὁ Κέλσος τὸ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν, οὐκ ἂν ᾤετο ἡμᾶς ἄλλον θεραπεύειν παρὰ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεόν. Ὁ γὰρ Πατὴρ (φησὶν) ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν τῷ Πατρί. *Si Celſus intellexiſſet illud, Ego & Pater unum ſumus, non putaſſet nos alium colere præter Deum, univerſorum Dominum; ait enim, Pater eſt in me, & ego in Patre.* Ità de Angelis, qui interdum *Dii* vocentur in Script. S. idem Origenes contrà Celſum *Lib.* V. p. 233. οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ Θεοῦ. Πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν, ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀρχιερέως, ἐμψύχου Λόγου καὶ Θεοῦ. *Non ſic, ut jubeamus illos adorare, aut divinis honoribus colere. Omnes enim preces, omnia vota, omnes interpellationes, & gratiarum actiones, deſtinanda ſunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis Summum Pontificem, vivens Verbum, & Deum.* Sexcenta id genus, pro cultu unius Dei, oppoſitè ad Creaturas quaſcunque. Nec ex *ſilentio* modò Patrum tertii Seculi, de hujuſmodi cultu creaturis deferendo, præter illum Dei Summi; ſed etiam ex *praxi*, hymnis, orationibus ad unum Deum directis; & ex infinitis propè aſſertionibus Tertulliani, Minucii, Cypriani, Novatiani, Arnobii, Lactantii, in Latinis Patribus; Clementis Alex. Origenis, Auctoris Conſtitutionum, &c. in Græcis. Adde, hypotheſim tum receptam, nec diffitentibus Adverſariis, *Sanctorum animas* antè diem Judicii beatâ *Dei viſione* haud frui, nec cœlo recipi; quod tamen Invocationis Interceſſioniſque fundamentum eſt. Adde preces *pro Sanctis*, non *ad ſanctos*, pro Martyribus, pro Apoſtolis, pro Defunctis, pro ipſâ Virgine Deiparâ, ex eâdem Veterum hypotheſi, antiquiſſimis Liturgiis expreſſâ, & in Conſtitutionibus Clementis, L. VIII. C. XII.

Hypotheſes quædam hujus Seculi.

Et quàm fuerint ab hodierno inſtituto alienæ *Memoria Martyrum*, *Sanctorum*, *Sacrificia pro Martyribus*, *Oblationes annuæ*, *Panegyres* in honorem eorundem, cordatiores in Pontificiis intellexêre. Undè offuciæ Baronii, Bellarmini, Stapletonis, gregalium, provocantium hoc in argumento ad *omnium Patrum*, Græcorum Latinorumque, auctoritatem. Quanquàm hujus jam Seculi fuerint hypotheſes quædam, quibus ſequentibus Ætatibus Invocatio Sanctorum ſuperſtructa. Nempè credita Martyrum ad Memorias ſuas, vel ad tumulos *præſentia*, hinc adſtare orantibus; quæ hypotheſis ab hodiernâ Latinorum ſententiâ toto cœlo diverſa eſt: Deinde, credita illorum pro vivis *Interceſſio*, συνέργεια ἐν ταῖς προσευχαῖς, jam tempore Origenis & Cypriani, eaque ex Platonicâ diſciplinâ; undè *cum* Sanctis ſe orare, non *ad* Sanctos, profitebantur.

De Statu noviſſimo.

XI. Quicquid autem ſenſerint, hac etiamnum Ætate, Clemens Alex. Tertullianus, Origenes, alii, de ſtatu ac ſede *Animarum*, in quâ *ſequeſtrentur ad diem Judicii*; quicquid Origenes de ultimo *ignis baptiſmo*, quo animæ juſtorum purgentur in ſecundâ Reſurrectione;

Nihil de Purgatorio.

nihil tamen de *Purgatorii pœnis*, ſenſu Latinorum, ſomniaſſe conſtat. Nec eò ſpectarunt preces, vel oblationes, vel ſacrificia pro *defunctis*, & omnibus quidem, etiam Martyribus; ut prolixè ſuprà ad *Sec.* II. C. III. Hæc enim ipſe Rigaltius interpretatur, ad *Epiſt.* Cypriani XXXIV. *anniverſarias laudes Deo dictas, commemoratis eorum Nominibus, qui pro fide martyrium fortiter obiiſſent.*

Igitur 1. negarunt piorum animas, ad Chriſtum evocatas, eſſe in ſtatu *miſerationis*, *doloris*, ità diſertè Tertullianus, Libro de *Patientiâ*, C. IX. ut Origenem, & alios mittam. 2. Affirmarunt eaſdem cum Chriſto eſſe, imò *incipere regnare*, *albis indumentis* veſtitas, quaſi candidatas gloriæ conſummandæ, ut Cyprianus, de *Mortalitate*, in initio ſtatim, & deinceps. 3. Eſſe eaſdem in ſtatu *pacis*, *quietis*, *tranquillitatis*, *lætitiæ*, in loco *refrigerii*, in *paradiſo*, ἐν αἰωνίῳ οἴκῳ, frequentibus eorundem Patrum, & Origenis ipſius, vocibus. 4. Poſt exceſſum, *nullum eſſe pœnitentiæ locum*, *nullum ſatisfactionis effectum*, ſed à *morte ad immortalitatem tranſiri*, ut idem Cyprianus, adverſus Demetrianum, planè ſub finem. *Orationes* tamen dictæ pro defunctis, ob fines à Latinorum illis diverſiſſimos, de quibus ſuprà.

Vocabula diverſo olim ac hodie ſignificatu.

XII. Tandem, uſi Patres hujus Ævi plurimis vocibus, quas ſequior Ætas, & Latini recentiores, ac Tridentini, in alienum planè ſenſum detorſerunt. Nempè antiquam ſignificationem amiſêre, tractu temporis, & planè novam, ſive apud Græcos, ſeu cumprimis Latinos hodiernos, adeptæ ſunt. Hujuſmodi ſunt voces *Traditionis*, (ſive intellexerint *doctrinam* ab Apoſtolis ſcripto traditam, ſive *ritus* aut conſuetudinem Eccleſiæ) θυσίας, προσφορᾶς, *Sacrificii*, *Oblationis*, *Sacerdotis*, *Altaris*, *Liturgiæ*, *Satisfactionis*, *Meriti*, *Confeſſionis*, *Pœnitentiæ*, *Indulgentiæ*, *Jejunii*, *Papæ*, *Exorciſtæ*, &c. id genus aliæ, à Theologis & Eruditis paſſim illuſtratæ, de quibus nos pluribus ad ſequens Sec. Ac luculenta nuper confeſſio fuit Cardinalis Bonæ, *Liturgicor. Lib.* I. C. XVIII. *Multa quidem Vocabula nobis & priſcis Patribus communia retinemus, ſed* ſenſu *ab eo quem tunc habebant* non minùs alieno, *quàm noſtra tempora à primis poſt Chriſtum Seculis remota ſunt.*

Errores hujus Ævi.

XIII. Nec tamen à *nævis* & *erroribus*, etiam in *doctrinâ*, planè liberi hujus Seculi Patres; vel falſis ſubindè Baronio, Bellarmino, Petavio, aliis in grege Pontificio. Et omnium inſtar ſint Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Gregorius Neo-Cæſarienſis, Lactantius, & (qui Blondello hujus Seculi creditur) Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum.

Exempla ſunt, in doctrinâ de Deo Filio, de Spiritu Sancto, de Angelis, de Animæ naturâ, de Prædeſtinatione, de Viribus Naturæ corruptæ, de deſcenſu locali Chriſti ad Inferos, de rebaptizandis Hæreticis, de Animabus ſeparatis, de Regno millenario, &c. Quomodò non paucos Veterum præluſiſſe *Ario*, & *Pelagio*, præter Origenem, de quo in *Origenianis* ſuis Huetius, multis ipſe Petavius, *Lib.* I. de *Trinitate*, & qui ex profeſſo de *Naturâ* & *Gratiâ*, contrà errores Pelagianorum, diſputarunt. Sic Clementem Alexandrinum liberaliùs ſenſiſſe de *juſtitiâ* Gentilium vel Græcorum, ſive de *Philoſophiâ* quâ fuerint *juſtificati*, quæ *fundamentum* fuerit Philoſophiæ Chriſtianæ, *Strom. Lib.* I. in confeſſo eſt. Ità Patres hujus Seculi, Tertullianum certè & Origenem, exiſtimaſſe, Chriſtianis nefas eſſe *bellum* gerere, *militiam* profiteri, *gladium* etiam in facinoroſos ſtringere, ex quibuſdam horum dictis colligi videtur. Ita certè ex Tertulliano, de *Idol.* C. XIX. ubi quærit, *an fidelis ad militiam converti poſſit, & militia ad fidem admitti*, quod negat, nihil enim commune eſſe *caſtris lucis*, & *caſtris tenebrarum*. Et de *Coronâ Mil.* C. X. *Puto prius conquirendum, an in totum Chriſtianis militia conveniat? Credimuſne humanum Sacramentum divino* (quale illud in

Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmo) *ſuperduci licere? Licebit in Gladio converſari, Domino pronunciante, Gladio periturum qui gladio uſus fuerit? Et prælio operabitur filius Pacis, cui nec litigare conveniet? Et vincula, & carcerem, & tormenta & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum?* Origenes Contrà *Celſ.* L. VIII. p. 427. Ἡμεῖς δὲ μᾶλλον ὑπερμαχοῦμεν ὑπὲρ βασιλέως, καὶ οὐ συστρατευόμεθα μὲν αὐτῷ, κἂν ἐπείγῃ. Item. Εἰ δὲ βούλεται Κέλσος ἡμᾶς καὶ στρατηγεῖν πατρίδος, ἴστω ὅτι καὶ τοιαῦτα ποιοῦμεν, &c. id eſt, Chriſtianos *pugnare pro Imperatore, pro patriâ fungi Præfecturis militaribus,* nempe *deprecationibus, in Caſtris propriis pietatis, in occulto ad Deum vota fundentes,* & quæ ibi plura. Sed hos ipſos Patres, locis aliis, ſibi contradicere, & pro militiâ Chriſtianis licitâ facere Tertulliani non pauca, rectè Hugo Grotius de Jure B. *Lib.* I. C. II. *Sect.* IX. Ut ſunt Tertulliani quæ leguntur *Apolog.* C. XXXVII. *de Coronâ* C. I. *ad Scapulam* C. IV. Sic etiam Origenis contrà Celſum, *Lib.* IV. p. 217. de Providentiâ Dei in *Apibus* admirandâ, οἱονεὶ πόλεμοι τῶν μελισσῶν, διδασκαλία ἔγκειται πρὸς τὸ δικαίους καὶ τεταγμένους πολέμους, εἴποτε δέοι, γίγνεσθαι ἐν ἀνθρώποις, *earum* nempè *bella docere nos juſtè bellum gerere, ſi res ità poſtulet.* Ità ab errore vix excuſandus Origenes; dum Libro de Orat. *paragr.* 50. *cavendum* dicit *ne ad quemquam mortalium,* προσευχὴν *Orationem dirigamus, imò nec ad ipſum Chriſtum, ſed ad Deum ſolum,* προσευκτέον μόνῳ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων καὶ πατρί. Alibi tamen, quaſi immemor ſui, L. VIII. Contrà Celſ. poſt illa, προσευκτέον μόνῳ τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, addit, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως λόγῳ Θεοῦ; quod & alibi docuit. Damnavit itaque eas preces quæ ad *Chriſtum* fiunt *quà Hominem,* vel ut eſſentiâ diverſum à Patre, revocatâ ſic τῇ πολυθέῳ πλάνῃ. Ità in Concilio Carthag. III. A. 397. *Can.* XXIII. *Tomo* II. Concil. ſancitum, ut cum ad altare aſſiſtitur, *ſemper ad ſolum Patrem dirigatur Oratio,* non excluſivè ad Deum Filium. Tacemus *Tertull.* in ſpecie Montaniſtica deliria, duriores etiam de *Deo* phraſes, aut quaſi Deus *Corpus* ſit; aut *Origenis* ſingulares & ab Antiquitate damnatos errores, de quibus alio loco. In *hiſtoricis* & *exegeticis* impegiſſe frequentiùs, nemine clàm eſt, & priorum quidem ἀτοπημάτων *exempla,* hæc Hiſtoria paſſim ſuppeditat. Atque hæc de Doctrinâ Secul. III. fortaſſe fuſiùs, quàm Hiſtoria pateretur. Sed in primâ horum trium Seculorum fide, ac primis his Originibus, poſt Apoſtolicas chartas, rei Chriſtianæ ſumma ferè conſiſtit.

IV. *Ritus, Ceremoniæ, Mores hujus Seculi.*

Rituum acceſſiones.

I. Rituum hoc Seculo facta non levis acceſſio eſt, & quo plus à primâ ætate, hoc plus à ſimplicitate diſceſſum eſt: Non paucis à Paganiſmo in Chriſtianiſmum traductis, ac multis deinceps in abuſum ac ſuperſtitionem verſis, nonnullis obſoletis.

Intelliguntur cumprimis ex *Tertulliano, Origene, Minucio, Cypriano, Gregorio Neo-Cæſarienſi, Arnobio, Euſebio,* Auctore *Conſtitutionum Apoſtolicarum,* & ex *Canonibus* vulgò Apoſtolicis, qui hujus inprimis Ævi fuiſſe creduntur.

Cauſæ earundem.

II. Cauſæ multiplicatorum Rituum in propatulo ſunt: Primò libertas Eccleſiis relicta hac in parte, modò fierent omnia εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως. Dein, animus minimè malus, tum ut reverentiam Sacris majorem conciliarent; tùm ut fortiùs ſe ad pietatem, ad charitatem, ad conſtantiam obſtringerent; tùm ut rudiores externis Rituum imaginibus, veluti picturis quibuſdam, erudirent; tùm ut Paganos, ſimilitudine quâdam externorum rituum, ad Chriſtianam fidem faciliùs inducerent: Undè hoc jam Ævo *Altarium,* & *Sacerdotum* nomen, *Unctiones, Cerei, Myſteria* (niſi fidelibus & τελείοις) *inacceſſa, Commemorationes mortuorum, Virginum conſecratio,* alia. Adde diſperſionem Chriſtianorum, per varias Orbis regiones, ut terrarum ſpatiis ſic morum diverſitate, disjunctas. Tandem eò fecit creſcens in Populis ſuperſtitio, in Clericis faſtus, in Doctrinâ corruptio, in Moribus diſſolutio. Undè miſſis interioribus ac maximè eſſentialibus Chriſtianiſmi, ad externa & pompatica deflexum.

III. Sed & illud præmittendum, obſervatum iri hoc Seculo Ritus non paucos, qui deinceps *obſoleti,* abrogati, quorum nec umbram ſervavit Roma Pontificia, fruſtrà antiquæ Diſciplinæ laudem ſibi vendicans. Docebunt ſequentia, ubi de Ritibus *Baptiſmi, Euchariſtiæ, Agaparum, Orationum, Pœnitentium,* &c. Et ingenuè rursùm, poſt ſuorum plurimos, Joh. Bona Cardinalis, *Liturgic.* L. I. C. XVIII. *De Sacris Eccleſiæ Ritibus, eorumque venerandâ antiquitate, illi proculdubio malè merentur, qui priſcos mores præſentis temporis conſuetudine metientes, omnem veterem Diſciplinam ad hujus Ævi praxim extendunt.* Hinc de *innovationibus, abuſibus* qui irrepſère, ac *remedii* difficultate, ibidem Purpuratus ille plura.

Ritus hujus Ævi deinceps antiquati.

Conventus ſacri.

I. *Cœtum, Congregationem, Collectam, Eccleſiam,* etiam *Stationem* vocànt, עמידה, Græci Συνάξιν, σύνοδον, συνέδριον, ἐπισυναγωγὴν, ἐκκλησίαν, συνδρομὴν, apud Ignatium, Origenem, Auctorem Conſtitut. Euſebium. *Coimus ad divinarum Literarum commemorationem,* ait Tertullianus in *Apologet.* In his Cœtibus fiebant, ad morem Synagogæ, Orationes, Pſalmodiæ, Lectio Scripturarum, & ad lecta Homiliæ, Sermones, διδασκαλίαι, *adlocutiones* vocat Tertullianus, Libro de *Animâ* C. IX. &c. *Agenda* fuère jam ad ſuperius Seculum preſſiùs enumerata: Ubi & de conventuum *Tempore,* maximè ſolenni illo, *die octavâ* ſive Dominicâ, quæ & figura habita *renovationis* rerum omnium, poſt hujus vitæ *ſeptimanam,* ut habes in Epiſt. *Barnabæ* adſcriptâ, Ed. Voſſ. 244. Ἡμέραν ὀγδόην ἄλλου κόσμου ἀρχὴν ποιήσων, διὸ καὶ ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, &c. *idcircò agimus diem octavum feſtum, quo & Jeſus reſurrexit à mortuis, & apparuit, & aſcendit in Cœlos:* Plura de his diebus habendis pro feſtis, *Conſtit.* Clementis nomine, L. VII. C. XXIV. XXXVII. quibus & *jejunia* prohibita *Can. Apoſt.* LXVI. *Octavas* verò aliorum Feſtorum, nec Græci nec Latini hac Ætate noverunt. In Agendis, *Hymnos* in ſpecie, Cantilenas, Pſalmodias, memorant Tertullianus, ad Uxorem, *Lib.* II. in fine, & Euſebius, *Hiſt.* L. VII. C. XXX. Omniaque ad *pietatem* & *charitatem* erant comparata, quæ Chriſtianiſmi teſſera, ſymbolum. Hinc & in iiſdem exercitium Diſciplinæ; correctio Pœnitentium; collectio Eleemoſynarum; Jejunia, Oſcula ſancta, Agapæ, reliqua de quibus ad ſuperius *Sec.* & adhuc infrà.

Nomina; Agenda in iis.

II. In ſpecie obtinebat *lectio* ſacra, ἀνάγνωσις, ἀναγνώσματα Græcis, cum cantionibus, hymnis; hinc *allocutio* ad cœtum, ex Pulpito, Tribunali, Cataſtâ ſeu pegmate ligneo, Ambone ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν, etiam ἐκ βήματος, ſive ex loco eminentiore; 1. Exemplo Chriſti concionaturi, *Matth.* V. I. 2. Ut faciliùs ab omnibus audirentur, 3. Ut etiam loci ſublimitas auctoritatem conciliaret. *Coimus ad divinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut* eri-

Lectio Scripturæ. Adlocutiones.

recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, &c. ut eſt in Tertulliani *Apologet.* C. XXXIX. Idem, de Animâ, *Cap.* IX. *Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi cantantur, aut Adlocutiones proferuntur, aut Petitiones delegantur*, precibus ſcil. ad Deum fuſis. Hinc Cyprianus *Epiſt.* XXXIV. oportere *lucernam ſuper candelabrum poni, undè omnibus luceat*. Idemque de Aurelio Lectore ordinato, *Epiſt.* XXXIII. ejus deinceps eſſe *ad pulpitum poſt Cataſtam venire*, & indè *à fratribus conſpici*. At concionantium Epiſcoporum ſuggeſtus, à gradu Lectorum, diſtinctus ut plurimùm fuit.

Auditores quinam?

III. Intereſſe poterant non Myſteriis quidem, aſt Concionibus Sacris, omnes promiſcuè, etiam non initiati, Catechumeni, Competentes, etiam Pœnitentes in gradu ἀκροάσεως, undè ἀκροώμενοι *auditores*, cùm Catechumeni, tùm Pœnitentes dicti. Illi quidem ut auditione Verbi de *fide* inſtruerentur, & *vitâ* Chriſtiano dignâ; hi ut ad veram internamque animi *pœnitentiam* inducerentur. Ità ſæpè *Conciones* extemporaneæ fuerunt, quales illæ Origenis ex tempore dicere & ſcribere ſoliti, exemplo in Hieroſolymit. Eccleſiâ edito juxtà Epiphan. *Hær.* LXIV. *N.* II. ubi extemporaneam habere Concionem rogatus Origenes. Qualiter Hieronymus, & Ruffinus, referunt Homilias Origenis à ſe tranſlatas in Geneſim, Exodum, Leviticum, Epiſt. ad Romanos, quas habuiſſet *ex tempore, in auditorio Eccleſiæ:* Sic Oratiunculæ XXVI. in Librum Joſuæ, ex tranſlatione Ruffini, perhibentur, quas *ex tempore in Eccleſiâ peroraſſet Adamantius ſenex*. Undè Notarii (ταχυγράφοι) *pluſquàm ſeptem* delecti ejus dictis excipiendis; Et hinc ὁμιλίαι, ſeu familiares ſermones, dictæ ſunt Conciones, & ὁμιλεῖν dicere ad populum. Indicti verò publici Conventus, ut antea, per miniſtros & miniſtras, poſteà Chriſtianis temporibus præconum voce, *præcones clament, populus confluat*, ut Nazianzenus *Orat.* I. in Julianum. Nondùm tamen hac Ætate Infideles admiſſi, ob proditionis diſcrimen, ut quidem ſequentibus Seculis, quando & Judæis & Gentilibus permiſſum fuit audire Dei Verbum, ut ex Canonibus Africanis, *Can.* LXXXIV. & aliàs intelligitur. Undè erant ad portas Conventuum, qui ingreſſuros obſervarent.

Cathedra Epiſcop.

Epiſcopis jam *ſolium, thronus, cathedra* ſublimior ſeorſim erigi cœpta, ſi hujus Ævi eſt Auctor Conſtitutionum, L. II. C. LVII. proximis illi Presbyteris, Diaconis, plebe ſeparatim locata extrà Cancellos. Quanquàm Antiocheni Patres, in *Epiſt.* ad Dionyſium & Maximum, contrà Paulum Samoſatenum, apud *Euſeb.* L. VII. C. XXX. hujus faſtum vel in eo retundunt, quod ſibi βῆμα καὶ θρόνον ὑψηλὸν *tribunal & thronum ſublimem* conſtruxiſſet. *Thronum* hujuſmodi tamen ab ipſis Apoſtolis fuiſſe Epiſcopis traditum, vellet abſurdè Valeſius; imò *Cathedras Apoſtolorum*, apud Tertullianum, de hujuſmodi Thronis interpretatur, *Annotat. in Euſeb.* pag. 319. Prout *Cathedram Petri* pridem oſtentavit Eccleſia Rom. *Jacobi* illam diu Hieroſolymitana, ſi fides Euſebio, *Marci* Alexandrina, quam ex *ebore antiquo, politis tabulis* fuiſſe, habent *Acta* MSS. Paſſionis Marci, citata Valeſio in Euſeb. L. VII. C. XXXII. Sed rectius illi, qui *Cathedras* referunt ad ipſas Eccleſias Apoſtolicas, ipſe in Tertullianum Rigaltius, quæ adhuc ætate Tertulliani ſuis locis habebant jus Præſidii, tanquam aliarum Matrices. Et ſic Thronus Jacobi intelligendus videtur, de quo Euſebius *Lib.* VII. C. XIX.

An Templa hoc Seculo?

IV. An *Templa* hoc Seculo, ſeu *Eccleſias*, ſeu *Baſilicas*, Sacro & Chriſtiano ritu dedicatas ſeu conſecratas, habuerint Chriſtiani, controvertitur inter Eruditos. Nec deſunt qui affirment, poſt Vergilium, Durantum, Baronium, Bellarminum, Ciaconium, Valeſium, &c. in noſtris quoque Vowerius, Fullerus, Seldenus, alii.

Indubium *Eccleſias* frequenter hoc Ævo memorari; etiam de *locis* Conventuum, ſeu προσευκτηρίων οἴκοις, *Oratoriis*, & quidem hunc in finem ſtructis, ex Tertulliano, Cypriano, Euſebio, ac ipſo Lampridio in Alex. Severo. Vocabant Κυριακὸν *Dominicum*, Dominicam Domum, Seculo hoc III. & IV. ſequente in variis Canonibus Concil. Undè Saxonum, Germanorum, Anglorum, &c. *Kyric, Kirch, Church, Kerck*. Hinc & illarum Ædium everſiones perſecutione Diocletiani, apud Euſebium, *Lib.* X. C. II. At nec *Templorum* illis aut nomen, aut forma, aut ſplendor, aut ſpecies quædam. Ædes fuêre privatorum, Domus, Cœnacula, Porticus, Areæ, Balnea; ſed plerumque Cœmeteria, Cryptæ ſpatioſiſſimæ, quas *Areas Martyrum* dixêre, vel ex Tertulliano, Cypriano: Etiam Latibula, Stabula, Eremi, Carceres, Agri, ex dictis Scriptoribus, & ex conditione temporum, ſæviente ut plurimùm perſecutione. Quanquàm ſub Alex. Severo, & Philippis, & Gallieno, conveniendi libertas Chriſtianis major, ex eodem Euſebio *Lib.* VII. non tamen ſtructæ Baſilicæ. Hinc nulla eſſe Chriſtianis *Templa*, publicè Deo & Chriſto conſecrata, Celſus apud Origenem, Cœcilius apud Minucium, Arnobius *Lib.* VI. Quæ verò memorantur *Templa, Tituli, Conſecrationum* ritus ſacerdotales, à Baronio, Ciaconio, Franc. Bivario, aliis, ea ex Apocryphis Decretalibus, ex Pontificum Vitis, ex Flavii Dextri Chronico ſuppoſititio, & id genus fontibus lutulentis, hauſta ſunt.

V. Nulla verò toto hoc Seculo propriè quidem dicta *Altaria*, voce quanquàm receptâ apud Cyprianum; nulla, niſi ſenſu myſtico dicta, *Sacrificia*: Non *Cerei* vel *Lucernæ* interdiu accenſæ, ridente Tertulliano, Libro de *Idolol. accendunt lucem, quibus nulla lux eſt:* At noctu ſanè, & in Vigiliis Paſchalibus, exemplo apud Euſebium illuſtri in hiſtoriâ Narciſſi, *Lib.* VI. C. IX. ubi quum *oleum* deeſſet accendendis lucernis, juſſit *aquam* ad ſe è proximo puteo deferri, infundi lucernis, & deinceps accendi, converſam mirabili & divinâ virtute in pinguedinem oleaginoſam. Sic nullæ in Eccleſiis *Imagines*, nulla *Simulachra*, ut prolixè à Dallæo noſtro, etiam in noſtrâ *Hiſt. Imaginum*, oſtenſum. Sic nullæ materiales *Cruces*, nulla *Incenſa*, *Aqua Luſtralis*, *&c.* vel iiſdem qui antè teſtibus; quicquid fingant Apocrypha, apud Baronium, Caſalium, ſimiles.

Ritus alii ignoti hoc Sec.

Incenſi tamen, θυμιάματος τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς, meminit *Canon Apoſtolicus* III. à Doctiſſimo Beveregio in noſtris vindicatus. Sed vel hinc de Canonis antiquitate dubium, an jam Seculi III. quo à Gentili adolendi ritu abhorrerent, ex Tertulliano, Cypriano, &c. Undè prior in Apologetico, *Thura plane non emimus*, C. XLII. Excipit Vir Doctus, non obtinuiſſe fortè ritum in Eccleſiâ Africanâ, alibi tamen; ſed pari ratione verba Septimii quæ præcedunt immediatè, *Spectaculis non convenimus*, ad Africanam Eccleſiam reſtringas. Ac communem ibi Chriſtianorum cauſam egit Tertullianus. Nec ſicubi occurrit vox θυμιάματος, ſtatim ſenſu proprio accipienda, περὶ τοῦ λιβανωτοῦ, quin figurato de *ſuffitu* precum, orationum, quæ in Eccleſiâ Deo funderentur; undè θυσιαστήριον de Corde fidelis, de Eccleſiâ, de Viduis, in quibus ardet illud θυμίαμα, in Epiſtolis Ignatii, & apud Clem. Alexandr. ut viſum ad prius Sec. Fruantur tamen Viri magni judicio ſuo.

An Incenſum?

Digitized by Google

Baptiſmus hujus Ætatis.

Simplicitas in adminiſtr. Baptiſmi. I. Magnam adhuc fuiſſe Baptiſmalis ritûs ſimplicitatem, ineunte Seculo III. ex his Tertulliani colligitur, *de Bapt.* C. II. *Quoniam tantâ ſimplicitate, ſine pompâ, ſine apparatu novo aliquo, denique ſine ſumptu, homo in aquâ demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior reſurgit.* Scriptus autem de *Baptiſmo* Liber eſt à Tertulliano, adhuc Orthodoxo, circà A. CCI.

Hinc materia tùm adhuc *aqua* communis, cui poſt materiæ aliæ affuſæ; non prævia Baptiſmo Unctio in *pectore*, *ſcapulis*, de quâ Ritualia Græcorum; non Exorciſmorum vel Exſufflationum, quales poſteà, ceremoniæ; non Salivæ uſus; non Salis prægustatio; non baptizati Oſculum; non Cereorum geſtatio diurna; non ſuperſtitioſa alia ſeu Græcorum, ſeu Latinorum. Tacent utique Tertullianus, Cyprianus, & ipſe Auctor Conſtitutionum Apoſtolicar. Nec Pſeudo-Areopagitam, vel Apocrypha, ad hoc Seculum moramur.

Acceſſiones ex inſtituto humano. II. Facta tamen eſt Rituum Baptiſmalium hoc Ævo quædam acceſſio, ex inſtituto humano, undè Tertullianus, de *Coronâ*, C. IV. *Si legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies.* Nec par tamen ubique horum rituum ratio, vel ex collatione Tertulliani, in Libro de *Coronâ*, & Auctoris Conſtitutionum, *Lib.* VII. *Cap.* XL. *& ſeq.* qui Tertulliani nonnulla tacet, ut prægustationem lactis & mellis. Ex utroque autem intelliguntur, ut Origenem, Cyprianum, Euſebium taceam, acceſſiſſe huic Sacramento partim ritus ſuâ naturâ *medios*, partim *nævos* & abuſus.

Ritus medii, & novi. III. Ad medios Ritus referuntur (præter obſervata ad ſuperius Sec. de ſolemniori *tempore* Baptiſmorum, de uſu *Cereorum* in Vigiliis, de *Catechumenis*, *Competentibus*, *Suſceptoribus*, *Abrenunciationis* formulâ, de quâ & Cyprianus *Epiſt.* VI. VII. &c.) *triennium* in ſtatu κατηχήσεως definitum, Conſtit. L. VIII. C. XXXII. deinde Canone Eliberit. IV. ubi de *Flaminibus*, poſt ſtatum Catechumenorum, ad Baptiſmum admittendis. Rurſus *Catechumenorum* varii gradus fuêre. Quorum *primus* fuit agentium intra privatos parietes, pœnitentium prioris vitæ, & flagitiorum, antè cognitam fidem Chriſtianam admiſſorum, quæ ingenuè confitebantur, cum lachrymis, & veri doloris indiciis: *Secundus*, quum inter Catechumenos conſiſtere, & *audire* Verbum Dei prælectum & explicatum licuit, non tamen intereſſe precibus, dicti ἀκροώμενοι: *Tertius* quum etiam *preces* in publico fundere liceret, exire juſſi antè Communionem: Donec ſufficienter probati & inſtructi S. Baptiſmum peterent, præparandi ad illum precibus, jejunio, humiliatione; quo accepto, in ordinem *Fidelium* tranſibant. In Baptiſmalibus Ritibus hujus Ævi fuit *Unctio* ex oleo, primo ſuccedanea Baptiſmo, de quâ Tertullianus de Bapt. *Cap.* VII. Symbolum lætitiæ ex novo ſtatu perceptæ, ut qui antè commortui ac conſepulti Chriſto, jam cum eo eſſent vivificati, quomodo *oleum lætitiæ*, & *unctio faciei*; tùm Symbolum gratiarum Spiritûs S. quibus nihil ſuavius, fragrantius, ſalutarius; tandem ſpiritualis roboris, quo jam diſpoſiti ad luctam, ad certamen, novi quaſi Athletæ, quibus ſui olim erant ἀλείπται & παιδοτρίβαι. Μυστικὸν μύρον vocat Auctor Conſtitut. L. VII. C. XLV. quod apud Orientales eſſentiale Baptiſmo. Deinde unctio etiam *prævia* Baptiſmo, de quâ apud Conſtitutionum Scriptorem, *Lib.* VII. C. XLIII. Figura hæc jam vulneris, ſordium, macularum ex peccato, eluendarum per Baptiſmum; quomodò ulcus fœtidum oleo lenitur, abluitur, ſanatur: Undè & in morbis *unctione* utebantur Medici, iidem quoque *Aliptæ* dicti, & *Aliptice* pars ἰατρικῆς habita, ad recuperandam ſanitatem utilis credita, undè ἰατραλεῖπται, de quibus Salmaſius.

Lactis & *mellis* prægustatio, de quâ Tertullianus, *indè ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus*; *de Coronâ Cap.* III. quod ſub initia Seculi tertii, ut videtur, in Africanis Eccleſiis uſurpatum, tacente auctore Conſtitutionum. Adumbratus ità ſtatus *infantilis* recens baptizatorum, qui ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, ut Infans ille *Eſai* VII. 15. de quo, *comedet butyrum* (quod ex lacte) *& mel.* Præter ſignificatam dulcedinem, ſuavitatem, candorem doctrinæ & vitæ Chriſtianæ. Addit Tertullianus, *ex eâ die*, quâ ita baptizati, *lavacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus*; ſignificantes ità nihil ſordium (ſpiritualium nempè) à Baptiſmo ſupereſſe, & tota *hebdomas*, tempus humanæ vitæ appoſitè deſignavit. Adhæc *oſculum pacis* ſtatim à Baptiſmo exhibitum *Baptizato*, ut colligi videtur ex *Epiſt.* Cypriani ad Fidum, horrentem in primis à partu diebus infantem *oſculari*, *in gratiâ dandâ*, atque adeò *Baptizare*, de quo erat cum Fido controverſia. Scilicet fuit Symb. dilectionis, pacis, reconciliationis cum Chriſto, cum quo etiam eſſent deſponſati per Baptiſmum: Quanquam *Oſculum* reſpicere non Baptiſmi ceremoniam, ſed Euchariſtiæ, velit Dallæus noſter, de Cultib. Latinor. *Lib.* I. *C.* II. Etiam *Coronæ* impoſitio, tanquam deinceps victori, & militi Chriſtiano, corona caſtrenſi donato: Geſtatio *Veſtis albæ* toto octiduo, ſeu integrâ ſeptimanâ, undè *candida cohors* apud Cyprianum; quo ipſo purificati per Bapt. juſtificati, & certò tandem glorificandi, candidati jam facti Æternitatis, deſignabantur. *Obſignatio* denique Baptiſmi, ſeu *Confirmatio* baptizati, additâ Impoſitione manuum, & ſolemni *Oratione* ac Benedictione; quam ſequebatur τελείωσις, ἐποψία, μετοχὴ Myſteriorum.

Et *Impoſitionem manuum* æquè ac *Unctionem*, fuiſſe partem Baptiſmalis ceremoniæ, & ultimam quidem, quâ perfici Baptiſmus cenſebatur, ſeu obſignari, & conferri gratia Spiritûs S. mediante oratione, ex Tertulliano conſtat de *Bapt.* C. VII. Cypriano *Epiſt.* LXXIII. ad Jubajanum, Auctore *Conſtitutionum* L. VII. C. XLV. Eliberitanis *Can.* XXXVIII. &c. Ex utroque autem ritu, à Baptiſmo avulſo, natum deinceps *Confirmationis* Sacramentum, de quo fusè Dallæus noſter, de *Cultibus Latinor. Lib.* II. & Libro de *Confirmatione.* Porrò ne hoc quidem Ævo permiſſum *Baptizare.* 1. *Fidelibus Laicis*, niſi in caſu *neceſſitatis*, puta in itinere conſtitutis, aut ſi nulla in proximo Eccleſia, nullus Eccleſiæ Presbyter vel Sacerdos, ex Tertulliano de *Bapt.* C. XVII. & Eliberitanis *Can.* XXXVIII. Ne dicam Cyprianum, poſteà Nazianzenum, Hieronymum, &c. rariſſimis tamen rei exemplis. 2. *Mulieribus* nullo modo, ut ex eodem Tertulliano, dicto loco conſtat, & ex Auctore Conſtit. *Lib.* III. *C.* IX. ubi id *impium*, à *doctrinâ Chriſti alienum*, & imitationis Paganæ, qui etiam *ſacerdotes fœminas* habuêre; uti has Marcion permittebat eſſe *Epiſcopas*, *Presbyteras.* Quin adhuc Seculo V. in Concilio Carthaginenſi IV. (juxtà Baronium A. CCCXCVIII.) ſtatutum, *ut mulier baptizare non præſumat*, Canone C.

IV. Ad *nævos* referimus, primò *dilationem* Baptiſmi, donec pueri adoleviſſent, urgente hanc magnoperè Tertulliano. Hinc præmittendas Catecheſes, inſtitutionem, confeſſionem fidei, &c. Secundò, præciſum illud tempus ad Baptiſmi ceremoniam, in vigiliis *Paſchatis*, & *Pentecoſtis*, de quo Tertullianus de Baptiſmo, C. XIX. quod in legis neceſſitatem mox abiit: Quanquàm rectè idem Nævi hujus Ætat.

Digitized by Google

dem Tertullianus, eodem loco; *Ceterum omnis dies Domini, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo.* Tertiò, *rebaptizandi* conſuetudo, ſi qui fuiſſent ab Hæreticis tincti, nec in Africanis tantùm Eccleſiis, probante Tertulliano, Cypriano; ſed etiam jubentibus Canonibus vulgò & Conſtitutionibus Apoſtolicis, iterari ſcilicet Baptiſmum τῶν ἀσεϐῶν, ϗ αἱρετικῶν. Niſi *Hæreſes* hujuſmodi voluerint quæ in ſubſtantiâ & formâ Baptiſmi deficerent, ut Valentinianorum, Marcionitarum, Pauliniſtarum &c. Sic ingens fuit abuſus Baptiſmi, *vicarium Baptiſma*; quando *mortuorum* loco quidam ſe baptizari paterentur, idque mortuis profuturum exiſtimabant, in ſpem reſurrectionis; quod in Marcionitis damnat Tertullianus, de Reſurr. Carnis, *Cap.* XLVIII.

Euchariſtiæ Celebratio.

Simplicitas hujus Sec. in celebrandi Euchariſtiâ.

I. Magna adhuc in celebratione Euchariſtiæ, uti Baptiſmi, ſimplicitas fuit, ut anteà ex Juſtino Mart. ſic nunc ex Tertulliano *de Cor. Mil.* C. III. & Cypriano paſſim, & ex conditione temporum, miſſis Apocryphis, ſeu Pſeudo-Liturgicis ſub nominibus *Jacobi, Marci, Dionyſii*, &c. Hinc Zephyrino, qui ſedit ab Anno CCI. illud adſcriptum ex Pſeudo-Damaſo in ejus Vitâ, hinc Gratiano & Platinâ, ut Conſecratio fieret in *vaſe vitreo*, vel *patenis vitreis*, non in ligneis, aut ex aliâ qualicunque materiâ; quanquam illam legem falſò tribui Zephyrino fateatur ipſe Card. Bona, *Liturg. L.* I. *C.* XXV. Sanè Calices ſæpè etiam *vitrei*, ut colligitur quoque ex Irenæo, Tertulliano, ſed etiam lignei, ſtannei, &c. argentei poſteà, re ſuâ naturâ mediâ. Et ſanè dùm *vitrei* fuêre Calices, hinc aptos fuiſſe colligimus *vino Euchariſtico* continendo; non autem *ſanguini* poſt Conſecrat. ob periculum evidens fractionis. Sic, faſſi Gregorius Pontifex, Walafridus Strabo, Durantus, Rhenanus, Caſſander, alii benè multi, ſolâ recitatione *Orationis Dominicæ*, & *verborum* Inſtitutionis, hoc Myſterium peractum. Hinc etiam Rituum *Miſſalium*, totiuſque Apparatûs *Miſſatici*, id eſt, Veſtium Miſſalium, Supellectilis, Altarium, Introitûs, Litaniæ, Offertorii, Orationum ad Sanctos, Supplicationum pro Mortuis, pro Papâ Romano, cæterarumque Actionum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Thuriferarii, dein etiam Elevationis, Adorationis, &c. ſucceſſiva origo, ex ſequentibus Seculis conſtabit.

Tempus.

II. *Tempus* percipiendæ Euchariſtiæ, deinceps *matutinum* fuit, vel *ante-lucanum*, quâ de mutatione prolixè diſſerit Cyprianus, Epiſt. ad Cæcilium LXIII. Quanquàm aliis in locis adhuc *Veſperâ* celebraſſe, etiam poſt *cibum*, ſeu *in tempore victûs*, ne Pamelius vel Rigaltius negant, ad Tertullianum de Coronâ C. III. Solemnius tempus *Dominica* fuit, alicubi & *Sabbatum*; quandoque *ter* in ſeptimanâ, τῇ τετράδι, προσαϐϐάτῳ, ϗ τῇ Κυριακῇ. Fuit ubi etiam *quater*, addendo Dominicæ *Feriam* IV. VI. VII. Imò & celebraſſe *cotidie* ex eodem Cypriano conſtat, *de Orat. Domini.* Certè in omnibus Chriſtianorum Conventibus, primis hiſce temporibus, celebrata Euchariſtica Sacra, nemine fidelium diſcedente ſine Communione, iiſdem Teſtibus, & Canone vulgò *Apoſt.* IX. *Omnes fideles qui ingrediuntur, & Scripturas audiunt, in precatione autem & ſacrâ μεταλήψει* ſeu *communione, non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes, ſegregari oportet.*

Panis fermentatus.

III. De cætero, in Euchariſticis hujus Ævi Sacris, ut & priori *Sec.* hi Ritus:

1. *Panis* ἔνζυμ☉ fuit & fermentatus; faſſo ingenuè, poſt Sirmondum ſuum, Cardinali Bona, *Liturgicor.* L. I. C. XXIII. Nempe ἀζύμυς demùm introductos, tempore medio inter *Photium*, & Michaëlem *Cerularium*, Conſtantinopolitanos Patriarchas Atque indè hoſtiolis orbicularibus, vel nummulariis à formâ Nummi, fuiſſe locum, iidem fatentur, Sirmondus de Azymo *Cap.* IV. Bona *loco cit.* p. 392.

Lingua vernacula.

2. *Lingua* in peragendo Myſterio, id eſt, in recitandis Orationibus, Verbis Inſtitutionis, Commemoratione Mortis Dominicæ, Gratiarum actionibus, hortationibus ad Populum, ea fuit quæ plebibus nota: Faſſo & nuper eodem Cardinali; *Lib.* I. *Liturgicorum* C. V. *Apoſtolorum ſucceſſores*; in celebrando, *eo idiomate in ſingulis regionibus uſos, quod tunc illis commune & vernaculum erat.*

Conſecrationis ratio.

3. *Conſecratio* facta precibus, orationibus, benedictione ſymbolorum, gratiis ad Deum actis, undè εὐλογίας & εὐχαριςίας nomina. Diſertiſſima ſunt loca, ex Origene contrà Celſum loco antè citato p. 284. ex Pſeudo-Clemente in Conſtitut. ex Liturgiis antiquis, nec diffitentibus Pontificiorum primipilis. Uno verbo illa omnia fecêre ad Conſecrationem, ut hodieque apud Græcos viſitur, in quibus ὁ Χριςὸς τυπὑμενος, ϗ τὰ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῦ ἔργα ϗ πάθη, in ſpecie illa in quibus fit ἀνάμνησις τῦ θανάτυ.

4. Eadem *clarâ voce* peracta, undè in fine τὸ *Amen* à populo dictum, quod eſt Tertulliano, Libro *de Spectac.* C. XXV. *Amen in Sanctum proferre.* Demurmuratio Pontificia demùm introduci cœpta eſt adultâ ſuperſtitione, ne ſcilicet *verba ſacroſancta vileſcerent*, quum iis magica quædam vis adſcribi cœpta. Nec favet Tertullianus Conſecrationi Latinorum, quicquid noviſſimè adhuc urſerit Cardinalis Bona *Liturg. Lib.* II. C. XIII. quando ait adverſus Marcion. *Lib.* IV. C. XL. quod Chriſtus panem acceptum & diſtributum *Corpus ſuum fecit, Hoc eſt, Corpus meum dicendo: Fecit*, id eſt, docuit, declaravit, profeſſus eſt panem eſſe *ſuum Corpus*, ſeu conſtituit *Corporis ſui figuram*, non utique figuram *phantaſmatis*, ut volebat Marcion. Adi Rigaltium ad eum *loc.* & in noſtris Dallæum de *Cultibus Latin.* L. III. C. XIV.

Occultatio Myſterior.

5. *Occultata* hoc jam Ævo fuêre, ſeu *arcana* Chriſtianorum μυςήρια, quæ nefas erat videre vel audire τὺς ἀμυήτυς, *non initiatos* his ſacris; undè Chriſtiana doctrina Celſo dicenda fuit, κρύφιον δόγμα *clancularia doctrina*, apud Origenem *Lib.* I. p. 7. Quanquàm ætate Juſtini Mart. hic palàm apud Gentiles Baptiſmi & Euchariſtiæ ritus profeſſus ſit, ut ex *Apolog.* II. videre eſt, etiam apud Tertullianum. Quæ quidem occultatio ex parte à Gentiliſmo hauſta, cùm à Pythagoricis, qui ἐν ἀπορρήτῳ ἐδίδασκον, τὰ μὴ ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλυς, ut ibidem Origenes; tùm à Sacris Græcorum, etiam Barbararum Gentium, quibus nefas erat intereſſe non initiatos, ſub pœnâ mortis, crebris rei exemplis: Hinc ἑκὰς ἑκάς ἐςε βέβηλοι, *Procul ô procul ite profani*! Imò nefas illis revelare aut exponere hæc Sacra, ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυςήρια, ἀσεϐεῖ, quæ prævaricatio Alcibiadis fuit. Ex parte verò à Chriſtianis ita factum eſt; 1. Ne non intelligentes hæc Myſteria profani, vel cavillandi, vel calumniandi indè materiam arriperent. 2. Ut in Catechumenis tanto ardentius deſiderium excitarent, fieri ἐπόπτας τῶν μεγάλων μυςηρίων. Hinc utroſque, tùm Infideles, tùm Catechumenos, ſtudioſè hac & ſequenti Ætate prohibebant ab auditione & conſpectu Myſteriorum. Quò fecerunt illa, ἀπόῤῥητα, ἄφραςα, φρικτὰ μυςήρια, & uſitatum illud, *Ite Miſſa eſt*, ſeu *Miſſa Catechumenorum*, Græcis ἀπόλυσις, ἄφεσις. Edocebantur itaque de illis ſanè rudiores, ſed ἐπικεκαλυμμένως, ut Cyrillus in Catech. VI. κατ᾽ ἐπίκρυψιν, involucris quibuſdam verborum, præparati ſic ad ſublimiora aliquando audienda. Imò prohibitos fuiſſe pari ratione Catechumenos à *Baptiſmi* Sacris, non admiſſos ad *Bap-*

tiſteria; hoc Seculo conſtat, μηδεὶς ἀτέλεςος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω, ut Pſeudo-Dionyſ. de *Hier. Eccleſ.* C. II. agens de Baptiſmo, quod poſteà Canonibus firmatum eſt.

Communio ſub Utraque. 6. Communio hac Ætate, ut ſequentibus, conſtanter ſub *utrâque ſpecie*, ex Inſtitutione Chriſti, & Apoſtolor. ac praxi conſtanti hujus & ſequentium Seculor. apud Juſtinum, Tertullianum, &c. Quod faſſi doctiſſimi Pontificiorum, & nuper Liturgicorum Purpuratus Scriptor, *Lib.* II. C. XVIII. *Semper & ubique ab Eccleſia primordiis uſque ad Seculum* XII. *ſub ſpecie panis & vini communicabant fideles.* Communicantes. Eadem nunquam *ſolitaria*, ſine communicantibus, vel ex frequenti Communione Veterum; ex nominibus συνάξεως, *Collecta*, *Convivii*, *Cœna*, *Agapæ*, *ſimilibus*; & ex conſenſu rurſum Walafridi, Rhenani, Caſſandri, Eſpencæi, Baronii, Rigaltii, Bonæ Cardinalis, &c.

In manus diſtributio. Statio. 7. Panis Euchar. *fractio*, conſtanti ritu, undè ἡ Κλάσις τοῦ ἄρτου, & *Panis quem frangimus*, I *Cor.* X. 16. atque evidens analogiæ ratio, inter *ſignum* ſeu fractionem Panis, & *rem ſignatam* ſeu Lacerationem Corporis Chriſti, vel Animæ à Corpore ſeparationem violentam. Sive jam fractio fieret *digitis*, ſive *cultro*; ſive ipſi Miniſtri fregerint, ſive ulteriùs frangendas à communicantibus ſiverint. Poſtmodum acceſſit ſuperſtitio, & *Græci* in partes quatuor, figurandæ Cruci, *Latini* in partes tres, adumbrandæ S. Trinitati, aut ſtatui triplici Chriſti, aut tribus partibus Corporis in quibus paſſus eſt, manibus, pedibus, lateri, &c. de quo Durandus in *Rationali*. Hinc ſequebatur fracti panis *in manus* participantium traditio, minimè in os per Sacerdotem injectio, obviis locis ex Clemente Alex. Tertulliano, Cypriano, &c. Undè & *ſtantes* participabant, fatente ad Euſebium Henr. Valeſio, *non ut hodie genibus flexis*, in Cap. IX. Libri VII. Hinc *ad Aram ſtare*, id eſt, ad Menſam Euchariſticam, familiari uſu, apud Tertull. *de Orat.* C. XIV. & σύςασις de ultimo gradu Pœnitentium.

Veſtium ſimplicitas. 8. *Veſtium* in celebrando ſimplicitas, habitus ordinarius, pallium, ut jam ad ſuperius Sec. haud invitis Albaſpinæo, Rigaltio, Valeſio. Ignota Ævi ſequentis (quæ vocant) *paramenta Sacerdotum*, qualia Superhumerale vel Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Caſula ſeu Planeta, ex Miſſali Romano. Adde *Epiſcoporum* Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Annulum, Mitram, Crucem pectoralem. Joh. Bona, hujuſmodi veſtes *probabilem* rem eſſe cenſet. Et Baronius ad A. CCLXI. N. XL. vellet ex *Actis Paſſ.* Cypriani miſerè interpolatis, B. Martyrem, poſt *exutam Lacernam*, *Birrum ſericum rubri coloris*, (*quo genere indumenti uti videmus S. R. E. Cardinales*) *ſpoliaſſe ſe Dalmaticâ*, *hinc ſtetiſſe in lineâ*, *quam alii vocant Ephod*, *alii Rochetto*, &c. En Cyprianum habitu Cardinalis?

Superſtitiones aliæ ignotæ. 9. Nulla, ut viſum antè, propriè dicta *Altaria*, nullæ *Aræ*, minùs *Altarium* in unâ eademque Eccleſiâ multiplicatio, ut deinceps apud Latinos viſum. Hinc cavilla Gentilium, apud Origenem, Minucium, Arnobium, quod Chriſtianis *nullæ eſſent aræ*, *nulla altaria*. Et abſurdè Perronius inter *Aras* Gentilium, & *Altaria* diſtinxit, ut inter βωμὸν & θυσιαςήριον, quæ promiſcuè accipiuntur apud Clementem Alex. *Lib.* VII. *Strom.* p. 717. Ἐςὶ γοῦν τὸ παρ' ἡμῖν θυσιαςήριον. Mox, βωμὸς ἀληθῶς ἅγιος, ἡ δικαία ψυχή. Sic apud Origenem contrà Celſum, L. VIII. βωμοί εἰσιν τὸ ἑκάςου τῶν δικαίων ἡγεμονικόν. ἐφ' οὗ ἀναπέμπεται εὐώδη θυμιάματα, ubi *mens* cujuſque pii *ara* vel *altare* eſt, undè ſurſum feruntur ſuffitus precum & gemituum. Sic θυσιαςήριον apud Ignatium in Epiſt. ad Trallianos, Magneſianos, Philadelphenſes, & aliis, idem quod ναὸς, ἱερὸν, *Sacrarium*, obſervante & in Notis ſuis Uſſerio Armach. Ita vox eadem uſurpata hoc Seculo de *menſâ Dominicâ*, quæ *altare Dei* apud Cyprianum *Ep.* LVII. & *Ara Dei* apud Tertullianum, de Orat. C. XIV. Communiter deinceps Græcis θυσιαςήριον, in ordine ad θυσίαν λογικὴν, ἀναίμακτον, ſeu θυσίαν ἀναμνήσεως, ut aliàs oſtenſum. Sic nullæ in Sacris Euchariſticis *Imagines*; ut fruſtra huc trahantur emblematicæ *picturæ calicum*, *Paſtor in calice depictus*, apud Tertull. de *Pudic.* C. VII. X. Id eſt, *parabola* boni Paſtoris perditam pecudem humeris portantis, in vitris, ac poculis depicta, ad Chriſti charitatem exprimendam; non certè Chriſti aut Sanctorum *effigies*, ad honorem, cultum, in Altaribus aut Eccleſiis collocatæ. Minùs hujus Ævi *Miſſæ* in honorem Sanctorum, aut pro *laborantibus* in Purgatorio aliquo demortuis; ex antè dictis ad Caput de *Doctrinâ*. Minimè omnium Euchariſtiæ *adoratio*, *circumgeſtatio*, de quâ fusè Dallæus noſter, poſt alios, diſputavit; & hæc demùm fuit Seculi XIII. ut infrà demonſtrabitur. Calices picti quales.

IV. *Abuſus* tamen nonnulli & *nævi* hac jam Ætate in Euchariſtica Sacra invecti. Quales v. gr. *Aqua* alicubi vini loco uſurpata, conqueſto Cypriano *Epiſt.* ad Cœcilium LXIII: *Infantibus* Euchariſtia dari cœpta, vel ex eodem Cypriano, *de Lapſis*, & *Epiſt.* LIX. ad Fidum: Delatio ejus ad *pœnitentes*, ſed graviter infirmatos, ad *abſentes*, ad Epiſcopos longè diſſitos: *Intinctorum* uſus, loco utriuſque ſymboli, Cypriani Ætate, in uſum parvulorum, infirmorum: *Aſſervatio*, à nonnullis facta, particularum panis conſecrati, domum adſportatio, domi manducatio, ut pluribus ex Tertulliano & Cypriano conſtat, nec negantibus Adverſariis, improbante tamen Origene, *Homil.* V. in *Levit.* Sic *Confeſſio privata* in Orientalibus Eccleſiis prærequiri cœpta, ſed graviorum delictorum quæ ad ἐξομολόγησιν pertinerent. Sed de hac poſteà. Gravior abuſus irrepſit, ut etiam mortuis *Cadaveribus* Euchariſtia in os ingereretur, ſi antè mortem non reſtituti fuiſſent Communioni Eccleſiæ; tollendus hic quidem, Carthaginenſium Decreto, *Can. Afric.* XVIII. dein Trullano LXXXIII. Abuſus varii in Euchariſticis Sacris, hoc jam Sec.

Agapæ, *Jejunia*, *Feſta*.

I. *Agaparum* hac Ætate ritus quod attinet, primò quidem *antè* participationem panis Euchariſtici, deinceps verò (Cypriani jam Ætate) *poſt* eam, inſtituta hæc ſacra συσσίτια. *Locus* idem qui ſacræ συνάξεως, ſeu in ædibus privatis, ſeu in cryptis vel areis convenirent. *Materia* erant ea ipſa, quæ à populo mittebantur *dona*, oblata; undè quidam abſurdè *miſſam* à *mittendo*, ſeu conferendo hæc dona, in uſum Euchariſtiæ. Agaparum *fines* iidem, qui ſupra ad præcedens Seculum. Hinc verè φιλίτια, χαρίσια, φειδιτιά, ut apud Spartanos, Athenienſes, Romanos, ſed iſtis ſanctiora. *Modus* ex Minucio intelligitur: *Gravitatem hilaritate temperamus.* Tertullianus emphaticè, ut ſolet, in Apologetico, C. XXXIX. *Non tam Cœnam cœnare* Chriſtianos, *quàm Diſciplinam.* Ac ut convivium hoc eſſet religioſum pluribus ibi deſcribit, æquè ac promiſcuum, ſobrium, fraternum. *Cœna noſtra* (inquit) *de nomine rationem ſui oſtendit*; *id vocatur quod dilectio* (ἀγάπη) *apud Græcos. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum*; *ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus.* Mox, *ſi honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplina æſtimate qui ſit, de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non priùs diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis S. vel de pro-* Agapæ III. Seculi.

Digitized by Google

proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodò biberit. Æquè Oratio convivium dirimit.

Jejunia, jejunium Ante-Paſchale.

II. *Jejuniorum* publicorum ut variæ admodùm, ſic libera adhuc obſervatio Catholicorum, teſte ipſo Tertulliano jam Montaniſtâ, *de Jejun.* C. II. *De cætero putant indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſis uniuſcujuſque.* Excipiebant *dies in quibus ablatus eſt ſponſus, ex Euangelio*; quanquàm ne his quidem præcisè diebus illi jejunarent, qui Paſcha ipſâ XIV. Lunâ celebrarent, ſecuri de die ipſo σωτηρίας & ἀναστάσεως. Uſitatiora aliàs Chriſtianorum Jejunia hoc Ævo fuêre, *feria* IV. & VI. ſi tamen hæc *jejunia* dicenda fuêre, quæ Tertullianus *ſemi-jejunia* vocat, de *Jejun.* C. XIII. & *ſtationum* dies, id eſt, Orationum. Sed maximè omnium ſolemne *ante-Paſchale* jejunium, ob rationes quæ ad ſuperius Sec. *col.* 627. Quod *Quadrageſimæ* nomine primitùs venit, non dierum ratione, ſed *horarum* veriùs; ſiquidem hoc adhuc Ævo ante-Paſchale jejunium, quod *Quadrageſimam* deinceps ferè appellarunt, non eſſet niſi totius *hebdomadis* quæ Paſcha præcederet, ſeu *ſex dierum*, etiam *Paraſceves* ſeu *feria* VII. jejunio tùm indicto, quod aliàs nefas. Quæ ex Irenæo, Tertulliano, Dionyſio Alex. Epiphanio in Expoſ. Fidei, demonſtrare non eſt operæ pretium, poſt Dallæum de Jejuniis *Lib.* III. C. VII. quem vide. Rigaltius ad Tertull. de Jejuniis Montaniſt. *At ſic eos quoque putamus ſeptimanas dixiſſe Quadrageſimas.* Hieronymus, ad Marcellam, contrà Montani Hæreſ. *Tomo* II. *Nos unam Quadrageſimam*, id eſt, hebdomadem, *ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Certè Tertulliani tempore, quum de *Oratione* adhuc Catholicus ſcriberet, Paſchale jejunium, publicum nempè & commune omnium, videtur referre ad ipſum *Paſſionis Dominicæ* diem, nec negante Rigaltio, ad *Caput* XIV. *Libri de Orat.* Abſtinebant tùm, ut à lætitiæ omnibus indiciis, ſic ab *oſculo pacis*, lætitiæ ſymbolo, cumprimis ipſo die *Paſſionis*, ex dicto loco Tertulliani. Sic nec *Euchariſtiam* ſumebant, quod ſemper cum gaudio conjunctum fuit, & cum celebratione Agaparum ut plurimùm, niſi finito jejunio. Habuêre & alia, partim *publica* jejunia, quæ pro conditione & neceſſitatibus Eccleſiæ à Præſidibus vel Epiſcopis indicebantur; partim *privata*, quæ ut arbitraria fuêre, ſic varia, *pro temporibus & cauſis uniuscujuſque*, quomodò *Apoſtoli obſervarunt, nullum imponentes jugum*; referente de praxi Catholicorum Tertulliano de *Jejun.* C. II. jam faſcinato Montaniſtarum deliriis, vel *Paracleto*, ut ipſe vocat.

Jejunium Sabbati.

Circà verò tertii Seculi extrema, Romana Eccleſia etiam *Sabbato* jejunare cœpit, fatente Albaſpinæo, *Obſervat. Lib.* I. C. XIII. quod Orientalibus nefas. Hinc jam receptum jejunium Sabbati, in Occiduis Eccleſiis, tempore Eliberitanæ Synodi, ex *Canone* XXVI. Ratio ejus duplex, primò memoria *ſepulturæ* Chriſti; dein, Apoſtolicæ *triſtitiæ* quædam recordatio, quando ablato Sponſo jejunarunt. Orientales contrà abſtinebant jejunio Sabbati, I. Quia diem feſtum habuerunt, unà cum Dominicâ, quæ ἡμέρας τῆς ἑορτῶν, ut ſuprà viſum, quibus adeò non quadraret jejunium. 2. Ut Marcioniticam praxim damnarent, quæ Sabbatum diem luctuoſum habuit, quo ſcil. Mundi creatio perfecta, ex Epiphanio, *Hær.* XLII.

Jejunabant aliquando jejunio integro, ad *veſperam*, aliquando ad *nonam* tantùm, in ſtationibus & ſemi-jejuniis: Ac tùm *ſolvi* cenſebatur jejunium, per ſequentem refectionem, quod ἀπονηστίζειν Græci dixêre, quando jejunio finem imponebant. Nec unquàm abſtinentias ſcil. à carnibus, à vino, uvidioribus cibis, aut fructibus, modò pane, aridis, & aquâ uterentur, *jejunium* appellarunt; aut Xerophagias hujuſmodi ſtatis diebus & temporibus *neceſſarias* & *præcepti* cenſuerunt, ut prolixè à Dallæo & Theologis demonſtratum eſt. Quæ primùm è Montaniticâ diſciplinâ profluxiſſe, tanquàm à Paracleto mandata, vel ex Tertulliano conſtat, dicto Libro de *Jejuniis*.

III. *Feſti* dies nondùm alii Chriſtianis, ex Tertulliano, Origene, & genuinis monumentis, præter *Dominicam*, *Paſcha*, *Pentecoſten*, & horum Feſtorum *Vigilias*, ſeu *Paraſceuas*. Quemadmodùm & ipſum Sabbatum ipſis fuit ἀδελφὴ Dominicæ. Adeò hæc Sacra religioſè Chriſtiani tractabant. De *die* Paſchali, prolixè ad ſuperius Seculum: Hinc varians hoc etiam Seculo Eccleſiar. in Oriente praxis, *Quartadecimanis* adhuc exiſtentibus Eccleſ. Aſiæ, &c. uſque ad tempora Nicænis proxima. A *Paſchate* autem ad *Pentecoſten* tanta feſtivitas, ut remitterentur ſtationes feriæ IV. & VI. jejunia, luctus, lachrymæ, nec de *geniculis* orarent, ſed *ſtantes*, ut jam antè obſervatum. *Excerpe ſingulas feſtivitates Nationum*, inquit Septimius, *de Idolol.* C. XIV. *Pentecoſten implere non poterunt.*

Feſti dies.

Niſi Feſtis diebus annumerare placet frequentatas *Commemorationes Martyrum*, ſeu dies Martyrum anniverſarios, quibus in eorum honorem lectæ eorum Paſſiones, additis oblationibus, donis in uſus pios, & populi Chriſtiani oblectamentis. Has enim πανηγύρεις inſtituiſſe hoc Seculo Gregorium Neo-Cæſarienſem, ut à Paganicis ritibus Chriſtianos averteret, auctor eſt Greg. Nyſſenus, de *Vitâ Greg. Thaumat.* qui tamen multa de eo commemorat fabuloſa & apocrypha, Oper. *Tom.* III. *Sermones* Panegyrici ſeu parentales, in laudem horum & illorum Martyrum, ſi qui inſcribuntur nomine Patrum hujus Seculi, puta Origenis, Cypriani, Euſebii, Diaconi Alexandr. &c. ad unum omnes eſſe ſuppoſititios fatetur Thomaſſinus Gallus, Libro II. de *Feſtis*, *Cap.* IX. præter emunctiorum narium Criticos. *Tribus primis Seculis, & initio quarti*, inquit Auctor Gallus, Oratorii Presbyter, p. 262. 263. *nondùm obtinuit mos ut Sermones haberentur in Sanctorum, nequidem Apoſtolorum, vel Martyrum, honorem.* Origo iſtiuſmodi Sermonum Panegyricorum in Sanctos, qui dein *Sermones de Tempore*, eſt indè à Seculo IV. labente, poſt ſtructas Baſilicas ſeu Memorias Martyrum, & obſervatum ad eas ingentem hominum confluxum, anniverſario Martyrii die. Exindè frequentari cœpiſſe ejuſmodi Orationes vel λόγους ἐγκωμιαστικοὺς, apud Doctos in confeſſo eſt, niſi Turrianum, Baronium, Allatium, aut ſimiles velis, qui ſerviunt hypotheſi. Undè Conſtit. Apoſtolicarum auctor ætatem prodit, *Libro* I. C. IV. dùm jubet *vacare in diebus Apoſtolorum, Stephani Protomart. ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum.*

Feſtivitates ad Martyrum memorias.

Fallunt rurſùs ψευδεπίγραφα quæ perperàm adſcripta Clementi Rom. Dionyſio, Ignatio, &c. & Martyrologia, dum *Feſta* hac Ætate multiplicant, & ſi placet, in honorem religioſum Virginis, Divorum, Divarumque. In ſpecie ſuppoſititia ſunt, quæ Origeni de *Feſto Innocentum*, ſeu Infantum Bethleemiticorum, in *Homiliis* inſcriptis *In Diverſos*, vulgò tribuuntur; & quidem, ex *mandato Sanctorum Patrum, ſecundùm voluntatem Dei*, ut *memoria eorum celebraretur ſempiterna.* Ità quæ Euſebio Alexandrino, qui poſt mediam Ætatem tertiam vixiſſe cenſetur, adſcribuntur *Homiliæ* à Turriano, & aliis, *de Memoriâ Sanctorum*, &c. cultu eorum præcipuè commendando. Ità quæ de Feſto *Annunciationis* ſeu Incarnationis Dominicæ, aliàs dicto *S. Virginis Matris* & Genitricis, Athanaſio falſò tribuuntur; quod ἀσύστατον ſanè hoc Ævo *Feſtum*, & *Octava* ejus fuit, cum Jejunio antè-Paſchali, vel Paſchali hebdomade, in quam illud plerumque incidiſſet.

Digitized by Google

Ritus circà Defunctos.

Sepulturæ ratio. I. Conſtans hoc Seculo Martyrum *ſepultura* obtinuit, & compoſitio Reliquiarum, non ſecùs ac aliorum fidelium, minimè in Altaribus aut ſacris locis expoſitio, oſtentatio. Ac ſepulti extrà Urbes, juxtà morem Gentilibus receptum, & Legem XII. Tabul. *In urbe ne ſepelito.* Et quidem in communibus *Cœmeteriis*, vel *Areis* Chriſtianorum, per Copiatas vel Foſſores, adhibitâ *oratione*, nec ſine funebri pompâ, ubi licuit. Hinc corpora lota, thure & aromatibus condita, probante in ſemetipſo Chriſto Servatore *Matth.* XXVI. 12. &c. etiam & Tertulliano de *Idol.* C. XI. *Thura nobis quoque ad ſolatia ſepulturæ uſui ſunt.* Adhæc candidâ veſte amicta, ac magnifico cultu ornata, vultu converſo verſus Orientem, decenter ità tradenda ſepulturæ. Exempla apud Euſebium, ad hoc Seculum ſpectantia, in funere Marini Mart. curante è Senatoribus Romanis Aſturio, circumdati λαμπρᾶς ϰ̀ πολυτελῆς ἐσθῆτ☉, & ornati εὖ μάλα πλουσίως, & ità terræ mandati, *Hiſt. Lib.* VII. C. XV. Ità *Cap.* XXII. deſcribens verbis Dionyſii Alexandrini luem Alexandriæ & in Ægypto graſſatam, exhibentur officia Chriſtianorum circà Ægrotos, etiam cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine; & ubi mortem oppetiiſſent, à ſuperſtitibus fuiſſe *Sanctorum corpora ſupinis manibus gremioque excepta, bajulata humeris, compoſita, lavacro & veſtimentis ornata.* Nondùm tamen adhibitis interdiu *Cereis*, *Crucibus*; aliis ſequioris Ævi. Niſi nocturnas ſepulturas velis, pro conditione temporum. Quomodò Cyprianus à Carthaginenſibus ſepultus fertur cum *Scholaribus*, & *cereis*, in Actis Paſſionis Cypriani: Quod Baronius malè cenſet eſſe factum ex uſu communi Chriſtianorum, *accenſas faces* in funeribus *geſtantium*, ad Ann. CCLXI. N. XXXVI. Sed Acta illa, *Pontii* Diaconi nomine edita, pridem ſubolfecerunt Eruditi, & inter illos Rigaltius, ab illius Ævi genio & moribus eſſe aliena.

Panegyres. II. An Orationes funebres hoc Seculo dictæ fuerint mortuis, in ſpecie Martyribus, Græcorum priſtino ritu, antequam humo conderentur, major eſt ratio dubitandi. Nec meminit uſquam Euſebius ad hanc Ætatem, aut Orationes hujuſmodi legas in Operibus Juſtini Mart. Clementis Alex. Origenis, Tertulliani, Cypriani, &c. Uti fuère poſteà Orationes id genus Panegyricæ innumeræ, Seculis ſequentibus. Acceſſerunt verò *Memoriæ* Martyrum, *Natalitia* dixère, anniverſario ritu celebratæ, exemplo Smyrnenſium, cùm *in memoriam* τῶν ἠθληκότων, tum εἰς ἄσκησιν ϗ ἑτοιμασίαν τῶν μελλόντων, *in poſterorum exercitationem*, & *præparationem*, ſcil. ad parem conſtantiam, ut in Actis Polycarpi videre eſt. Hinc adhibita talibus diebus beneficentiæ, charitatis, & alia lætitiæ documenta. Ita Cyprianus, *Epiſt.* XXXIV. *Quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſariâ commemoratione celebramus.* Legem tamen (ut dicebamus) de his tribuit Gregorio Neo-Cæſarienſi Nyſſenus in ejus *Vitâ*, Tomo III. p. 574. *Edit.* 1638. Τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνηθληκότων τῇ πίςῃ πανηγύρεις νομοθετήσας. Mox addens, quod fideles, κατὰ τὴν ἐτήσιον τῆς ἐνιαυσιαίας κύκλου περίοδον συνιόντες ἠγάλλοντο, τῇ τιμῇ μαρτύρων πανηγυρίζοντες, *per anniverſarium Circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes.* Si vera Nyſſenus, hæc principia ſecuturæ ſuperſtitionis fuerunt, inclinato jam Seculo III.

Oblationes pro defunctis. III. *Oblationes pro Defunctis*, vel *pro Natalitiis*, in uſus pauperum, viduarum, ipſo Commemorationis die, tanquàm eleemoſynæ quædam, & μνημόσυνα, præſtita à ditioribus, amicis, conſanguineis, uxoribus, &c. Frequens de his apud Tertullianum, Origenem, Cyprianum mentio; quæ trahit abſurdè Baronius cum ſuis ad *Miſſæ ſacrificium* pro defunctis. Nec admiſſæ *oblationes* quævis, non certè illæ Pœnitentium, ut nec Mortuorum extrà Communionem. Sed *mortuis* jus Communionis poſteà reddi cœpit, quando admiſſæ oblationes eorum cauſâ factæ, ut Albaſpinæus, *Obſerv. Lib.* I. C. X. Sed hæc recentiori ætate, ex Conciliis Carthaginenſi, Arauſionenſi, Vaſenſi, Toletano, &c. quæ V. VI. Seculi.

IV. Adde *Preces pro Mortuis*, ſed quibuſcunque, jam ſuperiori Seculo ex Hermâ, Juſtino Mart. Irenæo, deinceps ex Tertulliano, Origene, Cypriano, &c. notas, & ex omnibus Liturgiis Veterum: Falſâ quidem ex hypotheſi de ſtatu Animarum, & ex Paganâ quoque diſciplinâ. Fines illarum precum varii fuère. Nempè ut precarentur Animabus quietem ab inſultibus Satanæ, Inferorum, Dæmonum: Ut viam ad cœlum recto & inoffenſo tramite emetirentur; Ut accelerarent eorum beatam Reſurrectionem, ac Conſummationem Gloriæ: Ut refrigerium in illâ gloriæ ſiti, in illo itinere ad Cœlum, ipſis impetrarent. Sed de his jam ſuprà, *col.* 615. Nec minùs pro Apoſtolis. Sanctis, Virgine ipſâ, ut dictum aliàs, precabantur. Nullæ autem preces *ad Mortuos*, ad Sanctos, Invocationis ritu, ut ſuprà; nec illarum, aut Miſſarum, Litaniarum, Votorum, Hymnorum, hoc Seculo veſtigium extare, Doctiſſimi in Adverſariis intellexerunt, originem ad IV. Seculum referentes, & ipſe Perronius Cardinalis. Hymnos certè ſoli Deo vel Chriſto ceciniſſe, Vota nuncupaſſe, adoraſſe ut ſemper præſentem, vel ex Libris Origenis contrà Celſum *Lib.* V. p. 239. &c. ex Tertulliani Apologetico, C. XXXIX. & alias, fuſè Theologi. Minùs cultæ Mortuorum *reliquiæ*, de quibus in ſcriptis γνησίοις hujus Sec. ne veſtigium ullum apparet. Quanquam opinio jam nata, vivos *Defunctorum orationibus* atque *interceſſione* particulari vel auxiliis adjuvari, quæ ex Platonicâ rurſùm diſciplinâ in Eccleſiam invecta, tempore Origenis, Cypriani. Ità certantibus nobis ac precantibus συναγωνίζεσθαι ϗ συνεύχεσθαι piorum defunctorum Animas, & Angelos, credidère, etiam ἀκλήτους non invocatos, ut idem Origenes contrà *Celſ.* L. VIII. p. 420. Et Libello *de Orat.* Parte I. αἵτε τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων ψυχαὶ συνεύχονται, *animæ unà nobiſcum orant.* De locis quibuſdam *Origenis*, ut à *Ruffino* interpolatis, ſuſpicio eſt, in iis quæ Latinè tantùm extant, ut eſt jam ab aliis obſervatum. Preces pro def.

Ritus alii Miſcellanei.

Huc faciunt, ſignaculum *Crucis*, in aëre efformatum, diſtinctionis ergò à Gentilibus, ac tacitâ cum invocatione Chriſti Crucifixi, etiam in periculis, apud Tertullianum in *Scorpiace*, C. I. Quo & in Exorciſmis Dæmonum uſi, invocato nomine Jeſu; *ſignum Paſſionis* vocat Lactantius: *Spiritus inquinatos de Hominibus, & nomine Magiſtri ſui, & Signo Paſſionis excludunt*, Divin. Inſt. L. IV. C. XXVII. Quanquam hoc ſignaculum, quo *frontem terebant*, *ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum*, &c. ut Tertullianus de Coronâ, *Cap.* III. nondum ad publica Eccleſiæ miniſteria, uti Baptiſmum, Euchariſtiam, Abſolutionem Pœnitent. & id genus alia, adhibitum fuiſſe, contendant Viri Doctiſſimi, Dallæus, & alii. Crucis Signum.

Orationum ritus, ratione temporis, ſitus, formularum, objecti pro quo oraretur, ex parte intelleximus ad ſuperius Sec. Orationum ritus.

Tem-

Digitized by Google

Tempus orandi fuit ter de die, ut ex Tertulliano, Cypriano, & Auctore Conſtitut. liquet, mane, meridie, veſperi, hora *tertiâ*, *ſextâ*, *nonâ*, idque ex Judaico inſtituto, exemplo in Daniele, *Dan.* VI. 10. Vix tamen, ut vult Cyprianus (*Lib.* de *Orat. Domin.* ad calcem) in *Sacramentum Trinitatis*, *quæ noviſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, conſummatum numerum Trinitatis oſtendit*, & quæ in hanc rem ibi plura. Ita ex *Actorum* Hiſtor. intelligebant, horâ *tertiâ* veniſſe Spiritum S. ſuper Apoſtolos; horâ *ſextâ* Petrum aſcendiſſe in ſuperiorem partem domûs, orandi gratiâ, *Act.* X. 9. Et horâ *nonâ*, quæ ὥρα προσευχῆς, Petrus & Johannes ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερόν, *Act.* III. 1. Quæ orandi tempora ſervant hodieque Orientis Eccleſiæ, & Moſcovitæ Græcorum tradux. Sed rectè Cyprianus, *præter horas antiquitùs obſervatas, nobis orandi nunc & ſpatia & Sacramenta creverunt.* Hinc & *manè* orandum eſſe, & *toto die*, nec *ullam horam à Chriſtianis excipi*. *Situs*, fuit partim *ſtando*, ritu rurſùm à Judæis accepto, apud quos עמידה unus ex VII. modis precandi communior & uſitatior fuit; undè Chriſtianorum *ſtatio*, multiplici vocis uſu; & ſtare, ſurgere ad Orationem, cumprimis diebus Dominicis, & tempore inter Paſcha & Pentecoſtem, apud Tertullianum, Cyprianum, Auctorem Conſtitutionum, &c. Symbolum jam Chriſti reſurgentis, & erectæ fidei, ſpei, lætitiæ, attentionis, myſticæ reſurrectionis cum Chriſto, expectationis promiſſi Spiritûs S. quaſi *exerto capite*, etiam *excubiarum* pro Eccleſiâ, ritu à militari ſtatione prompto, explicante Tertulliano: Partim etiam orarunt *genibus* flexis, in humiliationis ac ſubjectionis ſignum, tempore Luctûs, Jejunii, Exomologeſeôs, Pœnitentiæ, extrà Sabbata, & Feſtorum tempora. Hinc ἰκετεύειν vel γονυκλίνειν, *adorare de geniculis*, *geniculatio*, *adgeniculari*, apud Septimium. Hinc & *orare*, pro genu flectere, ad acclamationem Diaconi, *Orate*. Quandoque *procubuiſſe in terram* pronâ facie, more Orientalium, à Muhammede tranſſumpto in ſuas preces, docent vel ipſæ voces προσκυνεῖν, ἀποπίπτειν, ἀπόπτωσις. Sed & precatos *manibus expanſis*, in imaginem Crucis, ex Tertulliano intelligimus, de *Orat.* C. XI. XII. *Nos verò non attollimus tantum, ſed etiam expandimus è Dominicâ Paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto*; Ubi *expandimus modulatum*, malè quidam retulerunt ad ritum pſallendi, modulandi, ſed potiùs ad geſtum precantium, imitati eum modulum vel figuram quam Chriſtus in cruce, *expanſis manibus*, exhibuit, ut rectè Rigaltius. Quem ritum mimicè retinuerunt Chriſtiani plurimi, in recitandâ publicè Oratione Dominicâ. At verò ad geſtum orantium, hac Ætate, non iſtud omittendum, *oculis* in *Cœlum* ſublatis precatos eſſe, & *manibus* quoque versùs illud extenſis; quod pluribus Tertulliani in *Apolog.* Clementis Alexandr. L. VII. *Strom.* Cypriani *Epiſt.* ad Demetrium, Dionyſii Alex. apud Euſebium, *Lib.* VII. C. VIII. Origenis Lib. περὶ εὐχῆς, &c. teſtimoniis & exemplis firmari poſſet.

Ad Orientem precatos hoc etiam Sec. Chriſtianos, dùm Judæi ad Occidentem, ex Tertulliano in *Apologet.* & conſtanti fide, ac præceptione Canonum, intelligitur. Nempè intuitu Chriſti, qui vera ἀνατολὴ, *Oriens ex alto*; ac Reſurrectionis ejuſdem; Euangelicæ lucis; ſitûs Hieroſolymæ; ſitûs quoque Paradiſi; ac futuri ortûs Corporum, poſt occaſum mortis, de quibus diximus aliàs.

Inter *Formulas*, uſitatiſſima illa *Orationis Dominicæ*, ex Tertulliano, tùm Origene, Cypriano, ſingulis hanc explicationibus, omnibuſque *Liturgiis* Veterum. Solis autem initiatis, ſive *baptizatis*, permiſſa deinceps hujus recitatio fuit, quorum eſſet appellare Deum *Patrem*, & ad quorum ſtatum reſpicere *petitiones* Orat. Dominicæ ſingulas credebantur. Ità v. gr. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie ſpiritualiter intelligendum, Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis. Tum & quod Corpus ejus in pane cenſetur, Hoc eſt Corpus meum*, &c. apud Tertull. de Oratione. Sic Origenes, ſic alii. Undè antè hujus recitationem dimiſſi Pœnitentes, Catechumeni, & *Competentibus* Baptiſmi demùm tradebatur hæc Oratio, cum ſuccinctâ explicatione, paulo antè Feſtum Paſchale; cui ſolennitati reſervatus plerumque Baptiſmus. In ſpecie recitata hæc Oratio, ſolennem in modum, proximè antè Conſecrationem Symbolorum. Adde δοξολογίαν in omnibus Græcorum & Latinorum precibus uſitatam, imitatione quâdam Orationis Dominicæ, quæ illâ terminatur. Adde formulas in *re ipſâ* concordes, pro recens Baptizatis, Catechumenis, Pœnitentibus, Energumenis; pro Imperatoribus; pro Statu Seculi; pro rerum quiete; pro *morâ finis*, juxtà illud Judæorum, *veniat Meſſias, & non videam*, ob horum ſcil. temporum calamitates. Adi Tertullianum, *Apologet.* C. XXXIX. & in præfat. Libri *de Oratione*. De *Formulis Liturgicis* Precum, an hoc Ævo ex ſcripto recitatæ, diximus ſpeciali *Diſſertat.*

Exorciſmorum circà obſeſſos ritus, hac ſanè Ætate inter Chriſtianos viguit, oppoſitus Judæorum & Gentilium vanis Exorciſmis, vigente adhuc dono Miraculorum, ex promiſſione Chriſti, hoc etiam Seculo. Meminerunt poſt Juſtinum Martyrem, Clemens Alexandr. Tertullianus, Origenes, Minucius, Cyprianus, Julius Firmicus, Lactantius. Nempè, adjuratos & quaſi increpitos fuiſſe *Dæmonas*, in nomine Dei & Chriſti, & è corporibus quæ vexarunt, ſeu ex *Energumenis*, aut qui tales habebantur (quales quandoque qui ex comitiali morbo dabantur præcipites, cum ſpumâ & veluti ſtertore, quos inquit Galenus θεραπευτ. *Lib.* II. *fol.* 6. *vulgus Dæmoniacos dicit*) exire juſſos, frequentibus exemplis. Nec alligatum hoc donum fugandi vel Dæmonas, vel Morbos epilepticos, quibus ut Dæmoniis cruciarentur, certo Ordini fuiſſe, ſed à *quolibet* etiam *Chriſtiano*, & *plebejo homine* ſeu laico, modò pio, potuiſſe adjurari Dæmonas, iidem auctores ſunt. Quale exemplum perhibet Tertullianus *Libro* ad *Scapul.* in *Proculo* Chriſtiano, Euodi procuratore, qui Severo Imp. teſte, *eum aliquando per oleum curaverat*, adhibitis precibus, Chriſtiano chariſmate. Modus igitur ſimplex fuit, oratione ſcilicet, & invocatione Domini Jeſu, etiam ſignaculo crucis adhibito, *verbis tanquàm flagris*, Dæmonem abigentes. Sed & adhiberi cœptus exorcizandi ritus, exſufflandique Dæmonem, circa Catechumenos & baptizandos, quorum *fide is excluderetur*; undè *Exorciſtæ* jam apud Cyprianum, *Epiſt.* LXXV. LXXVII. Nec diſtincti tamen hi à *Presbyterorum* vel *Diaconorum* ordine, hoc quidem Seculo, quorum hoc *exorcizandi*, ſeu abigendi Dæmonem, innatæ ſcil. malitiæ & ignorantiæ, ſuis Catecheſibus & Orationibus, munus tum adhuc erat. Poſtea Exorciſmus inter ritus *baptiſmales* evaſit, cujus videtur meminiſſe Cyprianus *Epiſt.* ad Magnum, quæ eſt LXXVI. ubi ait, *ad ſalutarem aquam Diabolum opprimi*, & *hominem Deo dicatum eo liberari*. Ex hypotheſi, Spiritum immundum in tali homine fuiſſe, antè lavacrum Baptiſmi. Cæterùm omnes tingendos fuiſſe quoque exorcizandos, neque Cyprianus uſquàm dicit, neque Tertullianus, Origenes, Minucius, Hippolytus, Dionyſius Alex. & cæteri hujus III. Sec. ſcriptores.

Exorciſmorum ritus.

Adde continuatam abſtinentiam à *ſanguine*, & *ſuffocato*; Fugam *Spectaculorum*, & alia, de quibus ad præcedens Secul. dicebamus. Ità obſervantur Virgines jam Deo *devotæ*, at ſæpè (conquerente Cypriano non ſemel) clàm *impudicæ*; de quo & Eli-

Alia quædam.

Digitized by Google

Eliberitanus *Canon* XIII. Votum tamen tum adhuc ſolvi aptum, per ſubſequens matrimonium. Et ſi quæ fuêre ἀδιάφορα alia, quæ ad illius temporis Diſciplinam apud aliquos ſaltem tranſivêre; quæ vide apud Tertull. Libro de *Corona Milit.*

Mores & Diſciplina Chriſtianorum hujus Ævi.

Simplicitas, & Sanctitas.

De cætero, magna utique adhuc in moribus ſimplicitas fuit, in precibus, vigiliis, jejuniis aſſiduitas, etiam ardens charitas: Undè *officia* illa mutua, ſpeciatim in Pauperes, Viduas, Ægros, Captivos, Morientes, Eccleſias afflictas, &c. de quibus Tertullianus *Lib.* II. ad Uxor. & paſſim, Cyprianus de *Opere & Eleemoſ.* de *Redemptione* Fratrum captivorum, &c. Certè hæc opera miſericordiæ probavit ſuo exemplo idem Cyprianus, qui jam *Catechumenus*, ſtatim ac fidem Chriſti accepit, bona ſua in uſus pauperum, & *ad indigentiam multorum ſuſtentandam* diſtraxit, Pontio in ejus Vitâ teſte; dein *Epiſcopus quid non fecerit circà pauperes, quos Catechumenus* diligebat? Imò officia in *Idololatras* ipſos exercita, ſæviente bello, peſte, fame; à ſuis quidem deſertos, Chriſtianorum verò charitatibus & auxiliis recreandos, ex Oroſio *Lib.* VII. Hinc collectæ in opulentioribus Eccleſiis, ut Romanâ, Carthaginenſi, hos ipſos in uſus; quomodò Cyprianus *Epiſt.* LX. ad Epiſcopos Numidiæ, *Miſimus Seſtertia*, (Joh. Fred. Gronovius *Seſtertiûm*) *centum millia nummûm, Cleri & Plebis apud nos conſiſtentis collatione.* Magna & Sacrorum reverentia; undè Canones qui arcerent à menſâ Euchariſticâ, ac publicis Sacris, etiam fœminas τὰς ἐν ἀφέδρῳ, & *pollutos* pollutione naturali, in *Epiſt.* Canonicâ Dionyſii Alex. ad Baſilidem Epiſc. Commentariis Balſamonis elucidatâ. Sed & avaros, turpis lucri appetentes, uſurarios, delatores, aleatores vel in tabulâ ludentes, ſuperbos, obtrectatores, &c. corripiebant: Etiam Fœminas, quæ relictis Maritis adulteris, alteri Marito quamvis fideli nubebant; aut quæ Hæreticis matrimonio conjungerentur; aut quæ in Cœmeteriis pervigilarent, cum cereis accenſis, &c. ut ex Canonibus Diſciplinæ hujus Ætatis, cumprimis *Eliberitanis*, XXXIV. XXXV. &c. liquet. Vide & Epiſt. vulgò *Canonicam* Gregorii Neo-Cæſarienſ. inſertam *Tomo* I. Concil. de quâ poſteà.

Studioſè etiam abſtinebant ab omnibus quæ *Gentilium* ſuperſtitionem redolerent, haberentque vel ſpeciem Idololatriæ. Hinc non intereſſe tantùm vel Spectaculis, vel Sacris Gentilium, Chriſtiano nefas; ſed etiam lætiore *habitu*, vel *veſte* pretioſiore, acceſſiſſe ad prandium vel cœnam Gentilium, die his feſto, crimen fuit; undè Canones de hoc Concilii Ancyrani ſub initia *Sec.* IV. Sic interdictum fuit Dominis Poſſeſſionum, acceptum ferre in rationes expenſi, ſi quid ab eorum Oeconomis impenſum fuiſſet in Sacrificia, Convivia, Feſta Gentilium, aut aliud quid quod Idololatriam redoleret, de quo Canon Eliber. XL. Senſim tamen à primâ cùm ſimplicitate, tùm integritate diſceſſum eſt, & gliſcuit *corruptio* ut in Clerum, ſic in plebes Chriſtianas.

Corruptio.

Hinc cumprimis in Epiſcopis & Clericis ambitio, æmulatio, diſſidia, tyrannis, fraudes, calumniæ, obtrectationes, alia de quibus queruntur paſſim Epiſtolæ Cypriani, ſpeciatim *Epiſt.* VII. de obſervandâ Diſciplinâ, *Ep.* LXIX. de Obtrectatoribus, &c. Et teſtatur Euſebii Hiſtoria, nominatim *Libris* VI. VII. & VIII. C. I. ituro in pejus malo ſub Chriſtianis Imperatoribus.

V. *Diſciplina Eccleſiaſtica circà Lapſos, & Pœnitentes, hoc Seculo.*

Rigor Diſciplinæ.

I. MAgnus *Diſciplinæ* circà *Lapſos* rigor hac etiam Ætate, in Eccleſiâ obtinuit, cujus rationem totam vel ex Tertulliano, Cypriano, Origene, Euſebio, luculenter intelligimus. Nec tamen in omnibus Eccleſiis eadem ſeveritas fuit, major in Orientalibus & Africanis Eccleſiis, minor in Romanâ & Latinâ; quæ jam de rigore priſtino remiſit ſub *Zephyrino*, mœchos pœnitentes recipiente ad pacem Eccleſiæ, magnopere improbante Tertulliano. Ac de Romanæ Eccleſiæ poſtmodùm Diſciplinâ, lege Epiſt. Cornelii ad Fabianum Antioch. ſcriptam, apud *Euſeb.* L. VI. C. XLIII. Maximè Decianâ perſecutione, quando jam ingens Lapſorum numerus, Lapſum poſteà deplorantium, mitigatam fuiſſe, etiam apud Afros, ſeveritatem *ſalubri moderatione*, ex Cypriano ipſo conſtat, *Epiſt.* LII. ad Antonianum, in quâ rationes initio ſtatim reddit.

Cauſa illius.

Contrà Tertullianus minùs rigidus, dùm Catholicus eſſet, rigidior Montaniſta factus, vel ex Libro de *Pudicitiâ*, collato cum illo de *Pœnitentiâ*. Ac ſeveritatis illius, in exercendâ Diſciplinâ, *cauſæ* jam ex ſuperioribus liquent: Impunitas criminum in foro civili; purgatio Chriſtianiſmi ab accuſationibus aut ſuſpicionibus Gentilium: Scandali dati reparatio, ac ſatisfactio; exempli ſtatutio, ac terror delinquentium, iſtâ Exomologeſeôs ac Pœnitentiæ publicæ neceſſitate. Et ſanè poſt Baptiſmum ſemel ſuſceptum, poſtquam *ſemel illuminati*, Hebr. VI. 4. id eſt, *baptizati*, ut locum illum intellexêre hujus & ſequentis Ætatis Patres, putabant novo *baptiſmo* ſeu lavacro opus eſſe, ſcilicet *Pœnitentiæ, lachrymarum*, fracto priori ſigillo, & quaſi ſigillo Diaboli aſſumpto: Et hanc oppidò laborioſam eſſe voluerunt, diverſimodè tamen pro ratione delictorum, & Eccleſiarum, & temporum: Quum minùs rigidior praxis fuerit antè exortum *Montanum*, qui negabat omnem Lapſis veniam; ſic poſt natum *Novatianum* Schiſma, de quo inferiùs, & poſt *Decianam* perſecutionem, ex Cypriani *Epiſt.* LIV. LV. &c. Vel Synodi Carthaginenſis II. decreto, A. 252. de *pace Lapſis dandâ*, comparato cum illo Synodi Carthag. I. Anno 251. in quâ decretum ut Lapſi agerent *Pœnitentiam plenam*, de quo Cypriani *Ep.* LV. vel LIV. in Ed. Anglicanâ. De quibus etiam infrà.

Lapſorum varia genera.

II. Objectum fuêre *Lapſi*, quales in genere cenſebantur, qui poſt Baptiſmum obſtrinxiſſent ſe vel Idololatriæ, vel Homicidii, vel Mœchiæ crimine, quæ tria delicta capitalia, *principalia* dicit Tertullianus, *ſumma delicta* Cyprianus, cujus extat Liber *de Lapſis*. *Idololatriæ* rursùm varii gradus, prout alia ſpontanea, alia coacta, vi tormentorum; alia directa, & cum apoſtaſiâ ſeu abnegatione Chriſti conjuncta, vel etiam cum perſecutione Fratrum, alia indirecta, ex participatione quâdam, v. gr. ſi cœnaſſent in Idoleis; convivati eſſent cum Paganis die feſto; contuliſſent aliquid, puta è frugibus terræ, ad libamina, ad actum aliquem idololatricum, &c.

In ſpecie *Apoſtatarum* duo genera, quorum alii fuêre dicti *Sacrificati*, οἱ εἰδώλοις ἐπιτεθυκότες, qui Sacrificia obtuliſſent diis Gentium; vel *Thurificati*, qui thura ſaltem adoleviſſent: Alii *Libellatici*, *Libellati*, frequenti diſtinctione apud Cyprianum. Seu jam *Libellatici*, quod *Libellos* ſecuritatis, ne ſacrificare cogerentur, à Judicibus pretio oblato impetraſſent; quod tamen pro *Lapſu* habitum fuiſſe non videtur, niſi ſimul *Edictis* ſe *ſatisfeciſſe* apud Judices verbo ſaltem teſtarentur: Seu quod *Libellorum* ob-

la-

latione & ſubſcriptione, in quibus eſſet profeſſio Gentilis cultûs, Idololatris adſcribi ſe paterentur, ſive jam hos Libellos ſpontè offerrent, ſive à perſecutorib. oblatos ſignarent. Iſtorum alii fidem abnegabant, ſcil. *ſe Chriſtianos eſſe*, conteſtati ſe ad aras acceſſiſſe; ſed dato pretio impetrabant Libellos ſecuritatis, ab ulteriori inquiſitione vel vexatione: Alii non negabant quidem, ſed *nec profitebantur* quod erant, ac ne cogerentur profiteri, pecuniâ datâ impetrabant ab avaris Præſidibus, aut clementioribus, *Libellos ſecuritatis*. Quod erat, *ſe ipſos Infideles eſſe, illicitâ nefariorum Libellorum profeſſione prodere*, ut Clerus Romanus Epiſt. ad Cyprianum, *Epiſt.* XXXI. *Trium* generum *Libellaticos* quidam faciunt; primum eorum qui palàm Libellis profitebantur ſe cultores Deorum, Jovis, Martis, Cereris, Dianæ, &c. Alterum eorum qui, oblatis Libellis, vel ſubmiſſis à Magiſtratibus, nomina ſua ſubſcripſerant, tacitâ ſic abnegatione Chriſtianiſmi. Tertium, eorum qui oblatis ſibi Libellis, profitebantur *ſe Chriſtianos, nec licere ſibi ſacrificare, ad aras Diaboli venire ſe non poſſe, tamen ne cogerentur facere quod non liceret*, pecuniâ redimebant, de quo genere Libellaticorum Cyprianus *Epiſt.* LII. ad Antonianum.

rx- III. Ex Lapſis fiebant *Excommunicati*, ligati,
nt ejecti, exauctorati, ἀφωρισμένοι, plurimis apud Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Euſebium,
n. exemplis; quanquam, quo præciſè ritu ejicerentur, non perindè conſtat. Hinc inter hoſce quos Eccleſia ità *ejiciebat*, ut pœnitentiæ ſpem præriperet; & inter admiſſos ad *Pænitentiam*, quamvis ad dies vitæ injunctam, diſcrimen longè maximum ſtatuebat priſtina Eccleſia. Nam cum illis interdictum omne genus communicationis, alloquii, aſpectûs, nec pro moribundis vel publicè vel privatim orare fas fuit. Sed verò ex Excommunicatis evadebant *Candidati* quodammodò Pœnitentiæ, quæ debebat cum lachrymis *peti*, quæque *dari*, *accipi* dicebatur, præviâ impoſitione manuum; multis utique negata, etiam moribundis, cum primis *Relapſis*. Imò ineunte hoc Seculo nec *Idololatras*, nec *Homicidas*, nec *Mœchos*, admiſſos ad Pœnitentiam fuiſſe, ſaltem in Africanis Eccleſiis, ex Tertulliano ipſe Albaſpinæus intellexit, *Obſerv. Lib.* I. C. XIII. Nempe attendentes illud Pauli, *modicum fermentum totam maſſam inficere*; ac fideles ſuâ cum talibus conſuetudine, ad ſocietatem jam admiſſis, in eandem fraudem induci poſſe. Tandem *Pænitentes* facti, conceſſâ *Pænitentiâ*, ſenſu metonymico, quæ & *Sacramentum* apud Cyprianum eſt, *Epiſt.* XXXI. quia, Rigaltio interprete, multa in eâ *ſigna*, *myſteria*, *ſacramenta verè dolentis ac pœnitentis animi*, petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia, excubatio ad limen Eccleſiæ, jejunium, lachrymæ, ſaccus, & cinis. Cyprianus *Epiſt.* XXXI. vel potius Clerus Romanus Epiſt. ad Cyprianum Papam, de Lapſis petentibus Pœnitentiam. *Pulſent fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium excubent portis, ſed armati modeſtiâ, quâ intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed quâ non bellicum clangunt.* Mox, *Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant legatos pro ſuis doloribus lachrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus*, &c. Et idem Cyprianus, Libello de *Lapſis*, circà finem, qualiter præparare ſe debeant ad pœnitentiam, *jejuniis*, *fletibus*, *planctibus*, &c. luculenter docet. Nempè extrà Eccleſiæ fores, in areâ Eccleſiæ contiguâ, locus ille fuit poſtulantium debitam pœnitentiam. Hæc Pœnitentia *ſecunda* dicitur Tertulliano, eaque *una*, ſeu ſemel in vitâ conceſſa.

IV. Primus autem illius actus fuit *Exomologeſis*, id eſt, (ſtrictiori jam ſenſu) *Confeſſio*, eaque primitùs *publica*, in facie Eccleſiæ, minimè ſecreta, ut malè, poſt Baronium, Pamelium, Petavium, H. Valeſius Notis ad Socratis *Librum* V. C. XIX. Ac prius falſi Rigaltius, Albaſpinæus, Sirmondus, Morinus, Libris de *Pænitentiâ*, & Doctiſſimi in Adverſariis: Et Priorius, aliàs iniquior, in Cyprianum de Lapſis: *Aſſerere non verebor, Tertullianum mentionem nullam feciſſe Confeſſionis Secretæ, toto Libro de Pœnitentiâ.* Exomologeſim (ut complectitur omnes actus Pœnitentiæ) deſcribit Tertullianus, *de Pænit.* C. IX. quâ delictum Domino *confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenùs ſatisfactio* (tùm quæ *Deo* fit, contritione, deprecatione, lachrymis, tum quæ *Eccleſiæ*, Canonicâ Pœnitentiâ, ad reparationem ſcandali) *confeſſione diſponitur, confeſſione Pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis Diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem; de ipſo habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, paſtum & potum pura noſſe* (malè *non eſſe*) *non ventris, ſed animæ cauſâ. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum; Presbyteris advolvi; & Caris Dei* (Confeſſoribus, Martyribus, à quibus pacem petere conſueverunt) *adgeniculari; omnibus fratribus legationes ſuæ deprecationis injungere. Hæc omnia Exomologeſis, ut Pœnitentiam commendet*, &c. Et paulo poſt: *Eccleſia Chriſtus eſt, ergò cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras*, & quæ ibi plura. — Exomologeſis.

Aſt ex *publicâ* mutari cœpta eſt in *privatam*, labente Seculo III. poſt Decianam perſecutionem, & poſt natum Schiſma Novatian. in Eccleſiâ Græcâ & Orientali, circà A. CCLX. ex Socrate *Lib.* V. C. XIX. Sozomeno, *Lib.* VII. C. XVI. Nempè conſtituto Presbytero *Pœnitentiario*, in Eccleſiis ſingulis, Viro ἐχεμύθῳ, coram quo Lapſi *publica*, ſeu manifeſta & graviora, *delicta* confiterentur, etiam apoſtaſiæ illud, & homicidii, quique judicaret de Pœnitentiâ præſtandâ. Talem adhuc *Pœnitentiarium* ignorarunt Tertullianus, Cyprianus, inſtitutum occaſione Schiſmatis Novatiani, & ob lapſorum multitudinem. Nec ingenuè rursùm Henr. Valeſius, poſt Baronium ſuum, *Notis* ad *Socratem*, dùm Presbyteros illos delectos ab Epiſcopis cenſet, tanquam *vicarios* quibuſcum operas partirentur, ad ſublevandos Epiſcopos, & Confeſſiones ordinarias audiendas, *ſecretas* nempè, quod antè Epiſcoporum eſſet. Nec abludit Dion. Petavius, *Animadverſ.* ad Hæreſim Novatianorum, quæ eſt Epiphanio LIX. ubi de Pœnitentiæ Ritu diſſertat. Non ergò ablatam *Confeſſionem* publicam, quæ nulla fuiſſet, ſed *Pœnitentiam* tantùm publicam: Quum diſertè Socrates, conſtitutum eum in finem Presbyterum ἐπὶ μετανοίας, ὅπως οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες, ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα, ſcil. ad eam rem inſtitutum ut *coràm eo delicta ſua confiterentur*. Quum, addit Sozomenus, φορτικὸν ἀπ' ἀρχῆς ἔδοξε, ὡς ἐν θεάτρῳ, ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς Ἐκκλησίας, τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν, *grave initio viſum, tanquam in Theatro, teſte totâ Eccleſiæ multitudine, Crimina ſua evulgare.* Non negamus tamen factum quandoque eſſe, ut privatim Sacerdotibus exponerentur quæ *occulta* erant, uti vel *cogitaſſe* de Libello offerendo, &c. quod eſt Cypriano *Exomologeſin conſcientiæ ſuæ facere*, Serm. de Lapſis. — Confeſſio privata quando introd.

V. Confeſſionem ſequebatur *ſatisfactio* Canonica, ſeu profeſſio *Pœnitentiæ*, quæ & ipſa *Exomologeſis* dicta Tertulliano. Nempè loco à cæteris ſegre- — Actus Pœnitentium quinam?

gregato, & primò extrà fores Eccleſiæ, habitu lugubri, cum ſacco, cilicio, lachrymis, proſtratione, adgeniculatione, injunctis jejuniis, non jam ad plures menſes, ſed *annos*, pro ratione delinquentium. Ac Tertullianus quidem graphicè deſcribit, ut ſuprà viſum, quem de *Pœnitentiâ* Librum malè Eraſmus negavit eſſe Tertulliani. Abſurdè autem quæ ibi Septimius, puta de *advolutione*, *adgeniculatione*, coràm *Presbyteris* & *Charis Dei*, nempè in προσκλαύσει, reddit Baronius cum ſuis, de actu Confeſſionis *auricularis*, coràm Sacerdote, ridente Albaſpinæo in *Obſervationibus*. Imò, etiamſi peccata fuiſſent *occulta*, ex. gr. thus clàm adoleviſſe Idolis, clandeſtino ſe adulterio polluiſſe, &c. ſub gravi interminatione judicii Divini, tenebantur ſemet *confeſſione* deferre, & *publicam* Pœnitentiam agere. *Eccleſiam* enim falli poſſe, *Deum* non poſſe, ut non ſemel Cyprianus, Sermone de *Lapſis*. Dein Pœnitentiæ rationem deſcribit ibidem Cyprianus, & in Epiſtolis paſſim, ex dictis. Ac *plenam* hic *pœnitentiam* vocat, quæ non tantùm ſe extenderet ad juſtum ac legitimum tempus Canonibus præſcriptum, ſed inſuper quæ vera eſſet, ſincera, animo verè dolenti, ac cum verè pœnitentis animi omnibus indiciis; quod eſt eidem, *cum plena humilitate ſatisfacere*, *Epiſt.* LII. LXII. LXV. &c. Rigoris autem hujus in foro *Eccleſiaſtico* cauſas, varias illas & graves, modò dedimus.

Gradus quatuor an hujus Ævi?

VI. Dubium verò an hujus Ætatis, niſi fortè multum adultæ, fuerint *quatuor* illi ſic diſtincti Pœnitentiæ *gradus*, ſeu *ſtationes*, dictæ (pro diverſis *locis* pœnæ ſubeundæ) τόποι ἐπιτιμίων, vel ἐπιτιμήσεων. Ac primò πρόσκλαυσις, vel πρόσκλαυσις in areâ ſubdiali, extrà fores Eccleſiæ, etiam hybernis temporibus, undè *hyemantes* dicti; & Tertulliano, à cilicio & cinere, *conciliciati*, *concinerati*, in Libro de *Pudic.* ibidemque fratribus *legationes deprecationis ſuæ injungentes*, in loco altero, modò citato, de Pœnitentiâ. Ac προσκλαύσεως hujus exemplum, tempore Zephyrini, in Natali quodam ab Hæreticis decepto, poſteà Confeſſore, habet Euſebius, *Hiſt. Lib.* V. *Cap. ult.* Meminit hujus gradus, Gregorius Neo-Cæſarienſis Epiſc. Diſcipulus Origenis, qui vivere deſiit Anno CCLXV. in *Epiſt. Canonicâ* illi tributâ, de Pœnitentiâ Lapſorum, occaſione Barbarorum Pontum incurſantium, *Can.* XI. Ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστιν, *Fletus* ſeu *luctus eſt extrà portam Oratorii.* Non meminerunt tamen Ancyrani, nec Nicæni; quod reverà hæc eſſet præparatio quædam, ac petitio Pœnitentiæ, de quâ ſuprà ex Tertulliano, & Cypriano, *Num.* III.

Sed & ſubjungit eadem Epiſtola Canonica τὴν ἀκρόασιν, gradum alterum, ſtantium ἔνδοθι τῆς πύλης, ἐν τῷ νάρθηκι, vel προνάῳ, ἕως τῶν κατηχουμένων, *intrà portam* Oratorii, *in porticu*, *uſque ad Catechumenos.* Hinc dicti Ἀκροώμενοι *audientes*; quanquam Tertulliano & Cypriano *Audientes* hoc Ævo ſint Catechumeni, in ſtatu inſtitutionis. Ac tertium quoque gradum, addit eadem *Epiſt.* Canonica, τὴν ὑπόπτωσιν, *ſubjectionem*, *ſubſtrationem*, proximo fidelibus loco & ordine, ultrà Catechumenos, Energumenos, Competentes. Sed & quartum, τὴν σύστασιν *Conſiſtentiam* cum fidelibus, τῆς εὐχῆς κοινωνίαν, precum cum iis communionem; donec ſequeretur, pace acceptâ, μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων.

Meritò tamen dubitetur, ſit-ne hic verè Canon (omnium poſtremus in dictâ *Epiſt.*) Gregorii Thaumaturgi, an verò additus ex ſequentis ævi Diſciplinâ, quæ Joh. Morini de Pœnitent. Du-Pini in Thaumaturgo, ut alios taceam, opinatio eſt. Longè luculentior eſt horum graduum diſtinctio, ex Canonibus & praxi *Seculi* IV. Undè nec *Dionyſii Areopagitæ* eſſe conſimilem graduum diſtinctionem, in Pœnitentiâ publicâ, *Hierarchiæ Eccleſ. Libro* III. Dallæus noſter poſt alios monuit, in ſuis Libris de Scriptis Dionyſio Areop. ſuppoſitis.

Duratio Pœnit. publ.

VII. *Tempus* huic *Pœnitentiæ miniſterio*, ut Tertullianus loquitur, aſſignatum, varium fuit; 1. Pro ratione delictorum, v. gr. Idololatriæ voluntariæ vel coactæ; ſic in homicidio ex animi propoſito, in cauſâ inceſtûs, vel adulterii, &c. 2. Pro ratione diverſâ Eccleſiarum. Ac certum, ætate Tertulliani, negatam fuiſſe in Africâ pacem Idololatris, Homicidis, Mœchis, etiam in extremo conſtitutis, ac pœnitentiam ad dies vitæ protenſam. Sic *Canone* Eliberit. I. II. XVII. LXVI. &c. par ſeveritas in Hiſpaniis obſervata, *ut nec in fine communionem ſuſciperent*, v. gr. qui ad *Templum Idoli* ſacrificaturus acceſſiſſet; vel *Flamines* (id eſt Chriſtianos qui, poſt lavacrum, Flaminia ſuſcepiſſent) ex more ſacrificantes, dùm Ludos aperirent; vel qui geminaſſent ſcelera, aut triplicaſſent, addito *homicidii* & *mœchiæ* crimine; vel qui filias ſuas *Sacerdotibus Gentilibus* elocaſſent; aut qui *privignam* ſuam duxiſſet uxorem. Et hi dicebantur non *accipere pacem*, *communionem*, non *videre faciem Dei*, fundere lachrymas *jejunas pacis.* In Romanâ autem Eccleſiâ, Zephyrini tempore, legitimâ pœnitentiâ functis abſolutio data, ac deinceps quoque tempore Cornelii, & in Africâ Cypriani, vel ex *Epiſt.* LII. perſtringente verò hoc indulgentiæ genus Tertulliano Montaniſtâ, *de Pudicit.* C. I. Cumprimis habita ratio *infirmitatis*, & *mortis* inſtantis, quod dicit Cyprianus, *ut in exitu conſtitutis pax daretur.* Aliquando igitur, *pax data*, aut poſt certum pœnitentiæ tempus, aut in agone conſtitutis; Aliquando *abſolutio* quidem data, non *communio*, quod eſt *in fine nec communionem accipere*; Aliquando pax omnis *negata*, quantùm ad humanam, Dei judicio Lapſis id genus, vel relapſis potius, poſt acceptam Abſolutionem, omninò relictis. At mitigatus in multis rigor poſt Schiſma Novatianum, ex antè dictis. Lapſis autem, ſed per *vim* tormentorum, *triennium* definit *Epiſt.* eadem ad Antonianum LII. Sed *annorum* determinatio præciſior ſequentis Ætatis fuit. Quanquam hâc Ætate labente, multa jam ad Eccleſiæ diſciplinam pertinuiſſe videantur, quæ *Illiberitani* decrevêre, Diocletiano adhuc imperante, Anno (ut putant) CCCIII. Nam illi pœnitentiam injungunt aliquando ad *quinquennium*, aliquando ad *decennium*, aliquando demum *in fine dari communionem* decernunt; aliquando, *placuit nec in fine accipere communionem.*

Pœna Clericorum. Communio Laica quænam?

VIII. *Clericos* quod attinet, à lapſu aut hæreſi reverſos, poſt pœnitentiam Canonicam, recepit quidem Eccleſia tempore Cypriani, ſed ità ut Clericatu exciderent, nec niſi inter Laicos communicarent. Et hæc *communio Laica*, de quâ Cyprianus, *Epiſt.* LII. ad Antonianum, in exemplo Trophimi Clerici; & Canon Apoſtolicus LXII. Κληρικὸς μετανοήσας, ὡς λαϊκὸς δεχθήτω, *Clericus reſipiſcens*, *ut Laicus recipiatur.* Abſurdè autem Baronius, Bellarminus, & poſt eos Allatius, *Laicam communionem* de Communione ſub Unicâ ex Conſtantienſium decreto, interpretantur. Explodunt errorem Albaſpinæus, Sirmondus, Rigaltius, nuper & Cardin. Bona *Liturgic.* *L.* II. *C.* XIX. & cordatiores alii.

In ſpecie qui ad *Hæreticos* aut *Schiſmaticos* defecerant, ad Eccleſiam redeuntes, tenebantur ex conſtitutione Heraclæ, & Dionyſii Alexandrini, apud Euſebium *Lib.* VII. *C.* VII. cuncta, quæ ab Adverſariis acceperant, δημοσίᾳ ἐκφορῆσαι *publicè exponere.* Ac formulam revocationis exhibet in Oper. Cypriani, Ep. *Cornelii* ad Cyprian. quæ eſt XLVI. in exemplo Maximi, Urbani, Sidonii, qui ad unitatem Eccleſiæ reverſi erant: *Nos errorem noſtrum confitemur, nos impoſturam paſſi ſumus*, &c.

IX. Ab-

Abſolutionis ratio, tempus, miniſter.

IX. *Abſolutio* data in publico, ſeu facta in cœtu Eccleſiæ reconciliatio fuit, reductio ad Eccleſiam, admiſſio ad communicationem, *pacis datio*, (ſic enim loquebantur) prævia Oratione, cum Impoſitione manuum, quam ſequebatur μέθεξις ſeu *Communio*, tum Populi gratiarum actio, ac lætitiæ publica documenta. Hanc non judicialem fuiſſe, ſed *deprecatoriam*, per modum invocationis ad Deum, ex Cypriano, Auguſtino, Veteribus aliis, contra ſuos probat Morinus, de Pœnit. *Lib.* VIII. Abſolutio verò ſemper excepit ſatisfactionem Canonicam, ſive publicam Pœnitentiam; nunquàm (ut à Latinis deinceps factum) hanc præceſſit, fatente inter alios Albaſpinæo, *Obſerv. Lib.* I. p. 79. *Nunquàm peccator antiquitus abſolutione donabatur, quin prius Pœnitentiæ ſatisfactione peccata deleviſſet.* Adi & Morinum, in Commentariis de Pœnit. *L.* IX. *C.* III. &c. Et hinc indignatio nata Cypriani, quod ad Martyrum libellos exhibitos, Lapſi ad Communionem ſive Euchariſtiam admitterentur, *nondum actâ Pœnitentiâ, nondum Exomologeſi factâ, nondùm manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſitâ*, *Epiſt.* XI. ad Fratres in Plebe conſiſtentes. Quò & multæ *Epiſtolæ* Cypriani, & Tractatus de *Lapſis*, præcipuè tendunt. Undè quemadmodùm nefas fuit admittere ad Euchariſtiam, niſi poſt probationem & tempus Catechumenatûs, hinc Baptiſmum; ita nefas dare Abſolutionem, hinc Euchariſtiam, niſi poſt Pœnitentiam, quæ dicebatur *Baptiſmus lachrymarum*, *Baptiſmus laborioſus*, &c. *Tempus* datæ pacis fuit, ut plurimùm dies ſolemnis, uti Dominicus, vel dies Cœnæ ante-Paſchalis, ut pluribus in Sermone de *Unctione Chriſmatis*, qui adſcriptus eſt Cypriano: *Hodie reconciliantur Eccleſiæ peccatores, & ejecti foris ad matris ubera reducuntur*, &c. *Privata* abſolutio etiam ægris conceſſa, & morituris. Hic verò actus nonniſi miniſterialis fuit, & declarativus in foro externo Eccleſiæ, tales eſſe huic reconciliatos; de cætero ad Dominum remittendos, cujus *ſolius* eſſet *peccata dimittere*, ut ſenſêre Clemens Alexandrinus, Pæd. *Lib.* I. *C.* VIII. Tertullianus, *Lib.* IV. adverſus Marcion. *C.* X. & omnes hujus Sæculi Patres. Hinc factum eſt, ut reconciliatio Pœnitentium non modò per *Presbyteros*, ſed & per *Diaconos* fieret, vel ex *Epiſt.* XIII. Cypriani, *Presbyteris & Diaconibus* inſcriptâ. *Semel* verò ut Pœnitentia ſic Pax conceſſa, nec iſti ampliùs locus relapſis, prolixè ex Tertulliano, Clemente Alex. Cypriano. Cenſebatur enim Pœnitentia prior, non fuiſſe niſi *ſimulachrum Pœnitentiæ*.

Indulgentiæ. De Pœnit. Philippi.

X. Imminutus verò Diſciplinæ quandoque rigor eſt factâ *indulgentiâ*, ſeu mitigatione vel relaxatione pœnæ Canonicæ, antè expletum Plenæ Pœnitentiæ tempus; ſive jam tempus contrahendo, ſive pœnarum gradus minuendo, ſive quoſdam tollendo, puta ὑπόπτωσιν, vel πρόσκλαυσιν conſuetam. In quibus habita ratio etiam *dignitatis* perſonæ, uti volunt in exemplo Philippi Imperat. quem ἐξομολογήσασθαι *confeſſionem* ſcelerum feciſſe, & *ſtetiſſe* in ordine *Pœnitentium*, primus habet Euſebius, ſed ex referentium fide; τοῦτον κατέχει λόγος Χριστιανὸν ὄντα, *fama eſt hunc quum Chriſtianus eſſet*, &c. *Lib.* VI. *C.* XXXIV. At quando, an initio Imperii, an eo anno qui *Milleſimus* Urbis annus numeratus eſt, ut Baronius; itâ quo in loco, quamdiu, in quo Pœnitentium ordine, quo faciente Epiſcopo, hanc Pœnitentiam egerit *Philippus*, ſilet Hiſtoricus. Alii Romæ factum, Fabiano Epiſcopo id expoſcente, qui & baptizarit Philippum Patrem & Filium; ut quoque Baronius, *eſſe omnium propè ſententiam*, nullo auctore citato, præter *Acta Pontii Martyris*, ad A. CCXLVI. N. IX. Alii factum in Syriâ, ſive Antiochiæ, ſive in vicinâ regione, à Babylâ Epiſcopo Eccleſiæ Antiochenæ, aditu Eccleſiæ repellente Imperatorem, & Uxorem, ut diſertè Chronicon Alexandrin. *Olymp.* CCLVII. *ex traditione* (ut ait) antiquâ, confirmante *Leontio Antiocheno*, qui ſub Conſtantio vixit. Hinc *Decium* Imper. *Babylam interfici juſſiſſe, quod Imperatorem, ejusque Conjugem*, Χριστιανὸς ὄντας, *ab Eccleſiæ ingreſſu arcere auſus eſſet.* Quæ pugnantes circumſtantiæ, & aliæ v. gr. *ſolitum* Imperat. *tempore precum extrà Eccleſiam ſtare, inter Catechumenos*, & Pœnitentes, diu poſt additæ ad narrationem Euſebii, adeò ſunt à Philippi indole, ab illâ Decii vindictam hoc nomine ſumentis de *Babylâ*, ab Hiſtoriâ, & ab omni ſimilitudine veri alienæ, (præter antè obſervata *Cap.* II. ad hoc *Sec.*) ut mirari ſubeat Viros Doctos credulâ hæc mente ſuſcepiſſe, inductos auctoritate Scriptorum V. VI. & recentiorum Seculorum. Sed redeamus in viam. Saltem habita quandoque ratio vel *ætatis*, vel *ſexûs*, vel *infirmitatis*, vel etiam *circumſtantiarum*, quæ rigorem illum minuere juberent, ut in exemplo *Natalis* Confeſſoris, (quem Valeſius ſuſpicatur fuiſſe *Cæcilium Natalem*, de quo Minucius in Octavio) ab Hæreſi Theodoti per Angelos revocati, & ad pedes Zephyrini, & Cleri Romani, advoluti; apud Euſebium *Lib.* V. *C.* XXVIII. In ſpecie remiſſum fuit 1. Ex cauſa morbi, lachrymarum, precum inſtantiſſimarum, deſperationis, mortis inſtantis, ne conciderent aut deſponderent animo. Et expreſſè dicitur, mandaſſe Dionyſius Alex. *ut morituris ſi ſupplices peterent, venia indulgeretur*, luculento rei exemplo in *Serapione* Alexandr. qui in perſecutione lapſus fuerat, & mori non potuit niſi recreatus portione *Euchariſtiæ*, quam per παιδάριον *puerulum* miſit Presbyter ægrotans, apud Euſeb. *Lib.* VI. *C.* XLIV. 2. Ex cauſa interceſſionis Martyrum vel Confeſſorum, à quibus impetrarentur *libelli pacis*. Meminerunt ſæpè Tertullianus, Cyprianus, & Eliberitani *Canone* XXV. vocaruntque literas *Confeſſorias*, *Pacificas*, pro quibus recipiebant Lapſi ab Epiſcopis literas *Communicatorias*. Sed miri inde abuſus ſenſim exorti ſunt. E. gr. ut quod fiebat primò per modum *interceſſionis*, deinde in jus quoddam abiret; ut *Confeſſorum nomine* pax daretur, hinc opinio de Martyrum meritis; ut hi ipſi tandem, *ſine delectu*, omnibus promiſcuè pacem concederent, undè relaxatio Diſciplinæ. Quin ipſi Lapſi *ſatisfacere Eccleſiæ* detrectabant, *non dandam ſibi pacem poſtulantes, ſed quaſi datam ſibi vindicantes.* Conqueſti præ cæteris Cyprianus, & Clerus Romanus, *Epiſt.* XXIX. & XXX. in Operibus Cypriani. At neſcivit hæc Ætas, *Indulgentias* quæ eſſent in poteſtate ſolius Pontificis, per applicationem Superabundantium Satisfactionum Chriſti, Virginis, Sanctorum, Martyrum: Minus, quæ *Nummis* redimerentur, aut concederentur etiam *Mortuis*, vel integris *Eccleſiis*, qui abuſus longè poſterioris Ævi, ut ſuo loco dicendum.

Libelli pacis.

VI. *Politiæ Eccleſiaſticæ, Regiminis, Ordinum Sacrorum, Clerique conditio, hac Ætate.*

Ordines Clerum conſtituentes.

I. REgiminis Clericalis eadem ferè ratio fuit, quæ Seculo ſuperiori, quoad Ordines ſacros, majores nempè, tribus tantùm conſpicuis, *Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconis*, vel (ut loquebantur) *Diaconibus*. Et hi *Clerum* conſtituebant, ſeu Præpoſitos Eccleſiarum; undè Epiſtolæ à *Clero* ſcriptæ, etiam Presbyteros & Diaconos includebant, & ſic Epiſtolæ ad *Clerum*, puta Romanum, vel Carthaginenſem; frequentibus apud Cyprianum exemplis. Quanquam de Epiſcopis controverſum, diverſi-ne ac ſuperioris *Ordinis* haberentur, qui utique *Gradûs*, Epiſcoporum manifeſtâ jam ubique προεδρίᾳ.

Digitized by Google

Epiſcoporum prærogativa.

II. Hinc *Summi Sacerdotis* datum quandoque Epiſcopis nomen, ut ex Tertulliano ſuprà viſum, & *Præpoſiti* ſæpè apud Cyprianum, ità *Papæ*, ἀρχόντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ apud Origenem, in fine *L.* VIII. contrà Celſum, etiam apud Euſebium, ut *Ignatiana* mittam. Et ſenſim crevit in majus Epiſcoporum illa auctoritas, maximè qui in Metropoli Provinciæ agerent, ἐν πρώταις πόλεσι, πρώταις τοῦ ἔθνους, &c. Ità Cornelii Epiſcopatum vocat idem Cyprianus *Sacerdotii ſublime faſtigium*, & hoc nomine *Collegam* ſuum appellat, *Epiſt.* LII. ad Antonianum. Alibi dixit *Epiſcopatûs vigorem*, & *Cathedræ auctoritatem*, *Epiſt.* LXV. in principio. Aliàs etiam conqueſtus de *contumeliâ* ſuo *Epiſcopatui* illatâ. Hinc & *thronus* Epiſcopalis hoc jam Seculo auditus, ſeu Cathedra paulo reliquis ſublimior, ut tamen *Tribunal non habuiſſe* fateatur Valeſius ad Caput XXX. Libri VII. Euſebiani. Veſtitum ſanè Epiſcopalem, *birrhum*, *dalmaticam*, *ephod* (*Rochetto*) Cypriano Epiſcopo adſcribunt Acta Pontii nomine edita, & ex iis Baronius, ad A. CCLXI. N. XL. ſed pellucet Actorum illorum fucus. Certum igitur, hoc Ævo, eminuiſſe *Epiſcopos*, ſuprà ejuſdem Eccleſiæ Presbyteros, nomine, τάξει, gradu honoris, ac προεδρίας. Nec ἀρχὴ tamen fuit, ſed ὑπεροχὴ, πρωτεῖον τῆς τιμῆς. Hinc Epiſcoporum propria, ubi aderant, præſidere, Clerum convocare, χειροτονεῖν *ordinare*, σφραγίζειν *conſignare* baptizatum, ex Canonibus vulgò Apoſtolicis, ex Cypriano ad Jubajanum, Cornelio Romano apud Euſebium *Lib.* VI. C. XLIII. Conſtitutionum Auctore *Lib.* III. & VIII.

Presbyterorum, & Diaconorum dignitas.

III. De cætero non penes Epiſcopum ſolum Eccleſiæ regimen fuit, ſed conjunctim cum Presbyteris & Diaconis, qui & ipſi *præpoſiti*, *paſtores*, *rectores* quandoque dicti, etiam σύνθρονοι, συνεδρευταὶ, συλλειτουργοὶ, συμπρεσβύτεροι, *Collegæ*, *Coëpiſcopi*, *Adſeſſores*, quibus (Presbyteris certè) idem *honos ſacerdotalis*, idem *cultus fraternitatis*, paſſim apud Origenem, Cyprianum, Euſebium, Auctorem Conſtitut. *Lib.* II. C. XLVII. &c. Hinc & *Presbyterio* intererant Epiſcopi, & Cyprianus paſſim non alium ſe quàm *Presbyterum* dicit, uti alios appellat *Compresbyteros* ſuos. Ità & *Presbyteri* quoque prædicare, benedicere, frangere panem, manus imponere, abſtinere facinoroſos, obſervanda diſponere, ſententiam dicere, judicare cum Epiſcopo, ἐν τῷ δικαστηρίῳ, nec hi abſque illorum conſilio quicquam agere. Si verò quos Firmilianus Cæſarienſis, *Epiſt.* LXXV. apud Cyprianum, vocat *ſeniores*, & *majores natu* qui *præſideant*, intellexit etiam τοὺς πρεσβυτέρους, ut cenſet ipſe Rigaltius, & hos *manus imponendi*, & *ordinandi*, *poſſidere poteſtatem* dixit Cappadociæ ille Epiſcopus. Abſurdè autem Doctiſſ. Valeſius, ad Euſebium *Lib.* VI. C. XLIII. Sic reſtringit Presbyterorum *munus*, ut illis *proprium* fuerit *Euchariſtiam & Calicem fidelibus in manus tradere*, quod Diaconorum plerumque fuit ex Cypriano *Serm.* V. de Lapſis, Auctore Conſtit. L. VIII. Ancyranis *Can.* II. Sed & *Diaconis* intelligimus, præter curam Eccleſiæ, Pauperum, Martyrum, Confeſſorum, fuiſſe etiam commune tùm regimen, ac multas circà Catechumenos, Pœnitentes, Fideles in Sacris Euchariſticis, antè & poſt conſecrationem, partes. Hinc jam Diaconorum fuit clamare ſigno dato, *Accedite Catechumeni*, &c. *Orate Fideles*, *Sancta Sanctis*, *Ite, miſſa eſt*, &c.

Ordines Minores hoc Sec.

IV. Fatemur etiam, hoc Seculo, præter dictos Ordines, legi *Lectores*, *Acolythos*, *Exorciſtas*, *Subdiaconos*. Sed hi in miniſtrantium claſſe, τῶν ὑπηρετῶν, non regentium, gubernantium cum Presbyteris, & Diaconis, adhuc Seculo IV. Laodic. *Can.* XXIV. Hinc locus deinceps extrà τὸ Διακονικὸν, & Ordines *minores*, ac *miniſtrantes* dicti, *minor Clerus* in Libro de Hæreticis non rebaptizandis, apud Cyprianum. Talis etiam *Subdiaconorum* Ordo, fatente Morino, qui nati primùm in majoribus Eccleſiis, ſublevandis Diaconis, quibus miniſtrabant; ſecùs ac deinceps in Latinâ Eccleſiâ obtinuit, ubi majoribus Ordinibus accenſendi fuerunt.

Lectores.

Lectorum, Ἀναγνωστῶν, qui per Manuum impoſitionem ordinarentur, & Scripturas publicè legerent, ex ſublimiore loco, (non *Vetus* Teſtam. ſolùm, ut receptum deinceps fuit) mentio crebra hoc Seculo, apud Tertullianum, Cyprianum, Auctorem Conſtitutionum, Euſebium: Nec ſemper tamen à Diaconis aut Presbyteris diſtincti fuêre, ut antè obſervatum, qui & *legerent*, & *prædicarent*. Ætas hoc Seculo in *Lectoribus* non attenta fuit, cùm etiam Adoleſcentes, antè pubertatis annos, ad id eligerentur, ut conſtat ex Concilii Carthag. *Can.* XVI. Ita legebant *ex pulpito*, & eminentiore loco, ut ab omnibus audiri poſſent, ſed & circumſpici; undè Cyprianus, *lucernam* oportere *poni ſuper candelabrum*, *ut omnibus luceat*, Epiſt. XXXIV. de ordinatione Celerini in Lectorem, *virtutibus pariter & moribus glorioſi*. Et hoc ipſo *in Clerum* Lectores fuiſſe cooptatos, ex eadem Epiſtolâ intelligitur, ſcilicet per *impoſitionem manuum*, additâ benedictione & oratione, σφραγῖδα Græci dixêre. In Eccl. Romanâ tempore Cornelii Epiſc. poſt Acolythos, ponuntur in Clero Romano, *Exorciſtæ*, *Lectores*, & *Oſtiarii*, infimo loco, ut functiones quidem diverſæ, tamen unus miniſtrantium Ordo, ex Cornelii Epiſt. ad Fabianum Antioch. Græcè ad eum ſcriptâ, apud Euſeb. L. VI. C. XLIII.

Subdiaconi.

Subdiaconi mentio in Epiſt. Cleri Romani ad Carthaginenſem, quæ eſt II. in Operibus Cypriani, & aliàs; etiam VII. *Subdiaconorum*, ὑποδιακόνων, quot fuêre Diaconi; in illâ Cornelii ad Fabianum Antiochenum, de quâ modò, apud Euſebium *Hiſt.* *Lib.* VI. C. XLIII. Nempè adhibiti hi in numeroſioribus Eccleſiis, ut ſublevarent in omnibus Diaconos, vicariâ operâ, iiſque inſervirent; etiam ut Portas obſervarent, & ingreſſos ad ſua ſingulos loca ducerent, quod eſt Euſebio θυρωρεῖν καὶ ποδηγεῖν τοὺς εἰσιόντας. Unde apud Orientales ὑπηρέται *miniſtri* ſimpliciter, *Canone* Laodiceno XXIV. & injuncta θυρωρῶν καὶ ὑπηρετῶν miniſteria, quanquam conſecrarentur per χειροθεσίαν. In *Epiſt.* verò Cornelii ad Fabianum, ponuntur *Subdiaconi* VII. poſt *Diaconos* VII. tanquam Diaconorum miniſtri, ut diximus, & Vicarii, in Editionibus Valeſii, & in illâ Roberti Stephani, præter Verſionem Ruffini. At noſter Blondellus viderat Exemplaria, in quibus *Subdiaconorum* nulla mentio, ut patet ex *Præf.* Apologiæ pro Hieronymo, *pag.* 32. in quâ citato Euſebii loco, totius Cleri Romani σύνταγμα recenſet, undè infert, *nullos tum in Urbe Subdiaconos fuiſſe*, ſcil. anno 251. quo ſcripta Cornelii hæc Epiſtola. Quâ in re Illuſtris Pearſonus, in Annal. Cyprianicis, Blondellum accuſat *falſi*, quaſi ultrò mutilaſſet textum Euſebii; quem textum æquè alii interpolare potuerunt. Sed ſive tùm *Subdiaconi* creati jam fuerint, ex Decreto Fabiani Romani, ſive paulo poſtcà, parum intereſt; quum ex Auctore *Vitar. Pontif.* pateat, inde à Victore ſucceſſivè auctos fuiſſe in Rom. Clero Ordines. Quomodò Rigaltius ad Cyprianum: *Apoſtoli Diaconos tantùm dixerant*, *Ætas Cypriani Subdiaconos admiſit.* Sed deinceps in Latinâ Eccleſiâ, circà V. VI. Seculum, dignius habitum eſt *Subdiaconorum* munus, & inter ἱερατικοὺς Ordines receptum, ut ſuo loco.

Acolythi.

Acolythorum antiquiſſima mentio apud eundem Cyprianum, *Epiſt.* XXXVI. ad Clerum, & LV. ad Cornelium, *Legi literas quas per Saturum, fratrem noſtrum Acolythum, miſiſti.* Et in Romanâ Eccleſiâ Acolythos XLII. memorat dicta Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum. Nec hi tamen

tum

Digitized by Google

tum *Ceroferarii*, ut poſteà fuêre, geſtandis Cereis, Luminaribus accendendis, &c. deſtinati; verùm Miniſtri Epiſcoporum, & Eccleſiæ, ἀκόλουθοι qui Epiſcopos *ſequerentur*, & illis inſervirent, publicè privatimque: Sed Miniſtri honorati, & in ordine Eccleſiaſtico deinceps cenſendi; undè abſurdè nonnemo dictos quaſi ἀκωλύτους, *non arcendos* à Sacris Ordinibus. Origo itaque Ἀκολούθων eſt à præeminentiâ Epiſcoporum ſuprà Presbyteros; undè iis aſſignati qui miniſtrarent. Ignoravit autem hunc Ordinem Eccleſia Græca & Orientalis; nec ulla mentio in Canonibus Antiochenis, Laodicenis, Sardicenſibus, &c. Sed in Aulis Imperatorum Ἀκόλουθοι dicti *Præfecti Barangorum*, ſeu excubitorum ad triclinium Imp. de quo vide Codinum.

Exorciſtæ.

Exorciſtas memorat non ſemel Cyprianus, *Epiſt.* LXXVI. ad Magnum, & aliàs, & ſub initia Seculi ſequentis Euſebius, ubi de Martyribus Palæſtinæ, *Cap.* II. Quod *hodie etiam geritur, ut per Exorciſtas voce humanâ, & poteſtate Divinâ, flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus*, ut Cyprianus *Epiſt.* LXXVI. acturus de S. Baptiſmo. At diſtinctum fuiſſe Ordinem, à Presbyterorum aut Diaconorum illo, non dicunt: Imò, idem Diaconus & Exorciſta Cæſarienſis, *Romanus* quidam Martyr, apud Euſebium dicto loco; & eorundem exorcizare Dæmonem, verbis tanquàm flagris, apud Cyprianum, quorum erat baptizare: *Cùm ad aquam ſalutarem, atque ad baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur*, ſcilicet *voce humanâ, poteſtate divinâ*. Hinc in Orientalibus Eccleſiis, exorciſmus non tantùm circà Energumenos, in cœtu Eccleſiæ adhibitus, ſed & ordinariè circà Catechumenos, Neophytos, Baptizandos. Et iidem Exorciſtæ qui Catechetæ, ἐξορκιςὴς καὶ κατηχητὴς, ἐξορκίζω κατηχίζω, & quidem poſt ſingulas Catecheſes exſufflari ſoliti, & quaſi à Dæmone purgari, Catechumeni. Deinceps baptiſmalis ritus evaſit. Vigente autem dono miraculorum, omnium promiſcuè fidelium fuit ἐξορκίζειν, adjurare & comprimere Dæmonem, circà Energumenos; cujus chariſmatis meminit Cyprianus, ubi de gratiâ Baptiſmi, in *Epiſtolâ* I. ad Donatum. Quarto Seculo in Orientali Eccleſiâ, ἐξορκιςαὶ fuêre in Ordinibus conſecratis, ſed τῶν ὑπηρετῶν, ut Lectores, Subdiaconi.

Pſaltæ, Oſtiarii.

Præter hos memorat Conſtitutionum Auctor *Lib.* III. *C.* XI. & aliàs, ψαλτὰς vel ψαλμιςὰς *Cantores*, πυλωροὺς ſive θυρωροὺς *Oſtiarios*, & de his quoque Cornelii Epiſtola ad Fabianum. At nec ubique Cantores à *Lectoribus* diſtincti, nec Ordo tùm Clericalis fuit, uti eſt hodieque apud Maronitas. *Oſtiarii* nati ad imitationem Judæorum, *miniſtri* qui Portas obſervarent perſecutionum tempore, qui ignotos arcerent, & quoſcunque prohibebat Eccleſiæ diſciplina, Excommunicatos, Energumenos, Pœnitentes, Catechumenos, qui poſt preces exire jubebantur. *Hypodiaconis* aliàs id quoque muneris incubuit.

Dignitates Eccleſiaſticæ ignotæ hoc Sec.

V. Nulla tamen adhuc inter Chriſtianos *Patriarcharum*, *Archi-Epiſcoporum*, *Exarchorum*, *Eparchorum*, *Catholicorum*, imò ne *Primatum* quidem, minùs *Cardinalium*, in genuinis hujus Ævi ſcriptoribus, nomina. Nam Pſeudo-Decretales Victoris, Zephyrini, ſucceſſorum, ac ſuppoſititia id genus, parùm nos morantur. Ità *Archiepiſcopi* nomen in Epiſt. Teleſphori, ſe *Archiepiſcopum Urbis Romæ* inſcribentis; quum prima & antiquiſſima mentio occurrat apud Epiphanium, *Hær.* LXVIII. Meletianor. ubi Petrus *Archiepiſcopus* Alex. Eccleſiæ dicitur, ſub quo Meletianum Schiſma natum eſt, ſub initia IV. Sec. Nullus certè meminit Cyprianus, ut nec *Primatum*, aut *Primæ Sedis*, quæ voces poſt in Africâ auditæ. Tamen Petrus de Marca, Diſſert. de Primatibus, *Num.* IX. promit ex Epiſt. quadam Anacleti (quæ inter illas Pſeudo-Iſidori, eſt Anacleti I.) *Patriarchas*, & *Primates*, quibus eſſet jus in plures Provincias & Metropolitanos; quos tamen tum in Occidente, exceptâ Africâ, fuiſſe negat, *præter Romanum Pontificem*. De cujus jure in Provincias *Suburbicanas*, dicetur ad ſequens Sec. *Cardinales* tamen *Presbyteros* hoc jam Seculo reperiſſe ſe Baronius putat, ad A. CCLIII. *Num.* XLV. nempe ſic dictos in Cathedralibus Eccleſiis, quibus hic honos conceſſus, ſedendi cum Epiſcopo, quod Presbyterorum erat; & tales quum allegerentur in eum ordinem, *incardinari* dicebantur, & jam adlecti, *Cardinales*. Non igitur ſecundum Baronium, à *Cardinibus* Terræ, Mundi, vel à *Cardinibus* ſeu regionibus Urbis Romæ VII. Niſi *Cardinales* hoc Seculo dicti, ut alii voluêre, quorum eſſet mortuos *efferre*, & *ſepelire*, idque conſtituente Papâ Pontiano, A. 224. qui id V. Presbyteris Cardinalibus commiſerit, ut & baptizare Infantes, referente Nicol. de Clemangiis de *Corrupto Eccl. Statu*, & de la Chambre Gallo, in *Epit. Chronici* Roman. Pontificum. Sed pudet hujus originis Purpuratos.

De Metropolitanis, ſeu primarum ſedium Epiſcopis.

VI. *Metropolitanorum* quidem nomen nullum occurrit hoc Seculo, ne apud Cyprianum quidem, minùs apud Tertullianum, aut iſto vetuſtiores. At res tamen obtinuit. Nam *Metropoles* jam Romanis dictæ, *Metropoles Gentium*, quæ Græcis αἱ πρῶται τῆς ἐπαρχίας, *Primæ Urbes*, vel *principes* totîus Provinciæ, puta Aſiæ, Macedoniæ, Phœnices, &c. Sic dictæ primùm ab Urbibus *Matribus*, hinc μητρόπολεις, quæ cum Populis inferebant aliò Linguam, Sacra, Inſignia, Leges, Moreſque Patrios, & harum tum Filiæ *Coloniæ* dicebantur. Epiſcopis autem iſtarum Metropoleôn, τοῖς ἐν τῇ μητροπόλει, vel τῇ πρώτῃ τοῦ ἔθνους, ἐπισκόποις, in urbe matrice, principe, primâ ſede, quæ teneret totîus Provinciæ principatum, prærogativa honoris ac dignitatis hoc jam Sec. adſcripta fuit. Sic Romano, Alexandrino, Antiocheno, Epheſino, Cæſarienſi, Heracleenſi, Carthaginienſi, & ità de cæteris in quibus Præſides Provinciarum, vel Legati Auguſtales, Proconſules, Prætores agerent. Quod ex *Cypriano* conſtat, cum non modò Synodis præfuiſſe Africæ Proconſularis, ſed & quæ ex Numidiæ & Mauritaniæ Epiſcopis Carthagine cogerentur. Canones Apoſtolici vocant Epiſcopos τοὺς πρώτους ἐν ἑκάςῳ ἔθνει πρωτεύοντας, τοὺς κεφαλὰς, *Canone* XXXIV. Hinc Nicæni, in Metropolitanorum juribus aſſerendis, (τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ ἰδίου ἀξιώματος) provocant ad ἀρχαῖα ἔθη *antiquam conſuetudinem*, Canone VI. Scilicet, ne fieret in totâ Provinciâ quicquam ipſis inconſultis, puta *Ordinationes*, *Conſecrationes*, alia, ut προςάταις, προέδροις, *Præſidibus* Senatûs Eccleſiaſt. illius Provinciæ. Ità eorum erat indicere Synodum Provinciæ totîus; appellationes recipere, interpoſitas à Judicio reliquorum Epiſcoporum; morum Cenſuram in alios Epiſcopos exercere, & delinquentes contrà Diſciplinam Epiſcopos gradu ſummovere. Quomodò Cyprianus *Fortunatianum* in Proconſulari Africâ Epiſcopum, qui ſub Decio Idolis ſacrificaverat, gradu Epiſcopatûs excidiſſe monet *Aſſuritanos*, ſecundùm Canones Diſciplinæ, *Epiſt.* LXIV. ad Epictetum Fratrem; & providendum *ne tales ad Altaris impiamenta, & contagia Fratrum redeant*, &c. Et quæ exempla id genus plura ſunt. *Origo* juris Metropolitici indè fuit, quod qui negotia curarent ex totâ Provinciâ, ad Urbem *primam* vel *principem* ſolerent confluere, ubi Magiſtratus vel Præſides erant; & quod in *Civilibus* factum eſt, poſteà & ſenſim in *Eccleſiaſticis*, ut ejus Urbis Epiſcopus honorem & jura Primatûs obtineret. Hanc rationem dant Antiocheni,

ni, *Can.* IX. de quo Concilio ad ſequens Seculum. In Africâ autem *primæ ſedes* duûm generum fuère, aliæ *Civiles*, in Urbe metropoli, aliæ *Eccleſiaſticæ*, quarum Epiſcopi eſſent *ordinationis* tempore, hinc honore ac ſede, primi: Et hæ vagæ ſeu ambulatoriæ fuerunt; de quibus aliàs.

Papæ nomen.

VII. *Papa*, πάπα, commune nomen hac Ætate, & ſequentibus aliquot, fuit Epiſcoporum omnium, quos Syri, Græci, Latini *Papas*, vel, אבא *Patres* appellabant, non patres patrum, ut vellent alii, quaſi בא בא. Exempla hoc Ævo frequentia apud Cyprianum, & Euſebium. Nec niſi à Gregorii VII. temporibus factum, ut uni Papæ *Romano*, in ipſo etiam Occidente, hoc nominis tribueretur. Nam πάπας, παπᾶς, Sacerdotem quemvis Græcis hodieque dicit.

Romani Epiſcopi poteſtas qualis?

Magna ſanè hoc Ævo jam fuit auctoritas Romani Epiſcopi, ob Urbis Imperantis dignitatem, ac conditionem, ad quam confluebatur ex Orbe toto, & quæ indubiè *Princeps Urbium*. Undè quæcunque eſſet paritas vel æqualitas poteſtatis, puta inter Romanum, & Carthaginenſem, *ambos eminentiſſimarum Eccleſiarum Epiſcopos*, *ambos in unitate Catholicâ conſtitutos*, ut Auguſtinus de Baptiſmo *C.* XIV. tamen *primum* locum tribuit Cyprianus Romano, puta Cornelio, aut Stephano, *quoniam pro magnitudine ſuâ debeat Carthaginem Roma præcedere*, ut Cyprianus *Ep.* LII. Nullus hoc Seculo vel Pontifex Max. vel Univerſalis Epiſcopus, vel *Epiſcopus Epiſcoporum* audiit; quem poſteriorem titulum datâ operâ proſcribunt Afri, in Procemio Concilii Carthaginenſis, A. CCLVIII. præſide Cypriano. Prærogativa igitur illi *honoris* & *ordinis*, poteſtatis nulla. Hinc ut cum pari, & Collegâ, Fratre, Coepiſcopo, perpetuò agere Cyprianus Carthaginienſis, Dionyſius Alexandrinus, Firmilianus Cæſarienſis, imò & *cenſurâ* notare, in exemplo Stephani, ut infrà dicetur. Ita etiam diſtractis Hiſpanorum Eccleſiis, in causâ *Martialis* & *Baſilidis*, qui ambo in Perſecutione defecerant, & ſe Idololatriæ crimine polluerant; atque univerſæ fraternitatis ſuffragio, *Sabino* & *Felice* in eorum locum ſuffectis; Baſilide verò indulgentiâ Stephani Romani, quem adierat, in Epiſcopatu reſtituto; Hiſpani agentes in Urbe Legionum, & Aſturiæ, & quoque Emeritani, non ſteterunt judicio Romani Epiſcopi, ſed Cypriani & Cleri totius Carthagine congregati. Hinc datis literis ad Cyprianum & Afros cæteros, Anno CCLIII. factum exponunt, ut *Baſilides & Martialis libellis Idololatriæ commaculati, & nefandorum facinorum conſcientiâ vincti*, &c. *Ep.* LXVIII. Contendunt igitur, Romanum Felicis & Sabini *ordinationem reſcindere non poſſe, jure perfectam*, nec Baſilidem & Martialem *reponere in Epiſcopatum, de quo fuerant juſtè depoſiti*, juxtà Canonem tempore Cornelii ſancitum, *& ab omnibus Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis* decretum; *Lapſos ab ordinatione Cleri, atque Sacerdotali honore, prohiberi.* Baronius pro more ſuo, ad A. CCLIII. N. III. diſſimulans hæc Afrorum verba, quibus taxatur Stephani negligentia, & peccatum contrà Canones, reſpicit ad factum Baſilidis & Martialis, qui Stephanum circumvenerant; & declamatorio more, *videas* (inquit) *hoc exemplo antiquiſſimum Uſum, Eccleſiæ ex remotiſſimis Orbis partibus Epiſcopos, qui aliquid injuſtè à Collegis paſſos eſſe prætexerent, provocare ſolere ad Romanum Pontificem, tanquam primarium Eccleſiæ Univerſalis Antiſtitem.* Hinc ſcilicet exaggerat poteſtatem Romani, cui *primarii* tantùm *Antiſtitis Eccleſiæ Univerſalis* (quales erant omnes & ſinguli Epiſcopi) titulum deferre audet: Undè Rigaltius poteſtatem deprimit, aſſerens *appellari hîc Carthaginenſem contrà Romanum*, ſc. à Felice & Sabino. *Antiquiſſimum* uſum vocat, provocandi ad Roman. Pontificem, cujus ne unum anterius exemplum profert: Niſi velit legationem *Fortunati* & *Schiſmaticorum* ad Romanum, quam tantoperè exagitat Cyprianus, culpatâ acerbioribus verbis *Cornelii* Romani timiditate ac terrore, ad iſtorum minas; *Quod ſi ita* eſt, inquit Cyprianus, *ut nequiſſimorum timeatur audacia*, ... *actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac divina poteſtate; nec Chriſtiani ultrà aut durare aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias extimeſcamus.* Deinde, quod de provocatione *ex remotiſſimis Orbis partibus* dicit, parum quadrat ad *Hiſpanias* haud ità diſſitas; imò *transmarinas appellationes* ipſi Afri, *Can.* Afric. XXVIII. & diu poſteà, reprobarunt, ut ex Cypriano etiam liquet, quamvis non ità *remoti* à Sede Romanâ. Tandem judicium in hac causâ *Romani* Epiſcopi reprobant, & Hiſpani, & Carthaginenſes, ex dictis. Pariter Fauſtinus Lugdunenſis, non ad Stephanum ſolum Epiſc. Romanum, ſed etiam ad Cyprianum de Marciano Arelatenſi Epiſcopo, qui ſe Novatiano Schiſmatico adjunxiſſet, querelas deferebat, ex *Epiſt.* LXVII. vel ut alii LXVIII. Undè Stephano *Fratri* (nec aliter vocat Stephanum) reſcribit Cyprianus; *Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, qui gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes*, &c. Incumbit non minus mihi quàm tibi, nec Carthaginenſi minùs quàm Romano: Ut etiam Marcianus *ab utroque* pariter fuerat abſtentus; *quod necdum videatur à nobis abſtentus*, &c. Et tamen Baronius, ad A. CCLVIII. N. VII. de Cypriano ait; *Hic permotus* (*literis* Lugdunenſium) *quod noſſet, deponere Metropolitanum Epiſcopum, juris eſſe principis omnium Epiſcoporum Romani Pontificis*, &c. Scilicet, quod *ſuum* non minùs eſſe quàm Stephani dicit Cyprianus; & agnoſcit Fauſtinus Lugdunenſis, qui non minùs ad judicium Carthaginenſis, quantumvis valdè *diſſiti*, quàm ad illud Romani, provocat. Sic candida in nigra, & nigra in candida, pro libidine vertit Purpuratus, & vidit Rigaltius, Baluzius, Du-Pinus, Gallorum alii Doctiſſimi, qui ex profeſſo Baronianam illationem pro poteſtate Rom. Sedis, ex Cypriani Epiſt. ad Stephanum, explodunt: Prolixè *Du-Pinus* in Obſerv. ad Vitam Cypriani.

Loca quædam ex Cypriano & Euſebio.

Damus tamen Romanam Eccleſiam jam audiiſſe *ſedem Petri*, Ætate Cypriani, ex *Epiſt.* LV. De cujus Taditionis origine & ſenſu hujus appellationis, alibi eſt à nobis diſſertatum. Sic & eadem *Eccleſia principalis*, id eſt, Rigaltio rurſus interprete, in Urbe principali conſtituta. Eadem, *undè unitas ſacerdotalis exorta*, ut idem Cyprianus ad Cornelium; *in cujus* ſcil. cœtu unitas ſervaretur, oppoſitè ad Schiſma Novatiani. Quomodò *unum Epiſcopum* eſſe oportere in *Eccleſiâ Catholicâ*, habet Epiſtola Cornelii ad Fabium, apud Euſebium *Lib.* VI. *C.* XLIII. & ad Cyprianum quoque, *Epiſt.* XLIV. Nempè *unus Epiſcopus*, ut *Eccleſia una* eſt, & tamen plures Epiſcopi, ut plures Eccleſiæ, quum uno Spiritu regunt & reguntur, ut Rigaltius ad eum locum. Ità *unus Epiſcopus*, in Eccleſiâ Romanâ, oppoſitè ad Novatianum; quo tandem relicto Confeſſores ad Cornelii Communionem redierunt. *Unus* etiam *Epiſcopus*, ut unus Deus, unus Dominus, unus Spiritus, id eſt, ipſo Cypriano interprète, *unum Epiſcopatum* eſſe per plures Eccleſias diffuſum, ſed uno Spiritu animatum, *cujus ab Epiſcopis ſingulis pars in ſolidum tenetur*, in Libro de Unitate Eccleſiæ. Ut hîc fucum faciat Baronius cum ſuis, interpretatus de *uno ſummo Epiſcopo*, Epiſcopo Epiſcoporum, in *Catholicâ*, id eſt *Romanâ* Eccleſiâ; quo nihil à mente Cornelii & Cypriani dici potuit alienius. Ita tamen & Henr. ipſe Valeſius, ad dictum locum Euſebii; *Eccleſiam Catholicam ſpecialiter appellari Romanam.* De facto

Digitized by Google

facto *Aureliani* Imper. Pauli Samoſateni cauſam committentis judicio *Epiſcoporum Italiæ, & Urbis Romæ*, dicetur infrà. Nec plura hujus ſpatii ſunt, quæ prolixè expendit Blondellus noſter, Libro, *de la Primauté de L'Egliſe.*

Plebis auctoritas. VIII. Sed & magna hoc Seculo *plebis*, *τῶν ἐκκλησιῶν*, *univerſæ fraternitatis*, auctoritas in Eccleſiæ regimine, electionibus, ordinationibus quibuſcunque, examinibus, abſolutionibus, judiciis de Lapſis, de Pœnitentiâ, de Libellis, cæteriſque gravioribus negotiis. Adeò ut *ſine conſenſu plebis* nihil ageret Cyprianus, *Epiſt.* v. ſub finem. Imò in Synodis ipſis plebs ſententiam dicere, Romæ, Carthagine, Antiochiæ, (planè ut in primâ Synodo, *Act.* xv. 25.) ut conſtat ex Actis Synodorum, apud Cyprianum, & Euſebium, ex Epiſtolâ Cleri Romani ad Cyprianum, quæ eſt XXXI. ex Auctore Conſtitutionum, *Lib.* VIII. *C.* IV. ubi de Ordinationibus, & ex praxi etiam ſequentis Ævi. Hinc *probati* quique de plebe *ſeniores* ad id delecti, ex Tertulliano in *Apolog.* XXXIX. vel etiam *cum plebe univerſâ* collata conſilia, ex Epiſtolâ Cypriani XXVIII. minuendâ ſub Imperatoribus Chriſtianis plebis eâ auctoritate.

Eccleſiar. inter ſe Communio. IX. *Plurium* verò Eccleſiarum unîus Provinciæ fuit amica conſociatio, ſub uno Metropolitano, coactis iis frequenter in *Synodos.* Sed & diverſarum Provinciarum, etiam Nationum Eccleſiæ, amicè in gravioribus communicarunt, vel per literas, vel per delegatos ſuos in Synodis. Undè Synodi Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Carthaginenſes, etiam Africanæ, Italicæ, &c. de quibus ſuo loco, Capite de *Conciliis.* Hinc & amica *Fratrum*, *Collegarum*, *Coëpiſcoporum*, *Conſacerdotum*, &c. nomina, quibus etiam *Romani* Epiſcopi, ab aliis compellati ut Aſianis, Afris, Dionyſio Alex. &c. paſſim venerunt. In nullis autem Synodis, præter Romanas, jus ullum *præſidii* Romano fuit, minùs *appellationum* ad Romanam Sedem.

Habitus, Conjugium, &c. Clericorum. X. Porrò Clericorum hujus Ætatis ſimplex *Habitus* fuit, uti *Heraclæ* Alexandrini Philoſophicum *pallium*, Euſebii *Lib.* VI. C. XIX. *κοινῇ ἐσθῆτι vulgari veſte* depoſitâ; id eſt, pallium detritum, & pullum, vel fuſcum, *τρίβων*, quum aliàs *pallium* Græcorum omnium veſtitus eſſet. Nondum Clerici diſtincti Purpurá, non in uſu Dalmatica, non Pallium Archiepiſcopale, non Mitra, Torques, Annulus, Crux pectoralis, veſtes aliæ Sacerdotales & Pontificales, de quibus altum in *genuinis* hujus Ætatis monumentis ſilentium eſt. Introducta autem hæc ſenſim, ſimul cum luxu, & Miſſatico apparatu, ex Judaico ſacerdotio, cumprimis à temporibus *Gregorii* I. Decretales *Stephani* Papæ, qui ſedit ab Anno CCLIII. & alias, non moramur, ubi *veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus cultus omnis divinus à Sacerdotibus* celebratur, *ſacrata* eſſe debere, nec niſi à *ſacratis hominibus contingi*, ſancitur.

Sed & liberum *Conjugium* Clericorum, exemplis frequentibus conjugatorum Presbyterorum, apud Cyprianum *Epiſt.* XVIII. XLIX. Et in ejus *Vitâ*, ſub Pontii nomine, quæ *Cæcilio* Presbytero, magiſtro Cypriani, tribuit *conjugem* & *liberos*, quos illi commendavit, de Seculo ſecedens: Ità conjugatum *Cyprianum* dicit; *Non*, inquit, *uxoris ſuadela deflexit*, &c. Sic *Babylæ* Antiocheno Epiſcopo fuiſſe dicuntur *tres filii*, cum Parente ſub Decio martyrium paſſi, & quidem præmiſſi, adſpiciente Babylâ; de quo Chryſoſtomus, Theodoretus, Martyrologia. Sic *Ambroſius*, quem miris laudibus effert Origenes, & in *Epiſt.* ad Africanum de Hiſt. Suſannæ, vocat Κύριον καὶ ἀδελφὸν ἱερὸν Ἀμβρόσιον, fuit ad ſacros ordines evectus, *Eccleſiæ* ſcil. *Diaconus*, ut Hieronymus *Catal.* in *Ambroſio*, idem tamen conjugatus; & ſalutat Africanum Origenes, nomine *Ambroſii*, ac *πιστοτάτης συμβίου αὐτοῦ Μαρκέλλας, ἅμα τοῖς τέκνοις*, & *fideliſſimæ Conjugis ejus Marcellæ, unà cum liberis. Demetriani* Antiocheni *υἱὸν filium*, Domnum Pauli ſucceſſorem, refert Euſebius, *Hiſt.* L. VII. C. XXX. Nec alienum fuerit, Timotheum Dionyſii Alexandrini *τὸν παῖδα*, cui Librum de Naturâ inſcripſit, apud eundem Euſebium, de *filio* veriùs, quàm de ſervo, vel de *puero*, ut Valeſius, interpretari. Παῖς Heſychio, *πᾶς ὁ φύσει υἱὸς ὤν τινος*, præter obvia vocis *exempla.* Sed expreſſius Tertullianus eſt, non exemplo modò ſuo, ſed & frequenti commendatione *monogamiæ*, ut *Epiſcopis*, *Sacerdotibus*, *Clero*, ſic omnibus Chriſtianis injunctæ, uti tùm ſenſit, in Libris de Exhortat. Caſtitatis, & Monogamiâ. Et Pamelius ipſe, ad narratum Cypriani, de Uxore Novati quam is calce petiiſſet; *aſſumebantur*, inquit, *tunc temporis, ob aliorum* (ſic ille) *paucitatem, multi conjugati in Clerum.* Sed hac de re vide eruditè diſſertantem Ceſtrienſem Epiſc. de *Succeſſ.* Epiſc. Roman. *Diſſert.* II. *Cap.* VI. *Conjugium* deinceps fuiſſe dixerunt, ſed *ſine opere Conjugali*, ut loquitur Salvianus, & vellet hodieque Roma.

De Ritibus quibuſdam aliis. *Unctio* Sacerdotum, ut ignorata Orientalibus, & adhuc in Ritualibus Græc. ità apud Latinos nondùm hoc Seculo recepta legitur, fatente Morino de *Sacris Ordinat.* Minùs *raſura*, damnata ab Hieronymo, & hodieque mollitiei à Græcis adſcripta; uti olim vel ignominiæ ſignum fuit, vel graviſſimi luctûs indicium. De *electionum* vel *ordinationum* ritu, & convocatæ plebis in iis juribus; deque ordinatione per *χειροθεσίαν*, quæ Epiſcoporum in primis fuit, dictum aliàs. Conſtitutionum Auctor L. VIII. C. IV. Ordinandus eſt Epiſcopus *ἐν πᾶσιν ἄμεμπτος, ὑπὸ παντὸς τοῦ λαοῦ ἐκλελεγμένος, οὗ ὀνομασθέντος καὶ ἀρέσαντος, συνελθὼν ὁ λαὸς, ἅμα σὺν τῷ Πρεσβυτερίῳ, καὶ τοῖς παροῦσιν ἐπισκόποις, ἐν ἡμέρᾳ Κυριακῇ συνευδοκήτω.* Iterùm qui primus inter cæteros Epiſcopus eſt, *ἐρωτάτω τὸ Πρεσβυτέριον σὺν τῷ λαῷ, εἰ αὐτός ἐστιν ὃν αἰτοῦνται εἰς ἄρχοντα τὸν*, &c. Sic enim vocabatur jam Epiſcopus, tempore quo ſcriptæ *Conſtit.* *ἄρχων.* Nunquam verò factæ Ordinationes, niſi *Populi* aſſiſtentis conſcientiâ, cui nomina ordinandorum proponebantur; Undè Alexander Severus, apud Lampridium, p. 130. *grave eſſe, quum id Chriſtiani & Judæi facerent, in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus.* Fallunt, in iis quæ ad Clericalem hujus Ævi *Diſciplinam* ſpectant, varioſque in Eccleſiâ ritus, *Decretales Epiſt.* Zephyrino, Calliſto, Urbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Lucio, Stephano, Sixto II. Felici I. &c. inſcriptæ, vel cordatioribus Latinorum judicibus. Hic jam de ordinandis *Patriarchis*, vel *Primatibus*, *Metropolitanis*, &c. de accuſatione & judicio in *Epiſcopum*, & jure appellandi ad *Apoſtolicam Sedem*; de *inimicis*, imò *claudis*, *digamis* ab accuſatione Sacerdotum & Epiſcopor. removendis; de legitimo tranſitu Epiſcopi *ab unâ ſede ad aliam*, contrà tot Canones, &c. Sic de Jejunio *quatuor* anni temporibus; de *Chriſmate* ſemel in anno conficiendo, feriâ v. ante-Paſchali; alia id genus longè poſterioris ævi, videnda in *Tomo* I. Concil. & in *Epiſtolis* Decretal. Iſidori Mercat. hujus Seculi, cum *Cenſurâ* Dav. Blondelli.

VII. *Hæreſes hac Ætate exortæ, varii generis.*

I. PRæcipuæ intelliguntur ex Tertulliano, Cypriano, Euſebio, Epiphanio, Auguſtino, Philaſtrio, Theodoreto, & Actis Conciliorum. Ac de Hæreſi *Gnoſticorum*, qui verè *βορβορῖται*, impuritatum *cæno* ſe immergentes, dictum quantùm ſatis ad ſuperius Seculum. Quamvis *Gnoſticos* alios, à ve-

râ & Apoſtolicâ γνώσει, innuere videntur Clemens Alex. *Strom.* L. VI. ἡ γνῶσις ἣ αὐτὴ ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους, ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα, κατελήλυθη. Quomodò in *Epiſt.* Barnabæ adſcriptâ, p. 221. Ed. Voſſianæ, τί λέγει ἡ Γνῶσις, μάθετε, ἐλπίσατε, &c. *Quid dicit Scientia, diſcite, ſperate in eum qui venturus eſt Jeſum.* Sic de Hæreſibus *Marcionis*, *Hermogenis*, *Praxea*, in quas ſcripſit Tertullianus, multis refutante has impietates Septimio, dictum jam ad ſuperius Sec. Hæque in prolixo *Hæreticorum* Catalogo pariter damnatæ, in Concilio Conſtantinopolitano III. ſub Conſtantino Pogonato. Nec enim ex earum numero fuêre quæ, quamvis inſertæ *Hæreſium* ordini, quandoque ab Epiphanio, Philaſtrio, tamen (judice Auguſtino) id nominis, quo ſenſu venit apud veteres Chriſtianos, pro *errore* qui *fidei ſubſtantiam* everteret, non promeritæ; ut primò illæ *Tatiani*, *Montani*, *Tertullianiſtarum*, *Novatianorum*, & id genus aliæ. Quas tamen Hæreſes dixêre, quoniam adulterina Scripturæ Apoſtolicæ & Euangelicæ interpretatio, contrà Catholicæ Eccleſiæ mentem, in pejus ſemper itura. Sic diſtinguit Auguſtinus, de Util. Cred. L. I. inter *Hæreticum*, & qui *Hæreticis credit*, abreptus facilitate quadam, ſine animi pervicaciâ.

Hæreſes brevi extinctæ, Arabic. Elceſaitarum, Nepotis, &c.

Mittimus *Hæreſes* ſimul natas, & ſimul ferè, noxiorum inſtar Cometarum, extinctas, apud Euſebium, *Lib.* VI. C. XXXIII. XXXVII. XXXVIII. Qualis fuit, illa *Berylli*, Boſtrorum in Arabiâ Epiſcopi, de Chriſto non *praexiſtente* antequàm inter homines verſaretur, ſcil. in propriâ οὐσίᾳ, id eſt, ὑποστάσει *perſonâ*, nec θεότητα ἰδίαν ἔχειν, ἀλλὰ πατρικὴν *non propriam Divinitatem habuiſſe, ſed illam Patris.* Sic Hæreſis dicta *Arabicorum*, nullo certo auctore, in Arabiâ Deſertâ vel Petræâ nata, undè & *Petræa* Hæreſis, loco vicino ſatis Ægypto, ubi mons Sinai, & Urbs Petra: Fuit illa de Animæ cum corpore interitu, ad diem uſque Reſurrectionis, abuſi imprimis loco Pauli, 1 *Tim.* VI. *ſolus Deus habet Immortalitatem.* Qui errores, ut ſanè graves, ità brevi evanuêre operâ Origenis, qui & coràm ipſe, & convocato Concilio, eoſdem coarguit, ac ad ſaniorem mentem revocavit, ut hoc pluribus Euſebius. Ita quæ dicta Hæreſis Ἑλκεσαϊτῶν vel Ἑλκεσαίων, *Elceſæorum*, ut vocant Euſebius ex Origene, & Theodoretus *Hær. Fab.* L. II. *Hær.* VII. Ἠλξαιτῶν vocat Epiphanius *Hær.* Oſſenorum XIX. & LIII. Sampſæorum, à Magiſtro Ἠλξαὶ vel Ἠλξαίῳ, quod confuſum videtur cum Ἑλκεσαίῳ. Gratis verò ἐξ Ἐσσαίῳ factum voluit Scaliger, Ἠλξαί, Ἐλξαὶ quaſi אל חסאי, nec repugnante Petavio, ut אל ſit præfixus Arabum Articulus. Et hunc quidem ſub *Trajano* vixiſſe refert Epiphanius, & à ſuis ità dictum quaſi Ἠλ Ξαί, id eſt, δύναμιν κεκαλυμμένην, ſcil. חיל כסי. Baronius refert ad An. CV. Sed ſi vera Epiphanius, alius iſte Ἠλξαὶ Judæus fuerit, ab eo qui nomen dedit *Elceſæis*, quorum Hæreſis refertur ab Euſebio ad Origenis tempora, & dicitur *ſimul nata, ſimul extincta*, & νεωστὶ ἐπανισταμένη ταῖς Ἐκκλησίαις *recens exorta adverſus Eccleſiam*, ut reddit Valeſius. Planè, ut Theodoretus *Hær. Fab.* Lib. III. C. VI. de Hæreſi *Nepotis* cujuſdam Ægyptii, à fide, deligentiâ, ſtudio Scripturarum collaudati (contrà quem ſcripſerit Dionyſius Alex.) revocantis Ἰουδαϊκὰς ἑορτὰς *Judaica Feſta*, *& mille annorum periodos*, ità de quibuſdam aliis; *Ut primum nata ſunt hæc dogmata emarcuiſſe, & arida manſiſſe.* Undè non ab illo Ἠλξαὶ qui de Judæorum Oſſenorum Sectâ fuit, ut contendit Valeſius *Notis* ad Euſeb. p. 129. dicti hi Elceſaitæ. De quo *Elceſai* Baronius, ad An. CV. *Num.* II. *hujus ut ſtultitiam eluderet Johannes, præmonuerat, Tres eſſe qui teſtimonium dant in Cælo*, &c. *& tres qui teſtimonium dant in Terrâ:* Quaſi præſcio ſpiritu venturum turbonem eſſe, qui jurisjurandi religionem doceret ſuos, nempè *dejerare* per hæc VII. ἅλας, καὶ ὕδωρ, καὶ γῆν, καὶ ἄρτον, καὶ οὐρανὸν, καὶ αἰθέρα, καὶ ἄνεμον, vel per VII. *teſtes* alios, quos apud Epiphanium vide, & quaſi hoc ageret Johannes, de *Teſtibus* per quos jurandum. Igitur *Elceſæorum*, (de quibus Origenes, Euſebius, & Theodoretus) peculiaris Secta, *Pauli* Apoſtoli Scripta repudiabant, & prætereà docebant licere, perſecutionis tempore, Chriſtum *ore abnegare*, eſſeque hanc rem ἀδιάφορον. Iidemne fuerint cum iis quos Epiphanius aliter vocat Σαμψαίους *Sampſæos*, Hær. LIII. ut voluit etiam Auguſtinus de *Hæreſ.* C. XXXII. in Peræâ habitantes, à שמש denominatos, quaſi Ἡλιακοὺς *Solares*, (quo nomine σαῦραι *lacertæ* vel ſtelliones appellantur) tacentibus præfatis Origene, & Euſebio, etiam Theodoreto, in medio relinquimus. Hi certè erant adhuc Epiphanii tempore, ἔτι καὶ εἰς δεῦρο; *Elceſaitarum* verò Hæreſis, ἅμα τῷ ἄρξασθαι ἀπέσβη. Sed habuiſſe hi omnes communia quædam videntur, ut illud de *abnegatione* vel apoſtaſiâ in Perſecutione, quod ipſum Ἐλξαὶ Pſeudo-prophetæ tribuit etiam Epiphanius, ut & *odium virginitatis*, & alia.

II. Ad initia hujus Seculi referenda videtur Hæreſis illorum qui *Prodicum* quendam ſequebantur, de quo Clemens Stromat. *Lib.* VII. p. 722. περὶ τοῦ μὴ δεῖν εὔχεσθαι, qui docerent *non eſſe orandum*; Vel ut Origenes Libro I. *de Orat.* paragr. 13. & *ſeq.* φάσκοντες περισσὸν εἶναι τὸ εὔχεσθαι *Orationem eſſe rem ſupervacuam; preces nihil efficere, nullam eſſe neceſſitatem preces Deo offerendi*, qui quorum indigemus probè cognoſcit, *Matth.* VI. 32. nec futura tantùm *præſcit*, ſed etiam *decernit*, ut nihil fiat præter ea quæ ille definivit. Prolixè hanc Hæreſim refutat Origenes; propoſitis primò præſidiis ſententiæ heterodoxæ, quæ omnia quidem fieri ex immutabili voluntate, antè jacta mundi fundamenta, rectè ſtatueret, exemplis Jacobi, Eſavi, Moſis, prædeſtinatorum in Chriſto, &c. ſed hinc malè inferret, *nullam eſſe orandi neceſſitatem.* Planè ut Neo-Pelagianizantes inferre, ex doctrinâ de Præordinatione Dei in ordine ad omnes eventus, fruſtraneas eſſe preces, ſic hortationes ad fidem ac perſeverantiam. Videntur tradux *Gnoſticorum*, unde Clemens, eſſe αἵρεσιν ψευδωνύμου τούτων γνῶσιν. Et Theodoretus *Lib.* I. Hæret. Fab. C. VI. *Prodicum* quendam *Adamitarum* parentem, & omnis impuritatis, ac promiſcuæ atque ἀναισχύντου libidinis, poſt Carpocratem, antè Valentinum ponit; ut aliàs non obſervans eſt temporis, quomodò poſt *Cerinthum* immediatè *Artemonem*, & *Noëtum* poſt *Sabellium* locat. De quâ Ἀδαμιανῶν Hæreſi Epiphanius *Hær.* LII. poſt illam Alogorum, antè Sampſæos, & Theodotianos, *Prodico* tamen tacito.

Hær. Prodici cujuſdam.

III. Majores progreſſus habitura hoc Seculo Hæreſis *Noëti*, jam ſuperiori Seculo nata, ſub M. Antonino & L. Vero, quando ſparſit venenum ſuum in Aſiâ Min. Noëtus Smyrnenſis; dein in Africâ ejus Diſcipulus Praxeas, contrà quem Tertullianus. Horum ex Scholâ & Diſciplinâ prodiit *Sabellius* Afer Pentapolitanus, ſeu ex Libyâ Cyrenaicâ, unde *Libycus*, circà tempora Decianæ perſecutionis, à quo Hæreſis dicenda, potiùs quàm à Noëto, *Sabelliana:* Quanquàm parùm inter ſe differebant *Noëtus*, *Praxeas*, *à quo Patripaſſiani*, & poſteà hic *Sabellius*; ut v. gr. Donatiſtæ & Parmeniani, Pelagiani & Cœleſtiani. Addit Auguſtinus *Hermogenem*, *Hær.* XLI. ſed hoc ipſo alium ab eo in quem ſcripſit Tertull. Seu jam doctior & ſubtilior fuerit Sabellius, ſeu vires hoc cumprimis nomine acquiſiverit Hæreſis, ſoboles priorum; imò & *Simonis Magi*, qui diverſa tantùm Nomina Patrem, Filium, & Spiritum S. non diverſas Perſonas eſſe docuerat. Igitur confundebat hic Sabellius *Perſonas*

Sabelliani.

S. Tri-

Digitized by Google

S. *Trinitatis*, tria eſſe Nomina, τρεῖς ὀνομασίας, relationes, officia, non tres ὑποστάσεις Hypoſtaſes; & unam tantùm in Deo eſſe Perſonam, vel Hypoſtaſin, Dei μονοπάτορα. Hinc *ſolis*, *luminis*, & *caloris*, quæ ab uno eodemque ſolis corpore manantia, *diverſis* tantùm *effectu* vel reſpectibus diſtinguantur, uſi illi ſimilitudine. Quidni & *Dianæ* Ethnicæ, *Tergeminæ Hecates*, *Tria virginis ora Dianæ*, quæ nempè ſuper Terras *Luna*, in Terris vel ſylvis *Diana*, ſubter Terras *Proſerpina* appellatione venit; ne dicam Apollinem qui in Cœlo *Sol*, in terris *Liber Pater*, in inferis *Apollo*, ex Porphyrio. Ità Sabelliani, Deum *Patrem* in Cœlis appellari, in Terris *Filium*, in Creaturis quatenùs vim ſuam in iis exerit, *Spiritum S.* Ità *Patrem* ſub Filii notione natum eſſe ex Virgine, & poſteà paſſum, undè *Patripaſſiani*. Loca adferebat Sabellius, ex *Deut.* VI. 4. *Jehova Dominus tuus unus eſt*, & ſimilia, ac *Joh.* X. 30. *Ego & Pater unum ſumus*; quaſi πολυθεΐαν inducerent Catholici, non diſtinguente iſto unitatem *eſſentiæ*, ab illâ ὑποστάσεως. Et peperit hæc Hæreſis illam Pauli Samoſateni, de *Chriſto* nudo homine, quem à *Filio* diſtinxit. De hac Hæreſi Euſebius, *Lib.* VII. C. VI. Epiphanius in Noëtianis & Sabellianis, *Hær.* LVII. & LXII. Theodoretus *Hiſt.* L. V. C. IX. & *Hær. Fabul.* L. II. C. IX. & L. III. C. III, ſic paſſim Seculi IV. Scriptores, & Hæreſiologi Philaſtrius, Auguſtinus, &c.

Sandius notatus. Et prolixè Baronius.

Imponit Chriſtophorus Sandius, Arianus nuperus, dùm Catholicam doctrinam de Unâ in Deo *Eſſentiâ*, ſive ſubſtantiâ Patris, & Filii, & Spiritûs S. qui *Perſonis* diſtinguantur, paſſim in *Sabellianiſmum* vertit. Quod & Pentapolitanos olim feciſſe in *Dionyſium Alexandrinum*, & in Arium quoque, inſurgentem primùm in Alexandrum, teſtis Hiſtoria eſt, & prolixè Athanaſius *Epiſt.* de *ſententiâ Dionyſii Alex.* adversùs Arianos, *Tomo* I. Quæ Dionyſii ſententia, & à Baſilio M. ſic intellecta, quaſi faveret *Anomœis* Arianis, quanquam illi expreſſa ſint non eâ profectò mente. Tanti eſt confudiſſe οὐσίαν & ὑπόστασιν, ipſaſque inter ſe ὑποστάσεις, quod Sabellius fecit; συναίρεσιν Sabellii dixit Nazianzenus, uti Arii διαίρεσιν. Quibus de vocibus, occaſione Arianiſmi exorti, longæ poſteà inter ipſos Orthodoxos in Oriente & Occidente concertationes, his unicam ὑπόστασιν, id eſt, οὐσίαν contrà Arianos defendentibus, illis tres ὑποστάσεις contrà Sabellium, conciliatione poſt factâ in Syn. Alexandrinâ, A. CCCLXII. Quod verò Dionyſius Alexandrinus, monitus de delatâ calumnioſè ipſius ſententiâ apud Romanum Dionyſium, miſſâ ad hunc *Apologiâ*, ſeſe purgarit ab *accuſatione* Sabellianiſmi, contrà Pentapolitanorum calumnias, (Hiſtoriâ videndâ apud Athanaſium) hinc à Dionyſio & Romanâ Synodo, ab impactâ Hæreſi, abſolvendus fuerit, fruſtrà Baronius ad A. CCLXIII. *Num.* XXXI. trahit ad Papæ Romani ſuprematum. Familiare his temporibus fuit, & deinceps, in hujuſmodi gravaminibus, modò ad Romanum, modò ad Carthaginenſem (ut ſuprà *Cap.* VI. N. VII.) modò ad Antiochenum, Cæſarienſem Cappadociæ, Cyprium, &c. auxilii vel conſilii gratiâ recurrere, ut viciniores aut faventiores Eccleſiæ fuerunt. In ſpecie, quod αἰτιασάμενοί τινες hunc Dionyſium apud Romanum Epiſc. cujus Scripta jam *Sixti* tempore ſine offenſione prodierant, hæ videntur cauſæ: Turbatus tunc Oriens, & ſedes Antiochena, occaſione Hæreſeôs Pauli Antiochenorum Epiſcopi; Tùm facilitas communicationis inter Alexandrinos ſeu Ægyptios, & Romanam Sedem, ut patuit tempore Athanaſii & Julii, & prout paulo antè Dionyſius Alex. ad Xyſtum de Sabelliano errore Epiſt. ſcripſerat, ex Euſebio *Hiſt.* L. VII. C. VI. Diſſenſurus autem ille ipſe à Stephano Romano, in cauſâ de Ἀναβαπτισμῷ Hæreticorum, ut idem Euſebius, eodem Libro *Cap.* V. VII. Sed diſſimulat Annalium Scriptor exempla alia, quibus hoc Seculo non ad Romanum, ſed ad Cyprianum Carthagin. vel ad Firmilianum Cappadociæ Epiſcopos, accuſationes ejuſmodi delatæ ſunt, ut viſum ſuprà de Eccleſiis Hiſpanicis, & Lugdunenſi Galliæ; prout etiam in cauſâ Pauli Samoſateni factum ab Antiochenis fuit, referente Euſebio *Lib.* VII. C. XXX. Et ſic in cauſâ, quæ inter Cyprianum & Stephanum mota, arbiter appellatus Firmilianus, qui in Reſponſo ad Cyprianum *Epiſt.* LXXV. Stephanum ut merebatur perſtringit.

De *Catharis*, qui ſe ipſos ita appellarint, comparatè ad reliquos Chriſtianos, ſeu *Chathariſtis*, id eſt Puris, Puritanis, barbarè aliquando *Gazaris*, infrà dicetur ad Schiſma Novatianum. Cathari.

IV. Hæreſis *Pauli Samoſateni*, Epiſcopi Antiocheni, poſt Demetrianum, ab urbe patriâ *Samoſata* ſic appellati, quæ Commagenes Syriæ Metropolis, aliàs Euphratenſis, etiam *Flavia* dicta, quia novis privilegiis à Fl. Veſpaſiano ornata. Hæreſeôs exortæ *tempus*, incidit in illud Gallieni Imperat. inclinante Seculo, non longè poſt Sabellianam Hæreſim, Zenobiâ Syriæ, Armeniæ, Arabiæ, &c. imperium obtinente. De eâ Euſebius, *Lib.* VII. C. XXVII. & ſeq. Athanaſius in libro de *Synodo* Arimin. Seleuc. Epiphanius *Hær.* LXV. Theodoretus *Hær. Fab.* L. II. C. VIII. Philaſtrius in *Paulo Samoſ.* Auguſtinus L. de *Hær.* C. XLIV. Nicephorus L. VI. C. XXVII. Occaſio fertur, (ex Athanaſio, Philaſtrio, Theodoreto) *Zenobia*, inſigni prudentiâ, pudicitiâ, fortitudine, doctrinâ fœminæ, in Oriente Imperatricis, antequàm eſſet ab Aureliano victa & in triumphum abducta, quæſita hoc ſuo dogmate gratia, θεραπαινίδων *adulantium* more, ut quæ nonnihil Judaizaret: Sic malim, quam quod Athanaſius, Theodoretus, & poſt eum alii, ἐκείνην τὰ Ἰουδαίων φρονῆσαι, *cum Judæis de religione ſenſiſſe*, vel etiam Judæam fuiſſe *genere*, quod alii, poſteà Romæ converſam, depoſito faſtu; quorum nihil Flavius Vopiſcus, Trebellius, nec ipſe Euſebius. Quicquid illud ſit, ſive ut Fœminam faciliùs ad Chriſtianam fidem induceret, ſive etiam Aulicos, inter quos familiariùs verſaretur, homo omnium conſenſione faſtuoſus, teſtibus Antiochenis Patribus; & qui Clero ſuo indulgeret (contrà Canones) conſuetudinem mulierum συνεισάκτων, teſte Euſebio *Lib.* VII. C. XXX. in Hæreſim tandem Artemonis prolapſus eſt. Nempè negatâ Chriſti *Divinitate*, hinc *Incarnatione*, ſeu unione hypoſtaticâ Carnis cum Λόγῳ; Secundùm quoſdam, negatâ etiam cum Sabellio *Trinitate* ὑποστάσεων, ut Epiphanius *Hær.* LXV. id eſt, aſſerens quidem *Unum Deum*, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum* S. ſed negans hos ſubſiſtere ſubſiſtentiâ propriâ, ſed in Deo eſſe, ut ſermo eſt in homine, aut ſpiritus in corde. Errat autem Baronius, ad A. CCLXXIV. N. II. Zenobiam interpretatus *Hebræam* gente, quam *Judæam* religione dixerat Athanaſius; ſic dum *Chriſtianam* Romæ factam eſſe hariolatur, ex ejus admirandâ caſtitate, & Judaiſmo, & uſu quondam Pauli Samoſateni; ſed nullo rei in Veteribus genuino teſte. Hæreſis Pauli Samoſateni. Error Baronii.

Hæreſis ipſa, eadem fuit cum *Artemonis* illâ, ut diſertè Epiphanius, Auguſtinus, quæ nempè per Paulum inſtaurata fuit, quum jam ferè defeciſſet. Igitur Chriſtum nudum fuiſſe hominem, ψιλὸν ἄνθρωπον, non Deum, non συναΐδιον vel ὁμοούσιον Patri; antè nativitatem ex Mariâ Virgine non extitiſſe; dictum *Filium Dei*, & *Deum*, non genitum, non etiam adoptione talem, ſed propter divinas planè & cœleſtes dotes, quibus inſtructus fuit; Λόγον etiam appellatum, ſeu Verbum προφορικόν, quaſi Dei ad nos Oratorem. Hinc divinum Chriſto cultum negabat, ψαλμοὺς τοὺς μὲν εἰς Κύριον ἡμῶν Χριστὸν Ἰησοῦν

τῶν παύσας, ὡς δὴ νεωτέρους, κὶ νεωτέρων ἀνδρῶν συγγράμματα, *Pſalmos in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti cani ſolitos, tanquam novellos, & à recentioribus hominibus compoſitos, prohibens:* Undè in Concilio Laodiceno interdicti *Pſalmi* ἰδιωτικοὶ, *Can. ult.* Pariter *Baptiſmum* non adminiſtrabat in nomine Chriſti, hinc illius diſcipuli iterùm baptizari decernuntur *Can.* Nicæno XIX. ſub *Paulianiſtarum* nomine, quos antè damnaverat Concil. Antiochenum, & qui à *Paulicianis* Manichæis diu poſt exortis diſtinguendi. Quia tamen *Chriſti humanitatem* fecit participem proprietatum divinarum, hinc appellatum *Deum, Dei Filium*, in eo videntur Pauli Sectatores fuiſſe, qui Carnem quaſi Deificatam ſtatuerunt ut Eutyches, & alii. Argumenta contrà æternam Divinitatem Chriſti petebat ab attributis *humanis*, & ſtatu *Exinanitionis* Chriſti; v. gr. ex verbis, *Nunc turbata eſt anima mea; triſtis eſt uſque ad mortem; Sanguis meus qui pro vobis effundetur*, &c. Ità ex *fugâ* cum Matre in Ægyptum; ex *incremento* ſtaturæ corporis; & aliis id genus, quæ videre eſt in Collectione Concilior. *Tom.* I. ubi προτάσεις δέκα ſcil. *quæſtiones decem* Pauli Samoſat. ad Dionyſium Alexandrinum. De cætero tamen dicitur *Filium Dei*, qui eſſet naturâ talis, agnoviſſe, ſed diverſum à Perſonâ *Chriſti hominis*, & qui in Chriſto habitaſſet per efficaciam, non per ὑποςατικὴν ἕνωσιν. Mox igitur adverſarios habuit Dionyſium utrumque, *Romanum* & *Alexandrinum*, hinc Patres *Antiochenos*, in duabus Synodis Antiochiæ habitis; quarum prima incidit in annum Vulg. CCLXIV. ſub Gallieno, in quâ auditus & abſolutus fuit, altera in annum CCLXX. ſub Aureliano: Et in hac Paulus damnatus ac depoſitus ſuffecto Domno; & quum parere, ac ædibus Epiſcopalibus excedere nollet Paulus, ab ipſo Aureliano Imperatore coërcendus fuit, apud Euſebium *Lib.* VII. *C.* XXX. Epiſcopis Italiæ re totâ demandatâ. Forſan hoc Aurelianus, quod à Zenobiæ partibus adverſus Romanos ſtetiſſet hic Paulus.

Hic rurſum eſt Chriſtoph. Sandius *Enucl. Hiſt. L.* I. in Paulo Samoſateno, ut perſuadeat hujus potiſſimam Hæreſim fuiſſe, quod doceret, *Unum Deum eſſe, Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.* nempè *Subſtantiâ*: Quæ Sandio cum ὑποςάσει, *Perſonâ*, perpetuò confunditur, ut confundebat Sabellius, & quicquid ferè Anti-Trinitariorum fuit, ut ſuprà obſervatum.

Manichæorum. V. Hæreſis *Manichæorum*, nata eſt ſub Aur. Probo, proximè antè tempora Diocletiani, juxtà Euſebium in *Chronico*, alii natam paulo antè ſub Aureliano, anno IV. Imp. ut Epiphanius *Hær.* LXVI. Auctor primùm Scythianus quidam Saracenus, mercator profeſſione, (ut fusè Epiphanius, dein Socrates) qui poſteà revelationes à Deo acceptas finxit. Hujus diſcipulus fuit quidam *Budda*, & ipſe Saracenus, cui commiſit Scythianus Libros à ſe ſcriptos, qui IV. numero fuerunt, in quibus v. gr. *duo Principia* contraria; μετεμψύχωσις animarum; & alia hauſta ex Pythagoricâ diſciplinâ. Hic Budda *Terbinthus* cognomine, in Perſidem delatus, ubi ſua dogmata & magicas præſtigias intulit; tandem miſerè periiſſe fertur, ejuſque Libri in *Servum* quendam, *Cubricum* nomine, ab opulentâ viduâ (cui Terbinthus cohabitarat) emptum, incidiſſe. Et hic *Cubricus* eſt, natione Perſa, primâ conditione ſervus, uti Muhammedes, tùm Medicus profeſſione, qui Libros tanquam ſuos venditavit, primuſque Hæreſeôs Conditor ac propagator habitus fuit. Sed mutato nomine deinde *Manis* vel *Manetis* nomen adoptavit, Perſicum aliis, quod ὁμιλητὴν dicat, diſceptatorem, agoniſtam, aliis Chaldaicum מאני, Græcè *μάνης*, ex מאן quod Babyloniorum linguâ ſignificat *vas*, *organum*; quod ſe σκεῦος ἐκλεκτὸν diceret, quo Deus ad Doctrinæ divinæ propagationem uti vellet. Hinc videtur factum, ut falſæ doctrinæ auctorem Talmudiſtæ vocarint מ׳נא׳, quod Elias Levita à מאני Hæretico derivat. Et reverà prius nomen *Cubricus* denotaſſe videtur כוב ריק *vas vanum*, contemnendum, fragile. Dein Diſcipuli ob invidiam Græcæ vocis, quâ *Manes* deſignabat τὸν μανόντα τὰς φρένας, *inſanum* vel furentem, ut Euſeb. *Lib.* VII. *C.* XXXI. literâ duplicatâ, & compoſitâ voce, quaſi eſſet μάννα χέων *manna fundens*, fecere *Mannichæum*; ex Cyrillo Hieroſol. Catech. VI. Epiphanio Hær. LXVI. Auguſtino Hær. XLVI.

Gravitas Hæreſeôs. Omnium maximè portentoſa, ac profligatiſſimarum Hæreſium mixtura quædam fuit, ac veluti ſentina. Conflata autem maximam partem ex Pythagoricâ, Gnoſticâ, Marcioniticâ diſciplinâ: Puta de *Duobus Principiis* contrariis & coæternis, *Deo* & *Materiâ*, Luce & Tenebris, neutro alterius conſcio, altero verò *Boni* auctore, altero *Mali*, hoc *Veteris* Teſt. illo *Novi*; de quâ re diximus prolixè ſatis ad Hæreſim Cerdonis: Prout Bonum & Malum *Subſtantias* eſſe fingebat, & in Elementis eſſe ſubſtantiam Boni & Mali Principii. Sic quæ illi de *Vetere Teſt.* & *Lege* totâ repudiandâ, *Novi* Teſt. *Libris* iis tantum quos voluit admiſſis; de *Mundo*, *Carne*, *Magiſtratu*, *Peccato*, ut à Deo malo profectis; de *Peccati*, ac *Concupiſcentiæ* carnalis, *abſolutâ* neceſſitate, impellente ad id Deo illo malo; de *Chriſto* homine phantaſtico, putativo; de Manete ut promiſſo *Paracleto*, & *Apoſtolo* Jeſu Chriſti; de illicitis *Nuptiis*, *Bello*, *Carnibus*, *Ovis*, *Lacte*, *Vino*, quod illis fel Draconis, undè & Euchariſtiam ſub unâ ſpecie adminiſtrabant. Adde deliramenta modò de *Sole*, qui Chriſtus ſit, undè in hujus Cruce Sol *defecerit*; modò de *Sole*, *Lunâ*, *Aëre*, ut ſede Trinitatis, & ut Navigiis quibuſdam, quibus defunctorum animæ ad Lucem transferuntur; & quæ id genus alia de his Veteres tradidère. Sed & fœda oppidò, impia, libidinoſa de Manichæis (ut quod Sacramentum Euchariſtiæ *ſemine* humano adſpergerent, ut ſubſtantiâ divinâ purgaretur, quæ ſit in omnibus ſeminibus) refert præ cæteris, Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi VI. Epiphanius, Theodoret. & Auguſtinus, locis indicatis, quæ adeantur. Cæterum ſuperbi, callidi, *Agoniſtas* ſe nuncupantes, contra gentem tenebrarum. Manichæus ipſe quî ſe inſcribret *Apoſtolum J. Chriſti*, videre eſt apud Epiphanium, in Epiſtolâ quam dedit ad *Marcellum*, *Caſcharæ* Meſopotamiæ Urbe habitantem, quum in Regionis illius confiniis ageret ex Perſiâ profugus. Ibique poſteà infeliciter congreſſus Manes cum *Archelao*, Urbis illius Meſopotamicæ Epiſcopo, & cum *Tryphone* Presbytero, tandem in Perſarum manus rurſus incidit; poſtquàm è Perſidis carcere ſe fugâ ſubduxiſſet, in quem conjectus ille infelix Medicus fuerat, ob fruſtrà promiſſam Filii Perſarum Regis ſanationem, qui inter ejus manus occubuerat. Fuit ille tandem vivus excoriatus, condignum impietatis præmium ſortitus, ex Epiphanio, Cyrillo, &c. cujus cutem adhuc Epiphanii tempore ſervatam in Perſide, monet. Hic XII. *Diſcipulos* habuiſſe fertur, pro Apoſtolorum numero, *Epiſcopos* LXXII. quibus ordinandi *Presbyteros* & *Diaconos* poteſtas fuit. *Electos*, ab *Auditoribus* & plebe diſtinxit, in quibus poſtremis nondum planè purgatam eſſe Mali Subſtantiam, inprimis *matrimonio* conjunctis, aſſerebat. *Baptiſmum* aquæ, ut inutilem ad ſalutem, reſpuebat. *Animas* Auditorum dicebat converti in animas Electorum, & ſic purgatas redire ad Deum. Reliquorum animas redire in corpora *Pecudum*, & in *Arbores*, & in omnia quæ radicibus ſuis terræ adhærent. Undè Plantas & Arbores vivere docuit, & ſentire, & Agricolas homicidas pronunciavit; quan-

Digitized by Google

quanquam Auditoribus ſuis iſtud ignovit, quia alimenta indè Electis ſuis ſuppeditarent. Malum *concupiſcentiæ*, adversùs *Spiritum* inſurgentis, concepit ut ſubſtantiam, quæ nunquam ſanetur; ſed quæ ſeparetur tamen, & in ultimo Judicio in *Globo* quodam, tanquam in carcere, æternum vivat. Et ſi quæ plura hominis commenta fuêre.

Diſcipulos tres habuiſſe fertur, *Aldam* quem ad Syros, *Thomam* quem ad Indos, *Hermam* quem aliò ablegavit; hinc *Acta* Thomæ Manichæi, de rebus apud Indos geſtis, quæ deinceps occaſionem præbuêre, novis de Thomâ Apoſt. commentis.

Quæ eam ſecuta. Adverſarios mox nacta Hæreſis, præ cæteris Tryphonem Presbyterum, Marcellum virum pium, & Archelaum Epiſcopum in Meſopotamiâ, in confiniis Perſiæ, qui homini reſtitêre, quà voce quà ſcripto, ut ſuprà. Poſteà & Titus Boſtrenſium, Diodorus Cilicum Epiſcopi, Athanaſius, Serapion, Euſebius Cæſarienſis, alii. Mira tamen illius propagatio fuit, in Africâ, Aſiâ, Europâ, ſubmiſſis quaquaverſùm Doctoribus, Electis, Apoſtolis, qui eam diffunderent. Maximè autem in Perſide, Arabiâ, Africâ, & Ægypto viguit, undè *Diocletiani* in Manichæos reſcriptum ad Maximianum Africæ Proconſulem. Secuturis ætatibus actura etiam radices in variis Occidentis partibus. Artes quibus ad propagationem uſi, irretito ipſo etiam in Manichæorum caſſes Auguſtino, nemo hoc feliciùs deſcripſerit, in *Confeſſionibus*, & de *Utilitate cred.* ad Honoratum, adverſùs Manichæos; *qui*, inquit ille, *dum nimis quærunt undè ſit malum*, *nil reperiunt niſi malum*, *Cap.* XXXVI.

Hieracitarum Hær. VI. Hæreſis *Hieracitarum*, ab Hierace Leontopoli in Ægypto Epiſcopo, aliis *Hierachâ*, de quo Epiphanius *Hær.* LXVII. diverſo ab illo Ægypti Epiſcopo ſub Dion. Alexandrino, de quo Euſebius *Lib.* VII. *C.* XXI. Hic ipſe, mox poſt Manetem, invectus in Reſurrectionem mortuorum, in Puerorum qui nullis meritis certarunt ſalutem, in Conjugium, ſolis admiſſis in ſocietatem τοῖς μονάζουσι, & quæ alia ex dicto Epiphanio, & Auguſtino, *Hær.* XLVII. &c. de Hæreſi hacce memorantur. Alius fuit ille *Hieracas*, de quo Hilarius *Lib.* IV. N. 13. & *Lib.* VI. N. 5. de Trinitate, qui poſt Concilium Nicænum concipiebat *Patrem* & *Filium*, ut lucernam quæ aliam ex ſe accendit, vel lampada diviſam in duas lampades. De *Novatianâ* Hæreſi, ad ſequens Caput, ut quæ à Schiſmate incepit.

VIII. *Schiſmata hoc Seculo in Eccleſiâ nata, quæ in partes diſtraxerunt.*

Tertullianeum Schiſma. I. PRimum fuit illud *Tertulliani* Carthagin. quem *Magiſtrum* appellabat Cyprianus, ab Eccleſiâ Catholicâ cum ſuis ſecedentis, ad Montaniſtarum ſeu Cataphrygum partes, ut tamen *Hæreticus* factus non ſit. Hic duriùs habitus à Clero Romano, & ejectus tandem, ob Montani errores adoptatos, in Orthodoxos ut *Pſychicos* ſeu *Animales* debacchari, & ſenſim ad Gnoſticorum ſuperbiam, qui ſe πνευματικοὺς dicerent, delabi. Qui Tertulliano adhæſerunt, *Tertullianiſtæ* poſteà dicti. Pauciſſimi eorum tandem Carthagine ſuperfuerunt, ut Auguſtini tempore ferè tranſiiſſent, cum ſuâ *Baſilicâ*, ad Catholicos, ut teſtatur Libro de *Hæreſ.* *C.* LXXXVI. Nempè *Jejunia*, *Xerophagias*, *Animam* ex traduce & *corpoream*, *Paracletum*, ſeu Spiritum qualis in Montano fuerat, & ſi quæ alia urgebant cum Tertulliano. Quod enim *Deum*, quem Spiritum quoque agnovit, *corpus* eſſe dixit, in Libro adversùs Praxeam, excuſatur ab ipſo Auguſtino, *l. cit.* quia *Corpus* ipſi fuit; abuſo voce Corporis, *quod non eſt nihil*, *non eſt inanitas*, vel φάντασμα, ſed habens veram οὐσίαν.

Diviſio in Origenis cauſâ. II. Alterum *Schiſma* in *Origenis* cauſâ natum, odio primùm & facto *Demetrii* Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, indignati Origenem à Palæſtinis, Theoctiſto Cæſarienſi & Alexandro Hieroſolymit. Epiſcopis, extrà Diœceſim ſuam fuiſſe ordinatum Presbyterum, quamvis munitum teſtimonio & literis Eccleſiaſticis, quibus Demetrius ipſum Alexandriâ diſcedentem ornaverat. Factum circà A. Ch. CCXXVIII. Origene tum annos XLIII. circiter nato. Sed *cauſa* genuina concepti in Origenem livoris, fuit laus Origeniani nominis, & gloria quam ſibi apud omnes ſuâ doctrinâ, ſuiſque laboribus, pepererat. *Obtentus* verò fuit, 1. *Ordinatio* in *Presbyterum* facta in peregrinâ Diœceſi, non conſcio Alexandrino, nec inferioribus (ut videtur) Ordinibus receptis. 2. Hominis etiam qui ſe ipſe *eviraſſet*, quod factum jam traducere Demetrius, quanquàm pridem hoc ab Origene, Catechetâ Alex. anno ætatis circiter XXI. admiſſum, admirato tunc juvenis audaciam laudanteque Demetrio, ut Euſebius *Hiſt.* *L.* VI. *C.* VIII. 3. Undè geminâ Synodo ex Ægypti Epiſcopis coactâ, primò ex Eccleſiâ Alex. ejiciendum decreverunt; dein etiam Presbyteratu vel Sacerdotio exuendum, tandem Eccleſiæ ſocietate; quamvis facti invidiam deprecati eſſent Palæſtini. Hinc ſponte ſeceſſit iterùm Alexandriâ, quò reverſus fuerat, præveniens executionem ſententiæ Synodalis, ac confugiens rurſùm Cæſaream Palæſtinæ, hinc Tyrum, ubi poſt multos annos & labores exantlatos diem obiit A. 254. Synodum Ægyptiam & in Origenem decreta, omnes Eccleſias approbaſſe, exceptis illis Palæſtinæ, Phœniciæ, Arabiæ, & Achaiæ quoque, teſtis eſt Hieronymus, adverſùs Rufinum, *Lib.* II. *C.* V. Apologiam pro Origene, Libris VI. comprehenſam, ſcripſit Pamphilus Cæſarienſis & Martyr, in carcere ipſo, præſente Euſebio Pamphili, cujus excerpta apud Photium *Cod.* CXVIII. Fecit autem Origenis celebritas, eruditio, ſtudium rerum novarum, qualia in Origenis lucubrationibus, & allegoricis Script. interpretamentis, non pauca; ut poſt nati ſint in Ægypto & Palæſtinâ *Origeniani*, latè diffundendo poſteà Schiſmate.

Hiſtoria Schiſmatis Novatiani. III. At verò pernicioſum fuit Eccleſiæ Chriſtianæ Schiſma cumprimis *Novatianum*, auctoribus *Novato* & *Novatiano*, illo Carthagine, hoc Romæ Presbytero; quos cùm Euſebius rectè in Hieronymi Chronico diſtinguat, confundit tamen in Hiſtoriâ ſuâ, & cum eo Epiphanius, Theodoretus, ac plerumque Græci, ipſeque ad Euſebium Scaliger. Ac *Novatus* quidem ex iis fuerat, qui (abſente Epiſcopo Cypriano, in biennii exilio, ſub Decio) cum *Lapſis* communicarant, invitâ diſciplinâ, & in ſpecie Cypriano. Variorum idem quoque facinorum reus, ſed & *rerum novarum ſemper cupidus Novatus*, hinc abſtentus à Cypriano, ex *Epiſt.* XLIX. ad Cornelium. Mox igitur factionis ſignifer factus eſt, *Lapſos* volens abſque *Exomologeſi* recipi, adjungens ſe Feliciſſimo Diacono Carthaginenſi, cum aliis, in quibus *Presbyteri* Carthaginenſes quinque, ſeceſſuri in montem quendam, confluentibus eò Lapſis. Ità illi inſurgere in optimum Cyprianum primò, tùm in Eccleſiam Catholicam.

Romæ tùm Epiſcopatum adminiſtrabat Cornelius, Fabiani ſucceſſor, de cujus electione pluribus Cyprianus, *Epiſt.* LII. ad Antonianum. Hujus æmulus *Novatianus* Presbyter, mox *deſertor Eccleſiæ*, *miſericordiæ hoſtis*, *interfector pœnitentiæ*, *Doctor ſuperbiæ*, *veritatis corruptor*, *perditor charitatis*, ex Epiſtolâ Cæcilii LVII. ad Cornelium. In factio-

Digitized by Google

ctioſum hunc hominem, & æmulationis œſtro percitum, incidens Romæ *Novatus*, quò ſe receperat, poſt turbatam Carthaginenſem Eccleſiam, Schiſma cum eo molitus eſt. Mirum confundi plerumque à Græcis Hiſtoricis *Novatum* & *Novatianum*, Euſebio ipſo, Gregorio Nazianz. Epiphanio, Theodoreto, Socrate Hiſtor. &c. Et non intellexiſſe à poſtremo vires & robur, quin & appellationem, ſumpſiſſe Schiſma *Novatianum*. Igitur Novatianus à factioſis creatur mox Romanus Epiſcopus, Cornelio oppoſitus, ſimul daturus literas ad *Eccleſias totius Orbis*, in accuſationem Cornelii. Cauſa verò Schiſmatis ſeu ſeceſſionis à Catholicis, obtentus veriùs, non fuit fundamentale aliquod Fidei caput, aut capitalis ratio.

Occaſio nempè illi gemina. 1. Ex veniâ *Lapſis* indulgentiùs datâ, ad libellos Martyrum, Confeſſorum, qui in acie ſteterant, orarent autem pro deſertoribus. 2. Ex nimiâ indulgentiâ Cornelii, ut cauſabantur, in *Lapſis* recipiendis, in ſpecie quod cum Trophimo quodam, & Thurificatis aliis, communicaſſet, ut Cyprianus dicta *Epiſt.* LII. in initio. Undè Novatus, qui primò Carthagine indulgentioribus acceſſerat, in aliud jam extremum prolapſus, cum Novatiano Schiſmatico hæreſim condit, quæ *Catharorum*, id eſt *Purorum* ab ipſiſmet dicta, ſuperbo nomine: Quomodò Samaritani nonnulli, & Pharizæi quidam, ſe *Catharos* appellarunt, & Manichæi *Cathariſtas* ſeu purgantes, & quos hodie *Puros*, *Puritanos* διασυρτικῶς dixerunt: Ἀπ' αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ἀκαθάρτους ἑαυτοὺς ἀποτελοῦντες, *ab ipſo dogmate ſemet impuros pronunciantes*, dum nempè ſe καθαροὺς & *Puros* dicerent, ut Epiphanius *Hær.* LIX. N. VI. & quoque *Theodoretus*, adverſùs eos *qui dicunt mundus ſum, ne me tangas*, *Hær. Fab. L.* III. *C.* V. Undè derivarunt nonnulli vocem *Ketter*, *Ketſer*, quomodò ex ignorantia linguæ Græcæ, fecerunt Latini poſteà, *Gazari*: Nempè, μὴ χρῆναι τοὺς ἀρνηθέντας σωτηρίας τυχεῖν, *non oportere ſalutem conſequi eos qui abnegaſſent*, ut habet Theodoretus, ſive negandam omnem *Lapſis* poſt Baptiſmum, ſic etiam Adulteris, Homicidis, ab Eccleſiâ veniam, pacem, communionem, nec ad *Pœnitentiam* quidem admittendis; quomodo Romana Eccleſia *Mœchis* pœnitentibus, (non tamen Zephyrini ætate *Idololatris* vel *Homicidis*) veniam indulſit, undè ſales Tertulliani jam Montaniſtæ, *Lib.* de Pudicitiâ. Dionyſius Alex. Epiſt. ad Fabium Antiochenum, vocat γνώμην μισάδελφον, καὶ ἀπανθρωποτάτην, de quo Euſebius, *Lib.* VI. *C.* XLIII. XLV. XLVI. Hinc nec colendam cum iis fraternitatem, qui cum Lapſis hujuſmodi communicarent, nullam enim ibi Eccleſiam eſſe, ubi tolerarentur iniqui. Ac favebat in ſpeciem Paulus, in *Epiſt.* ad Hebræos, *Capitibus* VI. X. *impoſſibile eſſe renovari per pœnitentiam ſemel lapſos*, poſt φωτισμὸν, quem de Baptiſmo interpretati etiam Orthodoxi veteres. Undè & hujus Epiſtolæ auctoritas Romæ aliquamdiu laboravit, quum nodum illum ſolvere neſcirent; ut pluribus noſtra *Diſſert.* de Auctore Epiſt. ad Hebræos. *Invitabant* tamen illi ad pœnitentiam, ſi fortè Lapſi Deum flectere ad miſericordiam poſſent lachrymis, & pœnitentiæ ſordibus, quæ fraudi eſſent nemini; quamvis ipſi Deo rigidiores veniam vel indulgentiam negarent. Operum *puritatem* in primis urſerunt & operum merita; undè & *ſecundas* Digamorum nuptias, contra ſententiam Apoſtoli, 1 *Cor.* VII. 39. & ἀδιάφορα alia, puriores ſanctioreſque reliquis, prohibebant, tales arcentes à ſanctis Myſteriis. Sic rigorem extenderunt ad peccata quævis graviora poſt Baptiſmum admiſſa; *Denegantes miſericordiam Patris, reſpuentes Pœnitentiam Fratris.*

Damnatio Schiſm.

Sed damnati mox, habitis Synodis *Carthagine*, *Romæ*, *Antiochiæ*, auctores hi Schiſmatis, determinatâ ratione diſciplinæ circa Lapſos, prout Libellatici eſſent, vel Sacrificati, ut pluribus Euſebius, *Hiſt. Lib.* VI. *C.* XLIII. & ſeq. Ac præcipui in comprimendis turbonibus fuêre, Cyprianus Carthaginenſis, ut ex ejus Epiſtolis liquet, comprimis ad *Cornelium*, ad *Antonianum*; hinc Cornelius Romanus, Dionyſius Alexandrinus, Firmilianus Cappadociæ, Theocdiſtus Cæſareæ, Helenus Tarſenſium, Epiſcopi. Hi cenſuêre nullum *Peccati* genus à pace Eccleſiæ & Communione prohibere, modò debitam *Pœnitentiam* ſeu *Exomologeſim* agerent; licet Eliberitani Hiſpaniæ Patres, priſtinâ ſeveritate revocatâ, de certis quibuſdam delinquentibus, poſt Baptiſmum, decreturi initio IV. Sec. *Can.* I. II. III. VII. &c. *Placuit eos nec in fine accipere communionem.* Duraturum tamen Schiſma fuit, & in *Hereſim*, ac Donatiſmum abiturum, conſimili Donatiſtarum faſtu erroreque, & tantâ horum pertinaciâ, ut poſteà Conſtantinus Imperat. ad Aceſium Novatianum, *Erigito tibi ſcalas & ſolus in Cœlum aſcendito.* Cujus argumentum eſt, quod *Baptiſmum* à Catholicis adminiſtratum pro nullo haberent, ἀθετοῦντες τὸ ἅγιον βάπτισμα, undè *rebaptizabant* ad ſe venientes, ut Euſebius *Lib.* VII. *C.* VIII. Ac de *Catharorum* Hæreſi quoque Epiphanius, *Hær.* LIX. Auguſtinus, Theodoretus, & Hæreſiologi.

Schiſma inter Stephanum, & Orientales, Afros.

IV. Alterum Schiſma fuit, inter *Romanam* Eccleſiam, & *Africanas*, ac *Orientales*, illinc Stephano Romæ, hinc Cypriano Carthagine, ac Firmiliano Cappadociæ, Epiſcopis, Anno circiter CCLV.

Occaſio nata ex Schiſmate priori, & ex facto Novatianorum, *rebaptizantium* Catholicos ad ſe venientes, ex *Epiſt.* LXXIII. Cypriani ad Jubajanum. Tùm ex Baptiſmo Clinicorum, de quibus quæſitum à Magno fuit, *habendine* pro *legitimis Chriſtianis, eo quod aquâ ſalutari non loti eſſent, ſed perfuſi.* Reſponſum diverſimodè à Cypriano: De Clinicis baptizatis quidem, habendos omninò eſſe pro Chriſtianis; At de conſecutis Baptiſmum per Hæreticos, non idem judicium fuit. Undè factum, ut rebaptizarent ſimiliter *Afri* & *Aſiani* ab Hæreticis tinctos, ac redeuntes ad Eccleſiam Catholicam. Nempè ſupponebat Cyprianus, cum Coëpiſcopis ſuis, poſt *Agrippinum* anteceſſorem, invalidum Baptiſmum eſſe ab Hæreticis, id eſt, damnatis & impiis, adminiſtratum; numquam hujuſmodi fuiſſe ab Apoſtolis admiſſum, quorum tempore *nondum* hujuſmodi *hæreticæ peſtes prorupiſſent.* Pariter & Firmilianus Cæſarienſis, Origenis diſcipulus, ac cum eo Epiſcopi Galatiæ, Ciliciæ, vicinarumque Regionum; tandem & Dionyſ. Alexand. apud Euſebium *C.* VII. *L.* V. dein Hieronymum, in *Cypriani & Synodi Africanæ dogma conſenſit.* Quò faciunt Acta Conciliorum *Carthaginenſium* trium ſub Cypriano, pro Rebaptizandis; item Acta Concilii *Iconienſis*, ex Orientalibus Epiſcopis, contrà Cataphrygas; & Cypriani Epiſtolæ ad Jubajanum, ad Pompejum, ad Magnum, ad Quintum, ad Stephanum quæ eſt LXXII. ac Firmiliani illa ad Cyprianum, quæ eſt LXXV. contrà Stephanum Romanum.

Stephani violentia.

Viciſſim *Stephanus*, Lucii in Romano Epiſcopatu ſucceſſor, Valeriano & Gallieno Principibus, obtendere pro non iterando Hæreticorum Baptiſmo, Apoſtolicam *traditionem*, juxtà quam ſolâ *manuum impoſitione* recipiendi eſſent, qui ab Hæreticis tincti. Undè acerba diſceptatio, ſcripta, invectivæ; ac *literæ* primò *Stephani* ad Cyprianum, quæ tamen non extant, quibus Concilii Carthagin. ſententiam reprobat, & ipſum Cyprianum cæteroſque ὁμοψήφους abſtinendos dicit. Aliæ datæ ad Orientales, ac viciſſim iſtorum ad Ste-

Stephanum reſponſa. Et eo uſque accenſus Stephanus, ut Orientales, qui Iconii convenerant, excommunicandos, ac Synodum ipſam, ut erraticam, reprobandam decerneret. Nec mitior is in Cyprianum, & Africanos. Quanquàm H. Valeſius, & Blondellus quoque noſter, ex Dionyſii Alexandr. quibuſdam vocibus, apud Euſebium, L. VII. C. V. *ὡς ὐδὲ αὐτοῖς κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν*, negent Stephanum ultrà minas proceſſiſſe, *minatum* tantùm *eſſe*, *ſe pacem cum iis rupturum.* Aliter Baronius quantum ad Orientales, & quoque Conciliorum editores, & liquet vel ex Firmiliani ad Gyprianum Epiſt. contrà illam Stephani. In quâ & Stephani inhumanitas perſtringitur, adeò ut legatos *Orientalium* Epiſcopos, ut vellet Baronius, imò & Legatos *Afrorum*, *qui à Meridie eſſent*, non ſolum alloquio, communione, ſed & *tecto* & *hoſpitio* prohiberet, ipſumque inſuper Cyprianum *Pſeudo-Chriſtum*, *Pſeudo-Apoſtolum*, *& doloſum operarium*, diceret. Quam negationem communionis non tantum *facti* fuiſſe, quales frequenter acciderunt, ſed & *juris*, fruſtrà Baronius, Perronius, & gnathones contendunt.

Reprehenſus idem. Undè ex adverſo Cyprianus, in *Epiſt.* ad Pompejum Sabratenſem in Tripolit. Epiſc. quæ eſt LXXIV. accuſare Stephani *ſuperbiam*, *imperitiam*, *improvidam* inconſtantiam, *obſtinationem duram*, *præſumptionem*, *contumaciam*, & quam obtenderet Stephanus *conſuetudinem*, vocare *vetuſtatem erroris.* Firmilianus quoque Cappadox, in memoratâ *Epiſt.* LXXV. cætera vir probatæ *æquanimitatis*, ipſi Rigaltio, *ἀνὴρ ϖελφανὴς, ἢ ἑκατέρας γνώσεως ἠκριβωμένας ἔχων τὰς ἕξεις*, ut Nicephorus *Hiſt. Eccl.* L. VI. poſtulare Stephanum *inhumanitatis*, *audaciæ*, *ſtultitiæ*, *imperitiæ*, *Schiſmatis*, *furoris*, *contumaciæ*, &c. fruſtrà *gloriatum de Epiſcopatûs ſui loco*, *& ſucceſſione Petri.* Quam Firmiliani cenſuram, Græcè ab eo conſcriptam, Latinè autem verſam à Cypriano, non ferens Baronius, multis in ipſum invehitur, ad A. CCLVIII. N. XLIV. prodens affectum eum ipſum quem fingit in Firmiliano: Hunc ſcilicet *iracundiæ igne ſuccenſum*, *& inflammatum fuiſſe*, *furore concitum*, *erumpentem in convitia*, *in contumelias*, *in probra ferri præcipitem*, *ſemelque tetri odii offuſâ caligine*, *falſa à veris minùs valuiſſe diſcernere.* Alii verò, ut Pamelius ad Cypr. Latinus Latinius, in Bibl. Sacrâ, & qui plures ejus farinæ ſunt, vellent Epiſtolam conſultius omiſſam, & æternis tenebris damnatam fuiſſe, quod tamen non licuit per conſenſum Mſſ. Codd. Tandem urget Baronius, Firmilianum *poſteà ad meliorem frugem redditum*, *& communioni Catholicæ reſtitutum*, *ac in Eccleſiæ pace piè ſancteque defunctum*, *Græcos colere & venerari.* An quia à Stephano diſſideret, aut ab ipſo Stephanus, hoc ipſo credendum excidiſſe communione *Catholicæ Eccleſiæ?* Aut quia in *pace Eccleſiæ* piè ſanctèque mortuus, hoc ipſe mutaſſe ſententiam cum omnibus Aſianis, perſuadebit Baronius? Et quamquàm mitigati deinceps animi fuerint, ac *unitatis* pax utcunque retenta inter *Cyprianum* & *Stephanum*, ſervatâ *fratris* appellatione, ex *Epiſt.* ad Pompejum, & Auguſtino contrà Petilian. *An Afri, & Orient. ſent. tum mutaver.* Donatiſtam, C. XIV. tamen *Afros*, inter quos primùm hæc de Anabaptiſmo ſententia viguit, & controverſia cum Stephano exarſit, tum *Orientales* & Aſianos, permanſiſſe in ſententiâ ſuâ, ac Hæreticos nihilominùs rebaptizaſſe, fatetur ipſe Valeſius ad *Librum* VII. *Hiſtoriæ* Euſebianæ, *Cap.* V. Et nuper Natalis Alex. compilator Hiſt. Eccleſ. *Tomo* V. Diſſert. XII. *Artic.* II. *deceptum fuiſſe Baronium*, imò *fingere* de ſuo, dum ait *Firmilianum*, & cæteros *Orientales errorem ejuraſſe.* In quo refellitur Baronius, tum ex literis *Dionyſii Alex.* ad Sixtum, de quibus *Euſeb.* L. VII. C. V. in quibus ille ſententiam eandem, quæ Firmiliani & Cypriani fuit, tuetur; tum ex teſtimonio Baſilii, *Epiſt.* Canonicâ I. ad Amphil. in quo diſertè *Cyprianum* & *Firmilianum* adducit, ut qui in eadem ſententiâ permanſerint, de *rebaptizandis Hæreticis.* Et Auguſtinus *Ep.* XLVIII. de Cypriano; *Correxiſſe iſtum ſententiam non invenitur.* Fallit igitur Baronius ad A. CCLIX. *Num.* I. II. III. IV. dum & Orientales & Cyprianum ipſum, abjecto errore, conceſſiſſe in ſententiam Stephani hariolatur. Dionyſius Alex. certè citatus Baronio, *Num.* I. *omnes ubique Eccleſias*, *inter ſe pacem iniiſſe*, ex Euſeb. *Libro* VII. C. IV. apertè conciliationem reſtringit ad damnationem *Novatianæ νεωτεροποιίας*, quam Cyprianus, Frimilianus & alii æquè reprobarunt, ac Stephanus. Undè ergò Baronius habuit, totam Aſiam & Africam reſipuiſſe, & conceſſiſſe *omnes* in ſententiam Stephani? Annon etiam eò conciliatio ſpectare potuit, ut nihil obſtante diverſitate ſententiarum, circà Baptiſmum ab Hæreſi venientium, concordia inter Eccleſias obtineret? Quo magis Stephanus anathematiſmos ſtringere cogitaverat, & præcipua mutatio in Stephano ipſo fuit, qui fervorem illum cohibuit, ac ſententiam fulminantem revocavit. Epiſtola *Dionyſii*, cujus meminit Euſebius, non extat. Indè pleniùs conſtaret, in quo convenerit tunc quidem inter Afros, Aſianos, & Italos. Reverà utrimque peccatum fuerat, in univerſali illo aſſerto: Cypriani nempè, *nullum* ab *Hæreticis*, aut *Schiſmat. baptizatum*, poſt ad Eccleſiam reverſum, *ſine* legitimo *Baptiſmo* recipiendum eſſe; Stephani autem, *omnes* ab *Hæreticis quibuſcunque baptizatos*, reverſos ab Hæreſi, recipiendos omninò eſſe *ſine Baptiſmo*, ſive *Baptiſmum in nullo iterandum eſſe*, ut explicat Auguſtinus, *Libro* de Unico Bapt. contrà Petilianum, C. XIV. Quam poſteà Controverſiam prudenter Synodus Nicæna diremit. Pax interim ſervata, poſtquam ira *Stephani* deferbuit, moxque vivendi finem fecit, *Xyſto* Succeſſori locum facturus; qui eodem cum Cypriano anno, id eſt, Chriſti CCLVIII. martyrio coronatus eſt.

IX. *Perſecutiones hoc Seculo in Eccleſiam continuatæ.*

I. CAuſæ eædem quæ ſuprà, ad II. Secul. *col.* 652. 653. *Cauſæ.* Calumniæ cumprimis in Chriſtianos nefandæ, & impacta iis crimina, quæ diluunt Origenes *contrà Celſum*, Tertullianus ad *Scapulam*, & in *Apologetico*, Cyprianus ad *Demetrianum*, Arnobius adverſus *Gentes.* In ſpecie accuſatio *Magicarum* artium, *μαγείας συκοφαντία*, cui *Exorciſmi* Chriſtianorum, & miraculoſæ quandoque *Sanationes*, anſam dediſſe videntur; veriùs quàm fabellæ, qualis illa de Dæmone ad preces *Nemeſii* invadente V. Maximum Conſul. & ſuffocante, in *Actis Stephani*, quæ profert ex Metaphraſtâ Baronius, ad A. CCLIX. N. XXIV. Ità in *Paſſione S. Perpetuæ & Felicitatis* ſub Severo, cujus meminit Tertullianus, de *Animâ*, C. LV. ut illam quoque ex Codd. MSS. antiquis nuper ediderunt (cum Lactantio de Mortibus Perſec.) Oxonienſes: Dicuntur metuiſſe Perſecutores & *Tribunum*, ne Fœminæ *ſubtraherentur de carcere*, *incantationibus aliquibus Magicis.* Sic accuſationes conſuetæ, *Sacrilegii*, *Seditionum*, molliminum in Rempubl. item quod à Chriſtianis profectum, quicquid eſſet publicarum Calamitatum. Hinc inſanum Vulgus in eoſdem excitatum, mox reſcripta *Principum*, & cruenta facta *Præſidum.* Acceſſit odium in *Judæos*, ſubindè rebellantes, ut factum ſub Severo, qui tandem *Judæos fieri vetuit ſub gravi pœnâ*, confundendos à Gentilibus plerumque cum Chriſtianis, ut ſuprà animadverſum, ex Tacito, Suetonio, Dione, Hadriano apud Fl. Vo-

piſcum. In ſpecie, ea quæ invaluerat opinio *Millenariorum*, de *Regno* Chriſti *terreno*, & ſic de tollendo brevi Romano Imperio, augebat ſuſpicionem Chriſtianos aliquid in Rempubl. machinari, aut Rom. Imperio infeſtos eſſe. Acceſſêre qui frigidam ſuffunderent, & iniquiſſimus, inter alios, in Chriſtianos fuit *Domitius Ulpianus* JC. qui reſponſis ſuis, (ut adhuc infrà) facile perſuaſit Principibus, jure fieri quæ in Chriſtianos decernerent. Acceſſit & Imperatorum quorundam ingenium ferox, crudele, ut *Severi*, *Maximini*, *Aureliani*, *Diocletiani*; cumprimis illud Præfectorum ac Præſidum in Urbe, & Provinciis. Denique & *imprudens* quandoque *zelus* Chriſtianorum, Simulachra, Altaria, Delubra, deſtruentium; ut factum eſſe ab Eccleſiis Ponti refert Nyſſenus in *Vitâ Thaumaturgi*, *pag.* 567. unde irritati Gentilium animi, & *Deciana* mox perſecutio nata.

Sexta Perſec. ſub Severo.

II. *Sexta* autem Perſecutio, juxtà Sulpicium Severum, (quæ aliis demum *quinta*, ut Euſebio, Oroſio, & aliis qui ex Euſebio ſapiunt) excitata fuit ſub *Severo* Imperatore, poſtquàm aliqua fuiſſent Chriſtianis halcyonia ſub Commodo, Pertinace, Juliano, Principibus. Quin etiam prioribus Imperii annis *Severum* faviſſe Chriſtianis, reſtitiſſe furenti in eos plebi, exornaſſe viros fœminaſque quos *hujus eſſe ſectæ ſciret*; fortè quod comperiſſet neminem eorum ſtetiſſe à partibus *Peſcennii Nigri*, vel *Albini*, ut iſtud à moribus Chriſtianorum vehementer abhorruit; *nunquam Albiniani, nec Nigriani, nec Caſſiani, inveniri potuerunt Chriſtiani*, Tert. ad Scapul. C. II. Ità refert Septimius, *Proculum* quendam, *Torpacionis* cognomento, hominem Chriſtianum, ſic placuiſſe Severo, ut habuerit *in Palatio ſuo uſque ad mortem, & quem Antoninus optimè noverat, lacte Chriſtiano educatus*. Quippe qui Proculus, *Euhodi* procurator τροφέως ſeu Nutricis Caracallæ, decumbentem patronum ſuum *per oleum* aliquando miraculoſè *curaſſet*, additâ impoſitione manuum, Chriſtiano ritu, ut vigebat adhuc in paucis donum Sanationum, & cujus rei teſtes facit Tertullianus *ipſum Severum* & *Antoninum* filium. Conjecturas de *morbo*, an σεληνιαζόμενος vel epilepticus; ſic de nomine *Torpacionis*; & de *Proculo*, cui cognominis hoc Ævo inſignis Montaniſta, (quem Euſebius Πρόκλον dicit, & Photius *Cod.* XLVII.) aliis relinquimus.

Tempus fuit, annus Chriſti, ſecundum Euſebium CCIII. aliis CCII. Severi Imperatoris X. ipſomet III. & Antonino filio Coſſ. Quamvis ſequente demùm Anno *Decennalia* Severi Imp. celebrata fuerint; & Chronicon Alexandr. Perſecutionem inchoet ab anno præcedente, Severi Imp. IX. Certè ſecutus Scriptorem qui annos putavit Olympiadum, incipientes ab æſtate. Equidem annum Severi X. fuiſſe illum flagrantis perſecutionis, probavit Diſſertatio de LXX. *ſeptimanis Danielis*, quam *Judæ* cuidam Scriptori Eccleſiaſt. hujus temporis tribuit Euſebius *Hiſt.* L. VI. C. VII. & Hieron. in *Catal.* in quâ nempè ſiſtit ſupputationem temporum in Severi X. quem noviſſimum Mundi exiſtimavit, revelando tum Antichriſto.

Occaſio hujus Perſecutionis non una fertur. 1. Defectio *Judæorum* in partibus Syriæ, & Palæſtinæ; unde Spartianus Annum, quo Caracallæ *virilis toga* à Patre conceſſa, ineunte XIV. ætatis, nobilitatum ſcribit *triumpho* ejus *Judaico*, quem illi decreverat Senatus, A. Severi IX. redeunte Severo ex bello Parthico; quando tranſiens per Syriam & Palæſtinam Alexandriam petiit. Eâ occaſione in Palæſtinâ agens, publicavit Edictum, quo *Judæos* (ità Spartianus) *fieri ſub gravi pœnâ vetuit, & idem de Chriſtianis ſanxit*. Cujus mens non alia fuiſſe videtur, quàm ne liceret *Gentilium* cuiquam vel *Judaicam* religionem, vel *Chriſtianam* amplecti; ut non multum diſcriminis inter utramque poſuêre: Quanquam non intrà hos terminos ſtetiſſe vel Severum, vel Præſides Provinciarum, in aperto ſit. 2. Frequentia *Converſionum* ut videtur, ex Tertulliano ipſo intellecta, in *Apologetico*, & *ad Scapulam*; inductis ad fidem Gentil. ad viſam Chriſtianor. innocentiam, ſimplicitatem morum, conſtantiam, miracula, exorcizatos Dæmonas, procul fraudibus, lucro, ſola ſpe futuræ gloriæ. 3. Renovatæ *calumniæ* veteres in Chriſtianos, ut reos Majeſtatis, hoſtes Imperii, expectantes aliud Regnum; &c. Undè in Actis Perpetuæ & Felicitatis, dicente Præfecto, *Fac ſacrum pro ſalute Imperat.* ad quæ Perpetua, *Non facio, Chriſtiana ſum*. Sed de calumniis antè dictum fuit.

Loca Perſecutionis fuêre toto Orbe Romano, in Ægypto, Africâ, Romæ, in Galliis, aliiſque Provinciis, accedentibus ad Edictum Principis clamoribus Populorum, ac ſævitiâ Præſidum. Maximè verò graſſata eſt in Ægypto, quò primùm appulit Imper. ſtatim à decretâ Perſecutione, & in vicinâ Thebaide, ubi ingens multitudo Judæor. ut teſtis eſt Euſebius *Hiſt.* *Lib.* VI. C. I. Ducendis plerumque Alexandriam Martyribus, tanquam ἐπὶ μέγιστον Θεοῦ στάδιον, in quo certarent relaturi Coronam. Hîc inclaruit, initio ſtatim Perſecut. martyrium *Leonidæ* Patris Origenis, & Martyrii ingens in *filio* deſiderium, ac in Martyribus erigendis fiducia; De quo & perſecutione Alexandrinâ, Euſebius, Hiſtoriæ *Lib.* VI. C. I. II. III. IV. V. *Biennium* tantùm duraſſe Perſecutionem contendit Doctiſſ. Dodwellus, *Diſſert.* de Paucitate Martyr. *Num.* XLI. uſque ad A. Severi XII. quando Ludos Seculares *octavos* exhibuit Severus Imp. ne tantam celebritatem ſcilicet commacularet fuſio Chriſtiani ſanguinis. In quo Anno, dicit in *Chron.* Euſebius, & ex eo Hieronymus, *Jobelæum* Judæorum *invenimus à majoribus celebratum*. Sed diutiùs duraſſe Perſecutionem, toto Severi Principatu, imò ſub Caracallâ, ſub quo ſcripti Libri, ad *Scapulam* in Africâ perſequentem, *Apologeticus* ad Præſides Provinciar. & Hortatio *ad Martyres*. Scripti certè annos aliquot à cœptâ Perſecut. quæ A. CCII. ut Doctiſſimi viri ſentiunt, R. Allixius autem anno demùm CCXVII.

Martyres alii ſub Severo inclyti, initio ſtatim Perſecutionis, feruntur præ cæteris *Irenæus* Lugdunenſis, Martyrum Lugdunenſium facile princeps, & *Victor* Romanorum Epiſcopus. Illum quanquàm *Martyrem* fuiſſe neget H. Dodwellus, *Diſſ.* III. in Irenæum, nec uſquam dici talem à Tertulliano, Euſebio, Baſilio, Epiphanio, Auguſtino, incerto etiam Martyrii anno, & *Actis Paſſionis* deperditis, ut fatetur Baronius ad An. CCV. N. XXVIII. Sed & *Fœminæ* martyrio inclytæ memorantur, cum primis *Potamiæna* Virgo Alexandr. cum *Marcellâ* matre, Euſeb. L. VI. C. V. Sic *Perpetua* & *Felicitas*, memoratæ etiam Tertulliano, Auguſtino, paſſæ in Africâ, & Carthagine quidem, non (ut vulgo) apud Tuburbum Mauritaniæ, initio ferè Severianæ Perſecut. circà A. CCIII. *Hilariano* Procuratore, loco defuncti Proconſ. Minucii Firmiani, *Optato* autem Cart. Epiſcopo, qui in locum Agrippini ſucceſſerat. Intelliguntur hæc ex Actis *Paſſionis*, quæ eruit ex MS. Vaticanæ Bibliothecæ Lucas Holſtenius, cum Præfat. H. Valeſii; & ediderunt quoque nuper cum Notulis Oxonienſes, unà cum Lactantio de *Mortibus Perſecutorum*. Cæterùm ut ut atrociſſima hæc Perſecutio fuerit, adeò ut quidam hinc πλησιάζειν *imminere Antichriſti adventum* opinarentur, apud Euſebium *Hiſt.* L. VI. C. VII. interim & Romana, & Alexandrina, & Hieroſolymitana, & Cæſarienſis, & Africanæ Eccleſiæ floruerunt eo tempore præclaris Antiſtitibus, ac Doctoribus: Ut Zephyrino, Heraclâ, Demetrio, Serapione, Narciſſo, Alexandro, Clemente Alex.

Ter-

Digitized by Google

Tertulliano, Origene, &c. Quare non pariter ubique, nec toto *Severi* principatu, graſſata hæc Perſecutio videtur. Et Tertullianus, ad *Scapul.* C. IV. memorat plures Præſides Provinciarum, certè Africanarum, qui *diſſimulaſſe* dicuntur *ab hujuſmodi Cauſis*, quas obtendebant Populi, & *humanitatis meminiſſe*. Tales *Cingius* vel *Cincius Severus*, de quo Lamprid. & Spartianus, in *Sever. Veſpronius Candidus* Verus; C. *Julius Aſper* Conſul A. CCXII. cum alio cognomine; *Pudens*, quales duo Conſules fuerant A. CLXV. CLXVI. primæ dignitatis Viri, quos in Africâ Præſides aut Proconſules fuiſſe nihil intercedit: Qualiter Scapula Tertullus, Conſ. A. CXCV. poſteà futurus Africæ Proconſul, ſub *Caracallâ*, & ad quem ſcripſit Septimius, Anno CCXVII. ut poſt Scaligerum, Holſtenium, alios, Rev. Allixius *Cap.* IX. Alii verò citius Anno CCXI. mortuo nuper Severo. Qui Scapula imitaturus fuit crudelitatem *Vigellii Saturnini*, *qui primus gladium in nos egit*, ut idem Scriptor, nec tamen illi *immediatè* ſucceſſurus, ut gratis Baronius ad A. CCIII. id eſt, Æræ Vulg. CCI. quando nulla adhuc Perſecutio fuit. At *Caracalla*, quantumvis ſævo & immiti, aliæ curæ deinceps fuerunt, quàm perſequendi Chriſtianos; & qui feruntur Martyres innumeri utriuſque ſexûs, in recentioribus Martyrol. Adonis, Uſuardi, &c. & apud Surium, Baronium, Bollandum, ſimiles, deſtituuntur legitimis tabulis.

Sexta ſub Maximino. III. *Septima*, verius *ſexta*, accidit ſub *Maximino* Thrace, Principe ad omnem ſævitiem nato, φύσει τὸ ἦθος, ὥσπερ καὶ τὸ γένος, βαρβάρῳ, alii ipſo ſtatim exordio Imperii, circà A. Chriſti CCXXXV. Euſebius verò notat A. CCXXXVII. & *ſextam* Perſecutionem vocat, ut & Hieronymus, Oroſius, Auguſtinus. Sulpicius autem Severus nullam ſub Maximino refert, niſi in quoſdam *Clericos*, ut cui *novem* tantum Perſecutiones memorantur. Et hæc *poſt longam retrò ætatis pacem repente oborta*, certis in Aſiæ locis, in Epiſt. Firmiliani Cappadociæ Epiſcopi, apud Cyprianum, quæ eſt LXXV. Nempè Eccleſiam rerum ſuarum ſatagere permiſerat *Caracalla*, lactè Chriſtiano educatus, ut ſuprà; *Elagabalus*, cultor unius Dei, & propenſior in Judæos, & Chriſtianos, cætera monſtrum *horrendum*, *informe*, *ingens*; *Alexander Severus*, deliciæ generis humani, (ſi Juliani Scommata excipias, in *Cæſarib.*) qui Chriſtum in Larario ſuo habuit, & in numerum Deorum relatum optavit, teſte Lampridio, & de cujus matre *Mammæâ* diximus ſuprà *Cap.* II. Imò ex dicto Firmiliano, & ex Euſebio conſtat, non tàm hanc fuiſſe *generalem* in omnes quaquaverſùm Chriſtianos perſecutionem, quàm *localem*; *Erat tranſeundi facultas*, *eo quod Perſecutio illa non per totum mundum*, *ſed localis fuiſſet*. In ſpecie ſæviit in *domum* vel *familiam Alexandri* Severi, à Maximino ſublati, in quâ plerique Chriſtiani; hinc in Eccleſiæ *Doctores* & *Antiſtites*, ut Religionis auctores, τοὺς τῶν Ἐκκλησιῶν Ἄρχοντας μόνους, ὡς αἰτίους τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας, ἀναιρεῖσθαι προστάττει. *Hiſt.* Euſebianæ L. VI. C. XXVIII. Quanquàm in Africanos Antiſtites ſæviiſſe non legimus, & Optatus *Lib.* III. Contrà Parmen. meminit tantùm Decianæ & Dioclet. Perſecutionis. Tùm verò ad conſtantiam hortatus eſt Origenes, Libro in hanc rem ſcripto de *Martyrio*, dum Cæſareæ latitaret. Et inter martyres illuſtriores fertur *Pontianus* Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, in Sardiniam ante relegatus, cui *Anteros* ad breve tempus ſucceſſit, ut in Epiſcopatu, ſic in martyrio. De iſto Baronius, ad A. CCXXXVII. *Num.* X. biennii errore, ut ſolet. Nec omittendus inter Chriſti Confeſſores *Ambroſius*, ex Valentini & Marcionis diſciplinâ ab Origene converſus ad veram Chriſtianam fidem, ſub *Caracallâ*, vir ut ingenio, doctrinâ, ſic opibus florens, ſummus admirator Origenis, ſtudioſus indefeſſus Scripturarum, ἐργοδιώκτης Origeni ad varias in Scripturam lucubrationes; ſuppeditatis etiam ſumptibus neceſſariis ad alendos ταχυγράφους, minimùm ſeptem, qui dictata Origenis exciperent, ut καλλιγράφους plures mercede conduxit, qui elegantiùs ea deſcriberent; ſicut ex variis Origenis Ambroſio inſcriptis conſtat, & c. Celſum, ad African. Comment. in Johannem Lib. I. &c. Euſebius *Hiſt.* L. VI. C. XVIII. XXIII. poſt eum Hieronymus, Cedrenus, Suidas, Nicephorus. Hic igitur *Ambroſius* (poſtquàm *Origenem* fruſtrà quæſiviſſent Perſecutores, per quem tot incrementa accepiſſet Chriſtiana religio, latitantem Cæſareæ Cappadociæ, apud Julianam opulentem fœminam, cum Firmiliano ejus Epiſcopo) apprehenſus, cum Cæſarienſis Eccleſiæ Presbytero *Protoctete*, poſt rapinam bonorum, probra, perpeſſiones varias, mirâ in fide conſtantiâ, tandem liberati ſunt; ſeu morte Tyranni Maximini, ſublati anno CCXXXVIII. ſeu mutationibus ſub eo exortis: *Gordiano* Africæ Proconſule ad Imperium admoto, mox & *Maximo*, *Balbino*, & *Gordiano* Juniore, anno antè necem Maximini. Et in gratiam potiſſimùm hujus Ambroſii, ſcripſit Origenes Προτρεπτικὸν εἰς Μαρτύριον, in Cæſarienſi ſuo latibulo, Libellum verè aureum, doctum, patheticum, inſcriptum *Ambroſio* θεοπρεπεστάτῳ, & Protocteti εὐσεβεστάτῳ, quem Græcè edidit primus Joh. Rod. Wetſtenius, Vir de re literariâ præclarè meritus. In quâ verò *Germaniâ*, nam εἰς Γερμανίαν dicit abductos Origenes, Προτρεπτ. p. 207. an Urbem velit, ſeu Γερμανόπολιν Paphlagoniæ, apud Ptol. (ubi tamen legendum Γερμανικόπολις, ut conſtanter in Nummis, apud Vaillantium, Morellium, Harduinum, alios, & apud Juſtinian. *Tit.* VIII. *Nov.* XXIX. C. I.) an verò Γέρμην quæ ἱερὰ Ptolomæo, ad Helleſpontum; an Γερμανίαν in Africâ; vel potiùs *Germaniam* regionem Europæam, difficile eſt definire. In hac certè Maximinus diu bello implicitus fuit, indè in Pannoniam tranſiturus, *Germanorum* militum abducto σὺν οὐ καταφρονήτῳ ἀριθμῷ *non contemnendo numero*, ex Herodiani *Hiſt. Lib.* VII.

IV. *Octava* vulgò, quæ veriùs *ſeptima* aliis, eademque cruentiſſima omnium ſub *Trajano Decio*, vel *Decio Trajano*, (utrumque in Nummis) laudato Principe, *Optimi* cognomento; ſed in Deos effusè ſuperſtitioſo, oſore etiam Philippi Arabis, ſub quo meliora Chriſtianis tempora, apud Euſebium *Lib.* VI. C. XXXIX. Quanquam *Alexandriæ*, vivis adhuc Philippis, A. CCXLIX. ortam eſſe gravem Perſecutionem in Chriſtianos, ſed nullo Principum edicto, ſolo tumultu & clamore populari, *anno integro* antè Decii illam, teſtis ſit Dionyſius Alexandr. apud Euſebium L. VI. C. XLI. & *Lib.* VII. C. XXII. Quæ tandem ceſſavit circà Feſtum Paſchatis, ſuccedente civili bello, ex evectione Anti-Cæſarum *Papiani*, & *Marini*, mox *Decii*, ut apud Zozimum videre eſt. Decianæ verò Perſecutionis, circà medium Seculum III. inchoatæ, A. ſcilicet CCL. poſtquam Romam adveniſſet Decius, prolixè Cyprianus, Dionyſius Alexandrinus, Euſebius, Sulpicius, Oroſius, aliique meminerunt. Lactantius autem, Libello de *Mortibus Perſec.* hanc demum facit ordine tertiam. *Sed enim poſteà longa pax* (quam ſcilicet fruita Eccleſia ſub *multis & bonis Principibus*, qui Domitianum exceperunt) *rupta eſt: Extitit enim poſt annos plurimos execrabile animal Decius, qui vexaret Eccleſiam.* Hactenus enim, indulgentiâ priorum Principum, ſi trucem Maximinum excipias, fuerant Eccleſiis quædam halcyonia, variis in locis palàm in Ædes Sacras congregandis ad Sacra; florentibus tum maximis Eccleſiæ Luminibus, Gregorio Neo-Cæſar. Fabiano Romano, Babylâ Antiocheno, Firmiliano Cæſar. Cappadoce, Cypriano Carthaginenſi, Septima ſub Decio. Orige-

Origene Adamantio, quibuſdam etiam Hippolyto Portuenſi Epiſcopo. Quæ Chriſtianæ fidei incrementa *Decium*, addictiſſimum Diis ſuis, & Gentilium ſuperſtitionibus, (magnis aliàs virtutibus decoratum) avertendæ ſcil. *iræ Deorum*, ad exterminium Chriſtianorum impulerunt, ut *cauſas calamitatum*, propoſitis ubique in Chriſtianos *Edictis*, quæ *Nyſſenus* in Vitâ Thaumaturgi, quaquaverſum ad Præſides Provinc. miſſos dicit. Quæ adeò terribilia (φοβερώτατα) fuerunt, referente Dionyſio Alex. apud Euſebium *Lib.* VI. C. XLI. ut quemadmodum plurimorum conſtantia & fides eminuit, ità alii ſe puſillo animo eſſe monſtrarent, & ad *moriendum*, & ad *ſacrificandum Idolis*, plures verò palàm deficerent, & *Chriſtianos* ſe eſſe pernegarent, *prædicente Domino*, ipſos Electos, *εἰ δυνατὸν*, ſeducendos. Hinc *metatorem* vel præcurſorem *Antichriſti*, dicebat Lucianus Ep. ad Celerinum, quæ *Cypr.* XX. *execrabile animal* Decium vocavit Lactantius, cæteroſque comparatè *bonos Principes*; eundem medium inter *Neronem* & *Maximianum* ponit Hilarius, Libro adverſus Conſtantium N. 8. eumque Optatus Milev. contrà *Donat.* L. III. p. 71. confert cum *primâ beſtiâ* quæ è mari aſcendit, apud Danielem, *Leonis* ſpecie, nempe *Decium* & *Valerianum*; Et Prudentius contrà Symmach. *Lib.* II. *Poſt hunc* (Neronem) *& Decius jugulis bacchatus apertis*, *Inſanam pavit rabiem*; undè *furentem contrà Deum* dicit Firmianus.

Martyres ſub Decio, & Confeſſores.

Innumeri hac perſecutione *Martyres*, & quaquaverſum, quanquàm infrà *biennium* terminandæ, cum vitâ Decii. Prolixus iſtorum Catalogus apud ipſum Euſebium, *Lib.* VI. C. XLI. XLII. multa etiam in *Epiſtolis* Cypriani: Ut Martyrologia, Menologium Græcorum, & Nicephorum, alioſque mittamus, miſcentes veris fabuloſa, qualiter & ipſe Baronius, ex Actis Apocryphis. Quomodò & in ſuppoſitis ferè habendum, *Edictum illud Deciorum* Patris, & Filii, in Galliis inter Miſcellanea editum, Toloſæ, A. 1664. & ex Hiſtorico Chriſtiano excerptum, ut videtur. Quod ſe prodit vel ipſâ *Inſcript.* alienâ à moribus ejus temporis, & Titulis Imperator. qui ſimpliciter ſe inſcribebant, *Auguſtos*, *Pios*, *Felices*, addito *Conſulatu*, aut annis *Tribun. Pot.* non verò *Religioſiſſimos*, *Invictiſſimos*, *Triumphatores*, *Piiſſimos*, *una cum totius Romanæ Militiæ Principibus*, &c. Quod Edictum Tillemontius Gallus profert in *Perſecutione Decii*, T. III. P. I. Tamen ex hoc patet, quod per gradus hæcce proceſſerit! & primò quotquot Sacra Diis facere recuſarent, *carceribus*, hinc *cruciatibus*, tandem *morte* cruentiſſimâ, flammis, laniatu beſtiarum, &c. punirentur, quæ & *Cl. Dodwelli ſententia* eſt, *Diſſert.* XC. §. LIII. &c. In Martyribus eminuerunt *Epiſcopi varii*, uti pietate ac meritis, *ſic conſtantiâ* inſignes; *Fabianus* Romanæ Eccleſiæ, initio ſtatim martyrio conſummatus, d. XX. Januar. tùm *Babylas* Antiochenæ, *Alexander* Hieroſolymitanæ, alii Antiſtites pii, in quos inprimis exarſit Perſecutionis furor. Ac *Babylæ* quidem ſenis, qui *Imperatorem* prohibuiſſe dicitur aditu Eccleſiæ Antiochenæ, (qui Euſebio Philippus eſt *Lib.* VI. C. XXXIV. at Philoſtorgio *Lib.* VII. & Suidæ in Βαβυλᾶς, vel Decius, vel Numerianus, quos cupido inceſſerat Eccleſiam ingredi) reſponſum animoſum, *ſe quantum in ſe eſſet*, *non viſurum Lupum in gregem Domini irruentem*; hinc ſecutos compedes, carcerem, martyrii conſtantiam ſub Decio; ſocios certaminis *tres Pueros*, à ſe inſtructos, & præmiſſos; ultimas denique Epiſcopi voces, quibus & animam ſuam, & Pueros erexit, & *catenas* ſuas unà cum corporis exuviis ſepeliri voluit, ut futurum in Reſurrectione ornamentum; iidem Auctores referunt.

Cyprianus etiam Carthaginenſis, quæſitus ad necem, ac ſæpè poſtulatus *ad leones*, in Circo, in Amphitheatro, hinc ſecedere coactus fuit, divinâ monitione, ex *Epiſt.* IX. Frequentibus is tamen in ſeceſſu iſto literis, ardentiſſimiſque precibus, Eccleſiæ ſuæ præſens; ad quam mox ab exceſſu Decii, poſt biennii exilium, reverſus eſt, ſed Novati jam ac Feliciſſimi molitionibus turbatam, occaſione *Lapſorum*, ex cruentâ & immani perſecutione. Seceſſit & in ſolitudinem *Gregorius Neo-Cæſarienſis*, cum grege ſuo, Nyſſeno in ejus Vitâ teſte, qui perſecutionem deſcribit, p. 567. &c. Horumque exemplo prope innumeri, latebras quæſiverunt, & ipſe *Dionyſius Alexandrinus*, reverſurus Alexandriam, remittente perſecutione, A. CCLI. circà feſtivitatem Paſch. ex Euſebio, *Hiſtor.* I. L. VII. C. XXI. Placidè tandem moriturus ſub Gallieno, anno XII. ut Euſeb. L. VII. C. XXVIII. Confeſſores alios, etiam Martyres, conſtantiâ eminentes, inter cruciatuum inaudita, Viros, Fœminas, Pueros, in omnibus penè Orientis, Africæ, atque Europæ partibus, ex dictis Scriptoribus prolixè referunt Magdeburgenſes, *Cent.* III. C. III. cumprimis Surius, Bollandus, Florentinius, &c. & Baronius in *Annal.* ad A. CCLIII. CCLIV. & Notis ad Martyrologium. Verùm *Actis* innumeris *Martyrum*, quales fervente hac Decianâ perſecutione memorantur, & tanquam ex Hieronymo, Greg. Nyſſeno, Bedâ, Adone, Uſuardo, & veteribus Menologiis aſſeruntur, nulla fides. V. gr. Actis S. *Abdonis*, S. *Secundiani*, S. *Magni*, S. *Fuſci*, S. *Chriſtophori*, S. *Tryphonis*, S. *Carpi*, S. *Maximi*, S. *Acacii*, S. *Luciani*, &c. ſic Sanctæ *Anatoliæ*, S. *Victoriæ*, S. *Agathæ*, S. *Nymphæ*, aliarum id genus, nullam vel certè ambiguam fidem habent Docti recentiores, qui norunt diſcernere genuina à nothis & fabuloſis. Sanè facilius fore dixit *Nicephorus*, Hiſt. L. V. τὴν ψάμμον ἀναμετρεῖν *arenam maris numerare*, quàm Martyres omnes recenſere, qui nempe Tabulis id genus, Actis, Catalogis, Vitis Sanctorum, aut Geſtis, celebrantur. Ipſe *Gregorius Nyſſenus*, in *Vitâ Gregorii* Thaumaturgi (quam toto poſt Gregorium Seculo & ultrà adornavit, ex vulgatis & febriculoſis plerumque narrationibus, fabellis, traditione orali, nullo autem hujus Ævi genuino Teſte) miræ vel in credendo, vel in narrando facilitatis, ne quid gravius dicam, notam meruit apud omnes qui vera æſtimare didicerunt. Qui *Gregorius* Neo-Cæſareæ Epiſcopus, graſſante hac Perſecutione ſub Decio, cum ipſe fugâ ſibi conſuluit, tum aliis ut idem facerent auctor fuit; dicens *eſſe meliùs fugiendo ſuas conſervare animas*, *quam*, *ſi ſtarent in acie certaminum*, eſſe ordinum fidei deſertores ſic ſi fugâ *fidem ſervarent*, quod *ſuo exemplo* probavit, ut Nyſſenus in ejus *Vitâ*, T. III. Operum, p. 569.

Sed & plurimi hac Perſecutione *lapſi*, & *apoſtatæ*, quibus oppoſiti *ſtantes*; cumprimis in Africâ, & Ægypto, Alexandriæ, Carthagine, &c. teſtibus Dionyſio Al. in *Epiſt.* ad Fabium Antioch. apud Euſeb. & Cypriano in *Epiſtolis*, LVI. &c. Lapſi illi fuêre tùm *Sacrificati*, tùm *Libellatici*, ac qui *Traditores* dicti, de quibus ſuprà Cap. V. de Eccleſiæ Diſciplinâ. Undè graves querimoniæ Cypriani, & Epiſtola de *Exhortatione* ad *Martyrium*, quæ Pamelio eſt LXXXI. quam ſcripſiſſe cum in ſeceſſu ſub Decio, multis probat Pearſonus, *Annal. Cypr.* A. 250. & ordine VI. apparet in Edit. Anglicanâ. Tandem ex abſentiâ Cypriani, ſumpſit *Novatus* Presbyter Carthag. occaſionem turbandi, creato in Diaconum ſuum Feliciſſimo; & utroque contendente *Lapſos* omnes ſine diſcrimine, abſque Pœnitentiâ Canonicâ recipiendos eſſe, ut quibus *Lucianus* Confeſſor, & alii Confeſſores, pacis literas & veniam indulſiſſent, ex Cypriani *Epiſt.* XXVII. Ed. Anglic. vel XXIII. Ed. Pamel. Hæc prima Novatiani Schiſmatis initia, perficiendi poſtquàm *Novatus Presbyter* Romam

Occaſio Schiſm. Novat.

Digitized by Google

mam venit, Anno hoc ipſo CCL. vel initio Anni CCLI. ex Euſebio, & Hieronymo in *Chron.* vacante Sede Romanâ, ſcil. paulò antè electionem *Cornelii* ad Romanum Epiſcopatum, competitore *Novatiano*; quæ electio facta eſt Decio adhuc ſuperſtite, ſed abſente & adversùs Gothos profecto, periturus menſe *Novemb.* An. CCLI. Jamque *Moyſes* Romanus Presbyter, magnæ exiſtimationis, in carcere obierat, in quem ſub initium Imperii Deciani cum *Maximo*, *Celerino*, & aliis conjectus fuit: Ad quos extant Cypriani literæ reſponſoriæ, & hortatoriæ ad Martyrii Coronam, tanquam *probatos Dei ſervos*, & *milites Chriſti* jam *coronatos*, Confeſſione ſcilicet, *Epiſt.* XXV. vel XXVIII. *Ed. Anglic.* Baronius inſigni metachroniſmo contendit hunc *Moyſem*, primò ſublatum anno CCLIII. qui ipſi eſt CCLV. biennio poſt mortem Decii, contrà fidem *Martyrologii Rom.* Secundò, martyrium fuiſſe paſſum, qui Confeſſor in carcere obiit, ut ex Catalogo vetuſtiſſimo Pontificum, ſeu Chronico Damaſi, & aliundè probavit Ceſtrienſis Epiſc. *Annal.* An. CCLI. N. I. & Pagi ad An. CCL. N. VIII. Undè ſub *Decio* plures fuiſſe *Confeſſores*, quàm Martyres, colligit Eruditiſſ. Dodwellus.

Origenes an lapſus? In *Lapſis* autem referunt ad hanc perſecutionem Zonaras, Nicephorus, magnum *Origenem Adamantium*; Refert & defectionem Epiphanius *Hereſi* LXIV. non tamen dicit ſub Decio; poſt quoque Juſtinianus *Ep.* ad Mennam, & alii quotquot in Origenem iniquiores; tacente tamen Euſebio, & ipſo Hieronymo, ac Theophilo Alex. &c. Negantibus quoque factum Baronio, Halloixio, Raynoldo, Valeſio, aſſerente autem Petavio, *Animadverſ.* ad Epiphanium. Saltem parum probabilis eſt illa de Æthiope Origeni ad ſtuprum admoto narratiuncula, apud Epiphanium *Hær.* LXIV. hinc Nicephorum, *Lib.* V. *C.* XXXII. Et *Origenis* contrà in perferendis catenis ferreis, cruciatibus, equuleis, mirabilem conſtantiam, ad hæc diſtentis in nervo pedibus ad dies plures, additis etiam ignium & ſuppliciorum minis, Decianâ hac perſecutione, multis Euſebius commemorat, *Hiſt. Lib.* VI. *C.* XXXIX. Ac nota Epiphanii in Origenem iniquitas, & Ævi Juſtinianæi, (ſub quo Concilium Conſtantinopol. II. infeſtum Origeni) exacerbata in eundem odia. Nec ſiluiſſet planè Porphyrius, qui *Ammonium* defectionis falſò poſtulavit. Quod verò Hieroſolymis, in publico Chriſtianorum cœtu, lachrymis fuſis, lapſum ſuum profeſſus eſſe dicitur, apud eundem Epiphanium, quum à Sacerdotibus ad docendum invitatus eſſet, ac in Pſalmum XLIX. ſeu L. incidiſſet, neſcio an cum ejus Ævi diſciplinâ conciliari poſſit: ſiquidem ejectus fuiſſet Origenes ab Eccleſiâ *Alexandrinâ*, & quidem ob *thurificationis* crimen, ut idem Epiphanius. *Lamentum Origenis*, ſeu Liber de *Pœnitentiâ*, fuit à malevolis pridem illi affictum. Igitur vinculis ſolutus videtur Origenes, opportunâ tot Confeſſoribus morte Decii: De quibus ſolidè diſſertantem videſis Huetium, in *Origenianis L.* I. *Cap.* IV.

Ex hac verò Perſecutione nata ſunt vitæ Eremiticæ primordia, ex *fugâ* ſcil. Chriſtianorum in deſerta ac ſolitudines. Quos inter primas tenet *Paulus Thebæus*, natione Ægyptius, Eremitarum pater, ex Sulpicio, Hieronymo, Caſſiano, aliis. De quo nonnihil infrà.

Perſec. ſub Valeriano. V. *Octava* vulgò (aliis *nona*) Perſecutio contigiſſe fertur ſub *Valeriano*, laudato aliàs Principe, & propenſiſſimo in Chriſtianos. Quam etiam confudere aliquando cum Decianâ Perſecut. ut monet Pearſonus in Annalibus Cyprian. & Dodwellus. Valerianum tamen *impias manus in Deum intentaſſe*, & *brevi tempore multum juſti ſanguinis fudiſſe*, habet Lactantius. Præceſſerant *Gallus* & *Voluſianus* Impp. ac ſucceſſores Decii, quorum ſanè perſecutionem tacent Lactantius, Hieronymus, Sulpicius Sev. Oroſius. Præterquàm Dionyſius Alex. apud Euſebium, *Lib.* VII. *C.* I. & Cyprianus ad Cornelium, ejus meminerunt, excitatæ occaſione peſtis paſſim depopulantis, & Sacrificiorum quæ Apollini SALUTARI, PROPUGN. Gallus & Voluſianus offerri cumprimis Romæ juſſerant, memoriâ in Nummis eorum conſervatâ. Quod quum negaret *Cornelius* Epiſc. Romanus, in exilium actus eſt, *Centumcellas*, quo in loco obiit, Sept. m. An. CCLII. Nec ſub Decio, ut Acta ejus habent, ſed ſub Gallo, *Lucium* habiturus ſucceſſorem, ad quém literas *Communicationis* ſcripſit Cyprianus, eodem anno. Peſtem hanc non ſub Decio, ſed ſucceſſoribus eſſe exortam, in Arabiâ, Ægypto, Africâ, Italiâ, probant contrà Baronium, & Valeſium quoque, Pearſonus in *Annal.* & Pagi ad An. CCLII. N. XIX. XX. quando Cyprianus ſcripſit eâ occaſione Libellum inſignem de *Mortalitate*, cujus Auguſtinus & alii meminerunt. Anno autem ſequente, alia afflictio in ſpecie *Numidas* Afros preſſit, ſed per irruptiones Barbarorum, quæ facta in Rom. Imperii Provincias, undè Epiſtola Cypriani ad *Numidas*, vulgò LX. *Cum maximo animi noſtri gemitu*, & *non ſine lachrymis legimus literas*, &c.

Cæterum jam pax Eccleſiis reddita fuerat, admoto ad Imperium *Valeriano*, uſque ad annum CCLVII. vigente tùm *adhuc* controverſiâ de iis qui fuiſſent ab Hæreticis baptizati, quando demùm excitata *Octava* illa Perſecutio, ab eodem Imperat. *Cauſa* vulgò adfertur, ex verbis Dionyſii Alexand. apud *Euſeb. L.* VII. *C.* X. inductum nempè Valerianum à Magorum Ægypti *Magiſtro* & *Archi-Synagogo*, à quo accenſus in gentem innoxiam fuerit, cui antè faverat. *Octavam* hanc Euſebius, Hieronymus, Sulpicius Severus, & alii conſtituunt, prout vel Hadriani illam omittunt, vel Maximini. Cauſam prædictam varii variè explicant, ſed rem acu tangunt, qui *Archi-Synagogum* illum Magorum, eorum Patronum reddunt, illis frequenter uſum, *Macrianum* nempè, qui à Magis admonitus, portendentibus illi Imperium, impulit miſerum Valerianum, ut Chriſtianos Magis vehementer infeſtos, perſequeretur. Aliàs Valeriani, (anteà Cenſoris) mores, ingenium, æquitatem, manſuetudinem, vitam antè actam, à perſecutione innocentium hominum alieniſſimam, Trebellius Pollio in *Valeriano* eleganter deſcribit, LXX. annorum Principe. Ita *ut ſi data fuiſſet omnibus promendi arbitrii*, *quem Imperatorem vellent*, *alter non fuiſſet electus*. Et paulo poſt, quum totam ejus vitam *Cenſuram* perpetuam fuiſſe dixiſſet Hiſtoricus, addit; *Amicus bonorum*, *inimicus tyrannorum*, *hoſtis criminum*, *hoſtis vitiorum*. Sed teſtis omni exceptione major *Dionyſius Alex.* apud Euſebium, *L.* VII. *C.* X. Ἤπιος ἦν καὶ φιλόφρων πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τοῦ Θεοῦ. Οὐδὲ γὰρ ἄλλος τις οὕτως τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων, εὐμενῶς καὶ δεξιῶς πρὸς αὐτοὺς διετέθη. Mox, πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ θεοσεβῶν πεπλήρωτο, καὶ ἦν ἐκκλησία Θεοῦ. *Manſuetus erat ac benignus ergà viros Dei. Neque enim alius ſuperiorum Imperator. tantâ humanitate* & *benevolentiâ ergà eos affectus fuit. Tota ejus familia piis hominibus abundabat*; & *Eccleſia quædam Dei erat.* Et primò quidem, à Macriano præventus, *exiliis* multati viri Dei, quales *Dionyſius* Alex. Æmiliano Præf. Auguſtali, apud *Cephronem* relegatus; *Cyprianus* à Paterno Africæ Proconſ. *Curubim* in exilium miſſus, aliique iſtorum συνεργοί, quidam etiam ad *metalla damnati*, ut qui in Numidiâ agebant ſub ejus Prov. Præſide. Dein decreta pœna *Capitis*, anno ſubſeq. fuit, quando in Orientem conceſſurus Valerianus, Rempubl. Macriano credidit. Perſecutionem deſcribit Cyprianus, An. CCLVIII. qui fuit Natalis ſanctiſſimo Epiſcopo, *Epiſt.* LXXXII.

ad

ad Succeſſum: *Reſcripſit Valerianus ad Senatum : Ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diacones in continenti animadverterentur ; Senatores verò , & Viri egregii ,* & *Equites Romani, dignitate amiſſâ , etiam bonis ſpolientur, & ſi ademptis facultatibus Chriſtiani eſſe perſeverarint, capite quoque mulctentur. Matronæ, ademptis bonis, in exilium relegentur; Cæſariani verò,* id eſt liberti Cæſarei, (aliter *Cod. Theod. L.* x. *Tit.* VIII.) *quicunque vel prius confeſſi fuerint , vel nunc confeſſi , confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti* (adſcripti, hinc adſcriptitii glebæ) *mittantur.*

Cypriani, Laurentii, &c. ultima. *Loca* igitur fuêre paſſim in Africâ , Ægypto , Palæſtinâ, Aſiâ, Italiâ, Hiſpaniâ, &c. Inter Martyres illuſtriores, referendus *Cyprianus* Carthaginenſis, capite tandem plexus Carthagine XVIII. *Cal. Oct.* An. CCLVIII. Memmio Fuſco & Baſſo Coſſ. poſtquam ad interrogata Proconſulis , *ceremoniari* eum jubentis, intrepidè reſpondiſſet, ſententiam & ægrè ferente Proconſ. *Quum ſis nequiſſimorum criminum auctor & ſignifer deprehenſus , eris ipſe documento his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti ; ſanguine tuo ſancietur diſciplina.* Deſcripſit ejus Paſſionem, multis cum circumſtantiis, Pontius Diaconus vulgò auctor Actorum illius. Falluntur communiter Græci, qui Cyprianum ſub *Decio* paſſum tradiderunt , & inter eos quoque Nazianzenus. Imò Chronicon Alexandr. μαρτυρήσαντα Cyprianum ſub Alex. Severo, An. IV. *Olymp.* CCLIII. ingenti προχρονισμῷ. In memoriam verò ſanctiſſimi Martyris, refert Procopius Vandalic. *Lib.* I. fuiſſe *Templum* poſteà ædificatum, in litore maris, ubi annuum *Feſtum* celebrarint, quod Κυπριανὰ *Cypriana* vocarunt. Paulo antè ſublati Romanorum Epiſcopi *Lucius* , *Stephanus*, *Sixtus* vel *Xiſtus*, continuâ ut Sedis ſic Martyrii ſucceſſione, ac poſtremus cruci affixus, ſucceſſore poſt anni ferè interſtitium, *Dionyſio* Romano, Cypriano adhuc in vivis exiſtente , ex *Epiſtolâ* LXXXII. Mox *Laurentius* Sixti Diaconus craticulæ ferreæ impoſitus, & lento igne aſſatus fertur, admirabili conſtantiâ , quin & Martyrii deſiderio. Quum enim ad ſupplicium duceretur Sixtus Epiſcopus, *Quò progrederis*, inquit, *ſine filio Pater, quò Sacerdos ſine Diacono? Nunquam Sacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras. Abraham filium obtulit , Stephanum Petrus præmiſit.* Refert Ambroſius, *Lib.* I. de Officiis, *C.* XLI. Euſebius in Chronico, Laurentii paſſionem accidiſſe ſub *Decio* cenſuit, ex Euſebio alii, confuſis ſæpè Perſecutionibus. Vulgatum illud Laurentii , lento igne in craticulâ abſumpti, *Aſſum eſt, verſa & manduca*, item *Coctum eſt, devora*; referunt Ambroſius, dicto loco, Prudentius in *Hymno* quem Laurentio cecinit, & ex his alii. *Archidiaconum* verò hunc Laurentium dicit *Martyrologium*, ex eo Baronius, dignitate nondùm notâ, niſi πρωτοδιάκονος fuiſſe cenſeatur. *Martyria* alia mittimus, ut *Quarti*, *Agapeti*, *Feliciſſimi*, Diaconorum Sixti; *Fructuoſi* Epiſcopi Tarraconenſis, &c. de quibus Baronius, & nuper Pagi ad A. CCLVIII. CCLIX. Sic illa quæ contigerunt in Ægypto, Palæſtinâ , de quibus Euſebius Hiſt. *Lib.* VII. *C.* XI. XII. *Acta* verò *Pontii* Martyris , ad quæ provocat non ſemel Baronius, qui paſſus fuerit An. CCLVII. ſub Valeriano , & quæ edidit Baluzius *Miſcell.* Tomo II. p. 124. tanquam ſcripta à quodam *Valerio* Pontii contubernali & amico, à Doctiſſimis etiam Pontificiis ut ſpuria reprobantur. Fabulæ ſunt, Ex. gr. *Marius Senator* Rom. abſque alio nomine , *Pater* Pontii Mart. hujus adhuc adoleſcentuli colloquium cum *Pontiano* Epiſc. Romano; hinc hiſtoria *Converſionis* Pontii; tum & Converſionis ſubitæ *Philippi* Imperat. & *Filii*, ad Pontii hujus, de *uno Deo* Creatore Cœli & Terræ, tum de miſſo in mundum *Unico Verbo* , ſalutis humanæ cauſâ, habitum uno die Sermonem; hinc *Philipporum* baptiſmus per Fabianum Pontiani ſucceſſorem; *Templum Jovis* dirutum per Pontium , & Fabianum Pontif. ad juſſionem Principum; & quæ alia ſuomet ſe indicio produnt. Ex uno hoc diſce omnes.

De Perſecutione Aureliani variantes Hiſtoriæ. VI. Poſt Valerianum ſeniorem, in vincula conjectum , anno Ch. CCLIX. Æmiliano & Baſſo Coſſ. (pro quibus Baronius, Petav. habent, Gallieno IV. Valeriano Cæſ. Coſſ. nempe Gallieni filio, qui *Corn. Saloninus* in Numm. de quo errore in Chronol.) à Sapore Perſarum Rege, & in miſerâ ſervitute habitum, pax Eccleſiis fuit ſub *Gallieno*, revocante Edicta Patris ſui: Undè Lactantius, *brevi tempore* ſub Valeriano fuſum eſſe *ſanguinem* Chriſtianorum. Ac ferè pax eadem ſub Claudio Gothico , Aureliano , Tacito , Floriano , Probo , Caro, Carino ac Numeriano fratribus. Nam quæ Edicta v. gr. ſub Claudio Imp. pro perſequendis Chriſtianis , ad An. CCLXX. Baronius refert , ex *Actis* Martyrum ſuppoſititiis petita eſſe *Pagius* ipſe nuper obſervavit, ad An. CCLXVIII. N. v. Excipiendus tamen *Aurelianus*, ad Imperium admotus An. CCLXX. *Nov.* menſe, ſublatus An. CCLXXV. in Martio. Sub hoc Imperatore propenſiore aliàs in Chriſtianos viſo, à quo & Samoſatenus Hæret. vi expulſus , nubecula Perſecutionis exorta eſt : Emiſſis nempè ſub extrema Imperii in Chriſtianos *Edictis* , quibus & ſubſcripſiſſe videtur Imperator ; ſed antequam in remotis Imp. partibus executioni mandarentur , è medio ſublatus. Euſebius in Chron. An. CCLXXVI. *Aurelianus cum Perſecutionem adverſum nos moviſſet, fulmen juxtà eum comiteſque ejus ruit:* Paulo poſt occiſus, inter Conſtantinopolim & Heracleam. Unde lux eidem Euſebio *Hiſt. L.* VII. *C.* XXX. *Edictis adverſus nos jam compoſitis* , (ſcriptis) *ut ità dixerim , ſubſcribentem , ulta eſt divina juſtitia.* Id eſt paulo poſt ſubſcriptionem illam, fuiſſe à divinâ Nemeſi præventum. Undè Lactantius, *de Mortibus* Perſecut. *C.* VI. *Verùm illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit , ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt:* Id eſt, *nondum ad Provincias ulteriores cruenta ſcripta pervenerant.* Cujus etiam Perſecutionis & *furoris* meminit Conſtantinus M. apud Euſebium , *Orat.* ad Sanct. Cœt. *C.* XXIV. Prout etiam Aurelianus apud Fl. Vopiſcum, dicitur *ſeverus* , *truculentus*, & *ſanguinarius Princeps*; ſed & ſuperbus, qui paſſus eſt ſe *Deum Natum*, & *Jovem* appellari , & in Nummis inſcribi , qui habentur hodieque. Tamen Cl. Dodwellus, *Diſſert.* XC. §. LXIV. nollet *Aurelianum* in Perſecutoribus dici, cui nihil præter *conatum* & minas adſcribi debeat, Deo impediente *executionem*, hinc nullos ſub ipſo Martyres. Et eo trahit illa Lactantii, *ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit* ; quæ ex Lactantio ipſo explicanda , quia inter *initia furoris*, ſive perſecutionis, *extinctus* eſt. Sed ità ferebat Viri Clariſſ. hypotheſis, de Paucitate Martyrum. *Nonam* hanc perſecut. ſtatuit Euſebius in Chronico , qui Hadriani quartam prætermiſit: Sed illam non diu duraturam, ob interveniens fatum. Auguſtinus in Libris *de Civit. Dei*, L. XVIII. C. XXXII. Sulpicius Severus *Hiſt. Lib.* II. poſt Valeriani illam , quæ ipſi *octava*, (Maximini enim, in *nonnullarum Eccleſiarum Clericos* ſævientis, Perſecutionibus non adſcripſit) tranſeunt ad poſtremam Diocletiani & Maximiani, ut *nonam* ordine , prætermiſſo Aureliano. Oroſius quidem *nonam* vocat à Perſecut. Neronianâ , ſed *decretam* vel *intentatam* tantum , mox ſublato Principe L. VII. C. XXIII.

Baronius ex adverſo favet Euſebio , Lactantio, Conſtantino Imp. Sed ex Martyrologiis Actiſque oppidò dubiis, eandem anticipat, refertque ad A. CCLXXIII. ut nempè locus eſſe poſſit tot confictis poſteriori ætate Fabulis ac Martyriis , apud

Gre-

Digitized by Google

Gregor. Turonenſem, Metaphraſtem, Menologos, & Martyrologii Rom. Scriptores; hinc Surium, Bollandum, Florentinium, Boſquetum, Allatium, &c. & gravem oppido ac violentam Perſecutionem fuiſſe contendat. Undè ſeges ea Martyrum utriuſque ſexûs, cum hiſtoriâ & Actis Paſſionis, quæ nullis ſeſe probant genuinis teſtibus ac Tabulis. Tales frequentiſſimi in Galliâ Martyres, quos Baronius, Bollandus, Fr. Boſquetus in Hiſt. Gallicanæ *Parte* II. repræſentant ut paſſos ſub Aureliano, quum iter in Gallias ſuſcepiſſet adversùs Tetricum tyrannum. Cujuſmodi feruntur, S. *Patroclus* Trecenſis; S. *Sabinianus* cum ſorore ejuſdem *Sabinâ*, vel Savinâ Virg. *Priſcus* & martyres alii Autiſiodorenſes, Gallis Auxerre; *Columba* Virgo Senonenſis; & qui ejus commatis plures. Sic *Felix* Rom. Epiſc. antè Eutychianum, qui *Martyr* fuiſſe dicitur, ſecùs ac in Vitis Pont. Damaſo adſcriptis; *Agapetus* Prænestinus; alii qui in Italiâ paſſi ſint. Sic in Oriente, S. *Charitonus* in Palæſtinâ, (quò ſcilicet perveniſſent Edicta Aureliani, invitis jam Euſebio, & Lactantio) qui Charitonus fundaverit tres *Lauras*, ſic dictas in quibus ſolitarii vitam agebant; invito Hieronymo in Vitâ *Hilarionis*, qui hunc primum in Palæſtinâ vitæ ſolitariæ auctorem dicit: S. *Conon*, Iconii Iſauriæ, cum filio annorum XII. & circumſtantiis martyrii planè fabuloſis, &c. De his aliiſque ipſe Baronius ad A. CCLXXIII. CCLXXV. quem vide. Qui & *Aureliani* Imperium prorogat in annum VII. ut antè illud *Philipporum*; qui conſtanter non imperaſſe niſi annos V. dubiis fortè menſibus, Pagi quoque in Criticâ aſſeruit, A. CCLXXV. Longè autem audacior ejus aſſertio eſt, ad An. CCLXXII. *Num.* XVIII. quâ contendit Aurelianum intellexiſſe Romani Pontificis *toto Orbe poteſtatem*, & eas demùm *Epiſcoporum ſententias eſſe ratas, quas Romani Pontificis auctoritas confirmaſſet*. Nec aliundè illatio Baroniana, quàm ex verbis Euſebii, *Hiſt.* L. VII. C. XXX. quibus Aureliani judicium refert, interpellati à Patribus Antiochenæ Synodi II. quum in illis partibus ageret, ut renitentem Samoſatenum excedere juberet Epiſcopali domo: Nempè, *Adjudicandam hanc eſſe*, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. Id eſt, *quibus Epiſcopi Occidentales*, (nam de *Orientalium* injuriâ queſtus Samoſatenus, qui ne *Romanum* quidem ad Synodum Antiochenam vocaverant, qui tamen Epiſcopos Ægypti, Ponti, Aſiæ) ſeu quibus Epiſcopi *Italiæ, & Romanæ Urbis* (quos arbitros conſtituit Imperator) *de dogmate reſcriberent*, communicatorias nempè literas darent; ſi nempè & hi Domnum pro legitimo Epiſc. agnoſcerent, electo in *Pauli* locum à Synodo Antiochenâ. Sed ſi Baronium audimus; Pronunciat Aurelianus, *id debere eſſe ratum*, pro antiquo ſcil. more, quod *Romanus Epiſcopus*, vocatis in Synodum *Epiſcopis Italiæ*, *decerneret*. Ubi & fingitur *Synodus* Romæ jam convocata, in cauſâ Pauli Samoſat. de quâ tacent Acta; & *Epiſcopi Italiæ*, qui etiam præponuntur Romano in Reſcripto Aureliani, ac ſuberant Mediolanenſi Epiſcopo, finguntur à Felice Rom. ut in quo ſolo reſideret poteſtas, tanquàm à capite dependiſſe. Sed & diu poſteà Conſtantinus M. in cauſâ Cæciliani & Majorini, commiſit rem dijudicandam Romano & Mediolanenſi, ut Euſebius *Hiſt.* L. X. C. V.

Decima Perſecutio ſub Diocletiano, &c.

VII. *Decima* tandem Perſecutio excepit, ſub *Diocletiano* Imp. & *Maximiano* Herculio, Imperii Socio, tùm *Galerio* Maximiano genero Dioclet. *Maximino* Dazæ, ex Galerii Sorore nato, & *Maxentio* filio Herculii. Omnium hæc atrociſſima, & feraciſſima Martyrum, & maximè diuturna, *quæ per* X. *continuos annos plebem Dei depopulata eſt*, ità Sulpicius. De hac præ cæteris Euſebius, ut teſtis, toto *Libro* VIII. Hiſtoriæ, & Lactantius de *Mortibus Perſec.* à *Cap.* VII. ac de eâ fuſè poſteà.

Præceſſit verò eandem pax alta Chriſtianis indulta, in pleriſque ſaltem Eccleſiis, totis *ferè* annis *quinquaginta*, ſaltem ab obitu *Valeriani*, ad Diocletiani XIX. exceptâ Perſecut. *Aureliani*, quæ tranſitura nubecula fuit, ex dictis. Nec enim exarſit Decima Perſecutio antè hunc Diocletiani annum XIX. Chriſti CCCIII. ex Euſebii calculo, in Chronico, & in Hiſtoriâ, & ex Lactantio de Mortib. Perſecut. Hinc ad ſequens Seculum ejus hiſtoria ſpectat.

Hujus tamen Seculi fertur, cùm à Bollando, & aliis, tum ab Annalium Scriptore Baronio, ad A. CCXCIV. CCXCV. CCXCVI. 1. Martyrium *Suſannæ*, Gabinii filiæ, Caji Papæ neptis, poſtquam recuſaſſet nuptias Galerii Maximiani, gladio percuſſa juſſu Diocletiani, A. CCXCV. Januarii d. XXIII. Rem narrat ex *Actis Suſannæ*, & *Martyrol.* Romano; ſimulque martyrio coronatos, utpotè factos Chriſtianos, *Claudium* patruum illius, *Maximum* germanum, *Gabinium* patrem, *Cajum* Ep. Romanum fratrem Gabinii, & alios. Et quidem *Serenam* Auguſt. Conjugem Diocletiani, clàm ſcil. Chriſtianam, corpus ejus compoſuiſſe ac ſepeliviſſe in Cryptâ Alexandri, & quæ ille ibi plura. Pergula pictorum, veri nihil, & putida hæc eſſe commenta, nullo in Veteribus teſte, ipſe Pagius in *Crit.* obſervat, & Baluzius intellexit. Sic Serena nulla apparet fuiſſe Conjux Diocletiani, ut nec *Eleutheria*, ſecundùm Anaſtaſium vulgò Bibliothec. ſed *Priſca* Auguſta, (mater *Valeriæ*, uxoris Galerii Maxim.) uxor Diocletiano unica fuit, capite plexa mortuo jam marito, juſſu Licinii, ex Lactantii Libello, quem non viderat Baronius. Conſule Doctiſſimas Notas ad eundem Lactantium. Abſurdè Baronius conjectat, *Serenæ* Aug. nomen, *decreto Principis*, aut *Senatus-Conſulto fuiſſe abolitum penitùs & abraſum, quod in Chartis Chriſtianorum tantùm remanſerit*, ſcil. fabuloſiſſimis Actis poſterioris ævi, qualia ſunt quæ dicuntur S. *Marcelli*, & *Paſſio Suſannæ*. Cur igitur non remanſerit, quum recens eſſet rei memoria, in *Chartis* Lactantii, Euſebii, & cæteris Chriſtianorum genuinis Chronicis?

De Suſannâ recuſ. nuptias Galerii, &c.

2. Fatum *Legionis Thebææ*, quod vulgò ad Annum CCXCVII. referunt, & ipſe Annalium Scriptor, *Num.* 1. & *ſeqq.* idque ex *Actis* Martyrum Agaunenſium, & ex falſò tributis *Eucherio* Lugdunenſi. *Ado* retulit ad A. CCLXXXIII. alii ad A. CCLXXXV. alii ad A. CCCI. vel CCCIII. Sec. ſequente. Nempè in aſſignando tempore rei non geſtæ, haud convenire Scriptoribus, nihil mirum. Ex *Eucherio* Lugdun. quinti ſcilicet Seculi ſcriptore, (cui & afficta alia) vel Eucherio Juniore qui vixit Secul. VI. & Epiſtolâ quâdam ad Sylvium Epiſcopum, omnis illa traditio, undè habent Gregorius Turonenſis, Beda, Uſuardus, Ado, Sigebertus, Legendæ. Fertur ſcilicet hæc *Legio*, conſtans militibus delectis 6666. ex ultimo Oriente evocata Romam à Diocletiano, in ſupplementum copiarum Maximiani, in Gallias properantis ad motus tumultuantium *Bagaudarum* compeſcendos, de quibus Eutropius, & alii. Addunt eandem in itinere à *Hieroſolymorum* Epiſcopo ad Chriſtianam fidem inductam, mox Romæ à *Marcellino* confirmatam, Mauricio horum militum duce ſtrenuo & invicto. Hinc ſuperatis jam Penninis Alpibus, quum propè *Octodurum*, ſeu Martiniacum, in Valleſiæ partibus, haud longè à Lacu Lemanno, conſiſteret exercitus, juſſiſſe Maximianum *luſtrari* eundem Gentili ritu, & ità luſtratos *jurare ad aras* ſe fortiter pugnaturos. Quo ſe contaminari velle flagitio quum pernegaret hæc Legio, ſecedens ad aliquot millia paſſuum, fertur juſſu Principis decimata *primùm*, militari ſupplicio; tùm perſeverans hortatu Mauricii, decimata *ſecundò*; tandem immiſſo toto exercitu eadem internecione de-

De Legione Thebæâ narratio

Digitized by Google

deleta. Et hîc fortitudinem *Mauricii* ducis, ſuos ad conſtantiam excitantis, ac Candidi, Victoris, Exuperii, Innocentii, &c. commilitonum, pluribus efferunt Legendæ, quorum & Reliquiæ ad Acaunum ſeu Agaunum depoſitæ, ubi Monaſterium hodieque *S. Mauricii*, oppidò ditatum, in loco vallis Penninæ vel Sedunenſis. Ac miraculorum ad hoc Fanum nullus finis, apud Gregorium Turonenſem, & reliquos; quomodò *Mauricii* hujus Gladio, & Annulo aureo, ſuperbit Dux Sabaudiorum. Plura ex Legendis repetantur.

Rationes dubitandi. Intereà Legionis hocce Thebææ fatum, & hunc cum ſociis Mauricium, tacet Lactantius, Libro de *Mortibus Perſec.* non certè taciturus rem tam memorabilem, in accuratiſſimâ perſecutionis Diocletianeæ hiſtoriâ: Tacent etiam Euſebius, Hieronymus, Sulpicius Severus, Proſper, & quotquot ſunt vetuſtiores Hiſtorici. Quin Græci, apud Metaphraſtem, hinc Surium *Tomo* IV. Mauricium & Commilitones, Apameæ in Syriâ ſub Diocletiano occubuiſſe tradunt, undè crux Baronio, Notis in *Martyrol.* XXII. *Sept.* Nec certior videtur hujus narrationis fides quàm aliarum ſine fine, fundandis in Occidente vel *Eccleſiis*, vel *Monaſteriis*, ex confictis Actis, apud Gregorium Turonenſem, Bedam, Adonem, Metaphraſtem, cæteroſque Legendarum Patres. De Æra *Diocletiani*, quæ & *Martyrum*, cum illius Imperio natâ, dictum in *Chronolog.* P. II. C. XX. Deque *Perſecutorum*, hac ætate & ſuperioribus, *Pœnis*, dicetur infrà ad Caput de *Memorabilibus*.

Dubium tamen movet, de Perſecutione Diocletiani inchoatâ antè ejus *Vicennalia*, vel antè annum ejus labentem XIX. quod refertur de *Veturio* Magiſtro Militum, & Perſecutione ab eo excitatâ in *Milites Chriſtianos*, qui ſacrificare nollent Gentili ritu. Narrat rem Euſebius *Hiſt. Eccleſ.* L. VIII. C. IV. & in Chronico Ed. Scaligerianæ, ad an. XVII. *Diocletiani*. Hinc Lactantius de Mortibus Perſecut. *Cap* X. *Cum* Diocletianus *ageret in partibus Orientis, & cum eſſet pro timore ſcrutator rerum futurarum*, &c. nempè poſtquam *Narſeus* Perſa duobus præliis *Galerium* ſuperaſſet. Proſper in Chronico P. I. *Veturius Magiſter Militiæ Chriſtianos perſequitur*, Fauſto & Gallo Coſſ. id eſt, A. CCXCVIII. Diocletiani A. XV. anticipans tempus ab Euſebio notatum. Igitur perſecutio privata fuit in quoſdam *milites* morti datos, pro ſævâ ſuperſtitione *Veturii* στρατοπεδάρχου, quem *Magiſtrum armorum* reddunt alii, ad illam juſſionem Diocletiani, ut *verberibus animadverteretur in detrectantes* ſacrificare. Ac, quod multis H. Dodwellus *Diſſert. Cypr.* C. XI. §. CXVIII. contigit hæc Militum Perſec. demùm Anno CCCI. In quacunque tum parte *Orientis* egerit Imperator, ſive *Antiochiæ*, quæ caput Orientis, ſive jam *Alexandriam* profectus, ut ex Aurelio Victore colligi poteſt. Ut hinc inferri non poſſit, quod volunt Baronius & alii, hos Imperatores ab exordio Imperii in Chriſtianos ſæviiſſe, certè diu antè Annum *Dioclet.* XIX. ut fabulis Metaphraſtis, & id genus aliis, locum faciant. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

X. *Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ hoc Seculo illuſtriores.*

I. IN *Græcis* & *Orientalibus* eminuêre hoc Seculo, poſt Clementem Alex. de quo ad ſuperius Sec. præ cæteris ſequentes:

Gajus vel Cajus. *Gajus* natione Græcus, Romanis *Cajus* (ut Γέσιος Ceſtius, Gnoſſus Cnoſſus, Gnidus Cnidus, &c.) utpote Romæ vivens, & Rom. Eccleſiæ Presbyter, clarus ſub initia Sec. III. Severo & Caracallâ Impp. Græcè ſcripſit, primò contrà *Proclum* vel *Proculum* Montaniſtam, in modum *Dialogi*, undè Excerpta apud Euſeb. L. II. C. XXV. *Lib.* III. C. XXVIII. *Lib.* VI. C. XX. ubi Pauli Epiſt. ad Hebræos dicitur μὴ συναριθμῆσαι ταῖς λοιπαῖς, *cum reliquis non adnumeraſſe*, ut quoque Photius, *Cod.* XLVIII. de quo nos in Tractatu de Auctore Ep. ad Hebræos, P. I. C. VIII. Deinde & contrà Artemonis Hæreſim calamum ſtrinxit, in Scripto quod inſcripſit Λαβύρινθον, ut Photius Cod. XLVIII. vel μικρὸν Λαβύρινθον, ut Nicephorus *Hiſt.* L. IV. C. XXI. σμικρὸς Λαβύρινθος, ut Theodoretus *Hær. Fab.* L. II. C. VI. ſc. illud ipſum cujus meminit Euſebius, tacito nomine & Caji, & Labyrinthi, ſub nomine σπουδάσματος κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως, *Lib.* V. C. XXVIII. Plura de hoc Cajo, præter Scriptores Hiſt. Literariæ, Monachius quondam noſter, *Notis* ad Varia Sacra, p. 937. & *ſeq.*

Julius Africanus Palæſtinus, certè habitatione, qui Suidæ eſt cognomento Σέξτος, ſed confuſus, ab ipſo etiam Photio, cum Sexto Africano Libyco, τῶν Κεστῶν Scriptore, ſeu de *Ceſtis*, Libris XIV. Undè error apud Suidam, quin in ipſo textu Euſebii *Hiſt.* L. VI. C. XXXI. Valeſio judice, quum parùm conveniret Eccleſiaſtico Scriptori meminiſſe Librorum de *Ceſtis*, qui amatoria & medicinalia continerent, à ceſto ſeu baltheo Veneris, quæ vox facta ἀπὸ τοῦ κεντεῖν. Aliter licet viſum G. J. Voſſio, Lambecio, & pluribus aliis, qui *Julio* Africano tribuunt τοὺς λεγομένους Κεστούς. Clarus idem fuit ſub Elagabalo & Alex. Severo, ac coævus Origeni, & Heraclæ Alexandr. cujus causâ Alexandriam profectus, ſtudiorum gratiâ, teſte ibidem Euſebio. Scripſit præcipuè Chronographiam, Ἱστορικὸν vocat Photius, *Volumina de temporibus* Hieronymus, *Chronicon* Beda, orſus ab Orbe Cond. ad Chriſtum, indè ſuccinctiùs res enarrans ad Macrini vel Elagabali ætatem, ac complexus omnia Libris V. Lecta fuit Photio, *Cod.* XXXIV. ac compilata ab Euſebio in *Chronico*, ſuppreſſo tamen ubique nomine Africani. Alia illi tributa, ut Latina Verſio Abdiæ Babylonii, ſed invitis Eruditis. Nec tacenda *Epiſt.* ad Ariſtidem, cujus prolixè meminit Euſebius *Hiſt.* L. I C. VII. conciliatura Matthæum cum Lucâ, in Genealogiâ quæ *Joſephi* patrem facit modò *Jacobum*, modò *Heli*, illum ſcilicet patrem naturalem, hunc legalem. Extat etiam ejuſdem *Epiſt.* ad Origenem, quâ Hiſtor. *Suſannæ* fabulam eſſe contendit, pluribus argumentis, videnda apud Doctiſſ. Wetſtenium, qui Epiſtolam Græcè editam ab Hoeſchelio, Græcè & Latinè primus vulgavit, cum eruditis Notis. In eâ Origenem υἱὸν appellat, Χαῖρε Κύριέ μου καὶ υἱέ, undè videtur ætate inferior fuiſſe Origenes, qui Africano ſuperfuit. Reſponſionem ſeu Ἀντιγραφὴν Origenis ad Africanum, cum Origenis Græcis aliis, puta, Dialogo κατὰ Μαρκιωνιτῶν, Προτρεπτικῷ εἰς Μαρτύριον, publici juris ibidem fecit laudatus modò Joh. Rod. Wetſtenius.

Origenes Adamantius, Alexandrinus, natus (ex Euſebio *Lib.* VI. C. II.) circà Annum Chriſti CLXXXV. Leonidâ patre, & Martyre ſub Severo, A. CCII. quum XVII. annum ætatis ageret Filius: Denatus verò Tyri, anno ætatis LXIX. eodem Euſebio teſte, *Lib.* VII. C. V. Gallo & Voluſiano adhuc imperantibus; quos alii ſublatos volunt anno CCLIV. ut Petavius, Huetius, poſt Euſebium in *Chronico*, Baronius ſolito metachroniſmo, Anno CCLVI. Pagi A. CCLIII. ut qui integrum biennium non compleverint, nec Origenes ipſum annum LXIX. Valeſius ad Euſebium, *Not.* p. 139. contendit mortuum Origenem Anno CCLII. ſub *initium principatûs* Galli, ex verbis Euſebii *Lib.* VII. C. I. Ὠριγένης ἐν τούτῳ, &c. τελευτᾷ, quæ verba volunt, *hoc imperante* (ſcil. Gallo) mortuum, non præciſè quum *inciperet imperare*; Adeoque mortuus Origenes, quum LXIX. æta-

ætatis annum eſſet ingreſſus, ab A. CLXXXV. ad CCLIII. currentem. Ac neſcio an rectè Origenem dictum cenſuerint, quaſi ἐν ὄρει *in montanis* genitum, ὄρειον τὸ γένος, vel ab *Oro* numine Ægyptiorum, vel ab אור ὢρ Hebræorum, quod contendit Huëtius, ut ſit Origenes quaſi *lucis filius*, aut *Phœbigena*; fortè quaſi ὠριγένης, id eſt, ὡρὶ γεννηθεὶς, ſpiritu neglecto, *tempeſtivè aut venuſtè natus*. Undè adſpiratio in antiquiſſimis Codd. quæ ſæpè in Nomin. propriis & derivatis abjecta, ut *Olympus* qui ὁλολαμπὴς, *Orus Horus*, Οὖνοι qui Χοῦνοι Hunni, &c. apud Æoles verò omiſſa ſemper. Sed hac de re poſt Eraſmum, Hoeſchelium, alios, Huëtius, Valeſius, Wetſtenius nuper, Viri Clariſſ.

De eo dubia vel falſa.

Ac de *Origene* quidem incerta multa, & controverſa. V. gr. Unus-ne tantùm *Origenes*, qui hic noſter, cognomento *Adamantius*; an etiam Origenes alter ferè σύγχρονος Adamantio, paulo tamen hoc anteriore, Plotini Romæ auditor, æqualis Porphyrio, ex Eunapio in *Vitâ Porphyr.* ut Auguſtinus, & Veterum alii, ac nuper Valeſius, Huëtius, Pagi, &c. cenſuerunt? Sic, uſus-ne Ammonio Magiſtro, ex conſtanti fide Euſebii, Porphyrii, uno ferè Baronio revocante in dubium, ad A. CCXXXIV. N. III. Sic, quo in *loco* Origenem cognoverit Porphyrius, adoleſcens ſanè, an Alexandriæ, an veriùs Tyri, ut Valeſius, ad Euſebii *Lib.* VI. C. XIX. Sic, quæ de ejus turpi lapſu, ex Epiphanio *Hær.* LXIV. aſſentientibus Petavio, Notis in Epiph. Huëtio in *Origenian.* L. I. Pagio in *Crit.* A. CCLI. diſſentientibus Baronio, Halloixio, Valeſio ad Euſeb. aliiſque plurimis: Tacentibus qui etiam Origeniano nomini infeſti fuere, Porphyrio, Theophilo Alex. Hieronymo, & ævo Juſtiniani; Euſebio etiam in contraria omnia eunte *Lib.* VI. C. XXXIX. ne Ruffinum, deinceps & Auguſtinum, Vincentium Lirin. &c. dicam, qui aliàs multa de Origene, nihil de ejus Lapſu. Sic quæ de ſuccedaneis Lapſui, ſcilicet pœnitentiâ & lamento, tùm expulſione ab Heraclâ ſucceſſore Demetrii: Denique quæ de erroribus variis illi tributis, ac Scriptis ſub ejus nomine, paſſim ambiguntur. De nonnullis ex parte ſuprà, ad *Decianam* Perſecutionem. Adi omnium inſtar in Veteribus Euſebium Hiſt. Eccleſ. *Lib.* VI. indè à Cap. XIV. tum Epiphanium, *Hær.* LXIV. Hieronymum paſſim, Photium, Suidam: In recentioribus Baronium *Tomo* III. Annal. Petavium ad Epiphanium, Halloixium in Origene defenſo, Huëtium in Origenianis, W. Cave in Vitâ Origenis, J. R. Wetſtenium, Notis ad Origenis quædam; Ant. Pagi in Criticâ anti-Baron. &c. Quos ſanè, hæc particularia de Origene prolixè executos, compilare nec genii noſtri eſt nec inſtituti.

Certiora de Origene.

Certiora ſunt ex Euſebii *Hiſtoriâ*, ex Pamphili *Apologiâ*, ex Epiphanio ipſo, iniquiſſimo quanquam in Origenem, & ex conſenſione Veterum, eademque laudatiſſima: Eruditio ſtupenda, per omnes diffuſa diſciplinas; Juvenilis ætas par publico Catechetæ in Scholâ Alexandrinâ muneri, anno jam XVIII. Labor indefeſſus, unde *Adamantii*, & Χαλκεντέρου cognomina, & φιλοπονωτάτου encomium apud Athanaſium; Pietas rara, ac zelus incomparabilis; Fructus laborum inſignes, ac Converſiones variæ, ejus miniſterio; Abſtinentia ſuprà fidem, vigiliæ, lucubrationes, patientiaque frigoris, nuditatis; In Hæreticos certamina, Beryllum mox ab errore revocatum, Arabianos, Helceſaïtas, Apellitas, &c. Profectiones variæ, ut Romam Zephyrini tempore, ſic Athenas literarum ſtudio; Scripta penè innumera, & ſi fides ipſi Epiphanio, *Hær.* LXIV. C. LXIII. *ſex* Librorum millia ab eo profecta, (inter quos *Epiſtolæ* referri debent) amiſſa maximam partem; Studium Scripturarum admirandum, quibus totus incubuit, imò Diſciplinis reliquis, Scripturarum interpretandarum gratiâ; ut optarit Hieronymus, etiam *cum invidiâ nominis* Origeniani, *ejus habere ſcientiam Scripturarum*, Præf. in Quæſt. in Geneſ. Hinc Origenis Commentationes in Scripturam univerſam, præter Scholia, & Homilias, ſtimulos indeſinenter addente Ambroſio Alexandr. de quo ſuprà; quibus excipiendis ex ore dictantis, Notarios *ſeptem* adhibuiſſe fertur, ſubminiſtrante Ambroſio, totidemque Librarios qui tranſcriberent, quibus factum ut Συνταχτήριος & Σιωπηλικὸς diceretur. Cumprimis eſt dignum omni memoriâ, ſed inviſum poſteritati, utiliſſimum ipſi Epiphanio, Opus illud quod *Tetrapla*, *Hexapla*, *Octapla* nuncupatum eſt, dictum *Opus Eccleſiæ*, de quo Euſebius *Hiſt.* L. VI. C. XVI. Quo nempè labore immenſo, ſtudio incredibili, artificio admirando, Verſiones omnes Græcas quæ tum extabant, (Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & τῶν LXX.) cum inter ſe, tum cum Hebræo Textu comparavit, ſingulis per *columellas* diſpoſitis: Adhæc in Verſione τῶν LXX. puriori illâ & emendatiori, obſervavit quid *deficiens* vel neglectum, comparatè ad Hebraicam veritatem, quid *redundans* præter textum Hebr. appoſitis ubique illinc *aſteriſcis*, hinc *obeliſcis*: Tandem & collatis inter ſe *Exemplaribus* Verſionis quam à LXX. Senioribus ſic adornatam credidit, ut par Interpretum in ſingulis cellulis, quæ numero XXXVI. habitarint, Libro περὶ μετρῶν καὶ σταθμ. N. III. annotavit ſicubi potior numerus Interpretum vel Exemplarium prævaleret, vel etiam ſicubi par unum inter ſe conſentiret, quò fecêre *Lemniſci*, & *Hypolemniſci*. Et eô factum, ut iret obviam calumniis Judæorum, & Hæreticorum quorumcunque, quaſi in Chriſtianorum Eccleſiis Biblia Sacra corruptiſſima uſurparentur, ac Hebraicis fontibus minimè conſonantia. Cujuſmodi Operis annexum hîc ex Epiphanio ipſo Diagramma, in Libro de Ponderibus & Menſuris, quale Petavius, Huëtius, & alii, jam exhibuerunt; quamvis de ordine ſeu ratione diſpoſitionis, ἑκταπλῶν & ὀκταπλῶν, item de loco Euſebii, in quo *Septimæ* Editionis meminit, *Lib.* VI. C. XVI. Viri docti inter ſe non convenerint.

Digitized by Google

ORIGENIS TETRAPLA, HEXAPLA, OCTAPLA,
per Columellas diſpoſita, & Verſibus diſtincta, dictum *Opus Eccleſiæ*.

	Exemplar *Hebraicum*. Literis Hebraicis quadratis, ut πρωτοτύποις *primigeniis*, quales ſcil. παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις (ut Euſebius) non Samaritanis.	Exemplar *Hebraicum*. Literis Græcis deſcriptum.	*Aquila*. De his Verſionibus ſuprà *col*. 651. 652. *Epiph. de Pond*. N. XIV.	*Symmachus*. Vide ſuprà, *col*. 652. *Epiph. de Pond*. N. XVI.	LXX. *Interpret*. emendatiſſima. *In medio poſita, ut reliquæ ad hanc facilius exigerentur*; Epiphan. de Ponder. N. XIX.	*Theodotion*. Vide ſuprà *col*. 651. *Epiph. de Pond*. N. XVII.	Verſio *Hierichunt*. incerto Auctore, ſeu *Quinta*. Reperta ſub Ant. Caracallâ. *Epiph. de Pond*. N. XVIII. *ſuprà col*. 652.	Verſio *Nicopolitana*, Ad Actium, incerto Auctore, ſeu *Sexta*. Reperta ſub Alex. Severo. *Epiph. de Pond*. N. XVIII. *ſuprà col*. 652.
							Hæ duæ Verſiones non omnes Libros complexæ, *Hier*. ad *Tit*. C. III. 9.	
Gen. I. I.	בראשית	Βερεσίθ.	Ἐν κεφαλαίῳ.	Ἐν ἀρχῇ.	Ἐν ἀρχῇ.	Ἐν ἀρχῇ.	*Non extat.*	*Non extat.*
Hoſ. XI. I.	כי נער &c.	χι νερ &c.	1 TE	2 TR	3 AP	4 LA.		
	1 H	2 E	3 X	4 A	5 P	6 L A.	7	8

Ad Textum Verſionis τῶν LXX. appoſuit, 1 *Aſteriſcos*, * ad voces quæ deeſſent in Græco textu, à ſe ex Hebræo ſuppletas: 2 *Obeliſcos*, ⸓ vel ⸔ ad voces, præter Ebraicum textum, in Græco adjectas quaſi obelo configendas: 3 *Lemniſcos*, ÷ ubi variarent lectiones, ſed potior numerus Exemplarium prævaleret. 4 *Hypolemniſcos*, ∸ ubi par ſaltem Exemplarium conſentiret, vel juxtà Epiphanium, par Interpretum, ſeu Tranſlatorum. Editio *Euſebii* & *Pamphili*, non alia fuit ab illâ τῶν LXX. ex Origenis Hexaplis deſcripta, horum diligenti ſtudio. *Luciani* illa Presbyteri Antiocheni, & Martyris ſub Maximino, A. CCCXI. eadem fuit, quæ κοινὴ dicta, antè emendationes Origenis, & à Luciano exacta ad Hebræos Codices, ut fuit Hebraicè Doctiſſ. Hujus Verſionis uſus in omnibus Oriental. Eccleſiis, ab Antiochiâ uſque Conſtantinop. *Hier*. adverſ. Ruffin. T. II. *Heſychii* Monachi Ægyptii editio, & eodem cum Luciano tempore Martyris, fuit veteris Tranſlat. Græcæ nova recognitio, in Ægypto & vicinis locis uſurpata, Hieronymo teſte *loco cit*.

OCTAPLA, quæ & HEXAPLA, in ordine ad ſex Editiones Græcas. Acceſſit & *Septima* Editio Pſalmorum, ex Euſebio, καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν, ſcil. τῶν ψαλμῶν, *Lib*. VI. C. XVI.

Quæ in Origene culpantur.

Culpanda in tanto Viro, v. gr. Eviratio ſui ipſius, teſte etiam Euſebio L. VI. C. VIII. quanquàm modus ignotus, an pharmaco ſeu medicamine appoſito, an ferro ſeu novaculâ, ut poſtremum Hieronymus, hærente & Epiphanio; tempus verò non deſignatum, quod Baronius ſtatuit Severi XIV. ad A. CCVIII. N. I. Ingenium luxurians nimis & ἀλληγορομανία in Scripturis explicandis; Errores in doctrinâ, non pauci, & graves, ex Platonicâ cumprimis diſciplinâ, de Deo, de Trinitate, de Angelis, de Chriſti Oeconomiâ, (ad quem *preces* dirigendas negat, Libello περὶ ἀρχῆς) de Libero Arbitrio, de ultimo Igne purgatorio, de fine Pœnarum infernalium, de μετεμψυχώσει, de Aſtris animatis, &c. accuſantibus Methodio, Hieronymo, Epiphanio, Photio, &c. præter Patres Synodi V. ſub Juſtiniano. Contentionum hinc materies ſuppeditata, & luctuoſa ſequentibus ætatibus, de Origene & Origenianis, certamina, de quibus loco ſuo: Vulgatum eſt illud de Origene, apud Caſſiodorum & alios, *Ubi benè nemo melius, ubi malè nemo pejus*. Ex-

Quæ eum excuſant.

cuſant tamen Origenem non pauca. 1. Ut qui non pauca retinuiſſet ex *Platonicâ* Philoſophiâ, qualiter Juſtinus Mart. Clemens Alex. quâ ſemente imbutus ſub Ammonio Magiſtro, etiam Clemente Alexandr. fuerat. 2. Ætas florida, ingenium fœcundum, undè illa ἀλληγορομανία. 3. Feſtinatio & velocitas nimia in concipiendo, dictando, ſcribendo, undè non ſatis præmeditata illi multa exciderunt, accedente labore indefeſſo pro convertendis Gentilibus, erigendis fidelibus, &c. 4. Ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς, & ſtudium confutandi Noëtum, Marcionem, Hæreticos alios ſui temporis. 5. Scriptorum Origenis ſive à Ruffino Interprete, ſive ab aliis, mira depravatio, ut ſæpè de genuinâ ejus ſententiâ non conſtiterit. 6. Origeniſtarum errores nonnunquam Origeni imputati. 7. Modeſtia ejuſdem, animus minimè pertinax, aut ſuperbus, ut ſæpè *cogitata*, *ſuſpiciones*, meticuloſè & hæſitanter propoſuerit, non dogmaticè & *aſſertivè* ut loquuntur; ſcil. hæc dici à ſe *cum metu*, *cautelâ*, ad diſcutiendum, exercitii ergò, fortè verum eſſe, ſic videri ſibi, &c. Quod etiam aſſertum Huëtio, *Origenianor*. L. II. C. III. §. XI.

Scripta autem illi non pauca *afficta*, Commentarii, Homiliæ, Dialogi, &c. quàm plurima *interverſa*; alia non parum *interpolata*, ut Amanuenſium vitio, ſic Ruffini Interpretis peſſimâ fide, jam olim accuſatâ. De quibus, poſt multos alios, omnium

Digitized by Google

omnium accuratiſſimè vir magnus Daniel Huëtius, in *Origenianis* Lib. III. Græca tamen Origenis, ut Libros *contrà Celſum*, *Philocaliam*, *Tomos in Matth. Johannem*, *Dialogum contrà Marcionitas*, *Protrepticon* εἰς Μαρτύριον, *Reſponſionem ad Africanum*, debet hoc Seculum diligentiæ Hoeſchelii, Tarini, Spenceri, Huëtii, Wetſtenii. Libros ſeu Λόγους IV. περὶ Ἀρχῶν, Græcè deſideratos, (quales & Longinus edidit eodem Tit.) nempè de Deo Patre, Filio, Spiritu S. de Mundo, de Scripturâ S. &c. magnoperè exagitavit Hieronymus. Dein & Photius, *Cod.* VIII. tanquàm *impietatis abſurditatiſque* plenos. Reverà & obſcuri fuerunt, & erroribus referti, ab Hieronymo nova verſione, præter Ruffini illam, fideliter expreſſi, ut Latina Eccleſia ab Origenis erroribus ſibi faciliùs caveret, quos palliarat Ruffinus. Ejuſdem porrò Origenis inſignes præ cæteris adverſarii fuêre *Demetrius* Alexandrinus, *Methodius* Martyr, *Euſtathius* Antiochenus, *Apollinaris*, *Theophilus* Alex. *Epiphanius*, *Hieronymus*, &c. dein & ævum *Juſtinianæum*. Fautores contrà & defenſores, præter Palæſtinos, *Gregorius* Thaumat. *Pamphilus*, *Euſebius*, *Didymus* Alex. *Ruffinus*, *Palladius*, *Joannes* Hieroſolymit. *Chryſoſtomus*, *Iſidorus*, &c.

Hippolytus.

Hippolytus vulgò Martyr, Origenis coætaneus & neceſſarius, & ut ex Photio intelligitur *Cod.* CXXI. ἐργοδιώκτης ab ipſo Origene appellatus; adeoque non confundendus cum Hippolyto Thebano Sec. XI. Scriptore, (undè prodit ſe Pſeudo-Flavius *Dexter*, qui hunc anteriorem cenſet Epiphanio) cujus *Chronicon* apud Caniſium Antiq. Lect. T. III. Ille verò, de quo agimus, Irenæi diſcipulus teſte Photio, fuit è Diœceſi Boſtrenſi Arabiæ Petrææ, vulgò *Portuenſis* Epiſcopus, ſed ubi illa Eccleſia ambigitur. Nec audiendus Baronius, ad A. CCXXIX. N. IV. qui ex Metropolitano Arabiæ factum ait à Calixto I. (auctoritate Petri Damiani, Sec. XI. Scriptoris, Oſtienſis Epiſc.) *Portuenſem* propè Romam Epiſcopum, ut ſcil. *lateri ſemper inhærentem haberet* Pontifex; ſcil. pro more illius ævi quo vixit Damiani, non quo vixit Hippolytus. Igitur Epiſcopum fuiſſe conſtat, cujus autem *Urbis* Epiſcopus non dicunt Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, Photius *Cod.* CXXI. unde Portûs Romani Epiſcopum Zonaras, & alii recentiores dixerunt. Cl. le Moyne in Arabiâ rectè Epiſcopum fuiſſe ſtatuit, *Præf.* ad Varia Sacra, ſed *Portûs Romani*, ad Mare Erythræum, cujus proprium nomen eſt *Aden*, *Adana*. Sanè Emporium Arabiæ nobiliſſimum hoc fuit; ſed nunquam *Portus* ſimpliciter veteribus Geographis dictum. Vixit Hippolytus tempore Alex. Severi, ad cujus ſororem *Severinam*, certè Principem fœminam, βασιλίδα τινα, ut Theodoretus, putatur eſſe Epiſtola Hippolyti Parænetica, Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβηρεῖναν; quem Cl. le Moyne, Notis & Obſervat. ad Hippolytum p. 1104. vellet ſcriptum ad *Severam* uxorem Philippi Arabis, quem Chriſtianum fuiſſe ſuſpicatur, & ex eâ ſuſpicione legendum vellet, πρὸς Σεβήραν αὐ pro Αὐγοῦσταν, vel Αὐτοκρατ. Sed πρῶτον ψεῦδος de Philippo Chriſtiano, expreſſâ Diſſert. à me confutatum fuit; undè conjectura altera, pro Σεβηρεῖναν ſcriptum fuiſſe Σεβήραν αὐ. Fruſtrà provocat Vir Magnus ad Acta *Pontii* Mart. de quibus nos *Cap.* II. & IX. & ad Eutychii Alex. Annales, qui *Sec.* X. & Abulfaraium novâ interpretatione, quæ Pocokium fugerat, à ſe illuſtratum. Hippolytus neutiquam videtur attigiſſe Philippi Arabis & Imper. ætatem, id eſt, vixiſſe ad An. uſque CCXLIX. vel CCL. quo Decius imperavit ſimul & perſecutus eſt. Sanè undequaque doctiſſimus fuit Hippolytus. Scripſit *Canonem Paſchalem*, terminandum periodo annorum CXII. ſeu VII. Ἑκκαιδεκαετηρ. ab Anno I. Alexandri Severi, Chriſti CCXXII. quem repertum ſuperiore Seculo in agro Verano, Ægid. Bucherius Latinè reddidit, & Commentario illuſtravit, de quo in *Chronol.* diximus Parte I. *col.* 103. Scripta ejus, quæ plurima, recenſent Euſebius *Lib.* VI. C. XXII. Hieronymus, Photius non uno loco, & *Inſcriptio* Antiqua ad latus Canonis Paſchalis, apud Scaligerum, Gruterum, Bucherium Notis ad Hippolyt. quam & inſeruit Hiſtoriæ Liter. Cl. Cave, in *Hippolyto*, & Variis Sacr. Cl. le Moyne. Undè Viri hujus eruditio, ſtudium Antiquitatis, Scripturarum, Orthodoxiæ contrà Hæreſes omnes, (ex quo Libro quædam excerpſit Photius *Cod.* CXVI.) atque etiam eximia pietas prolixè conſtant. Ejuſdem Commentarium in Danielem memorat Photius, *Cod.* CCII. Homiliam de Chriſto & Antichriſto, laudatâ ſtyli perſpicuitate, ſed temeritate culpatâ, quod adventum Antichriſti futurum dixerit πεντηκοσίοις ἔτεσιν ἀπὸ Χριστοῦ, *quingentis annis poſt Chriſtum*: In quem lapidem impegerunt omnes illi, qui determinare annos & tempora ſuſtinuerunt, quæ hinc Hebræi עלמים *tempora abſcondita*, ſic Chaldæi, Syri. Hippolyti Διδασκαλίαν ſeu διὰ Ἱππολύτου *ab Hippolyto* collectam, in Mss. Biblioth. Cæſarienſis & Oxonienſis memorant Lambecius, & Pearſonus, Viri Clariſſimi.

De *Antichriſto* Ἀπόδειξιν, Græcè primùm editam Anno 1661. debemus Marquardo Gudio, ornamento rei literariæ. Ac non pauca Hippolyti iſtius Portuenſis nomen ementiuntur Scripta, de quibus adi Cocum, Rivetum, Uſſerium, Cave, &c. in noſtris, & nuper Cl. le Moyne, Diſſert. de *Hippolyto*; ut Poſſevinum, & Romanenſes Criticos taceam.

Gregorius Neo-Cæſar.

Gregorius Neo-Cæſareæ in Ponto Epiſcopus, aliàs *Thaumaturgus*, etiam Theodorus, Gentili patre natus, poſtea Chriſtianus factus, auditione cumprimis Origenis, cui & Panegyricum publicè dixit. Defenſor idem inſignis Catholicæ fidei de Divinitate Chriſti, contrà Paulum Samoſatenum, variiſque etiam laboribus ac Scriptis inclytus, ac multorum ad fidem Converſione; ut qui XVII. tantùm Chriſtianos Neo-Cæſareæ reperiſſet, totidem ſolum Gentiles reliquerit, ut Nyſſenus in ejus Vitâ, p. 575. T. III. Plurima tamen Gregorii hujus nomen falſò præferunt: V. gr. *Expoſitio fidei*, adverſus Arianos, ſeu Symbolum quoddam ex revelatione ſcilicet Johannis, & Mariæ Virg. in quo expreſſa vox Τριάδος, & quod in apparitione tradiderint Gregorio, ut Nyſſenus, & hodieque Mſ. extat in Græcorum Monaſteriis, teſte Sponio *Itin. P.* I. p. 154. Hujuſmodi & Sermones *in Annunciationem Dei Genitricis*, & alia, vel judice Bellarmino, ne Thomaſſinum Lib. de *Feſtis*, Du-Pinum, & alios dicam. De *Epiſt. Canonicâ*, eidem adſcriptâ occaſione irruptionis Barbarorum, Gothorum nempè & Boradorum, vel Boranorum, (quâ factum fuerat, ut multi etiam ex Chriſtianis lapſi, vel in illâ expilatione & direptione bonorum, ex alieno locupletes facti eſſent) meritò ambigunt Eruditi: Saltem de *Canone* ultimo, ubi de quatuor gradibus Pœnitentiæ Publicæ. Nam eſſe commentarii vice, explicandis prioribus Gregorii hujus, ſive à Baſilio, ſive ab alio, attextum putant. V. gr. Νάρθηκα, in quo collocat hic Canon ἀκροωμένους, nondum fuiſſe hujus temporis, præter antiquorum Mss. fidem, jam obſervavit in Adverſariis Joh. Morinus de *Sacram. Pœnit. Lib.* VI. C. I. qui de hoc Canone fuſè. At multo magis ambigunt de *prodigiis* & *miraculis*, propemodum ſine fine, quæ illi à Nyſſeno præcipuè in ejus *Vitâ*, (pro ingenio illius Seculi quo hanc ſcripſit, & talia impunè vulgarentur) & paſſim à Baſilio ipſo, Theodoreto, Socrate, Euagrio, Suidâ, &c. tribuuntur, unde *Thaumaturgi* cognomen, & alterius *Moſis*. Multa certè apud Nyſſenum anilem quandam credulitatem ſpirant, ut ſunt v. gr. Frequentes apparitiones, etiam *Virginis*

Digitized by Google

ginis; lacus exiccati; mortui ad vitam revocati; miracula etiam per *Epiſtolas* facta; alia quæ in Vitâ Thaumaturgi legas. Cujuſmodi ferè ſunt, quæ in Vitâ *Pauli* Thebæi Hieronymo adſcriptâ, in Vitâ *Antonii*, tributâ Athanaſio; in Palladii Hiſt. *Lauſiacâ*; in Sulpicii Severi *Dialogis*, aut Vitâ S. *Martini*, deinceps in Gregorio Turonenſi, Bedâ, Adone, Uſuardo, &c. etiam Græculis in Actis Synodi VII. in Menologio, aut apud Damaſcenum, Cedrenum, Nicephorum, habentur innumera.

Dionyſius Alexand. *Dionyſius Alexandrinus*, Gentilis primò, ut Gregorius ille de quo modò, dein auditor Origenis, ſucceſſor Heraclæ, & coævus Thaumaturgo, Cypriano, Dionyſio Romano. Cujus fragmenta multa ſuæ Hiſtoriæ Euſebius inſeruit, *Lib.* VI. & VII. & paſſim ſuprà excerpſimus, *Cap.* de Hæreſibus, & de Perſecutionibus hujus Seculi. Hunc & Euſebius, & Veteres paſſim, μέγαν ſeu *Magni* cognomento vocitarunt. Scripſit adversùs Sabellium, Novatum, Nepotem, Hieracem, Paulum Samoſat. quædam etiam à Sabellianis in ſuſpicionem hæreſeôs adducta, apud Dionyſium Romanum coætaneum, ut *ſuprà*. Sic ex Euſebio conſtat, hunc Dionyſium non credidiſſe Johannem Apoſtolum eſſe Auctorem *Apocalypſeôs*; non confundendum cum Dionyſio Corinthiorum Epiſc. qui obiiſſe fertur A. CLXXVIII. Deportatus in exilium ſub Valeriano, ut antè diximus, in pace moriturus ſub Gallieno, eodem ferè tempore (volunt & *die* eodem) quo obiit Gregorius Neo-Cæſarienſis.

Methodius. *Methodius* Olympi Lyciæ ſive Pataræ, urbis maritimæ, ſuprà oſtia Xanthi fluv. ac dein Tyri in Phœn. Epiſcopus, & *Martyr*, juxtà Suidam ſub Decio, vel ſub Valeriano, aliis veriùs ſub Diocletiano. Magnus hic adverſarius Origenis, adverſùs quem Librum ſeu *Orationem* ſcripſit de *Reſurrectione*, teſte Hieronymo in *Catal.* & Epiphanio *Hær.* LXIV. qui multa ex Methodio excerpſit, laudato illi à *Doctrinâ*, & *veritatis patrocinio*. Hinc & creditur factum, ut Methodii nulla ſit apud Euſebium mentio, quâ ratione Ruffini nulla apud Hieronymum, in Catalogo. Scripſit & adversùs Porphyrium, undè rectè idem ſub Diocletiano in Chalcide paſſus. Ex eo verò aliquot Excerpta deſcripſit Photius; Primò *Cod.* CCXXXIV. ex Libro ſeu Oratione περὶ ἀναςάσεως, ubi varia loca Paulina à Methodio declarata, ut *Rom.* VII. 9. 19. 22. 24. 2 *Cor.* V. 1. 1 *Cor.* XV. 50. 2 *Cor.* XI. 7. &c. Simul errores quidam Methodii inſperſi, ut *Animas eſſe* σώματα νοερὰ *corpora rationalia*, exornatas *membris* ratione percipiendis, ut in Parabolâ *Luc.* XVI. de Lazaro & Divite, & *linguam*, & *digitum*, & *alia membra habere dicuntur*, &c. Secundò, Cod. CCXXXV. ex Libro Methodii, περὶ τῶν γενητῶν de *Genitis* ſeu *Creatis*, ubi contrà Origenem videtur diſputare, Mundum non eſſe conditum ab æterno; nec quia factus in tempore, ideò Deum eſſe mutatum, quando ex non operante factus eſt operans, &c. Tertiò, *Cod.* CCXXXVI. ex ejuſdem Libro περὶ τοῦ αὐτεξουσίου, *de Libero Arbitrio*, undè verbi gr. ſint Mala, & quis eorum Auctor? & num Mala ſint οὐσίαι *ſubſtantiæ*, quod negat, an potius ἐνέργειαι *operationes* à quibus homo denominatur homicida, adulter, &c. Hinc ad fontem primi mali aſſurgit, hominem ſcil. abutentem Libero Arbitrio quod habuit *obediendi* vel *non obediendi*. Quartò, *Cod.* CCXXXVII. ex Libro Methodii περὶ ἁγνείας *de Caſtitate*, per modum Dialogi in Sympoſio decem caſtarum Virginum; Ubi non quidem eſſe ſublatam à Chriſto *procreationem Liberorum*, ex commendatâ caſtitate, *Matth.* XIX. 1 *Cor.* VII. hanc tamen extollit, & παρθενίαν dictam, unius literulæ adjectione, quaſi παρθείαν, ſive θεῷ ἀπεικάζουσαν *Deo aſſimilantem*. Multa verò Scripturæ loca hîc ſunt ἀλληγορούμενα; ſed & quædam *Ariana*, paſſa manum infidelem, ſi Photium audis, occaſione loci, *Filius meus es, hodie genui te*. Sympoſion illud decem Virginum, caſtigatius noſtrâ ætate publici juris fecerunt Leo Allatius, Petrus Poſſinus è Soc. Jeſu, & Fr. Combefiſius in Auctario Biblioth. Patrum, 1672. qui Methodium integrum, ut tum habuit, vulgavit anno 1644. cum Amphilochii quæ extant, & Andreâ Cretenſi VIII. Seculi Scriptore. Plures verò Methodii fuêre, & hinc diatriba Leonis Allatii de *Methodiorum Scriptis*; & quæ judicioſè hanc in rem obſervavit Caſimirus Oudinus, in *Supplem.* de Scriptoribus Eccleſ. ad A. 260. ut Du-Pinum, W. Cave, alioſque taceam. Certè ſuppoſititia ſunt quæ Methodio tributa fuêre, e.gr. Hiſtoria vel Chronicon, in quo fabula de *Sudario Veronicæ*; Oratio de Feſto ὑπαντήσεως *Occurſus Domini*, ſeu de Symeone & Annâ, tempore Purificationis Virginis matris; & alia de quibus Viri laudati.

Innumeri alii celebres fuêre in Aſiâ, Palæſtinâ, Ægypto, &c. ſeu *Epiſcopi*, ſeu *Presbyteri*, & *Martyres*, quorum ſcripta ac ferè nomen intervertit ætas. De quibus prolixè Euſebius, *Lib.* V. & VI. Hiſtoriæ, poſt eum Hieronymus, in *Catal.* & qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentati. Imponunt autem in plurimis Apocrypha & ſuppoſititia. Catalogum videſis apud Magdeburgenſes, *Cent.* III. C. X. & emunctioris naris Criticos ad Scriptores Eccleſiaſt. III. Seculi. Alii quidam.

II. In *Latinis* Patribus, poſt Tertullianum, de quo ſuprà, celebriores ſunt:

Minucius Felix, Cauſidicus Romanus, Afer creditus, medius inter Tertullianum & Cyprianum, ſi Eruditis creditur, uti antè Cyprianum memoratur Hieronymo in *Catal.* Laudatus idem Lactantio, Hieronymo ſæpè, Eucherio Lugdunenſi & aliis. Scriptor elegantiſſimi *Dialogi*, in quo Gentilium πολυθείαν & fœdum Idololatriæ cultum vivis coloribus depingit, & qui habitus diu ſatis pro Libro VIII. *Arnobii*. Variorum commentariis illuſtratus, Fulvii Urſini, Vouwerii, Heraldi, Rigaltii, Ouzelii, &c. Facit etiam ad Gentilium calumnias refundendas, & ex ea non pauca de Chriſtianorum doctrinâ, ritibus, moribus, diſciplinâ illuſtrantur, qui *miſeri viderentur, non eſſent*. Minucius Felix.

Cæcilius Cyprianus, ex Gentili Chriſtianus, ope Cæcilii Carthagin. Presbyteri, undè *Cæcilii* nomen additum illi Cypriani, qui & *Taſcius* antè dicebatur. Cyprianus. Rhetor idem primò, dein ſubitò Presbyter, citâ promotione, mox & factus Carthagine Epiſcopus, A. CCXLVIII. quod velit Pontius, *Presbyterium & ſacerdotium ſtatim accepit*. Suffectus in locum *Donati* Epiſc. deceſſoris ſui, ut ex Cypriano colligitur, *Ep.* ad Cornelium, decennio circiter antè exceſſum. Quâ præciſè ætate fuerit non dicitur, quem jam *Senem* Chriſto nomen dediſſe vult Annal. Scriptor Baronius. Tertulliani idem ſummus fuit admirator, cujus paſſim veſtigiis inſiſtit, undè familiare illud Cypriani, *Da Magiſtrum*, Hieronymo referente in *Tertulliano*. At elegantiâ Latini ſermonis, procul affectatione, ut & facilitate, Magiſtrum atque Afros reliquos, ipſumque adeò Auguſtinum, longè ſuperavit. Undè Lactantii, & Hieronymi, congeſtæ in Cyprianum laudes. Quamvis duriores quaſdam voces, nec Latinas ſatis, pro uſu Africano, retineat hinc indè Cyprianus, ut à Criticis obſervatum, e. gr. *collecta*, *remiſſa*, *abſtinere* pro excommunicare, *abſtenti*, *ſanctificati*, *Dominicum celebrare*, *Diacones*, *Fraternitas*, &c. Majorem autem laudem meruêre pietas, & charitas incomparabilis; zelus, ſcripta, labores pro Chriſtianâ fide aſſidui; diſciplinæ ſtudium, acta contra Novatum & Novatianos; adde moderationem, patientiam, conſtantiam, tandemque Martyrium, de quo ſuprà in Perſecut. Valeriani.

Vitam

Digitized by Google

Vitam ejus ſcripſit Pontius Cypriani Diaconus, viſam & laudatam ab Hieronymo, comes ejus etiam in exilio, & ad diem Paſſionis; Rigaltio tamen de Auctore dubitante, aut de ſinceritate hodiernæ *Vitæ*. In plurimis verò mutuari lucem, ex Cypriani Operibus, Eccleſiæ Hiſtoriam, Doctrinam, Ritus, Diſciplinam, noſtra hæc pagina oſtendit: *Annales Cyprianicos*, ſeu Hiſtoriam XIII. annorum, quibus Cyprianus inter Chriſtianos vixit, ab A. CCXLVI. ad A. CCLVIII. *Kal. Oct.* quo martyrium conſummavit, hinc ſingularum Epiſtolar. & Tractatuum ordinem hiſtoricum, magnâ curâ adornavit Illuſtris Pearſonus, præmiſſos *Editioni* Operum *Cypr.* Joh. Felli Oxonienſis, A. LXXXII. quam hujus dono ſuo tempore ad me miſit Edw. Bernardus, Vir deſideratiſſimus.

Scripta huic ſunt *afficta* non pauca; alia ejuſdem paſſim *interpolata*, firmando Primatui Romano; judice ipſo Rigaltio, Du-Pino, Launoio. Adſcriptorum ac ſuppoſitorum indicem, poſt judicia Eraſmi, Pamelii, Goulartii, ut & Bellarmini, Coci, Sculteti, Riveti, &c. videſis apud Nicol. Rigaltium editorem Cypriani caſtigatiſſimum, & nuper Joh. Pearſonum, & Joh. Fellium Epiſc. in Edit. quam diximus *Oxonienſi*, etiam Du-Pinum in Cenſurâ Operum *Cypriani.* Adde etiam Guil. Cave, Britannum, in *Vitâ* Cypriani, & in *Hiſt.* Literariâ, *pag.* 89. ut taceam πατρολόγυς Germanos. Quare quæ ab his eruditè & ſolidè obſervata ſunt, & omnium manibus verſantur, deſcribere noſtri nec moris nec inſtituti eſt.

Pontius Diaconus.

Pontio Diacono Carthaginenſis Eccleſiæ, quo tempore Epiſcopus eſſet Cyprianus, tribuit ſanè Hieronymus in *Catal. egregium volumen Vitæ & Paſſionis Cypriani.* At quæ hodiè extant, *Pontii* nomine, de Martyrio & paſſione Cypriani, variè videntur interpolata, multis inſertis quæ ab ævo Cypriani, à perſonis, à loco, aliena videntur, v. gr. *Rogante J. Chriſto*, quæ formula ſeriùs in Eccleſiam introducta eſt, de quâ Blondellus; *Corpus Cypriani* terræ illatum, procedentibus longo ordine Chriſtianis, *cum cereis & ſcolacibus* ſeu funalibus, in uſum luminis; *Univerſum populum* Chriſtianum, noctu convocatum, ad vigiliam ſolemnem, quæ præceſſerit Natalem diem Cypriani, &c. Quæ temporum ratio vix tulit, & in quibus deſideratur Hiſtoriæ fides. Sic quod in Actis Paſſionis Cypriani legitur, juxtà editiones Manutii & Morelli, de *Cornelio* Pontificatum *Urbis regente, comprehenſo à Præſide, & diuturnis tormentis afflicto*, antequam *gladio* percuteretur; Et mox ſequitur *Paſſio Cypriani*, quæ demum accidit A. CCLVIII. ſub Valeriano; obitus verò Cornelii in exilio *Centumcellis*, A. CCLII. ſub Gallo & Voluſiano. Ibidem inſeritur fabula, de Perſecutione in *Lybicis terminis*, & quidem de *clibano calcis accenſo à Præſide*, & optione Chriſtianis datâ, *eligerent è duobus unum, aut thura ſuper carbonibus* (qui aderant) *offerrent Jovi*, *aut in calcem* vivi *demergerentur*; quod factum à *trecentis viris fide armatis*, &c. Sed diverſiſſimæ hujus *Paſſionis* editiones, *tres minimùm*, à Pamelio, & Rigaltio productæ. Rectiſſimè Rigaltius: *Multa alii, pro captu quiſque ſuo, adjecerunt, aliena Seculo, aliena Perſonis, quædam etiam detraxerunt valdè bona. Pauca ſuperſunt quæ præſtare poſſumus ſincera.* Baronio aliter viſum, ut veſtes Pontificales, Cereos accenſos, Funerum pompam, præcedente omni Clero, ex Actis illis conficeret.

Novatianus.

Novatianus ex Philoſopho & Clinico factus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, æmulus Cornelii, dein factioſus & ſchiſmaticus Epiſcopus, ac *Catharorum* primipilus, qui pro *impuris* Catholicos reputarent, ob Lapſos poſt teſtatam Pœnitentiam admiſſos. Multa ſcripſiſſe fertur ab Hieronymo in *Catal.* Quædam illius tributa Tertulliano, etiam Cypriano, cumprimis liber de *Trinitate*, qui hodieque extat, ſeorſim editus, & quoque ad calcem Operum Tertulliani. Ac quanquàm in unâ Deitate Perſonarum *Trinitatem* diſtinguat, contrà Sabellium, adſtruatque Chriſti Divinitatem; tamen de *Spiritu S.* ut *minore Chriſto*, & *creaturâ*, locutus admodum periculosè eſt. Adde libellum de *Cibis Judaicis*, cum priore editum, pari errore circà Auctorem: Libertatem iſto Chriſtianam, in uſu ciborum, adſtruxit. Alia Novatiano tributa, de quibus adi Du-Pinum, Cave, Oudinum, &c. in recentioribus, qui de Eccleſ. Scriptoribus commentati.

Arnobius.

Arnobius è Numidiâ Afer, Rhetoricam *Siccæ* profeſſus, ac præceptor Lactantii, clarus fuit exeunte Seculo ſub Diocletiano, ſed & ſequente. Scriptor is *Librorum* VII. contrà Gentes, tùm adhuc Catechumenus, ut fidei ſuæ ſinceritatem probaret, teſte Hieronymo; obortâ recens Perſecutione Diocletiani. Quorum Librorum analyſim videſis apud Editores, ut & Lectiones quandoque varias, etiam noviſſimè apud Eliam Du-Pin. Hinc etiam factum, ut felicior ſit in oppugnando *Gentiliſmo*, quàm in *Chriſtianiſmo* adſtruendo; illique errores nonnulli ſint condonandi. V. gr. de *Animarum* origine, quas ex traduce, & ex ſe mortales, ſed gratiâ Dei immortales fieri, contendit; Aut de ratione *Reſurrectionis*, quam futuram non Carnis ſed Corporis, & quidem *Spiritualis*, ſenſit cum Origene, Platonicis, Gnoſticis. Sed de Arnobio non unum judicium eſt, laudatiſſimo utique ejus Opere; *Chriſtiana* tùm ſimplicitatis, quibus *nulla Templa, Aræ, Sacrificia, Simulachra*, tùm ſanctitatis, innocentiæ, procul atheiſmi, aut impietatis crimine, ut & Divinitatis Jeſu Chriſti, Domini noſtri, teſte luculento: Dum *Gentilium* Deos Deaſque, horum origines, metamorphoſes, probra, flagitia, turpitudines, figuram monſtroſam, ut Hammonis Cornuti, Anubis κυνοκεφάλυ caninâ facie, Æſculapii ὀφιομόρφυ, &c. ſacra denique infanda, Priapi, Bacchi, Cybeles, nudæ Veneris, &c. omnemque Gentilis Idololatriæ veſaniam, ingenioſè perſtringit. Imò pro *Deo* coluiſſe, informem *Arabas* lapidem; acinacem *Scythas* Nationes; ramum pro Cinctiâ *Theſpios*; lignum *Icarios* pro Dianâ dedolatum; *Peſſinuntios* ſilicem pro Deûm matre; pro Marte *Romanos* haſtam; pluteum *Samios* pro Junone, &c. *Libro* VI.

Illuſtrarunt Arnobium Theodorus Canterus, Godeſchalcus Stewechius, Elmenhorſtius, Gelenius, Meurſius, Heraldus, Priorius, alii. De eo rectè Hieronymus, uti de Origene, Tertulliano, & nonnullis aliis, *Epiſt.* ad Tranquillinum, Tomo II. *Sic legendos eſſe, ut bona eorum eligamus, vitemuſque contraria; juxta Apoſtolum dicentes, omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Idem de Arnobii ſtylo dicendum, qui ſanè oratorius, quando Rhetoricam profeſſus fuit; ſed ſæpè verbis aut phraſi Africanam originem ſpirans: Undè v. gr. *buſticetum, germanitas, differitas, impropè, commetari, combibere, conducere maledicta*, & id genus quàm plurima in Arnobio. Confuſus eſt aliquando cum Arnobio Afro Arnobius junior, Seculi V. ſcriptor, cujus ſunt Commentarii in *Pſalmos*, de quo Critici.

Victorinus.

Mittimus obſcuriores alios, Ex. gr. *Victorinum* Petavionenſem, è Pannoniâ ſuperiore, non *Pictavienſem*, ut Baronio viſum, & à Launoio prolixè refutatum eſt: *Cornelium* Romanum Epiſc. *Dionyſium* itidem, in eadem ſede; alios quoſdam, quorum extant ferè nonniſi nomen, fragmenta, & ἀποσπασμάτια, apud *Cyprianum*, *Euſebium*, *Hieronymum*, *Photium*, &c.

XI. De

Digitized by Google

XI. *De Scriptis ſuppoſititiis, ad hoc Seculum relatis.*

Patribus hujus Sec. ſuppoſita. I. SUppoſitorum huic Ætati ſcriptorum vix modus fuit, aut pudor ullus. Præcipuorum indicatio hujus tantùm loci eſt, quum diſquiſitio ad Criticos ſpectat, & illos inprimis qui noſtro Seculo diligentius, quàm anteà factum, in Scriptores Eccleſiaſticos inquiſiverunt, procul hypotheſeôn ſervitute, quales præcipuè in Galliis, præter Andr. Rivetum, & noſtros, Joh. Launojus, Steph. Baluſius, Elias Du-Pin, Caſim. Oudinus, &c. & in Anglis, poſt Cocum, Perkinſium, Uſſerium, &c. Vir Laudatiſſimus Wilh. Cave, in notiſſimo Opere *Hiſt. Literaria*. Ità quantum ad ſuppoſita *Tertulliano*, *Origeni*, *Africano*, *Cypriano*, *Gregorio* Neo-Cæſarienſi, *Methodio*, *Arnobio*, &c. dictum modò fuit ad ſingulos, quantùm patiebatur hujus Operis inſtitutum. Horumque indices apud dictos Cocum, Perkinſium, Scultetum, Gerhardum, Rivetum, Hottingerum, Proteſtantium quos dixi reliquos; Poſt judicia Eraſmi, Sixti, Molani, Poſſevini, Pamelii, Baronii, Bellarmini, Miræi, Labbei, Rigaltii, &c. eorumque qui *Patres* hoſce ſingulos quàm emendatiſſimos ediderunt, aut illorum cenſuerunt Scripta.

II. Inter ſuppoſitos fœtus ſuperiore jam Ætate, fuêre *Carmina Sibyllarum*, avidè jam hoc Sec. à Chriſtianis ſuſcepta. Sed hæc ipſa à Gentilibus quoque, pro fatidicis Sibyllarum Oraculis habita eſſe, falsò ſupponit Baronius, cum ſuis. Et hos volunt eſſe *Libros Sibyllinos* quos aperiri & inſpici voluerit Aurelianus Imp. in his quæ leguntur apud Fl. Vopiſcum, de quo infrà, *Cap.* XIII. Suppoſiti vero & fœtus alii hujus ſcilicet Ævi ſcriptoribus, omnium Suppoſ. Zenoni Veronenſi. penè conſenſione *ſpurii*. Ità qui *Zenoni* Veronenſium Epiſcopo, & vulgò martyri ſub Gallieno, tribuuntur *Sermones de plurimis S. Scripturæ locis*, quos ignoravit Hieronymus, & arguit mala fides compilatorum, ſtyli diverſitas, & Arianæ hæreſeôs prolixa confutatio. Unde fruſtrà Baronius, qui aliàs fucum intellexit, Notis ad *Martyrol.* April. V. probaturus *Templa* primitùs dicta eſſe Eccleſias, citat *Sanctum Zenonem*, *in* Pſ. CXXVI. Hujuſmodi eſt *Homilia de Colendis Sanctis*, & plures aliæ, adſcriptæ Euſebio Alex. *Euſebio Alexandrino*, ejus Eccleſiæ Diacono tempore Dionyſii Alex. & Antiochenæ Synodi, probatæ Turriano, Coccio, ac nuper Caſalio confecturo hinc Feſta in honorem Sanctorum, *de Ritibus Eccl.* C. LX. Sed ità ut Baronium ipſum, Sixtum, Bellarminum, Romanenſes alios, aut fugerit ille fœtus, uti Veteres omnes, aut ejus puduerit.

Dorotheo Tyri. Nec omittendus *Pſeudo-Dorotheus*, qui Tyri ſeu *Epiſcopus* fuerit, ſeu *Presbyter*, aliis Tyrius gente, Antiochiæ autem Presbyter, tempore Cyrilli Antiocheni, ſub Probo & Diocletiano, de quo Euſebius *Lib.* VII. *Hiſt. C.* XXXII. Seu huic jam, ſeu alteri Dorotheo (plures enim feruntur, e. gr. Diocletiani *Cubicularius* Dorotheus idemque martyr, Euſebii *Lib.* VIII. *C.* VI. quem cum Presbytero confundunt Baronius, Miræus, Blondellus, Labbeus, alii) adſcriptus liber *de Vita & Morte Prophetarum*, *Apoſtolorum*, *Diſcipulorum Chriſti*. Nec de ſuppoſitione Latini ipſi dubitant, quicquid ſecùs Græci in Menologio, XVIII. *Kal. Maji*. Atque hic *Dorotheus* eſt, qui inter diſcipulos LXX. Epiſcopatus ità diſtribuit, ut Ananiæ Damaſcenus, Philippo Trallenſis, Prochoro Nicomedienſis, Andronico Pannonius, Urbano Macedonicus, Ariſtobulo Britannicus, Aquilæ Heracleenſis, &c. obtigerint. Alios ejus Hiſtoricos & Chronologicos errores, ſed inſignes, percenſet David Blondellus, *Apologia* pro Hieronymo, *Sect.* III. p. 104. quem vide. Vide & Fragmenta tanquàm ex *Dorotheo*, apud Carolum du Freſne, in Chron. Paſchali Ed. R. p. 426. & nuper apud W. Cave, in Seculo Ariano, p. 115. 116. & *ſeqq.*

III. *Acta Martyrum*, qui paſſi ſint ſub Severo, Pſeudo-Acta Martyrum. Maximino, Decio, Gallo, Valeriano, Diocletiano & Maximiano Principibus, à Notariis ſcil. excepta, publicâ fide, in Acta etiam publica, ſeu *Proconſularia*, ut multis Baronius, referenda, mentita eſt ſequior ætas ſine fine. Exempla dedimus ſuprà, ubi de Perſecutionibus, & Martyribus hujus Ætatis. Inter Apocrypha jam retulit Gelaſius, in Synodo Romanâ, (ut jam ſupponimus) quæ ſuo tempore extarent, ab imperitis, etiam Hæreticis, conſcripta, & quæ in *Romanâ* Eccleſiâ non *legerentur*. Primus omnium Euſebius Martyrum Catalogum contexuit, Ἀρχαίων μαρτυρίων συναγωγήν, ad cujus imitationem deinceps, ſed poſt Hieronymum, (ut rectè Valeſius contrà Baronium) nata in Occidente *Martyrologia*, ſenſim aucta à Bedâ, Floro, Uſuardo, Adone, ac poſterioribus; uti in Oriente natum *Menologium*. Digeſta pleraque ex *Pſeudo-Actis* innumeris, quæ collegit præ cæteris Surius, ex Sanctorum confictis *Vitis*, *Legendis*, *Tabulis* Eccleſiarum, Monaſteriorum, & ex putidis fabulis apud Anonymos ſæpe ſcriptores, paſſimque apud Gregorium Turonenſ. Pſeudo-Dorotheum, Iſidorum, Metaphraſtem, Vincentium Bellovac. Nicephorum Calliſti, &c. Dein hanc operam Bollandus, Papenbrochius, & alii cautiùs egerunt, collectis *Vitis Sanctorum*. Ac pudet ſæpè fabellarum Baronium, cùm in Annalibus hujus Seculi, *Tomo* II. ad An. CCLXI. CCXC. & paſſim, tum in Notis ad Martyrologium. Hinc diſtinguit Acta *Proconſularia* ſcilicet, *ſincera*, quorum *delectus habitus*, ab iis quæ vel ſuſpecta, vel interpolata, vel planè adulterina, ut ſunt reverà ad unum penè omnia. Cordatiores jam fuêre Sirmondus, Launojus, Valeſius, Rigaltius, de Marca, Baluzius, Du-Pinus, &c. Eruditi alii in grege Pontificiorum; ac ipſe quoque Antonius Godavius, in *Præf.* ad Hiſtoriam Eccleſiaſt. qui Acta illa Martyrum aut *falſa pleraque, aut puerilibus fabellis mixta, & anachroniſmis intolerabilibus* referta dicit, nec ſine cenſurâ Baronii. Quanquam ſui deinceps immemor Godavius, ex lutulentis iſtis fontibus ducit hiſtoriæ ſuæ non infrequenter rivulos.

IV. Διαταγῶν ſeu *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Libros VIII. ſub Clementis nomine, fœtum eſſe qui Conſtitutiones Apoſtolicæ an Seculi III. vindicandus ſit *tertii Seculi* erudito Scriptori, *omnibus hodie perſuaſum eſſe*, ait Petrus de Marca, in Opere de *Concordiâ*, *Lib.* III. c. II. Et ita quoque ſenſit David Blondellus, qui *Præfat.* in Apologiam pro Hieronymo, *pag.* 39. conjicit in annum circiter CCLXXX. Et pluribus exemplis ſuppoſititias probat, *De Prim. Eccl.* contrà Perronium, C. XXIV. *Sect.* I. p. 5. Ita Morino, ac pleriſque recentioribus, ſufficit anteriorem eſſe hanc collectionem Nicænis temporibus. Petavius autem negat eaſdem eſſe Conſtitutiones de quibus Epiphanius, *Hær.* LXX. Ubi meminit *Conſtitut.* τῶν Ἀποστόλων, quas pro ſe adferebant Audiani; ſed diverſas eſſe ab hodiernis indè probat Petavius, quod petiturus aliàs indè argumentum, in controverſiâ Paſchali, fuiſſet Epiphanius, ex *Lib.* V. C. XVI. pro Paſchate celebrando ab Æquinoctio verno, eâ Dominicâ quæ Lunam XIV. excipit, contrà Audianorum praxim, qui Paſcha, Judæorum more, ipſâ XIV. Lunâ celebrari volebant. Sed *quinque* locis Apoſtolorum διαταγάς adfert Epiphanius, quæ nuſquam in vulgatis hodiernis Conſtitutionibus occurrunt, ut pluribus Jeſuita. Ita quoque Magnus Uſſerius, Diſſert. de *Ignatii Epiſt.* aliiſque vel ſuppoſitis primæ Ætati, vel in-

Digitized by Google

interpolatis, C. IX. cujus & ſequentia lege. Dallæus verò noſter Seculo demum v. ſcriptas eſſe has *Conſtitutiones* cenſet, paulo antè Decretum Gelaſii in Concilio Romano, An. CCCCXCIV. quo hæ tanquam Apocryphæ rejiciuntur; & ſic in Synodo Trullanâ, *Can.* II. Itâ quoque Doctiſſ. Pearſonus, *Lect.* II. in Acta Ap. *Conſtitutionum Apoſtolicarum Conſarcinator, poſt quinque Secula ſuæ ætatis dogmata, Ritus quaſi ab Apoſtolis præſcriptos tradit.* Nec multum abludunt doctiſſimi in Pontificiis, Albaſpinæus, Petavius, Launoius, Rigaltius, Halloixius Jeſ. &c. ut Walonem Meſſalinum, id eſt, Salmaſium, alioſque in noſtris prætermittam.

Ἐπίκρισις. Ἐπίκρισις noſtra eſt, utique *interpolatam* certè videri in plurimis hanc *Conſtitutionum* Syllogen, inſertis quæ vix *tertii* Seculi eſſe credantur. At collatione inſtitutâ cum ſcriptis Tertulliani, Origenis, Cypriani, cum hiſtoriâ Euſebii, cum ejus Ævi doctrinâ, moribus, diſciplinâ, diſputationibus, fatendum utique fuerit, aliquam ſi non magnam harum Conſtitutionum partem Seculo III. labente jam in uſu Eccleſiæ fuiſſe; at totum Opus Διαταγέων, poſteà conſarcinatum videri, circà finem v. Seculi, quibus ut eſſet auctoritas, inſcriptæ illæ *Apoſtolorum*, & *Clementis* nomine. Certè imprudentiùs, antè Ariana tempora, de *Filio* & *Spiritu* S. loquuntur. Ab Hæreſi venientes *rebaptizandos* decernunt. Diem *Paſchalem* contrà Quartadecimanos definiunt. *Æquinoctium* incidiſſe tùm docent in D. XXII. Martii. Dandam *Pœnitentibus* veniam conſtituunt, contrà Novatianos. *Sabbati* obſervationem, ut feſti, ſanciunt. *Jejunium* Sabbato negant, præterquàm magno & Ante-Paſchali, ſecùs ac deinceps in Romanâ Eccleſiâ obtinuit. *Epiſcoporum* ὑπεροχὴν, qualis hoc Ævo ſurrexit, ſtabiliunt. De *Baptiſmalibus* ritibus, de *Catechumenis*, *Energumenis*, *Lapſis*, *Pœnitentibus*, &c. ea paſſim tradunt, quæ jam Seculi tertii, dein & ſequentium Seculorum, invexit diſciplina. An ſint eædem Διατάξεις, & Διδαχαὶ vel Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων, apud Euſebium, & Athanaſium in *Synopſi*; an verò ſub his nominibus plura ψευδεπίγραφα latitaverint, quæ dixêre τῶν Ἀποστόλων διδαχὴν, διδασκαλίαν, κηρύγματα, διατάξεις, ἀναγνωρισμοὺς, λόγους, πράξεις, &c. merito diſceptatur. Vide Uſſerium Armach. d. *Diſſertat.* C. VII. & H. Dodwellum, *Diſſert.* VI. in Irenæum.

An Canones Apoſtolici hujus Seculi? V. Idem ferè judicium eſto de *Canonibus Apoſtolicis*, quos cenſet Dallæus à Græculo quodam, ex variis Conciliorum Canonibus, eo ferè tempore collectos, quo ſunt Conſtitutionum libri, *Seculo* v. eodemque fortaſſis auctore. Vix tamen dubium eſſe poteſt, quin illorum Canonum plurimi (nec una enim illorum Collectio fuit, unde de numero diſſidia) ſaltem L. qui à Dionyſio Exiguo Latinè redditi, Seculum adultum III. referant, collatione eâdem inſtitutâ, quæ modò Conſtitutionum fuit. Hinc *Canones* de Die Paſchali; de recipiendis Lapſis; de rebaptizandis Hæreticis; de frequenti, in omnibus ſacris conventibus, Communione; de Communione inter Laicos; de Clericorum obviis tertio jam Seculo Ordinibus; de Epiſcoporum ſuprà Presbyteros prærogativâ; de primis Epiſcopis, qui deinceps Metropolitani; de jejunio Sabbati non obſervando, &c. Quæ ſanè, ut ex ſuperioribus liquet, cum hujus Ævi diſciplinâ, & ſcriptis, concordant. Videntur ex ipſis Conſtitutionibus, Clementi attributis, excerpti maximam partem. Sed & irreptitii Canones nonnulli videntur, alii interpolati, maximè à Can. L. ad LXXXV. & Magnus Uſſerius probavit pridem, adjectitios illos Canones XXXV. eſſe Seculi VI. ut & Interpolatorem *Conſtitutionum Apoſt.* Porrò *Apoſtolicos* dictos eſſe Canones nihil mirum, ut Symbolum *Apoſtolicum*, Conſtitutiones *Apoſtolicæ*, Eccleſiæ *Apoſtolicæ*, Cathedræ *Apoſtolicæ*, Paſtores, Patres *Apoſtolici*, Viri *Apoſtolici*, &c. Et quicquid tandem propinatum eſt, tanquam primæ Antiquitatis, & cui auctoritas dignitaſque accederet, *Apoſtolici* cognomentum accepit, ut vel ab Apoſtolis ipſis, vel ſaltem ex eorum traditione à ſucceſſoribus acceptum. Idque diſcriminis ergò ab *Hæreticorum* ſecundi, tertiive Seculi traditione, doctrinâ, praxi, diſciplinâ. Illinc verò Dallæi de *Canonibus Apoſtolicis* neque omnia laudamus, neque etiam *Beveregii* Presbyt. Anglicani, quæ pro horum Canonum antiquitate diſputavit, probare poſſumus ſingula. Quæ pagina paſſim noſtra oſtendit.

XII. *Concilia hoc Seculo Orientalia, Occidentalia, in ſpecie Africana.*

Concilia hoc Sec. General. Nation. Prov. I. Univerſalia quidem, ſeu Oecumenica, nulla hac Ætate, ſub Ethnicis Principibus, quicquid Philippum Imperatorem Chriſtianum fuiſſe ſuſpicentur. Optavit tamen hujuſmodi aliquando Cyprianus, ut communi conſenſione lites finirentur. **De jure in iis Romani Epiſcopi.** Aſt ex plurium *Nationum* Epiſcopis leguntur indicta; uti fuêre Concilia *Iconienſe*, celebri Phrygiæ, vel potiùs *Lycaoniæ*, oppido, A. CCLVI. ubi convenêre Epiſcopi Phrygiæ, Galatiæ, Cappadociæ, Ciliciæ, &c. Tum *Antiochena* duo, in cauſâ Pauli Samoſateni, A. CCLXIV. & CCLXX. de quibus Euſebius, *Lib.* VII. C. XXII. XXIV. Præſentibus Epiſcopis Cappadociæ, Ponti, Ciliciæ, Iſauriæ, Palæſtinæ, Arabiæ, Ægypti, ſaltem *Dionyſio Alex.* literis ſe ſiſtente, qui per ætatem & valetudinem non poſſet. In nullis autem, extrà ἐπαρχίας ſuæ limites, jus convocandi Synodos aut jus præſidii Romano Epiſcopo fuit. Imò ne Romanum quidem ad Synodos ſuas Epiſcopi *Orientales* invitarunt, ne quidem ad *Antiochenam*, in quâ depoſitus Samoſatenus, electus *divinâ Providentiâ* Domnus: Quamvis ſcripſiſſent *ad Epiſcopos qui longiore locorum intervallo à ſe diſtabant, eoſque obſecraſſent, ut accederent*, &c.

Et quantum ad *Romanum*, qui tum erat Dionyſius, *ejuſque Collegas Epiſcopos*, ſatis habuerunt, *eos de electione Domni per epiſtolam certiores facere*, *ut illi ſcriberent* hi Epiſcopi, pro more, *& ab illo Literas Communionis acciperent*, apud *Euſeb.* L. VII. C. XXX. & *Concil. Tom.* I. *col.* 893. &c. Ac precariò Conciliorum Editores notant Concilia, v. gr. Africana & Carthaginenſia, tanquàm *ſub Stephano*, quæ veriùs in Stephanum, in cauſâ de rebaptizandis. **Baronius notatus.** Nec ex *Synodicis Epiſtolis* ad Romanum Epiſcopum, puta Polycratis ad Victorem; Cypriani ad Cornelium vel Stephanum, Antiochenorum ad Dionyſium Roman. aliud conficere Baronium oportuit, quàm communicaſſe inter ſeſe Eccleſias, ut conſilia ſua, ſic ſententias; cumprimis, noluiſſe inconſcias eſſe Eccleſias principes, quales *Romana*, *Alexandrina*, eorum quæ apud ſe gererentur. Hinc Antiochena Synodus II. quid à ſe ſtatutum eſſet, non *Dionyſio* tantum Romano, ſed & *Maximo* Alexandrino, & omnibus κατὰ τὴν οἰκουμένην συλλειτουργοῖς, Epiſtolâ Synodicâ ſignificat, apud Euſebium, *Hiſt.* L. VII. C. XXX. Sic Afri, non ad *Stephanum* modò dant Synodicam, ſed ad Januarium, Saturninum, Maximum, &c. cæteroſque Numidas, *Epiſt.* LXX. itâ ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum, quæ eſt inter Cyprianicas LXXI. alioſque. Ac *mutua* hujuſmodi Epiſtolæ fuêre, ac communicatio mutua; ut ad Romanum, ſic à Romano ad Orientales vel Afros, perpetuis exemplis, vel ex *Cornelii* & *Cleri Romani* Epiſtolis ad Cyprianum. Unde fucum paſſim facit Annalium Scriptor, ad A. CXCVIII. CCLV. CCLXXII. &c. omnia referens ad ſubjectionem Ro-

Romano debitam, & qui geſtorum rationem redderent Pontifici Rom. ut ſupremo omnium arbitro, ac judici. Scilicet!

Loca Conciliorum. II. Frequentiſſima cæteroquin fuêre hac Ætate Concilia, in *Africâ*, *Ægypto*, *Arabiâ*, *Syriâ*, *Aſiâ*, *Italiâ*, *Galliâ*. Ut graviores omnes controverſiæ ad Synodos referrentur, vel Provinciales & τοπικάς, vel ex pluribus etiam Nationibus coactas. Celebratiores Synodi fuêre, ex Euſebio cumprimis & Cypriano.

Africana plurima, & *Carthaginenſia*, quum Afris hic mos fuerit, *bis* in Anno Synodum convocare, Vere & Autumno. In his Concilium de *rebaptizandis* Hæreticis, ſub *Agrippino*, A. CCXVII. de quo Cyprianus *Epiſt.* LXXI. ad Quintum Fratrem: *Quod quidem & Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in Provinciâ Africâ, & Numidiâ, Eccleſiam Dei gubernabant ſtatuit:* Congregatum igitur ex Epiſcopis *Africæ* & *Numidiæ*, qui unam tum Provinciam conſtituêre; quibus acceſſit deinceps *Mauritania*, quæ cum *Africâ*, & *Numidiâ* in unam Provinciam ſeu potius Diœceſim coaluit, Cypriani tempore, ex *Epiſt.* XLV. vel XLVIII. ad Cornelium fratrem. Iſtud verò Concilium inter *reprobata* idcircò habent Editores Concilior. quod in eo *Baptiſmus* per *Hæreticos* primùm damnatus ſit, contrà ſententiam acriter poſtmodum à Stephano Romano aſſertam.

Africana, & Carthaginenſia. III. Concilium *Carthaginenſe* vulgò I. ſub Cypriano, relatum Doctiſſ. Pearſono, ad A. CCLI. Quanquam ab anno CCXLIX. Carthaginenſis Epiſcopus, adhuc quaſi *Neophytus*, non ſine conſilio Cleri ſui ſtatuerit de Eccleſiæ Diſciplinâ; quo anno ſcripſiſſe putatur à Doctiſſ. Pearſono Epiſtolam reſponſoriam ad *Rogatianum*, Epiſcopo conqueſtum de ſuperbiâ & injuriis Diaconi cujuſdam ſui, quem *abſtinendum* ſuadet, vel *deponendum*, ob honorem Sacerdotii, vulgò *Epiſt.* LXV. quam Pearſonus III. ordine ſtatuit, rejectâ Chronologiâ Baronii. Occaſio autem hujus Carthagin. Synodi I. fuit, recens *ſchiſma* per Feliciſſimum, & factioſos à Cypriano abſtentos, ut ex *Epiſt.* XLI. & aliquot ſeqq. Decretum fuit, in causâ *Lapſorum*, quatenus poſt expletam Pœnitentiam recipiendi forent, medio ſervato inter ſententiam *Novatiani*, & inter factionem *Feliciſſimi* quæ ſolvebat Euangelicam Diſciplinam: Simulque acceptis Româ literis de electione *Cornelii*, legatos ad Cornelium & Coepiſcopos miſerunt; quibus reverſis, & audito ex iis *Novatianum* ſchiſmaticum ordinatum, hujus legatos ne admittere quidem dignati Carthaginenſes, ut eſt apud Cyprianum *Epiſt.* XLI. Pearſon. XLIV.

Concilium *Carthaginenſe* II. Anno ſequente, CCLII. poſt Paſchæ ſolennia, ſub eodem Cypriano, habitum fuit: Idque in eâdem causâ, de Lapſis poſt adimpletam Pœnitentiam admittendis; Ubi mitigatio quædam facta decreti prioris, & *Lapſi verè pœnitentes à primo ſui lapsûs die*, ad pacem & communionem Eccleſiæ admitti decernuntur. Quo magis novam inſtare Perſecutionem ſub Gallo, adversùs quam erigendi verè Pœnitentes eſſent, acceperant Afri. Vide inprimis *Epiſt.* Cypriani LV. ad Antonianum Numidiæ Epiſc. & LVI. ad Fortunatum, & cæteros Fratres.

Concilium *Africanum* Carthagine indictum circa A. CCLIII. ex LXVI. Epiſcopis; ubi occaſione literarum Fidi Epiſcopi, quæſtio ventilata eſt, an *Infantes* recens nati, etiam ſecundo, tertio, &c. die baptizari poſſent, antè VIII. d. ex lege Circumciſionis? Negabat Fidus, qui horrebat recentes à partu ad *oſculum* admittere; contrà Carthaginenſes *Baptiſmum* validum eſſe decernunt, ut fuſiùs ex Cypriani & Concil. *Epiſt.* LIX. ad Fidum, ſive LXIV. Aliud Concilium Carthagine celebratum, A. CCLIV. in cauſâ Epiſcoporum Hiſpaniæ Martialis & Baſilidis, qui ſe Idolis ſacrificando commacularant, hinc ab Hiſpanis depoſiti, & alii in eorum locum ſurrogati fuerant. Scribunt ad Afros literas Eccleſiæ Legionis, Aſturicæ, & Emeritana, & cauſam exponunt; Quâ cognitâ, Cyprianus & Coepiſcopi, confirmant ordinationem *Felicis* & *Sabini*, & juſtam depoſitionem Baſilidis & Martialis. Vide Cypriani Epiſt. LXVII. Pamelio LXVIII. & ſuprà *Caput* VI. N. VII. Sic aliud Concilium Carthagine celebratum, A. CCLV. ut contendit Pearſonus, alii A. LVI. præcipuè in cauſâ de Baptiſmo *Schiſmaticorum* ſive *Novatianorum*; antè exortam litem cum Stephano: Quo in Concilio decernitur ille eſſe irritus, ipſo jure nullus, ut *cum aliud baptiſma præter unum eſſe non poſſit*, qui à Novatianis tingerentur, *non tam allui, quam ſordidari, nec purgari delicta, ſed cumulari*, cenſendi eſſent. In quo, Novatianos *provocaſſe ad æmulationem* Cyprianum vellet Cæſ. Baronius, rebaptizantes qui à Catholicis venirent: Sed videtur Cyprianus inhæſiſſe præconceptæ opinioni, & ſententiæ Agrippini, Tertulliani; & hujuſmodi ſchiſmaticos, *extrà Eccleſiam* eſſe, *Antichriſtos*, qui profanâ aquâ polluerent, non abluerent.

Denique memoranda Concilia *Africana* duo, potiſſimùm in causâ de Baptiſmo Hæreticorum non admittendo coacta, prius quidem, ex Provinciis Africæ, & Numidiæ; poſterius etiam adjunctis Epiſcopis Mauritaniæ. Annus fuit CCLVI. nam quod quidam rejiciunt poſtremum in A. CCLVIII. ex errore eſt, quum eo anno Cyprianus in exilio egerit *Curubi* per XI. ferè menſes, tandem ſanguine ſuo *Carthagine* teſtaturus. Ac prius Concilium intelligitur ex *Epiſtolis* Cypriani, LXXII. ad Stephanum, in quâ certiorem reddit de geſtis in Synodo Africanâ, in cauſâ de Baptiſmo ab Hæreticis adminiſtrato; tum ex Epiſtolâ LXXIV. ad Pompejum Sabratenſem Epiſcopum, in quâ reſpondet ad literas à Stephano Romano tranſmiſſas, ſed quæ periêre, quibus damnatâ ſententiâ Conc. Carthaginenſis, contendebat Stephanus, non eſſe rebaptizandos *à quacunque Hæreſi venientes*, ſed *manus* tantùm *imponendas in pœnitentiam*: Provocabat ad traditionem & conſuetudinem Eccleſiæ, & ad praxim Hæreticorum qui non *baptizarent* ad ſe venientes; quibus reſpondet in dictâ *Ep.* Cyprianus. Poſterius Concilium in Stephanum coactum, anno eodem *Kal. Sept.* ex LXXXVII. Epiſcopis, in quo lectæ ſunt literæ tum Jubajani ad Cyprianum, tum Cypriani ad Jubajanum, qui de Baptiſmo Hæreticorum anquiſiverat, ut & literæ Cypriani & Collegarum ad Stephanum, ſcriptæ aliquanto poſt Synodum priorem. Intereà ſcripſerat & Stephanus ſuperbas literas ad Orientales, in cujus facti veritatem dùm inquirit per literas (miſſo Rogatiano) Cyprianus, his reſpondit omnium nomine Firmilianus, Cæſareæ in Cappad. Epiſcopus, quæ eſt Epiſt. LXXV. inter Cyprianicas. In his Stephanum egregiè perſtringit, poſtquam tyrannico hic terrore, *Epiſcopum Epiſcoporum* ſe conſtituens, Afros & Aſianos in ſententiam ſuam adigere præſumpſiſſet, qui etiam abſtinendos eos decreverat, donec ſententiam mutaſſent. Abſurdus rurſum Baronius, qui ex cenſurâ Cypriani, factum Stephani retundentis, dùm ſe *Epiſcopum Epiſcoporum* conſtitueret, colligit *præfixum* fuiſſe *Stephani decreto*, *more majorum*, *hunc titulum*, *ſummæ Pontificiæ auctoritatis* indicem, *Epiſcopus Epiſcoporum*. Idque ex ſarcaſmo Tertulliani, in libro de Pudicitiâ, abſurdiùs probat, ad An. CCLVIII. N. XLII. de quo ſuprà. Sic, Cyprianum deinceps (haud diù poſteà coronatum) correxiſſe *quod erraſſet*, reverentiâ Stephani, quoniam *in unitatis pace permanſiſſe* dicitur Auguſtino; *Africanos* etiam *mutaſſe ſententiam*, *& contraria prioribus ſtatuiſſe*, gratis Annalium ſcriptor,

Africanum Conc. in Stephanum. Baronius notatus.

Digitized by Google

ptor, *Num.* L. & *ſeqq.* Imò adhuc tempore Concilii Arelatenſis I. A. CCCXIV. ex *Canone* VIII. *Afri propriâ lege ſuâ utebantur ut rebaptizarent*, Concil. T. I. *Col.* 1428. ergò per multa tempora poſt Cyprianum. Auguſtinus Ep. XLVIII. (nuperæ Edit. XCIII. par. 38.) *Correxiſſe ſuam ſententiam non invenitur* Cyprianus, nec Afri. Multo minùs correxiſſe vel Firmilianum, vel Dionyſium Alexandrinum, & Coepiſcopos, dici poteſt. Nec ad Cypriani tempora, ſed magis ad ſubſecuta, reſpexêre Hieronymus & Auguſtinus, ſicubi mutationis in Africanâ Eccleſiâ meminerunt. Hieronymus quidem in Dialogo contrà *Luciferianos*, affirmat Epiſcopos, qui cum B. Cypriano ſtatuerant *Hæreticos eſſe rebaptizandos, ad antiquam conſuetudinem revolutos, novum emiſiſſe Decretum*, &c. Applaudit ſanè Baronius; ſed Doctiſſimus Baluzius, in Novâ Collectione Conciliorum, *col.* 20. *Fieri poteſt ut Hieronymus, cùm videret rebaptizationem à Catholicis Afris rejici, fortaſſis odio adversùs Donatiſtas, putaverit Afros ad antiquam conſuetudinem revolutos eſſe ſtatim poſt Concilium habitum ſub Cypriano; Quemadmodum Auguſtinus Lib.* III. *de Bapt.* C. II. *ait illos ad priſtinam conſuetudinem rediiſſe poſt Agrippinum.* Imò Seculo adhuc V. & deinceps, *rebaptizationem* à nonnullis Afris retentam fuiſſe, docet idem Baluzius, Notis ad Vincentium Lirinenſem, p. 436. 437. Adde ſuperiùs jam obſervata, *Cap.* VIII. ſub finem.

Iconienſis Synodus. IV. Nec intermitti debet *Iconienſis* Synodus, jam antè hæc Concilia Carthaginenſia, *Iconii* Phrygiæ vel Lycaoniæ oppido, in eâdem cauſâ, adverſus Baptiſmum Montaniſtarum ſeu Cataphrygum, & Hæreticorum id genus. Generalis illa fuit ex Epiſcopis Cappadociæ, Galatiæ, Ciliciæ, &c. Præſes Firmilianus, ex ejus *Epiſt.* ad Cyprianum, quæ eſt LXXV. à Cypriano ex Græco verſâ, quâ dicit ſe rem diligentiſſimè tractaſſe, & *confirmaſſe, repudiandum eſſe omne omninò Baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum.* Quæ confirmantur à Dionyſio Alex. apud Euſebium *Lib.* VII. C. III. Adde Synodum *Synnadenſem*, cujus ibidem meminit Dionyſius, (Synnada Phrygiæ civitas fuit, & Metropolis, ἐν ἐλαιοφύτῳ πεδίῳ, ut Strabo *Lib.* XII.) & utramque maximas Epiſcoporum Synodos dicit. Quin ex Synodis hiſce Aſianis promanaſſe cenſet Illuſtris Ceſtrienſis, *Canonem* vulgò *Apoſtolicum* XLV. & XLVII. in quo damnatur Hæreticorum βάπτισμα, & ab iis baptizati, dicuntur μεμολυσμένοι *ab impiis polluti.* Adhæc Firmilianus, in eâ Epiſtolâ, Stephanum has Synodos, uti Africanas, reprobantem, & communione Orientales prohibentem, pro merito perſtringit. *Recantaſſe* Firmilianum, hariolatur rurſus Baronius, ex ſecutâ conciliatione animorum, ejuſque in communione Eccleſiæ permanſione, futili argumento. De quo diximus ad *Cap.* VIII. hoc Seculo.

Concilia quædam alia in Oriente. V. Concilia plura celebrantur hoc Seculo in *Oriente* habita, ſed minùs inclyta, quia Acta eorum non extant. Hujuſmodi ſunt, *Alexandrinum*, A. CCXXX. à Demetrio Alex. adversùs Origenem indictum, cujus meminêre Hieronymus, in Origene, & Euſebius *Lib.* VI. C. VIII. ut ſuprà in Origene. *Aſiaticum* adversùs Noëtum, circà A. CCXLV. palam Hæreſim ſuam diſſeminantem, ac dicentem, *Deum veneror, unum novi, nec præter ipſum alterum natum, paſſum, ac mortuum*; ut refert Epiphanius, Hæreſi *Noëtianor.* ſcilicet voluit Noëtus patrata hæc fuiſſe in perſonâ *Patris*. *Arabica* quædam Synodi Boſtræ Metrop. habitæ, præſente Origene, circà A. CCXLVII. ex Euſebio *Lib.* VI. C. XXX. XXXI. & Libro Synodico, in quibus Beryllum, τὸν ἱεροσοφιστὴν, & Hæreticos alios, à graviſſimis erroribus, (ut de *morte Animarum* cum Corporibus, uſque ad beatam reſurrectionem, de Chriſto non habente propriam ὑπόστασιν, antè ſuam Incarnationem) feliciter revocavit. *Achaica* Synodus, circà A. CCL. adverſus Valeſiorum Hæreſim, ſeu Eunuchorum, ſemet caſtrantium propter Regnum Cœlorum, & ipſa celebris, de quâ Baluzius, in *Supplem.* Conciliorum, p. 18.

VI. Tres verò *Antiochenæ* Synodi, eæque *Generales*, hoc Seculo memorantur. Prima in *Novatum* & *Novatianum* Schiſma, circà A. CCLIII. convocatis Epiſcopis provinciarum Cappadociæ, Palæſtinæ, Ciliciæ, Ægypti, Dionyſio tùm Alexandrino Epiſcopo, Demetriano autem Fabii in Antiochenâ Eccleſiâ ſucceſſore. Quo tempore Cyprianus Carthagine, Cornelius Romæ, cauſam eandem agerent. Vide *Epiſtolam* Dionyſii Alexandr. apud Euſebium, *Hiſt.* L. VII. C. VIII. ubi Novatianum ait, τὸν χρηστότατον Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὡς ἀνηλεῆ συκοφαντεῖν, τὸ λουτρὸν τὸ ἅγιον ἀθετεῖν, καὶ τὴν πρὸ αὐτοῦ πίστιν καὶ ὁμολογίαν ἀνατρέπειν: *Clementiſſimum Dominum noſtrum J. Chriſtum quaſi implacabilem calumniari; ſacrum præterea Lavacrum obliterare; fidemque & confeſſionem, quæ Baptiſmum præceſſit, evertere*, &c. **Antiochenæ Synodi.**

Altera quæ prima eſt in *Paulum Samoſatenum*, Demetriani ſucceſſorem, relata ad A. CCLXIV. Gallieno imperante. Coacta ex Epiſcopis Cappadociæ, Ponti, Palæſtinæ, Arabiæ, *ſexcentis aliis*, apud Euſebium, *Lib.* VII. *C.* XXVIII. vocato etiam Dionyſio Alexandrino, ſed ſenectutem literis cauſato. Nullæ hîc Dionyſio Romano partes, aut legatis Romanæ Sedis, quem tamen *hoc Concilium indixiſſe*, Turrianus, Baronius, Binius, ac cæteri nullo pudore mentiuntur. Ac præſediſſe in eo *Firmilianum* Cappadociæ, H. Valeſius agnoſcit. *Paulus* verò ad ſententiam Orthodoxam à Patribus propoſitam, de æternâ *Divinitate* & *Generatione* Filii, reſpondit, diſſimulatâ ſententiâ, & deluſis Epiſcopis; hinc indemnis tum evaſit. Idem *Dionyſio Alexandr.* ob ætatem, & auctoritatem ſedis, propoſuit X. *Quæſtiones*, quibus ſuam ſententiam, Chriſtum nudum hominem eſſe, non extitiſſe antèquam ex Virgine naſceretur, &c. nodis quibuſdam involvebat; ad quas reſpondit Dionyſius & Compresbyteri, quod reſponſum Græcè & Latinè extat *Tomo* I. *Concil.* col. 850 & *ſeqq.*

Tertia, quæ eſt ſecunda in Paulum, relata ad A. CCLXX. Aureliano nuper admodum imperante. Generalis eadem, ex innumerabilibus totîus Orientis Epiſcopis, apud Euſebium *Hiſt.* L. VII. C. XXIX. XXX. Ac fatis modò conceſſerat *Firmilianus*, Cæſarienſis, qui in viâ ad Synodum, *Tarſi* Ciliciæ, diem obiit extremum; ac pridem *Dionyſius* Alex. & *Gregorius* Neo-Cæſarienſis, *qui eodem anno mortui feruntur*, A. CCLXV. omnes maximæ auctoritatis viri. In eâ *damnatus* Samoſatenus, poſt longam diſceptationem, & exauctoratus, fides Orthodoxa aſſerta, Samoſateni & Sabellii Hæreſis profligata, ac Patres fidei ſuæ publicam profeſſionem ediderunt, quæ extat ad calcem Concilii Epheſini, *Tomo* III. *col.* 980. Tùm & *literæ* quæ rem ſignificarent, ad Romanum, Alexandrinum, & cæteris qui Synodo non interfuerant, quaquaverſum miſſæ. Præſederat autem Synodo *Hymenæus* Hieroſolymit. Epiſcopus, & *Helenus* Tarſenſis Epiſcopus, qui primi ſubſcripſêre. Nullæ rurſum Romano, hac in Synodo, aut *convocationis*, aut *præſidii*, aut *confirmationis*, Pontificiæ ſcilicet, partes. Imò *Domnum* Pauli ſucceſſorem creant, confirmant, monentes Romanum, uti cæteros omnes Epiſcopos, quo & gratularentur Domno, & κοινωνικὰ γράμματα *literas communicatorias*, pro ordinatorum Epiſcoporum more, ab eo expectarent. Baronium verò non unîus erroris coarguit, ad hanc Synodum, Henr. Valeſius. De decreto *Aureliani* Imperat. in cauſâ Pauli,

Digitized by Google

li, quo ſimiliter abutitur Annalium ſcriptor, dictum ſupra fuit.

Romanæ, Synodi, & Italicæ.

VII. *Romanæ* Synodi hoc Seculo plures habitæ, ex Euſebio, Cypriano, & ex Tomis Conciliorum. Ac ſub *Cornelio* Epiſcopo indictæ Synodi in cauſâ *Lapſorum* recipiendorum, tùm in alterâ *Novatiani* Schiſmatici Annis CCLI. CCLII. Nec tantùm ex Provinciâ Romanâ, ſed etiam ex Epiſcopis omnibus *Italiæ*, ut ex Euſebio colligitur, *Lib.* VI. *Cap.* XLIII. Tempus malè notatur à Baronio An. CCLIV. & CCLV. quo tempore jam diem obierat pridem Cornelius, ſublatus A. CCLII. Septembri menſe, & Stephanus illi ſurrogatus anno ſequente CCLIII. Gallo & Voluſiano imperantibus. Synodi verò ſub *Stephano* habitæ, contra Africanam Synodum, ſub Cypriano, in cauſa *anabaptiſmi*, meminit *Liber Synodicus*, qui Afros dicit ἀποκηρυχθέντας. Vide ſuprà *Cap.* VIII.

Synodum aliam Romæ celebratam ſub Sixto II. Anno CCLVIII. quo gladio percuſſus Cyprianus, in cauſâ Noëti, Sabellii, & Valentini, habet in Supplemento Baluzius. Sed de rebus *Sixti*, vel ut Græci *Xyſti*, brevi & martyrio ſublati, parum habemus certi. Veriùs Synodus *Romana* notatur, ſub Dionyſio Epiſcopo, circà A. CCLIX. in cauſâ Dionyſii Alexandrini, accuſati hæreſeôs à Sabellianâ factione, quo tempore turbatus eſſet Oriens in cauſâ Samoſatenſi: De quo Romani Alexandrinum certiorem reddunt, & Sabellianam Hæreſim profligant. Vide ſuprà *Cap.* VII. de hac cauſâ Dionyſii Alexandr.

Reliquas Synodos, in *Meſopotamiâ*, *Alexandriæ*, *Cirtæ* in Numidiâ, *Narbonæ* in Galliâ, habitas, ſed de quibus pauca conſtant, require ex Conciliorum *Tomo* I. & ex Libro *Synodico*. De *Cirtenſi* autem poſteà, *Sec.* IV.

XIII. *Res Judæorum hoc Seculo. Libertas iis facta; Scholæ in Palæſt. & Babyloniâ. Res Gentilium. Varia ad Hiſtor. Imperatorum ſpectantia. Hiſtorici, & Philoſophi, præcipuè hoſtes Chriſt. nominis.*

Judæorum conditio miſera, ſervilis.

DE Judæis ſummatim ad hanc referimus, I. Statum miſerum & palabundum, qualem deſcribit egregiè Tertullianus, *Apolog.* C. XXI. *Quanta deliquerint, probaret exitus hodiernus ipſorum. Diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres, vagantes per Orbem, ſine homine ſine Deo rege, quibus nec, advenarum jure, terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.* Nempè indè ab edicto Hadriani, de quo ex Ariſtone Pellæo Euſebius, ne quidem ἐξ ἀπόπτου *è longinquo patrium ſolum proſpicere* Verpis conceſſum, nempè Hieroſolymitanum, *Hiſt.* *L.* IV. C. VI. Renovavit Severus Imperator, & *Judæos fieri ſub gravi pœnâ vetuit*, ſub quo ſcil. rebellarant, pro ingenio gentis: Undè *Judaicum & Samariticum bellum*, apud Euſebium in *Chron.* tacentibus tamen Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptoribus; & *Judaicus triumphus* Caracallæ, virili jam togâ à Patre donato, S. C. decretus, Severi IX. apud Ælium Spartianum, in Severo. Nec mitior conditio fuit ſub Imperatoribus ſuperſtitioſis, Chriſtiano pariter & Judaico nomini infeſtis.

Principes fautores Judæorum.

II. Faviſſe tamen Judæis in primâ juventute fertur Antoninus Caracalla, jam à puero indignè ferens, *colluſorem ob Judaicam religionem graviùs verberatum*, apud Spartianum in Caracallâ. Quod de Chriſtianâ religione intellexit Caſaubonus, familiari errore Gentilium ſcriptorum; & ex eâ Antonini cum Chriſtianis habitudine, quos & in Aulam Severus admiſerat, intelligi poteſt illud Tertulliani, Antoninum *lacte Chriſtiano educatum* fuiſſe. Sed & favit Elagabalus natione Syrus, qui omnium Deorum oſor fuit, præterquàm unius Dei Emeſeni vel Emiſeni, (dicitur enim Ἔμισα, Ἔμεσα, Ptol. Ἔμισσα, Urbs Phœniciæ Libani ſeu Mediterraneæ, *magna* & *pulchra* Ammiano) quem *Elagabalum* vocarunt, id eſt, Solem, Hiſtorici Heliogabalum, vel Ἐλαιαγάβαλον ut Herodianus. Hinc & in *Judæos* propenſior, & in *Samaritanos*, ac *Chriſtianos* quoque, ut quos faciliùs ad Dei ſui cultum transferri poſſe veſanus Princeps exiſtimabat, ex Lampridio in *Heliogab.* Quomodò Aulici facilè perſuaſerunt huic Principi, haud alienos ab hoc cultu Judæos Verſ. LXX. *Pſ.* XIX. 5. ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθηκε τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Et Chriſtianos ſe convertentes ad Orientem, id facere *religione Solis* credebantur, ut Tertull. *Apologet.* C. XVI. Alexander Severus, ut Chriſtianis ſic Judæis quoque faventior; undè *Abrahami* effigiem in Larario habuit, teſte Lampridio, & *Judæis* conceſſit in Palæſtinâ habitare, & Præfectum ſeu ἐθνάρχην *Ethnarcham* habere ſuum, apud Origenem in *Epiſt.* ad Africanum, *pag.* 243. *Patriarcham* ſcilicet, uti & *Apoſtolos* eorum aſſeſſores, *Archiſynagogos*, *Presbyteros*, *Azanitas* (ſeu Synagogæ miniſtros, Diaconos, חזנים apud Eliam Levitam) habuêre, ex Epiphanio *Hær.* Ebionæorum XXX. & ex Codice Theodoſiano de *Judæis*, de quibus dictum aliàs. Et tantum potuiſſe apud illos ſuum *Ethnarcham*, συγχωροῦντος Καίσαρος, *permittente Cæſare*, ὡς μηδὲν διαφέρειν βασιλεύοντος τοῦ ἔθνους, *ut non aliter vivant quàm dum regnavit Populus*, quod *ſcire ſe expertum* ait idem Origenes, ſub finem dictæ Epiſtolæ. Atque hanc dignitatem fuiſſe tum adhuc hæreditariam, ſuccedentibus in Patrum locum filiis, teſtatur præter Magiſtros Epiphanius *Hær.* XXX. Οὐδεὶς γὰρ ἄλλος ἁρπάζει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πατέρα διαδέχεται. Hinc & eum Magiſtratum vocat Joſephus ἄρχοντα, ἄρχοντα τοῦ ἔθνους *Gentis principem*: Et Judæis Alexandrinis & Antiochenis præcipuè, permiſſum à Romanis Imperat. hoc Seculo (ut & ſeq. ad Theodoſii Junioris tempora) ſic vivere patriis legibus, ut exempti eſſent à Juriſdictione & poteſtate Præſidis vel Comitis vel Præfecti Auguſtalis. Atque hinc *Illuſtres*, *Spectabiles*, *Clariſſimi* vocabantur, qui tituli Præf. Prætorio, Præf. Auguſtalium, & Vicariorum fuêre, de quibus ad Seculum IV. plura. Ac ſuſpicari aliis licuit, faviſſe & Judæis *Valerianum*: Unde intelligi debeat locus Euſebii, quem *obſcurum ſibi eſſe* fatetur Valeſius, ad *Caput* X. *Libri* VII. ubi mentio Διδασκάλου καὶ Ἀρχισυναγώγου τῶν ἀπ' Αἰγύπτου μάγων, Imperatorem ad perſequendos Chriſtianos impellentis, quo de loco jam vidimus ſuprà, in Perſecut. Valeriani. Nam *Magiſtrorum* & *Archiſynagogorum* nomen Judæorum proprium fuit; unde Judæorum *Archiſynagogus*, in *Epiſt.* Hadriani apud Vopiſcum, & Alexander Severus, quaſi Judaizans, per deriſionem dictus *Syrus Archiſynagogus*, & *Archiereus*, apud Lampridium in Alexandro. Ita frequentes oppidò Judæi in Ægypto, ac ſæpè cauſa perſecutionum in Chriſtianos; unde Tertullianus in Scorpiace, *Synagogas* dixit perſecutionum fontes. Plurimi inter Judæos Exorciſtæ, ἐμπνέοντες *exſufflantes*, excantantes Dæmonem, ut apud Joſephum, & Lucam, ſic apud Juſtinum in Dial. cum *Tryphone*, & apud Origenem in Libris *contra Celſum*, & aliàs. Sic inter Judæos fuiſſe τοὺς μαγικοῖς μαγγανείαις ἐπιχειροῦντας, legitur apud Epiphanium *Hær.* XXX. N. VII. Adde Judæos Aſtrologiæ judiciariæ deditos, *Mathematicos*, etiam *Aruſpicinæ* peritos, unde Hadriani verba reliqua, in dictâ *Epiſt.* ad Servianum, apud Flavium Vopiſcum. At *ſub Imperatoribus Paganis Judæos in Hiſpaniâ Magiſtratûs munere eſſe functos*, & paſſim in Oriente, neſcio undè probaverit Iſaacus

Locus Euſebii illuſtrat.

Voſſius,

Digitized by Google

Voſſius, de *Sibyllinis*, C. VII. Quanquàm iis ſui (ut dictum) ἐθνάρχαι, γενάρχαι, πατεράρχαι in Palæſtinâ & Ægypto.

Multitudo Judæor. Scriptа. Scholæ. Doctores.

III. Id certum Judæorum immenſam quaquaverſùm fuiſſe multitudinem, cumprimis in Aſiâ, Ægypto, & Africâ, undè & feroces miſeris animi, ac pervicacia. Hinc Tertulliano in libro *adverſus Judæos*, & Cypriano in *Teſtimoniorum libris* ad Quirinum, expreſſæ in Judæos diſputationes. Sed & perfectum in Palæſtinâ fuit hoc Seculo, Anno Judaico MMMDCCCCXC. id eſt, circà A. Chr. CCXXX. *quinto* Judæorum *millenario* inchoando, Talmud vulgo *Hieroſolymitanum*, à Babylonico (huic poſteriore) diſtinctum, auctore R. Juchanan ſeu Johanne; qui princeps fuit in terrâ Iſraëlis, & Præſes Scholæ Tiberienſis. Auctores ſunt Majemonides, Elias Levita, Chronica Judæorum, quanquàm de tempore non ſemper inter eos conveniat; prout auctor Libri *Juchaſin* deſcenſum R. Rab in Babel, ubi fundata Schola Babylonica, anteriorem faciat XXX. annis, quàm David Ganz, à Vorſtio editus. Adi & Galatinum, Sixtum Senenſem, Buxtorfium, &c. Ut verò pauciores tùm in Palæſtinâ Judæi, ſic & auctoritate, & amplitudine ceſſit ſemper *Babylonico* hocce Talmud Judæorum. Ad hanc etiam ætatem referunt plurimi *Targum Hieroſolymitanum*, quo uſi Judæi Hieroſolymitani & Palæſtini; ſed dubio tamen & auctore, & tempore, ut fatentur Eruditi, & Huëtius de *Claris Interpret.* p. 98. *De Hieroſolymitani Paraphr. antiquitate quid ſtatuam non habeo, dubia quippe res eſt, & à multis in utramque partem tractata.*

Hoc etiam Seculo initium ducunt, in Babyloniâ, Academiæ Judæorum Sorana, Pumbeditana, & Nahardeënſis, quarum primos Rectores habes in vulgatis Chronicis Judæor. libro *Juchaſin*. Quanquam ille fundationem Babylonicam referat ad A. Judaicum 3979. id eſt, Chriſti CCXVIII. ab Excidio Templi annis CL. Liber verò Juchaſin in A. 3949. id eſt, Chriſti CLXXXVIII. quo tempore vivere deſierit R. *Jehuda Hakadoſch*. Cave credas Judæorum calculis. Hinc etiam incipit claſſis אמוראים *Amoræorum*, id eſt, γνωμολόγων, *loquentium* ſententias, ab Hebræo אמר *amar*, ſeu explanatorum Miſchnajoth, vel Doctorum Gemaræ; ex quorum diſputationibus deinceps conflatum Talmud Babylonicum. Hactenùs fuerant Doctores dicti תנאים *Tanaim* ſeu Miſchnici, Traditionarii, à תנא quod *tradere* ſignificat.

IV. De Gentilium rebus, præter ea quæ diximus ſuprà, ad caput *de Propagatione Eccleſiæ*, & de *Perſecutionibus*, hoc Sec. obſervaſſe ſufficiat:

Principes faventes Chriſtianis. Abgari Reg. Chriſtiani.

1. Faventiores *Chriſtianis* quandoque Principes, ut Elagabalum, Alexandrum Severum cum Matre, Gordianum, Philippum de quo antè, & quoque Gallienum. Imò initio principatus ipſum quoque Severum, Valerianum, & Aurelianum, propitios experta eſt Eccleſia, ut ſuprà ex Tertulliano, & Euſebio. Sic Chriſtianis accenſet Origenes, ſi tamen is eſt (*Dial.* C. Marcionitas, planè ſub finem) τὴν οἰκουμένην πᾶσαν, & in his συναγελάζεσθαι εὐσεβῶν πειθομένους βασιλεῖς, καὶ πάντας ἄρχοντας συμψήφους τῆς ἀληθείας γιγνομένους, *adgregari pie credentes Reges, ac Principes cunctos qui vernant* (Chriſtianæ) *conſentiunt.* Per *Reges* intelligi putamus *Abgaros* Edeſſenorum & Arabum Regulos, qui Chriſtianiſmum feruntur amplexi fuiſſe, jam indè à temporibus M. Aurelii Antonini, ut colligitur ex Epiphanio *Hær.* LVI. Bardeſianorum, ubi Αὔγαρον (Ἄβγαρον, β. & υ. ex pronunciatione confuſis) dicit ἄνδρα ὁσιώτατον, familiarem *Bardeſiani*, antequam hic in Valentinianorum deliria fuiſſet prolapſus. Sic Euſebius in *Chron.* ad A. Ch. CCXVIII. ex Julio Africano, vocat *Abgarum Regem* qui ſub Macrino Imp. vixit, *virum Sanctum*, quo ὁσιότητος *ſanctitatis* encomio non ornant niſi Chriſtianos. Et hujus *filius* fuiſſe videtur, *Abgarus* Edeſſenorum Rex ſub Gordiano Pio ſive *Tertio*, apud J. Capitol. (*tres* tantum *Gordianos* fuiſſe eruditè nuper ſingulari Diatribâ Gisb. Cuperus, ad decus & incrementum Reip. Literariæ natus) quem à Gordiano, quum ad bellum Perſicum profectus eſſet, reſtitutum, & in amicitiam quoque Romanorum receptum fuiſſe, docent hi *Nummi*, exhibiti à Triſtano, T. II. p. 518. 519. E. gr. ille in quo *Gordianus* Globum tenet, & *Abgarus* Tiaram revinctam Diadem. *manu tangit*, & *ſceptrum* demittit, coram *Domino*: Sic, in quo ut *Eques* Romanis militat.



Qui *Abgarus* ultimus fuerit eorum Regum, quorum Dynaſtiam videtur extinxiſſe *Decius*, & ſequentes *Perſecutores*, & quorum initia oſtendimus in *Hiſt.* Vet. Teſt. *col.* 473. Sic per *Principes* (Ἄρχοντας) intellexit Origenes, tum τῆς Ἀραβίας ἡγούμενον illum, de quo Euſebius *Lib.* VI. C. XIX. tum alios primæ Dignitatis viros, Chriſto aggregatos. Ità fuiſſe paſſim in Chriſtianos animo æquiore v. gr. Præfectos Prætorio, Proconſules, Præſides Provinciarum, qui vel Principes à perſecutione dehortarentur, vel in Chriſtianos Edicta ſegniùs executioni mandarent, rei exempla habemus apud Tertullianum, Libro ad *Scapulam*: V. gr. *Cincium Severum*, (de quo Spartianus interfectum à Severo fuiſſe, ex calumniâ oblati veneni) qui ipſe ſuggeſſit remedium quomodò reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent; *Veſpronium Candidum*, qui Chriſtianum dimiſit, quod *tumultuoſa* res foret, ſi petito populorum ſatisfaceret; *Aſprum*, qui nec compulit ſacrificium facere, & profeſſus eſt inter advocatos & aſſeſſores, *dolere ſe incidiſſe in hanc cauſam*, &c. An verò Principum iſtorum aliqui Chriſtianis poteſtatem fecerint ſtruendi *Eccleſias*, *Baſilicas*, ſub judice lis eſt. Affirmat ſanè Baronius, poſt eum Seldenus, alii, ſaltem de Alexandro Severo, ex Lampridii loco: Ex quo tamen nihil conficitur aliud, quàm litem fuiſſe Chriſtianis cum *popinariis*, de *loco quodam qui publicus fuerat*, eſſe autem publicus deſierat; ſeu jam area fuerit, ſeu domus, quam Imperator Chriſtianis potius, quam popinariis, adjudicaverit, convenire tùm ſolitis in quibuſcunque poſſent Domiciliis, Cœnaculis, Areis. Et quas demolitas refert Euſe-

An Templa iis conceſſerint?

ſebius, *Lib.* VIII. edicto Diocletiani, *Eccleſias*, *Baſilicas*, voluit notiora Chriſtianorum οἰκοδομήματα, quæ uſibus ſacrorum conventuum cederent; Ut ſplendidiores Illuſtrium converſorum domus, Palatia, Baſilicas, in *Eccleſias* converſas fuiſſe hac Ætate referunt Tertullianus, præcipuè & Euſebius, ne dicam Martyrologia: Inter quos viri Senatorii & Conſularis ordinis, primæque in Aulâ & in Præfecturis dignitatis, ex antè dictis.

Præfecti Chriſtianis infeſti.

2. Præter Imperatores Chriſtianis inimicos, *Severum*, *Maximinum*, *Decium*, &c. de quibus abundè *Cap.* de Perſecution. experti ſunt Chriſtiani hujus Ævi cumprimis infeſtos *Præfectos* varios, *Philoſophos*, *J. Conſultos*. Inter Præfectos ſæviit in Chriſtianos *Plautianus*, Urbis Præf. ſub Severo, ad Parthos in Orientem profecto, de quo Spartianus: Qui in tantum potentiæ ſimul & opulentiæ crevit; ut ipſum *plus poſſidere quàm tres Cæſares*, Severus nempè, Antoninus & Geta, populus in Circo palàm dixerit: Et filiæ ſuæ *Plautillæ* deſponſatæ Antonino Severi filio, dotis loco τοσαῦτα οὗτος δέδωκεν, ὅσα καὶ πεντήκοντα γυναιξὶ βασιλίσσαις ἤρκεσαν ἄν: *tantùm dedit, quantùm Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet*; præter Conviviorum, Ludorum, Spectaculorum pompam, & ſumptus pluſquàm Imperatorios, ex Dione Caſſio, horum teſte, in Excerptis Xiphilini, *Libro* LXXVI. Sed non *antecedentem ſceleſtum deſeruit pœna*, *pede* licet *claudo*. Tùm Chriſtianis infeſtus *Scapula* Proconſul Africæ, ſub initia Caracallæ; ad quem Tertullianus Libellum miſit, de quo antè. Pariter, ex dicto Libello *ad Scapulam*, notantur immites in Chriſtianos Præſides, *Legionis* in Hiſpaniâ, *Mauritaniæ* in Africâ, *Vigellius* item *Saturninus*, in Africâ Præſes, *Claud. Herminianus* in Cappadociâ, alii. Talis & *Demetrianus* ſub Decio, ad quem Cyprianus animosè ſcripſit, ut *oblatrantem adverſus Deum ore ſacrilego*, &c. Nec abſimilis ille *Theothecnus* Curator Antiochenus, δεινὸς καὶ γόης καὶ πονηρὸς ἀνὴρ, nempè ſub Maximino, ultimâ Perſecutione, de quo Euſebius, *Hiſt. Lib.* IX. *Cap.* II.

Papinian. Ulpianus, Paulus, &c. Juris-Conſulti.

Adde Juris-Conſultos celebres hoc Seculo, ſed qui parùm æqui in Chriſtianos, imò *conſiliis ſuis* infeſti: Præ cæteris *Domit. Ulpianus* Scrinior. Magiſter, tùm P. Prætorio ſub Alexandro, qui collegit priorum Imperatorum Edicta adverſum Chriſtianos, ac juris quoque peritiſſimus, ità Lampridius; & *Julius Paulus*, quorum ſunt in Pandectis reſponſa: Teſtis eſt Lactantius, de *Juſtitiâ*, Lib. V. C. XI. *Domitius de Officio Proconſulis*, *Libris* VII. *reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos qui ſe cultores Dei confiterentur*. Quanquàm in hodierno Titulo de *Officio Proconſulis*, qui XVI. *Lib.* I. Digeſtorum, hujuſmodi non appareant, nec in ſequentibus, de Officio variorum Magiſtratuum; Chriſtianis ſcil. temporibus, & ævo Juſtiniani, reſecta. Niſi huc referas Legem Ulpiani XIII. *de Officio Præſidis* d. T. cujus ſit ſollicitè curare, ut *malis hominibus Provincia careat, eoſque conquirat*, &c. & id genus alias, tacito Chriſtiano nomine. Tacemus florentes Juriſperitos alios hoc Ævo, *Papinianum* Præf. Prætorio, ſecuri percuſſum ſub Caracallâ, ob improbatam necem Getæ, *Juris aſylum*, & *Doctrinæ Legalis theſaurum*, apud Spartianum; *Fab. Sabinum*, qui Cato ſui temporis dictus; *Celſum*, *Proculum*, *Modeſtinum*, *Metianum*, *Hermogenem*, alios, quos Lampridius dicit *Juris Profeſſores*, *diſcipulos ſplendidiſſimi Papiniani*.

Gentiliſmi fœditas. Ἀποθεώσεις. Imperatores Dii, &c.

3. Infandas porrò Gentilium ſuperſtitiones, fœda Sacra, Idola, Simulachra, Delubra, Sacrificia, Oracula, Ludos, Spectacula, Libros fatidicos, &c. graphicè deſcribunt præ cæteris Tertullianus, Origenes, Minucius, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Euſebius. Ac de his jam ad calcem I. & II. Seculi, quantum fuit ſatis ad inſtitutum, diximus. *Conſecratio* ſive ἀποθέωσις omnium Imperatorum fuit, hoc Seculo, qui in *Divos* relati: Si fortè *Elagabalum* excipias, fœdum illud omnium generum libidinibus monſtrum, ut etiam Tiberios, Caligulas, Nerones, longè ſuperaverit, de quo fuſè Lampridius; dein & *Maximinos*, Patrem & Filium, incredibili cum gaudio Populi Rom. ſublatos, & ignominioſiſſime poſt mortem habitos, ex Julio Capitol. *Valerianus* non mortuus Imperator, hinc nec conſecrandus ſolitâ ἀποθεώσει: Et Inſcriptiones *Divo Valeriano Cæſari*, reſpiciunt Saloninum Valerianum. Nam *Gallienum*, ignavum & luxurioſiſſimum Principem, ac ferè Elagabalum luxu imitatum, etiam *conſecratum* Nummi quidam repræſentant, cum *Aquilâ fulmini inſiſtente*, qui tamen aliis dubii ſunt: Quanquam is Nummos cudi juſſerit, cum *Inſcript.* DEO AUGUSTO, DIVO NERVÆ, DIVO ALEXANDRO, &c. paria ſibi pollicitus. Ἀποθεώσεις ſimiles Fœminarum, quæ ſociatæ Auguſtis, hæc vidit Ætas, qualis Severi conjux, Jul. Domna (cognomen hoc tempore uſitatum, contractum ex *Domina*, ut apud Latinos, ſic Græcos, Syros, & Ægyptios) quæ ſæpè *Dea Juno*, *Mater Deûm*, &c. Sic J. Mamæa, quæ *Juno Conſervatrix*, ut & *Varia Mæſa* avia Elagabali, ut Inſcriptiones docent. Sic Principes nonnulli eò ſuperbiæ devenerant hac Ætate, ut ſibi vivis & præſentibus paſſi ſint adſcribi *divinos* honores, nomina, cultum. *Severus* quidem *Pertinax*, Imperator verè nominis ſui, id eſt, verè *ſeverus*, & verè *pertinax*, paulo antè ſupremum diem ſomniavit, *quatuor aquilis & gemmato curru ad cœlum ſe raptum*, ut Ælius Spartianus, ἀποθεώσεως inſtantis præſagium; quam & deſcribit Herodianus, occaſione Severi, initio *Lib.* IV. Qui aliàs verè de ſe ipſo moriens, πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν μοι λυσιτελεῖ. *Caracalla* filius, parricida, fratricida, inceſtuoſus, *vir ſanguinis*, paſſus eſt ſe vivo Nummis & Inſcriptionibus appellari, *Divum Antoninum Magnum*; *Martem alterum*; *Numen præſens*; *Reſtitutor & Conſervator Vitæ*, &c. qualem Inſcriptionem, *Devotiſſ. Numini ejus*, exhibet Sponius Itineris in Græciam T. I. p. 345.

De Elagab. quædam.

Elagabali Imperat. nota veſania eſt; qui ſe non quidem Deum haberi voluit, tamen *Dei* ſui nomen aſſumpſit, Deoſque omnes toto Romano Im. excepto uno *Elagabalo*, de gradu dejecit, cum Inſcript. *Sancto Deo Soli Elagabalo*, & quæ plura apud Lampridium legas. *Elagabalus* vel *Alagabalus* autem Emiſenis viciniſque populis fuit, quod aliàs Phœnicibus *Baal*, Pœnis *Bal*, Chaldæis *Bel*, etiam *El*, *Alah*, Perſis *Mithras*, &c. quo nomine *Solem* vocarunt; undè de Aureliano Zoſimus, è Syriâ Romam reverſo, Ἥλιός τε καὶ Βῆλος, καθιδρύσας ἀγάλματα. Cur autem dictus *Elagabalus*, diverſimodè Scaliger, Caſaubonus, Salmaſius, alii. Vulgo quaſi אלה גבל *Alah-gabal*, quod Syris & Arabibus eſt *Deus montis*, vel *Deus mons*, quia ſimulachrum illud fuit non tantum in monte poſitum, ſed & ipſum inſtar montis, λίθος μέγιστος, cujus figura κωνοειδής, apud Herodianum: Sic Divi Lapides, apud Laodicenos & Syros veteres, etiam Lapides Bætulii, & Lapides ἔμψυχοι, de quibus fuſè poſt Voſſios, Seldenos, Salmaſios, Bochartos, Reineſios, &c. noviſſimè Giſb. Cuperus Vir laudibus noſtris major. Quomodò *Mater* Galerii Maximiani dicitur Lactantio, *Deorum Montium* cultrix: Qui verò ſint *Dii Montium* vel *Montenſes*, Baluzius difficile eſſe explicare. Indubiè ſic Latinis dicti qui Græcis Ἀκραῖοι, culti in *ſummitatibus montium*, in excelſiſſimis locis, ἐπ' ἄκραις, quales Dii Ἀκραῖοι Jupiter, Mars, etiam Juno, Diana, Cybele, Minerva, &c. de quibus non uno in loco Frater meus: Quanquam ad Lactantium legat Vir ſummus, *cultrix Deæ Montium*.

Ve-

Digitized by Google

Verùm de *Elagabalo*, certum mihi eſt, ſic appellatum, non à *montibus* quos aliter appellant Hebræi, & Syri, (quanquàm Arabibus جبل ſit *mons*, & *abiit ad montem*) ſed quaſi אלה גבלא Θεὸς γαβαλέων. Nam γάβαλα Straboni, Ptolom. & Hecateo apud Stephanum, Urbs Phœnices Mediterr. vel Cœle-Syriæ in quâ & *Emeſſa*, ubi cultus *Elagabalus*: Hinc Nummi plures, *Jul. Domnæ*, quæ Emeſena fuit, ut & *Macrini*, *Diadumeni*, ſic *Antonini Elagabali* Imperatoris cum Inſcriptione γαβαλέων, γαβαλιτων, & cum epitheto addito, τῆ ἱερᾶς κ̀ ἀσύλȣ, apud Goltzium, Triſtanum, Patinum, ne dicam Scaligerum: Nam Triſtanum malè aliquando ad *Antoninum Caracallam* retuliſſe, quod Anton. Elagabali fuit, harum rerum peritis obſervatum. Cæterum hæc *Gabala* ſuum decus ſuaque privilegia, ut fuit illud ἀσυλίας, ab Elagabalo præcipuè videtur conſecuta, & in Nummis horum temporum celebrata. Tacemus hujus Principis alia, v. gr. *cadiſſe* hunc Sacerdotem Solis *humanas victimas*, *lectis ad hoc pueris nobilibus*, & *decoris*; Matrem & Aviam in Senatum rogaſſe; Viros in fœminas, dies in noctes mutaſſe, & infinita alia, detortæ & emotæ mentis indicia.

Aurelianus admiſit quoque Dei nomen & Epitheta, ut patet ex Numm. *Deo & Domino nato Aureliano Aug. Deo & Domino noſtro.* *Carus* etiam paſſus inſcriptiones, *Deo & Domino Caro Aug.* Θεῷ Κάρῳ Σεβ. ex Nummis indubitatis. *Diocletianus*, *Galerius*, *Maximinus*, *Licinius*, omnes ſe appellari paſſim & inſcribi permiſerunt, *Jovios*, *Herculios*, imò *Jovem & Herculem Augg.* Quod videre eſt in horum Nummis apud Triſtanum, Patinum, Fratrem meum in *Diſſert.* & ad Juliani *Cæſares*, & alios qui rem Nummariam tractarunt. Imò eò proceſſit faſtus Diocletiani, ut ſe non *Jovem* modò dici, ſed & tanquam Deum *adorari* ſalutarique primus juſſerit à proſtratis, exhibito gemmatis pedibus *oſculo*, quum Imperii Decennalia edidit: Quod teſtantur Lactantius, de *Mortibus* Perſecutor. Euſebius in *Chronico*, Eutropius in *Breviario*, Pomponius Lætus in *Compendio* Hiſt. Rom. ab exceſſu Gordiani, & alii. Quod illum antè unum Caligulam decuit, & poſt τȣ̀ς κατέχοντας, unum Pontificem Romanum.

Mos conſulendi Libros Sibyll.

4. Inter alias ſuperſtitiones Gentilium, fuit illa conſulendi *Libros Sibyllinos*, juſſu Imperatoris, & decreto Senatûs, quoties laboraret Reſpublica, & urgeret neceſſitas temporum, tanquam indè petituri remedium, & rationem placandi Numinis, ut quibus *Fata Reip. quæ eſſent æterna*, continerentur. Fiebant tum *amburbia*, & *ambarvalia* ſacrificia. Conſulebantur autem non niſi ex S. C. à Quindecim Viris ſacrorum, aſſervatis Libris ſub baſi montis Apollinis. Sic præter exempla alia, apud Lactantium illuſtre eſt iſtud apud Fl. Vopiſcum, in *Aureliano*, quum Romæ omnia trepidarent, ex Marcomannorum vaſtationibus, ad Libros Sibyllinos recurriſſe, quorum *nota beneficia publica*, & *quibus ſpes belli terminandi contineretur*, ſic Hiſtoricus. Epiſtola Aureliani Imp. ità habuit: *Miror vos, Patres Sancti*, (Pontifices) *tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe Libris, perinde quos in Chriſtianorum Eccleſiâ, non in Templo Deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & caſtimoniâ Pontificum, ceremoniiſque ſolennibus, juvate Principem neceſſitate publicâ laborantem. Inſpiciantur Libri, quæ facienda fuerint celebrentur*, &c. Illud, *tanquam in Chriſtianorum Eccleſiâ*, aliò traxit Annalium Eccleſiaſt. Scriptor, & hoc nomine à Caſaubono, etiam Salmaſio, vapulavit. Hoc voluit Aurel. tanquam ſi hoſtes eſſetis ſacrorum, religionum, tanquam profani & athei: Nam *Chriſtiani* interdicebant ſuis hujuſmodi religione, inſpectione Librorum fatidicorum, qui nequidem permitterent legi ἀκανόνιςα βιβλία, & quibus nulla Templa in honorem Deorum eſſent.

Hiſtorici hujus ævi.

5. In Literatis & Hiſtoricis hoc Sec. primas tenuère, poſt antè memoratos *Jul. Africanum*, *Pontium Diac.* &c. *Dio Caſſius*, qui & Coccejus, Coccejanus, Vir Senatoria dignitate, poſt Præfecturam Ægypti, & legationes varias, ad Conſulatum evectus ab Alexandro Severo A. CCXXIX. Iſte, indè à *Commodo* ad *Alexandrum*, ſcripſit res ſuo tempore geſtas, deperditas magnam partem, ſed tamen ex *Excerptis* Xiphilini aliquâ parte reſtituendas, à Julio Cæſ. ad Alexandrum. *Herodianus*, elegantiſſimus Scriptor Hiſtoriar. Libris VIII. ab exceſſu M. Aurelii, ad initium Gordiani Pii Auguſti, quem ἀπόγονον *nepotem* dicit Gordiani Senioris; accuſatus à Capitolino & aliis, quod multa in odium Alexandri Sev. ſcripſerit, favore in Maximinos. *Ælius Spartianus*, cujus extant Vitæ Adriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Sept. Severi, & Peſcennii Nigri, quas Diocletiano inſcripſit, tum & Vitas Antonini Caracalli, & Anton. Getæ, de quibus nota ſunt Voſſii, Salmaſii, Caſauboni, judicia. *Julius Capitolinus*, qui Vitam ſcripſit Antonini Pii, ad Diocletianum Imperat. tum Clodii Albini, Opilii Macrini, &c. ad Conſtantinum Auguſtum, de quo laudata nomina: Quæ & illuſtrarunt *Ælium Lamprid. Fl. Vopiſcum*, *Trebellium Pollionem*, &c. inter Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, de quibus non hic eſt dicendi locus, nec enim hoc jam agimus.

Car aliquot Imper. Vitæ in Hiſtoriâ prætermiſſæ?

Dubium verò cur inter *Gordianum* III. & *Valerianum* Principes, non compareant in hac Hiſtoriâ Auguſtâ intermedii Imperatores, ex. gr. *M. Julii Philippi* duo, pater & filius, qui ultrà V. annos Imperium tenuerunt; *Jotapianus* Aug. mox in Oriente oppreſſus; *Marinus* Auguſtus, in Pannoniâ, & Mœſiâ ſalutatus Imperator, cujus extat Nummus in Gazâ Reg. Chriſtianiſſimi, Μαρίνῳ Θεῷ, cum *Aquilâ*, & dicitur φιλιππολίτων, quæ creditur *Philippopolis* Arabiæ, patria Philippi, ab eo inſtaurata, apud Zonaram; *Trajanus Decius* Pater, & *Herennius Decius* Filius, ſub quibus atrox Perſecutio; *Trebonianus Gallus* Auguſtus, & *Vibius Voluſianus* filius, *Hoſtilianus* Perpenna, tandem *Jul. Æmilianus*, de quorum Imperio, ſed brevi, Aurel. Victor, Zoſimus, Eutropius, dein Zonaras, &c. Rationem reddit Caſaubonus, in Obſerv. ad Hiſt. Aug. p. 201. extitiſſe ſanè in Scriptoribus Hiſt. Aug. horum quoque Principum hiſtoriam; ſed quia hæc permixta fuit *Deciorum* rebus, horum odio *Chriſtianos* prætermiſiſſe ſtudio illum Librum Capitolini, vel Spartiani, &c. in quo minorum Gentium hos Imperatores uno faſce complexi erant. Quæ & cauſſa cur hodieque verſemur in magnâ ignorantiâ temporum *Diocletiani*, Principis quidem peſſimi, ſed tamen maximi.

Philoſophi, varii inclyti. De Porphyrio præcipuè.

Potiùs hic mihi notandi, qui cum Chriſtianis rebus aliquem nexum habuère. Certè primus tenet inter adverſarios Chriſtiani nominis, *Malchus*, id eſt, Syris βασιλικός, ἀπὸ ȣ̃ βασιλικȣ̃ τȣ̃ ἐσθῆτος, undè *Porphyrius*, quanquam familiare hoc apud Syros nomen. Fuit natione Tyrius, longa verò habitatione Siculus, ubi Libros XV. κτ̀ Χριςιανȣ̃ ſcripſit, Suidâ referente, ex quibus multa excerpſit Euſebius. Olim *Chriſtianum* fuiſſe teſtis eſt Socrates *Hiſt. Lib.* III. C. XX. mox perditiſſimus Apoſtata, in eos invectus inclinato jam Seculo, & quaſi λυττήσας ut Theodoretus, *furens caninâ* rabie factis, dictis, ſcriptis. E. gr. Libro I. *contrà Chriſtian.* egit de ἐναντιώσεσι Scripturarum; *Lib.* II. de Interpretatione Script. præcipuè contrà Allegorias Origenis; *Lib.* IV. de Hiſtoriâ Moſaicâ, & Judæorum Antiquitatibus; *Libro* XIII. ſugillavit Prophetiam Danielis, &c. Sed abolita fuère ſcripta omnia quæ haberi potuerunt, ſub Imperatoribus Chriſtianis, de quâ re Edictum extitit Conſtantini M. Confutarunt Porphyrium Methodius, Euſebius, Apollinaris, Cyrillus con-

Digitized by Google

contrà Julianum, cui Porphyrius eſt *calumniarum pater*. Natus ſub Alexandro Sev. anno ejus x. id eſt, Æræ Chriſtianæ Vulg. CCXXXIII. hinc *Tyrius Senex* Libanio, Orat. in Julianum. Sub Gallieno Romam venit, A. Ch. CCLXIV. quo tempore Plotinus Romæ docuit, natus annos LIX. ut ipſe teſtis eſt Porphyrius in Vita Plotini. *Origenem* audire potuit juvenis (νέος ὢν ut Euſeb.) ſive Tyri ubi diutiſſimè commoratus Origenes, ſive Cæſareæ Palæſtinæ, famâ ejus excitus, utpote denatum A. Chr. CCLIV. quo tempore egit Porphyrius annum ætatis XXI. Scripta ejuſdem alia Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Phyſica, Mathematica, Philologica, Theurgica, Hiſtorica, habent Suidas, Eunapius; *Hiſtoriam Philoſophicam* ſcripſit Libris IV. quorum *Liber* I. Vitam Pythagoræ continuit, quam Holſtenius Notis illuſtravit, reliqui fuêre de Vitâ Socratis, Platonis, &c. Plotini Vitam dedit jam Septuagenarius, A. Chr. CCCIII. Etiam de *Abſtinentia* ab eſu Animalium Pythagoricâ, Commentarium compoſuit, in quo cum Manichæis aliiſque Hæret. ſenſit. Tutatus eſt etiam καθαρμὸς τῆς ψυχῆς, ſeu purgationem animæ poſt mortem, ex Platonicâ diſciplinâ. Tacemus *Ammonium* Alexandr. Philoſophum Chriſtianum, ſub Alex. Severo, qui hinc Philoſophiam in multis reſtituit, dictus θεοδίδακτος. Fuit Magiſter Plotini; non profectò Origenis, ut Porphyrius in Plotini Vitâ; qui & mentitur Ammonium ad Gentiliſmum defeciſſe, in Chriſtianâ certè fide educatum, parentibus Chriſtianis, ut Euſebius L. VI. C. XIX. & Hieronymus in *Catal.* Ità mittimus *Plotinum*, cujus Vitam ſcripſit Porphyrius, & in quo revixiſſe Platonem dicebatur, Ammonii aliquot annos auditore, & de quo fuſe Marſilius Ficinus: Tum *Amelium*, Romæ auditorem Plotini, & Porphyrii condiſcipulum, cognominatum γενναῖον: Sic *Dionyſium Longinum*, auctorem περὶ ὕψους λόγου, undè cognomentum κριτικώτατος, quem Zenobia Romæ docentem audiviſſe fertur apud Fl. Vopiſcum: Tandem, ne longiores ſimus, *Hieroclem*, infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem, qui ſua deliramenta in Chriſtum, cui Apollonium Thyaneum oppoſuit, ſub φιλαλήθους titulo vulgavit, & quem Euſebius λόγῳ oppoſito ſolidè ſimul & modeſtè confutavit, de quo ſuprà *Sec.* I. *col.* 594. Hic fuit Præſes Bithyniæ primò ſub Diocletiano, & *auctor inprimis faciendæ Perſecutionis*, ut Lactantius de *Mortibus Perſec.* C. XVI. & *Lib.* V. C. II. dein Præf. Ægypti, ut ex Euſebio conſtat.

XIV. *Memorabilia quædam miſcella hujus Ætatis. Fabulæ inſigniores.*

SPicilegii cujuſdam loco fuerint ſequentia, quæ paucis indicaſſe ſuffecerit, quia ad hoc Seculum referuntur:

Converſiones illuſtres, quandoque miraculoſæ.

I. *Converſiones* quædam inſignes, ſeu perſonas converſas reſpicimus, ſeu converſionis modum. Inter perſonas doctrinâ eminentes & pietate, ex Gentiliſmo prodière *Heraclas* Alexandr. *Cyprianus* Carthagin. *Gregorius* Neo-Cæſarienſis, *Dionyſius* Alexandrinus, Antiſtites alii eximii, Ethnicis parentibus nati: Ex Marcioniticâ & Gnoſticâ impietate ſurrexit *Ambroſius*, magnus cultor Origenis, de quo Euſebius, *Lib.* VI. *C.* XVIII. & Hieronymus in *Catal.* ac nos ſuprà; & cum Ambroſio Hæretici alii, ex eadem Scholâ profecti, *Megethius*, *Droſerius*, *Marcus* (non ille à quo Marcoſiorum Hæreſis) *Valens*, *Marinus*: Cum quibus diſputando congreſſus eſt Origenes, ut eſt in ejuſdem Dialogo contrà Marcionitas, in principio, quem Græcè edidit Cl. Wetſtenius, & qui tandem vi veritatis adacti reſipuiſſe dicuntur. Sed & *Eutropius* diſputationis judex, δικάζων, δικαστὴς, κριτὴς, Philoſophus Græcus ad id delectus, qui ἐπείσθη τῇ ἀληθείᾳ, καὶ γέγονε Χριστιανὸς, *perſuaſus de veritate factus & Chriſtianus.* Adi eundem Origenem, & Notas Cl. Wetſtenii. Ex Viris Illuſtribus converſus memoratur *Philippus* Præfectus Auguſtalis ſub Severo, à pluribus confuſus cum Philippo Auguſto; uti ejus filia Eugenia ab aliis Auguſti filia credita, apud Cedrenum, Zonaram, de quo ſuprà, ubi de Philippo Imperat. Chriſtiano. Ita converſi feruntur *Simplicius* Senator Romanus ſub Alexandro; *Arianus* in Ægypto Præſes ſub Decio; *Aſturius* Senator ſub Valeriano; *Demetrius* Proconſul ſub Galerio; *Gorgonius* & *Dorotheus*, primæ dignitatis, ſub Diocletiano; alii ſine fine, ſi fides partim Euſebio *Hiſt.* L. VII. VIII. partim Nicephoro, & Martyrologiis. Ità cenſet Cl. Dodwellus, *Diſſ.* II. in *Iren. Euodum*, nutritium Caracallæ, cui Procurator fuit *Proculus*, & quem hic miraculo ſanaverat, *ad fidem* fuiſſe converſum. Sed de his jam ferè ſuprà, *Cap.* II. IX. ubi certiora docuimus ab incertis, aut à fabulis Legendarum, diſtinguere. Ità Converſionum *modus* quandoque miraculoſus narratur. Quò refer inſperatam converſionem cujuſdam *Baſilidis* ſatellitis, ad *Potamianæ* Virginis, & Martyris, (paulo antè ab eodem ad ſupplicium ductæ, in urbe Alexandrinâ, ſub Severo) prædictionem, dein *apparitionem* tertio poſt Martyrium die, cujus meminit prolixè Euſebius, *Hiſt. Lib.* VI. *C.* V. Nec dubium quin conſtantia Martyrum ſtupenda multos ad fidem induceret, ut nihil opus ad hoc fuerit *Apparitionibus* defunctorum, vel Angelicis, quas frequentes commemorant. Niſi Martyrum *imagines* in ſomniis terruiſſe Carnifices, aut Judices, ex iſtis collegeris. Sed infinita id genus narrant Acta Martyrum, Vitæ Sanctorum, hinc Baronius, etiam Magdeburgenſes, alii, quorum non tuta fides: Nos certiora conſectamur.

Pœnæ de Perſecutoribus divinitùs ſumptæ.

II. *Pœnæ* divinitùs de *Perſecutoribus* ſumptæ.

Pœnas Nemeſis repoſcet à te,
Eſt vehemens Dea, lædere hanc caveto.

Et has ſtudioſè literis mandarunt, præ cæteris, Tertullianus in Libello *ad Scapulam*; Lactantius Libro de *Mortibus Perſecutorum*, admodùm nuper operâ Doctiſſ. Baluzii, dein & Reverendiſſ. Oxonienſis, & aliorum, luci dato; Euſebius, paſſim in *Hiſtoriâ*, & *Chronico*; Conſtantinus M. in *Orat.* ad *Sanctorum Cætum*, *Cap.* XXIV. XXV. Et conſonant Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, ac Herodianus, Eutropius, Zoſimus, Aur. Victor, &c.

Heic videas vindictam cœlitùs in Præſides, Judices. Ex. gr. in *Vigellium Saturninum*, luminibus orbum; in *Claudium Herminianum*, vermibus ac peſte conſumptum, ex Tertulliani dicto libro; in *Plautianum* miſerè obtruncatum, cadavere in viam publicam projecto, ex *Herod. Lib.* III. in *Urbanum*, poſt Pamphili necem, dejectum ac ſecuri percuſſum, ex Euſebio de *Martyr. Palæſt. Cap.* VII. &c.

In ſpecie de Imperatoribus.

Stupeas ultricem Dei manum in Imperatores: Uti ſuperiore Ævo in *Neronem*, *Domitianum*, *Hadrianum* dira in extremis paſſum, apud Spartianum; ita hoc etiam Seculo. Cumprimis v. gr. in *Severum*, parùm proſperâ uſum fortunâ à perſecutione, diutino morbo miſerè tortum, inſidiis filii Antonini ſublatum. In *Maximinum*, mox violentâ morte, vix triennio in Imperio exacto, ſublatum: In *Decium*, à Barbaris, altero principatûs anno, exutum, ne ſepulturâ quidem honoratum, ſed *pabulum feris ac volucribus*, ut Lactantius: In *Gallum*, & *Voluſianum* ejus filium, in ipſo vigore ætatis, quum biennium circiter tenuiſſent Imperium, à militibus interemptos: In *Valerianum*, ſub quo martyres Cyprianus, Stephanus, Sixtus, Laurentius, &c. à Sapore

pore

pore triumphatum, in vinculis circumductum, ſtapedis vices victori præſtantem, ac tandem, cute exutâ viſceribus, futurum barbaris ſempiternum calamitatis tropæum: In *Aurelianum*, inter initia furoris, in Thraciæ quodam loco, viâ publicâ, ab amicis interemptum: In *Diocletianum*, regno & purpurâ, mox à cœptâ perſecutione, & peractis Vicennalibus, non ſpontè, ut vulgò creditum, ſed perquam invitum ſeſe exuentem; ut pluribus ex nupero Lactantio intelligitur; & jam ſenem de priſtino ſtatu mentis ſuæ dejectum, nec ita diu poſteà fulminis ictu territum, aut veneno exſtinctum: In *Maximianum Herculium*, imperio ſimiliter exutum, poſt & vitâ, ſtrangulatum juſſu Conſtantini. In *Maximianum Galerium*, inſanabili plagâ ac fœdo ulcere divinitùs percuſſum, fusè apud Lactantium, *de Mortibus Perſecut. C.* XXXIII. Dehinc & in *Maxentium*, *Maximinum*, *Licinium*, apud Lactantium, Euſebium, & Hiſtoricos, ſequenti ævo daturos crudelitatis pœnas, ut nos ſuo loco.

Diocletianus non ſpontè ſe abdicat.

Donum miraculorum. Exempla hoc Sec.

III. *Donum miraculorum*, ſeu miraculosè ſanandi ægros, ejiciendi fugandique Dæmonas, pellendi ſiccitates, ventura prædicendi, hoc adhuc Seculo vigens in Eccleſiâ fuit. Hinc de illo fusè ex Irenæo Euſebius, *Lib.* V. *Hiſtor. Cap.* VII. dein Tertullianus Libro ad *Scapul.* C. IV. Apologetici *Cap.* XXIII. XXVI. &c. ſic in *Libris* de Spectaculis, de Coronâ militis, de Idololatriâ; *Edatur aliquis* (Apolog. C. XXIII.) *ſub Tribunalibus veſtris, quem Dæmone agi conſtet. Juſſus à quolibet Chriſtiano loqui Spiritus ille, tam ſe Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo*; Et quæ ibi pluribus, audacter provocans ad *oculos*, ad *aures* Gentilium, etiam *Judicum*, etiam *Septimii Severi* Imperatoris. Sic Origenes contra Celſum, *Lib.* I. II. & deinceps, multus eſt in hoc argumento, cerni adhuc ſuo tempore τεϱάσια apud Chriſtianos, excantari dæmonia, ſanationes perfici morborum omne genus, prævideri futura. Tacemus Cyprianum, pluribus in locis, & Euſebium frequentiſſimis, qui chariſma *exorciſmorum*, *ſanationum*, πϱοφητείας, mitigandi *tempeſtates*, commune tum adhuc fuiſſe, efficaciâ precum, orationum, evidenter teſtantur. In ſpecie, exempla ſuppeditant iidem ſcriptores, in Narciſſo Hieroſolymitano, Gregorio Neo-Cæſarienſi, Sixto Romano, Potamiænâ Virgine, Aſturio Senatore, aliis. *Gregorii* miracula prolixè deſcribit Nyſſenus, in *Vitâ Thaumaturgi*, hinc Ruffinus, & ſuprà alios Nicephorus, tacente tamen Euſebio: Et quanquam ſomnia quandoque narrent, ut fictas apparitiones Virginis, miracula per Epiſtolas, Lacus exſiccatos, Mortuos in vitam revocatos, &c. confirmatur tamen ejus Chariſma à Baſilio, Theodoreto, Socrate, Euagrio, reliquis. Sic divinam animadverſionem ut in *Perſecutores* modò obſervatam, ità in *lapſos*, *apoſtatas*, multis refert Cyprianus, in *Sermone de Lapſis*.

Narrationes fabuloſæ.

Ut tamen fabellis ſine fine, ex Actis Martyrum ſuppoſititiis, & apud Martyrologos, Ruffinum, Gregorium Turonenſem, Metaphraſtem, Cedrenum, Sigebertum, Nicephorum, &c. ſit parùm tuta fides. Quas qui volet vel ex uno Baronio, his Annales ſuos implente, requirat, præter dictos fabularum fontes. Sed & nutat quandoque illa *Euſebianarum* narrationum, ſæpè dubiis teſtibus, ſæpè vulgi rumoribus nixa: Quale illud de miraculoſis ſanationibus, quæ fierent Cæſareæ Philippi, ex uſu *herbæ* cujuſdam, ad pedes *Statuæ*, Chriſto ſcilicet conſecratæ, ſuccreſcentis, nempè ὡς ἔλεγον *ut ferebant*, *Hiſt. Lib.* VII. *C.* XVIII. Adde hiſtoriolam de Aſturio, comprimente Dæmonem, in ſolenni Pancadenſibus feſto, ad fontes Jordanis, teſte universâ Gentilium multitudine, ejuſdem L. VII. *Cap.* XVI. XVII. Id genus aliæ multæ in Euſebio, quas refert ex aliorum fide, *ut dicunt*, *ut accepi*, *ut fama eſt*.

Origo Eremiticæ vitæ, & Monaſticæ.

IV. *Eremiticæ* vitæ hac Ætate primordia, ex quâ deinceps *Monachorum* inſtitutum. Quæſita nempè, furori ſeſe & ſuppliciis ut ſubducerent Chriſtiani, cumprimis Decianâ perſecutione, *deſerta*, *eremi*, ſolitudines. Omniumque Eremitarum parens, (teſtibus Macario, Athanaſio, Hieronymo, Sulpicio, Sozomeno, Caſſiano, reliquis) fuit *Paulus Thebæus*, natione Ægyptius, ætate tum juvenis, (annorum XV. Hieronymo, juxta alios XXIII.) literis tum Græcis tùm Ægyptiacis apprimè eruditus, ſeceſſurus, in ipſo Decianæ perſecutionis exordio, in ſaxeum Thebaidis montem, ad cujus radicem grandis ſpelunca, quæ ſub Cleopatrâ furtivæ monetæ officina fuerat, & in quâ ſuæ habitationi locum delegit. In hac Eremo ſolus, incognitus, in precibus & meditatione aſſiduus, palmâ arbore illi victum & amictum ſuppeditante, fertur egiſſe totos annos XC. extrà mortalium omne conſortium. Produxiſſe vitam dicitur ad Conſtantii annum VII. Chriſti CCCXLIII. ut Baronius. Adfuiſſe illi in extremis Succeſſorem in hoc vitæ genere Antonium, quo præſente animam efflaverit, autor eſt Hieronymus, in *Vitâ Pauli Eremitæ*, tacente tamen Athanaſio, qui *Antonii Vitam* ſcripſit, ut teſtes ſunt Hieronymus in *Catal.* Gr. Nazianzenus, Socrates, Sozomenus, &c.

Et hic Antonius *Monachorum* fuit in Ægypto Pater, de quo prolixè memorati Athanaſius, & Hieronymus. Nempè natus is A. Ch. 252. quum ageret annum ætatis XVIII. quo parentibus orbatus, dicitur bonis divenditis aut donatis ſeceſſiſſe in ſolitudinem, jam literis inſtructus; ſed deinceps *Librorum ſolatio* deſtitutus, ut eſt apud Socratem, *Lib.* IV. C. XXIII. p. 235. ſoli naturæ & conſcientiæ Libro evolvendo vacaturus. Hic multis annis conſumptis, tandem eum in hominum lucem protraxit perſecutio Maximiani, amor fratrum, juvandi ſtudium, conſuetudo dein cum Athanaſio, cui *melotem* & *pallium* detritum legaſſe fertur, moriturus A. 357. Conſtantio imperante. Atque hic vitæ Cœnobiticæ primordia dedit, τοῦ μοναδικοῦ βίου νομοθεσίαν συγγϱάψας, ut Greg. Nazianzenus Orat. in Athan. T. I. p. 376. Unde *Regula* Monachis præſcripta, quam Holſtenius in *Collectione Regularum* Ordinis S. Benedicti edidit, *Pariſ.* 1663. An verò hodierna, quæ in Athanaſio legitur T. II. S. *Antonii Abbatis Vita*, ſit illa ipſa de quâ Veteres, an verò interpolata magnam partem, vix eſt ratio dubitandi; poſterius arguentibus Fabellis pluſquam anilibus, & Viſionibus Diabolicis, quibus, ex ingenio & ſuperſtitione ſequentis Ætatis, conſpurcarunt Monachi eam Vitam: In quâ & tacentur varia quæ à Nazianzeno, Sozomeno, & aliis, tanquam ex Antonii Vitâ ſcriptâ ab Athanaſio, citantur. Vehementer tamen Vitam illam, ut extat hodiè, Athanaſio vindicant Baronius ad A. CCCLVIII. Bellarminus, de Monachis *Lib.* II. C. V. Sed hac de re prolixius egerunt qui in Scriptores Eccleſiaſticos commentati ſunt, & ſpeciatim Vir Eximius Jac. Baſnage, in Epiſtolicis Diſſertat. de *Athanaſio Suppoſititiis*, p. 135. & ſequent. Atque his Originibus profluxit vitæ Monaſticæ inſtitutum, de quò pluribus ad ſequentia Secula: Ut & ab inſtitutis *Eſſenorum*, de quibus ſuprà *col.* 460. 461. & in Diſſertatione de *Marco Evangeliſtâ*; atque etiam ab *Euſtathianis*, *Manichæis*, *Nudipedalibus*, *Euchetis*, à quibus vitæ illud genus ſolitarium, cœnobia, cælibatum, diſciplinam, victûs rationem, & veſtitûs, præpoſterâ ſecuturis ætatibus imitatione, Monachi derivarunt.

Æra Diocletiani ſeu Martyrum.

V. Referenda & huc *Æra Diocletiani*, quæ & *Martyrum* dicta, cujus caput incidit in XXIX. *Aug.* ſeu in *Neomeniam Thoth* Actiaci, Diocletiani an-

num I. Æræ Vulgaris CCLXXXIV. Coſſ. eo anno in Faſtis, Carino & Numeriano Impp. Inſtitutum efferentis ſe Principis non unâ ſuperbiâ, ac Divinos ſibi honores vendicantis, fuit ut, abolitis prioribus *Epochis*, Auguſteâ, Actiacâ, à primo Imperii ſui anno tempora ſignarentur. Et ità deinceps accidit, receptâ Ærâ toto orbe Romano, ac diutiſſimè omnium in Oriente, donec Chriſtiana illi vel Dionyſiana ſuccederet. In ſpecie ab Ægyptiis ſeu Coptitis dicta deinceps *Æra Martyrum*, odio Diocletianei nominis, & in Martyrum ſuorum memoriam, undè & *Anni Gratiæ*. Et hinc ab aliis Gentibus, Syris, Arabibus, Æthiopibus, *Æra Ægyptiorum*, *Coptitarum*, dici conſuevit. Ac quamvis Perſecutionis Diocletianeæ Caput figatur in ejuſdem annum XIX. vel XX. Chriſti CCCIII. quo innumerabilium *Martyrum* ſanguine Ægypto totâ rivi exundarunt, intereà idem Æræ Martyrum Caput, quod Imperii Diocletianei.

Errores Chronologici Baroniani.

Nec prætermittendus hoc loco eſt error Baronii, in putandâ annorum ratione. Æræ illi quidem Chriſtianæ Caput conſtituerat in A. II. Olympiadis CXCIV. Coſſ. Lentulo & Meſſalino, atque adeò biennio præverterat Æram Vulgarem, quæ initium ducit ab Olymp. CXCIV. anno IV. Coſſ. Lentulo & Piſone. Ita tamen ut confudiſſet perpetuò Æram utramque, ſuam nempè & communem, ac promiſcuè habuiſſet. Quo animadverſo errore, quum ferè ad Æram Diocletiani perduxiſſet ſuos Annales, ſeu ad Annum Chriſti CCLXXX. ut rediret in gratiam cum Ærâ Vulgari, dempſit annos duos ſolidos de illis Aurelii Probi & Succeſſorum, quibus conjunctim ne annos VI. tribuit, quum uni Probo ultrà *ſexennium* Chronologi omnes adſcribant poſt Euſebium, ac *biennium* ſanè expletum Caro & Filiis. Sed de hac Ærâ, & Baronii erroribus Chrolog. dictum abundè eſt, P. II. *Chronolog. S. col.* 247.

VI. Fabulis Orientalium, & Romanenſium, quorum omnia à pluribus Seculis ad ſuperſtitiones ſpectarunt, modus deinceps nullus fuit. Inter Fabulas inſigniores, quæ ad hoc Seculum referri ſolent, & quibus ſcatent Martyrologia, Menologia, Legendæ, Surius, Lipomannus, Bollandus, &c. præter dictos modò Auctores, *Num.* III. duæ mihi videntur præ cæteris hoc loco indicandæ. Altera eſt de *ſeptem Dormientibus* Epheſiis, Maximiano, Malcho, Martiniano, Dionyſio, Joanne, Serapione, & Conſtantino, ut Latini eorum nomina efferunt. Habent eam *Græci*, in Menologio, *prid. Non. Aug.* & XI. *Kal. Nov.* ſed nominibus diverſimodè expreſſis. Martyrologia autem ad XXVII. *Jul.* ut Gregorium Turon. Cedrenum, Nicephorum, Vincentium Bellov. & reliquos taceam. Photius etiam *Cod.* CCLIII. rem refert ex *Martyrio τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων.* ſed tanquam de Martyribus qui poſteà ad vitam rediêre. Nempè feruntur hi fugâ ſe recepiſſe ſub Decio, in ſpecum quamdam, juxtà Epheſum, ubi aliquamdiu latitarint, tandem deprehenſi, in eadem juſſu Principis incluſi, ſpeluncæ ore obſtructo, ut ibidem fame enecarentur. Conſummato ibi martyrio, ut etiam Baronius interpretatur, alii ſomno altiſſimo ſopiti, tandem ſub Theodoſio Juniore, ſeu experrecti dicuntur, ſeu in vitam revocati, reſerato jam ſpecûs oſtio, poſt annos fermè 200. Illi quidem putarunt ſe non à morte revixiſſe, ſed à profundiſſimo ſomno tandem evigilaſſe. Poſtquam verò apparuiſſent Epiſcopo Urbis, & ipſi Imperat. & miraculum confirmaſſent, placidè expirarunt. Tacent rem tam portentoſam qui tempora *Theodoſii Jun.* deſcribunt non tantùm Socrates, Sozomenus, ſed & Proſper, Marcellinus Comes, Euagrius, &c. & primus omnium qui rem ſcripto tradidit eſt *Gregorius*, Turonum Epiſcopus factus circà A. DLXXIII. Sed non una hæc Gregorio vel credita vel tradita fabella eſt, quæ ſequentibus Seculis impoſuêre. Interim Photius, hoc miraculum *ad omnium aures penetraſſe*, fuiſſeque *Reſurrectionis Mortuorum clarum teſtimonium*; adverſus *Theodorum* quendam Æginæ Epiſcopum, qui ſub Theodoſio negaret Reſurrectionem, aſſentiente ipſo Imperatore. Factum tradit Theophanes Theodoſii Imperat. anno XXIII. Photius ejuſdem A. XXXVIII. Metaphraſtes annos 372. poſt mortem Decii, quod foret A. Chr. DCXXII. Ac ſimilem fabellam, de aliis Viris *ſeptem*, longo ſopitis ſopore in antro quodam, extremis Germaniæ finibus, in ipſo Oceani litore, habet Paulus Diaconus Hiſtoriæ *Longobard. Lib.* I. *Cap.* IV. dein & Gregorius Turonenſis, *Epiſt.* ad Sulpicium Bituricenſem. Quibus geminum adde Turcarum *ſomnium*, in *Muhammedan.* Tabulis, de *quatuor* dormientibus ſpatio CCCLXXII. annorum, quorum & prolixè meminit Thevenotus in Relatione *Itineris Orient.* Parte I. p. 78. 79. Nec deſunt in prædictis monumentis exempla illorum, qui

Fabula de ſeptem Dormientibus.

Ex ipſis quondam elati rediêre ſepulchris.

Ità Laërtius de Epimenide, qui obdormiverit annis LVII. Conſentit Plinius Libro VII. C. LII. *puerum æſtu & itinere feſſum in ſpecu ſeptem & quinquaginta dormiviſſe annis.* Varro & Plutarchus, dormiviſſe annos L. Pauſanias in Atticis, annos XL. Auctor Append. Proverbiorum Græcorum, annos VII. menſis numero eraſo. Nota fabula de ſomnio Endymionis, à Lunâ adamati, quia Aſtronomiæ ſtudio noctu incubuit. Sic de Ariſteâ Proconneſio referunt Herodot. Lib. IV. Philoſtratus, Plinius, Origenes C. Celſ. animam ejus è corpore quoties vellet exiiſſe, & in illud iterùm fuiſſe ingreſſam.

Fabula de Urſulâ Britannicâ, & XI. M. Virginibus.

Altera fabella eſt, ſed longè famoſiſſima, de *Urſulâ* Britannicâ, cum ſociis XI. *mille Virginibus*, variâ fortunâ jactatis, ac tandem Martyrium pro fide & virginitate apud Ubios paſſis XXI. *Octobr.* apud Surium *Tomo* V. Alii quidem referunt ad V. Seculum, quo tempore Hunni graſſarentur, ut videre eſt apud Surium, & Sigebertum in *Chron.* Alii ad Seculum IV. quum *Maximus Tyrannus* Gallias invaderet, & Armoricam Provinciam, pulſis Gallis, militibus ſuis *Britannis* diviſiſſet. Alii, qui Scotorum res literis mandarunt, hoc rem Seculo accidiſſe memorant, quum *Maximinus* imperaret, circà A. CCXXXVI. vel CCXXXVII. Nec mirum variari in temporis circumſtantiâ, dùm fabula narratur. Sed nec major in circumſtantiis reliquis conſenſio eſt, vel ex collatione Legendariorum, & Chronographorum in & extrà Britanniam, quos citant in hanc rem Surius, Baronius, Ribadeneira, alii, & Uſſerius noſter, *Antiquit. Britan. C.* XV. His quidem eſt Urſula ex *Britanniâ Scoticâ*; illis ex Cornubiæ regno; aliis ex *Scotiâ majore* ſeu Hiberniâ: His dicitur Deo-Noti vel *Dionoti* Cornubii, aliis *Mauri* Scotorum regis filia. His, mox ab appulſu Colonienſe ad litus, (quò Virginum claſſis ſævâ procellâ jactata ex Oceano fuerat, ad Rheni oſtia fluvium ingreſſa, dùm eadem Urſula cum ſociis XI. M. Virginibus in Armoricam cogitaret, datura uxores novis Britannorum colonis) à Barbaris trucidatas fuiſſe Virgines; illis, demùm poſt iter Romam ſuſceptum, Sancto Pantulo Baſileenſi Epiſcopo viæ duce, Papâ tùm Romano neſcio quo *Cyriaco*: Qui, abdicato *Pontificatu*, quanquam repugnantibus *Cardinalibus*, (ſcilicet jam tum Principes Eccl. Cardinales) regreſſus cum Virginibus ſuis ad Ubios undè ortus fuerat, ſocius fuit ut Itineris, ità Martyrii. Et huic commentitio Cyriaco *Anterum* ſucceſſiſſe ferunt. Ità Cyriacum alii *propter devotionem*, alii *propter oblectamenta Virginum*, abdicaſſe Papatum fa-

Digitized by Google

fabulantur, in *Chronico Martini* Poloni, ad A. CCXXXVIII. Nec deſunt qui ſponſum Urſulæ nomine *Etherium*, in Britanniâ regem, divinâ Viſione admonitum, properaſſe ferunt Sponſæ ſuæ in occurſum, paſſionis quoque futurum comitem, anno ætatis xxv. ut titulus ſepulchralis indicat; dùm alii Sponſi hujus & nomen & laborem tacent. Nec contradictionum & næniarum finis eſt, v. gr. De ſanctitate *terræ* in quâ oſſa Virginum jacuêre, & quæ nulla alia ferat inhumari Cadavera; de repertis *Titulis* ſepulchralibus, & *Corporibus*, totâque conditione *Virginum*, Seculo XII. ſeu Anno 1156. ut Trithemius in Chron. Hirſaugienſi: Et harum ſcil. Virginum Reliquiæ feruntur hodieque apud Colonienſes depoſitæ.

Baronius notatus. Origo fabulæ. Undè fundatio illuſtris Collegii Nobilium Virginum, quod *S. Urſulæ* hodieque dicitur, in loco qui fuerit certaminis arena. Eſtque Baronio, Notis in Martyrol. ad XXI. *Oct. graviſſima hiſtoria*, quamvis *penè commentitia reddita*: Probatque, ex Lindano Ruremundenſi Epiſcopo, cum locum, ubi Virgines S. Urſulæ devotæ ſubeunt *ſuaviſſimum Chriſti Domini jugum*, reverà fuiſſe agonis palæſtram, eo *quod Templi area nullum ſuſcipit ſepeliendum, imò pueros recens baptizatos, de nocte quaſi evomens, in ſuperficiem rejicit viſendos.* Rurſus iter aperit quod ingreſſæ naves, ex Oceano ſcil. in Rhenum jactatæ, delatæque primùm *Thielam* Geldriæ, portum ad Wahalim, indè Coloniam. Et quia difficilis fuiſſet, multis poſt rem geſtam Seculis, tot portentorum divinatio, difficilior autem cum *hiſtoricâ* fide conciliatio variarum circumſtantiarum; indè factum ut Virgo *Elizabetha*, (Somniis, Viſionibus, & Revelationibus apud Shonaugienſes celebris, adjuvante in concinnandis iis *Egberto* ejuſdem Monaſterii Abbate) illo ipſo tempore quo reperta hæc Virginum Corpora dicuntur, Seculo XII. mediâ ſui parte exacto, rem omnem divinitùs ſibi revelatam ſcripſerit, in *Viſionibus Elizab. Lib.* IV. *Cap.* II. Deſcribit Revelationes eas Uſſerius *Britannic. Antiq. p.* 619. *& ſeq.* ubi habet integram Legendam de Urſulâ, Exercitu XI. mille Virg. S. Pantulo Epiſc. Cyriaco Papâ, Itineribus, Etherio Sponſo, martyrio Colonienſi, &c. Et hinc omnis origo fabulæ. Baronius lepidè, *deperditam eſſe earum Virginum veram germanamque hiſtoriam*, & ea narrari *quæ graviſſimam hiſtoriam commentitiam penè reddiderint*: Hinc alia alios de hiſce, pro ingenio ſuo, commentatos eſſe.

De Catacumbis Romæ ſubterran. VII. Denique de jactatis hoc Seculo, in urbe Româ, *Cœmeteriis*, & *Catacumbis*, inexhauſto deinceps Reliquiarum penu, verbum addimus. Celebre cumprimis eſt in *Roma Subterraneâ* Cœmeterium quod dicitur *Callixti* Papæ, quem ſub Alexandro Severo Martyrem fuiſſe volunt, & Cœmeterium hoc Viâ Appiâ magnis ſumptibus ampliaſſe, dictum *Secretum*, quia occultus erat ad illud aditus: Cæterum Semitis innumeris, ac multiplicibus, & in iis Cubiculis, Monumentis, Sarcophagis Marmoreis, Tabulis, Imaginibus, Inſcriptionibus ſine fine, conſpicuum. Ac LX. quidem hujuſmodi *Cæmeteria* in Româ ſubterraneâ numerata fuêre, qualia *S. Petri* in Vaticano, *Hermetis*, *Agnetis*, *Priſcillæ*, *Marcellini*, *Calepodii*, &c. Viâ Appiâ, Aureliâ, Portuenſi, Oſtienſi, Ardeatinâ, Latinâ, Tiburtinâ, Salatriâ, &c. quæ totidem veluti *Civitates* ſub terram fuerint, multis ſingulæ variiſque viis, ſemitis, viculis, meatibus, cubiculis, anfractibus, angiportibus, foris etiam diſtinctæ, ac fornicibus, in quibus loculi recondendis Corporibus Martyrum: Adhæc inſtructæ Templis, Oratoriis, Cubiculis, ornatæ Hieroglyphicis, Iconibus, Epitaphiis, Sepulchralibus Titulis, Vaſculis, Lachrymatoriis, &c. innumeris. Quæ ſingula à Chriſtianis feruntur ingenti labore, magnis ſumptibus, longo tractu temporis excavata, fabricata, in hunc modum ſtructa ornataque, & quidem ſæviente plerumque Perſecutione, quum à Romanis obſervarentur. Sic quod dicitur *Sebaſtiani* Cœmeterium, vel Catacumbæ, qui Martyr fuerit ſub Diocletiano, omnes Catacumbas ſuperans hodie magnitudine, & ambitu, qualem deſcribunt Boſius cumprimis & Aringhus, in *Româ Subterraneâ*. Atque in his *Catacumbis* Martyrum multæ finguntur myriades, ſub Paganis depoſitæ, quemadmodum ea fuiſſe Chriſtianis aſyla, latibula, receptacula, loca SS. Conventuum, duriſſimis Perſecutionum temporibus. Commenti de his vanitatem, deque earum uſu qualem venditant Chriſtiano, cùm Viri Docti jam abundè probarunt, ac Reverendiſſ. Burnetus in Epiſt. Romæ datâ VIII. *Dec.* 1685. tum ex parte vidimus ſuprà *col.* 668.

Videlicet 1. Loca ea fuêre, extrà Urbem, in quæ egerebantur cadavera mancipiorum, ſervorum, pauperum, infimæ plebeculæ, quæ ibi putreſcerent vel puterent, undè *puticuli*. Horat. L. 1. *Sat.* VIII.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

2. Nec Chriſtianorum ea Romæ multitudo, ſecundo aut tertio Seculo, ſi demas Viros honoratiores, & mulieres, infantes, ſenes, &c. quæ ſuffeciſſet tantis operibus perficiendis: Uti nec ea Chriſtianorum conditio fuit, dùm obſervarentur à Gentilibus, ut vacare iis poſſent, ſiquidem opera hæc publica, laborioſa, plurimi ſumptûs, & temporis. Eo quidem tempore quo illi ſuos clam ſepeliebant, Gentiles verò effodiebant, raptabant cadavera, projiciebant feris, alitibus, flammis, fluentis aquarum, &c. 3. Abhorrent à Chriſtiano ritu Inſcriptiones inibi plurimæ, & voces Paganis uſitatæ, *D. Manibus*, *Fata*, Μοῖραι, *Superi*, *Domus æterna*, *Infeliciſſima Mater*, vel *Pater*, vel *Liberi fecerunt*, *Vale*, *Valete*, &c. Sic repertæ ibi Urnæ, Vaſcula, Lachrymatoria, Lampades, alia ſuperſtitionis Paganæ indicia, quæ finxêre poſteà continuiſſe *ſanguinem*, aut *cineres* Martyrum. 4. Nec ſoli Chriſtiani *arenarii* fuiſſe dicendi ſunt, adhibiti in Catacumbis egerendæ terræ, arenæ: Et ſi in hunc finem egeſta fuiſſet, tot areis, porticibus, ſemitis, viis, fornicibus, &c. fabricandis, fuiſſet ſanè ea res in uſus Romanorum: Aut ſi in uſus Chriſtianos, non latuiſſent illa perſpicaciſſimos Gentiles, minimè laturos alteram ſub terrâ Romam in uſus Chriſtianos ædificari. 5. Præterea conſtat *ſecundo* jam & *tertio* à Chriſto Seculo, ex Feſto Pompejo, Xiphilino, Macrobio, aliis, fuiſſe hunc etiam inſignioribus Romanis morem, *ſepeliendi* vel *terræ* mandandi Corpora; quò fecêre loculi, fornices, inſcriptiones, monumenta alia Gentilis ſuperſtitionis. 6. Multa verò quæ in Româ Subterraneâ pro antiquis venditantur, ſunt opus Romæ jam Chriſtianæ, poſt multiplicatos Martyres, horumque Reliquias, & adauctam ſuperſtitionem. Nec dubitare ſinunt Inſcriptiones Gothicæ, Tabulæ, Sacella, Cælaturæ, Sculpturæ, Picturæ, Hiſtoriæ Vet. & Novi Teſtam. Cruces, Altaria; & alia quæ eſſe recentioris vel Monachalis fabricæ, & Seculi non modò Chriſtiani, ſed rudis, indocti, barbari, à primævâ ſimplicitate, ſed & arte, recedentis, quo tempore Chriſtianorum cultus in Virginem, præſumptitios Sanctos, Reliquias, Imagines, Fabulas, ferebatur, res ipſa probat & convenit inter Eruditos. 7. Ne jam *Neapolitana*, *Syracuſana*, & alia dicamus Cœmeteria, in rupe excavata, auguſtiora longè, ac veteris Gentilitatis opus: Sed quia extra territorium Rom. Pontificis, & ſedem Papalem, (à quâ Reliquiis id genus, ſed & fraudibus, conſutis dolis, fabellis Monachorum, omne auctoramentum) neglecta illa jacuêre, nec pari religione cuſtodita, vel adita religionis ergò. 8. Accedit, de iſtis

Catacumbis, quales exhibet *Roma Subterranea*, nullum Scriptorem Chriſtianum II. III. Seculi meminiſſe; ſi unum Hieronymum excipias, in *Caput* XL. *Ezech. pag.* 521. qui de *Cryptis* quibuſdam *Martyrum* & *Apoſtolorum*, *in terrarum profunda defoſſis*, quas ſoleret ingredi: Uti certum in Colle Vaticano, & alibi extra Urbem, habuiſſe ſua Chriſtianos Cœmeteria. Sed de his hoc quidem in loco ſatis.

FINIS *Tertii Seculi.*

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM QUARTUM.

Chronologicæ rationes.

INcidunt *Quarti Seculi* natales ſecundùm Æram Ch. Vulgarem, in annum Diocletiani Imperat. XVIII. in Maximiani Herculii ad conſortium Imp. aſſumpti XVI. Coſſ. poſt Cæſares, *Titiano* II. & *Nepotiano*. Nempè *quadriennio* integro antè depoſitam purpuram; *biennio* toto antè cœptam Perſecutionem decimam; *ſexennio* ferè completo antè Conſtantinum M. *Cæſarem* nuncupatum à Galerio, VIII. Kal. Januar. exeunte anno CCCVI. Romano tùm quidem Epiſcopo *Marcellino*, illo ipſo qui paulo poſteà, impellente Diocletiano, Idolis thurificaſſe dicitur, in Templo Veſtæ; ſcilicet ex vetuſtiſſimis *Actis de Lapſu Marcellini*. Quâ de re infrà.

Res hoc Seculo cumprimis obſervandæ, quæ multæ ſunt & graves, referemus (quantum fert inſtituti ratio) ad ſequentia Capita.

I. *Facies Eccleſiæ ineunte Seculo.*

Sedes Eccleſiæ.

I. NEmpè *ſedes* Eccleſiæ fuit πᾶσα ἡ οἰκουμένη, orbis habitatus & cognitus univerſus, per quatuor mundi Plagas. Vixque ulla in Aſiâ, Africâ, Europâ, ac diſperſis per Oceanum & Mare Mediterraneum nobilioribus Inſulis, cultior Regio, Provincia, Urbs fuit, in quâ non eſſent *Chriſtiani*. Sigillatim Eccleſias recenſent, ubi de delegatis ad Nicænam Synodum, Euſebius *Lib.* III. *de Vitâ C. M. Cap.* VII. poſt eum Socrates, Sozomenus, &c. ex his fusè Magdeburgenſes, *Cent.* IV. *Cap.* II. De *Novo Orbe*, an jam tùm Eccleſiæ ſedes, dictum ad primordia ſuperioris Seculi, *col.* 697.

Doctores tùm ſuperſtites. Epiſcopi Eccleſiarum principum.

II. *Doctores* autem Chriſtianæ Eccleſiæ, qui quidem ſcriptis celebres, tùm adhuc agebant in vivis ſequentes. *Methodius* Pataræ dein Tyri Epiſc. Martyr ſub Diocletiano, Anno CCCXII. *Arnobius* Afer, & Rhetor, qui Libro I. contrà Gentes, ſcribit, *Trecenti ſunt anni fermè, plus vel minus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & terrarum Orbi cenſeri.* Undè verior illorum ſententia, qui putant Arnobium Libros ſuos demùm A. CCXCIX. ſcripſiſſe. *Victorinus* Petavionenſis in Pannoniâ ſuperiore Epiſcopus ad Dravum fl. (non ut alii Pictavienſis Galliæ, nec Petavienſis, vulgò *Paſſau*, nec Petabionenſis in Africâ, *Petabio*) Martyr creditus ſub Diocletiano. Luc. Cæcil. Firmianus *Lactantius*, auditor Arnobii, ſed ſuperaturus Magiſtrum, Nicomediæ docens dicendi artem, victurus adhuc Anno CCCXX. *Pamphilus* Presbyter Cæſarienſis amicus Euſebii, Origenis magnus admirator, pro cujus defenſione ſcripſit in carcere *Libros* V. quorum Excerpta vide apud Photium, Martyr tandem ſub poſteriore Maximino. Eccleſiis majoribus præerant tùm *Epiſcopi*: *Romanæ* quidem minùs conſtans vulgò Marcellinus, qui fertur ex Epiſcopo Lapſus, invito haud obſcurè Baronio, ad A. CCCII. confitente tamen Romanâ Eccleſiâ, vel in *Breviario Romano*; dein tamen Confeſſor idem & Martyr habitus.

Alexandrinæ præerat Theonas, cui ſucceſſit Petrus Alexandrinus, huic Achillas, tùm Alexander, ſub quo Arii hæreſis exorta.

Antiochenæ præerat Cyrillus, tertius à Paulo Samoſateno remoto, cui ſucceſſit Tyranus vel Tyrannus, nomine tenùs talis; verè Tyrannis Diocletiano, Maximiano, Galerio.

Byzantinæ præerat Domitius; quem tradunt Byzantini Scriptores fuiſſe fratrem *Probi* Imperatoris, Patrem *Probi* & *Metrophanis*, ſucceſſorum in Epiſcopatu Byzantino, tempore Conſtantini M.

Hieroſolymitanæ præerat Zambdas, XXXVII. poſt Jacobum Epiſcopus, ex calculo Euſebii, cui ſucceſſit Thermon ſive Hermon, huic Macarius Hieroſolymitanus, unus ex Nicænis Patribus. Alios tùm Eccleſiarum Antiſtites, ut *Cæſarienſis*, *Laodicenæ*, &c. ex Euſebio, *Hiſt. Lib.* VII. *Cap.* XXXII. aliiſque Veteribus, intelligere licet.

III. *Conditionem externam* Eccleſiæ quod attinet, hanc habeto. Conditio externa Eccleſiæ.

1. Pax qualiſcunque conſtabat Eccleſiis, deſcribente Euſebio, *Lib.* VIII. *Cap.* I. nullâ adhuc Perſecutione *generali*. Quamvis nonnulli hoc anno cœpiſſe Perſecut. in Prætorianos milites, qui nollent ſacrificare; nempè aut verberibus puniendos, aut dimittendos, de quo Lactantius de *Mortibus Perſ.* C. X. & Euſebius in *Chron.* ad A. *Dioclet.* XVII. Pœnam verò extenſam ad *Priſcam* Diocletiani conjugem, & *Valeriam* filiam, quas ſacrificio pollui coëgerit, auctor eſt idem Lactantius, *Cap.* XV. Undè non dubitant Eruditi, auctoritate Scriptoris Chriſtiani, & qui eorum temporum fuit, quin Priſca & Valeria Chriſtianæ fuerint, & ſic quoque Henr. Dodwellus, Vir Cl. *Diſſert.* XI. N. LXVI. Suus certè, ità Euſebius *Lib.* VIII. C. I. antè noviſſimam illam Perſecut. Chriſtianis honos conſtitit, evectis etiam ad *Præfecturas*, ad *Dignitates*, omni *ſacrificandi* metu tum exemptis, quod aliàs Provinciarum Præſidibus ex officio incumbebat. Imò ad interiora *Palatii*, & ſanctiora miniſteria, iidem quoque admoti; liber Chriſtianis ad Principes acceſſus; ut Imperatores *Domeſticis* ſuis, imò ſuis *Uxoribus*, *Liberis*, *Servis*, ea quæ religionis Chriſtianæ erant, liberè exequi permitterent, ac *de libertate Fidei gloriari.* Euſebium non malè intellexit Chriſtophorſonus,

Digitized by Google

nus, quicquid accuſarit Valeſius Annot. ad *pag.* 291. *Epiſcopis* tùm habita reverentia, ſua Cœtibus Chriſtianis frequentia conſtabat, ſua Conventibus erant οἰκοδομήματα, novis in dies *Eccleſiis* (ſic Euſebius, & IV. Seculi Scriptores, Ἐκκλησίας de Ædibus Sacris, quas & *promiſcuè* Templa vocarunt) à fundamento extructis, nec ſub formâ Templorum tamen ſeu Baſilicarum. Nondùm enim Imperialia *Edicta*, pro decimâ generali Perſecutione, promulgata fuerant.

Quæ eam conturbarent. 2. Turbabant tamen Eccleſiam hinc indè hoſtes alii *aperti*, alii *occulti* magis. *Aperti* quidem, ipſi primò Imperatores, infenſiſſimi Chriſtianorum Sacris; licet nondum moliti deletionem Chriſtiani nominis. Sic Præſides & Rectores hinc inde Provinciarum, Urbium. Sic Philoſophi, inter quos ſuperſtes adhuc *Porphyrius* fuit, & *Hierocles*, de quibus ſuprà, & *ille* de quo Lactantius L. V. C. 11. *qui Libros tres contrà Religion. evomuit.* Ut populos Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, &c. Gentiles & ſuperſtitionibus Paganis addictos, taceam. Undè factum ut, quamvis deeſſet Perſecutio *generalis*, tamen *particulares* in Chriſtianos paſſim cernerentur. De facto *Legionis Thebanæ*, ob rejectam juramenti formam Idololatricam, Maximiani juſſu decimatæ primùm, tùm & deletæ, dictum eſt ad ſuperius Seculum.

Martyria dubia. Adde Martyria quæ referuntur plurima, exeunte Sec. III. niſi eſſet ſuſpecta in pleriſque fides *Martyrologii* Romani, & *Menologii* Græcorum; Ut & Actorum *Caji* Epiſcopi Romani, *Sebaſtiani* Militis & Præfecti, *Pantaleonis* Medici Nicomedienſis, *Coſmæ* & *Damiani* Medicorum pariter, cum Fratribus, &c. quæ diſtituta probatorum Hiſtoricorum fide. Et qui alii Martyres ad finem Seculi III. referuntur apud Gregorium Turonenſem, Bedam, Adonem, Uſuardum, Metaphraſtem, Nicephorum, &c. Ex quibus ſuas paginas implere Baronius, & gregales ſolent, & quoque Godavius Epiſcopus, in *Hiſt. Eccleſiæ* Gallicè ſcriptâ.

Hoſtes Eccleſiæ, ſeu aperti, ſeu occulti. *Occulti* autem Eccleſiæ hoſtes erant; 1. Morum *corruptio* tàm in Clero, quàm in populis Chriſtianis, quæ ex altâ pace ſerpebat indies. Nemo dixerit meliùs Euſebio, *Hiſt. Eccleſ.* L. VIII. C. 1. Ὡς δ' ἐκ τῆς πλέον ἐλευθερίας ἐπὶ χαυνότητα καὶ νωθείαν τὰ καθ' ἡμᾶς μετηλλάττετο, ἄλλων ἄλλοις διαφθονουμένων, καὶ διαλοιδορουμένων, καὶ μονονουχὶ ἡμῶν ἑαυτοῖς προσπολεμούντων ὅπλοις εἰ οὕτω τύχοι καὶ δόρασι τοῖς διὰ λόγων, ἀρχόντων τε τοῖς ἄρχουσι προσρηγνύντων, καὶ λαῶν ἐπὶ λαοῖς καταστασιαζόντων. τῆς τε ὑποκρίσεως ἀφάτου καὶ τῆς εἰρωνείας ἐπὶ πλεῖστον ὅσον κακίας προϊούσης. ἡμῖν δ' ἡ θεία κρίσις οἷα φίλον αὐτῇ πεφεισμένως, τῶν ἀθροισμάτων ἔτι συγκροτουμένων, ἠρέμα καὶ μετρίως τὴν αὐτῆς ἐπισκοπὴν ἀνεκίνει. ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένου τοῦ διωγμοῦ. Ὡς δ' ἀνεπαισθήτως ἔχοντες, &c. *Sed cùm ex nimiâ libertate in negligentiam ac deſidiam prolapſi eſſemus; cum alter alteri invidere atque obtrectare cœpiſſet; cùm inter nos quaſi bella inteſtina gereremus, verbis tanquàm armis quibuſdam haſtiſque nos mutuò vulnerantes; cùm Antiſtites adverſùs Antiſtites, populi in populos colliſi, jurgia ac tumultus agitarent; cùm denique fraus & ſimulatio ad ſummum malitiæ culmen adoleviſſet; tum divina ultio, levi ut ſolet brachio, integro adhuc Eccleſia ſtatu, & fidelium turbis in Cœtus convenientibus, ſenſim ac moderatè in nos cœpit animadvertere; orſa primum perſecutione ab iis fratribus qui militabant. Cùm verò ſenſu omni deſtituti, de placando Dei numine ne cogitaremus quidem, quin potiùs, inſtar impiorum quorundam, res humanas nullâ ſollicitudine ac providentiâ gubernari rati, alia quotidiè crimina aliis adjiceremus; cum Paſtores noſtri, ſpretâ religionis regulâ* (τὸν τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι) *mutuis inter ſe contentionibus decertarent, nihil aliud quàm jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias augere ſtudentes, principatum quaſi tyrannidem quandam* ἐνθύμως *ſibi vindicantes; tum demùm, juxtà dictum Hieremiæ, obſcuravit Dominus in irâ ſuâ filiam Sion*, &c. Sic orditur Hiſtoricus gravem, & diutinam Eccleſiæ Perſecutionem, ipſo penè exordio hujus Seculi, à Tyrannis excitatam. 2. Acceſſerunt *Hæretici* partim, latè ſuas Hæreſes diffundentes, cumprimis ex Sabellii, Pauli Samoſateni, & Manichæorum diſciplinâ; partim *Schiſmatici*, diſtrahentes Eccleſiam ob res non tam ad fidem, quàm ad diſciplinam pertinentes, & in his præ reliquis Novatiani, quibus mox ſucceſſerunt pertinaces Donatiſtæ.

II. *Hiſtoria Perſecutionis* X. *excitatæ primùm juſſu Diocletiani & Maximiani, ferè ſub exordia hujus Seculi: Deinde continuatæ præcipuè per Galerium, Maximinum, Maxentium Herculium.*

I. Ingenium Tyrannorum, *Diocletiani* cumprimis & *Maximiani*, graphicè deſcribit Lactantius, initio hujus Perſecutionis, de Mortibus Perſec. C. VII. Diocletianus quidem natione Dalmata, antè adeptum Imperium *Diocles* nuncupatus, ſed poſteà Græcum nomen in Romanum verſurus, ut Aurelius Victor in *Epit.* dictus eidem Lactantio *ſcelerum inventor & malorum machinator.* Primò ab *avaritia* ſordibus deſcribitur, & diligentiâ in cuſtodiendis opibus, qui *theſauros ſuos nunquàm minui vellet*; cujus vitii jam dederat ſpecimina, cum in minoribus locis militaret, exprobrante illi Druide quadam muliere, cum quâ rationem victûs quotidiani faceret, *Diocletiane nimium avarus es, nimium parcus*, ut auctor eſt Fl. Vopiſcus in *Numeriano.* Et non diſſimilis *Maximianus*, Pannoniâ oriundus, aſſumptus in Societatem Imperii A. CCLXXXV. Quanquam hoc differebant, quod rapacior quidem Maximianus, *dum cruentiſſimus fiſcus malè partis opibus affluebat*, ut cui ſubjacerent opulentiſſimæ Provinciæ, Africa & Hiſpania; tenacior verò eſſet Diocletianus. Quanquam corruptus locus apud Lactantium, *Cap.* VIII. & legendum omninò; *Hoc ſolum differebant, quod avaritia Minori* (Maximiano) *altero plus fuit*; *Majori verò* (Diocletiano) *minùs*, ſcil. rapacis avaritiæ, *ſed plus timiditatis, plus verò animi non ad benè faciendum, ſed ad malè.* Prout verè *fratres* dixit Hiſtoricus, non naturâ ſed morum ſimilitudine, æquè ac Imperio, *ut eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua ſententia.* Superbiâ deindè fuit Diocletianus intolerandâ, qui primus omnium, (poſt Caligulam & Domitianum) voluit *adorari*, ut Deus, cum anteà Imperatores ſalutarentur; & dici *Jovius*, imò *Jovis* venire appellatione, ut ſuprà dictum fuit. Similem cultum admiſit Maximianus, dictus *Herculius*, quaſi patre Hercule genitus: Hinc, Lactantio eodem referente, ejus filius Maxentius, gener Galerii Maximiani, *adeo ſuperbus & contumax* fuiſſe dicitur, *ut neque ipſe Patrem, neque Socerum* (Galerium) *ſolitus eſſet adorare*, ut Lactantius dicto Libello, *Cap.* XVIII. Tandem, ne ſingula Tyrannorum, à quibus cœpit Perſecutio, vitia recenſeam, crudelis uterque & immitis malignique animi fuit, Herculius etiam aſper, perfidus, ſanguinarius. In quo & Diocletianum ſuperavit Galerius Maximianus; *cujus*, in cruenta conſilia adhibiti, *furori* (ita Lactantius C. XI.) *diu ſenex* Diocletianus *repugnavit, oſtendens quàm pernicioſum eſſet inquietari orbem terræ, fundi ſanguinem multorum.* Undè primò Diocletiani animum, quantumvis ad ſævitiam comparatum, à ſanguinolentâ Perſecutione Chriſtianorum alieniorem fuiſſe colligamus. Ingenium horum Perſecut.

Hic *Galerius*, parentibus agrariis in Daciâ, haud longè à Sardicâ, natus, paſtor armentorum fuerat, unde De Conſtantio Chloro,

Galerio, Maximino, Severo, Maxentio, Licinio.

unde Armentarius dictus; Poſteà gener Diocletiani, elocatâ illi filiâ Valeriâ Galeriâ, A. ccxcii. hinc Cæſar creatus Anno eodem, abjecto nomine Armentarii, & aſſumpto illo *Maximiani*, quo ſolo venit apud Lactantium; aliàs *Galerius Maximianus*. Tandem factus Auguſtus, poſtquàm Diocletianus ſocer ſe abdicavit, A. ccciv. quod eſt Lactantio *exuto ſocero*, id eſt, exutâ à ſocero purpurâ. Et hic non tantùm Diocletiano & Herculio pejor, *inerat huic beſtiæ naturalis barbaries*, ut Hiſtoricus, *Cap.* ix. ſuperbia autem ſine exemplo, ut ſe quoque *Jovium* appellari, & *Marte* prognatum credi vellet; & ità devicto fugatoque Narseò Rege, Anno ccxcvii. *jam detrectarat Cæſaris nomen. Conſtantius* verò *Chlorus*, pater Conſtantini M. nepos D. Claudii optimi Principis, Eutropio patre, matre Claudiâ, adoptatus fuerat à Maximiano Herculio, eodem quo Galerius à Diocletiano tempore; eâ lege ut repudiatâ Helenâ, matre Conſtantini, duceret Herculii privignam, nomine Theodoram. Hic fuit mitiſſimi ingenii Princeps, poſteà quum abdicaret Imperium Herculius, ad exemplum Diocletiani, inducti à genero ſuo Galerio, *Auguſtus* renunciatus A. ccciv. Ità in *quatuor* veluti partes diviſum erat Imperium; ut nempè *Gallia* & quicquid trans Alpes eſſet Conſtantio cederet; undè libera fuêre ea loca à ſanguinis Chriſtiani effuſione: Herculio *Africa* & *Italia*; *Illyrici* ora latè ſumpti Galerio; *cætera Prov.* Valerio Diocletiano. Abdicantibus (ſed invitè) duobus illis Auguſtis, *Diocletiano* & *Maximiano*, ſimul urgente bellorum mole, duo *Cæſares* creati, id eſt, adoptione Filii habiti, (dum *Auguſti* Fratres & Collegæ cenſebantur) *Severus* per *Italiam*, & *Maximinus* per Orientem; quamvis plerique in Conſtantinum intenti eſſent, ut purpurâ digniſſimum, ſed repulſum à Galerio, hoc ipſo quod *patre melior & clementior judicaretur*. Repulſus quoque *Maxentius*, qui poſteà inter Perſecutores fuit, Imperator à militibus renunciatus A. cccvi. Homo quidem *perniciosæ ac malæ mentis*, carus nulli unquam, imo nec *Patri* Herculio, nec *ſocero Galerio*, ut Aurelius Victor, Epitomes *Cap.* lvi. tandem poſt ſexennii circiter tyrannidem a Conſtantino M. devictus. *Severus* quidem nepos vulgò habitus Galerii, reverà ignotis parentibus, ex Zoſimo, & Aur. Victore, ſed qui militibus gratus, cætera *ſaltator*, *temulentus*, *& ebrioſus*, apud Lactantium, C. xviii. *Auguſtus* tandem proclamatus à Galerio A. cccvi. quum Conſtantinus *Cæſar* factus eſſet: Sed mox dedere ſe coactus, appropinquante Maximiano (qui purpuram reſumpſerat, à filio Maxentio oblatam) venis inciſis optavit bonam mortem Severus; alii factum Anno cccvi. alii Anno ſequente. *Maximinus* autem, qui antè *Daſa* vel *Daza*, fortè quod originem duceret è *Dahis* Germaniæ populo, Galerii ex ſorore nepos fuit, ſublatus nuper à pecoribus & ſylvis, dein gregarius miles, tum Stipator Imperatoris, tandem Tribunus, donec ad primum Faſtigium ſurgeret. *Galerii Maximini* hinc nomine aſſumpto, jubente Maximiano, à quo Cæſar creatus, tandem à ſeipſo *Auguſtus* renunciatus fuit; talis reverà à morte Galerii Avunculi, A. cccxi. Sed & idem Perſecutorum omnium ſæviſſimus, ex Lactantio & Euſebio, omniumque poſtremus, ſolus relictus τῶν τῆς θεοσεβείας ἐχθρῶν, ut ἁπάντων χείριστος ἀναπέφηνε, *Euſeb.* L. ix. C. xi. *Licinius*, Daciâ quoque oriundus, quem in Severi locum ſubſtituerat Galerius, ut amicum veterem, & à primâ militiâ familiarem, A. cccvii. Valeſius vult A. cccviii. primò Cæſar, mox Auguſtus, appellatus, & qui cum Maximino partitus Orientis Imperium, à morte Galerii, Anno cccxi. Tum quoque Licinius, imperans in partibus Illyriæ, Macedoniæ, Græciæ, Thraciæ, hoſtis Chriſtianorum, ut poſteà ſatis apparuit. Et hic ſuperfuit omnibus Tyrannis; quanquàm ad tempus, affinitate contractâ cum Conſtantino, abſtinuerit perſecutione, rediturus ad ingenium, ex quo factus æmulus & hoſtis Conſtantini Imperatoris. Præcipui igitur Perſecutores, in Perſecutione x. uſque ad pacem Eccleſiis datam, fuêre, *Diocletianus*, *Maximianus Herculius*, *Galerius*, *Maximinus*, & *Maxentius*; non diu præfuturo cum ſummâ poteſtate *Severo*.

II. Initium Perſecutionis fuit, ex ſententiâ Onuphrii, Baronii, Petavii, & aliorum A. cccii. juxtà Euſebium autem Annus demùm cccv. Nam à Natali Chriſti ad hunc annum xix. Diocletiani, numerat annos πέντε ϗ τριακόσια, *trecentos & quinque*, Hiſt. L. vii. in fine, & quoque in *Chronico*, juxtà vetuſtiſſimam editionem Mediolanenſem, non viſam Pontaco nec Scaligero. Ex quo patet, Æram Euſebianam inchoare annos Chriſti à vero Natali, *biennio* antè Æram Dionyſii Exig. de quo in *Chron.* Juxtà J. Scaligerum, in Animadverſ. H. Valeſium Notis ad Euſeb. & pleroſque recentiores, (ſuffragante Ant. Pagi in *Criticâ*, St. Baluzio *Notis* ad Lactantium, Henr. Dodwello, *Diſſ. Cypr.* xi.) incipit A. ccciii. vere ineunte, Diocletiano viii. Maximiano vii. Coſſ. Poſtquam hyeme præcedente de perſequendis Chriſtianis jam deliberatum eſſet, inter *Diocletianum* præcipuè, & *Galerium Maximian.* qui priorem inſtigabat ad ſcelus. Igitur advocatis tandem paucis aliis in conſilium, quos inter *Hierocles* Bithyniæ Præſes, qui auctor & *Conſiliarius ad faciendam Perſecutionem* fuit, ex Lactantio *Cap.* xvi. ac conſulto Oraculo *Apollinis* Mileſii, quod tum in ſummâ exiſtimatione habebatur, decreta Perſecutio eſt: Cui conſultationi ſe interfuiſſe, Conſtantinus M. κομιδῆ παῖς ὑπάρχων, diſertè teſtatur, apud Euſebium de Vitâ Conſt. *Lib.* ii. C. li. ſcilicet agens tum circiter xxvii. ætatis, nempè A. cccii. quum ea conſilia agitarentur; anno ætatis xv. Ch. ccxc. datus Diocletiano, quo Pater *Cæſar* factus: Sic Lactantius eum *juvenem* appellat, *Cap.* xxiv. eo anno quo ex Aulâ dilapſus, ubi Diocletiani & Galerii *obſes* tenebatur, & ad Patrem ſalvus pervenit, id eſt, Chriſti cccvi. Acceſſit odium in Chriſtianos conceptum à Matre Galerii Cæſaris, quæ *Deorum montium cultrix*, ut ſuprà Lactantius, indignata Chriſtianos abſtinere ab Epulis ejus ſacris, & ab *Idolothytis*, hinc *querelis muliebribus ad tollendos homines invitabat*. Quare *dies* etiam Perſecutioni inchoandæ fixus fuit, ſcil. *Terminalium*, vii. Kal. Mart. ſeu xxiii. Febr. ut docuit Lactantius *Cap.* xii. *ut quaſi Terminus imponeretur huic Religioni*. Quo etiam tempore imminebant ſolemnia Dominica, Paſſionis & Paſchatis, magnuſque fiebat concurſus Chriſtianorum, qui nullis adhuc Edictis prohibebantur.

Initium Perſecut. quando?

> *Ille dies primus Lethi, primuſque malorum*
> *Cauſa fuit.*

Chronicon Alexandr. dicit ad A. ccciii. tempus Perſecutioni delectum fuiſſe xxv. *menſis* Δύστρου Syro-Maced. ſeu Martii Romani, quæ ipſiſſima ἡμέρα τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα. Nimirùm id intendentibus Tyrannis, propoſito prius in Februar. *Nicomediæ* Edicto, (ubi agebant Impp.) hunc in finem, ut circà tempus Paſchæ perveniret in Palæſtinam, Ægyptum, &c. Undè Euſebius quoque notat Δύστρον menſem, ſeu Martium Romanum, L. viii. C. i.

III. *Occaſio* quæſita à Perſecutoribus referente Euſebio, *Lib.* viii. C. ii. fuit incendium Palatii ſeu Domûs regiæ, in urbe Nicomedienſi, ſtudio ſubjectum juſſu Galerii Maximiani, ut tergiverſantem Diocletianum ad Perſecutionem magis impelleret. Nam ingenti invidiâ, ſimul cum Palatio, Chriſtianorum nomen exarſit. Spargebant enim Chri-

Occaſio, Modus, Loca Perſecut.

Chriſtianos conſilio cum Eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitaſſe, & duos Imperatores penè vivos domi ſuæ eſſe combuſtos. Hinc *modus* perſecutionis facilè intelligitur, omnium qui hactenus fuerant atrociſſimus, ſucceſſivis tamen gradibus. Inceptum eſt die XXIII. *Febr.* ab *Eccleſiâ* Nicomedienſi, quam *in alto fuiſſe conſtitutam* habet Lactantius, & quæ immiſſis Prætorianis, dum in ſpeculis rem omnem Imperatores intuerentur, intrà paucas horas ſolo æquata fuit. Dum intereà Scripturæ flammis traditæ, omnia prædæ expoſita, & nil niſi rapinæ, ac vis tumultuantium, permittente Diocletiano. Dein prodiit Edictum XXIV. *Febr.* ut ejus Religionis homines *carerent omni honore ac dignitate*; *tormentis ſubjicerentur*, *ex quocunque tandem ordine & gradu*, quod legibus Romanis cæteroquin non licuit; *adverſus eos omnis actio* (inſtituta aut inſtituenda) *valeret*, ipſi verò jure agere prohiberentur, etiam de *injuriâ*, *adulterio*, *rebus ablatis*; & ſi quis ſervus permanſiſſet Chriſtianus, *libertatem non haberet*. Quod Edictum dum quidam magno animo diripere auſus eſſet & dilacerare, addito ſarcaſmo, jam Chriſtianos fore *Gothorum* ac *Sarmatarum* debellandorum loco (vel Imperatores ipſos *Gothorum* ac *Barbarorum* ſævitiem æmulari) ille miſerè excarnificatus ac lento igne toſtus fuit. Tùm furore ex Regiæ *incendio* accenſo Diocletiano, in omnes qui in Palatio fuêre promiſcuè ſævitum, equuleis, tormentis, fidiculis, ſi extorquere ab aliquo vel *invenire* auctorem incendii poſſent; factâ Tribunis & Prætorianis torquendi poteſtate, præter *familiam Cæſaris*, id eſt, domeſticos Galerii Maximiani, in quibus indubiè illi incendiarii fuerunt. Poſteà Diocletianus *Priſcam* & *Valeriam*, Conjugem ac filiam Galerio nuptam, infirmitate lapſas ſacrificare coëgit; ſed quæ poſtmodùm Pœnitentiâ & lachrymis creduntur crimen eluiſſe; tandem poſt multas perpeſſiones à Maximino in exilium actæ, & Licinii poſteà juſſu Theſſalonicæ ſecuri percuſſæ, ut pluribus Lactantius. Hinc neci dati *Eunuchi*, ex quibus ferè Palatini homines conſtabant; tum *Presbyteri*, *Miniſtri cum omnibus ſuis*, *omnis ſexûs & ætatis homines*, ad exuſtionem rapti, & *citrà probationem* (al. prolationem) *ad Confeſſionem* (vel ad μαρτύριον) *damnati*. Tandem *Viginti millia*, (ὡσεὶ δισμυρίους ὄντας τὸν ἀριθμὸν) in Templo Nicomediæ, uno die, concremata fuiſſe refert Nicephorus, L. VII. *Cap.* VI. Hinc quaquaverſum ſævitum in *Templa* alia, ſeu Eccleſias, vel diruendas vel incendendas; in *Libros Sacros*, qui ſæpè à *Traditoribus* proditi; in Chriſtianos *Magiſtratus*, in *Doctores* ac προέδρους Eccleſiarum, quibus *ſacrum feciſſe* capitale fuit; in *privatos* quoſvis, & *populum*, tandem in ſexum omnem & ætatem perſecutio incubuit. Carceres repleti, nova tormenta excogitata, fraudes adhibitæ irretiendis Chriſtianis, atque ità perſecutionis flamma ex urbe Nicomediæ quaquaverſùm per Provincias Rom. Imperii graſſata fuit, in *Phœnice*, *Syriâ*, *Palæſtinâ*, *Ægypto*, *Thebaide*, *Phrygiâ*, *Arabiâ*, *Africâ*, *Siciliâ*, *Illyrico*, *Italiâ* quæ parebat truci Maximiano Herculio. Quanquàm non expectata à Perſecutoribus ſententia fuerit vel *Herculii*, vel *Conſtantii*; quorum ille ſpontè ad fundendum ſanguinem ferebatur, hic à cruore abſtinuit, contentus (ne ſolus diſſentire videretur) *conventiculorum parietes*, *qui reſtitui poterant*, *dirui* juſſiſſe. Ita univerſa terra ſedes atrociſſimæ perſecutionis fuit; ipſa quoque *Britannia*, in quâ celebratur hoc anno CCCIII. Maji XXIII. πρωτομαρτύριον *Albani* Verulamii civis, Romanorum Municipii, cujus Converſionem ad fidem, dein martyrii conſtantiam prolixè refert Beda, in *Hiſt.* Anglo-Sax. L. I. C. VII. & antè eum *Gildas* Albanius, in *Hiſt.* Britannicâ. Quanquam in Provincias quaſdam ſeriùs Edicta pervenerint, ut in Syriam, Palæſtinam, menſe *Xanthico*, id eſt, Aprili Romano, ut Euſebius initio Libri de *Martyr. Palæſt.* *Gallia* cæteris felicior ſola videtur fuiſſe excepta, eæque Ditiones quæ *Gallicanæ* Præfecturæ nomine poſteà comprehenſæ, Britanniæ & Hiſpaniæ. His præerat Conſtantius Auguſtus, qui concitati adverſus Chriſtianos belli particeps nunquam fuit; Quod de Galliâ teſtantur diſertè Lactantius, de *Mortibus* C. XVI. Optatus Milevit. adverſùs Donatiſtas *Lib.* I. p. 44. Eutropius in Breviario Hiſtor. *Lib.* X. C. I. Imò ipſe Euſebius, qui videtur ſtatuere, *Galliam* etiam ad tempus *furorem belli expertam*, in Libro de Martyr. Palæſt. C. XIII. quod factum fuerit antequam *Conſtantius* Galliis cum ſummâ poteſtate præeſſet, ut quoque Britanniis: Alibi Hiſt. *Lib.* VIII. C. XIII. dicit, Conſtantium τοὺς ὑπ' αὐτὸν θεοσεβεῖς ἀβλαβεῖς καὶ ἀνεπηρεάστους φυλάξαι. καὶ μήτε τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς οἴκους καθελῶν, μηθ' ἕτερόν τι καθ' ἡμῶν καινουργήσας; *Dei cultores qui ſub ipſius imperio erant, immunes ab omni noxâ & calumniâ ſervaſſe, nec aut Eccleſiarum Ædes ſubvertiſſe, aut quicquam adverſus noſtros molitus eſſe.* Superiora autem excerpta ſunt ex Lactantii aureo libello *Capitibus* XII. XIII. XIV. XV. XVI. collato Euſebio *Lib.* VIII. C. IV. & ſequent. Quibus adde Sulpicium Severum, Bedam, G. Syncellum, & Chronographos cæteros.

Dioclet. & Maximiani Hercul. abdicatio Hinc reliqua hiſtoria, & noviſſima Impp.

IV. Vix fecerant perſequendi initium Diocletianus, & Herculius, quum anno CCCIV. ut Euſebius, Zoſimus, Idacius, vel CCCV. ut colligitur ex Lactantio, & Aur. Victore, (forſan nomine Imperii hucuſque retento) Purpuram deponunt, in Urbe Nicomediæ, ipſis *Kalendis* Majis: Et quidem ſuaſu Galerii Maximiani, primùm, qui *Socerum* ſenem, poſt peracta *Vicennalia*, & reditum ex Urbe *Româ*, ad hoc induxit, obtentu ætatis, atque oneris Reipublicæ adminiſtrandæ, & exemplo *Nervæ* qui Imperium Trajano tradidiſſet, additis etiam minis, ſi ipſe cedere noluiſſet, ſe ſibi conſulturum, ut pluribus Lactantius, *Cap.* XVIII. qui primus hæc arcana detexit. Hinc Maximianus Herculius, & ipſe ſenex, ceſſit ſed invitus, exemplo Diocletiani, & literis quæ monebant, ut in *privatam vitam concederet.* Adeò ne in abdicatione quidem voluit ſeparari à Diocletiano: Poſtquam miſiſſet ad ipſum Galerius *Severum*, quem Herculius *Purpurâ*, inſigni primi faſtigii, veſtiret. Hinc Nummus apud Seguinum in *Selectis Num.* *Maximiano Seni Optimo*, cum Inſcriptione, *Requies optimorum meritorum*; quum privatam vitam ille elegiſſet. Ac Diocletianus (qui hinc dictus *Veteranus Rex*, ut qui XX. annos Imperium tenuerat, ut *veterani milites*, qui XX. annos militaverant) ſeceſſit *Diocleam* propè Salonas, Dalmatiæ χωρίον *villam*: Ubi *Palatium* ſibi ſtruxit, (& hinc nata urbs hodieque *Spalato*, *Spalatro*, *Aſpalato*) in quo maximam vitæ partem privatus exegit; præferens (ſic ipſe ad hortantem Maximianum ut Imperium reſumeret) hortos ſuos, & *olera manibus ſuis inſtituta*, ſummo illi Faſtigio. Confectus tandem fuit animi & corporis ægritudine, poſt cædem Maxentii, quam ægerrimè tulit, antè autem Maximini exceſſum, quin paulo antè nuptias Licinii, id eſt, anno Ch. CCCXIII. ex Lactantio, atque A. Victore. *Venenum hauſiſſe* dicitur, referente eodem Victore in *Epitome*, acceptis literis, quibus illi exprobrabatur favor in Maxentium. Herculius verò aliquamdiu vixit in Lucania, dein A. CCCVI. à Maxentio filio revocatus, reſumpſit faſces Imperii, quod ægrè depoſuerat: Poſt & conſpiratione in proprium Filium factâ, fugere tandem Româ coactus ad Conſtantinum, cui Fauſtam filiam elocavit, *Auguſti* titulo illi dato. Tertiò is reſumpturus faſces Imperii, quum in Galliis dolo circumveniſſet Conſtantinum M. Generum ſuum, ſubdolè ab ipſo miſ-

miſſum ad Francos (*barbaros*) debellandos, ſollicitatâ etiam Filiâ ad proditionem Mariti. Sed Conſtantinus intellectâ Soceri perfidiâ, revolat admirabili celeritate, & Maſſiliam, ubi Maximianus ſe incluſerat, reſeratis portis intrat, veſtem Regiam detrahi jubet, ac vitâ Socerum donat; tandem in perfidiâ perſeverantem ſubitò obrepit Conſtantinus, à quo factâ poteſtate liberæ mortis, *eliſo & fracto ſuperbiſſimo gutture, deteſtabilem vitam turpi & ignominioſâ morte finivit*, ità Lactant. C. xxx. vulgò Anno Ch. cccx. biennio antè cladem *Maxentii* filii; de quo anno Valeſius, Baluzius, Pagi, Dodwellus, & recentiores Chronologi. Nec infenſus Chriſtianis eſſe deſiit Maximianus, qui in Italiâ & Africâ perſequi cœperat, A. ccciii. undè multi in hac *Traditores*, & *Traditionis* nomen in Africâ celebre, ex Actis Concilii Cirtenſis, A. cccv. & Hiſtoriâ Martyrum Africanorum in *Breviculo* Collat. Carthag. apud Auguſt. quæ accidit Dioclet. ix. Maximiano viii. Coſſ. quo anno uterque abdicavit. Perſecutionem in Occidente ceſſaſſe cum Imperio Maximiani, ad *biennium* circiter extenſam, vult Doctiſſ. Dodwellus, *Diſſert.* xi. N. lxxvii. Cæterùm non omittenda *Inſcriptio* illa Columnis inciſa, quæ in Hiſpaniâ reperta eſt, & quam paſſim exhibent qui de rebus ac Numiſmatibus Diocletiani, ac Baronius ad A. ccciv. N. viii. trophæum ſcilicet Perſecutorum, ſed præceps nimis, ut paulo poſt apparuit: Diocletianus. Jovius. Maximi. Herculeus. Cæss. Augg. Amplificato per Orient. et Occident. Imp. Rom. et Nomine Christianor. Deleto. Qui Remp. evertebant. Et altera Inſcriptio: Diocletian. Cæs. Aug. Galerio in Oriente Adoptat. Superstitione Christi ubique Deleta. Cultu deorum propagato.

Perſecutionis continuatio, Auctoribus Galerio, Maximino, Maxentio. Eorum exitus.

V. *Galerius* Maximianus, poſt depoſitam à duobus Auguſtis purpuram, & creatos Cæſares *Severum*, & *Maximinum*, quam ſuaſerat Perſecutionem ſtrenuè promovit, celebratis *Quindecennalibus* Cæſarei Imperii, A. cccv. Quam occaſionem arripuit miſeros vexandi Chriſtianos, ſummam adeptus Auguſtorum poteſtatem. Honores illis ademit, & viros etiam perfectiſſimos tortoribus tradidit; Matronas & Virgines ingenuas in Gynæcea & Lupanaria vel textrina publica rapuit; beſtiis vorandos aut urſis obſorbendos objecit; in cruces egit; lentis ignibus uſtulandos expoſuit; per multos dies decoctâ omni cute, facibus ad membra ſingula admotis, tandem cremari rogo iis facto juſſit; & quæ alia fuêre ſuppliciorum inaudita, quæ conſuetudine ipſâ in omnes, Gentiles & Chriſtianos, exercebat. In *Conſtantinum* etiam, quem obſidem tenuit, à patre moribundo in Britanniam evocatum A. cccvi. grave quid machinatus; niſi fugâ cautè elapſus eſſet, mox *Auguſtus* in Britanniâ renunciandus, ut prolixè Lactantius C. xxiv. Quo eodem anno *Maxentius* Romæ proclamatus eſt Imperator, ſimulans primò ſe favere Chriſtianis, imò Chriſtianum ſe eſſe (ἀρχόμενος τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν, ἐπ' ἀρεσκείᾳ καὶ κολακείᾳ τοῦ δήμου, καθυπεκρίνατο, ut Euſebius *Lib.* viii. C. xiv.) reverà dignus filius Herculii, nec cedens ſuperbiâ & ſævitiâ Galerio Maximiano ſocero, cui novum ſubitâ evectione terrorem attulit. Undè, Severo ſublato, Licinium Auguſtum creavit: Donec tandem pœnas ſcelerum Deus à Galerio repoſceret, percuſſo fœdâ & inſanabili plagâ, ac diris cruciatibus excarnificato tyranno, ut vermes tandem corpore erumperent, illudque intolerandis cum doloribus in putredinem totam ſolveretur: Undè vindicem Dei manum ſentiens, revocavit Edicta priora, Edicto Chriſtianis faventiſſimo, communi *Auguſtorum* nomine promulgato, atque inhibente quaquaverſum perſecutionem, ſcil. ut Chriſtiani pro ſalute ſua orarent. Factum Anno Ch. cccxi. *undevigeſimo* anno Imperii, initio ducto ab A. ccxcii. quo Cæſar renunciatus fuerat; ut *Vicennalia* non celebraverit, poſt quæ Imperium transferre in *Candidianum*, ipſi ex Concubinâ natum, cogitabat. Tenuiſſe dicitur *clavum totius Imperii*, ut Socrates *Lib.* i. C. ii. quia abdicatis Dioclet. & Herculio, Senior ille Auguſtus, & primus ordine, non invidentibus hunc illi locum Conſtantio, Maximino, & Licinio. Tenorem verò Edicti, παλινῳδίαν vocat Euſebius, exhibet Lactantius *Cap.* xxxiv. & Euſebius *Lib.* viii. C. xvii. qui è Latino in Græcum ipſe tranſtulit. Superfuêre ex Tyrannis duo, *Maxentius*, & *Maximinus*; ille filius Herculii, bello aggreſſurus Conſtantinum M. Anno cccxi. infelici ſucceſſu, opprimendus A. cccxii. Sept. menſe; ut pluribus, *Cap.* ſequenti: Hic verò Galerii ex ſorore nepos, furori modum nullum fuit; ac poſt Galerii favens Edictum, vix aliquot menſes à perſecutione abſtinuit, cumprimis in Oriente, ubi poſt mortem Galerii, cum *Auguſti* poteſtate, ultra triennium præfuit. Donec anno vitæ ultimo, Chriſti cccxiv. quo victus à Licinio Maximinus, inter Heracleam & Hadrianopolim Thraciæ, & ipſe miſerabilem exitum ſortiretur Tarſi Ciliciæ, quò tandem confugerat. Nempè cibo ac vino repletus venenum hauſit, quod valere in præſens non potuit; ſed verſum in languorem peſtilentiæ ſimilem, eum tandem *inſuſtentabili* (vox Lactantii eſt) dolore ità cruciavit, ut in rabiem actus Maximinus caput parietibus infligeret, & *exilirent oculi ejus de caveis*. In quo miſerando & ſupremo ſtatu conſtitutus, quaſi fidiculis & tormentis adactus, repentè Deo Chriſtianorum gloriam dedit; *Chriſtum deprecans* ut ſuimet miſereretur: Hinc *lege* tandem promulgatâ Chriſtianis omnibus ſacrorum Libertatem fecit, *Dominica* inſtaurare permittit, eoſdemque in bona etiam ſua reſtituit. *Legem* totam exhibet Euſebius, Hiſtoriæ *Lib.* ix. C. x. conſule & Lactantium, *de Mortibus*, C. xlix. Tamen A. Victor in *Epitome*, mortuum eſſe Maximinum *morte ſimplici*, extenuando mortis generi, quod *deteſtabile mortis genus* Lactantius, & ἄλγιστον θάνατον Euſebius, dixêre.

VI. Luctuoſa hujus decimæ Perſecutionis *effecta*, ex parte ex dictis intelliguntur. Quò ſpectant *Lapſus* innumeri, eorum qui vel metu adacti, vel tormentis intolerabilibus, Chriſtum ore abnegarunt, de quibus in genere tantùm Euſebius, velo ſilentii id obvolvens, *Lib.* viii. C. ii. Redituri plurimi ad Eccleſiam, ex Lapſis *Pœnitentes*, poſtquàm reſpirarunt Chriſtiani, poſt abdicationem Diocletiani, cumprimis & Maximiani in Occidente, qui in Africâ, Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ ſævierat. Hinc in Ægypto *Petri* Epiſcopi Alex. *Canones* Diſcipl. quomodò Lapſi eſſent recipiendi; & Schiſma *Meletii* adverſus *Petrum* Alexandr. ſi fides Epiphanio *Hær.* lxviii. quæ eſt *Meletian.* quod hic ex infirmitate *Lapſos* & Pœnitentes, benignè cenſeret admittendos ad Pœnitentiam. Quanquam aliter Athanaſius, *Apol.* ii. qui Meletium *ipſum in Lapſis*, qui Idolis ſacrificaſſet, ponit, parere Canonibus detrectantem, qui ſcil. Lapſos privarent Epiſcopatu. Hinc & Concil. *Cirtenſe*, in Numidiâ celebratum, (*Cirta* poſteà eadem quæ *Conſtantina* dicta eſt) Anno cccv. poſt Conſulat. Diocletiani ix. Maximiani viii. (ut ferè hodie conſenſio eſt, quando ceſſaverat utriuſque Perſecutio) in quo plerique Epiſcopi, Presbyteri, obſtricti *traditionis* crimine, modo Pœnitentiam teſtarentur, relicti ſunt in ſuo munere, ad Schiſma præcavendum: Cujus poſteà criminis *Donatiſtæ* accuſarunt Cæcilianum Carthagin. & qui eum ordinaverant; ipſimet ejuſdem Traditionis rei, nomi-

Lapſi in Perſec. Diocletianeâ. An Marcellinus Lapſus? Et Euſebius?

Digitized by Google

minatim *Sylvanus* qui Majoricum ordinaverat, Traditionis convictus apud Conſularem Numidiæ, ut ex Auguſtino videre eſt in *Geſtis* Purgat. Cæciliani, & contra Creſconium Donatiſtam: Baronius vult accidiſſe A. cccvi. Valeſius, & Pagius multo ſeriùs. Ita in Hiſpaniâ celebre Concilium *Illiberitanum*, ſæviente hac Perſecut. celebratum, ex *Canon* ii. iii. xv. xvi. lix. lx. &c. (quanquam præciſè habitum an anno ccciii. an ccciv. vel cccv. &c. incertum, quum *Actis* ſtudio nullum tempus præfixerint Epiſcopi Hiſpani, metu Perſecut.) in quo multi Canones contrà ſimilem deinceps *Lapſum*, eo rigidiores, quo triſtia jam fuerant initio perſecutionis Diocletianeæ exempla. An verò inter *Lapſos* debeat referri *Marcellinus*, Rom. Eccleſiæ Epiſcopus, major eſt ratio dubitandi. Quod Jovis ſimulachro in Templo Iſidis & Veſtæ thus adoleverit, referunt (præter ſuppoſita *Acta* Marcellini, ſcil. convictum fuiſſe *à* lxx. *teſtibus*, hinc illa *Sinueſſana* Synodi confictæ, de quâ verbum infrà) Pſeudo-Damaſus in Vitâ *Marcellini*, (*Marcellinus ad ſacrificandum ductus eſt, ut thurificaret, quod & fecit*,) Nicolaus I. in *Epiſt.* ad Michaelem Imperat. & *Breviario Romano* poſtmodum inſertum fuit: Sed hæſitat ipſe Baronius, ad A. cccii. ccciv. explodunt quotquot ſunt ingenui & eruditi, ac nuper Pagius Criticâ Baronio oppoſitâ ad eoſdem Annos, poſt Papembrochium in Conatu *Chronol. Hiſtor.* ad Catalogum Pontificum. Hinc iidem ſanctiſſimum *Martyrem* dicunt, A. ccciv. & Baronius poſt Anaſtaſium vulgò, quo ſanè anno deceſſit Marcellinus; ſed *Martyrem* fuiſſe, *parum probabile* ait ipſe Pagius ad eum Annum, N. ix. nec habet Catalogus Pont. Rom. qui *Liberii* tempore conſignatus eſſe dicitur, apud Cuſpinianum, Bucherium, Schelſtratium. Imò *Marcellini* non meminit, ſed *Marcelli* tantum qui ei ſuffectus eſſe dicitur, vel Chronicon Euſebii, vel Martyrologium quod Hieronymi eſſe dicitur. Pariter malè inter *Lapſos* refertur *Euſebius*, ab ipſo Baronio ad A. cccii. *Num.* xi. xii. pro hujus adversùs Euſebium affectu, idque ex teſtimonio unius Potamonis Epiſc. Ægyptii, apud Epiphanium *Hær.* lxviii. N. vii. quod elapſus eſſet ex carcere, poſtquam ὑπέσχε τὸ ἀθέμιτον πρᾶξαι. Ex quo ſanè dimiſſus tandem fuit, forſan remittente perſecutione, aut quo tempore indulgens Galerii Edictum prodiit: Dùm *Apphianus* ejus diſcipulus & domeſticus, ad portas Cæſareæ, initio Perſecutionis, dein *Pamphilus* amicus ejus conjunctiſſ. & *Socii* xii. qui in eodem cum Euſebio carcere fuerant, circà A. cccix. Martyrii gloriam reportarunt. Notus Epiphanii in Euſebium, Origenis causâ, cujus *Apologiam* ſcripſerat in carcere, unà cum Pamphilo ſuo Euſebius, parum æquus animus.

Confeſſores, & Martyres innumeri. Genuini teſtes, ab Actis Apocr. diſtincti.

VII. Incredibilis fuit *Martyrum* numerus, & admirabilis conſtantia, quorum certiſſimus teſtis Euſebius *Hiſt.* Eccleſ. *Libris* viii. & ix. tum Libello de *Martyribus Palæſtinæ*, ſeu Martyribus Provinciæ ſuæ, qui ſuo tempore, & ſe tùm in Palæſtinâ præſente, paſſi eſſent. Sic quæ habent de Africanis Martyribus, *Geſta Proconſularia*, Diocletiano viii. Maximiano vii. Coſſ. anno circiter antè Concil. Cirtenſe; de quibus Auguſtinus in *Breviculo Collat.* & contrà *Creſconium* Donatiſt. T. ix. Operum, noviſſimæ Edition. Quanquam horum Actorum, pars maxima perierit temporum injuria. Quibus addi poſſunt Acta *Saturnini*, *Dativi*, *Felicis*, & *Sociorum*, quæ Baluzius Miſcellan. T. ii. inſeruit, & quæ putantur ſcripta haud longè ab ævo Diocletiani (ſub quo & Maximiano paſſi dicuntur) à docto Donatiſtâ. Adde Acta *Felicis* Tubyzacenſis in Numidiâ Epiſc. Anno ccciv. inſerta eidem Tomo, præhabentis martyrium *Traditionis* crimini, & ſi quæ alia probant ſe aliquo indicio vetuſtatis, apud Valeſium, Baluzium, Dachierum in *Specileg.* &c. Prolixè videas Martyres utriuſque ſexûs euntes in glorioſa certamina; equuleos intrepidè ferentes; pardorum, urſorum, taurorum, ſimilium beſtiarum, quæ humanum ſanguinem lambere aſſuetæ, ſuſtinentes feros impetus; alios tormentis immortuos, vel famè enectos, vel capite damnatos, aut in crucem actos donec in patibulis animam efflarent: Sic mulieres in arboribus, altero pede religato ſursùm, capite deorſum, miſerandum ſpectaculum exhibentes: Alios inflexis per vim ramis cruribus alligatos, diſcerpendos ipſo impetu arborum ad ſitum naturalem redeuntium: Alios horrendum in modum pluribus diebus excarnificatos, donec inter cruciatus expirarent: Alios culleo incluſos cum cane & aſpide in profundum projectos, membris mutilatos alios, tùm catenis ferreis vinctos, & ſic ad metalla damnandos: Alios denique mille modis, & inauditis tormentorum generibus, vel ad ſacrificandum Idolis adactos, vel ad patiendum, quæ pati poſſe naturam humanam incredibile videbatur. Et hæc non ſemel, non paucis diebus, aut locis perpetrata, ſed aliquot annorum ſpatio continuata, in Palæſtinâ, Phœnice, Ægypto, Thebaide, Syriâ, Phrygiâ, Ponto, Aſiâ, Cypro, &c. Quarum Martyres in utroque ſexu inſigniores recenſet Euſebius; eos inter Pamphilum Presb. Cæſarienſem, Silvanum Gazæ Epiſc. Petrum Ep. Alexandr. Lucianum Presbyt. Antiochenum, Heſychium, Phileam, Pachomium, in Ægypto Epiſcopos, &c. Sic *Cubicularios* Imperatorum, converſos ipſâ conſtantiâ Chriſtianorum, qui ad flammas, ad cruciatus rapiebantur, ut Petrus Eunuchus, Dorotheus, Gorgonius, &c. apud Euſebium *Lib.* viii. C. vi. Dum tamen pars media Orbis Romani, quæ ad Occaſum fuit, Italia, Africa, Gallia, Hiſpania, Britannia, pace frueretur; poſtquàm *belli furorem* ὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δυσὶ *vix duobus integris annis* expertæ eſſent, ſcil. antequam Conſtantius in Galliâ, Hiſp. Britanniâ ſummam rerum obtineret, adeoque ſub Maximiano annis ccciii. ccciv. Hæc prolixiſſimè leguntur in Euſebio, locis citatis: Qui tamen non ſatis diſtinguit *Maximianos* duos Herculium & Galerium; neque *hunc* à *Maximino* nepote, ut qui Galerium perpetuò Μαξιμῖνον *Maximinum* dicit; undè mira quandoque confuſio apud eos qui Euſebium exceperunt. Scripſerat autem Euſebius Ἀρχαίων Μαρτύρων συναγωγὴν, præter Libellum de Martyribus Palæſtinæ, ſed qui nuſquam apparuit. *Liberii* etiam tempore facta Collectio Martyrum, quam edidit Ægid. Bucherius *Comment.* in Victoris Canonem, C. xv. *Calendarii Romani* nomine. Quæ autem poſtmodùm collecta ſunt *Acta Martyrum*, vel *Paſſiones Sanctorum*, pace Eccleſiæ reſtitutâ, (ſingulis jam Eccleſiis ſuos Martyres venditantibus, in Faſtos referendos, & Feſtivitatibus quibus eorum memoria celebraretur, legi publicè ad populum ſolitis eorundem *Actis*, & *Paſſione*, undè *Legendæ*) nimis quam dubiæ fidei eſſe intelliguntur. Auctoribus nempè partim ignotis, partim ſuppoſititiis, ut quod *Hieronymi* nomine in Italiâ & Occidente vulgatum eſt *Martyrolog.* partim diu poſt geſta illa natis, *Seculo* vii. viii. ix. &c. ætate jam ad ſuperſtitiones & fabulas totâ inclinante, tàm in Oriente, quàm in Occidente: Quales jam Ceraunius Ep. Pariſienſis, Anaſtaſius Bibliothec. Johannes Rom. Eccl. Diaconus, Ado Viennenſ. Uſuardus, Symeon Metaphraſtes, Johannes de Voragine, ex quibus ſua Surius, Bollandus, & reliqui. Atque ex illis, & fabulis quæ acceſſerunt, conflata ſunt *Menologium* Græcorum, & *Martyrologium Romanum*, de quibus obvia ſunt judicia ipſius Sirmondi, Launoii, Papembrochii, Valeſii, Baluzii, Du-Pini, Pagii, Tillemontii, & aliorum.

Digitized by Google

Fabuloſi Martyres.

VIII. Atque hæc origo eſt *fabuloſorum* Martyrum ſine numero, utriuſque ſexûs, aut cæteroquin fabularum de *veris* Martyribus, qui in Perſecutione hac *Decimâ*, vulgò Diocletianeâ, paſſi eſſe dicuntur. Tradita hæc jam olim, à Seculis *Septimo*, *Octavo*, &c. & credita hodieque, pro inveteratâ ſuperſtitione. Nec Hiſtoriam noſtram conſpurcamus narratione eorum quæ *commentitia* eſſe Doctiores in Pontificiis ſcriptoribus, modò nominati, haud gravatè largiuntur. Hujuſmodi ſunt Legendæ, v. gr. de *S. Agnete*, Virgine & Martyre, utroque nomine celebratæ ab Hieronymo, Ambroſio, Prudentio in Hymnis; ſed quando paſſa ſit, quo Tyranno, non exprimitur, faſſo Baronio ad *Martyrol.* XXI. *Jan. quanquàm ſatis apparet in ultimâ Perſecutione fuiſſe coronatam*, & ſignat annum Chr. CCCIV. Hinc liberiùs fabulari datum fuit, & facilè intelligitur quæ fides eſſe debeat narratis de Agnete; ſcil. poſt tentatam Romæ fruſtrà ejus in publico fornice pudicitiam, objectam fuiſſe voraturis flammis, ſed indè precibus evaſiſſe illæſam, poſt gladio percuſſam, &c. Hinc Baſilicam illi à *Conſtantiâ*, filiâ Conſtantini, fuiſſe erectam, ex Sermone de *Agnete* ſub Ambroſii nomine vulgato.

De S. Catharinâ fabula recens.

Talis Legenda de *S. Catharina*, Virgine & Martyre, (Græci dicunt *Hecaterinam*) quæ ſub Maximino paſſa dicitur, cedere neſcia Tyranni libidini; hinc gladio percuſſa Alexandriæ: Et quidem illam eſſe de quâ Euſebius, *Lib.* VIII. C. XIV. ubi meminit *mulieris cujuſdam Chriſtianæ*, ἐνδόξȣ πλȣ́τῳ τε ϗ γένει ϗ παιδείᾳ, *clariſſimæ divitiis & genere & ſcientiâ*, ad ſtuprum ſolicitatæ à Maximino, ſed mori paratæ priuſquàm obſecundaret improbæ libidini; undè omnibus bonis ſpoliatam damnavit exilio. Hæc Euſebius. Quæ mulier à Baronio ad A. CCCVII. vertitur in *Catharinam* Virginem, quæ fugerit in verticem Sinai montis, undè factâ perquiſitione fuerit extracta, tandem crudele martyrium paſſa ſit Alexandriæ, juſſu *Maximini*. Deinde ferunt ejus Corpus ab Angelis tranſlatum in eundem locum Sinaïtici montis, *ubi latebras nacta fuiſſet in fugâ*; qui hodieque magnâ religione colitur à Latinis & Græcis, ubi Templum, Monaſterium, & Mons *S. Catharinæ*. Baronius ad A. CCCVII. N. XXXIII. impeditus eſt, quî hanc fabulam *veri* ſpecie veſtiat, & *certa* diſtinguat ab incertis, *ſed quæ veriſimilis conjectura innitens veritati demonſtrat*. Allatius, rem accidiſſe ſub *Maxentio*, in Diatr. de Symeonibus, qui ejus Acta refert ſcripta (ſcilicet) *ab Athanaſio ſcribâ & famulo Dominæ Catharinæ*, & quidem *anno* XXXV. *imperante impio Maxentio*. Agnoſce Symeonis Metaphraſtæ & Græculorum in fingendo licentiam, vel *parachroniſmis* proditam, ἀνιστορησίαις, fabellis, geſtiſque eorum, quos ignoravit omnis Antiquitas. *Hoc certum* (ità Papembrochius in Ephemerid. priori *Tomo* præfixis, ad d. XXV. *Novembr.* qui eſt hujus Sanctæ Natalis) *nullam eſſe Sanctam, cujus fama cultuſque primis poſt perſecutiones ſeculis* ignotior, celebrior *autem ætatibus poſterioribus fuerit, non ſolum in Orientali, ſed etiam in Occidentali Eccleſiâ*. Addit, *in Belgio (ut de aliis regionibus taceat) nullam eſſe urbem, oppidum, vel municipium ubi hæc Sancta non habeat vel Altare vel Templum.* Geor. Caſſander ad Hymnum hujus Catharinæ, in *Hymnis Eccleſiaſt.* p. 302. 303. fatetur antè 300. annos Latinis *Catharinæ nomen non innotuiſſe, ne Græcis quidem (undè ad Latinos ejus cultus pervenit) multo antè cognita* fuiſſe *videtur*. *Antè aliquot Secula nulla Hiſtoria, nec Euſebius qui diligentiſſimè res Alexandriæ ſub id tempus geſtas*, (*Lib.* VIII. C. VIII. & *ſeq.* uti & Martyr. *Potamianæ* Virg. & aliorum, *Lib.* VI. C. V.) *perſcripſit, nec Nicephorus* quidem, qui ſcripſit Seculo XIV. non omiſſurus pro more hoc Catharinæ portentum. Ità nihil de eâ Hieronymus, qui diu in Palæſtinæ ſolitudinibus vixit, nihil Lactantius, Sulpicius Sever. Proſper Aquitan. Euagrius, G. Syncellus, Auctor Chronici Alex. Zonaras, Cedrenus, &c. Tacetur eadem Virgo in *Martyrologiis* omnibus, *Calendariis*, *Faſtis*, *Officiis* Eccleſiaſt. paulo vetuſtioribus: Sic *Aldelmus* Saliſbur. (aliis Malmerburienſis Abbas, in Hibernicis Epiſt. Jac. Uſſerii, *Epiſt.* XIII.) qui de *Laude Virginitatis* ſcripſit, & *Virginibus* inſignioribus recenſitis hanc *Catharinam* ignoravit. Et ut fabula fabulam trahit, dixêre natam Catharinam patre *Coſto*, Conſtantiâ Alemaniæ oriundo, quæ Germanis *Coſtnitz*; qui Alexandriæ cum militaſſet, tandem vocatus ad Regiam dignitatem in Ægypto ſuſtinendam. Et tamen illa de tranſlatione *Catharinæ*, miniſtris Angelis, in montem *Sinai*, vertiſſe in dubium, foret illis in locis piaculum igne expiandum. De hac fabulâ eò prolixius, quod ex eâ æſtimandæ ſunt cæteræ, quæ hac Perſecutione Diocletianeâ de Martyribus fictitiis ex *Pſeudo-Actis*, vel ex *Metaphraſtâ* referuntur. Hujuſmodi *Dorothea* Virgo & Martyr, miraculosè producens *roſas* & *poma* mediâ hyeme, & ſi quæ commenta alia; quam Ruffinus putat, *Hiſtor. Lib.* VIII. C. 17. eſſe illam ipſam mulierem Alexandrinam de quâ Euſebius, & quam *Catharinam* alii interpretati. Sic S. *Barbara*, S. S. *Sergius*, *Bacchus*, *Soſontes*, *Varus & Socii*, *Theodorus*, &c. quorum Vitas & Martyrium ſub *Maximiano* ſcripſit Symeon ille Metaphr. & verè eſſe *Metaphraſtæ proprias*, ejuſque *ſtylo ſignatas*, ſcribit Leo Allatius de Symeonum ſcriptis, *Pag.* 124. 127. Adde Martyres ſine fine qui ad X. *Perſecutionem* referuntur, ſub Dioclet. Maximiano, Galerio, Maximino, Maxentio, Licinio, in vulgatis Martyrologiis, & in *Notis* Baronii ad Martyr. Romanum. Ità *Inſcriptiones* etiam Marmoribus inſculptæ, quæ fraudem haud obſcurè ipſâ temporis notatione produnt; Ex. gr. illa propè Bononiam, inſerta noviſſimè Marmoribus Felſin. *Sect.* V. C. III. *Hic S. Proculus Miles Bonon. S. martyrio coronatus extitit. Abſciſſo capite quod illuc, ubi nunc ipſius Templum conſpicitur, manibus propriis detulit*; *Anno* Dom. CCCIII. Par de hoc Proculo, quod de Dionyſio Pariſienſi, aut de Sever. Boëtio, commentum fuit Monachale.

De Veris Marc. fabuloſa.

Imò & de veris quoque *Martyribus* dubia quædam, apud ipſum Euſebium; puta de quibuſdam Miraculis, Viſionibus, &c. mendaces ſæpè circumſtantiæ ex *Actis* poſterioribus tranſmiſſæ, quæ ſuâ ſe abſurditate, ſuiſque auctoribus, ſatis produnt. Cujuſmodi etiam cenſeri debet illa Viſio *Petri* Alexandrini, in carcere conſtituti, jamque martyrio (quod conſummavit Anno CCCXI. ſub Maximino, poſt obitum Galerii) proximi, in quâ apparuerit illi Angelus ſub ſpecie *pueri duodecennis, ſciſſo à collo ad pedes colobio linoſtimo*; qui interrogatus de causâ ſciſſæ veſtis, reſponderit, *Arium* illam *ſcidiſſe*; hominem *ne in Communionem reciperet*; idemque moneret *Achillam & Alexandrum*, qui poſt Petrum *recturi erant Eccleſiam Alexandr. ne pariter eum reciperent*. Refert Viſionem prolixè Baronius, ad A. CCCIX. *Num.* V. VI. & *Acta*, quæ Anaſtaſius Bibliothec. ex Græco Latina fecerit, Græcè & Latinè edita ſunt à Fr. Combefiſio. Sed necdum poſtulatum tunc Arium fuiſſe Hæreſeôs, minùs à Petro excommunicatum; neque Athanaſium uſquam ejus Viſionis meminiſſe certa res eſt. Imò *Achillas* fuit qui Arium ad Diaconatum, hinc *Preſbyteratum* promovit, teſte Sozomeno *Hiſt.* L. I. C. XIV. non facturus ſi de *viſione* illi conſtitiſſet. Ut ſileam falſiſſima alia iis in *Actis* comprehenſa. Quod exempli loco ſuffecerit; nam *Augiæ* illud mendaciorum ſtabulum quis purgare vel auſit, vel operæ pretium duxerit?

Duratio Perſecutionis non uno modo æſtimanda.

IX. *Duraſſe* Perſecutionem totos annos X. cum menſibus *tribus*, diebus XIX. teſtes ſunt Lactantius, Euſebius, Hieronymus, Sulpicius Severus. Nempe initio facto à XIX. Diocletiani VII. Kal. Martias,

Digitized by Google

tias, A. cccIII. quando ſubverſa eſt Eccleſia Nicomedienſis, ut ſuprà ſignificatum eſt: Et *termino* fixo ad XIII. Junii A. cccXIII. quo propoſitum fuit Edictum, in illâ ipſâ Urbe Nicomedienſi, de reſtaurandis Eccleſiis Chriſtianorum. Quanquam non pari furore ſævierint Tyranni, & poſt annos VIII. Perſecutionis, remiſerit illa Edicto *Galerii* in extremis agentis, Anno cccXI. *Aprili menſe*, apud Lactantium & Euſebium, ut ſuprà obſervatum. Ita prout ditiones aliæ *Auguſtales* fuerunt, aliæ *Cæſareæ*, aliæ etiam ſub Juriſdictione *Conſtantii Chlori*, hinc perſecutio vel violentior, vel minùs, vel etiam nulla fuit. Sic reſtauravit in *Oriente*, ubi rerum potiebatur, perſecutionem *Maximinus*, poſtquam vix VI. integris menſibus abſtinuiſſet, ob prædictum Edictum Galerii: Ità quidem ut mendaciſſima *Acta*, ſub *Pilati* nomine conficta, in Chriſtum Servatorem contumelioſiſſima, publicè proponi quaquaverſùm juberet Maximinus, quin hujus in Chriſtianos Epiſtolam æneis tabulis inciſam fuiſſe refert Euſebius, qui hæc perſequitur *Lib.* IX. C. II. III. IV. V. VI. &c. Mox rurſùm novo Edicto inhibita omnis Perſecutio, ab illo ipſo Maximino, Anno cccXII. exeunte, alii ſub initia A. cccXIII. ut Baluzius cenſet, acceptis à Conſtantino & Licinio literis quibus legem pro Chriſtianorum libertate ſignificabant, quam promulgari cupiebant in Oriente, quâ parte Maximinus imperabat. Simulavit Tyrannus, ſed hanc indulgentiam dùm ægrè ferrent concitati Gentiles, Præſides, Philoſophi, Flamines, Sacerdotes, Plebes, Dux Damaſcenus, tormentis adegit mulierculas quaſdam, quæ faterentur ſe olim Chriſtianas, & conſcias Commixtionum οἰδιποδείων, quibus invicem in Conventibus ſuis Chriſtiani miſcerentur; unde legationes ad Maximinum, ut Edictum pacis revocaret, apud Euſebium *Lib.* IX. C. V. Tandem anno cccXIII. poſt cladem Maximini à Licinio acceptam, dein plagam divinitùs truci Tyranno immiſſam, revocavit ſeriò omnia adverſus Chriſtianos Edicta, ut dictum ſuprà *Num.* V. Ita ſummatim habet hiſtoria Perſecut. ultimæ; quam claudit hoc ἐπινικίῳ Lactantius, Cap. LII. *Ubi ſunt modò magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina, quæ primum à Dioclete & Maximiano inſolenter aſſumpta, ac poſtmodum ad Succeſſores eorum tranſlata, viguerunt? Celebremus triumphum Dei cum exultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, & diurnis nocturniſque precibus obſecremus, ut pacem, poſt Annos* X. *plebi ſuæ datam, confirmet in Seculum!* Et Sulpicius Severus S. Hiſtoriæ *Libro* II. *Nullis unquàm magis bellis mundus exhauſtus eſt: Neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.*

III. *Hiſtoria Liberatæ Eccleſiæ per Conſtantinum M. uſque ad Licinii exceſſum.*

Antecedanea Perſecutio.

I. CHriſtianiſmi mirandum planè in modum, toto Rom. Imperio, *ſubito* in libertatem aſſerti, conſideranda quæ proximè *anteceſſerunt*. Quò facit præcedens Hiſtoria perſecut. Diocletianeæ, ac triſte ex eâ fatum Eccleſiæ penè univerſæ; ut de Chriſtiano nomine actum ferè videretur, teſte Inſcriptione de quâ ſuprà, NOMINE CHRISTIANORUM DELETO. Atrocitatem ejus perſecutionis vidimus, à Tyrannis totos annos X. continuatam, ex Lactantio, Euſebio, Sulpicio, reliquis. Mox tamen educturo Deo Opt. Max. ex iſtis tenebris ſplendidiſſimam lucem, ex triſtibus læta, *merſa profundo pulchrior emerget*, & *prodibit è vinculis ad regnandum*, *Eccl.* IV. 14. quæ miſerrima ſervitute non tam preſſa, quam oppreſſa Eccleſia videbatur.

Conſtantinus M. Imperator ſalutatus.

II. *Conſtantini* M. par ferè fuit à morte Conſtantii Patris, in Britanniâ ad Imperium evectio, quæ contigit A. cccVI. VIII. *Kal. Aug.* tradente illi Imperium Conſtantio Patre, jam moribundo, in urbe *Eboraci*, ut ex magnâ conſenſione Hiſtorici; quâ de re noviſſimè Baluzius, ad Lactantium, Pagius in Criticâ, A. cccVI. N. VI. Scaligero invito, qui conſenſu militum Imperatorem factum. Et quidem tum Conſtantino ætatis XXXV. circiter agente, nato utpotè A. ccLXXII. licet Euſebius de Vitâ Conſt. L. I. C. XX. νεανίαν illum, Lactantius quoque *Juvenem* appellet, de quo vide Notas. Paulo verò antequam traderet ei Imperium Pater, inſidiis non ſemel appetitus à Diocletiano & Galerio fuerat, à poſtremo etiam *feris* objectus, *ſub obtentu exercitii & luſûs*; apud quem velut obſes detentus *religionis ſpecie* fuit, quum à Patre animam agente ultimò acceſſitus, fugâ tandem evaſit, veritus de novo inſidias quas ei parabat Galerius. De quo Lactantius C. XXIV. & Euſebius *Lib.* I. de Vitâ Conſtant. C. XX. uterque miratus Dei Providentiam planè ſingularem in eo conſervando, qui Patri in Imperio ſuccederet, & tot tantiſque rebus divinitùs deſtinaretur. Paucis poſt evectionem diebus, *laureatam Imaginem* ſuam ad Galerium, ut ſolum tunc *Auguſtum* & rerum Dominum, (nam Severus & Maximinus tunc *Cæſares* tantum erant) per nuncium direxit; quâ acceptâ *purpuram* ei, ſed invitus, miſit, inſigne Regiæ dignitatis, qualiter Severus ab Herculio, Maximinus à Diocletiano, acceperant. Sed ita ut Conſtantinum *Cæſarem* tantùm appellari juberet, Severum verò *Auguſtum* nuncuparet. Intereà *Maxentius* Romæ à militibus proclamatur Imperator, XXVII. *Octobr.* ſeu VI. *Kal. Nov.* Galerio perquam invito, licet ejus gener eſſet Maxentius; paulo poſt reſumpturo Imperium patre ejus *Maximiano Herculio*, ut ſuperiùs dictum fuit, qui reverà illud intendebat, ut reſtitueretur cum Diocletiano in ſtatum priorem. Et quidem omnia hæc geſta ſub finem Anni cccVI. *Severo* paulo poſt è vivis ſublato, quum Romam adverſùs Maxentium miſſus, moxque à militibus deſertus, Ravennam fugit, vitam ibi cum purpurâ exuiturus; quanquam incerto *menſe*, & *die*.

Alia quæ Conſtant. Converſ. præceſſerunt.

III. Nondùm tamen Conſtantinus ad fidem *Chriſtianam* converſus fuit, etſi in eam propenderet; neque pax Eccleſiis fuit, antè devictum *Maxentium*. Anno cccVII. duxit filiam Maximiani Herculii *Fauſtam*, in Galliâ quum eſſet, ut pater Conſtantius Chlorus, repudiatâ Helenâ, duxerat *Flav. Maximianam Theodoram*, Herculii ejuſdem privignam. A. cccXI. celebravit in Galliis *Quinquennalia* Imperii Auguſtei, quando à S. P. R. *Maximi* cognomentum accepit, quod unus fuit ex *Jovis* OPT. MAXIMI titulis; quo ipſo anno periit Galerius Maximianus. Et illo ipſo A. cccXI. Maxentius bellum Conſtantino indixit, qui pridem humanitati & bonæ menti, ut ex Lactantio *Cap.* XLIII. intelligitur; hoc obtentu quod necem Patris Maximiani Herc. eſſet vindicaturus, ſed bellum exitioſum tyrannis, ſalutare Chriſtianis fuit, confectum nece Maxentii. Et licet Converſio *Conſtantini* M. ab hoc tempore per gradus proceſſerit, primoque favens Chriſtianis viſus ſit, ex *politicâ* ratione, Imperio ſibi aſſerendo, ut quibus *Maxentius*, & *Maximinus* exoſi cumprimis eſſent; tamen Deus tantum opus perfecit ab exiguis initiis, quod ipſi familiare à principio fuit in *Naturâ*, ſic in *Gratiâ* maximis operibus. Sufficiat ergò ſalutarem fuiſſe Chriſtianæ Eccleſiæ eam Converſionem, confirmatam ſanè ſucceſſu temporis, teſtatamque egregiis documentis. Porrò Converſionis Conſtantini M. attendi poſſunt, *occaſio*, quæ non una memoratur. Non illa certè quam probat Annalium Scri-

ptor, ad A. Ch. CCCXXIV. ſcilicet, lepra incurabilis Conſtantini M. ejuſdemque per Sylveſtrum Papam ſanatio miraculoſa, hinc ſecuta converſio, & baptiſmus per Sylveſtrum adminiſtratus. In quo nec *Actis* Sylveſtri, nec Baronio cæteriſque, fidem habent cordatiſſimi hodie Latinorum, natâ fabellâ aſſerendæ *Donationi* Conſtantini M. de quâ verbum infrà, in affictis huic Ævo & apocryphis narratis. Sic *occaſio* alia falsò prætenditur à Zoſimo, ex odio Chriſtianæ religionis, *Lib.* II. Hiſtoriæ C. XXIX. Nempè conſcium ſibi Conſtantinum multorum facinorum, cumprimis ſublati violentâ morte Criſpi filii, & Fauſtæ conjugis, fruſtrà à Flaminibus expectaſſe καθαρμὸν vel luſtrationem tantorum flagitiorum, qualem nullam dari pro ejuſmodi delictis à *Sopatro* Philoſopho accepiſſet; itâ quoque apud Sozomenum *Lib.* I. C. V. Undè delato ex Hiſpaniâ Romam quodam Ægyptio, ex eo intellexiſſe Conſtantinum, Chriſtianorum Doctrinam habere vim in ſe, quotquot eam ſuſciperent, πάσης ἁμαρτίας ἔξω παραχρῆμα καθίστασθαι, *abolendi extemplo omne peccatum.* Atque hinc Conſtantinum, τῆς ἀσεβείας τὴν ἀρχὴν ποιήσασθαι. Ubi Zoſimus primò parachroniſmum ingentem admittit, quum is Chriſtianum ſe profeſſus ſit, pridem antè Criſpi necem, inceſtæ cum novercâ conſuetudinis ſuſpecti, quæ demùm poſt *Vicennalia* Conſtantini, Anno CCCXXVI. contigit, ut Idacius in Faſtis, & quoque Sozomenus, *loco cit.* Dein falsò ſupponit, parricidium in filios admiſſum nullo καθαρμῷ expiari apud Gentiles potuiſſe, quod pluribus exemplis, ut Herculis Alcmenes f. cæde liberorum polluti, ac poſteà καθαρθέντος, aliiſque confutatur: Præterquàm quod *Fauſtam* nimio balnei calore ſuffocatam, Conſtantini *juſſu* periiſſe ſupponunt Eutropius, Zoſimus, odio Conſtantini.

Occaſio non una Converſ. Conſtant.



IV. Nempè plura concurrerant ad *Converſionem* Conſtantini M. Videlicet primò *Conſtantii* Chlori patris propenſior in Chriſtianos affectus, quorum perſecutione abſtinuerat, ut ſuprà viſum; imò quos intrà Palatium ad dignitates admiſerat, ex Euſebio de Vitâ Conſt. *Lib.* I. aut Sozomeno Hiſt. *Lib.* I. Nec tamen Paganiſmum deſeruit, Chriſtianiſmum profeſſus, quod putavit Triſtanus T. III. p. 387. qui hinc *primum Imperat. Chriſtianum* vocat; ſed à Patino in Nummis *Conſtantii*, & cæteris improbatus, argumento tantum ex virtutibus Conſtantii ducto. Potius *Flav. Julia Helena* matris eò fecit exemplum, pientiſſimæ fœminæ, quæ filium ad verum ac ſincerum Chriſtianiſmum impulerit. Quanquam Euſebius, de Vitâ Conſt. *Lib.* III. C. XLVII. dicit Filium eam θεοσεβῆ καταστῆσαι, οὐκ οὖσαν πρότερον, *quæ antea non eſſet, piam ac religioſam præſtitiſſe*; ſeu occaſionem illi natam, ex Conſtantini evectione, in religione Chriſtianâ ſic proficiendi, ut à *Chriſto ipſo inſtituta* videretur. Hinc *Conſtantia* ſoror Imperatoris à Matre ad Chriſti fidem inducta fuit, nuptura Licinio A. CCCXIII. Sive jam Helena fuerit Conſtantii γαμετὴ νόμιμος, ſed ἀνίσοις γάμοις *impari conjugio*, vel obſcuriore matrimonio, ut Eutropius, A. Victor, undè *repudiari* juſſa ab Herculio; ſive *Concubina*, οὐ κατὰ νόμον συνελθοῦσα Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ, ut Zoſimus, undè Conſtantinus dicitur Genitoris ὁ νόθος ἐξ Ἑλένης, ipſi Auctori Chron. Alex. Quod indeciſum relinquit Zonaras, pro priori ſententiâ certat poſt alios Triſtanus *Tom.* III. p. 411. & ſeq. Certè *Auguſta* non dicenda niſi poſt mortem Chlori, faciente Conſtantino filio, etiam decernente ut *Nummus* ejus Imag. ſignaretur; quæ poſteà felix *octogeſimum* ætatis annum adimplevit. Itâ parùm intereſt, an Helena Britanna genere, quod contendit Baronius, ad A. CCCVI. cum Britannis ferè omnibus; an Galla Treviris nata, ut quoque Triſtanus cenſet: an Bithynia, ex *Drepanio* civitate, quam deinceps *Helenopolim* in matris honorem appellari voluit Conſtantinus M. uti Pontum Polemoniacum dici *Helenopontum*. Itâ in Chriſtianorum favorem amoremque Conſtantinum flexit odium *Tyrannorum*, qui Chriſtianam religionem atrociſſimè perſequerentur; cumprimis Maximiani Herculii, Soceri quidem ſed perfidi, Maxentii Herculio nati, & æmuli Conſtantini, denique Maximini Dazæ, ne dicam Licinii ad extremum hoſtis (ut Conſtantini M. itâ Chriſtianorum) infenſiſſimi, quamvis eſſet illi uxor Chriſtiana. Tandem *apparitiones* duæ quæ accidiſſe memorantur Conſtantino Imp. proximè antè victoriam de *Maxentio* reportatam, quæ & ipſa Liberationem Eccleſiæ, & Edicta huic ſalutaria, tandem peperit.

Apparitio Crucis & circumſtantiæ.


V. *Apparitionum* prima fertur, *Crucis ſignum* vel trophæum potiùs, à Conſtantino diſtinctè viſum in nubibus, Sole ferè adhuc Meridiano, ἀμφὶ μεσημβρινὰς ἡλίου ὥρας, & quidem ἤδη τῆς ἡμέρας ἀποκλινούσης *die jam inclinare* incipiente, ſic Euſebius; quomodò Hebræis quibuſdam cenſetur prima *veſpera* mox à meridie, quando ſol declinare incipit, quod μεσοῦσαν ἡμέραν dixit Zonaras, & precariò *horam diei nonam* reddit Valeſius. Neque hoc tantum, ſed ſimul viſa ipſi fuiſſe memoratur γραφὴ *ſcriptura*, vel inſcriptio, ſolis quaſi radiis exarata, ſigno adpoſita, Ῥωμαίων φωνῇ, ut habet Philoſtorgius, *Lib.* I. C. VI. vel Ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις, ut Zonaras, *Romanis* ſeu Latinis *literis*, *In hoc* ſigno *vince*, vel *Hoc ſigno victor eris*: Quod Euſebius ſimpliciter Græcè expreſſit, Τούτῳ νίκα, alii, Ἐν τούτῳ νίκα, ut habent Philoſtorgius, Socrates, Sozomenus, Auctor Chron. Alexandr. Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, &c. qui hæc ſcripta διὰ φωτοειδῶν γραμμάτων, *manifeſtis characteribus*, ut explicat Chronicon Alexandr. Philoſtorgius, factum *concurſu ſtellarum*, *Iridis inſtar*, *circum curſitantium*, καὶ πρὸς γραμμάτων χαρακτῆρα *ad literarum characterem* vel formam, exprimentium τὸ *In hoc vince.* Nec viſa ea fuêre ſoli Conſtantino, ſed & exercitui, militibus, τοῖς παροῦσι, quod ex ore Conſtantini accepiſſe ſe teſtatur Hiſtoricus, ὅρκοις πιστωσαμένου τὸν λόγον, *ſacramenti religione firmante ſermonem*, ut diſertis verbis de Vitâ Conſtant. M. *Lib.* I. C. XXVIII. Si *diem* inquiris, & *menſem*, innuit Lactantius, quando ſcilicet ſuſcepti à Maxentio Imperii *Quinquennalia terminabantur*, ſeu expirante anno ejus ſexto, ſeptimo inituro, quum Romam obſidione cingeret Conſtantinus; adeoque *Viſio* ei oblata VII. *Kal. Novemb.* anni CCCXII. quando poſtridie pugnatum eſt VI. *Kal. Nov.* Sed antequam hic dies illuceſceret, noctu *apparitionum* altera contigit Conſtantino, *in quiete*, ut Lactantius, ſeu dormienti Imperatori ὑπνοῦντι αὐτῷ, ut Euſebius *Lib.* I. C. XXIX. κατ᾽ ὄναρ *per ſomnium*, vel *ſoporem*, ut Rufinus, & Sozomenus, *Lib.* I. C. III. Nempè quando illi apparuit Chriſtus ipſe, ὁ Χριστὸς τοῦ Θεοῦ *Chriſtus Dei*, cum eodem *ſigno*, præcipiens ut efformato illo ad ſimilitudinem ejus quod *in cœlo* conſpexerat, uteretur tanquam *vexillo* militari, vel etiam *in ſcutis* notaret, ut Lactantius, futuro victoriæ certiſſimo pignore. Addit hic Libro de *Mortibus Perſec.* ejus ſigni figuram, *tranſverſam* ⳩ *literam*, *ſummo capite circumflexo*, quæ *Chriſtum* notaverit. Nec defuit eventus, *Labaro ſeu vexillo militari*, ad formam in viſione oſtenſam, mox fieri per Conſtantinum juſſo: Quo facto, atque hoc ſigno *armatus exercitus capit ferrum*, & dum *manus Dei ſupererat aciei*, vel illi *ſuberraret*, ut alii, fugatur Maxentius, vincitur, in Tiberim deturbatur, & Conſtantinus à Senatu populoque Romano ingenti cum lætitiâ & acclamationibus excipitur. Formam hujus ſigni (quod hinc *ſalutare ſignum*, σωτηριῶδες σημεῖον, ut Euſebius, *cœleſte ſignum* Lactantio) itâ concepit omnis Antiquitas, ut ſimul *initiales* duæ *literæ* nominis Χρ. ſimul

Crux

Crux ipſa in X. repræſentaretur, hunc in modum,

 vel 

Undè *Labarum* tale præferri juſſit Imperator, & Ga-



leæ vel Scuto etiam ſuo hoc Monogramma inſculpi,



Sanè plures iſtiuſmodi apparitiones contigiſſe Conſtantino memorantur; ut quum ultimò devictus ab eo *Licinius*, vidit in Cœlo γραφὴν δι' ἀςέρων, qualiter viderat olim Romæ, quæ ſignificabat, *Invoca me in die anguſtiæ*. Dein tertiò, Bello *Scythico*, ac tranſmiſſo Danubio, τῆς σωτηρίας ὅπλα πάλιν φαινόμενον ἐξ οὐρανοῦ, divinitùs fuit excitatus, ſed fide unius ferè Nicephori, Hiſtoriæ *Lib.* VII. C. XLVII. & XLIX. Tum & *Juliano* Imp. ſimilem ferè viſionem, ſed diſpari fine & effectu, oblatam refert Nazianzenus, nempè φῶς ἐν τῷ οὐρανῷ τὸν σταυρὸν περιγράφον, *Lux fuit cœlo Crucem deſcribens*, τρόπαιον πάντων τῶν τροπαίων ὑψηλότερον, ut pluribus deſcribit Invectivâ II. contrà Jul. T. I. p. 112. Et quanquàm variè deſcribant hanc apparitionem quoad circumſtantias, tamen in re omnes conveniunt; & Lactantius ſecundæ apparitioni inſiſtit, quæ noctu accidit, & in ſomnio vel *quiete*, ad quam ſecuta eſt poſtridie illuſtris de Maxentio victoria. Atque hinc primò ſtatim diluculo ſurgens à ſomno, ſubitaneo opere ex *auro* & *gemmis* effingi ſignum juſſit, juxta ſpeciem quæ ei apparuerat. Dein à reportatâ de Tyranno victoriâ, *Labarum* modò dictum, in mediâ Româ tanquam victoriæ trophæum erexit, ſublimem nempè Haſtam in modum Crucis, ſub manum Statuæ ſuæ, cum inſcriptione Latinâ: *Hoc ſalutari ſigno, quod veræ virtutis argumentum eſt, veſtram Urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam ſervavi. S. P. Q. R. in libertatem aſſerto, priſtinum decus, nobilitatiſque ſplendorem reſtitui*, ut Euſebius *Lib.* IX. C. IX. Ac dein *Crucis* ſymbolum paſſim à Conſtantino & ſucceſſoribus in rei memoriam erectum fuit, ſine imagine tamen Chriſti crucifixi, ſine cultu ad Crucem relato, ſed ad illum qui in Cœlo eſt; & cujus virtute evaſit ille victor & de tyranno triumphator. Hinc etiam νικητήριον τοῦ σταυροῦ dictum Byzantinis fuit, ſymbolum vel Tropæum victoriæ; & in Imperatorum Iconibus *Crux* ſimpliciter expreſſa, ✠ cum magnificis Græcor. Epithetis, videndis apud Gretſerum, & Cangium. Inprimis poſt vulgatam, de inventâ ab Helenâ matre *Cruce Dominicâ*, ſive fabulam ſive hiſtoriam, de quâ poſtea; Ut etiam *Choſroës* Cabadis filius in ſignum victoriæ de Chriſtianis reportatæ, tempore Juſtiniani, voluerit Nummum cudi cum ✠ retrò ſuam Imagine expreſſâ, & Inſcr. Perſicâ qualem Triſtanus exhibuit, T. III. p. 588. Quod verò Scaliger ad *Euſeb.* Triſtanus, Patinus, & alii, obſervarunt in Nummis *Ptolomæi Apionis*, Regis Ægyptii, vel Cyrenaici, ſimile ſignum vel Monogramma,

cum Aquilâ inſiſtente Fulmini, malè putarunt eſſe Hieroglyphicam Notam, vel expreſſivam alicujus *Magiſtratûs* procurantis talem Nummum, (qualis ſub *Decio* cuſus, Prætore BA☧ATO B. *ſecundùm*, apud Triſtanum T. II. p. 295.) vel etiam dignitatis *Regiæ*, qualiter Judæorum Reges Χριστοὶ ab *unctione* dicebantur. Nempè plures ſunt *Ptolomæorum* Nummi planè *incerti*, etiam cum Capite Jovis Hammonis, & Aquilâ Jovis ſymbolo, qui in Libyâ Cyrenaicâ reddebat *Oracula*: Undè videntur hi omninò Characteres fuiſſe initiales literæ Χρησμοῦ vel Χρηστηρίου, denotando illi Oraculo Hammonis Libyco, quod celebre cumprimis reddidit Expeditio Alex. M. & de quo Prudentius, ſuum tempus reſpiciens,

Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon.

Quanquàm hoc Monogramma etiam à Chriſtianis antè Conſtant. adhibitum fuerit, in ſignandis Epiſtolis, ut ἀρχαϊκόν quoddam; deinceps verò nunquam, niſi relatè ad viſionem illam Conſtantini.

VI. *Tempus* itaque, ſi non plenæ converſionis Conſt. M. certè *Liberationis Eccleſiæ*, hinc *Pacis* illi *datæ*, quæ Chriſtianorum *Epocha* fuit, de quâ Scaliger in Canonibus Chronol. *Lib.* III. & Chronologi alii, fuit, 1. Annus CCCXII. undè initium ducunt *Indictiones* Conſtantinianæ vel Cæſareæ, à XXIV. *Septembr.* quando viciſſe Maxentium multis creditus eſt; ſed docuit nos Lactantius Maxentii cladem accidiſſe VI. *Kal. Nov.* quo die terminabantur *quinquennalia* ejuſdem Maxentii, ſeu annus Imperii V. inchoaturi *ſextum*. Tamen hoc Anno CCCXII. *pax* ſaltem data à Conſtantino, Eccleſiis Occidentis, & hunc ſignat Sulpicius Severus *Hiſt.* L. II. ipſeque Euſebius *Hiſt. Eccleſ.* Lib. IX. C. IX. Ubi deſcribit uterque victoriam à Conſtantino reportatam, interitum Maxentii, gaudium S. P. Q. R. ſtatimque *legem Romæ* promulgatam *pro Chriſtianis abſolutiſſimam*, Conſt. II. Licinio II. Coſſ. quæ tamen Lex hodiè non extat. Adhæc literas ab iiſdem datas ad *Maximinum*, qui in Oriente imperabat, cui & victoriam nunciant, & legem tranſmittunt in favorem Chriſtianorum, quam ſupprimere, metu potentiorum, non auſus eſt Tyrannus. Undè literæ Maximino extortæ, eodem anno exeunte CCCXII. (quanquam Baronius, & Baluzius quoque, refert ad A. CCCXIII.) datæ ad Sabinum Præf. Prætorio, quas exhibet Euſebius *Hiſt.* Lib. IX. C. IX. Quibus, cauſis enarratis ſuarum perſecutionum, tandem mandat *ut inhærentes ſuæ Religioni Chriſtianos arbitrio ſuo permittat, nec cuiquam opprimendi licentia concedatur*, atque *hoc Edictum in cunctorum ſuorum Comprovincialium* (τῶν ἐπαρχιωτῶν) *notitiam veniat*, *ipſeque* Sabinus *publicari ubique curet*, idque tanquàm ἐξ ἰδίας αὐθεντίας, ne videretur coactus à Conſtantino & Licinio. Sed neque hæc Epiſtola apertè ſatis conceſſit libertatem, Conventus Eccleſiaſticos agendi, aut ſolemnia reliqua Chriſtianorum peragendi, neque fidere Tyranno auſi ſunt in Oriente Chriſtiani, metu calumniarum & vexationum. Ac pacem non indulſit abſoluto Edicto Maximinus, per totum Orientem, antequam expertus eſſet vindicem Dei manum: Primò *Licinii* pleniſſimâ de Maximino victoriâ, reportatâ *Kal. Majis*, Anni CCCXIII. quo Maximini annus *octavus complebatur*, ſeu in quem diem Natalis ejus incidebat, inchoaturus *nonum* Imperii *Cæſarei*; cui aliàs *ſex* tantum anni tribuuntur, in Nummis, ex quo ſemet *Auguſtum* nuncupavit: Deindè ſubſecutâ fugâ, & plagis θεηλάτοις, ac inprimis cœcitate, *oculis ejus de capite exilientibus*, quando *Deum videre cœpit circumdatum Miniſtris* potentiæ ſuæ; quæ pluribus Lactantius dicto Libro, C. XLVII. XLVIII. XLIX. & Euſebius *Hiſtor. Eccleſ.* L. IX. C. X. ex his alii.

Tempus Liberatæ Eccleſ.

 2. Hinc

Digitized by Google

2. Hinc plena Eccleſiæ liberatio accidit Anno CCCXIII. Conſtantino III. & Licinio III. *Coſſ.* de quo ex Euſebio *Lib.* x. C. v. & Lactantio C. XLVII. XLIX. pluribus Viri Magni, Valeſius, Godofredus, Baluzius, Cuperus, Pagi, Dodwellus, quanquam aliquo inter hos diſcrimine. Undè Euſebius in Chronico, Epocham Pacis Eccleſiæ univerſæ datæ, ſignat ad A. CCCXIII. labente. Quando nempè Conſtantinus & Licinius (cum Mediolani nuptias *Conſtantiæ*, innexæ Licinio, celebraſſent) Edictum promulgarunt in confirmationem & elucidationem prioris, quo *omnibus libera poteſtas facta eſt ſequendi Religionem quam quiſque vellet*, ſeu *colendi quod quiſque diligeret*; quo Gentiles etiam, & cujuſcunque ſectæ Chriſtianos, complexus eſt. *Chriſtianis etiam* juſſit *reſtitui loca Conventuum* quantocyus, *abſque ullâ pretii reſtitutione*; ſive *emiſſet* illa quiſquam, ſive *dono eſſet conſecutus*; ut & loca omnia quæ *ad Corpus Eccleſiarum*, *non hominum ſingulorum*, *pertinere* intelligerentur. Edictum integrum videri poteſt apud Lactantium, *Cap.* XLVIII. & Euſebium *Hiſt.* Lib. x. C. v. Atque ab inchoatâ perſecutione, ad hanc Eccleſiæ reſtitutionem, quæ menſe Junio emanavit, putat Lactantius *annos decem*, *menſes plus minùs quatuor*, ut jam antè obſervatum eſt. Deinde in Oriente in quo, connivente Maximino, graſſata adhuc paſſim perſecutio fuerat, ſublata hæc penitus fuit, altero hujus Edicto, quod refert Euſebius *Lib.* IX. *Cap.* x. Quum percuſſiſſet Tyrannum Deus diris doloribus, paulo antequam animam efflaret, prolixè apud Euſebium & Lactantium. Quod accidiſſe circà menſem *Auguſti*, vel *Septembris*, Anni CCCXIII. veriſimilior ſententia eſt Baluzii, & aliorum. Quanquam Baronius, & inter recentiores Henr. Noris, Purpuratis hodie Patribus adſcriptus, in *Diſſert.* de Numiſmate Licinii Auguſti, referunt ad ſequentem annum CCCXIV. quod præter Baluzium Notis ad Lactant. etiam A. Pagi Cenſurâ notavit, ad A. CCCXIII. & CCCXIV. Cæterùm non prætermittenda hæc Inſcriptio à S. P. Q. R. in Arcu Triumph. Conſtantino M. poſita, Romæ in aditu *Viæ Appiæ*, quam etiam exhibet Gruterus, *Inſcr. Antiq.* p. CCLXXXII. Tempus verò indicat ipſa Inſcriptio, nempè *Decennalibus* Conſtant. adeoque Chriſti CCCXVI.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO. MAXIMO.
P. F. AUGUSTO. S. P. Q. R.
QUOD. INSTINCTU. DIVINITATIS. MENTIS.
MAGNITUDINE. CUM. EXERCITU. SUO.
TAM. DE. TYRANNO. QUAM. DE OMNI. EJUS.
FACTIONE. UNO. TEMPORE. JUSTIS.
REMPUB. ULTUS. EST. ARMIS.
ARCUM. TRIUMPHALEM. INSIGNEM. DICAVIT.

Infrà Fornicem Arcûs legebatur,

LIBERATORI. URBIS.
FUNDATORI. QUIETIS.

In eodem Arcu, ſub Sacrificiis, inſculptis

VOTIS X. SICUT X.
VOTIS XX. SICUT XX.

Interveniens Perſecut. Licinii. Ejus occaſio, & tempus. Baronius notatus.

VII. Licet pax tùm Eccleſiis reddita hunc in modum fuerit, ſublato Maximino; etiam extincta per Licinium ſtirps omnis Tyrannorum, id eſt, Diocletiani, Galerii Maximiani, & Maximini, ne *uxoribus* quidem iſtorum parcentem, ut Lactantius ſigillatim docet *Cap.* L. intereà ipſe ille *Licinius*, abalienatus à Conſtantino affine ſuo, evaſit mox ex fautore Chriſtianorum, Perſecutorum acerrimus. Sed de tempore quo perſecutio hæc Licinii cœpit, non ſatis convenit inter Chronologos; & aliter Baronius, aliter Petavius, aliter recentiores, & inter eos Steph. Baluzius, Henr. Dodwellus, & A. Pagi. Vero propior hujus ſententia eſt, quæ & Euſebii in *Chronico*, Theophanis, Cedreni, &c. excitari cœptam fuiſſe Licinianam perſecutionem, demùm A. CCCXIX. quo celebrata fuêre *Quindecennalia* Cæſarei ejus Imperii, vel certè Anno ſeq. CCCXX. quando bello civili iteratò commiſſus cum Conſtantino fuit Licinius, ſaltem *Conſtantino Aug.* VI. & *Conſtantino Cæſare* Coſſ. quo factum ut Lactantius, quum ſcriberet Libellum de *Mortibus Perſecut.* Licinium iis non accenſeat, tum adhuc ſpecie tenùs amicum Chriſtianorum. Quare Martyres qui ſub Licinio paſſi feruntur, collocati ad Annum CCCXV. CCCXVI. à Baronio, Bollando, & aliis, inter cæteros S. *Baſileus* Epiſcopus *Amaſenus* in Ponto, aut fabuloſi ſunt, aut retrò ad A. CCCXIX. putandi. Quanquam ejus Baſilei Amaſeni Euſebius neque in Hiſt. Eccleſiaſticâ, neque in Libris de Vitâ Conſt. M. mentionem ullam faciat, & Philoſtorgius Hiſt. Eccleſ. *Lib.* I. C. VIII. dicat Synodo Nicænæ interfuiſſe Βασιλέα τὸν Ἀμασείας Ἐπίσκοπον, & inter Fidei Orthodoxæ defenſores recenſeat Athanaſius, *Orat.* I. *Cont.* Arianos. Fallit itaque Annal. Eccleſiaſticor. Scriptor, ad A. CCCXVI. N. XVIII. &c. fallunt Martyrologia, & Acta Sanctorum Bollandiana, quæ prolixè hujus *Baſilei* Paſſionem ad hunc annum memorant, ut & aliorum Martyrum, *S. Hermyli*, *S. Stratonici*, ſanctæ *Glaphyræ* Virginis, à Licinio adamatæ, ad Baſileum Amaſeæ Epiſc. clàm ſe recipientis, tandem proditæ; cujus hiſtoriam miror Cl. Triſtanum tam operoſè retuliſſe T. III. *Comm.* XCVI. Adde illam XL. Virginum, quæ uno tempore ſublatæ feruntur juſſu Licinii, partim gladio, partim vivicomburio, in Urbes Heracleæ, & XL. aliorum Martyrum, ex militibus Chriſtianis, qui intenſiſſimo frigore nudi expoſiti tota nocte, in Urbe Sebaſtienſi, dein in ignem conjecti, referente Baſilio *Homiliâ* in XL. Martyres: Quod in hunc annum rejicit Baronius, ad A. CCCXVI. N. XXXIX. XL. Addit martyrium S. *Blaſii* Sebaſtienſis in Cappadociâ Epiſcopi. Et quis referat omnes fabellas quæ ex Simeone Metaphraſtâ, & Græculis, in Menologium Græcorum, & Martyrolog. Romanum, derivatæ ſunt? Quo ſanè tempore adhuc pax integra Eccleſiæ fuit, quanquam jam Anno CCCXIV. Licinius cum Conſtantino commiſſus fuerit, ob Provincias quas cedere noluit Licinius, mortuo Maximino; undè bellum quod *Cibalenſe* dicitur, quando Licinius apud Cibalas Pannoniæ victus eſt, Voluſiano II. & Anniano Coſſ. ſed Chriſtianis tùm quidem ob religionem adhuc intactis. Adcò ut dubitatum ſit ab Eruditis, an non Licinius eo tempore Chriſtianam religionem profeſſus ſit, quod & diſertè aſſerit Sozomenus, *Lib.* I. C. VII. cumprimis ex narratis Euſebii *Hiſt.* L. IX. C. XI. & ex hiſtoriâ Dedicationis Templi in urbe Tyro, A. CCCXV. quæ Urbs parebat Licinio. Quanquàm rectè neget Noriſius, Chriſtianum unquam fuiſſe, in *Diſſert.* de Numiſmate Licinii, tùm ex Inſcript. *Jovi Conſervatori*, poſt devictum Maximinum, tum ex Licinii verbis prolatis ante pugnam adversùs Conſtantinum, ut Euſeb. de Vitâ Conſt. *L.* II. C. v. Sed tamen, etiamſi non perſecutus ſit palàm Chriſtianos, aluit occultum in Conſtantinum odium, poſt dictam hujus victoriam ad Cibalas; Idola ſemper coluit; Magicis etiam artibus deditus, ut Euſebius de Vitâ Conſt. *Lib.* II. C. XI. Et quum nihil proficerent inſidiæ, fraudes, dolus, larvam tandem detraxit, & ſimul Conſtantino M. ſimul Chriſtianis bellum cruentum indixit, A. CCCXX. Conſtantini XIV. *Modum* acerrimæ perſecutionis prolixè deſcribit Euſebius, *Hiſt.* L. x. C. VIII. quam perperam confundit Baronius cum priori, ſcilicet ad

An Licinius unquam Chriſtianus?

prius

Digitized by Google

prius bellum referens, ad *Ann.* CCCXV. N. XXXI. Ut nempè Chriſtianos omnes Palatio ſuo ejecerit; ſacrificare nolentes honoribus privarit; in carceres eoſdem compegerit; alimenta miſeris ſubminiſtrari ſeveriſſimâ lege interdixerit; Matronas, Virgines, conſtuprandas ſceleratis mancipiis dederit; Epiſcopos iiſdem quibus maleficos homines, id eſt, diriſſimis ſuppliciis affecerit; novum etiam & inauditum mortis genus excogitaverit; tandem *univerſalem* adversùs omnes Chriſtianos perſecutionem *molitus ſit:* Niſi Deus interceſſiſſet, opportunis ac perpetuis Conſtantini victoriis, compulſo ad extremum Licinio, ut ſe Conſtantino dederet, Imperio exutus, in Urbe Nicomed. ſed vitam impetraturus precibus uxoris ſuæ Conſtantiæ, ſororis Conſtantini: Donec iſte perfidus, ad exemplum Herculii, juſſu Conſtantini M. *Theſſalonicæ* Macedoniæ interfectus fuit, Anno CCCXXIV. Pagius (ad A. Chr. CCCXVIII.) Anno CCCXXV. paulo ſcil. antè Nicænam Synodum, ætatis proximè LX. Imperii anno XIX. quod inierat *Nov.* menſe CCCVII. Quod verò Aur. Victor dicit ſublatum Licinium ferè poſt *quintum decimum dominationis*, intellige ab obitu Galerii Maximiani, A. CCCXI. Quæ pluribus Zoſimus, Eutropius, A. Victor, etiam Euſebius in Chron. & *Lib.* II. de Vitâ Conſt. M. Idacius in Faſtis, Auctor Chronici Alex. & alii retulerunt. Hunc ſortitus vitæ finem ultimus omnium Tyrannorum Licinius, à reſtitutâ Eccleſiæ tranquillitate. Abrogatæ ſimul omnes ejus Conſtitutiones in Chriſtianos, qualis illa, ne carcere clauſis aliquid alimenti propinquorum quiſquam inferret, &c. ex Euſebio de Vitâ Conſtant. *Lib.* II. Sozomeno *Lib.* I. C. VIII. & ex Codice Theodoſ. de Infirmandis quæ ſub Tyrannis geſta, *Lib.* XV. *Titul.* XIV. l. I. *& ſeq. Remotis Licinii tyranni Legibus & Conſtitutionibus, omnes ſciant Veteris Juris*, & *ſtatutorum noſtrorum, obſervari debere ſanctionem.* Tum & ſcientiis boniſque literis, quarum hoſtis infenſiſſimus Licinius, (qui *virus ac peſtem publicam nominaret*, ſic Aurel. Victor in *Epit. præcipuè Forenſem induſtriam*) *vigor priſtinus rediit.* Cæterùm in Baronianis Annalibus, hiſtoriam rerum Licinii, ſeu *utriuſque Liciniani belli, admodum confuſam eſſe*, obſervat quoque Valeſius, *Notis* ad Euſebium de Vitâ Conſt. L. I. C. LII. quod & in *Oroſio* obſervat, *Lib.* VII. Perturbantibus ſcil. Annalibus rerum ac temporum ordinem, & quæ pertinent ad *poſterius* bellum Licinianum, ubi apud *Hadrianopolim* cæſus victuſque fuit, tandemque ad deditionem adactus, referentibus ad illud quo victus ad *Cibalim* Pannoniæ, A. CCCIV. Sed Baronio id familiare, quod omnia permiſceat, & ab Euſebio ac vetuſtioribus diſcedat; tum ut *Martyrologiis* & *Actis* fabuloſis fidem faciat, tùm quod *Euſebio ſemper infenſus ejus narrationem ſequi recuſet*, ut pluribus obſervat Valeſius *Annot.* ad Vitam Conſt. *Lib.* III. C. LIX.

Licinii noviſſima.

VIII. Intereà antè Licinii exceſſum varia promulgavit Edicta Legeſque Conſtantinus, in honorem atque incrementum Chriſtianiſmi; præter ſuperiora. Ex. gratiâ, A. CCCXV. ſuſtulit expreſſâ lege ſupplicium *Crucis*, & Inſcriptionem ejuſdem in *fronte*, lege 2. Cod. Theodoſ. de *Pœnis*. Quemadmodum aliâ lege, decrevit *Judæos flammis delendos*, qui converſis ad Chriſti fidem vim inferre auſi fuiſſent, lege I. Cod. *de Judæis*; Vel etiam qui Chriſtianos ad Judaiſmum cogerent, vel circumciderent, aut emerent ſervos Chriſtianos. Rurſùm Annis CCCXV. CCCXVI. legem tulit pro *manumiſſione mancipiorum*, faciendâ in Eccleſiis, à patronis eorundem ſub aſpectu *Antiſtitis* & *plebis*, Cod. Theod. de *Manum.* quæ eſt quoque in Cod. Juſtinianæo, L. I. *Tit.* XIII. & apud Sozomenum *Lib.* I. C. IX. ac deinceps *ſervos* à *Dominis* ut *fratres* haberi præcepit.

Edicta Conſtant. ante Licin. ſublatum.

Sic Anno CCCXV. legem promulgavit Conſtantinus, ut *Eccleſiæ Catholicæ* immunes eſſent ab annonis & tributis, ut videre eſt Cod. Theod. L. I. hoc *Titulo*. Quemadmodùm Anno CCCXIX. Epiſcopos & Clericos, *qui divino cultui miniſteria religionis impendant*, ab omnibus omninò Muneribus excuſari expreſſâ ſanctione voluit, quæ eſt Cod. Theod. de *Epiſc. Eccl. & Cleric.* l. 2. At lex quæ pridem attributa Conſtantino eſt, & quam Baronius exhibet ad A. CCCXIV. N. VIII. & Sirmondus Append. Cod. Theodoſiani ab eo edito A. 1631. poſt Auctorem Capitul. *Lib.* VI. *Tit.* 281. & Gratianum, quâ nempe lege ſanxit Conſtantinus, ut *ſententiæ Epiſcoporum, quolibet genere prolatæ, ſine aliquâ ætatis diſcretione, inviolatæ ſemper incorruptæque ſerventur; & pro ſanctis ſemper ac venerabilibus habeatur, quicquid Epiſcoporum fuerit ſententiâ terminatum*, &c. planè ſuppoſititia eſt: Quod prolixè ex materiâ legis, formâ, ſtylo, probatum à Jac. Godofredo, ad *Extravagant.* de Epiſcopali Judicio, in fine Commentarior. ad Cod. Theod. Rurſùs, Annis CCCXVIII. CCCXIX. & ſequentibus, varias leges tulit Conſtantinus, quibus mores Populi Romani reformaret, & ad pietatem, humanitatem, concordiam, pacemque revocaret, propoſitis Edictis ad populum, & Conſtitutionibus ad Baſſum, Maximumque Præfectos. Inter quæ illud quo legem *Juliam* & *Papiam Poppæam*, de maritandis Ordinibus, ab Auguſto ſeveriſſimè ſancitam, contrà *Cœlibes* & *Orbos*, penitùs abrogavit; revocatâ libertate Vitæ cœlibis, & abolitis in orbos pœnis, v. gr. quod *hæreditate* etiam *patrum* Cœlibes multarentur. Idque ſanxit Imperator, in honorem Vitæ cœlibis, quæ Chriſtianorum multis optata eſt, præ conjugali, memoratâ etiam Euſebio, *Lib.* IV. de Vitâ Conſt. C. XXVI. Quemadmodùm etiam *Conjugiorum* ſanctitati conſuluit alio Edicto, contrà Concubinatum, & vagas pravaſque libidines, de quo Nazarius in Panegyrico, dicto A. CCCXXI. Ità eodem hoc Anno leges varias ſanxit Conſtantinus, pro Chriſtianæ Religionis, Eccleſiarum, ac Clericorum honore ac veneratione. Ex. gr. Pro ſtatis *precibus*, & recitatione *S. Scripturarum* in Palatio, ſeu βασιλείῳ οἴκῳ, coram univerſo Aulicorum cœtu habendis, in quibus præibat exemplo ſuo Imperator, ut Euſebius de Vitâ Conſt. L. IV. C. XVIII. Ità pro colendâ religiosè *die Dominicâ*, ut habet Euſebius, d. l. *Cap.* XIX. aut *Venerabili die Solis*, ut habet Cod. *de Feriis*, L. I. 2. &c. quæ erat vulgi appellatio, etiam inter Chriſtianos, indè à primis Chriſtianæ Eccleſiæ temporibus, ut ex Plinio ad Trajan. & Juſtino M. conſtat. Scilicet, pro eâ die *Otio mancipandâ*, exactionibus, juridicis actibus, litibus quibuſcunque, ac ſpectaculis, eâdem interdictis: Exceptis quæ ex *charitate* proficiſcerentur, ut ſunt Emancipationes, Manumiſſiones; aut quæ ex *neceſſitate* fierent, ut agrorum cultura, ſi quando *non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus, mandarentur*, ut eſt in lege 3. Cod. Juſtinianei de *Feriis*, *Lib.* III. *Tit.* XII. Ac ſeptem pro cultu Dominicæ Conſtitutiones, recenſet Jac. Godofredus, ad Cod. Theod. *Lib.* II. *Tit.* VIII. *leg.* I. Ne dicam præſcriptam ab Imperatore *militibus* precandi formulam, diebus Dominicis, apud Euſebium, L. IV. C. XIX. XX. Quin & præcipit religionem dici *Veneris* ſeu προσαββάτȣ, hactenùs ut frequentarentur publicæ preces vel Stationes eo die haberi ſolitæ; cumprimis etiam religionem *dierum Paſchalium*, ut videre eſt eodem Titulo. Ità antè Concilium Nicænum, & Monarchiam Conſt. M. devicto Licinio, puta Anno CCCXXI. & CCCXXIII. emanarant jam edicta, pro *Teſtamenti* factione *paſſivâ*, in favorem Eccleſiarum, Cod. Theod. de *Epiſcopis, Eccleſiis*, lege IV. Sic contrà eos qui Chriſtianum compellerent ad *luſtrorum ſacrificia celebranda*,

Digitized by Google

da, ut videre eſt in lege ſequente eod. *Titulo*. Conſule & Euſebium in *Hiſt.* L. x. C. v. & de Vitâ Conſtantini M. *Libro* ii. ut & Codicem Theodoſianum, in primis *Lib.* xvi. *Titulis* de Epiſcop. Eccleſ. de Paganis, &c. cum Notis Jac. Godofredi.

IV. *Tempus Converſ. Conſtantini M. ad Chriſtianam fidem: Ejus Converſionis indicia. Gentiliſmi ſucceſſiva abolitio. Baptiſmus cur ad extremum vitæ à Conſtantino M. dilatus? Facta ſequentium Imperatorum. Reliquiæ Paganiſmi quales remanſerint? Converſiones aliæ hoc Seculo, & Chriſtianiſmi propagatio.*

Facta Conſt. M. ſtatim à morte Licinii.

I. QUamvis antè *Licinium* ſublatum palàm amplexus ſit Chriſtianiſmum Conſtantinus, ut ex variis ejus Edictis & ſanctionibus, de quibus *Cap.* præcedenti, colligere eſt; etiam ex omni adhibitâ curâ, ut ex. gr. *Donatiſtarum* Schiſma comprimeretur, de quo infrà; ut *Arii* Hæreſis in ipſo ortu extingueretur, ſcriptis Alexandriam literis; tandem ut pax Eccleſiis, honos Epiſcopis, cultui Divino ſua reverentia conſtaret: Tamen cenſeri poteſt Imperator verè *Chriſtianus*, ex quo Tyrannis omnibus ſublatis, ſolus Imperio Romano potitus eſt, Monarcha jam cùm in Oriente tùm in Occidente. Quod tempus ab Anno cccxxv. putari debet, ſuffragantibus Socrate Hiſtorico, Theodoreto, Auctore Chronici Alexandr. Cedreno, &c. in recentioribus Scaligero, & nuper prolixè A. Pagio; quo etiam anno congregata fuit Nicæna Synodus, ut ſuo loco dicetur. Quanquam de occultis & internis animi motibus, ex fide ſincerâ, & charitate verè Chriſtianâ, profectis, difficile ſit pronunciare. Primò incepit Conſtantinus, à gratiis Deo debitis, Choris atque Hymnis injunctis, quibus παμβασιλέα Θεὸν concelebrari toto Imperio juſſit, teſte Euſebio, de Vitâ Conſt. L. ii. C. xix. Deinde abolitis Tyranni Legibus, Conſtitutionibus, Edictis, quæ is *contra jus reſcripſerat*, Exules omnes religionis cauſâ, incarceratos, damnatos ad metalla, in Inſulam deportatos, mancipatos publicis operibus, orbatos bonis, poſſeſſionibus, honoribus, revocari ac reſtitui in integrum præcepit; Bona atque Hæreditates *Martyrum*, *Confeſſorum* proximis agnatis reſtitui, aut horum defectu *Eccleſiis*: Quæ Fiſco erant addicta etiam Templa, Martyria, Cœmeteria, Fundos, Hortos, protinùs reddi Eccleſiis, atque inſtaurari: Imò ſcriptâ Epiſtolâ omnes quaquaverſum ſubditos ad religionem *Chriſtianam* amplexandam ſeriò hortatus eſt. Quæ prolixè videri poſſunt apud Euſebium, dicto *Libro* ii. à *Cap.* xxiv. & deinceps. Tum & Literas varias ſcripſit, ex. gr. ad *Provinciales Orientis*, in quibus enarratis Dei ergà ſe beneficiis, tum in Tyrannos judiciis, gloriam uni Deo, & Filio ejus Unigenito, adſcribit: Ad *Epiſcopos*, pro convocatione Synodi Nicænæ, pro pace & concordiâ ſervandâ, pro deciſionibus Synodi obſervandis, &c. apud Euſebium de V. Conſt. *Lib.* iii. *Socrat.* Lib. i. quos etiam Epiſcopos honorificè ac peramanter excepit: Ad *Alexandrinos* & *Ægyptios*, pro ſervandâ Nicænâ Fide, & ponendis diſſidiis: Ad *Euſebium* Cæſar. pro conſtruendis Eccleſiis ſumptibus Imperatoris, nominatim in *Mamre*, memoriâ Abrahami: Et ad *Macarium* Hieroſolymit. pro fabricâ Eccleſiæ quæ dicta *Martyrium Servatoris*, & *S. Sepulchri*; & pro alterâ, Helenæ cumprimis auſpiciis, apud *Bethlehem*, tum & in *Monte Olivarum*, quorum prolixam deſcriptionem inſtituit Euſebius *Lib.* iii. Et quæ alia Conſtantini ſcripta, dictave, & facta ibidem refert, ac fuſiùs *Libro* iv. ad Religionis Chriſtianæ, fidei, pietatis, concordiæ, etiam ſplendoris Eccleſiarum incrementum.

Profeſſio ejuſdem luculenta Chriſtianæ fidei, & pietatis.

II. Quò ſpectat inprimis *Oratio* illa ad *Sanctorum* ſive Fidelium *Cœtum*, quam Euſebius Græcè vertit, & ad calcem Hiſtoriæ ſuæ adjecit. In quâ videlicet, occaſione *Paſchatis* quod tum ageretur, prolixè, patheticè, & ſtylo conveniente tantæ Majeſtati, diſſertat, v. gr. de *Dei* Unitate contrà πολυθεΐαν Gentilium, & cultum Simulachrorum, ut & Dei in univerſa *Providentiâ*, oppoſitè ad *Fatum* Philoſophorum: De *Chriſto* Conditore rerum omnium, quem etiam & *Deum*, & Dei *Filium*, & Servatorem mundi, noſtri cauſâ incarnatum, paſſum, ſupplicio affectum, profitetur: De culpabili *ignorantia* Gentilium, & felicitate *Martyrum*, *Confeſſorum*, qui invicto Divinæ virtutis robore tot mala, & mortem ipſam ſuperarunt: De adventu Servatoris à *Prophetis* prædicto, imò (ut ipſe opinabatur, & quâ de re diximus *Sec.* i. *col.* 595. &c.) à *Sibyllâ* Cumanâ, ex quâ habuerit ſua Virgilius, *Eccl.* iv. quæ de *nudo* ac ſimplici *homine* dici non potuerunt: De beneficiis à *Chriſto* acceptis, cui *victorias*, & *tropæa* ſua debeat; uti Martyres ſuam *conſtantiam* invictam, in perferendis cruciatibus, equuleis, furore tyrannorum, qualem deſcribit illum Maximini: De perſecutorum Eccleſiæ, quales *Decius*, *Valerianus*, *Aurelianus*, & ſuo tempore *Diocletianus*, miſerabili exitu, ac conſpicuis Dei in eos judiciis: Denique de acceptâ ab *uno Deo*, & Chriſto *Servatore*, ſalutis viâ, qui fide purâ καὶ εἰλικρινεστάτῃ, precibus, ſupplicationibus, à nobis colendus ſit; futurus *Judex optimus*, *Dux immortalitatis*, & *vitæ æternæ* Χορηγὸς ſeu *largitor*. Mittimus ejuſdem Imperatoris Orationes plures, Declamationes, Hortationes, Precationes, quæ apud Euſebium videri poſſint, cumprimis in Libris de Vitâ Conſtant. Quæ omnia hunc Imperatorem probant verè Chriſtianum, licet nondum Eccleſiaſtico ritu *Catechumenum*, vel Chriſtiano *Baptizatum*, hinc *ſolennibus* Eccleſiæ precibus, & celebrationi *Myſteriorum*, ut ferebat Diſciplina, non intereſſe ſolitum: Sed tamen probè in Chriſtianâ fide inſtructum, & in S. Literis, atque officiis Chriſtiani hominis, (quod dicit Euſebius de *Vitâ Conſt.* L. i. C. xxxii.) fuiſſe ſtatim ab initio κατηχηθέντα, καὶ μαθητευθέντα, *his* de Deo & Chriſto *ſermonibus eruditum*. Undè etiam in Palatio ſuo Eccleſiam inſtituit; ſolitis temporibus, cumprimis Dominicis diebus, conventus ſacros ibidem haberi juſſit; ſolennes cum Aulicis preces perſolvit; *Paſchæ* ſolennitatem, καὶ ἱερὰν διαννυκτέρευσιν *ſacram vigiliam* ritu Chriſtiano peregit; & ſtatis quotidie temporibus *ſolus* cum *Deo ſolo converſabatur*, οἷα τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων, *qualiter ſacrorum myſteriorum particeps*. Hæc Euſebius de Vitâ Conſt. *Lib.* iv. C. xxii. ubi etiam dicit, quod Imperator θέας ἱεροφαντίας ἐτελεῖτο, vel ut legit Valeſius ἐτέλει, adinſtar *Antiſtitis & Hierophantæ*, *ſacra faciebat*, ſeu ἱερᾶτο τῷ ἑαυτοῦ Θεῷ, ut idem *Cap.* xxiii. Tacemus Imperatoriam ſacrorum curam, quâ verè ſe geſſit ἐπίσκοπον τῶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, externâ directione, gubernatione; puta in Superſtitionibus abolendis, Religione procurandâ, Cauſis Eccleſiaſticis cognoſcendis, Synodis cogendis, Epiſcopis conſtituendis, admonendis officii, &c. de quibus infrà, ubi de *Regimine Eccleſiæ*.

Facta Conſtantini, pro abolendo Gentiliſmo: Et Filiorum.

III. Inter alia etiam huc referri debent, quæ Conſtantinus M. fecit pro abolendo Simulachrorum cultu, & evertendo Gentiliſmo, quem deinceps, ſed à morte Conſtantini & Filiorum, *Paganiſmum* dixêre. Primus hic Gentilium *Idola*, ſimulachra, inter quæ nonnulla διοπετῆ vel οὐρανοπετῆ habebantur, (ut Peſſinuntium *Matris Ideæ*, *Palladium*, &c.) nudavit, delubris eduxit, auro argentove ſpoliavit, ac deformata omnium oculis ſubjecit: Ex familiaribus

bus ſuis unum & alterum ſubmiſit, qui in Provinciis, per *agros* & *urbes*, idem peragerent: *Sacrificia* Idolorumque *cultum* lege expreſsâ ſuſtulit, ut teſtatur de *Divo Principe & Parente ſuo* Conſtantinus filius, L. 2. Cod. Theod. *de Paganis*, *Sacrif.* & *Templis*, præter Euſebium, Theodoretum, alios: Ludos *ſeculares decimos*, redeuntes Anno CCCXIII. V. C. MLXVI. quibus ſacrificia offerebantur *Jovi*, *Junoni*, *Apollini*, *Parcis*, &c. planè intermiſit Conſtantinus Imp. & quoque Licinius, uterque III. Coſſ. queſto Zoſimo Hiſtor. L. II. C. VII. *Templa Gentilium*, ſolemni Edicto *occluſit*, exciſis prius *Aris*, & Scholis, ut Theodoretus *Lib.* V. C. XX. præter Oroſium, Cyrum Monachum, alioſque, idem de Conſtantino M. teſtatos: Imò & Templa quædam, ac ἐπιφανέςατα τῶν ἱερῶν, *evertit*, ſolo æquavit, ut ex Eunapio, Hieronymo, Cedreno, Godofredus, ad d. legem *ſecundam*: Negante licet Theodoreto, *Hiſt. Lib.* V. Cap. XX. & Libanio *Orat.* κατὰ τῶν ἱερῶν, qui Conſtantinum ſolis uſum dicit Templorum χρήμασιν, auro, argento, gemmis, cæterum τῆς κατὰ νόμους θεραπείας κινῆσαι οὐδὲ ἓν *de cultu legibus ſtabilito nihil quicquam moviſſe*. Igitur factum fuerit ſub vitæ finem, vel extremis Imperii annis, ut quoque cenſet laudatus Godofredus. Itâ Sozomenus *Lib.* II. C. V. refert, funditùs deleta fuiſſe, Templum *Æſculapii* in Αἰγαῖς urbe Ciliciæ; Templum *Veneris*, quod erat ἐν Ἀφάκοις juxtà Libanum montem; quæ à Gentilibus ſummâ religione colebantur. Sed verò converti Templa, Fana, Delubra Gentilium plurima voluit Conſtantinus, præviâ luſtratione ſeu expiatione *Chriſtianâ*, in uſus Eccleſiarum; ſymbolo *Crucis* inibi collocato tanquam διακριτικῷ Chriſtiani cultûs: Et hoc æquius ferebant Gentiles, quàm ſubverſionem eorundem, ex Oratione Libanii memoratâ, κατὰ τῶν ἱερῶν. Tales converſiones in Eccleſias Chriſtianorum leguntur factæ poſteà, Gazæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Heliopoli, Damaſci, Romæ, &c. ſub Conſtantino & filiis, ſub Theodoſio M. Arcadio, Honorio, Theodoſio Jun. Principibus. Expiationis autem hic ritus perpetuò obſervatus eſt, etiam *lege* ſancitus, in Cod. *Theodoſ.* & *Juſtinianeo*, nempè *venerandæ Chriſtianæ Religionis ſigno* inibi collocato, quod σαυροπήγιον jam dixêre, & quo profana omnia loca adhibitâ Oratione, purgari voluêre, ſeu ſuperſtitione ſuâ ſpoliari, quod illis aliquando eſt *deſtruere*. Cur verò Gentilium propriè non dirueret hæc Templa Conſtantinus M. rationes fuêre: Quia facerent ea ad *ornatum* ac ſplendorem Urbium; quia *Gentiles* ferebant ægerrimè, quos eo tempore excitari ad ſeditiones non expedire putavit Imperator; denique quia non ſine magno labore & *ſumptibus* fieri poterat. Sed reſervatum hoc fuit ex parte, laudabilibus rei exemplis, *Conſtantio*, & *Conſtanti* Impp. ad quos Jul. Firmicus, in Libro illis inſcripto; *Poſt excidia Templorum in majus Dei virtute eſtis provecti.* Quod inprimis de *Conſtantio intellectum*, quem ἱερά τε καὶ νεὼ partim κλείσαντα, partim καταςκάψαντα, Libanius Orat. Fun. in *Julianum*. Certè horum leges in Cod. Theodoſiano, de *Paganis*, &c. tantummodò interdicunt omni aditu Templorum, quæ *omnibus locis & Urbibus univerſis claudi, & à cunctis ſacrificiis abſtineri*, nec diurnis tantùm ſed & *nocturnis*, quæ Magnentii licentia permiſerat, & quidem ſub pœnâ *gladii ultoris*, *Lege* III. IV. V. Itâ Conſtans Romæ ceſſare fecit *omnem ſuperſtitionem*, ſacrificia aboleri, Aras & Idola exſcindi, etiam *Aram Victoriæ* in Curia Urbis Romæ dirui, de quo queſtus diu poſteà Symmachus *Lib.* X. *Epiſt.* LIV. Sed Templorum Ædes non tantùm *intramuranas* non deſtrui, ſed & quæ *extra muros*, ſeu Portas Civitatis, puta Portam Collinam, Viminalem, Capenam, &c. aut in Viis publicis, ut viâ Latinâ, Triumphali, & aliis, *intactas incorruptaſque conſiſtere* juſſit. Et pari ratione noluerunt ſacratiſſimi Principes *ſepulchra* Gentilium *violari*, Columnas evelli, Lapides dejici, aut ad domos villaſque, ornatûs ergò, transferri; quò facit lex I. Conſtantis, *Cod.* Theod. *Ne ſepulchra violentur*, & aliæ ejuſdem tenoris. Porrò ad Conſtantini Chriſtianiſmum quoque fecit, quod primus *Spectacula Gladiatoria*, vel *cruenta*, τὴν τῶν μονομάχων θέαν, ab ævo Romanis & Gentilibus uſitata, hortante Lactantio *Divin. Inſtit.* L. VI. C. XX. lege ſuſtulerit, ſaltem in Oriente, *Lege* I. Cod. Theod. *De Gladiator.* contumace tamen hac parte diu Româ.

Hiſtoria Baptiſmi Conſt. M.
Cauſæ dilationis.
Ecquæ reliquiæ Paganiſmi?

IV. Interim Conſtantinus M. qui toto Principatu tot tantaque Chriſtianæ fidei, & pietatis, argumenta dedit, moriturus A. CCCXXXVIII. *Maji* XXII. *Coſſ.* Titiano & Feliciano, *Ætat.* LXIV. Imperii anno XXXI. tamen *Baptiſmum* non legitur ſuſcepiſſe, niſi paulo antè obitum, in ſuburbanis Nicomediæ. Fabula ex Actis *Sylveſtri*, hinc Græcis Latiniſque veteribus, à Baronio defenſa, ad A. CCCXXIV. infrà exploditur. Ut, nec meretur refutari Zoſimus, quod fecit Socrates Hiſtor. L. I. C. V. narrans *Lib.* II. C. XXIX. Conſtantinum, poſt necatum filium, & uxorem, ſuaſu cujuſdam Ægypti, Chriſtianiſmum ſuſcepiſſe, ut quod vim haberet peccatum quodcunque eluendi; Baptiſmo ſcilicet. Equidem ex Euſebio *Lib.* IV. C. LXI. LXII. dein ex Hieronymo in *Chron.* Ambroſio in *Orat.* habitâ in Funere Theodoſ. Socrate, *Hiſt.* L. I. C. XXXIX. Sozomeno, *Lib.* II. C. XXXIV. Theodoreto Hiſt. Lib. I. C. XXXII. Epiſtolâ Synodi *Ariminenſis* ad Conſtantium, apud Athanaſium de eâdem Synodo, T. I. *pag.* 676. conſtat 1. Conſtantinum M. in extremis ægrotantem, poſt thermarum uſum, Helenopolim Bithyniæ transferri ſe voluiſſe, ubi in *Martyrio*, ſeu Templo Martyrum commoratus, primùm in eâ infirmitate *Catechumenus* factus eſt Eccleſiaſtico ritu: Quando nempè procumbenti in genua, & peccatorum veniam ſuppliciter flagitanti, *manus* ei ſunt *impoſitæ* ab Epiſcopis qui aderant, adhibitâ ſolenni precatione; Et ſic *factus eſt Chriſtianus*, ut loqui amabant, nempè adimpletis quæ requirebat tum Eccleſiæ diſciplina, & Canones; licet anteà perfunctum omnibus Chriſtiani hominis, ſed & Principis, officiis, memoret prolixè Euſebius. 2. Indè digreſſum ad ſuburbana Nicomediæ, quum inſtare horam noviſſimam perſentiſceret, vocaſſe ad ſe *Epiſcopos*, & deſiderium ſuum illis expoſuiſſe, ὡς ἀπολαῦσαι τῆς ἀθανατοποιοῦ σφραγῖδος, *percipiendi ſigillum beatæ immortalitatis*. Quo facto, & additâ promiſſione ſe participem futurum, ſi diutiùs vitam prorogaret, *omnium Eccleſiæ precum*, & *vitam inſtituturum Deo dignam*; Epiſcopos, & in iis primum Euſebium Nicomed. peregiſſe ſolenni ritu, in Eccleſiâ nempè, θείους θεσμοὺς divinas Ceremonias, ſeu τοῦ θείου βαπτίσματος τὸ δῶρον *divini lavacri gratiam*; Deinde poſtquam injunxiſſent quæ Chriſtiano homini neceſſaria, καὶ τῶν ἀπορρήτων μεταδιδόναι, *ſacrorum Myſteriorum participem feciſſe.* 2. Hinc λαμπροῖς ἀμφιάσμασι *candidis veſtibus* indutum, ut Neophyti ſolebant, optimum Imperatorem gaudium ſuum & ſolatium omnibus teſtatum eſſe: Tum ultimâ voluntate expoſitâ, ac diſpoſitione peractâ, Filiis autem tribus *Conſtantino*, *Conſtantio*, & *Conſtanti* paternâ Hæreditate relictâ, placidè migraſſe ad Dominum, poſtremo *Feſtivitatis Pentecoſtalis* die, anni ſcilicet CCCXXXVII. Si verò quærantur cauſæ dilati tam diu Baptiſmi, hæc innuuntur ab Eccleſiæ Hiſtoricis. 1. Hypotheſis tùm recepta, poſſe *differri* Baptiſmum, ac præconcepta opinio, hoc ultimo lavacro *fieri* κάθαρσιν *expiationem omnium peccatorum*, quæ *toto vitæ* curriculo admiſſa eſſent. Undè & ſeriùs baptizati Filii Conſtantini, Valens, Valentinianus, Theodoſius, &c. 2. Propoſitum Conſtantini, differendi tam

Digitized by Google

tam diu Baptiſmum, donec *Jordanis flumine*, exemplo Servatoris, ablui daretur, quæ ratio ab Euſebio, Theodoreto, & aliis diſertè allegatur. 3. Addi poteſt, conſcientia perpetratæ necis, ex ſuſpicione quadam, *Criſpi* Filii ſui & Cæſaris, tum *Liciniani Licinii* Cæſ. ex ſorore Conſtantiâ nati, ne dicam *Fauſtæ* conjugis illam, quæ pium Myſteriorum deſiderium remorata ſit. Suſpicari quis poſſet, fermentum quoddam remanens ab *Ethniciſmo*; uti eadem ſuſpicio fuit, occaſione legis à Conſtantino latæ, *Cod. de Paganis*, L. I. quâ poteſtatem omnibus fecit, tùm *Senatui*, tùm *privatis*, Haruſpices de portentis Fulgurum & Ominum conſulendi; Sic exercendi Magicas artes, Cod. de *Incantam. leg.* 3. Libro IX. Cod. Theodoſ. nimirum ἐπῳδαῖς vel *Incantationibus* quærendo malis medicinam, vel morbis remedia aut amuleta, ut Ethnicis in more poſitum fuit. Sed mentem Conſtantini in ferendis his Legibus, quam iniquiſſimè torquet *Baronius* ad A. CCCXXI. N. XVIII. XIX. in benigniorem partem interpretantur Jac. Godofredus, Morinus de Liberatâ Eccl. per Conſtant. A. Pagi Crit. ad A. CCCXXI. ut mittam alios.

Ulterior Idolol. everſio per Conſtantini Succeſſ. Paganorum nom. undè?

V. Quam pepererat felicitatem Eccleſiæ Conſtantinus M. ſuâ converſione, eandem in majus auxerunt Conſtantini Filii, & Succeſſores, cumprimis hoc Seculo Theodoſius M. dein Arcadius Filius, &c. Nam *Julianus* Apoſtata totum Gentiliſmum reſtituerat, Templa, Sacrificia, cultum omnem, Chriſtianiſmi ſpecie quandoque larvatum. Hinc poſt Julianum ſuperſtitionibus in multis conniverunt *Jovianus*, etſi verè Chriſtianus princeps; *Valentinianus* Senior in Occidente, *Valens* in Oriente Alexandriæ & alibi, *Gratianus* denique: Qui ſcil. majorem Paganis libertatem indulſerunt; nec eos vel Templa clauſiſſe, vel Sacrificia aut Ritus Gentilium interdixiſſe, vel *Patrum Ceremonias removiſſe*, ut Symmachus loquitur, expreſſis Legibus conſtat. *Gratianus* licet, non modò recuſarit titulum *Pontificis Max.* ſed inſuper Sacerdotibus ſubtraxerit ſua ſtipendia, prædia, ſumptus exhiberi ſolitos; Romæ & diruerit portentoſa paſſim ſimulachra, ut referunt, præter *leg.* XX. Cod. de *Paganis*, Symmachus *Relatione* ad Valentin. filium, & Ambroſius *Orat. Funebr.* in obitum Valentiniani. Sed ſuprà omnes *Theodoſius M.* indè ab A. CCCLXXXI. Templis Gentilium, & Sacrificiis bellum indixit, omnique tandem cultui Idololatrico, etiam τῷ λιβανωτῷ. Et Chronicon Alexandr. ad A. CCCLXXIX. dicit de Theodoſio, quod τοὺς ναοὺς Ἑλλήνων κατέστρεψεν ὡς ἐδάφους, *Templa Græcorum ſubverterit funditùs*. Et ab eo obtinuit *Gentiliſmi* totalis proſcriptio, ſeu *verius erroris*, *conſuetudinis*, *nefariorum rituum*, *ſuperſtitionis deterrimæ*, *impiæ*, &c. ut paſſim indigitatur Religio Gentilis, in Conſtitutionibus Imperatorum.

Gentiliſmi proſcriptio.

Ita per Edicta Imperatoria, & Sacratiſſimas Conſtitutiones ſucceſſivè datas, indè à *Conſtantio*, & *Conſtante*, per Magnentium ſublato A. CCCL. tum poſteà indè à *Theodoſio* M. Templa Gentilium fuêre clauſa primò, dein diruta; acceſſus ſub pœnâ gladii omnibus interdictus; Sacrificiorum inſania abolita; Profani ritus ſublati; Superſtitio Pagana ceſſare juſſa; Aræ, Idola, Simulachra Templis evulſa, atque diruta; Prohibita non diurna modò ſed & *nocturna* ſacra. Uſque adeò ut, Theodoreto referente Operum T. IV. *Serm.* VIII. de Martyribus, ſub finem, τεμενῶν *templorum ne figura vel ſpecies permanſerit*, & τῶν βωμῶν τὸ τύπον *Ararum formam ne hujus Seculi homines ſcirent*. Quò deinceps fecit lex Honorii in Occidente, quæ eſt XIX. *Cod. Theod.* de Templis, &c. ut *Ædificia Templorum quæ in Civitatibus vel Oppidis, vel extrà Oppida eſſent, ad uſus publicos vindicarentur*; *Aræ locis omnibus deſtruerentur.* Hæcque omnia ut in *Urbibus* primò ſublata, ſic permiſſa ad tempus in *Pagis*, & Vicis, ubi Templa aliquandiu Gentilibus patuêre, vel ex Libanii Oratione *de Templis* ad Theodoſ. M. editâ à Jac. Godofredo. Undè *Paganorum* nomen enatum eſt, primùm auditum ſub Imperatoribus Chriſtianis, primaque *Paganorum* mentio extat in L. XVIII. Cod. Theod. *de Epiſcopis*, &c. Valentiniano & Valente AA. *Coſſ.* tum apud Marium Victorinum, XL. annis à Concilio *Nicæno*, *Lib.* de ὁμοουσίῳ *recipiendo*; *Græci quos* Ἕλληνες *vel Paganos vocant*. Variæ equidem de hujus vocis origine & ſignificatu Eruditorum ſententiæ fuerunt, quas omnes refert J. Godofredus, *Notis* in *Tit.* de Paganis. Et Cl. Salmaſii quidem illam, ſub nomine *Viri cujuſdam Doctiſſimi*, minùs probat, qui *Paganos* dictos cenſuit, à *Pago*, quod ſit idem ac *Territorium*, ἔθνος, ἐπαρχία, *Gens*, quomodo Helvetii in certos Pagos diviſi: Hinc *Paganus*, idem ſit quod ἐθνικὸς *Gentilis*, quod pleræque Gentes eam ſuperſtitionem ſectarentur: Et indè Clariſſ. Sponius derivat quoque Gallorum *Pays*, quod Regionem, vel Gentem ſonat, Itin. Attici T. I. p. 333. Sed quam primùm hoc nomen auditum fuit, deſierant certè cultiores Rom. Imperii Gentes illi ſuperſtitioni adhærere. Certior Heraldi, Godofredi, quæ & Baronii, & κριτικωτάτων ſententia eſt, quod jam tum ex *Urbibus* Gentili ſuperſtitione eliminatâ, per *vicos* eadem & *pagos* adhuc ſubſiſteret, hinc Religio *Pagana*, in pagis adhuc vigens, ibique adhuc tum relicta Gentilibus; undè Gallorum *Payſan* ex *Pagano* factum. Quamvis *Judicum ac Præſidum* conniventiâ hinc indè paterent adhuc Gentilibus Templa, Simulachra, & Sacrificia occultè fierent, ſaltem *nocturna*; à Magnentio Tyranno Romæ permiſſa, ſed eo ex Italiâ profligato, A. CCCLII. rurſum à Conſtantio interdicta. Undè pœna gladii tandem in quoſvis, etiam *Rectores Provinciarum*, à Conſtantio ſancita; etiam à Valentiniano ſeniore & Valente in *nocturna* & *malefica* ſacra, Cod. de *Maleficiis*, L. VII. quamvis *diurna* hic Princeps permitteret. Sed omnia ſuſtulit, ut dictum, Theodoſius, Arcadius, & Honorius, dein Theodoſius Junior, legibus ſancitis, præcipuè in *Cod. Theod.* de Paganis, Sacrif. & Templis. Ad quæ conſule Jac. Godofredum, Virum ſummum, & Theodoretum, Sozomenum, Cyrum Monachum citatum Godofredo, etiam Zoſimum, *Lib.* IV. C. III. &c.

Paganorum nomen.

Media promovendo Chriſtianiſmo. Templa Chriſtianis ſtructa.

VI. Adde *promotionem* Chriſtianiſmi, variis & efficaciſſimis mediis. Quò referri debent, v. gr. *Templorum* à fundamentis extructiones per Romani Imperii ſpatia; addito etiam ornatu ac ſplendore; cumprimis *Romæ*, *Conſtantinopoli*, *Alexandriæ*, *Antiochiæ*, *Nicomediæ*, & in Urbibus amplioribus, conflatâ ex pretioſiſſimis ſimulachris pecuniâ, quam in eos uſus convertit Conſtantinus Imper. apud *Sozomen.* Lib. II. Cap. V. alios. Celebratiſſima fuêre, Conſtantinopoli Templum S. S. *Apoſtolorum*, Μαρτύριον vocat Euſebius *Lib.* IV. C. LVIII. in quo etiam Imperator ſepeliri voluit, quaſi in XII. Apoſtolorum choro, mediam conſtituere jubens τὴν αὐτοῦ λάρνακα *ſuam ipſius Arcam*. Sic Tyri illud, de quo Euſebius, *Hiſt. L.* X. C. IV. omnium quæ in Phœniciâ pulcherrimum, cujus occaſione Orationem Panegyr. exhibet Paulini Tyriorum Epiſcopi, de *Ædificatione Eccleſiarum*. Cumprimis verò Hieroſolymis, *Martyrium* in loco ſepulchri Dominici, Conſtantini auſpiciis, & Helenæ Matris, dedicatum, de quo fusè Euſebius in *Vitâ C. M. Lib.* III. C. XXV. & ſequent. Hoc σωτήριον μαρτύριον ſeu monumentum Dominicæ Mortis & Reſurr. dici voluit, purgato prius Golgothæ loco, & ſpeluncâ ſeu antro τῆς τοῦ Σωτῆρος ἀναβιώσεως. Vide ibidem deſcriptam Templi fabricam, Atrium, Porticus, Parietes, Portas, Exhedras, Veſtibula, Ornatum ipſum inaurationis, & quicquid ad illius Baſilicæ ſplendorem fecit:

cit : Tacemus Templa reliqua in Palæſtinâ, Helenæ cumprimis curâ ædificata, in Bethlehem, in Monte Oliveti, de quibus ibidem Euſebius, L. III. C. XLII. & ſeq. Tum infinita quæ toto Rom. Imperio mox ſurrexêre, à fundamentis extructa, pecuniis *ἐκ τ̃ βασιλικῶν θησαυρῶν ex fiſco Regio* ſubminiſtratis, datis ad Rectores Provinciarum literis; tum etiam conflatâ ex ſimulachris Paganorum pecuniâ, & in Chriſtiana ædificia converſâ, apud Sozom. *Lib.* I. C. VIII. L. II. C. V. &c.

Scholæ conſtitutæ. Et Biblioth. Acceſſerunt *Scholarum* erectiones, in quibus Artes ac Diſciplinæ traderentur, & à *Chriſtianis* quidem, præterquàm ſub Juliano Apoſtatâ. Undè de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Conſtantinop. de Profeſſoribus, Doctoribus, Magiſtris Studiorum, eorumque ſalariis, privilegiis, honoribus, Auditoriis publicis, &c. conſtitutiones Academicæ Conſtantini M. & Succeſſorum : Præprimis illæ *Valentiniani* Senioris, in Occidente, ſub quo Romanum Capitolium evaſit Scientiarum ac Diſciplinarum publica ſedes; & *Valentis* in Oriente, ſub quo Themiſtius Philoſophus, in Προτρεπτ. *Orat.* XI. Muſas conſecutas eſſe ſummum decus atque ornamentum. Hujuſmodi Scholæ, *παιδευτήρια*, præ cæteris fuêre, in Oriente *Conſtantinopoli*, *Nicomediæ*, *Cæſareæ* Palæſt. *Epheſi*, &c. in Ægypto *Alexandriæ*, in Italiâ *Romæ*, *Mediolani*, in Galliis *Treviris*, *Maſſiliæ*, *Auguſtoduni*. Acceſſerunt *Bibliothecæ*, & in his nobiliſſima *Conſtantinopolitana*, à Conſtantio primùm circà A. CCCLIV. tùm & Valente, ac Succeſſoribus, mirè locupletata : Ut Libros tandem membranaceos CXX. M. complexa ſit. Quem in finem conſtituti Valentis lege, A. CCCLXXII. *Antiquarii*, *ἀρχαιογράφοι*, *καλλιγράφοι*, Græcè & Latinè docti, ac ſcribendi periti, quibus & attributæ *Annonæ Populares*, ſeu ex iis quæ populo dabantur, diſtinctæ à Palatinis & Militar. *lege* II. Cod. Th. de *Studiis Liberal.* Urbis Romæ, &c. Celebris hoc Seculo & Bibliotheca *Cæſarienſis*, à Pamphilo Martyre primùm collecta, ab Euſebio locupletata, de quâ Ruffinus & Hieronymus. Sed de his aliàs; ac fusè ad Codicem Theodoſianum Jac. Godofredus, *Tit. de Profeſſoribus*, *de Studiis liberalibus*, &c.

Bona Eccleſiæ conceſſa. Tùm *Redituum* ac *Bonorum Eccleſiaſticorum* factæ conceſſiones, in uſus Eccleſiarum, Clericorum, Pauperum, &c. Undè bona illa quæ ceſſerant *Gentilium* myſtis, vel quæ Diis Gentium ſacrata, Ædes, Fundi, Agri, Annonæ, ac reditus Templorum, Sacerdotum, Flaminum, ſimilium, adſcripta Eccleſiis : *Decimæ* per civitates ſingulas Clericis decretæ; *Donaria* ſacris uſibus dedicata; *Hæreditates* Martyrum, Confeſſorum, Proſcriptorum, ſi deeſſent ſucceſſores ab inteſtato, datæ Eccleſiis adeundæ; poteſtas etiam facta *inſtituendi* eaſdem hæredes, aut legatarias, Gentilibus eâ hæreditate excluſis : De quibus paſſim Imperatoriæ Conſtitut. Cod. Theod. de *Epiſcopis*, *Eccleſiis*, *Clericis*, de *Judæis*, de *Paganis*, *Sacrificiis*, &c. Euſebius de *Vitâ Conſt.* L. II. C. XXXV. Sozomenus *Hiſt.* L. II. C. V. Ambroſius Epiſtolarum *L.* V. *Ep.* XXX. XXXI. &c. A quo tempore opes in Eccleſiâ in immenſum auctæ, cum ortu & incremento ſuperſtitionis : *Venenum*, dixit ille, in Eccleſiam *infuſum* eſt; & Hieronymus in Vitâ Malchi, *Poſtquam Eccleſia ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt.* Antè enim nullis fundis, poſſeſſionibus, fruebatur Eccleſia, ſolis eleemoſynis & collectis fidelium ſuſtentata. Quemadmodum ne quidem Sacerdotibus V. Teſt. poſſeſſio ulla fuit in Iſraële; ſed Urbes XLVIII. conceſſæ ad *habitandum*. Aſt *aurum & argentum* quo ſtructum fuerat Tabernaculum Vetus, & ornatum, fecit ad deſtructionem Tabernaculi Novi. Quamvis ſaluberrimo conſilio ſimul factum, ut *Epiſcopis* & *Clericis* ſolâ Spiritualium curâ relictâ, temporalium adminiſtratio, quæ primò *Diaconorum* fuit, *Oeconomis* ſit demandata, qui hoc unum agerent, ex Canonibus Conciliorum, etiam Chalcedon. Oecumenico, Can. XXVI. itâ Imperatorum legibus, ut L. XIV. Cod. de S.S. Eccleſiis, & id genus aliis. Quales *Oeconomos* retinent adhuc Græci, apud quos in Eccleſiis Patriarchalibus *Magnus Oeconomus* (ὁ μέγας, ὁ πρῶτος) reliquis præfectus eſt.

Reliquiæ Paganiſmi. VII. *Reliquiæ* interim *Paganiſmi* variæ remanſerunt, ſeu rudera in Romano Imperio, quantumvis Chriſtiano. Primò enim in *Titulis* & *Inſcript.* Conſtantini M. reperiuntur quæ vix Chriſtianum Principem ſapiant. Qualis inſcriptio Romæ legitur, in Baſi Marmoreâ; *Magno & invicto Imp. Cæſ. C. Valer. Aurel. Conſtantino*, &c. *Devoti Numini Majeſtatique ejus*, quam exhibet Baronius Ad A. CCCXII. N. XCIV. Niſi dicatur cum Doctiſſimis viris fuiſſe nomen *Conſtantini* poſteà in locum Maximiliani *Herc.* ſubſtitutum, cui hæc Inſcriptio dicata, ut patet ex Coſſ. & prænomine *C. Valer. Aurel.* quod non Conſtantini fuit, ſed Maximiani. Sic Nummorum Inſcript. Conſtantini Imp. *Jovi* & *Herculi* Conſervat. *Marti* Conſerv. Sic *Vota publ. cum Iſide manu* dextrâ ſiſtrum tenente, more Ægyptiorum. Sic *Divo Conſtantino*, *Diva Helena Mater*, cum Æternitatis inſignibus. Sed obſervandum 1. Inſcriptiones priores factas eſſe antè Converſionem Conſtantini, vel profeſſionem Chriſtianiſmi, poſt victum Maxentium, quod Triſtanus, & Docti obſervarunt, ad Nummos priores. 2. Auctores habere *Ethnicos*, v. gr. Ægyptii *Vota Publ.* facientes pro ejus ad Ethniciſmum reditu, favente Fauſta Conjuge. 3. Sub *Filiis* cuſos fuiſſe Nummos in honorem Patris, & Helenæ defunctæ. Sed ſenſu Chriſtiano, additis *Symbolis*, quod eorum Animæ in Cœlum tranſlatæ eſſent. Aliàs ipſum Conſtantinum recuſaſſe, jam Chriſtianum, Gentil. familiares Titulos, *Sacratiſſimi*, *Divi*, *Pontificis Max.* conſtat. Nec ſicubi leguntur dati, ab ipſis Imper. profecti fuêre, quicquid de illo *Pont. M.* Zoſimus affirmet *Lib.* IV. C. XXXVI. Quâ de re videſis Diſſertat. Jac. Godofredi in *Epiſt.* ad *Rivet.* de Chriſtianor. cum Gentilibus interdictâ Commun. 4. Splendidiſſima Gentilium *Templa* manſêre in Urbibus amplioribus illæſa, ut *Romæ* Capitolium, *Alexandriæ* Templum atque Idolum Serapidis, *Antiochiæ* in Daphnes ſuburbio Templum & Idola Apollinis ac Dianæ, *Gazæ* Templum antiquitate ac ſtructurâ celebre, ſic *Edeſſæ* Templum Oraculis inclytum, tempore Theodoſii M. &c. alia plurima per Aſiam, Africam, & Europam, apud Sozomenum, & *Cod. Theod.* de Paganis, *Leg.* VII. &c. Sic *Ludorum* feſtivitates remanſêre plures, quales *Edeſſæ* in Oſroënâ, in dictâ lege, pro qua Theodoſii clementiam laudat Libanius : Itâ *Majumæ* triennale ſpectaculum, ludicrum illud ſimul & impudicum, vel *fœdum & indecorum*, in Syriæ & Phœniciæ partibus, ut Antiochiæ, Gazæ, &c. exhiberi ſolitum (quo Baccho & Veneri per XXX. continuas noctes fœdè litabant) adhuc fuiſſe permiſſum ſub Conſtantino M. Juliano, Valente, Theodoſio M. Arcadio, obſervat Godofredus, ad Cod. Theod. de *Majuma*, Lib. XV. Ubi de vocis ſignificatu, an à menſe *Majo*, an in *Majæ* honorem, an à Syriacâ voce *Majim* quæ aquas deſignat, an à *Majuma* quod Navale Gazitarum, ubi hæc *Orgia* primum celebrata : Quæ itâ litoralis Feſtivitas fuerit, in tentoriis peragi ſolita, pluribus apud Joh. Antiochenum, *Chronogr. Lib.* XI. *pag. Ed. Oxon.* 373. Sic in Græcia permiſſa fuiſſe à Valentiniano, ad ſuaſionem Achaiæ Proconſulis *Prætextati*, *Eleuſinia* Sacra, quæ Zoſimus vocat *ἁγιώτατα μυστήρια*, idem Hiſtoricus auctor eſt, occaſione *legis* in Cod. Theod. VII. de *Maleficiis*, à Valentiniano latæ. Itâ Ludi Circenſes, Agones, Dies Feſti populis dati.

Sic manſêre adhuc diu ſatis intacta Virginum; Veſtalium Sacra, ſic Flaminum & Sacerdotum jura ac privilegia, Augures, Haruſpices, Harioli, Ludi Gentilitii Sacerdotales, in Urbibus Metropolitanis edi ſoliti, de quibus *Lex* Honorii xx. de Paganis, &c. Lex VIII. de Med. & Profeſſ.

3. Paganæ ſuperſtitionis tenaces manſerunt adhuc *Gentes* plurimæ, & permixti Chriſtianis Populi, Cives, Agricolæ, Magiſtratus, Judices, Senatores, Conſules, Proconſules, Vicarii, ac Præſides Provinciarum. Quinimò ſub Valentiniano, Theodoſio, Arcadio, *Senatum Romanum* adhuc fuiſſe maximâ ex parte Gentilem, patet ex *Epiſtolis* Symmachi. Sic *Themiſtius* Philoſophus in magnâ auctoritate ſub Conſtantio, Senator idem, ac Præfectus Conſtantinopolit. ſub Theodoſio, ad quem *Epiſtola* Greg. Nazianzeni, CXXXIX. & CXL. *Prætextatus*, in magnâ auctoritate ſub Valentiniano Jun. & Theodoſio M. Præfectus Urbis, Proconſul Achaiæ, Præfectus tandem Prætorio, de quo refert Hieronymus *Ep.* ad Pammach. CXI. dixiſſe aliquando, *Facite me Urbis Epiſcopum, & fiam protinus Chriſtianus. Luc. Aurel. Avianus Symmachus* Pater, Præf. Urbis, ſub Valentiniano & Gratiano, de quo Ammianus *Lib.* XXVII. *C. Aurel. Avian. Symmachus*, ſub Valentiniano Jun. Præf. Urbis, dein A. CCCXCI. Conſul cum Tatiano, cujus extant *Epiſtolarum* celebres Libri. *J. Flav. Memm. Symmachus*, Nepos, ſequente Seculo ſub Honorio Proconſul Afr. tandem Conſul A. CCCCXXIV.

4. Paganas conſuetudines, Ritus ſuperſtitioſos à Gentilibus ortos, infrà patebit in Eccleſiam Chriſtianam derivatos, hoc & ſequentibus Seculis; ut Ornatus Templorum, Conſecrationes, Feſta, Vota, Donaria, Imagines, Peregrinationes, &c. de quibus ad Caput de Ritibus & Ceremoniis. Sic Locutiones, voces, phraſes innumeræ, quæ à ſenſu Paganorum purgatæ, inter Chriſtianos uſu receptæ manſerunt; Ut *Divi Principes*, *Pontifices Maximi*, Ἀρχιερεῖς, *Flamines*, *Syriarcha*, *Aſiarcha*, *Altaria*, *Sacerdotes*, *Litania*, *Lares*, *Penates*, *Manes*, *Fatum*, *Fortuna*, *Genialis torus*, *Venus*, *Piaculum*, &c. Imò ſervatam adhuc Chriſtianis temporibus pœnam *Adulterarum*, quæ Lupanari incluſæ cogebantur ſe proſtituere, crimen ita aucturos, auctor eſt Socrates *Hiſt.* L. x. C. XVIII. Quanquam à Conſtantini temporibus conſtet pœnâ capitis multatum adulterium, ex variis Conſtitutionibus, quemadmodùm Conſtans Imper. hos *Sacrilegos nuptiarum* pœnâ *ignis* & *cullei* puniri voluit, ex lege VIII. Cod. Theod. *Quorum Appellat. non recip.* Undè & Socratis illud, vix *credibile* videtur H. Valeſio in *Notis*.

Gentes converſæ hoc Sec. VIII. Huc tandem ſpectat illata hoc Seculo lux Euangelii ad Superſtitioſas & barbaras adhuc gentes, in Aſiâ, Africâ, Europâ.

In his fuêre *Indi Interiores*, apud Ruffinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum. Qui quales fuerint controverſum, an ultimi ſeu remotiſſimi in *India* populis, an veriùs *Æthiopes* ſeu Abyſſini Indorum Coloni, ut nuper Lucas Holſtenius ad Martyrologium Baronii, & Henr. Valeſius *Annot.* ad Socrat. *Lib.* I. *C.* XIX. Converſionis porrò inſtrumentum fuêre duo *adoleſcentes*, iidemque *Laici*, curioſitatis ergò cum Meropio quodam Tyrio eò delati, hinc à barbaris capti, Meropio occiſo; tùm Regi Indorum ſive Æthiopum oblati, eidem accepti, mox ad honores admiſſi, quin &, mortuo Rege, ad Regni adminiſtrationem, *Reginæ* ſuaſu, donec Hæres adoleviſſet. Sic converſionis ſunt facta initia, promovendæ poſteà, ubi reverſus ad ſuos *Frumentius*, reque expoſitâ Athanaſio, Epiſcopatum ad eas Gentes ſuſcepit, undè audit vulgò Frumentius *Indorum Apoſtolus*, Holſtenio, Valeſio, & doctioribus, *Æthiopum*, qui ſuprà *Ægyptum*, quorum Metropolis fuit *Auxuma*. Sic converſi ad Chriſtianam fidem *Iberia*, inter Pontum Euxinum & Mare Caſpium, ad Caucaſios montes, ut Socrates *Lib.* I. C. XX. Sozomenus *Lib.* II. C. VII. ultrà *Armenios* populi, iiſdem omninò ſcriptoribus. Et quidem operâ *mulieris* Chriſtianæ, captivæ hos inter Barbaros, ſeſeque mulieribus aliis inſinuantis, tandem Reginæ Iberorum, (ſanatæ miraculo quodam) hinc Regi, mox cum ſuis Chriſtiano. Adde commercia hujus Gentis cum vicinis *Armeniis*, jam antè Chriſto (ut volunt) mancipatis. *Georgiani* hodie dicuntur Conſtantinopolit. Patr. adhærentes; ſic *Mingrelii*, ſed qui Chriſtianiſmi nil niſi nomen retinent, & fabulis ac ſuperſtitionibus tantùm dediti ſunt. Ita deſciverunt magnoperè *Armenii*, qui non per utramque tantùm Armeniam, ſed per omnem Aſiam diſperſi, de quibus aliàs.

Converſi etiam hac Ætate, in Europâ *Marcomanni*, qui hodie Moravi ſunt vel Bohemi, & quidem operâ Conjugis Regiæ, ab Ambroſio Mediolanenſi inſtructæ: Nempe accerſito à Reginâ per literas Ambroſio, poſtquàm cognoviſſet Viri famam, quibus ſeſe in rebus Chriſtianæ fidei erudiri poſtulabat, ut pluribus in *Vitâ Ambroſ.*

Pariter & *Gothi* trans Iſtrum ab Hunnis expulſi, atque in *Thraciâ* habitare permiſſi à Conſtantio, fidem Chriſtianam amplexi dicuntur, ſed mox *Arianam*, ſub Valente Imperat. Sive jam ut gratificarentur *Imperatori*; ſive quod Ulphila, eorum Epiſcopus, & ad Cæſarem Conſtantinopoli Legatus, *Arianorum* perſuaſionibus verè victus, Gentem poſteà fecerit Arianam; de quo Sozomenus, *Lib.* VI. *Cap.* XXXVII. Eundem S. Scripturæ Libros in *Gothicam* Linguam vertiſſe, & alia multa ſingularia, habet Philoſtorgius, *Lib.* II. C. V. & ad eum Godofredus, ubi Οὐρφίλας dicitur, *Urphila*.

Converſiones alias, ex Magdeburgenſibus, vel ex Baronio, qui volet, repetat, nec in his tuta ſatis iſtorum fides eſt.

V. *Doctrina hujus Seculi Catholica, per ſingula Capita. Voces & phraſes, in alium deinceps ſenſum detortæ. Patrum hujus Sec. quidam errores. Diſſenſus à Latinis hodiernis.*

I. Colligitur Doctrina Cath. I. Ex Scriptis *Symbolicis*, qualia ſunt, (præter Symbolum *Apoſtolicum* ſive Romanum, de quo ſuprà, & quod Roma jam antè Nicænam Synodum habuit; item præter Confeſſionem Fidei Antiochenam, contrà Paulum Samoſat. de quâ ad *Secul.* III.) Symbola quædam alia quæ hoc Seculo celebrata. Uti ſunt, vetus *Orientale*, quale contulit cum Romano & Aquilegienſi Ruffinus; aut quale recitavit coràm Imperatore & Nicænis Patribus Euſebius, *ſicut accepiſſet ab anteceſſoribus ſuis Epiſcopis, tunc cum primis Fidei rudimentis inſtructus fuit, & ſalutari lavacro tinctus, ipſeque tùm in Presbyterio, tùm in Epiſcopali gradu conſtitutus & crediſſet, & docuiſſet*, teſtibus Socrate *Lib.* I. C. VIII. Theodoreto *Hiſt.* L. I. C. XII. Tum Symbolum *Nicænum*, in primâ Synodo univerſali confectum, & quod omnium quaſi norma & fundamentum fuit, additis modò quibuſdam, præcipuè contrà Macedonium, in Symbolo *Conſtantinopolitano*, elucidationis ergò, ut poſteà. Undè & hoc Symbolum *Nicænum* quoque vocari ſolet, quod hujus Synodi major auctoritas fuerit. Ita in Occidente, *Aquilegienſis* Eccleſiæ Symbolum, quod Ruffinus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter expoſuit, & in quo ad Articulum de fide in Deum *Patrem*, addidit epitheta *inviſibilis*, & *impaſſibilis*; ad Articulum de *ſepulturâ* Chriſti, addidit, *Deſcendit ad inferna*; ad Artic. de Reſurrectione, addidit, *Hujus Carnis reſurrectionem*. Adde Cyrilli Hieroſolym. Fontes undè hauriendi.

Ca-

Catecheſes, ab eo adhuc juvene compoſitas; In quibus *Catech.* VI. explicat illud Symbolum quod recitabant *οἱ φωτιζόμενοι illuminati*, ſeu ſiſtentes ſe ad Baptiſmum, hinc Symbolum Hieroſolymitanum; non tamen ibi conditum ab ipſis Apoſtolis, ſed deinceps in uſum illius Eccleſiæ elaboratum. Ità quod dicitur Symbolum *Damaſi* Romani Epiſc. non fuit reverà niſi Symbolum Conſtantinop. ejus tempore indictum, etiam ejus ſuaſu, ex Epiſt. Damaſi Romæ impreſſis, & Actis Concilior. hinc illud Romanæ Eccleſ. Officio inferri juſſum, ſi fides Platinæ in Damaſi Vitâ. Symbola alia recitata paſſim in ſcriptis Victorini, Hilarii, Epiphanii, Gregorii Nazianz. Baſilii, Hieronymi, &c. prioribus conſona, mittimus. Ne de *Athanaſiano* dicam, cujus prima in Occidente mentio, ut Athanaſii, occurrit in ſcriptoribus *Sec.* XIII. juxtà Voſſium; & ex Scriptis potius Athanaſio tributis conſarcinatum, circà Caroli Magni tempora, vult idem Gerh. J. Voſſius Diſſertat. *De Tribus Symb.* Sed ab Uſſerio Armachano hoc nomine reprehenſus, *Præfat.* de Symbolis, qui jam Caroli Calvi temporibus fuiſſe Athanaſio tributum, id eſt, *Sec.* IX. & *Fidei Catholicæ* nomine vulgatum, aut inſcriptum circà tempora *Gregorii* I. contendit. Eſt & *Syntagma Fidei*, quod aliquot ab hinc annis ſub nomine *Athanaſii* edidit Vir longè Doctiſſimus Andreas Arnoldus, ſaltem ut ferebat Inſcriptio Codicis Voſſiani: Sed eidem abjudicant Viri alii non obeſarum narium, arbitrati vel inſcitiâ vel fraude Monachorum Athanaſii nomen Opuſculo huic, uti aliis plurimis, fuiſſe præſcriptum, & id ex profeſſo egit Vir Eruditiſſ. atque in dies de Republ. Literariâ benè mereri pergens, Jacobus Baſnagius Epiſt. ad eundem Arnoldum V. Cl.

2. Ex *Conciliorum* hujus Ætatis quæ ſuperſunt Actis, & Canonibus: Inter quos ſunt Canones *Illiberitani* LXXXI. & qui in *Codice Eccleſiæ Univerſæ*, & in altero Eccleſiæ *Africanæ* comprehenſi, illuſtrati hi præ cæteris à Chriſtoph. Juſtello, Viro Eximio, & à Rever. Beveregio, Presbytero Britanno. Illiberitanis, ſub initia hujus Seculi natis, lucem adferre tentarunt Binius, Loayzas, Albaſpinæus, Mendoza, Gonzalez, alii; promiſerat ſymbolam ſuam Illuſtris Salmaſius, ſed pollicitis quandoque dives. Adde ſacratiſſimas *Conſtitutiones*, in Codice Theodoſiano, cumprimis *Titulis* de Fide Catholicâ, & de Hæreticis, *Lib.* XVI. commentante ad ſingulas Jacobo Godofredo.

3. Ex genuinis *Patrum* ac *Scriptorum* hujus Ævi monumentis, qualia ſunt propemodùm innumera, Euſebii, Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Nazianzeni, Ambroſii, Epiphanii, Hieronymi, cæterorum, de quibus infrà C. XI. de Doctoribus hujus Sec.

Summaria Capita.

De Canone, & ſufficientiâ Scripturæ Sacræ.

II. Ex his omnibus abundè liquet, quæ Capita pro fide *Catholicâ* habita fuerint, quæ contra pro *Hæreticâ*. Exempli causâ: De *Canone* Scripturæ S. eadem ubique cum Hebræis Librorum Canonicorum recenſio eſt, in ſcriptis Euſebii, Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Epiphanii, & Canone Laodiceno ultimo, in quo inter βιβλία τῆς παλαιᾶς διαθήκης, nullus comparet Apocryphorum, *Barucho* uno Jeremiæ adjuncto. Loca apud noſtros obvia ſunt. Hi ſoli Libri γνήσιοι, κανονιζόμενοι, ἀληθεῖς, θεόπνευστοι, ἐνδιάθηκοι, ἔγκριτοι, ἀναγινωσκόμενοι, facientes ad *auctoritatem dogmatum*, &c. Licet & alii eſſent ab Helleniſtis accepti, dicti *Eccleſiaſtici*, *legendi* fortè *Catechumenis*, ad *ædificationem plebis*, tanquàm χρήσιμοι, ὠφέλιμοι, *perutiles* ob doctrinam pietatis, ut pluribus ex Athanaſio, aut ſaltem illi tributâ *Synopſi S. Script.* Hieronymo *Proœm.* in Proverb. Salomonis, Epiphanio *de Pond. & Menſ.* &c. à Theologis oſtenſum, & multis à Chamiero noſtro.

De S. Scripturæ *auctoritate*, *ſufficientiâ*, *interprete Spiritu S.* eâdemque ſolâ in Controverſiis *normâ*, *judice*, teſtimonia ubique occurrunt, in Patribus hujus Ævi, & in Actis Synodorum, luculenta. Adi Magdeburgenſes, Chemnitium, Whitakerum, Chamierum, Meſtrezatium, Uſſerium, Molinæum, Forbeſium, &c. aut ſi vis Antonium de Dominis, *de Reb. Eccleſ. Lib.* VII. ab initio. Ac profeſſus idem coràm Patribus Nicænis Conſtantinus M. apud Theodoretum, *Lib.* I. *C.* VII. ut omnium τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν, *controverſorum ſolutionem* ex ſcriptis Euangelicis, Apoſtolicis, & Propheticis, acciperent Patres. Quod & factum. Ac multus præ cæteris Athanaſius, demonſtraturus τὴν αὐτάρκειαν, τὴν ἱκανότητα, τὴν ἀσφάλειαν Scripturæ S. & Canonicæ, adeò ut quæ οὐκ εἶπεν ἡ γραφή, οὐχ εὑρήσεις, de *Trinit. Dial.* II. *T.* II. & paſſim. *Omne quod loquimur debemus affirmare de Scripturis S.* ità Hieronymus *in Pſ.* XCVIII. *T.* VIII. 145. *Ut hæc quæ ſcripta ſunt non negamus, ità ea quæ non ſunt ſcripta renuimus*, idem adversùs *Helvid. T.* II. Et Ambroſius *Officior. Lib.* I. *C.* XXIII. *Quæ in Scripturis S. non reperimus, ea quemadmodùm uſurpare poſſumus.* Atque ita quicquid Latinorum & Græcorum Patrum eſt. Nec compilatorum farrago dictorum hujus eſt aut loci, aut inſtituti; quorum prolixa ſeries vel in edito nuper apud Oxonienſes ſcripto Joh. Barneſii, Benedictini Angli, in *Catholico* ſuo *Romano*, *Sect.* I.

Doctrina Trinitatis, etiam antè Arium damnata.

De *S. Trinitate* adeò *Catholica* fides fuit, ut vel ex uno hoc Capite æſtimanda illa venerit; ut hæc vulgò habita ſit *regula* fidei; ut ſoli hanc amplexi *Chriſtiani Catholici* cenſerentur; ut de eo Capite *contendere* nefas per Conſtitutiones fuerit, quales Gratiani, Valentiniani, Theodoſii M. &c. in *Codice utroque*. Nec modò *poſt* Arium damnatum, hæc Chriſtianorum eo Seculo fides fuit, cum quo condemnata Hæreſis Paulianiſtarum, Photini, Macedonii, ſed & *antè* hanc damnationem: 1. Ex uſitatis tùm *Hymnis*, & *Doxologiis*, & *baptizandi* formulâ, cum relatione ubique ad S. Trinitatem. 2. Ex Symbolo *Alexandrinæ* Eccleſiæ, quod Arius poſtmodùm Conſtantino obtulit, apud Socratem, Sozomenum, ſimulans ſe Orthodoxum. 3. Ex *Orientalium* Eccleſiarum confeſſione, quam *Euſebius* Cæſarienſis in Concilio ipſo recitavit; habeturque apud Athanaſium, Socratem, Theodoretum, Gelaſium Cyzicenum. 4. Ex unanimi conſenſione Patrum in *Nicænâ* Synodo, uno fortè aut altero exceptis, de quibus infrà. 5. Ex eo quod Arius primùm haud aliter impeteret ſententiam Alexandri Epiſcopi, quàm quod cum *Sabellio* ſentire Alexandrum arbitraretur; undè facilè fuit Ario, vicinas Ægypti, Libyæ, Thebaidis Eccleſias in conſenſum trahere, ex Socrate *Lib.* I. *Cap.* V. 6. Quod verò dixit Hieronymus, Adverſ. Lucif. *ingemuiſſe totum orbem*, *miratum ſe Arianum eſſe*, non ſpectat ad illud tempus quo primùm Arius exortus eſt, ſed ad tempora Valentis Imp. poſt ſancitam formulam Ariminenſem, & diſpunctas voces οὐσίας & ὁμοουσίου. Undè fraus patet nuperi *Enucleatoris* Hiſt. Eccleſ. *Lib.* II. omnia iſta ſic referentis, quaſi ſub ortum controverſiæ inter Alexandrum & Arium, totus Orbis fuiſſet Arianus. Adde demonſtrationem *Trinitatis* in ſuperioribus Seculis, ubi de *Doctrinâ*; quam cauſam egerunt ſolidiſſimè in Britannis Theologis, Samuel Gardinerius, & Georgius Bullus, in *Defenſione* Fidei Nicænæ, contrà Sandium, & Epiſcopium.

Capita alia controverſa.

Ex iiſdem documentis patet, fundamentalis hoc Seculo doctrina, de *Incarnatione Verbi*, deque *duabus Naturis*: Undè damnatæ Hæreſes Arii, Eunomii, Photini; & aſſertæ familiares voces ἐνσαρκώσεως, ἐνανθρωπήσεως, ἐνσωματώσεως, ἐπιδημίας ἐν σαρκί, παρουσίας θεανδρικῆς, ἀναλήψεως, θεοφανείας. Hinc θεοφάνια & ἐπιφάνια dictus dies Nativitatis Chriſti, & tradita luculenter partim θεολογία, ut & de Spi-

ritu

ritu S. contrà Eunomianos, Macedonianos, magno vindice Gregorio Nazianz. partim οἰκονομία, quæ in Incarnatione & Officio Mediatorio apparuit.

De Satiſfactione. De *Satiſfactione* pro peccatis, ſeu mortis & ſanguinis Chriſti fine, fructu, efficaciâ, ubique ea Solis radiis aſſeritur. Hinc Chriſtus paſſim, in Scriptis hujus Ævi, factus ἀντίψυχον, ἀντίλυτρον, ἱκανὸν τῷ θανάτῳ, ἱλασμὸς, θυσία, καθαρισμὸς, &c. Sic ejus morte, ſanguine, *peccatum* abolitum, expiatum, expurgatum, *mortem* extinctam, *maledictionem* ablatam, *mundum* redemptum, *ſalutem* partam, &c. Loca ipſa congeſſit pridem Hugo Grotius, ad calcem Libri de *Satiſfactione*, deinde Theologi alii in vulgus noti, qui idem pertractarunt *argumentum*, ex Euſebio, Macario, Athanaſio, Hilario Pictav. Optato Milevit. Cyrillo Hieroſolym. Baſilio, Nazianzeno, Nyſſeno, Ambroſio, Epiphanio, Hieronymo, &c.

De Eccleſiâ Catholicâ. *Eccleſiam Catholicam*, non aliam hoc Seculo intellexêre, quàm 1. Quæ *Catholicè*, id eſt, Orthodoxè crederet, doceret, Catholicam fidem reciperet, cumprimis in capite de *S. Trinitate*, & *Chriſto*, oppoſitè ad Hæreſes Arianam, Photinianam, reliquas: 2. Quæ καθόλε ſeu *ubique diffuſa*, ratione locorum & perſonarum, toto Orbe Romano, imò etiam per Provincias Barbaricas. Patet ex definitione non unâ Athanaſii, ut in *Epiſt. ad Serapionem*, de Spiritu S. & *ad Jovianum* de Fide, *Tomo* 1. ità Cyrilli Hieroſolymit. *Catecheſi* XVIII. Optati Milevit. contrà Parmenianum, *Lib.* 1. & paſſim ex Imperatoriis Conſtitutionibus. Ac ſicubi *Romana* Eccleſia dicta *Catholica*, etiam eodem nomine venit Alexandrina, in *Epiſt.* Liberii ad Conſtantium, & paſſim omnes aliæ quæ fidem Catholicam cuſtodirent. Adde apud Hieronymum, *Epiſt.* LXXXV. ad Euagrium, diſtinctionem inter *Eccleſiam Romana Urbis*, quæ particularis, & *Eccleſiam Romani Orbis*, diffuſam κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, inter *Nationes omnes unum Chriſtum adorantes*, *Romanorum* ſcilicet gaudentes nomine & privilegiis. Quomodò in ſpecie Græci deinceps *Romani* ſunt appellati.

De Gratiâ & Annexis. De *Gratiâ Dei*, cui totum ſalutis opus debeatur, quæ etiam liberrimè diſpenſetur, ut nemo niſi *arrogans* dicat, ſe *meruiſſe gratiam*, ſicut loquitur Ambroſius, *de Vocat. Gent. L.* 1. *C.* VII. Plura Gerh. Voſſius, in Hiſtoriâ Pelagianâ, *Lib.* III. *& ſeq.* Cornelius Janſenius in *Auguſtino*, & Henr. de Noris, hodie Purpuratis adſcriptus, qui & edidit Pelagianam Hiſtoriam; de quibus nos ad ſequens *Secul.*

De *Corruptione* ſeu *Peccato originali*, ab Adamo in omnes derivato, tùm generatione, tùm imputatione, expreſſiſſimis teſtimoniis Baſilii, Cyrilli Hieroſ. Chryſoſtomi, Ambroſii, Hieronymi, &c. apud dictum Voſſium, Hiſt. Pelag. *Lib.* II. *Th.* 1. *&c.* & fuſiùs apud Janſenium, *de Statu Nat. Lapſæ*, ne Theologos noſtrates dicam. A *maculatâ conceptione* & reatu neminem hominum Patres illi excipiunt, nec auditum adhuc portentum Monachale poſterioris ævi, *Immaculatæ Conceptionis* B. Virg. Mariæ; de quâ loco ſuo.

De Juſtificatione. De *Juſtificatione per fidem*, & quidem *ſolam*, oppoſitè ad juſtificationem Operum, ad merita quævis noſtra, ad mercedem, &c. diſertiſſimis verbis apud Ambroſium non ſemel, *in Cap.* III. & IV. *ad Rom.* Et quos alios in *Latinis* & *Græcis* citant in hanc rem Theologi, ipſeque Georgius Caſſander in *Conſult. C.* IV. Joannes Barneſius, in *Catholico-Romano* C. V. &c. Exceptiones ad dicta Patrum hujus Ævi, apud Chamierum *Panſtrat.* T. III. L. XXII. qui unus eſt omnium inſtar, ne Dav. Pareum in ſuis contrà *Bellarm.* de Juſtificatione, & alios dicam.

De Sacramentis. De Sacramentorum *Baptiſmi* & *Euchariſtiæ* uſu, ſignificatione, efficacia; Manentibus ſcil. ſymbolis, etiam ſanctificatis, id quod ſunt *in naturâ*, ſed quæ facta (in Euchariſtiâ) Corpus & Sanguis Chriſti *in figurâ*, id eſt, hujus *ſignum*, *ſymbolum*, *memoriale*, *imago*, *ſacramentum*, *typus*, *antitypum*, *pignus*, σύμβολα, ἀντίτυπα, εἰκόνες, μυστήρια, ὑπομνήματα, &c. ut paſſim loquuntur. Undè iiſdem dicta βρῶσις πνευματικὴ, & verba Chriſti πνευματικῶς accepta. Fusè hanc cauſam præ cæteris in Gallis egerunt Mornæus, Blondellus, Albertinus, Claudius, Laroquanus in *Hiſt. Euchar.* Ità nullam fuiſſe adminiſtrationem Euchariſtiæ, hoc & ſequentibus Secul. niſi in *utraque ſpecie* Panis & Vini, fatentur cordatiores in Adverſariis. Sic *Panem* & *Vinum* pro talibus adhuc habita, poſt Conſecrationem, clariſſimis documentis patet, vel ex antiquis Liturgiis, & Conciliis hujus Ævi Ancyrano, *Can.* II. Neo-Cæſarienſi, *Can.* XIII. Laodiceno, *Can.* XXV. &c.

Locus ex Chryſ. ad Cæſar. Et ut mittamus loca ex Patribus obvia, unum addimus ex *Epiſt.* nuperâ Chryſoſtomi, tempore ſecundi exilii ſui ſcriptâ, ad *Cæſarium* Monachum, Amicum ſuum ſingularem, quem in Apollinaris & Συνουσιαστῶν Hæreſim prolapſum acceperat; quæque anteà Græcis Patribus notiſſima, ſuperiori Seculo à Petro Martyre adhuc Cænobitâ inter Florentinos, primùm citata & deſcripta, ex MS. Florentiæ reperto, non indicato tamen loco ubi ea deliteſceret. Dein in Angliam quum detuliſſet Martyr, & apud Cramerum depoſuiſſet, ſub truci Mariâ MS. illud cum reliquis Crameri periit. Noſtro autem tempore è tenebris tandem erutum, licet Græcè mutilum, & à variis in Angliâ, & in Belgio hoc noſtro, publici juris factum; Latinè quidem à Stephano le Moyne, in Variis Sacris, & cum Fragmentis Græcis à Jacobo Baſnagio A. 1687. additis eruditis Diſſertationibus, & Præfatione Emerici Bigotii, in dictam Epiſt. Chryſoſtomi. Nempè verba quæ huc faciunt, oppoſita Hæreſi Apollinaris, ſtatuenti Corpus Chriſti eſſe *animatum* à Divinitate, ita ut Natura Humana eſſet facta *Conſubſtantialis* Divinæ Nat. ſeu ab illa non diſtincta, ità habent: *Sicut enim, antequam ſanctificetur Panis, Panem nominamus, divinâ autem illum ſanctificante Gratiâ, mediante Sacerdote qui conſecrat, liberatus eſt quidem ab* appellatione Panis, *dignus autem habitus eſt* Dominici Corporis appellatione, *etiamſi* Natura Panis in ipſo permanſit, *& non duo Corpora*, *ſed* unum Corpus *Filii prædicatur*; *Sic & hîc Divinâ inſidente* (ἐνιδρυσάσης, al. ἐνιδρυμένης) *Corpori Naturâ*, *unum Filium*, *unam Perſonam*, *utraque hæc* (diſtincta tamen) *fecerunt*. Nec exceptionem patiuntur verba, *Etiamſi natura panis in ipſo permanſit*; quæ aliis ejuſdem Chryſoſtomi locis abundè confirmantur.

De mutat. quæ fit in Euchar. Ità *Tranſſubſtantiationis* portentum, quaſi id voluerint Patres hujus Ævi Greg. Nyſſenus, Joh. Chryſoſtomus, aliique, appellantes μεταστοιχείωσιν, μετατύπωσιν, μεταμόρφωσιν, μεταποίησιν, μεταβολὴν, penitùs evertunt 1. Perpetua ἐπεξήγησις addita, manere naturam Panis, ſed fieri eundem Corpus Chriſti, συμβολικῶς, μυστικῶς, πνευματικῶς, *Symbolicè*, *Sacramentaliter*, *Spiritualiter*, ſeu ut in Liturgiis, eſſe Panem & Vinum ἀντίτυπα Corporis & Sanguinis Dominici. 2. *Voces* eædem ab ipſis adhibitæ, ubi de mutatione *Aquæ* in ſanguinem Chriſti, quæ fit in *Baptiſmo*; ità de mutatione quæ fit in ipſo *Baptizato*; de eâ quæ fit per Regenerationem in *Regenito*; & de *morali* quacunque mutatione, quando rei mutatur uſus, habitus, figura, modus, reſpectus, non profectò cum amiſſione prioris ſubſtantiæ. Ita Græcis μεταστοιχειοῦσθαι dicuntur perſonæ, ratione *corporis*, quando ejus mutatur vel habitus, vel ſtatura, vel utrumque; ratione *animi*, quando mutatur ex pravo in bonum, ex carnali in ſpiritualem, ratione habitûs vel infuſi, vel acquiſiti. Greg. Nazianzenus,

Orat.

Orat. XX. p. 363. T. I. de ſe ipſo loquens, quum legeret Orationes Baſilii; Ἄλλος ἐξ ἄλλου γίνομαι, τὴν θείαν ἀλλοίωσιν ἀλλοιούμενος, quod de *mutatione* morali, Spirituali dixit. Et ſic quoque dixere, eum qui edit *Carnem Chriſti*, modo debito, μεταστοιχειοῦσθαι *transfigurari* in ipſum Chriſtum, ut pluribus Salmaſius contrà H. Grotium. Sed non jam diſputamus. Et planè ſic phraſes uſitatæ, panem & vinum *fieri* Corpus & ſanguinem Chriſti, per invocationem S. Trinitatis, ſcil. μυστικῶς, συμβολικῶς, &c. ut Baptiſmum fit *Lavacrum regenerationis*, ut per gratiam regenitus fit *Novus homo*. Idem dicendum de *Euchariſtiâ* quatenùs hoc Seculo vocatur θυσία *Sacrificium*, ut dictum aliàs, & adhuc infrà. Sic *ſpecies* panis & vini, ſi quando dicuntur Latinis Patribus, Ambroſio, Auguſtino, &c. aut ſub ſpecie panis & vini tradi Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, intelliguntur non jam nuda accidentia, ſed ipſa *ſubſtantia* panis & vini, in quibus lateat Sacramentum Corporis & ſanguinis Dominici; imò antè Conſecrationem, panem & vinum *ſpecies* vocant, τὰ εἴδη. Et ſic vox *ſpecies* apud Latinos, & Juriſconſultos, ut Vini ſpecies, Tritici ſpecies, Olei ſpecies, & hinc *aromata* Gallis hodieque *eſpiceries*; quomodò apud Gloſſatores Græcos, εἶδος τοῦ ἄρτου redditur per τὸν ἄρτον.

De Cultu ſolius Dei.

De cultu *ſolius Dei* religioſo, excluſivè ad Creaturas quaſcunque, nullo jam diſcrimine inter θρησκείαν, δουλείαν, λατρείαν, προσκύνησιν, σεβασμὸν, σεβάσμιον τιμὴν, ut dicunt cultum religioſum, &c. At τιμὴν ſimpliciter honorem tribuere ſeſe *Mariæ*, diſertè Epiphanius, contrà Mariolatras, *Hær.* LXXIX. Loca in hanc rem expreſſa (quemadmodùm pro reliquis *Symbolorum* & *Confeſſionum* capitibus) peti abundè poſſunt ex Magdeburg. Flacco Illyrico in *Catal.* Appendice Harmoniæ Confeſſion. Sculteti Medullâ, & ex Theologis, qui de ſuprà dictis Capitibus ex Antiquitate diſputarunt, exceptionibus adverſariis diſcuſſis, ut Chemnitio, Chamiero, Molinæo, Riveto, Willeto, Uſſerio, Dallæo, Blondello, Gerh. Voſſio, Salmaſio, Aubertino, Joh. Forbeſio, Pearſono, &c. Adde in Capitibus de Naturâ & Gratiâ Janſenium, ac ſæpè confitentem reum Petavium in Opere de *Dogmatibus Theolog.* ex Patribus IV. Seculi prolixè diſputantem. Nec plura hujus jam loci ſunt, ingens aliàs foret Mare ſubeundum, aut Sylva decurrenda. Ac ſuffecerit *Doctrinæ* ſpecimen, ad priora minuſque fœcunda Scriptorum Secula, aperuiſſe; undè velut ex ipſis fontibus doctrinæ rivi hoc Ævo, per tot Eccleſiarum irrigua ubertim diſtributi, in latiſſimos ſeſe amnes diffuderunt.

Phraſiologiæ Patrum hujus Ætatis, ſenſu diverſo ab illo ſequioris Ævi.

III. Nec verò quemquam offendant *Phraſiologia* Patrum ac Scriptorum hujus Seculi, uſurpatæ illis quidem ſaniore ſenſu, in ſequiorem deinceps accepti, mutatâ ſignificatione. Exempli causâ: Voces *merendi*, *meriti*, *boni meriti*, apud Ambroſium, Hieronymum, Damaſum, Auguſtinum, &c. Quibus, omnium ferè conſenſione, *mereri* eſt conſequi, obtinere, impetrare; *meritum* eſt opus ad quod ſequitur gratiæ beneficium; *bona merita* ſunt bona opera; *meritum fidei*, *confeſſionis*, ſunt fructus utriuſque; *merita Sanctorum*, ſunt facta eorundem, ex fide, quæ excepit donum gloriæ. Sic Sulpicius Severus, hujus Seculi expirantis ſcriptor, *Hiſt. Lib.* I. Ità XV. *annos prorogari ſibi ad vitam meruit* Ezechias.

Mereri.

Satisfacere.

Voces *ſatisfactionis*, *ſatisfaciendi*, *redimendi* peccata, paſſim apud eoſdem: Quibus *ſatisfacere*, *ſatisfactio*, vel dicitur Eccleſiæ reſpectu, per reparationem ſcandali, quæ fiebat per publicam *Pœnitentiam* Canonibus Eccleſiæ ſancitam; Vel ſi Dei reſpectu, uſus loquendi plebejus eſt, quo *Deo ſatisfacere dicitur qui Deo ſupplicat, ſicut homini offenſo ſatisfacere*, qui *veniam precatur*, ex Ambroſio *de Pœnit. Lib.* II. *Cap.* X. Sic & Jureconſulti loquuntur. Ità *catachreſticè* apud eundem, *redimere peccatum*, ſcil. orationibus, lachrymis, pœnitentiâ, filum ejus abrumpendo, & *emendando* peccatum contrariis operibus.

Voces *Libertatis*, *Voluntatis*, *Liberi Arbit.* quod acriter ſubindè defendunt, nempè de eâ *libertate* quæ hominis propria eſt, oppoſitâ *neceſſitati* Cauſæ extrinſecùs cogentis, vel Naturæ intrinſecùs determinantis; ſed ſalvâ operatione *Gratiæ*, hujuſque *neceſſitate* & *efficaciâ*, ad opus ſupernaturale. Quanquàm τῇ συνεργείᾳ ac *cooperationi* Arbitrii, ſed à Deo jam illuminati, inſpirati, ut & ταῖς διαθέσεσι ac *diſpoſitionibus* ad converſionis Gratiam, quandoque nimiùm tribuunt, antè *Pelagium* incautiùs; Dùm etiam contrà *Manichæos*, libertatem omnem homini adimentes, diſputarent, tuiti τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ προαιρετικὸν creaturæ rationalis.

Liberum Arbitrium.

Vox *Indulgentiæ* frequentiſſima, nempè, pro mitigatione pœnæ Canonicæ, jam injunctæ; ſeu pro moderatione rigoris Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in ordine ad Pœnitentes, κατ' ἐπισκοπικὴν διάκρισιν, habitâ ratione ætatis, dignitatis, infirmitatis, ut infrà. Nunquam tamen dixerunt *Indulgentiæ*, relaxationem pœnæ debitæ judicio *Divino*; aut *totalem* remiſſionem pœnæ Canonicæ; aut indulgentiam in ordine ad pœnam *injungendam*; aut applicationem neſcio quam *ſuperabundantium* ſatisfactionum Chriſti, Virginis, Sanctorum, quæ in Eccleſiæ Theſauro aſſerventur; aut indulgentias in ordine ad *mortuos*, mitigandæ pœnæ in Vitâ alterâ. Nec earum diſpenſatio aut diſtributio cenſita, ex hujus Seculi ſententiâ, penes ſolum *Papam Romanum* eſſe, & ab illo ut fonte & radice derivari. Minùs vel *nummis* redemptæ Indulgentiæ, vel *pretio* à Pontifice conſtituto.

Indulgentiæ.

Vox *Pœnitentiæ*, ſenſu apud Patres metonymico, pro publicâ ejuſdem profeſſione, ſecundùm Canones diſciplinæ; Vel pro ſignis & adminiculis externis, pœnitentiæ, teſtandæ in facie Eccleſiæ. Ab hac dicti μετανοοῦντες, quorum diverſi gradus. Nunquam verò ea pœnitentia fuit injuncta, poſt *abſolutionem*, ſed ſemper hanc præceſſit; nec ea durante admiſſi Pœnitentes ad Communionem *Euchariſticam*; uti nec novit Eccleſia hujus Seculi *pœnitentias* in plurali, & multitudinem operum pœnalium, flagellationes, peregrinationes ad loca ſancta, demurmurationes precum, &c. Præceſſit μετάνοια abſolutionem, eaque pro delictis propriis, & ſcandaloſis, cum privatione S. Synaxeôs, ad complures annos, ut plurimùm.

Pœnitentia.

Vox *Exomologeſeôs*, *Confeſſionis*, accepta de Confeſſione publicâ, in cœtu Eccleſiæ, ἐνώπιον πάντων, in ordine ad peccata ſcandaloſa: Privata tantùm in ordine ad delicta minùs vulgata, minùs publica, ſed tamen gravia; quam verò ſuſtulit Nectarius Conſtantinopolitanus ſub finem hujus Seculi, ut ſuo loco. Ignota planè Confeſſio, quæ dicitur *Auricularis*.

Confeſſio.

Vox *Sacramenti*, latiſſimo hac Ætate ſignificatu, modò pro ſacro ſecreto, ſeu *myſterio* religionis, undè *Sacramentum Fidei*, & *Incarnationis*: Modò pro quovis *ſacro ſigno*, qualia etiam Matrimonium, Impoſitio manuum, Unctio infirmorum: Modò pro eo quod *ſanctum*, vel *conſecratum* eſt, quomodò etiam Ordinem ſacramentum dixêre, ſic Eulogias, &c.

Sacramentum.

Vox *Miſſæ*, notans primò Latinis veteribus *miſſionem*, ἀπόλυσιν, undè *Miſſa catechumenorum*, *Miſſa fidelium*; dein & conventum ſacrum, preces publicas, cantiones, undè *Miſſæ matutinæ*, *veſpertinæ*, *nocturnæ*; & *miſſas facere* pro ἐκκλησιάζειν, συνάγειν, pridem obſervante Caſſandro *in Liturg.* ac nuper Bona

Miſſa.

Car-

Cardinale. Quando de Sacris Euchariſticis vox accepta, dicimus infrà.

Altare.

Vox *Altaris* Patribus quarti Seculi impropriè uſurpata, pro *menſâ* ſacrâ in medio collocatâ, ſuprà quam oblata à populo diſponebantur, aliàs ἱερὰ τράπεζα, & ſuprà quam fiebat *conſecratio* ſymbolorum. Undè ipſa Euchariſtia dicta metonymicè τράπεζα *menſa*, ut pluribus à Doctis oſtenſum. Vox autem *Sacrificii*, θυσίας, manſit in ſacris Euchariſticis, tum *metonymicè* propter commemorationem veri ſacrificii, vel Lombardo explicante, undè θυσία ἀναμνήσεως, & ἀναίμακτος. Tùm *metaphoricè*, ob preces, gratiarum actiones, oblationes ſpirituales, undè θυσία νοητὴ, πνευματικὴ, λογικὴ, ἄυλος, ἄκαπνος, & precum θυμιάματα, προσφοραί. Tandem *catachreſticè*, propter oblata à populo in uſum Euchariſticum ſymbola panis & vini, quæ hinc προσφοραὶ, δῶρα, ἅγια δῶρα, *oblata*. De vocibus μεταβολῆς, μεταμορφώσεως, μεταστοιχειώσεως, &c. jam dictum eſt ſuprà.

Sacrificium.

Jejunium, Quadrageſima.

Sic uſurpatæ Voces *Jejunii*, *Quadrageſimæ*, τεσσαρακοστῆς. Dùm prior, hoc etiam Seculo, dixit totalem abſtinentiam, ab omni cibo, uſque ad veſperam, vel certè uſque ad nonam ab ortu Solis; poſterior, dixit etiam jejunium quodvis, dierum unius, plurium, ſpeciatim *hebdomadis* ante-Paſchalis, variâ praxi Chriſtianorum. Et *quadrageſimam* primùm dictam ab *horis* XL. quibus circiter abſuit Sponſus, à morte ad reſurrectionem illius, quibuſque primò jejunatum fuit, eſt jam obſervatum. Romanos autem *tribus* tantùm *ſeptimanis antè Paſcha*, *jejunaſſe in Quadrageſimâ*, H. Valeſius ad Socrat. *Lib.* V. C. XXII. Quod refutat Mabillonius *Comment.* in Ordinem Rom. p. CXXVII. præfixo T. II. Itin. Italici; & inter ſe litigant, quænam ſeptimana *Mediana* fuerit appellata, & quare?

Dulia. Veneratio.

Voces *duliæ*, *latriæ*, *venerationis*, quæ de religioſo cultu acceptæ, ſolius Dei cultum notant hujus & priorum ætatum Scriptoribus: Nuſquàm v. gr. *duliâ* relatâ ad homines, niſi fortè pro cultu charitatis, dilectionis, ſocietatis, in ordine ad vivos: Quomodò & *veneratio* illis frequenter eſt honos non religioſus, uti *ſenum veneratio*, ſic *veneratio reliquiarum*, &c. Sed hæc obvia.

Voces Papæ, Capitis, Patriarchæ, &c.

Voces *Papæ*, *Patriarchæ*, *Cardinalis*, *Capitis*, ſimiles in Eccleſiaſticis *Ordinibus*, & *Dignitatibus* innumeræ, diverſiſſimo à poſteriorum ſenſu. *Papa* v. gr. quivis Epiſcopi, tanquàm Patres, πάππαι. *Patriarchæ* etiam ſequenti Seculo, pro Metropolitanis, vel primis in unâ gente Epiſcopis, aut Exarchis Diœceſeôs. *Cardinales* Presbyteri, Diaconi, pro primis, vel præcipuis Presbyterorum, Diaconorum, quacunque eſſent in Eccleſiâ. *Caput Eccleſiarum*, pro primâ ordine, dignitate, quomodò & vocant Conſtantinopolim, Hieroſolymam; *Caput Apoſtolorum*, pro primo vel ſeniore inter Apoſtolos, &c. De quibus loco ſuo.

Traditiones.

Sic Vox *Traditionis*, frequentiſſima Patribus & prioris & hujus Ætatis: Quo ſæpè nomine deſignant *Scripturas* ipſas, traditione majorum acceptas; aut dogmata in Scripturis tradita; aut receptam Conſuetudinem Eccleſiæ; aut traditiones Hiſtoricas, Rituales, Facti, &c. Nunquàm verò Traditiones hodiernas non ſcriptas, eaſdemque de neceſſitate *fidei* vel *morum*. Sed de his fusè Theologi.

Nec plura huc congerere licet, doctiſſimis quandoque Latinorum hunc vocum uſum ingenuè faſſis, uti poſt Lombardum, Durantum, & vetuſtiores, Polyd. Virgilio, Caſſandro, Barneſio, Eſpencæo, Albaſpinæo, Rigaltio, Launoio, Valeſio, Sirmondo, de Marcâ, Joh. Bonâ, ac ipſo nuper Epiſcopo Meldenſi, in *Expoſ. Fidei Catholicæ*.

Singulorum Patrum errores.

IV. *Singulorum* verò Patrum particulares ſubindè errores, quales ſanè in *genuinis* eorum ſcriptis conſpicui, (nam innumera iis Patribus, Athanaſio & cæteris, affícta ſunt) neutiquam imputandi ſunt *Catholicæ* Eccleſiæ hujus Ætatis. Cujuſmodi ſunt v. gr. Principia *Philoſophica* adhibita ad *Myſteria* fidei explicanda, quod inter alios *Greg. Nyſſeno* uſu venit; Error de Spiritu S. ut non ſubſtantiâ, obſervante Hieronymo *Epiſt.* ad Pammach. LXV. Sic de Militia & judiciis Capitalibus ut Chriſtiano illicitis, &c. apud *Lactantium*; Ille de *Chriſto* paſſionis & doloris experte, apud *Hilarium*; De rebaptizandis Hæreticis apud *Baſilium*, ex vetere Africanorum & Aſianorum hypotheſi; De ultimo igne examinatorio, purgatorio, ex Origene, apud *Baſilium*, *Nyſſenum*, *Hilarium*, *Ambroſium*, &c. De Diabolo ſperante miſericordiam antè Chriſti adventum, apud *Epiphanium*; De Libertate arbitrii humani ad ſpirituale bonum, apud *Chryſoſtomum*; De naturæ humanæ ex Adami integritate, apud *Eundem*; De Animabus Fidelium cœlo excluſis ad tempus Reſurrectionis, apud *Lactantium*, *Victorinum*, *Chryſoſtomum*, &c. De Animâ humanâ ex traduce, apud *complures*; De Angelis corporeis, apud *Ambroſium*; De Providentiâ Dei non ad res infimas & viles extenſâ, apud *Hieronymum*; De probro Conjugii & Digamiæ, apud *Eundem*; De æternis cruciatibus infantum ſine Baptiſmo decedentium, deque Purgatorii quodam loco, apud *Auguſtinum*; cujus & errores alios, ſalvâ tamen reverentiâ tanti Nominis, ſubnotarunt Viri Docti. Cumprimis id agit Joh. Dallæus de *uſu Patrum*, poſt Chamierum, alioſque, oſtenſurus non fuiſſe ἀναμαρτήτους hos Eccleſiæ Scriptores. Cramben recoquit, pro more ſuo, Natalis Alexander, dùm hos Patres paſſim liberat ab errore ipſis impacto, ſolitis effugiis, *Hiſt.* quam vocat *Eccleſiaſt.* T. VII.

Auctoritas qualis?

Hinc tantùm abeſt, ut Patrum vel dicta, vel interpretamenta, vel ſententias habuerint hoc Ævo pro αὐτοπίστοις, aut normâ, aut judice, aut teſtimonio indubio Apoſtolicæ traditionis, ut ſint luculenta in contrarium effata *Hieronymi* præ cæteris, & *Auguſtini*; Eaque non Dallæo tantùm noſtro, aut Riveto, aut Uſſerio, aut Chamiero, aut Spalatino, ac ſimilibus obſervata, diſputantibus de Auctoritate Patrum, ſed & ipſi Petavio, *Prolegom.* in Theologica Dogmata, *C.* II. *Tomo* I. Et rectè Vincentius Lirinenſis, Seculi ſeq. ſcriptor, in *Commonitore* p. edit. Baluzii, 361. *Sanctorum Patrum conſenſionem nec inveſtigandam, nec ſequendam in omnibus divinæ Legis quæſtiunculis; ſed ſolùm, certè præcipuè, in fidei regulâ*, quæ ſcil. ad ſubſtantiam fidei Chriſtianæ, & Symboli Apoſtolici, pertineant. In hanc ſententiam ſæpè Hieronymus, *Epiſtolis* ad Theophilum Alex. ad Pammachium & Ocean. in *Apol.* contrà Ruffin. L. II. *Apoſtolos ſemper vera dicere, reliquos* Tractatores *in quibuſdam ut homines errare*; *Erraverunt alii, tam Græcæ quàm Latinæ* Eccleſiæ Scriptores; *Antequam Arius naſceretur, innocenter quædam & minùs cautè locuti ſunt*, &c. Sic Auguſtinus, Ep. ad Hieronymum XIX. vel juxtà Benedictinos nuperos LXXXII. *Tomo* II. (quæ & inter Hieronymianas extat) poſtquam de *Scripturarum Libris* egiſſet; *Alios ità lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ità cenſuerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt: Nec te, mi Frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo.* Sed de his ex profeſſo in noſtris Dallæus, Rivetus, Theologi alii.

Diſſen-

Digitized by Google

Diſſenſus in Doctrinâ, inter Patres hujus Seculi, & Latinos hodiernos.

I. DE diſſenſu à Papatu hodierno, & Tridentinis Decretis, in *Ritibus*, *Diſciplinâ*, *Eccleſiæ Regimine*, dicimus ad ſequentes Titulos. Hic modo inſigniores quaſdam differentias, in præcipuis *Doctrinæ* Capitibus, ſubnotamus. Nempè ex ſuperioribus liquet:

De Libris Canonicis.

1. Hoc Seculo nondùm receptos fuiſſe in *Canonem*, propriè ac ſtrictè dictum, Libros Apocryphos Teſt. Vet. ut *Maccabæorum*, *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, &c. Quod abundè intelligitur ex Euſebio, Cyrillo Hieroſol. Greg. Nazianzeno, Epiphanio, & ex Synopſi vulgo Athanaſii, ne de Hieronymo, & Ruffino dicam, qui hos pariter à *Canonicis* ſegregant. Et hæc ſunt ἀκανόνιςα βιβλία eidem Athanaſio, & Laodicenis Patribus, *Can.* ultimo, & paſſim Libri ἀπόκρυφοι, ξένοι, παρέγγραπτοι, ἀμφιβαλλόμενοι, ἀντιλεγόμενοι, *Apocryphi*, *Eccleſiaſtici*, *non Canonici*, ex frequenti recenſione Canonicorum, apud dictos modò Auctores: Qui tamen Libri *legerentur Catechumenis*, inter ἀναγινωσκομένους, eidem Athanaſio, ad informationem morum. Contrà eſt Canon Tridentinus, *Seſſ.* IV. & cum *anathemate*.

De Scripturarum ſufficientiâ, Traditionibus.

2. Creditas fuiſſe Scripturas S. *ſufficientes* ad informationem fidei & morum, ad dijudicationem dogmatum, ad demonſtrationem omnis veritatis, ut nemo obſtrictus eſſet credere τὰ μὴ γεγραμμένα, *traditiones non ſcriptas*, nec habentes ἀπόδειξιν ex Scripturis. Hinc *abſque auctoritate & teſtimoniis Scripturarum*, fruſtrà obtendi & *confingi traditionem Apoſtolicam*, Hieronymus in *Agg. C.* I. *Tomo* VI. *p.* 130. Ac conſtantiſſima hæc doctrina & praxis Patrum & Synodorum hujus Ævi, de quâ ſuprà. Secùs autem definitum à Patribus Tridentinis, de *Traditionibus non ſcriptis*, Seſſ. IV.

De Conciliorum auctoritate.

3. *Conciliorum* definitiones, etiam Generalium, non creditas auctoritatis infallibilis, quæ præſtet ſecuritatem fidei. Hinc vulgatum illud Hipponenſis ad Maximinum Arianum, *Lib.* III. *C.* XIV. *T.* VI. *Sed nunc ego nec Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego illius auctoritate, nec tu illius detineris; Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſâ, ratio cum ratione concertet, &c.* Plura ex Athanaſio, & aliis, Theologi, & Spalatenſis *de Rep. Eccleſ. Lib.* VII. *C.* III.

De immaculatâ Conceptione.

4. Immunem creditum neminem à *Peccato Originali*, ſeu à Conceptione maculatâ, & reatu, ne *Mariam* quidem Virginem: Ut prolixè ex Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, aliis, hanc cauſam egit in ipſis Pontificiis, & jam olim, Vincentius de Caſtro-Novo, Magiſter Generalis Dominicanorum, Diſputatione de *Concept. Virg.* P. I. *Cap.* IX. X. XI. Bononiæ & alibi impreſſâ; In qua teſtimoniis Auctorum CCLX. confirmat ſententiam ſuam.

De Juſtificatione & annexis.

5. Aſſertam luculenter doctrinam de Remiſſione Peccatorum, quoad *culpam* & *pœnam*, in *ſolo* Chriſti ſanguine, ſolius Chriſti merito, Satisfactione: Item de Juſtificatione quæ fiat *ſolâ fide*, propter juſtitiam Chriſti, oppoſitè ad juſtitiam propriam, *excluſivâ* illâ diſertiſſimè expreſſâ apud Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Baſilium, Epiphanium, alios: Item de *Certitudine* gratiæ, remiſſionis peccatorum, ſalutis, fide ſcil. divinâ, pariente fiduciam, &c. quæ adhuc doctrina fuit plurimorum in Tridentinis, ac in ſpecie Catharini, quem adi, & Caſſandrum, Bardeſium, ad *Patres* hujus Seculi provocantes, in dictis Opuſculis. Contrà verò ſunt anathemata Tridentina, *Seſſ.* VI. de *Juſtificat.*

De Gratiæ neceſſitate, libertate.

6. Aſſertam itidem doctrinam de *Gratiæ* prævenientis *neceſſitate*, cui totum ſalutis opus debeatur, nullis ad id *Arbitrii* viribus; quæ etiam liberrimè diſpenſetur, non ex præviis operum meritis: Ut poſt ſuorum varios, vel ex uno Auguſtino, prolixè hanc cauſam egit Corn. Janſenius, *Parte* III. additis Hilario, Hieronymo, Epiphanio, aliis hujus Seculi Patribus. Tacemus Janſenii hyperaſpiſtas plures, Arnaldum & alios.

De æqualitate Petri, & Pauli, &c.

7. Hoc adhuc Seculo *creditam æqualitatem* omnimodam Petri, & reliquorum Apoſtolorum: Sic Paulum Petro in omnibus *æqualem*, ſi non majorem fuiſſe, undè & in Sigillis Rom. E. Paulus à dextrâ, Petrus à ſiniſtra. Loca ſunt apud Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Cyrillum Hieroſolymitanum, &c. citata ut M. Antonio de Dominis, aliiſque, ità ipſi Leoni Allatio, de *Perpet. Conſenſ. Lib.* I. *Cap.* III. & IV. Secùs tamen ſequens Latina Eccleſia tradidit.

De Eccleſiæ Romanæ prærogativis.

8. Nuſquam etiam *Eccleſiam Catholicam*, de ſolâ Romanâ dictam eſſe, ridente Pighio, *Eccleſiaſtica Hierarch. Lib.* VI. *C.* III. Sic Romano Metropolitano *exæquatum*, quoad ἐξουσίαν, fuiſſe Alexandrinum, Antiochenum, &c. poſt & Conſtantinopolitanum; *Orientalem* Eccleſiam nullatenus Latinæ fuiſſe ſubjectam; *Pontificatum Oecumenicum*, ſeu dominium Papæ in univerſalem Eccleſiam, ignotum; *Petram* Eccleſiæ, de quâ Chriſtus, creditam Petri fidem, confeſſionem: Quâ de re & infrà ubi de *Politiâ Eccleſ.* & de *Conciliis Oecumen.* Secus contendere cœperunt Latini poſteriores.

De Euchariſtiâ.

9. Euchariſtiam etiam *infantibus* hoc Ævo datam; creditam tantùm *memoriale*, vel *figuram* Corporis & Sanguinis Chriſti; ac creditam eſſe nullam, niſi adminiſtratam *ſub ſpecie utrâque*; ſic *panem* & *vinum* pro talibus adhuc habita poſt conſecrationem, &c. Ut prolixiſſimè poſt alios, Blondellus, Aubertinus, Claudius Pariſienſis, ex hujus Ævi documentis. Secùs viſum Pontificiis eſt.

De Purgatorio.

10. Ignotam adhuc fuiſſe doctrinam de *Purgatorio* poſt hanc vitam; uti toti Orientali Eccleſiæ antè Synodum Florentinam: Non aliâ *purgatione* Patribus memoratâ, quàm in ſanguine Chriſti, item in ultimâ conflagratione, ex ſententiâ plurimorum. Et exertim Nazianzenus *Orat.* xv. in Plagam grandinis, *Tomo* I. jam tempus eſſe τοῦ καθαρθῆναι, quo *expurgari* debeamus, poſteà fore κολάσεως καιρὸν, οὐ καθάρσεως *punitionis tempus*, *non purgationis*: Secùs à Latinis & Tridentinis definitum.

De Tranſſubſtantiatione, Miſſâ, Confeſſ. Auricul. cultu Creaturar. &c.

11. *Tranſſubſtantiationis*, ſacrificii *Miſſatici*, Confeſſionis *Auricularis*, *Sacramentorum ſeptem*, *Theſauri Indulgentiarum*, *cultus Angelorum*, *adorationis Euchariſtiæ*, &c. nondùm audita fuiſſe vel vocabula vel myſteria, nuſquàm certè definita à Patribus, Conciliis, nec in Oriente, nec in Occidente. Imò horum quædam diſertè damnata, v. gr. Cultus Angelorum, *Can. Laod.* XXXVII. & paſſim cultus omnis Creaturarum religioſus. De *Imaginibus*, & *Sanctis* infrà, ad Caput de Ritibus.

De Capitibus aliis, probatis hoc Sec. quæ rejicit Roma.

12. Probatam hoc Seculo doctrinam, vel toleratam, v. gr. de Animabus ex traduce; de Regno millenario; de ſtatu & ſequeſtratione Animarum poſt mortem; de conjugio Clericorum; de picturis in Templis non habendis, interdicentibus etiam Eliberitanis Patribus *Can.* XXXVII. &c. Quæ *doctrina* damnatæ recentioribus Latinis, & pleræque *anathematizatæ*. Nec diſcrimen hodierni temporis negare ſuſtinent illi Pontificiorum, quibus nec invecundia, nec ſervitus Sociorum & Gnathonum placet, poſt Caſſandrum, Modrevium, Wicelium, Eſpencæum, Dudithium, Barneſium, ſimiles ſupe-

Digitized by Google

periore jam Seculo, ne G. Spalatenſem, Petavium quandoque, Launoium, Rigaltium, &c. nunc dicam.

Pontificii in Patres injurii.

II. Atque hinc factum ut in Patres hujus Ævi, & ſuperioris, indignati quandoque Pontificii, erroris illos palàm poſtulent. Bellarminus agens de Sanctorum Beatitud. & Pœnis Dæmonum, *Tomo* II. *Lib.* I. *C.* VI. *Juſtini*, *Irenai*, *Epiphanii*, &c. *ſententiam non video*, *quo pacto ab errore poſſimus defendere.* Et paſſim gregales Bellarmini, nonnunquam *inſaniiſſe* plures ſæpe Patres; adſperſiſſe ſuis ſcriptis *quæ cum Orthodoxæ fidei regulâ minimè conſentiunt*; occurrere in iis, etiam dùm Scripturas interpretantur, *errores*, *lapſus*, *vitia*; *Patrum traditioni & antiquitati præferendam* ſæpè recentiorum temporum *conſuetudinem*; Patrum & Conciliorum allegationes *regulas eſſe mortuas*, *quæ nullum alium vigorem habent quàm quem iis dat* præſens Eccleſia; Argumenta *ab auctoritate* Patrum *eſſe infirma*; *Quo juniores*, *eo perſpicaciores fuiſſe Doctores*; Doctrinam de Gratiâ apud Auguſtinum *involutam* eſſe, *impeditam*, *ſecum ipſâ pugnantem*; plus *uni ſummo Pontifici* credendum *quàm mille Auguſtinis*, *Hieronymis*, &c. Ità ſcripſêre diſertis verbis, occaſione ſuperiorum Capitum, Cajetanus, Alph. Salmero, Melch. Canus, Ambroſ. Catharinus, Thomas Stapletonus, Cæſar Baronius, Bened. Pererius, Joh. Maldonatus, Dionyſ. Petavius, & qui alii, ac plerique è grege Jeſuitarum. Loca in hanc rem expreſſa pridem ſunt noſtris producta, uti Dallæo de *Uſu Patr.* P. II. C. *ult.* Uſſerio adversùs Jeſuitam Irlandum, ſcripto Anglico, *pag.* 27. 28. 389, &c. Riveto de Auctorit. Patrum, *Cap.* III. & aliàs. Nec his paginam noſtram implemus.

VI. *Ritus Adiaphori, Ceremoniæ variæ, etiam Mores Chriſtianorum hujus Seculi.*

VAſtiſſimum hoc mare eſt quod intrà has anguſtias reduci nequit. Ex multis ſequentia ſtrictim obſervamus:

Cauſæ multiplicat. Rituum.

I. Mirè adauctum fuiſſe *quarto* hoc Seculo *Rituum* ac *Ceremoniarum* apparatum, augendum in majus venturis ætatibus. Ut ſub initium Seculi V. quereretur Auguſtinus, tolerabilius fuiſſe jugum *Judæorum* ſub Lege, *Epiſt.* XIX. Et Cauſæ inter alias, (nihil ferè determinantibus *Apoſtolis* circà res in ſe *medias* & ἀδιαφόροις, præterquàm ut fierent omnia κατὰ τάξιν & εὐσχημόνως, ſolicitis de *eſſentialibus*, verâ fide & pietate) fuêre potiſſimum ſequentes:

1. Ut *Gentiles*, Chriſtianis permiſtos, paſſimque confluentes ad Eccleſias, lucrifacerent, aſſuetos externæ Templorum ac Ceremoniarum pompæ, factâ jam Chriſtianis talium libertate. Hinc pridem Gentilium in Chriſtianam paupertatem, ac ſimplicitatem, cavilla. Hinc *mutuatæ* ab ipſis *Gentilibus* Ceremoniæ non paucæ, multæ hac Ætate, plures *ſequentibus*: Tales v. gr. Pompa ſacrificalis, in veſtibus ſacris, Sacerdotum Privilegiis, ſacris ac diſtinctis Ordinibus; Reliquiarum aſſervatio, veneratio; Templorum Altaria, Lumina, Thura, Forma, Splendor externus, Conſecrationum diverſi ritus, dein & Apotheoſeôn; Imaginum, ſimulachrorum, publicus uſus; Sanctorum mediatio, interceſſio, præſidentia, tutela; Hymni in honorem eorundem, Commemorationes, Templa, Feſta, Cultus ſubalternus; Jejuniorum, macerationum, vexandorum corporum ratio; Monachorum, ſacrarumque Virginum, habitus, caſtitas, vota, abſtinentiæ; Veſtes albæ, Cuculli, Mitræ, Tiaræ, Litui, Galeri, Coronæ radiatæ; Miraculorum, Viſionum jactatio, credulitas; Catechumenorum rita initiatio; Pœnitentiæ diverſi gradus; Antiphonæ, Litaniæ, Rogationes, Aqua luſtralis, Cerei, Proceſſiones, Funerum ritus, Donaria, &c. Nec tamen hæc omnia fuêre hujus Ætatis, ut ex ſequentibus liquebit, quicquid mentiantur Baronius, Caſalius, Allatius, ſimiles.

Ritus à Gentilibus.

2. *Luxus* gliſcens in Eccleſiam ſimul cum Opibus, Dignitatibus, ambitione, ſuperbiâ Clericorum, & requie à Perſecutionibus, ſub Chriſtianis jam Principibus: Undè morum corruptio, animorum mollities, ſimplicitatis contemptus, hinc in externis ſplendor, in ritibus pompa, in ſumptibus profuſio, &c. De quo piorum querimoniæ, alibi memorandæ.

3. *Epiſcoporum Romanorum* uſurpata ſenſim auctoritas, & affectata dominatio: Undè ei demonſtrandæ, firmandæque, novæ in dies conſtitutiones de Diſciplinâ, Ritibus, quæ & ſuperſtitioſas mentes occuparent, & ſplendorem Romanæ Eccleſiæ augerent, & Paparum, Epiſcoporum, Cleri Romani ſubſervirent luxui, ambitioni, avaritiæ. Undè hæc antè tempora, & antè Romanos hujus ac ſequentis Ævi Pontifices, *ſimplicitatem* Rituum ac Liturgiæ faſſi Durantus, Rupertus, Walafr. Strabo, B. Rhenanus, Caſſander in *Liturgicis*, & in *Conſultat.* Fileſacus in *Selectis*, Rigaltius *Notis* ad Tertull. & Cyprianum, & plures alii.

4. *Diſperſio* Eccleſiæ inter varias *Gentes*, ut Locis diviſas, ſic diverſiſſimis aſſuetas moribus, conſuetudinibus; hinc etiam Rituum Eccleſiaſticorum, & Sacræ Diſciplinæ, inter eas diverſitas; Quod Socrates luculenter teſtatus eſt, *Hiſt. Lib.* V. C. XXII. alios Romæ, alios Alexandriæ, alios Hieroſolymis, alios apud Syros, Palæſtinos, Ægyptios, Æthiopas, Aſianos, Thraces, Græcos, Macedonas, Barbaros mores obtinere. Adde Diviſionem inter *Sectas* ipſas Chriſtianorum exortas, Quartadecimanos, Novatianos, Aëtianos, Euſtathianos, &c. ne Hæreſes dicam, ſuis ſingulas legibus viventes.

II. Quantùm ad Ritus ſeu novos, ſeu confirmatos hoc Seculo, eoſdemque vel laudabiles, vel certè indifferentes naturâ ſuâ, exempla ſunto, de prope innumeris, *ſequentia.*

Templa ſeu Baſilicæ indè à Conſtant. Dedicatio; Agenda in iis publica.

1. INter primas Conſtantini Imper. curas, Licinio ſublato, & Chriſtianiſmo palàm aſſumpto, fuit illa ut ſtruerentur paſſim in uſus Chriſtianos Templa, Baſilicæ, Ἐκκλησίαι, Κυριακὰ, Οἶκοι, Εὐκτήριοι, Προσευκτήρια, etiam Μαρτύρια. Quale primò dictum fuit Locus ſepulchri Dominici, quaſi *Teſtimonium* Reſurrectionis, hinc *Templum* quod Conſtantinus in eo loco erexit, & appellavit σωτήριον Μαρτύριον. Cujus fabricam, & ſplendorem tum externum tum internum, porticus, parietes, tectum auro obductum, atrium, portas, προπύλαια ſeu *veſtibula*, hemiſphærium XII. columnis cinctum, exhedras, reliqua, deſcribit Euſebius, de Vitâ Conſt. M. L. III. C. XXXV. & *ſeq.* Atque indè *Templum* ſtructum in memoriam Apoſtolorum, ἐπὶ μνήμῃ Ἀποστόλων, Conſtantinopoli nempè vivo adhuc Conſtantino, teſte *Euſeb.* L. IV. C. LVIII. vocatum τὸ μαρτύριον *Martyrium* Apoſtolorum: Non profectò à Reliquiis *Lucæ*, *Andreæ*, *Timothei* quæ poſt in Templum illud illatæ, ut Hieronymus in Chron. ad A. CCCLIX. ſed intuitu doctrinæ Chriſtianæ, quæ primùm ab Apoſtolis prædicata fuit, hinc ἐπὶ τιμῇ τῶν Ἀποστόλων: Poſtmodùm verò loca ubi Martyrum creditæ Reliquiæ, dicta

Digitized by Google

dicta, ad imitationem ſacri Sepulchri, Μαρτύρια, *Memoriæ*, etiam *Confeſſiones*, ubi ſtruere amarunt Templa, Oratoria, Altaria, plerumque extrà Urbes. Deindè verò Helenam ſtrui juſſiſſe ſuis ſumptibus *Templa* in monte Oliveti, undè Chriſti acceſſus in Cœlum, & in Bethlehem ubi ἄντρον τῆς θεοφανείας *ſpelunca* in quo *Deus apparuit* in carne, pluribus idem Euſebius *Lib.* III. de Vitâ Conſt. C. XLI. &c. Tùm & Hebrone ad *Quercum Mamre*, ubi Deus apparuerat Abrahamo, hinc Tyri, Antiochiæ, Nicomediæ, ubi diu egerat Imperator, & Perſecutio primùm cœperat. Nulla autem *Imaginum* vel *Reliquiarum* apud Euſebium mentio, quæ in iis Templis collocatæ fuerint, ætate Conſtantini. Et fabulas Baronianas, de Templis *Romæ* à Conſtantino ædificari juſſis, Imaginibus, Statuis, Donariis, aliiſque, infrà ſubnotamus.

Dedicatio Templorum.

2. *Templorum* hinc fuêre *Dedicationes*, *conſecrationes*, ἐγκαίνια, ἀφιερώσεις, puta hymnis, precibus, gratiarum actionibus, deinceps & *ſtauropegio*, ſeu Crucis collocatione, ut ſuprà viſum ex *Cod. Theodoſ.* etiam feſto conſecrationis die habito. Undè poſteà multiplicatæ illæ ἑορταὶ Templorum, Latinis poſteà *Miſſæ*, undè vox *Meſſ*, *Miſſ*, *Kerkmiſſ*. Ignotæ in his Luſtrationes ex aquâ benedictâ, Miſſæ, Proceſſiones, Litaniæ, Chriſmata, Cerei accenſi, fumigationes, &c. Tacet certè Euſebius, ubi de Templis ædificatis, dedicatiſque Chriſtiano ritu, Tyri, Bethlehemi, Hieroſolymis, Conſtantinopoli, Nicomediæ, &c. ſuæ Hiſtoriæ *Lib.* X. *C.* III. IV. & de Vitâ Conſtantini M. *Lib.* III. *C.* XLV. &c.

Sed & facta illa conſecratio ſoli Deo, τῷ προσκυνηθέντι Θεῷ, vel τῷ Σωτῆρι, in unîus Dei & Chriſti honorem, cultum, exemplo Conſtantini M. apud dictum Euſebium, hinc Sozomenum *Lib.* II. *Cap.* II. &c. Imò ſuo adhuc tempore Auguſtinus, *De Civit. Dei* L. XXII. C. X. *Nos martyribus noſtris non Templa ſicut Diis, ſed* memorias *ſicuti hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: Nec ibi erigimus Altaria in quibus ſacrificemus martyribus, ſed Uni Deo, & martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus.* Aliud igitur in Apoſtolorum ac Martyrum memoriam, atque ità honorem, Ædes aut ſtructas aut appellatas, undè Μαρτύρια, & *Memoriæ*; aliud iiſdem *dedicatas*, eorum vel honori vel cultui conſecratas: Quod diſtinxiſſe oportuit Seldenum noſtrum, temerè affirmantem à Conſtantino Templa etiam *conſecrata* vel *dedicata Angelis*, *Apoſtolis*, *Martyribus*, *Sanctis*, in Opere *de Synedriis Heb.* Lib. III. C. XV. Cave credas Byzantinis Hiſt. Çedreno, Zonaræ, Menæis, qui Conſtantinum dedicaſſe ipſam Urbem Conſtantinopol. τῇ Θεοτόκῳ, ejuſque præſidio commendaſſe, de quâ Urbe poſteà.

Forma Templorum.

3. *Forma* Templorum (quæ Græcis βασιλικαὶ *regiæ* à loci dignitate, etiam à ſplendore, vulgò Ἐκκλησίαι, undè μεγάλη Ἐκκλησία, &c.) ab Euſebio in Libris *de Vitâ* Conſtantini M. & Veteribus paſſim, deſcribitur. Fuêre alia rotunda, ad morem Gentilium, quæ in medio ὕπαιθρα *ſubdialia*, at Chriſtianis ſuſtentata fornice præcelſo, ſeu concamerato in rotundum loco; in mediâ Templi parte, quem Θόλον, etiam Τρȣ̃λλον *Trullum* dixêre: Alia ad formam Templi Hieroſolymitani in longum & latum protenſa, & plerumque πλευραῖς σταυροτύποις *Crucis in modum* efformata. Et hîc rurſùm partes veluti quatuor, ad imitationem ferè Templi Judaici. 1. Ἔμβολος ſeu *ambitus* vel porticus Eccleſiæ, cum atrio ſubdiali, quod πρόθυρον, προαύλιον, etiam προπύλαιον dixêre. 2. Πρόναος ſeu pars anterior Templi, reſpondens Veſtibulo Judaico; aliàs νάρθηξ *ferula*, cum relatione ad Pœnitentes, etiam Catechumenos. 3. Ναὸς *Templum* ipſum, quæ & ναῦς *navis*, *domus*, *Eccleſia*, locus τῆς προσευχῆς, etiam *gremium*, inſtar Sancti Judæorum, pars ſcil. media, in quâ στάσις fidelium, Viris à Fœminis diviſis. 4. Pars infima ſeu intima Templi, inſtar Adyti Judæorum, cancellis ligneis diſtincta qui κιγκλίδες, & hanc partem Græci βῆμα, ἱερατεῖον, θυσιαστήριον, Latini *Presbyterium*, poſteà *Chorum* dixêre à cantantium choro: In hac fiebat conſecratio Symbolorum, & ſedebant Clerici. Ambitus externus ſeu ἔμβολος in *Cæmeterium* verſum fuit, humandis fidelibus. Plura de *Templis* ut fuêre à Græcis ſtructa, veteribus & recentioribus, Carolus du Cange in Gloſſario, & Ichnograph. Templi S. Sophiæ, Leo Allatius de Templis Græcorum, & ad Canones Niçænos in noſtris Beveregius, ut Eruditos alios taceam. Schema Templorum, à temporibus Conſtantini, quod facit etiam ad intelligendam rationem Diſciplinæ, & *Rituum* intrà Eccleſiam, infrà *Cap.* VII.

Convocandi ratio.

4. Modus convocandi Eccleſiam, factâ jam ſub Conſtantino poteſtate publicè conveniendi, fuit σημάντρῳ vel συμβόλῳ *ſigno* dato, ſcil. κρȣ́σματι τȣ̃ ξύλȣ, *ligni pulſatione*, hodieque paſſim Græcis, Moſcovitis uſitatâ, vel etiam *præconum voce*, quod imitatus Muhammed. *Præcones clament, populus confluat*, apud Nazianzenum, *Orat.* I. *in Julian. Campanis* nondùm hoc Seculo inter Chriſtianos locus, minùs annexis circà eas ſuperſtitionibus, quæ poſtremæ recentioris ævi.

Cantiones.

5. Quantùm ad Cantiones Sacras, prætêr *Hymnos*, *Cantica*, *Pſalmos* ἰδιωτικȣ̀ς, qualium fuit ampliſſima ſeges, introductum hoc Seculo putatur *Pſalterium Davidicum*, in Occidentali Eccleſiâ tempore Damaſi, & Ambroſii, ex illius ad Hieronymum Epiſtolâ, cum Hieronymi reſponſione, undè patet rogatu Damaſi *Librum Pſalmorum canendum* fuiſſe, ex Verſ. LXX. Interpretum, & ex Tranſlatione Hieronymi, *Epiſt.* VII. inter Epiſtolas Damaſi, Romæ impreſſas A. 1638. In Orientali autem Eccleſia Pſalmorum Davidicorum cantio introducta, per Antiphonas, à Flaviano Antiocheno, ex Sulpicio Severo, Theodoreto, aliis. Undè Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum Monachum, *Pſalterii Librum* nunquàm de manibus deponi voluit, quin memoriter addiſci. Hinc de *Cantoribus* leges, in Canonibus Laodicenis, *Can.* XV. deinceps in Concilio Carthagin. IV. C. X. qui & ὑποβολεῖς dicti, ſeu præcentores, qui cantanda per partes conciſim ſuggererent, ex *Socrate* L. V. C. XXII.

Lectio Script. Sacræ.

6. Quantùm ad *Lectionem Scripturæ*, quæ fiebat ex pulpito, ſeu gradu Lectorum ἀναγνώστων, ſoli legebantur iſtic *Libri Canonici*, ex *Can. Laod.* LIX. in Codice Eccl. Univ. Certis porrò temporibus modò Vet. Teſtamentum, ut diebus *Sabbati*, modò Euangelia & Epiſtolæ, legebantur. Quanquàm Laodiceni uti ſuſtulerunt *otia Sabbati*, ſic ſubſtituerunt *Lectionem Euangelii*, ne Judaizare Chriſtiani viderentur. Utraque *Lectoribus* competebat, hinc Patres ſæpè Homilias exorſuri, *Audiviſtis à Lectore*, &c.

Conciones.

7. Quantùm ad *Conciones* vel *Homilias*, habebantur mox à lectione ſacrâ, ab Epiſcopis vel etiam à Presbyteris facto manu vel voce ſilentio; iiſdemque ſedentibus, ex ambone (ἀπὸ τȣ̃ ἀναβαίνειν) vel ſuggeſtu, vel cathedrâ; Plerumque ad Textus modò prælectos, vel Pſalmum decantatum, ità ut unâ Pericope expoſitâ, reſumerent in manus Codicem S. & legerent ſequentem. A *precatione* initium fiebat, ut hodieque, à quâ & Paulus ordiri ſolitus in Epiſtolis, & Apoſtoli, *perſeverantes in Oratione & ſermonis Doctrinâ*. Utebantur etiam *exordiis*, vel *procœmiis*, quæ Chryſoſtomus comparat capiti, quod ne-

neceſſarium eſt corpori, nec aut arborem ſine radice eſſe, aut fluvium ſine fonte. Ac terminabant Conciones τῷ ἠθικῷ *morali*, ut videre eſt in Chryſoſtomo, undè precatio, *poneret Deus in ore verbum conſolationis, & ædificationis, & exhortationis, per Spiritum S.* Per *horæ* circiter ſpatium habitæ conciones, cujus videtur menſura fuiſſe, ut olim Græcis & Latinis Oratoribus, Clepſydra, vel ſimile quid; eædemque in multis locis *cotidianæ*, ut ex Homiliis & Orationibus Chryſoſtomi, Nazianzeni, Baſilii, &c. colligitur: Peſſimo tùm populorum more acclamandi, ſeu applaudendi mediâ in concione, ſi placeret auditoribus, de quo conqueſtus non ſemel Chryſoſtomus. *Monachis*, & *Mulieribus*, concionari interdictum, illis etiam ſeq. Seculo, ex *Canone* Chalced. IV. non in publico pſallere, quod quandoque eſt *prophetare*.

Succedanea. 8. Ad ſuccedanea concionis, ſpectat: Quod repetitis precibus, fiebat *Oratio Catechumenorum*, id eſt, ſpecialis pro iis lectio, precatio, hinc *miſſio* ſeu dimiſſio, unde *miſſa Catechumenorum*: Tùm fiebat Oratio *Energumenorum*, hinc *Competentium* Baptiſmi, hinc *Oratio Pœnitentium*, & pro his lectio, oratio, ac manuum impoſitio, cum ſingulorum ſuccedaneâ dimiſſione: Tandem *Orationes Fidelium*, præmiſſis eorum *eleemoſynis*, & in Arcam vel Corbanam, aut Menſam illatis; *Gratiarum actiones*, hinc libelli oblati à liberatis ex morbo, puerperio, periculo; tum *datio Pacis*, *Oratio Dominica*, *Communio*, *Oſculum pacis mutuum*, *Benedictio* populi, ac tandem *dimiſſio*, quæ *Miſſa Fidelium*. De quibus eſt Canon *Laod.* XIX. ac *Pſeudo-Conſtitutiones* Clementis, quæ ſunt hujus Seculi, aut labentis ſuperioris.

Ritus circà Tempora ſolemnia.

Precum tempora. 1. FUerunt publicarum *Precum* certa *tempora*, eademque cum præcedentis Ætatis illis, hora ſcilicet *tertia*, nempe ab ortu ſolis, *ſexta* ſeu meridiana, & *nona* ſole vergente ad occaſum, vel *veſpera*, ex eodem Concil. Laodic. *Can.* XVIII. Quibus *Horæ Canonicæ* diurnæ, nocturnæ, apud Latinos ſucceſſerunt, de quibus adi Hoſpinianum, Caſſandrum, Bonam in Liturgicis, &c.

Feſtorum. 2. *Feſtorum* autem ſolemniora tempora, in utrâque Eccleſiâ, præter vetuſtiora, *Dominicam*, *Paſcha*, & *Pentecoſtem*, (in quibus hoc adhuc Seculo nefas fuit in *genua procumbere*, vel *Canone Nic.* XX. quæ etiam poſtrema adhuc fuêre ſolemnia *baptizandi* tempora,) fuit etiam *Sabbatum*, in quo jejunium conſtanter adhuc interdictum, Oriente toto, in quo etiam peracta ſacra Myſteria, præterquàm Romæ & Alexandriæ, apud *Socrat. Lib.* V. *C.* XXII. Acceſſit Feſtum *Theophaniæ* vel *Epiphaniæ*, id eſt, Nativitatis Chriſti, celebratum in Eccleſiis Ægyptiis, Aſiaticis, Syris, VI. *Januarii*, teſte Epiphanio, in quem diem & tempus Baptiſmi Chriſti retulerunt. In Occidentali Eccleſiâ celebratum 25. *Decemb.* ex quâ Eccleſiâ, tempore Chryſoſtomi, hic mos in Orientalem primùm fluxit, teſte eodem, *Homil.* in diem Nativit. *Tom.* V. Non meminit autem Auguſtinus, in recenſione Feſtorum quæ ſervarentur ab *univerſali Eccleſiâ*, Epiſt. CXVIII. C. I. A quo tempore *Epiphania* vel *Theophania*, VIII. *Id. Jan.* remanſerunt feſtum Baptizati Chriſti, qui ab eo ſcil. omnibus innotuerit, in eo etiam cum Patre & Spiritu S. apparuerit; trahendo poſt feſto ad *Magorum Adventum*. Divorum Divarumque *Feſta* innumera adhuc ignota, niſi ſit Apocryphis fides.

Vigiliarum, &c. 3. *Vigiliarum* tempora, cumprimis in *Sabbato Paſchatis*, tum & *Pentecoſtis*, quando ſub veſperam confluebant in Eccleſias; cereos accendebant, etiam conſecrabant, geſtandos à Neophytis; Baptiſmum quoque & Euchariſtiam adminiſtrabant; ſacra continuabant in multam noctem, quod eſt Ammiano Marcellino *in Eccleſiâ pernoctare Chriſtiano ritu*, expectantes quaſi Domini reſurrectionem, tum & adventum Spiritûs S. recitatis Hymnis, & Pſalmis, qui in *noctem*, & in *Baptiſmi* ſolemnitatem quadrabant. Inceperunt autem in *Oriente* Vigilias, à *mediâ nocte* uſque ad tempus *lucis*, quemadmodum ex Baſilio, Chryſoſtomo, intelligitur. Hieronymus verò, *Epiſt.* ad Lætam, T. I. Operum, vult ut *virgines ſolemnes pernoctationes* celebrantes, *ne tranſverſum unguem à Matre diſcedant*. Conqueſti verò pridem Rupertus, alii, apud Caſſandrum, *de Hymnis Eccleſ. pag.* 171. 172. de hujus ritûs abolitione in Romanâ Eccleſiâ, præter inimicas quaſdam reliquias.

4. *Martyrum* etiam obtinuêre *Commemorationes* anniverſariæ, Μαρτύρων ἡμέραι, iis in locis celebratæ ubi occubuerunt, ex Euſebio de Vitâ Conſt. M. *Lib.* IV. C. XXIII. Nec tamen iis, aut etiam B. Virgini, Templa fuêre dicata, ac ne tempore quidem Auguſtini, qui modò in Templis Deo conſecratis, celebratas fuiſſe *Memorias* Martyrum, non ſemel refert in Libris de *Civit. Dei*, & contrà *Manichæos*. Gratiis nempe Deo actis pro eorundem victoriâ & triumpho, cultu omni Deum & Chriſtum Servatorem reſpiciente. Martyrum Commemorationes.

Tempora Jejuniorum.

JEjuniorum tempora diverſiſſima adhuc fuerunt, pro diverſitate Eccleſiarum, Perſonarum, ut pluribus Socrates, *Lib.* V. *Cap.* XXII.

1. Solemniſſimum fuit *Paſchale* Jejunium, ſeu *Quadrageſima*, quæ hac Ætate in plures hebdomadas excrevit, ex Concil. Laodiceno, *Can.* XLIX. L. medio Sec. IV. & ex Patribus qui illud exceperunt. Sed ità ut jejunarent alii *tres ſeptimanas* tantùm, nempè Romana Eccleſia, alii *ſex*, ut in Græciâ, Illyrico, Alexandriæ, alii *duas*, ut Montaniſtæ, alii *ſeptem*, ut Conſtantinopoli, &c. Et quidem exceptis diebus *Sabbati*, & *Dominicis*, quibus ſecundùm Canones Diſciplinæ jejunare nefas fuit, etiam in Romanâ Eccleſiâ, ad finem uſque *quartæ* hujus Ætatis, teſte Socrate *Lib.* V. C. XXII. imò (ut nuper Valeſius, *Obſerv. ad Socrat.* p. 71.) uſque ad tempora Leonis Papæ. Quæ ex Chryſoſtomo, Socrate, Sozomeno, Caſſiodoro, adeò certa ſunt, ut Haloixius Jeſuita, & Doctiſſ. Valeſius, Quadrageſimam illam Rom. Eccleſiæ veteris, ſcil. *trium ſeptimanarum*, defendant contrà Baronii inaniſſima effugia, quæ habet *Annal. Tom.* I. ad A. Chr. LVII. Quadrageſima.

Porrò in Quadrageſimâ, hac Ætate, nec *ſpectacula* edere, nec *ſupplicium* de reis ſumere, nec *nuptias*, aut *natalitia* etiam *Martyrum* celebrare fas fuit; imò nequidem *Panem conſecrare*, extrà Sabbatum & Dominicam, (*Romanâ* & *Alexandrinâ* Eccleſiâ exceptis, quæ *ſabbati die* non celebrabant Myſteria, teſte Socrate loco cit.) tandem nec *debitum exigere*, Imperatoriis Conſtitutionibus in *Cod. Theodoſ.* paſſim, & Eccleſiaſticis, cumprimis *Can. Laod.* XLIX. & *ſeq.*

Jejuniorum reliqua tempora, vel nondùm erant in Eccleſiâ ſancita, non certè ullâ lege *ſabbati* illud, quod damnatum fuit toto Oriente; non etiam *Rogationum* ſeu *Litaniarum* alterum, intrà Paſcha & Pentecoſtem; non jejunium *Quatuor temporum*, ſeu quatuor anni tempeſtatum, cujus tamen habentur primordia Seculo V. tempore Leonis Papæ: Vel aliàs *libera* habebantur, ut jejunium vel potiùs ſemi-jejunium feriæ *quartæ*, & *ſextæ*; quod tamen non celebrabant toto tempore à Paſchate ad Jejunia ignota.

Pen-

Digitized by Google

Pentecoſtem, teſtando gaudio ex Chriſti reſurrectione: Neceſſitatem licet urgeat Epiphanius *Hær.* XXXIII. LXXV. LXXX. quia hæc jejunia feriæ *quarta* & *ſexta* habuit ut ab *Apoſtolis inſtituta*, in Expoſitione Fidei Cathol. N. XXII. De quibus prolixiſſimè & omnium inſtar Joh. Dallæus, *de Jejun. Lib.* IV. & cordatior quandoque Thomaſſinus Gallus *Lib.* I. de Jejuniis C. XIX. XX. &c.

Baptiſmales quidam ritus.

Ritus continuati. Additi: A Latinis recentiores diverſi.

1. HOc adhuc Seculo obtinuit *immerſio*, & *trina* quidem, non uno myſterio, continuata deinceps in Oriente, & aliquamdiu in Latinâ Eccleſiâ. Præterquàm quoad Clinicos, grabbatarios, ægros, qui immerſionem non paſſi ſunt, ſed περίχυσιν adſperſionem, dicti περιχυθέντες paſſim.

2. Item, baptiſmi ſolemne tempus extrà caſum neceſſitatis, fuit adhuc in *pervigilio Paſchatis*, ut conſepulti cum Chriſto οἱ βαπτιζόμενοι, cum eodem quoque reſurgerent; alterum tempus fuit in *vigiliâ Pentecoſtes*, ob donum Spiritûs S. Intelligitur hoc Seculo ex Baſilio Cæſarienſi, de Baptiſmo, *Tomo* I. ex Siricii *Epiſt.* I. ad Himerium Tarraconenſem, *Cap.* II. & ex praxi etiam ſequentis Ævi. Excipit tamen Siricius, dicto loco, caſum neceſſitatis ſeu mortis periculum, ubi abſolutam neceſſitatem Baptiſmi ſtatuere videtur, ne *perdant & regnum & vitam*, *ſi exeuntibus de Seculo* non ocyus *ſuccurratur* Baptiſmo. Et hæc uſque ad Ætatem Caroli Magni Baptiſmorum tempora, extrà periculum mortis imminentis. Quum verò hac Ætate *Baptiſmum* ſæpè plus nimium Catechumeni differrent, Baſilius opponit huic neglectui Sacramenti graviſſimas rationes, inprimis à periculo mortis ſæpè prævenientis, & à ſalutaribus effectis S. lavacri, quas vide in *Homil.* προτρεπτικῇ εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα, quæ XIII. eſt. Itâ luculenter Nazianzenus *Orat.* XL. in *S. Baptiſma*, oſtendit contrà differentes ad articulum mortis, oportere tempus aliquod intercedere *inter Gratiam & Mortem*, *ut non ſolùm parvæ literæ deleantur, verùm meliores earum loco inſcribantur*, &c. T. I. p. 644.

3. Item, adhibiti *cerei* ſeu candelæ accenſæ, datæ Neophytis, figura, ut Nazianzenus in S. *Baptiſma*, Orat. XL. *luminis* Spiritûs S. *lucis* Euangelicæ, doni *gratiæ*, etiam *ignis* afflictionum quæ manent fideles, undè Chriſtus *igne ſaliti* dixit, Marc. IX. 49. Et indè Baptiſma dictum φωτισμὸς, φώτισμα, baptiſterium φωτιστήριον, baptizati φωτισθέντες, νεοφώτιστοι, dies baptiſmi ἡμέρα τῶν φώτων, baptizare φωτίζειν, &c. Loca Veterum fusè adduxit in *Obſervat. Sacr.* Vir longè doctiſſimus, J. Caſpar Suicerus, ne jam Voſſium, Petavium, Cangium, alioſque referam.

4. Præthereà in quibuſdam locis obtinuit *ſalis* in os baptizatorum injectio, ut *ſal* in omnibus ſacrificiis, Symbolum quoddam *integritatis*, præſervationis contrà putredinem carnis, prudentiæ ac ſapientiæ quâ condiri omnia noſtra oporteat. Sic introducta *vini*, *lactis*, *mellis* prægustatio; geſtatio *veſtis candidæ* toto octiduo à Baptiſmo, quæ hinc *Septimana in albis*; *oſculi* datio Neophyto; *pedum* ablutio, tandem quoque ſublata, &c. Hæc omnia denotandis tùm chariſmatis Spiritûs S. tùm baptizatorum officio, ſtatu.

5. Speciatim *unctio* eaque gemina; altera *antè* baptiſmum, ex oleo facta; altera *poſt* tinctionem, ſtatim à lavacro, ex unguento ſeu chriſmate, quæ primùm ſancita *Canone* Laodiceno XLVIII. Utraque baptiſmi ceremonia & pars, utraque ſymbolica cum reliquis ritibus, utraque à Presbyteris etiam adminiſtrata, ſimul cum *impoſitione manuum* ut orationis adjuncto, & cum *participatione Euchariſtiæ*, quibus *obſignari* vel *confirmari* dicebatur Baptiſmus. Qui ritus in novum Sacramentum Chriſmationis, ſeu Confirmationis, ut degenerarit apud Latinos, & quo à Veteribus diſcrimine, ſummatim enarravimus in Diſſertat. noſtris de *Impoſitione Manuum*, *Diſſert.* I. Et præter noſtros fusè Caſſander, de *Hymnis Eccleſ.* Rigaltius, Morinus, Du-Pinus, uti de Unctione ex *chriſmate*, &c.

6. Porrò nefas *Mulieribus*, contrà praxim Marcioniticam, nefas *Laicis* non cogente neceſſitate, imò & nefas *Bigamis* ex Canone Eliberit. XXXVIII. nefas *Hæreticis* non ſervantibus formam Baptiſmi, *Infidelibus*, *Pueris*, quocunque jam in caſu, Baptiſmum adminiſtrare hoc Seculo; pro nullo alias habitum, obſervante & Petavio, Tract. Gallico de *Pœnit. Publ. Lib.* II. *C.* V. De facto Athanaſii pueri, pueros baptizantis, aliàs.

7. *Baptiſteria* etiam hoc Seculo è lapide extructa, ſeu fontes ſacri, magnæ capacitatis, ut ordinarius Baptiſmi locus, eademque collocata non in Templis ipſis, ſed *extrà* Templa, in areis propè Baſilicas, deinceps *intrà* Eccleſias Parochiales collocanda. Alii Baptiſmi ritus in anteceſſis enarrati, de quibus prolixè Ambroſius Libris *de Sacramentis*, *T.* IV. & recentiorum benè multi. Differentias modò notabiliores à praxi hodiernâ Latinorum indicaſſe ſufficit. De *nævis* quibuſdam & abuſu Baptiſmi infrà.

Ritus circà Euchariſtiam Sacram. Diſcrimen hujus Seculi, à doctrinâ & praxi Pontificiâ.

Ignota hoc Seculo.

1. QUicquid hoc Seculo varii ritus ſuccreverint, in celebratione Euchariſticâ, reſpectu *loci*, *adminiſtrorum*, *veſtium*, *cantionum*, *orationum*, *lectionum*, &c. ut ex Scriptis Liturgicis, quanquam valdè interpolatis, liquet; interim ſumma fuit præ ſequenti Ætate *ſimplicitas*. Liturgiarum ambages, Officium Miſſaticum, Introitus, Graduale, Offertorium, Choragium univerſum, ignota adhuc fuêre. Additamenta hæc eſſe ſequentium ætatum, Celeſtini, Gelaſii, Gregorii M. & hujus præ reliquis, ac ſucceſſorum, diſertè Durantus, Rupertus, Walafridus, Amalarius, alii ſcriptores Rituales. Nec verò vel *Chryſoſtomi* eſſe vel *Baſilii*, quales ſub eorum nominibus habentur hodie *Liturgiæ*, mirè certè interpolatæ, ut Pſeudepigrapha alia taceam, à Viris ſummis demonſtratum. Quanquàm nec in iis præſidii multum Tranſſubſtantiationi Latinorum. V. gr. in *Mſ.* (antiquo ſatis) *Liturgiæ Chryſoſtomi*, quod penes nos eſt, ex Oriente allato hoc Seculo, chartâ pergamenâ, primò deſunt omnia illa quæ habentur in vulgatis exemplaribus, de præviâ confeſſione Sacerdotis, indumentis Sacerdotis & Diaconi, præparatione panis, commemoratione Virginis, &c. incipitque Εὐχὴ τῆς προθέσεως, ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον, &c. Deinceps in medio & fine deſiderantur non pauca, quæ in Codicibus impreſſis. Tùm Latinorum dogmati & praxi adverſa plurima, v. gr. in ratione totâ *conſecrandi*, in materiâ conſecratâ ſcil. *pane fermentato*, in appellatione θυσίας λογικῆς, ἀναιμάκτου, in *oblatione precum*, laudum, votorum, quæ vera προσφορὰ, in compellatione Chriſti *poſt conſecrationem*, nempè ut *ex ſancto ſuo Domicilio attendat*, *ex throno ſui Regni*, *& veniat ſanctificare nos*, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς, &c.

De Liturgiâ Baſilii, Chryſoſtomi.

Recepta conſtanter.

2. Conſtanter hoc adhuc Seculo obtinuiſſe, quæ in præcedentibus enarrata, ſcil. *Oblata à populo ſymbola*; *Panem fermentatum*; *Fractionem*; Conſecrationem *claram*, *intelligibilem*; rationem illius in præviis *commonefactionibus ad populum*, *precibus*, *commemoratione mortis Chriſti*, *recitatione verborum Inſtitu-*

tionis, *oratione Dominicâ*, &c. Item, *acceptionem de manibus*, *diſtributionem calicis*, ſimilia; hæc ne cordatiſſimi negarunt Latinorum, & ex ipſâ Societate duo illius decora, Petavius Libris *de Pœnit. Publ.* & Sirmondus Diſſertat. *de Azymo*. Ac ſæpè & ingenuus Card. Bona in nuperis *Liturgicis*.

Appellationes Euchariſtiæ S.

3. Memorabiles ſunt & *appellationes* quibus Patres hujus Seculi S. Euchariſtiam deſignant, etiam poſt conſecrationem, ſenſu à Latinorum illo longè diverſo, pridem Caſaubono obſervante contrà Annalium Scriptorem. V. gr. τὰ ἅγια, *ſancta*, τοῖς ἁγίοις *ſanctis* danda; τὰ ἁγιάσματα *ſanctificata* ſcil. precibus, Spiritu S. δεῖπνον, δοχὴ, εὐωχία *cœna*, *convivium*; εὐλογίαι *eulogiæ*, ſymbola benedicta, ex quibus αἱ περισσεύουσαι cedebant Clericis; κλάσις τοῦ ἄρτου, *fractio panis*; τράπεζα *menſa* à conſecrationis loco; μετάληψις μυστικὴ *participatio* vel communio *myſtica*; μυστήρια, σύμβολα, ἀντίτυπα, *ſacra ſigna*, *ſymbola*, *figuræ*; εἰκὼν, τύπος, *imago*, *typus*, contradiſtincta τῇ ἀληθείᾳ *veritati*, &c. Sic θυσία *ſacrificium*, ſcil. ἀνάμνησις θυσίας *commemoratio ſacrificii*, θυσία πνευματικὴ *ſpirituale ſacrificium*, λογικὴ *rationale*, νοητὴ *intelligibile*, ἀναίμακτος *incruentum*, ἄϋλος *immateriale*, ἄπυρος, ἄκαπνος, *ſine igne*, *ſuffitu*, εὐχαριστικὴ *laudis*, *gratiarum actionis*, &c. Loca plurima ex Chryſoſtomo, Baſilio, Nazianzeno, Nyſſeno, Cyrillo Hieroſol. Peluſiotâ, aliis, poſt magna Nomina, collegit nuper Doctiſſ. Suicerus *Diſſert.* de *Nominibus S. Cœnæ*, & de his pluribus Caſaubonus in *Exercit.* Albertinus, Laroquanus, Claudius contrà Arnaldum.

Miſſæ privatæ nullæ, &c.

4. Miſſæ *privatæ*, *ſolitariæ*, ſine communicantibus fidelibus, hoc Seculo ignotæ: Uti Miſſarum illa *frequentia*, de quâ conqueſti Doctiſſimi Pontificiorum: Quoniam quotquot Communioni intereſſent Laici, cum Sacerdotibus communicabant, fatente Cochlæo ipſo apud Caſſandrum, *in Liturg.* Hinc vel *ſemel* tantùm in hebdomade, vel *bis* ſacra peracta, in *Sabbato* & *Dominicâ*, certè apud Græcos & Orientales, quantùm ad Sabbatum, ex Canone Laodic. v. ne dicam ex Libro Conſtitutionum L. VIII. C. XXXIII. Latinis Sabbato præferentibus feriam IV. & VI. Epiphanius, in Expoſit. Fidei *Num.* XXII. dicit ſe celebrare Euchariſtiam S. Sacras Συνάξεις, tanquam ex *Apoſtolico* inſtituto, *ter* in hebdomade, τῇ τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, καὶ Κυριακῇ, *feriâ quartâ*, *ſextâ*, & *Dominicâ*; Nempè Cypriis, quibus præerat Epiphanius, ſecutis morem Alexandrinæ Eccleſiæ, apud quam neque in *Sabbatis* celebrabant S. Myſteria, ut antè viſum ex Socrate, Albaſpinæus quoque obſervat, *Obſerv.* L. I. C. XIII. Omnem verò ritum paulo vetuſtiorem dixerunt eſſe ex *Apoſtolico* inſtituto.

Euchariſtia occultata.

5. *Occultatio myſteriorum* à non communicantibus, de quâ jam dictum ad ſuperius Secul. *col.* 722. Undè nefas fuit *Catechumenis* ſpectare illa ſacra; hinc dimiſſi ſeu exire juſſi Diaconorum voce, neque Catechumeni ſolum, ſed & quotquot non communicarent. Undè φρικτὰ, ἄφραστα, ἀπόρρητα μυστήρια, paſſim apud Cyrillum Hieroſol. Chryſoſtomum, Theodoretum, &c. Et quum de his loquerentur in Concionibus, ἴσασιν τὸ λεγόμενον οἱ μεμυημένοι, οἱ μύσται, οἱ πιστοὶ, *norunt hæc initiati*, *fideles*, uſi quadam ἀποσιωπήσει, ut videre eſt in Homil. Chryſoſtomi, vel Sermonibus Auguſtini. Ità frequenter Chryſoſtomus in eos invectus qui *adſtarent* myſteriis, nec *participarent*; imò tales ab Eccleſiâ ejecti, *Canone* Antiocheno II. in Codice Eccleſ. Univ. Hinc etiam *Velum* obverſum Adyto in quo fiebat Conſecratio ſymbolorum. De quo Caſſander in *Liturg. Cap.* XXX. ut & de contrariâ praxi *Rom.* Eccleſiæ hodiernæ, in quâ Myſterii vel Sacramenti publica *expoſitio*, *oſtentatio*, *circumgeſtatio*, etiam ſola Miſſarum *viſio*, vel *auditio*, obtinet, ſine communicatione. Nec vel Cardin. Bonæ, vel aliorum moramur exceptiunculas, prolixè à noſtris diſcuſſas.

Elevatio.

6. *Elevationis* ritus, antè Communicationem, hujus ſanè Seculi fuerit, ſed intellige elevationem *cordium*, *mentium*, juxtà illud *ſurſùm corda*, in omnibus Liturgiis antiquis. Si quæ facta elevatio *ſymbolorum*, non illa ut adorarentur à populo, ſed ut benedicerentur à Deo, hinc verba Liturgiarum, *Benedic, Domine hunc Panem*, *hunc Calicem*, &c. Et ab *adoratione* Euchariſtiæ quàm longe abfuerint hac Ætate, pluribus nuper Dallæus, de Cultibus Relig. Latinorum, toto *Libro* VII.

Communio veſpertina.

7. Communio *pomeridiana* vel *veſpertina*, frequentiſſima hoc Seculo, obſervante etiam Caſſandro ex Ambroſio, & aliis. Maximè vero in vigiliâ Paſchatis, & Pentecoſtis; diverſiſſimo ritu à Latinorum recentium illo. Quin ſuo adhuc tempore Eccleſias Ægypti & Thebaidis ſub veſperam ſolitas προσφέρειν, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνειν, teſtatur Socrates, *Lib.* v. *Cap.* XXII.

Communio Laica, peregrina, præſanctificatorum.

8. Communionis quædam aliæ appellationes fuêre, ut *Laica Communio*, oppoſitè ad Clericalem, id eſt, extrà cancellos, extrà ordinem Clericorum, inter Laicos, ſine regreſſu ad Clericalem ordinem; Quæ pœnæ & degradationis ſpecies reſpectu *Clericorum* delinquentium, in *Canonibus* hujus Seculi. Sic *Communio peregrina*, nempe quæ fiebat inter peregrinos, diebus non ordinariis, extrà Communionem civium, Cleri; vel etiam communio Orationum publicarum, cum peregrinis, non verò Sacramenti, cenſente Baronio. Undè hæc Communio nullatenùs fuit pœnæ loco, in ordine ad *peregrinos*, imò honos illis habitus; ſed *pœna* fuit, vel *ſuſpenſio* quædam à gradu Clericatûs, nomine ex matriculâ expuncto, in ordine ad Clericos delinquentes, qui officium implere neglexiſſent, ut ſtatutum poſteà ſub initia *Sec.* VI. *Canone* II. Concilii *Agathenſis*. Sic *Communio* τῶν προηγιασμένων *præſanctificatorum*, cui locus fuit tempore Quadrageſimæ, ſecundùm *Can. Laodic.* XLIX. exceptis Sabbatis & Dominicis: Nempè Communio ſine conſecratione, hinc *imperfecta* dicta, ſed tamen ex ſymbolis antè conſecratis, eademque in utrâque ſpecie adminiſtrata, communicante eo modo cum Clericis Plebe; ut pluribus à Viris Doctis oſtenſum. Ne quem fallant Baronius, Bellarminus, Binius, Leo Allatius, ſimiles, qui Communiones haſce, ut & *Domeſticam* ac *Clinicorum*, interpretantur de Communione ſub *unicâ ſpecie*; quæ diceretur ſcil. *Communio Laica*, ob defectum calicis.

Miſſæ nomen.


9. Hujus & Ætatis *Miſſæ* nomen, quod primùm in Ambroſio occurrit, pro celebratione Euchariſtiæ Sacræ; undè *Miſſam facere*, *Miſſam audire*, in Epiſtolâ Ambroſii XXXIII. ad Marcellinam, & in Sermone XXXIV. de Quadrageſimâ, Operum *Tomo* III. Deinde etiam pro *Liturgiâ* ipſâ vel *Officio* quod vocant, vox uſurpata. Nam ad Pſeudo-Decretales fruſtrà provocant, & ad Pſeudo-Liturgica. Nec dubium quin à *Miſsâ* ſeu miſſione, dimiſſione Catechumenorum, antè ſynaxim ſacram, uti à *Miſsâ* Fidelium poſt εὐχὴν ἀπολυτικὴν, peractis ſacris. Hinc *Miſſa Eccleſiæ*, *Congregationis*, *Concionis*, ut dicitur Latinis *mitti* Concio, Curia, Senatus, &c. id eſt, dimiſſio, ἄφεσις, ἀπόλυσις, ut *remiſſa* pro remiſſione, *offenſa* pro offenſione, pridem obſervantibus Eruditis, & nos jam hac de re ſuprà.

Sed & de Precibus publicis, Collectis, Orationibus, etiam citrà Euchariſtiam, vox uſurpata, ut ſuprà *Cap.* v. de Doctrinâ. Undè *miſſæ* in plurali. Et hinc Græci poſteriores fecêre μίσας, μίσσας, id eſt, preces manè & veſperi conceptas.

Fermentum mittere, quid?

10. Cæterùm & hujus Seculi mos fuit, *mittere Euchariſtiam* S. ſeu oblationes conſecratas ab Epiſcopo ad Presbyteros aliarum Parœciarum ſui Epiſ-

copa-



Digitized by Google

Qualis
hoc S
Pœni
& und
conit

1.Gr

II.
du

Digitized by Google

patûs vel Civitatis, ſi vera ſunt quæ leguntur in Vitâ Melchiadis, apud Pſeudo-Damaſum. Dictum illud eſt, *fermentum mittere*, non modò quia ex pane fermentato conſtabat, ſed quod eſſet, quemadmodùm ſana doctrina, tanquam *fermentum* ſive vinculum unionis, toti maſſæ cui illud veluti commiſceretur. *O Sacramentum pietatis* (dixit Auguſtinus, in Joh. Tractatu XXVII.) *ô ſignum unitatis, ô vinculum charitatis!* Quò facit Diſſertatio Sirmondi, de hoc *fermento*, quâ probat contrà Baronium, Binium, *eo Sacram Euchariſtiam intelligi, non Eulogias, Cap.* v. *de Azymo.*

VII. *Diſciplinæ Eccleſiaſt. ratio hoc Seculo; Ritus Pœnitentiales. Forma Templorum veteris Eccleſiæ.*

* Qualis hoc Sec. Pœnit. & undè conſtet?

I. MAnſit forma diſciplinæ, circà *lapſos* & *delinquentes*, hinc abſtentos, ἀκοινωνήτους, tùm pœnitentes μετανοοῦντας, qualis Seculo præcedente, & de quâ prolixè dictum *Sec.* III. *Cap.* v. Sed ſcrupuloſiùs jam in Canonibus diſtincti *quatuor* illi publicæ pœnitentiæ *gradus*, ſeu *ſtationes*, τέσσαρες τόποι ἐπιτιμίων, vel ἐπιτιμήσεων, pro diverſis locis quæ ſingulis aſſignata, in publicis Conventibus. Quò faciunt Canones Ancyrani, IV. V. Nicænus Canon XI. Baſiliani Canones ad Amphilochium, &c. poſt Epiſtolam Canonicam Gregorii Thaumaturgi, de quâ nos ad ſuperius Sec. *col.* 735.

I. Gradus.

1. Primus gradus fuit πρόσκλαυσις vel πρόσκλαυσις, *lugentium* extrà Porticum ſeu Narthecem, ἔξω τῆς πύλης, in ipſo Templi aditu. Separati hi à cœtu univerſo, in ſqualore, luctu, nec participes precum, ac *candidati* jam quaſi Pœnitentiæ, remoti adhuc ab ipſo ſalutaris pœnitentiæ medio. Undè nondùm hi in Pœnitentium ordine cenſebantur; quare nec meminerunt Nicæni & Ancyrani Canones, ut qui adhuc ἄδεκτοι, ἀπόβλητοι. Niſi hi ſint qui χειμαζόμενοι *hybernantes* in Canone Ancyr. XVII. ſub dio nempè agentes, etiam inclementiſſimo aëre, ingreſſuris Templum ſemet commendantes. Et hoc in ſtatu aliquando ad annum *unum* conſiſtebant, nonnunquàm ad *triennium* vel *quadriennium*, quin etiam ad dies vitæ, quales ex. gr. Inceſtuoſi, nunquàm admittendi ad locum precum in Canonibus Baſilianis.

II. Gradus.

2. Alter gradus fuit ἀκρόασις, admiſſorum jam ad *auditionem* Verbi dùm in Eccleſiâ legebatur, non tamen Lectionis S. Euangelii, ſic nec precum quæ concipiebantur ab Eccleſiâ, μὴ ἀξιούμενοι τῆς προσευχῆς. Locus his intrà Veſtibulum, in Narthece & quaſi ſub *ferulâ*, ubi etiam Catechumeni, Energumeni, Leproſi, & ſub Chriſtianis Imperatoribus, Judæi, Pagani, ut per *auditum* Verbi ad *fidem* adducerentur. Cenſebantur hi adhuc ἔξω τῆς ἐκκλησίας *extrà Eccleſiam*, id eſt, cœtum fidelium. Dicti ἀκροώμενοι *audientes*, ab auditione Verbi; quomodò & *Catechumeni* appellati, qui in ſtatu ἀκροάσεως, κατηχήσεως, καθάρσεως. Et quia ſtabant, hinc ςάσις *ſtatio*.

Varia rursùm in hoc Pœnitentiæ gradu permanſio fuit, pro delicti qualitate. Nam v. gr. qui per vim immolaſſent, anno *uno* defungebantur, Canone *Ancyr.* IV. Qui citrà neceſſitatem, *triennio*, Canone Nicæno XI. Homicidio voluntario *quinquennium* decernit Baſilianus Canon, & ità in reliquis.

III. Gradus.

3. Tertius gradus fuit ὑπόπτωσις, non certè *contemplatio* rerum cœleſtium, ut reddidit Bellarminus, ſed *proſtratio*, humiliatio, dejectio, ſeu γονυκλισία, & hanc ſtrictè μετάνοιαν *pœnitentiam* Baſilius appellat. Locus fuit ἐν τῷ ναῷ, intrà ſepta, poſt fideles, ὄπισθεν τοῦ ἄμβωνος, quò ducebant πύλαι ὡραῖαι ad imitationem portæ Herodianæ. Nec ſemper hi γόνυ κλίνοντες, ſed tantùm in oratione, & dùm illis manus imponebantur, antè dimiſſionem, ut *Can.* Laodiceno XIX. Hinc ςάσις *ſtatio*, & tertia quidem, appellata eſt. Admiſſi jam ad communionem certarum precum, nec omnium tamen, nec Euchariſtiæ. Et hæc plerumque omnium longiſſima ſtatio fuit, ſæpè ad annos VII. ut in caſu adulterii, homicidii, ex Canonibus Nicænis, Ancyranis; quandoque ad vitæ tempus: Sic Eliberitani *Can.* I. *Placuit nec in fine communionem accipere*, de quo pluribus à me dictum eſt ad *Sec.* III. *Cap.* de Diſciplinâ, *col.* 736. Sed rigorem eum ſuſtulerunt Nicæni & Ancyrani Patres, in ſuis Canonibus.

IV. Gradus.

4. Quartus gradus fuit σύστασις, τῶν συνισταμένων, *Conſiſtentium* jam cum fidelibus in oratione, pari ordine, & admiſſorum ad omnes preces, præterquam ad Sacramentum. Fuit communio hæc χωρὶς προσφορᾶς *ſine oblatione*, ut loquuntur Nicæni, ſeu κοινωνία τῆς εὐχῆς, non τῶν ἁγιασμάτων. Manebant tamen adſtantes, ἐπόπται τῶν μεγάλων μυστηρίων, nec cum Catechumenis exire juſſi. Varia rursùm hujus ſtationis duratio fuit, pro varietate perſonarum, & delictorum. *Biennium*, *triennium*, *quadriennium*, etiam *ſeptennium* definiunt Canones. Singula qui volet adeat Nomo-Canones, vel Regulas Baſilianas, ac prolixè de dictis *gradibus* Albaſpinæus, *Obſervat. Lib.* II. Morinus, alii qui de *Pœnitentiâ* Veterum.

Fœminæ Pœnitentes.

Nec Viros tantùm ſed & *Fœminas* ad publicam Pœnitentiam adactas, docet exemplum *Fabiola* nobilis matronæ Romanæ, ob ſecundas nuptias illicitè contractas, conſiſtentis *in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collachrymantibus*, ut pluribus apud Hieronymum, *Epiſt.* XXX.

De occultis criminibus.

At ſi quæ delicta eſſent *occulta*, iis *publicam* Pœnitentiam imponi Canones deinceps prohibuerunt, ſed qui illa confeſſi privatim Epiſcopis vel Presbyteris, etiam in ſecreto corripiebantur, *poſito antè oculos Dei judicio*, & *territâ conſcientiâ*, ut ex Ambroſio, Auguſtino, & variis Canonibus v. Seculi, probat Sirmondus de *Pœnit. Publicâ* C. IV.

Abſolutio.

Tandem excipiebat μέθεξις, ſeu τελείωσις, vel κοινωνία τῶν ἁγιασμάτων, præviâ abſolutione, datione pacis, ac præviis ritibus orationum, impoſitionis manuum. Tempus ordinarium in ſeptimanâ ante-Paſchali, ut ad ſuperius Sec. obſervatum. Et ut diſtinctior habeatur idea Pœnit. publicæ, ejuſque Graduum, ac τόπων in quibus conſiſterent, operæ pretium duximus hic apponere Diagramma, exhibens formam *Templorum* veterum quarto & ſeq. Seculis. * *

Indulgentiæ hujus Sec.

II. Illinc verò hoc Seculo rigidiſſimi fuêre *Canones* Diſciplinæ, in varium genus delinquentium, extrà *tria* delicta Capitalia, ad quæ tamen referebantur. V. gr. Fœmina procurans ſibi *obortum*, aut ne conciperet elaborans, *Fornicatores* fornicatione ſimplici; *Concubinarii* propriè dicti, quales inprimis in Africâ & Hiſpaniâ plurimi; *Aleatores* qui tabulâ calculis aut teſſeris luderent, aut quos Græci πύργους dixêre; *Divertentes* ab uxoribus, aut temerè *repudiantes*; Duarum *ſororum* ſucceſſivè mariti; *Uſuras* accipientes, aut fœnus exercentes; *Sacrilegio* ſe polluentes, qualis delicti accuſatus quoque ab Adverſariis Athanaſius; *Divinatores*, harioli, aut talium conſultores; *Idolothyta* ſi qui comediſſent; *Trigami*, imò *Bigami* νόμιμοι, ſecundum leges num referendi ſaltem inter ἀκρωομένους, &c. Hos omnes Pœnitentiæ, quamvis non pari gradu, ſubjecêre aliquando Canones, ut *Illiberitani*, *Ancyrani*, *Laodiceni*, &c. Multum tamen remitti cœptum de graduum rigore, labente jam Seculo IV. factâ Epiſcopis libertate tempus pœnitentiæ contrahendi, ac gradus vel minuendi, vel tollendi, ſeu *indulgentias* concedendi. Quâ voce uſus eſt hoc Seculo Ambro-

broſius, *de Pœnit. L.* I. *C. ult.* pro mitigatione rigoris diſciplinæ Canonicæ, in ordine ad pœnam jam injunctam, *ne remedium noſtrum* (inquit) *fiat Satanæ triumphus.* Græci vocarunt οἰκονομίαν, *συγγνώμην diſpenſationem*, *veniam*, ac Nicæni Patres qui hanc *Epiſcopis* fecêre poteſtatem *Canone* XII. Ancyrani *Canone* v. vocant φιλανθρωπίαν. Quod non tam poteſtatis Judicialis aut Principalis Epiſcoporum, ut colligunt Viri Docti, quàm prudentiæ Paſtoralis fuit, in re Verbo Dei non definitâ; habitâ ſcil. ratione qualitatis delicti, ætatis, infirmitatis, mortis inſtantis, ſinceræ pœnitentiæ, etiam dignitatis Perſonæ, ut jam ſuprà.

Factum circà Theodoſium Imp.

Atque hinc factum, ut Theodoſium Imperatorem, pollutum cæde Theſſalonicenſium, Ambroſius prohibuerit quidem aditu Eccleſiæ, obſtrictum τῷ δεσμῷ, *vinculo* quo ligabantur lapſi, totos menſes VIII. apud Theodoretum, *Hiſt. L.* v. *C.* XVIII. At ſupplicem deinceps Imperatorem, ad Eccleſiæ ſepta, ἱερὰς περιβόλους, (ubi Ambroſius ſedebat *ἐν ἀσπαστικῷ οἴκῳ in ſalutatorio*, ſeu loco in quo ab ingreſſuris ſalutabatur Epiſcopus oſculo pacis) prævià confeſſione, & ſignificatione pœnitentiæ, ac ſtipulatione in futurum, admiſit Ambroſius, citrà *ſtationes* ordinarias. Adi & Sozomenum *Lib.* VII. ac Paulinum in *Vitâ* Ambroſii.

Confeſſio privata in Oriente ſublata.

Debetur & huic Seculo illuſtris mutatio in Eccleſiis *Orientis*, tempore *Nectarii* Conſtantinopolit. ſuaſu Eudæmonis Presbyteri, cujus preſſit veſtigia Chryſoſtomus ejus Sedis Epiſcopus. Quando ſcil. ſublata & interdicta *Confeſſio privata*, & *Presbyter Pœnitentiarius*, de quibus ad ſuperius Sec. Occaſionem refert Socrates *Hiſt. Lib.* v. *Cap.* XIX. dein Sozomenus *Hiſt.* L. VII. C. XVI. Theophanes in *Chron.* Nicephorus, &c. nempè confeſſionem matronæ nobilis Conſtantinopolit. de ſtupro ſibi à Diacono illato; quæ confeſſio mox, amoto ab Antiſtite Diacono, in vulgus maximo cum Eccleſiæ ſcandalo emanaſſet. Undè conſilium de Presbytero illo Pœnitentiario expungendo, ac neceſſitate confeſſionis *privatæ* tollendâ, antè ſacram Communionem, quæ etiam apud Græcos nulla deinceps fuit.

Fruſtrà jam Baronius, Petavius, Sirmondus, & ipſe quoque ad Socratem Valeſius; rem omnem obſcurant, Confeſſionis auricularis vel Sacerdotalis ſtudio.

Valeſius notatus.

Undè Valeſius fuiſſe hanc matronæ confeſſionem, *qualis hodie à Catholicis fieri ſolet.* Sanè confeſſa fuerit alia etiam delicta, κατὰ μέρος, quæ poſt Baptiſmum perpetrarat; ſed ex abuſu ſenſim orto, poſt introductam à Decianâ Perſecutione Confeſſionem *privatam*, ſcil. delictorum tùm *capitalium*, coràm Presbytero ἐχεμύθῳ καὶ ἐμφρόνῳ, qui dein publicam Pœnitentiam injungeret, pro delicti qualitate, ſecundum Canones. Undè hic abuſus uſum ſuſtulit, Confeſſionis talis neceſſitatem coràm Presbytero Pœnitentiario; hinc in Conſtantinop. Eccleſiâ, ſenſim remiſſum de rigore Diſciplinæ, ac Pœnitentiæ publicæ; *liberâ cuique factâ poteſtate ut pro ſuâ quiſque conſcientiâ* ad myſteriorum communionem accederet, ut diſertè Socrates, & Sozomenus. Quod verò contendunt, omnes tùm fideles obſervaſſe, ac de neceſſitate quidem, *ut confiterentur Sacerdoti delicta omnia ſigillatim*, etiam occulta, nulla dicit ejus temporis Hiſtoria. Chryſoſtomus verò, qui Nectario ſucceſſit, luculenter deinceps oſtendit, ſolâ *confeſſione* quæ *apud Deum* fit, cui *ſoli* peccavimus, remiſſionem peccatorum obtineri, quod XIII. ex Chryſoſtomo locis luce meridianâ clariùs Joh. Dallæus demonſtravit, *De Confeſſ.* L. IV. C. XXV. Vide quæ diximus ad *Sec.* III. *col.* 734.

VIII. *Superſtitionis in quibuſdam Ritibus Præludia, hoc Seculo,*

I. Exempla gliſcentis ſenſim *ſuperſtitionis* præ cæteris ſunto, paſſim ex Canonibus, & ex Patribus hujus Ævi, dein ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, &c.

1. Uſus *Cereorum*, ſeu *Luminarium*, etiam extrà Vigiliarum tempora, ſole rutilante, tùm in Templis, dùm legerentur Euangelia, & ſacra fierent, tùm extrà Templa, puta in deductione funerum, ad Paganorum imitationem, undè in funere Pallantis, apud Virgilium, — Uſus luminum.

> —— *Lucet via longo*
> *Ordine flammarum.*

Nec tamen hic luminum uſus quarti Seculi ineuntis. Imò poſt Tertullianum riſit quoque Lactantius, *Divin. Inſtit. Lib.* VI. *C.* II. *Accendunt Deo lumina, velut in tenebris agenti.* Et Eliberitani, *Canone* XXXIV. *Cereos per diem* (fruſtrà alii legunt *perinde*) *placuit in Cœmeteriis* (quæ tùm loca conventuum) *non incendi. Inquietandi enim Sanctorum Spiritus non ſunt.* Id eſt, (nam varios hic Canon torſit) fidelium animæ, quas adſtare tumulis opinabantur, non turbandæ Paganâ hujuſmodi ſuperſtitione. Imò ipſe Seneca *Epiſt.* XCVI. *Accendere aliquem lucernam Sabbatis prohibemus; quoniam nec lumine Dii egent, & ne Flamines quidem delectantur fuligine.* Qui aliàs mos apud Romanos obtinuit lucernas accendendi in honorem deorum, aut Principum, quâ de re diximus in Chronol. S. ubi de *Feſto Luminum*, *Cap.* XV. Ac ſucceſſu temporis accenſa & interdiu lumina, cumprimis in Oriente, *ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*, probante præ cæteris Hieronymo, adversùs Vigilantium, in *Epiſt.* ad Riparium Presbyterum Tomo II. Ac fruſtrà Baronius cum ſuis, ac nuper Bona Cardinalis, Liturgicorum *Lib.* I. *Cap.* v. provocant ad uſum Hebræorum, quos mane lucernas compoſuiſſe rectè Petavius ad Epiphanium, ex ipſo Hieronymo, *Animadv.* ad *Hær.* LXVI.

2. Acceſſit uſus *thuribuli* & *incenſi* aromatici, τοῦ θυμιάματος, Precum & Sacramentorum temporibus, ut ex Judaicâ, ſic ex Paganâ diſciplinâ, carpente in Ethnicis hanc ſuperſtitionem, quaſi *Dii nares eſſent quibus ducant aërios ſpiritus*, Arnobio *Lib.* VII. Vix Seculi III. hunc uſum fuiſſe, pluribus nos ſuprà, *col.* 718. At Ambroſius, & Liturgiæ meminerunt, hinc *adolere altaria*, *offerre incenſum*, ſcilicet contritionis, precum, operum bonæ fragrantiæ, hac Ætate ſymbolum. — Uſus incenſi.

3. Scrupuloſa *abſtinentia*, Jejuniorum ſtatis *temporibus*, à certo genere ciborum, puta carnibus, eduliis, vino, ξηροφαγία ſancitâ Canone *Laod.* L. id eſt, uſu panis cum ſale, & aquæ ad potum, ex Montaniſticâ ſuperioris Ævi, Monaſticâ tùm quoque, ſeu Aſceticâ hujus Ævi diſciplinâ. Ne dicam hanc ut Brachmanum Gymnoſophiſtarum, ſic *Ægyptiorum* Sacerdotum fuiſſe ſuperſtitionem, ut carnibus & vino, etiam lacte, ovis, quæ cenſebantur Caro *liquida*, abſtinerent. Sic *Eleuſinii* Sacerdotes in Cereris vel Iſidis honorem, carne veſcebantur nunquam; quæ & *Romanorum* praxis, ex Numæ inſtitutione, jejunantium in honorem ejuſdem Cereris; uti *Julianum* Apoſtatam, herbis & leguminibus in cœnâ victitaſſe, ex Spartiano intelligitur. — Ciborum diſcrimen.

4. *Cœlibatûs* admiratio nimia, de quo jam multæ contentiones, tandem lege imperando Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, à Siricio Papâ ſub finem Seculi. Fecit hoc in *Epiſt.* I. ad Himerium Tarraconenſem, *Canone* VII. ubi de Clericorum conjugio — Cœlibatus Cleri cor.

gio *poſt conſecrationis ſua tempora*, tanquàm *incontinentia* crimine, quæ *Epiſt.* eſt *apud* Dionyſium Exiguum, & Tomo II. *Concil. col.* 1019. Ac ut probaret ſua Siricius, imperitè adducit Apoſtolum, *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Faverunt ſanè in Latinis Patribus præ cæteris Ambroſius & Hieronymus, in conjugium minùs æqui: At reclamarunt plerique in Orbe utroque Epiſcopi, Clerici, ſuâ cum doctrinâ tùm praxi; adeò ut *Euſtathianos*, damnantes conjugium Sacerdotum, hoc nomine Gangrenſis Synodus anathematizarit, *Can.* I. *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem ac religioſam deteſtatur, aut culpabiles æſtimat, anathema ſit.* Quod rurſùm ortum ex Paganâ diſciplinâ, pollui ſacra Conjugum uſu exiſtimante; ut & praxi *Ægyptiorum* Sacerdotum, *Hierophantum* apud Athenienſes, ſic illorum *Magna Dea* apud Phrygas, ſemet evirantium. Ita *Numa Pompilius* apud Romanos, Cereri ſupplicaturus, à fæminæ conſuetudine abſtinuit: Quamvis Romani Sacerdotes uxores & liberos alerent, hinc ampla illis conceſſa Beneficia, quædam etiam Sacerdotia *gentilitia*, de patribus in filios tranſitura.

Reliquiarum veneratio. Diſcrimen à praxi Latinor.

5. Superſtitio *reliquiaria*, gliſcens ſenſim; Reliquiarum ſeu Corporum ac Cinerum tranſlatione in Urbes & Templa, collocatione ſub menſâ Euchariſticâ, ſuperſtitioſo contactu, defixione oſculi, accenſione cereorum, adſcriptâ virtute, ac creditis Miraculis innumeris, ad præſentiam Reliquiarum. Quorum ferè omnium fuit jam acerrimus vindex Hieronymus contra Vigilantium, tùm Paulinus Nolanus, in Oriente Greg. Nazianzenus, & ſi qui alii. Nondùm tamen hujus Ævi *adoratio* religioſa, minùs ipſa Crucis *latria*; nondùm extenſa Reliquiarum appellatio ad *Clavos Crucis Dom. Lignum, Veſtimenta, Crepidas, Pectines,* λόγχην abituram in *Longinum*, *Laternam* Judæ, ſic *Lac* Virginis, & alia innumera, quæ poſtmodùm ſuperſtitioni ſacra fuère. Nondùm demurmuratio precum, exſolutio votorum, oblatio munuſculorum, multiplicatio incredibilis, conquiſitio ſuperſtitioſa, confictio fraudulenta, uſus penè magici, id genus alia ſequioris Ævi.

Peregrinationum origo.

6. *Peregrinationum* primordia cumprimis ad Templum Hieroſolymitanum, & locum Sepulchri Dominici, Helenæ matris Conſtantini exemplo. Sed & itiones illæ *Hieroſolymitana*, quas in pietatis parte ponerent, improbatæ prudentioribus hujus Seculi Patribus, ut quæ occaſionem jam tum præbuère multis *inquinamentis*, & ſuperſtitionibus circâ *loca* quæ vulgò *Sancta*; undè tandem *Bellis Sacris* origo. Sufficiat Gregorii Nyſſeni Oratio, περὶ ἀπιόντων εἰς Ἱεροσόλυμα, *Tomo* III. in fine, ubi egregiè demonſtrat, *localem mutationem non efficere ut Deus propior ſit*; nil prodeſſe, impuris ac perverſis cogitationibus polluto, quoad τ̃ ἔσω ἄνθρωπον *interiorem hominem*, etiamſi in *Golgothâ* fuerit, aut in *monte Olivarum*, aut ὑπὸ τὸ μνῆμα τ̃ Ἀναστάσεως, *ſub ipſum monumentum Reſurrectionis*; *Spiritum S. ſpirare ubi vult*, ſive credentes hic ſint, ſive alibi, modò credant juxtà *analogiam fidei*, non κατὰ τὴν ἀποδημίαν τὴν ἐν Ἱεροσολύμοις. Poſteà & frequentata ſepulchra ſeu *Memoria* Martyrum, undique illatorum in Templa & Urbes, ex ultimis etiam Indorum finibus, ut ferunt; ſed quæ ad ſequentia veriùs *Secula* ſpectant.

Invocationis Sanctorum præludia.

7. Origo quædam *Invocationis Sanctorum*, quam hoc demùm Seculo, & ſequentibus gradatim introduci cœptam, fatentur non pauci in Adverſariis, poſt Lud. Vives, Caſſandrum, Barneſium, Pereſium Ayalam, *Lib.* de *Traditionibus*, P. III. ac ipſum Perronium Cardinalem in *Replicâ* ad Jacobum Regem, &c. Nata ſcilicet ex nimiâ veneratione Martyrum; ex creditâ eorundem ad tumulos

ſuos vel Memorias præſentiâ; creditâ etiam interceſſione particulari, quâ nos ſuis precibus adjuvarent, poſt Platonicorum errorem; In ſpecie autem ex Panegyricis & Apoſtrophis oratoriis ad Defunctos, puta Baſilii, Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, quibus ut præſentes compellant; & ſuffragia eorundem petunt. Itâ tamen I. Ut petant *conditionatè*, ſi quis illis ſenſus, ſi quæ cognitio rerum humanarum, εἴ τις σοι λόγος, &c. ut ſæpè repetit Nazianzenus. 2. Ut interpellent eo planè modo quo *vivos* oramus, ut nos ſuis precibus juvent, minimè invocatione vel duliâ religioſâ; interpretibus hoc modo Alex. Aleſio, Lud. Vive, Caſſandro, Pereſio, Barneſio, aliis è grege Pontificiorum. 3. Ut pari ratione animam v. gr. Conſtantini Imper. imò & Juliani Apoſtatæ, alloquantur, cujus rei exemplum apud Nazianzenum, *Orat.* II. in Julian. 4. Ut ſuffragia eorum petant, more *declamatorum*, veriùs quàm oratorum, quod in ſpecie de Gregorio Nyſſeno à Criticis obſervatum eſt.

Imaginum uſus publicus.

8. Introductio ſucceſſiva *Imaginum* in Templa, ſub finem Seculi cùm in Aſiâ Minore ut Cappadociâ, faciente inprimis Greg. Nyſſeno; tum in Europæ quibuſdam locis, promovente hic cumprimis Paulino Nolano Epiſcopo, ſub initia Seculi ſequentis. Finis tum quidem fuit I. *Hiſtoricus*, ad commemorationem hiſtoriæ Euangelicæ, etiam illuſtrium quorundam Martyrum, quorum Paſſiones repræſentatæ; 2. *Ethicus*, ad imitationem & excitationem paris fidei, conſtantiæ; 3. *Politicus*, ad Templorum ornatum; 4. Μιμητικὸς, ut Gentiles ſimulachris Deorum ſuorum aſſuetos, ad aliàs *Imagines* virtutis, fidei, charitatis, fortitudinis Chriſtianæ, revocarent. Interdixerant verò, ſub initia hujus Seculi, Hiſpani Eliberitani *Can.* XXXVI. *Placuit picturas in Eccleſiâ eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur*, Deus vel Chriſtus Θεάνθρωπος, quod unicum tùm cultûs religioſi objectum fuit, *in parietibus depingatur*: Quod ad picturas ſolius Dei vel S. Trinitatis, abſurdè reſtringunt, de quo Canone nos alibi ex profeſſo. Adde, fuiſſe hoc *privatum* hinc indè factum, ad uſus ex ſe innocuos, minimè verò ad cultum religioſum, nec publicâ aliquâ lege. Undè Epiphanius vehementer iſti inſtituto reclamavit, luculento rei exemplo, *ſciſſo* à ſe *Velo* Eccleſiæ cujuſdam in Palæſtinâ, ubi imago alicujus Sancti erat depicta, in *Epiſt.* ad Johannem Hieroſolymitanum, quam Hieronymus etiam Latinè verſam ſuis Operibus inſeruit, *Tomo* II. Quâ de re Theologi pluribus, & mea *Hiſtoria* Imagin. *Reſtituta*, Sect. I. Profeſſio Fidei in *Epiſt.* Baſilii ad Julianum Apoſtatam, quæ eſt CCV. in qua *Invocatio ſanctorum* & *Cultus Imaginum* tanquam fidei capita recenſentur, ſuppoſititia eſt, judice quoque nuper *Du-Pino* Pariſienſi Theologo, *Tomo* II. Biblioth. Novæ, in *Baſilio*. Pariter quæ Amphilochio tribuuntur, ut Homilia de *Pœnitentiâ*, adverſus eos qui Imagines dicerent ἀνωφελεῖς καὶ ἀνονήτους *rem inutilem & nullatenus proficuam*, in ordine ſcilicet ad uſum vel cultum religionis; ea ipſa Homilia nugarum fabellarumque ævi Iconolatrici pleniſſima eſt.

Imagines Impp. adoratæ.

Porrò & hìc abuſus circâ *Imagines* obſervandus eſt, quem notat Philoſtorgius *Hiſt.* Lib. II. C. XVIII. & Imperatoriæ Conſtitut. de *Imaginibus Imperialibus*, præter Socratem *Lib.* II. C. XVI. Sozomenum *Lib.* VIII. C. XXII. Nempè ex Paganâ conſuetudine inter Chriſtianos irrepſerat, ut Imaginibus Conſtantini M. erectis paſſim in foris, porticibus, locîſque publicis, *ſacrificiis* propitiarent; *lucernis & incenſis* colerent; *preceſque* & *ſupplicationes* veluti ad Deum dirigerent, ita Philoſtorgius, qui rem exaggerat in odium Orthodoxorum, Eunomianus ipſe. Quod deinceps quoque circâ Imagines

Digitized by Google

ac ſtatuas Imperatorum reliquorum populi obſervabant, quæ paſſim erigebantur, aut in Provincias mittebantur, non ſine cultu qui religionis aliquid habuit. Theodoſius tandem Junior prohibuit, ſic probans erigi in honorem Principis, ut *excedens cultura hominum Dignitatem, ſoli Deo reſervaretur*, Cod. Theod. *Lib.* XV. *Tit.* IV.

Crucis veneratio, uſus.

9. *Crucis* nimia veneratio, hinc erectio paſſim in Templis, ad Altaria ſeu Menſas Euchariſticas, & adſcripta huic jam ſigno *efficacia*. Cujus rei exemplum occurrit apud Sozomenum, *Lib.* II. *Cap.* III. ubi in viſione Probiano cuidam, Medico Sacri Palatii, oſtenſum σαυρȣ σύμβολον *Crucis ſignum*, τ͂ ἀνακειμένων τῷ θυσιαςηρίῳ, inter *ea quæ in altari erant erecta*. Factum nempè poſt *viſionem* ejus ſigni à Conſtantino Imperatore, de quâ fusè ſuprà. Ac quam huic ſigno virtutem, profligando Dæmoni, aut morbis, adſcriberent, pluribus vel ex Athanaſio conſtat, in iis quæ de *Incarnatione Verbi* ſcripſit, *Tomo* I. Hinc & ædes publicæ, privatæ, ſcuta, labara, hoc ſigno inſignata, in formam literæ ⋈ Græcorum, ſed *transverſæ*, ac *capite circumflexo*, ut Lactantius; vel ut ex Nummis antiquis Conſtantini M. Conſtantii, in hanc formam, Græcâ literâ P medium ⋈ ſecante, ut ex ectypis ſuprà apparet, quæ deinceps in ☧ ſimpliciter abiit. Quâ de re pluribus Gretſerus, & ſcriptores de *Cruce*, ac qui nuper in Galliâ Pontificiâ commentatus eſt ad *Viſionem Crucis* Conſtantino M. exhibitam.

Orationes pro mortuis, damnatis

10. *Orationum* pro *mortuis* hoc Seculo frequentatio, etiam pro *Patriarchis*, *Prophetis*, *Apoſtolis*, pro ſanctis *Epiſcopis*, pro *Martyribus*, pro *Virgine*, qualiter jam ad ſuperiora Sec. *col.* 615. 713. 714. Sic pro animâ Conſtantini M. eo defuncto omnes orare, apud Euſebium de *Vitâ Conſtant.* L. IV. C. VII. Sic Ambroſius orare pro animâ Valentiniani, Gratiani, Theodoſii, de *Obitu Valentin. & de Obitu Theodoſii*. Nempe pro quiete earundem, pro gloriæ, lucis, felicitatis incremento, & pro maturâ reſurrectione. Loca in hanc rem obvia habes in Liturgiis Baſilii, Chryſoſtomi, Ægyptiorum, &c. in Conſtitutionibus vulgò Apoſtolicis, *Lib.* VIII. C. XII. in Orationibus Nazianzeni, Ambroſii, &c. Et in Epiphanio *Hær.* LXXV. ubi adversùs *Aërium* diſputat, negantem prodeſſe mortuis orationes vel ſacrificia viventium.

Sed & pro *damnatis* oraſſe hoc Seculo, ut tolerabilior fieret eorum conditio, ut pœnæ mitigarentur, ſæpiùs ex Homiliis Chryſoſtomi, & aliàs, intelligitur. Succenſura hæc quidem poſteà Purgatorii ignem; aſt diverſiſſimum fuiſſe hujus Ævi inſtitutum à Latinorum illo, falſi cordatiores in Latinis, & viſum eſt ſuprà.

Abuſus circa Bapt. Euchariſt.

11. Adde abuſus circà adminiſtrationem *Baptiſmi*, Laicis quandoque indultam; dati & hominibus mortuis, ex Canone Afric. XVIII. ac ſæpè nimis dilati, etiam ad extremum vitæ tempus, exemplis Imperatorum Conſtantini, Conſtantii, Theodoſii M. Valentis, apud Euſebium, Socratem, Theodoretum, invitis Canonibus, & Patribus. Sic ad Exemplum Conſtantini M. voluiſſe multos tingi in Jordane, Euſebius *de Locis Hebr.* ad Bethabara, ut Valeſius Notis ad *Euſeb.* p. 252. Quod tamen de ſimplici etiam *lavacro*, in die Epiphaniæ, hodieque ritu ab Orientalibus ſervato, accipi poteſt. Ità circà *Euchariſtiam* S. infantibus etiam, mox à Baptiſmo, exhibitam; uti omnibus morituris tanquàm ἐφόδιον *viaticum*, vel Canone Nic. XIII. imò & Mortuis in os ingeri cœptam, ex Canone VI. Concilii *Carthag.* III. Omnia quidem ex erroneâ opinione abſolutæ neceſſitatis, ſcil. abſque iis non intrari in Regnum Dei.

Monachiſmus.

12. Inſtituti *Monachalis* nova indies incrementa, quanquam ab hodierno diverſiſſimi; ſi hujus finem, regulas, vota, veſtes, mendicitatem, alia deinceps nata reſpicimus. Ac multa quoque Regulæ *Baſilii* Cæſar. in Oriente aſſuta. Sed de *Monachatu* infrà.

Veſtes Sacræ.

13. *Veſtium ſacrarum* ſcrupuloſior jam forma, diſtinctio, de quibus & Laodiceni Canones XXII. XXIII. Nempè ἐν τῷ Διακονικῷ, quod aliàs σκȣοφυλάκιον, Helleniſtis πασοφόριον, לשכה Hebræis, Latinis deinceps *Secretarium* (voce à Rectoribus Provinciarum mutuatâ) *veſtiarium*, *receptorium*, videntur fuiſſe repoſitæ veſtes ac tunicæ Sacerdotales, lineæ tùm ac candidæ, hinc λαμπραὶ ſplendentes; quarum mentio apud Ambroſium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Paulinum, &c. Ità ὠραρίȣ, *orarii*, interdicti ſecundùm Canones Clericis miniſtrantibus, frequens hoc Seculo mentio eſt, quod Diaconi ſiniſtro humero, Presbyteri utroque geſtabant. Stolam Sacerdotalem vulgo interpretantur; veriùs *ſudarium*, σιμικίνθιον *ſimicinthium* apud Heſychium, mantile, faſcia, linteum collo involutum, in quo ille apud Ambroſium ligavit Sacramentum, de Obitu Satyri, *Tomo* III. Alius oculum pendentem eo ligavit apud Auguſtinum, de Civitate Dei *Lib.* XXII. C. VIII. Eodemque *os* abſtergebant, undè nomen, etiam *ſignum* dabant, quum hæ & illæ preces, cantiones, lectiones inchoandæ eſſent. Veſtes reliquas Sacerdotales, & Pontificales, præter talares tunicas, albas, orarium, indè à temporibus Gregorii I. vel Caroli M. introductas, v. gr. Amictum, Planetam, Dalmaticas, Sandalia, Mitram, &c. uti *auri argentique* texturam, nonniſi ex dubiis & ſuppoſititiis hujus Ævi aut *Decretalibus*, aut *Vitis*, probant. De quo & jam ſuprà dictum fuit, *col.* 624. 723.

Orarium quid?

Diſcrimen à Latinis.

Aſt verò, vel ex dictis, diſcrimen in omnibus longè maximum fuit à *ſuperſtitione* ſequioris ævi. Magiſque hæc ad *Gentilium* praxim accedit, falſo inter alios Guil. Du Choul de Relig. Romanorum, *pag.* 339. *Si paulo attentius rem penſitamus, intelligemus inſtituta multa noſtræ Religionis, è Ceremoniis Ægyptiorum & Gentilium eſſe tranſlata*; *Ut ſunt*, ex. gr. *tunica*, *ſuperpellicea*, *corona Sacerdotum*, *inclinationes coram Altari*, *pompa Sacrificiorum*, *muſica in Templis*, *adorationes*, *ſupplicationes*, *proceſſiones*, *litania*, *aliaque plurima*, *quæ noſtri Sacerdotes in Myſteriis noſtris uſurpant*, *referuntque ad unum Deum*, *Jeſum Chriſtum*, *quæ Gentiles ad falſos Deos*, *& Homines conſecratos*. Ut fruſtrà ſit in his pleriſque Baronius, in nonnullis Henr. Valeſius, etiam Bona in Liturgicis, contendentes hodiernos Romanæ Eccleſiæ ritus, ad veteris Eccleſiæ illos conformatos eſſe; ut Joh. Bapt. Caſalium, Allatium, ſimiles taceam. Equidem in multis *factum* legimus, non publicam legem; factum etiam *particulare* quorundam, non omnium ubique Chriſtianorum; factorum etiam diverſiſſimas, ſi benè expendantur, *circumſtantias* ab hodiernis; alienâ & opinione *meriti*, aut cultûs divini *ex ſe*, in externis illis & adiaphoris poſiti. Adde reluctantes paſſim (ex. gr. Cœlibatui Clericor. Imaginum aut Cereorum uſui, adorationi Creaturarum, Peregrinationibus religionis ergò, &c.) vel *Synodos*, uti Nicænam, Eliberitanam, Carthaginenſem III. IV. &c. vel prudentiores Eccleſiæ *Doctores*; ut præter data à nobis exempla, ſigillatim ad ſuperiora Doctrinæ Capita, καζὰ μέρ☉, à Theologis Eruditis obſervatum eſt.

IX. Re

Digitized by Google

IX. *Regiminis Eccleſiaſtici facies hoc Seculo. Ordines, ac Dignitates Sacræ. Romani Epiſcopi auctoritas. Diſciplinæ Clericalis notabiliora.*

Ordines ſacri hoc Sec.

1. ORdines ſacros quod attinet, diſtincti hac Ætate, paſſim in Canonibus, *Epiſcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Hypodiaconi*, *Exorciſtæ*, *Lectores*, & *Cantores*. De quibus jam ad præcedens Secul. *Cap.* VI. abundè dictum fuit. *Acolythorum* mentio nulla in Canonibus hujus Ævi, Antiochenis, Laodicenis, Sardicenſibus, qui cæterorum Ordinum tùm ἱερατικῶν, tùm ὑπηρετικῶν, meminerunt. Cæterùm in ordine τῶν ὑπηρετῶν, ſeu Ordinum *miniſtrantium*, fuêre hoc adhuc Ævo *Subdiaconi*, fatente Morino, uti *Lectores*, *Cantores*, *Exorciſtæ*, *Oſtiarii*, ex Canone *Laod.* XXIV.

Subdiaconi.

Subdiaconi hoc adhuc Seculo, in Oriente, nonniſi ὑπηρέται, qui adſtarent portis Templorum, ingreſſuros obſervaturi, ut jam nos ad ſuperius Sec. Quod de portâ τοῦ βήματος *Sanctuarii* recentiores gratis interpretantur; quando conjuncta videntur fuiſſe θυρωρῶν & ὑπηρετῶν miniſteria. Iidem apud Orientales, miniſtrare Epiſcopis; Vaſa ſacra, & Oblata, ſuper S. Menſam diſponere; Catechumenos, Pœnitentes, profanos, à Diacono exire juſſos, pellere ex Eccleſiâ; tandem Luminaria & Ceroferaria præparare, quod *Acolythorum* apud Latinos fuit. In Occidente adhiberi cœpti ad *miniſterium* Epiſcoporum, & menſæ Euchariſticæ; undè traditio patenæ vacuæ, malluvii, manutergii, in eorum conſecratione, ex Canonibus & Conc. *Carthag.* IV. Tandem majoribus Ordinibus adſcripti.

Exorciſtæ.

Exorciſtarum munus memoratur in ſuprà dictis *Canonibus*, Antiocheno X. Laodiceno XXIV. &c. In Oriente idem fuit quod κατηχητῶν, quia exorciſmus adhibitus circà Neophytos, & Catechumenos, quos adjurabant, ad ſingulas Catecheſes, τρίτον ἐμφυσῶντες *ter inſufflantes* in faciem & aures, ex *Canone* VII. Conſtantinopolitano ſub Theodoſio M. Supponebant omnes quotquot Chriſto nondum inſerti eſſent, à *Dæmone* poſſideri; hinc primo die fiebant Chriſtiani, ſecundo Catechumeni, tertio Exorciſati: Undè ἐξορκίζεσθαι, & ἐμφυσιωθῆναι dicebantur, & quidem γυμνοὶ καὶ ἀνυπόδετοι *diſcincti* & *diſcalceati*, ut ex Cyrillo Hieroſ. & Chryſoſtomo Valeſius ad Euſeb. de *Mart. Palæſtinæ* C. II. Ordo in Oriente non ſeparatus ab illo *Diaconorum* fuit, quanquàm *miniſterialis* habitus, & idem *Exorciſta* qui *Diaconus*, ut *Romanus* Cæſarienſis Eccleſiæ, Διάκονός τε καὶ Ἐπορκιστής, quemadmodum dicto loco Euſebius. Aſt verò in Occidente, quum ceſſaret donum *ejiciendi dæmonas*, promiſſum à Chriſto Eccleſiæ ſuæ, ſed *naſcenti*, remanſit tamen *Exorciſtarum* Ordo & nomen; Quorum munus ſcilicet ſed mimicum (apud Paulinum Nolanum, *Natali* IV. S. Felicis) fuit,

Adjurare malos & ſacris pellere verbis.

Itâ tamen ut Sulpicii Severi tempore adeò eviluiſſet hoc quicquid muneris, ut contumeliæ quaſi loco videretur, & Ordo abjectus; Sic enim *Lib.* de Vitâ Mart. C. IV. *Si id ei officii impôneret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit.*

Lectores.

Ἀναγνώστων *Lectorum* diſtinctus Ordo fuit, qui apud Latinos deinceps ad Subdiaconos & Acolythos devolutus eſt. Atque hic Ordo Clericalis ferè primus à quo ad Diaconatum, Presbyteratum, Epiſcopatum tranſitus, ex Canone *Sardic.* X. vel Chryſoſtomi exemplo, qui primò *Lector* ordinatus à Zenone Tyri Epiſcopo, poſteà *Diaconus* à Meletio Antiocheno, hinc *Presbyter* à Flaviano Meletii ſucceſſore. Ratio hujus *gradationis* fuit, ut itâ probarentur qui admovendi ad Ordines Eccleſiæ, hinc etiam humilitatem edocerentur. Conſecrati per χειροθεσίαν, licet in *miniſtrantium* ordine, & extrà τὸ Διακονικὸν ſeu Sacriſtiam vel ſecretarium, qui nec *Orarium* ferrent, ex Canone *Laodic.* XXII. XXIII. ὠράριον vel ὀράριον. Quod reddit Heſychius Σιμικίνθια vel σουδάρια, ori abſtergendo, unde nomen; quod Presbyteri utroque humero, Diaconi ſiniſtro geſtabant. Apud Latinos etiam *horarium*, quia inſerviebat horis indicandis quando preces, cantus, lectio, incipiendæ erant. Undè etiam à Presbyteris, ac Chorepiſcopis, *Lectores* ordinari per impoſitionem manuum potuêre. Materia *lectionis* fuit, diebus Sabbati *Vetus* Teſtamentum, Dominicis *Novum*, poſteà etiam *Euangelium* ſabbatis legi præceptum *Can.* Laod. XVI. Lectoribus itaque primitùs conceſſa lectio utriuſque Teſtamenti; quæ apud Latinos itâ diſtinguenda fuêre, ut ſolis Diaconis vel Subdiaconis lectio Euangelii, & Epiſtolæ, *Lectoribus* autem illa Vet. Teſtam. permiſſa fuerit. Quod & de Syris vel Maronitis, intrà Vetus Teſt. Lectorum officium arctantibus, Joh. Morinus de *Sacris Ordin.* Parte III. p. 259. ex Latinorum diſciplinâ.

Cantores.

Κανονικοὶ Ψαλταὶ *Cantores Canonici* memorantur à Laodicenis *Can.* XV. diſtincti jam à Lectoribus, poſt ſancitas lege Cantiones ſacras, & Pſalterium Davidicum. Diſparati jam Ordines, Cantorum & Lectorum, non ſibi invicem ſubordinati, ut poſteà Lectorum Ordo ſuperior evaſit. Ac communes utriſque Leges poſitæ, de non ferendo *Orario*, de non intrando καπηλείῳ *cauponâ*, de reverentiâ habendâ Majoribus Ordinib. Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, &c. Canebant ex *ambone*, (undè dicuntur ἀμβωνίζεσθαι) poſt alternas lectiones, & quidem ἀπὸ διφθέρας ex codice *membranaceo*. Ac promiſcuè ex Fidelibus vel Catechumenis ad id delecti, ut quidem de Eccleſiæ Alexandrinæ praxi Socrates, *Lib.* V. C. XXII. Hos Cantores ὑποβολεῖς vocat Hiſtoricus, *monitores*, *præcentores*, *pag.* Edit. Valeſii 287. Alicubi combinato Lectorum & Cantor. Ordine dicti ψαλταναγνῶσται.

Diaconi.

Diaconi hoc Ævo, *Diacones*, qui & *Levitæ* Patribus, in partem Regiminis Eccleſiaſtici adhuc venêre, quibus locus fuit in *Diaconico*. Hinc Epiſtolæ plures hoc Seculo ſeu à Clero ſcriptæ, ſeu ad Clerum in Eccleſiis majoribus, præferunt nomen *Epiſcopi cum Presbyteris* & *Diaconis*, ut quoque jus habuêre ſuffragium dicendi in *Conciliis* Provincial. Horum jam fuêre partes, non ſolum cura pauperum, ægrotorum, & quæ ad τὰ βιωτικὰ vel σωματικὰ ſpectabant, ſed etiam oblata à populo in *Menſâ* diſponere; ſymbola conſecrata ἀναφέρειν porrigere, deferre; κηρύσσειν *acclamare* quando & quibus exeundum, quando flectenda genua, vel canendum, vel audienda lectio, dato ſigno *orarii*; denique ea procurare quæ ad εὐταξίαν ordinem & decorum facerent. Patet ex Liturgiis veterum, ex Canonibus Ancyranis, ex Conſtitutionibus Clementis, *Lib.* VIII. C. XXVIII. Poſtmodum apud Latinos, *Diaconis* demandata Lectio *Euangelii*, à ſolennitate illius Lectionis, tempore Euchar. S. De quo Iſidorus Hiſpalenſis de Eccleſiaſt. Officiis, *Seculo* VII.

Porrò ſtabant coràm Presbyteris, & de honore his à *Diaconis* debito, ſunt Canones Nicæni, Laodiceni, Carthaginenſes. Hinc querimonia Hieronymi, in *Epiſt.* ad Euagrium, de inſolentiâ Diaconorum ſui temporis, qui ſe *Presbyteris* vel æquarent vel anteferrent, undè Presbyterorum dignitatem eâ occaſione extulit, quos *Epiſcopos* vocat. Nempè de *Archidiaconis* conqueſtus, qui jam ſuperbo vertice ſe tollebant.

Digitized by Google

Diaconiſſæ. *Diaconiſſas* hæc adhuc ſervavit Ætas, quæ, ἠξιωμέναι τῆς διακονίας χαρίσματος, adlectæ eſſent in Clerum, per manuum impoſitionem. Hinc Nicæni diſtinguunt inter Diaconiſſas quæ ἐν τῷ κανόνι, in ordine Eccleſiaſtico, & quæ ἐν τῷ σχήματι, ſeu quæ habitu tales eſſe cenſerentur. Prolixe de harum officio Epiphanius, *Hær.* LXXIX. Collyridianorum, *Num.* III. IV. Et illæ vel viduæ, vel etiam virgines, ſed ætate graves, hinc etiam πρεσβύτιδες; quanquàm & πρεσβύτιδες fœminæ quæ προκαθήμεναι, Canone *Laod.* XI. à Diaconiſſis diſtinctæ, iſtis χαρτλέραι, id eſt, *matriculæ*, ſcilicet bonæ matres res Eccleſiæ curantes, ſed in Laicis, non in Clero.

Presbyteri. Ordinariè ex *Diaconis* promovebantur in *Presbyteros*, qui ſecundi Ordinis Sacerdotes, infrà Epiſcopos, ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου. His gradibus ipſe Chryſoſtomus ad Epiſcopatum, Epiphanius ſimiliter, ut in ejus Vitâ eſt, ſurrexerunt, primò Diaconi, hinc Presbyteri. Nec antè annum ætatis XXX. ordinandi in Presbyteros, ad imitationem Synagogæ, & Chriſti, ex Canone Neo-Cæſar. XI. lege diu ſervatâ, cumprimis in Oriente. Porrò multis Hieronymus hac Ætate, in Epiſtolam ad *Titum* & *Epiſt.* ad Euagrium, contendit eundem eſſe *Presbyterum qui Epiſcopus*, nempè quoad ſubſtantiam officii, quoad Dominicam diſpoſitionem, vel inſtitutionem Apoſtolicam; licet *traditioni Apoſtolicæ* tribuat diſcrimen Presbyteri ſuprà Diaconum. Igitur ille *conſuetudine*, & quidem *paulatim* invectâ, ad tollenda *ſchiſmatum* ſemina, factum eſſe ut ſuprà Presbyterorum inferiorem gradum ſurgerent Epiſcopi. Undè de ſententiâ *Hieronymi*, & ſcopo, & occaſione ejus aſſerti, Eruditorum concertationes; & prolixè Henr. Hammondus adverſus Dav. Blondellum, ſententiæ Hieronymianæ ὑπερασπιστήν. Nempè vellet ille, 1. Anteriorem ſanè Hieronymo *Ignatium*, qui derivet ab Apoſtolis poteſtatem Epiſcopalem, ſuprà Presbyterorum illam. 2. Referre ad *traditiones Apoſtolicas* ipſum Hieronymum, & *decretum* univerſale *toto Orbe*, ut unus ſuperponeretur Epiſcopus. 3. Satis probari Apoſtolicum inſtitutum, exemplo Jacobi *Epiſcopi Hieroſolymit. Eccleſiæ*. De quibus jam dictum eſt in anteceſſis. Noluit autem Hieronymus turbari vel everti *conſuetudinem* Eccleſiæ, quod volebat *Aërius* Schiſmaticus.

Porrò ut Epiſcopis *thronus* hoc Ævo datus, ſic Presbyteri σύνθρονοι, συνεδρευταὶ, ſedentes in cathedrâ, vel ſecundo throno, communi cum Epiſcopis honore regiminis, & ſacerdotii. Ità Epiſcopo ordinante Presbyterum per impoſitionem manuum, etiam *omnes Presbyteri præſentes* manus tenebant ſuper caput ordinandi, adhuc Seculo ſequente, ex Concilio Carthagin. IV. *Can.* III. Ignoti adhuc *conſecrationum* ritus, per unctionem, traditionem patenæ & calicis, ſtolæ, &c. Qui à Latinis introducti, quando eſſentiam Presbyteratûs poſuit Roma in adminiſtratione *Miſſæ*, & conficiendo Corpore ac Sanguine Domini.

Epiſcopi. At indubia hoc Ævo *Epiſcoporum* ubique prærogativa, quoad jura præſidendi, conſecrandi, ordinandi, reconciliandi pœnitentes, indulgentias à rigore Diſciplinæ concedendi. Teſtantur diſertè Canones, & Chryſoſtomus, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, &c. Ità tamen ut, abſente vel mandante Epiſcopo, etiam *literis*, poſſet *ordinare* Presbyter, ſi vera eſt lectio vulgata *Canonis* XIII. Ancyrani, de quo prolixè Salmaſius contrà Petavium, *Cap.* V. Ità ex eodem *Canone* liquet, nihil Presbyteros in Eccleſiâ feciſſe, abſque conſenſu vel mandato Epiſcopi, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, & quidem ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ, quæ verior lectio, *in unaquâque parœciâ*, ut Dionyſius Exig. non ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.

Et hanc *Epiſcoporum* ſuprà Presbyteros prærogativam quum omnem tolleret Aërius, Ponticæ Diœceſeôs, omneque diſcrimen, etiam *ordinis*, & *conſuetudinis* Eccleſiaſticæ, medio circiter *Sec.* IV. hinc hæreſeôs poſtulatus eſt, fusè apud Epiphanium, *Hær.* LXXV. Gratis Petavius, in Aërianis *expreſſam eſſe Hæreticorum hujus temporis imaginem*; qui ſanè nulli intercedunt receptæ conſuetudini, & ordini Eccleſiarum, ſicubi vigeat Epiſcopalis prærogativa.

II. Acceſſerunt his Ordinibus *Dignitates* quædam, ſeu gradus inter illos ipſos Ordines. Ex. gratiâ qui primus Diaconorum, πρωτοδιάκονος, is ſuperbiori voce jam communiter dictus *Archidiaconus*, (ut Ἀρχισυνάγωγος, Ἀρχιπρεσβύτερος, &c.) Archidiaconi. cœpitque eſſe dignitatis nomen, ſuprà Diaconos, quibus præſtanda injungebant: Dein etiam ſuprà Presbyteros, cumprimis in Latinâ Eccleſiâ, quorum proxima ſub Epiſcopo juriſdictio fuit, & hodieque eſt. Undè querimonia Hieronymi ad Euagrium, de Diacono ſe jam *Presbyteris anteferente*. Meminerunt Optatus, Chryſoſtomus, Hieronymus, dein Carthaginenſes, ac Chalcedonenſes. Nondùm tamen iſti fuêre Epiſcopi *Vicarii*, Officiales, habentes poteſtatem in Presbyteros; ut planè ſuppoſititius ſit Canon Arabicus Nicænus LVIII. de dignitate Archidiaconi, proximâ Epiſcopali. Poſteà Romæ *Archidiaconatus* abrogatus eſt, ex quo Diaconi Romanæ Eccleſiæ *Cardinales* evaſerunt.

Chorepiſcoporum χωρεπισκόπων, prima hoc Seculo mentio in Eccleſiâ Orientali, in Canonibus Ancyranis, Neo-Cæſarienſibus, Nicænis, Antiochenis. Chorepiſcoporum. In Latinâ Eccleſiâ ſeriùs. Sic dicti qui ἐν ταῖς χώραις vel ἐν ταῖς κώμαις ἐπίσκοποι, qui in minoribus oppidis, villis, vicis, Epiſcoporum partes agerent; conſtituerent Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas, literas pacificas darent, & alia id genus peragerent, ad ſublevandos Urbium majorum Epiſcopos. Intelligitur ex *Canonibus* Antiochenis VIII. X. & à Presbyteris ſeorſim nominantur, ac his præponuntur, Canone Nicæno VIII. An verò *Epiſcopi* iidem eſſent ordinati, verè Epiſcopi ordine, poteſtate, conſecratione, ſub judice lis eſt, affirmante nuper pluribus Doctiſſ. Beveregio, ad Canonem Ancyranum XIII. Subjecti tamen erant *Civitatis* Epiſcopo, ut & ipſorum regio; ab uno tantùm Epiſcopo ordinabantur; & quod ſibi Epiſcopales partes vindicarent, in Canonibus cenſurâ notantur, ac nefas illis οὐδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου ἐν τῇ πόλει, *Can. Ancyr.* XIII. *Laod.* LVII. Deinceps verò *Chorepiſcopi* dicti Vicarii & Suffraganei Epiſcoporum, χωρεπίσκοποι *vice-Epiſcopi*, quibus omnes partes Epiſcopalis muneris competunt, ut conſecrare, confirmare, &c. poteſtate *delegatâ*. In Latinâ Eccl. non antiquior *Chorepiſcoporum* mentio, quàm à *Sec.* V. In Africanâ autem ignoti.

Metropolitani. *Metropolitani* hoc Seculo notiſſimi, vel ex Canonibus Nicænis, Antiochenis, quotquot Epiſcopi ἐν τῇ μητροπόλει, ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔθνους, in Urbe matrice, primâ, principe totius Provinciæ, quæ ut plurimùm Urbs major. Hinc *primæ ſedis* Epiſcopi, ſuæ Provinciæ *Primates*, πρῶτοι, πρωτεύοντες, quibus jura προεδρείας, χειροτονιῶν, appellationum, tandem & depoſitionum, de quorum origine, prærogativis, abundè diximus ad *Sec. tertium*, *col.* 742. Nec juris illorum cuiquam primitùs in Provincias alias, ſeu in Metropolitanos ejuſdem Nationis, qui omnes αὐτοκέφαλοι fuêre, antè natos *Exarchos* Diœceſeôn, & Nationum *Primates*, fatente ad hæc tempora Petro de Marca, in Lib. de *Primatibus*.

Ut verò *Metropoles* in unâ provinciâ (vel *Coloniæ*) quandoque duæ aut plures, v. gr. in Palæſtinâ Cæſarea & Ælia Capitolina; in *Aſiâ* Epheſus, Smyrna, Pergamus; in *Bithyniâ* Nicomedia, Nicæa; in *Ponto* Amaſus, Neo-Cæſarea, &c. ſic plures

Archie- piſcopi.

Mutati in form regimi Politic & Ecc ſiaſtici

Diſtri tio Im perii.

res nati *Metropolitani*: Sed alter honorarius, habens ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, *Canone* VII. Nicæno, non parem ἐξουσίαν, Græcis hinc dicendus honoris ergò Ἀρχιεπίσκοπος. In Africâ *prima ſedes* vel *cathedra* duûm generum, ex Canonibus Africanis; alia quæ Metropolis Provinciæ, alia verò quæ ſedes Senioris Epiſcopi, ordinatione primi.

Archiepiſcopi.

Atque hæc ſumma dignitas fuit tempore Nicænorum; qui *Canone* VI.VII. Romano, Alexandrino, Antiocheno, Cæſarienſi Palæſtinæ, & reliquis ἐπαρχιῶν Metropolibus, adſcribunt ἀξίωμα & ἐξουσίαν in *omnem Provinciam*; ita Romæ Epiſcopo in regiones & Eccleſias *ſuburbicarias*, quæ ſcil. ſub Præfecto Urbis principis. Ac de ſententiâ Nicænorum, adverſus Baronium, Allatium, Petrum de Marca, Henr. Valeſium, Eman. Schelſtrate, extat noſtra Diſſertatio ad *Canonem* VI. *Nic.* omnibus horum exceptionibus diſcuſſis.

Mutatio in formâ regiminis Politici, & Eccleſiaſtici.

III. Inde à diviſione Imperii in *Orientis* illud & *Occidentis*, poſt conditam Novam Romam, & à conſtitutis in utroque Dignitatibus Civilibus; factâ diſtributione ac ſæpè multiplicatione Provinciarum, creatione Exarchatuum, Diœceſeôn ſeu Vicariatuum, Præfecturarum in Orbe utroque; τύπον ſeu formam *Politici* Regiminis imitata eſt forma *Eccleſiaſtica*. Hinc natæ ſenſim *Archiepiſcoporum*, *Exarchorum*, *Primatum*, *Patriarcharum* appellationes, ac tandem dignitates, nata ἀρχοντικὰ & Officia Eccleſiaſtica in Eccleſiis majoribus, Patriarchalibus, ex parte hoc Seculo, at potiſſimùm verò ſequentibus.

Diſtributio Imperii.

Orientalis autem Imperii duæ fuêre *Præfectura* majores, ſaltem à factâ diviſione Illyrici, indè à Theodoſio M. 1. Præfectura *Orientis*, ſub quâ Diocœſes quinque, *Orientis* illa ſeu Antiochena; *Ægypti* altera ſeu Alexandrina; tertia *Aſiana*, ſeu Epheſina; quarta *Pontica*, ſeu Cæſarienſis; quinta *Thracica*, olim *Heracleenſis*, deinceps Conſtantinopolitana. 2. Præfectura *Illyrici Orientalis*, ſub quâ Diœceſes duæ, *Theſſalonicenſis* ſeu Macedonica; & *Daciarum* altera.

Occidentalis conſimiliter Imperii fuêre Præfecturæ duæ: 1. *Italia* Præfectura, ſub quâ Diœceſes ſeu Vicariatus quatuor: Vicariatus *Roma*; Vicariatus *Italia*; Vicariatus *Illyrici*, olim totius Illyrici, poſteà Occidentalis tantùm; & Vicariatus *Africa*. 2. Præfectura *Galliarum*, à majori parte adminiſtrationis, ſub quâ Diœceſes ſeu Vicariatus tres: *Galliarum* Diœceſis ex Provinciis XVII. tota conſtans; *Hiſpaniarum* illa; *Britanniarum* ultima. Ac qui his Diœceſibus præerant, (quarum ſingulæ ex Provinciis pluribus conſtabant, quas inter & Provinciæ Proconſulares) dicti *Vicarii*, etiam *Exarchi*, ἔξαρχοι διοικήσεων, id eſt, πρῶτοι, προεδρεύοντες, ἡγεμόνες, Latinis *primores*, *primates*. Quâ de re omni diximus, pluribus in noſtrâ *Introductione* ad Geographiam S. ut Regiones complectitur per quas Chriſtiana Eccleſia diſperſa fuit.

Exarchorum in Eccleſiâ dignitas.

Atque hinc factum ut nati ſint in Eccleſiâ, ſuprà Metropolitanos, ſeu primos vel Eparchos Provinciarum Epiſcopos, Primates Diœceſeôn, qui *Exarchi* appellati, vel οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι, *qui ſunt ſuper Diœceſim Epiſcopi*, id eſt, ſuper Provincias plures in unam διοίκησιν conjunctas, Canone Conſtantinopolitano II. ſub Theodoſio M. Quales *Antiochenus* in Oriente, *Alexandrinus* in Ægypto, *Epheſinus* in Aſianâ Diœceſi, *Cæſarienſis* in Ponticâ, *Conſtantinopolitanus* (anteà Heracleenſis) in Thracicâ, qui mox ſuprà plures Diœceſes & Exarchos caput extulit, Seculo ſequente. Et his pariter jura ordinationum, appellationum, convocationum, præſidii in Synodis totius Diœceſeôs.

Patriarchæ an hujus ævi.

Atque hos πατριάρχας nuncupavit Socrates, & quidem ex conſtitutione Patrum Conſtantinopolitanorum, *Hiſt.* L. V. C. VIII. Quanquàm nondùm receptum Patriarcharum nomen, qui ſequentis Ævi, niſi jam laxiore ſenſu, qualiter ſeniores Epiſcopos, reverentiæ ergò, *Patriarchas* dictos legimus, apud Gregorium utrumque Nazianzenum & Nyſſenum. Ut ludibrium debeant Baronius, Turrianus, Allatius, gnathones, qui *Patriarcharum* & rem & nomen jam prioribus Seculis adinvenêre; quemadmodùm à Nicænis *Patriarchalem jam poteſtatem confirmatam fuiſſe*, *Canone* VI. gratis Henr. Valeſius, Notis ad Socratem, *Lib.* V. C. VIII. Sed de his nos ad ſequens Sec. & fusè *Diſſert. de Canone* VI. Nicæno.

Honoris prærogativa undè?

IV. Porrò ex dictis planum fit, ordinem ac dignitatem quem in *Civilibus* Urbes habuêre, vindicaſſe ſibi in *Eccleſiaſticis* earundem Urbium Eccleſias, & Epiſcopos, probantibus Canonibus: Minimè diſcrimen illud Urbium, vel Patriarcharum, natum ab inſtitutione Petri, ut nugantur Baronius, Leo Allatius, Schelſtratius, & cæteri. Hinc Alexandriæ, Antiochiæ, cæteriſque *Metropolibus* Nicæni, dein Urbibus quæ *Vicariorum* ſedes eſſent & Exarchorum, Conſtantinopolitani Patres τὰ πρεσβεῖα adſcribunt, ut viſum. Undè in ſpecie ſecundus ordine locus hoc Sec. datus *Nova Roma*, Canone Conſt. III. tertius *Alexandria*, cujus Præfectura ſequebatur; ac quartus *Antiochia*; quæ deinceps Patriarchales ſedes dictæ. *Hieroſolymitanus* verò hoc Seculo ne Metropolitanus quidem fuit poteſtate, quamvis honore talis, τῇ ἀκολουθίᾳ τῆς τιμῆς, ex Canone Nicæno VII. ſubjectus utpote *Cæſarienſi*. De his fusè Salmaſius, Blondellus, Canonum & Notitiarum illuſtratores, ac nos aliàs, ubi de Politiâ Eccleſiarum, & de Canone VI. Nicæno.

Creſcens faſtus Rom. Eccleſiæ, & undè?

Intereà Epiſcoporum *Romanorum* mirè crevit ambitio, ob Urbis primatum, τὰ πρωτεῖα, προνόμια, accedente communi opinione de Româ *ſede Petri*, *ſede Apoſtolicâ*; ſed & æmulatione in Conſtantinopolitanum, hoc Seculo in Oriente ſurgentem. Hinc prætendere ſenſim *appellationum* jura, ſaltem in Occidente, nondùm profectò Pontificatum Oecumenicum. Sic ſenſim abuti Romana Eccleſia nomine *Capitis Eccleſiarum*, vel nomine *primatûs*, addito deinceps ad Canonem VI. Nicænum; quod nomen nonniſi ordinis, honoris, præeminentiæ, προεδρείας, πρεσβείων, ut pluribus aliàs demonſtratum. Sic *Baronius* ad A. CCCLV. *Num.* XXIV. abuti dicto Athanaſii, *Epiſt.* ad Solitarios, qui Romam vocat μητρόπολιν τῆς Ῥωμανίας, id eſt, *Metropolim Orbis* vel *Imperii Romani*, πολιτικῶς nempe: Id eſt, primam Urbium in civili ordine, ſeu caput Urbium, in Occidentali Imperio; ut Nova Roma Metropolis Imperii Orientalis, cujus regiones, ſed deinceps, etiam Ῥωμανία dictæ Byzantinis & Arabibus. Quomodò à Chryſoſtomo dicitur *Alexandria* μητρόπολις τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, *Homil.* εἰς Μάρτυρας Αἰγύπτου, *Tom.* V. Savil. p. 520. quod plus eſſet, quam *Metropolis Romania*. Sic *Papa* nomen fruſtrà uni Romano Pontifici hac Ætate vindicant, quo paſſim Epiſcopi alii veniunt apud Hieronymum, Ruffinum, Sulpicium, Auguſtinum, & his recentiores, ut qui *Patrum* inſtar præeſſent Eccleſiis. Imò & diu poſteà Præfectis, Præſidibus, idem nominis datum, ut ὁ Πάπας Κελάστος, Præfectus militaris ſub Heraclio, in Breviario Nicephori Patriarchæ, *pag.* 16. editionis Petavii. Quomodò non Romanus tantùm Epiſcopus, ſed omnes promiſcuè Epiſcopi, *Pontifices* hoc & ſequentibus Seculis appellati, etiam cum epithetis, *Summi*, *Maximi*, &c. ut aliàs obſervatur.

Appellationes quibus abutitur Roma.

Pariter imponunt Baronius, *Annal. Tom.* III. & IV. & ſequaces, ex *factis* quibuſdam aut *dictis* hujus Seculi, quæ ad monarchicam Romani Epiſcopi poteſtatem abſurdè trahunt. Sic ex dicto Ammiani

Dicta Veterum quæ objiciuntur.

 miani

miani Marcellini, *Lib.* XV. qui *æternæ Urbis Epiſcopos* dicit *auctoritate fuiſſe potiores*, ſcil. ob τὰ πρεσβεῖα, τὰ προνόμια, indè Conſtantius Athanaſii damnationem voluiſſet à Liberio firmari. Ità ex verbis Socratis Hiſtorici, *Lib.* II. *C.* VIII. & Sozomeni, *Lib.* III. *C.* X. quibus Julium reclamaſſe dicunt Synodo Antiochenæ Arianæ; quod, contrà *Eccleſiæ regulas*, decreviſſent παρὰ τὴν γνώμην τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου, id eſt, *ſine aſſenſu* vel *notitiâ Romani Epiſcopi*, ut ſanè moris erat in iis quæ ad Eccleſiam univerſam attinerent, cujus pars princeps Romana Eccleſia. Rursùs ex verbis Baſilii, *Epiſt.* ad Athanaſium LII. in quâ agens de reſcindendis quæ per vim decreta in Synodo Ariminenſi, dicit ſcripſiſſe ſe ad *Damaſum*, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, *ut pro auctoritate ſuâ in hac re ageret*, ſeu potiùs ut *rem dirigeret*, (rei ducem in Occidentalibus ſe præberet, laborantibus ſub Valente & Eudoxio Conſtantinop. Orientalibus) quod eſt αὐθεντεῖν τοῦ πράγματος, undè αὐθέντης *director*, αὐθεντία τῆς συνόδου *directio Synodi* in Actis Chalcedonenſibus, *Act.* I. & aliàs. Sed de re totâ videatur Clar. Blondelli judicium, de *Prim. Eccl.* C. XXV. *Sect.* 23.

Facta quædam objecta. Adde *facta* varia, ex quibus ſanè colligitur *Romani Epiſcopi*, ut primæ ſedis Antiſtitis, & adhærentis tùm doctrinæ Catholicæ, contrà graſſantes Hæreſes, magna tùm auctoritas: Sic etiam ſolitos eſſe Epiſcopos Orientis cum eo ut Occidentalium primo communicare, & viciſſim Romanum cum Orientalibus; ejus conſilium ſæpè in rebus gravibus expetitum; ejus judicio, ut *arbitro* ex compromiſſo partium, vel mandato Imperatorum, cauſas ſæpè commiſſas; ejus etiam & Occidentalium auxilium, ab his & illis qui à Coepiſcopis in Oriente, gravarentur, imploratum. Ita in causâ depoſitionis Athanaſii, Marcelli Ancyrani, Pauli Conſtantinopolit. Aſclepæ Gazenſis, Euſtathii Sebaſtienſis, Timothei in Oriente Epiſcopi, &c. quando ad *Julium*, *Liberium*, *Damaſum*, ſuas ut partes interponerent, *damnati* confugêre, vel etiam ſcripsêre *damnantes*, teſtandæ ſocietati, & conſenſionis causâ. De quibus adi præ cæteris Davidem Blondellum, de *Primatu Eccleſiæ* adversùs Perronium, *Cap.* XXV. ut noſtratium alios taceam. Nec ſententia alia fuit Julii Romanorum Epiſcopi, apud Athanaſium, *Apol.* II. & in *Tomo* II. *Concil.* dùm Antiochenos Arianos increpat, quod depoſuiſſent Athanaſium, re nec ſecum per literas communicatâ, nec cum reliquis Italiæ & Occidentis Epiſcopis, indè expectato prius judicio; ut moris erat in re gravi, & mutuæ communicationis ac ſocietatis leges ferebant. Ut fallat hîc rurſum Baronius, ad Annum CCCXLII. N. XXX. & ſæpè aliàs, trahens iſta ad Romani Epiſc. ſententiam *definitivam*.

Lex Theodoſii M. explicata. *Lex* Theodoſii M. lata Theſſalonicæ totius Illyrici Metropoli, non *Macedoniæ* ſolius, ut Baronius, anno CCCLXXX. Cod. Theodoſ. *de Fide Catholicâ* l. 2. quam ſub Gratiani nomine (qui cum Valentiniano nuper aſſumpto, in Tit. legis *Theodoſianæ*, exprimitur) citat Theodoretus, *Hiſt. Lib.* V. *C.* II. & citat quoque mutilam, ſolius *Damaſi* factâ mentione; nihil voluit aliud, quàm ſequendam eam, ab omnibus Orientis populis, *Religionis* fideique formulam, in capite de *Trinitate ſub unâ Deitate, Patris, Filii, & Spiritûs S.* 1. Cujus norma unica eſſet *Apoſtolica Diſciplina* & *Euangelica doctrina*. 2. Quam tenuiſſent *uſque nunc Romani*, in eâ fide perſtantes, indè à *Divino Petro Apoſtolo*, quæ tum erat hypotheſis, fundatam à Petro & Paulo Romanam Eccleſiam. 3. Quam *ſequerentur* tunc *Pontifex Damaſus, & Petrus Alexandriæ Epiſcopus, Vir Apoſtolicæ Sanctitatis*; qui tunc eſſent duo maxima Eccleſiæ lumina, dùm in Oriente fuiſſent omnia, indè à Valentis temporibus, Arianiſmo infecta. Hinc pro *Catholicis* habendos, qui cum Damaſo & Petro, in eâdem fide, communicarent, & hanc non malè Baronius dixit *auream ſanctionem, piumque & ſalutare Edictum.* Fruſtrà tamen hinc conficit, à Romanæ Eccleſiæ nutu, vel Damaſi Pontificis, ut *Normæ*, *Regulæ*, Chriſtianam rem pependiſſe. Vide quæ prolixè hac de *lege* Blondellus, deque auctoritate ſedentis tum Romæ Damaſi, etiam ex ſententiâ *Hieronymi*, *Cap.* XXV. *Sect.* 27. 28. 29. &c. Obiter obſervandum eſt, ipſo hoc anno quo lata lex à Theodoſio fuit, eundem Imperatorem Theſſalonicæ S. *Baptiſmum* ab Aſcholio Theſſalonicenſi Epiſc. ſuſcepiſſe, quum gravi morbo decumberet, à quo deinceps convaluit, teſte Socrate, *Lib.* V. C. VI. & Sozomeno, *Lib.* VII. C. IV. Conſulatu Gratiani V. & Theodoſii Aug.

Canon Sardic. IV. de appellationibus ad Romanum. Canon *Sardicenſis* IV. tanquàm Synodi Oecumenicæ, pro appellationibus ad Romanum Pontificem, ab omnibus ſcil. Epiſcopis, ubicunque locorum, tanquàm ad ſupremum Judicem, nequicquàm obtenditur, ac fusè à Baronio ad A. CCCXLVII. Siquidem 1. Gratis ea Synodus refertur inter *Oecumenicas*: Quanquàm ſic dicta Juſtiniano, quod ſcilicet ea fuiſſet intentio & ſanctio Imperatorum Conſtantii & Conſtantis, Oecumenica ut eſſet; niſi diviſi à ſe invicem fuiſſent Epiſcopi Orientis & Occident. antè Concil. 2. *Particularis* modò habita Græcis & Orientalibus, ſeu τοπικὴ, ob ſeceſſum Orientalium, ſtatim initio Synodi, in urbem Philippopolim Thraciæ; Undè ex CLXX. Epiſcopis, ἀπό τε τῆς ἀνατολῆς καὶ τῆς δύσεως, *tam ex Oriente quàm Occidente*, (Athanaſio teſte *Epiſt. ad Solit. T.* I.) vix XC Occidentales remansêre, ac in iis pauci qui de CCCXVIII. Nicænorum Patrum numero fuiſſent. 3. Corruptiſſimi hujus Synodi *Canones*, varieque interpolati, ex diverſitate Græcorum Latinorumque Codd. & Collectionum Dionyſii, Ferrandi, Iſidori, ut pluribus ab Eruditis demonſtratum. Hinc Canon IV. in ſpecie variè lectus, idemque aliis V. ut Iſidoro, Ferrando autem Canon VI. 4. Ignorati etiam hujus Synodi *Canones* toto Oriente, & in Africâ ipsâ, uſque ad tempora Zoſimi & Bonifacii, A. CCCCXVII. ante quæ, ut ex Actis Carthaginenſis Synodi liquet, nulla horum Canonum mentio, nulla appellationum ad Romanum cognita jura, nulla hujus conſtitutionis praxis: Undè pridem fraudis Romanæ ſuſpicio. 5. Fraus manifeſta tempore Zoſimi, quando hic Canon de *Appellationibus*, ex Archivo Romano productus, pro Nicæno Canone fuit Afris obtruſus; ſed typhum his arguentibus, & malam fidem. 6. Nec ſenſus is etiam præfati Canonis quem obtrudunt Baronius, Binius, Allatius, ſequaces. Id modò innuit, ut liquet, ad petitionem particularem *Gaudentii* in Achaiâ Epiſcopi, (qui ſibi à Valentis & Urſacii, Epiſcoporum Arianorum, viciniâ & potentiâ metuebat,) ut ſi quis Epiſcopus eſſet depoſitus à *vicinis Epiſcopis*, τῆς ἐν γειτονίᾳ, citrà conſenſum ſui Metropolitani, eo in caſu poſſet Romanus decernere, ut in eâdem *Provinciâ* cauſa retractaretur, nempè ab ejus Provinciæ Epiſcopis. 7. Aliàs manifeſtè oppoſitus ille Canon, ut redditur à Latinis, (ſcil. de Romano Epiſcopo ſummo judice, ac finitore litium, quibuſcunque in Provinciis) Canoni *Nicæno* VI. & *Conſtantinopolitano* II. His enim cautum, & ſapientiſſimè, ut cauſæ Eccleſiaſticæ quæcunque, & lites in Provinciis natæ, terminarentur intrà eandem ἐπαρχίαν, ab omnibus conjunctim Provinciæ Epiſcopis, ſeu ἀπὸ τῆς ἐπαρχίας συνόδου *à Provinciali Synodo*. Et ita etiam Petrus de Marca, de Concordiâ Sacerd. & Imperii, L. VII. C. III. ut Launojum & alios mittam. 8. Denique quicquid ibi Sardicenſes, non id ex jure Divino, non ex ſanctione Apoſtolicâ, non antiquâ conſuetudine arceſſunt; ſed hoc concedere ſe profitentur in *Canone* III. *Julio* Romanorum Epiſcopo, nempè cum ſuâ Synodo judicanti, & quidem

Digitized by Google

dem *in honorem memoriæ Petri Apoſtoli.* Nec plura hujus loci ſunt.

Apocrypha objecta.

Mittimus apocrypha & ſuppoſititia, probata licet minùs ingenuis Latinorum. Ex. gr. Julii *Epiſt.* pro Athanaſio ad Orientalium Epiſcopos, in quâ, *Reg.* IV. interpolatus apparet Canon *Chalcedonenſis* XVII. in hunc modum: *Si quis putaverit ſe à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos, aut penes Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Papam, judicetur.* Chalcedonenſes loco *Papæ*, nominaverant τὸν Κωνσαντινουπόλεως θρόνον, ut videre eſt eodem *Canone* XVII. Hujuſmodi alia *Epiſt.* ſub *Marci* Papæ nomine ad Athanaſium, *Concil. T.* II. *Col.* 470. cujus tamen pudet ipſum Baronium ad A. CCCXXXVI. *Num.* LVIII. LIX. qui *Mercatoris merces ſuſpectas* dicit. Sic decretum ſuppoſititium Conſtantini M. de *Principatu* Romanæ Eccleſiæ *in quatuor Thronos*, ex fictitiâ Donatione Conſtantinianâ natum, & omnibus ingenuis exploſum.

Ordinationum jura.

V. Porrò quantum ad reliquam Cleri Diſciplinam Seculo hocce quarto, obſervaſſe ſuffecerit, 1. *Ordinationum* jura, id eſt χειροθεσίας, (promiſcuâ & hoc ſignificatu χειροτονίας hoc Seculo voce) ità ordinariè ſpectaſſe ad Epiſcopos, & Metropolitanos, ex antè dictis, ut nulla tamen fieri poſſet abſque conſenſu totius *Cleri*, *populique*. Hinc & præſente plebe, ac ſuffragante, ordinationes factæ, ut pluribus Blondellus noſter, & nos ad ſuperius Secul. *col. 636. 736.* nec diffitente Valeſio, quum agit de electione Gregorii Alexandriæ Epiſcopi, factâ ab Antiochenis, *Obſerv. in Socrat.* L. I. C. VIII. De *ordinationum* cæteris ritibus, & *ordinandorum* qualitatibus, requiſitis, plura diximus, Diſſertat. noſtrâ de *Impoſitione manuum*, inſerendâ *Tomo* ſeq.

Tranſlationes ex uno Epiſcopatu in alium.

2. *Tranſlationes* Epiſcoporum è Civitate vel Epiſcopatu in alium, hoc Ævo ſeveriſſimè interdictas, *Canone Apoſtol.* XIV. *Nicæno* XV. *Antiocheno* XXI. & deinceps. Hinc querimoniæ Julii Romani in citatâ antè *Epiſt.* ad Orientales Arianos, & Damaſi aliæ in Synodicâ *Epiſt.* apud Theodoretum, *Hiſt. Lib.* V. *C.* XI. de hujuſmodi tranſlationibus contrà Canones factis. Quomodò nec Euſebius à Cæſarienſi ſede ad Antiochenam transferri voluit, laudatus hoc nomine Conſtantino Imperatori, ut confirmat Sozomenus, *Hiſt. L.* II. *C.* XIX. Fiebant tamen quandoque illæ μεταθέσεις, pro neceſſitate Eccleſiarum, prævio Epiſcopali judicio, ut pluribus probat Socrates, *Hiſt. L.* VII. *C.* XXXVI. exemplis hoc Sec. notis, v. gr. *Alexandri* Hieroſolymitani, *Gregorii* Nazianzeni, *Meletii* Antiocheni, *Doſithei* Tarſenſis, aliorum.

Conjugium Clericorum.

3. *Conjugium* hoc Seculo impunè permiſſum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis. Certè lex nulla adhuc Ætate Nicænorum, quando viſum erat *legem novam condere*, teſte Socrate, *Lib.* I. *C.* VIII. Sed ne conderetur interceſſit Paphnutius quidam in Thebaide Epiſcopus & Confeſſor, Cœlebs quanquàm ipſe, ſuadens conjugatos γαμετῶν μὴ χωρίζεσθαι, & quidem κατὰ τὴν ἀρχαίαν παράδοσιν *ſecundùm antiquam traditionem*, ut habet Sozomenus, *Lib.* I. *C.* XXIII. Quod Valeſius precariò reddit, de ſeparatione non faciendâ quoad *vinculum*, benè quoad *torum*. Hoc enim à verbis Paphnutii & ratione additâ, de *incontinentiæ* metu, eſt alienum. Undè *tota hæc narratio* (addit ille) *de Paphnutio fabuloſa eſt & commentitia*, ſecutus Baronium, ad annum LVIII. N. XXI. & CCCXXV. N. CXLIX. Quæ tamen narratio Socratis, Sozomeni, Gelaſii Cyziceni, dein Caſſiodori, Suidæ, Nicephori, &c. teſtimonio ſuffragioque nititur.

Baronius notatus non ſemel.

Adde Canonem Ancyranum X. de permiſſo etiam Diaconis ordinatis (abſurdè Baronius de Diaconis qui *ordinati inviti*, & hinc relegandis ad *communionem laicam*, ad A. CCCXIV. N. LXXXVIII.) conjugii voto, manſuris ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, ſeu διακονίᾳ, *miniſterio*, *diaconatu*. Accedit Canon Gangrenſis IV. diſertè contrà Euſtathianos, damnantes *Presbyteros* γεγαμηκότας *conjugatos*, ſeu ut Socrates interpretatur, *Lib.* II. *C.* XLIII. γυναῖκα ἔχοντας *habentes uxores*, non qui *habuiſſent*, ut vellet Baronius. Eliberitani *Canone* XXXIII. qui aliàs non magnæ ſunt auctoritatis Baronio, *prohibent* ſanè *Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconis*, *Subdiaconis*, *abſtinere à conjugibus ſuis*, dùm *poſiti in miniſterio*; nempè tempore miniſterii, ſeu vicis ſuæ, antè ſacram Euchariſtiam, & diebus Dominicis. Supponunt autem Epiſcopos, Presbyteros, eo tempore *conjuges* habuiſſe. Qualis hoc Seculo *Spyridon* Trimythuntis in Cypro Epiſcopus, apud Sozomenum, *Lib.* I. *C.* XI. nihil excipiente ad locum Valeſio. Ità *Gregorius* Nazianzi Epiſcopus, pater Gregorii Theologi, gignens quum jam Sacerdotio fungeretur, ex ipſo *filii* teſtimonio, Carmine *de Vitâ ſuâ*, cujus vim ut eludat Baronius, abſurdiſſima profert, & de ſuo, ad A. CCCLXXI. N. CII. Ità *Gregorius Nyſſenus* uxoratus, undè Nazianzeni ad eum Conſolatoria Epiſt. quæ eſt XCV. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus electus, *quantumvis conjugatus eſſet*, nec diffitente Baronio, ad A. CCCLV. N. LXX. Sed in promptu exceptiones Baronianæ: Illicò ab ordinatione, ſeparaſſe ſe iſtos à conjugibus; has Diaconiſſas eſſe factas; ut ſorores habitas; & quæ alia id genus, ſine teſte, ſine auctoritate, contrà veri omnem ſpeciem, propinat Annal. Scriptor, ex hoc recentiores, quos inter Nat. Alexander in eâ quam vocat *Eccleſ. Hiſtoriâ*.

Diſciplina rigidior.

4. Severiorem fuiſſe Clericalem *diſciplinam*, in ſcandaloſos, Simoniacos, cauponam ingreſſos, turpe lucrum ſectatos, ſecularibus πραγματείαις ſe immiſcentes, habentes γυναῖκα συνείσακτον, &c. certum. Loquuntur Can. *Apoſtolici*, *Nicæni*, *Ancyrani*, *Laodiceni*, reliqui in Codice Eccleſiæ Univerſæ, ab Eruditis illuſtrati. Hinc pœna *ſuſpenſionis*, quod illis eſt παύεσθαι τοῦ κλήρου, μηκέτι λειτουργεῖν, & *depoſitionis*, quod eſt καθαιρεῖσθαι, ἀφορίζεσθαι, ἀποκηρύττεσθαι, &c. Quò & facit *communio laica*, ſeu inter laicos, ad quam relegabantur. Sæpè & pœna *excommunicationis* lata, quod eſt ἐκκόπτεσθαι, ἀποβάλλεσθαι, quâ de re aliàs.

Mulieres συνείσακτοι.

Quid verò ſit mulier συνείσακτος, vel (ut legunt Antiochenus, Ariſtenus, alii, & ipſe Juſtinianus *Nov.* CXXIII. C. XXIX.) ἐπείσακτος, in *Canone* Nicæno III. quam nulli Clerico habere licuit, inter Doctos controverſum. *Extraneas* alii, oppoſitè ſcil. ad matrem, filiam, ſororem, amitam; alii *ſubintroductas* cum Dionyſio Exiguo, in contubernio habitas virgines, miniſterii domeſtici prætextu, vel ſimili alio; quamvis *ſine matrimonio*, vel *concubitu*, (ut declarat Chryſoſtomus, *Serm.* XVII. *Tomo* VI. *Ed. Savil.* p. 214. Πρὸς τοὺς ἔχοντας παρθένους συνεισάκτους) non tamen ſine ſuſpicione aut ſcandalo. Abſurdè rurſus Baronius, γαμετὰς *uxores* accenſet illis fœminis συνεισάκτοις, & prohibitis, quæ poſtremæ tamen uxoribus legitimis contradiſtinguuntur. Quemadmodum & *fœminis* prohibitum habere ἄνδρας συνεισάκτους *viros ſubintroductos*, non tamen prohibitum habere maritos legitimos, ut videre eſt apud eundem Chryſoſtomum, eod. *Tomo*, p. 230. ſequenti Sermone XVIII.

Eccleſiarum inter ſe communicatio.

VI. De Eccleſiarum hoc Seculo inter ſe communicatione, conſociatione, coitione in *Synodos* Provinciales, Diœceſales, Univerſales, infrà ad *Caput* de Synodis.

Epiſt. Canonicæ Formatæ.

Quò fecit & communicatio per *Epiſtolas*, quarum aliæ dictæ *Canonicæ*, κανονικὰ γράμματα, ut *Can.* XLI. Laodiceno, concipiendæ juxtà certos Canones vel Regulas à Patribus præſcriptas, quas hinc Latini *formatas* dixêre, Græci poſteriores τετυπωμένας; aliæ appellatæ ſimpliciter *Eccleſiaſticæ*, eæque varii generis. *Canonicarum* origo arceſſitur vulgò à Patribus Nicænis, juxtà Atticum Conſtantinopoli ſedentem A. CCCCVI. ut eſt ad finem Concilii Chal-

Digitized by Google

Chalcedonenſis, *Tomo* IV. *Conc.* quæ nimirùm certâ omnes *formâ* ſcriberentur, in ſpecie certis characteribus ſive literis vel elementis diſtinguerentur ut ſignis διακριτικοῖς, quæ fraudem omnem vel falſitatem præcaverent. Sed tamen de iis nihil legitur in Canonibus & Actis Conc. Nicæni. Initium characterum, qui & *numeros* efficiebant, Græcorum more, ſemper fuêre tres literæ π. υ. α. deſignantes Græcè Perſonas Trinitatis, *Patrem*, *Filium*, & *Sanctum Spirit.* quod διακριτικὸν Orthodoxorum fuit, à temporibus Arianis. Quarta litera fuit π. repetitum, deſignans Πέτρον *Petrum*, tanquam principem inter Apoſtolos, cujus doctrinæ talis communicaret; & hæ literæ quatuor efficere numer. 561. Quinta litera, fuit prima nominis *Epiſcopi* à quo ſcripta fuit Epiſt. Sexta lit. fuit ſecunda nominis illius *ad quem* data Epiſtola; Septima, fuit tertia nominis illius Fratris qui *deferret* Epiſtolam; Octava, fuit quarta *Civitatis* vel *Loci* undè data Epiſtola; Nona deſignavit *Indictionem* illius anni quo Epiſtola ſcripta; Tùm *terminari* debuit omnis Epiſtola, ad Apoſtolicarum exemplum, claudente voce Αμὴν, cujus literæ efficiunt 99. & quæ divini *jurisjurandi* formula fuit. Atque hæ omnes *literæ* ad finem Epiſtolæ in unum collectæ, & ordine diſtributæ fuerunt, ac juxtà Græcorum morem ſupputatæ, ità ut *quatuor* priores eædem ſemper eſſent, in omni Epiſtolâ, ut & clauſa ἀμὴν, quæ literæ conjunctim effecerunt 660. Reliquæ literæ, quæ deſignarent nomen *ſcribentis*, *accipientis*, *deferentis* Epiſtolam, & Epiſtolæ datæ *Locum*, ac *tempus*, variarunt pro diverſitate perſonarum, locorum, temporis, hinc *propriæ* dictæ. Exempla *formatarum Epiſtolarum*, quæ initio Epiſt. ſemper habuêre π. υ. α. π. tum literas *proprias*, quas diximus, cum *num.* XCIX. reſpondente literis vocis AMHN, & has omnes in ſummam collectas, ex Yvone Carnutenſi, Burchardo Wormatienſi, Gratiani Decreto *Diſt.* LXXIII. C. I. habes apud Ferrarium, de Antiquo Genere *Epiſtolar. Eccleſ.* L. I. C. V. ut & Mabillonum, Itin. Italici *Tomo* I. P. II. *pag.* 240. 241. ac præcipuè Sirmondum ad calcem T. II. Conc. Galliæ, & *Notis* ad Sidonium Apollin. p. 66. 67. 68. Tum & in Papiæ *Vocabulario*, voce *Formata*, ut illud à Car. Labbeo emendatum eſt; undè *formatæ* Epiſt. typum nonnihil diverſum, deſcripſit Beveregius, *Not.* ad Canonem Apoſt. XII. Ut Baluzium in *Novâ Collect. Formul.* T. II. Capitular. col. 583. & *ſeq.* Cangium in *Gloſſar.* Bignonium de *Formulis*, &c. mittam, & qui ad *Canones* Eccl. Univerſæ, vel Eliberitanos commentati ſunt.

Jam quæ dictæ Formatæ vel κανονικαὶ Epiſtolæ, fuêre quoddam quaſi genus, cujus ſpecies

Literæ Communicatoriæ.

erant I. *Literæ Communicatoriæ*, κοινωνικὰ γράμματα, quarum frequens hoc Seculo in Canonibus mentio eſt, dandæ ab Epiſcopis locorum, iis qui peregrè proficiſcebantur, ſeu Clericis, ſeu Laicis; in quibus ſignificatum, verſari tales in Unione Fidei, & dignos eſſe qui ubicunque terrarum eſſent, in *communionem* tanquàm *Catholici* reciperentur. *Communicatorias* etiam dixêre, quæ & συνοδικὰ γράμματα, & ἐγκυκλικὰ, *Epiſtolæ Synodicæ*, *Encyclicæ*; v. gr. à

Synodicæ. Encyclicæ.

Synodis ſcriptæ ad Eccleſias, communicaturis quid apud ſe in communi fide vel cauſâ ſtatutum eſſet; vel ab *Epiſcopis* recenter creatis, v. g. ad Romanam, Alexandrinam, & quancunque Sedem aliam, quibus ſuam *electionem* ſignificarent, & viciſſim Eccleſiæ *communicatoriis literis* gratularentur. 2. Fuê-

Dimiſſoriæ.

re & literæ ἀπολυτικαὶ *dimiſſoriæ*, quibus vel Epiſcopum, vel Clericum, vel Laicum, in alienam Provinciam vel Diœceſim tranſiturum, Epiſcopus prioris loci ità dimittebat, ut *Laicum* quidem alibi ordinari poſſe, *Clericum* in alienâ Eccleſiâ Sacra facere, *Epiſcopum* ulteriùs peregrinari, vel ad Imperatorem aut *Comitatum* ire, ſignificarent. 3. Συστατικαὶ etiam

Commendatitiæ.

vel *commendatoriæ* aut *commendatitiæ* literæ, datæ iis qui ἐν ὑπολήψει, ut locuti deinceps Chalcedonenſes *Can.* XI. ſeu qui in aliquâ ſuſpicione fuerant, vel criminis, vel injunctæ pœnitentiæ, liberandis iis à tali ſuſpicione, & favori illis apud exteros conciliando: Adde συστατικὰς iis quoque datas, qui negotiorum causâ ad Imperatorem proficiſcerentur, vel etiam aliò peregrinarentur, tanquam hoſpitalitatis *teſſeram*, mutuato ab Ethnicis (Græcis, Pœnis, Romanis) more, & traducto ad uſum ſacrum ac Chriſtianum. 4. Literæ εἰρηνικαὶ *pacificæ*, quæ & ἐπισκοπικαὶ dictæ, & συνθήματα *teſſeræ*, ab Epiſcopis datæ pauperibus vel oppreſſis ſive Clericis, ſive Laicis, ut eâ teſſerâ inſtructi, hoſpitio ubivis exciperentur ac juvarentur ſubſidio, tanquàm *pace* Eccleſiæ digni, vel qui in *pace* ejus eſſent. 5. Fuêre præteréà & Epiſtolæ quæ Latinis dictæ *Tractoriæ*, ſcriptæ à Primate Diœceſ. Concilio indicendo, & ad illud evocando, aliàs Græcis Συνοδικαί. Etiam ſcriptæ ab Imperatore, aut nomine Imperat. à Proconſule aut Vicario Diœceſ. cogendo Concilio: Hinc miſſæ *Tractoriæ* ad ſingulos Epiſcopos qui ad illud vocabantur, vel potiùs unâ Tractoriâ omnium Epiſcoporum nomina qui convenire debebant, fuêre expreſſa. Quod luculenter intelligitur ex literis Conſtantini M. ad *Ablavium* (alii *Ælianum*) Proconſul. Africæ, pro cogendo Conc. Arelatenſi I. A. 314. & dandâ Evectione publicâ, per Africam, Mauritaniam, Hiſpanias, etiam Donatiſtis & Schiſmaticis Epiſcopis, ut ad locum Concilii tempore indicto convenirent. Exhibet literas Baronius ad A. CCCXIV. N. XLIV. & *ſeqq.* Viciſſim ſi qui Epiſcopi venire ad Concilium non poſſent, conſtituto tempore, debebant rationes *Primati* exponere, per *tractatoriam* Epiſtolam, quæ cum *tractoriâ* ſeu evocatoriâ confundi non debet. Aliæ item Epiſtolæ fuerunt, quæ dictæ *Paſchales*, diei Paſchatis illius anni indicendo, quod ſignificabatur primo per Epiſcopum Alexandrinum, datis literis ad Romanum; Tùm ἐγκυκλικὰ γράμματα, *Encyclicæ* vel *Circulares* literæ, in causâ Fidei aut Diſciplinæ, de quibus ſuprà. Quas autem propriâ manu ſcribebant Epiſtolas integras, has *holographas* dixêre, ſeu *idiographas*: Quatenùs vero plumbo impreſſa nomina Epiſcopi & Civitatis, dictæ literæ *bullatæ*: Quâ de re etiam nuperus de *Re Diplomaticâ* in Galliis Commentator Mabillonus.

Pacificæ. Tractoriæ. Paſchales. Holographæ. Bullatæ.

VII. Cæterùm quid ſibi *Imperatores Chriſtiani* vindicarint, indè à Conſtantino M. *in externo* Eccleſiæ *regimine*, vel hujus unius Principis cùm dicta tùm facta teſtantur, apud Euſebium, Athanaſium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, &c. obviis locis. Hinc Synodos ille convocare, uti Arelatenſem I. Nicænam, Tyriam, Hieroſolymitanam, &c. *Quod ſi quis rejecto ac ſpreto mandato noſtro adeſſe Synodo noluerit, delegabimus aliquem, qui Regiâ illum auctoritate in exilium ejectum, docebit Imperatoris ſanctionibus pro veritate minime eſſe repugnandum*, ut eſt apud Euſebium de Vitâ Conſt. M. L. IV. C. XLII. Idem *Literas* ad Epiſcopos dare, ad Eccleſias, uti ad Alexandrum & Arium antè Synodum Nicænam, ad Eccleſias omnes poſt Synodum, ad Euſebium Cæſarienſem, ad Macarium Hieroſolym. &c: *Lites* componere, etiam coràm Seculari tribunali, per delectos Judices, Præfectos, Proconſules, Judices inferiores, etiam Epiſcopos, fatente pluribus Carolo Molinæo de *Monarch. Franc.* *Reformare* à Paganiſmo, Arianiſmo, Hæreſibus, teſtibus ſæpè Socrate, Theodoreto: *Appellationes* ab uſu admittere, ut in cauſis Donatiſtarum, appellantium à judicio Melchiadis, etiam illo Synodi Arelat. Sic in causâ Athanaſii, injuſtè damnati à Synodo Tyriâ, & ad Conſtantinum appellantis. Sic in cauſâ Euſebii Nicomedienſ. qui ſe injuſtè damnatum, & Eccleſiâ ejectum, apud Imperat. conqueri ſuſtinuit, favore Conſtantiæ ſororis

Conſtantini M. in Regimine Eccleſiæ partes.

Et ceſſ

Digitized by Google

ris Conſtantini, &c. Sic idem Imperator *Judices* cauſarum Eccleſiaſticarum conſtituere, modò Synodos, modò Epiſcopum Romanum, modò Præſides Provinciarum, ut in dictis cauſis: *Contumaces* Clericos vel accuſatos coërcere, deponere, ut Euſebium Nicomedienſem, & Theogonium Nicææ Epiſcopos, paulo poſt Synodum Nicænam, A. CCCXXVI. apud *Theodoret.* L. I. C. XX. Eoſdem Epiſcopos *reſtituere*, ut in illis ipſis accidit, & Ario Hæreſiarchâ, ſimulante fidem Nicænam, Conſtantiæ impulſu conſtituendos Epiſcopos, aut aliò mittendos, v. g. ad Iberos iis convertendis, apud Theodoretum *Lib.* I. C. XXIV. ſuo *conſenſu* firmare: De Sacris *leges* ferre, ut de Fide, de Hæreſibus, de Epiſcopis, Eccleſiis, &c. ac Canonibus Eccleſiaſticis, & Conciliorum decretis, addere vim legum, ex *Epiſtolis* Conſtantini apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum, & ex *Conſtitutionibus* in Codice utroque: Undè Κοινὸς Ἐπίσκοπος *communis Epiſcopus* dictus ab Euſebio, *Lib.* I. de Vitâ Conſt. Et ipſe ſemet appellare ἐπίσκοπον τῶν ἐκτὸς τῆς Ἐκκλησίας ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένον, apud eundem Euſebium, acquieſcentibus Epiſcopis, *Lib.* IV. C. XXIV. in iis ſcil. quæ *extrà* limites functionis Sacerdotalis, aut quæ ad *externam* Eccleſiæ conſtitutionem, gubernationem, διάταξιν, facerent. Sic enim diſtinguit res Eccleſiaſticas, τὰ τῆς Ἐκκλησίας, (non enim de Civilibus, κοσμικοῖς, βιωτικοῖς, πολιτικοῖς ſermo eſt) ut & ſibi, & Epiſcopis tribuat diverſimodè τὴν Ἐπισκοπήν. Sibi quidem Ἐπισκοπὴν ἐξωτερικήν, circa *externa* Eccleſiæ, cùm res tùm perſonas Eccleſiaſticas, includens ipſos Epiſcopos ſuæ Gubernationi ſubjectos, ἐπεσκόπει τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας, tùm curam Religionis ac pietatis, hortatus omnes τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον, tandem etiam pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ, undè diſſenſiones Epiſcoporum, variis modis & mediis adhibitis, tollere allaboravit. Ut fallant, qui per τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας, intelligunt res & perſonas *civiles*, extrà cenſum Eccleſiaſticarum, quæ formaliter eſſent politicæ, quæ ad regimen civile, ad ſplendorem civilem, ad decorem politicum, ſpectarent. Et quamvis hæc dixerit Conſtantinus M. in *Convivio* Epiſcoporum, tamen quæ ore loquebatur hæc *animo* pridem agitaſſe, & *factis* etiam ſe talem probaſſe, Euſebius teſtatur, quin familiares etiam fuiſſe voces Conſtantini, & ſic Epiſcopos affari conſueviſſe.

Et Succeſſorum. Conſtantinum M. imitati Conſtantinus Junior, Conſtans, & Conſtantius filii, quamvis poſtremus Catholicis infeſtus; deinceps quoque Jovianus, Gratianus, Valentiniani, Theodoſius, & Succeſſores. Nec tamen huc trahimus Titulum PONTIFICIS MAXIMI, quem ſubindè Conſtantino M. Valenti, Valentiniano, Gratiano, dediſſe Gentiles, liquet ex antiquis Inſcriptionibus, ex Nummis, & apud Zoſimum, Auſonium, &c. Quo de titulo prolixè Eruditi, qui de re Nummariâ, & fusè Seldenus, de *Synedr. Lib.* I. *C.* X. cumprimis (quatenùs ſpectavit ad Chriſtianos Imperatores) Jac. Godofredus, *Epiſt.* ad Andream Rivetum, *de interdictâ Chriſtianorum cum Gentilibus Communione.* Undè Socrates, *Hiſt. L.* V. in Procemio, præfatur quod ab eo tempore quo Imperatores cœperunt χριστιανίζειν, res Eccleſiaſticæ ab illis pependerunt, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν. Sed Conſtantinum M. & ſucceſſores, dicent fortè *plus juſto ſibi vendicaſſe, quàm laico Principi conveniret*, quæ ſunt verba H. Valeſii ad Euſebium, L. III. *de Vitâ Conſt.* C. LI. ne jam Baronium, Bzovium, Allatium, & id genus Gnathones referam. Imò verò plus juſto ſibi vindicaſſe, *Sacerdotii* nomine, *Papam Romanum*, ejuſque *Clerum*, in externâ Eccleſiæ adminiſtratione, in propatulo eſt; puta Inveſtiturarum, conferendorum Beneficiorum, ſanciendarum Legum, Synodorum convocandarum ex toto Orbe, Appellationum undique admittendarum, ultimi in omnibus Cauſis Judicii, &c. & quæ id genus ſunt juribus, Pontifici Romano à ſuis tributis. Primam autem Imperatorum curam fuiſſe Eccleſiam, Religionem; de Conſtantino præ cæteris Euſebius in ejus *Vitâ*, ut de Theodoſio M. Theodoretus teſtatur, *Hiſt. L.* I. *C.* II. Imò Ambroſius, de *Obitu Theodoſii*; potiorem hunc *Eccleſiæ* quàm *Imperii* curam geſſiſſe, cumprimis morti vicinum. Et Imperatorum de rebus Sacris & Eccleſiaſticis Conſtitutiones, *legi* ſolitas fuiſſe in Eccleſiâ, etiam Romanâ, v. gr. illam Valentiniani ad *Damaſum* Urbis Romæ Epiſcop. de ſuſpectis Eccleſiaſticorum Moribus, etiam per Diœceſin & Epiſcopatum Romanum, *Cod. Theod.* de Epiſcopis, L. XX. teſtatur Jacobus Godofr. ad eum Titulum, in Paratitlis, *pag.* 17. Ità tamen ut nullas S. Miniſterii vel Sacerdotii partes ſibi vendicarint, quæ ad τὰ εἴσω τῆς ἐκκλησίας, *intra Eccleſiam* obeunda, quæ ad *functionem* Sacerdotalem vel Epiſcopalem, aut quæ ad *internum* conſcientiarum *forum* ſpectarent. Undè Ambroſius ad Theodoſium, *Purpura Imperatores, non Sacerdotes facit*, Theodoreti *Hiſt. Lib.* V. *C.* XVIII. ut dicta id genus prætercam.

X. *Hæreſes hoc Seculo in Eccleſia natæ. De Arianâ fuſiùs; deque perſecutionibus motis in Athanaſium Alex.*

I. CElcberrima omnium fuit Hæreſis *Ariana*; quæ ſuprà omnes alias fautorum ingenio, doctrinâ, numero, potentiâ, malis artibus, Eccleſiam juxtà & rem publicam conturbavit, eo ipſo tempore quo ſub initia Conſtantini Imper. altâ pace & omnimodâ felicitate fruitura videbatur. De quâ hæc ſequentia ex Epiphanio *Hær.* LXIX. ex Athanaſio cumprimis *Tomo* I. ex Euſebio de Vitâ *Conſtant. M.* ex Gelaſio Cyziceno, in *Hiſt.* Concilii Nicæni, Sulpicio Severo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, &c. ſtrictim obſervanda venient. Ex quibus Chriſtophori Sandii, Ariani nuperi, in *Enucleatâ* quam vocat *Hiſtoriâ*, mala fides conſtabit; Subindè etiam offuciæ & commentationes violentæ Annalium Scriptoris, & nuperi Maimburgii in *Hiſt. Arianâ*, Pontificiæ cauſæ ubique ut patrocinentur. Hæreſis Ariana.

1. *Nomen* Hæreſeôs, ab auctore *Ario*, qui Ἄρειος Græcis, malè Arrius, Alexandrinæ Eccleſiæ ex Diacono Presbyter, & ἐξηγητὴς τῶν θείων γραφῶν, jam ſub Achillâ deceſſore Alexandri, vir διαλεκτικώτατος, apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum. Natione ille quidem ex Libyâ Ægypti Provinciâ, ut antè Sabellius, ingenio acri, callido, & honorum cumprimis avido. Cœpit autem innoteſcere Hæreſis circà A. aliis CCCXVII. aliis ſeriùs, (ut Hieronymus, & Proſper Aquit.) Anno CCCXXI. Baronius retulit ſed malè ad A. CCCXV. refutatus à Doctiſſ. Pagio; qui Synodos *Alexandrinas* in quibus damnatus primùm ejectuſque Arius, & notatus Euſebius Nicomed. non habitas eſſe antè annum CCCXX. probat ex Theodoreto, & H. Valeſio *Notis* ad Theodoret. L. I. *Cap.* IV. Irrepſiſſe autem videtur *Arianorum* nomen in Inſtitutiones Lactantii, *Lib.* IV. C. *ult.* ſiquidem hæ ſcriptæ ſint graſſante in Oriente Perſecut. quum mali in aliis *partibus in juſtos ſævirent*, ut in principio Libri primi. Niſi ſolam velit Licinii Perſecutionem, quæ adhuc Eccleſiam afflixit A. CCCXX. etiam CCCXXI. quando ſcripſiſſe hæc potuit Lactantius. De quo eruditè diſſertantes vide Pagium ad A. CCCXV. Baronianum, & Hankium *de Script. Byzantinis*, Lib. I. C. I. *Num.* LXIV. & *ſeq.* Auctor, & Tempus.

2. *Cauſa* impulſiva fuit, ut pluribus Theodoretus refert *Hiſt. L.* I. *C.* II. & cum eo cæteri, ambi- Cauſa movens.

bitio & æmulatio in Alexandrum, datum Achillæ ſucceſſorem Anno Chr. CCCXIII. uti Achillas Petro Alexandr. ſucceſſerat. Undè *Arius* qui Epiſcopatum ſpe fallaci devorarat, nullas non occaſiones captavit excitandi in Alexandrum motus, aliàs beneficum, & qui Arium ἐν τιμῇ εἶχεν *in honore habuit*, ut Sozomenus, *Lib.* I. *C.* XV.

Occaſio. 3. *Occaſio* autem innovandi Ario hæc nata: Nempè Alexandri Epiſcopi coràm Presbyteris ſuis de S. Trinitate diſquiſitio, in quâ φιλοτιμότερον *ambitioſius* (ita Socrates *Lib.* I. *C.* V.) hoc argumentum tractabat, in ſpecie aſſerens Filium ὁμότιμον τοῦ πατρὸς, καὶ τὴν αὐτὴν οὐσίαν ἔχειν, *ejuſdem eſſe cum Patre dignitatis & ſubſtantiæ*, vt habet Theodoretus *Lib.* I. C. II. Undè Arius hæc ſugillare, poſtulare Sabellianiſmi, Filio utpotè à Patre *genito* tribuêre ἀρχὴν ὑπάρξεως. Alexander iteratâ collatione rem hanc examini ſuorum ſubjicere; diſputando contentio augeri, ut ſolet; hinc Clerus Alexandrinus in partes dividi; tandem Arius cum ſuis ἀποκηρυχθῆναι τῆς ἐκκλησίας, *expelli ab Eccleſiâ*. Sed eo mox Euſebium Nicomedienſem, alioſque graves Epiſcopos, oppugnati à ſe Sabellianiſmi obtentu, fautores nacto, ſcriptis quaquaverſùm literis, in ipsâ etiam Urbe plebis parte non contemnendâ, utriuſque ſexûs, illi favente, omnia ad ferale bellum ſpectarunt, ut fusè Epiphanius, & Sozomenus, *Lib.* I. C. XV.

Conſtantini prudentia. 4. Tentata quidem initio ſtatim litis *compoſitio*, ac conciliatio animorum: Quando Conſtantinus malo naſcenti medicam manum adhibere ſtuduit, ut uno ore teſtantur Euſebius, Socrates, Theodoretus, &c. De *tempore* tamen non convenit inter Chronologos, nec factum putant Viri docti antè annum CCCXXIV. quando poſt devictum Licinium toto Oriente Conſtantinus, adeoque etiam Ægypto, ſolus potitus eſt. Undè *Hoſii* Cordubenſis, Conſtantinopoli tùm agentis, legatio, & Imperatoris literæ ad Alexandrum & Arium, quibus in causâ quæ ad *fidei* ſubſtantiam minimè attineret, (ita perſuaſerat Euſebius Nicomedienſis) ſed ad τὴν ζητημάτων ἀκρίβειαν, ad quæſtiones quas *nulla neceſſitas præſcriberet*, concordiam graviſſimis vocibus ſuadebat. Sed ex Alexandri reſponſo, & Hoſii relatione, poſt coactam ab hoc Alexandriæ Synodum, A. CCCXXIV. vel initio A. CCCXXV. mox cauſæ momentum cognovit. Baronium perpetuorum in hac causâ παραχρονισμῶν arguit Ant. Pagi.

Capita Hæreſeôs. 5. *Capita* Arianæ Hæreſeôs, referentibus conſtanter Athanaſio, Hilario, Baſilio, Hieronymo, Epiphanio, Sulpicio, Auguſtino, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, ſequentia potiſſimùm fuêre:

Chriſtum *Deum* dici, ſed *minorem* Patre, etiam ratione Deitatis, ſubſtantiæ, proprietatum, gloriæ divinæ: Eundem eſſe *Creaturam*, κτίσμα καὶ ποίημα, principium habens exiſtentiæ, creatum ἐκ μὴ ὄντων, vel ἐξ οὐκ ὄντων (undè *Exoucontiorum* nomen) antè rerum omnium primordia; hinc Deum *factum* voluntate Patris, nec *naturâ* ſed *adoptione* Dei Filium; tamen ad factoris ſui τέλειαν ὁμοιότητα *perfectam ſimilitudinem* conditum, *Theodor.* L. I. C. VI. Per eum verò ut *inſtrumentum* Patrem omnia condidiſſe, hinc præſtantiorem eſſe Filium omnibus Creaturis, etiam Angelis ſuperiorem. Aliam igitur eſſe eſſentiam *Filii* ab eſſentiâ *Patris*, neque eſſe illum coæternum Patri, *genitum* utpotè, nec coæqualem, vel conſubſtantialem. *Spiritum S.* etiam ne Deum quidem eſſe, ſed Creaturam Filii, ab eo genitam & creatam, dignitate inferiorem Patre & Filio, cooperantem in Creatione. Ob hæc dicti paſſim à Patribus & Conciliis, Ἀρειομανῖται, Χριστομάχοι, Θεομάχοι, Ἀντίχριστοι, &c.

Fautores Eccleſiaſtici. 6. *Fautores* Arianæ Hæreſeôs, initio ſtatim, non infimæ notæ fuerunt: Primipili, extrà Eccleſiam Alexandrinam, in quâ fuit & ἕτερος Ἄρειος cognominis, apud Socratem, *Lib.* I. *C.* VI. fuêre *Euſebius* Nicomediæ in Bithyniâ Epiſcopus, facturientium caput, *Secundus* Ptolemaidis Pentapolitanæ Epiſcopus, *Theonas* Libyæ Marmaricæ, dehinc *Theognis* Nicææ Thraciæ, *Maris* Chalcedonis Bithyniæ, *Paulinus* Tyri, *Patrophilus* Scythopolis, &c. Plures recenſet Philoſtorgius, apud Nicetam Choniatem, de *Orthod. Fide*, *Lib.* I. *C.* VII. Acceſſère & *Meletiani*, odio Alexandri Epiſcopi, à quo jam anteà diviſi; teſte in dicto loco Socrate. Ac nihil apud hos profecit *Alexandri* Encyclica, plus verò *Arii* Epiſtolæ, quibus ſuum cum Catholicâ Eccleſiâ conſenſum, oppoſitè ad Sabellii hæreſim, ſuam docilitatem, Alexandri autem violentiam, ſubdolè cauſabatur. Hinc & favit illi primò *Euſebius* quoque *Cæſarienſis*, apud Sozomenum, *Lib.* I. *C.* XV. qui cum aliis Epiſcopis in Palæſtinâ congregatis aſſenſum ſuum præbuit petito Arii, ut hic tanquam Presbyter in Eccleſiâ Alex. *cœtum colligeret* ut anteà, de cætero Epiſcopo ſubjectus maneret. Magnâ nempe Euſebius Pamphili neceſſitate conjunctus cum Euſebio Nicomed. nec tamen ejus *frater*, ut fabulati ſunt, ac primò facile credens hujus Euſebii narratis, etiam in principio hærens circà vocem ὁμουσίου. Aſt tandem (in & poſt Concilium Nicænum) profeſſus fidem Orthodoxam, in *Symbolo* quod ad ſuos miſit, & in quo τὴν τοῦ ὁμουσίου λέξιν ἑρμηνεύσας *vocem Conſubſtantialis interpretatus*, omnem de ipſo ſiniſtram ſuſpicionem amolitus eſt. Docet ejus *Epiſtola* inſerta *Libro* I. Hiſtoriæ Socratis, & Theodoreti, ac *Libro* II. Gelaſii Cyziceni, quin ipſe Athanaſius teſtis non ſemel in *Epiſtolis* ſuis. Sed etiam in Hiſtoriâ Eccleſ. *Lib.* X. C. IV. diſertis verbis, Chriſtum dicit, non modò *Dei Filium* γνήσιον, ſed αὐτοθεὸν προσκυνεῖσθαι *per ſe Deum adorari*. *Qui unicus locus*, ità Valeſius in Notis, *ſufficit ad repellendas omnes calumnias eorum qui Euſebium Cæſar. Ariani dogmatis labe adſperſum fuiſſe crediderunt.* — Euſebius Cæſar. an fautor Hæreſ.

Fautores Politici. Conſtantinus M. an tandem Arianus? Ex Imperatoribus fertur *Conſtantinus* M. in extremâ ætate, poſt Concilii Nicæni tempora, impulſus à Conſtantiâ ſorore ſuâ Arianâ, & ab Euſebio Nicomedienſi, *in Arianum dogma declinaſſe*. Ità Hieronymus in *Chron.* ad A. CCCXXVIII. Philoſtorgius *Hiſt.* L. II. C. I. qui falſiſſima narrat de Conſtantino; Eum ſcilicet, 1. *Secundum* Ptolemaidis & *Theona* Marmaricæ Epiſcopos, in exilium actos quod Nicænæ formulæ ſubſcribere detrectaſſent, revocaſſe ab exilio; utpote conſtanter ſententiam ſuam tuitos, de Filio ἑτερουσίῳ, contrà quam feciſſent Euſebiani, κατὰ τὸ προφανὲς ſubſcribentes τῷ ὁμουσίῳ. 2. Paulo poſt Synodum Nicænam, emiſiſſe ubique γράμματα *Edicta*, quibus lacerabat ὁμούσιον, τὸ ἑτερούσιον autem firmabat; imò Alexandrum Epiſcopum Alexandr. iſtis literis ſubſcripſiſſe. Hinc in errorem ducti alii Veterum. Nempe Philoſtorgius ex peſſimo Arianorum genere fuit, qui talia finxêre de Conſtantino, ut quoque Photius obſervat; quemadmodùm & de Alexandro, qui turpis defectionis accuſatur, contrà fidem Athanaſii, *Apol.* II. Epiphanii *Hæreſi* LXIX. Sozomeni *Hiſt.* L. II. C. XVII. qui ad mortem permanſiſſe in fide Nicænâ teſtantur. Ità falſus eſt Hieronymus, 1. Ex ſiniſtrâ ſuſpicione, cumprimis ob decreta Conſtantino expreſſa, ad calumnias Euſebii Nicomed. (qui multa potuit apud Imperatorem) adversùs *Athanaſium*, & *Marcellum Ancyranum*, qui variorum criminum, ut infrà, poſtulati. 2. Ob reſtitutum tandem *Arium*, ſed Nicænæ fidei, etiam cum ſacramento, ſubſcribentem, apud Socratem, *Lib.* I. *C.* XXVI. & Sozomenum, *Lib.* II. C. XXVII. Cui reſtitutioni, aut ſimulatæ Confeſſioni Arii, nequaquàm ſubſcribere voluit Athanaſius Epiſcopus Alex. 3. Ob *baptiſmum* ab Euſebio Nicomedienſi ſuſceptum, ut ſuprà

Digitized by Google

prà *Cap.* IV. ſed diſſimulante hoc Euſebio Arianum pectus, vivo Conſtantino.

Conſtantia, Conſtantius, Valens. Fautrix verò Arianorum *Conſtantia*, ſoror Conſtantini, Licinii Vidua, inducta à *Presbytero* quodam quo utebatur familiariter, ſed ſubdolo artifice, & *Euſebii* Nicomed. miniſtro, qui ſe ità in Conſtantiæ gratiam inſinuavit, ut perſuaderet *Arium* ab *Alexandro*, ex æmulatione & privatâ ſimultate, ejectum fuiſſe. Teſtes pluribus ſunt Socrates *Lib.* I. C. XXV. Sozomenus *Lib.* II. C. XXVII. Theodoretus *Lib.* II. C. III. quibus concinunt Ruffinus, & alii. Ejus Fœminæ inductu jam revocati ab exilio fuerant Euſebius Nicomed. & Theognis Nicææ, Epiſcopi. Tandem morti proxima, & à Presbytero illo ſubdolè præventa, id ultimum à Fratre petiit, ne bonos & innoxios viros perpetuo exilio damnaret, daretque aures illi Presbytero quem moriens commendabat Imperatori. At *Conſtantiam* ipſo dogmate Arianam fuiſſe non patet, ſed in facto deceptam; quamvis Hieronymus Ep. ad Cteſiphontem, contrà Pelagium, *Arius ut Orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit.* Quod tamen non accidiſſe niſi poſt obitum *Helenæ* matris, quæ deceſſit A. CCCXXVI. Ruffinus obſervat, *Lib.* I. C. XL. Hinc fautor Conſtantini filius & in Oriente ſucceſſor *Conſtantius*, perverſis artibus ejuſdem Presbyteri, cui Conſtantinus moriens tabulas ultimæ ſuæ voluntatis crediderat, à quo mox Euſebia Imperatrix, Eunuchi cubicularii, Aula tota in Arianiſmum inflexa, ut pluribus Socrates, *Hiſt. Lib.* I. *C.* XXXIX. & *Lib.* II. *C.* II. Dubium tamen an ſententiâ Arianus Conſtantius, magis quàm patrocinio, ſubdolis ac variantibus Arianorum *formulis* deceptus. At modum omnem exceſſit *Valens* Imperator, excitatus partim ab uxore Arianâ Dominicâ, partim ab Eudoxio Conſtantinopolitano, *Anomæorum* primipilo; undè immitis Catholicorum perſecutor Valens, poſt ſancitam formulam Ariminenſem. De quibus infrà pluribus.

Ingenium, artes, perfidia Arianorum. 7. *Artes* verò Arianorum, & ingenium, occupandis Principibus, Catholicis opprimendis, ſectæ ſuæ firmandæ ac diffundendæ, in pluribus emicuerunt. Siquidem notata in Arianis *diſſimulatio* & *dolus*, cùm in ipsâ Synodo Nicænâ, deludendis Patribus, teſte Athanaſio de *Decretis Syn. Nic.* tùm poſt Synodum, doloſis formulis, de quibus infrà, & ſimulato quoad rem ipſam cum Nicænis conſenſu. Obſervata in illis *perfidia*, & *calumniarum* atrocitas, opprimendo Athanaſio, & cum eo Orthodoxorum principibus, Euſtathio Antiocheno, Marcello Ancyrano, Aſclepâ Gazenſi, etiam Paulo Conſtantinopolit. in Pontum, dein loca alia, relegando ſub Conſtantino M. ex Athanaſio, *Apol.* I. & in *Epiſt. Ad Solitarios*, aliiſque. Acceſſit in fide *inconſtantia*, v. g. Euſebii Nicomedienſis, Acacii Cæſarienſis, Eudoxii ex Antiocheno Epiſcopi Conſtantinopolit. A. CCCL. ut taceam Urſatium, Valentem, &c. quos in fide ſuâ & ἐκθέσεις inſtabiles fuiſſe, ex Athanaſio, Socrate, Theodoreto, ipſoque Philoſtorgio, pluribus intelligitur. Undè *novem* circiter Arianorum Confeſſiones, apud Socratem, *Lib.* II. *C.* XLI. Saltem formulas præcipuas Arianorum V. apud Athanaſium, Libro de *Synodis*, Ariminenſi & Seleucienſi, legas. Quin ipſa Arianorum factio rurſus in *tres* vel *quatuor* factiones diviſa, ut mox dicemus. Et ſe invicem inſectatos fuiſſe patet ex Philoſtorgio, *Lib.* IX. C. III. &c. qui v. gr. *Euzojum* Antiochenum, à quo Conſtantius fuit baptizatus, vocaſſe *Aëtianos* Οὐρανοβόστας, pro quo alii Οὐρανοβάτας, ob inſignem eorum faſtum, Godofredus Οὐρανοβόσκας, *cœleſtia paſcua incolentes*, per ironiam: Sic *Eudoxius* Conſtantinopolit. Aëtianos vocabat λοιμοὺς *peſtes*. Adde fœdam in Aulis *adulationem*, ut illâ Conſtantini, Conſtantii, Valentis, in quibus prævaluerunt hoſtes Athanaſii, & Orthodoxorum: Sic artes ineſcandi Principes *Fœminas*, ut Conſtantiam, Eudoxiam, Albiam Dominicam, Juſtinam Augg. hujus Ævi fautrices Arianæ factionis, teſtibus Hiſtoricis, Theodoreto, & cæteris: Cumprimis Arianorum artes in præcipuis *Epiſcopatibus* invadendis (ut Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, notis exemplis, & reliquis totâ ferè Aſiâ, Oriente, Pannoniis duabus, &c.) *ambitionem* immodicam, ut rurſùm confirmant ſuperiores Hiſtorici, & ipſe quoque Sulpicius Severus, *Hiſt. Lib.* II. Cujus tamen ambitionis poſtulari non poſſit Euſebius Cæſarienſis Palæſt. qui oblatum ſibi Epiſcopatum *Antiochenum* recuſavit, quem vocat Euſebius Epiſcopatum πάσης τῆς ἐκκλησίας *totius Eccleſiæ*, ipſo Baronio fatente, quod Antiochia eſſet *metropolis totius Orientis*. Undè illa ad Euſebium Conſtantini M. Epiſtola, L. III. de *Vitâ Conſt.* C. LXI. quâ laudat eum Imperator, quod quum *teſtimonio Orbis totius* judicatus eſſet dignus illo Epiſcopatu, tamen *mandata Dei*, & *Apoſtolicam atque Eccleſiaſticam regulam cuſtodire* prævabuiſſet. Quam Epiſtolam quum dicat Euſebius πρὸς ἡμᾶς *ad nos datam*, in titulo ab ipſomet præſcripto, vel indè probat Valeſius, contrà J. Godofredum, horum Librorum de Vitâ Conſt. M. verè auctorem eſſe Euſebium. An etiam Ariani fraudulentam manum immiſerint in Scripturam S. uti in locum I *Joh.* v. 7. quod Hieronymus videtur ſtatuere *Prologo* in Epiſt. Canonicas, juxtà Codices plures Mſs. & ferè omnes impreſſos, alterius diſquiſitionis eſt.

Vis ac furor in Orthod. in Athanaſium. 8. *Vis* Arianorum, & *furor* quidam in Orthodoxos, cum maximè verò in B. *Athanaſium*, electum in Epiſcopum Alexandrinum à Catholicis, ſuaſu decedentis Alexandri, Meletianis invitis, A. CCCXXVI. ex Epiſtolâ Synodicâ quam ille initio *Apologet.* II. inſeruit, & ex Epiphanio *Hær.* LXIX. Sozomeno *Lib.* II. *C.* XVII. reliquis. Hic jam in Synodo Nicænâ, ex ſuâ in Arium diſputatione, conſpicuus, Catholicæ cauſæ princeps fautor, animi invicti, Meletianis juxtà & Euſebianis inviſus, furorem illorum ferè unus ſuſtinuit. Niſi addimus *Euſtathium*, (aliis *Euſtachium*) qui in Synodo Nicænâ Panegyricum Conſtantino dixerat, & mox à Synodo in Arianos calamum ſtrinxit, aſt in Conventu *Antiocheno*, circà A. CCCXXVII. vel CCCXXVIII.

In Euſtathium Antioch. (malè ſub Conſtantio factum Anno CCCXL. juxtà Baronium) Euſebianorum machinationibus, & mendaci accuſatione modò ſtupri, modò Sabellianiſmi, depoſitus fuit; mox à Conſtantino Trajanopolim Thraciæ relegatus, ex Athanaſio *ad Solit.* Hieronymo in *Chron.* Socrate, Theodoreto, cæteris, etiam Philoſtorgio L. II. C. VII.

Crimina Athanaſio impacta; ſumma Hiſtoriæ, & perſecutionum. *Accuſationes* in Athanaſium, vario quidem tempore, fuère variæ, ex ipſo Athanaſio *Apol.* II. Sozomeno *L.* II. *C.* XXI. XXII. & *ſeq.* Socrate *L.* I. XXVII. Theodoreto *Lib.* I. XXVIII. &c. Poſtulatus nempè apud Conſtantium M. 1. Illegitimæ *Ordinationis*, & Cathedræ *Alexandr.* per vim ac fraudem occupatæ, A. CCCXXVI. Quum oſtendat ipſe Athanaſius, *Apol.* II. Alexandrinum eligi ab univerſo populo, & ordinari ab Epiſcopis totius Diœceſeos, in *Synodum* Alexandriæ congregatis, ut etiam Epiphanius, *Hær.* LXVIII. 2. Tributi *linearum tunicarum* Ægyptiis impoſiti, in uſus Eccleſiæ Alexandrinæ; factâ accuſatione per Meletianos, apud Conſtantinum M. ſed diſcuſſâ calumniâ ab Alypio & Macario Presbyteris Alexandrinis. 3. *Inſidiarum* ſtructarum vitæ ipſius Imperatoris, ope cujuſdam Philumeni Imperium uſurpaturi, cui ciſtam auro plenam ſubmiſiſſet; tum *Ichyræ* Pſeudo-Sacerdotis, juſſu Athanaſii, malè habiti; Sic confracti per Macarium, (miniſtrum Athanaſii) ſacri

Calicis, ſacrorumque igni datorum Voluminum: Sed cognitâ ab ipſo Imperat. cauſâ, innocens horum declaratus eſt, ſcriptâ à Conſtantino Epiſt. A. cccxxxi. 4. Crimen illi intentatum *Arſenii*, Meletianæ Sectæ Epiſcopi, ab Athanaſio interfecti, manu etiam illius reſectâ, magicarum artium gratiâ; Sed impoſturâ tandem detectâ, & Arſenio illo latitante reperto *Tyri*, & agnito à Paulo ejus Civitatis Epiſc. 5. Aliud crimen *Fœminæ*, ad id ſubornatæ, quæ virginitatem voviſſet, per vim autem ab Athanaſio conſtupratæ, violatâ hoſpitii ſimul & humanitatis lege; Sed fraude iterùm exploratâ, quanquam uno *Ruffini* teſtimonio nitatur hæc accuſatio. 6. Poſtulatus idem Athanaſius, per calumniam rurſus Meletianorum, exercitæ in Epiſcopos *Meletianos*, quorum ſunt apud Sozomenum nomina, immanis tyrannidis, aliorum incarceratione, etiam plagarum inflictione: Quas omnes calumnias, quum apud Conſtantinum, & in Synodo Tyriâ, diluiſſet Athanaſius, tandem acceſſit poſtrema quæ Imperatorem ad decernendum Athanaſio exilium movit. Nempè accuſatus eſt ab Epiſcopis Euſebianarum partium, coràm Ipſo Imperatore, prohibitæ exportationis *annonæ*, ex Ægypto & ſtatione Alexandrinâ, in Urbem Conſtantinopolitanam, huic ad ſummas anguſtias redigendæ. Undè mox exilium *Trevirenſe*, A. cccxxxv. ſub finem, ubi egiſſe Athanaſium non toto *biennio*, uſque ad A. cccxxxvii. xv. *Kal. Jul.* fusè Valeſius; Theodoretus tamen L. ii. C. i. ἔτη δύο ϗ μῆνας τέσσαρας, ad A. xxxviii. quando reſtitutus à Conſtantino Juniore. Indè nova accuſationum capita ſub *Conſtantio* Imp. favente Arianis, quæ tùm factio prævaluit. Quales fuêre, ut colligitur ex ſcripto Apologetico Athanaſii ad *Conſtantiam Imper.* T. i. p. m. 524. & ex ejuſdem *Epiſt. ad Solitarios*, τ̀ μονήρη βίον ἀσκȣ̃ντας. 1. Quod *male* de Conſtantio *locutus* eſſet, apud piæ memoriæ Conſtantem fratrem, hunc ut in Conſtantium irritaret. 2. Quod ſcripſiſſet Literas ad *Magnentium* Tyrannum, quarum ferebant extare prototypum. 3. Quod S. Myſteria celebraſſet in *Magnâ Eccleſiâ*, antequam ea fuiſſet conſecrata; coactus nempè à populo Alexandr. qui confluxerat ad ſolemnia Paſchatis, & quem capere non poterant Eccleſiæ minores. 4. Quod non paruiſſet *mandato* Imperatoris, ut Alexandriâ egrederetur: Quale nullum ad ſe directum fuiſſe contendit; ſed violentiâ Syriani Ducis Exercitûs abitionem moliri, ſpecie *fugæ*, ab amicis coactum; tùm latitare, quum à militibus, ex decreto ad Auxumenſes miſſo, quæri ſe intellexiſſet. Nihilominùs prævaluit factio Euſebianorum in Athanaſium, Romæ quidem abſolvendum à Concilio inibi coacto ſub Julio; ſed damnandum in Synodo Antiochenâ A. cccxli. congregatâ occaſione Templi ſub Conſtant. M. inchoati, & ſub Conſtantio perfecti, ac dedicandi ſolenni ritu. Ubi Euſebianæ factionis Epiſcopi circiter xl. (ut Palladius citatus à Valeſio, *Obſervat.* Eccleſiaſticis in Socrat. L. i. C. viii. dein Schelſtratio, Pagio) xc. quum fuiſſent in eâ Synodo, Athanaſium deponunt, *Gregorium* quendam Alexandrinum Epiſc. creant, contrà Canones illius Eccleſiæ, non ſuffragante Clero & populo; qui Gregorius manſit ad A. cccxlviii. quandò in tumultu Alexandriæ occiſus, & Athanaſius ad Literas Conſtantis Imp. à Conſtantio revocatus fuit. Rursùs A. ccclv. coactus Alexandriâ excedere, per modum *fugæ* (ut dictum) Syriano Duce adversùs eum Perſecutionem movente; quando *Georgius* quidam Cappadox, à factioſis in Sedem Alexandr. intruſus fuit, de cujus ſceleribus Athanaſius *Epiſt.* ad Orthodoxos ſcriptâ A. ccclvi. Iterùm hoc Georgio Ariano Alexandriæ, in perſecutione ab Ethnicis excitatâ, occiſo, rediit Alexandriam Athanaſius, Juliano imperante, ut & alii Epiſcopi ad ſuas Sedes, indulgentiâ Juliani, reverſi leguntur, mortuo Conſtantio, apud Hieronymum, contrà *Luciferianos*. Poſteà ſuccedente Joviano Imp. deinde Valente, pax illi quædam fuit ad perſecutionem uſque A. ccclxvii. excitatam à Valente. Mox tamen juſſu Valentis factâ illi libertate in Epiſcopatu manſit, moriturus placidè A. ccclxxii. alii ccclxxiii. laborum ſimul & dierum ſatur, Epiſcopus totis annis xlvi. quorum poſtremi *ſex* maximè omnium tranquilli Athanaſio fuerunt. Fautores expertus Conſtantinum Filium, Conſtantem, Jovianum, Concilia Italica, & Sardicenſe, Julium Romanum Epiſcopum, ac pleroſque Occidentales. Rectè autem Valeſius, contrà Baronium, *Obſervat. Eccleſiaſt. Lib.* i. nonniſi ſemel Romam veniſſe Athanaſium, Julii opem imploraturum, poſt intruſum in Alexandrinam ſedem ab Antiochenis *Gregorium*; quo mortuo, aliquanto poſteà *Georgium* alium factioſi per vim ſuffecerunt, utrumque Arianum, hinc ſæpè confuſos. Sed de his etiam aliàs.

Factiones Arianæ. Aëtiani, Anomœi, Eunomiani.

9. *Factiones* denique & *Schiſmata* inter ipſos Arianos præprimis obſervanda. In diverſas enim, mox à Conſtantini exceſſu, familias abierunt, undè nati Euſebiani, Aëtiani, Eunomiani, Eudoxiani, Acaciani, Semi-Ariani, Duliani Filium δȣ̃λον Patris ſtatuentes, qui & *Pſathyriani* apud Theodoretum *Hæret. Fab.* L. iv. C. iv. Horum alii dicti *purè Ariani*, & *Anomœi*, qui Filium per omnia Patri ἀνόμοιον, eſſentiâ & voluntate eidem ſubjectum, adeoque ἑτεροȣ́σιον *diverſum ſubſtantiâ* (quod ex Arii dogmate utique ſequebatur) aperte ſtatuerent. Caput fuit *Aëtius* natione Syrus, Antiochenæ Eccleſiæ Diaconus à Leontio factus, mox ejectus ob hæreſim, dictus *Atheus*, magiſter *Eunomii*; ſed reſtituendus ab Eudoxio Antiochenum Epiſcopatum adepto, antequam transferretur ad ſedem C. Politanam. De his Theodoretus, Socrates, Sozomenus, & Epiphanius *Hær.* lxxvi. *Anomœorum*, quos ab Arianis diſterminat. Dicti & *Aëtiani*, ab Eunomio verò, qui Aëtio à manibus fuerat, *Eunomiani*, damnati ab Arianis reliquis in ſuâ Synodo Ancyranâ, A. ccclviii. cujus caput Baſilius Ancyranus, fusè apud Epiphanium *Hær.* lxxiii. Confundebant hi, eſſe ἀγένητον, quod rectè de Filio affirmabant Orthodoxi, *non facto*; cum eſſe ἀγέννητον, quod quia de ſolo Patre *non genito* enunciabat Scriptura, iſti Filium γενητὸν contendebant, id eſt, *factum*, (pro γεννητὸν) & eſſe Patri *diſſimilem* ȣ̓σίᾳ. Alia & ipſis tribuit Epiphanius, ut quod *cognitionem* ſine operibus ad ſalutem ſufficere cauſarentur, ex *Joh.* xvii. 3. *Hæreſi* lxxvi. N. iv.

Semi-Ariani.

Altera factio fuit *Semi-Arianorum*, Ἡμιαρείων, aſſerentium Filium ὁμοιȣ́σιον *ſimilem ſubſtantiâ*, non verò ὁμοȣ́σιον, item ὅμοιον κατὰ πάντα, id eſt, κατὰ τὴν ὑπόςασιν, ὕπαρξιν, ȣ̓σίαν vel τὸ εἶναι. Et hæc ferè à Nicænis temporibus potior fuit, editâ Formulâ in Synodo Ancyranâ A. ccclviii. Capita fuêre, Baſilius Ancyranus Marcello ſuffectus, Euſtathius Sebaſtienſis, Georgius Laodicenus, Eleuſius Cyzicenus, &c. ipſeque Macedonius, poſteà Pneumatomachus, ſurculus Arianæ ſtirpis. Quæ tamen formula, de Filio ὁμοιȣσίῳ, æquè ac ὁμοȣσίῳ, pariter rejecta à Sirmienſibus fuit, ut ἄγραφον, in formulâ Sirmienſi *ſecundâ* verè Arianâ, apud Socratem *Hiſt. Lib.* ii. *C.* xxx.

Acaciani.

Tertia factio fuit illorum qui Filium aſſererent ſimpliciter ὅμοιον Patri, non addendo ſimilem *in omnibus*, aut ſimilem ȣ̓σίᾳ ſubſtantiâ. Nempè ſimilem voluêre τῇ θελήσει, *voluntate*, reverà ἑτεροȣ́σιον ſtatuebant. Medii hi jam inter purè Arianos, & Semi-Arianos, & qui dum Filium dicerent Ὅμοιον, reipsâ Ἀνόμοιον ſtatuebant. Horum caput *Acacius* Cæſareæ in Palæſtinâ poſt Euſebium Epiſcopus, idemque præſens in Synodo *Seleucienſi* Iſauriæ, A.

ccclix.

CCCLIX. cujus formulam exhibet Socrates, *Hiſt. Lib.* II. *C.* XL. Poſteà tamen reſipuiſſe fertur Acacius & cum Catholicis ſubſcripſiſſe Synodo Antiochenæ A. CCCLXIII. Joviano Imp. Meletio Antiochiæ Epiſc. Orthodoxo.

Quarta etiam dici poteſt rurſùs *purè Ariana*, quæ rejectis omnibus iſtis vocibus, ὁμοίου, ὁμοιουσίου, &c. magis illâ ὁμοουσίου, palàm aſſerebat, Patrem eſſe *majorem* Filio *honore*, *dignitate*, *Deitate*. Atque hæc fuit Sirmienſis Formula ſecunda, A. CCCLVII. cui Hoſius ſubſcripſiſſe fertur, decrepitâ ætate, & illi adjunctus Potamio Odyſſiponenſis Epiſcopus, ex Hilario, Athanaſio, Socrate; de quâ adhuc infrà. *Marc. Arethuſum* malè huc trahit Baronius.

Formulæ Antiochenæ, Sirmienſes, Ariminenſis.

Alii Arianæ factionis homines, anteà congregati in Antiochenâ Synodo, A. CCCXLI. in *Encæniis* illius Eccleſiæ, miſſis vocibus ὁμοουσίου, οὐσίας, ſimilibus, dixerant Filium eſſe ἀπαράλλακτον εἰκόνα *Imaginem prorsùs ſimilem* ſcil. ſubſtantiæ, divinitatis, gloriæ ſui Patris, apud Socratem *Lib.* II. *C.* X. Quam vocem & phraſin *Aſterii*, Luciani diſcipuli, ſunt amplexi Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus obviis locis, citatis à Jacobo Godofredo, *Notis* ad Philoſtorg. L. II. C. XVI. Mox & hanc quoque *vocem* diſpungentes, fortè ut nimis emphaticam, illaſque ὁμοουσίου, ὁμοιουσίου, ut extrà Scripturas, reliquam *Nicænam* fidem amplexi videbantur, de voce litem eſſe contendentes, eoſque damnantes qui Filium dicerent *factum ex non entibus*, *fuiſſe tempus quando non eſſet*. Et huic formulæ poſteà ſubſcripſiſſe fertur Liberius (de quo infrà) in quâ ſolùm vox ὁμοουσίου diſpuncta, ut in *priore* Sirmienſi Synodo A. CCCLI. & in *poſtremâ* quoque. His adde Syn. Lampſacenam A. CCCLXV. Antiochenæ Anni XLI. ὁμοδόξαν. Ac eò rediit Ariminenſis formula, ſed ſubdola, obſtetricantibus *Urſacio* & *Valente*, in Myſiâ ſuperiore & Pannoniâ Epiſcopis; primipilis Arianæ factionis (ſed vertumnis & ἀλλοπροσάλλοις, damnatis in Synodo *Sardicenſi*, A. CCCXLVII. paulo poſt receptis in pacem Eccleſiæ eodem An. in Concilio *Mediolanenſi*, poſt damnatam Arii Hæreſin, & reconciliationem factam cum Athanaſio) quæ ſcil miſſis vocibus οὐσίας, ὑποστάσεως, ὁμοουσίου, συναϊδίου, in cæteris *Verbum* profitebatur *Deum eſſe*, *genitum antè Secula*, *minimè Creaturam reliquis ſimilem*, &c. Quin & Ario in ſpeciem damnato, ſed in ſpeciem tantùm. Ab eo tempore *miratus eſt Orbis ſe Arianum*, talem quanquàm ſe eſſe pernegaret. Arianas omnes formulas, *novem* numero, λαβύρινθον τῶν ἐκθέσεων, habet Socrates *Lib.* II. C. XLI. Sirmienſes formulas vide apud eundem *Lib.* II. *C.* XXX. Ariminenſem apud eundem *Lib.* II. *Cap.* XXXVIII. vel Sozomenum *Lib.* I. *C.* XIX. de quibus & infrà *Cap.* de Conciliis.

Photini Hæreſis.

II. Reliquas hujus Seculi Hæreſes verbo ſubindicaſſe ſuffecerit. Ad Arianam acceſſit pernicioſior altera *Photini*, Sirmienſis in Illyrico Epiſcopi, Viri magnæ & auctoritatis & doctrinæ, ſive ut Vincentius Lirinenſis, *ingenii viribus & eloquii præpotentis*. De hac Epiphanius, *Hær.* LXXI. Socrates, *Lib.* II. *C.* XVIII. Sozomenus, *Lib.* IV. *Cap.* VI. præter Philaſtrium, Auguſtinum, &c. Ex Arianiſmo nata Hæreſis, Photino primùm Marcelli Ancyrani diſcipulo, ut ipſe Galatiâ oriundus fuit.

Potiſſimum Hæreſeos caput fuit, *Chriſtum hominem tantùm eſſe*, ψιλὸν ἄνθρωπον; initium ex Mariâ habuiſſe, antequam non extiterit *Filius Dei*; ità *Spiritum S.* neque Deum, neque perſonam eſſe S. Trinitatis. Convenit illi adeò cum hæreſi Pauli Samoſateni, quam imprudens revocavit. Hinc dicitur perſonam unam, unamque operationem eſſe, *Patris*, *Filii*, *Spiritûs S.* aſſeruiſſe, revocato Sabellii errore, apud Epiphan. H. LXXI. Damnatus itaque Photinus à Synodis Antiochenâ A. CCCXLV. Mediolanenſi CCCXLVII. & Sirmienſibus, ac gradu dejectus. Nec Orthodoxi tantùm in eum anathemata ſtringere, ſed & Ariani, Semi-Ariani, in Sirmienſi cumprimis Synodo, habitâ A. CCCLI. Mortuus in exilio, in Galatiâ quæ illi patria, ſub Valentiniano & Valente.

III. Fuit & hujus Seculi Hæreſis *Apollinaris*, Ἀπολιναρίου, Patris & Filii, Laodiceâ Syriæ oriundi. Flagella hi primò Arianorum, alter Presbyteri, Lectoris alter officio functus, Socrate teſte *Lib.* II. C. XLVI. poſteà etiam Filius *Epiſcopatu* Laodiceno donatus, juxta Hieronymum in *Catal.* & Philoſtorgium *Hiſt.* L. VIII. C. XV. Qui eruditione Seculari & Scriptis clarus, cumprimis ſcriptis XXX. *Libris* contrà Porphyrium, acerrimus etiam propugnator τοῦ ὁμοουσίου, laudatur cumprimis Athanaſio, Baſilio, Epiphanio, &c. Tandem, indignati illi in *Georgium* Laodiceæ Epiſc. Hæreſim condunt, Filius præcipuè, circà Myſterium Incarnationis; de quâ Epiphanius *Hær.* LXXVII. Socrates, *Lib.* II. *C.* XLVI. ut Athanaſium, Nazianzenum, Theodoretum, reliquos taceam. Aſſerebant nempe 1. Chriſtum aſſumpſiſſe quidem *Carnem*, ſed *ſine Animâ* humanâ, certè ſine *Mente*, *Intellectu*, hujus autem loco fuiſſe Divinitatem τοῦ Λόγου. Quod idcircò videtur ſtatuiſſe Apollinaris, ne ſimilem *animam* noſtræ Chriſto tribuendo, à naturæ & peccati contagio vix liberari poſſet.

Apollinaris utriuſque.

2. *Carnem* Chriſti *conſubſtantialem* eſſe Divinitati, minimè ex ſubſtantiâ Virginis efformatam, ſi fides *Epiphanio*; Quamvis Apollinarem Theodoretus alibi ab hoc errore liberet, ſcil. à *confuſione* aut *permixtione* Naturarum in Chriſto. Saltem eorum *aliquos* ità ſenſiſſe tradit Epiphanius, ὁμοούσιον τὸ σῶμα Χριστοῦ τῇ Θεότητι. Damnati Alexandriæ ſub Athanaſio reſtituto, & Romæ ſub Damaſo. Διμοιρίτας vocat Epiphanius, quod Chriſtum dividerent, nec perfectam Incarnationem ſtatuerent. Tres alii errores videntur Apollinari impacti, dubium an ex ejuſdem mente: 1. *Sabellianiſmus*, cujus ſanè inſimulatus eſt, teſte Theodoreto, *Hæretic. Fab.* L. IV. C. VIII. Sed à quo purgat eum Vincentius Lirinenſ. qui *Apollinarem ſe jactitaſſe*, *quod in unitate Trinitatis conſentiret*, *pag.* 333. Ed. Baluz. 2. Error *millenarius*, improbantibus in eo Baſilio, Nazianzeno, Hieronymo. 3. *Animas* produci ab *animâ* parentum, ſecundùm Hieronym. Epiſt. LXXXII.

IV. Succeſſit Hæreſis *Macedonii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui à Conſtantio in eam Sedem, pulſo in exilium Paulo, per Philippum Præfectum Prætorio intruſus fuerat, circà A. CCCLI. modo violento, ut cruentus ejus ἐνθρονισμὸς fuerit. Homo ſævus, pertinax, in primipilis *Semi-Arianorum*, qui defenderent Filium ὅμοιον κατὰ πάντα, undè *Homoiouſiani*. Hinc Acacio Cæſarienſi & Eudoxio Antiocheno inviſus, horum moliminibus factum ut depoſitus ejectuſque ſede Conſtantinopolit. fuerit, A. CCCLIX. ſuffecto Eudoxio *Anomæorum* anteſignano, cum Acacio, primò Germaniciæ ad Taurum montem, dein Antiochiæ Epiſcopo. Dejectus ità Macedonius non quievit, factus novus Hæreſiarcha, in ſeceſſu quem elegit propè πύλας *portas* Urbis Regiæ, ἐν χωρίῳ quodam, undè impugnavit Perſonam Divinam *Spiritûs S.* Pluribus rem refert Sozomenus, *Hiſtor.* L. IV. *Cap.* XXVI. XXVII. Acceſſit præcipuè *Eleuſius* antè Cyzicenus Epiſcopus, *Euſtathius* anteà Sebaſtienſis, plures alii, firmatâ Hæreſi ſuâ in *Lampſacenâ* Synodo, in aditu Helleſponti, ubi etiam & vicinâ Phrygiâ, frequentes fuiſſe Macedonianos, Socrates *Lib.* IV. C. IV. Error fuit, quod cum de *Patre* & *Filio* rectè ſentire in ſpeciem viderentur; De *Spiritu S.* negarent eſſe *Deum*, vel *Perſonam* Divinam, aut habere eum *propriam ſubſtantiam*. 2. Aſſererent eſſe tantùm *vim creatam*, ſeu Creaturam, miniſtrantem Filio, qualiter Angelos

Macedonii.

 Scri-

Digitized by Google

Scriptura repræſentat, & cujus ſingulæ creaturæ participes eſſent, ſeu qui Spiritus omnibus ineſſet, diviſione ſui in infinitum. Prolixè de hac Hæreſi Epiphanius, *Hær.* LXXIV. præter Hiſtoricos Socratem, Sozomenum, Theodoretum, hunc etiam in *Hæret. Fab.* L. IV. C. V. Auguſtinum de *Hæreſ.* C. LII. &c. Dicti hi à Dogmate ipſo, *Pneumatomachi*, abuſi præcipuè loco *Amoſ.* IV. 13. *Ecce Deus formans Spiritum*; & ſilentio Synodi Nicænæ, quæ nihil de *Spiritûs S.* ὁμοουσίᾳ pronunciaſſet; quemadmodum v. gr. nec Hilarius, nec Baſilius, expreſsè Spiritum S. uſquàm *Deum* dicunt, licet illi *Divina* omnia tribuant.

Damnata hæc quidem fuit, juxtà cum aliis Hæreſibus hujus Ævi, in Synodo Conſtantinopolitanâ Oecumenicâ, ſub Theodoſio M. A. CCCLXXXI. *Fidei Formulâ* per Gregorium Nyſſenum conſcriptâ, in quâ Spiritûs S. Divinitas & Majeſtas aſſerta, quod vulgò Symbolum Conſtantinopolitanum. Quâ de Synodo infrà.

Audæi, Anthropomorphitarum.

V. Nata & ſub Valente Imperatore Hæreſis *Audii* vel *Audæi* cujuſdam, natione Syri, è *Meſopotamiâ* oriundi, profeſſione Monachi, vitâ inculpati. Nempè adſcripſit hic *Deo*, ex ruſticitate vel ſimplicitate quadam, *humanam formam*, membra, affectuſque humanos, abuſus loco *Geneſ.* I. 26. 27. formavit hominem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, & omnibus prætereà locis, quibus Deo membra aut affectus ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur. Undè Sectatores *Audiani*, vel Audæani, (malè in indice Auguſtini *Vadiani*) aliàs *Anthropomorphitæ*. De his Epiphanius *Hær.* LXX. (qui & Αὐδιανὸς vocat) etiam Theodoretus in Hæreticis Fab. *L.* IV. *C.* X. Auguſtinus de *Hæreſ.* C. L. Adhæc cum Judæis & Quartadecimanis *Paſcha* celebrabant. Communionem Eccleſiæ vitabant, ſpecie ſanctitatis, ne communicarent cum τοκογλύφοις *fœneratoribus*, & qui cum *mulieribus* cohabitarent, Donatiſtico jam faſtu. Singularem horum ritum obſervat in *Hær. Fab.* Theodoretus, quo jubebant unumquemque peccata confiteri, transeundo inter Libros Sacros utrimque diſpoſitos, quo facto veniam pro factâ ſibi poteſtate concedebant. Longè autem lateque hæc Hæreſis propagata fuit, in Syriam, Aſiam, Ægyptum, dein etiam Italiam, Galliam; cujus præſidium fuit ἀμαθία ϗ θράσος *imperitia* & *audacia*.

Priſcilliani.

VI. Turbavit & Hæreſis *Priſcilliani* Hiſpani, Laïci primùm & nobilis, dein Abilæ Epiſc. Gratiano & Theodoſio imperantibus, Damaſo Urbis Epiſcopo. Recoxiſſe fertur (ex Sulpicio Sev. *Lib.* II. Auguſtino *Hær.* LXX. Concilio *Cæſarauguſtano*, ex Editione Garſiæ Loayſæ) magiſtro quodam Gnoſtico, ex Ægypto in Hiſpanias profugo, *Marci* nomine, tum & Helpidio Rhetore, impias Gnoſticorum, Manichæorum, Valentinianorum, & Sabellii hæreſes, de quibus ſuprà dictum. In ſpecie probabant *mendacium*, & *perjurium* tempore perſecutionis; item *Fatum* Aſtrologicum, dùm ſingula membra corporis noſtri à ſingulis Aſtris, puta caput ab Ariete, &c. regi traderent; prætereà divortia conjugum, altero quanquam conjuge invito; *Abſtinentiam* à carnibus tanquam immundis, id genus alia. Myſteria ſua *occultabant* magno ſtudio, præterquàm fœminis, mulierculis, quas ſanctitatis ſpecie ineſcabant; hinc à ſuis ſecretum ſtipulati, qualiter & Gnoſtici,

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Sed & fœminæ docendi partes uſurpabant, & laici, qualis ipſe primò Priſcillianus, undè in eos Canon VII. Synodi Cæſarauguſtanæ, in *Priſcillianos* congregatæ, in Tarraconenſi Hiſpaniæ Provinciâ, Anno CCCLXXXI. *Ne quis Doctoris ſibi nomen imponat*, &c. cujus *octo* Canones habet Loayſas, & Editio noviſſima Conciliorum, *T.* II. *col.* 1009. Gratis verò *ſub Damaſo* habitum eſſe Concilium, ſeu auctoritate Damaſi, Baronius, Binius, reliqui. Quum nec ſequentium in Hiſpaniâ Seculorum Concilia aliâ ſint auctoritate indicta, roborata, quàm Regiâ, nullo *Romani Epiſcopi* reſpectu, ut pluribus vel à Caſparo Scioppio, ex Collectione Garſiæ, demonſtratum eſt, Tractatu de *Nationalium Conciliorum Utilitatibus*. Cæterum duo hic obſervanda. I. Hæreſim hanc ne famâ quidem vel nomine in *Orientem* perveniſſe; undè altum de eâ ſilentium apud Epiphanium, Theodoretum, cæteros Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, ipſum etiam Damaſcenum. 2. Hieronymum in *Catalogo Script.* de Priſcilliano loqui ut Auctore non unius Scripti, & quem multi crederent oppreſſum in Hiſpaniis fuiſſe, factione Epiſcoporum, *Idacii* cumprimis vel *Ithacii*, nec infectum iis erroribus qui de illo ferebantur: Undè capitis ſupplicio cum ſuis luit, Anno CCCLXXXV. ab Ithacio accuſatus convictuſque (ut ajunt) maleficii, & turpium congreſſuum, coram Maximo Tyranno, in Urbe Treverorum, ut fusè Sulpicius Severus *Hiſt.* L. II. Hinc alibi Hieronymus, adversùs *Pelag. Priſcillianum & Seculi gladio, & totius Orbis auctoritate damnatum.* Laudes Priſcilliani vide apud Sulpicium, *L. cit.*

Schiſmata hujus Ætatis Meletii, Euſtathii, Aërii.

VII. Ad Hæreſes acceſſerunt *Schiſmata.* Multum quidem turbarunt hoc Seculo, Schiſma v. gr. *Meletii* vel *Melitii* Ægyptii, in Thebaide Epiſcopi, qui de gradu dejectus à Petro Alexandrino, ob *thurificationis* crimen, teſte Athanaſio *Apol.* II. primùm Schiſma fecit, *ordinandi* ſibi poteſtate, quæ Alexandrino in tota Ægypto competebat, vendicatâ. Quanquam diverſimodè cauſam abdicationis Meletii narret Epiphanius *Hær.* LXVIII. quod hic nempè Lapſos in Perſec. Diocletiani recipi nollet, antè actam Pœnitentiam, contrarium ſtatuente Petro Alexandr. Dein *Arianis* hæreticis ſe Meletiani adjunxêre, poſt Concilium Nicænum, ex Hiſtoriâ Arianâ, & Theodoreto *Hæret. Fab.* L. IV. C. VII. Sic turbavit Schiſma Euſtathianum ab Euſtathio, ſecundum quoſdam, *Sebaſtienſis* Eccleſiæ Epiſcopo, quem Euſebius Conſtantinopolit. depoſuerat, in Synodo Conſtantin. A. CCCLIX. ex Socrate L. II. Sozomeno *Lib.* IV. & jam antè in Synodo Melitinenſi, A. CCCLVII. Meletio in ejus locum ab Acacianis ſuffecto, apud Sozomenum *Lib.* IV. C. XXV. Baronius autem ad *Ann.* CCCLXI. N. XLIV. & noviſſimè Du-Pinus, in *Conc. Gangren.* auctorem Schiſmatis faciunt alium *Euſtathium* à Sebaſtienſi, damnatum in *Gangrenſi* Synodo, cujus Synodi annus præciſus ignoratur, multis demùm CCCLXX. Et tum ex *Epiſt.* Synodicâ Patrum hujus Synodi, tùm ex *Canonibus* Gangrenſibus XX. patet *damnaſſe* hunc Euſtathium, Nuptias legitimas, κρεωφαγίαν, Agapas, id genus alia in ſe media; *præcepiſſe* contrà divortia conjugum, ſic officia liberorum in parentes, ſervorum ergà dominos, ſpecie pietatis, violari permiſiſſe, &c. Adde Schiſma *Aërii* Presbyteri, in Ponto & Cappadociâ turbantis, antecedaneis quibuſdam rixis cum Euſtathio Sebaſtienſi Epiſc. tempore Valentiniani Senioris, & Damaſi Epiſc. Romani: Palmarium dogma Aërii fuit, *Epiſcopum* non differre à *Presbytero* τάξει, vel ἀξιώματι, *ordine*, aut *gradu* dignitatis, ut jus præſidendi, ordinandi, æquè Presbyteris conveniret, ut colligitur ex Epiphanio *Hær.* LXXV. *Aërianorum.* In quo turbabat ordinem receptum in univerſâ Eccleſiâ, nec quæſtio jam erat de ſtricto jure Apoſtolico, ſed de ordine jure Eccleſiaſtico ſancito, κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἔθη, quo etiam ſuprà Epiſcopos *Metropolitani.* Et conſuetudinem eam Eccleſiæ non impugnavit Hieronymus. Ut calumnioſè Petavius, ad eam Hæreſim, *haberi in Aërianis expreſſum hujus temporis Hæreticorum imaginem.* Impugnavit prætereà Aërius, con-

Digitized by Google

conſuetudinem receptam *orandi pro mortuis*, & *commemorationes* eorum faciendi, etiam *jejunia* ſtatis temporibus alligandi, quale jejunium ante-Paſchale fuit. De quib... nos ſuprà, ubi de Eccleſiæ Ritibus.

Donatiſtarum illud. VIII. Denique huc ſpectat Schiſma *Donatiſtarum*, auctore præcipuo *Donato* à Caſis Nigris, in Numidiâ Africæ Provinciâ Epiſcopo, Conſtantino M. Imperatore. De quo tamen tacent Græci in Oriente Scriptores, magno locorum & regionum intervallo ab Africâ diviſi, præterquàm quod quædam de *Donatiſtis* Theodoretus in Hæret. Fab. L. IV. C. VI. Nempè hic *Donatus* (plures autem fuere ejus nominis, & ſectæ) indignatus Epiſcopatum Carthaginenſem, quem ſpe devoraverat, in Cæcilianum collatum, ſeceſſit unà cum *Secundo* Numidiæ Primate, *Donato* Maſculitano, *Donato* qui Majorino ſucceſſit, *Marino*, *Victore*, *Purpurio*, &c. in Africâ Epiſcopis, quorum plurimi ſub Diocletiano *traditores* fuerant; impellente *Lucillâ* quâdam, factioſiſſimâ & pecunioſiſſimâ fœminâ, ex odio & æmulatione in *Cæcilianum*, ordinatum jam Carthaginenſem Epiſcopum, à quo illa Lucilla aliquando correpta fuerat. Hinc conveniunt factioſi magno numero, & eligunt *Majorinum* in Carthaginis Epiſcopum (non profectò *Donatum*, à quo appellari tum quidem noluerunt) domeſticum Lucillæ, & Lectorem antè Cæciliani. Obtentus fuit, crimen *Traditionis*, (de quo ſuprà C. II. *Num.* VI.) cujus & Cæcilianum, & ordinatorem ipſius Felicem Aptungitanum, poſtularunt, qui ipſimet magnam partem *Traditores* fuerant, ut ex Concilio Cirtenſi Auguſtinus contrà *Creſcon.* Donatiſt. L. III. & in *Epiſtolis* paſſim, & Optatus Milevit. *Lib.* I. Mox *Schiſma* totam Africam pervaſit, quum ageretur de Primate totius Africæ, his Cæciliano, aliis Majorino adhærentibus; quod Schiſma tandem roboratum, abiturum in Hæreſin fuit. Hiſtoriam pluribus refert Optatus Milevit. *Libris* VII. *de Schiſmate Donatiſtarum* adversùs Parmenianum Donati ſucceſſorem, & in variis contrà *Donatiſtas* Auguſtinus, ac Libro *de Hæreſ.* C. LXIX. Verumque illud Optati, hoc Schiſma mulieris (*Lucillæ*) *iracundiam peperiſſe*, aliorum *ambitionem nutriviſſe*, ac tandem *avaritiam roboraſſe*. Porrò *Donati* ejuſdem factionis in Africâ plures, *Donatus* à Caſâ Nigrâ, *Donatus* Maſculitanus, *Donatus* Sabratenſis, *Donatus* Cebreſatanus, *Donatus* Fiſcianenſis, &c. ex ſubſcriptionibus Conciliorum.

Hæreſeos prima *capita* fuere: *Eccleſiam conſtare ex ſolis perfectis*, quales ſuos cenſebant; *Nullibi in Orbe terrarum eſſe præterquam in Africâ*, *apud Donatiſtas*; *Rebaptizandos eſſe qui ad ſe tranſirent à Catholicis*, *&c.* Superba eorum effata Optatus & Auguſtinus memorant. Undè conformitas utriuſque Hæreſeôs patet, *Novatianæ* & *Donatiſticæ*. Quâ autem

Conſtantini facta in causâ Donat. ratione ad Conſtantinum M. Donatiſtæ appellarint, causâ ad eum delatâ, jam circà A. CCCXIII. Conſtantinus verò rem judicandam commiſerit primò *Miltiadi* Romano Epiſcopo, A. CCCXIII. cum *Judicibus* aliis ex Africâ ſubmiſſis, & cum *Collegis* ſuis Epiſcopis Italiæ, pluribus ex Optato *Lib.* I. Euſebio *Hiſt.* L. X. C. V. & Auguſtino paſſim diſcere eſt: Tum, non acquieſcentibus qui ſtabant à parte Majorini, demandavit cauſam cognoſcendam Synodo Arelatenſi I. in Galliâ, ubi tum agebat Imperator, A. CCCXIV. in quâ Synodo causâ rursùs ceciderunt Donatiſtæ: Dein diſcuſſâ eadem, per modum reviſionis, ab Heliano Africæ Proc. à quo rursùs abſolvuntur Cæcilianus, & Felix Aptungitanus, ab accuſatione *Traditionis*: Tandem *Mediolani* coràm Imperatore, cauſam diſceptare juſſi tergiverſantes Donatiſtæ, A. CCCXVI. utraque parte auditâ, ultimo hujus judicio damnati illi, & Cæcilianus innocens declaratus. Sed pertinacibus in accuſatione Schiſmaticis, ad poſtremum Edicta in eos emiſſa ſunt, & lex lata ab Imperatore, ut *cuncta congregationis loca*, *quibus iſti coirent*, *Fiſco addicerentur*, referente Auguſtino *Epiſt.* LXXXVIII. & CV. noviſſimæ Edit. aliàs *Epiſt.* LXVIII. & CLVI.

Ex iiſdem conſtat, Donatiſtas in dies magis con- Incrementum Schiſm. tumaces etiam vi agere cœpiſſe in Catholicos, *Baſilicâ* occupatâ in urbe Conſtantinâ, (anteà Cirtâ) tum alibi paſſim tumultuatos; dùm Conſtantinus cum *Licinio* inteſtino bello commiſſus eſſet, deinceps causâ *Arianâ* præcipuè ſolicitum Imperatorem, & Eccleſiam univerſam, habuiſſet. A quo tempore vires acquiſivit Donatiſticum Schiſma, præcipuè ſub Arianorum dominatu, ut etiam *Conſtantem* Imperatorem, compoſiturum has turbas Donatus his vocibus traduceret, *Quid eſt Imperatori cum Eccleſiâ* apud Optatum Milevit. *Lib.* III. Sub Juliano increvêre Donatiſtis animi, favente Schiſmaticis, & ab exilio revocante. Intereà natum inter hos divortium, in *Sectas* varias abituros, ut accidit; undè dicti alii *pars Majorini* vel *Majoriniſtæ*, alii *Maximinianiſtæ*, *Parmenianiſtæ*, *Primianiſtæ*, *Claudianiſtæ*, *Rogatiani*, &c. omnes Donatiſticæ factionis. Hinc colligit Hieronymus, non *Eccleſiam* eam *Chriſti*, ſed *Anti-Chriſti Synagogam fuiſſe*. Etiam *Montenſes* appellati, à monte ſeu loco conventiculis deſtinato, ex Auguſtino contrà Petilianum, *Lib.* II. & *Rupitani*, à rupibus in quas ſe receperunt. *Circumcelliones* etiam, circum cellas vagantes, genus hominum agreſte & ferox, qui nequidem ſibi invicem parcerent, *inſanâ feritate*, ut Auguſtinus de *Hæreſ.* C. LXIX. Sed plura huc congerere haud operæ pretium ducimus, poſt ea quæ de *Donatiſtis* ex profeſſo tradita ſunt, ab Henr. Valeſio, *Libro* de Schiſmate Donatiſtarum, ad calcem Annotat. in Euſebium; tùm de hac omni hiſtoriâ, factâ etiam collatione cum *Novatianis*, & cum *Pontificiis* hodiernis, à Joh. Forbeſio, in *Inſtruct. Theologicis*, *Lib.* XIV. à Thomâ Long Præbendario Exonienſi in *Hiſtoriâ Donatiſtarum*, editâ A. 1677. à Clariſſ. Leydeckero noſtro, Diſſertat. de *Donatiſtico Schiſmate*, &c. Plura de Donatiſtis ad ſequens Seculum.

X. *Concilia hoc Seculo illuſtriora, cùm Oecumenica, tùm Topica. Eademque Orthodoxa, Heterodoxa.*

Loca Conciliorum. I. CONciliorum feraciſſimum hoc Seculum fuit, uti Hæreſium & contentionum in Eccleſiâ: Quorum *Oecumenica* duo, Nicænum I. & Conſtantinopolitanum I. Reliqua in *Orbe utroque* celebrata, per omnes penè Rom. Imperii Nationes atque Provincias. Hiſtoriam & Acta exhibet *Tomus* I. & II. Conciliorum, *Edit.* noviſſimæ Labbeanæ, etiam Steph. Baluzii *Supplementum* poſteà editum. Quamvis comprobatum fuerit, veriſſimum eſſe illud Gregorii Nazianzeni *Epiſc.* LV. ad Procopium: *Nullum ſe Conciliorum exitum* χρηστὸν (*felicem*) *deprehendiſſe*, *& malum potius inde exaſperatum*, *quàm imminutum*, ſeu *habuiſſe* προσθήκην κακῶν, *potius quam* λύσιν. Et quidem ex pertinacibus *contentionibus & dominandi cupiditatibus*, quas verbis nullis explicare poſſet.

II. *Nicæna Synodi* undè mentionem nullam fecerit Euſebius, nec in Hiſtoriâ Eccleſ. nec in Græco Chronico, longa diſquiſitio eſt. Addita enim eſſe ab Hieronymo, quæ in Chronico Latino extant, Valeſius agnoſcit, & pluribus Mart. Hankius in Script. Byzantinis, *Part.* I. C. I. Alii favori in Arianos, quod minùs veriſimile; alii prudentiæ Hiſtorici, ob recens ulcus; alii denique tempori adſcribunt quo Hiſtoriam conſcripſerit: Nempè proximè antè Nicænam Synodum, & Vicennalia Conſtantini M. ut *Chronico*, ità mox *Hiſtoriæ* ultimam im- Nicæna Synodus. Silentium Euſebii undè?

Digitized by Google

impoſuiſſe manum, pace tùm Eccleſiis conceſsâ poſt mortem Licinii Senioris, circà A. cccxxiv. vel initio anni cccxxv. Ità quidem Mart. Hankius, modò laudatus, *Num.* ccxxxii. & *ſeq.* inductus præcipuè ſilentio Euſebiano de Nicænâ Synodo, & ex verbis Euſebii *Hiſt. Lib.* i. C. ii. quibus Chriſtum dicit (ex *Prov.* viii.) πρωτόκλιστον τοῦ Θεοῦ σοφίαν quod ſit contrà Nicænos. Sed fortiter impugnatur à Valeſio, Pagio, Blondello, Dallæo, qui Hiſtoriam ſcriptam ab Euſebio, vel A. cccxxvi. ut Pagius, vel etiam ſeriùs, A. cccxxx. ut reliqui.

Sed probabilior ſententia, quæ Hiſtoriam terminaſſe Euſebium in A. cccxxv. ſtatuit. Vel ex ultimis ejus Hiſtoriæ, in quibus *Criſpi* βασιλέως φιλανθρωποτάτου, καὶ κατὰ πάντα τοῦ πατρὸς ὁμοίου meminit, nondum certè à Conſtantino morti traditi, quod accidiſſe A. cccxxvi. ferè inter Doctos hodiè convenit. Præceſſit verò *Chronicon* ab Euſebio antè Hiſtoriam ſcriptum, ut ex *Lib.* i. *Hiſt.* C. ii. diſertis verbis conſtat, in quo Hieronymus ad A. cccxxvi. quando *Vicennalia* Conſtantini Nicomediæ celebrata ſunt, *hucuſque Hiſtoriam ſcribit Euſebius Pamphili.* Meminit tamen hujus Synodi Euſebius, in Libris *de Vitâ Conſt. M. Lib.* iii. C. vi. & *ſeq.* quos poſt mortem Conſtantini vulgavit. Porrò *Nicæna* Synodi ſtrictim memoranda hoc loco veniunt:

Locus, & Tempus. 1. *Locus* convocationis, ſcil. *Nicæa* metropolis *Bithyniæ*, diverſa à Nicæâ Thraciæ in quo poſteà Synodus ab Arianis indicta. Nec opportunior tùm locus ad Univerſalem Synodum videbatur, in medio quaſi poſita, vicina Nicomediæ & Byzantio, Ammiano *mater Urbium Bithyniæ*, Metropolis autem *honoraria* ſub Valente Imp. *Tempus* verò communi ſententiâ fuit annus Chriſti cccxxv. Conſtantini Imperat. xx. mox à Synodo *Vicennalia* celebraturi Paulino & Juliano Coſſ. Quâ de re in Chronologiâ S. diximus ex profeſſo, de *Ærâ Conc. Nic.* ubi de Anno & Menſe, *Parte* ii. *Cap. ult.*

Auctor. 2. *Auctor* convocationis ipſe Conſtantinus Imperator, miſſis quaquaverſùm ad Epiſcopos literis, quas *Tractorias* vocant, factâque equorum, jumentorum publicorum, commeatûs poteſtate, ex Euſebio de *Vitâ Conſt.* L. iii. C. vi. Dein ex Ruffino, Theodoreto, Socrate, Veteribus omnibus. Quod indubiè factum à Conſtantino eſt, Alexandri Epiſcopi Alex. *ſtudio & hortatu*, ut Epiphanius *Hær.* lxviii. vel etiam Hoſii Cordub. & Epiſcoporum aliorum ſuaſionibus, ſeu ut Ruffinus *ex Sacerdotum ſententiâ*. Interpoſitam verò *Sylveſtri* Papæ auctoritatem, ac conſenſum prævium, hariolantur de ſuo Baronius, Binius, Bellarminus, ac nuper Maimburgius Jeſuita: Sylveſtri autem, nulli hac in cauſâ veteres *quarti quintive* Seculi Scriptores meminerunt, ſed poſteà adjunctus Conſtantino eſt, in *Act.* xviii. Synodi Sextæ, & deinceps, ex moribus illius Ævi. *Cauſæ* quæ Conſtantinum ad indicendam hanc Synodum impulerunt, præ reliquis fuêre; Creſcens *Arii* hæreſis, & ex eâ contentiones, ut ſuprà viſum; hinc inveterata controverſia de die *Paſchali*, dividens adhuc Eccleſias; tandem *Meletii* in Ægypto tumultus, ac pernicioſum Schiſma, de quo infrà.

Membra Synodi. 3. *Membra* Concilii à pleriſque Veteribus, poſt Athanaſium, & Hieronymum in *Chron.* cccxviii. memorantur, hinc Synodus vulgò cccxviii. Patrum Græcis dicta. Ab Euſebio nonniſi ccl. πεντήκοντα καὶ διακόσιοι, Epiſcopi vel Patres dicuntur conveniſſe, de *Vitâ Conſtant.* L. iii. C. viii. niſi pro διακόσιοι legas τριακόσιοι, qui numerus à Gelaſio Cyziceno, & Socrate notatur. Euſtathius Antiochenus numerat cclxx. quamvis accuratè ſe non ſubduxiſſe calculos, ſimul innuat. In Catalogo Arabico Joſephi Ægyptii, qui ſcripſerit A. Hegiræ dccxc. id eſt, Chriſti mcccc. comparent modò ſubſcriptiones Epiſcoporum cccvii. præter Sacerdotes & Diaconos, qui Seldeno *Comment.* ad Eutychii Origines Alex. efficiant numer. cccxviii. *Patrum.* Ut adeò hic poſterior numerus laxiùs comprehendat non modò *Epiſcopos*, ſed & *Presbyteros*, *Diaconos*, qui Synodo interfuêre, & quorum etiam ſuffragiis locus fuit, pro veteri more. Abſurdiſſimè verò, *myſticè* repræſentatum hunc numerum volunt, in 318. *militibus* cum quibus Abraham de v. Regibus victoriam reportavit. Orientales, ex Eutychio Batricide, referunt Epiſcopos *bis mille quadraginta octo.* Convenêre autem ex toto Orbe Romano, & ultimis *Orientis* finibus, uti ex Provinciâ Perſidis; ſic *Occidentis* quoque, uti ex Provinciâ Hiſpaniarum, Galliarum, Pannoniæ, Gothiæ, Boſphori, præter legatos Sylveſtri qui Româ ad Concilium advenêre; ut ſubſcriptiones docent & Socrates L. i. C. viii. Nomina autem & ordo ſubſcribentium variat, apud Arabes, Græcos, Latinos, ut ex impreſſis Indicibus & diversâ lectione Codd. liquet, apud Seldenum, Beveregium, & in Tomis Conciliorum: V. gr. *Oſius* Cordubenſis Prov. Hiſpaniæ, qui primus ſubſcripſit, omnium ferè calculo, in Arabico Joſephi Ægyptii comparet xli. ordine; Vitus & Vincentius Presbyteri, qui poſt Oſium, hic ſunt ordine xxxix. & xl.

Nugæ de Patriarchis. Nugantur verò qui primos ſubſcripſiſſe volunt *quinque* majores *Patriarchas*, quales tùm adhuc ſtrictè loquendo nulli, ut præter Sylveſtrum *Rom.* Alexandrum *Alexandrinum*, Euſtathium *Antiochenum*, (malè Joſ. Ægyptius *Achitonium*) apparent Alexander *Conſtantinopolit.* qui tum adhuc ceſſit Heracleenſi, & Macarius *Hieroſolymorum* Patriarchæ. Similes nugas agunt Baronius, Bellarminus, Allatius, Maimburgius Jeſuita, *Lib.* i. Hiſtoriæ Arianiſmi, dùm *tres magnos Patriarchas* interfuiſſe Synodo refert, præter *Caput Eccleſiæ Sylveſtrum*, repræſentatum in Legato ſuo Hoſio: Ac ità locant ut locum *ſiniſtrum*, tanquam digniorem ſcilicet, (contrà Hebræorum aliorumque morem) occuparint *Oſius* ut legatus Sylveſtri, cum Vito & Vincentio, tum Alexandrinus Patriarcha, *dextrum* latus tenuerit primo loco, Antiochenus: Ut ità in tuto ſit dignitas *Petri* ſuprà *Paulum*, quum in Imaginibus utriuſque, abhinc annis circiter *octingentis* in Diplomatibus Pontificiis expreſſis, Paulus à dextris, Petrus à ſiniſtris collocetur. Quod Petrus de Marca, Mabillonus, & alii, ideò factum, quoniam reſpectu *intuentium* eas Imagines Petrus, qui à ſiniſtris, jam à dextris appareat.

Præſes. 4. *Præſes* Synodi, ſummus quidem & *Politicus*, fuit, ipſe Conſtantinus Imperat. in medio collocatus, in capite Aulæ totius; *Eccleſiaſticus* verò, ut plurimùm *Hoſius* Cordubenſis Epiſcopus, ſecundùm alios Euſtathius Antiochenus: Fruſtrà legationem Romanæ ſedis Hoſio commiſſam, fingentibus Baronio, Perronio, & nuper quoque Valeſio, in Notis *ad Socrat.* Maimburgio de *Verâ Eccleſ.* C. ix. Hinc Valeſius, *pro Sylveſtro Urbis Romæ Epiſcopo videtur ſubſcripſiſſe.* Tacent certè hunc *Vicariatum*, quem pro Romano Epiſcopo Hoſius geſſerit, omnes Veteres, quicquid lacunam fingant in textu Euſebii, L. iii. C. vii. de *Vitâ Conſt.* ex Gelaſio Cyziceno, & Photio *Cod.* lxxxviii. Et nuper explodit in Gallis Elias Du-Pinus, Bibl. Novæ *Tomo* ii. & antè Joh. Launojus *Epiſt.* ad Raymundum Formentinum; qui nomine Sylveſtri *adfuiſſe* ſanè Vitum & Vincentium Presbyteros, quod omnes referant; non verò *præfuiſſe*, quod nullis Veterum in mentem venit, aut etiam præfuiſſe Hoſium *vice* & *nomine* Romani. Si verò cauſa alia quæratur hujus conceſſi *Hoſio* præſidii, præ tot Orientalibus Epiſcopis, in promptu reſponſio eſt: Datum hoc auctoritati ejus Viri, doctrinæ, ætati, favori apud Conſtantinum, ac ſuſceptæ jam anteà

teà

Digitized by Google

teà legationi, ac cognitioni cauſæ inter Alexandrum & Arium, ut relatum ſuprà eſt. Tenuit ergò locum quem aliàs delaturi fuiſſent Sylveſtro, ſi præſens adfuiſſet.

Acta præcipua. Decret. de Fide.

5. *Acta* præcipua hujus Synodi, fuêre: Damnatio *Arianæ* hæreſeôs, & anathema illi dictum, ſancitis vocibus, Filium eſſe non tantùm ἐκ Πατρὸς, vel ἐξ ὀυσίας τοῦ Πατρὸς, vel ὅμοιον τῷ Πατρὶ, ſed etiam ὁμοούσιον *conſubſtantialem* Patri, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, *genitum non factum*, Θεὸν ἀληθινὸν *verum Deum*, συναΐδιον *coæternum*, &c. Quæ ſolæ διακριτικαὶ videbantur ſententiæ Orthodoxæ ab Arianâ, ſtatuente Filium *creatum*, *factum* ex non entibus, adeoque ἑτερούσιον. Quod luculenter oſtendit Athanaſius, in *Epiſt.* de Nicænæ Synodi Decretis, & aliâ *Epiſt.* ad Africanos, ubi neceſſitatem vocis ὁμοουσίου, & ſenſum, multis demonſtrat, ne Hilarium, Libro de *Synodis*, & cæteros dicam. Undè *Symbolo* in hanc rem cuſo fidem Orthodoxam ſancivêre, quod Nicænum dicitur, apud Socratem *Lib.* I. C. IV. Theodoretum *Lib.* I. C. VIII. Gelaſium Cyzicenum in *Hiſt.* Nicænæ Syn. & alios. Subſcripſerunt plerique *Ariani*, & poſt multam tergiverſationem V. Epiſcoporum, qui τὸ ὁμοούσιον repudiabant, hinc in exilium à Conſtantino M. ire juſſi, & gradu Epiſcopali moti, (nempè *Euſebius* Nicomed. *Theognis* Nicææ, *Maris* Chalcedonis, *Theon* Marmaricæ, *Secundus* Ptolemaidis) tandem ſimularunt conſenſum priores, & oblato in hunc finem Libello, ab exilio revocati, & ſedibus ſuis reſtituti ſunt *Euſebius* Nicomed. & *Theognis* Nicææ Epiſcopi, ut auctor eſt Socrates, *Lib.* I. C. V. Quidam addunt *Arium* ipſum, ſupplicem cum aliis factum, in verba Synodi, profeſſione externâ tenùs, conceſſiſſe: Sed aliud indicant *Epiſtola* Synodica Nicænorum Patrum, Athanaſius *Apol.* II. & ſuccedens *Arii* hiſtoria, extrà Eccleſiæ communionem conſtituti, donec ab Euſebianis in eam reſtitueretur, circà A. CCCXXXV. Quod verò Hieronymus, Dial. contrà Luciferianos, *Arium Presbyterum* recenſet inter eos qui *in Synodo Nicænâ recepti ſunt*, putatur confudiſſe Arium Hæreſiarcham, cum *Ario* altero Presbytero, ejuſdem Hæreſeôs ſectatore, ex Epiphanio *Hær.* LXIX. & Socrate *Lib.* I. C. III.

De Paſchate.

Et hæc quidem *Arianæ* Hæreſeôs damnatio, præcipua fuit earum cauſarum quæ in Synodo actæ ſunt. Sed & quædam alia in eâdem ſalutariter decreta ſunt. Hujuſmodi fuit controverſiæ *Paſchalis* compoſitio, & decretum Synodi adversùs praxim Aſianorum. Undè Orientales deinceps cum Romanis Paſcha peragere, ex *Epiſt.* Synodicâ Patrum, apud Socratem, *Lib.* I. Non tamen in Synodo ipsâ, ſed mox poſt Synodum, *Cyclus Paſchalis* Decemnovennalis contextus eſt, operâ Alexandrinorum, indicandis toto Cyclo Noviluniis & Pleniluniis; De quo fusè diximus in *Chronolog. S. Parte* I. *Cap.* XV.

De Catharis.

Tùm compoſitio Schiſmatis *Novatiani*, de quo ad ſuperius Seculum: Memorabilibus & Conſtantini vocibus ad Aceſium Novatianum, lapſis pœnitentibus veniam negantem: *Erigito tibi ſcalam, Aceſi, & in cœlum ſolus aſcendito*, apud Socratem *Lib.* I. C. VII. &c. Porrò *Can.* VIII. vocantur *Cathari* per ironiam, *puri* ſcilicet ex opinione ſuâ; qui ſi reverterentur ad Eccleſiam *Clerici* quidem gradum in Clero ſuum retinerent, *Epiſcopi* autem, ſicubi aliàs Catholicus Epiſcopus fuit, non amitterent quidem Epiſcopatum, ſed tamen caveretur ne in unâ & eadem Civitate *duo Epiſcopi eſſe viderentur.* Undè poſtmodùm Auguſtinus, ordinatus Epiſcopus Hipponenſis, ſuperſtite Valerio ejus Eccleſiæ Epiſcopo, excuſat ſe, quod *hoc Concilio Nicæno prohibitum neſciviſſet, nec ipſe Valerius ſciebat.*

De Meletio.

Cenſura in *Meletium* vel *Melitium* Lycopolis in Thebaide Ægypti Epiſcopum lata, qui invaſerat in jura Alexandrini, & complures Epiſcopos ſuæ factionis, invito Metropolitano, in Thebaide & & Ægypto ordinarat. Meletianum Schiſma deſcribit Athanaſius *Apol.* II. Theodoretus, *Hiſt.* L. I. C. IX. & Socrates *Lib.* I. *C.* III. qui ait, *Meletium regnante Diocletiano, tempore perſecutionis fidem inficiatum Idolis immolaviſſe; hinc munere Epiſcopatus à Petro Alexandr. Epiſcopo abdicatum; hinc ſe ducem Hæreſ. Meletianæ præbuiſſe.* Nempè deſiit tandem in hæreſim, poſt Nicænam Synodum, Meletianis cum Arianis coaleſcentibus, undè factum ut Meletium αἱρεσιάρχην dixerit Socrates *Lib.* I. *C.* IX. Qui tamen ipſe hæreſim nullam condidit, ſed ſchiſma fecit, permittentibus illi Nicænis *Epiſcopi* nomen, ſine poteſtate deinceps ordinandi, ex dictis Scriptoribus. Ordinaſſent enim promiſcuè *Arianos*.

Poteſtas Metropolitanis aſſerta.

Decretum Concilii de Sedibus *Metropolitanis*, quibus eſſet ſuprema & æqualis poteſtas in Provincias ſibi obnoxias, ut Romano in *Suburbicarias* Regiones vel Eccleſias, ſicut reddit Ruffinus, quæ ſcilicet ſub Urbe matrice, aut quæ Urbi vicinæ, intrà juriſdictionem *Præfecti* Urbici; Qualiter Provinciæ IV. ſuberant *Præfecto* Urbis Romæ, Latium, Thuſcia, Picenum ſuburbic. & Valeria: *Vicario* autem Urbis ſuberant Prov. X. comprehenſis Siciliâ, Sardiniâ, Corſicâ; de quo in *Geographiâ* S. Et inter eas Sedes nominatim recenſetur *Alexandrina*, in cujus jura involaverat Meletii tyrannis; planè gubernanda ad exemplum *Romanæ*, quam pro *ſingulari* & *particulari* (ut Alexandrinam, Antiochenam) non autem pro univerſali vel Catholicâ Eccleſiâ, ut fit hodiè, habuerunt. Sic & *Antiochena*, & *Cæſarienſis* Palæſtinæ, honore tantum Metropolitani adſcripto *Hieroſolymitanæ* ſedis Epiſcopo: Occurrunt iſta Canone VI. & VII. De quibus miſerè vexatis, *ſexto* maximè, extat fuſa noſtra Diſſertatio adversùs Leonem Allatium, H. Valeſium, P. de Marca, reliquos. Eam conſulat Lector, ſi modò lubet. *Verſiones* omnes Canonis VI. contulit nuper Beveregius in *Notis*, ad hanc Synodum vulgatis. Saniùs de illo ſentiunt, Joh. Launoius, & Edm. Richerius, Doctores Pariſini, quorum hic breviter, *Hiſt. Concil.* P. I. C. II. *Senſus ergò eſt, quo Jure Epiſcopus Romanus Eccleſias ſibi ſubjectas gubernabat, eodem & Alexandrinum Eccleſiis ſibi ſubjectis moderari, & ſimiliter Antiochenum. Hic enim Patres Nicæni quaſi ex noto ignotum, & ex minime controverſo controverſum inferunt. Cum enim Meletius ſibi tyrannidem contra Primatem Alexandrinum vindicaret, atque ordinationes per totam Thebaidem & Ægyptum faceret contra conſuetudinem, Patres Nicæni iſtam uſurpationem definiunt & circumſcribunt tum ex conſuetudine antiqua, tum ex more uſitato Romanæ Eccleſiæ, cui nemo litem movebat de ſuo jure: Hicque regula generalis omnibus Metropolitanis ponitur; quando decernitur, ut cunctis Eccleſiis Metropolitanis ſua dignitas & auctoritas ſervetur, juxta conſuetudinem quæ Canoni æquipollet. Et hinc claret quonam ſenſu dictum ſit à Nicolao primo, Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem*, Synodum Nicænam nullum Eccleſiæ Romanæ dediſſe incrementum, ſed potius ex ejus forma ſumpſiſſe, quod particulariter tribueret Alexandrinæ.

Tranſlat. Epiſcopor. cur rejecta.

Sic *Tranſlatio* Epiſcoporum ab unâ ſede in aliam *Canone* XV. prohibita fuit, deinde Canonibus Antiochenis, Sardicenſibus, quam confert Athanaſius cum *adulterio*, ſi quis alligatus uni uxori, *aliam quærat.* Hinc Euſebius Cæſareâ Antiochiam evocatus, ire renuit, probante Conſtantino, Euſ. *de Vitâ Conſt.* L. III. C. LVII. & *ſeq.* Sed deinceps Romana Eccleſia, ſenſim dilatans ſuæ poteſtatis pomœria, *Tranſlationes* Epiſcoporum ſibi jure quodam reſervavit; exemplo jam apud Socratem *Hiſt.* L. VII. C. XL. in Proclo Cyzici Epiſcopo ad Conſtantinopolitanam

ſedem tranſlato, probante Cæleſtino Rom. Epiſcopo, invitis Epiſcopis Orientis.

De *Cœlibatu Clericorum* nata diſceptatio; faciente Paphnutio, Thebaidis ſuperioris Epiſcopo, cœlibe & ipſo, ne *lege* ſanciretur. Quâ de re dictum ſuprà eſt, ex Socrate & Sozomeno, *Cap.* VIII.

Canones XX. 6. *Canones* conditi in Synodo, juxtà Codicem antiquiſſimum Eccleſiæ Univerſæ verſum à Dionyſio Exiguo, juxtà Concil. Carthaginenſe VI. A. CCCCXIX. Theodoretum *Lib.* I. *Hiſt.* C. VIII. Gelaſium Cyzicenum *Lib.* II. C. XXXI. Veteres omnes, numero XX. juxtà Ruffinum XXII. In his conſtitutiones variæ circà *Ordinem* & *Diſciplinam* Eccleſiæ, circà *Eunuchos*, *Neophytos*, *Epiſcopos*, *Clericos*, *Diaconos*, *Catechumenos*, *Lapſos* in perſecutione, &c. De quibus locis ſuis, ubi de Diſciplinâ & de Regimine Eccleſiæ Seculo IV. monitum fuit; ac de his pluribus, poſt Zonaram, Balſamonem, qui Canones Nicænos illuſtrarunt, in noſtris Juſtellus, & Cl. Beveregius. Canôn verò XII. non *militiæ cingulum* ſimpliciter damnavit, ſed conjunctum cum thurificatione & apoſtaſiâ; quomodo *militiæ cingulum nonniſi immolantibus dari*, præcepit Julianus, apud Ruffinum, *Hiſt.* L. I. C. XXXII.

Porrò exploſi cordatioribus etiam Latinorum Canones Nicæni *Arabici* LXXX. ſuperiori Seculo ab Alph. Piſano & Turriano Latinè editi, vel etiam LXXXIV. ex novâ Verſione Ecchellenſis, qui ætatem & fraudem ſatis produnt; quamvis hodiè recepti toto Oriente à Melchitis, Jacobitis, Neſtorianis, Cophtis, Abeſſinis, Armenis, Maronitis, &c. Hinc nova Editio Concilior. Romæ editorum, illas tanquam nullius fidei prætermiſit. Et quam adjecit Hiſtoriam Concilii Nicæni Alphonſus Piſanus, *Libris* IV. comprehenſam, deſcribit ea (ſic Edm. Richerius Sorbonicus T. I. Hiſtoriæ Concil. p. 80.) *non quale fuerit Concilium Nicænum, ſed quale ad ſenſum & palatum Jeſuitarum eſſe debuerit.* Addit, laudari hunc Numerum Canonum ab Ant. Poſſevino in *Apparatu*, *quem eo propoſito ſcriptum facilè ſit conjicere, ut ii duntaxat Libri in pretio eſſent, qui omnium maximè probarentur Jeſuitis.* Æquè ac ſuppoſititia eſt *Synodica Epiſtola* ad Sylveſtrum Papam, in qua petunt confirmationem actorum in Synodo; quemadmodùm & reſponſoria quæ affingitur Sylveſtro; barbariſmis utraque, parachroniſmis, argumento ipſo, ſuppoſitionem evidenter probans. Nec diffitentur hodie cordatiores doctioreſque Latinorum, qui fœdam Piſani, Turriani, Baronii, Bzovii, Allatii, ſimilium, ſervitutem neſciunt.

Duratio Conc. 7. *Duratio* hujus Synodi, non ità certa, definientibus aliis *ſexennio* à XVI. Conſtantini, ad ejuſdem XXI. & ultrà, ut Photius ex Gelaſio Cyziceno, *Cod.* LXXXVIII. Sed cujus auctoritas in multis vacillat, & cum Athanaſio, Socrate, Theodoreto, & aliis committitur. Quidam circiter *triennium* Concilio huic attribuunt, probante Scaligero, nempè confundentes quæ poſt acta ſunt, auctoritate Synodi, in cauſâ Paſchali: Veriùs cenſent vix duraſſe ultrà *bimeſtre* ſpatium, à XIII. *Kal. Jul.* ad VIII. *Kal. Sept.* ex Creſconii Collectione Canonum. Error eſt apud Sozomenum L. I. C. XVI. Synodum coactam eſſe quum *Julius* Romæ præſideret, qui XI. annis ſolidis poſt Nicænam Synodum Romæ ſederit; undè Perronius & alii, pro Ἰέλι⊙ ὁ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπ⊙, legendum exiſtimant πόλι⊙ Ῥωμαίων, &c.

Confirmatio. Non petitam fuiſſe à Sylv. Papâ. 8. *Confirmatio* ejuſdem facta per *Conſtantinum*, in Actis Gelaſii Cyzic. & apud Socratem *Lib.* I. C. IX. facta etiam per *Synodos* ſequentes, Univerſales & Particulares: Gratis ſupponente cum ſuis Baronio, petitam confirmationem à Sylveſtro Papâ, ut ſummo Capite, quod & ſecurus reponit Maimburgius Jeſuita, *Hiſt. Arianiſmi*, *Lib.* I. Undè diximus ſuppoſititiam Synodi Nicænæ *Epiſt.* ad Sylveſtrum, Latinam illam, ad calcem Concilii Nicæni *Ed. Romanæ*: *Beatiſſimo Papæ Urbis Romæ, cum omni reverentiâ colendo Sylveſtro, Hoſius Epiſcopus*, &c. Quam claudunt. *Quicquid conſtituimus in Conc. Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur.* Ità fabuloſa eſt Sylveſtri reſponſio *Tomo* I. Concilior. omnibus Doctis exploſa ut ſuprà: Et Concilium *Romanum* III. ſub Sylveſtro, A. CCCXXV. *præſente* ſcil. *Conſtantino Auguſto*, ex CCLXXV. Epiſcopis, confirmandæ illi Synodo, ejuſdem omninò farinæ eſt; quum illo tempore Conſtantinus in *Oriente* conſtanter egerit, mox à Synodo Nicænâ Byzantium profectus. Ac tacent Acta genuina, & Hiſtorici veteres, & produnt illa quæ Sylveſtro affinguntur, Concilior. T. II. *col.* 410. & tanquàm genuina profert etiam Maimburgius Jeſuita *Hiſt. Arian.* L. I. A. 325. *Quicquid in Nicæâ Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur S. matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, à Sanctis Sacerdotibus* CCCXXVIII. *noſtro ore conformiter confirmamus.* Imo confictas has Epiſtolas docent, quæ *Patres Synodi* mox Synodali ſua ad Alexandrinam Eccleſiam ſcripſêre, apud Socratem *Lib.* I. C. V. Theodoretum *Lib.* I. C. IX. Ex quâ colligit Richerius Doctor Sorbonicus, *Hiſt. Concil.* P. I. C. II. N. VII. inſtitutâ Epiſtolæ ejus analyſi, ſequentia: *Primùm conſtat Patres æmulatione Apoſtolorum Actor.* 15. *hanc ſcripſiſſe Epiſtolam, ſiquidem ut Apoſtoli viros ſelectos cum Epiſtola Synodali, pro ineunda pace & concordia inter Judæos & Gentes, miſerunt Antiochiam, ac B. Pauli & Barnabæ doctrinam velut orthodoxam prædicant: Ita Patres Nicæni Patriarchæ Alexandrini virtutem atque doctrinam hac Epiſtola Synodali laudant, & præſtant. Secundò, ſignificant Synodum mandato ſeu edicto Conſtantini congregatam, atque illo præſente omnia exquiſite & Canonice diſceptata, perquiſita, & decreta fuiſſe. Tertiò, communibus Patrum ſuffragiis non unius abſoluti Monarchæ Imperio, hæreſim Arrii damnatam, eique dictum anathema, declarant. Quartò, tranſeunt ad factum Meletii Epiſcopi Lycopolitani (civitas eſt Ægypti) de quo ſic Socrates lib. primo capite tertio, ſub finem Epiſtolæ Alexandri Epiſcopi Alexandriæ ad omnes Epiſcopos*; Commiſcebantur Arrianis Meletiani, qui non multo ante fuerant ab Eccleſia ſegregati: Meletius regnante Diocletiano cum tempore perſequutionis fidem inficiatus idolis immolaviſſet, munere Epiſcopatûs à Petro Alexandriæ Epiſcopo qui mortem obiit martyrio, abdicatus eſt: Ac ſe ducem Hæreſis Meletianæ præbuit, fuitque Meletius cum ſuis Arrio ſubſidio, cumque illo unà contra Epiſcopum Alexandrinum conſpiravit & tyrannidem exercuit, *ut ait Theodoretus lib. primo cap. nono hiſtoriæ: Nam Meletius ſibi Epiſcoporum Thebaidis atque Ægypti ordinandorum facultatem, contra conſuetudinem & Canones, arrogabat, quam ob cauſam hîc cogitur in ordinem à Patribus Nicænis. Unde facile eſt colligere, hanc Meletii tyrannidem occaſionem præbuiſſe Nicæno Concilio condendi Canonem quartum & ſextum, ne videlicet* abſque Metropolitani auctoritate Epiſcopi uſpiam crearentur: *Sic enim voluerunt dare operam ne Epiſcopi Arriani ordinarentur: Antea autem uſus alius vigebat, neque confirmatio Metropolitani in Epiſcoporum electione erat neceſſaria. Ad hæc vero qui cogitate attenderit, jure mirabitur Epiphanium hæreſi Sexageſima octava, multa potuiſſe in laudes Meletii ſcribere. Quintò notandum contra Vallium tertia parte libri de ſuprema poteſtate Papæ quæſt. ſexta circa medium, ubi Canonem quartum Nicænum explicat: Patres Nicænos non abſtuliſſe populo jus eligendorum Epiſcoporum, ſed tantum præcepiſſe electionem populi & Cleri à Metropolitano confirmari, & ab Epiſcopis Provinciæ fieri oportere. Nam dehinc ſemper populus in ſua poſſeſſione eligendi Paſtores continuavit, idque hac Synodali Epiſtola clare oſtenditur, ubi nominatim habetur*, Epiſcopum Alexandriæ debere populi electionem confir-

firmare. *Sextò obſervabit lector, Meletium ita damnari, ut quamquam retineret dignitatem Epiſcopalem, tamen ejus exercitio interdiceretur : Adeo ut nec ſacerdotes conſecrare, nec aliud munus Epiſcopale obire poſſet. Præterea quos ipſe ordinarat non admittebantur ad res Ecclesiaſticas capeſſendas, priuſquam ſanctiori ordinatione atque manuum impoſitione conſecrarentur. Septimò, Alexandrinam Eccleſiam Apoſtolicam vocari à Patribus Nicænis. Octavò valde notabile eſt Epiſcopum Alexandrinum dici non modo præfuiſſe, verum etiam communicaſſe actis Synodalibus : Quæ duo apprime notanda videntur, quia poteſt accidere quempiam praeeſſe alicui Conventui, qui tamen conſenſum minime iis præbebit quæ communibus ſuffragiis decernuntur : Ut ſi verbi cauſa Senatus conſultum fieret in Parlamento contra ſententiam Præſidis, quod poteſt contingere.*

Exitus. 9. *Exitum* denique Synodi quod attinet, fuit hic primò lætus, pulſo in exilium *Ario*, cum aſſeclis ſubſcribere detrectantibus, & pace in ſpeciem Eccleſiis datâ : Poſteà verò luctuoſus idem, doloſâ quorundam ſubſcriptione, artibus Euſebii Nicomed. & Theogonii, ut ſuprà ; dein Arii ſimulatâ palinodiâ, & Libello ſatisfactionis; Conſtantini nimiâ credulitate ; Athanaſii ſecuto exilio ; Conſtantiæ ſororis Auguſti ſeductione, dein illâ Conſtantii Imperatoris ; noviſque & fallacibus Arianorum *Formulis*, cuſis in Orientalium Pſeudo-Synodis, Ariminenſi, Sirmienſi, Pſeudo-Sardicenſi, &c. Negat Arii exilium Baronius, ad A. CCCXXV. N. LXXX. LXXXI. nixus auctoritate Hieronymi, qui meminit *Arii Presbyteri* tandem in Nicænâ Synodo ſuſcepti, Dialogo contrà *Lucifer.* Sed neceſſe eſt memoriâ lapſum Hieronymum, & repugnat Epiſt. Synodica Nicæna, apud Socratem L. I. C. IX. in quâ Patres, *ſe* Arii *omnia anathematizaſſe, & opinionis hujus impietatem atque amentiam, ac verba blaſphemiæ plena, impatienter audiviſſe*; & *Arium* cum *Theonâ* & *Secundo* ſociis, *dignam ſceleris mercedem recepiſſe.* Conſentit Doctiſſ. Valeſius, Notis ad Sozomenum, *Libr.* II. C. XVI. Ruffinus quidem *Hiſt. Lib.* I. C. XI. refert verba Conſtantini ad Synodum Hieroſolymitanam, *tantum fuiſſe moderationem Concilii, ut non in perſonam Arii, ſed in dogmatum pravitatem, fuerit lata ſententia.* Sed confundere Ruffinum *Arium* illum, qui à Synodo Hieroſolym. receptus eſt, cum Ario Hæreſiarchâ, idem Valeſius *Notis* in Sozom. L. II. C. XXX. Duos enim Arios rectè diſtinxit, ejuſdem & nominis & factionis, *alterum* Hæreſiarchæ ſuperſtitem, qui à Synodo *Hieroſolymitanâ* ſuſceptus eſt in communionem. Hæreſiarcha verò, antequam in Eccleſiam Conſtantinopolitanam introduceretur, poſt deceptum doloſâ confeſſione Imperatorem artibus Euſebianorum, in viâ publicâ *medius crepuit*, interaneis effuſis, A. CCCXXXVI. ſi fides Ruffino, Socrati, Sozomeno, Theodoreto, imprimis Athanaſio : Hic enim in *Epiſt.* ad Serapionem, *Tomo* I. confirmat Arium fuiſſe eo modo & vitâ & communione privatum, paremque cum *Judâ* proditore exitum fuiſſe ſortitum.

Synodi Oecumenicæ II. Historia. II. Alterum Oecumenicum fuit *Conſtantinopolitanum* I. Cujus obſervantur : 1. *Tempus*, quod incidit in annum Æræ Chriſtianæ CCCLXXXI. Eucherio & Euagrio Coſſ. Theodoſii Imper. III. Damaſo Epiſcopo Romano, Timotheo Alexandrino, Gregorio autem Nazianzeno deſignato plurium votis ad Epiſcopatum *Conſtantinopol.* quem per annos circiter XL. occuparant Ariani. Sed ceſſurus locum fuit, pacis ergò, Nectario in ejus locum ſuffecto. Undè plures hujus Concilii ſeſſiones vel periodi fuerunt ; quæ ſic ab aliis diſtinguuntur, ut pro Synodo Conſtantinopolit. *primâ*, quæ A. CCCLXXXI. ſecundâ, quæ A. CCCLXXXII. tertiâ, quæ A. CCCLXXXIII. habeantur. In primâ Meletius Antioch. Gregorium Nazianzenum in Epiſcopatu confirmavit, quâ occaſione privilegia ejus Sedis exponuntur. In ſecundâ, ultrò ſe abdicavit Nazianzenus, cui Orientales Epiſcopi & Timotheus Alex. minùs favebant; factâ poſt Nazianzeni ſeceſſum electione Nectarii. In tertiâ, præſide jam Nectario, lectæ Occidentalium literæ, quibus conqueſti de electione Flaviani, & Nectarii, ac Concilium Generale Romæ haberi poſtulant. Ad quas reſponſum à Conſtantinopolitanis, ut infrà.

2. *Auctor* convocationis traditur conſtanter Theodoſius M. uti diſertè referunt Socrates, *Hiſt.* L. V. C. VIII. dein Sozomenus, Theodoretus, Hiſtorici omnes, & *Epiſt.* nuncupatoria Patrum ad Theodoſium Concil. T. II. Quicquid Baronius, cum ſuis, ex *Actis* VI. Synodi, pro Damaſo opinetur, & ex eo nuper Maimburgius, *Hiſt. Arianæ Lib.* VI. fingentes præviâ Damaſi auctoritate Synodum convocatam, & hoc *ex antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis colligi* poſſe, ſcil. qualia deinceps Romæ mentiti, pro more. At falſi arguit ipſe Valeſius, Notis ad *Lib.* V. Theodoreti, qui & congregaſſe Theodoſium, & ex ſolo quidem *Oriente*, contendentibus Italiæ Epiſcopis Synodum Romæ congregari, pluribus monet. Hinc *inconſulto Damaſo* convocatam eſſe hanc Synodum fatentur doctiores Pontificiorum : Sed nollent dici *Generalem* vel *Univerſalem*, qualiter dicitur in Epiſt. Synodicâ Patrum ; vel adfuiſſe in eâ Epiſcopos *Occidentis*, quamvis adfuerit *Aſcholius* Theſſalonicenſis, qui tum Illyrici totius primatum tenuit, ex Socrate *Hiſt.* L. V. C. VIII. tùm in Hiſpanis *Agrius.*

3. *Cauſæ* habiti Concilii, duæ potiſſimùm, iiſdem teſtibus : Prima, Hæreſis *Macedonii*, negantis divinitatem Spiritûs S. de quâ ad ſuperius Caput; Altera, *Gregorii Nazianzeni* cauſa, deſignati jam antè à Theodoſio, & ab Orthodoxis expetiti, ad Epiſcopatum Conſtantinopolit. Ubi jam per *triennium* & ampliùs egerat, ipſomet teſte in *Carmine* de Vitâ ſuâ, ab Anno CCCLXXVI. gerens curam illius Eccleſiæ, & cauſæ Orthodoxæ, ſine aſſumpto tamen titulo & throno Epiſcopali, uſque dùm à Meletio Antiocheno in Synodo Conſtantinop. confirmaretur. Sed paucis ſeptimanis interjectis ſeceſſum optavit pius Gregorius, A. CCCLXXXI. multa paſſus à furore Arianorum, dein factione Maximi cujuſdam Cynici, quem Petrus Alexandrinus Epiſcopum Conſtantinopolit. ordinaverat ; ceſſurus tandem Ægyptiorum moliminibus, & illis Timothei Alexandrini, qui Petro ſucceſſerat. Motus hi exarsêre ſub initium Synodi ; quæ poſteà *Nectarium* ordinavit, *Maximum* Cynicum, & quotquot ab eo ordinati eſſent, depoſuit & exauctoravit, *Canone* IV.

4. *Numerus* coactorum Epiſcoporum, quales fuêre CL. conſtanti traditione Socratis, Sozomeni, Greg. Nazianzeni, & Chalcedonenſium. Nullo in iis Epiſcopo *Romano*, nec per ſe nec per Legatos, undè nec *Univerſale* fuiſſe magnoperè vellent. **Synodus hæc an Oecumenica?** Quanquàm & οἰκουμενικὴν ſe vocet Synodus in *Epiſt.* Synodicâ ad Epiſcopos Italiæ, & ipſe quoque ita vocarit Damaſus, ac talis conſtanter habita ; & ex Occidentis partibus illi quoque interfuerit *Aſcholius* Theſſalonicenſis, apud Socratem *Lib.* V. *C.* VIII. & in ſubſcriptionibus *Agrius*, ex Provinciâ Hiſpaniæ. Eminuerunt inter Epiſcopos Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Helladius Cæſarienſis, Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ, Cyrillus Hieroſolymitanus, Pelagius Laodicenus, Diodotus Tarſenſis, Optimus Antiochiæ Piſidiæ, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius Iconienſis, Aſcholius Theſſalonicenſis, &c. ac præ cæteris quoque Gregorius Nazianzenus, ad *Conſtantinopolitanam* paulo antè Eccleſiam evocatus, ab Arianiſmo repurgandam, faciente inprimis Meletio Antiocheno, favente Theodoſio ab A. CCCLXXX. Sed & Ma-

cedonianæ Hæreſeôs Antiſtites, numero XXXVI. à Theodoſio evocati, plerique ex Civitatibus Helleſponti, principibus *Eleuſio* Cyziceno & *Martiano* Lampſaci Epiſcopis. Pluribus iſta memorati Hiſtorici.

5. *Præſides* Synodi, ſeu qui inſtar Præſidum primi ſubſcripſerunt, habiti ſunt: *Meletius* Antiochenus, antè confirmationem *Gregorii* Nazianz. in Epiſcopum Conſtantin. mortuus durante Synodo, cujus in locum Antiochiæ ſuffectus ab Epiſcopis Orientis Flavianus: Tum abdicante Gregorio, *Nectarius* Conſtantinopolit. dein *Timotheus* Alexandr. Petri Succeſſor, qui primi in ſubſcriptione. Nectarius vero communi conſenſione ac concordibus animis Imperatoris, Cleri, populique, poſt turbas ab Ægyptiis motas in favorem Maximi, & voluntariam abdicationem Gregorii Nazianzeni, electus à Synodo fuerat in Epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, ut fatentur Editores Concilior. ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto. Quia vero *Damaſus* cum ſuis in nonnullis reclamavit, ut electioni *Flaviani* Antiocheni, in locum Meletii, quum Paulinum Occidentales vellent; tum illi *Nectarii* Conſtantinopolit. in præjudicium *Maximi* ab Alexandrino Patr. ordinati, ut patet ex literis Epiſcopor. Italiæ ad Theodoſium Imp. *Concil.* T. II. *col.* 1007. indè in hunc Nectarium minùs æqui ſunt. Ac Maimburgius nuper, *Hiſt. Arianiſmi*, L. VI. nullas *Spiritûs S.* fuiſſe partes in iis quæ poſt definitam fidem, contrà Arium & Macedonium, in Synodo geſta, & Nectarium *omnium ineptiſſimum fuiſſe* ad ſuſtinendam eam dignitatem. Hæc ſcilicet fide Hiſtorici?

Canones VII. & Decreta.

6. *Acta* præcipua in hoc Concilio quod attinet, fuêre ſequentia: Nempè, poſt rejectionem Maximi, dein abdicationem Gregorii, & ſuffectionem Nectarii, confirmata fuit *Canone* I. fides *Nicæna*, & damnatæ Hæreſes Eunomianorum, Anomæorum, Arianorum, Semi-Arianorum, in ſpecie πνευματομάχων, quos *Semi-Arianis* Patres accenſent, ut qui tùm coaluiſſent: Tùm & Hæreſes Sabellianorum, Marcellianorum, Apollinariſtarum. *Canone* II. aſſignati limites ſingulis *Diœceſibus*, Alexandrinæ, Aſianæ, Thracicæ, Ponticæ, & confirmata ſingulis Privilegia. Ità tamen ut extrà Provinciam ſuam, vel Diœceſim, (quod factum antè fuerat) nemini deinceps liceret ordinationes facere, aut negotiis ſeſe alterius Diœceſis immiſcere; quemadmodùm Eccleſias in *barbaricis* Gentibus conſtitutas (in quibus nec Diœceſes, nec Provinciæ) antiquo more gubernari decernunt. *Patriarchas* tùm *conſtitutos* habet Socrates *Lib.* V. *C.* VIII. id eſt, ἐξάρχους Διοικήσεων, vel ὑπὲρ Διοίκησιν Ἐπισκόπους, qui medii quodammodò inter *Metropolitanos* à Nicænis agnitos, & *Patriarchas* ſuprà plures Diœceſes evectos: Quod cœpit à *Conſtantinopolitano*, quem Thronum ſuprà Exarchos conſtituerunt Chalcedonenſes, tributis illi juribus ordinationum, appellationum, de quo ad ſequens Secul. Rectè jam Valeſius, ad eum locum: *Nulla hîc fit mentio Patriarcharum. Eo tempore nondùm uſu receptum erat Patriarcharum vocabulum.*

Secundus à Romano honoris locus, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, *Canone* III. aſſignatus Epiſcopo Conſtantinopolitano, hac ratione, quod eſſet urbs Conſtantinopolis *Nova Roma*, paribus cum Vetere privilegiis. Undè hunc Canonem vellet Baronius, Binius, Allatius, & ſequaces diſpunctum, aliis alia hariolantibus. Valeſius prudenter hunc *Canonem* reliquit intactum, quem Chalcedonenſes confirmarunt, citaruntque ut ſuæ definitionis fundamentum *Canone* XXVIII. *Actione* XVI. dein Codici Eccleſiæ Univerſæ inſerendum à Dionyſio Exiguo *Seculo* VI. omnibuſque Collectionibus ac Verſionibus Canonum. At indignatos fuiſſe in hunc Canonem Romanos Pontifices, ex quo criſtas erexerunt, jam indè à Leone I. tempore Chalcedonenſ. liquet ex *Epiſt.* LIII. dein Gelaſio *Ep.* ad Dardanum, Gregorio I. *Lib.* VI. Epiſt. Nam repugnaſſe *Damaſum* huic Canoni, vel Succeſſores ejuſdem, ad *Leonem* uſque, nullo argumento colligitur. Imò contrarium patet ex Literis Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imperatorem, datis anno CCCLXXXIII. *Tomo* II. Concil. & ex reſponſo Orientalium, in quo notificant Epiſcopis, in Urbe Româ congregatis, quæ à ſe in Concilio geſta ac decreta, apud Theodoretum *Hiſtoriæ* L. V. C. IX. Præter ſilentium hac de re in omnibus Epiſt. Damaſi, quæ ſeorſim excuſæ extſtant.

Quarto Canone, qui *tertius* eſt apud Dionyſium Exiguum, *Maximus* Epiſcopatu Conſtant. dejicitur, ejuſque Ordinationes irritæ declarantur. Cujus Maximi Cynici hiſtoriam vide in Vitâ Gregorii Nazianz. per Gregorium Presbyterum, deſcriptâ. *Quinto* Canone, quum Occidentales Epiſt. ad Synodum datâ, qui τόμος τῶν Δυτικῶν, urgerent ad ſtabiliendam fidem, haberi Synodum in Occidente; decernunt Orientales, amplecti ſe fidem in *Antiochenâ* Synodo definitam, quâ *una Patris, Filii, & Spiritûs S. Divinitas* ſtatueretur, ut novâ definitione nihil opus eſſet, aut profectione in urbem Romam. *Sexto* Canone, decernunt formam Judiciorum Eccleſiaſticorum; tum quibus non competeret *accuſatio* Epiſcopi, ut Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, &c. tum quibus competeret *judicium* in causâ legitimæ accuſationis. *Septimo* & ultimo Canone, ſtatuunt modum recipiendi *Hæreticos* ad Eccleſiam redeuntes, per unctionem *Chriſmatis*, figuram *Spiritûs S.* Qui adeò in fronte, oculis, manibus, ore, auribus inungendi eſſent, & quaſi *Sigillo* muniendi. De his Canonibus, videndi Photius, Zonaras, Balſamon, & ad eos in recentioribus Juſtellus, Beveregius, Henr. Valeſius, Edm. Richierius T. I. Hiſtoriæ Concil. Gen. omnium inſtar.

Tandem adornatum in hoc Concilio *Symbolum fidei*, additis ad Symbolum Nicænum quibuſdam vocibus, explicantibus fidem Orthodoxam de Spiritu S. contrà Macedonium: Nempè ad verba, εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, adjunxêre τὸ Κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. Undè hoc Symbolum modò *Nicæni*, modò *Conſtantinopolitani* Symboli nomine venit.

Epiſt. Synod. & altera ad Epiſc. Ital. Quæ hinc inferat Richierius, D. Sorbon. contrà abſol. Papæ poteſtatem.

Porrò ex *Epiſt.* Synodicâ, quâ Patres à Theodoſio in confirmationem Actorum Synodi poſtulant, T. II. *Concil. col.* 945. colligit *ſex notabilia* iſta Edm. Richierius, Doctor Sorbonicus T. I. Hiſtoriæ Concil. p. 171. *Primo, Synodum Conſtantinopolitanam indictam & convocatam à Theodoſio*: Ex quo tempore & mandato tuæ pietatis Conſtantinopolim convenimus, *&c. Deinde ſub finem Epiſtolæ*, & ſicut literis, quibus nos convocaſti, Eccleſiam honore proſequutus es, *&c. De indictione facta à Damaſo Papa, ne verbum quidem. Alterum notabile eſt ſigillatim ea narrare Imperatori quæ confecta ſunt, & quod ante omnia mutuam inter ſeſe concordiam & conſenſum inierint, ut ſibi expeditiorem viam ad agenda inſtruerent. Tertio confirmationem fidei Nicænæ & damnationem erroris Macedonii & Apollinaris contra illam notant. Quarto ſubjungunt ad regendam diſciplinam Eccleſiaſticam ſe aliquot Canones condidiſſe. Quinto narrant, ſe omnia cum Epiſtola miſiſſe ad Imperatorem*; quæ omnia, *inquiunt*, huic noſtro ſcripto ſubjecimus. *Sexto petunt à Theodoſio*, ut hæc omnia ſuis literis, ſententia atque ſigillo, corroboret. *Certe Socrates lib. quinto c.* 8. *& Sozomenus lib. ſeptimo cap.* 9. *diſerte ſcribunt*, Theodoſium Imperatorem ſuffragatum fuiſſe actis Synodi, & legem ſu-

Digitized by Google

ſuper ea re ſciviſſe : *Quæ ſumma eſt propoſiti Patrum Conſtantinopolitanorum, ab Imperatore poſtulantium ut Acta in rem judicatam venirent. Si propugnatores abſolutæ infallibilis Monarchiæ, aliquam huic ſimilem Epiſtolam Synodalem haberent, qua Patres alicujus Synodi claré, & non ænigmaticè (ut fictitia Epiſtola Patrum Nicænorum ad Sylveſtrum PP.) à Pontifice Romano peterent,* ut Acta ſuis literis, ſententia, atque ſigillo corroboraret, *triumpharent quidem, & meritò.* Tum ex *Epiſt.* ad Epiſcopos Italiæ, apud Theodoretum, L. v. C. ix. de quâ ſuprà, iſta colligit Vir ingenuus; *Primum notanda venit inſcriptio Epiſtolæ Synodi Orientalium ad Synodum Occidentalium :* Dominis honoratiſſimis & cum primis reverendiſſimis Fratribus ac Collegis Damaſo, Ambroſio, *&c. Quæ ſcribendi ratio clare demonſtrat Orientales non habuiſſe Damaſum pro Monarcha Eccleſiæ : idque progreſſu analyſeôs magis clareſcet. Secundò, non obſcure carpunt Occidentales, eo quod tribulationibus Eccleſiarum Orientis minus compatiantur : Id enim hæc verba ſonant,* neque Veſtram Pietatem res noſtras tam parvo æſtimare arbitramur, ut de his docendi ſitis pro quibus deberetis nobiſcum una condoleſcere, *&c. Non enim dicunt quod revera condoleſcant, imo eos tectè reprehendunt quod nulla ducantur commiſeratione tot tantarumque calamitatum. Idque clariſſimè docet S. Baſilius Epiſtola decima, & ſeptuageſima ſeptima : Ubi nominatim* ſupercilium carpit Occidentalium, & eum præcipue qui ſe Eccleſiæ Caput reputat : *Propria ſunt verba, quæ ut Baronius leniat, vertit ſe in omne latus : Certè Epiſtolæ S. Baſilii ejuſmodi ſunt, ut lacrimas legentibus facile extorqueant. Tertiò, referunt Epiſcopos Synodi Romanæ, Damaſum ſcilicet, Ambroſium, Britonem & alios, Romæ coacto Concilio, curaviſſe ut Epiſcopi Orientis velut membra propria, per Imperatoris ſanctiſſimi literas, accerſerentur ad Concilium Romanum ; Ex quo perſpicue colligitur, Papam eo tempore minime ſolitum evocare ad Concilia Epiſcopos qui ſuo Patriarchatui non eſſent ſubditi ; ſed ubi neceſſitas habendæ Synodi occurreret, Imperatorem monere & rogare conſueviſſe, ut literis ſuis Metropolitas accerſeret : Sicut videmus hîc Orientales, literis Imperatoris evocari. Quartò, ſi adverſarii hæc verba Patrum Conſtantinopolitanorum* (nos velut membra propria per Imperatoris literas accerſiviſtis) *ad Papam velut ad caput referre velint : oppones illa de tota Eccleſia Catholica intelligi, in qua omnes unum ſumus corpus in Chriſto, alter alterius membra Cap. 12. ad Romanos. Et Papam in hoc corpore duntaxat primum eſſe membrum & miniſtrum, nihilque aliud. Quare Patres Orientales eum vocant fratrem & collegam more aliorum. Profecto ſicut una eſt Eccleſia, ſic & unus Epiſcopatus, cujus ſinguli Epiſcopi partem in ſolidum poſſident, tanquam ex æquo participes facti ſacerdotii Chriſti : Eſtque Pontifex Romanus caput miniſteriale hujus corporis. Quintò reſpondent, ſe non poſſe ſuas Eccleſias afflictiſſimas, & lupis, id eſt hæreticis, expoſitas deſerere, ut ſe Romam ad Synodum conferant : cum jam ſuperiore anno Conſtantinopolitanum Concilium habuerint, cum magnis laboribus, & diu abſentes ab Eccleſiis ſuis fuerint : neque temporis anguſtias pati ut Epiſcopos ſuæ communionis poſſint evocare, eorumque conſenſum ſuper hac re obtinere. Quæ arguunt tum nihil peragi ſolitum monarchicè in Eccleſia, ſed inito conſenſu Patrum. Sextò, ſi quid eſt in hac Epiſtola, quod patroni abſolutæ poteſtatis ad ſuam cauſam rapere poſſint, hæc potiſſimum occurrunt : Quorum Bellarminus meminit Lib. Secundo de Romano Pontifice, cap. 13. nimirum :* Quod mandato literarum ſuperiore anno à Veſtra reverentia, poſt Concilium Aquilegienſe, ad ſanctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim uſque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando conſenſum Epiſcoporum qui in provinciis manſerant, una vobiſcum attulimus, *&c. Hinc enim quiſpiam objiciet, mandato literarum Damaſi, Theodoſium evocaſſe Concilium Conſtantinopolitanum : & continuo juxta Valeſii ſententiam ſequi ſolius eſſe Pontificis indicere Concilia. Reſpondebis, hæc verba plane ambigua lucem habere ab aliis clariſſimis & notiſſimis : Ut mos eſt ignotum per notius explicare. Cum ergo ex literis Patrum Conſtantinopolitanorum ad Theodoſium ſupra explicatis, liquidò cognoſcatur Theodoſium indixiſſe & confirmaſſe Concilium : Atque his ipſis etiam clareſcat, Damaſum curaviſſe ut Imperator ſuis literis Orientales accerſeret ad Synodum Romanam, idque Acta omnium aliorum Conciliorum ſequentium comprobent : Concludendum hæc ambigua ſic capi oportere, ut ſenſus ſit : Damaſum, ubi vidit Patres Orientalis Eccleſiæ ſignificaſſe Theodoſio Imperatori neceſſitatem habendæ Synodi, adverſus hæreſim Macedonii, qui Divinitatem Spiritus Sancti negabat, atque Imperatorem ſuis literis de ea re ad omnes Metropolitas ſcripſiſſe ; tandem Damaſum, inquam, ſuis etiam literis in ea ſententia fuiſſe ut Concilium haberetur Conſtantinopoli, idque Imperatori declaraſſe, neque tum temporis oſtendiſſe ſibi in animo eſſe aliud habere Romæ Concilium ad hæreſim Macedonii damnandam. Et ita patet Orientales hic non obſcure queri de Damaſo, quod in magnum Eccleſiarum incommodum aliud cogere velit Concilium in Italia & illuc Orientales evocare, cum potius debuiſſet mittere Conſtantinopolim, atque Eccleſiis afflictis ſubvenire : Neque ita Synodos Synodis in gravamen Eccleſiarum præcipue Orientalium aggregare : Cum ex præſcripto Canonum,* negotia iis in locis ubi oriuntur terminari debeant. *Septimò, ut oſtendant quam ſint pacis, concordiæ & charitatis Eccleſiarum ſtudioſi, mittunt Cyriacum, Euſebium & Priſcianum Epiſcopos, qui ſummam rerum à ſe geſtarum contra Arrianos & Macedonium deferant, una cum fidei ſuæ communione & profeſſione. Quo ex more ea ſenſim invaluit conſuetudo, ut omnes Patriarchæ, quamprimum eſſent conſecrati, ſummam profeſſionis ſuæ fidei ad alios Patriarchas collegas ſuos mitterent, ut poſtea obſervabitur. Octavò, illos certiores eorum reddunt quæ pro diſciplina Eccleſiaſtica melius ordinanda, conformiter ad Canones Nicænos, ſciverunt ; maxime in ordinandis Paſtoribus, de qua re infra. Nonò, communi omnium Patrum & totius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſenſu Nectarium ordinatum Epiſcopum Conſtantinopolitanum : De qua re hic ea adſcribam quæ narrat Socrates l. v. c.* 8. *poſtquam S. Gregorius Nazianzenus Epiſcopatum illum repudiavit :* Erat forte Nectarius quidam ex genere ſenatorio, vir moribus admodum modeſtus, & tota vitæ ratione conſpicuus : Qui quamquam Prætoris fungebatur officio, à populo tamen inde abreptus, ad Epiſcopatus honorem delatus fuit, & à centum quinquaginta Epiſcopis, qui tum aderant, ordinatus. Eodem tempore decretum fuit ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus proxime, & ſecundum Epiſcopum Romanum, primas propterea obtineret, quod illa Civitas eſſet Nova Roma. *Decimò, cum ſanctiſſimus Meletius ætate & plurimis exiliis pro fide Nicæna perpeſſis fractus, diem ſupremum in Synodo Conſtantinopolitana obiiſſet, & clerus atque populus Antiochenus Flavianum elegiſſent, hic quidem à Patribus Conſtantinopolitanis ordinatus eſt Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſicut & Cyrillus Hieroſolymitanæ : Quam Eccleſiam* omnium aliarum matrem *merito indigitant : Quoniam omnes aliæ ex Hieroſolymis, velut ex quadam colonia pietatis & religionis Chriſtianæ, ducta atque propagatæ ſunt. Undecimò pro firmamento actorum à ſe, demonſtrant omnia geſta ex Catholico conſen-*

Digitized by Google

ſenſu & communione ſanctorum juxta Canones. Quibus rebus tanquam legitime & ſecundum Eccleſiæ Canones conſtitutis, obſecramus veſtram reverentiam, *&c. Duodecimò non à ſolo Damaſo, ſed ab omnibus Epiſcopis Occidentalibus qui ad Synodum Romanam convenerant, nominatim petunt*, ut pro rebus à ſe geſtis ſecundum Canones eis congratulentur; *nequaquàm ut ea confirment.*

Concilia Topica.

III. Præter hæc Concilia Univerſalia, fuêre multa *Particularia*. Illaque iterùm vel *legitima* & *Orthodoxa*; vel *ſpuria* & *Hæretica*, ſeu Arianæ factionis, ſeu Donatiſticæ; tandem *ſuppoſititia* & conficta.

Concil. Sinueſſ. commentitium.

Inter poſtrema, primum locum meretur Concilium vulgò *Sinueſſanum*, quod Baronius refert ad A. CCCIII. & Acta Conciliorum T. I. ac Breviarium Romanum XXVI. *April.* Congregatum ſcilicet ex CCC. Epiſcopis, occaſione lapſûs Marcellini Perſecutione Diocletianâ, qualem ipſe Marcellinus in Synodo confeſſus ſit, *Peccavi coràm vobis, & non poſſum eſſe in ordine Sacerdotum*; hinc ſeipſum condemnaverit, *ore ſuo* ſibi dicens *anathema*; & *manu* ſuâ illi ſubſcribens. *Nemo enim* (inquiunt Acta) *unquàm judicavit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum, quoniam prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Quæ Synodus, à totâ Antiquitate ignorata, videtur conficta circà tempora *Nicolai* I. quando jam contendit Roma Papam *omnes judicare, ipſum à nemine judicari.* Hinc, in præjudicium etiam Infallibilitatis Papæ, hæc Synodus à Baronio, Binio, Gnathonibus, pro genuinâ venditata, repugnantibus quotquot alicujus pudoris ſunt Pontificiis. Et ſanè *Marcellini* ipſe lapſus ſuppoſitus videtur, ut ſuprà *col.* 817. cujus etiam innocentiam, contrà accuſantes Donatiſtas, tuetur Auguſtinus *Libro* contrà Petilianum, *Cap.* XVI. Accedit locus, qui dicitur *Sinueſſa* civitas, ignoto hujus Urbis ſitu, quam in *Campano* litore fuiſſe hariolatur Baronius, inter Neapolim & Romam, terræ motibus fortaſſis deletam, tacitam autem Geographis veteribus. Et hîc quidem in *Cryptâ*, quam *Cleopatrenſem* nominarunt, anguſto loco, coactos volunt Epiſcopos CCC. præter Presbyteros, & Diaconos, tempore atrociſſimæ Perſecutionis; quum vix totidem poſteà coëgerit Conſtantinus M. ad Synodum Nicænam Oecumenicam. Sic LXXII. teſtes producti, qui dicuntur *Libra Occidua*, quia hæc continebat LXXII. ſolidos, plures Libra Orientalis, ità Baronius, ad A. CCCII. N. XCII. &c. Et hi teſtati ſunt *thurificaſſe* Marcellinum in Templo Veſtæ & Iſidis, *Herculi*, *Jovi*, *Saturno*, ſeipſis videntibus; additis nominibus ſingulorum Teſtium, quæ pleraque ignota, & conficta, ex. gr. *Habentius*, *Jubentius*, *Exquiro*, *Homobonus*, *Habetdeum*, *Speſindeo*, *Beneſervatus*, &c.

Concilia Orthod.

Inter Concilia *Orthodoxa* celebrantur (quædam antè, pleraque poſt Concilium Nicænum) ſequentia potiſſimum, de quibus in *Tomo* I. & II. Conciliorum edit. Labbeanæ, & in *Supplemento* Baluzii.

Eliberitanum.

Antiquiſſimum habetur *Eliberitanum*, vel *Illiberitanum*, aut *Illiberinum*, ut in antiquis Inſcriptionibus; ſcilicet *Illiberi* Hiſpaniæ Bæticæ (hodie Andaluſiæ) celebratum: Quæ *Elbira* Hiſpanis, in cujus locum ſucceſſit *Granata* vel *Granada* Civitas, quæ paucis miliaribus diſtat à loco Elbiræ veteris, hinc Porta de Elbira, & Mons Elbiræ. Conſtat coactam hanc Synodum, ſub initia ferè hujus Seculi, pleriſque paulo antè Conſtantinum M. ad Imperium admotum (ut ex Canonibus liquere videtur) circà Æræ Chriſt. An. CCCV. quanquam anno non ità certo, & in Actis Concilii tacito, fortè metu Perſecutorum. Baluzius verò exiſtimat, habitum hoc Concilium paucis annis antè Nicænum, & quidem poſt Ancyranum & Neo-Cæſarienſe, in Supplemento *col.* 25. 26. Nec enim pœnas, in *lapſos Epiſcopos* ſancitas, obſtare quo minùs pax jam reddita eſſet Eccleſiæ, ſuperſtitibus tum multis Epiſcopis qui *lapſi* in perſecutione fuerant, & pœnâ rigidiore in eos ſtatutâ, ob gliſcentem adhuc Paganam ſuperſtitionem, nondùm extinctam. Interfuit tamen *Hoſius* Cordubenſis Epiſcopus, qui XI. loco ſubſcripſit; poſtmodùm Conſtantino M. à Conſiliis Sacris, miſſus ad Cæcilianum Carthaginenſem A. CCCXIII. deinde ad Alexandrum & Arium A. CCCXVIII. ſecundùm Baronium, at ſecundùm Pagium, & rectiùs ſentientes, A. CCCXXIV. poſt ſublatum Licinium: Atque is in Oriente deinceps verſatus, tandem præſes Conc. Nicæni fuit, lapſus in Sirmienſi Synodo, de quâ poſteà. Qui primus Synodo Illiberitanæ ſubſcripſit, fuit *Felix* Accitanus Epiſcopus, vel Aucitanus Aucæ Civitatis ſuprà Burgos, aliis Aquitanus; non equidem tum *Primas* vel *Metropolitanus*, inauditis adhuc in Hiſpaniâ nominibus, falſò Ferdinando de Mendoza Nobili Hiſpano, ſed *Ordinationis* tempore primus, qui mos ut in Africâ, ſic in Hiſpaniis tum viguit. Celeberrimi autem ſunt hujus Synodi Canones qui LXXXI. numero, ex quibus Eccleſiaſtica ejus Ævi diſciplina circà *Lapſos*, *Apoſtatas*, *Parricidas*, *Mœchos*, *Pœnitentes*, *Fœminas*, *Virgines*, *Conjugatos* vel *Conjugia* illicita, *Facinorum reos*, *Hæreticos*, aut *ab Hæreſi* redeuntes, &c. mirè illuſtratur. Cumprimis memorandi Canones, XXXIII. de tempore quo à conjugibus abſtinendum eſſet Epiſcopis, Presbyteris, &c. XXXIV. pro *Cereis* interdiu in Cœmeteriis non accendendis; XXXV. contrà *pervigilia nocturna* fœminarum; XXXVI. de *Picturis in Eccleſiis* non habendis, quod ſimpliciter intelligendum de prohibito uſu Imaginum quarumcunque, Du-Pinus, & cordatiores Galli. Mittimus Canones reliquos, qui pertinuêre ad ejus Ævi diſciplinam, ad quos prolixè commentati Mendoza, Gonzales, Loayſas, Coriolanus, Albaſpinæus, Tellezius J. C. Hiſpanus, &c. Undè in hujus Concilii auctoritatem invehitur Baronius, ut in pleriſque adverſantem *Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus*, ad A. Chr. LVII. *Num.* CXIX. *& ſeq.* Quo magis intelligebat Purpuratus, nullas fuiſſe *Romano* Epiſcopo partes in hujus Synodi indictione, præſidio, utpote extrà Provinciam Romani Metropolitani coactæ; minùs in confirmatione ejuſdem, quæ nulla à Sede Romanâ vel expetita vel expectata eſt; quemadmodùm nec in Conciliis Hiſpanicis, Seculo VI. ſub Suevicis & Gothicis regibus.

Arelatenſe primum.

Concilium *Arelatenſe* I. auctoritate Conſtantini M. indictum, A. CCCXIV. Voluſiano & Anniano Coſſ. in cauſâ Cæciliani & Donatiſtarum, quum irrita fuiſſet Synodus Romana anno CCCXIII. in eadem cauſâ à Miltiade Sylveſtri deceſſore coacta. Datæ Literæ ab Imperatore ad Vicarium Africæ, alii Proconſul. pro compellendis eò partibus litigantibus, tum & ad Epiſcopos cæteros, in ſpecie *Chreſtum* Syracuſanum, &c. apud Euſebium *Hiſt.* L. X. C. V. & *Tomo* I. Concil. *col.* 1423. Epiſcopi interfuêre XXXIII. ex omnibus partibus Occidentis, *Marino* Arelatenſium Epiſcopo præſide; nec tamen interfuit Conſtantinus, quod quidam hariolati, & conſtat ex *Reſcripto* Conſtantini poſt Synodum, quod ex Schedis Pithœanis inſertum *Tomo* I. Concilior. In eâ verò auditis accuſationum capitibus adverſùs Cæcilianum Carthaginenſem, hic abſolutus, Donatiſtæ accuſantes damnati. Decreti etiam in hac Canones XXII. ad Eccleſiæ diſciplinam; inter quos *octavus* memorabilis, qui contrà praxim *Afrorum*, injungit ut ab *Hæreſi venientes* non rebaptizentur, ſiquidem conſtaret fuiſſe baptizatos *in Patre, Filio, & Spiritu S.* ſed *manus eis imponantur*, ut accipiant Spiritum S. Nec ullam, poſt Oecumenicas, *Synodum illuſtriorem* agnoſcit Sirmondus Jeſuita, Ro-

ma-

Digitized by Google

mano Epiſcopo nullæ rurſùm partes, præterquàm quod Sylveſtro Canones ſuos communicarunt, ut *omnes ſcirent quid in futurum obſervare debeant*, *Tomo* I. *Concil. col.* 1427.

Sequuntur Synodi, in *Oriente* celebratæ, quarum Canones relati in Codicem Eccleſiæ Univerſæ; confirmati à Chalcedonenſi Synodo; verſi pridem à Dionyſio Exiguo, Abbate Romano; ac Commentario illuſtrati Zonaræ, Balſamonis, ut recentiores mittam. Et horum *Canonum* paſſim in ſuperioribus mentio, etiam illuſtratio, in iis quæ ad *Ritus*, & *Diſciplinam* ſpectarunt.

Synodus Ancyrana. Neo-Cæſarienſis. Antiochena. Gangrenſis.

Hujuſmodi fuit, *Ancyrana* Synodus Galatiæ, circa A. C. CCCXV. decennio antè Nicænam; & *Neo-Cæſarienſis* Ponti Polemoniaci, eodem circiter tempore, nempè proximo à perſecutione; ſolis illæ *Canonibus* notæ, qui illuſtrant Eccleſiæ ejus temporis diſciplinam. Præſes in utraque fuit *Vitalis* Antiochenus, Epiſcopi verò ex Diœceſibus Orientis, Aſianâ, Ponticâ. De *Canonibus* Ancyranis XXV. & Neo-Cæſarienſibus XV. qui plerique ad Cleri diſciplinam attinent, & ad conſuetudinem cum Conjugibus, aut cum Mulieribus, paſſim nos ſuprà. Poſt Nicænam Synodum præcipuæ Synodi notandæ veniunt: *Antiochena* Syriæ, coacta Anno CCCXLI. & CCCXLII. poſt obitum Conſtantini, malè Arianis accenſita ratione doctrinæ & fidei, à Baronio, Binio, Perronio, mancipiis cæteris Romanæ Curiæ. Quod ſcilicet non expectata ſit ſententia Romani Epiſcopi, qui tùm Julius; ſed confirmata in Athanaſium fuerit ſententia Synodi Tyriæ, ſuffecto Gregorio in Sede Alexandrinâ, A. CCCXLI. Et quanquàm in Athanaſium hæc ipſa Synodus decreverit, probata tamen Hilario eſt, quoad *fidei* ſubſtantiam, L. *de Synodis*, ejuſque Canones inſerti ſunt Codici Eccleſiæ Univerſæ, ſuperantibus numero Orthodoxis Epiſcopis, iidemque à Synodo Chalcedonenſi in teſtimonium adducti. Imò nulli Canones ad ordinandam Diſciplinam magis cum Nicænis concordant, ut videre eſt Canone I. II. III. V. VII. VIII. IX. &c. collatis cum Canonibus Nicænis. Quorum aliqui praxi Romanæ Eccleſiæ penitus adverſantur, ex. gr. contrà *Tranſlationes* Epiſcoporum, *Simoniacas* reſignationes, uſum *Bonorum Eccleſiaſticor.* quorum nec Papa nec Prælati Domini ſint, ſed Uſufructuarii, aut potius Uſuarii. In hac autem Synodo *quatuor* Fidei Formulæ cuſæ ſunt, quarum poſtrema ad Conſtantem Imperat. miſſa, proximè ad Nicænam acceſſit, ſolo ὁμοουσίῳ excepto, quâ voce abſtinuerunt. Concilium *Gangrenſe* in Paphlagoniâ, tempore non ità certo, adverſùs Euſtathium Sebaſtienſem indictum, damnantem matrimonium, eſum carnis, uſum vini, &c. Gratis volunt indictam tempore Sylveſtri, & Conſtantini M. imò ſi Diis placet auctoritate Romani Pontificis, ut Baronius ad A. CCCLXI. Concilium *Antiochenum*, anni CCCLXIII. *Joviano* piiſſimo Principe imperante, convenientibus eò Athanaſio cum Epiſcopis Ægypti, quod præſens eſſet Antiochiæ Imperator; cui tùm *Nicænæ* fidei Formula oblata fuit, rejecto & errore Macedonii πνευματομάχου.

Conc. Laodicen. Baron. not.

Concilium *Laodicenum*, Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ, quod ab aliis alligatur A. CCCLX. ab aliis ſerius aliquot annis, de quo vide Pagium in in *Crit.* ad A. CCCXIV. N. XXIII. Fruſtrà hanc Synodum Nicænâ etiam vetuſtiorem ſtatuente Baronio, frivolis argumentis, ut quod *receptum ſit in Concilio Nicæno Liber Judith, cùm in ſerie Librorum Canonicorum ille Liber à Laodicenis ſit exploſus*, *Can.* LX. Deinde quod *Canones Laodiceni quidam eadem omninò continent, quæ in Concilio Nic. ſtatuta ſunt*; ſic ille Appendice ad A. CCCLXV. *Num.* VI. VII. Poſterius frivolum eſt, quaſi Nicænum Conc. præceſſerint, quæcunque ejus firmarunt diſciplinam: Prius autem fruſtrà probatur teſtimonio Hieronymi, *Epiſt.* CXI. vel potiùs ex *Præf. in Judith.* ubi dicitur, *Synodus Nicæna in numero S. Scripturarum hunc Librum legitur computaſſe.* Sed unus eſt Hieronymus qui hoc eò quidem loco dixerit; quod deſtruunt Hiſtoria & Acta Nicæna, in quibus nihil tale *legitur*, ſed & Athanaſius, Euſebius, Greg. Nazianzenus, Cyrillus Hieroſ. &c. ipſe alibi Hieronymus, eundem cum Hebræis Canonem ſtatuens: Qui etiam tempore Nicæni Concilii ne natus quidem fuit, nedùm ſolus teſtari potuit, *legi* id in Actis aut Canonibus Nicænis quod nuſquam *legitur*. Ne dicam *Canone* VII. Laodic. expreſſam eſſe *Photinianorum* mentionem, qui demùm ſub Conſtantio orti damnatique ſunt. Vellet quidem Baronius hanc vocem expunctam, contrà fidem omnium Codd. tam Græcorum quam Latinorum, præterquam in Collectione Iſid. Mercatoris, quæ minimùm Seculi IX. *Photinianos* autem, æquè ac Arianos, baptizaſſe in *S. Trinitatem*, à Paulianiſtis in hoc diverſis, hoc Canone VII. ſupponitur. Nec taceri debet Synodus *Alexandrina*, habita anno CCCLXII. præſide Athanaſio, præſente & Euſebio Vercellenſi Epiſc. in quâ multa quæ ad pacem Eccleſiarum ſpectarent: Cumprimis lis compoſita quæ diu Orientales & Occidentales exercuerat, eſſet-ne in S. Trinitate dicenda *una Hypoſtaſis*, an *tres Hypoſtaſes*? Ubi diſcrimen inter οὐσίαν & ὑπόστασιν ità ſtabilitum, ut ſi ὑπόστασις acciperetur pro τρόπῳ ὑπάρξεως vel *modo ſubſiſtendi*, *tres* ὑποστάσεις dicendæ forent, contrà Sabellium, aliàs, una οὐσία *ſubſtantia.* Syn. Alexandr. pacifica.

Sardicenſe Conc.

Sardicenſis quoque Synodus digna memoratu, Sardicæ Illyrici, & quidem Daciæ mediterraneæ Metropoli, auctoritate Conſtantii & Conſtantis Impp. indicta, ad inſtantiam Julii Ep. Romani, qui per Legatos interfuit, A. CCCXLVII. teſtibus Socrate Hiſt. *Lib.* III. C. XX. Sozomeno L. III. C. XI. Præcipuè in cauſa *Athanaſii* Alex. *Pauli* Conſtantinop. *Marcelli* Ancyrani, *Aſclepæ* Gazenſis, & aliorum qui in Synodis Antiochenâ A. CCCXXX. Tyriâ A. CCCXXXV. Conſtantinopolitanâ A. CCCXXXVI. Antiochenâ CCCXLI. fuerant exauctorati, factione tum Arianâ prævalente. Quæ primò ex Orientalibus quoque indicta, qui ultrà LXX. comparuêre, ex Athanaſio *Epiſt.* ad Solitar. reipsâ tantùm ex *Occidentalibus* conſtitit, ſecedentibus *Philippopolim* Thraciæ Orientis Epiſcopis; non uno quidem obtentu, qui *Julium* Romanum reſpiciebat, à quo Athanaſius fuerat in Synodo Romanâ abſolutus, A. CCCXLI. Orientalibus ad hanc vocatis, ſed varia prætexentibus. Igitur Sardicenſis Synodus, fuit intentione quidem *Oecumenica*, non eventu ipſo aut effectu, ut fatentur cordatiores Latinorum; & cauſam hanc eruditè & maſculè agit Edm. Richerius, ſcil. pro *Oecumenicâ* non habitam, nequidem *Zoſimi* Papæ tempore, Seculo ſeq. ut neque etiam tempore Dionyſii Exigui, qui regulas Sardicenſium non retulit in Codicem Eccleſiæ Univerſæ, ut liquet. In hac porrò Synodo, Orthodoxi fidem Nicænam confirmarunt, Athanaſium & Epiſcopos alios, Sedibus expulſos, reſtituerunt in integrum. Videndi hac de re Ruffinus *Hiſt.* L. I. Sulpicius Severus, Theodoretus; quanquam malè Sulpicius, Synodum hanc coactam à *Conſtantino Imp.* fortè errore librariorum. Synodi *Præſes* intelligitur fuiſſe Hoſius Cordubenſis, teſte Theodoreto *Lib.* II. C. XV. qui & primus ſubſcripſit, at non nomine *Papæ*, ut fingunt gnathones, & ipſe Petrus de Marca, hoc nomine reprehenſus à Richerio, Du-Pino, aliis. Et hujus Canones poſteà confuſi cum *Nicænis*, ac pro Nicæno Canone obtruſus à Zoſimo *Canon* IV. qui de appellationibus ad *Romanum Epiſcopum*, *à judicio Epiſcoporum qui eſſent in viciniâ*; de quo fusè ſuprà *col.* 876. Atque omnem hanc cauſam egregiè diſcuſſit, contrà Baronium, & *novos Theologos*, ſic loquitur Edm. Richerius ex Sorbonâ Pariſienſi, Hiſtoriâ Concilior. General. ſuprà

prà laudatâ, quam adi T. I. à *pag.* 92. 93. ad finem Capitis.

Sirmienſes Synodi. *Sirmienſes* Synodi, coactæ *Sirmii* Pannoniæ Inferioris, quæ tùm Illyrici totius Metropolis fuit, & in quâ frequenter egit Conſtantius Imp. Orthodoxæ habitæ ſunt duæ: Altera A. CCCXLIX. ſecundùm Petavium *Animadv.* ad Epiphanium, *Hær.* LXXIII. qui primus hanc obſervaſſe dicitur Valeſio *Notis* ad Sozomen. L. IV. C. XV. In quâ damnata fuit Hæreſis Photini, ut latiùs in Fragmentis Hilarii *de Synodis*, videre eſt. Altera indicta à Conſtantio, poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, ſublato jam per Magnentium Tyrannum Conſtante Imp. Anno CCCLI. apud Sozomenum, *Lib.* IV. C. VI. Ubi Photinus à Baſilio Ancyr. convictus fuit, & tandem in exilium deportatus auctoritate Imperatoris. Et hujus Synodi, quæ ferè ex Orientalibus conſtitit, Illyrico jam tum in poteſtatem Conſtantii redacto, prolixa Fidei formula habetur apud Athanaſium, *Libro* de Synodis, Socratem *Hiſt.* L. II. C. XXX. Hilarium Libro de *Syn.* Quâ profitentur; Filium *antè omnia Secula ex Patre genitum*, *Deum ex Deo*, *Lumen ex Lumine*, *per quem omnia in Cœlis & in Terrâ facta ſunt*, &c. Item, *Eos qui dicunt de nullis exſtantibus Filium*, *vel de alterâ ſubſtantiâ*, *& non ex Deo*, *& quod erat tempus vel Sæculum quando non erat*, *alienos ſcit Sancta & Catholica Eccleſia.* Voce tamen ὠσίας & ὁμοουσίε, abſtinuère, *Photini* in ſpecie erroribus dicto *anathemate*; cujus in locum ſuffectus Germinius fuit, Arianarum tunc partium homo cum Urſacio, Valente, &c. Hinc Hilarius dicto Libro de Synodis, ſeu de Fide Orientalium, C. XL. *Quis hic ambiguitatis locus*, *aut quid ex ſinceræ fidei conſcientiâ reliquum eſt?* Variantes circà hanc formulam Lectiones, ſed in ſubſtantiâ convenientes, contulit J. Georgius Dorſchæus *Collatione* ad Conc. Sirmienſe *Sect.* II. C. II. Fallit Socrates, quod rectè obſervatum à Valeſio, qui hanc Fidei formulam fuiſſe dictatam à *Marco Arethuſio*, à quo veriùs illa quæ poſteà Arimini recitata eſt, conſcripta demùm A. CCCLIX. *tertia* inter Sirmienſes. Sic fallunt Baronius & ὁμόψηφοι, qui *Liberium* huic modò Formulæ Sirmienſi ſubſcripſiſſe vellet, ſcriptæ ſcil. A. CCCLVII. invitis Petavio, Valeſio, & doctioribus Latinorum: Qui Liberius A. CCCLV. à Conſtantio Beroeam Thraciæ in exilium miſſus eſt, quum pertinaciter ſubſcribere damnationi Athanaſii detrectaret, etiam conſentire cum Eudoxio & cæteris Arianæ factionis; dein poſt *biennium*, A. CCCLVII. aliis A. CCCLVIII. (de quo poſteà) pertæſus exilii, ſubſcripturus Formulæ Arianæ, ad nutum Conſtantii, ex Sozomeno L. IV. C. XV. hinc poſteà reſtituendus ſuæ Sedi, quam *Felix* Epiſcopus illi ſuffectus gubernabat.

Conc. Ariminenſe. Concilium *Ariminenſe* primò Orthodoxum, ex Occidentalibus congregatum A. CCCLIX. mediâ æſtate, juſſu Conſtantii, quò ferè CCCC. Epiſcopi convenerant: *Nicænam* illud fidem initio confirmavit, repudiatâ Formulâ Sirmienſi *tertiâ*, (quæ paulo antè in Sirmienſi Synodo ejuſdem Anni à Marco Arethuſio ſcripta fuerat) & *anathematiſmis* in Arium & ſequaces decretis, ex Hilario *Fragm.* de Synodis. Sed poſtmodùm artibus Arianorum prævento Conſtantio, quos inter primipili Urſacius, Valens, Germinius, Demophilus, accedentibus minis Imperatoris; plerique Orthod. doloſæ Formulæ intereà ab iſtis conceptæ, in *Nicæâ* Thraciæ, ſubſcribere coacti fuerunt, errore ſeriùs agnito, ex Hieronymo *Dial.* contrà Lucif. Sulpicio Sev. L. II.

Conc. varia Occident. Concilia alia Orthodoxa in Occidente celebrata, *Romana*, *Italica*, *Gallicana*, *Hiſpanica*, *Britannica*, nihil opus eſt hoc loco commemorare, quorum Acta prolixè *Tomo* II. Concil. Edit. noviſſimæ, & apud Sirmondum, Garſiam Loayſam, Spelmannum, Baluzium, collectores alios, legere eſt: Ne Magdeburgenſes, Baronium, vel El. Du-Pinum, Nat. Alexandrum, alios compilatores, &c. referam. Nec indicem modò Conciliorum ſcribimus.

Africana Conc. Carthaginenſia IV. In *Africanis* Conciliis hujus Ætatis, quatuor præcipuè *Carthaginenſia* celebrantur, quæ Nationalia totius Africæ; & quorum Canones inſerti Codici Canon. Africanorum. *Primum* eſt, quod Carthagine mox à Concilio Sardicenſi indictum, Conſtante Imperat. (malè legitur *Conſtantino*) A. CCCXLVIII. Grato illius Eccleſiæ Epiſcopo, qui Sardicenſi interfuerat. Paulo antè miſſi Carthaginem fuerant à Conſtante Imp. Paulus & Macarius, qui Schiſmaticos Donatiſtas, nec modum figentes audaciæ, compeſcerent; quâ occaſione cætus in tumultu *Donatus* Schiſmaticorum Epiſcopus, apud Optatum Milevit. L. III. In hoc Synodo varii *Canones* decreti, numero XIV. Partim contrà *Donatiſtarum* & Circumcellionum furores, Carthagine & alibi exercitos, qui etiam eos qui in ſeditione & furoribus occubuerant, inter *Martyres*, quorum coluére memoriam, reponebant: Partim etiam qui ad Cleri & Eccleſiæ diſciplinam attinerent; V. gr. quod non *iterari* debeat Baptiſmus, in iis qui fidem Trinitatis amplecterentur; quod Clerici ſeſe negotiis *ſecularibus*, aut *pecuniariis* non immiſceant; quod *Epiſcopi* intrà ſuæ Diœceſeós limites ſe coërceant; & id genus alii. *Secundum* Carthaginenſe Concilium, habitum eſt A. CCCXC. Valentiniano *Imp* III. & Neuterio Coſſ. Genethlio Carthaginis Epiſcopo. In quo, præter commendatam fidem *S. Trinitatis*, & alia ad *Clericalem* Diſciplinam, occurrit primùm vox *Miſſæ publicæ*, *Cap.* III. pro celebratione Euchar. in quâ ſcil. fiebat *miſſio* vel *miſſa* primo Catechumenorum, tum Fidelium. *Tertium* Carthaginenſe Concilium, ſeu Africanum generale, habitum A. CCCXCVII. Cæſario & Attico Coſſ. Aurelio Carthagin. Epiſcopo præſide, & cui Auguſtinus jam tum Hipponæ Epiſcopus interfuit. Celebre hoc cumprimis ex variis *Canonibus*, in eo cuſis aut confirmatis, numero circiter L. ſpectantibus ad Eccleſiæ *Diſciplinam*, & *Ritus*, qui omnes in Codice Africano, & de quibus paſſim in ſuperioribus: Hujus Synodi eſt v. gr. Canon VI. ne Euchariſtia *mortuis* detur, qui nec *accipere* poſſint, nec *edere*: Canon XII. ne *filii* aut *filiæ Epiſcoporum* & *Clericorum*, (non interdictis his ſanè nuptiis) elocentur Gentilibus, Hæreticis, aut Schiſmaticis: Canon XXIII. antè Altare *preces* dirigendas ad ſolum *Patrem*, nec locum eſſe debere precibus ἰδιωτικαῖς, antè non *communicatis* cum Fratribus: Canon XXIV. *Panem* & *vinum* qui in Euchariſtiâ offerantur, eſſe *Sacramenta Corporis & Sanguinis* Domini noſtri J. C. Canon XXVI. ne *Epiſcopus primæ Sedis*, quicunque ſit, dicatur *princeps Sacerdotum*, aut *ſummus ſacerdos.* Canon XXIX. ne Euchariſtia niſi à *jejunis* participetur, (quod non univerſaliter obtinuiſſe Socrates, *Lib.* V. C. XXII. qui *in Ægypto* & *Thebaide veſperâ Sabbati*, poſt cibum ingeſtum, *communicare* ſolitos) excepto die Jovis ante-Paſchali, quo celebratur *memoria Cœnæ Dominicæ*: Canon XXX. ne Agapæ vel *Convivia* intrà *Eccleſias* celebrentur: Canon XXXII. ne Presbytero liceret abſolvere *Pœnitentem* abſque conſenſu Epiſcopi; & ſi *crimen publicum* fuiſſet, non niſi in facie Eccleſiæ fieret reconciliatio: Canon XLVII. enumerat Libros Canonicos *Vet. Teſtam.* in quibus apparent Liber *Eccleſiaſtici*, *Sapientiæ*, *Tobiæ*, *Judith*, & Libri *Maccabæorum*, ſcilicet in Canone *Lectionis Eccleſiaſticæ*; qui tamen inter ἀκανόνιστα βιβλία reponuntur à Laodicenis *Can.* LX. de quo fusè Theologi. *Quartum* Carthaginenſe Concilium, habitum ſub Conſulatu Honorii & Eutychiani, A. CCCXCVIII. Aurelio rurſus Carthagine, & Auguſtino Hippone Epiſcopis, inter alios ſubſcribentibus. In hac Synodo CIV. Canones apparent, quibus omnem quæ ad Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticos attineret Diſciplinam comprehendit: Ex. gr. quæ ad examina aut ad vitæ genus Epiſcoporum, ad Ordinationes, Conſecrationes, Benedictiones, Translationes Epiſcop. Diaconorum officium, regulas obſervandas circà Clericos, Hæreticos, Pœnitentes, Catechumenos, Competentes Baptiſmi, Neophytos, Exorciſtas, Viduas, Fœminas quibus *docere* aut *baptizare* non liceat, &c. Quæ ex *Tomo* II. Concilior. & ex dictis Canonibus *Afric.* & qui ad hos commentati ſunt, repetantur. Hactenus de Orthodoxis hujus Ævi Synodis.

Spuria vel Heterodoxa Concilia. Donatiſticæ factionis.

Spuria Concilia fuêre cumprimis vel *Donatiſtica*, vel *Ariana* factionis. Illorum meminit Auguſtinus paſſim in Epiſtolis, in Breviculo Collat. in Libris contrà Petilianum, Creſconium, Parmenianum Donatiſtas, & adverſus hunc ipſum Optatus Milevitanus. Cœperunt *Schiſmatica* Synodi ab anno CCCXI. quando in Cæcilianum nuper creatum Carthaginenſem Epiſcopum, *Traditionis* falsò accuſandum, cum Ordinatore ſuo Felice Epiſcopo Aptungitano, inſurrexerunt factioſi; quos inter præcipuus *Donatus* à Caſis Nigris, non ille poſt Carthaginenſium Epiſcopus (ut vult Albaſpinæus *Obſerv.* III. in Optatum) creato *Majorino* pſeudo-Epiſcopo, in Synodo ex LXX. Numidiæ Epiſcopis *Carthagine* congregatâ. Hæc Synodus principium Schiſmati dedit, poſtquam Encyclicam ad omnes Epiſcopos Africæ ſcripſêre, hortati ne cum Cæciliano communicarent; averſis autem à Schiſmate pleriſque Epiſcopis ut Africæ, ſic totius Orbis. Quæ latiùs deducunt Optatus, & Auguſtinus. Quod verò factioſos Numidas coarguit, fuit illud ipſum *Traditionis* crimen, quo adverſarii hi Cæciliani erant obſtricti; vel ex Hiſtoriâ Synodi *Cirtenſis*, paucis annis antè *Cirtæ* in Numidiâ (quæ poſteà Conſtantina dicta eſt) habitæ, poſt abdicationem Dioclet. & Maximiani, adeoque poſt æſtum Perſecutionis, quæ ſævierat Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coſſ. id eſt, Anno CCCV. *Majo* menſe. Cujus Acta refert Auguſtinus *Lib.* III. contrà Creſconium, *Cap.* XXVII. De quâ & in Breviculo Collat. diei III. C. XVII. & apud Optatum contrà *Parmen. Lib.* I. Nempè in hac Synodo, in quâ agebatur de Epiſcopo ſurrogando in locum *Pauli*, ordinato tum *Sylvano*, interfuerant *Secundus* Tingitanus, *Donati* duo Maſculitanus & Calamenſis, *Purpurius*, *Victor*, *Felix*, &c. Capita deinceps Donaſticæ factionis. Et plerique rei vel *Traditionis*, vel *lapsûs* in eâ Perſecutione, pœnitentiam teſtati, ſe mutuo ſimul accuſarunt, ſimul abſolverunt, judicio Dei ſingulos committentes. Qui ipſi poſteà, obtentu *Traditionis*, cujus reos contenderunt Cæcilianum Carthagin. & qui cum ordinaverat Felicem, in ſegreges partes abiverunt, ut pluribus Auguſtinus & Optatus Milevit. & nos ſuprà in capite de *Hæreſibus*.

Factionis Arianæ.

Ariana Synodi, poſt Concilium Nicænum, ſaltem quarum Epiſcopi plerique Arianarum partium, fuêre ſine numero, ſed iſtæ in præcipuis:

Synodus Tyria.

Synodus *Tyria*, (antè *Cæſareæ* Palæſtinæ indicta, ſed quò comparere detrectavit Athanaſius, *Euſebii* utriuſque, Cæſarienſis & Nicomedienſis, fraudem veritus, apud Sozomenum L. II. C. XXIV.) habita Conſtantio & Albino Coſſ. A. CCCXXXV. celebratis paulo poſt *tricennalibus* Conſtantini. Indicta hæc Synodus auctoritate Conſtantini, componendis ſi pote diſſidiis, præcipuè in cauſâ Athanaſii Alexandr. antequàm ſolenniter eodem Anno dedicaretur *Templum* in loco Crucis & Sepulchri Dominici, quod μέγα Μαρτύριον dixêre. Erat autem Athanaſius variis accuſationibus reus factus per Meletianos, & Euſebianos, de quibus dictum ſuprà. De hac Synodo Euſebius de Vitâ Conſt. *Lib.* IV. *C.* XL. Athanaſius *Apol.* II. Socrates *Lib.* I. *C.* XXVIII. Sozomenus *Lib.* II. *C.* XXV. & Hiſtorici reliqui. Ad hanc ſcriptæ à Conſtantino *litera*, ad concordiam & pacem ſeriò cohortatus Epiſcopos, apud Euſebium L. IV. C. XLII. Præſes Politicus fuit *Dionyſius* Comes, Euſebianarum partium, hoſtis infenſiſſimus Athanaſii; Epiſcoporum autem numerus qui circiter LX. potior *Ariana* factionis, quos inter Euſebius Nicomedienſis, & iniquior in Athanaſium Euſebius Cæſarienſis. Eventus fuit, damnatio ac depoſitio *Athanaſii*, etiam abſentis, poſt receſſum ejus ex Urbe Tyro, ut rei ſcilicet contumaciæ, ſacrilegii, injuriarum in Epiſcopos, &c. pluribus apud Sozomenum, *Lib.* II. *C.* XXV. Mox ſucceſſit *Concilium Hieroſolymitanum*, quò ſeceſſerunt Epiſcopi, dedicandæ Eccleſiæ causâ; in quâ prævalentes Euſebiani, *Arium* ſupplicem reſtituerunt, non Hæreſiarcham ipſum, ſed Presbyterum ejuſdem nominis, & factionis, ut rectè Valeſius obſervavit, in Socratis *Librum* II. *C.* XXX.

Synodus Antiochena, an Ariana?

Synodi *Antiochena*, Arianæ itidem factionis, plures memorantur. At ſub judice lis eſt, cenſendane Ariana Synodus, quæ Antiochiæ celebrata in *Encæniis* Templi à Conſtantino inchoati, perfecti tandem A. CCCXLI. cujus Canones XXV. relati in Codicem Eccleſiæ Univerſæ, & approbati à Chalcedonenſibus: Dubitandi rationes ſunt, depoſitio Athanaſii, ſuffectio *Gregorii* in Epiſcopatum Alexandrinum, & fidei formulæ Arianiſmum redolentes. At quicquid occultè Epiſcoporum *Antiochenorum* plurimi faverent Arianis partibus, & eos inter Nicomedienſis; qui Romam ire ad Synodum à *Julio* indictum, in Annum CCCXLI. (pro causâ Athanaſii & Marcelli Ancyr.) detrectarunt, miſſis Romani Epiſcopi diu apud ſe retentis; tamen in *fidei* causâ præ ſe tulerunt Catholiciſmum, ut ex ipſis Formulis patet, & ex Hilario de Synodis, ex Julii Epiſtolâ appellantis ἀδελφὺς ἀγαπητὺς *fratres dilectiſſimos*, ut jam ab H. Valeſio rectè obſervatum eſt; *Obſerv. Eccleſ.* L. I. C. VIII. Et exceptâ voce ὐσίας & ὁμουσίυ, in fidei ſubſtantiâ accedere per omnia Nicænæ fidei videbantur, additis anathematiſmis. Undè εἰρηνικωτάτη Synodus inſcribitur, *ſummè pacifica.* *Quatuor* ejus Synodi formulas, ex Athanaſio *Lib.* de Synodis, in hanc quamvis indignato, ex Socrate, Sozomeno, habes in Tomo II. *Concilior. Col.* 589. *& ſeq.* Et *quartam* quidem quæ quàm proximè ad doctrinam Nicænæ Synodi acceſſit, (omiſſis tamen vocibus συναϊδίυ & ὁμουσίυ, & illis, Filium eſſe *genitum ante Secula*, *Deum de Deo*, &c. quæ fuêre ἐπαμφοτερίζοντα ταῖς ἐννοίαις *ſenſu ancipiti & ambiguo*, apud Sozomen. *Lib.* III. C. V.) obtulerunt *Conſtanti* Imp. per quatuor delegatos Narciſſum Neroniadis, Marim Chalcedonis, Theodorum Heracleæ, Marcum Arethuſæ (qui poſteà ſanctiſſimus *Martyr* ſub Juliano, teſte Sozomeno *Lib.* V. C. IX.) Epiſcopos, omnium Arianæ factionis acerrimos tùm defenſores; Præter *Euſebium* Nicomed. *Acacium* Cæſarienſem, *Georgium* Laodicenum, alios qui Synodo iſti interfuêre.

Fuit & *Antiochena* Synodus, *triennio* poſt oblatam Conſtanti Aug. priorem Antiochenorum formulam, habita A. CCCXLII. ut Baronius, vel ut H. Valeſius Notis ad Socrat. A. CCCXLV. ex Euſebianis congregata: In quâ pariter edita prolixior fidei Formula, in ſpeciem Orthodoxa, ſolâ rursùm voce ὁμουσίυ exceptâ, fabris Eudoxio Germaniciæ, Macedonio Mopſveſtiæ in Ciliciâ, & Martyrio Epiſcopis: Et hæc dicta μακρόστιχον à longâ fidei deductione, in quâ profitentur contrà Arium & ſequaces, Filium πρὸ πάντων αἰώνων γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, δι' οὗ ἐγένετο τὰ πάντα, &c. Rejiciunt verò cum *anathemate* dicentes, ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ ὅτι ἦν ποτὲ χρόνος ἢ αἰὼν ὅτι μὴ ἦν, χρονικὸν διάστημα προϋφιστάναι ...

rani, (qui imprudenter dederat errandi anſam Photino, abſolutus poſteà à Synodo Sardicenſi, A. CCCXLVII.) & *Photini* natum jam errorem, quos *Pauli Samoſateni Diſcipulos* faciunt, ex profeſſo dein à Sirmienſibus damnatum. Tandem credunt εἰς τὴν παντέλειον τριάδα τὴν ἁγιωτάτην, τὸν πατέρα λέγοντες θεὸν, καὶ τὸν υἱὸν, οὐ δύο θεοὺς τούτους, ἀλλὰ ἕνα ὁμολογοῦντες, &c. Et hanc expoſitionem Fidei, non ἐν ἐπιτομῇ *compendio* ut antehac editam, ſed πλατύτερον *latiùs* declaratam, miſêre ad Occidentales Mediolani in Synodum congregatos Anno CCCXLVI. aut ſub finem A. CCCXLV. ut ab ipſis approbaretur. Quod ſi factum fuiſſet, pax videbatur reſtituta Eccleſiis. Sed hi inſuper damnari exertim *Arium*, & Nicænam formulam (Filium eſſe ὁμοούσιον Patri) recipi ab Orientalibus poſtularunt, cauſati in priore Formulâ eſſe illos ἀλλογλώσσους, nec ſatis ſe *intelligere* Orientalium mentem, & nihil opus eſſe (*præter definita à Nicænis*) πολυπραγμονεῖν οὐδὲν λοιπόν. Vide Socratem *Lib.* II. *C.* XIX. Sozomenum, *Lib.* III. C. XI. Athanaſium *Libro* de Synodis, & qui ex iſtis referunt.

Pſeudo-Sardicenſis. *Arianis* quoque Synodis accenſetur *Pſeudo-Sardicenſis*, ex Orientalibus Epiſcopis, Athanaſio infeſtis, qui Philippopolim Thraciæ conceſſerunt, ſub Conſtantio & Conſtante Imperator. A. CCCXLVII. Hi vano obtentu, non recipiendos in communionem eſſe Athanaſium, Marcellum Ancyranum, Aſclepium Gazenſem, excommunicant præcipuè Hoſium Cordubenſem, Julium Romanum, Protogenem Sardicæ Epiſcopos: Et fidei formulam condunt, qualiter ferè Antiocheni ſuprà, reverà *ſemi-Arianam*, nomine Sardicenſis Synodi, quæ extat apud Hilarium, Libro *de Synodis*; & quam miſêre ad Gregorium Epiſc. Alexandrinum, Amphionem Nicomediæ, etiam ad Donatum Carthagine Epiſcopos, ſed hunc ſchiſmaticum, Grato ejus Urbis Epiſcopo Orthodoxo.

Sirmienſes Synodi. Secutæ Synodi *Sirmienſes*, ſub Conſtantio, quæ quatuor omninò fuêre, aliis quinque: *Prima* Catholica, in Photinum ſcilicet, Anno CCCXLIX. de quâ ſuprà; *Altera* nempè, Anno CCCLI. in quâ Photinus depoſitus, & ſancita fides Nicænæ in ſpeciem proxima, ſolo ὁμοουσίῳ expuncto, tacitis etiam vocibus, *Filium non factum*, quæ vulgò *prima* Sirmienſis Formula. De quâ etiam inter Syn. Orthodoxas ſuperius dictum. *Tertia* habita A. CCCLVII. in quâ Sirmienſis Formula ſecunda conſcripta eſt, diſpunctis pariter τῷ ὁμοουσίῳ & ὁμοιουσίῳ, ut vocibus ἀγράφοις, & Patre aſſerto *majore* Filio ſuo, *honore*, *dignitate*, *Deitate*: Et iſti, à Potamio Ulyſſiponenſi ſcriptæ, magnus Hoſius ſubſcripſit, ætate decrepitâ, vi adactus & metu, poſt LX. & ampliùs annorum conſtantiam, ferè tum *centenarius*, ut pluribus ex Athanaſio *Apol.* II. Epiphanio, *Hær.* LXXIII. Hilario Fragm. & Hiſtoricis Eccleſiaſticis, intelligitur. Atque iſtam Formulam, quam Græcam Athanaſius, Latinam Hilarius exhibent, *Phœbadius* Epiſcopus Agennenſ. Galliæ Aquit. ex profeſſo impugnavit, edito ejus Tractatu in Collectione Pithœanâ anni MDLXXXIX. quem Sulpicius malè *Fegadium* vocat *Hiſt.* L. II. Eidem ſubſcripſiſſe Liberium contendunt Nicol. Faber *Præf.* in Hilarii Fragm. Petavius Animadverſ. in Epiph. Hær. LXXIII Dav. Blondellus in Libro de *Prim.* *pag.* 72. ubi de hac Synodo, deque Liberii lapſu; quum ad eum miſſi fuiſſent Beroiam Thraciæ, Demophilus ejus Urbis Epiſc. & Fortunatianus Aquilejenſis: Qui ſubdolis artibus ac ſuaſionibus agi tantùm de voce ἀγράφῳ, ſcil. ὁμοουσίῳ expungendo, & de cauſâ *Athanaſii*, quæ cum illâ Eccleſiæ non eſſet connexa; & obtinuêre tandem conſenſum Liberii, eâ conditione Sedi reſtituendum, eundemque conſenſum cum Literis Sirmium ad Conſtantium detulerunt. Sed tandem *Quarta* Sirmienſis Synodus excepit, A. CCCLVIII. in quâ *Liberius* Papa, Sirmium accitus à Conſtantio, tandem fuit reſtitutus, poſtquàm *tertiæ* Formulæ ſubſcripſiſſet, quam à *Marco Arethuſo* Latinè dictatam, habet Germinii Epiſt. ad alios Arianos, in Fragmentis de Synodo Ariminenſi apud Hilarium. Statuit hæc *Filium Patri non ſimilem tantùm, ſed per omnia ſimilem*, ὅμοιον κατὰ πάντα, apud Socratem *Hiſt.* L. II. C. XXXVII. Athanaſium L. de Synodis, &c. Quod ſuo ſenſu ſemi-Ariani acceperunt, Urſacius, Valens, Germinius, &c. omiſſâ voce *ſubſtantiæ* vel *eſſentiæ*: At Baſilius Ancyranus in ſuâ ſubſcriptione hæc adjecit; In omnibus *cum dico, non voluntate ſolum intelligo, ſed ſubſiſtentiâ & exiſtentiâ, adeoque eſſentiâ ipsâ.* Undè reipsâ τὸ ὁμοούσιον admiſit cum Marco Arethuſo, circà quod inanis fuit ipſorum ſcrupulus. Atque hanc Formulam adſcribunt Synodo Sirmienſi *quintæ* vel quaſi Synodo, Anno CCCLIX. ubi Orientalium quidam, & inter eos Baſilius Ancyranus, antequam *Seleuciam* Iſauriæ ſe conferrent, ad Concilium à Conſtantio indictum, *Sirmii* poſtremò convenerint, hancque conceperint fidei ἔκθεσιν, Marco Arethuſo præcipuo architecto.

Quicquid *Liberium* Pontificem à lapſu in *Hæreſim* excuſet Baronius, ad A. CCCLVII. N. XLVI. non diffiteri poteſt, 1. Subſcripſiſſe illum Formulæ Arianæ, vel Semi-Arianæ ſaltem ſi *tertiæ* tantùm, in gratiam Arianorum. 2. Cum iiſdem veniſſe in *communionem*, ab iis ſuæ Sedi reſtituendum. 3. Condemnaſſe cum Arianâ factione *B. Athanaſium*, quem Julius defenderat, cui Liberius Anno CCCLII. ſucceſſit. 4. *Prodidiſſe* & *conſcientiam*, ut nuper Maimburgius, *Hiſt. Ar. Lib.* IV. & *cauſam* Orthodoxam, fœdâ ambitione inductum, & æmulatione in Felicem illi Romæ ſuffectum. Tandem reſipuit, & fugiens Arianorum furores & iram Imperatoris, in Cœmeteriis vel Catacumbis latitavit ad obitum uſque Conſtantii, qui accidit *Novembri* menſe A. CCCCXI. Liberii lapſus.

Intereà Occidentales, quos inter Urſacius, Valens, Germinius, Demophilus (qui poſteà Eudoxio Conſtantinop. ſucceſſit ſub Valente A. CCCLXX.) Auxentius, Cajus, omnes Arianarum partium, *Ariminum* properarunt, ad Synodum ex toto Occidente coactam, ſub Conſtantio, menſe circiter Julio Anni CCCLIX. Sed *Occidentales* Catholici qui ex decreto Conſtantii Ariminum venerant, numero potiores & ultrà CCC. fuêre, ex Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Illyrico, Africâ, Britanniâ, & inter eos legati *Liberii*, jam in ſpeciem Catholici, receptâ rurſum fide Nicænâ. Hic Ariani, qui ſeparato in loco convenerant, per *Valentem* Murſiæ in Pannoniâ Epiſcopum, in Concilio propoſuêre, nomine Imperatoris, *tertiam* Formulam Sirmienſem; quam rejectis omnibus aliis, citrà ulteriorem ſuper his *Myſteriis* diſceptationem, aut introductionem novarum vocum (ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον præcipuè voluerunt) ut erat illa, ſimpliciter omnes approbarent. Sed placuit Synodo, certè potiori parti, nullam Fidei Formulam novam admitti, præter *Nicænam*, inſuper omnes Hæreſes, nominatim *Arianam* anathemate devoveri. Hæc fuſè, præter Athanaſium de *Synodis*, & Hilarium in Fragm. L. II. Sozomenus *Hiſt.* Lib. IV. C. XVII. &c. re per XX. delegatos Conſtantio Imp. ſignificatâ. Sed Ariana factio per Deputatos ſuos, ſuaſque accuſationes adversùs Catholicos, prævenit Imperatorem Conſtantium, qui Catholicorum delegatos non admiſit, ſed Adrianopoli expectare reditum ſuum ab expeditione contrà Barbaros juſſit, ut idem Hiſtoricus L. IV. C. XIX. Intereà Ariani Epiſcopi Νίκην *Nicen* vel *Nicæam* Thraciæ conveniunt, juſſu Conſtantii, inductu præcipuè *Urſacii* & *Valentis*, illius in Myſiâ, hujus in Ariminenſe Concil. quod ex Orthodoxo Arianum; Pſeudo-Nicænum.

Digitized by Google

in Pannoniâ Epiſcopis, qui omnium pene turbarum & fraudum architecti fuêre, depoſiti jam ab Orthodoxis in Concilio Sardicenſi Anni CCCXLVII. In hac Synodo *Pſeudo-Nicænâ* tumultuariâ, dum Orthodoxi *Arimini* adhuc agerent ex decreto Imperatoris, Formulam Sirmienſem de novo ſanciunt, in quâ Filius ὅμοιος *ſimilis* Patri antè *omnia ſecula* generanti, dicebatur, & quidem (licet repugnantibus nonnullis) κατὰ πάντα *per omnia*, quod addiderunt Sirmienſes in poſtremâ Formulâ. Atque hanc tandem Formulam, deinceps *Nicænam* dicendam, Ariminum mittunt: Ubi Orthodoxi pertæſi longioris moræ, ac perſuaſi ab Arianis Orthodoxam eſſe *Fidei* formulam, exceptâ voce οὐσίας, ὁμοουσίου, συναϊδίου, quæ pacis ergò in eâ non apparerent; inſuper coacti mandato Conſtantii ad Taurum Præf. Prætorio, Arimino non excedere, ſub pœna *depoſitionis* & *exilii*, donec ſubſcripſiſſent; plerique ad ſubſcribendum inducti fuêre, ac tandem *Phœbadius* Agennenſis, & *Servatius* Tungrenſis, qui maximè reſtiterant, perſuaſi à Valente ſuos omnes *Arium* & *Arianos* damnare. Atque indè factum eſt, ut *totus* penè *orbis*, *Arianum ſe eſſe miratus*, tunc verè *ingemuerit*, ex vulgato dicto Hieronymi, in *Dial.* contrà Luciferianos.

Seleucienſe Conc. *Seleuciæ* Iſauricæ intereà coacti Orientales Epiſcopi, eodem Anno, & in iis quoque Hilarius Pictav. Epiſc. (ut qui in *Phrygiæ* partibus in exilio tum ageret, venire ad Synodum & ſententiam dicere juſſus) in partes diſtracti ſunt. Alii enim verè *Ariani* fuêre & hi potiores numero, ſeu *Anomœi*, Filium aſſerentes *diſſimilem* Patri, quos inter Eudoxius Antiochenus; Acacius Cæſarienſis; Georgius Alexandrinus; Uranius Tyrus: Alii ex *ſemi-Arianorum* genere, quos inter primipili Georgius Laodicenus, Eleuſius Cyzicenus, Sylvanus Tarſenſis, Macedonius Conſtantinopolit. Baſilius Ancyranus, Euſtathius Sebaſtienſis, Cyrillus Hieroſolymit. Sophronius Pompejopolitan: Alii denique ſtantes ab Orthodoxorum partibus, ſed pauci. Illi, duce Acacio, novam fidei formulam proponere; Iſti, voce Sylvani Tarſenſis, urgere illam quæ in Antiochenâ Synodo in Eccleſiæ Dedicatione ſcripta fuiſſet, à quâ modò voces ὁμοουσίου & ὁμοιουσίου abfuêre, reſtituto ſimul *Cyrillo Hieroſ.* quem Acacius Cæſar. depoſuerat A. CCCLVI. Igitur quartâ Seſſione, re ad tumultum ſpectante, Commiſſarii Imperat. Synodum diſſolvêre: Hinc Acacianis primo loco Conſtantinopolim delatis ad Imperatorem, poſteà & qui ſemi-Ariani audiebant, omnes tandem ſubſcribere coacti ſunt Formulæ *Ariminenſi*, recens perlatæ in Aulam Conſtantii. Hæc fusè referuntur à Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Sulpicio Severo, & in Fragmentis Hilarianis.

Syn. Mediolanenſis. Præter has Synodos, in quibus prævaluêre Ariani, fuerunt & aliæ plurimæ ejuſdem factionis. Talis Synodus *Mediolanenſis* Anni CCCLV. quam petierat ab Imperatore Liberius, per Luciferum Cagliarit. & cui Euſebius Vercellenſis interfuit, ex cujus *Vitâ*, editâ ab Ughello in *Italiâ Sacrâ*, novam Actorum hujus Synodi hiſtoriam dedit Baluzius in *Supplemento* Concilior. Sed infauſtus ejus Synodi ſucceſſus fuit, in quâ factio rurſus prævaluit, urgente Imperatore, & omnes ſubſcribere coacti damnationi *Athanaſii*; tergiverſantes verò, quales Euſebius Vercell. Dionyſius Mediolanenſis, Paulinus Treviror. Epiſcopi, Hilarius quoque Pictav. pauci alii, in exilium miſſi. Hic auditæ Conſtantii illæ voces, *Quod ego volo pro Canone ſit*; ad quas Athanaſius *Epiſt.* ad Solitar. *Conſtantium induiſſe imaginem Antichriſti.* Vide & Sulpicium Sever. *Lib.* II. Hilarium Libro ad *Conſtantium*, Socratem *Hiſt.* L. II. C. XXXVI. Sozomenum *Lib.* IV. C. IX. Poſtmodùm

Ancyrana. coacta Synodus *Ancyrana*, quæ ſemi-Arianorum fuit, oppoſita Hæreſi Aëtii & Anomœorum, quam propugnabant Eudoxius tum Antiochenus, & Acacius Cæſar. Antiſtites, factionis capita, & quæ prævaluerat in Synodo Sirmienſi cui Hoſius ſubſcripſit. Tempus fuit A. CCCLVIII. Epiſcopi principes fuêre ex. gr. *Baſilius* Ancyr. *Eleuſius* Cyzicenus, *Sylvanus* Tarſenſ. *Georgius* Laodicenus, *Euſtathius* Sebaſtienſ. Decretum ratas eſſe debere Fidei ἐκθέσεις quæ factæ fuiſſent in Synodis Antiochenâ A. CCCXLVII. Sirmienſi A. CCCLI. additis *anathematiſmis* XVIII. præcipuè contrà Anomœos, & Ἑτερουσίους, de quibus præ cæteris Hilarius Libro de *Synodis*, & Sozomenus *Lib.* IV. C. XIII. XIV. Ubi exhibet hic Literas Conſtantii Imp. poſtquam per legatos accepiſſet quæ in eâ Synodo geſta: Quibus inter alios *Eudoxium*, cum Aëtio ſentientem, jubet Sede Antiochenâ expelli, per quem οἱ τῶν αἱρέσεων ἀρχηγοὶ εἰς τὸν κλῆρον καταλέγονται, σχῆμα σεμνὸν οὕτω κιβδηλεύοντες, *hæreſeôn duces in Clerum adſcriberentur, Venerabilem Cœtum eâ ratione adulterantes.* Undè claudit Imperator, ἐῤῥέτω πανοῦργόν τι σύστημα θειοτέροις θώκοις ἐνιδρύσαι, *faceſſat callida factio, & divinis Thronis* (qualis tum habitus Antiochenus) *inſidere deſinat*; & ſententiam Patrum Ancyranæ Synodi dicit, ἣν οἱ τὰ θεῖα σοφοὶ ἐπὶ τοῦ κρείττονος ἐψηφίσαντο δεόντως Ἐπίσκοποι, *quam Epiſcopi divinarum rerum ſcientiâ præditi, ritè atque ordine decreviſſent.*

Conſtantinopolit. & Antiochena ſub Conſtantio. Secutæ ſunt Synodus *Conſtantinopolit.* Anni CCCLX. in quâ ab *Acacianis*, Formulæ Ariminenſis ſanciendæ obtentu, depoſiti priores Ancyrani, *Baſilius* Ancyr. *Eleuſius* Cyzic. *Sylvanus* Tarſenſis, *Cyrillus* Hieroſolymit. *Macedonius* Conſtant. *Euſtathius* Sebaſtienſ. &c. Ac expunctæ voces tanquàm ἄγραφοι, οὐσίας Πατρὸς καὶ υἱοῦ, ut & ὑποστάσεως dictæ *de Patre, de Filio, & Spiritu S.* Tum Synodus *Antiochena* A. CCCLXI. in quâ *Meletius*, recens ordinatus Antiochenorum Epiſc. in locum Eudoxii depoſiti, fuit oppreſſus factione Eudoxianorum; electo *Euzoïo* Arianarum partium, à quo Conſtantius Baptiſmum ſuſcepit, jam infirmus ac morti proximus. Atque hæc Synodus poſtrema fuit ſub *Conſtantio*, qui eodem hoc Anno ad plures abiit. An verò Synodus

Synod. Lampſacena. *Lampſacena* in Helleſponto habita A. CCCLXV. habenda ſit in Arianis, multis quanquàm Arianarum in eâ partium, meritò dubium. Quum in eâ damnati ſint Eudoxius, & Acacius, *Anomœorum* primipili, ac ſuis Sedibus reſtituti qui in Synodo Conſtantinopolit. Anni CCCLX. illorum auctoritate depoſiti fuerant; firmata etiam Fides ſancita in Synodo Antiochenâ *in Encæniis*, de quâ ſuprà. Valens tamen Imperator, favens Eudoxio, reſcidit hujus Synodi Acta, & Eudoxianos fovit, ac promovit, de cujus perſecutione in Orthod. infrà.

XII. *Patres & Doctores hoc Seculo Illuſtriores, in Eccleſiâ utrâque.*

Hoc in Capite eô breviores ſumus, quo ſcripta Patrum hujus Seculi, tam *Græcorum* quam *Latinorum*, ſeu genuina ea, ſeu ſuppoſititia, accuratiſſimè perſecuti ſunt nuper in *Catalogis* Scriptorum Eccleſiaſticor. poſt Bellarminum, Rivetum, Labbeum, &c. Du-Pinus, Oudinus, Guil. Cave. Ne tamen hac parte Hiſtoria hæc mutila videatur, ſtrictim verbum de præcipuis Scriptoribus addimus.

Euſebius Cæſar. 1. In *Græcis* & *Orientalibus* eminuêre potiſſimùm: *Euſebius* Cæſarienſis Epiſcopus, cognomento *Pamphili*; ab Euſebio Nicomedienſi, & Emeſeno propè Libanum, qui grati Conſtantio, item ab Euſ. Vercellenſi quem laudavit Ambroſius, & à Samoſateno ad quem ſunt plures Baſilii Epiſtolæ, qui hujus omnes ætatis, ità diſtinguendus: De quo iniquius jam olim fuit judicium Epiphanii, Hieronymi, &

Sy-

Synodi VII. ac Photii, iniquiſſimum paſſim Baronii, & valdè nuper Lud. Maimburgii in *Hiſt. Arianiſmi.* Iniquitatis cauſæ, quod Euſebius olim inter fautores Origenis; quodque in Euſebii ſcriptis cauſæ Pontificiæ præſidii nihil, adverſa omnia. Hinc *Idolis* ſacrificaſſe Euſebium, perſecutione Diocletianeâ, Epiphanius ex fide Potamonis, accuſantis in Synodo Tyriâ, *Hær.* LXVIII. deinceps verò ſententiâ & factione *Arianum* fuiſſe, imò inter eos *ſigniferum*, *principem*, ut non ſemel Hieronymus. Ab utroque crimine Euſebium purgat Valeſius, *Diſſert.* de Vitâ & Scriptis Euſebii. Et certè cùm ex Euſebio ipſo, tùm ex Hiſtoriâ Nicænæ Synodi, ex Gelaſio Cyziceno, Socrate, Gelaſio Romano, Gallicanâ omni Eccleſiâ (quæ Euſebium, cum Uſuardo & Adone in *Martyrologiis*, *Sanctorum* Catalogo adſcripſit) ac documentis aliis, iniquior Arianiſmi accuſatio deprehenditur. De quo jam ſuprà *col.* 884. Minùs tamen æquus fuit in *Athanaſium* Euſebius, in Synodo Tyriâ, & Euſebio *Nicomedienſi*, ſed ſimulanti Nicænam fidem, conjunctior. De *Scriptis* Euſebii, poſt noviſſima Nomina, & quæ diximus ſuprà, nihil adjicimus hoc in loco. Fusè cumprimis de his Hankius, de Scriptoribus Byzant. *Cap.* I. Mortuus eſt Euſebius ſub initia Conſtantii Imp. circà A. CCCXXXVIII.

Athanaſius. *Athanaſius* Alexandrinus, Theodoreto ὁ πένταθλος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστὴς, flagellum ſimul & odium Arianorum, mortuus ſub Valente, circà A. CCCLXXIII. De quo pluribus ſuprà, in *Hiſt.* Arianâ. Et compendio admodùm de eo Gregorius Nazianzenus, *Orat.* in ejus Laudem, *Tomo* I. Ἀθανάσιον ἐπαινῶν ἀρετὴν ἐπαινέσομαι, *Athanaſium laudans virtutem laudavero.* Opera illi affictа penè ſine numero, cumprimis *Tomo* II. alia multum interpolata, inter quæ *Vita Antonii*, quam ſcripſiſſe Athanaſium Hieronymus & Gregorius Nazianzenus teſtantur, ſed paſſim Monachalia additamenta. Quæ verò loca, ut in cauſâ *adorationis ſolius Dei*, & *Librorum* οὐ κανονιζομένων, expunxerit ex Athanaſio Index Expurgatorius, jam à Doctis obſervatum eſt, nominatim à Dallæo *de Uſu Patr.* C. IV.

Baſilius. *Baſilius* ex Presbytero Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus, cognomento Magnus, Aſcetarum vulgò in Oriente pater, qualis tamen veriùs Euſtathius Sebaſtienſis. Mortuus ſub Gratiano, circà A. CCCLXXVIII. De ejus geſtis, paſſionibus ſub Valente, ſcriptis, virtutibus, nævis, paſſim dicti Patrologi. Extant ejus *Epiſt.* quoque ad Epiphanium, Ambroſium, Diodorum Tarſenſem, Amphilochium, Nectarium, Sophronium, Apollinarium, &c. Sic caſum, an liceat ducere ſororem *defunctæ* conjugis, habet *Epiſt.* CXCV. ad Diod. Tarſenſem. Laudavit impensè *Baſilium* Oratione funebri, & paſſim, ut στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, &c. Gregorius Nazianzenus, ſtudiorum Athenis Baſilii aliquando ſocius. *Quando*, inquit, *Baſilium de Creatione lego, videor mihi verſari cum Creatore*, & quæ ibi plura T. I. p. 363. Frater porro Gregorii *Nyſſeni* fuit Baſilius, non Nazianzeni, ut erratum quandoque eſt ab ipſo Auguſtino.

Gregorius Nazianz. Nyſſenus. *Gregorii* duo in Oriente; *Nazianzenus* ſcil. ille Theologus, Orator, Poëta, Patris in Epiſcopatu adjutor, tandem & ſucceſſor; magnus Catholicæ doctrinæ de *Deo Filio*, deque *Spiritu S.* vindex, undè *Theologus* dici meruit. Idem Sedi Conſtantinopolitanæ, quam adiit ab Anno CCCLXXVI. præficiendus, & confirmandus à Theodoſio M. A. CCCLXXX. & à Synodo Conſtantinopolit. A. CCCLXXXI. Sed in eadem Synodo abdicaturus, ut viſum *col.* 902. Et *Nyſſenus*, Baſilii Magni frater, Rhetor profeſſione, ſtatu uxoratus cui uxor *Theoſebia*; doctrinâ magnus Eunomianorum adverſarius; alteri Gregorio ſuperſtes, mortuus ſub finem Seculi. Pares hi quidem ferè *Gregorii* fuêre, ætate, pietate, zelo, orthodoxia, eloquentia, laboribus adversùs Hæreſes, quin & Origenis nimio ſtudio; at diſpares judicio, ἀκριβείᾳ, ſoliditate, ſtylo, magis turgido & affectato in Nyſſeno, & credulâ nimis ſimplicitate in hocce conſpicuâ, ac penè anili, qualis in Vitâ Gregor. Thaumaturgi apparet. Utriuſque errores, nævos, poſt alios notavit Joh. Dallæus, in dicto Libro *de Uſu Patrum* C. IV. Afficta *Gregoriis*, vide apud Dupinum, vel Cave, noviſſimos Scriptores.

Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, auctor inſignis (ſed juvenis admodùm teſte Hieronymo) Catecheſeôn, in quas Catecheſes varia illata contendit A. Rivetus, ut quæ de Cœlibatu, Virginitate, Reliquiis, Cruce Dominicâ, &c. de quo aliàs. Suffectus fuit Maximo Hieroſolymorum Epiſcopo, ab ipſo Acacio Cæſarienſi Metropolitano: Sed mox ab iſto diviſus, ob adſcripta ſibi Ordinationum intrà Palæſtinam jura, de jure ſic Metropolitico cum Cæſarienſi contendens: Hinc Sede motus à factioſis ſub Conſtantio, congregata ab Acacio Synodo A. CCCLVI. tum & depoſitus à Synodo Conſtantinopolitanâ Anno CCCLX. in quâ prævaluêre *Acaciani*, ut ſuprà; tandem ſub Theodoſio M. reſtitutus. Membrum is fuit, unà cum dictis Nazianzeno & Nyſſeno, Synodi Generalis Conſtantinop. A. CCCLXXXI. moriturus in Sede Hieroſolym. A. CCCLXXXVI. Cauſas cur depoſitus fuerit ab Epiſcopatu, fusè refert Sozomenus, *Hiſt.* L. IV. C. XXV. appellaturus ad Synodum Univerſalem & judicium majus. Undè Socrates, *L.* II. *C.* XL. eum *primum* & *ſolum*, παρὰ τὸ σύνηθες, hujuſmodi appellationem interpoſuiſſe. Cyrillus.

Epiphanius Palæſtinus, Salaminæ vel Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, ab A. CCCLXVI. olim μονάζων cum Hilarione, Heſychio, Palæſtinis aliis: Eruditus is ſanè, ſed credulus quandoque nimis, ac turpiter lapſus in Hiſtoricis & Chronologicis, cumprimis in *Panario*, vel Κιβωτίῳ, ſeu hiſtoriâ LXXX. *Hæreſium*, quarum XLVI. antè Chriſtum natum, additâ ubique, pro ingenio quodam ſuo, confutatione. Ex eo ſcripto patet, Catholicum & Orthodoxum fuiſſe Epiphanium, adversùs Hæreſes hucuſque damnatas: Stylus inconditus, nec judicium par eruditioni fuit. Nam præter ἀνιστορησίας circà ea quæ præceſsêre Nativitatem Servatoris, v. g. de ætate *Moſis* educentis populum; de *Nebucadnezare* quem dicit Colonias Samàriam deduxiſſe, &c. en de multis alias, in Hiſtoriâ rerum Chriſtianarum! V. gr. Apoſtolos in Eccleſiæ primordiis decreviſſe, ut *Paſcha* Judaico ritu celebraretur; Johannem ſcripſiſſe *Apocalypſim*, ἐν χρόνοις Κλαυδίου Καίσαρος; Jacobum *ſummum Sacerdotem* fuiſſe, ingreſſum εἰς τὰ ἅγια; *Baſilidem*, *Saturninum*, ſparſiſſe ſuas hæreſes viventibus Apoſtolis; *Arium* antè Concilium Nicænum fatis functum; *Achillam* ſucceſſiſſe Alexandro in Sede Alexandrinâ; Athanaſium à Conſtantino relegatum in *Italiam*; Valentem Imperat. baptizatum ab *Euſebio*, pridem tamen mortuo; Athanaſio ſuffectum eſſe *Georgium* Cappadocem, ſtatim in primo exilio; *Meletianos* Arianis ſe adjunxiſſe, antè obitum Alexandri, &c. Quæ ſubindicare hoc in loco neceſſe fuit. Dogmaticos ejus errores, Scultetus in *Medulla*, Petavius, Dallæus, aliique obſervarunt. V. gr. Chriſtum deſcendiſſe localiter *ad Inferos*, ut probos indè educeret, *Hær.* XXIV. XLVI. Liberum eſſe homini Arbitrium ad Bonum ſalutare, *Hær.* XVI. Preces fundendas eſſe pro mortuis, *Hær.* LXXV. Neceſſaria eſſe jejunia ex traditione Apoſtolicâ, *Hær.* XXXIII. LXXV. LXXX. Fidem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad recipiendum Baptiſmum, in *Anchorato*, &c. Epiphanius. Epiphanii errores Hiſtorici.

Obiit Epiphanius in extremo ſenio, mortuus ſub Arcadio, A. CCCCIII. inſignis ac penè ad furorem adverſarius Origenis, cum Johanne Hieroſolymitano,

Digitized by Google

no, & magno Chryſoſtomo commiſſus, apud Socratem *Hiſt.* L. VI. C. XIV. & alios. Socius hac parte fuit Theophili Alexandr. & Hieronymi. Adeo ut Conſtantinopoli molitus ſit ſeditionem in Chryſoſtomum in publicâ concione, niſi monitus de rei diſcrimine ſe cohibuiſſet. Multa quidem ſcripta Epiphanio per fraudem affictа, vel nuper faſſo Du-Pino, p. 745. 746. Tomo II. Edit. Pariſinæ.

Ephrem Syrus. *Ephrem* vel *Ephraim* Syrus, Meſopotamiâ oriundus, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, magnæ vir & ſanctitatis & auctoritatis; cui *multa* ſcripta adſcribit Hieronymus, Syro ſermone edita, tantæ auctoritatis, ut *poſt lectionem Scripturarum, publicè, in quibuſdam Eccleſiis, ejus ſcripta recitarentur.* De hodiernis ejus ſcriptis extant judicia Perkinſii, Coci, Riveti, Du-Pini, Cave, &c. Mortuus eſt ſub Valente Imperatore, ut in Catalogo ſuo idem Hieronymus.

Johannes Chryſoſt. *Johannes* cognomento *Chryſoſtomus*, patriâ Antiochenus, *Antiochenæ Eccleſiæ* primo *Diaconus* à Meletio conſtitutus; Dein *Presbyter* ordinatus, à Flaviano A. CCCLXXXV. poſtea Epiſcopus Conſtantinopolit. ab Arcadio deſignatus in locum Nectarii, mortui A. CCCXCVII. Facundiſſimus ille Patrum, pius, eruditus, liberrimus vitiorum caſtigator, fautor idem Origenis; odium ex παῤῥησίᾳ nimiâ Eudoxiæ Imperatricis, & Theophili Alexandrini Conſtantinopolim ab Eudoxiâ acciti, ut in Conventu Synodali accuſationes in eum formarentur, hinc tandem pellendus in exilium ab Arcadio Imperat. A. CCCCIII. Dein militari ſatellitio, longo itinere ducendus Cocuſum Armeniæ ſecundæ, in ſterili ſolo; Poſt A. CCCCVII. transferendus in Ponti regionem ad Pontum Euxinum, ſed in ipſo itinere, quum ad *Comanam Ponticam* (diſtinctionis ergò à *Comanâ* Cappadociæ) perveniſſet, fractus laboribus & ærumnis, placidè animam efflavit, natus annos LII. Hinc *Johannitæ* dicti quotquot adhæſêre Chryſoſtomo, objectum illi atrociſſimæ perſecutionis. Obvia ſunt de ejus Viri Dotibus, Scriptis, Laboribus, Doctrinâ, etiam erroribus, virtutibus adeò & nævis, judicia; quibus, poſt tot aliorum lucubrationes, hanc paginam implere ſupervacuum. De *Epiſtolâ* ejuſdem ad Cæſarium, dictum ſuprà *col.* 844. quam *non eſſe Chryſoſtomi*, mentitos eſſe (contrà ſacrificium Miſſæ) *Petrum Martyrem*, vel *Pleſſæum Mornæum*, eandem in *nullis Bibliothecis extare*, *nullis codicibus Mss. qui in celeberrimis Europæ Bibliothecis* recondantur, impudenter Nat. Alexander Monachus, Hiſtoriæ quam vocat Eccleſ. *Tom.* VII. p. 647. Vide *Præfat. in eam* Epiſtolam Literatiſſimi Viri Emerici Bigotii, quam Jac. Baſnagius ſuis Diſſert. inſeruit.

Scriptores alii plures. Adde, quorum ſuperſunt non ità multa, & meminit in *Catal.* Hieronymus, ac Photius in *Biblioth.* Ex. gr. *Pamphilum* Presbyterum, Euſebii neceſſarium, tandem Martyrem A. CCCIX. cujus inſtructiſſimam Bibliothecam, & in eâ Origenis Hexapla αὐτόγραφα, undè deſcripſerat Pamphilus Verſionem Græcam τῶν LXX. ex Euſebio & Hieronymo diſcimus. Adde *Euſtathium Antiochenum*, de quo ſuprà, magnum Hæreſeôs Arianæ adverſarium, poſteà depoſitum factione Euſebianorum, in Synodo Antioch. circà A. CCCXXVIII. Fertur auctor Commentarii in Hexaëmeron, editi à Leone Allatio, *Lugd.* 1629. in quo fragmentum eſt p. 70. ex Jacobi Minoris *Protevangelio*, citato ſub nomine τῆς Γενεᾶς; Quod veriùs ſub nomine Ἀποκρύφων de Mariâ Virgine, ejuſque Parentibus, miraculoſâ Nativitate, conſecratione in Templo quum eſſet τριετὴς γενομένη, &c. Hinc auctor non Jacobus Apoſtolus dicitur, ſed Ἰάκωβός τις, & *circumcircà Apoſtolorum tempora conſcriptum*, vellet Allatius. Nugæ; & nemo non videt ab Impoſtore longè Euſtathio recentiori inſerta hæc eſſe, occaſione *genealogiæ Joſephi*, de quâ ibi *pag.* 69. 70. Quemadmodùm nec Euſtathii Antiocheni eſſe Hexaëmeron Allatianum, multis probat Du-Pinus, T. II. p. 83. *Didymus* Scholæ Alex. præfectus, præceptor Hieronymi, à pueritiâ cœcus, ſed habens oculos (ut ad eum aliquando Antonius Monachus, quum Alexandriam veniſſet) *quibus Angeli vident, quibus Deus cernitur, & lux ejus comprehenditur.* Ejus ſcripta varia, tam in Scripturam S. quàm adverſus Arianos, recenſet Hieronymus in *Catal.* Tùm *Macarii* duo, Ægyptius uterque, *Senior* παιδαριογέρων à Monachis dictus, & *Junior* qui πολιτικὸς, & hi in vitâ ſolitariâ ſeu Monaſticâ conſenuerunt; De quorum vitâ & ſcriptis vide Eliam Du-Pinum, aut G. Cave, qui poſtremus inſeruit ἀνέκδοτον Macarii Junioris Alex. περὶ ἐξόδου ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαρτωλῶν. Poſt *Amphilochius*, Iconii Lycaoniæ Metrop. Epiſcopus, cujus magna ſuo tempore auctoritas fuit, Arianis, Meſſalianis, Pneumatomachis, aliiſque Hæreſibus opponendi: Hinc & ejus nomen multa falsò mentita ſunt, & mentiuntur hodieque, *Oratio* in Occurſum *Simeonis*, *Homilia de Pœnitentiâ*, *Vita S. Baſilii*, &c. & alia quæ collegit Fr. Combefiſius: Illius magis & genium & ætatem ſpirat *Epiſtola Synodica*, quâ reſpondet Synodicæ Epiſcoporum alterius Provinciæ, fluctuantium circà Hæreſim Macedonii, quam edidit *J. Bapt. Cotelerius*, Monumentor. Eccleſiæ Græcæ, T. II. p. 99. Sic *Diodorus* Tarſenſis, à Meletio Antioch. ordinatus A. CCCLXXVIII. ſcriptis pluribus inclaruit, & quorundam Excerpta habet Photius *Cod.* CII. CCXXIII. De quo vide Hiſtoriæ Literariæ Scriptores Criticos. Et hujus Diodori Diſcipulus fuit *Theodorus* natione Syrus, Mopſveſtiæ poſteà Epiſcopus, magiſter Neſtorii & Theodoreti, poſt ejus mortem Hæreſeôs poſtulatus, de quo ad ſequens Secul. Ità non omittendus ſub extrema Seculi IV. *Palladius*, gente Galata, celebris Hiſtoriæ Lauſiacæ Scriptor, ad Lauſum Præfectum, undè illi ſcripto nomen, quæ eſt de Vitis Sanctorum ejus ævi quos ipſe noverat in Ægypto, Thebaide, Libyâ, Palæſtinâ; qualiter etiam fuit Scriptum *Heraclidis* coævi, in Cappad. Epiſcopi, quem Paradiſum inſcripſit. Nempè *Hiſt. Lauſiaca*, ſub Palladii nomine, non unum auctorem habuit, undè auctiorem illam duplo poſſedit Biblioth. Voſſiana; & Græca inedita, ſub eodem Palladii nomine, ex Bibl. Colbertinâ vulgavit Cotelierus in *Tomo* III. Monum. Eccleſiæ Græcæ, p. 158. Habentur etiam, Palladius Scriptor Vitæ Chryſoſtomi, cujus amicitiam meruit; Scripta Dialogi in modum; Etiam Libri de Gentibus Indiæ & Brachmanibus, quem ex Biblioth. Regiâ edidit Edoardus Biſſæus Eques, *Lond.* 1668. ſed an ſit Palladii, dubium. Non confundendus hic fuit cum Palladio Scotorum vel Hibernorum Apoſtolo, ut Balæo & quibuſdam aliis.

Mittimus in Orientalibus & Africanis plures, quorum multi ſe *Arianiſmi*, aut *Hæreſeôs* labe, contaminaſſe referuntur. Tales *Donatus* Carthaginenſium Schiſmaticor. Epiſcopus, à quo ſe deinceps *Donatiſtas*, veriùs quàm à priore Donato à Caſis Nigris, dixêre; cujus Scripta exhibet Hieronymus in *Catal.* *Euſebius Emiſenus*, qui Hieronymo in Chron. ad A. CCCXLVIII. *Arianæ ſignifer factionis* expreſsè dicitur; *Photinus* Sirmienſis Epiſcopus, & Hæreſiarcha; *Apollinares*, pater & filius; *Euzoius* Cæſareæ Epiſcopus, poſt Acacium, Arianæ factioni addictus, cæteroquin eruditus; *Aëtius* Hæreſiarcha, princeps Anomœorum; *Eunomius* Cappadox, Aëtii diſcipulus; *Baſilius* Ancyranus, Semi-Arianorum primipilus, Acacianis infeſtus, ut ſuprà; *Acacius* μονόφθαλμος, Epiſcopus Cæſar. Palæſtinæ, homo in fide varius, infenſus Cyrillo Hieroſolymit. tertiæ inter Arianos ſectæ parens, ut antè obſervatum; ſub Joviano autem amplexus fidem Ni- Quidam Hæreticis adſcripti.

Mmm 3 cænam

cænam in Synodo Antiochenâ, Meletio Epiſc. A. CCCLXIII. Scripta ejus recenſet Hieronymus in *Catal.* cumprimis ea quæ in Scripturam S. commentatus fuit. *Aſterium* Philoſophum, de quo ut *impio Ariano* Athanaſius, & id genus alios prætermittimus.

Latini Scriptores. II. In Scriptoribus Eccleſiaſticis *Latinis* & *Occidentalibus*, claruerunt præ cæteris:

Lactantius. *C. Firmianus Lactantius*, Arnobii diſcipulus, *Cicero Chriſtianus* Pico Mirandulæ, mortuus ſub Conſtantino M. extremâ ſenectute in Galliis actâ, in urbe Trevirorum; Magiſter Criſpi Cæſaris, filii Conſtantini. De quo in *Chron.* Euſebius ad A. CCCXVIII. *Criſpum Lactantius Latinis Literis erudivit, Vir omnium ſuo tempore eruditiſſimus, ſed adeò in hac vitâ pauper, ut plerumque etiam neceſſariis indiguerit.* Cujus præter vulgata Opuſcula, prodiit nuper Liber inſignis de *Mortibus Perſecutorum*, operâ Baluſii, & Oxonienſium, ex quo nos Hiſtoriam decimæ Perſecut. & alia, in ſuperioribus excerpſimus. Ejuſdem errorem, quo *Spiritûs S. negavit ſubſtantiam*, pridem obſervavit Hieronymus, *Epiſt.* ad Pammach. & Oceanum, *T.* II. Sed de Lactantio obvia ſunt Eruditorum judicia.

Hilarius. *Hilarius* Pictavienſis Epiſcopus, dictione ſublimis, hinc *Latinæ eloquentiæ Rhodanus* Hieronymo, & qui *Gallicano cothurno attollitur*, flagellum Arianorum, florens medio Sec. ſub Conſtantio, mortuus ſub Valentiniano Seniore. Vulgatus ejuſdem error eſt, quo Chriſtum ſenſit fuiſſe *doloris* & *paſſionis* expertem, etiam Corpore, *non habuiſſe naturam ad dolendum*; *putatum* quidem *doluiſſe*, quia patiebatur, & quia habuit ad patiendum corpus; at *caruiſſe doloribus*, *quia Deus*, ut ille paſſim in Libris de *Trinit.* & Comment. in *Pſalmos.* Quod ex Lantfranco & Scholaſticis ſic emollit Nat. Alexander, ut voluerit Hilarius, Chriſtum *divinitate* fuiſſe ſine *ſenſu doloris*; vel ſine doloris causâ, id eſt, *peccato*; vel ſine *perturbatione* ex dolore. Sub Conſtantio in exilium actus eſt, faciente *Saturnino* Epiſc. Arelatenſi, A. CCCLVI. undè in partes Phrygiæ relegatus fuit. De Scriptis Hilarii fusè nuper Du-Pinus, Oudinus, Cave, poſt alios, quæ prodierunt noviſſimè, cum omnibus Mſs. collata ſcil. Romanis, Gallicanis, Belgicis, operâ Monachorum Benedictini Ordinis, A. 1693. Alius eſt à Pictavienſi *Hilarius* Sardus, Rom. E. Diaconus, tempore Liberii & Damaſi, auctor (inter alia) *Commentariorum* in *Epiſt. Pauli*, qui perſpicuitatis laudem merentur, ſed Pelagio in multis præcurrunt.

Optatus. *Optatus* Milevitanus in Africæ Numidiâ Epiſc. adverſarius Donatiſtarum, clarus ſub Valentiniano & Valente: Hujus præ reliquis noti *Libri* VII. contrà Parmenianum Donatiſtam, licet *ſeptimus* à Balduino, Riveto, aliis, noviſſimè etiam ab Eliâ Du-Pino, non putetur eſſe Optati; ut qui *ſex* ipſe *Libros* modo promittat, enarrans ſingulorum argumentum, & totidem etiam recenſet Hieronymus. Scribendi genus denſum, argutum, vehemens, pridem Critici obſervarunt. Cæterum de ejus vitâ pauca admodùm conſtant. Optatum verò, & ſimul Donatiſticam Hiſtoriam, illuſtrarunt Fr. Balduinus J. C. Gabr. Albaſpinæus, Emer. Caſaubonus, Priorius, Du-Pinus, alii, quorum hic *textum Optati* emaculatiorem promiſit, quod & fecerat Rigaltius, ſed morte præventus.

Ambroſius. *Ambroſius* Mediolanenſis, natus patre Præf. Prætorio Galliarum; à Foro in quo cauſas oravit, dein à Civili Præfecturâ totius Liguriæ & Æmiliæ, tandem traductus fuit inopinatis *Eccleſiæ Mediolanenſis* votis ad Epiſcopatum; quem licet invitus capeſſere juſſus eſt à Valentiniano, in locum Auxentii Ariani, ordinatus in Epiſcopum Mediolan. A. CCCLXXV. Hieron. in Chron. A. CCCLXXVI. quum paulo antè Catechumenus *Baptiſmum* ſuſcepiſſet. Vir animo zeloque intrepidus, dictione mellifluus, doctrinâ Orthodoxus, nævos quanquàm ſuos paſſus, de quibus Dallæus de *Uſu Patr.* L. II. & alii: Undè in eo errores qui fuerant Origenis, v. gr. de ultimo Igne purgatorio; de Angelis corporeis; de ſtatu noviſſimo Animarum, &c. Parùm etiam felix Scripturarum quandoque interpretatio eſt, ex ignorantiâ Linguarum, cumprimis Hebraicæ, undè *Paſcha* derivavit à πάσχειν. Hinc nec laudatus admodùm Hieronymo, in *Catal.* mortuus autem ſub finem Seculi, A. CCCXCVI. nondùm ſexagenarius. Ac de eo paſſim ſuprà. De Scriptis Ambroſii, cùm genuinis, tum ſuppoſitis, prolixè ſuprà memorati Critici, & noviſſimè Patres Benedictini S. Germani Pariſienſ. qui Ambroſii Opera quàm emaculatiſſima ediderunt. Controverſi inter cæteros ſunt *Libri* de *Myſteriis* vel de *Sacramentis*, quos illi abjudicarunt, præter Rivetum, Aubertinum, Dallæum (ad VII. vel VIII. Seculum hoc Scriptum referentes) eruditiſſimi alii in Galliâ Pontificiâ viri, & noviſſimè Du-Pinus, in Novâ Biblioth. in S. *Ambroſio.*

Philaſtrius Brixienſis in Italiâ Epiſcop. Libro *de Hæreſibus* clarus, mortuus ſub Theodoſio M. coævus Ambroſio, membrum Synodi Aquileienſis A. CCCLXXXI. præcipuè adversùs Arianos Epiſcopos *Palladium* & *Secundianum*. De quo ut non paris judicii, nec doctrinæ, nec elegantiæ, extant judicia varia, & ipſius Auguſtini, in *Præf.* Libri de Hæreſ. Certè Hæreticis accenſet qui nunquam fuerunt, *Heliognoſtas*, *Muſcaronnitas*, *Puteoritas*, alios ſub Vet. Teſtamento, de quibus nec Epiphanius; etiam Hæreſim *Judæ*, *Paſſalorinchitas*, *Nudipedales*, &c. Ità alias memorat quæ Hæreſes propriè non fuerunt, ut *Millenarios*, & problematica varia, de *Auctore* Epiſt. ad Hebræos *Lucâ*, vel *Barnabâ*, de *Pſalmis* quibuſdam à *Davide* non ſcriptis, de *Annis* à Creatione non ità certis, &c. Ne dicamus hallucinationes quandoque craſſas Philaſtrii, quas Critici notarunt, & Elias Du-Pinus T. II. *Bibliotheca.* Philaſtrius.

Paulinus Nolæ in Campaniâ Epiſcopus, patriâ Gallus, alius à Paulino Presbytero, qui Vitam Ambroſii ſcripſit, clarus ſub finem Sec. Ejus extant Epiſtolæ & Poëmata, magnique habitus eſt ab Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Auſonio; cæteroquin jam in ſuperſtitiones pronior, ut venerationem Crucis, Reliquiarum, uſum Imaginum in Templis, &c. Eum autem *conjugatum* fuiſſe, etiam Presbyterum & Epiſcopum, ſervatâ conjuge, individuâ vitæ ſociâ, ex ejus *Epiſtolis*, & ex Ambroſio, Hieronymo, Auſonio, alii docuerunt. Fertur pro redimendo Viduæ cujuſdam filio, à Vandalis abducto, ſemet in ſervitutem dediſſe; quâ de re deque tempore, adi Baronium in *Martyrol.* XXII. *Junii.* Paulinus.

Hieronymus Stridonienſis, vel Strignenſis, in Dalmatiæ Pannoniæque confinio, natus patre Euſebio, florens jam ſub Theodoſio M. cujus anno XIV. Catalogum ſuum conſcripſit, ut ipſe teſtatur, id eſt, Chriſti CCCXCII, quinquagenario tùm major. Presbyter idem à Paulino ordinatus, an. ætatis XXXVI. nec is profectò (ut fingunt) *Cardinalis*; Damaſo hinc ab Epiſtolis poſtquàm Romam venit A. CCCLXXXII. Monaſticæ vitæ ſtudioſiſſimus, quod patuit in ſeceſſu ejuſdem Syriaco, dein & Bethlehemitico, quò rediit A. CCCLXXXV. in Epiſt. quam ſcripſit ad Heliodorum. Familiaris idem nobiliſſimis matronis, ut Marcellæ viduæ, Melaniæ, Marcellinæ, Paulæ, ejuſque filiabus Euſtochio, Paulinæ, &c. ad quas plures dedit Epiſtolas, Paulæ etiam parentaturus. Cæterùm eruditione ſeculari, trium Linguarum peritiâ, Tranſlatione Scripturarum Teſtam. V. (Pſalmis exceptis) ex *Græco*, deinde & *Hebræo*, Orthodoxiæ ſtudio, ingenio, elo- Hieronymus.

Digitized by Google

eloquentiâ, ſanctimoniâ, primus Latinorum Patrum Eraſmo: Aſt odio cumprimis acerbiore in Origenem, aculeis in adverſarios, præcipue Ruffinum, Vigilantium, Helvidium, Joannem Hieroſolymit. affectuum vehementiâ, afflictis quandoque erroribus præter illorum mentem, ſolitudinis Monaſticæ, Cœlibatûs, Reliquiarum, aliorumque adverſùs Vigilantium, quorundam etiam in Auguſtinum, nimio ſtudio, culpandus; Undè Ruffinum non ſemel vocat *Grunnium* à grunniendo, Vigilantium veriùs *Dormitantium*, *Cauponem Calliguritanum*, Helvidium *hominem ruſticanum*, *non dignum qui vinceretur*, &c. ſexcentis id genus ſalibus in Hieron. Vitâ autem ſub Theodoſio Juniore functus, circà A. CCCCXX. Conſulatu Theod. Aug. IX. & Conſtantii III. ut Proſper in *Chron.* Ætatis annum agens XCI. aliis etiam ætate provectior; Baronio ſecus, mortuus juxtà hunc æt. LXXVIII.

De Operibus Hieronymi, *genuinis*, *dubiis*, *ſuppoſititiis*, obvia ſunt judicia Eruditorum, & commentationes nuperæ, poſt judicium Eraſmi, curantis primam Editionem Baſileenſem Anno 1516. Errores *Dogmaticos* circà Providentiam ad ima non extenſam, circà ſalutem Damnatorum qui aliquando Chriſtum profeſſi, & capita alia, percenſet Dallæus, *de Uſu Patr.* L. II. C. IV. Iniquior idem in *Conjugium*, (undè oppoſitus Liber Auguſtini *de Bono Conjugali*) cumprimis in Digamiam, Trigamiam, etiam in *Juramentum* religioſum. Sed de Hieronymo ſatius penè ſiluiſſe, quàm pauca hoc in loco dixiſſe. Opera ejus quoque recenſita nuper à Pariſienſibus Benedictinis.

Auguſtinus. *Aurelius Auguſtinus* Tagaſtenſis Numida, Chriſtianis parentibus natus; hinc Manichæus; poſteà aperto Codice Paulino, inter preces ex Manichæo rursùm Catholicus, & ex Presbytero, Hipponis Regii tandem in Numidiâ Epiſcopus, indè ab CCCXCVI. Is ſanè Hieronymo linguarum peritiâ, profanis literis, ac Romanâ dictione inferior; aſt ſacrâ eruditione, & docendi vi, & in ſolvendis nodis argutiâ, & in diſputando promptitudine, & in Hæreſibus profligandis (ut *Manichaicâ*, *Arianâ*, *Donatiſticâ*, *Pelagianâ*) felicitate, cumprimis verò in Gratiâ Dei aſſerendâ, ejuſque tùm neceſſitate, tum efficaciâ, virtute etiam moderationis, ac prudentiæ, indubiè major: Denatus in obſidione Hipponenſi, per Vandalos, A. CCCCXXX. ætat. LXXVI.

Paſſus tamen & manes ſuos Auguſtinus, ut in iis quæ ad res naturales ſpectant, Cœlum, Mundum, Terræ globum, Sidera, &c. ità in iis quæ de Statu Parvulorum ſine Baptiſmo decedentium, aſſerturus naturæ corruptionem; De Euchariſtiâ etiam parvulis neceſſariâ; De origine Animæ rationalis, quam ex traduce quandoque aſſeruit; De Statu Animarum antè Reſurrectionem; De Angelis naturâ corporeis; De Igne quodam purgatorio poſt hanc vitam, & nonnullis aliis, *dogmaticè* imprudens tradidit: De quibus videndus eſt Joh. Dallæus, de *Uſu Patrum*, L. II. imperitè caſtigatus à Natali Alex. Monacho Dominic. *Hiſt.* quam vocat *Eccleſ.* T. X. C. IV. *Art.* III. Ut mittam errores non paucos *exegeticos*, etiam *hiſtoricos*, v. gr. LXX. Interpretes Prophetas fuiſſe, actos à Spiritu S. Zachariam Joh. Baptiſtæ patrem fuiſſe Summum Sacerdotem, &c.

In doctrinam illius de *Gratiâ*, & *Libero Arbitrio*, iniquiora ſunt ſæpè judicia familiæ Jeſuit. & obvia. Nec pauca Inquiſitores Hiſpanici & Index Expurgatorius in Auguſtino damnant, obelo iis configenda. Cæterùm multa ipſe prudens, & in exemplum humanæ fragilitatis, aut retractavit, in *Retractationum* Libris, aut de ſe ingemuit, in illis *Confeſſionum*. Opus Librorum (quod à potiori inſcripſit) de *Civitate Dei*, vindicandæ Chriſtianæ Religioni, poſt ſubverſam à Gothis ſub Alarico Romam, ac reductum Paganiſmum, plurima ex Varrone, Livio, Saluſtio, Cicerone reſtituit, quibus aliàs deſtituta fuiſſet poſteritas. Sed de Auguſtino, & Editionibus Auguſtini, omnium optimâ Baſileenſi A. 1529. ut de noviſſimâ jam non dicam, quæ Pariſiis elaborata à Monachis Benedictinis, plura extant judicia, quàm ut noſtro hîc locus eſſe debeat. Extant & Latini Latinii Obſervationes atque Emendationes in textum Auguſtini, uti Hilarium, & alios, quandoque ſagaces. Vitam Auguſtini ſcripſit *Poſſidius* vel *Poſſidonius*, Calamæ in viciniâ Epiſcopus, qui morienti illi adfuit, item *Indiculum* Scriptorum Auguſtini. Quinque ex Auguſtino Propoſitiones, videl. *Aliqua Dei præcepta Hominibus etiam juſtis & volentibus quandoque impoſſibilia eſſe*; *Gratia Dei interiori & efficaci reſiſti ultimò non poſſe*; *In ſtatu peccati, vel naturâ lapſâ, voluntatem non eſſe liberam ab omni neceſſitate, benè à coactione*; *Gratiam prævenientem eſſe neceſſariam etiam ad initium fidei*; *Chriſtum non mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus*, &c. à Corn. Janſenio Yprenſi Epiſc. aſſertæ, ab Innocentio X. & deinceps, facientibus Jeſuitis, damnatæ, inteſtinis hodie motibus adversùs Janſenitas originem dederunt.

Scriptores Latinos alios hujus Ætatis compendii causâ mittimus, de quibus etiam noviſſimè qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentati ſunt: Ex gr. *Juvencum* Poëtam Chriſtianum non ignobilem, ſub extrema Conſtantini M. *Damaſum* Papam, cujus Opuſcula Romæ edidit, cum Notis, Martius Mileſius Sarazanius, J. C. Romanus, A. 1638. *Siricium* Damaſi ſucceſſorem, cujus notæ Epiſtolæ; *Sophronium familiarem Hieronymo*, alium à Sophronio Hieroſolymit. qui ſub Heraclio vixit; *Sulpicium Severum*, Presbyterum Agennenſem Aquitanicæ ſecundæ, de quo nos ſuprà in Prooemio ad Hiſt. Eccleſ. Chriſtianam *col.* 511. *Quintum Aurel. Prudentium* in Hiſpaniâ natum, circà medium Seculum IV. Poëmatis & Hymnis nobilem; præter alios qui magis ad ſequentem Ætatem ſpectant. Latini alii Scriptores.

XIII. *Hiſt. Perſecutionum, poſt Conſtantini M. ætatem. Sub Conſtantio, facientibus Arianis. Obſervata quædam. Præcipuè ſub Juliano Apoſtatâ, ejuſque modus. Tandem ſub Valente Imp. Arianis addicto.*

I. EX tribus Conſtantini M. filiis ac Succeſſoribus, ex Fauſtâ natis, *Conſtantinus* II. natu maximus, ſortitus in Tranſalpinis Gallias, Hiſpanias, Britannias, Germanias, quum eâ ſorte non contentus (inhians ſcilicet parti Africæ & Italiæ) adversùs Fratrem Conſtantem moviſſet, tertio poſt mortem Patris anno, Chriſti CCCXL. propè Aquileiam, à Conſtantis Ducibus interfectus eſt; ex Aurelio Victore, Eutropio, & aliis. Faverat ille Athanaſio, quem ab exilio revocavit, poſt patris exceſſum, A. ut Theodoretus CCCXXXVIII. Nec tàm ipſi, quàm Conſtanti fratri, has inimicitias triennio diſſimulatas attribuit Zoſimus, *Lib.* II. C. XLI. *Conſtans* natu minimus hinc totum Occidentem tenuit, & Illyricum, idemque in Orthodoxos pronior, adeò ut ad ejus minas Conſtantius Athanaſium & Paulum Conſtantinopolit. reſtituere coactus fuerit. Sic Sardicenſem ille Synodum, ad inſtantias Julii Epiſcop. Romani, promoverat A. CCCXLVII. de quâ ſuprà *Cap.* XI. de Conciliis. Sublatus tandem à *Magnentio* Tyranno, qui Purpuram aſſumpſerat ex Rhætiæ Præfecto, A. CCCL. Uti eodem ferè tempore tyrannidem invaſerant Romæ quidem *Nepotianus*, ex Eutropiâ ſorore Conſtantini natus, & *Vetranius* Magiſter Militum

Digitized by Google

tum, in Pannoniâ arrepturus Imperium. Conſtantis illud, infirmioris corpore, *tyrannicum* facit Zoſimus, *ſtrenuum* & *juſtum* Eutropius. Morte præventus idem fuit, ut & Conſtantinus frater, antè ſuſceptum Baptiſmum. Diſpar ſors fuit *Conſtantii* Imperat. fratris ſecundo geniti, qui primò Orientem tenuit, ab Illyrici confiniis, dein amoto Conſtante etiam potitus Occidente. Princeps minimè malus, imò magnus & pius, judice Nazianzeno *Orat.* III. in Julian. à juſtitiâ, liberalitate, clementiâ, frugalitate & virtutibus aliis commendatus, etiam Ethniciſmi ſubverſor, ſaluberrimis ab eo latis legibus in Idololatras, Magos, Libellorum famoſor. auctores, &c. Tamen facilitate ac credulitate nimiâ, quâ factum ut patruum Conſtantium, Dalmatium patruelem, propinquos alios neci daret, inconſtantiâ etiam in fide, & zelo ſine ſcientiâ, cujus arguit eum Hilarius *Libro* contrà Conſtantium, & Nazianzenus *Orat.* de Laudibus Athan. impulſus idem ab uxore Euſebia, ab Aulicis & Spadonibus Arianarum partium; ab Euſebio Nicomedienſi, dein ab Urſacio, Valente, aliis Arianæ factionis Epiſcopis, in Orthodoxos perſecutionem movit: Præcipuè verò poſt ſublatum Magnentium tyrannum Anno Chriſti CCCLIII. tum poſt Synodum Ariminenſem, A. CCCLIX. Deſcribunt fuſè Athanaſius Libro ad Solitarios, & Hilarius adverſus Conſtantium, præter Hiſtoricos, Philoſtorgium Arianum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Sulpicium.

Modus Perſecut.

II. *Modus* perſecutionis fuit, non tam decretâ Orthodoxorum nece, aut fuſo ſanguine, quam decretis eorum depoſitionibus, exiliis, probris, prævento Arianorum calumniis Imperatore. Sic acti in exilium ſub eodem Conſtantio Athanaſius, Liberius, Hilarius, Lucifer Calaritanus, alii multi Catholici, ut viſum antè in Hiſt. Conciliorum, qui ferè revocati in ſuas Sedes à morte Conſtantii.

Euſtath. Antioch. an pulſus ſub Conſtantio?

An verò *Euſtathius* Antiochenus, qui primus à Synodo Nicænâ in Arianos claſſicum cecinit, Sede motus fuerit ac relegatus ſub Conſtantio, ut cenſet Baronius ad A. CCCXL. *Num.* XXIX. &c. an verò diu antè ſub Conſtantino M. A. CCCXXIX. vel CCCXXX. ab Euſebianis falſorum criminum poſtulatus, ſub judice lis eſt. Poſterius uno ore ſtatuunt Philoſtorgius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Hieronymus in *Chron.* ad A. CCCXXIV. & juxtà H. Valeſium rationes Euſebianæ. Vide hunc prolixè ad *Lib.* III. de Vitâ Conſt. C. LIX. poſt Jac. Godofredum Diſſert. in Philoſtorgii *Lib.* II. C. VII. Sanè contradixit ſibi Theodoretus, dum *Lib.* I. C. XXI. aſſeruit Euſebium jam tum Conſtantinopolitanum Epiſcopum fuiſſe, cùm pulſus fuit Euſtathius Antiochenâ Sede; adeoque factum ſub Conſtantio fuiſſet, quum in Nicomedienſi Epiſcopatu ad mortem Conſtantini M. permanſiſſe Euſebium conſtet. Rursùs pulſo Euſtathio ſuffectum Antiochiæ Paulinum, Tyri anteà Epiſcopum disertè Philoſtorgius L. III. C. XV. quem alii, ipſe in *Chron.* Hieronymus, anteriorem Euſtathio faciunt, hinc Baronius, Montacutius, Godofredus, & mortuum eſſe antè Synodum Nicænam; contra quos diſputat Valeſius in *Lib.* X. Euſebii C. I.

Cauſæ Perſec. ſub Conſt.

Cæterùm *cauſæ* excitatæ perſecutionis in Orthodoxos, potiſſimùm fuêre: Primò inveteratum odium *Athanaſii*, calumniis Arianorum oppreſſi, præcipuè Orientalium, cujus depoſitioni ſubſcribere Occidentales renuerunt. Tum ambiguæ ac ſpecioſæ Formulæ, Antiochenæ, Sirmienſes, Pſeudo-Nicænæ, Pſeudo-Ariminenſis, &c. quibus deluſus fuit à factione Conſtantius, ut prolixè Athanaſius in *Epiſt.* ad Solitarios, Hilarius, & nos ſuprà, in Hiſt. Concil. Attamen Conſtantius perſecutor in cauſâ *fidei* minimè videri voluit, imò nec Arianus, damnatis Anomœorum blaſphemiis, ac ſubſcribens iis Formulis quæ uſæ ſunt vocibus ἐγγράφοις, qualiter *Filium eſſe ſimilem Patri*, ὁμοούσιον habens inter profanas *vocum novitates*. Ità de ipſo fatetur Hilarius adverſùs Conſtant. & in Fragmentis. Moriturus fuit redux à bello Perſico, propè Tarſum, A. CCCLXI. Imperii XXIV. Et ſi Gregorio Nazianzeno fides, *Orat.* XXI. de Laudibus Athanaſ. p. 389. trium pœnituiſſe dicitur; I. *Juliani* patruelis adoptati, quem poſt Gallum ejus fratrem ſublatum, Cæſarem declaravit, atque ità βασιλείας κοινωνὸν *Imperii conſortem*, malè multandus. 2. Quod propinquis ac conſanguineis necem intuliſſet, (φόνον τοῦ γένους dicit Nazianzenus) nempè *ſex conſobrinis* ſuis, tùm *patri* Juliani, alteri *communi patruo*, *fratri Juliani natu maximo*, ut ipſe Julianus ad S. P. Q. Athenienſem refert; ac quæſitum ſe etiam, *& alterum fratrem*, ad necem. 3. Quod καινοτομίαν τῆς πίστεως *nova circà fidem dogmata*, in Arianis ac ſemi-Arianis, approbaſſet.

Juliani Apoſtatæ Perſec.

III. Sed graviſſima fuit *Juliani Apoſtatæ* perſecutio, nati patre Conſtantio, fratre Conſtantini M. Baſilinâ matre, ſorore Juliani Comitis inſignis Perſecutoris, patruelis Conſtantii Imp. Ad *Cæſaris* dignitatem ab hoc admotus Mediolani, A. CCCLV. poſt fratris Galli necem; mox affinitate innexus Conſtantio, ductâ Helenâ ſorore; tandem ſolus Imperator ab A. CCCLXI. Pollicitus ſibi quidem Conſtantius de Juliano alia omnia, licet nihil boni auguraretur Nazianzenus, ex corporis habitu, & animi quadam inconſtantiâ, *Orat.* II. in Julian. Traditus primùm Chriſtianè educandus Euſebio Nicomedienſi, favente illi Euſebiâ Auguſtâ: Dein creditus imprudenter Ethnicis Magiſtris, ipſo referente, ſcil. Mardonio Eunucho qui genere Scytha fuit; tum Libanio rhetori, eloquentiæ laude præclaro; hinc Jamblicho Philoſopho maximæ tum auctoritatis; tùm Maximo Epheſio, qui Nicomediam delatus artes magicas ac divinandi artem docuit, quo nomine capitis ſupplicium luit ſub Valentiniano; tandem Athenas ablegatus, tanquam Græcorum ibi viſurus ac Philoſophorum Scholas, reipsâ ut Eleuſiniorum Hierophantas, & regionis ipſius *ſacrificos & impoſtores de rebus ſuis conſuleret*, ut Nazianzenus Orat. IV. qui Julianum Athenis novit.

An unquam verè Chriſt?

An verè unquam Chriſtianus, hinc verè Apoſtata, à nonnullis dubitatum. Sed ex Juliano ipſo, tùm Nazianzeno, Cyrillo, in ſuis *contrà Julianum*, etiam Theodoreto, & cæteris conſtat, I. *Chriſtianam* religionem profeſſum eſſe, τοῖς πιστεύουσι ἐναρίθμιον, privatus & adoleſcens quum eſſet. 2. Sacro eundem *baptiſmate* initiatum, hinc ad myſteria τὰ φρικτὰ καὶ ἀπόρρητα admiſſum: Undè Nazianzenus *Orat.* III. in Jul. Imperatorem, ſacrum *baptiſmum* ſuum impuro & nefario taurorum & arietum ſanguine exterſiſſe, quæ ſacra *tauropolia* & *regeneratio* dicebantur; ſic *manus* ſacrificiis Deorum quaſi purgaſſe, pollutas ſcilicet ſacrificio incruento Chriſtianorum. 3. In *ſacrorum Librorum* lectione exercitatum fuiſſe. Undè tot Scripturæ loca, in cavillandi materiem verſa, *conſultò præteriens* (ita Nazianzenus *Orat.* III.) omiſit illud Servatoris, *Malos malè perdet*. 4. Etiam in *Clerum* cum Gallo fratre Nicomediæ adſcriptum eſſe, adeò ut divinorum Librorum eſſent ὑπαναγνῶσται, id munus amplum & honorificum arbitrati, Juliano nato annos XVI. *Primis Lector ſervivit in annis.* 5. *Pietatis* magnam aliquando ſpeciem præ ſe tuliſſe, ſumptuoſis Martyrum monumentis extructis, votivorum Donorum & ἀναθημάτων munificentiâ, frequenti Crucis ſignaculo, quo terrores pellebat, Monaſticæ vitæ imitatione, aliiſque quibus in Chriſtum & Chriſtianos amor declararetur. Hæc de Juliano conſtant, ſimulandi inſigni artifice; quum tamen de *Gallo* fratre Nazianzenus, *Orat.* III. p. 59. fuiſſe κατὰ ἀλήθειαν εὐσεβοῦντα *verè pietatem profeſſum*; ut Julianum etiam à Gentiliſmo, in quem

Digitized by Google

quem ferri animadverterat, revocare ſtuduerit, teſte Philoſtorgio *L.* III. C. XXVII. licet Gallus *κατὰ τὴν φύσιν θερμότερος naturâ ferocior ac fervidior eſſet.* Julianus tamen à ſuis habitus ſimilis Tito, belli ſucceſſibus Trajano, moderatione M. Aurelio, literarum ſtudio ac vitæ auſteritate, in ipſo veſtitu, maximis quibuſque Philoſophis, facundiâ & dicendi facultate etiam Julio Cæſari, ut qui poſt hunc primus Orationes in Senatu recitarit, quas elucubravit breviſſimo tempore. Interim in *Gentiliſmum* ſeu *Numinum cultum*, quin in Magos, Hariolos, jam à pueritiâ ſemper propendiſſe, ac foviſſe eam propenſionem occultè, facientibus præcipuè Libanio, Maximo, Ædeſio, Magiſtris aliis, ex Marcellino *Lib.* XXI. Libanio, Nazianzeno, Ruffino, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Cyrillo, aliiſque intelligitur, quotquot Perſecutionem Juliani retulerunt. Ut ſimulachrum tantum pietatis & virtutis fuerit, quam prolixè exaggerat Libanius in Panegyricis Juliano dictis, & Orat. in ejus Necem; reipsâ monſtrum callidæ improbitatis, hypocriſeôs, crudelitatis, ingratitudinis in Conſtantium, perditæ ambitionis, ſuperſtitionis effuſæ, animi levis & inſtabilis, acerbæ maledicentiæ in Cæſares ſe priores, ac Conſtantinum M. præcipuè, furoriſque in Chriſtum & Chriſtianos nullo fræno coërciti. Cœpit Perſecutio fere à morte Conſtantii Imperat. & obfirmato primùm Imperio; eouſque enim, dum rerum potiri cœpit, Chriſtianam fidem ſimulavit, ſeu diſſimulavit apoſtaſiam, Ammiano ipſo teſte.

Artes Juliani in Chriſtianos.

Modus fuit ſanè dignus callidiſſimo Principe, non ſuppliciis primò, ſed malis ac ſubdolis artibus; hinc præmiis, blanditiis, cavillis, ſubtilitate, illinc minis, mulctis, depoſitionibus, exiliis, ſollicitaturo ad defectionem Chriſtianos. Nam Chriſtianis invidebat martyria, ad quæ alacri animo ſciebat contendere, ac ſævitiæ notam fugiebat, nec iſtorum fundebat ſanguinem, præterquàm ſi eſſet obtentus criminis Majeſtatis, aut inſultationis in Deos ſuos: Sic diſertè Socrates *Lib.* III. C. XII. XIX. Sozomenus, L. V. C. XVII. Theodoretus *Hiſt. Lib.* III. C. XL. ubi Theodori Antiocheni adoleſcentis cruciatus refert, faciente Saluſtio P. Pr. ſed juſſu Juliani à vinculis liberandi, & aliis ſimiliter cruciari vetitis. Nempè vim exercendam relinquebat populis, ſervatâ ſibi viâ manſuetudinis, ſcilicet! Præterquàm ubi ſubindè clementiæ larvam deponeret, luculento exemplo v. gr. in *Artemio* Duce militum per Ægyptum, quem capite truncavit; Sic in *Juventino* & *Maximino* Antiochenis, quos ob ſermonis *παῤῥησίαν* ad ſupplicium rapi juſſit, teſte Theodoreto eodem *Hiſt. Lib.* III. C. XV. XVIII. & in poſtremos extat Chryſoſtomi panegyricus, tanquam qui ἐπὶ Ἰουλιανοῦ *μαρτυρήσαντες*, *Tomo* V. Edit. *Savil.* p. 533. Periturus in ipſo atrocioris perſecutionis conſilio, quum *perſecutionem jam miſerat, aut mittere diſponeret*, ut Optatus *Lib.* II.

Quibus porrò *arcanis artibus* extinguere conatus ſit Julianus Religionem Chriſtianam, ex Libanio ipſo, Ammiano, Eunapio, Zoſimo, Ethnicis ſcriptoribus, quin ex ipſis Juliani monumentis, tandem ex Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Alex. Socrate, Theodoreto, Sozomeno, poſt Annalium Scriptorem, oſtendit Jacobus Godofredus, eruditâ Oratione de *Juliano*, quæ inter editas *ſecunda* eſt.

Earum ſumma.

Summa huc redit: Permiſſa initio ſtatim Sacrorum libertas & ἐθελοθρησκεία, hoc obtentu, *perſuaderi* religionem debere, non ad eam *cogi* quemquam; Epiſcopis ſub Conſtantio exulibus facta redeundi poteſtas, bona etiam reſtituta, ut odia, & contentiones rursùm accenderet; clementiæ, temperantiæ, juſtitiæ, animi à perſecutione perquàm alieni, edita in ſpeciem documenta; blanditiæ paſſim adhibitæ, honor etiam habitus aut quies indulta Athanaſio, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Cæſario hujus fratri, piis aliis, *metuentibus & dona ferentem:* Et iſta ferè in primordiis Imperii, veritus multitudinem Chriſtianorum, aut ſeditionem; qualiter Alexandrinorum furori indulſit, qui Georgium Epiſcopum Arianum in tumultu interfecerant, *acri oratione ſcelus deteſtatus admiſſum*, nil addens præter minas, ut videre eſt apud *Ammianum*, Lib. XXII. C. XI. vel apud Socratem *Hiſt.* L. III. C. III. hinc Sozomenum. Præterquam quod Chriſtianis invidebat martyrii gloriam. Mox Julianus ab Aulicis & prætorianis militibus auſpicari, quos habere infenſos aut diſſidentes in Religione, periculoſum duxit. Hinc de Chriſto, ut *Galilæo*, *Mariæ filio*, *fabro lignario*, contemptim loqui; Apoſtolos, Chriſtianæ religionis auctores, vafritiei nequitiæque poſtulare; Chriſtianos nonniſi *Galilæos* appellandos edicto decernere, abolito ſanctiſſimo nomine; Scripturas S. ceu ridiculas, pugnanteſque ſecum invicem, traducere; Conſtantini famam moreſque, ut & Conſtantii, proſcindere, vel in *Cæſaribus* ſuis, à Fratre noſtro egregiè illuſtratis; facta etiam eorundem reſcindere; donationes Eccleſiis factas, & conceſſa privilegia revocare; in ſpecie *Labarum* Imperatorium, expuncto Chriſti ſigno, Deorum Imaginibus fœdare, ad antiquam formam reductum. Tùm & Chriſtianis prohibere, ne Liberales artes Diſciplinaſque traderent, ſatis ipſis eſſe dicens, ſi noſſent illud *πιστεύω credo*, in quo omnis eorum ſapientia conſiſteret: Hinc Scholas eorum claudere, ac Doctores ſummovere; incautam ætatem imbellemque Gentilibus Doctoribus permittere; Libros Chriſtianorum, ubi poterat, ſupprimere; Sacros Hymnos, Pſalmos, Cantus ſeveriſſimè prohibere; Chriſtianorum diurnis funeribus & omni pompâ interdicere; Vaſa Eccleſiarum diripere, ac theſauros expilare, obtentu illius dicti, *Beati pauperes, & qui patiuntur ob juſtitiam*, additis ſarcaſmis in *Mariæ filium*; Delubra è contrà aperire, hoſtias aris admovere, atque Idoleia inſtaurare, undè à quibuſdam non Julianus ſed *Idolianus* appellatus eſt; Gentiliſmum Chriſtianorum ritibus larvare, ut ſimulachro Pœnitentiæ, publicarum Lectionum, Cantionum, Precum ex formulis, Eleemoſynarum, Xenodochiorum, Monaſteriorum, Epiſtolarum Formatarum, & Eccleſiaſticarum, ac ſimilibus aliis; Omnia Ethnicis luſtrationibus polluere, etiam fontes publicos, olera, carnes, cibos, quæ in macello venderentur, ut eſſent Idolothyta, à quibus abhorrere Chriſtianos noverat; Ad *thus* adolendum, Gentili ſuperſtitione, ſed quaſi antiquo ritu, nullâ religionis mentione, Imagine ſuâ Deorum Imaginibus permixtâ, milites inducere, dùm ipſe donaria è ſolio diſtribueret. Fusè iſta perſequuntur Socrates L. III. C. I. &c. tùm Gr. Nazianzenus, & cæteri antè laudati.

Favet Hæret. Judæis

Adhæc factioſos, Hæreticos, uti Novatianos, Donatiſtas, Aëtium Eunomianæ familiæ principem, infenſiſſimos hoſtes Catholicorum, reſtituere ſuis Sedibus Julianus; Arianis cumprimis patrocinari; ſubmotos ab Eccleſiâ recipi jubere; Catholicos inter ſe callidè committere; Conjugibus libertatem facere à ſe invicem divertendi, uxoribuſque dotem retinendi, ut ità Chriſtianos turbis ac diviſionibus miſceret. Imò *Judæis* fræna in Chriſtianos laxavit Apoſtata, ſuppeditatis è fiſco ſumptibus, quanquàm fruſtrà, ad inſtaurationem *Templi Hieroſol.* ac tributis Genti remiſſis, licentiâque indultâ paſſim in Syriâ & Ægypto in Chriſtianos, eorumque Eccleſias, impunè graſſandi, factâ cum Gentilibus conſpiratione. Quo fervore Judæi Templi ſui extructionem aggreſſi ſint, quibus portentis ac miraculis repreſſi, iterùm & tertiò, habes apud Socratem; L. III. C. XX. & ipſum Ammianum; *Nazianzeno* cumprimis *Orat.* IV. pluribus referente *Crucis* ſignum apparentis in Cœlo, in ipſis ſpectantium verticibus *Crucis*

notis impreſſis, ut Symbolum victoriæ à Chriſto crucifixo reportatæ; quo ait Gregorius multos extemplo ad fidem Chriſti converſos, *pag.* 112. 113.

Ejuſd. Sævitia; Sarcaſmi. Ac quanvis manſuetudinem, clementiamque ſpirare Princeps ipſe videretur, mirè efferentibus Paganis Hiſtoricis, Libanio in Orationibus, Marcellino *Lib.* xxv. intereà ſævitiæ miniſtri fuerunt Magiſtratus, Præſides, populi: Eos inter *Julianus* Comes Orientis, Imperatoris avunculus, & *Felix* Comes Sacrar. Largitionum, etiam *Elpidius* Comes Rerum privatarum, ſeu Præpoſitus Domus Regiæ; tres apoſtatæ in Imperatoris gratiam, apud Philoſtorgium L. VII. C. x. Quin ipſo nonnunquàm Juliano decernente, fuerunt & in Palæſtinâ, Syriâ, Ægypto, Cappadociâ, locis aliis, Eccleſiarum incendia, direptiones; Civitatum calamitates, quæ privilegiis mulctatæ, oppreſſæ; Epiſcoporum ut Athanaſii, Marci Arethuſii, Eleuſii Cyziceni, Titi Boſtrenſis, &c. Chriſtianorumque paſſim, exilia, carceres, tormenta, ſupplicia, flagra, exactiones, facultatum direptiones, & atrociſſima quæque: Multa in ſpeciem improbante, ad delatas querelas, Juliano, nuſquam ferente opem, imò addente ſarcaſmos, v. gr. *Colaphum ducenti* etiam *maxillam alteram præbendam*; *crucem Chriſtiano ferendam*; *faciliorem ſic ingreſſum in Regnum Cælorum*; id genus alios. Graviora etiam *molituro* in Chriſtianos Principe, ac immolaturo eos *Dæmonibus*, etiam *juratò*, ſi Perſicum bellum confeciſſet ex voto, apud Ruffinum, & Theodoretum. Chriſtianos mirè ad conſtantiam animarunt cumprimis *Baſilius*, *Greg. Nazianzenus*, & *Athanaſius*, eluſis artibus Juliani.

Mors Juliani. Juliani vero ſublati anno II. Imperii, lethali ſibi vulnere, ſed ſalutari Eccleſiæ, incerto etiam hoſte qui eum ſagittâ vel conto, ξιφεῖ habet Zoſimus, & Theodoretus, transfixerit (nempè an Perſa, an Saracenus, an Barbarus, an Romanus miles, Libanius impudenter Chriſtianis tribuit, Chriſtiani verò vel Angelo, vel ignoto Juſtitiæ vindicis miniſtro) ultimas & blaſphemas in Chriſtum voces, *Viciſti Galilæe*, refert Theodoretus, *Lib.* III. *C.* xxv. ut ex quorundam *relatione*, ex Theodoreto plures: Aliis alias ejus ad Solem voces extremas referentibus, per modum exprobrationis, indignati ſcil. in *Solem*, cujus cultor inſignis fuerat, ὦ Ἥλιε ἀπώλεσες Ἰȣλιανὸν, item *Satiare*, ſcil. ſanguine, quaſi *Soli iratus*, apud Philoſtorg. Sozomenum, Zonaram, & Auctorem Chronici Alex. Graviſſimam autem morientis ad milites adſtantes orationem, conſtantiam, cæteraſque Juliani virtutes, etiam ſcripta, memorant Amm. Marcellinus *Lib.* xxv. *C.* III. & Libanius in ejus *Orat. Funebri*, Ethnici Scriptores. Mortuus A. Chriſti CCCLXIII. ætatis XXXII. incompleto, Imperii II mediâ vix parte abſoluto poſt obitum Conſtantii. Mortis præſagia & omina; miras ejuſdem prædictiones, profecto Juliano ad Bellum Perſicum; inter alias reſponſum Viri Antiocheni, ad quæſitum Libanii Sophiſtæ, *quid ageret Fabri filius*, *Loculum* (inquit) *fabricatur* Juliano; etiam revelatam ejus mortem Sabbæ Syro Monacho, eadem die & horâ quâ contigerat; circumſtantias alias quæ mortem eam aut comitatæ ſunt, aut exceperunt, repete apud dictos Hiſtoricos, ſpeciatim apud Greg. Nazianzenum *Orat.* IV. Theodoretum, *Lib.* III. C. XXIII. XXIV. XXV. Morientem etiam voluiſſe Julianum, ut ſui crederent *ſe in Deos relatum diſparuiſſe*, projecto in profluentem ſuo corpore, idem Nazianzenus, T. I. p. 117. *Decennalia* eo anno Cæſarei Imperii, antè expeditionem in Perſas, anticipando celebravit.

Succeſſores Juliani. V. Sublato Juliano raptus ad Imperium *Jovianus*, qui ſub Juliano militiæ Symbolum abjecerat, nec Dux antè nec Tribunus, fortitudine ac pietate præſtans, & qui milites ſe quærentes Imperatorem, *Chriſtianus ſum, Gentilibus imperare non poſſum!* Sed optimum ac Catholicum Principem terris tantum oſtendêre fata, odore pruinarum extinctum, in Bithyniæ & Galatiæ confiniis, poſt VIII. circiter menſium Imperium. Hinc *Valentinianus*, Pannoniâ oriundus, ab exercitu proclamatus Imperator, qui ſub Juliano cum *Valente* fratre τὰς ζώνας dimiſerant. Statimque is Valentem conſortem Imperii fecit, diviſi in Occidentis illud in Orientis, toto Illyrico adhuc ſpectante ad Occidentem. Ipſe quidem Valentinianus ejuſque exemplo Valens, initio Imperii tolerantiam religionum, etiam Gentilis, & Arianæ, ſancitis legibus probarunt, ut in *Tit.* de Maleficis & Mathematicis, qui eſt Cod. Theodoſiani Titulus XVI. L. IX. Etiam Virginibus Veſtalibus ſervaturi ſua jura, ſuam religionem. Deindè Valens, corruptus ab Eudoxio Conſtantinopolit. & Juſtinâ uxore Arianâ, poſt baptiſmum ab Eudoxio ſuſceptum, A. CCCLXVI. antè expeditionem adversùs Gothos Thraciam populantes, perſecutionem in Orthodoxos movit, Edictis emiſſis. Nempè indignatis Arianis in Synodum Lampſacenam Anni CCCLXV. vel ut Pagius CCCLXIV. averſam Eudoxio & Acacio, & omnibus Anomœis; undè nata legatio Lampſacenorum ad Valentinianum, Liberium, & Occidentales Epiſcopos, ut horum ſe patrocinio & communione tuerentur, apud Sozomenum *Lib.* VI. C. x. Atque hæc Perſecutio *Valentis* Imperat. gravior multo & atrocior fuit illâ Conſtantii, in Chriſtianos Catholicos, ſeu *Homouſianos*, impulſu præcipuè *Eudoxii* Conſtantinopolit. qui Aëtio & Eunomio, Anomœorum principibus, ſemper faverat, ab iis licet poſtea diſcedens, ut pluribus apud Philoſtorgium, *Lib.* VIII. & IX. Sanè Valentem ſtuduit à perſecutione dimovere, gravi oratione, *Themiſtius* Philoſophus Platonicus, exemplo petito à diſſenſionibus inter Gentiles, quæ longè graviores eſſent, ut teſtatur Sozomenus *Lib.* VI. *C.* XXXVI. Sed Eudoxii tanta fuit apud Valentem auctoritas, ut omnia illi crederet in Religionis negotio, ab eo quoque baptizandus, quin obſtringendus *juramento* ad pellendos Orthodoxos, ut in ſpecie teſtis eſt Theodoretus, *Hiſt. Lib.* IV. *C.* XIII. Ejuſdem quoque Eudoxii ſuaſu & blandis artibus Gothos ad Arianam fidem inductos fuiſſe, idem Theodoretus, *Lib.* IV. *C. ult.* Ulphilâ totius Gentis Epiſcopo. Et Eudoxio Anno CCCLXX. ſublato, ſuffectus illi ab Arianis *Demophilus* Arianus, licet non Eunomianus, urbe pellendus à Theodoſio M.

Valentis Perſecutio.

Locus perſecutionis fuit *Oriens*, propè univerſus, qui Valenti ceſſerat, in Daciam uſque & Illyricum. Cumprimis Phrygia, Syria, Cappadocia, Meſopotamia, Ægyptus, fugâ ſibi conſulturo Athanaſio Alexand. A. CCCLXVII. non (ut Baronius) primùm A. CCCLXX. quin & Scythia ipſa, ac Britannia: Ut pluribus apud dictum Theodoretum *Lib.* IV. Socratem *Lib.* IV. Sozomenum *Lib.* VI. &c. quin etiam in *Epiſtolis* Baſilii, de Orientalium miſerando ſtatu, ſub Valente, apud Occidentales conqueſti.

Modus atrociſſimus fuit, & cruentus longe magis quàm ille perſecutionis Julianeæ. Hinc ſævitum paſſim in Epiſcopos, in Eccleſias integras, in Ordinem omnem, & ſexum, & ætatem, miris ut conſtantiæ exemplis in Martyribus, ſic crudelitatis in Principe, apud dictos Scriptores. Undè & Ammiano *Lib.* XXXI. deſcribitur Valens, ut ad iram præceps, in crudelitatem proclivior, ac criminantibus facillimè patens, ſine differentiâ veri & falſi. Submoti ab eo *Meletius* Antiochenus, *Euſebius* Samoſatenſis, *Pelagius* Laodicenus, *Gregorius* Nyſſenus, *Barſes* Edeſſenus, *Petrus* ſucceſſor Athanaſii, & qui non alii, apud præfatos Hiſtoricos, & in *Epiſtolis* Gregorii Nazianzeni.

Modus illius.

Edeſſenorum tanta conſtantia fuit, & Martyrii contemptus, quin imò deſiderium, Theodoreto teſte, *Lib.* IV. *C.* XVII. ut plebs ad cruciatus conflueret; quin muliercula cum infante, quem ulnis tenebat,

Digitized by Google

bat, ità perculſo indè Valentis Præfecto, ac rem Imperatori nunciante, ut fruſtrà futuram eſſe cædem, auguraretur.

Pepercit tamen *Athanaſio* Alexandrino, in quem ſævierant Conſtantius & Julianus, ob prævalentes Alexandriæ Orthodoxos: Ut & *Baſilio* Cæſarienſi, fruſtrà ad Arianiſmum ſollicitato; & quoque *Gregorio Nazianzeno*, ſic *Epiphanio* Salaminio, maximæ auctoritatis viris; quibus & Julianus pepercerat, ut dictum ſuprà fuit.

Duravit perſecutio uſque ad mortem Imperatoris, in expeditione Gothicâ à Barbaris divinâ ultione interempti, quum in tuguriolo alicujus vici eventum prælii adverſùs Barbaros expectaret; à quibus, inſequentibus fuſum Valentis exercitum, ignis illi tugurio admotus fuit. Prædicente illi fatum *Iſacio* quodam Monacho, memorabili vaticinio, cujus ad Valentem voces, ut & pias illas *Trajani*, Valentis Præfecti, poſt acceptam à Barbaris cladem, refert Theodoretus, Hiſtoriæ *Lib.* IV. *C.* XXXIII, XXXIV. Nempè Iſacius ad Imperatorem cum exercitu proficiſcentem, inter alia; *Quò pergis Imperator, qui Deo bellum intuliſti? Si prælium inīveris, neque ipſe reverteris, & exercitum præterea amittes*; fruſtrà reſpondente Principe, *Revertar, & falſi vaticinii pœnas exigam*: Trajanus autem à Barbaris victus, atque à Valente increpitus; *Non ego*, inquit, *victus ſum, ô Imperator, ſed tu victoriam projicis qui contrà Deum pugnas*, κατὰ τοῦ Θεοῦ παραταττόμενος· τῷ γὰρ Θεῷ ἡ νίκη ἕπεται. Miſerabilem Valentis exitum, fuſo à Barbaris exercitu, ipſe quoque deſcripſit Ammianus, *Lib.* XXXI. *C.* XIII. ſcil. injecto igne & flammâ ſuppoſitâ in ædificio, in quod ſe receperat Princeps, Barbarorum metu, cum ſuis toſtum & abſumptum periiſſe. Adi & Theodoretum *Lib.* IV. C. XXXVI. Ac ſævum fuiſſe Valentem, *in crudelitatem proclivum, ſubagreſtis ingenii, injurioſum, iracundum, criminantibus ſine differentiâ veri & falſi facile patentem*, teſtatur horum temporum Marcellinus, *Lib.* XXXI. C. XIV. Sævitiæ inter alia inſigne exemplum, ut & credulæ ſuperſtitionis, extat apud Sozomenum *Lib.* VI. C. XXXV. Nempè prædicentibus Magis ſucceſſori Valentis nomen fore quod inciperet, THEOD. quale fuit Viro cuidam opulento, religione Gentili, cui nomen *Theodorus*; Valens & hunc vivicomburio affecit, & omnes iſtos vates ultimo capitis ſupplicio. Præterea inſigniores quorum nomina inciperent per *Theod.* ut *Theodoros*, *Theodoſios*, *Theodulphos*, &c. interfici juſſit: Sancita lege adverſus *Mathematicos*, divinandi artem exercentes, quæ extat in Codice Theodoſiano *Lib.* IX. *Tit.* XVI. imò pœnâ mortis decretâ in Mathematicam tractantes, inter alios etiam in *Maximum* Philoſophum, & cæteros qui Julianum præſtigiis ſuis corruperant. Valenti mortuo ſucceſſit Valentinianus filius, dictus Junior ab A. CCCLXXV. natus Juſtinâ Arianâ; ſortiturus Occidentis Imperium, poſt Theodoſium in Oriente evectum, aſſumptum ſcil. à Gratiano A. CCCLXXIX. quo faciente favit Orthodoxis Valentinianus.

XIV. *Monaſticæ vitæ hoc Seculo ratio, incrementa.*

Nomina Monachis data. I. MOnachorum familiare hoc Seculo à *ſolitudine* nomen, ignotum prioribus Seculis, niſi Apocrypha proferantur; Græcis hinc Μοναχοὶ, μονάζοντες, μονόβιοι. Nicænorum enim Patrum de *Monachis* & *Monaſteriis* conſtitutiones, ex Arabicis Canonibus, & ſi quæ id genus notha, parùm movent Eruditos. Dicti & ἀσκηταὶ, familiari apud Baſilium appellatione, ſed laxiori; jam ante iis Chriſtianorum tributâ qui ferrent τοὺς ἀσκήσεως καμάτους, vel qui ἀσιτίαις ἐνασκούμενοι, orationibus, jejuniis, vigiliis, laboribus, *exercitatione* Chriſtianâ ſe macerarent, qualiter de Origene Euſebius, *Lib.* VI. *C.* III. Et hos ἀσκητὰς idem Euſebius dixit *Lib.* II. C. XVII. ad imitationem Eſſenorum, Ruffinus *abſtinentes*, peſſimè alii *Monachos*, ut jam obſervatum Valeſio. Undè ex hac Aſcetarum appellatione, *antiquum Monaſteriorum uſum* abſurdè colligit Baronius, A. CCCI. *Num.* XXIII. Θεραπευτῶν *cultorum* nomen Monachis quoque datum eſt, qualiter pridem Eſſenis Alexandrinis apud Philonem, ſeu Judæis ſtrictioris obſervantiæ, minimè Chriſtianis à Marco ſcil. inſtitutis; ut rectè quoque Valeſius contrà Baronium obſervavit, ad dictum locum Euſebii. Poſteà & dicti *Cœnobitæ*, ex quo in Cœnobia communi ſub vivendi regulâ coacti, item *Religioſi*, *Regulares*; ab habitu & ovium pellibus *Melotæ*, quibus aliàs μέλαν ἔνδυμα. A tegmine capitis, quali uſi ſunt primò Monachi in Ægypto, *Cucullati*; Ægyptiis etiam *Nonni*, id eſt, Præpoſiti, Patres, ut *Nonnæ* quaſi matres, etiam caſtæ Hieronymo; alias Moniales, Sanctimoniales, & quaſi Veſtales. Græcis recentioribus Καλόγηροι, id eſt, καλοὶ γέροντες, *boni ſenes*, ut qui ætate provectiores, vel moribus & gravitate ſenes; item etiam fœminæ καλογρίαι, quaſi καλαὶ γραῖαι *bonæ vetulæ*, μονάστριαι. Etiam μεγαλόσχημοι, τέλειοι, & de novitiis ἀρχάριοι. Quandoque *Lucifugæ*,

Squalet Lucifugis Inſula tota viris.

de quibus aliàs. Sozomenus *Hiſt. Lib.* II. *C.* XXXI. refert Monachos Meſopotamios appellatos eſſe βοσκοὺς, quaſi *paſcentes* in montibus, herbis victitantes, pabulatores pecorum inſtar.

II. *Monaſticæ* vitæ originem (ut pluribus ex Hieronymo conſtat in vitâ *Hilarionis*, ex Sozomeno, *Lib.* I. *Cap.* XII. XIII. &c. falſò Ant. Pagi in Criticâ Baronianâ, ad A. CCCXVII.) dedit poſt Paulum Thebitam, *Antonius* ille Ægyptius, alter Eremita, ad quem in Eremo multi confluxêre circà A. CCCV. ſimul ſed ſeparatis cellulis victitantes; cujus *Vitam* ſcripſit Athanaſius, ſed hodie multum interpolatam. Succeſſit *Hilarion* Palæſtinus, qui ab Eremo ſolitarios illos in Monaſteria traxit, propè Gazam, habitus θαυματουργὸς, vitæ auſterioris ἐν ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος & ἐθελοθρησκείαις, cui Epiphanius juvenis, & ipſe Palæſtinus, ſe adjunxit: Tùm *Pachomius* antè miles ſub Conſtantino M. & Paganus, cujus Monaſterium *Thabennæ* in ſuperiori Thebaide, cui tributum quoque χάρισμα τῆς καρδιογνωσίας, moriturus circà A. CCCC. Antonii & Pachomii diſcipuli fuerant in Thebaide *Macarii* præcipuè duo, Senior qui παιδαριογέρων, mortuus Anno CCCXC. & Junior alter, de quibus Martyrologia ad XII. XV. Januar. & qui de Scriptor. Eccleſiaſticis commentati ſunt, ubi de Macarii L. *Homiliis* ad Monachos; in quibus multa præclara de Chriſto, Fide, Gratiâ, Spiritu S. ſtudio perfectionis, &c. Ex Ægypto, Thebaide, Syriâ, Palæſtinâ, mox latè per Orientem hoc inſtitutum diſperſum, tandem & in Occidentem: Summis primùm admiratoribus Baſilio, Nazianzeno, Ambroſio, Hieronymo, Epiphanio, Ruffino, Siricio Romano, Paulino, Sulpicio Severo, &c. deſituro tandem in ſuperſtitiones inſtituto. Nam à damnatis hoc ſeculo inſtitutis, in *Euſtathianis*, in *Maſſalianis* מצלין ſive εὐχέταις, in *Manichæis* qui ſolis leguminibus victitarent; ne dicam à *Pythagoricis*, & *Hierophantis*, Monachiſmum multa nimis mutuatum, res ipſa docet. Origo.

III. De *Monachis* hujus ſeculi vera alia, alia commentitia. *Vera* ſunt: Solitaria ſingulorum habitatio, μοναχικὰ οἰκήματα, *ſeparati* quidem *cellulis*, ſed *charitate conjuncti*, undè vox *Monachi*, *Monaſterii*; victus parcus, auſterus; veſtes ſodidæ, apud Sulpicium de *Vitâ Martini*, alias μέλαν ἔνδυμα; tonſura capillorum, ne tamen *raſorum* ſimiles viderentur; preces aſſiduæ; jejunium frequens; vita cœlebs, deinceps Monachis imperanda, Seculo *ſeq.* Inſtituta.

 diſci-

diſciplina auſterior; communes vivendi regulæ, procul hodiernis votis; opera manuaria; ſollicita inſtitutio in literis, in doctrinâ, in pietate. Hinc & ſcholæ publicæ, vereque ἀσκητήρια fuêre tùm Monaſteria: Qualiter & *Epiſcoporum* ædes, legendo, docendo, diſputando, pluribus apud Sulpicium Severum de *Vitâ Martini*. Deſcribit prolixè ſequoque Monachalem diſciplinam, initio Seculi ſequentis, Joh. Caſſianus Chryſoſtomi auditor, in Libris de *Inſtitutis Cœnobiorum*, & in *Collationibus* ſuis quas vocat. Adi & Sozomenum, *Hiſt. Lib.* I. *C.* XII, XIII, XIV. etiam Epiphanium, Hær. LXXX. de *Maſſalianis*, Hieronymum, Auguſtinum, alios. Inſtitutum adeò fuit, ut à curis ſecularibus abſtracti, Deo vacarent, in doctrinâ & in pietate proficerent, charitatis officiis certarent, nemini graves, nulli hominum ſervientes, nulli Regulæ præterquàm Chriſti; procul otio, mollitie, coactione, opibus, mendicitate, aut voti quo conſcientias alligarent laqueis. Et eò tendunt Regulæ *Baſilii*, Cappadociæ poſt Euſebium Cæſarienſem Epiſcopi, quæ ferè ſolæ ab eo tempore in Oriente obtinuerunt, ſi Baſilii ſunt, certè multùm interpolatæ. Et hinc vitæ illius tùm admiratio nata, ſed & laudes, apud ipſum Nazianzenum *Orat.* IX. Athanaſius cæteroquin, Baſilio haud paulo ſenior, *Epiſt.* ad Ammonem Monachum, perſtringit hos Solitarios, ob damnatum uſum matrimonii, lege primum ſancitâ Can. Chalced. XVI. Nam nequidem Eſſenos fuiſſe omnes cœlibes, ſuprà ex Joſepho conſtitit. Et Athanaſii non eſſe quæ habentur hodie de Vitâ Antonii, de Exhortatione ad Monachos, ipſe in Pontificiis Du-Pinus agnovit. Tanta autem *Monachorum* ſeges vel in ſolâ *Ægypto* fuit, ut *quanti populi haberentur in Urbibus, tantæ penè haberentur in deſertis multitudines Monachorum*, ut Auctor Vitæ Apollonii. Et ex iis Valens Imperator ingentem exercitum conſcripſiſſe dicitur, *militare* juſſis, ex Proſpero in *Chron.* & Oroſio *Lib.* VII. niſi *militare*, *militia*, hoc Ævo quæcunque officia & munia publica deſignaverint, etiam Municipalia & Curialia, quibus ſtipendia patriæ merebantur. Nam *ignaviæ ſectatores* Valens appellabat, qui *deſertis Civitatum muneribus*, *captarent ſolitudines & deſerta*, hinc è latebris erui voluit, lege *Quidam*, quæ eſt LXIII. Cod. de *Decurionib.* ad quam prolixè J. Godofredus, latam poſt mortem Athanaſii Alex. Anno CCCLXXIII. Baronius refert ad A. CCCLXXV. quo Valentinianus vivere deſiit, ſolito μεταχρονισμῷ. Nec enim aliam legem Valens in Monachos tulit. Nugatur Natalis Alexander Monachus qui, occaſione Valentis Monachos inſectati, ait, *hoc ipſi cum omnibus fermè Hæreticis commune fuiſſe.* Nec tum fuêre Monachi in Aſceteriis, quod poſteà fuêre in Cœnobiis, γαστέρες ἀργαὶ, & fontes omnis Idololatriæ, ſuperſtitionis, ignorantiæ.

Moniales Virgines, Viduæ.

IV. Porrò fuêre etiam *Moniales* fæminæ vel virgines, hoc Ævo cogi cœptæ in Collegia, ſeu Cœnobia, Monaſteria, συσσίτια. Priori quidem ætate jam leguntur Virgines Deo conſecratæ, etiam viduæ, perſecutionum tempore, apud Tertullianum, Cyprianum, ſed quæ Parentibus cohabitarent, aut cæteroquin privatæ agerent, voto etiam ſolvi tùm apto. Nam quæ *Virginum collegia* leguntur apud Ignatium, in *Epiſt.* ad Philippenſes, τὸ σύστημα τῶν παρθένων, quod Baronius refert ad Monialium Collegia, A. LVII. *Num.* LV. produnt hoc ipſo minimè eſſe Epiſtolam eam Ignatii. Quanquàm referri poſſit ad totum cœtum vel ordinem vel ſtatum Virginum, ut ibidem ſalutat τὸ τάγμα τῶν χηρῶν. Moniales autem hujuſmodi Virgines *Nonnas* fuiſſe in Ægypto appellatas, ſeu caſtas, auctor eſt Hieronymus, in *Epiſt.* ad Euſtochium, voce in hunc diem retentâ. Virgines porrò vult idem Hieronymus, non *malas*, non *virgines carne* tantùm, non *ſtultas*, ſed virgines *bonas*, taleſque *mente*, *ſpiritu*, in eâdem Epiſtolâ.

Quæ nondùm hujus Ævi.

V. *Commentitia* ſunt falſiſſimaque, quæ finguntur de Cucullis Monachorum; habitu ſimili hodierno; raſurâ hodieque Græcis improbatâ, & ipſi olim Hieronymo; voto triplici; mendicitate; ſuperſtitionibus variis; miraculis indè profectis; exemptione ab Epiſcopali diſciplinâ, & id genus alia tanquàm quæ fuerint hujus Ævi. Quæ item de ſpeciali familiâ ab *Hieronymo* inſtitutâ, à quo *Hieronymiani* hodieque dicantur, *Monachi* alii, alii *Eremitæ*, præpoſteri nempe imitatores Hieronymi, & auctorem eum falsò commenti: Nam *Regulæ* Monachales quæ tribuuntur Hieronymo, pridem ſunt à Doctis exploſæ: Licet hic ſanè, ſed diverſiſſimo inſtituto, ſolitariam primò, dehinc planè Eremiticam in Syriâ vitam, tandem & Monaſticam in Urbe Bethlehem, egiſſe intelligatur. Quemadmodùm imponunt alii, qui *Auguſtiniani* dicuntur, tùm *Eremitæ* primus ſcil. Ordo Mendicantium, zonâ ſcorteâ cinguli loco, qui primùm emerſit ſub Innocentio III. auctore Guilielmo Pariſienſi; tum Auguſtiniani *Regulares* dicti, viventes ſcilicet ſecundùm Regulam Auguſtini, quales non noviſſe Galliam antè tempora Ivonis Carnotenſis *Sec.* XI. fatetur Alteſerra J.C. Toloſanus, Aſceticorum *Lib.* I. *C.* XII. Hinc fuêre filii Patribus iſtis ignoti, nullis ſuæ hujus inſtitutionis probatis documentis inſtructi. Certè Auguſtinus ex Manichæo, dein homine privato, Presbyter fuit Hipponenſis, tandem Epiſcopus, per annos XXXV. ex conſtanti fide; nec is Eremita fuit unquàm, nec propriè Monachus, nec Regulæ ſimilis, qualis Auguſtinianorum, inſtitutor. Solam eam Regulam eſſe Auguſtini, quàm *Sanctimonialibus* ſcripſit, revocandis iis ad concordiam, *Epiſt.* CIX. *Tomo* II. Operum, pridem docuerunt Eruditi. Ac diverſum longè inſtitutum Monachorum & Monialium, ab hodierno, deſcribit idem Auguſtinus, *Libro* I. de Moribus Eccleſiæ Cath. *Cap.* XXXI. in priore Operum *Tomo*. Et contrà deſidiam Monachorum, qui propriis ſe manibus ſuſtentare detrectarent, ex profeſſo agit Libro de Opere Monachorum, *Tomo* V.

Canonicorum origo.

VI. Id tamen largimur, *Canonicorum* originem, Clericorum qui ſecundùm certos Canones unà viverent, undè *Canonici* & *Regulares* dicti, referri jam ad tempora Auguſtini, & proximè antecedentia. Nempè cohabitabant ſibi invicem unius Eccleſiæ Presbyteri & Clerici, certis vivendi *Canonibus* ſeu regulis adſtricti, ſæpè unà cum Epiſcopo, ut ſic *Monaſterii* cujuſdam imaginem præberet Epiſcopalis domus. Exempla in familiâ Euſebii Vercellenſis, Martini Turonenſis, aliis id genus. Ità quoque Auguſtinum, jam Presbyterum, cum reliquis *Dei ſervis* ſeu Clericis, *intrà Eccleſiam* velut *in Monaſterio* unà vixiſſe, *juxtà Regulam ſub Apoſtolis conſtitutam*, auctor eſt Poſſidonius; Et deinceps admoto eo ad Epiſcopatum, *cum ipſo ſemper Clerici, unà etiam domo ac menſâ, ſumptibus communibus alebantur & veſtiebantur*, ut idem in *Vitâ Auguſtini*. Et hinc nata ſunt Collegia *Canonicorum*, ſcil. Clericorum unà viventium communibus Regulis, in majoribus Eccleſiis; inſtruendorum in honeſtis diſciplinis, & ſacris literis, quo ità ad Eccleſiæ munera apti redderentur, Presbyteratum vel Epiſcopatum; quales deinceps in Baſilicâ Lateranenſi collocati à Gelaſio A. CCCCXCVI. diffundendi deinde per Gallias, Hiſpanias, Italiam, &c. Diſceſſuro longè, uti reliqua omnia, à primâ ſui origine inſtituto; Nomine deinceps dignitatis, opulentiæ, luxûs, *fovendis voluptatibus & explendis*, diſertè contrà hujus nominis & vitæ originem.

Baronius notatus.

Unde Baronii iniquitas intelligitur, in *Tomo* III, IV,

IV, V. Annalium, mirè paſſim invecti in eos quos dicit *Novatores*, ob reprobatum *Monachorum* recentius inſtitutum; ſupponentis itidem propriè Monachum fuiſſe Auguſtinum, vel Abbatem potiùs, cum quo & ſub quo *Monachi* alii viverent; *Apocryphis* etiam multis addentis auctoritatem, quæ cordatiores ipſi in Pontificiis explodunt; denique inſtitutum illud Seculi IV. ex hodierno Latinorum peſſimè interpretantis. Ac pari in errore verſatur Roma penè omnis Pontificia, ſi Doctos & oculatos excipimus.

XV. *Scripta ſuppoſititia. Apocrypha alia & Fabuloſa huic Ætati afficta; Exemplis quibuſdam adductis.*

INnumera ad hanc Ætatem referuntur, tanquam *ſcripta*, etiam *facta* & *hiſtoriæ*, cumprimis ab Annalium Scriptore Baronio, quibus nulla fides eſt in genuinis Veterum monumentis; ſi in *factis* quibuſdam excipias extremam Seculi IV. periodum.

Scripta Apocr. I. *Scripta* quidem ὡσεὶ κόνις *Apocrypha*, Epiſcopis & Patribus hujus Ævi adſcripta, ſunt innumera, de quibus, præter Eraſmum, Sixtum, Poſſevinum, Bellarminum, Pontificios alios, prolixè Magdeburgenſes, Perkinſius, Cocus, Parkerus, Rivetus, Scultetus, Hottingerus, Oudinus, Cave, Patrologi alii. Noviſſimè ingenuitatis in plurimis laudem meruit *Elias Du-Pin*, Novæ Bibliothecæ *Tomo* II.

Pſeudo-Decretales. In his ſunt *Decretales* adſcriptæ Marcello, Euſebio, Marco, Julio, Liberio, Felici II. Damaſo, Siricio ad Epiſcopos Africæ; de quibus ex profeſſo egit Blondellus noſter in Pſeudo-Iſidoro, adductis etiam judiciis ſubindè Doctiſſimorum in Pontificiis, deinde Du-Pinus in dicto Opere. *Damaſo* etiam multa per fraudem adſcripta, ut *Epiſtolæ* variæ in Iſidoro Mercatore, & Liber cumprimis de *Vitis Pontificum*, qui vulgò Pontificale Damaſi; de quibus conſenſus ferè eſt inter Eruditos, eſſe hæc Damaſo ſuppoſita, poſterior etiam Liber vulgò *Anaſtaſio* tributus, de quo nos prolixè diximus in *Hiſtoriâ Papæ Fœminæ*.

De dubiis Euſebii. *Euſebio Cæſarienſi* Hiſtorico falsò inſcriptos eſſe Libros de *Vitâ Conſtantini M.* cenſuit levi conjecturâ Jacobus Godofredus, vapulans hoc nomine H. Valeſio, quem adi, & prolixè hac de re Mart. Hankius in Euſebio *Pamphili*. Certè ab Euſebio ſcriptos eſſe, cùm ipſe Libro II. C. XLV. *Lib.* IV. C. XLV. tùm Socrates Hiſtoricus non ſemel indicat. Nec iſtos compilamus. Quod verò Gelaſius, *Diſt.* XV. *Hiſtoriam Euſebii apocrypham* dixit, intellexit ille de apocryphis quibuſdam narrationibus Euſebii, uti de Epiſtolâ Chriſti ad Abgarum, ſimilibus. Certum ut plures fuêre Euſebii, ſic Cæſarienſi huic quandoque adſcriptum fuiſſe, quod alterius Euſebii fuit, ut *Homiliæ* quas Latinè emiſit in lucem Sirmondus A. 1643. ſub nomine *Euſebii Pamphili Opuſculorum* XIV. & ejus eſſe credidit Valeſius; ſecùs judicantibus aliis.

Athanaſio afficta. *Athanaſio* Alexandrino, ſeu per fraudem ſeu per inſcitiam, adſcripta eſſe non pauca, fovendæ ſuperſtitioni deinceps natæ, ut *Vitam Antonii* Eremitæ; qualis ſcilicet hodie extat; *Exhortationem ad Monachos*, Latinè ſcriptam; Librum *de Paſſione Imaginis* Chriſti in Beryto crucifixæ; Sermonem de Aſſumptione *Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis*; ejus farinæ alia, ab iiſdem Viris factum eſt palàm. De *Syntagmate Fidei*, edito ad Andreâ Arnoldo A. 1685. ex Iſ. Voſſii Bibliothecâ, dictum eſt ſupra, & prolixè Oudinus in noviſſimo Commentario, & Baſnagius noſter qui ſpurium quoque cenſet. *Synopſin S. Scripturæ* plerique Athanaſio abjudicant. De *Symbolo* vulgò *Athanaſiano*, aliiſque non hic eſt diſſerendi locus.

In *Ambroſio* Mediolanenſi, Sermones varios illi aſſutos eſſe, ut de *Paſſione Agnetis*, de *Baptiſmo Auguſtini*, alios; Sic Precationes de *Præparatione Sacerdotis ad Miſſæ munus*, &c. poſt Eraſmum, alii viderunt. Dubii ſunt Commentarii in *Epiſtolas Pauli*, ab omnibus ferè Doctis Hilario Diacono adſcripti, ſi excipis Commentarium in *Epiſt.* ad Hebræos. Libros VI. de *Sacramentis*, quales habentur hodie Ambroſii, non eſſe, ipſe jam vidit Cardinalis Bona, *Liturg.* L. I. C. VII. cùm ob manifeſtam ſtyli diverſitatem, tùm quod multa à Seculo Ambroſii aliena videantur, licèt jam *Sec.* VIII. & IX. Ambroſio adſcripti fuerint. Ambroſio.

Baſilio Cæſarienſi, inter alia plurima, malè tribui τὰ Ἀσκητικὰ, ſeu Regulas vitæ Monaſticæ, quæ veriùs fuerint Euſtathii Sebaſtienſis, damnati in Synodo Gangrenſi, jam olim conjectura fuit, teſte Nicephoro, nec pauci accedunt in ipſis Pontificiis. Phil. Labbeus in Baſilio, ad Tomum II. *Conſtitutiones Monaſticæ* (tributæ Gregorio Nazianzeno & Baſilio) *vereor ut de his intelligi debeant, quæ ad nos uſque pervenerunt*. Certè interpolatus in multis eſſe à poſterioris ævi Monachis vix eſt dubium, quamvis laudentur Photio *Cod.* CXCI. ut Baſilii Cæſarienſis, τὰ λεγόμενα Ἀσκητικὰ ἐν δυσὶ λόγοις. Afficta Baſilio alia videſis in Criticâ Riveti, G. Cave, Eliâ Du-Pin, &c. Baſilio.

Hieronymo & *Auguſtino* quanta ſuppoſitorum fœtuum ſeges fuerit appoſita, recenſere poſt Eraſmum, & Eruditos omnes, hujus minimè inſtituti eſt. Diſtinxit Eraſmus, inter ἀναμφιβόλως notha, τὰ ψευδεπίγραφα, *Docta* alia, (inter quæ Liber Hieronymo tributus *de Aſſumptione Deiparæ Virginis*,) alia *Indocta*, denique *Aliena*, vel *Mixta*. Idem dicimus de ſcriptis afflictis *Hilario* Pictavienſi, *Gregorio* utrique, Nazianzeno & Nyſſeno, *Epiphanio*, reliquis tàm Græcis quàm Latinis hujus Ævi Patribus, de quibus ſuprà Capite XII. Nec hujus iſta Hiſtoriæ ſunt, ac ſpecialem ſibi *Criticæ* iſta locum deſiderat, quò faciunt *Canones* noſtri *Critici* præmiſſi ſuprà Hiſtoriæ Chriſtianæ *col.* 486. Greg. Naz. Nyſſ. Hieron. &c.

II. Magis huc ſpectant inſignes quædam *Hiſtoriæ apocryphæ*, ſeu fabuloſæ, quædam etiam apud hujus Ævi ſcriptores. Narrationes apocryphæ.

Talis illa de Inventione & exaltatione *Dominicæ Crucis*, ſtudio Helenæ matris Conſtantini, circà Annum CCCXXVI. de quâ fusè ad eum annum Baronius, *Num.* XLII. *& ſeq.* Nempè Helenam, quam provectâ jam ætate in Palæſtinam profectam eſſe teſtatur Euſebius, *de Vitâ Conſt. Lib.* III. C. XLII. inquiſiviſſe primò in locum Dominicæ Paſſionis, quem poſtquàm admotâ militum ac provincialium multitudine purgari juſſiſſet, egeſtis ruderibus, mox precium fidei & laboris retuliſſe, repertis *Crucibus* tribus, Domini illâ & utriuſque Latronis. Referunt rem, ſed diverſis circumſtantiis, Cyrillus Hieroſolymitanus, *Epiſt.* ad Conſtantium, Ambroſius *Orat.* in Theodoſium, Paulinus in *Epiſtolis Ep.* XI. Ruffinus *Hiſt. L.* I. Sulpicius Severus *Hiſt. L.* II. hinc Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Caſſiodorus, Nicephorus, alii. Et à tempore hujus creditæ narrationis, *Lignum* illud *triumphale*, diſperſum Orbe toto, ac inſigniter multiplicatum, panum inſtar in miraculo Euangelico, evaſit religioſæ adorationis ſive *latriæ* luctuoſum Populis objectum. Undè Feſtum inventæ & exaltatæ Crucis; nec *latriæ* tantùm cultus, ſed & invocatio, *Salva catervam in tuis laudibus congregatam!* Et, *O Crux, Ave ſpes unica*, &c. *Ecce lignum Crucis, Venite, adoremus*, & quæ alia ex Breviario & Miſſali Romano in vulgus nota. De inventione Dominicæ Crucis.

Digitized by Google

Meritò miratur Annalium Scriptor, dicto loco, Fabulæ argumenta. Baronius notatus. nihil hujus rei meminiſſe Euſebium, σύγχρονον Scriptorem, & hiſtoriam purgati loci, Templi ſtructi, quod dictum *Martyrium* & *Crux* Dominica, etiam *Anaſtaſis* (nec enim diverſæ Baſilicæ, in loco Paſſionis & Reſurrectionis, ut putavit Sirmondus) omniumque quæ ab Helenâ geſta, quàm accuratiſſimè referentem, aſt *de Cruce ab eâ inventâ ne verbum quidem*. Quod enim dixit repertum à Conſtantino M. in quærendo loco Sepulchri Dominici, τὸ γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους, non Crucem voluit, ſed Sepulchrum, cui antè Veneris Fanum ſuperſtructum. Ac peſſimè huc refert idem Baronius tanquam Euſebii, quæ in Chronico Latino Hieronymi leguntur, de reperto ab Helenâ *beatiſſimo Crucis ligno*. Hæc enim nec Euſebii eſſe, nec Hieronymi, nec in ullis Codd. Mss. legi, ſed ex Ruffino & aliis, in Chronicon illud, loco etiam non ſuo, fuiſſe illata, pridem Scaliger, Pontacus, Salmaſius, Dallæus, aliique obſervarunt. Ac fabulæ ſunt invictiſſima argumenta, puta ex circumſtantiis ipſis aut inter ſe pugnantibus, aut abſurdis, quæ habentur apud Ambroſium, Sulpicium, Paulinum, &c. ex more antiquo tollendi Cruces, quam quiſque cruciarius ſibi ferebat; ex fabellis id genus, de repertis Clavis, Sudario Veronicæ, Sindone ſepulchrali, &c. & ex credulâ ejus ævi ſuperſtitione, ac miro Reliquiarum ſtudio in Ambroſio, Paulino, & aliis: Quæ habes apud Salmaſium *Epiſt.* de Cruce ad Th. Bartolinum, Dallæum noſtrum de *Cultu Relig. Lib.* v. *Cap.* I. & Eruditos alios, quos compilare nihil neceſſe eſt.

De Veſtigiis pedum Chriſti. Ejus generis fabella altera eſt, *de Veſtigiis pedum* Chriſti, aſcenſuri ad Patrem, impreſſis in monte Oliveto indelebili charactere, & ab Helenâ repertis: Undè in ipſo illo montis vertice Sacram Ædem erexerit, de quâ Euſebius, *Lib.* III. de Vitâ Conſt. *C.* XLIII. Auctor rurſùs eſt Sulpicius Severus, familiaris Paulino, nam apud alium neminem hujus & ſequentis ævi ſe legiſſe fatetur Sigonius. Citat quidem Annalium Scriptor, ad A. CCCXXVI. *Num.* XL. etiam Hieronymum in *Locis Hebraicis* Actorum Baronius notatus. Apoſtolic. quem tamen Libellum interpolatum eſſe, in quo ipſe citatur Hieronymus, pridem ab Eraſmo, Victorio, & aliis notatum. Fabellam tacent Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, reliqui, quin ipſe Nicephorus, impensè aliàs credulus, & talium propinator ineptiarum. Planè ut fabula de lapſu Bellerophontis, & Avienus,

Impreſſaque ſolo liquit veſtigia calcis.

Nec malè originem fabellæ conjectarunt Eruditi, ex malè redditis verbis Euſebii, de *Vitâ Conſt. Lib.* III. *Cap.* XLII. Eam nempè, in Judæam delatam, veneratam eſſe debito cultu τὰ βήματα τὰ σωτήρια *Servatoris noſtri Veſtigia*, ſeu eam quam ipſe calcaverat Terram.

Fabulæ aliæ ex Actis Sylveſtri. Baronii fides. Adde fabulas quarum non puduit Baronium, ad Ann. CCCXXIV. puduit ferè omnes in Latinorum choro. Puta, de *apparitione Petri & Pauli*, quæ Conſtantino in ſomnio acciderit, *Deos* putanti, ac per eos monito ut ad ſe Sylveſtrum, in cavernis latitantem, evocaret: Adhæc, de *Leprâ* Conſtantini M. quâ ob atrociſſima ſcelera aut intentam perſecutionem in Chriſtianos, divinitùs fuiſſet percuſſus, fruſtrà illi quæſitâ medicinâ in balneo humani ſanguinis, ad Aruſpicum voces: De miraculoſâ *ſanatione* per *Sylveſtrum* Papam, manibus Conſtantino impoſitis, hinc *Baptiſmo* tùm quoque à Sylveſtro ſuſcepto, qui eum & à peccatis, & à leprâ purgaſſet; ipſo Juliano Apoſtata objiciente Chriſtianis, *Baptiſmum nunquàm ſanaſſe leproſum quemquam à leprâ*: De depoſito ab Imperatore per VII. dies Regio cultu, & actâ pœnitentiâ, Anno CCCXXIV. paulo antè Nicænam Synodum: De *Imaginibus* Petri ac Pauli per Sylveſtrum Conſtantino oſtenſis, ut cognoſceret Princeps illi-ne eſſent *Dii*, qui ſibi apparuiſſent in ſomnio: De grato animo Conſtantini, hinc factâ *Donatione* Sylveſtro Papæ, ut *Patri Patrum*, *ſummo Pontifici*, *univerſali Papæ*, ejuſque Succeſſoribus, ob miraculoſæ ſanationis beneficium, nempe Palatii Lateranenſis, Urbis Romæ, Italiæ, imò totius Occidentis, ac Principatûs in IV. Thronos Patriarchales, (Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum, qui nondùm inſtitutus) Majeſtatis denique in Romano Imperio, cujus ſignum eſſet Corona ex auro puriſſimo & gemmis. Et omnia illa quidem, ex *Pſeudo-Actis* Sylveſtri, propinatis tempore Nicænæ Synodi II. Iconolatricæ, item ex *Pſeudo-Damaſo* ſeu Anaſtaſio, & id genus mendaciſſimis vel recentioribus Tabulis; Tacente omni Antiquitate, antè tempora Hincmari Rhemenſis, vel Iſidori Mercatoris, id eſt, antè Seculum IX. Ac præter rerum ipſas abſurditates, repugnante Hiſtoriâ Conſtantini, & temporum eorum ratione; ac conſenſu de Baptiſmo ejuſdem Nicomediæ ſuſcepto, in vitæ extremo; prætereà conditione Sylveſtri, & Eccleſiæ ejus temporis, deincepſque Romanorum Pontificum, antè Pipini tempora & Caroli M. qui primi Dominium illis temporale conceſſerunt. Ac mirum dictu, quas in formas ſeſe vertat Purpuratus, ut his colorem aliquem ſpeciemque veritatis obducat; quamvis *Donationem* Conſtantinianam exploſerit, quod Romanæ Eccleſiæ principatum à Chriſto ipſo, non ab Imperatoribus, undè à Græcis Schiſmaticis confictam ſed abſurdiſſimè, cenſuit, *Annal.* T. XII. ad A. MCXCI. Qui Græci omnem juriſdictionem in Patriarchas Orientis Romano conſtantiſſimè negarunt. Sed Edictum hoc ſive Caroli M. temporibus, ſive Leonis IX. aut Gregorii VII. Pontificum, ſive Ottonum illis, ſuppoſitum fuerit, De Marca voluit temporibus Pipini Regis, (quum repeterent legati Conſtantinop. Exarchatum & regiones Italicas, quas Pipinus Rom. Eccleſiæ attribuerat) riſit ferè omnis Roma Pontificia, docta nempè & ingenua, putidum Commentum, poſt Æneam Sylvium in *Dialogis*, vel *Laur. Vallam* qui ſingulari Scripto Donationem eam exploſit.

Vide de his, deque Actis Sylveſtri nuper Ant. Pagium, in Criticâ Baronianâ, ad A. CCCXXIV. *Num.* IV. V. VI. Eliam Du-Pinum explodentem & Lepram Conſtantini, & Baptiſmum per Sylveſtrum, & Donationem factam huic Papæ & ſucceſſoribus, in *Bibl. Novâ*, in Conſtantino M. p. 59. *& ſeq.* Edit. Pariſ. Præter Natalem Alex. recoctis argumentis eadem falſi arguentem, prolixâ Diſſertatione, quæ eſt XXIV. T. VIII. *Hiſtoriæ* quam vocat *Eccleſiaſt.*

Ejuſdem farinæ ſunt Donationes quædam aliæ Conſtantini M. factæ Romanæ Eccleſiæ, quas ex Libello quodam de *Munificentiâ Conſtantini*, (quem ſcil. Anaſtaſius Bibliothecarius produxit ex Archivis Romanæ Eccleſiæ, Seculo IX. jam labente) citat probatque Annalium Scriptor, ad An. CCCXXIV. Donationes fictitiæ, & Baſilicæ Conſtantini M. *Num.* LV. LXIII. &c. & Binius ad Vitam Sylveſtri, *Tomo* I. *Conc.* Narrant igitur, conſtructam à Conſtantino Baſilicam *Conſtantinianam*, quæ & *Lateranenſis* à loco appellata, in monte Cœlio, B. Johanni (ſeu Euangeliſtæ, ſeu Baptiſtæ, ſeu utrique) ſacram; collocatis in faſtigio anteriore *Imaginibus* Chriſti, & XII. Apoſtolorum, & Angelorum IV. ex argento puriſſimo, immenſi ponderis; additis ſeptem Altaribus argenteis, Coronis aureis, Patenis, Scyphis, Amis, Calicibus, Cantharis, Pharo, &c. ex auro puriſſimo, ac donariis aliis id genus, valoris ſuprà omnem æſtimationem. Quo loco fuerint tùm *Imagines* apud Chriſtianos, docet etiam noſtra Hiſtoria

Digitized by Google

ſtoria Imaginum Reſtituta *Sect.* I. *Numer.* IV. V. VI.

Addunt, conſtructas Romæ ab eodem Conſtantino Eccleſias ſeu Baſilicas, Vaticanam B. *Petri*, *S. Pauli* viâ Oſtienſi, *S. Crucis* in Jeruſalem in memoriam inventæ Crucis ab Helenâ, *S. Agnetis*, *S. Laurentii*, *Petri & Marcellini*; Eccleſiam *Oſtienſem* S. Petri & Pauli, & Johannis B. aliaſque hinc inde per Italiam, additis donationibus, ornamentis, pretii immenſi. Addunt Fontem Sacrum ſeu *Baptiſterium*, in quo tinctus à Sylveſtro Conſtantinus, ex lapide Porphyretico, obducto argenti libris *tribus & octo millibus*, in quo Columna aurea *Librarum quinquaginta*, ardentes balſami *Libra ducenta*, Agnus ex auro puriſſimo *Librar. triginta*, Salvator ex auro puriſſimo *Librar. centum & ſeptuaginta, &c.* Habes Tomo I. Concil. Editionis noviſſimæ *Col.* 1409. *& ſeq.* Ac quàm aliena hæc ſint ab ætate, ab hiſtoriâ Conſtantini, à fide teſtium, à veri ſpecie, quadrantia demùm iis temporibus quibus luxus & ſuperſtitio Rom. Eccleſiæ præcipuè increvit, VIII. IX. X. & ſequentibus Seculis, cordati omnes intelligunt, præter fortè Baronium, Binium, & Gnathones.

Fabuloſa alia de S. Cathar. S. Urſulâ, S. Nicol. S. Georgio, &c.

Porrò fictis narrationibus, fictis *miraculis*, (neque tamen Providentiæ admiranda omnia rejicimus) fictis *Martyribus*, quandoque apud Philoſtorgium, Sulpicium, Oroſium, Sozomenum, Theodoretum, &c. maximè autem ex Actis Apocryphis, apud Gregorium Turonenſem, Metaphraſtem, Nicephorum, Menologos, Legendarios, nugivendulos ſimiles, hinc apud Surium, Baronium, Bollandum, reliquos, modus propemodùm nullus eſt. Viſum ex parte ſuprà in Hiſtoriâ Perſecutionis Diocletianeæ, & quæ illam exceperunt. Nempè huc faciunt fabulæ, e. gr. de *S. Catharinâ* Virgine Alex. & martyre, de quâ *col.* 819. De *S. Urſulâ*, & Sociis *Virginibus*, quam ad hoc Seculum referunt, ad Gratiani ſcil. imperium, ſublati A. CCCLXXXIII. & ad tempus Maximi Tyranni, qui Britanniam, in quâ tyrannidem arripuit, omni juventute & armato milite ſpoliaſſet, traductis ſecum in Gallias; hinc pulſis Armoricis diſtribuendâ novis colonis, ex Britanniâ tranſvectis, Britannia hac minore, quò fuerit illa Virginum facta tranſvectio, apud Baronium ad A. CCCLXXXIII. N. III. &c. Refutante Pagio, ad eundem Annum, *Num.* III. IV. ex Britannorum ac Francorum Annalibus, qui eam tranſmigrationem Britannorum, in Galliam Armoricam, referunt ad tempora quo à Saxonibus fuerunt priſtinis ſedibus pulſi: Sic fabula de *S. Nicolao* Myræ in Lyciâ Epiſcopo, & Confeſſore ſub Licinio; inter alia de ejuſdem apparitione in ſomniis Conſtantino Imperat. & Ablavio Præfecto prætorio, qui Conſul fuit A. CCCXXXI. liberandis nempè Tribunis tribus qui jam erant mortis damnates, ut fusè hæc Baronius ad A. CCCXXVI. & in *Notis* ad Martyrolog. Alia de *S. Georgio* Cappadoce, & Martyre ſcilicet, invocato Romæ a. d. XXIII. April. ſub imagine Equitis cataphracti, Draconem cuſpide conficientis, & quæ de ipſo alia Legendæ referunt. Qui Georgius reverà Epiſcopus Arianus fuit, à Paganis Alexandriæ per ſeditionem occiſus, acceptâ Artemii morte, quem Antiochiæ A. CCCLXII. interfectum tradit Ammianus *Lib.* XXII. C. XI. Poſt quem Georgium *Athanaſius* iterùm Alexandriam ingreſſus eſt, pellendus indè aliquot poſt menſibus à Juliano, donec hoc opportunâ morte ſublato, à Joviano idem Athanaſius revocaretur. Sic Fabulæ plurimæ de *S. Martino* (qui Turonenſis Epiſcopus ordinatus fuit A. CCCLXXV juxtà Baronium, juxtà rationes Pagii A. CCCLXXI.) ejuſque *Miraculis*; de quo poſt Sulpicium Severum adiri debet Gregorius Turonenſis, in cujus credulam ſimplicitatem fabulæ multæ refundendæ, Libro de Martyrum & Confeſſor. Gloriâ, & de Miraculis S. Martini, quæ tùm fuêre in Galliis tempora. Sic illa de *Capite S. Johannis* Bapt. ac multiplici ejus inventione, ſub Valente Imp. & aliàs; undè in hunc diem de eo Capite graviſſimum certamen, videndum ad Martyrol.

Credulitas undè?

Romanum XXIV. *Febr.* & XXIX. *Auguſti.* Nempè magna fuit ejus ævi circa *Miracula* credulitas; tùm ex ingenio Paganorum, qui recens ad Chriſtianiſmum converſi fuerant, fabulis aſſueti; tùm ex nimiâ veneratione Martyrum, Reliquiarum, & admiratione Vitæ Monachalis, ne Hieronymo, Ambroſio, Sulpicio, &c. exceptis. Major ævi ſequioris imprudentia fuit, in fabulis ſine fine augendis. Catalogum exhibebunt vel Magdeburgenſes, *Cent.* IV. C. XII. XIII. præter Baronium cum ſuis. Et ab hac credulitate, hiſtoriæ inimicâ, Paulum Oroſium, in VII. *Hiſtoriarum Libris*, ſcriptis ſuaſu Auguſtini, ne Baronius ipſe liberat, quam Oroſii ἀβλεψίαν paſſim obſervamus.

XVI. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi Miſcellanea.*

Quæ ad Civil. Hiſt. pertin.

I. Mittimus quæ ad hiſtoriam Imperatorum civilem ſpectant, *Conſtantii Chlori*, *Conſtantini* M. *Conſtantini* II. *Conſtantis*, *Conſtantii*, *Juliani*, *Joviani*, *Valentiniani Sen. Valentis*, quorum notatu digniora ſuprà fuêre obſervata, *Cap.* II. III. IV. XIII. non hoc loco reponenda. Ita nec quæ ad *Gratianum* Valentiniani filium, laudatiſſimum Principem, pium, clementem, fortem, magnanimum, abjecturum PONTIFICIS MAXIMI titulum, à Gentilibus adhuc Chriſtianis Augg. tributum, referente Zoſimo, *Hiſt.* L. IV. Neque ea quæ ad *Valentinianum Juniorem*, Valentiniani ſenioris filium, cum Valentis filio minimè confundendum, & cui mater fuit Juſtina Ariana; aut quæ ad *Theodoſii M.* res geſtas in Imperio, pace belloque, ἐν τοῖς ἔξω τῆς ἐκκλησίας. Spicilegium tantùm addimus quorundam, quæ ad *Eccleſiæ* Hiſtoriam faciunt, memorabilium, ex ampliſſimâ ſegete, prout ea fortè nobis occurrunt.

Conſtantii Chlori prudens factum.

II. Memoratu certè dignum eſt factum *Conſtantii Chlori*, patris Conſtantini M. exploraturi animos ſuorum Aulicorum, Palatinorum, Judicum, omniumque qui in aliquâ poteſtate, ſeu Officiis Curialibus & majoribus, conſtituti. Nempè ſimulavit affectum ergà Simulachra, Idola, ac pollicitus favorem & gratiam iis qui ſacrificarent; recuſantibus verò interminatus indignationem, ac pœnam, aditu ipſo Aulæ prohibendis, removendiſque. Undè diviſis iis in apoſtatas, & ſtabiles in Chriſtianâ fide, exploratiſque ità à Conſtantio ingeniis, res *apoſtatis* male ceſſit, ut in Deum hominis gratiâ perfidis, quorum adeò nutaret facilè ergà Principem fides. Vide narrantem iſta Euſebium de Vitâ Conſtantini M. *Lib.* I. C. XVI. vel Sozomenum *Hiſt. Lib.* I. *C.* VI.

Conſtantinopolis Condita; Dedicata.

III. Huc etiam ſpectat *Conſtantinopolitanæ* Urbis, ut *Nova Roma*, per Conſtantinum extructio, ex Byzantio vetere, nuper ſub Conſtantini poteſtatem reducto, poſt devictum Licinium, qui aliàs *Ilium* voluerat inſtaurare. Novæ Urbis jacta ſunt fundamenta *Vicennalibus* Conſtantini, quæ inciderunt diverſimodè in Annum CCCXXV. vel ut Cangius de Vicennalibus Romanis, in Ann. CCCXXVI. Perfecta vero fuit XXVIII. anno Imperii, Chriſti CCCXXXIV. *infrà decennium*, urgente identidem operas Imperatore, cui in vicinâ *Nicomediâ* plerumque ſedes. Hæc ex Socrate *Lib.* I. C. XVI. Philoſtorgio *Lib.* II. C. IX. & Nicephoro Hiſt. *Lib.* VIII. C. IV. pluribus adſtruit Pagius; refutatâ Chronologiâ Petavii, quæ etiam eſt Jac. Godofredi in Chronol. *Codicis Theod.* qui initium ædificatæ Conſtantinopoleôs biennio ſeriùs, Anno CCCXXVIII. ſtatuunt, abſolvendo opere A. CCCXXXVII.

Digitized by Google

cccxxxvii. qui emortualis fuit Conſtantini M. Urbs fuit ſitu planè admirando, acclivi illo vii. collibus diſtincto, inter duo Maria, è regione Boſphori & Aſiæ, portu in Sinu Ceramino ſine exemplo, ſolo uberrimo, aëris mirâ temperie, turribus & vallis munitiſſimis; digna adeò Urbe *Æternâ*, *Auguſtiſſimâ*, *Sacratiſſimâ*, ſede deinceps Orientalis Imperii. Hinc per omnia adæquanda *Romæ veteri*, in Civilibus & Eccleſiaſticis, ex variis Conſtantini, & Succeſſorum conſtitutionibus, & ex Canone xxviii. Concilii Chalcedon. Hinc & νέα, δευτέρα, ἄλμα, ἐφάμιλλος Ῥώμη, hinc & *æterno nomine donata* dicitur, *Cod. Theod.* l. 7. de Naviculariis, & aliàs; id eſt, nomine cùm *Romæ* veteris, tùm ipſius *Conſtantini*, æternitati conſecratis. Undè etiam immunitates eædem quæ veteris Romæ, ut ſtatim. Urbis autem facta eſt *Dedicatio*, τὰ ἐγκαίνια, An. Chriſti cccxxx. *Maji* xi. xxv. Imperii Conſtantini, *quintis* ejus Quinquennalibus, *feriâ* ii. *Indict.* iii. Gallicano & Symmacho Coſſ. omnium penè conſenſione, ex Idacio in Faſtis, Chronico Alexandrino, Cedreno, &c. celebrandis anniverſario ritu Encæniis. Et ad ſubitum Urbis æquandæ Romæ veteri incrementum, Civium videlicet atque Ædificiorum illud, magnificis eam πρεσβείοις ſeu privilegiis dotavit, ut Senatûs, Immunitatum à metati ſeu hoſpitii onere, aliiſque, & gratuitæ annonæ, arcæ frumentariæ, facilis commeatûs, Naviculariorum, Prætorum, Studiorum, &c. Additis publicis Operibus, Baſilicis, Circo, Amphitheatro, Capitolio, Palatio, Aquæductibus, Fontibus, Porticibus, Balneis, &c. etiam Symbolis ſacris publicè erectis, de quibus Euſebius de Vitâ Conſt. L. iii. C. xlvii. xlviii. & Socrates *Lib.* i. C. xvi. Videnda hæc præ reliquis in deſcriptione *Conſtantinopol. Chriſtianæ*, à Carolo Du-Freſne editâ.

Baronius notatus.

Nugatur Nicephorus, *Hiſt.* Lib. viii. C. xxxvi. & poſt eum Baronius, ad An. cccxxx. N. iv. Urbem eam dedicatam fuiſſe τῇ Θεοτόκῳ *Dei Genitrici Mariæ*, ſeu in ejus memoriam, vel honorem, unde à poſterioribus Græcis dicta τοῦ Θεοτόκου οἰκεῖα πόλις. Imò *Deo Martyrum* conſecratam diſertè Euſebius, *Lib.* iii. de Vitâ Conſt. C. xlviii. confirmante de conſecrationibus Chriſtianorum Auguſtino, *de Civit. Dei*, *Lib.* xxii. C. x. Ejuſdem fidei ſunt quæ de Templis Conſtantino ibi ſtructis, in honorem *S. Michaëlis* Archangeli, & quorundam Martyrum, habet inprimis Nicephorus, ex eo Baronius; tacente Socrate *Lib.* i. C. xvi. qui duas tantùm Eccleſias memorat, Conſtantinopoli erectas à Conſtantino, illam S. S. *Apoſtolorum*, quorum doctrinam amplexus erat, deſcribente Euſebio *Lib.* iv. C. lviii. & *ſeq.* & alteram dictam *Irenes*, ſeu Pacis: *Sophiæ* illam malè addentibus aliis, quæ ſurrexit ſub Conſtantio, ex Chronico Alex. dedicata A. ccclx. Conſtantio Aug. x. & Juliano iii. Coſſ. xvi. Kal. Mart. qui dies fuit *Encæniorum* Magnæ Eccleſiæ, paulo poſt Eudoxium ad Sedem Conſtantinopolit. evectum. Adde fabellas de *viſionibus* Conſtantini, & *miraculis*, quibus Imperator ad transferendam ſedem Imperii, & ad ſtruendam Urbem inductus fuerit, ex Philoſtorgio, Zoſimo, Sozomeno, Auctore Chronici Alex. ac præ cæteris Nicephoro; quæ videnda pluribus apud Baronium, vel apud Jac. Godofredum, in *Lib.* ii. Philoſtorgii, *Cap.* ix. Nihil certè opus miraculo, ad delectum loci in quo novam Urbem & ſibi cognominem conderet; ipſo loci ſitu planè ad imperium Orbis à naturâ facto, undè Oraculum *Cæcos* dixerat Chalcedonenſes, qui fermè è regione urbem ædificarant; accedente celebritate Byzantii veteris, viciniâ Nicomediæ, propinquitate Aſiæ & Europæ, aliis quæ diximus Urbis decoribus. Abſurdè autem Annalium Scriptor, ad An. cccxxx. *Num.* xix. colligit *Veteris Romæ* prærogativam ſuprà *Novam*, à Baſilicarum ac Memoriarum Numero, quæ in illâ xl. eſſent, ex Romanenſ. hypotheſi, quum in hac vix xiv. Arcadii & Honorii ætate. Nempè non ita tum multiplicati Martyres in Oriente, nec circà eorum Memorias ſuperſtitio, qualis deinceps fuit.

Mors Criſpi filii Conſtant.

IV. Conſtantinum fœdavit magnoperè admiſſum facinus in *Criſpum* filium natu maximum, ex ſolâ ſuſpicione veneno tollendum, juſſu immitis patris, ad accuſationem impiæ novercæ, parem accuſationi in caſtum Joſephum intentatæ. Conſentiunt omnes Hiſtor. & factum plerique eſſe Polæ in Iſtriâ, A. cccxxvi. quicquid mentiatur Zoſimus, factum ab Imperatore Ethnicis Sacris adhuc addicto, hinc Baptiſmo eluituro ſcelus. Serò quidem ductus facti pœnitentiâ, hinc præ animi dolore *ſtatuam* illi erecturus, cum inſcriptione, *Filius meus injuriâ læſus.* Ablavius verò Præfect. Prætorio, & Conſul cum Baſſo A. cccxxxi. Conſtantinum Neroni comparavit, hoc diſticho apud Sidonium Apollinarem *Lib.* v. *Epiſt.* viii. *Saturni aurea ſecla quis requirat? Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.* Eodem ferè tempore ſublatus violentâ morte *Licinius Cæſ.* ex ſorore Conſtantiâ & Licinio natus, aliique cum eo ſuſpecti conſpirationum habitarum cum Licinio. Tacuit autem illa Euſebius, *Libris* De Vitâ Conſt. M. ut & necem *Fauſtæ* Conjugis, illa relaturus quæ facerent ad laudem tanti Principis.

Pœnæ ſumptæ de Perſecutoribus.

V. *Pœnæ* divinitùs Tyrannis ac Perſecutoribus immiſſæ. Hujuſmodi ſunt quæ *Diocletiani*, *Maximiani Herculii*, & *Galerii Maximiani* cruentam perſecutionem pede preſſo exceperunt, ut præmonitum ſuprà hoc Seculo *Cap.* ii. Mox & *Maximinus* vindicem Dei manum expertus eſt, & *Maxentius* tyrannus; ille inter diros cruciatus, veneno hauſto, ac Chriſto ſubinde miſerè appellato, *deteſtabili genere mortis* extinctus, ita Lactantius de *Mortibus Perſecut.* C. xlix. hic verſo in fugam exercitu *multitudine fugientium preſſus*, *ac in Tyberim deturbatus*, vi. Kal. *Nov. A.* cccxiii. quo die Imperium ceperat, ex eodem Lactantio, C. xliv. Idem, extinctam mox familiam totam Maximini & Galerii pluribus refert *Cap.* l. Quem vide & doctiſſimas ad illum *Notas* Baluzii, G. Cuperi, aliorum.

Adde, ut jam in anteceſſis, *Licinium*, perfidiæ in Chriſtum & Chriſtianos daturum pœnas, imperio exutum & Theſſalonicæ interfectum, A. C. cccxxiv. ex Sozomeno *Lib.* i. C. vii. Sic quoque *Magnentium* Tyrannum, in Galliis ortum, qui *Jovianæ* & *Herculianæ* Legionibus præfuerat, interfectorem *Conſtantis* optimi Principis, & uſurpatorem Imperii, exemplum quoque divinæ ultionis; dum Matre, & Charis ſuis interfectis, ſe quoque ipſum transfoſſo latere interemit, Imperii anno v. Quanvis *Chriſtianum* fuiſſe arguant Nummorum *Symbola*. Adde etiam ſuprà *Julianum*, ſecundo jam Imperii anno, ut rectè Hieronymus in *Chron.* (alii tertio, ut Philoſtorgius, Socrates) in ſuâ adverſus Perſas expeditione, incerti militis telo vulneratum, nec itâ diu poſt vitâ functum; quod Chriſtianis imputavère Gentiles, ex Libanio in ejus *Orat. Funebri*: Tandem *Valentem* Imper. à Barbaris victum, & in agreſti tugurio, unà cum tugurio ipſo incenſum, & in cineres redactum, ex Marcellino, Zoſimo, Philoſtorgio, Socrate, &c. Adde infelicem trium inſignium *Apoſtatarum* exitum ſub Juliano, *Felicis* Comitis S. Largitionum, derepente profluvio ſanguinis extincti; *Juliani* Comitis Orientis, Imperatoris avunculi, excarnificati eo morbo quem *Miſerere* vocant; *Helpidii* Comitis Rerum Privatar. tandem ad perpetua vincula damnati, & in iis mortui; ex Ammiano, Ruffino, Philoſtorgio, Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, Cedreno, aliis.

Apoſtatis.

Hæreſiarchis.

De fœdâ morte, & planè ſtupendâ *Arii* Hæreſiar-

Digitized by Google

ſiarchæ, jam jam introducendi in Conſtantinopolitanam Eccleſiam, decreto Conſtantini Imp. poſt ſimulatam *Confeſſionem*, ex Athanaſii quâdam Epiſt. & Socrate, Sozomeno, &c. dictum ſuprà fuit, *colum.* 901.

Converſiones Memorab.

VI. *Converſiones* etiam feruntur memorabiles, præter jam dictas Conſt. Magni, Indorum per duos adoleſcentes, Iberûm per mulierem captivam, &c. *col.* 839.840. Qualis illa *Philoſophi* cujuſdam Ethnici, præ cæteris arroganter cum Patribus Nicænis congreſſi, mox verò ad ſimpliciſſimas voces boni ſenis (Spiridionem fuiſſe dicunt) quibus ſummam Chriſtianæ fidei *in nomine Jeſu Chriſti audire* Philoſophum juſſit, extemplo converſi, referentibus Ruffino, *Lib.* I. Sozomeno *Lib.* I. C. XVIII. &c. Addit ibidem Sozomenus, alterius Philoſophi exemplum cum Alexandro Conſtantinopolitano congreſſuri, & ad S. Epiſcopi voces frænatâ linguâ obmuteſcentis.

Accedat, ex fide Epiphanii, *Hær. Lib.* I. Hæreſi XXX. Converſio *Hillelis*, *Judæorum* in Palæſtinâ *Patriarchæ*, ex genere Gamalielis, antè exceſſum ſacro lavacro Tiberiade tincti. Addit ibidem Epiphanius, & prolixè, converſiones alias Judæorum, uti illam *Joſephi* cujuſdam, ex Apoſtolo Judæorum, quales dicebantur ἱερόπομποι, facti Chriſtiani, & ad Comitivam à Conſtantino Imp. evecti. Quâ de *Apoſtolorum* inter Judæos dignitate, diximus Diſſert. noſtrâ de *Apoſtolatu*.

VII. *Miracula* quædam inſignia, ex probatiſſimis teſtibus, aſſerendæ Chriſtianæ religioni, & confundendis hoſtibus. De miraculosâ apparitione *Crucis*, cum Inſcriptione, factâ Conſtantino M. prolixè dictum ſuprà *col.* 824.825.

Templi Hieroſolymitani inſtauratio fruſtrà tentata.

Sic digniſſimum illud omni memoriâ, de irritis Judæorum molitionibus in reſtaurando *Templo Hieroſolymitano*, factâ à Juliano poteſtate, in odium Chriſtianorum, A. CCCLXII. Quo tempore vis Oraculorum Danielis & Chriſti, de totali *deſolatione* ejus Templi, toti Orbi conſpecta; prædicente hunc eventum Cyrillo Hieroſolymorum Epiſcopo, apud Ruffinum, *Lib.* X. & Socratem *Lib.* III. C. XX. Fruſtrà Judæi tantum opus iteratò aggreſſi, operam commodante Alypio Antioch. præſide ejus Provinc. miro totius Gentis, ſexûs omnis & ætatis, ardore; Cum aperirentur fundamenta, *erant metuendi* (inquit Marcellinus, initio *Lib.* XXIII.) *globi flammarum, prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, qui fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum*, &c. Adde terræ motus, ignem cœlitùs miſſum, ſigna Crucis radiantia Judæorum veſtibus impreſſa, terrorem Genti immiſſum. Teſtantur præter Ammianum, ipſe Julianus in fragmento Epiſtol. edito à Petavio, Nazianzenus *Orat.* IV. in Julian. Ambroſius, Chryſoſtomus, Ruffinus, Philoſtorgius, Socrates, Sozomenus, Nicephorus.

Theodoſii M. victoria mirabilis.

Sic *Theodoſii* Imperatoris, de *Eugenio* Tyranno, à quo Valentinianus Junior in Galliâ ſublatus fuerat, Ethniciſmum ſcilicet reducturo, mirabilis in Juliis Alpibus victoria fuit, verno tempore, A. CCCXCIV. Cœlo, ventis, tenebris, in hoſtem jam elatum ſpe certâ victoriæ (dum faverent exercitui Theodoſii) conſpirantibus, poſt multam noctem inter preces à Theodoſio exactam: Prolixè ſtupendum illud prodigium, & mirandam cataſtrophem, caſumque Eugenii, Arbogaſti, & cæterorum, referunt Ruffinus *Lib.* II. Socrates, Sozomenus, Theodoretus, alii. Addit Theodoretus *Lib.* V. C. XXIV. *Johannem Evangeliſtam* & *Philippum Apoſt.* Theodoſio M. apparuiſſe, & animos dediſſe ad redintegrandum prælium, quod primo die infeliciter ceſſerat: Et colligit Baronius ex Theodoſii Nummo, in quo viſuntur duorum ſedentium Capita, *Circulo* circundata, quo *Divos* repræſentari more hodierno cenſuit: Sed nondum Theodoſii M. ætate obtinuiſſe hunc morem, circulis & radiis circundandi Capita *Chriſti*, aut *Apoſtolorum*, vel *Divorum*, fatetur Doctiſſ. Pagius, ex Aringhi Româ Subterraneâ, ad A. CCCXCIV. N. IV. Sozomenus autem *Lib.* VII. C. XXIV. ut ex quorundam famâ & relatione, *ferri* Theodoſium M. ingreſſum Eccleſiam *Joh. Baptiſtæ*, ejus imploraſſe auxilium, quod & adfuiſſe ipſo prælii tempore, *Dæmone* tùm quiritante Baptiſtam adversùm ſe ſtruere inſidias, ibidem commemorat. Ex quibus intelligitur, ut loco apparitionum Junonis, vel Caſtoris & Pollucis, Chriſtiani jam tùm ſubſtituiſſent, medio Seculo V. apparitiones Virginis, & Sanctorum, quorum jam credita efficax Interceſſio, atque etiam Invocatio. Zoſimus verò, Ethnicus ſcriptor, rem omnem obſcurat in favorem Eugenii, cujus ſolius imprudentiæ, verſo ſcil. ejus milite ad epulas poſt fuſum jam Theodoſium, ſuorum jacturam adſcribit, *Hiſt.* Lib. IV. Magis ingenuus Claudianus, citatus etiam hoc nomine ab Auguſtino, Lib. V. de *Civ. Dei*, C. XXVI. (ubi & particularia alia) qui de Theodoſio cecinit:

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis,
Obruit averſas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit haſtas.
O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab Antris
Æolus armatas acies, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad Claſſica venti!

Abſurdè verò Baronius, *totius vim exercitûs* Theodoſiani fuiſſe *ſignum Crucis*, quo & ſigna militaria Conſtantini M. exemplo, remotâ Romanorum Aquilâ, & frontem muniverat, ad A. CCCXCIV. N. III. dùm Eugenius *Herculem* cum *Clavâ* in ſignis præferret. Imò vim in *prece* fuiſſe ad Deum & Chriſtum fuſâ, dicti Hiſtorici, quamvis *Labarum* Crucigerum fuerit Fidei Theodoſianæ Symbolum, hinc proprium Inſigne Græcorum Imperat. de quo Cangius in *Familiis Byzantinis*, poſt Lipſios, Gretſeros, Salmaſios.

Terræ motus, alia naturæ *portenta*, quæ ſtudioſè Veteres obſervarunt, nulli referimus. Prolixè iſta Magdeburgenſes, ex Ruffino, Oroſio, Socrate, Sozomeno, Paulo Diacono &c. ſub *Tit.* de *Miraculis*; & Baronius *Annal.* T. IV. V.

VIII. Huc etiam ſpectant *Facta* quædam alia, memorata Sacris Eccleſiæ Annalibus, non indigna quæ literis traderentur.

Theodoſii pœnitentia, & Lex de Pœnis.

Hujuſmodi fuit *publica* Theodoſii Imper. *Pœnitentia*, ab aditu Eccleſiæ repulſi, & communione diu ſatis, VIII. ſcil. menſes, prohibiti, faciente Ambroſio Mediolanenſi, poſt cædem Theſſalonicenſem, quando immiſſo à Theodoſio milite ad VII. millia Theſſalonicenſium, ſexûs omnis & ætatis, cæſa fuerant; nam paruit tùm Theodoſio Illyricum Orientale, adeoque Macedonia, & Achaia. Undè Imperatoris ad audax factum Ambroſii, ſe aditu Eccleſiæ prohibentis, ſecuta humiliatio, ac ſignificatio publica ſui luctûs, Imperiali cultu depoſito, apud Ruffinum, *Lib.* II. C. XVIII. Sozomenum, *Hiſt. Lib.* VII. C. XXV. & Theodoretum *Lib.* V. C. XVIII. Tum & *lex* à Theodoſio lata, de differendis ſuppliciis capite damnatorum uſque ad XXX. diem, quæ ipſiſſima illa creditur Baronio, etiam J. Godofredo, poſt Caſſiodorum in Hiſt. Tripartitâ, quæ eſt Lex XIII. de Pœnis, ad *Flavianum* P. Pr. *Cod. Theod.* Lib. IX. T. XL. *Si vindicari in aliquos ſeveriùs, contrà noſtram conſuetudinem, pro causâ intuitu, juſſerimus; nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam, ſed per Dies* XXX. *ſuper eorum ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit.* Quanquàm ſcrupulum movent, quibus ea lex Theodoſii, occaſione prædictæ cædis, non extare hodie putatur, ut quoque Ant. Pagius, ad A. CCCXC. I. Quod ea lex *Gratiano*

Digitized by Google

no quoque tribuitur, data Veronæ, diu antè cladem Theſſalonicenſem, Antonio & Syagrio II. Coſſ. An. CCCLXXXII. quo tempore *Flavianum* fuiſſe Præf. Prætorio Illyrici Occid. & Italiæ, ex Lege VIII. Cod. Theod. de Deſertoribus, & aliis colligitur. 2. Quod nec cladis Theſſalonicenſium, nec legis, meminerint Philoſtorgius, Socrates, Zoſimus, Libanius, Themiſtius, Proſper in continuatione Chronici Hieronymiani, qui meminit aliàs rerum Theodoſii. Priori dubio occurritur, ſi *Gratiani* nomen, & Characteriſmum *Coſſ.* in mendo cubare dixerimus, quâ de re prolixè ad dictam legem Jac. Godofredus: Poſteriori, ſi opponimus Ambroſium *Epiſt.* XXVIII. quâ Theodoſio pœnitentiam injungit; Auguſtinum *de Civit. Dei*, L. V. C. XXVI. Paulinum in *Vitâ Ambroſ.* Ruffinum, Sozomenum, Theodoretum, Gratianum, Nicephorum, &c. omnes facti Theodoſiani & pœnitentiæ teſtes.

Ambroſii libertas, erga Theod. Valentin. Juſtinam, &c. Hujuſmodi & facta alia ac dicta *Ambroſio* adſcripta: E. gr. quod juſſerit *Theodoſium*, modò conciliatum Eccleſiæ, conſiſtere extrà Cancellos Altaris; quum moris eſſet ut Imperator intrà ſepta conſiſteret: Quod ille interpretatus corruptionem diſciplinæ. Undè Princeps, ſe per Ambroſium ſuo rubore didiciſſe, *quid inter Sacerdotem & Imperatorem intereſſet.* Quanquam hujus circumſtantiæ non meminit Paulinus Presbyter in Vitâ Ambroſii. Adde Libertatem *Ambroſianam* in caſtigandis vitiis Principum, abuſuque Eccleſiaſticæ poteſtatis, apud Valentinianum Majorem, Gratianum, Theodoſium M. Juſtinam Auguſtam, & Valentinianum Juniorem hujus Filium. Ità renuit Ambroſius, ad mandatum Principis, in Aulâ diſputare cum Auxentio Ariano, Mediolanenſium Epiſcopo, judice Imperatore, *Epiſcopus*, inquit, *de Imperatore in causâ fidei judicat, non viciſſim.* Sic animoſus idem in coërcendâ Juſtinâ matre Valentin. vehementer Arianâ, urgenteque (Filio adhuc impubere) ſervari Formulam *Ariminenſem*, ac *Baſilicam* Mediolanenſem Arianis tradi jubente, Anno CCCLXXXIV. & CCCLXXXV. lege hinc à Valentiniano Jun. Mediolani latâ, quæ eſt IV. de *Fide Cathol.* in Codice Theod. Sed fruſtrà fuit impotentis animi Fœmina, dùm opponeret Ambroſius animum invictum, ac majorum hæreditatem, & officium ſuum cedere neſcium injuſtis mandatis; hinc, licet circumfuſo milite occuparetur Baſilica, manſit in eâ Ambroſius, etiam nocte in eâ tranſactâ, favente plebe, & Militibus. Quæ pluribus vide in Oratione de *Non tradendis Baſilicis*, & in *Epiſtolis*, ac in *Vitâ Ambroſii*, & apud Theodoretum, Sozomenum, reliquos. Duravit hæc Juſtinæ perſecutio ad biennium circiter, compreſſo tandem Mulieris furore, ipsâ Ambroſii conſtantiâ, & metu plebis tumultuantis, cui faveret militia: Hinc paulo poſt inferendis, in Baſilicam Ambroſianam, recens inventis Corporibus *Gervaſii* & *Protaſii*, de quibus Ambroſius *Epiſt.* ad Marcellinam; quorum in depoſitione facta miracula narrat Paulinus in Vitâ Ambroſii, & à quâ translatione ſedatus fuit perſequendi animus. Vide Pagium ad A. CCCLXXXVII. & Noriſium in Opuſculo de Itinerario D. Auguſtini, poſt Baptiſmum ſuſceptum.

Factum Amphilochii. Memorabile & factum *Amphilochii* Iconienſis Epiſcopi, ſi fides Nicephoro *Hiſt.* L. XII. C. IX. quem tamen alium fuiſſe ab Amphilochio ſuſpicari licet ex Sozomeno, *Lib.* VII. C. VI. nempè obſcuræ Urbis (ἀσήμου πόλεως) Epiſcopum, virum *ſimplicem*, nec *civilium rerum uſu* præditum. Hic nempè (Arianis adhuc in Urbe frequentiſſimis, à Conſtantii & Valentis temporibus, ubi Eccleſias Conſtantinopoli occuparant per totos annos XL. indè ab Euſebio Nicomed. facto Urbis Epiſcopo, ad Conſulatum I. Theodoſii) inducturus Theodoſium Imperatorem, ne Arianis publicos conventus permitteret, uſus hac arte eſt, μνήμης ἀξίαν ἐξεῦρε μηχανήν: Scilicet in exemplo *Arcadii* jam Auguſti, filii Imperatoris, ſtudio à ſe in ſalutando coràm Patre neglecti, undè Patris in Epiſcopum indignatio, oſtendit ille Principi; quantum *Deus Pater* ægrè ferret negatum ab Arianis debitum honorem *Filio ſuo*, quibus tamen Imperator liberos publicoſque Cœtus permitteret. Succeſſit res ex voto, ac lege Imperatoris *Hæreticorum* conventicula, & in publico diſputationes de *naturâ* & *ſubſtantiâ* Dei, interdictæ.

Placilla Auguſta. Plurimùm & contulit in confirmando Theodoſio *Placilla*, vel *Flaccilla* Imperatrix, quæ adverſus Arianæ peſtis contagium, ſapientiſſimis monitis, Maritum communivit. Mater hæc fuit Arcadii, & Honorii, Gratiano filiorum tertio præmaturè obituro, etiam mater Pulcheriæ. Ità hæc Auguſta ne audire quidem *Eunomium*, Anomœorum caput, qui in proximo ageret, permiſit Imperatorem, tenaciſſima Fidei Nicænæ, Sozomeno teſte, Lib. VII. C. VI. Familiares etiam hujus ad Virum voces: *Semper cogitare debes mi Vir, quid fueris & quid nunc ſis, ità non ingratus adverſus Auctorem fueris*, apud Theodoretum Lib. V. C. XIX. Parentavit Placillæ Aug. mortuæ A. CCCLXXXV. Gregorius Nyſſenus, etiam laudibus efferendæ ab Ambroſio, *Orat.* De Obitu Theodoſii M. Poſteà duxit Theodoſius *Gallam* Juſtinæ Aug. filiam, Valentiniani Jun. Sororem, Theſſalonicæ quum eſſet Imperator, A. CCCLXXXVIII.

Factum Flaviani Antiocheni. Mira & placatio *Theodoſii* Imperatoris, ergà *Antiochenos*, ſeditionis ac læſæ Majeſtatis reos, & dejectæ ſtatuæ Flaccillæ Imperatr. habitæque indigniſſimum in modum, ob tributum novum impoſitum illi Urbi, in gratiam ſuorum militum, apud Theodoretum, Socratem, Sozomenum, &c. Ut nempè furentis Imperatoris, & extrema Urbi illi interminantis, tranſlato etiam jure *Metropoleôs* in Laodiceam Syriæ, mitigatus ſubitò fuerit animus, piiſſimi *aliàs* Principis: Non modò patheticâ oratione Flaviani Epiſcopi Antiocheni, qui ſuſcepit legationem ad Theodoſium, pro miſeris Antiochenis, quam exhibet Joh. Chryſoſtomus, *Tomo* VI. Ed. Savil. Orat. Statuarum III. quæ tota ad flectendum ad Miſericordiam animum Principis comparata fuit; Sed præterea adoleſcentum quorundam, qui ad Principis menſam canere ſolerent, lugubribus cantilenis, qualibus in ſupplicationibus ſuis utebatur Eccleſia: Quibus ità repentè commotus miſericordia fuerit Imperator, dùm menſæ accumberet, ut lachrymæ etiam phialam, quam manu tenebat, irrigarent. Refert rem Sozomenus, Lib. VII. C. XXIII. ex eo alii.

Epiphanii, & Chryſoſtomi voces imprecatoriæ. Referuntur & faticidæ voces *Epiphanii* & *Chryſoſtomi*, poſt mutuum Conſtantinopoli conflictum, quibus alter alteri prædixerit imminentem exitum; ſed neque pro certis hæc, quæ referrentur, ſe memorare auſum refert Socrates L. VI. C. XIV. Nempe dixiſſe ferunt Epiphanium, à Chryſoſtomo diſceſſurum, *Spero te non moriturum eſſe Epiſcopum*; reſpondiſſe verò Johannem, *Spero te non perventurum eſſe in Patriam*. Addunt, utrique hujuſmodi exitum contigiſſe, qualem ſibi mutuo prædixerant. Certè Epiphanius mortuus eſt A. CCCCII. paulo antè damnatum Chryſoſtomum, an in itinere, nonniſi ex Metaphraſtâ conſtat: Cætera in Chryſoſtomum excitatus, à Theophilo Alexandrino ſimultatum architecto, oſore Origeniani nominis, & abuſo Epiphanii facilitate & ſimplicitate, apud Socratem L. VI. C. X. Quâ & ſimplicitate fuiſſe ipſum Chryſoſtomum, cavere ſatis inſidias neſcium, quibus oppreſſus tandem fuit, idem Socrates auctor eſt.

Prudentia Athanaſii, Ex adverſo referunt Eccleſiaſtici Annales, hujus Seculi prudentiam, quâ Epiſcopi alii inſidias evaſere,

Digitized by Google

Theophili.

ſere, ſibi ſtructas. Exemplo ſit *Athanaſius* Alex. qui ad necem quærebatur, juſſu Juliani Apoſtatæ, ut tres Hiſtorici referunt, Socrates, *Lib.* III. C. XIV. tùm Theodoretus, Sozomenus, præter Ruffinum. Qumque in Athanaſium ipſum, fugâ ſibi conſulturum, incidiſſent perſecutores, ipſo illis occurrente Athanaſio, ſciſcitati ſunt ab ipſo & Sociis, num Athanaſium vidiſſent? Hi nihil territi, ingenioſo commento haud longè abeſſe Athanaſium reſponderunt, ſi modò inſequi properarent. Exemplum etiam præbet *Theophilus* Alexandrinus, homo ad verſutiam natus, quem ſeditione à Monachis Ægyptiis iiſque Anthropomorphitis in eum motâ, quum ἀνελεῖν τὸν Θεόφιλον *tollere è medio Theophilum* vellent tumultuantes, ille prodiens in occurſum, blando vultu ac ſuaviſſimis vocibus, *Vos* (inquit) *adſpicio* Amici (ὑμᾶς εἶδον) ὡς Θεοῦ πρόσωπον *perinde ac ipſum Dei vultum:* Undè poſita ira ſicariorum fuit, maximè ubi *Origenis* errores condemnare eundem intellexerunt. Refert Sozomenus *Hiſtor. Lib.* VIII. C. XI. Et hæc ſpeciminis loco, in ampliſſimâ rerum ſegete.

XVII. *Status Ethniciſmi, & Judaiſmi, hoc Seculo.*

Indulgentia Impp. ergà Ethnicos.

I. Statum *Ethniciſmi* hac Ætate, inde à Conſtantino M. ejuſque reliquias varias, in Chriſtiano Imperio, ſuprà deſcripſimus, *Cap.* III. ubi de Ethniciſmi ſubverſione. Mirum vero eſt, poſt Julianum Cæſarem, Gentilis cultûs inſtauratorem, ſucceſſores ejus, Chriſtianos licet, ſuperſtitionibus conniviſſe; Puta Templis Deorum, Aris, Sacrificiis, Simulachris, Auguriis, Haruſpicinæ, λιβανωτῷ, Sacerdotibus Aſiarchis, Syriarchis, Sacris Eleuſiniis, Feſtivitati Majumæ in Syriâ & Phœniciâ celebratæ, Ludis Theatralibus, Circenſibus, &c. Ac ferè liberam unicuique Religionem feciſſe, ut de Joviano, Valentiniano Seniore, Valente, & Gratiano, referunt Ammianus, Symmachus, Libanius, Zoſimus, Ambroſius, Theodoretus, (hic tamen ſecùs de Joviano & Valentiniano Seniore teſtatus, *Lib.* v. C. XXI.) aliique referunt. Undè præter Conſtantinum M. qui jam Ægyptiis ſeverè interdixerat, ne *Sacrificia Nilo* offerrentur, Euſebio teſte de *Vitâ Conſt.* L. IV. C. XXXI. tum Conſtantii legem, de *pœnâ Capitis*, in dantes operam *Sacrificiis*, & *Simulachris*, quæ eſt l. VI. de Paganis; nulla alia legitur in Conſtitutionibus Imperatoriis, antè annum III. Theodoſii, Chriſti CCCLXXXI. Quando Templa omnia ac Delubra Paganorum occludi juſſa, & interdicta ſub Capitis pœnâ ſacrificia, ſimulachra, erectæ Aræ, Haruſpicum, Augurum, Magorum conſultatio, luſtra, redimitæ vittis Arbores, thurificatio omnis, omniſque Deorum cultus, *leg.* VII. Gratiani, Valent. & Theodoſii, eodem *Tit.* & ſequentibus. Primus & Theodoſius M. leges ſanxit in *Apoſtatas*, qui ex Chriſtianis *Pagani* fierent, id eſt, Sacrificia facerent; nempe inteſtabiles ut eſſent, & perpetuâ infamiâ inuſti, *Cod. Theod.* de Apoſtatis, *Lib.* XVI. *Tit.* VII. Idem *Siſtra* deſtruxit, loca ubi ſigno dato, concuſſione κωδώνων, ſignificabatur adeſſe Meretrices.

Pagana ſuperſtitio quamdiu permiſſa?

II. *Paganorum* prima, hoc nomine, mentio occurrit demùm ſub Valentiniano Seniore & Valente, l. XVIII. de Epiſcopis, Eccleſiis, latâ Ann. CCCLXV. undè *Paganitas*, *Pagana* ſuperſtitio, *Pagani* ritus. Non hoc ſignificatu quo aliàs *pagani* Latinis dicti, id eſt, agreſtes, ruſtici, idiotæ; nec à *Pago*, id eſt, regione, gente, qualiter Græcis χώρα, νομὸς, τοπαρχία, ἔθνος, unde *Pagani* quaſi ἐθνικοὶ Gentiles: Verùm à relictâ ſub Chriſtianis principibus, in ſolis *pagis*, vicis, agris, Gentili ſuperſtitione, relictis agrorum Templis, extrà Civitatum muros; undè Libanii *Oratio* ad Theodoſium M. ne Templa in *Agris* exſcinderentur. De quâ re jam dictum ſuprà fuit, & prolixè Jac. Godofredus in Prolegom. ad Titulum de *Paganis.* At Arcadius Imp. Orientis, A. CCCXCIX. Conſulatu Theodori & Eutropii, etiam *Templa in agris*, quanquàm ſine turbâ ac tumultu, *dirui* juſſit, ut iis dejectis ac ſublatis omnis ſuperſtitionis materia tolleretur, lege XVI. Cod. de Paganis, Sacrif. & Templis. Idem fecit Honorius, per Italiam, & Africam, Templa etiam *extrà Civitates* deſtruere jubens, *leg.* XIX. *Eod. Tit.* Eodem etiam tempore ſublata fuit in Syria fœda feſtivitas *Majuma*, lege Arcadii latâ Conſtantinopoli, A. CCCXCIX. ubi dicitur *fœdum & indecorum ſpectaculum.* Vide quæ de hoc diximus ſuprà *col.* 838.

Templa Urbana adhuc ſub Theodoſio.

III. Cæterùm ſub ipſo adhuc Theodoſio M. ſteriſſe in *Urbibus* majoribus *Templa* Gentilium, quæ incorrupta manere etiam extra muros Urbis Romæ, voluerat Conſtans Imper. L. III. de Paganis, &c. teſtis eſt Libanius *Oratione* pro Templis ad Theodoſium M. quam ſcripſiſſe antè A. CCCXCI. probat Godofredus in *Notis.* Nempè primis annis Imperii, A. CCCLXXIX. CCCLXXX. quibus adeundi Templa libertas adhuc à Theodoſio facta, teſte etiam Zoſimo, *Lib.* IV. Malè Chronicon Alex. ad A. CCCLXXIX. Templa Græcorum jam ſolo æquata fuiſſe à Theodoſio. Ità Alexandriæ *Serapidis* Templum, undequaque frequentatum, adhuc A. CCCLXXXVIII. CCCLXXXIX. CCCXC. poſteà tamen deſtructum, ex lege Theodoſii, latâ per Ægyptum, A. CCCXCI. quæ eſt XI. de Paganis, &c. Antiochiæ, Templa *Fortunæ*, *Jovi*, *Baccho* adhuc conſecrata fuerunt; Edeſſæ in Oſdroenâ, Templum *Simulachris* & *Oraculis* ſplendidiſſimum, *patere* adhuc juſſum à Theodoſio M. L. VIII. de Templis, A. CCCLXXXII. poſteà dirutum. Conſtantinopoli, ἔτι νεῴ τινες *Ædes adhuc quædam* reliquæ, etſi è multis paucæ, ut iſtic Libanius. Et paſſim in Occidente, *Ædificiorum* ſeu Templorum *ſtatum integrum eſſe*, ſacrificiis licet prohibitis, Honorius adhuc ſanxit ſub finem Seculi, *leg.* XVIII. *Cod.* de Paganis.

Dignitates in Ethnicos collatæ.

Sed & *Gentiles* ſub Imperatoribus Chriſtianis, etiam ſub Theodoſio M. ad ſummas Dignitates Imperii, Militiæ, & Palatii, fuerunt evecti, plurimique ex iis *Conſules* Romani, *Præfecti Prætorio*, *Præfecti Urbis*, *Vicarii*, *Proconſules*, *Conſulares*, *Præſides*, *Judices*, *Comites*, *Magiſtri Militum*, *Officiorum*, &c. ut paſſim ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus, ex Codice Theodoſiano de *Paganis*, ex Libanio ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, ex Prudentio adverſùs Symmachum, aliiſque conſtat. Vide quæ diximus ſuprà de reliquiis Paganiſmi, indè à Conſtantino M. *col.* 839. Prudentius de Theodoſio M. *Lib.* I. *Contrà Symm.* verſ. 618. & ſeqq.

—— *Sacricolis ſummos impertit honores*
Dux bonus, & certare ſinit cum laude ſuorum,
Nec pago implicitos per debita Culmina mundi
Ire viros prohibet.

Item,

Ipſe Magiſtratus tibi Conſulis, ipſe Tribunal
Contulit.

Ejuſdem *Symmachi* Pater & Filius, (poſtremus Epiſtolarum Scriptor, contrà quem Prudentius) Præfecturâ Urbanâ, Proconſulatu, Conſulatu quoque Illuſtres, ſub Valentinianis, & ſub Theodoſio M. *Libanius* Sophiſta & Orator Antiochenus, magiſter aliquando Chryſoſtomi, liberrimus Chriſtianorum inſectator, tamen à Theodoſio M. Præfecturâ Prætorianâ honoratus, quam ipſe *Libanius* vocat τὸ μέγεθος τῆς τιμῆς, omnium dignitatum apicem: *Themiſtius* Philoſophus, Senatoriâ jam digni-

Digitized by Google

tate ſub Conſtantio ornatus, L. XII. de Prætoribus, dein & Præfecturâ Urbis, ſub Theodoſio M. ut ex ejus *Orat.* VI. in fine, colligitur: *Prætextatus* Præf. Prætorio A. 384. ſub Valentiniano Juniore, ex & legibus eo anno datis Mediolani, & Aquilejæ, ut in *Chronol.* Codicis Theod. *Flavianus* Præf. Præt. ſub eodem Theodoſio; *Eutropius*, cui permiſſa ſumma rerum ſub Arcadio; Et alii benè multi, qui utilem ſanè Paganis ſuis operam navaverunt, Seculo hoc Chriſtiano. Ne de *Juliani* factis iterùm dicam, ac ſub eo Rectoribus Ethnicis, quos inter *Maximus* Philoſophus, Juliani quoque Magiſter, ex Joniâ accitus, & ad Urbanam Præfecturam evectus, capite plectendus ſub Valente. Primus eſt Honorius, qui An. CCCCXVI. occaſione molitionum Eucherii Stiliconis filii, Paganis addicti, ut Hæreticos ſic *Paganos* quoque prohibuit, militare intrà Palatium, & inter Scholas Palatinas, & vel *Adminiſtratoris*, vel *Judicis honore decorari*, L. XXI. *Cod.* de Paganis, &c. Quod luculenter confirmatum lege Theodoſii Jun. XXIII. eod. *Tit.* latâ A. CCCCXXIII. quâ Paganorum ſuperſtitio penitus profligata, & ſtatus ad paucos redactus fuit, *Templis* quæ reliqua erant, *Fanis*, *Delubris*, deſtrui juſſis, ac locatione *ſigni Chriſtianæ religionis expiari*, quod *Stauropegium* dixêre.

Status Chriſtianiſmi ſub Perſis Gentilibus.

IV. Extrà Romanum Imperium gravis fuit Chriſtianis *Sapor* Rex Perſarum, Magorum ſuorum impulſu; ſed & Judæorum qui à naturâ hoſtes Chriſtiani nominis, florentem in Perſide eſſe rem Chriſtianam indignantium. Undè accuſatio *Symeonis Archiepiſcopi* Seleuciæ & Cteſiphontis, (ita Sozomenus *Lib.* II. C. IX.) quaſi cum Cæſare Romano in Perſas conſpiraret. Hinc perſecutio nata in Symeonem, in Epiſcopos, in Eccleſias, in ipſum Regis nutritorem, & Præpoſitum domui Regiæ *Uſthazadem*, Eunuchum, Chriſtianum ſe eſſe coram Sapore profitentem, lugentemque, quod adhuc *Solem videret*, quem paulo antè vi coactus *adoraverat*. Benignior in Chriſtianos fuit *Iſdigerdes*, ſingulari exiſtimatione Maruthæ cujuſdam (Μαρουθᾶ) Meſopotamiæ Epiſcopi, & ad eum à Romanis ablegati, ut pluribus Socrates, *Lib.* VII. C. VIII. Jamque meditatum eſſe Regem amplecti Chriſtianam religionem, niſi morte præventus eſſet, auctor idem Socrates. Aſt recruduit perſecutio ſub *Vararane* Iſdigerdis filio, Magorum conſilio inducto; idque ex imprudenti facto cujuſdam *Audæ* in Perſiâ Epiſcopi, qui quum præpoſtero zelo πυρεῖον quoddam, Perſis ſacrum, demolitus eſſet, negaretque ſe denuò ædificaturum; cauſa fuit ſæviſſimæ in Chriſtianos tempeſtatis, & immanium ſuppliciorum, totâ Perſiâ, ut multis referunt Socrates, & Theodoretus. Res accidit Theodoſio Jun. imperante; à quo Perſæ tandem cum Saracenis fuſi, Euſtathio & Agricolâ Coſſ. A. CCCCI. rupto inter Perſas & Roman. Fœdere, ut pluribus Socrates, *L.* VII. C. XVIII.

Ægyptiorum Nilotica ſuperſtitio. Factum Conſtantini M. & Theodoſii.

V. Memorabile & factum Conſtantini M. apud Euſebium L. IV. de Vitâ Conſt. C. XXXI. etiam Theodoſii alterum, apud Sozomenum *Lib.* VII. C. XX. quo Ægyptiorum Sacerdotum ac Gentilium animos mirè conturbarunt. Interdixerat uterque ne Sacrificia *Nilo* Deo offerrentur, pro more Gentis, tardiùs eo anno exundanti, ad promovendum juſtum fluvii incrementum, Ægyptiis ſacrum. Hinc omnibus metus, ne *Nilus* intrà alveos ſuos ſubſiſteret, adeoque defectu Nilotici incrementi, & aquarum effluvii, agris ſterilitas induceretur. Sed contempsêre ſuperſtitionem Principes, factumque ut Nilus ſolito largiùs ſeſe effunderet, agrorumque mira fertilitas ſuccederet. Undè plures ad Chriſtianiſmum inducti, teſte de rebus Theodoſii, in dicto loco, Sozomeno; addito etiam ab ipſis Gentilibus in Nilum Deum ſarcaſmo, qui per jocum in Theatris auditus fuit, ὡς οἷα γέρων καὶ λῆρος, ἐξέρησεν ὁ ποταμὸς, *quod Fluvius præ ſenio ac delirio eminxiſſet.*

VI. De *Judæorum* rebus, quantum hanc ad Ætatem ſpectant, compendio iſta referimus:

Frequentia Judæorum.

1. Frequentiſſimam fuiſſe Gentem *Oriente* toto, in partibus Babyloniæ, Syriæ, Palæſtinæ, Ægypti, Aſiæ Minoris, imò etiam ſub Perſarum dominatu; undè Perſecutionis à Sapore in Chriſtianos excitatæ præcipui auctores *Judæi*, ut dictum modò eſt. Adde in *Occidente* diſperſos per omnem Illyrici Præfecturam Judæos, per Italiam, Africam, Gallias, ut ex Hiſtoricis conſtat, & ex variis conſtitutionibus, Cod. Theod. *Tit.* de Judæis, Cœlic. & Samaritanis. Undè Ceremoniis adhuc ſuis obſtricti, Conventus illis liberi, & Synagogæ permiſſæ, quas interdictas fuiſſe, indignatur Theodoſius M. L. IX. de Judæis, Anno CCCXCIII. *Samaritani* autem ſecta Judæorum fuêre, per Ægyptum & Palæſtinam præcipuè diſperſi, qui *Pentateuchum* ſolum admitterent, etiam *Reſurrectionem mortuorum* dari negarent. De *Cælicolis*, qui Judæis adjunguntur, nova ſub Honorio ſuperſtitione, imò inaudito antè nomine, ex *Lege* XIX. Cod. de Judæis, dicemus ad ſequens Seculum.

Dignitates inter Jud. Patriarchæ, Apoſtoli, &c.

2. Relictas fuiſſe ſuas Judæis Dignitates, ſuos Ordines. Undè Judæorum memoratus hoc Ævo *Patriarcha*, in *Cod.* Theodoſiano aliquoties, & apud Epiphanium *Hær.* XXX. Ebionæor. Julianum Cæſarem *Epiſt.* XXV. ad Judæos, Hieronymum Comment. in *verſ.* I. *Epiſt.* ad Galatas, & alios. Summus ille videlicet, נשיא princeps, ראש חגלותא αἰχμαλωτάρχης, caput Gentis, etiam Judaicæ Gentis ſplendor, honoraria Præfectura, &c. Dictus idem *Illuſtris*, *Clariſſimus*, *Spectabilis*, αἰδεσιμώτατος Πατριάρχης ipſi Juliano, cujus ſedes *Tiberiade* Palæſtinæ, poſteà & *Babylone*. Nec enim Patriarcham tunc alium fuiſſe Orientis, Occidentis alium, minùs ſingulis Præfecturis ſuum fuiſſe Patriarcham, eſt jam adversùs Petitum ab aliis obſervatum. Huic verò Patriarchæ ejuſque arbitrio permiſſa, non quidem *Judicia*, ut malè Petitus, ſublatâ αὐτονομίᾳ Judæorum, ſed Lex eorum univerſa, Synagogæ omnes, omnes Archiſynagogi, Patriarchæ minores (qui certis πατριαῖς vel certo diſtrictui præpoſiti) Primates, Patres Synagogarum, Hierei, Presbyteri, Didaſcali, *Majores* Judæorum ſeu Inſpectores vel Judices, in iis quæ ad eorum diſciplinam pertinerent. Et Patriarchis majoribus fuêre *Adſeſſores*, dicti *Apoſtoli*, ut adhuc in Honorii L. XIV. Cod. De Judæis, qualis fuit Joſephus ille προσεδρεύων τῷ Πατριάρχῃ, καὶ συμβουλεύων, καὶ ἀναφέρων αὐτῷ κατὰ νόμον, de quo Epiphanius dictâ *Hær.* XXX. Hebræis dicti etiam שליחין, qui *mitterentur* à Patriarchâ ad Synagogas, ejus quaſi Commiſſarii, Agentes in rebus, vel etiam *deportationis* miniſtri, ſeu tranſmiſſionis annui tributi vel canonis, *auri Coronarii* nomine, à Synagogis orbe toto exacti, & ad Patriarcham deferendi: Idque loco διδράχμου, ſeu *auri* olim Hieroſolymam, dùm Templum ſtaret, ex remotioribus locis mitti ſoliti, de quo jam Cicero pro Flacco. *Collectum* verò illud aurum vel argentum, ſcil. in Imperio Occidentali, ab Occidentalibus Judæis, deinceps non ad Patriarcham, in Oriente agentem, ſed ad *Ærarium* Principis deferri, jubet lex præfata Honorii, A. CCCXCIX. *deportationis* illa functione vel Apoſtolatûs in ſuo Imperio antiquatâ. Sic ad *Patriarchas*, ut Gentis totius Capita, datæ Imperatorum leges, vel conſtitutiones, de eorundem ſeu privilegiis, ſeu coërcitione, pœnis, indè à Conſtantino M. ſub Tit. *de Judæis*, *Cælicolis* & *Samarit.* ad quem Titulum videſis Jac. Godofredum.

Libertas Judæor. Synagogæ, &c.

3. Habuiſſe ſua Judæos *Presbyteria*, *Synedria*, *Synagogas* violari neſcias, etiam *Scholas* publicas, quas inter celeberrimæ Babylonicæ, Sorana & Pumbe-

dita-

ditana, quarum Doctores *Amoræos* dictos eſſe, jam ad ſuperius Sec. obſervatum eſt. Harumque Rectores prolixè enumerat, ex notis Chronicis Judæorum, Hottingerus *Hiſt. Eccl. Cap.* IV. *Sect.* III. In iis celebris *R. Hillel* Hannaſi, nepos (ut ferunt) *R. Jehudæ* Hakkadoſch, auctor Calend. Judaici novi, de quo in *Chron. S.* & novæ rationis intercalandi, juxta Tekuphas Rab Adæ, circà A. CCCLVIII. quod Calendarium in hunc diem obſervant, & obſervaturi ſunt uſque ad adventum *Eliæ*, vel *Goëlis* ſui, ut loquuntur: Num verò hic fuerit *Hillel* proſelytus, de quo Epiphanius, d. l. qui morti proximus Epiſcopum, qui Tiberiadi urbi vicinus fuit, ad ſe accerſivit, Sacro lavacro ab eo tingendus, nullis Judæorum tabulis conſtare poteſt. Sed & permiſſæ Judæis ſuæ *Feriæ*, *Feſta*, *Sabbatha*, quibus diebus conveniri non poterant, aut turbari eorum Sacra. Permiſſa & Judæis *Diſciplina* κατὰ τὰς πατρῴυς νόμυς, ſeu libera in *delinquentes* ex ſuis ſententia, quos projectos reddebant ſeu ἀποσυναγώγυς, ἀποβεβλημένυς, pro Patriarcharum arbitrio & Primatum, ut nullo Principis Reſcripto, aut Judicum ſententiâ, turbari hoc nomine poſſent, ex L. VIII. d. Tit. Nefas etiam Chriſtianis fuit, ſub gravi pœnâ, Judæos lædere, aut contumeliâ afficere, eorumve Synagogas expoliare, aut *Patriarcham* Virum *Inluſtrem* verbis contumelioſis impetere, per Conſtitutiones Impp. L. IX. XI. &c. Cod. de Judæis.

Privilegia Jud.

4. *Privilegia* adhæc Judæis conceſſa plurima: Ex. gr. Patriarchis, Archiſynagogis, &c. eadem quæ Clericis inter Chriſtianos, immunitas ſcil. à corporalibus muneribus, oneribus, alia. Sic Synagogis conceſſa immunitas à *metati* onere, ſeu irruentium in eas militum, hoſpitii & metati titulo, l. 2. de Metatis, *Cod. Theod.* Ità Judæis literatis exercendæ Advocationis, Medicæ artis, muneris Curialium, libertas facta, ex iiſdem legibus, & ex Socrate *Hiſt.* L. VII. C. XIII. Ubi *Medicinæ Profeſſorem* Judæum, ἰατρικῶν λόγων σοφιστὴν, è tumultu Alexandrino, qui Cyrilli tempore Alexandriæ accidit, ad Atticum Conſtantinopolitan. ſe recipientem refert, amplexurum religionem Chriſtianam, dein placidè victurum. Tamen Honorius, expreſſâ lege, Judæis per Italiam diſperſis impoſuit *neceſſitatem Curialium* munerum ſubeundorum, quæ eſt CLVIII. de *Decurion Lib.* XII. Cod. Theodoſ. quâ exemerat eos Arcadius, L. XIII. de Judæis, A. CCCXCVII. id eſt, quatuordecim antè menſibus, in Alexandrinâ urbe.

5. Coërcitos interim à Sapientiſſimis Principibus, non uno modo, Judæos hujus Ætatis conſtat. Hinc *leges* Conſtantini M. Conſtantii, Valentinianorum, Theodoſii M. Arcadii, Honorii, *Tit.* VIII. *Cod. Theod.* Libri XVI. Ex. gr. ne novæ Synagogæ conderentur. Ne nuptias cum Chriſtianis inirent. Ne militiæ adſcriberentur. Ne Chriſtianos mancipia haberent. Ne ſeducere Chriſtianum aut circumcidere Judæo liceret, vel inquietare quemquam, ſub gravi pœnâ, &c. — Coërcitio Judæor. multiplex,

Ità ſi quis Judæus Chriſtianus fieret, nefas Judæis eum ſaxis appetere, aut ſimili furoris genere, ſub pœnâ *vivicomburii*, lege I. Conſtantini M. *Cod. Theod.* d. T. Sed nec talis *exhæredari* potuit ſententiâ Patriarchæ, aut ullo damno mulctari.

E contrà ſi qui ex Chriſtianis Judæi facti, adplicantes ſe nefariæ Sectæ, eorumque Conciliabulis, graviſſimæ in eos pœnæ ab Imperatoribus decretæ, *lege* I. III. VII. *D. Tit.*

6. Cæterùm ſub Juliano Imperatore creviſſe Genti animos, factâ poteſtate Hieroſolymam inſtaurandi, Templum ædificandi, Sacrificia offerendi, αὐτονομίαν exercendi, ſuprà dictum, *Cap.* de Memorabilibus, & in Julianeæ Perſecut. hiſtoriâ. Sed mox Cœlo tantum opus intervertente, & Julianum & Judæos ingens metus perculit, quos etiam invitos τὸ Χριστὸν Θεὸν *Chriſtum Deum* confeſſos eſſe, auctor eſt Socrates, *Hiſt.* L. III. C. XX. Nihilominùs feroces ſub Juliano Judæis animi, pari cum Gentilibus ſtudio in Chriſtianos paſſim ſævituris. Omnemque iis libertatem Valentinianus Senior, Juliano amoto, fecit, quemadmodùm & Gentilibus; utriſque tandem à Theodoſio M. coërcendis, cumprimis ab hujus filiis Arcadio & Honorio, dein & Theodoſio Juniore Sec. ſequenti. Et hæc paulo fuſiùs de rebus Seculi IV. — Judæi feroces ſub Juliano, dein Valentin. Sen.

FINIS *Quarti Seculi.*

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM QUINTUM.

Chronol. rationes. INCIDUNT *Seculi quinti* primordia in annum Chriſti CCCCI. VII. ab obitu Theodoſii Imperatoris: Arcadii Auguſti, ſolius deinceps in *Oriente* imperantis, annum XVIII. ut qui A. CCCLXXXIII. à Patre Auguſtus renunciatus, ex Marcellini Chron. Auctore Chron. Alexandr. &c. Honorii Aug. cui ceſſit Imperium *Occidentis*, annum IX. ut qui à Patre levatus Auguſtus A. CCCXCIII. quo Gratianus à Maximo occiſus Lugduni; Coſſ. *Favrittâ* in Oriente, & *Vincentio* in Occid. *Anaſtaſio* autem poſt Siricium Romano Epiſcopo, ab A. CCCXCVIII. uti *Johanne* Chryſoſtomo Conſtantinopoleôs adhuc Epiſcopo, ab A. eodem, quamvis A. CCCXCVII. jam deſignatus ab Arcadio fuiſſet: Sed Epiſcopatu illo deturbatus, odio Eudoxiæ Aug. & Theophili Alexandr. Anno CCCCIV. undè Joannitarum Schiſma.

Capita potiſſimùm obſervanda, eâdem quâ in ſuperioribus Seculis methodo, ſequentia fuerint.

I. *Status Imperii & Eccleſiæ, circà hujus Seculi Primordia.*

Summa Mutat. in Oriente. NEmpe I. Quoad *Imperatores*, Arcadius rerum potitus in Oriente, in Occidente Honorius, diviſo Imperio ex teſtamento patris, ut ad Orientem ſpectaret etiam Illyricum Orientale, ad Occidentem Italia, Illyricum Occid. Africa, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæque: Ambo filii Theodoſii Imperatoris; ambo relicti impuberes, licet patre vivo acciti ad ſocietatem Imperii. Et quidem, quo tempore mortuus eſt Theodoſius M. in urbe Mediolanenſi, paulo poſt victoriam de Eugenio reportatam, A. CCCXCV. agebat Arcadius annum ætatis circiter XVII. Honorius verò XI. natus ex Flaccillâ conjuge A. CCCLXXXIV. Septembre menſe, Richomere & Clearcho Coſſ. ex Idacio, Marcellino, Socrate, Chronico Alexandrino. Et quidem utrumque filium, Honorium præcipuè, commendaverat Theodoſius fidei, hunc etiam tutelæ *Stiliconis*, Magiſtri Militiæ utriuſque Imperii, Viri Inluſtris, qui ſub Theodoſio ferè rerum ſummam obtinuit, quem *parentem* appellare ſolitus erat Imperator, cui uxor Serena Clariſſ. Fœmina, neptis Theodoſii ex fratre Honorio, & cujus poſteà filias *Mariam*, dein *Thermantiam*, duxit Honorius Imperator, illam A. CCCXCVIII. quo XIV. ætatis inivit Honorius: Unde virginem paulo poſt deceſſiſſe Mariam, matrimonio nondùm per ætatem conſummato, ſcribit Zoſimus *Hiſt.* L. V. C. XXVIII. Arcadium verò Theodoſius, diſceſſurus Conſtantinopoli adversùs Eugenium tyrannum, unà cum Imperio Orientis, commendaverat *Ruffino* Præfecto Præt. Orientis; nec tamen ut Tutori, quo non ampliùs egebat Arcadius: Qui poſtmodùm, ob prælatum ſibi ultimâ Principis voluntate Stiliconem, æmulatione percitus, moliri cœpit inſidias, affectâ tyrannide, inito cum *Gothis* fœdere, qui dein in Europam, & cum *Hunnis* qui in Thraciam, Armeniam Majorem, Syriam, Aſiam Minorem effuſi, Romanum Imperium tandem perdidêre. Sed operâ Stiliconis ſubmiſſus Conſtantinopolim Gainas Dux Gothicus, cùm ſubſidio militari, qui per inſidias Ruffinum è medio ſuſtulit antè portam Conſtantinopolit. A. eodem CCCXCV. corpore ejus diſcerpto, & dextrâ abſciſſâ, ad dedecus inſatiabilis avaritiæ, bona etiam publicata, ut pluribus Zoſimus *Hiſt.* L. V. C. VII. & Eccleſiaſticæ Hiſt. Scriptores, Philoſtorgius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, &c. Poſteà abuſus eſt facilitate Arcadii *Eutropius* Eunuchus, Præpoſitus S. Cubiculi, cui omnia ferme Conſtantinopoli permiſſa; & qui pariter contra *Stiliconem*, decreto publico declaratum hoſtem Imperii, *Gildone Pagano*, in Africâ Duce & Comite militiæ, adversùs eum excitato, conſpiravit: Tandem à Gainâ oppreſſus, Conſulatu & omnibus honoribus orbatus, in Cyprum relegatus fuit A. CCCXCIX. teſtibus iiſdem Hiſtoricis, & Claudiano Lib. II. in Eutropium. Dein quoque *Gainas* cum Gothis ſuis moliri cœpit adversùs Imperium; unde bellum cum Gainâ geſtum, mox terminatum, Gainâ in Thraciâ occiſo, Favrittâ Duce, A. CCCC. qui Favrittâ ſequenti Anno CCCCI. Conſulatum geſſit; operam commodantibus Hunnis, & Hunnorum Principe, à quo cæſus Gainas, ut pluribus Zoſimus, *Lib.* V. C. XXII. Philoſtorgius, *Lib.* XI. *Cap.* VIII. Marcellinus in *Chronico*, &c.

Tandem & in *Stiliconem*, ut affectatæ tyrannidis accuſatum, & accerſiti è Thraciâ in Italiam *Alarici*, Gothorum Ducis, atque ingenti Barbarorum multitudine, Pannoniâ, Norico, Rhæticis Alpibus ſuperatis, tempeſtas detonuit; quum in *Eucherium* filium transferre Imperium cogitaſſet, ut Philoſtorgius & alii, contradicente Zoſimo, *Lib.* V. Igitur interfectus & ipſe *Stilico*, tanquàm hoſtis Imper. juſſu Honorii, & inſtinctu Olympii Magiſtri Officiorum Stiliconis æmuli, hic Ravennæ quum eſſet, A. CCCCVIII. ut videre eſt apud Zoſimum, Philoſtorgium, Olympiodor. apud Photium *Cod.* LXXX. Par fatum ſortitus eſt *Eucherius* filius Stiliconis, ab Arſacio & Terentio Eunuchis, mandato Honorii, interemptus, quum ad conciliandum ſibi favorem Paganorum, *reſtitutione Templorum*, & *everſione Eccleſiarum*, *imbuturum ſe regni primordia minaretur*, ut Oroſius ſcripto reliquit. Tum & *Serena* conjux Stiliconis, cui *Thermantiam* filiam, Auguſtali dejectam ſolio reſtituit Honorius, laqueo tandem Romæ ſtrangulata eſt decreto Senatûs, ut Zoſimus *Lib.* V. C. XXXV. XXXVIII. In Occidente.

Intereà moleſti erant Rom. Imperio Barbari, Gothi *Alarico* duce, qui poſtea fœdere inito cum Stilicone, ita Zoſimus, cunctas Illyrici Gentes Honorii imperio adjungere cogitabat; de cujus celeri irruptione in Italiam A. CCCCII. Prudentius L. II. in Symm. Claudianus de Bello Getico, Zoſimus, Philoſtorgius, & reliqui. Tum *Radagaiſus* Gothorum vel Scytharum Rex, collectis trans Iſtrum & Rhenum ex Germanicis ac Celticis Gentibus, hominum CCCC. millibus, ut Zoſimus, vel CC. ut Jornandes, parabat tranſitum in Italiam, terrore ipſi Romæ incuſſo; quum Stilico, vocatis in auxilium Hunnis & Alanis, Iſtrum ipſe tranſmiſit, ac Barbaros inopinatò aggreſſus, univerſos propè ad internecionem ce-

Digitized by Google

cecidit. Poſteà, ſublato ut dictum Stilicone, qui primum Barbaros in Rom. Imperium immiſerat, *Alaricus* Romam obſedit A. ccccviii. auro dato & obſidibus tunc quidem liberatam; quum Honorius Ravennam, Flaminiæ metropolim, elegiſſet Sedem Imperii. Sed iterùm A. ccccix. obſeſſa captaque Roma fuit, à quâ aberat cum Honorio Innocentius Rom. Epiſcopus, Ravennæ agens, ex Oroſio L. vii. C. xxxix. Et *Attalus* ex Præf. Urbis Imperator à Gothis renunciatus eſt, ſed modo deponendus, modo reſtituendus, Honorium etiam conſortem Imp. dedignatus, qui Attalo ſocietatem perterritus per legatos obtulerat. Tandem hujus tyrannide liberata fuit Reſpublica, faciente ipſo Alarico, Anno ccccx. idemque depoſitus Arimini, ex Zoſimo *Lib.* vi. C. xii. Roma verò ab Alarici copiis vaſtata fuit, indè digreſſuro ſexto poſtquam ingreſſus fuerat die, ſi fides Theophani, & Cedreno. Intereà reliquiæ *Alanorum*, *Vandalorum*, *Suevis* Germaniæ populis permixtæ, penetrarunt in Gallias, à *Francis* indè mox exacti; hinc peragratâ Aquitaniâ Hiſpanias invaſuri, Honorio viii. Theodoſio Jun. iii. Coſſ. A. ccccix. De quibus poſteà. Eodemque tempore Britanni, excuſſo jugo Honorii, metu Vandalorum, Imperatorem eligunt *Conſtantinum* quendam, nominis omine illecti, A. ccccvii. Qui mox facto in Gallias tranſitu Belgicam, Celticam, Aquitanicam, brevi tempore ſubigit; cum Vandalis tranſigit; Arelatem Sedem Imperii eligit; ab Honorio *Auguſti* titulum accipit; dein Imperatorem ipſum de ſolio dejecturus, in Italiam tranſmittit exercitum; mox rediturus Arelatem, ubi obſeſſus à Conſtantio Comite, Purpurâ depoſitâ, cum filio juſſu Honorii jugulatur, A. ccccxi. Tacemus eo ferè tempore uſurpatam Tyrannidem à *Jovino* vel *Jovio*, in Galliâ Belgicâ, qui antè Præf. Præt. à *Maximo* in Hiſpaniâ, ab *Heracliano* Comite in Africâ, qui Stiliconem interfecerat: Omnes malè perituri intrà unius & alterius anni ſpatium, annis ccccxi. ccccxii. ccccxiii. ex Proſperi *Chron.* P. ii. Sozomeno *Lib.* ix. Oroſio L. vii. & aliis. Atque hæc de luctuoſo ſtatu Reip. ſub exordia hujus Seculi.

Status Eccleſiæ. Doctores ſuperſtit.

II. Quoad ſtatum *Eccleſiæ*, primo notandi Doctores Eccleſiæ præcipui, tùm ſuperſtites. Præerat (ut dictum) Romanæ Eccleſiæ *Anaſtaſius* Epiſcopus, ſucceſſor Siricii, cui mox ſuffectus hoc anno Innocentius I. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præerat adhuc Johannes *Chryſoſtomus*, ſucceſſor Nectarii Epiſcopi, cui ab Arcadio ſuffectus Arſacius A. ccccıv. Alexandrinæ Eccleſiæ præerat *Theophilus*, ille Chryſoſtomi inſignis perſecutor; *Antiochenæ* ſuffectus Meletio *Flavianus*, confirmatus à Concilio Conſtantin. A. ccclxxxii. mortuus A. ccccıv. cui Latinorum factio Paulinum, dein hoc mortuo A. ccclxxxix. Euagrium ſuffecit, unde graves contentiones inter Orientales & Occidentales. *Carthaginenſem* Eccleſiam regebat *Aurelius*; Hipponenſem B. Auguſtinus; *Salaminiam* in Cypro Epiphanius; Mediolanenſem poſt *Simplicianum Venerius*, Ambroſio jam ſublato A. cccxcvii. Toletanam *Patronus*, qui præſedit Concilio Toletano I. A. cccc. Turonenſem Galliæ *Martinus* ille, (de quo miranda Sulpitius Severus, clarus adhuc ineunte hoc Sec.) mortuus juxtà Baronium A. ccccii. juxtà Uſſerium A. cccci. juxtà alios & Pagium A. cccxciii. Taceo *Severianum* Gabalorum in Syriâ Epiſcopum, adverſarium Chryſoſt. *Paulinum* Nolæ in Campaniâ, *Aſterium* Amaſeæ in Ponto Galatico, *Vigilium* Tridenti, qui & Martyr fertur ſub Conſulatu *Stilicon.* Gentilium furore, id eſt, anno vel cccc. vel ccccv. Ut ſileam alios doctrinâ & ſanctitate celebres.

Doctrina, Ritus. Nævi initio Sec.

III. *Doctrina Catholica*, hoc ineunte Sec. quod ad Articulos neceſſarios, talis fuit qualem exhibet *Symbolum* Conſtantinopolit. antè annos xx. in Synodo Univerſali conditum. Variæ tamen jam acceſſerant ſtipulæ, nævi, errores, in ipſis quandoque Patribus, indicati ad præcedens Sec. *Cap.* v. de Doctrinâ, & *Cap.* xii. de Patribus.

Ritus verò quod attinet, externamque Eccleſiæ formam, conſtat ex ſuperioribus, obtinuiſſe jam Ex. gr. *Cœlibatum Clericorum*, à Siricio in Occidente ſancitum, A. ccclxxxv. *Epiſt.* i. ad Himerium Epiſc. Tarraconenſem, ubi ex *conjugibus propriis ſobolem procreaſſe*, *à die ordinationis*, *Sacerdotibus* & *Levitis* vertitur in *crimen*; & ſic poſteà ab Innocentio I. variis reſcriptis: Nec tamen obſervandâ Occidentalibus omnibus lege, ut dicetur loco ſuo, minùs in Oriente. Obtinebat etiam *Monachatus* in Orbe utroque, ſed à recentioribus inſtitutis diverſus, ut antè *Cap.* xiii. Romæ etiam, maximè indè à *Damaſo* Papâ, qui ſedit totos annos xviii. ab A. ccclxvi. anteceſſore Siricii, ſenſim increverat luxus, ornatus Eccleſiarum, Baſilicarum, tranſlatio Martyrum, & Ceremoniæ variæ introductæ, ut præter cantum *Pſal.* ex verſione LXX. etiam frequens *Alleluja* repeti ſolitum, de quo Baronius ad A. ccclxxxiv. *Num.* xxviii. *& ſeq.* Surgebat etiam faſtus Romanor. *Pontificum*, ut ex decretis Damaſi, Siricii, Innocentii I. liquet, Româ jam tum audiente, *firmamentum*, *vertex omnium Eccleſiarum*, &c. Adde ſurgentes in Eccleſiâ Exarchorum, Primatum, Patriarcharum Dignitates; Martyrum & Sanctorum credita jam ſuffragia; Reliquiarum venerationem nimiam; uſum Imaginum paſſim ac Cereorum in Templis; Feſta in honorem ac commemorationem Martyrum; Ceremonias varias in celebratione Euchariſtiæ (*Miſſarum* jam introducto nomine) adhibitas, ſcil. Evangelia & Epiſtolas, alternos Cantus, Graduale, Alleluja, &c. augendo ſenſim Canone à Cœleſtino, Gelaſio, Gregorio I. ut locis ſuis indicamus. Adi præcedentis Seculi, *Cap.* v. vi. vii. viii. ix.

Inteſtina in Eccleſiâ diſſidia.

IV. *Status externus* Eccleſiæ florentiſſimus fuerat, ſub Theodoſio M. Catholicæ Fidei addictiſſimo Principe, coërcitis Arianis, & Hæreticis aliis, ſic Judæis, ut ſuprà viſum, ſic profligato Gentiliſmo, pace etiam & concordiâ Eccleſiis reſtitutâ. Sed eo terris ſubducto in Urbe Mediolanenſi A. cccxcv. præſente tùm Honorio annos xi. nato, infeſtari cœpit Eccleſia, cùm *bellis* externis, ut viſum modo eſt, tùm internis *diſſidiis*. Laborabat nempè Eccleſia, i. In cauſâ *Origenis* Adamantii, renovato diſſidio, occaſione Monachorum Niſtrienſium in Ægypto, revocantium Origenis errores; undè prodierunt Euſtathiani, Anthropomorphitæ, Joviniani, alii, de quibus Epiphanius, *Hær.* lxiv. Palladius in *Lauſiacis* Sect. lxxviii. &c. Cumprimis exarſerat noviſſimè diſſenſio inter *Epiphanium* ab unâ parte, & *Johannem* Hieroſolymitanum ab alterâ qui ſe *Origeniſtis* applicuerat, ut liquet ex *Epiſt.* Epiphanii ad Joh. Hieroſolymitanum, quæ Latina exſtat ex Verſione Hieronymi. Indè aucturis diſſidium, illinc *Hieronymo*, qui à Pammachio rogatus ſententiam, liberè dixit circà A. cccxciii. *Epiſt.* ad Pammach. Origenis erroribus, qui Joanni Hieroſol. imputabantur, ad viii. capita revocatis; hinc *Ruffino* Aquileienſi, qui acerrimè cauſam agebat Origenis, variis ejuſdem Latinè redditis, inter alia, *Libris* περὶ Ἀρχῶν, quibus præfixit Præfationem, etiam Latinè verſo *Apologiæ* Pamphili pro Origene Libro *priore*. Undè Invectivæ utrimque ſcriptæ, & Apologiæ. Tandem & *Theophilus* Alex. odio Monachorum Niſtrienſium, quos hinc Ægypto exturbavit, Origeniſtas damnat, probantibus Anaſtaſio Romano, Epiphanio, & Hieronymo: Hinc damnatos à Theophilo benignius excipit *Johannes* Chryſoſt. Conſtantinopolitanus, admiſſos ad communionem publicarum Precum, non tamen Sacramentorum, ac literas pro iis dat ad Theophilum Alex.

In cauſâ Origen.

2. Et

Digitized by Google

In cauſâ Joh. Chryſoſt.

2. Et hinc natum alterum Schiſma, in cauſâ *Joannis* Chryſoſtomi, & *Joannitarum*: Quum nempè Theophilus Alex. æmulationis œſtro percitus, non ante quievit, quam Joannem (qui in *Eudoxiæ* odium liberis concionibus incurrerat, maximè ex quo declamavit in Statuam argenteam Auguſtæ, haud longè ab Eccleſia S. Sophiæ collocatam, A. CCCCIV. ex Socrate, & aliis) ope Imperatricis, Dignitate & Epiſcopatu deturbaſſet, in exilium agendum *Cucuſum* Armeniæ minoris A. CCCCIV. Quem in finem coactum fuit Conciliabulum Chalcedone ad Quercum, in ſuburbano, præſide Theophilo, A. CCCCIII. De quo Photius *Cod.* LIX. Theophilo accedentibus Acacio Beroënſi, Antiocho Ptolemaidis, Severiano Gabalorum, & aliis, Epiſcopis Chryſoſtomo infeſtiſſimis. Hinc quotquot favebant Johanni, *Joannitæ* dicti, eos inter Syneſius, Iſidorus Peluſiota, alii multi; ac Cyrillus tandem Alex. qui nomen Johannis *Diptychis* Eccleſiæ inſeruit. Intereà fuêre acerbiſſima odia, ſcripta virulenta, judicia iniquiſſima, & duraturæ bellorum flammæ, ad Theodoſii uſque Junioris tempora.

Et Donatiſtar.

3. Tandem Eccleſiam præcipuè *Africanam* mirum in modum conturbabant *Donatiſtæ*; ex Schiſmaticis & turbonibus facti Hæretici, & in quos fuêre Honorii Conſtitutiones, ſub Tit. de *Hæreticis*, & querelæ Patrum Africanorum, maximè Auguſtini. De quibus infrà loco ſuo.

II. *Propagatio Eccleſiæ hoc Seculo. Gentes quædam ad Chriſtum, & ad fidem Cathol. converſæ.*

I. Integrarum *Nationum* ad fidem Chriſtianam converſio, hoc Ævo prædicatur. Comparatè licet ad Orbem univerſum paucæ Gentes eſſent in Aſiâ, Africâ, Europâ, quibus non prædicatum fuiſſet Euangelium. Converſæ autem hoc Seculo memorantur:

Hibernia converſa. Palladius. Patricius.

1. Inſula *Hibernia* (Scotia Veteribus) Theodoſio Juniore imperante, ſecundùm alios primò converſa, ſecundùm alios in fide confirmata; à *Palladio* primùm, tùm *Patricio*, primis Scotorum Epiſcopis, Romano Epiſcopo Cœleſtino: Proſper in *Chron. Ad Scotos in Chriſtum credentes* (converſos jam antè) *ordinatus à Papâ Celeſtino Palladius Epiſcopus mittitur.* Idem Beda, Freculphus, Ado Viennenſis, &c. de quo videſis fuſè tradentem Jac. Uſſerium Armachanum, *Antiq. Brit.* C. XVI. XVII. p. 800. & ſeq. *Palladius* quidem, aliis natione Græcus, aliis Britannus, aliis R. E. Diaconus, miſſus fuit, cum XII. aliis, ut idem Proſper, Coſſ. *Baſſo* & *Antiocho*, id eſt, anno Ch. CCCCXXXI. in *Lageniam* Hiberniæ, Anglis *Leinſter*, dein in Albaniam, paulo poſt vitâ functurus. Malè hic confuſus cum Palladio Galatâ, Helenopoleos in Bithyniâ Epiſc. Lauſiacæ Hiſtoriæ Scriptore, aliis & Vitæ Chryſoſtomi, quæ Trithemii, Baronii, Poſſevini, ſententia fuit. *Patricius* verò gente Britannus, haud longè à Glaſcuenſi Civ. ubi *Kirk-Patrick*, ejus matre Martini Epiſc. Turonenſis aliis ſorore, aliis filiâ, (undè apud Avunculum aliquamdiu commoratus fertur) auditâ morte Palladii, ab eodem Cœleſtino, Germani Autiſſiodor. ſtudiis, cum XX. comitibus aliis, ad Hibernos Epiſcopos mittitur, A. CCCCXXXII. annos natus LV. ut ferunt. Ibique inter Eccleſias alias *Ardmachiam* in Ultoniâ fundavit, A. CCCCXLV. Hiberniæ hinc primam Sedem, & Metropoliticam, quæ aliis *Altimachia* à ſalicibus quibus conſita erat; hinc *Dublinenſem* Eccleſiam in Lagenjâ, aliaſque plurimas, quas CCCLXV. faciunt Nennius & alii. Monaſticam quoque vitam culturus, denique victurus, ex Monachorum Annalibus, ad annum ætatis CXX. & ultrà, mortuus A. CCCCXCIII. Sed de Patricio Hibernico vera diſcernenda à fabuloſis, quibus Monachi pro more hiſtoriam illius conſpurcarunt; qualia ſunt v. gr. Viſiones Angelicæ; frequentia Miracula; Eccleſiæ multæ quæ ab eo fundatæ referuntur, & Abbatiæ; Pallium Archiepiſcopale à Pontifice ſubmiſſum; Fabulæ multæ de S. Brigidâ, à Patricio velatâ; Prædictiones admirandæ; Ætas portentoſa, pro quâ alii in *bonâ ſenectute mortuum*, ut Nennius, & plures Hiſtorici. Tum quoque celebris fertur, *Gildas* Albanius, cognomento *Sapiens*, à quo Scholæ multæ inſtitutæ dicuntur in *Britanniâ*, ultrà medium Seculum v. Sed Voſſio & aliis ſequentis Ævi fuit Gildas, quanquam non certâ ejus ætate.

Ex oppoſito oppreſſa hoc Seculo Chriſtiana Religio in *Britanniâ*, & Paganiſmus in eam reductus per *Anglo-Saxones*, (adde Pictos, Scotos) circà A. CCCCL. à rege *Vortigerno* accerſitos: Hinc cum *Pictis* tranſacto fœdere oppreſſuros ſocios Britannos, diris ſtragibus editis; undè Chriſtiani ad Cambriæ montana, & in Armoricam Galliæ hoc Sec. ſeſe receperunt, ex Gildæ, Bedæ, &c. notiſſimis Hiſtoriis, de Excidio Britanniæ. Undè factum ut in Cambriæ ſeu Walliæ partibus, celebres ibi Epiſcopatus fundarent, Metropoli tùm Urbe *Legionum*, *Cuir Leon*, quæ & Iska Silurum; transferendâ deinceps ſede *Meneviam*, quæ & *S. Davidis*. Sed de his etiam poſteà.

2. *Burgundi* Germaniæ veteris populi, à Viſtulâ fluv. ad Rhenum, Mœnum, Neccarim effuſi, ac poſteà in Belgicam Primam, cujus caput Treviris; & ulteriùs in Gallias circà A. CCCCXXXV. Sed ab Aëtio Patricio Galliarum, fortiſſimo duce, in ordinem cogendi, victo Gundicario Burgundorum Rege. Deinde iidem ſub eodem Theodoſio Jun. converſi ad fidem Chriſtianam, teſte Socrate *Lib.* VII. non aliud præſidium nacti, contrà infeſtationes *Hunnorum* qui Pannonias tenebant, indè latè diffundendi: Et *Arianiſmo* hi infecti fuêre, ad ſequens uſque Seculum, quando Sigiſmundus Rex, cum totâ Gente, Hæreſi abnegatâ, operâ imprimis Aviti Viennenſis, Catholicam fidem amplexus fuit. Burgundi Ariani.

3. *Franci* Germaniæ ultrà Rhenum populi, inter Oceanum, Rhenum, & Viſurgim, & in varios populos diviſi, quorum præcipui *Friſii*, *Salii* in Trans-Iſalaniâ regione, *Bructeri*, *Sicambri*, Regem creant circà A. CCCCXVII. qui *Faramondus* nomine, de quo obſcura omnia, tacente ipſo Gregorio Turon. Hinc cis Rhen. in Gallias penetrarunt, Ambiano urbe Belgicæ Secundæ ſede *Merovei*, qui Romanis ſuppetias tulit adversùs Attilam Hunnorum Regem. Tandem, medio *Childerico* I. à quo res Francorum auctæ, ad *Clodoveum* (Ludovicum) Regem Francorum v. regnum pervenerat A. CCCCLXXXII. Sedem regni habiturum *Sueſſione* in Galliâ Belgicâ; quo tempore *Odoacer* Herulorum ſeu Bohemorum Rex Gothici generis, in Italiâ regnabat, facturus locum Theoderico Oſtrogottorum Regi, A. CCCCLXXXVIII. Hic Clodoveus non modò prolaturus fuit Regni fines, ſed & victurus Alemannos, Bojaros, imprimis poſt votum à ſe nuncupatum Deo Chriſtianorum, qui ſuæ Conjugis Clotildis Deus, ſe in eum crediturum, & *S. Baptiſmum* ſuſcepturum, ſi victor *Alemannorum* evaderet, qui regiones Germanicas ultrà Rhenum, Sueviam, Alſatiam, alias ad Rhenum & Mœnum ſitas, occupabant. Reſpondit voto ſucceſſus, & redux poſt fuſos & ſubactos Alemannos, Chriſtianus factus eſt; operam converſioni Clodovei navantibus *Vadaſto* Presbytero, & *Remigio* Rhemorum Belgicæ I. Epiſcopo, ubi S. Baptiſmo initiatus fuit, in Vigiliâ Nat. Domini, A. expirante CCCCXCVI. Potiſſimum verò converſionis inſtrumentum fuit *Clotildis*, Chriſtiana princeps, filia Chilpe- Francorum Converſ.

perici, à Gondebaldo Burgundionum Rege interfecti, quam ſibi Clodoveus deſponſaverat A. ccccxciii. & quæ nullam occaſionem intermiſerat Marito ſuadendi Chriſtianam ut fidem amplecteretur. Fusè rem refert Gregorius Turonenſis in *Hiſt. Franc.* L. ii. C. xxx. xxxi. poſt hunc Hincmarus, in Vitâ *Remigii* Rhem. Albinus Flaccus in Vitâ *Vedaſti*, primi Catechiſtæ Clodovei, poſteà Atrebatenſium Epiſcopi, tum Aimoinus, & cæteri Francicarum rerum Scriptores. *Ter mille* & ampliùs Franci cum Rege ſuo converſi dicuntur, & duæ illius *ſorores*, Albofleda ex Gentili Chriſtiana, & *Landechildis* ex Arianâ Catholiciſmum amplexa.

Fabulæ de Clodovæo. At fabulis & incertis narrationibus permixta omnia, dùm iidem Scriptores referunt circumſtantias Baptiſmi Clodovæi, Miracula quibus in fide confirmatus; Unctionem *regiam*, quæ non antè Seculum vii. in Chriſtianis Regibus obtinuit; Ampullam Remigianam cœlo miſſam roſtro Columbæ, quæ Chriſma contineret, & cujus primus meminit Aimoinus: Quæ primùm ſcripto tradita fuêre poſt exceſſum Caroli M. ſub Ludov. Pio, & Car. Calvo, non uno poſt rem geſtam Seculo. Baronio autem omnia certa, indubia, ad An. ccccxcix. *Num.* xxii. *&* *ſeq.* Memorabiles Remigii fuêre ad Clodovæum voces, ſi vera Gregorius *Lib.* ii. C. xxxi. *Mitis depone colla Sicamber*, (nam Franci in Sicambrorum nomen & loca ſucceſſerant) *Adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.*

Tit. Chriſtianiſſimi Regis undè? Porrò hinc planum fit, undè Francorum Reges *Chriſtianiſſimi* appellati, *&* *Primogeniti Eccleſiæ*, antiquâ prærogativâ. Nempè quod primus Clodovæus, in Occidentali Orbe, ex omnibus qui tum imperarent *Regibus*, ad fidem Catholicam converſus fuerit. *Arianiſmo* enim infecti per *Illyricum* Gepidi, Longobardi, Heruli; in *Italiâ* Theodoricus Oſtrogotthorum Rex; in *Hiſpaniâ* itidem Wiſigotthi & Suevi; in *Africâ* tùm rerum potiti Vandali; in *Galliâ* Celticâ & in Sequanis, Burgundiones: *Barbari* alii per Galliam Belgicam, Germanias, Britannias, &c. ne Chriſtiani quidem. De *Lucio rege Brit.* ii. Sec. dictum *col.* 603. &c. Quanquàm ſanè celebres jam anteà in Galliis *Eccleſiæ*, & *Antiſtites* quales ſuperiore Seculo Hilarius Pictav. Paulinus Trevir. Martinus Turon. &c. & *Concilia* ſub Chriſtianis Imperatoribus indè ab Arelatenſi i. A. cccxiv. & quæ deinceps exceperunt; ut Annales Eccleſiaſtici, & Conciliorum Tomi teſtantur, ac ſcripta Hilarii, Sulpicii Severi, Auſonii, Gregorii Turonenſis, &c.

Converſiones aliæ. II. Acceſſêre converſiones innumeræ *privatorum*. 1. Ex *Gentiliſmo* operâ Chryſoſt. Syneſii, Paulini, Auguſtini, aliorum Antiſtit. auſpiciis maximè Imperatorum Arcadii, Honorii, Theodoſii Junioris, Marciani; quorum ſaluberrimæ fuêre Conſtitutiones in *Paganos*, *Judæos*, *Apoſtatas*, *Hæreticos*, videndæ ſub his Titulis in Codice utroque, Theodoſiano & Juſtinianæo. 2. Ex *Judaiſmo*, in *Cretâ* cumprimis Inſulâ, ſub Theodoſio Jun. Nempe occaſione Impoſtoris cujuſdam ſe *Moſem* cœlo miſſum & redivivum fingentis, reditumque in Palæſtinam, per exſiccatum mare, fruſtrà pollicitantis: Undè deluſos ſe animadvertentes benè multi, non modò *Moſem* illum quæſivêre ad necem, ſed non inventum; verùm etiam Chriſtianiſmum dicuntur amplexi, teſte pluribus Socrate, *Lib.* vii. *Cap.* xxxviii. 3. Denique ex *Arianiſmo* aliiſque perniocioſiſſimis Hæreſibus, *Manicheiſmo*, *Macedonianiſmo*, *Neſtorianiſmo*, *Eutychianiſmo*, *Donatianiſmo*, *&c.* recepti fuêre in Eccleſiæ Catholicæ gremium non pauci, navantibus operam in *Oriente* Syneſio, Cyrillo Alex. Theodoreto, Baſilio Seleucienſi, &c. in *Occidente*, B. Auguſtino, & plurimis aliis, de quibus infrà. Catalogum Converſionum, (quamvis vera falſis & apocryphis miſceantur) videſis apud Magdeburgenſes, & in Chronologiâ Converſionum, ex Theodoreto, Socrate, Auguſtino, aliis.

III. *Scholæ, Academiæ, Bibliothecæ, hoc Sec. aut florentes, aut de novo erectæ.*

Huc ſpectat *Studiorum* promotio, ac *Scholarum* erectio hoc Seculo, quæ ſunt Eccleſiæ ſeminaria.

In Urbe Româ. 1. *Romæ* quidem florentiſſima fuerat literarum ſedes, jam indè à Valentiniano Seniore circà Annum ccclxx. Cujus leges xi. Academicas, in gratiam ſtudioſorum Romam confluentium, qui *ad Urbem diſcendi cupiditate venirent*, exhibet *lex* i. de Studiis Liberalibus Urbis Romæ, pluribus illuſtrata à Jacobo Godofredo, *Cod. Theod Lib.* xiv. *T.* ix. Confluxum hoc Seculo in Urbem ex Italiâ, Africâ, Galliâ, aliiſque Provinciis, tanquàm ad communem ſcientiarum ac diſciplinaram nutriculam, cumprimis Legum, & Eloquentiæ domicilium, ex Auguſtino, Claudiano, Sidonio Apollin. Caſſiodoro, non uno loco, intelligas. Præerant ſtudiis & Liberalibus artibus *Magiſtri*, *Doctores*, *Præceptores*, communiùs *Profeſſores* dicti; qui alii Grammatici, alii Philoſophiæ arcana rimati, alii Juriſperiti, multis hi privilegiis, immunitatibus, ſed & ſalariis ampliſſimis, donati.

Carthagine. 2. Ita etiam *Carthagine* Africæ Proconſular. floruiſſe bonas literas, Scholamque publicam Liberalium Artium, ex Auguſtino conſtat, *Lib.* v. *Confeſſ.* C. viii. Conqueſto hocce de licentiâ Scholaſticorum Carthaginenſium, undè Romam proficiſcendi animum induxerit, ubi ordinatiore diſciplinâ coërcerentur adoleſcentes. Certè Carthaginenſi è Scholâ prodiêre Viri in Africâ celebres, peſſundandâ ſub *Vandalorum* dominatu.

In Galliis. 3. In Galliis, præter *Auguſtam Trevirorum*, inclytam Literarum ſedem, indè à Conſtantino M. Conſtantio, Conſtante, &c. in omnibus inſuper *Metropolibus*, ſeu frequentioribus Urbibus, fuiſſe Profeſſores qui Grammaticam & Oratoriam traderent, conſtitutis ſalariis, ex Auſonio, aliiſque prolixè conſtat; latâ pridem lege à *Gratiano*, quæ eſt xi. de Medicis & Profeſſ. *Cod. Theod. Lib.* viii. Tales fuêre Maſſilia, Lugdunum, Auguſtodunum, Rhemi, Mediomatricum, Burdegala, Veſontio, Toloſa, Narbona, Pictavium, &c. Quanquàm Juriſprudentiæ causâ, & Philoſophiæ, fere Romam proficiſcerentur; dum Grammaticam ſeu Philologica ſtudia, & Oratoriam, in Galliis traderent. *Galliarum ſtudia florentiſſima* vocavit Hieronymus, in *Epiſt.* ad Ruſticum, *Tomo* i.

Bononienſis Acad. an à Theodoſio erecta? 4. *Bononienſem* Academiam, hoc Seculo, Anno ccccxxiii. fuiſſe à Theodoſio Juniore erectam, capto commoditate ac fertilitate loci, auſpiciis Cœleſtini Pontificis, non ex vero referunt Leander, aliique Italicarum rerum ſcriptores, & Chronographi. Putidum ſanè hac de re *Inſtrumentum* eſt, quod Theodoſio tribuitur, datum *Romæ in Capitolio*, convocato *Generali Concilio*, *ſummo Pontifice Cæleſtino*, *Cardinalibus* xii. *Archiepiſcopis Epiſcopiſque innumeris*, &c. Omnibus iſtud ſe indiciis prodens, mirâ inſcitiâ, & ἀνιςορησίᾳ, ac puerilibus ἀναχρονισμοῖς, Theodoſio tùm quoque agente in Oriente, ac de Academiâ Conſtantinopolitanâ inſtaurandâ ſollicito.

Conſtantinopolitana ſub Theod. Jun. 5. At floruit ſub eodem Theodoſio Juniore, quam diximus modò, *Schola* vel *Academia Conſtantinopolit.* cui reſtituendæ ſedulus incubuit, undè conſtitutiones Theodoſii, circà A. ccccxxv. 1. Ut nullis publicè profiteri fas eſſet, niſi Profeſſoribus legitimè

Digitized by Google

mè electis, quorum alii Grammatici ſeu Philologi, alii Oratores Latini, alii Sophiſtæ ſeu Rhetores Græci, alii Philoſophi, alii Juriſperiti, certo omnes numero, *Lege* III. de *Studiis liberalibus U. R.* 2. Ut

Privilegia.

eſſent Auditoria publica in *Capitolio* Conſtantinopolit. ejuſdemque Porticibus & Exedris, extrà quæ à Profeſſoribus non doceretur. 3. Ut *honores adderentur*, imò gauderent Profeſſores dignitate *Comitivæ* primi Ordinis, *Exvicariis* ità exæquandi, cumprimis poſt expleta xx. annorum ſtipendia, *leg.* unicâ *de Profeſſoribus*. Sed & Scholaribus vel Studioſis varia privilegia indulta, liberi commeatûs, commodi hoſpitii, alia: Ut & fræna adhibita quibus coërcerentur in ſtudiis, in moribus, abſtrahendi à pravis conſortiis, ab inhoneſtis conſociationibus, à damni conciliabulis, ab immoderato *ſpectaculorum* ſtudio, à Conviviis *intempeſtivis*, quæ ultrà tempus protraherentur, &c. Sic non recipiendi abſque literis συςαλικαῖς & ἀπολυτικαῖς, ad Magiſtrum Cenſûs, hinc *immatriculandi* ſeu Matriculæ inſcribendi; neque dimittendi niſi poſt tempus ſtudiis præſtitutum, qui olim fuit xx. ætatis annus, ex lege I. Valentiniani, dicto T. *de Studiis liberal.* U. R.

Bibliothecæ Conſtantinop.

6. Acceſſerunt *Bibliothecæ*, in ſubſidium literarum, ſeu in majus auctæ, ſeu de novo adornatæ, partim ex Gentilium monumentis, partim ex Sacris & Eccleſiaſticis Codicibus, Græcis & Latinis, ut Cæſareæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Romæ, alibi, ſic Conſtantinopoli. Inſtruxerat hìc Bibliothecam Conſtantius, Anno CCCLIV. auxerant Julianus, & Valens, collocupletavit Theodoſius, amantiſſimus librorum, quibus perlegendis etiam noctu incumberet, teſte Sozomeno, initio *Lib.* I. Scripti Codices plerique in διφθέραις ſeu membranis Pergamenis, τριασοὶ καὶ τετρασοὶ, *in terniones* & *quaterniones* (III. vel IV. foliis ſimul compactis) diſpoſiti, quales illi quos Euſebius Cæſareâ ad Conſtantinum miſerat, *de Vitâ Conſt.* L. IV. Alii etiam in membranis *chartaceis*, ſeu papyro Ægyptiacâ, tenuiſſimâ illâ, ac immenſæ ſæpè longitudinis; alii in *corticibus*, *pellibus*, *exuviis*; quale Homeri Poëmation, ſcriptum aureis characteribus, in Draconis inteſtino, longitudine cxx. pedum, inter κειμήλια Biblioth. Conſtantinopolitanæ aſſervatum, ex Suida, Cedreni *Chronico*, & Zonaræ *Annalibus* Lib. XIV. Quibus etiam teſtibus conflagravit ea *Bibliotheca*, hoc Seculo inclinante, ſub Zenone Imper. & Baſiliſco tyranno, paulo antè reſtitutum Zenonem; quum ad cxx. millia Librorum excreviſſet.

Antiquarii.

Porrò Bibliothecæ præfecti fuêre *Antiquarii*, ἀρχαιογράφοι, qui & καλλιγράφοι, Græci & Latini, ad Codices aut de novo componendos, aut pro vetuſtate reſtituendos, additis & *Cuſtodibus* qui *Conditionales* dicti, *leg.* 2. Codice Theod. *de Studiis Liberalib.* Prout *Conditionales* fuêre Actuarii, Tabellarii, Annonarii, ſic ex *conditione* perſonæ ſuæ & muneris obſtricti, ad publicam ſecuritatem, ut etiam emeriti interrogari, ac tormentis ſubjici poſſent.

Monaſteria verſa in Scholas.

7. Sed & fuêre Scholæ quædam *Monaſteria*, quorum in dies creſcebat numerus, diſciplinarum ac literarum ſedes. Cumprimis in his Sacræ Literæ docebantur, & quicquid ad pietatem faceret, uti monitum aliàs. Sic Epiſcopos ferè omnes habuiſſe ſuum *Monaſterium* infrà ſepta *Epiſcopii*, tam in Oriente quàm in Occidente (in quo conſtruendo nimii ſæpè ſumptus in diſpendium Eccleſiæ, undè Canones Epiſcopis coercendis, quales Synodi Conſtantinop. I. & II.) ex tabulis Eccleſiaſticis conſtat, exemplo Theodoreti Cyri Epiſc. Domni Apamenſis, Auguſtini Aurelii ſucceſſoris, &c. Vel ex ejuſdem Theodoreti Epiſtolis, *Ep.* LXXXVII. ad Domnum, CXIX. ad Anatolium Conſtantinop. Operum T. III. & ex Poſſidonio in *Vitâ* Aug. ac documentis aliis. Atque hinc nata *Canonicorum* Collegia, qui primitùs fuêre cohabitantes Clerici, in Epiſcoporum ædibus, Eccleſiæ miniſterio vel vacantes, vel ad illud deſtinati, certis Canonibus vel regulis adſtricti, undè nomen.

Scholaſtici qui dicti?

Vulgatum etiam fuit hac Ætate *Scholaſticorum* nomen, ſenſu tamen ab hodierno diverſo. Ut plurimùm ſic appellati Legum periti, Advocati, Defenſores, ἔκδικοι, qui dicendi artem, & Leges ſeu Jura in *Scholis* majoribus, quales Romæ & Conſtantinopoli, edocti eſſent, uti Socrates Scholaſticus, Agathias Scholaſticus, Euagrius, ſimiles. Sed & *Scholaſticus* pro erudito, ſapiente; etiam pro Magiſtro in Scholis, Monaſteriis; item pro ſcholari vel ſtudioſo, apud Auguſtinum in *Confeſſionibus*, & aliàs. Dein poſt tempora Caroli M. partim *Dignitatis* nomen fuit, & Scholaſticus dictus qui Scholis præeſſet; partim *profeſſionis*, & Scholaſticus idem ac Profeſſor bonarum artium, ut Launoius de Scholis Celebrior. C. XXIII. partim *miniſterii*, & Scholaſticus qui eſſet de Scholâ Cantorum; partim *doctrinæ*, ut qui barbaram cùm Philoſophiam tum Theologiam in Scholis tradiderunt, à Lombardi temporibus.

IV. *Doctrina Eccleſiæ Catholicæ, qualis hoc Seculo tradita?*

COlligitur rurſum Doctrina Catholica, quoad Articulos fundamentales, cum neceſſariis explicationibus, adversùs gliſcentes Hæreſes.

Fontes undè colligitur.

I. Ex publicis *Formulis* hujus Seculi; ut ſunt Capitula Cyrilli contra Neſtorium, Symbolum Chalcedonenſe, Leonis Imperatoris Encyclica ad Epiſcopos, pro confirmandâ fide Orthodoxâ, Henoticum Zenonis, de quo infrà.

2. Ex *Actis* & *Canonibus* Conciliorum ſive Univerſalium, ſive Generalium & Nationalium, ſive Provincialium, & ex *Epiſtolis* Synodicis: In quibus de variis Doctrinæ Capitibus diſceptatum eſt, occaſione Hæreſium Pelagianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, Maſſilienſium ſeu Semi-Pelagian. ut infrà locis ſuis.

3. Ex Scriptis *Patrum* hujus Ætatis: Puta ex Ruffini Expoſitione Symboli; Ex Auguſtini Enchiridio, libris de Doctrinâ Chriſtianâ, & paſſim in iis quæ ſcripſit adversùs Hæreſes Manichæam, Arianam, Pelagianam, &c. Ex Cyrillo de Rectâ ad Chriſtum fide, aliiſque ejuſdem Cyrilli; Ex Theodoreto item, Libris de Hæreticis Fab. Hiſtoriâ Eccleſ. Dialogis, &c. Ex Leonis Romani Sermonibus, Epiſtolis; Ex Socrate etiam Scholaſtico, & Sozomeno, quanquàm his faventioribus cauſæ Novatiani; Ex Gelaſio Papâ Rom. cumprimis ex Libris de duabus in Chriſto Naturis, adversùs Hæreſes Neſtorii & Eutychis, ubi ſententia ejus de Euchariſtiâ in propatulo eſt; Ex Gennadio Maſſilienſi de Fide ſeu de Dogmatibus Eccleſiaſt. Ex Vigilii Tapſenſis Afri, ex Aviti Viennenſis Galli, ex Fulgentii Ruſpenſis Epiſc. variis, item ex Euagrio, Liberato, &c. quibus patet Eccleſiæ fides, adversùs Arianos, Pelagianos, Neſtorianos, Eutychianos, &c.

Summa doctrinæ.

II. Ex his omnibus conſtat eandem fuiſſe in primariis Articulis, Catholicam fidem, quæ priorum Seculorum; Eundem nempè *Scripturæ* Canonem, eandem ſententiam *de Trinitate*, de *Chriſti Perſonâ*, de *Officiis*, de *Hominis corruptione*, de *Gratiâ*, de ἀδυναμίᾳ *Liberi Arbitrii*, de *Juſtificatione per fidem*, de *Reſurrectione ejuſdem Carnis*, de *Euchariſtiæ typis*, ſymbolis, ſignis, imaginibus, &c. quam hodieque profitentur Eccleſiæ Reformatæ. Teſtimonia Patrum hujus Ævi uno obtutu prolixè exhibent Magdeburgenſes, ad ſingula Capita, Flaccus Illyricus

Digitized by Google

ricus in Catalogo, Laurentius ad Syntagma Confeſſionum, Hottingerus in edito *Conſenſu Patrum*, ad Confeſſionem Cyrilli Patriarchæ Conſtantinop. & Proteſtantes paſſim Theologi, ac Patrologi. Nec ea compilatio hujus inſtituti eſt; quædam tamen ſubnotamus. Cumprimis verò ex uno *Auguſtino Hipponenſi*, vel etiam ex *Leone Romano*, quorum ſacra Latinis auctoritas eſt, intelligere licet diſſenſum ejus Ætatis à Doctrinâ & Praxi Pontificiâ, ac Canonibus Tridentinis, ut teſtibus aliis opus non ſit.

Doctrinæ hoc Sec. teſtes Latini, Auguſtinus, & Leo I. Rom.

Auguſtinus de Script. S.

S. Scripturæ auctoritatem, perfectionem, ſufficientiam, judicium ultimum de Controverſiis, nemo felicius adſtruxit Auguſtino, hoc ſolo judice tuto contrà Arianos, Pelagianos, Donatiſtas, cæteraſque quas confecit Hæreſes. In Libro *de Unitate Eccl.* contrà Petilianum Donatiſtam, *Cap.* III. Tomo VII. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, ſed audiamus, Hæc dicit Dominus: Sunt certè Libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram*, &c. Nec aliud frequentius agit eo *Libro*, cumprimis *Cap.* XVI. quàm ut doceat veræ Eccleſiæ, ac ſalutaris Doctrinæ demonſtrationem, inſtituendam non ab auctoritate *Conciliorum*, non ex teſtimonio *Patrum* vel *Epiſcoporum*, non ex *mirabilibus* quæ in Eccleſiâ fierent, nec aliundè quàm ex *Scripturis ſanctis*, & *ſolis*, in quibus ſint *cauſæ noſtræ documenta, fundamenta, firmamenta.* Sexcenta in hanc rem loca ex Auguſtino, ſeu doceat, ut in Libris de Doctrinâ Chriſtianâ, de Civitate Dei, aliis; ſeu Hæreticos coarguat, Fauſtum Manichæum, Maximum Arianum, aut Petilianum, Vincentium, Creſconium Donatiſtas, &c. Ac luculenta quoque in hanc rem eſt Auguſtini Epiſtola ad Hieronymum, quæ eſt XIX. vel ſecundùm Edit. noviſſimam Benedictinorum LXXXII. Tomo II. Oper. *Ego enim fateor caritati tuæ, ſolis eis Scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc terrorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* Iterùm, *Alios ità lego, ut quantâlibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ità ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, ſentire aliud exiſtimo*, & quæ ibi ſequuntur, frequenter citata. Ut mittam Epiſt. ad Madaurenſes Idololatras, quæ eſt in vetere Edit. XLII. nunc CCXXXII. & id genus alias.

De Libris Apocryphis.

In *Canonicis* ſanè Scripturis recenſendis, *Lib.* II. *de Doctr. Chriſt.* C. VIII. adjungit Libros Teſt. Vet. quos dicimus *Apocryphos*, tanquàm qui *in auctoritatem recipi meruiſſent.* Sed primus id fecit Hipponenſis, & cum eo Carthaginenſes, eodem ferè tempore; neque tamen pari loco habendos eos omnes Libros eſſe ibidem ſatis innuit Auguſtinus. Haberent quanquàm in Libris Sacris, legi ſolitis ad ædificationem Eccleſiæ, ſecundùm Eccleſiaſticos Canones, undè appellati *Canonici*; Oppoſitè ſcil. ad *Apocryphos*, id eſt, ſpurios, vel erroneos, adeoque prohibitos, ἐν ἀποκρύφοις, qui nonniſi privatæ lectionis eſſent, de quibus Auguſtinus *Lib.* XV. & XVIII. *de Civit. Dei.* Quin alibi diſertè nos ad Hebræos Codices revocat; *Ad Exemplaria Hebræa & Græca à Latinis recurratur*, de *Doctr. Chriſt.* L. II. C. X. Tomo III. Operum.

De Traditionibus.

Traditiones non ſcriptas ſi quas agnovit Auguſtinus, fuêre illæ de Ritibus, Ceremoniis, Eccleſiæ Diſciplinâ: De quarum *multiplicatione*, *præſumptione*, neglectis *quæ in Divinis Libris ſaluberrima præcepta eſſent*, multis conqueritur in *Epiſt.* ad Januarium, quæ eſt CXIX. Aliàs, *in iis quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque vivendi*, ut idem *de Doctrina Chriſt.* L. II. C. IX.

Criteria quibus *Apoſtolica traditio* dignoſci poſſet à non tali, hæc apud Hieronymum & Auguſtinum legimus: Hieronymus, *Comm. in Agg.* C. I. T. VI. *Alia quæ abſque auctoritate & teſtimoniis Scripturarum, quaſi* traditione Apoſtolicâ, *ſponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.* Auguſtinus, in Libro *de Paſtoribus*, *Cap.* XI. Tomo IX. ad illa verba, Paſcam oves meas ſuper montes Iſraël, hos montes dicit eſſe *Scripturas Sacras*, & addit: *Ibi paſcite, ut ſecurè paſcatis; quicquid indè audieritis hoc vobis benè ſapiat, quicquid* extra eſt *reſpuite, ne erretis in nebulâ.* Alibi, *Epiſt.* XLII. ad Madaurenſes Idololatras modò citatâ, agens de iis *Traditionibus quæ pertinent ad veram Religionem*, id eſt, ad fidem & mores, has (inquit) *Divina Scriptura non tacuit.* Nec aliter hoc Seculo in Græcis Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, reliqui, ubique diſtinguentes τὰ γεγραμμένα, quæ loquitur ἡ θεία γραφὴ, ab iis quæ σεσιγημένα, quæ ἄγραφα, *in Scripturis tacita*, hoc ipſo nec credenda, nec inveſtiganda.

Regula Auguſtini an faveat Pontificiis?

Nec diverſa eſt Regula Auguſtini, *in Libro* IV. de *Bapt.* contrà Donatiſtas, C. XXIV. T. VII. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolicâ auctoritate traditum rectiſſimè creditur.* Sermo autem ibi Auguſtino eſt de *Baptiſmo Infantum*, ex *Traditione* ſanè indè à primordiis Eccleſiæ acceptâ, ſed & *ſcriptâ* Apoſtolicis Literis, ut ibi pluribus Hipponenſis. Adeoque juxtà Auguſtinum, eæ *Traditiones* minimè ſunt *Apoſtolicæ auctoritatis*. 1. Quas univerſam tenuiſſe Eccleſiam, & ſemper, & ab ipſis primordiis, *demonſtrari* non poteſt: 2. Quæ multo minùs *ſcriptæ* ſunt, in Apoſtolicis Literis: 3. Quæ inter *Latinos* præcipuè exortæ, aut à Conciliis inſtitutæ, ac poſterioribus quidem v. gr. Lateranenſibus, Conſtantienſi, Florentino, Tridentino, vel etiam à Romanis Pontificibus, non Siricio modò, Innocentio, Leone, &c. ſed dudùm poſteà; ut ad inferiora Secula obſervamus.

In promptu jam hujus Auguſtinianæ Regulæ applicatio eſt, ad *Cultum Imaginum*, vel *Reliquiarum*; ad *Mariolatriam*; ad *Invocationem Sanctorum*; ad *Purgatorium*; ad *Indulgentias Papales*; ad *Confeſſionem Auricularem*; ad *Tranſſubſtantiationem*; ad *Miſſæ Sacrificium verum ac propitiatorium*; ad *Adorationem Hoſtiæ*; ad *Proceſſiones*, *Feſtum in honorem Sacramenti*; ad *Miſſas ſolitarias*; ad *Communionem ſub Unicâ*; ad *Immaculatam Conceptionem*; ad Papæ *Oecumenicum Pontificatum*, &c. Quæ ſcilicet nec univerſa tenuit Eccleſia, nec Apoſtolicâ auctoritate tradita ex Scripturis intelliguntur, nec ſemper retenta, ſed recentius inſtituta; ut ſuis locis certâ Hiſtoriæ fide demonſtramus.

De poteſtate Rom. Pontif.

Porrò Auguſtinum nullam agnoviſſe *Romani Pontificis* vel *Romanæ Eccleſiæ* Infallibilitatem, aut Poteſtatem in Eccleſias tranſmarinas, ſatis ſuperque liquet vel ex Conciliis Milevitano, & Carthaginenſi ſexto, quibus Auguſtinus interfuit; quando *appellationes tranſmarinæ* interdictæ, & faſtus vel *typhus* Romani Epiſcopi retuſus, quâ de re etiam infrà. Nec ipſe profectò vel Epiſcopatum, vel inveſtituram à Rom. Epiſcopo accepiſſe, aut fidelitatis juramentum præſtitiſſe Rom. Eccleſiæ, aut ſua ultimo hujus judicio ſubjeciſſe, ſeu in Vitâ Auguſtini, ſeu in hujus ſcriptis, uſpiàm legitur. Aliud eſt v. gr. cum *Innocentio* Afros ſua communicaſſe, ejuſque etiam & Romanæ Eccleſiæ opem atque auctoritatem, ut primæ & præcipuæ in *Apoſtolicis ſedibus*, contrà Pelagium & Celeſtium imploraſſe; quod facile damus.

De Prædeſtinatione,

In Controverſiis de *Prædeſtinatione quorundam* ex merâ gratiâ, miſericordiâ; de *Liberi Arbitrii* viribus,

Digitized by Google

Gratiâ, Libero Arb. &c.

bus, ſeu de *Naturæ Corruptæ impotentiâ* ad ſalutare bonum; de Infidelium *Operibus tantùm malis*; de *Particulari Gratiâ*; de *Gratiæ convertentis efficaciâ*, juxtà Prædeſtinationis Decretum; de *ejuſdem neceſſitate* ad benè agendum, ad reſiſtendum peccato, nullâ in nobis *ſufficiente* ad id gratiâ vel poteſtate; de *Perſeverantiâ* in fide, fluente ex naturâ Gratiæ, & Prædeſtinationis; de *Morte Chriſti particulari*, pro ſolis electis, ex intentione Chriſti morientis, &c. Nihil eſt quod ſententiam Auguſtini, expreſſiſſimam ſanè, opponamus Scotiſtarum illi, & Moliniſtarum, & ſi qui alii πελαγιανίζοντες. Cauſam hanc, præcipuè, poſt Thomam Bradwardinum Anglum & Archiep. Cantuarienſem, hoc Seculo C. Janſenius & Janſeniſtæ prolixè ex Auguſtino egêre; aguntque in dies, quibus ſunt præcordia de meliore luto, ac ſervire hac in cauſâ neſcia auctoritati vel Pontificiæ, vel Regiæ: In noviſſimis vide Diſſertationes *Pauli Irenæi*, vel *Nicolai Arnaldi*, & Scripta ὁμοψήφων.

De Juſtificatione; Fidei certitudine, &c.

Juſtificationem ex fide, ex gratiâ, nullis *operum* coràm Deo *meritis* ad cauſandam juſtificationem, utique adſtruxit Auguſtinus. Et ſanè ex ejus doctrinâ de Prædeſtinatione, & Gratiâ, altera de Juſtificatione profluxit. Nec diffitentur cordatiores in Adverſariis, poſt Caſſandrum, Barneſium, ſimiles. Ac luculenta ſunt Auguſtini in hanc rem effata, Enarrationibus in *Pſalmos* varios, Tomo VIII. vel III. Edit. noviſſ. Sic *Epiſtolâ* CVI. vel ex Edit. Benedictinor. CLXXXVI. ad Paulinum Nolæ Epiſcopum (non ut quidam Codd. ad Bonifacium) ubi pleniùs hanc cauſam agit Auguſtinus, inſtructurus adversùs Pelagii Hæreſim, contrà opinionem *meritorum*, niſi quæ & ipſa ſint in ſolidum *Gratiæ prævenientis* opus: Ita in *Libris ad Bonifacium* R. Eccl. Epiſcopum, contrà duas Epiſtolas Pelagianorum, ubi Pelagiani dogmatis virus retegit, maximè *Libro* I. & Gratiæ in ſolidum eſſe, quicquid in homine eſt *bonæ voluntatis*, etiam quoad *initium* illius, excluſis omnibus *meritis*, &c. Eadem in Libro de *Gratiâ* & *Libero Arbitr.* ad Valentinum & Monachos Adrumetinos; Et in Libro etiam unico *de Fide & Operibus*, Tomo IV. & ſæpè alias; quæ pridem ſunt à Chamiero, Uſſerio, & noſtris aliis vindicata.

Accedat Leo Romanus, *Epiſt.* LXXVIII. ad Leonem Auguſtum: *Catholica fides humanum genus ſola vivificat, ſola ſanctificat.* Idem, *Serm.* XI. *de Quadrag.* C. III. *Juſtificatio non meritis retribuitur, ſed ſolâ gratiæ largitate donatur.* Repetit aliquoties, negatis operum *meritis*, & accuſatâ etiam ſanctiſſimorum *culpâ*, in quibus ſemper *habeat vel juſtitia quod arguat, vel miſericordia quod remittat*, Serm. VII. in *Epiphan.* C. IV. Idemque paſſim Gratiæ & Fidei *certitudinem, nihil dubitantis, ambigentis, diffidentis*, ex profeſſo adſtruit, cumprimis *Sermonibus* in Nativit. Quadrageſimam, Aſſumptionem, Paſſionem, Reſurrectionem, quos vide.

De Meritis.

Ac voces *Meriti, merendi*, quo ſenſu acceperit Auguſtinus, ſexcenta docent. *Pro gratiarum actione* (inquit) *flammas meruimus odiorum. Pro perſecutionibus & blaſphemiis* Paulus *vas electionis meruit nominari.* Paulus *meruit indulgentiam. Hoc ipſum quod homo juſtè vivit, non meriti humani, ſed beneficii divini eſt.* Adi Theologos, & Georg. Caſſandrum Conſultationis *Art.* IV. VI. Joh. Barneſium Benedictinum Monachum in Catholico-Romano Pacifico, ab Anglis recuſo, *Sect.* V. quin ipſum Thomam Stapletonum; *ſi quis vocabulo promerendi uſus eſt, aliter non intellexit quam* conſecutionem de facto, in *Prompt. Cathol. Fer.* V. poſt Dominicam Paſſion.

De cultu Dei ſolius.

Solum Deum eſſe objectum *Cultûs Religioſi*, ſeu religioſæ Invocationis, Adorationis, Latriæ, Duliæ, Voti, Sacrificii; non Mariam, non Angelos, non Sanctos demortuos, non Imagines, non Hoſtiam, innumera Auguſtini docent. Loca ex *Epiſtolis* Auguſtini, & Libris *de Quantitate Animæ, de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, de *Verâ Religione*, de *Civitate Dei*, de *Hæreſibus*, de *Fide & Symbolo*, &c. (paſſim à noſtris adducta & vindicata, Rivetis, Chamiero, Uſſerio, ac prolixè Dallæo, &c.) congerere huc ab inſtituto noſtro alienum eſt. Undè vulgatum illud Hipponenſis eſt, *Honorandi ergò ſunt* (mortui) *propter imitationem, non adorandi propter Religionem*, de Verâ Rel. C. ult. T. I. Item, *honoramus eos charitate, non ſervitute; nec eis Templa conſtruimus*, &c. Alibi, indignatur *multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores*, in dicto Libro de Moribus Eccleſiæ, contrà Manichæos, Tomo I. Sexcenta id genus Doctis obvia.

Et Leo I. Romanus Epiſcopus, (*pro* cujus *animâ* adhuc oratum, tempore Hincmari Rhemenſis, ex hujus Libro I. *de Prædeſtin.* C. XXXIV.) quanquàm ſuffragiis Sanctorum plurimum detuliſſe videatur, *imitationis* quidem ſeu *æmulationis* objectum ſtatuit, *invocationis* nuſquàm. Imò vetat, *Sermone* VII. in Nativitat. Domini, *Cap.* V. *ne honor uni Deo debitus, eorum ritibus qui Creaturis deſerviunt, miſceatur; Dicit enim Scriptura Divina, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Græcos non dicimus, uti v. gr. *Cyrillum* Alexandrinum in ſuis contrà Julianum, *Theodoretum* innumeris in locis, &c. quos compilare in re clariſſimâ nihil attinet.

De Euchariſtiâ S. Contrà Tranſſubſt.

Tranſſubſtantiationem Panis Euchariſtici, *Præſentiam realem* Corporis Dominici in S. Cœnâ, *Oralem ejuſdem manducationem*, hinc *Adorationem Hoſtiæ*, vel *Sacramenti*, neſciviſſe Auguſtinum, fuſè ab Eruditis oſtenſum. Diſertè is verba, *Hoc eſt Corpus meum*, interpretatur de *ſigno Corporis*, contrà Adimantum Manichæi Diſcipulum, C. XII. Tomo VI. Oper. & alibi, nec ſemel, de *Sacramento* Corporis: *Solere enim res quæ ſignificant, ejus rei nomine quam ſignificant, nuncupari*, ut idem *Quæſt. in Levit.* L. III. C. LVII. Tomo IV. Poſt conſecrationem Euchariſticam, vocat idem perpetuò Symbola *panem, triticum, vinum*; diſtinguitque *Panem Dominum*, & *Panem Domini* quem indigni manducarent; ſic *Sacramentum, cibum viſibilem*, & *virtutem Sacramenti*, *Tractatu* XXVI. & LIX. *in Joh.* Tomo IX. Sic *Corporalem* Chriſti à terris abſentiam, dum ſuis adeſt præſentiâ *ſpiritali, fidei*; manducationem *figuratam, ſpiritalem*, quæ fiat *fide, crede & manducaſti*; pluribus in locis adſtruere Auguſtinum, à noſtris paſſim demonſtratur, qui & pridem & nuper de *Euchariſtiâ* commentati: Ac ſi vis adi Epitomen Operum Auguſtini, *Tit.* de Sacramento Corp. & Sanguinis Domini.

Accedit, haud obſcurè id ſenſiſſe Auguſtinum, Chriſti Corpus à Reſurrectione *Sanguine caruiſſe*, propter incommoda quæ indè ſequerentur, puta corruptionis, admixtionis pituitæ, fellis, &c. in *Epiſtolâ* CXLVI. ad Conſentium quærentem *quale nunc ſit Corpus Chriſti*, utrum oſſa & ſanguinem habeat, quæ in Edit. noviſſ. eſt CCV. *Epiſt.* Undè planum fit, minimè credidiſſe Auguſtinum ſubſtantialem *Sanguinis* ejuſdem in Euchariſtiâ præſentiam, vel tranſſubſtantiationem Symbolorum in *Sanguinem* quoque Chriſti, qualem retinere eum in Corpore glorioſo ſupponit omninò Schola Pontificia. Quanquam ſanè in eo hallucinatus ſit Auguſtinus, non *Corpori* tantum glorificato Chriſti, ſed & Sanctorum à reſurrectione, negans ineſſe *ſanguinem*. Quò ſpectat nupera Diſſertatio *de Sanguine Chriſti*, auctore Petro Allixio, Pariſienſi nuper in Reformatis Theologo.

Claudat in Latinis hoc Seculum *Gelaſius*, Epiſc. Romanus, Libro de *duabus Naturis*, contrà Neſtorium & Eutychetem, inſerendo Bibl. Patr. & Ortho-

Digitized by Google

thodoxographis; fruſtrà Baronio, ad A. CCCCXCVI. Binio, Bellarmino, aliiſque poſtulatus νοθεύσεως, ut qui *Gelaſii* alterius ſit, modò Cæſarienſis, modò Cyziceni: Sed invitis Spondano, Sirmondo, Miræo, Labbæo, Du-Pino, & pleriſque qui Gelaſii Papæ eſſe agnoverunt. In eo ſanè Gelaſius, collaturus unionem *Naturarum* in Chriſto, & unionem Euchariſticam *Symbolorum* cum Corpore & Sanguine Domini, diſertiſſimè negat, in his *deſinere ſubſtantiam vel naturam Panis & Vini*, planè ut infrà negat Theodoretus; aſſerit autem, in actione Myſteriorum, *imaginem & ſimilitudinem Corporis & Sanguinis Chriſti celebrari.* Exceptiones Perronii, & aliorum, quas nuper Natalis Alex. ſecurè repoſuit, T. x. p. 680. (v. gr. *ſubſtantiæ* nomen, accipi pro *accidentibus* Panis & Vini, & quæ ſunt id genus aliæ) luculenter confutatas habes apud Albertin. de *Sacramento Euch.* L. II. p. 858. ne jam alios dicam.

Mittimus in Græcis Chryſoſtomum, Epiphanium, Iſid. Peluſiotam, Cyrillum Alex. ac præ cæteris Theodoretum, expreſſiſſimos hoc Seculo teſtes *ſenſûs figurati*, *præſentiæ ſpiritualis*, *manducationis myſticæ*: Loca deligenter excuſſa & vindicata habes apud eundem Albertinum *Lib.* II. ac noviſſimè id quoque occupatum à Rev. Claudio Pariſienſi nuper Miniſtro, Viro de Eccleſiâ Reformatâ præclarè merito, in *Reſponſionibus* ſuis ad Arnaldum Janſenitam. Nemo autem expreſſior Theodoreto, cùm in *Dialogis* paſſim *Dial.* I. & III. tum in *Cap.* XI. prioris *ad Corinth.* etiam ex Editione Sirmondi, 1642. Ubique is interpretatus *Panem & Vinum* vel *Calicem*, etiam μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, de *ſymbolis*, *ſignis*, *imaginibus*, *typis* Corporis Chriſti; quæ retineant τὴν προτέραν οὐσίαν, φύσιν, *priorem ſubſtantiam*, *naturam*; nomine autem Corporis & Sanguinis honorentur, quam dicit τὴν ὀνομάτων ἐναλλαγὴν *permutationem nominum*, τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ *mutatione quæ ex gratiâ fit*, &c. Vide vaniſſima effugia apud præfatos Theologos, inprimis Albertinum, *Lib.* II. in Exam. teſtimoniorum Theodoreti, totis IX. Capitib. p. 673. qui omnium inſtar.

De Communione ſub Utraque, &c. Tandem pro *Communione ſub Utraque*, contrà ſubtracti Calicis Sacrilegium, quicunque ſit *concomitantiæ* obtentus (ac noviſſimè apud Condomienſem, nunc Meldenſem Epiſcopum, edito in hanc rem Tractatu) teſtentur hoc Seculo Leo, & Gelaſius, ambo Epiſcopi Romani. Ille quidem, *Serm.* IV. de *Quadrag.* C. V. in Manichæos invectus: *Ore indigno Chriſti Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant.* Adeò ut qui tùm ſolo Pane uterentur, haberentur pro Manichæis. Gelaſius verò apud Gratianum, *de Conſecrat.* D. 2. C. 12. in eos *qui à Calice ſacri cruoris abſtinerent*, decernit hunc in modum: *Qui procul dubio, quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur obſtringi, aut* integra Sacramenta *percipiant, aut ab integris arceantur: Quia* diviſio *unius ejuſdemque Myſterii, ſine* grandi Sacrilegio *non poteſt provenire.* Ac confitentes rei ſunt doctiſſimi Pontificiorum, ipſeque Cardinalis Bona, *Liturgic.* L. II. C. XVIII. *Semper & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad Seculum* XII. *ſub ſpecie panis & vini communicaſſe fideles; cœpiſſeque paulatim ejus Seculi initio uſum Calicis obſoleſcere.*

Mittimus quæ indubiè fuerunt hujus Ævi (ut fusè omnium inſtar apud Blondellum, Aubertinum, G. J. Voſſium, Dallæum, Larocanum) *Fractionem panis*, & *fermentati* quidem, *Conſecrationem clarâ voce*, *diſtributionem in manus*, *ſtationem* communicantium, & ſi quos Ritus alios, à quibus abhorrent Latini hodierni.

De Confeſſione Auriculari, & annexis. *Confeſſionem Auricularem*, & *Sacerdotalem abſolvendi poteſtatem*, qualis hodie eſt Romanenſium, fruſtrà ex Auguſtino, ex Leone Romano, ex Canonicâ hujus Ævi Pœnitentiâ; probare ſatagunt Baronius, Albaſpinæus, Petavius, Sirmondus, doctiſſimi in Adverſariis.

Certè Auguſtinus, *Confeſſ.* L. X. C. III. *Quid mihi eſt cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos!* Alibi in *Homiliis* L. *Homil.* XXIII. T. *ult.* *Quid es homo, niſi æger ſanandus? vis mihi eſſe medicus? mecum quære Medicum.* Plura ex eo Theologi. Joh. Caſſianus, Chryſoſtomo magiſtro inſiſtens, *Collat.* XX. C. VIII. *Quod ſi verecundiâ retrahente, revelare* peccata *coràm hominibus erubeſcis, illi quem latere non poſſunt, confiteri ea jugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere, Iniquitatem meam ego cognoſco*, &c. Et hanc quæ *Deo* fieret Confeſſionem, ſuffeciſſe fidelibus acceſſuris ad Sacram Communionem, vel indè conſtat, quod hoc Seculo, uti & præcedente, exire juberentur Diaconi voce ſoli *Catechumeni*, *Energumeni*, *Competentes* ſive *Illuminandi*, & qui eſſent conſtituti ἐν μετανοίᾳ *Pœnitentes*: Cæteri verò quotquot eſſent Fideles, promiſcuè vocarentur ad *Miſſam fidelium*, ſeu ad Euchariſtiæ Sacra; nuſquam auditâ hac Diaconorum voce, *Exite non confeſſi*, vel non prævisâ confeſſione apud Sacerdotem expiati: Nec ullus hac de expiatione Canon, nulla regula, nullum exemplum, occurrit.

Ita Leo Romanus, *Serm.* V. *de Quadrag.* C. III. IV. agens de debitâ Præparatione antè Sacramenta, hortatur illos qui tota anni ſpacia ſecuriùs tranſegiſſent, ut *cogitent ſummi Judicis tremendum aſpectum*; ut ad *præſentem ubique Dei miſericordiam confugiant*; *nec ſibi blandirentur*, *quod* Sacerdotibus, Miniſtris, *conſcientiæ ſingulorum patere non poſſent*: Non igitur hæ, ex mente Leonis, coram Sacerdotibus excutiendæ fuerunt ac nudandæ. Quanquàm Leonis, tempore ſubſtitutam fuiſſe privatam vel *ſecretam Confeſſionem*, graviorum nempè delictorum, loco *publicæ*, ut pudori delinquentium conſuleretur, poſtquàm *Deo primùm* confeſſi fuiſſent, ex *Epiſt.* ejus LXXX. ad Epiſcopos Campaniæ, &c. & aliundè, conſtet. Sed nec, ad Canonicam Pœnitentiam, *Confeſſionem* aliam fuiſſe requiſitam, vel ἐξομολόγησιν, quàm eorum Criminum pro quibus Canones injungerent eam Pœnitentiam, adeoque ſatisfactionem Canonicam, ad reparationem ſcandali Eccleſiæ dati, res ipſa docet: Diverſiſſimo jam inſtituto à *Confeſſione Auriculari*, vel Innocentianâ, de quâ extat Joh. Dallæi prolixa Diſputatio, *Libris* IV. comprehenſa.

V. *Corruptio creſcens ſeu in Doctrinâ, ſeu in Ritibus, & in Praxi, hac Ætate obſervata. Diſcrimen tamen multiplex à ſequiori Ævo.*

Non tamen diffitemur irrepſiſſe jam hoc Seculo in Eccleſiam, etiam ut ab Hæreticis diſtincta fuit, varios errores, nævos, ſuperſtitiones, id eſt, paleam, ſtipulas in *Doctrina*, *Ritibus*, *Praxi* Chriſtianâ, idque vel in Oriente, vel in Occidente. Exemplo fuerint ſequentia.

I. Additamentum Librorum quorundam *Apocryphorum* ad Libros Canonicos, vulgò factum in Concilio Carthaginenſi III. ſub finem Seculi prioris, *Canone* XLVII. Verùm refertur ad Concil. Carthaginenſe V. habitum A. CCCCXIX. poſt Conſulat. Honorii XII. Theodoſii VIII. tempore Bonifacii Papæ, ex antiquiſſimis Codd. cujus hic Canon eſt XXIV. Et additur, *de confirmando iſto Canone tranſmarina Eccleſia conſulatur, Bonifacius & cæteri earum partium* (id eſt Italiæ) *Epiſcopi*; ſiquidem *Africana* Eccleſia ſic à *Patribus*, *accepiſſet*, *Libros* (hoc Catalogo expreſſos) *legendos eſſe in Eccleſiâ.* Fatentur quot- Libri Canonicis additi.

Digitized by Google

quot Conciliorum antiquos Codd. verſarunt. Nempe *Scripturis Canonicis*, ſive *Divinis*, accenſentur *Salomonis Libri quinque*, id eſt, etiam Eccleſiaſtici Liber, & Sapientiæ; Item Liber *Tobiæ*, *Juditha*, & *Maccabæorum Libri duo.* Obſervatum autem Viris Eruditis, Juſtello & aliis, *Maccabæorum* hos Libros, quos *tres* recenſet Canon Apoſtolicus ſuppoſititius LXXXV. in nullo Codice Græco Africanorum Canonum, ſeu MS. ſeu typis deſcripto, expreſſos eſſe, nec in Collectione Creſconii, nec illa Joh. Antiocheni, uti ab omnibus Patribus Græcis extra Canonicorum cenſum reponuntur. At Salomonis recenſentur *Libri quinque*, ex vulgatâ tum hypotheſi Libros Eccleſiaſtici & Sapientiæ *Salomonis* eſſe, item *Tobias* & *Judith*, quorum Hiſtorias ad Eccleſiam pertinere, & genuinas eſſe, communiter credebant Africani. Undè ex his fuerunt, quos dixit Auguſtinus in Libris de *Civit. Dei*, L. XVIII. C. XXXVIII. pertinere ad *ubertatem cognitionis*, *valere ad copiam ſcientiæ*, non vero ad *religionis auctoritatem.* Epiphanius Lib. de Ponder. & Menſ. dixit ὠφελίμους, χρησίμους, Hieronymus, *Præf.* in Proverbia Salom. *legendos ad ædificationem plebis*, non ad *auctoritatem religionis*, ut etiam Acta Martyrum; vel ut Athanaſius, aut quiſquis eſt Auctor, in Synopſi Script. ἀναγινωσκομένους μόνον τοῖς κατηχουμένοις, *qui Catechumenis ſolum legerentur.* Porro obſervandum, *Canonicas Scripturas* dixiſſe laxiori ſenſu, quæ publicè *in Eccleſiis*, ſecundùm Canones Eccleſiaſticos, *legerentur*, ut quoque Ruffinus in *Expoſit. Fidei*, in oppoſitione ad Libros ἀποκρύφους, id eſt, νόθους, μὴ ἀναγινωσκομένους, ἀκανονίστους, quales v. gr. qui *Enochi ſub nomine proferevantur*; quos nefas erat *legere*, utpote ſpurios, & in quibus *multa falſa* admixta, *contra fidem Librorum Canonicorum*, explicante ipſo Auguſtino, *de Civ. Dei*, *Lib.* XX. C. XXIII. & *Lib.* XVIII. C. XXXVIII. quæ loca conſule. De Decreto Gelaſii in *Syn. Rom.* poſteà.

Uſus Imaginum publicus.

II. Uſus *Imaginum* publicus in Templis, de cujus initiis dictum ad ſuperius Secul. *col.* 866. Sive jam eſſent *Biblicæ* illæ, ſive *Eccleſiaſticæ* ex Actis Martyrum; reluctante jam ſuprà Epiphanio, & Imaginem *quaſi Chriſti*, *vel ſancti cujuſdam*, in foribus Eccleſiæ pendentem, manibus ſuis ſcindente, ut quod eſſet *contra auctoritatem Scripturarum.* Alicubi etiam, ſed exeunte V. & VI. Seculo, invaſit *Cultus* Imaginum, non tamen introductus publicâ lege, ſed privatâ quorundam ſuperſtitione, ut ex Auguſtino, Theodoreto, Euagrio, aliiſque colligere licet. De quibus ex profeſſo Viri magni, in ſpecie Joh. Dallæus, & nos in *Hiſt. Imaginum* Reſtit. *Sect.* I. Ac *cultui* illi religioſo, *ſepulchrorum ac picturarum adoratoribus*, vehementer cumprimis reſtitit Auguſtinus, pluribus in *Epiſt.* ad Januarium, quæ eſt CXIX. ſic in Libro de Fide & Symbolo, & in altero de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, *Tomo* I. quos vide.

Cultus Sanctorum qualis?

III. Doctrina de *Invocatione Sanctorum*, cujus non lex quidem, ſed praxis cœpit ſub initia hujus Seculi, occaſione non unâ relatâ ad *Secul.* IV. *col.* 865. 866. quæ ibi require, ubi origo ſecuturæ ſuperſtitionis. Fautores erroris maximè Orientales, nihil tamen affine habentes hodiernæ ſuperſtitioni Pontificiæ. Jam tùm ſanè *Feſta* anniverſaria in honorem vel potiùs memoriam Martyrum, quæ vocat Theodoretus *Serm.* VIII. de Martyribus, ſub finem *Tom.* IV. σώφρονας πανηγύρεις *modeſtas feſtivitates*, *ſine pompâ*, *jocis*, *riſu*, tranſactas *divinis canticis*, *ſacrorumque ſermonum auditione*, oppoſitè ad feſtivitates, τῶν Πανδίων, καὶ Διονυσίων, &c. Sed tamen nullæ eximebant à juridicis diebus, vel cenſebantur ἄπρακτοι, aut diei remiſſionis; nullæ adhuc obſervatæ in univerſali Eccleſiâ; nullæ extra loca depoſitionis Martyrum, v. gr. Romæ ubi feſtivitas *Petri*, *Pauli*, &c. Nullæ etiam in honorem B. *Virginis*, vel *ſingulorum Apoſtolorum*, nequidem in vetuſtiſſimis Calendariis, quale cenſetur Carthaginenſis Eccleſiæ illud, vulgatum à Mabillono, *Anal.* T. III. p. 398. quod videtur eſſe V. hujus Seculi, ſub perſecutione Vandalicâ; *Nullum*, ita in Obſervationibus Mabillonus, *Deiparæ feſtum*, *de quâ nullus eſſe apud Auguſtinum tractatus ſive ſermo.* Patet etiam ex Valent. Theod. & Arcadii Impp. *lege* II. de Feriis, in Cod. Theod. *Lib.* II. *Tit.* VIII. ubi Laterculum habetur omnium Feriarum, ſed nullæ quæ huc ſpectant, præter *dies Paſchæ* XIV. quibus adduntur in *leg.* V. de Spectaculis *Lib.* XV. *Tit.* V. dies *Natalis* Dom. *Epiphaniorum*, *Pentecoſtis*, & *Apoſtolicæ Paſſionis* Petri & Pauli. Similiter ex non uno Leonis Romani loco, cumprimis Auguſtini *Epiſt.* ad Januar. CXVIII. vel XLIV. inter Feſta quæ toto orbe anniverſariâ ſolennitate celebrarentur, recenſentur tantùm, illud *Reſurrectionis*, & *Aſcenſionis*, & *adventûs Spiritûs S.* quanquàm acceſſerint hoc Ævo *Natalis* Dom. & *Epiphaniæ.* Sic erecta paſſim hoc Sec. in memoriam Martyrum *Templa* vel *Baſilicæ*, quæ hinc *Memoriæ*, & *Limina*, ſed in honorem vel cultum religioſum ſolius Dei, cujus tum laudes ad illa Limina canebantur: Undè argumentum Auguſtini adverſus Maximinum Arian. T. VIII. *Lib.* I. Templa non erigi niſi *Deo*, & fore *nos Sacrilegos*, *ſi* in cujuſcunque *Creaturæ honorem Templum* ſtrui pateremur; quomodò *neque niſi Deus noſter eſſet*, *Templum nos ipſos habere potuiſſet.* Ita jactatæ hinc indè Sanctor. *Apparitiones*, & Sancti demortui *advocati* magis, qui precibus ſuis juvarent, quàm *invocati.* At nondùm vel univerſalitas, vel auctoritas erroris, Canonibus nullis genuinis ſanciti. Nondum fœda inter Catholicos, quam Simonianis adſcribit Irenæus, *Angelolatria.* Ut necdum *Marianus* cultus, tantoperè rejectus Epiphanio *Hær.* LXXIX. Nondùm Templa ſtructa τῇ Θεοτόκῳ, qualia ſanè Ævo ſequenti Juſtinianus, ex Procopio; Nondùm preces, *Ave Maria*, *Salve Regina*, vel *Roſaria*, &c. Nondum *Feſta* in honorem Virginis, nec ullum ex VII. illis Feſtis quæ Virgini dicata; quorum primum v. gr. Feſtum ὑπαπάντης ſeu *Occurſus* vel Purificationis, refertur à Thomaſſino ad tempora Juſtiniani, ex Theophane, & Anaſtaſio: Nondùm *Miracula* illi adſcripta, qualia poſtmodùm Virgini Lorettanæ, Montisferratenſi, &c. Nondùm jactatæ illius frequentes *Apparitiones*, quales deinceps; & quæ alia Παρθενολατρείας capita invexiſſe poſteriorum Seculorum ſuperſtitionem, ſuis locis obſervamus. Demum circà medium Secul. V. poſt vulgata epitheta Mariæ, θεοτόκου, θεομήτορος, παναγίας, &c. & poſt tempora Petri Fullonis Antiocheni (de quo poſteà) obſervata fuiſſe prima immoderati cultûs circà Virginem initia, qui ſemper in majus crevit eundo, VI. VII. & ſeq. Seculis, ut in Oriente, ſic Occidente, non modo à noſtris demonſtratum, ſed & à prudentioribus Rom. Eccleſiæ agnitum fuit. Sic nondùm ἀποθέωσις illa ſeu Canonizatio Sanctorum; Nondum Feſtorum creſcens in dies ille numerus, Proceſſiones, Miſſæ, Litaniæ, Vota, Officia, Oblationes, &c. in cultum Sanctorum, vel Virginis, quæ ſequentia Secula contaminarunt. Ac de hac re ex monumentis hujus Sec. fusè & eruditè Dallæus noſter, de *Objecto* Cultûs Religioſi, & de *Cultibus* Latinorum, poſt Chemnitium, Rainoldum, Uſſerium, Ger. Joh. Voſſium, Matt. Bochartum, & paſſim Theologos.

Reliquiarum ſtudium. Unde illud?

IV. Doctrina de veneratione ac virtutibus *Reliquiarum*, cujus jam extitêre fautores Ambroſius, Hieronymus, Paulinus Nolanus Epiſcopus, ut viſum ad ſuperius Seculum, *Cap.* VIII. Et Hieronymus quidem, in Vigilantium animoſior, *Tomo* II. Oper. ſic hanc cauſam egit, ut Tertullianum ipſum faventem inducat in *Scorpiaces* Libro; quem Librum ſcripſit adverſùs Gnoſticos, Valentinianos, & *omnes*

Mar-

Digitized by Google

Martyriorum refragatores, id eſt, negantes Martyrium pro Chriſto ſubeundum. Seculo hoc quinto celebrari primùm Reliquiæ, aut transferri, vel frequentari cœpêre loca martyrii, v. gr. *Stephani* protomartyris, exemplo Eudociæ Auguſtæ, quæ illi Templum ſtruxiſſe dicitur, ſtadio uno ab urbe Hieroſolyma, apud Nicephorum, Lib. XIV. C. L. Tùm *Barnabæ* Cyprii, cujus reliquiæ hoc Ævo repertæ, in Cypro inſulâ, apud Theodorum Lect. *Hiſt.* L. II. aliorumque primi ævi; non ſine miraculis, & prævia revelatione eorum Corporum aut Reliquiarum. Hinc *Tranſlationes* innumeræ, poſt factas eas Revelationes, hoc & ſequentibus cumprimis Seculis, & poſt introductum morem ibi condendi Eccleſias, aut Memorias, ac ſolenniter dedicandi, ubi adeſſent *Sanctorum reliquiæ*. Qualium exemplum jam apud Ambroſium legas, in Dedicatione Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi depoſitæ reliquiæ *Gervaſii*, *Protaſii*, Ambroſio ex revelatione acceptæ (ſive hi Martyres ſub Nerone, ſive ſub M. Aurelio) *Ep.* LXXXV. ad Marcellinam ſororem, & apud Auguſtinum *Confeſſ.* L. IX. C. VII. ac in *Vitâ* Ambroſii. Cave autem vera credas Miracula & portenta, quæ attribuuntur huic Ætati, & hujuſmodi Reliquiis, aut Corporibus vel ſepultis, vel tranſlatis, qualia habent Legendæ, & Acta Apocrypha, aut etiam Hiſtorici; V.gr. quæ refert Nicephorus, in hiſtoriâ tranſlationis Corporis B. *Chryſoſtomi*, curante Theodoſio Juniore, *Lib.* XIV. C. XLIII. tacet autem Theodoretus narrans eam tranſlationem *Lib.* V. C. XXXVI. Licet hic habeat, admoviſſe Imperatorem τῷ λάρνακι (in quo Chryſoſt.) *frontem*, & *oculos*, *ſupplicaturum pro Parentibus*, ut quæ contra ipſum egiſſent, *ignoſceret*. Sic revelandæ poſtmodùm, ſed ſeriùs, Reliquiæ ſine numero, ipſius Mariæ Virg. Chriſti Crucifixi, ſingulorum Apoſtolorum, J. Baptiſtæ, imò Prophetarum Samuelis, Zachariæ, &c. Hujus λειψανομανίας in promptu ſunt cauſæ: *Miracula* Reliquiarum virtuti jam adſcripta, ut pridem *ligno* Dominicæ Crucis, de cujus inventione ſuprà; Credulitas temporum, ac ſtudium convertendi Gentiles, his ſuperſtitionibus ſuetos; Martyrum melioribus Seculis nimia veneratio; opinio ſe attactu Reliquiarum aliquid de defunctorum ſanctitate promereri; & ſi quæ id genus cauſæ aliæ. Necdùm tamen obtinuit illarum in infinitum multiplicatio; non extenſio ad *capillos*, vel *lac Virginis*, ad *clavos*, *lanceam*, *ſpineam coronam*, ad *caligas*, ad *pectines*, *lapides*, *carbones*, id genus crepundia; non adoratio religioſa; non demurmuratio precum, oblatio munerum, exſolutio votorum, &c. nullo certè ex genuinis monumentis indicio. Videantur quæ nos jam ad ſuperius Secul. & omnium inſtar Joh. Dallæus, *de Cultu Religioſo* Latinorum.

Mortuorum pœnæ, ignis purgatorius.

V. Superſtitio magis increſcens, *juvari Mortuos* viventium ſuffragiis, & precibus, de cujus origine, progreſſu, dictum jam ad præcedentia Secula. Hinc nata ſenſim opinio de *Igne purgatorio*, & perpeſſionibus poſt hanc vitam, hærente ipſo Auguſtino, non uno in loco, in Libris de Fide & Operibus, de Civitate Dei, & in Enchiridio ad Laurentium. *Non abhorret*, inquit, *quantum arbitror à ratione veritatis*; *Non redarguo*, *quia forſitan verum eſt*; *Incredibile non eſt*, &c. Ac perobſcurus ipſi locus videbatur *Pauli ille* 1. *Cor.* III. 13. *uniuſcujuſque opus ignis probabit*, quem de igne temporalis tribulationis accepit. Certè *purgatio* Animarum, etiam *igne*, ex Platonicâ Philoſophiâ primùm nata. Hinc ad Elyſios campos nonniſi *purgati* omnibus ſordibus, παντελῶς καθαροί, admittebantur, æternâ felicitate fruituri. Hinc Palus *Acheruſia* per annos aliquot habitanda, ubi perpeſſi pœnas, quibus tandem à peccatis plenè abſolverentur. Ità priuſquam Cœlo adſcriberentur, planè tria requirebantur, *Contritio*, *Confeſſio*, *Satisfactio*, quæ pluribus Guntherus de Jure Manium, *Lib.* II. *Cap.* ult.

—— *Aliis ſub gurgite vaſto*
Infectum (quod factum nollent) *eluitur ſcelus*;
atque exuritur igni.

Qui verò ob ſcelerum magnitudinem purgari non poterant, hos perpetuis Tartari tenebris addictos eſſe crediderunt.

Baptiſmi & Euchar. abſoluta neceſſit.

VI. Quemadmodùm & nata his temporibus opinio de *Baptiſmi* abſolutâ neceſſitate, cujus privatio æternis cum Diabolo tenebris addiceret. Quomodò Infantum *Limbus*, apud Latinos, natus ex Paganâ Philoſophiâ; quæ inter Inferorum Circulos primum fecit, illum qui *Animas Infantum* reciperet, apud Servium in L. VI. *Æneidos*. Sed & nata hoc Sec. opinio altera de neceſſitate *Euchariſtiæ*, infantibus hinc adminiſtrandæ. Quem errorem erravit & ipſe Innocentius, Auguſtinus, aliique in Latinâ Eccleſiâ, dùm ſe opponunt Pelagianis, & ex malè intellectis locis, *Joh.* III. 5. VI. 53. Quin aliquando *Corporibus defunctorum* Euchariſtia data, & Baptiſmus adminiſtratus, interdicentibus ſanè Afris, *Canone Afric.* XVIII.

Status Animarum.

VII. Adde errorem alium Auguſtini, ipſis quoque Tridentinis rejectum, paſſim in Euchiridio ad Laurentium, in Libro de Cura pro mortuis, & aliàs. Nempè, *Animas* abditis receptaculis contineri, uſque ad tempus ultimæ Reſurrectionis. Qui ut priorum temporum fuit, ſic etiam hac Ætate, præter Auguſtinum, Prudentii quoque, Chryſoſtomi, Theodoreti, aliorum, ac deinceps recentioris Græciæ. Longè jam abſunt Pontificiæ ſeu *Canonizationes* Sanctorum, ſeu nundinationes Animarum ac *Liberationes* ex Purgatorio, per Indulgentias, Miſſas pro defunctis, ſimilia adjutoria.

Liberum Arbitrium.

VIII. Adde doctrinam de *Liberi Arbitrii* viribus, antè Gratiam prævenientem, ut à ſemi-Pelagianis propugnatam, ſic quandoque apud Græcos Patres non obſcuram, ſi modos loquendi reſpicimus, cumprimis apud Chryſoſtomum, Theodoretum. Ac Chryſoſtomi diſcipulus fuit Caſſianus, Maſſilienſium facile princeps. Luculenta tamen, quæ hos à Pelagii nepotibus diſtinguant, habes documenta apud Gerh. Voſſium, *Hiſt. Pelag. Lib.* II. & IV. Sed de his infrà, ad Hæreſim *Pelagianam*, & *Maſſilienſium*.

Cœlibatus Clericorum.

IX. Adde ſancitum hoc Seculo *Cœlibatum*, non modò quoad Monachos & Virgines Sacras, quibus *non liceret nuptialia jura contrahere*, ſub pœna *Excommunicationis*, Canone XVI. Chalcedonenſi: Sed etiam quoad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos; urgentibus inprimis in Occidente, poſt Siricium, Romanis Epiſcopis, puta Innocentio I. & Leone. Acceſſerunt hinc Synodorum aliquot in Occiduis partibus decreta, pro continentiâ Clericorum. Controverſus eſt ſenſus Canonis Africani XXXVII. vel LXX. aut *Can.* III. Concilii Carthaginenſis III. vulgò V. (quanquàm ut permixta fuêre hæc Concilia Carthagin. ità hi Canones variè recenſiti) exeunte Seculo priore, quo decernitur, ut *Epiſcopi*, & *Presbyteri*, & *Diaconi*, *ſecundùm propria ſtatuta*, *etiam ab uxoribus contineant*. Græci reddunt, Canone (juxtà Herveti edit.) LXXIV. κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, *ſecundùm proprios terminos*, id eſt, propria tempora, functioni ſingulorum deſtinata, ſeu vice miniſterii ſingulorum, quum *Sacramentis divinis* inſervire eos oporteret. Alii, ſecundùm *proprias* cujuſque Eccleſiæ *conſtitutiones*, quæ hac in parte variarent, utpotè nullo jure divino definitâ. Et certè uxorati hoc Seculo fuerunt, *Proſper* Regienſis, *Sidonius* Apollinaris, *Simplicius* Bituricenſis, aliis etiam *Vigilius* Tridentinus, &c. In *Oriente* Epiſcopos, Presbyteros, uxoribus promiſcuè uſos eſſe, vel etiam abſtinuiſſe ſpontaneâ voluntate, memores Synodorum Nicænæ, Gangrenſis, ex Socrate, Sozomeno, Theo-

Theo-

Digitized by Google

Theodoreto, Caſſiodoro in *Tripart.* Hiſt. abundè conſtat. Excipit tamen Socrates, *Hiſt.* L. v. C. xxii. p. 287. *Theſſaliam*, *Macedoniam*, *Achaiam*, ubi occaſione ἐρωτικῶν Librorum, quos compoſuiſſet juvenis Heliodorus, poſteà *Triccarum* in Theſſaliâ Epiſcopus, interdictum fuiſſe Clericis, niſi ἀποκήρυκτοι fieri vellent, poſt Clericatum συγκαθευδῆσαι νομίμῃ γαμετῇ, *dormire cum legitimâ uxore.*

Solitar. & Monaſticæ vitæ increm.

X. Adde creſcentem *Monachatûs* ſuperſtitionem, tùm in Oriente, tùm in Occidente, præcipuè in Ægypto, Thebaide, Palæſtinâ. Patet, ex ſcripto *Palladii* in Hiſt. Lauſiacâ, de S. S. Patrum Vitis, quam ſcripſiſſe ſe innuit A. ccccxxi. ubi eorum Monachorum vitam, actiones, miracula, ſermones prolixè deſcribit, & inter illa auſteritatum ac ſuperſtitionum portentoſa, incredibilia, etiam in muliebri ſexu; ubi ἀκριβῶς narraſſe omnia, ait Socrates *Hiſt.* L. iv. C. xxiii. Cui Operi accedit illud quod inſcribitur Παράδεισος *Paradiſus*, ſive Hiſtoria Monachorum Ægypti, per Heraclidem ſcripta, ſub initia hujus Sec. quam è Codice Regio & Colbert. edidit Cotelerius P. iii. *Monum. Græc.* p. 171. Sed & ſupplementi vicem præſtet, *Joh. Moſchi*, qui & *Eviratus*, Λειμὼν ſeu *Pratum ſpirituale*, Sophronio Hieroſolymit. inſcriptum circà A. dcxxx. quod Monachorum, præcipuè in Laurâ S. Sabæ, Vitas enarrat. Λαῦρα *laura* verò primitùs dicta fuit habitaculum Anachoretarum, Monachorum, οἰκίσκος, cella Monaſtica, ſolitaria & à cæteris ſeparata; diſtinctè à *Cœnobiis*, ſeu Μάνδραις, quaſi *caulis ovium*, quæ Heſychio, τόπος πρὸς ἀναχώρησιν (*ad ſeceſſum*) ἀνειμένος. In iis ſcriptis legitur multitudo ſtupenda Monachorum, Eremitarum, diſperſorum imprimis per Thebaidem ac Ægyptum, quibus tribuitur Vita Angelica, & planè miraculoſa: *Nulla apud eos ſollicitudo*, ſic Auctor Paradiſi, *non veſtimenti*, *non de cibis cura*, *ſed unica inter hymnos expectatio adventus Chriſti. Quocircà quoties aliquis ex ipſis rebus ad uſum neceſſariis indiguerit*, *non civitatem requirit*, *non vicum*, *non fratrem*, *amicum*, *cognatum*, *parentes*, *liberos*, *famulos*, *ut inde ea comparet quibus opus habet*; *ſed ſola ſufficit voluntas*, *quæ extendens manus ad ſupplicationem*, *& labia ad gratias Deo agendas aperiens*, *cuncta hæc ei ſtupendo modo exhibeat. Et vero quid plura dicamus de fide illorum erga Chriſtum*, *quæ poſſit etiam montes transferre? Nam ipſorum complures fluviorum irrumpentes undas retinuerunt*, *Nilum pedibus tranſierunt*, *feras peremerunt*, *atque morborum curationes*, *miracula*, *maximæ potentiæ opera ediderunt*, *qualia ſancti faciebant Prophetæ atque Apoſtoli*: *Conſimili modo per ipſos mirabilia operatur Servator*; *cunctiſque illius regionis hominibus clarum eſt*, *per eos ſtare apud Deum*, *& honore affici vitam humanam. Vide quoque aliam immenſam multitudinem Monachorum*, *quæque ſub numerum cadere nequit*, *conſtantem omni ætate*, *in deſertis*, *in regionibus*, *tantam ut non poſſit terrenus Imperator adeò ingentem ſibi exercitum cogere. Non eſt enim villa neque urbs in Ægypto ac Thebaide*, *quæ non Monaſteriis*, *ſicut muris cincta ſit*; *eorumque precibus populi*, *tanquam in Deo innituntur. Atque alii in locis remotiſſimis*, *omnes ubique*, *inter ſe maxime contendendo*, *mirabilem ſuam oſtendunt* ἄσκησιν, &c. A quâ tamen credulâ ac ſuperſtitiosâ ſimplicitate abfuit Iſid. Peluſiota, & ipſe Monachus. Credulus & *Theodoretus*, in Ἀσκητικῇ Πολιτείᾳ *Monaſticâ Converſatione*, quam ſcripſit circà An. ccccxl. inſertam T. iii. Operum, ubi deſcribit Vitas non tantùm Ἀσκητῶν, prioris ævi, ſed & *decem* adhuc viventium *Seculo* v. quo ſcripſit tempore Theodoretus, ex xxx. quos repræſentat. Summa eſt; conſtitiſſe horum ἀσκήσεις, in fugâ πάσης ἀνθρωπίνης συνουσίας, in mirâ vitæ auſteritate, ac ſpecie ſapientiæ, & humilitatis, cumprimis ἐν ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος, & ἐθελοθρησκείαις, quæ vix fidem inveniant. Omnium inſtar ſint illa de *Symeone Stylitâ*, ſive Columnari, ſub Theodoſio Juniore, cujus refert Theodoretus prodigioſam *inediam*, totâ ut ajunt Quadrageſimâ, per annos continuos xxviii. quando hæc ille ſcripſit. Hinc refert ſtationem ſuprà *Columnam*, ultimò altam cubitos xxxvi. in cacumine *montis*, ne à turbâ contingeretur, quæ undequaque velut ad ſplendidiſſimam *lucernam ſuper candelabrum poſitam*, affluebat, ex Ciliciâ, Armeniâ, Iberiâ, Perſiâ, Arabiâ, imò Galliâ, Hiſpaniâ, &c. Indè ægros ſanabat, paralyticos erigebat, dabat conſilia, lites componebat, arguebat Hæreſes, Eccleſiarum curam gerebat, & quæ alia referunt admiranda, Deo & ſibi vacans, ab *occaſu* ſolis ad *nonam* uſque horam. Hæc & alia Theodoretus in *Hiſtoriâ* Religioſâ, C. xxvi. *morituro* Symeone anno iv. Leonis Imperat. ut Cedrenus, Nicephorus, & alii, Chriſti circiter ccccLx.Ità inclinato hoc Sec. inter Monachos Palæſtinos celebris fuit *Sabas*, Archimandrita ſive Abbas maximæ Lauræ, ſub initia Anaſtaſii Imp. de cujus ἀναχωρήσει in ſpeluncam, abſtinentiâ, miraculis, dein (ubi præfecturam Lauræ ſortitus eſt) certaminibus cum Anaſtaſio Eutychiano, factis illi revelationibus, novis Lauris & Cœnobiis ſtructis, famâ ſibi comparatâ, vaticiniis editis, ſed & portentis, ac miraculis variis, morte denique circà A. dxxxi. quum exceſſiſſet annos xc. prolixè ſcribit *Cyrillus* Scythopolit. Monachus, qui non ità diu poſt extinctum Sabam in Palæſtina claruit. Ex his cæteros diſce.

Sym. Stylita

ſive Columnar.

Superſtitionum & Rituum incrementum.

XI. Addimus collapſam ſenſim cum luxu Clericalem *diſciplinam*; uti Confeſſionem publicam, ſub Leone Romano circà An. ccccLx. in *privatam*, *ſecretam* coràm Sacerdote (nempe criminum pro quibus injuncta Pœnitentia publica) commutatam: Undè ſenſim publica & Canonica Pœnitentia, quæ ſanè obtinuit Leonis tempore inter Latinos, ab Epiſcopi & Sacerdotum arbitrio pendere cœpit. Sic Leges de *Jejunio* Sabbathi, Quatuor anni Temporum, quibus fiebant Ordinationes, Vigiliarum ante-Feſtalium, Rogationum ante Aſcenſionem Dom. ſancientibus Innocentio I. Leone Romano, Mamerto Epiſc. Viennenſi; ut fusè ex hujus Ævi documentis à Dallæo cumprimis noſtro demonſtratum, in Libris de *Jejuniis*. Sic *Litaniarum* uſum invectum, ſeu ſupplicationum ad Deum pro pace Eccleſiæ, pro ſalute animarum, pro poteſtatibus Seculi, pro Clero, pro Populo, &c. reſpondente altâ voce, ad ſingulos Articulos, populo, per Κύριε ἐλέησον *Domine fac gratiam*, *miſericordiam*. Cui additum mox in Eccleſiâ Conſtantin. Proclo illius Epiſcopatum tenente, tempore Cœleſtini, hinc in aliis Eccleſiis Orientis, τὸ τρισάγιον in hunc modum, Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Sed addita Fabula, puerum quendam, inter preces publicas, è plebe in ſublime raptum, qui *ter ſanctum* hunc *Hymnum* ab Angelis acceperit, ne deeſſet divina ac cœleſtis auctoritas; qui hinc quoque Hymnus Seraphicus, Angelicus, & ἐπινίκιος καὶ τρισάγιος ὕμνος, denotandæ ſcil. Trinitati. Referunt rem ex Synodo Romanâ, Felix III. Epiſt. ad Petrum Gnapheum, quæ eſt iii. in Tomo iv. Concil. *col.* 1064. tùm Damaſcenus, & alii. Igitur hic Gnapheus vel Fullo eſt, qui poſt annum ccccLxx. invaſor Sedis Antiochenæ, & Eutychianorum primipilus, adjecit hanc clauſulam Eutychianam, quæ *Theopaſchitarum* exinde fuit, Ἅγιος, &c. ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus eſt pro nobis*; quæ pluribus narrat Nicephorus Calliſti, *Hiſt. Eccl.* L. xv. C. xxviii. Tomo ii. Qui ipſe ille Gnapheus eſt, qui inſtituit Antiochiæ, ut in omni precatione nomen *Deiparæ* proferretur, ἐν ἑκάστῃ εὐχῇ τὴν Θεοτόκον ὀνομάζεσθαι, ex Theodori Collectaneis *Lib.* ii. confirmante Cedreno. Idem inſtituiſſe dicitur, *ut ſacrum Chriſma*, τὸ μύρον (non ut vulgò μυστήριον) in omni Eccleſiâ *coram populo conſecraretur*; ut *Aquarum benedictio*, in-

per-

Digitized by Google

pervigilio Theophaniorum ſub veſperam fieret; ut ſingulis Collectis, id eſt, tempore S. Synaxeôs, *Symbolum* recitaretur, ex Euchologiis, & Theodori Collect. L. II. Cedreno, & aliis. Et quæ minutiæ id genus Rituum & Ceremoniarum hoc jam Sec. in Liturgica, & Euchariſtica Sacra, cumprimis in Oriente irrepſerunt, ſenſim ab omnibus Eccleſiis uſurpatæ etiam Occidentalibus; videndæ in vulgatis multumque interpolatis Liturgiis, ſub nomine *Dionyſii Areop. Baſilii, Chryſoſt. Cyrilli Alex.* Eccleſiæ *Antiochenæ*, &c. & in *Miſſis* Latinorum. Quò referimus *oblationem* & uſum *incenſi* ad *Altare*, Apoſtolicis licet Canonibus vulgò præſcriptum, & Liturgiis inſertum, reverâ ad v. Seculi decurſum referendum vel ex Actis Concilii Chalcedon. *Act.* III. in Libello Iſchyrionis Diaconi Alex. &c. Sed tacet planè Auguſtinus. Et hæc monuiſſe ſufficiat.

Exempla alia.

XII. Tacemus ſuperſtitiones jam hoc Sec. invectas, circà Veſtes Sacerdotum ac Diaconorum; circà Ordinationes Clericorum; Conſecrationes Cereorum, aliorumque; Crucium in Templis erectiones, ut memorialis Dominicæ Crucis; Defunctorum ſepeliendorum ritus, &c. Non Oriente ſolo, ſed & Romanis Pontificibus, indies adaugentibus Ceremonias, nec parùm *Leone* I. dein *Gelaſio* I. vergente Sec. ut ex horum Epiſtolis & Decretis intelligitur, & Vitis apud Anaſtaſ. De quarum incremento jam conqueſtus fuerat Aug. *Epiſt.* CXIX. *ad Januarium*, de Eccleſiæ Ritibus: *Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodò contrà fidem ſint, ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis Miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt; Ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus Libertatis non cognoverint, Legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.* Addit, *Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat.* Hujuſmodi ſunt conſtitutiones de ornatu & ſupellectile & vaſis argenteis, ac dedicationibus *Baſilicarum*: De *Baſilicis* ſtruendis S. Cornelio Epiſcopo Rom. S. Euphemiæ, S. Nicandro, S. Eleutheriæ, S. Andreæ, S. Mariæ viâ Laurentinâ, &c. De *Baptiſmo* non celebrando die Epiphaniæ, ſolis Paſchæ & Pentecoſtis temporibus, extrà caſum urgentis neceſſitatis; De *Maritis* Viduarum, vel *Digamis*, vel etiam ab *uxore* non continentibus, à Sacerdotio, Diaconatu, & Eccleſiaſticis Officiis removendis; De *Ordinationibus* certis tantum diebus ac temporibus peragendis; De non ordinandis niſi in quibus nullum eſſet *corporis vitium*; De inceſtis nuptiis cum *Virginibus*, quæ antè habuiſſent Virginitatis propoſitum, etiam nondum conſecratis; De his & illis obſervandis in uſu *Baptiſmi*, *Euchariſtiæ*, *Pœnitentiæ*, &c. De Pœnitentibus, ſi mortui eſſent antè *Communionem*; De Clericis Romano more *tondendis*; De *Chriſmate* poſt Baptiſmum accepto, non iterando, &c. Et quidem hæc omnia & ſimilia tanquàm ex *Apoſtolicâ conſtitutione* fuêre obſervanda. Vide Tomum Conciliorum Edit. Labbeanæ III. & IV.

Laudabilia inſtituta, monita.

XIII. At *comparatè* ad ſequentia tempora, magna adhuc hoc Ævo integritas ac ſimplicitas fuit & *morum*, & *rituum*. Hinc & ſaluberrimæ multæ Conſtitutiones, in Canonibus *Africanis*, & *Chalcedonenſibus*, *Gallicanis* quandoque, in abuſum vitæ Monaſticæ, in Clericorum incontinentiam, ſordidam avaritiam, Simoniam, curas ſeculares; in Epiſcoporum faſtum, negligentiam; in violatores Canonum, diſciplinæ; in hiſtriones, ludos, ſpectacula, &c. Ac major quàm ſecuturis ætatibus in Conventibus S. frequentia, in externis zelus, in diſciplinâ rigor, in vitâ auſteritas. Multa etiam in gliſcentem corruptionem, ſuperſtitionemque, circà Imagines, Reliquias, Peregrinationes, vitam Monachalem, Ciborum abſtinentiam, feſtivitates Chriſtianorum, luxum, id genus alia, præclarè tradita fuêre à Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, Cyrillo, Theodoreto, Leone ipſo Romano, Viris aliis ſanctis, ut ex horum ſcriptis clariſſimè intelligitur.

Agapæ ſublatæ, & quare?

XIV. Utili etiam inſtituto ſublatæ hoc Seculo *Agapæ*, jam in Concilio Carthag. III. Anno CCCXCVII. *Populi ab hujuſmodi conviviis quantum fieri poteſt probibeantur*, Canone XXX. Unde Chryſoſtomi ætate hunc morem ferè abolitum, ὅτι ὕστερον καὶ τοῦτο διεφθάρη τὸ ἔθος, docet *Homil.* XXVII. *in* I. *Cor.* Tomo III. *pag.* 417. Edit. Sav. Præiverant Laodiceni *Canone* XXVIII. interdicentes celebrare Agapas ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, *in Eccleſiis*, aut in *Domiciliis divinis*, συνεσθίειν *convivari*, vel ibi ἀκκούβιτα στρωννύειν *accubitus* (menſas, quibus accumberent) *ſternere*, quod repetitum Canone Trullano LXXIV. Quanquàm non ſimul & ſemel ubique deſierunt, ſed ſucceſſivè, vel ex ipſo Auguſtino eas adhuc memorante, ut Libro XX. C. XX. contrà Fauſtum Manich. Tomo VI. vel ex Edit. Benedictin. VIII. *Agapes enim noſtræ pauperes paſcunt, ſive frugibus, ſive carnibus. Abuſus* autem Agaparum varii irrepſerant, v. gr. divitum faſtus pauperes de ſuo ali gloriantium, intemperies, luxuria, petulantia, rixæ; undè tandem uſus omnis diſparuit, convertendus in Eleemoſynas, & convivia Cleri ſolius.

VI. *Regiminis Eccleſiaſtici facies & ratio hoc Seculo. Romanorum Pontificum creſcens ambitio, exemplis oſtenſa. Ab Orientalibus & Afris cumprimis coërcita.*

Patriarchalis ſurgens dignitas.

I. VIdimus jam ad præcedens Sec. *Cap.* IX. ſtabilitam in Eccleſiâ Catholicâ, *Chorepiſcoporum* qui ἐν χώραις καὶ κώμαις epiſcopi voce fungerentur, *Epiſcoporum* in Urbibus ſuprà Presbyteros, *Metropolitanorum* ſuprà Epiſcopos, *Exarchorum* ſuprà Eparchos vel Metropolitanos, auctoritatem dignitatemque. Hoc Ævo ſenſim in majus crevit Epiſcopale faſtigium, ut v. gr. *præſente Epiſcopo* nequidem liceret Presbytero, niſi juſſo, vel *orare*, vel *ſedere*, vel *abſtinere* facinoroſos, vel *veneranda tractare myſteria*, & quæ alia ipſis interdicit Gelaſius Ep. Rom. in Decretis ad Epiſcopos Lucaniæ miſſis, T. IV. *Concil.* col. 1186. & ſeq. An verò etiam fuerint ſuprà *Exarchos* Diœceſeôn ſublimati hoc Seculo *Patriarchæ*, horumque dignitas, utpote ſumma, jam agnita fuerit, anquirendum. Sanè non debetur *Petro* Patriarchas inſtituenti, ut Allatius & cæteri, poſt Baronium, nugantur; non *Marco* Alexandrino, ut vulgò Origines Alexandrinæ; non *Decretalibus* Pontificum ſuppoſititiis, ut Turrianus, & gregales; non Concilio *Nicæno*, Canone VI. ut contrà affirmantem H. Valeſium Doctiſſimus in Pontificiis Joh. Launoius, Diſſert. de hoc Canone *Coroll.* XV. ejuſdemque *Propugnatione*, demonſtravit. Socrates equidem eam refert ad Concil. Oecumenicum II. ſub Theodoſio M. dùm is Diœceſeôn Exarchos, (qui præeſſent toti Diœceſi, quales v. gr. qui ſuprà Diœceſim Aſianam, Ponticam, Thracicam; Orientis, Cypri, &c. & quotquot erant αὐτοκέφαλοι, in Ordinationibus faciendis, aliiſque Cauſis Eccleſiaſticis) vocavit Πατριάρχας. Καὶ Πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, Hiſtoriæ *Lib.* V. C. VIII. Rectè jam Valeſius, πατριαρχίαν non ſumi pro Patriarchatu, ſed pro regimine ac gubernatione; quanquam ibidem malè, *jam antè fuerat confirmata Patriarcharum poteſtas Canone* VI. *Conc. Nicæni.* Hoc igitur nominis, pro ſpeciali Dignitate, introductum in

Eccleſiam Chriſtianam, poſtquàm ceſſârunt *Judæorum Patriarchæ*, aboliti A. CCCCXXIX. *lege* XXIX. Cod. Theod. de Judæis, &c. quorum auctoritas ad *nominatos in Synedriis Primates* devenit, id eſt, in Conſeſſibus ſupremis Judæorum, ſeu γερουσίαις, *poſt exceſſum* vel extinctionem Patriarcharum. Nondùm tamen reſtricta fuit hoc Seculo vox *Patriarcharum* ad v. Thronos Patriarchales, ùt poſteà; licet per excellentiam hoc nomine venerint hoc Sec. ex. gr. *Leo* I. Romanus, in Epiſt. Theodoſii ad Valentinianum, quâ meminit petitionis oblatæ παρὰ Λέοντος τ͂ εὐλαβεστάτου Πατριάρχου, *à Leone reverendiſſimo Patriarchâ*, in Parte I. Conc. Chalced. *col.* 58. Quomodò & alibi vocatur, Leo *Act.* II. Concilii Chalced. ἁγιώτατος Ἀρχιεπίσκοπος. Viciſſim *Act.* III. *col.* 400. in Libello Iſchyrionis Diaconi Alex. οἰκουμενικὸς Ἀρχιεπίσκοπος ϗ Πατριάρχης, &c. Et ità Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, promiſcuè hoc jam Seculo *Archiepiſcopi*, & *Patriarchæ* nuncupati; ut deinceps apud Juſtinianum frequenter, obviis locis, Epiphanius Conſtantinop. Johannes II. Papa, Agapetus Papa, Anthimus, Menas, &c. 2. Omnes etiam Diœceſeôn *Exarchi*, ut Ponticæ, Aſianæ, Macedonicæ, Daciarum, Illyrici, &c. tum Nationum *Primates*, paſſim *Patriarchæ* appellandi; ut etiam Seculo VI. in Galliâ, Lugdunenſis & Bituricenſis, regni Burgundici & Aquitanici Primates, & *Patriarchæ*. Quomodò *Aquileienſis* in ſpecie, poſtquàm ſe Mediolanenſi ſubtraxit, & evaſit αὐτοκέφαλος, *Patriarchæ* titulo à Gotthicis temporibus ornatus. Quanquam nec quicquam eximium dixerit ſuprà jura Metropolitica; hinc & Hiſpani, & Occidentales alii, hunc *Patriarchæ* titulum uſurpaſſe nuſquam legantur: Niſi *Wandalos* Arianos velis, in Africâ hoc Ævo dominatos, apud Victorem Vitenſem de Perſec. Wand. *Lib.* II. qui Exarcho ſuo Diœceſeôs Africanæ, cui nomen *Cyrilæ*, *Patriarchæ* titulum dedêre.

Tandem reſtricta vox eſt in Oriente ad quinque *Sedes Patriarchales*, ſuprà plures jam Diœceſes evectas, Romanam, Conſtantinopolit. Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, ΚΑΡΑΙ Græcis dictas, *per* ſigla. Quemadmodum & vox, *Throni*, quæ anteà de Epiſcoporum ſede, Cathedrâ in ſublimi poſitâ, tandem reſtricta ad Patriarchalem Dignitatem eſt, præeuntibus Chalcedonenſibus Canone XXVIII. quo *Thronum Conſtantinopolitan.* efferunt.

Primates. II. *Primatus* nomen jam præcedente Sec. uſurpatum fuit, ſed pro Metropolitano, ſeu Provinciæ totius Epiſcopo primo, in Africâ, Galliâ, ex Synodo Taurinenſi, A. CCCXCVII. Tomo II. Concilior. & ex Canonibus Africanis, XIX. XXVIII. &c. Hoc tamen cum diſcrimine, quod Primates Afri duûm generum eſſent; alii fixi qui præeſſent Urbi *Metropoli*, τῇ πρώτῃ τ͂ ἐπαρχίας, alii *vagi*, qui in Provinciâ primi eſſent ordinationis tempore, πρωτοχειροτονηθέντες, quorum adeò ſedes *primæ Sedis* nomine appellaretur, ut Canone Afric. LXXXVI. Xantippus Epiſcopus *primæ Sedis* Numidiæ; Nicerius Epiſc. *primæ Sedis* Mauritaniæ Sitifenſis, &c.

Sed & *Primates* hoc adhuc Seculo de Metropolitanis frequenter, teſte Petro de Marca, *Diſſert.* de Primatibus, ut qui *primam* in ſuâ Provinciâ ſedem obtinerent, & jus *primi* ſuffragii. Dein reſtricta vox ad Capita Nationum, aut plurium Provinciarum Exarchos, ſeu Primates Diœceſeôn, in Canonibus *Chalcedonenſ.* IX. XVII. ex verſione Dionyſii Exigui. Hinc in Galliâ, Primates Galliæ *Celticæ*, *Belgicæ*, *Aquitanicæ*, quales fuêre Lugdunenſis, Trevirenſis, Bituricenſis, dein Rhemenſis à tempore Clodovei, poſteà etiam Senonenſis, Rhotomagenſis, Burdegalenſis. Sic *Arelatenſis* Primas, poſt conſtitutam Arelatem ſedem Præfectorum Prætorio, & poſt *legem* Honorii, ut Judices VII. Provinciarum Arelatem convenirent. Et hinc de *primatu* ſæpe contentiones natæ, ut in Galliâ, inter Epiſcopos Arelatenſem, Narbonenſem, & Viennenſem; Sic in Hiſpaniâ inter Hiſpalenſem, & Toletanum. Quarum ſe hoc Ævo judices in Occidente conſtituerunt Romani Epiſcopi, Bonifacius I. Cœleſtinus, Leo I. ut ex horum *Epiſtolis* liquet, tanquàm *Primates Primatum*, jure primitùs uſurpato. De quo deinceps.

III. Hujus & Ætatis præcipuè conſpicuum fuit nomen, & dignitas ἀρχιεπισκόπου *Archiepiſcopi*, quæ primum gradum dicit in ordine Epiſcoporum. Nec ἀρχῆς nomen in hac compoſitione *principatum* dixit, ſed *primatum*, quaſi πρωτεπίσκοπον, ut in Canonibus Africanis *Archi-Presbyter*, fuit primus ex Presbyteris, quem πρωτοπάπαν Græci dixêre. Primitùs verò *Archiepiſcopus* communiter dictus eſt *Alexandrinus*, apud Epiphanium *Hær.* LXVIII. Meletianor. & LXIX. Ariomanitar. ubi Petrus Alexandr. primùm Ἀρχιεπίσκοπος dicitur, ex more illius temporis quo ſcribebat Epiphanius, circà A. CCCLXXX. Ità Can. XXX. qui ultimus eſt Chalcedon. moris eſſe in Ægyptiacâ Diœceſi, ut nihil fiat παρὰ γνώμην ϗ διατύπωσιν τ͂ Ἀρχιεπισκόπου *præter ſententiam & mandatum Archiepiſcopi*. Hinc Cyrillus Alexandr. *Act.* I. Conc. Epheſini, & in reliquis, perpetuò Ἀρχιεπίσκοπος dicitur, poſteà Dioſcorus Alex. Timotheus Ælurus, &c. Tùm etiam aliquando Romanus Cœleſtinus, in Actis Epheſinis dictus Ἀρχιεπίσκοπος *Act.* I. II. IV. ac poſteà in Actis Chalcedonenſibus Leo Romanus aliquoties, & deinceps ejus Sedis Epiſcopi. Tùm & hoc titulo venerunt Antiochenus, & Exarchi Diœceſeôn, vel αὐτοκέφαλοι, quales Cyprius, Seleucienſis, dicti Ἀρχιεπίσκοποι apud Græcos vetuſtiores, ſic Theſſalonicenſis, Epheſinus, Exarchi alii. Quæ enim hunc titulum præferunt Decretales *Teleſphori*, aliorumque in Romanis Epiſcopis, ſuppoſititias eſſe nimis conſtat, & ad oculum demonſtrat Blondellus noſter in *Pſeudo-Iſidoro*. Iidemque etiam appellati *Patriarchæ*, ut viſum, unde ἀρχιεπίσκοπος ϗ πατριάρχης, in Novellis non ſemel, & Epiſtolis inſertis T. III. & IV. *Conc.* Quomodò Juſtinianæ I. Epiſcopo conceſſit Imperator, ut Ἀρχιεπίσκοπος eſſet & diceretur, *Nov.* XI.

Sed & *Archiepiſcopi* nomen conceſſêre Chalcedonenſes, *Can.* XII. illi Epiſcopo cujus ſedes facta eſſet nova Metropolis, μητροπόλεως τιμηθεῖσα ὀνόματι. Sic enim ex antiquiſſimo Codice Canonem reſtituit Claudius Salmaſius, Libro I. *de Prim.* C. III. ϗ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς (novæ Metropolis) διοικῶν ἐπίσκοπος, καλείσθω ἀρχιεπίσκοπος, ad diſtinctionem ſcilicet veteris *Metropolitani*, quæ poſtrema tamen deſunt in vulgatis Editionibus: Ut iſte adeò honore *Archiepiſcopus*, hic poteſtate Metropolitanus eſſet, & prior, τῇ μητροπόλει σωζομένων τ͂ οἰκείων δικαίων. Undè in Eccleſiâ Græcâ *Archiepiſcopi* Metropolitanis inferiores ſunt, ut qui nullos ſub ſe Epiſcopos habeant, licet αὐτοκέφαλοι facti, ſed tamen ſub Metropolitano; qui aliquando pluribus Archiepiſcopis præfectus fuit.

Deinceps in Oriente ἀρχιεπίσκοποι, ſuperbiore jam titulo, cognominati omnes Patriarchæ, in hunc uſque diem, diſtinctè ab Exarchis, & Metropolitanis. In Occidente verò, ut Galliâ, Britanniâ, *Archiepiſcopi* deinceps omnes illi dicti qui Metropolitani, ſeu Epiſcopi primæ Sedis, Urbis matricis, Metropoleôs; quo Titulo primò uſa fuit Synodus Matiſconenſis celebrata A. DLXXXI. Guntramno Rege; ubi *Can.* VI. ſancitum, *ut Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.* Poſtmodùm à *Sec.* VIII. & deinceps, omnes Metropoleôn Epiſcopi dicendi *Archiepiſcopi*, ſuperbiæ quodam Titulo.

IV. Ità

Archimandritæ. Archipresbyteri, &c. IV. Ità qui Monaſteriis hôc Seculo præfuêre, ſub Epiſcopis tamen, tanquàm ἡγέμενοι, dicti Græcis ἀρχιμανδρῖται, ut Syris *Abbates*, quaſi *Patres*; Quæ recepta jam vox fuit *Sec.* IV. ex Epiſtolâ Acacii & Pauli, ἀρχιμανδριτῶν in Cœle-Syriâ, ad Epiphanium, hujus Operibus præfixâ.

Archipresbyteros etiam dixêre hoc jam Ævo, ut *Archidiaconos* pridem, qui πρωτοπρεσβύτεροι, primi ordinationis tempore; hodieque in Oriente ſic dicti, vel πρωτοπάπαι, ut πρωτοψάλται, πρωτοδιάκονοι, πρωτέκδικοι, &c. Quod *ordinis* nomen, deinceps in Latinâ Eccleſiâ, abiit in nomen *officii* & dignitatis. Uti *Archidiaconi* in Occidente facti juriſdictione ſuperiores Archipresbyteris, unde querela Hieronymi, Diaconos quoſdam *in tantam erupiſſe vecordiam*, ut *Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferrent*, *Epiſt.* LXXXV. ad Euagrium. Mos autem ille ἀρχῆς nomine decorandi, ut certos Epiſcopos, ſic Presbyteros, Diaconos, Monachos, à Synagogâ profluxit, cujus notiſſimi ſunt ἀρχιερεῖς, ἀρχισυνάγωγοι, ἀρχιφερεκῖται, ut Juſtinianus in Nov. CXLVI. *Cap.* I. De quâ poſtremâ voce hybridâ, partim Græcâ, partim Hebræâ ex פרקים, prolixè Eruditi; & poſt Godofredos, Grotios, Seldenos, &c. auditor olim meus, nunc Amicus conjunctiſſ. Campegius Vitringa, de Synagogâ Judæorum *Lib.* III.

Officia Eccleſiaſt. Adde ἀρχοντίκια vel ὀφφίκια, *officia* Eccleſiaſtica, uti Ἐκδίκων *Defenſorum*, ſcil. Eccleſiæ, pauperum, immunitatum, Canone XXIII. *Chalced.* & in *Africanis* Canonibus; οἰκονόμων *Oeconomorum*, adminiſtrandis Eccleſiarum reditibus, bonis, Canone *Chalced.* XXVI. Ἀποκρισιαρίων, qui de rebus Eccleſiarum referrent, earumve negotia tractarent, qualis *Anatolius* Conſtantinopolit. ex Apocriſiario Dioſcori factus Flaviani ſucceſſor. Et quæ mittimus Officia alia, de quibus prolixè Codinus.

Τοποτηρηταὶ, Vicarii. V. Sed & nota τοποτηρητῶν *Vicariorum* hoc Ævo dignitas, ex Seculo in Eccleſiam traducta; uti notiſſimi ſunt *Vicarii* Præfectorum Prætorio, per Italiam duo, per Illyricum, Africam, Gallias, &c. ex Notitiâ Dignitatum, & *Tit.* VI. Codicis Theod. *Lib.* I. Sic verò dici cœperunt inprimis Vicarii *Romanæ* Sedis, longè abſentem Romanum Epiſcopum repræſentantes, in Actis Carthaginenſ. & Chalcedonenſibus. Sic *Theſſalonicenſis* hoc primùm Seculo, indulgente Theodoſio in gratiam Honorii, audiit Vicarius Romani Epiſcopi, in Conſtantinopolitanum æmuli: Qualis *Rufus* Theſſalonicenſis omnium primus, Epiſcopo Urbis Romæ Bonifacio; nullus antè ſub Damaſo, Siricio, Innocentio, quicquid Valeſius, de Marca, aliique contendant. Sed de his poſteà, uti de *Vicariatu* per Gallias, Sec. demùm VI. conſpicuo in Auxanio Arelatenſi A. 545. De quâ Dignitate ſcripſit aliquando Frater meus, quum de *Vicariatu* Imperii, Comiti Palatino vindicando, commentari juberetur.

Mutationes in Eccleſ. Regimine. VI. Mirè autem variavit ſub Imperatoribus *Diœceſeôn*, *Provinciarum*, & *Metropoleôn* ratio, unâ ſæpè Provinciâ in plures ſubdiviſâ; unde v. gr. duæ Ægypti, Auguſtamnicæ, Thebaides, Ciliciæ, Paphlagoniæ, &c. & ſic ex unâ Metropoli plures: Sic ampliatæ, vel reſtrictæ Diœceſes, maximè per Juſtinianum, Ævo ſequente: Sic immutatæ & tranſlatæ *Urbium* Civiles dignitates, pro arbitrio Principum, aut fatis Urbium. Undè & mutationes in dignitatibus Eccleſiaſticis, quæ ad civilem formam ex nutu Principum, conſtituebantur, juxtà Canonem Chalcedonenſem XVII. Εἰ δὲ καί τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω. *Si qua verò Civitas poteſtate Imperiali innovata eſt, vel deinceps innovata fuerit, Civiles & publicas formas Eccleſiaſticarum quoque Paræciarum ordo conſequatur.* De quo Canone, occaſione oblatrantis cujuſdam Adverſarii, prolixè diximus Animadverſionibus de *Variâ Eccleſiarum Politiâ*.

Ità Concilii Nicæni tempore, unus per totam Ægyptum Metropolitanus fuit, ſcil. Alexandrinus; dein ſub Alexandrino *decem Metropolitani*, tempore Dioſcori, pro decem Provinciis Ægyptiacis, accedente Tripolitanâ, ex *Actis Chalced. Act.* I. Sic antè *Sirmium* caput Illyrici fuit, dein *Theſſalonica*, ex quo hic ſederunt Præfecti Prætorio, & in Occidentali Illyrico *Lauriacum*. Sic *Arelatenſis* hoc Seculo, ob rationem eandem, ſuprà Lugdunenſem & Viennenſem evectus. Sic *Conſtantinopolitanus* ſuprà Heracleenſem, Epheſinum, Cæſarienſem ſublimatus, anteà ſanè ἐξάρχης διοικήσεων, & αὐτοκέφαλος. Sic *Hieroſolymitano* ſubjectæ tres Palæſtinæ, *Actione* VII. Chalcedon. quas anteà Antiochenus ſibi vendicabat. De his aliiſque ex Notitiis Dignitatum, Actis Conciliorum, Imperatorum Conſtitutionibus, paſſim in noſtris Salmaſius, Blondellus, Jac. Godofredus, alii, & noſtra ad *Sacram Geograph.* Introductio.

VII. Summum in Eccleſiaſticis judicium, ſumma auctoritas, fuit tùm *Synodalis*, rebus omnibus gravioribus ad *Synodos* relatis, Univerſales, Nationales, Provinciales, de quibus infrà, decernentibus pridem Nicænis & Conſtantinopolitanis: Tùm etiam *Principalis*, in quantum Imperatores Synodos convocarent, confirmarent, Appellationes admitterent, Judices de rebus ſacris conſtituerent, Leges ſancirent, Pœnas decernerent, Dignitates diſponerent, &c. Loquuntur facta & conſtitutiones hoc ipſo ævo Arcadii, Honorii, Theodoſii, Marciani, Leonis, Zenonis, Anaſtaſii; videndæ in Cod. Theodoſiano, & Juſtinianæo. Summum in Eccleſ. judicium.

Nec hanc *Principibus* Eccleſiæ curam adminiſtrationemque negarunt Romani hujus Ætatis Præſules, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo I. &c. paſſim ex eorum *Epiſtolis*. Rom. Pontifices etiam in Eccleſiaſticis Principibus ſubjecti.

Bonifacius Papa *Epiſt.* I. ad Honorium Auguſtum, inſertâ *Diſt.* XCVII. *Cùm enim in humanis rebus divinæ cultor Religionis præſideas*; & in fine, *Precamur, ut in perpetuum ſtatui univerſalis Eccleſiæ conſulatis.* Cœleſtinus Papa ad Theodoſium Junior. *Ep.* XII. *Dùm univerſali Eccleſiæ conſuleret, omnibus animarum ſuarum ſalutem reddidiſſe.* Leo I. ad Theodoſium Auguſt. *Epiſt.* VII. gaudet in eo *non ſolum Regium, ſed & Sacerdotalem animum ineſſe*, quod *piiſſimam ſolicitudinem Chriſtianæ Religionis haberet*, & quæ ibi ſequuntur. *Epiſt.* IX. ſic incipit; *Pro integritate fidei Catholicæ Chriſtianiſſimum principem convenit eſſe ſollicitum*, &c. Nec aliter is ad Marcianum, ad Leonem Auguſtos, ſupplex ſcribens, clementiam eorum implorans, obedientiam addicens. Ac poſt Leonem Simplicius, Felix, Gelaſius, Hormiſda, Papæ cæteri, ut ex eorum *Epiſtolis* liquet, inſertis Tomis Concil. Auguſtinus hoc Sec. ſcribens in Libris de Civit. Dei, L. XIV. C. V. *Felices Reges ſi ſuam poteſtatem, ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt:* Et quæ innumera in hanc rem habet, in ſuis adverſùs *Donatiſtas*, Creſconium, Petilianum, Parmenianum, & *Epiſt.* XLVIII. ad Vincentium, *Ep.* L. ad Bonifacium, &c. quæ loca non compilamus.

Et quum Socrates Hiſtoricus, qui hujus Ævi ſcriptor eſt, in *Proœm. Lib.* V. *res Eccleſiæ* ab Imperatorum Chriſtianorum nutu *dependiſſe* doceat, ut ex Hiſtoriâ & Conſtitutionibus liquet; ad ea verba Henr. Valeſius nihil obſervandum caſtigandumve duxit.

VIII. Magnus tamen ac penè intolerabilis fuit Præſulum Romanorum, hac Ætate, faſtus & luxus, obſervante jam Ammiano Marcellino, *Lib.* XXVII. C. III. occaſione contentionis pro adipiſcendo Epiſcopatu Rom. inter Urſicinum & Damaſum, qui in eâ concertatione ſuperior evaſit. *Neque* (inquit Gentilis Hiſtoricus) *ego abnuo; cùm id* Creſcens Rom. Epiſcopi ambitio. Baron. notat.

Digitized by Google

adepti quod appetunt, futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, quæ annonas & pecunias offerebant Sacerdotibus, quas hi vertebant in ſuum uſum; *procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas; adeò ut eorum convivia regales menſas ſuperarent.* Quid dicturus, ſi faſtigium ſequentis ætatis, ſuprà Imperatores & Reges, aut etiam Cardinalium purpuram, luxumque, vidiſſet? Undè verba Prætextati Præf. Urbis, quæ illi expreſſa A. CCCLXVIII. Damaſo Papâ, ex Hieronymi *Epiſt.* LXI. *Facite me Urbis Romæ Epiſcopum, & ero protinùs Chriſtianus.* Baronius verò Ad A. CCCLXVII. *Num.* X. XI. hæc Ammiani, & Prætextati, trahit in laudem Romanorum Pontificum: Hinc apparere *Eccleſiæ Sacerdotio Regiam quoque magnificentiam fuiſſe conjunctam; Deorum cultoribus moviſſe invidiam, Chriſtianæ religionis ſummum Pontificatum, adeò inſigniter externis quoque ſplendoribus, illuſtratum; ægroque tuliſſe animo* (Ethnicum Scriptorem) *eo munere fungentem Rom. Epiſcopum, ejuſmodi claritudine magis conſpicuum apparere, quam Gentilitiæ ſuperſtitionis Regem ſacrificum*, &c. Addit, *quæ cùm ab Ethnico Scriptore carpantur, æquè ab Hæreticis recentioribus, canino dente rabioſiùs corrodi.* Sed benè eſt, non à *Gentilibus* ſolum, aut ab *Hæreticis*, carpi in Chriſtianis Antiſtitibus eum in regalibus menſis, vehiculis, veſtibus luxum; ſed etiam à Chriſto, Petro, Apoſtolis, & qui Apoſtolos exceperunt Viris Sanctis. Undè Gregorius Nazianzenus, *Orat.* de laudibus Baſilii, quæ eſt XX. *Aliorum quidem* ſint *coqui, & lautæ menſæ, & cupediariorum lenocinia, & ſcitamenta* (μαγγανεύματα ϗ κομψεύματα) *& elegantes currus, & veſtes molles, ac diffluentes! Baſilii autem* (Cappadociæ Primatis) ἡ μίμησις Χριστοῦ *imitatio Chriſti.* Et alterâ *Orat.* habitâ coram CL. Epiſcopis, quæ eſt XXXII. *Neſciebant nos equis inſignibus & laſcivis ferri, ſelliſque & turribus magnificè attolli, cum faſtu & pompâ deduci, & omnes nobis de viâ decedere*, &c. & quæ ibi plura in luxum & pompam Epiſcoporum ſui temporis. Sed, inquiet Baronius, hi non erant *ſummi Pontifices!* Apage nugas, certè *imitatores Chriſti* hos præ cæteris eſſe oportuit, & erogare in pauperes, in ægros, quæ illi in luxum.

Baron. notat.

Appellation. jura contendunt hoc ævo Pontif. negantibus Afris.

Crevit ſimul affectatio primatûs, vel ſupramatûs potiùs, in Eccleſias *Tranſmarinas*, & *Occidentales*, Petri & Sedis Apoſtolicæ obtento nomine: Ita *Innocentius* hoc Seculo, ab A. CCCCII. contendere pro *Appellationum* jure ad Romanam Sedem. Cui ſanè in cauſis præcipuè *fidei* & *doctrinæ* plurimum delatum fuit, ejuſque ſententiæ, reſcriptis, Epiſtolis, contrà Pelagium, Celeſtium, Neſtorium, Dioſcorum Alex. Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, alios; ut quæ ſupponebatur eſſe prima ordine & dignitate Sedes, eaque à Petro & Paulo fundata. Sic in cauſis *Diſciplinæ*, depoſiti hinc indè Epiſcopi, favore Canonis Sardicenſis, de quo ſuprà prolixè, *col.* 876. 910. ad Romanum confugiebant, qui juberet cauſam in *eadem Provinciâ*, ubi acta fuerat, retractari. Hinc factum ut *Apiarius*, in Cæſarienſi Mauritaniâ *Presbyter*, ejectus ab Urbano Siccenſi Epiſcopo, Romam ad *Zoſimum* confugeret; contrà Canones, in ſpecie *Nicænum* V. quo jubebantur ad Synodum Provinciæ Controverſias hujuſmodi deferri, & moris hactenùs fuerat. Hinc Zoſimi Commonitorium ad Afros, & legati tres ab eo emiſſi, *Fauſtinus* Epiſcopus, cum Presbyteris duobus Philippo & Aſello, qui appulêre tempore indicti Concilii Carthag. Generalis, A. CCCCXIX. quo anno Zoſimus Ep. Romanus deceſſit, ſucceſſore *Bonifacio*, dein *Cæleſtino*, cauſam eandem acturis. Contenderunt Legati, non ſolum *Apiarium* reſtitui, ſed præterea *Urbanum* Epiſcopum Siccæ Romam evocant, niſi decretum ſuum reſcindat; ac prætereà urgent *appellationum jura* ad Sedem Apoſtolicam, juxtà Nicænos Canones, & inveteratam (ut illi) conſuetudinem. Verùm Africani, 1. Jubent litem pendere *uſque ad probationem*, donec ſibi de *Canonibus* conſtaret, cumprimis Nicænis, & rem ſignificant Bonifacio. 2. Mittunt in Orientem Legatos, qui genuinos Canones adferrent. 3. Redeunt Legati, cum literis Cyrilli Alex. & Attici Conſtant. quibus negant ſibi conſtare de aliis Canonibus Nicænis quam XX. quos mittunt cum Fidei formulâ. 4. Mittunt illicò ad *Bonifacium* I. Novembri menſe, poſt Conſul. Honorii XII. Theodoſii VIII. Dein reſcribunt quoque ad *Cæleſtinum* ſucceſſorem, ſub quo controverſia recruduerat A. CCCCXXIV. miſſo rurſus ab hoc Papâ in Africam Fauſtino, qui Apiarii reſtitutionem urgeret. Conſtant hæc ex Actis Concilii Carthag. VI. T. II. Concilior. & ex Codice Canonum Dionyſii Exigui.

In literis autem ſuis Afri, Papam quidem *Dominum* appellant, ſpecie honoris, ſed & *Fratrem dilectiſſimum*; & tantum abeſt ut Dominium illius ullum agnoſcerent; ut illi ipſi Afri *Canone* Africano XXXIX. vetent quenquam *primæ Sedis Epiſcopum* appellari, *Principem Sacerdotum*, aut *ſummum Sacerdotem*, quem Canonem Codici Eccleſ. Univerſæ inſeruit Dion. Exiguus. Simul in eadem Epiſt. 1. Monent nihil competere Romano Pontif. niſi quod eſſet *Canonibus* præſcriptum, quod & ſuppoſuit Fauſtinus Legatus, urgens conſervari *Nicænos Canones*, & *conſtitutionem eorum ac conſuetudinem*: Quemadmodum alibi in Epiſtolis *Zoſimi*, *Bonifacii*, *Cæleſtini*, *Leonis*, *Simplicii*, *Gelaſii*, fatentur hi Pontifices ſe adſtringi ad *Canones* in Conciliis ſtatutos, obnoxios eſſe Canonibus, Canone non auctoritate regi Eccleſiam, quod eorum verbis egregiè & fusè demonſtrat Joh. Launoius *Epiſt.* ad Thomam Rullandum, Parte III. Epiſtolar. & conſentiunt hac parte Galli. 2. Diſertè negant hoc eſſe *privilegium Romanæ* Eccleſiæ, ut quemcunque receperit in Communionem ſuam, uti fecerat Apiarium, debeat talis continuò recipi à Catholicâ Eccleſiâ. 3. Negant *appellationem* continuò intermiſſam eſſe ad Romanam Sedem, ab iis qui *perfugium* ſuum ad Romanum Pontificem habebant; undè illi, *ſuam Sanctitatem malè credidiſſe* quod ad eam confugiens Apiarius *appellaſſet.* 4. Monent Cœleſtinum, quod *Apiarius* tandem, poſt multas tergiverſationes, *repentè in confeſſionem cunctorum objectorum flagitiorum erupiſſet.* Magno ſanè opprobrio Pontificis, qui eum Romæ in ſuam communionem recepiſſet. 5. Docent, nequidem licuiſſe Romano, per Canones *Nicænos*, ad communionem admittere, qui fuiſſet excommunicatus ab Ordinario ſuo, aut ab Epiſcopo in ſuâ Diœceſi; ſi aliàs ſalvam eſſe voluerit pacem, diſciplinam, communionem Sanctorum. 6. Urgent, ex iiſdem Nicænis Canonibus, omnes Clericos, ſive Epiſcopos, ſive Presbyteros, permitti regimini *ſuorum Metropolitanorum*, nec ullâ definitione *hoc derogatum eſſe Eccleſiæ Africanæ*: Et ſi queſtus fuerit quiſquam de judicio ſui Epiſcopi, ab hoc ad Conc. Africanum, vel ad Primatem Provinciæ ſuæ, provocari oportere; quod & Canonibus variis roboratum, Nicænis, Conſtantinopolit. Antiochenis, Africanis, ut *negotia omnia Provinciæ à Synodo Provinciali finirentur.* 7. Monent Cœleſtinum, ut Presbyterorum & Clericorum quorumcunque *improba refugia repellat*, quia & *nulla Patrum definitione in hoc derogatum eſſet Eccleſiæ Africanæ.* 8. Oſtendunt, magnum intereſſe diſcrimen, inter *appellationes* & *perfugia* Clericorum. Quomodò Eccleſia Romana perfugium fuiſſet Athanaſio, Chryſoſtomo, aliis, non tamen per modum juridicæ appellationis. 9. Addunt, *tranſmarina judicia rata eſſe non poſſe, abſque plurimorum teſtium auditione*; qui ſæpe propter ſexus, vel ſenectutis infirmitatem, vel aliud impedimentum Romam deduci

duci non poſſent. 10. Conqueruntur, quod Zoſimi Commonitorio pro *Nicænis Canonibus* obtruderentur, qui reverà VII. Canonis *Sardic. & qui nequaquàm reperirentur in veris & authenticis Exemplaribus Concilii Nicæni, quæ miſſa eſſent à Cyrillo Alexandr. & Attico Conſtantinop. Patriarchis, ex authentico Codice, in quo* XX. *Canones*, &c. Nec mentionem faciunt Canonum Conc. Sardicenſis, quos voluit in Commonit. Pontifex; ſive Afri hos ignorarint, ſive maluerint auctoritate Concilii Oecumenici ſe tueri contrà uſurpationes Curiæ Romanæ. 11. Rogant denique, ne deinceps Romanus Epiſc. Clericos executores, qualis Fauſtinus fuerat, in Africam mittere, aut ad cujuſcunque petitum concedere velit, *ne fumoſum typhum Seculi in Eccleſiam Chriſti inducere viderentur*. 12. Obſervandum tandem geſtis in Concilio hoc Africano, & Actis ſubſcripſiſſe primos, *Aurelium* Carthag. Epiſcopum, tum *Valentinum*; ut primæ Sedis in Numidiâ Epiſc. dein tertio loco *Fauſtinum* legatum Rom. Eccleſiæ. Quam rem ſic interpretantur Baronius, Binius, Perronius, imò ipſe Petrus de Marca in Libris *de Concordiâ*, P. II. ut Fauſtinus non quâ ſuſtinens perſonam ſummi Pontif. ſed quâ *Procurator* ad cauſam *ſubſcripſerit*. Qui tamen ſe inſcribit, *Fauſtinus Epiſc. Legatus Rom. Eccl. ſubſcripſi*, & miſſus fuerat cum ampliſſimâ poteſtate Apiarium in integrum reſtituendi. Concinunt planè quæ hac de re omni tradunt Galli Doctores, inprimis Richerius, in *Hiſt.* Conc. Parte I. Du-Pinus in fine P. I. Bibliothecæ, & Diſſert. II. de Antiqua Eccl. Diſcipl. p. m. 176. &c. Ne Car. Molinæum nunc dicam, qui hîc Baronio audit, ad A. CCCCXIX. *Num.* LXV. *impietatis defenſor*, quia dixiſſet *hoc uno facto cauſam Romani Epiſcopi funditùs everſam eſſe*, uti reverà eſt.

Baron. Perron. notati.

Baronius notat.

Mittimus inanem ad ſuperiora declamationem Cæſ. Baronii, ad dictum Annum, *Num.* LXVI. ad *Num.* XCV. ubi nil præter ſarcaſmos, contumelias, in tuitos jura Canonum, & Eccleſiæ Africanæ, contrà uſurpationes Eccl. Romanæ: *Ignorare* ſcil. *hos hiſtoricam veritatem*, *riſum movere*, *delirare*; omninò *appellaſſe* ad Rom. Eccleſiam Apiarium; id juris roboratum auctoritate non modò *Conc. Sardicenſis*, ſed & *Chriſti*, qui *Eccleſiam Catholicam ſtruxit ſuper uno hoc Lapide*, &c. ſic ille; non omnia nec *integra in Synodo recitata Acta haberi*; non accuſari ab hac malæ fidei aut ſuperbiæ *Romanos Pontifices*, *non refragari appellationibus ad Rom. Eccleſiam*; ſed tantum *ſubmiſſo animo rogare*, *ut majori cautelâ ſuſcipiant ex Africâ querelas deferentes*: Sic ipſum Auguſtinum, præcipuè *Epiſt.* CCLXI. vel in nuperâ Edit. CCIX. quæ eſt ad Cœleſtinum Papam, & antè eum Cyprianum, Optatum, profeſſos eſſe *primatum Romanæ Eccl. & jus ad eam provocandi*; ipſos Præſides Provinciarum, & qui illis parebant Milites, *inſerviiſſe in exequendis Apoſtolicæ Sedis ſententiis*; Canonem *Sardicenſem*, quem voluit Zoſimus in Commonitorio, ſub Tit. *Concilii Nicæni citatum fuiſſe*, quia *Canones Nicæni tranſlati fuerint in Sardicenſe*, vel quod idem ſit, celebratum fuerit Sardicenſe, pro confirmatione Concilii Nicæni, ejus velut *ſupplementum*, *appendix*, & *ſigillum*, ut poſteà Perronius; Omninò *ſtatuta fuiſſe in Conc. Nicæno* iſta *de Appellationibus ad Rom. Sedem*, &c. Quæ ſola commemoraſſe, arguunt in Purpurato effrænam mentiendi libidinem, & quidvis effutiendi, modò ſerviat Hypotheſi. Confer modò dicta. Quod ad Auguſtini Epiſt. ad Cœleſtinum, ubi de provocatione *Antonii Ep.* Fuſſalenſis, ab adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ remoti, vide quæ eruditè reponit Du-Pinus, *Diſſert.* II. de Antiquâ Eccleſ. Diſcipl. p. 184. 185. &c.

Continuata Pont. Rom. hoc

Ita cum hi ipſi, tùm ſequentes hoc Seculo Romani Pontifices, magis ac magis poteſtatis ſuæ fimbrias dilatarunt, reluctante Oriente toto, imò & Occidente, ſaltem ex parte. V. gr. Hoc primùm Ævo audiêre quidam Epiſcopi *Vicarii* Romanæ Sedis, ex abſentiâ longè diſſiti Epiſcopi Romani; quocum communicare de gravioribus, inprimis Ordinationibus factis, aut Depoſitionibus, ut primi in Occidente, poſcebant Canones, & vinculum Eccleſiarum inter ſeſe, in ſpecie Orientalis cum Occidentali. Hinc factum ut Rufus *Theſſalonicenſis* A. CCCCXXI. primus dictus ſit Vicarius Romani Epiſcopi, qui tum fuit Bonifacius I. qui primus ei delegavit *vices* ſuas; & qui Rufus mallet in controverſiis emergentibus (qualis tùm erat cauſa Perigenis ordinati Corinthior. Epiſcopi, invitis Illyricianis, de quo infrà) ſubeſſe remotiori ſcilicet *Romano*, quàm *Conſtantinopolitano*: Illi quidem favebat Honorius, huic verò Theodoſius Jun. qui expreſſâ *lege* Conſtantinopolitano conceſſerat prærogativam in omnes *Illyrici* Provincias, quæ eſt Lex VI. *de S. Sanctis Eccl.* in Codice Juſtinianeo. Poſteà Leo I. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſ. ſecutus exemplum prædeceſſorum, ei *vices ſui moderaminis delegavit*, *ut longinquis à ſe Provinciis præſentiam quodammodò ſuæ viſitationis impenderet*, Tomo III. Concil. Ità & in Galliis *Vicarios* ſuos conſtituere cœperunt Romani Epiſcopi: Quomodò Zoſimus *Patroclum* Arelat. hominem ambitioſum, Simoniacum, & tumultuariè intruſum, ex Proſperi Chronico (*Coſſ.* Honorio IX. & Theodoſio V.) evexit ſuprà Viennenſem Metropolit. & duas Narbonenſes, contrà Canones, qui Metropolitanum quemvis arctant infrà limites Provinciæ ſuæ. Hinc *Hilarius* Arelatenſis, (cujus ſedes Lege Honorii A. CCCCXVIII. in Metropolim *ſeptem Provinciarum* evecta, & quem cæteroquin Honoratus Maſſil. in Vitâ Hilarii, repræſentat ut virum ſanctiſſimum ac tenaciſſimum Canonum) extendit jura ſui primatûs, vel ut alii *vicariatûs*, Patroclo collati, etiam in Maximam Sequanorum, abſtento *Chelidonio* Veſontino Epiſcopo, qui duxiſſet viduam antè ordinationem ſuam, contrà Canones. Chelidonius quum confugiſſet ad Leonem Romanum, & contenderet tum iniquam eſſe adverſum ſe latam ſententiam, tum jura ſua Metropolitica (ut cui ſubeſſent Noviodunum, Aventicum, Baſilea, &c.) ab Hilario Arelatenſi violata eſſe, *Leoni* hinc Occaſio cauſam evocandi Romam. Nec modò reſcindit Leo factum Hilarii, qui ſe Romam contulerat defenſurus jura Canonum, & Diſciplinam Eccleſiæ, ſed & *regulariter increpat*, ſic ipſe A. CCCCXLV. ac cum Chelidonio communicat, invitis Canonibus; interdicitque Hilario omni exercitio Jurium Metropolitic. impetratâ mox à Valentiniano III. Lege in favorem Romanæ Sedis, ut videre eſt *Epiſt.* LXXXIX. cui ſubjungitur *Novella* Valentin. T. III. Concil. *col.* 1396. *& ſeq.* A. CCCCL. Quamvis poſt obitum Hilarii Arelat. (qui accidit V. *Maji* Anno CCCCXLIX. juxtà Martyrol.) jus Metropoliticum rurſùm redierit, facto ipſo Leonis, ad Ravennium Hilarii in Sede Arelatenſi ſucceſſorem: Sed ità ut diviſæ ſint ab eodem Provinciæ *Viennenſis* & *Arelatenſis*, inter quas longa contentio fuerat, & *Viennenſi* ut Metropolitano ſubjectæ tum fuerint certæ Civitates, Vienna, Valentia, Gratianopolis, Tarentaſia, Geneva. Utque pondus majus accederet factis & auſis Leonis, hic perpetuò efferre *Sedem Petri*, *Principis Apoſtolorum*; cui, ut *Apoſtolorum omnium ſummo*, *principaliter* curam univerſæ Eccleſiæ Chriſtus commiſiſſet iis verbis, *Tu es Petrus*, &c. Qui adeò fuiſſet conſtitutus *quoddam quaſi caput*, *petra ſacratiſſima*, cujus *poteſtatem qui tentaret infringere*, eſſet ejus *petræ firmitatem nimis impiâ præſumptione violare*, quin & *antiquam conſuetudinem à Patribus traditam*, &c. Iverunt per eadem veſtigia *Succeſſores*.

ævo uſurpatio. Vicarii ejuſdem. Leonis I. & Hilarii Arelat. hiſtoria

Ad Legem autem Valentiniani III. A. CCCCXLV. quæ extat in Novellis Conſtitut. Theodoſii, *Tit.* III XXIV. Valentin. Conſtitutio.

Digitized by Google

xxiv. *de Epiſcoporum ordinat.* (quâ ſcilicet Papæ Romano ſubjicit Princeps, omnes *Galliarum* Epiſcopos, & *univerſitatem* Eccleſiarum toto Occidente, ut illius judicium ſubire *reverentiâ Apoſtolicæ Sedis*, cogerentur, adeoque nec *Hilario*, *nec cuiquam alteri præceptis Romani Epiſcopi fas eſſet obviare*, &c.) paucis obſervandum fuerit: 1. Quod, fatentibus doctiſſimis Gallorum & ipſo Petro de Marca, Pariſino nuper Præſule, *vim fecit Canonibus Sardicenſibus*, Anno cccxlvii. quibus Occidentales decreverant, ut ſi quis Epiſcopus injuſtè à vicinis Epiſcopis depoſitus eſſet, Romani eſſet (qui tum *Julius*) non profectò cauſam evocare Romam ut ad univerſalem & ſupremum Judicem, ſed alios Judices decernere in eadem Provinciâ, qui judicium *renovarent*, ſi videretur Julio *eſſe renovandum*. Sicque patet Leonem mirè *amplificaſſe* Pontificis Rom. auctoritatem. 2. Expreſſa ea Lex fuit ab ipſo *Leone* Romano, in causâ propriâ, inauditis Gallicanis Epiſcopis. Et quidem expreſſa Principi juveni, ferè ſub Matris tutelâ conſtituto, (non diffitente eodem Præſule) in condemnationem Hilarii Arelatenſis; qui paulo antè à Leone dignitate exutus, ob cauſam quam diximus Chelidonii, quem Hilarius, ut viduæ maritum, in Provinciâ non ſuâ, ſtatione moverat. 3. Falſiſſimis hypotheſibus Lex nixa; nempè Romanæ Sedis principatum ſtabilitum eſſe tùm *Petri merito*, inſtitutione, qui *princeps* eſſet *Epiſcopalis coronæ*, &c. tùm *auctoritate Synodi Nicænæ*, ac tandem *veteri conſuetudine*. 4. Diu etiam in ipſis Galliis, & variis Occidentis partibus non obſervata, quæ minimè reſpexerunt *novum illud jus* Romani Pontificis, (ſic P. de Marca) *Epiſcopos quoſcunque Romam evocandi*, aut habendi pro *lege*, *quicquid ſanxiſſet aut ſancitura eſſet Romanæ Sedis auctoritas*. Sed de his in ipſis Pontificiis Scriptor. adi poſt omnes alios, & poſt Quenellium *Diſſert. Apol.* pro S. Hilario, præcipuè Eliam Du-Pin, de Antiquâ Eccl. Diſciplinâ *Diſſert.* ii. (de Causâ Chelidonii & Hilarii Arel.) qui in omnium manibus verſatur, utpotè in Belgio noſtro haud ità pridem recuſus.

Quibus concidunt ad unum omnia quæ hinc colligit Annal. Scriptor, pro auctoritate Pont. Romani jure Divino, aut Canonibus Eccleſiæ univerſalis, ad A. ccccxlv. *Num.* xi. &c. Vide & quæ Blondellus noſter, ad hanc Legem Valentiniani, commentatus eſt de *Primatu in Eccleſiâ*, C. xxv. *Sect.* 60. p. 330. 331. 332. &c. quæ reponere nihil neceſſe eſt.

Vicarior. Rom. Epiſc. quæ poteſtas?

Certum tamen eſt ab hoc tempore criſtas magis ſuſtuliſſe Leonem, & ſucceſſores, qui deinceps *Vicarios* Romanæ Sedis in Galliis conſtituerunt, Arelatenſem, dein Rhemenſem, Metenſem (ut Metrop. in regno Auſtraſiæ) poſteà Senonenſem, Moguntinum, &c. cum poteſtate 1. Concedendi *literas formatas* vel *communicatorias*, Epiſcopis ultrà Alpes peregrinaturis. 2. *Concilia* Generalia & Diœceſana ex pluribus Provinciis indicendi, & Metropolitanos ad ea convocandi. 3. De *Cauſis* Epiſcoporum cognoſcendi, eaſve Romam ad Pontificem evocandi. Atque ita jura Gallorum Exarchica & Patriarchalia ſenſim per Vicarios ſibi vindicarunt Romani Epiſcopi, Hilarus Leonis ſucceſſor, Symmachus, & reliqui, ut ex Epiſtolis liquet. Cumprimis à collapſo Imperio Occid. & diviſis Galliis inter Francos, Burgundos, & Gotthos; quando *Remigius* Rhem. *Cæſarius* Arelat. ut Vicarii Rom. Sedis jura Patriarchica exercuerunt, conſentientibus quidem Regibus. Quâ de re ejuſque gradibus, vide prædictum Blondellum Diſſert. de *Vicariis Galliarum*, inſertâ Libro de Primatu, ut Salmaſium, & alios mittam.

Uſurpationes vel attenta Rom. Epiſc. in Oriente.

Ità ſenſim jura ſua extenderunt, vel auctoritatem ſibi arrogarunt Rom. Epiſcopi, non modò in Gallos, Italos, deinceps Britannos, Germanos, &c. ſed & in Oriente in Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & in Illyrici Diœceſim, etiam Orientalis. V. gr. ex Socrate intelligitur Hiſtoriæ *Lib.* vii. C. xxxvi. quomodò *Perigenes*, qui Patrenſium ordinatus fuerat Epiſcopus, ſed à populo non admiſſus, tandem mortuo *Corinthiorum* Epiſcopo, confirmatus ſit à Rom. Epiſcopo, circà A. ccccxxv. in eâ Sede Metropolitanâ, ad quem confugerat Perigenes, invitis Illyricianis; Et habet Socrates, ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐνθρονισθῆναι, undè colligunt jus fuiſſe Romano *in Eccleſiam univerſalem*. Sed illud ἐκέλευσεν fuit ex Romani uſurpato, non fundato in Canonibus, jure; & jugum illud paulo poſt excuſſerunt Illyrici Orientalis Epiſcopi, & ipſe Perigenes, ut conſtat ex *Epiſt.* Sixti III. Anno ccccxxxi. *Tomo* iv. Concil. *col.* 1711. & Conc. Romano ſub Bonifacio II. ex Barberinâ Biblioth. à Lucâ Holſtenio edito. Nec Conſtantinopolitanus poſteà deſtitit ſibi aſſerere jura in Illyricum Orientale, invitis Romanis Epiſcopis.

Quædam huc malè referuntur.

Ità Cœleſtinus, tempore Synodi Epheſinæ, in Neſtorium habitæ, viſus eſt *Cyrillum* Alex. in *Vicarium* ſuum cooptaſſe, ut habet Nicephorus, *Hiſt. Lib.* xiv. C. xxxiv. & colligunt ex verbis Cœleſtini *Epiſt.* ad Clerum Conſtantinopolit. ſub finem; *vicem meam, propter marina & terrena ſpatia, ipſi Sancto Fratri meo Cyrillo demandavimus.* Sed non mentem hanc vel Cyrilli, vel Cœleſtini fuiſſe, ut Cyrillo Alex. competeret tantùm *vicaria* & *ſubdelegata* poteſtas, conſentiunt Doctiores in Adverſariis; licet abſentem ob longinqua itinera Cœleſtinum *procuratorio* quoque nomine repræſentarit Cyrillus, uti frater fratrem, amicus amicum, in tali caſu repræſentare ſolet; de quo etiam infrà *Cap.* de Conciliis. Sic *Eutychem* Archimandritam à ſententiâ Flaviani in Synodo Conſtantinop. appellaſſe non ad Romanum ſolum, ſed & Alexandrinum, & Hieſolymitanum Concilium: Ita *Flavianum* damnatum à Pſeudo-Epheſinâ Synodo, appellaſſe ad judicium Occidentalium, *Leonis omniumque Epiſcoporum earum partium*, ut eſt in literis Gallæ Placidiæ matris Valentiniani: *Theodoretum* quoque ab eadem Synodo damnatum, ſcripſiſſe ad Leonem A. ccccxlix. ἐπαμῦναι αὐτῷ *ut ſe vindicaret ab injuria*, ἐπικαλουμένῳ κριτήριον ejus ὀρθὸν καὶ δίκαιον, non juridicè Romam appellaſſe ad Pontificem ſummum Judicem; prolixè eſt à noſtris, omnium inſtar Dav. Blondello, Lib. de *Primatu*, C. xxv. *Sect.* lxi. lxii. lxiii. & ab aſſertoribus Gallis Eccleſiaſticæ libertatis, præcipuè *Richierio*, *Launoio*, *Du-Pino*, demonſtratum. Undè Baronii temeritas patet, qui iſta vel facta vel dicta Eutychis, Flaviani, cumprimis Theodoreti, interpretatur de juridicâ *appellatione*, *interpoſita ad Leonem*, cujus ſcilicet Tribunal, tanquam ſupremi Judicis, omnes reſpicerent. Quanquam in hujus Epiſtolis, & Reſcriptis, ſæpè nimis auctoritas *Sedis Apoſtolicæ*, *Petri principis Apoſtol.* &c. reſonet. Nihil jam dicimus de verbis *Paſchaſini* Legati Rom. Sedis, in Synodo Chalcedonenſi, de quâ re fusè in noſtrâ Diſſertatione *de Canone* vi. *Nicæno*. Sic de factis *Simplicii* Ep. Romani, *Felicis* III. & ſucceſſorum, ad querelas *Johannis Talaiæ* Ep. Alexandrini, deque Excommunicatione *Acacii*, *Petri Moggi*, *Petri Gnaphei*, dicetur ubi de motibus Eutychianis poſt Synodum Chalcedonenſem. Quo verò loco *Romanus* habitus fuerit à Chalcedonenſibus, & quo ſenſu eum *Caput* appellent, etiam infrà monemus, *Cap.* de Conciliis. Quanquam à Græcis & Orientalibus facile permiſſus qui eſſet *Patriarcha Occidentis*, modò ſe Orientis rebus non immiſceret, cum ſpecie poteſtatis vel ἐξουσίας.

VII. *Ha-*

Digitized by Google

VII. *Hæreſes hoc Seculo notabiliores exortæ: Pelagiana; Semi-Pelagiana; Neſtoriana; Eutychiana, & hujus traduces.*

Hæreſes veteres, novæ.

I. PRæter *Hæreſium* priorum reliquias quæ ſupereſſent, puta Marcioniticæ, Manicheæ, Arianæ, Donatiſticæ, &c. *quatuor* præ reliquis inſigniores ſurrexêre hac Ætate; *Pelagianorum* illa, *Semi-Pelagianorum*, *Neſtorianorum*, *Eutychianorum*.

Pelagianæ Hær. cur Græci vix meminerint; nec Theodoretus?

II. *Pelagianæ* Hæreſeos, Latinis ferè tantùm Scriptoribus memoratæ, mirum non meminiſſe Græcos Scriptores; certè non *Theodoretum* σύγχρονον ferè Pelagio, qui tamen in *Hæreticis Fab.* meminit exorti longè poſt Pelagium Eutychis, *Lib.* IV. C. ult. alibi etiam Hæreſium, quæ inter Latinos & Afros exortæ. An quod antè Pelagius in Synodo *Dioſpolitanâ* Palæſtinæ, A. CCCCXV. judicatus eſſet *piæ doctrinæ conſentire*, & *contraria fidei Catholicæ reprobare?* An reverentiâ *Theodori* Antiochenſis Mopſveſtiæ Epiſcopi, qui *Libros* V. ſcripſerat, teſte Photio *Cod.* CLXXVII. probaturus homines *non naturâ peccare, ſed voluntate*; & quod propenſiores Græci Patres in *Libertatem* Arbitrii, antequam erroris damnatio aut gravitas Orienti conſtitiſſet; ex *Latinis* ferè etiam, ut Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Afris, &c. notæ? An quod *Epheſinæ* Synodo, in quâ damnatus *Celeſtius*, non ſubſcripſiſſet, quamvis poſtmodum à Theodoreto approbatæ? Ità nec meminêre Pelagianæ Hæreſeos *Damaſcenus*, *Nicephorus*, qui in deſcribendis Hæreſibus ferè Epiphanium, Philaſtrium, Pelagio anteriores ſequuntur, aut Theodoretum de *Hær. Fab.* Quemadmodùm non tam Orientem vexavit hæc Hæreſis, quàm Occidentem & Africam. Hinc nec in *lege* LXV. Theodoſii de *Hæreticis*, data Anno CCCCXXVII. Conſtantinopoli, dum enumerantur *Hæreſes* ſingulæ ejus temporis, quæ vexarent Eccleſiam, ſeu dùm *Cunctarum Hæreſeon blaſphemias Lex inſectatur*, ut Vincentius loquitur, *Pelagiana* vel *Celeſtiana* nullus adhuc meminit; nondum oblato Imperatori Marii Mercatoris Commonitorio, de quo infrà. Attamen Chryſoſtomus, in *Epiſt.* XVI. ad Olympiadem Diaconiſſam, Tomo VII. agens Arabiſſi in exilio, σφόδρα ἤλγησε ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος, *magnopere indoluit ſuper Pelagio monacho*, nempè in errorem vel fraudem abducto. Et in Concilio Epheſino, cujus præſes Cyrillus Alex. Pelagiana Hæreſis ſub nomine *Celeſtianæ*, à *Celeſtio* Pelagii diſcipulo ſic dictæ, (teſte Auguſtino *Lib.* de Hæreſibus) ex profeſſo damnata fuit *Can.* I. & IV. Imò etiam Antiochiæ, & Anazarbi Ciliciæ Secundæ, ſi fides Mario Mercatori, Parte I. p. 95.

Auctores Hæreſ.

1. Fuit autem Pelagius, (*Morgan*, id eſt, *pelago ortus*, vel *marigena*, patrio nomine) natione vel Scotus, vel potiùs Anglo-Britannus, profeſſione Monachus, à pietate primùm & ſanctitate, ipſi quoque Auguſtino, commendatus. Vir fuit *acutiſſimus*, *acerrimique ingenii*, Philoſophus nempè & διαλεκτικώτατος, *facundiâ* plurimâ, *viſus Vir bonus & prædicandus*, Vir *Sanctus & non parvo provectu Chriſtianus*; &c. ut paſſim Auguſtinus, & Paulinus, citati Voſſio, Uſſerio, aliis. Socius ejus præcipuus *Celeſtius*, natione Scotus vel Hybernus, fautor primus Hæreſeôs, apud Carthaginem in Concilio *excommunicatus*, ut Auguſt. *Lib.* II. Retractat. C. CXXXIII. De quo adi Uſſerium in *Antiq. Brit.* p. 308. *& ſeq.* Tertius adjutor *Julianus* Apulius, Epiſcopus Celanenſis vel Eclanenſis in Campania, Romanus Demoſthenes aliquando habitus, ex Voſſio, chariſſimus antè Auguſtino; Orthodoxus uſque ad obitum Innocentii, mutatus deinceps, & variis pro Pelagio Libris in Auguſtinum ſcriptis. Præiverat omnibus *Origenes* Adamantius, cujus *ramuſculum* eſſe Pelagii doctrinam, dixit Hieronymus *Epiſt.* ad *Cteſiph.* C. II. dein *Ruffinus* Presbyter Aquilej. qui *Grunnius* Hieronymo eſt, tum *Palladius* Galata, *Jovinianus* adverſus quem Hieronymus, *Euagrius Monachus* Ægyptius, *Theodorus Mopſveſtenus*; ne Manichæos dicam, qui vulgò audiunt *Pelagii Præcurſores*: De quibus Janſenius in *Auguſtino* ſuo, præcipuè *Lib.* VI. C. XII. XIII.

2. *Tempus* ortæ ac diſſeminatæ Hæreſeôs, & in Italiâ primùm ac Romæ, fuit circiter An. CCCCV. certè cum Seculi ferè natalibus: Quando Pelagius ſcriptâ ad Paulinum Nolanum Epiſt. hæreſim primò detexit: Verba illa Auguſtini, quæ fortè Romæ in colloquio is Epiſcopus referebat, *Da quod jubes, jube quod vis*, concoquere non valens, referente ipſo Auguſtino, de *Dono Perſev.* C. XX. T. X. p. 851. Deinde Româ ab Alarico captâ, cum Celeſtio in Siciliam, dein Africam venit, & Carthaginem, ubi prima errorum ac diſſidiorum condemnatio facta in Conc. Carthaginenſi, A. CCCCXII. Aurelio Epiſcopo, adversùs *Celeſtium*, Peccatum originis apertè impugnantem. Hinc iidem *Celeſtiani* dicti qui Pelagiani; dein excitato in Hæreſin Auguſtino, ſed fraternè & amicè tractaturo Pelagium, ut patet ex ejus Epiſtolâ reſponſoriâ ad Literas Pelagii, quæ eſt *Epiſt.* CXLVI. ſcriptâ A. CCCCXIII. *Gratias ago plurimum, quod me literis tuis exhilarare dignatus es*, &c. Intereà in Palæſtinam delatus Pelagius, ad Johannem Hieroſolymitan. cum Hieronymo commiſſus fuit, quem primus Scriptis impetiit; & cum Paulo Oroſio, ex Hiſpaniis in Africam, indè in Palæſtinam, trajecturo ad Hieronymum, circà A. CCCCXV. Cognitâ Pelagii causâ in Conſeſſu Hieroſol. dein in Dioſpolit. Synodo, ſeu Lyddæ, eodem Anno, damnati quidem errores, abſolutus autem ab iis Pelagius, ipſe errores anathematizans. **Quando nata?**

3. *Capita* Hæreſeos, (colligenda ex Scriptis Hieronymi præcipuè *Epiſt.* ad Cteſiphontem, & in Dialogis, ex Auguſtini variis, ex Proſperi Chron. & contrà Collationes Caſſiani, ex Oroſii Apologet. & his coævo Mario Mercatore, qui adversùs Celeſtium cui favebat Neſtorius, & adversùs Pelagianos errores, *Commonitorium* Græco ſerm. obtulit Clero Conſtantinop. & Theodoſio Juniori, A. CCCCXXIX. adeoque antè Synodum Epheſinam, inſertum Marii Operibus *Par.* 1673. & antè à Lucâ Holſtenio ex Palatino Codice MS. deſcriptum) fuêre alia *principalia*, alia magis *acceſſoria*. In priori ordine alia rursùm circà *Hominis* ſtatus & vires, alia circà *Dei* Gratiam & Decretum; ut fusè intelligitur ex Auguſtini Libris, ac ſpeciatim illo de *Geſtis Palæſtinis* ad Aurelium Epiſcopum, contrà *Pelagium*, quem XIV. *Epiſcopi Palæſtini Catholicum pronunciarant*. **Capita Hæreſeos.**

Ad *Hominem* pertinuêre aſſertiones: I. Nec dari *imputationem* (benè imitationem) Peccati primi, nec *labem* ſeu defectum aliquem Originalem; Generari quemvis in eâ *perfectione* in quâ à Deo conditus eſt. II. Adamum fuiſſe naturâ & conditione *mortalem*, etiam antè Lapſum; *moriturum* eundem fuiſſe, etiamſi non peccaſſet, unde nec mortem ex peccato derivari, ſed ex naturæ neceſſitate. III. Integras eſſe *Liberi Arbitrii* ac ſufficientes vires ad principium boni operis, ad progreſſum, & ad perſeverantiam in eo; & quoad *velle* bonum, & quoad *perficere*: Hinc à Deo eſſe quod *homines* ſimus, ſed à nobis quod *juſti*: *Tres* etiam fuiſſe ſalutis *vias*, ſcil. per Legem Naturæ, per Legem Moſis, & per Legem Chriſti: *Gentilium* opera fuiſſe verè bona, & Deo accepta, edita licet ſine Gratiæ adjutorio: Dari *Perfectionem* juſtorum in hac vitâ, *vel actualem*, ut non omninò peccent, qualis v. gr. Abel ſub Lege naturæ, ſaltem non peccent poſt Baptiſmi gratiam,

Digitized by Google

ti m, qualiter Paulus, vel *poſſibilem* ut ſine peccato eſſe poſſint.

Ad *Dei* Gratiam & Decretum ſpectarunt aſſertiones ſequentes: I. *Gratiam* (quam cum *Naturæ* viribus primò confundebat Pelagius, deinde extendit ad externam *Legis* divinæ doctrinam, ut ſonat in Euang.) dari tanquàm adjutorium quoddam, ut homo *faciliùs* poſſit, non verò ut poſſit ſimpliciter; *Gratiam* aliam *internam* & ſupernaturalem nullam dari, præter rationalem voluntatem, & poſſibilitatem naturæ. Cui poſtmodum adjecit, Gratiam *illuminantem* intellectum, non tamen moventem voluntatem; item *exemplum Chriſti*, quo excitamur ad bonum, uti Adam nobis fuit exemplum ad malum.

II. *Juſtificari* nos propriis virtutibus, conatibus, & *merito* bonæ voluntatis; etiam per opera ſolius *naturæ* viribus præſtita, ſine gratiâ Chriſti, aut virtute Spiritûs S. Non autem Juſtificari nos ex *ſolâ* gratiâ, per *fidem* in Chriſtum.

III. Cauſam *Prædeſtinationis ad gratiam*, hinc ad *gloriam*, eſſe præviſionem bonorum Operum, & perſeverantiam in illis, ex recto Liberi Arbitrii uſu; exceptâ tamen gratiâ *Apoſtolatûs*, in Apoſtolis.

Prædeſtinationem ad mortem nullam dari, ſolam dari *præſcientiam* peccatorum; unde Controverſia, de duplici Prædeſtinatione.

Controverſiæ acceſſoriæ.

His acceſſere Controverſiæ minùs principales, priorum ferè appendices: Nam negato Peccato originis, ſucceſſit quæſtio de uſu & effectu *Baptiſmi Infantium*, eo-ne acciperent remiſſionem Peccati originalis, negante Pelagio? Sic quæſtio, de *ſtatu medio* inter Gehennam, & Regnum Cœlorum, quem ſtatum deputabat Pelagius Infantibus ſine Baptiſmo decedentibus; *Quò eant neſcio, quò non eant ſcio:* Sic quæſtiones, ex ſenſu Catholico peſſimè reddito à Pelagio, quaſi hi *Naturæ corruptionem*, opus Dei facerent; Aut *Nuptias*, per quas propagatur peccatum, neceſſario damnarent; Aut *Deum iniquum* ſtatuerent, qui Peccatum alienum imputaret, puta Adami, qui etiam impoſſibilia, qualiter impletionem omnimodam *Legis*, præciperet; Aut denique quaſi Orthodoxi *Liberum Arbitrium* cum Manichæis tollerent, quia nihil hoc poſſe ſine Gratiâ, quantum ad bonum ſalutare, ſtatuebant.

Sic quæſtio nata de *peccatis ignorantiæ*, an à naturâ ſimpliciter, an verò à naturâ corruptâ; itâ de *libidine* in uſu conjugii, habendane eſſet in vitio?

Acceſſerunt duæ aliæ Controverſiæ, una de *Juramento* ut illicito ſimpliciter, ſecundum Pelagianos; altera de *divitiis* Baptizatorum abdicandis, ſi ingredi vellent in Regnum Cœlorum.

De Patribus antè Pelagium.

4. *Præſidium* fruſtrà quæſitum à Pelagio, & Celeſtio, in Scriptis Patrum antè *Auguſtinum*; ut quæ tùm in argumentis aliis occupata fuiſſent, tùm in gravioribus (ut de Gratiæ neceſſitate, Corruptione hominis, &c.) longè aliter à Pelagio tradidiſſent. Quâ de re adi quoque Gerh. Joh. Voſſium, in *Hiſt. Pelag.* Janſenium, & cæteros, ac nos ad ſuperiora Secula, *Cap.* de Doctrinâ. Nemo autem Patrum prævivit magis Origene, & hujus interpolatore Ruffino Aquilejenſi, ut antè obſervatum. Præſidium quoque quæſitum à Pelagio & Celeſtio in Papâ Rom. *Zoſimo*, cui iſtos A. CCCCXVII. impoſuiſſe, ut etiam ad Aurelium Carth. & Africanos acres literas daret, in favorem Pelagii, & Celeſtii, minimè ſanè ſuppoſitas, (ut fatentur Baronius, Noriſius, Benedictini Pariſienſes) certâ hiſtoriæ fide conſtat; conſonis teſtibus Mario Mercat. Auguſtino non uno in loco, Facundo Hermianenſi, &c. Ita Zoſimus Pelagii accuſatores Gallos, *Herotem* Arelatenſem & *Lazarum* Aquenſem Epiſcopos, duriſſimè habuit, qui duo in Palæſtinam conceſſerant poſtulaturi Pelagium Hæreſeôs, A. CCCCXV. coràm Dioſpolitano Conventu. Quanquam poſteà ſcripſiſſe Zoſimum Encyclicam contrà Pelagianos, idem Marius Mercator in *Commonitorio*, & alii. Faviſſe quoque *Johannem* Hieroſolymitanum, *Neſtorium* Conſtantinop. *Theodorum* Mopsveſtenum, apud Photium *Cod.* CLXXVII. ex dictis conſtat: Synodus verò *Dioſpolitana*, quæ exeunte A. CCCCXV. celebrata fuit intrà Palæſtinam, faviſſe quidem dicitur Pelagio diſſimulanti errores, non verò cauſæ, quam damnaverit. Ita faviſſe Pelagianis *Sixtum*, qui dein ex Presbytero Rom. poſt Cœleſtinum Epiſcopatum tenuit, monet Johannes Garnerius Jeſuita, in Obſervationibus ad Marium Mercatorem, p. 268. &c. hoc nomine ab aliis reprehenſus, & à Natali Alex. Dominicano, T. X. p. 214. Dein alii eoſdem Pelagii, Celeſtii, Juliani errores vel adoptarunt, vel incruſtarunt ſaltem, ut infrà.

Loca propagati

5. *Loca* propagationis fuêre, in Italiâ primùm, & in Palæſtinâ, dein & Siciliâ, Africâ, Galliâ, Britanniâ, Occidente toto. Undè Maſſilienſium hæreſis in his oris exorta, de quâ ſtatim.

Oppoſitiones factæ.

Oppoſitiones in graſſantem hæreſim, variæ factæ. Ac ſegniùs primò à *Romanis Epiſcopis*; certè metus erat Afris ne Innocentius Pelagium, in Oriente abſolutum, Celeſtiumque ad communionem admitteret, undè *Epiſt.* Concilii Carthaginenſis ad Innocentium A. CCCCXVI. inſerta Tomo II. Concilior. *Edit. Labb. col.* 1533. Ac Zoſimus ſucceſſor Innocentii, poſtquàm ad eum confugiſſet Celeſtius, ab Afris damnatus, in Pelagii Celeſtiique favorem primò ſcripſit ad Africanos Patres, ut dictum, in hos invectus ob præceps judicium, & quod *inexploratis tàm facile credidiſſent*, *Epiſt.* III. inter illas Zoſimi, Tomo II. Concil. *col.* 1558. Quicquid Baronius multis Zoſimum excuſet, ad A. CCCCXVII. N. XVIII. qui primus eam Zoſimi Epiſt. ex Vaticanæ Biblioth. Mss. vulgavit, ad eundem A. *Num.* XIX. XX. &c.

Nihilominùs Hæreſis Pelagii Celeſtiique damnata; I. In *Africanis Synodis*, (*præter Dioſpolitanam* Palæſtinæ, in quâ Pelagius ipſe ſuos errores anathematizavit, An. CCCCXV.) ut Carthaginenſi, jam Anno CCCCXII. præſide Aurelio Epiſcopo, quando Celeſtius *appellaſſe* dicitur ad Romanum Epiſcop. qui tum erat Innocentius. Rurſùs in Conc. Carthaginenſi A. CCCCXVI. præſentibus LXIX. Epiſcopis, Aurelio, Numidio, &c. ſcriptâ tum Epiſtolâ ad Innocentium Romanum Epiſc. Item in Concilio Milevitano Numidiæ, LXI Epiſcoporum, eodem Anno celebrato, vel initio A. CCCXVII. Sylvano, Valentino, & aliis ejus Synodi Membris, ad quos etiam extat reſcriptum Innocentii I. paulo poſt fato functi, XII. Martii, Anni CCCCXVII. Dein damnata Hæreſis Pelagiana in Synodo generali Carthagine habitâ, A. CCCCXVIII. Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Poſt in *Italicis*, *Gallicanis*, *Britannicis*, maximè autem in *Epheſinâ* quæ III. Oecumenica, ut poſteà dicendum. Tùm ab *Epiſcopis Romanis*, Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cœleſtino, Leone, Gelaſio, quum hocce Pontifice renaſceretur Hæreſis in Dalmatiâ, ex ejus *Epiſt.* V. ad Honorium Epiſc. *Horum* certè operâ Occidentali Eccleſiâ ejecta fuit Pelagii ac Celeſtii Hæreſis, ut expoſtulavit ipſe Neſtorius in *Epiſt.* ad Cœleſtinum, quæ Latinè extat in Actis Conc. Epheſini T. III. p. 350. 351. accedentibus Edictis Auguſtalibus Principum. Tandem & à Patribus Auguſtino, Hieronymo, Oroſio, Proſpero, Fulgentio, confodienda.

Per Auguſtin. præcipuè.

Sed primæ debentur Auguſt. confutanti voce primùm & concionibus Carth. habitis A. CCCCXIII. juſſu Aurelii Epiſc. dein calamo & ſcriptis, primò ad Marcellinum Virum ſpectabilem, qui Collationi Carthagin. præfuit ſub Honorio A. CCCCXI. & Auguſtinum ſuper his conſuluerat: Poſteà in reſcripto ad Pelagium *Epiſt.* CXLVI. tùm refutatione ejuſdem, eximio Opere *de Naturâ & Gratiâ*, occaſione Libri ſibi

Digitized by Google

bi traditi à duobus Pelagii Diſcipulis Timaſio & Jacobo, quos ab errore Auguſtinus revocavit, A. CCCCXV. Dein variis *Epiſtolis*, & Scriptis editis profligandæ Hæreſi, indefeſſo ſtudio, ut de *Geſtis Pelagii* Palæſtinis, de *Gratiâ Chriſti*, de *Peccato Originali*, de *Gratiâ & Libero Arbit.* de *Correptione & Gratiâ*, *contra Julianum* Pelagii defenſorem, de *Prædeſtinatione Sanctorum*, de *Dono Perſeverantiæ*, &c. Quæ in unum collecta habentur, cum variis Appendicibus, *Tomo* Edit. noviſſimæ x. In primis profligata Hæreſis Sacro Reſcripto ad Palladium Præf. P. Ravennæ dato, *contra impiæ commentationis auctores Pelagium Celeſtiumque*, vel *Capita dogmatis execrandi*, & omnes *ſectatores*, quos *urbe expelli jubent*, &c. Dein Reſcripto *Conſtantii* Placidiæ Auguſtæ conjugis, Valentiniani minoris ſeu III. patris, ad Voluſianum P. P. A. CCCCXXI. Item Epiſtolâ *Imperiali* ad Aurelium Carthag. Epiſcopum, datâ Ravennæ An. CCCCXIX. Tandem Conſtitutione Valentiniani III. ad Armatium P. P. Galliarum, in Pelagianos quoſdam Epiſcopos, Coſſ. Theodoſio XI. & Valentiniano Cæſare, id eſt, A. CCCCXXV. Habes in *Tomo* II. Conciliorum, & in *Appendice* Baluzii ad Vincentium Lerin. item *Tomo* x. Operum Aug. qui exhibet Scripta & Monumenta ſpectantia ad Hiſt. Pelagianam. Porrò *Hiſtoriam* eandem exhibent in recentioribus Joh. Latius uſque ad tempora Joh. Papæ qui Zephyrino II. ſucceſſit, *Sec.* VII. Jac. Uſſerius in Hiſt. Britannicâ, & illâ Godeſchalci, Gerh. J. Voſſius, Corn. Janſenius Auguſtini *Lib.* I. Henr. Noris hodiè Purpuratis adſcriptus, Monachi Benedictini in noviſſimâ Edit. Operum Auguſt. Præfatione *Tomi* x. & ſi qui alii; variè per fautores Moliniſmi & Remonſtrantiſmi obſcuratam. Nec ſemel à Jacobo Sirmondo, in *Hiſtoriâ Prædeſtinatianâ*, contrà Janſenium; ubi Hæreſeôs *Prædeſtinatorum* (nec Piis prodeſſe Bona Opera, ſi *ad mortem* prædeſtinati, nec Impiis mala, ſi *ad vitam*) originem arceſſit ex malè intellectâ doctrinâ Auguſtini, de *abſolutâ Dei Prædeſtin.* à Monachis primum Adrumetinis in Byzacenâ Provinciâ; deinde Hæreſi ſcilicet in Galliis emergente, contrà quàm intelligendi ſunt inſurrexiſſe in Galliâ Maſſilienſi, qui audiunt vulgò Semi-Pelagiani. Quæ *Prædeſtinatorum* Hæreſis conficta eſt à Sirmondo, effœtâ jam ætate, & octogenario majori, conflandæ invidiæ iis qui ſequuntur doctrinam Auguſtini, & Maſſilienſibus ab errore liberandis. Nam Monachos Adrumetinos, primum hærentes circa concordiam *Gratiæ* divinæ, quæ non omnibus daretur, & *Libertatis* humanæ, quam ità everti putabant, revocavit ab errore Auguſtinus: Præcipuè autem in Lib. de *Correptione* & *Gratia*, ubi ſinceræ doctrinæ de *Prædeſtinatione* fundamenta poſuit; ſcilicet Correptionem malorum, qui Gratiam non acceperunt, nec *injuſtam* eſſe, ut qui ſuâ voluntate mali ſint, & perſeveranter tales; nec *inutilem* eſſe, ex ſapienti Dei diſpenſatione. Ac præfatam *Prædeſtinatorum* Hæreſim tempore Auguſtini, & proximè ſequenti, de quâ & Baronius ad A. CCCCXC. Spondanus, Petavius, &c. merum commentum eſſe, ut & Synodos adversùs eam habitas; operosè Guilb. Mauguinus, adversùs Sirmondum, in accuratâ Hiſtoriæ ſeu Fabulæ Prædeſtinatianæ Confutat. *Vindic.* T. II. p. 447. hinc Henricus Noriſius *Hiſt. Pelag.* L. II. C. XV. & alii.

Per Imperatt.

Semi-Pelagiani. II. *Semi-Pelagiani*, quaſi medii inter Pelagium & Orthodoxos, alio nomine *Maſſilienſes* dicti, haud diu poſteà in Galliis primùm exorti ſunt, *Maſſiliæ* primùm & vicinis locis, circà A. CCCCXXX. ſub extrema Auguſtini. Undè & *Galli* quoque appellati.

1. *Auctores* præcipui fuêre: Joh. Caſſianus qui ex Oriente, ubi Monaſticam vitam egerat, dein à Chryſoſtomo *Diaconus* Conſtantinop. ordinatus, tandem Maſſiliam venit, Urbem Provinciæ Gallicanæ, undè ortum Caſſianum putat Lucas Holſtenius, *Præfat.* ad Regulas Monaſt. Et propè hanc Urbem ſtructo Cœnobio, cùm de *Inſtitutis Monachorum* Libros XII. ſcripſit, tum *Collationes Patrum*, in quibus de Gratiâ ac Libero Arbitrio ab Auguſtino diſſenſit, *initium fidei*, *ſpem ac deſiderium boni*, Naturæ ac Libero Arbitrio tribuens; eaſque Collationes Honorato Lerinenſi Abbati, & Eucherio Monacho nuncupavit, Anno (ut videtur) CCCCXXVI. quanquam ſeriùs putet G. J. Voſſius. Undè poſtmodùm Caſſiano acceſſerunt, Fauſtus ex Abbate Lerinenſi Epiſcopus Rejenſis, Vincentius Abbas Lerinenſis, Gennadius Maſſilienſis Presbyter, Honoratus Maſſilienſis Epiſc. Hilarius Arelatenſ. ſucceſſor, quem Semi-Pelagianis Proſper accenſuit. Cætera videri voluerunt *Catholici* eſſe, & erroribus Pelagianis ſe opponere. Occaſio illis nata ex Scriptis & doctrinâ Auguſtini, de vocatione *electorum* ſecundùm Dei *beneplacitum*: Undè confici putabant, & in *electis* negligentiam teporemque, certò ſalvandis; & in *non electis* irritos conatus, irrita vanaque ad bonum incitamenta. *Vincentium* verò Lerinenſem Monachum, auctorem *Objectionum Vincentianarum*, quibus reſpondit Proſper Aquit. recentiores (eos inter Baronius, ad Annum CCCCXXXIV. ipſe Steph. Baluzius), negant eundem eſſe cum Vincentio auctore *Commonitorii*; ſed prolixè hos falſi arguunt G. Voſſius Hiſt. Pelag. *Lib.* I. C. IX. & Henricus de Noris, Hiſt. Pelag. *Lib.* II. C. XI. Siquidem in Commonitorio expreſſum ſit Maſſilienſium dogma, videl. Gratiam dari, non ex dono Dei prædeſtinantis, ſed *petentibus*, *quærentibus*, *pulſantibus*, ut ex eo pluribus Viri Doctiſſimi.

2. *Capita* in quibus favebant Pelagianis, undè illis nomen, fuêre: Primò de *Viribus Liberi Arbitrii* antè *Gratiam prævenientem*, ſi non quoad bonum opus, ſaltem quoad *initium* boni, fidei, converſionis, pœnitentiæ, ſeu quoad actum *pulſandi*, *quærendi*, &c. Capita Hæreſeôs.

Tùm de συνεργείᾳ ſeu *cooperatione* Dei & hominis, vel Naturæ cum Gratiâ, ſaltem juxtà quoſdam, dùm actu reſiſtitur tentationi, & homo in Gratiâ perſeverat; ſanè non ſine *Gratiæ* adjutorio, abſque quo perſeverantes eſſe non poſſent. Tandem de Prædeſtinatione *ex prævisis*, non quidem meritis, quæ videri volebant reſpuere, ſed tamen conatibus, bonâ voluntate, fidei initio; undè tales ex ſingulari Dei φιλανθρωπίᾳ *ad gratiam regenerationis* prædeſtinarentur. Quod arguebat Auguſtinus, vel exemplo *infantum* qui ſalvantur, & qui nullis ſuis meritis vel conatibus diſcreti eſſent à cæteris qui pereunt; in Libro de *Prædeſt. Sanctor.* Semi-Pelagianis oppoſito. Quanquàm non de omnibus affirmabant Maſſilienſes, prædeſtinari ad gratiam *ex præſcientiâ*, falſi plurimos ex merâ gratiâ, antè omnes conatus, ad Chriſtum adduci. Hinc emolliebant ſubindè ſua, nec ſe de *univerſis* loqui, ſed de quibuſdam tantùm.

Speciale & illis dogma fuiſſe dicitur circà *Prædeſtinationem infantum*, videl. ad pœnam vel ad præmium prædeſtinatos, ex prævisione vitæ quam quiſque acturus fuiſſet: Nempe prævidiſſe Deum alios *acturos pœnitentiam*, ſi vivere contigiſſet, hinc non ſine Baptiſmo decedentes; alios *non acturos pœnitentiam*, hinc ſine Baptiſmo exeuntes. Quâ in parte Auguſtinus cenſuit eos graviùs erraſſe Pelagio; *quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum & abſurdiſſimum*, *de Prædeſt. Sanct.* C. XIII. Tomo VII. vel Ed. Bened. T. x.

3. *Oppoſuêre* ſeſe huic Pelagianiſmo incruſtato, hoc & ſeq. Seculo, (poſt Auguſtinum Libris duobus, altero de *Prædeſtinat. Sanctorum*, altero de *Dono Perſeverantiæ*) Proſper Aquitanicus, editis in *Caſſianum Collatorem* ſed ut Fratrem, aliiſque contrà *Vincentii* objectiones & *Gallorum* illas, Scriptis, Au- Oppoſitio.

Auguſtini doctrinâ luculenter vindicatâ; Tum *Cœleſtinus* Papa variis Epiſtolis miſſis, moriturus A. CCCCXXXII. *Germanus* Autiſſiodorenſis, in Britanniam miſſus debellandis Pelagianis, mortuus Anno CCCCXLVIII. de quo fabulas vide inferiùs. *Lupus* Trecenſium Epiſc. vel Tricaſſenſium, ex Lerinenſi Monacho. *Joh. Maxentius*, & Monachi Scythæ, Auguſtinianæ doctrinæ acres defenſores, cum Hormiſdâ in causâ aliâ commiſſi. *Fulgentius* Ruſpenſis in Africâ Epiſcopus, Fauſti Reienſis Semi-Pelagianorum primipili felix confutator. *Cæſarius* Arelatenſis, ſub quo Synodus Arauſiaca II. adverſus eoſdem habita, quàm accuratiores conjiciunt in Annum DXXIX. malè Baronius primò collocarat in A. CCCCLXIII. Adhæc *Synodi* variæ contrà hanc Hæreſim habitæ, Romanæ plures, Arelatenſis III. Lugdunenſis, Arauſiaca II. quamvis de anno litigent: Tum Romani Epiſcopi poſt Cœleſtinum, præcipuè Sixtus III. Leo I. Gelaſius I. Hormiſda, Felix III. ut ex eorundem Epiſtolis & decretis liquet, de quibus laudati Scriptores Hiſt. Pelagianæ, & *Tomi* III. & IV. Conciliorum, Ed. Labbeanæ. Cæterùm Hugo Grotius, Vir Magnus, *Diſquiſit.* ἀνωνύμῳ Pariſiis editâ A. MDCXXII. An Pelagiana ſint ea Dogmata, quæ nunc ſub eo nomine traducuntur; cùm *Maſſilienſibus* haud obſcurè patrocinatur, tùm rejectos in Synodo Dordracenâ *Articulos* V. tanquam in Pelagianiſmi aut Semi-Pelagianiſmi ſocietatem compingendos, ſtatuit fuiſſe ipſiſſimam ſententiam *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Proſperi*, &c. tum *Romanorum* Epiſcoporum, ac *Synodorum* quæ de hac causâ judicarunt. Quî verò in Oriente *Pelagii* cauſa cum *Neſtorii* illâ conjuncta fuerit, nunc dicendum reſtat, deque motis à Neſtorio turbis.

Hæreſis Neſtoriana. Ut dicatur orta ex Pelagianâ?

III. De *Neſtorianâ* Hæreſi, paucis obſerventur, ex Socrate, Cyrillo Alex. Theodoreto, Actis Epheſinis, Mario Mercatore à Garnerio edito, Liberati Diaconi Carthag. Breviario, Leontio Byzantio, Evagrio *Lib.* I. &c. ex quibus ſapiunt recentiores.

1. *Auctor* Neſtorius, *Germaniciâ* oriundus, (non ut Ricciolius & alii *Germaniâ*) in finibus Syriæ & Ciliciæ, primò Monaſticam vitam profeſſus, dein Presbyter Antiochenus à *Theodoto* Antiochiæ Ep. ordinatus, tandem Anno CCCCXXVIII. factus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ad exemplum Chryſoſtomi: Antè verò *Theodori Mopſveſteni* famâ permotus, apud eum aliquamdiu in Ciliciâ egit, indeque hauſit pravæ doctrinæ ſemina, etiam improbatæ vocis Θεοτόκε, atque erroris Pelagiani, quamvis hunc non palàm adſtrueret. Theodorus enim ille, ut fuerat ingenio fœcundo, adeò ut X. *mille Libros* exaraſſe ſcripſerit Joh. Antiochenus ad Cyrillum, ſed ferè interverſos perſequentibus Imperatorum Edictis, ità Pelagio quoque in multis præluſerat, ſtatuens *Adamum conditum mortalem, ſic Hominem mereri* poſſe apud Deum, piè religioſeque vivendo, &c. Hinc mortuo Theodoro, circâ A. CCCCXXVII. & Neſtorio A. CCCCXXVIII. in Throno Conſtantinop. conſtituto, ad eum confugerunt *Julianus*, *Orontius*, & *Collegæ*, Epiſcopatu dejecti, perſuaſuri & ipſi, & Imperatori, injuſtè ſe damnatos; contrarium oſtenſuro Mario Mercatore, ut ſuprà, & Cœleſtino Pontifice in reſcripto ad Neſtorium. Unde *Pelagianæ* ac *Neſtorianæ* Hæreſis cognatio intellecta, ut ex eodem utero ambo prodiiſſe dicantur; quando Pelagiani ſtatuebant, *Chriſtum natum ex Virgine, fuiſſe promeritum vitæ ſanctimoniâ ut ſe illi Divina Majeſtas ſociaret*, ut pluribus Caſſianus initio *Libri* I. & V. de Incarnatione Domini.

Neſtorius qualis?

Rudis verò Neſtorius quidem Antiquitatis, teſte Socrate, ἀγνοήσας τὰς πραγματείας τῶν παλαιῶν, & qui doctus putaretur, pollens ſcil. naturali facundiâ, & extemporaneâ, doctus verò non eſſet, *Hiſt.* L. VII. C. XXXII. Cæterùm vitâ inculpatus, vultu pallidus, inceſſu gravis, in veſtitu modeſtus, & in Hæreſes acer, in ſpecie Macedonianam; undè auctor Theodoſio legis LXV. latæ in omnes Hæreticos, XXX. *Maji.* Felice & Tauro Coſſ. A. CCCCXXVIII. mox ab occupatâ Sede.

Occaſio.

2. *Occaſio* fuit, factum *Anaſtaſii* cujuſdam Presbyteri, familiaris Neſtorio, quem ſecum Antiochiâ Conſtantinopolim duxerat, opinionibus Judaicis (ut ferunt) imbuti, ferreque nolentis receptam inter Orthodoxos phraſim, quod *Maria* eſſet Θεοτόκος *Deipara*. Idem pro concione pernegare Anaſtaſius, ut refert Socrates, *l. cit.* hinc Neſtorius, referente Cyrillo, *ſi quis Mariam* Θεοτόκον *dixerit, anathema eſt*. Quæ repetiiſſe fertur Dorotheus quidam, in Eccleſia Conſtantinopolit. dum ſacra peragerentur; deindè magis aſſeruiſſe Neſtorius, Sermone de *Incarnatione Dominicâ*, quem *inſipientiſſimum* Marius Mercator, *peſtiferum* Caſſianus L. VII. de Incarnat. *blaſphemiæ omnis compendium* Cyrillus Alex. *Lib.* I. contrà Neſtor. vocant. Aſſerebat autem Neſtorius, Mariam Virg. dicendam eſſe Χριστοτόκον *Chriſtiparam*, quod medium quoddam Neſtorio videbatur, inter Θεοτόκον, & ἀνθρωποτόκον. Prout Patrem dixit eſſe Θεοτόκον, qui Deum genuiſſet; veriùs Θεογεννήτορα. Sic Mariam Θεοδόχον Dei ſuſceptricem, quod & de Chriſto ſecundùm Neſtorium dici potuit; uti Chriſtum hominem, Θεοφόρον eſſe ajebat.

Afficta quædam Neſtorio.

3. *Capita* Hæreſeôs non perindè ab omnibus tradita. Certum enim Neſtorio quædam primò afficta, ac vehementiorem fuiſſe in ſuis *Anathematiſmis* Cyrillum Alexandrinum; ſi conferamus cum Actis Epheſinis, & Epiſtolis ipſius Neſtorii ad Cyrillum, antè Synodum ſcriptis, in Tomo III. *Concil.* Edit. noviſſimæ.

Hinc malè creditus Neſtorius, nec niſi eductis conſequentiis: 1. Quod Chriſtum *hominem* tantùm aſſereret, cum Samoſateno & Photino, negante de Neſtorio Socrate, *Lib.* VII. C. XXXII. qui Verbum voluit *Deum*, & ὁμοούσιον *conſubſtantialem* Patri, ut *Sermone* XII. apud Marium Mercat. *Part.* II. p. 86. Undè nec cum *Ario* ſenſiſſe conſtat. 2. Quod *duas Naturas*, illarumve aut *diſtinctionem*, aut in Chriſto *unionem* inficiaretur; aut malè ſentiret de de *initio* unionis in Utero Virginis, aut de perpetuitate illius: Contrarium atteſtante ipſo Neſtorio ad Cyrillum, *in Epiſt.* alterâ, *Cap.* II. agnoſcente τὸν τῆς ἀνθρωπότητος καὶ Θεότητος λόγον, & utriuſque Naturæ εἰς ἑνὸς προσώπου συνάφειαν *in unâ perſonâ conjunctionem*; Etiam *in utero Virginis inſeparabiliter omni tempore* λόγον illi unitum eſſe, *Serm.* III. IV. &c. ut ex Verſione Marii Mercatoris habemus, hujus Operum P. II. p. 286. Hinc unionem eſſe factam in *primo* momento Incarnationis. 3. Quod *duos Chriſtos* aſſereret, ac Perſonas *divideret*, & adorationem *Emmanuelis*; contrà proteſtatus ſe agnoſcere ἓν πρόσωπον, nec Humanitatem ſeu Carnem Chriſti ipſe Perſonam, ſed *Templum Divinitatis*, appellavit. Ità *Carnem integram* à Λόγῳ aſſumptam, cum Mente vel Animâ, contrà Apollinarem ſenſit, objiciens Catholicis eos cum Ario vel Apollinari ſentire. Ita nec cum illis feciſſe patet, qui Chriſtum Hominem *vitæ inculpatæ merito* conſecutum, ut Verbum illi uniretur; quod ſuprà Pelagiani.

Vera Hæreſeos Capita.

Primò igitur peccavit Neſtorius, ut ex ejus *Anathematiſmis* patet Cyrillo oppoſitis, (qui Latinè extant in *Tomo* III. *Conc. col.* 423. 424.) in *phraſi*, negans *Mariam eſſe Deiparam*, benè fuiſſe *Chriſtiparam*; aſſerens adeoque, *Chriſtum* natum dici oportere ex Mariâ, ſic paſſum, mortuum, non autem *Verbum*, non *Dei Filium*: Confundens ità ubique *Deum* & *Deitatem*, ſic etiam *Hominem* & *Humanitatem*, Perſonam & Naturam Filii; & pro eodem ha-

Digitized by Google

habens, *peperiſſe* Mariam *Deitatem*, & *peperiſſe* eum qui ſecundum Unionem Naturar. eſſet *Deus* & *Filius Dei*. Quæ ex ejus in Cyrillum Scriptis liquent. Quare fuit hoc in Neſtorio vocilitigium, ſtatim ab occupatâ Sede Conſtantinop. certum indicium arrogantiæ, imperitiæ, ac deſtinatæ voluntatis turbandi, etiam pertinaciæ, tenax eorum quæ Theod. Mopſveſtenum tradentem, ſed alio intuitu, audiverat. Mariam enim θεοτόκον dixerant *Dionyſius Alex.* contrà Samoſatenum, dein Baſilius, Greg. Nazianzenus, Nyſſenus, Joh. Chryſoſtomus, & Symbolum Nicænum, ſi non quoad *vocem*, certè quoad rem eâ voce *ſignificatam*.

Secundò, *in modo unionis* explicando, nempe Deum ſeu *Verbum* Patri ὁμοούσιον, fuiſſe *homini* in Mariâ genito & ex eâ nato conjunctum, homini aſſumpto, cui Deus aſſumens ut *in Templo* habitaret: Undè hanc unionem quam aliquando ἐνανθρώπησιν & ἐνσάρκωσιν dixit, ſolitus appellare ἐνοίκησιν *inhabitationem*, ἔνδυσιν *induitionem*, ἀνάληψιν *aſſumptionem*, ἐνέργειαν *inoperationem*, συνάφειαν *adaptationem* vel *commiſſuram*; Quæ ſano ſenſu admitti poterant, non verò excluſivè ad ἕνωσιν ὑποςατικὴν, *unionem perſonalem*; quamvis unitatem perſonæ in Chriſto *Verbo* & *Homine* non negare videretur. Sic Chriſtum hominem eſſe Θεοφόρον, hinc *Emmanuelem*, ex illâ habitatione Verbi in homine Chriſto: Ex quo ſequebatur ſanè Dualitas Perſonarum.

Tertiò, in torquendâ *ſententiâ* & *phraſi* Eccleſiæ Catholicæ, ac divexandâ; quaſi hæc Naturas confunderet, Apollinariſmum induceret, *Divinitatem* aſſereret *natam*, *paſſam*, *mutatam*, &c. Sic nec modum prædicationis intellexit Neſtorius, quo Proprietates utriuſque *Naturæ* de totâ *Perſonâ* enunciarentur, abſque commixtione aut confuſione earundem: Sic dicere nollebat Deum *infantem*, *trimeſtrem*, *fugientem* in Ægyptum, *fatigatum*, *ſitientem*, &c. quod unionem non conciperet factam καθ' ὑπόςασιν. Hæc igitur prædicabat non de Filio Dei, ſed de Naturâ Humanâ illius qui etiam eſſet Filius Dei, & Emmanuel. Tandem etiam calumniabatur Orthodoxos, quaſi B. Virginem aſſererent *Divinitatis parentem*, imò *Deam* ipſam, *Serm.* V. de Θεοτόκῳ, qui *ſecundus* eſt adversùs Proclum, Parte II. Marii Mercat.

Damnatio Hæreſ. à quibus facta?

4. *Damnatio* Hæreſeôs facta primùm *à Cyrillo* Alexandrino, ſcriptis Epiſtolis variis, primum ad Solitarios vel Monachos Ægyptios, quanquam Neſtorio non nominato: Ubi *ſe mirari aliquos dubitare utrum S. Virgo dicenda ſit* Θεοτόκος, quo magis faterentur *Chriſtum Dominum noſtrum eſſe Deum*, & *Emmanuelem*; hinc variis è Scripturâ S. argumentis, iiſque urgentibus, errorem conficit. Dein ſcriptis ad Neſtorium literis, indignatur in eos qui dum Mariam negarent Θεοτόκον, Chriſtum non *Deum* appellari paterentur, ſed Θεοφόρον, & Divinitatis ὄργανον καὶ ἐργαλεῖον. Quas poſtmodum Literas aliæ ejuſdem exceperunt, ad Neſtorium, ad Cœleſtinum Papam; etiam *Homilia Paſchalis* quæ eſt XVII. ad Orbem univerſum miſſa. Tum ab *Euſebio*, Dorylæi in Phrygiâ Salutari Epiſcopo, ſcripta Obteſtatio publica, propoſita A. CCCCXXIX. adversùs Neſtorium, ut Hæreſim *Pauli Samoſateni* revocantem; *Procli* etiam Homilia publicè eodem A. Conſtantinopoli habita, εἰς τὴν δέσποιναν Θεοτόκον; *Marii Mercatoris* Commonitorium tunc etiam Imperatori & Clero Conſtantinop. oblatum adversùs Pelagianos quidem, Julianum & Cœleſtinum, ſed quos Neſtorius palam foveret; *Synodus* Alexandrina Anno CCCCXXX. à Cyrillo congregata, in quâ Expoſitio fidei, & *Anathematiſmi* XII. in Neſtorium ſcripti, cum Literis aliis à Cyrillo ad Clerum Conſtant. & ad Cœleſtinum, miſſis; *Cœleſtini* Rom. Epiſcopi Epiſtolæ ad Cyrillum Alex. ad Neſtorium, ad Johannem Antiochenum, ad Clerum Populumque Conſtantinopolit. *Caſſiani* Eccleſ. Conſtantinopolit. olim Diaconi, Libri de Incarnatione, inductu Cœleſtini ſcripti, Anno eodem; Tandem *Synodus Epheſina* Oecumenica, ad petitum ipſius Neſtorii, indicenda à Theodoſio in menſem *Junium* A. CCCCXXXI. cum *Sacris* ad Cyrillum, ad Metropolitanos, ad Synodum miſſis, de quâ Synodo infrà. Hic jam damnatus ultimò Neſtorius, & depoſitus, ſerò facti pœnitens, his vocibus, λεγέσθω καὶ Θεοτόκος ἡ Μαρία, ut Socrates L. VII. C. XXXIV. Seceſſit primò in Monaſterium ſuum dictum *S. Euprepii*, ſperum & minarum plenus; donec juſſu Theodoſii deportaretur, A. CCCCXXXV. in *Oaſim* (aliàs *Ibim*) locum deſertum, & Inſulam in confiniis Ægypti & Libyæ, Nomadum incurſionibus expoſitam. Undè aliquoties transferendus fuit, ac miſerè tandem extinctus linguâ vermibus exeſâ, ut habet Euagrius *Hiſt.* L. I. C. VII. ex *Scriptoris cujuſdam fide*, quem *legiſſe* ſe dicit, ſilentibus hujus temporis Hiſtoricis. Cur autem Theodoſius Junior *leg.* LXVI. de *Hæret.* & *Manich.* quatuor annis poſt damnatum in Epheſinâ Synodo *Neſtorium*, hujus Sectatores voluerit appellari *Simonianos*, quorum cœtus prohibuit illâ Lege, hæc ratio fuit: Non ſolum quod iſtorum *ſcelus in deſerendo Deo imitati eſſent*, quæ ſunt verba Legis; ſed in ſpecie, quod aſſereret Simon, ex Epiphanio *Hær.* XX. Theodoreto *Hær. Fab.* L. I. ſe *è cœlo deſcendiſſe*, & *Helenam*, *cœlo anteà delapſam*, fuiſſe illi σύνοικον. Ità hi Λόγον, cœlo delapſum, Chriſti homini συνοικῆσαι *cohabitaſſe*. Exilium & Pœnam confirmant Socrates, Theodoretus, reliqui, anno mortis non ità certo. Utinàm cum Neſtorii morte extinctæ fuiſſent turbæ ejus causâ excitatæ, aut cum illâ Cyrilli Alex. Johannis Antioch. Procli Conſtantinop. Sed odia diu poſteà in gravius malum eruptura, & in anathemata adversùs *Theodorum* Mopſveſt. *Ibam*, *Theodoretum*, de quibus ſuo loco.

In quo peccatum ab Orthod. ſecundùm quoſdam?

Duriùs verò actum fuiſſe cum Neſtorio, in ipſis Hæreſeôs exordiis, & malum, quod aliter leniri potuiſſe videretur, veriùs exaſperatum, cumprimis à *Cœleſtino* Pont. *Proclo* Presbyt. Conſtantinopolit. & *Cyrillo* ipſo Alexandr. nonnulli cenſuerunt. 1. Quod Neſtorii mens non plenius indagata fuerit, privatis colloquiis, collationibus, antequam de *Hæreſi* poſtularetur, qualem ſibi imputari non patiebatur; qui acerrimus eſſet Hæreſium perſecutor, ut patet ex Lege Theodoſii LXV. *de Hæreticis*, & ex Socrate Hiſtorico. Quo magis eæ quæ in Operibus *Marii Mercatoris*, & Actis Epheſinis *Tomo* III. *Conc.* habentur *Neſtorii* Epiſtolæ, & Excerpta ex ejuſdem Scriptis & Homeliis, errorem illius in multis ſi non excuſant, certè minuunt. Equidem in II. *Epiſt.* Neſtorii ad Cyrillum; *In eo laudo, quod diſtinctionem Naturarum ſecundum Divinitatis & Humanitatis rationem, harumque in unâ Perſonâ* (εἰς ἑνὸς προσώπου) *conjunctionem prædicas*; *Quodque Deum Verbum altero ex muliere ortu non indiguiſſe affirmas*, &c. 2. Quod ſcripti mox & vibrati *anathematiſmi* fuerint, ac *ſententia* lata depoſitionis à Cyrillo, & Cœleſtino, quos Coëpiſcopos habuit Neſtorius; ut quo hic erat ingenio, ſuperbo nempè & ambitioſo, mox reponendos ſibi eſſe alios *anathematiſmos* exiſtimarit. Ad iſtam enim procedendum fuit per gradus, & prætentatis omnibus mediis quæ prudentia & charitas ſuggerebat. Nam & menti ſuæ de *duabus* in Chriſto *Perſonis*, aut quaſi negaret *Chriſtum* eſſe *Deum* & *Hominem*, vim fieri querebatur; aut quaſi cum Samoſateno, aut Apollinari, aut damnatis aliis Hæreſibus, ſentiret. 3. Quod in Synodo *Epheſinâ* damnatus præproperè Neſtorius fuerit, non expectato adventu Joh. Antiocheni; nec præciſè ſecundùm ea quæ ex ejus Scriptis citarentur, minùs quæ haberentur ex ejus ore, diſputatione aut collatione nullâ cum eo in *Synodo* in-

Digitized by Google

inſtitutâ; ſed ſecundùm *anathematiſmos* XII. Cyrilli Alex. & Epiſtolam Cœleſtini Rom. Epiſcopi. Sic Neſtorius *intra decimum diem* ad Palinodiam, ex auctoritate Cœleſtini, compellendus fuit, ut habetur *Epiſt.* ad Neſtorium, & alterâ ad Clerum Conſtantinop. *Parte* I. *Actor.* Conc. Epheſ. Quicquid ejus ſit, rectiſſimè tamen ab Epheſinâ Synodo definitum in cauſâ Fidei, & ſententia huic oppoſita damnata.

Baronius notatus. Fruſtrà Baronius cum ſuis, ad Ann. CCCCXXX. Papæ ſuprematum ex eo vult adſtructum, quod *Cœleſtinus*, in cauſâ Neſtorii, Cyrillo Alexandrino demandaverit *vicarias partes*, & executionem ſententiæ, in Neſtorium à Cœleſtino latæ. Nam præceſſit ſententia Cyrilli, in *Synodo* Provinciali lata adverſùs Neſtorium, quam ſignificavit literis Cœleſtino datis, *Parte* I. *Act.* Epheſin. C. XIV. Indè Cœleſtinus habitâ Romæ *Synodo* Neſtorium quoque damnat, & ſententiam ad Clerum Conſtantinop. mittit; ac Cyrillum præterea rogat ut *vicem ſuam* ſuppleat, ob itinerum difficultatem, in ejuſdem executione, nomine *& Romanæ, & Alexandrinæ*, & *omnis Catholicæ Eccleſiæ*; ut patet ex *Parte* I. *Actor.* C. XIX. Nec enim aliud voluit Cœleſtinus, quàm ut Cyrillus, qui rem adeò gravem cum Cœleſtino communicandam ultrò cenſuerat, & *proprio* & *procuratorio* nomine in Neſtorium ageret, abſentem repræſentaret, ſententiam excommunicationis (quam ſolus Cyrillus in Patriarcham Conſtantinopolit. exequi noluiſſet, abſente *Johanne* Antiocheno) audacter executioni mandaret, & quidem nullâ morâ, *intra decimum diem*.

Sectatores Neſtorianæ hæreſeôs. 6. *Sectatores* tandem Neſtorii quod attinet, primò in iis viſus *Johannes Antiochenus*, ob Conciliabulum *Epheſinum*, & ſententiam depoſitionis in eo latam, adverſus *Cyrillum* Alex. & *Memnonem* Epheſium, de quo infrà: Sed poſteà tamen, auctoritate Theodoſii, cum Cœleſtino & Cyrillo conciliatus fuit in *Actis* Conc. Epheſ. Parte III. Fuit & *Theodoretus*, Cyri Epiſcopus, in Cyrillum ut videtur æmulus, non per omnia accedens Neſtorio, ſed nec Cyrillo, ſcriptâ inter alias *Epiſt.* ad Johannem Antiochenum, in quâ Cyrilli Capitula reprehenderet, in dictis *Actis Epheſ.* P. III. Favens idem quoque Diodoro Tarſenſi, & Theodoro Mopſv. tanquàm qui hujus Hæreſeôs auctores eſſent, ab Eutyche accuſatis: Alia Theodoreti videſis, in Actis Conciliabuli Epheſini, *Tomo* III. *Concil.* cum Cyrillo poſteà conciliandi. In iis præcipuè *Theodorus* ille, ex Presbytero Antiocheno Mopſveſtenus in Ciliciâ Epiſcopus, poſteà, ævo Juſtiniani, in quintâ Synodo anathematizandus, creditus magiſter & πρόγονος Neſtorii, variis Libris editis, adverſùs Hæreſim Apollinaris; contrà quos Monachi Armenii primùm inſurrexêre, ut pluribus in *Breviario* Liberati Diaconi C. X. inſerto Concilior. Tomis, poſt V. Synod. & apud Facundum Hermianenſem, de *Tribus Capit.* Denique famoſus Neſtorii ſectator habitus *Ibas*, Edeſſenorum Epiſcopus, in *Epiſt.* ad Marim Perſam ſcriptâ, in quâ multis in Cyrillum Alex. invectus, laudato Theodoro Mopſveſteno; cujus Epiſt. Fragmentum inſertum eſt *Act.* X. Concilii Chalc. in quo tamen abſolutus Ibas ab Hæreſi Neſtorii. Et horum trium, ſcil. *Theodori*, *Theodoreti*, & *Ibæ* cauſa, ut Neſtorianæ Hæreſi patrocinantium, dedit originem *Tribus Capitulis*, dictis Concilii Chalcedonenſis; de quibus nos loco ſuo. Acceſſit *Eutherius* Tyanæ Metropolita, Neſtorianarum partium, de quo inter Opera Marii Mercat. P. II. p. 272. & ejus Sermones editi ad calcem *Appendicis* ſeu Auctarii Operum Theodoreti, *Tomo* V. Adde Hæreſim *Orieme* toto diſperſam, & *Sectæ* Neſtorianæ faventes in hunc diem in Meſopotamiæ, Aſſyriæ, Armeniæ, Babyloniæ partibus, Chriſtianos benè multos. Fruſtrà autem *Neſtorium* cum ſuis impetunt Pontificii Scriptores, quod in Capite de Præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ, *Sacramentariis* præiverint; quamvis rectè ſenſiſſe in hoc argumento, cum omni Eccleſia, oſtendunt verba Neſtorii, *Serm.* II. *Num.* 10. Ὁσάκις ἂν ἐσθίετε τὸν ἄρτον τοῦτον, ὃ ἐστι τὸ σῶμα ἀντίτυπον, ſcil. *Corpus* (Chriſti) eſſe *rem per illum panem ſignificatam*; quæ luculenter vindicat inter alios Albertinus de *Euch.* L. II. p. 772. 773. Atque hinc illa in *Theodoretum* quoque exacerbatio, tanquam Neſtorio & Hæreſi ejus faventem, ob luculentam de *Euchariſtia* ſententiam, quam vide ſuprà *Cap.* IV. Nec ulla cum Cyrillo Alex. fuit hac de re controverſia, urgente modò adverſus Neſtorium (in *Anathem.* XI. & eorum ἐκλύσει *Explanatione*) quod in Sacramento Euchariſtiæ, ſeu ἐν τῇ μυστικῇ εὐλογίᾳ, *Caro Chriſti* fiat ζωοποιὸς *vivifica*, per *unionem perſonalem* Divinitatis cum Humanitate; ſeu quod ſit *caro* ἰδία αὐτοῦ τοῦ ἐκ Πατρὸς Λόγου *propria ipſius Verbi quod ex Patre eſt*; & hinc *efficax* per legitimam κοινωνίαν τῆς μυστικῆς εὐλογίας. Sed aliò iſta ſpectant.

IV. *Hæreſis Eutychiana* majores datura turbas, de quâ hoc & ſequente Seculo, Theodoretus, Leo Rom. Euagrius, Liberatus in Breviario Hiſtorico, Leontius Byzantinus adverſùs Eutych. & Acta Conciliorum *Tomo* III. & IV. Hæreſis Eutychiana. 1. *Auctor* fuit *Eutyches*, Presbyter & Archimandrita ſeu Ἡγούμενος vel Abbas Conſtantinopolitanus, qui in Concilio Epheſino adverſùs Neſtorium maſculè diſputarat, jam ſenex prolapſus in Hæreſim, A. CCCCXLVIII. Acceſſit fautor princeps Hæreſeos *Dioſcorus* Epiſcopus Alexandrinus, Præſes Conciliabuli Epheſini II. damnatus in Concilio Chalcedonenſi, & in exilium miſſus, projectæ vir audaciæ nequitiæque, qui Cyrillo Alex. ſucceſſerat A. CCCCXLIV.

2. *Occaſio* fuit error Neſtorii, quem dùm confutare aggreſſus eſt Eutyches, in oppoſitum errorem incidit, perpetuis in Eccleſiæ Hiſtoriâ exemplis, ut fecerat ipſe Neſtorius ſe opponens Apollinariſmo. Occaſio, tempus. Dùm itaque *duas* in Chriſto *Perſonas* negaret Eutyches, *Naturam* in Chriſto *utramque* confudit poſt Incarnationem, ſeu ἕνωσιν Naturarum. Præiverant *Polemius* quidam, à quo συνουσιαστῶν Hæreſis, fingens συνουσίωσιν *commixtionem* Divinitatis cum Carne τοῦ Λόγου, apud Theodoretum, *Hæret. Fab.* L. IV. C. IX. Tùm *Apollinaris* Laodicenus, pariter commentus in Chriſto σαρκωθέντι κρᾶσιν τῆς Θεότητος καὶ τοῦ σώματος *contemperationem* vel *mixtionem Divinitatis & Corporis*, quod ſolum peperiſſet Maria ſine mente, adeoque noſtro ἑτερούσιον. Hinc ut *Neſtorianiſmus* occaſione Apollinariſmi natus eſt, cui ſe opponebat Theodorus Mopſveſtenus Epiſcopus; ſic & *Eutychianiſmus*, ſtatuens commixtionem Naturarum in Chriſto, poſt factam ἕνωσιν in utero Virginis. Acceſſit æmulatio & odium in *Flavianum* Conſtantinop. à quo primùm damnatus Eutyches fuerat; accuſatus hic ab *Euſebio* Dorylæi in Phrygiâ Epiſc. & vix poſt tertiam citationem, impetratâ adhuc dilatione VII. dier. comparens in Synodo Conſtantinopolit. A. CCCCXLVIII. aliâ quidem de cauſâ indictâ, *Novembri* menſe. *Tempus* igitur vulgatæ Hæreſeôs, circà medium ferè Seculum V. Anno Ch. CCCCXLVIII. Flaviano Conſtantinop. & Leone Romano Epiſcopis; Quando accuſatus eſt Eutyches ab Euſebio Dorylæi, qui, Eutychi familiaris, præſens audiverat hunc errorem ab Eutyche doceri ac prædicari: De quo privatim fruſtrà admonitus, in in eâ Synodo convictus fuit, præſente Florentio Patricio & Magno Conſiliario. Refert pluribus Liberatus Carthagin. in *Breviario* Hiſtorico *Cap.* XI. Tomo Concil. V. *col.* 754. & Hiſtoria Concilii Chalced. Concilior. T. IV.

3. *Capita* Hæreſeôs iſta potiſſimum fuiſſe conſtat, ex Actis Chalcedonenſ. Leonis Rom. Epiſtolis, Capita Hæreſeôs. Bre-

Digitized by Google

Breviario Liberati, Evagrio *Lib.* I. &c. In Chriſto duas fuiſſe Naturas, *ante* utriuſque conjunctionem; *poſt* Incarnationem verò ſive adunationem Naturarum, unam tantùm.

Neſtorianos eſſe, qui duas Naturas in unione affirmarent, ſeu Chriſtum in duabus diſtinctè Naturis ſubſiſtentem; ſupponens non eſſe *Naturam* ſine ſuppoſito vel *Perſonâ*.

Corpus Chriſti, poſt unionem, neque Mariæ Virgini Matri, neque nobis eſſe Conſubſtantiale; ſed in ipſo Incarnationis momento Carnem fuiſſe mutatam in Divinitatem, ſeu in Verbi ſubſtantiam. Hinc ſimile *ferri candentis*, etiam guttæ *mellis* aut *aceti*, in mare vaſtum effuſæ, & ab eo abſorptæ. De cætero profeſſus Eutyches fuit, ſe adhærere Fidei in Conciliis *Niceno* & *Epheſino* definitæ.

Damnatio Hæreſeôs. 4. *Damnata* Hæreſis, primùm per *Flavianum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in Synodo Conſtantinop. primâ A. CCCCXLVIII. *Coſſ.* Zenone & Poſtumiano, VI. *Eid. Nov.* In quâ poſtquàm apparuiſſet Eutyches, tandem pertinax, *extraneus* factus eſt *ab omni Sacerdotali officio*, & *Eccleſiæ communione*, *& Primatu Monaſterii*: Nec ſubſcripſerunt tantùm qui aderant Epiſcopi, ſed & Leo Romanus, per Epiſtolam à Flaviano certior factus, ad quem fruſtrà Eutyches, irâ & furore accenſus, provocaſſe dicitur; qui libellum appellationis in ipſo Judicio obtulit. Acta Synodi inſerta habes *Conc.* T. IV. *Act.* I. p. 150. & ſeq. Altera Synodus habita fuit A. CCCCXLIX. in quâ Eutyches, permoto in ejus favorem Imperatore, & Chryſaphio Regii Cubiculi Præfecto in Flavianum indignato, effecit variis exceptionibus, & Libello ſuppl. ad Imperatorem directo, prior condemnatio ut eluderetur; & ad ejus inſtantiam, & Dioſcori Alex. *Univerſalem* Synodum Epheſi cogendam Imperator decerneret, in quâ hæc cauſa retractaretur. Intereà etiam Eutyches circumvenire *Leonem* Rom. literis & falſis narratis, tentaverat; ſed fruſtrà ex *Leonis* ad Eutychem, ad Flavianum, ad Imperatorem, ad Pulcheriam Aug. literis, inſertis in *Parte* I. Actor. Chalcedonenſ. *Acta* hujus ſecundæ Synodi Conſtant. habentur in Tomo IV. Conc. inter Acta Concilii Chalced. *Act.* I. *col.* 234. *& ſeq.* Poſteà etiam damnanda Hæreſis in Synodo *Chalcedonenſi* Oecumenicâ, Marciano Imperatore, de quâ ſtatim.

Approbatio in Synodo Epheſ. 5. *Approbatio* illius intereà facta in Synodo Epheſinâ II. A. Chr. CCCCXLIX. poſt Conſulat. Zenonis & Poſtumiani, VI. Idus Aug. Et hæc *Pſeudo-Epheſina*, & λῃστρικὴ dicitur, cujus præſes fuit Dioſcorus Alexandrinus, ob Leonis Romani abſentiam, & cauſam Flaviani Conſtantinopolit. quæ diſceptanda erat in Synodo, eſſetne juſta ejus adversùs Eutychem lata ſententia. Nempe *latrocinalis* fuit agen-

Synodus cur Latrocinal? di modus, planè violentus & inhumanus. Dùm admiſſi illi ſoli qui Eutychis eſſent ſtudioſiſſimi, reliquis vis illata, hinc *latrocinale* decretum, quo damnatus *Flavianus* nullius erroris aut criminis convictus; contrà *Eutyches* abſolutus, ac reſtitutus priſtinæ dignitati: Tùm *Ibas* abſens damnatus ob Epiſtolam ad Marim Perſam, cujus Fragmentum extat in *Actione* X. Conc. Chalc. *Theodoretus* etiam, itidem abſens, præſertim ob ejus ſcriptum in anathematiſmos Cyrilli; *Euſebius* Dorylæi ut Neſtorianus, ob aſſertas duas in Chriſto Naturas; tandem & *Domnus* Antiochenus quanquam ægrotus, & qui conſenſiſſet in omnibus Dioſcoro: Flavianus autem & Euſebius cuſtodiæ mancipati, ille etiam cæſus & multis injuriis affectus, ac præ dolore plagarum migraturus ad Dominum; *Anatolio*, Apocriſiario Dioſcori, in ejus locum ſuffecto, uti *Maximo* in locum Domni Antiocheni. Conſtant hæc ex Actis ejus Synodi λῃστρικῆς, inter Acta *Chalcedon.* & compendio refert Liberatus in *Breviario*, *Cap.* XII. Ac *Synodum* ne dici quidem eam voluerunt Chalcedonenſes, petentes ab Imperatore, ὥστε ἐκείνην τὴν σύνοδον ἱερῷ νόμῳ (*Sacrâ & propriâ lege*) μήτε ὀνομάζεσθαι προστάξῃ, eadem *Actione* X. Chalcedonenſi. Nec mirum illa videantur. Siquidem I. A Chryſaphio Eunucho, Cubiculariorum præfecto, & Flaviani adverſario, Theodoſius Imperator ad id fuerat inductus, ut Synodi præſidem conſtitueret Dioſcorum Alexandrin. jam faventem cauſæ Eutychianæ. 2. Convocati ad Synodum quotquot ferè ejuſdem ſtudioſi eſſent Epiſcopi; remoti Theodoretus, Ibas, alii, tanquàm ſcilicet Neſtorianæ hæreſeôs fautores. 3. Flavianus apud Imperatorem delatus, tanquàm ipſe turbarum auctor, rerumque ſtudioſus novarum eſſet. 4. Inducti Epiſcopi alii, quales *Domnus* Antiochenus, *Juvenalis* Hieroſol. *Stephanus* Epheſinus, metu exilii & deportationis, ut Eutychis abſolutioni ſubſcriberent, malè mulctandi. Flavianus tamen in Synodo, ubi ſententiam in ſe latam audivit, erupit in has voces, παραιτοῦμαί σε *recuſo te Dioſcore*; Hilarius etiam Rom. Eccleſ. Diaconus; *Contradicitur!*

6. Hinc judicio alterius & Generalis *Synodi* à Theodoſio indicendæ, per modum *appellationis*, rem commiſêre ipſi illi damnati, Flavianus, & Theodoretus *Epiſt.* ad Leonem. Appellatio ad Synod. aliam. Non certè ad Leonem appellaſſe leguntur, aut ipſe Leo id uſquàm contendit, ſcilicet *ut ad legitimum & præcipuum Judicem controverſiarum*, ità Baronius ad An. CCCCXLIX. *num.* V. & Vallius de ſupremâ Poteſt. Papæ, *Part.* IV. *Quæſt.* II. ac noviſſimè Chriſtianus Lupus adverſus *Quoſdam Temporum Novatores*, &c. Quanquàm & illum qui in Epiſcopis & in Occidente *primus* eſſet, & omnes *Occidentales Epiſcopos* judices requirunt, & quidem ab Imperatore *Theodoſio*, ex *Epiſt.* Theodoreti CXIX. ad Anatolium Patricium, *Tomo* III. p. 992. Acceſſit, quod ad Leonem damnatus à Flaviano Eutyches rem jam antè detuliſſet, Anno CCCCXLVIII. quod etiam cauſarum hujuſmodi pridem, Canone *Sardiceno*, fuiſſet arbiter conſtitutus Romanus, nullo ſanè jure Divino; quod denique faveret cauſæ Orthodoxæ Leo, cujus Epiſtolam legere recuſarant Epheſini in Synodo vulgò latrocinali. Nec hujuſmodi appellationes fuêre *juridicæ*, ſed tantùm imploratio conſilii, & auxilii, ut ſuâ auctoritate, ſuiſque precibus, ſupplicibus iis ſanè, ut ex Leonis *Epiſtolis* liquet in ſpecie XXIII. efficeret apud Imperatorem Leo, ut cauſa illa recognoſceretur in Italicâ Synodo. Conſentiunt hac etiam in parte præter noſtros, & Dav. Blondellum de *Primatu*, Richerius Doctor Sorbonicus, *Hiſtoriâ* Concil. General. P. I. C. VIII. & Elias Du-Pin, in Antiquâ Eccleſ. Diſcipl. *Differt.* II. Ubi prolixè de *Cauſâ Eutychis*, *Flaviani*, *Theodoreti*, quos ad ſolum Romanum Pontificem, ut Judicem ſummum, in formâ *appellaſſe*, ex certis documentis præfractè negant; hancque cauſam ſic agunt, ut retractare aut recoquere poſt illos nihil neceſſe ſit.

7. Hinc quæ *Hæreſim* hanc exceperint in Eccleſiâ mala, & calamitates, vix aut lingua efferat, aut calamus deſcribat. Conſecuta mala. Cauſæ fuerunt, partim furor Eutychianus, partim ſectatorum numerus, præcipuè in Ægypto, & Antiochenâ Diœceſi. *Furores* paſſim Eutychianorum apparuerunt, poſt depoſitum à Chalcedonenſibus Dioſcorum, & ſubſtitutum Proterium: Imprimis ſeditio illa in Proterium Alexandrina, per Timotheum Ælurum, & Petrum Moggum, Marciano Imperatore fatis functo; undè cruentæ cædes, mox graviſſimi ubique motus, de quibus ſeorſim infrà referendum. Dein radices altiſſimæ Hæreſeôs, actæ in hunc uſque diem in Ægypto, Syriâ, Palæſtinâ, Armeniâ, Æthiopiâ, ut infrà.

V. *Secta* variæ mox exortæ, ut totidem Eutychiani erroris propagines: Quales, *Acephali*, *Theopaſchitæ*, *Severitæ*, *Jacobitæ*, *Maronitæ*, *Armenii*, Acephalorum ſecta.

 Agno-

Agnoëtæ, *Aphthartodocitæ*, *Corrupticolæ*, *Monothelitæ*, quæ XII. memorantur. Prima & celeberrima illa fuit, quæ *Acephalorum* nomine venit. Ratio *nominis*, quod Petro *Mongo* vel *Moggo* à ſe rejecto, qui antè Eutychianæ factionis caput, dein conciliatus Acacio Conſtantin. fuerat, nullum certum ſuæ factionis haberent *Caput*, undè ἀκέφαλοι. Moggus enim, qui & vocatus eſt *Bleſus*, antè Archidiaconus Eccleſiæ Alex. à factioſis intruſus in Sedem Alexandrinam, poſt Zenonis Henoticum amplecti Chalcedonenſem Synodum viſus eſt, ſcriptis ad Acacium & Simplicium Romanum literis: Undè à ſuis deſertus, qui ſine Capite (quale fuerat hactenus Moggus) deinceps in ſegreges cœtus coierunt, ut conſtat ex Euagrio, *Hiſt.* L. III. *Cap.* XIII. ex Liberati *Breviario*, *Cap.* XVI. XVII. & Excerptis de *Sectis Hæreticorum*, ſub Leontii Byzantini nomine.

Origo igitur prima fuit, poſt Henoticum Zenonis, & confirmatum Petrum in Alexandrino Patriarchatu ab Imperatore, adeoque poſt A. CCCCLXXXII. Undè ſeceſſionem fecit confuſa multitudo, Chalcedonenſi Synodo infeſta; Capitibus mox futuris *Petro Gnapheo* Antiochenæ Sedi præfecto, hinc *Severo* Antiocheno, undè dicti deinceps *Severitæ* vel *Severiani*, ſed ſequenti Seculo, ex quibus orti *Jacobitæ*, *Monophyſitæ*, Eutychianorum propagines.

Fullonianorum Secta. Huc referenda Secta *Fullonianorum* vel *Theopaſchitarum*, auctore illo *Petro Gnapheo* ſive *Fullone*, in Antiochenum Epiſcopatum reſtituto, poſtquam Zenonis Henotico & ipſe ſubſcripſiſſet, & Synodales literas dediſſet ad Petrum Moggum, ex Euagrii *Hiſt.* L. III. C. XVI. Nempe mox anathematizatâ Synodò Chalced. aſſeruit idem Fullo, ſaltem locutione tenùs, inſertâ publico Hymno τῷ Τρισαγίῳ, non unam modò Trinitatis Perſonam eſſe paſſam, ſed ipſam *Trinitatem*, niſi τὸ Τρισάγιον ad ſolum *Chriſtum* retulit. Nempè Hymnus tùm receptus in Eccleſiâ fuit, dictus τὸ Τρισάγιον, ac primùm in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, ut dictum, inde à Procli Patriarchæ temporibus, An. CCCCXLVI. Præeunte ſcilicet Angelorum choro, ut ferunt ex Felicis *Epiſt.* III. ad Petrum Fullonem, inſertâ *Concil.* T. IV. *col.* 1063. item ex Johanne Damaſceno, & Nicephoro. Habuit Hymnus ità: Ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, *miſerere noſtri.* Huic Hymno Petrus Gnapheus, Antiochenæ Sedi per fraudem reſtitutus, coëgit ſuos addere verba, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς *qui propter nos crucifixus es.* Quâ additione viſus revocare errorem Sabellii, & Theopaſchitarum, ipſam Trinitatem paſſam eſſe, ipſum adeò Patrem, & Spiritum S. Niſi Chriſti *divinitatem* à Patris illâ divulſit, eandemque paſſibilem, poſt Incarnationem, cum Eutyche voluit. Et hinc *Fullonianorum* ſeu *Theopaſchitarum* Secta exorta, cui *Felix* II. (ut quoque in Martyrologio eſt, & apud Baronium ad A. CCCCXCII. N. I. non *Tertius*) Romanus ipſe, habitâ Romæ Synodo, & ſcriptis Epiſtolis, ſe haud ſegniter oppoſuit, Anno CCCCLXXXIII. Sed & iſtud additamentum magnoperè improbavit *Acacius* Conſtantinopolit. habito Concilio Conſtantinopoli A. CCCCLXXXIII. ſcriptâ ad Fullonem Epiſtolâ quæ incipit, Ἐπέστη ὁ οὐρανὸς, καὶ ἔφριξεν ἡ γῆ, ἐσαλεύθη δὲ καὶ τὰ θεμέλια τῆς Καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, θρῆνος δὲ καὶ κλαυθμοὺς κατέληφε τοὺς ἱερεῖς τοῦ Χριστοῦ, *Obſtupuit Cælum, & fremuit Terra; Mota ſunt & fundamenta S. Dei Catholicæ Eccleſiæ; luctus & ploratus apprehendit Sacerdotes Chriſti*, &c. ut habetur in T. IV. *Conc. col.* 1107. Sic Quintianus Epiſcopus Aſculitanus, ſcripſit eodem tempore Epiſt. ad Petrum Fullonem, additis *Anathematiſmis* XII. exemplo Cyrilli in Neſtorium, quorum quartus eſt, *Si quis Divinitat.* Τρισαγίαν *dicit propter nos crucifixum, & non Dominum noſtrum J. C. Filium Dei unigenitum*, καθαιρέσθω *damnetur*, eodem Tomo, *col.* 1102. Tacemus alios conſimiliter illud Petri additamentum damnantes.

Atque eidem *Gnapheo*, vel Cnapheo Latinis & Baronio, debentur inter alia publicæ Litaniæ ad Sanctos, ſpeciatim invocatio Virginis Θεοτόκου, in *omni precatione*, ἐν πάσῃ εὐχῇ, ex Theodori *Collectaneis*, laudante inſtitutum hoc Fullonis Nicephoro, *Hiſt. Lib.* XV. C. XXVIII. ſub finem: De quo & antè dictum.

Armeniorum Secta. Huc ſpectat Secta *Armeniorum*; dùm nempe Armenii, impulſore quodam Ethanio Armenio, ſeceſſionem hoc Seculo fecêre, rejecto Concilio Chalcedonenſi, at Oecumenicis tribus prioribus cum Catholicâ Eccleſiâ ſuſceptis. Acceſſêre *ritus* nonnulli, Armeniis in hunc diem ſpeciales: Retinuêre enim τὸ Τρισάγιον Petri Gnaphei, uti reliqui Monophyſitæ. Infantes *circumcidunt* poſt Baptiſmum; Infantibus *Euchariſtiam* præbent; *Azymis* quoque, ſed diu poſteà uſi, ex Latinorum Diſciplinâ; *Imagines* nullas unquàm coluêre, nullâ ſcilicet *lege*, eorum *antè* ſeparationem, adhucdum introductas; quanquàm uſus apud eos *Crucis* materialis, quales æneas aut ferreas circumgeſtant.

Vide de horum Religione Niconis Tractatum, in *Bibl. Patrum* Tomo III. & apud Beveregium, iu Canonem Trullan. LVI. Adde Euthymii Zigabeni, clari Seculo XII. Panopliam *Parte* II. aliaque documenta apud Magdeburgenſes *Cent.* V. Cruſium in *Germano-Græciâ*, Chytræum *de Statu Græciæ hod.* Morinum de *Ordin. Sacris*, Geſlinum in *Geogr. S.* Hottingerum in *Topograph. Eccleſ.* Hoornbekium in *Summâ Controv.* de Græcis: Tùm & Itinerariographos de *Armenior.* religione, quanquam non hos paris omnes fidei, & Antiquitatis ſæpè omnis expertes, hiſtoriæque, quos inter nuperus Tavernierus. Sed de *Armeniis* aliàs; quorum defectionem *Jacobo* cuidam demùm tribuunt, ſequente Seculo, Eutychius Alexandr. & Nicephorus Calliſti. Multi autem Armeniorum *Neſtorianæ* Sectæ acceſſerunt, per Indiam, Tartariam, &c. diſperſi, teſtibus Ottone Friſingenſi, Joſepho Indo, aliis apud Morinum, *de Ordinat. S.* p. 438. Sed de reliquis Eutychianæ Hæreſeôs propaginibus, ad ſequens *Seculum.*

VIII. *Concilia hujus Ævi, Oecumenica ſeu Univerſalia, duo; Patriarchalia alia & Provincialia, in Oriente & Occidente.*

I. OEcumenica hoc Seculo Concilia duo inclyta fuêre, *Epheſinum* I. & *Chalcedonenſe*. Quoad Synodum Epheſinam, in cauſâ præcipuè Neſtorii, præceſſerant in eadem cauſâ, Synodus *Romana*, per Cœleſtinum habita menſe Auguſti, A. CCCCXXX. hinc Literæ à Cœleſtino ſcriptæ ad Cyrillum *Alex.* ad Neſtorium, ad Clerum Conſtantinop. ad majorum Sedium Epiſcopos in Oriente: Tum Synodus *Alexandrina*, per Cyrillum Patriarcham, eodem Anno, menſe Novemb. in quâ *Anathematiſmi* XII. additi Expoſitioni Fidei, & ad Neſtorium miſſi, quibus *ſubſcriberet citrà omnem fucum & dolum*, cum Synodicâ Epiſtolâ, quæ extat Parte I. Actorum Conc. Epheſini. Hinc tandem Oecumenica Synodus, Epheſi indicenda, ſed increpato prius per *Sacram* Cyrillo, quaſi Cœleſtinum Epiſc. Rom. induxiſſet ad præproperè damnandum Neſtorium, ni reſipiſceret *intrà decem dies*, & quaſi præjudicio quodam; antè auditum illum, & cauſâ nondum in utramque partem diſcuſſâ. Quod dicunt Imperatores Theodoſius & Valentinianus, in ſuis ad Cyrillum Literis, factum *per eos qui imperare fortè mallent*, Epheſinum Concil. quæ præceſſere?

quàm

quàm in medium conſulere. Tum & ægrè ferebant Impp. datas fuiſſe à Cyrillo literas ad *Imperatrices*, quaſi Imperatores cauſæ Neſtorii faventiores eſſent; tandem ſignificant ad ſe ſpectare curam *Imperii* & *Eccleſiæ*, vel *Eccleſiaſticæ diſciplinæ*, *ſtatus Eccleſiaſtici*, *quoniam Eccleſia in Republicâ*, *tanquàm in thalamo & domicilio*, *habitat.* Inſertæ habentur Literæ, ut & aliæ ad *Metropolitanos* cæteros, Actis Epheſinis, *Parte* I. *Cap.* XXXI. XXXII. Quæ ſanè longiſſimè abſunt à delatâ, vel agnitâ in Rom. Pontifice, eâ poteſtate quam Baronius & Gnathones illis attribuunt.

Synodi Epheſinæ hiſtoria. II. Synodi porrò *Epheſinæ* prolixa extant *Actâ*, Græcè & Latinè, in *Tomo* III. *Concil.* præter narrata Socratis, *Hiſt. Lib.* VII. C. XXXVII. Liberati in Breviario *Cap.* V. *& ſeq.* Euagrii Hiſtoriæ *Lib.* I. & quæ in *Synodico* Græcorum, in Photii Libello de *Synodis*, &c. hac de Synodo Epheſinâ & Oecumenicâ referuntur.

1. *Locus* fuit *Epheſus*, Urbs Aſiæ minoris princeps, Metropolis Aſianæ *Diœceſeôs*, ſitu peropportuna, à Theodoſio ad Conſeſſum Oecumenicum, datis literis ad Cyrillum Alexandr. cæteroſque Metropolitanos, delecta: Nullo ſanè prævio *aſſenſu Cœleſtini* Romani, *abſque cujus auctoritate* non *licuiſſe Concilium congregare*, nugatur Baronius ad Ann. CCCCXXX. N. LXIII. Et quod ominoſum fuit, congregati Patres in Æde quæ à *Maria* τῇ Θεοτόκῳ nomen acceperat, ut eſt *Actione* I. Synodi, decreturi illam verè Θεοτόκον dici.

2. *Tempus* ab Imperatore Theodoſio præfixum, fuit annus Chriſti 431. poſt Conſulatum Theodoſii XIII. Valentiniani III. a Feſto Pentecoſtis, Theodoſio Juniore imperante: Cœleſtino Romæ, Cyrillo Alexandriæ, Johanne Antiochiæ, Juvenali Hieroſolymorum, Memnone Epheſiorum Epiſcopis, Neſtorio autem Conſtantinopoli in Siſinnii locum ſuffecto, indè ab A. CCCCXXVIII. Felice & Tauro Coſſ. Anteceſſerant quæ diximus Synodum creſcens hæreſis Neſtorii Epiſcopi Conſtantinopolitani, de quâ ſuprà, jam damnata poſt literas ἀμοιβαίας & monitorias, in Synodo Romanâ, & Alexandrinâ, Anno præcedente. Cyrillus autem ſuas in *Epheſinâ* Synodo, & Cœleſtini partes, acturus fuit, non *vicariâ* ſubjectione, ut Baronius cum ſuis, ſed *procuratorio* nomine Cœleſtinum repræſentans; qui *propter marina & terrena ſpatia*, & itinerum *longitudinem*, præſens ipſe adeſſe non poſſet, ut cauſatur Cœleſtinus, *in Epiſt.* ad Clerum & Populum Conſtantinop. *col.* 373. Tomi III. Concil. Hinc viciſſim Neſtorii in Cyrillum molimina, anathematiſmi reciproci, accuſationes apud Theodoſium: Undè tandem conſilium Imperatoris indicendi Synodum Univerſalem, in Urbe Epheſinâ.

Baronius notatus. 3. *Convocator* Synodi indubiè Theodoſius, mandato Imperiali, θεσπίσματι, προστάγματι, νεύματι unius Principis, ut Socrates, Euagrius, & Epheſini ipſi non ſemel teſtantur, *Cœleſtini* nullâ mentione. Imò hic in Epiſt. ad Theodoſium: *Huic Synodo, quam eſſe* JUSSISTIS, *noſtram præſentiam in his quos miſimus exhibemus.* Et Imperator in Epiſt. miſsâ ad omnes Metropolitanos; *De indictâ Sanctiſſimâ Synodo, noſtra Serenitas ad omnes omninò Deo dilectos Epiſcopos Metropolitanos literas ſcripſit.* Et Capreolus Carthaginenſium Epiſcopus, Epiſtolâ ad Synodum datâ T. III. *Concil. col.* 529. *Piiſſimi Theodoſii Imperatoris literæ ad manus noſtras perlatæ*, quibus etiam *Auguſtini* præſentiam *peculiari ratione efflagitavant.* Imò parere detrectantibus Epiſcopis addit Imp. Comminatorias; *Nos quoque harum rerum curæ ſedulò incumbentes, nullum impunè à Synodo abeſſe ſinemus: Nec ullum vel apud Deum, vel apud Nos, habiturus eſt excuſationem, qui ſtatim impigrè, ſecundum præfinitum tempus, ad deſtinatum locum præſto non fuerit.* Nec aliter Conſtantinus M. ut videre eſt in Epiſtolâ apud Euſebium, *de Vitâ Conſt. M.* L. IV. C. XLII. in convocatione Concilii Tyri habiti, juſſu Imperatoris, quam refert occaſione Synodi Epheſinæ *Edm. Richerius* Doctor Sorbon. in *Hiſt.* Conciliorum Generalium, C. VII. Et in Exordio Actionis I. *col.* 445. *Synodo congregatâ in Epheſiorum Metropoli, ex decreto Religioſiſſimorum & Chriſtianiſſimorum* (φιλοχρίστων) *Impp.* Nuſquàm memoratur Cœleſtinus Ep. Romanus, niſi in ordine reliquorum Patriarcharum & Metropolitanorum, qui juſſi per ſe, vel per Procuratores, convenerant. Tantum abeſt, quod nugatur Baronius, non alio fine Concilium indictum eſſe, quàm ut, quæ Romæ decreverat Cœleſtinus, *eadem executioni mandari curarent; nec quicquam, præter ſententiam Cæleſtini, ſibi arrogaſſe Concilium tantum Oecumenicum*, ad A. CCCCXXXI. N. VIII. Planè contrà Sacram Imperatoris ad Cyrillum, ubi & hunc & Cœleſtinum increpat feſtinati judicii, ut *ſuprà*. Sed & contrà Epheſinorum mentem, damnantium *Canone* VIII. hunc ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφον, & paulo ante Africanorum, ad eundem Cœleſtinum, in *Epiſt.* Synodicâ monentium, ne *Executores Clericos ſuos* hujuſmodi *mitteret*, *& fumoſum typhum Seculi in Eccleſiam Chriſti induceret.*

Præſes Synodi Cyrillus; Ut Vicarius Cœleſtini. 4. *Præſes* Synodi Eccleſiaſticus *Cyrillus* Alexandrinus, cui præcipuè Theodoſius literis Imperialibus hoc negotium commendaverat. Ac quanquàm abſentis Cœleſtini *vices* quoque *habuerit*; procuratorio nomine, quemadmodùm & *Africanorum* abſentium, qui ſcil. per Cyrillum adfuêre; tamen ſuo quoque nomine præſediſſe fatetur Valeſius, præter Richerium, Launoium, de Marca, &c. imò Natalem Monachum *Tom.* X. p. 293. *Præfuit Cyrillus jure ſuæ Sedis, & ut Sedis Apoſtolicæ Legatus*, id eſt, repræſentans procuratorio nomine, διέπων τὸν τόπον *obtinens* quoque *locum Cæleſtini ſanctiſſimi Rom. Eccleſiæ Archiepiſcopi*, ut eſt in Actis Epheſinis: Nec aliter conſideratur Cœleſtinus quàm ut *Archiepiſcopus* Rom. Eccleſiæ, uti Cyrillus Alexandrinæ. Undè etiam in iiſdem Actis, *Parte* II. *Cyrillus* Alexandrinus, & *Memnon* Epheſius, vocantur *Præſides*, *Duces*, *Capita Concilii.* Nec alio ſenſu *vicarius* audiit Romani Epiſcopi, quàm fraternæ procurationis titulo, ἔγραψε Κυρίλλῳ, προτρέπων καὶ τὸν ἑαυτοῦ τόπον ἐπέχειν, ut Nicephorus *Lib.* XIV. C. XXXIV. Quamquam addat Nicephorus, ex figmento Græcorum; ἐξ οὗ λόγος *ex quo tempore fama eſt*, Alexandrinum *Mitram & Papæ appellationem, atque ut τῆς Οἰκουμένης κριτὴς Orbis univerſi Judex diceretur, obtinuiſſe.* Licet poſteà in Synodo comparuerint Cœleſtini legati, Arcadius & Projectus Epiſcopi, ac Philippus Presbyter, *executuri* ſcil. quæ Cœleſtinus, non profectò ipſi Synodo, ſed legatis ſuis mandaviſſet. Advenêre autem poſt latam in Neſtorium ſententiam; ac ſedit *poſt Cyrillum* Arcadius legationis Caput, poſt Juvenalem Hieroſ. etiam Projectus, legatus alter & Epiſcopus. Quemadmodùm & in *ſubſcriptionibus* Edit. Rom. primus ſubſcribit Cyrillus, ut *col.* 689 Ed. Labb. Ideò autem ſollicita mentio præſentiæ *Cæleſtini* in Synodo, ne Neſtorius condemnatus videretur à Cyrillo ſolo, aut Juvenali Hieroſol. abſente ſcil. Joh. Antiocheno, in *Patriarcharum* ordine.

Pertinacia Neſtorii. 5. Intereà ingens fuit pertinacia *Neſtorii*, Epheſum quidem tempeſtivè, mox à Paſchalibus feriis, cum ſuis delati, ſed comparere in Synodo detrectantis, & contumeliis in eam graſſati. Undè quicquid *iterum* & *tertiò* ad Synodum vocaretur, ut de re ad religionem pertinente (juxtà mandatum Imp.) *communi omnium ſententiâ & conſenſu conſtitueretur*, emanſit tamen contumaciter: Obtentu nempè abſentiæ *Johannis* Antiocheni; hinc miſſis à Synodo malè mulctandis, per diſpoſitos antè domum in quâ verſabatur Milites, à Candidiano Comite acceptos,

ut

Digitized by Google

ut eſt in *Actis*, *col.* 562. Nam favebant *Candidianus* & *Irenæus*, ambo Comites Imperatoris, prior cum poteſtate miſſus, uterque in Synodum conſpirans, ut pluribus in *Actis* Epheſinis, *Act.* I. Adduntur autem Neſtorii blaſphemæ voces, apud Socratem *Lib.* VII. C. XXXIV. *Ego eum qui bimeſtris ac trimeſtris exiſtit, Deum appellare non poſſum. Atque idcirco mundus ſum à ſanguine veſtro.*

Sententia in Neſtorium, & ſecutum Schiſma.

6. Igitur, poſt expectatum diu ſatis, ſed fruſtrà *Johannem* Antiochenum, qui tardiùs ad Synodum acceſſit, cum Epiſcopis ſuis XXX. (& in his Theodoreto Cyri Ep.) moratus dies integros XVI. ultra quam fuerat conſtitutum Sacrâ Imperatoris, ut Memnon Epheſius teſtatus in Actis, *col.* 453. excuſante autem Johannis moram Euagrio Hiſtor. ob itineris labores, moleſtias, locorum intercapedinem, *Hiſt. Lib.* I. C. III. etiam Liberato Breviarii Hiſtor. C. V. & ipſo Johanne Antiocheno in literis ad Cyrillum datis, inſertis antè Action. I. Tum poſt recitatam *Fidem Nicænam*, ut conſenſionis Eccleſiaſticæ normam: Poſt lectam in Synodo Sacram Imperatoris, ut & Cyrilli ſecundam ad Neſtorium Epiſtol. Patrum omnium calculo conſonam Symbolo Nicæno; hinc reſponſum Neſtorii ad hanc Epiſtolam; tum literas Cœleſtini Ep. Rom. ad eundem Neſtorium: Poſt recitatam ſententiam diverſorum Patrum, eamque in Acta relatam, ut Petri Alex. & Martyris, Athanaſii Alex. Julii Rom. Cypriani, Theophili Alex. Ambroſii Mediolan. Gregorii Nazianzeni, &c. Poſt lectam Synodicam à Capreolo Epiſc. Carthaginenſi ſcriptam, pro *perpetuâ firmitate* eorum quæ hactenùs à Patribus definita eſſent: Poſt lecta etiam Excerpta quædam blaſphemiarum Neſtorii, ex ejuſdem Scriptis, quæ tamen judicio *Liberati*, Breviarii *Cap.* V. *ſunt deflorationes quædam Librorum Neſtorii*, factæ per *Cyrillum*, *ejus (ut dicebatur) inimicum*; nec alieno Socrate Hiſtorico, *Cyrillum infenſo ergà Neſtorium animo fuiſſe*, Hiſt. L. VII. C. XXXIV. Tandem lata eſt à Synodo ſententia in Neſtorium, *Actione* I. *col.* 533. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per Sanctiſſimam hanc Synodum, eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sacerdotum conſortio & cœtu alienum* eſſe, definit. Eademque ſententia ab Epiſcopis pluſquàm CC. lata, ipſi Neſtorio alterâ die ſcripto intimata fuit cum inſcriptione Νεϛορίῳ νέῳ Ἰȣ́δᾳ *Neſtorio novo Judæ*: Tùm & ſignificata per literas Clero & Oeconomis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ; fruſtrà reclamante Comite Imperiali, qui voluiſſet interponi moram, & expectari adventum *Johannis* Antiocheni, & aliorum *Metropolitanorum* Orientis. Atque ità definitum à Synodo fuit, *Mariam Virginem eſſe* omninò Θεοτόκον ſeu *Deiparam*, Neſtorium verò blaſphemum eſſe, ac recedentem à fide Patrum & Nicænâ. Additæ & aliæ ad Imperatores literæ, quibus de geſtis in Synodo, poſt expectatum Johannem Antiochenum *totos dies* XVI. referunt, deque ſententiâ depoſitionis in Neſtorium Canonicè latâ, quam vocant καθαίρεσιν κανονικήν. Has quidem intercipere conatus eſt Comes *Candidianus*, obſequens Neſtorii ſtudiis, ac præveniens Imperatorem ſuis quidem narratis.

Schiſma nati brevis Hiſt.

7. Sed mox *Schiſma* in Synodo natum, occaſione ſerioris adventûs *Johannis* Antiocheni, ac *quinto* poſt die à condemnatione Neſtorii, diu licet à Patribus Epheſinis expectati. Hinc Johannes à Candidiano præcipuè excitatus, & Irenæo, Comitibus Imperial. collecto ex ſuis Conciliabulo, Epiſcoporum XLIII. (abſente tamen Neſtorio) *Cyrillum* Alexandrinum & *Memnonem* Epheſinum accuſant; Quod *dignoſcuntur omnia conturbaſſe ac commiſcuiſſe*; *res Eccleſiaſticas tumultibus impleviſſe*; *pias literas* ad Cyrillum datas *parvi pendiſſe*; *Eccleſiæ ritus*, morem, conſuetudinem, leges *proculcaſſe*; *ne* ſcilicet *in hæreticam perverſamque eorum doctrinam inquireretur.* Hæreſin verò dixerunt à Cyrillo revocari, quæ eſſet *Arii, Apollinarii, & Eunomii impietati conſentanea.* Hinc cùm ob Hæreticum dogma, tùm ob perturbationem excitatam, & ſpreta Imperatorum decreta, ferunt in *Cyrillum, & Memnonem*, ut præcipuos auctores, *depoſitionis ſententiam*; reliquos qui eorum auctoritate abducti eſſent, *excommunicationis vinculis* innodant, ſeu ἀκοινωνήτȣς γενέσθαι decernunt; hancque ſententiam ad Synodum mittunt, ad Clerum, Senatum, populumque Conſtantinopolit. inſtituuntque ad *Imperatores*, ad *Reginas* relationem, per Comitem Irenæum, eorum cauſæ faventem. Stabat autem à partibus Johannis Antiocheni *Theodoretus* Cyri Epiſc. qui impulſus à Johanne Antioch. *in Cyrilli Capitula* calamum ſtringit, variaſque in eum *Epiſtolas* mittit, quibus Concilii Epheſini Acta acriùs exagitabat. Quæ adeò in nervum eruperunt, ut Theodoſius, à factioſis circumventus, approbaret Cyrilli & Memnonis depoſitionem, ac Johannem Comitem ad Synodum mitteret, qui Cyrillum & Memnonem in cuſtodiam traderet: Donec à legatis Epheſinis certior factus Imperator, Epiſcopum utrumque liberaret, ex Euagrio, Liberato, & Actis Epheſinis, *Act.* V. Qui Epiſcopi etiam ſupplice Libello apud Synodum intervenerunt, graviter conqueſti *de Eccleſiaſticis legibus* proculcatis, utque Johannem Antiochenum cum ſuis venire ad Synodum juberet, rationem factorum reddituros. Atque ità amoto Neſtorio Conſtantinop. in ejus locum ſuffectus eſt *Maximianus*, confirmante Theodoſio; cui dein *Proclus*, hinc *Flavianus*, ſucceſſerunt.

Cœleſtinus an præſcripſerit Synodo?

8. Cæterùm legati Cœleſtini Romani, Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter, obtulêre Literas Cœleſtini, *Actione* II. quibus (juxtà Lectionem Antonii Contii & Theod. Peltani) notum facit Synodo ſe Miſſis ſuis in mandatis dediſſe, ut ea quæ à Patribus Epheſinis *eſſent conſtituta*, *ſuo calculo denuò confirmarent*; nec dubitare, quin *illos ad communem conſenſum ſententiæque dictionem eſſent admiſſuri: Quæ verò illi decreviſſent, ea pro omnium Eccleſiarum tranquillitate haberi debere pro definitis decretiſque.* Quæ ſanè longiſſimè iterùm abſunt, ab iis quæ contendit Roma hodierna, miſſos fuiſſe à Cœleſtino, qui *ea quæ à ſe decreta eſſent, exequerentur*; ut contendit quoque Baronius, Monarchiæ Papali aſſerendæ. Objicitur quidem ſententia *Firmi* Cæſareæ Cappad. Epiſcopi, qui in Synodo dixerit; ſe *ſententiam regulamque à Cæleſtino præſcriptam ſecutos eſſe*, in damnatione Neſtorii. Nempe *regula* fuit in omnibus Conciliis obſervanda, juxtà *formam Canonum*, & *Nicænum* in ſpecie *Can.* V. de legitimè *Excommunicatis* Epiſcopis: Præterquam hæc verba ſunt *unius Epiſcopi*, & in Actis Synodalibus *vox unius, vox nullius*, juxta Edictum Juſtiniani Contrà Tria Capitula; *Non attendi oportere, quod forſitan in Synodis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam.*

Schiſma ſublatum.

9. Nec diu poſteà, auctoritate & prudentiâ Theodoſii, & Sacrâ ad Johannem miſſâ, ut *exoptatam pacem concordiamque* promoveret, conciliatus Johannes Antiochenus (quem & *Epheſina* Synodus ut contumacem ejecerat) Cyrillo Alexandrino fuit, habitâ Antiochiæ Synodo; & miſſo Alexandriam Paulo Emiſeno, qui Acta omnia *in Neſtorium* recognoſceret, iiſdemque, Johannis & Antiochenæ Eccleſiæ nomine, ſubſcriberet. Quæ omnia pluribus in *Parte* III. *Actorum* memorantur, nec neceſſe eſt has paginas implere. Quomodò & reconciliatus Cyrillo tandem Theodoretus eſt, cæteriſque Orthodoxis, fidem Catholicam profeſſus; ac ingenuè faſſus, vocem Θεοτόκȣ pridem uſurpatam Orthodo-

xæ

Digitized by Google

xæ fidei prædicatoribus, qui Mariam, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, Θεοτόκον διδάξαντες, in *Epiſt.* ad Sporacium, inſertâ *Tomo* IV. Operum, Edit. Sirmondi. Et reverà Θεοτόκου vox apud Euſebium, Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, alioſque vetuſtiores legebatur, imò uſus eâ Alexander Epiſcopus Alexandrinus, apud ipſum quoque Theodoretum, *Hiſt.* L. I. C. IV. Σῶμα φορέσας ἐκ τῆς Θεοτόκου Μαρίας.

Decreta & Canones.

7. *Decreta* alia & *Acta* Concilii Epheſini quod attinet, leguntur in Codice Eccleſiæ Univerſæ, & apud Zonaram ac Balſamonem, *Canones* VIII. apud Photium *Canones* VII. in Vaticanis Codd. & noviſſimâ Edit. Labbeanâ, *Canones* VI. Rejectis ſcil. quæ de Expoſitione Fidei à Chariſio Presbytero & Oeconomo Philadelphenſi oblatâ, ex *Actione* V. Conc. *col.* 674. &c. & inſertâ *Canone* VII. deque Epiſcopo Cypri, ex Actione VII. in *Canone* VIII. continentur. In Codice autem Latino Romanæ Eccleſiæ, interprete Dionyſio Exiguo, omnes hi Canones deſiderantur. Quo fit, ut ex *Actis* ipſis decerptos conſtet, & in Canonum poſteà formam à Græcis digeſtos.

Plerique Canones reſpiciunt *Neſtorium*, ejuſque in Orthodoxos Sacerdotes auſa; in Synodum Epheſinam contumaciam; conſpirationem cum *Celeſtio* Pelagiano, cujus hæreſis damnatur; tum Schiſma poſt condemnationem Neſtorii, de quo ſuprà, in Conciliabulo Epheſino obortum.

Canon VIII. memorabilis.

Memorabilis eſt *Canon* VIII. cùm *in Hypotheſi* de Præſulibus *Cypri*, ut jure αὐτοκεφαλίας fruerentur, ac per ſe ipſos ordinationes facerent, ſervatis antiquis juribus, omni innovatione, invaſioneque jurium, *Antiocheno* interdictâ: Tùm in *theſi*, de juribus Diœceſeôn, Provinciarum, ne quis in alienam quocunque obtentu invadat, & ſpecie ἱερουργίας *potentiæ Secularis typhum* prodat, contrà Eccleſiarum *libertatem*: Quibus penè verbis paulo antè Africani A. CCCCXXIV. ad Cœleſtinum reſcripſerant, in Tranſmarinas Eccleſias ſibi jura vendicantem. Et his jugulatur Monarchia Pontificia, & cauſa Baronii.

Synodus Chalcedonenſis. Quæ illam proximè anteceſſerint?

II. Sequitur hiſtoria Synodi *Chalcedonenſis*, Oecumenicæ IV. cujus prolixiſſima extant *Acta*, in III. partes tributa, *Tomo* IV. Conciliorum. Operæ pretium verò ſummatim cognoſcere, quæ illam proximè anteceſſerint. 1. *Synodus Conſtantinopolitana* I. de quâ antè dictum in Hæreſi Eutychianâ, habita A. CCCCXLVIII. in quâ damnatus ac depoſitus Eutyches fuerat, Flaviano Urbis Epiſcopo. 2. *Synodus Conſtantinop.* II. A. CCCCXLIX. in quâ adverſarii Flaviani, & inter eos *Chryſaphius* Regii Cubiculi Præfectus, tum Dioſcorus Alexandr. datis ad Imperatorem literis, id effecerunt, ut Eutyches ab Imperatore impetraret Synodum Oecumenicam, quæ *Epheſina* II. in quâ ejus cauſa retractaretur. 3. Hæc ipſa *Synodus*, quæ *Epheſina* ληστρικὴ dicta, A. eodem CCCCXLIX. in quâ abſolutus ac reſtitutus priſtinæ dignitati Eutyches Presbyter & Archimandrita, & damnatus Flavianus, eo quod dictum fuit modo ſuprà *Cap.* VII. probante Theodoſio. Et advenerant ad hanc Synodum Legati *Leonis Archiepiſcopi Rom. Eccleſiæ*; quum Julianus Epiſcopus, Legatorum primus, poſt lectas literas Imperatoris, in Synodo dixit: *Eodem tenore, quo Metropolitani* cæteri, id eſt, Patriarchæ & Primates, *à piiſſimis & Chriſtianiſſimis Impp. Sanctiſſimus noſter Papa Romanæ Eccleſ. præpoſitus Leo vocatus eſt*; quamvis à ſuffragandi jure excluderentur. 4. Hujus autem Synodi quum infeliciſſimus fuiſſet ſucceſſus, ut antè dictum, Flavianus illicò ad aliud Concilium provocavit, tùm & Legati Leonis; ac poſteà Leo de omnibus certior factus per Hilarium Diaconum, unum ex Legatis, *ſupplicavit* per Literas Theodoſio Imperatori, & Pulcheriæ Aug. (quæ Actis Chalcedonenſ. inſertæ ſunt, *Parte* I. *col.* 43. *& ſeq.*) cum omnibus *ſuarum partium Sacerdotibus*, vel *Eccleſiis*, id eſt ad *Romanam Diœceſim* ſpectantibus, (ita quoque Richerius Gallus, in laudatâ Hiſtoriâ) idque cum *gemitibus & lachrymis*, *ut juberent generalem Synodum intrà Italiam celebrari*, *quæ omnes offenſiones aut repelleret*, *aut mitigaret*, &c. Sed non placuit Principi in *Italiâ* indici, quoniam ex majorum conſuetudine, *Canones volunt negotia ubi orta ſunt finiri*. Hinc conſilium de celebrando *Nicææ* Concilio cepit, ſed paulo poſt intervertendo fatis piiſſimo Theodoſio, deceſſuro ſine Hæredibus, IV. *Kal. Aug.* CCCCL. & habituro ſucceſſorem Marcianum, VIII. *Kal. Sept.* cui Pulcheria Auguſta Imperium & ſeipſam in matrimonium dedit. Marcianus autem qualis fuerit, vide Euagrium *Hiſt.* L. II. C. I. 5. Tandem indicta à Marciano & Pulcheriâ Augg. Synodus *Chalcedone*, Bithyniæ habita, quæ Pſeudo-Epheſinæ labem abſtergeret, ipſo Leone Rom. *ex præſcripto Chriſtianorum Principum congregatum* aſſerente *Epiſt.* LXI. Leonis Ed. Binii; quamvis addat, & *ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis*.

Baronius notatus.

Sed hìc inſignem Baronii fraudem, non ſine falſi crimine, annotant ipſi Galli Monarchiæ Pontif. impugnatores, quam admiſit ad A. CCCCL. *Num.* XXIII. hinc Binius *Not.* ad Conc. Chalced. T. IV. *col.* 980. Nam ubi Marcianus ſcripſerat ad Leonem, etiam ex *Edit. Rom.* & noviſſimâ Labbeanâ, *Tomo* IV. *col.* 63. Conciliorum; *Si placuerit Tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur. . . . Si verò hoc oneroſum, ut ad has partes advenias, hoc ipſum Nobis propriis literis tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam & Illyricum*, (quæ tum ſuberant Patriarchatui Romano, ſed Conſtantinopolitano adſcribendæ cum *Thracicâ Diœceſi*, Can. XXVIII. Chalced.) *Sacræ noſtræ dirigantur Literæ, ut ad quendam deſtinatum locum ubi* NOBIS *placuerit* (ἔνθα ἂν ἡμῖν δόξῃ) *omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire.* Pro quo Baronius, & quotquot Romæ placent, legunt, *ad quendam deſtinatum locum ubi* VOBIS *placuerit*; &c.

Locus Concil.

Hujus autem Concilii Chalcedonenſis, 1. *Locus* fuit *Chalcedon* Bithyniæ Civitas, è regione Byzantii; olim Propontidis urbs ampliſſima, colonia *Chalcidis* urbis Eubœæ Inſulæ, ſed quam Valens Imperator vaſtavit. Licèt *Romæ* indictum voluiſſet Concilium Leo Epiſcopus, ſuis ad Theodoſium, Marcianum, Pulcheriam literis, inter Epiſtolas Leonis *Epiſt.* XXV. XXVI. XLIX. L. LI. Ac primò indictum fuerat *Nicææ* Bithyniæ, mox Chalcedonem transferendum, Urbem VII. tantùm ſtadiis à Regiâ diſſitam; mortuo intereà Theodoſio, in cujus locum Marcianus ſucceſſit: Et quidem Concilii indictionem ab Imperatoribus ſuppliciter flagitante Leone, nomine *Eccleſiarum omnium* ſuæ Diœceſ. *Epiſt.* XXIV. hinc & miſſuro Nicæam primò, dein Chalcedonem, Legatos ſuos. Idcircò autem hæc Urbs Imperatori placuit; quod rerum neceſſitas abeſſe ab Urbe Regiâ non pateretur, & ut non ægrè præſentiam ipſe ſuam Synodo commodaret, quod & flagitabant Legati Leonis, facili *excurſione* Byzantio Chalcedonem, ut eſt in Sacrâ Impp. T. IV. *Conc. col.* 74.

In convocando Concilio nullæ partes Rom. Epiſc.

2. *Convocati* igitur Concilii auctor, uti Moderator ſummus, fuit Marcianus Imperator, teſtibus literis Imperatoriis ad Leonem Rom. *ſi placeret illi in eas partes advenire*, & ad Anatolium Conſtantinopolit. ad omnes Epiſcopos, inſertis *Parte* I. Actorum Chalced. Et tantum abeſt, ut Leonis conſenſus neceſſariò præceſſerit, ut contrà & tempus Concilii & locus illi diſplicerent; qui petiiſſet ſupplex indici *intrà Italiam* Synodum, deinceps etiam *ali-*

quantiſper differri ad tempus opportunius, *Epiſt.* XLIII. ad Marcianum Aug. Quemadmodùm Leone inconſcio *Nicæâ* Synodus tranſlata eſt *Chalcedonem*; nam in Orientem jam devenerant miſſi Leonis, inſtructi literis ad Synodum *Nicææ* celebrandam, ex *Actis* Conc. Chalced. *col.* 74. 75. & ex Euagr. *Lib.* II. C. II.

Membra, & Præſides Concilii. 3. Qui convenêre *Epiſcopi* fuêre, juxtà Liberati Breviarium *Cap.* XIII. DCXXX. ex univerſo Romano Imperio, ſecundùm alios pauciores, ſecundum Nicephorum DCXXXVI. Quanquàm in Actis hodiernis vix mediæ partis ſubſcriptiones habeantur; uti à Rom. Imperio jam *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Britanniæ*, detractæ fuerant. Tres autem ſubmiſſi à Leone Legati, ut Archiepiſcopo *Veteris Romæ*, Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, ac Bonifacius Presbyter, qui inter Eccleſiaſticos, cum Anatolio Conſtantinop. ut Archiepiſcopo *Novæ Romæ*, primum locum habuêre. Moderantibus tamen Conſeſſum, nomine Principis, medio ac ſupremo loco, Senatoribus & Comitibus à Marciano delegatis, ex *Liberato*, *Euagrio*, & *Actis* Chalcedonenſ. Hinc in Epiſtolâ Synodicâ ad *Leonem* datâ, quæ habetur *Parte* III. Actor. Chalcedon. *col.* 853. Ed. Labbeanæ: *Si enim ubi duo ſunt aut tres congregati in nomine Chriſti, ibi ſe fore in medio eorum perhibuit; quantam circa* DXX. (πενταкοσίους εἴκοσιν) *Sacerdotes*, τὴν οἰκείωσιν *familiaritatem potuit demonſtrare*, &c. *Quibus tu quidem, ſicut membris caput*, ἡγεμονεύες *ducatum præbebas* (præeras) *in his qui tuas vices gerebant*; *Imperatores verò fideles ad ordinandum* (πρὸς εὐκοσμίαν) ἐξῆρχον *præſidebant*, *cum imperio & auctoritate*, quibus ſolis dominium & coercendi poteſtas eſt conceſſa. Undè hi omnia ritè & ſecundùm Eccleſiaſt. Canones fieri procurarunt, omnemque altercandi, aut tempus inutiliter terendi, occaſionem præripuerunt Patribus Synodi. Hinc & Legati Archiepiſc. Leonis, & Epiſcopi reliqui, ſæpè ſupplices facti his Judicibus ac Præſidibus, cum honoris præfatione, *Glorioſiſſimi Judices, atque ampliſſimus ſenatus dixerunt*; *Precamur clementiam veſtram, ut præcipiatis Dioſcorum reſpondere*; *Magnificentia veſtra*, *Poteſtas veſtra*, *jubeat*, &c. Sed & potiores *Anatolii* Conſtantinopolitani, in toto Conſeſſu, fuiſſe partes, Acta ipſa docent, in ordine *ſedendi*, *loquendi*, & *ſubſcribendi*. Princeps autem ſeu Præſidis locus ipſi datus non eſt, ſed Legatis Rom. Epiſcopi, contrà quàm in primâ & ſecundâ Epheſinâ Synodo; quod ageretur de *Conſtantinopolitanâ* Synodo, an jure adverſus Eutychem decreviſſet, Anatolio obtinente locum Flaviani jam mortui; hinc ultrò cedente Romano Epiſcopo ejuſque Legatis jus præſidendi, non invito *Maximo* Antiocheno.

Actiones Concilii. 4. *Actiones* Concilii numero XVI. fuêre, totidem dierum decurſu peractæ (quemadmodùm factum in VIII. primis Conciliis General.) ſcil. à menſe *Octobri* Anni CCCCLI. Marciani Imperat. II. Valentiniani XXVII. Marciano & Adelphio Coſſ. *Actione* I. Dioſcorus Alexandr. petentibus Legatis Romanis, prohibitus eſt ſedere ut *Judex*, ſed in medio ut *reus*, actionem inſtituente Euſebio Dorylæi, cujus perlectæ ad Imperatorem *preces*. Tum *Acta* Synodi utriuſque, Conſtantinopolitanæ I. ſub Flaviano (in quâ Eutyches omnium primò damnatus, antequam *Leoni* Rom. quicquam de re conſtaret, ut ipſe Leo *Epiſt.* VII. ad Theodoſ.) dein *Acta* Epheſinæ λῃστρικῆς ſub Dioſcoro habitæ, fuere lecta & recognita. *Actione* II. de Fide actum fuit, & confirmata Fides *Nicæna* CCCXVIII. Patrum, & illa *Conſtantinopolitana* Synodi in Macedonium, CL. Patrum; quibus *Flaviani* fides, judice Leone in Epiſt. ad Flavianum ſcriptâ, conformis habita fuit. *Actione* III. examinatis quæ ad *Dioſcori* Patriarchæ Alex. accuſationem facerent, & lectis libellis Euſebii, Iſchyrionis & Theodoti Diaconorum, tum Athanaſii Presbyteri Alexandr. & *ter* ad Synodum Canonicè vocato Dioſcoro, ſententia depoſitionis & exauctorationis in Dioſcorum lata; non tantùm ex mente Legatorum Leonis, ut Baronius cum ſuis, ſed *conſentientibus* omnibus *religioſiſſimis* Epiſcopis, *juxtà Regulas Eccleſiaſt.* Et horum ſuffragium ipſe Paſchaſinus Legatus Romanus ita petit; *Jubet Religioſitas veſtra, ut ultione Eccleſiaſticâ contrà eum utamur*; *Jubet Religioſitas veſtra, ut Eccleſiaſticâ ſententiâ adversùs eum utamur*; ſingulis Epiſcopis ſententiam ferentibus, undè in fine Action. III. dicitur Dioſcorus à *S. & Univerſali Concilio eſſe ab Epiſcopatu depoſitus*, &c. Et ipſe Leo *Epiſt.* LXIII. ad Theodoretum, quæ ipſe ſuo miniſterio definierat, in Synodo Romanâ, ait *univerſæ fraternitatis irrefragabili firmata aſſenſu* eſſe. Licet paſſim in ore Paſchaſini & miſſorum à Leone Romano, audiat Romana Eccleſia *Caput omnium Eccleſiarum*, quæ *ſemper habuit primatum*, & Romanus Epiſcopus, *Epiſcopus univerſæ Eccleſiæ*, *Patriarcha Oecumenicus*, &c. non certè in ore Synodi ipſius, aut Patriarcharum Orientis, qui hinc eundem Titulum affectarunt. *Actione* IV. rogata ſententia Patrum de *Epiſtolâ* Leonis, quæ expenſa ad normam Symboli Nicæni & Conſtantinopol. & ad definitionem Synodi Epheſinæ I. ab iiſdem approbata fuit. Tum reſtituti Juvenalis Hieroſolymit. Epiſcopus, & alii, qui coacti ſubſcripſerant damnationi Flaviani. Dein auditi *decem* Epiſcopi Ægypti, qui Dioſcoro Alexandr. adhæſerant. Poſteà *Archimandritæ* & *Monachi* quidam itidem Ægyptii, conqueſti apud Marcianum Imperator. ſe à Clericis oppreſſos; nempè parere Epiſcopis detrectantes, & ſubſcribere damnationi Eutychis. Eadem *Actione* dirempta controverſia inter Photium Tyri antiquæ Metrop. Epiſc. & Euſtathium Beryti, hodie Baruti, de jure Metropolitico in *Phœniciam* I. ſive *Maritimam*, quod contendebat Euſtathius, ex decreto Theodoſii Jun. adeoque in Byblum, Botryn, Tripolim, &c. Sed reſtitutum eſt Photio, & reſtituti Epiſcopi quos ipſe jure Metropolitico ordinaverat. *Actione* V. Quum Judices ea quæ de *Fide* decreta eſſent, relegi juſſiſſent, & Orientales plerique *placere* dixiſſent, Romani Legati exceperunt; ſi non per omnia *conſentirent Epiſtolæ Apoſtolicæ*, id eſt Leonis, ſe reverſuros & expectaturos aliam in Occidente Synodum. Tandem omnes conſenſerunt in hanc Formulam, à delegatis conceptam, ac definitum fuit; Chriſtum *antè Secula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem*; *in noviſſimis autem diebus Eundem*, *propter ſalutem noſtram*, *ex Mariâ Virgine* Θεοτόκῳ *ſecundum Humanitatem*, *Unum eundemque Chriſtum*, *Filium*, *Dominum*, *Unigenitum*, ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, γνωριζόμενον, *ex duabus Naturis* (vel *in duabus*) *inconfusè*, *immutabiliter*, *indiviſè*, *inſeparabiliter*, *agnoſcendum eſſe*, &c. ut eſt in fine *Act.* V. Actorum Chalc. *col.* 567. Quæ conformia quidem Symbolo quod poſteà dictum eſt *Athanaſianum*, at illo tempore ignoto, nec uſpiam memorato Patribus qui *tertio*, *quarto*, *quinto*, *ſexto*, ac *ſeptimo* Generalibus Conciliis, interfuerunt, non iſtud omiſſuri contra Hæreſes *Neſtorii*, *Eutychis*. Decretum de Fide. *Act.* VI. Marcianus Imper. unà cum Pulcheriâ Aug. ſiſtit ſe in Concilio, & habitâ oratione ad Patres, definitionem Fidei, jam *in Synodo* factam, *in perpetuum ſervari* jubet: Ad quam Patres pro Orientalium more exclamant, *Multi anni Imperatori*, *Multi anni Auguſtæ Orthodoxæ*, *Marcianus novus Conſtantinus*, *Pulcheria nova Helena*, &c. Addentes de Marciano quæ Romæ & Baronio inviſa, *Eccleſias tu correxiſti*, *Orthodoxam fidem tu confirmaſti*: Tria porrò à Marciano Aug. addita Capitula, quæ extant Actor. Chalced. *col.* 609. & *ſeq.* quæ ſcil. ad Monachos, & ad Clericorum diſciplinam attinent; ac tandem *Chalcedonem*, (in

Digitized by Google

(in honorem cùm *Euphemiæ* Martyris, in cujus Baſilicà celebratum erat Concilium, quam deſcribit Euagrius, *Hiſt.* L. II. C. III. tùm Patrum qui Concilio interfuerant) in *Metropolim honorariam* evexit, ut antè *Nicæa* lege Valentiniani & Valentis, ſalvis privilegiis Nicomediæ Metropoleôs, quæ *Mater Urbium Bithyniæ* Ammiano, τῇ Νικομηδέων μητροπόλει σωζομένης τῆς ἰδίας vel οἰκείας ἀξιώματος. Quod & declaratum *Actione* XIII. Dein *Act.* VII. compoſita lis inter Juvenalem *Hieroſolym.* Epiſc. & Maximum *Antiochenum*, qui ad Synodum retulerunt, ſic inter ipſos amicè conveniſſe, ut ad Diœceſim Antiochenam *duæ Phœniciæ* cum *Arabiâ*, ad Hieroſolymit. *tres Palæſtinæ* pertinerent. A quo tempore Hieroſolymitana Sedes *Patriarchalis* facta. *Actione* VIII. cauſa *Theodoreti* acta fuit, qui in I. Synodo Epheſinâ cum Joh. Antiocheno in Cyrillum ſubſcripſerat, hinc abdicatus; tandem à Theodoſio reſtitutus ſuæ Sedi, à Dioſcoro autem in Pſeudo-Epheſinâ excommunicatus, perfugium habuit ad Leonem Rom. jam autem in Synodo Chalcedonenſi apparuit. Cujus causâ à Patribus plenè cognitâ, (licet à Leone Romano jam antè ad communionem admiſſus fuiſſet) & *anathemate* dicto *Neſtorio* cui faviſſe videbatur, Orthodoxus declaratus eſt, ac in ſuâ Sede Synodali decreto confirmatus. Quod verò à Syn. Ληστρικῇ ſeu *Latrocinio Epheſino*, Theodoretus Leonis Ep. Romani ψῆφον *calculum*, ſeu opem & conſilium, imploraſſet, ad eum confugiens ut primæ Sedis Epiſcopum; & quod Leo ob factum Latrocinii non abrupiſſet cum Theodoreto communionem, uti nec cum Flaviano & aliis, *Literis communicatoriis* ad eos miſſis; hinc abſurdè inferre Baronium, Bellarminum, & ſequaces, jus *appellationum* ad ſummum Pontif. & reſtitutionem Theodoreti *judiciali decreto* Leonis, evincunt luce meridianâ clariùs Pontificii Scriptores, Launoius *Epiſt.* P. II. ad Boëtium de S. Victore, tum Richerius, aut Du-Pinus locis antè allegatis.

Cauſa Theodoreti.

Ibæ Edeſſeni.

Actione IX. & X. cauſa *Ibæ* Edeſſenorum Epiſcopi damnati (licet abſentis) à Latrocinio Epheſino, retractata eſt, & Ibâs, etiam ſententiâ Legatorum Leonis, abſolutus: Cujus *Epiſtola* ad Marim Perſam contrà Anathematiſmos Cyrilli, & in quâ laudabat *Theodorum* Mopſveſtæ Epiſc. in Synodo lecta eſt, cum Epiſtolâ Cleri Edeſſeni; Ibas autem Orthodoxus declaratus, & ejus rei narratio ſcripta ad Marim, poſt factam conciliationem inter Cyrillum & Joh. Antiochenum, ut ſuprà, quo intelligeret Maris, *contentionem jam quieviſſe*, καὶ τὸ μεσότοιχον τῆς ἔχθρας ἀρθῆναι, &c. Actione eâdem Paſchaſinus & Legati Leonis rogant Imperatorem & *deprecantur*, *ut piâ lege ſanciat*, *neque* II. *Epheſinam* Synodum *nominari*, *neque quicquam quod in eâ factum eſſet teneri.* *Actione* XI. XII. *Stephanus* & *Baſſianus* Epiſcopi, qui uterque Sedem Epheſinam per vim & factionem invaſerant, Baſſianus primò, Stephanus quadriennio poſt, intruſus in locum Baſſiani, à Synodo Chalced. ambo *depoſiti*; vi *Canonis Antiocheni* XVI. & XVII. qui in *Codicem Canonum* jam tum relati fuerunt, & ex eodem *Codice* à Leontio in Synodo lecti, jubentibus Glorioſiſſimis Judicibus: Utque *Epheſini* ordinatio fieret per *Conſtantinopolit.* Epiſcopum, juxtà decreta Synodi Conſtantinopolitanæ Oecumenicæ, Anatolius obtinuit. Euagrius *Lib.* II. C. ult. fallit, dum *Stephanum* ait *in altero conventu ſuffectum in locum Baſſiani*; & rectè locum emendat Henr. Valeſius, *ſtatutum ut tam ille* (Baſſianus) *quam Stephanus deponerentur.* Actione XIII. Statutum, occaſione litis ſubortæ inter Eunomium *Nicomedienſ.* & Anaſtaſium *Nicænum*, ut quamvis *Nicæa* accepiſſet nomen & honorem Metropoleos, jus tamen maneret penes *Nicomediæ* Epiſcopum; nec eſſent duæ in unâ Provinciâ Metropoles, ſaltem non in Eccleſiaſticis, quicquid de Civilibus eſſet. Lex utraque Valentiniani Senioris, in favorem Nicæni, & Nicomedienſis, in Synodo lecta, *colum.* 714. 715. Utraque tamen Sedes ſubjecta Sedi Conſtantinop. fuit, juxta Canon. III. Concilii Conſtantinopol. *Actione* XIV. cognita fuit cauſa *Sabiniani* Epiſcopi Perrenorum, in *Latrocinio* Epheſino depoſiti; qui antè ordinatus fuerat a Maximo Antiocheno in locum *Athanaſii*, depoſiti ab eodem Maximo, à Dioſcoro autem Alex. reſtituti.

Canones Conc. Chalced.

5. *Actione* tandem XV. definiti Canones XXX. quorum notabilis eſt *viceſimus octavus*: Quanquàm apud Dionyſium Exiguum, Joh. Antiochenum, Joſephum Ægyptium, non niſi XXVII. memorentur, apud Balſamonem autem, Zonaram, & Ariſtenum omninò XXX. Plerique de rebus ad Clericalem diſciplinam ſpectantibus, puta contrà *Simoniam*, tractationes negotiorum *ſecularium*, *migrationes* de unà Civitate in aliam, ordinationes *ſine Titulo*, vel certo loco aut Eccleſiâ in quâ munia obeant, &c. Aut ſpectantes ad formam Eccleſ. Regiminis, ex. gr. In cauſis adverſus *Conclericos*, *Epiſcopos*, *Metropolitanos*, ſuprà quos eſſent *Exarchi* vel *Primates* Diœceſ. etiam Sedes *Conſtantinopolitana*, ad quam cauſæ referri poſſent; ſic ut *res Eccleſiaſticæ*, v. gr. ordo Parœciarum, Metropoleôn, Diœceſeôn, conformarentur ad τοὺς πολιτικοὺς τύπους. Ità ne Clericis in *alienâ civitate* miniſtrare liceret, abſque συστατικαῖς ſui Epiſcopi: Sic ut *Provinciales* Synodi bis in anno haberentur, & convenire deberent Epiſcopi, ſine gravi causâ: Ità Canones de *Monachis*, arctatis intrà ſua Monaſteria; qui etiam Epiſcopo ſubjecti eſſent, prohibiti quoque nuptias inire. Adde Canones de Diaconiſſis, Virginibus, Raptoribus, &c. Quos require è Codice Eccleſiæ Univerſæ, illuſtrantibus nuper Juſtello, & Beveregio, ac nobis ſuprà ubi de *Eccleſiæ Diſciplinâ*.

Ac *primo* ſtatim *Canone* confirmatæ priorum Synodorum regulæ, οἱ καθ᾽ ἑκάστην Σύνοδον κανόνες, non modò *trium* Oecumenicarum, ſed & Synodi Ancyranæ, Neo-Cæſarienſis, Gangrenſis, Antiochenæ, Laodicenæ. Qui omnes Canones cum Chalcedonenſibus in unum Codicem collecti, qui dictus βίβλος κανόνων τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας. Juſtinianus autem *Nov.* CXXXI. omnes vim *legum* obtinere decrevit; *quatuor* autem Conciliorum Univerſalium dogmata, ut *Scripturas Sacras* recipi, deinceps Gregorius Rom. recipienda ut *quatuor Euangelia*.

Canon XXVIII.

Cumprimis verò illuſtris Canon XXVIII. qui & extat Actione Synodi XVI. licet à Romanis Collectoribus plerumque omiſſus, ut qui inviſus Romanæ Sedi. Canon ità habet: *Sanctorum Patrum decreta utique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes; eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus, de Privilegiis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuère: Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuère; rectè judicantes, Urbem quæ & imperio & ſenatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli ac magnificri, ſecundam poſt illam exiſtentem: Ut & Ponticæ & Aſianæ, & Thraciæ diœceſis Metropolitani ſoli, præterea Epiſcopi prædictarum Diœceſium quæ ſunt inter barbaros, à prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: Unoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſium Metropolitano cum provinciæ Epiſcopis, provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum divinis Canonibus eſt traditum. Ordinari autem ſicut dictum eſt prædictarum diœceſium Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, convenien-*

nientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis. Adſcripta nempè eo Canone τὰ ἴσα πρεσβεῖα *æqualia privilegia*, honoris & dignitatis, Archiepiſcopo *novæ Romæ*; ut quæ *Imperio & ſenatu honorata* eſſet; quæ *æqualibus* cum vetere βασιλίδι *Româ privilegiis frueretur, etiam in Eccleſiaſticis*; quæ δευτέρα ὑπάρχουσα, ſcil. ordine *temporis* poſt Romam Veterem honorata; & quoniam utraque eſſet ἡ πόλις βασιλεύουσα. Hinc & *Exarchi* vel *Metropolitani trium* Diœceſeôn, eodem Canone, *Conſtantinopolitano* Epiſcopo (verè deinceps futuro Patriarchæ) fuêre ſubjecti, ab eo ſcilicet omnes, *factis de more electionibus, ordinandi.*

Baronius prolixè notatus.

Et hìc fruſtrà Baronius, ad Annum CCCCLI. *Num.* CXXXIV. *& ſequent.* dein Perronius, Allatius, Vallius, reliqui, in *Canonem* ejuſque auctoritatem inſurgunt, ut quoque fecêre Legati Leonis *Act.* XVI. in Actis Chalced. Nempè ut abſentibus Legatis Romanis, & poſt eorum ex Synodo diſceſſum, fabricatum; ut ab Anatolio Conſtantinopolitano clandeſtinè extortum, depoſito jam Dioſcoro Alexandrino; ut à paucis Provinciis ſubſcriptione firmatum; ut denique cui Legati Leonis primùm, dein ipſe Leo Rom. Epiſtolis ad Marcianum & Pulcheriam, reclamaverint; undè ſit *Canon* ipſo jure nullus, ut quem Romanus Pontifex non roboraverit. Summa reſponſionum eſt, ex ipſis Actis Chalcedonenſibus *Actione* XVI. 1. Irreptitium eſſe non poſſe Canonem, quem firmavit *Synodus*, & omnes Epiſcopi nemine excepto, profeſſi ſe ità *definiviſſe*, hæc *omnes dicere*, *omnibus placere*, nemine quicquam ambiente, prenſante, cogente, &c. Et quidem poſt interpoſitam à Legatis Romanis exceptionem, quâ nihil obſtante firmarunt ipſi *Judices*; Conſtantinopolitanum Epiſc. τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν, καὶ ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν τοὺς Μητροπολίτας ἐν τῇ Ἀσιανῇ, Ποντικῇ, Θρακικῇ ταῖς διοικήσεσι, &c. Hinc exhibent Codices omnes Græci impreſſi, & MSS. Nomocanones, Epitomatores & Collectores Canonum, niſi qui Latinis obnoxii, & ipſe Gratianus *Diſt.* XXII. ſed non ſine additamentis, quibus Canon ipſe deſtruitur. 2. Sanè abfuiſſe Legatos Leonis, ſed ſtudio, ſed rogatos à Patribus ut gerendis intereſſent; recuſantes verò, παραιτήσαντας, ex verbis Aëtii Archidiaconi. 3. Nihil in ſumma rei eo Canone definitum, quod non annis antè LXX. in Synodo Conſtantinop. ad quam provocant Patres: Ut quæ Synodus *Novæ Romæ* æqua privilegia poteſtatis adſcripſiſſet cum *Veteri*, huic ſoli *primatum* ordinis & ſeſſionis; nihil reclamante tùm Timotheo Alexandrino, nec deinceps Theophilo, Cyrillo, Timothei ſucceſſoribus. 4. Hinc & confirmatum fuiſſe, repetitâ prælectione, eum Canonem, novâ ſubſcriptione Patrum, ut ex *Actis* liquet; proteſtantium nullâ vi, nullo metu extortum, nec profectò clanculùm, totamque hanc πρᾶξιν fuiſſe ἀκόλουθον καὶ κανονικήν, *conſequenter & canonicè factam.* 5. Subſcripſiſſe Canoni omnes quotquot adfuerunt Ponti, Aſiæ, Thraciæ, Africæ, Orientis, Epiſcopos, ipſos *trium Diœceſeôn* Exarchos, quibus hic Canon derogabat plurimùm; multis acclamationibus Epiſcoporum, *Nemo coactus eſt.* 6. Solos ferè deſiderari, in ſubſcriptione, Legatos Leonis, hinc Epiſcopos Macedoniæ Romano obnoxios, tùm Dioſcorum Alexandr. cum ſuis ejectum. 7. A Leone ſanè conſenſum, & fraternum illum, petiiſſe Patres, ut Archiepiſcopo primæ Sedis, qui per Legatos præſederat; minimè poſtulaſſe auctoritatem addi iis Canonibus, quos clamant Patres ſe κυρῶσαι, βεβαιῶσαι, ὁρίσαι, etiam ſine Pontifice. 8. Longè abfuiſſe Chalcedonenſes, eâ Canonis ſanctione, κυρώσει, ut crederent Romanum Epiſcopum ſummum eſſe Chriſti *Vicarium*, ſummum in Eccleſiâ *Monarcham*, Pontificem, ex inſtitutione Servatoris: Ipſo Leone ad *Nicænos* modò Canones, quanquàm fide non bonâ, provocante; Patribus verò ſolam *Urbium civilem* dignitatem reſpicientibus, *Novâ* ſcilicet Româ in omnibus, honore, privilegiis, ſenatu, imperio, *Veteri* æquatâ. 9. Paſchaſinum quidem ex chartulâ recitaſſe, *Actione* XVI. *col.* 812. CCCXVIII. Patrum (Nicænorum) conſtitutionem ſic habere *Canone* VI. *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, teneat & Ægyptus*, &c. Sed ex dato Codice ab Aëtio Archidiacono Conſtantinop. Regulam Nicænorum Patrum ſic habuiſſe: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, in ſuâ Diœceſi, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo*, ſeu eandem poteſtatem in ſuâ Diœceſi exercet. Quâ de re diximus *Diſſert.* de Canone Nicæno VI. Et hinc patet, ipſum Leonem agnoviſſe, *Eccleſiam* etiam *Romanam* regi *Canone*, non abſolutâ aut Monarchicâ Romani Epiſcopi poteſtate. 10. Conſtanter habuiſſe vim omnem ſuam hunc Canonem XXVIII. in Græcâ & Orientali Eccleſiâ, confirmandum paulo poſt ab Imperatoribus, ut à Leone, *leg.* XVI. Cod. *de Sacro-Sanctis Eccleſ.* Dein & à Succeſſoribus, plura etiam attributuris Sedi Conſtantinopolitanæ; uti confirmarunt Trullani Patres *Canone* XXXVI. 11. Parum movere quid Leo, quid Gelaſius, quid Gregorius I. quid Succeſſores hoc de Canone ſenſerint, aut de poteſtate Conſtantinopolitani; in cauſâ propriâ Judices, certè pars litigans, ac *Seculi typhum* in Eccleſiam inferentes.

Confirm. Synodi facta à Marciano.

Nec omittendum eſt *Edictum* Marciani Imperat. pro *confirmatione* Synodi Chalced. *Parte* III. Actor. Chalcedon. *col.* 841. poſtquàm *Actione* VI. jam confirmaſſet ea quæ de fide à Synodo definita erant; *quæ per hanc Sanctam Synodum, remotis caliginibus, ſtatuta fuerint, perpetuo conſerventur.* Quo Edicto, poſtquam teſtatus eſt Imperator, Chalcedonenſes Patres in omnibus *ſecutos ſtatuta venerabilium Patrum Nicænorum, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum*, &c. addit, *Sacro noſtræ Serenitatis Edicto Venerandam Synodum confirmantes, admonemus univerſos ut de religione diſputare deſinant; Oportet enim Chalcedonenſem ſequi, in quâ omnibus diligenter exquiſitis, ea definita ſunt, quæ pridem tres prædicti Cœtus*, (tria Concilia priora Oecumenica) *Apoſtolicam fidem ſecuti, omnibus obſervanda tradiderunt.* Cæterùm Exceptiones alias Cardin. *Baronii* adverſus auctoritatem Canonis Chalced. XXVIII. ut & Conſtantinopolitanum Canonem III. ex Epiſtolis Gelaſii, Gregorii, ex factis quibuſdam aliis, ut Theophili Alexandrini, Cyzicenorum, &c. vide ſolidiſſimè diſcuſſas & confutatas, apud Edm. Richierum, Doctorem Sorbonicum, Hiſtoriâ Concilior. General. P. I. p. m. 455. & *ſequent.*

Succeſſus Concilii.

Succeſſus verò hujus Concilii, abſoluti intrà XX. dies ad ſummum, menſe *Octobri*, fuit partim *ſalutaris*, ob aſſertam fidem Catholicam, hæreſim repreſſam; partim *luctuoſus*, ob furores Eutychianorum, & turbas excitatas. Undè mox Alexandrini motus, poſt relegatum *Dioſcorum* in Gangrem Paphlagoniæ, & ſuffectum à Chalcedonenſibus *Proterium* in Sede Alexandrinâ; exindè ituris in partes Eutychianis, quâ de re infrà. Indè & nata Schiſmata, ac variæ in Eutychianis *ſectæ*, de quibus locis ſuis: A *Melchitis* omnes diſtinguendæ, quales per contumeliam à Syris dicti, quotquot in Oriente Chalcedonenſem Synodum recepêre, juxtà decreta Imperatorum, & ut Schiſmatici vellent, in gratiam τῶν βασιλέων, quos מלכא, מלכיא, *Malcha, Malchaia* Syri vocant.

Magna & contentio exoritura fuit de ſenſu Chalcedonenſium circà *tria Capitula*, ſcilicet probata-ne iis eſſent; an potiùs reprobata Scripta *Theodori Mopſve-*

veſteni, *Theodoreti*, & *Ibæ*, tanquàm faventia Neſtorianis; ut ad ſequens Seculum pluribus.

Concilia hujus Sec. alia. III. Præter hæc Concilia, οἰκεμενικὰ, fuêre τοπικὰ ſeu particularia multa, *Nationalia* & *Provincialia*, imprimis Africana, Alexandrina, Italica, Gallica, Hiſpanica, Britannica, Orientalia, de quibus in Tomis Conciliorum, *Tomo* II. III. IV. Celeberrima ſunt aliquot *Africana*, habita in diverſis cauſis, imprimis *Pelagianâ* & *Donatiſticâ*, Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, & Auguſtino Hipponenſi; quorum primus è vivis exceſſit paucis antè Auguſtinum annis, poſtremus A. CCCCXXX. paulo antequàm literis Theodoſii ad Concilium Epheſinum evocaretur.

Africana. Numerantur Concilia *Africana* XVIII. quorum V. habita ſub finem ſuperioris Seculi, reliqua hoc Seculo ad A. Ch. CCCCXIX. incluſivè; quanquàm nuper prodiit, ex ſchedis Holſtenii, fragmentum Synodi *Carthaginenſis* XIX. intrà annum 423. & 424. Pleraque etiam *Carthaginenſia*, ſub Aurelio Epiſcopo, excepto uno *Hipponenſi*, A. C. 393. & *Milevitanis* duobus, quorum primum adverſus Donatiſtas habitum, Arcadio & Honorio V. Coſſ. A. 402. alterum in Pelagianos Anno 416. Ex his conflatum eſt Breviarium Ferrandi Diaconi, & *Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ*, celeberrimus ille; quem illuſtrarunt, poſt Veteres, & poſt corruptelas Baronii, Binii, ſic Notas quaſdam Albaſpinæi, ex noſtris Chriſtoph. Juſtellus, & Beveregius Anglus.

Canones & Literæ memorabiles Afrorum. In his Canonibus varii notatu digniſſimi, tàm circà *ritus*, quàm circà *diſciplinam*:

Exempli cauſâ, *Canones* XXVIII. CXXV. contrà Tranſmarinas *appellationes*; *Canon* XXXIX. ut nullus Epiſcopus ſe dicat *principem Sacerdotum*, aut *ſummum Sacerdotem*, *Epiſcopum Epiſcoporum* dixerat Cyprianus; *Canones* de continentiâ *ab uxoribus*, III. IV. XXV. LXX. &c. nempe tempore vicis ſuæ vel ſacri Miniſterii, ut ſuperiùs obſervatum. Sic *Canones* de Eccleſiæ *Diſciplinâ*; ſubordinatione Presbyterorum, Epiſcoporum, Primatum, *in unaquaque Provinciâ*; *Ordinationibus* per impoſitionem manuum, nullâ adhuc unctione, vel traditione Inſtrumentorum, &c. Vide jàm ſuprà de Conciliis Africanis, *col.* 912. 913.

Cumprimis verò digniſſimæ omni memoriâ Literæ Concilii Carthaginenſis ad Bonifacium, & ad Cœleſtinum Papas, in cauſâ *appellationum*; perſtringente Synodo in poſtremis *fumoſum Seculi typhum*, & fraudem in Nicænis Canonibus ſupponendis coarguente. De quo anteà dictum.

Baronius notatus. Hic verò vertit ſe Baronius in omnem partem, ad A. CCCCXIX. N. LXV. & *ſeq.* 1. Ut evincat, non tam altercatum inter Zoſimum & Africanos de *appellandi jure*, quàm de *appellationis proſequendæ modo*, miſſis ſcil. Legatis à Latere in Africam, qui res ipſi judicarent; quod refugiebant modò Africani, nullatenùs verò jus appellandi Pontificem. 2. Ut Canonem *Sardicenſem* de appellationibus probet reverà fuiſſe Nicænorum Patrum, nec ullam à Romanis fraudem admiſſam, dùm pro Nicæno Canone produxerunt. 3. Ut neſcio quas fingat cauſas hujus indignationis Afrorum, & conjiciat in nequitiam Donatiſtarum; inferatque ex Auguſtini quâdam *Epiſt.* ad Cœleſtinum, nempè CCLXI. (nuper CCIX.) frequentes hujuſmodi appellationes ad Apoſtolicam Sedem; qui tamen Auguſtinus Scriba ipſe fuiſſet in Synodo Milevitanâ, in quâ decretum erat, *in communionem minimè recipi appellantes*. 4. Ut ſuſtineat ex literis reſponſoriis (*ſi modò*, inquit, *extarent*) Zoſimi ſcil. Bonifacii, & Cœleſtini, ad Africanorum illas, fore rem illam omnem perſpicuam, ſcil. pro jure Rom. Epiſcopi, ſi Diis placet. Et hîc videas Baronium multas paginas implentem declamando, ratiocinando, inſiſtendo paucis verbis, ex præfatâ *Epiſt.* Auguſtini ad Cœleſtinum, in cauſâ nempe *Antonii* cujuſdam Epiſcopi Fuſſalenſis, à ſe depoſiti, opem autem Romani Epiſcopi tùm Bonifacii implorantis: Quæ tamen Epiſtola, *Plantiniana* primùm Editioni inſerta, extrà numerum γνησίων eſt & ἀναμφισβητήτων, quæ habetur ex uno Codice Vaticano CC. circiter annor. omiſſa in cæteris omnibus. Nec ſi genuina eſt, quicquam probat, pro jure Rom. Epiſcopi. Siquidem nunquam Antonius ille reſtitutus fuit, ut patet ex Auguſtino, *Epiſt.* CCXXIV. aliàs CXXV. & *appellationes* aut perfugia id genus ad Romanum, Afri poſteà, Epiſt. ad Cœleſtinum, interpretantur Canonibus *Nicænis* adverſari, & ſapere *typhum* Seculi. Sed prolixè de his jam ſuprà; & de vanitate præſidii hujus, ex ſententiâ ſcil. *Auguſtini*, & ejus facto in cauſâ *Fuſſalenſis* Epiſc. prolixè Elias Du-Pinus, de *Eccl. Diſcipl.* p. 184. &c. adverſus Chriſtianum Lupum, noviſſimum hyperaſpiſtam cauſæ Pontificiæ.

Concilia alia hoc Sec. IV. Conciliis præterea multis particularibus occaſionem dederunt illæ ipſæ *Hæreſes*, de quibus antè, Pelagiana, Semi-Pelagiana, reliquæ. Sic & *cauſæ* quæ varias Eccleſias conturbarunt, qualis v. gr. illa *Hilarii* Arelatenſis, primatum Galliarum, Patrocli anteceſſoris exemplo, affectantis: Cauſa *Flaviani* Conſtantinopolit. & Theodoreti, in quos ſæviit Dioſcorus, ut pluribus ſuprà: Sic cauſæ *Acacii* Conſtantinop. *Moggi* Alexandrini, *Fullonis* Antiocheni, &c. de quibus ſtatim *Cap.* ſequenti. Vide & quæ de his diximus ſuprà, ubi de uſurpationibus & ambitione Romanorum Pontificum *Cap.* VI.

De Conc. ſub Gelaſio A. 494. Celebre etiam eſt Concilium vulgò *Romanum* I. quod ſub *Gelaſio* Papâ habitum fertur, ex LXX. Epiſcopis, A. CCCCXCIV. Aſterio & Præſidio Coſſ. in quo diſcreti ſunt Libri *authentici*, tum Sacri tum Eccleſiaſtici, ab *apocryphis*. In illis quidem apparent inter Libros Vet. Teſt. poſt *Salomonis Libros tres*, inſuper Liber *Sapientiæ* & *Eccleſiaſtici*, à Salomonicis diſtincti; tum etiam *Liber Tobiæ*, *Liber Judith*, & *Maccabæorum Liber unus*, ità enim in antiquis Codd. In Eccleſiaſticis verò ſcriptoribus, ſeu *Opuſculis SS. Patrum*, quæ prolixè recenſentur, ut probantur quidam dubiæ fidei, ſic haud obſcurè inter *ſuppoſititia* reponuntur, v. gr. *Geſta* plurima *SS. Martyr.* quæ ſecundùm antiquam conſuetudinem *non legerentur in Rom. Eccleſ.* Scripta *de Inventione Crucis Dominicæ*, *de inventione Capitis Joh. Bapt.* quæ *novellæ relationes eſſent*, &c. Tum in ſpecie accenſentur Scriptis *Apocryphis*, Pſeudo-*Actus*, Pſeudo-*Evangelia*, Pſeudo-*Revelationes* adſcriptæ Apoſtolis vel Apoſtolicis viris; *Canones Apoſtolici*, quorum tamen L. tranſtulit Dionyſ. Exiguus; *Itinerarium nomine Petri Apoſtoli*, Clementi tributum; *Epiſtola Jeſu ad Abgarum*, *Abgari ad Jeſum*; Liber *Paſtoris*; Liber de *Tranſitu Mariæ*; *Pœnitentia Origenis*, *Cypriani*; ſic quædam *Euſebii*, *Tertulliani*, *Lactantii*, &c. Quod Concilium an reverà habitum ſub Gelaſio, & eo quidem anno, (ut plerique Codd. MS. & *impreſſi*, Lupus Ferrarienſis *Epiſt.* CXXVIII. Gratianus *Diſt.* XV. C. III. Burchardus Wormatienſis, Acta Conciliorum etiam Edit. Labbeanæ, &c.) multi dubitarunt. Noti ſunt eruditis, certè Baluzio, Pearſono, P. Franciſco Chifletio, Lucæ Dachiero, aliis, *Codices* quibus præfigitur nomen *Damaſi*, toto Seculo anterioris; aliis nomen Hormiſdæ, ſequente Seculo. Hinc Decreti illius antiquitatem, tanquam Gelaſii ætate nati, exagitat Doctiſſ. Pearſonus in *Vind.* Ignatianis, P. I. C. IV. p. 45. & ſeq. occaſione *Stichometriæ* Nicephoro Patriarchæ tributæ. Pearſoni rationes probat Clariſſ. Cave in *Hiſt. Literariâ*, ubi de Scriptis Gelaſii Romani. Baluzius verò, *Notis* ad Gratianum, putat Damaſum primum de pleriſque his Libris ſtatuiſſe, hinc Gelaſium renovaſſe Damaſi decretum, tum Hormiſdam quoſ-

quoſdam addidiſſe, qui poſteriores Gelaſio, ut eſt *Sedulii Opus Paſchale*, *Heroicis verſibus deſcriptum*. Et ità ſucceſſu temporis addita fortè quædam, ut illud *de revelatione Capitis J. Baptiſtæ*. Sic interpolari in nonnullis potuit idem Decretum, v. gr. ubi *Hiſtoria Euſebii Pamphili* inter Scripta *Apocrypha* recenſetur, quamvis antè probaſſet *Euſebii Chronica*, & *Hiſt. Eccleſiaſticæ Libros*. Hoc igitur Decretum ſanè antiquiſſimum eſſe; & ab omnibus ferè Gelaſio adſcriptum, in confeſſo eſt. Nec deeſſe antiquos Codd. *Collectionis Dionyſianæ*, ubi hoc Decretum extare, ſed ut Damaſi Papæ, Lucas Dacherius monuit, teſte ad Gratianum Baluzio. Præterea Gelaſium ſanè refert auctorem illud, quod initio hujus Decreti ponitur; *S. Romana & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini N. J. C. primatum obtinuit*, Tu es Petrus, &c. Quod aliis ejuſdem Gelaſii perbellè reſpondet, quæ habet in Commonitorio ad Fauſtum, *Epiſt.* IV. ad Anaſtaſium Imperator. *Ep.* VIII. ad Epiſcopos Dardaniæ *Epiſt.* XIII. ut legentibus conſtabit. Sic inter Concilia quæ ſuſcipere dicit Rom. Eccleſiam, recenſet tantum quatuor Synodos Oecumenicas, *Synodum Nicænam*, *Conſtantinopolitanam*, *Epheſinam*, *Chalcedonenſem*; & ſi quæ alia ſunt *Concilia à SS. Patribus inſtituta, poſt horum auctoritatem, & cuſtodienda, & recipienda:* Qualium ſcil. Canones relati jam tum eſſent in *Codicem Canonum*, nondùm celebrato v. Oecumenico.

Collatio Carthaginenſis.

Celebris & *Collatio Carthaginenſis* cum Donatiſtis, A. C. CCCCXI. Honorii juſſu congregatis partis utriuſque Epiſcopis, coràm *Marcellino* Tribuno & Notario, ut *Cognitore*, factâ Collatione per *tres dies*, à Kalendis Junius. Ex Catholicis *ſeptem* interfuêre, Aurelius Carthag. Alypius Tagaſtenſis, Auguſtinus Hippon. Fortunatus Conſtantinienſis, Vincentius Culuſitanus, Fortunatianus Siccenſis, Poſſidius Calamenſis. Ex Donatiſtis *totidem*, ac inter illos præcipui, Primianus Carthagin. Petilianus Conſtantinienſis, Emeritus Cæſarienſis, cum Protaſio, Montano, Gaudentio, Adeodato: Ac quicquid Donatiſtæ *forenſibus* exceptionibus, ac *præſcriptionibus* moratoriis, cauſæ ipſius cognitionem declinarent, ut ex Auguſt. *Breviculo* liquet, Petiliano quippe Donatiſtâ forenſi quondam Advocato; iiſdem etiam Cæſarem ipſum appellarent; tamen Marcellini Judicis ſententiâ ſuccubuerunt, qui uſque ad terminatam illam Collationem Donatiſtis indulſerat (nullo tamen præcepto Principis) ſuas *Eccleſias* ſeu *Baſilicas:* At intellectâ hominum contumaciâ & inſolentiâ, poſt Collationem, omnibus eorum Conventiculis interdixit; & *Eccleſias* cum omnibus eorum juribus, & largitatibus illis Eccleſiis factis, tradi Catholicis ſine ullâ morâ juſſit. Et hæc ſententia fuit confirmanda ab Honorio, *lege* LII. Cod. Theod. de *Hæreticis*, latâ Ravennæ anno ſequente CCCCXII. *Niſi ex die promulgatæ Legis omnes Donatiſtæ tam Sacerdotes quàm Clerici, laicique qui à Catholicis ſacrilegè deſcivêre, redierint*, has pœnas ſanxit Honorius: 1. Decrevit mulctam pecuniariam, prout Viri *Illuſtres*, quales Præfecti Præt. vel Urbis Romæ; qui mulctandi *auri pondo* L. Vel *Spectabiles*, quales Proconſules, Vicarii, Præf. Auguſtales, mulctandi *auri pondo* XL. Vel *Senatores*, hîc à *Clariſſimis* diſtincti, *auri pondo* XXX. aut *Clariſſimi*, quales Judices, & alii Senatorii *ordinis auri pondo* XX. Deinde proportione habitâ mulctarentur *auri pondo* XXX. XX. X. V. *Sacerdotales*, vel *Principales*, vel *Decuriones*, vel *Negotiatores*, vel *Plebeji*, vel *Circumcelliones*. 2. Statuit ut in eos inquirerent *Conductores* & *Procuratores*, qui exequerentur mandatum. 3. Etiam qui inquirerent in *uxores* & fœminas. 4. *Bona proſcriberentur* per contumaciam. 5. *Domini* etiam Catholici, contrà *ſervos* & *colonos* agerent, iis coërcendis & ab errore revocandis; 6. *Clerici* *in exilium* mitterentur. 7. Donatiſtarum *Eccleſiæ*, & *donaria*, *prædia*, vindicarentur Catholicæ Eccleſiæ. Vide & *legem* LIV. eodem *Tit.* biennio poſt latam, A. CCCCXIV. De Collatione ipſâ videſis *Breviculum* ſeu Epitomen geſtorum, apud Auguſtinum, item admonitionem *Ad Donatiſtas poſt Collation.* ſcil. ne ulteriùs ſeduci ſe paterentur ab Epiſcopis ſuis, jam propriis verbis convictis, *Tomo* Operum VII. vel IX. Editionis noviſſ. *col.* 548.

Diſcrimen cauſæ Donatiſtar. & Proteſtantium.

Cæterùm cauſam *Donatiſtarum* recentiores Pontificii peſſimè conferunt cum illâ *Proteſtantium:* Hinc pari lege quâ Honorius illos compulit, ut ad Catholicam Eccleſiam reverterentur, mulctis ſcilicet, proſcriptionibus, exiliis, ac privatione Eccleſiarum, redituum, &c. in dictâ *lege*; compellendos conſimiliter eſſe in Romanæ Eccleſiæ gremium Proteſtantes. Sed verò Donatiſtæ legibus coërcendi fuêre tanquàm *Seditioſi*; nec enim ex ullo *Fidei* capite diſceſſerant, nec *Fidem* nuper introductam accuſabant, quam ſcilicet aſſererent Catholici, nollent autem aſſertam demonſtrare. Donatiſtæ ipſi *affirmantes* erant, apud ſe ſolos Eccleſiam eſſe, infallibilitatem, ſanctitatem, planè ut Pontificii, &c. Donatiſtæ etiam non fugati primùm, & *anathematizati*, aut lanienis oppreſſi, ſed multâ cum Indulgentiâ Imperatorum ſæpè invitati, qui cauſam dicerent, accuſationes *Cæciliano* & Catholicis intentatas probarent, cum Catholicis amicè conferrent, poſtquam ſpontè, citrà cauſam *fundamentalem*, & pertinaciter ſeceſſiſſent. Donatiſtæ præterea *ad immanes violentias converſi*, & armis inſtructi, inſidiis, oppreſſionibus, cædibus, furore quovis in Catholicos ſæviebant; quales *Circumcelliones*, circum cellas armis vagantes, ſævitiæ nihil intentatum relinquebant, ipſi verò *Agoniſticos* vocabant: Ut ex Canonibus Africanis, Optato Milevit. & Auguſtino conſtat, ac Poſſidonio in Vitâ Auguſt. Denique non Proteſtantes ſed veriùs *Latini* hodierni, *Donatiſtarum* in morem, ſuperbè agentes, probationum loco, confugiunt ad *præſcriptiones moratorias*, ad forenſes exceptiones, ad poſſeſſionis titulum; *principale negotium* ità eludentes, ut pluribus de *Donatiſtis* videre eſt apud Auguſtinum. Quâ de re extat noſtra de *Præſcriptione Pontificiâ* Exercitatio.

IX. *Motus Alexandrini per Eutychianos; Timothei Æluri & Petri Moggi auſa. Facta Leonis, & Zenonis Imperator. Lites inter Acacium, Conſtantinop. Petrum Moggum, & Antiochenos, cum Johanne Talaiâ, & Romanæ Sedis Epiſcopis.*

Huc varia ſpectant, quæ recenſere operoſiùs non hujus inſtituti eſt, & prolixè enarrantur ab Evagrio *Hiſt.* L. II. à Liberato, in *Breviario* hiſtorico, *Cap.* XV. XVI. XVII. XVIII. & *Tomo* IV. Concil. à *col.* 1008. &c.

Proterii & Timothei hiſtoria.

I. Hiſtoria *Proterii*, poſt remotum Dioſcorum, ex Archi-Presbytero in Alexandrinum Epiſcopum ab Orthodoxis electi, mox à Synodo Chalced. Anno CCCCLIII. præſentibus Epiſcopis Ægyptiis, qui Synodo interfuerant, & Eutychen ac Dioſcorum anathemate devoverant. Ab alterâ parte huc ſpectat hiſtoria ſeditionis, motuum, in eundem Proterium, poſt mortem Marciani Imp. ſeditione plebis Alexandrinæ (facientibus *Timotheo Æluro* in Epiſcopum Alex. ab Eutychianis ſurrogando, & *Petro Moggo* ejus tum Eccleſiæ Archidiacono) crudeliter in Baptiſterio ipſo interfectum, laniatum, ex Evagrii Hiſtoriâ *Lib.* II. C. VIII. & Liberati Breviario. Quæ pluribus Baronius, & Magdeburgenſes ex iis deſcribunt.

II. *Leo-*

Digitized by Google

II. *Leonis* Imperatoris, ab utrâque parte ſollicitati literis, & legationibus, quum congregatio novæ & Generalis Synodi gravis nimis eſſet Epiſcopis, Sacerdotibus, & Eccleſiis, (volebant enim factioſi cauſam retractari in aliâ Synodo, de novo congregandâ) *Literæ Circulares* miſſæ ſunt ad Eccleſ. Epiſcopos, Romanum, Conſtantinopolit. reliquos: Summa fuit, ut ſententiam ſuam, habitis Provincial. Synodis, quantocyus referrent, tùm de *Timotheo Æluro* in Sedem Alexandrinam intruſo, tùm de *Synodo Chalcedonenſi*, quam factioſi volebant eſſe ſublatam. Graves & paræneticas Imperatoris ad *Anatolium* Conſtantinopol. voces, de legitimo deliberandi modo, in Epiſcopali conventu, procul omni *humano timore*, *odio*, *gratiâ*, refert Euagrius, *Lib.* II. *Cap.* IX. Undè & Synodus *Conſtantinopoli* habita ab Anatolio, & *Theſſalonicæ* ab Eudoxio, & *Romæ* à Leone Rom. &c. Qui Leo Rom. præſto fuit ad obſequium Principis, & laudibus in Leonem Imperat. congeſtis, ac precibus pro defenſione Concilii Chalced. *Eutychen*, *Dioſcorum*, *Timotheum* Ælurum, anathemati ſubjecit cum ſuâ Synodo: Ita autem Leo ad Imperatorem cognominem, *Parte* III. Actor. Chalced. *col.* 902. *Literæ Clementiæ tuæ, plenas virtute fidei, & lumine veritatis, venerantes accepi; quibus cuperem, etiam in eo quod præſentiam meam Pietas Veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire*, &c. *Cum Clementiam tuam Dominus, tantâ Sacramenti ſui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, Regiam poteſtatem Tibi non ſolùm ad Mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam; ut auſus nefarios comprimendo*, &c. *& antiquæ ſidei ſedem Alexandr. Eccleſiæ reformando*, &c. & reliqua quæ vide.

Motus Alexandrini.

III. *Motus* ſubſecuti, ad ſententiam unanimem *Epiſcoporum*, qui omnes reſcripſêre Imperatori, pro abdicando Timotheo Æluro, v. gr. Epiſcopi Romanæ Eccl. Conſtantinopoleôs, Heracleæ & Prov. Europæ, Byzæ in Thraciâ Metrop. Philippopolis, Scythiæ, Mœſiæ ſecundæ, Syriæ primæ ſeu Antiochenæ, Syriæ ſecundæ ſeu Apamenæ, Meſopotamiæ, Oſroënæ, Phœniciæ I. maritimæ, Phœniciæ II. Libani ſeu Damaſcenæ, Iſauriæ, Ciliciæ Primæ quæ Campeſtris, Ciliciæ II. Trachææ, &c. ut videre eſt *Tomo* IV. *Concilior.* Hinc Decretum Leonis Imper. miſſum ad Ducem Alexandriæ Stilam, pro pellendo Epiſcopatu Timotheo Æluro, & alio Canonicè inthronizando: Poſt.quod facta protinùs Timothei *Æluri* abdicatio, remotio; alterius *Timothei*, cognomento Salophacioli ſive Aſbi, doctrinâ Catholici, in locum Proterii electio, qui Sede Alexandr. placidè potitus eſt, quamdiu Leo & Zeno Impp. ad clavum ſederunt. Poſteà *Baſiliſco* per tyrannidem ad Imperium admoto, facta fuit Timothei Æluri per Baſiliſcum reſtitutio, ut & Hæreticorum, qui Sedibus ſuis redditi fuêre. Sed Zenone ad Imperium redeunte ſecuta eſt *Æluri* mors ſpontanea, veneno hauſto; hinc *Timothei* Catholici quidem, ſed remiſſioris in factioſos Alexandrinos, per Imperatorem reſtitutio; tum & *Petri Moggi* à factione Eutychianâ in Æluri locum, latenter quanquam, ſurrogatio, movendi autem Imperiali juſſione, & Sacerdotio expellendi, per Anthemium Præf. Auguſtalem. Poſtquam verò Timotheus cognomine Salophaciolus fatis conceſſit, emerſêre rursùs certamina pro ſucceſſione in hujus locum ac dignitatem. Nempè Catholici elegerant *Johannem Talaiam* antè Monachum Tabenneſiotam, in Cœnobio apud Canopum, hinc Oeconomum Eccleſiæ Alexandr. omniumque quæ ſub eâ Eccleſiarum erant: Sed qui ſuperbius, & fretus favore Illi vel Elli Magiſtri, neglexit ſuæ ordinationis per literas Synodicas Acacium Conſtantinopolit. certiorem facere: Quæ res non parùm juvit cauſam *Petri Moggi*, Epiſcopi Eutychiani; qui hinc poſtquam ſubſcripſiſſet Henotico Zenonis, ſeu Literis Pacificatoriis emiſſis A. CCCCLXXXII. jubente Imperatore, & aſſentiente Acacio, Johannem Talaiam Sede Alexandrinâ deturbavit; qui hinc ad Calendionem Antiochenum, tum ad Simplicium Romanum Epiſcop. confugit.Ità *Moggo* favebat Acacius Conſtantinop. *Johanni* Romanus Epiſcopus, qui literas ad Zenonem Imperatorem per Legatos miſit, *Vitalem* & *Miſenum* Epiſcopos, quas ipſe *Supplicationem* dicit, & ad Acacium Conſtantinopolit. quem etiam Romam citavit, novo exemplo, rationem facti redditurum, A. CCCCLXXXIII. Hæc pluribus conſtant ex Euagrii *Hiſt.* L. III. C. III. IV. V. &c. & Liberati Breviario C. XVI. XVII. XVIII. Quæ omnia Baronius ſic explicat, quaſi Acacius machinatus eſſet cum Zenone Imp. (qui *pepererit quæ Acacius conceperat*) *Fidei naufragium*, *Eccleſiarum ruinam*, *infelicium Orthodoxorum cladem*, *ſacrorum Canonum abrogationem*, &c. ad Ann. CCCCLXXXII. N. XXV. XXXII.

Motus Antiocheni.

IV. Intereà & ſubſecuti motus *Antiocheni* per *Petrum Gnapheum*, ſeu Cnapheum, vel Fullonem, Theopaſchitarum principem. Hic mixtâ primò internis motibus Eccleſiâ Antiochenâ, urgens addi ad *Triſagion* hanc clauſulam, *qui Crucifixus eſt pro nobis*, jam in primò ejus ἐνθρονισμῷ ſub Leonis Aug. Imperio; Epiſcopatum (abdicante ſe ultrò *Martyrio*, poſtquàm videret κλῆρον ἀνυπότακτον, λαὸν ἀπειθῆ, ἐκκλησίαν ἐῤῥυπωμένην, apud Theodorum Lect. *Lib.* I.) per vim invadit: Mox Chalcedonenſe Concilium damnat; appendicem τελσαγίς, de quâ ſuprà, lege ſancit; à Leone depoſitus ſub Baſiliſco Tyranno reſtituitur; motus iterùm à Zenone Imp. tandem Sedem recuperat, A. CCCCLXXXII. poſtquàm Zenonis *Henotico* ſubſcripſiſſet, ſed fraudulenter. Dùm enim Fullo apud ſuos damnaret Chalcedonenſem *Synodum*, apud Leonem & Acacium profitebatur Chalcedonenſem *fidem*, fallens utroſque, obſervante Liberato in *Breviario*. Poſteà verò apertè in *Chalcedonenſ.* Synodum invecto Petro Gnapheo, maximè poſt Acacium Conſt. morte ſublatum A. CCCCLXXXIV. tandem nomen ejus è Diptychis deletum eſt, ipſe autem ad plures abiit A. CCCCLXXXVI. ſucceſſuro illi Palladio, ſed manſuris diſſenſionum ſeminibus. Extat autem hac de re integra *Diſſertatio* Henr. Valeſii, Viri Clariſſ. ad calcem *Annotat.* in Euagrium, & Theodorum Lect. Ubi quis fuerit *Petrus* Fullo, Monachus ſcil. primùm Acœmita, magnus Synodi Chalc. adverſarius; tum quî Sedem Antiochenam invaſerit; quî à Leone, tùm à Zenone Imp. Sede eâ pulſus; quî per Baſiliſcum tyrannum, hoſtem Chalcedonenſis Synodi, reſtitutus; qui rursùs damnatus, *Acacio* ipſo auctore, & palàm à Petri Antiocheni communione abſtinente, licet Zenoni Petrum reſtituenti minimè reſtiterit, &c. Cumprimis id agente Valeſio ut *Baronium* coarguat, & *Epiſtolas* varias quæ leguntur in Collect. Conciliorum, & in Annalibus Baronianis, ad Petrum Fullonem ſcriptas, ſuppoſitas eſſe demonſtret. Ut verò Sedem Antiochenam eo tempore plures occuparint, ejecto ſemel iterumque Fullone, *Stephanus* graphiis confoſſus; *Stephanus* junior dictus; *Calendion* per Acacium exauctorandus; hinc mortuo *Fullone*, *Palladius*; tum *Flavianus*; tandem *Severus* Antiochenus, ex Euagrio, Liberato, conſtat.

Baron. notat.

Henoticum Zenonis.

V. *Henoticum* Zenonis Imperatoris, poſt amotum Baſiliſcum, dictum Οἰκονομία, προσφώνησις, ſeu Literæ *Pacificatoriæ*, pro conciliandis in Ægypto cumprimis Catholicis & Eutychianis, impulſu Acacii Conſtantinopol. datæ ſunt Anno Chriſti CCCCLXXXII. Exhibet integrum hoc Edictum Unitivum Euagrius *Hiſt.* L. III. C. XIV. Liberatus in Breviario Hiſtorico *Cap.* XVIII. Facundus verò Hermianenſis, ejus Capita quædam decerpit, non

ſine

Digitized by Google

ſine cenſurâ, pro *Defenſ. Trium* Capitul. L. XII. C. IV. Nam indignatur Zenonem *incumbere præſumpſiſſe officio ſacerdotum*; quod ſcil. ad pacem & adunationem, ſalvâ fide, hortaretur, quod boni Principis fuit: Sic Epiſcopos *Acephalos* in Ægypto dicit vocari à Zenone ὀϱθοδόξȣς, quum tamen διακϱινόμενȣς habeat Euagrius, *Epiſcopos Sanctos* Liberatus: Sic ad *injuriam Chalcedonenſis Synodi* facere exiſtimat, monitum Imperatoris, ut *ſe adunarent*; qui Imperator *in fidei* ſubſtantiâ nihil innovaret, & expoſitâ doctrinâ, quæ re ipſâ in Chalcedonenſi Synodo fuerat definita, addit; *qui aliter ſentit, aut ſenſit, &c. ſive Chalcedone, ſive in aliâ quacunque Synodo, eum anathematizamus.* Nempè malè habuit hoc Henoticum ab *Acacio* fuiſſe conceptum; & illi ſubſcripſiſſe, qui fidem Orthodoxam ſimulare credebantur. Nam in eo ſaluberrimè repetita eſt fides Orthodoxa; damnati errores *Arii*, *Neſtorii*, & *Eutychetis*, & qui cum illis ſentirent; ac Concilia *Oecumenica* priora confirmata, ſuppreſſâ tamen mentione aut approbatione *nominatim* Concilii *Chalcedonenſis*, ob inviſum nomen, fide ac definitione ſervatâ. Unde *Hæſitantes* dicti per invidiam à Latinis, qui Henoticum illud amplexi.

Henoticum qui probarint? Subſcripſerunt autem Henotico præter *Acacium* Conſtantinopolitanum, *Petrus Moggus* Alexandrinus, (*Johanne* Sede illâ moto auctoritate Imperatoris, faciente Acacio) & *Petrus Gnapheus* Antiochenus, eâ demùm lege reſtitutus, ac Calendioni ſuffectus: Uterque ſimulâ ut creditur fide Orthodoxâ, & conſenſu in eâ cum Romano ac Conſtantinopolitano. Nec aliter horum reſtitutioni faverat Acacius, quàm quod conſenſiſſent in ſubſcriptionem Orthodoxæ Formulæ, inprimis Moggus Alexandrinus: Nam Petrum Fullonem quod attinet, ità ſuſpectum habuit, ut paſſus quidem ſit à Zenone Imperat. reſtitui, poſt ſubſcriptum Henoticum; ſed *palam ab ejus communione abſtinuerit*, ut disertè etiam Valeſius, *Diſſert.* de Petro Epiſcopo, *Cap.* III. Licet à *Calendione*, Antiocheno Epiſcopatu deſtituto, delatus ad *Felicem* Papam fuerit, quaſi cum Hæreticis palàm talibus Acacius communicaret. Hinc mox à *Felice* III. Romano idem *Acacius* proſcribendus, ſpecie tenùs quod cum Moggo & ſuis communicaſſet, contrà Chalcedonenſ. Synodum inſurgere molientibus; reipſâ, quod inconſulto Romano Epiſcopo, ut primâ Sede, (ad quam *Johannes Alexandrinus*, perſuadens ſe pro fide Chalcedonenſi exturbatum eſſe, confugerat) faviſſet inthronizationi Petri Moggi. Hæc pluribus ex Euagrio, Liberato, Nicephoro; ac de his fusè Blondellus in Libro *de Primatu*, ſed & Valeſius *ad Euagrium*, Baronio paſſim, & mancipiis Rom. Curiæ, haud paulò æquior.

Baronius notat. Iniquiſſimum verò eſt Baronii, & de *Henotico*, & de *Zenone* judicium, ob inviſum utrumque Romanæ Sedi, ad Annum CCCCLXXXII. *Num.* XXV. *& ſeq.* Licet à Baronio diverſum ſentiant æquiores in ordine Pontificio, tum ex ipſis Henotici verbis, tum ex Epiſtolâ Zenonis ad Felicem Romanum: Nempe *pro certo haberet* Felix, *ſe* (τὴν ἡμετέϱαν εὐσέβειαν) *& ſanctiſſimum Petrum* (*Moggum*) & *univerſas ſacroſanctas Eccleſias, ſanctiſſimum Chalcedonenſe Concilium ſuſcipere & venerari*, apud Euagrium *Hiſt.* L. III. C. XX. Cauſæ potiſſimæ ſunt, odium & æmulatio in *Acacium* Conſtantinopol. Epiſcopos ordinantem, moventem, inconſulto Romano, præcipuè *Petrum Moggum* reſtitui approbantem; favor ergà *Calendionem* Antiochenum, & *Johannem* Talaiam Alexandrinum, à Zenone pulſos, ad Romanum autem confugientes; indignatio in Principem, *de fide* Edictum, abſque aſſenſu Romani, promulgantem, per *Ægyptum*, *Libyam*, *Pentapolim*, ubi maximè diſſenſio viguit, quod nonniſi Pacificatorium fuit, fide Chalcedonenſi illibatâ; rancor vetus in Sedem Conſtantinopolit. ut quæ *paria* ſibi *privilegia* vendicaret cum Romano, juxtà Canones; fides temerè habita narratis *Joh. Talaiæ*, de violatis in ſe Canonibus per Acacium, quem Zeno Imperator accuſabat perjurii, ut qui *juraſſet* ſe Sedem Alexandrinam nunquàm ambiturum, referente Euagrio *Lib.* III. C. XX. *Fabulas* quoque Baronianas, ex Euagrio *Hiſt. Lib.* III. C. VIII. & Metaphraſtâ die XI. *Decemb.* de *Zenone* (pellendo ſanè inſidiis Baſiliſci tyranni) confugiente ad *Danielem* Stylitam, à quo prædictum fuerit, quod in exilio & in deſertis Iſauriæ, inſtar Nebucadnezaris, *herbis veſceretur præ cib. inopiâ*, *poſteà ad Imperium reverteretur*; Item de *Thecla* martyris coràm eo apparitione, cujus prædictione & beneficio Sedem recuperaverit, parùm judicioſè refert ad A. C. CCCCLXXVI. *Num.* XXIV. & ad Annum CCCCLXXXVII. *Num.* IV.

Certamina inter Acacium & Rom. Epiſcopos. VI. *Certamina* quæ exceperunt, hinc inter Acacium Conſtantinopolitan. Petrum Moggum, & Petrum Fullonem, illinc Romanos Epiſcopos Simplicium, Felicem III. & Gelaſium, habes ut apud Euagrium, Liberatum, ſic fuſè in Tomo IV. *Conciliorum*; in quo inſerta noviſſimè *Geſta de nomine Acacii*, quæ edidit Jacobus Sirmondus. Vide & Diſſert. H. Valeſii de *Petro Antiocheno*, ad calcem Annotationum in Euagrium, & de Damnatione *Acacii*, &c. Quæ quia duraturo Schiſmati cauſam præbuerunt, hìc paucis exponenda.

Occaſio potiſſima fuit jam memorata; illinc *Joh. Talaiæ* (an *Thladiæ*, id eſt, Eunuchi) ex Oeconomo ordinati Epiſcopi Alexandrini, Anno CCCCLXXXI. per Imperatorem abdicatio, ſuaſu Acacii, indignati non directas ad ſe literas Synodicas ſive ἐνθϱονιστικὰς, pro more; accuſato etiam Johanne novo Epiſcopo *perjurii*, ab ipſo Zenone Imperatore, nec diffitente illud H. Valeſio: Hinc *Petri Moggi* hominis ſubdoli inthronizatio, etiam *Petri Fullonis* illa in Sedem Antiochenam, de quibus ſuprà. Occulta verò *cauſa* fuit, æmulatio Romanæ Sedis in Conſtantinopolitanam, hinc in Acacii facta, *inconſultâ* ſcil. *Apoſtolicâ Sede*, ex Gelaſii *Epiſt.* XIII. Adde favorem in Johannem iſtum Alexandrinum, Romani opem implorantem, ut prolixè ex actitatis Romanis intelligitur.

Longa hiſtoria, longæ ambages, ut conſtat ex ſuperioribus monumentis, Theodoro Lect. Euagrio Hiſtor. Liberato; ex Epiſtolis Romanor. Pontificum Simplicii, Felicis, Gelaſii, & Epiſtolis ad illas reſponſoriis; ex Actis & productis in cauſâ Acacii; ex Brevic. Hiſtoriæ Eutychianiſt. à Sirmondo edito cum *Appendice Cod. Theod.* A. 1631. & ex *Tomo* IV. & V. Conc. Nempè de *Johannis Alex.* ad Romanum perfugio, cujus opem implorabat, ut *primæ* Sedis Epiſcopi, quum de *ſecundâ* Sede ageretur; *nam & priores ſimiliter Rom. Eccleſiæ, tempore perſecutionis, ſuffugium popoſcerant*, ut Breviculus Hiſtoriæ Eutychianæ, ſeu Geſta de nomine Acacii, edita à Jac. Sirmondo, quæ Valeſius à *Gelaſio Papâ conſcripta eſſe exiſtimat*: Liberatus tamen, Breviarii ſui *Cap.* XVIII. dicit Johannem Alexandr. *Romanum Pontificem Simplicium appellaſſe*: Deinde de *Simplicii* Rom. in Acacium Conſtantinopolit. indignatione, literis ad Zenonem, ad Acacium, & reſponſis; De *Felicis* III. ſucceſſoris reſcriptis, citatione Acacii, excommunicatione ejuſdem (ſecundùm Canones, ut Romæ contendebatur) ob communionem cum Moggo Hæretico. De *Acœmitis* Monachis, noctu & interdiu ſcil. canentibus divinas laudes (quorum Conſtantinopoli tum erat ἡγȣ́μενος quidam *Cyrillus*) & cum Felice R. conſpirantibus in Acacium, ut peccantem adversùs *rectam fidem*; De iteratâ Acacii excommunicatione A. 484. unà cum Petro Fullone, ſecundùm H. Valeſium; De reſiſtentiâ & exceptionibus Aca-

Digitized by Google

Acacii, ad jus illud à Romano obtentum : De continuatione certaminis ſub *Gelaſio* Romano, & Acacii favore apud Zenonem & Anaſtaſium, Imperatores : Donec ſub Juſtino Seniore, de quo ſequente Seculo, Hormiſdâ Rom. Epiſcopo, nomina Acacii & Moggi, qui pridem vivere deſierant, è Tabulis ſeu Diptychis delerentur. Henr. Valeſius *Baronium* in multis coarguit, in hac omni Acacii cauſâ, in Diſſertat. *de Petro Antiocheno* qui *Fullo* cognominatus eſt, & in *Notis* ad Euagrium & Theodorum; quem vide.

Ἐπίκρισις. In quibus utrimque peccatum.

VII. Nempè *Iliacos intrà muros peccatur & extrà.* Quicquid declamet, more ſuo, Annalium Scriptor, peccarunt Romani Epiſcopi, Simplicius, Felix, Gelaſius: 1. Quod *Simplicius* ad falſa narrata Johannis Talaïæ, præmonitus etiam ab Acacio per literas, Johannis patrocinium vehementiùs ſuſceperit, adverſùs Zenonem Imperator. & Acacium; tenacem hunc aliàs Synodi Chalcedonenſis, ut fatentur cordatiores; & quem nunquam *Petro Fulloni* Antiocheno *palam communicare voluiſſe*, ipſe Gelaſius *Epiſt.* XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ, *col.* 1205. T. IV. *Concil.* Sed Simplicius non diu ſuperſtes, mox vivendi finem fecit, initio ferè Anni CCCCLXXXIII. Neque ad Simplicium propriè *appellaſſe* Johannem, licet confugerit ad Sedem Romanam, jam eſt ſuprà obſervatum. 2. Quod *Felix* III. Simplicii ſucceſſor, duriùs in Acacium egiſſe videatur, tranſmiſſo primùm Libello juridicæ *citationis*; dehinc ſententiâ *Excommunicationis* in eum latâ, quâ *munere Sacerdotali* & *fidelium communione* eundem privat, in geminâ Synodo Rom. Dicto etiam omnibus anathemate, qui *cum Acacio communicarent.* Imò literis ad *Zenonem* Imperatorem ſcriptis, conqueritur quod ſui Legati, Vitalis & Miſenus, ad communicandum cum Acacio & Petro Moggo per vim fuiſſent adacti, vocatque *beati Petri Apoſtoli directam Legationem*; quæ debuerit *intemerata ſervari ab Imperatore Romano & Chriſtiano Principe*; præferendam fuiſſe *communionem B. Apoſtoli Petri*, communioni *Alexandrini Petri*; debere Imperatorem *Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti* (id eſt Romano Epiſcopo) *ſubdere*; *Deum velle* ut *ejus Clementia Eccleſiæ ſanctionibus piæ devotionis colla ſubmitteret*, &c. Videantur Felicis Epiſtolæ, cumprimis VI. IX. XI. Obſervandum autem, Felicem agnoſcere Ep. IX. Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, *Catholicæ Eccleſiæ præſidere*, quod non poſſet *Epiſcopus* qui *ab Hæreticis inſtitutus* eſſet. 3. Quod *Gelaſius*, majori adhuc in Acacium animo, de Fide certamen eſſe contenderet, non de Diſciplinâ tantùm; hoc obtentu quod Acacius cum Petro Moggo communicaſſet, hæreſeôs accuſato: Qui tamen Moggus ſubſcripſiſſet primùm Henotico Zenonis, ac Synodum Chalcedon. ſuſcipere ſeſe, à reſtitutione ſuâ, profiteretur. Hinc *Anaſtaſius* Gelaſii ſucceſſor cum Acacio in gratiam rediit, delendo tandem hujus nomine è Diptychis, ſub Juſtino Imperat. Nempè Gelaſius jam tum falsò contendit, quod *Apoſtolica Sedes frequenter, more majorum, etiam ſine ullâ Synodo præcedente, & abſolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem*, Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, quæ eſt inter Gelaſianas XIII. Quod *Athanaſii*, *Chryſoſtomi*, *Flaviani*, malè probat exemplis: Quos conſtat nec *appellaſſe* ad Romanum Epiſcopum propriè; nec hujus ſolius auctoritate *reſtitutos*; neque ſine *Synodo* factum, ut Athanaſius reſtitutus auctoritate Synodi *Sardicenſis*, Flavianus (ex Leone Rom. *Epiſt.* ad Imper. XXXIX. XL.) reſtituendus novæ *Synodi Generalis* judicio; Chryſoſtomus depoſitus *contrà Canones* & formam judiciorum Eccleſiaſticorum; hinc ſuffragio Innocentii Romani, & omnium Occidentalium, *irritum* erat ipſo jure judicium quod latum nuper in Oriente. Sed fusè de his omnium inſtar in ipſis Pontificiis, Cl. Du-Pinus Doctor Pariſienſis, quem adi commentantem *de Eccleſ. Diſcipl.* Diſſ. II.

Sed & peccatum ex parte *Johannis* illius Alexandrini, Petri æmuli, Romanum appellantis, aut potiùs ad Romanum confugientis: 1. Quod Johannes, in Epiſcopum electus ab Alexandrinis, ſpreto Acacio, ac neglectis ad eum Literis Synodicis, ut poſcebant Canones, ad *Illum* confugiſſet, ſeu Ellum, vel Hillum, Magiſtrum Officiorum, hujus amicitiâ confiſus, quem muneribus corruperat. 2. Quod idem deinceps Romanum Epiſcopum in *Zenonem* Imp. & *Acacium* Conſtantinopolit. falſis narratis, accenderit, perſuadens ſe pro decretis Leonis Rom. & pro fide Chalcedonenſi exturbatum eſſe. 3. Quod contrà *jusjurandum proprium* ad Sedem Alexandrinam fuiſſet evectus, ex Euagrio L. III. C. XII. Liberato *Cap.* XVII. Simplicio Papâ *Epiſt.* XVII. referente, ſibi literas Principis eſſe redditas, *quibus Johannem tanquam perjurii reum, Sacerdotio perhiberet indignum.* Quum enim ab Alexandrinis ad Imperatorem miſſus eſſet, petiturus veniam Epiſcopum quem vellent eligendi, ſi fortè Timotheus Catholicus è vivis exceſſiſſet; dicitur *Epiſcopatum* ſibimet ambiiſſe: Sed hoc ne videretur, *jurejurando ſe obſtrinxit nunquàm Alexandrinam Sedem affectaturum eſſe.* Quod quum poſteà comperiſſet Imperator ab eo factum, Johannem ut perjurum ejici juſſit; & hæc ex *Zachariâ*, Scriptore ἀνεκδότῳ, confirmat Hiſtoricus.

Ex parte *Acacii* Conſtantinopolitani peccatum, 1. Quod Acacius Johannem Alexand. ex *privatâ* indignatione deturbaſſet, ac Petrum Moggum reſtituiſſet, ope Zenonis, poſt admiſſum à Petro Henoticum; & quidem ſpretâ Romanâ Sede, quacum ut ordine primâ, & ad quam Johannes confugerat, fraternè communicandum fuit, ſecundùm *Canones* Diſciplinæ. 2. Quod non bonâ ſatis fide in hac omni cauſâ ſeſe geſſerit, odio *Talaïæ*, & qui huic favebat, *Calendionis* Antiocheni; quodque illis ipſis faverit, cumprimis *Petro Moggo*, & haud obſcurè *Gnapheo*, (quamvis nunquam cum ipſo apertè communicarit) invaſuris nobiliſſimas ſedes Alexandrinam & Antiochenam: Quos tamen Epiſcopatu indignos, & Hæreſeôs Eutychianæ multis adhuc ſuſpectos, noverat, quicquid Henotico ſubſcripſiſſent.

Baronius cum ſuis notatus.

VIII. Fruſtrà etiam Baronius cum ſuis, ex perfugio *Johannis Talaïæ* ad Romanum, & ex Simplicii, Felicis, Gelaſii in Acacium & Moggum actitatis, colligunt Romanæ Sedis ſuprematum, in Eccleſias univerſas, de jure Divino. *Primò* enim, ut ex Liberati *Breviario* liquet, Johannes Sede Alexandrinâ motus, non illicò ad Simplicium Romanum, ſed ad Illum Magiſtrum Officiorum, & Calendionem Antiochenum recepit ſeſe; à quo demùm commendatus Johannes Simplicio fuit, ut ejus cauſam apud Acacium ageret. Ac frequentiſſima id genus exempla, res ſuas committentium modò Carthaginenſi, modò Alexandrino, modò Conſtantinopolitano, vel Antiocheno, ſic etiam Romano, Epiſcopis. *Secundò*, quicquid à Romanis Epiſcopis factum, fuit illud obtentu Canonum Eccleſiaſticorum, *Sardicenſium* in ſpecie; ac poſt latam à *Valentiniano* legem, de quâ ſuprà, quibus in hujuſmodi cauſis eſſet Romanus, ut primæ Sedis Epiſcopus, conſtitutus arbiter. Nec aliter Felix ad Zenonem Imperat. *ſicut Eccleſiaſticis neceſſe eſt, & Veſtris legibus fieri decet*, in Tomo IV. Concil. *col.* 1098. qui etiam non ſolus judicavit cauſam Joh. Talaïæ, ſed cum *Synodo* Occidentalium. *Tertiò* cauſa Johannis devolvebatur ad arbitratum Romani Epiſcopi, ex conſenſu utriuſque partis; quando Imperator, & Acacius Conſtantinopolit. Legatis Ro-

manis promiſerant, eam cauſam ſe reſervaturos Epiſcopo Romano; quod colligitur ex *Epiſt.* XIII. Gelaſii ad Dardanos. *Quarto*, nihil ab iis decretum, niſi ex conſenſu Romanarum Synodorum, pro more, quæ in Acacii cauſâ coactæ, & quem Felix *Coepiſcopum ſuum* vocat: Quem etiam à communione arceri hactenùs jubebant Canones, quod cum *Hæreticis* communicaret, damnatis à *Synodo Chalcedonenſi*, prout ſupponebatur Romæ talem eſſe *Petrum* Alexandrinum: Cujus Synodi *nunc executricem pro fide Catholicâ* eſſe Romanam Sedem, ſcribit idem Felix ad Vetranionem Epiſcopum, *Epiſt.* XV. *Tomo* IV. Concil. *col.* 1093. Et his aſſentiuntur Doctores Galli noviſſimi, Launoius, Richerius, Du-Pinus, &c. non ferentes extundi ex hiſce factis, & ſimilibus, ſuprematum Rom. Epiſcopi in Orientalem Eccleſiam.

X. *Patres & Scriptores Eccleſiaſtici hoc Seculo, tam in Oriente quàm in Occidente. Etiam Fœminæ quædam illuſtres.*

Scriptores Eccleſiaſticos hujus Seculi fusè & eruditè ſic tradiderunt Viri noſtrâ ætate Clariſſimi, noviſſimè poſt Labbeum, Oudinum, Du-Pin, Guil. Cave, ut iſtorum compilatione paginas noſtras implere, nec genii noſtri, nec inſtituti ſit, neque ullius neceſſitatis ad hanc hiſtoriam perficiendam. Verbo modò indicamus præcipuos, quorum paſſim in Eccleſiæ Annalibus occurrit memoria, & quorum Scripta ad nos pervenerunt.

Græci Patres. Chryſoſtomi extrema.

I. In *Græcis* quidem Patribus, hujus Ætatis initio, adhuc ſpiritum vitalem traxêre ſequentes, de quibus dictum anteà. *Epiphanius*, mortuus circà Annum CCCCIII. anno ætatis CXV. (ſi fides Polybio Rhinocoruræ Epiſc. ejus Vitæ ultima deſcribenti) paulo antè pulſum Chryſoſtomum. Tum *Chryſoſtomus*, mortuus in exilio, Comanis ad Pontum Euxinum, poſt varias tranſlationes, perpeſſioneſque, Anno CCCCVII. De quibus ad præcedens Seculum. Chryſoſtomi extrema *Palladius* vulgò Galata, Helenopoleôs Epiſc. ex Lauſiacâ Hiſt. notus (niſi veriùs hic alius Palladius ſit de quo in *Notis* Savilius, ad calcem T. VIII. & fusè Emericus Bigotius, qui hujus *Dialogum* Græcè & Latinè edidit *Pariſ.* A. 1680.) fusè commemorat, in eo *Dialogo* de Vitâ S. Joh. Chryſoſtomi, de quo & Photius; Latinè autem verſo ab Ambroſio Monacho Camaldulenſi, ac Venetiis impreſſo A. 1533. Sed de Scriptoribus *Vitæ* Chryſoſtomi (quos inter feruntur Georgius Alexandrinus Epiſc. non certæ ætatis, quem ex Mſs. edidit Savilius T. VIII. Oper. Chryſoſt. Leo Sapiens Imperator, qui obiit Anno DCCCCXI. Anonymus incertus, poſterior Leone, apud eundem Savilium, Symeon Metaphraſta, mirè interpolatus, Seculi ut videtur XII. Joh. Damaſcenus, ut quidem præ ſe fert, &c.) prolixè diſſertarunt poſt Savilium in T. VIII. Operum Chryſ. G. J. Voſſius, Em. Fr. Bigotius, Jac. Uſſerius, Guil. Cave, & alii.

Baronius notatus.

Abſurdè Baronius ad A. CCCCVII. N. XIV. Chryſoſtomum *cultorem ſacrarum Imaginum* inducit; non ex ipſo Chryſoſtomo, (qualiter locum afferunt Synodi Nicænæ II. Patres, *Actione* IV. ex ejuſdem *Orat.* in Meletium Antiochenum T. V. Savil. cujus ſcilicet *Imagines* charas habebant Antiocheni; elumbi ſanè argumento) ſed ex *Johanne Damaſceno*, & quidem in *Vitâ* S. Chryſoſtomi, *quæ* inquit *deſideratur*; & quam *luce indignam* putavit Henr. Savilius, qui aliquot Vitas publicavit, T. VIII. *pag.* 944. Item ex teſtimonio *Leonis Sapientis* in Vitâ ejuſdem Chryſoſt. ſub illius nomine editâ, cùm Scriptoris Seculi Imaginarii, tum interpolatoris ac penè barbari, quam Vitam habes T. VIII. Edit. Savil. p. 267. Ubi fabella de *viſione Pauli*, qui adeſſet Chryſoſtomo ejus *Epiſtolas* interpretanti, deque *Pauli effigie* quam apud ſe habere ſolitus eſſet. Diſce ex his pudorem Purpurati.

Theophilus Alex.

Theophilus Alexandrinus, *Timothei* ſucceſſor, hoſtis tandem acerrimus Origenis, ſic Chryſoſtomi immitis perſecutor, quem coactâ ad Quercum Synodo depoſuit A. CCCCIII. patruus & anteceſſor Cyrilli. Hujus ſuperſunt pauca *Fragmenta*, & *Epiſtolæ*, quas olim tranſtulit Hieronymus; cumprimis illæ de *Paſchate*, menſe, Lunâ, Dominicâ Paſchali, ſecundum Nicænos, cum Prologo ad Theodoſium, quem Ægid. Bucherius Commentario ſuo inſeruit, p. 471. De his & de afflictis Theophilo vel ſuppoſitis, vide Labbeum, Du-Pinum, G. Cave alios. Exceſſit An. CCCCXII. Variis laudibus ornatus Hieronymo, ejuſdem adversùs Origenem cauſæ ſtudioſiſſimo. Moriturus dixiſſe fertur, *Beatus es Arſeni*, (fuit hic inſignis in Ægypto Monachus, pertæſus honorum Aulæ Theodoſianæ, in quâ vixerat) *qui ſemper hanc horam antè oculos habuiſti.*

Synesius.

Syneſius Ptolemaidis in Cyrenaicâ Epiſc. ex Philoſopho Platonico, Vir longè diſertiſſimus, quod ex Epiſtolis Syneſii liquet, & genere dictionis grandi & ſublimi, judice etiam Photio. Cæterùm qui fertur Euagrio Semi-Paganus admotus Epiſcopatui, aut recens à Baptiſmo, ſed Petavio invito, Notis ad Syneſium. Certè variis Platonicis & Pythagoricis erroribus imbutus fuit, quos inter famoſus error de *Reſurrectione mortuorum*, myſticè ſcil. intelligendâ, ut ἱερόν τι καὶ ἀπόῤῥητον, *Epiſt.* CV. quæ eſt ad Eutropium fratrem; quem tamen factus Epiſcopus abjuravit, teſtibus Euagrio, & Photio *Cod.* XXVI. *Epiſcopatui* oblato acriter primùm reluctatus eſt, *mortem præ Sacerdotio* ſibi optans: Tum quod oporteret τὸν ἱερέα (Epiſcopum) eſſe ἄνδρα θεσπέσιον *divinum hominem*, διὰ πάντων ἀκηλίδωτον qui *nulla prorsùs labe pollueretur*, ipſe verò, cum à Libris avocaretur, ἐπιῤῥεπὴς eſſet πρὸς ἅπασαν παιδιὰν *propenſus eſſet ad omne ludorum genus*; quum à pueritiâ armorum, equorum, canum ad venationem, amantiſſimus fuiſſet: Tùm quod opinionibus *Philoſophicis*, ex Platonis & Pythagoræ diſciplinâ, quas ut veritates amplexus eſſet, (v. gr. Animas præexiſtere Corporibus; Mundum non interiturum, quem æternum putabat; ità Mortuorum reſurrectionem myſticè intelligendam) repudium mittere non poſſet, ut *cum vulgo mentiretur*: Tum quod palàm prædicaret ſe *ab uxore ſejungi non poſſe*, *neque adulteri inſtar*, *cum eâ clàm conſueſcere*; quod nec Canones præcipiebant, ſaltem non in Oriente, nec in Ægypto, aut Cyrenaicâ, ubi γνώμῃ, εἰ καὶ βούλοιντο, *ultro* & *ſponte* ab uxoribus ſe continebant; quum multi ἐν καιρῷ τῆς ἐπισκοπῆς liberos ex legitimâ conjuge procrearent, teſte Socrate *Lib.* V. C. XXII. Undè conjectura Baronii ſed frigida, ad Annum CCCCX. *Num.* LXXX. eum finxiſſe tantùm vel ſimulaſſe *fidei & diſciplinæ adverſantia*, ut ab Epiſcopatu repelleretur. In quo Baronium arguit Lucas Holſtenius, *Diſſertat.* de Syneſio, & Fugâ Epiſcopatus, quam edidit H. Valeſius. Et aliundè ex *Epiſtolis* Syneſii liquet, *Epiſt.* XIII. ad Petrum Presbyt. *Epiſt.* LXVI. LXVII. ad Theophilum, &c. eum Sacrarum Literarum rudem ad *Epiſcopatum* fuiſſe admotum. De eodem fertur hiſtoriola in Johannis Moſchi aliàs *Eucratæ* Libro, qui inſcribitur Λειμὼν ſeu *Pratum ſpirituale*, quam vide apud Du-Pinum, *Bibl.* T. III. in *Syneſio*.

Cyrillus Alex.

Cyrillus Alexandrinus, Theophili Patrui Succeſſor, ab Anno CCCCXIII. ad Annum CCCCXLIV. Vir doctrinâ multijugâ, Orthodoxiæ ſtudio, commentatione Scripturarum, Libris X. contrà Julianum Apoſtatam, doctrinâ refertis, Anathematiſmis & certaminibus in Neſtorium, Scriptis variis in VI.

To-

Tomos tribuendis, denique ſanctitate & auctoritate, (etiam Oreſti Præfecto Auguſtali inviſâ, ut Socrates *Lib.* VII. C. XIII.) inter prima hujus Ævi decora. De ejus in *Epheſinâ* Synodo præſidio, in eâ partibus, adverſariis, dictum ad Cap. de *Concil.* Quæ verò illi affictа ſint, vide apud Poſſevinum, Cocum, Rivetum, & recentiores. Ac cumprimis coarguendus Thomas Aquinas, qui in Opuſculo *adverſus Græcos*, pro Papæ ſuprematu ac dominatu adſtruendo, citat tanquàm ex Cyrilli *Theſauro de Conſubſtantiali Trinit.* abjectiſſimas voces, alieniſſimas à Cyrillo, & ab ejus ævo, de *Petri* & *Succeſſorum ſummâ & abſolutâ poteſtate*, *loco* Dei vel Chriſti, &c. quæ nullæ comparent in Cyrilli Theſauris, quæque à recentioribus Latinis, & forſan ab ipſo Thomâ, ſaltem ex fide aliorum, Cyrillo affictæ. Quâ de re vide Joh. Rainoldum contrà Hartum, C. v. *ſect.* II. à *pag.* 315. An faverit Cyrillus præſentiæ Corporali in Euchariſtiâ, qui Chriſtum ſexcentis in locis *corpore*, *carne*, *humanitate* abſentem docet, Divinitate & Spiritu præſentem; qui Euchariſtiam ubique vocat *μυςικὴν εὐλογίαν*, quæ benedictione *conſecratur*, *ſanctificatur*, &c. vide hac de Cyrilli mente & ſententiâ prolixiſſimè diſputantem Albertinum, de *Euchariſt. Lib.* II. p. 744. &c. De Cyrillo plura diximus, ubi de Hæreſi *Neſtorii*, & de Concilio *Epheſino*.

Theodoretus. *Theodoretus* (Θεοδώρητος) Cyri in Syriâ Commagenâ, vel Euphratenſi, haud longè à Samoſatâ ejus Prov. Metropoli, Epiſcopus ab Anno CCCCXXIII. miraculum fuit eruditionis, prudentiæ, beneficentiæ, aliarumque virtutum. Fuit tamen is infeliciter commiſſus cum *Cyrillo*, in Synodo Epheſinâ poſt damnatum jam Neſtorium, ut dictum ſuprà, dein à reditu ſcriptis in Cyrillum & Epheſinam Synodum Libris v. Conciliatus poſtmodùm & cum Cyrillo, & cum Orthodoxâ Eccleſiâ. Dein verò cum *Dioſcoro* Alex. commiſſus, à quo in Synodo Latrocinali Epheſinâ per vim expulſus fuit. Undè ad Leonem Rom. & ad Occidental. perfugium, quibuſcum communionem coluit; tandem à *Chalcedonenſibus* reſtitutus, ut prolixè ſuprà. Interpres laudatiſſimus Scripturarum; Hæreſium inſignis profligator; Vitæ Monaſticæ & Eremiticæ, qualis tum fuit, admirator ſummus: Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ (ubi deſinit Euſebius) elegans Scriptor, ſuppleturus multa quæ deſiderabantur in Socrate, & Sozomeno; alio tamen Hiſtorico ei cognomine, qui Theodoretus junior. Claruit ab A. CCCCXXIII. circiter, ad tempus quod Chalcedonenſem Synodum proximè excepit, anno emortuali non ſatis certo. De ejus *Hiſtoriâ* vide limatiſſimum judicium Valeſii. Ejuſdem Opera, in IV. Tomos tributa, edidit quàm antè pleniùs & caſtigatiùs, etiam ἀνέκδοτα, Jac. Sirmondus, An. 1642. expungere non auſus quæ *Tranſubſtantiationis* commentum funditùs evertunt, ut viſum *col.* 969. *Quintum Tom.* adjecit Garnerius Jeſuita, ſed ubi pauca ſunt Theodoreti genuina, ſi *Fragmenta* quædam excipias ex Commentariis, Sermonibus, quæ ſuppeditarunt Cod. Vaticanus, Photius in Bibl. Marius Mercat. Adde Auctarium aliquod *Epiſtolarum* Theodoriti, denique *Dialogos* contrà Anomœos, Macedonianos, Apollinariſtas. Diſſertationes quædam adjectæ ſunt, & Hiſtoria Theodoreti, multis inſertis quæ Romæ placent: Ex. gr. in cauſâ Flaviani & Meletii Antioch. qui Romæ & Baronio inviſi; in cauſâ Cyrilli & Cœleſtini contrà Theodoretum & Orientales, illum nempè ut *incendiorum omnium facem*, & qualis habitus ævo Juſtiniani: Sic quæ pro præſentiâ *Corporis Chriſti* in Euchariſtiæ Sacramento, contrà mentem Theodoreti, Garnerius diſſertat, *Diſſ.* III. De *Theodoreto* damnato & anathematizato in Concilio Generali v. quod unum fuit ex Tribus Capitulis Conc. Chalcedonenſis, dicitur ſuo loco. Undè ἁγίου *Sancti* nomen nec apud Græcos, nec apud Latinos, promeruit. Miris laudibus effertur à Photio, Biblioth. *Cod.* CCIII. à ſtylo, judicio, delectu rerum, perſpicuitate in Scripturis declarandis, &c.

Credulus nimis apparet in φιλοθέῳ Ἱϛορίᾳ, ſeu *Hiſtoriâ Religioſâ*, id eſt Vitæ Monaſticæ, cujus teſtis fuerit ipſe Theodoretus; iſtis de Solitariis XXX ſcripto mandatis, quæ fidem omnem excedant; licet ipſe hortetur in Præfat. *μὴ ἀπιϛεῖν τοῖς λεγομένοις, εἴτι ὑπὲρ τὴν ἑαυτῶν ἀκούοιεν δύναμιν*, *ne iis quæ dicuntur minùs credant, ſi quid audiant quod ipſorum vires excedat.* Hujuſmodi ſunt, v. gr. mortui iſtorum precibus revocati in vitam; ignis miraculosè extinctus; ægri extemplo ſanati; inedia incredibilis & portentoſa etiam ad VII. ad XL. dies, tolerata; ſitus corporis ad plures annos *incurvus*, ex loci neceſſitate, vel *ſtando* in columnâ, qualiter Symeonis Stylitæ; alia ad auſteritatem vitæ facientia, & ad veſaniam uſque, mirâ ſuperſtitione Anachoretarum, & populorum qui undique ad tales, religionis ergò, accederent. Nihil hujuſmodi priora Secula novère; nullum tamen exemplum eſt apud Theodoretum, *flagellationis*, aut *diſciplinæ* Monachalis, qualem ſequior Latinorum ſuperſtitio invexit. In Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libris v. multa habet quæ ἀνιϛορησίαν ſapiunt, v. gr. *Lib.* I C. XIV. *Arium* poſt Synod. Nicænam diu commoratum eſſe *Alexandriæ*; mortuum eundem, ſeu crepuiſſe medium, *Alexandro* adhuc Epiſcopo: *Lib.* I. C. XXI. *Euſebium Nicomedienſ.* Conſtantinop. Epiſcopum fuiſſe, quum depoſitus *Euſtathius* Antiochenus, Anno nempè CCCXXVIII. vel CCCXXIX. Sic *Lib.* I. C. XXII. *Euſebium Cæſar.* vocatum ad Epiſcopatum Antioch. poſt mortem *Eulalii*, qui veriùs poſt depoſitum Euſtathium, & huic (Euſebio recuſante) ſucceſſit Paulinus, Paulino Eulalius Arianarum partium, ut pluribus Valeſius. Sic *Lib.* IV. C. v. in rebus *Ambroſii* Mediolanenſis, qui Auxentio ſuffectus eſt A. CCCLXXIV. ut Valeſius, *nullum ordinem temporum ſervat Theodoritus*, inquit ille ipſe Valeſius: Sic *Lib.* v. C. XX. malè ſeditionem *Antiochenam* poſtponit cladi *Theſſalonicenſi*, ſiquidem prior illa fuerit, ut Baronius, Valeſius, alii: Nec deſunt exempla plura; Baronio tamen in Theodoretum paſſim iniquiore plus juſto. Cur verò Theodoretus, qui aliàs non pauca habet quæ *Pelagii* erroribus adverſantur, falsò Garnerio *Diſſert.* III. in Theodorit. C. IV. v. de Pelagianâ Hæreſi tacuerit, dictum ſuprà eſt *Cap.* de *Hæreſibus*.

Iſidorus ab urbe Ægypti Pelufio (poſt *Damietta*) Auguſtamnicæ Primæ, cognomento Peluſiota, Iſidorus. Diſcipulus & vindex Chryſoſtomi; Monachus idem ac vitæ auſterioris, ut Euagrius *Hiſt.* L. I. C. XV. nec tamen Anachoreticæ & ſuperſtitioſæ, qualis Monachor. aut φιλοθέων, quos deſcribunt Palladius, Theodoretus, Cyrillus Mon. &c. Fuit idem & Presbyter, oſor Hæreſium, pacis & concordiæ ſtudioſiſſimus, vitâ planè ad exemplum comparatâ. Idemque *Epiſtolis*, cumprimis elegantiam & pietatem eximiam ſpirantibus, celebris, quarum ultra *bis mille* ſuperſunt hodieque; multa paucis ſtylo Laconico, complexæ, & plurima quæ ad mores & diſciplinam ſpectant. Scripſit & alia quæ deſiderantur, ut ex *Epiſtolis* ejus patet. Mortuus eſt poſt Synodum Epheſinam, adeoque poſt Annum CCCCXXXI. De eo Ephrem Epiſcopus Antiochenus, apud Photium in *Biblioth.* Facundus Hermianenſis, *Defenſ. Trium Cap. Lib.* II. p. 79. &c. Euagrius *Hiſt.* L. I. C. XV. qui Iſidori εὐρὺ κλέος *latam gloriam* multis deprædicat.

Socrates Scholaſticus ſeu Cauſidicus Conſtantinopolitanus, ſcribens ferè ſub extrema Theodoſii, Socrates Scholaſticus. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ digeſtor *Libris* VII. à primordiis Conſtantini Imperat. ad Conſulatum XVII. Theodoſii Jun. A. CCCCXL. Stylo quidem uſus ſimpli-

plici & perſpicuo, at majore judicio, certioreque fide, quàm vel ab Euſebio factum, vel à Ruffino. Nam & Documenta publica, & Acta Concilior. & Teſtes contemporaneos adducit, annos etiam accuratè ſignat, & Diſciplinæ Eccleſ. rationem variam oſtendit, cumprimis *Lib.* v. C. xxii. in quo multa quæ ad Eccleſiæ hiſtoriam faciunt. In Novatianos propenſior fuit, quos non fides à Catholicis divelleret, ſed diſciplina; certè *Siſinnium* Epiſcopum Novatian. multis laudibus effert *Lib.* vi. C. xxii. parùm æquus ibi in Chryſoſtomum. Huic

Sozomenus.

proximus *Hermias Sozomenus*, patriâ Palæſtinus, à Salamine quodam Monacho, quocum adoleſcens conſueverat, *Salaminius* appellatus; & indè Monaſticæ vitæ admirator, ut qui in Monachorum quaſi gremio educatus, *Hiſt.* L. i. C. xii. L. iii. C. xiv. L. vi. C. xxxiv. &c. Cæterum profeſſione Cauſidicus, coævus Socrati, Hiſtoriæ Euſebianæ & ipſe continuator *Libris* ix. ad eadem uſque tempora. Sed ut oratione præſtantior, etiam judice Photio *Cod.* xxix. ἐν τῇ φράσει βελτίων, ſtylo nempe uſus magis florido & elegante, ſic judicio inferior; fabuloſis quandoque adſperſis, ut de Monachis Syris, Palæſtinis, Ægyptiis, &c. vel quæ præter manifeſtam hiſtoriæ fidem. E. gr. quando dicit, *Julium urbis Romæ Epiſcopum à Conc. Nicæno abfuiſſe propter ſenectutem*, Julium loco Sylveſtri nominans *Lib.* i. C. xvii. Sic eundem Julium ſediſſe Romæ εἴκοσι καὶ πέντε ἐνιαυτοῖς, xxv. *annis*, *Lib.* iv. C. viii. quum rectè Socrates *Lib.* ii. C. xxxiv. ſediſſe annos πέντε πρὸς τοῖς δέκα *quindecim*. De utroque Hiſtorico paſſim nos ad ſuperius, & hocce Seculum.

Hinc Sectâ *Novatiani* fuerint ambigitur, affirmante poſt Nicephorum Baronio, Labbeo, aliis; negante Halloixio Jeſ. ad *Vitam Irenæi*, & poſt eum Henrico Valeſio, de utriuſque Hiſtorici *Vitâ & Scriptis*: Et rectè hic, aliud eſſe, *favere Novatianis*, aliud *Sectâ Novatianum eſſe*.

Baſilius, Gelaſius Cyzicenus, &c.

Adde *Baſilium* Seleucienſem Iſauriæ, membrum Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano A. ccccxlviii. dein Synodi ληστρικῆς ſub Dioſcoro, poſteà pœnitentiâ ductum, ex Actis Chalcedonenſ. *Theodotum* Ancyræ Epiſcopum, membrum Synodi Epheſinæ contrà Neſtorium congregatæ: *Gelaſium* Cyzicenum, Cæſareæ in Palæſtinâ Epiſcopum, cui debetur *Actorum Nicænorum* Hiſtoria, compilatum Opus ex Schedis Dalmatii Epiſc. Cyziceni, ex Hiſtoriis & narratis Athanaſii, Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti; ſed variis inſuper additis quæ dubia oppidò, vel manifeſtè falſa, v. gr. quæ de *Hoſio* Cordubenſi locum tenente Sylveſtri, ipſo Photio obſervante *Cod.* lxxxviii. Tempore verò Baſiliſci Imp. inclinato Sec. v. *Libris* iii hæc Hiſtoria abſoluta fuit, eodem teſte; quorum *tertius* jam deſideratur, præter *tres Epiſtolas Conſtantini* Imper. Sed de his, & paucis aliis celebrioribus in Oriente Scriptoribus, *Proclo*, *Nilo*, *Æneâ Gazæo*, &c. conſuli poſſunt præter Catalogos Gennadii, & Iſidori Hiſpal. Bibliothecam Photii, &c. in noviſſimis Rivetus, Labbeus, Du-Pinus, Cave, qui omnium ad manus ſunt. De *Palladio* Galatâ Hiſt. *Lauſiacæ* Scriptore, cujus quædam edidit Cotelerius *Monument.* Eccleſiæ Græcæ T. iii. diximus ſuprà.

Latini Scriptores.

II. In Latinis floruêre hoc adhuc Seculo *Hieronymus*, & *Auguſtinus*, hic decennio illi ſuperſtes, de quibus ſuprà ad Secul. iv. *Cap.* xii. xiv. Etiam hoc Seculo ad Caput de *Doctrinâ* Cathol. & alterum de *Hæreſibus*, Pelagianâ, Donatiſticâ, quæ vide. Ac de tantis Nominibus Criſis aliò ſpectat.

Ruffinus.

Celebre nomen *Ruffini* Aquilejenſis Presbyteri, in Oriente & in Ægypto diu verſati, antequam rediret in Italiam ab anno ferè cccc. Hic Verſionibus innumeris è Græco, ut Joſephi, Clementis Romani, vel ejus ſub nomine, Origenis, Pamphili, Euſebii, Baſilii Cæſar. Nazianzeni, &c. Scriptis etiam propriis Hiſtoricis, Polemicis, Didacticis, cum Hieronymo cumprimis certaminibus, de quibus prolixè Illuſtris Huetius, notiſſimus eſt. Mortuus antè Hieronymum, poſt ſeceſſum ex urbe Aquilejâ ab Alarico vaſtatâ, A. ccccx.

Reliqui Scriptor. enumerati.

Frequentiſſimi verò in Occidentali Eccleſiâ, & Africanâ, fuêre hoc Ævo Scriptores, de quibus ſingulis judicium hæ paginæ reſpuunt. Tales fuêre ex. gr. *Marius Mercator*, coævus Auguſtino, an Afer, an Italus dubium; magnus adverſarius Pelagianæ vel Celeſtianæ, tum & Neſtorianæ Hæreſeôs, poſterioris etiam nomine adverſatus magnoperè Theodoro Mopſv. & Theodoreto Cyri Ep. quem ut Hæreticum & ſceleratum traduxit. Diu hic Mercator latuit in obſcuro, ad quem Auguſtinus ſcripſit Epiſtolam, Anno ccccxviii. quæ eſt in nuperâ Edit. Benedictinorum cxciii. quum Auguſtino *Scripta ſua conſideranda miſiſſet*. Ediderunt ejus varia *Opuſcula*, cum Notis, inprimis *Commonitorium* adverſus Hæreſim Pelagii ac Celeſtii, Rigberius, & Phil. Labbeus in *Tomo* Conc. ii. tum integra quæ haberi potuerunt *Opera Mercatoris*, cum variis *Neſtorii*, *Cyrilli*, *Theodori* Mopſv. *Theodoreti*, publicavit Joh. Garnerius Jeſuita, additis Diſſertationibus variis, Anno mdclxxiii. tandem etiam curante Editionem Steph. Baluzio, cum Notis. Sed de *Mario* plura dicta ſunt ubi de Hæreſibus Pelagianâ, & Neſtorianâ, & paulo antè in iis quæ diximus de Theodoreto: Ac laudati modò Scriptores adeantur, ab iis qui plura ſcire de hoc Mercatore deſiderant.

Mar. Merc.

Caſſian.

Johannes Caſſianus, natione Scytha, Holſtenio & Noriſio Gallus, in Palæſtinâ & Ægypto Monaſticam vitam amplexus, dein Conſtantinopolim delatus eſt ad Chryſoſtomum, quo tempore Monachos Origeniſtas ejecit Theophilus Alex. Tandem in Gallias delatus, Maſſiliæ Cœnobium ſtruxit, mortuus ſub Theodoſio Juniore, circà Annum ccccxl. Scripſit utiliſſimum Monachis Opus, de *Inſtitutis Cœnobiorum*, & *Vitiis* in iis cavendis. Tum ad inſtantiam Cœleſtini, de *Incarnatione* contrà Hæreſim Neſtorii; tandem *Collationes Patrum*, in uſum Monachorum, ubi *Collat.* iv. ad Honoratum, Hæreſeôs Semi-Pelagianæ, cujus parens vulgò audit Caſſianus, fundamenta jecit, de quâ re ſuprà. Gelaſius tamen in Syn. Romanâ, ejus Opera reprobavit, quantumvis docti & pii; *Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum Apocrypha*, videl. ob ea quæ in iis contraria doctrinæ Auguſtini.

Leo I. Hilarius Mamert. Sidonius.

Leo I. vel Magnus, Romanus Epiſcopus, ab Anno ccccxl. de quo dictum aliquoties hoc Sec. *Capitib.* vi. vii. viii. ix. Verè magnus Pontificiæ auctoritatis aſſertor, & ampliator, inprimis favore Valentiniani III. Auguſti; doctus cæteroquin & facundus, Canonum Eccleſiaſticor. in multis vindex, Hæreſium etiam impugnator acerrimus, ut viſum: Qui & Scriptis quibuſdam ſe commendavit, cumprimis *Sermonibus*, *Homiliis*, & *Epiſtolis*, de quibus obvia judicia. *Hilarius* Arelatenſium Epiſcopus (de cujus cum Leone Romano certaminibus dictum *Cap.* vi.) vir diſertiſſimus & ſanctiſſimus, dignus ſucceſſor Honorati, exemplum patientiæ, conſtantiæ, integritatis, vitæ verè Chriſtianæ; lacerandus quanquam Baronio, & Rom. Eccleſ. Scriptor. idemque in cauſam Maſſilienſium pronior habitus. *Claudianus Mamertus* Presbyter Viennenſis, hinc *Antiſtes ordine in ſecundo*, proximus Epiſcopo, laudatiſſimus Sidonio, *Lib.* iv. *Epiſt.* iii. xi. frater Mamerti Viennenſium Epiſcopi: Scriptor is *Hymnorum* quorundam, ità Librorum *de Statu Animæ*, quorum meminit Sidonius, & quos oppoſuit Fauſto Regenſi; inter alia *Animam* eſſe *corpoream*, *loco* circumſcriptam,

Digitized by Google

ptam, aſſerenti. *Sidonius Apollinaris* Epiſc. Claromontanus, *Epiſtolarum* & *Carminum* elegans ſcriptor, quem Jac. Sirmondus eruditis *Notis* illuſtravit, A. 1652. Non prætereunda ingenioſa Criſis de Scriptoribus Eccleſ. ſe prioribus, L. IV. *Epiſt.* III. ad Claudian. *Inſtruit ut Hieronymus, deſtruit ut Lactantius, adſtruit ut Auguſtinus, attollitur ut Hilarius, ſummittitur ut Johannes, ut Baſilius corripit, ut Gregorius conſolatur, ut Oroſius affluit, ut Ruffinus ſtringit, ut Euſebius narrat, ut Eucherius ſollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambroſius perſeverat*: Nempe hæc de Claudiano Mamerto, ſcribente de Statu Animæ. Planè ſic antè; *Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Ariſtoteles, ut Æſchines blanditur, ut Demoſthenes iraſcitur, vernat ut Hortenſius, æſtuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, ſimulat ut Craſſus, diſſimulat ut Cæſar, ſuadet ut Cato, diſſuadet ut Appius, perſuadet ut Tullius.* Ex quibus genium Sidonii intelligas.

Sedulius, Chryſol. Vincentius, Proſper, &c. Mittimus alios plurimos qui hoc Ævo in Scriptoribus Eccleſ. memorantur: V. gr. *Sedulium* Poëtam Chriſtianum, Theodoſii Jun. & Valentin. III. temporibus; *Petrum Chryſologum*, Ravennat. Epiſcopum, à facundiâ *Chryſologi* nomen ſortitum, antè medium Secul. Leonis Romani tempore; *Arnobium* vulgò Juniorem, auctorem *Commentarii* in Pſalmos, priori Arnobio Afro malè adſcripti, in Galliâ florentem, inclinato Sec. *Victores* hac Ætate inclytos, *Claudium Marium Victorem*, Maſſilienſem Rhetorem & Poëtam, ſub Honorio & Theodoſio; & *Victorem Uticenſem*, vel *Vitenſem*, ſcriptorem Perſecutionis Vandalicæ, ſub Genſerico & Hunnerico; *Alcimum Avitum* Viennenſem, à Sirmondo editum A. 1643. Theologum, Poëtam, Oratorem, & verè Epiſcopum.

Vincentius ex Milite in Lerinenſi Inſulâ Monachus & Presbyter, frater (ſi Eucherio fides) Lupi Trecenſis Epiſcopi, auctor *Commonitorii* adversùs Hæreſes ſcripti, *triennio fermè* poſt Epheſinam Synodum, A. CCCCXXXIV. mortuus antè Annum CCCCL. Duo fundamenta ponit declinandæ Hæreſi; auctoritatem *Scripturarum*, & Eccleſiæ univerſalis *traditionem*, ſeu *quod omnes pariter, uno eodemque conſenſu, apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoveris*, idque à primâ & ultimâ *antiquitate*. Non fuiſſe hunc Vincentium, contrà quem Proſper ſcripſit *Reſponſiones ad Capitula* XVI. *objectionum Vincentianarum*, Baluzius cum aliis cenſet, initio *Notar.* ad Vincent. p. 431.

Eucherius Gallus, ex Monacho Lerinenſi Epiſcopus Lugdun. ab A. CCCCXXXIV. Pater Salonii & Veranii Epiſcoporum, à quibus tum conjugium non abhorruit. *Inſtructio* ad Salonium filium, Epiſtolæ morales de *Contemptu mundi*, & de *Laude vitæ ſolitariæ*, hujus omninò Eucherii eſſe creduntur, quæ ab elegantiâ, puritate, ac ſenſibus verè Chriſtianis commendantur. Non item ejus eſt *Hiſtoria*, an veriùs Fabula de *Paſſione S. Mauricii*, & *Martyrum Legionis Thebææ*, de quibus nos *Sec.* III. *col.* 770. 771.

Proſper Regenſis Aquitanicus, magnus Auguſtini admirator & diſcipulus, hinc primus qui in Caſſianum, Vincentium, Maſſilienſium alios calamum ſtrinxit; & cujus Epiſtola ad Auguſtinum, ſcripta A. CCCCXXIX. ſolet præfigi Libris de *Prædeſtinatione Sanctorum*, & de *Dono Perſeverantiæ*. Varia Opuſcula ſcripſit, de quibus Labbeus & cæteri; etiam *Chronicon* ab Adamo ad Romam captam à Genſerico Vandal. Rege, ſeu ad Annum CCCCLV. quod integrum edidit Phil. Labbeus, *Bibl. Novæ* T. I. Pariſ. 1657. & quàm antè prodierat auctius, in Parte *Conſulari*, ab Anno ſcilicet CCCLXXIX.

Idacius vel *Itacius* Hiſpanus, continuator Chronici B. Hieronymi, à I. Theodoſii M. ad XI. Leonis M. ſeu Annum CCCCLXVII. Primus meminit *Æræ* vel *Eræ* Hiſpanicæ, anterioris Ærâ Chriſt. annis XXXVIII. De quâ Chronologi, & nos *Parte* I. C. XXIII. De Idacio, & *Faſtis Conſularib.* illi quoque tributis, nota judicia Scaligeri, Sirmondi, Labbei, G. J. Voſſii, &c. quos vide.

Cæteros Eccleſiaſticos Scriptores, qui hoc Seculo multi fuère, & quorum prolixum Catalogum edidere Viri antè laudati, in faſcem colligimus. Talis *Gaudentius* Philaſtrii in Epiſcopatu Brixienſi ſucceſſor, cujus *Encomium* ſcripſit; clarus Honorii Imper. temporibus: *Q. Aurelius Prudentius Clemens* Hiſpanus, ferè ſub initia Seculi V. clarus, Poëta Chriſtianus, variorum operâ, etiam Nicol. Heinſii, illuſtratus: *Salvianus* Maſſilienſis Presbyter, natione (ut creditur) Gallus, *Palladiæ* maritus, è Gentiliſmo à ſe converſæ, ſcriptor Librorum VIII. de *Gubernat. Dei*, & quidem ad *Salonium* Epiſcopum, filium Eucherii Epiſc. Lugdunenſis; de quibus prolixè Baluzius noviſſimus Editor: *Fauſtus* quoque Gallus, ex Monacho & Abbate Lerinenſi tandem Reienſis vel Regenſis Epiſc. A. CCCCLXXIII. Semi-Pelagianorum primipilus habitus. *Gennadius* Maſſilienſium Presbyter, vergente ad finem Seculo, inclytus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* Commentator, tum & de *Dogmatibus Eccleſiaſt.* de quo obvia ſunt judicia; Maſſilienſium de Gratiâ ſententiæ addictus fuit. Quorum ſingulorum, ætatem, labores, ſcripta genuina, ſuppoſititia, referunt compilatores de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aut Viris Illuſtribus, in Pontificiorum ordine & Proteſtantium.

Ἀνέκδοτα autem plurima, tanquàm hujus Ævi, fecerunt noſtrâ ætate publici juris Lucas Holſtenius, in *Collectione Romanâ*, P. I. Jac. Sirmondus in *Opuſculis*, & Stephanus Baluzius, in *Miſcellaneis Lib.* I. Quales ſunt Epiſtolæ quædam *Sulpicii Severi*, *Innocentii*, *Bonifacii*, *Cœleſtini*, *Xiſti*, *Leonis*, *Simplicii*, *Gelaſii*, &c. Sic *Leporii* Presbyteri Africani Libellus Emendationis, ſeu ejurati erroris Neſtoriani, de quo Caſſianus, Gennadius, Facundus Hermian. meminerunt: *Capreoli* Carthaginenſis poſt Aurelium Epiſcopi, Epiſtola contrà Hæreſim Neſtorii: *Iſaaci* ex Judæo Chriſtiani Liber de S. Trinitate, & Incarnatione Domini, in *Tomo* I. Miſcellaneorum Sirmondi. Adi & Conciliorum Editionis noviſſimæ Labbeanæ *Tomos* II. III. IV. Suſpectæ tamen ſubindè, quæ è Vaticanâ Biblioth. in Pontificiæ auctoritatis præſidium eruuntur, ſive *Synodi*, ſive *Epiſtolæ*, contrà priorum Monumentorum fidem. De *Gelaſii* Scriptis dictum ſuprà, quantum huc pertinent, *Cap.* IV. *col.* 968. & *Cap.* VIII. *col.* 1018.

III. Adde *Fœminas* hoc Ævo vel ſanctitate, vel etiam literis, inclytas. Eas inter *Eudoxia*, vel *Eudocia* potius Auguſta, non Arcadii uxor, ſed Theodoſii Junioris, nata Leontio Sophiſtâ Athenienſi, & cujus Poëmata memorat Socrates; quamque laudat *Lib.* VII. C. XXI. ut ἐλλόγιμον, καὶ διὰ λόγων ἐληλυθεῖσαν παντοίων, *eruditam, & in omni literarum genere inſtitutam.* Scripſit poſteà in ſeceſſu Hieroſolymitano, qui accidit A. CCCCXLV. Quum XXIV. annos circiter convixiſſet marito Theodoſio, tandem levi de causâ zelotypiâ accenſo; ſcil. ob *pomum* inuſitatæ magnitudinis, quod dono miſiſſet Eudociæ Theodoſius, illa dediſſet Paulino, hic verò neſcius obtuliſſet Imperatori; undè ſuſpicio adulteræ inter iſtos conſuetudinis, ex Zonarâ, *Lib.* XIII. in rebus *Theodoſii*. Cæterum magnificum Photii de Heroicis Poematibus Eudociæ judicium, puta de *Octoteuchi* Metaphraſi, & illâ *Zachariæ* & *Danielis* Prophetar. ac Libris III. quibus complexa eſt Hiſtoriam *Cypriani Martyris*, & *Juſtinæ* Virginis, habes Biblioth. *Cod.* CLXXXIII. CLXXXIV. Fuit & *Pulcheria*, ſoror Theodoſii, conjux Marciani, prudentiâ & ſanctitate & Orthodoxiæ ſtudio laudatiſſima Princeps; etiam Græci Latinique ſermonis peritiâ: An Fœminæ Illuſtres.

Digitized by Google

& *Virginitate* ſervatâ in ipſo conjugio, ſtipulante ſcil Pulcheriâ Aug. jam *quinquagenariâ*, priuſquam Marciano jungeretur, magis dubium; referente Euagrio, *Hiſt.* L. II. C. I. & communiter Græcis, Latiniſque Hiſtoricis, οὐ μὴν ἔγνω αὐτὴν Μαρκιανὸς, ἀείπαιδος ἐκείνης μέχρι γήρως μεινάσης. Fuerunt & *Paulæ*, matronæ Rom. nobiles, avia & neptis, Bethlehemitico ſeceſſu, ac familiaritate cum Hieronymo celebres: Uti *Euſtochium* Paulæ filia, cui Hieronymus Epiſtolas, & Commentarios nonnullos inſcripſit, à pudicitiâ & virginitate, in illo Generis Urbiſque ſplendore, Hieronymo cumprimis efferenda. Fuit & *Hypatia* Alexandrina, ſub initia Sec. V. Philoſophiam ac diſciplinas publicè tradens, Syneſii magiſtra, à ſeditioſis tandem Chriſtianis nuda in Eccleſiam raptata ac diſcerpta, Epiſcopatum jam per annos IV. adminiſtrante Cyrillo, apud Socratem, *Hiſt.* L. VII. C. XV. Fuerat & antè *Proba Falconia*, Uxor Anicii Probi Pr. Præt. Viri ſub Valentiniano Illuſtris; Poëtria inſignis, laudata Hieronymo, & Auguſtino, Chryſoſtomo, Prudentio, &c. Compoſuit *Centonem* Virgilianum de Teſtamento Vet. & Novo, uti *Homero-Centones* ſcripſit Eudocia. Nec de his plura compilamus.

XI. *Turbæ variæ, & Perſecutiones ſeu in Epiſcopos, ſeu in Eccleſias excitatæ hoc Seculo.*

Epiſcoporum perſecutiones, hoc Sec.

I. Non hic locus eſt prolixè memorandi perſecutiones in Viros pios excitatas: V. gr. *in Joh. Chryſoſtomum*, odiis Arianorum, Severiani Gabalorum in Syriâ Epiſcopi, Theophili Alexandr. Epiphanii Salaminii, Eudoxiæ Imperatricis expoſitum, ac triſti exilio mulctatum, in quo diem obiit extremum Comanis Armeniæ II. ad Pontum Euxinum; undè mox infelix *Johannitarum* Schiſma, de quo dictum *col.* 959. Sic in *Flavianum* Conſtant. in *Latrocinio* Epheſino ita cæſum pugnis & verberibus, ut ex plagis acceptis diem obierit extremum; in *Theodoretum* Cyri Epiſc. exauctorandum factione & calumniis Dioſcori Alex. tanquàm Neſtorianum, licet reſtituendum in Synodo Chalced. Adde perſecutionem de quâ dictum *Cap.* IX. in *Proterium* Alexandr. & in Orthodoxos, per furores Eutychianorum; Sic in *Acacium* Conſtantinopolit. evectum A. CCCCLXXI. indignatis præcipuè Romanis Epiſcopis (*Simplicio*, & Succeſſoribus) quod à Leone Imperatore impetraſſet Legem, quæ per omnia confirmaret *privilegia Regiæ urbis & Sedis* Conſtantinopolitanæ, tanquam *Matris noſtræ pietatis*, & *Chriſtianorum Orthodoxæ religionis omnium*, ſcil. *in Epiſcopor. creationibus*, & *jure ante alios reſidendi*, &c. quæ eſt Lex XVI. Cod. de *S. Sanctis Eccleſiis*. Et hanc Legem vult Baronius, *Acacii faſtu tumentis proculdubio verbis conceptam*; quemadmodùm revera Lex Valentiniani III. (de quâ ſuprà) in favorem Romanæ Sedis, dubio procul *Leonis Rom. verbis conceptam* fuiſſe, eſt antè indicatum. Ità quæ perpeſſus eſt *Hilarius Arelatenſis*, per Romanos Epiſcopos, Leonem, & Succeſſores, prolixè viſum eſt *Cap.* VIII. Sic perſecutio mota in *Euphemium* Epiſcopum Conſtantinopolit. ordinatum Anno CCCCLXXXIX. cujus duo fuêre inſtrumenta, Anaſtaſius Imp. & Gelaſius Papa Rom. Ille ex *Silentiario* Palatino (τὰ εἰς τὴν ἡσυχίαν ὑπηρετοῦντος, *ſilentii & quietis miniſtro*, in Aulâ Principis, quamvis & *Silentiarii* pro Senatoribus, ſic *Silentium* pro Senatu) ad Imperium evectus, & in Euphemium indignatus, quod ſtatim ab electione exegiſſet confeſſionem Fidei conformem Synodo Chalced. etiam ſub interminatione (ſi *Suidæ* fides) exauctorationis, ſcil. *comâ reſciſſâ*, Monachi inſtar; cui tandem paruit tunc quidem Anaſtaſius: Hic, *Gelaſius* nempè, exigens ab Euphemio, Orthodoxo ſanè, ut Acacium ab Eccl. Romanâ damnatum anathemate feriret, ejuſque nomen è Diptychis expungeret. Quod cum facere detrectaſſet Euphemius, negavit illi jus Communionis Gelaſius, quod cum *Hæreticis communicaret*, ut ex ejus *Epiſt.* IX. &c. Poſteà autem ab Anaſtaſio, Eutychianis addicto, in exilium miſſus eſt A. CCCCXCV. ex Theodoro Lectore *Lib.* II. Hinc dicitur Baronio ad eum Ann. *Num.* XXII. *paſſus hæc quidem ſed injuſtè, & à perfido Imperatore Catholicæ fidei adverſario: Quod tamen contempſiſſet parere Romanis Pontificibus, in abdicatione Acaciani nominis, meruit ipſe juſto Dei judicio abdicari*, &c. Sic perpetuò Baronius, ſi quæ injuſtiſſimè paſſi Viri etiam pii, Orthodoxi, de Eccleſiâ benè meriti, hoc ſolùm quod Romæ inviſi fuerint, aut Romanis Pontificibus; ſatis illi eſt ad vindictæ divinæ obtentum, & juſti in eos *judicii Dei*. Aliàs fatetur *conſecuturum* fuiſſe Euphemium *glorioſum Confeſſionis, ob hæc quæ paſſus eſt, titulum*; Sed *extrà Romanam Eccleſiam nullam eſſe confeſſionem, neque martyrium*. Credendum dicenti, ſed *ſub nutu dominantis*.

Baron. notat.

Ita quoque *Macedonius*, qui Euphemio in Sede Conſtantinopolit. ſucceſſerat, A. CCCCXCV. Orthodoxus idem, tenax Concilii Chalcedonenſis, (quamvis ſubſcripſiſſet Henotico Zenonis, ex Theodoro Lect. *Lib.* II.) ab Anaſtaſio eodem Imperatore in exilium pellitur, dein *Flavianus* Patr. Antiochenus, ſed ſequente demum Seculo, Anno DXI. & plurimi alii, ex Euagrio L. III. C. XXXII. & Theodoro Lectore *Lib.* II. De iniquâ accuſatione Macedonii Epiſcopi, per ſubornatos adoleſcentes, infrà.

Perſecutiones & vaſtationes Barbarorum variæ.

II. Graviores fuerunt Perſecutiones, quæ in Gentes & Eccleſias integras motæ: Ex. gr. Perſecutio *Romæ*, & in *Italiâ*, *Pannoniâ*, Arcadio & Honorio Principibus, per *Gothos* Occidentales ſeu *Viſigotthos*, à Ruffino Præf. Præt. Orientis accitos; *Alarico* Urbem tandem expugnaturo, quanquàm *Eccleſiis* parceret: Invadendâ deinceps etiam Urbe per *Wandalos*, Genſerico Rege ex Africâ in Urbem per Eudoxiam (vindictæ causâ) evocato, A. CCCCLV. *Urbe* tùm *incensâ*, ut Euagrius Hiſt. L. II. C. VII. & *cunctis opibus direptis*; tamen ab incendio & cædibus ſervatam ſcribit Paulus Diaconus, *Hiſt. Miſc.* L. XV. Sic in *Phrygiâ*, *Lydiâ*, & vicinis primùm locis, ſævitum per *Oſtro-Gotthos*; quibus ſub Marciano Imper. conceſſa pars *Pannoniæ*, quæ in longa porrecta planicie, habet ab *Oriente* Mœſiam ſuperiorem, à *Meridie* Dalmatiam, ab *Occaſu* Noricum, à *Septentrione* Danubium: Et caput quidem fuit ſeu prima Urbium *Sirmis*, *Sirmium*, Walamiro Rege, cui ſucceſſit germanus frater Theodemir Suevor. domitor, apud Jornandem *Cap.* LIII. Sic graſſati per *Gallias*, *Hiſpanias* Suevi, Alani, Wandali, Viſigotthi, ut infrà. Sic *Illyricum*, *Pannon. Italiam*, *Germanias*, *Gallias* magnam partem vaſtarunt *Hunni*, Attilâ Rege, qui ſe *flagellum Dei* nuncupabat, imò *magni Nemrodi nepotem*, (ſi fides Nauclero, Bonfinio, &c. tacente Jornande) indè ab Anno CCCCLI. Quando in *Illyricum* primùm, tum Germanias, Gallias, Italiam, horrendam irruptionem fecêre, inſtante muneribus Genſerico Wandal. Rege, cum exercitu *ſeptingentorum millium numero*; poſt afflictum ab iis Orientem, ut qui Sarmatiâ primùm Aſiaticâ oriundi. Duravit hic Attilæ furor, ad A. CCCCLIV. quando devaſtatâ Aquilejâ, Mediolano, Ticino, urbibus aliis, Romam jam properabat; ſed mutato mox conſilio, poſt *Leonis* Romani occurſum, de quo Caſſiodorus in *Chron.* Paulus Diaconus in *Hiſt. Miſc.* In Gallias adverſus Alanos movit, ſed ab Aëtio Magiſtro Militiæ, adjuvante Meroveo Francorum, & Thoriſmundo Rege Viſigotthorum, in Campis Catalaunicis prælio victus; hinc regreſſurus tandem in Pannonias, ex Jornande *de Rebus Geth.* C. XLI. XLII. & Hiſtoriâ Francor. ac Chronicis

nicis. Paulo poſt idem Attila, inter nuptiarum & comeſſationum gaudia, interfectus (ut ajunt) ſuaſu Aëtii Patricii, faciente Hildicone ſponſâ, A. CCCCLIV. quod *Marcellinus*, & alii referunt: De quibus omnibus Socrates, Sozomenus, Marcellinus, Oroſius, Euagrius, Procopius, Jornandes, Iſidorus, Paulus Diaconus, &c. Quæ magis ad Hiſt. civilem ſpectant. Barbaris his *Pagani* ſeſe permiſcentes, Chriſtianis interitum moliebantur, novaſque Perſecutiones animis agitabant.

Hiſpa- In *Hiſpaniis* plurimi Martyres, ſæviente in eos Gunderico vel Gunthario Wandalorum Rege, fratre Genſerici, *Arianæ* ſectæ, de quibus *Gregor. Turonenſis*, obſcuris tamen illis Martyribus. Donec hi ipſi Wandali, Hiſpaniâ relictâ, invadendam eam relinquerent Walliæ Viſigotthorum Regi; ipſi in Africam migraturi, invitante precibus Bonifacio Comite, qui Valentiniani Principis in offenſam venerat, A. CCCCXXVII. Quæ pluribus Jornandes de *Rebus Geticis*, *Cap.* XXXIII. ut mittam alios.

liis. *Gallicanas* Eccleſias miſerè etiam afflixerunt iidem primò *Wandali*; tùm *Gotthi* Occidui ſub Honorio, ſedes fixuri in Aquitanicâ II. & parte Narbonenſis Galliæ; hinc in Hiſpanias regnum protenſuri, pulſis Alanis & Wandalis, ſub Theodoſio Jun. Undè *Gothiæ* nomen illi Galliarum parti, quæ intrà Aquitanicam II. Novempopulanam, & Narbonenſem primam, deſcripta fuit, olim *Septimania* dicta, de quâ nos in Geograph. S. Hodie Gallis *Languedoc*, *Linguadokium*, an quaſi Lant-Gothia, vel Lingua Gothica; aliam etymologiam præferente Vaieſio, quaſi *Langue-d'Oc*, quia idiotiſmus Gentis eſt dicere *Oc* annuendo, loco *ita*, *oüy*.

ricâ. *Africam* afflixêre primo furores *Donatiſtarum* & *Circumcellionum*, de quibus multis Auguſtinus, & nos etiam ſuprà, *col.* 1020. Sed cumprimis afflixêre *Wandali* Arianiſmo addicti, primùm Genſerico Rege, dein Hunerico ejus Succeſſore; Africâ à Genſerico perdomitâ, à Gadibus ad Tripolim, ac fœdere etiam ſibi firmatâ ſub Valentiniano III. Poſt cujus mortem non *Africam* modò univerſam, ſed & *Sardiniam*, *Corſicam*, *Siciliam*, *Majorcam*, *Minorcam*, &c. obtinuit. Ac per hos quidem, *Genſericum*, & *Hunericum* filium, tùm & Nepotes, Gundamundum, Tranſamundum vel Thraſimundum, tandem Gelimerum invaſorem tyrannidis, à Beliſario Magiſtro Milit. ſuperandum, *annos* ferè centum, ſeu (ut Juſtinianus ipſe) *nonaginta quinque*, *captivata* fuit & oppreſſa; *Carthagine* Regni Wandalici ſede conſtitutâ. Cumprimis Catholici ſub Genſerico vel Gizerico, & Hunerico Regibus, viri & fœminæ, ob *confeſſionem S. Trinitatis*, inaudita cruciatuum, torminum, ſuppliciorum, perpeſſi, incredibili conſtantiâ; Epiſcopi Sedibus ſuis pulſi; Eccleſiæ vaſtatæ; Vaſa Templorum direpta; Virgines denudatæ, etiam pelle detractâ; ignes, beſtiæ, *nervicæ cordæ* adhibitæ, torquendis miſeris; Libri Sacri concremati; aliquot millia in Eremum miſſa, paſcenda hordeo, & acuto genere frumenti; Linguæ aliis excectæ, qui elingues etiam *pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur*, teſte ipſo Juſtiniano de *Officio Præf. Præt. Africæ*, in Prooemio, *Cod. Lib.* I. *Tit.* XXVII. Exempla immanitatum refert Victor Uticenſis, de Perſecutione Wandalicâ, *Libris* III. Ex. gr. *Lib.* I. de *Armogaſte* quodam, *cujus cùm diu ac ſæpius tibias torquendo tumentibus confringerentur cordis, & frontem (in quâ Chriſtus ſuæ vexillum fixerat Crucis) rugatam, magiſque aratam, deſcendentes atque mugientes oſtenderent nervi, ut fila aranearum, Sancto Cœlum reſpiciente, crepabant. At ubi tortores nervicas cordas diſruptas eſſe viderunt, allatis crebrius fortioribus cordis, atque cannabinis, illo nihil aliud niſi Chriſti nomen invocante, omnia vaneſcebant. Sed & capite deorſum, dum ad unum penderet pedem, dormire quaſi ſuper lectum plumis ſtratum, omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus Regis filius, pœnis non valentibus, capite truncari juſſiſſet*, tandem (ne unâ morte interficeretur) *in Byzacenam Provinciam ad fodiendas ſcrobes condemnatus fuit.* Ex uno diſce omnia, de quibus Victor, inſertus Bibl. M. Patrum Pariſinæ, *Tomo* VII. p. 588. & Procopius *de Bello Wandalico*, Marcellinus Comes, Euagrius, Paulus Diaconus, alii. Nec tamen perſecutionem Wandalicam ſenſit Auguſtinus, melioribus adſcriptus, An. CCCCXXX. antequam Hippone Regiâ potiretur Genſericus.

Britanniam conculcarunt, ex Hiberniâ eò delati Britan- *Scoti*, ex Septentrione *Picti*; dein ex patrio vel Friſico niâ. litore *Saxones*, ſeu hi à *Vortigerno* vel *Vurti* Britannor. Rege invitati, ſeu à Friſiis depulſi ſuis ſedibus A. CCCCL. ducibus, Hengiſto & Horſâ fratribus; qui ſpecie auxilii in ſocios arma verterunt, ab Orientali mari ad Occiduum depopulati. Undè miſeri Chriſtiani ad Montana Walliæ ſeu Cambriæ, & Cornubiæ, vel in oppoſitam Continentem, tùm *Batavam*, ubi Arx Britannica, ad Rheni quondam oſtia, tùm *Armoricam* Galliæ, quæ deinceps Britannia Minor, fugere coacti. Quâ de Perſecutione fusè Albanius Gildas, veriſſimus Hiſtoricus, *de Excidio Britanniæ* C. XXIV. *De mari uſque ad mare ignis Orientalis* (nam in Orientali parte Inſulæ Saxones primò ſedem fixerant) *in ſacrilegorum manu exaggeratus, & finitimas quaſque Civitates agroſque depopulans, non quievit accenſus, donec cunctam pene exurens Inſulæ ſuperficiem, rubrâ Occidentalem trucique Oceanum linguâ delamberet. In hoc ergo impetu, Aſſyrio olim in Judæum comparando, complectur quoque in nobis ſecundum hiſtoriam, ut dicitur Pſ.* LXXIV. 7. *Pſ.* LXXIX. I. &c. Et Beda in Hiſt. Anglo-Saxonum, *Lib.* I. C. XV. *Ab Orientali mari uſque ad Occidentale, nullo prohibente ſuum continuavit incendium* Paganorum ignis, *totamque propè Inſulæ pereuntis ſuperficiem obtexit. Ruebant ædificia publica ſimul & privata, paſſim Sacerdotes inter altaria trucidabantur, Præſules cum populis, ſine ullo reſpectu honoris, ferro pariter ac flammis abſumebantur; nec erat qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miſerandis reliquiis, in montibus comprehenſi, acervatim jugulabantur. Alii fame confecti procedentes, manus hoſtibus dabant; alii tranſmarinas regiones dolentes petebant; alii perſtantes in patriâ trepidi, pauperem vitam in montibus, ſylvis, vel rupibus arduis, ſuſpectâ ſemper mente agebant.* Prolixè etiam ex iis Uſſerius in *Antiquit. Britan. Cap.* XII.

In *Perſide*, regnante hoc Seculo *Iſdigerde*, nova Perſide. cœpit perſecutio excitari; de quâ pluribus Theodoretus, ſub finem Hiſtoriæ ſuæ, deque ejus occaſione ex immoderato Epiſcopi cujuſdam zelo, L. V. *Cap.* XXXIX. Nempe *Abda* quidam Epiſcopus, impulſus immoderato zelo, πυρεῖον ſeu Templum Igni conſecratum, quem Deum eſſe Perſæ arbitrantur, incendit; quâ re ad Iſdigerdem delatâ, juſſit primò lenibus verbis, Templum ut reædificari curaret: Negante Abdâ, minatus Rex eſt cunctas ſe Eccleſias deſtructurum; tandemque ad effectum perduxit, atque Abdâ prius trucidato, *Eccleſias ſolo æquari* præcepit. Ità imprudentia unius Epiſcopi exitio fuit tot florentibus in Perſide Eccleſiis: Et continuata perſecutio ſub *Gororane* Iſdigerdis filio, vel *Varanane* ut Procopius, quando ſuppliciorum variæ ſpecies & tormentorum excogitatæ à Perſecutoribus: Dùm *aliorum manus, aliorum terga excoriata; aliorum Capita à fronte ad barbam uſque, cute nudata; alii ſectæ per medium arundines corporibus applicatæ, dein per vim extractæ; foveæ etiam defoſſæ, eæque magnorum murium agminibus impletæ, quibus Athletæ in pabulum projecti*, &c. Et quæ multo graviora his ſupplicia, tum à Barbaris excogitata, refert Hiſtoricus.

In *Oriente* & ſævitum per *Anaſtaſium* Imperat. ſub finem Seculi, & initia ſequentis: Primò Ortho-

Digitized by Google

thodoxiâ ſimulatâ, etiam ſub Syngraphâ; dein Eutychianiſmo palàm defenſo, Syngraphâ repetitâ, & Orthodoxis Sedibus motis, ſpeciatim *Euphemio* Conſtantinopolitano, ut ſuprà; poſt & ſucceſſore *Macedonio*, aliiſque, ex Euagrio, & Theodoro Lectore. Inviſi autem hi ipſi Romanis Epiſcopis, tùm quod *Acacium* defenderent; tum quod *Henotico* ſubſcripſiſſent; tum denique quod Eccleſiæ *Conſtantinop.* privilegia, de quibus dictum eſt, tuerentur.

XII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi, miſcella; & ad Eccleſiæ Hiſtoriam ſpectantia.*

Codicis Theod. Hiſtoria. Quibus Codd. antè uſi.

Huc ſpectant, præ multis aliis, I. Hiſtoria *Codicis Theodoſiani* hoc Ævo compoſiti, auſpiciis Theodoſii Junioris, ut quoque Proſper in *Chron.* editiſque, ut vulgò tradunt, Conſtantinopoli v. Kal. Mart. Anno ccccxxxv. At Jac. Godofredus in Prolegomenis, *Cap.* I. multis argumentis evincit, vitio laborare ſubſcriptum Conſulatum Theodoſii, *in Novellâ* I. quâ Codicem Theodoſianum confirmavit, factumque id Conſulatu ejus xvi. Anno ccccxxxviii. Anteà verò publicè obtinuerant, quacunque auctoritate hi ſcripti, ſeu publicâ ſeu privatâ, Codex *Hermogenianus*, ab Hermogeniano J. C. ſcriptus, qui & Juris Epitomen edidit, ac vixit ſub Conſtantini M. filiis, Paganorum Sacris addictus; Et Codex *Gregorianus*, an à Gregorio Præf. Prætorio ſub Conſtantino M. inde ab A. Chr. cccxxxvi. de quo Optatus Milevit. *Lib.* III. p. 64. Donatum Carthaginenſem ad eum ſcribere non dubitaſſe, *Gregorî macula Senatûs, dedecus Præfectorum, & cætera talia.* Quorum Codicum (qui à Conſtitutionibus *Adrianeis* demum orſi, & à novâ ſub eo Juriſprudentiâ, condito ab hoc Imper. *Edicto perpetuo*) nonniſi Fragmenta ſuperſunt.

Nempè eo Codice Theodoſius ab interitu vindicavit, additâ brevitatis luce, in uſum *fori*, ſaluberrimo inſtituto, Conſtitutiones, Edicta, Reſcripta, Mandata, Epiſtolas *Chriſtianorum* Principum (Julianum ſi excipias) indè ab anno vii. Conſtantini M. poſt devictum Maxentium, A. cccxii. ad Theodoſii Jun. Conſulatum xvi. A. ccccxxxviii. quando Valentinianus III. uxorem jam duxerat Eudociam Theodoſii Filiam: Undè in ultimâ Conſtitut. ad Florentium P. P. *Novellâ* I. quâ *confecto Codici vires auctoritatemque tribuit*, ut loquitur initio *Nov.* II. Valentinianum *Filium noſtræ Clementiæ* vocat. Adde *Appendicem* Cod. Theod. edente Jac. Sirmondo, Anno MDCXXXI. ſeu Conſtitutiones novas numero xviii. diverſorum Principum indè à Conſtantino Aug. ad Theodoſium Jun. & Valentinianum Augg. addendas ſcilicet ad *tres* Ultimas, in *Extravagante* de Epiſcopali Jud. Sed hæ Conſtitutiones, quas Sirmondus dicit in *Breviariis* Cod. Theodoſiani cohæſiſſe, meritò ſuſpectæ videantur: Pleræque illæ, pro confirmando *Epiſcoporum judicio*, licet *altera pars* litigantium refragetur; Pro *teſtimonio* vel *unius* Epiſcopi, cui in judicio ſit credendum; De *Clericis*, in cauſis Eccleſiaſticis, ad *publicum Judicium non pertrahendis*, &c. Quâ de re pluribus Jac. Godofredus, in *Prolegomenis*, & in Notis ad *Extravagantem* de Epiſcopali Judicio; ubi probat pluribus, has leges aliis legibus contrarias eſſe, & refertas eſſe paradoxis, falſimoniis, etiam verborum farragine alienâ à Conſtantini M. & proximè ſucceſſorum Ætate.

Leges Eccleſiaſticæ.

Totus Liber xvi. exhibet Conſtitutiones ad Res & Perſonas *Eccleſiaſticas* ſpectantes. Res iterùm vel principales, *Fides Catholica*, *Religio*, & his contrariæ *Hæreſes*, *Schiſmata*; vel acceſſoriæ, ut res Sacræ, & Religioſæ, SS. *Eccleſiæ*, *Donaria*, *Sepulchra*, *Ceremoniæ* ac *Ritus* varii. Perſonæ ſunt vel Orthodoxæ, conſideratæ aut ratione Ordinis, ſuperioris & inferioris, *Epiſcopi*, *Clerici*, *Monachi*; aut ratione Muneris, Jurium, v. gr. in *Audientiâ Epiſcopali*: Vel ſunt Heterodoxæ, iterumque aut Pſeudo-Chriſtiani, ut Hæretici *Ariani*, *Eunomiani*, *Manichæi*, *Pneumatomachi*, &c. aut Chriſtiani, ſed *Contentioſi*, *Schiſmatici*, *S. Baptiſma iterantes*; aut extra Eccleſiam, *Apoſtatæ*, *Judæi*, *Samaritani*, *Pagani*, horumque *Templa*, *Sacrificia*. De his Leges ſub xii. Titulis. Ac pro more ſuo Baronius, Allatius, *Imperatores* hoc jus νομοθεσίας Eccleſiaſticæ uſurpaſſe; feciſſe conniventiâ Romanorum Pontificum; Executores tantùm fuiſſe Canonum, &c. Quâ de ſuppoſitione jam ſuprà, & infrà ubi de *Juſtiniano*, & de ſubjectione *Romani Epiſcopi*, ac obſequio præſtito mandatis Imperatorum.

Uſos verò fuiſſe in hujus *Sec.* & ſequentis decurſu Codicis Theodoſiani legibus, non modò in utroque Imperio, qui iiſdem Ordinationibns regebantur; ſed etiam in Orbe Occiduo eas Gentes quæ proprium ſibi Jus habuêre, nec parebant Imperatoribus Romanis, indubium eſt. Sic Alaricum Viſigotthorum Regem, Romanarum legum collectionem, & præcipuè ex hoc Codice, inſtituiſſe, in *Breviario* quod *Aniani* dictum, pluribus Godofredus, *Prol.* C. v. Hinc auctoritas iiſdem legibus fuit ſub *Oſtrogotthis* in Italiâ, etiam poſteà *Longobardis*; ſub *Francis*, *Burgundionibus*, per Gallias; ſub *Viſigotthis* per Hiſpan. ut pluribus idem ex certis documentis evincit. Et diſertè Theodoricus apud Caſſiodorum, Variarum *Lib.* III. C. XLIII. *Delectamur jure Romano vivere, quos armis cupimus vindicare, nec minor nobis cura eſt rerum Moralium, quàm poteſt eſſe Bellorum.* Ne dicam Auctorem *Collationis Moſaycarum* & Romanarum Legum (quem edidit P. Pithœus J. C. Gallus) coævum Caſſiodoro, id eſt, Seculo v. ad finem vergente, contuliſſe etiam leges Moſaicas cum Legibus *Theodoſianis*, ex eodem patet, uti etiam cum Codice *Hermogeniano* & *Gregoriano*.

Cod. Theod. uſi Gotthi, Wandali, Burgundi, Franci, &c.

II. Dignum relatu factum *Eudoxiæ* Auguſtæ, ſub primordia hujus Seculi, A. cccci. de quo Socrates *Lib.* VI. *Cap.* XI. Nempè *Severianum*, Gabalorum in Syriâ Epiſcopum, deſiderans hæc conciliatum Johanni Chryſoſtomo, quem alienum à Severiano reddidiſſet ſiniſtra quædam relatio Serapionis; Johannem ut flecteret, filium ſuum *Theodoſium*, admodùm infantem, *ad genua Johannis* in ipſâ Eccleſiâ abjeciſſe fertur, per ipſius Caput obteſtata, ut Severianum in amicitiam reciperet; ac ægrè tandem quod voluit impetravit. Confirmat rem emphaticè Nicephorus, Hiſt. *Lib.* XIII. C. IX. Sed *Severianus*, ſi vera narrantur, mox odio & æmulatione percitus, evaſit magnus Chryſoſtomi perſecutor, & accuſator, ac ſe Theophilo Alexandrino junxit in damnatione Chryſoſtomi, ex Socrate, *Lib.* VI. C. XV. XVI.

Factum Eudoxiæ Imper. De Chryſoſt. quædam.

Fuitque hæc inflexibilitas Chryſoſtomi, & ſeveritas, præter raras Viri dotes, invidiæ in eum plurimæ cauſa, quæ eum tandem oppreſſit. Liberior etiam in traducendis publicè Auguſtis, non uno apud Socratem rei exemplo, *Lib.* VI. Hiſtoriæ. Ac Chryſoſtomi æſtui, opponit Hiſtoricus Siſinnii, Novatiani Epiſcopi, ingens frigus: Undè quum ad eum commotior Chryſoſtomus, *faciam ut non ampliùs concioneris, Hæreticus es!* Reſpondit Siſinnius; *At ego mercedem tibi ſolvam, ſi me tanto labore liberaveris*, Hiſt. *Lib.* VI. C. XXII.

III. *Edicta* quædam Principum fuêre memorabilia: Tale eſt Edictum Valentiniani & Theodoſii, *Cod. Lib.* I. *Tit.* VIII. l. *unicâ*: Ne quis *ſignum Salvatoris* (Crucis) *vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere* tentaret. Quod ipſum repetitur *Canone* LXXIII. Synodi Trullanæ, ubi τὴν σεβονήσειν Signo illi attribuunt. Ac quic-

Edicta quædam memorabilia.

quicquid illo ſigno *Diadema* ſuum ornarent Auguſtæ, ex *Nummis*, tamen cum dictâ lege pugnat ornare illo *Calceos* vel *Crepidas*, quod fecêre tandem Romani Pontifices.

Accedat Edictum Valentiniani III. Imperat. An. CCCCXLV. quo Primatus Rom. Epiſcopi (non profectò poteſtas Monarchica) planè ex nutu Leonis Romani, tam in *Gallicanas* quàm in alias Occidentis Eccleſias ſancitus fuit; atque adeò cujus eſſet judicio *univerſis* ſtandum, petitâ ratione à *Petro*, à dignitate *Urbis*, à *Synodali* auctoritate. Ac de Edicto illo, ejuſque occaſione, & falſis hypotheſibus, etiam non obſervantiâ, pluribus nos ſuprà, *col.* 987.

Illi autem legi meritò opponas alteram Leonis Imperat. aliquot poſt annis, quæ eſt XVI. *Cod. de S. S. Eccleſiis*, de primatu Sedis Conſtantinopolitanæ. *Sacro-ſanctam quoque hujus Urbis* (Conſtantinopolitanæ) *Eccleſiam, & Matrem noſtræ pietatis, & Chriſtianorum Orthodoxæ religionis omnium, & ejuſdem Religioſiſſimæ Urbis Sanctiſſimam Sedem, privilegia & honores omnes, ſuper Epiſcoporum creationibus, & jus antè alios reſidendi, & cætera omnia quæ antè Imperium noſtrum, vel Nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter, Regiæ Urbis intuitu, judicamus & ſancimus.* Quod verò excipit Baronius, ad An. CCCCLXXII. N. IV. hæc *proculdubiò Acacii verbis concepta* fuiſſe, idem nos meritò de lege Valentiniani, *conceptam verbis Leonis* Romani. Ac dudùm poſteà Juſtinianus, l. XXIV. d. Tit. Conſtantinopolitanam Eccleſiam *omnium aliarum Caput* eſſe decrevit, quouſque pateret Imperium Juſtiniani.

Baronius notat. non ſemel.

Uſus Pallii Archiep. Ravenn. conceſſus.

Huc facit conceſſio ejuſdem *Valentiniani*, facta Epiſcopo Ravennatenſi (Cuſpiniano, Hieron. Rubeo, aliis referentibus) poſtquam *Ravennam* ad litus maris Hadriatici, inter pelagus, paludes, & Padi fluenta ſitam, Urbem tergeminam, ſtatuit ſedem Imperii ſui, & Caput Urbium XIV. *Sarſinæ*, *Ceſenæ*, *Forum-Popilii*, *Forum-Livii*, *Forum-Cornelii*, *Faventiæ*, *Bononiæ*, *Mutinæ*, *Parmæ*, *Rhegii*, *Placentiæ*, *Brixelli*, *Vici-Variani*, *Hadriæ*, in Flaminiâ & Æmiliâ Prov. quarum Ravenna Metropolis fuit. Donavit nempè Epiſcopum illum, in Metropolitanum evectum, *laneo Pallio*; quemadmodum dicuntur in illo Valentiniani Inſtrumento, *honore Pallii frui omnes Metropolitæ, degentes ſub noſtrâ Chriſtianiſſimâ poteſtate.* Quod ſi germanum hoc ſit Inſtrumentum, quod exhibet Baronius ad A. CCCCXXXII. *Num.* XCII. de quo ipſe quidem dubitat, hoc veſtimenti genere jam tum diſtingui cœperant Archiepiſcopi; quo aliàs *ſoli Cæſares uti conſueverant*, ut Hieron. Rubeus, adde, Proconſules, Legati Cæſarum, quibus inſigne hoc Imperialis Majeſtatis ab Imperatoribus inferioris ævi conceſſum fuit; ut etiam Ferrarius de Re Veſtiariâ *P.* II. *Lib.* IV. C. III. Abſurdè autem Baronius cum ſuis, 1. Uſum *Pallii* Archiepiſcopalis jam indè à *primordiis* Eccleſiæ obtinuiſſe, inter Pontificum ſcilicet decora. 2. Nonniſi à *Romanis Pontificibus* tradi ſolitum *Archiepiſcopis, nunquam ab Imperatoribus*, ad A. CCCCXXXII. N. XCIV. Quæ ille nullo documento probat, præterquam ex Epiſtolis *Gregorii* Papæ toto poſt ſeſquiſeculo. Quum ſequente adhuc Ævo *Auxanius* Arelatenſ. Archiepiſcopus, ſucceſſor Cæſarii, circà A. DXLIII. Pallii uſum petens à Vigilio Papâ, hoc reſponſum tulerit, in Epiſtolis Vigilii, *Ep.* VI. T. V. Concil. *col.* 320. *De his verò quæ Caritas veſtra, tam de uſu Pallii, quàm de aliis ſibi à nobis petitis debere concedi, libenti hoc animo etiam in præſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cum Chriſtianiſſimi Domini Filii noſtri Imperatoris ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitiâ*: Rursùs, *dùm quæ poſtulaſtis, cum conſenſu Chriſtianiſſimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus ſervaſſe, cum competenti reverentiâ, judicemur.* Nequicquam ergò Baronius, nodum non valens ſolvere eundem ſecat, conſtitutionem eam ſuppoſititiam cenſens. Quum tamen certum ſit, indè à Valentiniano III. Metropoliticum jus habuiſſe *Ravennatenſes*, in Flaminiâ Æmiliâque Provinciis, quæ Urbs *Exarchatu* poſteà donanda, tandem à Francis ſubjecta Romano Epiſcopo fuit.

Miracula huic Ævo adſcripta. De S. Germano. De Leone & Attilâ.

IV. Adde *Fabulas* Monachorum, & *Miracula*, ſine fine huic Ævo adſcripta, circà Martyres, Epiſcopos, Baptizandos, Ægros, &c. apud Gregorium Turon. Sigebertum, Nicephorum, Antoninum Florent. Vincentium in Speculo Hiſtoriali, id genus Scriptores, & qui *Vitas* Sanctorum hujus Ævi ſcripſêre, quorum narrationibus Annales ſuos implet Cæſar Baronius. Ex. gr. de *Germano* Autiſſiodorenſi, & *Lupo* Trecaſſinæ Eccleſiæ Epiſcopis, ex Galliâ in *Britanniam* miſſis, A. CCCCXXXIX. Papa Cœleſtino (quum Hæreſi Pelagianâ ab Agricolâ quodam noviter infecta eſſet) referunt Erricus in *Vitâ* S. Germani, Ranulphus Ceſtrienſis in *Polychronico*, Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Hiſtoriali*, &c. Nempè, quod dum *Vortigernus* Britannorum Rex hoſpitium Germano negaret, *ſubulcus* Regis videns Sanctos Dei afflictos, hoſpitium eis exhibuit, ac vitulum eiſdem in cœnam paravit. In cujus rei præmium non modò Germanus *vitulum reſuſcitaverit*, ſed & *Regem* de ſolio deturbaverit, & *ſubulcum* prædictum, ſtupentibus cunctis, in Regis locum ſuffecerit: Et ſucceſſores, in illâ Cambriæ parte, prodiiſſe volunt de genere ſubulci. Miracula alia Germani & Lupi, in illâ legatione perpetratâ, etiam ad ſepulchrum *S. Albani* protomartyris, refert ex *Surio* Baronius, ad Annum CCCCXXIX. *Num.* X. & ſeq.

Celebratum eſt de *Attilâ* Hunnorum Rege iſtud *grande miraculum*, ità Purpuratus. Romam ille properabat concitato gradu, ut ferro & flammis omnia devaſtaret; quum ſubitò gradum referre Rex ille viſus eſt, non tantùm ad patheticam *Leonis* Epiſcopi orationem, ſed & ad *viſionem* quandam, dùm loqueretur Leo, Attilæ exhibitam; ſcilicet Viri *Sacerdotali habitu decori, & quid divinum præ ſe ferentis, minantiſque mortem niſi Leonis Papæ juſſa capeſſeret*: Refert Baronius, ſcilicet ex *Romanæ Eccleſiæ veteribus monumentis, in Eccleſiis publicè lectis, & annis ſingulis repeti conſuetis*, ad An. Chr. CCCCLII. N. LVII. LVIII. Tacente rem Jornande de *Rebus Get.* C. XLII. ubi *Leonis* ad Attilam ſeceſſum memorat, deiń hujus quidem ultrà Danubium diſceſſum, ſed cum *interminatione*; *ſe graviora in Italiam illaturum niſi ad ſe Honoriam, Valentiniani Principis germanam, filiam Placidiæ* Aug. *cum portione ſibi regalium opum debitâ, mitteret.* Tacent viſionem miraculoſam alii quoque Hiſtorici. Arripit verò avidè Baronius quæcunque, etiam manifeſtò falſa & fabuloſa, faciunt ad extollendam Pontificum vel poteſtatem, vel ſanctitatem, aut exiſtimationem.

Adde narrationem, ex Socrate *Lib.* VII. C. XVII. de *Judæo* quodam ſæpiùs baptizato ab Hæreticis, quæſtûs causâ; tandem accedente ad Paulum Novatianorum Epiſcop. ut tingeretur, ſed *aquâ ſubitò evaneſcente* An. CCCCXIX. Hujuſmodi altera, quam refert Baronius, ut publicè in Eccleſiâ legi ſolitam, ex antiquo Codice MS. *S. Mariæ ad Martyres*, ad Annum CCCCXLVI. N. XVIII. De Judæo ſcil. *Imaginem Salvatoris* vulneribus confodiente, undè magna copia ſanguinis, quam deinceps in propinquum puteum conjecit: Manè venientes ex more hauſturi ex puteo aquam, loco aquæ ſanguis deprehenſus; quâ re ad *Præfectum* Conſtantinopolitanum delatâ, hinc ad *Imperatorem*, detectum Judæi facinus fuit, prodente uxore ipsâ, quæ maritum pridie adſperſum ſanguine conſpexerat, ſuſpectum hinc ſibi de perpetrato homicidio. Judæo crimen confeſſo, ipſe & uxor S. Baptiſmo vitam redemerunt.

Aliæ Fab.

Digitized by Google

runt. *Sed quo potiſſimùm tempore*, inquit Baronius, *id acciderit, nuſquam mentio.* Nempe fabellis id genus, natis poſt Nicænam Synodum II. Iconolatricam Seculo VIII. aut *Actis* illius Synodi inſertis, finis nullus eſt; tamen hæc publicè *recitari in Eccleſiâ* S. Sophiæ *conſueverant*, ut ibidem Purpuratus. Adde fabulas ſine numero & modo, de fugatis *Dæmonibus*, *Mortuis ſuſcitatis*, *Arreptitiis liberatis*, &c. quibus replet Annalium *Tom.* V. & VI. Cæſar Baronius, quarumque Auctores hoc Seculo ſuprà indicati (ubi de Martyrum tranſlationibus, miraculis, ſic de ſuperſtitione Monachali, uti de rebus geſtis *Danielis Stylitæ*, *Sabæ Abbatis*, &c.) *col.* 972. 975. 976. Nec commentis vel narrationibus id genus paginas noſtras commaculamus. Adi quoque, ſi tanti videbitur, Centuriatores Magdeburg. *Cent.* V. *Cap.* XIII.

Narratio de invento Corpore Stephani Protom. De Brachio ejuſdem: Mariæ pect. Cingulo Dom. S. Sindone, &c. Aliæ ex Niceph. ad hanc Ætat. relatæ.

V. Sic meritò habemus in fabulis, *Viſiones* illas quæ contigiſſe dicuntur *Luciano Presbytero*, agenti in Palæſtinâ in territorio Hieroſol. quo tempore ibi Oroſius fuit, A. CCCCXV. *Conſulatu Honorii* X. *Theodoſii* VI. *Augg.* Quando ipſi dormienti revelatus eſt locus hactenus ignotus, in quo *Stephani Protomartyris* Corpus ſepultum jacuit, in villâ Gamalielis, olim dictâ *Caphar-gamala*; cum omnibus circumſtantiis factæ revelationis, *Johanne* tùm Hieroſolymorum Epiſcopo. Quas *viſiones* ipſe Lucianus Scriptis mandaverit, Encyclicâ Epiſtolâ ad Omnem Eccleſiam de Revelat. Corporis S. Stephani, quam è Græco in Latinum verterit Avitus Presbyt. homo Hiſpanus, Epiſtolâ ſcriptâ è Palæſtinâ ad Epiſcopum Bracarenſem nomine *Balchonium*. De hoc fuſè Baronius ad A. CCCCXV. *Num.* II. III. IV. &c. & Surius *Tomo* IV. ac meminit hujus Luciani Photius *Cod.* CLXXI. in *Hiſtoriâ Chryſippi*, qui fuerit Presbyter Hieroſol. & qui de converſione *Gamalielis* magiſtri Pauli Apoſt. retulit. Et Reliquias eas Stephani *Oroſium* Presb. una cum Literis Aviti Presb. detuliſſe primum in Hiſpaniam, habet Marcellinus in *Chron.* quin hæc Monumenta edita ſunt ad calcem Librorum Auguſtini de Civitate Dei. Omnia conficta, ut *Reliquiis* Stephani auctoritas adderetur, adſtipulante Gennadio in Libro de *Viris Illuſtr.* Ejus commatis eſt Hiſtoria *Veſontina*, quam edidit Joh. Jac. Chifletius, in quâ refertur, *Theodoſium* Imper. miſiſſe Veſontionem præcipuum munus, *Brachium S. Stephani Protomartyris*, cujus Corpus fuerat per Lucianum Presbyterum repertum: Tum addidiſſe munera alia, ut *B. Mariæ pectinem*; *tantillum de capillis ejus*; *Cingulum quoque Dominicum* vel baltheum, ſeu *zonam* quâ B. Virgo puerum Jeſum præcingeret; *Corpora* item S. Martyrum *Iſidori* & *Epiphanii*, denique *Caput S. Agapeti*. Unde Hymnus antiquus in *Celidonio* relatus, ab eodem Chifletio,

Magnificemus Virginem,
Cujus habemus pectinem,
Crines, Cingulum Filii,
Sui cumulum gaudii.

Uti *Sudarium* vel *Sindonem* ſepulchralem, quo honeſtè compoſitum fuerit Corpus Salvatoris, cuſtodiunt Veſontini in Eccleſiâ S. Stephani; priores verò reliquias, in Sacrario S. Johannis Evangeliſtæ, argenteâ hierothecâ concluſas. Et de *Sindone*, quod Veſontione repoſitum, gravia litigia ſunt, cum *altero* donato à Carolottâ Ludovici Sabaudi conjuge, Cypri reginâ: Quod poſterius in *Campaniam* primò ac *Lirinenſem* Eccleſiam Trecenſis Dioceſ. hinc *Camberium* Sabaudorum metropolim, ubi miraculis plurimis claruerit, tandem *Taurinum* perlatum, hodiè *Turin*, ubi ſummâ religione oſtentatur: Adde tertium *Sindonem*, aſſervatum *Compendii* in Picardiâ, de quibus fuſè Chifletius, de *Linteis Sepulchralibus* Chriſti. Adde fabellas alias apud Nicephorum, *Lib.* XIV. C. II. *Eudociam* Auguſtam tranſmiſiſſe Hieroſolymâ ad Theodoſium Imper. *divinam Imaginem* B. Virginis à Lucâ depictam, & *Sacram Columm*, & *Servatoris σπάργανα faſcias*, quas repoſuerit in Templo τ̃ Ὁδηγῶν *Via ducum*. Credas narrantibus, quæ ſequior ſuperſtitio commenta eſt, nullo ejus Ævi Hiſtorico memorante.

Ampulla Rhem.

VI. Sic vulgatum illud *de Ampullâ Rhemenſi*, cum ſacro *Chriſmate*, quo Reges Francorum, in eorum coronatione inungi ſolent, per *Columbam*, Spiritûs S. imaginem, roſtro delatâ; alii *ab Angelo*, ſeu *Angelico miniſterio*: Quum *inungendus* eſſet vel *conſecrandus*, aliis *baptizandus* jamjam *Clodovæus* à Sancto Remigio, & deficeret Chriſma ſeu ad Regiam ſeu ad Baptiſmalem Unctionem. Referunt diverſimodè Aimoinus Monachus *S. Germani*, Hincmarus Rhemenſis, Flodoardus Floriacenſis Monachus, Seculi IX. & X. Scriptores, ex his cæteri, Guil. Brito ſive Armoricus, Petrarcha, Pius II. Volaterranus, Paulus Æmilius, Cæſar Bullengerus, alii. Pari fide quâ miracula reliqua ad converſionem ejus Regis, & Gentis Francorum, perpetrata, apud Greg. Turon. hinc Surium, Baronium, &c. Et quod Hincmarus ad *Baptiſmalem* Unctionem Clodovei retulit, & quidem in *pervigilio Paſchæ*; alii ad *Sacratum Regem* retulerunt, in Feſto *Natalitio*, quemadmodum Francorum Reges perungi ſoliti à temporibus Pipini Regis, & Caroli ac Ludovici Imperatorum. Tacuerunt autem Ampullam Remigius in ſuo *Teſtamento*, Gregorius Turonenſis, in *Hiſt. Franc.* Alcuinus in Vitâ *S. Vedaſti*, & Chronica quæ Hincmaro vetuſtiora. Vide Chifletii *Diſquiſitionem* de Ampullâ Rhem. & Blondellum in Præfatione Apologeticâ *Geneal. Francicæ*, *fol.* LVI. &c.

Pœnæ de Perſecutoribus.

VII. Huc ſpectant *pœnæ* de Perſecutoribus divinitùs ſumptæ. Quò referuntur v. gr. *Prodigia* quæ Conſtantin. accidêre, miſſo Chryſoſtomo in exilium, ex Theodoreto, Socrate, Palladio in *Vitâ Chryſoſt.* Chronico Alexandrino, &c. Puta Terræmotus in Urbe Conſtantinop. dehinc conflagrationem Baſilicæ, & Senatûs; præſagium incendii in Eccleſiâ naſcituri, ituris in partes *Johannitis*, ac duraturo Schiſmate. Adde *Tyrannorum* ac Perſecutorum triſtia fata: Ex. gr. illud *Baſiliſci* Imperatoris, Imperio exuti, & fame enecti cum uxore & liberis, in caſtello quodam in quo concluſus fuerat, ex Procopio de *Bello Wandal. Lib.* I. hinc Zonarâ, & aliis. Addit Baronius illud *Zenonis*, inviſi Latinis Principis, quem comitiali modò extinctum morbo Euagrius retulit, *Lib.* III. C. XXIX. at Græci recentiores, Cedrenus, Zonaras, vivum ſepultum fuiſſe: Nempè *inebriatum* vel, ut alii, pro *mortuo habitum*, in ſepulchrum illatum fuiſſe, lapide maximo impoſitum; dein vociferante Zenone, & ſuos fruſtrà implorante, Ariadnam conjugem prohibuiſſe *ἀνοῖξαι τὸ μνῆμα ne quis aperiret monumentum*, aut lamenta ejus curaret.

Accedat illud *Rhadagaiſi* Scythæ, Gotthorum Regis, Italiæ interitum minantis, innumerabili Barbarorum multitudine, ſed cum exercitu mirabiliter fuſi, capti, interfecti, unà *cum filiis*, cæſis *centum millibus* hominum, ut Auguſtinus, de Civ. Dei *Lib.* V. C. XXIII. Oroſius *Lib.* VII. C. XXXVII. Marcellinus in *Chron.* & Paulus Æmilius habent, fuiſſe Gotthorum *pluſquàm ducenta millia*. Et hoc exemplum profert Auguſtinus mirabilis in Eccleſiam providentiæ, nam alias *impium cum impiis copiis* nemini hominum parciturum fuiſſe, nec ullum honorem habituros fuiſſe Barbaros vel locis Sanctis, vel pudicitiæ virginum, matronarum, jamque inſultaſſe Chriſtianis Paganos. Adde *Hunericum* Wandalorum tyrannum, putrefacto & exeſo vermibus corpore miſerandum in modum extinctum, ex Victore Uticenſi, veriùs *Vitenſi*, de *Perſec. Wandal.* Lib. III. Sic memorabilis *Attilæ* exitus, (de quo

Digitized by Google

quo ſuprà) vino ſomnoque gravati, ſeu à puellâ ſibi junctâ cultro confoſſi, ut Marcellinus in *Chron.* ſeu ſanguinis ſubito de naribus effluvio, faucibus illapſo, ſuffocati, ut Jornandes de Rebus Geticis, *Cap.* XLIX. Flevêre verò Hunni præliatorem eximium, crinium parte truncatâ, ut Gentis illius mos eſt, informes facies cavis turpantes vulneribus. Hæc de multis, ſpeciminis ergo.

Canonici hujus Ævi. VIII. *Canonicorum* Collegia hoc Seculo primùm inſtituta fuiſſe, Gelaſio Papâ *Regulares Canonicos* in Laterano collocante, auctor eſt, ex Archivis Eccleſiæ Lateranenſis, Onuphrius *ad Platinam.* Quod nomen primitùs officii & regulæ, deinceps beneficii & dignitatis fuit. Ac primam originem aperuimus ad ſuperius Sec. *col.* 936. Sed *Canonici* hujus Ævi, nullâ hodierni *voti* religione leguntur obſtricti; Clerici illi ordinarii, Presbyteri ſcil. ac Diaconi, Eccleſiam unà cum Epiſcopo in commune adminiſtrantes, vacantes doctrinæ, ac functionibus cæteris Eccleſiaſticis; *Canonici* ſeu ἐν τῷ κανόνι, in Ordine Clericali, & communibus Regulis unà cohabitantes intrà Eccleſiam, vel in Epiſcopali domo, Cœnobii ſpeciem referente, & Scholæ etiam ſacræ. Diverſa jam toto cœlo Canonicorum Collegia, quæ ſequior ætas adſpexit, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, *Canonicorum* ſine *Canone*, hinc *Secularium*; nec unà viventium vel cohabitantium, nec incumbentium niſi otio, luxui, opibus, curis ſecularibus, & ſtatis in Choro cantilenis. Quales poſt tempora Caroli M. ut & *Canoniſſæ Seculares*, in Occidente nati, de quibus poſtcà.

XIII. *Occaſus Imperii Occidentis. Cum eo mutationes inſignes, natis hinc regnis Herulorum, Oſtrogotthorum, Suevorum, Viſigotthorum, Francorum, Burgundionum, Wandalorum in Africâ, & Anglo-Saxonum: Natales Venetorum Reip. & Britanniæ Gallicanæ.*

Finis Occidentis Imperio. I. Vidit & hoc Seculum *Occidentalis* Imperii caſum, Momilio Auguſtulo imperante, quem Julio Nepoti Imperatori *Oreſtes* pater, Militiæ Magiſter, per vim ſuffecerat, circà An. CCCCLXXV. Zenone Orientis Imperatore. Ex *Auguſto* Auguſtulus, etiam *Romulus* vel *Romullus* appellatus, ut in illo deſineret Imperium à quo cœperat; duraturum ab Octaviano *Auguſto* Julii fil. ſeu ab A. U. C. DCCX. ad depoſitum *Auguſtulum* A. U. Cond. MDCCXXIX. Æræ Chriſt. CCCCLXXVI. ex *Chronicis* Caſſiodori, Marcellini Com. Jornande de *Regnorum Succeſſ.* hinc aliis. Hic purpurâ ſponte depoſitâ, relegandus in Campaniæ caſtellum quoddam, rerum ſummam in *Odoacrum* transtulit, Herulorum antè (Gentis cui primitùs ultrà Danubium ſedes, vicinæ Rugiis, Turcilingiis, Wandalis, &c.) deinceps Italiæ Regem primum, ab A. CCCCLXXVI. Simplicio tùm Romæ Epiſcopo, ex iiſdem Caſſiodoro, Marcellino, Jornande, ac Chronographis. XVII poſt annis, à Zenone in Italiam invitatus *Theodoricus Amalus* Oſtrogotthorum rex, quibus *Thraciam* & *Pannoniam* incolere permiſſum à Zenone fuit, Conſul unà cum Venantio A. CCCCLXXXIV. anteà Magiſter Militiæ Orientalis à Zenone creatus, ac in Italiam primò delatus A. CCCCLXXXIX. Odoacrum cedere tandem Romanorum regno juſſit, interfectum Ravennæ, A. CCCCXCIII. Undè incipit *Epocha* nova Regni Italiæ; quanquam duplicem Theodorico Epocham attribuat Pagius, alteram ab A. CCCCXC. undè ejus Quinquennalia & Decennalia deducenda, alteram ab A. CCCCXCIII. quo Odoacer ſublatus fuit.

Regna, & Reſpubl. quæ ex occaſu Imper. Rom. ſurrexerunt. II. Mutationes hinc varias in *Occidentali* Imperio, toto hujus Seculi decurſu, eaſque memorabiles, multis referre non hujus inſtituti. Nimirum cum ruente Imperio Occidentis, indè ab Honorio, & Valentiniano III. variis Tyrannidem invadentibus, (ut ſuprà *Cap.* II.) Barbararum Gentium ſurrexêre novi in Europâ & Africâ dominatus, principatus, regna, & duratura illa, fractâ ſic Romanorum potentiâ. Primò quidem, fermè ſub exordia hujus Seculi, fuit Wandalorum, Alanorum Gentis Tanaitis conterminæ, ac Suevorum in *Hiſpanias* invaſio, ab A. Chriſti CCCCIX. quo ferè tempore *Alaricus* Viſigotthorum rex, mortem Stiliconis ulturus, in Honorium & in Italiam movit, Romam *ter* obſeſſurus, & proditione expugnaturus Anno CCCCX. Dein Alanis & Wandalis, qui *Galliciam*, *Luſitaniam*, & vicina loca occuparant, per *Walliam* V. Viſigotthorum Regem, ab Alarico (mediis Ataulpho & Sigerico) IV. dein per *Theudericum* Succeſſorem Walliæ, (qui in prælio cum Hunnis conculcatus occubuit) bello vexatis, ac tandem Hiſpaniâ ejectis A. CCCCXXVII. regnum in hac firmarunt *Suevi* & *Viſigotthi*: Illi quidem in *Galliciâ*, hi in reliquâ ferè *Hiſpaniâ*, unà cum tribus *Aquitaniis*, & duabus *Narbonenſibus*, diu regnaturi. Undè quibuſdam *Catalonia* quaſi *Gotholonia*, ut *Andaluzia* quaſi *Vandaluzia*. De quibus cumprimis Jornandes, Iſidori Hiſpalenſis *Chronica* Gotthorum, Wandalorum, Suevorum, & *Hiſtoriæ* Gotthicæ reliqui Scriptores.

(Right margin beside the above: **Alani, Wandali, Suevi.** — **Viſigotthi.**)

Franci. III. *Francorum* circà hæc ferè tempora natum in Galliis fundatumque regnum *Rege* I. *Faramundo* vulgò, A. CCCCXVIII. *ſolari* Eclipſi inſignito. Seu anteà, vagis horum ſedibus, Regem nullum haberent Franci, ſeu nullum habere permitterentur à Romanis. Sed de Faramundo, & ſucceſſore Clodione, pauca Hiſtoriæ Francorum; qui etiam an ex *Saliorum* gente, an *Bructerorum*, &c. incertum. Rege autem III. *Meroveo*, medio propè V. Seculo, occupata à Francis eſt *Belgica* II. ubi Atrebates, Veromandui, Ambiani, Sueſſiones; deinde etiam *Lugdunenſis* II. hodie Normannia, ubi Eburovices, Lexovii, &c. & *Germanica* I. ſeu Moguntiacum, ubi Vangiones, Nemetes, Tribocci. Undè prima Dynaſtia Francorum ab hoc rege ducit exordium, dicta vulgò *Merovingianorum*. Sub hoc, junctis Francorum copiis cum *Aëtio* Patricio, Romanorum duce, & Theodorico Viſigottho, *Hunni* Galliâ totâ, quam cum D. armatorum millibus ingreſſi (inſtigantibus Wandalis, & Clodionis Filiis Francorum regno excluſis) miſerè devaſtabant, exacti tandem fuêre, prælio victi in Campis Catalaunicis, quando Attilæ cæſa pluſquàm *ducenta millia* hominum, circà A. CCCCLI. Hinc Francorum Reges, poſt Meroveum, Childericus I. tum Clodoveus primus Rex Chriſtianus, de quo dictum ſuperius ad *Caput* II. Cætera ad ſequentem Ætatem ſpectant. Primitùs autem *lingua* Francorum, eadem quæ Germanorum fuit, ut ipſum nomen *Francorum*, factum ex *franc*, *vranc*, notat homines liberos, libertatis amantes, qui ut ſe vindicarent in libertatem à Romanorum tyrannide; in hoc nomen & fœdus conveniſſent. Tales *Salii* circà ripas Salæ fluvii, (quem Druſus Rheno conjunxit, hodieque *Yſala*, undè *Trans-Yſalania*) *Bructeri*, *Sigambri* vel *Sicambri*, *Chamari*, *Chattuarii*, *Tubantes*, tranſ-Rhenanæ adeoque Teutonicæ originis, ſaltem è Germaniâ Inferiori, omnes ſub *Francorum* appellatione. De quo videri poteſt Mezeræus, & Menſonis Alting V. Ampl. eruditus oppidò Commentarius de Agro Batavo, & Friſio, & Conterminis locis. Quomodò Francorum Regum ipſa nomina *Faramund*, *Merovec* vel *Merovée*, *Childeric*, *Chilperic*, *Childebert*, ſic *Fredegunda*, &c. Germanicæ originis eſſe conſtat.

Digitized by Google

Burgundiones. IV. *Burgundiones* Gens primâ origine Gottho-Sarmatica, in Germaniam deinceps delata, ubi diu Sedes habuerunt, multis quaſi *Burgiones*, à Burgis ſive caſtellis, ut *Burginatium* vel Burginacum in agro Batavo. Hi ad Mœni Rhenique ripas; hinc in Gallias effuſi, & Belgicam I. cujus caput Aug. Trevirorum, tandem permiſſi ſunt à Romanis habitare loca circà Lemannum, & Genevam. Hinc ulteriùs progreſſi, fundarunt *Regnum Burgundieum*, complexum Provincias, *Viennenſem Primam*, ubi Vienna quæ Allobrogum, etiam Geneva ad Lemannum, & Rhodani accolæ; *Lugdunenſem Primam*, ubi Lugdunum, Matiſco, Cabillonum, & Burgundiæ hodie Ducatus; denique *Maximam Sequanorum*, ubi Sequani, quorum caput Veſontio, Rauraci, & Helvetii trans Jura montem. Chriſtiani facti hi Burgundi circà A. CCCCXXX. ſed mox, Gotthorum ſecuti exemplum, ad Arianam Hæreſim prolapſi.

Wandali in Africâ. V. *Wandalorum* hac Ætate cœpit in *Africâ* Regnum; Gentis quæ ſuâ amplitudine olim occupavit quicquid ferè regionum inter Mare Germanicum vel Balthicum, & Mare Mediterraneum interjacet; unde etiam nomen & penè convicium *Valen*, *Walen*, *Welſchen*, de Gentibus exteris. Tranſiverunt autem ex Hiſpaniâ Bæticâ, ſcil. Andaluſia quaſi *Wandaluſia*, Genzerico Rege A. CCCCXXVII. cum exercitu LXXX. millium, totam Africam Romano Imperio erepturi, ſpatio VII. vel VIII. annorum. Inde demum exacti ſub Juſtiniano Imper. A. DXXXIII. virtute Beliſarii, poſt XCV. annorum regnum, ut pluribus Procopius de *Bello Wandal.* & in Codice Juſtinianus, de *Officio P. P. Africæ.* Porrò de Wandalorum in Africâ ſævitie, & atrociſſimis Perſecutionibus, dictum ad *Caput* XI.

Anglo-Saxones in Britann. VI. Nec *Anglo-Saxonum* omittenda in Britannias migratio, medio circiter Seculo V. *Hengiſto* & *Horſo* ducibus, qui duo fratres fuêre, ex nobili Saxonum (alii Friſiorum, ut Suffredus Petri *de Orig. Friſior. Lib.* II.) proſapiâ, prout nomina hæc Teutonicæ ſignificationis, alterum *Equi admiſſarii*, alterum *Equi* generalius nomen eſt. Paulo antè Britanniam invaſerant rapinis & cædibus graſſaturi *Hiberni* ſive *Scoti*, ex Scythiâ Germanicâ oriundi, & *Picti*, quaſi *Phichtian*, id eſt, pugnaces; quo tempore deſerti à Romanis Britanni, quum illorum ditiones *Hunnorum* Gens formidanda devaſtaret, Vortigernum al. Vortigerum in Regem elegerunt. Qui non ſufficiens Barbaris hiſce debellandis, invitavit ad defenſionem patriæ ſuæ, ex oppoſito litore, quod à *Friſiis*, latè per oras illas maritimas diffuſis, *Friſium* etiam appellatur, bellicoſiſſimam Saxonum Gentem. Quæ ex *Jutiâ* vel *Giothiâ* oriunda, ubi *Anglen*, *Anglia*, (quaſi *Eng-land*, Latinis *Angulus*) ad *Sliam* lacum (unde *Sleſvicum* Holſatiæ) *Anglo-Saxonum* retinuit appellationem, poſteà *Anglorum* ſimpliciter. Itaque navibus & celocibus tribus, quibus aſſueta hæc gens litoralis, piraticæ exercendæ, in Britanniam transfretarunt Hengiſtus & Horſus, cum aliquot millibus ſive Saxonum, ſive etiam Friſonum, & Anno quidem alii CCCCXLVI. alii CCCCXLVIII. alii CCCCL. de quo litigio Uſſerius Antiquit. Britannicarum *Cap.* XII. Tandem commiſſis his Anglo-Saxonibus cum ipſo Vortigerno rege, & ſociis Britannis, hoc obtentu quod ſtipendia promiſſa parcè nimis ſolverentur, in hos arma verterunt: Eodemque ferè tempore *Hengiſtus* (occiſo jam Horſo Fratre, & è patria ſua novis copiis adjutus) regnum *Cantii* obtinuit, & vicinarum ditionum quæ hodie *Suſſexia*, *Vecta* Inſula, &c. quo tempore Childericus in Galliis patri Meroveo ſucceſſit, circà A. CCCCLVIII. Et ab hac Anglo-Saxonum gente miſerè oppreſſa gens Britannica fuit, Vortigerno ſecedere in Walliæ montana coacto, Chriſtiani autem diras & horrendas perſecutiones paſſi; de quibus *Cap.* XI. dictum fuit. Cum novâ Gente ſucceſſit in Britanniâ nova Saxonum, id eſt, Germanorum Lingua, nova nomina, gemina cum Saxonum illis, indita Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Vicis, Agris, Fluviis, Montibus, Collibus, &c. etiam Dignitatibus, Honoribus, Officiis: V. gr. *King* formatum ex Cuning, ſic *Queen* ex Cuningine, ſic *Furiſt*, *Furſt*, qui primus vel princeps; *Hartoch*, *Here-toch*, qui Exercitum duceret; *Ear-el*, honore nobilis; *Steward* vel *Stede-ward*, locum tenens; *Mare-ſcalc*, equorum curator; *Marchio* limitibus præfectus, &c. *Ethel*, *Edel*, nobilis, hinc *Ethelſtan*, *Ethel-bert*, *Ethel-hulph*, *Ethel-ward*, &c. de quibus Spelmannus in Archajologiâ. Et ità in cæteris Honorum nominibus, ſic etiam in Nominibus propriis, ut *Carel* gar-edel; *William* i. e. Guild-helm, Guilhelm, *Wil-helm*; *Edward*, Ead-ward; *God-frid* Gods-vrede; *Lion-hart*, *Bern-hart*, *Rich-hart*, *Lamb-hart*, *Man-hart*, undè nomina Leonard, Bernard, Richard, Lambert, Mainard, &c. veſtigia ſunt evidentiſſima Teutonicæ Originis, quemadmodum in Linguâ *Anglorum* univerſâ: Uti in illâ *Francorum* veterum, quorum populos ex Germaniâ oriundos diximus. De *Heptarchiâ Anglo-Saxonum*, intrà Britanniam fundatâ, undè *Eaſt-Sex*, *Middel-Sex*, *South-Sex*, *Middel-Englis*, qui ſcil. Mediterranea incoluerunt, &c. ad ſequens Sec.

Venetorum Reip. Natales. VII. Hac etiam Ætate jacta fundamenta *Venetorum* Urbis & Reipublicæ, in intimo receſſu vel mucrone aut linguâ Sinûs Adriatici. Quæ primos natales debet formidini quam incuſſit Attila, terror Gentium, vicinis Gentibus, poſt captam vaſtatamque *Aquilejam*, Venetiæ & Hiſtriæ Provinciæ metropolim, hinc Mediolanum & Ticinum, vicinaque loca, toti Italiæ exitium minatus. Factum A. CCCCLII. quum Anno præcedente CCCCLI. in Campis Catalaunicis memorabili prælio à Romanis & Viſigotthis victus eſſet, ex Jornande de Rebus Geticis, C. XL. XLI. Undè fugientes undique populi, Aquilejæ proximi, in vicinas Inſulas ſeſe receperunt, quarum princeps dicta *Rialto*, tanquam in Aſylum quoddam ſecuritatis. Et hic fixis ſedibus, junctiſque ſucceſſu temporis, pontium & navicularum beneficio, minoribus Inſulis quas LX. communiter faciunt, diſperſis inter *Lacunas* quas vocant (Italis *Lagunas*) ſeu inundatas maris affluxu terras, ut totidem Lacus vel ſtagna, ferè ad oſtia Padi, Adigæ, Brentæ, jecerunt fundamenta ſuperbæ Venetorum urbis, è mari veluti ſurgentis. De quâ noti hi verſus Sannazari, oblati Senatui Veneto, cujus Poëtæ ſepulchrum viſitur ad pedes *Pauſilypi* montis, inter Neapolim & Puteolos:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toti ponere jura Mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter Arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tiberim præfers, Urbem adſpice utramque,
Illam Homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Ne referam Nicodemi Friſchlini hos verſus, videndos apud Merulam, *Coſmogr.* P. II. L. IV. C. XXXVI. quorum initium eſt;

Aut Venus à Venetis ſibi fecit amabile nomen,
Aut Veneti Veneris nomen & omen habent.
Orta maris ſpumâ fertur Venus; & Venetorum
Si videas Urbem, creditur orta mari.

Britannia Gallicana. VIII. Adde natales *Britanniæ* Gallicanæ, vel Citerioris, aut Ciſmarinæ, etiam Novæ, aliàs Britanniæ Armoricæ, & diſtinctionis ergò Britanniæ Minoris, hodiè *Bretagne*: Quæ nomen hoc ſuum & incolarum partem magnam debet *Britannis*, qui relictâ patriâ, *Anglo-Saxonum* infidelitati, & vaſtationi expoſitâ, hoc Seculo labente circà A. CCCCLX. in tractum Armoricum, Galliæ veluti cornu, excen-

Digitized by Google

ceſſionem fecêre, Duce Riovalo, ſi fides Britannorum Hiſtoricis. Niſi jam antè colonias in Armoricam Britanni deduxerint, ſuppetias laturi Romanis, prout de Anthemio Imperat. Jornandes refert, *de Rebus Get.* C. XLV. ſub eo XII. millia Britonum in Gallias navibus egreſſa, cum Riothimo Rege. Eo porrò tempore *Childericus* Merovei filius Francis imperabat, ejuſdem cum Anglo-Saxonibus & linguæ, & religionis Idololatricæ; nondùm protenſis Regni ſui finibus ad *Armoricos*, qui inter Ligerim fluvium, & Sequanam, ac Oceanum ſiti. Igitur occuparunt Britanni eas Sedes ubi *Armorici*, *Oſiſmii*, *Veneti*, *Curioſolitæ*, *Nannetes*, deinceps Britones appellandi. Et hic fundarunt varios Epiſcopatus, ut Leonenſem, Dolenſem, &c. uti jam mentio Britannorum Epiſcopi *Manſueti*, in Actis Concilii Turonenſis, A. CCCCLXI. *Armorica* autem vetus, non ſolùm ſuo ambitu complexa eſt eum tractum quem Britanni occuparunt, ſed & totam *Normanniam*, quæ olim *Lugdunenſis* II. etiam *Neuſtria* appellata; Quâ de re omnium inſtar Hadr. Valeſius, in Notitiâ Galliarum. Hæc breviter & uno quaſi obtutu, quæ ad Hiſtoriam præcipuè Civilem ſpectant.

XIV. *Res Gentilium, & Judæorum; Cælicolarum novum nomen.*

Gentiliſmi ſtatus. Ejus tandem extermin.

I. De *Gentilibus*, præter *Converſiones* ſuprà memoratas, *Cap.* II. hujus Sec. hoc etiamnum Ævo obſervantur: 1. Innumerabilis quaquaverſùm, in & extrà Rom. Imperium, *Paganorum* multitudo, & paſſim adhuc permiſſa Templa, Sacrificia, Simulachra, Theatra, Ludi, &c. Quibus tamen ſaluberrimas conſtitutiones oppoſuerunt Imperatores, *Cod. de Paganis*, &c. etiam Honorius, interdictis l. XIX. hoc Tit. A. CCCCVIII. *Annonis* Templorum, *Simulachris*, *Aris*, *Templis publicis*, *& Conviviis ac Ludis Gentilitiis*, in quibus Pagana religio conſtitit. Inprimis in id totus incubuit *Theodoſius* Junior, qui Templa deſtrui, & conlocatione Crucis expiari juſſit; interdixit omnibus *execrandis hoſtiarum immolationibus*, *damnandiſque Sacrificiis*, *ac cæteris* jam antè prohibitis; etiam ne *Paganorum* ulli, ſi tamen *ſupereſſent* aliqui, ad Militiam, aut ad Honores admitterentur *Adminiſtratoris*, *Judicis*, ità ad reliquas Palatii aut Imperii dignitates: Denique Sacra omnia profana, & Sacrilegos Ritus ſuſtulit, poſtremis legibus hoc *Tit.* l. XXI. XXII. XXIII. XXV. Ità *Valentinianus* III. A. CCCCXXV. omnes *ſuperſtitiones Gentilium* inſectatus eſt, l. XIII. de *Hæret.* Poſteà etiam *Leo* Imperator, qui Marciano ſucceſſit, variis Conſtitutionibus *Gentiles* compeſcuit, Codici Juſtinianæo inſertis, ut *Tit.* de Paganis, &c. qui

An Ludi Secul. ſub Honor.

eſt XI. *Lib.* I. Honorius tamen, A. Chriſti CCCCIV. quo redire in orbem nonnullis putati *Ludi Seculares*, A.U. Cond. MCLVII. & quo alterum Secul. à IX. Dioclet. Conſulatu impletum erat, Honorio VI. & Ariſtæneto Coſſ. celebrari voluit Ludos Gladiatorios, & *Conſulares*, ſolo Circenſium & Theatral. Ludorum apparatu; indignatis Chriſtianis, utpote qui prohibiti Conſtantini M. Lege I. *de Glad.* & ex Prudentio cont. Symm. *Lib.* II. Mox & tollendi juſſu Honorii, occaſione quam refert Theodoretus, L. V. C. XXVI. Malè Onuphrius, de *Ludis Sec.* p. 13. vult *Seculares* fuiſſe Ludos, quos Honorius edidit, quanquam *non ſervatâ religione* CX. *annorum*. Sic permiſit Honorius L. XX. *de Pagan.* &c. ita celebrari Ludos Gentilitios, Sacerdotales, Carthagine & in Metropolit. Urbibus, ut *intrà quinque dies* redire ad propria Sacerdotes juberentur, L. CLXXVI. *de Decurion.*

Fautores Gentil.

2. *Fautores* tamen Gentiliſmi fuêre adhuc Sacerdotes, Philoſophi, Oratores, Præſides, Duces: Ex. gr. *Q. Fl. Memmius Symmachus*, Epiſtolographi filius, ſub Honorio Proconſul Africæ, dein & Conſul cum Victore. *Optatus* Urbis Conſtantinopolitanæ Præfectus ſub Arcadio, tempore ejecti Chryſoſtomi, infeſtus Chriſtianis, teſte Socrate. *Oreſtes* Alexandriæ Præfectus, tempore Cyrilli Alexandrini, eidem infeſtiſſimus, in quem ſeditio à Monachis concitata, apud eundem Socratem *Hiſt. Lib.* VII. C. XIV. de quibus dictum aliàs. Alii innumeri, *Civili* vel *Militari* vel *Palatinâ* poteſtate inſtructi, quales adhuc Præf. Præt. Vicarii, Proconſules, Magiſtri Militum, Officiorum, &c. undè Gentilibus ſæpè feroces animi.

Barbari parcunt Eccleſ.

3. Adde *Perſecutiones* per Gotthos, Hunnos, Barbaros, & per inſanam multitudinem excitatas, apud Oroſium, Cyrillum, Theodoretum, Salvianum Libris de *Gubernat. Dei*, &c. De quibus dictum eſt *Cap.* XI. Quanquam obſervet Auguſtinus, de Civ. Dei, *Lib.* I. C. I. pepercisse Barbaros & Alaricum, in vaſtatione Urbis, *Vaſis pretioſis* ad Ædes Sacras & Baſilicas Chriſtianorum ſpectantibus; Sic *Martyrum locis & Baſilicis Apoſtolorum*, & quotquot ſe ad illas *confugientes reciperent*. Confirmat Oroſius *Hiſt.* L. VII. C. XXXIX. & Hieronymus Epiſt. CLIV. ad Principiam Marcellæ filiam, fuiſſe illis ſaluti *Baſilicam S. Petri*: Planè ut parcebant Gentiles ad Deorum ſuorum Templa, ut ἄσυλα, confugientibus; ſic Alexander captâ *Tyro* pepercit recipientibus ſe ad Templum Herculis; Ageſilaus devictis Athenienſibus, lædi noluit qui in Minervæ Templum confugerant, & quæ exempla plura ſunt. Interim calamitas tanta fuit, ut hinc creſcerent Paganis animi, & ſpes inſtaurandi Paganiſmi; publicis malis *Chriſtianis* adſcriptis, ad majorum ſuorum exemplum.

Opus Auguſt. de Civitate Dei.

Quâ occaſione expreſſi fuerunt B. Auguſtino inſignes Libri de *Civitate Dei*, poſt irruptionem Gotthorum in Italiam, & Romam ipſam ab Alarico devaſtatam, ac Gentiliſmum in Chriſtianorum Sacra inſurgentem; quos excidii tantæ Urbis cauſam præcipuam eſſe, Diis ſcil. Romæ tutelaribus & cuſtodibus repudiatis, vetere calumniâ Idololatrarum, paſſim ſolito acerbiùs & amarulentiùs vulgabant. Hinc ille, zelo cauſæ Chriſtianæ accenſus, rogatus antè à Marcellino Comite, cujus ardentiſſimum ſtudium fuit, ut tale Opus ſcriberet Auguſtinus, *Eccleſiæ hoc maximè tempore incredibiliter profuturum*, ut *Epiſt.* inter Auguſtinianas CXXXVI. aggreſſus eſt *magnum opus & arduum*, ut ipſe in Proœmio, quod *ipſum per aliquot annos tenuit*, (ut ibidem, & Retractationum L. II. C. XLIII.) inchoatum Anno CCCCXIII. perfectum A. CCCCXXVI. vel CCCCXXVII. ut ex *Retractationibus* colligitur, quas eodem ferè tempore confecit; quin ex ipſo hoc Opere, L. XXII. C. VIII. N. 20. Opus *Libris* XXII. abſolvendum: Quos ſcilicet oppoſuit *Civitati terrenæ*, ſeu *Mundi*, Barbarorum armis & furori expoſitæ; oſtenſurus fruſtrà illius *Deos* præferri *Deo* conditori *Civitatis* excellentioris, quam tandem æternâ felicitate, & Sabbato perpetuo gaviſuram eſſe concludit. Nempè V. prioribus Libris Idololatras refellit, contendentes Civitatis terrenæ proſperitatem deberi *Deorum cultui*, & cuſtodiæ; quod præſtat ex ipſis Græcarum ac Romanarum Antiquitatum penetralibus. Dein V. ſequentibus Libris, refutandos aggreditur, qui exiſtimabant *Deorum cultum* utilem eſſe, ſi non ad proſperitatem terrenam aut temporalem hanc vitam, ſaltem ad vitæ futuræ & æternæ felicitatem. Ubi de variis Theologiæ Gentilis generibus, Deorum Dearumque propudiis, Philoſophorum Sectis, Magorum illuſionibus, Platonicorum de bonis Angelis figmentis, denique de ratione *Cultûs* Deo exhibendi, & Animæ à peccandis *expiandæ*, contrà Platonem & Porphyrium. Poſteà *Libris* XII. poſtremis, totus eſt in aſſerendâ

verâ Origine, Progreſſu, Fine tandem & Exitu, cùm *Civitatis Dei*, ſeu Eccleſiæ, tùm & *Mundi* hujus; quibus Civitatibus univerſi, Angeli & Homines, comprehenduntur: In quibus Auguſtinus Hiſtoriam Sacram totius Vet. Teſtam. inde à Mundi exordio, perſequitur, & varias diſpenſationes divini Fœderis, enarrat; in poſtremis Libris acturus de Noviſſimis. Opus ſane divinum, & reconditæ eruditionis, tam Sacræ quàm profanæ, de quo *Macedonius* Africæ Vicarius, reſcribens Auguſtino, poſt viſos tantum ejus tres Libros, *Epiſt.* CLIV. *Ego anceps ſum, (ità mihi Deus propitius ſit) quid in illis magis mirer, Sacerdotis perfectionem, Philoſophiæ dogmata, Hiſtoriæ plenam notitiam, an facundiæ jucunditatem, quæ ità imperitos etiam illicere poteſt, ut donec explicent non deſiſtant, & cùm explicaverint adhuc requirant.* Refertum idem obſervationibus ex Græcâ Romanâque Hiſtoriâ, & Antiquitatibus ac Poëtis Græcor. implicitè etiam aut verbo tantùm ad iſtas non infrequenter alludens, hinc verſatum in iis Lectorem deſiderans. Condonandum autem Viro tanto, ſicubi fortè aut memoriâ lapſus eſſe videatur, v.gr. *Catonem* pro *Cæſare* nominans, *Lib.* I. C. V. aut Lectorem ambiguum relinquens, v.gr. *ut ait Pomponius*, L. IV. C. XVI. quis ille ſit non dicens, an ſcilicet Pompon. Atticus, an Orator, an Attelanarum ſcriptor, an Pomponius Mela, an Tragicus: Ita ſi in Philoſophicis, ut circà *Dæmonum* naturam *corpoream*, cum aliis erret, L. VIII. C. XV. & aliàs: Aut ſi in *Hiſtoricis* hallucinetur, ut quæ de Verſione LXXII. *Interpretum*, tanquàm à *Prophetis* profectâ, ex Ariſtæâ & aliis memorat, L. XVIII. C. XLII. ſic Chriſtum *mortuum duobus Geminis Coſſ.* L. XVIII. C. LIV. de quo nos in *Chron. Sacr.* P. II. Aut denique ſi in Theologicis alicubi impegit, ut de *igne animas luſtraturo in illo Judicio*, ſc. ultimo, L. XX. *Cap.* XXV. XXVI. Et quæ id genus exempla plura ſunt.

Judæorum ſtatus.

II. De *Judæis* ferè hæc memorabiliora ſunt, poſt ea quæ ad præcedens *Sec. Cap.* XVII. de eorum Dignitatibus, Privilegiis, Libertatibus, Coërcitione, &c. pluribus obſervata ſunt:

Tumultus excitati.

1. *Tumultus* paſſim ab eâ Gente excitati; cumprimis Alexandrinus ille in Cyrillum, & in Chriſtianos omnes, Oreſte tum Urbis præfecto. Nempè die quodam Sabbathi, quo Judæi feriantur, & quo Scenicis ſpectaculis, quæ exhibuit Pantomimus, vacabant, accidit ut Oreſtes Præf. Auguſtalis πολιτείαν ſeu publicas διατυπώσεις, ad Ludos & Spectacula ſpectantes, in Theatro celebraret. Quum verò *Hierax* quidam Grammatiſta, magnus Cyrilli admirator, inter cæteros accurreret, auditurus quid ab Oreſte diſpoſitum eſſet, *Judæi* ſubitò in eum ſeditionem fecerunt, cauſati hunc ipſum Hieracem veniſſe ut motus excitaret in populo. Oreſtes, cui pridem inviſa Cyrilli auctoritas, explorantis ſuos actus, Hieracem *tormentis* ſubjecit. Undè Cyrillus interminari Judæorum Primatibus, niſi deſinerent hi in Chriſtianos tumultuari. Quâ occaſione Judæi, nocte quadam per omnes Alexandriæ regiones clamant, *Eccleſiam* quæ *Alexandri* diceretur incendio conſumi. Accurrentibus undique Chriſtianis obrepunt Judæi, ſtragem edentes Chriſtianorum; undè poſtridie, faciente Cyrillo Alex. *Synagogæ* Judæis ademptæ, ipſi verò *Urbe* expulſi univerſi, in perfidiæ pœnam. Refert Socrates, *Hiſt.* L. V. C. XIII. Ità eodem *Libro* C. VI. refert idem *Judæos* in Syriâ, inter Antiochiam & Chalcidem, in ludibrium Dominicæ Crucis, puerum quendam *Cruci alligantes* ſuſpendiſſe, verberibus miſerè cæſum. Undè diſſidio inter Judæos & Chriſtianos exorto, & re ad Imperatores perlatâ, Judæi malè mulctati ſunt. Hinc quo ingenio Judæi tum fuerint, intelligas.

Moſes Cretenſis.

2. Hiſtoria de *Cretenſi* Impoſtore Judæo, *Moſem* ſe jactitante, ac pollicito ſuis reditum in Palæſtinam per exſiccatum Mare, ſed infelici ſucceſſu, apud eundem Socratem, *Lib.* VII. C. XXXVIII. Nam facti ex Promontorio quodam Inſulæ in mare præcipites Judæi innumeri, condictâ die quâ ducendi in Palæſtinam eſſent, miſeri periêre, Moſe ſe ſubducente, nec uſquàm reperto. Quâ occaſione Judæos multos *Chriſtianam* fidem amplexos eſſe, ſubjungit idem Socrates. Accidit res ſub Theodoſio Jun. circa Ann. CCCCXXXII. & confirmant Paulus Diac. Nicephorus, alii. De quo & ſuprà *col.* 961.

Talmud abſolut.

3. Conſummatio *Operis Talmudici*, ſeu *Gemaræ* Babylonicæ, à Raf Aſe inceptæ, Commentario ſcripto in Miſna, & LXXIII. poſt annis à Raf Joſe perfectæ, Anno Æræ Judaicæ à Creatione MMMMCCLXI. id eſt, Æræ Chriſt. DI. ſiquidem numerent Judæi ab A. M. Cond. ad Æram Chriſt. MMMDCCLX. quibus ſi addas DI. fit ille annus *obſignati Talmudis*, ac lege inter Judæos recepti. De ejus Operis initiis, per R. Jehudam Hakkadoſch, A. Ch. circiter CXC. dictum ad Secul. ſecundum, *col.* 687. Vide *Chronica* Judæorum, quamvis inter ſe diſſona; & ex iis Capellum, L'Empereur, Buxtorfium, Hottingerum, Vorſtium, &c. Abſoluto Talmude nati סבוראים *Seburaim* vel *Seboræi*, δοκηταὶ ſeu *Opiniſtæ* Judæorum, de ſenſu Textûs Talmudici probabiliter in utramque partem diſputantes. *Tiberiade* Palæſt. nulla tum celebris Schola; quicquid *Tiberienſibus* Mag. circà A. Ch. D. alii DC. aut ſeriùs, inventum *Punctationis* tribuant, poſt Eliam Levitam.

4. *Synagogæ* autem Judæis ac *Scholæ* relictæ, indultu Principum, Arcadii, Honorii, Theodoſii, &c. vel ex Codice Theodoſiano, ex quo ſummam Hiſtoriæ Judaicæ conficit Jac. Godofredus, ad dictum Codicem, *Tit.* de Judæis, &c. Porrò Judæis nulli ampliùs *Patriarchæ*, poſt annum CCCCXXIX. quorum ſcil. improbitate factum, ut aboleretur hæc Dignitas; & penſio annua ab iis exigi ſolita à Synagogis, juberetur inferri in *Ærarium* Principis, *lege* Theodoſii *ult.* de Judæis, Cœlicolis, & Samarit. Hinc *Patriarcharum* deinceps nomen ad Chriſtianos tranſlatum eſt, & ab eo circiter tempore uſurpari cœptum; ac in Oriente primò, de primarum Sedium Epiſcopis, & Exarchis Diœceſeôn, ut monuimus loco ſuo. *Primates* autem dixêre deinceps Judæi, Synedriorum in Provinciis ſingulis præſides, electitios illos, Patriarchis ſuffectos, *Archi-Synagogis* autem poſtpoſitos, ſed anteponendos *Presbyteris*. *Majores* verò Judæorum dicti, qui Inſpectores eſſent, etiam Judices, in iis quæ ad diſciplinam & mores attinerent, ac quotidianis eorum actibus præeſſent, *Didaſcalo* proximi, ex l. XXIII. Cod. Theod. de Judæis, Cœlicolis, &c.

Patriarchatus Judæor. ſublatus.

5. Porrò qui ſint *Cœlicolæ*, Judæis & Samaritanis adjuncti, undè vel *Judæorum* Secta, vel *Judaizantium*, inter Eruditos controvertitur. Prima horum mentio occurrit ſub Honorio, An. CCCCVIII. l. XLIII. *Cod. de Hæret.* & anno ſequente, l. XIX. *Cod.* de Judæis, Cœlic. & Samarit. Occurrit & apud Auguſtinum, conqueſtum *Ep.* CLXIII. *Tomo* II. de *Majore Cœlicolarum*, novi Baptiſmi inſtitutore. Hinc alii Judæos, alii Chriſtianos Hæreticos, (puta de genere Gnoſticorum, aut Donatiſtarum) alii *medios* inter utroſque, cenſuerunt. Baronius *Apoſtatas* interpretatur, factos ſcilicet ex Chriſtianis Judæos, ad Annum CCCCVIII. *Num.* XXVI. Quamvis *Cœlicolæ* Chriſtianos ſanè quoſdam ad *apoſtaſiam* inducerent, *cogerent fœdum tetrumque Judæorum nomen induere*, ex *lege* XIX. hoc *Tit.*

Cœlicolæ quinam?

Ἐπίκρισις noſtra, pro hujus quidem Hiſtoriæ modo, eſt: 1. Non *Judæos* fuiſſe ſtrictè dictos, à quibus in Rubricâ ipſâ Codicis Theodoſ. diſtinguuntur; ſuperſtitio etiam *nova*, nec antè *audita*, ſecundùm Imper. l. XLIII. & XLIV. *de Hær.* 2. Non

Ἐπίκρισις Auctoris. Quid non fuerint?

etiam

Digitized by Google

etiam *Apoſtatas*, ſecundùm Baronium, de quibus Imperatores ſpeciali *Tit.* qui eſt VIII. Codicis Theodoſiani, qui etiam nec *novum* nec *inauditum* genus hominum eſſent, nec jam *ſuperſtitionis* accuſandi, ſed impiæ defectionis. 3. Non etiam *Chriſtianos* fuiſſe Cœlicolas, puta *Hæreticos*, vel *Donatiſtas*, ut aliis creditum, indè patet: Quod ab Hæreticis diſtinguantur; *his legibus quibus præcipimus Hæreticos adſtringi, ſe quoque noverint adtinendos*, hoc *Tit.* uti etiam in Cod. Juſt. eodem T. l. XII. quum *Donatiſtæ* omninò ad Hæreticos ſpectent, taleſque cenſeantur, ut Cod. de Hæreticis, *leg.* XXXVII. XXXVIII. Dein quod veniunt *Cælicolæ* ſpeciali Titulo, ut liquet; & quod cum *Judæis* & *Samaritanis* conjungantur, etiam *Judæi* appellentur, *Donatiſtarum Hæreticorum, & Judæorum* (ſic enim legendum, id eſt Cœlicolar.) *nova atque inuſitata audacia*, l. XLIV. Cod. Th. de *Hær.* Tùm quod illis *Majores* tribuantur, etiam *Patriarchæ*, qualiter & Judæis; *Judæis & Cælicolis, & Majoribus eorum, & Patriarchis voluimus intimari*, ut eſt in L. III. Cod. Juſtinian. *de Judæis, Cælic.* Quod etiam Donatiſtarum non eſſet *Dogma novum, nova ſuperſtitio*, ut Honorius de Cœlicolis, in lege XLIII. *de Hær.* & l. XIX. hoc Tit. utpotè jam à temporibus Conſtantini notis Donatiſtis. Uti *ad Dei cultum venerationemque Chriſtianam converti* jubentur Cœlic. non ſimpliciter (ut Donatiſtæ) redire ad *Catholicam Eccleſiam, à quâ ſacrilegè deſciviſſent*, l. LII. de Hæret. Denique nondùm eâ ſeveritate ſtatuerat Honorius de Donatiſtis, quâ de *Cælicolis*, Annis ſcil. CCCCVIII. CCCCIX. Primùm enim latæ duriores in *Donatiſtas* leges, poſt Collationem Carthaginenſem, adeoque ab Anno CCCCXII. quando compulſi redire ad Catholicos, ſub pœnis, *Lege* LII. & LIV. *de Hæret.* ut eſt ſuprà obſervatum *Cap.* VIII.

Qui revera fuerint.

Igitur ſupereſt, 1. *Cælicolas* ſanè fuiſſe peculiarem Sectam *Judæorum*, ſic appellatos quod Deum שמים *Cæli* nomine colerent, ut hodieque Magiſtri; uti *per Cælum* jurabant, ut Solium divinæ Majeſtatis *Matth.* V. *in Cælum* peccaſſe dicebantur *Luc.* XV. Doctrina Baptiſtæ è *Cælo* eſſe, *Matt.* XXI. Undè Celſus apud Origenem, Judæos τὸν ἐρανὸν σέβειν, & Juvenalis, *Nil præter nubes & Cæli lumen adorant*; quod tamen rectè negat Origenes. Quo magis ἐν ἀέρι vel αἰθερίῳ τόπῳ *loco ſubdiali* adorabant, ubi eorum Proſeuchæ, in ſolariis, tectis quæ plana erant, more Orientalium, & aſpectui Cœlorum appoſita; quâ ſingulari ſuperſtitione fuiſſe Judæorum quoſdam, *Eſſenorum* θεωρητικῶν propaginem, conſtat, qui ad Cœlum in aperto preces mittebant, omiſſis Templis. Quæ etiam Claudii Salmaſii ſententia fuit, in *Epiſt.* ad Menagium. Hinc viſi Gentilibus æquè ac Chriſtianis *Cælicolæ*, undè nomen. Quomodò qui miſcere videbantur cultum *Exercitûs Cælorum*, cum cultu *Johovæ*, *Regis ſui*, apud Zephaniam, *Cap.* I. 5. Falſus eſt Druſius, qui כניסיה אל שאמיין in Itinerario Benjamini (*pag.* m. 114.) interpretatur *Synagogam Cælicolarum*, quæ veriùs *Syrorum* contradiſtincta Synagogæ Babyloniorum, de Tribus Sectis, L. IV. C. XX. 2. Hos Cœlicolas eâ fuiſſe *audaciâ, novâ* & *inuſitatâ*, ut Chriſtianos, ad ſuperſtitionem ſuam cogere in Africæ partibus, ubi illi ſuperiores numero & viribus, ſuſtinerent: *Eoſdemque*, ad Donatiſtarum exemplum cum quibus conjunguntur, L. XLIII. *de Hær. Baptiſmo novo initiare*, & apud Auguſtinum *Epiſt.* XLIV. (vel CLXIII.) C. VI. Undè præceſſit Titulus, *Ne Sanctum Baptiſma iteretur*; quemadmodum & Titulus, *de Apoſtatis*, adversùs eos qui *Chriſtianâ religione & nomine neglecto, Judaicis ſemet polluerent contagiis*, ut eſt in L. III. de Apoſtat. *Tit.* VII. hoc Codice. Undè quibuſdam habiti *Judæo-Chriſtiani*, mixtis quodammodò ſacris è Judaiſmo & Chriſtianiſmo, multos *eo ſacrilegio ſeducentes*. Sed conjecturæ tantum locus eſt, & ità Scaliger, in *Elencho* Tri-Hæreſii, *Cap.* XXXI. nec abludit J. Godofredus, Notis ad *leg.* XIX. Cod. Theod. *de Judæis, Cælicolis, & Samar.*

FINIS *Quinti Seculi.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM SEXTUM.

Chronologiæ rationes.

INcipit hoc *Seculum* VI. cum Anno Æræ Dionyſ. DI. Anaſtaſii in *Oriente* Imperatoris, qui Zenoni ſucceſſerat, Anno mox inchoando XI. Theodorici Oſtrogotthi, ex Amali familiâ, in Italiâ regnantis, Anno IX. poſt deletum Imperium *Occidentis* ſub Romulo Auguſto, vulgò Auguſtulo, annis XXV. Clodovæo Childerici filio *Francorum* Rege, ab A. CCCCLXXXI. cujus ſororem *Audofledam* duxerat Theodoricus; *Avieno* & *Pompejo* Coſſ. Wandalis autem in *Africâ*, Suevis in *Galliciâ*, Gotthis in *Hiſpaniâ* reliquâ, Amalaricho impubere, Gundebaldo in *Burgundiâ* regnantibus; *Romanum* Epiſcopatum obtinente Symmacho, *Conſtantinopolitanum* Macedonio Orthodoxo.

Summatim obſervanda hoc Seculo (quo jam à primæ *Antiquitatis* fontibus longiùs receſſum eſt, magiſque ad barbariem, & ſuperſtitionem tempora declinarunt) pro methodi noſtræ inſtituto, quæ ſequuntur Capita.

I. *Status Eccleſiæ, & Reipublicæ, qualis ineunte Seculo, in Oriente, & Occidente.*

Schiſma Rom. Eccl. in cauſâ Symmachi & Laurentii.

I. *Romanum* Epiſcopatum obtinebat quidem *Symmachus*, natione Sardus, ſucceſſor Anaſtaſii II. ex Diacono Rom. ab Anno exeunte CCCCXCVII. ſed electus in Schiſmate, anti-Papâ *Laurentio*, natione Romano. Hinc graves inter utrumque contentiones, penè triennio toto, his Laurentio, illis Symmacho faventibus: Schiſma *ambiguitate perplexum* dicit Baronius, ad A. CCCCXCVIII. nec palàm omnibus conſtitiſſe quis legitimè electus, quis intruſus habendus eſſet. Res ad Theodoricum Regem Ravennæ commorantem (quem *Afrum* Theodorus Lector appellat, *Lib.* II. p. 560. pro quo alii *Vafrum*, ob inſignem ejus aſtutiam) deferenda fuit. Laurentio favebat præcipuè *Fauſtus* Senator, nomine Anaſtaſii Imp. & *Paſchaſius* Rom. Sedis Diaconus, *miræ Vir ſanctitatis, & in ſententiâ ſuâ uſque ad diem exitus perſtans*; ſed hoc nomine (ſic inter fabulas *Gregorii* Dialogi Lib. IV. C. XL.) pœnis Purgatorii mancipandus. Et Symmacho quidem variorum criminum reo apud Theodoricum poſtulato, hic primò *Viſitatorem* Romam miſit, Epiſcopum Altinenſem, cogniturum de criminibus Symmacho imputatis, A. D. Indignato autem in hunc Baronio, quod *Pontificis Romani* ſit *Viſitatores* mittere ad cognoſcenda Epiſcoporum delicta. Sed re magis ad turbas & tumultus ſpectante, Rex *Synodum* indixit, A. DI. Pompejo & Avieno Coſſ. non auctoritate Symmachi indicendam, ut Baronius, ſed ut Acta habent, *ex præſcripto Theodorici Regis diverſis è regionibus congregatam*, & ut Literæ Theodorici Regis oſtendunt, *Præceptione* ad Synodum miſſâ, *Concil.* T. IV. *col.* 1329. & Gratiis hoc nomine à Symmacho & Synodo actis, ut ibidem. Quæ Synodus *Palmaris* dicta, an à loco Palmariâ in porticu S. Petri, an à palmâ litigant, ſeu jam illa ſit quæ congregata X. *Cal. Nov.* Fauſto Avieno Conſ. ſeu altera *poſt Conſulatum* Avieni, quæ confirmaverit priorem; quorum prius cenſent Sirmondus & Launoius. Et ipſa quidem *Judex* in cauſâ Symmachi & Laurentii, cujus judicio ſe Symmachus ex Regis præſcripto ſubjecit. Et ab eâdem Synodo, auditis reſponſionibus Symmachi, judicante ſecundum *acta* & *probata*, abſolutus eſt Symmachus, ſed non ſimpliciter, verum *quantum ad homines*, quibus purus & innocens appareret; de cætero ſi quæ eſſent latentia delicta, id totum *Dei judicio reſervari*. Et ex verbis Synodi probat Joh. Launoius, *Epiſt.* IX. ad Claud. Santeulium, *quot ſunt commata, tot eſſe ſententias, quibus Concilium ſuam in Symmachum & Symmachi Clericos juriſdictionem exercet. Symmachus non repugnat; Symmachus Concilii Præſulibus, ſe ab illorum judicio liberum & immunem eſſe, non denunciat; Symmachus Concilii decretis aſſentitur, parere non renuit; Symmachus, nec antè, nec poſt reſtitutionem ſuam, proteſtatur Epiſcopis, de ſe judicandi formam non competere.* Verba Synodi quæ Baronius in rem ſuam vertit, *nec Romanæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio*, Concil. T. IV. *col.* 1323. non pertinere ad Epiſcoporum Concilium, aut ad Judicium cui tum ſubjacebat Symmachus; ſed ad illos Clericos, Senatores, alioſque de plebe, qui ſe in Symmachi cauſâ ferventiori, quam par fuerat, ſtudio interpoſuerant, qui Symmachum de Sede ſua dejecerant, qui à Theodorico *Viſitatorem* impetraverant. Quod indicant verba Theodorici in Literis ad Synodum; *Epiſcopo Symmacho, criminoſis probationibus impedito, ſub eâ confuſione turbæ, non magis potuiſſe providentiam* Principis *conſulere, quàm ut juxtà petitionem Senatûs & Cleri, ad congregandos ex diverſis Provinciis Antiſtites cauſam revocare*, &c. Avitus autem Viennenſis Epiſcopus (cujus *Epiſtolas* vulgavit Jac. Sirmondus, additis Notis) in *Epiſt.* XXXI. ad Fauſtum & Symmachum Senatores Urbis, qui principem locum in accuſatione ac remotione Symmachi Papæ tenuerant, indignatur ſanè, *ſine ratione vel lege ab inferioribus eminentiorem judicatum*: Nempè *modum* judicandi improbans, quem tenuerant adversùs Symmachum Rex Theodoricus, qui *Viſitatorem* miſerat, item *Senatus* Populuſque Rom. qui cum *factioſis Clericis* Symmachum condemnarant. De quâ re videatur præfati Joh. Launoii Epiſtola IX. p. 57. Sed Laurentius cum ſuis tandem ſuccubuit; *Ennodio* Ticinenſi Diacono Synodi illius, quæ Symmachum abſolverat, & Papæ cauſam ſic agente, ut *Pontifices* ſoli *Dei* judicio ſubjacere contenderet, privilegio quod illis *Petrus* tranſmiſiſſet: Undè Ennodii Liber adulatorius locum habere inter *quartam*, & *quintam* Synodos Symmachianas, juſſus eſt, faciente in rem ſuam Symmacho. Laurentius verò, ſi fides Theodoro Lect. & Anaſtaſio, conſtitutus eſt Epiſcopus in *Nucerinâ civitate*, an Umbriæ, an Apuliæ, an Campaniæ Felicis, non dicit; plures enim Nuceriæ fuerunt.

Symm. ſe Synodo ſubjicit.

Turbæ in Eccleſ. Conſtantinop.

II. Nec mixta tantùm turbis ineunte Sec. *Romana* E. fuit, occaſione *Schiſmatis* inter Symmachum & Laurentium, illo tandem ſuperiore; ſed & *Conſtantinopolitana*, Macedonio ejus Eccleſiæ tenente Epiſcopatum. Nempè Anaſtaſius Imper. quicquid in ſpeciem tueretur Henoticum Zenonis, favebat omninò Eu-

Eutychianis, Chalcedonenſi Synodo adverſis, infeſtus Macedonio, quem ut criminaretur varias occaſiones captavit: Modò ſubornatis *pueris calumniatoribus*, qui turpis flagitii accuſarent, ſed calumniâ detectâ, quum Macedonio abſciſſa eſſe genitalia deprehenſum eſſet; ex Euagrio *Hiſt.* L. III. C. XXXII. Modò inſidiis ſtructis, per Aſcholium quendam, qui *diſtricto gladio* Macedonium impeteret; Deindè per turbam hominum, qui die Dominico Magnam Eccleſiam ingreſſi, *Triſagion* canerent cum appendice Gnaphei, *qui crucifixus eſt pro nobis*: Tandem, poſtquam in ſpeciem adunatus fuiſſet Imperator Macedonio, & Eccleſiæ, *noctu* clam violenter abduci juſſit Chalcedonem, ſuffecto in ejus locum *Timotheo*, Eccleſiæ Conſtantinop. Presbytero & Σκδυοφύλακι, apud Theodorum Lector. *Hiſt.* L. II. quod accidiſſe A. DXI. Baronius, & alii. Qui Timotheus Macedonii *Imagines*, in *Eccleſiis* collocari ſolitas, tanquam Patriarchæ, (uti de *Acacii* illis Malchus refert apud Suidam, in voce Ἀκάκιος, ἐν πᾶσι ταῖς Ἐκκλησίαις δειχθῆναι αὐτοῦ Εἰκόνας) detrahi juſſit: Vulgò is per contemptum appellatus, (ita Theodorus Lector, L. II. Theophanes ad A. XXI. Anaſtaſii) κόλων vel κήλων homo procax & libidinoſus, vel etiam cynædus; ut & λιτροβούλης, vel λιτροβούλβης, id eſt, qui *bulborum libras* comederet, excitandæ Veneri; de quâ ſalaci herbâ qui ad Petronium, Martialem, Athenæum, Dioſcoridem, commentati ſunt.

Antiſtites alii in Eccleſ. principib. Schiſma cum Latinis. III. *Antiochenum* verò Epiſcopatum tenebat *Flavianus*, qui Junior appellatus eſt, Palladio in eâ Sede ſuffectus, Henoticum Zenonis ſervans, ab Anaſtaſio autem expulſus, apud Euagrium L. III. C. XXX. Cui ſuffectus ab eodem *Severus*, A. Chriſtiano DXIII. A. Antiocheno DLXI. anteà è Monaſterio, quod inter Gazam & Majumam eſt, ob Hæreſim ejectus, à quo Severitæ dicti, ut idem Euagrius. *Alexandrinam* Eccleſiam adminiſtrabat *Johannes Mela*, ſucceſſor Athanaſii, qui Liberato teſte in Breviario, *Cap.* XVIII. Henoticum ſeu Unitivum Zenonis ſuſceperat, *communicans in eo Conſtantinopolit. & Antiochena, & Hieroſolymitana Sedibus*, doctrinâ Orthodoxus tamen: *Hieroſolymitanam* autem rexit tum Helias, poſteà in exilium mittendus ab Anaſtaſio; qui malè dicitur Theodoro Lectori, & Leontio adverſus *Eutychian.* (probante Baronio ad A. CCCXCVII. *Num.* XXIX.) anathematizaſſe *Synodum Chalcedon.* quia ſubſcripſerat Henotico Zenonis, anathematizato interim *Neſtorio* & *Eutyche*: Et Theophanes diſertè habet, eum τὴν ἐν Χαλκεδόνι Σύνοδον ἀποδεχόμενον, Chronici *pag.* 130. *Chalcedonenſem Syn. recepiſſe*: Quam vocem ἀποδεχόμενος *precariò* Valeſius vult expunctam, vel alienâ manu *adjectam*, eò quod Theophanes poſteà, *Macedonium* & *Heliam*, *coactos* ab Anaſtaſio, *rejeciſſe Synodum*; id eſt, juxtà Henoticum, de illâ ſiluiſſe, vel Henotico ſubſcripſiſſe: Quemadmodùm Baronio hæc perpetuò æquipollent, approbare *Pacificatorias* illas Literas Zenonis, de quibus ſuprà *col.* 1022. 1023. & *anathematizare Conc. Chalcedonenſe.* Ità *Schiſma* continuatum fuit, in cauſâ Acacii, ut ſuprà dictum, etiam Henotici, inter Orientis illas quas dicimus Eccleſias, & Occidentales atque Afros: Quum hi cuncta quæ in Concilio Chalcedonenſi tranſacta erant, pertinaciter defenderent, atque Henoticum reprobarent; illæ, Unitivo adhærentes, Concilium iſtud *nec palàm prædicarent*, *nec omninò rejicerent*, vel anathematizarent, tametſi non per omnia inter ſe concordes: Et illarum partium videri voluit Anaſtaſius. Tertium jam genus conſtituebant *Eutychiani*, qui & Concilium Chalcedonenſe palàm anathematizabant, & quoque Leonis Romani Epiſtolam, ut Euagrius L. III. C. XXX. *Hinc* (inquit) *multa diſſidia in Orientis & Occidentis partibus*, *& per Africam extiterunt*, ut nequidem *Orientales* Antiſtites inter ſe communicarent, nec ipſi quoque inter ſe *Occidentales*, nec *Afri*, nedum cum ἑτεροζήλοις *extraneis*.

Hæreſ. Ariana, ubi dominata? IV. Acceſſit ad interna Eccleſiæ Chriſtianæ mala, Hæreſis Ariana, latè tum dominata, ſub exordia hujus Seculi. In *Africâ* nempè ſub jugo Wandalico in *Hiſpaniâ*, & *Aquitaniis*, ſub jugo Gotthico & Suevico; in *Italiâ* ſub Theodorico, quamvis moderatiſſimo principe, tamen adhærente Arianis, cum Oſtrogotthorum gente; in Galliâ *Burgundicâ*, ſub Regibus Gondegiſili & Gondebaldo Fratribus, qui cum ſuâ Gente Arianiſmum adhuc profitebantur, antequam Aviti Viennenſis operâ Hæreſim abjurarent. Solus *Clodoveus* Francorum Rex Catholicam fidem à Converſione ſuâ profeſſus, de quâ ad ſuperius Secul. Præterquàm quod Galliæ Maſſilienſis Eccleſias vexabat *Semi-Pelagianiſmus*, aſſertus Fauſti ſcriptis de Gratiâ & Lib. Arbitr. Cui ſe oppoſuêre præter Fulgentium, etiam Cæſarius Arelatenſis, & *Synodi* in Galliis habitæ, inter cæteras Arauſiaca II. cui Cæſarius præfuit.

Status externus, in Oriente. V. Status externus Imperii & Reipublicæ Chriſtianæ, partim *felix*, partim *luctuoſus* fuit. 1. In Oriente imperabat, ut dictum, Anaſtaſius, Princeps Eccleſiaſticæ pacis ſtudioſus, licet infenſior Chalcedonenſi Synodo, ſaltem faventior Eutychianis. Ita tamen ut turbas hoc nomine moliri nollet Antiſtites, nec ferret Epiſcopos νεωτερίζοντας, aut animoſius vel *defendentes* Synodum, vel *anathematizantes*, ut diſertè Euagrius *L.* III. C. XXX. ſub finem. Inprimis Romæ inviſus Anaſtaſius, quem Symmachus Papa, novo exemplo, *excommunicare* præſumpſit, circà A. DII. Non ſolum quòd *Acacii* nomen nollet, cum Orientalibus, è Diptychis vel Tabulis Eccleſiaſticis expunctum; Sed inprimis quod faviſſet partibus *Laurentii* Antipapæ, & Schiſma quantumpote adversùs Symmachum foviſſet. Huic jam prætextus ſpecioſiſſimus fuit, perſecutiones ſcil. in Orthodoxos Epiſcopos paſſim excitatæ ab Anaſtaſio, ut viſum ſuprà, puta in *Euphemium*, *Macedonium*, *Flavianum* Antiochen. obtentu quod recederent hi à recepto Unitivo Zenonis, & pacem turbarent: Imperavit ad A. uſque DXVIII. grandævus admodùm, relicturus Imperium Juſtino Seniori. Sub initium ferè Seculi, turbarunt quoque Orientis Imperium, Bulgari, & Perſæ Cabade Rege, (Καβάδην Procopius, Κωάδην Coaden alii) ex Marcellini *Chron.* Procopio de Bello Perſico *Lib.* I. pacem redempturo Anaſtaſio pecuniâ datâ, quod intendebat Perſa.

In Occidente. 2. In *Occidente*, nempè in Italiâ, imperabat ut dictum *Theodoricus*, Princeps æqui & juſti tenaciſſimus, uti & bellicoſiſſimus: Qui ſimul Siciliam, Dalmatiam, Rhætiam, Noricum, vicinaſque regiones tenuit; Hiſpaniam & Viſigotthorum ditiones tutorio nomine adminiſtravit, Amalarico ex filiâ nepote impubere; Arelatenſi etiam Prov. & Narbonenſi, victis Francis & Burgundionibus, aſſertâ Viſigotthorum dominatui. Regnavit ultrà a. XL.

Perſecutio Wandalica. 3. In *Africâ* tyrannidem exercebant *Wandali*, ſucceſſuro in Guntamundi Regis locum Traſamundo ab A. CCCCXCVI. Qui etiam gravis perſecutionis auctor fuit, toto vitæ tempore, non quidem lanienis, & ſuppliciis, ſed potiùs blandâ præmiorum pollicitatione; in exilium tamen acturus pientiſſimos Epiſcopos, & eos inter *Fulgentium*, in Sardiniam Inſulam relegatos: Donec A. DXXIII. ſuccederet *Hildericus*, Rex jam pietate, manſuetudine, cæteriſque virtutibus laudatiſſimus, ſub quo etiam rediêre ad Eccleſias exulantes Epiſcopi, & qui nullo unquam modo Catholicis gravis fuit: De quibus Chronica Marcellini, Iſidori, Greg. Turonenſis L. II. & Procopius *Lib.* I. de Bello Vandalico, C. VIII. IX.

Anglo-Saxonum nova invaſio.

4. Nec tacenda *Britanniæ* nova calamitas, ferè ſub exordium Seculi, cum adventu *Cerdici* & *Kenrici* filii, duorum ex Anglo-Saxonibus Ducum. Adveniſſe ferunt Anglorum Annales A. CCCCXCV. moxque ad Occiduas partes delatos, poſt crebra cum Britannis certamina, fundaſſe *Occidentalium Saxonum* regnum; indigenis Britannis ſedibus ſuis expulſis, & miſerè trucidatis, ut unâ die ceciderint *quinque millia* Britannorum, cum Rege ſuo, quem volunt (aſſentiente Uſſerio) fuiſſe *Natanleodum* cognomento *Utherum*; patrem incluti Bellorum Ducis, *Arthuri*, quem ſe inſcripſiſſe ferunt *Britanniæ*, *Galliæ*, *Germaniæ*, *Daciæ Imperatorem*, natum (ità Chronica) A. CCCCLXXXV. Cladem eam Uſſerius ex Britannis ſuis refert ad A. DVIII. Tum & trucidati fuêre Monachi qui *Wintonienſe* Monaſterium incolebant, hoc ipſum in Templum Idolorum à Saxonibus convertendum, ex Wintonienſis Eccleſiæ Annalibus. Paulo poſt feruntur Saxones totam Inſulam devaſtaſſe, novis è Germanico litore colonis advectis, circà A. DXX. & deinceps, *Eaſt-Anglis* crudeliſſimum in modum graſſaturis, *Chriſtianâ* ubique religione oppreſſâ; *Weſt-Saxonum* autem ſtabilito hoc tempore imperio. Et hac occaſione *Arthurus* fortiſſimus Britonum Dux excitatus fertur, ut ſe Anglo-Saxonum furori opponeret, de quo mira Hiſtorici. Sed his nihil obſtantibus, res *Saxonum* ità in Britanniâ increverunt, ut hoc Seculo plura Regna ſurrexerint in Anglo-Saxonibus, de quibus verbum infrà. Hinc eſt ut *Arthurum*, tantoperè exaltatum in Anglorum Chronicis, (cumprimis Galfrido Monemutenſi, Seculi XII. ſcriptori, in *Geſtis Arthuri Regis*, tum Guilielmo Malmesbur. *Geſta Anglorum* eodem tempore referente, dein Johanni Fordono in *Scotichronico*, pluribus aliis) omninò taceant Gildas Albanius hujus Ævi ſcriptor, hinc Beda in Hiſt. Anglo-Saxonum: Et Fabulas de Arthuro Rege, ut Heroë Britonum confictо, quem primus extulerit Galfridus modò dictus, (cui cognomen *Arturi* fuit) explodit Guil. Neubrigienſis in *Præf.* Hiſtoriæ Rerum Anglic. & haud obſcurè Ranulphus Higdenus Monachus Ceſtrienſis, in Polychronico *Lib.* V. ad A. DXLIV. Occidiſſe dicitur in Valle Avaloniæ, juxtà Gaſtoniam; & Corpus ejus, cum illo Conjugis, repertum tempore Regis Henrici II. Anno MCLXXX. id eſt DCXL. circiter annis poſt ejus obitum, quod Monachalem fraudem ſapit.

De Arthuro dubia.

Viri celebres tùm florentes.

VI. Florebant hac vertente Ætate, in Scriptoribus Eccleſiaſticis, celebria nomina virorum: Ex. gratiâ, *Ruricius* Senior Lemovicenſis, vocatus ad Concilium Agathenſe, A. DVI. *Paſchaſius* Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Laurentii partes adversùs Symmachum ſtrenuè tuitus; undè fabula in Gregorio Dialogo, viſam ejus Animam in Purgatorii flammis uſtulantem: *Cæſarius*, ex Monacho Lerinenſi Arelatenſis Epiſcopus, ab Anno DII. in locum Eonii, ac diu poſteà in Galliis clarus: *Alcimus Avitus* Viennenſis in Galliâ Epiſcopus, jam ſub finem Seculi prioris, victurus ad A. DXXIII. *Ennodius* Ticinenſis Diaconus, qui pro Symmacho Papâ, contrà Laurentium, & pro Synodo Palmari, *Apologiam* planè ſervilem & adulatoriam ſcripſit: *Anicius Manlius Torquatus Severitius Boëthius*, Vir Conſulari dignitate, quam geſſit ſolus A. CCCCLXXXV. deinceps admotus Theodorici ſanctioribus Conſiliis, cum ineunte hoc Seculo, de quo plura adhuc infrà: *Fulgentius* natione Afer, Ruſpenſis ex Abbate Epiſcopus, literis humanioribus Græcis, Latiniſque, & Orthodoxiæ ſtudio, clariſſimus, ejectus in exilium à Traſamundo circà A. DIV.

II. *Propagatio Eccleſiæ Chriſtianæ, aut Catholicæ, hac Ætate.*

HUc faciunt ſummatim, ex Hiſtoricis & Chronographis Eccleſiaſticis, quæ prolixâ deductione non egent:

Populi ad Pontum Euxinum converſi.

I. Converſiones à Gentiliſmo aliquot *Regum* & *Principum*, & cum iis Barbararum *Gentium*, in Provinciis Barbaricis. Eas inter *Heruli*, *Eruli*, oras ultrà Iſtrum incolentes, dein Iſtro trajecto Romanis vicini facti, ſub Anaſtaſio Imperat. tandem à Juſtiniano ad Chriſtianiſmum inducti fuerunt, ut Procopius de Bello Goth. L. II. C. XIV. Tùm ad Pontum Euxinum populi, *Abasgi*, hodiè pars Circaſſiorum, Corace fluvio à *Colchis*, & *Iberis*, qui nunc Odiſci, Mengrelii, & qui habitant regiones *Imerette*, *Guriel*, &c. diviſi; *Alanis* vel *Alaunis*, ad Septentrionem ſitis contermini, qui cum Wandalis in Europam effuſi ſunt: *Lazi* Cappadociis, & Georgianis qui ad Auſtrum, proximi, in montanis ad Orientem Euxini, olim Colchi dicti: *Zani* vel *Tzani*, Suani, Σάνοι vel Σϋνοι Procopio, Lazis & Colchis finitimi, ad Caucaſios montes: *Hunni* qui primâ origine ad Boſphorum Cimmerium agerent, & ripas Mœotidis Paludis, Scythicæ & Sarmaticæ gentes, ſagittâ valentes & equitatu; tandem in Pannoniis conſidentes. Quos omnes, ſub Juſtino & Juſtiniano Imperatoribus, Chriſtianos cum Ducibus ſuis factos eſſe referunt Marcellinus, Procopius, Euagrius, Paulus Diaconus, Zonaras, alii, & ex *Novellis* ipſis Juſtiniani intelligitur. Gentes quæ ubi Chriſto nomen dederunt, ex conſuetudine cum Romanis, ſimul feritatem atque impietatem exuerunt; ad eandem deinceps reverſuræ.

Quod *Armenios*, ſeu *Perſarmenios* hoc Seculo converſos memorant Sigebertus, & alii, erroris eſt; qui jam antè Chriſtiani: Sed hoc Seculo, miſſâ ad Juſtinum legatione, *Chriſtiani Chriſtianorum* amicitiam ambientes, Romano Imperio ſubjecti fuêre; qui antè ad Perſas defecerant, illis vicini: Unde Armenia Major *Perſarmenia* dicta, complexa etiam Iberiam, Albaniam Aſiaticam, & contermina ad Auſtrum & Orientem loca, hodie Gurgiſtan, Carthuel, quæ *Georgianorum* regio; an à Græco γεωργὸς, an à *S. Georgio* Chriſtianorum in eo tractu, qui Græcorum ritum ſequuntur, communi parente, an aliundè, dubium. De geſtis ſub Juſtino Seniore, Euagrius *Lib.* V. C. VII. Procopius de Bello Perſico, *Lib.* II. &c. Qui *Armenios* hoc Seculo converſos dixêre, aut confudiſſe converſionem cum defectione eorundem ad Hæreſim Jacobitarum; aut de aliquibus locuti videntur.

Armenii.

Æthiopes, Arabes.

Æthiopiæ ſeu Indiæ Interioris populi, qui & *Axumitæ*, jam tum Chriſtianiſmum profeſſi, invito Scaligero, *Helleſtiao* Rege cultore eximio (καὶ ὡς μάλιστα) Chriſtianæ Religionis, ſub Imperio Juſtiniani, ut Procopius de Bello Perſ. *Lib.* I. C. XX. Hic verò *Homeritas* in oppoſitâ continente, Arabiæ Felicis populos, Chriſtianis graves, bello aggreſſus, cæſo Homeritarum Rege, præfecit illis *Eſimophæum*, Chriſtianum religione. Ad utroſque miſit Juſtinianus Legationem, petens per Julianum, ut quemadmodum religione, ità etiam fœdere cum Romanis conjungerentur, & armis adversùs Perſas, atque in eoſdem irruptione, Romanos juvarent; de quo idem Procopius, eodem loco, Paulus Diaconus, Hiſtorici & Chronographi alii. Sub Conſtantino verò Imperat. illatam fuiſſe ad Æthiopas, aut Indos citeriores, lucem Euangelii, (Philoſtorgius factum ſub Conſtantio, *L.* III.) pluribus Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, &c. De quo nos ad Secul. IV. *col.* 839. 840.

Choſ-

Digitized by Google

Perſæ an converſi ſub Choſroë?

Choſrois quoque, *Perſarum* Regis, converſionem, ſub vitæ extrema, ſuſcepto Baptiſmo, refert Euagrius, ſed ex aliorum fide (tacente Procopio) *Lib.* IV. C. XXVIII. φασὶν ἐν ταῖς τελευταίαις, τῆς θείας ἀξιωθῆναι παλιγγενεσίας. Filius fuit tertio-genitus *Cabadis*, de quo antè dictum, quem adoptandum Juſtino Imper. pater obtulerat, hinc in Romanos conceptum odium: Poſteà Juſtiniano conciliatus, iterum incitatur ad bellum, *Surâ* urbe ad Euphratem miſerè deletâ, ex quâ fuit *Euphemia* Surena captiva, Choſroi deinceps amata conjux; quæ fortè Chriſtianiſmi ſemina injecit. Deinceps tertiam, & quartam in Romanos irruptionem facturus, & obſeſſurus *Beroeam* Syriæ, *Antiochiam*, *Apameam*, *Edeſſam*, &c. In *Lazicam* etiam irrupturus, & Juſtinianum tandem ad redimendas inducias quinquennales, ingenti auri ſummâ, per modum tributi, adacturus. De his Procopius, de Bello *Perſ.* L. II. & de Bello *Goth. Lib.* IV.

Germaniæ Populi an converſi?

Tùm & *Germaniæ* Barbaræ populos varios, hac Ætate, Chriſto acceſſiſſe, tradunt Rerum Boicarum & Germanicarum Scriptores, Aventinus, & alii. Sic *Boiorum* quoſdam (quos à *Boigen*, id eſt, arcum inflectere, literâ *g.* omiſſâ, dictos volunt) converſos referunt, ſed ex parte tantùm, de quibus Aventinus, in *Annal.* Boior. Nam Boiariæ partes olim variæ, quarum unam inſederunt *Nariſci* cis Danub. versùs Mœni fontes, vicini *Boiohemis*, unde Bohemia, Boiorum quaſi patria: Alteram *Norici*, quibus ad Septentrionem Danubius, ab Ortu Pannonia, ad Meridiem Alpes Juliæ, Carnicæ; Tertiam *Vindelici* Noricis ad Occaſum, versùs Danubii fontes, terminati Alpibus Penninis & Rhætiâ. Hinc converſos ferunt à Paganiſmo *Thuringos*, qui hodieque nomen retinent; quibus proximi fuêre *Suevi*, ultrà Albim, Salam, Mœnum fluvios, ad Viadrum & Viſtulam habitantes, quorum pars, Galliis vaſtatis, in Hiſpaniam trajecerat jam ſuperiore Seculo. Sed hæ Converſiones valdè incertæ, ſiquidem à temporibus demùm Caroli M. & Bonifacii illarum Gentium vulgò Apoſtoli, *Sec.* VIII. Boiarorum, Thuringorum, Saxonum, &c. converſio vulgò prædicetur.

Anglo-Saxones, Picti, Scoti. Auguſt. Monachi Hiſt.

Anglo-Saxonum celebris converſio eſt, ſub finem hujus Seculi, A. DXCVIII. *Æthelberto* paulo poſt Cantuariorum Rege, cum Gente ſuâ, Chriſti fidem ſuſcipiente: *Auguſtino* Monacho cum ſociis in Britanniam miſſo, per Gregorium I. A. DXCVI. qui deinde A. DXCVII. in eam Inſulam appulit. Nam in ſolis *Walliæ* ſeu *Cambriæ* & *Cornubiæ* Occiduis partibus, Chriſtiani Britanni agebant anteà, eò ab Anglo-Saxonibus relegati, & in vicinam Hiberniam. Noluiſſe autem hos, *Verbum fidei prædicando committere genti Saxonum ſive Anglorum*, auctor eſt Beda, *Hiſt. Eccleſ.* Gentis Anglorum L. I. C. XXII. Igitur *Gregorius* I. tum Romæ Pontifex, ab A. DXC. Mauricio Imperante, ſollicitus jam pridem de ſalute Anglorum procurandâ, conſilium cepit de mittendis in Angliam prædicatoribus, quorum princeps *Auguſtinus*, dein *Mellitus* & *Socii* circiter XL. principio tergiverſantibus ac rei difficultate territis. Qui tandem à Gregorio in pio inſtituto roborati, in Inſulam per Gallias appulêre, cum *Francis* interpretibus, quorum lingua eadem cum vetere Saxonicâ: Ibi ſignificarunt Æthelberto Cantii Regi miſſionem ſuam, & ſalutarem quam adferrent Doctrinam, *Verbum Vitæ*, quod æternam felicitatem promitteret, fide amplexuris. Nam & fama Chriſtianæ religionis ad Regem antè pervenerat, & Conjux ipſius *Bertha* vel *Berchta*, de gente Francorum, eâ conditione illi nupſerat, ut Sacra ſua inviolabiliter ſervaret, dato illi Epiſcopo nomine *Luithardo*. Admiſſi igitur ad colloquium cum Rege, præferentes *vexillum Crucis*, ita Beda, & *Imaginem Salvatoris in tabulâ depictam*, *Litaniaſque canentes*, (ritu jam in Eccleſiâ recepto, & ut finem miſſionis ſuæ rebus & ſignis declararent, qui Linguam Gentis non callerent) clementer fuerunt à Rege excepti: Sed converſio ad tempus dilata, manſio autem illis in *Dorovernenſi* (Cantuarienſi) civit. cum ſubminiſtratione annonæ, conceſſa, facultas etiam prædicandi Euangelium illis data, ut multi eorum doctrinâ & vitâ converſi baptizarentur; donec tandem Rex ipſe A. DXCIX. credens Sacro lavacro tingeretur. Cum Rege multi ad fidem Chriſtianam inducti, *ut tamen nullus ad Chriſtianiſmum cogeretur*, ſunt verba Bedæ, C. XXVI. *Didicerat enim Rex, à Doctoribus auctoribuſque ſuæ ſalutis, ſervitium Chriſti* VOLUNTARIUM *non* COACTITIUM *eſſe debere.* Dein Auguſtinus ad Arelatenſem Epiſcopum profectus, ſic Beda *Lib.* I. C. XXVII. quem *Etherium* fuiſſe dicit, (Baronio Bedam coarguente erroris, quum *Virgilius* tùm Arelatenſis, ad quem & extant Gregorii Epiſt. pro ſuſcipiendo Auguſtino, *Etherius* verò Lugdunenſis fuerit Epiſcopus,) ab eodem Arelatenſi juxtà Gregorii reſcriptum, ordinatus eſt Archiepiſcopus Gentis Anglorum, & in Britanniam reverſus, continuò Laurentium Presbyt. & Petrum Monachum Romam ad Gregorium miſit, de omnibus certiorem facturos Gregorium. Ab eodem Pontifice dein miſſum eſt Archiepiſcopale Pallium, & Miniſtri plures, etiam Reſponſiones ad varia quæſita Auguſtini, ad *regimen* & *diſciplinam* ſpectantia, quæ ignorantiam illorum temporum, ac ſuperſtitionem Auguſtini, probant; undè & à quibuſdam ſuppoſitionis arguuntur, à Bedâ autem probatæ ut Gregorii, L. I. *Cap.* XXVII. Hæc videre eſt apud Bedam, & Gregorium in *Epiſt.* Cætera quæ huc ſpectant, ſcil. tranſlatio Sedis Archiepiſc. Cantuariam; omnia ad nutum & ritus Romanæ Sedis conſtituta; Linguâ Latinâ Sacra peracta, quùm eſſent Monachi Saxonicæ ignari; Britannorum oppoſitiones adversùs uſurpatam ab iſtis auctoritatem, &c. pertinent ad ſequens Seculum. Ex Scriptoribus quoque Britannicis intelligitur, *Pictos* ſeptentrionales, & *Scotos* ſeu *Albanios*, Chriſto mancipatos fuiſſe hoc Seculo, Columbâ Monacho inſtrumento præcipuo, ex Hiberniâ eò delato. Refert rem Beda, *Lib.* III. IV. ut quæ acciderit ſub Juſtino Juniore, circà A. DLXV. ex hoc Boëthius in *Hiſt. Scot.* C. IX. ac cæteri rerum Scoticarum Scriptores.

II. Accedunt converſiones ex *Arianiſmo*, quas inter celebris illa Sigiſmundi *Burgundionum* Regis, Converſiones ex Arianiſmo. Sigiſmundi Burgundi.
ab Avito Viennenſi Epiſcopo, circa A. DXVII. Anaſtaſio Aug. IV. & Agapeto *Coſſ.* Nempè anteà jam in fide inſtructus, ſimulac diem obiit Gundebaldus Sigiſmundi pater, fidem Orthodoxam *S. Trinitatis*, cui ſemper repugnaverat Gundebaldus, profeſſus eſt Filius, cum Gente totâ, habitâ ab Avito oratione, quâ cunctos Burgundiæ populos invitavit, ut Regis ſui ſequerentur exemplum; quod non difficulter impetravit. Hinc Aviti Epiſtola ad Sigiſmundum quæ eſt LXXXI. pro eo confirmando in fide quam recens ſuſceperat; & Synodum contrà Arianos congregaſſe fertur, præſide eodem Avito Viennenſi, A. DXVII. quæ *Epaonenſis* vel Epaunenſis Synodus, multis Canonibus inclyta. Paulo poſt idem Sigiſmundus Filium *Sigericum* ſtrangulari juſſit, Novercæ calumniis oppreſſum, ſerâ pœnitentiâ; quæ talis fuit, ut poſt mortem (in *puteum* unà cum conjuge & liberis projectum refert Greg. Turon. juſſu *Clodomiri* Aurelian. Regis) in Sanctorum numerum Martyrologia retulerint I. *Maii.* De quo Beda, Gregorius Turon. Ado Viennenſis, & Sigebertus in *Chronicis*, &c.

Memorabilis & converſio *Theodomiri* vel *Ariamiri* Suevorum Regis, in Luſitaniæ & Galliciæ Suevorum.
partibus; qui dein totam Gentem *Suevicam* ab Hæ-

reſi

reſi Arianâ, (quam hacuſque in Gallicià Gens ea foverat, ultrà ſeſqui-Seculum) paulo poſt ad Eccleſiam Catholicam, qualis tunc erat traduxit, circà A. DLXI. Quo anno indixit *regali præcepto*, *per ordinationem Glorioſiſſimi Regis*, Synodum Bracarenſem I. (hodie *Braga* Luſitaniæ) Lucretio Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo; ut eſt in Collectione Concilior. Hiſpaniæ, quam edidit Garzias Loaiſa, *Madritti* 1593. Tum Anno DLXIV. indixit aliam Synodum apud Lucum, quæ *Lugo* Galliciæ, ad confirmandam Fidem Catholicam, poſtquam Gentem univerſam, *ſtudio & labore Martini Dumienſis* (in Gallicià) *Epiſcopi*, *ad veram ſinceramque fidem reduxiſſet.* Poſteà circà A. DLXXXVI. Suevorum regnum ad Gotthos translatum fuit. Quo ferè tempore, *Leuvigildo* eo Anno ſublato, qui Catholicos atrociter perſecutus fuerat, & filium Ermenegildum in cuſtodiam traditum tandem ſecuri percuſſerat, (teſte Mariana *Lib.* V.) *Flavius Reccaredus*, alter filiorum, Gentem Gotthorum univerſam ab Arianâ Hær. ad Catholicam fidem perduxit, ex Iſidori *Chron.* Gregorio Turonenſi *Hiſt. Franc.* L. XI. Marianæ Hiſtoriâ *Lib.* V. C. XIII. Indicto tum Concilio Toletano III. Anno DLXXXIX. ut *tàm de Regis ipſius converſione*, *quàm de Gentis Gotthorum innovatione*, omnes regiminis ſui Pontifices exultarent, & Deo condignas gratias agerent. Quando Rex ipſe Patres ſic allocutus; *Admoneo vos & exhortor*, *jejuniis vos & vigiliis atque orationibus operam dare*; hinc *triduanum jejunium* prædicari juſſum.

Wandalorum. Adde *Wandalos* Arianos, *Africâ* exactos ſub Juſtiniano, Catholiciſmo ubique reducto; ſicut factum in *Italiâ*, & *Siciliâ*, poſt ſuperatos *Gotthos* per Beliſarium & Narſetem. Quanquàm jam ante Hildericus (Iſidoro *Hildiris*) *Wandalorum* Rex, Traſamundi ſucceſſor, laudatiſſimus Princeps, ex filiâ Valentiniani Imperat. genitus, tranſiiſſet ad caſtra Catholicorum, circà A. DXXII. revocatis ab exilio Catholicis, inter quos miſſi in exilium fuerant à Traſamundo *Epiſcopi* CXX. Etiam antequàm regni habenas capeſſeret, id mandatum dederat; quia Sacramento ſe obſtrinxerat Traſamundo, *ſe ſiquando regnaret*, *Eccleſias non aperiturum Catholicis*, ex Wandalorum *Chronico* Iſidori. De quibus fuſiùs Procopius in Hiſtoriâ *Belli Wand.* & rerum Francicarum, Wandalicarum, ac Gotthicarum Scriptores.

Privatorum converſiones. III. Privatas alias ſeu ex *Gentiliſmo*, ſeu ex *Judaiſmo*, converſiones, quaſdam non ſine divinâ virgulâ, & miraculi ſpecie, ex Paulo Diacono, Gregorio Turon. Sigeberto, ſimilibus, prolixiùs referunt Magdeburgenſes, *Cent.* VI. C. II. Illa compilare, ac quæ narrantur Miracula recenſere, aut horum veritatem vel fraudem excutere, non nobis eſt pretium operæ. Ità ex *Manichaiſmo* frequentes converſi leguntur, tempore Auguſtini, & poſt pulſos Africâ Wandalos; undè *Commonitorium* B. Auguſtino tributum, in *Appendice* T. X. Edit. 1586. vel Editionis nuperæ Benedictinorum, *Tomo* VIII. *quomodò ſit agendum cum Manichæis qui convertuntur*, *& quos pœnitet hujus nefandi erroris.* Exhibet & Baronius in Append. Tomi V. Annalium Eccleſiaſt. Ità feruntur *Anathematiſmi* IX. expreſſi *Proſpero* cuidam, è *Manichaiſmo* converſo; formam quâ errorem abjuraret præſcribente ſcil. Auguſtino, quales *Anathematiſmos* edidit Jac. Sirmondus, in *Tomo* I. Concil. Galliæ, & Labbeus T. IV. Concil. *col.* 1662. I. *Qui credit*, *duas eſſe Naturas diverſis principiis exiſtentes*, *unam bonam quod eſt Deus*, *alteram malam*, *&c.* II. *Qui credit duas Naturas bellum inter ſe geſſiſſe*, &c. (& ità in cæteris Capitibus Manichæiſmi) *Anathema ſit!* Memorabile autem exemplum eſt, Diaconi illius familiaris Theodorico Africæ Duci Ariano, qui ratus facturum ſe rem gratam Principi, ejuratâ fide Catholicâ, *Arianam* amplexus fuit; ſed perfidiæ in Deum pœnas capite luiturus: *Non enim*, inquit Theodoricus, *ſervabit mihi fidem*, *qui Deo non ſervavit*; referente in Annalibus Zonarâ, L. XIV. in rebus Anaſtaſii Imp. tum Cedreno, & aliis. Simile exemplum in Conſtantio Chloro, ſuprà *col.* 942.

III. *Doctrina hujus Seculi Catholica: In ſpecie ex Gregorio Rom. aſſerta.*

I. Colligitur iſta omnium certiſſimè; 1. Ex *Formulis* publicis tùm receptis ac *Symbolis*, uti Apoſtolico, Nicæno, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi; ex quibus natum poſteà Athanaſianum, quod recentius eſſe Voſſius & Docti alii ſuſpicati. Adde Symbolum Gregorii I. quale recitat in ejus *Vitâ* Johan. Diaconus, in quo Spiritus S. dicitur *de Patre & Filio procedere*. 2. Ex Decretis & Canonibus Conciliorum hujus Ævi, inter quæ ſunt *de Fide Capitula*, Synodi V. Oecumenicæ, confirmantis priora IV. Concilia. Adde Conſtitutiones Juſtinianæas, in Cod. de *Summâ Trinitate*, *& Fide Catholicâ*; quam profitentes, & ſolos, jubet *Chriſtianorum Catholicorum nomen amplecti*, *leg.* I. hoc Tit. 3. Ex ſcriptis hoc Seculo editis à Fulgentio, Primaſio, Caſſiodoro, Gregorio I. &c. Catholicæ fidei, quoad eſſentialia omnia Capita, præcipuis vindicibus. Quorum poſtremus *Confeſſionem* ſuæ fidei, in ſignum mutui *conſenſus*, miſit pro more ad Johannem Patriarcham Conſtantinop. & Patriarchas reliquos, inſertam, ex Epiſtolis Gregorii (*Lib.* I. *Ep.* XXIV.) *Tomo* V. *Concil.* Ed. noviſſimæ, *col.* 635. *Sicut Sancti Evangelii quatuor Libros*, *ſic quatuor Concilia ſuſcipere me & venerari fateor*, *Nicænum ſcilicet*, *in quo perverſum Arii dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque*, *in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Epheſinum etiam primum*, *in quo Neſtorii impietas judicatur: Chalcedonenſe verò*, *in quo Eutychis Dioſcorique pravitas reprobatur*, *totâ devotione complector*, *integerrimâ approbatione cuſtodio: Quia in his*, *veluti in quadrato lapide*, *ſanctæ Fidei ſtructura conſurgit*, &c. Addit, *Quintum quoque Concilium pariter veneror*, de quo infrà pluribus; addito *anathemate* ſi quis aliter ſaperet. Et hæc quinque Concilia habet ibidem inter *univerſalia*, quia *univerſali conſenſu conſtituta*; non quia ſic viſum eſſet Romano Pontifici, ut pro Oecumenicis haberentur, ſupponente Baronio de *quintâ* Synodo, ad Ann. DLIII. N. CCXXIV. — *Unde colligi debeat?*

II. Hinc patet retenta fuiſſe *fundamentalia* Capita, ſeu de *Principio* Fidei unico, Scripturâ S. ſeu de reliquis ex eâ eductis *Articulis*, ut S. Trinitate; Perſonâ Chriſti; Unione Naturarum; impotentiâ Arbitrii; Gratiæ neceſſitate, & efficaciâ; Juſtificatione per fidem; Sanctificationis imperfectione, in hac vitâ; Reſurrectione ejuſdem Carnis, &c. Hæc enim ſunt de quibus certatum fuerat ſuperiore Seculo, adversùs Hæreſes Neſtorianam, Eutychianam, Pelagianam, Semipelagianam: Uti de *Reſurrectione* congreſſus fertur Gregorius Apocriſiarius, cum *Eutychio* Conſtantinop. qui peſſimè in hoc Capite ſentiret; quaſi *corpus in gloriâ* futurum eſſet *impalpabile*, *ventis & aëre ſubtilius*, ut refert Paulus Diaconus, initio ferè *Vitæ* Gregorianæ. Luculenter verò vel ex ipſo Gregorio, Papatui admoto, An. Chr. DXC. conſtat doctrinæ ejus Ævi, etiam in Latinâ Eccleſiâ, ab hodiernâ Pontificiâ multiplex diſcrimen. Convenit enim Gregorio cum doctrinâ Proteſtantium: — *Quæ fidei Fundamental.*

1. In capite de *Scripturarum* Canone, ſufficientiâ, lectione neceſſariâ: Frequentia in hanc rem in *Moralibus*, & in *Epiſtolis* loca. — *Diſcrimen à Pontificiâ Doctrinâ, ex ipſo Gregorio oſtenſum.*

Ità Libros Scripturæ S. *Canonicos*, eoſdem agnovit, quos vetus omnis Eccleſia. Nam L. XIX. *Moral.*

De Script. S.

ral. in Jobum, *Cap.* XIII. citaturus locum ex I. Maccabæorum; *De quâ re non inordinatè agimus, ſi ex Libris licet non Canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephantem feriens, ſtravit,* (1 *Macc.* VI. 45. 46.) *ſed ſub ipſo quem extinxit occubuit.* Sufficientiam ac perfectionem S. Scripturæ ſic idem adſtruxit, ut proprium *Hæreticorum* eſſe dicat, (*Moral.* Lib. XVIII. C. XIV.) *ea proferre quæ nullâ Sacrorum Librorum auctoritate ſolidantur; quæ profectò in ſacrorum Librorum paginis non tenentur: Si verò loqui deſiderant, indè ſumere debent quod loquantur. Omne quod loquimur, ad Divinæ auctoritatis fundamentum revocandum, & in eo ædificium locutionis* noſtræ *firmandum.* Sic contrà eos qui *Scripturas ardenter legere negligant; Quid eſt* (inquit) *Scriptura Sacra, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Certè ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & Scripta terreni Imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius quod ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnoviſſet. Stude ergò, quæſo, & quotidie tui Creatoris verba meditare,* &c. *Epiſt.* XL. *Lib.* IV.

De Eccleſiâ.

2. De *Oecumenici Pontificatus* & re & titulo Anti-Chriſtiano, ſuperbo, peſtifero, &c. nos infrà in *Cap.* de *Regimine Eccleſiæ*, ex dicto Gregorio, & cum antè Pelagio II. Ità de *Eccleſiâ* Catholicâ, tanquàm *inviſibili*, ſeu *Electorum*, frequenter Gregorius in *Moralibus*; nuſquàm reſtringens veram Eccleſiam, ad *Communionem externam* hominum ſub Oecumenico Pontifice viventium. Sic Mor. *Lib.* XXVI. C. XVIII. *Quia enim foris eſt quod appetunt, quid ſit intùs deſiderabile ſentire non poſſunt: De* Electorum *quippe* Eccleſiâ *ſcriptum eſt; Omnis gloria ejus filiæ Regum ab intus. Undè & Sanctorum voce dicitur, Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Alibi, L. II. in *Ezech. Hom.* XVII. T. I. *col.* 1290. *Unum verò ſignum electionis eſt, ſoliditas charitatis, ſicut ſcriptum eſt; In hoc ſcietur quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Infrà liquebit quomodò Pelagius II. tum Gregorius I. Romanam Eccleſiam agnoverint quidem eſſe *de univerſitate*, ſeu partem *Eccleſiæ Catholicæ*, ipſam verò *univerſalem* eſſe, aut talem dicendam, pernegarunt, uti nec Patriarcham Romanum dicendum *univerſalem*; niſi v. gr. Alexandrinus Patriarcha, qualis tùm Eulogius, *deſineret hoc eſſe, quod Romanum fatetur univerſum.* Vide Gratiani Decret. *Diſt.* XCIX. C. *Nullus Patriarcharum.*

Ità Eccleſiam *Veteris Teſtam.* partem conſtituere Univerſalis Eccleſiæ, & eandem nobiſcum *fidem* habuiſſe, eadem quoad rem ſignificatam *Sacramenta*, Gregorius egregiè docet. Homiliâ XV. in *Ezech. Lib.* II. *Tomo* I. *Una eſt Eccleſia electorum, præcedentium & ſequentium. Antiqui Patres non diviſi à S. Eccleſiâ fuerunt; quia mente, opere, prædicatione, iſta jam fidei Sacramenta tenuerunt, iſtam S. Eccleſiæ celſitudinem conſpexerunt, quam non adhuc preſtolando, ſed jam habendo conſpicimus.* Ità Eccleſiæ vel Pontificis *infallibilitatem* neſcivit Gregorius, ſi auctor eſt *Dialogorum* qui ſub Gregorii nomine extant, Operum T. II. Ubi *Dial.* I. C. IV. pluribus tradit, ſe *falli* poſſe, & in errorem duci, ut qui *homo eſſet, non Propheta. Quod miraris, Petre, quia fallimur qui homines ſumus! An mente excidit, quod David, qui Prophetiæ Spiritum habere conſueverat, contrà innocentem Jonathæ filium ſententiam dedit,* &c. *Quid ergò mirum, ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non ſumus?* Ità Gregorius verba Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hac petrâ ædificabo Eccleſiam meam, Matt.* XVI. interpretatur de verâ fide, & Confeſſione Petri, *Epiſt.* L. III. Ep. XXXIII. *Ind.* XII. *In verâ fide perſiſtite, & vitam veſtram in Petrâ Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione B. Petri ſolidate.*

De adorat. Dei ſolius.

3. De *adoratione* unius Dei *religioſâ*, oppoſitè ad cultum *Imaginum*, *Angelorum*, *Creaturarum*, *Reliquarum*, expreſſus rursùm Gregorius eſt: Cumprimis in notâ *Epiſt.* ad Serenum Epiſc. Maſſilienſem, qui Imagines totâ ſuâ Diœceſi ejecerat confregeratque, quod vidiſſet eas à *quibuſdam adorari*, Iconoclaſta jam ſub finem VI. Seculi; ita cenſet ſuper Imaginum uſu, *Epiſt.* CX. L. VII. *Ind.* I. *Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari poſſet, habuiſſe laudavimus, ſed frangere eaſdem Imagines non debuiſſe judicamus. Tua Fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit.* Rursùs *Ep.* IX. *Libro* IX. *Ind.* IV. *Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudavimus; Aliud eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere.* Arguendoſque ibidem docet Scripturæ teſtimoniis, *Eccleſiæ filios, quia omne manufactum adorare non licet, quoniam ſcriptum eſt; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Rursùs, *adorare imagines omnibus modis veta. Hoc ſollicitè Fraternitas tua admoneat, ut in adoratione ſolius Sanctæ Trinitatis humiliter proſternantur*; ignorans eo tempore diſtinctiones inter cultum *Latriæ* & *Duliæ*, *abſolutum & relativum.* Undè Auctor Notarum in Epiſt. Gregorii, dicit, *ejus verba eſſe duriuſcula; & cum cultu religioſo abſoluto* (imò nec cum relativo) *vix poſſe componi.*

Non Imaginum.

4. Et aliàs, eos qui ad *Sacra corpora* Martyrum fletibus inſiſterent, qui *lapides amplexarentur*, aut qui *Angelos adorarent*, pluribus reprehendit Gregorius *Moral.* L. XVI. *Cap.* XXII. *Hi qui de nullo ſuo opere confidunt, ad Sanctorum Martyrum protectionem currunt, atque ad Sacra eorum corpora fletibus inſiſtunt, promereri ſe veniam eis intercedentibus, deprecantur. Quid ergò iſti in hac humilitate faciunt, niſi quia bonæ actionis velamen non habent, Lapides amplexantur?* Quoad Angelos, idem Moral. L. XXXII. C. VIII. *Poſt Mediatoris adventum, cum ſe Joannes adorando Angelo proſtraviſſet, audivit, vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Oſtenditque ibi Gregorius, per Incarnationem Chriſti, nos eſſe *factos æquales Angelis, virtute ſuæ minorationis*, imò in Capite *Chriſto prælatos* fuiſſe *Angelis.* Uti graviſſimæ peſtis tempore, quæ Romæ *Pelagium* II. prædeceſſorem Gregorii corripuit, ſub finem Anni CCCCXC. Gregorius adhuc tùm Diaconus Rom. Eccleſiæ, gravi ad populum hortatione habitâ, præſcripſit non Miſſarum, Peregrinationum, Reliquiarum, Imaginum præſidium, id genus συκίνας ἐπικουρίας, ſed *ſupplicationes*, *litanias* ac preces ad *Deum*, & ſolum quidem, fuſas; confeſſionem peccatorum *coràm Deo* factam; emendationem totius vitæ; perfugium ad Miſericordiam Dei *importunâ* ſollicitatione, ac fuſis cum gemitu lachrymis, citatis Scripturæ locis: *Elevemus corda & manus ad Dominum. Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Invoca me in die anguſtiæ, & eripiam te,* &c. Multis auctor eſt Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francorum *Lib.* X. C. I. Quanquàm ſanè Gregorius M. *interceſſioni* & *orationum adjutorio* B. Virginis, Petri Apoſtoli, Martyrum, nimiùm tribuerit, quæ jam fuêre tempora.

Non Reliquiar. Angelor. &c.

5. De Juſtificatione hominis *per fidem*, ſolâ Dei Gratiâ præveniente, unius *Chriſti* merito, ſanguine, excluſis *meritis* propriis, multus eſt in *Moralibus* Gregorius. V. gr. *Lib.* XVIII. C. XXII. *Quid autem nos dedimus, ut hanc Sapientiam, quæ Chriſtus eſt, percipere mereamur? Gratiâ quippe redempti ſumus; Illa namque ſola opera malè vivendo edimus, quibus, ſi juſta retributio ſervaretur, non Chriſtus, ſed ſupplicium redderetur. Sed aliud homo per juſtitiam meruit, aliud per gratiam accepit: Teſtatur Paulus* 1 *Tim.* I. *Qui prius fui blaſphemus,* &c. *Rom.* XI. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Eph.* II. *Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus ut ne quis glorietur. Hinc de ſemet ipſo iterum loquitur, dicens, Gratiâ Dei ſum id quod ſum*; & quæ in hanc ſententiam ibi plura. Expoſit. in Pſalmum

De Juſtificat. gratuitâ, procul meritis.

VII. Pœnitentialem Tomo III. p. 443. &c. fuſè & pluribus docet: *Qui juſtitiam ſuam ſtatuere volunt, eos Pharizæum imitari, qui ideo à Domino reprobatus fuit; Illum gloriari in juſtitiâ Dei, qui nihil boni ſuis meritis tribuit;* Solâ *Miſericordiâ, ſine ullis præcedentibus meritis,* remitti peccata; *Sine præventu miſericordiæ Dei neminem aſſequi, undè in Pſalmis legitur,* Deus meus, miſericordia ejus præveniet me; *Niſi enim vaſa iræ feciſſet vaſa miſericordiæ, neminem ab illâ perditionis maſſâ converſatio ſancta diſcerneret,* &c. Et præoccupatâ objectione, ſi *ſecundùm opera* reddet unicuique, quomodò *miſericordia* æſtimabitur; reſpondet: *Sed aliud eſt ſecundùm opera reddere, & aliud propter ipſa opera reddere; In eo enim quod ſecundùm opera dicitur, ipſa operum qualitas intelligitur. Mereri* verò Gregorio, perpetuo uſu, eſt conſequi, accipere, obtinere, ut *mereri veniam, ſolatium, ſanationem,* &c. *Et meritis nemo Deum prævenit, ut tenere eum quaſi debitorem poſſis. Sed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam prælegit, & quoſdam in ſuis pravis moribus* juſtè derelinquit. *Sic & electi prævenientem ſe gratiam ſequuntur, & reprobi juxtà quod merentur accipiunt: Et de miſericordiâ inveniunt electi, quod laudent; & de juſtitiâ non habent reprobi quod accuſent.* Hæc Gregorius *Moral.* L. XXXIII. C. XX. T. I. Oper. p. 988. Quæ ipſiſſima doctrina Auguſtini eſt, quam declarat Libro de *Prædeſtinat. Sanctorum,* & vindicat altero, *de Correptione & Gratiâ.*

De Corrupt. Nat. Impot. Arbitr. Imperf. Oper. Gratiâ præv. Prædeſt. duplici, &c.

6. De Peccato ſeu culpâ *Originali*; de *impotentiâ* Arbitrii humani ad bonum; deque *imperfectione* hominis, & ſanctiſſimorum peccatis, loca ſunt apud Gregorium diſertiſſima, & Solis quaſi radiis ſcripta. Sæpè ille: *Culpam originalem eſſe matrem* omnis carnalis concupiſcentiæ; *Peccatum inhabitans,* Rom. VII. *eſſe originalem culpam; Boni aliquid operari ſine divino auxilio non valere nos; Noſtra bona non eſſe à nobis; Omnem humanam juſtitiam, injuſtitiam eſſe, ſi diſtricte judicetur,* &c. Hæc ille paſſim, Expoſitione in I. Regum, Libris Moralium in Jobum, in Pſalmum VII. Pœnitentialem, & in Epiſtolis paſſim, ac Homiliis.

Adde de his Capitibus doctrinam Auguſtinianam *Fulgentii* Afri, qui obiit A. DXXXIII. juxtà Ferrandum Diaconum in ejus *Vitâ*; quo nullus Auguſtinum melius intellexit, fortiùs defendit. Patet ex ejuſdem Libris ad Monimum, ubi de *Duplici Prædeſtinatione, alterâ Bonorum ad Gloriam, alterâ Malorum ad pœnam:* Item ex Libris III. *de Veritate Prædeſtinationis, & Gratia Dei.* Ita Librum de *Prædeſtinatione & Gratiâ,* qui habetur inter Opera Auguſtini, nonnulli Fulgentio tribuendum cenſuêre, eos inter Theophilus Raynaudus, expreſſâ Diſſertatione. Sic Fulgentio tributi, *Libri* VII. contrà Fauſtum Reienſem, Maſſilienſium anteſignanum, *de Gratiâ* & *Lib. Arbitrio,* quorum meminit Iſidorus Hiſpalenſis, in Libro de Scriptoribus Illuſtr. C. XIV. ſed qui Libri hodie deſiderantur. Ac Fulgentio, & Latinis Orthodoxis, acceſſerunt hac in parte *Johannes Maxentius,* & *Monachi Scythæ,* in Oriente, qui non tantum *Eutychis* errores damnarunt, ſed & *Pelagii* & *Semipelagianorum* illos, & Auguſtini doctrinam acerrimè propugnarunt: Quos ut cum *Hormiſdâ* Pontifice intrà commiſſos, Baronius Tomo VII. Annal. vocat *verſipelles, impios, Pſeudo-monachos, impoſtores,* &c. de quibus poſteà.

Miniſterium Sacrum, Officium Epiſcop. etiam Romani Pont. in quibus?

7. *Paſtorale officium* Epiſcoporum omnium, cumprimis inſtituendi ſollicitè greges ſuos, procul faſtu, otio, luxu, curis ſecularibus, Simoniâ & nundinatione jam tum in Sacris receptâ, ſubſtitutione Vicariorum, etiam opulentiâ, qualis eſt Cleri Romani hodierni, ex unius Gregorii ſcriptis luculenter intelligitur. Eò ſpectavit *Curæ Paſtoralis* Liber, ad Johannem Ravennatenſem, *T. I. Operum,* imprimis *Parte* III. *qualiter Rector debeat, benè vivere, docere, & admonere ſubditos.* Et quidem ut ſe purgaret à reprehenſione Johannis, quaſi ipſemet curæ Paſtoralis pondera, quum ad Romanum Epiſcopatum quæſitus deliteſceret, fugere intendiſſet. Nihilque aliis Paſtoribus & Epiſcopis præſcribit, quod non ſibi dictum, & à ſe obſervatum, velit. Ità *Homilia* XVII. *Libri* I. *in Euangelia,* habitâ ad Populum, in Baſilicâ Lateranenſi (ut concionari ipſe frequenter ſolitus, quoties ſanitas illi permitteret, quod ejus ex *Homiliis* abundè liquet) de Miſſione Apoſtolorum, *Matth.* X. *Aliud eſt, Fratres chariſſimi, quod me de vitâ Paſtorum vehementer affligit: Sed ne cui hoc injurioſum videatur fortaſſe quod aſſero, me quoque pariter accuſo, quamvis barbarici temporis neceſſitate compulſus, valdè in his jaceo invitus. Ad exteriora enim negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Miniſterium prædicationis relinquimus,* & *ad pœnam noſtram, ut video, Epiſcopi vocamur,* &c. & quæ ibi ſanctiſſimus illâ ætate Pontifex; clauſurus, *Timeamus hæc Fratres, conveniat actioni noſtræ ipſum Miniſterium noſtrum,* &c. Et, *Deus qui nos Paſtores in populo vocare voluiſti, præſta quæſumus, ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis eſſe valeamur.*

Ita nulli tum Romano Epiſcopo ſubjecti *Principatus,* quorum originem ſequentia Secula docebunt; nulla tunc *Purpura* Cardinalium; nulla *adoratio* Pontificis, aut genuflexio, vel oſculatio pedum; nulli ſeu *Nuntii,* ſeu *Legati à latere,* Soli *Apocriſiarii* in Aulâ Imperatoris, qui de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus nomine Epiſcopi Rom. ad Principem referrent, aut Principis mandata ad Romanum. Et Gregorius omnium primus, humilitatis ergò, nec ludicro (ut factum deinceps) nomine, dicere ſe *Servum Servorum Dei,* obſervante Paulo Diacono in ejus Vitâ, *Lib.* II. C. I. Quem titulum oppoſuit thraſonicæ oſtentationi, ut putabat, Johannis Conſtantinopolitani, qui ſe *Oecumenicum Patriarcham* dici paſſus eſt; & qualem titulum jam antè Epiſcopi alii uſurparant: V. gr. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, *Epiſt.* V. *Domino Fratri & Compresbytero Eugippio, Fulgentius ſervorum Chriſti* (vel Dei) *famulus.* Deinceps creſcente ſuperbiâ Romanorum Pontif. quum jam dominium in Eccleſiam obtinerent, quaſi per *Ironiam* affectarunt iſti, in *Bullis* omnibus ſuis, Gregorii hunc titulum, *Servus Servorum Dei.*

Lingua qua in Sacris uſi.

8. Quantum ad *Euchariſtiæ* Sacra, certiſſimi facti eſt, Gregorio paſſim teſte: Adminiſtrata illa fuiſſe Linguâ populo intelligibili, ut toto Oriente, v. gr. Græcâ, Syriacâ, Armenicâ, Æthiopicâ, &c. ſic in Occidente *Latinâ* Linguâ, corruptiſſimâ jam licet, adhucdùm per *Italiam, Africam, Gallias, Hiſpanias,* hoc Seculo Populis familiari & conſuetâ: Quâ etiam concepta Inſtrumenta publica, Edicta, Leges, Diplomata Regum, Principum, Homiliæ ad populum, Acta Conciliorum, &c. quamvis ſcriptura jam à Romanâ vetere diverſâ, Saxonicâ, Gotthicâ, Francicâ, de quâ Rei Diplomaticæ Scriptores. Ità *Latinè* tum adhuc lecta *Biblia* Sacra, quorum infinitæ Editiones ac Tranſlationes Latinæ, ſed corruptæ, extiterunt, quia fuit lingua quæ in omnibus Rom. Imperii Occiduis Provinciis adhuc erat uſitata; licet ſenſim degeneratura ſub dominatu Gotthorum, Francorum, Longobardorum, in *Hiſpanicam, Italicam, Gallicam.* Dein introductus in Sacris uſus Linguæ Anglorum, Britonum, Scotorum ſeu Irlandorum, Pictonum, Germanorum, Slavorum, quæ poſterior latiſſimè diffuſa fuit, ex quo converſæ hæ Gentes fuerunt, & ſermo Latinus his non intelligibilis fuit. Beda, florens jam ſub finem VII. & initia VIII. Seculi, Hiſt. Gentis Anglor. *Lib.* I. *Cap.* I. *In præſenti juxtà numerum* Li-

Digitized by Google

Librorum quibus Lex divina ſcripta eſt, quinque Gentium Linguis, unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur; Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione Scripturarum cæteris omnibus facta eſt communis; ex quo Roma fimbrias ſuæ poteſtatis in Occidente dilatavit, Linguis jam uti Gentibus diviſo. Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus, jam ſub finem VI. Seculi, de Divinis Officiis, *Libro* I. C. X. *Undè oportet, ut quando pſallitur ab omnibus pſallatur, cùm oratur oretur ab omnibus, quando Lectio legitur, facto ſilentio, æquè audiatur à cunctis. Nec putes parvam naſci utilitatem ex lectionis auditu*, & quæ ibi plura. Quanquàm à Græcis, Latini in Sacris ſuis mutuati ſunt τὸ *Kurie Eleyſon*, uti τὸ *Homouſion*, ab Hebræis τὸ *Allelujah*, à Gothis, teſte alicubi in *Epiſtolis* Auguſtino, *Sihora armen*, quod idem ac *Domine miſerere*, Epiſt. CLXXVIII. ſeu in *Altercatione* cum Paſcentio Ariano, habitâ Hippone-Regio; ſi tamen hæc ipſa Auguſtini ſit, abjudicantibus Eruditis, & nuper Benedictinis Monachis, ad calcem T. II. Operum Auguſt. Ità certum eſt *Conſecrationem* factam altâ voce, recitatis Orationibus, in ſpecie Dominicâ, & verbis Inſtitutionis, populo τὸ *Amen* ad lecta & recitata acclamante, ut fatetur Bona Card. in *Liturgicis*. *Miſſas privatas*, & *ſolitarias* ſine communicantibus, fuiſſe ignotas; ſic ignotas & *hoſtiolas* orbicularias, non fermentatas, & panem quem vocant azymum; ſic *adoratæ* Euchariſtiæ nullum eſſe in Gregorio veſtigium, aut circumgeſtatæ in Proceſſionibus, minùs Feſto honoratæ, &c. convenit ferè inter cordatiores.

Communio ſub utraque ſpecie.

Ità hoc Seculo VI. conſtanter obtinuiſſe *Communionem ſub utraque* ſpecie, & Calicem non minùs ac Panem fuiſſe diſtributum Populis, in confeſſo eſt, ipſi Bonæ Cardinali, *Liturgicorum* L. II. C. XVIII. *Certum eſt quippe omnes paſſim Clericos & Laicos, Viros & Mulieres, ſub utraque ſpecie ſacra myſteria antiquitùs ſumpſiſſe, cùm ſolemni eorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant.* Addit, *conſentire omnes tàm Catholicos, quàm Sectarios, nec negare poſſe, qui vel leviſſimâ rerum Eccleſiaſticarum notitiâ imbutus ſit. Semper enim & ubique, ab Eccleſiæ primordiis uſque ad Seculum* XII. *ſub ſpecie panis & vini communicabant Fideles.* Quod liquet teſtimoniis Gelaſii Papæ, de Conſecratione apud Gratian. *Diſt.* II. dein Gregorii I. qui non novit perceptionem Euchariſtiæ niſi ſub utraque ſpecie, *panis & vini*; tum ex Actis Conciliorum hoc Sec. in Gallia editis à Sirmondo, & Hiſpaniæ illis à Garſiâ, ubi in Concilio Toletano III. quod primum fuit à converſâ Gente Gotthorum ad fidem Catholicam, A. DLXXXIX. Reccaredo Rege: *Ut priuſquam Dominica dicatur Oratio, Symbolum Fidei* (Conſtantinopolitanum) *voce clarâ à populo decantetur; quo & fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti Corpus & Sanguinem prælibandum, pectore populorum fide purificato, accedant.* Sed verò oppoſitum Mabillonus, de Liturg. Gallic. *Lib.* I. C. V. ex Gregorio Turonenſi *Lib.* X. C. VIII. probare nititur, Sec. VI. Childerico Francor. Rege; Ex eo quod *Eulalio* cuidam, qui ab Epiſcopo à Communione remotus fuerat, adminiſtrata fuit Euchariſtiâ, ſub *ſolâ panis ſpecie.* In quo vehementer fallit aut fallitur, ſi hinc colligit Communion. *ſub unicâ.* Reus habebatur hic Eulalius, ſaltem ſuſpectus parricidii; *Dei* tamen *judicio* relictus, *ſumptâ Euchariſtiæ particulâ*, in manus ſuas, (ut fatetur Mabillonus Euchariſtiam tùm adhuc in manus fuiſſe traditam, pro antiquo more) *communicans abſceſſit.* Qui licet unam tantum ſpeciem percepiſſet, conſcientiâ fortaſſis *abſcedere* jubente, rectè idem Mabillonus, *Communionem hac in occaſione* (non certè ex more aut lege Eccleſiæ) *ſub ſolâ panis ſpecie factam.*

Tranſubſtantiatio vel Præſentia Corpor. non credita.

9. *Tranſſubſtantiationis* portentum, vel *Præſentia corporalis* Chriſti in Euchariſtiâ, neſciviſſe hoc Seculum, ſatis patet, ex ratione communicandi tum receptâ. Nam & Communionem ſub utrâque ſpecie conſtanter obtinuiſſe, viſum eſt; hinc ignorata tùm fuit *Concomitantia*, ut ſolo Sacramento *Corporis* percepto, crederetur & perceptus eſſe *Sanguis*: Sic nullus tum metus erat *effuſionis* ipſius *Sanguinis* Chriſti, ſi fortè vini quædam particulæ, à Conſecratione, è Calice effunderentur. Ità non fuiſſe Euchariſtiam in *os ingeſtam* à Sacerdotibus, qui ſoli deindè digni habiti, qui contrectarent *Corpus Chriſti*; ſed panem conſecratum *in manus* communicantium fuiſſe traditum, quem hinc in os ingererent manducaturi, faſſus modò Mabillonus, & omnes fateri neceſſe eſt. Ità legimus apud Gregorium in *Dialog.* L. IV. *Cap.* XX. morem fuiſſe ut morientibus daretur *Viaticum* Euchariſtiæ, quod ſæpè factum à Laicis & mulieribus, ut in exemplo allegato à Gregorio; quod non profectò licuiſſet, ſi contrectari ipſum *Corpus Chriſti* credidiſſent. Sed ea res cumprimis clariſſimè patet ex Officio *Ambroſiano*, ſeu Eccleſiæ Mediolanenſis, hoc Ævo adhuc ibi recepto, ubi ſunt verba quæ habentur apud Ambroſium (uti Ambroſio communiter tribuuntur *Libri* VI. de *Sacramentis*, invitis Doctioribus etiam Pontificiis) *Libro* IV. *Cap.* V. *Fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura Corporis & Sanguinis Domini noſtri J. Chriſti.* Undè factum ut circà tempora Alexandri II. & Gregorii VII. quo tempore fervebat Controv. cum Berengario, Pontificis auctoritate Eccleſia Mediolanenſis repudium mittere coacta fuerit Miſſæ Ambroſianæ, ſic Eccleſiæ Hiſpanicæ Officio Mozarabum, & Romanum adoptare. Quemadmodùm forma Conſecrationis in eâdem Miſſâ Ambroſianâ, ut etiam in Liturgiâ Gallicanâ quam illuſtravit Mabillonus, & Gotthicâ ſeu Mozarabicâ (quod nomen ſortita eſt ex quo Hiſpanias invaſerunt Arabes, quaſi *Mixt-Arabica*) incepit à verbis Inſtitutionis altâ voce recitatis; *Qui pridie quam pro noſtrâ omnium ſalute pateretur, accepit panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, comedite. Hoc eſt enim Corpus meum quod pro vobis confringetur*, vel in veteri Mozarabico, *tradetur. Quotieſcunque manducaveritis, hoc facite in mei commemorationem:* Similiter in Conſecratione *Calicis*, poſt quam repetitur, *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis:* Tum additum, *Credimus, Domine, adventum tuum, recolimus Paſſionem tuam; Corpus tuum in peccatorum noſtrorum remiſſionem confractum, Sanguis ſanctus tuus in pretium noſtræ redemptionis effuſus eſt:* Cujus rei fit ἀνάμνησις, in conſecratione & perceptione Symbolorum.

Teſtim. Facundi Herm. vindicat.

Sed luculentum contrà realem Corporis Chriſti præſentiam, eſt teſtimonium *Facundi* Hermianenſis, in Provinciâ Byzacenâ Epiſcopi, in Libris pro Defenſione Trium Capitulorum Concilii Chalced. ſcriptis paulo antè medium Secul. VI. ubi *Libro* IX. C. V. *pag.* Ed. Sirmondi 404. hæc habet: *Nam Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus; & poteſt Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus: Non quod proprie Corpus ejus ſit panis, & poculum Sanguis; Sed quod in ſe Myſterium Corporis ejus Sanguiniſque contineant*, id eſt, commemorationem, imaginem, ſimilitudinem, ἀντίτυπα. *Hinc ipſe Dominus, benedictum panem & calicem quem Diſcipulis tradidit, Corpus & Sanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus accipientes, Corpus & Sanguinem Chriſti rectè dicuntur accipere; Sic & ipſe Chriſtus, Sacramentum adoptionis filiorum cùm ſuſcepiſſet*, Baptiſmum, *potuit rectè dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.* Non ali-

Digitized by Google

aliter locuti ſunt, aut ſenſerunt Veteres, non aliter Reformati. Pudet effugiorum, non modò Jac. Sirmondi qui paucis defungitur, ſed nuper Natalis Alex. ad *Secul.* VI. C. IV. de Auctoribus Eccleſiaſticis: Dicit velle hoc Facundum, quod *ſpecies viſibiles panis & vini, ſi per ſe ſpectentur,* (quod quid aliud eſt, quàm ſubſtantia panis & vini) *non ſunt Corpus & ſanguis Chriſti*, quod ipſum voluit Facundus, ſed tantùm *Sacramentum Corporis & ſanguinis.* Dicit, fuiſſe hoc *inſtituto* Auctoris *accommodatius*, quod erat *demonſtrare, Sacramentum, rei ſignificatæ nomine interdum appellari*; ſic *Sacramentum adoptionis*, à *quibuſdam Veterum vocari adoptionem*; planè ut Sacramentum Corporis appellatur Corpus ipſum, quod dicitur frangi, edi, &c. Sed (inquit Natalis) *ſic Facundum à ſolenni vocum ſenſu recedere*, & à *vulgari loquendi modo*, quo Veteres *Euchariſtiam verum Chriſti Corpus & Sanguinem diſertè aſſerunt.* Quod quid aliud eſt dicere, quàm Facundum receſſiſſe à communi ſententiâ; & ſupponere quod in quæſtione eſt, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum (ſeu ſignum) Corporis, ſed verum & ipſiſſimum Corpus Chriſti: Quod negat Facundus, uti negaverat Auguſtinus, & eſt ſuprà *col.* 968. demonſtratum. Dicit præterea, voluiſſe hunc, Sacramentum Corporis non eſſe Corpus Chriſti ex mente *Eutychianorum*, qui poſt adunationem veram in Chriſto carnem non agnoſcebant, *benè ſecundum fidem Eccleſiæ Catholicæ*; quaſi de Sacramento Euchariſtiæ fuiſſet Controverſia. Tandem in Facundum invehitur, ut *Schiſmaticum*, *& qui in Schiſmate obierit*; quia nempè ſugillat quotquot ſubſcriberent damnationi Trium Capitulorum; qualiter hos damnatores ſugillavit ipſe Vigilius Papa, ut infrà. Et Facundum Caſſiodorus, Victor Tunnonenſis, Iſidorus de Viris Illuſtribus, ſummis laudibus efferunt, quorum Verba citata habes apud Sirmondum, Editorem Librorum Facundi. Taceo jam teſtimonia, contrà Corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ, *Primaſii*, *Caſſiodori*, *Gregorii* I. vindicata ab Albertino noſtro, *Lib.* II. De Sacram. Euchar. p. 891. &c.

Ignorata Rom. Eccleſiæ alia.

10. Adde ignotum, Gregorii ætate, *Theſaurum Indulgentiarum*, ex *ſatisfactionum* ſuperabundantiâ; ignotam *plenitudinem* illam *Poteſtatis* Pontificiæ; uti jura *Diſpenſationum*, in caſibus prohibitis; jura *Annatum* quæ vocant, ſimiliaque; *Infallibilitatis*, ſeu in jure ſeu in facto commentum; Sanctorum *Canonizationes*; *Feſta* poſt nata innumera, ut fatetur Thomaſſinus, Tract. Gall. de *Feſtis*; *Mendicantium*, ac infiniti propemodùm alii, *Monachorum* Ordines, &c. Sic non credidiſſe Gregorium, (quantumvis in cauſâ *Miraculorum* nimis credulum) eſſe *Miracula notam* veræ Eccleſiæ, docent illa *Moral.* L. VIII. C. XXIV. *Sæpè namque miru ſignorum opera faciunt* Hypocritæ, *ab obſeſſis corporibus Spiritus pellunt, & per Prophetiæ donum, ventura quæque ſciendo præveniunt; ſed tamen à largitore tot munerum, cogitationis intentione diviſi ſunt.* Alibi, Miracula attribuit *Anti-Chriſto*, *Hæreticis, Reprobis*, ſigna virtutum patrantibus. Idem *Moral.* L. XXVII. C. XI. rationem reddit, cur in *Apoſtolicâ* Eccleſiâ fierent Miracula, *mortuorum ſuſcitatio, expulſio Dæmoniorum*, &c. *quas virtutes qui nunc in Eccleſiâ non vident, ſubſtractam jam ab Eccleſiâ ſupernam gratiam ſuſpicantur*; Sed, inquit, *tunc Sancta Eccleſiâ Miraculorum adjutoriis indiguit, cùm eam tribulatio Perſecutionis preſſit*, & quæ ibi plura. Quæ ſingula alterius tractationis ſunt; fruſtrà certè illa ex Gregorii Romani ſcriptis, ex ejuſdem Vitâ à Paulo Diacono ſcriptâ, ejuſve Pontificis genuinâ hiſtoriâ, etiam ut eſt apud Gregorium Turonenſem, plus ſatis aliàs fabuloſum, eruenda aut demonſtranda. Mittimus quæ ex eodem Magdeburgenſes *Cent.* VI. Flaccus Illyricus, in *Catal. Teſtium* Libro VI. Petrus Molinæus in *Vitâ Gregorii* I. Dallæus de *Cultibus Latinor.* de *Cultûs religioſi* Objecto, de *Imaginibus*, *Jejuniis*, &c. ac noſtrates paſſim, in ſuis ad Capita ſingula accuratis Diſputationibus, pridem obſervarunt.

IV. *Nævi, errores, ſuperſtitiones quædam hujus Ævi, in Doctrinâ & Cerimoniis.*

Summaria quædam Capita recenſita.

I. Huc omninò ſpectant quæ ſenſim, ſuperiore jam Ævo irrepſerant, v. gr. Orationes ad Sanctos, apud Deum precibus interceſſuros; Templa illis jam dicata quaquaverſùm, & Feſta in eorum memoriam; Imaginum publicus uſus, probatus Gregorio, contrà Serenum Maſſilienſem; Veneratio nimia Reliquiarum; doctrina invecta nuper de Purgatorio; credita Gregorio ipſi abſoluta Baptiſmi neceſſitas, &c. De quorum origine, & primis natalibus, dictum fuit ad Seculum IV. *col.* 864. 865. &c. & ad Seculum V. *col.* 970. 971. &c. Augendo jam in majus errore, ſenſimque, ut ſolet, radices acturo, cum incremento ſuperſtitionis & ignorantiæ. Multiplici tamen, à fœdâ Superſtitione atque Idololatriâ poſterioris ævi, diſcrimine, ut ex ſequentibus conſtabit.

II. Huc facit *Ceremoniarum* novus quidam apparatus, & creſcens in cultu omni ἐθελοθρησκεία ſeu cultus voluntarius: Maximè verò in Occidente, indè à temporibus *Gregorii* I. ſub finem Seculi, & in Oriente à temporibus *Eutychianis.*

Gregorio Rom. multa affiƈta.

An auƈtor Dialogor.

Quanquam Gregorio Romano multa affiƈta, quæ ejus non fuerunt. An *Dialogorum* Libri, *de Vitâ & Miraculis Patrum Italicorum*, vel *Benedicti Nurſini*, qui in Græcum dicuntur tranſlati à Zachariâ Pontifice, qui Gregorium II. & III. excepit (*Sec.* VIII.) ſub judice lis eſt. Farrago certè eſt fabuloſiſſimarum narrationum, ac pluſquàm Monachalium, de frequentiſſimis miraculis, prodigiis, viſionibus, apparitionibus, ſomniis, inſidiis Dæmonum, ſuſcitatione mortuorum, &c. quæ anilem vel infantilem credulitatem redolent. Adhæc ſtylus inconditus, barbariſmis & ſolœciſmis ſcatens, diverſiſſimus à Gregoriano. Scopus etiam, iis fabellis adſtruere Vitæ Monachalis, in ſpecie S. *Benedicti* (de quo infrà) merita, ſanctitatem, perfectionem Angelicam, cum Deo, Chriſto, Cœlitibus familiaritatem; uti Reliquiar. mirificam virtutem; Efficaciam ſigni Crucis; Ignem purgatorium; Apparitiones animarum; Liberationes earundum ex Purgatorii pœnis, Miſſarum beneficio; Dæmonum frequentes exorciſmos; Miracula per Monachos, Epiſcopos, Papas, &c. edita; febriculoſa de ſtatu Mortuorum figmenta. Sexcentæ iſtiuſmodi næniæ, quarum pudet etiam ſuperſtitionibus maximè deditos. Hinc non pauci eruditi hos *Dialogos* crediderunt eſſe potius *Gregorii* II. qui hinc *Dialogi* cognomentum acceperit. Alii tamen Gregorio I. adſcripſerunt, moti auctoritate Ildefonſi Tolet. Bedæ, Pauli Diac. Photii *Cod.* CCLII. Joh. Diaconi qui Seculo IX. ſcripſit, Anaſtaſii, Alcuini, &c. cumprimis ipſius Gregorii teſtimonio, *Libro* II. *Epiſt.* L. ad Maximianum Epiſc. Syracuſan. *Fratres mei qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de Miraculis Patrum, quæ in Italiâ facta audivimus, ſub brevitate ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ Charitatis vehementer indigeo*, rogans hìc, & paſſim, ut quæ aliis eſſent cognita, ſibi breviter indicarent. Quare tutius ſit, cœptum aut affectum tale quod Opus Gregorio noſtro tribuere, quanquam ſibi parum conſtanti, ex iis quæ *Cap.* præced. ipſemet de *Miraculis* ſentiebat: Quod deinceps variis ad illud aſſutis interpolatum fœdatumque, acceſſione anilium fabellarum, ſcil. unà cum incremen-

Digitized by Google

mento Monachatus, (cui favent omnes iſtæ narratiunculæ) adeoque ſuperſtitionis, & ignorantiæ, tam in Clero quàm in populis, uti in firmamentum Purgatorii. Hujuſmodi ſtatim initio fabellæ v. gr. de *Cabbalo*, quem Gotthi per vim eripuerant Libertino, Præpoſito Monaſterii Fundenſis; de fœminâ quadam, *filiam mortuam* recuperante, virtute *caligulæ* Honorati, quam ejus ſucceſſor Libertinus ſemper in ſinu portabat, *Lib.* I. C. II. Tales, de Equitio Abbate, tentationibus carnis vexato, ſed nocte quadam *eunuchizari* ſe *vidente*, miniſterio *Angeli*. De eodem Equitio, Monachum quend. ingreſſum Monaſterium, non hominem eſſe ſed *Diabolum* dignoſcente, & quâ ratione agnitus fuerit, occaſione Monialis febricitantis; & id genus de Equitio plura, *Lib.* I. C. IV. Talia, de Nonnoſio & ipſo Præpoſito Monaſterii, transferente *rupem* è loco ſuo, beneficio orationis; *oleum* multiplicante, ut à Chriſto piſces, & panes multiplicati, *Lib.* I. C. VII. Id genus portenta de Anaſtaſio Abbate, Bonifacio Epiſc. Florentino, Fortunato Epiſcopo Tudertinæ Urbis, &c. quæ ibidem legi poſſunt. De Benedicto Nurſino, infrà ubi de Incremento Monachat. cujus Miracula *Libro* II. narrantur; uti Libro III. illa *Patrum Italicorum*, ejuſdem farinæ. Cæterum fabellis id genus refertiſſimum fuiſſe hoc Seculum, cumprimis de portentoſis Vitæ ſolitariæ, & Anachoreticæ, docent poſt φιλόθεον ἱστορίαν Theodoreti, de quâ *col.* 1030. *Hiſtoria Lauſiaca* ſub nomine Palladii, etiam Heraclidis Epiſc. Cappadociæ, variè interpolata; Hiſtoria Monachor. Ægyptiorum, aliàs dicta *Paradiſus*; Cyrilli Monachi *Vita S. Sabæ* Abbatis, & illâ *S. Euthymii*, ac *Joh. Heſychaſtæ*; Joh. Moſchi *Pratum Spirituale*, vel *Viridarium*, &c. Et quæ alia adſcripta ſunt huic Seculo aut proximè ſequenti, paſſa additiones plurimas, ut ex varietate Codicum Mss. de quibus Meurſius, Allatius, Lambecius, J. Bapt. Cotelerius, &c. abundè liquet. Adde fœcundum portentis & miraculis id genus, huic Ævo adſcriptis, inſigni ſuperſtitione & credulitate, Gregor. Epiſc. Turonenſem, in Hiſt. Franc. terminatâ ad A. DXCVI. Pariter aſſuta fuêre varia ad *Epiſtolas* Gregorii, quæ ejus non eſſe noviſſimus editor Operum Gregorii Petrus Guſſanvillæus ingenuè agnovit; poſt eum Elias Du-Pinus, T. V. in *Gregorio*. Ex. gr. *Lib.* VII. *Epiſt.* LIV. iſtud de *Sacerdote lapſo*, poſt pœnitentiam, habente *auctoritates reſurgendi*; ſive, *poſt dignam ſatisfactionem credimus rediri poſſe ad honorem*, barbarè, & contrà Canones. Eadem Epiſt. *Dreximus tibi* (Secundino Incluſo ſive ſolitario) *Sartarias duas*, *Imaginem Dei Salvatoris*, & *Sanctæ Dei genitricis Mariæ*, *beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli*, *continentes*, & *unam Crucem*, &c. quæ etiam in paucis Mss. reperiri fatentur. Sic *Lib.* X. Ep. XXXI. habetur promiſſio, & juramentum cujuſdam Epiſcopi, in *Schiſma* prolapſi, hac formulâ: *Promitto tibi*, & *per te S. Petro Apoſtolorum principi*, *atque ejus Vicario beatiſſ. Gregorio*, *vel ſucceſſoribus ipſius*, &c. Et *jurans* dico, *per Deum omnipotentem*, & *hæc ſancta* IV. *Euangelia*, & *ſalutem geniumque Illuſtrium Dominorum noſtrorum Rempublicam gubernantium*, *me*, &c. Quæ jurandi formula planè à Chriſtianorum moribus abhorruit, qui *per Genium* nunquam jurabant, teſte Tertulliano *Apol.* C. XXXII. minùs ſub Imperatoribus Chriſtianis. Sic aſſuta fuêre ad Gregorium alia pro conficiendâ *adoratione* Imaginum; aut *poteſtate* Rom. Epiſcopi, ſuprà Reges, Principes, Patriarchas totius Orbis; aut pro ſuperſtitione ſequioris ævi, qualiter in *Privilegio* quod Monaſterio *S. Medardi* in urbe Sueſſionum à Gregorio conceſſum eſſe dicitur. De quibus adeantur Rivetus, Blondellus, Du-Pinus, omnium inſtar.

Superſti- III. Hoc certè Ævo magis ac magis increvit ſuperſtitio erga τὴν Θεοτόκον, Johan. Baptiſtam, Apoſtolos, Sanctos, Martyres, &c. tio circa Virgin. Archang. Sanctos.

Hinc *Templa* nova paſſim conſtructa, & eorum de nominibus appellata, plurima etiam à Juſtiniano in honorem τῆς Θεοτόκου, vel Θεομήτορος, ex Procopio *Libris* VI. de *Ædificiis*, & in Libris ejuſdem *de Bello Gothico*, *Lib.* IV. V. Undè autem profectus ille cultus *Deiparæ* Virginis, dictum *col.* 972. Talia extrui juſſa Antiochiæ, Theodoſiopoli, Hieroſolymis, in monte Garizim, Olivarum, &c. in Urbe Lepti Magna, Carthagine, &c. in honorem Deiparæ Virginis, φυλακτήριον ταῖς πόλεσι τῆς τε σωτηρίας, καὶ τῆς ἀμφὶ τῇ δόξῃ ἀληθείας, ἐσόμενον, *præſidium ſalutis*, *ac veræ fidei*, *futurum Urbibus*, ut Procopius de Ædif. L. V. *Cap.* II. Sic eodem referente, L. VI. C. VII. dicans *Templum Deiparæ*, propè Gades, in Africano litore, dixit, fore πάντων ἀνθρώπων τῷ γένει ταύτῃ ἄμαχον τὸ φρούριον, *Caſtellum hoc univerſo hominum generi inexpugnabile*. Idem *Michaëli Archangelo* varia Templa dicavit, Byzantii, Antiochiæ, in Anaplo, in Aſiæ litore, & alibi. Sic *S. Annæ*, Chriſti aviæ, ἣν οἴονται τῆς Θεοτόκου μητέρα, Templum poſuit Conſtantinopoli, in loco quem Δεύτερον vocant, apud Procop. *Lib.* I. *Cap.* III. VIII. &c. Sic Templa paſſim, ut in Oriente, ſic in Occidente, ſtructa in memoriam *Petri*, *Pauli*, *Johannis*, *Stephani*, *Martyrum* utriuſque ſexûs, ſine fine. Uti Carthagine Templum *Cypriano* ſacrum, ac Feſtum Κυπριανὰ dictum, teſte Procopio *de Bello Vandal.* C. XXI. Ità quæ Divorum Divarumque apud Paganos Delubra fuerant, puta Minervæ, Veneris, Apollinis, Martis, Caſtoris & Pollucis, &c. ſenſim converſa in Templa *Virginis*, & *Sanctorum*, ut pridem Polydorus Virgilius, Auguſtinus Steuchus, Fauchetus Gallus in Vitâ Clodovæi, aliique obſervarunt. Quomodò fatetur Baronius, ſub initium Seculi ſequentis, Bonifacium à Phocâ impetraſſe, ut *Pantheon* converteretur in Templum Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum omnium, ad Annum DCVI. N. I.

IV. Inter nova Feſta, quæ hoc Ævo inſtituta, eſt illud I. *Purificationis Mariæ*, Vigilio Papæ hoc Seculo adſcriptum, incidens 2. *Febr.* quod Græci vocarunt ἑορτὴν ὑπαντῆς vel ὑπαπαντῆς, *Feſtum Occurſus* nempè Simeonis, obviam facti Virgini matri, & Infantulo Jeſu. Inſtitutum hoc primò in Oriente ſub Juſtiniano Aug. A. Chr. DXLI. Imperii XV. ſi fides Anaſtaſio Biblioth. & Theophani in Chronographia, dein Sigeberto, Nicephoro, & quidem occaſione *mortalitatis* tum Conſtantinopoli graſſantis. Subſtitutum idem Feſtum Paganorum *Lupercalibus*, ſeu *Februis*, quibus καθάρσια immolabant Deo Februo, Diti, Dis Manibus, etiam Deæ Proſerpinæ, luminibus ſeu facibus accenſis, ut Deos Manes placarent ergà defunctos, undè *Februario* nomen. Hinc in Occidente oppoſuêre Romani Pontif. iſti Gentilium Idololatriæ, Feſtum hoc *B. Mariæ* ſacrum, quo cereos ardentes cuncti manibus geſtant, Symbolum ardoris & puritatis animorum, Hymnos quoque cantantes in laudem M. *Virginis*; quæ ità ſucceſſit in locum Proſerpinæ, obſervante B. Rhenano ad Tertullianum, *in Lib.* V. *contrà Marc.* 2. Natum & Feſtum *Annunciationis*, id eſt Incarnationis, vel Conceptionis Dei Verbi, cujus tamen in Synodo Trullanâ primâ mentio *Can.* LII. ubi *Sanctus Annunciationis dies* inter feſtos jam in Oriente receptos occurrit, ἡ ἁγία τοῦ Εὐαγγελισμοῦ ἡμέρα: Fuit hic dies octavus Kalend. *Aprilis*. Difficile tamen ſtatuere, quo præcisè tempore hoc *Feſtum* inter Chriſtianos Orientales cœperit; quod minùs quadrabat cum *Jejunio* ante-Paſchali. Abſurdè, jam celebratum fuiſſe tempore Athanaſii Alexandr. cui falsò attribuitur *Sermo de Deiparâ Virgine*, & *Annunciationis* atque *Incarnationis* myſteriis, ut à Cri-

Feſta nova.

à Criticis obſervatum eſt. *Incarnationis* quanquam Myſterium egregiè contrà Paulum Samoſat. & Apollinarium, defenderit Athanaſius. Succeſſêrunt Feſta *Aſſumptionis*, *Conceptionis* immaculatæ, *Nativitatis* Mariæ, &c. quæ longè poſteriora. 3. Acceſſit Feſtum in *Natalem Joh. Baptiſtæ*, relatum inter maximos feſtivitatum dies, in Concilio Agathenſi, A. DVI. *Canone* XXI. ſub Alarico Viſigotthorum Rege. Ità primùm memoratum eſt hoc Seculo in Galliis, puta Concil. Turonenſi II. A. DLXVII. quod dicitur Feſtum *Circumciſionis*, ipſis Kalendis Januar. *Can.* XVII. cujus & mentio in Legibus Regum Viſigotthorum, obſervante Thomaſſino Tract. de Feſtis, *Lib.* I. C. V. Idem ſuperiori jam & hoc Seculo abiit in diem quo incepêre *Bacchanalia*, & Larvæ, & Ludicra id genus, imitatione Gentilium Idololatrarum; ut ex Homiliis patet Petri Chryſologi, Ravennat. Epiſcopi, coævi Leoni Rom. *Serm.* CLV. *de Kal. Januar.* & aliis. Ità Feſtum *Domini Martini*, vel *Feria S. Martini*, in Conc. Matiſconenſi A. DLXXXI. Feſtivitas *Cathedræ Petri Apoſtoli*, incidens in XXII. Februarii, ejuſdem Concilii *Can.* XXII. nullâ antè ejus Feſtivitatis mentione; benè *Natalis Cathedræ* cujuſque Pontificis, in anniverſario die aſſumptionis eorum ad Pontificatum, ut ex Leone Romano, & aliis, intelligitur: Ità à quovis Epiſcopo celebratus dies anniverſarius *Ordinationis* ſuæ, qui tandem in *Feſtum* abiit, v.g. dies quo facta fuerat *Ordinatio* S. Ambroſii Mediolan. Athanaſii Alexandr. Baſilii Cæſarienſis, Martini Turonenſ. &c. Et ità multiplicata in infinitum Feſta, quæ ex *particularibus* hujus & illius Eccleſiæ, puta Romanæ, Alexandrinæ, Turonenſis, tandem evaſêre Feſta *generalia*, decernentibus Romæ Pontificibus. Atque ita *Natalitia Martyrum*, augenda in dies, creſcente ſuperſtitione & fabulis quæ in *Legendas* abiêre; quarum plenus eſt hoc Sec. Gregorius Turonenſis, in Libris *de Gloriâ Martyrum*, & de *Miraculis S. Martini*, quem vide illuſtratum Commentariis Gallicis Abbatis Marollii, qui ſæpè vanitatem fabellarum & narrationum adſcribit Scriptoris *Gregorii*, & temporum credulitati. Ita ex portentis & miraculis quæ adſcripta *Confeſſoribus*, *Solitariis*, *Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Patronis* quos unaquæque Eccleſia adoptabat, (ut liquet rursùm ex Gregorio Turonenſi de *Gloriâ Confeſſorum*, ex Libris *Dialogor.* Gregorii Romani, ex *Vitis* Cyrilli Scythopolit. &c.) nata eorundem Feſta, ſeu Commemorationes anniverſariæ. Quemadmodùm ex dictis *Monaſteriis*, & obſervantiis voluntariis Monachorum, quæ primò concluſæ intrà eorum Cœnobia vel Clauſtra, derivatas fuiſſe, conſentientibus Epiſcopis, in Eccleſiam Feſtivitates plurimas; uti quoque ex *Tranſlationibus* Corporum in Eccleſias Cathedrales, hoc Ævo frequentatis, ſi qui obiiſſent cum opinione ſanctitatis, fatetur Thomaſſinus Tractatu de Feſtis, *Lib.* I. C. X.

Proceſſiones. *Proceſſiones* etiam hoc Ævo frequentatæ, ſucceſſuris ſenſim Ritibus à Paganâ diſciplinâ mutuatis, obſervante Polydoro Virgilio, *Lib.* VI. Fuêre ſolennes *Litaniæ*, id eſt, ſupplicationes ad Deum, cum repetito frequenter Κύριε ἐλέησον, *Miſerere Domine*, impetrandis pluviis, fugandæ peſti, arcendis malis; quales in hiſtoriâ Gregorii M. deſcribit Gregorius Turon. *Lib.* X. C. I. Et faciendæ quidem ex diverſis Urbis Eccleſiis vel Regionibus, quæ *ſeptem* numerantur apud eundem Gregorium, unde *Litania ſeptiformis*; ità procedentes pſallendo ad Dominum, & Miſericordiam ejus implorando, donec omnes convenirent in Eccleſiam *Deiparæ* ſacram, ibique precibus & lachrymis & gemitibus, ac pœnitentiæ teſtatione, *Deum* flectere conarentur. Ità jam antè Mamertus Epiſc. Viennenſis, exeunte Sec. V. circà A. 500. inſtituerat ſolennes *ſupplicationes* ad Deum, triduo antè Aſcenſionem, quas hinc *Rogationes* dixêre, avertendis ab Eccleſia Viennenſi Dei judiciis quæ illis locis imminebant, ex Avito Viennenſi, Sidonio Apollin. Gregorio Turonenſi: Quas poſteà in ſuperſtitionem traxit ſequens Eccleſia, ut Gallicana, ſic per totum Occidentem. Ità quoque, ſed ex fide Martini Poloni, ſimiliumque, & ex verbis Chriſti *Matt.* XXVIII. 10. Proceſſiones factas die *Paſchali*, Agapeto I. (Vigilii anteceſſori) tribuunt Caſalius, Petrus de Natalibus, &c. Deinceps quomodo ſuas Ethnici Proceſſiones habuêre *ambarvales*, circum *Arva*, aliaſque in honorem Cereris, Dianæ, Iſidis, &c. vehentes etiam in pompâ Circenſi *ſimulachra* Deorum, Dearumque, ut fusè Guil. Du Choul de *Religione* Vet. Roman. planè ad imitationem ſequior Roma *Proceſſiones* ſuas inſtituit, etiam circùm Arva, Agros, & ſubſtitutis Simulachris Virginis, &c. Nondùm tamen natâ hoc Ævo tam fœdâ ſuperſtitione, per Monachos invectâ; de quâ in ſequentibus Seculis.

Sic *Litaniæ* non unius generis inter Latinos introductæ, majores, minores, publicæ & privatæ, tandem dirigendæ etiam ad *Virginem*, ad Angelos, ad Baptiſtam, ad Prophetas, Apoſtolos, Martyres, &c. quorum ſe interceſſioni commendarent. Quum hucuſque preces, ac ſupplicationes fuiſſent, apud Catholicos, ad *Deum* ſolum directæ. Nam inter Eutychianos ἁγιολατρείαν & cultum τῆς Θεοτόκου, invexiſſe P. Gnapheum, ad ſuperiùs Sec. obſervatum eſt. Gregorius tamen *Litanias* ſive ſupplicationes ad ſolum Deum decreviſſe fertur, apud Gregorium Turonenſ. *Hiſt. Lib.* X. C. I. quamvis coactis fidelibus in Eccleſiâ quæ à *Deiparâ* nomen acceperat. Ità ſcrupuloſiùs nec ſine ſuperſtitione aliquâ, ſancitum hoc Sec. ſicut in Concilio Vaſenſi Galliæ, A. DXXIX. *Cap.* III. & V. ut in omnibus Eccleſiis, in Orationibus matutinis, veſpertinis, diceretur τὸ *Kurie eleiſon*, & *Ter Sanctus*; prout *addi jubetur ad Gloria Patri*, &c. *Sicut erat à Principio*, contrà Hær. Arianam. — Litaniæ.

Sic mirè adaucta ſuperſtitio *Reliquiaria*, creſcente in dies Reliquiarum illarum numero, & opinione virtutis, & nundinatione, ac fictis in dies miraculis: Factâ etiam extenſione ad *capillos*, *crepidas*, *caligas*, *ferramenta*, *catenas*, *pulverem* indè abraſum, &c. probante vehementer Gregorio. Nec tamen, quæcunque Reliquiarum religio fuerit, leguntur hoc Ævo *adorata*, aut *cultus* illis *religioſus* delatus, ut pluribus Chemnitius, Uſſerius, Dallæus, &c. — Superſtitio Reliquiaria.

Sic *Conſecrationum* novi ritus in Latinâ Eccleſiâ, adhibitis Miſſarum ſolemnibus, Litaniis, cereis, ſuffitu, aquâ benedictâ, poſitione Reliquiarum in noviter conſtructis Templis, &c. Ceremoniarum id genus inſtitutore eodem Gregorio. Uti creſcens ſuperſtitio in *Veſtibus* ſacerdotalibus & Pontificalibus, quas prolixè videſis apud Durandum, & Liturgicos; in *Luminum* aut *Cereorum* uſu; *Miſſis* ſuper defunctorum Corporibus, præcipiente Gregorio, in ejus Vitâ, *ut ſuprà B. Petri & Pauli corpora Miſſa celebraretur*; *Altarium* ſplendido ornatu; *Satisfactionibus* pœnalibus irrogandis; *Exorcizandis* mimico ritu obſeſſis; Abſtinentiâ à *carnibus*, quæ ad Jejunii rationem acceſſit, exemplum referente ad tempora Juſtiniani Nicephoro, *Hiſt. Lib.* XVII. C. XXXII. Qui Juſtin. quum *ſecundâ hebdomade* Quadrageſimæ, in ſummâ rerum omnium quæ ad victum eſſent penuriâ, permiſiſſet *carnes* vendi in macello, Populus de iis neque *emit*, neque *comedit*. — Conſecrationes. Ritus alii.

Cumprimis verò *Officii* & *Canonis Miſſatici* nova per Gregorium ratio conſtituta fuit, à Canone *Gelaſiano* in Collectis, Lectionibus, aliiſque diſcrepantis; quibuſdam ſubſtractis, aliis adjectis, & in unum volumen, qui *Liber Sacramentorum*, relatis, ad finem T. II. Hinc *Canon* Gregorian. ſeu *Regula* perpetua celebrandi Miſſam, vel conficiendi Sacramentum, — Canon Gregorianus.

tum Corporis & Sanguinis Chriſti, ex emendatione Gregorii: Hinc diſpoſita per Circulum Anni, id eſt, ſingulos anni dies, feſtos & non feſtos, Pſalmodiarum, Hymnorum, Antiphonarum, Cantionum, Lectionum, Geſtuum, Habituum, Horarum, &c. tota ratio, ſecundùm varias Miſſæ partes; falſò Gregorio in *Lib.* VII. Epiſt. ſe in his *ab Apoſtolorum conſuetudine diſceſſiſſe*: Et in eodem Libro, *Epiſt.* LXIV. *Apoſtolos ad ipſam ſolummodò Orationem* Dominicam *oblationis hoſtiam conſecraſſe*, quæ *apud Græcos ab omni populo diceretur.* Nec tamen ubique in Occidente receptus Gregorianus ille Canon fuit.

Canones multiplices in Occidente.

Nam Mediolanenſis Eccleſia, ad tempora Gregorii VII. ut antè obſervatum eſt, uſa eſt Canone *Ambroſiano*, in plurimis diverſo ab illo Gregorii; miris hac de re litibus, hinc fingendis miraculis, ut prævaleret tandem Gregorianus. Sic *Gotthi* in Hiſpaniâ & Galliâ Narbonenſi uſi Officio Gotthico, diverſiſſimo à Romano, quod deinceps dictum *Muzarabicum*, ex quo permixti Chriſtianis in Hiſpaniâ Arabes, iiſdem demùm Gregorii VII. temporibus in Romanum commutandum. Sic *Gallicanas* Eccleſias, antè tempora Caroli M. uſas eſſe Liturgiâ ſibi propriâ, à Romanâ diverſâ, ex Auguſtino Monacho conſtat: Qui quum Gregorium ipſum hac de re interrogaret, *Lib.* XII. *Ep.* XXXI. *Indict.* VII. & apud Bedam *Hiſt. Lib.* I. *Cur alia conſuetudo Miſſarum in Galliarum Eccleſiis*, &c. reſpondit Gregorius, ut ex diverſis Eccleſiarum inſtitutis *eligeret quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt*: Et *Ep.* cit. LXIV. non omnes *Conſuetudines* ex *Romanâ* petendas.

Canonis Miſſatici partes.

Canonis autem Miſſatici, variè deinceps interpolati, aucti, partes præcipuæ fuerunt: *Præparatio* varia Sacerdotis celebraturi; *Introitus*, ſeu Orationes variæ, Hymni, alterni cantus ſeu Antiphonæ (dùm Choro Chorus reſponderet, undè *Antiphonarium* Gregorio tributum, ἀντίφωνος ὑμνῳδία) Salutatio, Collecta, Lectiones, Graduale ſeu Reſponſorium Chori; *Offertorium*, & alia prævia Canoni; *Canon* ipſe, tum adhuc recitatus *omnibus audientibus ſanctiſſima & efficaciſſima verba*, ut Card. Bona, *Lib.* II. C. XIII. In quo Orationes variæ, Conſecratio Symbolorum, Commemoratio etiam mortuorum, *Oratio Dominica*, quæ à Populo olim recitabatur alta voce, ut apud Græcos, ſic apud Gallos, ex Gregorio Turon. de Mirac. S. Martini, *Lib.* II. C. XXX. Tandem excepit *Communio* Fidelium, quæ dùm fieret, olim Pſalmi ab omnibus cantabantur; hinc *Poſt-communio*, Gratiarum actio, Benedictio Populi, Collecta poſt Euchariſtiam, & Conſummatio Miſſæ. De ſingulis quæ addita ſunt à Gregorio, quæ omiſſa Gallis, Gotthis, Mediolanenſibus, accuratè perſequitur Mabillonus, *Liturgiæ Gallicanæ* Libris III. Antè verò obſervavimus in Liturgiâ Ambroſianâ, memorabiles illas Conſecrationis voces, Sacerdote ità efferente: *Fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt* figura *Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quæ verba leguntur apud Ambroſium, de *Sacram.* L. IV. C. V. ubi conſecrationis modum recitat. Diſcrepantias alias à Canone Gregoriano vide etiam, ex Vice-Comite & aliis, apud Card. Bonam, *Liturgic.* L. I. C. X.

Romanum quibus artib. introd.?

Uti verò Roma fimbrias ſuæ poteſtatis, ſic ſuarum conſtitutionum, extendere & dilatare ſemper annixa eſt; ità non antè quievit, quàm abolito Officio Ambroſiano, Gotthico, Muzarabico, ſed & Gallicano, Britannico, Hibernico, Romanum quaquaverſum introduxiſſet, quod Seculo XI. & XII. obtinuit. Cumprimis, ut Mediolanenſem Eccleſiam induceret tandem ad Ambroſianam Miſſam Gregorianâ commutandam, ad Miraculum, ſolita arte Monachorum, recurrendum fuit, quale refert Durandus in Ration. *Lib.* V. C. II. Ponenda fuêre tempore Caroli M. & Adriani I. Concilio prius à Papâ indicto, ſuper Altari B. Petri Officium geminum, *Ambroſianum* & *Gregorianum*: Ut nempe, utroque per noctem ſuprà Altare relicto, poſtridie Deus aliquo ſigno manifeſtaret quodnam horum ſervari in Eccleſiis vellet. Repertum verò ſummo mane Gregorianum per Eccleſiam *disjectum & diſperſum*, Ambroſianum ſolum ſuprà Altare relictum. Quo ſigno ſcilicet edocti, prius *per totum Mundum diſpergendum eſſe*, Ambroſianum autem in ſolâ Mediolanenſi Eccleſiâ ſervandum. Hæc Durandus, ex *Vitâ B. Eugenii.*

Euchar. cur aſſerv. in Altari?

Dubium verò, num ſit ad hoc Seculum referenda, (ex Canone III. Concilii II. Turonenſis, A. DLXVII.) aſſervatio Euchariſtiæ *in Altari*: Qui mos à Græcis acceptus, apud quos *aſſervata* Symbola conſecrata, in uſu Quadrageſimæ, in quâ ἐκ προηγιασμένων *ex præſanctificatis* communicare ſoliti. Undè jam apud Latinos ſancitum, *ut Corpus Domini non in imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo* (aſſervatum) *componeretur.* Quæ aſſervatio facta in gratiam morientium, ut illis *viatici* loco eſſe poſſet; vel etiam ut *mortuis*, qui ſine Communione obiiſſent, *ſuprà pectus Dominicum Corpus cum reverentiâ poneretur*, ut exemplum habet Gregorius Dialog. *Lib.* II. C. XXIV. Nempè relatum fuiſſe S. Benedicto, Monachum quendam è ſuis ſepulturæ beneficio divinitùs arceri; quo audito, protinus nuntiis illis *Communionem Dominici Corporis dedit*, ut illud ſuprà pectus mortui ſine morâ ponerent. Doctiſſ. Mabillonus huc refert, ex *Tomo* V. Concilior. in Eccleſiâ Turonenſi fuiſſe *Columbas* appenſas in Altaribus Sacris, aureas vel argenteas, ſcil. *ad repoſitorium*, Vaſculi loco; quod ille interpretatur de *repoſitorio Euchariſtiæ*, ei nempè *aſſervandæ*, & iſtud probat ex more ſequentium Seculorum.

Ritus alii ſuperſtitioſi.

Ut *Kyrie eleiſon* ſuprà in Litaniis frequentatum, ſic alia ſuperſtitio introducta, circà *Allelujah.* Nempè ut *Allelujah* non cantaretur in Eccleſiis, niſi per ſolos dies quinquaginta, à Paſchate ad Pentecoſtem; quia hoc tempus lætitiæ & reſurrectionis, & quando illud pſallimus, *jubilamus magis quàm canimus.* Hinc Gregorius M. *Epiſt.* L. VII. *Epiſt.* LXIV. monet quoſdam murmuraſſe, quod extrà illud *Pentecoſtis* tempus *Allelujah* ad certas Miſſas cantari præcepiſſet; quod non fiebat niſi protracto ſpiritu, per modum modulatûs, *longâ morâ ſuprà literam A.* dum Allelujah prolixiùs decantaretur. Ità quidem in Romanâ & in Africanis Eccleſiis, ac in Hiſpanicis, obſervante Iſidoro *Lib.* I. de Divinis Offic. C. XIII. præter dies Jejuniorum, *omni tempore canitur Allelujah.* Nec finis foret, ſi novorum rituum, ceremoniarum, obſervantiarum, apices ſingulos perſequi juvaret: V. g. Quod *Altaria* niſi *lapidea* conſecrari nefas eſſet, *chriſmatis unctione*, Concilii Epaon. A. DXVII. *Can.* XXVI. Quod *Corpus Domini* ſuper Altari collocandum *in meditullio Altaris* ſub ipſâ *Cruce* Can. III. Conc. Turonenſis II. A. DLXVII. Quod Epiſcopi vel Presbyteri ſalutare deberent populum his Vocibus, *Dominus vobiſcum*, & populus reſpondere, *Et cum Spiritu tuo*, Can. III. Concil. Bracarenſis I. A. DLXIII. Quod deponendi eſſent Presbyteri, *qui in Miſſis pro defunctis, non jejuni oblationem conſecrant*, Can. X. Conc. Bracarenſis II. DLXXII. Quod fœminæ *nudâ manu* Euchariſtiam accipere non debeant, nec pallam Dominicam contrectare, *Can.* XXXVI. XXXVII. Concil. Antiſſiod. ſub finem Sec. VI. Et quæ minutiæ id genus tum in Eccleſiâ ſancitæ ſunt.

Ex his aliiſque intelligitur, ut nova ſenſim Chriſtianiſmo facies inducta fuerit, accedente illâ *Clericalis* & *Monachalis* diſciplinæ, in Latinâ Eccleſiâ, de quâ deinceps. Ac ſuperſtitionem temporum, cumprimis in Occidente, probant ficta Miracula, fictæ Reliquiæ, fictæ Apparitiones innumeræ, ac

Digitized by Google

ficulnea præſidia in hominum inventis, externis Ritibus, Mortuorum interceſſione, Reliquiarum præſentiâ, Crucis attactu, Proceſſionum pompâ, Monaſticis inſtitutis, &c. Quas pleraſque ſuperſtitiones à *Paganis* eſſe mutuatas, falſi *Polydorus*, *Fauchetus*, *Marollius*, *Guil. du Choul*, & plures alii, quandoque *Baronius*.

Corruptio Chriſtianiſmi, non univerſalis. Nec tamen univerſalis hæc corruptio fuit. Nam (ut nihil dicamus de *Oriente*, & conſtitutionibus Juſtinianæis) ex. gr. *Scoticas* ſeu Hibernicas *Britonumque* priores Eccleſias, quæ in Cambriæ partibus agerent, nec Pontificium jugum, nec Traditionum commenta admittere voluiſſe, reluctatas Auguſtino Monacho; Britannor. Hiſtoriæ poſt Gildam teſtantur, Beda, & Monumenta Literarum apud Spelmannum, ut ſequenti Seculo dicetur. Undè in eas excitandus ab Auguſtino Ethelfredus Rex Nordanhumbrorum, qui trucem in modum in miſeros infeſtis armis graſſaretur. Cæterùm ex Bedâ, in *Hiſt. Anglo-Sax.* ſimplicitas prior Britannica intelligitur, quando v. gr. Conventus Sacri à Britonibus habiti, non ad *Miſſas* audiendas, tacente Bedâ, (quanquam *Miſſæ* vox hoc Ævo latiori ſenſu, pro *Precibus* publicis, matutinis, veſpertinis, ſic pro *die Feſto*, quo ſacra peragebantur, undè *Miſſa S.* Martini, Rhemigii, &c.) ſed ad auditionem Verbi, ad Preces, promiſcuo etiam Clericorum *matrimonio*, de quo poſteà. Vide Uſſerium, Spelmannum de Concil. Joh. Forbeſium, E. Stillingfletium, in Antiquit. Brit. p. 357. &c.

Adde *Hiſpanorum* Eccleſias, etiam poſt ejuratum hoc Ævo Arianiſmum, jugi Pontificii neſcias, ut intelligetur infrà vel ex Actis Conciliorum, quæ collegit Garſia. Adde *Gallicanas* paſſim ſuos ritus ſervantes, ſuum Canonem; nec cultum modò, ſed alicubi etiam uſum *Imaginum* damnantes, ut viſum antè ex Severo Maſſilienſi, qui coævus Gregorio, *Cap.* III.

Affictа huic Seculo. IV. Sed & multa affinguntur huic Seculo, quæ ejus minimè eſſe conſtat. Ex. gr. Vigilio Papæ adſcribitur conſtitutio, ut *Conſecratio* fieret deinceps *voce ſubmiſſâ*, quia ſcilicet Paſtores quidam in campo ludentes, recitaſſent verba Canonis, ſuper pane lapidi impoſito; undè ſubitò in Carnem humanam tranſſubſtantiatus eſſet ille panis, mox igne cœlitùs in profanatores illapſo. Quum tamen nonniſi *Seculo decimo* deſiiſſe morem conſecrandi elatâ voce, fateatur Bona Card. *Liturg. Lib.* II. C. XIII. Sic imponunt frequentiſſimè cum ſuis Baronius, Binius, Bzovius, Allatius, &c. in ſpecie Caſalius de *Vet. Eccleſiæ Ritibus*, dùm huic Ævo ex. gr. *Chriſmationis* Epiſcopalis *Sacramentum*; *Miſſas ſolitarias*; *Azymorum* uſum; *Communionem ſub Unicâ*; Euchariſtiæ *elevationem*, *adorationem*, *circumgeſtationem*; *Linguæ peregrinæ*, & ignotæ populo, uſum; præviam *auricularem Confeſſionem*; alia id genus adſcribunt: Quæ recentiorum eſſe temporum, Seculi puta *octavi*, *noni*, *decimi*, & ſequentium, tùm ex ſilentio Scriptorum γνησίων hujus Ævi, tùm invictis aliis argumentis à noſtris demonſtratum eſt, ac in ſpecie à Joh. Dallæo de *Cultibus Relig. Latinorum*, de *Sacramento Confirm. Confeſſ. Auricul.* &c. & nos infrà locis ſuis, indicamus.

V. *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio, juxtà Canones & Mores hujus Ævi; præcipuis quibuſdam exemplis illuſtrata.*

I. Præcipua tantum capita delibamus ejus *Diſciplinæ*, qualis hoc Ævo paſſim adhuc viguit, ut ex Canonibus Conciliorum, & ex Gregorio Turon. ex Gregorio Romano, aliiſque colligitur. V. gr. Religioſa fuit Diei *Dominicæ* obſervantia, quæ tranſigenda eſſet vacatione ab operibus ordinariis, totaque exercitiis pietatis dicanda. Concilium Matiſconenſe II. A. DLXXXV. *Can.* I. *Vidimus populum Chriſtianum temerario more Diem Dominicam contemptui tradere, &, ſicut in privatis diebus, operibus continuis indulgere.* Hinc decernit Synodus, ut quiſque Epiſcopus in Eccleſiis admoneat ſibi ſubjectam plebem: Nempe ut cuſtodiant Diem Dominicam, quæ nos denuò peperit; nullus litium fomitibus vacet; nullus cauſarum actiones exerceat; non jugum cervicibus juvencorum imponat; eſſent omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti; intereſſent Sacris Eccleſiæ, ibique precibus & lachrymis ſemet afficerent; eſſent oculi manuſque toto illo die ad Deum expanſæ; exhiberent Domino liberam ſervitutem, facti jam ſervi juſtitiæ; tranſigerent illum non in *corporali* abſtinentiâ, ſed in *obedientiâ*, & abſtinentiâ à terrenis, ut ad Cœlum provcherentur; orarent & vigilarent operibus Sacris, &c. Sic nullarum *Feſtivitatum* obſervantia præſcribitur, in Concilii Agathenſis II. A. DVI. *Canone* LXIII. & Epaonenſis, in regno Burgund. A. DXVII. *Can.* XXXV. &c. quàm *Paſchæ*, *Natalis Domini*, vel *Pentecoſtis*. Obſerv. Diei Domin. Feſtor. qualium?

II. *Pœnitentiam* jubent Hiſpani in Concilio Tolet. III. ſub Reccaredo Rege, A. DLXXXIX. *Can.* XI. revocari ad *formam Canonum antiquorum*: Id eſt, ut prius Presbyter, quem ſui facti pœniteret, à Communione ſuſpenſum, inter reliquos pœnitentes juberet ad *manus impoſitionem* crebrò recurrere; & expleto ſatisfactionis tempore, tandem Communioni reſtitueretur: *Relapſi* autem ad priora vitia, hi ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnarentur. Nihil de Confeſſione Auriculari, de Satisfactione poſt abſolutionem præſtandâ, de iterandâ multotiens Pœnitentiâ, &c. Pœnitentiæ ratio.

Homines ἀκαζάλλης, qui *odio* aut *longinquâ* inter ſe *lite* diſſiderent, & ad *pacem revocari* neſcirent, aut *inimicitias* nollent deponere, excommunicari jubet *Canon* XXXI. Conc. Agathenſis, ſub Alarico Gotthorum rege. Ità *lites Epiſcoporum* intrà anni ſpatium componi jubet, aut haberi ut extraneos, Concil. Aurelianenſe IV. A. DXLI. *Can.* XII. Quia *injuſtum eſt, ut qui cunctis præſunt, inter ſe quacunque cauſatione diſſentiant.* Pariter ſacros Miniſtros vetat idem Conc. Agathenſe, *Can.* XXXIX. intereſſe conviviis nuptialibus, amatoriis cantilenis, aut obſcœnis ſaltationibus, ne *turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione, polluerentur.* Lites, odia, inimicit. turpia ſpectac. &c. prohibita.

III. *Baptiſmi* legitimum tempus, extrà caſum inſtantis neceſſitatis, in *Paſchatis* pervigilio adhuc eſſe decernitur, more Veterum, *Can.* III. Conc. Matiſconenſis II. A. DLXXXIII. Additur *Pentecoſtis* ſolennitas, in Conc. Gerundenſi Cataloniæ, *Can.* IV. A. DXVII. Quum alias baptizarent etiam in Feſto Natalitio, aut Natali Joh. Bapt. His ſolùm qui ex infirmitate laborarent, aut *quibus mors immineret, ſine ullâ dilatione offerenda S. Myſterii gratia*; ut Gregorius *Epiſtolar.* L. XII. Ep. XXXI. ad *Interrog.* X. Auguſtini Anglorum Epiſcopi. Undè legitimus tum temporis Baptiſmi *miniſter* intelligitur. De *Euchariſtiæ* Canone, dictum ſuprà. Baptiſmi tempus.

Se-

Digitized by Google

Loca ſe-pulc.

Sepeliri corpora defunctorum in *Baſilicis*, aut *intrà* murorum ambitum, interdixit Concil. Bracarenſe I. *Can.* XVIII. A. DLXIII. Quoniam hoc eſſet privilegium Civitatum, ut nullo modo *intrà ambitus* murorum humarentur cujuſlibet defuncti corpora; juxtà legem nempe XII. Tabularum, *Hominem in Urbe ne ſepelito.* Repetita eadem fuerat à Theodoſio M. Cod. de *Sepulchris viol.* Lege VI. ac ne loca quidem excepta in quibus Martyrum, vel Apoſtolorum corpora aut reliquiæ, quieſcerent. Senſim autem privilegium hoc evaſit, pridem quidem Imperatorum, vel Auguſtarum, inde à Conſtantino M. illato Conſtantinopolim; dein Epiſcoporum, Sacerdotum, ambitionis ergò & diſtinctionis à ſecularibus. Ità Juſtinianus, teſte Procopio de Ædific. *Lib.* I. C. IV. *Templum Apoſtolorum* dictum, in quo conditum fuerat Conſtantini cadaver, & Auguſtis in ſepulturæ locum ceſſerat, quum ἀνοικοδομεῖσθαι & effodi juſſiſſet, ne quid in eo relinqueretur ἄκοσμον, reperti *tres loculi lignei* cum Inſcriptionibus, ſeu γράμμασιν ἐγκειμένοις, antè pro derelictis habiti, in quo *corpora Andreæ, Lucæ,* & *Timothei* Apoſtolorum: Quos loculos apertos Imperator ubi conſpexiſſet, magnâ celebritate & pompâ, occludi juſſit, & in terrâ denuò *condi*, (θῆκας αὖθις τῇ γῇ ἔκρυψαν) non verò ex loculis erui, transferri, aut ſub Altaribus reponi, juſſit. Sed Apoſtolorum illa Corpora, cum Inſcriptionibus, mirum hactenùs latuiſſe Byzantinos.

Simonia.

IV. *Simoniæ* crimen, quocunque ſub nomine, vel prætextu, variis hoc Ævo Synodis ſeveriſſimè interdictum. Ità nefas fuit *munus* vel *pecuniam* accipere, pro Ordinatione, pro Chriſmate, pro Baptiſmo, pro Conſecratione Eccleſiarum, pro quibuſlibet Cauſis. Sic ſanciunt Conſtitutiones Juſtiniani, Concilia Hiſpaniæ, Galliæ, Gregorius I. &c.

Clerici Judic. Secul. obnoxii.

Clerici vocati ad judicium *ſeculare*, jubentur reſpondere, *Can.* Agath. XXXII. & ſic Codices omnes, teſte Sirmondo Notis ad Canones; *Si pulſatus fuerit reſpondeat.* Pro quo Gratianus & Yvo Carnot. habent, *non reſpondeat.* Ità *Can.* XI. Concilii Epaon. de quo ſuprà, *Clerici ſi pulſati fuerint, ſequi ad Seculare judicium non morentur.* Pro quo iterum Canonem adulterarunt; *ſequi ad*, &c. *non præſumant*, vel *non permittantur*, notante Sirmondo. Conſonat *Novella* Juſtiniani CXXIII. quamvis pro *qualibet cauſâ* ad Judicem Secularem trahi Epiſcopum vetet. Aliàs ad Epiſcopum, vel Synodum vocandi Clerici litigantes.

Synodi. In iis Presbyt.

Synodos autem Provinciales ad minimum ſemel in anno celebrari jubent, ut Orientales, & Africani *Canones*, ita hoc Seculo Gallicani, Hiſpanici, &c. Imò *bis* in anno, ubi non obſtabat paupertas Eccleſiarum, vel itinerum longitudo. In quo vetus diſciplina adhuc ſervata. Sediſſe autem in Conciliis *Presbyteros* hoc Ævo patet, etiam præſente Patriarchâ, Metropolitano, imò Papâ, docent eorum ſubſcriptiones; & quoque Syn. Romana habita ſub Gregorio I. A. DXCV. ex Epiſtolis L. IV. Ep. XLIV. *Papa cum Epiſcopis omnibus, ac R. E. Presbyteris reſidens, aſtantibus Diaconibus*, &c.

Tonſura Clericor. Radi interd.

V. *Tonſura* fuit inſigne non modò Monachorum, ſed & Clericorum. Undè *tonderi* pro Clericum fieri, & *tonſuratus* eſt, pro ordinatus Epiſcopus, Presbyter, Diaconus. Frequentia exempla, in Gregorio Turonenſi, & in Canonibus paſſim; *Clerici qui comam nutriunt, inviti detondeantur*, *Can.* Agathen. XX. Et quia ſub auriculæ medium in orbem tonderi capillos moris fuit, hinc *Corona Clericalis*, quaſi vice Coronæ ſpineæ Chriſti. Par tonſuræ Clericalis ritus in *Oriente* obſervatus, quæ ἱερατικὴ κουρὰ, vel κείρεσθαι τῷ τοῦ Κλήρου σχήματι. *Radi* autem capite non modò non receptum, ſed & interdictum. *Sacerdotes rectè prohibentur caput radere, & comam nutrire*, ut Gregorius M. in Paſtorali ſuo, P. II. C. VII. Quod antè Hieronymus, *nec raſis capitibus nos eſſe debere*, quod Sacerdotes Ægyptii ſolebant, *nec rursùs comam demittere*, Comm. in Ezech. C. XLIV. 21.

Clerici ut unà habitantes.

VI. *Domus* Epiſcoporum fuêre hoc Sec. quædam adhuc *ſeminaria*, & quaſi Monaſteria, ubi Epiſcopus cum ſuis Presbyteris, Diaconis, cæteriſque Eccleſiaſt. unà habitabant, certis ſub Regulis & *Canonibus*, ſub Epiſcopali præſentiâ, ut præſcriptum in Concilio *Toletano* II. A. DXXXI. *Can.* I. & aliis. Undè *Seminarium* appellata domus Epiſcopi, & omnes Clerici communi Regulæ adſtricti dicti *Canonici*, & *Familia* Epiſcopi, & menſa eorum *Canonica* appellata. Ac Seminaria hæc quidem Canonicè viventium, tunc fuêre *Capitula* Eccleſiar. Cathedralium; quantum poſteà mutata? Ità Auguſtino Monacho injungit Gregorius, teſte Bedâ in *Hiſt.* Gentis Anglor. *Lib.* I. C. XXIII. ut *Communi vitâ viveret*, ſub *Eccleſiaſticâ regulâ, non ſeorſim à ſuis Clericis*, uti *Monaſterii regulis erat aſſuetus.* Ità ex omni ſtipendio, & proventu qui accedebat ad Epiſcopum & Clerum, *quatuor* debebant fieri *portiones:* Una quæ cederet Epiſcopo & Familiæ; altera Clero; tertia Pauperibus; quarta, Eccleſiis reparandis. Nec ſoli in cellis habitabant, imò Epiſcopis etiam Patriarchis adjuncti *Concellanei*, Græcis σύγκελλοι, qui teſtes eſſent vitæ, actionum, etiam imitatores virtutum: Et Gregorius Papa de ſe ipſo in Syn. Romanâ, inſertâ inter Epiſt. Gregorianas, L. IV. Ep. XLIV. *Ind.* XIII. *De quâ re præſenti Decreto conſtituo, ut quidam ex Clericis vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur; ut is qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes tales qui vitam ejus in ſecretâ converſatione videant*, &c.

Continentiæ lex ſancita. Epiſcopi Presbyt. adhuc conjugati. Lex circà Fœmin.

VII. Inter alias cauſa obſervatæ vitæ Epiſcoporum, & Clericorum omnium, fuit, metus incontinentiæ, & rigor diſciplinæ, quæ jam in Occidente Clericis non permittebat uſum legitimi conjugii. Ita A. DVI. Concilium Agathenſe in Galliâ Narbonenſi, de quo jam ſuprà, *Can.* IX. *Placuit*, ut *ſi Presbyteri vel Diaconi conjugati ad torum uxorum ſuarum redire voluerint, ut Papæ Innocentii ordinatio, vel Siricii Epiſcopi auctoritas, ſervetur*, ſcil. ut tales, ab uxoribus non valentes *abſtinere*, ſubmoveantur ab officio. Ita conjugati Juvenes vetantur in eadem Synodo ordinari, *Can.* XVI. niſi prævio conſenſu *uxorum*, & profeſſione *continentiæ.* Sic frequentes Canones vetant Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, imò quidam etiam Subdiaconos, *propriis uxoribus miſceri*, aut *cohabitare* uxoribus; & Concilium Turonenſe II. *Can.* XII. A. DLXVII. *Epiſcopi conjugem ut ſororem habeant, & ità ſanctâ converſatione gubernet Domum omnem, tam Eccleſiaſticam quàm propriam, ut nulla de eo ſuſpicio quaquâ ratione conſurgat.* Et hinc obſervari jubetur Epiſcopus à Presbyteris, Diaconis, qui cum illo tam in *cellâ*, quàm *ubicunque fuerit*, habitarent. Ità alibi interdicitur conjugatis ſive Sacerdotibus, ſive Diaconis, habere *communem lectum & cellulam*, in Conc. Aurelianenſi IV. C. XVII. *ne propter ſuſpicionem carnalis conſortii religio maculetur.* Et hæc omnis diſciplina, non à Paulo, non à Petro arceſſitur, ſed à *Siricii* & *Innocentii* Decretis. Interim liquet multos tum fuiſſe in Galliis, Hiſpaniis, Britanniis, &c. Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, qui pro temporum antè libertate eſſent *conjugati*; ſed quibus jam Canones *ſeparationem* à ſe invicem, contrà præceptum Pauli, ſeu abſtinentiam à toro conjugali, ἀπὸ τῆς ὀφειλομένης εὐνοίας, à remedio incontinentiæ in Verbo Dei ſancito, I *Cor.* VII. 2.3.4.5.9.10.11. nullâ certè ibi excluſione Cleri, injungere cœperunt. Undè Auguſtinus Monachus, Gregorium interrogat; *Opto doceri an Clerici extrà ſacros Ordines conſtituti* (quidni & in ſacris ſeu ἱερατικοῖς Ordinibus) *qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxo-*

uxores debent. Tales *ſub Eccleſiaſticâ regulâ ſunt tenendi, ut bonis moribus vivant*, &c. *Ep.* XXXI. *Lib.* XII. *Ind.* VII. ad Interrogatum ſecundum. Et Beda, ut refertur *Hiſt. Eccleſ.* L. I. p. 97. *Communis Ordinis Sacerdotibus licebit, ſecundùm S. Gregorii inſtitutionem, ut ſobriè conjugio uti velint.* Et liquet *Subdiaconis* adhuc permiſſas fuiſſe uxores, ex Gregorii Epiſt. XLII. *Lib.* I. quod *cùm antè triennium* omnibus Diaconis Siciliæ prohibitum fuiſſet, id *durum atque incompetens videtur* Gregorio; ut qui *caſtitatem non antè promiſiſſet, compelleretur à ſuâ uxore ſeparari, atque per hoc, quod abſit, deterius cadat.* Quidni in reliquis Ordinibus hæc valere ratio debuit? Quum modò *digamos* à Sacris Ordinibus arceret priorum temporum diſciplina. Idem Gregorius, ad quæſitum Auguſtini x. de muliere prægnante, an deberet baptizari? Reſpondet, omninò: *Cùm non ſit, antè omnipotentis Dei oculos, culpa aliqua fœcunditatis carnis*; Sic nec legitimæ *procreationis liberorum*. Ità *Anglis ſacerdotibus* non interdictæ uxores antè Anſelmi Cant. tempora.

Fuerunt & Canones, qui optimo inſtituto *Sanctimoniales* velari interdixêre antè XL. ætatis annum, licet jam longo uſu probatas. Ità *Can.* XIX. Concilii Agath. *Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati ſint, antè annum ætatis ſuæ* XL. *non velentur.* Minus velandæ ſunt Virgines antè pubertatis annos, neſciæ jugi ſibi impoſiti, aut ſæpè à parentibus coactæ. Sic iniquiſſimi fuêre Canones, qui Clericorum *uxoribus*, etiam *Exorciſtarum*, *Acolythorum*, mortuis maritis, interdixêre tranſitum ad nova Conjugii vota, in Concilio Turon. II. Matiſcon. II. &c. Sic & pœnitentia *Virginibus nubentibus* impoſita, quæ nondum velatæ fuerant, tantùm quia *Virgines* ſe manſuras *ſimulaſſent*, bono fortaſſe propoſito, ſed mutari nato; *Can.* XX. *Conc.* Turon. II.

Reſident. Epiſc.

VIII. Salubris obſervantia hoc etiam Seculo, ut Epiſcopi ad *reſidentiæ* debitum obſtringerentur. Ad quod frequenter hortatur Gregorius Epiſcopus, in Paſtorali ſuo & in Epiſtolis. Vide & vitam ejus à Joh. Diacono ſcriptam. Præter caſus exceptos, v. gr. ſi profecti ad Synodum, aut ſi vocati Imperiali juſſione, vel etiam ab Epiſc. Romano. Juſtinianus *Nov.* VI. C. II. & alibi, extrà has occaſiones *nullam decentem rationem* probat abſentiæ. Sed *inhærere* vult Epiſcopos *Sanctiſſimis Eccleſiis*, nec pluſquam *per annum* abeſſe, ſi fortè ſpeciali juſſione ad Regiam Urbem evocati.

Habitus Clericor.

IX. Sic *habitu* decenti, nec ſuperſtitioſi quicquam habente, Clericos inceſſiſſe, à Laicis diſtinctos, tam in Oriente quàm in Occidente, conſtat. Juſtinianus *Nov.* CXXIII. C. XLIV. interdicit Laicis *habitum* aut *Schema Monachale*, quale in Oriente ſimplex fuit, Pallium laneum, talare, nigri coloris, & qualem habitum aſſumpſêre quoque *Eccleſiaſtici*; ipſi in Oriente Patriarchæ, & communiter Epiſcopi, qui antè Monachi & ex Monachis plerumque eligendi. In Occidente more *Romano* veſtiti, & uniformi togâ, vel caſulâ, aut tunicâ laneâ, ſimplici, oblongâ & talari, quæ totum corpus obtegeret: Interdictum Clericis variis Canonibus, *ſagum*, *calceamenta* aut *veſtimenta* ſecularia; *palla*, *veſtimenta purpurea*, quæ ad *jactantiam mundialem* ſeu vanam mundi oſtentationem pertinerent; ſiquidem *purpura* conveniret Laicis poteſtate præditis, minimè Clericis vel Religioſis, ex Conc. Narbonenſi ſub Reccaredo rege, A. DLXXXIX. *Can.* I. quo tempore floruit Gregorius, paulo poſt ad Papatum admotus. In ſacris verò, ſeu functionibus ad Altare, ætate Gregorii, permiſſæ v. g. Diaconis *Lineæ tunicæ*, cum *Orario* & *Albâ*; *Archi-Diaconis*, & Epiſcopis *Dalmatica*, adhæc *Annulus*, *Baculus*; Presbyteris *Orarium* & *Planeta*; ut tamen Diaconi Orarium ſiniſtro tantùm humero, Presbyteri utroque humero geſtarent. Ità ſolicitè cautum, ut in uſu *civili* veſtitus Clericorum vel Religioſorum, ſeu *religionis habitus*, ſimplex, communis, vilis, ac decens eſſet, à ſecularibus hoc ipſo, aut theatralibus, vel à militaribus diſtinctus; in uſu *ſacro*, jam veſtimenta myſtica adhibita, ad imitationem Sacerdotii Legalis. Crevit luxus in Romanâ Eccleſiâ, Epiſcoporum, Metropolitanorum, dein Cardinalium, ſuccedente ætate, ut ſuo loco dicetur. De *Pallio*, & ejus hoc Seculo *uſu*, ac mittendi jure, dicimus ad Caput ſequens, ubi de Romano Epiſcopo.

Diverſitas Rituum, & Diſciplinæ, inter ἀδιάφορα habita.

X. Cæterùm varians adhuc fuit hoc Seculo (pro diverſitate Locorum, Eccleſiarum) ratio rituum, conſuetudinum, diſciplinæ. Quod ut Seculo v. luculenter ex Socrate Hiſtorico L. v. C. XXII. etiam Auguſtino, Epiſt. ad Januarium, quæ eſt vulgò CXXX. ita & hac Ætate paſſim ex Actis Conciliorum, & Canonibus, ac Liturgiis diverſiſſimis, Orientalium, Romanâ, Mediolanenſi, Gallicanâ, Gotthicâ, Britannicâ, &c. (ut viſum *Cap.* IV.) abundè liquet. Sed obſervanda eſt Gregorii I. ſub finem hujus Sec. prudentia, & moderatio, in reſponſis quæ dedit Auguſtino, ad Anglos miſſo, & in Archiepiſcopum ordinato, A. DXCVIII. Quærenti enim huic, *cur cùm ſit una fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ?* Reſpondet Gregorius, apud Bedam, *Hiſt.* L. I. C. XXVII. & in Epiſtolis ipſius Gregorii, L. XII. *Ep.* XXXI. ad Interrogatum tertium; *Mihi placet, ut ſive in Romanâ, ſive in Galliarum*, (ubi Gallicanos ritus à Romanis diſtinguit, & Liturgiam Gallorum à Romanâ fuiſſe diverſam, omnes largiuntur) *ſive in qualibet Eccleſiâ aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas, & in Anglorum Eccleſiâ, quæ adhuc in fide nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas.* Mox, *Ex ſingulis ergò quibuſque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Sed ſequenti Ætate, Romani Pontifices non ante quieverunt, ut Hadrianus I. apud Carolum M. dein Gregorius VII. apud Hiſpanos, cæteroſque à Romano ritu diſſentientes, donec Rom. Eccleſiæ illos ipſos ritus, conſuetudines, diſciplinam, reliquis Gentibus approbaſſent; firmandæ ità ſuæ poteſtati, unâ *fidei*, *morumque*, in unîus Pontificis obſequio, concordiâ.

VI. *Regiminis Eccleſiaſtici, tam in Occidente quàm in Oriente, ratio hoc Seculo. Invaleſcens Pontificum Roman. dominatio. Diſcrimen tamen multiplex ab hodiernis moribus.*

Epiſcoporum, Presbyteror. Archidiaconor. Archipresbyt. Chorepiſcopor. hoc Sec. ratio.

I. Ordinum ſacrorum, ſacrarumque *Dignitatum*, eadem hoc Seculo ratio, quæ priori; creſcente tamen in dies luxu, ſuperbiâ, ambitione, avaritiâ Cleri. Sic valdè imminuta fuit, cum augmento *Epiſcopalis* Hierarchiæ, *Presbyterorum* auctoritas: Adeò ut v. gr. Canonibus hujus *Sec.* interdictum illis fuerit, *benedictionem ſuper plebem in Eccleſiâ fundere; aut pœnitentem in Eccleſiâ benedicere*, ſeu pœnitentiam publicam imponere, ut in Canone Agathenſi XLIV. Galliæ Narbonenſis, cui Cæſarius Arelat. præſedit, *Anno* DVI. apud Sirmondum, & Labbeum *Tomo* IV. Concil. *col.* 1390. Præter alia de quibus dictum ſuprà fuit. *Prædicare* tamen *Verbum Dei*, Presbyteris etiam ruralibus vel Parochialibus, conceſſum fuit, imò injunctum, ut in Concil. Vaſenſi Galliæ Narbonenſ. (*Vaſio* Vocontiorum Civitas) A. DXXIX. *Can.* II.

Fuerunt hoc Seculo *Epiſcopis* adjuncti, in Latinâ Eccleſiâ, proximi dignitate, ſuprà Presbyteros, & Archi-Presbyteros, *Archidiaconi*. Quod nomen

Digitized by Google

nomen Officii deinceps fuit, & Dignitatis, totâ Epiſcopi juriſdictione in Parochias, in Ordinationum juribus, Oeconomiæ curâ, Cognitione criminum, etiam Cauſarum inter Laicos & Clericos, quas poſtmodum deferret ad Epiſcopum, aliiſque in Archiadiaconum, ut *Vicarium* Epiſcopi, tranſlatis, cui etiam primum jus ſucceſſionis fuit in Epiſcopatum. Venantius Honorius Fortunatus, Poëmatum ſcriptor hoc Sec. circâ DLX. *Lib.* III. *Poëmatum*, ſcribens ad Archidiaconum Meldenſem, vocat magnum Miniſtrum Epiſcopi,

Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis, magne Miniſter, habes.

Ut etiam *Dalmatica* uſus illi conceſſus fuerit, æquè ac Epiſcopo, ex Gregorii I. Epiſtolarum L. VII. *Epiſt.* CXII. Sic Concilium Matiſconenſe I. Anno DLXXXIII. *Can.* VIII. injungit Clericis litigantibus, *ut omne negotium Clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præſentiâ finiatur.* In Græcâ autem & Orientali Eccleſiâ, *Archidiaconi* munus inter ἀρχοντίκια ſeu dignitates non habitum fuit, nec illis extrà Templum, vel Eccleſiam, ulla juriſdictio demandata. Et quod Archidiaconi apud Latinos, id ferè Chartophylaces apud Græcos obierunt.

Archipresbyteri, etiam Seculo VI. hoc nomine, & dignitate in Eccleſiâ noti; nec jam qui apud Græcos hodieque πρωτοπρεσβύτεροι, ordinatione & vocatione primi, ſed auctoritate etiam ſuprà Presbyteros reliquos. Undè pluribus etiam & diverſis *Parochiis* præfuerunt, invigilantes Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis; de levioribus criminibus cognoſcentes; graviora autem relaturi ad Epiſcopum, vel etiam ad Archidiaconum. Et ſi deficeret in ſuo officio Archipresbyter, & crimen aut incontinentia in Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & junioribus obſervata, *Epiſcopo vel Archidiacono non innotuiſſet*, pœnitentia illi gravis impoſita hoc Seculo, in Conciliis Turonenſi II. A. DLXVII. *Can.* XIX. & Concilio Autiſſiodorenſi, A. DLXXVIII. *Can.* XX. *Si Archipresbyter de Clericorum adulteriis, aut procreatione liberorum, Epiſcopo, vel Archidiacono non innotuerit*, &c. Et ad id plerumque vel ſenior, vel dignior in Presbyteris, electus; undè *Senioris* nomen ſenſim *Seigneur*, vel Dominum, ſignificavit: *Qui Senior in ipſis eſſe debet*, in Archipresbyterum ordinetur, *Can.* XIX. Concilii Rhemenſis, Sec. ſequenti.

Sic *Chorepiſcopi*, hoc adhuc Seculo, dicti fuêre ἐν χώραις *in villis* vel *rurales Epiſcopi, vice-Epiſcopi*, Iſid. de Offic. L. II. C. VI. *Hi in vicis & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias*, cum poteſtate conſtituendi *Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas*, & à ſolo Epiſcopo Civitatis *ordinantur.* Prima ipſorum in Latinâ Eccleſiâ mentio, Seculo V. & medii quodammodò tum fuêre inter Epiſcopos & Presbyteros: Adeò ut in Conciliis Generalibus cum Epiſcopis ſententiam aliquando dixerint; deinceps abrogandi in utraque Eccleſiâ Orientali & Occidentali.

Senſim verò aucta jura *Patriarchalia*; nempè quatuor *Thronorum* in Oriente; in ſpecie *Conſtantinopolitani*, favore Imperatorum caput jam ſuprà Romanum efferentis; quando Roma vetus deſierat eſſe ſedes Imperii. Undè acres contentiones cum Vigilio, Pelagio, Gregorio, Romanis Epiſcopis, de quibus poſteà. Sed & novus ſurrexit *Patriarcha*, in Illyrico, nempè Juſtinianæ primæ, in Dardaniâ Europæâ, quæ aliis *Lychnidus*, dein à Bulgaris *Achris*, *Achrido*, patria Juſtiniani, ex *Nov.* XI. & CXXXI. C. III. Quam ſedem in *Archiepiſcopalem* erexit, quo titulo Dignitatis *ſoli Patriarchæ* adhuc ornabantur in Oriente, fatente Petro de Marcâ, *de Primatu*: Imò præmiſſus Ἀρχιεπισκόπε titulus ab omnibus Patriarchis Orientis, antè titulum Πατριάρχυ. Illique Imperator attribuit αὐτοκεφάλας jura, *ſummum faſtigium*, *primam dignitatem*, & in *ſubjectas ſibi Provincias* parem *locum*, auctoritatem, juriſdictionem, quam in ſuas habet Archiepiſcopus *Sedis Apoſtolicæ Romæ*: Id eſt poteſtatem reverà *Patriarchalem*, in omnem Dacianam Diœceſim, additis Prævalitanâ Provinciâ, & ſecundâ Macedonicâ, cum parte Secundæ Pannoniæ; quas *Macedonica* ſeu *Theſſalonicenſi* Diœceſi ſubduxit. De quibus nos pluribus in *Geographiâ S.*

Patriarchalia jura Juſtinianæ I.

Ita Primates Diœceſeôn in Occidente dici cœperunt nomine ipſo *Patriarchæ*, & jura illis *Patriarchalia* attribui. Quomodò Wandali in Africâ Carthaginenſem Epiſc. & Reges Gotthorum Italici Regni Aquileienſem *Patriarcham*, αὐτοκέφαλον eum, nuncuparunt; ità *Aquileienſi Civitati B. Paulinus Patriarcha præerat*, apud Paulum Diac. de *Geſtis Longob.* L. II. C. X. Cujus ſanè jus Metropoliticum antiquum fuit, ſed propriè nulli ſub hoc fuêre Metropolitani. Sic in Galliâ quoque Lugdunenſis *Patriarcha* dictus eſt in Synodo Matiſconenſi II. A. DLXXXV. *Præfat. Priſcus Epiſcopus Patriarcha dixit.* Et Gregorius Turonenſis, vocat Niſerium Epiſc. Lugdunenſem *Patriarcham*, Guntramno Rege, *Hiſt.* L. V. C. XXI. Ità Primates Regnorum, qui in primâ regni ſede conſtituti, cœperunt dici quandoque *Patriarchæ*, ut in Hiſpaniâ Toletanus, in Angliâ Cantuarienſis: Qui ſimul dicti *Vicarii* Romani Epiſc. ad quos hoc jus Patriarchale reſtrictum fuit, ex ſententiâ Rom. Eccleſiæ, ſenſim ſuprà Patriarchas ſurgentis; quanquam primò intrà X. Provinc. quæ Vicario Urbis parebant, Romani juriſdictio reſtricta fuerit.

Et in Galliis, Italiâ, &c.

Aucta etiam paſſim jura *Epiſcopalia* favore Principum, & quoque Juſtiniani, ampliantis paſſim Diœceſes, in *Novellis* Conſtit. & confirmantis privilegia ab Imperatoribus conceſſa. *Audientiam* porrò Epiſcopalem, & *Judicium* Epiſcopis tribuerunt Imperatores, ex Titulis in Cod. utroque; non propriè *forum*, *quoniam conſtat Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis cauſis præter Religionem poſſe cognoſcere*, in Novellâ Valentiniani Jun. *Tit.* XII. At per modum *compromiſſi*, de quibuſcunque cauſis judicabant. Cæterum Juſtinianus in *Nov.* CXV. in Præfat. obortâ lite inter *Euſtathium* in Lyciâ Epiſcopum, & *Diaconum* quendam in eâdem Provinciâ, ſubjicit hanc, & omnes cauſas inter Eccleſiaſticos commotas, judicio Rectoris Provinciæ; undè *appellatio* eſſet ad majores Præfectos, tandem ad Clementiam Imperatoris; non profectò ad *Pontificem Romanum.* De Legibus quas in Appendice Codicis Theodoſ. publici juris fecit Sirmondus, pro *Epiſcopali judicio*, diximus ad ſuperius Secul. *col.* 1039.

Epiſcopale judicium.

Hinc & ſubordinata iſtis dignitatibus varia in Oriente Ὀφφίκια *Officia*, abitura in Ἀρχοντίκια, vel ἀξιώματα *dignitates.* Nati nempè in Eccleſiis majoribus Patriarchicis, præcipuè in Conſtantinopolitanâ, hoc vel ſuperiore Seculo, Σύγκελλοι *Syncelli*, & Πρωτοσύγκελλοι *Protoſyncelli*, proximi Patriarchæ, ejus Concellanei, & quaſi vitæ & actionum teſtes, à Monaſteriis ortâ appellatione: Sic Ἐξωκατάκοιλοι *Exocatacæli*, primi poſt Patriarcham, Officiales, Aſſeſſores illius perpetui, aut Ἐξωκατάκελοι, *extra Cellam* Patriarchæ habitantes, Gretſero Ἐξωκατάκοιλοι, qui foris cubarent. In his fuêre: ὁ μέγας Σακελλάριος, *Magnus Sacellarius*, qui Eccleſiæ pecunias curabat, quomodò σακέλλιον crumena eſt; etiam curam iſti habuêre, Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c. ὁ μέγας οἰκονόμος *Magnus Oeconomus*, qui omnes poſſeſſiones Eccleſiæ, omneſque reditus, omnia bona mobilia & immobilia, haberet ſub ſuâ adminiſtratione, quomodò Oeconomorum Officium vetuſtiſ-

Officia ſubordinata.

Digitized by Google

vetuſtiſſimum fuit, ſervatum adhuc in Græcâ Eccleſ. Πρωτέκδικος, *Primus Defenſor*, ſeu Actor, aliis Judex Controverſiarum, (nam plures in Eccleſiis majoribus Ἔκδικοι) qui pro Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticar. etiam miſerabilium, defenſione, privilegiis, commodis, ubi opus erat, ageret; quomodò & *Defenſores* habuit Romana Eccleſia. Χαρτοφύλαξ *Chartophylax*, cui Archivum Eccleſiæ commiſſum, & qui omnes ſententias, ac deciſiones Patriarchales in Chartam referret, ac ſubſcriptione & ſigillo muniret, idemque Clericorum Judex, & altera manus Patriarchæ: Σκευοφύλαξ ſacram Eccleſiæ ſupellectilem habens ſub curâ ſuâ: Dein fuêre tempore Gregorii I. *Vice-Domini*, Clerici qui familiæ Epiſcopalis Rectores erant, quaſi Vice-Epiſcopi: Περιοδευταὶ, *Periodeuta*, *Viſitatores*, jam ex Concilio Chalced. noti: *Referendarii* (Ρεφερενδάριοι) notiſſimi ævo Juſtini & Juſtiniani, *οἱ ἀναφέροντες* qui referrent Principis voluntatem Papæ Romano, ſic & Patriarchis Orientis, horumve poſtulata deferrent ad Principem; poſteà in Curiâ Papali dicendi Nuncii, Legati: Et ſi quæ Officia aut Dignitates aliæ, quæ cum Patriarcharum aut Epiſcoporum luxu, faſtu, otio in Eccleſiâ natæ. De quibus Catalogi Eccleſiaſticarum Dignitatum, & Officialium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ; uti paſſim in *Novellis* Juſtin. ſic apud Codinum, Xiphilinum, Balſamonem, hinc Gretſerum in Obſervation. Leunclavium in Jure Græco-Rom. Morinum de Sacris Ordinat. &c.

De Romano & Conſtantinopolit. Titulus Oecumenici. II. Cumprimis certare hoc Seculo de primatu Romanus & Conſtantinopolitanus, uterque fretus *Veteris* & *Novæ* Romæ prærogativis, ille parem, hic ſuperiorem ferre neſcius: Singulis autem Patriarchis, quoad juriſdictionem, reverâ inter ſe *æqualibus*, intrà Patriarchalem Diœceſim, & *αὐτοκεφάλοις*. Speciatim Epiſcopus Novæ Romæ per omnia æquatus fuerat *honore* & *Privilegiis*, Epiſcopo Veteris Romæ, ut prolixè viſum ad *Can.* XXVIII. Chalcedonenſ. *col.* 1014. 1015. & ad Legem Leonis Imper. XVI. de *Sanctis Eccleſiis*, ſuprà *col.* 1035. Hinc in Epiſtolis, Patriarcha Conſtantinop. ad Epiſcopum Romanum, perpetuo inſcribit, *Sanctiſſimo Fratri & Comminiſtro*; & ipſe Juſtinianus in Epiſt. ad Johannem Papam, Cod. de S. *Trinit.* l. 7. dicit de Conſtantinopolit. *& Patriarcham veſtrum fratrem:* Hic viciſſim, v. gr. *Hormiſdas Epiſcopus Johanni Epiſcopo Conſtantinopolit.* ut par pari ſcribens, perpetuis exemplis. Et *Conſtantinopolitano* quidem, æquè ac *Romano*, Patriarchæ *Oecumenici* titulus (qui ſuperiore Ætate jam frequentatus, à temporibus Synodi Chalcedonenſis, in gratiam Leonis Romani) datus hac Ætate eſt tùm ab Imperatoribus, uti à Juſtino Imp. & Juſtiniano frequentiùs, in Codice & Novellis, tùm à Conciliis, & ab univerſo Clero.

Ità *Johannes* II. Cappadox A. DXVIII. tùm *Epiphanius* ſucceſſor, poſteà *Anthimius* uſurpator ejuſdem Sedis, dein *Mennas* in Anthimi locum ſuffectus, *Oecumenici* titulo ſine offenſione Romanæ Sedis donati ſunt, ut ex *Actis* Concilii ſub Mennâ intelligitur, habiti Conſtantinopoli A. DXXXVI. *Act.* I. &c. Juſtiniano ipſo *Cod.* de Summâ Trinit. *lege* 7. ſic *Novellâ* XVI. *Anthimo Univerſali Patriarchæ*, &c. Et Concilium illud Conſtantinopolitanum contrà Anthimum congregatum, in quo Patriarcha ferè ſemper venit titulo *Oecumenici*, à Romanâ Sede receptum probatumque eſt.

Quo ſenſu uſurp. Sed eo ſenſu hic titulus uſurpatus, ut *Patriarcha* ſimpliciter deſignaretur, vel *Catholicus*, Caput ſcil. totius Diœceſeos, cui *univerſalis* cura incumberet omnium Eccleſiarum ſui Patriarchatûs, & ſimul cum Patriarchis reliquis, ἡ καθόλου ἐπισκοπή. Hoc ſenſu Eccleſiæ *Patriarchales* etiam dictæ *univerſales*; uti natum poſteà *Catholicorum* nomen, de Epiſcopis univerſalibus ſeu *αὐτοκεφάλοις*. Et Oecumenici ille titulus ſic modificatus, ut diceretur Conſtantinopolitanus Οἰκουμενικὸς τῆς νέας Ῥώμης, ut Romanus, τῆς μεγάλης Ῥώμης, in *Actis Chalced.* Deinde Titulus ille reſtrictus ad Patriarcham *Urbis Regiæ*, Imperialis, dominantis, quæ prærogativa deinceps Conſtantinopolitani fuit; quamvis Monachi Conſtantinop. & Syriæ, in Libello contrà Anthimum oblato A. DXXXVI. vocent *Archiepiſcopum antiquæ Romæ & Oecumenicum Patriarcham Agapetum*, T. V. *Conc.* col. 22. Non ergò nova erat uſurpatio, nec ſenſu invidioſiſſimo, qualem affinxit Gregorius I. quando Johannes Jejunator paſſus eſt ſe dici *Patriarcham Oecumenicum*. *Quid* ſi *Græci*, (ità Annotator in *Epiſt.* Gregorii M. *Tom.* II. *col.* 609.) *nomen Oecumenici ſuo Patriarchæ eâ tantum de causâ tribuerunt, quod toti cuidam parti Orbis præeſſet, ut Græci* uſurparunt vocem οἰκουμένης.

Baronius notatus. Abſurdè autem Baronius, ad Annum DXXIII. *Num.* XIV. Acta illa Synodi Conſtantinopolitanæ, tum ſub Johanne congregatæ, Hormiſdâ Papâ Romano (recitata in Synodo contrà Anthimum celebratâ, ſub Mennâ Patriarchâ, poſt obitum Agapeti) *in eo eſſe falſata*, ob additum perpetuò ferè Johanni II. Conſtantinopolitano titulum *Oecumenici: Cum enim ipſa Acta vera omninò atque legitima ſint, haud tamen dubium putamus ipſa quidem in eo eſſe falſata, dum quoties nominatus reperitur ipſe Johannes Conſtantinopol. Eccleſiæ Epiſcopus, toties fermè additus eſt titulus Patriarchæ Oecumenici.* Aliàs, inquit, *haud recepiſſet Romana Eccleſia ejuſmodi Acta, in quibus adeò frequens Titulus hujuſmodi legeretur.* Et hæc ille de ſuo, nullo teſte, contrà evidentem Codicum & rei ipſius fidem, Titulo illo tum recepto, & pridem Romano dato, ut Leoni ſic Hormiſdæ, cui Conſtantinopolitanus per omnia à Chalcedonenſi Synodo æquatus fuerat. Nec aliter ſolet Annalium Scriptor, quoties occurrit monumentum adverſum ſuæ Hypotheſi, & Monarchiæ Pontificiæ; tunc prolixâ declamatione, & quæſitis ratiociniis, primò dubium facit, tandem & per fraudem à Græcis aliiſve ſuppoſitum. Undè & in hunc diem Patriarchales Eccleſiæ dictæ *Oecumenicæ*, etiam Alexandrina, Antiochena, ſenſu à Latinorum illo diverſo.

Ut Gregorio tit. Oecumenici improbat. Vehementer autem iſti *titulo* vel *nomini* refragatus eſt, poſt Pelagium II. Gregorius I. Romanus, vocans *ſuperbum*, *novum*, *vanum*, *blaſphemum*, *profanum*, *ſtultum*, *frivolum*, *venenatum*, *Antichriſtianum*, certè *præcurſorem Antichriſti*, *uſurpationem diabolicam*, &c. cumprimis Epiſtolarum Libro IV. *Ep.* XXXII. XXXIV. *Lib.* VI. *Epiſt.* IV. XXIV. XXX. XXXVI. XXXVIII. &c. Rationes Gregorii, cur illum titulum Univerſalis tam vehementer exagitaret, ſummatim fuêre: 1. *Omnium Apoſtolorum principem Petrum, cui cura totius Eccleſiæ & principatus commiſſus eſſet, tamen univerſalem Apoſtolum nunquam vocatum*; ut qui Apoſtoli eſſent ſub *uno Oecumenico capite* Chriſto, *membra* adeò *Eccleſiæ univerſalis*. 2. Intereſſe omnium Patriarcharum, Epiſcoporum, Sacerdotum, *ſi nomen illud in Eccleſiâ ſibi quiſquam arripuit*; ne *dum privatum aliquid dabitur uni, honore debito Sacerdotes priventur univerſi*. 3. Intereſſe ipſius *Imperatoris*, in cujus jura involaret qui nomen Oecumenici arriperet; qui *honori Imperii veſtri*, (ita *Epiſt.* XXXII. L. IV. ad Mauricium Auguſtum) *ſe per privatum vocabulum ſuperponeret*. 4. Nullum *Romanorum* Pontificum hoc *nomen* aſſumpſiſſe, nec ſe deſiderare, qui *cunctorum Sacerdotum ſervus eſſet*; indè Eulogio Alexandrino indignatus qui ſe *Oecumenicum* appellaſſet; quum *nullus deceſſorum ſuorum tam profano vocabulo uti conſenſiſſet*, *Ep.* XXXVI. L. IV. 5. Fieri contrà *Canones*, contrà *ſtatuta Patrum*, imò contrà *omnipotentem Dominum*. 6. Appropinquare ſic tem-

Digitized by Google

tempora Antichriſti; *In hac ejus* (Johannis Conſtantinop.) *ſuperbiâ, quid aliud niſi propinqua jam Antichriſto eſſe tempora, deſignatur? Quia illum videlicet imitatur qui, ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere.* Quod frequenter inculcat, *Lib.* IV. *Ep.* XXXIV. XXXVI. XXXVIII. &c. 7. Sic dum *in ſceleſtiſſimo vocabulo conſentitur, fidem perdi; univerſa Eccleſia fidem corrumpi*, &c. L. IV. *Ep.* XXXIX. L. VI. *Ep.* XXIV. 8. Hoc ex nomine ſuperbè uſurpato, non *ſe ſolum*, ſed *totam turbari Eccleſiam*, omnes indè *ſcandalum* pati, &c. Vide Epiſtolas Gregorii citatas. Quamvis iniquas fuiſſe conſequentias quas eliceret Gregorius, ex illo titulo *Oecumenici*, in ſenſu ab Orientalibus intellecto, omnes ferè intelligunt: Et nihilominus Conſtantinopolitanus Romanum agnoſcebat pro *Æquali*, pro *Comminiſtro*, *Fratre*, (ut perpetuò in *Epiſtolis*) imò pro *Primæ Sedis*, ſeu veteris Romæ, Epiſcopo.

Baronius cum ſuis rurſùm notatus.

Verſat ſe quidem in omnem partem Baronius, & cum eo gnathones, ne Gregorii illa Pelagiique præjudicent *Oecumenico Pontificatui* Papæ Romani. Hunc adeò titulum damnatum ajunt, non in Romano, ſed in Conſtantinopolitano; nec niſi in ſenſu ſuperbiæ pleno, ut *Oecumenicus* ſit idem qui *ſolus Epiſcopus*, excluſivè ad reliquos; quod nequidem affectavit Romanus. Utrumque autem ex ipſo Gregorio enervatur. Interdicit enim Gregorius Eulogio Alexandrino, ne vel *ſibi* vel *ulli* hunc titulum apponat; adducit exemplum ipſius *Petri*, qui non Apoſtolus univerſalis fuerit; tituli hujus *faſtum* coarguit, ut *Antichriſtianum*, atque adeò multo magis *rem* ipſam, quam Romani ſibi deinceps vendicarunt: Nempè hi, ſe *Monarchas ſpirituales* Eccleſiæ; commiſſam ſibi ſolis τὴν καθόλου ἐπισκοπήν. Epiſcopos totius Orbis eſſe ſibi *ſubjectos*; ipſos Patriarchas nonniſi Romani eſſe *vicarios*; in ſolo Pontifice *reſidere omnem poteſtatem*; fontem illum eſſe omnis *juriſdictionis Epiſcopalis*, & quæ ſunt id genus plura.

Creſcens ambit. Rom. Epiſcopi.

III. Interim augeri cotidie in majus Epiſcoporum Romanor. in *Occidente* dominatio, procul agentibus in Oriente Imperatoribus, quos bella plerumque detinerent, & Occidente variè diſtracto, nullo etiam ibi Imperatore. Atque hinc eſt quod

Symmachus.

Symmachus, non ſine cruore per ſeditionem electus, aut in ſede confirmatus, (& cujus partibus non faverat Anaſtaſius, ſed Laurentio) obtentu Hæreſeos Eutychianæ, & quod nomen *Acacii* è Diptychis expungi nollet, *Anaſtaſium* Imp. communione ſuâ prohibuerit; Pontificiam dignitatem longè ſuprà Imperatoriam efferens. Undè Anaſtaſius Libellum στηλιτευτικὸν in Symmachum ſcripſit; quem Symmachus, oppoſitâ Apologeticâ, *contumelias* interpretatus eſt, & Libellum *famoſum*, invectus acerbiſſimè ſuperbiſſiméque in Principem; ac prætexens exemplum *Ambroſii*, qui ad *Auguſtæ Majeſtatis Gratiani Imperat. Epiſtolam, octo Libris reſpondiſſet*, ut legere eſt T. IV. Concil. *col.* 1296. &c. Ità Felix Ennodius Epiſc. Ticinenſis Romæ Apologeticum ſcripſit, in favorem Symmachi, variorum criminum, ut *adulterii* nominatim poſtulati, & pro *abſolutione* ejuſdem, factâ in Syn. Romanâ. In quo (inſerto ibid. *col.* 1340.) Papæ innocentiam ità defendit, ut faciat ἀναμάρτητον, ἀνυπεύθυνον, *ſolius Dei judicio* ſubjectum; qui *innocentiam à Petro* tranſmiſſam *hæreditate* acceperit; quem *ſanctum eſſe* nefas ſit *dubitare*, ut *quem apex tantæ Dignitatis attollat*; in quo *ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiant quæ à loci deceſſore præſtantur; aut enim claros* (ſanctos) *ad hæc faſtigia erigi, aut qui eriguntur illuſtrari*, ſanctos fieri; Ità *Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubjacuiſſe ſententiæ*, & quæ hanc in rem plura habet Libellus adulationis plenus.

Hormiſda.

Ita *Hormiſda* Symmachi ſucceſſor, quem fruſtrà ad pacem hortatus fuerat Anaſtaſius Imper. (de quâ nempè cogitandum eſſet, potius quàm de *Acacio damnando*, mortuo jam pridem, & *vivis propter mortuos expellendis*, ut in Epiſtolâ Anaſtaſii Auguſti ad Homiſdam, T. IV. *Concil. col.* 1435.) adeò ſuperbus fuit ut præſcriberet Johanni, adeò pertinax manſit, in ſuis ad Juſtinum Imp. & ad Johannem eundem, datis A. DXIX. ut paci redimendæ, & ſchiſmati tollendo, ſeu Romanæ Eccl. Orienti conciliandæ, non modò in *Acacii* damnationem conſentire neceſſe habuerint, ſed & omnium qui cum *Acacio communicarant*, aut *non conſentirent cum Apoſtolicâ Eccl.* Et ut nomina *Favritæ*, etiam *Euphemii*, & *Macedonii*, quos Confeſſores fuiſſe conſtabat, è Diptychis delerentur, imò illa *Zenonis* & *Anaſtaſii* Impp. Videantur quæ Legatis ſuis Hormiſda in mandatis dederat, *Tomo* IV. Concil. *col.* 1476. ubi præſcribit iis omnia ſigillatim verba, omnes greſſus, conditiones omnes pacis ineundæ, ſane duriſſimas: Poſteà admonitus ab Imperatore Hormiſda, *clementiore quodam indigere* rem *moderamine*, A. ſequente DXX. ut ibidem *col.* 1527. de rigore ſuo nonnihil remiſit.

Johannes I.

Johannes I. Succeſſor Hormiſdæ Anno DXXIII. miſſus A. DXXV. à Theodorico Rege Conſtantinopolim, ad Juſtinum Imperatorem, mitigando huic ergà Arianos, paſſus eſt ſibi deferri honores, qui hactenus ſine exemplo. Nam ſi Anaſtaſio credimus, in Vitâ Johannis Papæ I. non tantum *omnis Civitas cum Cereis & Crucibus* occurrit huic Pontifici, ſed ipſe *Juſtinus Auguſtus humiliavit ſe pronus in terram*, & *adoravit beatiſſimum Johannem Papam.* Si hoc verè Hiſtoricus, intolerandæ ſuperbiæ fuit id pati ab Auguſto, Imperatore, Orbis Domino. Marcellinus Comes in *Chronico* ſimpliciter, *Dexter dextero Eccleſiæ aſſedit Solio* Papa Romanus: Quod latus *dextrum* aliàs Baronius, v. gr. ubi de Imaginibus *Petri*, quæ in Bullis Pontificum ſemper ſunt à ſiniſtris Pauli, minùs honoratum fuiſſe contendit, confirmatque ex Plutarcho, Varrone; & quoque Paris Craſſus, *Libro* de Ceremoniis Cardinal. & Epiſcoporum in Diœceſibus eorundem, Venetiis impreſſo 1582.

Johannes II.

Johannes II. qui Bonifacio ſucceſſit Anno DXXXII. quem Juſtinianus Imperator in Epiſtolâ ad *Epiphanium* Conſtantinopolitan. *Oecumenicum Patriarcham*, ſcriptâ A. DXXXIII. ſexennio poſt adeptum Imper. vocat ὡς κεφαλὴν πάντων τῶν ὁσιωτάτων τοῦ Θεοῦ ἱερέων, eo quem antè diximus ſenſu; & alterâ ad *Johannem Archiepiſcopum Urbis Romæ, & Patriarcham*, quem dicit, *Caput omnium Sanctarum Eccleſiarum*, & cui *omnes Sacerdotes univerſi Orientalis tractûs ſubjicere* & *unire* properaret, Cod. de *S. Trinit.* l. 7. mirè abuſus eſt hoc reſcripto Imperatoris. Nam ut ut concedamus, nihil in reſponſo hujus Pontificis, dictâ lege *Inter Claras*, eſſe interpolatum, ut à Viris Doctis creditum fuit, ſed invitis Alciato, Cujacio, & quoque in noſtris Davide Blondello; malè infert Johannes, Imperatorem *cuncta Romanæ Sedi ſubjicere*, ut Sedi dominanti, & habente in alias omnes imperium. Imò *ſubjicere*, ut *primæ* Sedi, redeundo cum eâ ad unionem, ut explicat Juſtinianus; in qua unitione plurium ſervari ordinem neceſſe fuit; quâ de re adhuc poſteà.

Agapetus.

Agapetus huic Johanni ſuffectus, & A. DXXXVI. à Rege Gotthorum Theodahato Conſtantinopolim ire juſſus, multa ſigna ſuperbiæ dedit, & affectati ſuprematûs, in ipſam Byzantinorum Eccleſiam, ſaltem ſi Baronio credimus, vel Anaſtaſio in ejus Vitâ: *Juſtinianus, humiliavit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſ. Agapetum Papam.* Addit, *eodem tempore ejecit Anthimum à Communione, & expulit in exilium.* Et Victor Tununenſis, in Chronico, à Scaligero edito in Animad. *ad Euſeb.* Agapetus *Theodoram Auguſtam, Anthimi patronam, communione privat*; vel potiùs interminatur communione à ſe privandam, ſi cum Anthimo Hæretico com-

Digitized by Google

municare. Et Auctor anonymus è Cod. Vaticano productus à Cæſ. Baronio, A. DXXXVI. *Num.* LX. & ſequent. *Agapetus ſine ullis morarum obſtaculis Anthimum Eccleſiâ expulit; & pœnitentiæ eidem tempus indixit*, quod cum repelleret, *Papæ Agapeti voce & Canonicâ ſecure percuſſus eſt:* Hic ſtylus Vaticani.

Sylverius poſt Agapetum in Epiſcopum Romanum electus fuit à Theodahato, *filius Homiſdæ* Pontificis ex legitimo matrimonio procreatus; intereà dùm Vigilius Conſtantinopoli, illicitis pollicitationibus factis Theodoræ Auguſtæ, infeſtæ Concilio Chalcedon. ab ipſa Ordinationem impetrat, ſeu ſucceſſionem in locum Agapeti. Prolixè rem narrat Liberatus in Breviario, C. XXII. Ità Hæreſi, Simoniâ, & peſſimis artibus viam ſibi ad Pontificatum fecit Vigilius, undè graviſſimæ lites inter Sylverium, à Theodorâ & Beliſario expulſum, & Vigilium, quæ Sylverii morte terminandæ. Baronius in Vigilium, quamdiu vixit Sylverius, acerbiſſimè invectus declamat, ut qui *violenter in Sedem Petri intruſus, nec verè Pontifex; qui Simoniacam labem contraxiſſet, ſpondendo aurum ut Pontifex eſſe poſſet; gloriæ turbine agitatum, quem ambitio conjeciſſet in barathrum; fuiſſe in præcipitia datum; pondere ſcelerum prægravatum, minimè excuſandum, clamantibus undique ſacrilegiis, Schiſmaticum, alienæ Sedis emptorem, invaſorem; ad Schiſma addentem Hæreſim; Lupum gregem invadentem; furem & latronem, non per oſtium ingreſſum, Pſeudo-Epiſcopum; Antichriſtum; cui cederet impietas Novati, pertinacia Urſicini, Laurentii præſumptio, ac denique omnium aliorum Schiſmaticorum Antiſtitum ſuperbia, arrogantia, atque facinoroſa temeritas: Siquidem nemo, ſicut iſte, tantâ impudentiâ in viventis Pontificis Sedem inſiliit, ut, talis perfidiæ præmiſſis anteambulonibus Sacrilegiis, eam occuparit*, &c. Hæc *Annal.* T. VII. ad A. DXXXV. N. XI. XII. XVIII. XIX. XX. eo animoſiùs, quod favore Aulæ Conſtantinopolit. obtinuiſſet Papatum.

Sic *Pelagius* II. ſub quo Longobardi Civitatem Romanam obſederunt, electus A. DLXXVII. in Johannem Conſtantinopol. ob titulum *Univerſalis Patriarchæ*, & quod *Generalem Synodum*, in cauſâ Gregorii Antiocheni convocaverat, acerbiſſimè invehitur. Quamvis illi adſcripta Epiſtola VIII. ad *univerſos Epiſcopos, qui illicitâ vocatione Johannis Conſtantinop. Epiſcopi, ad Synodum Conſtantinop. convenirent*, omnium calculo habeatur hodiè ſuppoſititia. Vera Epiſtola periit, in cujus locum hæc conficta eſt, quæ habetur T. v. Concil. *col.* 948. Et meminit Gregorius I. *Epiſt.* L. IV. *Ep.* XXXVI. *Quod mox idem Deceſſor meus ut agnovit*, (ſcil. uſurpatum à Johanne Jejunatore, in convocandâ Synodo, Tit. *Univerſalis*) *direxit literas ex auctoritate S. Petri Apoſtoli, & ejuſdem Synodi Acta caſſavit.* Ubi auctoritas S. *Petri Apoſtoli* perpetuò à Papis obtenta, ut & auctoritas *caſſandi Acta* Synodi Orientalis, à Gregorio Romanæ Sedi vindicatur.

Vicarii Epiſc. Rom. Jus mittendi Pallium, &c.

Ità etiam Papæ Romani adſcribere ſibi magis magiſque hoc Sec. juriſdictionem in omnes Eccleſias *Occidentis.* Indè enim illa poteſtas ſibi tributa Archiepiſcopis *mittendi Pallium*, cum poteſtate *vices* Romani Epiſc. ſuſtinendi, ſed cum permiſſu Imperatoris, veniâ ab eo primum impetratâ. Unde Vigilius in Epiſt. VI. ad Auxanium Arelat. A. LXLIII. *De his quæ Caritas veſtra, tam de uſu Pallii, quàm de aliis ſibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cum Chriſtianiſſimi Domini Filii noſtri Imperatoris hoc* (*ſicut ratio poſtulat*) *voluiſſemus perficere notitiâ.* Et Epiſtolâ ſequenti, quæ inter Vigilianas VII. commiſſurus idem fuit Auxanio *Vicariatum* Romanæ Sedis (de cujus origine diximus ad præcedens Sec. *col.* 986. 987.) acceptis prius *Chriſtianâ devotione Regis Childeberti mandatis*; & ſub hoc Vicariatûs titulo auctoritatem *Cauſas* emergentes *Canonicâ & Apoſtolicâ æquitate diſcutiendi, & prolato judicio finiendi*; præterquàm ſi quæ naſcerentur *certamina de religione Fidei*, aut negotium aliquod quod *pro ſui magnitudine terminari non poſſet*, hæc nempè *Apoſtolicæ Sedi terminanda* reſervat. Ità Pelagius I. *Epiſt.* XII. Sapaudo Arelatenſi delegat *vices Sanctæ Sedis Apoſtolicæ per univerſam Galliam, injungens*, ut Sedis ejuſdem *Vicarius inſtitutus, adinſtar* Papæ, *in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineret, & quicquid ad gubernationem & diſpenſationem Eccleſiaſtici Statûs, ſervatis Patrum regulis, & Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, diſpenſaret.* Et de *uſu* Pallii adjungit, *Uſum quoque Pallii tibi alacriter affectuoſéque concedimus, pariter etiam Pallium dirigentes*, &c. Sic & Archiep. Viennenſi, & Lugdunenſi conceſſum jam fuiſſe uſum *Pallii*, patet ex *Capit.* VI. Conc. Matiſconenſis I. ſub Guntramno Rege habiti, A. DLXXXI. in quo cavetur, ut *Archiepiſcopus ſine Pallio Miſſas dicere non præſumat.* Qui Canon cruciat doctiores in Galliâ viros, primò quod *Pallium* hactenus fuiſſet indicium poteſtatis *Patriarchalis*; qualis conceſſa fuerat *Arelatenſi* à Symmacho, Vigilio, ſed permiſſu Imperatoris, & Regis in Burgundiæ Regno cui ſuberat Arelate, ex dictis: Deinde, quod *Archiepiſcopi* nomen nondum, eo tempore, pro Metropolitano uſurpatum fuiſſe legatur. Undè Petrus de Marca *de Concordiâ*, Lib. VI. C. VII. diſtinguit inter *Pallium Romanum*, ſoli Arelatenſi conceſſum, & *Pallium Gallicanum*, quod omnium *Metropolitanorum* fuerit. Nempe ſoli *Arelatenſi* in Galliis, ut *poſteà Hiſpalenſi* in Hiſpaniâ, *Cantuarienſi* in Angliâ conceſſum Pallium cum Vicariatu Sedis Romanæ, ex Epiſtolis Gregorii, inſigne Patriarchalis cujuſdam Dignitatis: Ut tamen ſuccedente tempore, etiam Metropolitani, qui hîc *Archiepiſcopi* diſtinctionis ergò, *Pallium* in functionibus Eccleſiaſticis geſtarint, v. gr. quando *Miſſas dicerent.* Id autem certum, non permiſſum fuiſſe Seculo adhuc VI. uſum *Pallii*, niſi cum conſenſu *Imperat.* quorum primâ origine hic habitus fuit, ut antè viſum, & quo *Patriarchas* primò in Oriente, honoris ergò, veſtitos ſeu decoratos voluerunt; undè *Anthimus* (de quo pluribus infrà) Patriarcha Conſtantinopol. *videns ſe Sede pulſum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidit*, ut Liberatus in Breviario, *Cap.* XXI. In quo deindè *typum* Chriſti gerere putabantur, Pallium ſive ὠμοφόριον, ex lanâ confectum, geſtando, nempe ut fuerit emblema τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος *boni illius ac magni Paſtoris*, ita Iſidorus Peluſ. L. I. *Epiſt.* CXXXVI. qui ovem perditam quærit, & inventam ſuper humeros ſuos aſſumit. Hinc in Oriente quidem, ad omnes non ſolùm *Metropolitanos*, ſed & *Epiſcopos* uſus Pallii tranſiit: Apud Latinos verò, fuit primò inſigne Dignitatis *Vicariorum* Sedis Rom. ut dictum modò; deinde tranſiturum ad omnes *Metropolitanos*; uti etiam poſteà à ſolo Romano Pontifice, ferè uti hodie Galerus Cardinalit. concedendum. Licet adhuc tempore Gregorii I. Pallium ab hoc non daretur abſque indultu Imperatoris; exemplo in Syagrio *Epiſcopo* Auguſtodunenſi, ad quem *pallium dirigere, ſecundùm poſtulationem Brunichildæ* reginæ Francorum, noluit Gregorius, niſi expectatâ prius *voluntate Sereniſſimi Domini Imperatoris*, ut expreſsè dicit *Epiſtol.* L. VII. *Ind.* I. *Ep.* V. Et Libro I. Ep. XXVII. dicit, ſe *ſummis precibus petiiſſe à Mauricio Imp. quatenus pateretur Anaſtaſium Patriarch. Antiochenum, conceſſo uſu Pallii, ad B. Petri Apoſtolorum principis limina celebrare ſolennia Miſſarum.*

Iidem Archiepiſcopis paſſim imperare, ut ſibi obnoxiis; Cauſarum omnium cognitionem, & appellationes, ſibi vendicare; illud *Tu es Petrus, Dabo Tibi Claves regni Cœlorum, Paſce oves meas*, &c. importunè ebuccinare, ut jam ſuprà de Gelaſio obſer- Abuſus poteſtat. in aliis.

ſer-

ſervatum eſt; abuti etiam titulo *Capitis Eccleſiarum*, quo communiter veniebat Eccleſia Romana, ut Petrus illo *Capitis* Apoſtolorum; & hoc Seculo Conſtantinopolit. Eccleſia. Titulum hunc dabant haud ægrè Eccleſiæ Africanæ, Gallicanæ, Illyrici, &c. unioni ſuæ teſtandæ cum Romanâ Eccleſiâ, à quâ nollent divelli, ut primâ & antiquiſſimâ Sede. *Caput* igitur habebatur Romana Eccl. ut prima reliquarum ſedendi ordine, quomodò Caput Provinciæ, Diœceſeôs, Regni, &c. ut præcipua Eccleſiarum κορυφαῖος, ut maximè honorata, cui competeret ἡ ἐξαίρετος τιμὴ, τὰ πρῶτα πρεσβεῖα, ut ad quam in gravioribus undequaque recurrerent: Et cui prærogativæ variæ (v. gr. arbitrium, aut conſilium, aut jus primi ſuffragii, in litigiis Epiſcoporum, in controverſiis Fidei, in rebus Diſciplinæ, ſic in juribus præſidendi in Concil. Univerſalibus poſt Chalcedon. Synodum) à Conciliis & Imperatoribus tributæ, ut viſum ſuprà eſt. Faſtum hunc Romani paſſim intelliges ex *Vitis* & ex *Epiſtolis* Pontificum, ex *Liberati* Breviario, ex *Marcellino*, *Euagrio*, *Nicephoro*, &c. & Tomis Conciliorum IV. V. Edit. Labbeanæ.

Undè nihil mirum eſt malis artibus, factionibus, vi graſſatos eſſe ad Pontificatum: Et hinc nati hoc inprimis Seculo *Antipapæ*, ex diviſis eligentium ſtudiis, e. gr. Symmachus & Laurentius; Bonifacius II. & Dioſcorus, hic mox à morte ſuâ damnandus eidem Bonifacio; Sylverius & Vigilius, hic quidem vi apertâ, & auro, & ſimulatâ apud Theodoram hæreſi, adeptus dignitatem, pulſo in exilium Sylverio, ineditâ mox & ærumnis per Vigilium confecto: Conſtant ex Liberati Diaconi *Breviario*, nec negante Baronio ad An. DXXXVIII. N. VII. VIII. & ex dictis ſuprà.

Baronius in variis notatus.

IV. Fruſtrà verò Baronius trahit in favorem Monarchiæ Pontificiæ: 1. Quæ *facti* ſunt multa, ſeu ex arrogantiâ Pontificum, hæc illa jura ſibi vendicantium ac ſuæ Sedi; ſeu ex indulgentiâ quandoque & facto Imperatorum; ea contendens *eſſe juris* Div. V. gr. quod *Juſtinus* Imp. pacis reſarciendæ gratiâ, inter Orientales & Occidentales, Hormiſdæ conceſſit, ut delerentur Acacii, Euphemii, Macedonii nomina è Diptychis; ac precibus etiam ab Hormiſdâ contendit, ut reliquorum Epiſcoporum, qui cum iis communicarant, *gratiam* faceret: Ità quod Juſtinianus, in *Epiſt.* ad Johannem II. & in alterâ ad Epiphanium Conſtantinop. uti etiam lege *Inter Claras*, in Cod. de *Summa Trin.* voluit *omnia quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinerent*, deferri ad notitiam *Romanæ Sedis*: Nempè pro ſcopo habuêre, ut ſervaretur unio inter Orientis & Occidentis Eccleſias, quas ſuperiora tempora diſtraxerant, in *Acacii* causâ. Et ſi quæ id genus ſunt facta alia, ex ſuperioribus manifeſta, & ex dicendis infrà.

2. Quæ juris merè *Humani* ſunt, ut v. gr. honos habitus primæ Sedis Epiſcopo, jus quoque προεδρίας in Concilio Univerſali, Tituli ei paſſim adſcripti, poteſtas in Occidentis pleraſque Eccleſias, vel ex Edicto Valentiniani, de quo *col.* 987. &c. vult rursùs eſſe *Divini* juris. Quum ipſe Johannes Rom. Epiſcopus, in *Epiſt.* ad Juſtinianum, Codici inſertâ *de Summâ Trinit.* prærogativam Romanæ Sedis refundat in *Patrum regulas*, *& Principum ſtatuta*, & ipſius Juſtiniani *reverendiſſimos affatus*. Verba autem ibi præmiſſa, *Paſce oves meas*, reſtringit Johannes ad perſonam Petri, quem ſupponit eſſe *Auctorem* Romanæ Sedis.

3. Quæ facta per modum *arbitrii*, delati Romanis Epiſcopis; vel *conſilii* ab iis expetiti; vel quæſitæ cum iis pacis, *unionis*; aut hujus ipſius imperatæ (ſub Juſtino & Juſtiniano) cum Romanâ Eccleſiâ, ut tenace tùm fidei, & decretorum Chalcedonenſium, ut Occidentalium Eccleſiarum capite, ut cui adularentur quandoque remoti in Oriente Principes; interpretatur ille perpetuò, & cum eo Binius, Perronius, Allatius, reliqui, de ſupremâ eorundem Epiſcoporum ac judiciali poteſtate. Quomodo inter Epiſtolas Johannis Conſtantinop. tempore Juſtini Imp. extat illa quam ad Hormiſdam ſcripſit A. DXIX. paci redintegrandæ, in quâ *anathematizatus Acacius*, T. IV. Concil. *col.* 1486. *Sanctiſſimas Dei Eccleſias*, *Senioris veſtræ*, & *novellæ iſtius* Locus falſatus. *Romæ*, *unam eſſe accipio*; ubi loco *Senioris Romæ*, ſuppoſuerunt Gnathones, probante legenteque Baronio, ad eum Annum, *Num.* XLVIII. *Superioris Romæ*. Contrà oppoſitionem evidentem inter Romam *ſeniorem*, & *novam* vel *novellam*; præterquam quod alieniſſimum fuerit à Conſtantinopolitano, Romanam agnoſcere pro *ſuperiori*. Nihil autem novum eſt in Rom. Eccleſiâ, invaleſcente Paparum tyrannide, Inſtrumenta vetera, Acta, Canones, adulterare, & paucis mutatis in ſenſum oppoſitum vertere. Exempla *Gratianus* ipſe i..rà ſuppeditabit.

Phraſes perperam acceptæ.

4. Quæ *communia* erant Conſtantinopolitano, ut fuêre tituli *Patriarchæ Oecumenici*, *Capitis Eccleſiarum*, *Apoſtolicæ Sedis*, *principis Epiſcoporum*, *Capitis omnium Dei Sacerdotum*, in Epiſt. Juſtiniani ad Epiphanium, &c. facit Romani Epiſcopi propria. Quum tamen haud dicant aliud quàm prærogativam *primi* omnium Sacerdotii, πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, adeoque prærogativam ordinis, honoris, interprete ipſo Juſtiniano Nov. CXXXI. ut etiam ſuprà demonſtratum: Nec ſoli Romano tribuantur, vel ex ipſo Juſtiniano, cui etiam Conſtantinopolitanus eſt *Patriarcha Oecumenicus*, & Eccleſia Conſtantinop. in Orientali Imperio, *Caput Eccleſiarum* omnium; Alibi etiam *mater* Eccleſiarum, ut aliàs obſervatum, quod & de Eccleſiâ *Hieroſolymitanâ* dixêre Patres Concilii Conſtant. I. in *Epiſt. Synodicâ*, τὴν μητέρα ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Nec aliter debent accipi verba in Liberati Diaconi Afri Breviario, *Cap.* XXII. ubi refert Pataræ in Lyciâ Epiſcopum, agentem de expulſione Sylverii à Sede Romanâ, faciente Theodorâ, dicit, eum *eſſe Papam ſuper Eccleſiam mundi totius*: Nempe *primum* vel *præcipuum* inter Epiſcopos Eccleſiæ totius, cujus *Sedes prima* eſſet inter Epiſcopales omnes, vel inter Apoſtolicas, qui *primus Sacerdos* inter Chriſtianos, aut Mundi totius Sacerdotes; vel qui *eſſet Papa ſuper Eccleſiam* Urbis Romæ, aut Romæ Veteris, quæ habita *totius Mundi* caput, vel quæ *eſſet in Civitate apice mundi*, ut loquitur Avitus, *Epiſt.* XXXI. p. 81. Ed. Sirmondi. Quomodo Fulgentius, Libro de *Incarn. & Gratiâ*, ab eodem Sirmondo edito, *Eccleſiam Romanam* dixit eſſe *cacumen Mundi*, *illuſtratam* radiis *duorum magnorum Eccleſiæ Luminarium Petri & Pauli*; id eſt, eminentiſſimam omnium Eccleſiarum, & in cacumine Mundi veluti poſitam. Undè illæ prærogativæ Rom. Eccleſiæ quas enumerat Theodoretus in *Epiſt.* ad *Leonem Epiſcopum Romæ*, quæ eſt CXIII. *Tomo* III. Oper. ex quibus colligit; Leoni διὰ πάντα τὸ πρωτεῖον ἁρμόττειν *primas in omnibus deberi*; πολλοῖς γὰρ (inquit) ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι, ſeu *prærogativis*. Quo ſenſu Ruſticus Diaconus Rom. Eccleſiæ tempore Vigilii Papæ, in Libro *adverſus Acephalos*, *ad Sebaſtianum* Vigilii item Diaconum, (*Baſil.* 1550. &c. & in Bibl. Patrum *T.* X.) *Eccleſiam Romanam* dixit *ſummam totius univerſitatis*, id eſt, uti ipſemet explicat, primam inter Sedes Apoſtolicas, in Urbe quæ ſumma nuper totius univerſi, quæque vetera ſua privilegia, à Chalcedonenſibus conceſſa, retinuerat.

De facto Agapeti P.

5. Mirè abutitur facto *Agapeti* Anthimum Conſtantinopolit. abdicantis, ac Mennam vel *Menam* illi ſurrogantis, ut pluribus in *Actis* Concilii Conſtantinopolit. ſub Mennâ, & ſuprà ex *Anaſtaſio*,

Digitized by Google

Victore, & aliis intellectum, in rebus Agapeti. Siquidem id factum Juſtiniano Auguſto, *ejicienti Anthimum à communione, & expellenti*, tribuit Pontificale in *Vitâ Agapeti*; huic tantùm quod, ad petitionem Juſtiniani, *Epiſcopum Catholicum conſecraverit nomine Mennam.* Certè auctoritate & conſenſu Juſtiniani factum, accedente poſt ſententiâ Synodi Conſtantinopolit. nempè poſt *judicium Agapeti*, poſt *ſupplicationes* varias hoc nomine Principi oblatas, & *Anthimi* denique pertinaciam, cauſæ Orthodoxæ infeſti, contrà fidem datam de ſuâ in omnibus cum Romano Epiſcopo conſenſione. Quod planum ex *Actione* IV. dictæ Synodi, *Tomo* V. *Concil.* & ex *Novellâ* ipsâ Juſtiniani XLII. de Depoſitione Anthimi, *Cap.* I. *Propter hæc omnia, ſententiam depoſitionis in ipſum à Sanctâ Synodo factam, occaſione non liciti, neque à ſanctis Canonibus approbati, raptûs Sacrarum Sedium hujus Regiæ Urbis, & adverſionis à rectis & veris Dogmatibus, propriam* (κυρίαν ratam) *noſtrum facit Imperium.* Utramque cauſam depoſiti Anthimi confirmant Liberatus in *Brev.* C. XXI. & Marcellini *Chronicon*: Quod is non probaſſet ſe Orthodoxum, licet promiſiſſet Imperatori, & Patriarchis cæteris, *ſe facturum quæcunque magnæ Sedis Apoſtolicæ Antiſtes juberet*, ut eſt in *Act.* IV. judex is à reo electus & poſtulatus; nempè ut primus Antiſtes, & quem Fidei Chalcedonenſis tenacem eſſe noſſet Imperator, & Eccleſia Orientis: Deindè quod *adulter* eſſet, ut qui Trapezuntinæ Eccleſiæ Epiſcopus, Byzantinam invaſiſſet, contrà Canones. Et *Mennam* in ejus locum conſecravit Agapetus, ad petitum Juſtiniani Imperat. vel conſentiente Anaſtaſio in Vitâ Agapeti: *Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus rogavit B. Papam Agapetum, ut in locum Anthimi Epiſcopum Catholicum conſecraret, nomine Mennam.* Sic olim conſecratus Chryſoſtomus à Theophilo Alex. Anatolius Conſtantinopolit. à Dioſcoro, Maximus Antiochenus ab Anatolio, & quæ exempla plura ſunt factarum ordinationum ab extraneo Patriarcha vel Epiſcopo, abſque fundatione ullius juris in talem Patriarchatum. Denique, ut oſtenſum, ſententia *definitiva* à Mennâ & à Synodo Conſtantinop. mortuo in eâ Urbe Agapeto, in Anthimum lata fuit, etiam ejectum Sede *Trapezuntinâ*, ut eſt in Actis Concilii ſub Mennâ, *Act.* IV. *col.* 8591. Tomo V. Nam depoſitus quidem ab Agapeto fuerat, eo quo dictum eſt modo, ſub conditione tamen, ut daretur ipſi *tempus pœnitentiæ*; & *donec omnia à Patribus tradita, per quæ veræ religionis Fides & Diſciplina cuſtoditur, & ſecundùm congruentem ſatisfactionem, ſuſciperet.* Obiter notandus eſt error Euagrii, *Hiſt.* L. IV. C. XXXV. qui Epiphanium facit ſucceſſorem *Anthimi*, Epiphanii verò *Mennam*; quum utrumque præceſſerit Epiphanius, ad quem eſt ſuperior Juſtiniani Epiſt. ipſomet *Aug. Coſ.* III. A. 533. Porrò non in *Anthimum* tantùm pronunciavit Agapetus, ſed rogatus ab Orientalibus Archimandritis, in *Severum* quoque Antiochenum, & illi adhærentes *Petrum*, *Zoaram*, & *Iſacum* Perſam, ex *Actis* Synodi ſub Mennâ.

De Literis Johannis ad Juſtinian. &c.

6. Similis in reliquis abuſus eſt, quæ in rem ſuam trahit Annalium Eccleſiaſt. Scriptor. E. gr. Abutitur ad An. DXXXIV. N. XIV. verbis Johannis II. Rom. Epiſcopi ad Juſtinianum Aug. lege *Inter claras*, Cod. *de S. Trin.* Laudantis ſcil. Imperator. quod *Romanæ Sedis reverentiam conſervaret, & ei cuncta ſubjiceret, & ad ejus deduceret unitatem*, & quæ ibi reliqua: Præter Juſtiniani ipſius ad Johannem literas, eidem legi inſertas; *Non patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, ut non etiam Veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum.* Equidem poſſemus urgere has Epiſtolas Codici inſertas, inprimis illam Juſtiniani, haud paucis laborare ſuppoſitionis indiciis, vel judicibus Doctiſſimis Pontificiorum. Inter alia quod Epiſtola Imperatoris nec *locum* ubi data, nec *tempus* quando, expreſſum habeat; præter ſtylum humilem, abjectum, hiulcum, oppidò diſcrepantem à cæteris Legibus, ac ſcribendi ratione Juſtiniani. Accedit non modo Gregorium I. cum Conſtantinopolitano certantem, negantemque titulum *Epiſcopi univerſalis*, nuſquam hujus legis meminiſſe: Sed nec Bonifacium III. à Phocâ contendentem *magnâ contentione*, ita B. Platina, *ut Sedes Petri, quæ eſſet Caput omnium Eccleſiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus; quem quidem locum Eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vindicare conabatur.* Si autem extitiſſet talis lex Juſtiniani, qualis illa *Inter claras*, nihil opus erat tantâ *contentione à Phocâ obtinere*, quod pridem fuiſſet à Juſtiniano conſtitutum aut declaratum. Sed fuerit lex ea authentica! Præter ſuperiùs obſervata, de appellatione *Capitis Eccleſiarum omnium*, quod & Conſtantinopolitanæ tributum, & ſenſu *primatum*, non ſuprematum deſignante; hæc inſuper notanda veniunt, licet genuinas eſſe Epiſtolas concederetur: Primò, quicquid Sedi ſuæ adſcribit Johannes, confirmante Juſtiniano, ut quod ſit *omnium verè Eccleſiarum caput*, idem dicitur (ut monitum) de Eccleſiâ Conſtantinop. L. XXIV. Cod. *de S. Sanctis Eccl.* Idque omne ex *Patrum regulis*, & *Principum ſtatutis* arceſſit, non ex Divino jure. 2. Reſpicit modò factum noviſſimum Orientalium, facientibus Juſtino & Juſtiniano Imperatoribus: Qui in gratiam Romani expunxerant nomina Acacii, & ſucceſſorum; ad *unitatem* cum Romano redierant; & hoc modo ei *cuncta ſubjecerant*, primo ordine & honore inter Patriarchas, & hoc ſenſu *Capiti*, ac fidei Orthodoxæ defenſori, ſeu *Apoſtolicæ doctrinæ*. 3. In eâdem Johannes Epiſtolâ, Cyri & Eulogii Eccleſias vocat *oves non ſuas*; eoſdem *Pontifices* dicit; non dicturus ſi ſe *univerſalem* omnium Eccleſiarum Pontificem crediſſet. 4. Multa in eâdem argumenta reverentiæ ergà Juſtinianum, cujus *Nomen* ſuo præponit, contrà praxim ſequioris Eccleſiæ Romanæ; cujus literas, *Serenitatis ſuæ apices, reverentiâ conſuetâ ſuſcepiſſet*; cujus de fide *Edicta* laudat, pro *ſubmovendâ Hæreſi*, & quidem *Fratrum & Coëpiſcoporum* (ſic Orientales vocat) *interveniente conſenſu.* 5. Juſtinianus etiam in ſuis ad Johannem, vocat eum ſimpliciter *Archiepiſcopum almæ Urbis Romæ ac Patriarcham*; qui Epiphanium Conſtantinopol. vocaret etiam *Oecumenicum Patriarcham*, in Epiſt. ad Epiphanium, *lege* 7. Sic aliâ Epiſt. Cod. L. I. T. IV. de Ludis & Spectac. *Epiphanio &c. univerſali Patriarchæ*, & in Novellis, *Nov.* III. V. VII. Et id ipſum quod Johanni Romano Juſtinianus reſcribit, idem ille Epiphanio Conſtantinopolit. *Cognoſcere volentes Tuam Sanctitatem ea omnia quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum ſpectant, neceſſarium duximus, manifeſta eidem facere*, &c. L. 7. Cod. de *S. Trin.*

De Vicariatu Juſtinianæ I.

7. Mirè etiam imponunt Annalium Scriptor, ad An. DXXXV. DLV. & omnes ſervire nati, ex *Nov.* CXXXI. quâ Archiepiſcopus Juſtinianæ primæ, jubetur τὸν τόπον ἐπέχειν *locum tenere* Apoſtolici throni, κατὰ τὰ ὁρισθέντα *juxtà definita* à Vigilio Papâ. Nec enim, ut mittam alia, aliud voluit Imperator; quam ità à ſe evehi Urbem ſibi natalem in Archiepiſcopalem, in Caput Diœceſeôs, ſubductam Theſſalonicenſi Exarcho, (cum Provinciis Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Prævalis, Dardaniæ, Myſiæ ſuperioris, & ſecundæ Pannoniæ) ſolâ ſcil. auctoritate Principis, nullâ Romani Epiſc. conceſſione, ut patet ex *Novellâ* XI. & CXXXI. ut tamen vellet ſervari Romano jus quod ante habuiſſet in *Illyricum.* Nempè indè à temporibus Theodoſii, conceſſione Principum, jure merè humano, audierat Theſſalonicenſis *Vicarius* Romanæ Sedis, ut ſuprà *col.* 968. cui jam ſubtrahebatur magna pars Diœce-

ce-

Digitized by Google

ceſeôs, ſubjicienda *Acridenſi*; quem adeo Acridenſem voluit hac ratione conciliatum Romano, & ſic tutum deinceps eſſe contrà Theſſalonicenſis molimina; facile jam aſſentiente *Vigilio*. Et hæc ſpeciminis ergò.

Diſcrimen à Pontificio, qui ſucceſſit, Dominatu.

V. Diſcrimen verò illorum temporum, ab uſurpatâ deinceps poteſtate, & tyrannide Romanor. Pontificum, facilè cognoſcet, (quicquid declamare lubeat Baronio) qui ad ſequentia attenderit. Exempli causâ:

Papæ fiunt legati; Vocati ab Imperator.

1. Miſſi illâ Ætate non ſemel Romani Epiſcopi, qui *legatione* fungerentur ad Cæſares Conſtantinop. Sic *Johannes* I. miſſus cum aliis ex Ordine Conſulari & Patricio, A. DXXV. à Theodorico Rege Legatus ad Juſtinum Imper. ut ageret cauſam *Arianorum*, contrà quos Juſtinus publicaverat ſeveriſſima Edicta, ademptis etiam iiſdem Eccleſiis. Additur à Baronio cauſa alia, nempè conqueſtum Theodoricum apud Juſtinum, quod pretio & pollicitationibus corrupiſſet Senatores Urbis Romæ, clàm in ſe molituros. Hæc ex Caſſiodoro, Boëtio, ex Paulo Diacono, & aliis. Refert auctor *Dialogorum* qui Gregorio Romano tribuuntur, L. III. C. II. Johannem Papam in itinere conſtitutum, *Corinthum* adveniſſe, ubi Nobilis quidam *equum* oppidò manſuetum, quo conjux uti conſueverat, Papæ itineri promovendo conceſſit; qui poſtquam redditus eſſet Domino ſuo, non amplius *ſeſſorem* alium tulit, minus illam cui inſervierat antè Mulierem. Sic ingreſſum Conſtantinopolim Papam, *cœco* fortè in turbâ occurrenti, & ſe roganti, lumen reddidiſſe, *manu ſuperpoſitâ*. De quibus nihil Anaſtaſius, in Vitâ Johannis, nihil Caſſiodorus, Marcellinus Comes, Paulus Diaconus. Et ille ipſe *Johannes*, mox à reditu, in tetrum carcerem à Theodorico conjectus eſt, indubiè quod rediiſſent Legati re infectâ; undè ſuſpicio Theodorici, cum Juſtino conſpiraſſe: Quanvis Bibliothecarius, & Paulus Diaconus in Hiſt. Miſcellâ, *omnia obtinuiſſe à Juſtino Auguſto*; quod ſi fuiſſet, non in eam ſuſpicionem Theodorici eſſet adductus Pontifex: Et ſi *omnia obtinuit*, quorum causâ Legatus miſſus, tum *Arianorum* cauſam, ut relinquerentur *ſuis juribus*, ſtrenuè egit Papa Catholicus, quod & dicti Hiſtorici. Epiſtolam hujus Johannis I. quæ inſcribitur à Pſeudo-Iſidoro, *Omnibus per Italiæ Provincias conſtitutis Epiſcopis*, probari à Baronio, pudet dixiſſe. Quâ nempe, (imperante in Italiâ Theodorico *Ariano*, qui ne quidem ferebat auferri Arianis *Eccleſias* in Orientali Imperio) invehitur Johannes in *Arianam perfidiam*; *Eccleſias Arianorum* ubicunque eſſent in Italiâ, *Catholicis abſque ullâ morâ conſecrari* jubet; monet feciſſe ſe idem *Conſtantinopoli* quum eſſet; Epiſcopos Italos hortatur, ut *viriliter* reſiſterent, ſi *Theodericus Rex Arianorum peſte tactus intrinſecùs, & obvolutus extrinſecùs, Nos* (ità Pontifex) *& omnem regionem noſtram* (quam nullam habuit) *perdere*, & *gladio & igne conſumere minatur*, &c. *Quid firmius*, inquit Baronius ad A. DXXV. N. IX. X. *atque ſolidius ad id probandum deſiderari poteſt, quam publica, ad omnes Italiæ Epiſcopos, tunc ſcripta ab ipſo Johanne Papâ circularis Epiſtola*, & quæ pluribus illic declamat, teſtem adferens inidoneum, Gregorium Turonenſem Libro de *Gloria Martyrum*, C. XL.

Pariter *Agapetus*, de quo antè dictum fuit, miſſus à Theodahato ad Juſtinianum, placando ergà Gotthicum Regem Imperatori, & hoc nomine, ut *Legatus*, & *primus* inter Archiepiſcopos, & ſub alieno Imperio, ſummo cum honore exceptus à Juſtiniano. At falſa ſunt quæ refert Anaſtaſius in *Vitâ* Agapeti: V. gr. De *contentione* exortâ inter Papam & Juſtinianum, hunc ſcilicet partes Anthimi tuitum; De interminatione *Exilii*, factâ ab Imperatore, Papæ Agapeto; De reſponſo hujus ad Imperatorem, *ad Chriſtianiſſimum Imperatorem venire deſideravi, ſed nunc Diocletianum inveni*: Sic illa; *Agapetus Papa omnia obtinuit, pro quibus miſſus fuerat*. Repugnat prudentia Juſtiniani, & Hiſtoria Procopii, Liberati, Anonymi citati Baronio; & eventus ipſe docuit, non admiſſæ ſcil. à Juſtiniano, quæ offerebantur pacis conditiones per Theodahatum. Sic *Vigilius* à Juſtiniano ire juſſus Conſtantinopolim, occaſione Edicti à ſe promulgati adversùs *Tria Capitula*; & protinùs ab acceptis Literis Imperatoriis viæ, quanquam invitus, ſe committens: Quæ omnia intelliguntur ex Liberato, Procopio Cæſar. Facundo Herm. Victore Tunonenſi, Chronico Marcellini, reliquis, & ex *Vitâ* Agapeti, ac Vigilii. Magnoperè in hanc *profectionem* indignato Baronio, ut vehementer alienam à Majeſtate Pontificum Romanorum ſequioris ævi, ad An. DXLVI. N. LV. *Cæterum Vigilii Papa Conſtantinopolim profectionem, magnum intuliſſe Catholicæ damnum declararunt eventa: Quæ & ſignificarunt, quàm prudentiſſimè egerint prædeceſſores Romani Pontif. ut S. Leo, & alii; qui vocati ſæpè ab Orthodoxis licet Imperatoribus in Orientem, nunquam paſſi ſunt ab ipſâ fixâ Romæ Sede divelli.* Credo equidem, quia invitati quidem, ut Damaſus, Cœleſtinus, Leo, nunquam verò peremptoriè vocati, cum *mandato* veniendi; nec unquam ab Occidentis Imperatoribus, quamdiu hi fuerunt, ire in Orientem juſſi.

2. *Archiepiſcopi magnæ Romæ, almæ Romæ*, ac *Patriarchæ* titulo, Romanum hoc etiamnum Ævo veniſſe modò, & ſic ab ipſo Juſtiniano appellatum, in confeſſo eſt, ex *Novellis* paſſim, & ex *Actis* Synodorum. Nec *Oecumenici* titulus additus, niſi cum reſtrictione ad Urbem Romam, ejuſque Patriarchalem Diœceſim, *Patriarcha Oecumenicus magnæ Romæ*. Idem autem titulus Conſtantinopolitani fuit, *Archiepiſcopi & Patriarchæ Oecumenici*, ſimpliciter ſine reſtrictione, præterquàm quod *ſecundum* illi *locum* attribuit *Nov*. CXXXI. C. II. De quo dictum anteà. *Papæ* nomen Epiſcoporum adhuc commune fuit, & Patriarcharum Orientis. In Concilio Aurelianenſi I. A. DXI. Clodovæo Francorum Rege, in Literis Regis ad Patres Synodi, ad calcem: *Orate pro me, Domini Sancti, & Apoſtolicâ Sede digniſſimi Papæ*; ubi Galliarum Epiſcopi non *Papæ* tantùm vocantur, ſed & Gallicana Eccleſia, *Sedes Apoſtolica*. Ità apud Gregorium Turonenſem, *Hiſt*. L. IV. C. XXVI. *Papa Urbis Turonicæ*, id eſt, Epiſcopus qui tum Eufronius; ad quæ Marollius Abbas, in Notis Gallic. *Hic tum ſtylus, vocare indifferenter Præſules, Epiſcopos & Papas*. Quod liquet ex *Epiſtolis* Aviti Viennenſis, ut *Ep*. VII. *Papæ Conſtantinopolitano*; *Epiſt*. XXII. *Papæ Hieroſolymitano*. *Paparum titulus.*

3. *Synodi* hoc Seculo indubiè convocatæ, auctoritate Imperatorum, Regum, Principum, non Romani Pontificis, uti etiam *confirmatæ*. Patet ex Synodis *Conſtantinopolitanis*, eò vocato, ut ex ſuperioribus patet, ipſo Romano Epiſcopo: Imò ex Synodis *Romanis*, à Theodorico Rege indictis, non à Symmacho & Succeſſoribus, ut viſum *Cap*. I. Licet Baronius ad A. DII. *Num*. VI. argumentetur ex verbis ipſius Synodi, *ne Arianum quidem Regem abſque conſenſu, & certis Literis Romani Pontificis, Synodum congregare præſumpſiſſe*: Nempè dicit Synodus, *ipſum qui dicebatur impetitus* (Symmachum) *debuiſſe Synodum convocare*; Et *potentiſſimus Princeps, ipſum quoque Papam in colligendâ Synodo voluntatem ſuam* (qui ne aliter quidem velle auſus, ſignificatâ jam voluntate Principis) *literis demonſtraſſe ſignificavit*. Nempe præceſſerant Literæ Theodorici, & Præceptiones Regis, de loco, tempore, modo, & fine Concilii, ab ipſo convocati, in *Tomo* IV. Concil. *col*. 1328. 1329. &c. Quemadmodùm in *Hiſpaniâ* Synodi omnes indictæ à Regibus Suevorum, Gotthorum, ut Ariamiro, Reccaredo, &c. Quando in primâ *Synodi convocatæ à quibus.*

 Bra-

Digitized by Google

Bracarenſi Synodo A. DLXI. à converſione Gentis Suevorum, anno III. *Ariamiri* Regis Suevorum, Lucretius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus dixit. *Nunc igitur quoniam optatum nobis hunc congregationis diem Glorioſiſſ. atque Piiſſimus Filius noſter, adſpirante ſibi Domino, regali præcepto conceſſit, ut ſimul poſiti conſideremus.* Et ita in reliquis Synodis, Lucenſi Ann. DLXIV. Bracarenſi II. A. DLXXII. Toletana III. ſub Reccaredo Goth. Rege, A. DLXXXIX. Accedente Edicto Regio in Confirmationem Synodi, ut apud Garſiam in Collectione Concil. Hiſpaniæ, p. 224. &c. Ità in *Galliâ*, Synodos hoc Ævo à Regibus coactas, pluribus habent de Marca, & Libert. Gallicanæ defenſores, contrà uſurpationes Papæ Romani, Richerius, Launoius, Du-Pinus, &c. Neque id tantùm, ſed & moderatores Synodorum fuêre Principes, præſcribentes *ipſum in Synodis à ſe indictis judiciorum ordinem*, teſte Petro de Marca, de Concordiâ *Lib.* IV. C. III. quod jus Regium acriter defendit Lud. Maimburgius, Tract. Hiſtorico de *Eccleſiâ Romanâ.* Ità ſæpè in Conciliis Gallicanis; *Conſentiente Domino noſtro glorioſiſſimo piiſſimoque Rege*, qui *tribuiſſet Congregationis poteſtatem*, &c.

Electio Romani Epiſc.

4. Indubium etiam *electionem* Rom. Epiſcopi fuiſſe tùm penes Clerum Populumque Rom. *confirmationem* penes Imperatorem, poſt redditam huic Italiam. Antè enim per *Odoacrum* Herulorum Regem, poſt Romam occupatam, lata lex fuerat, ne abſque conſenſu & conſultatione Regis Italiæ, electio Romani Epiſcopi fieret. Deinde in jus idem ſucceſſêre Gothorum Reges, *Theodoricus*, *Theodahatus*, &c. ut ſuprà obſervatum eſt, quicquid feratur Symmachi Papæ conſtitutio, in Synodo *Palmari*, quâ Odoacri legem abrogavit, de quâ antè. Poſt verò ſubductam Romam, dein Italiam jugo Barbarorum, nullus Romæ Pontifex fuit, niſi cum conſenſu Imperatoris. Adeò ut etiam mitteretur ad *Exarchum* Ravennatenſ. ad quem referebatur Electio novi Pontificis, additis precibus, ut eam nomine Imperatoris confirmationem procuraret in Aulâ Conſtantinopolit. Hinc quum *Pelagius* II. abſque conſenſu Juſtini II. eſſet electus, Longobardis Italiam vaſtantibus, miſit dein Conſtantinopolim, placando Tiberio Succeſſori, Gregorium Apocriſiarium qui dein fuit Epiſcopus Romanus, ex Paulo Diacono, Platinâ, &c. Ità *Gregorius* ad Papatum invitatus, rogavit Mauricium Imperatorem ne in electionem ſuam conſentiret, aut *electionis confirmandæ ſententiam* daret, non diffitente Baronio, ex Johanne Diacono, ad An. DXC. N. VII. Ubi ridiculè, mitti ſolitum ad Imperatorem Cleri Populique R. *Decretum*, *de electione jam factâ.* Imò Gregorium Mauricius *præceptione datâ juſſit inſtitui*, ut Gregorius Turon. cui multum defert Baronius, *Lib.* X. C. I. Sed & ſua *Exarchis* Ravennatenſ. fuêre in conſtituendo Pontifice jura, ut dictum modo eſt, & infrà pluribus; ex quo hi Exarchi in Italiâ, pulſis Gotthis, rerum ſub Imperatoribus potiti ſunt, poſt Narſetem, indè à Longino primo Exarcho A. DLXVII. Nec in hoc diſſentiunt Doctiores in Galliâ Pontificii.

Subjectio ejuſdem.

Adde eorundem Pontificum ergà Imperatores ſubjectionem, obedientiam, ut ergà *Dominos ſuos*, quorum legibus, juſſionibus, mandatis ſubjecti eſſent, omnemque obedientiam, reverentiam, & quæ id genus ſubmiſſionis voces, deberent. Studio hæc nuper obſervante in ipſis Jeſuitis Lud. Maimburgio, in Hiſtoriâ *Eccleſiæ Romanæ*, *Leonis* I. & *Gregorii* I. imo in Hiſtoriâ Lutheraniſmi, *Lib.* II. citatis verbis Gregorii Magni, ex *Lib.* II. *Epiſt.* LXII. ad Mauricium: *Ego vero hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi pulvis & vermis? Ego indignus famulus veſter; Ego quidem juſſioni veſtræ ſubjectus*, &c. *Ego Imperatori obedientiam præbui, Sereniſſimis Dominis meis*, &c. Ita Libro IV. *Ep.* XXXI. ad Mauricium Aug. *In Sereniſſimis juſſionibus ſuis Dominorum meorum*, (quod in hac Epiſt. non ſemel repetit) *dum me de quibuſdam redarguere ſtuduit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam urbana* ſimplicitatis *vocabulo me* fatuum *appellat.* Et poſteà, *quod ità eſſe ego quoque confiteor*, &c. *Epiſt.* XXXII. ad eundem; *Piiſſimus atque à Deo conſtitutus Dominus noſter*, &c. *Ego autem Dominorum juſſionibus obedientiam præbens*, &c. Et ità in Epiſtolis aliis ad Mauricium ſcriptis, ac plura rei exempla ad ſequens Seculum. Imò par imperium fuit in Papas Gotthorum Regum, quamdiu hi Romæ & in Italiâ dominati ſunt, ut ſuprà viſum. Et Pelagius I. mittens Confeſſionem Fidei ſuæ, ad Childebertum Francorum Regem, *Epiſt.* XVI. T. V. Concil. *col.* 803. *Quanto nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo* obſequium *confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam* ſubditos *eſſe S. Scripturæ præcipiunt.* Ità quàm hodie *obedientiam*, ut loquuntur, Chriſtiani Principes exhibent Pontifici, poſt ejus aſſumptionem ad Papatum, eam olim Pontifices aſſumpti exhibebant Principibus.

Cardinales qui dicti?

5. *Cardinales*, Eccleſiæ Principes, Cardines, Electores Pontificum, neſcivit hæc Ætas. Si qui hoc Seculo dicti *Cardinales*, fuêre illi fixi Sacerdotes, Presbyteri, Paræciarum præfecti, Curati; in Eccleſiis majoribus, Romæ, Conſtantinopoli, Ravennæ, Mediolani, &c. Sic in Gallicanis Eccleſiis communiter, dicti *Sacerdotes* vel *Presbyteri Cardinales*, id eſt, primi, præcipui, notabiles, etiam titulati; quomodò Cardinalis *Eccleſia*, Cardinale *Altare*, &c. Inprimis ſic dictæ Eccleſiæ *Parochiales*, vel *Titulatæ*, ad quas conveniebant Fideles ad Sacra, & ad Euchariſtiam percipiendam, diſtinctæ à minoribus Eccleſiis, vel ab Oratoriis, & illarum hinc Epiſcopi Sacerdotes, vel Presbyteri, Curati, appellati *Epiſcopi*, *Sacerdotes*, *Presbyteri*, *Curati Cardinales*, & *Cardinalis Sacerdos* pro Epiſcopo. Et hoc ſenſu frequenter Gregorius I. in Epiſtolis: Sic in *Epiſt.* XV. Libri I. Indict. IX. *Memoratæ Eccleſiæ Viſitator accedens* (Populonenſis in Hetruria, Epiſcopalis Civ. ſed cujus Epiſcopus aut mortuus, aut ſuſpenſus) *unum* Cardinalem *illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare*; ubi Cardinalis Presbyter, eſt Epiſcopus proprius Civitatis, vel Presbyter Titulatus. Sic L. I. Ep. LXXVII. *In Eccleſiâ Alerienſi* (Civitate tum Inſulæ Corſicæ) *quæ jam diu Pontificis auxilio deſtituta eſt*, Cardinalem *te ſecundum petitionis tuæ modum hac auctoritate conſtituimus*, id eſt, Epiſcopum. Lib. II. Epiſt. XIII. Indict. XI. *Et quia defuncto Petro Pontifice, te ſibi* Cardinalem *poſtulant conſtitui Sacerdotem*, nempè Terranienſis Eccleſiæ, &c. & quæ ſunt exempla plura. Ita *Diaconum* conſtituere *Cardinalem*, id eſt, certo Titulo affixum, & primum ſui Ordinis, *Lib.* I. *Epiſt.* XV. Hinc Gregorius utitur voce *cardinare*, *incardinare*, *incardinatus*, pro inſtituere in Eccleſiâ aliquâ proprium Sacerdotem, Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum. Quâ de re plura Carolus Molinæus de *Monarchiâ Francorum*, Marcus Antonius de Dominis, *de Repub. Eccleſ.* L. IV. Joh. Freinſhemius *de Præcedentiâ* Electorum, & Cardinalium; & qui in Galliis *de Origine Cardinalium* commentati ſunt, nec Romanam ſervitutem didicerunt. Nam Romæ venalia omnia, & ſervientia hypotheſi. Sed de Cardinalium dignitate plura ad ſequentia Secula.

Jura Pontificum ignota.

6. Ignota adhuc noſtro hoc Seculo, uſurpata deinceps à Pontificibus jura: V. gr. *Annatum*, *Inveſtituræ* Epiſcoporum, *Juramenti fidelitatis* ergà Romanam Sedem, *Legatorum à Latere*, vel *Internunciorum* in Aulis Regum, *Præſidentiæ* in omnibus Conciliis, *Infallibilitatis* Pontificiæ, *Diſpenſationum* quarumvis Papalium, aſſervati *Theſauri Indulgentiarum*, *Canonizationum*, &c. Nam apocrypha, & Pſeudo-Decretales nihil moramur, quales ex. gr. *Johan-*

nis

Digitized by Google

nis I. omnibus per Italiam Epiſcopis; *Felicis* IV. ad omnes Epiſcopos; *Bonifacii* II. ad Eulalium Alexandrinum, vel Baronio judice; aliæ *Vigilii*, *Sylverii*, *Johannis* III. *Pelagii* II. Epiſt. plures, & *Gregorii* I. quædam, præcipuè apud Blondellum in Pſeudo-Iſidoro. Quanquam plus ſatis fimbriam poteſtatis dilataſſe Romanos Epiſcopos, hoc & ſuperiore Sec. non negamus, in Diœceſes antè αὐτοκεφάλας, ut Theſſalonicenſem, dein Acridenſem, Mediolanenſem, Ravennatenſem, Gallicanas Diœceſes, conſtituto hîc per Gregorium I. Virgilio Arelatenſi *Vicario* ſuo per Gallias, *Epiſt.* L. IV. *Epiſt.* LII. Sic Britannicæ Eccleſiæ per Auguſtinum Monachum primò, dein & Succeſſores in Sede Cantuarienſi, Gregorio ſubjiciendæ. Sic *uſum Pallii* jam concedere Pontifices, quem antè Imperatores, ut monitum ſuprà fuit, ubi de *Auxanio* Arelatenſi Epiſc. & de *Vicariis* Romanæ Sedis. Nec uno etiam rei exemplo in Epiſtolis Gregorii, decernentis exempli causâ, *Londinenſem Epiſcopum honoris Pallium à Sanctâ & Apoſtolicâ Sede percipere*, *Epiſt.* XV. *Lib.* XII. Et ità de *Eboracenſi*, qui nullo modo ſubjaceret Sedi Londinenſi, ipſemet Metropolitanus.

Temporale imperium Papis nullum..

7. Nec obſcurum eſt Doctis omnibus, quibus Conſtantiniana donatio exploſa eſt, nullas adhuc Romanis Epiſcopis paruiſſe *Provincias*, *Urbes*, minùs *Regna*: Hinc nulla tùm fuiſſe vel jura vel etiam inſignia Majeſtatis, Superioritatis, Principatûs terreni, nulla certè in genuinis hujus Ævi Monumentis occurrere. Et ex *Epiſtolis* Gregorii Romani ſatis colligitur, poſſediſſe eum *prædia* varia, agros, vineta, domos, Gregum *armenta*, in Italiâ, Siciliâ, Galliis, quorum proventus per ſuos Diaconos vel Subdiaconos colligeret, & adminiſtraret; minimè Principatus & Provincias jure Majeſtatis rexiſſe. Ita *Epiſt.* XXX. Libri XII. *Vaccæ autem quæ ſunt ætate ſteriles, vel boves maſculi qui omninò inutiles eſſe videntur, vendi debent, ut ſaltem eorum pretium ad aliquam utilitatem creſcat. Greges verò equarum, quas valdè inutiliter habemus, omnes volo diſtrahi.* Et in eadem Epiſt. *Præterea unum nobis caballum miſerum, & quinque bonos aſinos tranſmiſiſti: Caballum illum ſedere non poſſum, quia miſer eſt, illos autem bonos ſedere non poſſum, quia aſini ſunt.* Epiſtolâ ad Brunichildam Reginam, quæ eſt V. *Libri* V. commendat Reginæ Candidum Presbyterum, *unà cum patrimoniolo* ſuo, *ad cujus gubernationem eum tranſmiſiſſet*, quem patrocinio ſuo Regina foveret; *ut ità patrimoniolum ipſum, quod pauperum conſtat expenſis, proficere*, & *ſalubriter regere, & ſi qua exinde ablata eſſent, fultus Reginæ auxilio, diligenter inquirere, & in priſtinum ſtatum, Deo propitio, reformare poſſet.* Plura id genus in Epiſtolis. Hoc tum patrimonium Petri, hæ poſſeſſiones Pontificis; *Patrimonio* verò (quale deinceps à temporibus Gregorii VII. dictum fuit) *Eccleſiæ* gubernando par minimè fuiſſet Gregorius, qui totus in *Monachali* diſciplinâ, & *Epiſcopalibus* curis; quarum & tædio tandem captus, Cathedram *ſpinoſam* eſſe dixit, & faſtigium illud *aculeis* denſum. Vide quæ ille paſſim in *Epiſtolis*, in *Moralibus*, & de *Curâ Paſtorali*, quorum quædam excerpſimus *Cap.* III.

Jura Imperatorum, Principum, in Eccleſiaſticis.

8. Denique *jus Regium* hoc Seculo integrum fuit & illibatum, in omnibus externis Eccleſiæ, ſeu quæ ad externam Eccleſiæ gubernationem, regimen, diſciplinam, coercitionem attinerent. Hinc ipſi *Romani Epiſcopi* ſæpè hortari Imperatores, ut curam ſacrorum, fidei, unitatis, ſalutis animarum, ſuſciperent; laudare eorum de fide Edicta; rogare ut de Cauſis judicarent vel Judices conſtituerent; eorundem de Sacris leges ſuſcipere, iis parere, etiam Juſtinianæis legibus, apud Gratianum, Decreto inſerentem, *Diſt.* LIII. C. *Legem*; Causâ II. q. 1. C. *Nemo Epiſcopus*; Causâ XXIV. q. 3. C. *De Illicito*, &c. pridem in Pontificiis Carolo Molinæo, aliiſque, noviſſimè Joh. Launoio, Steph. Baluzio, Thomaſſino, &c. obſervantibus. Hinc iidem Principes Epiſcopos *conſtituere*, ut nulli eſſent abſque conſenſu Principis; imò ne Romanus quidem Epiſcopus eſſe potuit ullus, abſque interventu Imperatoris, vel Regis dominantis. Ita poſt ſublatos in Occidente Imperatores, *Odoacer* primus in Italiâ Rex, lege ſanxit, A. CCCCLXXXIII. & quidem ex conſilio *Simplicii* Epiſcopi Rom. præcavendis factionibus, turbis, ut *non ſine Regis conſultatione & conſenſu, cujuſlibet celebraretur electio*: Quæ Lex per Baſilium Præf. Prætorio, vices agentem Odoacri Regis, poſt mortem Simplicii, publicata, & in Synodo Rom. IV. A. DII. relecta, à Symmacho quidem & ſuis improbata fuit, quaſi ità, *contrà Canones, electionem* Epiſcopi *Laici in ſuam redegiſſent poteſtatem*, Concil. T. IV. *col.* 1331. Sed ſiniſtrâ interpretatione legis, quæ ad præcavendas ſolitas turbas, diſſenſiones, ſchiſmata, volebat non *ſine conſenſu Regis* ratam eſſe electionem, à Clero Populoque factam. Nec aliter obſervatum fuit etiam toto hoc Seculo; quomodo Theodoricus *Symmachum*, rejecto Laurentio, dein *Hormiſdam*, *Johannem* I. & tandem *Felicem* III. Papas eſſe juſſit. Undè ſtatim à morte Theodorici, Athalaricus ex filiâ nepos, in Literis ad Senatum Rom. apud Caſſiodorum L. VIII. *Epiſt.* XV. *Gratiſſimum nobis fuit, quod Glorioſi Domini Avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatûs electione judicio: Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, (quamvis in alienâ religione) talem viſus eſt Pontificem delegiſſe, ut nulli meritò debeat diſplicere.* Revera probatiſſimus omnibus fuit Felix III. electus A. DXXVI. perperàm (Baronio & mancipiis Romanæ Curiæ) *tyrannicè à ſuperbo & impio Rege.* Sic mortuo Felice, natum Schiſma inter *Dioſcorum* & *Bonifacium*, quod *Athalarici* auctoritate in Bonifacii, Gotthi genere, gratiam diremptum, fatente Thomaſſino de *Eccleſ. Diſcipl.* P. II. L. II. C. XXXVI. Ità *Sylverium* Theodahatus Rex Gotthorum in Italia, *Vigilium* autem Beliſarius tum Romæ agens, auctoritate Theodoræ conſtituit, à qua Papatum auro, & ſimulatâ Eutychianâ Hæreſi, redemerat Vigilius, faſſo Baronio. Sic *Pelagius* I. auctoritate Juſtiniani, Narſete in Italiâ Exarcho, Pontifex fuit, poſt Vigilium, A. DLV. non Johannes, qui & Catelinus dictus, ut malè Euagrius *Hiſt.* L. IV. C. XXXIX. *Pelagius* II. juxtà Anaſtaſium, ordinatus fuit *abſque juſſione Principis*; ratio, *quod Longobardi obſiderent Civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italiâ fieret.* Tandem *Gregorium* I. juſſu Mauricii Imp. in Papam fuiſſe ordinatum, ex ipſo Gregorio intelligitur: Et Maimburgius ipſe in Vitâ Gregorii *Lib.* I. *Electio Papæ fieri non potuit abſque conſenſu Imperatoris*, in ſpecie etiam *poſtquam Italiam & Africam à Gotthis & Wandalis armis recuperarunt, crediderunt ſui juris eſſe, ut nemo ad Solium Pontificale ſublimaretur, qui ipſis ſuſpectus eſſet*, & quæ ibi plura.

Ità Epiſcopos iidem *deponere*, vel Clericos, ſi in Hæreſim prolapſi, ſi aleatores, ſi cum muliere conſueſcentes, &c. *Nov.* VI. XLII. CXXIII. &c. Ipſo Vigilio (ex dicendis) à Juſtiniano peſſimè habendo.

Exempla alia.

Sic *Synodos*, in cauſâ Fidei & Diſciplinæ, indicere perpetuò Principes, moderari, confirmare, judiciorum formam illis præſcribere, ut ſuprà, & adhuc in Capite de *Conciliis*. Nec aliter in Galliis Francorum Reges, hoc ipſo Seculo, *Edictis* variis *Eccleſiaſticis*, profectis à Clotario I. Chariberto, Chilperico, nullâ planè Pontificum mentione in Actis Synodorum: Quæ videſis apud Carolum Molinæum, Goldaſtum, Sirmondum; ſucceſſuris in idem jus Carolo M. Ludovico Pio, &c. ſuis *Capitularibus*. Sic in *Hiſpaniâ* Gotthorum Reges, & Sue-

Digitized by Google

Suevorum, ſummum ſibi jus vendicaſſe circà Res & Perſonas Eccleſiaſticas, nullâ Romani Pontificis ratione habitâ, docet prolixè Collectio Synodorum Hiſpaniæ, Madriti primùm edita per Garſiam, A. MDXCIII.

VII. *Juſtinus Imperator. Succeſſor Juſtinianus. Hujus Perſona, & Facta cumprimis Eccleſiaſtica, à calumniis vindicantur. Juſtiniani Succeſſores.*

Juſtinus Senior.

I. Beata hoc Seculo Eccleſia laudatiſſimis Principibus fuit, ac primùm *Juſtino* Seniore, qui viliſſimis natalibus, ſed virtute militari evectus poſteà ſub Anaſtaſio Imperatore, huic ipſi tandem, ex Comite Excubitorum, ſucceſſit An. DXVIII. Hujus enim operâ, quem *alterum Ezechiam* dixit Hormiſda, *Epiſt.* V. factum ut Eccleſia Orientalis rurſùm uniretur cum Romanâ, poſt longum Schiſma, indè à Felicis III. temporibus. Deleri nempè, è Tabulis publicis, à Juſtino permiſſis nominibus Acacii, Euphemii, & Macedonii, Conſtantinopolitanorum Antiſtitum; ut & Zenonis ac Anaſtaſii Imperatorum, quorum hic Orthodoxos perſecutus fuit, ille Romanæ Sedi ob *Henoticum* inviſus. Plura in ſuperioribus hac de re dicta. Fuit autem hic Juſtinus, teſte Procopio Hiſtoriæ Arc. C. VI. ἀμαθὴς γραμμάτων ἁπάντων, καὶ ἀναλφάβητος, *literarum omnium expers & analphabetus*, quod per errorem Juſtiniano Imperatori tributum. Hinc aſſediſſe illi Proclum, Quæſtoris Officio perfunctum, qui omnia ſæpè faceret pro arbitrio, αὐτονόμῳ γνώμῃ, ut Procopius; & Juſtinianum ſororis filium, conſortem Imperii factum, qui tandem omnia moderaretur, Juſtino vivo, ſed ad extremum ſenio confecto.

Res Juſtiniani.

II. Juſtino ſucceſſor fuit *Juſtinianus*, ex Juſtini ſorore natus, qui indè ab An. Chr. DXXVII. totis prope annis XL. Reipub. & Eccleſiæ quàm utiliſſimè præfuit. De quo in Veteribus ex profeſſo Procopius Cæſarienſis, qui deſcripſit Juſtiniani Bella, Ædificia, Hiſtoriam Arcanam, Barbarorum excurſiones, &c. ad annum uſque Imperii XXV. Et Agathias Scholaſt. qui multa habet prætermiſſa à Procopio, cumprimis quæ ab A. XXVI. cum prioribus cohærent, τὰ ἐχόμενα τούτων, ut docet in *Præfat.* Deinde adjungendi Marcellinus Comes, Euagrius, Theophanes, Zonaras, Cedrenus, Suidas, &c.

Virtutes. Bella per Beliſar. geſta.

De *Juſtiniano* autem multa ſunt ab hoc loco *aliena*, uti virtutes ejus Chriſtianæ & Civiles; Juſtitiæ poſt Religionem prima cura; Juris Romani ac Cæſarei, de quo infrà, digeſtio; Bella tria maxima fortiter ac feliciter geſta, per Beliſarium Ducem, tandem & Narſetem in Totilam miſſum, ſcil. *Perſicum*, *Wandalicum*, ac *Gotthicum*; Purgata à *Barbaris* Italia, Africa, Sicilia, Sardinia, virtute eorundem Beliſarii, & Narſetis; Subacti *Hunni*, *Eruli*, *Gepidæ*, *Abaſgi*, *Lazi*, *Tzani*, populi ſiti, ad fluvium Tanaim in Europa natum; ad Pontum Euxinum; ad Phaſim Colchidis fl. (quo Europam ab Aſiâ dirimi Veteres tradiderunt, Herodotus, Æſchylus, &c.) ad Caucaſios denique montes. Tandem, ferunt *Beliſarium*, fortiſſimum prudentiſſimumque Ducem, poſt Victorias de Gotthis reportatas, & Vitigem Ravennæ expugnatum, abductumque Conſtantinopolim; etiam poſt regnum Italiæ, quod illi Gotthi obtulerant, rarâ fide detrectatum; excidiſſe omnibus ſimul Dignitatibus, ſi fides Zonaræ, Cedreno, Conſtantino Manaſſi: Nempè conſpiratione Theodoræ Aug. & Antoninæ uxoris Beliſarii, Theodoræ Ζωστῆς à *Veſte*, in adulterio deprehenſæ, ut Procopius *Hiſt. Arcanæ* L. I. Ei autem ſucceſſit, Totilæ debellando, & Gotthis ex Italiâ penitus exigendis, Narſes Eunuchus, miſſus à Juſtiniano στρατηγὸς αὐτοκράτωρ, ut Agathias loquitur, de quo infrà.

Dubia de Juſtiniano, vel falſa. Etiam de Beliſar.

Sed & multa de Juſtiniano vel *fabuloſa*, vel certè *dubia*, tradita ſunt literis. Uti abjectiſſimi natales, quales ſanè fuerant Juſtini, poſt adoptati in familiam *Aniciorum*, ex quâ Sabbatius pater Juſtiniani, ut Trivorius *Obſ. Apologet.* in Procopii Anecdota: Sic Ruditas literarum, quæ ejuſdem veriùs Juſtini fuit, non Juſtiniani: Segnities animi, quæ rurſum Juſtini ætate gravis; niſi quod Juſtinianus ἀμφὶ τὴν ἐσχάτην τοῦ βίου πορείαν (ut Agathias *Lib.* V.) octogenario major, ex laborioſiſſimo Principe ad ſegnitiem eam prolapſus ſit: Avaritiæ ſordes quibus, impulſu inprimis Theodoræ conjugis, conquinatus fuerit: Opinio de ſuâ ἀφθαρσίᾳ, de quâ infrà, &c. Et ſi quæ id genus alia, Viris Eruditis vindicata.

Tres Fab. inſignior.

Ac tres *fabulæ* inſigniores videntur: Prima, de *Beliſario* Magiſtro Militum, poſt res fortiter geſtas, ad mendicitatem redacto, & excœcato, apud Volaterranum, & alios, tacentibus poſtremum Græcis, & poſt Procopium quoque ipſo Suidâ; at dignitate tamen exuto, & favore Juſtiniani, ſed poſteà revocando ad priſtinam gloriam, ut ex Agathiâ colligitur, & Tzetze in Chiliadibus, *Chil.* III. Cujus rei accuſat *Theodoram* Aug. Procopius, *calumniam* & *æmulationem* in tantum virum, Agathias Scholaſticus; undè non abſolutiſſimam gloriam reportavit, ob res præclarè à ſe geſtas, ut hic L. V. de Rebus Juſtiniani. Confecerat primò Bellum Perſicum cum Choſroë Rege, Cabadis filio; ſed revocato Beliſario ad Bellum Wandal. Choſrois tùm variæ fuerunt in Rom. Imperium irruptiones & victoriæ: Secundò, Wandalos totâ Africâ exegerat, Gelimero Rege ultimo in triumphum abducto, cum omnibus opibus, cœpto bello A. DXXXIII. & confecto anno ſequenti: Tertiò, Gotthicum bellum pari fortitudine & felicitate geſſit A. DXXXV. Theodahato Italiæ Rege, qui Amalaſuntham parricidiali nece interfecerat, ulturo facinus Juſtiniano. Tacemus captum poſteà Vitigem Regem; Hunnos etiam profligatos, de quibus Agathias. Secunda fabula eſt, de *Juſtiniano* rudi, illiterato & ἀναλφαβήτῳ, ſi fides Suidæ, in vulgatis ſed corruptis Editt. probante Baronio, ad A. DXXVIII. N. II. & Halloixio *Apologia Lib.* IV. Quod veriùs in *Juſtinum* ejus anteceſſorem quadrat; hinc in Codd. Suidæ Mſs. certe Vaticano Cod. (teſtis Noriſius hodie Purpuratus, Diſſert. de V. Synodo, *Cap.* II. poſt Nic. Alemannum) pro *Juſtiniano* legitur, Ἰουστῖνον *Juſtinum*. Nam in Juſtinum quadrant quæ refert Procopius, *Lib.* I. C. VI. de prehenſâ ejus manu, & ab alio ductâ & circumactâ, per Tabulæ, in quâ *Juſtini* nomen inciſum, inciſuras, ſi quando ſubſignandum eſſet Imperatori; planè ut de *Theodorico* inclyto Gotthorum Rege, & coætaneo, refert Hiſtoria Anonymi, à Valeſio editi ad calcem Ammiani, qui per totos X. *annos regni ſui*, *quatuor literas ſubſcriptionis* Edictorum diſcere *nullatenus potuiſſet*. Certè Juſtinianus Civilium Sacrarumque peritiſſimus rerum, *Sapientiſſimus* jam eo Ævo habitus fuit, quin ab ipſo Vigilio Papâ, in Epiſtolâ ad Juſtinianum datâ, A. DXL. *Concil.* T. V. *col.* 315. ut cui dicitur Deus *concedere dignatus*, *ſuâ miſeratione*, *non Imperialem ſolum ſed etiam Sacerdotalem animum*; iterùm, *ſapientia ſingulariter à Deo illi conceſſa.* Et Agapetus Diaconus M. Eccleſiæ Conſtantinop. quo tempore admotus Imperio Juſtinus, in *Admonitionibus paræneticis* ad Imper. verè aureis, & ſæpè recuſis, teſtatur, Juſtinianum φιλοσοφοῦντα ἀξιωθῆναι βασιλείας, βασιλεύσαντα οὐκ ἀποστήσαντα φιλοσοφίας. Et eodem tempore, imperaſſe *tres* Reges eruditos in Philoſophicis aliiſque Diſciplinis, Juſtinianum, Theodahatum, & Choſroëm, ex Procopio, Agathiâ, Caſſiodoro, intelligere eſt. Solitus idem quoque Epi-

ſto-

Digitized by Google

ſtolas etiam ſuas ἰδίᾳ χειρὶ ſubſcribere; unde Vigilius Papa quoddam Juſtiniani ad ſe reſcriptum negabat eſſe ejus Principis, *quia nec fuerat Pietatis ejus manuſcripta* Charta, alii *ſubſcripta*, ut liquet ex Epiſt. Encyclicâ Vigilii, quæ eſt xv. inter Vigilianas, *Tomo* v. Concilior. Edit. Labbeanæ. Ità refert Victor Tunonenſis Epiſc. in *Chronico* à Joſ. Scaligero edito, Juſtinianum, Anno XXXVIII. Imperii, evocatis Imperiali præcepto in Urbem regiam, ex Africâ & Ægypto, iis Epiſcopis qui acriùs inſiſterent pro *defenſione Trium Capitulorum*, eos *Juſtiniano Principi præſentes præſenti reſtitiſſe*, coram cum iiſdem diſputanti. Ità diſputaſſe frequentius cum Hæreticis, cum Eruditiſſimis Monachis Scythis, cum Origenis, aut Trium Capitul. defenſoribus, etiam ſcripſiſſe Libros, ut de *Incarnatione*, & contrà *Africanos* Epiſcopos, &c. pluribus evicerunt (ut mittamus argumenta alia) Nic. Alemannus in Judicio & Notis ad Hiſtoriam Procopii Arcanam, ſeu Librum IX. p. 101. 153. ac nuper Henr. de Noris, Diſſertat. de Synodo V. C. II. Tertia Fabula eſt, de Juſtiniano opinione ſuæ *immortalitatis* infatuato: Natâ iſtâ ex attributis quandoque *Æternitatis*, *Divinitatis*, quæ ſibi tribuere viſus, exemplo Conſtantii apud Ammianum L. xv. Undè, *Noſtra ſanxit Æternitas*; *Noſtrum Numen*; per *Divinam hanc legem*, &c. ut de *Concept.* Digeſt. ad Tribon. *L. ult.* Cod. de Epiſcopis, & alibi. Etiam ex quæſtione de ἀφθαρτοδοκίᾳ, pro quâ antè mortem Edictum ſcripſit, apud Euagrium *Lib.* IV. C. XXXII. de quâ poſteà. Sed non ſemel Juſtinianus; πέρας τοῦ βίου θάνατον εἶναι, *Nov.* I. C. I. & quod *homini cuique curſus unus eſt ab Opifice datus, cujus finis eſt omnino mors*, l. LVII. *de Epiſc.* &c.

Imago Juſtiniani apud Procop. & alios.

III. Cæteroquin mirum dictu eſt, quam fœdam *Juſtiniani* effigiem & imaginem repræſentent plerique Hiſtorici, imprimis *Procopius* coævus Juſtino & Juſtiniano Impp. in Hiſtoriâ quam inſcripſit Ἀνέκδοτα. In quâ annon multa ex odio & maledicentiâ in Principes, Theodoram præcipuè, præter liberrimum ſcribendi genus, ingenium cenſorium, & animum à Sacris Chriſtianorum, quibus deditus Juſtinianus, alienum (Photio & Suidâ teſtibus) dubitarunt plurimi. Ex Procopio habuerunt pleraque in Principem contumelioſa (ſanè ſuis vitiis laborantem) Cyrillus Scythopolit. Euagrius, Epiphanius Scholaſt. Chron. Alexandrinum, Anaſtaſius, Paulus Diaconus, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus Calliſti, &c. ex his Baronius in ſuis Annalibus, *Tomo* VII. Accuſatus videlicet ſævitiæ immanis in Sacerdotes, imò in ipſos Romanos Pontifices, Agapetum & Vigilium; favoris in improbos, ſceleratos, ſeditioſos, quos Reipubl. præfecerit; avaritiæ inexplebilis, undè Venalia quæque Munia, & Sacerdotia ipſa, ærarii exhauſtio, expilationes, rapinæ, monopolia, onera ſeveriſſimè exacta; tùm magiæ, colluſionis cum Dæmone, mendacii, perjurii, violatæ publicæ fidei; etiam Reip. bellis afflictæ, & pacis à Choſroë, ab Hunnis, à Saracenis, tributis in annos ſingulos redemptæ; denique fœdæ γυναικοκρατίας, toto Imperii decurſu. Procopius in Ἀνεκδ. *Cap.* VIII: *Erat hic homo* κακοῦργός τε καὶ εὐπαράγωγος, *juxtà malignus ac deceptu facilis, cujuſmodi ingenium fatuum, pravumque appellamus. Fuit hic Princeps uſque adeò veri diſſimulator*, εἴρων, δολερὸς, κατάπλαστος, σκότιος ὀργὴν, διπλοῦς, ἄνθρωπος δεινὸς, ὑποκρίνασθαι γνώμην τελεώτατος, &c. Ψευδόμενος εἰσαεὶ, οὐκ εἰκῇ μέντοι, ἀλλὰ καὶ γράμματα, καὶ ὅρκους δεινοτάτους, ἐπὶ τοῖς ξυγκειμένοις πεποιημένος. Ἀνεχώρει γε τῶν τε ὡμολογημένων, καὶ ὀμωσμένων εὐθὺς, ὥσπερ τῶν ἀνδραπόδων *mancipiorum* τὰ χείριστα. Φίλος ἀβέβαιος, ἐχθρὸς ἄσπονδος, φόνων τε καὶ χρημάτων διάπυρος ἐραστὴς, δύσερις τε καὶ νεωτεροποιὸς, μάλιστα ἐς μὲν τὰ κακὰ εὐπαράγωγος· Ἐπινοῆσαι τὰ φαῦλα, καὶ ἐπιτελέσαι ὀξὺς, &c. Ac multa quidem de Juſtiniani rebus deſiderantur, ut quæ de illo ſcripſêre Heſychius Mileſius, Johannes Lydus, Theophanes Byzantius, Menander Protector, Paulus Florus, Plutarchus qui Juſtiniano à Secretis fuit. Prudentiam certè ejus Principis, artemque regnandi, qualis apparuit, laudat Agathias *Lib.* v. p. 170. 171. quum *Hunnos* inter ſe commiſit, atque attritos propriis diſcordiis penitùs extinxit: Pariter teſtatum multis documentis amorem juſtitiæ, temperantiæ, auſteritatis, laborum, religionis; reſtituta Rom. Imperio Regna, Provincias, Regiones, Urbes; Sapientiſſimas Conſtitutiones à Juſtiniano conditas, vetereſque Imperatorum leges in Codicem mirâ brevitate & facilitate digeſtas; ſcientiam ejus tam Sacram quàm Secularem, ex confeſſis; Orthodoxiæ ſingulare ſtudium adverſus Hæreſes, &c. & ſi quæ laudatiſſima alia, referunt paſſim Agathias Scholaſt. Procopius ipſe in Libris de Bellis, de Ædific. Juſtiniani, & paſſim Euagrius Antiochenus, iniquiores hi quanquàm in Juſtinian. tùm Johannes Malala, Suidas, &c. Ac facta ipſa loquuntur.

Tria autem præcipuè fuerunt, quæ maledictis in Juſtinianum, Latinorum cumprimis, dedêre originem: Primò, quod totus incubuerit in Eccleſiæ jura, & in ſanciendis legibus Eccleſiaſticis, aut Clericis ac Sacerdotibus coercendis, non expectato ſcil. Papæ aſſenſu; quam *effuſam licentiam* interpretantur: Richerius Doctor Sorbonius, *Hiſt.* Conciliorum General. T. I. C. IX. *Num.* XII. *Adjungo inſuper rationem, ob quam Vallius Simia Baronii, Juſtinianum ità inſectatur, eſſe; quia Vindex acerrimus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ extitit, hoc enim graviter dolet Baronio.* Secundò, quod indulgentiſſimus in *Theodoram* conjugem fuerit, fœminam impuriſſimam, flagitioſam, avaram, πολυμήχανον, & ſolitis artibus abuſam facilitate mariti, in præjudicium juſtitiæ, religionis, concordiæ, reipublicæ, legum: In ſpecie hæc *Acephalorum* ſectæ faverat, ac mille malis Orientalem Eccleſiam afflixerat, de quibus prolixè Baronius; qui paſſim *Dalilam*, *Herodiada*, *furentem Alecto vel Megæram*, aut *Tiſiphonem*, vocat, *amicam Dæmonum*, *Satanico agitatam Spiritu*, *œſtro percitam Diabolico*, *&c.* Mortua A. DXLVIII. menſe Junio, cum imperaſſet annos totos XXI. ab A. DXXVII. Kal. Aprilis. Tertiò, invidiæ in Juſtinianum conflatæ cauſa fuit, quod impenſiore ſtudio cauſam *Trium Capitulorum* egerit; undè in Vigilium, in Africanos, in Epiſcopos varios iniqua decreta, & ſeveræ animadverſiones, omniaque diſſidiis ac turbis mixta: Tandem etiam Ἀφθαρτοδοκητῶν probato errore, & hinc *Eutychio* Conſtantinopol. in exilium miſſo, de quo infrà C. VIII. N. IV. Et hinc potiſſimùm *Euagrii* illa, ex quo ſapiunt *Zonaras*, *Nicephorus*, &c. de Juſtiniano parùm æqua narrata, quæ nempè à Trium Capitulorum Defenſoribus in illum conficta; opinione etiam imbutis Juſtinianum, eorum Capitulorum damnatione, Chalcedonenſem Synodum palàm petiiſſe. Certè non modò à Gregorio Papâ, ipſo Juſtiniani ævo, *piæ memoriæ* Imperator dicitur, in non unâ Epiſtolâ; ſed & tollitur ab Agathone & Synodo Rom. in Synodicâ ſuggeſtione, Synodi *Sextæ Act.* IV. *col.* 687. Ubi præmiſſis laudibus Conſtantini M. Theodoſii, Marciani, addit illas *extremi quidem, præſtantiſſimi tamen omnium, magni illius Juſtiniani; Cujus ut virtus, ità & pietas omnia in meliorem ordinem reſtauraſſet, & cujus, inſtar fortiſſimæ virtutis, principatus Rempublicam Chriſtianam tueretur, & renovaret in melius*, &c.

Cauſæ præjud. in Juſtinian.

IV. Eminuit præ reliquis, in glorioſiſſimo Principe, cura *Religionis*, & *Eccleſiæ*, quam *præcipuam ſollicitudinem Imperialem* dixit. Hinc Εὐσεβοῦς vel *Pii* cognomentum, poſt Antoninum τὸν τῆς Εὐσεβείας ἐπώνυμον, *Nov.* LXXVIII. Et quo fuit rerum Divinarum ſtudio, hinc illius certamina cum Eutychianis,

Facta Eccleſiaſtica Juſtin.

Digitized by Google

nis, quibus favit Theodora; etiam cum Neſtorianis Monachis, quos *Acœmetas* dixerunt, ex damnato Eutychianiſmo ſuo errori quærentes præſidium: Hinc *Anthimi* Epiſcopi, favore Theodoræ intruſi in Sedem Conſtantinopolit. de quo dictum eſt modò *Cap.* præcedenti, deturbatio; *Trium Capitulorum*, de quibus poſteà, damnatio; indignatio in *Vigilium* Romanum ut ex ſequente Hiſtoriâ; Synodi *Univerſalis* indictio, ac priorum Synodorum Confirmatio, ut infrà de Conciliis; Honos Patriarchis & Epiſcopis, & Sacerdotibus habitus, multis in hac Hiſtoriâ exemplis, ut in Codice ac Novellis; *Baſilicæ* ab eo multæ conſtructæ, Conſtantinopoli illa *S. Sophia*, aliæ Hieroſolymis, Epheſi, Edeſſæ, Carthagine, apud Abaſgos, & ubique toto Imperio; *Diœceſibus* jura adſcripta, reſtituta, ac variè immutata: Hinc uno verbo *Eccleſiaſticæ* Conſtitutiones ac ſanctiones innumeræ, tàm circà *Res* ſacras, quàm circà *Perſonas* Eccleſiaſticas.

Leges Eccleſiaſticæ.

Hujuſmodi ſunt illæ, ex. gr. de *S. Scripturarum Verſione*, *Lectione*, *Nov.* CXXXIII. CXLVI. De *Religione* totiens; De *S. Trinitate*, *Fide Catholicâ*; De *Hæreticis*, *Manichæis*, *Apoſtatis*, *Judæis*, *Paganis*, &c. De *Epiſcopis*, *Clericis*, omniumque *perſonarum* Eccleſiaſticarum officio, creatione, immunitate, numero; De *Monachis*, *Abbatibus*, *Monaſteriis*; De Sacramento *Baptiſmi non iterando*, *publicè peragendo*; De *Ritibus* Eccleſiæ variis, *Litaniis*, *Statuis*, *Imaginibus*, *ſigno Crucis*, *Feriis* ſeu *Feſtis*, paſſim in Codice & in Novellis; Sic de *Cœmeteriis*, *Sepulturis*, locis *Religioſis*; De *Synodis* quotannis habendis, *Nov.* CXXIII. CXXXVII. De *S. Eccleſiis*, *Bonis* Eccleſiarum, *Privilegiis* earundem, expreſſo Titulo; De *Regulis Eccleſiaſticis*, *Nov.* CXXXI. De juribus *Diœceſeôn*, *Provinciarum* Eccleſiaſticarum, ab ipſo paſſim ampliatis, imminutis, reſtitutis, ſpeciatim in Africanâ Diœceſi, poſt Wandalos Africâ exactos; ex frequentibus *Novellis*.

Baronius cum ſuis notatus.

V. Fruſtrà autem in poteſtatem illam *Nomotheticam*, & in facta plurima Juſtiniani, ut uſurpatæ poteſtatis, ut Imperatoriæ licentiæ, ut à Conſtantinopolitanis Patriarchis, Epiphanio & Mennâ, profecta, inſurgunt Scriptores Pontificii, certè Baronius ad An. Chr. DXXVIII. N. II. & ad Annum DLXIII. *Num.* I. *& ſeq.* ac paſſim. Vehementer etiam Leo Allatius, de Perpetuâ Conſenſ. *Lib.* I. C. XV. *Juſtinianum tam licenter in Eccleſiaſticas ſanctiones eſſe debacchatum, ut quas novis ſancitis non perverterat, eas ſuâ auctoritate ſtabilierit.* Mittimus Petrum Halloixium Leodienſem, Bzovium, Raynaldum, & ſimiles. Hinc nugatur perpetuò Annalium Scriptor: Deceptum ſcil. fuiſſe *ubique* Juſtinianum; Ejus nomine abuſos Conſtantinopolitanos, qui intelligerent, ſolius Rom. Pontificis eſſe leges Eccleſiaſticis ferre; Juſtinianum nonniſi Cuſtodem & Executorem Canonum; *Pontificis* partes ſibi uſurpaſſe, & leges *Sacrilegas* ſanxiſſe; velut *Antichriſtum* erexiſſe ſibi Cathedram in Templo Dei, & extuliſſe ſe *ſuprà id quod colitur*, ſcil. Romanum Pontificem: *Monſtrum triceps apparuiſſe* Juſtinianum, qualiter fabulæ fingunt fuiſſe *Gerionem tricorporeum*, ſcil. dùm expers literar. videri voluit doctiſſimus *Epiſcoporum, quem ſequi deberet univerſa Eccleſia*; dum Eccleſiæ *doctrinam* (quam teneretur ea profiteri) *præſcripſit ſuam, & ne quis contradicere auderet ſuâ prohibens potentiâ*; denique dùm reſpuit conſilia Seniorum, *fatuus & inſenſatus*, *Dei vindictam* experturus; Et quæ ille plura, ad Annum DLXIII. *Num.* VI. VII. & DLXV. *Num.* II. &c. Aſt verò dum Juſtinianus, quæ erant definita Univerſalibus Conciliis, ex Verbo Dei, ſuâ auctoritate ſanxit; turbones Hæreticos coërcuit; omnemque Eccleſiæ ordinem, diſciplinam, ritus, ceremonias, ſuis Conſtitutionibus definivit; inſtitit ille modò veſtigiis, ut piorum ſub Vet. Teſt. Regum, Davidis, Salomonis, Joſaphat, &c. ſic Anteceſſorum ſuorum omnium. Sic *Jus Regium*, de quo ad præcedens *Caput*, ſervavit illibatum; Eccleſiæ utiliter proſpexit; Canonibus vim Legum addidit, ac paruit etiam illis legibus Antiquitas, paruêre Pontifices, hinc & multæ leges *Decreto* inſertæ apud Gratianum. Undè & cordatiorum in Latinis longè ſunt æquiora judicia, ac cumprimis *Galliæ* Pontificiæ, Juri Regio aſſerendo, ac Canonibus Eccleſiæ vindicandis, Joh. Launoius, Edm. Richerius, Steph. Baluzius, Elias Du-Pinus, &c. Nugatur Natalis Alex. ad Seculum VI. in Juſtiniano; ajens, hujus Imperatoris Conſtitutiones de Eccleſiæ Diſciplinâ *vim nullam habuiſſe*, *niſi quia ſunt ab Eccleſiâ receptæ*, *& approbatæ*, id eſt, à Romanis tum Pontificibus Agapeto, Vigilio, Pelagio, Gregorio I. Rursùs, *Nec leges de rebus Eccleſiaſticis à Secularibus Principibus conditæ, ullius momenti ſunt, niſi ab Eccleſiâ ratæ habeantur:* Cùm contrarium verum ſit Canones ab Eccleſiâ conditos, nullius eſſe effectûs, niſi ab Imperatoribus aut Regibus approbentur, ac vim Legum obtineant. Sed longe aliter ad Imperatores, ſuis Epiſtolis, rem declarant hujus & præcedentis Ævi Epiſcopi Romani, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo, Vigilius, Pelagius, Gregorius I. Qui leges ac ſanctiones horum ſuſceperunt ut *juſſiones*, *præcepta*, *mandata*, profeſſi omnem *obedientiam*, *ſubjectionem*, & ſi quibus aliis vocibus uſi. Et Gregorius v. gr. legem Mauricii Imperatoris, *ne Milites in Monaſteriis ſuſciperentur*, licet magnoperè improbaret, ut *minimè concordantem omnipotenti Deo*; *tamen* (inquit) *ego juſſioni ſubjectus*, *eandem per diverſas Terrarum partes tranſmitti feci*, *Imperatori obedientiam præbens*, Epiſt. LXII. *Lib.* II. *Ind.* XI.

Nævi Juſtiniani. Anni Imper.

VI. Magnis tamen Principis *virtutibus* permixta quædam *vitia* memorantur, ut nemo vitiis ſine naſcitur. Hujuſmodi fuêre, propenſior quandoque in Eutychianos voluntas, faciente Theodorâ; γυναικοκρατία, in tanto Principe fœdior, quod eſſet Theodora omnium propè ſcelerum & flagitiorum artifex: Dein avaritia parùm digna tanto Imperat. qui gravis populis fuit, cumprimis ad Ædificia ſua, & Bella perficienda, de quibus Procopius, ut etiam ex *pane* quo pauperes aluntur, & ex meretricibus, quæſtum (ut ajunt) fecerit: Segnities in re militari, ut etiam Choſroï factus ſit tributarius, imò & Hunnis ac Barbaris, paci redimendæ, quamvis uſus fortiſſimis Ducibus: Superſtitio nimia in *Mariam Virg.* cui Templa ſtrueret, cujus interceſſioni plurimùm tribueret, nec tamen ipſe (quod paſſim in Oriente factum hoc Sec.) *invocaret*: *Aphthartodocitarum* væſania extremo ſenio adoptata, de quâ *Cap.* IX. Adde in mutandis Legibus inconſtantiam, ſicut in gratiam Theodoræ Leges tulit ſexui muliebri faventiores, in cauſis *Nuptiarum*, *Dotium*, *Divortiorum*, *Adulterii* non ſufficienter probati Maritis, undè data fuerit uxoribus licentia impunè peccandi, & ſi quæ leges aliæ. Ità legem Conſtantini M. qua Senatoribus, Præfectis, aliiſque, infamiæ notam inuſſerat, ſi vel *ſcenicam* vel *meretricem* ducerent, novâ Conſtitutione evertit, in Theodoræ gratiam, l. XXIII. *Cod. de Nupt.* Quanquam Nic. Alemannus & alii, *Juſtino* inſcribendam legem cenſuerint, de quibus Jureconſulti. Porrò Imperium Juſtiniani longum fuit, ad illud evectus *Anno* DXXVII. Kal. April. ut ipſe Novellâ XLVII. & terminato illo cum vitâ *An.* DLXVI. *Ind.* XV. Novemb. menſe, quum laberetur annus Imperii XL. Nempe juxtà Victorem Tunonenſ. in *Chron.* qui tum ſub cuſtodiâ detinebatur Conſtantinopoli, ob cauſam Trium Capitulorum, quorum vindex acerrimus fuit. Alii tamen, & plerique, ac multis H. Noriſius, ex Inſcriptione antiquâ Romæ in Vaticano repertâ, contendunt mortuum Juſtinianum Anno DLXV. prid. Iduum Novemb. annum

num

Digitized by Google

num ætatis ſupergreſſus LXXX. quibuſdam vixiſſe LXXXIII.

Baronius iterum notatus.

VII. Baronius autem omnia exaggerat, multa etiam permiſcet falſa, & ex ſuperſtitione ſequentis temporis. Dicit ex gr. ex Euagrio & Nicephoro, vindicem Dei manum ſenſiſſe in extremis, *vindicantis ſcil. illatas Sanctis Epiſcopis contumelias*; *inviſibili iſtum plagâ ex hac vitâ exceſſiſſe*; *ad ſupplicia juſto Dei judicio apud inferos luenda profectum eſſe*; quanvis à Gregorio Rom. *piæ memoriæ Juſtinianus* frequenter dicatur. Sic affirmat, Juſtinianum *cuncta ſubegiſſe per Crucem*, ſeu per ſignum Crucis, quod infixiſſet Globo ſeu Orbi, ut in Nummis appoſitis, juxtà illud, *cum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me*, ad A. DXXVII. N. LI. Beneficia eundem *omnia accepiſſe* à *Mariâ Virg.* quam *ſolitus eſſet invocare*, ad An. DXXXIV. N. LVIII. Qui tamen exorat *Omnipotentem Deum*, ejuſque *miſericordiam*, S. & *glorioſæ ſemper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus*, ſeu interceſſione, *Cod.* de Officio P. P. Africæ, *Lege* I. Sic ab ægritudine ſervatum illum *Sanctorum Martyrum beneficio & reliquiis*; prout *ab exordio naſcentis Eccleſiæ, velut à fonte perenni copioſè fluente, rivoſque curationum in omnes partes emittente, Sanctorum Reliquias id præſtitiſſe, quæ dicta ſunt, perſpicuâ luce demonſtrant. Sicut etiam pariter oſtenſum eſt, ubique locorum cultum ſacrarum Imaginum ſemper in Eccleſiâ Catholicâ viguiſſe*, probat Baronius, fabellâ ex Sigeberto narratâ, ad A. DLX. *Num.* I. IV. quum tamen contrarium ſuprà vel ex Gregorio I. evictum ſit, *col.* 1066. Nec vacat abſurda omnia perſequi.

Juſtiniani Succeſſores.

Juſtiniano ſucceſſit *Juſtinus Junior*, natus ſorore Juſtiniani *Vigilantiâ*, quam Græci & Illyrii *Biglenizam* appellarunt: Qui inertiæ & voluptatibus deditus, licet *Sophia* illi prudentiſſima Conjux eſſet, *Tiberium* genere Thracem digniſſimum Imperio, poſteà Collegam aſſumpſit, A. DLXXIV. Cui *Mauricius* gener Tiberii, Militiæ in Oriente Magiſter, A. DLXXXII. in Imperio ſucceſſit. Ac ſub Juſtino Juniore, Majoris *Armeniæ* & *Iberiæ* populi, excuſſo Perſarum jugo, ſe Romanis dediderunt; unde *Choſroi* occaſio novæ Expeditionis in Romanos: In quâ *Apameam* Syriæ urbem nobiliſſimam, à Seleuco Nicatore conditam, excîdit, & in cineres redegit; urbem etiam *Daras* proditione cepit; inerte Juſtino paulo poſt in *amentiam* prolapſo. Hinc conſilium de aſſociando illi Tiberio; quæ pluribus Euagrius, *Hiſt.* L. V. C. VII. VIII. IX. X. XI. Tiberii verò venuſtatem, munificentiam, & virtutes Principe dignas, refert idem Euagrius *Lib.* V. C. XIII. inter cæteras, quod cenſeret κίβδηλον τὸν χρυσὸν *aurum adulterinum*, τὸν ἐκ δακρύων ἥκοντα *quod ex lachrymis populorum collectum eſſet*.

VIII. *Hæreſes Eccleſiam conturbantes hoc Seculo.*

Hæreſis Ariana ubi graſſata.

I. A*rianæ* hæreſeôs mira fuit propagatio, quâ hac etiamnum Ætate infecti fuêre in Oriente Epiſcopi, & Chriſtiani benè multi: In Italiâ Gotthorum Reges; in Africâ Wandali; in Hiſpaniâ & parte Galliæ, Viſigotthi, Suevi, paſſimque ſub his Antiſtites, Eccleſiæ integræ: Quæ abundè conſtant ex Theodoro Lectore, Euagrio, Gregorio Turonenſi, Iſidoro Hiſp. Paulo Diacono, Nicephoro Calliſti, aliis. Undè immanes in Orthodoxos perſecutiones, de quibus loco ſuo. Oppoſuêre tamen ſeſe fortiter, bellis etiam contrà hos geſtis, Clodovæus Francorum Rex, contrà Alaricum; Juſtinianus, adversùs Gotthos Italiâ, Wandalos Africâ ejectos, ac ſuis in Arianos Edictis: Tum Sigiſmundus Burgundis, Ariamirus Suevis imperans, dein Gotthis Reccaredus, contrà Lewigildi Patris molimina, Arianâ Hæreſi in Regno Burgundico, tandemque totâ Hiſpaniâ extinctâ. Quâ de re diximus ſuprà *Cap.* II.

II. Miſſis autem Hæreſibus ſuperiori jam Ætate natis, item Eutychianæ familiæ ſectis, dictis *Acephalis*, *Theopaſchitis*, *Armeniis*, &c. (de quibus jam ad Secul. V. C. VII. *Num.* V.) turbarunt cumprimis hac Ætate, ex eâdem quidem familiâ, ſed aliis ac novis nominibus, hæ Sectæ:

Severitæ, reverà iidem cum Acephalis; à *Severo* ex Monacho Palæſtino, ob Hæreſim ejecto, & in Anaſtaſii gratiam Conſtantinopoli ſe inſinuante, tandem creato Epiſcopo Eccleſiæ Antiochenæ; qui deinceps evaſit Acephalorum caput, ſuffectus in locum ejecti per vim Flaviani, A. DXIII. favente Anaſtaſio. A quo *Severo*, fulto ab Aulâ Conſtantinop. mira in Orthodoxos perſecutio excitata, in Orientis illis partibus, proſcriptionibus, cædibus, contumeliis: Quos inter fuit *Elias* Patriarcha Hieroſolymitanus, qui ejus *Synodicam* recipere noluit; unde ad iram commotus Imperator, *Johannem* quendam Marciani filium, in ejus locum ſubſtituit, miniſtro Olympio in Palæſtinâ Ducatum obtinente: Synodicâ illâ continebatur Anathema, tùm adverſùs Synodum Chalcedonenſem, tum adverſùs reliquos qui in Chriſto *duas Naturas* aut *Proprietates*, alteram Carnis, alteram Deitatis, aſſererent. Undè in Patriarchatu Antiocheno, & vicinis partibus, miræ turbæ excitatæ, aliis quidem Epiſcopis ex neceſſitate conſentientibus, aliis palàm recuſantibus conſenſionem, ut illis Tyri, Damaſci, Boſtræ, &c. & ingenti Monachorum multitudine, qui Eliæ Hieroſol. exemplum ſecuti ſunt. Pluribus hæc Euagrius *Hiſt.* L. III. C. XXXIII. & Cyrillus Scythopolit. qui X. *millia Monachorum* Hieroſolymam conveniſſe refert, quorum duces Theodoſius & Sabas, clamantes αἱρετικοὺς ἀναθεμάτισον, κ̀ τὴν Σύνοδον βεβαίωσον, ut idem Cyrillus in *Saba Vitâ*, (*Tomo* III. Monum. Cotelerii, p. 312.) quam non viderat Annal. Scriptor.

Severitæ.

Ut damnati.

Sed tandem Severus pellendus à Juſtino Imperatore, poſt frequentes populi Conſtantinopolit. ad Imperatorem in Exordio Imperii, & ad Patriarcham, pro more, factas acclamationes; *Severum ejice foras*; *novum Judam ejice*; *non exibis illinc* (à Sacro Altari) *ni anathematizes Severum*; *Anathema Severo*; *Juſtine Auguſte*, *Severum Judam ejice foras*, &c. Cumprimis poſt Synodi Conſtantinopolitanæ ſententiam, latam A. DXVIII. primo anno Juſtini Imper. *Quapropter non ſolùm tanquam blaſphemum, ſed & tanquam calumniatorem*, & *omnibus Sanctis Synodis per iſtam Synodum injuriantem*, *prædictum Severum omni honore deſtitutum eſſe ſtatuentes*, *anathemati ſubjicimus*. Et ſubſcripſit ipſe Hormiſda Epiſc. Romanus, quoad damnationem Severi, & Eutychianorum; quanquam non quoad *reſtitutionem* in Sacras Diptychas nominum Acacii, Euphemii, Macedonii, quæ in hac ipſâ Synodo facta fuit. Undè hanc Synodum ex parte tantum *reprobatam* vocant Baronius, Binius, & gregales. Acta ſunt inſerta Actis Synodi Conſtantinop. ſub Mennâ Patr. habitæ, quæ dicta ἐνδημοῦσα Σύνοδος, A. DXXXVI. *Tomo* V. Concil. *Actioni* V. & quæ eundem Severum damnavit, unà cum ſociis *Anthimo* Conſtantinopolitano, *Petro* Apameenſi, *Zoarâ* Monacho Syro; ut pluribus Euagrius *Hiſt.* L. III. Liberatus in *Breviario* Capite XIX. XX. XXI. reliqui, & Acta Conciliorum *Tom.* V. Ejectus eſt Severus Sede Antiochenâ, Juſtino imperante, A. DXIX. Adde his Juſtiniani decretum, ſive Sacram vel Διάταξιν *adverſus Anthimum*, *Severum*, *Petrum*, Apameæ Epiſc. & *Zoaram* Presbyterum, inſertam Conciliorum T. V. *col.* 263. & *Novellâ* XLII. *Cap.* I. Prohibitis etiam *dictis* & *Scriptis Severi*, quæ jubet Imperator eſſe βέβηλα, κ̀ ἀλλότρια τῆς Καθολικῆς πίστεως, πυρί τε φλέγεσθαι

Digitized by Google

τ̃ κεχλημένων, *profana & aliena ab Eccleſiâ Catholicâ, igneque comburenda à poſſeſſoribus*; *blaſphemia* ſententiâ eorum accuſatâ. Enimverò poſteà Severus è latebris prodiens ſub Juſtiniano, circà A. DXXXV. ad Anthimum convolaverat, quem favere Eutychianis, cum Theodorâ Auguſtâ, noſſet, ſcriptis etiam ad Theodoſium Alexandrinum (de quo infrà) literis, apud Euagrium *Hiſt.* L. IV. C. XI. Sed ſpe deluſus, & eo quo diximus modo damnandus, cum Anthimo & ὁμοψήφοις. Dicti alio nomine *Monophyſitæ*, quod unam tantum Naturam in Chriſto, poſt Incarnationem, profiterentur; dicerentque τὴν ὑπόστασιν φύσιν, ϗ τὴν φύσιν ὑπόστασιν, nullamque in his eſſe differentiam, ut Cyrillus Scyth. d. l. *pag.* 309.

Theopaſchitæ. Etiam dicti *Theopaſchitæ*, quod Divinitatem ipſam Filii, in quam ejus Caro converſa fuiſſet, paſſam ac mortuam eſſe cum Petro Fullone affirmarent; nato etiam errore ex clauſulâ *Triſagii* hymni, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ab ipſis Catholicis *Chriſto* applicati: De cujus origine dictum eſt ad præcedens Sec. *col.* 976. 1003.

Jacobitæ. Nec diverſi ab his, qui dicti in hunc uſque diem *Jacobitæ*, in Syriâ & Oriente: Cujus nominis auctor *Jacobus* quidam, Natione Syrus, imperante Anaſtaſio, homo obſcurus, Severi diſcipulus, aliàs Τζάνζαλος *Zanzalus*, ob conditionem abjectam, ſi fides Nicephoro, διὰ τὴν ἄκραν (ὥς γε οἶμαι) εὐτέλειαν, *Lib.* XVIII. Hiſt. C. LII. Hìc ſparſâ per Syriam Gnaphei & Severi Hæreſi, ac implicitâ illâ Arii & Apollinaris, de aſſumptâ Carne ſine animâ, vel ſine mente, dedit nomen Sectæ *Jacobitarum*; Cui ſe adjunxit *Theodoſius* Alexandrinus Epiſcopus, ab A. DXXXV. favore Theodoræ, (cui oppoſitus fuit *Gaianus*) & à quo dicti Theodoſiani. Atque ab his duobus Theodoſio Alexandr. & Jacobo Syro, propagatam Hæreſim *Monophyſitarum*, auctor eſt Damaſcenus Libro de Hæreſibus, in *Hær.* Eutychianor. & Monophyſitar. Qualis hodiéque per Syriam, Meſopotamiam, Armeniam, Ægyptum inter *Coptitas*, & Æthiopiam omnem, diffuſa eſt. Undè apud Syros, Arabes, Ægyptios, natum *Melchitarum* nomen, pro Orthodoxis, Catholicis, ſecutis fidem & edicta Regum ſeu Imperatorum, pro IV. Synodo Chalced. contradiſtinctè ad *Jacobitas*; manſurâ in hunc diem appellatione. Contrà hunc Jacobum ſcripſiſſe fertur apud Photium, in *Biblioth.* Ephræm Epiſcopus Antiochenus, *Cod.* CCXXVIII. Profectò autem hocce ad Armenios, coaluit *Armeniorum* & *Jacobitarum* ſecta, id eſt, Monophyſitarum, novis illa erroribus imbuenda, quos multis exaggerat Nicephorus, *Libro* XVIII. C. LIII. Et Jacobus aliter cognominatus fuit *Baradeus* vel *Baradienſis*, à Bardach urbe matrice Armeniæ, *habente in longitudine tria ferè milliaria*, de quâ Geographus Nubienſis, Parte ſextâ *Clim.* V. Fusè de Severitis, Jacobitis, Eutychius Patr. Alex. *Annal.* T. II. ad tempora Anaſtaſii Imper. tum de his, eorumque propaginibus, Timotheus Presbyter Conſtantinopolit. anterior (ut videtur J. B. Cotelerio) Hæreſi Monothelitar. Lib. de *Receptione Hæret.* in Monum. Græc. T. III. Ut Anaſtaſium Sinaïtam in Ὁδηγῷ, Nicephorum, & Hiſtoricos alios taceam.

Maronitæ. Huc ſpectant *Maronitæ*, omnium conſenſione propago Eutychianorum, qui ſaltem *unam*, ſi non Naturam, certè Voluntatem in Chriſto, admitterent; at de origine, nomine, tempore quo nati hi Maronitæ, aliqua diſſenſio eſt. Sunt qui *Maronitas* dictos volunt à *Maroniâ*, vico haud longè diſſito à Monte Libano, ac deinceps in Epiſcopatum erecto, undè fertur Epiſtola Innocentii *Maroniæ* Civitatis Epiſcopi, apud Morinum de Ordinat. Sacris P. II. p. 380. Alii dictos fuiſſe à *Marone* Abbate, Sanctis adſcripto, qui Neſtorianis & Eutychianis reſtiterit, coævo Chryſoſtomo, & cujus Vitam deſcribit Theodoretus in Libro quem inſcripſit φιλόθεος ἱστορία, *Cap.* XVI. & in his eſt Abrah. Echellenſis, & Maronitæ hodie plerique. Alii à *Marone* quodam Monacho Hæreſiarchâ, VI. Seculo, tempore Mauricii Imperat. qui *unam* tantum *Voluntatem* in Chriſto agnovit, & ſic præiverit Monothelitis, de quo in Annalibus Eutychius, T. II. *pag.* 191. & ſic plerique cum Guil. Tyrio, Jacobo de Vitriaco, Marino Sanuto, & aliis Hiſt. Hieroſolymit. & Montis Libani, Scriptoribus. Fuêre ergò *Maronitæ* Jacobitarum quidam ſurculus, quibus multa communia; hoc ſpeciale, quod *duas* quidem *Naturas* in Chriſto, ſed unam Voluntatem atque Operationem ſtatuerent; uſque dùm Seculo XII. Aimerico Patr. Antiocheno, Latinis accederent, de quâ re loco ſuo.

III. Nata tùm & Hæreſis dicta Τριθεϊτῶν *Tritheitarum*, duce *Johanne*, cognomento à diligentiâ Φιλοπόνου *Philopono*, Philoſopho & Grammatico Alexandrino celeberrimo, de quo Suidas in Ἰωάννης Γραμματ. & in Πρόκλος, Leontius Scholaſt. Libro de *Sectis*, Photius in diverſis Bibliothecæ *Excerptis*, *Cod.* XXI. XXIV. LV. LXXV. CCXV. &c. & Nicephorus, L. XVIII. *Cap.* XLVII. & ſequentibus. Tempus fuit, obtinente Patriarchat. Conſtantinop. (poſt detruſum Eutychium à Juſtiniano Imp.) Johanne Scholaſtico, de quo Baronius ad A. DLXIV. *Num.* XIV. ut homine *planè ſervo gloriæ, & nundinatore rerum ſacrarum*; quo Patriarchâ habita fuit Diſputatio, inter Cononem & Eugenium *Tritheitas*, & Paulum quendam ac Stephanum ex Hæreſi τῶν διακρινομένων *hæſitantium*, id eſt, Severianorum, qui urgebant ut *Philopono diceretur anathema*, ex Photio *Cod.* XXIV. Nempè dùm hic *Severo* in ſpeciem ſe opponit, in quæſtione de unâ vel pluribus in Chriſto *Naturis*, ſtatuit ille, ſi duæ in illo *Naturæ* forent, fore & duas *Hypoſtaſes*, ſingulas enim Naturas dicere totidem Hypoſtaſes. Objicientibus verò in Trinitate eſſe tres ὑποστάσεις, ſed unam modò φύσιν ſeu divinitatem, reſpondit, omninò *Tres* in Deo *Hypoſtaſes* etiam *Tres Naturas* eſſe vel Subſtantias, ſed per omnia ſimiles; unde dictus *Tritheita*, quamvis *Tres Deitates*, aut *Tres Deos* dicere erubeſceret, quod μίαν ϗ ὁμοούσιον ϗ ἀπαράλλακτον θεότητα in ſingulis agnoſceret. Atque ità ex Peripatet. Philoſophiæ principiis, quibus apprimè imbutus fuit Commentator Ariſtotelis inclytus, hic error in Theologiam derivatus fuit; multa ille ſubtiliùs diſſerens de *unione* Divinitatis & Humanitatis in Chriſto, ex quâ una Natura exurgeret, diſtincta à Naturâ Patris & Filii, quæ non eſſent incarnatæ. Ità concipiebat, factâ unione unam eſſe *Naturam compoſitam*, ſecundùm indiviſibilem unitionem; quod non dici poſſet de Naturâ Patris aut Spiritus S. Plures errores huic Philopono adſcripti, uti de *Reſurrectione Corporum*, quaſi eam negaverit; qui hoc tantum, non eadem Corpora, ex materiâ & formâ conſtantia, corruptioni obnoxia, ſed alia viſibili hoc corpore longè præſtantiora, in Reſurrectione fabricanda, αἰώνια ϗ ἄφθαρτα, ut explicat Nicephorus, *Lib.* XVII. C. XLVII. Ità interitum hujus viſibilis Mundi, & novi Mundi creationem, docuit: Dixerat pridem Tertullianus, *Philoſophos eſſe Patriarchas Hæreticorum*; & illa ex *Origenis* quoque Diſciplinâ fuêre hauſta. Tritheitæ.

Fauto Juſtin nus,

IV. Ut error erroris ferax eſt, nata eo ferè tempore nova Hæreſis, cujus Sectatores dicti *Aphthartodocitæ*, & alia *Agnoëtarum*, de quibus prolixè Liberatus Diaconus, in *Breviario* C. XIX. XX. Euagrius, Leontius de *Sectis*, & Hiſtoria Juſtiniani. *Locus* ubi natus primùm error Apthartodocitar. fuit in urbe Alexandriæ, *Timotheo* iſthic Epiſcopo, inde ab A. DXIX. Juſtino imperante, faventeque iſto Eutychianis; agente autem ibi *Severo* Antiocheno, qui Alexandriam fugerat, & *Juliano* Epiſcopo Hali- Aphthartodocitæ.

car-

Digitized by Google

carnaſſæo, pariter à Juſtino antè ejecto, ex Liberato, & aliis. *Origo* ex controverſiâ natâ inter ipſos Eutychianos; Juſtiniano pridem ad Imperium admoto: An Corpus Chriſti à conceptione φθαρτὸν *corruptibile* fuerit, an ἄφθαρτον *incorruptibile*? *Corruptibile* dixerunt, quod fuiſſet obnoxium naturæ neceſſitatibus, & infirmitatibus carnis ἀδιαβλήτοις *ſine vitio*, adeoque fami, ſiti, laſſitudini, ſomno, affectionibus reliquis, doloribus, ipſi adeò morti; *Incorruptibile*, contrà, quod his obnoxium non fuiſſet, qui error olim Hilarii. Severus reſpondit, fuiſſe *Corruptibile*; Julianus verò Halicarnaſſæus, *Incorruptibile*. Hinc familiæ *Severitarum* & *Julianitarum*: Et qui Juliano accedebant vocati, ut diximus, *Aphthartodocitæ*, aliàs *Phantaſiaſtæ*, qui ea omnia in Chriſto fuiſſe tantum κατὰ τὸ φαίνεσθαι, qualiter poſt Reſurrection. quando v. gr. dicitur quidem comediſſe, non autem eſuriiſſe. Qui autem Severo adhæſerunt dicti *Phthartolatræ*, ſeu *Corrupticolæ*. Dein & priores dicti *Gajanitæ*, poſteriores *Theodoſiani*: Illi à *Gajano* quodam de ſectâ Aphthartodocitarum, in Sedem Alexandrinam promoto favore Monachorum & populi, qui favebant Incorruptibilitati; hi à *Theodoſio* Corrupticolâ, favore Theodoræ Auguſtæ, & Calotychii Cubicularii, ordinato Epiſcopo Alex. in Timothei locum: Undè ambo de Epiſcopatu Alexandr. decertabant, diviſâ ſic Alexandriâ. Sed neuter diu potiturus votis. Uterque tamen in eo conveniebant, quod eſſent Synodo *Chalcedonenſi* infeſti, quam pro Synodo Neſtorianâ habuerunt. Vide de his plura apud Liberatum, *Cap.* xx.

Fautor Juſtinianus.

Fautor verò *Incorruptibilitatis* fuiſſe fertur *Juſtinianus* Imperator, teſte Euagrio Hiſtorico *Lib.* IV. C. XXXIX. & poſt eum Zonarâ, *Lib.* XIV. C. IX. Nicephoro *Lib.* XVII. C. XXIX. &c. aliis: Impellente Theodoro Epiſc. Cæſarienſi in Cappadociâ, (qui favebat Origeniſtis, ut prolixè Liberatus *Cap.* XXIV.) ſi fides Euſtathio in Vitâ Eutychii Patr. Conſtantinopolitani apud Surium, citatum Baronio, ad A. DLXIV. N. VI. Adeò autem vehementer tuitus eſt ἀφθαρτοδοκίαν Juſtinianus, ut poſt habitam Conſtantinopoli Synodum A. DLXIII. (de quâ ſcilicet in Libro *Synodico* Græcorum, ſcripto inclinato Seculo IX. poſt natum diſſidium inter Ignatium, & Photium, favente Ignatio hocce Libello) *Eutychium* Patriarcham reluctantem in Amaſiam exulem ablegarit, ejuſque in locum *Johannem* Scholaſticum ſuffecerit. Dein *Edictum* Imperatoris narrat Euagrius; in quo ἄφθαρτον τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου κέκληκε, καὶ τῶν φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν ἀναπόδεκτον, οὕτως λέγων, τὸν Κύριον πρὸ τοῦ πάθους φαγεῖν, ὥσπερ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἔφαγε, μηδεμίαν τροπὴν ἢ ἀλλοίωσιν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐν μήτρᾳ διαπλάσεως, μὴ δὲ ἐν τοῖς ἑκουσίοις καὶ φυσικοῖς πάθεσι, μὴ δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, τοῦ παναγίου σώματος αὐτοῦ δεξαμένου. Addit Euagrius, Juſtinianum omnes ubique Epiſcopos per vim cogere voluiſſe, ut huic opinioni aſſentirentur, hinc perſecutiones excitatas in Orthodoxos. Sunt tamen qui Juſtinianum hac in parte excuſent, & Euagrium accuſent falſi, aut nimii in Juſtinianum affectus: Cumprimis quibus ſuſpecta fides eſt *Vita Eutychii Patr.* tributæ Euſtathio Presbyt. Conſtantinopolit. ac relatæ inter *Acta Sanctor.* VI. *April.* & quam Baronius ſuis Annalibus inſeruit, T. VII. A. DLXIV. Baronius autem ad An. DLXIII. avidè hanc occaſionem arripit declamandi in Juſtinianum, & accuſandi arrogantiæ, emotæ mentis, imò *hæreſeôs*, *antichriſtianæ* tyrannidis, & quidem ob non conſultam in his, ut in omnibus cæteris, Apoſtolicam, id eſt, Romanam Sedem, & ob *leges ſacrilegas* ab eo ſancitas, abſque hujus auctoritate. Reſtitit autem vehementiùs huic errori, *Anaſtaſius* Epiſcopus Antiochenus, diſtinctionis ergò dictus *Sinaita*, ab educationis loco in Eremo Sinæ montis; poſt à Juſtino Juniore in exilium pulſus: Qui miſſâ ad *Juſtinianum* relatione palam ei contradixit, & ad *Monachos* quoque primæ & ſecundæ Syriæ, qui eum conſuluerunt, in eandem ſententiam reſcripſit; atque etiam *Orationem*, συντακτήριον πρὸς τοὺς Ἀντιοχέας λόγον, de hoc argumento compoſuit, quam dicit Euagrius admirandam fuiſſe, τῆς τε καλλιεπείας, τῆς τε ῥοῦ τῶν νοημάτων, τῆς τε εὐπορίας τῶν ἱερῶν ῥήσεων, καὶ τὸ προσφορον τῆς ἱστορίας, *tùm ob verborum elegantiam, tum ob copiam ſententiarum, tum denique ob frequentia S. Scripturæ teſtimonia, & ob Hiſtoriam ſuis locis aptè accommodatam.* Et hæc Euagrius *Lib.* IV. Hiſtoriæ, C. XL. ſequenti Capite memoratâ morte Juſtiniani, ut qui ἀοράτως τρωθεὶς *inviſibili plagâ ictus*, ex hac luce migraverit: Scil. anſam ex hac Incorruptibilitatis opinione, quæ olim ferè Hilarii Pictavienſis fuerat, lacerandæ famæ Juſtiniani, & extremorum ejuſdem, arripuêre quoque, Zonaras, Nicephorus, & alii. Hinc & *Nicetii* Trevirorum Epiſc. ab An. DXXVII. natione Galli, Epiſtola ad Juſtinianum, à J. Sirmondo edita, & inſerta Tomo V. noviſſimo, Concilior. *col.* 832. quæ ſi genuina eſt, ſerò ſcripta fuit, proximo antè mortem Juſtiniani anno: *Sol* (inquit) *convertitur in tenebras ab Oriente; devulgante famâ ex lapſu veſtro* (ſic ille ad Juſtinianum) *contriſtati & humiliati in terrâ ſumus: Dulcis noſter Juſtiniane, quis te decepit, quis ut talia proſequereris, ſuaſit? Quis ut Chriſtum purum hominem fatereris, docuit? Quis ut in Judæ conſortium te tranſcriberes, circumvenit?* Et poſteà, *Notum tibi ſit, quod tota Italia, integra Africa, Hiſpania, vel Gallia cuncta, nomen tuum, cum de perditione tuâ plorant, anathematizant? Et ſi non quæ docuiſti diſtraxeris, & publicâ voce damnaveris; Erravi, erravi, peccavi, anathema Neſtorius, anathema Eutyches; cum ipſis te ad æterna ſupplicia tradidiſti.* Undè liquere videtur, Græcos (pro ingenio Gentis) rem omnem exaggeraſſe apud Latinos, quaſi Juſtinianus Chriſtum *purum hominem* ſtatueret, & à fide Catholicâ *defeciſſet*; quàm etiam proclives ferrentur in *Anathemata*, quæ mali labem exaſperarent; ſed Juſtiniano non diu iſtis ſuperſtite. Dubium Baronio eſt, an illa ipſa Romam perlata, & *an reſciverit illa per ſuum Apocriſiarium Johannes Romanus Pontifex.* De quibus nulla ſunt planè documenta. Ità *Eutychius* Patriarcha Conſtantinopolit. an ob ſententiam hanc Juſtiniani à Patriarchali Sede expulſus ſit, non dicit Euagrius, ſed *aliquo poſt habitam Synodum* V. (quæ Anno DLIII.) *tempore elapſo expulſum*, antequam egerit de quæſtione ἀφθαρτοδοκίας, *Lib.* IV. C. XXXVIII. Ità videtur Imper. Juſtinianus, in extremo ſenio, in errorem illum inductus infirmitate quadam; de quo igitur nihil Liberatus in Breviario, qui controverſiæ totius originem aperit *Cap.* XX. Et leni quidem viâ ac moderatâ prudentiâ fuerat abducendus ab errore Imperator, quod non ex more & ingenio Græcorum fuit.

V. Denique celebris fuit hæreſis *Agnoëtarum*, Agnoëtæ. exorta labente Seculo, Conſtantinopoli, ubi agebat profugus Alexandriâ Theodoſius *Corrupticola*, de quo dictum modò eſt; etiam in Ægypto, ubi Themiſtius, Diaconus Alexandrinus, cui præiviſſe olim Themiſtium Philoſophum gratis ait Nicephorus, *Lib.* XVIII. C. L. Fuitque hæreſis, cum reliquis, propago Eutychianæ, ex quâ ut hydrâ quadam, nova identidem Capita renaſcebantur.

Nomen hæreſi fuit à dogmate, quo aſſerebant Chriſtum Hominem, nobis per omnia ſimilem, quædam ſecundùm *Humanitatem* ſimpliciter ignoraſſe, v. gr. diem Judicii, *Marc.* XIII. 32. ſic ubi poſuiſſent Lazari corpus, *Joh.* XI. 34. Itaque quum poſt Incarnationem *unam* tantùm *Naturam*, cum Severo, agnoſcerent Theodoſius, & ὁμόψηφοι, ſequebatur Chriſtum ea penitùs ignoraſſe, etiam quâ *Deum.* Quia autem Corrupticolarum hypotheſi

Digitized by Google

adhærebant, à Theodoſio illo dicti *Theodoſiani*. Alio nomine dicti *Themiſtiani*, à Themiſtio Diacono Alexandrino, à quo diſſenſit hac in parte Timotheus Epiſcopus; quem Themiſtium male confundit Nicephorus, *Hiſt. Lib.* XVIII. C. L. cum Themiſtio Philoſopho Ethnico, ſub Valente Imperatore, Interprete Ariſtotelis. Dicit vocatos quoque κοντοβαβδίτας à loco quodam undè prodierunt. Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, abſurda alia ſequi neceſſe eſt. Rectè Leontius Scholaſticus Byzantinus, Libro de Sectis, *Actione* X. (T. XI. Bibl. Patr.) in quâ de Agnoëtis; *Nos autem dicimus*, οὐ δεῖν πάνυ ἀκριβολογεῖν περὶ τούτων, *non adeò de his ſubtiliter inquirendum*, quod nec fecerat *Synodus* Chalcedonenſis. Agnoëtas confutavit Eulogius Alexandr. apud Photium, *Cod.* CCXXX. p. 882. qui pravum dogma ait primò excitatum à *Monachis* ſive Solitariis *Palæſtinis*. Et Gregorius Romanus, *Epiſt.* XLII. L. VIII. *Ind.* III. ſcribens Eulogio Alex. expendit Agnoëtarum deſumpta ex Scripturis argumenta; *Nemo ſcit diem Judicii, neque Filius*; & de Lazaro, *Ubi poſuiſtis eum?*

Donatiſtæ in Afr. repullulantes.

VI. Repullulabant in Africâ, poſt ejectos Wandalos ſibi adverſos, *Donatiſtæ* Schiſmatici, certe in Numidiâ, *Hæreticis* deinceps à Gregorio & Latinis accenſendi. Undè Epiſcopi ejus factionis, qui in Numidiâ *primi* eſſent *ordinationis* tempore, contendere quoque *primatum*, ſcil. pro Africanæ Eccleſiæ antiquis moribus. Quod ubi reſcivit Gregorius, ſcribit ad univerſos Numidiæ Epiſcopos, ut ipſi quidem ſuas retrò conſuetudines ſervarent, in *Primatibus conſtituendis, cæteriſque Capitulis: At qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum pervenirent, provehi eos ad Primatûs dignitatem, etiam cum ordo Clericorum eos ad eundem locum eveheret*, ſe *modis omnibus prohibere*; quam jam ſibi Romani Epiſc. auctoritatem vendicarunt, Epiſt. LXXI. *Lib.* I. *Ind.* IX. Hinc adversùs Donatiſtas excitavit Gennadium Patricium & Exarcham Africæ, ut videre eſt in Epiſtolâ LXXII. *Lib.* I. Quâ etiam rogat, ut ſi qui deſiderarint, ex Numidiæ Epiſcopis, *ad Apoſtolicam Sedem venire*, id *permittere* dignaretur; quomodò & in Galliis nulli Epiſcopo licuit *Romam* pergere, abſque indultu Regis, ex conceſſis. Ità Donatiſtæ præſumebant *rebaptizare Catholicos*, & eorum *ejicere Sacerdotes Canonicos*, ſeu qui erant in Canone Eccleſiæ, ut conqueritur Gregorius *Lib.* III. Epiſt. XXXII. & XXXV. Noluit tamen Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem uti violentis remediis, ne aliis Primatibus *generaretur ſcandalum*; *optimum* enim *eſſe*, *ut in his quæ foris corrigenda ſunt, prius charitas interna ſervetur*, ut *Epiſt.* III. *Lib.* IV. *Ind.* XIII.

IX. *Contentiones inter Catholicos exortæ, de Quæſtionibus nonnullis.*

Controverſia, de uno ex Trinitate crucifixo.

I. Lites ex litibus, & ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, comprobavit experientia omnium ætatum. Hinc mota quæſtio occaſione illinc Neſtorianorum, hinc Theopaſchitarum, inter illos ipſos qui Chalcedonenſi Synodo adhærebant, & Conſtantinopoli quidem; *An unus de Trinitate, in Carne crucifixus eſſe rectè diceretur?* Affirmabant Monachi Scythæ Conſtantinopolitani, & eorum principes *Leontius* Monachus Vitaliani Ducis affinis, *Petrus Diaconus*, ſcriptor Libri de *Incarnat. & Gratiâ*, & *Johannes Maxentius*: Quemadmodum ſuperiore Seculo Proclus Conſtantinopolit. rectè aſſeruerat, *Epiſt.* ad Armenos, Chriſtum Dominum noſtrum, eundemque Verbum à principio, & apud Deum, *eſſe unum de S. Trinitate*, fatente Baronio hac occaſione, ad Ann. DXIX. *Num.* LXXXIV. Negavit vehementer, poſt Legatos ſuos, poſt Juſtinianum ipſum Epiſt. ad Hormiſdam, datâ A. CCCCCXIX. (qui vocat *vaniloquia feſtinantium novitates introducere in Eccleſiâ, quod neque* IV. *Synodi venerabiles, neque S. Leonis Papæ Epiſtola continere noſcuntur*, ut eſt T. IV. *Concil. col.* 1516.) etiam *Hormiſda* Papa Rom. palàm damnans locutionem hanc, quâ *Chriſtus in carne crucifixus, unus ex Trinitate* dicebatur, ut in *Epiſtolis* Hormiſdæ, *Tomo* IV. Concil. Edit. noviſſimæ. *Tempus* igitur natæ Controverſiæ fuit ſub Juſtino Seniore, circa An. DXIX. *Occaſio* fuit quam diximus; illinc error Neſtorianus, cui dùm ſe Orthodoxi opponunt, rectè tuentur eam phraſim, *Unum de Trinitate fuiſſe incarnatum, ſic crucifixum*, nempè Chriſtum qui eſſet Filius Dei: Hinc verò error Eutychianus, qui eam phraſim, ex *additamento* ad Triſagion Petri Gnaphei (*qui crucifixus eſt pro nobis*) deſumptam, in ſenſum *Theopaſchitarum* detorquere poſſe videbatur. Undè & Maxentius, & Petrus Diaconus, cum ſuis *Eutychianæ* Hæreſi addicti eſſe, quanquàm malè, dicebantur. Mittunt Romam informaturi Hormiſdam *Monachi Scythæ*, delectis quatuor è ſuis, Achille, Johanne, Leontio, & Mauritio; mittunt viciſſim literas Legati Pontificii, & Juſtinianus tum *Vir Clariſſimus*, hortaturi Pontificem ut Monachos procul à ſe & ab Urbe expelleret: Nempe Legati Pontificii, & Dioſcorus unus ex illis, ſententiam ſic retulerant, *Unum de Trinitate crucifixum*; quum tamen illi Monachi diſertè, *crucifixum* vel *paſſum in carne*, illum ipſum quem *Unum de Trinitate* eſſe crederent, *Dei Verbum, unigenitum Filium Patris*, ſecundam in Trinitate *Perſonam*. Ipſe quoque Juſtinianus mox à Vitaliano Duce, quâ hic erat facundiâ & auctoritate, in ſententiam Monachorum Scytharum traductus, alias ad Hormiſdam perferendas per Paulinum R. E. miniſtrum literas ſcribit; poſt & anno ſequente, Vitaliano Conſulatum ingreſſo, novas & fortiores ad eundem Hormiſdam dedit; Legatis interim Monachorum Romæ detentis, uſque ad Legatorum Pontificis adventum, novis etiam ſubmiſſis Petro Diacono, & Johanne Lectore: A quibus Literæ ad Afros ſcriptæ (in Sardiniâ tum exulantes Fidei Orthodoxiæ cauſâ, quos inter Fulgentius Ruſpenſis) cum profeſſione ſuæ fidei, de Incarnat. & Gratiâ, in octo Capita digeſtâ, additâ Cap. VI. ad finem, ſententiâ ſuâ de *Gratiâ* & *Libero Arbitrio*, juxtà ſententiam Auguſtini. Interim dum Romæ expectatur reditus Dioſcori, Legati Hormiſdæ apud Juſtinum Imper. infenſiſſimi Monachis Scythis, hi Româ dilapſi Conſtantinopolim redeunt, A. DXX. animo Hormiſdæ nullis Imperatoris, nec Juſtiniani, aut Legatorum Juſtini perſuaſionibus, in Scytharum ſententiam inflecti valente.

Abuſi verò ſunt Hormiſdæ judicio tùm *Neſtoriani*, in ſpecie eorum ſectatores *Acœmetæ* Monachi, qui animoſiùs in Monachos Scythas inſurrexerunt, & in quos fuit Edictum Juſtiniani; tùm *Origeniſtæ*, negantes *Chriſtum unum fuiſſe de Trinitate*. Hinc diſplicuit illud (Romani quantumvis Pontificis) Hormiſdæ judicium omnibus Orthodoxis; poſt & Juſtiniano Imperatori, promulgato hac de cauſâ Edicto, quod exhibet Baronius, A. DXXXIII. ut & Patribus Concilii Oecumenici V. & Hormiſdæ quoque ſucceſſori Johanni II. Ad quem Acœmetæ Monachi, qui adverſos habebant Juſtinianum & Epiphanium Conſtantinop. miſerant Legatos duos *Cyrum* & *Eulogium*, exploraturos ſententiam Romani Epiſcopi. Hic verò decrevit contrariam aſſertionem illi Anteceſſoris ſui, in *Epiſt.* III. ad Senatores, Conciliorum Tomo IV. *col.* 1751. ubi tria hæc decidit, de quibus per Acœmetas movebatur præpoſterè controverſia: An *Chriſtus unus ex Trinitate* rectè diceretur, ſeu una Perſona de tribus Perſonis S. Trinitatis? *An Deus Chriſtus carne pertulerit*, impaſſibili Deitate? An Maria *verè & propriè Deipara*, ſeu Mater Domini Dei noſtri Chriſti, eſſet appellan-

Hormiſdæ lapſus.

Digitized by Google

landa? Et Concilio Romæ habito A. DXXXII. rem confirmavit. Nam, ut fatetur Baronius ad An. DXXXIII. N. V. rectè colligebant Neſtoriani ex *neceſſariâ conſequentiâ: Si non eſt paſſus unus de Trinitate in Carne, ergò nec natus idem in Carne; ergò nec propriè dici poſſe videbatur*, *Mariam* verè *& propriè eſſe* Dei genitricem.

Baronius notatus.

Undè in varias ſeſe formas vertit cum ſuis Baronius, ut ſententiam Hormiſdæ excuſet, & Papam ab errore liberet, Maxentio autem & Monachis ſenſum Hæreticum & *Eutychianum* impingat, ad An. Chr. DXX. & DXXXIII. Contrà fallere Baronium, & Monachos Scythas Orthodoxos fuiſſe, atque in iis Johannem Maxentium; in *Libello* primùm Conſtantinopoli oblato Legatis Hormiſdæ, dein in *Profeſſione Fidei*, cùm Romæ per Legatos editâ, tum miſſâ ad Afros Epiſcopos in Sardiniâ exulantes, (ut ſuprà) conſentiunt cordatiores in Pontificiis, & nuper Henr. Noriſius Purpuratis adſcriptus, in Tractatu de *Hær. Pelag.* L. II. C. XVIII. Hinc commiſſos videmus duos Pontifices, Hormiſdam & Johannem II. hunc prolixè illius ſententiam confutantem, ex *Scripturis* utriuſque Teſt. ex *Symbolo Nicæno*, ex *Auguſtino*, ex *Gregorio Nazianzeno*, ex *Nyſſeno*, ex *Proclo*, &c. in dictâ *Epiſt.* datâ ad Senatores Avienum, Liberium, alios. Nec effugium opportunius Baronio eſt, quàm converſam fuiſſe Diſputationis aleam, & Hormiſdæ rem fuiſſe adversùs ſubdolos *Eutychianos*, quales fuiſſe contendit (cum Margarino de la Bigne, & aliis) Monachos Scythas: Quanvis disertè faterentur in *Libellis* ſcriptis, & in Profeſſione Fidei ad Africanos miſſâ, Libro de *Incarnat. & Gratiâ*, Chriſtum Dominum *in duabus Naturis, unitis & inconfuſis*, perfectum eundem in *Divinitate*, perfectum eundem in *Humanitate*, *verum Deum & verum Hominem*, &c. At Johanni (ità Baron.) mutato ſcilicet certamine, rem fuiſſe adversùs *Neſtorianos*, Acœmetas ſcilicet Monachos, qui à Juſtiniano ſcriptis ad Johannem Literis, *Cod.* de S. Trin. *lege* VIII. urgebantur, *tanquàm malè & Judaicè ſecundùm Neſtorii perfidiam* ſentientes. Interim eadem ſemper quæſtio fuit, & manſit, & quam probaverat contrà Hormiſdam Juſtinianus, eandem confirmat ſententiam Johannes. Excipiunt etiam Infallibilitatis Pontificiæ aſſertores, aſſertionem quâ *Unus de Trinitate diceretur in Carne paſſus*, non damnaſſe Hormiſdam in Scythis illis Monachis ut *hæreticam*; ſed improbaſſe *novitatem verborum*, *quæ quamvis in rectum potuiſſent deduci ſenſum*, *ex multis tamen cauſis*, *verbis illis haud neceſſariis abſtinendum* judicaſſe, habuiſſeque modò fallaciæ Eutychianæ ſuſpectam, ad An. DXXXIII. N. IV. & paſſim. Quum tamen *Scythas* illos fuiſſe tenaces Synodi Chalcedonenſis, minimè Eutychianos, conſtat ex editis in Eutychianam hæreſim à Johanne Maxentio Scriptis, laudatis Photio quoad *ſtylum* & *materiam*, Cod. XCV. & ex Libro quem communi nomine ſcripſêre *ad Fulgentium cæteroſque Catholicos*, ſcilicet *de Incarnatione & Gratiâ*, quem laudarunt ab Orthodoxâ fide Fulgentius & Afri: Nec ſuſtinuiſſe eos aliud, quàm quod Juſtinianus, quod Johannes II. quod pridem Nicæni, & Patres, Acta docent, & Epiſtolæ inſertæ *Tomo* IV. *Concil.* in ſpecie Epiſtolæ Juſtiniani ad Hormiſdam, & Johannis II. illa ad Senatores, de quâ modo. Ac de his prolixiſſimè in noſtris Johannes Forbeſius, *Inſtructionum* Hiſtorico-Theolog. *Lib.* III. C. XXI. ut alios mittam; in Pontificiis nuper Natalis Alex. Dominicanus, in Vindiciis recoctis Monachorum Scytharum, *Sec.* VI. *Diſſert.* II. ubi contrà Baronium diſputat.

An perſona Chriſti compoſita?

II. Hinc nata quæſtio altera de *Chriſti Perſonâ*, rectène *compoſita* ea diceretur, nempè ex Deitate & Humanitate, unitis illis, nec tamen confuſis? Affirmantem defenderunt dicti Monachi Scythæ, & Johannes Maxentius, in laudatis modò Scriptis; poſt Patres Antiochenos A. CCLXX. Ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ Θεότητος οὐρανίου, καὶ ἀνθρωπείας σαρκός. Idem deinceps Græci Patres, Cyrillus Alexandr. & alii: Et ſic Monachi illi in Libro de Incarnat. & Gratiâ, *Cap.* III. *Hinc etiam à Sanctis Patribus, adunatione ex Divinitate & Humanitate, Chriſtus Dominus* compoſitus *prædicatur.* Ac tandem Synodus V. Oecumenica, hoc Ævo habita, Anathemate IV. in *Collat.* VIII. T. V. *col.* 570. *Unitionem Dei Verbi ad Carnem* factam κατὰ σύνθεσιν *ſecundùm compoſitionem*, ὅπερ ἐστὶ καθ' ὑπόστασιν, *quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam.* Undè promiſcuè dixerunt, ἕνωσιν κατὰ σύνθεσιν, & ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, rejectâ ſic Eutychianâ Naturarum confuſione, & Neſtorianâ ὑποστάσεων ſeu Perſonarum pluralitate. Neſtorius enim non negabat unitionem *Dei* & *Hominis*, verum is negabat unitionem *Deitatis* & *Humanitatis* in unâ hypoſtaſi, ſive perſonâ; undè placuit Græcis vox illa συνθέσεως *compoſitionis.* Vide de his fuſiùs & ex profeſſò diſſertantem Forbeſium noſtrum, *Inſtructionum* L. III. C. XXI. & XXV. nec actum agimus.

De die Paſchali Controverſ.

III. Sic nata vel renata potiùs quæſtio, *de die celebrandi Paſchatis*, quæ olim Eccleſias Aſianas à Romanâ diſtraxerat. Nempè Scoti quidem ſive Hiberni, ex Inſulâ ſuâ in Britanniam delati, ſub extrema Juſtiniani, A. DLXIII. aliis ſub initia Juſtini Junioris A. DLXV. duce Columbâ Monacho, cui adjuncti Commilitones ut ferunt XII. ſedem fixerunt in exiguâ Inſulâ *Hy* dictâ, quam *Jonam* appellarunt, quod Hebræis *Columbam* ſignificat, à novo illo incolâ. Ubi ſtructo Monaſterio quod celeberrimum evaſit, & inter omnia principatum tenuit, ſub Abbate *Presbytero*, cui ipſi ſuberant *Epiſcopi ordine inuſitato*, ex Bedæ Hiſtoriâ *Lib.* III. C. IV. indè perrexerunt prædicando in eam Britanniæ partem in quâ Septentrionales *Picti*, & *Caledonii*, hodiè Scoti: Apud quos tum manſit conſuetudo inolita celebrandi *Paſcha* more Judaico, ſeu à XIV. Lunâ, ad XX. juxtà Cyclum annorum LXXXIV. & juxtà Anatolium Alexandr. de quo Euſebius in Hiſtoriâ, & Chronico ad A. CCLXXIX. hinc Beda de Rat. Temp. C. IV. & quo uſos eſſe Judæos tempore Chriſti Servatoris, obſervavit Epiphanius *Hær.* LI. Alogorum. Eundem morem obſervabant *Britones*, agentes in *Cambriæ* partibus, quæ Romanis Britannia *Secunda*, deinceps *Wallia* dicta fuit ab Anglo-Saxonibus, *Wales*, *Britwales*, *Cornwales*, quo nomine *exteros* & *peregrinos* voluêre: Ubi Eccleſiæ & Epiſcopatus Caerlegionenſis, Landavienſis, Menevienſis (quæ evaſit Britonum Sedes Metropolitica) Herefordenſis, Banchorenſis vel Bangor. &c. Simulac verò miſſus eſt in Angliam Auguſtinus Monachus, quaſi traditiones Romanæ de Ritibus, aut de die Paſchatis, ad eſſentiam Chriſtianæ fidei pertinerent, urſit celebrari *Paſcha* more Romanæ Eccleſiæ, ipſâ die Reſurrectionis, ſeu Dominicâ quæ ſequeretur Lunam XIV. juxtà Eccleſiaſticos Canones: Sed quos ignorabant hæ Gentes, nullo ſchiſmatico ſpiritu actæ, imò *longè ultra Orbem poſitæ*; quibus *nemo Synodalia decreta porrexerat*, *tantùm ea quæ in Propheticis*, *Evangelicis*, *& Apoſtolicis literis diſcere potuerant*, *pietatis & caſtitatis opera diligenter obſervantes*, ut Beda L. III. C. IV. Sed quicquid urgerent Româ ſubmiſſi, & Auguſtinus Monachus, vocatis à Rege in colloquium proximis Britonibus, etiam *miraculo* comprobante miſſionem ſuam Auguſtino, ſic Beda *Hiſt.* L. II. C. II. fruſtrà fuêre: Uti Synodo habitâ in Wigornienſi Prov. ad quam convenêre *ſeptem* Britannorum Epiſcopi, & *Abbas* Cœnob. Banchorenſis, *Scotorum* etiam & *Pictorum* multitudo, (alii Anno DXCIX. alii DCI. alii DCII. vel. DCIII. de quo Spelmannus, p. 106. 107.) manſêre Britanni cum Scotis, Pictis, in vetere ſuâ obſervantiâ, celebrandi ſcilicet

Pa-

Paſchalem feſtivitatem, more Aſiano non Romano: Inprimis obſervatâ Auguſtini ſuperbiâ, *ſedentis in ſellâ* quum advenirent Britannorum Epiſcopi; undè colligebant iſti, *eum Chriſti jugum nec portare ipſum, nec ſibi portandum offerre*, (qui dixit, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*) imò *non eſſe à Deo, nec ſermonem ejus curandum*. Quibus auditis, Auguſtinus ille prodito jam tùm ingenio Monachali, ad minas & imprecationes converſus fuit: Quæ mox effectum habuêre, in ſtragibus editis ab Edilfrido Northumbrenſium Rege; qui inſtigatus à Monachis Româ ſubmiſſis, ipſis certè conſciis & impulſoribus, imò præſente Auguſtino, quicquid taceat Beda à Monachis interpolatus, (non profectò conſcio Gregorio I. cujus monitis non inſiſtebant) internecione delevit Monachos Bangorienſes, circiter MCC. Quum aleret illud Monaſterium MMC. fratres, manibus ſuis victum quærentes. Exciſurus & reliquos, niſi ſurrexiſſent tres Britannorum Duces, qui Northumbriæ Regem, innocentium cruore madefactum, cum immiti exercitu ſtravêre, cæſis ultrà X. millia, reliquis cum vulnerato Rege in fugam actis. Hæc ex fide dignis Scriptoribus, & antiquis Mss. Spelmannus, *Concil. Brit.* p. 106. 110. quem vide, & plura de his *Sec. ſeq.* Ac duratura fuit hæc de Paſchali die contentio, ad ſequens Seculum, quando Rex Nordanhumbrorum Oſwi, circà A. DCLXIV. habitâ hac de re diſputatione inter *Colmanum* Epiſcopum Scotorum, & *Wilfridum* Occidentalium Saxonum Presbyterum, tandem Oſwi Rex à Scotis diſceſſit; quod adversùs eos ſtare Petrum Apoſtolum intelligeret, cui datæ ſunt Claves Regni Cœlorum; de quâ re Seculo VII. Manſerunt nihilominùs *Scoti* in priſtinâ ſuâ conſuetudine, & *Hyenſes* quoque Monachi, uſque ad A. DCCXVI. Quando ab Egberto Presbytero, ex Hyberniâ ad Hyenſes Monachos profecto, hi tandem ad ritum Canonicum celebrandi Paſcha inducti fuêre, annis circiter CL. à condito Hyenſi Monaſterio.

An mortui anathematizandi?

IV. Sic nata in Eccleſiâ infauſto omine controverſia: *An aliquis poſt mortem ſit damnandus, vel anathematizandus?* Nempè occaſione *Theodori* Mopſveſteni pridem mortui, in Concilio tamen Oecumenico V. ſub Juſtiniano Imperatore anathematizati; ſimul cum Origene Adamantio, Apollinario, Neſtorio, Origeniſtis, quales Euagrius, Didymus, ac Defenſoribus eorum quæ *impiè ſcripſerant* Theodorus, Theodoretus contrà Cyrill. & Ibas Epiſtolâ ad Marim, &c. *Collat.* VIII. *Tomo* V. *Conc. col.* 568. *& ſeq.* Et Orientalibus quidem in hoc reſtitit ipſe *Vigilius* Papa, negans *mortuos anathematizandos*; ut negarunt multæ per Occidentem Eccleſiæ, & in ſpecie Epiſcopi Afri, Illyriciani, Dalmatæ, ut fuſe Facundus Hermian. pro Defenſione Trium Capitul. inprimis *Lib.* IX. Eſſe nempè iſtud *contrà morem Eccleſiæ*, damnari poſt mortem Epiſcopos, nunquam in vitâ ſuâ culpatos; eſſe contrà charitatem, dùm *quieſcentium buſta refodiuntur*, & *oſſa conroduntur mortuorum*; eſſe ſuprà facultatem hominis, nec ipſis *Apoſtolis* aut *Eccleſiæ* conceſſum fuiſſe, *ligare mortuos*, aut damnationem inferre, uti nec *ſolvere mortuos*, aut veniam dare; ſolius eſſe *Judicis vivorum & mortuorum*, judicare eos qui honoratè defuncti eſſent; ſic *excuſandos* eſſe *homines*, in pace Eccleſiæ defunctos, ut *accuſentur errores*; & rejici poſſe eorum *dicta*, ſi quæ eſſent fidei adverſa, non *auctores dictorum jam mortuos præcipiti condemnatione damnari*, ut Pontianus Epiſc. ad Juſtinianum ſcribit, T. V. *Conc. col.* 324. Baronius ad A. DLIII. *Num.* CLXXXV. dicit, *aſſertionem illam Vigilii de mortuis non damnandis, haud ità generaliter uſu receptam*. Jure enim *damnare poſt mortem conſueviſſe Sanctam Eccleſiam*, etiam mortuum in pace Eccleſiæ, *ſi abſque calumniâ conſtiterit, eum* Hæreſim *aliquam ſcriptis ſuis acerrimè reliquiſſe defenſam*; quam nempè *Eccleſia* ejus temporis, partium ſtudio, aut affectibus præpedita, *Hæreſim* eſſe decrevit, ut factum in damnatione Trium Capitulorum. Et diſſimile longè exemplum fuit, quod pro mortuis damnandis allatum, *Joſiæ* nempè Regis, mortuorum *Idololatrarum* oſſa & cineres comburentis, juxtà Dei mandatum, 2. *Reg.* XXIII. 16. Interim Vigilius, occupando Pontificatui, & expellendo Sylverio (editâ in gratiam Theodoræ Confeſſione ſuæ fidei, & ſcripto ad Mennam Conſtantinopolit. contrà Tria Capitula, *Judicato*, de quo poſteà) olim ipſemet *anathematizarat Theodorum, & Theodoretum, & omnes qui eorum ſtatuta colerent; hinc ab ipſa Hæreſi afflictus, nec coronatus*; apud Liberatum in Breviario, *Cap.* XXII. quod editum Tom. V. Concil. *col.* 776. Nec effugium aliud Baronio, Binio, & ſuis, quàm affingi iſtam *Epiſt.* Vigilio, quam profert Liberatus; idque variis *ſuſpicionibus* injectis, nullo in contrarium teſte aut documento, conficere nituntur. Et quicquid Conſtitutum poſteà ſcripſerit, adversùs Synodum V. ejuſque Geſta, illud poſteà *retractaſſe* vel abrogaſſe, in gratiam Juſtiniani; & alio Conſtituto, *Tria Capitula anathematizaſſe, & condemnaſſe*, ſcil. *impium Theodorum*, &c. contendunt ex Decretali Epiſtolâ Vigilii, ad Eutychium & ad Synodum, pro confirmatione Synodi Quintæ, Petrus de Marca, Henr. Noriſius, Steph. Baluzius, in Supplem. Concil. p. 1551. quæ deſiderata antè fuerit in *Actis Latinis*: Quâ de re poſteà.

X. *Concilia hoc Seculo celebrata. Hiſtoria Oecumenici* V. *ſub Juſtiniano.*

Fuiſſe Synodum V. habitam ſub Juſtiniano, Oecumenicam.

I. UT *particularia* hâc Ætate Concilia propemodùm fuêre innumera, ſic *Oecumenicum* unum, ordine V. Quod demùm diu poſteà pro tali habitum fuiſſe, poſtquàm aſſenſus Vigilii Papæ acceſſit, fingit de ſuo Baronius, nullo omninò teſte, ad Ann. Chr. DLIII. *Num.* CCXXIV. & poſt eum Binius, Perronius, Petrus de Marca, reliqui. Quum tamen Patriarchæ omnes eò vocati fuerint, ac ipſe Romanus; quum Vigilius ipſe petiiſſet *Synodum Oecumenicam*, ſed in *Italiâ* vel *Siciliâ*; ageretur que non de III. Capitulis tantùm, aut erroribus Origenis, ſed de confirmandis prioribus Oecumenicis, damnandis Acephalis, & pace Orbi Chriſtiano, tùm diſſenſionibus agitato, reddendâ. Nec Papæ illum aſſenſum, ut Synodus *Oecumenica* haberetur, Græci expectavêre. Quin habitum hoc Concilium fuit *Univerſale* à Pelagio II. Gregorio I. nihil obſtante Vigilii *Conſtituto* adverſus idem Concilium; quod non viſum fuiſſe Pelagio, nec Gregorio, gratis affirmat Petrus Halloixius. Sed Vigilium retractaſſe prius Conſtitutum, & Synodum approbaſſe, atque ità pro *univerſali* habitam, recentiores volunt, quâ de approbatione infrà. De quâ Synodo *Quintâ*, hæc ſtrictim obſervanda veniunt:

Locus & tempus.

II. *Locus*, nempè Urbs Regia Conſtantinopolis, hinc Conſtantinopolitanum II. Vigilio Papâ fruſtrà in aliquo loco *Occidentis*, ut in *Siciliâ*, (ubi plenum Papis imperium fuit) congregari Synodum geſtiente, ad quam ab Afris & Occidentalibus commeari faciliùs poſſet, & quorum ſuffragiis juvaretur. Et pridem Romani Epiſcopi, impatienter tulerunt Synodos Oecumenicas in *Oriente* celebrari, extrà limites Imperii ſui. *Tempus* verò, ſecundùm alios Annus Chr. DLI. veriùs Annus DLIII. Juſtiniani Imperat. anno XXVII. poſt Conſulat. Baſilii XII. Romano Epiſcopo *Vigilio*, Conſtantinopolitano autem *Eutychio*, antè Monacho & Presbytero Amaſeno, Mennæ autem ſucceſſore ab A. expirante DLII.

Occaſio non una fuit, ex Liberato, Euagrio, Cyrillo in Vitâ S. Sabæ, ex Epiſtolâ Juſtiniani quæ legitur initio Actorum Concilii, & ex hujus Colla-

Digitized by Google

lationibus. Primò quidem repullulantes paſſim & turbantes *Origeniſtæ*, cumprimis in Palæſtinâ: Auctoribus præcipuè Monachis quibuſdam Novæ Lauræ, poſt mortem Sabæ, damnatis hoc nomine & expulſis tandem ab *Euſtochio*, ſuffecto in Epiſcopatum Hieroſolymitanum, de quo Cyrillus Scyth. in Vitâ Sabæ, p. 374. 375. & Nicephorus *Lib.* XVII. C. XXVII. Nempe hi, ducibus Leontio & Nonno, (qui in Novam Lauram, extra quam ab Agapeto ejecti, & poſt iſtius Hegumeni mortem rursùs recepti fuerant, teſte eodem Cyrillo, p. 274. 275. Edit. Cotel.) clàm ſpargebant quæ pridem in Origene damnata: *Animas pridem conditas, antè conjunctionem cum Corpore, ob peccata in illud detrudi; Cælum, Solem, Lunam, Sidera, animâ & ratione prædita; Corpora non eadem reſurrectura, quæ nunc circumgerimus; Pœnis Dæmonum & damnatorum fore aliquando finem, beneficio mortis Chriſti*, &c. His mox fautores acceſſêre, poſt *Sabæ* Abbatis mortem, Domitianus Ancyranus, Petrus Alexandrin. Succenſis in Ægypto Monaſt. præfectus, ac præ cæteris *Theodorus* ex Monacho Novæ Lauræ *Cæſarienſis* Cappadociæ Epiſcopus, Acephalorum eo tempore & Origeniſtarum fautor, ac familiaris cumprimis Juſtiniano. Hinc res ad Imperatorem, faciente Euſtochio Hieroſolymitano, per Monachos *Palæſtinos*, quos inter eminebant Conon Præfectus Lauræ S. Sabæ, & Rufus Abbas Monaſterii S. Theodoſii, (de quibus tamen nihil Liberatus) delata eſt A. DLI. apud Euagrium *Lib.* IV. C. XXXVIII. A quo, ut antè Acephali, ſic & Origenis δυσσεβῆ καὶ ἀνόσια δόγματα, benè longâ *Epiſtolâ* miſſâ ad Mennam Conſtantinop. Patriarcham, hinc & reliquos Patriarchas, damnabantur tanquàm quæ *Paganorum*, & *Arianorum* & *Manichæorum*, impia dogmata peperiſſet, additis Excerptis ex Operibus Origenis; quam habes Concil. Tomo v. *col.* 635. & ſequentib. & cujus Epiſtolæ meminit Liberatus *Breviarii* C. XXIII. Et palam eſt hanc unam poſteà fuiſſe ex cauſis indictæ Synodi, errores nempè *Origenis*, adoptatos olim ab *Euagrio* Pontico, qui coævus Hieronymo, & à *Didymo* Alexandr. qui fuit præceptor ejuſdem Hieronymi; inprimis de προϋπάρξει *præexiſtentiâ* animarum, & ἀποκαταστάσει reſtitutione in priſtinum ſtatum, cùm Dæmonum tùm nefariorum hominum. Quos errores tum quidem propugnabant *Theodorus* Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus, magnâ apud Juſtinianum gratiâ & auctoritate, ac *Domitianus* Ancyranus, Nonni Origeniſtæ aſſecla: Cujus rei teſtes ſunt *Acta* Synodi v. VI. VII. Liberati Breviarium, Victor Tunonenſis, Cyrillus Scythopolitan. Euagrius Scholaſticus, *Chronicon* Alexandr. Theophanes Chronographus, ſi qui alii.

Controverſia de Tribus Capitulis.

Occaſio altera indicendæ Synodi, fuit controverſia de *Tribus Capitulis* Concilii Chalced. ſubdolè per *Theodorum Cæſarienſem* Juſtiniano commendata, ut à cauſâ Origeniſticâ Imperat. & Synodum ad aliam traduceret, teſte Euagrio L. IV. C. XXXVIII. Simulque, ut *Acephalis* gratificaretur, dùm eorum Capitulorum damnatione indirectè quidem Synodus *Chalcedonenſis* peteretur. Acceſſit æmulatio in *Pelagium* Diaconum, & Apocriſiarium, Romanæ Sedis, cui multum deferre Imperatorem ægrè ferebat: adhæc vindictæ ſtudium, quando hic potiſſimus auctor fuerat *Edicti* Juſtinianæi, contrà Origeniſtas: In quos & *Theodorus Mopſveſtenus* multa olim Opuſcula ediderat, hinc inviſa Origenis fautoribus ejus memoria; cujus tamen Theodori cum laude meminiſſet Concil. Chalcedonenſe, & Ibæ Epiſtola Synodi judicio Orthodoxa. Res ità habuit, ex eodem Liberato, *Cap.* XXIV. præter Euagrium, & cæteros. Neſtoriani quidam, diſperſis Scriptis *Theodori* Mopſveſteni, προγόνε Neſtorii, & *Theodoreti* anathematiſmis in Cyrillum, & *Ibæ* Edeſſeni Epiſtolâ ad Marim (in quâ Theodorus ille laudaretur, ut *Prædicator veritatis & Doctor Eccleſiæ*, culparetur Cyrillus tanquàm *qui incidiſſet in dogma Apollinarii*) negabant ea Scripta fuiſſe Synodo Chalcedonenſi damnata; occultè ſic Neſtorianiſmo patrocinati. Contrà *Theodorus* Cappadox, ſub nomine Catholico Theodoræ Aug. ſtudens, & clàm patrocinatus cum ſuis Sectæ Acephalorum, ſuggerere per Theodoram ac perſuadere Juſtiniano; quod ſi modò damnarentur Scripta illa *Theodori*, *Theodoreti*, *Ibæ*, acceſſuri eſſent Synodo Chalcedonenſi omnes Acephali, & ità confectum hoc bellum fore, quod vehementer cupiebat Imperator.

Edictum Juſtiniani.

III. Hinc Imperatori, hac ſpe freto de reducendis Acephalis, expreſſum Edictum contrà iſtorum Scripta, dicta Τρία Κεφάλαια *Tria Capitula Concilii Chalcedonenſ.* Ann. DXLVI. alii DXLVIII. alii denique DLI. inſertum Tomo v. Concilior. *col.* 683. Edictum fuit, longa & orthodoxa Fidei Exegeſis, cum refutatione Hæreſium quæ adverſarentur Fidei Catholicæ; Πρόγραμμα ἤτοι διδασκαλία καὶ ἔκθεσις ἀκριβής, περὶ τῆς ἀμωμήτε καὶ ὀρθοδόξε πίστεως. Additis in fine tribus diſtinctis anathematiſmis; quibus *Theodori* Mopſveſtiæ Epiſcopi, aſſerta & ſcripta, *Theodoreti* XII. in Cyrillum Capitula, tanquam contrà veram fidem & Synodum Epheſinam pariter ſcripta, tandem *Ibæ* Edeſſeni Epiſtola, eodem ſtigmate notata, ut impia & blaſphema damnantur ac devoventur. Quod Edictum præceſſit examen & ſententiam quintæ Synodi. Rectè verò in illo Juſtinianus, ut exhibent Acta Conciliorum, in Additamentis ad v. Synodum, Ed. Labbeanæ, p. 711. *Oportet illud attendere, eos qui veritatem perſcrutantur, quod forſitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: Nemo autem attendit ea quæ per partem à quibuſdam dicuntur, ſed ſola illa quæ ab omnibus communi conſenſu definiuntur*; non ergò penes *unum* aliquem, ſed penes *unitatem*, eſſe tutiſſimam definitionem. Sed verò, ut ad ſubſcribendum plerique Orientalium, partim minis, partim promiſſis inducti; ità tergiverſari primò Mennas, ſi fides Facundo, reluctari Stephanus Vigilii Apocriſiarius, & in Afris cumprimis Facundus Hermianenſis, ac Pontianus Epiſcopus, acriter Tria Capitula defendere: Cujus Facundi *pro Tribus Capitulis Defenſionem*, *Libris* XII. comprehenſam, inviſam Romanæ Eccleſiæ, hinc diu obſcuratam, tandem ex Codicibus Vaticanis edidit Jac. Sirmondus, An. 1629.

Oppoſitiones.

Rationes *contrà Edictum* Juſtiniani militantes præcipuæ erant: Profectum illud ab *Acephalis* eſſe, & adverſariis Concilii Chalcedonenſis, prænotato Imperatoris titulo; Injurium illud eſſe prædictæ Synodo, à quâ Theodoretus & Ibas fuiſſent in communionem recepti; Retractaſſe hos, ſi quid diverſum ſenſiſſent ab Orthodoxâ Fide, nec adfuiſſe pertinaciam; Theodorum Mopſveſtenum falsò Neſtorianiſmi, aliarumque Hæreſium fuiſſe poſtulatum; Patres non paucos eadem cum ipſo ſcripſiſſe, Athanaſium, Amphilochium, Gregorium, Chryſoſtomum, &c. Non etiam damnatum illum à Chalcedonenſibus fuiſſe; nec peccaſſe Ibam, niſi quod Theodorum ſuâ Epiſtolâ laudaſſet, ac de Cyrillo malè ſuſpicatus eſſet; De fide præterea & iſtum, & Theodoretum quoque, adversùs Neſtorium & Eutychem, rectè ſenſiſſe ſcripſiſſeque; Inhumanum quoque eſſe damnare *poſt mortem* Viros in Eccleſiæ pace defunctos, & qui accuſationes nec audire poſſent, nec diluere, ut pluribus ſuprà. Adeatur omnium inſtar Facundus pro Defenſione Trium Capit. *Libris* XII.

Rationes pro Edicto.

Contrà Græci *pro Edicto* adferre: Tria Capitula ad Synodum Chalcedonenſem non ſpectare, quæ jam finita fuit, antequam illa nominarentur; hinc

Digitized by Google

ſalvâ Synodi reverentiâ damnari ea Capitula poſſe: De his primùm agi cœptum poſt eandem Synodum, uti quoque Leo Romanus de illis nullam ſententiam tuliſſet: Neſtorianam iis Capitulis Hæreſim damnari, cujus ſe Magiſtrum Theodorus Mopſveſt. patronos & vindices probaſſent Theodoretus & Ibas, ſuis Scriptis: Sic pacem Eccleſiis futuram, reductis eâ damnatione Acephalis; ut illi quidem.

Vigilii Romani hiſtoria. Ut ſe geſſerit in cauſa Trium Capitul.

IV. Intereà *Vigilius*, qui ſimulatâ apud Theodoram Hæreſi Eutychianâ, & Simoniacâ arte (non negante Baronio) Pontificatum invaſerat ab Anno DXXXVIII. expulſo Sylverio, ac fame tandem enecto, An. DXL. negabat tum quoque ſubſcriptionem. Undè Conſtantinopolim à Juſtiniano accitus, poſt aliquam in Siciliâ moram, ubi Synodum indici præoptabat, tandem in Regiam urbem appulit, Anno DXLVII. VIII. Kalendas *Februarias*. Hîc primò damnatores *Trium Capitulorum* communione ſuâ prohibere, & ipſum Mennam Patriarcham, quod Epiſcopos plurimos ad ſubſignandum Imperatoris Edictum compuliſſet; Quanquam communioni Mennam reſtituit, conciliante Theodorâ, *Junio* menſe ejuſdem Anni, ut Theophanes ad A. Juſtinian. XX. Cyclo *Sol.* XXIV. *Lun.* XVI. Mox Anno ſequente DXLVIII. mutatâ derepente ſententiâ, Theodoræ Aug. & Mennæ blandis vocibus illectus, ac nomine Vigilii in Eccleſiaſticis tabulis *primo gradu* (quem antè obtinuerat Mennas) poſito, ut idem Theophanes, *Judicatum* ſcripſit ad Mennam Patriarch. In quo Judicato Vigilius jam Tria illa Capitula damnavit, additâ clauſulâ, *ſalvâ in omnibus reverentiâ Synodi Chalcedonenſis.* Vigilio acceſſêre tùm Ruſticus & Sebaſtianus, Diaconi Romani, qui tunc præſentes aderant; ſed deinde mutatâ ſententiâ acerrimè in illud invecti, tanquàm *adverſum Synodi Chalcedonenſis definitioni*: Undè tandem à Vigilio excommunicati, latâ ſententiâ, A. DL. in quâ acerbiſſimè in eoſdem invectus, *auctoritate B. Petri, cujus Dominus voluiſſet ſibi vice ſervire, pro ſuprà dictis exceſſibus, alienos à Diaconi honore eſſe decernit*, &c. Additâ & ſententiâ *depoſitionis* in varios, inter quos Felix Monachus Afer, *quos conſtaret eorum conſpirationis & conjurationis eſſe participes*, ut pluribus in Epiſt. Vigilii inſcriptâ Ruſtico & Sebaſtiano, *Tomo* v. Concil. Collat. VII. *col.* 550. & ſeq. Tum in Vigilium infremuêre *Illyriciani* Antiſtites, Synodo congregatâ, poſt Conſul. Baſilii IX. damnato *Benenato* Juſtinianæ primæ Epiſcopo, in Dardaniâ Europæâ, qui ad Juſtinianum accedens Tria Capitula damnaverat. Inprimis Africani Patres A. DL. Reparato Carthaginenſi Antiſtite, cum *Judicatum* rejicere, tùm *Vigilium* anathemati ſubjicere. Ità ferè Occidentalis omnis Eccleſia, cenſentibus cunctis illo Judicato adverſari Vigilium Chalcedonenſi Synodo, & prodidiſſe cauſam Acephalis. Sed & indignari Juſtinianus, ſaltem ſecundùm quoſdam, ob additam Judicato eam quam diximus Clauſulam, *ſalvâ reverentiâ Chalcedonenſis Synodi*, quæ ſane minimè placeret Acephalis. Vigilius autem pari anathematis pœnæ ſubjecerat detractores omnes Judicati, ut videre eſt in ſententiâ contrà Ruſticum & Sebaſtianum latâ, de quâ modò dictum: Tum datis quaquaverſum literis, in ſpecie *Aureliano Arelatenſi* Epiſcopo, (quem *primatem Eccleſiarum Galliæ* vocat ipſe Juſtinianus, & quem *Apoſtolicæ Sedis per nos Vicarium* dicit in eâ Epiſt. Vigilius, inſertâ T. v. *Concil.* Collat. VII. *col.* 558.) hanc à ſe invidiam oppugnatæ Chalcedonenſis Synodi amoliri conatus eſt. Undè & à Juſtiniano impetravit, ut *Judicatum* ſibi à Mennâ reſtitueretur, atque ità è Græcorum manibus publicè in Conventu illud extorſit; faciliùs ſic poſtea regreſſurus ad Latinos, & in priorem ſententiam conceſſurus, quâ Tria Capitula approbarat. Intereà iſte *Græcis Epiſcopis* interdicere omnem de his Capitulis diſceptationem, *uſque ad univerſalis Concilii tractatum*, niſi *à Communione Sedis Apoſtolicæ alieni exiſtere* vellent; ex Epiſt. Italorum ad Francorum Legatos, datâ Ann. DLII. *Concil.* T. v. *col.* 408.

Quæ Synodum proximè anteceſſerint.

V. Porrò univerſalem Synodum proximè anteceſſerant, 1. Concilium *Mopſveſtiæ* habitum in Ciliciâ (non profectò univerſale ut quidam) *P. C. Baſilii* IX. id eſt, Anno DL. jubente Juſtiniano, ut inquireretur, an & quando *Theodori* Mopſveſteni nomen è Sacris Diptychis eſſet expunctum? Id eſt, è Membranis, in quibus nomina *Epiſcoporum*, diſtinctâ à reliquis nominibus paginâ, ſcripta eſſent; aliàs Sacri Libri, βιβλία, ex paucis paginis conſtantia, & in ſummâ veneratione in Eccleſiis Orientalium habita. Inſertum eſt id Concilium Actis Synodi v. *Actione* v. *col.* 492. Summa fuit, nullum hunc Theodorum in Sacris Mopſveſtiæ Diptychis, ut neque *Macedonium* Mopſveſtiæ olim Epiſc. nominatum deprehendi: Qui olim inter *Olympium* & *Thomam* legebatur, etiam jam mortuus, in pace utique Eccleſiæ; ſed qui deinceps expunctus videretur, poſtquàm Cyrillus eum *parentem Neſtorianæ doctrinæ* ſcripſit, & Theodori nomen inviſum eſſe cœpit. Hinc Synodus certiorem fecit Juſtinianum per literas, pridem ejectum fuiſſe nomen *Theodori* illius, *è Sacris Eccleſiæ Diptychis, & loco illius* Cyrilli Alexandr. nomen inſcriptum. 2. *Edictum* à Juſtiniano promulgatum, impulſore Theodoro Cappadoce, in quo confirmatis IV. Synodis Oecumen. damnat Tria Capitula, prolixè inſtitutâ Diſputatione contra illorum Defenſores; quod illud ipſum Edictum eſſe quod Baronius & alii recitant ad A. DXLVI. (& de quo jam ſuprà hoc Capite, *Num.* III.) Noriſius & alii contendunt. Cui ſic contradictum à Vigilio eſt; *Quicunque Edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ Sedis Communione ſuſpenſum*, ut *Concil.* T. v. *col.* 408. 3. Hinc indignatio Juſtiniani in Vigilium, recipere ſe coactum in Eccleſiam S. Petri & Pauli Apoſtol. *ad Hormiſdam*. Dehinc clàm Conſtantinopoli recedere, peſſimè habitus à Juſtiniano, & à militibus obſervatus, ſeceſſurus *Chalcedonem*, apud D. Euphemiæ Domicilium: Donec ad inſtantiam Juſtiniani, A. DLII. reverſus Byzantium, mitigatis animis, tandem ad Concilium univerſale res ſpectarit, inchoatum IV. Non. Majas, An. DLIII. Paulo poſtquàm *Eutychius*, mortuo Mennâ, in Patriarcham Conſtantinopolit. eſſet electus, miſſâ pro more Fidei ſuæ profeſſione ad Vigilium, in Feſto Θεοφανιῶν, A. DLIII.

Convocator Juſtinianus.

VI. *Convocatio* Concilii facta per Juſtinianum Imperatorem, ut Euagrius diſertè *Lib.* IV. C. XXXVII. & teſtatur Sacra Juſtiniani, poſita initio Concilii; *In nomine Domini Dei noſtri J. Chriſti, Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus*, &c. In quâ Imperator, 1. Hoc ſemper in more poſitum fuiſſe Imperatoribus; qui eum præceſſerant, pro tempore exortas Hæreſes, per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, &c. allegatis exemplis *Conſtantini*, *Theodoſii Senioris*, *Junioris*, *Marciani*, & *Leonis* Auguſti. 2. Cauſam memorat hujus convocatæ Synodi, exortas turbas & Schiſmata ex Hæreſibus Neſtorii & Eutychis; in ſpecie fuiſſe, qui indirectè illas Hæreſes tueri tentarent, per Scripta Theodori Mopſv. per Epiſtolam Ibæ, & per redargutiones Theodoreti adverſus S. Cyrillum Alexandr. quæ dicta *Tria Capitula*. 3. Se quidem ea Scripta vel Capitula condemnaſſe; verùm quia facta ea condemnatio extrà Synodum, ideò convocaſſe Epiſcopos in Urbem Regiam, ut communi conſenſu ſuper dictis *Capitulis* ſententiam ſuam ederent. 4. Vigilium ipſum Conſtantinopolim delatum, voce & ſcriptis eadem damnaſſe; deinde rogatum ut cum aliis Epiſco-

pis conveniret, quid de prædictis Capitulis ſtatuendum; reſpondiſſe, ſe per ſe ipſum quid ſentiret expoſiturum. 5. Profitetur ſe ſervare & defendere, quæ à Sanctis *quatuor Conciliis* expoſita & definita eſſent; & ſequi *Sanctos Patres & Doctores* Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Gregorium Theologum, &c. 6. Quando Hæretici volentes vindicare impietatem *Neſtorii*, illam ex Scriptis *Theodori* Mopſveſt. *Theodoreti*, & Epiſtolâ *Ibæ*, tanquam probatis in Concilio Chalcedonenſi, ſuſcitare denuò conarentur; opus eſſe hæc Scripta impia examinare, & perpendere, annon liceret *Hæreticos* poſt mortem condemnare. In quâ Epiſtolâ Juſtinianus, Patres non modò ad Synodum vocat, ſed etiam agendi ordinem, formam, materiam præſcribit, *Concil.* T. v. col. 419.

Deinde lectâ Epiſtolâ *Eutychii* Conſtantinop. ad Vigilium Papam, quâ eum ut *præſideret Synodo*, fraternè & amicè invitabat, finiendæ Controverſiæ de Tribus Capitulis: Vigilius ad iteratas invitationes, non clarè ſatis reſpondit, ſed ſe Collationem cum unitis Fratribus habiturum, *facto regulari Conventu*, *ſervatâ æquitate*, *mediis S. S. Euangeliis*, &c. Hinc miſſi à Concilio qui non tantùm ad *communem tractatum* invitarent, ſub communi Domino, communi Spiritu, in unâ communione Sanctorum, etiam uno Epiſcopatu, *cujus à ſingulis in ſolidum pars teneretur*, ut pridem Cyprianus; ſed etiam qui præſidium Papæ offerrent, tres ſcil. Patriarchæ, cum XVIII. Epiſcopis. Sed tergiverſari Vigilius, & *ſe propter corporis infirmitatem, non poſſe inpræſentiarum huic petitioni ſatisfacere*, poſtridiè autem ſe mentem ſuam declaraturum, *oportere igitur præſentem differre diem*. Quo condicto die, iidem Vigilium rursùs adeunt, à quo reſponſum tulere; ſe *non poſſe unà convenire, eo quod plurimi ibi eſſent Orientalium, pauci verò Occidentales: In Scriptis verò ſe paratum per ſeipſum ſententiam offerre piiſſimo D. Imperatori.* Et iterùm inſiſtente, per multos ex Patriciis ad Vigilium miſſos, Imperatore, neceſſe eſſe ut cùm ipſe Vigilius, tùm reliqui convocati ad Synodum, ſententiam Synodicè dicerent, permanſit in propoſito Vigilius. Hinc & intereſſe Synodo, abſente Papâ, detrectavit Primaſius Byzacenæ Prov. Epiſcopus, & Illyriciani Epiſcopi, abſente Archiepiſcopo ſuo Benenato: Et ita *duæ* Collationes tranſactæ, ut videre eſt in Actis Concilii, T. v. *Collat.* I. & II. Convenerunt autem Apollinaris *Alexandrinus*, Domnus *Antiochenus*, Euſtochius *Hieroſolymitanus* qui per Legatos interfuit, præſente ac moderante Conſeſſum Eutychio *Conſtantinopolitano*. Et à *tertiâ* Collatione ad *ſeptimam*, Tria Capitula ſigillatim examinant, & Canonicè damnant: *Septimâ*, Vigilii quaſdam Epiſtolas legunt, & Actis inſerunt: *Octavâ* denique, ſententiam ferunt contrà Hæreſes Arii, Eunomii, Macedonii, Apollinarii, Neſtorii, Eutychetis, & *Origenis*; in ſpecie anathematizant, Dogmata & Scripta *impii Theodori Mopſveſteni*, item *Theodoreti*, & *Epiſtolam Ibæ ad Marim Perſam Hæreticum*.

Baronius notatus. Fallunt in plurimis Baronius, Binius, Vallius, &c. Qui primò *auctoritate* Vigilii indictam Synodum vellent, *hortatu* tantùm Imperatoris. Imò auctoritate Principis, Vigilii ad ſummum accedente conſenſu; licet eo veriùs *repugnante* habitam eam Synodum eſſe (cui nec intereſſe voluit, *nec per ſe, nec per Legatos*) fateantur doctiſſimi in Pontificiis, & nuper admodùm Joh. Cabaſſutius Presbyter in *Notitiâ Concil.* p. 267. ut Richerium, Launoium, alioſque notiſſimos taceam. Undè Euagrius, L. IV. C. XXXVIII. μεταπέμπεται Σύνοδον Ἰȣςινιανός. Nicephorus, *Lib.* XVII. C. XXVII. Ἰȣςινιανὸς τὴν ἁγίαν πέμπτην Οἰκȣμενικὴν ἤθροισε Σύνοδον. Et ſic Epiſtola Juſtiniani ad Patres, de quâ antè, *Collat.* I. in quâ etiam ſe *mandaſſe* Vigilio, *ut unà cum omnibus conveniret*. Quamvis igitur abfuerit, eâ quâ diximus ratione, à Concilio Vigilius, non tamen eo minùs coactum legitimè fuit, nihil in contrarium obtendente Vigilio; nec eo minùs *Oecumenicum* haberi deſiit, nec robore ſuo hoc ipſo deſtitutum fuit. Uti Conſtantinopolitanum I. indictum fuerat inconſulto imò repugnante Damaſo, ut pluribus nos *Secul.* IV. *col.* 902. Ità Chalcedonenſis ſanctio *Can.* XXVIII. vigorem ſuum habuit, certè in Græcâ & Orientali Eccleſiâ, licet decreta abſentibus imò repugnantibus Legatis Leonis, de quâ ad *Sec.* V. *col.* 1014. 1015. Neque ſufficiens ratio abſentiæ fuit, quod inter *exteros* & *Orientales* verſaretur Vigilius: Non igitur ſe *Caput* univerſalis Eccleſiæ cenſuit; & urgebant Legati ad Vigilium, etiam præſto eſſe plures ex *Italiâ*, *Africâ*, *Illyrico*; & præſidium illi, ac debitum honorem, & libertatem ſententiam dicendi, integram reſervarunt.

Præſes. VII. *Præſes* igitur Concilii (in quo ſubſcripſêre Epiſcopi CLXV. & in iis præſentes *tres* Patriarchæ) fuit, non profectò *Vigilius* in Urbe præſens, qui Concilio reſtitit, ac non modò noluit συνεδρεύειν, ut Nicephorus L. VII. C. XXVII. ſed nec προεδρεύειν *præſidere*, tanquam Epiſcopus *veteris Romæ*: Non Vigilii fortè Legati, qui nulli adfuêre: Sed Eutychius, *Patriarcha Regiæ Conſtantinopolis Novæ Romæ*, Mennæ ſucceſſor. Hinc Vigilius ſcribens ad Patres Synodi *Collat.* I. utitur hac inſcriptione *Dilectiſſimo fratri Eutychio, & Epiſcopis ſub te conſtitutis*, id eſt, ſub ejus præſidio, nec enim aliàs *ſuberant* Conſtantinopolitano vel Alexandrinus, vel Antiochenus, aut Hieroſolymit. Patriarchæ. Et viciſſim Eutychius, in *Epiſt.* ad Vigilium, in quâ (non ſubjectionis ergò, ut nugatur Baronius, ſed pro more Patriarcharum, ſtatim ab ἐνθρονισμῷ ſuo, ipſius etiam Romani, ſtatim à ſuâ electione) *fidei* ſuæ *Confeſſionem* edidit, inſertam *Collationi* I. Vigilium vocat ſuum συλλειτȣργὸν *Conſacerdotem*, ſeque inſcribit, *Divinâ miſericordiâ Epiſcopum Conſtantinopolis Novæ Romæ*.

Acta præcipua. VIII. *Acta* hujus Concilii præcipua, ut ex dictis modò liquet, fuêre: 1. Confirmata fides quatuor Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani I. Epheſini I. & Chalcedonenſis. 2. Anathematizatus & damnatus Theodorus Mopſveſtenus, poſt lectum ejus Symbolum, ut *blaſphemiarum* eructator. 3. Damnata etiam *ut impia* Scripta Theodoreti, addictioris quondam partibus Neſtorii; & Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, ut *Neſtoriana*. 4. Anathematizati præterea *Origenes* cum ſuis, Canone Synodi XI. cum *Ario*, *Eunomio*, *Macedonio*, &c. Et teſtis eſt Euagrius *Lib.* IV. C. XXXVIII. *Miſſa igitur* ἀναφορὰ *relatio à prædictâ Synodo ad Juſtinianum, poſt acclamationes* (ἐκβοήσεις) *contrà Origenem & ejus ſectatores*, &c. Ac Cyrillus Scythopolit. editus à Cotelerio, in vitâ Sabæ, p. 374. *Synodo Conſtantinopoli coactâ*, κοινῷ καὶ καθολικῷ ἀναθέματι *ſubjacuère Origenes, & Theodorus Mopſveſtenus, cum iis quæ de* præexiſtentiâ, *&* reſtitutione, *dicta fuerunt ab Euagrio, Didymo.* Uti damnata fuêre pluribus *anathematiſmis* Scripta Origenis, ejuſque errores, ab Imp. Juſtiniano, Epiſtolâ benè longâ ad Mennam, inſertâ *Concil.* T. v. *col.* 635. Dein literis ad Synodum v. ſcriptis, *de Origene & ſectatoribus ejus*, ut ibidem *col.* 679. Et Theodorus Cappadox *Collat.* V. jam *Origenem poſt mortem anathematizatum*, ab ipſo *Vigilio Papâ*: Ac confirmarunt Synodus VI. ſub Agathone *Actione* XVII. & in Edicto Fidei, *Act.* VIII. item Synodus VII. quæ Nicæna II. habita ab Adriano pro Oecumenicâ, *Actione* VII. *Origenis, Euagrii, Didymi, fabuloſitates anathematizamus, quemadmodùm Synodus Conſtantinopolit.* quinta *numero, docuit.* Tamen Henr. Valeſius, *Notis* ad Euagrium, *Lib.* IV. C. XXXVIII. negat *Origenis* cauſam in hac

Digitized by Google

Synodo fuiſſe diſceptatam, ſed in priori Synodo Conſtantinopol. A. DXXXVIII. cujus Acta huic Synodo v. ſubjungi ſolita fuerint: Nam *Theodorum* Cæſar. Origeniſtam, primas tenuiſſe partes in Synodo v. Oecumenicâ, nec ibi damnatum. Sed conjecturam opponit Valeſius teſtium ſupradictorum fidei. Id ſolùm ex Valeſii ratiociniis evincitur, præceſſiſſe in eâ Synodo damnationem Origenis, quam (ut potuit) ſuppreſſit ille *Theodorus* Cæſarienſis Cappadox, connivente Eutychio, qui toti in damnationem Trium Capitulorum intenti. Formula autem damnationis extat in *Collatione* VIII. Concilii, ubi ſententia Synodi, & anathematiſmi XIV. *Concil.* Tomo v. *col.* 562.

Conſecuta Synodum.

IX. *Conſecuta* verò hoc Concilium fuêre: Primò acerrimæ oppoſitiones factæ per Vigilium Papam Romanum, ut durante Concilio, ſic eo finito.

Vigilii inconſtantia.

Et qui antè, ſcripto *Judicato*, damnaverat Tria Capitula; jam ſcripto *Conſtituto*, quod exhibetur inter Epiſtolas Vigilii, *Conc.* T. v. *col.* 337. miſſoque eo ad Juſtinianum, eadem reipſâ defendit; aliter decerni interdicit; mortuos in pace Eccleſiæ anathematizandos negat; prolixè ex Vaticano Ms. *Conſtitutum* deſcribente Baronio, ad A. DLIII. Utrum verò hoc Vigilii Conſtitutum acceptum fuerit à Juſtiniano ante finitam Synodum, utrum communicatum Patribus Concilii (quod cenſet Baronius) qui Collat. VI. rationes Vigilii pro Ibæ Epiſtolâ diſcuſſerint, Romæ ambigunt, & Noriſius de *Synodo* v. *Cap.* VII. Negat autem Petrus de Marca, *Diſſertat.* de Epiſtolâ Vigilii *pag.* 16. & cenſet, Juſtinianum ſuggeſſiſſe Synodo, Vigilium anteà mentem ſuam ſatis explicaſſe, nempe tùm vivâ voce, tùm ſcripto *Judicato* ad Mennam. Undè in propatulo eſt error Euagrii *Lib.* IV. C. XXXV. item Synodi VI. *Actione* XVII. etiam Photii, Nicephori, &c. referentium *conſenſiſſe* Synodo Vigilium per *literas*, ſeu iis quæ in Synodo geſta, vel συμφωνήσαντα τῷ Ιυςινιανῷ. Intelligentes *Conſtitutum* Vigilii, in quo ſanè Theodori Mopſveſteni errores damnavit, ejus tamen nomini & perſonæ pepercit. Mox in exilium ire juſſus Vigilius, ſi fides in ejus *Vitâ* apud Anaſtaſium, probante Baronio ad A. DLIII. *Num.* CCXXII. CCXXIII. negantibus verò aliis qui favent ſubſcriptioni Synodi à Vigilio factæ: Cujus tamen exilii pertæſus, rurſùm Conſtitutum ſuum retractat, Synodum approbat, Tria Capitula cum Juſtiniano damnat, & Auguſtini ſua *retractantis* exemplo ſe tuetur; ſicque levitatis, perfidiæ, & (judicio plerorumque tunc Latinorum, Afrorumque) eâ damnatione Trium Capitulor. *hæreſeôs* ſe crimine obſtringit. Baronio hæret aqua, dubio an Synodus v. pro *Oecumenicâ* indè habita ſit, quod licet illi Vigilii conſenſus aliquando defuiſſet, *ipſius tamen poſteà, vel ſucceſſoris Pelagii, & aliorum qui poſt ipſum præfuerunt Pontificum, Apoſtolicæ Sedis aſſenſu ipſa non caruit*, ut ille ad A. DCLIII. N. CCXXIV. Porrò *retractatorias* haſce ad Eutychium literas, & confirmatorias v. Synodi, non viſas *Baronio*, ſed nec Petro Halloixio, quem ex profeſſo aggreſſus eſt Henr. Noriſius, in Diſſertation. Hiſtor. primus Græcè in lucem edidit, ex Ms. Bibliothecæ Regiæ, Petrus de Marca, A. MDCXLII. accuſans alicubi *incautam Baronii narrationem, quæ Romanæ Eccleſiæ poteſtatem peſſundabat.* Quam *Vigilii* Epiſtolam probant ſuo calculo, Baluzius, Noriſius, & recentiores, ut evincant v. Synodum reverà *Oecumenicam* fuiſſe, & ut talem à Papâ approbatam. Nempè eâ Epiſtolâ intelligi, Concilii generalis definitionem fuiſſe nullam, ſine confirmatione Romani Pontificis, ſcilicet! Et Epiſtolam hanc Vigilii *auro contrà caram* eſſe, cujus vi (ſic illi) Synodus v. demùm pro *Oecumenicâ* haberi potuerit.

Effugiis occurritur Baronii, & Petri de Marca.

Sed præterquam *Epiſtolam* iſtam Vigilii haud pauca ſuſpectam νοθότεως reddunt, quam *Acta* Latinâ, vetuſtiſſima ſanè, nullam habuêre, non idcircò rem expediunt Papæ gnathones. *Primò* Vigilium à levitate nemo excuſet, qui primò *Judicato* ſuo Capitula damnarat; dein *Edicto* Juſtiniani, contra eadem Capitula, reſtitit; poſt *Conſtitutum* ſuperiùs, adversùs Synodi v. geſta, ſcripſit; poſteà mutatâ ſententiâ, Synodum approbavit, ac Tria Capitula, *Theodorum Mopſveſten. nihilo minùs Theodoreti ſcripta, & Ibæ Epiſtolam, damnavit & anathematizavit*, factâ *retractatione*, in quâ ſe tuetur exemplo Auguſtini. Et faſſus hanc inconſtantis animi levitatem prolixè nuper, Henricus de Noris Veronenſis, hodie Purpuratis adſcriptus, Diſſertatione Hiſtoricâ *de* v. *Synodo*, editâ A. MDCLXXVII. *Cap.* VIII. in quâ Baronium, Halloixium, cæteroſque egregiè perſtringit: *Fuit Vigilius Pontificiæ auctoritatis, uſque ad Principis contemptum, tenaciſſimus aſſertor. Animi inconſtantia, mutandæque ſententiæ facilitas, vitio eidem vertitur; nam in causâ Trium Capitulorum varius, atque à ſemet ipſo diverſus, non ſemel apparuit.* Ac ridicula ſunt effugia Baronii, ad A. DXLVII. ac deinceps Petri de Marca, in Diſſertat. de Epiſtolâ Vigilii, & de Concordiâ Sacerdot. & Imperii, L. III. C. XIII. egiſſe Vigilium *prudenter, patientiâ uſum, diſſimulaſſe, toleraſſe, corripuiſſe, annuiſſe*, &c. modóque egiſſe *ſummo jure*, improbando damnationem Capitulorum; modò *remiſſo*, eadem damnando κατ' οἰκονομίαν. Nec Machiavelliſtica ratio Statûs laudari in Pontifice potuit apertiùs, quem ne ſic quidem ab errore theoretico & practico, abſolvunt.

Synodus v. rejecta à quibus?

Secundò, quicquid conſenſerit in damnationem Capitulorum Vigilius, non eo acceſſêre Vigilio, ut nec Juſtiniano, *Afrorum* Epiſcopi; non *Illyriciani*, nec Occidentales reliqui per *Italiam, Galliam, Hiſpaniam*: Imò mox erupit in nervum duraturum Schiſma *Aquilejenſium*, & Epiſc. *Hiſtriæ, Venetiarum, Liguriæ, Inſubriæ*; Paulino Aquilejenſi incentore, & Honorato Mediolanenſi, etiam dudùm mortuo Vigilio, ac ſedente Pelagio I. Quo nequicquàm reluctante, in Synodum iſti coëunt, & contra Synodum v. decernunt, Anno ut Baronius DLIII. at alii & Noriſius DLVII. Malè Paulus Diaconus, L. VI. de Geſtis Longobard. C. XIII. XIV. celebratam ſub Tiberio. Oppoſiturâ ſe & *Theodelindâ* Longobardorum Reginâ, uxore Agilulphi Regis, qui in Urbem Romam expeditionem ſuſcepit A. DXCV. ſedente Gregorio: Nec moleſtus hoc nomine fuit Theodelindæ Gregorius, neque *Schiſma* interpretatus eſt. Nam Synodum v. diſceſſiſſe illi cenſebant à Synodo Chalcedonenſi; Tria Capitula cauſabantur fuiſſe longo uſu recepta; denique non ferebant innoxios Epiſcopos, pridem *vitâ functos, anathematizari.* Et duravit iſtud Aquilejenſium Schiſma uſque ad tempora Sergii I. centum quinquaginta & ampliùs annis. *Tertiò*, à Baronio & ſuis diſcedens Petrus Halloixius, Jeſuita, in *Apologiâ* pro Origene, *Lib.* IV. *quæſt.* X. perſtat in v. Synodo improbandâ; quam probaſſe tandem ferunt Vigilium, ipſe autem probaſſe pernegat, ſed *ſuſtinuiſſe fortiter exilium annos aliquot*, donec aliâ de cauſâ ab exilio revocatus ſit, populo repoſcente Vigilium, poſtquam Narſes, Totilâ occiſo, Romam victor ingreſſus eſt.

Pugna inter Adverſarios.

Sed verò probarunt omninò Pelagius I. Johannes III. Benedictus I. Pelagius II. Gregorius I. imò Synodi *Sexta, & Septima*, ut viſum. Addit verò Halloixius, *Sextam Synodum in errorem tractam à Quintâ, & poſt ſe traxiſſe Septimam*, §. XVII. Et Pontificum illa, quæ feruntur, explicat de *tolerantiâ* tantùm v. Synodi, non de *approbatione*; planè contrà fidem Hiſtoriæ, & Epiſtolas Pontificum, ac in ſpecie Gregorii M. Libro III. *Ep.* II. IV. XXXVII. &c. Ut & contrà *Confeſſionem* Fidei, miſſam à Gregorio ad Conſtantinopolitanum, de quâ jam ſuprà, *col.* 1064. uti Romanus Epiſcopus vel Patriarcha, æquè ac

cæ-

Digitized by Google

cæteri Patriarchæ, ſtatim ab electione, tenebatur mittere Profeſſionem ſuæ Fidei ad reliquos, ut viciſſim ab aliis accipiebat, vel ex Gregorii Epiſt. LIII. *Lib.* VII. *Quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antiſtites ordinantur Synodales ſibi Epiſtolas invicem mittunt*, &c. Vide & Sirmondum, in *Notis* ad Facundum, ad calcem; qui tamen errat in eo, quod Vigilium dicat *aliquot poſt annos* (nempe ab exilio ſuo, & ab Anno DLIII.) *Narſetis Comitis operâ revocatum*, poſtquam *quinquennio* exulaſſet, A. DLVIII. Nam Totilam occiſum eſſe Anno illo ipſo DLIII. & Narſetem eodem A. Romam ingreſſum, Vigilium A. DLIV. Romam redire permiſſum, ut proſpiceretur novæ regiminis formæ; ſed in itinere & in *Siciliâ* quidem calculi doloribus extinctum, ut Anaſtaſius, poſt Conſulat. Baſilii A. XIII. *Decembri* menſe; ex Auctario Marcellini, Sigonio, Onuphrio, Holſtenio, probat Noriſius, de Synodo V. *Cap.* VIII. Baronius vult mortuum Vigilium demùm A. DLV. poſt Conſulat. Baſilii XIV.

Baronii incauta levitas, & blaſphemæ voces.

Nec prætermittenda etiam hoc loco Baronii abjecta ſervitus, inconſtantia, & *incauta narratio* de Vigilio, ut rectè ſuprà Petrus de Marca, ſed & quandoque blaſphema. Siquidem agens de electione Vigilii in Pontificem, ad A. DXXXVIII. declamat in eundem Vigilium, *Num.* XI. XII. XVIII. XIX. XX. tanquàm *in ſedem Petri violenter intruſum*; *qui Simoniacam labem contraxiſſet*, &c. ut eſt ſuprà obſervatum. Imò ut Liberatus Diaconus refert in Breviario Hiſtorico, C. XXII. qui (fatente in hac cauſâ Baronio ad Ann. DXL. *Num.* II.) *cum his temporibus ſcripſerit*, *firmiorem ſibi vendicat fidem*; fuit ille ipſe Vigilius, cauſa mortis (*martyrium* vocat Baronius) Sylverii anteceſſoris ſui: Veritus enim ne Sylverius in Sedem reſtitueretur, ut à Juſtiniano mandatum Beliſario fuerat, ſcripſit ad hunc Vigilius; *Trade mihi Sylverium*, *alioqui non poſſum facere quod à me exigis*, (id eſt, *ſponſiones* Simoniacas *implere*) & *ità Sylverius traditus eſt duobus Vigilii defenſoribus*, *& ſervis ejus*. *Qui in Palmariam Inſulam adductus*, *ſub eorum cuſtodiâ defecit inediâ*. Hæc Liberatus, fidus eorum temporum teſtis, judice ipſo Baronio. Sed mox, mutatâ velificatione, ſtatim à morte Sylverii per Vigilium ſublati, ad A. DXL. N. XIII. & aliàs, inducit Annalium Scriptor Vigilium, ut mutatum *momento temporis*, *ex Saule in Prophetam*, *ex hoſte in Defenſorem*, *ex perſecutore in Prædicatorem*, *ex blaſphemo in Confeſſorem*, *ex perfido in Fidelem*. Dein, quæſito tot Vigilii artibus, levitatibus, actitatis, imò flagitiis colore, ubique inducit ut Sanctiſſimum Pontificem, ac penè Confeſſorem, quia à Juſtiniano aliquando malè habitum: *In cujus perſonâ conſideret Petrus*, *in Petro Chriſtus*; *tanto potentiorem Prophetis effectum*, *quanto differentius præ illis Nomen hæreditavit*; *non jam hominem tantum*, *ſed* Chriſtum *ipſum*, *Deum & Hominem*, *cum Homine in Sede Petri ſedentem*, &c. ad A. DLII. N. IX. X. XI. Mirare pudorem Purpurati, & quid non Roma mendax audeat in Hiſtoriâ, quorum etiam pudet cordatos omnes & ingenuos in grege ipſo Pontificio. Et hæc ad Synodum V. eo prolixiùs, quo ejus hiſtoria contradictionibus Scriptorum perplexior, confuſior, cauſæ etiam Pontificiæ infeſtior, illius certè, quæ ad Vigilium Pontif. attinet, infamiam magis prodens.

Concilia particularia.

Concilia μερικὰ, oppoſitè ad Oecumenica, hoc Ævo innumera habita fuêre, eaque ſeu *Nationalia*, ſeu *Provincialia*, in cauſâ vel Hæreſeôn, vel Schiſmatum, vel Fidei, vel inprimis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Pleraque rursùm *Catholica*, ſcil. à Catholicis Synodi Chalcedonenſis aſſertoribus habita, quædam etiam in *Conciliabulis* & Pſeudo-Synodis cenſîta.

Pſeudo-Synodus Sidonienſis.

In his fuit ex. gr. quæ ſub Anaſtaſio Imperatore fertur Synodus *Sidonienſis*, Phœniciæ maritimæ, habita An. DXII. contrà Flavianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum Orthodoxos, & Concilii Chalcedonenſis defenſores, juſſu Anaſtaſii Acephalorum fautoris, de quâ Marcellinus Comes in *Chron.* Paulo & Muciano, iſto Orientis illo Occidentis, Conſulib. Quanquam *Heliam*, ſed coactum, rejeciſſe Synodum Chalcedonenſem, referant Theodorus Lector, & Theophanes, qualiter & de *Macedonio* Conſtantinopolit. nempè quia Henoticum Zenonis ſuſceperunt. Turbarum harum omnium in Oriente auctores erant *Monachi* Eutychiani, poſt *Severus* Antiochenus, in Flaviani locum ſuffectus.

Nationales Synodi.

In *Nationalibus*, eminet Synodus *Africæ* univerſalis, ad inſtaurandam Diſciplinam, poſt reſtitutas à Juſtiniano Africanas Eccleſias, ſubductas jugo Wandalico, An. DXXXIII. Johanne II. Romano Epiſc. præſidente Reparato Carthagin. A quibus miſſa eſt legatio ad *Juſtinianum* Imp. & Synodica ad *Johannem* Romæ Epiſcopum, Liberato tum Diacono Carthaginenſi, qui cum Petro & Lucio Epiſcopis Romam miſſi, invenerunt *Agapetum* Johannis Succeſſorem. Quâ occaſione à Juſtiniano reddita Eccleſiis Afric. jura & libertates, ut *Nov.* XXXVII. & *Cod.* de Officio Præf. Præt. Africæ, *Lib.* I. T. XXVII. Eminent etiam Synodi *Hiſpanicæ*, Gentis univerſæ Suevorum ſub Ariamiro, ad Catholicam fidem inducto, ab An. DLXI. & Gentis Gotthorum, ſub Reccaredo Rege, convocante Synodum generalem, An. DLXXXIX. quæ Toletana III. ut ſuprà *Cap.* II. hoc Sec. obſervatum eſt. In quâ Toletanâ Synodo, præter confirmationem Symboli Nicæni, Conſtantinopol. quod publicè ab omnibus in Eccleſiis recitari jubetur, *Can.* II. inſuper Articulus de Proceſſ. Spiritûs S. *ex Patre & Filio*, firmatus. *Quicunque Spiritum S. non credit*, *aut non crediderit à Patre & Filio procedere*, *eumque non dixerit coæternum eſſe Patri & Filio*, *& coæqualem*, *anathema ſit*. Collegit Synodos Hiſpanicas Garſias Loayſa, exeunte Seculo ſuperiore, additis Notis, & laudavit Caſparus Scioppius, commendans indè *Nationalium Conciliorum Utilitates*. Addè *Gallicanas* Synodos, hoc Seculo frequentes habitas, in variis Regnis, *Francico*, *Burgundico*, *Gotthico*, à Sirmondo ſtudioſè collectas, omneſque inſertas Conciliorum Edit. noviſſimæ *Tomo* IV. & V. de quibus paſſim ſuprà.

Concilia in Fidei cauſâ. Synodus ſub Mennâ, contrà Acephalos.

Cauſæ Concilior. variæ fuêre. Primò in *Fidei* cauſâ, contrà graſſantes *Hæreſes*. In Oriente quidem, inclyta Synodus *Conſtantinopolitana*, quæ vulgò *ſub Mennâ*, tùm Patriarchâ, paulo poſt obitum Agapeti Romani, Ann. DXXXVI. Juſtiniano imperante. Hic confirmata depoſitio *Anthimi* Eutychiani, ſavore Theodoræ intruſi in Sedem Conſtantinopolit. damnati & *Severus* Antiochenus, *Petrus* Apameenſis, *Zoaras* Presbyter, Acephalorum principes. Nugantur Baronius, Binius, reliqui, Mennam præſediſſe Synodo tanquàm *vicarium Agapeti*, hujus jam quidem fato functi; cujus etiam Legati ex Italiâ adfuêre, quos Conſtantinopolim præmiſerat, ſed nullo horum præſidio: Congregante etiam Mennâ Synodum intrà ſuam Diœceſim, Conſtantinopoli, & extemporaneam illam, vulgò ἐνδημοῦσαν, ex degentibus ſcilicet Conſtantinopoli Epiſcopis, quò in Acephalos querelæ ex Syriâ, Palæſtinâ, & aliundè ab Orthodoxis delatæ fuerant, faciente inprimis Petro Hieroſolym. Patriarchâ, ad quem extat Epiſtola Agapeti, inſerta Actioni I. ejus Concilii. Vide prolixa hujus Synodi Acta, initio Tomi V. Conciliorum Editionis nuperæ. Et de hac Synodo paſſim dictum in ſuperioribus, *Capitibus* VI. & VIII. hujus Ætatis.

Baronius notat.

Contrà Arianos; Priſcillianiſtas.

In Hæreſim *Arianam*, cæteraſque Hæreſes damnatas in Synodis *Oecumenicis quatuor*, habitæ fuêre Synodi in Hiſpaniâ, à converſis ab Arianiſmo Regibus: Quas inter celebris *Toletana* III. ſub Rec-

care-

Digitized by Google

caredo, ubi XXIII. de Fide Capitula, cum totidem Anathematiſmis, An. DLXXXIX. ſeu Æræ Hiſpanicæ DCXXVII. Sic contrà pullulantem in Hiſpaniâ Hæreſim *Priſcilliani* (de quâ ad *Sec.* IV. *col.* 891. 892.) Synodus Bracarenſis II. An. DLXIII. ſub Ariamiro Rege, nuper converſo.

Pelagianos, Maſſilienſes.

In *Pelagianos* de quibus fusè ad ſuperius Sec. ac *Semi-Pelagianos* contendentes Gratiam dari pulſantibus, petentibus, & in Auguſtinum iniquiores, cæterà Orthodoxos, habitæ Synodi plures, ab Afris, Gallis, Britannis, in cauſâ de Gratiâ & Libero Arbitrio. Sic *Afri* in Sardiniâ exules, ſub Wandalico dominatu & Traſemundi perſecutione, Epiſtolam Synodicam ſcribunt contrà Hæreſim Pelagianam, An. DXXI. poſt acceptas literas & Librum de Incarn. & Gratiâ, tranſmiſſum à Petro Diacono & cæteris Monachis Scythis, de quo dictum ſuprà *Cap.* IX. In Galliâ, Synodus *Arauſiaca* II. An. DXXIX. regnante in Italiâ Athalarico, in Galliâ filiis Clodovæi, Bonifacio II. Romæ Epiſcopo, condidit Canones XXV. contrà Hæreſim Fauſti & Maſſilienſium, iis in locis graſſatam, præſide *Cæſario* Arelatenſi: Qui nempè cum Alcimo Viennenſi, Fulgentio Ruſpenſi, Proſpero Aquitanico, Maſſilienſes eruditis Scriptis oppugnavit. Ac paulo antè inter *Britones* Cambriæ, habita Synodus à Davide *Menevienſis* Sedis Metropolitano, (tranſlatâ eò Sede ex urbe Caar-Legionum, unde & S. *Davidis* appellationem meruit) contrà Hæreſim Pelagii, cujus acerrimus iſte profligator fuit, An. DXIX. De quâ Spelmannus in *Conciliis Britann. Tomo* I. p. 61. & *Tomus* V. Concil. Ed. Labb. *col.* 1590.

Synodi in Cauſâ Diſciplinæ.

Pleræque verò Synodi coactæ fuerunt hoc Ævo in cauſâ Eccleſiaſtici *Regiminis*, & *Diſciplinæ*. Decernentes ſcil. de *Ordinationibus* Clericorum; De juribus Romani Epiſcopi in *Illyricianam* Diœceſim, A. DXXX. edente ex Bibliothecâ Barberinâ Lucâ Holſtenio; De *Metropolitanorum* aut *Epiſcoporum* juribus; *Eccleſiarum* reditibus; *Monaſteriis*, *Monachis*, *Monialibus*, *Lapſis*, *Pœnitentibus*, *Mulieribus*, *Viduis*; *Clericali* omni diſciplinâ, & *Gradibus prohibitis*, v. gr. nuptiis cum *cognatâ*, pro inceſtis habitis in Concilio *Lugdunenſi* I. A. DXVII. De quibus, quæ inprimis ad Eccleſiæ Hiſtoriam ſpectant ſuperiùs obſervata ſunt *Capit.* IV. V. VI. nempè de Nævis, & Erroribus hujus Sec. de Regimine Eccleſiæ, tam in Oriente quam in Occidente, deque Eccleſiæ Diſciplinâ, qualis ſtabilita fuit à variis Synodis, hoc Seculo habitis.

Schiſmatum.

Nonnullæ indictæ Occaſione *Schiſmatum*, quæ paſſim nata hoc Seculo. Sic Synodi *Romanæ* habitæ in cauſâ Laurentii & Symmachi, ineunte hoc Seculo; quæ vulgò IV. numerantur, in hac ipſâ cauſâ, & in iis Synodus dicta *Palmaris*, de quibus ſub initium hujus Sec. *Cap.* I. Obſervatione autem dignum eſt, Synodum quæ reſtituit Symmachum, vulgò III. quam excepit *Palmaris*, reſtitutionem efferre in hunc modum; *Quæ cum juſtè offerrentur, Dei mandata complentes, Italiæ ſuum dedimus Rectorem:* Diœceſim Romani Epiſcopi arctantes intrà *Italiam*. Iterùm, ut *in omnibus ſuis Eccleſiis, ad jus ſuæ Sedis pertinentibus, tradat divina myſteria*; non ergò pro *Univerſali* Epiſcopo habuêre, ad quem pertinerent Eccleſiæ totius Orbis, aut etiam totius Occidentis. In quâ & ferunt abrogatam Odoacri legem, ne fieret Pontifex abſque conſenſu *Regis Italiæ*; quod ſanè non patiebantur tempora, nec auctoritas tum Theodorici Regis, & conſtans praxis in electione Pontificum. Sic habita Synodus *Romana*, ſub Bonifacio II. A. DXXXII. quâ reſciſſa electio *Vigilii*, deſignati *Bonifacio* Succeſſoris, facta contrà Canones, vivo Bonifacio, & qui ipſe ſibi Succeſſorem conſtituere non poterat. Ità Synodus *Aquilejenſis*, adverſus V. Synodum congregata, ex Epiſcopis Occidentalibus, A. ut Baron. DLIII. Tria Capitula defenſuris; unde longum Schiſma, uſque ad tempora Sergii Papæ, per annos CL. De quo ſuperiori Lemmate, ubi de *Synodo* V. Oecumenicâ.

Rituum Sacrorum.

In pluribus etiam actum fuit de variis Eccleſiæ *Ritibus*, *Ceremoniis*, novis *ſtatutis* quæ ad Clerum attinerent. Ex. gr. de *Feſtis* majoribus, obſervatione *Dominicæ*, *Vigiliis*, *Quadrageſimâ*, *Oblationibus defunctorum*, *Sepulturæ ritibus*, *Euchariſtiâ mortuis non dandâ*, *ut* hoc ex Concilio Carthaginenſi III. repetitum fuit in Concilio Antiſſiodorenſi, in Burgundionibus, An. DLXXVIII. *Canone* XII. In quâ etiam Synodo *Canon* XXII. ità habet; *Non licet relicta* (ſcil. viduæ) *Presbyteri*, *Diaconi*, *nec Subdiaconi*, *poſt ejus mortem*, *maritum accipere.* Et quæ ſanctiones aliæ, de *Cœlibatu*, vel *Continentiâ* Clericorum, vim inferentes Chriſtianæ libertati. De quibus dictum ubi de Ritibus, Moribus, &c. hujus Sec. *Cap.* IV. V.

Synodi Hiſpanicæ.

Digniſſima ſunt lectione & obſervatione Concilia *Hiſpanica*, Collectionis Garſiæ Loayſæ, Archiepiſcopi Toletani: Qualia hoc Seculo, *Bracarenſe* primum, An. DLXI. Lucretio tum Metropolitano; *Bracarenſe* ſecundum, A. DLXIII. & *Lucenſe* A. DLXIV. in Provinciâ Gallæciæ, utrâque Civitate (quæ hodie *Braga* & *Lugo*) in Metropolim erectâ, ſub Theodomiro Suevorum Rege. Sic Concilium Toletanum III. An. DLXXXIX. in quo luculenta Fidei Confeſſio Gothicæ Gentis, cum Rege ſuo ad fidem Catholicam adductæ, approbatis Conciliis Oecumenicis; dein etiam XXIII. Capitulis cuſis, de omni Eccleſiæ *Diſciplinâ*. De quorum præcipuis jam ſuprà facta mentio eſt.

Gallicanæ quædam præcipuæ.

In *Gallicanis* Conciliis, quæ plurima hoc Seculo à Regibus indicta (in Regnis, Francorum ſub Clodovæo, dein Metenſi vel Auſtraſiæ, Aurelianenſi, Pariſienſi, Sueſſionenſi, Burgundico, Gotthico Galliæ Narbonenſis) præcipua fuêre: Ex. gr. Concilium *Agathenſe*, (Agatha Civ. hodie *Agde*, ad Rhodani oſtia) in inferiore Occitaniâ, ſeu Narbonenſi I. ex Epiſcopis qui parebant Alarico Viſigotthorum Regi, coactum A. DVI. Quod omnium ut antiquiſſimum, ſic celebratiſſimum Canonibus LXXI. (quanquàm multi Codices, obſervante Sirmondo, habeant Canones XLVII. vel XLVIII. & reliqui credantur additi ex Epaonenſi Synodo in Burgundionibus, paucis poſt annis celebratâ) *Cæſario* Arelatenſi ejus Præſide. In his multa quæ ad Epiſcoporum, Presbyterorum, Cleri totius mores, uxores, diſciplinam, ætatem, miniſteria ſingulorum, bona, poſſeſſiones, ſervos, monachos, &c. pertinuêre, pro conditione temporum. Quædam etiam ad Eccleſiæ ritus, ut obſervationem Dominicæ; *unctionem* Altarium; *jejunium* in *quadrageſimâ* & ſabbatho; *pœnitentium* habitum qui fuit, *comas deponere*, *veſtimenta mutare*, *cilicium ſuper caput à Sacerdote* accipere, cum *impoſitione manuum*, ut tamen *Viaticum in morte poſitis non negaretur*; continuandâ ergò pœnitentiâ juxtà vet. Eccleſiæ Canones, negatâ *abſolutione*, donec expleto tempore *dignè reſipuiſſent.* A quo miré receſſit ſequiorum temporum Romana Eccleſia. Multa in his ſalubriter, quædam pro gliſcente ſuperſtitione (de quâ ſuprà *Cap.* IV.) ſtatuta. Tale fuit Concilium *Epaonenſe* Viennenſis Provinciæ, poſt converſionem Sigiſmundi Burgundionum Regis, (*Epao*, *Ebao*, vicus fuit ad Rhodanum quâ influit in Lacum Lemannum, in regione *Vallenſium*, le Bas *Valais* à *Valle* Penninâ) convocante per Epiſt. *tractoriam* Græcis συνοδικὴν (de quibus ſuprà *col.* 880.) Epiſcopos ſuæ Provinciæ, Avito Metropolitano Viennenſi, & Synodi Præſide, A. DXVII. Septembri menſe: In quâ Synodo concepti XL. Canones, multi notandi: V. gr. ne ordinentur Presbyteri vel Diaconi *mariti ſecundæ uxoris*, vel *renuptæ*, undè digami tum ſoli arcebantur; ſic *Pœnitentia* Lapſis, Homicidis, ſecun-

cun-

Digitized by Google

cundùm *Ancyranos* Canones, injunctâ; Sic qui *falſum teſtimonium* Clericus tulerit, *reus* habetur *capitalis criminis*, &c. Dein *Aurelianenſia* plura, variis Canonibus illuſtria, pertinentia ad Eccleſiaſt. Diſciplinam, ad quæ ſunt Notæ Sirmondi, Albaſpinæi, &c. *Arvernenſe* I. in Aquitanicâ An. DXXXV. Theodeberto Rege; cujus ſaluberrimus fuit Canon primus: Ante Cauſas omnes alias, tractanda ea eſſe quæ *ad emendationem vitæ, ad ſeveritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent.* Et Canon ſecundus, *ut ſacrum Pontificii honorem non votis quærant* (vel præmiis) *ſed meritis, nec Divinum videatur munus rebus comparare, ſed moribus*, &c. Adde *Arvernenſe* II. A. DXLIX. in quo iidem ferè Canones qui ſanciti in Concil. *Aurelianenſi* V. mortuo jam Theodeberto Rege, A. eodem. *Arelatenſe* V. An. DLIV. in quo *Monaſteria* Epiſcopis ſubjecta: *Turonenſe* II. in Lugdunenſi III. An. DLXVII. ubi Canones XXVII. pro *reformandâ* Eccleſ. Diſciplinâ: *Matiſconenſe* I. A. DLXXXI. & II. quod poſterius Generale dicitur, A. DLXXXV. evocante Guntramno Burgundiæ Rege, in quibus varii Canones decreti, facientes ad Cleri & Eccleſiæ univerſæ Diſciplinam: Sed faſtum Clericalem eorum temporum, probat v. gr. *Canon* VIII. quo interdicitur, ne reos ad Eccleſiam fugientes, *in præſentiâ Sacerdotis*, liceat *ſubtrahere* è loco ſacro, quod eſſet *religionis oblivisci. Sed tales permanere debeant indemnati, culpa tamen eorum, ſi aliquo facto teneantur obnoxii, coràm ſacerdote innoteſcat*, &c. Sic *Canon* XV. quo ſtatuit Synodus, ut *ſi quis Secularium quempiam Clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, uſque ad inferiorem gradum honoris veneranter illi colla ſubdat; Et ſiquidem ille Secularis equo vehitur, Clericuſque ſimiliter, Secularis galerum de capite auferat*, &c. *Si verò Clericus pedes graditur, & Secularis equo vehitur, illicò ad terram deflectat, & debitum honorem prædicto Clerico exhibeat.* Sic anterius Conc. *Autiſſiodorenſe* in Burgundionibus, Gallis *Auxerre*, A. DLXXVIII. cujus extant Canones XLV. quidam contrà Paganas ſuperſtitiones: V. gr. *Can.* I. ne *Kal. Januariis vitulo* vel *vitulâ aut cervolo facerent*, id eſt, patulantiùs diſcurſitarent, aſſumptis *vitula* vel juvencæ, aut *cervi, cervuli*, vel ſimilium pecudum formis, pellibus aut capitibus beſtiarum, quibus ſic transformarent ut homines eſſe non viderentur. Sic *Can.* IV. ne liceret *ad ſortilegos* vel *auguria reſpicere, non ad Caragios ire*, vel *Charagios*, alii *carajos*, aut ſorticularios; qui nempe *characteribus* magicis, ſortilegiis, præcantatorum divinationibus, vel maleficiis uterentur; ex quibus reliquias Paganiſmi intelligas. Sic iiſdem Canonibus interdictum, v. gr. *mulſum* in Altari offerre ad *ſacrificium*, præter *vinum aquâ mixtum*, more veterum: Sic *mortuis Euchariſtiam dare, vel mortuos in Baptiſterio ſepelire*, Canone VIII. XLI. XIV. &c. Hoc Concilium eo dignius obſervatu, quod unus Epiſcopus *Aunacharius*, reliqui *Abbates* & *Presbyteri*, illud conſtituerint. Hæc ſpeciminis loco; adeantur *Tomi* Concil. IV. & V. Concilia *Galliæ* edita à Jacobo Sirmondo, Tomo I. Tùm quæ ſuperiùs obſervata ſunt, ubi de Regimine Eccleſiaſtico, de Ritibus, Superſtitionibus, Moribus, Diſciplinâ hujus Ætatis, *Cap.* IV. V. VI.

Synodi indictæ Principum auctoritate.

Nec dubium, eâ Ætate convocatas fuiſſe Synodos auctoritate *Principum*: Uti in Oriente per *Cæſares*, ſic Gallicanas per *Clodovæum* & Filios, Burgundicas per *Sigiſmundum*, & Succeſſores, Romanas per *Theodoricum*, Hiſpanicas per eorum temporum *Reges*, &c. ut ex harum Synodorum Collectione luculenter intelligitur. Nempè paſſim profitentur, conveniſſe ſeſe per *Regale præceptum, per ordinationem Glorioſiſſimi Regis*, ejus *evocatione, juſſione, ſalutaribus hortamentis, fervidâ ſollicitudine*, &c.

Baronius notatus.

Nec in Synodis ſub *Francis, Gothis, Burgundis, Britonum* aut *Scotorum* Regibus habitis, ulla unquàm mentio jurium *Romani* Pontificis; quanquàm ſæpè *Nationalibus* illis, aut *Gentis* nuper converſæ ad Catholicam fidem: Quales fuêre Burgundi, Suevi, Gotthi in Hiſpaniâ, colligente horum Concilia Garſiâ Loaysâ Hiſpano & ipſo. Regiæ auctoritatis ubique mentio, & Reges ipſi Synodos ſuâ præſentiâ moderabantur, ac tandem auctoritate firmabant. Unde imponit pro more Baronius, ad An. DLXXIX. N. IX. ubi agens de Synodo Toletanâ III. generali totius Hiſpaniæ, ſub Reccaredo, contendit (ex uno teſtimonio Lucæ Tudenſis) celebratam eam *conſenſu atque auctoritate Pelagii*, in eâque *præfuiſſe Leandrum, legatione functum pro Romano Pontifice.* Addit, *abſque controverſiâ credi* hoc ipſum *debere.* Atqui nulla hujus rei in prolixis Actis mentio, nulla quæſitæ per Reccaredum à Pontifice veniæ, nulla Pelagii, nulla legationis ad Synodum, aut demandati præſidii, aut confirmationis Pontificiæ: Omnia uni Reccaredo adſcripta; & ipſe in *Chronico* Gothico Iſidorus, *Synodum* à Rege *congregatam*, & ab eodem *ſuâ ſubſcriptione firmatam.* Undè in Edicto Regis, in Confirmationem Concilii: *Univerſorum, ſub Regni noſtri poteſtate conſiſtentium, amatores nos ſuos Divina faciens veritas; noſtris principaliter ſenſibus inſpiravit, ut cauſâ inſpirandæ* fidei ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *Epiſcopos omnes Hiſpaniæ noſtro præſentandos Culmini juberemus.* Et quæ ibi ſequuntur. Ità de Conciliis reliquis, & ex uno intellige cætera.

XI. *Scriptores Eccleſiaſtici hoc Seculo celebriores.*

Subjungimus celebres magis Scriptores in Orbe utroque, *Orientali* & *Occidentali*, de quibus prolixâ Criſi, & enumeratis Scriptis, tam editis quàm ineditis, egerunt nuper Labbeus, Oudinus, Cave, Du-Pin, notiſſimis lucubrationibus, poſt illas vetuſtiorum.

I. Exempli gratiâ, in *Oriente* maximè inclaruerunt ſequentes ferè:

Johannes Maxentius.

Johannes Maxentius Monachus, & Presbyter Antiochenus, qui cauſam de Gratiâ contra *Fauſtum*; & alteram Monachorum Scytharum contrà *Hormiſdam* Papam, ipſe & Scytha, luculentiſſimè defendit: Iniquè hoc nomine vapulans Baronio, ad An. Chr. DXX. *Num.* XXIII. hinc Binio *Notis* ad Concilia, & ſimilibus; vindicatus inter alios à Noriſio in *Hiſt. Pelag.* Et quia is de Gratiâ, contrà Maſſilienſes, hinc Poſſevino & aliis *Gallus* creditus, ſed imperitè. Fusè ſuprà de Cauſâ horum Monachorum actum *Cap.* IX. Idem *Neſtorianos* & *Acephalos* acerrimè impugnavit; cujus Libelli ſunt in Biblioth. Patr. T. IV. Ed. 1654.

Procopius.

Procopius Gazæus, profeſſione *Sophiſta* (qui Oratoriam vel Eloquentiam profiteretur) multa in Scripturas Sacras commentatus, ex Veterum præcipuè excerptis, & brevibus Scholiis, eodem tempore florens cum Maxentio. Diffuſus audit Photio *Cod.* CCVI. non verbis, ſed ob diverſitatem ſententiarum & interpretationum, quas, ad eundem locum, ſæpè refert. Vide & *Cod.* CLX. ejuſdem Photii, ac quæ Meurſius edidit.

Theodorus.

Theodorus Byzantius Lector ſeu Anagnoſtes, in Eccleſiâ Conſtantinopolit. florens hoc Sec. inchoato, ad tempora Juſtini Senioris. Celebris Hiſtoriæ Eccleſ. Scriptor, tum quoad Hiſtoriam Tripartitam L. II. comprehenſam ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto; tum inprimis quoad Libros II. adjunctos, quibus Hiſtoriam complexus eſt, indè ab extremis Theodoſii Junioris, ubi reliqui deſierant, ad principatum Juſtini Senioris, A. DXVIII. Cujus operis ſuperſunt *Excerpta*, ſive Collectanea ex Theophane Chronographo & Nicephoro Calliſto; quæ in plurimis emendata & recognita, cum novâ In-

ter-

Digitized by Google

terpretatione, & Notis, edidit Henr. Valeſius A. MDCLXXIII. Additis ad calcem Fragmentis variis Theodori, ex *Actis* Synodorum V. & VII. ex *Suidâ*, & cumprimis *Damaſceno* Libro III. de Imaginibus. Sed purior & plenior habita fuiſſet Hiſtoria, ex ipſis fontibus, quàm ex his rivulis lutulentum fluentibus, præcipuè ex Nicephoro Calliſti, qui integram Hiſtoriam non viderat, ut Valeſius in *Præfat.*

Epiphanius. *Epiphanius* Conſtantinopolit. evectus ad Patriarchatum A. DXX. pacis conciliator inter Hormiſdam & Orientalem Eccleſiam, poſt diutinum Schiſma, ſub Juſtino Seniore, de quâ re ſuprà, *Cap.* VI. Hujus habentur *Epiſtolæ* ſed Latinæ, in *Tomo* IV. Concil. quarum *prima* eſt Synodica, ad Hormiſdam, Ruſtico Conſ. in quâ conſenſum cum Romanâ Eccleſiâ teſtatur, *col.* 1534. 1535.

Jobius. *Jobius* Monachus in Oriente, circà A. DXXX. ævo Juſtiniani clarus, vir θεοσεβής, cujus prolixè meminit Photius *Cod.* CCXXII. Scripſit contrà *Severum* Antiochenum, & περὶ οἰκονομικῆς πραγματείας, de Controverſiis illorum temporum circà Myſterium Incarnationis. Orthodoxus quidem, & à ſtudio ac pietate commendandus Photio; Sed in quæſtiones otioſas & intricatas digrediens, nec reſponſionibus ad objecta pari ſoliditate ſatisfaciens, aut Scripturæ Loca ſatis elucidans, implicans magis quàm explicans; ut ex Photianis Excerptis aſſequi licet.

Juſtinianus Imper. Summa Novell. *Juſtinianus* Imperator, (de quo *Capite* VII. fusè) inter Scriptores Eccleſiaſticos vulgò recenſetur, ipſi Procopio (iniquiſſimo aliàs in Juſtinianum) indefeſſus ſcrutator Scripturarum, L. III. de Bello Gotth. C. XXXII. Cujus ſcriptæ *Novellæ Conſtitutiones*, poſt Annum DXXXV. editæ, unicè ſpectarunt, Fidei Catholicæ aſſerendæ; Hæreſibus profligandis; Schiſmatibus tollendis; Litibus dirimendis; Eccleſiarum εὐταξίᾳ ordinandâ; Officiis & Dignitatibus tam Civilibus quàm Eccleſiaſticis deſcribendis; Diœceſibus ampliandis, minuendis; Ordini & Diſciplinæ inter Patriarchas Metropolitanos, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Officiales, cæteros, ſtabiliendæ; Clericis in Officio dirigendis, juvandis, vel coërcendis; Divortiorum juſtis cauſis determinandis, & honeſti Conjugii legibus renovandis; Monachorum, Monialium, Monaſteriorum regulis firmandis, aut corrigendis: Judæis, Sadducæis, aliiſque adverſariis Chriſtianæ fidei, in ordinem cogendis; Synodorum vel Conciliorum, Ordinationum, Sacramentorum, Agendorum in Eccleſiâ, rationi determinandæ; Ædificiorum Sacrorum, Orphanotrophorum, Bonorum Eccleſiaſt. uſui & adminiſtrationi præſcribendæ; & ſi quæ alia fuêre auctoritate Imperiali ſancienda. Inprimis attentionem merentur *Novella* VI. & CXXIII. de Epiſcopis, Clericis, & Monachis, horumque requiſitis, officio, coërcitione; *Nov.* XXII. CXIX. de Nuptiis, & Divortiis; *Nov.* CXXXI. de Privilegiis Eccleſiarum principum, bonis Eccleſ. legatis ad pias cauſas; *Nov.* CXXXIII. de Monaſteriis tam Virorum quàm Fœminar. *Nov.* CXXXVII. de Ordinationibus, &c. Suprà vidimus *Edicta* à Juſtiniano ſancita, vel *Epiſtolas* ſcriptas, in cauſis Monachorum Scytharum contrà Hormiſdam, Origenis Sectatorum, Trium Capitulorum, quorum cauſâ indixit *Synodum* V. Et quæ alia oſtendunt prudentiam ſapientiamque Principis, & eorum quorum uſus operâ fuit. Hiſtoriam *Juris Civilis*, ex præſcripto Juſtiniani collecti digeſtique in unum Corpus, infrà damus *Cap.* de Memorabilibus.

Zacharias Schol. &c. Minus nota ſunt Scripta *Zachariæ* Scholaſtici, in Oriente verſati Alexandriæ, Beryti, &c. poſteà Mitylenenſis Metropolitæ, auctoris *Dialogi* contrà Æternitatem Mundi; & *Diſputationum* contrà Manichæos: *Arethæ* Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi, qui fertur in *Apocalypſim* ſcripſiſſe: *Eutychii* Amaſeni Monachi, & Apocriſiarii, poſteà Patriarchæ Conſtantinopolit. à quo ſcripta ad Vigilium Papam Epiſtola de *Tribus Capitulis*; etiam Liber de *Reſurrectione Mortuorum*, flammis dein adjudicandus, teſte Gregorio tùm in Oriente agente, in *Moralib.* Lib. XIV. C. XXIX.

Cyrillus Palæſtinus Scythopolitanus, profeſſione Monachus, cooptatus in Monaſterium S. Lauræ, clarus poſt medium Sec. Scripſit Vitas Monachorum quorundam, ut *Euthymii* Solitarii, ſic dicti prophetice ἀπὸ τῆς εὐθυμίας, ſub initia Theodoſii M. Deinde qui LX. annos in ſolitudine egit, XCIX. anno ætatis exceſſurus è vitâ, Leonis Imperat. anno XVI. ut ſcribit Cyrillus, Græcè Latinè editus à Cotelerio, T. II. Monumentor. Græciæ p. 200. 294. Sic reliquit τὸν βίον *Vitam S. Sabæ*, Codex Lambecii addit πολιτείαν, *Converſationem*, qui fuit Abbas Monaſterii Lauræ Hieroſolymitanæ, natus XVII. Conſulatu Theodoſii, id eſt, A. CCCCXXXIX. denatus anno ætatis XCIV. poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis anno II. id eſt, DXXXII. Poſtquàm in ſolitudine & in Maximâ Laurâ egiſſet an. LIX. hinc Hagiopolita Hieroſ. annos complures antè Cœnobita. De quo miranda refert Cyrillus, Scriptor non inelegans nec inutilis, quoad Hiſtoriam illorum temporum, & res Zenonis, Anaſtaſii, Juſtini, Juſtiniani. Vitam Sabæ edidit Cotelerius Græcè Lat. Tomo III. Monumentor. *pag.* 220. Addunt Vitam *Johannis* Epiſcopi & Heſychaſtæ ſive Silentiarii, qui ſub Zenone, Anaſtaſio, Juſtino & Juſtiniano floruit, vivens adhuc quum Cyrillus Vitam S. Sabæ adornaret, ut ipſe in hac teſtatur *pag.* 248. Vitam dein & iſtius Johannis ſcripturus; quam Græcè Lat. exhibent ad *Maji* XIII. Henſchenius & Papebrochius. Sed Vitas has omnes mirè interpolavit Symeon Metaphraſtes, fabulis non paucis, pro ingenio Græcorum & Symeonis, admixtis. Cyrillus.

Euagrius Scholaſticus, ſive Cauſidicus, à Pontico diverſus, Natione Syrus, ex urbe Epiphaniâ quam Orontes alluebat; Celebris hic fuit Continuator Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſub Tiberio, productæ uſque ad XII. annum Mauricii: Quia is Epiphanienſis, hinc fortè ἐπιφανὴς Nicephoro *Hiſt.* L. I. C. I. pro Ἐπιφανεὺς, ut obſervatum Valeſio; aliàs Antiochienſis habitatione, ut videtur. Ad Dignitates hic Euagrius fuit evectus, Quæſtoris ſub Tiberio Imp. Præfecti honorarii ſub Mauricio. Euagrius Scholaſt.

In *dogmatis* hic quidem aſſertor Fidei Catholicæ, contrà Hæreſes, nec tamen ideò dicendus Baronio ſolus aut *primus Hiſtoriæ* Eccleſ. ſcriptor, qui de Fide rectè ſenſerit: Supponens nempè, ut iniquiſſimus judex eſſe ſolet, Euſebium Arianum, Socratem & Sozomenum Novatianos, Theodoretum Neſtorianum; quia Romanæ in multis & Baronianæ Cauſæ inviſos. Baronius notatus.

Judicio autem & *fide* ſcriptionis reliquis inferior eſt, undè fabellæ quandoque, ex credulitate Euagrii, inclinantis in ſuperſtitiones, Reliquias, Lignum Crucis, Pſeudo-Miracula; atque hinc Baronii encomium. Hujuſmodi eſt relatio de Imagine Chriſti θεοτεύκτῳ ad Abgarum miſſâ, quæ Edeſſenis pro Palladio fuerit, *Lib.* IV. C. XXVII. de quâ nec Euſebius, nec Procopius in obſidione Urbis Edeſſenæ: Sic altera *Cap.* præcedente, de *Crucis ligno* ab Apamienſibus *adorato*, cujus adeò virtute liberati fuerint à Choſroë Perſarum rege; ac ſe ſpectatorem rei dicit, ſed *puerum* imò *infantem*, ut obſervat Valeſius *Præfat.* ad Euagrium. His tamen, aliiſque non paucis, ut Euangelicis veritatibus, paſcitur Annalium Scriptor, quibus Eccleſiæ Hiſtoria tota conquinatur. Annos accuratè notat Euagrius, uſus Æra Antiochenâ, quæ Æram Chriſt. *Vulg.* antevertit annis XLVIII. & principium figit Euagrius in I. die Gorpiæi menſis, ſeu in *Kal.* De eo judicium, & de quibuſdam narratis.

Septem-

Digitized by Google

Septembris. Vide ſuprà Chronologiam noſtram P. II. *Cap*. XIV.

Anaſtaſius Sinaita. *Anaſtaſius Sinaita*, Epiſcopus Antiochenus, ſub extrema Juſtiniani, id eſt, ab A. DLXI. ex Monacho Sinai montis, ubi vitam tranſegerat, ſucceſſor factus Domni Antiocheni, qui V. Synodo interfuerat. Ut *Acephalis* reſtitit hic Anaſtaſius, ſic vehementiùs Juſtiniano in cauſâ Aphthartodocitarum, ſeu *Incorruptibilitatis*, in quâ conſultus fuerat à Monachis Syriæ I. & II. Viri mores, prudentiam, animi firmitatem, inſtar δυσαλώτȣ πύργȣ, deſcribit Euagrius *Lib*. IV. C. XL. Deinceps à Juſtino II. pellendus in exilium, A. DLXV. ſtudio inprimis Johannis Scholaſtici Conſtant. cujus ordinationem loco Eutychii, improbabat Anaſtaſius, ex *Theophanis* Chronico. Reſtituendus tamen Sedi ſuæ circà A. DXCII. mortuo Gregorio Antiocheno, obiturus expirante Seculo. Ac *duo* quidem fuerunt *Sinaitæ*, alter quoque Monachus, incola Sinaitici montis, nonnihil junior, & qui priori in Epiſcopatum Antiochenum ſuffectus eſt, A. DXCIX. Creditus iſte viris Doctis Auctor Ο'δηγȣ̃ ſeu *Via Ducis* adversùs Acephalos, quæ ſecta tum Orientem vexavit, atque adversùs opinionem ἀφθαρτοδοκίας. Sed Scriptum hoc variè interpolatum, confuſum, ταυτολογίαις aliiſque nævis ſcatens, ut ſaltem pateſcat illi Scripto dein adjecta non pauca alienâ manu. Et ſi Anaſtaſio tribuendum, certè poſteriori Anaſtaſio; quanquam meminerit Eulogii Alexandr. tanquàm jam dudùm fato functi, mortui autem A. DCVIII. eodem quo & ipſe hic Anaſtaſius Martyrium à Judæis paſſus fertur, apud Zonaram, & Martyrologos, a. d. XXI. *April*. Hæc ergò, & alia, probant abuſos Græculos nomine & auctorit. Anaſtaſii, ut in hoc Opere à Gretſero edito, ſic & in aliis quæ ejus nomen præferunt. Fruſtrà ex hoc Sinaitâ probare nititur Gretſerus, & recentiores Pontificii, commentum Tranſſubſtantiat. vel Præſentiæ realis in *Euchariſtiâ*, uti quoque Natalis Alex. inſtitutâ Diſputatione, *Sec*. VI. *Cap*. IV. *Art*. XIII. id eſt, compilatis quæ jam ſcripta à Gretſero, dein Arnaldo Janſen. contrà Claudium Theol. Reformatum. Nec ego peccabo hujus exemplo, poſt reſponſiones invictas *Albertini* noſtri, *Libro* II. de Euchariſt. p. 893. & ſeq. & *Claudii* Theologi, *Libro* IV. contrà Arnaldum, *Cap*. IX. Ubi prolixè evincit, argumentum Anaſtaſii (ſi Anaſtaſius eſt) quod *Euchariſtia* ſit *verum Corpus & Sanguis J. Chriſti*, eò tendere; nempè ut evincat *Corpus Chriſti* fuiſſe *Corruptibile* antè ſuam Reſurrectionem, quod ibi contendit contrà Ἀ'φθαρτοδοκίτας. Quemadmodùm *Euchariſtia* (quæ eſſet *Corpus Chriſti*, quale fuit antè Reſurrectionem, ſeu corruptibile, paſſibile, mortale) *eſt corruptibilis, ut experientia docet*; Quod cum dogmate Tranſſubſtantiationis minimè conſiſtit, quæ Corpus Chriſti in Euchariſtiâ ſupponit impalpabile, indiviſibile, & quale nunc eſt incorruptibile; ſola accidentia panis & vini corrumpi.

Leontius Byzantinus. *Leontius* Byzantinus genere, Scholaſticus ſeu Cauſidicus primò, dein Monachus novæ Lauræ in Palæſtinâ, Scriptor adverſus *Neſtorianos* & *Acephalos*, & Libris X. (quos Πράξεις vocat) de *Sectis* elaboratis, quos exhibet Bibliotheca Patrum Pariſienſ. T. XI. Ex quibus conſtat 1. Hunc Leontium vixiſſe poſt ſuffectum *Eulogium* in Sede Alexandrinâ, cujus meminit *Actione* V. *pag*. 513. nempe Theodoſio Corrupticolâ remoto à Juſtiniano, ſuffectum in eâ Sede Paulum, huic Zoilum, tum Apollinarium, poſt Johannem, & tandem Eulogium qui factus Epiſcopus Alexandr. A. DLXXXI. 2. Diverſum eſſe hunc Leontium ab alio *Leontio*, Monacho etiam Novæ Lauræ, magno Origeniſta, homine ſeditioſo, *ejecto* hinc à Saba Abbate, & qui cum Nonno Legationem ſuſcepit Conſtantinopolim, cauſam Origeniſtarum acturus; de quo prolixè Cyrillus Scythopolit. in Vitâ Euthymii, & alterâ S. Sabæ *pag*. 334. &c. 3. Orthodoxiæ ſtudioſum fuiſſe, etiam recenſitis ac reprehenſis erroribus Origenis, & illi *Incorrupticolarum*, quam *Gaianitarum* Hæreſim dicit, *Actione* X. Cæterum de hoc Leontio, quando præciſè vixerit, quoniam Leontii plures fuêre, litigant Leunclavius, Baronius, Bellarminus, Ph. Labbeus, Combefiſius, Ger. Joh. Voſſius, &c. Ac in Mss. Iſ. Voſſii reperitur auctior vulgaribus Editionibus Baſileenſi, & Pariſienſibus.

Eulogius Alexand. *Eulogius Alexandrinus*, ſub Tiberio & Mauricio Imperat. admotus Sedi Alexandr. circà A. DLXXXI. ex Presbytero Antiocheno, laudatiſſimus Gregorio Romano, in variis *Epiſtolis*, magnâ inter utrumque neceſſitudine. Ejus varia nobis Excerpta reliquit Photius *in Bibliothecâ*, Codd. CCVIII. CCXXV. CCXXVI. CCXXVII. CCXXX. nempè ex Libris contrà *Novatianos*, aliiſque ejuſdem λόγοις ϰ̣ ἐπιστολαῖς, contrà Severum Antiochenum, Timotheum Hæret. Acephalos, Theodoſianos, &c. In quibus Romanum vocat Ῥώμης Ἀρχιερέα, qui aliàs *Archiepiſcopus* Veteris *Romæ*, ut Photius *Cod*. CCXXX. Obiit A. DCVIII. biennio circiter ſupervicturus Gregorio Rom.

Johannes Jejunator. Mittimus obſcuriores alios in Oriente, ſeu ſcriptorum ratione, ſeu ætatis. Niſi addimus *Johannem* genere & cognomine Cappadocem, dictum ab abſtinentiâ & frequenti jejunio Νηστευτὴν *Jejunatorem*, Conſtantinopolitanum poſt Eutychium Antiſtitem, Mauricio imperante. Etiam Eleemoſynis adeò liberalem ferunt, ut ſcribente Iſidoro de Viris Illuſtrib. Mauricius Imp. *zelo avaritiæ permotus, Urbe pauperes pellendos ediceret*. Photius Cod. CCXXXI. in Sophronio Hieroſolymitano, citato Johanne Cappadoce inter eos Patres, qui διπλῆν ἐνέργειαν in Chriſto poſuiſſent, vocat eum ἄνδρα ἀρετῆς οἰκητήριον *ipſum virtutis domicilium*. *Oecumenici* in hoc conſuetum titulum ægerrime tulerunt Pelagius & Gregorius, de quo dictum abundè eſt *Cap*. VI. Scripſit *Pœnitentiales* Libellos, & de *Differentiis* ſervandis in Cibo, Potu, Oratione; quos Græcè & Lat. edidit Johannes Morinus de *Pœnit*. in Appendice.

Felix Ennodius. II. In Latinis & Occidentalibus, de quibus paſſim in anteceſſis, celebriores fuerunt: *Felix Ennodius*, Vir genere illuſtris, clarus jam ineunte Seculo, Poëta, Orator, dein Ticinenſis ſeu Papienſis Eccleſiæ, vivo Epiphanio illius Epiſcopo (cujus *Vitam* ſcripſit) Diaconus; tandem admotus Ticinenſi Epiſcopatui, ab A. circiter DXI. Ab Hormiſdâ Papâ ſemel iterumque miſſus Conſtantinop. ad Anaſtaſium Imperatorem, imperterritus Fidei Catholicæ defenſor adversùs Eutychianos. Notiſſimus autem ſcripto *Apologetico* & animoſo pro cauſâ Symmachi Papæ, & Defenſione Synodi Palmaris, de quo jam ſuprà, *Cap*. I. *col*. 1056. adverſus eos qui Symmachum accuſare, Petri Succeſſorem, & à Theodorico *Viſitatorem* impetrare, ſuſtinuerant. Extat inter Opera ejuſdem, *Panegyricus* Theodorico Regi dictus, quo Principem eum, omnigenis pace belloque virtutibus eminentem repræſentat.

Fulgentius. *Fulgentius* Ruſpenſis Epiſcopus, diſcipulus Auguſtini, ſub Traſamundo in Sardiniam, cum LX. & ampliùs Epiſcopis, relegatus; undè ſcripta eſt Synodalis *Ep*. præcipuè contrà Pelagianos, dè quâ jam antè, Conciliorum *Tomo* IV. *col*. 1591. Luculenta ejus, de veritate *Prædeſtinationis & Gratiæ*, Scripta, quædam cum ejuſdem *aliis* à Sirmondo primùm edita, A. 1612. ipſis Pontificiis litigandi materiam præbuerunt, poſt nata Scripta Janſenii, & ὑπερασπιστῶν. Scripſit & *Libros* X. contrà Fabianum Arianum, cujus nova *Excerpta* ſive Fragmenta edidit idem Sirmondus A. 1643.

Alcimus Avitus. *Alcimus Avitus*, Archiepiſcopus Viennenſis, ab A. CCCCXC. circiter, filius *Iſicii* vel *Heſichii* ex Senatore Epiſcopi quoque Viennenſis, frater Apolli-

Digitized by Google

naris Valentiæ Epiſcopi, Vir magnæ auctoritatis; Orthodoxæ Fidei contrà Hæreſes, in primis *Arianam* & *Photinianam*, *Galliam infeſtantes*, acerrimus vindex; inſtrumentum Converſionis ab Arianiſmo *Sigiſmundi* Burgundionum Regis. Idem *Clodoveo* Francorum Regi converſionem ab Ethniciſmo, & primordia Chriſtianiſmi gratulatus eſt; *Epiſt.* XLI. indicans *Baptiſmi* tempus, non in vigiliâ Paſchatis, ut Hincmarus Rhem. ſed in vigiliâ *Natalis Domini*: *Ut eo die ad ſalutem regenerari ex undâ Vos pateat*, (ſic ille ad Clodoveum) *quo natum Redemptioni ſuæ Cœli Dominum mundus accepit*. Aviti autem *Epiſtolas*, *Poëmata*, & *Fragmenta varia* ediderunt, Sirmondus, & Baluzius in *Miſcellaneis*. Inter alia obſervat ex Avito Jacobus Sirmondus, *Notis* ad *Epiſt.* I. *Miſſæ* nomen, pro dimiſſione populi, tunc etiam fuiſſe uſurpatum in *Palatiis*, *Prætoriiſque*; ac ridet qui exoticum aut Hebraicum nomen fingere auſi ſunt, id eſt, Baronium, & ſequaces; confirmatque, quæ de *Miſſis matutinis & veſpertinis*, ſeu ſolennibus precum Liturgicarum Officiis, alibi obſervavimus, ad *Sec.* IV. *col.* 846. 860.

Miſſæ nomen.

M. Aurel. Caſſiodorus.

Marcus Aurelius Caſſiodorus, ſplendidis natalibus, illuſtri Patre, Scyllacii in Brutiorum regione (*Abruzzo*) natus, anno non ſatis certo, ſed ex conjecturâ antè Annum CCCCLXX. ut qui jam *Comitivâ* rationum Privatarum, mox Sacrarum Largitionum, donatus ab *Odoacro* Rege fuerit: Poſteà Præfectus Brutiorum & Lucaniæ, Quæſtor, Magiſter S. Palatii, Præfectus Prætorio, Patricius, Conſul, ſub Theodorico, Athalarico, Amalaſantha, Theodahato, Vitige, Regibus Italiæ: Tandem ſeceſſu voluntario Monachus, ſtructo prius à ſe Monaſterio in Calabriæ extremis, propè Scyllacium vel Scyllitanam Civit. circà A. DXXXIX. paulo antè deditum Vitigem, & captam Ravennam, rerum gerendarum ſatur, quibus præfuerat annos L. circiter. Vir prudentiâ, eruditione, ſanctitate, ſcriptis eximiis inclytus, pleriſque elaboratis in ſeceſſu ſuo Calabricq, ſtructo ibi Monaſterio, in quo propè *centenarius* vivere deſiit, ut colligunt Vitæ Caſſiodori Scriptores. Seceſſerat enim ferè ſeptuagenarius, ſi non major, in Monaſterium *Vivarienſe* vulgò dictum. Eminent inter Scripta *Variarum* Epiſtolar. *Libri* XII. *Inſtitutionum ad divinas* S. Scripturæ *Lectiones*, Libri duo; *Chronicon* ab O. Cond. ad Conſulatum Juſtini Aug. & Fl. Eutharici, A. DXIX. *Hiſtoria Tripartita*, ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto; *Computus Paſchalis*, &c. Et quæ Scripta alia in vulgus edita, inter quæ & eloboratiſſimus *Commentarius in Pſalmos*, ex Auguſtino tamen magnam partem compilatus, uti ejus in doctrinâ de *Gratiâ* ſectator fuit. Ejus autem hortatu *Epiphanius* Scholaſticus, Gente Italus, clarus ferè ſub initia Seculi, Hiſtorias Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Latinè vertit, & in XII. Libros diſtribuit, ex quibus Hiſtoriam Tripartitam compilavit Caſſiodorus. Hujus Epiphanii, Græcè & Latinè docti, *Verſiones* alias, quæ temporum injuriâ interverſæ, ut Didymi, Epiphanii Cyprii, &c. memorant Hiſt. Literariæ Scriptores. Quin *Joſephum* Ἀρχαιολόγον Latinè interpretatus fertur, & cum hujus Verſione, in plurimis emendandâ, Joſephum edere inſtituerat Cl. Bernardus, promotis jam aliquouſque operis, ſed fato interceptus.

Epiph. Scholaſt.

Cæſarius Arelatenſis.

Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, (nam fuère plures Cæſarii) coævus Alcimo, Caſſiodoro, Fulgentio, &c. Fauſti & *Semi-Pelagianorum* acerrimus impugnator; relegandus ſub Alarico Gotthorum Rege, ſed brevi revocandus; Præſes Synodi Agathenſis A. DVI. dein Arelatenſis IV. A. DXXIV. tum Arauſiacæ II. coactæ A. DXXIX. præcipuè in causâ de Gratiâ & Libero Arbit. de quibus ſuprà. Ejus *Homilias* XV. cum Notis, edidit Stephanus Baluzius, An. MDCLXIX. Monachalis inſtituti manſit idem in Epiſcopatu tenax; undè ſub ejus nomine *Regula* ad Monachos, alia ad Virgines Moniales, inter Regulas Holſtenianas editæ, *Parte* II. & III. De Cæſario obvia ſunt judicia Latinorum, mortuo A. DXLII.

Paſchaſius Diaconus.

Paſchaſius R. E. Diaconus (à Paſchaſio Ratberto diverſus, Præſentiæ realis aſſertore) ſcriptor ipſe Librorum *de Spiritu S.* contrà Macedon. ſub initium Seculi, teſte Gregorio Rom. in Libris Dialogorum, & ſub hujus nomine apparent in Biblioth. Patrum Lugdunenſi T. VIII. Interim Oudinus noſter, poſt Sirmondum, putat quos habemus Libros eſſe Fauſti Regienſis. Vixit flagrante Schiſmate inter Symmachum & Laurentium, atque ab hujus partibus ſtetit, contrà Symmachum, qua de re diximus hoc *Sec.* C. I. *col.* 1055.

Severin. Boëtius.

Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëtius, Vir Conſularis, geſto Conſulatu A. CCCCLXXXVII. excellenti virtute, ac pari eruditione, S. Trinitatis & doctrinæ de Perſonâ Chriſti inſignis aſſertor, ſed & juſtitiæ patronus ſummus, ſub Theodorico Rege: Tandem, ob conſpirationis cum Juſtino Imper. ſuſpicionem, cujus & Senatus particeps dictus, in exilium, hinc in ferale pegma agendus, cum ſocero Symmacho; undè meditationibus de *Conſolatione Philoſophiæ*, ſolutâ & ligatâ Oratione, ſemet ipſum erexit.

Baronii credulitas.

Advertenda verò hic Baronii anilis credulitas, ad An. DXXVI. N. XVII. referentis ex *Vitâ Boëtii*, ut indubium miraculum, quâ ſcilicet ratione Boëtius avulſum gladio Spiculatoris ſuum ipſius Caput, manu utrâque, omnibus ſpectantibus, ſuſtulerit, in proximum Templum detulerit, & acceptâ Euchariſtiâ, vocibuſque ad adſtantes prolatis, tandem expirarit. Neque eo contentus Baronius, confert in hoc Boëtium cum *Dionyſio* Areopagitâ, in quo idem ſcilicet miraculum acciderit. Sed tacent eas nugas quicquid Scriptorum eſt hujus & ſequentis Ætatis, non tacituri profectò rem adeò publicam ac portentoſam. Ac Dionyſium ejus Pariſienſem, caput avulſum geſtantem, rident cordatiores doctioreſque Galli, & pluribus de eo Joh. Launoius.

Dionyſius Exiguus.

Dionyſius Exiguus, Abbas Romanus, natione Scytha, utrâque Linguâ eruditus, clarus ſub Juſtino ſeniore & Juſtiniano: Cui Chriſtiani ſuam *Æram*, deficientem licet; Chronologi quoque *Periodum* Dionyſianam, *Paſchales* rationes, *Cyclum* Paſchalem, ex V. Enneadecateridibus conſtantem, annor. XCV. Antiquit. denique ſtudioſi Collectionem Verſionemque *Canonum*, & *Tranſlationes* alias debent. De quo etiam infrà, ac prolixè in *Chronolog.* Parte I. C. XX. Parte II. C. XVI.

Marcellinus Comes.

Marcellinus Comes Illyrici, U. C. ſub initia Juſtiniani ſcriptor *Chronici*; ſeu Continuator à fine Chronici Hieronymiani, ad IV. Juſtiniani Conſulat. id eſt, Annum DXXXIV. De quo poſt Caſſiodorum & Veteres, Joſ. Scaliger, Jac. Sirmondus, Gerh. J. Voſſius, Aubertus Miræus, alii.

Primaſius.

Primaſius Epiſcopus in Africâ Byzacenâ *Adrumetinus*, Caſſiodoro in *Pſ.* CXVIII. Epiſcopus *Juſtinianopoleôs*, quo nomine Adrumetum, in honorem Juſtiniani, appellatum fuit. Hic Doctrinæ Auguſtinianæ cum Fulgentio ſectator, ac Commentator in *Paulum* inclytus, Hieronymum, Auguſtinum, Veteres alios præcipuè exſcribens. Habetur ſeorſim, & in *Bibl. Patrum*; Membrum idem futurus Synodi V. Oecumenicæ, delatus Conſtantinopolim; niſi cum Vigilio intereſſe Synodo recuſaſſet, qui etiam Vigilii *Conſtituto* ſubſcripſit, pro Tribus Capitulis. De quo vide plura ſuprà de Synodo V. & in noſtro de *Auctore Epiſt. ad Hebr.* Tractatu, P. I. C. VII.

Junilius.

Junilius Epiſcopus Africanus, circà medium Secul. VI. memoratus Aurel. Caſſiodoro, & inter *Intro-*

Digitized by Google

troductores ad Scripturam S. commendatus; idem ille qui ad *Primaſium* ſcripſit Libros, *de Partibus Divinæ Legis*, per modum Quæſt. & Reſponſionum. Sunt illi ſcripta quædam ſuppoſita, ut *Commentarii* in III. priora Capita Geneſeôs, de quo Hiſtoriæ Criticæ Scriptores.

Ferrandus.

Fulgent. Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, Diſcipulus Fulgentii, clarus ſub Juſtiniano, de quo Facundus Hermian. Victor Tunonenſis *in Chron.* aliique Veterum. Collector hic inſignis Africanorum Canonum, poſt Dionyſium Exiguum, ſeu potius *Abbreviator*, qualis poſteà Creſconius ſequenti Sec. Doctrinâ idem Orthodoxus contrà Arianos, Acephalos, Pelagianos; nec probans Edictum Juſtiniani, quo *mortui anathematizarentur*. Cenſuit hic quoque, in *Epiſt.* reſponſoriâ ad Anatolium Diaconum Rom. E. Apoſtolos *baptizaſſe* quidem in ſolo *nomine Jeſu*; ſed qui *unum* de Trinitate dixerit, *totam Trinitatem* dixiſſe. Hæc in reſponſo ad Quæſt. *An unus è Trinitate paſſus*, vel crucifixus in carne, *rectè diceretur?* Qua de quæſtione ſuprà, *Cap.* IX.

Facundus Hermian.

Facundus Hermianenſis, in Africæ Byzacenâ, tempore Vigilii, & Synodi v. Oecumen. acerrimus defenſor Trium Capitulorum, *Libris* XII. editis primùm à Sirmondo; uti etiam aſſerti contrà Hormiſdam, de *uno ex Trinitate paſſo*. Cæterùm in Facundo locus invictus eſt, contrà *Tranſſubſtantiationem Lib.* IX. p. 404. ſuprà vindicatus *Cap.* III. *col.* 1070. 1071. Excerpta ex eo alia, *col.* 1119. &c.

Vigilius Afer.

Vigilius Afer, diſtinctionis ergò à Vigilio *Romano* coævo, & ab anteriore *Tridentino*, Tapſitanus in eâdem Prov. Byzacenâ Epiſcopus: Scriptor hic Librorum v. *contrà Neſtorium & Eutychetem*, citatus *Theodulpho* Aurelianenſi, quem edidit cum Notis Sirmondus; nempè Libro de *Spiritu S. pag.* 123. *Vigilius Africanus Epiſcopus Spiritum S. à Patre Filioque procedere his verbis demonſtrat, in Libris quos ſcripſit Conſtantinop. in defenſionem Leonis Papæ, contrà Eutychianiſtas*; citatque verba ex *Lib.* I. poſt medium. Undè Sirmondus Notis ad Theodulphum, Miſcellaneorum T. II. p. 277. *Hinc patet illorum error, qui hos Libros hactenus ſub nomine Vigilii Tridentini ediderunt.* Alia hujus Vigilii ſunt, confuſis rursùm nominibus & auctoribus; de quo poſt Petr. Franciſcum Chiffletium, Caſim. Oudinus, in Supplemento, *pag.* 123. & Guil. Cave *pag.* 371. Hujus Vigilii credunt quidam eſſe *Symbolum Fidei*, ſub nomine *Sancti Athanaſii* vulgatum, Latini certè Auctoris, à Græcis interpolatum, & Athanaſio Alex. Hincmari ævo primùm adſcriptum; de quo Uſſerius, Voſſius, alii.

Liberatus.

Liberatus Diaconus Carthaginenſis, prioribus σύγχρονος, Romam ab Africanis miſſus poſt reſtitutas à Juſtiniano Eccleſias; defenſor idem quoque Trium Capitulorum. Cæterum *Breviarium* ejus Hiſtoriæ Neſtorianæ & Eutychianæ, in quo *Vigilium* Roman. ad vivum expreſſit, C. XXII. (quicquid Baronius ſuſpecta quædam reddat) perductum idem ad damnationem Trium Capitulorum, neceſſarium eſt ad hiſtoriam hujus & præcedentis Seculi ſubſidium. Inſertum eſt *Tomo* v. Concil. poſt Concilium Univerſale v. & ex illo multa in ſuperioribus paſſim excerpſimus.

Gregorius Turon.

Gregorius Epiſcopus Turonenſis, inclinato Seculo, A. DLXXIII. primus *Hiſtoriæ Francorum* Scriptor, Libris x. antequam ejus exemplo *Paulus Diaconus* Hiſtoriam Longobardor. in Italiâ *Iſidorus* illam Suevorum, & Gotthorum in Hiſpaniâ, *Beda* Anglo-Saxonum, literis conſignarent. Magnâ quidem Scriptor ille uſus diligentiâ, nec pari judicio, aut delectu rerum; credulitate autem ex aliorum narratis, ſimplicitateque, pio quidem affectu, prope ſtupendâ in Viro tanto. Teſtes imprimis Libri de *Gloriâ* & Miraculis *Martyrum*, *Confeſſorum*, *Patrum* quos vocat, in ſpecie *B. Martini* Turonenſis: Cujus ſcil. admirandâ virtute, imò *pulvere ex ejus ſepulchro hauſto*, ut innumeri mortalium, ſic ipſe Gregorius confeſtim nec ſemel ſanatus fuerit. Quandoque nititur auctoritate Sulpicii Sev. Paulini, Prudentii, Fortunati; & imitatus eum in plurimis Gregorius Romanus, de Vitâ & Miraculis Patrum Italicor. & ab utroque Martyrologia & Vitæ Sanctorum non pauca mutuata. Vide jam olim Sigeberti judicium, in *Catalogo* Virorum Illuſtr. quin ipſius Baronii ex Hildwino, ad A. CIX. N. XLIX. Ut Andr. Du-Cheſne, Gerh. J. Voſſium, alioſque taceam in vulgus notos, ac ſubindè *Marollium*, Abbatem Gallum, qui in Hiſtoriam Gregorii breves *Notas* adjecit.

Gregorius M.

Gregorius Magnus, hujus nominis primus, Præfecturâ Urbis aliquando illuſtris, Monaſticæ vitæ ſtudioſiſſimus, anteà Apocriſiarii munere pro Pelagio Papâ functus apud Tiberium Imp. uſque ad ejus obitum. Tandem ad Papatum evectus etiam invitus circà A. C. DXC. Acriter Gregorius reſtitit titulo *Univerſalis Epiſcopi*, de quo jam fuſè ſuprà *Cap.* VI. Ejus-ne ſint *Dialogorum* hodierni Lib. *de vitâ & miraculis Patrum Italicor.* in ſpecie Benedicti Nurſini, diſquiſitum *Cap.* IV. *col.* 1072. 1073. Certè orationis ipſius ſordibus, narrationum fabellis, ſuperſtitionum commentis, referunt pleraque ætatem ſequiorem, minimè gravitatem Gregorii. Vide & infra, de progreſſu Monachiſmi *Cap.* XIII. Gregorio II. à multis adſcriptum hoc opus, certè illâ ætate mirè interpolatum; undè hic *Gregorius Dialogus* Damaſceno, & Græcis dictus eſt, quique, ad primi Gregorii exemplum, domum ſuam in *Monaſterium* converterat. De Scriptis Gregorii, vide quæ diximus Capite III. de *Doctrinâ* hujus Seculi, & illis de *Ritibus*, *Diſciplinâ*, *Regimine* Eccleſiaſtico, *Cap.* IV. V. VI. Genium verò Gregorii, dotes animi, Diſciplinam eorum temporum, & hiſtoriam Eccleſiæ, nuſquàm feliciùs eruas quam ex *Regeſto* vel Regiſtro *Epiſtolarum* Libris XII. quas Notis illuſtravit Guſſanvillæus Editor noviſſimus Operum Gregorii, & quas in plurimis *depravatiſſimas* fuiſſe docet. In explicandâ *Script.* S. allegoriis quandoque miris indulſit: Ex. gr. illud Davidis *Pſ.* XIX. *In ſole poſuit Tabernaculum ſuum*, explicat de *Berſabeâ quam* David, intuitus è ſolario ſuo, *Uriæ abſtulit*, *ſibique conjunxit*; hinc de *Lege literæ carnali populo conjunctâ*, *& Spirituali intellectu*; ſic *Uriam ſignificaſſe populum Judaicum, David autem Redemptorem in carne apparentem, de quo Legem ſpiritualiter loqui innotuit*, &c. & quæ plura in hanc rem *Moral.* L. III. C. XVI. Ex uno diſce omnes, totus enim Gregorius eſt in hujuſmodi expoſition. Sic ignarus Linguæ Hebraicæ, e. gr. *Berſabeam* ibidem interpretatur *puteum ſeptimum*, Berſabee ſcil. confundens cum *Bath-ſchebah*, uxore Uriæ; *Davidem* dicere *manum fortem*; quam ignorantiam & alibi probavit in explicandâ voce *Adam*, *Cherubim*, *Raka*, aliis plurimis Hebraicæ aut *Syriacæ* originis. Sic, *apud Hebræos anathema dici* (Græcis ἀνάθεμα, quod Hebræam vocem putavit) quod *apud Latinos*, *alienatio*, Græcæ linguæ æquè ignarus. Ignem *purgatorium*, in quo animæ egreſſæ ex corpore expient culpas leviores; ſic *Animas* è corpore egredi viſibili ac ſenſibili ſpecie; multis in *Dialogorum* Libro IV. exemplis confirmat, *Cap.* VII. VIII. &c. Idem quorundam juſtorum animas non ſtatim recipi cœlo, quia de *perfectâ juſtitiâ aliquid minus habuerunt*, C. XXXV. Sic *Theodorici*, Italiæ Regis Ariani, animam *vinctis manibus in vicinam Vulcani ollam jactatam* fuiſſe, C. XXX. Ità *Purgatorium ignem* dari pro expiandis levioribus culpis, probat ille ex *Matth.* XII. 22. & I. *Cor.* III. 15. Capite XXXIX. & exemplo animæ *Paſchaſii* Diaconi Rom. C. XL. de quo ſuprà: Cæteroquin Vir fuit peritiâ Scripturarum, lectione Latinorum Patrum, præcipuè Auguſtini, tum

pietate, prudentiâ, ſolertiâ, laboris aſſiduitate, ταπεινοφροσύνῃ, patientiâ in doloribus corporis, quos graves perſenſit, Papis ſequentium Secul. in exemplum poſitus, nullis qui imitarentur. Vitam qualem deſcripſit *Paulus Diaconus* Aquileienſis, Monachus dein montis Caſini, periiſſe, & quæ habetur ſub ejus nomine, eſſe alterius Anonymi antiquioris, qui familiariter uſus Gregorio fuit, cenſent Viri Docti; invito tamen Joh. Mabillono *Tomo* I. Actorum Ordinis Benedictini, quem vide. Acceſſit *Johannes* Diaconus, qui jubente Johanne IX. aliis VIII. poſt medium Sec. IX. Vitam Gregorii diffuſiore calamo ſcripſit; caſtigandam ſubindè Baronio, tanquam minùs accuratè ſcriptam, *Annal.* T. VIII.

XII. *Perſecutiones aut vaſtationes Eccleſiæ, hoc Seculo. Pœnæ in Auctores, & ultio Divina.*

Hujuſmodi fuêre cumprimis *Perſecutiones*, de quibus & dicta quædam, ſub initium hujus Seculi *Cap.* I.

Wandalica. I. Excitatæ primò per *Wandalos* in Afr. faciente imprimis Traſamundo Rege, à quo eſt ejectus in exilium Fulgentius Epiſcopus, *Auguſtinus* nonnullis *redivivus*, cum LXX. Epiſcopis aliis; poſteà reſtitutus ſub Hilderico, Traſamundi ſucceſſore, Anno DXXII. de quo jam ſuprà, & plura *in Vitâ* Fulgentii. Crudeliter quidem in Chriſtianos graſſatus fuerat Gizerichus, blandius *Traſamundus*, teſte Procopio de Bello Wandal. L. I. C. VIII. Qui prolixè deſcribit, & ex eo Euagrius *Lib.* IV. C. XV. ut Wandali ſub *Traſamundo*, poſt ductam Amalafridam Theodorici Gotthorum Reg. ſororem, Chriſtianorum Eccleſias in ſtabula, Sacerdotes in ludibrium atque opprobrium verterint, alapis cæſos, atque verberibus afflictos: Obſervante ſolerter & vindicaturo *Cabaone* Maurorum Duce, adversùs quem moverunt infeliciſſimè Wandali; fuſo eorum exercitu propè Tripolim Africæ, & clade tantâ affecti, ut ex animi mœrore, non ſine vindictâ Numinis, mox perierit Traſam. cum XXVII. an. apud Wandalos regnaſſet. Atque hæc præludia fuerunt ejectorum totâ Africâ Barbarorum, Duce Beliſario, Juſtiniano imperante; poſtquam *Gelimer*, pronepos Gizerichi, Hildericum Regem conjeciſſet in vincula, & fruſtrà monitus à Juſtiniano per literas, tandem bello opprimendus terrâ marique fuit, Carthagine occupatâ, & deinceps à Gelimero fruſtrà tentatâ, in quam tandem victus adducendus fuit, Conſulatu Juſtiniani IV. A. DXXXIV. Fusè Procopius refert in fine *Libri* I. & initio L. II. Belli Wandalici.

Theodorici illa. II. Per *Theodoricum* Oſtrogotthorum Regem in Occidente, primò juſtitiæ & libertatis ſummum aſſertorem, maximis virtutibus pace belloque Principem, longo ac felici Imperio, XXXIII. annis in *Regno Italiæ* magnâ cum laude tranſactis; ut Procopius de Bello Goth. *Lib.* I. C. I. *nemini ceſſiſſe eorum, qui ab ortu Imperii excelluiſſent in eo honoris gradu*, pronunciarit. Tandem verò, poſtquam Juſtinus Senior Edicta in Arianos ſevera promulgaſſet, nec quicquam profeciſſet Theodorici apud Juſtinum interceſſio, ut Edicta revocaret, Literis primò, dein Legatione Johannis I. Romani Epiſc. cauſam Arianorum acturi, novo exemplo; irâ ſic efferbuit, ut ſubitò evaderet ex clementiſſimo Principe Catholicorum acerrimus perſecutor, ultimo Regni anno, inſtigantibus Arianis: Uſque adeò ut *Johannem* Papam, à legatione reducem, in tetrum carcerem Ravennæ compingeret, in quo diem obiit extremum; & Senatorum principes duos, Severinum Boëtium, & ſocerum Symmachum, perduellionis injuſtè accuſatos, gladio trucidaret, A. DXXVI. ac bona eorum publicaret. Referunt Procopius de Bello Gotth. Caſſiodorus, Paulus Diaconus, Anaſtaſius in Johanne, &c. & alii. Baronius autem in eo fallitur, ideò Johannem Papam à Theodorico, quum ſæviret in Catholicos, in carcerem compactum, in quo obiit, quod Juſtino auctor fuiſſet de deſtruendis Arianorum Eccleſiis, & in Catholicas conſecrandis, ut ſupponit Baronius, ad A. DXXV. N. VII. VIII. IX. Imò verò, teſte Anaſtaſio in *Pontificali*, rogavit omninò Juſtinum Johannes cum Legatis cæteris, quod juſſerat Theodoricus, etiam *cum grandi fletu*, confirmante Auctore *Hiſtoriæ Miſcellæ*, *Lib.* XV. Et quam citat in contrarium *circularem Epiſt.* Johannis I. Annalium Scriptor, adducto in teſtem Gregorio Turonenſi, ut nuper quoque Maimburgius Jeſ. eam Blondellus, in Pſeudo-Iſidoro, invictis argumentis ſuppoſititiam demonſtravit; de qua jam dictum *Cap.* VI. *Num.* V.

Porrò idem Theodoricus, ſubito terrore in cœnâ perculſus dicitur, præcipuè ex Symmachi nece, cujus viſus eſt apponi ſibi *Caput*, cum miniſtri fortè piſcis grandioris *caput* cœnanti ſibi appoſuiſſent: Undè paulo poſt, ex morbo indè contracto, prius deploratâ nece Symmachi & Boëtii, interiiſſe fertur, apud Procopium de Bello Gotthico *Lib.* I. *Cap.* I. ſub finem. Quod tamen habemus inter dubia, & fortè rumorem tum ab amicis Symmachi ſparſum; tacentibus Caſſiodoro, & Ennodio Epiſc. Ticinenſi, coævis Scriptoribus, etiam Jornande de Rebus Geticis, ubi deſcribit noviſſima Theodorici, *Cap.* LIX. Imò hujus gravem habet hortationem ad Gotthos Gentis ſuæ primates, relicturi Amalaſuntham filiam, & Athalaricum ex filiâ nepotem; nempè ut *Regem colerent, Senatum Populumque Rom. amarent, ac Principem Orientalem placatum propitiumque haberent.*

III. Per irruptiones *Hunnorum* in Thraciam, Græciam, Illyricum tranſmiſſo Iſtro, ad mœnia uſque & ſuburbana Conſtantinopoleôs, imperante Juſtiniano; à quibus intoleranda Chriſtianis mala, teſte Procopio de *Bello Perſ.* L. II. C. IV. & Agathiâ de Rebus Juſtiniani, *Lib.* V. p. 154. 155. &c. Ed. Regiæ. Beliſarii autem virtute ingens illorum ſtrages facta eſt, tantoque Barbari pavore correpti fuerunt, ut artem quâ excellebant neglexerint; ſcilicet ut fugiendo retroverſim ſagittarent, quo pugnæ genere ſoliti perſequentes maximis plagis afficere; ut idem Agathias *Lib.* V. p. 165. &c. Baronius verò, omnia hæc cœlitùs accidiſſe in vindictam eorum quæ tentata in *Romanos Pontifices*, à Juſtino ſcil. & Juſtiniano Impp. vocatis à Deo Barbaris in damnum Imperii, *cùm Sancta Religio à Principibus ſauciatur*, nempè à Juſtiniano, ad A. DXXXIX. N. XI. Nec aliter ille, toto Annalium Opere, quicquid publicarum calamitatum fuit, aut privatarum in Principes animadverſionum, vel in Duces, ut hoc Seculo in *Beliſarium*, ob ejus in Sylverium Papam facta (quem ille *in exilium* miſit, *violentis in eum manibus injectis*, ut Baronius ad A. DXXXVIII. DLII.) adſcribens huic uni ferè cauſæ, violatæ *Pontificum* majeſtati, auctoritatique Rom. Eccleſiæ. Porrò *Hunni* tot immanitatum daturi pœnas; nam inter ſe commiſſos, mutuis cladibus ſemet attriviſſe, ut eorum etiam nomen deletum ſit, τὴν πάτριον ἐπωνυμίαν ἀποβεβληκότες, refert in Hiſtoriâ ſuâ Agathias, *Lib.* V. De Hunnorum origine, ſedibus, ſævitiâ, excurſionibus, &c. alibi diximus. Hunnorum. Baronius notatus.

IV. Adde *Alemannorum*, *Francorumque* in Italiam invaſionem, & horrendas ſtrages, anno Juſtiniani XXIX. *Leuthario* & *Butillino* vel *Buccellino* Ducibus: Hi Fratres germani, Alemanni genere, maximam apud Francos potentiam conſecuti, inito cum Gotthis Arianis fœdere, & ducto exercitu LXXII. millium delectorum, jam Italiam ac Siciliam ſpe devora- Alemannorum. Anglorum.

vorarant, pluribus referente *Agathiâ* Scholaſt. Hiſtoriæ Juſtinianeæ *Lib.* I. p. 17. &c. confirmantibus *Paulo* Diacono, & aliis. Pœnam ſacrilegiorum utriuſque θεήλατον, refert Agathias, *Lib.* II. p. 38. 46. *Leutharium* dementem factum, verſumque in apertam rabiem; *Butillinum* apud Capuam cum toto exercitu funditùs deletum, virtute Narſetis. Vide & Paulum Warnefr. de *Geſtis Longob.* L. II. C. II. Ita *Anglorum* Occidentalium & Orientalium, ac Nordanhumbrorum ſævitiam, & immanes perſecutiones, in Britones, Scotos, Albanios exercitam, diximus ſuprà *col.* 1047. 1059. 1079. & infrà pluribus.

Leowigildi. V. Memoratur & atrox facinus *Leowigildi* Viſigotthorum in Hiſpaniâ Regis: Qui cùm eſſet Arianæ factionis, Suevis etiam ad Arianam Hæreſim reductis, filius autem *Herminigildus*, conſors Regni, converſus eſſet ad Orthodoxas partes, eundem in carcerem compegit, ac ſecuri percuſſit, teſtibus Gregorio Turonenſi *Hiſt.* L. V. Iſidoro in *Chron. Goth.* Paulo Diacono, in *Hiſt. Longobard.* L. III. dein Marianâ de Rebus *Hiſpaniæ*, *Lib.* V. &c. Et Herminigildus quidem Sanctorum Catalogo hoc nomine poſteà inſerendus. Mox verò Dei Providentia illuxit, morte Leowigildi, & converſione Reccaredi, laudatiſſimi Principis, ad Orthodoxam fidem, ut erant tempora; neſcia adhuc Pontificiæ Dominationis: De quo diximus, *Cap.* II. hujus Seculi.

Alboini. VI. Fuit & perſecutio excitata per *Alboinum* X. *Longobardorum* Regem: Qui à Narſete invitatus, quum hic Totilam Gotthorum Regem bello aggreſſurus eſſet, in Italiam relictis Pannoniis, cum Saxonum ingenti manu, & Longobardorum, migravit; ingreſſus primò Foro-Julienſem Venetorum Provinciam, quam dein totam ſubjugavit, tum Liguriam, Mediolano primùm dein Ticino Urbib. occupatis, omnia ferro & flammis devaſtans. Voverat enim ſe deleturum omnes Chriſtianos, quotquot ultrò ſe tradere noluiſſent: Sed repreſſus tandem fertur quodam miraculo, in ingreſſu Civitatis Ticinenſis, equo in portæ medio, nullis calcaribus aut verberibus ſtimulantibus, ſubſiſtente; apud Paulum Diaconum, de Geſtis Longobard. *Lib.* II. C. XXVII. Sed & hic daturus Nemeſi pœnas, poſtquam *tres annos* & *ſex menſes* in Italiâ jam regnaſſet. Conjugis enim ſuæ Roſemundæ, filiæ Cunimundi Gepidorum Regis, quem ab Hunnis & Avaribus adjutus prælio vicerat, paulo poſt inſidiis fuit ſublatus. Quum nempè in convivio, apud Veronam Civitatem, hauriendum Reginæ poculum præbuiſſet, *quod de Capite Cunimundi Regis, ſoceri ſui, fecerat*, invitans conjugem, ut *cum Patre ſuo lætanter biberet*, teſte eodem Warnefrido, *Lib.* II. C. XXXVIII. Cujus facinoris conſcia Roſemunda, clàm cum armigero Regis, nomine *Helmichis*, in mariti necem conſpirat, & Alboinum ſomno ſopitum, ac fruſtrà poſt reluctantem, opprimit, apud eundem. De Longobardis plura *Cap.* XIV.

Chosroïs. VII. *Chosroës* etiam Perſarum Rex, partim æmulatione in Romanos, qui de Wandalis, Gotthis aliiſque Barbaris, ingentes victorias reportarant; partim inductu *Vittigis* vel *Vitigis* Gotthorum Regis, variis jam affecti cladibus à Beliſario Juſtiniani Duce, bellum huic infert, & in Romanos decernit A. DXXXVII. De quo Procopius, de Bello Perſ. L. II. C. II. III. & factum eo ferè tempore quo *Hunni*, trajecto Iſtro, omnia depopulabantur. Perſæ igitur Barbarorum more graſſantur in Meſopotamiâ, Syriâ, Armeniâ, variis occupatis Urbibus & exciſis, initio facto à *Surâ* Urbe ad Euphratem; dein & ſtragibus editis, ac vaſtatis *Beroeâ* Syriæ, & *Antiochiâ*, cujus incendium narrat Procopius, nullam promiſſis, etiam juratis, fidem ſervantes, ut Hiſtoricus L. II. C. IX. *Edeſſam* etiam obſidione cinxit, ſed obſidionem ſolutam referunt, virtute *Epiſtolæ* Chriſti ad Abgarum, Edeſſenorum olim Regulum, in Portis Civitatis exſcriptæ, apud Procopium L. II. C. XII. Poſteà in tertiâ expeditione in Romanos, Perſæ tentant *Sergiopolim* Syriæ, cujus Epiſcopum Candidum, legatione pro Civibus apud Choſroëm functurum, mirè excarnificari juſſit. Imò *Hieroſolymam* diripere in animo ſtatuit. Tandem & quartam ſuſcepit Expeditionem Choſroës, non tam in Juſtinianum ipſum, quàm in *Deum Chriſtianorum*, ita Procopius *Lib.* II. C. XXVI. *Edeſſâ* denuò obſeſſâ, & pertinaciſſimè quidem, ſed irrito conatu. *Apamea* quoque Templum expilavit. Ità Regum maximus, Imperio fortiſſimè geſto, per annos XLVIII. ut Agathias, *Lib.* IV. *pag.* 140. ne Cyro quidem, aut Dario Hyſtaſpis ceſſurus, ad extremum *pœnas* perſecutionum furorumque dedit: Panico nempè metu ſubitò conſternatus, & prope Carduchos montes, paulo poſt ὑπὸ δυσθυμίας ex *mœrore animi*, οἷον ἀπηγνωκὼς τὰς ἐλπίδας *in deſperationem quodammodò adductus*, Cteſiphonte in Regiâ, quò à ſuis delatus fuerat, extinctus eſt. Quod Euagrius ſcribit *Lib* IV. C. XXVIII. *converſum* fuiſſe ad Chriſti fidem, id habuit ex quorundam relatione, φασὶν *dicunt*, & ex confi&cto *miraculo*, quod refert ibi Euagrius, undè ſolverit Choſroës obſidionem Sergiopolitanæ urbis, miratus virtutem Reliquiarum *Sergii Martyris*, & *fidem Chriſtianorum*. De quibus tacent Procopius *Lib.* II. C. XX. dein Agathias, & Hiſtorici ad unum omnes. Confudiſſe cum illo videntur *Choſroëm* nepotem, Hormiſdæ filium ſub Mauricio Imperatore, de quo ut amplexo Mauricii fidem, Theophylactus Simocattus, qui ſub Heraclio ſcripſit, Sergio tùm Conſtantinopolit. Hiſtoriarum *Lib.* V. C. II. quem vide inter Hiſtoricos Byzantinos. Sed & hujus *Choſroïs* Chriſtiana fides nihilo certior; immanis tyranni, & Chriſtianorum perſecutoris, poſt ſublatum Mauricium, hinc *execrabilis* Theophani, anno XVII. Heraclii è medio tollendi.

VIII. De Perſecutione per *Anaſtaſium* Imperat. Anaſtaſii. excitatâ, initio hujus Seculi, ſæviturum decretis ac proſcriptionibus in Orthodoxos, & præcipuarum Sedium Epiſcopos (Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ) & quotquot adhærebant Concilio Chalcedonenſi, diximus ſuprà, *col.* 1056. 1057. De quibus Euagrius, Theodorus Lector, Theophanes, Cedrenus, Zonaras, &c. Et hic tandem Anaſtaſius fertur ſub extremum vitæ viſionibus & ſomniis, etiam fulminibus, territus, ut ſe in interiora palatii, de *Cœnaculo in Cœnaculum* reciperet, atque illo terrore (alii fulmine) extinctus, ità *Victor* Tunonenſ. in Chron. Agapeto & Magno Coſſ. *Theophanes* ad an. XXVII. Anaſt. *Anaſtaſius* Bibliothec. in Vitâ Hormiſdæ, *Zonaras* in Anaſtaſio *Lib.* XIV. aliique, & ex iis Baronius ad An. DXVIII. *Num.* XVIII. XIX. Sed tacent rem anteriores Hiſtorici, Procopius, Euagrius, Marcellinus Comes, qui *ſubitâ morte præventum*, *majorem octuogenario occubuiſſe*, in Magno Conſ. *Ind.* XI. Senio potius videtur ſubitò defeciſſe, ætatis annum agens LXXXVIII. ut Victor Tunon. Zonaras, &c. Et viſio illa *Viri terribilis*, geſtantis manu Codicem, in quo ſcriptum, *Ecce* XIV. *annos vitæ tuæ delevi*, *propter fidei tuæ perverſitatem*, apud Theophan. ex eo Zonaram, ſapit fabulas Byzantinorum; ſiquidem exceſſerat jam tum vitæ humanæ terminos. Nec certe ultrà *exilia* & *depoſitiones* proceſſit, adversùs eos qui *Henoticum* Zenonis non ſuſciperent; & abhorruiſſe à *ſanguine*, uti à gravandis ſubditis, oneribus & *tributis*, disertè Zonaras & alii memorant.

Digitized by Google

XIII. *Incrementum Monachatûs hac Ætate: Degeneratio à priori inſtituto; quin à Regulâ Benedicti.*

I. Hactenùs uniformis ubique, in Oriente & Occidente, obtinebat Monachatûs ratio, eadem profeſſio, idem inſtitutum, Ordo unus, fatente Lucâ Holſtenio *Diſſert.* ad Regulas Monaſt. *Cap.* III. Et dicti hi communiter Fratres, Aſcetæ, Heſychaſtæ, Therapeutæ, Religioſi, Nonni, &c.

Benedictus Nurſinus.

Natus verò hoc Seculo celebris Ordo *Benedictinorum*, antiquiſſimus inter Latinos, omniſque deinceps Monachalis Diſciplinæ in Occidente, diviſæ in tot *Ordinum* agmina, quædam origo: Ut ex fonticulo ſunt immenſa flumina, & ex tenui ſurculo prægrandes ſylvæ, quæ Baronii comparatio eſt, ad A. DXXIX. N. XI. Auctor fuit *Benedictus* Nurſinus, in Umbriâ Italiæ natus, quæ & Franciſci Aſſiſii patria; qui relictis literarum ſtudiis, dein pertæſus bellorum, primò vitam in ſolitudine per triennium tranſegit, in ſacra ſpecu, propè oppidum *Sublacus*, XL. ab urbe milliario, ubi confluentibus eò ſolitariis Monaſterium ſtructum, S. *Scholaſticæ ſororis Benedicti*, appellatum; *Sublacus* autem, ob vicinum lacum & aquarum abundantiam. Indè, miſſâ vitâ Eremiticâ A. DXXIX. ſeceſſit in montem *Caſinum*, ubi Monaſterium fundavit, caput futurum Religionis Benedictinorum, ex Paulo Warnefrido de Geſtis Longob. *Lib.* I. C. XXVI. Qui ſua ex Gregorii Dialogis præcipuè habuit, *Lib.* II. & ex *Marci Poëtæ* Carmine, Monachi ejus temporis; qui tamen fontes, undè ſapiunt Aimoinus, Regino, Marianus Scotus, Leo Oſtienſis antè Bibliothecarius Caſin. &c. turbidi ad nos & fabulis Monachalibus conquinati, pervenerunt.

Benedictinorum Ordo inſtitutus.

Nempè ſparſi ferè anteà Monachi in Eremis, vel ſeparati in Lauris & Monaſteriis, quibus eſſent cellæ diſtinctæ, μοναχικὰ οἰκήματα; & ſingula propriâ Diſciplinâ, quam præſcribebat Abbas, regebantur, vel illâ Lirinenſium Monachorum, aut Columbani: Præterquàm & in *Epiſcoporum* quandoque Ædibus, aut privatis quorundam, habentibus ſpeciem Monaſterii, quale illud *Caſſiodori* in Calabriâ, de quo ſuprà. Hic verò *Benedictus* tandem coëgit in Cœnobia, voto adſtringendos certis ac particularibus Regulis, quoad habitationem, victum, amictum, ἐθελοπερισσοθρησκείας, regimen, obedientiam cœcam, &c. Ac *Tempus* hujus inſtitutionis, fuit inchoatum jam Seculum VI. nam de anno haud conveniunt; ac collocat Baronius in Annum DXXIX. Benedicti morte in Annum DXLIII. (quæ aliis in A. DXLVII.) relatâ. Vide Holſtenii *Codicem Regularum* S. Patrum, III. Voluminibus Romæ editum, ubi emendatior *Regula Benedicti*, *Tomo* I. *Parte* II. præmiſſâ *Diſſertatione* de Inſtituti Monachalis Origine. Nec confundendus Benedictus *Nurſinus*, cum Benedicto *Anianenſi*, natione Occitano, & ipſo *Abbate*, ac *Sancto* in Calendario Rom. Collectore *Regularum* ſub Ludovico Pio, circà A. DCCCXX. & vitæ Monaſticæ apud Gallos inſtauratore; cujus *Collectionem* edidit ex Mss. Holſtenius, Romæ 1661.

Locus. Propagatio.

2. *Locus* inſtitutionis fuit primùm ad *Caſini* montem & villam M. Varronis, in Campaniâ, aëre ibi puriſſimo, & proſpectu in vallem amœno, ubi Cœnobium ſeu Monaſterium condidit: Quod fuit in tanta veneratione, ut Pontifices ipſos, poſt ſuam Romæ conſecrationem, Caſinum proficiſci ſolitos, ad repetendum conſecrationis ritum, ſcripſerit Conſtantinus Cajetanus, & ex eo Mabillonus, *L. cit.* p. 121. Et hinc, ut ex fonte quodam, mox latè per Europam propagatus Ordo Benedictinorum, & *Monaſteria* condita innumera. Nam religionis propagandæ causâ, miſit inſtructos præceptionibus ſuis, in Gallias, ſi Benedictinæ Hiſtoriæ fides eſt, *Maurum* quendam, qui hinc S. Maurus, infinitis miraculis clarum; in Siciliam *Placidum*, nonnihil juniorem; duos inſigniores Benedicti diſcipulos, cumplurium fundatores Monaſteriorum: Quorum *Vitæ* quæſitæ nuper in Monaſterio Caſinenſi, & reperta quidem antiquiſſima omnium *Placidi* illa, vix ante DCC. ſcripta, judice Mabillono Itineris Ital. *Tomo* I. P. I. p. 125. *Mauri* verò Vita, (quem in *Litaniis* poſt S. Benedictum *appellari* ſolitum eſſe, in veterrimo Codice Seculi IX. legit Mabillonus) nulla videtur ibi extitiſſe. Quæ verò *S. Mauri* Vita citata apud Baronium, A. DXLII. *Num.* XI. & Fauſtino Monacho tributa, mendaciſſima deprehenditur, in quâ Benedictus dicitur diem obiiſſe extremum A. DCIII. qui fuit Gregorii ultimus; quum tamen Gregorius obitum illius retulerit Dialog. *Lib.* II. tanquàm pridem notum. Sic *Acta Placidi* quæ habentur apud Surium, *Gordiano* cuidam tributa, quorum meminit Baronius ad A. DXXIX. *Num.* X. *mendoſa* ſimul eſſe & *mendacia*, & mereri *caſtigationem* fatetur Purpuratus, *Notis* ad Martyrol. XV. *Januar.* & V. *Oct.* Undè, & ob cauſas alias (ut de *Mauro* ſilentium Gregorii Turonenſis, Columbani, Galli, Jonæ Abbatis, Bedæ, Adonis, Reginonis, aliorum in Galliâ Scriptorum, VI. VII. VIII. tùm putidiſſima *Acta Placidi*, quæ Juſtiniani juſſu Græcè ſcripſiſſe fertur perſonatus Gordianus, fabulis & ἀνιστορησίαις plena; & ipſa rerum apertiſſima commenta, quæ Vitis illis vulgantur) non paucis Eruditis habiti ſunt *Maurus* & *Placidus* fictitia nomina, ut ſunt innumera in Legendis. Certè ſunt fictitia omnia quæ illis tribuuntur, uti & quæ Benedicto, prodigia ac portenta. Undè νοθείας ſuſpecta pleraque quæ in Libro II. Dialogorum Gregorii legas, nominatim C. VII. de Mauro & Placido. Ejuſdem farinæ eſt celebratum illud *S. Medardi*, Noviomenſis Epiſcopi, mortui Baronio An. DLXIV. in Sueſſionibus (Clotario Rege) Privilegium, & Epiſtola Gregorii I. in quâ illud contuliſſe dicitur; quæ ὑποβολιμαῖα cenſentur omnibus Eruditis, & prolixè Davidi Blondello in fine *Pſeudo-Iſidori*, p. 647. Quin *Odonis* Diploma, quod exhibet Mabillonus L. VI. Rei Diplomaticæ, tanquam ſcriptum A. 893. in favorem ejuſdem Cœnobii, nec ſolitum initium, *In nomine S. Trinit.* nec *ſubſcriptionem* habet, faſſo Doctiſſimo Viro, *pag.* 558.

Mauri & Placidi Vita ſuppoſit.

Et Privil. S. Medardi.

Ordines ex Benedict. orti.

3. Ex uno autem Ordine Benedictinorum, nati ferè Ordines omnes reliqui, diverſis ſub nominibus, & diverſo habitu; ut Ordo *Camaldulenſium*, *Grandimontenſium*, *Cluniacenſium*, *Ciſtercienſium*, *Carthuſianorum*, tum Ordines IV. *Mendicantium*, immenſis agminibus. Ut verè Benedictus ille *Patriarcha* Monachorum audiat, id eſt, Cœnobitarum qui huic Regulæ adſtricti ſunt; indignato tamen in eos Baronio qui Diſciplinæ hodiernæ Monachalis, qualis eſt in Occidente, hunc patrem conſtituunt, ad Annum CCCCXCIV. N. LXXVII.

Regula. Opes ſucceſſuræ.

4. *Regulam* quod attinet, quam præſcripſit Monachis ſuis, in Caſinenſi Cœnobio, Benedictus, (*diſcretione præcipuam*, *ſermone luculentam*, ut *Libro* II. *Dial.* Gregorii, C. XXXVI.) atque adeò inſtituta Benedictinorum primæva, haud aliena ab antiquis Monachorum, Capitibus LXXIII. *à Simplicio* Diſcipulo, & Abbate Caſinenſi, publicanda, præcipua hæc fuêre; ut patet ex *Regulâ S. Benedicti* editâ ab Holſtenio, in Codice Regularum, *Tomo* I. V. Gr. quod *Cœnobitæ* voluntati propriæ renunciantes, ambulent alieno judicio & imperio, in omnimodâ *obedientiâ*, ſub *Abbatis* diſciplinâ: Quod *taciturnitatem* obſervare debeant, quia *tacere* & *audire* diſcipulo conveniat: Quod *humilitati* ſtudere oporteat, cujus

Digitized by Google

jus XII. gradus recenſentur, quorum *primus* ſit, Deum ſemper habere ob oculos, &c. Quod *noſturnis* etiam Officiis vacare debeant, quæ dividuntur in *hyberna* & *æſtiva*: Qualiter etiam ſe gerere, diebus *Dominicis*, in *matutinis*, in *Vigiliarum*, *Feſtorum*, *Natalitiorum*, &c. ſolennitatibus: Quod *ſinguli* per *ſingula lecta* dormire debeant, in communi dormitorio, veſtiti, candelâ jugiter ardente: Qualis modus diſciplinæ, Orationum, Lectionum, Cantionum, Pſalmodiarum, dein etiam *correptionis*, *excommunicationis*, *coërcitionis*, eſſe debeat: Quod Monachi nihil omninò *proprium* habeant, ſed omnia omnibus ſint *communia*: Quod ſinguli ſuam *ſeptimanam* per vices, in obeundâ *coquinâ*, aliiſque *miniſteriis*, obſervent: Quod *infirmorum*, *ſenum*, *infantum* habenda ſit ratio: Quod *panis libra* una *propenſa*, ſeu inclinata, ſufficiat in die, quæ Romanis XII. unciarum fuit, undè *ex aſſe* vel *librâ* hæres; ſed quæ ſucceſſu temporis ad *duas libras* cum *ſemiſſe*, Monachis æſtimanda fuit: Quod menſura *potus* per ſingulos dies ſit *hemina vini*, Gallis *un demi-ſetier*, media pars ſextarioli, æſtimatione Romanâ vetere, ſcil. *unciarum* VII. cum dimidiâ, aliis VIII. vel X. ſeculo VI. certè nondum variatum in menſuris Romanis; ut æſtimandæ non ſint ex interpretatione recentiorum: Quod *carnibus quadrupedum* ab omnibus abſtinendum ſit, præter omninò *debiles* & *infirmos*: Quod *manuum operi* quotidiano, certis horis, vacare debeant: Quod pro veſtitu eſſe debeat *cuculla*, & *tunica*, & *ſcapulare* propter opera, item *pedales* & *caligæ*; interdicto litigio *de colore*, ſingulorum tum libertati relicto; poſteà quanquàm *Benedictinorum habitus* (ex Regulâ) fuerit, tunica *nigra*, laxior & diſcincta, ſubter *candida* tunicula linea, cum cucullo: Tùm, quod à *Seculi negotiis* Monachis ſit abſtinendum, ex Chalcedonenſi præſcripto: Quod *Hoſpites ſuſcipiendi* ſint reverenter, & illis proſpiciendum de cibo, potu, lectiſterniis, &c. Et quæ plura ſpectarunt ad ordinem, ac diſciplinam; nullâ tamen *Voti* mentione, quod poſteà eſſentiale Monachorum, puta *paupertatis*, & *caſtitatis*, quæ ex vitæ genere, & Monachali obedientiâ, ſequebantur. Et hanc Regulam propriis manibus Benedicti ſcriptam, ſervatam fuiſſe in Monaſt. Caſinenſi, cum hac clauſulâ: *Codex peccatoris Benedicti; væ mihi miſero habenti contrariam mihi rem, qui reus in omnibus quæ adverſantur moribus meis malis*, &c. habes apud Mabillon. It. Ital. P. I. p. 124. Hinc ſtylum Monachalem intelligas. Ac firmandæ Regulæ, & conciliandæ auctoritati S. Benedicto, mox fabellæ innumeræ venditatæ, & quidem ſub nomine Gregorii I. *Lib.* II. *Dialogorum*. V. Gr. ut puer *capiſterium*, à nutrice confractum, integrum reſtituerit; Ut tentationi carnis ſuperandæ, ſe *urticis* & *vepribus* nudum volutarit; Ut vas vitreum, in quo vinum *veneno* mixtum, porrectum à Fratribus, crucis ſigno fregerit; Ut *aquam* ex *rupe* vel petrâ profluentem oratione elicuerit; Ut *Aquis*, *Saxis*, *Flammis*, *Ventis*, *Dæmonibus*, *Morbis*, imò *Morti* ipſi imperarit, variis Mortuis ad vitam revocatis; Ut detexerit *arcana*, aut *futura* prædixerit, &c. Et quæ ejus farinæ plura continent *Dialogi* Gregoriani, de quibus jam ſuprà *Cap.* IV. Nempè Monachiſmus deinceps totus per Occidentem, & quicquid novarum ſuperſtitionum fuit, fuêre id genus figmentis perſuadenda, Principibus maximè fœminis, & propenſis ad credendum populis. Quorum tamen plurima ſunt à prudentiâ, judicio, gravitate vel Gregorii, vel Virorum qui emunctioris naris eſſent, alieniſſima, ac obfirmatâ jam ſuperſtitione Monachali, conficta. Qui verò mox abuſus inter hos Benedictinos exorti, quæ deflexio à priori Regulâ, in vulgus notum; ſucceſſuro luxu, otio, lautitiis, ſecularibus curis. Hinc occaſio nata novis Patriarchis ſubindè *reformandi*, à quibus novæ Regulæ, nova Nomina, & ampliſſimæ rurſùm Propagines, & ex his aliæ, ὡσεὶ κόνις. Cæterùm à nonnullis obſervatum eſt, inter hujus *Benedicti* exceſſum An. DXLIII. ut plerique, & *Franciſci Aſſiſii* novum inſtitutum, A. MCCIX. interceſſiſſe numerum annorum, qui æquatur Numero *Beſtiæ*, *666*.

4. *Opes* quibus breviſſ. tempore aucti Benedictini, planè regiæ fuerunt. Hinc mox opulentiſſ. Abbatiæ, pingues fundi, inſtructiſſ. horrea, ampliſſimi reditus, divitiæ immenſæ, quibus ditati fuêre immodicis donationibus: Ex *opinione* primùm ſanctitatis, ac meriti, infinitis de Benedicto, Mauro, Placido, vulgatis Miraculis; & præterea ex temporum *ſuperſtitione*, acceſſioneque ad Ordinem eum etiam Regum, Reginarum, Principum, ac tot Illuſtrium, qui ſuas in commune conferrent poſſeſſiones. Adeò ut Volaterranus rectè obſervaverit, Benedictum hunc *Regna* non *Cœnobia* poſteris reliquiſſe, nec peperiſſe *pauperibus hoſpitium*, ſed *Clericis otium atque luxuriam*. Teſtes *Cluniatenſes*, & cæteri. Et tamen profeſſio quædam manet *paupertatis*, & auſterioris vitæ. **Opes ſucceſſuræ,**

Abſurdè autem Baronius, occaſione hujus *Benedicti*, prolixè pro more declamitat de laudibus Monachatûs, perſtringens *infelicíſſimos Novatores*, ad An. DXXIX. *Num.* X. & *ſeq.* Quaſi Monachorum ſecuta in Occidente ſuperſtitio, jam tempore Benedicti obtinuiſſet. Sic in Monachiſmum *Orientis*, ut tùm collapſum, indignatur, inſtaurandum ſcil. in *Occidente*: Quum tamen Oriens *Baſilii* Canones *Aſceticos* longè ſanctiùs ac religioſiùs obſervarit, in hunc diem; & Monachos deinceps Occidentis, ut à primo inſtituto devios, flocci habeat. **Baronius notatus.**

II. Ac eo ferè tempore, referente Balæo in *Centuriis*, ex Britannorum Chronicis, *Cent.* I. in *Congello*, natus alter quoque Monachis Patriarcha (aliis in Britanniæ Cambriâ, ubi civitas *Bangor*, *Banchor*, ſed Uſſerio *Beanchorenſis* Eccleſia & Monaſter. fuit in Hiberniæ *Ultoniâ*) *Congellus* quidam vel *Comgallus*, circà A. DXI. vel DL. *Ab iſto Monachiſmus, ſub ſpecie Religionis, in Britanniâ* (quò ex Ægypto primùm illatus fuerat, per Pelagium) *radices, vires, & incrementa largiſſima cepit, ad alias Europæ Provincias plantaria tranſmittens*; ità Balæus, ab Uſſerio reprehenſus. Nam primum illi Cœnobium Benchorenſe, Beanchorenſe, in Ultoniâ fuit, Hiberniæ regione: & ſub ejus præfecturâ dicuntur aliquot *millia* Monachorum fuiſſe, quibus præfuerit ad an. æt. LXXXV. propriâ ſub Regulâ, nec ad Benedicti illam exactâ, ſed Chriſti ut putabant. Et hoc Cœnobium, *multorum Monaſteriorum caput* dictum eſt Bernardo ClaræVallenſi, citante Uſſerio, *Antiq.* p. 911. Inſtauravit deinceps, à piratis deſtructum, Malachias Hibernus, ut in ejus *Vitâ* Bernardus Claræv. Diverſum ab eo eſt *Bangorenſe* alterum Walliæ Borealis, in Urbe marit. Bangor, non ità longè à Ceſtriâ, Urbe Epiſcopali; quod cum Benchorenſi Ultoniæ aliquando confundunt Guilielmus Malmesburienſis, & alii: Hæc nova Bangoria Uſſerio eſt, quæ ab alterâ nomen accepiſſe videtur. Atque hujus Comgalli fuêre poſteà diſcipuli, *Columbanus* vel *Columba*, Hibernis *Columbkil*; tum *Columbanus* alter Luxovienſis Monaſterii in Burgundiâ, dein Bobienſis in Alpibus Cotiis, conditor: Poſteà *Brendanus*, apud Scotos & Hibernos celebris fundatione Monaſteriorum, qui impleviſſe dicitur annum æt. XCIII. tandem *Gallus* Columbani diſcipulus, ſeceſſurus in Helvetiæ ſolitudines, Hiberni omnes. Et hi pauci Viri ut Hiberniam, Cambriam, Scotiam, ſic Galliam, Burgundiam, Helvetiam, Germaniam, Italiam, Monachorum habitaculis impleverunt. Ac priuſquam in Britanniam appelleret prior *Columba* vel *Columbanus*, nam unum & idem nomen eſt, fundavit nobile in Hiberniâ Monaſterium, quod à copiâ roborum, Scotorum linguâ *Dearmach*, id eſt, **Congellus Monachorum Brit. Pater.**

eſt, roboreti campus, appellatum; dein navigaturus in Britanniam, & Inſulam *Ii*, *Hy* (*Jonam* à *Columbâ* dicendam) ſeptentrional. Pictis ſubjectam, erexit aliud Monaſterium in quo vitâ functus eſt, anno ætatis LXXVII. Chriſti DXCVII. vivo adhuc Comgallo Magiſtro, morituro A. DCI. Vide Chronica, Uſſerium in *Antiquit. Britannicis*, pag. 132. 441. 911. &c. & in Indice Chronolog. Ac *Columbani* Regulam, ſimpliciorem reliquis, deque Columbano judicia, videſis apud Holſtenium, *Cod. Regul.* Tom. I. *Parte* II. Regulas alias, ut *S. Pauli* & *Stephani* Abbatum, *Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi, *Aureliani* Epiſc. itidem Arelatenſis, ad Monachos Cœnobior. quæ ipſi erexerant, item *Ferreoli* Ucetienſis Epiſc: *Donati* Veſontienſis Epiſc. exhibet Lucas Holſtenius, in Codice Regularum, T. I. *Parte* II. & P. le *Cointe* in Annal. Eccleſiaſt. Francorum ad A. 536. 548. Columbani verò Regulam, ſub finem Sec. præſcriptam, ſimpliciorem reliquis, fortè hoc ipſo ſanctiorem, deque Columbano judicia, vide apud eundem Holſtenium, P. II. p. 148. Præſcribit paucis Capitibus has Regulas: *Diligendum Deum* totâ mente, totis viribus, &c. Dein *obediendum* eſſe Senioribus; *modum* ſervandum in cibo, potu, abſtinentiâ, cum diſcretione tamen; *ſilentium*, nempè oppoſitè ad garrulas aut procaces vel detrahentes linguas; *caſtitatem* præcipuè cordis, mentis, cogitationum; *diſcretionem* adhibendam in omnibus, & fugienda eſſe extrema; *mortificationi* ſtudendum, &c. Undè ad hanc explicata fuit Benedicti Regula in multis Monaſteriis, aut utraque conjuncta.

Gregorius Romanus Monachus. III. Sed & *Gregorius* Romanus, hoc ipſo Seculo, *Gregorianis* Cœnobitis nomen dedit, antè Pontificatum adeptum; Seculari dignitate poſitâ, ac Monaſteriis in Siciliâ, proprio in fundo, erectis, dein & intrà Romæ urbis mœnia, in paternâ Domo, cui Abbas præfuit; ex Gregorii *Epiſtolis* paſſim, & *Dialogis*, & ex ejus *Vitâ* in Gregorio Turonenſi, aut in Johanne Diacono. Secutus autem eſt Regulam Benedicti, ſed *palliis* ſuos diſtinxiſſe fertur; voluitque ſuperſtitioſiùs hos adeo ſe abdicare *propriis* omnibus bonis, ut in occultantes eorum aliquid, ſeveriſſimè animadverteret. Quale

Severitas ejuſdem. exemplum legitur in *Dialogis* Gregorii, *Lib.* IV. C. LV. *Tomo* II. qui, ſi Gregorii ſunt, Viri ævique *ſuperſtitionem* mirè probant. Quum enim *Juſtus* quidam, Monachus Gregorianus, in agone conſtitutus, deprehenſus eſſet occultaſſe *tres aureos*, re ad Gregorium perlatâ, primò omni ſermonis conſolatione morientem, ingemiſcentemque, privari voluit; dein Corpus in ſterquilinium projici, cum tribus aureis, additâ imprecatione, *Pecunia tua tecum ſit in perditione.* Hinc XXX. diebus elapſis, quum ſatis *igne* purgatorio *cruciatum* eum putaret Gregorius, præcepit XXX. continuis aliis diebus pro ejus animâ *offerri Sacrificium*; donec defunctus, nocte poſtremâ, à *triceſimâ oblatione*, fratri ſuo appareret, referens ſe illâ die *communionem recepiſſe*, in Purgatorio ſcil. Undè origo *Trigeſimæ* pro defunctis. Hæc vix Gregorii credantur, uti ſexcenta in Dialogis alia. Monaſticam verò Diſciplinam, melioribus Canon. ac legibus temperatam, in *Hiſpanias* primus ferè introduxit *Iſidorus* Hiſpalenſis, ſeq. Sec. in *Regulâ Monachorum*; præeunte Leandro Hiſpal. *Regulâ ad Virgines.*

Degeneratio Monachalis inſtituti. IV. Cæterùm *ſuperſtitio* Monachalis inſtituti, ac degener deinceps in *Occidente* à primâ origine ratio, hoc & ſequentibus Seculis, invito Baronio, ex multis conſtat. Primitùs in Oriente, undè Monachi, ſejuncta à ſe invicem ſingulis habitatio, ut in ſuperioribus dictum, *col.* 975. undè *Monaſterium*, *Laura*, οἰκίσκος. Nunc ampliſſima hoc Ævo *Cœnobia*, communis habitatio, tectum, menſa, unum refectorium, æquè ac dormitorium; aliquot ſæpè centuriis Monachorum concluſis intrà commune Clauſtrum, imò aliquot ſæpè *millibus* ſub unîus Abbatis præfecturâ. Deinde, ad Benedictum uſque, uniformis fuit in *Oriente* & *Occidente* Monachatûs ratio, una Regula, una profeſſio, unum Caput Chriſtus, fatente Holſtenio, in *Diſſertat. Proœmiali*; at deinceps, ad imitationem *Benedicti*, natæ Regulæ, Familiæ, Capita Ordinum innumera. Tùm *victûs* illa auſteritas, in cibo & potu, eoque veſpertino, quo ſolo Monachi utebantur, (*nonâ* ſcilicet vel *tertiâ* pomer. aut *veſpertinâ*, poſt Solis occaſum) abſtinentia illa à carnibus, vino, condimentis, mox in Benedictinis iſtis diſparuit; rigidioribus longè in Oriente Calogeris in hunc diem. Nec primitùs Monachis *veſtium* niſi forma ſimplex, vilis, tunica cum cucullâ, & ſcapulari faciendo operi; nullâ in habitu vel colore creditâ ſanctitate, virtute, nequidem ex Regulâ Benedicti, *Cap.* LV. Secùs ac deinceps creditum, mirâ in *veſtium* formâ & colore diſſenſione, & hoc nomine litigiis. Nulla antè Benedictum *voti inſolubilis* religio, ſub anathematis pœnâ, benè firmum propoſitum, adjuvante Gratiâ: Ut nulli olim *impuberes* admiſſi, improbante ipſo Gregorio, nulli conjugii vincuio colligati, nulli Parentibus ſuis ſubducti, violandis mox ipſo hoc Ævo ſanctiſſimis juribus, vitæ Monaſticæ gratiâ. *Exercitia* etiam fuêre tùm *Sacra*, legendo, orando, pſallendo, alios inſtituendo, undè Scholæ Monaſteria, inſtituente Benedicto; tùm opera *Manuaria*, Benedicto in Regulâ ſuâ laborem manuum inſtaurante, *Cap.* XLVIII. quo nempè ægros quoque, & pauperes juvarent: Hinc procul aberant primitùs ab otio, inertiâ, mendicitate, ac fœdâ ſuperſtitione ſequentium Monachorum, in ſimulato *jejunio*, *oralibus precibus*, *Roſariis*, *Pſalterio Mariano*, *Sanctorum invocatione*, *flagellantium* maniâ, pedibus *diſcalceatis*, ſatisfactionibus pro *defunctis*, &c. Adde, *tonſuram* quidem modicam obtinuiſſe, jam ætate Auguſtini, Hieronymi, eandem quæ Clericorum omnium fuit, capillis circumciſis, coronæ inſtar, ut fusè Thomaſſinus *de Diſcipl. Eccleſ.* T. I. P. II. L. I. C. XXI. *Raſura* minimè hoc Seculo nota, quantum ad Scripta genuina hujus & prioris Ævi; nec enim Nicænos Canones Arabicos moramur: Quomodò Græci Monachi in hunc diem, ſub tonſurâ rotundâ, capillos prælongos geſtant, fatente Morino de *Ordinat. S.* P. III. Denique & Monachi, & Monaſteria hoc adhuc Seculo ſub *Epiſcopali* Regimine & Diſciplinâ, vel ex Gregorio Turonenſi, & Canonibus variis, qui de Monachali Diſciplinâ, in Galliâ cumprimis ſtatuerunt: A tempore verò *Gregorii* I. ſenſim ſubducti Epiſcopis Monachi, & Abbatum juriſdictioni, in iis quæ intrà Clauſtra admittebantur, ſubjecti fuerunt. Nec *Abbatum* honos primitùs, ſed onus fuit; nec variaturæ in infinitum *Regulæ*, uti poſteà; mirè in his aliiſque abituro à ſuâ origine inſtituto. Proxima verò remiſſionis Monachorum, & corrupti inſtituti, cauſa non una fuit. 1. Ingens *opum* acceſſio, indè *luxus*, mollities, otium; quando cœperat à paupertate & humilitate hoc vitæ genus, & ab abſtinentiâ: Dein ex ſervis Dei, facti Mammonæ famuli, ſed & ventri ſervituri. 2. Ingens multitudo *Monaſteriorum*, *Regularum*, *Ordinum* Monachalium, & indiſcreta admiſſio Cucullatorum; maximè ex quo tonſurati Reges, Principes, & permixti Monachis Seculares. 3. Degenerans ſenſim in externas *Obſervantiarum* minutias inſtitutum, uti Religio tota in ἐθελοπερισσοθρησκείας, & cultus ſuperſtitioſos, abiit. 4. Sic *Abbatum* deinceps munus abiit in *Dignitatis* nomen, pabulum cùm ambitionis tum avaritiæ, quæ in eo genere hominum ſumma eſt. 5. Acceſſit deinceps inſcitia Monachalis, & ignorantia etiam literarum, magis ſcientiarum, & cumprimis Sacræ. Sed de his, ac Monachiſmi progreſſu, ad Secula ſequentia.

Cauſæ degener. Monachat.

V. Ad-

Digitized by Google

Monialium Monaſteria, ſub Novis Regulis.

V. Adde multiplicata hoc primùm Ævo Monaſteria *Virginum*; non jam *velatarum* ſimpliciter, ut olim, ſpontaneâ religione, quæ hinc Velatæ, Caſtimoniales, Sanctimoniales, Aſceticæ, Sorores, Nonnæ dictæ, & Solitariæ: Sed Virginum, *recluſarum* in perpetuum, in clauſtris ſeu Monaſteriis, ingentibus catervis, inſolubili voto, ſæpè tenellâ ætate, ab anno *ſexto*, *ſeptimo*, ut in Regulâ Cæſarii Arelat. *Cap.* v. Quæ ſcripta Virginib. conditi à ſe Monaſterii, quibus Cæſariam ſororem ſuam præfecit, ſub nomine *Matris*, *Prapoſita*, *Abbatiſſæ*; Græci ex Syriaco Α'μμὰν vocarunt, ſcil. τὴν πνευματικὴν μητέρα. Sæpè autem recluſæ hæ Virgines animo repugnante, aut invitis parentibus, aut ſubiturâ mox à voto pœnitentiâ, ſed negando *uſque ad mortem* egreſſu, ſub anathemate, ex Regulâ *Cæſarii Cap.* 11 Etiam mediis in ignibus concupiſcentiæ, aut ex honeſto Conjugii deſiderio. Hinc præſcriptum poſteà variis Conciliis & Capitularibus, ne *Virgines velentur* antè xxv. ætatis annum. Admittendæ quoque fuerunt, ex Regulis, quæ *maritis relictis* ſacrum illud vinculum diſſolverent, modò *facultates* omnes ſuas inferrent, Regulâ iv. Cæſarii, & aliis. Undè hujuſmodi *Monaſteria*, quæ primò pio inſtituto erecta, & ſanctis præceptionibus munita, ut ex *Cæſarii*, & *Aureliani* Regulis liquet, mox evaſerunt officinæ nefandarum artium, rearum aſyla, hæreditatum voragines, patrimoniorum gurgites, nec remedia libidinum ſed fomenta, ac cuſtodiæ vi ſæpè perfringendæ; quæ hoc ipſo Sec. Gallicanas Synodos exercuerunt, apud Gregorium Turonenſ. *Lib.* ix. & x. *Hiſt.* Francorum. Ac prima *Radegundis* Regina, erecto hujuſmodi Monaſterio in Pictaviorum urbe, cui præfecit *Agnetem* ſororem ſuam, incluſiſque Principibus fœminis, præſcripſit iis Regulam quæ dicitur *Cæſarii* Arelatenſis, confirmandam in Synodo Turonenſi ii. ſub Chariberto, A. dlxvii. ex Actis hujus Synodi, *Tomo* v. & ex Gregorio Turon. Mox Abbatiæ hujuſmodi, & Regulæ plures, ſed ab *Epiſcopis* adhuc præſcriptæ, quibus ſubfuêre ex *Conc.* Arelat. v. *Can.* ii. uti Aureliano Arelatenſi, Donato Veſontienſi, Leandro Hiſpalenſi, in *Codice Regularum* P. iii. augendæ miris ſuperſtitionibus ſecuturâ Ætate. Nondùm tamen *tonſura* hoc Ævo, Cæſarii regulâ, fuit in Virginibus requiſita, minùs *raſura*, quæ poſteà in pœnam ceſſit. Sed non diu ſtetit, hoc recluſarum Virginum & Viduarum inſtitutum, intrà Regularum ſanctitatem rigoremque, undè frequentes querimoniæ.

Juſtiniani Leges de Monachis.

VI. Conſimiliter in *Oriente* variæ à Juſtiniano leges conditæ, quibus Monaſticæ vitæ, in utroque ſexu, determinata ratio fuit. Ità *Novellâ* v. & cxxiii. C. xxxv. &c. Monachos vult, v. gr. *per triennium totum* probari, antequam Monaſticum habitum aſſumant: Sancit ut Monachis eſſet una domus, unum cœnaculum, unum dormitorium, ut *teſtes eſſent alterutris caſtitatis* & *honeſtatis*; exceptis ſenibus, vel infirmis: Decernit ut bona, ſi quæ habeant, cedant Monaſterio, niſi de iis diſpoſuerint *antequam Monaſterium ingrediantur*: Lege ſancit idem Imperator, ut qui *Monachus* fuit, ſi poſtmodùm fiat *Clericus* & ad nuptias tranſire præſumpſerit, omninò ne fiat, & talis *excludatur omnibus modis à Clero*, & privatus maneat: Item, ſi Sponſus, Maritus, aut Uxor, ingrediantur Monaſterium, hoc ipſo *ſolvantur ſponſalia*, & *matrimonium*: Si etiam liberi vel parentes relinquant Secularem vitam, *Monaſticam* ſubſecuti, interdicit Juſtinianus eapropter *excludi ab hæreditate*, &c. Et quæ ibi plura de Monachis: Duris quidem legibus reſpectu patrum, aut uxorum, aut maritorum, qui ità poteſtate ſuâ exuerentur, per amplexum in alterutro Vitæ Monachalis. Porrò Monachi pallio uſi in Oriente, talari ſed vili, undè à veſte raſâ, detritâ, quæ lanam aut pilos non haberet, ῥάκον Græcis, dicti ῥακοφόροι, & ῥακενδύται, vel etiam ῥακενδύται. De quâ voce Salmaſius, Meurſius, Menardus, Goar, Cangius, Cotelerius Monum. Gr. T. iii.

Stylitæ ſuperſtitio.

VII. Nec tacenda quæ in Oriente viſa eſt ſuperſtitio, eorum Eremitarum qui ἐπὶ κίονος vel στύλῳ *in columnâ* ſtantes, in ſummis montium verticibus, aëris omnibus injuriis expoſiti, etiam rigidiſſimâ hyeme, dies omnes vitæ agerent: Qualis ille *Simeon Stylites* junior, (ad diſcrimen alterius Stylitæ ſub Theodoſio Juniore, de quo Seculo v. *col.* 976.) uti refert Euagrius, *Hiſt. Lib.* vi. C. xxiii. vivo adhuc Gregorio Epiſcopo Antiocheno. Nempe hunc annos totos lxviii. in hujuſmodi *ſtatione* exegiſſe ferunt, ad quem (ut erat vitæ adeò auſteræ meritum) undequaque confluerent, qui Dæmones abigeret, morbos quoſvis ſanaret, futura prædiceret, imò quod magis eſt, qui *cogitationes animi introſpiceret*: Ut de ſe ipſo teſtatur eo in loco Euagrius, Stylitam è Columnâ ſuâ τὰς αὐτοῦ λογισμοὺς θεωρήσαντος, ad ipſum ſcripſiſſe, ut *iſtis cogitationibus abſtineret*. Baronio ſunt omnia *certa*, *indubia*, Deo noctem temporum his facibus illuſtrante. Inprimis ob ſuperſtitiones de hoc Simeone ſcriptas, etiam in *Actis* Nicænæ ii. Synodi, in favorem *Crucis*, *Imaginum*, adversùs *Iconoclaſtas*, ad A. dlxxiv. N. vi. vii.

Euagrii narratum.

XIV. *Memorabilia quædam miſcellanea, ad Hiſtoriam hujus Ævi pertinentia.*

Æra Dionyſiana. Coſſ. illa abolita quando?

I. Huc referenda eſt, inter cætera, origo *Æræ Chriſtianæ* per Dionyſ. Exiguum, Abbatem Romanum, qui primus annos à Nativitate Chriſti, vel ab Incarnatione Domini, ſupputare docuit, circà An. Chr. dxxxii. imperante Juſtiniano. Idem de Ratione Feſti *Paſchatis*, deque *Numero Aureo*, ut ſuprà fuſiùs in Chronologicis *Parte* i. tradidit. Suppoſuit autem Dionyſius, Chriſtum *incarnatum* & *natum* quoque, Olymp. cxciv. An. iv. Auguſti exeunte A. xliii. Juliano xlv. V. C. dccliii. Cyclo Sol. exeunte ix. Lunæ i. Quo anno mortuus jam fuiſſe creditur *Herodes*, de quo in *Chron.* P. ii. C. xv. Hinc collatione factâ cum Hiſtoriâ Euangelicâ, & cum calculo Euſebiano, deficere Æram Dionyſii perſuaſum Chronologis omnibus. Et hodie quidem perſuaſum pleriſque eſt, poſt Joh. Deckerum, Dion. Petavium, ut e. gr. Ægid. Bucherio, Henr. Noriſio, Antonio Pagio, Auctori Antiquitatis temp. Reſtitutæ, H. Dodwello, Rigordio Gallo, item Paulo Perzon Doct. Pariſino, &c. deficere Æram Dionyſii annis vi. vel v. ad minimum: Quod inprimis colligunt ex Nummis Q. *Vari*, qui ſucceſſit Sentio Saturn. Ærâ *Antioch. Auguſtanâ* xxv. & ex Nummo Herodis *Antipæ*, cujus anni procedunt à morte Patris, & quidem Juliano xlii. Auguſti xl. V. C. dccl. Sed Chriſtum natum eſſe antè mortuum *Herodem* M. ex Hiſt. Euangel. conſtat; de quo *Chronol.* noſtra *P.* ii. *Cap.* xv. xvi. & Tabula ibi annexa, cum Obſervationibus. Ratio autem Dionyſio condendæ hujus Æræ Chriſtianæ, inter alias, hæc fuit; quod in poſterum Faſti Conſulares, imperantibus in Occidente Gotthis, turbarentur, prout A. C. dxxxi. tam Oriens quàm Occidens *ſine Conſulibus* fuit. Et paulo poſt A. C. dxxxv. *Conſules* in Occidente planè deſierunt, imitaturis dein Orientalibus; à quibus *Æra Conſulum* fuit abolita, A. dxli. poſt Conſulatum Baſilii Junioris: Undè in Faſtis legas, poſt Conſulat. Baſilii anno *quinto*, *decimo*, *viceſimo quarto*, quo anno mortuus eſt Juſtinianus, *Chriſti* dlxv. *Novemb.* iii. Reſtituit tamen notationem *Conſulatûs*, in Faſtis Byzantinis, Juſtinus Junior ſucceſſor Juſtiniani; ſed ità ut *Conſulatus* ad Imperat. tranſierit, & quidem ſolum,

Digitized by Google

ſine Collegâ V. gr. *Anno* II. III. IV. &c. *poſt Conſulatum Juſtini ſolius.*

Juris Romani Collectio.

II.* *Juris Juſtinianei* incunabula, ſeu Romani Veteris ac Cæſarei ordinata Collectio, auſpiciis Juſtiniani, facta, nec infelicibus. Quicquid Romani Pontifices anathema dixerint Clericis, Monachis, Juri Juſtinianæo operam dantibus; & Procopii ἀνεκδότοις præcipuè inducti, Budæus, Alciatus, Ant. Faber, Balth. Bonifacius, Ant. Contius, P. Gregorius Toloſanus, Franc. Balduinus, Fr. Hottomannus, Cæſ. Baronius, & alii plures, in Juſtiniani hoc inſtitutum parum æqui fuerint. Dux operis *Tribonianus* J. C. Quæſtor & Magiſter Officiorum, per convitia & laudes inceſſurus; Heſychio Mileſ. L. de Viris Illuſtr. dictus Ἕλλην τε καὶ ἄθεος, à plerisque (poſt Procopium) fœdæ *aſſentationis*, & ſordidæ *avaritiæ*, poſtulatus; ab omnibus verò, ipſo Procopio, Suidâ, habitus Vir doctrinâ, moribus, diſciplinâ omnium artium, manſuetudine, humanitate, nulli ſecundus: *Paganus* cætera dicitur, ſed ab Hub. Giphanio à Paganiſmi labe immunis pronunciatur. Adhibitis præterea Viris aliis Illuſtribus & præſtantiſſimis, laboris Sociis, *Conſtantino* Comite Sacr. Largitionum; *Theophilo* inclyto J. perito & Legum Doctore; *Dorotheo* V. Illuſtri, qui in Berytenſium Civitate Leges Diſcipulis tradiderat; *Anatolio* Viro Illuſtri, & Magiſtro, &c. ut videre eſt *Tit.* de Confirmatione Digeſtor. Vulgatum eſt hunc ipſum Tribonianum, inſigniter adulatum, perſuaſiſſe Juſtiniano, fore illum etiam corpore *immortalem*, & credi vellet Annalium Scriptor, ex Heſychio Mileſio, ad A. DXXIX. Nempè ex Procopio conſtat, Hiſt. Arcanæ *Cap.* XIII. Tribonian. aliquando dixiſſe, nec profectò intelligendum ad literam, *ſe vereri, ne propter pietatem ſubitò in cœlos raperetur*, quod de animâ & corpore interpretati. Fabellæ originem alibi oſtendimus, ex patrocinio *Incorruptibilitatis*, de quâ ſuprà C. IX. etiam ex *Æternitatis* attributo, familiari Imperatoribus, & Juſtiniano.

Codex Juſtinian.

Primò igitur, ut ex Juſtiniani *Conſtitutionibus* liquet, confectus *Codex* eſt, initio ferè imperii Juſtinianæi, *Decemviris* ad eam rem delegatis, viris Illuſtribus, quos inter præcipuus Tribonianus, dein Theophilus, Dorotheus, & alii: Conflatum opus in *Hebdomo*, loco ſuburbano, ubi Palatium fuit, in quo Sacrum *Conſiſtorium* noviter conſtructum à Juſtiniano, unde novum Conſiſtorium L. XXII. de S S. Eccl. & alibi; ubi & *Tribunal* Hebdomi, & in quo agitata *Silentia*: Et frequentes eò facti *proceſſus* ſeu ſeceſſus Juſtiniani, ad caput Sinûs Ceratini, in loco edito, ut liberiore aurâ fruerentur; & indè fortè nomen Μαγναύρας, *Magnauræ*, de quâ vide Codinum, & ex eo Cangium, de *Conſtantinopoli Chriſtianâ*. Conflatuſque eſt Codex Juſtinianæus ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, ac Juſtiniani Conſtitutionibus; idemque poſteà augendus, ex Cæſarum illis indè ab *Hadriano*. Promulgatus eſt hic *Codex* primò quidem A. DXXIX. Conſ. *Decio* ſolo in Occid. dein iterata promulgatio Quinquennalibus Juſtiniani, poſt Conſulat. Lampadii & Oreſtis, ex Marcellini *Chron.* A. DXXXI. Renovatus poſtmodùm Codex per modum *repetitæ prælectionis*, adjunctis novis Conſtitutionibus, A. DXXXIV. Juſtiniano IV. & Decio Theod. Paulino Coſſ. IV. *Kal. Jun.* ex Chronico Alexandr. & ex lectione Cangii in *Not.*

Pandectæ & Inſtit.

Tùm *Pandectarum* compoſitioni, quæ Jus omne Romanum complecterentur, ſeu *digeſtioni* Romanæ prudentiæ in L. Libros, per immenſa antè volumina diſperſæ, undè *Digeſtorum* Libri, triennium datum eſt à XVI. viris: Abolitis illis ipſis Codicibus, ex quibus contexti Digeſtorum Libri, multiſque etiam legibus in Chriſtianos, ſub *Paganis* Principibus, quas inter Ulpianeæ quædam, ut nos ad Seculum III. Hinc IV. *Inſtitutionum* Libris Jus omne Romanum contractum eſt, per Theophilum & Dorotheum, Triboniano interim duce: Abſolvendo Opere utroque, Digeſtorum & Inſtitutionum, intrà *quadriennium* ferè, & publicando Juſtiniani Aug. III. Conſulatu, A. D. DXXXIII. poſt reductam eo anno Africam univerſam, *Decembri* menſe.

Novellæ.

Quibus acceſſerunt tandem *Authentica*, ſeu *Novellæ* Juſtiniani ipſius Conſtitutiones, Græcè editæ, cum quibuſdam aliis Juſtini & Tiberii Imperatorum. In quo Jure noviſſimo plurima quæ leges priores abrogarent, in Materiâ de *jure Agnatorum*, de *Præſcriptione*, &c. Sic infinita quæ ad *Fidem*, *Hæreſes*, *Ritus*, *Diſciplinam*, *Regimen*, ſpectant; quæ ad *Metropoles*, *Provincias*, *Diœceſes*; quæ ad *Ordines* omnes & Dignitates Sacras, ad *Eccleſias*, *Clericos*, *Monachos*, *Officiales*; quæ ad ſpeciales cauſas, v. gr. depoſitionis *Anthimi*, evectionis *Juſtinianæ Primæ*, prærogativarum *Romanæ* Eccleſiæ, *Conſtantinopolitanæ*; ità Carthaginenſis Eccleſiæ, cujus Epiſcopo contulit *jus Pontificis*, id eſt, τὸ ἀρχιερωσύνης δίκαιον, & urbem *Juſtinianam* à ſe dici voluit. Totum itaque Jus Juſtinianæum conſtitit, Libris *Iſagogicis*, quales ſunt illi Inſtitutionum; *principalibus*, quales ſunt Libri Digeſtorum & Codicis; tum *acceſſoriis*, quales Authenticæ & Novellæ Conſtitutiones. Plura Juriſconſulti, & nos in ſuperioribus *Cap.* VI. VII. VIII. X.

Arianiſmus profligatus.

III. Pulſio *Arianorum* ex *Hiſpaniâ*, facta à ſucceſſore Leowigildi: Qui Leowigildus Arianiſmum reduxerat in Regno Gallæcienſi Suevorum, & Catholicos Epiſc. acerrimè perſecutus fuerat; ſævus in filium proprium Heminigildem, quem Conjux ope Leandri Hiſpalenſis ad Catholicam Fidem perduxerat: Undè *Herodis* nece filii, *Neronis* Orthodoxorum perſecutione, imaginem expreſſit. Hinc *multos terroribus ſuis in Arianam Hæreſin, & peſtilentiam impulit; auſus quin etiam rebaptizare Catholicos, non ſolùm ex plebe, ſed etiam ex Sacerdotali dignitate*, ut Iſidorus in Chronico Gotthorum. Primuſque hic inter ſuos *Regali veſte opertus*, *ſolio reſedit*; *nam antè eum & habitus & conſeſſus, communis ut Genti, ita & Regibus erat*, teſte eodem *Iſid.* Reccaredus diſſimilis Patri mox ab hujus obitu, A. DLXXXVI. cum totâ Viſi-Gotthorum gente, Orthodoxam Fidem profeſſus eſt, Synodo Toletanâ III. ad id indictâ, Anno DLXXXIX. de quâ ſuprà. Et hic Arianiſmo penitus profligato, nomen obtinuit Regis *Catholici*; poſteà etiam *Alphonſus* I. ejus imitator, ob reſtitutam religionem, fundatas Eccleſias, inſtitutos Epiſcopatus, fuſoſque Saracenos, circà An. DCCXXXVIII. Adde pulſos *Arianos* ut Galliâ *Burgundicâ*, converſione Sigiſmundi; ſic exactos *Africâ*, *Italiâ*, *Siciliâ*, ſub Juſtiniano Imp. etiam *Longobardiâ*, operâ Theodelindæ viduæ Authari Longobardorum Regis, gente Boiaræ, prudentiſſimæ piiſſimæque Principis: Quæ electo in maritum & Regem *Agitulpho*, permittentibus Longobardis, eum de Ariano Catholicum reddidit; ad quam Gregorius Romanus *Libros* IV. de Vitâ Sanctorum, *Dialogos* dictos, miſiſſe fertur apud Paulum Warnefridi, *Lib.* IV. C. V. Quod ſi ità eſt, mirè illi Dialogi poſteà interpolati, nugis & fabulis aucti fœdatique, quæ ſapiunt poſteriorem ætatem.

Mos coronandi & ungendi Reges & Imperat. quando cœpit.

IV. Hoc Seculo primum exemplum coronatorum à *Pontifice* Imperatorum Regumve, exhibet *Juſtinus Senior*, quem Johannes I. Papa, Conſtantinopolim ablegatus à Theodorico, A. DXXV. precibus adhibitis, ſuis manibus coronavit, ut Anaſtaſius in *Vitâ* Johannis. Poſteà *Juſtinus Junior* Ann. DLXVI. ſucceſſurus Juſtiniano, ab Eutychio Patriarchâ Coronam accepit; quum pridem Auguſti, & Barbarorum Reges, nonniſi Diademate frontem cingerent, illudve vertici imponerent. Hoc exemplum alii deinceps Patriarchæ ſecuti ſunt, atque ita coronandorum Cæſarum, hinc Regum, munus ad *Pontifices*

Digitized by Google

fices tranſlatum eſt. Ac in Regibus Gothicis primus creditur *Leowigildus* cum Regio cultu & Coronâ apparuiſſe, A. Ch. DLXVIII. quanquam Coronæ non meminerit Iſidorus: *Unctio* verò Regia adhibita primùm à Regibus *Viſigotthorum*, quorum regnum electivum eſſet, ſumpta unctione è Veteris Teſtamenti diſciplinâ, ubi Dei juſſu in Reges inuncti fuerant Saul, David, Salomon, Jehu, *oleo* quidem communiore, quàm erat illud quo Sacerdotes ungebantur, *ſancto* tamen appellato, *Pſal.* LXXXIX. 21. Num Maccabæorum Reges *unctione* fuerint uſi, Ariſtobulo Joh. Hyrcani filio Regium diadema primo omnium aſſumente, nec Joſephus dicit, nec exempla Seleucidarum, vel Ptolemæorum, de quorum unctione nihil Hiſtoria, credere ſuadent. Primus ergò unctus putatur Chifletio, Unctione Regiâ, *Reccaredus* I. Gotthorum Rex, poſtquam patris exemplo, qui Regnum ampliarat, adjecto Suevorum Regno A. DLXXXV. *Coronam*, & ut addunt *unctionem* præviam admiſit, Miniſterio Toletani Præſulis, tranſmiſſurus ad Succeſſores, contendente Joh. Jacobo Chifletio, in *Diſquiſitione* de Ampullâ Rhem. p. 78. Sed ſequenti Ætate expreſſius eſt *unctionis* illius exemplum, in *Wambâ* Gotthorum Rege, circà A. DCLXXII. ex *Chronico* Bruxellenſi; tum in Francis Regibus, & Imperatoribus, poſtquam Pontifices, præcipuè Romani, has ſibi partes vindicarunt. *Clodovei* unctionem fuiſſe *baptiſmalem*, non unctionem Regiam, anteà viſum ex Avito Viennenſi, & Hincmaro Rhemenſi, *col.* 1044. & 1139.

Calamitates cœlitùs immiſſæ.

V. Gravia fuerunt, quibus Deus Eccleſiam & Rempublicam afflixit, mala, præter ſuperiores perſecutiones, vaſtationes, hæreſes, certamina, bella; Româ ipſâ bis à *Totila* Gotthorum Rege captâ, poſt quem *Theias*, ultimus Gotthorum, armis Narſetis brevi ceſſurus fuit.

Hujuſmodi fuit *peſtis* horrenda, Juſtiniani ævo, quæ Euagrio teſte, *Lib.* IV. C. XXIX. ab Æthiopiâ & Ægypto totum Orbem pervagata, LII. annos duravit, & Conſtantinopoli aliquando X. hominum millia unâ die abſumpſit, ex Procopii fide, in Libris de *Bello Perſ.* Labem illam fuſè uterque dictus Hiſtoricus deſcribit, & Paulus Diaconus, de Geſtis Longob. *Lib.* II. Sed Hiſtoriam *fabellis* conquinant Græci & Chronographi recentiores, Nicephorus, Cedrenus, Sigebertus, alii, & ex iis (ut ſolet) Baronius: Ex. gratiâ, Conſtantinopolim miraculo liberatam iſtâ lue, beneficio *Dei Genetricis*; *quod licet neque à Procopio neque ab Euagrio recenſeatur, haud tamen oblivione ſepultum penitus relictum eſt*; inquit Baronius ad A. DXLIV. N. X. Nempè, *tanti beneficii* recolendâ memoriâ, die feſto anniverſario *in honorem ejus inſtituto*; cujus Feſti *Gelaſius* in *Occidente fundamenta jecerat, quando Lupercalia penitus abſtulit*; atque Dei Genitricis feſtum in Lupercalium locum ſubſtituit. Hæc ille; qui uti paſſim quicquid calamitatum eſt pœnarumque, adſcribit factis contrà auctoritatem ac jura *Romanorum Pontific.* ità quicquid beneficiorum eſt, ac liberationum, adſcribit imprimis *Mariæ Virgini*, tùm & Sanctis, Reliquiis, Ligno Crucis, Imaginibus, ac ſimilibus ἀλεξικάκοις.

Baronius notat.

Rursùs ſæviit peſtis altera, inguinaria dicta ab inflatis ſubitò inguinibus, ſub finem Seculi, Mauricio imperante. Cumprimis oritura illâ *Romæ* & in *Italiâ*, Pelagio II. (qui eâ peſte obiit, ut Greg. Turonenſ. Marianus, Sigebertus, &c.) & Gregorio I. Epiſcopis, de quâ ipſe Gregorius in *Epiſt.* & alter Turonenſis *Lib.* X. C. 10. Tum præſentius nullum, ex Baronii, Binii, & Mariolatrarum ſententiâ, remedium fuit, quàm in auxilio Virginis, Reliquiarum, Crucis, Proceſſionum: Vel in *Litaniâ Septiformi* à Gregorio inſtitutâ, de quâ diximus ſuprà *Cap.* IV. *col.* 1075. & poſt Gregorium Turonenſem, pluribus Durandus in *Ration.* L. VI. C. CII. ubi de *Litaniis* agit ex profeſſo. Sed infirmum remedium eſſe in ipſo quidem *Proceſſionis* actu, docuit exemplum Pelagii, qui *in ipſâ Proceſſione cum ſeptuaginta aliis expiravit*, ut ibidem Durandus. Quâ occaſione Marollius, ad Gregorium Turonenſem *Lib.* X. C. I. *Indulgentiæ* (inquit) *plenariæ, & magna Jubilæa, nondùm eo tempore in uſu*; aliàs & in his præſidium futurum fuiſſe.

Fabula de Origine ſternutat.

Porrò de hac poſtremâ lue referunt, homines plerumque *ſternutando* animam efflaſſe, undè mos introductus fuerit, *ſternutantibus* illicò acclamandi cum voto, *Deus adjuvet te! & abindè hæc adhuc conſuetudo ſervatur*, ut Durandus. Sed morem illum reverà *Paganæ* ſuperſtitionis jam olim fuiſſe, capientis omen ex Sternutatione, hinc acclamantis ζεῦ σῶσον, ut Latini *Salvere* jubebant apud Petronium, ac *Tiberius* etiam ſternutans hanc ſalutationem exegit, apud Plinium *Lib.* XXVIII. C. II. pridem à Salmaſio & Eruditis obſervatum eſt. Addo & *Judæis* quoque in more fuiſſe poſitum, ut fauſtâ precatione occurrant *ſocii* ſternutantibus, vel ſibi ipſi precentur חיים, vel חיים טובים, *vitam*, vel *vitam bonam*, aut ſalutem. Sed *fabulam* addit Judaicam R. Eliezer, in Pirke-Aboth C. LII. antè *Jacobi* mortem, cùm quis in viâ vel plateâ ſternutaret, *animam è naribus ejus egreſſam*, היה אדם עטש ומת. Aſt Jacobum rogaſſe Dominum, *ne ſumeret animam ejus*, donec Filiis ſuis extrema mandata dediſſet: Idcircò teneri hominem dicere in ſuâ ſternutatione חיים, & in *ſternutationibus ſuis lux ſplendebit*, Jobi XLI. 9. Dein uti illâ lue hoc Sec. graſſante *ſternutantes*, ſic etiam *oſcitantes* occumbebant, unde & *oſcitantes* forent voto ſalutandi; quales quoque mortuos concidiſſe, referunt expreſſè Polydorus Vergilius, de Votis & Litaniis *Lib.* VI. C. XI. & Durandus in *Rationali*, de Rogationibus, *Lib.* VI. *Cap.* CII. *Rursùs cum tunc aliquis oſcitabat, frequenter ſubitò ſpiritum emittebat; undè cum aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuò ſignum ſibi imprimere feſtinabat, quæ conſuetudo ſimiliter uſque hodie obſervatur.* Quas quidem corporis affectiones ex ratione phyſicâ potiùs deducit Polydorus, loco cit. Nec probavit ſuperſtitionem ipſe Annalium Scriptor.

Antiochia Theopolis, & quare?

Portenta id genus, Terræmotus, Cometas, alia prætermittimus, apud *Memorabilium* Scriptores, & Magdeburgenſes *Cent.* VI. Mirum *Antiochenæ* Urbis fatum refertur, ſubitò terræmotibus & incendio divinitùs concuſſæ ac proſtratæ, apud Euagrium, *Lib.* IV. C. V. Tempus notat Hiſtoricus, annum Juſtini Senioris VII. menſem X. in menſe *Artemiſio*, qui Maio Romano reſpondet apud Syro-Macedonas; quanquam annum Juſtini VIII. fuiſſe, *Olybrio* ſolo Conſ. in Occidente, A. Chriſti DXXVI. ex Marcellini *Chron.* & Theophanis Chronographiâ, probet Valeſius. A quo Urbis infortunio alterum diſtingui debet, quod XXX. poſt menſibus accidit, *Novembri* menſe qui Δῖος Syro-Maced. Anno Chriſti DXXVIII. Et ab hoc tempore Θεȣ̃ πόλις, *Theopolis*, dici Scriptoribus conſuevit, ipſi Juſtiniano ſic appellanda, ob ſervatas Urbis *reliquias*, teſte Euagrio *Lib.* IV. C. VI. & Theophane in *Chronico*, ad A. I. Juſtiniani. Ac ſi Cedreno, aut Nicephoro fides, ad præſcriptum *foribus* Antiochenis *Chriſti nomen*, ex conſilio Viri religioſi, cui id Oraculo revelatum fuiſſet. Et à Juſtiniano quidem inſtaurata fuit, marmorea quaſi reddenda, Ædificiorum ſplendore, fuſè apud Procopium *de Ædif. Lib.* II. Poſtmodum à Choſroë Perſar. Rege, imperante Juſtiniano, *Antiochia* penitùs deſtructa, & in cineres redacta fuit, deſcribente Urbis calamitates Procopio de *Bello Perſ.* L. II. C. X. in cujus locum novam Urbem ſtruxerit, *Choſro-Antiochiam*. Tum Urbs eadem novo terræmotu concuſſa, A. DLXXXI. ſub Tiberio Imperat. Quâ occaſione refert Euagrius *Lib.* V. C. XVIII.

Ejus Urbis caſus.

Ana-

Digitized by Google

Anatolium Exconſulem, & Curatorem Ædium Imperat. ut Agathias *Lib.* v. accuſatum quod *ſacrificaſſet Diis*, & in carcerem compactum; dein comparere juſſum coram Tiberio Imper. ſe convertiſſe ſupplicem ad *Imaginem Deiparæ*, quæ ſuſpenſa erat in carcere; ſed hanc, deteſtatam impium Anatolium, *faciem ſuam penitùs retrò avertiſſe.* Addit Hiſtoricus *apparuiſſe Deiparam* interdiu nonnullis Fidelium, conqueſtam τῷ αὐτῆς υἱῷ τὸν Ἀνατόλιον ἐνυβρίσαι; undè beſtiis objectus in Amphitheatro. Sed Euagrii paſſim de *Imaginibus* Fabellas, v. gr. ſpecie de *Imagine* θεοτόκῳ quæ Edeſſam ſervaſſet, de quâ noſtra Hiſt. Imagin. *Sect.* VI. aut alteram de *Ligno Crucis*, cujus beneficio, poſt *adoratum* illud, ſervatam dicit miraculo Urbem Apamenam (quod Lignum vocat τῆς ἀρχαίας κατάρας ἐξαλειπτήριον) jam alibi notavimus, ex *Lib.* IV. C. XXVI. XXVII. Procopius idem refert de *Ligno Crucis*, *Lib.* II. de Bello Perſ. C. XI. cujus nempe *ſegmentum*, Apameam delatum ab homine Syro clàm quidem ac furtim, idemque in thecâ auro & gemmis ornatâ repoſitum, adveniente jam exercitu Choſroïs, & inſtante plebe Apameenſi, à Thomâ Urbis Epiſc. oſtenſum omnibus fuerit, ac ſuprà illud apparuerit inſolitum jubar: Sed, his nihil obſtantibus, direptos Urbis *Sacros Theſauros*, quibus maximè inhiabant Perſæ, ſolo illo ſegmento *Ligni Crucis* relicto Thomæ & Apameenſibus.

Lignum Crucis an ſervaverit Apameam.

Longobardorum in Italiâ Regnum.

VI. Inter memoranda hoc Seculo, eſt Regnum *Longobardorum* in Italiâ erectum, Alboino Rege, circà An. DLXX. Gens fuit ex Scandinaviâ primò egreſſa, dein Saxonibus permixta, quæ anteà *Winili* vel *Vinuli*, dein *Longobardi*, variâ vocis originatione: Sed Paulo Warnefridi Diacono, genere Longobardo, ſic dicta, ab intactâ ferro barbæ longitudine, de Geſtis Longob. L. I. C. X. confirmante Ottone Friſingenſi de Geſtis Friderici L. II. C. XIV. nec repugnante Carolo Sigonio, de Regno Italiæ, *Lib.* I. Hæc Gens in Pannoniam delata, ſub Aidoino Rege IX. patre Alboini, tandem poſt deletos *Gepidas*, qui initum cum Longobardis fœdus violaverant Cunimundo Rege, cogitavit in Italiam, exactis in Pannoniâ annis XLII. Occaſio fuit; partim *Narſetis* ſollicitatio, ut Romanis adversùs Gotthos ſuppetias ferrent; reverà indignato Narſete quod Conſtantinopolim per literas revocaretur, clàm à Romanis delatus apud Juſtinum Juniorem, An. DLXVI. Partim ſæva lues, (quæ à tumore circà inguina nato, ſeu glandulis magnitudine nucis, undè ſequebatur intolerabilis æſtus, *inguinaria* appellata eſt) Italiam ſic depopulata, ut quiſque à proximis relinqueretur inſepultus: Hæc inquam non dubitare ſiverunt Alboinum, quin oblatam ſibi occaſionem arriperet, incultos Pannoniæ colles, cum Italiæ opimis & fertilibus agris commutandi. Ità delatus fuit in Italiam Alboinus, cum Longobardorum Gente, quibus permixti Hunni, Heruli, Gepidæ, Sarmati, Pannonii, Suevi, Saxones, & Barbari alii, Juſtino Juniore imperante, A. DLXVIII. Pannoniâ Hunnis attributâ. Mox Venetiæ atque Iſtriæ fines ingreſſus, Aquilejam & Forum-Julii cepit, ac Ducatum Foro-Julienſem inſtituit; tum A. DLXIX. Vicentiam, Veronam, Tridentum, urbes alias cepit, in omnibus Duces & præſidium militare relicturus: Poſt Liguriæ fines infeſto exercitu aggreſſus, Anno LXX. Brixiam, Bergomum, Comum, &c. ac tandem Mediolanum occupat, cujus Epiſcopus Honoratus, Genuam urbem ſe contulit; atque ità potitus Mediolano, Provinciæ totius capite, Rex Italiæ fauſtis acclamationibus ſalutatus eſt, Septembri menſe, A. DLXX. Dein Ticinum adortus, demùm poſt tres annos & aliquot menſes eâ potiturus fuit; intereà peragratis Æmiliâ, Thuſciâ, & Umbriâ, in quâ *Spoletum* urbem nobilem originis vetuſtate, & Coloniæ Romanæ decore, occupavit, in *Ducatum* erectam. Tandem A. LXXIII. *Ticinum* expugnavit, & Regiam totius Longobardici Regni eſſe voluit. Sed non diu victoriis ſuis gaviſurus Alboinus, *Veronæ* conſpirante conjuge, filiâ Cunimundi (Regis nuper Gepidarum) interficiendus, A. DLXXIV. Hinc *Clepho* Longobardorum Rex in Italiâ ſecundus, communi acclamatione renunciatus eſt: Quo ſequenti Anno DLXXV. pueri ſibi familiaris manu ſublato, Longobardi miſſo Regio nomine, XXX. Duces elegerunt, ſuâ cuique gubernandâ Urbe conceſſâ. Sed poſt decennium tranſactum, quum Franci, invitante Mauricio, in Longobardos expeditionem pararent, Regia dignitas & auctoritas inter Longobardos reſtituta, & in *Autharim* Regem tertium, virtute eminentem, translata, A. DLXXXV. Cujus Autharis res geſtas, adversùs Francos præcipuè; hinc Theodelindam è Bavarorum gente, Germanam Childeberti, in uxorem acceptam; poſt, Authari mortuo, *Agilulphum* Ducem Taurinatium in Maritum & in Regem electum à Theodelindâ, A. DXCI. pluribus referunt Hiſtorici, Paulus Diac. *Lib.* XVII. XVIII. Sigonius de Regno Ital. *Lib.* I. &c. Duravit ità Regnum Italicum Longobardorum, ab Alboino Rege primo proclamato A. DLXX. uſque ad Deſiderium XXIII. & ultimum Regem, à Carolo M. devictum Anno DCCLXXIII.

VII. *Narſes* natione Perſa, Præpoſitus Sacri Cubiculi, & Patric. à Juſtiniano contrà Totilam Dux Italiæ electus A. DLII. juſtitiâ, fortitudine, fide, prudentiâ, incomparabilis; qui ſuâ virtute Gothicum bellum confecerat; qui ferretur *precibus & pietate in Deum*, *honore* autem *in Virginem* (γεραίρων καὶ τὴν Παρθένον) tandem Juſtiniano mortuo, molitionibus & calumniis quorundam delatus fuit apud Juſtinum, & Sophiam Auguſtam, ut qui *ſervitute*, Gotthicâ pejore, Romanos opprimeret. Hinc revocatus Conſtantinopolim, contumelioſis Auguſtæ verbis, injuriam ferre neſcius, Longobardos in Italiam invitat, mox dolore & irâ conſumptus, Romæ moritur, A. DLXVI. Indè cœpit in Italiâ *Exarchatus* Ravennatenſis, poſtquam, magno Narſete ſublato, eodem anno *Longinus* Patricius, ei Succeſſor à Juſtino Imp. deſignatus eſt. Qui non Romæ, ſed *Ravennæ* Præfecturæ ſuæ ſedem collocavit, nec ſe Ducem, ſed *Exarchum* Italiæ appellavit, uti Africæ Exarchus erat; & ſingulis Urbibus ſingulos Duces impoſuit, *Româ* & *Ravennâ* valido militum præſidio munitis. Longinus autem, ſubſidii nihil mittente Juſtino, impar fuit qui Longobardorum victoriis ſeſe opponeret. Succeſſu verò temporis *Exarchi* Ravennatenſes Romanis Pontificibus ſuſpecti fuerunt; poſteà A. DCCXXV. Ravennâ captâ à Luitprando Longob. Rege, Exarchatus in formam Ducatûs converſus fuit: Dein reſtituto *Exarchatu*, tandem & victo Autulpho, Francorum ille armis occupatus, & unà cum *Pentapoli*, ademptâ Romanis Imperatt. adſcriptus *Petro & Succeſſoribus*, id eſt, Romanis Pontificibus, à Pipino fuit, A. DCCLV. *Exarchatus* autem complexus eſt Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Popilii, Forum Livii, Cæſenam, Bobium, Ferrariam, Comachium, Adriam, Ficoclas, & Gabellum. *Pentapolis* autem, Ariminum, Piſaurum, Concham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Æſum, Forum Sempronii, Montem Ferretti, Urbinum, Eugubium, & quæ loca plura, apud Sigonium de Regno Italiæ, ad A. DCCLV.

Narſetis Dux nobiliſſima.

Exarchat. Ravenn.

VIII. Natus eſt, occaſione invaſæ à Longobardis Italiæ, *Patriarchatus Gradenſis*: Quum Paulinus Aquilejenſis Patriarcha, urbem eam metu Longobardorum relinqueret, & arrepto ſecum omni Eccleſiæ theſauro, in vicinam Inſulam Gradum, ab hoſtium aditu liberam, ſe reciperet: Multis aliis vicinas *Inſulas* petentibus, in Venetiæ æſtuario ſitas, ut

Patriarchatus Gradenſis natus.

ut factum fuerat ſuperiore Seculo, metu Attilæ & Hunnorum. Deindè fixus *Gradi* Patriarchatus, ut ſecuriore à Longobardorum immanitate & tyrannide loco, *Pelagio* II. probante; & ſic Gradenſis Eccleſia Venetiarum Iſtriæque caput ac mater evaſit, circà A. DLXXX. Sed hæc occaſio novi *Schiſmatis* ſequente Seculo exorti, quum duo Patriarchæ in eadem Provinciâ præeſſent; *Aquilejenſis* parens Longobardis, cum continente Provinciæ Venetæ; & *Gradenſis* parens Rom. Imperatori, cum Iſtriâ & annexis, circà A. DCV. Tum & hoc memoriâ dignum accidit, inducente Agilulphum Theodelindâ Reginâ, Principe Catholicâ, poſtquam eum ſibi devinxiſſet Thori communione, & Regni Longobardici: Nempè ut Longobardi, ex Gentilibus Chriſtiani ſed Arianâ labe infecti, miſſo *Arianiſmo* Catholicam fidem amplexi ſint, A. DXC. Quo nomine gratulatus ipſi Gregorius Papa, eam cum Marito in officio retinere frequentibus literis ſtuduit. Sed tamen à ſententiâ *pro Tribus Capitulis* Concilii Chalced. quorum *damnationem* probaverat Roma, dimovere Gregorius non potuit, nec laboravit magnoperè ut faceret.

Longobardi ab Arianiſm. converſi.

Incrementum Regni Francor. Ut variè diviſ. hoc Sec.

IX. Mire increverunt hoc Seculo res *Francorum*, ſub Clodoveo, mortuo A. DXI. Novembri menſe, ex conſtanti Hiſtoricorum fide, conſentientibus Le Cointe, Mezeræo, Labbeo, &c. Quod ideò obſervandum, ut falſitas appareat eorum quæ narrat Anaſtaſius, in *Vitâ Hormiſdæ*, electi A. DXIV. Ad quem dicit, *miſſum regium donum cum gemmis pretioſis*, ut ad *Petrum Apoſtol.* ſeu miſſam *Coronam auream*, & quidem *à Clodoveo Chriſtiano*, qui triennio ferè antè diem obiverat extremum. Et tamen Baronius illud inſerit Ann. ſuis, ad A. DXIV. *Num.* XIV. expreſſo nomine *Clodovei*, quod Labbeus & Editores Concilior. *abeſſe* malunt: Et hinc idem Baronius 1. Contendit, contrà omnium Hiſtoricorum, Sigeberto fortè excepto, conſenſionem, Clodoveum mortuum *ipſis Hormiſdæ Papæ primordiis*, *ut fabulam de Coronâ aureâ tueatur*. 2. Hinc factum vult, ut quia *Francorum Rex primus aureâ Coronâ donavit Romanum Pontificem, eam à Deo ipſo conſecutum eſſe mercedem, quod declaravit eventus, ut Francorum Regni Corona hactenus perſeveret.* Euge, bonum factum! Clodoveus autem partem *Aquitaniæ* à Gotthis occupatam, tum Regna *Ambianenſe*, & *Cameracenſe*, à poſteris Merovei poſſeſſa, ſuo Regno adjecit. Sed hoc ipſum poſteà, imprudenti infelicique conſilio, inter Filios, quos habuit *quatuor*, forte diviſum fuit: Ut Theodorico ceſſerit *Auſtraſia* ſeu Francia omnis quæ ad Ortum, cis & ultrà Rhenum, cujus Mediomatricum (Metenſis) ad Moſellam civitas, caput eſſet: Deindè Clodomiro *Aurelianenſe*, Childeberto *Pariſienſe*, Clotario *Sueſſionenſe*, Regna & Imperia, quæ Galliæ *Neuſtriæ* adſcripta: Prout diviſa tum fuit Francia in *Orientalem* quæ Ooſterreich, dividente Moſa, & *Occidentalem* quæ Weſtreich, dein corruptè Neuſtreich, ſive Neuſtria appellata. Singulorum Regnorum fines, prolixè apud Mezeræum, Valeſium, & alios; Nempè *Auſtraſiæ* illud vel *Auſtriæ*, inter Moſam quidem & Rhenum fluv. complexum Germaniam I. & II. Belgicam I. & ex parte II. ubi Rhemi, Cameracum; Ultrà Rhenum verò Alemanniam, Franconiam, Sueviam, Thuringiam, Boiariam, ad Saxonum fines. *Neuſtria* à Moſa ad Ligerim protenſa, undè Neuſtraſii, habuit ſub ſe Regnum 1. *Aurelianenſe*, complexum Pagum Bleſenſem, Biturigas, Senones, Campanos, ad Burgundiæ fines: 2. *Pariſienſe*, complexum Pariſios, Carnutes, Meldos, Cenomanos, Andegavos, Turones, Pictones: 3. *Sueſſionenſe*, ſub quo Veromandui, Bellovaces, Ambiani, Atrebates, aliique Belgicæ II. Populi ad Occanum uſque, etiam Lugdunenſis II. dein Nordmannia Francica. Præterea fuit *Burgundiæ* Regnum complexum Helvetiam, Sabaudiam, Valleſiam, Delphinatum, Burgundiam utramque, in ſpecie ſic dictam, ad Rhodani uſque oſtia ubi Arelatum. Tum *Aquitaniæ* illud, quod primò Gotthi tenuêre, à Francico Imperio diſtinctum; cum *Narbonenſi* Galliâ, ab iiſdem Gotthis poſſeſſâ, cujus Narbona Metropolis. Quæ verò mutationes in his Regnis acciderint, & ut Regnum Burgundicum, in Gondemaro extinctum, Francis acceſſerit, & filiis Clotarii, circà A. DXXXIV. alia, ſpectant ad Hiſtoriam Civilem Francorum. Quam primus hoc Seculo literis mandavit Gregorius Turonenſis, abſque quo illius multa laterent tenebris abſcondita: Sed *cujus auctoris ſimplicitati, multa tum facilè admittenti condonanda ſunt; prout etiam Helvicus excuſat: Cæterum parcendum eſt ſimplicitati Viri religioſi Gregorii Turonenſis*, &c. ut ipſe Baronius, Annal. Tomo I. ad A. CIX. *Num.* XLIX.

X. *Anglo-Saxones* diſtincti in *Jutas*, *Saxones*, *Anglos*, poſt invaſam majorem Britanniam, tandem illam, hoc Seculo exeunte (*Balæus* ex Britannis ſuis, A. DXCIII. *Cent.* I. p. 68.) in *Heptarchiam* diviſerunt; Cambriâ exceptâ, & Cornubiæ maximâ parte, quam veteres Britanni tenuêre, hinc *Walliæ* & *Cornwalliæ* nomine à Saxonibus indito. Primum Regnum fuit illud *Cantuariorum* vel *Cantii*, cujus caput in Eccleſiaſticis poſteà Dorovernium, ſeu Cantuaria. Secundum *Saxonum Auſtralium*, quod *Suth-Sexiam* dixêre; ubi Ciceſtria, Winceſtria, & *Suthreia* Prov. Quorum tamen regio plerumque in Occidentalium Saxonum, vel Cantuariorum, poteſtate fuit. Tertium *Saxonum Orientalium*, qui Eſſexiam, Middelſexiam in quâ Londinum, & Herfordiæ Auſtraliora tenuêre: Quartum *Occidentalium Saxonum*, qui antiquitùs *Geviſſi* vocabantur, ubi Provinciæ Suthreia, Southantonia, Wiltonia, Dorſettia, Somerſettia, Devonia; *Cornubiâ* à Britonibus poſſeſſâ. Quintum *Orientalium Anglorum*, Eaſt-Angliæ nomine, ubi Northfolcia, Suffolcia, Cantabrigia cum Elienſi Inſulâ, & parte Bedfordiæ; de quibus tamen nihil admodum certi memoriæ proditum, ut nec de Saxonibus Oriental. Sextum *Mediterraneis Anglis* ceſſit, Middel-Engliſh, aliàs *Merciorum* Regnum, latè complexum Leyceſtriam, Lincolniam, Huntingdoniam, Bedfordiam, Buckinghamiam, Oxoniam, Staffordiam, Gloceſtriam, Warwicum, Wigorniam, Herefordiæ partem, & ad ſeptentrionem Ceſtriam, Derbiam, Nottinghamiam. Septimum denique Regnum fuit *Nordanhumbrorum*, ſeu trans Humbrum ad Aquilonem habitantium, quod in duo diviſum, *Berniciorum*, & *Deirorum*: Ex quibus poſtremis primus Rex Chriſtianus fuit *Edwinus*, qui utriſque imperavit, poſt *Ethelfridum* occiſum, ex familiâ Berniciorum. Hîc jam Nordhumbria, & regiones Scotiæ uſque ad Edenburgi fretum; Lancaſtria, Eboracenſis & Dunelmenſis Comitatus, Weſtmorlandia, Cumbria, &c. De Converſione Cantii Regis dictum *Cap.* II. *col.* 1061. 1062. cætera ſunt Seculi ſequentis. Coaluerunt tandem hæc ſeptem Regna in *Monarchiam*, ſub *Egberto* Rege Occiduorum Saxonum, A. DCCC.

Heptarchia Anglo-Saxonica.

XI. *Fabuloſis* narrationibus finis hoc Ævo nullus fuit, qualium exempla jam ſuprà *Cap.* IV. & hoc ipſo *Capite*. V. gr. de *miraculis* per Lignum Crucis, per mortuorum Reliquias, per Imagines, per Mariam Virginem, per Sanctorum interceſſiones, &c. De *miraculis* circà Monachos, Eremitas, homines id genus; De *apparitionibus* Animarum è Purgatorio, quin Dæmonum, ſimilibus: Quibus ut ſanctiſſimis hiſtoriis (ex Scriptis etiam Apocryphis) ſuos Annales farcit ad hoc Seculum Baronius; uti nullum iis eſſe modum voluerunt, Gregorius Turonenſis, Paulus Diaconus, Euagrius, *Dialogi* Gregoriani, Sigebertus, Cedrenus, Nicephorus, Nauclerus, alii.

Fabuloſæ narrationes ſine fine.

Digitized by Google

Calumnia diſcuſſa.

Non profectò, quod ob negatam fabellis fidem, negemus eam *Miraculis* omnibus, aut *Portentis* hujus Ætatis, quæ cœlitùs acciderunt. Diſcernimus modò teſtes, circumſtantias, auctores Miraculorum, ac media quibus impetrata. Quas enim *liberationes* aut *operationes* legimus, virtute immediatâ Dei, Chriſti Servatoris; ad religioſam Divini Nominis invocationem; unius Chriſti fiduciâ, merito, interceſſione; ad fines etiam uni Deo & Chriſto glorioſos; probatâ etiam Hiſtoriæ fide (qualia contigêre innumera in conſtituendâ Chriſti Eccleſiâ) proni nos ac venerabundi ſuſcipimus.

Gregorii Turon. hiſtoria.

At longè alia ratio eſt eorum, quæ dicti Scriptores referunt, & præ cæteris Gregorius Turonenſis: Puta de redditâ confeſtim ſuo tempore, innumeris mortalium, aut jam *mortuis* vitâ, aut *cæcis* viſu, *ſurdis* auditu, *energumenis* libertate, *paralyticis* inceſſu, *naufragis* ſalute, *moribundis* ſanitate: Imò de portentoſis longè magis, quæ contigêre in laborantibus *Animabus*, aut quæ viſa ſunt in *Cœlo*, *Terrâ*, *Aëre*, *Igne*, *Aquâ*, *Cadaveribus*, *Animantibus*, *Sepulchris*, *Lapidibus*, &c. iiſdemque rebus in publicâ hominum luce geſtis: Et quidem ad ſolum nomen, ſolam invocationem, fiduciamve Beatorum *Martini*, *Galli*, *Friardi*, *Lupicini*, *Romani*, *Illidii*, *Æmiliani*, *Nicetii*, &c. horum ſcil. mirificâ virtute, exauditione, merito; quin ad ſolum ſæpè contactum ſepulchri, lapidis, calcei, veſtis, ſimilium; etiam *hauſto pulvere* abraſo ex lapide eorum ſepulchrali, quod præſentiſſimum in ſexcentis remedium, & in ſemet ipſo fuiſſe, narrat Turonenſis. Quod magis eſt, nullâ Hiſtoricorum fide, ejus quidem ævi, præterquàm unius ferè *Gregorii*, refundentis illa omnia aut in proprium faſcinum, ad ſolum *Martini* nomen; aut in Apocryphorum teſtium fidem; aut in nudam relationem Monachorum, Monialium, muliercularum, hominumve qui pari ſuperſtitione dementati, *ut ferebant tempora* (fatente Marollio *Præf.* ad Gregorium) vel quorum ut talia crederentur intererat, *Purgatorii* ſcil. ignem in dies utiliter ſuccendentium. Nec infrequenter dictus Marollius, Gregorii Commentator (ut alios ſileam, & ſuprà Baronium) hujus credulitatem arguit, ſuperſtitionemque. Ex. gr. ad *Lib.* IX. *Hiſt. Francor.* C. XXI. ubi non refert modò Hiſtoricus, ſed ut rem quoque ſibi exploratiſſimam, tantam fuiſſe virtutem vivi adhuc *Guntheramni* Regis, (cujus *zelum ſine ſcientiâ* accuſat Baronius, ad An. DLXXXVIII. N. XI.) ut ad *invocatum ejus Nomen* fuerint obſeſſi liberati; ad detractum *Regiæ veſtis ſegmentum*, & *aquæ bibendæ infuſum*, febricitantes ſanati; & quæ id genus infinita. Talia ſunt quæ habent Dialogi *Gregoriani*, de Vitâ & Miraculis Sanctorum, de quibus ſuprà *Cap.* IV. XI. XII. Talis fabella, quæ Romæ vulgatiſſima eſt, de *Caſtello S. Angeli* in Vaticano, quod Pontificum hodieque propugnaculum eſt: Nempè illud *Sancti Angeli* indè appellationem accepiſſe fertur, quod graviſſimâ peſte affligente ac depopulante Romam, Gregorius I. proſtratus *coràm Angelo ſibi apparente*, in faſtigio Molis Hadrianeæ, *impetravit ut Gladium in vaginâ reconderet.* Indè Mauſoleo iſti inditum nomen *Caſtelli S. Angeli.* Et ſervatur ibidem Pictura hujus portenti, & Gregorius I. *triplici Coronâ* redimitus ſe ibi proſternit coràm Angelo, ex oculatis quotidie teſtibus. Unde intelligas conditionem temporum, invectamque tùm in Eccleſiam, ut paſſim barbariem, ut ἐθελοθρησκείας, itâ ſuperſtitionem quandoque *Gentili* fœdiorem, nobis fabulis augendam.

Cauſæ ſuperſtitionum.

Cui rei imprimis ſubſervierunt, Barbarorum per omnem Europam diſperſio; bonarum Literarum ac Diſciplinarum decrementum; incrementum novi Monachiſmi, & cum eo ſolitarum artium illi propagando, ſimulque otii, luxûs, & variorum cultuum, qui ex *Monaſteriis* traxêre originem. Cumprimis eò fecère: Purgatorii invaleſcens in Occidente perſuaſio; utilitates quæ indè ad Clerum, Monachos; media illi firmando, per Apparitiones animarum, ficta id genus Miracula; virtutes Reliquiarum, quæ quotidie multiplicarentur in infinitum; denique Pontificum Romanorum intereſſe, ut faſcinatos itâ populos ſub jugum mitterent ſuum.

XV. *Status Judæorum, ac Gentilium, hoc Seculo.*

I. De *Judæis* hæc pauca, quæ ad hoc Seculum obſerventur, digniora cenſemus:

Doctores Geonim.

1. Confectâ jam Gemarâ, ut ſuprà in Hiſtoriâ Sec. V. ſeu Talmude Babylonico, ſurrexit novum Doctorum genus, quos Judæi גאונים *Geonim* communiter appellarunt, id eſt, *ſublimes* vel *excellentes* doctrinâ, ſapientiâ: Et hi ſucceſſêre Magiſtris dictis *Seburajim*, ut hi dictis *Amorajim*, Amoræi iis quos *Thannaïm* dixerunt, de quibus ad Seculum III. *col.* 793. & Sec. V. *col.* 1052. Primus horum, ut ferunt Chronica Judæorum, fuit Rab *Chanan* vel *Hanina*, præſes Scholæ Poumpeditanæ in territorio Babyloniæ, Anno Judaico à Creatione 4349. id eſt, Æræ Chriſt. ſecundum computum Judæorum, DLXXXVIII. Quem ſecundus τῶν Geonim excepit, Rab *Mori*, tùm R. *Chanina*, &c. ultimus R. *Haï* Gaon, cum quo interière in Babyloniâ & in Oriente Scholæ Hebræorum, transferendæ in Hiſpanias, An. MCXXI. De Geonim, id eſt, totius Talmudis Juriſque Hebræorum Doctoribus, Interpretibus, vide præ cæteris Rambam in *Præfat.* Operis ſui quo Talmud univerſum illuſtravit, dicti יד חזקה *Manus Fortis*, Venet. 1574. ex iis Genebrardum, Buxtorfium, L'Empereur, Hottingerum, alios in vulgus Eruditorum notos.

Coërcitiones Judæorum.

2. Tumultuantem ſæpè Gentem, ac rebellantem (luculento in *Judæis* Palæſtinis ac *Samaritanis* exemplo, in urbe Cæſareæ Palæſtinæ, ſub Juſtiniano, Anno DLVI. ut pluribus apud Auctorem *Hiſt. Miſcellæ*) coërcuerunt variis legibus & pœnis Principes. Hinc leges & authenticæ Conſtitutiones Juſtiniani, in Judæos & Samaritanos: Ex. gr. Ne Judæi, contrà Orthodoxos litigantes, *teſtimonium* ferre poſſent: Ne *Succeſſores* haberent præter Orthodoxos, ſeu ex teſtamento, ſeu ab inteſtato, &c. *Cod. de Hæret.* l. XVII. XXI. & in *Novellis* Conſtit. XLV. CXLIV. Adde Conſtit. CXLVI. de legendis Scripturis ab Hebræorum gente, ex *Græcâ* Verſione, τῶν LXX. vel *Aquilæ*, aut etiam *patriâ linguâ*, *Cap.* I. uti eâdem Conſtitut. contrà *Atheos* decernit Imperator, *Cap.* II. Interdicti etiam Judæi (*Canone* XXX. Synodi Aurelianenſis III. An. DXXXVIII. & *Canone* XXXI. Aurelianenſis IV. An. DXL.) à die *Cœnæ Domini* ante-Paſchali ad *feriam* II. Paſchatis, procedere inter Chriſtianos: Vel etiam proſelytos, aut è Chriſtianis natos, *circumcidere*, aut *Chriſtianam ancillam ſibi ſociare*: Quemadmodum pœnæ ſeveriſſimæ ſancitæ ſunt in Judæos, qui *eum qui Judaicæ religionis non eſſet, continuâ doctrinâ ad ſuam religionem traducere præſumpſiſſent*, Cod. de Jud. & Cœlicolis, *leg.* XVIII. & Βασιλικῶν *Lib.* LX. T. LIV. C. XXXI. Prohibiti etiam à Juſtino Seniore Imperat. *Magiſtratum gerere*, & *dignitatem habere*, *aut jus dicere*, ne ſcilicet Chriſtianos & Epiſcopos vexarent; etiam prohibiti *militare*, *lege* XII. *Cod.* de Hæret. & Manichæis. Sic Canone XIV. Concilii Toletani III. prohibentur Judæi habere *uxores*, vel *concubinas*, vel *mancipia* Chriſtiana.

Converſiones.

3. *Converſiones* Judæorum referuntur hac Ætate plures, de quibus ad *Cap.* II. Juſtiniano præcipuè

in

in Oriente, Avito in Occidente, & Gregorio M. converſionis inſtrumentis. Sed & fabulis incertiſque narrationibus locus eſt, apud Euagrium, & Nicephorum. Ille v. gr. Hiſtoriæ *Lib.* IV. C. XXXVI. refert de *puero Hebræo* Conſtantinopoli, ob deguſtatas cum pueris aliis particulas panis Euchariſtici, à patre in clibanum ardentem conjecto, ibique illæſo toto triduo; apparente illi puero Fœminâ quâdam, quæ & aquam porrigeret, & carbones extingueret, & cibum quoque ſubminiſtraret: Undè puerum cum matre baptizari juſſum à Juſtiniano, patrem in Crucem actum. Nicephorus autem, *Hiſt. Lib.* XVII. C. VI. refert cruentam in Arabiæ & Æthiopiæ partibus perſecutionem, à Judæo quodam nomine *Dunaan* excitatam, glorıato ſibi *Moſem* eſſe patrem & legiſlatorem; tyrannidemque immanem exercentem in *Homeritarum* finibus: Donec ab *Elesbaane* Æthiopum Rege, hortatu Juſtini Imperat. deletus cum ſuis, pœnam debitam exolveret. Tacent Hiſtorici hujus Ætatis. Procopius *Lib.* VI. de Ædificiis Juſtiniani, *Cap.* II. agens de Urbe in Pentapoli Libyæ quæ *Borium* appellata, dicit Juſtinianum Imp. effeciſſe, ut *Judæi omnes*, *Borii* ab antiquo incolæ, miſſis avitis moribus, *Chriſtianam* religionem amplecterentur; μεταγνῶναι τὰ πάτρια ἤθη, καὶ Χριστιανὺς γεγονέναι, διαπεφευχόμενοι.

Narrationes dubiæ aut fabuloſæ.

II. *Gentiles* quod attinet, 1. Illuſtres à Paganiſmo hoc Seculo Converſiones Regum, Principum, Populorum, diximus ſuprà *Cap.* II. ubi de *Propagatione Eccleſiæ*. Ac Chalcedonenſem plerique fidem amplexi, ſub Orthodoxis Principibus, ut in Oriente, & ad Pontum Euxinum, *Abaſgi*, *Alani*, *Lazi*, *Zani* vel *Suani*, *Hunni* ex parte, *Homeritæ* Arab. Felicis populi: In Occidente, *Germaniæ* varii populi, *Heruli*, *Longobardi*, *Anglo-Saxones*, *Picti*, *Scoti* ſeu *Albanii*, &c. Quò ſpectat Theodori Lectoris narratio, *Hiſt. Lib.* II. *pag.* 564. Ed. Valeſii, de *Alamundaro* Saracenorum Phylarcho, quem cùm Severus Antiochenus, miſſis ad eum duobus Epiſcopis, ad Sectam Monophyſitarum inducere tentaret, eluſit Saracenus ingenioſo commento; referens *ſe literas accepiſſe, quibus nunciabatur Michaëlem Archangelum fato functum eſſe*: Quod cùm rideretur à Severi miſſis vel legatis, riſit ille viciſſim *Monophyſitas*; aſſerentes Chriſtum, *Deum* tantùm exiſtentem, nec *duas Naturas* ampliùs habentem ab Incarnatione, tamen mortem Crucis ſuſtinuiſſe, in unâ illâ Naturâ. Atque ità Phylarchus Fidei Catholicæ, quam amplexus erat, firmiter adhæſit. Vide & Cedrenum, Nicephorum, alios.

Converſiones.

Alamundari ingenioſum commentum.

2. Cæterùm, quâ lege Juſtinus I. Imperator Judæos, eâdem *Græcos* ſeu *Paganos* omnes *Magiſtratu*, Dignitate, Judicis officio, aut Defenſoris prohibuit, in dictâ l. XII. *de Hæret.* &c. Iiſdemque ferè, quibus Judæi, Samaritæ, Manichæi, legibus coërcitos fuiſſe, confirmatis præcedentium Imperatorum in Cod. *Theodoſiano* reſcriptis (ut Theodoſii Junioris, Valentiniani III. Leonis, de quibus ſuprà *col.* 1049.) conſtat ex Codice *Juſtinianæo*, *Tit.* de Paganis, Sacrif. & Templis.

Coërcitio Paganor.

3. At nec Judæos, nec Paganos ad fidem *cogi* voluêre Principes, aut vim illis fieri, ut Chriſtum profiterentur. Quò ſpectant ſaluberrima monita Gregorii I. *Eos qui à Chriſtianâ religione diſcordant, manſuetudine, benignitate, admonendo, ſuadendo, ad unitatem fidei neceſſe eſſe congregare; blandimentis non aſperitatibus ſtudendum, cupientibus Extraneos ad Chriſtianam religionem adducere; Synagogas Judæis conceſſas non conſecrandas*, vel iis *adimendas*; *de Solennitatibus ſuis non inquietandos eſſe*; *ſic agendum cum iis, ut ſequi velint, non fugere*, &c. *Lib.* I. *Ep.* XXXIV. *Lib.* VII. *Ep.* XXVIII. *Lib.* XI. *Ep.* XV. &c. Quâ quidem manſuetudine & æquitate in perſuadendis ſuis Sacris, utinàm uſa pridem fuiſſet Roma Pontificia; aut ſacratiſſimorum pientiſſimorumque Principum exemplo, & prudentibus Gregorii monitis, ſaperent hodiè Reges & Principes qui Romam adorant: Nec ad Sacra Pontificia, & Romanas traditiones amplexandas, cogerent Templorum ruinis, proſcriptionibus, carceribus, ſuppliciis, ne dicam ſtragibus & lanienis.

Modus convertendi.

4. *Pagana* tamen ſuperſtitiones reliquæ fuerunt in variis Europæ Gentibus, Batavis, Friſiis, Saxonibus, Thuringis, Alemannis, Boiohemis, Vindelicis, Boiis, Caledoniis, Nordmannis, Slavis, Hunnis, Avaribus, Sarmatis, aliiſque Barbaris etiam tum moribus. Converſionem ad Fidem Chriſtianam, ſed multâ ſuperſtitione infectam, ſequentia Secula docebunt. Sic in Galliis, & Hiſpaniis, hæſiſſe adhuc rudera & veſtigia veteris *Gentiliſmi*, in variis ritibus, ludis, ſortilegiis, divinationibus, &c. jam obſervatum eſt in Capite de *Conciliis*. Nec facile eſt à populorum animis radicatas id genus conſuetudines avellere.

5. In *Gentilibus* Philoſophis, Hiſtoricis, J. Conſultis, fuêre hoc Seculo Viri quidam inter eos inſignes. De *Triboniano* J. C. dictum ſuprà in *Hiſt.* Juris Juſtinianæi, Ethnico ipſo, ut Heſychius Mileſius qui floruit Ætate Juſtiniani, ac Ethnicis faventiore. Quanquam ab hac labe purgarint J. C. varii, Hubertus Giphanius, Franc. Guinetus, alii, & Juſtinianus ipſe *Tit.* de Confirm. Digeſtor. *par.* I. *Omnia confecta ſunt Domino & Deo noſtro Jeſu Chriſto poſſibilitatem, tam nobis, quam noſtris in hoc ſatellitibus, præſtante.* Pari calumniâ *Beliſarium* notatum ab aliis fuiſſe docet Nicol. Alemannus, in Notis Hiſtoricis ad Hiſt. Ἀνέκδοτον. Claruit & initio Sec. *Proclus* Lycius, Mathematicorum hac Ætate facilè princeps, alter Archimedes; undè habet Excerpta Photius, ἐκ τῆς χρηστομαθείας γραμματικῆς, *Cod.* CCXXXIX. & de quo Suidas ut Philoſopho Platonico, Grammatico, &c. Sed qui, poſt Porphyrium & Julianum, invidioſiſſimis Chriſtianos Scriptis inſectatus eſt; & Æternitatem Mundi aſſeruit. Hujus argumentis reſpondit *Johannes Philoponus*, Grammaticus Alex. Tritheitarum hac Ætate parens, ex ſuâ quadam hypotheſi, quot ὑποστάσεις eſſent, totidem eſſe φύσεις. Sed Chriſtianus tamen; undè inſignis error virorum noſtrâ ætate Doctiſſimorum, qui *Philoſophum Ethnicum* ſcripsêre.

Gentiles Philoſophi, Hiſt., Viri celebres.

Chriſtianus & fuiſſe creditur pleriſque, aliis tamen emunctæ naris Gentilem affirmantibus, *Procopius Cæſarienſis*, Hiſtoricus eximius & Cauſidicus ſub Juſtiniano; qui Gentilium ἀθεότητα non ſemel in Hiſtoriarum Libris perſtringit, Chriſtum Dominum, & Chriſtianam Fidem extollit. Medius fortè inter utrumque, nec Gentilium πολυθέῳ πλάνῃ adhærens, nec per omnia Chriſtianæ Fidei, ut tot controverſiis, præcipuè de *Deo* & *Dei Naturâ*, diſtractæ. Hinc de Bello Goth. L. I. C. III. *Mihi quidem, ea quæ non aliter quam piâ credulitate coluntur*, ἀκινδύνως σεσιωπήσθω, *tuto ſileantur: Id verò unum affirmare de Deo libet, eſſe illum ſummè bonum, ac ſuâ potentiâ res univerſas complecti.* Tamen alibi de Bello Perſ. *Lib.* II. C. XII. Ὑπὸ δὲ τὸν χρόνον ἐκεῖνον Ἰησῦς ὁ τῦ Θεῦ παῖς ἐν σώματι ὤν, τοῖς ἐν Παλαιστίνῃ ἀνθρώποις ὡμίλει. Τῷ τε μηδὲν τὸ παράπαν ἁμαρτεῖν πώποτε, ἀλλὰ καὶ τὰ ἀμήχανα ἐξεργάζεσθαι διαφανῶς ἐνδεικνύμενος, ὅτι δὴ τῦ Θεῦ παῖς ὡς ἀληθῶς εἴη. Νεκρύς τε καλῶν ἐξανίστη ὥσπερ ἐξ ὕπνυ, καὶ πηροῖς τὺς ὀφθαλμὺς ὕτω τεχθεῖσιν ἀνέῳγε, σώματός τε ὅλυ λεύκας ἐκάθηρε, καὶ ποδῶν πήρωσιν ἔλυσεν, καὶ ὅσα ἄλλα ἰατροῖς πάθη ἀνίατα ὠνομασμένα ἐστί. Ubi Procopius, Jeſum ſe demonſtraſſe, factis quæ ſuprà hominem ſunt, verè eſſe Dei Filium, in carne apparentem, impeccabilem, qui mortuos ſuſcitarit, cœcis natis viſum, claudis inceſſum, leproſis, aliiſque curari neſciis Me-

Procopius, an Chriſtian?

Digitized by Google

Medicorum ope, ſanitatem reddiderit. Et de Bello Wandal. L. I. C. XXI. *Chriſtianos* vocat, in oppoſitione ad *Arianos*, οἷς τὰ ἐς τὴν δόξαν ὀρθῶς ἤσκηται, *qui de fide rectè ſentirent*. Niſi dicas Hiſtoricum res narrare, quales à principio, & conſtanter, à veris Chriſtianis creditas, fide hiſtoricâ acceperat. Hiſtoriam Ἀνέκδοτον de rebus *Juſtiniani*, abſolviſſe putatur ſub extrema ejus Imp. Theodorâ pridem mortuâ; & ità preſſiſſe, ut paucis viſa ſit, diuque in tenebris latuerit, de quo præ cæteris Nicol. Alemannus. Scripſerit ità liberiùs, quâ fuit tum auctoritate Senatoriâ, & Beliſario (in Bello Africano & Italico) perpetuus comes additus à Juſtiniano. Sed ità modum excedit in maledicendo, uti & leges candidi Hiſtorici, qualis alibi viſus; ut ſcriptum hoc ab affectu & odio quodam, potiùs quàm à veritate hiſtoricâ, expreſſum Auctori ſuo videatur.

Agathias Schol. &c. At Gentilis religione *Agathias* Myrinæus, in foro Cauſidicus apud *Smyrnenſes*, hinc Σχολαστικὸς Σμυρναῖος, coævus ferè Procopio: Cujus extant Libri V. de rebus geſtis Juſtiniani, indè ubi Procopius deſiit, ut ipſe in Procemio teſtatur, id eſt, ab an. Juſtiniani XXVIII. Scripſit autem ſub Juſtino Juniore, poſt exceſſum Juſtiniani; ſtylo terſo & florido, ut ferebant tempora; & quidem additis circumſtantiis hiſtoricis, quas alibi fruſtrà quæras. Nec Hiſtoriam tantùm, ſed & Epigrammata Ἐρωτικὰ, verſa à Scaligero compoſuit. *Heſychius Mileſius* eodem tempore floruit, id eſt, ſub Anaſtaſio & Juſtino Impp. Scriptor conciſus & diſertus Univerſalis Hiſtoriæ, initio ducto à Belo Aſſyriaco, terminandâ in morte Anaſtaſii, etiam Indice confecto ſeu *Nomenclatore* de Viris Illuſtr. Quem tamen Chriſtianum fuiſſe ſuſpicatur Voſſius, ob ea quæ in Sibyllâ de *Chriſto* dixit; ex quo ſunt Excerpta Photii *Cod.* LXIX. *Priſcianus* celebris inter Latinos Grammaticus, qui ſub Juſtino & Juſtiniano floruit; quanquàm Friſchlinus de eo ſcripſerit, eſſe *antiquiſſimum Technicorum*. *Simplicius*, Phryx natione, Commentator inſignis in Ariſtotelem & Epictetum, acriter invectus in Philoponum Alexandr. ſub Juſtiniano florens, & quem Salmaſius illuſtravit. De quibus plura requirantur, ex Photio, & Suidâ, in veteribus, & ex Voſſio Varrone Belgico in recentioribus, Mart. Hankio Libro *de Scriptor. Græcis Byzantinis*, ne alios referam.

FINIS *Seculi Sexti.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ SECULUM SEPTIMUM.

Chronol. rationes.

INCIDUNT primordia hujus Seculi in Annum DCI. Æræ Dionyſ. cum verâ minimè confundendæ: Imperante adhuc in Oriente *Mauricio*, ab Anno DLXXXII. Principe pietate in Deum, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, cæteriſque virtutibus, laudatiſſimo; Sed paulo poſt à Phocâ Tyranno ſublato A. C. DCII. Novembri Menſe, non A. DCIII. ut Baronius. In Italiâ Longobardorum Rex fuit *Agilulphus* ab A. DXC. Theodelindâ, Reginâ Catholicâ, ſe & regnum illi tradente: In Galliæ Neuſtria regnabat diſſimillimus Patri Chilperico, & Fredegundæ impiæ matri, *Clotarius* II. Princeps annos XVI. natus: In *Auſtraſiæ* regno *Theodebertus*, in Burgundiæ illo *Theodoricus*, regnum juvenes admodùm obtinebant, nati Childeberto patre; ſed armis tum Civilibus inter ſe & cum Clotario commiſſi, inſtigante hujus matre Fredegundâ. *Romanum* verò Epiſcopatum tenebat ab A. DXC. Gregorius I. de quo prolixè ſuperiori Sec. *Conſtantinopolitanum* Cyriacus, qui Johanni Jejunatori ſucceſſerat ab A. DXCVI.

Quæ hoc Seculo memoranda, ad ſequentia rurſum Capita, pro inſtituti ratione, referuntur.

I. *Status Eccleſiæ & Reipublicæ hoc Seculo ineunte.*

Patriarchæ quinam, & quales?

I. NEmpe *Romanam*, ut diximus, Eccleſiam adminiſtrabat adhuc *Gregorius* I. cognomento Magnus, ſublatus anno hujus Sec. IV. & cum eo ſimul extinctum quicquid ferè ſupererat in Eccleſiâ lucis, & ſanctitatis; denſiſſimis mox ignorantiæ, ſuperſtitionum, ac tyrannidis, tenebris ſucceſſuris. Quamvis corruptionis jam gliſcentis non unum ipſe Gregorius ſuppeditet argumentum. V. Gr. prævivit hic ſequentibus Seculis, ut ſuperiora docuêre, explicationibus *Scripturæ* Sacræ duris, frigidis, à literâ, & ſcopo Spiritûs S. planè alienis, præcipuè in *Jobum*, *Ezechielem*, *Cantica*: Sic, ignorantiâ exindè familiari Linguarum Hebraicæ, Græcæ; fabulis Monachalibus de Purgatorio, deque paſſionibus Animarum, apparitionibus earundem, ut ſuprà *col.* 1142. Otioſis etiam multis ac ſuperſtitioſis Ritibus vel probatis, vel inſtitutis, cumprimis in *Libro Sacramentor.* Ac creſcente in dies Monachiſmo, deſituro in perniciem Eccleſiæ, Religionis, bonarumque Literarum, Artium, Diſciplinarum. Cumprimis verò degeneris deinceps Ætatis, ſtatim poſt Gregorium, teſtis proximus illi *Sabinianus*, de quo Platina; *obſcuro loco natus*, *obſcurior moribus*, *rebus geſtis Gregorii*, *viri Sanctiſſimi*, *adverſatus eſt*; accuſans Gregorii *eleemoſynas*, & pietatem ac charitatem in pauperes, interpretatus *aucupium popularis auræ*. Et ut hic Pontifex, notatus *culpabili vitâ*, ſic & *formidabili morte*, ut quem terruiſſet Gregorii ſpectrum, penè omnium Chronographorum conſenſione. Cui *Bonifacius* III. mox ſuffectus eſt, *Antichriſtorum* Gregorianorum primus, ut poſteà.

Conſtantinopolitanum autem Patriarchatum tenebat Cyriacus, ſucceſſor Johannis Jejunatoris, ab An. DXCVI. cum Gregorio quoque commiſſus, ob *Tit.* Oecumenici Patriarchæ, ut ex Epiſtolis Greg. liquet; Cætera laudatiſſimus Gregorio, æquè ac prædeceſſor Johannes Jejunator, quem *Virum Sanctiſſimum* dixit, & *Sanctæ memoriæ* Johannem, nihil obſtantibus ejus in hunc invectivis, *Epiſt.* L. IV. *Ep.* XXXII. & L. VI. *Ep.* VI. ad Mauricium Imp. De Cyriaco ita Gregorius, in poſtremâ hac ad dictum Mauricium; *Undè & aptum valdè exiſtere, in paſtorali Regimine, Fratrem atque Conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo; Qui in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis, quàm ſollicitus, & quo modo fuerit exercitatus, cuncti novimus: Undè & ſupernâ geſtum diſpoſitione non ambigo*, & quæ ibi plura, ac ſequenti *Epiſt.* VII. Quamvis arguat Cyriaci ordinatores, quod tantâ lætitiâ eum excepiſſent, ut cuncti acclamaſſent, *Hæc dies eſt quam Dominus fecit, exultemus & lætemur in eâ! Alexandrinum* Patriarchat. tenebat Eulogius, antè laudatus; ad quem frequentes ſunt *Epiſtolæ* Gregorii, utpote ſcriptis, & laboribus pro orthodoxâ Fide, adhæc vitæ Sanctitate, eminentem inter Patriarchas Orientis: Qui Alexandrinam Eccleſiam recturus fuit totos annos XXVII. ab A. D. DLXXXI. *Antiochenæ* Eccleſiæ præerat tum Anaſtaſius II. Sinaita Junior, ſucceſſor Senioris Sinaitæ ab A. DXCIX. cum hoc nonnunquam confundendus: Et hic Gregorii Rom. Librum *Regulæ Paſtoralis* (teſte ipſo Gregorio *Lib.* X. *Epiſt.* XXII. ad Johannem Subdiaconum Ravennæ) *in Græcam linguam tranſtulit*; quod *ſibi diſplicuiſſe* dicit, dum *qui meliora haberent, in minimis occuparentur*. *Hieroſolymitanam* Eccleſiam gubernabat Amos vel *Heamus*, ſucceſſor Johannis IV. Hieroſolymitani, quem Epiſcopum faciunt LX. & cui ſucceſſit demum *Heſychius*, vel Iſychius, Iſaacus, ex Presbytero Patriarcha, circà An. DCI. Ad quem extat Epiſtola Gregorii I. quæ eſt XL. Libri IX. Ind. IV. quâ Synodicæ ejus Epiſtolæ reſpondet; agitque de ſervandâ *unitate Eccleſiæ*, *quæ Arca imputribilibus lignis compingitur* (quomodò reddit lignum גפר) deque *paſtorali curâ ſuſcepti ovilis*, &c. Et hujus Heſychii nomen (plures autem fuêre cognomines) Scriptis variis præſcriptum fuit, de quibus poſteà.

Mauricius Imper. qua Causa indignat. Latinor.

II. Felix tùm ſatis Eccleſia ſub *Mauricio* Imperatore, piiſſimo Principe, fide Catholico, à quo leges variæ promulgatæ, coërcendis Hæreticis, Schiſmaticis, Maleficis, &c. Quamvis aliud *Edictum* culpet Baronius, quo ſanxit ne *Schiſmatici inviti cogerentur ad Eccleſiæ Communionem redire*, ad A. DXCVIII. *Num.* XI. Idemque exagitet legem, tanquam *impiam*, quâ vetuit Imperator, *ne quis miles*, *nondùm expletâ militiâ*, *Monachus effici poſſet*, ſeu in Monaſterio recipi: Quam tamen legem Gregorius, *juſſioni ſubjectus*, *per diverſas terrarum partes tranſmitti fecit*, ut *Ep.* ad Mauricium LXII. *Lib.* II. Accuſans interim illius iniquitatem, quum ſimilem *legem Julianus primùm protuliſſet*, at *quantum Deo adverſus*! ut aliâ Epiſt. quæ eſt LXV. eodem *Libro*. Indè factum ut duriùs habitus ſit Mauricius à Latinis, & à *Joh. Diacono* in Vitâ Gregorii, tanquàm *avariſſimus*, *ſimulque rapaciſſimus Princeps*, *Deo adverſus*, ac *Tyrannus*. Et Baronius, laudans cæteroquin Mauricii virtutes, *judicium Dei* non ſemel illi interminatus eſt, non modò

Digitized by Google

dò quod *juſſiones*, *mandata*, *reprehenſiones* ad Gregorium direxerit, quas hic reſpexit ut à *Domino* ſuo profectas; ſed etiam quod eundem aliquando *urbanè*, *ſimplicitatis vocabulo*, *fatuum appellaſſet*, ut queritur Gregorius ad Mauricium Auguſtum, quod in afflicto ſtatu Italiæ per Longobardos, ab *Ariulpho* Duce *deceptus* diceretur, *Epiſt.* XXXI. L. IV. Aſt vero ſi Hiſtoricis omnibus Byzantinis, Simocattæ, Euagrio, Theophani, &c. & ipſi Gregorio aliàs fides eſt in Epiſtolis, etiam Paulo Diacono in Hiſt. Miſcellâ, eminuit hic Princeps, 1. *Pietate* in Deum, conſpicuâ ut dùm geſſit imperium, ità præcipuè in extremis; dum ad omnes Patriarchas, & ad Monachos per omnia Monaſteria, ſcripſit, *ut à Deo peterent, ut ipſe de peccatis admiſſis in hac vitâ, & non in futurâ, pœnas lueret*, ut prolixè refert Cedrenus, Annal. T. I. *pag.* Ed. R. 402. 2. *Liberalitate* in populum, in pauperes, in Epiſcopos, in Eccleſias, in Choſroën ipſum Perſam, quem *donis* & munificentiâ erexit; quam deprædicant ſubindè Hiſtorici Græci, & Latini, & χρυσῆν ἀρετὴν dicit Simocatta *Lib.* I. C. XII. 3. *Clementiâ* dignâ tanto Imperatore; cujus inſigne exemplum refert Theophylactus, *Hiſtoriar.* L. III. C. VIII. exhibitum in auctore defectionis Armeniorum *Symbotio*. Quem quum vinctum ad Mauricium miſiſſet Domenziolus, jam confitentem reum, & à beſtiis dilaniandum, Imperator clementiâ ſuâ uſus, liberavit à beſtiis, & ſalute præter omnium expectationem, (παράδοξον σωτηρίαν dicit Hiſtoricus) donavit. 4. *Juſtitiæ* laude; uſque adeò ut in extremâ calamitate, ſi fides Cedreno T. I. in rebus Mauricii, & Nicephoro *Lib.* XVIII. C. XL. quum nutrix Liberorum Auguſti infantem Imperialem ſubtraxiſſet percuſſoribus, ac proprium ſubſtituiſſet & lactentem filium, ad cædem productum; de re monitus Imperator, arcanum protinùs indicaverit cruentis miniſtris Phocæ, *non æquum eſſe ducens alium puniri, quum ab ipſo Deus pœnas depoſceret.* 5. *Patientiâ* in adverſis; præcipuè quam ipſe cum totâ domo ad mortem quæreretur, & liberos in conſpectu ſuo, ac Theodoſium filium, jam Cæſarem ab A. DXCI. occidi crudeliſſimè cerneret: Nam ad ſingulorum necem hæc verba protuliſſe omnes referunt; *Juſtus es Domine, & juſtum Judicium tuum.* Sic pœnitentiam ſuam inſigniter teſtatus eſt, quod paulo antè, A. Imperii XVIII. Chriſti DC. ad Chagani Avarum Regis poſtulatum, ut pro XII. *millibus* captivorum Romanorum, poſt irruptionem Chagani in Myſiam, ſolveret pro ſingulis capitibus *unum nummum*, deinde ſolveret tantum κεράτια τέσσαρα *ſiliquas* Romanas vel *ceratia* Attica IV. hoc Barbari oblatum admittere recuſaſſet; & cauſa fuiſſet necis ſuorum militum, quando *Chaganus iratus omnes* occidit. Pluribus referunt Hiſtoria Miſcella, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus Calliſti, ex his alii: Ob hoc certe facinus fuit quod ſeſe Mauricius reum coram Deo fateretur; non verò, ut vult Baronius, quod permiſiſſet nomen *Oecumenici*, ſoli *Romano* debitum, dari etiam Johanni Jejunat. & Cyriaco Patriarchis: De quo prolixè dictum ſuprà *Cap.* VI. *col.* 1087. 1088. & pluribus adhuc dicetur infrà.

Mala quæ Eccleſ. & Remp. affixêre.

Turbata tamen, ineunte hoc Seculo, Eccleſia fuit, 1. Per *Hæreticorum*, imprimis Neſtorianorum, Eutychianorum, turbas, factiones, ſchiſmata; & per oppoſitiones adverſus V. Synodum. Nempè ob *Tria Capitula* in eâ Synodo damnata, contrà mentem Afrorum, Italorum, Epiſcoporum Aquileiæ, Iſtriæ, Hiberniæ, qui manſêre pertinaces, in damnatione eâ improbandâ, præeunte olim Vigilio Romano. Quos tamen à *communione Fidei Catholicæ* excludi noluit Gregorius, dummodò *Synodus Chalcedonenſis* in tuto eſſet, quam violatam eâ damnatione contendebant Itali, cæterique. Amicè autem optavit de eâ re in *Synodo* conveniri; ut in variis Epiſtolis, ad Severum Aquileienſem, ad Demetrium Neapolitanum, ad Theodelindam Reginam, *Lib.* I. & III. Epiſtolarum. Ità Epiſtolam ad Epiſcopos Hiberniæ exhibet Uſſerius, in *Epiſt. Hibernicis* Ep. I. quæ eſt in Regeſto *Ep.* XXXVI. *Libri* II. *Ind.* X. in quâ Gregorius contendit, nihil hæc feciſſe ad *fidem*, ſed de *perſonis tantùm* agi, & hoc nomine ſe mittere ad Hibernos Librum, quem *de Tribus Capitulis deceſſor ſuus Pelagius* conſcripſiſſet, ſcil. Epiſtolam datam ad Heliam & Epiſcopos Iſtriæ, quæ ordine II. eſt inter Epiſtolas Pelagii II. 2. Per *Longobardorum* in Italiâ vexationes, Agilulpho Rege, inter quem & Exarchum Callinicum, redintegratum hoc ineunte Sec. bellum, A. DCI. Callinico ſanè primo violante pacem nuper initam cum Agilulpho; Longobardis autem armis vindicantibus, qui urbem *Patavium* non expugnarunt tantùm ipſo hoc anno, ſed & in cineres & favillas totam converterunt: Undè populorum fuga, ſe ad æſtuaria Maris Hadriatici conferentium, & hinc novum Reipubl. Venetorum incrementum; de quo Hiſtoria Miſcella *Lib.* IV. & Sigonius de Regno Italiæ, *Lib.* I. 3. Per irruptiones *Sclavorum*, Gentis Sarmaticæ originis, (nomine *Slavorum*, *Slavinorum*, primùm extante apud Jornandem de Rebus Geticis, C. V. & Procopium de Bello Gotth. L. I.) permixtorum *Hunnis* ſeu *Avaribus*: Qui duce *Chagano* Avarum Rege in Iſtriam & Venetorum ditiones effuſi (jam antè in Dalmatiam, Illyricum, Pannonias, vicinaſque Provincias) omnia devaſtabant, terrorem Italiæ & Romæ ipſi incutientes, ut patet ex Gregorii M. Vitâ, & *Epiſt.* XXXVI. L. VIII. *Ind.* III. *Conturbor, quia per Hiſtria aditum jam in Italiam intrare cœperunt. Chagani* vel *Chaiani* appellativum nomen eſt, quo Hunni Principes ſuos vocant, ut hodieque *Chanum* vel *Chamum* Tartari, Turcæ Sultanum, Perſæ Sophum, Valachi Vaivodam, &c. De quo pluribus Hiſtoria Miſcella *Lib.* IV. C. XII. XIV. 4. Per Epiſcoporum inter ſe certamina, cumprimis *Romani* & *Conſtantinopolitani*, ob titulum *Oecumenici*; de quo etiam poſteà. 5. Denique, ut paucis multa complectar, luctuoſus Eccleſiæ ſtatus jam tum in multis apparuit: Scilicet, per *Ceremoniarum*, quæ cum ſuperſtitione junctæ, *Monachalis* otii, fabellarum de *Purgatorio*, *ignorantiæ* Clericorum, *tyrannidis* Papalis, collapſæ *Diſciplinæ*, cotidiana incrementa: De quibus jam ad ſuperius Sec. *Capitibus* IV. V. VI. XIII. prolixè occupatum fuit.

II. *Propagatio Religionis Chriſtianæ, qualis hoc Ævo.*

I. Accidit illa potiſſimùm in Occidente. Et primò inter *Britannos*, delato ſub finem Sec. ſuperioris in regnum Cantuarienſe Auguſtino Monacho, cum Laurentio, Mellito, & Sociis, ablegante Gregorio I. Quorum adeò operâ & Berthæ Reginæ ſuaſu, Cantuarienſium Rex *Ethelbertus*, converſus & baptizatus, & cum eo innumera Paganorum multitudo, ut dictum ad ſuperius Sec. *col.* 1061. 1062. Hinc *Londonienſis* primò, ſeu *Londinenſis* ad Tamiſim fl. caput Middelſexiæ; & juxtà eam *Eboracenſis* Sedes, caput Ducatûs ad Urum fl. ubi olim Legio VI. victrix, Archiepiſcopatûs ſeu Pallii honore decoratæ: Eccleſiis Eboracenſi ſubjectis, quæ ſunt ab Humbrâ fl. ad Scotorum fines; decernente ſcilicet Gregorio Papâ, Regeſti *Lib.* XII. Ep. XV. Et quidem XII. Epiſcopi ſingulis harum Sedium Metropolitanarum ſubjecti fuêre, quemadmodùm Pelagius II. jam ordinarat ut X. vel XI. Epiſcopi ſuffraganei eſſent ſub uno Epiſcopo Metropolit. *Epiſt.* VIII. Quanquam ad Provinciam Eccleſiaſticam ſuffecerint poſteà, in Occidente, *tres* vel *quatuor*

Converſiones Britannicæ. Fundationes illuſtres.

tuor aut *quinque* Epiſcopi ſuffraganei, quomodò in Provinciis Lugdunenſi, Belgicâ, Germanicâ I. Alpium Grajarum, &c. non plures fuêre. Sed poſteà Auguſtinus apud Gregorium obtinuit, ut Metropolitica Sedes ex urbe Londinenſi transferretur *Doroverniam*, quæ deinceps *Cantuaria*, totius Angliæ primatu gaviſura, ut erat Caput regni Cantii, circà A. DCIV. ut Anglorum Chronica, & Polydorus Anglicæ Hiſt. L. IV. Confirmarunt poſteà Bonifacius V. & Honorius I. ut prolixè Uſſerius, Spelmannus, Antiquitates Britannicæ, aut Acta Concilior. horumque Pontificum Epiſtolæ ad Juſtum & Honorium Cantuarienſes, quibus jus *Pallii* alligarunt Sedi Cantuarienſi. Æthelbertus verò Rex mortuus A. C. DCXVII. poſt LVI. annorum regnum, Archiepiſcopatum obtinente, poſt Auguſtinum, Laurentio ab A. DCXIII. dein Mellito, hinc Juſto, tum Honorio Romano, &c. Monachis illis omnibus & Sociis Auguſtini.

Converſ. aliæ in Anglo-Saxon.

Mox converſi Reges alii in Anglo-Saxonibus, & cum iis Gentes illis ſubjectæ. Ut ille *Occidentalium* Saxonum, quos *Geviſſos* appellarunt, prædicante iſtis Euangelium Byrino, Honorii Papæ ſuaſu in Britanniam delato, circà A. DCXXIV. Rege Cynigilio, poſteà filio ejus Cenwalcho, qui Provinciam diviſit in duos Epiſcopatus, *Wintonienſem* & *Dorincenſem*, qui hodie Dorceſter. Converſi & *Orientales* Angli, Rege Sigeberto, *Chriſtianiſſimo*, *Doctiſſimo*, ita Beda *Lib.* II. C. XV. fratre & ſucceſſore Earpwaldi, qui non multo poſt Fidem acceptam occiſus fuerat. Erat Sigebertus (Sebertus) Ædhilberti ex ſorore nepos; à quo *Weſtmonaſterienſis* Baſilica conſecrata, dicataque Petro Apoſtolo, in quâ ſepultus primùm fuit ipſe Rex Sebertus; & quæ Regum Angliæ Inauguratione & Monumentis, inprimis à temporibus *Edwardi* Confeſſoris, ut & reditibus, Monaſterio, inſignis fuit. Hic Sigebertus aperuit in regno ſuo Scholas Literarum, diciturque *Cantabrigiam* in Bonarum Artium Gymnaſium erexiſſe, ut Balæus ex Anglorum Chronicis, *Cent.* I. Imò Honorius I. Papa *Bullam* dediſſe Romæ An. DCXXIV. in gratiam Cantabrigienſis Academiæ, ſi fides Joh. Caio, Libro de Acad. Cantabrig. Antiquitate. Sed hæc pro fictis & ſuppoſitis habent Uſſerius, Spelmannus, & Britannorum Doctiſſimi.

Sic Rex Nordanhumbrorum quartus, *Edwinus*, Eboraci à Paulino baptizatus, mox Archiepiſcopale Pallium accepturo. Cui Edwino ſucceſſit *Oſwaldus* Rex pius, qui à Scotorum Rege Donewaldo *Aidanum*, virum religioſum, Monachum in Monaſterio Inſulæ Hy, pro inſtruendâ plebe impetravit; tranſlatâ ſede Eboracenſi, per Scotos, ad Inſulam *Lindisfarnenſem*, in Aidani gratiam. Pariter converſi fuêre ad Chriſtianam Fidem Angliæ Mediterraneæ Populi, dicti *Mercii*, meditullium totius Angliæ poſſidentes, ſuiſque & propriis legibus viventes: Poſtquam nempè in bello occubuit Penda illorum Rex A. DCLV. & Oſwin Rex Nordanhumbrorum, à quo interemptus, illius regnum obtinuit, ex Bedæ *Lib.* III. C. XXI. Poſteà & Fidem Chriſtianam amplexi *Auſtrales* Saxones, Euangelium illis prædicante Wilfrido Epiſcopo, circà A. DCLXXX. Tandem *Heptarchia* tota Anglo-Saxonica à Paganiſmo revocata ad Chriſti Fidem, qualis tùm à Monachis & Romanis emiſſariis tradebatur; *Scotis* etiam, *Cambriſque*, ſed in doctrinâ & diſciplinâ purioribus, egregiam operam pro Fide navantibus; ex *Bedæ* Hiſtoria, & Anglorum *Chronicis*, apud Balæum, Uſſerium, Spelmannum, &c.

Friſicæ & Batavæ gentes converſæ.

II. Propagatus quoque Chriſtianiſmus ad *Friſios*, *Ultrajectinos*, *Geldros*, *Batavos*, Gentes ad oram maritimam inter Albim & Rhenum ſitas, ex Gente Anglo-Saxonum: Undè communis & Anglo-Saxonibus & Friſiis vel Friſonibus origo, lingua, mores; ut ipſe Beda *Lib.* V. C. X. dein alii, & in Friſiis omnium inſtar Suffridus Petri, & Ubbo Emmius, in Hiſtoriâ Friſiorum. Quorum hic *Libro* II. p. 76. Veterum Friſiorum linguam, *cum Anglico Sermone tantum habere cognationis & ſimilitudinis, ut ad nullum aliarum Gentium, ne finitimarum quidem, propius accedat.*

Inſtrumentum converſionis fuêre Anglo-Saxones, ſub finem Seculi, A. DCXCIV. *Egbertus* quidem Monachus, Romanis traditionibus, ſuperſtitionibuſque addictus, in Germaniam ad Friſones, Saxones, Danos, alioſque convertendos proficiſci voluerat. Sed ſævâ tempeſtate obortâ præpeditus, hanc operam reliquit *Willibrordo*, Presbyterii gradu & merito, ut tum erant tempora, præfulgenti, qui cùm Sociis XI. appulit in Zelandiam, hinc ulterius progreſſurus ad Batavos, Friſios, circà A. DCXCIV. quo tempore regnabat in Angliâ Boreali Alfridus Rex Nordanhumbr. Wilfrido Eboracenſi Epiſc. Atque his Euangelium prædicavit Linguâ Friſonicâ, quaſi Friſo Friſonibus, impulſus à Pipino Francorum Duce, qui Rathbodum Regem Citeriore Friſiâ expulerat. Et hic poſteà Romam profectus eſt ad Sergium Pontificem, Pipino ablegante, ac *poſtulante ut eidem Friſonum Genti Archiepiſcopus ordinaretur:* Indeque reverſus tanquam Friſiorum Apoſtolus, primus conſtitutus eſt *Ultrajectenſium* Archiepiſcopus, qui & ſolus hunc titulum geſſit: Quando eo mortuo contentio fuit, num Sedi Colonienſi Trajectina Sedes eſſet ſubjecta, quam alii *Papæ*, eos inter Bonifacius (qui primò Winfridus) poſteà Mogunt. Epiſc. immediatè ſubjacere contendebant, ut videre eſt in *Epiſt.* à Serario primum editis *Ep.* XCVII. Hic Willibrordus fertur Euangelium prædicaſſe longè lateque, inter has Gentes, & multos convertiſſe ad Fidem: Sociis quidem prædicationis *Wigberto* Presbyt. poſteà Epiſcopo; & *Hewaldis* duobus, (qui à Capillitio dicti, *albus* & *niger*) mox martyrium paſſis à Saxonibus, ut Martyrol. ad III. *Octob.* Sed non ſine fabulis admixtis, de inventis miraculo corporibus, ut etiam Beda Hiſt. L. V. C. XI. Dein Socii fuêre, *Swiberchtus*, qui accepto Epiſcopatu ad *Bructeros* profectus eſt, Weſtphaliæ populos, inter Amiſim & Lippiam fluv. & Friſicas paludes, de quo prolixè idem Beda, l. cit. Tum *Adelbertus* Monachus Benedict. qui Willibrordi Archidiaconus fuit, & miſſus in vicinam Kennemariam, ubi *Egmundenſem* Eccleſiam fundaſſe dicitur, celebrem dein Abbatiam, quæ antè *Hallem*, ad litus Oceani, & quæ diverſimodè *Eckmunda*, *Hacmunda*, *Egmunda:* Sive quaſi *mundata hæc* terra à ſordibus Barbarorum; ſive ab *Eggone* quodam, cujus filium Adalbertus è Sacro fonte ſuſcepit, & apud quem frequenter hoſpitatus eſt; ſive aliundè. De quo inter alios Joh. Leydenſis Ordinis Præd. in Chronico Egmundano, quod publici juris fecit Vir Clariſſ. Antonius Matthæus, *Cap.* IV. & *ſeq.*

Germanicæ gentes.

III. Sic inter *Weſtphalos*, *Suevos*, *Bojos*, *Francones*, *Germanos* alios, etiam *Italos*, facta eadem propagatio, inſtrumentis rurſum Anglis, & Scoto-Hibernis, à quibus inprimis hic labor ſuſceptus. Et in iis à *Columbano*, Hiberno, de quo jam ſuper. Seculo, & qui diem obiit circà A. DCXV. uti de Gallo, primario in diſcipulis, plura ſtatim. Sic *Kilianus* primus Wirtzburgenſium in Franconiis Epiſcopus, Hibernus fuit, qui Romam profectus, ut hic mos invaluerat, Apoſtolatum ad has Gentes à Conone Papâ, anteceſſore Sergii, accepit circà Ann. DCLXXXVI. Sic *Winfridus*, qui Bonifacius poſteà Moguntinus, de quo ad ſequentem Ætatem. Horum verò Legendæ ſeu Vitæ apud Surium, plenæ ſunt Fabulis Monachalibus, quas ſecurè reponit Baronius, inter cæteras Legenda *Marcellini* Brigantii,

Digitized by Google

qui deſcribit profectionem Willibrordi, Unus ſcil. ex Sociis, ex quo ſapit Baronius ad A. DCXC. *Num.* VIII. & DCXCV. N. VI. De his etiam Marianus Scotus, & multus in Centuriis Balæus. Cumprimis Monachorum eorum ambitio apparuit, ſpecie propagandæ Religionis, & ſervitus eorundem Romana, quando hi Romam primò profecti, undè miſſionem acciperent, & Apoſtolatum, ac præprimis *Mitra* & *Pallii* dignitatem: In quo prævivit ipſis *Auguſtinus* Monachus primus Archiepiſcopus Cantuarienſis, poſt quem Monachi omnes fuerunt, qui in Metropoliticâ eâ Sede ſucceſſerunt, *Laurentius*, *Mellitus*, (primò Londin.) *Juſtus* Roffenſis, *Honorius* Romanus, *Theodorus* Cilix natione, &c. Qui hanc Sedem, & Monaſteria ibi condita, ac fundatas Eccleſias, *regalibus opibus, ampliſque poſſeſſionibus, in honorem Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, ditatas, magnificatas* viderunt, ut habetur in Bullâ plumbeâ Auguſtini, apud Spelman. in *Concil. Brit.* p. 121. Undè Annalium Scriptor, ad A. DXC. *Num.* III. *& ſeq.* agens de Egberto, Willibrordo, & Sociis, dicit fruſtraneam futuram fuiſſe omnem illorum operam, in profectionibus ad Barbaros, niſi prius *Romam migraſſent ad accipiendum à Sede Apoſtolicâ Apoſtolatum: Quouſque à Romano Pontifice prædicandi Euangelium Apoſtolatum non accepiſſent, ipſorum laborem minimè optatum finem conſecutum: Inanes anteà fuiſſe* Egberti, Swiberti, Wigberti, Willibaldi, Winibaldi, Ewaldorum, ſic Willibrordi, *progreſſus:* Undè *decreviſſe hos* (*ne in vanum currerent, ut dicit Apoſtolus*) *ad eum, quem vice Petri ſcirent præeſſe univerſæ Catholicæ Eccleſiæ, legationem*, & quæ ibi plura. Et ſic in vanum cucurriſſent, quotquot primis Seculis non acceperunt *Apoſtolatum* à Rom. Epiſcopo, vel auctoritatem à Rom. Sede. Acceſſit propagaſſe hos inprimis traditiones Rom. Eccleſiæ, ſupremàtum Pontificis in Eccleſiam univerſalem, cœcam obedientiam Epiſcopis & Sacerdotibus debitam, Miſſarum ritus, Purgatorii pœnas, merita Operum, Sanctorum cultum, Miraculorum indies jactatorum fidem, virtutem Reliquiarum, &c. Quarum quidem Reliquiarum Româ detulêre, ad has Gentes, vanos & fictitios theſauros; acceptis etiam novis à Papâ nominibus, ad exemplum Simonis cognom. Petri, ut *Clementis*, *Bonifacii*, quæ addita illis Willibrordi, Winifridi. Beda de Willibrordo, *Lib.* V. C. XII. *Acceleravit venire Romam, ut cum Papæ Sergii licentiâ & benedictione opus deſideratum, evangelizandi Gentibus, iniret: Simul & Reliquias beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum Chriſti, ab eo ſe ſperans accipere*, (& ut addit Alfredus Rex in *Paraphraſi* Saxonicâ Hiſtoriæ Bedæ) *ut hoc modo cultum Diabolicum ejiciat*, ſubſtitutis in locum Dæmonum, *Sanctorum Reliquiis, quæ viſibiles & in ſenſus incurrentes characteres.* Scilicet Viri Apoſtolici, ut converterent ad Chriſtum Gentiles, cum à *Papâ* Romano licentiam, tum à *Reliquiis* ſubſidium, petiêre?

Baronius notat.

S. Gallus.

IV. Inter *Helvetios* quoque & *Suevos*, Galliâ relictâ, vixit *Gallus* ille Columbani diſcipulus, ſolitudinis amans; à quo Monaſterium hinc Abbatia S. Galli, hodieque *Santgallenſis:* Nec aliam Cœnobitis ſuis Regulam præſcripſit, quàm *Columbani illam*, de quâ,

Sancta Columbani placuit ſic regula Gallo,
Protinus ut generis ſpreverit omne decus;

canente olim Nicol. Oudarto, citante Uſſerio. Mortuus eſt S. Gallus decem annis poſt exceſſum Magiſtri Columbani, id eſt, A. DCXXV. ut Theod. Campidonenſis Galli diſcipulus, in *Vitâ* S. Galli, apud Caniſium Antiquarum Lection. *Tomo* V. Diverſus autem hic à S. *Gallo* Arvernenſium Epiſcopo, ſuperioris Seculi, patruo Gregorii Turonenſ. cui Baronius infinita Miracula adſcribit, ex eodem Gregorio Turon. Ejus quoque *Galli* Ædiculam, omnium primam Chriſtianis Sacris *Auguſtæ Vindelicorum* dedicatam, referunt Bojorum Annales, & M. Velſerus *Rerum Auguſtanarum Libro* V. *pag.* 257. De his aliiſque Converſionibus adeantur qui ex profeſſo de iis commentati, Joh. Pappus in Hiſtoriâ *Converſ. Gent.* Balæus in *Cent.* Magdeburgenſes, Hoſpinianus, Uſſerius, & recentiores alii.

Baronius notat.

V. Porrò in his Converſionibus referendis, implet omnia Annalium Scriptor, pro more, narrationibus apocryphis de S. S. illorum Virorum (quos ſubmiſit Roma ad ſubigendas ſuæ Sedi Gentes) infinitis Miraculis, Viſionibus, Prophetiis, Martyriis; addito ubique Sedis Apoſtolicæ præconio, ac per hanc diribitione Palliorum, Epiſcopatuum, per has omnes Europæ converſæ partes. Vide eundem de *Auguſtino* Monacho, *Mellito*, *Wilfrido*, *Egberto*, *Columbano*, *Gallo*, *Willibrordo*, *Swiberto*, *Kiliano*, & ſi quibus aliis. Idque ex Bedâ, Sigeberto, Martyrologiis, Legendis, Vitis horum Monachorum, à mendaciſſimis plerumque aut ſimplicioribus *Monachis* profectis, qui ad aniles fabulas converſi, & commenta, ſuis Monaſteriis, ac ſuperſtitionibus, ut & Romanæ Sedi, quærebant auctoritatem: Ac quod dignum eſt obſervatione, omnes hi Monachi, qui ſcil. Seculo renunciaſſent, ad *Archiepiſcopales* & *Epiſcopales* dignitates fuêre evecti, quarum gratiâ Converſiones eas ſuſcipiebant: Ipſo *Auguſtino* ſemet ipſum, abſque plebis electione, deinde ſocium Laurentium, in Archiepiſcopum Dorovernienſem evehente, *Londino* jure ſuo ſpoliato. Niſi fortè, quod *Gallum* illum Columbani ſocium, in Helvetiorum ſolitudinibus, renunciaſſe *Conſtantienſi* Epiſcopatui memorant, ex Petro de Natalibus, Scriptore Seculi XV. in *Catalogo Sanctor.* ubi de S. Gallo, & hinc aliis. Nec profectò ignari plerumque Monachi, Gentes haſce imbuiſſent tot ſuperſtitionibus, ac oneraſſent jugo humanarum Traditionum, & cœcæ ergà Romanam Sedem, & novos Epiſcopos, obedientiæ; niſi Miracula & Portenta hominibus barbaris, & ad omnem ſuperſtitionem natis, ac ignorantiæ tenebris immerſis, ingenioſè perſuaſiſſent, quod unicum Monachis perfugium fuit. Ipſeque credulus nimis in talibus fuit Vener. Beda, ex ſuorum fide, & ingenio temporum. Imò adulterata fuit in multis ejus *Hiſtoria* Gentis Anglorum, v. g. pro verbis illis quæ leguntur *Lib.* III. C. IX. *Sed duo tantùm miracula, quæ à majoribus audivimus, referre ſatis duximus*; in Ms. veteri dicitur in Notis hæc reperiri: *Sed nos, modò ut in Deum credamus ſatis duximus:* Quaſi dixiſſet; *miſſis majorum rudimentis, habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benè facitis attendentes.* Et vulgatiſſima ſunt illa Melch. Cani, ex Cathedrâ Salmaticenſi ad Epiſcopatum Cananenſem, tempore Conc. Tridentini, evecti, licet à ſuis dicatur, *impegiſſe in Hiſtoriam Eccleſiaſticam: Negare non poſſumus*, ſic ille de Locis Theol. *Libr.* II. C. VI. *Viros aliquando graviſſimos, in Divorum præſertim prodigiis deſcribendis, ſparſos rumores & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe. Quâ in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi ſibi, aut fidelium certè vulgo, indulſerunt.* Rursùs; *Quæ ego eadem de Bedâ, ac de Gregorio, jure fortaſſe ac verè dicere poſſum. Quorum ille in Hiſtoriâ Anglorum, hic in Dialogis, quædam Miracula ſcribunt vulgò jactata, & credita, quæ hujus præſertim Seculi Ariſtarchi incerta eſſe cenſebunt.* Et de Vitis Sanctorum quas exhibet Legenda Aurea: *Hæc*, inquit, *ſcripſit homo ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum ſeveri & prudentis.*

Monachorum ambitio, artes, fraudes.

Baronius notat.

VI. Ad Converſiones referri poſſet, ab *Hæreſi* ad fidem *Catholicam* reditus, ſed non ſenſu Baroniano. Hic enim ad Annum DCII. *Num.* III. exhibet formulam Juramenti imperati id genus converſis, nempè *ſe in communione Romanæ Eccleſiæ permanſuros.* Nec is

Digitized by Google

is tum ſenſus fuit alius, quàm permanſuros in communione ejus fidei, quam teneret Romana Eccleſia, Occidentalium Sedium prima, nempè juxtà definitionem in Conciliis Oecumenicis factam. Pariliter in Oriente jurabant, ſe permanſuros in communione Sedium Patriarchalium, Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, &c. & Fidei ſancitæ in Conciliis Oecumenicis. Sic & Papæ Romani, initio Ordinationis ſuæ, juramenti loco, mittebant ad Patriarchas Orientis Confeſſionem ſuæ Fidei, ut oſtenderent ſe *permanere in Communione Eccleſiarum* Conſtantinopolit. Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ; ut vel exemplo Gregorii Romani liquet, *Ep.* XXIV. *Lib.* I. *Ind.* IX. de quo jam ſuprà.

III. *Propagatio errorum, ſuperſtitionum, in Latinâ cumprimis & Occidentali penè omni Eccleſiâ.*

Doctrina Monachorum. I. Nempè ſimul cum diffuſâ ad memoratas Gentes luce *Euangelii*, per Paparum emiſſarios, diffuſas fuiſſe quoque *ſuperſtitiones* quæ, probante Româ, in Latinam cumprimis Eccleſiam ſenſim irrepſerant, res ipſa, & Annales teſtantur. Nihil his Monachis, Româ ſubmiſſis, uſque adeò cordi fuit, quàm illa urgere quæ eſſent è re Romanæ Sedis. Quicquid fidem Catholicam de Trinitate, de Creatione, de Redemptione per Chriſtum, de Peccato Originali, de Gratiâ Dei, de Regeneratione per S. Baptiſmum, de Vitâ Æternâ, &c. in ſpeciem retinerent: Ut ex Epiſtolis *Gregorii* I. *Bonifacii* V. *Honorii* I. ad Edwinum Anglorum Regem, ejuſque Conjugem Edelburgam, apud Bedam L. II. C. X. XI. XVII. &c. & id genus monumentis, imprimis Columbani, Galli, ſimilium, conſtare poteſt.

De Papæ poteſt. &c. Ità illi non conſiſtentes intrà terminos ſervatos Gregorio, ex. gr. I. *Pallium*, cujus *uſum ad ſola Miſſarum ſolennia* conceſſerat Gregorius Auguſtino, A. DCI. ex Epiſtolâ XV. L. XII. *Ind.* VII. interpretati poſteà, *grande Chriſti Sacramentum*, *virtutumque omnium indumentum*, *ut Chriſti Vicarius ſit medius Conſiliator Dei & Hominum*, &c. ut ex Ms. Godice Cantabrigienſi, Editor Bedæ p. 99. Sic iidem ſuis prædicationibus, quod innuebamus modò, ſtudioſè ſtabilire *Papæ* ſuprematum, & ebuccinare illud *Tu es Petrus*, &c. cui data eſſet omnis poteſtas in univerſalem Eccleſiam: Sic Deo Omnipotenti, largitori omnium bonorum, jam adjungere *B. Petrum* Apoſtolorum Principem; ut *Bonifacius* V. in citatis modò literis ad Edwini Conjugem, Bedæ Lib. II. C. XI. *Hilari confeſſione largitori omnium bonorum Deo*, & *Beato Petro Apoſtolorum Principi*, *uberes meritò gratias exolvamus.* Sic Bonifacius IV. in literis ad Adelbertum Regem Anglor. apud Spelmannum, *pag.* 130. Quæ *omnia decreta* (Monaſticas ſcil. regulas) *ſi quis Succeſſorum noſtrorum*, *Regum*, *ſive Epiſcoporum*, *Clericorum*, *Laicorum*, *irrita facere tentaverit*, *à Principe Apoſtolorum B. Petro*, & *à cunctis Succeſſoribus ſuis*, *anathematis vinculo ſubjaceat.* Sic in Literis Honorii I. ad Honorium Cantuar. apud Bedam *Lib.* II. C. XVIII. commendat Pontifex, ut in *prædicatione Euangelii*, *ſectetur Magiſtri & Capitis ſui Regulam*, *S. Gregorii*: Qui debuerat dicere; *Regulam Capitis unius Chriſti.* Sexcenta id genus, quæ Monachi hi ut exequerentur, ſibi cumprimis credebant negotii datum.

De Vener. Crucis, Imagin. 2. Sic dùm *Crucem Chriſti* prædicabant, intelligendam de Myſterio Redemptionis per Chriſtum crucifixum, illi ſubſtituere *Imaginem* & *Lignum* Crucis, eamque colendam vel adorandam proponere. Ita Auguſtinus Româ ſubmiſſus, venit ad Anglos, cum Sociis Monachis, *Crucem pro vexillo ferentes argenteam*, & *Imaginem Domini Salvatoris in Tabulâ depictam*, apud Bedam *Lib.* I. C. XXV. Bonifacius V. ad Edwinum Anglorum Regem, pro eo ad fidem inducendo, apud eundem *Lib.* II. C. X. *Undè oportet vos*, *ſuſcepto Signo Sanctæ Crucis*, *per quod humanum genus redemptum eſt*, eos Deos, quibus *Imaginem corporis tradidiſtis*, &c. *abjicere.* Ubi Paganum Regem, ut ab Imaginibus pertrahat, ad Imaginem vel *ſignum Crucis* contemplandum inducit, & *illi ſigno*, alibi *Ligno* Crucis, potiùs quàm paſſionibus & merito Salvatoris, *redemptionem* humani generis adſcribit. Sic Oſwaldus Rex Nordanhumbrorum, (occiſus à Pendâ Rege Merciorum, A. DCXLII. hinc *Martyr*) ſaltem in *Homiliis* Anglicanis, *Homil.* LI. de Paſſione Oſwaldi, tanquàm ex Bedâ; *Oſwaldus erectâ ſtatim Cruce in honorem Dei*, *antequam ad prælium venerat*; *allocutus eſt ſocios ſuos*, *milites. Nos ad Crucem procidamus*, & *Omnipotentem Deum invocemus.* Et aliâ Homiliâ, quæ eſt XXIV. *Crux eſt magna ipſius Paſſionis commemoratio*, & *per illam Sacra*, *quamvis in ſylvâ creſceret*: *Nos illam ſemper veneramur*, *propter honorem Chriſti*: *Venerationem* illam poſteà interpretati, de *genuflexionibus*, *inclinationibus*, *thurificationibus*, *cultu* religioſo, &c. ut obſervat inter alios magnus Uſſerius in Reſponſo ad Jeſuitam Irlandum, Cap. de *Imaginibus*.

3. Sic paulatim Monachi introducere doctrinam de *Purgatorio*, fundamentum omnium fabellarum, & ſuperſtitionum, cumprimis *Miſſarum* pro *defunctis*, quæ mirè hoc Seculo frequentatæ. Et quia nullum ipſis præſidium erat in Scripturâ S. aut genuinâ Antiquitate, hinc refugium ad *Viſiones*, *Somnia*, *Raptus*, narrationes *à mortuis* ſuſcitatorum, quibus illi rudi plebeculæ, aut recenti à Paganâ ſuperſtitione, faciles impoſuêre. Teſtis ſit Beda, clarus jam ſub *finem* Sec. VII. in Hiſtoriâ Anglo-Saxonicâ. Talis illa viſio *Furſæi* Monachi Benedictini, Hyberni natione, circà medium Sec. VII. qui maturè recreatus viſionibus *Angelicis*, aliquando nec ſemel *raptus è corpore fuit*, & *corpore exutus*, *à veſperâ uſque ad Galli cantum*; relaturus deinceps à ſe viſa, vallem tenebroſam, ignes ſubterraneos, animas ignibus toſtas, & quæ plura apud Bedam *Lib.* III. C. XIX. Similis viſio *Drithelmi* cujuſdam Nordanhumbrenſis, A. DCLVI. *à mortuis reſuſcitati*, narrantiſque mira à ſe conſpecta, *Lib.* V. C. XIII. Inter alia, *vallem* conſpexit, *multæ latitudinis ac profunditatis*, *infinitæ autem longitudinis*, præferentem *unum latus flammis ferventibus nimium terribile*, *alterum furenti grandine*, ac *frigore nivium omnia perflante*, *non minus intolerabile*: *Utrumque erat Animabus hominum plenum*, quæ identidem *proſiliebant* ex *fervore intolerando*, in *medium frigoris infeſti*, & ex hoc rursùs *in medium flammarum.* Mirante quid illud eſſet, reſpondit Ductor qui præcedebat, *non hic Infernus eſt*, *quem putas*; & poſteà, multis viſionibus intermixtis: *Ipſe locus eſt*, *in quo examinandæ ſunt* & *caſtigandæ Animæ illorum*, *qui differentes confiteri* & *emendare ſcelera ſua quæ fecerunt*, *in ipſo tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt*, &c. *Multos autem preces viventium*, & *eleemoſynæ*, & *jejunia*, & *maximè celebratio Miſſarum*, *adjuvant.* Et quæ ibi plura. His fabellis crevit opinio Purgatorii, & Media ſuperſtitioſa pro expiandis peccatis defunctorum. De Purgatorio.

4. Tacemus jam reliqua, quæ hoc Ævo ſuperſtitioſè à Pontificibus & Monachis *invecta*, aut ſanè in majus *confirmata*; ut ſunt cultus *Imaginum*, *Reliquiarum*, *Deiparæ*, *Sanctorum*, eorum *Feſta*, *Cœlibatus Clericorum*, &c. De quibus adhuc infrà, in conſpectu Romanorum hujus Sec. Pontificum, & prolixè Magdeburgenſes. Cumprimis *Reliquiæ* Martyrum, ſtudioſè in *loculis argenteis*, & in *Eccleſiis*, aſſervatæ; ut refert Beda de *manu cum brachio* Oſwaldi Regis, & Martyris, per cujus jam *Merita* Deum orarunt, *Hiſt.* Libro III. C. VI. Et idem Beda *Lib.* III. C. XIII. referens de *Reliquiis* & *meritis* Oſ- Superſtit. aliæ.

 wal-

Digitized by Google

waldi, habet hiſtoriolam de Hiberno quodam, graviter laborante, & hactenùs de ſalute animæ nihil ſollicito. Qui quum *Willibrordi* tùm præſentis opem imploraſſet, tandem ductus eſt ad merita Oſwaldi, *qui etiam poſt mortem, virtutum frequentium operatione, claruerit. Precorque* (inquit miſer ille ad Willibrordum, tum Presbyterum, & in Hiberniâ commorantem) *ſi aliquid Reliquiarum penes te depoſitum habes, adferas mihi; Si forte mihi Dominus, per ejus Merita, miſereri voluerit.* Cui Presbyter: *Habeo quidem de Ligno, in quo Caput ejus occiſi à Paganis infixum eſt; Et ſi firmo corde credideris, poteſt divina pietas, per tanti Viri meritum, & hujus vitæ ſpatia tibi longiora concedere, & ingreſſu te perennis vitæ dignum reddere. Nec moratus, ille integram ſe in hoc* Ligno *habere fidem reſpondebat.* Hoc ex infinitis ſpecimen eſto, fœdæ jam hoc Ævo ignorantiæ, ac ſuperſtitionis; de *Chriſti* autem *merito*, & *fide* in Salvatorem Deum, nihil. Plura id genus exempla apud Bedam; ut is de Succeſſore Wilfridi Epiſcopi, *Lib.* v. C. XXI. *Dedit operam ut acquiſitis undecunque Reliquiis Beatorum Apoſtolorum & Martyrum Chriſti, in venerationem illorum poneret Altaria*, & quæ ibi ſequuntur.

De die Paſchali ut ſolicita Roma.

II. Cumprimis etiam urſit Roma Pontificia, obſervantiam *diei Paſchalis*, Romano more, contrà veterum Britonum & Scotorum praxim, etiam Hyenſium Monachorum, (de quibus antè) quos *Quartadecimanos* per contemptum vocitabant. Quæ Controverſia, de *diei* obſervatione, ex jure humano, & conſuetudinario, variâ adhuc à temporibus Nicænis Chriſtianorum praxi, nullâ certè Apoſtolorum lege definitâ, (imò qui interdixiſſent omnes hujuſmodi contentiones, *de die uno præ alio æſtimando, de diebus feſtis, aut Neomeniis*, *Rom.* XIV. 5. *Gal.* IV. 10. *Col.* II. 16.) debuerat haberi in rebus mediis, aut certè cum omni moderatione, & prudentiâ, urgeri. Idem dicendum, de *tonſurâ Sacerdotum*, quæ tonſura *Corona*, aliiſque id genus ritibus in Eccleſiam introductis. Quomodò & habita fuit *Paſchalis* diſcrepantia, vivente *Aidano* Epiſcopo, qui ex Hyenſi Cœnobio in Boreales Angliæ partes, Euangelii prædicandi causâ, conceſſerat, impetratus ab Oſwaldo Nordanhumbrorum Rege; & primus Lindisfarnenſis Eccleſiæ Antiſtes fuit, in Nordanhumbriis, mortuus A. DCLI. Nam hic tenax antiqui Scotorum moris in illâ diſſonantiâ Paſchalis obſervantiæ, non modò *patienter ab omnibus tolerabatur*, etiam ab *Honorio* Cantuarienſi, ſed & ipſe alios tolerabat, idem quod illi Euangelium Chriſti prædicans, & opera præcipuè *fidei*, *pietatis*, & *dilectionis* urgens, ut Beda *Lib.* III. C. XVII. & XXV. Poſt Aidanum, idem obſervare *Finanus* ejus Succeſſor, dein *Colmanus*, ſub quo lis ea de Paſchate in nervum erupit. Nempè pro Romano celebrandi Paſchatis more, tanquam pro *Veritate* fundamentali, & Sacramento præcipuo Chriſtianæ religionis, certare hoc Ævo emiſſarii Romani, adverſus Britones, Scotos, Irlandos. Undè Synodus habita *Pharenſis*, in Monaſterio quod Saxones vulgò dicunt *Streanes balch*, rogatu Hildæ Abbatiſſæ, ſub Regibus Nordanhumbrorum *Oſwio*, & filio *Alchfrido* vel *Egfrido*, A. DCLXIV. quorum ille Scotorum diſciplinâ, hic Anglorum, à Wilfrido tùm Presbytero (qui poſt Archiepiſcopus Eboracenſis) imbutus fuerat. In quâ, quum urgeret Colmanus ſe diei Paſchalis obſervantiam à majoribus accepiſſe, & ita *Johannem Apoſtolum* tradidiſſe, qui XIV. *die primi menſis, ad veſperam, incipiebat celebrationem diei Paſchalis*, &c. Tùm Wilfridus Presbyter, jubente Rege; *Paſcha quod facimus vidimus Romæ, ubi beati Apoſtoli Petrus & Paulus vixère, docuère, paſſi ſunt* & *ſepulti*, & quæ alia Beda, *Lib.* III. Hiſt. C. XXV. Tandem quum urgeret Wilfridus, poſt alia multa, *Tu* (Colmane) *& Socii tui, ſi audita decreta Sedis Apoſtolicæ, imò univerſalis Eccleſiæ*, &c. *contemnitis, abſque ulla dubitatione peccatis.* Deindè quum *Columba* opponeret *Petrum Apoſtolorum principem, cui Dominus dixiſſet, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. (quæ verba Gregorius, de *Confeſſione* factâ à Petro intellexit, ſuprà *col.* 1065. & Veteres de *Chriſto* Eccleſiæ *Petra*) cui adeò *datæ eſſent claves Regni Cœlorum*; Tum Rex præmiſſis ad Colmanum quæſitis, ita concluſit: *Et ego vobis dico, quia hic* Petrus *eſt Oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum novi vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire ſtatutis; ne fortè me adveniente fores Regni cœlorum, non ſit qui reſerat, adverſo illo qui claves tenere probatur.* Faverunt quotquot adſtabant Regi, & abdicato priori more, receptus eſt ille celebrandi Paſchatis, qualem obſervabant Romæ. Hactenùs Beda. Qui & refert Hyenſes Inſulæ Monachos, A. DCCXVI. docente *Egberchto Sacerdote Hiberno, ritum eundem ſuſcepiſſe.* En ut emiſſarii Rom. Sedis poteſtatem Petri Apoſtoli, hinc Pontificis Romani, extollebant!

Superſtitio circa Euchar.

III. Ejuſdem ferè commatis fuit gravis concertatio, nata cumprimis inter Britannos, inde à *Theodoro* Archiep. Cantuarienſi, de *tonſura Clericalis* ratione, ut ex Bedâ intelligitur, *Lib.* IV. *Cap.* I. & *Lib.* v. C. XXII. Quaſi ageretur de obſervantiâ Traditionis Apoſtolicæ, & de eſſentiali capite. Ac *Triplicem* fecère tonſuram: Aliam *Pauli* Apoſtoli, quæ Orientalibus obſervata, & ipſi Theodoro antè in Oriente Monacho; quâ nempe toto capite *raſi* vel *tonſi* raſorum inſtar, nullâ coronæ ſpecie relictâ, ut legitur *Act.* XXI. 24. Aliam dixère *Petri* Apoſtoli tonſuram, ſecundùm quam *in coronam tondebantur*; ut in Capite coronam geſtarent; de quâ Ceolfridus Bernicius Abbas, (qui vitam in ſequens Seculum protraxit, mortuus ætatis an. LXXXIV. apud Balæum *Cent.* I.) prolixam Epiſt. ſcripſit ad Regem Pictorum Naitonum, apud Bedam *Hiſt.* L. v. C. XXII. Et Aldhelmus Abbas aliam, ad Ganentium Britannorum Regem in Weſt-Saxonibus, urgens *diverſas ob cauſas Petrum Apoſt. hunc ritum ſumpſiſſe*; citante etiam Uſſerio Armachano in *Antiq. Brit. pag.* 923. Hujus autem tonſuræ ratio, Symbolum fuit, ſic illi, 1. *Coronæ ſpineæ* quam Chriſtus portavit in capite, ut ſpinas & tribulos peccatorum noſtrorum portaret, & in cujus memoriam *Petrus ſic attonſus* fuerit. 2. Se nihil pudere opprobrii Crucis, & irriſionum mundi, in *frontiſpicio* ità attonſos; dicunt in Vetere Libro Canonum, *deriſionis gamituram.* 3. Se firmiter expectare *Coronam* Vitæ æternæ, pro quâ mundo & cupiditatibus renunciarent. 4. Adhæc, *Clericos* ſic à *Laicis* tonſurâ & habitu diſtingui, æque ac operibus. 5. Sic etiam *reprobari Sacerdotes Vet. Teſtam.* (ita in dicto Libro Canonum, citante Uſſerio in Antiquit. C. XVII.) *in illo loco, ubi Columba ſuper Caput Chriſti deſcendit.* Tertiam denique tonſuram dixère illam *Simonis Magi*, quæ aſpectu quidem in frontis ſuperficie *coronæ* ſpeciem videretur præferre, ſed dimidiatæ, nec abſoluto circulo, ſcil. in anteriore parte, ab *aure ad aurem*; ponè verò in cervice nulla eſſet: Quod ſignum fuerit, nullam *poſt hanc vitam Coronam* ab iis expectandam, qui *Simoniaci*, & *præſentis* tantùm vitæ commoda reſpicerent. Atque ità perſuaſum Naitono Pictorum Regi, ut toto regno ſuo Miniſtri Altaris, & Monachi omnes, in *Coronam attonderentur*: Quidam referunt ad A. DCCVIII. vel DCCIX. de quo Spelmannus in Conciliis Britann. *pag.* 227. Et hinc *Theodorus* antè Græcus Monachus, & more Orientalium tonſus, *tonſurâ S. Apoſtoli Pauli*, Romæ expectare debuit *menſes quatuor, donec illi coma creſceret, quo in coronam tondi poſſet*: Et tum ordinatus à Vitaliano Papâ A. DCLXVIII. atque in Britanniam miſſus, futurus

Superſtitio circa Tonſuram.

Digitized by Google

turus Cantuarienſium Archiep. ut Beda *Lib.* III. *pag.* 255. Et hinc Agreſtinus, Monachorum ſuperſtitionibus ſe in Galliâ Burgundicâ opponens, circà A. DCXXIV. inter alia dixit, *capitis comam ineptè præcidi*, & in eo *ab omnium hominum more deſciſci*, maleſanâ ſuperſtitione; ut videre eſt in Actis Concilii Matiſcon. *Tomo* V. *col.* 1687.

Superſtit. circa Euchar.

IV. Par ſuperſtitio irrepſit, in celebratione *Euchariſtici* Sacri. In Oriente quidem Anaſtaſius Sinaita Junior, ſub initia Sec. VII. ſi auctor eſt ὁδηγȣ̃, inſerti Bibliothecæ M. Patrum, (alii tribuunt Anaſtaſio Seniori, Opus reverà variè interpolatum) ſanè videtur adſtruere *Cap.* XXIII. in *Euchariſtiâ verè* exhiberi *verum Corpus & ſanguinem Chriſti*, non *typicum* tantùm; quod ſimul *corruptibile* eſſe contendit, contrà Apthartodocitas. Quæ ſanè verba parùm favere *Tranſubſtantiationi* Pontificiæ, eſt ab Aubertino, Claudio adversùs Arnaldum, Laroquano in Hiſtoriâ Euch. aliiſque demonſtratum. Sed tamen jam tum aut ſtatuiſſe aliquam præſentiam realem *veri Corporis*, aut involviſſe novis verborum involucris ſententiam Veterum, omninò videntur. Quæ ſenſim opinio *realis præſentiæ* actura fuit radices in Oriente, ſed longè diverſa ab illâ Latinorum, ut oſtendimus in noſtrâ *Diſquiſitione* de perpetuâ diſſenſione Græcorum à Latinis. Quo ſpectat famoſa narratiuncula *Joh. Moſchi* τȣ̃ Εὐκρατᾶ, in Viridario vel Prato ſpirituali, (cujus amplum Supplementum, eorum ſcil. quæ Græcè deſiderabantur, è Biblioth. Regiâ & Colbertinâ, edidit Cotelerius Monum. Græcæ Eccleſ. T. II. p. 341.) ut eſt in Biblioth. M. Patrum Pariſienſi, T. XIII. *Cap.* CXCVI. p. 1150. Nempè refert (ex *narratis* tamen Gregorii Provinciæ Afric. P.) in Provinciâ Apamienſi fuiſſe pueros paſcentes pecora, & fortè pro conſuetudine ludentes. Qui ità ludendo ad ſe invicem dixerint, δεῦτε ποιήσωμεν σύναξιν, ϗ προσενέγκωμεν προσφοράν, *agite celebremus S. Synaxim, & offeramus oblationem.* Dictum factum, creant unum ex ſe Presbyterum, & duos Diaconos miniſtrantes; petram vel ſaxum erigunt in modum Altaris; incipiunt Sanctam oblationem, & ille qui fungebatur vice Sacerdotis, pronunciat memoriter, ſuper *pane* & *vino* quæ aderant, τὴν εὐχὴν τῆς ἁγίας προσφορᾶς, id eſt, *ſacræ Oblationis orationem*, (quam audiverat ſæpiùs *altâ voce* recitari, pro more) riteque, ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem, omnia illic peraguntur. Quid fit? *Ignis* cœlitùs delapſus ſubitò propoſita ſymbola, antequam communicarent, conſumpſit, & ipſum altare, ac *pueri* præ pavore exanimes in terram concidêre. Sed vero in memoriam tanti miraculi (qui finis Monachorum fuit) in loco illo διαγὲς μοναστήριον *latiſſimum Monaſterium*, *Eccleſiam*, & *Altare*, illicò condiderunt. Quicquid ſit de narrantis fide, (nam plenum fabellis hoc Moſchi *Viridarium*) hinc patet ſuperſtitio temporum, & vis adſcripta *preci* conſecratoriæ, ſeu *verbis* ipſis prolatis: Undè poſteà Latinorum ſuperſtitio nata, de verbis Conſecrationis ſecretò muſſitandis, de qua poſteà. Sic invaluerat adhuc ſuperſtitio de S. *Communione* corporibus mortuis ſeu *Cadaveribus* dandâ, jam antè in Africanis Eccleſiis damnatâ *Can.* XVIII. Syn. Carthag. poſt Conſulat. Honorii XII. Theod. VIII. Prohibente etiamnum Synodi Quini-Sextæ, in Trullo habitæ, *Canone* LXXXIII. undè abuſus adhuc obtinuiſſe patet: Uti etiam Euchariſtiam unà cum *mortuis ſepeliendi*, ſuprà eorum pectus repoſitam; ut ex Bedâ refert Amalarius *Lib.* IV. C. XLI. *oblata fuiſſe ſuprà Sanctum Corpus* Cuthberti *poſita*, Lindisfarnenſis Eccleſiæ in Britanniis Epiſcopi, ferè ſub finem VIII. Seculi, de cujus miraculis Beda, *Hiſt. Angl.* L. IV. C. XXVIII. Quemadmodùm etiam continuatus adhuc mos in Occidente, *Infantibus* dandi Euchariſtiam, ut liquet *Can.* XI. Concilii Tolet. XI. A. DCLXXV. & deinceps adhuc, ex Ordine Romano: Sic dandi *ægris* moribundis, qui eandem acceptam frequenter evomerent, *inevitabili infirmitate*, ex eodem Canone. Hinc mos ille *Euchariſtiam*, die *Paſchali* conſecratam, toto anno ſequente *reſervandi Ægrotis*; undè ſæpè fieret mucida, aut periret, aut à mure vel beſtiâ abſumeretur. Quem morem apud Anglos ſuſtuliſſe dicitur *Ælfricus*, Archiep. *Cantuarienſis*, quoniam *Euchariſtia quæ nunc hodie conſecrabatur, æquè ſacra erat, atque illa quæ conſecrata erat die Paſchali*, ut habetur in Annotat. Anglo-Saxon. ad Bedæ Hiſtor. L. IV. C. C. XXIV. Ubi refert de quodam Monacho, rogante fratres an *Euchariſtiam intùs haberent*, aſſervatam ſcil. in uſum morientium. Ità, ſicut apud Græcos obtinuit mos *aſſervandi* Symbola conſecrata, in uſum Miſſæ ἐκ τῶν προηγιασμένων *ex præſanctificatis*, tempore Quadrageſimæ, Canone Trullano LII. ſic apud Latinos ſancitum, ut *oblatorum reliquiæ, ad conſervandum, modico loculo abſque ullâ injuriâ* reponerentur, quo *faciliùs conſervarentur*, in uſum viatici; ſicut in Concil. Toletano XVI. A. DCXCIII. *Cap.* VI. ſub finem.

Uſus Latinæ Linguæ undè?

V. Ut inter *Latinos* præcipuè invaluerit hoc Seculo ſuperſtitio circà *Sanctos*, *Martyres*, *Reliquias*, *Imagines*, *Defunctos*, dicetur Capite ſeq. Papis certè, & Monachis præcipuè, debetur ejus ſuperſtitionis propagatio. Sic ut hi Monachi Româ ſubmiſſi fuêre, & Scripturarum pariter, & patrii Sermonis inter Gentes antè inacceſſas, ignari; hinc illi uſum *Latinæ Linguæ* introduxêre in publica Sacra: Sic *Officium Romanum* ſeu Gregorianum, (de quo ad ſuperius Sec.) eo quo ſcriptum Sermone eſt, per Occidentis Eccleſias ſtudioſè diffuderunt. Vide dicta ad VI. Sec. *col.* 1068. 1069. & hoc Sec. *Cap.* II.

Theodori Monachi, Archiep. Saxonum, & legati Pontificii, fœda Capitula.

VI. Nuſquam verò luculentius argumentum apparet, introductæ per Paparum hos miniſtros nefandæ ſuperſtitionis, ac corruptiſſimæ Diſciplinæ, quàm in *Novâ Regulâ* inter Britannos ſancitâ, à *Theodoro* Tarſenſi Monacho, qui à Vitaliano Pont. unà cum Hadriano Abbate, ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum tranſmiſſus fuit, A. DCLXVIII. juxtà Bedam *Hiſt. Lib.* IV. C. I. Malè Regino Prumienſis Abbas in Chronico, ponit Annum DLXXVI. Hujus pariter ſuperſtitioſiſſimi, atque ſuperbiſſimi Pontificis, *Capitula Pœnitentialia*, quorum tantùm Titulos ſeu faſtigia exhibet Spelmannus in *Concil.* p. 154. 155. deſcripſit Lucas Dacherius Tomo IX. Spicil. *pag.* 52. poſt Capitula Hibernenſia. Indè enim intelligere licet corruptiſſimam Cleri & Monachorum Doctrinam, Canones, Mores, corruptioremque Seculi Diſciplinam. Nec pigebit exempla ex dictis Capitulis, & ex Dacherio, ſubjeciſſe. Ex. gr. *Capit. prioribus*, decernit numerum *Miſſarum* & *Orationum*, in Ordinationibus Monachorum, Abbatum, Abbatiſſarum, &c. Sic *Monachiſmum* vocat *ſecundum Baptiſma, quo omnia peccata dimittuntur, ſicut in Baptiſmo.* Cap. IV *Nullum perfectum credimus in Baptiſmo, ſine confirmatione Epiſcopi.* Cap. X *Animalia in retibus* capta *non comedenda*, nec quæ *inventa mortua.* C. XIV *Digamis pœnitentiam* indicit, *primo anno*, ſtatis feriis. C. XV *Monacho fornicanti* indicit *pœnitentiam ſex annorum.* C. XVI Novos *Conjuges* jubet *abſtinere ab Eccleſiâ* XXX. *diebus*, dein *pœnitere* XV. *diebus.* C. XIX *Pro defuncto Monacho Miſſam agi* jubet, *die ſepulturæ*, tum *tertiâ die*, & *quamdiu voluerit Abbas: Pro Laico bono tres* vel *ſeptem dies*; *Pro Pœnitente trigeſimâ die, vel ſeptimâ; & propinquis jejunandum quintâ die, ſicut in Jeſu Filio Sirachi legitur*, (ignorantiſſimè, voluit 2. *Sam.* I. 12.) *Et pro Saül Filii Iſraël jejunaverunt*, &c. C. XXI *Menſtruatas*, & *Puerperas* ante diem XL. arcet ab *introitu Eccleſiæ.* C. XXII *Pro infante*, quem quis *voviſſet ad Monaſterium, poſſe alium infantem dari, ſimiliter & pecora.* C. XXV *Reliquias Sanctorum venerandas*, accenſis *candelis per ſin-*

Digitized by Google

ſingulas noctes, & facto *incenſo, quo adſpergitur Eccleſia, ſicut lilia dederunt odorem ſuavitatis*. C. XXVII *Laicum* in Eccleſiâ *non debere Alleluja dicere*. C. XXXII *In uno Altari concedi duas fieri Miſſas*; quod *non conceditur* in Conc. Antiſſiod. C. X. *Non licet in uno Altari duas Miſſas dicere*. C. XXXIII *Viro abſtinendum ab uxore* XL. *dies antè Paſcha*, & totâ *hebdomadâ, poſt Paſcha*, & *poſt Pentecoſtem*. C. XXXVI *Gentilium corpora*, vel *Gentiles mortui, de locis Sanctorum ejiciendi ſunt*. C. XXXVII *Miſſas agendas pro mortuis*, etiam *trigeſimâ die, quia* XXX. *diebus Moyſen Filii Iſraël planxerunt; Et ter in annum, quia Dominus tertiâ die reſurrexit*, &c. C. XL *Qui cum ſorore fornicatur*, XIV. *annis pœniteat*; levis ſanè pœna pro inceſtu. C. XLI *Sacerdos tangendo mulierem coinquinatus*, XL. *diebus pœniteat*. C. XLIV *Maritus non debet uxorem ſuam nudam videre*; quod nuſquam Scriptura S. C. XLV *Cujus uxor infidelis*, & non poteſt eam convertere, *dimittat eam*; contra Paulum, 1. *Cor*. VI. 10. 12. C. LI. LII *Qui occiderit Monachum vel Clericum*, VII. *annis pœniteat*, vel *Domino ſerviat*. *Qui verò Presbyterum vel Epiſcopum*, tanquam digniorem perſonam, hunc demum *judicio Regis permittendum*. C. LIII *Si Laicum occiderit, per iram ſubitam, pœniteat* III. *annis*. C. LV *Qui fornicaverit cum maritatâ*, reus ità adulterii, *pœniteat* III. *annis*, nec tamen *integris*, ſed *unum integrum, duos alios*, XL. *dies*. C. LVI *Blaſphemias Domino agere, qui Miſſas offert pro malo homine*; ſeu pro eo Deum rogat. C. LVII. LVIII *Pœnitentiam* indicit *ſeptem annorum, mulieri ſe ad alteram conjungenti*, amore παρὰ φύσιν, de quo Paulus, *Rom*. 1. 26. Aut *ſemen viri cibo miſcenti*, ut indè magis ardeat. Sic *Sacrata virgini fornicanti*, injuncta eadem Pœnit. C. LIX *Qui homicidium vel furtum commiſerit*, jubetur *componere cum illis quibus nocuit; vel pœnitentia ejus augeri*. C. LXI *Mulier quæ Sobolem necaverit*, VIII. *annis pœniteat*. C. LXV *Qui per juſſionem Domini ſui occiderit hominem, dies* XL. *jejunet*; quæ ſanè pœna leviſſima *homicidii*. C. LXX *Qui pecuniam in prædam duxerit*, III. *partem eroget, &* XX. *dies jejunet*. C. LXXIII *Qui dimiſerit uxorem ſuam, alteri conjungens*, VII. *annis pœniteat*; quod (παρεκτὸς λόγου πορνείας) adulterium eſt, *Matth*. V. 32. C. LXXVI *Vir & mulier, in matrimonio, ſi alter ſervire Domino voluerit, conſenſu amborum ſeparentur*. C. LXXVIII *Mulier ſpontè perdens partum ſuum, ſi antè* XL. *dies conceptionis, annum* I. *pœniteat, ſi poſt*, III. *annos*. C. LXXIX *Pater filium, neceſſitate coactus, etiam ſine voluntate filii, in ſervitium tradet*. C. LXXX *Ordinatos à Scotorum aut Britannorum Epiſcopis*, in cauſâ *Paſchatis & Tonſuræ non adunatis* Eccleſiæ Romanæ, (quâ de re ſuprà) *iterùm confirmandos* ab Epiſcopo Catholico. C. LXXXIII. & CI. CXIX *Qui manducat morticinium* XL. *dies jejunet*. *Qui carnes immundas, ceſſet à miniſterio*; ſimiliter, qui *animantia in retibus ſtrangulata*. Quod fuit revocare Legem Cerem. & ex praxi Græcorum Theodorus habuit. C. LXXXVI *Non licet Baptizatis cum Catechumenis manducare communiter*. C. LXXXVII *Britonibus petentibus*, nec confeſſis ſe eſſe in unitate Eccleſiæ Romanæ, *non Chriſma dandum, nec Euchariſtiam*. C. LXXXVIII. *Presbyter ſi hominem occiderit, aut fornicationem fecerit, deponatur*; quæ ſunt diverſa delicta, & prius capitale. C. XCV *Omnibus fidelibus qui ingrediuntur Eccleſiam, percipiendum eſſe Sacrificium, aut privandos eſſe communione*; diverſâ deinceps R. E. doctrinâ & praxi. C. XCVIII *Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum*, aut *fornicantem*, aut *perjurum*, aut *furem, deponi* quidem poſſe, non autem *privari communione* Euchariſticâ: Nam *dicit Scriptura; Non vindicat Dominus bis in unum*. Quod fuit contrà Vet. Eccleſiæ Diſciplinam. C. CII *Deſponſatam puellam licere parentibus, tradere ad Monaſterium*. C. CIV *Mulier incantationes cantans, vel anno, vel tribus Quadrageſimis pœniteat*. C. CVIII *Perjuri* III. *annis, Sodomitæ* VII. *annis pœniteant*; quibus Script. pœnam *ignis* infligit. C. CXVIII *Pueris* quidem & *puellis*, dum *ſub poteſtate parentum ſunt*, etiam ſine eorum licentiâ, licere *ſe Monachos facere*; at *Monachi votum, ſine licentiâ Abbatis*, nullum eſſe. Et quæ id genus fuêre plura.

Obſervatio ad Super. Capitula.

Et hæc Capitula, ſub *Vitaliano* Papâ Romano concepta, & ſub *Agathone* (ut ferunt) publicata, vel ſola probant fœdam Romanæ Eccleſiæ faciem, ſub Papali Dominatu. Nempè nulla non ſcelera, crimina fuêre, quæ *pœnitentiâ* aliquot (ad ſummum) annorum, dilui aut expiari non potuerint. Cæteroquin durum fuit hujus *Theodori* in Angliâ regimen, per quem graves Epiſcopi abdicati, inter eos Wilfridus Archiep. Eboracenſis, ex edaci livore; motuſque varii in Britannicis Eccleſiis excitati fuerunt; adeò ut ad Agathonem læſi appellarint, & reſciſſa Romæ ejus ſententia fuerit. Nempè in *Adulteros*, in *Sodomitas*, in *Homicidas*, in *Fornicarios*, &c. mitis fuit, auſterus in *Coëpiſcopos*. Unde in hoc Theodoro *Numerum Beſtiæ*, ac *Characterem* (deſtinatum utpotè emiſſarium Pontificis, circà A. DCLXVI.) Ceſtrenſis, Capgravius, Balæus, & alii Anglicarum rerum Scriptores, obſervarunt. *Nec antè id Tempus*, ità Balæus *Cent*. 1. in *Theodoro, tam potenter operabatur Antichriſti ſpiritus iniquitatis ſuæ Myſterium*.

Baronius notat.

Hic tamen Theodorus eſt, quem laudibus extollit Agatho Papa, *in Epiſt*. inſertâ VI. Synodo, *Act*. IV. *Tomo* VI. Concil. & quem Annalium Scriptor aliquoties Cœlo infert, ut *Legatum Apoſtolicæ Sedis, ſanctitate clarum, doctrinâ eximium, in Sanctorum numerum referendum, celebritate anniverſariâ* colendum, &c. ut paſſim, ſic ad An. DCXC. *Num*. X. XI. Neque unus Theodorus, ſed quotquot ferè hoc Seculo fuêre Papalis dominationis, ac Rituum Rom. Eccleſiæ, & Monachiſmi propagatores, omnes *Sanctorum* Catalogo inſerendi, omnes *Miraculis* inſignes, θαυματουργοί. Et in horum Miraculorum recenſione, in primordiis hujus Sec. indè ab *Auguſtino Monacho*, primo Cantuarienſium Archiepiſcopo, ad finem ejuſdem Seculi, *Tomo* VII. & VIII. adeò fuſus eſt Annalium Scriptor, ut paginam fermè utramque faciant: Nec aliundè ferè quàm ex Monachorum iſtorum *Vitis*, & interpolatis *Martyrologiis*, & *Chronicis* ſequentis Ætatis, ad omnem jam ſuperſtitionem effuſæ; ſcriptoribus Monachis, & imperitis, ſi unum fortè *Bedam*, ſed & credulâ hunc nimis ſimplicitate, excipias. Rectè Balæus *Cent*. 1. in Bedâ: *Illum tamen, ex temporis indignitate, non poſſum omni impoſtricis doctrinæ inquinamento levare; quum ejus ubique* Chronica *Monachorum portentis, ex nimiâ referentium credulitate, ſcateant*.

Iterùm de Auguſtino, & cæteris Anglorum Apoſtolis.

V. Sed exemplum eſto præfatus *Auguſtinus*, qui vulgò Anglorum Apoſtolus, circà quem imponit non uno modo Annalium Scriptor, indè ab An. DXCVII. quo in Angliam appuliſſe fertur, cum ſociis Monachis XL. & Interpretibus ex Francorum gente, apud Bedam, *Hiſt. Lib*. 1. Enimverò, 1. Falſiſſimum hos primos fuiſſe in Angliâ Chriſti præcones, pridem per *Britones, Scotos, Gallos*, (quos inter Seculo V. Germanus Auxitanus, Lupus Trecenſis, Seculo VI. David Menevienſis, Samſon, Congellus, alii, & qui *Berthæ* Reginæ Chriſtianæ, Ethelberti conjugi, tùm aderant in *Cantiis* Epiſcopi) illatâ eò, vel propagatâ, luce Euangelii, ex Bedâ, *Lib*. 1. tùm Galfrido Monumetenſi, &c. ut Gildam, ac priora Secula taceam. 2. Supponitur, præcones fuiſſe Apoſtolicæ doctrinæ, qui veriùs *Romaniſmi*, ut loquitur Balæus, *cum adjunctis ſuperſtitionibus*, ceremoniis, ἐθελοθρησκείαις, de quibus ſuprà: Quibus adeò Britones, Hiberni, Scoti, *Epiſcopi antiquæ Britannorum Eccleſiæ* (ſic Baronius ad A. DCIV. N. LV.) diutiſſimè reluctati ſunt, tenaces Apoſtolicæ ſimplicitatis; *grex Domini rectum ordinem tenentes*, ità Galfridus, *Lib*. II. C. XII. Sed

Baro-

Digitized by Google

Baronio hoc nomine *Hæretici*, *hoſtes Catholicæ Eccleſiæ*, *Schiſmatis fuligine tincti*, *denſâ caligine offuſæ mentes*, *obſcurâ nocte*, *cæco carcere*, *divinâ vindictâ mulctandi*, &c. 3. Supponuntur Auguſtinus & Socii viri ſimplices, *mites*, *humiles corde*; quos Britannorum Chronica, & facta ipſa, Pallia ſibi ſumpta, tyrannis exercita, perſecutiones excitatæ, teſtantur fuiſſe turgentes typho Seculi, ſuperbos, avaros, ad omnem crudelitatem compoſitos: Undè etiam in detrectantes iſtorum ſuperbiam, & jugum illud Romanarum Traditionum Epiſcopos, converſus Auguſtinus ille; *Si pacem cum Fratribus accipere nollent*, *bellum ab hoſtibus fore accepturos*, Bedâ eodem teſte, *Lib.* II. C. II. Hinc mox Ethelfridus Rex Nordanhumbrorum ferus & barbarus, in eos à Monachis concitatus, *maximam Gentis perfidæ ſtragem dedit*, ſolis *quinquaginta fugâ elapſis*, & *completo ſic præſagio S. Pontificis Auguſtini*. Qua de re ſuprà ex Bedâ, & prolixè Juellus in *Apol. Anglic.* & Hiſtorici Britanni. Laudatque multis Baronius immanem hanc tot Martyrum ſtragem, ad A. DCIV. N. LXV. Iis nempè accidiſſe, quod *Afris* per Wandalos, *Hiſpanis* per Saracenos, *Orientalibus* per Barbaros, quum à Romanâ Sede deſciſcerent; cenſerique *Deos planè alienos colere omnes Schiſmaticos*, quotquot non ſubſunt Romano Pontifici, juxtà Bonifacii effatum. 4. Supponuntur infinita horum *Miracula*, quorum ſanè quædam recenſet Beda, ex fide aliorum, & de quibus antè Melch. Cani judicium fuit: Qui Beda, præterquàm in plurimis interpolatus eſt, ab ipſo Baronio (ut Uſſerium Armach. alioſque taceam) ſæpe arguendus ἀνιστορησίας, ſcribens Gregorio II. Pontifice, qui multa *ex Rom. Eccleſiæ Scriniis* (ut ipſemet in *Præfat.*) per *Nothelmum* Presbyt. Londinenſem Bedæ ſuppeditavit. Vir ſanè integerrimus, ſed nimiæ in talibus fidei, aut credulæ ſimplicitatis, ut antè monitum, & qui, Monaſterio nunquam egreſſus, vitam omnem inter Monachorum agmina exegit, horum dignis & illo tempore, & iis hominibus, relationibus tutus. Sed & falſiſſima referuntur de Auguſtino alia, v. gr. Baptizaſſe uno die x. *millia* hominum; tacente Bedâ, & adſcribente, dudùm poſteà, numeroſum eum Baptiſmum *Paulino* Archiep. Eboracenſi Hiſtor. *Lib.* II. C. XIV. 5. Quos à peritiâ Scripturarum extollunt, novos Apoſtolos, eorum omnia imperitiam arguunt, ac in ſpecie præfati *Auguſtini interrogata* ad Gregorium, quorum meminit Beda, & quibus reſpondit Gregorius, ut antè quoque innuimus, *Epiſt.* XXXI. *Lib.* XII. *Ind.* VII. *Interrogat* enim hic ex ultimâ Angliâ, miſſo Romam Laurentio Presbytero, Gregor. Pontificem; Quomodò dividendæ eſſent oblationes fidelium? Quæ furum pœnitentia? Undè diverſæ conſuetudines Miſſarum? An duo Fratres cum duabus Sororibus conjungi poſſent? Num mulier prægnans poſſet baptizari? An menſtruatæ, aut conjuges poſt concubitum, vel polluti illuſione nocturnâ, ab Eccleſiæ ingreſſu prohibendi, &c? Quas interrogationes *inſulſiſſimas*, & *omni Euangelii ac Legis eruditione vacuas*, rectè Balæus dixit, in *Auguſtino*, Cent. XIII. Atque huic Auguſtino Gregorius ſubjecit omnes Britannorum Eccleſias, ut etiam ad *Eboracenſem civitatem mitteret Epiſcopum, quem ipſe judicaverit ordinare*; Neque hoc ſolùm, *ſed etiam omnes Britanniæ Sacerdotes haberet, Deo Domino noſtro Jeſu Chriſto auctore, ſubjectos*? *Quatenùs ex linguâ & vitâ ſuæ Sanctitatis, & rectè credendi, & benè vivendi, formam perciperent*, &c. Hic Auguſtinus eſt, qui in Britanniam *introduxit Altaria*, *Veſtes*, *Imagines*, *Miſſas* Gregoriano ritu, *Calices*, *Cruces*, *Candelabra*, *Thuribula*, *Vexilla*, *Luſtrales aquas*, & *Romanarum Ceremoniarum Codices*, ut idem Balæus.

Baronii crudele effatum.

Auguſtini inepta interrogata.

Poteſtas illi tributa.

IV. *Conſpectus Paparum hujus Seculi: Quatenùs auctores novarum Traditionum, ſuperſtitionumque.*

I. DE *Oecumenico* Pontificatu, qualem affectavit primus, privativè ad Conſtantinopolit. *Bonifacius* III. dicimus *Cap.* ſequenti. Hîc modò notamus, ex Scriptoribus quibus habet Roma fidem, ut Papæ ad unum omnes id penſi habuerint, ut ſinguli novâ ſuperſtitione Eccleſiæ Ceremonias augerent. *Gregorius* I. quantumvis audiat apud Ildefonſum Toletan. *Libro* de Viris Illuſtribus, *Cap.* I. qui *vicerit ſanctitate Antonium*, *eloquentiâ Cyprianum*, *ſapientiâ Auguſtinum*; tamen auctoritatem multis ſuperſtitionibus addidit. Teſtes ſint ipſe paſſim in *Epiſtolis* & *in Dialog.* Gregorius, tùm Rabanus, Walafridus, Durandus, Platina, Polyd. Vergilius, P. Mantuanus, &c. Huic enim (ut ſuprà, fusè *col.* 1076. 1077.) debetur *Canonis Miſſatici*, *Antiphonarum*, *Cantuum*, *Cantilenarum* diurnis & nocturnis horis, hodierna inter Latinos ratio; unde B. Mantuanus *Faſtorum* L. III.

Gregorii I. ſuperſtitioſa.

Hic docuit cantare choros, meliciſque animavit
Verba notis, ſacriſque dedit formamque, modumque.

Præter ἐθελοθρησκείας, & inſtituta alia circà *Stationes*, *Litanias*, *Proceſſiones*; *Quadrageſimam*; *Trigeſimam*, & *cæteras Oblationes pro defunctis*; *Veſtes Pontificales*; *Conſecrationes* Templorum, & Altarium, Monaſteriorum, *ſuprà* has & illas *Reliquias*. Neque tamen pro veris habenda ſunt, quæcunque de Gregorio Baronius. V. gr. quæ ille, ex Vaticanis ſcil. monumentis, ad A. DLXXXVI. N. XXV. de delatis ab eo Romam, donante in Oriente Tiberio Imp. Reliquiis Apoſtolorum, ut *Brachio Andreæ* Apoſtoli, & *Capite Lucæ* Euangeliſtæ, quæ ille in Monaſterio S. Andreæ, & in Baſilicâ Vaticanâ, venerandas in hunc diem, recondiderit. Vide quæ de his *Corporibus* repertis, & *ſub terrâ conditis*, ſub Juſtiniano, dixi *col.* 1081. Quamvis ſuperſtitio hujus Gregorii conſtet, circa Reliquias alias; ut de Catenâ S. Petri, de Craticulâ S. Laurentii, Epiſtolarum L. II. *Ep.* XXXIII. ità circà Reliquias *Petri* & Pauli, Laurentii & Pancratii, Martyrum, *Lib.* V. *Ep.* L. Severini Confeſſoris, & Juliani Martyris, Oratorio iis conſtruendo, *Lib.* VII. *Ep.* LXXXVI. B. Pauli Apoſtoli, Johannis, & Pancratii, ut *Ep.* LXXXVII. eodem Libro VII. Hermetis, Sebaſtiani, Agnetis, L. VIII. *Ep.* LXIII. &c. Ut nullum Oratorium, nulla Eccleſia, nullum Altare, conſecrari debuerit, niſi ſuper aliqua Corpora vel Reliquias Sanctorum.

II. Sabiniano indigno Succeſſ. debentur, *Cerei* ſeu *Lampades* in Sacris accenſæ, certè in Eccleſiâ *B. Petri* Vaticanâ, teſte Anaſt. Et *Campanarum* uſus, ſeu *tintinnabulorum ſonus*, quo populus invitatur ad Sacra, ut Vergilius *Lib.* VI. C. XI. De his & Onuphrius in *Sabiniano*. Ac iniquiſſimum fuiſſe in memoriam & in Scripta Gregorii, quæ etiam igni voluiſſe tradi, ſed vindicante à flammis Petro Diac. idem Onuphrius teſtatur. *Hujus patria ignoratur*, & *meritò*, ità Plat.

Sabinianus qualis?

Bonifacio III. creato An. DCVI. debetur *Oecumenici* Pontificatûs uſurpatio, ſibi ſoli adſcripti, ut pluribus *Cap.* ſequenti. Bonifacio IV. A. DCVII. teſte Martyrologio Romano III. *Id. Maji*, debetur Feſtum *Omnium Sanctorum*, ut Gentiles habuerunt *Feſtum Animarum*; Et *Panthei* Romani (ab *Agrippâ* olim omnibus Diis, & Cybele deorum Matri, conſecrati, formâ convexâ in faſtigiatam *Cœli ſimilitudinem*) in *Panagium* converſio, conſecratum D. Virgini Dei Matri, omnibus Martyribus, fatente etiam Baronio, poſt Paulum Diac. Bedam, Anaſtaſium. Quod à Bonifacio appellatum, S. Maria

Bonifac. III. IV.

Digitized by Google

ad Martyres dicitur hodie *S. Maria Rotunda*, Eccleſia B. Virgini & omnibus Sanctis Sacra. Monumentum verò Gentilis Antiquitatis iſtud eſt omnium præſtantiſſimum, licet ſpoliatum à ſuccedentibus Papis variis ornamentis, transferendis in Baſilicam Vaticanam. De eo loquuntur quotquot Urbem Romam deſcribunt. Minutias alias ab hoc Bonifacio inſtitutas, de quibus Balæus, & alii, mittimus. B. Mantuanus de Pantheo:

> *Pantheon hoc Templum, Phocâ donante, recepit*
> *Romulidum Paſtor Bonifacius, atque fugatis*
> *Inde ſimul cum Matre Diis, ſolemniter omnes*
> *Tranſtulit ad ſuperos.*

Theodatus. Theodatus, ſeu *Deus dedit*, An. DCXIV. primus legem invexit de *ſpirituali cognatione*; Ne ſcil. liceret ducere *levatam* ex Sacro fonte, item ne *commatrem* in uxorem liceret accipere: Et quidem addidit rationes abſurdiſſimas, à *ſeptem donis Baptiſmi, uſque ad confirmationem per Chriſma*; quouſque ſi quis duceret *Commatrem* ſuam, hunc *anathematis vinculo religandum in perpetuum*. Vide hujus Theodati *Epiſtolam* ad Gordianum Hiſpalenſem, *Tomo* v. Conc. *col.* 1648.

Bonifacius V. Bonifacius V. A. DCXVII. *Aſyla* voluit in Templis & Aris conſtituta, pro reis, ſicariis, raptoribus, &c. nequaquàm indè auferendis, teſtibus Anaſtaſio; Sigeberto, reliquis. Sic *Acolythum* prohibuit levare vel attrectare Martyrum Oſſa, vel Reliquias, ex Anaſtaſio ipſo. Præterquàm quod hic ipſe Bonifacius V. teſte Beda *Lib.* II. in *Epiſt.* x. ad Edwinum Anglorum Regem, inſertâ *Tomo* v. *Concil.* redemptionem humani generis tribuit *Signo Sanctæ Crucis*; & ejus effectum ſtatuit liberationem *à peccato Originali* tantùm, nullâ certè cæterorum *peccatorum* mentione.

Honorius I. Honorius I. indè ab A. DCXXVI. Pontifex, quamvis Papa minimè malus, tamen plus ſollicitus fuit de externâ *Ceremoniarum* pompâ, & *Baſilicarum* ſtructurâ, ſplendore, opulentiâ, quàm de reformandis Cleri moribus, & de promovendo opere Miniſterii, quale Gregorius in Paſtorali ſuo, etiam factis ſuis expreſſerat. Undè Anaſtaſius in ejus *Vitâ*, totus eſt in luxu hujus Pontificis deſcribendo, ſic Platina, & alii; præterquàm quod iſte infeliciſſimæ Hæreſeôs *Monothelitarum*, & nefandæ apoſtaſiæ *Muhammedis*, ſub Honorio exortæ, meminit. Ità initio ſtatim *Vitæ* Honorii, Bibliothecarius hunc *renovaſſe omnem familiam B. Petri Apoſtoli*, nempè, *inveſtiendo Confeſſionem* (vel *Cryptam*, aut Altare) *B. Petri ex argento puro, ad libras* CLXXXVII. Sic *Regias januas, ex argento*, ad *libras* DCCCCLXXV. & quæ alia ad ornatum *Baſilicæ Petri*, & S. *Andreæ*, idque *ex conſenſu Heraclii Imperatoris*, ut Domini Urbis Romæ. Ita de novo ſtruxit ſumptuoſas Baſilicas, & exornavit, S. *Agnetis* viâ Numentanâ; S. *Apollinaris* in loco appellato *palmaria*; *S. Cyriaci* Martyris, viâ Oſtienſi; *Beatorum Martyrum*, ſeu IV. *Coronatorum*; *B. Severini*, juxtà Civitatem Tiburtinam, &c. & quas ſtructuras alias, cum profuſionibus ſtupendis, & immenſi pretii donariis, feciſſe dicitur Honorius. *Proceſſiones* etiam hebdomadarias, *Litanias* Sabbato die ad B. Apollinarem, & B. Petrum, circumeundo Templa, cum Hymnis & Canticis, inſtituit. *Invocationem* etiam *Sanctorum* demortuorum, ad Gregorii I. Litanias adjeciſſe dicitur. Etiam opes immenſas congeſſiſſe, in *Epiſcopio Lateranenſi*, apud eundem Anaſtaſ. De errore ejus *Monothelitico* infrà.

Zephyr. II. *Severinus*, qui aliis *Zephyrinus* II. electus Ann. DCXXXVIII. totus pariter fuit, (ut in ejus *Vitâ* Bibliothecarius) in corradendis opibus, intrà *Epiſcopium Lateranenſe*, exemplo Honorii deceſſoris. Quibus cum incredibili luxu reparavit ornavitque Templa, & Baſilicas, *Clerum donis augmentavit*, ſic Anaſtaſius vulgò, & hoc modo *dilectionem* ſuam ergà eundem oſtendit. Quo tempore Saraceni Damaſcum, Arabiam, Phœniciam, Ægyptum, Africam, latè populabantur, illaſque ditiones, Heraclio Imperatori ademptas, adjiciebant recens fundato Imperio Muhammedis. Undè *Iſacius*, Italiæ Exarchus, credidit utiliùs tot congeſtas opes, in uſus Imperii, & militum, impendi poſſe; hinc & theſauros illos abſtulit ex Palatio Lateranenſi, adjutore *Mauricio* Chartulario, & Ravennam tranſportavit. Nec auſus tum Papa Iſacium anathemate percutere, vanâ ſine viribus irâ, quibus deſtituti erant Romani Epiſcôpi.

Ità *Johanni* IV. A. DCXXXIX. & *Theodoro* natione Joh. IV. Græco, Johannis intrà biennium ſucceſſori, potiſſimùm tribuuntur, in eorum *Vitâ*, ſub nomine Anaſtaſii: Studium *Reliquiarum* ſeu transferendarum, Theodorus. ſeu ornandarum; quales *Vincentii*, *Mauri*, *Anaſtaſii*, quorum Corpora ex Dalmatiâ Romam tranſportari fecit, ipſe Dalmata. Ita *Theodorus*, *revelata eo tempore Corpora Primi & Feliciani*, quæ erant in arenario ſepulta, condidit intrà Baſilicam Stephani Protomartyris. Tale hujus ſtudium fuit erigendarum Romæ Sanctis *Ædium*, ſic *Eccleſiarum*, quæ religionis eorum temporum pars præcipua, quales enumerat Anaſtaſius, cumprimis in *Vitâ Theodori*. Sic mirè ſollicitus, poſt Anteceſſores, Johannes IV. de reducendis *Scotis* ad morem celebrandi *Paſchatis* Romanum, ex Bedâ *Lib.* II. C. XIX. quâ de controverſiâ dictum ſuprà fuit *Cap.* III. Alia prætermittimus; quanquam *Theodorum* ſtudioſum fuiſſe *Pauperum*, ita etiam Orthodoxiæ contrà Monothelitas, inprimis contrà *Pyrrhum* Conſtantinop. Patriarcham, (in quos vetus Romanorum Pontificum æmulatio fuit, uti *Martini* Succeſſoris in *Paulum* Conſtantinopolit.) habet Bibliothecarius.

Martinus I. creatus Ann. DCXLIX. ſed anno II. Martinus I. Pontificatûs abducendus in exilium, ſub Conſtante Imperat. ob damnatum in Synodo Romanâ, ſub initium Pontificatûs, obtentu Monotheliticæ Hæreſeôs, *Typum* Concordiæ, quem hic promulgaverat Princeps; & ob anathemate obſtrictum *Paulum* Conſtantinopolit. tunc Patriarcham. Quanquam accuſationes aliæ in Martinum fuerint, ut quod cum Hoſtibus Imperii conſpiraſſet, & fidem mutare animum induxiſſet. Huic autem Papæ, qui in exilio periit, tribuuntur ſtatuta de jejunio *Sabbati*, de *raſurâ*, deque *Cœlibatu* Sacerdotum, alia, quæ ex Chronicis enarrant Wicelius, Balæus, Flaccius Illyricus, Magdeburgenſes, *Cent.* VII. C. X. *Miracula* idem pro more celebrandus, quæ & vivus in vinculis fecerit, & mortuus in Cherſoneſo Ponti, apud Anaſtaſium, & in *Epiſt.* Gregorii Papæ II. ad Leonem Iſaurium, & in Martyrologio XII. *Nov.* ac Legendis apud Surium, undè ſua Baronius. Refertque idem ad A. DCLIV. N. VI. quod ſuo adhuc tempore frequentia celebrarentur à Cherſonenſibus *ad ſepulchrum* S. Martini miracula; cujus tamen Corpus *Romam* pridem tranſlatum fuiſſe crederet ipſe Annalium Scriptor.

Eugenius I. patriâ Romanus, electus fuit Romæ Eugenius I. Papa, A. DCLII. juxtà ipſum Baronium, ſuperſtite adhuc Martino *Martino*, ſed relegato Cherſonam, & habito pro ſuperſtite. non Pontifice, mortuo demùm A. DCLIV. vel ut Sirmondus DCLV. ad *Collectanea* quæ dicuntur Anaſtaſii Biblioth. & *Tomo* VI. Concil. *col.* 432. Hinc fruſtrà Baronius, Binius, & reliqui ſervire nati, Eugenium *vicariâ* tantum *præfecturâ* functum eſſe, uſque ad obitum Martini; exindè *ſediſſe* demùm tanquàm *verum & legitimum Pontificem*. Atqui Anaſtaſius, *ſediſſe annos duos, menſes* VIII. *dies* XXIV. *Papam benignum, mitem, manſuetum*, &c. Huic Eugenio

Digitized by Google

genio tribuitur lex nova de *Cælibatu*, quam alii Martino adſcribunt: Item *Civilis* juriſdictio Epiſcoporum, ac jus carceris, in *Hæreticos* quos pro talibus Roma habuit, vel apud Gratianum, *Diſt.* LXXXI. C. *Sacerdos*: Obſervante hinc Volaterrano, *Lib.* XXII. ſenſim ità ad Pontifices, & Epiſcopos, deveniſſe *poteſtatem gladii Civilis*.

Vitalianus. *Vitaliano*, ab An. DCLV. ad A. DCLXIX. (undè in ejus Pontificatu *Numerum Beſtiæ* obſervant) tribuitur in ejus Vitâ, *Regula Eccleſiaſtica*, quæ eadem videtur in pleriſque cum illâ Theodori Græci, de qua diximus modò. Qui Theodorus ab ipſo in Britanniam ſubmiſſus, & in Sedem Cantuarienſem ſublimatus fuit, poteſtati Pontificiæ, & traditionibus ritibuſque Romanis, in illo Regno & vicinis, firmandis. Adde legem *Cælibatûs*, quam urſit hic quoque Pontifex, ac *Reliquiarum* mirum ſtudium: Uti illud ſubjiciendi *Britanniæ* Romanæ Sedi, Romaniſque ritibus adſtringendi, ut modò diximus: Quàm ſtudioſus fuerit hic Papa, tum auctoritatis ſuæ, tum novarum Conſtitutionum, tonſuræ Monachalis, Ceremoniarum in Eccleſ. Sacris, docent *Epiſtolæ* ad Paulum Cretenſem, & ad Oſwi Regem Nordanhumbrorum; item Theodori Græci *Capitula*, ad calcem Tomi VI. Concil. Editionis noviſſimæ. *Conſtantis* Aug. ſub hoc Papâ Romanum iter A. DCLXIII. & exhibitam huic Imperat. reverentiam, atque ſubjectionem, nihil obſtantibus prioribus interdictis, referunt Hiſtorici, & Anaſtaſius Bibliothec.

Theodatus. *Adeodato* An. DCLXXI. triſtiſſimis quamvis temporibus, quibus Saraceni Thraciam, etiam Siciliam, devaſtabant, tribuuntur ab Anaſtaſio Bibl. opera *Monacho*, qualis fuerat, digna. Puta, Monaſterium *S. Eraſmi*, in Cœlio monte, novis ædificiis multo ſumptu auxit; *Templum* D. Petri, viâ Portuenſi, inſtauravit; *Litanias* quotidianas, quales tum fuêre, ad *Deum* tamen, avertendis tonitrubus, prodigiis, inſtituit, & hic tum devotionis apex fuit. Ad hujus tempora refert Baronius, A. DCLXXII. *Num.* II. III. peregrinationem ad Limina Apoſtolorum, *Audoëni* Rotomagenſis Epiſc. ex Surio nempe XXIV. *Aug.* Undè, ſi vera narrantur, ſuperſtitionem circà Sanctos, Apoſtolos, Martyres, eorumque Templa, Altaria, quæ *cumulabantur auro & argento*, prolixè intelligas. **Donus.** Idem *Dono* ſucceſſori ſtudium fuit quod Theodato; *Eccleſias* novas ædificandi, vel inſtaurandi, dedicandique, ut Eccleſiam *Apoſtolorum* ſitam viâ Oſtienſi, *Euphemiæ* viâ Appiâ, &c. Sic *Porticum* D. Petri, vel Veſtibulum quod *Paradiſum* vocant, columnis & marmoribus exornavit; & quæ alia hujus Papæ facinora fuerunt, ſed brevis ævi. Et hic Donus eſt, qui Eccleſiam *Ravennatum*, hucuſque αὐτοκέφαλον, Romanæ Eccleſiæ primus ſubjecit, ſi fides Anaſtaſio in ejus *Vitâ*, Platinæ, aliis. Quod tamen ſub Agathone ſucceſſore, *Theodoro* tum Ravennatum Epiſcopo, contigiſſe refert idem Anaſtaſius, nempè in Synodo Romanâ A. DCLXXX. quando Theodorus coràm ſe Romæ ſtetit, & à Papâ confirmationem accepit. Et deinceps, ſub Leone II. divali juſſione præcepit Conſtantinus, ut Ravennas electus Romam concederet, à Pontifice conſecrationem accepturus, apud Sigonium de R. Italiæ, *Lib.* II. p. 49.

Agatho. *Agathoni* autem Papæ ab A. DCLXXVIII. (quo ſedente VI. Synodus Univerſalis celebrata eſt, de quâ prolixè infrà) debetur lex nova de Pontificum Sanctionibus ut *Apoſtolicis* admittendis, ut ipſâ divinâ *voce Petri*; ità Gratianus *Diſt.* XIX. *Cap. Sic omnes*, &c. præter ſuperbiſſimas Epiſtolas, de quibus infrà. Sic *Miſſæ Latinæ*, in ipſâ etiam Græciâ, præſcriptio, celebrandæ per Legatos ſuos, coram Imperatore; Aliaque colligenda ex *Epiſtolis* Agathonis, & ex ejus *Vitâ*, *Tomo* VI. Concil. *col.* 578. & *ſeq.* Ut in Epiſt. ad Regem Merciorum Æthelredum, A. DCLXXX. quam Spelmannus exhibet è Saxonico verſam, de *Conc. Brit.* p. 163. præcipit: *Ut nec Rex aliquis, aut Epiſcopus, aut hominum quiſpiam alius*, ab Abbatiâ de *Medhamſtede exigat tributum, vel reditum, vel ſervitium*, &c. cujus nempè Abbatem Legatum ſuum *ſuper omnem Angliam* conſtituerat, auctum plurimis *terris & poſſeſſionibus*: Sic ut qui voviſſet votum *peregrinandi Romam*, ſi modò ad Eccleſiam *Medhamſtede* perveniſſet, *eadem à Chriſto, & Petro, nec non Abbate* & Monachis, remiſſione gauderet, *quam perveniens Romam obtinuiſſet*. Tandem, *ut quicunque breve iſtud & præceptum perimpleverit, hoc ipſo apud Deum Omnipotent. in Regno cœlorum perpetuò verſetur*, &c. Et ſi quis contrarium fecerit, *ruat in Papa Romani anathema*.

Leo II. *Leone* II. Papâ ab A. DCLXXXIII. aſſertum Rom. Pontifici jus *inveſtituræ Epiſcoporum*, etiam Præſulum Ravennatenſium, & quidem ex præſcripto Imperat. Conſtantini, faventiſſimi Romanæ Eccleſ. ex Anaſtaſio, Platinâ. Licet reluctatus ſit Theodori Ravennat. ſucceſſor *Felix*, cui hinc Conſtantini filius Juſtinianus, Ravennâ expugnatâ, oculos eruit, *Apoſtolorum principis ſententiâ*, teſte Anaſtaſio in *Vitâ* Conſtantini Papæ, ſub initia ſeq. Seculi. Acceſſit in hoc Leone, ut in Papis reliquis, teſte in ejus *Vitâ* Anaſtaſio, ſtudium Reliquiarum, SS. *Simplicii*, *Fauſtini*, *Beatricis*, & aliorum Martyrum. Sic ſuperba *Eccleſia in honorem B. Sebaſtiani* ædificata, &c. id genus alia.

Benedictus II. *Benedicto* II. ab Ann. DCLXXXIV. adſcribuntur ab eodem Anaſtaſio, nonniſi *ſumptuoſa* circà Divorum Templa, Altaria, Vaſa, Calices aureos, Veſtes Sacras, videnda in hujus *Vitâ*. Ut ritus Judaicos æmulatus ſit hic Pontifex. Remiſit etiam ſub hoc Papâ Conſtantinus Imp. (eodem teſte Anaſt.) neceſſitatem expectandi in *ordinatione Papæ* conſenſum Principis: Sed Juſtinianus filius mandavit non diu poſteà, ut expectaretur conſenſus *Exarchi* Ravennatis.

Johannes V. Conon. *Johanni* V. natione Syro brevi defuncto, ſuffectus eſt *Conon* electus A. DCLXXXVI. poſt magnos in Urbe motus, inter *Petrum* Archipresbyterum, & *Theodorum* Presbyterum, de Papatu certantes; favente *Exercitu* electioni Theodori, collecto intrà Baſilicam Stephani Protomart. ex Anaſtaſio. In *Cononem* tandem ab utriſque itum. Qui licet brevis ævi Pontifex, 1. *Kilianum* Hibernum Monachum, Romam (ut cæteri) profectum, donavit Apoſtolicâ miſſione, & dignitate Epiſcopali, qui inter Francos Orientales, Germaniæ populos, non tam Chriſtianiſmum, quàm Papæ auctoritatem, & Romanas traditiones propagaret. Hinc à *miraculis*, *viſionibus*, *ſanctitate*, *martyrio* tandem celebrandus Baronio, & Legendariis. 2. Eadem poteſtate, donavit Conon *Antiocheno Patriarchatu*, extrà limites Romani poſito, & *Pallio ad caballicandum* (ſic Anaſtaſius) Conſtantinum quendam Diaconum Eccleſiæ Syracuſanæ, inconſulto Clero Antiocheno: Et factioſum quidem hominem, ac turbulentum, à Judice Provinciæ mox in arctam cuſtodiam compingendum, ut fatetur quoque Baronius, ad Ann. DCLXXXVI. *Num.* V.

Sergius I. *Sergio* I. natione Syro, electo in gravi Schiſmate, A. DCLXXXVI. de quo Anaſtaſ. varia tribuuntur: Ut miſſio *Willibrordi*, addito illi *Clementis* cognomine, cæterorumque *Apoſtolorum*, ad Inferiores Germanos, Friſios, Danos, Romanæ Sedi ſubjiciendos: Decreta etiam, de *adorandâ Cruce* in Eccleſiâ Lateranenſi, de *Litaniis* annuis, in Annunciationis Mariæ, aut Purificationis Feſto; de *tripartitâ* fractione Hoſtiæ; de cantu (*Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis*) ter repetendo, in Canone Miſſæ, &c. Ad hæc cordi fuit, ſplendidus *Baſilicarum* ornatus, & *Reliquiarum*, *Statuarum*, *Imaginum*, Vaſorum *aureorum*, *argenteorum*, &c. magnum in hoc Papâ ſtudium. Ut idem Sergius *adulterii* aliquando inſimulatus fuerit, infante recens ex inceſtuoſo

Digitized by Google

ſtuoſo concubitu nato, legitur apud Surium in Actis S. *Aldhelmi* XXV. Maji. Sed mirâ ratione diluendâ eâ calumniâ, obſervante & Baronio ad An. DCXCIX. *Num.* II. Nempè rogato *Infante*, nonniſi IX. dies habente, ut *in nomine & virtute J. Chriſti* ediceret, num Sergius Papa eo ſe ſcelere obſtrinxiſſet; reſpondit Infans abſolutiſſimo ſermone: *Pontificem nequaquam illi crimini affinem eſſe, nihil eum cum fœmineo ſexu commercii habere. Atque ità Aldhelmus, & ab amico Pontifice depulit infamiam, & ſibi gratiam cumulavit.* Undè & alia de hoc Aldhelmo mira referuntur, poſtquam à *Sergio* Pontifice diſceſſiſſet, etiam apud Bedam *Hiſt.* L. V. C. XIX. Ut autem Sergius ſubſcribere Canonibus Syn. *Quiniſexta* detrectarit, dicimus infrà.

Baronius notat. V. Quantus verò hìc pateret campus caſtigationibus *Baronianis*, ſi quas ille paginas implet, *Tomo* VIII. Annalium, (v. gr. in ſingulorum *Pontificum* efferendis laudibus, celebrandis eorum inſtitutis, ſuperſtitionibus hiſce commendandis, *Religionis* prorâ & puppi in iis conſtituendâ, adhæc emiſſariorum Rom. Sedis Miraculis, Viſionibus, Fabulis ex *Legendariis* narrandis, &c.) perſequeremur ſingulas. Quas inſuper cœlo benedictiones arceſſat, *in Reliquiarum*, *Imaginum*, *Divorum* cultores, obſervantesve eorum quæ *Roma* decerneret: Quæ præmia his meritis tribuat: E contrario quæ in Britannos, Scotos, Græcos, tenaces ſuorum rituum & conſuetudinum, fulmina vibret; quas pœnas decernat, in Pontificiæ Majeſtatis contemptores. Satis verò fuerit ad *Baronium* ipſum Lectorem non faſcinatum ablegaſſe; nec citationibus non neceſſariis paginam noſtram farcimus. Jamque ex dictis, & adhuc dicendis, ſpeciminum abundè eſt.

V. *Initia Antichriſtianiſmi in Romanâ Eccleſiâ, indè à Bonifacio III. ex ſententiâ ipſius Gregorii. Continuatio ſuperbiæ, & affectati dominatûs, in univerſalem Eccleſiam. Characteres alii Antichriſtianiſmi.*

Antichriſtus quis ex mente Scripturæ? I. Quamvis Papalis φιλοπρωτείας, & affectati ſupprematûs, cumprimis à tempore *Leonis* I. apparuiſſent in Epiſcopo Romano perpetua indicia, ex Hiſtoriâ Seculi V. VI. nunquàm tamen apertè adeò ſe exeruit Spiritus verè *Antichriſtianus*, qualem cenſuit ipſe Gregorius I. verè *Magnus* comparatè ad Succeſſores, quàm paulo poſt hunc terris ſublatum. Ut & *nomen* Antichriſti, ex deſcriptione iſtius Pontificis, & *res* ipſa, ex characteribus Scripturæ S. verè deinceps ſe prodiderint in Epiſcopis Romanis quà talibus. Quatenùs 1. Ἀντίχριστος dicit eum qui ἀντὶ ſeu *vice* & *loco Chriſti* ſe in terris gerit, ut ferè ἀντίθεον dixêre; & ut ἀνθύπατον, ἀντιστρατηγὸν, ἀντιμισθωτὸν, aliaſque id genus voces, in compoſitione uſurpant. 2. Eum qui ἀντὶ τὸν Χριστὸν *contrà Chriſtum*, ejus nempè doctrinam, mandata, & facit & docet, τὸν ἀντικείμενον vel ἀντιλέγοντα. Uti *Joh.* XIX. 12. *quicunque facit ſe ipſum Regem*, partes Regis ſibi vendicat, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι, ſeu facit ſe ἀντικαίσαρα. Quanquam hæc oppoſitio non ſemper fuerit aperta, ut tales palàm inſurgant in Deum, in Chriſtum, in Cæſarem, &c. ſed occulta tamen & quoad rem ipſam: Cùm tribuendo ſibi quæ *Chriſti* ſoliùs eſſe Scriptura teſtatur, ſeu Nomina, ſeu Officia, ſeu ἀποτελέσματα; tùm *evertendo* ipſo facto, ipſâ doctrinâ, quæ à Chriſto *fundamenti* loco poſita fuêre; ut quamvis ſpecie tenùs *habeat cornua ſimilia illis Agni*, facie blandâ, ſpeciem habens ſanctitatis, tamen *loquatur ut Draco*, Apoc. XIII. 11. Sed hìc inſiſtimus modò veſtigiis Gregorii I. non illi ſenſui quem affingebat *Conſtantinopolitano* Patriarchæ, qualem hic minimè prætendit aut factis expreſſit, ſed quem verè innueret hæc vox *Antichriſti*, judice ipſo Gregorio.

II. Nam Patriarcham *Conſtantinopolitanum* quod attinet, dicebatur hic Οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, non quod ſe talem adhuc inſcriberet, (quod non factum antè *Germanum* Patriarcham Sec. VIII. ab A. DCCXIV. ut in Jure Canon. Orient. *Lib.* IX. videre eſt) ſed quod ab aliis hunc ſibi dari titulum pateretur; & factum fuerat ad exemplum *Romani*, cui idem titulus datus jam à tempore Synodi Chalcedonenſis, cum reſtrictione tamen ad Patriarchatum *Magnæ Romæ*, aut *Veteris Romæ*. Imò Dioſcorus *Alexandrinus* dictus jam fuerat Patriarcha Οἰκουμενικὸς in Synodo Epheſinâ λῃστρικῇ A. CCCCXLIX. ut antè obſervatum. Itaque poſſeſſionis jus uterque habuerant ævo Juſtiniani, nec ſemel in Codice & Novellis, ut Byzantinus quidem diceretur Patriarcha Oecumenicus, quatenùs *Archiepiſcopus novæ Romæ*; quemadmodùm etiam à Græcis dicebatur Romanus *Patriarcha*, vel *Papa Oecumenicus* ex uſu Latinorum, quatenùs *Archiepiſc. veteris Romæ*: Et ſenſus hujus appellationis fuit, ex antè dictis, *col.* 1087. quo deſignaretur Conſtantinopolitanus, 1. Is Patriarcha cujus Sedes eſſet in *Urbe Regiâ*, Capite Orbis ſeu Imperii, ſeu τῆς οἰκουμένης totius Orientis. 2. Qui caput eſſet integratum Diœceſeôn, quæ Sedi iſti ſubjectæ, quales *Thracica*, *Aſiana*, *Pontica*. 3. Qui præeſſet in Conciliis *Oecumenicis* in Oriente celebratis, quæ Conſtantinopoli haberentur, in Urbe regiâ, ex Diœceſibus totius Orientis, ubi πρεσβεῖα eſſet inter omnes Patriarchas Eccleſiæ Orientalis. 4. Ut ad quem, tanquam primarium πρεσβεύοντα, ad quem etiam ſpectarent τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, primò referrentur, aut quocum communicarentur, res graviores omnium Eccleſiarum, *ea omnia quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum ſpectant*, ut loquitur ad Epiphanium Juſtinian. l. 7. Cod. *de S. Trinitate.* Et familiare Græcis fuiſſe hoc *Oecumenici* epitheton, ut *Synodos* dixerint Oecumenicas, quæ ex variis partibus Rom. *Imp.* licet non ex Orbe toto, coactæ eſſent; *ſic Sacra* Oecumenica; *Ludos* Oecumenicos; *Doctores* Oecumenicos, (οἰκουμενικὸν Διδάσκαλον) qui in Urbe Regiâ hoc munere fungerentur, tanquàm *Doctores primarios*, eſt alibi à nobis obſervatum, & in Hiſtoriâ Imagin. Reſtit. *Sect.* II. Prout Romanum Imper. venit nomine τῆς οἰκουμένης, quaſi reliquæ Orbis partes pro non *habitatis*, aut pro *nullis* haberentur. Hactenùs ergò in Conſtantinopolitano, titulus ille Patriarchæ *Oecumenici*, nec primùm auditus fuerat, ut ſuppoſuit Gregorius; nec id voluit, quaſi ipſe *ſingularis* eſſet Patriarcha, vel *ſolus*, vel *præter eum nemo*, vel *Caput* Eccleſiæ *univerſalis*, ſub cujus imperio eſſent reliqui omnes Patriarchæ, vel qui ſe ipſi *Imperatori ſuperponeret*. Quem ſenſum, uti alieniſſimum à mente Græcorum, Imperatorum, Synodorum, Chriſtianorum omnium, ita verè *Antichriſtianum* eſſe, certè *præcurſorem Antichriſti*, nec *ſibi*, nec *ulli* tribuendum, rectè ſuprà Gregorius, *col.* 1088. 1089. Qui certè Gregorius longè abfuerat ab eo faſtu, ut contenderet commiſſam ſibi ſoli τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν; ut ſuum eſſe omnibus Epiſcopis *imperare*, *jubere*, qui Eulogium Alex. rogat, *ut verbum juſſionis à ſuo auditu removeret*; ut ipſos Patriarchas vellet ſibi eſſe *ſubjectos*, aut nonniſi Romani *Vicarios*; ut in ſe ſolo reſidere *omnem poteſtatem*, ſeu fontem omnis *Epiſcopalis juriſdictionis*; aut ſibi deberi devota *pedum oſcula*, &c. Qui Gregorius habuit omnes Epiſcopos pari *honore fratres*, imò *moribus patres*; & referente Joh. Diacono in ejus *Vitâ*, non tulit *Abbatem* quendam coràm eo ſe *proſternentem*, niſi & ipſe prior ſe humi proſterneret, non antè ſurrecturus quàm ſurgeret cum eo Frater.

Num Conſtantinopolit. talis?

Senſus Gregorianus.

III. Igitur *Antichriſtiana* illa ſuperbia, ex mente Gregorii, apparuit paulo poſt ipſum ſublatum, in Qui verè in Boni-

Digitized by Google

facio III. & Papis hujus Sec. ſe exeruit.

in *Bonifacio* III. ferè ſub exordium Seculi, Phocâ Imperatore, An. DCVI. Ratio Antichriſtianiſmi exurgentis fuit, in *affectatione* tituli *Epiſcopi Univerſalis*, & *Capitis omnium Eccleſiarum*, excluſivè ad Patriarchas reliquos; hinc in *aſſumptione* illius Tituli, Phocæ indulgentiâ; tandem in ipſo poteſtatis *exercitio*. *Antichriſti* verò hunc characterem paulò antè Gregorius tradiderat, in variis *Epiſtolis*, *Lib.* IV. VI. &c. ut ſuprà *col.* 1089. nominatim in *Epiſt.* ad Eulogium Alexandrinum, quæ Decreto inſerta, *Diſt.* XCIX. C. *Ecce.* Sed & deceſſor ejus Pelagius II. in *Epiſt.* ad Omnes Epiſcopos, quæ apud eundem Gratianum eſt, *Diſt.* XCIX. C. *Nullus Patriarcharum*, ſcil. *hoc tam profano vocabulo unquàm utatur*, &c. Quanquàm hæc verba Gregorii ſunt *Lib.* IV. *Ep.* XXXVI. *Ind.* XIII. à Pſeudo-Iſidoro Pelagio adſcripta, *Ep.* VIII. *Pelagii* II. *Papæ*.

Occaſio.

IV. *Occaſio* autem exorti hujus Antichriſtianiſmi, remotior quidem, ſunt diutinæ contentiones de *primatu* inter Romanum & Conſtantinopolitanum, indè à Concilio Chalcedonenſi; quorum ille parem, hic ſuperiorem ferre noluit. Propior autem occaſio fuit, *Oecumenici* Titulus uſurpatus, antiquo jam more, nec hodierno ſenſu, (ut fusè ſuprà) ſaltem permiſſus ſibi dari, à *Johanne* Jejunatore, tùm & *Cyriaco*, Patriarchis Conſtantinopolit. Vehementer indignantibus Pelagio II. mox Gregorio Romano, illis autem favente Mauricio Imperatore; qui in *Epiſt.* quâdam ad Gregorium, (cui reſpondet Gregorius, *Epiſt.* XXXI. *Lib.* IV. *Indict.* XIII. *Sereniſſimas juſſiones Dominorum ſuorum* vocans) Romanum dixerat *fatuum*, *ſimplicitatis* vocabulo uſus; quæ appellatio huc verè quadravit, quod Gregorius de *voce* tantis animis contenderet: Sed hoc ipſo dicendus Princeps *petulans*, *daturus pœnas temeritatis*, *cæteris factus exemplum*, *quàm* humiliter *gerere ſe debeant Principes cum Sacerdotibus*, &c. apud Baronium ad Annum DXCV. *Num.* XXV.

Baronii in Mauricium contumeliæ.

Igitur in contrarium niti Gregorii ſucceſſores, & hunc Titulum ſibi *ſolis* vindicare, imprimis *Bonifacius* III. favente mox & decernente Phocâ, Mauricii parricidâ, ad petitionem Bonifacii, *contrà morem ſuorum Anteceſſorum*: Videlicet, *ſolum Romanum Pontificem eſſe dicendum Oecumenicum*, *ſolam Romanam Eccleſiam Caput eſſe omnium Eccleſiarum*, non Conſtantinopolitanam, ut pluribus Annalium Scriptor, ex Anaſtaſio & Paulo Diacono, ad A. DCVI. N. II. & Binius *Notis* ad Vitam Bonifacii III. De ſuo verò addunt, decretum id à Phocâ fuiſſe, *tanquàm quod ſoli Romanæ Eccleſiæ de jure* divino *debeatur*. Imò ut beneficium Phocæ, ut conceſſionem Imperatoris, ut externæ juriſdictionis protenſionem, quam *obtinuerit Bonifacius petens*, *rogans*, captatâ opportunitate, diſertè Anaſtaſius; *Hic obtinuit apud Phocam Principem*, *ut Sedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli Caput eſſet omnium Eccleſiarum*, *id eſt*, *Romana* Eccleſia ſeu Papa Rom. *eſſet ſolus Oecumenicus*, privativè ad Conſtantinopolitanam. Paulus Warnefridi, de Geſtis Longobard. L. IV. C. XXXVII. *Hic*, *rogante Papâ Bonifacio*, *ſtatuit Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ*, *Caput eſſe omnium Eccleſiarum*, *quia Eccleſia Conſtantinopolit. primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.* Et quidem id impetraſſe Bonifacium *magnâ contentione*, habet Platina.

Cauſæ Decreti in favorem Bonifacii.

V. Conceſſum autem id Rom. Epiſcopo à Phocâ Imp. I. *In odium Cyriaci Patriarchæ Conſtantinopolitani*, fatente Baronio, ad A. DCVI. N. V. *Phocam in odium Cyriaci cauſam adjudicaſſe Rom. Pontifici*; quod ipſum Binius, & cæteri: Non modò ut *amici* Mauricii manibus, Conjugi, & pignoribus optimi Principis; ſed etiam quod reſtitiſſet Cyriacus (ita Theophanes in *Chron.*) injecturo Imperatori manus in expetitam prædam, *quæ in Eccleſiam confugerat*, nempè Mauricii viduam, & tres filias. *Volenti eaſdem indè abſtrahere*, *Cyriacus Papa reſtitit. Quâ occaſione* (ſic ipſi Gnathones nominatim Binius) *redditus eſt Phocas infenſior Cyriaco*, *cœpitque Romanæ Eccleſiæ favere. Quod cùm Bonifacio innotuiſſet*, *ille odio Cyriaci benè uſus*, *hoc quod à Mauricio Imperatore S. Gregorius*, *ſæpè licet fruſtrà*, *petierat*, *à Phocâ facilè impetravit*; *ut in primis* Johannem, *deinde verò* Cyriacum *ejus ſucceſſorem*, *coërceret*. 2. Ex favore quo *Bonifacium*, Gregorii antè Apocriſiarium, & Phocæ adulatorem, complectebatur Tyrannus, nec diffitente rurſum Baronio ad Ann. DCVI. *Num.* I. II. *Bonifacium* nempè, *uſque ad Gregorii obitum Conſtantinopoli degentem*, *eundem ſibi Phocam demeruiſſe*, *& in ejus ſe inſinuaſſe amicitiam*; *Quâ de cauſâ*, & *in odium Cyriaci*, Phocas in Romani favorem pronunciaverit. 3. Cumprimis ex ſtudio Romanos Pontifices ſibi demerendi, quorum maxima eſſet in Italiâ & Occidente auctoritas: Cùm fomenta *novi creandi Imperatoris* ſubminiſtrari ab aliis noſſet, & *Conſtantinopolitanus* Phocæ ut impio parricidæ, adverſaretur. Neque tamen ea conceſſione Phocas, (quod audacter Binius Notis ad Vitam Bonifacii III.) *declaravit nomen Oecumenici illi ſoli*, *jure Divino*, *competere*. Quod *declarare* non fuit profectò Phocæ, militis, & tyranni; & qui intendebat potiùs *jure Imperatorio* id beneficii conferre in Romanum.

Mox publicatum ferunt hunc titulum in Synodo Romanâ, Epiſcoporum LXXII. A. DCVI. ubi *de modo eligendi Pontificem*, aut *Epiſcopum* Civitatis alicujus; & ſecutam formulam in mandatis ac Bullis Pontificiis, quibus Epiſcoporum electiones confirmarentur, *Volumus & jubemus*: Quâ de re tacet Baronius, non tacet Platina, in *Bonifacio* III. nec prius illud Sigebertus in *Chronico*; quanquam hujus Codices mirè interpolati ſint, monente Alberto Miræo.

Baronius in pluribus notatus.

VI. Fruſtrà verò Baronius declamantium more, 1. *Novatores* propinat *ridendos*, *ſibilis inſectandos*, ſimiles *reprobi Saulis apparitoribus*, *qui Davidis loco pellitum Simulachrum apprehendiſſent*, & quæ plura ibi declamat, pro more. Quid ita? Quod *Oecumenici* titulum à Phocâ primùm Imperatore *collatum* eſſe *ſoli* Romanæ Eccleſiæ, contendant. Atqui id ipſum omnes Chronographi, inde à Paulo Diacono, Theophane, cæteriſque, teſtantur. 2. Vellet *juris divini* modò interpretem fuiſſe Phocam; parricidam illum, qui odio in Cyriacum, favore in Bonifacium, conferret hanc prærogativam Romano, *juri divino* adeò repugnantem, Gregorio judice; quamque à ſe ipſo Gregorius alieniſſimam eſſe voluit, ex dictis. 3. Contendit, *longè antè Phocam* hunc titulum oblatum fuiſſe Romano. Utique ſed humano jure, humano inſtituto; ſed & delatus Conſtantinopolitano, ut ſuprà viſum; iiſdemque ut Patriarchis *utriuſque Romæ*, cum relatione ad ſedem Imperii: Sed & factum invito Gregorio, qui in *Epiſt.* ad Eulogium Alex. (referente ipſo Gratiano ex *Lib.* VII. *Indict.* I. *Epiſt.* XXX. & confirmatur variis ejuſdem *Epiſtolis*, ut *Ep.* XXXVIII. *Lib.* IV. &c.) *Nec ſibi*, *nec cuiquam alteri* vult id vocabuli tribui; à *nomine Sancto* iſtud unquàm uſurpatum, nec *uſurpari poſſe*; nullum Papam *tali vocabulo appellari unquàm voluiſſe*; vehementer indignatus, Eulogium *univerſalem ſe Papam* appellaſſe, quum id *prohibuiſſet*: *Si enim* (inquit) *univerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit*, *negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſum*, *ſed hoc abſit!* 4. Monet Purpuratus *Cyriacum eſſe profeſſum*, *ſubjectum ſe eſſe Romano Pontifici*; ſed, pace Baronii, falſiſſimè monet. Nec ex Synodicâ Cyriaci, & miſſâ Confeſſione ad Gregorium, rectè id collegerit; ſiquidem *reciprocam miſiſſe* Gregorium Confeſſionem ad Cyriacum, pro more Patriarcharum, fatetur Annalium Scriptor ad A. DXCVI. N. III. & aliàs. *Subjectum* etiam illum dici, ſenſu laxiore, qui

Digitized by Google

inferior eſſet, vel *poſterior*, aut *ſecundus* ordine, ſed poteſtate per omnia *æqualis*, ut monuimus ſuprà *col.* 1089. 1096. & antè ad Canonem Chalced. XXVIII. 5. Laudat Phocam qui *repreſſiſſet temeritatem Cyriaci*; & tamen *odio* Cyriaci feciſſe Phocam, & ob ſervatam Mauricii conjugem, & filias, quæ in Eccleſiam confugerant, fatetur idem Purpuratus. Ac ille ipſe Phocas eſt, Mauricii parricida, aſſerendo ſibi Imperio, de quo (ſi Anaſtaſio Nicæno, Cedreno, & Nicephoro fides) quærenti à Deo Monacho, *cur tam impium Chriſtianis Imperatorem præfeciſſet?* Reſponſum datum eſt, *deteriorem illo alium inveniri non potuiſſe, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia.* Cui tamen *Phocæ*, ſimulac Imperium invaſit, abjectiſſimum in modum adulatus eſt Gregorius, ſcriptâ ad eum Epiſtolâ, quæ eſt XXXVIII. *Lib.* XI. *Ind.* VI. deſcriptâ ipſi Baronio; Adinſtar Poëtæ Neroni aſſentantis,

Quod ſi non aliam venturo fata Neroni
Invenêre viam!

Certè ſcelerato huic parricidæ, & quidem optimi piiſſimique Imper. Mauricii, gratulatur, *quod Deus unum ad regiminis culmen provehit, per cujus miſericordiæ viſcera in cunctorum mentibus exultationis ſuæ gratiam, infundit*; hanc *exultationis abundantiam roborari, quod benignitatem ſuæ pietatis ad Imperiale faſtigium perveniſſe gauderet: Lætentur Cœli, & exultet terra*, &c. Et mox *Epiſt.* XLV. ad eundem, per Bonifacium, qui poſteà ſummus Pontifex evaſit: *Conſiderare cum magnis gaudiis, & magnis gratiarum actionibus libet, quantas omnipotenti Deo laudes debeamus, quod remoto jugo triſtitiæ, ad libertatis tempora ſub Imperiali benignitatis veſtræ Pietate pervenimus.* Et Epiſt. XLVI. ad Leontiam Auguſtam: *Quæ lingua loqui, quis animus cogitare ſufficiat, quantas de ſerenitate veſtri Imperii omnipotenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera cervicibus noſtris amota ſunt, & Imperialis culminis leve* (lene) *jugum ſubiit, quod libeat portare ſubjectis.* Et quæ ibi plura, quæ *ſi quis* (ita Annotator nuperus in Epiſtolas Gregorii) *attente legerit, & cum Phocæ Imperio moribuſque contulerit; fatebitur virum ſanctiſſimum aliquid humani paſſum videri.* De quo Phocâ ità Cedrenus, *Tomo* I. Ed. R. *pag.* 404. *Deformis fuit, terribilis aſpectu, rubente capillo, ſuperciliis coeuntibus, mento raſo, cicatrice in maxillâ notatus, quæ ipſo iraſcente denigrabatur:* Adhæc, *vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miſeratione alienus, moribus feris, & Hæreticus. Uxor ejus Leonto* ὁμότροπ☉ αὐτῷ, *iiſdem cum ipſo moribus fuit.* Undè anno VI. Imperii, ut idem *pag.* 406. *Criſpus Patricius* μὴ φέρων ὁρᾶν τὰς ἀδίκους φόνους, καὶ τὰ δεινὰ τὰ ὑπὸ τοῦ Φωκᾶ γενόμενα, Heraclium Africæ Præſidem ad rebellionem excitavit. Et ipſe Baronius, *tyrannicè imperaſſe* uſque ad necem; tamen tollendus ubi de conceſſione factâ Bonifacio, quam nullis precibus impetrare potuiſſet à *Mauricio* Gregorius.

Baronii exceptiunculæ.

VII. Miris interpretamentis eludit dicta & Pelagii & Gregorii; hunc licet *Papæ Univerſalis* Titulum & in Romano, & in quocunque alio damnantium, imò infamantium, ad A. DXCV. *Num.* XXXII. *& ſeq.* Nempè ille, damnari eo ſenſu, quo omnes totius Orbis Epiſcopi *ſubeſſent ut Filii, & non ut Fratres*, prius tamen ſenſit Rom. Eccleſia: Sic illo, quo *ſolus Epiſcopus* cenſeretur qui Oecumenicus, habens nempè τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν, excluſivè ad reliquos: Item eo ſenſu, quo omnes Patriarchæ, & omnes Epiſcopi ejus tantummodò *Vicarii* eſſent, ab eo derivantes ſuam juriſdictionem, ut fonte omnis Eccleſiaſticæ juriſdictionis, accedente *faſtu* qualiter in Conſtantinopolitano, *ſubjiciente* ſibi omnes Orientis Patriarchas. Et quæ ſunt id genus diſtinctiunculæ, in Romanum meritò retorquendæ; adhæc ignotæ Gregorio, & contrariæ hujus ſententiæ perpetuæ, & interpretationi Tituli, de Epiſcopo qui *ſe conſtituat Caput* reliquorum. Nec ſufficit excepiſſe, Romanum dici Caput, ſub *ſummo Capite Chriſto*: Quum Gregorius *unum* tantum *Caput* agnoſcat, Chriſtum nempè, nec *Petrum* unquam caput appellet, aut alterum caput, ſed dicat *primum membrum* ordine; *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum S. & univerſalis Eccleſiæ eſt. Omnes ſub uno Capite* membra *ſunt Eccleſiæ Ep.* XXXVIII. *Lib.* IV. *Ind.* XIII. Ita pugnat contrà Titulum *Univerſalis*, ab *exemplo Petri*, qui ne quidem *univerſalis Apoſtolus*; à charactere *Diaboli*, qui ſe ſuprà reliquos extulerit; à charactere *Antichriſti*, dominaturi in Templo Dei, cujus adeò *præcurſor* ſit, qui ſe Epiſcopum univerſalem dicat, &c. Ac pluribus exceptiunculas haſce omnes diſcuſſas habes, apud Mornæum in *Hiſt. Papatûs*, ad tempora Pelagii & Gregorii, cumprimis Blondellum, *de Primatu Eccleſiæ*, à *pag.* 1073. ut alios noſtratium Theologorum taceam.

Ejuſdem alia diſcuſſa.

VIII. Porrò quæ urget Baronius, vindicando huic Titulo *Oecumenici*, ex ſuppoſititiis ſeu factis, ſeu documentis, produnt conſcientiam malæ cauſæ. In iſtis ſunt *Epiſtolæ* Pelagii II. veriùs Mercatoris artificis, caſtigatæ Blondello in *Pſeudo-Iſidoro*, ac prodentes ſeſe centonibus malè conſutis, parachroniſmis, ἀσυλλογισίαις, horridâ barbarie, ipſiſque rerum abſurdis. Cumprimis verò tuetur ſeſe Baronius, ad Ann. DXCIII. N. LXXXV. LXXXVI. & An. DXCV. N. XXXIII. Epiſtolâ quâdam Gregorii ſcriptâ *Omnibus Epiſcopis*, quos ille dicit *omnia S. Eccleſiæ membra*, de *Privilegio Menardi Monaſterio collato*, Abbatiæ Sueſſonienſis: In quâ Gregorius, *Sedem Romanam ſpeculationem ſuam toti Orbi indicere, & novas conſtitutiones omnibus mittere*, &c. Et in clauſulâ Epiſtolæ; *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel quantumcunque ſecularium perſonarum, hujus Apoſtolicæ auctoritatis* & *præceptionis decreta violaverit*, &c. *Cujuſcunque Dignitatis ſit vel ſublimitatis, honore ſuo privetur, à Corpore & Sanguine Domini noſtri J. C. ſequeſtretur*, & *omnium maledictionum anathemate, cum Judâ traditore Domini, in Inferno inferiori damnetur.* Addit Baronius, priore loco: *Vides, Lector, Pontificis Romani eſſe, ſancire leges, quibus ſi ipſi Reges non pareant, Regno priventur: Quæ etiam comminatio ab eodem* (Gregorio) *apponi ſolita erat in aliis privilegiis, ſive Monaſteriis ſive Hoſpitalibus conceſſis, nempè ut privarentur Regno Reges, ſi quid ab eis, contrà ea quæ conceſſiſſent, factum fuiſſet.* Sanè Gregorii hæc VII. doctrina, magni Antichriſti hic character, non Gregorii I. Romani. Inſtrumenti illius Gregoriani impoſturam, *Regiſtro* per fraudem additi, & in Monaſterio illo Sueſſionenſi à Fraticellis cuſi, ſuopte ſe indicio prodentibus, omnia probant: Mss. Codices in quibus defuit, etiam *Vaticani* ad unum *omnes*, teſte nuper Cardin. Bonâ *Epiſt.* ad Petrum Guſſanvillæum, ut hic ipſe ad Epiſtolas Gregorii, Tom. II. *col.* 147. Tùm mendaciſſimæ ſubſcriptiones, parachroniſmi, barbariſmi, phraſes Gregorio ignotæ, multa Gregorii *doctrinæ* & *moribus* adverſantia, & alia: Non jam Mornæo aut Blondello ſubnotata, ſed pridem Guil. Barclaio, de Marcâ, Card. Bonâ, Launoio, Mabillono, Baluzio, Maimburgio, &c. & Petro Guſſanvillæo editori noviſſimo Epiſtolar. Gregorii, extrà quarum ordinem ad calcem hoc Privilegium exhibet. Et ſicubi Gregorius, qualiter in Privilegio quod conceſſiſſe dicitur *Xenodochio Auguſtodunenſi*, Epiſt. X. Libri XI. Regiſtri, *Ind.* VI. (quam tamen ſuſpectam plurimis eſſe νοθεύσεως, ex ſilentio Joh. Diaconi, Clauſulâ execratoriâ, qualis in genuinis Gregorii nuſquam apparet, ſolitâ fraude Monachorum in *Privilegiis* id genus ſupponendis, &c. monet etiam Petrus Guſſanvillæus) interminatur Regibus *privationem Dignitatis*,

Privilegium S. Medardi.

Digitized by Google

tis, ſi fundationes pias antiquarent; Non id ex principio Hildebrandino, per modum actualis depoſitionis, vi Pontificiæ poteſtatis; ſed per modum *imprecationis*, ac *declarationis* judicii divini. Quales in Synodis *Toletanis*, hoc ipſo Seculo, familiares, in Actis *Synodi* IV. *Capit.* LXXV. ita in *Capitulis* Synodi VI. VII. VIII. XIII. XVI. ex Collectione Garſiæ, ubi *anathematis ſententia* dicitur à *Chriſto Domino condemnandus*, vel *apud Deum reus fore*, &c. qui hos Canones contempſerit: Ac pridem ſimilis interminatio in *Teſtamento* Remigii Rhemenſis, apud Frodoardum Hiſt. Rhemenſis *Lib.* I. C. XVIII. citante Blondello in Pſeudo-Iſidoro, *pag.* 663. 664. quem vide.

Baronii alia.

Mittimus alia id genus apud Annalium Scriptorem, ratiocinatum ex miſſione Anglicanâ *Auguſtini* Monachi per Gregorium I. Ex illâ *Willibrordi* & Sociorum per Sergium; Ex variis *Pallii* per Romanum in novis Provinciis conceſſionibus; Ex *Vicariatu* Romani Epiſcopi per Gallias; *in quorum tamen Epiſcopos nullam auctoritatem* ſibi, nec Legato ſuo, tribueret Gregorius, in præjudicium *Arelatenſis Epiſcopi*, Epiſt. XXXI. ad Auguſtinum, *Lib.* XII. Sic ex judicio quandoque eidem Epiſcopo Romano in Controverſiis delato, juſſu *Imperatorum*, vel *juxtà ſtatuta Canonica*, ut qui eſſet Patriarcharum primus, de quo aliquoties in ſuperioribus. Quæ ut à Molinæo, Mornæo, Blondello, Salmaſio, & Viris aliis ſummis excuſſa, etiam Launoio, Richerio, Baluzio, &c. doctiſſimis in ordine Pontificiorum; nihil ſanè probant quàm facta & uſurpationes Romanor. Pontificum: De quibus ſuis locis fusè dictum, etiam hoc Seculo *Cap.* IV.

Tyrannidis Papalis incrementum.

IX. Porrò hujus conceſſionis Phocæ Imperatoris, & *Oecumenici* Papatûs Romano adſcripti, conſequentia mala fuêre: 1. Abalienatio Eccleſiæ *Orientalis* à Latinâ, ſuprà Conſtantinopolitanam jam caput efferente; nova hoc ipſo Seculo, & ſequentibus VIII. IX. habitura incrementa, de quibus nos loco ſuo. 2. *Antichriſtiana* in Eccleſiam *dominatio* ſenſim invecta ex titulo, rem ipſam prædicente ac prævidente Gregorio; quanquam non prævideret *ſucceſſorem* ſuum hunc Titulum ambiturum, eo ſenſu quem ut *Antichriſtianum* damnabat. Prædictiones illæ habentur aliquot Epiſtolarum locis, fore ita ut *omnia, quæ ſoli uni Capiti cohærent Chriſto, ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare*, qui affectaret Oecumenicus eſſe & appellari, *Epiſt.* XXXVI. *Lib.* IV. *Ind.* XIII. & itá paſſim. Acceſſerunt firmandæ Paparum *tyrannidi*, calamitates Reip. in Oriente & Occidente, & in illo quidem præcipuè per Muhammedem & Saracenos. Mox diffidia Epiſcoporum, undè gravati appellabant Romam, qualiter *Wilfridus* Eboracenſis Epiſc. à *Theodoro* Cantuarienſi iniquiſſimè ejectus, ad Agathonem confugit, A. DCLXXX. A quo, habitâ Romæ Synodo, reſtitutus fuit ab *Agathone* in Epiſcopatum, admiſſus etiam in Concilium, inter cæteros Epiſcopos, Romæ congregatos; & miſſus ab Agathone in Britanniam *Johannes* Abbas S. Martini, cum ampliſſimâ poteſtate cogendi Synodum *univerſalem*, ex *Sanctâ auctoritate Papæ*; cæteraque omnia ejus nomine ordinandi. Hæc Beda Hiſtoriæ *Lib.* V. C. XX. Malmeſburienſis de Geſtis Pontif. Cantuarienſ. *Lib.* III. Vide & Literas Papæ Agathonis ad Æthelbertum Regem Merciorum, (ſi modò genuinæ) in quibus Abbatem *Medamſtedienſem*, (hodiè *Peterburg*) conſtituit Legatum ſuum ſuper omnem Angliam, quas ex Ms. Petriburgenſi, exhibet Spelmannus in *Concil. Brit.* p. 164. 165. Hîc Papa; *Ex parte Dei, & S. Petri, & omnium Sanctorum, & ſacrorum Ordinum, prohibemus, ut nec Rex aliquis*, &c. Et quidem additâ clauſulâ Benedictionis & Maledictionis, familiari ſequenti ætate Pontificib. Romanis; *Qui verò hoc infregerit, ex eo ipſo, cum Judâ traditore, & catervâ dæmonum apud Inferos, decoquatur.* Tum & ſubſervierunt Paparum ambitioni audaces *Monachi*, de quibus *Cap.* II. qui quaquaverſum Româ ſubmiſſi, de incremento omnipotentiæ Pontificiæ unicè, certè præcipuè, ſolliciti fuerunt. Acceſſit adhæc *Regum* ac *Principum* paſſim ſuperſtitio, Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ; etiam *Reginarum* illa, cumprimis in fundandis Monaſteriis, quæ totidem veluti Arces in Papali Imperio. Hinc & indulgentia ergâ Epiſcopos, Abbates, quorum illos adminiſtrationi & ſummæ rerum præficiebant; hi VII hoc Seculo, v. gr. in *Toletanâ* Syn. VIII. A. DCLIII. & XI ſub Wamba Rege, ſubſcripſêre Conciliis antè *Principes*, & *Magnates*, quod & Mabillonus in *Diplomaticis* obſervavit. Tum honos habitus Romanæ Sedi, & facilitas in admittendis Paparum Bullis, Mandatis, Anathematiſmis; indies ituris his in majus, donec ipſos *Reges*, *Imperatores*, *Principes*, anathematis ſuis ferirent, ut docebunt exempla. Hinc etiam ars illa Cleri Romani, *Reges* ſi quos *exauctoratos* vellent, cum *Uſurpatoribus* conſpirantes, abſque ſpe reſtitutionis in Regnum; eoſdem coactâ Synodo deponebant, diris devovebant, Acta eorum reprobabant; vel Pœnitentiæ & Religionis ſpecie *Sacramentis* expiabant, & *Monachorum* in morem detondebant, religioſâ veſte induendos, ut à ſpe regnandi penitùs exciderent. Ita actum hoc Seculo cum *Swinthilâ* Gotthorum in Hiſpania rege, Reccaredi Filio, quem factio *Siſenandi*, convocatâ Toletanâ Synodo A. DCXXXIII. ſpecie inſtaurandæ Diſciplinæ, & religionis ſumpto prætextu, *quo nihil eſt in ſpeciem fallacius* (ita Mariana Hiſtoricus, *Lib.* VI. C. V.) id effecit, ut à Patribus Synodi *Swinthila, ejus Uxor, Filii, & Fratres diris devoverentur ritu Chriſtiano*, ut qui *regiâ abuſi poteſtate*, ita Mariana Jeſuita loco cit. Sic & cum *Wamba* Rege Gotthorum actum, An. DCLXXX. quem Regem, ſanè optimum, à modeſtiâ, pietate, magnitudine animi, fortitudine bellicâ, (ſed qui *Imperatoriam laudem benignitate, clementiâ, & manſuetudine ſuperabat*, ſunt Jeſuitæ verba) omnibus Hiſtoricis commendatum, poſt potum venenatum illi porrectum, ſpecie inhabilitatis, à Guiricio *Toletano* Archiepiſcopo exauctoratus, detonſus, & cucullo monachali indutus eſt, ut Ervigio tyranno regnum obtingeret. Hæc ſpeciminis loco.

Ars Reges deponendi, tonſurandi, &c.

Undè cum hujus Seculi decurſu, poteſtatem ſuam magis ac magis dilataſſe conſtat Romanos Epiſcopos, & ſub his Clerum omnem; præcipuè autem in Britannias, Germanias, Friſicas gentes, ex Vitâ & factis *Honorii*, *Vitaliani*, *Sergii*; in Epiſcopos Ravennatenſes, Aquilejenſes, ex factis *Agathonis*, *Leonis* II. *Sergii* apud Anaſtaſium, vel Platinam; in Eccleſiam univerſam, ex ſuperbis literis Agathonis ad Conſtantinum Pogonatum, inſertis *Actis* Synodi VI. *Act.* IV. & apud Gratianum *Diſt.* XIX. C. *Sic omnes.* Nec omnes Paparum uſurpationes, in Eccleſiarum & Epiſcoporum jura, recenſere hujus inſtituti eſt; data exempla in ſuperioribus *Capitib.* ſufficiant.

Alia exempla.

Antichriſtianiſmi alii characteres.

X. Adde alios *Antichriſtianiſmi* characteres indè à Bonifacio III. de quibus ſigillatim toto *Capite* præcedenti. Quos inter eminent 1. *Idololatria* in cultu, Gentilium Diis & Simulachris ſubſtituendo Divos Chriſtianorum, eorumque Imagines, Reliquias, ex antè dictis. 2. *Superſtitio* in externis ritibus, ex Paganiſmo & Judaiſmo conflatis, in quibus tum Religionis ſumma conſtitit; vel ex ſuperiore Hiſtoriâ *Cap.* III IV. 3. *Flagitiorum* impunitas, per *Diſciplinæ* Canones; capitalibus etiam delictis, ut inceſtui, homicidio, adulterio, fornicationi, &c. decernentes modò aliquot vel annorum, vel hebdomadum, *pœnitentiam*, ut in ſuperioribus Theodo-

ri

Digitized by Google

ri Cantuarienſis *Capitulis*. Adde Canones Conc. *Berghamſtedenſis*, ſub Whitredo Rege Cantii, Berthualdo Cantuar. Archiepiſcopo, A. DCXCVII. qui decernunt v. gr. *adulteris* pœnam pecuniariam; *diabolo offerentibus* amiſſionem facultatum, & *colliſtrigium*, &c. apud Spelmannum, p. 194. Rabanum *Epiſt.* ad Heribaldum, ac Reginonem de *Eccleſiaſticis Diſcipl.* quos nuper edidit Steph. Baluzius, ut alios mittam. 4. Adde *conjugii* prohibitionem in ipſis jam Subdiaconis, in Synodis Gallicanis, Hiſpanicis: Undè Clericorum impunitus deinceps *concubinatus*, permittente (ut refert Lucas Tudenſis, Mariana, Rodericus Tolet. & alii rerum Hiſpanicarum Scriptores) Witizâ Hiſpaniæ Rege, etiam publicâ lege ſub initia ſequentis Seculi A. DCCI. Quemadmodum interdictio legitimi *Conjugii*, fons fuit & origo omnium abominationum, quas viguiſſe in ipſis R. E. Pontificibus, Epiſcopis, Clericis, Monaſteriis, conſtans certaque Hiſtoriæ fides eſt; hinc accenſenda διδασκαλίαις δαιμονίων, *Tim.* IV. I. 3. 5. Adde in *Palliis* & *Epiſcopatibus* invadendis, ex quo abiêre in munera & conceſſiones Aulæ Pontificiæ, publicum *Simoniæ* crimen; de quo in Synodo Toletanâ XI. An. DCLXXV. *Capit.* IX. *Quànto hæc res* (Simoniæ labes) *frequenti decretorum eſt præceptione prohibita, tanto nobis fraudibus cognoſcitur iterata*; dùm alii *ordinationis tempora prævenirent munere*, alii *poſt acceptum honorem, promiſſam conferrent turpis lucri mercedem*. Sed evelli hoc vitium nullis Synodorum *Canonibus* unquàm potuit, exemplo præeunte ipſâ Româ *Papali*, ut in ſequentibus videbitur. 6. Adde ambitioni Pontificum ſubſervientes, ut diximus, *Monachos*, velut miſſas Pſaphonis aviculas, quæ Romanum Pontificem quaquaverſum in terris *Deum*, id eſt, fidei, religionis, ſalutis, ac Cœli arbitrum prædicarent, extrà cujus unitatem nulla ſalus: Ut inter cætera pluribus in *Aldhelmi*, Abbatis primùm Malmesburienſis, dein Epiſcopi Anglicani Fragmento, ex *Epiſt.* ad Geruntium Britannorum Cornubienſium Regem, ſub Sergio Pontifice, productâ ab Illyrico in Catalogo Teſtium, *Lib.* VII. *pag.* 611. quæ inter Bonifacianas Epiſt. eſt XLIV. T. XIII. Bibl. M. Patrum. In quâ ſcilicet urget Monachalem *tonſuram*, & ritum *Paſchalem* ad morem *Romanæ Eccleſ. Petro* enim *collatas eſſe Claves Regni Cœlorum*, ut qui ſit, *Claviger æthereus portam qui pandit in Æthra*: Adeò ut extrà unitatem *Romanæ Eccleſiæ, nihil proſit vera Fidei confeſſio, ſana doctrina, & irreprehenſibilis vita*: Illum eſſe cui *privilegium Eccleſiæ ſancitum ſit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, &c. Vide & de Aldhelmo quæ diximus ſuprà *Cap.* IV. in *Sergio* I. Atque hæc eadem omnium Monachorum vox fuit, & Clericorum quotquot mancipati Romano Pontifici: Ut pluribus exemplis hæc adſtruere nihil neceſſe ſit.

VI. *Teſtes Veritatis hoc Seculo: In ſpecie contrà Rom. Eccleſiæ Superſtitiones, & Tyrannidem Papalem.*

Eccleſiæ Orientis.

I. Inter hoſce teſtes, quos prolixè collegerunt, Flacius Illyricus, Magdeburgenſes, Phil. Mornæus, Theologi alii plurimi, fuerunt: 1. *Eccleſiæ* totæ, v. gr. *Conſtantinopolitana* & *Orientalis*, quæ nec Oecumenicum Pontificatum Romani agnovit, niſi quo ſenſu ipſe Conſtantinopolitanus *Oecumenicus* diceretur, reluctata ſic Phocæ conſtitutioni; nec Paparum ſuperiora decreta admiſit & conſtituta: In ſpecie, non *Cœlibatum* Presbyterorum, Diaconorum; non *Iconolatriam* antè Seculi VIII. certamina; non *Reliquiarum* cultum; non Jejunium *Sabbati*; non multa alia Latinæ Eccleſiæ, vel ex Canonibus *Trullanis*, & ex Theodori Græci *Capitulis*, de quibus infrà *Cap.* VIII. IX. Hinc Baronius ad An. DCLXIII. *totum adhuc Orientem diviſum fuiſſe ſchiſmate* confitetur, Vitaliano Pontifice. Binius, *Notis* ad Vitam Vitaliani; *ſperaſſe* Pontificem, *totius Orientalis Schiſmaticæ Eccleſiæ unionem futuram*. Gratis etiam Baronius, ad A. DCXXXVII. N. 1. agens de captis à Saracenis *nobiliſſimis civitatibus Orientis, Alexandriâ, Hieroſolymâ, & Antiochiâ, unà cum eiſdem ſubditis regionibus*, quum tot Sanctorum *Reliquiæ*, (quarum nulla tamen in Hiſtoriâ mentio) profanatæ, conculcatæ, disjectæ, combuſtæ, deperditæ, fuiſſent luctu gravi proſequendæ, ac *tranſlationis* earum teſtes producendi; ſic de ſuo hariolatur, ſine teſte, ſine die & Conſule: *Accidit, ut ſive habitatoribus* in *Occidentem commigrantibus, ſive Mercatoribus cum iiſdem Gentilibus tutò verſantibus, ſive aliis fidelibus Chriſtianis id curantibus, complura Sanctorum tum Martyrum tum Confeſſorum corpora tranſlata fuerint in Occidentem, atque in diverſis locis, ſive Romæ, ſive Venetiis, vel alibi collocata. Romam verò tranſlatas fuiſſe Reliquias Ignatii Martyris Antiochiâ, conſtans fama, vetuſque Traditio potius quàm Scripta ſignificant. Quod & pariter dicendum de aliis pluribus S. S. Reliquiis, quas ex Oriente advectas diverſa Occidentalis Orbis loca cuſtodiunt.* Sed natas poſterioribus Seculis fabulas de *tranſlatis* ex Oriente, Hieroſolymâ, Antiochiâ, Alexandriâ, & locis innumeris Reliquiis, ſuis locis dicemus. Baronius hoc ſaltem Ævo fatetur ſe teſtibus deſtitui.

Confeſſiones Baronii. Et hariolationes.

II. Quâ etiam Romani Pontifices fuerint ergà Imperatores Orientis devotione, & obſequiorum promptitudine, *Gregorii* ad Mauricium devotiſſimæ Epiſtolæ ſuprà teſtatæ ſunt; Tùm & Literæ *Agathonis* ad Conſtantinum, Heraclium & Tiberium Auguſtos, inſertæ *Actioni* IV. Synodi VI. *T.* VI. *Conc.* Quibus Imperatores *Dominos* ſuos, ac Δεσπότας, ſe eorum *famulum, juſſis obedientem*, Urbem Romam δουλικὴν *ſervilem Imperii ipſorum* profitetur. Sic Legati Agathonis ad Concilium VI. Conſtantinopolim quum veniſſent, *proni adorantes*, juſſi ſunt reſidere cum Patriarchis & Epiſcopis cæteris, ita Anaſtaſius. Et in inſtructione eorundem Legatorum, inſertâ Concil. eidem Tomo, *col.* 680. dicit Papa & Synodus Romana: *Omnes nos exigui Eccleſiarum Præſules, veſtri Chriſtiani Imperii famuli, in Septentrionalibus & Occiduis partibus conſtituti, pro iis quæ per Divalem Sacram præcepta cognovimus*, &c. Sic gratias agit idem Agatho Conſtantino & reliquis Auguſtis, cum *confamulis ſuis* in Synodum Romanam coactis, pro convocatione Synodi, de quâ poſteà; *Iis quæ per Sacram veſtræ manſuetiſſimæ Fortitudinis dudum præcepta ſunt, efficaciter promptam obedientiam exhibentes*, &c. Tomo VI. *col.* 631. & ſeq. Sic Conſtanti Imp. Urbem Romam ingreſſuro, *Vitaliano* Pontifice, hic ipſe cum Univerſo Clero *ſexto ab Urbe milliario* obviam illi factus, *nullum genus obſequii prætermiſit*, quo ſibi Principem demereretur, fatente Baronio ad A. DCLXIII. N. III.

Submiſſio Romanor. Pontif.

Ità quum iidem Romani in Orientis *Diœceſes* poteſtatem extenderent, & Epiſcopos à Metropolitano depoſitos, ac Romam confugientes, ſuſciperent, palàm contradixêre Orientales. Ità quum Vitalianus involaret in jura Pauli Archiepiſcopi *Cretenſis*, à quo Lappæ Urbis Epiſcopus Canonicè damnatus fuerat, quanquam non prætendens eam poteſtatem de jure divino, *ſed ſecundùm Canonum vigorem*, ut in *Epiſt.* 1. ad Paulum, *Concil.* T. VI. *col.* 446. Orientales ſanè apertè reluctari, nec provocationem admittere ad Romanam Sedem; ut ex ipſis Vitaliani Epiſtolis liquet.

Reluct. Oriens uſurpat. Pontificum.

III. Sic Eccleſiæ *Britannicæ* & *Scoticæ*, renuerunt hoc Seculo admittere vel Papæ ſuprematum; vel Cœlibatûs legem; vel Regulas Monaſticas Benedicti Nurſini, & otium Monachale; vel Ceremonias Eccleſiæ Romanæ, ab Auguſtino & ſociis in Britan-

Et Eccleſiæ Britonum, Scotorum.

tanniam illatas; ex *Beda* Hiſtoriâ, Britannorum *Chronicis*, & *Spelmanni* Conciliis, nec diffitente Baronio; undè horrenda in eas ſtrages concitanda, de quâ ſuprâ. Adi & Balæum, *Centuriâ* I. Scriptorum Britanniæ, ex. gr. in *Dionotho Avonio* Cœnobiarchâ Banchorenſi, cum aliis cæſo à Nordanhumbror. Rege; ſub initia hujus Seculi: In *Aidano* Scoto, Lindisfarnenſis Eccleſiæ primo Epiſcopo ſub Oſwaldo Rege, de quo prolixè Beda *Hiſt.* Libro III. C. XV. & *ſeq.* In *Scotis* aliis & *Hibernis*, quos adhæſiſſe docet ſimplicitati Scripturarum, alieniſſimos à Romanis ritibus. Et circà diem Feſti Paſchalis, ad veterem Aſiaticorum morem, contra Romana decreta, praxim ſuam conformarunt, donec pars Scotorum ſub Honorio I. accederet Romanis, *Auſtrales* nempè Scoti, ex Bedâ, *Hiſt. Eccl. Lib.* III. C. III. Scotis, & Britannis *Borealibus*, ritum ſuum retinentibus, ut ex eodem Bedâ prolixè in Britannicis Antiq. Uſſerius noſter, *pag.* 700. 934.

Hiſpan. Eccleſiæ. Sic Eccleſiæ *Hiſpanicæ*, in Synodis variis Nationalibus congregatæ, poſt *Toletanam* A. DCX. ſub Gundemaro Rege, qui tertius à Reccaredo fuit. Quales Synodi, in Hiſpaniâ frequentes hoc Ævo, ut ex illarum ſæpè dictâ *Collectione* liquet, *Regi* in Eccleſiaſticis rebus ea perpetuò tribuunt, quæ Roma ſibi vindicavit: Nempè poteſtatem indicendi Synodos Nationales, moderandi, confirmandi; Epiſcopos conſtituendi, ac deponendi eoſdem; Diſciplinam reformandi; Canonibus vim legum addendi; Clericis privilegia concedendi, augendi; id genus alia ſanciendi, nullâ mentione Papæ Romani.

Baronius notat. Quâ in re fucum egregiè facit Annalium Scriptor, ad A. DCX. *Num.* XIV. & aliàs ubi de Synodis Toletanis. Perſuaſum vellet nihil ab Hiſpanis ſtatutum, Ex. gr. de *primatu* Eccleſiæ *Toletanæ*, in omnes Hiſpanias, niſi auctoritate Romanæ Eccleſiæ. Cautè verò ſubjungit: *Quando autem primùm acciderit, ut Toletana Eccleſia ab Eccleſiâ Romanâ hujuſmodi conſecuta ſit privilegium, id fateor mihi hactenùs inexploratum.* Sed &, *inexploratum* omnibus aliis, quod nullâ Hiſtoriæ fide relatum à quoquam vero Hiſtorico fuit. Dein Generalibus Hiſpaniæ Synodis præfuiſſe vellet, qui Romani Epiſcopi vices ſuſtineret. Precario omnia. Teſtentur Acta præfatarum Synodorum: In quibus Romani Epiſcopi nulla mentio, nulla Legatorum, omnia verò quæ ad *Cauſas divinas*, ad *Fidei* conſtitutionem, ad inſtaurationem *Eccleſiaſticæ diſciplinæ*, ad Eccleſiarum *Privilegia* ſpectarent, adſcribuntur ſanè *Conſilio Epiſcoporum*, coactorum in Synodum, Regum verò piæ ſollicitudini, auctoritati, mandatis, decretis: Qui & *Secularia regerent*, & *Eccleſiaſtica*; ut *in rebus humanis, ſic in cauſis divinis ſolliciti*; *reparatores Eccleſiaſticæ Diſciplinæ*, &c. Uti de Gundemaro, Siſenando, Cinthilano, Chindaswindo, Receeſwindo, Wambâ, Ervigio, Egicane, cæteriſque Regibus, & Epiſcopi congregati profitentur, & ipſi in ſuis Reſcriptis, & ad Hiſpanos Galloſque Pontifices alloquiis, Principes.

Fabula de orig. Primatûs Toler. In ſpecie *Toletano* Præſuli jura *primatûs* & ordinationum, in Hiſpaniæ omnes Provincias, adſcripta legimus in Synodo Toletanâ XII. Ervigio Rege, An. DCLXXXI. *Capit.* VI. *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque Galliæ, ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque* Regalis *poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis præficere Præſules*, &c. Vide & Gratianum, *Diſt.* LXIII. Cap. *Quum longè latéque.* Abſurdè Garſia, *Diſſertat.* de Primatu Eccleſiæ Toletanæ, derivat hunc ab *Eugenio*, qui à Petro fuerit in Hiſpaniam ablegatus, uti *Dionyſius* in Gallias miſſus; qui adeò Eugenius in *primâ* Hiſpaniarum Urbe Primatum collocaverit, juxtà *decretum Apoſtolorum*, & *Anacleti Papæ.* Inſerta Diſſertatio eſt *Tomo* V. Concil. à *col.* 1626. quam retuliſſe, refutaſſe eſt. *Pontificum* verò conceſſiones, diplomata, inveſtituræ, in Provinciis Hiſpanicis, ſunt ævi recentioris, indè à Gregorio VII. Urbano II. & Succeſſoribus.

Sed & puriorem Eccleſiæ faciem, in Hiſpaniæ Galliæque ditionibus, ſub Gotthico imperio, probant *Fidei Confeſſiones* luculentæ, editæ in Synodo Toletanâ IV. Anno DCXXXIII. *Capit.* I. in Toletanâ VI. Anno DCXXXVIII. *Capit.* I. confirmandæ in ſucceſſuris Synodis, Toletanâ VII. VIII. & ſequentibus. Probant & *Capitula* dictarum Synodorum, quæ ad *Diſciplinam* & *Ritus* attinerent; quamvis redolentia in nonnullis Superſtitionem ejus Ævi, & rigidiora quoad legem Cœlibatûs: Non tamen compoſita ad nutum Romani Pontificis; nec fœda Monachorum impoſturis, Idololatrico cultu, ac ſuperſtitionum novis in dies commentis. Non tacendum verò factum *Witizæ* Regis, qui in Concilio Generali *Toletano*, quod XVIII. dicitur, abrogavit totâ Hiſpaniâ imperium aut dominatum *Romani Pontif.* reſpectu Cleri & Monachorum, An. DCCC. de quo ad ſequens Secul.

Sic in *Italiâ* ipſâ, Præſules Ravennatenſes, Aquilejenſes Patriarchæ, Epiſcopi Longobardiæ, Iſtriæ, &c. hoc adhuc Seculo jugum Romani Epiſcopi ſubire detrectarunt: Liquet ex Gregorio ipſo Romano, in *Epiſt.* ad Conſtantium Mediolanenſem, & ex continuatione *Schiſmatis* inter has Eccleſias & Romanam, ipſo adhuc Seculo exeunte, nec diffitente Baronio. **Eccleſia Aquilejenſis, &c.** Quanquam faſces ſubmiſerit Ravennatum Archiepiſcopus Theodorus, adulatus Romano, ſub Agathone, dein ſub Leone II. A. DCLXXXII. Accedente divali juſſione Conſtantini Imper. *Ut poſthac Archiepiſcopus Ravennas deſignatus*, (*ex antiquo inſtituto*, ita Sigonius) *Romam ad conſecrationem à Pontifice accipiendam contenderet, neque conſecratus ultrà* VIII. *dierum ſpatium Romæ maneret*, ut Sigonius de Regno Italiæ *Lib.* II. ex monumentis *Vaticanis*. Sed reluctatus mox *Felix* ſucceſſor Theodori, quanquam impulſu Papæ Leonis II. & juſſu Juſtiniani, filii Conſtantini, hoc ipſo in exilium miſſus, oculis primò candenti ferro excæcatis: Et anniverſarius *Mauri* nuper Epiſc. Ravennat. dies, qui αὐτοκεφαλίας jura contrà Vitalianum tuitus fuerat, celebrari prohibitus ex Anaſt. in Vitâ *Leonis* II. & illâ *Conſtantini* I. hinc Baron. ad A. DCLXIX. Sic etiam *Aquilejenſis* Synodus, contrà *Quintam* Synodum, habita fuit Ann. DCXCVIII. Sergio Romæ Epiſcopo, ex Paulo Diacono, *Lib.* V. C. XIV. Bedâ *Libro* de VI. Mundi Ætat. Sigeberto in *Chron.* Donec Sergii ejuſdem ſtudio, hæ tandem Eccleſiæ cum cæteris adunarentur. Vide Conciliorum Tomum VI. in Conciliabulo Aquilejenſi, *col.* 1381. & Sigebertum, Blondum, Sigonium, alios, ex his Magdeburgenſes, & Annalium Scriptorem, ad Ann. DCV. N. III. & ſeq. DCXVII. N. VI. &c. pro *Schiſmaticis* habentem diſſidentes ab E. R.

In Convallibus Pedemont. Quin jam *Valdenſes* hoc Seculo, ſeu *Vallenſes* potiùs, *Valdeſi* Italis, in *Vallibus* tractûs Pedemontani, profeſſos eſſe ſimplicitatem Euangelii, nullâ à Papis dependentiâ, ex teſtium fide referunt qui horum res literis conſignarunt: Produxerunt alii, & ex iis nuper Anton. Legerus, in horum *Hiſtoriâ* Gallicè editâ, *pag.* 15. teſtes hujus Euangelicæ ſimplicitatis, alienæ à Papæ dominatu, à Romanâ Eccleſiâ, Romaniſque ritibus, & quidem à tempore *immemoriali*, certè à *Conſtantini* M. temporibus: Puta Reinierum Socconem Valdenſium Inquiſitorem, inſertum Bibliothecæ M. Patrum, Claudium Seiſſelium Archiep. Taurinenſem, Sam. Caſſinum Italum, &c. dein Johannem Criſpinum, Robertum Olevitanum, alios. Veriſimile à tempo-

Digitized by Google

poribus *Hunnici* furoris, vicinas his convallibus regiones devaſtatas, *Sec.* v. dein Alboini *Longobardorum* Regis Italiam ingreſſi, & terrorem incutientis ad extremos *Venetorum* & *Ligurum* fines, *Sec.* vi. de quibus ſuprà. Quibus occaſionibus ſeceſſêre in hunc tractum Inalpinum, & montana hæc in profundas Valles dehiſcentia, Chriſtiani benè multi; nondùm ſervituti Papali, Imaginum, Sanctorum, Reliquiarum cultui, Tranſſubſtantiationi, Purgatorio, Cœlibatui Clericorum, aut Monachorum inſtitutis, mancipati. Certè Reinerius Sacco vel Sacchonius, Libro *adverſus Waldenſes*, quem edidit Gretſerus, & habet Bibl. Patr. T. xxv. p. 262. teſtatus eſt hanc Sectam, quæ neſciret *Romanæ Eccleſiæ* traditiones, eſſe omnium antiquiſſimam, *aliqui enim dicunt, quod duravit à tempore Sylveſtri, aliqui à tempore Apoſtolorum.* Et hic Reinerius anteà Valdenſium prædicator fuerat, de quo nos ad Secul. xiii.

Gallicanæ Eccleſiæ. Sed nec *Gallicanæ* Eccleſiæ ſubiverunt cœcâ obedientiâ jugum Romani Pontificis, aut omnes Superſtitiones admiſerunt. Reges & convocaſſe & moderatos eſſe *Synodos*, Acta docent, ut Synodorum Pariſienſium ſub Clotario II. & Dagoberto, Synodi Cabilonenſis I. ſub Clodoveo II. circà medium Seculum, &c. Sic inconſulto Romano, *Epiſcopos* conſtituerunt Reges, ut Deſiderium Cadurcenſem Dagobertus, ex ejuſdem *Epiſt.* ad Sulpicium Bituricenſem, ad calcem *Tomi* v. *Concil.* Edit. noviſſimæ. Imò aliquot poſt Seculis, Decreta *Pontificum* neglexiſſe Gallicanam Eccleſiam, pluribus Petrus de Marca, in Libris de *Concordiâ*; Steph. Baluzius *Præf.* in Capitularia, & in Antonium Auguſtinum de Emendatione Gratiani, ut alios mittam: *Antiquum Jus Eccleſiaſticum per ſeptingentos & amplius annos valuerat* (ſcil. Collectio Canonum Eccleſiæ, in Synodos coactæ) *quum ſucceſſit jus novum ex ſuppoſititiis Romanorum Pontif. Epiſtolis.*

Baronius notat. Agreſtinus defenſ. Sic Romanis ſuperſtitionibus, & Columbani Monachi novis inſtitutis, qualia obſervabantur in Monaſterio Luxovienſi (*Luxeu* in Sequanis) reſtitit initio ferè hujus Seculi in Gallis *Agreſtinus*, cum multis in *Galliâ* & *Italiâ*, præcipuè apud Aquileiam, & in Viennenſi Prov. ὁμοψήφοις. Re in Matiſconenſi Synodo diſcuſſâ, Clotario Rege, circà A. ut Sirmondus dcxxvii. (malè Baronius dcxvii. *decennio* anticipans) fertur Agreſtinus de frivolis tantum, ut multiplicatione Orationum in Sacris Officiis, Tonſurâ Monachali, &c. balbutienti & tremulo ore conqueſtus; hinc Euſtaſius eum ad *divinum judicium* vocaſſe; tandem *cogentibus cunctis*, ei *pacis oſculum* præbuiſſe. Hæc quidem Jonas Monachus, natione Hibernus, qui *Vitam* Columbani, & Euſtaſii Columbani Succeſſoris, ſcripſit, laudatus Trithemio de *Scriptor. Eccleſ.* ad A. dcxxx. Sed ità ut hujus de Agreſtino judicium meritò ſuſpectum ſit, ſuperſtitionibus Monachalibus nimiùm præventi, & ficto illo Sanctitatis ſchemate, cujus rem ipſam & veritatem poſcebat Agreſtinus; cenſens reliquas Monachorum obſervantias, tanquam *partem pietatis, parum differre ab impietate*, certè ab Hypocriſi, ut Polyd. Vergilius, De rerum Inventor. L. vi. C. xiii. Ita etiam deſiderantur *Acta* illius Synodi Matiſconenſis; ex quibus Agreſtini rationes, & cauſa tota, ejuſque momentum, conſtare hodieque poſſent: Monachorum eâ pridem induſtriâ, Eraſmo obſervante *Epiſt.* ad Waramum Cantuarienſem, ut *abolerent* ea monumenta, aut interpolarent, quæ ſibi adverſarentur. Undè inanis eſt Baronii in hunc Agreſtinum declamatio, *ut Monachum profugum, vagum, ſeditioſum, alios ſecum præcipites in ruinam abducere cupientem*, qui *magnos tum in Galliâ tùm in Italiâ motus excitaverit*, ad A. dcxvii. N. iv. Sed Baronius cum maximè declamando invehitur, dum premi ſe maximè ſentit, contumeliis defunctus. Quod verò dicit, *defeciſſe* Agreſtinum ad *Schiſmaticos*, intelligit Aquilejenſem Eccleſ. & quotquot in cauſâ Trium Capitul. damnarentur à Pontif. Rom.

Ità, de celebratâ *Euchariſtiâ* S. quam ſanè *Miſſam* dixêre, in utroque Symbolo, vivâ voce, multis *orationibus, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur*, ut Iſid. Hiſpalenſis *Lib.* i. de Offic. C. xv. res eſt notiſſimi facti. Qui ſaniora tum alia. Ità quod ſanctificata hæc duo *panis & vinum, in Sacramentum* (figuram, ſignum, ſymbolum, &c.) *divini Corporis tranſeunt*, idem Iſidorus de Offic. L. i. C. xviii. Et alibi *Originum* L. vi. C. xix. *Undè Domino jubente Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus, quod dùm ſit ex fructibus terræ, ſanctificatur, & fit Sacramentum, operante inviſibiliter Spiritu Dei, cujus panis & calicis Sacramentum Græci εὐχαριστίαν dicunt*, &c. Et *Sacramentum eſt in aliquâ celebratione, cùm res geſta ita fit, ut aliquid ſignificare videatur*, &c. Alia plura ex ſententiâ hujus Sec. à noſtris obſervata, præcipuè Albertino & Laroquio, quæ præſentiæ corporali minimè favent. De *cultu Imaginum* ſeu adoratione earundem, nullus planè teſtis Seculo vii. imò contrarium intelligitur ex iis quæ ſuprà retulimus de *Gregorio* I. & *Sereno* Maſſilienſi *col.* 1066. Quo ſenſu σεπτὰς εἰκόνας dixerit Synodus Quini-Sexta *Can.* lxxxii. infrà monemus. Quid Seculo ſequente adhuc ſenſerit Gallia circà Imagines, nos ex profeſſo in *Hiſtor. Imaginum Reſtitutâ.* Ita adorationem *Crucis* neſciviſſe Britannos, patet Oſwaldi Regis exemplo, de quo Beda *Hiſt.* L. ii. C. ii. Ubi erecto in Caſtris ſigno Crucis, more tum recepto, de adoratâ Cruce ne γρῦ mentionem facit Beda. Sed *flexis genibus Deum deprecatum eſſe, ut in tantâ rerum neceſſitate ſuis cultoribus Cæleſti ſuccurreret auxilio.* Quanquàm Legendarii habeant in Vitâ Oſwaldi, ut obſervat in Notis Bedæ editor, *Nos ad Crucem procidamus.* Ut ludibrium debeat Natal. Alexander, qui Seculo vii. *Diſſert.* ultimâ, probat ineptiſſimè *adorandam Dominicam Crucem*, ut ex Chryſoſtomo, Hieronymo, Leone Rom. &c. ſic ex Gregorio I. & Venerab. Bedâ. Ex illo *Epiſt.* v. *Lib.* vii. *Ind.* ii. in quâ meminit Imaginis Dei Genitricis, & *Venerandæ Crucis*, à Neophyto in Synagogam Judæorum illatæ, undè auferenda eſſet *eâ quâ dignum eſt veneratione*: Ex Bedâ verò probat, quia in Hiſtoriâ Auguſtini, in Angliam delati, dicit habuiſſe *pro vexillo Crucem argenteam*, Hiſtoriæ *Lib.* i. C. xxv. de qua re jam ſuprà.

Adde Monachorum commentis, fabellis, reluctantes quoque mediâ in barbarie, qui inter *Bojos*, *Suevos*, Germanicas Gentes, oculatiores eſſent. Boji, Suevi. Certè Aventinus, *Annal. Bojor. Lib.* iii. p. 161. agens de prædicatione Columbani & Galli, has inter ipſiſſimas Gentes, dicit: Intuliſſe hos *novas Ceremonias, quibus populum Chriſti ſanguine redemptum, liberatumque, in ſervitutem redigere, atque onerare contrà Majorum inſtituta conarentur.*

II. Accedunt Scriptores hoc Seculo inter Latinos inclyti, in plurimis defæcatioris & doctrinæ & judicii, neſcii errorum, vel abuſuum in cultu, quos Roma ſuccedens adoptavit. Scriptores hoc Seculo veritatis, in graviſſimis Capitibus, teſtes. In iis cumprimis *Iſidorus* Hiſpalenſis, ſub initia Sec. vii. qui ut potuit ivit obviam erroribus & corruptelis quæ in Doctrinam & Diſciplinam irrepſerunt: Sic v. gr. de naturâ Feſtivitatum, in honorem Sanctorum, contrà *Hagioduliam* tum invaleſcentem, & cultum delatum Martyribus, aut Reliquiis, egregiè diſſerit, ex mente & verbis Auguſtini, *Lib.* i. de Offic. Eccleſiaſt. C. xxxiv. *Feſtivitates Apoſtolorum, ſeu in honore Martyrum feſtivitates, antiqui Patres in venerationis myſterio celebrari ſanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum* (bonis operibus, paſſionibus, martyrio) *conſociemur, atque Orationibus adjuvemur: Ità tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum offeramus; quamvis in Memoriis Martyrum, conſtitua-*

ſtituamus Altaria. Item, nullum *Antiſtitum* unquam dixiſſe, *offerimus tibi Petre, Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo*, preces, orationes, ſacrificium Spirituale. *Colimus ergò Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vitâ coluntur Sancti homines Dei; ſed illos tanto devotiùs, quanto ſecuriùs poſt certamina omnia ſuperata.* Dein, exemplo *Pauli & Barnabæ* (Act. XIV.) *Angeli* in Apocalypſi, (*Apoc.* XVI.) *adorari ſe prohibentium*, aut coli *divina religionis cultu. Quia nec ipſi volunt ſe coli pro Deo, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur. Honorandi ergò ſunt Martyres propter imitationem, non adorandi propter religionem, honorandi charitate, non ſervitute.* In eundem ferè ſenſum *Julianus Tolet.* Archiepiſcopus, qui præfuit Conciliis Toletano XII. XIII. XIV. XV. In quo poſtremo Librum quendam ſuum de *Tribus ſubſtantiis*, anteà à *Benedicto* II. Papâ reprobatum (quod dixiſſet, *Voluntas genuit voluntatem*) ſic vindicavit, ut *Papæ* velut indocti, incauti, in Scripturis inexercitati, frivolas cavillationes arguerit, & oſcitantiam, Papâ dein gratias agente, ut eſt *Tomo* VI. Concilior. *col.* 1296. *& ſeq.* & apud Rodericum Ximenium Toletanum Hiſtoriæ Hiſpan. *Lib.* III. C. XIII. Sic præfuit Iſidorus Hiſpal. Concilio Hiſpanico quod Toletanum IV. dicitur, in quo egregia Fidei Confeſſio & expoſitio, procul hominum additamentis, *Can.* I. Sic *Morum* & *Diſciplinæ* inſtauratio; ac multorum abuſuum emendatio, *Can.* II. III. &c. Sic nulla Clericis legitimi *conjugii* prohibitio, ſed ut ſacerdotes ſint *irreprehenſibiles*, 1 *Tim.* III. *inoffenſi, immaculati, mundi corpore, purgati mente*, &c. nec *fornicationis* contagio polluantur, ſed *caſtè* vivant, qualis caſtitas in matrimonio ſervanda; ut neque *Clerici ſine conſultu Epiſcopi in conjugio accipiant viduam, vel repudiatam, vel meretricem*, *Can.* XXI. XLIV. Igitur permiſſum Clericis, tum quidem, ducere virginem, caſtam, cum conſultu Epiſcopi.

De Traditi on. R. E. ſilent.

Altum in iis *Synodis* ſilentium, de Decretis Paparum, aut Traditionibus Romanæ Eccleſiæ reſpiciendis; de ejus auctoritate in Conciliis Generalibus; de Juſtificatione ex meritis, propter opera: de Purgatorio; de ſeptem Sacramentis; de Confeſſione Auricul. de παρθενοδυλία, de Invocandis Sanctis, colendis Imaginibus, adorandis Reliquiis, aut Cruce Dominicâ; de neceſſario Cœlibatu Clericorum; Immaculatâ Conceptione; & quæ alia à Tridentinis ſub anathemate ſancitæ fuêre. Quin nonnullis rejicitur ad hanc Ætatem *Cæſarius Arelatenſis*, quem Miræus & alii coævum faciunt *Deſiderio* Cadurcenſium Epiſcopo, ſub Dagoberto, qui Deſiderius ad Cæſarium Epiſtolam ſcripſerit; undè ex eo teſtimonia profert ad hoc Seculum Flacius Illyricus, *in Catal. Teſtium* L. VII. Sed omninò inchoati Seculi VI. fuit *Cæſarius* ille Arelatenſium præſul, de quo ſuprà, cujus etiam ſcripta à Monachis haud parùm interpolata conſtat. Tacemus in *Britannis* Scriptoribus celebres hoc Seculo viros, ſanè in Cœnobiis plerumque vitâ tranſactâ, aut ex Cœnobiis prodeuntes, qui flocci habentes Romanas traditiones, ceremonias, ſuperſtitiones, claruerunt *Commentationibus* in Scripturam Sacram, Scriptis *Doctrinalibus, Moralibus, Hiſtoricis, Epiſtolicis.* Quales *Worgreſius* Abbas Glaſconiæ; *Aidanus* Awinus, expetitus ab Oſwaldo Nordanhumbr. Rege; *Cedmonus ſimplex*, piis Canticis celebris; *Aldhelmus* ex Abbate, Sariſburienſis Epiſc. ſub finem Sec. in Epiſt. ad Geruntium; inprimis Venerabilis *Beda* exeunte Seculo, de quo poſteà. Et de his Balæus *Centuriâ* I. & Britanni paſſim, ac nos infrà quoque ubi de Scriptoribus Eccleſiaſt. Ex his ipſis luculenta peti documenta poſſunt, adverſus illa ipſa Decreta Tridentina, in Controverſiis de *Scripturarum* neceſſitate, ſufficientiâ, perfectione; de *Gratiâ* contra Pelagium; de Chriſti unius *Satisfactione*, merito; de *Juſtificatione* gratuitâ per fidem intuitu meriti Chr. de veræ *Eccleſiæ* Notis, Capite, *Fundamento* unico Chriſto; de Communione *ſub utrâque*; de natura *Sacramentorum*, & ſpeciatim *Euchariſtiæ*, ut *figuræ, ſacramenti, myſterii* Corporis & Sanguinis Chriſti, luculentis contrà Tranſſubſtantiationem dictis, cumprimis apud Iſidorum Hiſpalenſem, & Venerabilem Bedam. Citant loca poſt Flacium Illyricum, *Lib.* VII. Catalogi, & poſt Magdeburgenſes *Cent.* VII. noſtrates Theologi, iique notiſſimi, ad has Controverſias.

VII. *Antichriſti Orientalis, ſeu Muhammedis exortus, Doctrina, Hiſtoria.*

Fontes Hiſtoriæ Muhammediſmi.

I. Compendio huc modò referemus, hiſtoricâ fide, (miſſis Arabum, & Orientalium ſine fine fabellis) ea quæ paſſim obvia ex Alkorano ipſo, & Dialogo cum Abdiâ Judæo, ex Arabum Hiſtoriis, ex Paulo Diacono, ex Damaſceno de Hæreſib. Theophane, Nicephoro Conſtantinopolit. Cantacuzeno, Cedreno, Zonarâ, Vincentio Bellovacenſi, Elmacino Arabe, Aythono in Hiſtor. Orientali, aliiſque Chronicis Orientalibus: Multi quoque in Hiſtoriâ exorti Muhammedis, & rebus Arabum, ac religione, ſunt ex recentioribus Marmolius, Magdeburgenſes, Bibliander, Leunclavius, Gabriel Sionita, Abrah. Echellenſ. Phil. Guadagnolus, P. à Valle, Jac. Golius, Edw. Pocockius, Joh. Forbeſius, Hottingerus, Hoornbekius, Thevenotius, alii benè multi; & Warnerus noſter in ἀνεκδότοις, de Rebus *Arabum*, antè ac poſt Muhammedem. Obſervandum antè omnia; *Arabas* fuiſſe in varias *Tribus* diſtinctos, quas religioſiſſimè diſtinguunt, ut permiſceri eas aut turbari, nequidem alienis conjugiis, ne in hunc diem patiantur. Princeps inter eas Tribus fuit illa قريش *Koreiſchitarum*, nobiliſſima & antiquiſſima habita, quorum Metropolis مكة *Mecca*, ampliſſima Arabiæ Civitas, in Valle lapidoſâ ſita, aridiſſimo ſolo, quam alii Arabiæ Deſertæ, plerique Arabiæ Felici adſcribunt, (quæ يمن *Jeman Taman*) ferè ſub Tropico Cancri. Hi Koreiſchitæ antè natum Muhammedem, ex Warneri Ms. *Meccam* habuêre pro Urbe ſanctâ, in quâ *Templum* ſummâ in religione fuit, quod Hieroſolymitano oppoſuêre, quotannis adeundum: Feruntur quidem coluiſſe *unum Deum*, ſed tamen *Venerem* pro ſummo Deo habuiſſe, quam كبر *Cabar* الاكبر *Alacbar*, id eſt, *magnam* communiter vocarunt; undè hac formulâ uſi dicuntur, الله اكبر *Alla Acbar*, quâ hodieque unum & ſummum Deum agnoſcunt. Vocarunt etiam *Alath, Alitta, Melitta*, quæ Syris eſt *Genitrix*, à ילד *gignere.* Præter Venerem, etiam *Planetas* reliquos coluiſſe dicuntur, quorum habuerint *Idola* lapidea, variâ figurâ, memorata in Corano; & *Angelos* etiam, ut *Dei filios*, vel *filias*, quos Deo aſſociarint. Prætereà *Circumciſionis* ritum, ab Iſmaële acceptum, habuiſſe; *Reſurrectionem* mortuorum credidiſſe, quod tamen de Koreiſchitis negat Alkoranus; *Eleemoſynas* in advenas, pauperes in præcipuâ parte religionis cenſuiſſe: *Preces* facie ad Templum Meccanum obverſâ facere ſolitos; *Vino* abſtinuiſſe; *Ablutione* frequenter uſos; *Juriſjurandi* ſummam apud eos religionem fuiſſe; ſic inter animantia maximi habitum *Camelum*, fœminam præcipuè, quæ poſt decem partus libera & emerita cenſebatur. Addit Coranus *Surat.* VI. τεκνοθυσίαν, quæ ex Abrahami Sacrificio orta videtur, quamvis rationes alias dent Arabes.

Koreiſchit. Arabum religio antè Muhamm.

II. Ex his igitur Koreiſchitis *paterno* ſaltem genere fuiſſe Muhammedem liquet, materno verò Judai-

Muhammed. nomen,

Digitized by Google

mores, matri-mon. &c. daicâ ſtirpe ſatum, multi voluêre, *Eminâ* matre Judæâ Gente & Religione; ſed Arabibus reclamantibus, & Arabum antiquo illo more, ducendi σύμφυλον contribulem. *Tempus* Muhammediſmi exorti, incipit cum Hegirâ Arabum, de quâ in Chronologicis, An. Æræ Chr. DCXXII. Damaſcenæ ſive Hagarenæ (quæ incipit annos XLVIII. ante Æram Dionyſ. ut Chronologiæ noſtræ *Parte* II. C. XIV.) A. DCLXX. à d. Julii menſis XVI. currente Heraclii anno XII. Auctor appellatus محمد מחמד *Muhammed*, Græcis vulgò Μαχουμέθ, vel Μωαμέδ, Μυαμμέδ *Machometh* vel *Muhammed*, *Mochammed*, &c. quando *Damma* Arabic. modò per *o* obſcurum, modò per *u* exprimitur, vel per *ου* diphth. Familiare autem inter Arabes nomen, Paganiſmi tempore, quicquid fingant hunc omnium hominum *primum* ſic appellatum; alii *tres* tantùm ità dictos antè Muhammed. quorum parentes ſcil. ſperaverant fore eos, *Prophetam Dei* venturum. Id eſt Vir *valdè celebratus*, vel *valdè deſideratus*, ut Ἐράσμιος, *Deſiderius*, איש חמודות *Dan.* X. II. ut & familiare iis tùm nomen, ejuſdem radicis, احمد *Ahmed*. Imò nomen hoc *Deo* commune eſſe volunt, & à *Chriſto* prædictum *Joh.* XIV. 16. ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν ſcilic. מחמד Μυαμμέδ. Fuit hic flagitioſiſſimus nequam, genere Arabs ex *Koreiſchitis*, vel *Koriſeis*, patre Abdallâ Meccano; quanquàm alii *Cyrenæum* fuiſſe voluerint, patre in Arabiam deportato à Saracenis, & ibi vendito. Natus fuit A. Chriſti DLXIX. brevi orphanus, inter Camelorum greges ac Mercatores à pueritiâ diu verſatus, in Syriâ, Palæſtinâ, Ægypto, ubi cum Chriſtianis, & Monachis duobus dicitur conſueviſſe, Johanne quodam Antiocheno, & Sergio Ariano, à quibus venenum ſuxit: Literarum (ut faſſus ipſe, & fatentur Arabes) planè rudis, ut hinc ſcientiam ejus *infuſam* extollant. Sed ingenio ut erat verſipelli, corpore & formâ præſtanti, aſpectu & colloquio gratus; hinc locuples poſteà illius matrimonium, cum خديجة *Chadigah*, nobili & opulentiſſimâ viduâ, cui mercaturam exercenti anteà miniſtraverat, & à quâ mercedem pro miniſterio poſcebat. Qui cum Viduæ fermè *quinquagenariæ* placuiſſet, illa ex Dominâ ſe Conjugem adjungit, nato circiter ann. XXV. Sed ille morbo *Epileptico* (omnium ferè conſenſione) vexatus, convertit hunc ipſum in fraudis & nequitiæ velamen, quo ſuas revelationes tegere cœpit, anno ætatis ſuæ XL. Ær. V. DCXXII.

Fabulæ de Muhamm. III. Fabulas de hoc Muhammede innumeras mittimus, obvias in Alkorano, in Keſſæo Ms. de *Vitis Patrum*, in Elmacine, Abunazaro, & aliis Arabum Scriptis. V. gr. ratione *generis*, duci illud perpetuâ ſerie ab Adamo, ad Muhammedem, per Abrahamum, hinc Iſmaëlem: Ratione *nativitatis*, nullum ſenſiſſe Eminam matrem in partu dolorem; ſic concidiſſe Thronos, præſagium ſuprà Reges terræ hunc Infantem ſublimandum: Ratione tranſactæ *infantiæ*, *pueritiæ*, locutum Muhammedem ſtatim atque editus in lucem fuit; erupturum in voces, *ô Mater non eſt Deus, niſi unus Deus*; ſic natum eſſe eundem circumciſum; vocem egreſſam ex quatuor angulis terræ, &c. Ratione *chariſmatum* quibus inſtructus, fuiſſe Prophetam jam antè matrimonium, & talem agnitum in Syriâ; in Cœlos tranſlatum fuiſſe, ad conſpectum Dei admiſſum, Scalis Angelicis evectum, Nube caput ejus redimitum, & quæ alia in Corano: Ratione *apparitionum*, familiarem jam puerum fuiſſe Angelo Gabrieli, frequenter ad eum miſſo, quo par redderetur tanto muneri: A quo & *Alkoranum* poſteà revelatum Muhammedi, *Surat.* II. &c. Planè ut ſunt fabulæ de S. *Franciſco*, & *Legendæ* Monachales.

Jactandi revelat. IV. Jactandi verò revelationes *cauſa* illi duplex fuit, ex Zonarâ *Annal. Lib.* XIV. ex Theophane *Chronogr.* ad Heraclii ann. XXI. Conſtantino Porphyrogenneta de Adminiſtr. Imperio *Cap.* XVII. aliiſque pluribus. Cauſæ, Occaſio. 1. Ut morbi paroxyſmos, apud Chadigam ipſam, obvelaret ſpecie *raptûs* Prophetici, & *Angelici* alloquii, cujus aſpectum non ferens humi procumberet: Quâ in fraude inſignem operam illi navavit Monachus Sergius, ob κακοδοξίαν à Chriſtianis ejectus, perſuadens Chadigæ, hunc Angelum ſic appariuiſſe omnibus Prophetis. Undè facilè inducta mulier, hæc ut de Viro crederet, & diſſeminaret. 2. Ut hac ratione auctoritatem *Propheta* ſibi apud Populares ſuos conciliaret; Quò fecit *Abubekeri* ſocia opera, magnâ hujus inter Meccanos exiſtimatione, qui filiam illi elocavit, priore conjuge Muhammedis mortuâ, à quâ relictus fuit ampliſſimi patrimonii hæres. Et hoc adjuvante fuit in Meccam urbem clàm receptus, acceſſuro *Oſmane*, opulentiſſimo incolâ, quorum præſidio ſpargere inter Meccanos cœpit ſua figmenta & deliria. Occaſio etiam non una huic Impoſtori ſubnata, jactandi novas de Cœlo revelationes per Angelum Gabrielem. 1. *Chriſtianæ* Religionis, quam multi Arabum erant amplexi, miſeranda facies, cumprimis in Oriente; quoad hæreſes in Doctrinâ, diſſidia in Eccleſiis, ſuperſtitionem in Cultu, corruptionem in Moribus, de quibus paſſim ipſe Muhammed in Alkorano: Ex quo Hiſtoriam Eccleſiaſticam hujus Ævi, quoad ſtatum *Chriſtianorum*, etiam *Judæorum*, illuſtrari poſſe, Bibliander & alii obſervarunt. 2. *Judaiſmi* tum ſummus contemptus, Judæis diſperſis, exoſis, fruſtrà Meſſiam ſuum expectantibus, ut etiam exortum in Muhammede Meſſiam multi ſibi perſuaderent. Plurimi autem in Meccanâ urbe *Judæi*, quos inprimis adverſos ſentiebat Muhammed. 3. Nata & Muhammedi occaſio fuit, poſtquam is à *Magiſtratu* Urbis Meccanæ ejectus, unde annos *Hegiræ* putant, aufugit in Arabiam Deſertam; & famâ rei inter Arabes, Agarenos, Scenitas ſparſâ, magna illi hominum multitudo acceſſit, qui tandem hunc *Ducem* elegerunt, magnis pollicitationibus divitem, ac ſpondentem tùm de hoſtibus quibuſcunque victorias, tùm fortitudinis mercedem ampliſſimam. Ità Duces ſub ſe conſtituit, *Abubekerem*, *Oſmanem*, *Omarem*, *Ali*, *Muaviam*, & alios ſpectatæ fortitudinis, bello & prædationibus deditos, quos etiam ordine ſucceſſores habuit. 4. Acceſſit bellum tùm inter Heraclium & Choſroëm geſtum, in quo Muhammedes Arabum Dux, Gentis indomitæ, obviam factus Heraclio Hieroſolymam properanti, ab eo quicquid voluit impetravit. Tandem Medinâ, Haybarâ vel Chaibar, aliiſque Urbibus potitus, prælio ſemper victor, poſt & Meccam occupavit, & victorias ſuas in Arabiam, Palæſtinam, Syriam, Ciliciam promovit, Religione ſuâ ubique imperatâ. 5. Promovit & Muhammedis inſtitutum, diviſio tum toto Oriente, à morte Phocæ, Bellis, Hæreſibus, Schiſmatis; tum Arabum ſuorum ingenium, qui ad prædandum nati, & quorum ſemper fuit ſuperſtitioſa credulitas, & admiratio novarum rerum, inprimis quæ ad religionem attinerent. Hæc tam Arabes, quàm Chriſtiani literis prodiderunt, quanquàm illi admixtis pro more commentis & fabellis. Refert Chronicon Orientale, in Patriarchis Alexandrinis, *pag.* 124. *Heraclium* divinitùs *ſomnio* præmonitum, de adventu Muhammedis: *Vidiſſe*, nempè, *quendam ſibi dicentem*, *futurum eſt ut Gens quadam circumciſa te invadat*, *ſuperet*, *& tui occupet partem Imperii*: Heraclius *Judæos eſſe ratus*, *omnes Judæos & Samaritanos qui in Imperio ejus erant*, *baptizari juſſit*: *Sed non multo poſt apparuerunt Moslamani. Quamobrem Heraclius omnes ſuos collegit exercitus*, *ab Ægypto uſque Aſvanem*; *& tributum appendit Moslamanis* VIII. *annis*, *donec exhauſti ſunt omnes ejus theſauri.*

V. Id

Conditio Muhammedis, & Arabum.

V. Id certum, 1. *Naturalibus* egregiè dotibus inſtructum Muhammedem, formâ præſtanti, ingenio callido, moribus facetis, ac præ ſe ferentem liberalitatem in egenos, comitatem in ſingulos, fortitudinem in hoſtes, ac præ cæteris reverentiam Divini Nominis. Undè etiam, antè jactatas revelationes, Idolorum hoſtem fuiſſe Muhammedem, delectatum vitâ *ſolitariâ*, in montanis Meccæ, ferunt Arabes, apud Levinum Warnerum, *Tract. Mſ.* de rudioribus Seculis Arabum.

2. Perſpectam fuiſſe Muhammedi Chriſtianam Religionem, quam Arabum diverſæ Tribus erant amplexæ, Warnero eodem teſte, antè Iſlamiſmum Muhammedicum. Quam ſcilicet in Syriâ & Arabiâ Muhammed fuerat edoctus, ſed peſſimis Magiſtris; Quales Sergius Monachus *Neſtorianus*, quem Arabes نسطور *Neſtorium* dicunt, reverà ob Hæreſim Byzantio ejectus, & in Arabiam profugus, malè deinceps à Muhammede (ut ferunt) multandus, ne impoſturas aliquando proderet: Tùm Johannes Antiochenus *Arianus*, quem illi teſtimonium perhibuiſſe dicunt Arabes; Denique Baira quidam *Jacobita*, Arabibus بحيرا *Bohira*, quem iſti fabulantur in urbe *Boſrâ* prædixiſſe, *ab hoc puero magnum aliquid expectandum, cujus fama per Orientem & Occidentem ſeſe diffunderet.* Vide Abulfaraium, de Arabum Moribus, quem edidit Pocockius, *pag.* 9. & 170. tum Paulum Diaconum, Zonaram, Hiſtoricos alios Chriſtianos. Undè nec malè affectus in Chriſtianos fuit, Elmacino *in Hiſt. Saracenicâ* teſte, & Alkorano C. II. III. &c.

3. Arabes eo etiam procliviores fuiſſe ad nova hæc Sacra Muhammedis, quod ipſi inter illos Pagani, in ſpecie *Koreiſchitæ*, ſapientiores ſcilicet, relictis Idolis, *unum Deum* colerent; ac in Religione ſuperſtitioſiſſimi eſſent omnium Arabum; ſingulari etiam in *Meccam* ſuam affectu, quam adirent Religionis causâ: Ut pluribus ex Arabum monumentis præfatus Warnerus, de illorum *Moribus antè tempora Muhammedis*, Mſ. *pag.* 45. 205. 224. 244. &c. De quibus plura ſtatim.

Circumſtantiæ temporis, loci, &c.

VI. *Tempus* igitur ſparſæ novæ doctrinæ fuit annus Muhammedis XL. à matrimonio XV. Undè illud Arabum, *non ſuſcitari Prophetam, niſi poſt annum* XL. Antè Hegiram verò annis completis XIII. quæ incidit in annum Muhammedis LIV. conceſſuri fatis anno ætatis LXIII. poſt X. ferè annos tranſactos in Chalifatu.

Adjutores fuêre, homini literarum neſcio, præter quos modò diximus Pſeudo-Chriſtianos, ità Judæi quidam ſcil. *Phinea*, & *Abdiah*, qui *Abdalla* Arabibus, id eſt, ſervus Dei, nomine his familiari, cum quo extat Colloquium Muhammedis. Et hi ſymbolam omnes ſuam, ad novi monſtri generationem contulerunt: Præter *Abubekerum* vel *Abubacrum*, qui primus Impoſtori dedit nomen *Miſſi* & *Prophetæ Dei*, & primus quoque collegit Alkoranum; tum *Hothmanum* vel *Oſmanum* opulentum mercatorem Meccanum, qui ſe inter primos Muhammedi adjunxit. Hæc pluribus Chronicon Orientale, & cæteri Muhammedicæ Hiſtoriæ ſcriptores, apud Pocockium; in noſtris fusè inter alios Joh. Forbeſius, omnium manibus tritus, *Inſtr. Hiſt. Lib.* IV. C. III.

Locus in quo ſparſa primùm Muhammediſmi ſemina, fuit Arabia Felix, in quâ ſita Metropolis *Mecca*, quæ à Geographo Nubienſi, in V. *Parte Clim.* II. & Arabibus, fertur *centrum* & *meta habitatorum* يمن *Jeman.* Gabriel licet Sionita, Libro de Oriental. Urbibus, & Religione, C. VIII. *matricem nobiliſſimam* vocet *Arabiæ Deſertæ.* Illa certè Koreiſchitarum antiqua ſedes, in valle lapidoſâ ſita, patria Muhammedis; de quâ jam Paganiſmi ſui tempore adeò ſuperbiebant Koriſchei, ut, Arabibus apud Warnerum teſtibus, in dicto MS. vulgò dicerent: *Nos ſumus Populus Dei, non ſumus ſicut reliqui homines, non egredimur è Circo Templi Meccani.* Quemadmodum in Seriforum Hiſtoriâ Marmolius, Africæ *Parte* III. de incolis Fezzanæ Urbis, muris Civitatis inſculpſiſſe; *Qui Fezzâ egreditur, quò vadet?* Undè non uno nomine hæc Civitas Arabibus veneranda, Majorum, Muhammedis, & Templi Meccani religione. Nec aliâ ratione Muhammedes commendavit peregrinationem *Meccanam*, intuitu Urbis natalis, & Koreiſchitis Sacræ, ac Templi Meccani الكعبة *Caaba* dicti, ob formam quadratam; Quod ſcilicet adire in Feſto Magno, ab Iſmaële inſtituto, ſolitos Arabes, & certis circuitionibus obire, Sacra ibi ſua anniverſaria peracturos, X. die Menſis *Dulhagiæ*, i. e. Peregrinationis Meccanæ, ex Arabibus obſervat Golius noſter, Notis ad Alfraganum *pag.* 9. Minimè verò hæc Peregrinatio ab Impoſtore inſtituta, facta eſt cum intuitu ad *ſepulchrum* Muhammedis, quod non *Meccæ* fuit, ſed *Medinæ*, paulo magis ad ſeptentrionem ſitæ. Hinc verò, ob avitam Loci & Sacrorum religionem, amorem etiam Libertatis, quum tyrannidem moliri Muhammedem & Socerum cernerent, Meccanæ Urbis Magiſtratus, *Koreiſhitarum* vel *Koreiſheorum* in Saracenis religioni addictus, (mixtæ quadantenùs ex Paganiſmo & Judaiſmo, quemadmodùm & addictus ipſe anteà Muhammed) homini ſeditioſo, & ſacra ſua in multis ſubvertenti, manus injicere geſtiens, clàm hic *Medinam* aufugit, cum popularium & clientum multitudine, Ann. Chr. DCXXII. die XVI. Julii, feriâ VI. In quâ fugâ uſus fertur Camelo fœmina, & inter fugiendum abſurdiſſima contigiſſe Miracula, fabulantur Arabes. Et ab hac fugâ initium ſumit Æra Saracenorum, quam *Hegiram* vocant, de quâ nos, poſt Chronologos, ſuperiore Chron. P. I. C. VIII. & Part. II. C. XX. Undè *Medinæ* fertur commoratus Impoſtor annos VIII. uſque ad Meccæ expugnationem, quando aggregata ſunt Muhammedi CC. millia hominum, Gentis prædæ & rapinis inhiantis. Tum & in hac ipſâ *Medinenſium* civitate magnam *Alkorani* partem, cum Abubacro & ſuis, fabricatus eſſe dicitur.

Fontes Religionis Muhammedanæ.

VII. Muhammedaniſmum quod attinet, in genere conſtat, conflatum eum ex Sacris partim Gentilium, & Saracenorum, partim Judæorum, partim Gnoſticorum, & qui in nefandas Hæreſes in Chriſtianis abiviſſent, ut res ipſa docet. Quâ ratione Pſeudo-Propheta tres haſce Religiones conciliare ſibi ſtuduit: *Judaica* mutuatus ex Scriptis Moſaicis & Propheticis, Judæorumque Traditionibus, miſerè interpolatis; *Chriſtiana* ex Libris Novi Fœderis, & Hæreticorum in Oriente Dogmatis, quos inter vixerat diu Muhammedes; *Saracenica* ex Koreiſchitarum cumprimis moribus, ritibuſque.

Koreiſchitarum mores, Sacra, antè Muhammedem, ex Mss.

Ac de poſtremis, ex ἀνεκδότῳ Warneri Commentario, quem ex Arabum & Perſarum ſcriptis compilavit Vir diligentiſſimus, exempla quædam promimus, diverſa in multis ab iis quæ ex Arabibus Hottingerus, Pocockius, &c. tradiderunt. *Koreiſchitas* enim, vel *Coriſæos* prudentiores, coluiſſe unum Deum, Idolis abjectis, ex quorum Sacrificiis non ederent, pluribus dictus Auctor. Undè dictum, *Unumne Deum colam, an mille Deos?* Sic inter illos fuêre Sapientes, qualis *Umia* filius Abi & Salt, tempore Muhammedis, qui in Chriſtianorum & Judæorum Sacris verſati eſſent, Muhammedis æmuli, nec fidem ejus amplexi. *Circumciſionem* iidem ſervabant, quam ab Iſmaële majores eorum jam olim accepiſſent. *Reſurrectionem mortuorum* ac *Judicium ultimum* plurimi profitebantur, undè ad defuncti alicujus ſepulchrum Camelum alligabant, abſque cibo & potu, ut ſcilicet in Reſurrectione equites reſurgerent, Camelum inequitaturi, Arabum

Digitized by Google

more. *Eleemoſynarii* cumprimis erant, tertiam opum partem erogantes. In *precationibus* frequentes, inter precandum dirigentes faciem ad Templum Meccanum. Sic *Meccam* adire, locum viſitare, devotionis ergò & Sacrorum causâ, Arabibus uſitatum. Dæmonas in *Serpentes* credebant transformatos, undè Diabolum *Serpentem* vocabant, quod habuerunt ex traditione Sacrâ. *Arcûs* peritia, & *armorum* illis à teneris amor; undè Impoſtor, qui bello ſtrenuus & intrepidus, hunc fovere, inſpirare, ſua propagaturus vi armorum; & vulgatum ejus dictum, *Deum paupertatem repellere ab eo qui Arcu uti novit.* *Cantionum* ſtudioſi, ſeu domi conſiderent, ſeu Camelos inequitarent; undè conſtitutum Muhammedis, ut pari ratione *Alkoranum* ſuavi modulatione inter equitandum decantarent. *Vino* devotiores abſtinebant, hinc inter Arabum vota fuit, ſe à vino continere. Mactabant primum *Camelæ* pullum, quod & initio ſuæ religionis præcepiſſe Muhammedem ferunt. Inter colores *virorem* reliquis antè ponebant, qualiter & Muhammed; *albedinem* Deo tribuentes, & Regibus, undè Epitheton Dei, *Album faciem habentis*, & Regum appellatio, *Tu es ſcutella alba*, id eſt, victum liberaliter ſuppeditas: Vexillum etiam Muhammedis *album* fuiſſe, tradunt Arabes. *Jurisjurandi* magna Arabibus religio, ut antè dictum; ſecundùm quod in dubiis omnibus judicabant, etiam in cauſa homicidii, quando jusjurandum *aſyli* inſtar fuit, ſervante hanc religionem Muhammede, uti ſuperiora omnia. Quæ ſpeciminis ergò hunc in locum conjeciſſe ſufficiat.

Capita Muhammedaniſmi præcipua.

VII. Capita impiæ religionis quod attinet, Muhammedanorum Dogmata ſunt alia, quæ ipſis *fundamentalia*, alia minùs talia, in *problematicis* habita; Alia *dogmatica*, alia *ritualia*, quæ ad Diſciplinam & Ritus; Alia quæ *negativè*, puta contrà S. Trinitatem, Divinitatem ac Filiationem Chriſti, alia quæ *aſſertivè* tradunt; Alia quæ *Chriſtianorum* fidem ſpectant, alia quæ *Muſulmannorum* vel *Moslaminorum* propria; Alia quæ *principium* ſuæ fidei, Muhammedem & Alkoranum, alia quæ *deducta* indè capita reſpiciunt. Quas ad Claſſes facilè retuleris quicquid de Doctrinâ Muhammedicâ traditur.

Fundamentalia capita Muhammedaniſmi, partim *dogmatica*, partim *practica*, fuêre, 1. Deum eſſe *unicum*, deſtructis Paganorum Idolis; negatâ etiam Perſonarum Trinitate, & accuſatâ Tritheiſmi. 2. Muhammedem eſſe *Dei Legatum*, *Apoſtolum*, *Prophetam*, majorem Moſe & Chriſto, de quo prædixerit ipſe Chriſtus, *Joh.* I. 17. XIV. 16. 3. *Coranum* eſſe divinæ & infallibilis veritatis, ſuprà ſcripta Moſaica, Prophetica, & Apoſtolica, *Librum* κατ' ἐξοχὴν, aſſiduè legendum, præterquàm ab immundis. 4. Deum utpotè magnum & ſummum, ſummâ reverentiâ eſſe *colendum*, *adorandum*; qualem Divini nominis reverentiam Muhammedani ſummam præ ſe ferunt. 5. *Precandum* ſtatis temporibus & horis, ſaltem *quinquies* de die, mane, meridie, nonâ, poſt ſolis occaſum, & à mediâ nocte; præmiſſâ ablutione ſeu purificatione, ad ſingulas precum vices. 6. *Jejunandum* menſe toto *Ramadan*, quo Alkoranum cœlitùs datum fabulantur; qui menſis *nonus* eſt, ipſorum Quadrageſima, cujus caput per omnes anni Juliani menſes vagatur, pro ratione anni Lunaris ipſis obſervati, nullâ intercalatione, de quo in Chronologicis. Porrò jejunium illis *diurnum* tantùm ab Ortu ſolis ad Occaſum, *nocte* tùm in diem vertendâ, dùm interdiu dormiunt. 7. *Eleemoſynas* pauperibus dandas, modò non ex bonis malè partis: Quò ſpectant præcepta charitatis de Decimis, de XL. parte bonorum erogandâ, de abſtinentiâ à fœnore, de operibus miſericordiæ, quæ etiam ad *hoſtes*, imò ad *beſtias* extendunt. 8. Semel in omni vitâ *Meccam* adeundam, religionis ergò, quod tamen à pleriſque non obſervatur; & ſatis putant, ſi aliquem ſuo nomine ad hoc iter delegarint.

Porrò in *Ritibus*, primum poſt iſta locum obtinent; *Ablutiones*, in quibus ſuperſtitioſi ſuprà modum ſunt & frequentes, antè preces, antè ingreſſum Moſchearum, poſt naturæ opera, coitum, & pollutionem quamcunque. *Circumciſio* puerorum jam grandeſcentium, qualis Iſmaëlis illa fuit, anno XII. ſeriùs, dum proferre poſſint verba, quæ impiæ Sectæ Symbolum: *La Illah illallah*, *Muhammed Reſoul Allah*; *Non eſt Deus niſi Deus ille*, *Muhammed Apoſtolus Dei*. *Abſtinentia* etiam à carne porcinâ, ſuffocato, ſanguine, cibis immundis (Judaico more) etiam à vino, illis maximè Sacra.

Dogmata alia.

Dantur & alia impiæ Sectæ dogmata, ab Impoſtore hauſta, partim *aſſertiva*, partim *deſtructiva*. In illis ſunt, ex. gr. Varia de Dei Nominibus, Naturâ, Attributis; de Creatione Mundi; de Providentiâ circà bona & mala, ſeu Prædeſtinatione rerum omnium, undè inevitabilis Fatorum neceſſitas; de Juſtificatione per bona quæ fecerimus opera; de Angelo bono & malo, uniuſcujuſque comite, & teſte; de Statu Animarum, & Angelico examine, non Cœlo recipiendarum antè diem Judicii; de corporum Reſurrectione, & Judicio ultimo; de Paradiſi voluptatibus, deliciis; de Inferni cruciatibus, undè tamen poſt conſummatas iniquitates liberandi ſint, qui habuerint modicum fidei. Saniora ferè ſunt quæ de Dei perfectionibus, Majeſtate, Potentiâ, Providentiâ tradunt; reliqua fabulis & nugamentis conquinata. Quanquàm & Deum facie *viſibilem*, corporeum, finitum, finxit Impoſtor.

De Chriſto, & fide Chriſtianâ aſſertiones.

Adde aſſertiones Muhammedis de *Chriſto*, & *fide Chriſtianâ*, paſſim in Alkorano diſperſas, ac Warnero noſtro in *Compendio Hiſtorico*, ſcripto antequàm in Orientem concederet, aliiſque paſſim, deſcriptas. Nempè faſſus Impoſtor *Jeſum* de Virgine Mariâ conceptum & natum divinâ virtute: Meſſiam fuiſſe, Verbum Dei cœlitùs miſſum, Dei Spiritum, Miraculis Euangelicis clarum, Prophetam Dei, qui Euangelium tradiderit, quod ſit *Lumen & confirmatio Teſtam. Vet.* Qui docuerit ſalutis viam, qui venturus ad Judicium ſit, & deſtructurus Antichriſtum, & converſurus Judæos ad fidem. Sic Chriſtum *prædixiſſe* ſuam mortem & reſurrectionem tertiâ die, uti alia multa prophetaſſe; Ità *Apoſtolis* Chriſti credendum docuit, ut Euangelio Chriſti, ac Legi Moſis, & Prophetis omnibus: Sic de *Chriſtianis* æquiùs quàm de Judæis ſenſit, quos & benignè habuit, undè illud Muhammedis apud Elmacinum, *qui Chriſtianum opprimit, adverſarium eum habebit die judicii; qui Chriſtiano nocet, mihi nocet*, &c. Hæc paſſim in Alkorano diſperſa, *Azoarâ* II. IV. XI. XII. XIII. XXIX. & pluribus aliis. *Teſtamentum* Muhammedis in favorem Chriſtianorum, ſcriptum omninò à Chriſtianis in Oriente, ſuppoſitum eſt.

Cæterùm veritates Euangelicas partim conſpurcavit putidis fabellis, partim deſtruxit. Inter aſſertiones *deſtructivas*, ſunt illæ quibus, ex. gr. negavit *Chriſtum* eſſe cum Patre *Deum*; negavit *S. Trinitatem*; neſcivit *Dei Filium*, inter rationes alias, quod Deus *mulierem non habet*, uti nec *ſocium* in regno; inficiatus etiam Chriſtum verè *Crucifixum*, ſed putativè tantùm, alio in ejus locum ſubſtituto. Ac ſe Chriſto prætulit, qui in extremo die homines miſſurus ſit ad Muhammedem, ut per eum ſalventur. Nec eſt quod ſuperbiant Pontificii, ut quandoque faciunt, agnoviſſe Muhammedem & ſuos, v. gr. diſcrimen peccati *mortalis*, quod nunquam remittatur, & *venialis*; aut agnoviſſe ſpeciem quandam *Purgatorii*, prout tempore exorti Impoſtoris, hæc inter Latinos & Afros opinio firmari cœpit; aut frequentaſſe *orationes*

nes

Digitized by Google

nes pro mortuis, Chriſtianis ab antiquo uſitatas, de quibus *Surat.* XXIX.

Moralia Muhammedis. In *moralibus* plurima ſunt quæ laudis ſpeciem habuerunt. Sic duo dixit maxima mandata, dilectionem *Dei* & *proximi*, præterquam *inimicorum* quos interficiendos docuit; uti Paradiſum promittit, ſi quis interfectus ſit ab inimico, quod & Theophanes obſervat ad an. Heraclii Imp. XXI. Interdixit etiam ſuis *uſu vini*, arcendæ ebrietati; ut & *uſuris*, *aleâ*, *luxu*, *juramentis* temerariis; Severus fuit in *perjuros*, *adulteros*, *homicidas*, *obtrectatores*, *prodigos*, *avaros*, *falſos teſtes*, &c. Magnus idem patientiæ, charitatis, miſericordiæ, beneficentiæ, gratitudinis, honoris in parentes ac ſuperiores, præco, ut & Divinarum laudum. De cætero permiſit *polygamiam*, *divortia*, *concubinatum*, *rapinas*, & quicquid armorum vis ſuadet, ipſe flagitioſiſſimus Impoſtor, & adulter. Hæc toto Corano diſperſa.

De Alkorano obſervata hiſtorica. De *Corano* vel *Alkorano*, القرآن (qualiter Scriptura Hebræis מקרא *mikra*) jus omne Muhammedanorum Sacrum, & Civile complexo, dicto & الفرقان *Alfurcan* Arabibus, (quia Liber *diſcretivus* boni à malo; vel *diſcretis* potius ſententiis ac ſchedis traditus, atque è cœlo miſſus) obvia ſunt ferè ſequentia.

1. Arabum *fabulis* modus nullus eſt: Scil. de Alkorani illius, ut increati Verbi, æternitate; ſcriptione in Cœlo; acceptione per Moſem, & recitatione familiari Davidi Regi; miſſione per Gabrielem in menſe *Ramadan*; præſtantiâ ſuprà omnia ſcripta, firmitudine, infallibilitate, perſpicuitate, ſublimitate, ſanctitate, efficaciâ in legentibus, & legentium præmio; ac quæ ejus generis alia. Imò pro *maximo miraculo* habent, quod nulli Arabum, quatumvis *eloquentiſſimi* & *diſertiſſimi*, (qualibus tum referta eſſet Arabia) *ad imitandum Alkoranum ab Apoſtolo Dei provocati, imò vel unum ſimile Caput componendum*, aſſequi unquàm valuerint, ſi vel maximè mutuam ſibi operam conferrent, ex *Algazali* Epitome Arab. *Sec.* XII. Scriptore.

2. Veriſſimum eſt, *Medinæ* magnam partem confectum eſſe poſt fugam Muhammedis, partem tamen quoque *Meccæ*, poſt eam occupatam, atque ità per partes, ſeu per Capita, vel Schedas, emiſſum fuiſſe Impoſtoris hunc fœtum: Undè inſcribuntur Capita alia *Meccenſia*, alia *Medinenſia*. Toties verò fingebat nequam apparere ſibi Angelum *Gabrielem*, comitialem morbum convertens in totidem *raptus* ſeu ecſtaſes, undè animo & corpore totus contremiſceret. Aliàs mentiebatur, Librum hunc in Cœlo, ex Dei ore, immediatè à ſe acceptum; modò ipſâ Dei manu ſcriptum eſſe; ut ſolitus ſecum ipſo pugnare Impoſtor.

3. Porrò Alkorani apud Muhammedanos tanta veneratio eſt, (uti eorum paſſim Scripta, & facta cotidiana teſtantur, referente pluribus Hottingero, in *Hiſt. Orient.* mihi ſæpiùs *Jacobo Golio*, Viro in his literis principe) ut nullum unquàm Scriptum eloquentiâ, ſapientiâ, ſublimitate, ac perſpicuo dicendi genere, par illi fuiſſe aut futurum eſſe, ſentiant: Ut ſuprà creaturas omnes, proximo poſt Deum loco, extollant: Ut ſummâ cum religione accipiant, nec niſi benè loti & mundi, neque contrectari à Judæo vel Chriſtiano patiantur, luculento rei exemplo apud Hottingerum, *Hiſt. Orient. Lib.* II. pag. 504. Ut inſidere huic Libro capitale ſit piaculum, itidem vendere ſeu Chriſtiano, ſeu Judæo ſit nefas, ſub pœnâ capitis: Ut ſi ejus deſcripta Scheda in terram delapſa ſit, ſummâ eam religione & multis oſculationibus erigant, & aliquâ in parietis rimâ condant, ne conculcetur pedibus, aut polluatur: Ut immediatè à morte rapi in Cœlum arbitrentur, qui aliquoties legendo Librum evolverit: Ut traduci in Linguam exoticam poſſe Turcæ quidem negent; hinc *Perſas*, qui in linguam ſuam transtulerunt, pro Hæreticis habeant. Quibus etiam Paraphraſibus Librum illuſtrent, quot Commentariorum plauſtris declararint, in quas Linguas idem tranſlatus, invitis quidem illis, fuerit, recenſere hoc loco ſuperſedemus. Noſtra certè Leydenſis Bibliotheca, præ Europæis aliis, Arabum Perſarumque in Alkoranum commentationibus, aut ex eo meletematis, luxuriat.

4. Sed & quibus nugis & deliramentis refertus ſit ille Liber, ex. gr. De Deo, Cœlo, Angelis, Dæmonibus; de Adamo quem *adorarint* Angeli, ut *Prophetam Dei*; de Noacho cujus *præconium* deſcribit ad antediluvianos; de Abrahamo Meccæ nato, de quo & Nimrodo, fabuloſiſſima narrant; de Iſaaco quem ſæpè confundunt cum Iſmaële, qui *ſacrificandus Deo* dicitur, Surat. XXXVI. de Moſe, Eliâ, Davide, Saule, Salomone (quem Magum fuiſſe dicunt) Baptiſtâ, Mariâ Virgine, quam ajunt *ſororem Moſis*; de Chriſto; de Templo Meccano; Muhammede ipſo, &c. Quibus idem ſcateat abſurdis, fœditatibus, libidinoſis de uſu mulierum, mendaciis, contradictionibus, additamentis ad Hiſtorias Biblicas, &c. cùm multorum recentiorum Excerpta, & Magdeburgenſium illa *Cent.* VII. C. XV. tùm Alkorani ipſius inſpectio ac lectio docent. Nos & ipſi ſingula aliquando in Indicem redegimus, ex Alkorano ipſo, quæ hujus moduli non ſunt.

Alkorano accedunt Libri Muſulmannis ſacri; ut *Dialogus* Muhammedis cum Abdiâ, ſeu farrago febrilium tùm quæſtionum Abdiæ, tùm reſponſionum Muhammedis: Et Liber *Suna*, de vitâ & geſtis Muhammedis, السنة *Sunna*, qui reſpondet τῷ משנה Judæorum, ut τῷ القرآن מקרא.

VIII. *Media* quibus uſus Muhammedes ad propagationem novæ Religionis, fuère varia. Media propagandæ novæ Impietatis.

Ac primò *tempus* opportunum obſervavit: Seculi quo vivebat inſcitiam; Hæreſium in Oriente (de quibus ſuprà) colluviem; Chriſtianorum diſſidia, per Monothelitas augenda; Bellorum calamitates; Heraclii Imperatoris inceſtus, deſidiam, avaritiam; Quæſtorum, milites ſtipendiis defraudantium, iniquitatem; Arabum ad res novas, & ad prædas exercendas, natum ingenium, craſſamque in Divinis ignorantiam, ac ſuperſtitionem.

Uſus etiam *confuſione*, ut antè obſervatum eſt, variorum cultuum & rituum, partim ex Arabiſmo veteri & Gentiliſmo; partim ex Judaiſmo; partim ex Hæreſibus tunc Chriſtianos diſtrahentibus; hinc & Arabum, Gentilium, Judæorum, & Hæreticorum gratiam aucupatus. Et generali appellatione ſuos nuncupabat مسلمين *moſlemin*, id eſt, fideles, obedientes Deo; etiam المومنين *almumenim* credentes, quorum *Imperator* primus dictus eſt عمر *Homar*. Undè eorum Libri nil crepant niſi *virtutes*, in Lege & Euangelio commendatas; *pietatem*, *humilitatem*, *charitatem*, *patientiam*, *pudicitiam*, *juſtitiam*, *abnegationem cupiditatum*, *contemptum mundi*, *beneficentiam* in pauperes, egenos, *animum* ſua ſorte *contentum*, obſequium in *parentes*, &c. Porrò quæ Muhammedanis *communia* cum Judæis, & Chriſtianis, vide ex Arabibus, apud Hottingerum, *Hiſt. Orient. Lib.* II. C. VI.

Acceſſit vis & terror gladii, collectâ primò affinium, ſociorum, nebulonum multitudine; poſt Meccâ urbe occupatâ; dein Arabiâ omni; tandem Ducibus ſub ſe creatis, legationibus ad Reges & Principes miſſis, noviſque victoriis obtentis, per ſe & Chalifas ſucceſſores. Adeò ut paucorum annorum ſpatio, cumprimis ſub *Homare* ſecundo Chalifa, vi armorum ſubegerint Ægyptum, Palæſtinam, Hieroſolymam, (quam tenuerunt Arabes ab Anno DCXXXVIII. circiter annos CCCLXXII. tùm Turcæ, anno

anno LXXXVIII. uſque ad Godofridum Bulionæum) hinc Damaſcum futuram Sedem Imperii Muhammedici, Phœniciam, Syriam, Meſopotamiam, omneſque Perſarum ditiones, horum Imperio extincto: Sub عثمان *Hothmano* vel *Oſmano* quarto Chalifâ, ſubacta Armenia, Cappadocia, Cyprus, Rhodus, & divitis Africæ oræ maritimæ. Sub معوية *Moavia*, poſt interfectum علي *Ali* generum Muhammedis, & *Haſanum* filium, Chalifâ quinto, aliis VII. Duce ſtrenuo & expertiſſimo terrâ marique, vaſtatæ Thracia, Græcia, *Conſtantinopolis* obſeſſâ, multa fortiter geſta, & *Liber Alkorani* qualis deinceps habitus, Damaſci Moaviæ juſſu adornatus; ad id Doctoribus delectis, qui colligerent Schedas Muhammedis diſperſas, & ſeligerent quæ optima viderentur, inter magna ſuorum diſſidia. Dein ſub *Iſazidi* filii Moaviæ Chalifatu, ab Anno DCLXXXII. tum illo *Abd-alla*, præcipuè autem *Abd-almalechi*, fortiſſimi Chalifæ, qui XXI. annos circiter præfuit, uſque ad annum Hegiræ labentem LXXXVI. Chriſti DCCVII. Tripolis, Carthago, & cæteræ per Africam Provinciæ, ipſæ Mauritaniæ, adjectæ ſunt vaſtiſſimo Imperio: Quod in Aſiâ complexum Arabias, Syriam, Meſopotamiam, Perſiam, Armeniam, in Ciliciam uſque armis promotis, præter Ægyptum, Africam, & Inſulas Maris Mediterr. opulentiſſimas. Ità non mirum promotas vi armorum ac propagatas fuiſſe res Muhammedanorum, & cum iis Sectam.

Nec parùm etiam profuit, ars altera alliciendi ad ſe blandimentis, deliniendique verbis & factis; ut & conceſſa in ſpeciem Religionis ac conſcientiarum unicuique libertas, ut Corani *Capite* II. quod inſcribitur *Vacca*, & variis alibi locis. Undè ſecuta ſpontanea ad Muhammediſmum plurimorum defectio: Quò fecit carnalium voluptatum & Polygamiæ permiſſio, eorundem & in futuro Seculo promiſſio, omniumque illorum quibus ſenſus afficiuntur. Unde *Paradiſi* & *Domicilii æternitatis*, mira deſcriptio; ubi flumina vini, lactis, & mellis, excellentes formâ & mundicie mulieres, hortùs Edenis ſpatioſiſſimus, convivia; permanens voluptas, & quæ alia carni & ſenſibus grata; ut Alkorani *Surat.* II. IV. XIII. XV. XVI. &c. & paſſim illius Interpetes.

Miracula quæ jactent Arabes.

Miracula propriè non jactavit Impoſtor, quæ paſſim neceſſaria eſſe negavit ea flagitantibus. Fatetur ipſe in Alkorano, ſe nec *ſuſcitare mortuos*, nec *ſurdis dare auditum*, *cæcis viſum*, &c. Non enim ſe *Apoſtolum Dei* miſſum ad facienda miracula, ſed ad prædicandum; Miracula, ſine Deo cooperante, ad fidem non inducere, nec fidem ob viſa miracula animæ quicquam prodeſſe. Finxit tamen ipſe multa *portenta* & *miracula*, & raptus Meccâ Hieroſolymam, hinc in Cœlos; quorum nemo, niſi ipſe, teſtis: Quin noctu contigiſſe illa, v. gr. quando cum Angelo Gabriele jumento vectus in Cœlum *primum*, *ſecundum*, &c. uſque in *ſeptimum* Cœlum, quorum puerilis ibi deſcriptio eſt, & Angelici miniſterii, *Surat.* XXIII. & aliis. Sic nota quæ à ſectatoribus finguntur miracula, vocant المعجزات *Al-Moogezat*, ſigna quæ Prophetam diſtinguunt. Qualia ſunt, *Luna fiſſura*, quum Koreiſchitæ Meccenſes ſignum ab eo peterent: *Arborum* ei obviam euntium proceſſus, quum à Muhammede vocarentur: *Lapidum* quin & *Arborum* ſalutatio ei exhibita, السلام عليك يا رسول الله *Pax ſuper te, ô Apoſtole Dei*: *Aqua inter ipſius digitos* ſcaturiens, quâ ſitim exercitûs & jumentorum reſtinxit, & lotiones ſuas peregit: Ingens *turba*, puta LXXX. *hominum*, quatuor menſuris hordei, & hœdo uno, ſaturata; imò *Exercitus* totus paucis dactylis refectus: *Cameli* ad eum facta querimonia, quod ſerviret duram ſervitutem: *Ovis aſſa* emiſſæ voces, quam veneno infectam ipſi appoſuerat Judæa mulier, jamque deguſtaverat Muhammed; *Cave ne me comedas, veneno enim infectus* eſt armus, cujus fruſtulum jam acceperat. Et ſi quæ ejus farinæ plura. Sic & notæ *fraudes* in perſuadendis Angelicis revelationibus; inter quas ferunt, *Columbam albam* aſſuefactam grana ex aure ejus legere, quo Spiritum S. ſe alloquentem prætexebat. Sic uſum *Bove* eſſe, mediâ eum in turbâ quæſituro, chartis (ex quibus conflatus Alkoranus eſt) inter cornua ejus alligatis; undè Bovem & Vaccam magni faciunt Arabes. Addunt de *antro* Sergii, ex quo furtim Pſeudomonachus reſponſa Muhammedi ſuggereret, concertatione inter hos factâ, & Columbam quam diximus emitteret. Sed, (referente Marmolio ex Arabibus) malè mulctatus ille Sergius, dùm antrum in quo latitabat, juſſit cautè Muhammed, aggeſtâ terrâ & lapidibus, de improviſo occludi, ut Marmolius P. III. Hiſt. Cheriforum *Cap.* LXXI. Ibidem refert, injunxiſſe clam Muhammedem Opifici cuidam, parari ſibi *pugionem* & ad ſe deferri; quum tamen expreſsè anteà interdictum fuiſſet ab Impoſtore, ne quis armatus ad Preces, ad Sacra, ad Prophetam accederet. Hinc concionato ad populum Muhammede, & eminùs conſpicato ad ſe accedentem hunc Opificem, exclamarit ſubitò; eſſe qui *ferrum ſecum geſtaret*: Negantibus auditoribus, miſit aliquem qui Opifici illi obviam iret, cum mandato eum ferro illo ipſo occidendi, quod ſecum geſtare deprehenderetur.

Succeſſus Muhammediſmi.

Opportuna quoque illi fuit *diſputationum* omnium de Religione proſcriptio, ſub capitis pœnâ, præterquàm ſi *armis* certaretur, Alkorani *Cap.* V. Quibus artibus tandem effecit, ut infrà *centeſimum* annum ab Hegirâ, ſeu Æræ Muhammedanæ Capite, Chalifæ Muhammedis Succeſſores, vaſtatricibus Saracenorum armis, occuparint totam *Africam* ab Ægypto ad Oceanum uſque Atlanticum, hinc totam fermè *Aſiam* ad extrema Perſidis loca, tandem *Hiſpanias* univerſas, freto Gaditano tranſmiſſo, & Gotthis profligatis, ab A. C. DCCXVI. Adi Leunclavium præ cæteris, *Lib.* I. Hiſt. Muſulmannæ, & Marmolium Hiſpanum in Africâ ſuâ, *Parte* I. *Lib.* II. & *Parte* III. in Hiſt. Cheriforum, C. LXXIV. &c. Cauſas *conſervantes* Muhammediſmi, habes apud Clariſſ. Hottingerum Diſſert. inſertâ Hiſtoriæ Orientali, *Lib.* II. C. VI.

Muhammedis exceſſus. Schiſmata inſecuta.

IX. Nec tacenda Schiſmata mox inter Muhammedis ſectatores oborta. Quorum omnium *antecedaneum* fuit, obitus Muhammedis, ex morbo ſeu febriculâ ſenſim invaleſcente; qui incidit ſecundùm Arabes in annum XI. Hegiræ, ſeu fugæ Muhammedis, Chriſti DCXXXII. Heraclii Imperatoris XXI. ætatis Muhammedis, ut ajunt, LXIII. alii LXV. in Urbe *Medinâ*, quæ illi locus refugii fuerat, in quâ ſepultus Muhammed, non (ut alii) Meccæ, & ex iis Baronius. Hinc illa مدينة النبي *Medinat-al-nabbi*, decem ſtationibus juxta Geographum Nubienſ. ſeu IV. dierum itinere, diſtans ad ſeptentrionem, ab urbe Meccâ, palmetis conſita. Porrò omnium conſenſione, & obiiſſe eodem die, eodemque menſe, quo natus eſt, ex Arabibus monet Scaliger, *Lib.* II. *de Emend. T.* Quod in Platone, Alexandro M. Attalo Rege, Cn. Pompejo, Julio Cæſare, aliis benè multis, ſic in Papis nonnullis, apud Platinam, obſervatum eſt. Inciderunt ergò natales τοῦ πλάνου in A. Chr. circiter DLXIX. vel DLXX. nam in eo variant Arabes. Mortem verò diſſimularunt ad tempus *Omar*, & aſſeclæ, negantes Prophetam mortuum, ſed exaltatum vel ſublatum ad exemplum *Jeſu*. Undè erupiſſe Omarem in has voces, refert Iſmaël Abulfeda, in Geograph. ex iſto Pocockius *Notis* ad Abulfaraium, p. 179. *Dixit Omar, ſi quis dixerit mortuum eſſe Muhammedem, illum ego gladio hoc meo perimam, ſiquidem ſublatus eſt in* cæ-

cœlum, *eo modo quo ſublatus eſt Jeſus*: Vel ut refert Alſannabius; *Abiit*, *ſicut abiit Moſes Amrami filius*, *qui abſuit à populo ſuo* XL. *dies*, *deinde reverſus eſt ad eos*. De ciſtâ ferreâ, & *ſuſpenſo in aëre* ſublimique feretro Muhammedis, vi *Magnetum*, quod ex Laonico Chacocondylâ, aliiſque, referunt Chriſtiani, fabuloſum eſt, ridentibus Muhammedanis; ut idem Pocockio in *Notis* ad Hiſt. Orient. aliiſque Eruditis, obſervatum eſt.

Schiſmatum hiſtoria.

X. *Schiſmatum* porrò inter Muhammedis ſectatores non una cauſa fuit, nec origo una.

Prima *cauſa* fuit, controverſia de jure ſucceſſionis in Principatu; cùm ſucceſſorem moriens deſignaſſet *Ali* generum ſuum, orbus maſculâ prole: Soceri autem ejus *Abubeker*, *Omar*, & *Othman*, jus ſucceſſionis ſibi primò vindicarunt, qui & primi Chalifarum fuerunt antè *Ali*. Tandem occiſo *Othmano*, manu Muhammedis filii Abubekeri, quum ageret annum LXXXII. creatus eſt eâ ipsâ die خليفة *Chalifa*, ſeu *Succeſſor* ἐξ'χως, gener Muhammedis علي *Ali*, qui فاطمة *Phatemah*, filiam ejus unicam, uxorem duxerat. De quo *Ali* mira fabulantur hujus ſectatores, quos inter eminent Perſæ, & qui in Ægypto *Phatimæi* appellati; ut plura etiam miracula illi adſcribant quàm Muhammedi: Imò non mortuum eſſe, ſed vivere *non procul à Deo*, & converſurum populos ad ſectam Ali, Equo illi parato in urbe *Cuphæ*, in quâ *Al-Haſan* filius ejus Succeſſor proclamatus; ſed mox à *Muaviâ* vel *Moaviâ* tollendus, qui Chalifatum per XIX. ferè annos tenuit. De quibus prolixè Hiſtorici memorati. Fuêre autem hi *quatuor* individui Muhammedis comites, & factionis ſub ipſo Duces.

Et his ſublatis novæ continuò de ſucceſſione diſcordiæ: Suffecto iſti Ali hujus filio (ut diximus) *Haſano*, *Haſcen*; tùm *Muaviâ*, qui caput familiæ *Ommaïdarum*, *Damaſco* Imperii Sede. Chalifarum hiſtoriam accuratè perſequitur, ex Arabum illis, quos inter Georgius Elmacinus ab Erpenio editus, Chronicon Orientale Latinè donatum ab Abrah. Ecchellenſi, tùm dictus Marmolius in *Africâ* ſuâ, Leunclavius in *Hiſt. Muſulmannorum*, Pocockius in *Abulfaraium*, ut taceam Forbeſium, & reliquos. Ac quamvis inter ſe diviſi, commune omnibus manſit *Muſulmannorum* nomen, quo in Alkorano ſectatores veniunt, ſeu مسلمين *Moſlemin*, id eſt, credentes, fideles, πιστοί. De aliis eorum nominibus prolixè Hottingerus, *Hiſt. Orient.* L. I. C. I. Pocockius, Forbeſius, & alii antè nominati.

Incrementum Schiſmatis fuit, dùm hi *Ali* & hujus poſteros, tanquàm legitimos *Chalifas* & ſucceſſores Muhammedis, habuêre; à quo & *Ali* etiam verus cultus fuerit inſtitutus: Alii contrà, Ali pro uſurpatore, & infideli habuerunt, prout de ſucceſſione lis, ipſum inter & Moaviam, interceſſit. Qui Ali ſecuti, dicti الشيعة *Alſchij*, quos inter celebris fuit ex Ali poſteris *Muhammed* ابن الحنفية *filius Hanifa*, mortuus A. Hegiræ LXXXI. id eſt, Chriſti DCC. ut G. Elmacinus Saracenicæ *Hiſt.* L. I. p. 65. Quem adhuc vivere in Monte quodam, indè rediturum, ut terram repleat juſtitiâ; undè alii ad reditum prioris *Muhammedis* id retulerunt. Inter ſectatores Ali ſunt *Perſæ*, & qui cum Perſis de religione ſentiunt, indè ab *Iſmaële Sophi*, vel Schiah Sophi, ſummo Legis Antiſtite, ex poſteris itidem Ali & Phatimæ; quem in Urbe Mediæ *Ardebil*, ut Prophetam Dei primùm receperunt, & Regem, latè victorem adversùs Turcas, circà A. MD. haud alienum à Chriſtianis, ut fusè Marmolius, Afr. *Parte* I. p. 420. &c. Hinc *Sophini* صوفي ab Arab. voce صوف quæ *lanam* deſignat, quià illis *laneum* & vile Capitis tegumentum. Sed iſtos omnes habent *Saraceni*, *Ægyptii*, *Turcæ*, *Indi* Mogolenſes, pro Hæreticis vel الخوارج *Chawarigis* quos vocant, ſeu *deſectoribus*, *rebellibus*. Illi dictum *Ali* æquare Muhammedi, imò propemodum *Deo* ipſi, hujus autem Soceros abominari; hi verò contrà: Cumprimis mox, ſub finem vitæ Sociorum Muhammedis, diſſenſiones natæ circà originem & interpretationem *Alkorani*, variè primo editi poſt obitum Muhammedis: Partimque circà dogmatica, ſeu *radices* ut Arabes vocant, vel fundamentalia religionis, quæ ad Theologiam, partim circà *legalia*, *ritualia*, ſeu *ramos*, vel quæ ad ſcientiam Juris, pertinent.

Capita diſſenſionum inter Muhammedanos.

Diſſenſiones de *Radicibus*, ſpectant Deum ejuſque Attributa; Dei Verbum Chriſtum; Decretum bonorum malorumque; Prophetiam, Antiſtitis munus, & Alkoranum ipſum, puta creatum an increatum, &c. apud *Abul-Farajum* de Moribus Arab. editum Pocockio, & quos citat Arabas alios in *Notis pag.* 194. Et hæ natæ ſunt Controverſiæ, & Sectæ, ſucceſſu temporis, poſt introductam in Scholas *Theologiæ* & *Philoſophiæ* uſum, hinc diſputandi licentiam, primò Muhammediſmi Seculo ignotam, ut ex Al-Shareſtanio, Aliazalio, & aliis notis Arabum Scriptoribus, conſtat. De *Ramis* controverſiæ inter ipſos ortæ dicuntur, quæ ſunt v. gr. de licito & illicito; de ſenſu & interpretatione Alkorani; de variis quæ ad *preces*, *jejunia*, *lotiones*, cauſas *forenſes* ſeu judicia legalia. Acceſſit divortium Turcarum Perſarumque, v. gr. ob *tegumentum Capitis*, quod vile & *laneum* Perſæ, indè ab Iſmaële *Sophi*, undè creditur nomen; Turcæ verò *lineum*, multis ſpiris diſtinctum geſtant, quod *Tulipantum* vocant. Sed & mira inter ipſos *Doctores Turcicos* diſſidia, pluribus apud Pocockium *Notis* in Aubulfar. de Origine & Morib. Arabum, & apud Hottingerum de variis Muhammedanorum ſententiis, Schiſmatibus, & Hæreſibus, *Hiſt. Orient.* L. II. C. VII. ut alios mittam.

Porrò *Sectas* in univerſum referunt LXXII. vel LXXIII. eaſque præcipuas, quæ Muhammedanos inter ſe dividunt. Quanquàm aliàs V. Sectas præcipuas numerant, quæ iterum in innumeras ſcinduntur. Iterum has alii tantum de *Ali* ſectatoribus, qui eum pro vero Chalifâ & Antiſtite, ac ſucceſſore Muhammedis, habent, alii in genere de ſectatoribus Sectæ *Muhammedicæ*. Cæterùm teſte Marmolio, *Africa* P. I. *pag.* 422. *unam* tantum ex iis putant, in quâ verâ ſalus ſit, & via ad Paradiſum, reliquas ducere in exitium & in Infernum. Undè intelligitur, quo jure ſua Chriſtianis diſſidia exprobrent Muhammedani.

Hoc verò quod Muhammedanis omnibus Sacrum eſt *Alkoranum*, refert Ricoldus, Arabs Chriſtianus, qui in Oriente vixit, in ſuis contrà *Sectam Muhammedicam*, (quæ è Græco verſa, ſunt edita Pariſiis A. MDXI. & dein Venetiis) fuiſſe diu poſt exceſſum Muhammedis in hanc formam compoſitum: Combuſtis tùm videlicet prioribus Alkoranis, variè à ſucceſſoribus productis, cumprimis ab *Abubekere* & *Ali*. Et ſuas ſinguli Sectas vt propagarent, uſos iiſdem artibus eſſe, quibus *Monachi* Pontificii, jactatione Miraculorum, ſpecie Sanctitatis vitæ, & auſteritatis, jejuniorum, &c. pluribus Hottingerus noſter, *Hiſt. Orient.* L. II. C. VI. Ubi inter ſe confert *Notas* Eccleſiæ Pontificiæ, & Muhammedanæ; & alibi edidit *Parallelismum* inter religionem Arabum & Socinianorum, in diſputatione Heidelbergenſi, quum V. Clariſſimo Collegâ tunc uterer; quam tamen haberi tunc prohibuit privatâ admonitione Sereniſſ. Elector Carolus Ludovicus. Quod retorſionis tantùm vice ſit, ſi quando Pontificii Reformatis *Turciſmum* objiciunt.

VIII. *Hæreſes hoc Seculo Eccleſiam turbantes. Præcipuè autem Monothelitica.*

Priorum Seculorum Hæreſes.

I. Adflixerunt hac etiamnùm Ætate Eccleſiam Hæreſes ſuperiores, ut *Arianorum* illa inter Longobardos, ex Paulo Diacono; *Pelagianorum* in Britanniâ, Scotiâ, ex Bedâ *Hiſt*. L. II. C. XIX. multis etiam in Galliâ reliquiis; *Neſtorianorum*, *Severitarum*, *Jacobitarum*, *Acephalorum*, *Agnoëtarum*, &c. paſſim toto Oriente: De quibus prolixè ſuprà, & diſtinctè de ſingulis Nicephorus, *Lib*. XVIII. à *Cap*. XLVII. quoad Hæreſes Orientis, nec dicta reponimus. Cedrenus Chronici *Compendii Tom*. I. ſub Imperio Conſtantis Conſtantini F. Heraclii Nepotis, memorat reliquias *Manichaa* Hæreſ. Nempè in *Conſtantino* quodam, aliàs Silvano, *Pauliciana* Sectæ principe, id eſt, Manichææ, cujus ibi deſcribit fœda & erronea: Inter alia pro *Baptiſmo* habuiſſe verba Euangelii, quibus Chriſtus ſe *aquam vivam* dixiſſet: Et *pag*. 434. 435. quantum ad *Euchariſtiam*, Chriſtum juſſiſſe Apoſtolos *accipere*, *edere*, & *bibere* (ad communionem ſui Corporis & Sanguinis) *non panem & vinum*, ſed τὰ ῥήματα αὐτοῦ *verba ſua*; quemadmodùm *Euangelium adorarent*, ὅτι λόγοι τοῦ Χριστοῦ εἰσὶ *quod Chriſti verba ſint*. De reliquiis Manichæorum, quorum error capitalis fuit, de *duobus Principiis* contrariis & coæternis, altero Boni altero Mali auctore, (ut fusè *Sec*. II. in Hæreſi Cerdonis, & *Sec*. III. in Hæreſi Manichæorum) erit adhuc infrà dicendi occaſio.

Hæreſis Monothelitarum.

II. Cumprimis verò hoc Seculum exercuit, in Oriente juxtà & Occidente, nova Hæreſis exorta, propago & eadem Eutychiani erroris, dicta Hæreſis *Monothelitarum*. Quæ tenuibus orta principiis, veluti flamma ex non apparentibus quibuſdam ſcintillis, latè eruptura fuit in grave incendium, toti penè Eccleſiæ luctuoſum. De hac Tomi Conciliorum V. VI. *Edit*. noviſſimæ, Maximus Confeſſor Dialogo cum Pyrrho, & Collatione cum Theodoro Cæſareæ Bithyn. Joh. Damaſcenus de Duabus in Chriſto Voluntat. & Libris de Orthodoxâ Fide, Theophanes Hiſtoricus, Hiſtoria Miſcella, Anaſtaſii Bibl. Collectanea à Jac. Sirmondo edita, tùm Cedrenus, Zonaras, Urſpergenſis, ex his alii. In noſtris omnium inſtar eſto Joh. Forbeſius, Inſtructionum *Theol. Hiſt. Lib*. V. quem Librum totum impendit huic Hæreſi deſcribendæ, omnibuſque iis quæ circà *Honorium* Papam, & Synodum *Sextam*, acciderunt. Undè compendium mihi laboris fuerit; pauca hæc modò, ob ſeriem Sacræ Hiſtoriæ, & Baronii quædam quæ ſpongiâ indigent, indicaturo.

1. Igitur Hæreſeôs *auctores*, fautoreſque primi, fuêre, *Cyrus* Phaſidis primò Lazicæ Prov. dein Alexandr. Epiſcopus, & cum eo *Theodorus* Epiſc. Pharan, ex Cedreno; tùm *Sergius* Epiſc. Conſtantinopolitanus, ejuſque ſucceſſores *Pyrrhus*, *Paulus*, *Petrus*. *Tempus* verò natæ hæreſeôs, ſub Heraclio Imperatore Orientis, fuit Annus circiter DCXXX. Heraclii XX. Certè tùm in nervum erupit, antè latens inter *Monophyſitas*, qui hoc ipſo Monothelitæ fuerunt.

2. *Dogma* ipſum fuit: *Unam* tantùm in Chriſto eſſe *Voluntatem*, *& unam Operationem*, θεανδρικὴν nempè *Deivirilem*, ſeu Deitatis Chriſti ut cauſæ agentis principalis, quæ per Humanitatem & Carnem ut inſtrumentum, operaretur: Verbis tamen aſſerentes contrà Eutychianos, *duas* in Chriſto eſſe *Naturas*, re tollentes ipſâ. Ac principio hanc quæſtionem ſeponendam eſſe cauſabantur: Et ſatis eſſe, ſi diceretur; *Unum eundemque Filium Dei unigenitum, operari divina & humana*, & *omnem operationem Deo congruam & Homini, ex uno eodemque Dei Verbo Incarnato indiviſè & inconfuſè procedere*. Quo præciſa fuiſſent multa litigia.

3. *Occaſio* dogmatis hæc memoratur: Scilicet colloquium Heraclii Imperat. ex bello Perſico reducis, A. DCXXIX. habitum geminum: Primò in Armeniâ cum *Paulo* Hæreſeôs Severianæ acerrimo propugnatore, in quo, inter alia, mentionem fecit μιᾶς ἐνεργείας Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ *unius operationis Chriſti veri Dei*, referente Sergio Conſtantinopolit. ad Honorium Papam, T. VI. *Concil. col*. 919. Secundò, congreſſus ſeu Edeſſæ, ſeu Hierapoli in Syriâ, cum *Athanaſio* quodam Jacobitarum Catholico ſive Patriarcha. Huic cùm Patriarchatum Antiochenum polliceretur Imperator, ſiquidem Chalcedonenſe Concilium reciperet, ſcrupulus fortè injectus eſt, de *unâ* tantùm *voluntate* & *operatione* in Chriſto. Super quo conſultus Cyrus Alexandrinus, tùm & Sergius Conſtantinopolit. aſſeruerunt *unam* tantùm in Chriſto voluntatem eſſe, unamque operationem, haud difficulter aſſentiente Heraclio qui Sergio multum detulit. Prolixè iſta ex Theophane anno Heraclii XX. & ex Cedreno, ac reliquis, Forbeſius noſter *Lib*. V. C. I. Sed & Annalium Scriptor, ad An. DCXXIX.

Occaſio natæ Hæreſ.

Baronius notat.

Nec tamen Baronius intrà Hiſtorici fines, more ſuo, ſeſe continet. Nam 1. *Heraclium* Imp. antè controverſiam hanc Monotheliticam, & aſſenſum Sergio ac Cyro præbitum, deſcribit ut feliciſſimum, fortiſſimum, bellicoſiſſimum, piiſſimumque Principem. Sic ille in ipſo hujus Hiſtoriæ Monotheliticæ exordio, ad An. DCXXVIII. DCXXIX. Cumprimis ubi, adversùs Perſas profecturus, *Imaginem Chriſti*, θεότευκτον illam, in manus ſumpſit Heraclius, eamque veneratus eſt, totique Exercitui venerandam exhibuit, victoriæ certum pignus, hinc à *juſtitiâ*, & *pietate* cœlo tollendus, ad DCXXI. N. I. *& ſeq*. Qui tamen Heraclius, Phocæ Imperatoris parricida, jam antè inceſtis cum Martinâ nepte ſeſe nuptiis polluiſſet, idemque ignaviæ & ſtupiditatis non ſemel poſtulandus Baronio. 2. Ex hoc uno, (reliquis Heraclii delictis flagitiiſque diſſimulatis) derivat omnem calamitatem cùm Heraclii, antè *properâ fortunâ* uſi, tùm Orientis univerſi: Primò, quod *oblitus ſe eſſe hominem Laicum*, *velut ſi Epiſcopus eſſet*, *diſputare cœpit de dogmatibus Eccleſiaſticis*; nempè Athanaſium inducendo ad fidem Chalcedonenſem, & Sergium Conſtantinopolit. (non Romanum Epiſcopum) de injecto ſcrupulo, circà Chriſti *voluntates*, conſulendo, ad Ann. DCXXVIII. N. V. Deindè, *quod ſe immiſcuiſſet* Princeps Eccleſiaſtico negotio, ubi ſcil. de dogmate agebatur, quod *ſuo ſemper damno fecerint Principes*, *pluribus exemplis in Juſtiniano: Satis verò Principi ad ſalutem*, *ut obortas de fide quæſtiones deferat ad Primam Sedem* (Romanam) *à quâ Controverſia dirimantur. Cujus arbitrio & univerſale Concilium congregetur*, &c. ad A. DCXXIX. N. XII. Tandem, quod quamprimùm *à Catholicâ fide defecit*, *& ipſe receſſit pariter ab eo Deus*, *in ejus vindictam hoſtibus hærens*, A. eod. N. II. Et eò collimant Baroniana omnia: Sed reliqua locis ſuis ſubnotamus.

Honorius Monothelita.

III. *Fautores* Hæreſeôs fuêre, non ipſe modò in initio *Heraclius* Imperator, imprudens magis, quam impius hac parte, putans ſic conciliari poſſe Severianos Chalcedonenſi Synodo; ſed quod magis eſt, *Honorius* I. Papa Romanus, aſſenſum præbens Sergio & Cyro Patriarchis. Docet Honorii *reſcriptum* utrumque ad Sergium, in quo *unam voluntatem* aſſerit, *duas* ſeu *operationes* ſeu *voluntates* dici vetat; & Sophronium Hieroſolymitanum, Monotheliſmo ſe opponentem, damnat, in *Actione* XII. & XIII. Synodi VI. Tom. VI. Concil. *col*. 928. 968. Nec elabitur Baronius, cum ſuis, ad An. DCXXXIII. N. XXVI.

Baronius notat.

XXVI. affirmando, contrà verba Honorii, aſſeruiſſe hunc, *unum* in Chriſto *volentem* & *operantem*, id eſt, unam perſonam, ſed manentibus *voluntatibus diſtinctis*; quod non dixit Honorius, imò dixit oppoſitum. Minùs effugit, obelo configendo tanquàm ſpuria, aut falſata, (v. gr. pro *unâ* voluntate, aſſeruiſſe *novam voluntatem*) omnia illa documenta hujus Ævi, in quibus *Honorius* Sergio, Paulo, & Pyrrho jungitur tanquàm Monothelita, uti in *Actis* Synodi Lateranenſ. ſub Martino I. A. DCXLIX. in Actis Synodi VI. Univerſalis, in *Epiſt.* Leonis II. ad Conſtantinum Imperat. in *Vitâ* ejuſdem Leonis apud Anaſtaſium, &c. Quibus offuciis occurrit prolixè Forbeſius noſter, *Lib.* V. *Cap.* XI. & ſequentibus. Quemadmodùm & *Cap.* XXV. occurrit inſtantiæ Baronianæ, ad A. DCXLV. quæ & Binii, & reliquorum, ex editâ primùm à Turriano (quæ latuerat) Diſputatione *Maximi* Abbatis cum *Pyrrho* Patr. Conſtantinopolitano; in quâ *Honorium* defendit ab errore Maximus, nempè ex interpretatione illius ipſius *Secretarii* qui Epiſtolam nomine Honorii ſcripſerat, & adhuc tùm ſuperſtes erat. De quo & infrà.

Nova ex Sirmondo exceptio, in favorem Honorii.

Sed & nova, poſt Baronium, prodiit Exceptio: Ex *Collectaneis* ſcil. Anaſtaſii Bibliothecarii, quæ edidit primùm Jac. Sirmondus An. DCXX. In quibus tùm *Anaſtaſii* Epiſtola eſt, ad Johannem Diaconum; tùm alia *Johannis* IV. Papæ ad Conſtantinum Imperatorem; tùm denique *Maximi* illæ ad Marinum Presbyterum, & Petrum Illuſtrem, in quibus Honorii Apologiam ſuſcipiunt, verbaque ejuſdem ad Sergium interpretantur: Nempè negaſſe in Chriſto Honorium *duas voluntates contrarias*, quales ſunt in nobis, ſcil. *carnis* voluntas, *&* *mentis*, de quibus Paulus *Rom.* VII. 15. 16. 17. *Gal.* V. 17. *Eph.* II. 3. &c. Et ſæpè de eâ Pugnâ rationis ſeu mentis, & appetitûs rationi adverſantis, Philoſophi Platonici, Stoici, Galenus de Dogmate Hippocratis & Platon. L. V. &c. Hinc Honorium aſſeruiſſe *unam voluntatem*, ſcil. Humanitatis, qualem habuit ſecundum primam Adæ formationem, in ſtatu Naturæ integræ: Oppoſitè ad duas illas pugnanteſque voluntates, quales nos nunc habere dignoſcimur, poſtquàm *peccatum* introiit in mundum, & *caro* adversùs Spiritum rebellavit. At longè potiori jure ſunt hæc ipſa νοθεύσεως ſuſpecta, quàm quæ adversùs Honorium militant. Cur enim hanc pro Honorio apologiam ad Conſtantinum Imperat. filium Heraclii, ſiluiſſet ipſe Anaſtaſius, in Vitâ *Johannis* IV? Cur idem in Vitâ *Leonis* II. *Honorium*, cum Cyro, Sergio, & reliquis, *condemnatum* dixit in Synodo VI? Cur in eadem Synodo, *Agathone* Papâ, omnium ſuffragio damnatus fuit Honorius, & pro tali deinceps conſtantiſſimè inter Latinos habitus? Quàm etiam aliena hæc interpretatio à *ſtatu quæſtionis*, perſpicuo ex Sergii *Epiſt.* & Ἐκθέσει Heraclii! Quando ut antè de *duabus Naturis*, poſt incarnationem, ſic jam de *duabus Operationibus*, hinc *Voluntatibus*, quærebatur, ſcil. illâ Verbi ſeu Divinitatis, & alterâ Humanitatis Chriſti; minimè de unâ vel duabus voluntatibus ſolius Humanitatis.

Ἔκθεσις Heraclii.

IV. Igitur mox, impulſu *Sergii* Conſtantinopolitani, & auſpiciis Heraclii Imperatoris, promulgata Ἔκθεσις ſeu *Expoſitio Fidei*, in quâ, reliquis omnibus Hæreſibus damnatis, fidem in ſpecie Chalcedonenſis Synodi quoad rem ipſam aſſerunt, ac confitentur. Nempè ἐκ δύο φύσεων ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱὸν, ἕνα Κύριον, ἓν πρόσωπον, μίαν ὑπόστασιν σύνθετον, &c. & factam illam unionem ineffabilem, ἀσυγχύτως, ut ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι τὸν ἕνα Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, γνωρίζεσθαι ὁμολογῶμεν, &c. Ita nominatim anathematizant *Sabellium*, *Arium*, *Eunomium*, *Macedonium*, *Apollinarium*, *Origenem*, &c. *Neſtorium*, *Eutychem*, *Dioſcorum*, *Severum*, & *Scripta Theodoriti contrà Epheſinam Synodum*, &c. Tamen prohibent docere μίαν ἢ δύο ἐνεργείας *unam vel duas operationes*, benè, ἕνα τὸν αὐτὸν υἱὸν ...... ἐνεργῆσαι τάτε θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα, καὶ πᾶσαν θεοπρεπῆ καὶ ἀνθρωποπαθῆ ἐνέργειαν, ἐξ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ σεσαρκωμένου Θεοῦ Λόγου, ἀδιαιρέτως καὶ ἀσυγχύτως προϊέναι, *Unum eundemque Filium ...... operari divina & humana, & omnem Deo & Homini congruam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo, indiviſè & inconfuſè procedere.* Ità in ſpeciem Orthodoxi videbantur. Addunt, nolle ſe dicere duas *operationes*, aut *duas voluntates*, ne inducerent repugnantiam moralem voluntatum in Chriſto; Deo quidem Verbo *volente* ſalutiferam Paſſionem explere, ſed factam Incarnationem ſeu Naturam Humanam ἀντιπίπτειν καὶ ἐναντιουμένην Divinæ ejus *Voluntati*, quod *alienum putabant à Chriſtiano dogmate.* Prætexebant adhæc, ſe adhærere Conciliis Oecumenicis & Orthodoxis Patribus. Et præſtitiſſet fortè illam Ἔκθεσιν Heraclii benignius eſſe interpretatos, dein & *Typum* Concordiæ Conſtantis Imperatoris, quàm ſtatim in *anathemata* Romæ erumpere, ut factum à Johanne IV. dein Theodoro, & Martino I. in Conc. Lateranenſi A. DCXLIX. tandem ſub Agathone in Concilio Romano, A. DCLXXX. quod præceſſit Concilium Oecumenicum VI. de quibus poſteà. Ipſe Baronius ad A. DCXXXIII. N. III. *Res viſa eſt ſpeciem præ ſe ferens pietatis & charitatis, ſi (ut dicebatur) abſque detrimento Catholicæ fidei, voces interdum tacerentur* (quales *duarum* in Chriſto *voluntatum & operationum*) *quibus diſcordiæ nutrirentur.* Et *Num.* VIII. *Cæterum qui rem bonâ fide agi putarunt, hoc ipſo exordio emergentis Hæreſeôs Monothelitarum, utcunque toleranda hæc exiſtimarunt, eâ ex parte, quâ unam operationem referre ipſi viderentur ad unam Perſonam operantem. Nam ſalvas proprietates duarum Naturarum in Chriſto eoſdem eſſe voluiſſe, ipſi profeſſi ſunt, & qui interfuerunt* VI. *Synodo declararunt, cum duas Naturas aſſeruerunt in Chriſto unitas (ut Catholici docent) inconfuſè & indiviſè, inconvertibiliter & immutabiliter.* Addit, non aliam reipsâ fuiſſe *Sophronii* Hieroſolymitani ſententiam in *Epiſtolâ Synodali ad Honorium ſive Sergium* (Sergio fuit inſcripta, ut extat in *Concil.* T. VI. *Actione* XI. Concilii VI.) in quâ, *æquè & ipſe ſecundùm unam perſonam in Chriſto, unum dicendum eſſe operantem, cùm non duo ſint Chriſti ſed unus; neque diviſè operabantur propria, ut diviſionem eam ſuſpicemur, neque duos Chriſtos aut Filios qui operantur glorificamus,* &c. addente pluribus ibi Sophronio. *Sed & vocem* θεανδρικῆς *Deivirilis operationis æquè ipſe identidem profitetur*, ut addit Baronius. Porrò Ἔκθεσιν Heraclii *Sergius* Conſtantinopolit. & tres ejus ſucceſſores, *Pyrrhus*, *Paulus*, *&* *Petrus*, tum *Cyrus* Alex. Patriarcha, & *Macarius* Antiochenus, aliique ſuo ſuffragio muniverunt. Ἔκθεσιν hanc habes in Actis Synodi Lateranenſis, ſub Martino I. An. DCXLIX. eaque Græcè nuper primùm prodiit, Tomo VI. Concil. Edit. Labbeanæ, *col.* 196. Ἡ Ἔκθεσις Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως, &c.

Baronii ingenuæ voces.

Adverſarii Hæreſeôs.

V. *Adverſarii* autem Hæreſeôs mox apparuêre, primò quidem *Sophronius* Epiſcop. Hieroſolymit. ſuffectus Modeſto A. DCXXXIII. Conſtantinopolim etiam ad Sergium hoc nomine profectus, ut eſt in Epiſt. Honorii ad eundem Sergium; *quod denique ad veſtram Fraternitatem Sophronius veniens*, T. VI. Conc. *col.* 928. A quo quidem Sergio bonis verbis, pacis obtentu, deluſus fuiſſe dicitur. Deinde adverſatus naſcenti Monotheliſmo, *Johannes* IV. Epiſc. Romanus, convocatâ Romæ Synodo, Ann. DCXL. & damnatâ Ἐκθέσει. Similiter *Theodorus*, *Martinus*, & ſucceſſores, ut pluribus infrà. Epiſcopi etiam *Africani*, ſedente Theodoro Romæ Epiſc. ut patet ex Epiſt. Conciliorum trium Africanæ Dioceſ.

ceſ. Numidiæ, Byzacenæ, & Mauritaniæ, in *Tomo* VI. Conc. col. 128.

Typus Conſtantis.

Conſtans verò Imp. Heraclii ex Conſtantino filio nepos, favens Monothelitis, ſuaſu Pauli Conſtantinopolitani, *Typum* edidit, An. DCXLVIII. in quo approbatis V. Synodis Oecumenicis, diſputationem omnem prohiberet *de duabus vel unâ Voluntate.* Oppoſuerunt ſeſe vehementer, *Theodorus* Romanus ſucceſſor Johannis; poſt hunc *Martinus* Romanus itidem Epiſcopus, habitis Synodis, & damnato Typo. Ac *Typum* eundem habes, Græcè & Latinè, in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *Seſſ.* VI. Edit. Noviſſimæ *Tomo* VI. *col.* 231. Nec certè aliud *Typus* ille præ ſe tulit, quàm quod pridem Honorius, ex hujus *Epiſtolis*; nempè amputandas eſſe has quæſtionum ambages, ac *ſilentium* imponendum eſſe litigantibus de *unâ* vel *duabus* Operationibus, ac Voluntatibus.

Baronius notat.

Quod cùm animadverteret Annalium Scriptor, ad A. DCXLVIII. N. VIII. IX. Nempè *videri planè idem judicandum de Honorii Epiſtolis, atque de Typo Conſtantis Imperatoris*; ab utroque nempè *parti utrique ſilentium indictum fuiſſe*, reſpondet. 1. Diverſam fuiſſe rationem temporis, ac ſilentium ab Honorio quidem præſcriptum, quando *inciperet* controverſia ventilari, & *anceps* adhuc eſſet diſputatio; A Martino verò idem ſilentium improbatum, quando nefas *non profiteri quod ſciretur omninò eſſe Catholicum, nec damnare quod certò conſtaret Hæreticum eſſe.* 2. Sub Typo *latuiſſe fallaciam*, nempè Hæreſim *Manichæorum*, ſcil. *utramque* Naturam Chriſti fuiſſe *ſine voluntate & operatione*, explicante itâ Martino Papâ. Et *prior* quidem exceptio, tempora ſcil. eſſe diſtinguenda, Baronio familiaris eſt; quemadmodùm anteà in *Vigilio* Papâ, modò damnante, modò approbante tria Capitula, ſuprà ad *Sec.* VI. *col.* 1123. Aſt Honorii Papæ, & Typi, quem modò damnarunt Theodorus & Martinus, rationes indicti ſilentii eædem: Nempè ſilentium ipſum hac de quæſtione tùm Scripturæ, tùm priorum Conciliorum Univerſalium; ad hæc pacis ſtudium, flammæ contentionum extinctio, charitatis obtentus; reverà utriuſque vel in *Monotheliſmum*, vel potiùs in *Monothelitas* favor. Necdùm etiam ulla Synodi Univerſalis deciſio, de *una* vel *duabus Voluntatibus*, præceſſerat, quando ſilentium hac de Controv. Typus Conſtantis injunxit. Nam XXX. & ampliùs poſt Typum annis, habita Synodus Conſtantinopolitana VI. Oecumenica; Romæ autem in contraria iverant illinc Honorius, hinc ſucceſſores Johannes IV. Theodorus, &c. *Poſterior* exceptio, de Typi fallaciâ, ejuſque ſententiâ *Manichaicâ*, non nititur Typi verbis, ſed Martini interpretamento: Quum diſertè Typus confirmet *traditiones Sanctorum* V. *Univerſalium Conciliorum*; adeoque ſanctiones Synodi Epheſinæ & Chalcedonenſis, de duabus in Chriſto *Naturis.* Accedit *Paulum* Conſtantinopolitanum, in *Epiſt.* ad Theodorum Papam, eodem tempore cum Typo tranſmiſſâ, & inſertâ Actioni IV. Concilii Lateranenſis, ſub Martino, *col.* 221. T. VI. non modò iiſdem verbis ſententiam ſuam expreſſiſſe cum Honorio, ut conferenti patet; ſed etiam diſertè urgere *conſonantiam Sergii & Honorii*; Nihil pro *Honorii* defenſione, contrà Pauli accuſationem, reponente eâ Synodo Lateranenſi, ut liquet ex Actis.

Quæ Typum conſecuta. Martinus in Exil. miſſus.

VI. Igitur reluctantem Typo *Martinum* Romanum, quum iſte in Italiâ per Exarchum, juſſu Principis, promulgandus eſſet; adeò *ut præſens bellum, adversùs Imperatorem ipſum, potiſſimùm videri poſſet ab eo eſſe ſuſceptum*, fatente Baronio, ad An. DCXLIX. N. XLVI. coërcendum eſſe eum Pontificem, cenſuit Imperator. Undè paulo poſt idem *Martinus*, cum *Maximo* Abbate, adverſario etiam Hæreſeôs, Conſtantinopolim abducitur ad Conſtantem Imper. pellendus dein Cherſonam in exilium, in quo & periit, Maximo etiam ab eodem relegato, & miſerè habito, undè *Confeſſor* dicendus à Latinis. Et uterque *Sanctorum* Catalogo inſerendi poſteà, atque à mirificâ virtute, poſt mortem in Reliquiis ſe exerente, efferendi fuêrunt. Tandem & damnata Hæreſis in in Synodo VI. Conſtantinopolitanâ, de quâ dicendum proximo *Capite.*

De Anaſtaſii Collect. judicium.

Porrò habentur inter *Collectanea Anaſtaſii* Bibliothecarii, quæ edidit Jac. Sirmondus, ſeu è Græco (quod deſideratur) tranſlata, ſeu edita primùm ab eodem Anaſtaſio, varia quæ ad hanc cauſam faciunt. Ut ſunt, *Exilium Martini* Papæ & Martyris, Græcè in Oriente conſcriptum, & Latinè verſum, emendatumque ab Anaſtaſio; cum hiſtoriâ eorum quæ *Martinus Conſtantinopoli paſſus* dicitur: *Epiſtolæ* attributæ Martino Papæ, in exilio ſcriptæ; ut Johanni IV. pro cauſâ Honorii, de quâ jam ſuprà; & Theodoro Papæ Synodica adversùs Ordinationem Pauli Conſtantinop. qui Pyrrho ſucceſſerat: *Epiſtola Maximi* Abbatis, inprimis apologeticæ ſunt pro Honorio Papâ, uti ad Marinum Presbyterum, in quâ *unam Voluntatem* Honorii in Epiſt. ad Sergium, interpretatur cum oppoſitione ad *Voluntatem* divinæ voluntati *adverſam*, voluntatem *carnalem*, quæ fuiſſet *in carne & membris Chriſti*, cogitationes quæ *cum culpa* conjunctæ, *legem quæ in membris* eſt, *motum voluntatis contrarium*, *vel ſine ratione*, ut pluribus in dictâ Epiſt. Sic in illâ ad Thalaſſium Abbatem, in quâ defendit Honorium, uti illa ad Petrum Illuſtrem, vocat eum aliquoties, *magnum*, *pietate eminentem*, &c. Quod planè fuit ἀπροσδιόνυσον, neque unquàm controverſum, an eſſent in Chriſto duæ Voluntates, altera *divina*, altera *carnalis*, vitioſa, adverſa divinæ voluntati. Undè conjicere licet, Epiſtolas haſce poſt Maximi, & Honorii, & Johannis IV. tempora, uno & altero poſt Seculo, eſſe confictas ſub iſtorum nominibus; ad purgandum ab Hæreſeôs labe Honorium Papam, & abſtergendam à Romanâ Eccleſiâ hanc maculam. Nec inſolita hæc fraus Romæ Papalis Hyperaſpiſtis. Quin ipſe Anaſtaſius, Epiſtolâ Collectan. præfixâ ad Joh. Diaconum, fatetur in *Sexta S. Synodo, Honorio quaſi Hæretico anathema dictum.* Et in Pontificali, ac Vitâ Leonis II. *In quâ* Synodo VI. *condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius*, &c. Quod tandem antè Anaſtaſium Beda, Libro de VI. Mundi Ætat. *Macarius, cum ſuis ſequacibus ſimul & prædeceſſoribus, Cyro, Sergio, Honorio*, &c. *anathematizati.* Hinc ſuccurrit Romæ opportuna diſtinctio, probata Stapletono Jeſ. & ὁμοψήφοις, nihil periculi *eſſe, ſi tanquam Doctor privatus, quomodò habuit ſcribendo ad Sergium, ſuo ipſius nomine, nec alio conſcio quàm Amanuenſi*, nullo ſcil. conſilio Fratrum, *errare potuerit, ac falſum reſcribere.* Ità culpam rejiciunt in *Scribam* vel *Amanuenſem* Honorii, qui *ex perſonâ Honorii compoſuit*, potiùs quàm in Honorium ipſum. Quo certè imprudentiæ & oſcitantiæ notam non effugerit Roman. Pontifex; quod *rem tanti momenti*, & in quâ de fide, ac de pace Eccleſiarum ageretur, Scribæ ſuo crediderit. Præterquam quod iſte Vir probatus & doctus habitus fuit, nempè *Joannes Abbas*, ut Maximus habet. Sed ſuccurrit aliud effugium, rectè Honorium à Synodo VI. *condemnatum*, (de quo *Cap.* ſequenti) rectè à Johanne IV. & S. Maximo *abſolutum*; planè ut Dionyſius Alexandrinus, (de quo ſuprà *col.* 749. 779.) ab Athanaſio liberatus fuit ab omni ſiniſtrâ ſuſpicione; à Baſilio verò infamatus, ceu Arianorum & Anomœorum anteſignanus, certè difficulter, ut aliis excuſandus. Nempè non admiſiſſe Honorium contrarias voluntates in Chriſto θεανθρώπῳ, voluntatem ſcil. qualis in nobis eſt ex primi parentis prævaricatione; & hoc quidem quod alienum à quæſito fuit, nec τὸ ζητούμενον, reſpondiſſe ſcribam Honorii. Et

ita

ita quoque Fr. Combefiſius diſquiſitione de Cauſâ Honorii, *Cap.* III. Quæ reverà frigida ſunt & inſulſa, ut patet ex jam dictis, & dicendis ad Concilium Sextum.

IX. *Concilia habita hoc Seculo, Generalia, & Particularia. In ſpecie Hiſtoria Concilii* VI. *& Quini-Sextæ Synodi.*

Hiſtoria Concilii Conſtantinopol. VI.

Generalia hoc Seculo Concilia duo celebrata, quorum prius fuit Oecumenicum VI. ſeu *Conſtantinopolitanum* III. alterum vulgò *Quini-Sextum*. Et prioris quidem, cujus Acta in Tomis Conciliorum, *Tomo* VI. Edit. Labbeanæ, *col.* 681. ſummaria hiſtoria huc redit.

I. *Tempus*, fuit Annus Chr. DCLXXX. & DCLXXXI. ſub Conſtantino Pogonato Imp. filio Conſtantis, pronepote Heraclii, à VII. Eidus Novembris, uſque ad Septembrem anni ſequentis. Præceſſerant verò motus Monothelitici per *Cyrum* & *Sergium*, quibus conſenſerat Honorius; hine per *Pyrrhum* in Africam relegandum, quod Conſtantinum veneno ſuſtuliſſet, convertendum ibi à Maximo, tum per *Paulum* ſucceſſorem, hinc *Petrum*, & ſi Baronio credimus, *Thomam* Petro in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ ſuffectum, quem aliàs Catholicum Acta teſtantur, ſed hinc *corrupta* Baronio. Acceſſerant Monothelitis omnium primus Theodorus Pharanitanæ Eccleſiæ Epiſc. qui Cyrum Alex. & Sergium Conſtantinopolitan. dicitur primò infeciſſe, *Conc.* T. VI. *col.* 101. tùm Macarius Antiochenus, & alii, ac tandem *Theodorus* Conſtantinop.

Convocator Concilii Conſtantinus.

II. *Auctor* coacti Concilii, idem fuit Conſtantinus Imper. ſecus ac deceſſores alienus à Monothelitis, ut in *Actis* ejuſdem profitentur Synodi Patres. Cauſa movens fuit, ſtudium pacis, & deſiderium comprimendi civiles motus, & cognata Eccleſiæ bella. Et quum cogendæ Synodo ſe opponerent *Theodorus* Conſtantinopolitanus, Monothelitarum fautor, obtentu quod Romanus Pontifex repudiaret Conſtantinopolitanorum Synodicas; qui & Paparum nomina, Sedem occupantium poſt Honorium, è Diptychis ſuſtulerat; hinc eo moto *Georgium* ſuffecit Imperator, circà A. DCLXXVIII. qui & Synodo VI. ſubſcripſit: Quo mortuo reſtitutus idem Theodorus, ſimulatâ cum Synodo conſenſione, A. DCLXXXII. ex Nicephori Conſtantinopolit. Chronograph. & aliis. Porrò convocatam à Conſtantino Synodum Oecumenicam fuiſſe, nullâ *auctoritate* præviâ Romani Pontificis, ut ſupponunt Gnathones, docent *Divales Sacræ* Conſtantini ad Donum, cui Agatho ſucceſſit, & ad Georgium Conſtantinopolit. ac Patriarchas reliquos, ut in Actis Syn. VI. *col.* 594. &c. Ac ipſe Anaſtaſius in Vitâ Agathonis, cum *ſuſcepiſſe Divalem juſſionem Conſtantini, Heraclii & Tiberii*, ut teſtes alios ſileam. Atque obſervatione dignum eſt; 1. Conſtantinum in *Sacrâ* ad Donum miſſâ, qui tùm adhuc in vivis, vocare Romam *ſuam* Urbem, contrà fabulam Donationis Conſtantini M. *Dono Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ*; quem Οἰκουμενικὸν Πάπαν dixit, ad exemplum Georgii Conſtantinop. quem inſcribit Οἰκουμενικὸν Πατριάρχην. 2. Convocaſſe Synodum ex aliorum Imperatorum more, ab eo indicendam ipſi Romano Pontif. qui tum Donus, tanquam cujus eſſet Imperium in Urbe Româ. 3. Monere Papam, ut & cæteros Patriarchas, ut dirigerent viros utiles, modeſtos, qui contentione omni depoſitâ veritati conſulerent, & recordarentur illius voces. *Quicunque voluerit omnium primus eſſe*, ſit *omnium famulus*, *Matth.* XXIII. Et alterius, *In hoc cognoſcent omnes vos eſſe meos diſcipulos, ſi dilectionem habueritis ad invicem*, *Joh.* XIII. 4. Præſcribere etiam Papæ Romano *numerum* mittendorum, ut *tres perſonæ ſufficiant*, ex Eccleſiâ Romanâ, niſi vellet *plures*; ex totâ verò Diœceſi, ut XII. *Metropolitæ & Epiſcopi* dirigerentur. 5. Significare, quod *Vitalianus* Papa æquè ac *Honorius* relati eſſent ambo in Diptychas Orientis; ſed Georgium Conſtantinop. & Macarium Antioch. velle *Vitaliani* nomen eraſum; quod argumento fuit, favere Georgium & Macarium *Honorio* Monothelitæ, non Vitaliano. Quamvis *Georgius* in Synodo ipſa errorem Monotheliticum repudiarit. Et hac Sacrâ Conſtantini acceptâ, Agatho qui Dono ſucceſſerat, continuo convocavit Romæ Synodum, A. DCLXXX. in quâ Legatio Conſtantinopolim ad Synodum decreta fuit.

Membra Synodi. Locus. Præſides.

III. Convenerunt igitur, ad juſſionem Conſtantini, condicto tempore, illinc quatuor Legati *Agathonis*, ac Romanæ *Synodi* nomine tres Epiſcopi, cum *Epiſt.* Synodicâ; & *Ravennatenſis* Archiepiſcopi nomine, Theodorus Presbyter: Hinc quatuor *Patriarchæ* Orientis, Georgius Conſtantinopolit. Petrus Alexandrinus, Macarius Antiochenus, & qui Hieroſolymitani locum adimpleret, Georgius alter. Vulgò adfuiſſe Epiſcopos CCLXXXIX. memorant, quanquàm numero haud ità certo. Adeò verò ſterilis ingeniorum & eruditorum Italia fuit, & Orbis Occiduus, per Monachorum inertiam, & ſuperſtitiones, ut laboraret Agatho penuriâ Theologorum quos ad Synodum mitteret: Et ex ultimâ Britanniâ, miſſis legatis, *Theodorum* Cantuarienſem in hunc finem evocaret, ſed ſemet excuſantem occupationum obtentu, ut ipſe Baronius, ad Ann. DCLXXX. N. II. & Literæ Agathonis docent, inſertæ *Actioni* IV. in principio & fine Lit. *col.* 681. 685.

Locus Concilii fuit, Urbs regia Conſtantinopolis, præſentiam ſuam commodaturo Principe; & in Urbe locus Palatii, dictus τροῦλλος, τροῦλλον, τροῦλλα, *Trullum* à fornice vel arcu, ſeu formâ concamerationis tecti, Sacellum cameratum, in quo σεκρέτον ſeu *Secretarium* Principis; undè Synodus in Trullo.

Præſes ipſe, ut ex *Actione* I. Synodi, Conſtantinus Imperator; *Præſidente eodem piiſſimo & Chriſto dilecto magno Imperatore Conſtantino*, &c. Uti Synodus *ſecundùm Imperialem ſanctionem congregata fuiſſe* dicitur. Cui à latere fuerunt Patricii & Conſules; abſente Principe *præſidentes* & *audientes*, *ex perſonâ ipſius*: A dextrâ conſederunt Georgius Conſtantinopol. & Patriarchæ reliqui; à ſiniſtrâ Legati Agathonis, & Latinorum, quibus *prima* ſubſcriptionis honos datus eſt, pro ordine inter Patriarchas recepto. Non profectò quaſi ſoli *præfuerint* VI. Synodo, ut nugatur Natal. Alexander. Sec. VI. *Diſſert.* I. *Quæſt.* II.

Acta & Decreta. Synodi.

IV. *Decreta* porrò Concilii quod attinet, nugantur Baronius, Allatius, reliqui, qui perſuaſum vellent, definita omnia fuiſſe ex *præſcripto* Agathonis, & Synodi Romanæ ab eo antè coactæ: Ipſo Imperatore hortante, dogmatis de Chriſti *Voluntate*, *& Operatione*, ἀκριβῆ ζήτησιν γενέσθαι *diligentiſſimam* in Synodo *inquiſitionem fieri*, etiam poſt miſſos Romanæ Sedis legatos; & quidem ex Dei Verbo, & præcedentibus Conciliis: Quod & factum.

Igitur in Synodo *Sextâ*, poſt varias collationes, poſt lecta priorum Conciliorum Acta, lectaſque literas Agathonis; poſt auditos Macarium Antiochenum & ſocios Monothelitas; poſt expenſa teſtimonia Patrum, & Sophronii Hieroſolymitani Epiſtolam ad Sergium; poſt lecta etiam reſcripta Sergii & Honorii Monothelitica, ut & Cyri, ac Theodori Pharanitæ; poſt Acta etiam Concilii V. integritati ſuæ reſtituta, quæ Monothelitæ falſaverant; poſt exploſum etiam ab omnibus Polychronium Monachum, miraculo ſcil. ſuſcitati mortui confirmaturum Hæreſin Monotheliticam; tandem, *Actionem*

ne XVII. & XVIII. & in communem ſententiam itum eſt, ac 1. Definita Orthodoxa fides, ex *Symbolis* Nicæno & Conſtantinopolitano, & probatæ quinque priores Synodi Oecumenicæ, ἐν ἅπασιν *in omnibus*, nempè ut erant immutilatæ, ἀκαινοτόμητα θεσπίσματα. 2. Damnata Hæreſis *Monothelitarum*, & duæ in Chriſto Voluntates aſſertæ, pro numero Naturarum; *Duas naturales Voluntates in eo, & duas naturales Operationes* ἀδιαιρέτως, ἀμερίστως, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, *ſecundùm Sanctorum Patrum Doctrinam prædicamus, nec contrarias illas, abſit!* &c. 3. *Honorius*, γενόμενος Πάπας τῆς Πρεσβυτέρας Ῥώμης, una cum reliquis Monothelitis, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Cyro Alex. Macario Antiocheno, &c. anathematizatus, *Act.* XVIII. Quod ipſum anathema, nominatim Honorii, confirmarunt, non modò Synodus Quini-Sexta, Nicæna ſecunda, Imperatores Conſtantinus, Juſtinianus, &c. ſed & Honorii ſucceſſores. Eos inter ſtatim *Leo* II. Papa Romanus, Agathonis ſucceſſor, ſcriptis Epiſtolis ad Conſtantinum Imperatorem, & ad Hiſpaniarum Præſules.

Honorius damnatus cum reliquis.

Baronius confutatus.

V. Quas Epiſtolas Baronius cum ſuis pronunciat *ſpurias*, & meram *impoſturam*, ad A.C. DCLXXXIII. N. XIII. *& ſeq.* alii verò *corruptas* eſſe clamitant: Precariò omnia, ut pluribus quoque, poſt alios, nuper Cabaſſutius Pontificius, contrà Annalium Scriptor. in Hiſt. *Synodi* VI. *Oecumenicæ*, Paragr. 9. Et pari iſtud jure quo Purpuratus contendit, ad A. DCLXXXII. *Num.* III. & paſſim, *Acta* Synodi VI. fuiſſe pro arbitrio *Theodori* Conſtantinopolitani, *Hæretici bis impii, mutata*, inſerto ſcil. per fraudem nomine *Honorii*, in eadem cum Theodoro Pharanitâ, Sergio, Pyrrho, Paulo, &c. ſerie. Quod effugium, Binio cæteriſque laudatum, ut eſt à noſtris prolixè diſcuſſum, nominatim Forbeſio, Inſtructionum *Theolog. Hiſt. Lib.* V. C. XVIII. & *ſequent.* ità eſt à cordatioribus Latinorum exploſum, Combefiſio, Richerio, aliiſque, etiam Lud. Maimburgio *de Eccl. Rom.* C. XII. Natali Alex. *Tomo* V. *Diſſert.* II. & ſimilibus. Adeò repugnat illud commentum Baronii & ſequacium; 1. Conſenſui Codicum à primâ Antiquitate, Græcorum Latinorumque, qui & *relicti* & ſubſcripti ad præſentiam Imperatoris, ut videri poteſt in *Actis* Conc. VI. *Actione* XVIII. 2. Ipſis Codicibus allatis Romam per Legatos Agathonis, *in quibus nomen Honorii inter damnatos Hæreticos*, faſſo Baronio ad A. DCLXXXIII. N. II. Vide Combefiſium *Hiſt.* Monothelitiſmi, pro Actis VI. Synodi, C. III. Richerium T. I. Concil. Generalium, ubi producit literas *Honorii*, & Canonicè examinat, ac meritò Honorium inter Monothelitas damnatum cenſet, *Cap.* XII. N. XV. 3. Repugnat ipſi rationi, ſcil. tantâ ſupinitate paſſuros ſcil. fuiſſe Agathonis Legatos, & Romam ejus temporis, ſibi imponi, recente rei memoriâ! 4. Repugnat aſſenſui *Leonis* II. *Epiſt.* ad Conſtantinum Imperat. *Concil.* T. VI. *col.* 1109. dein in aliis ejuſdem Leonis *Epiſtolis* ad Hiſpanos. 5. Ita etiam aſſenſui ſuccedentium Pontificum, à quibus anathema illud Honorii confirmatum; ſimul cum ſecutâ Syn. VI. & Decretis Leonis II. Inter quos fuit *Johannes* V. unus ex Legatis Agathonis in Synodo VI. ſucceſſor Benedicti II. 6. Adverſum id Synodo quæ in *Trullo* dicitur, ſub Juſtiniano II. *Can.* I. & Synodo VII. quæ fuit *Nicæna* ſecunda, etiam Synodo VIII. in quibus idem *Honorii anathema* ſuppoſitum, approbatum, ut Acta docent. 7. Item ſuffragio Bedæ in Vitâ Conſtantini, Libro *de ſex Ætatibus*, *Cap.* LXVII. uti Anaſtaſii Bibliothecarii in Vitâ *Leonis* II. Cedreni *in Compendio* Hiſt. Photii in *Bibliothecâ*, Adonis in *Chronico*, &c. 8. Veteri quoque *Breviario Romano*, in quo *Lectione* II. Officii, in Vigiliâ Pauli & Petri, hujus condemnationis hiſtoria expreſſa, per Pontifices olim repeti ſolitæ in die *Conſecrationis*; cujus extat formula in *Diurno Rom. Eccleſiæ*, è Codice Vaticano. 9. Plurimorum tandem in ipſis Adverſariis conſenſui, quos inter, poſt *Melch. Canum* contrà Pighium, & priores alios, Galli ut plurimùm, Infallibilitatis Pontificiæ neſcii, ac prolixè nuper dictus Cabaſſutius Aquiſextienſis, in *Hiſt.* VI. Synodi, *pag.* 294. *Quidam nullo veteri ſcripto ſubnixi affirmant, & contendunt in hujus Synodi pluſquàm* XII. *locis, pro* Theodoro *fraudulenter obliterato à Græcis, Latinorum æmulis, fuiſſe ſuppoſitum* Honorii *nomen*; *Sed fatendum eſt illam de falſo inſcriptionem nullo Exemplari antiquo, nullo veteri, de hac prætenſâ falſitate, niti teſtimonio.* Ne dicam Launoium, Richerium, Combefiſium, & noviſſimè Maimburgium, Nat. Alexandrum, &c. Sed in promptu his exceptio eſt, Honorium erraſſe ut Doctorem privatum, non ut Pontificem pronunciantem ex *Cathedrâ, ad Scripturam, & Traditionem ab ipſis* ſcil. *Apoſtolorum temporibus, in Rom. Eccleſiâ, ſervatam incorruptam.* Pronunciavit tamen ut Patriarcha Occidentis, conſultus à Sergio Conſt. in cauſâ Fidei, & quæ ad totam Eccleſiam attineret, contrà Concilia Oecum. priora; ſiquidem ſtatuebat Honorius, quemadmodum Natura Humana Chriſti ſubſiſteret in *uno ſuppoſito* ſeu *unâ Perſonâ*, ſic fieri potuiſſe ut utriuſque Naturæ eſſet *unica Voluntas*, ſicut *unica Perſona*.

Baronius rurſum notatus.

VI. Ac de VI. Synodo priuſquàm claudimus, advertenda ejuſdem Baronii mala fides, ad A. DCLXXXI. *Num.* XLVIII. Nempè ex miſſis Romam Epiſcopis, qui damnati in Synodo fuerant, colligit eos *Romanum Pontificem appellaſſe*; ex appellatione colligit *ſuſpenſum* fuiſſe Synodi *judicium*; & hinc infert Oecumenicam Romani poteſtatem. Atqui 1. Anaſtaſius, in Vitâ Agathonis, expreſſis verbis *truſos in exilium*, ut legunt Codices, vel *in exilio in Romanam directos eſſe Civitatem.* Nec dicat Baronius, *Romam* nunquàm fuiſſe locum exilii; nam mox immemor ſui, ad A. DCXCII. N. VIII. fatetur Callinicum *Romam in exilium miſſum.* 2. Idem executionem ſententiæ definitivæ, à Synodo tùm latæ, mox proceſſiſſe dicit, exauctoratione Macarii Antiocheni, ſurrogatione Stephani, deletione Nominum è Diptychis, &c. 3. Diſertè Conſtantinus *Epiſt.* ad Leonem II. ſe ſententiam Concilii *ſuis Edictis ſanciviſſe*, ut ratam, immotam; quod & Edictum Imperat. docet, mox à Synodo promulgatum; pœnâ ſancitâ *deportationis*, & *proſcriptionis*, in omnes, cujuſcunque dignitatis, *Conſtitutionem ſuam non recepturos.* 4. *Romam* præterea directos fuiſſe liquet, ut contenditur de *Macario Antiocheno*, Romæ *probationi Sanctiſſimi Papæ tradito*, ex Epiſtolâ Conſtantini ad Leonem II. Agathonis ſucceſſorem; quanquàm hac *ſuſpectæ fidei*, ut Richerius Doctor Sorbon. de *Concil.* Tomo I. C. XII. §. XXIII. Nempè quod ſupplicibus *precibus* id ab Imperatore contendiſſent, ut eò potiùs quàm aliò deportarentur, ità ſcribente Imperatore ad Leonem, *col.* 1101. *Concil.* T. VI. Ut etiam *paterno judicio* Leonis, (non certè auctoritati, reviſioni) *cauſâ eorum permiſſâ*, ut addit Conſtantinus; cùm ipſe Leo coràm intelligeret, ſententiæ in illos æquitatem, tùm ad ſaniorem eos mentem revocare allaboraret. 5. Accedit, in *Act.* XVI. & in *Epiſt.* Synodi ad Agathonem, diſertè Patres declarare; ſe ità *definiviſſe*, ſe Hæreticos *anathematiſmis interfeciſſe*, ſe *edidiſſe omnis erroris expertem, certamque, nec fallentem definitionem, vivifici Spiritûs ope.*

VII. Nihilo plus præſidii Cardinali in verbis Synodi, quibus petunt ab Agathone Patres, ut fidem à ſe definitam *iterùm per honorabilia ſua reſcripta confirmaret.* Unde, inquit ille, *petunt à Romano Pontifice confirmari quæ in eâdem Synodo fuerant conſtituta*, ad Ann. DCLXXXI. N. XLIX? Utique, ut adderet aſſen- Iterùm.

Digitized by Google

aſſenſum, approbaret, confirmaret ſubſcriptionem ſuorum Legatorum; pro veteri conſuetudine mittendi *Acta Synodalia* ad abſentes primæ notæ Epiſcopos, Romanum, Alexandrinum, reliquos, ſic ad Eccleſias diſſitas, fraternæ conſenſionis ergò, ut aliàs obſervatum. Et ipſe Annalium Scriptor, ad A. DCLXXXIII. N. XXV. agens de Actis hujus ipſius Synodi VI. Oecumenicæ: *Conſultum fuit ut ea per Eccleſias ad Epiſcopos mitterentur*, *ut* confirmatio *rerum in Oecumenico conventu geſtarum fieret.* Et Toletani Patres, in Synodo XIV. A. DCLXXXIV. in *Canone* II. teſtantur Leonem II. à ſe per literas petiiſſe, ut *prædicta Synodalia inſtituta quæ miſerat*, *ſuâ etiam* (Hiſpanorum) *manerent auctoritate ſuffulta.* Ac Leonis ipſas in hanc rem literas ad Hiſpanos Epiſcopos, ad Ervigium Regem, habes *Conc. Tomo* VI. col. 1246. *& ſeq.* Quas etiam Baronius, quia *Honorii* damnati meminerunt, vellet ſuppoſitionis arguere; nodum ità nullâ ratione ſecando.

Obſervata quædam in Latinos, ex hac Synodo.

VIII. Porrò retorqueri in Baronium & Gnathones, ex hujus Synodi Hiſtoriâ, non pauca poſſunt. Siquidem 1. Ex ſuperioribus ratum eſt, Synodum hanc nec *indixiſſe* Romanum, nec in eâ *præſediſſe*; licet jus primi ſuffragii, ac primæ ſubſcriptionis, datum Legatis Agathonis fuerit. 2. Promulgatam hanc Synodum fuiſſe, ac ſancitam auctoritate Principis, antè *confirmationem* vel aſſenſum Romani. 3. *Honorium* Papam in eâdem anathemati ſubjectum, hæreſeôs nomine; cujus lapſum Doctiſſimi Pontificiorum conferunt cum illo Marcellini, & Liberii. De quo viderint Infallibilitatis Pontificiæ aſſertores. 4. Papas hoc Seculo ab Imperatoribus accepiſſe *mandata*, *juſſiones*, quas *ſtudioſâ obedientiâ* eorum *famulatus impleret*, ſeu eorum *humilitas*, *exiguitas*, *ſuppliciter deprecantes*, *flexo mentis poplite*, *genu*, &c. ex Epiſt. Agathonis ad Conſtantinum, de quâ ſuprà. Undè Gloſſa ad Anaſtaſium, in Agathone: *Olim jubebat Imperator Papæ*, *nec optabat ſibi juberi.* 5. Legatos Romani, ingreſſos locum Concilii, cum reliquis Patriarchis & Epiſcopis, *pronos adoraſſe* Imperatorem, ex *Act.* I. 6. Pari tituli honore ornatum Conſtantinopolitanum fuiſſe, quo Romanus, ex literis Conſtantini Imperat. ad utrumque, præmiſſis in *Parte* I. Hiſtoriæ Synodi VI. & ex *Actione* ejuſdem I. Uterque μακαριώτατος Ἀρχιεπίσκοπος, alter Veteris Romæ, alter Conſtantinopoleôs, uterque Οἰκουμενικὸς, ille Πάπας more Occidentalium, & Alexandrini, hic Πατριάρχης. 7. Imò ipſum Imperatorem & nomine & re ſe geſſiſſe *Pontificem*, ut obſervat Gloſſa ad Anaſtaſium, in dicto Agathone. Imperator (inquit) vocabatur *Pontifex*; jubebat fieri *Concilia generalia*; cognoſcebat & ordinabat *de diſcordiis Clericorum in Eccleſiâ Romanâ*; *audiebat cauſas* cum Patriarchis in Conciliis; *deponebat Romanum Pontificem*, &c. 8. Etiam Agathonem Papam in Literis, quibus continebatur Inſtructio Legatorum, inſertis *Actioni* IV. *col.* 677. ſubſcribere hac formulâ: *Agatho Epiſcopus S. Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ* NB. *Urbis Romæ.* Quo ipſo docet Patriarchales omnes Eccleſias appellari conſuetas *Apoſtolicas*; unde ad diſtinctionem illarum adjecit Agatho, Eccleſiæ *Urbis Romæ.* 9. Ità *octo* Epiſcopos Italiæ qui in eâ Synodo poſt Agathonem ſubſcripſerunt, uſos hac formulâ: Andreas *Gratiâ Dei*, Epiſcopus S. Oſtienſis Eccleſiæ; ita cæteri, Agnellus *Gratiâ Dei* Epiſc. Terracinenſis Eccl. Agnellus *Gratiâ Dei* Epiſc. Fundanæ Eccl. Adeodatus *Gratiâ Dei* Epiſc. Formanæ Eccleſiæ, &c. Non verò ſubſcripſêre, ut hodierni Epiſcopi, *Dei & S. Sedis Apoſtolicæ Gratiâ Epiſcopus*; quod abſurdè volunt, ortum habere à *naſcente Eccleſiâ*: Alioquin *Galli*, *acerrimi ſuæ Libertatis defenſores*, *nunquam hoc jugum ſibi paſſi fuiſſent imponi*, ità Vallius Profeſſor Regius, de Poteſtate Papæ, *P.* III. *Quæſt.* VI. Immemor Epiſcopos olim Galliæ, ita ſubſcribere ſolitos, *Permiſſione Divinâ Epiſcopus*, v. gr. *Pariſienſis*, *Carnotenſis*, &c. ex monumentis vel XI. XII. XIII. Secul. conſentientibus De Marcâ, Launoio, Richerio, Baluzio, &c. 10. Denique *Legatos* Agathonis, *Actione* VIII. Synodi, munire ſuam ſententiam *Teſtimoniis* Scripturæ, Patrum, Concilior. ut & Agathonem in ſuâ Suggeſtione: Quando Synodus ipſa, ut Judex in talibus, poſt ſufficiens examen, nudè ac ſimpliciter rem explicat, definit; cujus definitio eſſet pro *Lege* habendâ in Eccleſiâ, poſtquam ab Imperatore confirmata. Porro XVII. objectiones Bellarmini, quibus contendit *Honorium* non fuiſſe à Synodo VI. damnatum ut *Hæreticum*, habes diſcuſſas apud Richerium Doct. Sorbonicum, *Hiſt. Concil.* P. I. C. X. *Num.* XXV. & ſequent.

Concil. Univerſale Quini-Sextum.

IX. Sequitur alterum Concilium *Oecumenicum*, vulgò *Trullanum*, (à Τροῦλλα, τροῦλλος, qualiter dictus Locus Palatii concameratus, fornicatus, habens figuram *ollæ* vel *vaſis ænei*; τροῦλλον βασιλικοῦ παλατίου. Qualiter etiam Trullus vel Tholus *in medio Ædis S. Sophiæ*) quod *Univerſale* fuiſſe non patiuntur Baronius, Binius, Allatius, reliqui: Imò nec pro legitimo habent, ſed pro *Conciliabulo*, nec aliâ de cauſâ, quàm quod *Canonibus* nonnullis reclamarit Sergius I. Johannes VII. imò *totam Latinitatem reprobaſſe*, habet Anaſtaſius, Epiſt. ad Joh. Diaconum antè illius Collectanea, quæ edidit Sirmondus. Nempè quia non ad placitum Rom. Eccleſiæ. Fuiſſe tamen habitum Univerſale, docet 1. Inſcriptio conſtantiſſima Synodi, ἡ ἁγία καὶ Οἰκουμενικὴ Σύνοδος. 2. Patres ipſi, in *Oratione* ad Juſtinianum II. & in *Canonibus*, ità Synodum ſuam appellantes, quos neſciviſſe qualis eſſet ea Synodus, aut mentitos Orbi univerſo, ſine abſurditate dici nequit. 3. Membra Synodi, *Patriarchæ* V. Orientis, cum illo Juſtinianæ primæ, etiam *Legati Sedis Apoſtolicæ* in Vitâ Sergii, ac *Legati* Synodi Romanæ, teſte ſubſcriptione Baſilii Cretenſis; ne dicamus teſtem luculentum Balſamonem, inviſum Baronio. Adhæc Epiſcopi ex toto Imperio in Synodum eam coacti, ultrà CC. Et ſi qui non adeſſent, locus iis ad ſubſcribendum relictus eſt. 4. Confirmatio Synodi Nicænæ II. Actione IV. & VIII. dehinc Adriani I. Nicolai I. aliorum in Latinis, qui hanc Synodum pro legitimâ habuêre. 5. Ipſa Synodi ratio, quæ fuit in ſupplementum Synodi V. & VI. in quibus nulli Diſciplinæ *Canones* ſanciti fuerant, ſed de Fide modò definitum, & de Controverſiis tùm natis. 6. Conſenſus omnium Græcorum, vel tacitus vel expreſſus, etiam in *Synodico*, confecto tempore Photii, fatente Leone Allatio *Lib.* I. C. XXVII. *Perp. Conſenſ.* ipſaque auctoritas Canonum, toto Oriente recepta. Quas rationes ſi quis cum conjecturis *Baronianis* expenderit, ad Ann. DCXCII. *Num.* IV. *& ſeq.* vel Allatianis, loco cit. nullâ auctoritate fultis (præterquàm ſilentio quorundam Hiſtoricorum, qui hanc Synodum eandem cum VI. habuerunt, & quia negarant ſubſcriptionem Sergius, Johannes VII. &c.) intelliget ſanè paginam Purpurati ſervire doctam.

Baronius notatus, Binius Allatius, &c.

Cæterùm de hac Synodo obſervamus, 1. Rationem *nominis* cur πενθέκτη, *Quini-Sexta*; quæ, interprete Balſamone, ex ipſâ Præfatione Patrum ad Juſtinianum Imperat. hæc fuit, quod indicta in ſupplementum *Synodi* V. & VI. in quibus nulli *Canones* Eccleſiaſtici decreti fuerant, de Regimine, Diſciplinâ, Ritibus, Moribuſque Clericorum, Monachorum, Fidelium. Aliàs & Græcis *Sexta* dicitur, ipſi Gratiano, pro unâ habita cum priori; *Trullana* autem à loco congregationis, eodem ſcil. quo prior Synodus coacta.

Baronius notatus.

Quo fit ut *diſtincta* hujus Synodi à *Sextâ*, cujus pars quædam habita eſt, non meminerint Scriptores quidam Baronio citati; meminerit licet prolixè

Theo-

Theophanes Hiſtoricus, qui & tempus Concilii notat A. XXVII. à ſextâ Synodo, ad A. XVII. Conſtantini, *pag.* Ed. Reg. 301. Undè falsò & impudenter Baronius, *Theophanem de hac* Synodo *ne verbum quidem.* Niſi hæc ille, ut multa ſolet, fide Amanuenſium.

Tempus Concilii. 2. *Tempus* indicti hujus Concilii fuit, annus Mundi Cond. ſecundum Græcos 6199. id eſt, Chriſti DCXCI. *Indict.* IV. vel A. DCXCII. *Ind.* V. ſub Juſtiniano II. Rhinotmeto, Filio Conſtantini Pogonati, currente anno primi Imp. VII. Ita etiam fatetur Leo Allatius, *de Perpet. Conſ.* L. I. C. XXVII. N. III. Tum quidem Sergio Epiſcopo Romano, Paulo autem Conſtantinopolitano, Petro Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Anaſtaſio Hieroſolymitano præſidentibus, ex *Actis* Concilii, & ſubſcriptionibus. Scio tempus controverti, & ab aliis conſtitui in Annum DCCVII. Juſtiniani *annum* II. ſed *reſtituti* Imperio, & ſecundò regnantis, & ità Petavius. Sed nec auctoritas Theophanis, referentis in A. M. 6199. nec *numeri* in Codd. expreſſi, qui ut plurimùm mendoſi aut variantes, ſatis illud probant. *Sergio* enim Pontifice habitum conſenſio eſt, mortuo A. DCCI. & Annus 6199. concordat cum A. Chriſti DCXCI.

3. Convocata Synodus à Juſtiniano II. Imperatore, ut ex ejus Divâ Juſſione, & ex allocutione Patrum conſtat, illum ὁρίσαντα *decreviſſe* οἰκουμενικὴν ἀθροισθῆναι σύνοδον. Scopus fuit, poſt reſtitutam Fidem, etiam reſtituere Mores, collapſamque Diſciplinam, & improbitatis zizania, à *Judæis*, *Gentilibus*, *Hæreticis* ſata, revellere, ut *pura pietatis ſeges oſtenderetur*, & ſic ipſi Patres, *Tomo* VI. *col.* 1134. 1135.

Canones. 4. *Canones* in hoc Concilio ſanciti numero CII. aliis CIII. & in iis varii Canones contrà diſciplinam, praxim, & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, factâ illius non ſemel expreſſâ mentione; imò etiam decretis ad eam directis, uti Canone LII. de Jejunio Sabbathi. Cumprimis igitur digniores obſervatione ſunt Canones ſequentes, ut Græcorum & Orientalium omnium diſſenſio à Latinis intelligatur.

Notabiliores quidam in Latinos. *Canon* I. non confirmat modò fidem à prioribus Oecumenicis definitam, ſed & in ſpecie condemnationem *Honorii Romæ*, uti *Cyri Alexandriæ*, & reliquorum. Hìc verò à Græcis per fraudem *Honorii* nomen inſertum, pari quâ in ſuperioribus fide, Baronius, Bellarminus, Binius, rursùm hariolantur.

Baronius, Allatius, &c. paſſim notati. *Canon* II. confirmat priores Eccleſiæ *Canones*, ac primo loco *Apoſtolicos* LXXXV. quos tamen non ab ipſis Apoſtolis confectos dicunt, ſed παραδοθέντας ἡμῖν ὀνόματι τῶν Ἀποστόλων *ipſorum ſub nomine*, vel auctoritate *traditos*. Vetant etiam ne & hoſce ſuos Canones, & antiquos illos *adulterare* quiſquam ſuſtineat, aut alios vel contrarios recipere; quod abſonum videtur Baronio.

Canon III. VI. permittit conjugium, & uſum uxorum *Presbyteris*, *Diaconis*, *Hypodiaconis*, ſed antè ordinationem, & ductâ Virgine; interdictis Viduis, & ſecundis votis, in ſtatu Clericatûs: Quod novum videtur Baronio, longè ineptiſſimè.

Canon XIII. legem *Cælibatûs*, & abſtinentiæ à contactu uxorum, per *Romanam Eccleſiam* indictam, in ordinandis *Presbyteris*, *Diaconis*, eorumque conjugium legitimum diſſolventem, planè reprobat; ut contrariam Canonibus Apoſtolicis, & peſſimæ conſecutionis; Baronio rurſum vehementer indignato. *Nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum in Sacris Ordinibus legitima conjugia, deinceps ex hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquàm eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutuâ (tempore convenienti) conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinatur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitimâ uxore cohabitet. Sed neque Ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe à legitimâ cum uxore conſuetudine abſtenturum: Ne ex eo à Deo conſtitutas, & ſuâ præſtantiâ benedictas nuptias, injuriâ afficere cogamur; Euangelicâ voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo ne ſeparet: Et Apoſtolo docente, Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum; &, Alligatus es uxori, ne quære ſolutionem.* Excipiunt tamen, juxtà Africanos *Canone* III. Carthag. Synodi, ut κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους *in propriis terminis*, id eſt, ut Balſamon, Zonaras, Ariſtænus, explicant, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐφημερίας αὐτῶν, *tempore vicis ſuæ, vel miniſterii*, abſtineant; quod vocant τὸν καιρὸν τὸν προσήκοντα, vel τὸν καιρὸν τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως: Ὅρος ergò fuerit, *præfinitum tempus* quo vacare debent Sacris; Vel etiam *ſtatutum Canonibus tempus*, προθεσμία, quo conveniens ſit ab uxoribus pro illo tempore continere. Gratianus vertit, *ſecundùm ſtatuta priora*, vel *priorum* temporum, quaſi & illis prohibitum eſſet (*Presbyteris*, *Diaconis*) uxores tangere, vel præceptum ab uxoribus continere; Et ità Fronto Ducæus Jeſuita in Canones Trullanos, & ejus farinæ alii. Qualia *priora* ſtatuta nulla fuêre apud Græcos, in hunc diem uxoribus uſos. Meliùs, *ſecundùm propria ſtatuta*, quæ eam abſtinentiam pro illo tempore, ſeu tempore vicis ſuæ, injungebant. Et optimi Interpretes Carthaginenſis Synodi hi Patres, in *Trullo* coacti, qui reſtringunt continentiam à Conjugibus, *ad tempus Miniſterii*, prolixè mentem ſuam explicantes.

Canon XIX. injungit Epiſcopis & omnibus προεστῶσι, per ſe docere *omnem Clerum & Populum*, *ex Divinâ Scripturâ*, & quidem ἐν πάσαις ἡμέραις *ſingulis diebus*, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς Κυριακαῖς, *præcipuè verò Dominicis*; parùm obſervante hujus Canonis Latinorum praxi. Quamvis in Angliâ *Edgarus* Rex Seculo X. Can. LII. *Docemus ut Sacerdotes in quolibet die Solis populo prædicent*, in Archaïonomiâ Saxonicâ, interprete Guil. Lambardo, p. 77.

Canon XXXVI. qui maximè Latinos uſſit, primò confirmat *Canonem* XXVIII. Chalcedonenſem, adeò inviſum Rom. Eccleſiæ; ſecundò, decernit ejus vigore, Conſtantinopol. Thronum τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, *æqualia privilegia cum antiqua Romæ Throno obtinere*, ordine tamen δεύτερον *ſecundum*. Ad quæ Baronius, Binius, Allatius, *erroneum*, *impudentem*, *ſtultum*, *pervicacem eſſe Canonem*, nodo ità diſſecto. Et reverà jam tùm, ut ex antiquiſſimis Notitiis liquet, ampliſſima fuit Conſtantinopolitani Juriſdictio in omnes Thracias, omnem Aſianam Diœc. Ponticam, Inſulas, &c. Nec hìc quicquam, quod non antè etiam Conſtantinopolitani Patres in Conc. Oecum. II. *Can.* III. ut ſuprà *col.* 903. 904.

Canon XXXVIII. confirmat Chalcedonenſem XVII. de ordine Eccleſiaſtico conformando ad Civiles *typos*, civilium Urbium dignitatem: In quâ nempe fundabantur τὰ πρεσβεῖα Epiſcoporum *Veteris* & *Novæ Romæ*, ſed & *Novæ Juſtinianopoleôs*, de quâ *Canon* XXXIX. Allatio hìc effugia captante, ſuis παρερμηνείαις, inprimis Canones hoſce à Græcis ſuppoſitos ſtatuente, & hariolante ex *ſubſcriptionibus*, ex verbis *Taraſii* in Synodo VII. & quæ alia produnt Viri pudorem.

Canon XLVIII. probat *conjugium* non prohibuiſſe Epiſcopatu, & ordinatos anteà fuiſſe *Epiſcopos* conjugatos; licet hæc Synodus, omnium *prima*, ſic Græci Interpretes, renunciare jubeat uxoribus, mox ab illorum conſecratione, ingreſſuris Monaſterium.

Canon LV. interdicit *jejunium Sabbathi*, in Quadrageſimâ ipſâ, præterquam *magni Sabbathi die*; & damnat morem Romanæ Eccleſiæ, qui erat *jejunare*

Digitized by Google

re Sabbatis. Hoc enim eſſe *præter traditam* Eccleſiæ conſuetudinem, & contrà Canon. Apoſt. LXVI. *Si Clericus in Sabbatho jejunarit deponatur*, &c. Sic *Can.* LII. interdicit uſum τῶν πρηγιασμένων in *Sabbatho*, & S. *Annunciationis die*, quoniam dies eſſent *feſti*, in quibus *Sacrificium Deo* offerre liceret; non verò reliquis *Quadrageſimæ* diebus.

Canon LXIII. legi vetat *confictas* Martyrum Hiſtorias, συμπλασθέντα μαρτυρολόγια, ne fabulæ eſſent Infidelibus deriſui, & veri Chriſti Martyres eà ratione ignominiâ afficerentur. Cujus Canonis exigua ratio fuit Simeoni Metaphraſtæ, tot fabularum conſarcinatori; Quamvis Balſamon ad hunc Canonem dicat, *magnas ei deberi gratias* quod tot laboribus & ſudoribus *Martyrologia repurgaſſet*. Sic tot *Pſeudo-Acta*, & *Legendæ*, quales dein in Rom. Eccleſiâ natæ, hoc ipſo ab Eccleſiæ liminibus proſcriptæ.

Canon LXVII. ſancit abſtinentiam *à ſanguine*, & *ſuffocato*, ex uſu Eccleſiæ Orientalis, in hunc diem uſque, non Romanæ; Hinc deridente Canonem Baronio, ut Judaizantem, ad A. DCXCII. N. XXX.

Canon LXIX. Laicos quidem arcet ab ingreſſu *intrà ſepta* Altaris, non Imperatoriam Majeſtatem, pro perpetuâ Orientis conſuetudine, vel ex Theodoreto *Hiſt.* L. V. C. XVIII. In quam conſuetudinem Baronium & ſequaces nihil pudet ſtomachari, nempè ut *Clericos* efferant *ſuprà quoſcunque Laicos*, *etiam Imperatores*.

Canon LXXIII. interdicit *Crucis figuram* fieri in ſolo aut pavimento, ſub pœnâ ἀφορισμοῦ, quod & olim ſanxerant Imperatores: Romà tamen, in conſecratione Eccleſiarum, has figuras in pavimento variè exprimente, ex Ritualibus.

Canon LXXIX. interdicit, tempore Nativitatis Chriſti, impertiri ſibi invicem ſimilam, aut repræſentare partum Virginis *in rebus quæ communiter apud nos fiunt*, ἐκ τῶν κοινῶν τε καὶ καθ' ἡμᾶς. Contrariâ iterùm Romanæ Eccleſiæ praxi, in mimicis ſuis ritibus, & imitatione puerperii B. Virginis.

Canon LXXXII. non vult Chriſtum pingi aut repræſentari formâ *Agni*, quod *Romana Eccleſia* (inquit Baronius) *facere non deſtitit*: Vult autem exprimi *formâ humanâ*; non profectò in adorationem, ſed *ad memoriam* πρὸς μνήμην τῆς ἐν σαρκὶ πολιτείας, τοῦ τε πάθους αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου, citato hoc Canone, ut Synodi Oecumenicæ, *Act.* IV. *Conc. Nic.* II.

Canon LXXXVII. meminit *quatuor Pœnitentiæ publicæ* graduum, quos confirmat, προσκλαύσεως, ἀκροάσεως, ὑποπτώσεως, συστάσεως. Qui tamen inter Latinos obſoleti, & in ſatisfactiones privatas abiverunt, à Sacerdote pro arbitrio, poſt Secretam Confeſſionem, injungendas.

Canon XC. interdicit *genu flectere* diebus *Dominicis*, uſque ad veſperam, in memoriam Reſurrectionis, antiquo more: Alieniſſimo ſanè tum Oriente ab *adoratione* Sacramenti illo die, ut & cæteris diebus intrà Paſcha & Pentecoſt. atque à genuflexionibus Latinorum.

Canon CI. præcipit ut Sacrum Euchariſtiæ munus percipiatur, ut olim, *manibus* & nudis illis, non *loco manûs* alio inſtrumento: Diverſà praxi Latinorum quæ in os ingerit, aut quæ manibus obvelatis accipi à *mulieribus* voluit.

Canon CII. agens de *Pœnitentiâ* injungendâ, pro delicti qualitate, & rigore Canonum quandoque relaxando, ſupponit Pœnitentiam publicam, & Abſolutionem demùm ſubſequentem; *Auricularis Confeſſionis* ſanè non meminit.

Subſcriptio & *approbatio* Concilii facta etiam per ipſos quoque Legatos Romanos, qui vicem geſſerunt tùm Sergii, tùm Synodi Romanæ, notante Anaſtaſio in *Vitâ* Sergii, & Balſamone *Scholiis* in Orationem Synodi ad Imperat. Deinde approbata, ut diximus, à Synodo Nicænâ II. ab Hadriano I. Epiſcopo Romano; à Taraſio, Theodoro Studitâ, Damaſceno, &c. Et paſſim ejus *Canones* magnis elogiis ornantur, præterquàm quâ parte adverſantur Cauſæ Pontificiæ. Nam hac parte nihil mirum, *Sergium*, *Johannem* VII. *Conſtantinum*, omnibus hiſce Canonibus calculum addere noluiſſe. Quanquàm *Johannem* VII. *humanâ fragilitate timidum, hos nequaquam Tomos emendaſſe* (miſſos à Juſtiniano Imperat. & continentes *Capitula Romanæ Eccleſiæ contraria*) *ſed per ſuprà fatos Metropolitanos direxiſſe ad Principem*, indubiè firmatos aſſenſu ſuo, & ſic Anaſtaſius in Vitâ Johannis. *Conſtantinum* verò, renuentem ſubſcribere, *juſſit Imperator*, miſſâ Sacrâ, *ad regiam aſcendere urbem: Qui juſſis Imperialibus obtemperans, illicò navigia fecit parari, quatenùs iter marinum aggrederetur*, ut idem Anaſtaſius in Vitâ Conſtantini.

X. Hinc mira iniquitas ut Binii aliorumque gnathonum (quorum nonnulli Synodum *confictam* volunt) ità quoque Baronii, qui ad Ann. Chr. DCXCII. *Num.* I. V. VII. VIII. & *ſeq.* in hanc Synodum inſurgit ut *Conciliabulum*, *Pſeudo-Synodum*, *Conventiculum*, factum ſummæ *inſolentiæ* & *fatuitatis*, *inſolentem conſpirationem*, *impoſturam*, *commentum*, *Græcorum æmulatione hujus technæ callidâ concinnatrice*, *architecto Callinico Conſtantinopolit.* &c. Qui tamen Callinicus ſucceſſit Paulo, præſidi hujus Synodi, vel ex ſubſcriptione primâ *Pauli*, vacuo Romani loco relicto. Pari ratione in Canones ut *ſtultos*, *dementes*, *erroneos*, &c. virus ſuum evomunt. Baronius notat.

Nec mitiùs Leo Allatius, de Perpetuâ Conſenſ. *Lib.* I. C. XXVII. qui *impoſturam* in fingendis Actis, & cudendis Canonibus, arguere conatur ex circumſtantiis temporis, ſubſcriptionum, aliiſque id genus quæ ipſemet gratis vel fingit, vel ſupponit, vel detorquet. Ex. gr. fraudem illam infert abſurdiſſimè ex *anno* hujus Synodi variè putato; quod factum ob numeros Græcorum corruptos, in annis Mundi deſignandis, & ob *duplicem* Epocham Imperii Juſtiniani II. ῥινοτμήτου, vel primò Imperatoris, ab Anno DCLXXXV. ætat. XVI. vel ſecundò in Imperium reſtituti A. DCCIV. Infert fraudem eandem, ex eo quod *antè Pontificem Imperator ſubſcripſerit*, quod *novum* (inquit) & *in Synodis inauditum*; imò novum & abſurdum illud Allatii, de Majeſtate Pontificis ſuprà Imperatoriam, vel ex iis quæ modò ad Synodum VI. obſervata ſunt, & ex *ſubſcriptionibus* Pontif. antè Sec. IX. apud Mabillon. Addit defectum *ſubſcriptionis Legatorum* Rom. Pontificis; quos tamen *deceptos ſubſcripſiſſe* dixit Pontificale in Sergio, quanquàm in Codicibus ea ſubſcriptio deſit; negata ſcil. Juſtiniano à Sergio, & Johanne ſucceſſore, ob Canones Romæ inviſos. Supponit quoque, nonniſi *erratica Conciliabula* eſſe, quibus non acceſſit *Conſenſus Pontificis*; quanquàm acceſſiſſe illum Adriani I. & Synodi VII. anteà monuimus. Nec meliora ſunt quæ, in dicto loco, Græculus plura effutit. Et Allatius.

XI. Præter hæc *Oecumenica* duo, Concilia *alia hoc* Seculo celebrata propè innumera, de quibus Conciliorum *Tomis* noviſſimis V. VI. ex ſingularum Nationum Synodis, ut Gallicanis Sirmondi, Hiſpanicis Garſiæ, Britannicis Spelmanni, Africanis Creſconianæ Collectionis, & ex *Synodico* Græcorum, &c. In iis *Generalia* ſeu *Nationalia* alia, v. gr. totius Hiſpaniæ, in Synodis *Toletanis* III. & ſequent. ſupremâ Regum auctoritate, præſidio; quarum Synodorum XVII. ad hoc Seculum etiamnum ſpectant; & in quibus Canones varii ſunt, quoad Doctrinam, Diſciplinam, Ritus, qui haud ſemper ad guſtum Baronii. Synodo Toletanæ III. ſub Reccaredo, de quâ ſuprà præſedit ac ſubſcripſit primus, *Leander* Hiſpalenſis Epiſcop. Uti Synodo Toletanæ IV. *Iſidorus* Hiſpal. A. DCXXXIII. Quanvis Garſias contendat, in favorem Toletanæ Sedis Differt. Concilia Generalia, Nationalia.

de *Primatu Eccl. Toletanæ*, Leandrum ſubſcripſiſſe primum, & primas tunc in Hiſpaniâ partes tenuiſſe, ex *ſingulari ſummi Pontificis conceſſione* (cujus nec vola nec veſtigium apparet) & quia *propinquitate cum Rege conjunctiſſimus eſſet*. Dein, *iiſdem rationibus S. Iſidorum, Leandri fratrem, ſucceſſorem hujus Dignitatis fuiſſe*, abſque præjudicio ſcilicet Primatûs Toletani. Et quæ alia precariò ſupponit Garſias. Quum certum ſit nondùm *Primatum* illum cognitum fuiſſe, & primos ſubſcripſiſſe, pro ordinationis prioritate, modò Hiſpalenſem, modò Toletanum, modò Emeritanum, &c. antequam figeretur jus illud Toletani, Concilii *Tolet.* XII. *Canone* VI. Cui & deinceps reclamarunt Bracarenſis, Hiſpalenſis, Emeritanus, Compoſtellanus, &c. ut infrà notamus. Sic Nationalia habentur in dictis Collectionibus Concilia, totius *Franciæ*, *Angliæ*, pleraque in cauſâ receptæ tùm Diſciplinæ; quæ ibi requiras, ſi lubet, & de quibus ex parte ſuprà.

Particularia.

Particularia ſeu *Provincialia* Concilia habita Hieroſolymis, Alexandriæ, Conſtantinopoli, &c. in *Oriente*, pleraque in cauſâ Monotheliticâ. In *Africâ* quidem varia, Provinciæ Carthaginenſis, Byzacenæ, Numidiæ, Mauritaniæ, in eâdem cauſâ quamdiu per Saracenos licuit: *Romana* benè multa, pleraque in Orientales, in Monothelitas, in Aquilejenſes tùm à Romanis diviſos, de quibus in Conciliorum T. V. VI.

Cauſæ Latinorum adverſa.

Cumprimis verò Synodi coactæ non paucæ, etiam in Occidente, in quibus actitata & ſtatuta quæ præjudicant cauſæ Pontificiæ. Ità in Synodis *Romanis*, quæ habitæ contrà ipſum Honorium; in *Britannicis* à Spelmanno collectis, contrà innovationes Romanæ Eccleſiæ; in *Toletanis*, varia diſſimillima Canonibus Tridentinis, & praxi hodiernæ Latinorum: Etiam in Capite de *Euchariſtiâ* S. ut in Synodo Toletanâ XVI. *Can.* VI. ſancitum, contrà praxim Sacerdotum illius temporis, ut *Panis integer* acciperetur, exemplo Chriſti, & Pauli, I. *Cor.* X. frangendus, & per *particulas* diſtribuendus in *buccellas* totidem, quot erant communicantes: Taliſque eſſet *panis*, qui *non ventrem illius qui ſumpſerit gravis farciminis onere premat*, &c. Undè Panem conſecratum habitum adhuc tum pro *vero pane*, qui in particulas frangeretur, & buccellas, nec gravis eſſet ſtomacho. Ità in *Gallicanis*, nonnullæ Synodi, quæ ſupponunt fuiſſe Presbyteris ipſis uxores, quas *Presbyteras* vocant, ut jam in Synodo Autiſſiodorenſi, *Can.* XXI. XXII. licet cum iis legitimâ copulâ *miſceri* interdicant, novo in Occidente jugo: Sic Matiſconenſis illa, de quâ nuper, ſub Clotario II. in quâ Agreſtinus Monachus acriter reſtitit ſuperſtitionibus Columbani & ſociorum. Adde in *Italicis*, ſub finem hujus Seculi, reclamantem adhuc Synodo V. Oecumenicæ, & decretis Romanæ Sedis, Synodum *Aquilejenſem* An. DCXCVIII. ex Paulo Diacono, Sigeberto, & *Tomis* Concil.

Materia Conciliorum.

Pauciora in tantâ multitudine Concilia (qualia in primis Conſtantinopolitanum VI. Romana, & Africana quædam, Hiſpanica in Capitulorum exordio, Anglicum An. DCLXXX.) circà *Doctrinam* fuêre occupata, editis ſcil. Confeſſionibus, & Symbolis, & decretis maximè in *Monothelitas*, tum & *Acephalos* qui in Hiſpanias irrepſerant, in Synodo Hiſpal. II. A. DCXIX. Dein & in reliquias *Idololatriæ* Gentilis, & *Sacrilegas* ſuperſtitiones, ut in Tolet. XII. *Can.* XII. Uti facta poteſtas fuit ab Ervigio Rege, eidem Synodo XII. ut *quicquid in noſtræ Gloriæ Legibus* (id eſt, Regni) *abſurdum, quicquid Juſtitiæ videretur contrarium, unanimitatis veſtræ Judicio corrigatur*, ut Epiſtolâ Ervigii ad Patres Synodi, quos ſibi conciliare ſtuduit, poſt tonſuratum Wambam Regem, An. DCLXXX. *Conc.* T. VI. *col.* 1223. Plura verò circà Clericalem & Monachalem *Diſciplinam*, *Cœlibatum*, *Monachatum*, *Ceremonias* jam tùm ſuperſtitioſiùs invectas: Frequentiſſima contrà vagas Clericorum & Epiſcoporum libidines, poſt *Cœlibatûs* legem introductam; Hiſpaniâ cumprimis (in Synodis *Toletanis* VIII. IX. X. XI. &c.) Conſeſſus iſtos miſcente querulis vocibus, ut Patres *ad fletum*, ad *execrationem*, ſæpiùs flagitiorum nefanda compulerint. Ità contrà Clericos Eccleſias ſuas deſerentes, & migrantes de *Eccleſiâ in aliam*, adversùs veteres Diſcipl. Canones, ut *Can.* II. Synodi Hiſpal. II. & quæ id genus plura. Huc referri poſſunt Leges Eccleſiaſticæ ab Anglorum Regibus promulgatæ, ut Leges *Inæ* Regis, quæ circà A. DCXCII. latæ dicuntur in *Concil.* Tomo VI. *col.* 1324. Sed in Archaionomiâ Saxonicâ quam Latinè vertit Guil. Lambardus, referuntur ad ſequens Sec. quum Ina regnare cœperit Anno DCCXII.

X. *Naſcentis Schiſmatis inter Eccleſiam Orientalem, & Romanam, hâc Ætate primordia.*

Allatius & Maimburgius notati.

I. Gratis ſuo more Allatius, *de Perpet. Conſenſ. Lib.* II. C. I. contendit Græcos antè tempora Leonis Iſauri, & *Iconomachorum* Hæreſim natam, licet nonnunquàm refractarios, tamen manſiſſe in unione, id eſt, ſubjectione, Romanæ Eccleſiæ, hujus reveritos majeſtatem, poteſtatemque in Eccleſiam univerſalem. Maimburgius hodie ex-Jeſuita, *Hiſt.* Schiſmatis Græcorum, *Lib.* I. ſupponit Romanos Pontifices *ſupremam ſuam poteſtatem exercuiſſe in Oriente, in Patriarchas omnes, ac nominatim Conſtantinopolitanum*, obtinuiſſeque *perfectam unionem utriuſque Eccleſiæ*, uſque ad Schiſma Photianum, Seculo IX. Quibus uterque egregiè fallit, non tamen ipſimet falſi, nec ignari geſtorum in Orbe utroque.

Diſſenſiones à Secul. V.

Certum enim quod Conſtantinopolit. indè à Synodo Chalcedonenſi, æqualis per omnia Romano habitus eſt, ordine modò ſecundus, ſuprà *col.* 1014. 1015. &c. quin, poſt amiſſum Imperium Occidentis, caput efferens ſuprà Romanum: Certum etiam quod parùm ſub *Acacio*, & *Succeſſoribus*, reſpexerit Paparum anathemata, donec res, Juſtino Imperatore, pacis ergò componeretur, ut pluribus, ad Seculum VI. Ne dicamus Henoticum Zenonis, Romano fruſtrà illi intercedente; aut facta Juſtiniani in Vigilium Papam, & in cauſâ Trium Capitulorum; ejuſdem quoque Leges, ac Conſtitutiones in cauſis Eccleſiaſticis quibuſcunque, ad *Sec.* VI. *Cap.* VI. VII. X. adhæc contentiones inter Pelagium II. Gregorium I. & Johannem Conſtantinopolitanum, de titulo *Oecumenici*, *Sec.* VI. 1088. &c. *Sec.* VII. 1191. Sed factum tandem eſt hoc Seculo VII. ut tot diſſenſionum ſemina germen acciperent, radices altiores agerent, novis fomentis ſuccreſcerent, ac *perfectæ* illius, quam mentiuntur, *unionis* ne umbra quidem ſupereſſet.

Cauſæ novæ diſſenſionis.

II. Cauſæ novæ diſſenſionis hoc Sec. intelliguntur ex iis quæ ferè præmiſimus, undè *Schiſmaticam* Orientalem Eccleſiam, ad tempora adhuc Vitaliani, ſuprà dixit Annalium Scriptor.

Ac I. Romanor. Pontif. intoleranda ſuperbia, indè à Bonifacio III. ſolos ſe *Univerſales* Epiſcopos appellari volentium, contrà Canones, & jura Patriarchalia, & mores antiquos; quo de Titulo fusè ſuprà *Cap.* V. Nec nomen illi modò affectare, ſed rem ipſam, ut pluribus documentis evictum; cætera parum ſollicitis Græcis, quid in Occidente rerum novarum Papæ molirentur. Nec profectò Conſtantinopolitanus remiſit quicquàm de jure ſuo, ipſe conſtanter ab Imperatoribus, à Synodis dictus οἰκυμενικὸς Πατριάρχης, vel ex Actis Oecumenicæ Synodi VI. ut ante monitum. Quemadmodùm hoc Se-

Se-

Digitized by Google

Seculo Paulus Conſtantinopolitanus, in literis ad Theodorum Papam, inſertis Concilio Lateranenſi ſub Martino, *Tomo* VI. *col.* 221. vocat illum ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν *Fratrem & Conſacerdotem*, ut æqualis æqualem.

Cauſa Monothelitica.

2. Acceſsêre contentiones in cauſâ *Monotheliticâ*: Dùm parùm cedere docti Conſtantinopolitani Romanis decretis; ſed nec Papæ conſenſum expectaturis Imperatoribus Heraclio, Conſtante, ut ederent ille ſuam Ἔκθεσιν, hic ſuum Τύπον. Non etiam damnata Monothelitarum Hæreſis vi decretorum quæ Romæ facta, ſed impulſu Conſtantini Imperat. & ex definitione Synodi Univerſalis VI. De quibus abundè ſuprà.

Controverſiæ de Proceſſ. Spiritûs S. origo.

3. Semen novum diſſenſionis inter Græcos & Latinos ſatum, motâ quæſtione de *Proceſſione Spiritûs S. ex Patre & Filio*. Non quidem eruptura in nervum controverſiâ hoc Sec. Sed tamen occaſione illi natâ, faſſis Urſpergenſi & Chronogr. aliis, ex iteratis Confeſſionibus, ac repetitionibus Symboli Conſtantinop. editis in Synodis Toletanis, ac cumprimis in Toletanâ III. ſub finem Seculi prioris, Pelagio II. Romæ Epiſcopo, Confeſſionis Fidei *Capit.* II. ut dictum jam ad ſuperius Secul. *col.* 1130. Sic in Toletanâ IV. An. DCXXXIII. *Capit.* I. in Toletanâ VI. Ann. DCXXXVIII. *Cap.* I. in Toletanâ VIII. An. DCLIII. *Cap.* I. in Toletanâ XI. A. DCLXXV. præmiſsâ Capitulis Confeſſione Fidei, uti in ſequentibus Synodis Tolet. XII. XIII. Ubique Hiſpaniæ Galliæque Patres, (non primùm in Synodo VIII, ut Voſſius, aliique) Credere ſe in Spiritum S. *à Patre & Filio procedentem*, *à Patre Filioque*, *ab utriſque*, *amborum Spiritum*. Nec aliter Angli, in Concilio Anglicano, ex Bedâ, A. DCLXXIX. tùm Franci, & Germani, admiſsâ additione vocis *Filioque*, quæ jam occurrit in Confeſſione Gregorii Turonenſis, *Hiſt. Lib.* I. Et quidem inſertâ eâ voce ipſi Symbolo Conſtantinopolitano, tanquàm ab his Patribus profectâ Theodoſii I. tempore, in ipſâ *Symboli formatione*, quod & perſuaſum vellent Baronius, Binius, Garſias, alii; & quaſi nomen *Filii* à Græcis per fraudem eraſum fuiſſet. Undè (inquit pro more Baronius) ad Ann. DXCIII. N. XLVII. dignas luunt pœnas ſub Turcâ *Tyranno*.

Baronius notat.

Quamvis verò noluiſſe Conſtantinopolitanos Patres *Filium* in Proceſſione illâ excluſum, facilè concedimus; falſiſſimum tamen, quod dicunt de primâ formatione Symboli, deque Synodo Romanâ ſub Damaſo, ex Hiſtoriâ Tripartitâ, *Lib.* IX. *Cap.* XVI. additam in iis vocem *Filioque*. Neque enim in *Epiſt.* Damaſi, & Epiſcoporum Romæ congregatorum, ad Epiſcopos Orientis, & ad Paulinum Theſſalonicenſem, (quam citat Caſſiodorus, & Romæ recenſuit hoc Seculo, cum aliis Damaſi, ex *Codicibus Mſs.* Martius Mileſius Sarazanius) aliud dicitur, quàm *Spiritum S. verè & propriè ex Patre eſſe, perindè atque Filium ex Divinâ eſſentiâ*, &c. Adde, ſi vox *Filioque* inſerta fuiſſet Symbolo Conſtant. non rejecturum fuiſſe Theodoretum, in Reprehenſione XII. Capitum Cyrilli, *C.* IX. ad calcem Operum, ὡς βλάσφημον καὶ δυσσεβὲς, *tanquàm blaſphemum & impium*, ſi dicatur τὸ Πνεῦμα ὡς ἐξ υἱοῦ, ἢ δι' υἱοῦ, τὴν ὕπαρξιν ἔχον, *habere exiſtentiam tanquàm ex Filio, vel per Filium*. Quo nomine Leo Allatius putat Theodoretum in Synodo V. fuiſſe condemnatum, ſed præter fidem *Actorum*; quum nec de hac quæſtione lis fuiſſet ipſi cum Cyrillo, fatente etiam Maimburgio in *Hiſt.* Schiſmatis Græcorum, *Lib.* II. ad A. DCCCLXXXII. Ut jam Damaſcenum, & recentiores Græcos taceam, neſcios hujus in Symbolo vocis; ipſumque Leonem III. Pontificem, tempore Caroli M. & Concilii Aquiſgranenſis A. DCCCIX. qui Symbolum Conſtantinopolitanum reſtitui voluit, abſque additamento, *Filioque*. De quo adi Voſſium noſtrum *Diſſert.* III. & *Tomum* VII. Concil. Edit. noviſſimæ, *col.* 1194. ipſumque Baronium, ad A. DCCCIX. *Num.* LIII. *& ſeq.*

Igitur ſub finem Seculi prioris, & hoc cumprimis VII. jam inter Latinos frequentatum eſt, & unà cum Symbolo inſertum Officio publico, iſtud de Proceſſione Spiritûs S. *ex Patre Filioque*. Undè deinceps Græci exprobraturi Latinis hoc additamentum, Seculo VIII. ſub Conſtantino Copronymo, & Pipino, ex Adonis Viennenſis *Chronico*, in Synodo Gentiliacenſi agri Pariſienſis, Ann. DCCLXVII. faſſis & Sirmondo, Binio, in Notis ad hanc Synodum, *Tomo* VI. *col.* 1703. Recruduit controverſia Seculo IX. undè deinceps plauſtra Diſputationum, de Proceſſione Spiritûs S. inter Græcos & Latinos, Scriptorumque *Seculis* X. XI. XII. XIII. &c. quæ à Græcis emanarunt contrà hanc additionem Latinorum; videnda vel apud Leonem Allatium, de Perpet. Conſenſ. *Lib.* II. C. II. &c.

Diſcrepant. in Ritibus.

4. Auxêre diſſidium utriuſque Eccleſiæ *Ritus* in plurimis *diverſiſſimi*. Docent hoc Seculo ipſa illa *Capitula* quæ tribuuntur Theodoro Græco Anglorum Archiepiſcopo, in fine *Tomi* VI. Concil. de quibus fusè ſuprà. Indicat hic ipſe diſcrimen Græcorum à Latinis in *Ordinationibus*, *Cap.* III. in abſtinentiâ à *ſuffocato* Cap. X. in frequenti *Communione*, Cap. XII. in *Gradibus* prohibitis, Cap. XIII. in poteſtate conſecrandi quæ etiam *Presbyterorum*, Cap. XX. &c. Sed luculentius rei documentum ſunt, *Canones* ſuperiores Synodi *Quini-Sextæ*; in plurimis adverſantes conſtitutionibus vel praxi Romanæ Eccleſiæ, hinc à Sergio reprobati, invecto in Trullanos Patres: Undè (fatente Baronio) *eorum cauſâ diu tumultuatum eſt ac diſceptatum inter Latinos & Græcos*. Quare mirum nuperi Hiſtorici Galli ex-Jeſuitæ, in *Hiſt. Schiſmatis Græcorum*, an Latinorum, hac de re omni ſilentium, niſi obiter ad A. DCCCLXVII. Quaſi aut nullæ fuiſſent Synodi Trullanæ in Rom. Eccleſiam definitiones, aut Græcis antè Photiana tempora egregiè cum Latinis conveniſſet.

Baronius notatus.

Gratis verò Baronius, ad An. Chr. DCXCII. N. XXXIV. hos Canones ad Pontificem miſſos fuiſſe tradit, ut Pontificiâ auctoritate *confirmarentur*; rogatum ſanè à Juſtiniano ut illis *ſubſcriberet*, Sergium nempè, & Johannem VII. teſte Anaſtaſio in *Vitâ* utriuſque. Nec petitam confirmationem *auctoritatis*, ſed *aſſenſus*, ut jam antè ad Synodum VI. obſervatum eſt, res ipſa docet. Precariò etiam ex Anaſtaſio in Vitâ Johannis, ad A. DCXCVI. *Num.* XLV. contendit nullam *Sedium Patriarchalium*, *toto Oriente*, admiſiſſe Canones; contrarium docente ſubſcriptione ipſâ Patriarcharum, in Actis hujus Synodi, dehinc Taraſio Patriarchâ & Actis Nicænis, T. VII. *col.* 175. Ac praxi ipſâ horum Canonum toto Oriente in quibus à Latinis differunt, ut mittam teſtes alios, Theodorum Studitam, Joh. Damaſcenum, Adrianum I. &c. Ejuſdem farinæ eſt, quod ad finem hujus Anni monet Annalium Scriptor, *de pœnâ quam tulit Juſtinianus Imperator*, *hoc ipſo Anno quo iſta moliri cœpit in Rom. Pontificem*. Nempè ob Canones in Trullo conditos & ſancitos Româ invitâ, hinc mox *exſpoliata* fuit *Armenia*, *& Barbari ad invadendum Rom. Imperium* divinitùs acciti. Quaſi verò non alia fuiſſent facta *Juſtiniani*, quibus ſe exoſum ac dignum *pœnâ* reddiderat, & indignum Imperio, quo exutus fuit A. DCXCIV. ex Cedreno, Zonarâ, cæteris; præter corruptionem nefandam totius *Orientis*. Nec alia ferè Baronio in vaſto Annalium Opere, ut identidem obſervamus, cauſa iræ Divinæ in Imperatores, Reges, Principes, Populos, quàm violata majeſtas Rom. Pontificis, negatumque hujus inſtitutis obſequium.

Cauſæ aliæ acceſſuræ.

Iſtis verò, quas diximus modò, diſſidiorum cauſis acceſſit ſequente Seculo, controverſia de *Imagini-*

tibus; ac poſteà diſſidium cum *Photio* Conſtantinopolitano, de quibus *loco ſuo*.

XI. *Scriptores Eccleſiaſtici hujus Seculi.*

Sterilitas hujus Seculi. I. **S**terilis hæc Ætas Scriptorum bonæ frugis, cujus rei cauſæ potiſſimæ fuerunt: Calamitates Orientis per Saracenos; faſcinum Hæreſeôs Monothelitarum; Iniquitatis auctum in dies myſterium; ſuperſtitio Occidentalium, qui toti fuêre converſi ad Ritus & Obſervantias, ut ex Synodorum Canonibus, & ex praxi eorum temporum liquet; Dignitatum in Eccleſiâ luxus, & inertia Monachalis, hinc ignorantia, ex ſuprà memoratis. Undè cauſatus potiſſimùm moram ſuam Agatho, *Literis* ad Conſtantinum Imperat. in mittendis ad Synodum Univerſalem legatis, quod diu multumque laboraſſet in conquirendis hanc in rem Theologis, etiam ex tranſmarino Orbe, quales negaret temporum barbaries, ut Tomo VI. Concil. *col.* 631. &c.

Sophronius Hieroſol. II. Inter celebriores igitur quos habuit *Oriens* Scriptores, fuit *Sophronius* Epiſcopus Hieroſolymitanus, ultimus eorum Patriarcharum, antè occupatam ab Homare Hieroſolymam. Ex primis Adverſariis fuit Hæreſeôs Monotheliticæ, ut docent Epiſtolæ ad Sergium, & Honorium, in *Actis* Synodi VI. & Photius, *Biblioth. Cod.* CCXXXI. Diverſus ille, ut liquet, ab eo Sophronio qui coævus & familiaris Hieronymo fuit, ex hujus *Catalogo*. Cæterùm hujus nomine abuſi Impoſtores, ad adſtruendum *Cultum Imaginum*, *adorationem Crucis*, ſuperſtitiones id genus, indè à Synodo Nicænâ II. cujus produxêre ſcriptum ſuppoſititium, *Act.* IV. nempè

Baronius notatus. *Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ*. Baronius, ad A. DCXXXIII. & ſequaces, vellent conſenſiſſe cum Honorio, ut hunc ab Hæreſeôs ſuſpicione liberent; Qui tamen Sophronius habitâ Hieroſolymis Synodo, in quâ *duæ voluntates operationeſque* definitæ, Acta Synodica Honorio juxtà & Sergio tranſmiſit, in *Tomo* VI. *col.* 1697. utrique *duas voluntates actioneſque* dicendas perneganti.

Scriptor Chronici Alex. Scriptor *Chronici Alexandrini*, quamvis æquè *Conſtantinopolitanum* dici potuerit, (*Faſtos Siculos* vocant, à loco ubi repertum MS.) continuati ad XX. annum Heraclii. Niſi potius geminos ſcriptores hujus Chronici dicimus, primum ad A. Conſtantii Imper. XVII. qui eſt Æræ Chriſtianæ CCCLIV. deindè continuati ad Heraclium uſque, in cujus annum XX. deſinit. Quamvis hujus non meminerint nec Georgius Syncellus, nec Photius in *Bibliothecâ*. Quia autem Computum Paſchalem hic Auctor ſecutus eſt, ſeu Πασχάλιον, brevi narratione rerum geſtarum ad ſingulos annos, ſtylo plebejo (undè *Scriptor Idiota* Scaligero) variis centonibus inſertis, hinc *Chronicon Paſchale* dicitur Cangio, in noviſſimâ Editione A. MDCLXXXVIII. Ex quo interim non exigua lux Hiſtoriæ S. & Chronologiæ, ut paſſim in ſuperioribus obſervatum, laudante non ſemel, poſt Scaligerum, Raderum, alioſque, H. Valeſio, in ſuis Annotationibus ad Euſebium, & Continuatores. Sed vide qui Valeſium excepit Carolum Du-Freſne in *Præfat.* prolixè & de *Paſchalium* ſcriptoribus, & de hoc ipſo, commentantem.

Antiochus. Miris laudibus extollit Baronius ad An. DCXIV. N. LXVII. & ſeq. *Antiochum* in Laurâ Palæſtinæ Monachum, Scriptorem vulgò *Homiliarum* CXXX. in *Bibl. Patrum*: In quibus ſcilicet Antiochus, ad calcem Homiliarum, ut alter Hieremias, lugubre carmen ſcripſit, ſeu Exomologeſin vel Preces ad Deum conceptas, ob traditum Perſis, in expugnatione Hieroſolymitanâ, *lignum S. Crucis*, vivificum illud, adorandum, cujus & meminit Theophanes; *Fortitudinem noſtram*, *ornamentum ac decus*, *ſalutis noſtræ ſpem*, nempè *Crucem Chriſti tradidiſti Fidei adverſariis*, &c. Sed eadem *paucos poſt annos*, *cum triumpho*, *ſolemniter reſtituenda*, ſic Annalium Scriptor, nempè Ann. DCXXVII. à Choſroïs filio Syroë dicto.

Inclytus hoc Ævo *Maximus* Abbas, vulgò Confeſſor, ſub Conſtante Imperatore, cujus extat *Diſputatio* Græcè & Lat. (inſerenda Annalibus Baronianis *Tomo* VIII.) cum *Pyrrho Monothelitâ*, à ſe convertendo; in quâ *Honorium* ab Hæreſi illâ liberat, fide Johannis Secretarii Honorii, tùm ſuperſtitis quum Maximus illa ſcriberet, & ſententiæ Honorii in ſenſum Orthodoxum Interpretis, de non *contrariis* in Chriſto *Voluntatibus duabus*, ſcil. *carnis* & *ſpiritûs*. Undè Baronii pro Honorio defenſio, ad An. DCXXXIII. DCXLV. Rident ſaniores Pontificii, & nuper Cabaſſutius, atque intelligunt, 1. Hunc Secretarium, poſt fata Honorii, teſtem domeſticum fuiſſe, 2. In propriâ cauſâ, qui ſcriptæ à ſe illius *Epiſt.* nomine Honorii, grave tùm vituperium incurrebat. 3. Mutatâ jam ſcenâ, & Romanis Epiſcopis Hæreſi Monotheliticæ infeſtis. Sed de his ſuprà, ut & de *Collectaneis* Anaſtaſii Bibliothecarii dictum *Cap.* VIII. IX. Baronius notatus.

Mittimus *Joh. Moſchum* Εὐκρατᾶν (vulgò *Eviratum*) auctorem Operis Hiſtorici cui nomen fecit Λειμῶνος ſeu *Prati* Spiritualis; in quo narrat Monachorum Vitas, & quæ de iis mira vel ipſe audiverat, vel etiam teſtis oculatus viderat, ſcribens circà A. CXXX. de quo jam ſuprà: *Andream*, ex Monacho Archiepiſc. *Cretenſem*, cujus *Homilias* in Mariam Virginem, in Sanctos varios S. *Titum*, S. *Georgium*, S. *Nicolaum*, &c. edidit Combefiſius *Pariſ.* A. MDCXLVI. Quem tamen ad ſequens Sec. removet Caſim. Oudinus, & alii, Auctorem mire interpolatum; ac recentioribus ſuperſtitionibus fœdatum: *Georgium Piſidem*, Scriptorem Ἐξαημέρε, tempore Sergii Conſtantinopolit. cujus fuit Eccleſiæ Chartophylax, de quo Voſſius, Allatius, alii: *Anaſtaſium Nicænum*, diverſum à Sinaitâ, Labbeo invito, *Diſſert. de Script. Eccleſ.* & omninò poſt Trullanam Synodum ſua ſcribentem, quam ille citat: *Leontium* in Cypro Epiſcopum, cui Apologia adversùs Judæos, & Homiliæ quædam adſcriptæ; Baronii errorem Criticum, de hoc Leontio, coarguente Labbeo, *Diſſert. Hiſtor. Tomo* II. p. 25. Scriptor. alii.

III. In Occidente verò celebrioris nominis fuit, *Iſidorus* Hiſpalenſis Epiſcopus, diſcipulus Gregorii Magni, clarus ſub Heraclio, multâ literaturâ, ſcriptis Hiſtoricis, Exegeticis in Scripturas S. & Moralibus cumprimis, inclytus: Cui falsò *Decretalium Epiſtolarum* Collectio tributa, recentior illa longè, quâ de re Blondellus noſter, poſt Magdeburgenſes, in Pſeudo-Iſidoro, *Proleg. Cap.* II. Sed & ejus ſcripta Theodoſium Hiſpalenſem, Iſidori ſucceſſorem, *corrupiſſe*, *reſecantem varia*, *inſerentem falſa*, monuit Lucas Tudenſis, ſæpè laudatus Baronio. Quâ de re Critici cumprimis. Dignus vir melioribus temporibus, ac miris elogiis efferendus, in Synodo Toletanâ VIII. *Cap.* 11. Tomo VI. ut *poſtremus* quidem Doctorum Eccleſiæ, *in Seculorum fine*, at *non infimus*, *doctiſſimus*, &c. Luculenta ejus, contrà doctrinam *Tranſſubſtantiationis*, & *Sacrificium* Miſſaticum, effata, collegit poſt alios, & Albertinum noſtrum, Claudius Pariſienſis Miniſter, Reformatæ cauſæ in Galliis eximium columen, in ſuâ contrà Arnaldum Diſputatione *Part.* I. *Cap.* IV. V. Mortuus creditur circà An. DCXXXVI. alii ſeriùs, ut pluribus dictus Blondellus, in Prolegomenis *Pſeudo-Iſidori*. Iſidorus Hiſpalenſis.

Hujus & Ævi *Ildefonſus* vel *Hildefonſus* Toletanus Epiſcopus, indè ab A. DCLVIII. Scriptor *Vitæ* Iſidori Hiſpalenſis; & fortaſſe Libri de *Viris Illuſtribus*, adſcripti Iſidoro; nequaquàm Librorum *de* Ildefonſus Tolet.

Aſ-

Digitized by Google

Aſſumptione, *Nativitate*, *Purificatione Virginis*, ut conſentiunt Doctiſſimi in Pontificiis. Et ob iſta quæ de M. Virgine dicitur elaboraſſe ſcripta, hinc fabulæ Hiſpanorum, v. gr. de apparitionibus Virginis, deſcenſu ejus corporali è Cœlo ad Ildefonſum, donis ad Ildefonſum miſſis, præcepto de Ildefonſi feſtivitate celebrandâ *duplici Officio*, & id genus aliæ, ad augendam *παρθενολατρείαν*, quas *ἀμυσὶ κινῇ* Baronius, ad A. DCLVIII. *Num.* XLII. *& ſeq.*

Baronii credulitas.

Julianus Toletanus.

Julianus Toletanus (diverſus à *Juliano Pomerio*, vel *Juliano Diac.*) haud diu poſteà Ildefonſo ſucceſſit, præſes Toletanæ Synodi XII. XIII. XIV. XV. Magnus tùm doctrinæ Catholicæ, ex Confeſſionibus fidei, tùm Diſciplinæ aſſertor, prout ferebant tempora; ut pluribus *Acta* dictar. Synodorum teſtantur, & quæ illi tribuuntur Opera, in *Bibl. Patrum*, partim *Exegetica*, partim *Moralia*, partim *Elenchtica*, contrà Judæos. Porrò advertenda Baronii confeſſio, ad An. DCLXXVIII. *Num.* III. *in Synodo Toletanâ* XV. *Julianum Epiſcopum Toletanum paulo licentiùs inſultaſſe in Romanum Pontificem*, nempè *Benedictum* II. qui in Juliani Libro de *Tribus Subſtantiis* quædam reprehenderat. Undè Benedictum accuſat Julianus incurioſæ lectionis, oſcitantiæ, ignorantiæ & Scripturarum, & doctrinæ antiquorum Patrum, prolixè in Actis dictæ Synodi, *Tomo* VI. *à col.* 1296. Hæc (inquit) Annalium Scriptor *ex Spiritu erroris*, provocatque ad *ea quæ ſæpè ſuperioribus Tomis dicta ſunt*, *nimirum omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum ac Doctorum arbitrum eſſe Romanum Antiſtitem*, *atque de his ſingulis Judicem eſſe Apoſtolicam Sedem*: Bona verba! Hinc cauſatur Julianum ex Judæo Neophytum, ex Neophyto Epiſcopum, quod non licuiſſet olim (inquit) *niſi Apoſtolicâ indulgentiâ*.

Baronius notatus.

Marculphus Monach. Gallus.

Marculphus Monachus Gallus, non ſatis certæ ætatis, ſcriptor Librorum duorum inſignium, quos inſcripſit *de Formulis*, edente primùm è Bibl. Regiâ Hieronymo Bignonio, deìn Stephano Baluzio, *Tomo* II. Capitular. p. 371. cum adjectis ad Marculph. Notis. Ex quibus Formulis patet, qualiter ſcriberentur Regales Chartæ, de Privilegiis aut juribus *Monaſteriorum*, *Abbatum*, De electione *Pontificum*, ſeu Epiſcoporum prævio Regis mandato, de eligendo *tali Succeſſore*, *Illuſtri viro*, &c. cui Rex *decreviſſet in ipſâ Urbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem*, &c. Sic C. IX. *Lib.* I. ne *Clericus* quidem ordinari potuit, abſque licentiâ à Rege acceptâ, ſeu *tonſurari*, *& ad ſupra ſcriptam Baſilicam vel Monaſterium deſervire*: Hinc intelliguntur ex eodem *Formulæ*, de officio *Ducum*, *Patriciorum*, *Comitum*; de *Tractoriis* Epiſt. pro iis quæ Legatis ad hunc vel illum locum, aut Miſſis Regiis, eſſent ſubminiſtranda; de Conceſſionibus ſeu *Emunitatibus* Regiis in favorem hujus vel illius Eccleſiæ; de *Antruſtrionibus*, qui Regi in Palatio ſuo *truſtem* ſeu fidelitatem juramento promiſiſſent, & viciſſim à Rege tuitionem ac patrocinium expectarent; de *Manſuariis*, ſeu qui certum cenſum vel penſionem vel ſervitutem Domino prædii, deberent, pro libero *manſo*; de *Leudeſamio* Regi promittendo, ſeu ſervitio quod *leudes*, id eſt, ſubditi Principi ſuo debent; de *concambio* (permutatione) terræ, aut vineæ, aut prati, &c. Ità ex Marculpho intelligitur, ſub primâ Francorum Regum Dynaſtiâ, licuiſſe conjugibus matrimonium diſſolvere, *ſeu ſe à conſortio ſeparare*, ubi *diſcordia regnaret*, *& ob hoc pariter converſare minimè poſſent*, L. II. C. XXX. Sic *Homicidis pœnam* potuiſſe redimi pecuniâ, à defuncti vel filiis, vel nepotibus, vel fratribus, aut cognatis; qui ſatisfactione acceptâ, paterentur homicidæ *Libellum ſecuritatis* dari, Libro II. C. XVIII. Sic eodem Lib. C. XII. diſcimus, *filias* tum, in Francorum regno, paternam hæreditatem cum fratribus non diviſiſſe: Niſi patres expreſsè caviſſent ut *filiæ æquales & legitimæ heredes*, *æquali lance*, *cum filiis germanis* eſſent. *Formulæ* hujuſmodi XL. Libro I. comprehenduntur, & LII. Libro II. Vixiſſe colligunt Seculo VII. quod Opus ſuum inſcripſerit *Landerico Papæ*, qui *Papa*, id eſt, Epiſcopus Pariſienſis fuit A. DCLX. ſub Clodoveo Dagoberti Filio; ut Bignonius ad Marculphum, in *Præfat.* editâ *Pariſ.* 1613. & conſentiunt Baluzius, Labbeus, recentiores alii.

Beda Anglo-Saxo.

Beda, vel *Bedas*, à loco nativitatis *Girwinus*, & ob morum gravitatem, doctrinam, modeſtiam cognomento *Venerabilis* (lepidâ aliâ hujus cognomenti origine, ex revelatione accepti, fusè apud Baronium ad An. DCXXXI. *Num.* XXIV. XXV.) decus gentis Anglo-Saxonum rarâ eruditione, infelice hoc quidem Seculo, & parte ſequentis; etiam Hiſtoriis, Commentationibus in omnem Scripturam S. Martyrologio, Scriptis propè innumeris, & vitâ ab anno ætatis VII. Monaſticâ, clarus: Annus mortis non ità certus, benè annus nativitatis qui fuit DCLXXIII. vel ex notato à Bedâ, in fine *Hiſt.* Anglicanæ, ætatis ſuæ anno LIX. Chriſti illo DCCXXXI. Quo ipſo putavit Sigebertus, hoc anno vivere deſiiſſe. Ità Petrus de Natalib. abiiſſe A. 700. Marianus, A. 729. Sigebertus, A. 731. Matth. Weſtm. A. 734. Baron. poſt Annum 776. Bedæ verò contigiſſe mortem A. DCCXXXV. Cyclo *Sol.* XVI. *Lunæ* XIV. *Ep.* I. Paſchate incidente eo anno in *April.* XVII. plerique ſentiunt; natum ſic annos LXII. vel LXIII. pro quo Trithemius & Bergomas habent annos LXXII.

Hinc & ſequenti Seculo inclytus, vitâ in longum ſic ſatis ævi productâ. Suorum ipſe Catalogum ſcriptorum confecit, qui tamen deeſt apud Bedam, ſed augendum poſteà, quem vide ex Honorio Auguſtodunenſi, Trithemio, Bergomate, apud Auctores *de Scriptoribus Eccleſiaſt.* & Joh. Balæum *Cent.* I. Baronium verò, *& in Ætate ejus deſignandâ*, (qui vixiſſe putat annos CV.) *& in quibuſdam aliis hallucinari*, nempè in Scriptorum Bedanorum criſi, rectè poſt alios monet Phil. Labbeus, in Bedâ. Fusè nempè de eo Annalium Scriptor, cumprimis ad An. DCCXXXI. quando egit Beda annum ætatis LIX. Satis hoc loco monuiſſe, I. Et *Martyrologium* Bedæ, cujus ipſe meminit, & alia quædam ejus Scripta à Monachis interpolata fuiſſe; non paucis etiam Bedæ afflictis, ob auctoritatem tanti nominis, quæ barbariem & ſuperſtitionem Monachalem ſapiunt, nec diffitente Bellarmino, Libro *de Scriptor. Eccleſ.* 2. Nihil, *inter tot ſuperſtitionum monſtra*, ità Balæus, ceſſiſſe *Gregorio* M. Doctrinæ integritate, præſtantiorem verò notitiâ Antiquitatis, Commentationum luce, Styli ſuavitate, Linguæ utriuſque, Matheſeôs, ac Diſciplinarum exoticarum peritiâ. At credulâ nimis ſimplicitate inſeruiſſe ſuo Martyrologio, ſuiſque Chronicis, & Hiſtoriis, Monachorum varia portenta, jam ſuperiùs obſervatum eſt. 3. Doctrinam eundem e. gr. de æternâ *Prædeſtinatione*, & *Juſtificatione* ex merâ Gratiâ ſolo Chriſti merito, per fidem, de *ἀδυναμίᾳ Lib. Arbitrii*, de *ſacramento Carnis & Sanguinis Chriſti in panis ac vini figurâ*, (ſic loquitur Comm. in *Luc.* XXII. *Tomo* V.) tradidiſſe, Pontificiæ ac Jeſuiticæ diſſimillimam.

Baronius notatus.

Gratis Baronius huic detrahit Commentarios in Epiſt. Pauli, ad Ann. Chriſt. DLXII. N. XVI. pluribus arguente Baronium Bellarmino, *de Script. Eccleſ. Sec.* VIII. Impoſtor eſt qui, mentitus Diſcipuli nomen, Bedæ *Vitam* conſarcinavit.

Eligius Lemovix.

Eligius Lemovix, ex Aurifabro Epiſcopus Noviomenſis, qui Concilio Cabilonenſi I. A. DCL. interfuit, ut ex ſubſcriptionibus apparet, Clodoveo II. Rege. Varia illi afficta, ut *Homiliæ* XVII. quas nequicquam proferri in favorem *Tranſſubſtantiationis*, pluribus Albertinus in Opere de *Euchariſt.* & auctorem

vixiſſe circà medium Seculi IX. cenſet Oudinus, quem vide in *Eligio.*

Scriptores alii in Occid.

IV. Nec defuêre Scriptores hoc Ævo plures, è Monachorum cumprimis grege, cumprimis in Orbe Britannico, & Hybernico, Balæo diligenter recenſente. At cùm obſcuri illi magis, tùm plerique Romanis traditionibus faſcinati. In his *Jonas* Monachus, ex Scotorum gente, ut ipſe Præfat. ad Vitam Columbani, cujus comes & Diſcipulus fuit, dein Abbas ipſe Luxovienſis: Alii Italum fuiſſe volunt, Seguſio (*Suze*) oriundum. A quo plures *Vitæ* Monachales ſcriptæ, Vita *Euſtaſii* Abbatis Luxovienſis, Vita *Attali* Abbatis Bobienſis, &c. ex quibus multa (ut ſolet his glandibus paſci) Annalium Scriptor.

Nec abſimilis *Theodorus* Græcus, ex Monacho Cantuarienſium Præſul, ſub Vitaliano, laudatus Agathoni in literis ad Conſtantinum, & de quo pluribus ſuprà. Balæo dicitur, *miſeras hominum conſcientias captivaſſe* variis Scriptis, ut *Summa Pœnitentiali*, *Capitulis Fratrum*, *Epiſtolis*, *&c.* Capitula ejus Pœnitentialia deſcripſimus *Cap.* III. *col.* 1182. 1183.

Bannochorenſe Cœnobium ſeu Collegium, nec Benedicti Regulæ, nec Romanis emiſſariis obnoxium, produxit Viros melioris frugis, v. gr. *Dionothum Avonium*, qui Auguſtino Monacho reſtitit, in Synodo Wigornienſi, de quâ ſuprà, eximium illis temporibus *Commentatorem* in Scripturas; *Nennium* Britonem ejus Cœnobii præfectum, cui *Antiquitates Britanniæ*, & *Hiſtoria Britonum* tribuitur, Gildæ à Polydoro & aliis adſcripta, nuper à V. Cl. Thomâ Gale quàm emendatiſſima vulgata: Et alios, quos vide apud Balæum in Centuriis, *Cent.* I. ex Bedâ, Lelando, &c.

Celebratur & apud Bedam *Hylda* Abbatiſſa, fœmina literata, Edwini Nordanhumbrorum Regis neptis, Aidani Scoti diſcipula; Pharenſis Cœnobii conditrix, vulgò à ſuis *Miſericordiæ Mater.* Quæ acriter, in publicâ Synodo, Papalium Rituum aſſertoribus repugnavit, pro Britonum antiquis moribus decertans; cui etiam Liber pro *Veterum Rituum Obſervatione*, item *Meditationes piæ*, tribuuntur. Vide Bedam *Hiſt.* Anglo-Saxonum, *Lib.* III. C. XXV. cumprimis ubi Vitam ejus & mortem deſcribit, A. DCLXXX. *Lib.* IV. C. XXIII. Ac prolixè de eâ quoque Balæus, *Cent.* I. *Num.* LXXX.

Nec tacendus ille *Cedmonus Simplex*, Bedæ quoque memoratus, Monachus Anglo-Saxo, ſub Egfrido Nordanhumbrorum Rege, qui *Scripturam univerſam per rhythmos, patrio ſermone edidiſſe* fertur, & *dormiens divina edidiſſe Carmina, quæ vigilantes quidam ex ejus ore ſcriptitabant.* Ità Balæus, *Cent.* I. Adde *Alfredum Nothum*, tandem & Nordanhumbrorum Regem, poſt Patris Oſwii Fratriſque exceſſum; quem à doctrinâ, & ſcriptis præcipuè in cauſâ *Paſchali*, ad Colmannum, ad Hyldam Abbatiſſ. commendant Malmesburienſis, Vergilius, Balæus, alii.

XII. *Superſtitionis Monachalis magna hoc Seculo incrementa. Abbatiarum fundationes inclutæ.*

Loca propagat. & auctores.

I. Feracius longè hoc Seculum prioribus fuit tùm *Monachorum*, tùm *Monaſteriorum*, in Italiâ, Britanniâ, Germaniâ, &c. quorum omnia fuêre plena. Cujus rei cauſæ fuerunt, Regum & Principum in Monachos liberalitas, vitæ admiratio, otii illecebræ, & quorundam inſignium Monachorum opera in propagando hoc vitæ genere: Quales *Auguſtinus* ille cum Sociis, & Succeſſoribus, *Benedictus Biſcopius*, *Aldhelmus*, *Wilfridus*, alii, qui Benedicti eò Regulam intulerunt: Sic qui ex Britanniâ profecti *Columbanus*, *Gallus*, *Elvius*, *Furſeus*, plures alii, Cœnobia ſuis prædicationibus, magnâque ſpecie ſanctitatis, condiderunt per Galliam, Helvetiam, Sueviam, & Orbem Septentrionalem.

Hinc *Reges* & *Principes* Diadema cum Cucullo hac Ætate commutantes, magno cum Monachorum commodo, ex Bedâ, Paulo Diacono, Sabellico, &c. quâ de re infrà *in Memorabilibus.* Ità *Reginæ* & *Principes* fœminæ Moniales factæ, & Illuſtrium Virginum tota agmina. *Reges* etiam depoſiti, tonſi, & Monachi facti, ut *Wamba* Gotthorum Rex, apud Marianam, Roder. Toletanum, &c.

II. Omnium celebratiſſima fuit Regula *Columbæ* vel *Columbani*, natione Hyberni, multorum Monaſteriorum in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Helvetiâ Patris, Comgalli diſcipuli, Galli magiſtri: Quem malè confundunt Eruditi, Goldaſtus, Dempſterus, Baronius, cum *Columbâ* priore Hyberno, ſuperiore Seculo Pictos Septentrionales convertente; & cujus Vitam ſcripſit *Adamannus* Hybernus, & ipſe Monachus, hoc *Sec.* mortui circà An. Chr. DXCVII. ut ex Bedâ Uſſerius *in Antiquitat. Britann.* p. 693. Hic verò, deſcriptus fusè à *Jonâ* Monacho, celebre ut in Italiâ *Bobienſe*, An. DCXIV. ſic in Galliâ Burgundicâ Monaſterium condidit, *Luxovienſe*, (*Luxeu*) Childeberto Rege Francorum adjutore; pellendus in exilium à Theodorico, inductu Brunichildis Reginæ, *factus* tamen ibi (ità Bernardus in Vitâ *Malachiæ*) *in gentem magnam.* De eo Jonas Monachus, Sigebertus, Clarævallenſis, alii, ex his Balæus, Hoſpinianus, Baronius qui malè confundit cum *Columbâ* Pictorum Apoſtolo, ad A. DLXV. & deinceps. Et hujus variis Superſtitionibus ſe oppoſuit *Agreſtinus* ille, de quo ſuprà, cum *Apellino* Epiſcopo, re in Matiſconenſi Synodo diſcuſſâ, de quâ itidem antè.

Columbanus.

Error Baronii.

Cæterùm *Columbani* Regula, à Goldaſto primùm edita in *Paraneticis* veteribus, hinc aliis, diverſa fuit ab illâ *Benedicti*, longè & ſimplicior & ſanctior, prout antiqui Mss. Codices eam exprimunt, vel noviſſimè in Collectione Lucæ Holſtenii, *Cod. Regul.* P. II. Sed auctaria illi acceſſerunt à ſuperſtitioſiſſimis Monachis, in *Bobienſi* Monaſterio, in quo ſepultus Columbanus, An. DCXV. Et tandem hæ Regulæ Columbani & Benedicti in unam junctæ. In *Vitâ* ejus & *Miraculis* recenſendis, ex Jonâ Monacho, aliiſque id genus anilium fabellarum Scriptoribus, multus eſt Annalium Scriptor, ut in talibus conſuevit. Nec abſque illis commentis, vel *Regulæ* propagatio, vel *Sancti* deinceps coguomentum, obtinere potuiſſent.

In diſcipulis & ſociis præcipuus fuit *Gallus* ille, qui in Germaniam delatus, hinc in Helvetiæ ſolitudines, Viris aliis adſcitis, originem dedit Abbatiæ & Urbi Sancto-Gallenſi. Mortuus autem ipſe Gallus x. poſt Columbanum annis, id eſt, A. DCXXV. ut ex ejus *Vitâ* à Theodoro Campidonenſi ſcriptâ, Uſſerius, alii. Nec diverſa primò fuit Galli Regula ab illâ Magiſtri Columbani, de quâ modò; quamvis de utroque ſuprà Aventinus *Annal. Bojor. Lib.* III. intuliſſe hos inter Bojos & Suevos *novas ceremonias, novam ſervitutem, atque onera, contrà Majorum inſtituta.*

Gallus.

Acceſſit Regula *Johannis Gerundinenſis*, in Luſitaniâ Epiſcopi, fundatoris Gerundinenſis Monaſterii, confirmata à Bonifacio IV. de quâ, ex Platinâ & aliis, Hoſpinianus *Lib.* IV. C. V. Feruntur & Regulæ Monachales ſub nominibus *Iſidori Hiſpalenſis*, & *Fructuoſi Bracarenſis*, de quo in Concilio Toletano X. quaſque, poſt alios, exhibet in nuperâ ſuâ Collectione Holſtenius; acceſſuris Miraculis quibus

Regularum alii auctores.

bus tantis Patronis conciliaretur auctoritas. Fide Monachorum ſingula. Adde Britannorum varias *Regulas*, à Comgalli diſcipulis profectas, apud Uſſerium Armach. in *Antiq. Brit.* ubi Catalogus Sanctorum Hyberniæ.

Illuſtres Abbatiæ hoc Sec. fundatæ.

III. Illuſtres hoc Seculo fundatæ *Abbatiæ*, quæ in hunc diem regiis proventibus luxuriant. Ex primis fuit in Burgundionibus vel Sequanis *Luxovienſe* Monaſterium, de quo modò; hinc *Bobienſe*, in Cottiis Alpibus, tractûs Pedemontani; Columbano utriuſque, in Voſago monte, parente. Ac is in Bobienſe Monaſterium ſe recepit, poſtquàm Luxovienſi pulſus fuiſſet à Theodorico Rege, ſub initium Sec. VII.

Abbatiæ S. Dionyſii.

Omnium celeberrima, in Gallicanis, Ædes & Abbatia *S. Dionyſii*, propè Lutetiam Pariſiorum, fundatore Dagoberto, ac dotatore munificentiſſimo. Verùm quum A. DCLX. Clodoveo II. Rege, Dagoberti filio, *fames totam penè Franciam occuparet*, (ſic Aimoinus, *Lib.* IV. C. XLI. Joh. Tillius *in Chron.* aliique) juſſit optimus Princeps aurum & argentum, quo Pater Ædem illam inſtruxerat, in pauperes & egenos diſtribui. Quod pientiſſimum factum, Hiſtoricis laudatum, ac verè Chriſtianum,

Baronius notat.

Baronius nihil tergiverſatur vocare *Sacrilegium*, *ultione divinitus immiſſâ puniendum*, ad Ann. DCLX. *Num.* I. Nempè ex Sigeberto, qui hunc Regem, ob fractum os Brachii Dionyſiani, *in amentiam perpetuam incidiſſe* refert in Chronico, ſed mendaciſſimè, ut id genus plura Sigebertus. Addit Baronius, ut ſolet, hoc factum *cauſam* fuiſſe *ruinæ Regni Francorum*. Ac prolixè declamat Annalium Scriptor, eâ occaſione, in *Principes*, qui *quodcunque impietatis factum aliquo tamen pietatis tegumento velant*. Nec in eo tantùm Clodovei *impietas*, quod Sacra illa depoſita, urgente fame, erogaverit in pios uſus, ſed quod fecerint *manus Regiæ*, quæ *Sacerdotales eſſe debuerant*. Videlicet, non Regis erat, ſed Sacerdotum, de his theſauris diſponere; hinc *collabi Regnum Francorum*; hinc Clodoveum auctorem repetiturum *facinus* adeò *deteſtandum*! Et tamen, quis à riſu ſibi temperet, fatetur paulo infrà Baronius, falſum eſſe quod de Clodovei *amentiâ* Sigebertus; Regem cum ſummæ *pietatis* edidiſſe ſpecimina, quin ipſum Monaſterium S. Dionyſii *ab omni Dominio liberum feciſſe*, convocato Clippiacenſi Conventu ex Epiſcopis & Proceribus Regni, A. DCLXIX. *Nobis itaque devotio hæc exſtat animi*, ſic Aimoinus loco cit. *ut Monaſterium Patroni noſtri Domni Dionyſii, in quo ipſe, cum Conſortibus teſtimonii veritatis, requieſcit humatus, & piæ memoriæ Genitores noſtri, Domnus videl. Dagobertus & Domna Namildis, ſe ſepeliri mandarunt, ab omni ſolvamus Dominio mortalium*, & quæ ibi plura. Hinc præceptum Clodovei II. pro Libertate illius Monaſterii, in S. Dionyſii Tabulario adhæc legitur, editum à Dubleto in Hiſt. Dionyſiana, à Sirmondo, T. II. Concil. Gall. tandem ex Autographo corticeo exhibet Mabillonus, de Re Diplom. L. VI. *pag.* 466. Ut in eo nullam falſitatem aut interpolationem Viri illi deprehenderint, nec Le Cointe in *Annal.* ad A. DCLIII. ut aliàs ſolent Monachorum Privilegia eſſe aut ficta, aut interpolata.

Abbatia Corbejenſis.

Accedit celebris Abbatia *Corbejenſis*, in Pago Ambianenſi Belgicæ Secundæ, fundata Clotario II. Rege, circà Ann. DCLXIV. à Balthildi vel Baltechildi matre: Quâ de fundatione, & conceſſis immunitatibus, adi Baronium, Sirmondum, Contium, & Labbeum Editorem Conciliorum, T. VI. *col.* 525. Nec confundendum *Corbejenſe* hoc Galliæ Monaſterium, cum recentiori altero *Corbejenſi* Saxoniæ, Ludovico Pio Imperatore, ad ripam Viſurgis fluminis, quod à priori nomen accepit, hodiè inter nobiliſſima Germaniæ. Ità Abbatiæ inclytæ, quæ in Galliis huic Seculo originem debent; ſive munificentiâ Regum & Reginarum, ut *Sigeberti* Auſtraſiæ Regis, qui XII. Monaſteria ædificavit; tum Clotarii II. Dagoberti I. Clodovei II. Clotarii III. Childerici II. Theodorici I. &c. ſive liberalitate Magnatum, & privatorum. Ità hoc Ævo ſundata Monaſteria inclyta, *Fontanella* in agro Rhotomagenſi, Wandrigiſilo Conditore; S. *Walerici* Abbatis in Picardiâ, vulgò S. Valery; *S. Judoci ad Mare* ſcil. Britannicum, Gallis *S. Joſſe* ſur Mer; S. *Vedaſti* in Atrebatenſi Comitatu, à Theodorico Rege conditum; S. *Trudonis* in Leodicenſi pago, ſub Metenſi tamen Antiſtite; S. *Goari* ad Rhenum, haud longè à Confluentibus Moſellæ & Rheni; *Floriacenſe*, extrà muros Aurelianorum poſitum, poſteà S. *Benedicti* appellatum, poſtquàm Caſinenſe Cœnobium à Longobardis deſtructum fuit. Sic Monaſterium S. *Audemari*, quondam Bononenſium & Tarvannenſium Epiſc. undè factum *Saint Omer*, quæ dein Civitas Epiſcopalis; aliàs Monaſterium S. *Bertini* primi Abbatis, & *Sithieu* in Tarvannenſi pago, Gallis *Terouana*, in cujus favorem extant Diplomata Clotharii III. Childerici II. Theodorici I. Clodovei III. &c. apud Mabillonum de Re Diplom. L. VI. p. 605. 606. 607.

Glaſcoà nenſe Monaſt.

In Britanniâ, labente Seculo, celebre Monaſterium conditum *Medhamſteda*, quæ deinceps *Petriburgum* vulgò Peterburg; quod vicem exhiberet Liminis S. Petri vel Apoſtolorum, ſi quis voviſſet *peregrinari Romam*, modò perveniſſet ad Eccleſiam *Medhamſted*. Locus in Merciorum ditione, Ethelredo Rege, cui ab Agathone Papâ An. DCLXXX. ut ferunt, confirmata fuêre Regis Privilegia, ut immunes eſſent Monachi *cùm à Regis, tum ab Epiſcopi ſervitutibus*; Papâ autem in hunc modum ſanciente, in Epiſtolâ quam Regi Ethelredo, Theodoro Cantuar. & Sexulpho Merciorum Epiſcopo, inſcripſit, apud Spelmannum in Conc. Britann. p. 163. *Ex parte Dei, & S. Petri,* & *omnium Sanctorum, & Sacrorum Ordinum prohibemus, ut nec Rex aliquis, nec Epiſcopus, aut Comes, aut hominum quiſpiam, reditus aut tributum aut ſervitii genus aliquod, exigat aut percipiat à dictâ Abbatiâ de Medhamſtede,* &c. Item, *Volo ut hic Abbas habeatur Romanæ Sedis Legatus per totam Angliam*, & quæ ibi plura, de quibus etiam dictum in Agathone, *col.* 1190. Huic etiam Seculo tribuitur fundatio Templi & Monaſterii *Glaſtonienſis*, Anglis *Glaſtonbury*, cum ampliſſimis privilegiis, in Somerſettiæ Prov. per *Inam* Viſi-Saxonum Regem, in memoriam ſcil. Joſephi Arimatheæ, niſi veriùs ad ſequens Secul. inchoatum referas. Quamvis alii altiorem originem repetant, ſed fabuloſam, indè à *Lucii* Regis temporibus, dehinc Patricii, Scotorum Apoſtoli; novâ modò per Inam inſtauratione factâ. Quâ de re pluribus Uſſerius, *de Britann. Eccleſ. Cap.* VI. ut idem fusè de reliquis per Britannias Hyberniamque Cœnobiis, quæ longè plurima, & magnis privilegiis dotata.

Abbatia Sant-Galli.

In Helvetiæ ſolitudinibus, ſurrexit hoc Seculo Abbatia *Sant-Gallenſis*, à *Cellâ* S. Galli quam ibi ſtruxerat Columbani hic diſcipulus, in denſiſſimo nemore: Poſteà Sigeberti Auſtraſiæ regis, & Fridiburgæ conjugis auſpiciis convertenda hæc Cella in Monaſterium, dehinc Pipino Rege in Abbatiam opulentiſſimam, Urbe etiam cognomine extructâ. De quâ pluribus Chronographi, & Hoſpinianus de *Monach. Lib.* IV. C. XXVII. Ubi longam Cœnobiorum ſeriem exhibet & Abbatiarum, ex Chronicis, quæ Seculo hoc VII. per omnem Europam fundatæ ſunt, quem adi. *Fundationum* cauſæ, Regum, Reginarum, Principum, populorumque ſuperſtitio; ſæpè ſcelera quibus eluendis pias fundationes inſervire Monachi perſuadebant, externâ pietatis ſpecie ac devotionis hominibus imponente; undè Donationes in Monaſteria ſine modo & fine.

IV. Fuê-

Digitized by Google

Monaſteria Scholæ.

IV. Fuêre autem *Monaſteria*, pluribus in locis, hoc adhuc Seculo, ex primâ inſtitutione, verè Ἀσκητήρια, & Scholæ bonarum artium, officinæ Literarum, Bibliothecarum ſedes, & in ſpeciem (ſaltem ex primâ inſtitutione) domicilia caſtitatis, frugalitatis, lectionum, cantionum, precationum, &c. Sic in Monaſteriis, ex primâ inſtitutione, *manibus operari*, & victum ſibi comparare tenebantur; ſed mox labor manuum deſuetudine, & munificentiâ Regum, ſed & Conciliorum decretis, remiſſus fuit, ut impenſiùs ſcilicet orationi & lectioni vacarent; de quo Alteſerra J. C. Toloſanus, in Aſceticôn *Libro* v. C. ix. Quanquàm Benedictus, Regulâ ſuâ, opus manuum inter ſuos inſtauraverit, deindè & Ciſtercienſes Monachi, à Cluniacenſibus hoc nomine deriſioni habiti, ut ibidem videre eſt. Ità *Bangorenſes* Monachi in Britanniâ, *omnes de labore manuum ſuarum vivere ſolebant*, ut Beda Hiſt. Eccleſ. *Lib.* ii. C. ii. Sed etiam in eadem Britanniâ, poſt *Bangorenſe* vel *Bannochorenſe* Cœnobium, plura id genus Monaſteria ſtructa, quæ totidem *Gymnaſia*, Scholæ in quibus Artes, Diſciplinæ, Literæ Sacræ, etiam Græcæ Latinæque, tradebantur: Imprimis quæ non tam Benedicti, quàm *Comgelli*, & *Columbani* Regulam ſectabantur. Quanquam & de Monachis Benedictinis idem teſtatur Trithemius, de *Viris Illuſtr. Lib.* i. C. vi. & in *Chronico* Hirſaugienſi. Et hinc incrementum ejuſdem *Ordinis*, dum plerique accedentes ad Monaſterium *ſtudiorum* gratiâ, dulcedine illius vitæ illecti, ab eo deinceps non receſſerunt. Scholas autem habuerunt vel *interiores*, ſeu *Clauſtrales*, pro iis qui ſe monaſticæ vitæ devoverant, vel *exteriores* pro ſecularibus quibuſcunque pueris. Undè Monaſteriorum condendorum hic præcipuus finis, quem Reges & Principes ſibi propoſuêre, ac poſteà Carolus M. Quo factum, ut plerique hujus ac ſequentis Ævi in Occidente ſcriptores Monachi fuerint, vel Abbates, qui ferè ſoli literas tractarent, & Scripturas in Cœnobiis ſuis interpretarentur, uti Collegiorum Præfecti. Hinc in Monaſteriis hauſta *Bedæ*, *Aldelmi*, *Nennii*, &c. hoc Seculo doctrina; dein *Albini*, *Uſuardi*, *Haymonis*, *Rabani*, ſimilium, ſecuturâ Ætate. Etiam Monachos Benedictinos, ſed magis ſequentibus Seculis, occupatos fuiſſe in *exſcribendis Libris*, quod *Antiquariorum* fuit, tot Monachorum Mss. teſtantur; & ex Gregorii Dialogis, *Libro* ii. C. iv. *Feſtine ad Equitis Monaſterium cucurrit, ibique abſente illo Antiquarios ſcribentes reperit.*

De tonſurâ Monachali.

V. Cæterùm ſcrupuloſam *tonſuræ* rationem, ac diverſam ab hodiernâ, præterire nefas eſt. Beda *Hiſt. Lib.* iv. C. i. & aliàs, repræſentat aliam tonſuram Orientalium ad *Pauli* Apoſtoli exemplum, aliam Occidentalium ad illud *Petri*. Nempè Petrum, ad formam Coronæ Spineæ exprimendam, detonſo ſuperiùs capite toto, ſolam Circuli coronam inferiùs reliquiſſe, quod probant hoc Seculo Toletani Patres, in *Concil.* iv. *Cap.* xli. At Paulum ajunt *raſum* toto capite fuiſſe, ut & Jacobum fratrem Domini, quem Græci imitarentur. Ac Petri tonſuram vocarunt *Clericalem* tonſuram, etiam *Monachalem*, quum eadem eſſet hoc Seculo Clericorum & Monachorum. Deinceps verò fuit tonſura Latinorum, novâ ſuperſtitione, in *raſuram* verſa; tùm Monachorum pars capitis ſuperior tota abraſa, inferior intonſa, qualis hodieque conſpicitur. Abſurdus Baronius, & Garſias ad dictum *Canonem* Toletanum, qui *tonſuræ* eum modum, ſed & *raſuræ*, probant ex Pſeudo-Decretali Aniceti Papæ, & ex Hieronymo *ſuppoſitis*, qui *raſuram* aliquoties improbat, ut ignominiæ ſignum. In Oriente & *tonſuram* obtinuiſſe, quæ in profeſſione Vitæ Monaſticæ fiebat, vel ex Dionyſio Areop. liquet, *Hierarch. Eccleſ.* C. vi. ubi ſacerdos Monachum conſecrandum, à *ſigno crucis obſignatum* Σφραγῖδι *tondet*. Ubi abſurdè Corderius in Annotation. *Undè patet jam indè à temporibus Apoſtolorum, quorum Diſcipulus & coætaneus fuit Dionyſius, ſtatum illum* (tonſorum Monachorum) *in primitivâ Eccleſiâ fuiſſe celebratum.* Ità Halloixius Jeſuita, qui egregiè vapulat Dallæo noſtro, de *Suppoſitis Dionyſ. Areop.* L. i. C. xxiv.

Diſcrepantia ab hodiernis moribus.

Inſtituta alia hujus Ævi Monaſtica, in multis diſcrepantia ab hodiernis moribus, deſcripſit hoc Seculo Iſidorus, Libro *de Officiis*; eademque ex Bedâ quoque, ex Balæo, & aliis intelliguntur. De quo jam occupatum ad *Sec.* iv. *col.* 936. & Secul. vi. *col.* 1152. Ac ſatis eſt *Regulas* inter ſe contuliſſe, priores cum poſterioribus, ſimpliciores (ut dictum de illâ Comgelli, Columbani) cum fœdatis obſervantiarum ac traditionum futilitate Regulis.

XIII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi, miſcellanea.*

Fabulæ prætermiſſæ.

I. HIc quidem *fabulas* reſecamus, apparitiones, miracula, portenta, ſigna, pro confirmandis *Reliquiis*, laboribus animarum in *Purgatorio*, Miſſis pro *Defunctis*, *Confeſſionibus*, *Interceſſionibus* Sanctorum, *Monachorum* inſtitutis, &c. Quorum plenus eſt ad hoc Seculum in Chronico ſuo Sigebertus, Paulus Diaconus in Hiſtoriâ Miſcellâ, Vincentius in Speculo, Legendæ, ac *Vitæ* innumeræ, quædam hoc Ævo ſcriptæ à Jonâ, Adamanno, Bedâ, pleræque Ævi poſterioris. Et his implet Annales ſuos Baronius nugis, & fabellis, quas, ſi lubet, require apud Magdeburgenſes *Cent.* vii. *Cap.* xiii. vel apud *Laur. Surium*, de Vitis Sanctor. undè ſapit Baronius. Saniùs ſenſerunt hoc Ævo Agobardus, & Lupus ad Vitam Maximini.

Remiſſio juris Imperat. circà electionem Rom. Epiſcopi.

II. Dignior memoratu eſt, mutatio hoc Seculo facta circa *electionem* Romanorum Pontificum. Remiſerunt enim Orientis Imperatores, faciente Conſtantino Pogonato, Divali juſſione ad Clerum S. P. Q. R. in gratiam Benedicti II. (ſic Onuphrius, Baronius, &c.) jus confirmandi Papalem electionem, & quæ illi juri annexa erant, ut pluribus obſervat, ex Anaſtaſio & aliis, Onuphrius Panvinius ad Platinam, *in Vitâ* Pelagii II. Anaſtaſii verba in *Bened.* II. ſunt: *Hic ſuſcepit Divales juſſiones Clementiſſ. Conſtantini, magni Principis, ad venerabilem Clerum, & Populum, & feliciſſimum Exercitum Romanæ Civitatis, per quas conceſſit, ut Perſona qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, è veſtigio abſque tarditate, Pontifex ordinetur.* Quanquàm tempore Agathonis *remiſſum* eſſe ſolum *vectigal* Romanæ Eccleſ. non onus ipſum expectandi *aſſenſum* Principis, monet Alteſerra in Anaſtaſium *pag.* 78. ſed & Gratianus D. lxiii. *Cap. Agatho*; *Hic ſuſcepit ab illo divalem, id eſt, regiam Epiſtolam, ſecundùm ſuam poſtulationem; per quam relevata eſt quantitas pecuniæ quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis faciendâ. Sic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur, in Regiam Urbem, ſecundum antiquam conſuetudinem, ut cum eorum conſcientiâ & juſſione debeat Ordinatio proſperari. Item* Vitalianus, *direxit reſponſales ſuas, cum Synodicâ Epiſt. juxtà conſuetudinem, in Regiam Urbem, apud piiſſimos Principes, ſignificans de ordinatione ſuâ.* Quo de jure acres poſteà cum Imperatoribus Occidentis, jus priſtinum retenturis, fuêre Papis contentiones.

Baronius notatus. Jus Imperatorum vindicatum.

Ubi ſuo more Baronius, ad factum Conſtantini, *reſtitutam Romanam Eccleſiam in priſtinam libertatem*, ad An. Chr. dclxxxiv. N. ii. Item, *uſurpatam fuiſſe hanc confirmationem Imperatoris à Gotthorum Regibus, quibus expulſis Orientales Imperatores eam ſibi vindicarant.* Et ad An. dcvi. *Num.* i. *Factum ex Orientalium Imperatorum tyrannide, ut electioni Cleri oporteret acce-*

Digitized by Google

accedere conſenſum Imperatorum. Antè ad Ann. DXC. N. V. agens de electione Gregorii I. fuſè in *Odoacrum*, hinc *Juſtinianum Imperat.* invehitur, ut auctores hujus *tyrannidis*. Ex Baronio idem Binius, Allatius, reliqui. Atqui 1. Mirum hac de *tyrannide* non conqueſtos indè à Juſtiniano Imp. Romanos Pontifices, qui omnes ultrò ac devotâ mente Majeſtatem Imperatorum reſpexêre; nonnulli etiam Juſtinianum à zelo, pietate, Orthodoxiâ, & ipſe *Agatho* in ſuis ad Conſtantinum, Heraclium & Tiberium Auguſtos, commendarunt. 2. Sed & antè Juſtinianum, obvia ſunt facta *Conſtantii* Liberium conſtituentis Romæ Epiſcopum, ex Theodoreto *Hiſt. Lib.* II. C. XVII. hinc illa *Theodoſii*, *Valentiniani*, *Honorii*, *Theodoſii Junioris*, *Leonis* Imper. *Juſtini Sen.* qui nunquam paſſi ſunt Epiſcopum majorum Urbium, quibus imperarent, ut Romæ, Conſtantinopoli, Mediolani, Ravennæ, &c. abſque *electione*, *juſſu*, *conſenſu* vel *confirmatione* Principis. Vide ipſum Carolum Molinæum, de *Monarch. Francor. Cap.* XIV. XV. ut Goldaſtum, M. Antonium de Dominis, Conringium, Grotium, & Gallos recentiores taceam. 3. Mox à conceſſione illâ Conſtantini Pogonati, nonniſi factiones, turbæ, Schiſmata, ac Simoniacæ artes in adeundo Pontificatu conſpectæ, ab Exarchis redimendo grandi pretio; ex Platinâ in *Benedicto* II. *Johanne*, *Conone*, *Sergio*, ut Blondum, Sigonium, teſtes alios prætercam. 4. Undè etiam antè tranſlatum ad Gallos Occidentis Imperium, Adrianus I. in Synodo Rom. Carolo M. adhuc Patricio, conceſſit *jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem*, in ipſo Decreto, *Diſt.* LXIII. *Cap. Adrianus.* Undè Platina in Gregorio IV. noluiſſe hunc adire Pontificatum, *priuſquàm à Legatis Ludovici Imp. ob eam cauſam Romam miſſis, confirmatus eſſet.* Quod jus Imp. confirmavit *Leo* VIII. in Synodo Romanâ, tempore Othonis I. *Diſt.* LXIIII. C. *In Synodo*, & apud Platinam. Ne jam hæc Imper. Regumque in conſtituendis Epiſcopis, per Galliam, Hiſpaniam, Angliam, jura perſequar, etiam ex hujus Seculi factis, & decretis, uti *Canone* VI. *Conc. Tolet.* XII. ubi de electione *Toletani Pontificis*. Baronianæ adverſum iſta exceptiones alterius loci ſunt, quarum princeps eſt, *fictitia* omnia eſſe, quæ & Gratianus, & Platina, & reliqui memorant, de conceſſionibus Hadriani, & Leonis; nec aliter conſuevit, diſſecto nodo quem ſolvere non potis eſt.

Inæ Anglorum Regis factum. III. Ita hoc Seculo factum eſſe referunt Angliæ Regnum Romanæ Sedi tributarium: Nempè ab *Inâ* Occidentalium Saxonum Rege, poſt & cucullam induituro. Sed veriùs ad ſequentem iſtud Ætatem ſpectat. De *Ceadwallâ* verò Occidentalium Saxonum Rege, refert Beda *Lib.* V. C. VII. ex eo Baronius ad A. DCLXXXIX. *cum Genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſimè præfuiſſet, relicto Imperio, propter Dominum, regnumque perpetuum, veniſſe Romam*; ibi *baptizandum*, Sergio Pontifice, qui addidit *Petri* cognomen. Addit Beda, *ſimul ſperaſſe, quod mox* à Baptiſmo *carne ſolutus ad æterna gaudia mundus tranſiret. Quod conſecutum eſſe* dicit Beda, *Baptizatum die ſancto Sabbathi Paſchalis*, A. 689. & *in albis adhuc poſitum, languore correptum*, XII. *Kal. Majas die ſolutum eſſe à carne*, &c.

Duces Veneti quando. Primi *Duces* in Venetorum Republicâ hoc Seculo creati, ablatâ Tribunitiâ poteſtate. Sed tamen *Duces* cum jure Dominii, quod anteà Imperatorum fuit, demùm creati circà medium Seculum VIII. Quibus ſucceſſerunt *Duces titulares*, uti Democratiæ Venetæ ſucceſſit Nobilium Ariſtocratia, Seculo XIII. exeunte, ex Venetorum Annalibus. Baronii verò hîc notanda de Venetis obſervatio eſt, ad DCXXX. N. XIV. Occaſione literarum *Honorii* Papæ, quibus *Gradenſem* Patriarcham, uſurpatâ nuper poteſtate, conſtitueret, dicit Venetorum Rempublicam à Romano primùm Pontifice ampliſſimo titulo *Chriſtianiſſimæ* donatam eſſe, idque in præmium ſubjectionis, relictis Schiſmaticis; quo *glorioſa potenſque longè latèque, terrâ marique*, Dominium (an Pontificium dominatum) *feliciter propagavit*. Hæc ille, cui aſſerto, an vel Rex *Chriſtianiſſimus*, vel Sereniſſima *Reſpublica*, additurі ſint calculum ſuum, viderint quorum intereſt. **Baronius notatus.**

Novus Gradenſis Patriarcha. IV. Cæterùm quod de *Gradenſi* Patriarchatu Baronius eo in loco, & antè ad An. DCV. *Num.* II. III. uti de Epiſcopo *Ravennatenſi* ad A. DCLXIX. *Num.* I. *& ſeq.* DCCVIII. *Num.* IV. V. paucis caſtigandum. *Aquilejenſem* Eccleſiam, cum Mediolanenſi, ſubtraxiſſe ſeſe ab unione Romanæ Eccleſiæ, poſt Synodum V. Oecumenicam, dictum ſuprà. Ex quo Aquilejenſes *Patriarchæ*, ità jam dicti indè à Gotthicis temporibus, cum nomine rem Patriarchatûs exercuêre, à Longobardorum Regibus eligendi, ac Marci fundationem obtendentes Romanæ uſurpationi. Tandem Seculo VII. inchoato, Phocâ Imperatore, favente Exarcho Italiæ, in vicinâ *Grado* urbe & inſulâ, Aquilejenſi veteri oppoſitus novus Patriarcha Gradenſis, qui à Romano Pallium acciperet; non priore illo accuſando *Schiſmatis*, ut cum ſuis Baronius, ſed reverà novo illo Gradenſi. A quo tempore duo *Patriarchæ*, in eadem Provinciâ, *Venetis* poſteà acceſſuris Gradenſi, odio Longobardorum, undè illud Venetorum modò elogium apud Baronium. Quâ de re Paulus Diaconus, Walafridus, Blondus, Volaterranus, alii.

Ravennatenſis Eccleſia. *Ravennatenſem* Eccleſiam quod attinet, ut pridem à Valentiniano III. facta Archiepiſcopalis, ità ex quo evaſit Exarchorum ſedes Ravenna, ſub Juſtino II. pulſis Italiâ Gotthis, cum *Civili* dignitate crevit, juxtà Canones, *Eccleſiaſtica*; undè αὐτοκεφαλίας jura, quæ Romanis barbarè *Autocephalia Hæreſis* dicta. Ac quamvis, prout Exarchi favebant Romano Epiſcopo, ſubindè Pallium ab eo acceperint Ravennatenſes, tamen hoc Sec. *Maurus*, Conſtante Imperatore, Martino Romæ Epiſcopo, Pallium accepit à Principe, non à Romano, pro αὐτοκεφαλίας jure, & Imperatoris illo ut in ipſum Romanum, ſic in Ravennatenſem. De quo fuſè Sigonius, de *Regno Italiæ Lib.* II. Undè mutua Excommunicationum fulmina utriuſque Epiſcopi; donec *Theodorus* Ravennatenſium præſul, circà A. DCLXXIX. indignatus in Clerum ſuum, datis ad *Donum* vel *Domnum* Romanum literis, ſe illi ſubjiceret, itinere Romam verſùs ſuſcepto; ex Anaſtaſio in *Vitâ Doni*, Platinâ in *eodem*, Sigonio in dicto *Libro*, aliis.

Reges Monachatum amplexi, Reginæque. V. Superſtitionis hujus Ævi, & faſcini quo Reges Reginaſque dementabant præſtigiæ Monachorum, luculentum argumentum præbent exempla quædam inſignia. Nempè in iis illud *Sigeberti*, Orientalium Anglorum Regis, ferè medio Seculo VII. qui poſito Diademate, & Cœnobio à ſe condito, tonſuram Monachalem admiſit, ex Anglorum Chronicis, poſt Bedam *Hiſt. Anglo-Saxon. Lib.* III. Acceſſit haud longè poſteà Seculo ſeq. An. DCCXVII. juxtà Weſtmonaſterienſem, *Ina* Occidentalium Rex Saxonum, ab Ethelbertâ conjuge perſuaſus, ſed jam ſenex, Romam ſuſcepto itinere, ubi Monachus effectus fuit. Adde *Wambam* Regem Hiſpanorum, ex Lucâ Tudenſi, & Toletanâ Synodo XII. *Cap.* I. ſuſcipientem Anno Chriſti DCLXXX. *venerabilis tonſuræ ſacrum ſignaculum*, ita Toletani, ſed invitum & coactum. Nempè quum letiferâ potione hauſtâ mentis vigorem amiſiſſet, obtentu *pœnitentiæ* agendæ, habitu Monachali indutus eſt; quo ſemel accepto, *haud ulteriùs ad Seculum reverti licebat, ſed tenebatur Monachus permanere, etiamſi* pœnitentiam *eam minimè petiiſſet*: Ità Baronius, ad An. DCLXXX. N. LVI. Atque ità quoties impiis Hæredibus, aut An-

Digitized by Google

Antiſtitibus libuit, facili negotio Reges throno dejiciebant, *pœnitentiâ* ſcil. injunctâ, & Tonſuræ meritis in cœlum elatis. Ità ſimul ignorantiam ac ſuperſtitionem hujus Seculi, Pontifices Romani ſibi vectigalem reddiderunt.

Sic in Oriente, ſiquidem fides ſit Nicephoro, *Hiſt. Lib.* XVII. C. VI. *Elesbaan* Rex Æthiopum, purpurâ & diademate abjecto, ac Capite raſo, in anguſtam ſeſe cellam abdidit.

Sic & Regum Sponſæ conſecrari ſeſe paſſæ: Qualis *Fridiburga*, Sponſa Sigeberti Burgundionum Regis, Theodorico patre nati, de quâ prolixè ex *Surio* Baronius, ad A. DCXIV. *Num.* VI. Nempe hæc fertur anteà per S. Gallum à Dæmone liberata, tùm Deo fuiſſe dicata; hinc quum ſocianda jam jam eſſet Regiis thalamis, ſimulaſſe morbum, dein tranſactis VII. diebus in Eccleſiam Stephani Protomartyris ſeſe recepiſſe, ac cornu Altaris apprehendiſſe, precibus ad S. Stephanum directis, ut cor Regis converteretur ſecundum illius votum. Adde *Gertrudem* virginem, & *Beggam* viduam Anſegiſi, filias Pipini ejus nominis primi, hoc vitæ genus in *Belgicâ* amplexas, jam in Oppido *Nivigella* vel *Nivella*, ubi Itta, mater Gertrudis, domum ſuam in Eccleſiam & Monaſterium convertit, eique Gertrudem filiam præpoſuit: A *Beggâ* viduâ, poſt eidem Monaſterio incluſâ, videtur natum in Belgio *Beginarum* nomen, pro velatis & Sanctimonialibus; quanvis alio ſenſu *Beguinas* ſequenti Ætate appellarint, de quâ appellatione poſteà. De *Radegunde* Reginâ, ex Gregorio Turonenſi, dictum eſt ad ſuperius Seculum.

Metropoles, & Academiæ Britannicæ, hoc Seculo vel erectæ, vel memoratæ.

VI. Ad hoc Seculum referuntur quoque Britanniæ alia memoranda: Ex. gr. Jura *Metropolitica Cantuarienſis* Eccleſiæ, de quibus ſuprà, confirmante Bonifacio V. Honorio I. Londinenſi tùm invito. *Auguſtino* Pallium à Gregorio miſſum A. DCI. in Archiepiſcopum Gentis Anglorum conſecrato, A. DC. morituro A. DCXVI. juxta Canonicum Liechfeldenſem, & Mss. alia nuper edita T. I. *Angliæ Sacræ*; quanvis varient hac parte Auctores, ut ibidem videre eſt *pag.* 90. Cui ſucceſſerunt *Laurentius*, *Mellitus*, *Juſtus*, *Honorius*, *Deus dedit*, *Theodorus*, qui longiſſimè ſedit ad A. DCLXXXIV. *Brutwaldus* Archiepiſcopus, adhuc diutius ab A. DCXCI. ad An. DCCXXX. Eadem jura conceſſa *Eboracenſi*, ubi Edwinus Rex Nordanhumbrorum An. DCXXVII. à *Paulino* baptizatus eſt, cui Honorius I. *Pallium* miſit ad Honorium Cantuarienſem ordinandum, A. DCXXXIII. ex Bedâ, Gyraldo, Malmesburienſi, Simeone Dunelm. Polydoro, &c. fuſè apud Uſſerium, & in nuperâ *Angliâ Sacrâ*, T. I. p. 65. 92. Dein *Scotis* ſuccedentibus ſub *Oſwaldo* Nordanhumbror. Rege, ad tempus tranſlata ſedes Epiſcopalis Eboraco ad Inſ. Lyndeſernenſem *Ardano* Antiſtite, cui ſuffecti *Finanus*, *Colmannus*, qui nec Pallio, nec Urbis nobilitate voluerunt attolli; tum *Tuda* à Scotis Præſul ordinatus; quo defuncto, *Wilfridus* Archiepiſcopus Eboracenſis electus eſt, in Galliâ conſecrandus Ann. DCCXIV. Sed ſemel iterumque expellendus. Quo jam tempore controverſia inter Cantuarienſem & Eboracenſem nata eſt, de primâ Sede; quâ de re Anglorum Chronica, & Hiſtoria ejus Controverſiæ, nuper edita, Angliæ S. T. I. *pag.* 65. 66.

Accedunt natales *Cantabrigienſis* Academiæ, circà Ann. Chr. DCXXXVII. Rege Orientalium Anglorum *Sigeberto*; cujus unius *Scholæ*, in Cantabrigiâ inſtitutæ, meminit Beda, *Hiſt.* L. III. C. XVIII. adde *Lib.* II. C. XV. Alii verò, ejus dein Acad. privilegia fabuloſiſſimè retulerunt ad Lucium Regem, & Papam Eleutherium, confirmaturo ſcil. poſteà Honorio I. apud Joh. Caium *de Antiquit.* Acad. Cantabrig. Oxonienſis autem Schola nuſquam Bedæ memoratur, undè iſta natu major videatur. Sed Oxonienſis Academiæ, quæ noviſſimè prodierunt, *Antiquitates*, poſt alias hujus aſſertiones pridem editas, ejus originem altiùs repetunt, *Lib.* I. Nempè jam Seculo V. *Germanum* Britannorum Apoſtolum, quo tempore Pelagiana Hæreſis graſſaretur, Oxoniam miſſum, *recognoſcendis ibi Academicorum fidei & moribus.* Dein Seculo VI. *Gildam Sapientem*, qui Geſta Britannorum ſcripſit, ibidem literis operam navaſſe; uti quoque Seculo VII. *Nennium* Bannochorenſis Collegii præpoſitum, dein Auguſtino Monacho & Romanis traditionibus reluctatum, &c. Sed ab *Alfredo* Rege, Seculo IX. Academiam Oxonienſem, prolapſaſque ibi literas, demùm inſtauratas fuiſſe contendunt. Nec noſtrum eſt tantas, inter Academiam utramque, componere lites.

Saracenorum ſtupendi progreſſus.

VII. De progreſſibus *Saracenorum*, intrà hujus Seculi ſpatia, ab obitu Muhammedis, uſque ad Abdalmelechi Chalifatum, qui plura volet, adeat *Wolfgangi* Drechſleri *Chronicum* Saracenicum, vel Joh. Leunclavii *Hiſt. Lib.* I. recentiores alios, ipſum Scaligerum, de rebus Arabum, ex Theophane, Cedreno, Zonarâ, Elmacino, &c. Ex his intelliges, *Hieroſolymam* An. DCXXXVI. poſt biennii obſidionem ab Homare occupatam, Sophronio tùm Epiſcopo, cum Palæſtinâ univerſâ; à quo tempore Epiſcoporum Hieroſolymæ ſucceſſio obſcura fuit. Chalifæ Arabes Hieroſolymam tenuerunt, uſque ad A. circiter MIX. quando à Saracenis Aſiaticis occupata fuit, uſque ad A. MXCIX. quum à Gallis virtute Godofredi Bulionæi recepta fuit. Paucis poſt annis ſubegerunt Saraceni *Antiochiam*, *Damaſcum*, *Phœniciam*, *Syriam*, *Armeniam*, *Perſiam*, uti *Ægyptum*, *Rhodum*, è cujus confracto Coloſſo 900. cameli ære onuſti fuiſſe feruntur, apud Theophanem.

Dehinc in *Thraciam*, *Libyam*, *Africam* omnem effuſi, magnas Romano Imp. clades intulerunt, ſub Conſtante, Conſtantino Pogonato, & Juſtiniano II. hocce quidem initum cum Saracenis fœdus, magno cum rei Chriſtianæ detrimento, rupturo. Hinc mixto inteſtinis motibus diſtractoque Imperio, ſub Leontio & Apſimaro, totâ Africâ potiti ſunt.

Turcarum origo.

Cæterùm *Turcæ*, jam anteà ſub Mauricio Imperat. Portis Caſpiis egreſſi, ut qui habitarent in Caucaſiis montibus, versùs Septentrionem & in Perſiam effuſi, hoc ipſo Seculo *Heraclio* adversùs Perſas militarunt: Dein, poſt Perſidem Saracenis ab Othmane ſubditam, horum ſtipendia diu meruêre: Uſquedùm, poſt arma ſub *Ducibus* ſuis, cumprimis poſt res fortiter geſtas Trangolipice Duce, qui Mahometo Perſæ in auxilium venerat, *Sec.* X. latè circumducta, ac poſt *Saracenos* tandem oppreſſos, fundamenta jacerent futuræ dominationis, Seculo XI, mediâ circiter parte lapſo. Sed hæc ad Civilem Hiſtoriam ſpectant, de quibus fusè memorati Scriptores, ac nos plura *loco* ſuo.

Finis Regni Perſici.

Ad Chronologicas rationes ſpectat, finis Regno Perſarum datus, nece *Jezdagirdi* ultimi Perſarum Regis, filii Choſrois, ab Othmane Chalifâ prælio victi, & interfecti: Undè incipit nova Æra *Perſarum*, juxtà Scaligerum, Petavium, Europæos, quæ vulgò Æra يزدجرد *Jezdagirdi*, ſed ità veriùs *Othmani* Chaliphæ dicenda fuerat. Incidit Æra in A. Hegiræ XI. Chriſti DCXXXII. Junii XVI. feriâ III. Neomeniâ menſis *Pherurdin*. Sed juxtà Arabes omnes, & Perſas, fuit tum *initium* Regni Jezdagirdis, non verò illius finis; tranſlato demùm Imperio Perſarum ad Saracenos, anno Hegiræ XXXII. ſub finem menſis *Aſphandar*, unde cum فروردين *Pherurdin*, menſe primo, initium Æræ.

Judæorum

VIII. *Judæorum* hoc Seculo, *Phocâ* imperante, in

rum ſeditiones: Pœnæ. In Palæſtinâ.

in Chriſtianos ſeditiones in urbe Antiochenâ, & in Palæſtinâ, quibus in locis frequentiſſima ea Natio fuit, refert Batricides, *Annal.* T. II. p. 212. Nempè Choſroï Perſarum Regi auxilio fuiſſe Judæos Palæſtinos, in *Templis diruendis*, & *Chriſtianis innumeris interficiendis*, quando Perſæ *lignum Crucis* abduxiſſe Hieroſolymâ feruntur. *Heraclii* verò Imperatoris factum, poſtquam redux fuit Hieroſolymam, quo nempè primò *juravit*, & *pacto* ſcripto confirmavit, ſecuritatem Judæis *Hieroſolymitanis*, & qui habitarent in monte *Galilea*: Dein ad inſtantiam Epiſcoporum, qui Imperatori ſtrages à *Judæis* paulò antè editas repræſentarunt, ac promiſſum eorundem, de eluendo *jejuniis* anniverſariis *perjurio* Principis, permiſit eos vindictæ Chriſtianorum; hæc refert multis Eutychius Batricides, *in Annalibus*, *Tomo* II. *pag.* 244. hinc Elmacinus, & alii. Quâ occaſione innumeri Judæorum in tractu Hieroſolymitano, & in montibus Galilææ agentes, neci dati ſunt, quotquot non latitarunt, aut in deſerta, montes, valles, fugâ ſe recipere potuerunt.

Hiſpaniâ.

Sed & in Hiſpaniâ, *Hervigio* Rege, A. DCLXXXI: ſeveriſſimi Canones facti ſunt contrà Judæos, puniendæ eorum perfidiæ, in Concilio *Tolet.* XII. *Can.* IX. Ne Judæis ſe, aut ſuos filios, aut famulos à *Baptiſmo* ſubtraherent: Ne *Paſcha* more ſuo celebrarent, aut *Circumciſionem* exercerent, aut *Sabbatha* cæteraſque *Feſtivitates* ritu ſuo peragerent: Ne more ſuo *dijudicarent eſcas*; aut ex propinquitate ſui ſanguinis *connubia* ducerent; aut diebus *Dominicis* opus facerent, &c. Ità *Egicane* Rege, ſub finem Seculi, adeò cum Judæis Africanis conſpirarunt Judæi Hiſpani, ut proximum eſſet exitio Regnum, ac Chriſtianum genus: *Manifeſtis Confeſſionibus indubiè pervenimus*, *Judæos in tranſmarinis partibus* (Africæ ſcil.) *Hebræos alios conſuluiſſe*, *ut unanimiter contrà genus Chriſtianorum agerent*, *præſtolantes perditionis ſuæ tempus*. Sed detectis conjuratis, pœnas dederunt perfidiæ ſuæ: Prolixè in *Præfat.* Conc. XVII. Toletani, & in Canone ejus VIII. *Tomo* VI. Undè Pœna *perpetuæ ſervitutis*, & eorum *Liberi* utriuſque ſexûs, inde ab anno ætatis VII. *Chriſtianis* traditi nutriendi, nullâ cum parentibus ſuis habitatione aut ſocietate permiſsâ.

Converſiones violentæ.

Cæterùm contrà *Gregorii* I. monita, de quibus ſuprà *col.* 1165. & Imperatorum in Cod. Theod. reſcripta, ad *Sec.* IV. *col.* 953. &c. paſſim hoc Ævo *Judæi* ad fidem *Chriſtianam* vi compulſi intelliguntur. Hinc Heraclii Imperatoris in Judæos zelus accenſus, quo *baptizari* haud præcepit modò, etiam invitos, per Imperii ſui ſpatia, ſed & datis ad Dagobertum literis, ut idem fieret in Francorum regno, petiit; quod & factum. Vide Legem Heraclii in *Jure Orient. Lib.* I. & in Gregorio Turonenſi *Hiſtor. Francorum*, *Lib.* XI. *Cap.* LXV. qui cauſam rei adfert, ſuperſtitioſum Heraclii ab *Circumciſis* metum, quos Judæos eſſe credidit, Imperium perdituros, ex prædictione Aſtrologicâ; de Arabibus non cogitans: Et hæc vis jam anteà fuerat à Francorum Regibus *Judæis* illata, ut Chilperico, apud eundem Gregorium, *Lib.* VI. C. XVII. qui Judæorum plurimos *baptizari* juſſit, ſed *corpore tenùs*; *neutiquam corde*, *redituros ad priorem perfidiam*, *& obſervaturos*, *ſimul cum die Dominicâ*, *Sabbathi diem*. Ad quæ Abbas de Marolles in Notis Gallicis: *Id eſt*, *Chilpericus poteſtate uſus eſt abſolutâ*, quâ Judæos ad Baptiſmum coëgit: *In quo Rex cauſa fuit profanati S. Baptiſmi. Nam plurimi ſimularunt ſe credere*, *quod minimè credebant*, *& ità S. Baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt cum peccato*, *quia ne bonum quidem faciendum eſt contrà conſcientiam. Et illi qui vim inferunt infirmis aut inferioribus*, *ut agant contrà conſcientiam*, *peccant adhuc longè gravius.* Veriſſimè, ſecundùm Chriſtum, Paulum, & dictamen rectæ rationis, non ſecundùm hodiernam Jeſuitarum & Romanæ Eccleſiæ praxim. Ita in *Hiſpaniis* vis eadem adhibita Verpis convertendis; quomodò *Siſebutho* Gotthorum Rege, edita Conſtitutio fuit, quâ Judæi, qui *baptizari diſtuliſſent*, jubentur mulctari centum flagellis, ac prætereà facultatibus, exilio; quam Conſtitutionem refert Baronius, ad A. DCXIV. N. XL. XLI. Hinc poſteà Toletani Patres, in Synodo IV. *Can.* LVII. LVIII. hos ipſos qui ſub Siſebutho Baptiſmum *vi vel neceſſitate ſuſcepiſſent*, decernunt *cogi* ne ad Judaiſmum relaberentur, ac *coerceri* pœnis. Et confirmat Synodus Toletana VI. *Capit.* III. Anno Chriſti DCXXXVIII. Adde Synodos Toletanam XVI. *Cap.* I. Toletanam XVII. *Cap.* VIII. de quibus dictum modò eſt. Converſiones *voluntarias* Judæorum prolixè Magdeburgenſes referunt, ut & Gentilium illas; ac Hottingerus in *Seculo* VII. de Gentiliſmo & Judaiſmo: Quorum nos ſcrinia minimè compilamus, nec hujus inſtituti eſt.

FINIS *Seculi Septimi.*

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ SECULUM OCTAVUM.

Chronol. Rationes.

INCIPIT Seculum cum An. Chr. DCCI. Imperatore Orientis, poſt Leontium abdicatum, *Tiberio Apſimaro* ab A. DCXCVII. Sed paulo poſt redituro ad Imperii gubernacula Juſtiniano Rhinotmeto, A. DCCIV. Chalifatum Saracenorum tenuit tum *Abdalmelecho*, cui & mox filius *Al-Valid* ſuffectus fuit. Lombardorum Regnum adminiſtravit adhuc, ineunte Seculo, *Cunibertus* Rex XXIV. *Childebertus* hujus nominis II. cognomento *Juſtus*, tenuit illud Francorum, ſed puer & nomine tenùs, potentiâ omni penes Majorem Domûs *Pipinum*, patrem Caroli Martelli. In Hiſpaniâ regnavit tùm *Egica*, vel *Egicanes*, mox ſucceſſuro *Witizâ degenere* filio, ſub initium Seculi. Romanum autem Epiſcopatum geſſit ab A. DCLXXXVII. *Sergius* I. Facturus mox locum Johanni hujus nominis VI. Conſtantinopolitanum verò Patriarchatum obtinente adhuc *Callinico*.

Rurſùm hac Ætate, pro inſtituti noſtri ratione, obſervanda venient Capita ſequentia:

I. *Status Reipubl. & Eccleſiæ, ineunte hoc Seculo.*

Luctuoſa cumprimis fuit rerum in Chriſtianâ Eccleſiâ facies, cum exortu novi Seculi. Cujus cauſæ calamitatis potiſſimùm extiterunt:

Saracenorum jugum.

I. *Saracenorum* progreſſus ſtupendi de quibus ſuprà. Tenebant ſub extrema Abdalmelechi Chalifæ, hoc Anno DCCI. morte extincti, Aſiam penè omnem ſuperiorem, ad Indorum uſque fines; omnem Africam, Carthagine occupatâ, ad Mare Atlanticum uſque; Ægyptum, Cyprum, Rhodum, &c. Aſiæ inſuper Minori, & Thraciis, Hiſpaniis, Galliis imminentes, in quas mox excurſuri armis infeſtis. Ac ſedes quidem Imperii tùm *Damaſcus* fuit, peropportuno Urbis ſitu, Chriſtianâ autem religione mox ibi oppreſsâ, ac Templo profanato, ut pluribus Theophanes, Hiſt. Miſcella, Cedrenus, reliqui.

Longobardorum dominatio, bella.

II. *Longobardorum* in Italiâ dominatio, Rege tùm eorum adhuc ſuperſtite *Cuniberto*, laudato Principe; quo ſublato mixta eſt inteſtinis bellis Italia, Luitberto filio adhuc minorenni, quem Anſprandi tutelæ Cunibertus commiſerat. Quâ de re pluribus Paulus Warnefridi, *Lib.* VI. *Cap.* XVII. *& ſeq.* Cæterùm qui Pontificiam tyrannidem diu repreſſerant, tuiti Patriarchas Aquilejenſes contrà Romanos Epiſcopos, opprimendi tandem hoc Seculo à Francis fuerunt, Deſiderio Rege ultimo.

Bulgarorum, Sclavorum, Avarum, Hunnorum ſedes.

III. *Barbarorum* Dominia per omnes Pannonias, Illyricum, Dacias, Regioneſque cis & ultrà Danubium, ad hujus uſque oſtia. Nempè *Bulgari* Mœſiam utramque & Scythiam obtinebant, latiùs diffundendi in Macedonias, Græcias, Illyricum omne. *Sclavi*, *Venedi*, penetrarant in regiones intrà Dravum Savumque, quibus hinc *Sclavoniæ* nomen; poſteà relicto ad Meridiem Danubio, in Daciam veterem, vicinaſque Regiones effundendi. *Avares* autem, ineunte hoc Seculo, incolebant regiones Hunnis proximas, ultrà Iſtrum, quæ dein Moldavia, Walachia, Podolia, &c. *Hunnia*, dein *Ungaria* ab *Ugris*, vel *Ungris*, *Ungaris*, vicinâ Hunnis gente, quibus cedere has ſedes juſſi.

Imperii Orientalis facies luctuoſa.

IV. *Imperii Orientalis* miſeranda facies, coërciti non modò intrà anguſtos limites, ſi tot divulſas Regiones ac Provincias attendimus, ſed & inteſtinis malis laborantis. Imperium tenebat ſanè *Apſimarus*, ſed poſt Leontium vi dejectum, & Monaſterio concluſum, ipſe mox ceſſurus Juſtiniano Ῥινοτμήτῳ, Anno DCCIV. qui Bulgarorum ope, poſt *decennii* exilium, reſtitutus fuit.

Orienti ſuberat adhuc in Italiâ Exarchatus *Ravennatenſis*; ſed & varia hujus fuêre hoc Ævo fata, ab Imperatoribus ad Longobardos, ſemel iterumque, ab his ad Pontifices tandem, faciente Pipino, devolvendus, ut infrà pluribus.

Eccleſiæ ſtatus in Orbe utroque.

V. *Eccleſiæ* ſtatum quod attinet, afflictiſſimus ille in Orbe utroque. Patriarchatus *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *Hieroſolymitanus*, ſub Saracenorum imperium miſſi, gemebant ſub tantæ ſervitutis jugo, ut etiam qui Patriarchæ tùm fuerint ignoremus. Eadem Eccleſiarum omnium ratio conditioque per *Africam* omnem, & Provincias innumeras Barbaris ſubjugatas. *Hiſpaniarum* Eccleſiis, totique Regno Gotthico, exitium impendebat, quale paucis poſt annis contigit. Adhæc *Græcos à Latinis* non pauca dividebant, ac noviſſimè Canones in Trullo conditi, ut pluribus ad ſuperius Seculum, *Cap.* IX. ſchiſmate mox per *Iconolatriam* augendo, ſub Leone Iſauro, & Conſtantino filio, qui per contumeliam dictus Copronymus. Sed & *Hæreſes* ipſum Orientem diſtrahebant, *Monothelitis* damnatis quidem, non extinctis, ut nec *Arii*, *Neſtorii*, *Eutychis* propaginibus, quà latè patuit Chriſtianum nomen.

Acceſſit invaleſcens indies per Occidentem jugum *Pontificiæ tyrannidis*, in Ravennatenſes, Aquilejenſes, Germanos, Gallos, Britannos, Hybernos, Pictos; Qui poſtremi, in hujus ferè Seculi primordiis, mancipati Romanæ Sedi, atque ad Romanos ritus tandem adacti, ex Bedâ *Hiſt. Lib.* V. & ex Britannorum Chronicis, apud Uſſerium: In Hiſpanis tamen, Rex *Witiza* omni in Eccleſias Hiſpanicas dominatu Roman. *Pontificem* prohibuit, ut infrà.

Simul verò cum Papali jugo tranſmittebantur Traditiones novæ & muſteæ; lex *Cœlibatûs*, *Monachiſmi* religio, ſacerdotales *Pœnitentiæ*, *Miſſatieus* apparatus, *Purgatorii* injectus metus, *Crucis*, *Imaginum*, *Reliquiarum* veneratio, B. *Virginis* religioſus cultus, Templa, Feſta dicata *Sanctis*, &c. de quibus ſuprà, *Cap.* III. IV. V. XII. Nec pars hæc minima cenſenda infelicitatis hujus Ævi.

Corruptiones ſummæ.

Adhæc ſimul cum Populorum ſuperſtitione, Monachorum inertiâ, ac Cleri dominatu, cum propagatione vaniſſimorum Rituum ac Ceremoniarum, cum Dignitatum Eccleſiaſticarum incremento, cum Barbararum Gentium permixtione, ac civilibus Bellis, degener ubique, in vitâ & moribus, Chriſtianiſmus apparuit. Undè, præter Hiſtoriarum ac Chronicorum fidem, vel ex *Actis* Conciliorum, ac *Capitulis*, intelligere licet pietatem in hypocriſim, Religionem in inanes ſuperſtitiones verſam; Cœlibatum in Concubinatum; Continentiam in fœdas libi-

Digitized by Google

libidines; paupertatem Monaſticam in effuſas opes; gradus Dignitatum in ambitionis, ſimoniæ, luxûs, avaritiæ pabulum; Clerum omnem in ſolutæ vitæ ac perditiſſimorum morum exempla, quæ ſuis paſſim locis, hoc & ſequent. Seculis, conſtabunt. Mezeræus Hiſtoricus Gallus, *Parte* I. deſcripturus ſtatum Eccleſiæ ſub initia Seculi VIII. *Cleri totius* (inquit) *ſumma ἀταξία fuit; plerique alebant Concubinas; Diaconis quandoque Concubinæ quatuor, quinque; honeſtiores Uxoribus jungebantur, etiam ſecundis votis; Moniales nec Clauſtrum ſervabant, nec votum; nulla deinceps Regularum, nulla obſequii inferiorum ergà Superiores ratio; Cultus divinus parcus, doctrina nulla, ignorantia Religionis & Canonum maxima.* Diſſimulat omnia *Cæſar Baronius*, pro more, initio hujus Seculi invectus modò in *Witizam* Hiſpan. Regem, in *Tiberium* Imperat. Orientis, non faventem uſurpationibus Pontificum, &c. De cætero, ſummam horum temporum *felicitatem* interpretatus, creſcentem Pontificum Dominatum, Cleri auctoritatem, Monachales nugas præſtigiaſque. Sed potiſſima rerum capita ſuis locis indicamus.

Baronius notatus.

II. *Propagatio Chriſtianæ Religionis hoc Seculo, ejuſque ratio, & Inſtrumenta.*

Gentes à Paganiſmo converſæ.

I. Ut in *Oriente* & in *Africâ* deceſſit plurimùm Chriſtiano nomini per Saracenos, ſic in *Occidente* tenſim illud magis propagatum eſt, quanvis non ſine admixtis ſuperſtitionibus, & fœdâ ſubjectione ſub jugo Pontificio. Nempè diffuſum Chriſti nomen, ſed & cum eo Myſterium iniquitatis, (de quo ad Superius *Secul. Cap.* II. III. IV. V.) ad *Thuringos*, *Francones*, *Weſtphalos*, *Saxones*, *Haſſos*, *Bavaros*, *Hungaros*, *Sclavos*, *Friſios* necdùm converſos, quamvis plurimi jam ſuperiore Ætate à Willibrordo & ſociis fuiſſent à Paganiſmo revocati. Memorant *Chronica* Adonis, Urſpergenſis, Hartmanni, &c. Et præ cæteris Krantzius in *Saxoniâ* ſuâ, & in *Metropoli*, & qui de *Converſionibus* Gentium ex profeſſo commentati ſunt. Fusè Magdeburgenſes, *Cent.* VIII. *Cap.* II. quos adeat qui volet.

Radbodi Regis factum.

II. Non illepida eſt, quanquàm & triſtis ſi vera, hiſtoria de *Radbodo* incluto Friſiorum Regulo: Qui Friſii vel *Citeriores*, inter Rhenum & Flevonem lacum (hodie Zuyder-Zee) vel *Ulteriores*, inter Flevum & Amiſiam fluv. Is cum Pipino ſæpiùs commiſſus, ſæpè conciliatus, totiens perfidus, præfuit ad annum uſque ipſi emortualem DCCXIX. Refert Jonas Monachus in *Vitâ Wulfranni* Senonenſis Epiſc. apud Surium d. XX. *Mar.* Tom. II. ex eo Sigebertus, alii; Scil. Regem eum, ſacrâ undâ jamjam adſpergendum, inductum miraculis Sancti Epiſcopi, initio ferè hujus Seculi, quæſiviſſe ex Wulfranno, ubi major eſſet Friſiorum Regum, & Illuſtrium Virorum numerus, an in *Cœlo* quod per Baptiſmum ingreſſurus dicebatur, an in *Tartareâ* regione? Poſterius quum affirmaſſet Epiſcopus, retulit pedem Rex incredulus, negans carere ſe poſſe conſortio ſuorum Anteceſſorum, quibuſcum eſſe mallet poſt fata, quàm *cum exiguo Pauperum numero reſidere in cœleſti illo Regno.* Addit Jonas, anilium fabellarum ſtudioſus collector, *Diaboli* quaſdam præſtigias quibus Radbodo illuſit, illi apparens, cùm morti proximus eſſet. Et prolixè iſta Baronius, ad An. DCCXIX. *Num.* IX. *& ſeq.* multâ declamatione de *illuſionibus Dæmonis*, quarum eſt perpetuò immemor, ubi præſtigias *Monachorum*, & fictas Apparitiones, ac Miracula ψεύδεις, ſollicitus refert, toto Annalium Opere. Ergò hæc habemus in fabellis Monachalibus.

Baronius notatus.

Thuringorum illud.

Nec abſimilis *Thuringorum* fertur ἀπιστία, quum illos Bonifacius Moguntinus ad fidem Chriſtianam urgeret, ſed munitus exercitu, & vim gladii adhibiturus. Quærentibus enim, quid ex converſione ſuâ lucri? Quum *vita æterna* præmium & immunitatem ab *omni malo*, Chriſto faciente, polliceretur Bonifacius; inſtare illi, ut præſtaret ſe Chriſtus ille immunes à *ſervitute* Regis Ungarorum, & ab annuis *decimis*, tùm in eum ſeſe credituros. Quod cùm addixiſſet Bonifacius, voce cœlitùs jubente, armis eos ſcil. tuiturus, feruntur ſenſim ad fidem inducti. Hæc ex *Chronico Iſenacenſi* referunt Annalium Scriptores. Quanquàm alii Thuringos jam antè Bonifacii adventum *Chriſtianos* fuiſſe referant, ſed nondùm Papæ ſubditos; undè hanc de ſubeundo *Pontificis* jugo (veriùs quàm *Dei* & *Chriſti* illo) conditionem redemptam voluerunt, exemptione illâ à *Decimis*.

Inſtrumenta propagati Chriſtianiſmi in Occidente.

III. Propagationis autem Chriſtiani nominis inter Barbaras Gentes duo, hoc quidem Seculo, fuêre præ cæteris *Inſtrumenta*, utrumque diſpari conditione & modo. Primum fuit *Monachale* & Eccleſiaſticum, alterum *Regium* & Civile, Carolo Francorum Rege, dein Imperatore.

Monachos quod attinet, navaverant jam operam ſuperiore Seculo convertendis Friſiis, Saxonibus, Franconibus, Bojis; *Gallus* ille, Columbani diſcipulus, *Willibrordus*, à Sergio cognominatus *Clemens*, primus Trajectenſium Archiepiſcopus, *Swibertus* ejuſdem ſocius, *Kilianus* Franconiorum vulgò Apoſtolus, Epiſcopus Wirtzburgenſis, horumque Comites, de quibus quantum ſatis fuit ſuprà, *Sec.* VII. *col.* 1173. &c. Succeſſit in horum veſtigia *Winfridus*, *Wenefridus*, *Venofredus*, deinceps mutato à Pontifice nomine *Bonifacius* appellandus, profeſſione Monachus, gente Anglo-Saxo, à Brithwaldo Cantuarienſi Romam dimiſſus, cum literis *Danielis* Epiſcopi Wintonienſis commendatitiis, æmulus Willibrordi & ſociorum, id eſt, Pallii avidus, & honoris Apoſtolatûs ad Germanorum Gentes. Præceſſerat ſub eodem Gregorio *Corbinianus*, in Germaniam Apoſtolus miſſus, dehinc Friſingenſis Epiſcopus, Pallio quoque, à Pontifice donandus; de quo ex Surio multa fabuloſiſſima Baronius, ad A. DCCXVI. N. X. & deinceps. Ac *Pallia* quidem hi ſuſcipiebant *coacti*, repugnantes, ſi Baronio iſtic credimus, *honorem fugientes*, *humilitatem continere volentes*: Ità, quemadmodùm de Auguſtino Monacho, cæteriſque ſuperioris Ævi Apoſtolis, etiam de Willibrordo, Swiberto, Corbiniano, nunc quoque de Bonifacio ad A. DCCXIX. & aliàs, *renuiſſe* cum honores oblatos, in ſpecie *Epiſcopatum* Trajectenſem, Willibrordo illi deferente: Quem tamen poſt obitum Willibrordi, uti quoque Colonienſem, & Moguntinum Archiepiſcopatum, ac proximam à Pontificiâ poteſtatem *Apoſtoli ad Gentes*, *Legati* ſeu *Vicarii* Pontificii, per Germanias, Gallias, haud cunctabundus admiſit Winfridus.

Baronius notatus.

Hiſtoria Bonifacii Germanorum Apoſt.

IV. Si Baronium audimus, exorſurum A. DCCXIX. *Tomo* IX. de hoc *Winfrido* ſunt divina omnia, & ſuprà humanam ſortem, ac perfectionem. Nonniſi Deum, Chriſtum, Cœlum, unam is converſionem Animarum, propagationem veræ pietatis, ac doctrinæ in Scripturis S. traditæ, ſpirabat: Actus ille Spiritu veræ pietatis, dilectionis, manſuetudinis, humilitatis, ſobrietatis, jejunii, omniumque Apoſtolicarum virtutum: Sed & inſtructus virtute Miraculorum, etiam mortuorum ſuſcitatrice; Spiritu fatidico; crebris Viſionibus Michaëlis Archang. ac pabulo Angelico Eliæ inſtar recreatus, unoque Martyrii deſiderio accenſus. Et iſta omnia Baronius, ad An. DCCXVI. DCCXIX. DCCXXIV. DCCXXXI. & paſſim uſque ad Annum emortualem Bonifacii DCCLV. Et quidem ex uno ferè *Surio* in Vitâ Bonifacii, ad V. *Junii*, à Wilibaldo ſcilicet ſcriptâ, Winfridi diſci-

Baronius notatus.

pulo & prædicationis ſocio, qui & vitam Walburgæ Sororis ſcripſerit; tum ex *Monachorum* aliorum tabulis, ex *Codicibus* Mſs. Vaticanis, aliiſque id genus teſtibus domeſticis, fallere aſſuetis: Undè de harum narrationum fide proclive judicium eſt.

Certiora de Bonifacio Moguntino.

Certiora de hoc *Bonifacio* compendio referemus, ex Bavarorum & Francorum *Chronicis*, Aventini *Annalibus*, Balæi *Centuriis*, ubi de Winfrido, *Epiſtolis* ipſis Bonifacii, & Pontificum illis Concilior. T. vi. & ex *Surio* ipſo ſubindè: 1. Ut illuſtri loco natus fuit, ità certum geſſiſſe magnos animos, certè animum audacem, ſuperbum, avidum peregrinationum, honorumque, ſpecie Apoſtolatûs ad Gentes. 2. Solemni juramento, *per ſacratiſſimum* quoque *Petri corpus*, Pontifici obſtrictum fuiſſe, ſe *Catholicæ fidei*, id eſt, qualem tùm probabat Roma, *in quâ omnis eſſet Chriſtianorum ſalus*, fore aſſertorem; *utilitatibus* Pontificis, Petri Vicarii, *fidem* omnem ſuam, omnemque *obedientiam exhibiturum*; *Antiſtites omnes* adacturum in eaſdem leges; ut pluribus ex formulâ juramenti, apud Surium, hinc Baronium Ann. DCCXXIII. Gregorio II. Pontifice. 3. Nec alium in finem à Gregorio Romam accerſitum, poſt *triennalem* expeditionem, dehinc cum pleniſſimâ poteſtate, ac præviâ conſecratione in *Epiſcopum*, ablegandum ad Thuringos, Saxones, Francones, Cattos, Friſios, Literis Pontificiis munitum; Nempè ut Eccleſias jam ibi fundari cœptas Pontifici, tanquàm *Chriſti Vicario*, ſubderet, ac Romanis traditionibus imbueret. Undè Aventinus, reſtitiſſe Bonifacio eorum locorum Sacerdotes & Epiſcopos, *eum mendaciorum auctorem*, *legis atque pacis Chriſtianæ turbatorem*, *corruptoremque eſſe vociferatos*, Annal. *Lib.* III. p.m. 171. 4. Eodem inſtituto à Gregorio III. Zachariâ, Stephano II. in eo Apoſtolatu continuatum, donatumque *Archiepiſcopatu* Moguntino, Colonienſi etiam, & Trajectenſi, quin *Vicariatu* Romani Pontif. per Germanias, Galliaſque; probantibus *Carolomanno* & *Pipino* Auſtraſiæ & Neuſtriæ Principibus, à quibus eſt in Franciam evocatus. Et hìc pro Vicariâ poteſtate, variis coactis Synodis, Diſciplinæ inſtaurandæ obtentu (quales fuêre, in Germaniâ, Galliâ, Synodi *Ratisbonenſis*, *Liptinenſis*, *Sueſſionenſis*) id præcipuè agebat, ut in Synodal. conventibus Epiſcopi *conſiterentur*, *ſe unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ*, *fine tenùs vitæ ſuæ*, *velle ſervare S. Petro*, *& Vicario ejus velle ſubjici*, *& per omnia Petri præcepta Canonicè ſequi deſiderare*, &c. Vide Tomum vi. Concil. editionis noviſſ. *col.* 1544. & Bonifacii inter alias *Epiſt.* cv. ad Cudbertum Archiepiſcopum.

Epiſcopatus, Cœnobia à Bonifacio condita.

5. Totum fuiſſe Bonifacium in commendatione Vitæ *Monaſticæ*, amplexuro hanc ipſam ejus ſuaſu Carolomanno; hinc in fundandis dotandiſque Monaſteriis, Abbatiis, ad Regulam Benedicti; etiam in diſtribuendis Epiſcopatibus, quales inſtituit benè multos. Bavariam in Epiſcopatus IV. diviſit, *Salisburgenſem*, *Friſingenſem*, *Ratisbonenſem*, *Aichſtatenſem*. *Wirzburgenſem* ſeu *Herlipolenſem* Epiſcopum Burchardum conſtituit, & ipſum Anglum. *Moguntinum* ſe Archiepiſcopum primus creari paſſus eſt. Acceſſerunt *Bambergenſis*, & *Erfordienſis* Epiſcopatus, poſt Gentes haſce Papæ mancipatas. Abbatiarum nobiliſſima *Fuldenſis* eſt, condita A. DCCXLII. ad ripam fluminis Fuldæ, Zachariâ Pontif. cum privilegio immediatæ à Rom. Pontifice dependentiæ. Et hi potiſſimi fructus laborum Bonifacii, *Monaſteria per id tempus poſita*, *ſtructurarum dignitate*, *& vectigalium magnitudine adhuc miranda*, ut de Bonifacio Velſerus, *Vindelicor. Lib.* v. A. DCCLV.

Facta Secularia Bonifacii.

6. Sed & Secularibus ſe negotiis implicuiſſe ubique Bonifacium, ejus omnia docent. Undè etiam in publicis Regni Francici Comitiis, auctoritate tamen Zachariæ Pontificis, *Childericum* Regem depoſuit, trudendum in Monaſterium; *Pipino* proclamato Francorum Rege, filio Caroli Martelli, Pipini Heriſtelli nepote, abnepote Pipini Senioris, patre autem Caroli M. Undè Pipini Regis deinceps in *Pontificem* favor, & converſio tandem *Exarchatûs* Ravennatenſis in Patrimonium Petri, poſt coërcitos à Pipino Longobardos, Bonifacio præcipuè inducente.

Ignorantiæ argumenta.

7. *Ignorantiæ* porrò dediſſe hunc Bonifacium, & futilitatis (ejus quicquid efferant doctrinam hujus Ævi Pontifices, & ex iis Baronius) luculenta equidem ſpecimina. Undè lites eum inter, & Vergilium quendam Presbyterum, atque in Mathematicis & Secularibus diſciplinis probè doctum: Ex. gr. eſſet-ne legitimus Baptiſmus, adminiſtratus ex ignorantiâ Latinæ Linguæ, à Sacerdote Bavaro, *in nomine Patria*, *& Filia*, *& Spiritus Sancta*? Negante Bonifacio apud Aventinum, *Lib.* II. Vergilio affirmante, dein & Zachariâ Pontifice, *Epiſt.* VI. ad Bonifac. quæ & apud Gratianum eſt, *Diſt.* XIV. Sic, darentur-ne homines Terræ huic undique circumfuſi, quos *Antipodas* vocant? Negante rurſùm ſtrenuè Bonifacio, & hoc nomine Vergilio infeſto, tanquàm perverſæ doctrinæ auctori; hinc coërcendo legatione & literis Zachariæ Pontif. ac ſententiâ depoſitionis, tanquàm qui hæreticus, erroneus, *contrà Deum & animam ſuam locutus*, quaſi *alius Mundus & alii homines ſub terrâ ſint*, in *Epiſt.* X. Zachariæ, *Conc.* Tomo VI. *col.* 1521. Ad quæ Baronius, ad An. DCCXLVIII. N. II. non alio effugio utendum eſſe cenſuit, quàm 1. Si Vergilii errorem interpretaretur, de aſſerto *novo Mundo*, *qui alio Sole atque aliâ Lunâ illuſtraretur*; contrà quàm diſertè Aventinus, & Chronica, eum aſſeruiſſe modò, contrà opinionem vulgi, & ipſius Auguſtini, dari *Antipodas*. 2. Si hunc ipſum errorem Vergilii converteret in merum *commentum pravorum hominum*, qui falsò iſtud detuliſſent ad Bonifacium, Bonifacius ad Zachariam. Quo ipſo, & Bonifacium ſummæ levitatis in deferendo ad Romanum Vergilio; & Zachariam præcipitantiæ accuſat, in *Concilio* hoc nomine indicendo, Legatis hac de cauſâ mittendis, & ſententiâ in Vergilium decernendâ. Quod verò cauſatur Baronius, accuſationem illam ut *inanem penitus evanuiſſe*, credo equidem, agnito deinceps à Pontifice & Legato, proprio errore. Nec tot erat ambagibus opus, ut Vergilius ille purgaret ſe apud Bonifacium à calumniæ labe, & *commentum* hujuſmodi diſcuteret. Qui *Vergilius* à Gregorio IX. *Sanctorum* Catalogo poſteà adſcriptus fuit; undè commentum ipſius Baronii, ne Pontifices inter ſe committerentur. Adde alia *ſuperſtitionis* & *inſcitiæ* in Bonifacio argumenta, de quibus *Cap.* ſequenti.

Baronius notat.

Media Bonifacio adhibita.

8. Denique arma Bonifacio, protendendæ Pontificiæ dominationi, longè alia fuiſſe quàm *Scripturas* utriuſque Teſtamenti: Nempè, *Librum in quo Sacratiſſima Eccleſiaſticæ inſtitutionis jura*, *Pontificalibus digeſta Conventibus habebantur*, quem tradiderat illi Gregorius, fatente Baronio, ad Ann. DCCXXVI. N. V. *præcipiens ut tàm Clerus quàm Populus*, *ejus Regimini ſubdendus*, *iis inſtitutis imbueretur*. De tradendis inſtitutis Chriſti, Pauli, nec γρῦ quidem. Adhæc in promptu Bonifacio fuit accuſatio *Hæreſeôs*, ſi qui ab eo diſſentirent, hinc Româ petitum auxilium; exemplis in Sidonio Bavaro, Vergilio, Samſone, Clemente, Adaberdo, Berthero, aliis qui hominis inſcitiam arguerent, vel ſuperbiam, de quibus infrà *Cap.* VI. Sed & *præſidio Carolomanni*, *Pipini*, *Utilonis Ducis*, Secularium Principum quos demereri ſtuduit, inſtitutum ſuum egregiè promovebat; paſſim Sacerdotes conjugatos, aut Epiſcopos reluctantes, deponendo, omniaque ad nutum Pontificum conſtituendo. Quinimò collectis copiis Bonifacium, in Thuringos pertinaces, feciſſe irruptio-

ruptio-

Digitized by Google

ruptionem, vi *armorum*, teſtatur *Chronicon* Iſenacenſe, à Magdeburgenſibus in hanc rem citatum.

Reliqua de Boniſac.

De hujus porrò Bonifacii occulto cum *Liebâ* ſuâ, Veſtali Anglicâ, commercio, quâ cum condi voluit eodem monumento, pluribus iidem Magdeburgenſes. De doctrinâ autem ipſius, & emiſſariorum Romani Pontificis, fœdâque temporum *ſuperſtitione*, proximo Capite. Atque is Bonifacius eſt, in cujus rebus & laudibus deſcribendis, Sanctitate, Miraculis, laboribus pro Romanâ Sede, implevit Annalium Scriptor paginam utramque *Tomi* IX. uſque ad finem anni LV. quo à Friſiis, cum LIV. familiaribus, cæſus occubuit; transferendus tandem in Fuldenſe Monaſterium, cum dilectâ Liebâ, ut vitæ ſic mortis ſociâ. De eo Balæus, *Cent.* I. *Non fuit à Chriſto incarnato quiſquam qui propiùs expreſſerit alteram illam in Apocal. Beſtiam, quæ de terrâ aſcendens duo gerebat Cornua agni ſimilia.*

Carolus M. propagator Chriſtianiſmi.

V. Alterum inſtrumentum divinitùs excitatum, *Regium* illud & Heroicum, fuit *Carolus Magnus*; Hæres & Succeſſor Pipini, cum Carolomanno fratre, ab A. DCCLXVIII. Solus Francorum Rex, mortuo Carolomanno, ab Ann. DCCLXX. Longobardorum Rex, victo Deſiderio, ab A. DCCLXXIV. Hinc Saracenorum à Pyrenæis montibus ad Iberum uſque domitor, Germanorum item ad Danubium uſque, ac rebellantium cumprimis Saxonum, & Thuringorum; uti Sclavorum, Polonorum, Bohemorum, Bavarorum, Hunnorum ad *ortum* Bavariæ (undè *Auſtria*, *Ooſte-reich*, nomen illi Bavariæ parti) Populorumque ad Mare Balticum; *Imperator* Occidentis proclamatus expirante Seculo, ſub finem Anni DCCC. ut infrà pluribus. Quæ omnia ad Hiſtoriam Civilem ſpectant.

Quantum illi debeat *Chriſtianiſmi* partim propagatio, per Regiones quas tenuerant Infideles, partim reformatio, Hiſtoriæ de Vitâ & rebus geſtis Caroli Magni, indè ab *Eginhardo*, primo horum Scriptore; ut & Longobardorum, Saxonum, Francorum Annales; Caroli ejuſdem Capitularia; Actaque Conciliorum teſtantur: Ex his deinceps Magdeburgenſes, Baronius, Stuckius, Hoſpinianus, Mutius, Freherus, Conringius, Bockſerus, &c. & qui Galliæ res, aut Germaniæ, digeſſerunt.

Converſiones.

Nempè auſpiciis tanti Principis, 1. Converſæ ad Chriſtum gentes omnes *Saxonum*. *Ooſtfali* ultrà Viſurgim fluv. *Weſtfalique* cis Viſurgim, penitùs tandem ſubacti An. DCCCIV. poſt tot rebellionum molimina, & tricennale bellum, de quo fusè Eginhardus, Libro de *Vitâ Caroli M.* cujus Cancellarius fuit. Ac præcipui Saxonum Duces, nempè in Weſtfalis *Witikindus*, vel *Widichindus*, cujus Caſtrum propè Oſnaburgam fuit, à Carolo muniendum; in Ooſtfalis ſeu Holſatis ultrà Albium fluv. *Albion*, ambo A. DCCLXXXV. ſacro fonte tincti, & in Caroli fidem ac tutelam recepti. Indè ad *Danos* & *Suecos* transmiſſa Lux Euangelii fuit. Sed & pari ſtudio Carolus Barbaris reliquis, quos victricibus armis ad deditionem compulit, *Sclavis*, *Venedis*, *Ungaris*, &c. hanc unam pacis ac libertatis legem præſcripſit, ut abjectis Idolis Chriſtum fide amplecterentur, ex Sigeberto, Crantzio, aliis.

Epiſcopatus inſtituti.

2. *Epiſcopatus* per Saxoniam omnem fundati, optimo inſtituto, ut Epiſcoporum ac Sacerdotum miniſterio, Gentes perfidæ & mobiles, ac impatientes novi jugi, in fide *Chriſtianâ* continerentur. Vix enim Chriſto ſacramentum, Principi fidem dederant, quum identidem ab utroque, nefariâ rebellione deficerent, Witikindo potiſſimùm duce, ex *Chronicis* omnibus. At ne deinceps relaberentur ad apoſtaſiam, armavit Epiſcopos Germaniæ Carolus Seculari poteſtate, ac Pontificio gladio ſuum adjunxit, Provinciis inter eos diſtributis; ut haberent quo contumaces & terrerent, & diſtringerent, ità Krantzius in *Metropoli*, in *Proœm.* Undè *Epiſcopatus* per Germanias in *Principatus* verſi; præeunte Pipino qui Burchardum, Wirtzburgenſem Epiſcopum, Orientalis Franciæ Ducem, præmium Romanæ legationis ad ſe ſuſceptæ, conſtituit.

Hinc nati Epiſcopatus iſti: *Oſnaburgenſis*, Whihone Friſio Epiſcopo primo; *Salingſtadienſis* ultrà Viſurgim, Epiſcopo Hildegrino, transferendus deinceps Halberſtadium; *Magdeburgenſis*, ad Albim fluv. huc translatâ Sede ab Ottone I. in loco antè Veneri ſacro, qui Parthenopolis; *Paderbornenſis*, ad fontes Lippiæ fluv. *Monaſterienſis* ad Amiſiam fl. Ludgero primo Antiſtite; *Werdenſis* ultrà Viſurgim, Swiberto Epiſcopo; *Bremenſis* in Friſiorum & Saxonum confinio, versùs Viſurgis oſtia, Willehado Pontifice; *Mindenſis* ad eundem fluvium, ubi arx Whitikindi, cujus partem ceſſit ædificandæ Eccleſiæ, undè *Min*, *Din*, quaſi Meum & Tuum, ſeu communis duorum poſſeſſio; *Hildeſienſis*, vel *Hildesheimienſis*, antè *Aulicenſis*, ultrà Viſurgim, ad duorum rivorum confluenta; *Hamburgenſis* ad Albim fluv. Holſatiæ regionis, Anſgario primo Epiſcopo, qui hinc ad Danos & Suecos fidem Chriſtianam propagavit.

Scholæ erectæ.

3. *Scholæ* erectæ, & *Collegia*, Linguarum ac Diſciplinarum ſedes, pellendis ignorantiæ tenebris quibus Chriſtianiſmus propemodùm obrutus videbatur. Nam amantiſſimus literarum Carolus fuit, Theologiæ, Hiſtoriæ, Aſtronomiæ, Muſices, Rhetorices, Poëſeos, Linguarum Latinæ & Græcæ, peritiſſimus, teſte Eginhardo Carolo à Secretis, & illi chariſſimo; quod ex Legatione Eginhardi ad Leonem III. inter cætera liquet, ut quoque Pontifex Teſtamento ſuo ſubſcriberet, non ex neceſſitate, ſed ad *majorem authentiam*. Diligens etiam lector Scripturarum, & poſt eas cumprimis Auguſtini. Undè & in Palatio Regio Scholam aperuit; & in Urbe Pariſiorum jacta prima fundamenta Scholæ mox ibi ſecuturæ; ac Conſtitutio generalis, ad Epiſcopos & Abbates, à Carolo Rege edita Ann. DCCLXXXVII. in Capitularibus Francorum Regum, *Tomo* I. p. 201. de quâ ſtatim. Mox in Italiâ *Papienſis* ſeu *Ticinenſis* Scholâ ſucceſſit, dein *Bononienſis*, atque etiam, ut alii, *Patavienſis*; in Weſtfaliâ *Oſnaburgenſis*, in quâ Græcas Latinaſque Scholas Epiſcopus aperuit, juſſu Caroli, ſub initia Seculi ſequentis; & aliæ paſſim.

Collegia Canonicorum, qualia inſtituta.

Quin præcipuas *Epiſcoporum* Sedes, ſeu Cathedrales Eccleſias, voluit eſſe totidem Collegia, Scholas Sacras, in quibus alerentur Viri religioſi, doctrinæ S. cuſtodes, & propagatores, præformandæ ad S. Miniſterium juventuti. Dicti hi *Regulares*, quia ad Corbejenſis Cœnobii Regulam adſtricti, poſteà, ut ſe à Monachis deſtinguerent, *Canonici*; undè *Collegia Canonicorum* nata ſub Carolo M. Moguntiæ, Coloniæ, Treviri, Saliſburgi, &c. paſſim. Et quia ſtipendia illis adſcripta, ex proventibus Eccleſiarum, hinc natum *Præbendarum* nomen. Mox, ſuccedente Cantionum in Officiis Sacris ſuperſtitione, poſt introductum ubique à Carolo M. *Cantum* Gregorianum, à IV. itinere Romano, nonniſi *Cantionum Scholæ* fuerunt ea Collegia, quod præcipuum tum Eccleſiaſticorum ſtudium; tandem & Scholæ otii, inertiæ, luxûs, dominationis ut in hunc diem apparent.

Monaſteria.

Nec alium in finem *Monaſteria* fundata plurima, ſub Præfectis vel Abbatibus, per omnia Carolini Imperii ſpatia, quàm ut in illis ipſis traderentur Sacræ Literæ; in quarum ſtudio Monachi conſeneſcerent, ut vitæ auſterioris exemplo morumque, ſic doctrinæ luce, utiles futuri Chriſti Eccleſiæ. Sed de Cœnobiorum Scholis jam ſuprà ad Seculum VII. *Cap.* XII. Ac *Cœnobiorum* indicem, quæ hoc Ævo ſurrexerunt, apud Hoſpinianum require, de Ori-

gine

Digitized by Google

gine Monachatûs, *fol.* 141. &c. Nec negligendus Joachimus Vadianus de Collegiis ac Monaſteriis Germaniæ veteris. In Angliâ mediterraneâ, nobiliſſimum hac Ætate Monaſterium ſtructum fuit S. *Albani* dictum, fundante Offâ Merciorum Rege, in memoriam *Albani* civis Verulamii, martyris ſub Dioclet. cujus reliquiæ tum inventæ dicuntur.

Conſtitutionem Caroli M. generalem, de Scholis per ſingula *Epiſcopia* & *Monaſteria* inſtituendis, editam non poſt *tertium* iter Romanum, ut Sirmondus, ſed *quartum* An. DCCLXXXVII. exhibet præter Baluzium in Capitularibus Francorum Regum, Editio noviſſima Conciliorum *Tomo* VI. *col.* 1780. Ac potiſſimum tunc Principis inſtitutum fuit, ex verbis *Conſtitutionis*, reſtituere neglectum Scripturarum ſtudium, ducere ad rectam earum intelligentiam, *ut faciliùs & rectiùs Divinarum Scripturarum myſteria valerent penetrare.* Porrò de Caroli M. *doctrinâ*, alieniſſimâ à Tridentinis Canonibus, & praxi inſequentis Ævi, deque inſtauratâ in multis *Diſciplinâ*, ex ejuſdem Capitularibus, erit infrà dicendi locus.

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi. Continuatio deformationis in eâdem Doctrinâ, Ceremoniis, Diſciplinâ, per additiones R. E. Ignorantia Cleri, in Latinâ Eccleſiâ.*

Doctrina Catholica hujus Sec.

I. Manſit ſanè quoad theſim, & quoad profeſſionem externam, in utrâque Eccleſiâ Orientali & Occidentali, *Catholica fides* inconcuſſa, ſeu fundamentalis Chriſtianiſmus, Hæreſibus prioribus rejectis, qualiter Symbola ſuperiora, & Concilia Oecumenica definiverant; ſed additâ ſuperſtitione, quæ Catholiciſmum fœdavit.

Quod ipſum hac Ætate colligitur, 1. Ex *Symbolis* variis, ac *Synodicis Confeſſionibus* Fidei, editis ſeu publico nomine, ſeu privato, cùm in Oriente tùm in Occidente. In *illo* quidem, puta à *Joh. Damaſceno*, de quo infrà pluribus, Libris de Orthod. Fide: A *Taraſio Conſtantinopolitano*, in literis ad Antiochenos & Alexandrinos, inſertis *Act.* III. Conc. Nic. II. Tom. VII. Concil. A *Theodoro Hieroſolymit.* ut dixère, in Synodico lecto in eâdem Synodo, *Actione* eâdem, quo prolixè fidem profitebatur, theticè & antitheticè: A *Baſilio* Ancyrano, cæteriſque qui cum Baſilio ſe ſtiterunt in illâ ipsâ Synodo, ſed Iconodulis, ut legere eſt in *Actione* I. Tomo eod. à *Col.* 55. In *Occidente*, profeſſiones hujuſmodi Catholicæ Fidei inſertæ paſſim ſcriptis *Bedæ*, *Paulini Aquilejenſis*, *Alcuini*, *Caroli M.* quas vide vel apud Flaccum Catalogi *Lib.* VIII. & Magdeburgenſes *Cent.* VIII. in Capite de Doctrinâ: Et hanc Chriſtianiſmi eſſentiam, verùm fœdandam magis ac magis ſuperſtitionum portentis, retinuit ſanè Romana Eccleſia; Scripturas S. Symbolum Apoſt. Orationem Dominicam, Decalogum, Doctrinam de Trinitate, Perſonâ Chriſti, Redemptione, &c. II. Ex confirmatione ejuſdem fidei per varias in Orbe utroque *Synodos*, qualiter factum in *Conſtantinopolit.* ſub Copronymo, & in *Nicænâ* II. *Actionibus* VI. VII. *Tom.* VII. Col. 398. 553. quanquàm additurâ hac Cultum Imaginum, de quo poſteà. Sic fidem quam diximus Catholicam, ex definitione Synodorum Univerſalium priorum, probaverunt in Oriente, & Occidente, Synodi particulares complures, Symbolis etiam & Confeſſionibus ſancitis, ut in Synodis Hiſpanicis, Gallicanis, &c. in *Tomo* VI. & VII. *Conciliorum* edit. Labbeanæ.

Romana Eccl. ut Catholica. Baronius notat.

II. Non peccavit quidem ejus temporis Roma ſubtractione eſſentialium, primorumque Capitum, ad exemplum damnatarum Hæreſium. At ſenſim Fidei integritatem variis corruptelis coinquinavit, ac *Chriſtianiſmo* veteri *Papiſmum* novum, pretioſo vile, divinis humana, Scripturis S. Traditiones ſuas, præceptionibus Chriſti & Apoſtolorum, Pontificum Romanorum decreta, & ἐθελοθρησκείας propè innumeras adjecit. Undè Corpus illud langueſcere, & vitium magis magiſque contrahere, partibus in eo ſanis aliis, aliis oppidò ulceroſis. Ac nova hæc quidem additamenta, quæ partim ambitio præpoſtera, partim avaritia, deſidia, luxus, ignorantia Cleri, Regum ac Populorum faſcinus, ſuggeſſère, Religionis acropolim inter Latinos conſtituerunt. Undè verba dat, pro viri ingenio, Baronius, exorturus *Tomum* IX. Annalium, dùm *teſtimonium veritatis, jugiter in* Rom. *Eccleſiâ* perhibitum, magnificis verbis extollit; ſimul proditurus tanti beneficii cauſam, nempè *uno patrocinio, quod jugiter implorare, Patronæ ſuæ Mariæ Virginis ſecurus*; Dei autem illo Chriſtique Servatoris ſecurè tacito, quod unum *Teſtes* illi *veritatis*, quos laudat, *Apoſtoli* imploraverunt.

Doctrina de Papæ poteſt. ſpirit. & tempor.

III. Specimen fœdatæ *Doctrinæ*, *Diſciplinæ*, *Cultûs* propemodum omnis, ſequentia dabunt, *Antichriſtianæ* autem dominationis proximum Lemma.

Ac potiſſimum doctrinæ caput, quod in arce collocandum fuit, & ad quod refert omnia ſua Annalium Eccleſiaſtic. Scriptor, *Tomo* IX. fuit Romani Pontificis non jam *primatus* aliquis, ſed *ſuprematus*, & poteſtas abſoluta ſummaque, ut in ſpiritualibus, ſic in temporalia invaſura, *Petrini* nominis perpetuo obtentu. Hinc, præter facta, de quibus *Capite* ſeq. emanarunt *Decreta* varia in Synodis Romanis, & ſcriptæ *Epiſtolæ* Conſtantini Papæ, Gregorii II. Gregorii III. Zachariæ, Stephani III. Pauli I. Stephani IV. Hadriani I. Leonis III. Quibus Epiſcopi illi Romani, non ex ſolâ conceſſione Valentiniani III. ſed jam ex *divino* jure, & conceſſione *Chriſti*, & *Petri auctoritate*, arrogabant ſibi jus *præcipiendi* omnibus quaquaverſùm Eccleſiis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus; ſed etiam & Imperatoribus, Regibus; eoſdemque pro arbitrio *ligandi*, *ſolvendi*, *deponendi*, *conſtituendi*, *de omnibus judicandi*, ut *nemini liceret de eorum judicare judicio*, quæ fuère Hadriani voces ad Carolum Regem. Hinc Romana Sedes ubique indigitata *Caput omnium Eccleſiarum*, *Caput Orbis terræ*, cui *ſubjectionem*, *obedientiam*, *ſervitium*, ipſa Orbis Capita præſtare tenerentur tanquàm *Chriſto*, *Petro*. Legantur Epiſtolæ Pontificum in Tomo VI. & VII. Conciliorum *Edit.* 1671. additis Epiſtolis *Bonifacii*, & Gnathonum id genus: Quarum etiam excerpta habes apud Gratianum in *Decreto*, non unâ *Diſtinct.* Blondum, qui Eugenii IV. amanuenſis fuit, in *Decadibus*, Aventinum in *Annal. Bojor. Lib.* III. & IV. Sigonium *de Regno Ital. Lib.* III. & IV. &c. Adi & Joh. *Balæum* in *Centuriis*, Flaccum in Catalogo Teſtium *Cent.* VIII. *Cap.* de Romani Pontif. Principatu, & Mornæum in Hiſt. Papatûs, de *Progreſſu* Myſterii Iniquitatis hoc *Seculo*, ut alios præteream.

Baronius notatus.

Nec opus prolixiori deductione, faſſo hoc ubique Annalium Scriptore, ad hanc ipſam Ætatem, ac dogmaticè, per fuſa Tomi IX. ſpatia, adſtruendo jura Romanorum Pontificum in ipſa Imperia, Regna, Principatus; ac poteſtatem *transferendi*, *auferendi*, *ligandi cæleſtia & terrena*, *decreta quæ Reges implere teneantur* mittendi, &c. ubi is de Leone Iſaurico, & Succeſſoribus, de Carolo Martello, Pipino, Carolo M. de Longobardorum, vel Anglorum Regibus. Et hinc immodica illa *Bonifacii* per Baronium commendatio, qui quaquaverſum inter Britannos, Germanos, Gallos, Italos, pro tenore præſtiti Gregorio II. juramenti, omnipotentiæ Pontificiæ fidem propagaret. Nec tam id agebat ſuo Apoſtolatu, ut Gentes *ad Chriſti obedientiam* converteret, quàm ut *quantoſcunque audientes vel diſcipulos*, *in iſtâ legatione*, *ad obedientiam A*po-

Digitized by Google

poſtolicæ ſedis invitaret & inclinaret, ut ipſe jam provectiori ætate ad Zachariam Papam in Præfat. Epiſtolâ, inſertâ Tomo vi. Concil. *col.* 1495. Undè Mezeræus in Hiſt. Caroli M. Tom. i. *Id prorſus agebat* Bonifacius, *ut cuncta referrentur unicè ad Papam, ejuſque ſupremam poteſtatem.*

Norma tùm fidei qualis?

Hinc non *Scripturæ* deinceps *Sacræ*, non Euangelicæ & Apoſtolicæ Literæ fuêre norma credendorum & faciendorum, niſi dicis causâ. Ubique revocabantur Clerus, Populi, ad obedientiam *Canonum*, ad *decreta Romanor. Pontificum*, ad *Apoſtolicæ ſedis mandata*, ad *vocem B. Petri Apoſtolorum principis*, *ad ſententiam Petri* audiendam, &c. quo nomine Papa perpetuò venit, in Epiſtolis & reſcriptis Pontificum hujus Ævi. Adeò ut Stephanus II. miſſâ Epiſtolâ ad Francos, pro ſubſidio contrà Longobardos impetrando, quæ & in *Tomo* vi. Concil. *col.* 1639. ſic inſcribat: *Petrus vocatus Apoſtolus à J. Chriſto Dei vivi Filio, Vobis viris Excellentiſſimis*, &c. *Mox, Ego Petrus Apoſtolus, dum à Chriſto Dei vivi Filio vocatus ſum*, &c. Nec aliter loqui ſoliti Gregorii, Zacharias, Paulus, Stephanus III. Hadrianus I. horumque præcones Bonifacius, & reliqui.

IV. Ita radices agere hoc Seculo, in Romanâ Eccleſiâ, doctrinæ ad omnem ſuperſtitionem natæ, de quarum initiis jam in ſuperioribus dictum. Nempè Clero his faſcinante Reges, Populoſque, ac ſubtrahente magis ac magis clavem cognitionis, ut pro libidine dominaretur; & opes in Eccleſiam, in Monaſteria effunderentur. Hinc recepta jam inter Latinos doctrina de *Purgatorio*, Græcis ut ignorata tùm, ſic acerrimè deinceps oppugnanda; eademque novis quotidie viſionibus, præſtigiis, fabulis in Occidente roboranda. Cui rei egregiam cumprimis operam navabant Monachi, & emiſſarii Romanæ Sedis, quos inter Winfridus ille Bonifacius, cujus *Epiſtolæ* inſertæ Tom. xiii. Bibl. Max. Patrum, plurimæ ſunt in commendando hoc terriculamento. Hinc viſio illa *redivivi* cujuſdam Monachi, & reducis undè negant redire quenquam, ex *Paradiſo* ſcilicet & *Purgatorio*, in Epiſtolâ Bonifacii ad Eedeburgam Abbatiſſam, quam ex ineditis ut pretii ingentis κειμήλιον producit Annalium Scriptor, ad A. dccxvi. N. xviii. *& ſeq.* Nempè viſus illi Monacho eſt locus Purgatorii, *ignis, piceumque flumen, bulliens & ardens, ſuper quod lignum pontis vice poſitum*, quod quædam animæ *non titubantes tranſibant*, quædam verò de ligno præcipites *cadebant* in *tartareum flumen* ibi non uno modo *mergendæ*, hinc *clariores ſpecioſioreſque* in optatam ripam deferendæ. Portenta alia viſa iſti Monacho, pluribus refert Epiſtola. Et *tanta res*, addit Baronius, *cujus Bonifacius haud fuit otioſus auditor & ſcriptor, diſpoſuit* ipſum *ut meditaretur Euangelii prædicationem in Gentibus*; nempè is Apoſtolatum inter Gentes, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, ac quondam inter eas Papatum, jam animo ſuo præcipiens, ut accidit.

De Purgatorio.

Inædificatæ Miſſæ. Oblationes pro defunctis.

Huic de Purgatorio doctrinæ opportunum ſuperſtructæ aliæ, omnium conſenſione Clero & Monachis oppidò proficuæ. Hinc totus Bonifacius, in præfatis *Epiſt.* qui commendaret *Miſſas, Oblationes, ſuffragia*, pro laborantibus in terrifico piceoque illo flumine defunctis. Nec aliud nuper ex Epiſtolis illis eruit Natalis Alexander, *in Sec.* viii. *Art.* vi. *Capitis* iii. quàm *octavo Seculo mutuas fuiſſe Societates ſuffragiorum, cum pro vivis tùm pro defunctis.* Hinc

Miſſæ privatæ, vel ſolitariæ.

Miſſæ ſolitariæ, & *privatæ*, frequentari hoc Ævo cœptæ, communicante ſolo Sacerdote, vel etiam ſolo præſente qui miniſtraret, nullâ omninò ſynaxi vel collectâ; ne interim vel populi *Oblationes* deficerent, vel *mortui* ſcilicet Miſſis non juvarentur.

Card. Bona notatus.

Quales fruſtrà Card. Bona *Liturg. Lib.* i. *Cap.* xiv. & xviii. contendit obtinuiſſe indè ab *Apoſtolorum Æ*tate; Confundens oblationes vel celebrationes tunc *quotidianas*, de quibus & Tertullianus, Cyprianus, Baſilius M. alii; aut adminiſtratas *in privatis* ædibus, vel inter paucos, ſi vel *tres congregati*; aut in *Oratoriis Monachorum*, poſt natam ſuperſtitionem; cum Miſſis quas vocant ſolitariis. Quin *Theodulphum* Aurelianenſem Epiſcopum, expirante ferè *Seculo* viii. præfectum illi Eccleſiæ, Miſſarum id genus approbatorem laudat, *Cap.* xiv. N. i. Ex cujus tamen *Capitulari*, ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes, *Cap.* vii. *Ut ſacerdos Miſſam ſolus non celebret*, non ſine *circumſtantibus*, non ſine ſynaxi, ſaltem *vel trium*, juxtà illud *Matth.* xviii. 20. damnantur hoc ipſo Miſſæ ſolitariæ. Quod Capitulum tacet Bona, refert ſanè Baronius, ſed diſſimulato argumento quo proſcribi Miſſas privatas Caſſander jam intellexerat. Malè etiam à Baronio referri ad A. dcccxxxv. quando pridem fatis conceſſerat Theodulphus, rectè Sirmondus in Notis obſervavit. Nec favet Miſſæ ſolitariæ *Capit.* xlv. ejuſdem Capitularis, citatum Bonæ, & expreſſum *Tomo* vii. *Concil.* col. 1147. quo ſanè mentio *Miſſarum peculiarium*, quæ peculiariter pro defunctis celebrarentur, at non ſine ullo circumſtante; id modò volente Theodulpho, ne *peculiares* illæ ſufficere Dominicis crederentur, neve populus per eas à Solennibus & Canonicis Sacris abſtraheretur. Ad ſequens verò Seculum ſpectant Canones Synodi *Moguntinæ* ſub Carolo M. *Pariſienſis* ſub Ludovico Pio, quibus Miſſarum ſolitariarum uſus, ut *irreptitius*, ut *reprehenſibilis*, ut ab *avaritiâ & incuriâ* profectus damnatur. Et ex Walafrido Strabone, claro itidem Seculo ix. tum ex Odone Cameracenſi, poſteriore non uno Seculo Miſſarum id genus novitatem coarguit Caſſander *Conſultat. Art.* xxiv. Incerti magis temporis eſt, Canon *Nannetenſis*, citatus eidem Caſſandro, de quo loco ſuo.

Superſtitio Monachalis.

Nec aliundè quàm ex ſuccenſo igne *Purgatorii*, & ex Pœnis ſatisfactoriis, quas redimere ſe hoc pacto perſuaderentur, aucta *Monachalis* indies ſuperſtitio, ex opinione tanti meriti, ut etiam Reges, poſito Diademate, tonſuram & cucullum admitterent: Quemadmodùm *hic metus pœna, quâ propter peccata afficiendus erat*, ſcil. in Purgatorio, (laudante Baronio ex Polydoro Vergilio, ad A. dcclxxv. N. x.) induxiſſe fertur Offam Regem Orientalium Saxonum, *ut regnum ſuum vectigale faceret Rom. Eccleſiæ*, & *denarium* Petri *domeſticatim* pendendum imperaret. Sed de his etiam poſteà.

Reliquiaria.

Reliquiaria quoque adeò crevit ſuperſtitio, ut & virtus magis magiſque divina, dæmonibus ejiciendis, morbis curandis, &c. & ſanctitas, & patrocinium, & crebra miracula, cum profuſo cultu, illis adſcriberentur. Hinc ut *Imaginum* religioſa προσκύνησις hoc Ævo ſancita, de quâ nos loco ſuo, ſic & *Reliquiarum* illa. Undè Theodoſius ille, qui cum Baſilio Ancyrano ſtitit ſe Synodo Nicænæ ii. gratificaturus Patribus, editâ confeſſione, *Art.* i. T. vii. *col.* 59. Ὁμοίως καὶ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων προσκυνῶ, καὶ τιμῶ, καὶ ἀσπάζομαι, *ſimiliter reliquias Sanctorum adoro, & honoro, & amplector.* Quibus mox aſſurgunt Patres, ut confeſſioni Orthodoxæ, & quâ illicò audiit συνήγορος τῆς ἀληθείας *advocator veritatis*. Undè etiam Canones non unius Synodi in honorem *Reliquiarum*, & Canon *Nicænæ* Iconolatriæ vii. ne Templa ulla conſecrarentur, ἐκτὸς ἁγίων λειψάνων μαρτύρων, *abſque ſanctis reliquiis Martyrum*, deponendo Epiſcopo, qui abſque Lipſanis vel Reliquiis Templum conſecraret. Sed rectè vocant ibidem Ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, *Eccleſiaſticam traditionem*, & muſteam illam, non profectò Chriſti & Apoſtolorum. Quo factum ut novæ quotidie Reliquiæ miris revelationibus apparerent, incognitæ anteà, ac venerandis nominibus donarentur: Ut illæ *Dionyſii Areopagitæ*, Romam has deferente Stepha-

phano III. *Marcellini*, *Stephani Martyris*, *B. Auguſtini*, *Gregorii M. Laurentii*, aliorum ſine fine Martyrum, hoc Seculo repertæ. Quin ſecuturis Ætatibus demùm agnitæ Reliquiæ *Marci*, *Matthæi*, *Jacobi*, *Simonis*, *Judæ*, *Mariæ Magdalenæ*, aliorum id genus Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ Virorum, Fœminarum, Martyrum. Hinc tranſlationes earundem factæ quaquaverſùm, & à *Papis* Româ expetitæ, tanquàm theſauri, gemmæ, ancilia quædam, & præſidia Regnorum, Provinciarum, Urbium, Eccleſiarum, etiam ſæpè *furto* auferendæ, exemplo apud Baronium non uno.

Reliq. Auguſtini hoc Ævo. Baronius notat.

Cumprimis memorabilis translatio Reliquiarum *B. Auguſtini*, ſub Gregorio II. de quâ fuſè, ut certâ Hiſtoriâ, Annalium Scriptor ad A. DCCXXV. *Num.* I. *& ſeq.* Nempè longo poſt exceſſum ejus annorum intervallo, tranſlatas ferunt ex Hipponenſi tumulo in *Sardiniam* Inſulam, ibi aſſervandas in tertium à tranſlatione Seculum: Donec à Barbaris Sardiniam occupantibus redimerentur ingenti pretio, à Luitprando Longobardorum Rege miſſis legatis, eædemque *Genuam* primò, indè *Ticinum* ſive Papiam transferrentur, non uno prævio miraculo, hinc *divino honore colendæ* à Luitprando. Sed non antè feretrum paſſum eſt ſe moveri loco, delatum ad prædium quoddam ampliſſimum, dictum *Savinarienſe*, quàm voto Rex ſe exolviſſet, donato ſcilicet eo prædio *Deo & Eccleſiæ Beati Petri*, acceſſuris novis & immodicis donationibus. Nec alia tot *Miraculorum* deinceps origo, quàm ut dotarentur Eccleſiæ & Monaſteria, vel nova fundarentur. Ac ne fides rei tantæ laboraret, profert Annalium Scriptor *Epiſtolam* quandam Petri Mediolanenſis ad Carolum M. fabellis modò dictis refertam, & quidem datam Anno Incarnationis DCCVI. quo tempore Carolus M. adhuc in lumbis Patrum. Addit rei teſtes Paulum Diaconum, Bedam, Marianum Scotum, Sigebertum, in propinandis id genus fabellis (ex conſenſu Doctiorum) oppidò liberales, non ullum Seculi VI. & VII. ſcriptorem; minùs *Fulgentium* ipſum, aut *ſocios*, qui exulatum miſſi in Sardiniam à Traſamundo Rege, Reliquias illas Auguſtini Hippone in *Sardiniam* tranſtuliſſent, ſub initia Seculi VI. Ac iſti prætereà in genere tantùm, de tranſlatis è Sardiniâ in Ticinenſem Urbem Reliquiis Auguſtini, nihil additum de miraculis in *Epiſt.* Petri Mediolanenſis. Talia ſunt ex Bedâ apud Annalium Scriptorem, de reperto *Sindone* ſepulchrali Chriſti, de *Spongiâ* quâ potatus in Cruce, de Coronâ *Spineâ*, de *Miraculis* Reliquiarum virtute, aut defunctorum penè innumerabilibus; quæ neſciverant Secula priora, *Beda* credulâ ſimplicitate jam in ſuperioribus obſervatâ, & in majus augendâ hac & ſequenti Ætate.

In Sanctos & Mortuos ſuperſtitio.

Vires etiam acquiſivit Ἁγιολατρεία ſeu *Sanctorum Invocatio*, ad eoſdem Preces, Hymni, in eorum honorem Feſta, Templa, Monaſteria; ad eorundem Delubra, & Simulachra, vel Lipſana, inſtitutæ Peregrinationes religionis ergò. Firmata nempè hoc Ævo ſuperſtitio eſt, ſimul cum ſancito *Imaginum* & *Reliquiarum* cultu in Synodo vulgò VII. & fictis quotidie viſionibus, apparitionibus, miraculis Sanctorum. Inſignis illa *Dionyſii Areopagitæ*, apparentis, cum Petro & Paulo, Stephano II. Papæ, graviter in Galliis apud S. Dionyſium laboranti, Anno DCCLIV. ſed & ſtipulantis à Stephano ſanationis præmium, *Altare* ibi *dedicandum in honorem Dei, & Apoſtolorum Petri & Pauli.* Undè ad Dionyſium Petri voce, *Tuâ gratiâ ſanitas eſt ejus!* Hæc pluribus Baronius ad A. DCCLIV. *Num.* III. *& ſeq.* ex Epiſt. quâdam ab ipſo Stephano eo anno ſcriptâ, quæ dicta *Revelatio Stephani*, apud alios non *tertii*, ſed II. inſertâ quoque Conciliorum *Tomo* VI. *col.* 1649. At tacita hæc *Revelatio* Anaſtaſio, in Vitâ Stephani, contrà quàm nuper Natalis Alexander, ſecurè nimis, *ut refert Anaſtaſius*, ad *Sec.* VIII. Cap. I. pag. 26. Ac diu poſteà hoc Stephani reſcriptum, ſuo ſe prodens indicio, confictum eſt à Monachis Fani Dionyſiani, *Helduini* Abbatis nomine, ac ſpuriis additamentis auctum, quale illud ad calcem *Tomi* VI. *Concil. col.* 1881. Cui ſi quæ fides eſt, Paparum fuit *Francorum Reges in poteſtatem regiam ſublimare*, vehementer intercedentibus Gallis, ac nuper Maimburgio & Natali Alexandro. Hinc plus jam præſidii repoſitum in S. Dionyſio, Sebaſtiano, Lamberto, Hiacyntho, Auguſtino, Gregorio M. &c. & in fictis etiam nominibus, quorum Lipſana venditarentur, quàm in immediato illo Dei & Chriſti. Ne *Mariæ* Dei genitricis, *Petri*, *Pauli* advocatum ubique patrocinium dicam, & illud *Principis Apoſtolorum* cumprimis, ubique in votis, miraculis, liberationibus, victoriis obtentis, ſociandi Deo Omnipotenti. Exemplorum hoc Sec. in Orbe cumprimis Occiduo pleni ſunt Annales, plenæ Epiſt. Pontificum, & his referti Annales Baroniani, paginis penè ſingulis. Ità ſuaſurus Carolo M. ſalutaria cum Principi tum Regno, Cathaulphus *Epiſt.* ad Carolum M. inſertâ Collectionis Du-Cheſnii *Tomo* II. autor fuiſſe dicitur, ut *Miſſam S. Michaelis*, & *paſſionem S. Petri*, *per Regnum celebrari juberet.* *Interceſſionem* utique Sanctorum non negavit Carolus M. in Libris de Imaginib. at unam Deo *adorationem* atque *invocationem* vindicavit, probè memor querimoniæ S. Auguſtini, indignati in ſui temporis ſuperſtitionem, quæ Chriſtianos quoſdam invaſerat, cumprimis in Africâ, *de Morib. Eccl. Cath. Cap.* XXXIV. *Tom.* I. *Nolite conſectari turbas imperitorum, qui in ipsâ verâ Religione ſuperſtitioſi ſunt, &c. Novi multos eſſe, Sepulchrorum & Picturarum adoratores, novi multos eſſe qui luxurioſiſſimè ſuper Mortuos bibant, & epulas Cadaveribus exhibentes ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietateſque ſuas deputent Religioni.* Ad quæ Auguſtini verba, vide exceptiones nuperas, recoctas, Natalis Alexandri, Galli Scriptoris ad hoc *Sec.* VIII. *Diſſ.* VI. prolixè expenſas in meâ Hiſtoriâ Imaginum, *Sectione* I. à *paginâ* 17. Neque ibi dicta reponimus. Nat. Alexander notat.

Superſtitiones aliæ hujus Ævi.

De cætero, Religionis tùm ſummam conſtituère, præter dictas ſuperſtitiones, *Miſſarum*, *Cantionum*, *Conſecrationum*, *Officiorum*, *Oblationum*, *Orationum*, *Votorum* ſolemnia, ad hæc & illa Sanctorum Delubra, Memorias, Simulachra, Imagines, Reliquiaria, Cruces, Lapides, Clavos, Ferramenta, Linteamina, id genus ſcilicet Lipſana. Adhæc tonſura *Monachalis*; fundationes *Monaſteriorum*, *Baſilicarum* conſtructiones; *Templorum* atque *Altarium* ornatus; *Veſtium* ſacerdotalium ratio; *Feſtorum* dicatorum Sanctis, ac Virgini cumprimis, obſervantiæ; alia ejus indolis, quæ Reges, Principes, Magnates, Populi, Româ frigidam ſuffundente, ſanctitatis ac meriti compendium crediderunt: Et in his ſuperſtitionibus augendis toti Pontifices hujus Ævi, vel ex *Vitis* eorundem apud Anaſtaſium, & ex Capitularibus. Undè Mezeræus, Hiſtoricus Gallus, de Statu Eccleſiæ hujus Sec. Compendii Tomo I. pag. 179. *Tota Religio verſa erat in ſuperſtitiones.* Nec tamen eò adhuc itum impietatis, qualem ſequentia Secula viderunt in *Cultoribus Virginis*, ad quos nuper medio fuère in Papatu *Monita ſalutaria*, ſed nigro thetâ notanda. Nondùm B. Virgo æquiparanda *Deo* & *Chriſto*, diviſo imperio, quinimò altiùs deinceps ſublimanda, *appellatione* à Tribunali Dei ad Tribunal Virginis. Nondùm illa Litaniis, Miſſis, Statuis, Roſariis, infinitis orationibus, votis, donariis, confictis Apparitionibus, Liberationibus etiam *ex Inferno* illi adſcriptis, vel blaſphemis Epithetis, puta *Omnipotentis*, *Salvatricis*, *Corredemptricis*, *Mediatricis*, *Matris Miſericordiæ*, *Re-*

Quæ nondum natæ.

Digitized by Google

Refugii peccatorum, *&c.* lædenda veriùs quàm honoranda. Nondùm ſolennis cultus *Angelorum*; nondùm innumeri *Divi Divæque* inſanæ ſuperſtitionis inſtrumenta; acceſſuris novis in dies & abſurdiſſimis *Reliquiis*, novis atque inauditis *Miraculis*, novis *Feſtis*, *Jejuniis*, *Sacramentis*, novis *Monachorum* inſtitutis, ac *ſuperſtitionum* ſine fine vel modo commentis, quibus dementati hodieque populi, exemplis infrà notandis.

Ciborum delectus mirus.

Natæ & hoc Sec. novæ leges circà *Ciborum* delectum, præeunte jam ſuprà *Theodori* novâ Regulâ. Hinc abſtinentia à certo genere Ciborum, quales *graculi*, *lepores*, *fibri*, *corniculæ*, *ciconiæ*, *caro equina*, animantia id genus, & *lardum* non *fumo* induratum, &c. *pœnitentiâ* eo in caſu à Sacerdotibus injungendâ. Quâ de re videatur Epiſt. reſponſoria Zachariæ Pontif. ad quæſita Bonifacii, quæ eſt ordine XII. in Tomo VI. Concil. Pariſienſ. *col.* 1524. Aliter tamen Capitulare Gregorii II. *Cap.* VII. in Concilio Rom. A. DCCXXI. *Ut in perceptione ciborum nihil judicaretur immundum*, *niſi quod fuerit Idolis immolatum.* Rursùs Gregorius III. in Reſcripto I. ad Bonif. *Art.* VII. inter Pœnitentias *Parricidarum* refert, qui *patrem*, *matrem*, *fratrem aut ſororem occiderint*, nempè *abſtinentiam à carnibus & vino*, donec vixerint, ſic *jejunium feriæ* II. IV. & VI. ut ſic poſſent *diluere ſcelus* admiſſum.

Iniquæ in Matrimonium leges.

Sed & *Matrimonii*, ſanctæ & impollutæ conjunctionis, libertas mirum in modum hoc Ævo adſtricta; vel ſolutus etiam individuus nexus per Romanos Pontifices, horumque Emiſſarios. Libertati matrimonii interceſſerunt de neceſſario *Cœlibatu* repetitæ in Occidente leges, in *Presbyteris*, *Diaconis*, *Subdiaconis*, contrà Canones Trullanos, & Orientalium traditionem, ut diſertè Stephanus III. Papa, apud Gratianum, *Diſt.* XXXI. *Cap. Aliter ſe Orientalium.* Hinc quotquot conjugati promoverentur ad Presbyteratum, Diaconatum, iis uxorum uſu prohibitum, trudendarum in Monaſteria; *anathemate* etiam dicto hujuſmodi *Presbyteras*, *Diaconas*, vel *Monachas ducturis*, in Concilio Rom. I. ſub Gregorio II. *Capit.* I. II. III. Imò idem Gregorius, *Epiſt.* XIII. ad Bonifacium, *Art.* VII. deſcribente Gratiano, rogatus de *infantibus* detruſis in Monaſteria, antè annos pubertatis, poſteà ubi hos annos adepti eſſent, volentibus ſacro matrimonio jungi, reſpondit: *Hoc omninò devitamus*, *quia nefas eſt ut oblatis à Parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Laudat in hoc Pontifice nuper Nat. Alexander, *pag.* 8. quo tamen quid in matrimonii ſanctam inſtitutionem, & *cubile impollutum*, honorabile *inter omnes*, & in factam à Chriſto libertatem, imò in nubendi *præceptum* extrà donum continentiæ, dici potuit contumelioſius?

Hujuſmodi fuêre leges de *diſſolvendo* matrimonio legitimè contracto, prætextu voti Monachalis, aut ſacrorum Ordinum: Quomodò *anathema* dictum cuidam Hadriano, qui cum Epiphaniâ Diaconâ nuptias contraxiſſet, in Synodo Rom. I. ſub Gregorio II. *Can.* XIV. XV. Sic novæ leges de *gradibus prohibitis*, quos nullum jus Divinum, vel Naturale prohiberet. Ità *Commatres*, vel *Compatres*, ſeu in Baptiſmo, ſeu in Confirmatione, eodem loco habiti, in causâ matrimoniali, quo Patres Matreſve, Fratres & Sorores, ut in decretis Gregorii II. & Stephani III. ad Britannorum interrogata. Sic Gregorius II. Epiſt. XIII. ad Bonifacium *Capit.* I. prohibet matrimonium *quamdiu ſe agnoſcunt affinitate junctos*, nullâ gradûs limitatione; aliàs ad *ſeptimam uſque generationem* nuptias prohibuêre. Ità damnavit Gregorius III. tanquàm Capitale crimen, conjugium illius qui duxiſſet *viduam*, ſeu *matrem filii* anteà à *ſe adoptati*; Bonifacio nullam in eo delicti rationem deprehendente, apud Baronium, ad Ann. DCCXXXIV. N. V. VI. Eratque optima ratio Bonifacii: *Quando omnes*, *in ſacro baptiſmate*, *Chriſti & Eccleſiæ filii Fratres & Sorores eſſe comprobemur.* Ità in Capitulari Gregorii, *Cap.* V. nefas eſſe decernitur, promoveri ad Ordines ſacros, *ſi quis virginem non ſortitus eſſet uxorem.* Hæc & alia cum libertate Chriſtianâ, & illâ primitivæ Eccleſiæ, conciliare novit Annalium ſcriptor; Sancta omnia, caſta, pia, digna tantis Pontificibus, & ſpiritu Chriſti!

Baronius notatus.

Uno verbo, ſingulorum Pontificum, qui Romanam Eccleſiam hoc Ævo rexerunt, cumprimis *Gregorii* utriuſque, *Zachariæ*, *Stephani*, *Pauli*, *Hadriani* I. facta inſigniora, *Baronianis* encomiis, ſed & nuperis *Natalis Alexandri* ornanda, ad ſuperiores Conſtitutiones ferè redeunt. Docet hiſtoria eorundem, non tantùm ex Anaſtaſio, ſed & ex eorundem Epiſtolis, Decretis, ex Gratiano, Platinâ, reliquis, in ipſo Annalium Eccleſiaſticor. *Tomo* IX. & *Capite* I. Hiſtor. Eccleſiaſt. dicti Natalis, ubi eorum Paparum Vitam deſcribit, *Seculo* VIII.

Corruptio Diſcipl. Eccleſ.

V. Cumprimis advertendum, quanti inſtauratores *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ* fuerint hoc Ævo Pontifices. Dùm toti incubuêre interdicendo Clericis, & Tonſis ſeu ſpontè ſeu coactè, *matrimonio*, ſimul *Concubinatui* auctoramentum acceſſit. Hinc *Concubinas plures* ferè ubique fuiſſe unius uxoris loco Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Mezeræus Hiſtoricus Pontificius rectè ad hoc Sec. obſervat, Compendii Hiſtor. Tom. I. *pag.* 174. *Clerus omnis ſummoperè diſſolutus*; *plerique alebant Concubinas*; *erant Diaconi quibus Concubinæ etiam quatuor vel quinque. Minùs intemperantes uxoribus utebantur. Moniales nec Clauſtrum ſervabant*, *nec vota*, &c. Accedebant vagæ libidines, fornicationes, adulteria, delicta execranda, vel ex Canonibus Concilior. & Capitularibus, & ex Epiſtolis Bonifacii ad Gregorium & Zachariam Pontifices, tùm ex formâ *Inquiſitionis* quam hoc Sec. ſcriptam autumat Baluzius. Nec pœna alia à Pontificibus irrogata, ex. gr. *ſi quis ordinatus in ſcelere Sodomitico deprehenſus eſſet*, quam anni aliquot *pœnitentiæ*, in Capitulari Gregorii III. Capit. XXI. Ex iiſdem Canonibus Pœnitentialibus liquet, non *Sodomitico* modò, ſed & *beſtiali* crimine devinctis, *parricidis*, *homicidis*, *inceſtuoſis*, *ſacrilegis*, *adulteris*, *perjuris*, *ebrioſis*, qui *dæmonibus immolaſſent*, &c. injunctas leviores pœnas, ut Depoſitionis, abſtinentiæ ab Altari, vel rigidioris alicujus Pœnitentiæ: Dùm v. gr. *conjugium* legitimum, aut nuptiæ cum matre filii ultrò adoptati, aut *coma* à Clerico laxata, &c. cenſerentur delicta quâvis ſeveritate expianda. Sed & caverat Clerus ne facilè piaculi alicujus fœdioris coargueretur. Non enim ſuberant *Clerici* ulli foro Civili, ſed Eccleſiaſtico tantùm, à ſuis judicandi. Quin *impoſſibile fuit eos* criminis *convictos dare*, ſunt Mezeræi ad hoc Sec. voces pag. 178. Edit. Pariſ. dùm alii *non admittebantur* ad accuſationem, ut viliores de plebe, aut Laici qui nec Mariti eſſent nec Patres; alii *ſi admitterentur*, LXXII. *teſtes requiſiti ad Epiſcopum*, XL. *ad Presbyterum*, XXXVII. *ad Diaconum*, *&* VII. *ad inferiores Ordines reos peragendos*, *omnes etiam inculpati.*

Ignorantia Clericorum.

Cleri *ignorantiam* ſtupent Annales hujus Ætatis, fovente ſuis conſtitutionibus Româ. Adeò immerſus inſcitiæ tenebris Clerus propemodùm univerſus, ut *in ordinandis* Epiſcopis, Presbyteris, non ampliùs doctrina, non peritia Scripturarum, minùs Linguarum, Diſciplinarumve, deſideraretur. Id modò Canonibus requiſitum, ut *benè legere*, ut *cantare*, *ut Orationem Dominicam*, *Symbolum*, *Pſalterium*, *Exorciſmos*, *Compotum*, id eſt, Computum, Cyclum decemnovennalem, Terminos Paſchales, Epactas, Feſta mobilia & Immobilia, &c. non neſcirent: Hinc ut omnes *Miſſalem*, *Pſalterium*, *Lectio-*

narium, *Antiphonarium*, *Pœnitentialem*, *Martyrologium*, haberent, & *Libros benè retiatos*, (pro *religatos*,) apud Reginonem. Quod in inquiſitione faciendâ per Epiſcopos interrogandi erant ſtudioſè Presbyteri, *Inquiſitionis* illius ratione conditâ Ævo Bonifacii Moguntini, urgente primùm Carolomanno Principe, dein Carolo M. quam habes paſſim in *Epiſtolis Bonifacii*, ac totam apud Reginonem, initio *Libri* I. Baluzius *Notis* ad Reginonem, pag. 540. *Ea erat Seculi illius infelicitas, ut neceſſe eſſet Presbyteros ab Epiſcopis interrogari, utrum benè legere noſſent. Quod non ſolùm in Presbyteris inferioribus contingebat, ſed etiam in illis interdum qui ad Summum Sacerdotium eligebantur.* Mezeræus in Carolo M. *loc. cit.* *Ignorantia Epiſcoporum erat horrenda, dùm cogerentur intelligere Orationem Dominicam, Carolo M. vix eò adigente, ut Admonitiones quaſdam ad populum recitarent. Sub Prælatis adeò ignaris, populus non potuit non eſſe rudis admodùm, & parùm inſtructus. In craſſâ illâ ignorantiâ, quid mirum ſi Fœminæ uſurparent dominatum in Eccleſiâ*, & *auctoritate Sacerdotali benedicerent, velarent*, &c. Mox, *Cantus faciebat partem potiorem ſtudii & occupationis Clericorum.* Adde lepida ignorantiæ illius exempla, apud Aventinum in *Annalib.* & in *quæſitis* Bonifacii, ac *reſponſis* ad Bonifacium, Gregorii II. & Zachariæ Pontificum. Sed & ignorantiam prodere ipſi *Pontifices*, tùm Scripturæ S. tùm purioris Antiquitatis, omniſque juris Divini & Humani, vel illis ipſi reſponſis ad interrogata Bonifacii, & Gallorum, quæ deſcripſit quoque nuper Natalis Alexander, ad *Sec.* VIII. Cap. I. Putabat v. gr. Gregorius II. prohiberi matrimonium *quamdiu ſe propinquos agnoſcunt contracturi*, nullo cognationis illius fine; *Nubere* poſſe, cui uxor, *infirmitate correpta*, *non valeret debitum reddere*; Nefas infantibus, impuberibus, *citrà voluntatem* ſuam ſemel detruſis in Monaſterium, unquàm *indè egredi*, & *matrimonio copulari*; Nefas ſecedere *è Monaſterio, quod peſtilens morbus invaſiſſet*; *Cavendos ab eſu Chriſtianorum graculos, fibros, lepores, &c.* Hujuſmodi alia decreta v. gr. de *Candelis*, *lampadibus*, *igne Paſchali*; de *equis regio morbo* laborantibus; de *lardo non* antè certum tempus *comedendo*; de barbarâ *baptizandi* formulâ; *de rebaptizandis baptizatis*; de *hominibus ſub terrâ*, ſeu *antipodibus*, quicquid poſt Baronium Natalis Alexander, *Sec.* VIII. pag. 23. accuſationem Virgilii aliter reddat, de quâ dictum *Cap.* præced. Ità Stephanus III. in Galliis agens in Reſponſis XIX. ad quæſita Britannici Monaſterii, inter alia, *Reſp.* XI. ratum eſſe jubet Baptiſmum *in vino* adminiſtratum, *aquæ* defectu, apud Sirmondum, & in Tomo VI. Concil. *col.* 1652. *Infans ſic permaneat in ipſo Baptiſmo.* Quod reſponſum Natalis Alexander cenſens indignum Pontifice, nuper *Sec.* VIII. pag. 29. lectionem ex aliis invertit, ac *negativam* precariò ſubſtituit. Quum tamen hujus *Stephani* reſponſa alia, in cauſis Matrimonialibus, Baptiſmi, Comæ nutritæ, prodant imperitiam primæ Antiquitatis.

Luxus, Avaritia. *Luxum* Epiſcoporum, Clericorum, Abbatum, arma tractantium, Pſalterium in Gladium vertentium, venationibus indulgentium, poculis, conviviis, compotationibus nocturnis, ac *deſidioſè* aut *quoquo modo* peragentium officia ſua, vel etiam cantantium, prolixè docent *Capitularia*, & *Epiſtolæ* Bonifacii, ſpeciatim ad Zachariam Pontif. & *Canones* varii Synodales, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, quin in Hiſpaniâ ipſâ ſub Witizâ, antè invaſionem Saracenorum. Vide & hac de re querelam Scriptoris cujuſdam ſub Carolo M. ad Bathuricum Epiſcopum Ratisbonenſem, quam inſeruit *Notis* ſuis ad Reginonem Steph. Baluzius, *pag.* 563. *Alii verò qui, quod pudet dicere, etiam Epiſcopi, totâ die conviviis & poculis vacantes, & penè uſque in noctis medium, aut uſque ad Gallorum cantum, aut eo amplius, diverſis ſtudent potionibus ſuæ ſatisfacere voluntati; priuſquam dormitum eant nocturnas vigilias* (officium ſuum vel penſum ſervitutis ſuæ, ut loquuntur Canones) *deſidioſè perſolventes, ſtrata mox decubant, donec iterum tempus manducandi & bibendi redeat. Surgentes verò, dùm ſe veſtibus induunt, diurna peragunt Officia*, &c. Adde formam *Inquiſitionis* faciendæ per Epiſcopos in Parœciis ſuæ Diœceſeôs, de quâ ſuprà, in quâ ſunt Interrogata XCV. Ex. gr. An Presbyter *ſuſpicioſus eſſet de aliquâ fœminâ*, *an ebrioſus*, *an venator*, an *in tabernis bibens*, &c.

Avaritiam verò Cleri, Abbatum, Monachorum, inexplebilem omnia loquuntur. Hinc prolixæ querelæ, ſed & Canones Capitularium in *Uſurarios*, *Simoniacos*, *fures*, *rapaces*, *ſacrilegos*, & quibus *venalia* eſſent ſacra omnia, *Ordinationes*, *Viſitationes*, *Chriſma*, *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *Admonitiones*, fatente Mezeræo, *Tomo* I. pag. 180. Nec tàm perditæ Diſciplinæ inſtauratores fuêre Clerici, aut ipſi Romæ Pontifices, quos obſidebat illud ipſum hominum genus; quàm fuêre pientiſſimi Principes, Carolomannus, Pipinus, Carolus M. & in Hiſpaniâ ac Britanniâ indignati in hos Clericorum exceſſus nonnulli Reges, ac pauci Antiſtites. Sed & magnam ſpeciem flagrantioris zeli pro reſtaurandâ Clericali diſciplinâ præbuit præfatus *Bonifacius*, modò omnia ad cœcum obſequium Pontificis referret: De quo ſuprà.

IV. *Antichriſtianæ in Eccleſiâ dominationis ſuperbiæque, hoc Seculo, incrementa.*

I. Irrepentis *Antichriſtianiſmi* characteres ad ſuperius Secul. ſignavimus potiſſimùm ſequentes, *Cap.* III. & IV. Idololatriam in *Cultu*, ſuperſtitionem nefandam in *Ritibus*, in *Diſciplinâ* omni Clericali partim tyrannicas in conjugium leges, partim effrænam Cleri licentiam, denique in *Romanis Pontificibus* æquatam poteſtatem illi Chriſti, affectatum in Eccleſiam univerſam dominium, quin in Regna ipſa & Imperia, non titulo tantùm *Univerſalis* Papæ, inde à Bonifacio III. ſed factis ipſis & uſurpationibus; ut pluribus ad iſtud Sec. exemplis. Qualiter jam hoc Seculo invaluerit inter Latinos dicta ſuperſtitio, Idololatria, & Diſciplinæ ſubverſio, invito quidem Carolo M. vidimus *Capite* utroque præcedenti. Nunc de *Antichriſtiano Dominatu*, ut vires acquiſiverit, hac eâdem Ætate, & quidem obtentu *Divini juris*, & *Petrini* nominis, exempla ſubjicienda veniunt. Characteres Antichriſtianiſmi.

II. Faciebat ad Papalis dignitatis faſtigium ſi Cleri creſceret auctoritas, creſcerent dignitates, quales *Archiepiſcoporum*, *Epiſcoporum*, *Abbatum*, diribitore Pontifice. Quo factum eſt, ut in Epiſcopatibus multiplicandis, Palliis concedendis, Primatibus & Archiepiſcopis creandis, Vicariatu Rom. Pontificis per Germanias, Gallias, Britannias, aliis indulgendo, qualiter Bonifacio Germanorum *Apoſtolo*, proniſſimi eſſent Pontifices. Quo magis obſtringi cœperunt Epiſcopi *juramento fidelitatis* ergà Romanam Sedem, præeunte *Bonifacio* non tantùm in perſonâ ſuâ, ſed adactis in idem juramentum omnibus deinceps Epiſcopis, cum horrendâ execratione. Dicat Baronius ad A. DCCXXIII. N. IV. ubi recitatâ formâ juramenti Bonifaciani, *Promitto ego Bonifacius, Tibi Beate Petre, Apoſtolorum principi, Vicarioque tuo beato* Gregorio *Papæ, & ſucceſſoribus ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum S. Trinitatem inſeparabilem, & per hoc ſacratiſſimum Corpus tuum, me omnem fidem*, &c. addit: *Hactenùs juramentum, quod & reliqui ordinati Epiſcopi præſtare ſolent.* Ordinatos autem ab uno Gregorio II. CL. *Epiſ-*

Dignitates Eccleſiaſt. per Pontifices auctæ.

Juramentum Epiſcopor. Baronius notatus.

Digitized by Google

Epiſcopos per diverſa loca, eodem ſacramento obſtringendos, auctor eſt Anaſtaſius in ejus Vitâ. Jurabant etiam *per Corpus Petri*, ſe Pontifici *fidem per omnia* exhibituros, omnia *ad utilitates Eccleſiæ ejus* (non Chriſti Eccleſiæ) directuros, *ſi contrà facerent, rei invenirentur in æterno judicio*, & *ultionem Ananiæ & Sapphiræ incurrerent*, &c. Et bonum factum videtur Annalium Scriptori. Hinc etiam reverà *Primates* hoc Seculo, *Pallio* à Zachariâ Pontifice impetrato, ſurrexerunt in Galliâ A. DCCXLIII. Rotomagenſis, Rhemenſis, Senonenſis αὐτοκέφαλοι, immediatè ſoli Pontifici ſubjiciendi, ex *Epiſtolis* Bonifacii & Zachariæ, T. VI. Concil. Labbei, & ex *Flodoardi* Rhemenſi Hiſtoriâ. Nec tamen hi *Exarchorum* jure ſuprà Metropolitanos efferendi. Sic *Archiepiſcopi* ſuperbior titulus communiter hoc Seculo uſurpari cœptus, poſt Pallium impetratum, nam Seculo VII. nondum *Archiepiſcopi* dicebantur Epiſcopi Metropolitani, ut ex *ſubſcriptionibus* Conciliorum liquet, puta Concilii Cabilonenſis, A. DCL. Conc. *Tomo* VI. *col.* 391. &c. ubi Lugdunenſis, Viennenſis, Bituricenſis, &c. ſimpliciter ut *Epiſcopi* ſubſcribunt. Exemplum palmare eſt in Bonifacio *Moguntino*, cujus ſedes facta *Archiepiſcopalis*; hinc Metropolis Tungrorum, Trajecti, Coloniæ, Wormatiæ, Spiræ, confirmante Zachariâ, *Ep.* XIII. Spiram vocat bis *Spiraciam*, & Trajectum *Trectim*. Antè verò *Epiſcopi* ſimpliciter, vel *Metropolitani* dicebantur & ita in ſubſcriptionibus Conciliorum non Galliæ tantùm, ſed etiam Italiæ, Hiſpaniæ, Britanniæ liquet, & ex Epiſtolis variis etiam Zachariæ Pontif. ad Rotomagenſem, alioſque, ad Pipinum Majorem Domûs, &c. in *Tomo* VI. Conc. Nam Ἀρχιεπισκόπου appellatio, in Eccleſiâ Orientali nata primùm exeunte *Sec.* IV. in ſcriptis Epiphanii, nec tributa Epiſcopis, antè *Sec.* V. Sed & eo Ævo, & ſequentibus, cumprimis reſtricta ad primarum Sedium Epiſcopos, Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum; Et apud Juſtinianum, Ἀρχιεπίσκοπος καὶ Πατριάρχης, qualis etiam dictus Epiſcopus Juſtinianæ Primæ, *Nov.* XI. Undè in Latinâ Eccleſiâ deinceps *Archiepiſcopus* major habitus Metropolitano, ſed ſecùs in Oriente, ubi Μητροπολίτου retenta appellatio eſt. Ità Bonifacius ſcripturus ad Cuthbertum Cantuarienſem, vocat ipſum *Archipontificatûs Infulâ ſublimatum* An. DCCXLVII. in Actis Concilii Cloveshovienſis. Sic non infrequenter hoc & ſequente Sec. Epiſcopi inſcripti *ſummi Pontifices*, *Beatiſſimi*, *Sanctiſſimi*, *Apoſtolici*, *Vicarii Chriſti*, &c. adhuc Seculo IX. in Epiſtolis *Nicolai* I. Mox & *Patriarcharum* etiam appellationem, ut Aquilejenſi, ſic & Galliarum Primatibus, haud difficiles permiſerunt Rom. Pontifices, indè ab An. DCCC. Quibus nempè glorioſum fuit *multis Patriarchis imperare*, ut rectè à Salmaſio, Blondello, aliiſque obſervatum eſt.

Archiepiſcopi titulus, & Patriarchæ.

Cardinales an hoc Seculo?

Necdum tamen *Cardinalitia dignitas* nata, nec ejus ulla hoc Ævo mentio, ſeu in legatione Gregorianâ ad Carolum Martellum, ſeu in itinere Gallicano Stephani III. ad Pipinum, vel deinceps. Niſi quod Urbis Presbyteri, in Epiſtolâ VII. Zachariæ, quæ eſt ad Pipinum & Francos, oppoſitè ad Presbyteros rurales, *Cardinales Presbyteri* appellati: *Simili modo & Presbyteri Cardinales*, quo ibi Epiſcopis ſubjungit, uti hos Metropolitanis, *Capit.* I.

Porrò non alio inſtituto, quàm firmandæ & ampliandæ Papali dominationi, *Monaſteria* cœperunt Epiſcopis ſubtrahi, eorumque juriſdictioni, decreto Romanorum Pontif. cum immediatâ ſcil. dependentiâ ab Apoſtolicâ Sede. Ità hoc Seculo *Fuldenſe* Monaſterium in Germaniâ, in Galliâ *Sancto-Dionyſianum*, reſcriptis Zachariæ, & Stephani III. ut pluribus videre eſt apud Sirmondum, in Conciliis Galliæ, ſic in Tomo VI. Concil. Labbeanæ Edit. & in Collectaneis Benedictinis.

III. Sed exemplo ſint *Antichriſtiani* faſtûs, facta quædam Pontificum hujus Ævi luculentiora, vel etiam facta Regum circà Pontifices.

Factum Witizæ Regis. Baronius notat.

1. Si Baronium audimus in exordio hujus Sec. ad An. DCCI. N. XVI. & *ſeq. Poſſidebant Hiſpaniam Gothorum Reges, nomine Romanæ Eccleſiæ; Regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus, B. Petro & S. Romanæ Eccleſiæ in jus & proprietatem fuerat traditum.* Quemadmodùm is aliàs Hiſpanorum Regum in *Siciliam* jura ſollicitavit, in gratiam Romanæ Eccleſiæ. Cave autem credas probare id Baronium ex Hiſpanicarum rerum ſcriptoribus, aut ex hujus vel ſuperioris Ævi monumentis. Fatetur *vel antiquorum vel recentiorum Hiſtoricorum enarrare neminem.* Probat ex Epiſtolis *Gregorii* VII. Hildebrandi, quarum Codex extaret in Vaticanâ Bibliothecâ. Quo ſuppoſito, invehitur in *Witizam* Hiſpaniarum Regem ut reum *apoſtaſiæ, & monſtroſæ defectionis*, quod interdixiſſet *obedire Romano Pontifici*, & lege quoque ſuſtuliſſet *Cælibatum Clericorum*, ex quo tot in Hiſpaniis ſcandala, & execranda illa, quorum plena ſunt Acta Synodorum Toletanarum ſuperioris Sec. ut antè viſum. Nec dubium, quin eum quoque in finem indicta à Rege fuerit Synodus *Toletana* XVIII Gunderico Toletano Antiſtite; prout Synodos omnes Nationales Reges Gotthici & indicebant, & moderabantur. Nat. Alex. rectè nuper, initio *C.* VIII. *Eam ob rem Witiza Conventum Epiſcoporum Toleti haberi mandavit.* At Baronius fingit alia omnia, nullo quidem ut profitetur teſte: *In hoc Concilio nonniſi pia ſanctaque fuiſſe ſtatuta*; ſed poſtmodùm à Rege in tyrannum erumpente *penitùs fuiſſe abrogata*; hinc *Acta ipſa Concilii conſciſſa*, quæ omninò deſiderantur apud Garſiam. Sed interverſa illa Acta veriùs, & rejecta è Corpore Canonum, ſeu ob inviſa deinceps Romanis Pontif. decreta, ſeu etiam ob vaſtationes Saracenorum, aliquot poſt annis Hiſpanias occupantium.

Alpes Cottiæ an donatæ Pontifici Rom.

2. *Principatûs* temporalis initia, in Romanis Pontificibus, apparent primùm in *Johanne* VI. aliis VII. circà An. DCCV. ſi vera narrant Paulus Diaconus, Anaſtaſius, Beda, hinc Ado, Blondus, Platina, Sigonius, reliqui. Nempè ex donatione Ariperti Longobardorum Regis, qui *Alpes Cottias* Petro in patrimonium donaverit, vel ſi Warnefrido fides, verius *reſtituerit*, ſuppoſitâ *Donatione* priore *Conſtantini.* Alpes Cottiæ verò nobile quondam Regnum, ſub Nerone in Provinciæ formam verſæ, dein pars magna Regni Longobardiæ, complexæ Pedemontium omne, & Genuenſium Urbem ac territorium, quin in Gallias ipſas extenſæ, in Eccleſiaſticis Tabulis. Undè cordatioribus meritò hæc donatio ſuſpecta fuit, ad exemplum Donationis Conſtantinianæ, & ipſi Platinæ, *qui de donatione nil certi haberi* pronunciat, in Johanne VII. & *Paleam Pontificii juris peritos appellare*, hinc nec de *confirmatione donationis conſtare.* Tribuit donationis hujus confirmationem aliam Luitprando, Paulus Warnefridi *Lib.* VI. *Cap.* XLIII. Sed conciſis, & ipſe & alii omnes, verbis rem tantam commemorant. Nec in poſſeſſionem miſſi uſquam leguntur Pontifices, aut pro hac laboraſſe, quin *Alpes Cottiæ* à Longobardorum dominatu mox tranſivêre ſub poteſtatem Caroli M. qui has omninò ſibi retinuit, indè ab An. DCCLXXIV. Alii etiam, ut Paulus Diaconus factam donationem Johanni VI. alii cum Anaſtaſio Bibliothecario Johanni VII. prius probante Baronio, ad An. DCCIV. Num. I. Undè rectè Scoglius, *in Hiſtor. Eccleſiæ*, Romæ impreſſâ An. 1642. ad Ann. DCCIV. *De tempore parùm convenit.* Quare omnem hanc donationem pauciſſimis, & quaſi aliud agens, Pauli Diaconi verbis, refert Annalium Scriptor, uti & con-

Baronii dexteritas.

Digitized by Google

firmationem, ad An. DCCXII. N. IX. qui aliàs in minutiis etiam faſtidioſus eſt. Subolfecit rei incertitudinem, ſi non abſurditatem, etiam in illâ teſtium turbâ. Quicquid rei ſit, obtentus hinc ſaltem poſteà natus Principatui temporali Pontificum. Et ſi quæ hujuſmodi ſcripta donatio eſt, ſeu ab Ariperto, ſeu etiam à Luitprando, inhiantem tali dominationi Pontificem cognoviſſe eos neceſſum eſt. Nec profectò *Petrus* hujuſcemodi *patrimonium*, *cui donatum* eſſe ferunt, vel affectavit unquam, vel, ſi forte oblatum à Nerone fuiſſet, admiſiſſe potuit, poſt interdictum Servatoris, *Vos autem non ſic*. Ità longiſſimus ab affectatione Principatûs fuit *Gregorius* I. ut oſtenſum ad Secul. VI. *col.* 1101. Sed alii hi deinceps *Petri* fuerunt.

Facta Conſtantini Papæ.

3. Superbiæ animique Antichriſtiani exemplum hinc præbeat *Conſtantinus* I. Pontifex, Siſinnii ſucceſſor, ab Ann. DCCVIII.

Parùm eſt, hunc omnium primum præſcripſiſſe ſuis Epiſtolis hanc formulam, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*, ut in Epiſt. ad Britualdum, Britanniarum Eccleſiæ Primatem, Ann. DCCVII. Quanquàm demùm poſteà hæc formula evaſerit propria Pontificis, à temporibus Leonis IX. *Sec.* XI. Fuit certè atrox ejus in Felicem Ravennatenſem factum, vel teſte Anaſtaſio, in Vitâ Conſtantini. Anteà αὐτοκέφαλον fuiſſe Ravennatenſem, donec *Theodorus* ſe *Domno Romano* Epiſcopo ſubjiceret, viſum eſt Sec. priore, *col.* 1189. &c. Felix ſuccedit, electus Ravennatenſium Præſul, A. DCCVII. Hinc Romam properat conſecrandus à Conſtantino. At obſequii præſcriptam in ſcriptis formulam (*ſolitam in ſcrinio cautionem* vocat Anaſtaſius) ut & pecuniam, mittendam ſcil. Romano, negavit Felix ad ſuos redux. Hinc Juſtinianus à Conſtantino imploratus, qui Papam ſibi devincturus in Ravennatenſes ſævit, & miſſum ad ſe Conſtantinopolim Felicem, luminibus orbat, & in Ponticam relegat, & quidem *ex Apoſtolorum Principis Petri ſententiâ*, tanquàm *inobedientem Apoſtolicæ Sedi*, ſic Anaſtaſius. Laudat factum Baronius, & cruentum de Ravennatibus ſumptum ſupplicium, eodem Petri judicio. Quanquam fateatur, Felicem *egregiâ claruiſſe ſanctitate, & coruſcaſſe etiam miraculis*, ad Ann. DCCXI. *Num.* XIII.

Pedum oſculum admittit.

Alterum Conſtantinianæ ſuperbiæ documentum præbet, honos ab ipſo non ægrè admiſſus, quem illi detulit idem Imperator Juſtinianus II. poſtquàm *ad regiam accedere Urbem*, *Sacrâ* ad Pontificem *miſſâ*, *juſſus* eſſet, ut habent verba Anaſtaſii. Vocatus An. DCCIX. mox ſe itineri commiſit, juxta ſacratiſſimam *juſſionem*, delatus verò Conſtantinopolim Anno ſeq. Utque primùm illi occurrit Imperator, ſi fides Anaſtaſio, *Auguſtus Chriſtianiſſ. cum Regno in Capite ſeſe proſtravit*, *pedes oſculans Pontificis*. Paſſus eſt Conſtantinus pedum oſculum, adeoque προσκύνησιν vel γονυκλισίαν Imperatoris, qualem antè Caligulam nemo admiſit, Tiberio *ne genuum oſcula* paſſo, apud Suetonium. Et *obſequii* argumentum interpretatur pro more Baronius, quod veriùs argumentum in Principe fuit conſcientiæ ſcelerum, eo geſtu *Papam pro ſuis peccatis intercedere rogaturo*, ut diſertè Paulus Diaconus, vel *pro ſuis delictis deprecari Pontificem poſtulante*, ut Anaſtaſius.

Audacia in Philippicum.

Papalis etiam arrogantiæ præbet exemplum, factum ejuſdem Conſtantini adversùs *Philippicum* Imperat. Nam ob ſublatas à Philippico è Porticu Templi Conſtantinopolitani Icones ſeu Picturas Patrum VI. Synodi, quas inibi Juſtinianus II. collocarat, Conſtantinus non modò in Porticu S. Petri eaſdem aliaſque repoſuit, ſed etiam, *Philippici ſacram reſpuit*, *nomen Imperatoris*, tanquàm *Hæretici*, *ad ſolemnia Miſſarum proferri* interdixit, aut *publicis ſcriptis recipi*, vel ejus *effigiem ære*, *argento*, *aut plumbo*, *aut coloribus expreſſam* admitti. Ità quoad in ipſo fuit, & quod antè Conſtantinum ſuſtinuerat nemo, Onuphrio ad Platinam teſte, Philippicum reipsâ Imperio exuit, Artemio Anaſtaſio mox in eum inſurrecturo, expulſuroque Regno. Adi Anaſtaſium, Paulum Diaconum, Platinam, Sigonium, Onuphrium. Refert Baronius ad Ann. DCCXII. & factum hoc *gloriam Romanorum* interpretatur. Sed cauſatur unam in Philippico *Hæreſim Monotheliticam*, & Concilium *Conſtantinopoli* indictum, ex Oriente toto, *ad evertendam Synodum Oecumenicam* VI. Cujus tamen Synodi Acta nulla extitère, nec meminêrunt dicti Scriptores, ſed tantùm *ablatarum* per Philippicum *Imaginum*. Neque profectò teſtem ullum profert Annalium Scriptor, aliquot paginis declamando impletis, à *Num.* I. ad VIII. Quæ etiam *Epilogus*, ſcripta à quodam Agathone, edita Græcè & Latinè eſt, in *Tomo* VI. Concil. ad A. DCCXII. *col.* 1409. cum *Epiſt.* Johannis Conſtantinopolitani ad Conſtantinum, tanquàm κεφαλὴν τῆς κατὰ Χριστὸν ἱερωσύνης *Caput Chriſtiani Sacerdotii*, & *quod eſt proprium Capitis*, non deſpicientis membra interiora, etiam *ultima membra*, &c. eâdemque deprecatoriâ, & palinodicâ, manifeſtam ea ſuppoſitionem arguunt. Et Joannes ille ipſe, Baronio eſt *Pſeudopropheta*, *Monothelitarum anteſignanus*, *ad cujus lubitum* VI. *Synodus condemnata*. Epiſtola autem, ejus nomine edita, *vim ſibi illatam* fuiſſe dicit, & *culpam extrinſecùs à violentâ & inopinatâ calamitate* profectam, atque unam Philippici *tyrannidem* obtendit.

Gregorii II. in Leonem Imper. facta.

4. Crevit in majus audacia Pontificum, exceſſuro modum omnem *Gregorio* II. in factis contrà Leonem Iſauricum Iconomachum, ſi fides Hiſtoricis. Nempè hic aliquot poſt aditum Imperium annis, Edictum adversùs Imagines promulgarat, *tollendæ Idololatriæ causâ*, ut habet etiam Platina, quod Baronius cum Theophane refert ad annum X. Imperii, Chriſti DCCXXVI.

Confeſſio Baronii.

Edicto Romam miſſo, quo de poſteà, reſtitit Pontifex, & cum eo Italia, Populi, Exercitus. Ac primò videnda *Gregorii* II. quem *Dialogum* appellat Cedrenus, cum arrogantia, tum & ignorantia, probata in Literis ad Leonem Imperatorem, quales inſertæ ſunt Concilior. T. VII. *col.* 7. *& ſeq.* ſcriptis Anno eodem DCCXXVI. In his Pontifex 1. Imperatorem contumeliis proſcindit ut *Hæretico* pejorem, quod ſuſtuliſſet Imagines; *Expediret tibi Imperator, ut Hæreticus potius, quàm perſecutor & everſor Picturarum, imaginum, appellareris*, &c. 2. Dicit Leonem *totum mundum ſcandalizaſſe*; *indoctum eſſe hominem & craſſum*; imò in *adminiſtrationibus Seculi*, *ineptum habere ſenſum*, *& craſſum*. 3. Precatur, ut Deus *timorem ſuum in cor Leonis infundat*, & *ipſum ad veritatem convertat*, *ab iis quæ in mundum perperam invexiſſet*. 4. Aſſerit, *Sanctos ac Deo plenos Patres noſtros*, *hoc* (venerandas ſcilicet Imagines colendas ſaltem cultu *relativo*) *ſex in Chriſto Synodos* (Oecumenicas) *nobis tradidiſſe*; quæ reverà de Imaginibus nihil. 5. Deum ipſum præcepiſſe Moſi, *Fac Cherubim* & *Seraphim*, quæ reverà eſſent *figuræ & ſimulachra manufacta*, ſed *ad gloriam & Miniſterium Dei*, ut quoque ſunt Imagines, Picturæ, Simulachra. 6. Cum Hieroſolymis ageret Chriſtus, *Augarum ſcripſiſſe Epiſt. ad Chriſtum*, *qui manu ſuâ reſponſum*, *& ſacram glorioſamque faciem*, *non manufactam*, *ad eum miſiſſe*, &c. De qua nos Seculo I. *col.* 579. & fusè in Hiſt. Imaginum, *pag.* 421. & ſequent. 7. Deum ipſum non pingi coloribus, quoniam *Dei natura ſpectanda proponi non poteſt*: *Quod ſi Deum intuiti eſſemus*, *illum quoque ſpectandum proponere potuiſſemus*. 8. *Oziam Regem Judæorum*, *poſt annos* DCC. *ſerpentem æneum è Templo ejeciſſe*, *verè fratrem Leonis*, *eadem quâ hic pertinaciâ præditum*, *illius temporis Sacerdotibus vim afferentem*. Ubi Oziam cum Ezechiâ confundit, dein graviter peccaſſe *confringendo ſerpentem æneum* II. *Reg.* XVIII. 4. ſuſtinet: Et quæ

alia

Digitized by Google

alia arrogantiæ, ignorantiæ, temeritatis, argumenta iis Gregorii Literis continentur. Tandem *Gregorius*, (dicam Baronii verbis, ad An. DCCXXX. N. v.) *ubi Imperatorem neque verbis ſcriptiſve à cœptis potuit revocare, neque beneficiis continere, quin in deterius laberetur, tempus jam adveniſſe ratus, ut ſecuris ad radicem admoveretur infelicis Arboris*, NB. *Apoſtolicâ auctoritate, ſuccidite eam clamat! Quo tonitru excitati fideles Occidentales, mox deſciſcunt penitùs à Leonis imperio, Apoſtolico Pontifici inhærentes. Sic dignum poſteris idem Gregorius reliquit exemplum*, NB. *ne in Eccleſiâ Chriſti regnare ſinerentur Haretici Principes, ſi ſæpè moniti in errore perſiſtere obſtinato animo invenirentur. Tunc enim accidit quod & Graci Hiſtorici omnes affirmant, & idem Theophanes ait anno* XIV. *Leonis Imperat.* NB. *ipſum Leonem ab eodem Gregorio privatum eſſe tributorum Italia exactione. Teſtatur id Cedrenus & alii. Zonaras hac Roma (quod par eſt credere) facta eſſe Synodicè tradit, atque in eodem Concilio ipſum Imperatorem anathematis affectum pænâ.* Addidit, *Num.* IV. Gregorium non tantùm *anathemate execratum fuiſſe Leonem*, ſed etiam *tùm Romanos, tùm Italos ab ejus obedientiâ recedere penitùs feciſſe.* Hæc & alia Baronius. Summa eſt, mox inhibita vectigalia Italica & Romana, atque Italiam, totumque Occidentem, dein Exarchatum Ravennatenſem, pacto cum Francis icto, Imperatori ſubſtractum; Aſſerturo ſibi deinceps Pontifice & Urbem Romam, Romanumque omnem Ducatum, latè in Etruriam uſque & Campaniam Felicem extenſum. In eandem ſententiam ſcripſiſſe quicquid ferè Græcorum & Latinorum eſt, conſentientibus Gallis Scriptoribus præſtantiſſimis, pluribus docuimus, contrà Natalem Alexandrum, in nuperâ Hiſtoriâ Imaginum, *Sect.* II. à *pag.* 79. ad *pag.* 90.

Baronius pluribus notat.

Hactenùs igitur nihil aut fingimus, aut imponimus Gregorio: Sed animadvertenda ſimul temeritas Baronii eſt, fideſque Maimburgii. 1. Annalium Scriptor memorat *beneficia* in Leonem, quibus *continere non potuit* ingratum ſcilicet Imperatorem. Ac ſi vel maximè Populos aliquandiu continuit, *ne adversùs Imperatorem*, ut Dominum ſuum, *penitùs rebellarent*, non beneficium fuit, ſed officium, ſed debitum Gregorii. Motus hos etiam concitabat accuſatio illicò *Hæreſeôs*, & *anathema* illi dictum per Gregorium, undè ipſe Baronius ad An. DCCXXVI. N. XXV. *Occidentalium tumultum iſtum ipſe Imperator adſcripſit Gregorio Rom. Pontifici.* 2. Arrogantiam Pontificis, ac in Principem ſuum rebellionem, ſi vera narrat Baronius, vocat *Apoſtolicam auctoritatem*; & Papæ adſcribit, quod Scriptura uni Deo, *ſecurim admovere ad radicem*, Matth. III. 10. *clamare è cœlo, ſuccidite arborem*, Dan. IV. 14. 24. *cadere ſecuri, & agitare ſerram*, Eſai. X. 17. &c. Undè hanc Rom. Pontifici poteſtatem ſtrenuè abjudicant Galli, & nuper Nat. Alexander, *Sec.* VIII. *Diſſert.* I. ſed Romæ hoc nomine malè multandus; citatis ab eo Scripturæ locis, *Luc.* XX. *Rom.* XIII. I. *Pet.* II. præter doctrinam ſeu *Traditionem Patrum* facto illi Gregorii II. oppoſitam, ut is *pag.* 481. 3. Peſtilentiſſimum dogma Baronius è Cœlo arceſſit, *ne in Eccleſiâ regnare ſinantur Hæretici Principes*, & quos tales pronunciat Rom. Pontifex, poſtquàm *ſæpè moniti* hujus non parent decretis. Quin hoc ipſum virus paſſim per Annalium opus diffundit, Papam poſſe Imperatorem, Regem, propter Hæreſim, Schiſma, contumaciam, *Dignitate Regiâ exuere*; ſic *non habendum eſſe Imperatorem, qui adversùs Dei Sacerdotes Regiam poteſtatem exercet*, ut jam in Mauricium Imperatorem ſtatuit Baronius, ad Ann. DXCIII. N. XVI. Et cum Baronio fusè Bzovius, *de Pontifice Rom.* & quicquid gnathonum fuit, & Caroniſtarum, ne dicam Bullaria, Synodos Lateranenſes, Conſtantienſem, & alias antè Tridentinam. Non ità anteceſſor Gregorii II. Gregorius M. in Epiſtolis ad Mauricium: *Piiſſimus Dominus dignetur negotium judicare. Ego autem Dominorum juſſionibus obedientiam præbens, juſſionibus Dominorum meorum ſubjectus*, &c. Sed nec ipſe Gregorius II. in ſuis ad Leonem Iſauricum, hanc ſibi primò poteſtatem arrogabat, reveritus Imperatoris *juſſiones*, quod & Anaſtaſius; & faſſus iſte *Epiſt.* II. ad Leonem Iſaurum, *Imperatorum* eſſe, *cum Pontificibus* tamen, *uno conſilio ac ſententiâ Synodos congregare, atque veritatem dogmatum perquirere.* 4. Idem Baronius, facta ſuperiora in Leonem refundit *in omnes Hiſtoricos Græcos.* Quum tamen certum ſit quorundam non meminiſſe Hiſtoricos aliquos, V. gr. ſubtractæ per Pontificem Italiæ, aut Occidentis, Imperio Leonis, vel etiam interdictorum tributorum. Non id auſus dixiſſe Anaſtaſius in Vitâ Gregorii, non meminit Joh. Damaſcenus, non Nicephorus Patr. quocunque intuitu, non in Latinis Paulus Diaconus, ferè coævus, ſed conciſus in hac omni narratione, *Lib.* VI. *Cap.* XLIX. 5. Pro certo etiam aſſumit Baronius, *Synodicè* hæc omnia *facta eſſe, quod* (inquit) *par eſt credere*, ex fide Zonaræ. Synodi tamen illius nec meminit Anaſtaſius, nec reliqui, neque Acta ulla extant. Mirum quoque eſt, Maimburgium, Jurium aliàs regiorum aſſertorem, & Pontifices Imperatoribus, ut *Dominis*, non uno in loco ſubjicientem, hoc factum Gregorii Imperio Leonem exuentis, *Hæreſeôs* causâ, non aſſerere tantùm, ſed & laudare. Quin in facto illo fundat *tranſlationem Imperii*, mox ſubſecuturam, *ad Francos, & ad Carolum M.* quam tamen alibi negat Papis adſcribendam. Quâ etiam fide verſetur Maimburgius in citandis Auctoribus, liquet ex citatâ *Appendice ad Greg. Turon.* p. 151. Neque enim dicit illa, miſſam Legationem ad Carolum Martellum, *ut auxilia impetraret Papa contrà molitiones Leonis*, ut habet Jeſuita, vel ut Du-Cheſne in Vitâ Gregorii II. *pour l'attirer contre l'Empereur.* Sed *eâ lege* addita fuiſſe ſplendidæ legationi *opulentiſſima munera, quibus gemina nulla leguntur, ut* Carolus *accederet partibus Imperatoris* (nempè contrà Longobardos, hic ſaltem obtentus erat, Carolo in Italiam ad ſui defenſionem pelliciendo) hinc *Conſulatu Romano* (quem petiiſſet Gregorius) *donandus ab Imperatore*, ſcilicet! Hæc Continuator Gregorii Turon. Fredegarius, *Lib.* XI. *N.* CX.

Maimburgius notat.

Natalis Alexand. notatus, & Petrus de Marca.

Cæterùm prolixè nuper poſt P. le Cointe in *Annalibus Franc.* & Petrum de Marca, de *Concordiâ Lib.* III. C. XI. Natalis Alexander, *in Diſſert.* I. ad hoc Sec. contendit fabulam eſſe, quicquid Hiſtorici ſuprà de Gregorio II. excutiente jugum Leonis, ſanctiſſimo ſcil. Pontifice. Concluſio ejus ſic habet: *Gregorius* II. *Pontif. Max. Leonem Iſaurum Tributorum exactione non privavit, nec Romam, Italiam, totumque Occidentem ab ejus obedientiâ abſtraxit, aut ab eo defecit ipſe, ut Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & alii falsò ſcripſerunt.* Nempè hæc in gratiam Ludovici M. cujus ſub Imperio id agitur, ut extinguatur Romani Pontif. omnis in Reges & Regna auctoritas, conciliandi tamen aliâ viâ, ſcil. exterminio *Reformatorum.* Pro hac ſententiâ cùm dicta Gregorii, tum facta producuntur; ex quibus ſanè patet *compeſcuiſſe* primò Pontificem graves totâ Italiâ motus, cumprimis verò ut Anaſtaſius, & Paulus Diaconus, *conſilium* Italorum *eligendi vel conſtituendi ſibi Imperatorem.* Neque verò placebat Pontifici, Imperatorem in *Italiâ* conſtitui, Romæ aut Ravennæ dominaturum. Undè non mirum interveniſſe quovis modo Gregorium conſilio tali. Nec obſtat tamen quo minùs ſummo conſenſu ſeditionis occaſio & cauſa ipſe fuerit, ex ſtricto in Leonem diro *anathemate*, quâ de re pluribus in meâ Hiſtoriâ Imaginum. Non etiam negatur ſatis factum Gregorii,

Digitized by Google

ex eo quod ſucceſſor *Gregorius* III. Leonem cohortatoriis literis admonuit. Imò coëgit Leonem obſtrictum novo anathemate, & exutum dominiis ſuis, Urbe cumprimis Româ, Claſſem navalem inſtruere, & damnum ſibi illatum quà potuit in Pontificem ulciſci, in Siciliâ, Calabriâ, ubi tùm *patrimonium Petri*. Conſentiunt Hiſtorici, & Anaſtaſius in Vitâ Gregorii III. Nequicquam etiam Natalis falſitatem rei arguit, ex doctrinâ *Chriſti*, *Petri*, *Patrum*, de obſequio debito Regi, Imperatori, quam non neſciverit Gregorius II. ita ille *pag.* 481. *& ſeq.* Sed nec ignorarunt Succeſſores, nec deinceps Gregorius VII. qui ſe ſuprà Reges omnes & Imperatores extulerunt, quorumque & doctrina & facta in Cæſares, in Henricos, Fridericos, Philippos Galliæ, &c. indubia ſunt. Nec vel à Chriſto, vel Petro, vel Patribus didicerat Gregorius II. quæ ipſe Natalis ex ejus ad Leonem Epiſtolis refert: In *Epiſt.* I. *A Deo poteſtatem & cœleſtia & terrena ſolvendi accepimus*; *Romanos Pontifices ſeptum medianum eſſe Orientis & Occidentis*; *Pacis arbitros & moderatores eſſe*; Imò addit Pontifex, *omnia Regna Occidentis Petrum tanquàm Deum* habere, &c. In *Epiſt.* II. *Hi ſunt Sacerdotes & Imperatores*, præmiſsâ dignitate Sacerdotii antè Imperatoriam: *Imperator poteſtatem non habet in Eccleſias introſpiciendi*, *& electiones in Clero peragendi*: *Imperatores qui piè & in Chriſto vixerunt*, NB. *Eccleſiarum Pontificibus obedire minimè recuſarunt.* Porrò teſtes auſi illius Gregoriani, ſuprà producti, veteres recentioreſque, ſunt omni Natalis exceptione majores. Nihil jam dicimus Gregorii de *Imaginibus* effata, quæ ſanè nec à Chriſto habuit, nec ab Apoſtolis, nec ab Athanaſio, Hoſio Cordubenſi, Ambroſio, aut à primâ Chriſtianorum ætate. Adde perfidiam *in Longobardos*, ſtimulato in eos Carolo Mart. dein per ſucceſſores Pipino, Carolo M. quâ de re Hiſtorici, ex Sigonio, Blondo, aliis. Sed de Gregorio II. *Sancto*, propter hos in Leonem animos, adſcribendo, ob rei momentum & pugnam narrationum, præter inſtitutum, prolixiùs.

Facta Gregorii III. in Leonem, in Longobardum,

5. Succeſſit *Gregorius* III. ex dictis, de quo, omnium inſtar, Platina: *Hic ſtatim ubi Pontificatum iniit*, *Cleri Romani conſenſu*, *Leonem Imperat. Conſtantinopolit. Imperio ſimul & communione fidelium privat.* Fatetur Onuphrius, in Gregorio III. N. XCVI. *Sub hoc Pontifice Italia omnis cum Urbe Româ*, *atque reliqua Imperii Occidentalis pars*, *quæ à Barbarorum tyrannide ſupererat*, *Siciliâ exceptâ*, &c. *ab Imperatore Conſtantinopolitano* LEONE, *Iconomacho Hæretico*, *S. Imaginum perſecutore*, NB. *ejuſdem Pontificis ſuaſu deſcivere.* Nec abludit Annalium Scriptor. Dederat Pontifex, ne continuatæ rebellionis deeſſet obtentus, Literas comminatorias ad Leonem & ad Patriarcham, dicam verbis Lud. Maimburgii, ad An. DCCXXXII. *reſtituerent quantocyus Sanctas Imagines*, *ſi vellent ipſimet reſtitui.* Undè juſta indignatio Leonis, *Pontificis conatus ulturi*, *qui hinc præter patrimonia & latifundia quæ in Siciliâ & Calabriâ erant*, *quicquid erat Provinciarum à Siciliâ uſque ad Thraciam*, *ab adminiſtratione Romanæ Sedis avulſit*, *& Conſtantinopolitanæ exhibuit*: Ità Leo Allatius, de Perpetuâ Conſenſ. *Lib.* II. C. III. Falſum tamen in Thraciam uſque Romani Epiſcopi ſe extendiſſe poteſtatem, quod ſupponit Allatius, contrà *Notitias* Orientalium.

Baronius notat.

Hic idem Gregorius *deficientem rebellemque Traſamundum*, in Luitprandum, *Regem* ſuum ac benefactorem (qui Ducatum illi Spoletanum crediderat) & ad Pontificem confugientem, non excepit modò, ac fovit odio Longobardi, ſed & alacri ſtudio *cum Gotdeſchalco* Beneventi Duce, *auxilia illi præſtitit.* Auctores ſunt Paulus Diac. Sigonius *L.* III. alii, diſſimulante rebellionem Baronio. Undè, poſt conciliatos Duces, juſta in Ur. Romam expeditio Luitprandi; cui Baronius hinc dira imprecatur, totique Longobardorum regno, ad finem A. DCCXXXIX. *Cùm attingere auſi ſunt ipſam Sacro-Sanctam Petri Baſilicam*, *à regno penitùs in perpetuum excidêre*, *poſitique ſunt in exemplum iræ divinæ cæteris Principibus*, *quanto periculo inconceſſa* (id eſt, Romæ inviſa, aut Pontificum dominationi adverſa) *tententur.* Hæc ille in Luitprandum, quanquam de Romanis Pontif. præclarè non ſemel meritum, & laudatiſſimum Paulo Diacono Principem, *pium admodum*, *pacis amatorem*, *clementem*, *caſtum*, *pudicum*, *eleemoſynis largum*, &c. ſub finem Hiſtoriæ Warnefridi. Sed Baronio, ut ſæpè obſervamus, una *judiciorum Dei* in Imperatores, Reges, Populos cauſa eſt, interceſſiſſe tyrannidi, moliminibus, dominatui, obtentis juribus, Romanorum Pontificum.

Anglia vectigalis Pontifici. Baronius notatus.

Modò ejuſdem audies durum in Angliam verbum. Nempè ſub eodem Gregorio, circà ejus extrema, Ann. DCCXL. (ſi tamen fides eſt uni Polyd. Virgilio, Pontificii juris apud Anglos defenſori, ſub Henrico VIII.) Angliæ Regnum factum eſt *vectigale* Romanæ Sedi. Auctor fertur *Ina* Rex Occidentalium Saxonum, *ſingulis argenteis nummis*, *quos Denarios vocant*, *in ſingulas domos impoſitis*, dein *Offâ* Merciorum Rege ſub Hadriano I. imitaturo exemplum. Addunt Inam ex Rege Monachum factum. Et hæc famoſi *Denarii D. Petri* origo eſt. Quid Baronius, ad hunc An. DCCXL. N. XV.? *Sed mirandum illud accidit. Ubi ceſſavit pendi vectigal iſtud*, *utcumque malè redemptum*, *Hæreſium alluvione Anglicana Eccleſia abſorbetur.* Bonum verbum!

Zachariæ ſuprà Reges exaltatio.

6. Gregorio III. *Zacharias* ſufficitur, natione Græcus, clavibus Petrinis etiam aperturus, clauſuruſque Regna, quanquàm Galliâ hodie invitâ. Cautior hic quidem ergà *Conſtantinum* Imperat. fuit, mortuo ſcil. Carolo Martello, & imminentibus Longobardis, ac Eutychio Exarcho. Sed in Occidente fimbrias poteſtatis mirè dilatavit, manſuetudinis ſpecie. Si Sigonio credimus, de Regno Ital. *Lib.* III. *Rachis* Longobardorum Rex XXI. Religionis ergò Romam adiit, cum Uxore & Filiâ, atque in conſpectum Zachariæ profectus, *ipſum de more ad terram proſtratus adoravit*; *Pontificiâ majeſtate*, *quæ divinæ locum in terris obtinet*, *captus.* Quam adorationem dùm Zacharias admiſit, qualem negaſſet Petrus, *Act.* X. 26. reſpuiſſet Paulus *Act.* XIV. 14. ſed & Angelus è Cœlo, *Apoc.* XIX. & XXI. reverà divinæ Majeſtatis locum ſibi vendicavit. Circumſtantiam tamen hanc non addidit Anaſtaſius.

Reges Romam adorant.

Opportunè Zacharias factis variis, & privilegiis conceſſis, *Monachiſmum* extulit, & ſub eo Bonifacius ejuſdem Legatus, ac paſſim Occidente toto propagatores. Ità factum ut ipſi Reges Pontifici faſces ſubmitterent, Romam hoc Ævo adorarent, Purpurâ etiam cum Cucullo commutatâ. Exemplo ſunt *Carolomannus* Auſtraſiæ Princeps, Pipini frater maximus natu; *Rachis* Longobardorum Rex, cum Uxore & Filiâ, ſucceſſuro Aiſtulpho fratre; & qui Zachariæ ſententiâ trudendus in Monaſterium fuit, *Chilpericus*, Francorum Rex, Merovingianæ familiæ poſtremus. Præiverat *Hunoldus* Aquitaniæ Dux, ex Hiſtoriis Francorum, Sigonio, aliis. Sed & ſi Legendariis credimus, *Richardus* Anglorum Rex, (qualis tum nullus fuit ejus Nominis, & qui *pater* dicitur *S. S. fratrum Wilebaldi*, *& Winibaldi*, *& B. Walburgæ Virginis*, &c.) Sanctorum Ordini adſcriptus, hoc circiter tempore A. DCCL. qui ſcilicet relicto Regno, religionis ergò *Limina Sanctorum trans Alpes adiit*, ut ex Surio Baronius, ad An. DCCL. N. IV. Ipſe autem conjectat, factum eſſe, non ſub Zachariâ, ſed *ſub Gregorio Papâ ſecundo.* Nec tamen *citata antiquiora teſtimonia*, *unquam Richardum nominaſſe invenies Anglorum Regem*, *ſed Anglorum nobilem ac prædivitem.* Habe fidem his

Ba-

Digitized by Google

Baronianis teſtibus, imò Lapidibus, quali inſculptum hoc Epitaphium,

Hic Rex Richardus requieſcit Sceptrifer almus,
Rex fuit Anglorum, Regnum tenet ipſe Polorum,
Regnum dimiſit, pro Chriſto cuncta reliquit.
Ergò Richardum nobis dedit Anglia Sanctum, &c.

An Zacharias Regnum in Pipinum tranſtulerit?

Sed de vendicatâ ſibi à Zachariâ in Reges Regnaque poteſtate, paucis referendum eſt. Nempè ſub eo facta Coronæ Francicæ tranſlatio, A. DCCLII. Kal. Majis, à *Merovingianis*, ſeu *Meroveadis*, abdicato Chilperico vel Childerico Tertio, ad Pipinum filium Caroli Martelli, patrem Caroli M. antè Præfect. Palatii ſeu Majorem Domûs, undè dicta hæc familia *Carolinorum*, vel *Carolovingianorum*. An verò *mandato* vel *auctoritate* Pontificis, quod hactenùs traditum creditumque fuerat, controvertunt recentiores in Galliâ Scriptores, ac prolixè poſt alios nuper Nat. Alexander, *Sec.* VIII. fusâ *Diſſertatione* quæ iſti ordine II. Concluſio ejus eſt: *Nec Zachariæ, nec Stephani* III. *Romanorum Pontificum auctoritate, Regnum Francorum à Childerico* III. *ad Pipinum tranſlatum eſſe*, ſubditis ità Childerici à fidelitatis priore juramento ſolutis. Hinc affirmantes Centuriatores Magdeburgenſes dicit, *imprudentes imponere in odium Romanæ Sedis*. Quâ de re videndum eſt.

Certa ab incertioribus diſtincta.

Ac primò, ſumma omnium conſenſione haberi hæc facta tanquàm indubitata, nemine contradicturo, confidimus. 1. Certum, expetitum fuiſſe ab Ordinibus Regni, & à Pipino ipſo, inhiante illi Dignitati quam ſuſtinebat Childericus, Zachariæ Pontificis *conſenſum*, dicunt alii *conſilium*. Factum hoc Ann. DCCXLIX. ut Blondellus, alii An. DCCL. datis ad Pontificem literis, quæ ignaviam imbellis Childerici, & Pipini in Regnum merita exponerent, per *Burchardum* Herbipolenſem, & Fulradum Capellanum. Ratio quæſitæ auctoritatis, quod Pontificis illa tùm eſſet apud Gallos maxima, & probatus Zachariæ ergà Pipinum affectus; quod etiam religio prioris juramenti, fideique ſubditorum in Regem, nomen ſacrum; auctoritatem tanti Antiſtitis, depoſcerent, ut erant tempora, quâ juramenti religione ſolverentur. 2. Teſtatiſſimum quoque eſt, Papæ præſidium adverſus Longobardos, graves Pontificibus, repoſitum fuiſſe in Pipino potiſſimùm, ut antè in Carolo Martello: Et à Pipino expectatum, ut pulſis *Exarchatu* Longobardis tuta eſſet Roma, quin cederet ille in Patrimonium Petri, quod & factum ſub Stephano. Undè quâvis ratione demereri ſtuduit Pipinum Pontifex, non ignorante hæc Franco. 3. Sed & in confeſſo eſt miſſum tandem Româ, aliquâ morâ interpoſitâ, plerique exeunte An. DCCLI. Pontificis non *conſenſum* modò, ſed *juſſum*, *mandatum* de Pipino Rege conſtituendo: *Dataque auctoritate ſuâ, juſſit Pipinum Francorum regem inſtitui*, ut omnes hactenùs ex Eginhardo, ex veteribus Francorum Chronicis, & ipſe nuper Maimburgius Jeſuita, Hiſt. Iconoclaſtar. *Lib.* II. pag. 259. Seu jam Pontifex *plus fecerit, quàm petitum fuerat*, ut idem Maimburgius, ſeu hanc ſibi ſaltem poteſtatem attribuerit. 4. Ratum etiam eſt, ad reſcriptum Pontificis, mox Sueſſione habita fuiſſe Regni Comitia, vulgo Anno DCCLII. Kal. Majis, ibique depoſito Childerico, & in Arteſiæ Monaſterium truſo, Pipinum *Regem Francorum appellatum, ſecundum Rom. Pontificis ſanctionem, & manu Bonifacii Archiepiſcopi*, tanquam Vicarii Romanæ Sedis, ſuo & Pontificis nomine, *fuiſſe ad hujus Dignitatis honorem unctum, unctione ſacrâ*. Quod non factum, niſi prævia *abſolutione perjurii in Childericum* Regem, novo ſanè exemplo. Refert eadem Baronius, ex Francorum Annalibus à Pithœo editis, ad An. DCCLI. N. II. quæ tamen anno ſequente geſta, ut quoque Blondellus noſter, de *Primatu Eccl.* pag. 755. Sed idem hic à ſe ipſo diſcedit, Tomo I. Genealogiæ Francicæ, conjiciens in An. DCCL. quando Pipinus *apud Sueſſiones in Regem unctus eſt*, N. LXII. Fuitque omnium eruditiorum ſuffragio hæc prima *unctio* Francorum Regum, ad Gotthorum imitationem, fabuloſâ illâ *Clodovei* Regis, ex ampullâ ſcilicet Rhemenſi, quâ de Blondellus fusè contrà Chifletium. Ac nuper Maimburgius, *Pipinus primus omnium Francorum Regum unctus unctione ſacrâ*. 5. Neque id quiſquam inficietur, Pipinum hinc, dein Carolum M. & Succeſſores, (dicat Mezeræus ad Ann. DCCLI.) *quaſi debuiſſent Regiam Dignitatem Eccleſiaſticis*, id eſt, Pontificibus, multa & præclara in eos contuliſſe Beneficia, uti mox *Exarchatum* Ravennatenſem Pipinus in Romanam Eccleſiam tranſtulit, confirmatum ſcilicet Stephano. Quomodò & viciſſim, mutuo fœdere, de quo pluribus Petrus de Marca Conc. *Lib.* I. *Cap.* ult. *Patricii* Civili dignitate auxit Regem Pontifex, Titulorum diribitor, quæ ſumma fuit ſecundùm *Imperatoriam*, anteà in Italiæ Reges collata. Quid mirum ſi *Regium* axioma Franco, conſultus rogatuſque, conceſſerit? De aliâ Zachariæ conceſſione, quam addit poſt Baronium Maimburgius, *Hiſt. Iconocl.* L. II. pag. 259. fortaſſe Capite ſequenti. 6. Factum quoque eſt in gratiam *Bonifacii*, cui deberet Pipinus plurimùm, ut *Moguntina* Sedes, in Metropolim ſuprà Trajectenſem, Colonienſem, &c. ſeu in *Archiepiſcopatum*, à Francis eveheretur, confirmante Zachariâ, eodem tempore, quo Regnum transferri decrevit in Pipinum, quin eodem *die*, IV. Nov. DCCLI. Ità in *Burchardi Herbipolenſis* gratiam, Epiſcopi Sedis illius deinceps, ab Ann. DCCLII. *Franciæ Orientalis Duces*, ſeu Adminiſtratores, audiverunt, ſi fides eſt Francorum Annalibus.

Gratitudo Pipini.

P. Natalis Alexandri Diſſertatio enervatur.

Infirma ſunt oppidò, quæ prolixè cauſatur ex aliis P. Natalis Alexander. Ait *Stephano* III. hanc tranſlationem Regni Franciæ ab aliis attribui, ut à Theophane, Anaſtaſio, Ottone Friſingenſi, Hermanno Contracto. Fateor, & veriſſimè quoque. Nempè mox fatis functo Zachariâ, Stephanus in Galliam delatus, firmato cum Pipino fœdere, An. DCCLIII. in Monaſterio S. Dionyſii, *Pipinum cum duobus Filiis ad Regiæ dignitatis honorem* conſecravit, ſeu confirmavit dignitatem; Anaſtaſius, *uncti ſunt Reges Francorum*. Ità Eginhardus, Anaſtaſius, Annales Francorum, Chronicon Wirtzburgenſe editum à Baluzio, ad Ann. DCCLIII. habent, Zachariam decreviſſe quidem Regiam Pipino dignitatem, IV. Nov. A. DCCLI. ſed non conſecratum Pipinum à Bonifacio, mandatis inſtructo Pontificiis, antè Kal. *Majas* (alii Martias, contra fidem Anaſtaſii) Anni ſeq. ut ſtatuendum ex Annalibus, & Chronicis, quando è vivis exceſſit Zacharias, fato functus *Martii* XV. *feriâ* III. Ann. DCCLII. Ita quoque Blondellus, in *Præfat. Apologet.* nec diffitebitur Natalis ſcio. Anno autem ſequente DCCLIII. Stephanus iter in Galliam ad Pipinum ſuſcepit, confirmaturus ibi regnum Pipino, ſed & Filiis, Carolo & Carolomanno; ſecundùm alios *provecto* tùm demùm *Pipino in Regem*, hactenùs *Majore Domus*, ut Anaſtaſius, & Chronica quædam. Denique, ſive factum à Zachariâ fuerit, ſive primùm à Stephano, ut *Pipinus abſolveretur à perjurio in Childericum admiſſo*, ſaltem in hoc tertio conſentiunt Hiſtorici, factum auctoritate *Pontificis*, & ſatis illud eſt, ad uſurpatam in Reges poteſtatem arguendam.

Iterùm.

Quod addit præf. Natalis tacere rem *Anaſtaſium*, & *Flodoardum*, levidenſe eſt. Non tacuit omninò Anaſtaſius in *Hiſtoriâ Eccleſiaſt.* pag. 140. ſed nec in Vita Stephani II. Neque ſilentium in *Metricis* hodiernis Flodoardi, magnoperè ſtringit, dùm loquuntur omnes Annales. Nempè *Annales Francorum*, ſeu

ſeu à Pithœo editi, ſeu à Frehero, vel Du-Cheſnio, illique multiplices, & in iis *Aimoinus* de geſtis Francorum, laudatiſſimus Scriptor, & qui eum continuavit Adelmus; Tum *Theophanes* Hiſtoricus VIII. Sec. & poſt eum *Cedrenus*, *Eginhardus* familiaris Carolo M. *Theganus* coævus, Ado Viennenſis, *Rhegino* Prumienſis, *Marianus* Scotus, *Gregorius* VII. in non unâ Epiſtolar. *Gratianus* Auctor Decr. *Otto* Friſingenſis, *Conradus* Urſpergenſis, *Lambertus* Schafnaburgenſis, *Sigebertus* Gemblac. *Radulphus de Colomna*, *Guil. de Nangiaco*, *Fl. Blondus*, *Car. Sigonius*, *M. Ant. Sabellicus*, *Marſilius Patav. Trithemius Abbas*, *Joh. Nauclerus*, *Alb. Cranzius*, P. *Æmilius*, *Joh. Aventinus*, *Rob. Gaguinus*, & quicquid Chronicorum eſt, ac nuperum illud *Wirzburgenſe* à Baluzio, ex MS. editum, *Miſcell.* Tom. I. in Pipino. Ne dicam *Baronium*, *Bellarminum*, *Serrarium*, *Binium*, reliquos ejus familiæ Scriptores. Adeò ut Binius, *Notis* ad Vitam Zachariæ, *Hæreticis*, id eſt, Proteſtantibus, adſcribat eam ſententiam, quod *citrà auctoritatem Sedis Apoſtolicæ fuerit facta tranſlatio.* Tacemus ſuffragantes in Gallis nuperis *Blondellum* in Vindiciis Francicis contrà Hiſpanos, *Mezeræum* T. I. in *Pipino*, *Maimburgium*, in Hiſtor. Iconoclaſtarum, &c. & ſi qui in recentioribus plures. Hoc ſanè à Magdeburgenſibus diſcrimine, quod hi Zachariam, vel Stephanum *ſibi arrogaſſe divinam quandam poteſtatem*, (id eſt, quæ Dei ſolius eſt per quem Reges regnant) *ponendi & deponendi Reges*; contrà nuper Natali Alexandro Monacho Gallo, id *à Pontificis æquitate & ſanctimoniâ penitùs alienum fuiſſe*, p. 488. Sed & alienum fuit ab æquitate & ſanctimoniâ *Gregorii* VII. *Alexandri* III. aliorumque *Pontificum*, *qui ſupremam ſibi poteſtatem in Imperatorem, in Reges arrogarunt, contrà veterum Patrum, & primorum Seculorum inſtituta*, ut ſunt Mezeræi verba in Philippo Auguſto.

Iterùm.

Porrò frigidioribus conjecturis, adversùs teſtium conſonantiam, agit Al. Natalis. Quales illæ ſunt, ex *ætate* Childerici, penè adhuc adoleſcentis; ex fabulâ ſcil. de Meroveadarum Regum *ſocordiâ*, *ignaviâ*; ex damnato ſic Childerico *abſente*, *inaudito*, *neſcio accuſationis*; ex *doctrinâ Deceſſorum* Zachariæ, ipſiusque Gregorii II. quâcum pugnaverit hæc abdicatio Childerici; ex Pipino elevato in Regem *à Francis*, ergò non conſenſu expectato, non auctoritate interveniente Pontificis. Addit, profectam narrationem ex *Eginhardi* ignorantiâ, qui unus reliquis poſt ſe Chronographis impoſuerit, novis commentis (ſic ille) rem aucturis: Qui tamen Eginhardus rem nuper geſtam ſcriberet, in publico Orbis theatro, Actuarius Caroli M. aliis etiam Gener, ex Chronico Laurishamenſi, & ex Epiſtolis Lupi Ferrar. qui coævus fuit Eginhardo; Viro omnium ſuffragio eo tempore eruditiſſimo, & cujus laudes videſis apud Voſſium, Labbeum, Baluzium, ipſumque Natalem noſtrum ad Sec. IX. C. III. Sed antè Eginhardum Theophanes, Hiſtoricus Byzantinus, nec diu poſt Anaſtaſius, R. E. Bibliothecarius, hanc Pontificis auctoritatem interpoſitam ſcripſêre. Addit Natalis, *interpolatum* quandoque Chronographorum textum, cui illud de *auctoritate Apoſtolicâ* inſertum fuerit; ut excipit ad teſtimonium Anonymi Auctoris, ex P. le Cointe, pag. 513. Sic ad auctoritatem Gregorii VII. *non omnia facta Hiſtorica, quæ à Romanis Pontif. in eorum Epiſtolis commemorantur, propterea vera eſſe*; utique ſanè, non nixa conſtanti fide Scriptorum. Conferat has conjecturas Lector, hæc poſtulata, cum ſuperiorum teſtium fide, auctoritate, conſenſu, ſaltem in iis quæ à circumſtantiis fortè *dubiis*, vel ab *aſſutamentis* ſecrevimus, & pronunciet. Quàm vellet hic Alexander, cujus doctrinæ nihil detrahimus, pari ſe niti poſſe teſtium ſerie & conſenſione, in Diſſertationibus de *Præſentiâ Corporali*, aut de *Uſu Cultuque Imaginum*, adſtruendis ex Apoſtolicis literis, & Patribus, priorum ac puriorum Ætatum!

Stephanus III. ut extulerit ſe ſuprà Reges.

7. Inſtitit veſtigiis deceſſorum *Stephanus* II. aliis III. diſcrepantiâ indè ortâ, quod qui verè *ſecundus* fuit, vix *biduum* creationi ſupervixerit. Primus hic omnium Pontificum *hominum humeris* geſtatus, in Baſilicâ Salvatoris, ituro ad *ſucceſſores* more, ex Platinâ, Nauclero, Polydoro, aliis. Suſcepto dein in Galliam itinere, ad Pipinum, Anno qui exaltationem excepit DCCLIII. parem ſibi poteſtatem adſcripſit Pipino, & Filiis Regium axioma confirmandi. Hinc *Stephano*, non Zachariæ, tribuunt Theophanes, Anaſtaſius, alii, quâ de re diſſertatum ſuprà fuit. Quod res eſt dicendum, & rem accuratè refert Sigonius in *Aiſtulpho*, *Lib.* III. de Regno Italiæ: Voluiſſe ſcil. Pipinum, licet jam Regem inſtitutum à Zachariâ, denuò conſecrari à præſente tùm *Pontifice*, ſolemniore pompâ, nec ſe tantùm, ſed & præcipuè Filios Carolum & Carolomannum, *in quos ab eâdem poteſtate idem jus transferri cupiebat: Et ſe tùm demùm juſtè regnare exiſtimaturus.* Quod magis eſt, exegit tùm à Pipino & Filiis Stephanus *juramentum obedientiæ*, quo promiſit Rex *omnibus mandatis & admonitionibus totis viribus obedire*: Sed & *Exarchatum Ravennæ*, *& Reip. jura* in Pontificem transferre, *pro remiſſione peccatorum ſuorum impetrandâ.* Refert quoque Baronius, ex Anaſtaſio Biblioth. *in* fine Anni DCCLIII.

Paſſus etiam hic Stephanus eſt, ſi narratis fides eſt, *Regem*, ad illius conſpectum prodeuntem, *deſcendere de equo ſuo, & cum magnâ humilitate terræ proſtratum, unà cum Conjuge & Filiis*, ſe adorare; quin & *vices ſtratoris* Regem implere, frænum equi Pontificii tenentem, quum deduceret in Regiam. Conſentiunt ferè Hiſtorici ex Anaſtaſio, in Stephano, quem adducit Baronius, & ex Francorum Chronicis. Negant tamen Galli, & nuper Mezeræus Tomo I. ad A. DCCLIII. qui *Anaſtaſium ſæpè de rebus vetuſtiorum temporum loqui, ex uſu & moribus ſui ævi.*

Patricii dignitas.

Addidit quoque Stephanus, dignitatum ſcilicet Arbiter, *Patricii titulum*, quo Pipinum & Filios *pro auctoritate* appellavit, quæ ſolius Imperatoris fuerat. Et hic titulus, præter jus *Protectionis*, etiam *conſortium Imperii* dixit, *in Romanâ Urbe & Provinciâ*, fatente Petro de Marca, & Eruditis. Viciſſim *Patriciatum* hunc Romanum Pipinus cum Stephano diviſit, creato & hoc *Patricio*, dignitate à Carolo M. confirmandâ, ut diſertè Hadrianus I. *Epiſt.* LXXXV. ad Carolum, in Codice Carolino, vocans *Patriciatum B. Petri*. Tandem, ut promiſerat Pipinus, & intendebat unicè Stephanus, exuto Longobardo, qui tum Aiſtulphus, & Imperatore Orientis deluſo, qui tùm Conſtantinus dictus Copronymus, ſuſcepit Pontifex partem Imperii Italici, nempè *Exarchatum Ravennatenſem* cum *Pentapoli*, omnique Exarchorum dignitate & Imperio, *poſſidenda in perpetuum Pontificibus Apoſtolicæ Sedis*. Quàm latè patuerit hic Exarchatus, & quas *Provincias* complexus ſit unà cum Pentapoli, diximus ad Seculum VI. *col.* 1160. Porrò de hac donatione *Pipini*, prolixè ex Anaſtaſio, & Leone Oſtienſi, *Baronius*, ad Ann. DCCLV. ſed oppidò nimis ampliandâ. Et hoc titulo deinceps ceſſerunt Pontificibus, jure Regio, ampliſſimæ Provinciæ, & nobiliſſimæ Civitates, per Æmiliam, Flaminiam, Picenum, Marcam Anconitanam, Umbriam; addit Leo Oſtienſis cunctum Ducatum Spoletanum & Beneventanum, quâ de re nos alibi, *Hiſt. Imag.* Sectione IV. Nobiliores Urbes *Ravenna*, *Bononia*, *Faventia*, *Ferraria*, *Hadria*, *Comacbium*, *Piſaurum*, *Ariminum*, *Ancona*, *Urbinum*, &c. Acceſſit *Jus Patriciatûs*, quo ipſo Romanæ Urbi & Ducatui præerat. Dein & auctum

Dominia, Provinciæ Rom. Pontifici attributæ.

sub

Digitized by Google

ſub Carolo M. & ſucceſſoribus *Dominium Eccleſiaſticum* (*Stato della Chieſa*) attingens tandem Mare utrumque Adriaticum & Tyrrhenum, à Tuſciæ & Venetorum finibus, & complexum quoque partem majorem Latii. Hæc *temporalis dominationis* tùm in Pontificibus primordia, dùm non eſſet quod metuerent ſibi ampliùs vel ab Imperiali potentiâ, vel à Longobardicâ, mox evertendâ à Carolo Pipini filio. Et indè nonnulli fabulam arceſſunt, de *Donatione Conſtantini*, quoniam imperante in Oriente Conſtantino VI. (vulgò Copronymo) factæ hæ donationes à Pipino primùm, tum Carolo M. in gratiam Romani Pontificis. Ità Cuſpinianus, & alii, probante nuper Boeklero in Rebus Seculi IX. Sed qui donata fuiſſent à Conſtantino M. quæ poſteriores Pontifices Leoni & Conſtantino Filio, anathemate à ſe obſtrictis, per tyrannidem ſurripuêre. Et qui hunc Conſtantinum, juxtà Latinos & Græculos, Magum, Sacrilegum, execrandum, cum Magno Conſtantino confudiſſent?

An indè fabula de Donat. Conſtant. M.?

Stephani quædam Epiſtola.

Et hic Stephanus eſt, qui ſubſidium urſurus contrà Longobardos, literas dedit Pipino & Filiis, tanquàm è Cœlo miſſas, *nomine Petri Apoſtoli*, & *Dominæ noſtræ Dei Genitricis*, & *omnium Cælitum*. Inſcriptionem ſuprà vidimus, *Cap.* præcedenti. Eſt Epiſtola ad Francos, ordine V. *Ego Petrus Apoſtolus*. Hîc *Petrus*, *Maria*, *Throni*, *Dominationes*, *Cælites omnes*, *magnis obligationibus adjurantes*, Pipinum *obteſtantur*, &c.

Baronio ſunt hæc divina omnia, ad A. DCCLVIII. ſunt *dolores parturientis*, & fuit hinc auſpiciis *Principis Apoſtolorum Petri*, *res quàm feliciſſimè geſta*. Addit obligationem Pipini, cui *nihil antiquius quàm Romano Pontifici inſervire*, *cui Regnum debebat*. Ac de exaltatione Pontificis, ex ſpoliis Longobardorum, coacervat multa Scripturæ loca, quæ agunt de liberatione Davidis, vel Petri de manu Herodis. Adi & Illyricum, de *Characteribus Antichriſti* in hoc Stephano, in *Cat. Teſt.* Lib. VIII. Tom. I. *pag.* 684. quæ à noſtris pridem notata ſicco pede tranſimus.

Pauli I. & Stephani IV. quædam.

8. Eadem *Pauli* I. fratris Stephani, fuit libido dominandi, ut ex ejus Epiſtolis liquet. Crebris enim literis Pipinum in auxilium ſolicitavit, quæ plurimæ leguntur in Codice *Carolino*, uti ſingularum argumenta apud Baronium, ad An. DCCLXVII. & in *Tomo* VI. Concil. Edit. noviſſ. Et quidem contrà *Græcos* & *Longobardos*, ſua repetentes, dùm Pontifex *Pipinianam* donationem ſibi ſuiſque aſſertam vellet.

9. At *Stephani* IV. magis enituit ſuperbia ex Monacho tandem Pontificis, ab Anno DCCLXVIII. quo & Pipinus obiiſſe creditur. Ac primò immitis animus Stephani prodidit ſe in *Conſtantinum* Antipapam, obtentu Laicatûs truculentiſſimè habitum, cæſum, oculis erutis projectum, ferreis compedibus vinctum, & tandem morti datum; habitâ in Lateranenſi Eccleſiâ in hunc Conſtantinum Synodo, præſente Stephano, ut fusè Anaſtaſius, ex hoc alii.

Inter facta alia hujus Stephani, advertendum *anathematis* & *æterni incendii* pœnam ilicò interminatum eſſe Carolo Regi, ſimulac intellexit Pontifex connubium Caroli cum *Berthâ* Deſiderii Longobardorum Regis filiâ, Carolomanno alii tribuunt: Sed invitis Annalibus Francorum, & Eginhardo, Aimoino, &c. Literas artificioſiſſimas Stephani, quibus vocat conjunctionem eam Caroli *Diabolicam*, *nequiſſimam*, &c. exhibet Baronius ad Ann. DCCLXX. N. IX. & Acta Conciliorum Tomo VI. *col.* 1717. Undè Caroli ab eâ divortium, repudiandâ anno ſequente. Pariter interceſſit matrimonio *Giſilæ* filiæ Pipini, ſeu cum Conſtantino Copronymo Imperatore, ſeu cum filio Deſiderii Longobardorum Regis, obtentu violati ſic fœderis cum Apoſtolicâ Sede. Nempè veritus ne illa fœdera præjudicarent novo dominio quod ad Pontificem tranſiverat, ex ſpoliis Græcorum ac Longobardorum. Dicant Mezeræus, & Hiſtorici, ac ipſa Stephani Epiſtola, vix legenda ſine horrore.

Adriani I. ſuperbia in Reges; aviditas dominandi, etiam ſuperſtitiones.

10. *Adriani* I. in Pontificem electi A. DCCLXXII. fueritne modeſtia major, & humilitas digna Chriſto, digna Petro, ſequentia doceant, ex Anaſtaſio, Eginhardo, & Annalibus, aſſerturo Baronio.

Vix Pontificatum ingreſſus, *Paulum* Cubicularium ſuum, ex legatione ad Deſiderium redeuntem, quia corruptus ferebatur Longobardi muneribus, dolo in itinere circumvenit; *datis clàm mandatis* Leoni Ravennatenſi; à quo Paulus è medio ſublatus fuit, conqueſto in ſpeciem Hadriano.

Baronius notat.

Deſiderium Longobardorum Regem, imminentem Urbi, poſt recuperatas Civitates varias, quas Pipinus Papæ ceſſerat, terret Excommunicationis diro fulmine, *ſcripto anathematis & execrationis verbo*, *adjurans* Regem *per omnia divina Myſteria*, ut *nullo modo fines Romanorum*, *ſine ejus abſolutione*, *ingredi atque conculcare præſumeret*. Quo fulmine veluti perculſus Deſiderius, ut erant tempora, receſſit; familiari deinceps arte Pontificibus, quam Imperatorum, Regum, ſequebatur à ſuis omnibus deſertio, hinc depoſitio, *Capite* ſcil. *Imperii amputato*. Nam par execratio ſcribebatur *in adhærentes*, frequentibus poſthac exemplis. Præiverant Adriano Gregorius, & Stephanus. Quid Baronius, ad factum Pontificis, A. DCCLXXIII. N. IV.? *Vidiſti*, *Lector*, *grande miraculum*, *ut potuerit Excommunicationis vis continere furentem Regem*: *Tantus erat etiam apud impios*, *de excommunicationis ſententiâ timor*, *quæ è Petri Cathedrâ*, *velut Dei Throno*, *inſtar fulminis*, *immitti ſolet magno tonitru*. Hîc Papa *Petrus* eſt; ejus ſedes *Dei thronus*; ab eo *fulmina*, & *tonitrua in impios*, qualis tum Deſiderius Rex, quod Paparum ambitionem coërceret, foveretque *Viduam* & *Filios* Carolomanni. Porrò *vis* horum *fulminum* fracta, atque deinceps bruta fuit, ex quo, diſpulſis priorum ſuperſtitionum tenebris, Reges jurium ſuorum memores eſſe cœperunt.

Donationes Carolinæ.

Carolo Rege inter Populi Hoſanna, & voces *Benedictus qui venit*, &c. Romam delato, una cura Pontificis fuit, ut donationem Pipini adimpleret, reddito ſcil. *Exarchatu*, & *Pentapoli*. Auxit etiam Carolus, poſt deditionem Deſiderii, adjecitque, ut ajunt, *territorium Sabinenſe*, *partem Tuſciæ*, & *Campaniæ*. Addunt alii Ducatum *Spoletanum* & *Beneventanum*; quidam etiam *Provincias Venetiarum & Iſtriæ*; ſed & Sigonius aliique, *Siciliam*, *Sardiniam*, *Corſicam*; imò *Saxoniam* quoque à Carolo donatam contendebat Gregorius VII. Sed indubium retinuiſſe ſibi Carolum *Liguriam*, *Æmiliam*, *Venetiarum* Provinciam, & *Alpes Cottias*, nomine Regni Italici. Indubium etiam, Ducatus *Spoletanum*, *Beneventanum*, & *Forojulienſem* ſuis Ducibus à Carolo adſcriptos, fatente etiam Mezeræo, ad A. DCCLXX. liberalioribus hîc plus juſto in gratiam Pontificis Scriptoribus. Certè deſiderantur Tabulæ *Pipinianæ* & *Carolinæ* donationis, ſaltem productæ nullæ à Baronio. Urſit inſuper Adrianus, confirmari ſibi à Carolo *Patriciatûs* dignitatem, quæ ſecundùm Imperialem ſumma fuit. Quâ ipſâ in *Ducatum Romanum* ſuprema jura, cum Carolo & ipſo Patricio, diviſit Pontifex. Nihilque prius fuiſſe Adriano, quàm ut ad Imperatorum antè Regumque, hocce faſtigium ſurgeret, exutis Græcis, ſed & Longobardis, Terrarum ipſe Dominus, doceant ejus ad Carolum *Epiſtolæ*, in Codice Carolino; & vel earundem argumenta, quæ è Vaticanâ Baronius, ad An. DCCXCV. & Tomi Conciliorum exhibent. Nec quievit Adrianus, donec oppreſſo Deſiderio, extinctoque per Carolum Regno Longobardorum,

Baronius notatus.

hujus opima ſpolia redirent *ad Petrum.* Omnia enim *Petri nomine* geſta, dicat ex ſuis & ex Adriano Baronius ad Ann. DCCLXXIV. V. gr. bellum à Carolo ſuſceptum ex *obſequio Principis Apoſtolorum*; *Principi Apoſtolorum victoriam acceptum ferens*; tot *territoria* hinc *concedens B. Petro*; *Votis* etiam Caroli ubique diviſis inter *Deum Omnipotentem*, & *Principem Apoſtolorum.* Vide meam Hiſtoriam Imaginum Reſtitutam, *Sect.* VI. *Num.* XII. & XVI.

Alia faſtûs Adrianei docum.

Mittimus ſuperbiæ, ſed & ſuperſtitionis Adrianeæ, documenta plura. Inter ea, faſtus quo Romæ Carolum Regem excepit, *in atrio Baſilicæ*, ſuprà gradus, dum Rex ſigillatim gradus ſingulos aſcendens deoſcularetur; ut fuſè ex Anaſtaſio Baronius: Sic Literæ Adriani, quibus humilem *obedientiam* à Carolo contendit; & aliæ quibus par ſibi jus attribuit in *Ravennates*, & *Pentapolitanos*, quod Rex ſibi in ſubditos ſuos, &c. Sic Adriani ſtudium in promovendâ per Nicænos *Iconolatriâ*, de quâ loco ſuo, invito tamen Carolo: Sic quæ Vitam Adriani ferè implent apud Anaſtaſium, & mirè effert Annalium Scriptor, ad Ann. DCCXCV. effuſum ſtudium ornandi Baſilicas, Sanctorum memorias, Altaria, Loca Sacra, auro, argento, marmoribus, Imaginibus religioſis, ſericis, Donariis ſine fine, aliiſque ſuperſtitionum tomentis. Hæc pietas, hæc religio temporum fuit, quàm diſpar illi Petri, Pauli, & quæ proximè Apoſtolos excepit!

Leonis III. facta ad ſequens Sec.

II. Vix Adrianeo inferior fuit Leonis III. ſucceſſoris typhus, ab A. DCCXCV. Sed ad ſequens cumprimis Seculum illa ſpectant, ut quoque vulgatum illud de *Translatione Imperii ad Francos*, ex facto Leonis, Seculo expirante, in Feſto Natalitio, An. DCCC. à quo Seculum IX. ordiri pleriſque placet. Porrò de hoc Leone fabulam inſignem probat Baronius, ex Anaſtaſio, & Collectaneis Caniſii, ad A. DCCXCIV. hujus Sec. Lectore *veritatis* amante illinc ad horrorem facinoris, hinc ad miraculi propè inauditi admirationem invitato. Ferunt nempè, in publicâ Proceſſione in eum irruiſſe percuſſores, & inter alia probra illata, *oculos illi crudeliter evulſiſſe, linguâ etiam præciſâ*, ſeu amputatâ. Sed audi portentum. Cùm ad cuſtodiam mitteretur, *cooperante Domino, & Petro NB. ſuffragante, viſum recepit, & lingua ad loquendum ei reſtituta eſt.* Hæc illi. Rectè nuper Natalis in hoc Leone: *An oculis & linguâ penitùs orbatus fuerit à Sicariis Leo* III. *non omninò certum eſt.* Credo equidem, nam alii diſertè, poſt Theophanem, Chronographi, *lumen ei extinctum fuiſſe* negant, ac de *linguâ* nihil Paulus Diaconus, & ſi qui plures, Eginhardus, *ut aliquibus viſum eſt.* Hinc negans quoque Maimburgius, in *Præfat.* Hiſt. Iconoclaſtarum adversùs Nicol. Alemannum, in Diſſert. *de Lateranenſibus Parietinis*, ad Card. Barberinum.

Fabula de Leone.

Plura Antichriſtianæ Dominationis argumenta in factis aliis Paparum hujus Ævi, in mandatis ut ad Bonifacium, ſic & ad *omnes* quaquaversùm *Epiſcopos*, in mediis excogitatis, quibus Chriſtianum orbem ſub jugum mitterent, quod factum ſenſim fuit; hujus noſtræ Hiſtoriæ inſtitutum non admittit. Videri poſſunt Magdeburgenſes *Cent.* VIII. C. VII. Flacius Illyricus in Catal. ad Sec. VIII. id genus alii.

V. *Diſcrepantiarum hujus Ævi, à Doctrinâ & Diſciplinâ Hildebrandinâ, & à ſequiore Pontificum praxi, exempla illuſtriora.*

Iſtis nihil obſtantibus in multis adparet Diſcrimen hujus Ævi à temporibus Hildebrandinis, & quæ illa exceperunt. Specimina quædam hiſtoricè ſubjungimus.

Epiſcopi non obnoxii Romano.

1. Non omnes per Occidentem Epiſcopi, ac ne ipſi in Italiâ Ravennatenſes, haud dùm aſſueti ferre jugum, Pontificem ut *Dominum* reſpexerunt, ut Monarcham Eccleſiæ. Vidimus *Cap.* ſuperiore, in Conſtantino, *Num.* 3. *Felicem* Ravennatenſem, à ſanctitate & miraculis commendatum ipſi Baronio, negantem in ſcriptis cautionem obſequii ergà Rom. Pontificem, novo ſcil. jugo. Sed & de *Leone Ravennatenſi*, ſuo tempore conqueſtus non ſemel Hadrianus I. qui jura in Æmiliæ Civitates, uti ſub Exarchis, ſibi attribuebat. Vidimus *Hiſpanos* ſub Witizâ decernere conjugia Clericis, ob nefanda mala Cœlibatûs, Româ invitâ. Poſteà & *Gallos*, in causâ Imaginum, & quotquot interfuêre Synodo Francofortanæ, intelligemus ab Hadriano diſſenſiſſe. Quin *Bonifacius* ille, Germanorum vulgò Apoſtolus, multa paſſim, in ſuis ad *Papas*, reprehendit in Viris Apoſtolicis, nonnunquàm ab iis diſſentit, & avaritiam illis quandoque exprobrat. Alicubi hæret, *an pro obeuntibus oblationes offerre liceat*, conſulto hoc nomine Gregorio III. à quo reſponſum, *Epiſt.* 1. ad Bonifacium. De jure Regio circà *inveſtituram* Pontificum, atque Epiſcoporum, infrà. Quo etiam loco haberetur *Conſtantinopolitanus*, doceant Epiſtolæ Adriani I. ad Taraſium, & Acta Nicænæ II. in quibus Romanus Epiſc. Byzantinum quoque *generalem* ſeu *univerſalem Patriarcham* vocat, exemplo Orientalium.

Papæ & Epiſcopis Communes formulæ, nomina, epitheta.

2. *Papa* nomen hoc etiamnum Seculo in Occidente commune fuit Epiſcopis ſaltem primæ notæ, Ravennatenſi, Mediolanenſi, Viennenſi, Cantuarienſi, &c. in Oriente omnibus Patriarchis, poſteà etiam viliſſimis Sacerdotibus, quin ipſis ἀναγνώςαις, tribuendum. Imò ne Romanus ſimpliciter Papa, ſed *Papa Urbis Romæ*, *Papa Romanus*, ſic Papa *Conſtantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Hieroſolymitanus*, *Cantuarienſis* ſeu *alterius Orbis*, &c. ut ex Epiſtolis variis colligere eſt, & Inſcriptionibus, aut Subſcriptionibus Conciliorum. Sequenti Ætate cœpit reſtringi à Latinis ad Vicarios Apoſtolicæ Sedis, tandem decreto Gregorii VII. *Uni* in Orbe Chriſtiano *Pontifici* adſcribendum. Quâ de re Petavius, Rigaltius, Sirmondus, Baluzius, alii, ut noſtros taceam. Sed & *Apoſtolatûs* axiomate inſigniti quandoque Primates, Ravennatenſis, Viennenſis, alii, v. gr. *Apoſtolatus Veſter.* Sic *Sanctiſſimi*, *Beatiſſimi*, *Reverendiſſimi* epithetis, etiam in abſtracto *Veſtra* vel *Tua Sanctitas*, &c. communiter in Epiſtolis dicti varii Epiſcopi, ut Bonifacius Mogunt. & Galli Præſules paſſim, pari honoris titulo quo veniebat Romanus. Imò ipſi Papæ ad Bonifacium Moguntinum, his formulis perpetuò uſi, Gregorius uterque, & Zacharias, *Coëpiſcopi* etiam additâ appellatione. Ità ipſe ille Bonifacius Archiepiſcopus, æquè ac Pontifex, à temporibus Gregorii I. inſcribit ſe in Epiſtolis *Servum Servorum Dei.* Fecit id ipſum Ravennatenſis, etiam ſequenti Ætate, appellans ſe *Servum Servorum Dei*, apud Rubeum, & alios. Quod adeo proprium deinceps Papæ Romani, ut nonniſi in *Bullis* hoc utatur cognomento. Sic Fulradum Abbatem & Presbyterum compellat Bonifacius, *Epiſt.* v. eâdem quâ Papam humilitatis formulâ, *Almitatis*

ve-

veſtræ Clementiam deprecor. Nondùm hujus Ævi Pontifices appellati cognomento *Domini Noſtri*, nec ab Imperatoribus aut Regibus ſcriptum, *Domino Papa*, benè à Papis, *Domino Imperatori*, *Regi.* Sic nondùm illi adponere Annos ſui *Pontificatûs*, *Indictionum*, ut fuſè à Gallis eruditis oſtenſum, nominatim Mabillono in Opere de Re Diplomat.

Papæ hujus Sec. ſubjecti Imperat. Regibus.

3. Hoc Seculo *capeſſebant* Papæ *juſſa* Imperatorum. Ità Conſtantinus, An. DCCIX. *juſſus* à Juſtiniano II. *venire ad ſe* Româ Conſtantinopolim, & *ſacrâ* acceptâ, *juſſis Imperialibus obtemperans*, *illicò navigia fecit parari.* Ità Paulus Diaconus, Anaſtaſius, alii. Leo Iſauricus, abolitis Imaginibus, *Romano Pontifici ſimilia facere, ſi Imperialem gratiam habere vellet, mandavit*, ut idem Paulus de Geſtis Longobard. *Lib.* VI. C. XLIX. Quin ipſe ille Gregorius II. de quo ſuprà, faſſus primò eſt, *Epiſt.* ad Leonem Iſaur. *Pontificem non habere poteſtatem in Palatium, aut Dignitates Regias deferendi.* Stephanus III. accipit per Joannem Silentiarium *Regiam juſſionem*, & viciſſim per miſſos ſuos *deprecatur Imperialem Clementiam*, apud Anaſtaſium in ejus Stephani Vitâ. In Epiſt. ad Pipinum, quæ eſt VI. in Tomo VI. Concil. tanquàm præſentialiter *coràm Regis aſpectu flexis genibus petit*, *ac coràm Deo Vivo deprecatur*, ut jubeat Pipinus, &c. Paulus I. ſcribens ad Pipinum, ex gr. *Epiſt.* IV. Tom. VI. Concil. *Col.* 1681. *Pro quo flexo poplite petimus, & per nos etiam B. Petrus Apoſtolus*, &c. Sic plures Epiſtolæ *Adriani* I. in quibus *deprecatur Imperialem Majeſtatem*, & Imperatores vocat *δεσπότας Dominos.* Sic in Occidente *mandata*, *juſſa* Caroli, etiam in cauſis Eccleſiaſticis, impleſſe ſeſe teſtatur. Quandoque *genibus advolutus*, aut *flexis genibus* ſupplex, ut in literis ad Conſtantinum & Irenem, γονυπετῶν, καὶ τοῖς ὑμητέροις ἴχνεσι κυλινδόμενος. Ità nec donatæ à Pipino, nec à Carolo M. Rom. Pontifici tot Provinciæ, Ducatus, niſi *in feudum*, in Dominium utile, Regiâ ſibi poteſtate ſervatâ; undè ſacramentum illi præſtandum, *Promitto me Domino meo Carolo, & Filiis ejus fidelem futurum*, &c. Ità Carolus Rex A. DCCLXXIV. ingreſſurus Baſilicam Petri, cum Adriano, *tenuit dextram manum Pontificis*, apud Anaſtaſium, ipſo referente Baronio.

Submiſſio Leonis III.

Pariter Leo III. ex Annalibus Franc. ex Auctoribus Vitæ Caroli M. ex Adone Vienneſi in Chron. mox à conſecratione Caroli Imperatoris, fertur *adoraſſe* Imperatorem, tanquàm *Dominum* ſuum, *more antiquorum Principum.* Quemadmodùm & idem Leo paulo antè, menſe Dec. Ann. DCCC. ad *juramentum purgationis* coràm Carolo Rege, tanquàm Domino, ſe in publico ſtitit, ex Anaſtaſio, & Francorum Annalibus. Ità ſeq. Seculo, idem Leo III. ad Legatos Caroli Imperat. quum de *Symbolo* ageretur, An. DCCCIX. & addendâ voce *Filioque*, quod urgebant Legati; *Ut ego me illis* (additionis Auctoribus) *non dico præferam*, *ſed etiam illud abſit mihi*, *ut coæquare præſumam.* Habes apud Sirmondum, & ipſum Baronium, ad Annum DCCCIX. N. LVI. Quæ & alia à ſecuturis moribus, & Pontificum deinceps Romanorum faſtigio, mirè abhorrent.

Romanæ Urb. Dominium non penes Pontifices.

4. Quin *Romam* Romanumque *Ducatum* non tenuère hoc Ævo Pontifices, jure ſupremati, ut pluribus Conringius *de Imperio Germ. Cap.* VI. qui à Græcis Imperatoribus, Populoque Romano, tandem tranſiit ad Carolum Regem, An. DCCXCVI. Nempè Leo III. Populuſque Romanus, *Vexillum Urbis Romæ*, inſigne Supremati, cum *Clavibus Confeſſionis Petri*, per Legatos miſère ad Carolum M. non jam ut Protectorem, ſed ut Dominum; rogante Leone, *Ut aliquem è ſuis Optimatibus mitteret, qui Populum Rom. ad ſuam fidem & ſubjectionem per ſacramenta firmaret.* Conſentiunt Annales varii Francorum, & Auctores Vitæ Caroli M. & Sigonius, alii: Abſurdiſſimo cum ſuis Bellarmino, & à Gallis hodiernis exploſo, qui illa verba *ad ſuam fidem ſubjectionemque*, retulit non ad ſubjectionem debitam Carolo Regi, ſed Leoni Papæ. Et ab eo tempore *Roma Carolo paruit, ſed & omnis Italia*, ut diſertè Theophanes, Zonaras, *Francorum poteſtati* ſubjecta, inſcripturis deinceps Leone & Romanis, *Carolo Domino*, *Domino noſtro.* Ac conſentiunt hac parte pluribus nuperi quoque, Ludov. Maimburgius, *Hiſt. Icon.* Lib. IV. & Natalis Alexander, ad Seculum VIII. in Leone III. Undè & in examine accuſationis Leonis Pontif. ſub finem Sec. & deinceps, hoc Caroli in Urbem, & in Romanos, ipſoſque adeò Pontifices, exercitum *Dominium* fuit. Obſervantque Vitæ Pontificum, primum omnium Bonifacium IX. *Populi Romani vim omnem in Pontificem tranſtuliſſe*, adeoque *Urbis Dominatum*, de quo loco ſuo.

Hinc ridendus ipſe Baronius, ad præfatum An. DCCXCVI. N. XVI. qui iſtud de Urbe Româ Carolo ſubjectâ, vocat *ridendum Novatorum delirium. Ignorare miſeros, hujuſmodi dona mitti conſueviſſe à Pontificibus Chriſtianis Principibus.* Diſſimulans additas muneribus, Vexillo & Clavibus, Romanorum preces, ut Carolus ſe *in fidem ac ſubjectionem ſuam, ſacramento firmandam* reciperet. Ità componit *Claves* & *Vexillum* Sepulchri Dominici, miſſum poſteà à Patriarchâ Hieroſolymit. (*benedictionis loco*, ſed & ſubjectionis, ut omnes interpretantur) ad Carolum M. cum *Vexillo Urbis* miſſo per Leonem III. Quod certè poſterius *inſigne ſupremæ poteſtatis* fuiſſe, omnes Docti fatentur, & nuper Mezeræus, Maimburgius, Nat. Alexander, &c. hi non utique *Novatores.* Mariana de Rebus Hiſp. Libro VII. *Cap.* XI. *Præmiſſa fuerant ad Carolum Claves Confeſſionis Petri, & Vexillum Urbis Romæ; indicio Cives & Pontificem ſe in ejus poteſtatem contradere; quoniam parùm opis fore videbatur in Græcis Imperatoribus.* Manſitque penes Imperatorem Dominium *Urbis Romæ*, donec Johannes VIII. à Carolo Calvo, quem præferrent Romani Ludovico Germanico, ſtipularetur *abrenunciationem hujuſce Dominii*, ex Vitâ Johannis, & Annalibus Francorum.

Baronius refutat.

5. Sed & *Nomotheticam* in Eccleſiaſticis rebus & cauſis poteſtatem, vendicaſſe ſibi Principes hujus Ævi, etiam in Occidente, Carolomanni, Pipini, deinceps Caroli M. ac hujus præ cæteris, exempla docent. Loquuntur *Concilia* ab hoc Principe & ejus juſſu congregata, & in eis Collationes coràm Carolo M. habitæ, in Germaniâ, Galliâ, certâ Actorum atque Annalium fide. Loquuntur etiam *Capitularia*, ſeu Regiâ ſeu deinceps Imperatoriâ auctoritate promulgata, in Galliâ, Italiâ, Germaniâ, vel *Leges*, *Regulæ*, *Conſtitutiones* Clero præſcriptæ, de rebus quibuſcunque ſacris, quæ ad *Doctrinam*, *Ritus*, *Diſciplinam*, *Beneficia*, ſpectarent, digeſtæ nuper à Stephano Baluzio, 2. Tomis, cum additis Notis, poſt Sirmondi, & aliorum Collectiones. Eminent autem *Caroli M.* Capitularia, Gratiani Decreto ſæpè inſerta; quibus addita illa deinceps *Ludovici Pii*, *Caroli Calvi*, & Succeſſorum, quæque *humiliter ac reverenter excepiſſe Eccleſiam*, teſtes ſunt Paulus Diaconus, Andegiſus, Aimoinus, Ivo, Gratianus, &c. & Tomi Conciliorum, ac fuſè id egit Car. Molinæus, & Baluzius nuper in doctâ atque ingenuâ *Præfatione* Capitularibus præmiſſâ.

Leges Eccleſiaſticæ Principum.

Ludibrium debet Baronius, ad An. DCCCI. & paſſim, qui Capitula illa Legum Carolinarum diſtinguit ab *Eccleſiaſticis Legibus*, horum fontes eſſe *SS. Concilia*, *& Decreta Romanor. Pontificum*; nonniſi *Collectorem*, & *Executorem* Carolum M. ſubmiſiſſe ſe in omnibus *Apoſtolicæ Sedi*, cui ſervierint Leges; *reverentiæ & ſubmiſſionis ergà Romanum Pontif.* dediſſe Principibus exemplum; nec tam *novas* condidiſſe *leges* quàm *reſtituiſſe veteres*, & *collegiſſe Capitula Ec-*

Baronii exceptiones dilutæ.

Digitized by Google

cleſia, &c. Rident Galli, Germani, & quicquid Eruditorum eſt. Sed facta loquantur, ac publica fides Annalium, Capitularium, Conſtitutionum Imperialium, Conciliorum Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, ne dicam Nicæni II. in *T*. VI. & VII. nuperæ Edit. & apud Goldaſtum, C. Molinæum, M. Antonium de Dominis, H. Conringium, &c. Condunt novas leges dicti Principes, ac promulgant, Veteres refingunt; Synodos convocant, moderantur; Examen confirmationemque Canonum ſibi vendicant; Obedientiam addicunt Cæſareis legibus Pontifices; permittunt inſeri has Juri Pontificio à Gratiano; nuſquàm Pontificum auctoritas, vel nomen, iis Capitulis præſcriptum; ubique Carolus & ſucceſſores Conſtantini, Theodoſii, Juſtiniani, &c. veſtigiis inſiſtunt; Leges ipſæ & Capitula, ut ab Imperatoribus profecta, ad poſteros tranſmittuntur: Et tamen, ſi Baronio fides, Carolus nullas Eccleſiaſticas leges ipſe condidit, qui in omnibus *Rom. Pontifici & legibus Eccleſiaſticis ſe obſequentem exhibuit.* Dicat diu poſteà *Leo* IV. ſub Lothario, Caroli M. nepote, *Diſt.* x. C. *de Capitulis. De Capitulis vel præceptis Imperialibus Veſtris, veſtrorumque etiam* NB. *Pontificum prædeceſſorum*, (Imperatorum, qui *Pontifices* appellati) *irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quanto valuimus & valemus, Chriſto propitio, & nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur.*

Jus Inveſtituræ agnitum in Carolo Rege, ab Hadriano I.

6. Cumprimis verò dignum memoratu eſt factum Adriani I. Pontificis, ergà Carolum Regem, habitâ Romæ Synodo, quo nomine ciet Tyria maria, cœlumque & terram adjurat Baronius, ad An. DCCLXXIV. N. x. *& ſeq.* Factum ità habet. Carolo Romam à Ticinenſi expeditione reverſo, Ann. DCCLXXIV. poſt oppreſſum Deſiderium, celebrat cum Adriano Synodum CLIII. Epiſcoporum, & Abbatum, qui in Urbem, vocati ab Adriano, confluxerant. Confirmatur Carolo *Patriciatûs* dignitas, ſimulque, quod Imperatorum fuerat, *jus eligendi ſummum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem:*

Pluribus confirmatum.

Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Provincias inveſtiendi, Italiæ nempè, in Ditionibus in quas jus Pontifici, non in patriis Caroli Regnis, quod jus ex ſe ipſo habuit. Auctores ſunt Anaſtaſius, in *Hiſt. Eccleſiaſticâ*, ſaltem indè deſcribente Gratiano, *Capit.* Adrianus, D. LXIII. & apud Platinam in Vitâ Paſchalis I. *Quam poteſtatem ab Hadriano Pontifice Carolo conceſſam Bibliothecarius refert.* Dehinc Ivo Carnotenſis Chronica vetera, Sigebertus, Walthramus, Wilh. Malmesbur. Matthæus Paris, Sigonius, Nauclerus; Marſilius Patav. Aventinus, Mutius, Onuphrius, alii. Ac noviſſimè Mabillonus, *Itin. Ital.* T. II. p. CXIII. Commentarii in Ord. Roman. *Hoc itaque Hadriani Decreto ſtatutum eſt, ut is eſſet verus Rom. Pontifex quem Carolus Rex Francorum, ejuſque ſucceſſores, Francorum Reges, conſecrandum eligerent.* Dein vide quæ Mabillonus de confirmationis jure, per *Imperatores* p. CXIV. & quæ infrà addimus ex Steph. Baluzio. Et res ipſa teſtatur. Subactis enim à Carolo *Provinciis*, & *Patriciatûs* Romani jure in eo agnito, quid æquius fuit, quàm ut tradito à majoribus more electiones *Romani Pontif.* & *Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque* per Italiam, ab eo confirmarentur, qui Italiæ deinceps regnum, & Longobardicum, adeoque Imperatoris locum, jure armorum obtinebat, poſteà & Romæ Dominium, atque etiam Imperium Occidentis. Nec opus redire in ſuperiora tempora, ac reponere Imperatorum exempla, ſed & Italiæ Regum ſuprà ad Secul. VI. à quibus Romani Epiſcopi vel conſtituti fuêre, vel confirmati. Ac eadem fuit Regum Galliæ, antè & poſt tempora Caroli, in ſuis regnis auctoritas, concedendi Epiſcopatus, Inveſtituras, Abbatias, ut pluribus poſt Carolum Molinæum, *de Monarchiâ Francor.* Goldaſtum *ad Conſtitut. Imperiales*, recentiores Galli. Sed & factum ſecuta confirmant. Noluit Gregorius IV. teſte Platinâ, *Pontificium munus obire, priuſquàm à Legatis Ludovici Imperat.* Caroli M. filii, *ob eam cauſam Romam miſſis, qui diligenter tantam rem diſcuſſerant, confirmatus* eſſet. Benedictum III. confirmavit per Legatos *Ludovicus* II. ſic & Nicolaum I. Adrianum II. ac deinceps quoque *Carolus Calvus* Johannem IX. &c. Donec Adrianus III. captatâ occaſione, decerneret, *ne in creando Pontifice Imperatoris auctoritas exſpectaretur*, apud Platinam. Sed poſteà Leo VIII. Pontifex, Synodo Romæ congregatâ, *Ottoni* I. à quo ipſe creatus, pulſo Johanne XII. jus idem reſtituit, quod conceſſum ab Adriano I. ſcil. *Ordinationem Apoſtolicæ Sedis*, & *Inveſtituram Epiſcoporum*, apud Gratianum, D. LXIII. Cap. *In Synodo congregatâ.* Exercuerunt quoque jus idem Ottonis I. ſucceſſores, donec Hildebrandina tempora ſuccederent, ex Platinâ, & aliis. Nec ſolum confirmavêre Pontificem; ſiquidem, ex. gr. Leo IV. ſub Lothario & Ludovico AA. quum deſtituta eſſet Paſtore *Reatina* Eccleſia, & *Tuſculana*, petit ſupplex ab Imperatoribus aliquem ab iis *præfici Epiſcopum*, apud Gratianum D. LXIII. C. *Reatinâ*, & C. *Nobis D. Imperator.*

Baronius expenſus, De Marca, Nat. Alexander.

His præmiſſis, non injucundum eſt paratragœdiantem Baronium audire, & in unum *Sigebertum*, ut mendacii ſcil. auctorem, declamantem. *Conveniendus nobis eſt Sigebertus, atque de re magni momenti ab eo ratio expoſcenda.* Erit *Lector, ut cùm audieris, mox illud more tragico exclamare cogaris, O ſcelus! ô impoſtura! ô fraus! Iſte quidem cùm totis viribus foveret partes Henrici Imperat. Schiſmatici, in gratiam ipſius finxit, quod ille variè prætendebat, jam fuiſſe conceſſum à Rom. Pontifice Hadriano, Carolo M. Imperatori, quod ipſe tradit in fine ſuæ Chronographiæ, Anno* MCXI. Αὐτὸς ἔφα. Ac noviſſimè, poſt Petrum de Marca, *falſitatem Synodi* Romanæ ſub Hadriano I. arguentem, de Concord. L. VIII. C. XII. Natalis Alexander, ad Seculum VIII. Hiſtoriæ ſuæ, in Hadriano, *conceſſionem iſtam fictitiam eſſe*, multis contendit: Invitis ſanè doctioribus pridem Gallis, & Mezeræo Hiſtorico, Ann. DCCLXXIV. Mabillono ſuprà, Baluzio *Notis* ad Florum Lugdun. *de Electionibus Epiſcoporum*, in Caput VI. *Hoc eſt, ut puto, jus quod Carolo M. collatum eſt in Synodo Romanâ, ſub Hadriano, Ann.* DCCLXXIV. *in quâ Pontifex Hadrianus, univerſique Epiſcopi, cæterique qui in Synodo aderant, tradiderunt Carolo jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem.* Nec antè Baronium quiſquam in dubium vocavit, ac ne ipſe primò Bellarminus, niſi poſt viſos Baronianos Annales, retractans in Libro de Scriptor. Eccleſ. in *Gratiano*. Abſurdum etiam, *Sigebertum* rem tantam de ſuo finxiſſe, facilè revincendum, quod factum nunquàm, aut hujuſmodi figmento magnoperè promovere potuiſſe res Henrici Imperat. Undè & Præſul de Marca, de Concordiâ *Lib.* VIII. *Cap.* XII. N. x. *nolim Sigebertum impoſturæ reum facere, etenim ille habet auctorem quem laudet.* Supponitur etiam ſilentium *Anaſtaſii*, cujus *Hiſtoriam Eccleſiaſt.* citant Gratianus, Platina, & aſſentitur Onuphrius; mutilam hodie multis partibus, MS. olim pleniorem in Biblioth. Palatinâ, teſtibus Grutero, & Salmaſio αὐτόπταις. Sic Hadriani plures Epiſt. interverſæ, nec è re fuit Romanæ Curiæ extare decretum illud Hadrianeum. Et diſertè Anaſtaſius, Carolum à Pontifice exceptum, ut *Exarchum aut Patricium ſuſcipere moris erat*, adeoque ut Principem Urbis. Conjecturæ precariæ ſunt, qualis illa ex recentiore voce *Inveſtituræ*,

Inveſtituræ vox.

quâ uſus Sigebertus, pro traditione Epiſcopatûs. Indubium enim familiarem fuiſſe vocem temporibus Longobardicis, vel ex eorum *Legibus*, in quibus

Digitized by Google

bus *veſtire*, *inveſtire*, *inveſtitura*, *veſtura*, de miſſione in poſſeſſionem, ex Lindenbrochii *Gloſſario* ad Leges Antiq. hinc & uſurpatam vocem tempore Caroli M. quod nec diffitetur alicubi P. de Marca, & ab Hieronymo Bignonio, Hug. Grotio, Carolo Du-Freſne, & Gloſſariographis eruditis, pluribus oſtenſum. Et quid ſi addiderit Sigebertus, ut receptam ævo ſuo, *rem* ſignificans, non *verba* præciſè referens ſingula Adriani? Nec obſtat Carolino juri quod urget Natalis, jus *Cleri* & *Plebis*, in electionibus, aut præſentationibus Epiſcoporum; Nempè ſalvo ſemper jure Regio, *Salvâ in omnibus diſpoſitione Imperiali*, quæ Ottonis M. voces apud Goldaſtum, in *Tomo* III. Conſtit. Imper. Poterat rejici à Principe electio, poterat & confirmari; quandoque etiam *per ſe* eligebant Principes, aut eligendi faciebant poteſtatem, permiſſione ab iis impetratâ, & miſſis ab iiſdem Canonicis Viſitatoribus. Et quod obtenditur ex *Floro* Mag. *Conſuetudine* id juris Regibus natum in electionibus Epiſcoporum, utique, ſed antiquâ, ſed à Conſtantini M. & ſucceſſorum temporibus. Magis forte urgerent illa *Flori* ejuſdem, quo teſtimonio ſe præcipuè niti fatetur Petrus de Marca d. loco; *ſed & in Romanâ Eccleſiâ uſque in præſentem diem cernimus, abſque interrogatione Principis ſolo diſpoſitionis judicio* (*divina*, ut addit de Marca) *& fidelium ſuffragio, legitimè Pontifices conſecrari.* Ad quæ Steph. Baluzius, in *Notis* quæ ad calcem Agobardi Lugdun. p. 152. *Verum adhibenda neceſſario eſt interpretatio verbis Flori. Nam conſtat* ordinari *olim non potuiſſe Romanos Pontifices, donec eorum electio approbata ac confirmata fuiſſet à Principe, ut etiam auctoritate Gregorii M. oſtendit Marca, in Capite mox laudato. Extant autem in* Diurno Pontificum *Formulæ Literarum, quas Clerus Romanus ad Principem & ad Exarchum ſcribebat, de obitu Pontificis, & ut licentiam peteret alium eligendi. Denique conſtantiſſimum eſt, ævo Flori Romanos Pontifices non potuiſſe ordinari, extrà præſentiam Miſſorum Imperatoris; uti pluribus ſuprà dictum eſt, ad Epiſt. Gregorii* IV. *Papæ.* [Ubi ex Annalibus Bertinianis, *Gregorium non prius ordinatum eſſe quàm Legatus Imperat. Romam venit, & electionem Populi qualis eſſet, examinavit*, Notis ad Agobard. p. 124.] *Igitur adhibenda eſt neceſſariò* (ut dixi) *interpretatio verbis Flori. Nam Florus vir Doctus & Eruditus, non poteſt eſſe contrarius manifeſtæ veritati*, &c. *Ego ſic cenſeo, liberam quidem Clero P. Q. R. fuiſſe electionem Pontificis, ſed ordinationem peragi non potuiſſe abſque aſſenſu Principis*, &c. Quâ de lite, poſt Goldaſtum in *Rationali*, M. Ant. de Dominis, *Lib.* VI. *Reip.* Eccleſ. alios benè multos, eruditè Herm. Conringius, Vir harum literarum peritiſſimus, in ſuis de *Imperio German.* deque *Epiſcoporum Germaniæ Conſtitutione.*

De conceſſione quadam Zachariæ Pontif.

Eo minùs negari debuit à Baronio facta Carolo inveſtiendi illa poteſtas, quod ad A. DCCLII. N. VIII. fateatur *Pipino Regi Francorum conceſſam à Zachariâ Epiſcoporum nominationem*; undè jus hoc omne Regium, in Eccleſiaſticis rebus, profectum eſſe *à conceſſione Apoſtolicæ Sedis.* Colligebat Baronius, ex Epiſt. Lupi Ferrarienſis quæ eſt LXXXI. ad Amulum Epiſcopum. Probavit, quod mirêre, in Galliâ hodiernâ Lud. Maimburgius, *Hiſt. Iconoclaſt.* Lib. II. ad Ann. DCCLV. *Ac dedit Pipino poteſtatem Papa* (Zacharias) *nominandi ad Epiſcopatus Galliæ & Germaniæ, eos quos aptiores judicaret.* In quâ conceſſione fundat *Concordata*, quæ deinceps *renovata* fuiſſe dicit. Uterque magnoperè fallit. Nec enim dixit Lupus, quod affingit illi Baronius, & ex eo Maimburgius. Id modò, *Pipinum Zachariæ accepiſſe conſenſum*, ut decedentibus Epiſcopis alios ex Palatio procuraret Antiſtites, pag. 123. Editionis Baluzii. Quæ primo malè reſtringuntur ad *jus nominandi* ſeu *poſtulandi*, *vacantibus Eccleſiis*; extendenda omninò ad *jus eligendi* ad Epiſcopatus, Archiepiſcopatus. Dein, non primùm huic poteſtas data dicitur à Zachariâ, ſed veriùs *approbata, ratihabita*, poſt inſtitutos ſcilicet à Pipino & Carolomanno Epiſcopos, in Synodis *Germanicâ*, & *Sueſſionenſi*, A. DCCXLII. & DCCXLV. & poſtquàm hac de re conſuluiſſet Zachariam Pipinus, ſibi conciliandum. Pridem enim antè Zachariam, hanc ſibi poteſtatem feciſſe Francorum Reges, conſtituendi Epiſcopos, *eligendos in Palatio*, qualem & ſibi Imperatores, multis docet Petrus de Marca, in Opere de *Concordiâ*, P. II. poſt Carolum Molinæum, Goldaſtum, alioſque. Nec aliter *Lupi* verba interpretanda eſſe docet Pariſinus Præſul, ſed nec Baluzius, in *Notis* ad Lupum, addens, *meritò rejiciendam eſſe ſententiam Illuſtriſſ. Cardinalis Baronii.* Ità Carolomannum, Pipinum indixiſſe Synodos, Liptinenſem, Sueſſionenſem, Vernenſem; decreviſſe per ſe ſolos confirmationem Canonum; Appellationes ab abuſu admiſiſſe; Epiſcopos & Archiepiſcopos de conſilio Sacerdotum & Optimatum ordinaſſe, nihil repugnante *Zachariâ* Pontifice, pluribus idem de Marca, in Opere citato, *Lib.* VI. & VIII. quem vide. Et hæc ſpeciminis ergò, *Baroniana* cumprimis paginæ ubique conſpicuâ malâ fide.

Baronius, & Maimburgius ad partes vocati.

VI. *Veritatis hoc Seculo Teſtes, & Defenſores, contrà Traditiones ac Superſtitiones Eccl. Romanæ, in ſpecie Tyrannidem Papalem.*

I. Non planè actum agimus, quanquàm prolixè rem hanc egêre Magdeburgenſes, *Cent.* VIII. in Capite *de Doctrinâ*; Flacius Illyricus in *Catalogo Teſt.* T. I. hinc Mornæus, Uſſerius, Forbeſius, Hottingerus, alii, & paſſim Theologi ad Capita controverſa ſingula. Sed & ſpectant huc plurima, quæ in Sectionem præced. conjecimus. Satis jam fuerit, paucis & inluſtribus exemplis, reviciſſe temeritatem Baronii, Tomo IX. ubique *Novatores* inſectantis; urgentiſque univerſalem Chriſtianorum cum Româ conſenſionem, ac poſt eum Spondani, aliorumque, quotquot in horum temporum Hiſtoriâ ex iiſdem fontibus ſapiunt.

Neceſſitas hujus narrationis.

II. De *Orientis* Eccleſiis iſtud indubium, tùm ex rebus prioris Seculi, & Synodorum Canonibus, *Capitib.* VIII. IX. tùm ex factis Leonis Iſaurici, Conſtantini Copronymi, & Orientalium, in ſpecie in causâ *Imaginum*, de quâ diſtinctiùs *Cap.* ſequenti, non conſenſiſſe Orientalem Eccleſiam cum Romanâ & Pontificiâ. Quinimò conſtat reſtitiſſe *Paparum* uſurpatæ poteſtati, factis ſuis & decretis; ſubjectos habuiſſe Pontifices Majeſtati *Imperatorum*, & iſtorum Decreta *Scripturis Sanctis*; *Miſſas privatas*, *Tranſſubſtantiationem*, Cultum *Imaginum* (antè Irenes tempora) *Reliquiarum*, acriter impugnaſſe; *Purgatorium ignem* neſciviſſe, ut de prioribus certum, de poſtremo autem infrà conſtabit: Sic *Monachales* fabulas & ſuperſtitiones non admiſiſſe plurimas, quales Latini hoc Seculo; Conſtantino Auguſto repetita Edicta promulgante contrà inertiam vitamque omnem Monachorum, apud Theophanem, Cedrenum, Zonaram: Hinc *Cœlibatum Clericorum*, etiam *Monachorum*, improbaſſe, conjugio Presbyteris, Diaconis, imò Monachis, imperato, ac ſeparatione à conjugibus interdictâ: Sic & *Jejunium Sabbathi*, contrà *Romanæ Eccleſiæ* uſum, prohibuiſſe, &c. Viſi ſunt ſuprà Canones Synodi *Quini-ſextæ.* De *Joh. Damaſceno*, Orthodoxæ fidei in plurimis tenace, cæterùm magno aſſertore Liberi Arbitrii, & Virium Naturæ ad bonum ſalutare; ac proniore in Cultum Imaginum; deque *Germano* Conſtanti-

Diſſenſus Oriental. ab Occidental.

no-

nopolitano, & de temporibus *Irenes*, dicetur loco ſuo.

Baron. & Allatius notati. Abſurdiſſimè autem Baronius ad A. DCCXII. N. III. & paſſim, ac Leo Allatius de *Perpet. Conſenſ.* L. II. C. I. contendit Græcorum ſeu Orientalium conſenſionem cum & ſub *Romano Pontifice*, ex miſſis ad hunc *Synodicis* literis; aut etiam ex *Sacris* ſeu *Imperialibus*, cum adjunctâ Confeſſione fidei, à recens creatis Patriarchis, vel etiam in aditu Imperii, ut ab Artemio Anaſtaſio, Leone Iſauro, ſic ab Anaſtaſio Conſtantinopolitano factum. Atqui hujuſmodi literas *Synodicas*, *Tractatus*, fidei ſuæ teſtes, ſtatim ab electione in Pontificatum, Patriarchatum, fuiſſe ab antiquo mutuas, non minùs ſcribendas à Rom. Pontifice, ad Imperatores, ad Conſtantinopolitanum, ad Patriarchas, additâ Confeſſione fidei, tyrones norunt. Negabit certè prudens nemo, & hoc ipſo Seculo, mutuas *Johannis* Conſtantinopolit. *&* *Gregorii* II. refert ipſe Anaſtaſius, in Vitâ Gregorii II. *Hujus temporibus Joh. Conſtantinopolitanus Antiſtes Synodicam* Gregorio *miſit*, *atque ad eum* Reſcriptis *idem uſus eſt Pontifex.* Fiebat mutuæ communioni teſtandæ, non in ſubjectionis teſſeram. Quâ de re adi Ferrarium, de *Epiſt. Eccleſiaſt.* ubi de *Synodicis* agit, in *Libro* II. ut alios, ſed & Blondellum, noſtroſque taceam, ac rei exempla ad ſuperiora Sec. dedimus. Et ut *repulſa* literæ Anaſtaſii Conſtantinopolit. à Gregorio, ſic par jus Conſtantinopolitano reſpuendi Synodicam Romani. Undè hoc Ævo aucta diſſenſio, ut in cauſâ *Imaginum*, ſic deinceps in illâ de *Proceſſione Spiritûs S.* deque *Papæ Romani dominatu*, & aliis. Hinc & legatio Imperatoris Conſtantinopolit. ad Pipinum, Anno DCCLXVII. cujus duo erant Capita: Alterum, de repetendis *Italiæ* Provinciis, quas Romanus ex Pipini donatione ſibi vendicabat; Alterum, de additione vocis *Filioque* ad Symbolum, deque introducto *Cultu Imaginum*; quâ occaſione habita fuit in *Gentiliaco* villâ Synodus, in Tomo VI. *Conc. Col.* 1703. Leo Allatius, ad hæc tempora: *Schiſmatici*, id eſt, Græci, *dicunt Latinos ſe ab Orientis Eccleſiæ communione ſubduxiſſe, & variis Hæreſibus addictos, in alios atque alios mores, Patrum traditionibus & Conciliorum Decretis adverſantes, verſos fuiſſe. Seidus ad Iconomachorum tempora refert*, &c. Unde Leonis Opus, ut de ſe ipſummet teſtatur, veriùs eſt, *de Perpetuâ Orientalis Eccleſiæ ab Occidentali Diſſenſione*; cumprimis indè ab uſurpationibus Romani Pontif. & à Controverſiis Iconoclaſticâ, Pneumaticâ, Photianâ, de quibus poſteà.

Synodi in Occidente adverſæ Romanis Tradit. III. In *Occidente*, oppoſuerunt ſe ſeu naſcenti, ſeu creſcenti in dies ſuperſtitioni, & uſurpatæ Pontificum poteſtati, benè multi, ruentique Diſciplinæ ac fœdis Erroribus remedium quæſiverunt, vel optarunt. In his *Synodi*, *Principes*, *Epiſcopi*, Viri *Pii* & *Eruditi*. Exempla de multis pauca. In Synodo *Toletanâ* XVIII. & ultimâ, ineunte Sec. decretum fuiſſe contrà *Romanum Pontif.* & adverſùs *Cœlibatum* Clericorum, jam ſuprà viſum, *Cap.* IV. N. III. invito tamen Baronio.

In Synodo *Cloveshovienſi* in Angliâ, A. DCCXLVII. *Can.* VII. ſeriò cautum, inter emendationes alias quales ferebant tempora, ut antè omnia *Sacrarum Scripturarum lectio*, *ſtudium*, *ſcientia*, *aſſiduitas* reſtitueretur, & excitarentur ad earum dilectionem in *Scholis pueri*, Clerici, Monachi, & Moniales.

In Synodo *Gentiliaci* habitâ, villâ agri *Pariſienſis*, ſub extrema Pipini, A. juxtà Eginhardum DCCLXVII. quid ad querimonias Græcorum definitum fuerit, Acta nulla præcisè docent. Fatetur tamen ipſe Sirmondus, ad Synodum Francofort. in *Admonitione* de Canone II. in eâ Synodo non interceſſiſſe Patres conſtituto de *retinendis Imaginibus*, adverſùs facta multa Iconoclaſtarum; at de *adorandis Imaginibus* alterum, ſatis negat probatum illi Synodo; Imò hujus veſtigiis vult inſtitiſſe Francofordienſes, iſtud *penitùs reſpuentes*, ſcil. *adorationem Imaginum*.

De Synodo *Francofortanâ*, coactâ juſſu Caroli M. A. DCCXCIV. ex omni ferè Europâ, contrà *Iconolatriam*, aliiſque Synodis, ſub eodem Carolo, infrà ubi de *Imaginibus*, deque *Synodis*.

IV. Quàm parùm faverit *Carolus Magnus*, præ reliquis Principibus, ignorantiæ, ſuperſtitioni, erroribus temporum, docent ejus Capitularia, Epiſtolæ, Libri de Imaginibus, Acta Conciliorum, & Vitæ Carolinæ ſcriptores. Antè omnia ſtudium *Sacrarum Scripturarum*, cùm exemplo ſuo, tùm frequentibus Capitulis & Conſtitutionibus excitavit. Solos Libros *Canonicos* fidei normam eſſe cenſuit, non decreta Pontificum, non Synodorum illa, qualia Nicænæ II. non Pſeudepigrapha innumera, non Apocrypha: Et *anathema* cum Paulo dixit, in *Præfat. Librorum* de Imaginibus, *ſi quis evangelizaret præter id quod evangelizatum eſt.* Unde ab Alcuino *Scripturam* univerſam, ſeu vulgatam Bibliorum Verſionem, recognoſci juſſit, & à mendis repurgari, teſte ipſo Alcuino, Præfat. *Commentar. in Joh.* Parte I. Operum, nec diffitetur Baronius, ad Ann. DCCLXXVIII. Quin *Novum Teſt.* in linguam Germanicam tranſtuliſſe fertur ſapientiſſimus Princeps; certè Thegano referente, apud Andream Du-Cheſne, eum *quatuor Evangeliſtas, cum Græcis, & Syris, optimè correxiſſe.* Et quàm præclarè ſenſerit de *ſufficientiâ* Scripturarum, docent quæ prolixè excerpſit *ex Libro* II. de Imagin. Flacius Illyr. in Catal. L. VIII. à *pag.* 642. quæ indè requirantur. Caroli M. Doctrina; de Scripturis S.

Quàm rectè Princeps ille ſenſerit de *Juſtificatione* ex merâ gratiâ, ex Dei miſeratione, per fidem Mediatoris, *non ex operibus Legis quæ nos fecerimus*, Theologi jam ex Carolinis Libris, cumprimis ex *Lib.* I. C. XIV. XV. poſt Magdeburgenſes, & Auctorem Catalogi Teſt. docuerunt. Ex quibus etiam intelligitur *Gratiæ* totum ſalutis opus adſcripſiſſe; non viribus Humani Arbitrii, non diſpoſitionibus, aut meritis, Doctrinæ Auguſtini & Gregorii M. tenaciſſimus. De Juſtificatione.

De *Adoratione* unius *Dei*, procul Imaginum *ſervitute*, *adoratione*, *cultu* religioſo, δουλείᾳ, προσκυνήσει, vel etiam illâ Sanctorum, aut Reliquiarum, quid ſtatuerit Carolus M. docent facta, ſcripta argumenta contrà Synodum Nicænam Iconolatricam, & *Canon* II. Synodi Francofortanæ. Quâ in re adſtipulantes habuit Gallos, Germanos, Italos, quotquot Synodo Francofordienſi ſubſcripſère. Nec diffitentur quibus eſt mica ingenui pudoris. De Baronii & nuperorum effugiis, *Cap.* ſequenti. Ità *in omni linguâ Deum adorandum*, adeoque Sacra illi peragenda eſſe, linguâ cognitâ, vernaculâ, ſtatuit *Canon* LII. ejuſdem Synodi; nullâ diſtinctione inter ſacra *Eccleſiaſtica*, *Liturgica*, & inter *privatam* adorationem, ut diſtinxit nuper quoque Natalis Alex. De cultu religioſo unius Dei.

Nequicquam eludi clariſſima Principis effata, quibus nec *Tranſſubſtantiationem*, nec *Præſentiam corporalem*, credidiſſe in Euchariſtiâ conſtat, adeoque nec Symbola vel Sacramentum *adorandum*, quod eſſet corruptioni multiplici obnoxium, ſatis ſuperque à noſtris demonſtratum. Nec patiuntur ullam exceptionem verba ejus ad Alcuinum, in *Epiſt.* de Rat. Septuageſ. quæ extat in II. Parte Operum Alcuini, Edit. Pariſ. *Dominus cœnando cum Diſcipulis panem fregit*, & *Calicem pariter dedit*, in figuram *Corporis & ſanguinis ſui*, *nobiſque profuturum magnum exhibuit ſacramentum.* Similia multa præcipuè ex Bedâ, & Alcuino, Theologi noſtrates, noviſſimi Albertinus, Dallæus, Laroquanus, Claudius. Nec neceſſe eſt ea nos huc tranſcribere, quibus *panem* & *vinum* dixère *ſacramentum*, *figuram Corporis Chriſti*, Corpus *myſticum*, &c. Sed ſi hodiernos audimus, idem De Euchariſtiâ.

ſunt

Digitized by Google

ſunt *figura*, *imago*, *ſymbolum*, *Sacramentum*, *myſterium*, *memoriale*, &c. *Corporis*, & *Corpus* ipſum ſubſtantialiter præſens; Quâ ratione etiam Sirmondus eluſit dictum Facundi Hermianenſ. ſuprà ad *Sec.* VI. C. X. dictum Origenis Eruditiſſ. Huëtius, ad *Sec.* III. C. III. dictum Tertulliani Prioris, & alii ad *Sec.* II. *col.* 612. 613. ut Arnaldum nuperum taceam, & ὑπερασπιστάς.

De Pſeudo-miraculis, & commentis hujus Ævi.

Quum *Purgatorius* ignis, & huic adſtruendo aniles fabulæ, ſic fabulæ *Reliquiariæ*, *Pſeudo-miracula* Sanctorum, Imaginum, Virginis, commenta ſine fine *Monachorum*, firmanda ex Pſeudepigraphis, Apocryphis, vel narrationibus dubiis, ut factum in Nicænâ Iconolatricâ, & fiebat quotidiè ab emiſſariis Romanæ Curiæ; Quum ea, inquam, Religionem omnem fœdarent, & in ſuperſtitionem atque Idololatriam converterent, nihil prius habuit *Carolus* M. quàm ut his Chriſtianiſmum expurgaret, & ad *Sacrarum Scripturarum documenta*, veteriſque Eccleſiæ *Canones*, & *conſuetudinem*, veramque pietatem revocaret. Vide Conſtitutionem *de Scholis inſtituendis*, quarum præcipuus eſſet finis inſtitutio *in Sacris Paginis*, & *Divinis Scripturis*, Tom. VI. Conc. & T. I. Capitular. *p.* 202. &c. Adde Capit. Aquiſgranenſe LXXVIII. *Pſeudographia*, & *dubiæ narrationes*, *nec credantur*, *nec legantur*, *ſed comburantur*; *Sed ſoli Canonici Libri*, &c. Et Synodi Cabilonenſis II. Anno DCCCXIII. *Canones* I. III. XXXVIII. præcipientes *S. Scripturas quæ Canonicæ appellantur*, *S. Scripturæ documenta*, *ipſa Dei verba*, *aſſiduè legi*, *diſci*, *ſcrutando* intelligi, &c. Cumprimis verò Apocryphas & fabuloſas Iconoclaſtarum in *Synodo Nicænâ* narrationes, exploſit Carolus M. & fusè, in Libris *de Imaginibus* adversùs eam Synodum, de quibus prolixè aliàs. Quibus tamen fabellis ſuperſtructa eſt omnis εἰκονολατρεία, ἁγιολατρεία, λειψανολατρεία, fovendâ in hunc diem hujuſmodi næniis ſuperſtitione. Et quibus argumentis negabant *Imaginibus* adorationem, προσκύνησιν, cultum religioſum, non modò *Leo Iſaurus*, *Conſtantinus*, ejus Filius, ſed & *Carolus M.* ut oſtendimus in noſtrâ Hiſtoriâ Imaginum *Sect.* II. III. IV. VII. iiſdem rationibus negarunt eum cultum, eam προσκύνησιν, vel adorationem, ergà *Virginem*, *Sanctos*, *Angelos*, *Reliquias*, Creaturas quaſcunque.

De Pœnitentiâ.

Pœnitentiales Libellos, ſeu Pœnitentiæ Regulas per Monachos invectas, vel *impoſitas pro peccatis Pœnitentias*, privatas illas, & leviculas plerumque, ſuperſtitioſas, *inuſitatas*, de quibus ſuprà, & ad *Sec.* VII. Cap. III. ſuſtulit exertim Carolus: Revocavit pio conſilio *Pœnitentiam Publicam*, *juxtà antiquam Canonum Conſtitutionem*, qui publicam Exomologeſin, hinc diverſos publicæ Pœnitentiæ gradus, πρόσκλαυσιν, ἀκρόασιν, ὑπόπτωσιν, σύστασιν, pro diverſitate delictorum præſcriberent. Ità paſſim in Capitularibus, & in Synodo Cabilonenſi II. *Canone* XXV. XXXVIII. Rectè poſtremus Canon, Sacerdotes ſuis pœnitentiis *conſuere pulvillos*, & *cervicalia*, *ſub Capite univerſæ ætatis*, *ad capiendas animas*. Sic Canon XXXII. egregiè diſtinguit *Confeſſionem Deo* faciendam, ab illâ quæ fit Hominibus.

De officio Cleri.

Clerum omnem, *Epiſcopos*, *Parochos*, ad officii legem, juxtà Scripturas, & Canones antiquos, frequenter reduxit ſuis Conſtitutionibus, & ad omnem ſeveritatem Diſciplinæ, planè collapſæ. Neque Populis Fabellas, Superſtitiones, Roſaria, Peregrinationes, Vota nuncupanda Sanctis, Imaginibus, privatas Satisfactiones, vel Pœnitentias, commendari voluit, ſed *prædicari rectè & honeſtè*, *ſecundùm Scripturas Sacras*, eliminatis quæ *nova*, quæ *non Canonica*, quæ *ex ſenſu ſuo fingerent*. Ac ne ignorantiam quis obtenderet, Concionum & admonitionum materiam ità præſcribit, *Capitulo Aquiſgran.* LXXX. ſeu ultimo An. DCCLXXXIX. *Primò omnium prædicandum eſt omnibus generaliter ut credant Deum Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum S. unum eſſe Deum omnipotentem*, *æternum*, *inviſibilem*, &c. Mox addit prædicationum argumentum, Doctrinam de Chriſti Incarnatione, Redemptione, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, Judicio, Vitâ & Morte Æternâ, Reſurrectione Mortuorum. Hinc & præcepta *moralia* de cavendis Operibus carnis, de dilectione Dei, & proximi, de fide, ſpe, humilitate, patientiâ, caſtitate, continentiâ, benignitate, eleemoſynis, *confeſſione peccatorum ſuorum*, qualiter in *Oratione Dominicâ*, ut additur exegeticè. Ac tantùm abeſt, Carolum M. traditionum Pontificiarum commendaſſe aliquam, de Cultu Sanctorum, Imaginum, Reliquiarum, Miſſis pro defunctis, Purgatorio, Monachatu, Abſtinentiâ à Carnibus, Conjugio, Auriculari Confeſſione, Sacramento Pœnitentiæ, Satisfactionibus humanis, &c. ut contrà præmuniat adversùs *venturos Pſeudo-doctores*, *de quibus Chriſtus*, Matth. XXIV. & *Paulus Apoſtolus*, I. Tim. III. IV.

Summa ſtudii in Carolo M.

Longum foret ire per ſingula, quibus Carolus M. quantùm ſivêre tempora, in ordinem coëgit Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales; horrendos abuſus ſummovit; avaritiam, libidinem, tyrannidem eorum coërcuit; doctrinam repurgavit; ſuperſtitiones ut potuit ſuſtulit; diſciplinam emendavit; priſtinam Eccleſiæ faciem redditam voluit; cultumque omnem retulit ad veram pietatem in Deum, fidem in Chriſtum, charitatem in proximum, miſericordiam in afflictos, benignitatem in egenos, & non fucatam humilitatem, nec nomine tantùm, ſed re ipsâ, corporis animique continentiam. Hinc in Præf. Capitularis Aquiſgran. Suum eſſe, *errata corrigere*, *ſuperflua abſcindere*, *recta coarctare*, *revocare veri Dei cultum*, S. *Joſiæ exemplo*, &c. Præter Caroli Vitam ab *Eginhardo*, & *Monacho Egoliſmenſi*, conſcriptam, ac fidem *Annalium*, loquuntur Anſegiſi Abbatis ſtudioſè collecta ſub Ludovico Pio *Capitularia*, & poſt Editiones P. Pithœi, Jac. Sirmondi, digeſta nuper cum reliquis in II. *Tomos*, operâ Stephani Baluzii, Viri harum literarum ſtudioſiſſimi, & ad antiquiſſ. *Codices Mss.* exacta, nec parùm à prioribus Editionibus variantia.

Baronius pluribus notat.

Cave credas, Annalium Scriptorem, fuſum in rebus Caroli M. nec auſum ſollicitare vel facta, vel doctrinam tanti Principis, *Sanctorum* etiam ordini adſcribendi, memorare eorum quæ diximus ferè quicquam, aut in primis laudare, ſi mandatum excipias de recognoſcendis *Scripturis* per Alcuinum. Non hæc Principis apud Baronium commendatio eſt. Imò nullum non ſuperſtitionis genus, ipſam adeò venerationem Imaginum, contrà publicam fidem, Carolo attributam vellet. Quod verò Principum maximus *Pipini munificentiam ergà Romam Eccleſiam* tantùm non æmulatus ſit, adjectis ad ejus exaltationem tot Provinciis, Ducatibus, Urbibus ampliſſimis, de quibus tamen nullæ Caroli tabulæ, ad An. DCCLXXIV. Quod Romam delatus, omnes gradus Baſilicæ Petri ſigillatim deoſculatus fuerit, Anno DCCLXXIV. N. III. Quod Apoſtolorum Principis, *cui ferret victoriam acceptam*, Memoriam adierit, *Ibid.* N. IX. Quod debitas gratiarum actiones S. Petro perſolverit, & ad ejus *Confeſſionem*, auro puriſſimo & copioſiſſimo, exornandam adjecerit animum, *Ibid.* Quod ſacrorum Rituum, ac cultûs in Religione externi, ſacrorum Veſtimentorum, Pſallendi ac cantandi diſciplinæ, Antiphonarii, auctioris Martyrologii, &c. curam habuerit, ad A. DCCLXXVIII. & paſſim; Quod Leonem in Petri Vicarium, honorificentiſſimè illi obviando exceperit, A. DCCXCIX. Quod debitam *reverentiam*, *animique ſubmiſſionem* ergà Romanum Pontif. omnibus Chriſtianis Principibus in exemplum, exhibuerit, cui *idcircò dederit Deus ſubjicere ſibi Reges & Populos*, *cum ſe noverit ſubjice-*

Digitized by Google

jicere Piſcatoris ſucceſſori, Ann. DCCCI. N. XI. Quod Corpora Sanctorum, ut S. Salvii, ab Angelo admonitus, diligenter quæri, ac ſepeliri juſſerit, An. DCCCI. N. XXI. Quod tabulas Teſtamenti ad Leonem Pontificem, *confirmandas*, *ac ſubſcriptione muniendas* tranſmiſerit, *cujus diſpoſitione de Imperio decernendum reliquerit*, (ſcilicet!) *ut cui vellet Pontifex daret*, Anno DCCCVI. N. VI. &c. Hæc, inquam, & id genus alia ſunt quæ apud Annalium Scriptorem, de Carolinis in Eccleſiâ geſtis, paginam utramque faciunt. Et qui nihil non comminiſcitur Purpuratus, ut Regna & Imperia *Piſcatoris ſucceſſori* ſubjiciat, auſus fuit eodem in loco ex *Teſtamento* Caroli M. colligere, *non exiſtimaſſe* Imperatorem *Imperium eſſe hereditarium*, ſed *potius Romani Pontificis arbitrio electivum*. Quo quid impudentius, ſed & ineptius, à Viro tanto proficiſci potuerit, arbitrentur Eruditi cumprimis Galli, & Germani, cenſoribus etiam nuper Herm. Conringio, & Joh. Böclero. Alia jam ſunt ſuperiùs caſtigata, ac de Carolinis factis, ſcriptiſque, in controverſiâ de *Imaginibus*, proximo Lemmate, & aliàs nos in Hiſtoriâ Imag. Reſtitutâ.

Baronius Imperium permittit arbitrio Papæ.

V. Nec defuêre reclamantes multis ſuperſtitionibus, ac tyrannidi Romani Pontif. varii quaquaverſùm Epiſcopi, Presbyteri, Viri docti piique, quin & Eccleſiæ quandoque integræ.

Hiſpani qui ſe Pontif. oppoſuêre.

In *Hiſpaniâ* tempore *Witizæ* Regis, oppoſuiſſe ſeſe Regem, & Toletanum Conventum, habitum A. DCCI. Romano Pontifici, ac Legi de Cœlibatu Clericorum, jam ſuprà monitum. Cujus Concilii *Acta* premunt Editores. Sed & Adriani I. tempore *Egilam*, in Hiſpania Epiſcopum, palàm diſſentiſſe à Superſtitionibus & ἐθελοθρησκείᾳ quam imperaret Adrianus, à ſe de variis conſultus per literas; & antè omnia ab ipſo poſtulans, ut ſe Romanæ Sedi, ejuſque diſciplinæ, & imperatis Jejuniis *feria* VI. & VII. hujus Pontif. *Epiſtola* ad Egilam teſtatur.

Britanni.

Britannos veteres, aliàs *Quartadecimanos*, deinceps *Wallos*, *Walen*, id eſt, extraneos, alienos, agentes in Cambriæ ſeu Walliæ montanis, hoc adhuc Seculo, indè ab Auguſtini Monachi temporibus, reſtitiſſe tyrannidi Pontificiæ, Cœlibatui Clericorum, Monachorum inſtitutis, ſuperſtitioſis Feſtis, ritui Paſchali Romano, Cognationi Spirituali, ne ipſe Baronius negat, ex Bedâ, ad An. DCCXXXIV. N. VI. VII. Undè contrà hos ſcripſit *Aldelmus*, *jubente Pontificum & Monachorum Synodo*, ità Balæus; Sed & *Egbertus* Monachus, *Winefridus*, aliique, Româ ſubmiſſi, perducendis iis ad Romani Paſchatis ritum, cæteraſque Romanas inſtitutiones, ſtrenuam operam navarunt.

Anglo-Saxones & Hiberni.

Imò in *Anglo-Saxonibus*, vel etiam *Scotis*, claruêre hoc Ævo: Venerabilis *Beda*, de quo jam ad *Sec.* VII. adhuc infrà; *Johannes Beverlacius*, Eboracenſ. poſteà Præſul, pulſo Wilfrido; *Flaccus Albinus*, qui & Alcuinus, linguâ vernaculâ *Whitus* vel *Whitanus*; *Joh. Mailroſius* Alcuini Collega, in multis improbans traditiones Rom. Eccleſiæ; *Claudius Clemens*, condiſcipulus, Commentator in Scripturas illo tempore inſignis; *Adelbertus* Gallus, de quo infrà; *Samſon* itidem Scotus, cæteris familiaris & ſocius; *Virgilius* quoque Hibernus (de quo jam ſuprà) in Bavaris Epiſcopus, eidem Bonifacio ejuſque ſuperſtitioni & ignorantiæ reſiſtens; Viri alii, pro conditione eorum temporum, & pii & docti, qui certè, (ne de eruditione dicam) in præcipuis fidei Chriſtianæ Capitibus, & in urgendis Scripturis S. atque enucleandis, cum Orthodoxâ omni Eccleſiâ conſenſerunt. Docent eorum ſcripta ac lucubrationes, apud Balæum in *Centuriis*, Centuriâ XIV. *Num.* XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. LXXXII. &c. tùm quæ ad ſingula ferè capita excerpſerunt Magdeburgenſes, *in Cap. de Doctrinâ*, & Catalogus Teſtium Verit. T. I. p. 633. 634. ne alios dicam. Multa in iis & luculenta contrà *Papæ* dominatum, *humanas Traditiones*, *cultum* Religioſum *Imaginum*, *adorationem Creaturarum*, *Tranſſubſtantiationem* Euchariſticam, *Juſtificationem ex operibus*, *meritis*, Vires *Humani arbitrii*, *Confeſſionem auricularem*, infectum *ſuperſtitionibus* Chriſtianiſmum, ac corruptam *Cleri Diſciplinam*, quæ transſcribere hoc in loco nihil neceſſe eſt. Quanquàm non planè expurgavêre fermentum omne Romanarum conſtitutionum, digni Ævo meliore. Ex *Bedâ* cumprimis & *Alcuino*, multa egregia Uſſerius, Chamierus, Forbeſius, Dallæus, & paſſim noſtrates Theologi, in non uno argumento deſcripſerunt; puta de *Prædeſtinatione*, & annexis, de *Juſtificatione*, *de Eccleſiâ*, de *Euchariſtiâ*, de *Imaginibus*, de *Pœnitentiâ*, &c. quos vide.

Nec prætereundus hîc quoque Baronius eſt, ad A. DCCLXXVIII. N. XXIII. Dicit, inter *Scotos*, *Albini tempore*, primùm *diſſeminari cœpta zizania*, *quæ noſtro Seculo Boreales Provincias occuparunt*, id eſt, Proteſtantium Eccleſias. Qualia illa, quæſo? *Infauſtum hactenùs inauditumque oſtentum*, *Confeſſionem peccatorum non eſſe faciendam Sacerdoti*, *ſed Deo tantùm*. Mox, *Albinum ſive Alcuinum hæc zizania præcidiſſe*, *ſcriptâ ad Scotos Epiſtolâ*, quam nuper demùm produxiſſet Henr. Caniſius, & deſcribit totam Annalium Scriptor. Ubi 1. de ſuo fingit Purpuratus, illud de *Confeſſione faciendâ ſoli Deo*, non *Sacerdotibus*, cœpiſſe demùm ſeminari tempore Alcuini. Habet tantùm Epiſtola, *quaſdam conſuetudines veſtris inoleviſſe fertur regionibus*; ergò de conſuetudine non primùm natâ, ſed apud eos *inolitâ*. 2. Gratis illud, fuiſſe *inauditum hactenùs oſtentum*, *Confeſſionem peccatorum faciendam eſſe ſoli Deo*, non Sacerdoti. Quod intellexêre Scoti, de Confeſſione privatâ peccatorum omnium & ſingulorum, eâque ad ſalutem neceſſariâ, quâ *purgentur peccata*, & ſanentur conſcientiæ; non de Confeſſione publicâ, eorum criminum quæ *capitalia* vocabantur, & quibus pœnitentia publica, ſecundùm Canones impoſita fuit. Imò verò Confeſſionem *Innocentianam*, peccatorum omnium etiam occultorum, faciendam à fidelibus ſingulis, de neceſſitate ſalutis, in aurem proprii Sacerdotis, quotannis & ſæpiùs, qui Sacerdos judicialiter abſolvat, impoſitis pœnitentiis privatis, &c. fuiſſe *oſtentum hactenùs inauditum*, cujus primordia poſt *Bedam*, & *Alcuinum*, nec uno ab Innocentianâ diſcrimine, nono demùm Seculo apparuerint, dicant Eraſmus, Rhenanus, Wicelius, Caſſander, Barneſius, Rigaltius, Arnaldus, alii. Videſis Uſſerium noſtrum, Diſputat. adversùs Jeſuitam Irland. p. 101. &c. & Dallæum, de *Confeſſionis Auricularis* origine, ex penetralibus Antiquitatis. Adde revocatam ſuprà à Carolo M. *Pœnitentiam publicam*, interdictis Sacerdotalibus illis privatiſque Pœnitentiis, ex Synodo Cabilonenſi II. An. DCCCXIII. Et Canone XXXII. eadem Synodus, *Confeſſio itaque quæ Deo fit*, *purgat peccata*: *Duntaxat & Deo*, *qui remiſſor eſt peccatorum*, *confiteamur peccata noſtra*, &c. *& confiteamur alterutrum peccata noſtra*. 3. Epiſtolam illam Alcuini qui attentiùs legerit, intelliget, nec de Confeſſione Auriculari agere, ſed oſtenſione gravioris *lepræ*, graviorum *vulnerum*; nec quidem eſſe Alcuini. Cui *Epiſtolæ* variæ, quædam à Dacherio, & Joh. Mabillono, primùm vulgatæ; *Confeſſio Fidei* à Petro Franc. Chifletio primùm ſub *Alcuini* nomine edita A. MDCLVI. à Joh. Dallæo ſuppoſitionis accuſata; Liber de *Divinis Officiis* poſt Annum M. ſcriptus, alia plurima precariò affictâ, Eruditorum ferè ſuffragio, ſed & illo Ph. Labbei, & nuper Alex. Natalis, in *Alcuino*.

Baronius notatus. De Scotis, deque Alcuino falſa.

In *Scotis* ſeu *Hibernis* (eadem enim his adhuc temporibus *Scotia*, *quæ Hibernia*) ille *Clemens* natione Scotus, clarus jam medio Seculo: Hic cum *Adalberto*

Hiſtoria Clementis Scoti.

berto vel *Aldaberto* Gallo, reſtitit præprimis faſtui, tyrannidi, & ſuperſtitioſis inſtitutis Bonifacii Moguntini. Teſtes ſunt non modò *Epiſtolæ* Bonifacii, & Zachariæ *Tomo* VI. Conc. *col.* 1503. in quibus *duo Pſeudo-prophetæ*, & *Pſeudo-Chriſtiani* appellantur, & Synodi variæ, Gallicanæ duæ *Sueßionenſis* A. DCCXLIV. Can. II. ſub Pipino Majore Domûs, & ſuaſu Bonifacii, & *Germanica* III. præſide eodem Bonifacio, & Romana ſub Zachariâ, A. DCCXLV. adverſus *Aldebertum* & *Clementem*; ſed etiam prolixè Aventinus in Annalibus, *Lib.* III. Balæus *Cent.* I. & XIV. ex his alii. Nempè hi in Germaniam delati, Bonifacium palàm traduxerunt, ut *mendaciorum auctorem*, *Cœli atque pacis Chriſtianæ turbatorem*, *corruptoremque*: Damnabant cumprimis jactatam illam *Pontificis Rom.* poteſtatem; *Cœlibatum* Clericis imperatum, & abrogatum *Sacerdotum Conjugium*; *Imaginum*, *Reliquiarum*, *Peregrinationum* commendatas ſuperſtitiones; *Sanctorum* vel *Martyrum* cultum; *Confeßionem Sacerdotalem*; *Purgatorianas* fabellas, hinc *Miſſas* ſeu *Oblationes pro mortuis*; de quibus poſtremis Gregorium conſuluit Bonifacius, eæne admittendæ, ut ex Epiſtolis Gregorianis conſtat. Undè quæ erat Virorum Doctrina, & in Divinis Scripturis exercitatio, *Beda* profectorum ex diſciplinâ, ut dein Alcuinus, & Mailroſius, hinc doctrinæ eorum eximii profectus in Germaniâ, Galliâ, ut ex Synodis liquet; nihil mirum eſt exarſiſſe in eos Bonifacium, ferre contradicentes neſcium, eumque calumniis apud Zachariam, hinc apud Carolomannum, Pipinum, oppreſſiſſe Clementem, & Aldebertum. Teſtis Epiſtola illa Bonifacii ad Zachariam, Anno DCCXLV. quam inter *Hibernicas* edidit Uſſerius in ſuâ Sylloge, *Epiſt.* XV. *Maximus mihi labor fuit contrà duos Hæreticos peßimos*, & *publicos*, & *blaſphemos contrà Deum*, & *contrà Catholicam fidem*, id eſt, Papalem, *Hæreſi* in ſpecie nullâ expreſsâ, vel blaſphemiâ. Hinc petit à Pontifice, ut *mitterentur in carcerem*, & *traderentur Satanæ*, ſi qui *cum eis loquerentur*, *vel communionem haberent*. Dein affingit illis portentoſa quædam, v. gr. quod ſe *Apoſtolis Chriſti æquipararent*, *ſigna* & *prodigia multa facere* ſe jactitarent, *Cruciculas* & *Oratoriola in campis erigerent*, *in proprio honore ſuo Oratoria dedicarent*, *occultorum peccatorum cognitionem* ſibi tribuerent, *Canones Eccleſiarum abnegarent*, *Judaiſmum inducerent* & legem Leviratûs, *adulterium Epiſcopis*, ſuo exemplo, *permitterent*, *horribilia de Prædeſtinatione affirmarent*, dicerentque, *Chriſtum deſcendendo ad Inferos omnes indè liberaſſe credulos* & *incredulos*, &c. Hinc ineptiſſimis aliis fabellis, & affictis eiſdem ſcriptis, traducti, tanquàm *Anti-Chriſtiani*, *Pſeudo-prophetæ*, uti Albigenſes poſteà, & quotquot Romæ inviſi. Eaque nullum alium teſtem habuêre, quàm ipſum *Bonifacium*, actorem & reum; tùm Synodum *Romanam* ſub Zachariâ Pontifice; dehinc hujus Literas ad eundem Bonifacium; tandem Synodos per Bonifacium, ſub Pipino & Carolomanno, Sueſſione & in Moguntiaco habitas, inductu utriuſque Pontificis Romani Germanique, in quibus fuêre iſta accuſationum, hinc damnationis capita, Romæ confirmanda, in *Tomo* VI. Concil. *col.* 1552. & *ſeq.* Hæc ſumma Hiſtoriæ *Aldeberti* & *Clementis*, in quos deinceps Romanenſium furor ſævIit ut Hæreſiarchas.

De Clemente, an præfuerit Scholæ Pariſinæ?

Nihilo minùs hic Clemens gratiam poſtmodùm Caroli Magni expertus fertur; quanquàm fabuloſum ſit, (ut infrà docemus *Cap.* XII.) eundem præfuiſſe Scholæ *Pariſinæ*, cum Alcuino Fundatore, ab Anno Dom. DCCXCI. juxtà Balæum & Britannos Scriptores; imò Epiſcopum *Altißiodorenſem* fuiſſe conſtitutum: Silente prius Alcuino, & Hiſtoricis hujus Ævi, nec omninò conciliandâ temporum ratione, de quo aliàs. Diverſus igitur fuit ab hoc Clemente, adverſario Bonifacii, Pariſinus ille *Clemens* ſub Carolo M. & *Claudius Clemens*, Taurinenſis Epiſcopus ſub Ludovico Pio, idemque Scotus.

Oppoſitiones aliæ inter Bojos, Germanos.

Uti in Galliis, Germaniiſque *Clemens*, & *Aldebertus* ſuperſtitioni reſtitêre, ignorantiæ, & tyrannidi, ſic plures alii. Cumprimis *Gallos* omnes, ſed & *Germanos*, *Italoſque*, plurimos etiam *Britannos* damnaſſe omnem Iconolatriam, & annexas ſuperſtitiones, in confeſſo ſtatim erit. Inter *Bojaros* Bonifacio ſtrenuè quoque obſtiterunt *Samſon* Scotus & Presbyter, *Virgilius* ex eâdem Gente, qui Carinthiæ dictus Apoſtolus, & *Sidonius* quidam itidem Presbyter, Viri doctrinâ, laboribus, ac certaminibus cum Bonifacio inclyti. Præter ea quæ de *Antipodum* controverſia ſuprà ex Aventino dicebamus: Vide de his plura apud Uſſerium in *Epiſt. Hibernicis*, p. 34. 35. apud M. Velſerum, Rerum Boicar. *Lib.* V. ferè ſub initium, *pag.* 147. Incipit ità Velſerus, ex Editione nuperâ celeberrimi Arnoldi, Viri honoris causâ nominandi: *In Boicâ tunc Virgilius* & *Sidonius pietatis docendæ causâ verſabantur; quorum ſequentibus temporibus virtus* & *dignitas magnoperè inclaruit. Virgilio Hibernia patria, quæ Sidonio fuerit non eſt proditum.* Iis *gravis cum Bonifacio diſceptatio inciderat*, &c. Et ibi rectiſſimè Velſerus, ut contrà Baronium & recentiores antè obſervatum, *Cap.* II. non alium fuiſſe errorem Virgilii, quàm quod *terram globoſam eſſe*, & *vivere è contrariâ parte Antipodas*, & *perindè ac nos Sole* & *Lunâ luſtrari*, contrà imperitiam vulgi, tradidiſſet. Par accuſatio *Samſonis* fuit, quaſi negaſſet ſimpliciter *S. Baptiſma eſſe neceſſarium ad ſalutem*, undè Zacharias inauditum, æquè ac reliquos, Sacerdotio movendum ſcripſit. Samſon autem ſocius Clementis, Virgilii, Sidonii fuit, quos poſtremos Baronius vocat alicubi *Apoſtolicos viros*, *quorum accuſationes vanæ cognitæ penitùs evanuerint*, ad A. DCCXLIII. N. II. Bonifacii ità & Zachariæ Pontificis *levitate*, quorum ille accuſator, hic judex fuerat, tacitè notatâ.

De Virgilio, & Sidonio.

Quin etiam in ipſâ Italiâ.

In Italiâ etiam non defuerunt, qui procul eſſent ab hodiernâ Italorum Præſulum ſervitute. De *Felice* Ravennatenſi, viſum ſuprà, deque Conſtantini Papæ furoribus in ſanctiſſimum Virum. Quotquot certè ex *Italico* Regno Epiſcopi Synodo Francofortanæ interfuerunt, conſpirarunt cum Gallis, & Germanis, ipſoque adeò Carolo M. adverſùs omnem Iconolatriam. *Paulinum* etiam *Aquilejenſem*, vel à Sede quæ in Aquilejæ locum ſucceſſerat *Forojulienſem* Patriarcham, in *Regulâ Fidei*, & Libello *de Sanctiſſ. Trinitate*, in plurimis à Româ Pontificiâ diſcedere, jam eſt à Flacio Illyr. & Magdeburgenſibus obſervatum. Ità in Synodo *Altinenſi*, (*Altinum* Provinciæ Aquilejenſis oppidum fuit) Conc. T. VII. *col.* 1187. poſt occiſum à Duce Venetorum *Johannem* Patriarcham, cum aliis Sacerdotibus, & Synodum habuit *Paulinus*, & Literas dedit ad Carolum M. quibus adverſùs Ducem accenderet, conqueſtus coràm ſummo in terris Judice, de injuriâ *Eccleſiæ* & *Sacerdotibus* illatâ. Nullis hîc partibus Romani Pontificis, aut Nuncii Papalis, nec datis quidem ad Leonem III. literis, ut ſanè deinceps obtinuit; *Aquilejenſi* iſto retinente priſtinam *αὐτοκεφαλίας* imaginem, de quâ ad *Sec.* VII. monitum fuit. Ità *Mediolanenſem* Antiſtitem, hoc Seculo, contendiſſe *αὐτοκεφαλίας* antiqua jura, adverſùs *Papienſem*, ſed & *Romanum*; deinceps etiam ultrà CC. annos ſe ſubtraxiſſe à Romani Pontif. obſequio, auctor eſt Sigonius, diligentiſſimus rerum Italicarum Scriptor, L. V. de Regno Italiæ ad Annum 845. Et de his quidem dicta ſufficiant.

Digitized by Google

VII. *Origo Controverſiæ de Imaginum cultu religioſo. Certaminum Seculo* VIII. *ſumma, occaſione Imaginum, tàm in Oriente quàm in Occidente.*

Hiſtoria Imagin. Auctoris.

I. Quandoquidem hoc argumentum pleniùs exequitur ſingularis noſtra *Hiſtoria Imaginum*, *præcipue ad Sec.* VIII. in quâ vocantur ad partes cumprimis Petavius, Maimburgius, Natalis Alexander, recentiores in Adverſariis, hic modò ſummam exhibemus eorum quæ ad Hiſtoriæ hujus ſeriem deſiderantur.

Imaginum Seculis prioribus ratio.

II. *Tribus* Seculis prioribus nullas obtinuiſſe in Templis *Imagines*, faſſi in recentioribus Pontificiis Baluzius ad Lactantium, de Mortibus Perſecutorum, T. II. *Miſcellaneor.* & è Portu-Regio Cenſores Maimburgianarum Hiſtoriarum, in *Dialogo* Gallico; *inter Eudoxum & Eucharistum*, à pag. 138. ut mittam alios, nec difficili in hoc Maimburgio. *Quarto* Seculo, & *quinto*, ſaltem nec in *Hiſpaniâ*, ubi Eliberitani in Synodum coacti fuêre, nec in *Cypro*, ubi Epiſcopus Epiphanius, nec in *Africâ*, ubi Optatus Milevit. & Auguſtinus Hipponenſis, receptum fuiſſe vel ipſum *uſum* Imaginum in *Eccleſiis*, iidem profitentur, & vindicata ſunt à nobis nuperrimè ex Teſtibus illis & Antiſtitibus loca, contrà exceptiones nuperas, quantum ſatis fuit. *Sexto*, *ſeptimoque* Seculo, ad quæ præprimis provocant Nicæni Iconolatræ, ex Hiſtoriâ Actorum ejus Conciliabuli, *Uſum* jam paſſim invaluiſſe Imaginum in Templis, recordationis, imitationis, & ornatûs causâ, id verò ἐξαγώνιον, conſuetudine potiùs quàm lege introducendum, poſt remotas Paganorum Imagines, & externis illis paſtas captaſque plebes. Sed verò hæc duo prolixiùs aliàs notavimus.

Obſervatio neceſſaria duplex.

1. *Cultûs* religioſi, ſeu *adorationis* exhibitæ Imaginibus, proſtrationis, genuflexionis, oblati incenſi, accenſorum luminarium, fuſarum ad illas precum, expetiti auxilii, nullum ſaltem eſſe teſtem eorum temporum inter probatos Eccleſiæ Scriptores, qui approbando meminerit, ſi narratiunculas Pſeudo-Nicænorum excipias. De facto Sereni Maſſilienſis, deque Epiſtolis Gregorii I. ſed & de citationibus Nicænorum, prolixe nos in præfatâ Imaginum Hiſtoriâ, *Sect.* I. VI. VII. Multo minùs extant ulli hac de re *Canones* Synodorum, ſeu in Oriente, ſeu in Occidente; ac de Canone Trullano LXXXII. quem objiciunt, exeunte Seculo VII. quo Patres jubent Chriſtum non in *Agni figurâ*, ſed κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα *humanâ formâ* repræſentari, aut *titulari*, in memoriam *humiliationis* ejuſdem, *Carnis in quâ paſſus eſt*, videſis quæ diximus ejuſdem Opuſculi *Sect.* VI. à p. 428. 429.

2. Alterum dignum obſervatione eſt, non modò picturas hiſtoricas *Sanctorum*, *Martyrum*, fuiſſe in Templis vel Oratoriis vel Porticibus Sacris collocatas, ut illarum intuitu, ac memoriâ virtutum, pietatis, conſtantiæ, ad imitationem fideles excitarentur; verùm etiam illatas fuiſſe in eadem loca Imagines *Imperatorum*, lauratas vel laureatas dixêre, *Epiſcoporum* effigies, geſtorum *Synodalium* hiſtorias, ac figuras *Patrum* qui in Conciliis Generalibus Hæreſes profligaſſent, *pancareas* vel *votareas* appellarunt. Quod ex Actis Conciliorum, ex Vitis Pontificum, ex Agobardo, ex Baronio ipſo, alibi obſervatum. Verùm ut rectè Agobardus, de Imaginibus *Cap.* XXXII. *Nullus antiquorum Catholicorum unquam eas colendas vel adorandas fore exiſtimavit.*

Occaſio Iconomachiæ.

III. Et hinc *occaſio* primùm nata eſt bello Iconomachico, Seculo hocce *octavo* excitando. Nempè ex facto Philippici Imperat. & Johannis Patr. Conſtantinopolitani, circà A. Chriſti DCCXII. vel DCCXIII. ut variè putatur, dein ex oppoſito Conſtantini Papæ, habitâ mox Romæ Synodo. Illi quidem faventes Monothelitis, reprobato Concilio VI. Oecumenico, reprobarunt & *Imagines* Patrum qui illi Synodo & prioribus Oecumenicis interfuerant, eaſdemque è Porticu Sacrâ Templi S. Sophiæ, ubi a Juſtiniano & prioribus Imperatoribus collocatæ fuerant, ſuſtulerunt, miſsâ ad Papam Conſtantinum Sacrâ. Hic verò Romæ, 1. Eaſdem Imagines Patrum in *Porticu* Petrinâ reſtituere. 2. Philippicum Imperat. *Hæreticum* ſcilicet, anathemate obſtringere, ejuſque ipſius Imaginem in Templum inferri prohibere, ac ne in Nummis quidem expreſſam Romanis permittere. 3. Edictum promulgare, ità Sigonius de Regno *Ital.* L. III. ſub initium, quo decerneret *Sanctis Imaginibus venerationem conſtitutam ab Eccleſiâ*, *damnatis* qui *negarent* illam ipſam. Et hinc prima in Oriente & Occidente Controverſiæ Imaginoſæ ſemina; mox Britannis An. DCCXIV. *cultum Sacrarum Imaginum* decreturis, habitâ *Londini* Synodo anno eodem, ſub Brithwaldo Archiepiſcopo, ut quidem Magdeburgenſes, & Balæus referunt. Quam tamen Synodum dubiam habet Spelmannus, qui Eccleſiam Anglicanam non admiſiſſe cultum antè Concilium Nicænum II. contendit, de *Conc. Britann.* p. 217. 218.

Origo prima, Seculo VIII.

Progreſſus ſub Leone Iſauro.

IV. *Progreſſus* verò fuit ſub Leone III. Iſaurico, poſtquàm *decennium* imperaſſet, ab An. DCCXVI. ad DCCXXVI. dicendo hinc *Iconomacho*, ex Theophane, Nicephori Breviario, Paulo Diacono, Anaſtaſio, Cedreno, Zonarâ, cæteris. Ac miſſis *fabellis* Byzantinorum, (ut de prædicto huic Leoni Imperio, quum adhuc puer eſſet, & abjectiſſimæ ſortis, à Judæis impoſtoribus, ea lege ut factus Imperator præſtaret fidem, & quod tùm ſtipularentur iſti Vates, adimpleret, qui *everſionem Imaginum* unicè animo agitabant) veræ cauſæ primæ Iconomachiæ hæ fuerunt:

Veræ cauſæ Iconomachiæ Leonis.

1. Invaleſcens *Imaginum* veneratio, cultus, ad *Idololatriam* uſque, ſimul cum cultu *Reliquiarum*, *Virginis*, *Sanctorum*, indignato Leone apud Theophanem, an. XI. Leonis, hinc Paulum Diaconum, &c. 2. Offenſio hinc *Saracenorum*, & perſecutiones in Chriſtianos hoc nomine excitandæ, faſſis Byzantinis. 3. *Prodigia* quædam terrifica, & iræ divinæ ſigna, quæ adſcripſit Leo Imperator *Imaginum* in Templis *collocationi & adorationi*, ut diſertè Nicephorus Patriarcha in Ἱστορίᾳ συντόμῳ; ad An. Leonis DCCXXVI. 4. Factum Gregorii II. Romani tùm Epiſcopi, An. DCCXXVI. exeunte, poſtquàm Edictum Leonis de *ſublimandis* extrà periculum adorationis, vel certè *tollendis* Imaginibus ab Eccleſiis, in Italiam delatum fuiſſet. Non contentus Gregorius, habitâ Romæ Synodo, *cultum Imaginum* imperare, *Chriſti* & *Apoſtolorum* praxi ridiculè primùm obtentâ, adjecit in Leonem contumelias, convitia, *atrociſſimas injurias*, ità Mezeræus *Hiſt. Lib.* VIII. p. 326. Docent vel Epiſtolæ Gregorii II. Græcis *Dialogi* appellati, & Cedreno ad annum X. Leonis; in quibus arrogantia Pontificis patet, & contumelioſum ſcribendi genus ad Orbis Dominum, ſed & invidiæ ac falſitatum plenum, in *Tomo* VII. Concil. *col.* 7. & 23. Tandem & *anathematis pœnam*, ità quoque Baronius, eoque prætextu, interdictum quo *Tributa Italica ſiſteret*, & *obedientiam omnem*, *tam Civilem quàm Eccleſiaſticam*, *toto Occidente*, deinceps exhiberi Græco Imperatori prohiberet.

Baronius notat.

Viſum ſuprà in factis Gregorii, nec opus alio teſte quàm eſt ipſe Baronius, qui tamen perperàm conjicit in Annum DCCXXX. *Num.* V. quod accidit Ann. DCCXXVI. vel certè DCCXXVII. inchoato, ut oſtenſum aliàs, ex Hiſtoriâ factorum Italicorum, & belli in Italiâ excitati adversùs Leonem. Atque in-

indè πόρισμα Baronianum : *Sic dignum poſteris idem Gregorius reliquit exemplum, ne in Eccleſiâ Chriſti regnare ſinerentur Hæretici* Principes, &c. Si non dignum, imò execrandum, primum tamen illud exemplum fuit.

Incrementum belli Iconomachici.

V. Sed incrementum belli Iconomachici ſub Leone apparuit Ann. DCCXXX. Leonis an. XIV. vel ex Theophane, & ex ipſo Baronio, irritato Imperatore tot ſeditionibus in eum excitatis, per facta Gregoriana. Undè habitâ Conſtantinopoli Synodo, nec enim *Oecumenicam* à Gregorio impetrare potuerat, proſcribuntur Imagines, è Locis Sacris deturbantur, Germanus Conſtantinopolit. Patriarcha deponitur, Anaſtaſius Syncellus illi proximus ſurrogatur, ſeditioſi paſſim rebellanteſque plectuntur, cumprimis Monachi, & ab eo tempore *Iconoclaſtarum* inviſum nomen. Inter Imaginum defenſores, in Oriente quidem, anteſignani fuerunt *Germanus* Conſtantinopolit. *Georgius* Cyprius, & *Johannes* Damaſcenus, anathemate obſtringendi in Synodo VII. ſub Conſtantino Leonis Iſauri filio, de quâ Synodo inferiùs. In Occidente verò inſtitit veſtigiis Gregorii II. Sanctorum ordini adſcribendi, Gregorius III. Succeſſor, vibraturus eadem in Leonem fulmina & anathemata, ac rebellionem Italorum foturus, omnium Hiſtoricorum conſenſione, ad An. uſque DCCXLI. Quo Anno tùm ipſe, tùm Leo Iſaurus è vivis exceſſerunt, & in Galliis Carolus Martellus, quâ de re, & iniquiſſimo Baronii judicio, initium *Sectionis* noſtræ III. Hiſtoriæ Imaginum Reſtitutæ.

Commenta de Leone.

Undè nec putidiſſima *commenta* Byzantinorum, de atrociſſimis quibuſdam factis Leonis Iſauri, exaggerandis majorem in modum Baronio, & recentioribus, hoc in loco reponimus, prolixe utpotè exploſa, dictæ Hiſtoriæ *Sect.* II. *à pag.* 95. ad Sectionis ejus finem. *Pergula pictorum, veri nihil.* Legiſſe tamen operæ pretium eſt, ut ingenium Iconolatrarum ac Græculorum intelligas, fidemque nuperorum in Galliâ Scriptorum.

Ἀκμὴ Iconomachiæ ſub Conſtantino.

VI. Ἀκμὴ tandem excepit, in Oriente quidem, abolitionis Imaginum, ſub *Conſtantino* Leonis Iſauri filio, longè poſteà, ſub Iconolatrarum dominatu, appellando per contumeliam *Copronymo* & *Caballino*, cujus de cognomenti vel cavilli improbâ Origine, nos fuse alibi. Neque tamen hic Conſtantinus, perpetuis bellis diſtractus, antè & poſt oppreſſum Artabaſdum, Edicta ulla promulgavit in *Imagines*, niſi poſt habitam Conſtantinopoli Synodum, eamque Oecumenicam, ex toto quod pareret Græcis Imperio, in quâ omnis hæc cauſa ex Scripturâ S. & Patribus, ſeriò expenderetur, præparatis ad hoc Epiſcopis jam anno priore, per Sacras Conſtantini. Et hæc fuit verè *Univerſalis ſeptima* Græcorum, habita An. DCCLIV. Imperii Conſtantiniani currente XIV. damnatis in eâ, unanimi omnium Patrum conſenſione, ξυλολάτρεις, & εἰκονολάτρας, horumque fautoribus Germano Conſtantinop. Georgio Cyprio, Joh. Manzure, qui & Damaſcenus, & Chryſorrhoas.

Atque hinc illæ lachrymæ, ille Monachorum toto Oriente præ cæteris furor, hinc & proſcribendus poſteà *Monachiſmus*, Edictis Conſtantini, ſumendaque in Urbe Regiâ, & paſſim de rebellionum Auctoribus ſupplicia, qui in totidem *Martyres* abiverunt. Hinc etiam horrendæ in Conſtantinum contumeliæ, quæ cœperunt temporibus Irenes, poſt deletam familiam Leonis Iſauri, augendæ per poſteriores Iconolatras, & Scriptores Monachos, natoſque ad maledicentiam & mendacia Græculos : Undè cavilla & commenta de Conſtantino *Copronymo*, *Caballino*, *Mago*, *Dæmonum invocatore*, *Antichriſto*, *Blaſphemo*, *Hæreſium* omnium patrono, *Atheo*, *Monſtro*, *Nerone*, &c. Cumprimis vulgata iſta fuêre poſt reſtitutas toto Oriente Imagines, diu etiam à morte Theophili mariti Theodoræ, ultimi in Oriente Iconomachi, quæ incidit in Annum DCCXLII. Sed de his, aliiſque geſtis in causâ Imaginum, nos ex profeſſo aliàs, omni hac Hiſtoriâ diligentiùs, quàm factum fortaſſis fuerat, expensâ, quia indè ſeu Iconomachiæ, ſeu Iconolatriæ Origines.

Iconolatria ſub Irene primùm ſancita.

VII. Conſtantinum Patrem imitatus eſt *Leo* IV. Filius, & Succeſſor, ab Ann. DCCLXXV. cui uxor perfida *Irene.* Et hæc ſimulatura ſe Iconomacham, donec *Marito* veneno ſublato, & poſteà *Taraſio* Laico, qui ſibi familiaris eſſet, totuſque ad Irenes nutum & artes compoſitus, ad Patriarchatum evecto, ſub finem A. DCCLXXXIV. *Imperii* iſta adminiſtrationem fortiùs ſibi aſſereret, favore Iconolatrarum, hinc reſtituendis per eam Imaginibus. *Media* ab Irene hunc in finem adhibita, fuêre potiſſimùm:

Media adhibita in hunc finem.

1. *Pauli* Patriarchæ Conſtantinopolit. Iconomachi, & quo Præſule, (fatente Baronio ad Ann. DCCXXXIV. N. II.) *minimè diſputare palàm licebat adversùs Iconoclaſtas*, inductio per Irenem, perque nova quæ Paulus obſervaret molimina, ut ſe Patriarchatu abdicaret. Pœnitentia Pauli, & παλινῳδία in favorem Imaginum, ſunt ex eorum numero, quæ finxêre mendaciſſimi Græculi, mox ab ejus exceſſu.

2. *Taraſii* ſubſtitutio in locum Pauli, Viri nempè Conſularis, Aulici, à ſecretis Conſtantino & Irenæ, hujus arcanorum conſcii, & cum quo Imperatrici convenerat, de *Imaginibus* in Eccleſias revocandis, ſanciendoque earum cultu, in Synodo quæ *Oecumenica* nomen ac ſpeciem mentiretur. Fuiſſeque Taraſium eum hominem, qui *tranſegiſſet omnem vitam in negotiis mundi, in tumultu Belli, in rebus Aulæ adminiſtrandis*, fatetur Maimburgius, *Lib.* III. Hiſt. Iconoclaſticæ; ejuſque promotione ex Laicatu ad Sacerdotium, *vulnus inflictum fuiſſe Sacris Canonibus*, indignante Hadriano I. Romano, largitur Baronius, ad An. DCCLXXXIV. N. XI. Luculenta hujus Taraſii deſcriptio eſt apud Carolum M. probantibus Francofortanis, *Libro* I. C. XX. Capitularis : *Non eſt inconſequens ut Taraſius, qui (ut fertur) à Populari converſatione ad Sacerdotale culmen, à Militari habitu ad Religioſum, à Circo ad Altarium, à Forenſi tumultu ad Prædicationem, ab Armorum ſtrepitu ad Sancta Myſteria peragenda extraordinariò provectus eſt, ſubditarum ſibi plebum mentes denuò redire compellat, ab Spiritualibus ad Carnalia, ab Inviſibilibus ad Viſibilia, à Veritate ad Imaginem, à Corpore ad Umbram*, &c. Sed & *Libro* III. *Cap.* II. idem Carolus M. invehitur in Ordinationem Taraſii, ut *neophyti*, ut promoti ad Pontificatum *contrà Eccleſiaſticæ inſtitutionis normam, Diaboli judicio*, quia doceret *Imagines adorare, doctrinam periculoſiſſimam, inutilem*, &c.

3. Conſpiratio cum *Hadriano* Romano, mox ab electione Taraſii, ſcriptis ad eum literis, blanditiarum plenis, tùm ab Auguſtis, tum à Taraſio ipſo, ſub initium An. DCCLXXXV. Quibus nempè diſſimularent injurias à Romanis Epiſcopis acceptas, invaſoribus jurium Imperialium, & Exarchatûs Ravennat. cum Pentapoli; ſimulque Hadrianum invitarent ad Concilium, & ad bellum *Iconoclaſtis* inferendum. Literas habes in Conciliorum Tomo noviſſimo VII. & apud Baronium, ad An. DCCLXXXV. N. II. & ſequent.

4. *Pſeudo-Miracula*, *Viſiones*, *Inſcriptiones* confictæ, ſpargendæ in vulgus, etiam antè Nicænam Synodum; Qualis Inſcriptio illa relata Theophani Chronographo ad I. Irenes, Baronio ad A. DCCLXXX. N. VIII. reperta in loculo quodam ad Longos Thraciæ Muros tùm effoſſo; *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & Credo in eum. Sub* CONSTANTINO & IRENE

Imperatoribus, *ô Sol*, *iterum me videbis*. Quâ de Inſcriptione nos fuſiſſimè, *Hiſt. Imag.* à p. 343.

5. Indictio *Synodi* in ſpeciem *Oecumenicæ*, Conſtantinopoli primùm cogendæ, Ann. DCCLXXXVI. Sed turbandæ mox per Cives & Cohortes Prætorianas, undè transferenda *Nicæam* Bithyniæ, Anno ſequente DCCLXXXVII. poſt res omnes ad nutum Irenes, & ad oppreſſionem Iconomachorum, diſpoſitas. Et in hac jam Synodo, paucis Seſſionibus, intrà ſeptimanam unam & alteram, cauſa Iconolatrica triumphavit, ſolis Iconolatris ſententiam ibi ferentibus, ac decernentibus *venerationem*, *ſalutationem*, *oſculum*, *oblationem incenſi*, *cereorum*, &c. Imaginibus deferri. Quâ de re adhuc infrà, ubi de Synodis hac Ætate celebratis. Neque tamen, aut *ſculptæ* Imagines probatæ, aut Imagines *S. Trinitatis*, aut cultus ille *latriæ*, ἀληθινῆς λατρείας, qualem poſteà Schola Pontificia detulit Imaginibus Crucifixi, aut Ligno Crucis.

6. *Conſtantini* Imperat. filii Irenes, poſtquàm à Matre fuiſſet alienatus, à quâ ſe opprimi cerneret, metuſque ſubeſſet ne per eum Leonis Patris, Avi, Proavique, memoria vindicaretur, inhumana per Irenem *excæcatio*, & *mors* nefario horrendoque parricidio ſtatim inſecuta, An. DCCXCVII. Idque poſt natum Conſtantino filium An. DCCXCVI. quo factum ut filii impuberis nomine Imperium rursùs ad ſe pertraheret infeliciſſima ac ſceleratiſſima Matrum. Et parricidium hoc, quale Cœlum ipſum & Natura omnis cohorruit, apud Theophanem & Byzantinos, laudat Baronius, horrendum dictu! ad Ann. DCCXCVI. N. VIII.

Oppoſitiones in Oriente & Occidente.

VIII. Sed verò *oppoſitiones*, in Orbe utroque, poſt ſancitam à Pſeudo - Nicænâ Synodo Iconoduliam, mox acerrimæ apparuerunt. Et in *Oriente* quidem, oppoſiturus ſe fuerat Conſtantinus, niſi factione Irenes, & Iconolatrarum, fuiſſet è medio ſublatus. Sed reſpirarunt poſteà Iconomachi ſub initia Seculi *noni*, poſt amotam Irenem, Anno DCCCII. & recluſam eam in Lesbo Inſulâ, Nicephoro Succeſſore, anteà Patricio & Logothetâ Generali.

In *Occidente* verò indignatus in nefariam Synodum, & Iconolatrica decreta, præ cæteris eſt Carolus M. ſcriptis ſtatim *Libris* IV. ſub nomine *Capitularis*, adversùs eandem Synodum, miſſiſque ad Hadrianum Pontificem, An. DCCXCIV. poſtquàm à Synodo Francofordienſi fuiſſent approbati.

In his Carolus *omnimodam*, & *omnibus modis*, Imaginum *adorationem*, *ſervitutem*, *venerationem*, *obſervationem*, *cultum*, *inflexionem colli*, *capitis*, magis *genuum*, *oblationes thuris*, *luminarium*, &c. acerbiſſimis vocibus damnavit, rei indignitate accenſus, & *Scripturis S.* ubique in præſidium aſſumptis, ſed & puriori certiorique *Antiquitate*. Ac verè *Carolo* M. hos Libros vindicari, ut *Auctori*, fatentur omninò recentiores; contrà effugia Surii, Baronii, Bellarmini, Binii, ſimilium; ac prolixè Carolo Auctori eoſdem cum Gallis ſuis attribuit ex teſtibus illius Ævi, Hadriano I. Synodo Pariſ. ſub Ludovico Pio, Hincmaro Rhemenſi, Alexander Natalis, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. VIII. Diſſert. VI. Art. VI.

Acceſſit conſenſio *Francofortanæ* Synodi, à Carolo M. indictæ, An. DCCXCIV. ex omnibus ditionibus Carolinis, nec modò præſentibus in eâ *Germanis*, *Gallis*, *Italis*, ſed & *Hiſpanis*, *Britannis*, ut docent Acta, & Imaginum aſſertores nuperi largiuntur. Sed de Synodo hacce verbum infrà. Et huc ſpectat Hiſtoriæ noſtræ Iconomachicæ *Sectio* VII. tota.

Ut etiam pleriſque per *Occidentem* Eccleſiis diſplicuerit Græcorum Pſeudo-Synodus, fusè *Sectione* IX. dictæ Hiſtoriæ. Sed plurima horum ad ſequentem Ætatem referenda.

VIII. *Hæreſes*, *& Errores hoc Seculo propugnati*, *aut primùm traditi*.

Hæreſis Jacobit.

I. Primò quidem obſervantur Hæreſes Ævi prioris, quæ hoc quoque Seculo magis ac magis diſſeminatæ ſunt. Hujuſmodi eſt illa *Jacobitarum*, de quâ ad *Sec.* VI. hoc Ævo in Ægypto graſſata, cujus ſectatores dicti in hunc diem *Copti*, *Coptitæ*, & à Muhammedis ſectatoribus *Cophtæ*, *Cophtitæ*, ſeu *Ægyptii* apud Damaſcenum, antiquâ ſcilicet Ægyptiorum appellatione, à *Copto* urbe, ad Orientalem Nili ripam, Arabicarum, Indicarumque mercium nobiliſſimo quondam emporio, ex Strabone, Plinio, aliis. Nuſquàm autem altiores actura radices fuit Eutychiana Hæreſis, quàm in Ægypto, à temporibus Dioſcori Alexandrini hinc & ſuos habitura *Patriarchas*, à Melchitarum illis diſtinctos. Adi *Annales* Eutychii Batricidis, *Tomo* II. ad hoc Sec. teſtati, ſub Chalifatu Heshami, *Jacobitas omnes tùm Eccleſias occupaſſe*, *tam Ægypti quàm Alexandriæ*, imperante Leone Iſauro. Et ab Ægyptiis ad *Æthiopas* ſeſe diffudit Secta Jacobitarum.

Monothelitar.

Affinis altera fuit *Monothelitarum*, de cujus origine fuſiùs ad *Sec.* VII. Fautores nempè hoc Ævo feruntur apud Theophanem, Anaſtaſium, Paulum Diaconum, reliquos, *Philippicus* Imperator, & ab hoc ſuffectus in locum Cyri *Johannes* Conſtantinopolit. Patriarcha. Hinc reprobatâ ab his Synodo Oecumenicâ VI. *Imagines* Patrum ejus Synodi è Porticu abraſas ſuſtuliſſe iiſdem memorantur. Quo factum ut, Monothelicâ hæreſi Romæ neglectâ, de Imaginibus omnis deinceps controverſia à Latinis moveretur. Vide ad Lemma præcedens *Num.* IV. In Monothelitas verò calamum in Oriente ſtrinxit Joh. Damaſcenus, Libro *de Duabus* in Chriſto *Voluntatibus*, confirmaturis & Synodum VI. Conſtantinopolitanis Ann. DCCLIV. ſub Conſtantino Imp.

Mittimus *Ariana*, *Manichaica*, *Pelagiana*, *Neſtoriana* hæreſeôs paſſim traduces, ſeu in Oriente ſeu in Occidente, quarum meminerunt hoc Seculo in ſuis paſſim ſcriptis, ac in ſpecie quoque contrà Manichæos, Joh. Damaſcenus, & in *Epiſtolis* Gregorius II. Adrianus I. &c. Vide plura, ſi viſum eſt, apud Centuriatores, *Cent.* VIII. ad Caput de *Hæreſ.*

Iconodulorum, &c.

II. Memorant inter Hæreſes hujus Ætatis Latini omnes illam *Iconoclaſtarum*, ſeu *Iconomachorum*, quos damnarint Synodi Romanæ, dein & Pſeudo-Nicæna, ſed & Carolus M. ac Francofortani, uſu Imaginum in Eccleſiis probato. Hinc Natalis Alex. in Catalogo Hæreſium, *Iconoclaſtarum* illam primo loco recenſet, *Cap.* II. *Art.* I. Maimburgius etiam Hiſtoriam *Iconoclaſtarum*, ut infandæ Hereſeôs, perindè ac *Arianæ*, contexuit.

Veriùs autem Hæreſibus infeliciſſimè natis accenſenda illa *Iconolatrarum*, & *Xylolatrarum*, quæ ex Occidente in Orientem propagata eſt, & à Romanis Pontificibus, cumprimis Conſtantino, Gregoriis, Hadriano, firmata, tandem in Nicænâ Synodo ſancita fuit, ex præcedente Hiſtoriâ, & illâ *Cap. ſeq.* de Conciliis VIII. Sec. Cultui verò cuicunque Imaginum, ut graviſſimæ *Hæreſi Idololatriam* revocanti, atque adeò cultui religioſo Reliquiarum, non reſtitiſſe modò Iconoclaſtas Græcos, ſed & Gallos, Germanos, Britannos, Italos etiam Pontifici haud obnoxios, ſuperiora noſtra docuerunt.

Hæreſes fictæ.

Adde inter Imaginarias, & falsò dictas Hæreſes, præter illam quæ ſe cultui Imaginum oppoſuit, Hæreſes adſcriptas *Aldeberto* Gallo, & *Clementi* Scoto,

Digitized by Google

to, in quos ut *Hæreſiarchas* vehementer declamat *Baronius*, & prolixè, ad An. DCCXLII. & DCCXLV. Hinc quoque *Binius*, in Notis ad Synodos, *Serarius* in ſuis, *Mezeraus* de Eccleſiæ rebus VIII. Seculi, &c. ac nuper Natalis Alexander in Hiſt. Octavi Seculi, *Cap.* II. *Art.* II. *de Aldeberto & Clemente Hæreticis.* Sed benè habet, eoſdem ſimul utrumque illum Virum habuiſſe accuſatores, & teſtes, & judices, & reos, Bonifacium ſcilicet Moguntinum, & Zachariam Romanum Pontificem, ac Synodos ab his ipſis indictas. Accuſationum in eoſdem capita, ut *blaſphemos in Deum*, & in *Catholicam fidem*, & ut *Judaiſmi* reductores, ac *Concubinarios*; ſolitis accuſationibus in eos qui Romanis & muſteis Traditionibus ſe opponerent: Dùm reverà ſe opponerent tyrannidi Rom. Pontificis, & Cœlibatûs legi, & fabellis de Purgatorio, & ſuperſtitionibus in dies augendis, vidimus ſuprà *Cap.* VI. *N.* V. ubi de Teſtibus veritatis per omnem Europam.

Ità Bonifacius Moguntinus, in ſuis ad Æthelbaldum Regem Merciorum literis, datis A. DCCXLV. dicit Privilegia Eccleſiarum in regno Anglorum *intemerata & inviolata permanſiſſe, uſque ad tempora Celredi Regis Merciorum, & Oſredi Regis Deirorum & Berniciorum*, quando ſcilicet in Provinciis Anglorum, Diabolico inſtinctu, Hæreſis hæc eſſet invecta, *ut contrà præcepta Euangelica & Apoſtolica Salvatoris noſtri*, probarentur *ſtupra Nonnarum*, vel *adulteria*, (conjugia nempè legitima) *& fractura Monaſteriorum*, de quibus profectò in Euangelicis & Apoſtolicis literis nihil. Vide Spelmannum de Concil. Britanniæ, p. 235.

Hæreſis Feliciana.

III. Turbavit magnoperè hac Ætate, Orbe in Occiduo, Hæreſis vulgò dicta *Felicianorum* ſeu *Adoptianorum*.

1. Auctores fuerunt, eodem tum tempore, *Felix* Urgellis Septimaniæ Urbe Epiſcopus, ſeu Narbonenſis I. in Pyrenæis montibus; & qui eum conſuluerat per literas, ut ſanctitatis & doctrinæ famâ inſignem, *Elipandus* Toletanus Epiſcopus & Primas, cujus in Narbonenſem quoque jura exercita. Undè utriuſque in errore conſenſus, à Felice per Gallias, hinc Germanias, ab Elipando per Hiſpanias, Aſturiam imprimis & Gallæciam & Toletanam Provincias, propagandus, Carolo Rege, Hadriano I. Pontifice Romano, vergente ad finem *Sec.* VIII. De his *Acta* Synodi Francofurt. *Epiſt.* Caroli M. & Hadriani ad Epiſc. Hiſpaniæ, & in Scriptis adversùs *Felicem* ſingulari operâ editis *Albinus Alcuinus*, *Paulinus* Forojul. *Agobardus* Lugdunenſis, ut mittam teſtes alios.

2. *Error* illis tributus fuit: Chriſtum quidem ſecundùm Naturam Divinam verum & *proprium Dei Filium* eſſe, *naturâ* genitum à Patre, hinc verum Deum, cum Patre & Spiritu S. in unitate Deitatis: At ſecundùm Humanitatem eſſe *Dei Filium adoptivum*, ſeu per adoptionis gratiam, natum de Virgine ex *voluntate* Patris, & ſic nuncupativè Deum. Undè ſequebatur, quod & Felicianis adſcriptum, prout error erroris ferax eſt, ubi oppugnatur acriùs, aut pertinaciùs defenditur; Nempè in Chriſto eſſe *duos Filios*, adeoque duas Perſonas, ſeu alium atque alium eſſe in uno Redemptore, nec *Dei Filium* pro nobis *traditum*, *paſſum*, crucifixum, ſed Hominem & à Filio Dei aſſumptum. Quo nomine *Hæreſis* ab Orthodoxis damnata eſt, tanquàm Neſtorianiſmi genuina propago. Liberandi facile ab Hæreſi, Elipandus & Felix, ſi duas modò in uno Chriſto, uno Dei Filio, *filiationes* ſeu *relationes* agnoviſſent, alteram ad Deum Patrem reſpectu Divinitatis, ad Virginem Matrem alteram, reſpectu Humanitatis. Undè de unâ vel duabus *filiationibus* natæ in Scholis quæſtiones, de quibus omnium inſtar Forbeſius noſter *Lib.* VI. C. VII.

3. *Progreſſus* erroris fuit, illîus primò diffuſio per Gallias cumprimis & Hiſpanias, pro auctoritate Elipandi Toletani, & pro Felicis exiſtimatione. Hinc erroris oppugnatio, poſtquàm conſulti hac de re fuiſſent per Carolum Regem cùm Ditionum ſuarum *Epiſcopi*, tùm Hadrianus Pontifex, & Britanni quoque, ut ex ejuſdem *Epiſt.* ad Elipandum & Hiſpanos conſtat. Prima damnatio facta ab Italis, Paulino Aquilejenſi Patriarchâ, habitâ ex Provinciis ſuis Synodo, quæ *Forojulienſis* dicitur, Anno DCCXCI. Hinc damnata Hæreſis præſente Carolo M. apud Reginum, ſeu Ratisbonam, Bavariæ antiquam Metropolim, Concilio habito, An. DCCXCII. Tùm ab Hadriano ad quem miſſus à Carolo Felix, poſtquàm Ratisbonæ errorem ejuraſſet; Ac tandem à Synodo Francofurtanâ, An. DCCXCIV. *Canone* I. & in Libello Paulini Aquilejenſis ſcripto in eâdem Synodo, vulgò *Sacro-ſyllabo*. Vide *Tomum* VII. Concil. Edit. Labbeanæ noviſſ. *Tomum* II. Concil. Galliæ, & *Annales* Eginhardi, *Annales* Fuldenſes, *Agobardum* à Baluzio editum, libro contrà Felicem, *Jonam Aurelianenſem* Libro adversùs Claudium Taurinenſem, juſſu Ludovici Pii edito, &c.

4. Abſurdiſſimè Baronius, ad An. DCCXCIV. N. XIII. & poſt eum quoque Natalis Alexander, *Sec.* VIII. Cap. II. Art. III. p. 225. ob conſultum in hac causâ Hadrianum, miſſumque ad eum Felicem, & ob clauſam Sacro-ſyllabi, de *reſervato juris privilegio Primæ Sedis Beatiſſimo Papæ*, inferunt: *Novas condemnare Hæreſes, & Hæreſiarchas, eſſe ſolius Rom. Pontificis*; ſed & *Conciliorum omnium Acta cognoſcere, probare vel improbare*; id *Privilegium* intelligi in Libello Sacro-ſyllabo, & *juris* quidem, *utique Divini*. Atqui 1. Præceſſit *damnatio* Hæreſeôs, & *æterno* quidem *anathemate*, in Conciliis Forojulienſi, Ratisbonenſi, ſententiâ latâ, antè conſultum Hadrianum, aut judicium hujus expectatum. 2. *Conſulti* primùm à Carolo ſuarum Ditionum Epiſcopi, Itali quorum caput Paulinus Aquilejenſis, Franci, Germani, in Synodos cogendi, ſolo juſſu Regis, *Præſidis* etiam in Synodo Ratisbonenſi, ex relatione Alcuini, *Tomo* VII. Concil. *col.* 1010. Poſteà etiam pro *Canonicâ conſuetudine*, (ſunt verba Hadriani ad Hiſpanos) Sedis quoque Romanæ Præſulem *dignum duxit Sacris-ſyllabis conſulendum.* 3. Ad Hadrianum miſſus Felix, poſt Synodum Ratisbonenſem, ut ſignificaret Carolus, cùm damnationem Hæreſeôs jam factam, tùm palinodiam Felicis, quæ cum *primæ Sedis* Epiſcopo communicari æquiſſimum ſanè fuit: Ut perpetuò factum, miſſis Synodicis ad abſentes à Synodis Sedes, conſenſionis ergò, & communionis mutuæ. 4. Quemadmodùm & invitari debuit Hadrianus ad Synodum generalem Francofurti poſteà habendam, mittendis ad hanc Legatis: At gratis illi, indictam Synodum *juſſione Apoſtolicæ Sedis*, quod & Maimburgius, *Hiſtor. Iconoclaſt.* Lib. IV. pag. 32. Imò *piiſſimi Caroli Regis juſſione*, ut eſt in Canone I. Iterùm *præcipiente & præſidente piiſſimo & glorioſiſſimo Domino noſtro Carolo Rege*, initio Epiſt. Synodicæ Patrum. 5. Nec ulla, in eâdem Epiſt. Synodicâ, prærogativa Hadriani, aut Legatorum: Scripta illa nomine Patrum conjunctim, *ab Epiſcopis Galliæ & Germaniæ*, & *toto Catholicæ pacis Clero*, ſolâ Caroli auctoritate memoratâ. 6. Tantum abeſt, ut *approbationem* hujus Concilii expectarint ab Hadriano, aut intellexerint hi Latini, (ut taceam Græcos) *ſolius eſſe Rom. Pontificis* de fidei rebus decernere, aut Conciliis robur addere, ut contrà, invito Hadriano, invitis Legatis, imò *ipſis præſentibus*, *condemnarint ſeptimam Synodum*, *auctoritate Pontificiâ confirmatam*, *& Hadriano ſummo Pontifici reſtiterint*, Baronio & Bellarmino ingenuè faſſis; ſed hoc in *Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Cardi-*

Baronius prolixè notat. &c.

na-

nalibus arguente Surio, ad Synodum Francof. T. VII. *col.* 1070. 7. Planum ſatis, verba illa Paulini expreſſa in Sacro-Syllabo, de *reſervato per omnia juris privilegio Papæ primæ Sedis*, non aliud innuere *juris privilegium*, quàm *Canonicam conſuetudinem*, ut ipſe vocat Hadrianus in *Epiſt.* ad Epiſc. Hiſpaniæ; Atque adeò jus Eccleſiaſticâ conſuetudine introductum, non profectò *divinum*, ut præter damnationem Synodalem, ac *ſententiam definitivam à Plenariâ Synodo* in turbones latam, integrum eſſet quoque Romano Epiſc. ſeorſim ſententiam geminam ferre, ſimilem Sacro-ſyllabum mittere, & ſic cum Patribus Synodi concurrere, quod & factum in hac cauſâ ab Hadriano eſt. Nec in hujus ad Hiſpanos reſcripto, ulla mentio *Actorum* hujus Synodi à ſe auctoritate Pontificiâ *recognitorum*, aut *confirmatorum*, vel additi à ſe roboris ſententiæ Synodali, vel *ſolìus eſſe Rom. Pontificis novas condemnare Hæreſes*, ut iſti hariolantur. Legatur reſcriptum in *Tomo* VII. Concil. *col.* 1014. *& ſeq.*

Origo Controv. de Euchariſtiâ.

IV. Sed & origo quædam intelligitur ad hoc Seculum Controverſiæ de *Euchariſtiæ* Symbolis: Dicenda-ne eſſent illa τύποι, εἰκόνες, *figuræ*, *imagines* Corporis & Sanguinis Chriſti, an verò ipſum *Corpus & Sanguis*, factâ quadam ſupernaturali mutatione? Prius aſſertum à Græcis Iconomachis, in Synodo Conſtantinopolit. ſub Conſtantino vulgò Copronymo A. DCCLIV. relatis verbis in *Act.* VI. Synodi Nicænæ, *col.* 440. 447. Nempè, Panem Euchariſtiæ ſanctificatum, conſecratum, eſſe τὴν ἀληθὴν Χριστοῦ εἰκόνα *veram Chriſti imaginem*, & ſolam, & ἀψευδῆ, traditam à Chriſto Miniſtris ſuis εἰς τύπον καὶ ἀνάμνησιν ἐναργεστάτην *in typum & commemorationem evidentiſſimam*: Nullum aliud εἶδος ἢ τύπον *ſpeciem aut formam* elegiſſe ſub cœlo Chriſtum, εἰκονίσαι τὴν αὐτοῦ σάρκωσιν *ad figurandam ejus incarnationem* vel carnem: Ἰδοὺ οὖν ἡ εἰκὼν τοῦ ζωοποιοῦ σώματος αὐτοῦ *en ergò imago vivifici Corporis ipſius*, &c. nempè ut mox interpretantur ἡ ἄρτου οὐσία, *ipſa panis ſubſtantia* utique poſt ſanctificationem, μὴ σχηματίζουσα ἀνθρώπου μορφὴν *non figurans hominis formam*: Addunt, ipſam hanc *imaginem ſanctam eſſe*, ὡς διά τινος ἁγιασμοῦ χάριτι θεουμένην *utpote per quandam ſanctificationem gratiâ Deificatam*, vel *ſanctificatam*, ut vertunt. Mox explicant quomodò fiat ille panis Euchariſticus, divinum Corpus Chriſti; ſeu imago illius minimè falſa, nempè dùm *ſanctificatur per Spiritûs S. adventum, mediante Sacerdote, qui oblationem de communi ſeparat*, ἐκ τοῦ κοινοῦ πρὸς τὸ ἅγιον, *ut fiat Sancta*, ut ſanctificetur. Concipiunt etiam fieri *unitionem* quandam *Panis* ſeu τῆς θεοπαραδότου εἰκόνος *divinitùs traditæ Imaginis*, cum ipſo Corpore Chriſti, nempè *per Gratiam* Spiritus S. quemadmodùm *Carnem quam ſuſcepit* τῷ οἰκείῳ κατὰ φύσιν ἁγιασμῷ ἐξ αὐτῆς ἑνώσεως ἐθέωσεν, *propriâ ſanctificatione Deificavit ſecundùm Naturam*, *per ipſam unitionem*. Nulla in his abolitio ſubſtantiæ prioris, aut tranſſubſtantiatio.

Contrà Patres Concilii Nicæni, (ut patet ibidem ex reſponſione quam legit Epiphanius Diaconus) noluerunt Sacrificium illud incruentum dici εἰκόνα *Imaginem*, aut *typum*, aut *figuram* Corporis Chriſti, nec ſic vocaſſe *Dominum, vel Apoſtolos, vel Patres*, poſt ſanctificationem, quod falſiſſimum tamen obviis locis ex Tertulliano, Origene, reliquiſque, ad ſuperiora Secula. Igitur dici volunt αὐτὸ σῶμα καὶ αὐτὸ αἷμα *ipſum corpus & ipſum ſanguinem* Chriſti. In eandem ſententiam adversùs Iconomachos Joh. Damaſcenus, de Orth. Fide, *Lib.* IV. C. XIV. & paſſim, οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ οἶνος *non eſt figura, typus, panis & vinum*: Ἀλλὰ διὰ ἐπιφοιτήσεως τοῦ Πνεύματος ἁγίου ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οὐκ εἰσὶ δύο, ἀλλ' ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, *ſed per adventum Spiritûs Sancti ſupernaturaliter mutantur in Corpus, & Sanguinem Chriſti, nec duo ſunt, ſed unum & idem Corpus.*

Nec Iconomachos, nec Nicænos Tranſſubſtantiationi favere.

Nec tamen, (quod vellet Natalis Alexander in *Tomo* XIV. *Diſſert.* IV.) ſeu Conſtantinopolitani, aſſerentes panem εἰκόνα τοῦ σώματος, ſeu negantes Nicæni, & Damaſcenus, ac eos antè Anaſtaſius Sinaita, qui negarat ſimiliter Euchariſtiam dicendam τύπον *figuram* Corporis Chriſti, ſed *ipſum Corpus*, ſomniarunt μετουσίωσιν vel *tranſſubſtantiationem* Symbolorum in Corpus Chriſti. Docent additæ ab iis exegeſes modò deſcriptæ; docent voces εἰκόνος, εἰκονίσματος, τύπου, εἴδους, σχήματος, ἀναμνήσεως, &c. docet hypotheſis Sinaitæ, eſſe Euchariſtiam *ipſum Corpus*, quale habuit Chriſtus antè Reſurrectionem, *corruptibile* ſcilicet, quod de Corpore Chriſti in Euchariſtiâ cenſeri non poteſt; docent denique ſimilia, quibus *mutationem* eam expreſſerunt Iconolatræ: Illi ſimilitudine quâdam *unionis* Carnis Chriſti cum Deitate, ſic & panis cum Corpore, hujus unitionis factæ *ſecundùm Gratiam*, illius *ſecundùm Naturam*: Damaſcenus verò & poſt eum Nicephorus, ac Græcorum plurimi, ſimilitudine *alimenti* quod unitur cum noſtro Corpore, illi aſſimilatur, & unum cum eo fit augmentatione quâdam Corporis, non certè annihilatione prioris ſubſtantiæ. Et omnem *Tranſſubſtantiationis* Innocentianæ conceptum eliminant, quæ pluribus in hanc rem Damaſcenus, in editâ à Jac. Billæo inter Opera Damaſceni A. 1577. ejuſdem Johannis *Epiſtolâ*, ad Zachariam Epiſcopum, & in *Homiliâ* de Corp. & Sang. Domini; tacitis his ſcriptis Arnaldo, Maimburgio, Natali Alex. probaturis ad hoc Sec. *Tranſſubſtantiationem* creditam fuiſſe Damaſceno & Nicænis.

Adi Maimburgium Hiſt. Iconoclaſt. *Lib.* III. à pag. 443. & Natalem ad *Sec.* VIII. *Diſſert.* IV. Et intelliges peſſimam fidem in diſſimulandis quæ diximus, truncandiſque verbis Græcorum in Synodo Conſtantinopol. Sic in iis ſecurè reponendis, quæ jam ab *Albertino* noſtro, & à *Claudio* Pariſienſi nuper in Reformatis Theologo, pluribus diſcuſſa, ab iſto cumprimis *Lib.* IV. C. IX. & X. Partis *prioris* in Arnaldum.

De Proceſſ. Spiritûs S.

V. Diſceptatum quoque hoc Seculo, Græcos inter & Latinos, de *Proceſſione Spiritûs S.* augendo in majus diſſidio, ſequenti Ætate. Docet Hiſtoria Synodi Gallicanæ *Gentiliaci* habitæ, ſub *Pipino*, miſſis eò Legatis à Conſtantino Copronymo, Ann. DCCLXVII. Duplex in hac quæſtio agitata, altera de Imaginibus, de Proceſſione Spiritûs S. *ex Patre, Filioque*, altera. Adi Sirmondum & Tomum VI. Concilior. Edit. noviſſ. Labbeanæ. Sed & in Synodo Forojulienſi, contrà Hæreſim Adoptianam, Ann. DCCXCI. definitum contrà Græcos, *Spiritum S. ex Patre Filioque procedere eſſentialiter & inſeparabiliter*, cùm in declaratione Paulini Forojulienſis, tùm in Symbolo Fidei à Synodo edito, in *Tomo* VII. Conc. *col.* 994. 999. Contrà Græci in Synodo Nicænâ, A. DCCLXXXVII. repetito Symbolo Conſtantinopolit. aſſerunt Spiritum S. τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, *qui ex Patre procedit.* Quanquàm in Actorum Nicænorum, hujuſque Symboli Verſione, legatur *ex Patre Filioque*, ſervandâ adhuc Romæ lectione; pro quâ & Julianus Cardinalis, fautor Latinorum, dixit in Synodo Florent. *Act.* V.

IV. *Con-*

IX. *Concilia vulgò ſeu Oecumenica ſeu Generalia, ſed & Nationalia quædam inſigniora, Seculo* VIII.

Oecumenica quæ hoc Ævo dicta.

I. Duæ hoc Ævo Synodi habitæ ſunt in *Oecumenicis*, nempè in Oriente, ſed ſibi invicem adverſæ, quantum ad Cauſam Imaginum, quarum Acta habes in *Tomo* VII. Concil. Edit. noviſſimæ. Altera ſub Conſtantino vulgò Copronymo, quæ verè *Conſtantinopolitana* IV. & *ſeptima* Univerſalis Græcorum, Imaginibus adverſata: Altera ſub Irene & Conſtantino Filio, eademque Iconolatrica, vulgò *Nicæna* II. & *ſeptima* Iconodulis. Priorem Oecumenicam deſideraverat Leo Iſaurus, poſt natam de Imaginibus controverſiam, ſed intercedente *Gregorio* II. Pontifice, in *Epiſt.* I. ad Leonem Imperatorem, inſertâ Tomo IX. Annalium Baronii, ad An. DCCXVI. col. m. 78. *Scripſiſti ut Concilium univerſale cogeretur, & nobis ea res inutilis viſa eſt.*

Synodus Græcorum ſeptima. Circumſtantiæ præcipuæ.

II. Conſtantinopolitanam Synodum quod attinet, 1. *Tempus* ejus indicendæ, poſt habitos in Provinciis Conventus, Σιλέντια vocant Byzantini, fuit A. Æræ Vulg. DCCLIV. Conſtantini XIII. Ind. VII. Quo tempore Stephanus III. in Galliis Pipinum ſollicitaret, non profectò adversùs *Imagines*, ſed adversùs *Græcos* & *Longobardos*, eripiendo his Exarchatui Ravennatenſi, qui cum Pentapoli cederet in *Patrimonium Petri*, id eſt, Romani Epiſcopi.

2. *Membra* Synodi fuêre ex omnibus Imperii Conſtantinopolitani partibus, quâ latè tum paruit Oriens Imperatori Græco, illinc negantibus obſequium Romanis, Longobardis, hinc Saracenis Ægyptum, Palæſtinam, Syriam, id eſt, Patriarcharum Orientalium Sedes, occupantibus. Conveniſſe tamen in confeſſo eſt Epiſcopos CCCXXXVIII. (Theophane ad eum Annum referente, & Actis Nicænis, *col.* 418.) ac plures quàm in Oecumenicis prioribus, ſi Chalcedonenſem Synodum excipias. Nec vel *Romanus* ad Synodum vocari potuit, rebellis in Imperatorem, ac Judicis partes ſibi vendicans; nec præeſſe *Conſtantinopolitanus* Patriarcha, Anaſtaſius, fatis nuper functus; nec intereſſe Patriarchæ reliqui, ſub jugum Arabum miſſi. Undè iniquitas intelligitur Baronii, & recentiorum, qui his diſſimulatis cauſantur abſuiſſe Patriarchas, abſuiſſe Pontificem, adeoque nec *Oecumenicam* Synodum cenſeri potuiſſe: Licet ex quâvis parte τῆς οἰκυμένης, ſeu Græcanici Romanive Imperii, & in Sede Oecumenici Patriarchatûs, ab Oecumenico Imperatore, congregata illa fuerit. Sed Synodorum *Univerſalium* exempla, quarum Decretis & Canonibus ſuffragium nullum addiderit Papa, nullum Patriarchæ, habes *Hiſtoriæ* noſtræ *Reſtitutæ*, Sectione III. Paragr. XII. XIII.

Baronius, & recentiores notati.

3. *Cauſa* indicendæ Synodi potiſſima fuit, fervens adhuc de *Imaginibus* controverſia, inde à tempore Leonis Iſauri, quas reſtituere Artabaſdus tyrannus, poſt Leonis exceſſum, inſtigantibus Monachis, tentaverat. Affines illæ de *Reliquiarum* veneratione, deque Invocatione *Virginis* & *Sanctorum*, non habitura paſſim modum ſuperſtitione.

4. *Præſides* Synodi fuêre, ex Theophane, cæteriſque, Epiſcopi duo principes, *Epheſinus* totius Aſiæ Exarchus, & *Pergenſis* Pamphyliæ Metropolita; *Conſtantino* in Patriarcham demùm electo ſub finem Concilii, qui *Syllæi* anteà Epiſcopus & Monachus, idemque poſteà inviſus factus Imperatori.

5. *Modus* procedendi fuit omni ex parte legitimus, toto *ſemeſtri* ſpatio causâ hac omni ritè expenſâ, ἐκ γραφικῶν καὶ πατρικῶν μαρτυριῶν, *ex Scriptura & Patrum teſtimoniis*, ut ex ipſis *Actis* intelligitur, inſertis Actis Nicænorum: A quibus tamen detruncarunt Iconoduli quicquid libuit, nec enim integra produxerunt, aut ſupereſſe Authentica Acta permiſit Iconolatrarum furor. Quâ de re nos pluribus alibi.

6. *Decreta* Synodi fuerunt, 1. Confirmatio ſæpè iteranda *ſex* priorum Synodorum Univerſalium, omniſque *Catholicæ* Fidei, recenſitis diſtinctè Capitibus, & Hæreſiarchis omnibus, Ario cæteriſque, damnatis, *Tomo* I. & II. Actorum. 2. Damnatio omnis Idololatriæ, tanquàm à Diabolo profectæ; In ſpecie Imaginum & Picturarum, quæ Chriſtum *Deum & Hominem* effigiarent, vel etiam quaſi *purum Hominem*, quæque *Chriſtus* ipſæ dicerentur, remotio ex locis Sacris, & à Populorum conſpectu, præcavendæ Idololatriæ. 3. Pari ratione interdictus cultus, interdicta προσκύνησις, quocunque *diſtinctionum* aut *vocum* obtentu, Imaginum *B. Virginis*, & *Sanctorum*, tanquàm his ipſis injuria; Quorum adeò pingendæ eſſent Imagines in nobis ipſis, imitatione virtutum, fidei, conſtantiæ, quas ἐμψύχους εἰκόνας vocant, *T.* VII. Conc. *col.* 462. 482. 4. Anathema tandem ſtrictum in omnes, ξυλολάτρας, εἰκονολάτρας, καὶ Χριστοῦ ὑβριστὰς, *Ligni cultores*, *Imaginum Servitores*, *in Chriſtum contumelioſos*, nominatim in *Germanum*, *Georgium*, & *Manſurum*.

Quæ Synodum VII. conſecuta ſint.

III. *Effectus* autem Concilii hic ſummatim fuit, 1. Ut toto Imperio, paucis locis exceptis, puta versùs *Pontum Euxinum*, & *Syriæ* Phœniciæ loca, & in *Cypro* Inſulâ, cujus Epiſcopus ille Georgius, proſcriberentur Imagines, falſò Baronio ad An. DCCLV. N. L. Donec reſtituerent *Irene Imperatrix* & *Pſeudo-Nicæni*, annis poſt XXXIII. circiter. 2. Ut hinc ſeditiones rebellioneſque Monachi paſſim excitarunt, quos inter primipili, *Andreas Calybites*, *Stephanus Junior*, *Petrus Stylita*, &c. Undè pœnæ & ſupplicia de ſeditioſis ſumpta, abituris in totidem *Martyres*; ſed & *Monachiſmi* Edictis Imperatoriis, & impuri *Cœlibatûs* tandem proſcriptio: 3. Ut *Conſtantinus* Imperator, Monachorum & Iconolatrarum æternis odiis expoſitus, poſtquàm horum prævaluit factio, infamaretur apud omnem poſteritatem; implacabilium hoſtium Scriptis, *Chronographis*, *Breviariis*, *Hiſtoriis*, *Vitis*, tanquàm monſtrum informe, ingens, cui humanitas omnis adempta. 4. Poſtremò ut in hanc Synodum Conſtantinianam projiceretur quicquid eſt contumeliarum, ex *Pſeudo-Actis* Stephani Martyris, & id genus ineptiſſimis mendaciſſimiſque Tabulis, quales legas apud Annalium Scriptorem, ne dicam Allatium, Maimburgium, Nat. Alexandrum, Cabaſſutium, ſimiles.

Nicæna Synodus II. Ejus Acta unde in Occidente latuerint.

IV. *Oecumenica* altera Synodus, ſed falſò nomine ità nuncupanda, ipſis Græcis, & Pontificibus aliquot invitis, ne dicam vehementer Carolo M. & Occidentalibus penè univerſis, fuit *Nicæna* II. Cujus Acta Græcè & Latinè primùm, tùm ex Vulgatâ Editione Latinè tantùm, inſerta Tomis Conciliorum, diu ſepulta fuêre in Occidente, ob reprobatam eam Synodum à Carolo M. & ſucceſſoribus, ac toto penè Occidente, & ob ὀπίμητερ deinceps ad Iconolatriam Nicænam adjecta. Et hujus quidem Pſeudo-Nicænæ Synodi, de quâ fuſa noſtra Diſſertatio eſt, *Sectione* VI. & VII. Hiſt. Imaginum, uno hic obtutu notanda modò ſunt:

Circumſtantiæ præcipuæ hujus Pſeudo-Synodi.

1. *Tempus*, Ann. Dionyſ. DCCLXXXVII. Ind. X. XXIV. Sept. Conſtantino VII. adhuc impubere; Poſtquàm Anno ſuperiore convocata fuiſſet Conſtantinopolim Synodus, Kalendis Jul. ſed poſt *ſeſſionem* alteram diſturbanda, facientibus *Scholariis*, ac frequente Civium turbâ, ex Theophane, Anaſtaſio, Libello Synodico. Undè aliò transferenda Synodus ab Irene, poſt Scholarios illos exauctoratos, & novas cohortes in Urbem traductas.

2. *Convocatrix* Concilii Irene, conſpiratione facta

ctâ cum *Taraſio* primùm, ex Laico & Aulico ad Patriarchatum paulo antè promovendo, dein & cum Hadriano Romano: Undè in Libris Carolinis illa *inſtitutrix*, *doctrix*, *ductrixque* Concilii, per ſarcaſmum appellatur. Ac Conceſsûs totius *Præſes* fuit Taraſius, honoris etiam ſpecie relictâ Legatis Hadriani I. Nullique omninò in Synodo Legati trium *Patriarcharum* Orientis, quanquàm duo è Palæſtina Monachi, Johannes & Thomas, iſtorum nomen perſonamque mentiti ſint, ut pluribus, vel ex ipſis Actis Nicænis, *Tomo* VII. Concil. aliàs à nobis evictum, contrà Baronium, Petavium, Maimburgium, Nat. Alexandrum. Ita in membris Synodi quanquam CCCL. Epiſcopi numerentur, certum nullos interfuiſſe ex toto Occidente, præterquàm miſſos ab Hadriano Presbyteros duos, qui rem Pontificis promoverent. Sed nec ulli admiſſi Epiſcopi, niſi aut apoſtatæ ab Iconomachiâ, quales *Baſilius* Ancyranus, *Theodoſius* Amorienſis, &c. aut conjurati Iconolatræ, & ex Monachis Epiſcopi, Aulæ mancipia.

Actorum hujus Synodi ratio.

3. Ut *ſcopus* Concilii fuit, abolere Synodum VII. reducere in Eccleſias Imagines, opprimere Iconomachos, infamare memoriam Leonis Iſauri, & Conſtantini VI. conciliareque Græcis Hadrianum Papam; ità *modus agendi* in eo Concilio, reverà potiùs convenit turbæ hominum pergræcantium, & conjuratorum, quàm Conſeſſui Eccleſiaſtico. Nihil in eo ſacrum, niſi omnia dixeris fuiſſe ſacratiſſima. Sive jam attenderis Seſſionum breve tempus, à XXIV. Sept. ad V. Oct. quando *Actioni* VI. impoſitus finis, ſive *Actor.* rationem: v. gr. lectas prolixas literas Auguſtorum, Hadriani, aliaſque Orientalibus ſuppoſitas; hinc *Anathematum* & imprecationum diras, etiam antè examen Cauſæ; Idololatricas *Confeſſiones*, Baſilii Ancyr. Euthymii Sardenſis, Conſtantini Cyprii, &c. tum *uſurpatas* (ſunt Capitularis Carolini verba Lib. I. C. III. VII. XXV. &c.) *ad extraneos ſenſus Scripturas; penè nullum Divinorum apicum teſtimonium competenter poſitum; ſententias Patrum mutilatas; apocryphas & deriſione dignas nænias; hebetes conjecturas; ſtolidiſſimas dictiones; argumenta ineptiſſima, dementiſſima, ſenſu carentia*; &c. Ipſaque tota Synodi VII. Confutatio, lecta ab Epiphanio Diacono in *Actione* VI. Nicænâ, arguit cùm improbam Græculorum fidem, tùm impotentem debacchandi libidinem, & *incauta*, *maligna*, *inſaniſſima* effugia.

Decreta.

4. *Decretum* igitur hujus Synodi, Ὅρον appellant, haud aliud eſſe potuit, quàm quale reſponderet Irenes, Taraſii, Hadrianique votis, & Monachorum Iconolatrarum effuſæ ſuperſtitioni. Summa fuit: 1. Invectiva in memoriam Leonis III. & Conſtantini Copronymi, ut *Scelerata* capita: *Traditionum* de Imaginibus, ſeu *ſcripto*, ſeu *ſine ſcripto* ſancitarum approbatio: Uſûs Imaginum non hiſtorici tantùm, aut liberi, ſed *religioſi* & *neceſſarii*, quæ *deberent exponi in S. Eccleſiis*, &c. ſanctio: Cultûs & adorationis definitio, per τιμητικὴν προσκύνησιν quali adoraretur *Crux vivifica*, per ἀσπασμὸν, per προσαγωγὴν θυμιασμάτων καὶ φώτων, per adorationem conjunctam & τῆς εἰκόνος, & τοῦ ἐγγραφομένου ſeu ἀρχετύπου, &c. in Tomo VII. Concil. *col.* 263. 555. Exceperunt tamen ἀληθινὴν λατρείαν qualis defertur *Divinæ Naturæ*, ſeu S. Trinitati. Additæ inſanæ exclamationes, dira anathemata, laudes profuſæ in Irenem, ut *novam Helenam*, *Davidicè gubernantem*, pro ingenio & uſu Græcorum, & quæ alia ad calcem Actorum legas.

5. *Conſequens* proximum fuit, promulgatio Synodi; Iconodulorum furores; Imaginum quaquaverſùm reſtitutio; Idololatriæ in Orientem revocatio; Irenes nova hinc in Francos & Italos molimina; Hadriani Papæ mox ſecuta approbatio; miſſio ab iſto Actorum Nicænorum ad Carolum Regem; hujus indignatio, Confutatio Synodi, Damnatio in Francofortanâ alterâ; Hadriani defenſio & Reſponſiones in Epiſtolâ ad Carolum M. & quæ plura nos alibi recenſemus, ac vindicamus.

Synodi Francoford. Hiſtoria.

V. Tertium dignitate, ſi non ſecundum, poſt Conſtantinopolitanam Oecumenicam, locum ſibi vendicat, in Synodis hujus Ævi, Synodus *Francofordienſis* ad Mœnum, eademque *generalis*, & *univerſalis* dicta Hincmaro Rhemenſi, in Capitulis ad Laudunenſem, *pag.* 93. 94. Edit. Francof. Acta habes apud Sirmondum, *Tomo* II. Conc. Gall. cum ejuſdem Admonitione, & in Collectione Concilior. T. VII. *à col.* 1014.

1. *Tempus* coactæ Synodi fuit Annus DCCXCIV. à Feſto Paſchali, quod Carolus M. in Germaniâ tùm agens, Francofordiæ celebrarat, poſt ſcriptum anteà Wormatiæ ſuum adversùs Nicænam Pſeudo-Synodum Capitulare.

2. *Cauſa* indicendæ Synodi fuit potiſſimùm duplex: Altera, controverſia *Adoptiana*, ſeu de ſententiâ Elipandi Toletani, & Felicis Urgellitani Epiſcopi, jam in aliquot Synodis particularibus agitata, ut ſuperiore nos Capite VIII. de *Hæreſibus*: Altera, cauſa *Imaginum*, in Græcorum Nicænâ Synodo perperàm definita, ità ut detuliſſet hæc *ſanctorum Imaginibus ſervitium aut adorationem*, quò reſpexit *Canon ſecundus* Francofordienſis.

3. *Membra* Synodi fuêre, *trecenti* circiter Epiſcopi, iidemque convocati à Carolo M. ex toto Occidente, nempè è *Franciâ*, *Germaniâ*, *Hiſpaniâ*, *Italiâ*, & *Britanniâ*, non diffitentibus quoque nuper Maimburgio & Natali Alexandro. Ac præſentes ipſi quoque fuêre legati Hadriani Papæ. Et ex ipsâ Caroli doctrinâ, & ἀκριβείᾳ, ſummoque in Synodo præſidio, ex præſentiâ etiam Paulini Aquilejenſis, Fl. Alcuini, aliorumque ejus notæ, de Epiſcoporum meritis judicandum eſt.

4. *Acta* præcipua fuerunt: Damnatio Hæreſeôs *Adoptianorum*, ſcripto *Sacro-ſyllabo* per Paulinum Aquilejenſem, editâque Confeſſione Fidei, & in *Canone* I. qui unus ex LVI. Canonibus, decretâ *eradicatione à S. Eccleſiâ nefandæ Hæreſeôs*. Tùm & *Canone* II. *condemnatio Synodi* Nicænæ, decernentis *adorandas Imagines*, contrà ſtatuentibus Francofortanis; *contemnendam* eſſe eam Synodum, *& omnimodis adorationem eam ac ſervitutem reſpuendam*. Quod verò *Conſtantinopoli facta* Synodus dicitur, intelligendum, Conſtantinopoli terminatam, confirmatam, ſub Imperatoribus & Patriarchâ Conſtantinopol. ſed & indè miſſa Acta. Ac denique, approbatum à Patribus Francofortanis Capitulare Carolinum, adversùs *Pſeudo-Synodum* Græcorum, miſſumque illud ipſum ad Hadrianum, per Angilbertum Abbatem, Hincmarus habet *per quoſdam Epiſcopos*, eodem Anno DCCXCIV. Adeò ut Bellarminus, in eâ Synodo *ſine dubio ſcriptum* illud Capitulare fuiſſe, voluerit.

Baronii cumprimis inaniſſima effugia.

VI. Nec inſiſtimus Valentinianis, aut Baronianis effugiis, vel illis ac diverſiſſimis Petavii, Maimburgii, Nat. Alexandri. Greg. de *Valentiâ* ſi audis, poſt Alanum Copum, *Libro* II. de Idololatriâ, damnavit Synodus Francofortenſis nonniſi Synodum *Conſtantinopolitanam* ſub Copronymo, nullatenùs Nicænam ſub Irene. Baronius, ad An. DCCXCIV. N. XXVI. *& ſeq. tanti ponderis quæſtionem* diſcuſſurus, ſanè damnatam ait Synodum Nicænam in Francofortanâ, *ſeque ſpontè* & *liberaliter id concedere* affirmat, quod ab aliis negatum ſciret; ſed hariolatur varia, in formas omnes converſus, ut credantur Carolus & Occidentales fuiſſe ὁμόψηφοι cum *Nicænis*. 1. Aliud, inquit, damnatum eſſe aliquid *in Concilio*, à malè ſentientibus, aliud *per Concilium*, re in eo perfectâ & debito modo confirmatâ. 2. Damnationem ita-

Digitized by Google

itaque Synodi Nicænæ, non factam eſſe *per Concilium*, quia non appareant Acta hac de re ſcripta, quia reclamarint Legati Apoſtolici, quia non confirmaverit Hadrianus Pontifex, cujus ſit *addere robur* Synodalibus Decretis. 3. Deceptos fuiſſe in eâ Epiſcopos ab *auctore* vel *auctoribus Librorum*, qui nomine *Caroli M.* falsò editi ſint, contrà Synodum Græcorum. Nec enim Caroli M. eſſe potuiſſe hos Libros, quicquid nomen mentiantur omnes Codd. ſeu editi, ſeu Mss. Errorem natum, ex eo quod confutationem eorum Librorum miſerit Hadrianus ad Carolum M. hinc Auctorem creditum. 4. In ſpecie ex eo *deceptos dolo malo* Epiſcopos Francofordienſes, per *concinnatores mendaciorum*, *fraudum architectos*, primò, *quod Nicænam Synodum minimè confirmatam eſſe dicerent à Rom. Pontifice*; deinde, quod *impium* dogma illi per calumniam adſcriberent, quaſi ſtatuiſſent Nicæni, *Imagines adorandas eodem cultu quo Deum*, adoratione *vera* ac ſupremæ *latriæ*. Et hoc mendacium impoſuiſſe etiam ſequenti Ætate Pariſinis & viris doctrinâ inſignioribus, Jonæ Aurelianenſi, Walafrido, Amalario, Alitgario, Adegario, Hincmaro, &c. 5. Atque ità in ipſum *Hadrianum* redundaſſe *calumniam*, quaſi iſte Nicænæ Synodi dogma comprobaſſet, *Imagines veluti Deum venerandas eſſe*. Hæc præcipuè Baronius, deindè de ſententiâ *Gregorii* I. Romani, pro more ſuo diſſertaturus, quaſi hic *cultum Imaginum* omninò ſanxerit.

Sed benè habet *Baronianas* illas nugas, & conjecturas, exploſas magnam partem eſſe ipſi Sirmondo, Petavio, Maimburgio, Natali Alex. &c. ne dicam omnium Veterum Chronographorum conſenſione ſubverti, qui & Libros adversùs Imagines *Carolo M.* adſcribunt, & *Nicænam Synodum* reprobatam fuiſſe à *Francofordienſi*, teſtantur. Ac fusè adversùs Baronium & Bellarminum hac de re ex noſtris diſputavit Joh. Dallæus, de Imag. *Lib.* IV. C. IV. V. Recentiorum autem exceptiones omnes, cumprimis Galli Scriptoris utriuſque nuperi, qui inſiſtunt ferè *errori in facto*, ex infidâ Verſione Actorum Nicænorum, & ex *æquivoco* uſus vocis *adorandi*, prolixè diſcuſſit & enervavit Hiſtoria noſtra Imaginum, *Sectionibus* VI. VII. VIII. IX.

Synodi in Oriente. VII. *Synodos* alias hujus Ævi, Particulares illas, vix operæ pretium eſt recenſuiſſe. In *Oriente*, Synodos *Conſtantinopolitanas* plures, refert Libellus Synodicus, cumprimis à temporibus Leonis Iſauri: Sed & *Hieroſolymitanam* refert idem ſub Theodoro Patr. Anno DCCXXVI. adversùs *Hæreſim* ἁγιοκαύςων *ſanctorum combuſtricem*, omninò ſpuriam, & confictam: Ac de Theodoro illo, ejuſque *Synodicâ*, nos fusè, Hiſt. Imag. *Sectione* VI.

Synodi Italicæ. In *Italicis* Conciliis, celebrata pleraque *Romæ*, ſub nutu dominantis, ac potiſſima in cauſis *Imaginum*, *Aldeberti* & *Clementis*, *Electionum Papalium*, *Diſciplinæ Clericalis*, &c. De quibus nos fusè ſuprà. In *ſpecie de* Synodo Romanâ Iconolatricâ, Anni DCCLXIX. biennio poſt Gentiliacam, diximus in *Hiſt. Imag.* Sect. IV. contra Maimburgium. Item de Synodo ſub Adriano, Anno DCCLXXIV. in quâ Carolo M. confirmatum fuerit jus creandi Pontifices, inveſtiendi Archiepiſcopos, Epiſcopos, prolixè ad hoc Seculum, *col.* 1291. *& ſeq.* Inclyta Forojulienſis eſt, ſub Paulino, Ann. DCCXCI. pro inſtaurandâ Diſciplinâ, & damnandâ Hæreſi Felicianâ.

In *Britannicis* Synodis paucæ apud Spelmannum extant alicujus notæ: Ferturque *Londinenſis* Synodus, pro *colendis Imaginibus*, ſub Conſtantino Papâ, ad Annum DCCXII. diu antè motam ſub Leone Iſauro controverſiam. De quâ dictum ſuprà fuit. *Cloveshovienſis* Synodus, habita ſub Cuthberto Cantuarienſi; hortante literis Bonifacio Moguntino, Ann. DCCXLVII. Zachariâ Pontifice, circà *Diſciplinam* ferè tota occupata fuit, editis Canonibus XXX. Literas *Bonifacii*, tum Legati Pontificii per Germanias, ad Æthelbaldum Regem Merciorum, tum ad Cuthbertum Archiep. Cantuarienſem, tandem Canones Synodi exhibet Spelmannus *pag.* 232. &c. Nihil vero tam cordi fuit Bonifacio, quam debacchari in *Connubia* Clericorum, tum *unitatem* ac *ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ ſine tenùs ſervandam* commendare. Quomodo in eâ Synodo, à Cuthberto habitâ, novo exemplo ante omnia recitatæ literæ *Zachariæ* Pontif. juxtà quod *ipſe Apoſtolicâ ſuâ auctoritate præceperat*, &c. Quod in Synodis Hiſpanicis, Gallicanis, aliiſque Seculi VI. VII. factum nuſquàm legimus.

Germanicæ, Francicæ, In *Germanicis Gallicaniſve* Conciliis, memorantur præcipua hujus Ævi:

Germanica Synodus, incerto loco ſub Carolomanno Principe Francorum, A. DCCXLII. tum *Liptinenſis*, eodem Auctore, ad Liptinas Belgicæ ſecundæ, Ann. DCCXLIV. Laborarunt hæ pro inſtaurandâ Diſciplinâ, & ex Canonibus perditiſſimi mores Cleri univerſi intelliguntur, ſed & nefandæ *ſuperſtitiones* ex Paganiſmo vetere, de quibus infrà.

Qui hæ totis Annis LX. intermiſsæ. Perverſionis argumento eſt, quod ſi fides Bonifacio Moguntino, ſcribenti ad Zachariam Romanum, *Epiſt.* I. *Franci pluſquàm per tempus* LXXX. *annorum Synodum non fecerant*, *ne Archiepiſcopum habuerant*. Quod tamen falſum eſſe docent Concilia Galliæ apud Sirmondum, & in Tomo *ſexto* Concil. poſt Regiam Edit. inter quæ Rotomagenſe, ſub Theoderico Rege, Anno DCLXXXII. Veriùs Mezeræus, in Rebus Eccleſiæ VIII. Seculi; *Eccleſia Gallicana* LX. *minimùm annis nulla Concilia habuit*, uſque ad præfatas Synodos Germanicam & Liptinenſem. Undè corruptio temporum, ſub ignaviſſimis Regibus, & ſub Carolo Martello, intelligitur.

Sueſſionenſis Synodus excepit, Anno DCCXLIV. Pipino duce & Principe Francorum, Sueſſionibus Rhemenſis Diœceſis, contrà Aldebertum Gallum, & Clementem Scotum, *Hæreſeôs* damnandos; quâ de prætensâ Hæreſi ſuperiori Capite. Dehinc *Vernenſis* I. in Verno Palatio ad Sequanam, A. DCCLV. in quâ luculenti Canones, pro jure Regio in convocandis Synodis, & conſtituendis Epiſcopis, *Can.* IV. V. &c.

Gentiliaca præ cæteris memoranda, ſuprà Pariſios, ubi Palatium Pipini Regis, coacta A. DCCLXVII. Occaſio fuit, legatio Conſtantini vulgò Copronymi ad Pipinum, pro componendis etiam in Eccleſiâ rebus, nempè in Controverſiâ geminâ, alterâ de *cultu Imaginum*, alterâ verò de *Proceſſione Spiritûs S.* ex Patre *Filioque*, teſtibus Chronographis, Adone Viennenſi, & aliis. Atque in hac Synodo *uſum* Imaginum permiſſum, *adorationem* omnem damnatam non diffitente Sirmondo, fusè docet noſtra hac de Synodo diſſertatio, contrà præſtigias Maimburgii Imaginum defenſoris, in *Hiſtor. Iconoclaſtarum.*

Bavaricæ, *Bavaricæ* Synodi plures fuêre poſt erectos iis in partibus quatuor Epiſcopatus, faciente Bonifacio illo Gregorii *tertii* Apoſtolo, nempè Saliſburgenſem, Friſingenſem, Reginenſem ſeu Ratiſbonenſem, & Paſſavienſem, de quibus adi ex recentioribus M. Velſerum. Ab hoc ipſo producta primùm eſt, *Rerum Boicar.* L. V. Synodus *Dingolvingana*, celebrata *Dingolvingua*, mediæ inter Reginam & Friſingam, ad Iſarcum fl. Anno DCCLXXII. De cujus Canonibus non fuit quod ſibi ſuiſque gratularetur Baronius ad eum Annum, & Severinus Binius, ob aſſertum in iis *Monialium Cœlibatum*, aut *Sacrificium Miſſæ*, &c. Quum ignorantiam, ſuperſtitionemque temporum, ſed & locorum, omnia prodant, ac quæ de iis diximus *Cap.* II. de Propagat. Eccleſiæ. Baronius & Binius notati.

Nec omittenda Synodus *Ratiſbonenſis* eſt, Anni DCCXCII.

Digitized by Google

DCCXCII. convocante Carolo M. in quâ Felix Urgellitanus errorem ſuum, de *duobus Filiis*, ejuravit: Mittendus hinc Felix ad Hadrianum, non, ut abſurdè Baronius, quaſi Romani ſolius eſſet *condemnare Hæreſes*; Sed ut condemnatio jam facta, etiam ſine Romano, atque etiam palinodia Felicis, communicaretur *primæ Sedis* Epiſcopo, pro more & æquitate; ibique ulteriùs Felix in orthodoxiâ confirmaretur.

Baronius notat.

Mittimus Synodos alias ſeu Francicas ſeu Germanicas complures, cumprimis *Wormatiæ* aut *Aquiſgrani* celebratas, ſub Carolo Rege, quibus locis delectaretur maximus Princeps. Et pleræque inſtaurandæ diſciplinæ, & revocandis Clericis, Monachis, ad ſtudium Scripturarum, & Chriſtianos mores, undè prodierunt Capitularia Carolina; quæ requiras apud Sirmondum, Baluzium, & in Conciliorum Tomis *ſexto* & *ſeptimo*.

Hiſpanicæ Synodi.

Hiſpanica Concilia ſuperiori Ævo frequentiſſima, ſub Gotthicis Regibus, nulla exhibet hoc Seculum, ob invaſiones Saracenorum, & oppreſſas gravi jugo Hiſpanias. Memoratur tamen Synodus *Toletana* XVIII. tempore Witizæ Regis, Gunderico Antiſtite Toletano, *Sanctimoniæ dono illuſtri* apud Garſiam, in *Collectione*, magnoperè hæc infeſta Romano *Cœlibatui*, ſed & *Pontifici*. Quare Synodi hujus Acta deinceps, ſub Paparum dominatu, fuêre abolenda; Undè Baronius, ad Ann. DCCI. N. XV. *Hoc Concilium cur nequaquam, ut cætera, poſteris ſcriptis traditum reperiatur, ea ferè omnium ſententia eſt, quod cùm in eo plura ſancita fuerint piæ inſtitutioni, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ contraria, placuerit æterno ſepeliri ſilentio.* Rectè, contraria Romanæ diſciplinæ, ac fœdæ Tyrannidi, aut ſuperſtitioni; qualiter & in Galliis, Britanniis, Italiâ Longobardicâ, fuiſſe vehementer reſtitum, docuit Caput ſuperius VI. VII. Baronio tamen placuit, contrà omnium Teſtium fidem, decernere, *cuncta benè in eo Concilio fuiſſe geſta, ſancita*, hinc à Witizâ *ejus Concilii Acta fuiſſe conſciſſa.* Credas affirmanti!

Baronius notat.

X. *Scriptores Eccleſiaſtici Seculo Octavo celebriores digniores ſque.*

Scripta in Oriente interverſa.

I. In *Græcis* quidem & *Orientalibus* pauciores ad noſtra tempora ſcriptores pervenerunt, dùm partim inteſtinis diſſidiis, in causâ præcipuè Iconomachicâ, partim Saracenorum armis ac latè victoriis afflicta fuit Orientalis Eccleſia. Quin furore Iconolatrarum factum tandem fuit, quum hæc *Victrix cauſa Diis placuit*, ut abolita ſepultaque fuerint omnia illorum ſcripta ac monumenta, qui ſub Leone Iſauro, Conſtantino Filio, & Leone IV. nepote, Imaginum, aut Reliquiarum cultum, Monachiſmi exceſſus, & ſi quas alias ſuperſtitiones, vel etiam Hæreſes oppugnarunt. In iis celebres Epiſcopi, memorati apud Theophanem, Paulum Diaconum, & in Actis Nicænis. Ac ne ipſa Synodi VII. ſub Conſtantino Copronymo *Acta* ſupereſſe aliter is furor paſſus eſt, quàm ut producuntur & exagitantur à Pſeudo-Nicænis, in *Actione* VI. Synodi Iconolatricæ, ut monitum aliàs.

II. Celebriores, quorum nomina Scriptis hodieque præſcribuntur, fuêre, *Germanus* Conſtantinopolitanus Patriarcha, *Joh. Damaſcenus*, *Theophanes Confeſſor*, *Georgius Syncellus*, *Georgius Hamartolus*, *Nicephorus* Conſtantinopolitanus deinceps Patriarcha.

Germanus Conſtantinop.

Germani nomen quæ præferunt Opuſcula, in Bibliothecâ Magnâ Patrum, pleraque exaltandis *Imaginibus*, *Ligno Crucis*, *Deiparæ*, *Zonæ B. Virginis*, cordatioribus ipſis Pontificiorum aut exploſa ſunt, aut ſuſpecta, ipſi Bellarmino, ſi fortè Surium, Combeſiſium, Gretſerum, ac ſimiles excipias. Ingenuinis tamen habent Germani tres Epiſtolas, in causâ Imaginum, inſertas Actioni IV. Concilii Nic. *Tomo* VII. Concil. ſcriptas illas ſub Leone Iſauro, à quo ob pertinacem Iconoduliam Patriarchatu motus fuit, An. DCCXXX. Nec is ſtrangulatus tamen, ut poſteriores Græculi mentiti ſunt, quo in Martyrum Catalogum referretur. Facilè patimur Germani hujus cenſeri fœtum, Librum qui inſcriptus *Theoria Rerum Eccleſiaſticar.* in Tomo XII. Bibliothecæ M. Patr. Pariſienſis, ex quo non unum contrà Tranſſubſtantiationis dogma promitur argumentum. Cæterùm confunduntur perſæpè tres *Germani* Patriarchæ Conſtantinopolit. ſub Leone Iſauro Sec. VIII. ſub Alexio Comneno Sec. XII. & ſub Michaële Palæologo, Sec. XIII. Adi de priori Germano Photium quoque, *Cod.* CCXXXIII. Biblioth.

Joh. Damaſcenus Μανσὺρ.

Johannes à patriâ cognomento *Damaſcenus*, etiam Μανσὺρ, in Actis Nicænis, & apud Suidam, qui eſt ὁ Μανσὺρ *Manſuris filius* apud Theophanem, frequenter etiam *Chryſorrhoas* appellandus. Monachus is & Preſbyter Syrus, florens ſub Leone Iſauro, & Conſtantino filio, aſſertor *Orthodoxæ Fidei* contrà Hæreſes. Ac profeſſus initio ſtatim *Libri* I. ſolo illam Dei Verbo niti oportere, οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες, *nihil ultrà S. illas Literas requirentes*, Libris etiam *Propheticis*, rectè ab *Apocryphis* diſtinctis, *Lib.* IV. C. XVIII. Quid ſenſerit in causâ *Imaginum*, ex genuinis Damaſceni, & quæ aut de illo finxerit Auctor Vitæ ejuſdem, aut Johanni falsò adſcripta ſint ab Iconolatris, pluribus noſtra Hiſtoria Imaginum, *Sectione* II. & VII. Cæterùm ſi Damaſceni forent quæ illi tribuuntur Orationes de *Imaginibus*, aut Vita *Stephani Junioris*, aut *ſermo de Defunctis*, aut *Hiſtoria Barlaami* & *Joſaphati*, uti non eſſe certò perſuademur, collatione inſtitutâ cum aliis Damaſceni, colligendum cum Baronio fuerit, ad Ann. Ch. XXX. N. LXXV. *ſcatere mendaciis* & fabulis ſcripta Viri tanti, ex apocryphis narratiunculis. Inter has inſignis eſt de *animâ Faconillæ* precibus Theclæ, & *Trajani* illâ precibus Gregorii Dialogi, ex Orco revocatis: Ἀνιστορησίας hujus Johannis alias, Caſaubonus obſervavit *Exercit.* XIII. contrà Baronium. Præiviſſe inter Græcos Damaſcenum illi methodo tradendæ Theologiæ, quam imitati inter Latinos Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, ac primi Scholaſticorum, ſubtilibus nempè ratiociniis, diſtinctionibus, philoſophematis, in tradendo Myſterio *Trinitatis*, *Incarnationis*, &c. parciori ſæpè ex Scripturis demonſtratione, pridem obſervatum fuit. Sed de Scriptis Joh. Damaſceni, prolixè qui de Eccleſiaſt. Scriptoribus, & de Hiſtoriâ Literariâ, ac Theologi noſtrates paſſim, Albertinus, Dallæus, &c. commentati ſunt.

Georgius Sync. Theophanes, Nicephorus, &c.

Nihil hîc nos de *Georgio* Monacho, *Syncello* Taraſii Patriarchæ ſub Irene, undè *Syncelli* cognomentum, compilatore Chronographiæ, ex Africano & Euſebio magnam partem, ad tempora uſque Diocletiani: Aut de *Georgio Hamartolo*, Chronici Scriptore ad tempora uſque Conſtantini Copron. & cui falsò alia inſcripta, apud Gretſerum de Cruce, Allatium de Georgiis, &c. Aut de *Theophane* Abbate, & *Chronographo*, uſque ad tempora Leonis Armeni à Theophane laudati, quanquàm Iconomachi, à quo etiam Leone in exilium miſſus eſt ob pertinacem Iconoduliam, undè *Confeſſoris* illi ἐπωνυμίᾳ; Aut de *Nicephoro* Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui Breviarium *Hiſtoricum* deduxit uſque ad Ann. DCCLXIX. in rebus Conſtantini vulgò Copronymi, Breviar. verò *Chronographicum*, (ſi ejus eſt) ad tempus Mich. & Theophili; idemque poſteà referendus in Menologium Græcorum ob aſſertas Imagines, & laceratos Iconoclaſtas. Prolixa de his judicia extant Joach. Camerarii, Ant. Contii, Joſ. Sca-

Digitized by Google

Scaligeri in Animadverſionibus Euſeb. Gerh. Voſſii, Dion. Petavii, Jac. Goaris, Ph. Labbei, Leonis Allatii, Martini Hankii, aliorumque, nec ea Criſis hujus ſtadii eſt. Multa & nos de Theophane, ac Nicephoro Chronographis, vehementerque Iconolatris, in Hiſt. Imaginum *Sect.* III. & VIII. Sed & de *Theodoro Studitâ*, qui paginam utramque implet Baronianam, Viro cæteroquin præclaris ingenii, doctrinæ, & facundiæ dotibus inſtructo, ſed ad ſuperſtitiones, ſeditiones, ac ſuperbiam nato, quid ſentiendum ſit, fusè nos in dicto Opere, pag. 533. 564. &c.

Latini hîc omittendi. III. In *Latinis* & *Occidentalibus*, inclaruerunt Scriptis hoc Ævo non ità multi: Utque ſileamus *Joh. Beverlacium*, Archiep. Eboracenſem, qui Bedæ & Alcuino præluxit, in Scripturis commentandis; *Aldhelmum* Abbatem Malmesburienſem, initio Seculi VIII. de quo Uſſerius in Epiſt. Hibernicis, pag. 25. 26. *Windfridum* ſeu Bonifacium Moguntinum, de quo jam ſuprà *Cap.* II. IV. IX. alioſque cumprimis *Scotos* & *Britannos*, de quibus Balæi Centuriæ: Ne dicamus etiam *Romanorum* Præſulum Epiſtolas, inſertas Tomis Concilior. vel *Hadriani* I. ſcriptum pro Synodo Nicænâ, &c. præ cæteris memorandi hi ſequentes.

Beda. *Beda* ille *Venerabilis*, epitheto quo ſequenti demùm Ætate venit, & de quo jam ad ſuperius Seculum: Vitam is protraxit, non ad Annum uſque DCCLXXVI. *centenario* ità major, ut Baronio placuit, ſed ad Annum Æræ Dionyſ. circiter DCCXXXV. juxtà Weſtmonaſterienſem, & alios, ætatis circiter LXIII. denatus ipſo die Aſcenſionis: Malè enim Sigebertus, vivere deſiiſſe anno ætat. LIX. Chriſti DCCXXXI. quoniam hunc Annum notavit Beda in fine Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſcilicet eò uſque perductæ. Qui Bedæ *Vitam* ſcripſit, & *Tranſitum*, ut plerique Vitarum ſcriptores hujus & ſequentis Ævi, impoſtor Monachus fuit.

Fl. Albinus. *Flaccus Albinus* (Saxonicè ut videtur *Whitus*, *Whitanus*, quo nomine & alii) qui & *Alcuinus*, *Alchwinus*, natione itidem Anglo-Saxo, Auguſtini & Bedæ ſectator, Magiſter futurus & familiaris Carolo M. Abbas poſteà Monaſterii Ferrarienſis, dein Martini Turonenſis, cujus ſe *Matricularium* aliquoties vocat, uſque ad Annum emortualem DCCCIV. In maximâ is fuit apud Carolum gratiâ, undè barbarè vocat Anaſtaſius Bibliothec. *Delitioſum Caroli Regis*. Confunditur cum *Albino* altero, Ticinenſi Monaſterio præfecto, ſub Carolo Rege; & anterior alius fuit *Albinus* Abbas coævus Bedæ, adjutor illi in ſcribendâ Anglorum Hiſtoriâ, teſte ipſo Bedâ in Præfat. *Auctor antè omnes atque adjutor Opuſculi hujus Albinus Abbas reverendiſſimus, Vir per omnia doctiſſimus, extitit.* Diverſus etiam fuit *Albuinus* Epiſcopus, Zachariâ Pontifice, de quo Uſſerius Præf. ad Epiſtolas Hib. etiam Baluzius Notis ad Lupum Ferrar. De fundatâ autem ab Alcuino Academiâ *Pariſienſi*, diſſentiunt meritò Galli doctiores, omnium inſtar Joh. Launoius, de *Scholis Celebrior.* quicquid Balæus & alii affirmarint. Indubium eſt hunc Alcuinum, poſt Bedam Magiſtrum, palmam commeruiſſe in Scriptoribus hujus Seculi, frequentibus in Scripturas S. Commentariis, Tractatibus, Epiſtolis. Acerrimè ſe oppoſuit Hæreſibus in Conciliis damnatis, ſed & ejus temporis Hæreſi Felicianæ ſeu *Adoptianæ*, atque etiam ſuperſtitioni *Iconolatricæ*, pari cum Carolo M. ſtudio: Undè ſcripſiſſe *Epiſtolam ex auctoritate divinarum Scripturarum*, contrà *Imaginum adorationem*, teſtes ſunt Anglorum Chronographi ad Ann. DCCXCII. citati Uſſerio noſtro. Multa ex Alcuini Commentariis, in *Johannem* præcipuè, conficiendo commento Tranſſubſtantiationis aut Corporalis præſentiæ, produxère Theologi Orthodoxi, Albertinus, Dallæus, Claudius, &c. Undè edenda fuit *Confeſſio Fidei*, ſub *nomine Alcuini*, (Mss. habent *Albini*, qui plures fuerunt) obſtetricante primùm Chifletio Jeſuitâ A. MDCLVI. quæ contineret doctrinam Berengarianæ oppoſitam, quamque inanibus conjecturis, contrà Dallæum noſtrum, vindicare nititur Alcuino Johannes Mabillonus, *Analect.* T. I. à *pag.* 171. Nec ob præfixum nomen *Albini*, etiam nomen *Monachi*, quale nec geſſit Alcuinus, vel ob nonnulla Confeſſioni inſerta quæ conveniant iis temporibus, rectè conficias Alcuini fuiſſe eam Confeſſionem, ſanè ignoratam anteà. Niſi potiori jure illi adſcripſeris Librum de *Divinis Officiis*, aut *Poëmata* de Sanctis quibuſdam, quæ non eſſe Alcuini magnâ Eruditorum conſenſione firmatum eſt. *Alcuini* Epiſtolas novas XXVI. Catholicam fidem, pietatem, dilectionem ubique ſpirantes, edidit Mabillonus Analectorum T. IV. Tandem poſt Caroli Imperatoris ex Italiâ reditum, ſeceſſum impetravit ex Aulâ Principis, reliquum vitæ acturus in Scholâ Turonicâ à ſe fundatâ. **Mabillonus notatus.**

Paulinus Aquil. *Paulinus* Aquilejenſis Patriarcha, ſive Forojulienſis à tranſlatâ Sede Forum-Julii, ut coævus fuit Alcuino, & Carolo M. ità pari ſtudio animatus pro aſſerendâ Orthodoxâ fide, eliminandâ Iconolatriâ, & reſtituendâ diſciplinâ. Docet Sacro-Syllabus, de *Sanctiſſ. Trinitate*, adversùs erroneas Elipandi Toletani literas, inſertus Actis Synodi-Francofort. cui interfuit Paulinus; ſed & Symbolum, & Capitula Synodi Forojulienſis, Anni DCCXCI. in *Tomo* VIII. Conciliorum, *col.* 991. Dein ab Imperatore monitus, tres Libros adversùs Felicis Hæreſin Adoptianam, Anno DCCXCVIII. vulgavit. Dignior is Ævo meliore, cum Bedâ, Alcuino, & præſtantiſſimis ſub Carolo M. & Ludovico Pio Præſulibus: *Artem Grammaticam* olim profeſſum fuiſſe Paulinum, jam tùm in magnâ apud Carolum gratiâ, ex *Diplomate* Anni DCCLXXIII. refert Baronius ad Ann. DCCCII.

Paulus Diaconus. *Paulus* Warnefridi ſeu Winfridi filius, undè illi cognomentum, gente Longobardus, primò Diaconus Aquilegienſis fuit, hinc dictus Paulus Diaconus, dein Cancellarius Deſiderii, hinc aliquamdiu à Carolo detentus, effectus tandem eſt Monachus Caſſinenſis. Cùm alia ſcripſit hiſtorica, tùm inprimis *Hiſtoriam* Winilorum qui dicti Longobardi, ab Agelmundo Rege I. ſub finem Seculi IV. ad exceſſum Luitprandi, qui Rex fuit XXIX. denatus Anno vulg. DCCXLIV. In Edit. Hamburgenſi Frid. Lindenbrogii, adduntur tria Capita continuatæ Hiſtoriæ à morte Luitprandi. Miſcellæ Hiſtoriæ idem Paulus ex parte ſcriptor, ad Librum uſque XVII. continuatione additâ ex Theophane, & qui hunc tranſtulit Anaſtaſio Bibliothec. Digeſſit & *Homiliarium* ſeu *Poſtillarium* Eccleſiaſticum, in quo Lectiones ex Homiliis Patrum, unicuique feſtivitati per totum anni curriculum convenientibus, & quidem juſſu Caroli M. ex Præfatione. Scriptor pro temporum ratione & eruditus, & ingenuus, nec favens tyrannidi aut uſurpatis deinceps juribus Pontificum; quanquàm Gregorii I. cujus Vitam ſcripſit, ſummus admirator.

Scriptores alii. IV. Nomina ſcriptorum reliqua, quos inter *Fredegarius* continuator Gregorii Turonenſis, ſeu Auctor *Libri* XI. Hiſtoriæ, indè à rebus Guntrami Burgundionum Regis; *Ambroſ. Autpertus* Monachus Gallus, Scriptor Commentariorum in *Apocalypſim*, tempore Deſiderii Longobard. Regis, & cui multa alia aſſuuntur, &c. ex Trithemio, Balæo, Geſnero, Simlero, Poſſevino, Miræo, Voſſio, Labbeo ad Bellarm. Alex. Natali, Oudini Supplemento, Cave Hiſt. Literar. ac ſimilibus repetantur. Edidit quædam *Leidradi* Lugdunenſis, *Odilberti* Mediolanenſis, qui ſub Carolo M. vixère,

Digitized by Google

cum aliis id genus, Mabillonus in Analectis. *Caroli* autem M. Libros IV. adversùs Imagines, & ejuſdem alia Capitularia, diximus ſuprà, & infrà adhuc erit monendi locus. Cæterùm ſatis hic ſit indicaſſe fœdam ſervitutem Cæſaris Baronii. Nam ſi qui in memoratis ſcriptoribus, ſeu Græcis ſeu Latinis, aut Imaginum, Reliquiarum, Sanctorum ſuperſtitiones commendarunt, qualiter Germanus Conſtantinopolit. Joh. Damaſcenus, Theod. Studita, Theophanes, Nicephorus, & plures in Oriente Iconolatræ; aut etiam ſervierunt commodis Romani Pontificis, qualiter Bonifacius ille Moguntinus, & id genus Apoſtoli Paparum; ſic etiam in Papis Gregorius uterque, Hadrianus I. &c. in horum nempè ſanctitate, geſtis, miraculis recenſendis, implet Annales ſuos Cæſar. Si qui verò eminentiores doctrinâ, ſcriptis, pietate, ſed faventes minùs erroribus, ſuperſtitionibus, aut tyrannidi Pontificiæ, quales v. gr. in Occidente, Joh. Beverlacius Eboracenſis, Joh. Mailroſius, Claudius Clemens, Fl. Alcuinus, Paulinus Aquilejenſ. P. Warnefridi, &c. parciùs hi ferè vel memorandi, vel laudandi Annalium Scriptori, nulli horum certè, ac ne ipſe quidem Beda, aucturi *Sanctorum* numerum, aut *Martyrologio* Romano inferendi. Unus Paulinus, quandoque *Sancti* elogio à Romanis Scriptoribus ornatur.

Baronius notatus.

XI. *Status Gentiliſmi, Judaiſmi, Muhammedaniſmi, hoc Seculo.*

Gentiles qui ab errore revocandi.

I. Illatam lucem Euangelii in eas Regiones quæ Paganiſmi tenebris immerſæ jacuiſſent, in Weſtphaliam omnem, Friſiam, Saxoniam, Thuringiam, Bavariam, Ungariam, aliaſque Gentes, faciente præ cæteris *Carolomanno*, tùm *Carolo M.* & qui è Scotiâ cumprimis ac Britanniâ oriundi huic operi incubuerunt, ſed ſub nutu Romani, puta *Willibrordo*, *Clemente*, *Swiberto*, *Bonifacio*, *Virgilio*, *Lebvino*, *Ludgero*, &c. docuit ſuperior Hiſtoria propagati hoc Ævo Chriſtianiſmi. Quæ verò fuerint tùm ſuperſtitiones Gentilium, puta Thuringiorum, Saxonum, Friſonum, Hunnorum, Sclavorum, & id genus Gentium, quibus profligandis navarunt illi operam, referunt paſſim earundem *Chronica*, Crantzius in *Saxoniâ*, Aventinus in *Annalibus*, Cluverius in *Germaniâ*, & alii; Sed quoque docent *Epiſtola* Bonifacii ad Pontifices, & Pontificum ad Bonifacium, *Actaque* aliquot Synodorum in *Tomo* VI. Collectionis noviſſimæ. In his editus eſt, ex antiquiſſimo Codice MS. Palatino, de quo Lucas Holſtenius, *Indiculus Superſtitionum & Paganiarum*; à quibus populum revocari jubet Concilium ad Liptinas habitum ſub Carolomanno, Ann. DCCXLIII. Ex omnibus hiſce liquet:

Idola hoc ævo culta. Originationes quædam.

1. Inter Idola præcipua his Gentibus culta, fuiſſe *Jovem*, Germanis veteribus dictum *Taran*, *Thoran*, *Doran*, & tranſpoſitis literis *Tonar*, *Donar*, quaſi tonantem, undè voces *Tonner*, *Donner*, *Donder* pro fulmine, & *Donnerſtach*, &c. Proximus huic fuit *Mercurius*, memoratus in eodem Indiculo, pridemque Tacito, & Cæſari, præcipuus Germanorum Deus habitus, quem dixêre *Wodan*, *Wotan*, undè *Wodenſtach*, *Woenſdach*, pro Mercurii die; etiam *Godan*, *Gotan*, undè *God*, *Got*, pro Deo, & *gud*, *gut*, pro bono cujus fons Deus eſt. De Mercurii antiquis aliis nominibus *Thoyth*, *Thot*, *Theuth*, undè Theutones, ne dicam Θεὸς *Deus*, pluribus Eruditi, & fuſè Cluverius. Sed & *Mars* non infimus fuit Scythicarum & Germanicarum Gentium Deus, variis ſub nominibus cultus, etiam ſub illo *Thies*, *Ties*, *Tiis*, *Diis*, undè *Dieſtach*, *Dijſtach*, variè deinceps inflexâ voce. *Luna* etiam & *Veneris* ſumma tùm religio his Barbaris fuit, quarum poſtremam dixêre *Fream*, *Friam*, undè *fryen*, *frytach*, quibuſdam & *fruë*, *fraue*, quæ ſanè hujus diſquiſitionis non ſunt. Certum eſt *Magdeburgum* fuiſſe Veneri ſacrum, cujus in eâ Urbe fanum fuit & ſimulachrum, ponè eam tres Gratiæ, undè Parthenopolis, apud Crantzium. Dubium longè magis, an *Luneburgum* quaſi Lunæ ſacrum, cujus Idolum deſtruxerit Rex Carolus; ità fueritne *Merſeburgum* Miſniæ, quaſi ſacrum Hammoni Jovi; & quæ originationes aliæ improbatæ Crantzio, & Germanicarum rerum doctis ſcriptoribus.

Superſtitiones Gentiliſmi ejus temp.

2. Liquet, ex præfato *Indiculo*, coluiſſe Barbaras eas Gentes Numina ſua Fanis ſeu Caſulis, Simulachris, Feriis, Sacrificiis, Farre, Proceſſionibus, &c. Sed & acceſſiſſe ritus Sortilegiorum, Incantationum, Auguriorum, Superſtitionum circà defunctos, Phylacteriorum ſeu ligaturarum, Sacrorum per ſylvas, campos, alioſque id genus ritus; adminiſtris *Sacerdotibus*, quorum ſumma apud hos Populos auctoritas fuit, ut qui *Deorum* miniſtri ac familiares haberentur, undè eorum ex nutu cuncta pace belloque dependebant. Quo factum, ut in harum converſione Gentium, per Emiſſarios Romanæ Sedis, haud difficile fuerit illis perſuadere auctoritatem Romani *Antiſtitis*, ſed & *Epiſcoporum Sacerdotumque*, quos iis præfecerunt dictarum Gentium Apoſtoli, primipilo Winfrido ſeu Bonifacio. Sic aſſuetæ fœdis ſuperſtitionibus & illuſionibus ſuorum Augurum, Sacerdotum, haud difficiles admittere fictas Apparitiones, virtutes Reliquiarum, portenta per Imagines, & id genus Miracula, ac fabellas Monachales, de quibus ſuprà *Cap.* III.

De Judæis hoc Sec. quædam.

II. De *Judæis* hac Ætate retuliſſe ſit ſatis, 1. Floruiſſe eorum Scholas, Soranam cumprimis & Poumbeditanam, in tractu Babylonico, doctoribus qui *Geonim* dicerentur, de quibus ſuprà, & fuſè Judæorum Chronica, *Juchaſin*, *Zemach-David*, &c. 2. Conſpiraſſe eos paſſim in perniciem Chriſtianorum, cum Saracenis, quibus adjutores proditoreſque ſe adjunxiſſe, in Oriente, Africâ, Hiſpaniâ, teſtantur Annales. 3. Indè etiam nata Imperatorum in Judæos edicta, Leonis cumprimis Iſauri, Anno VI. Imperii, quibus edixit ut ad baptiſmum *cogerentur*; nec ferrentur hoſtes Chriſtiani nominis, ut ex Theophane, Paulo Diacono, Cedreno, Baronius quoque ad Ann. DCCXXII. Quod inter alia argumento eſt, fabellam eſſe de colluſione Leonis cum præſtigiatoribus Judæis, pro Imaginibus exterminandis. Sed exterminavimus nos eam ipſam, Hiſtoriæ Imag. *Sectione* II. à p. 48. ad p. 68. ut nullus deinceps Maimburgius, quantumvis æneæ frontis, reponere ſuſtinuerit. Agobardi Lugdunenſis tractatus varii, contrà *Judæos*, & eorum *ſuperſtitiones*, ad ſequens Sec. ſpectant.

Muhammedanorum progreſſus.

III. *Muhammediſmi* fuêre ſtupendi hoc Seculo progreſſus, & luctuoſi, prolixè deſcripti Zonaræ, Elmacino, Batricidi, Zacutho, Roderico Tolet. Marmolio, Lucæ Tudenſi, Leunclavio, Pocockio, &c. & ex his Baronio, vel etiam Forbeſio in Inſtructionibus. Adde qui res Seculi VIII. in Commentarios retulerunt, in ſpecie Arabum Hiſtoriam, qualiter Wolfgangus Drechſlerus, & J. H. Hottingerus. *Africâ* penè omni à Saracenis occupatâ, transfretarunt primùm in Hiſpanias, *Roderico* Rege Gotthico, ſed *Juliano* Comite Provinciæ Tingitanæ proditore, initâ cum Saracenis conſpiratione, in ultionem ſtupri filiæ à Roderico illati, quâ dein pellice uteretur. Primus Arabum in *Hiſpanias* & in Andaluſiam introitus, refertur ab Hiſtoricis Rerum Hiſpaniæ, ad Ann. Chriſti DCCXII. quanquàm Arabes Hiſtorici decennio anticipent, referantque ad Annum DCCII. Marmolio quoque obſervante, *Lib.* II. *C.* X. Atque ità XIV. ferè menſium ſpa-

Hiſpania occupata.

Digitized by Google

ſpatio potiti Arabes totâ Hiſpaniâ; à Columnis Herculis & Freto Gaditano, ad Pyrenæos montes; quinetiam armis uſque in Galliam Gotthicam ſeu *Aquitanicam*, & in *Narbonenſem* omnem prolatis; unde cum Francorum Ducibus Regibuſque deinceps prælia. Ac deletum ita Gotthorum regnum, quod à pulſis Hiſpaniâ Romanis, annis circiter ccc. ſteterat. Factum ſub *Gualid* vel *Walid* Chalifâ; & à Duce *Tarik* vel *Tarif* (qui primus ſuperato Freto Montem oppoſitum, olim *Calpem*, & Urbem illi adjacentem, occupavit) dictus Mons *Gibel-Taric*, unde *Gibraltar* corruptè, quo nomine & Urbs (olim Heraclea) & Fretum, venit in hunc diem. Quin ab eodem Duce *Tariffa nomen vicino oppido eſſe factum, cùm olim Tarteſſus diceretur, pleriq; arbitrantur*, ſunt Marianæ verba de *Rebus Hiſp.* L. vi. C. xxii. Si verò in cauſam inquiris, cur vindice Nemeſi permittenda Saracenis Hiſpania fuerit, cave credas cum piis omnibus, aut Roderici, aut Gentis facinoribus, occultiſve Dei judiciis, tribuendum. Una Baronio cauſa eſt, *quod Witiza* Rex, prædeceſſor Roderici, *ab obedientiâ ſe ſubduxiſſet Apoſtolicæ Sedis, quod deſciviſſet à Romanâ Eccleſiâ Regnum Hiſpaniæ*, tributarium ſcilicet & vectigale Romano Pontifici, ad Ann. dccxxii. N. xxi. Ibidemque Annalium Scriptor, ob eandem cauſam factum eſſe ut *collapſum ſit Imperium Orientis*, & ut *Africa paſſa ſit*, alibi etiam *Regnum Longobardicum*, *Exarchatus*, *Germania*, *Italia*, *Gallia*, *Britannia*. Unus arbiter Cœli Terræque Romanus Pontifex, alterâ manu Cornucopiæ præbens ſe adorantibus; alterâ fulmen vibrans, aut phialas irarum plenas effundens, in neſcios ferre jugum dominantis.

Baronius notat.

IV. Sed quæcunque fuerit Saracenorum ſive Maurorum in *Hiſpaniâ* tyrannis, inſtauratum tamen fuit hoc ipſo Seculo Regnum *Aſturum*, & *Ligionis*, Pelagio Rege, verâ Gotthorum Regum ſobole, excitato ignominiâ propriæ ſororis, quæ à Maurorum Præfecto *Manuſâ* capto puellæ pulchritudine, corrupta fuerat, Conjugii obtentu. Unde *Pelagius* Aſturum & Cantabrorum communibus ſuffragiis, belli Dux atque Hiſpaniæ Rex creatus, A. dccxvi. ut Mariana, *Lib.* vii. C. i. Cui Favila Filius, tùm Alfonſus, cognomento Catholicus, & poſt alios Alfonſus Caſtus ſub finem *Sec.* ſucceſſerunt. Adeò verò hi impares viribus & imbelles, ut tributum annuum 100. Puellarum, partem nobili, partem plebejo genere, Arabum libidini permittere, & pactiones addicere cogerentur. Excuſſit jugum præ cæteris *Alphonſus* II. Caſtus, Galliciæ atque Aſturiæ Rex; ipſeque tandem *Carolus M.* qui non ſemel in Hiſpaniam veniſſe traditur, cum partem quæ cis Iberum eſt, perdomuit, ut aliàs quoque obſervatum. Ac de his Rerum Hiſpanicarum Scriptores adeantur, Mariana & alii, etiam Rerum Francicarum illi, & Eginhardus in *Vitâ* Caroli M.

Schiſmata & diſtractiones Saracenorum.

V. Saracenorum in *Orientem* invaſiones, vaſtationes, prælia, latè victorias, ſed & clades ſub Leone Iſauro, & Conſtantino filio, horum Hiſtoriæ, & Byzantini referunt. Cæterùm magna *Saracenici* Imperii diſtractio contigit hoc Ævo, circà medium Seculum. Diviſi enim inter ſe Saraceni, in duas familias principes, *Ommiadarum* vel *Omaytarum*, & *Habbaſidarum*, à Chalifâ Abu-Habbaſi, & hæc alteram tandem oppreſſit, Anno Hegiræ cxxxi. Itâ poſt Marovani mortem, ultimi ex Omaytis, imperante Copronymo, alium ſibi Principem *Syri*, alium *Arabes*, alium *Perſæ*, alium *Ægyptii*, alium denique *Hiſpani*, elegerunt, uno tamen ſupremo Chalifâ. Ac quinque poſteà Chaliſæ reverà apparuerunt, diverſi & familiis & ſectis, ut inter cæteros Marmolius *Africæ* P. i. *Lib.* ii. C. xxii. Quorum unus ex Habbaſidis, Muhameth nempè, poſt Damaſcum deſtructam, ſedem ſuam habuit *Bagdadi*, ab A. dcccxiv. conſtructæ hoc Sec. ad Tigrim ſuprà ruinas *Seleuciæ* veteris, non (ut Arabes) Babylonis; Alter ſedit in urbe *Cairo* Ægypti, ſurrecturâ hinc ſub Suldanis ad ſtupendam magnitudinem, maximè ſub finem Seculi x. de quo idem Marmolius C. xxix. p. 274. Tertius *Fezzæ* Mauritaniæ, ad Occaſum; Quartus *Cairavani* Africæ Orientalis, ſeu Libyæ Cyrenaicæ, inter Tunim & Cairo; Quintus denique in *Hiſpaniâ* dominatus eſt. Quanquam Chalifarum ſedes principes, ac ſibi invicem adverſæ, duæ fuerunt, *Bagdad* & *Cairo*; uti & familiæ, *Habbaſidarum* illa & *Fatemitarum*; quarum poſterior in Ægypto oppreſſa ab *Ajoubitis*, indè à Saladino Rege, Seculo xii. Chalifarum nomen retinuerunt Bagdadenſes, ſub quibus *Veziri* ſeu Conſiliarii; Ægyptiis autem familiare *Sultanorum*, quaſi Vicariorum nomen fuit, de quibus aliàs.

Turci, *Turcæ*, vel *Zurki*, Gens Sarmatiæ Aſiaticæ ex Nomadum genere, unde *Turkeſtan* ad ortum maris Caſpii, Boream versùs, (quomodò *Turcomannos* adhuc νομάδες vocant) hoc Ævo celebrari cœpti, jacturi fundamenta ampliſſimæ dominationis. Nondum tamen hoc Seculo Arabum Sacra adoptarant, quando ex anguſtiis Caucaſi montis (Portas Caſpias vocant) & ex inacceſſis locis, in Aſiam excurſuri, in Colchidem, Iberiam, Albaniam imperante Conſtantino Copron. Anno Chriſti circiter dcclv. *Abdalâ* Saracenorum Chaliphâ. Hinc in Armeniam Majorem progreſſi, variâ cum Saracenis & Perſis fortunâ dimicarunt. Poſteà ab iiſdem in belli ſocietatem adlecti Turcæ, eorum ſtipendia aliquamdiu meruerunt, adversùs Indos & Bagdadenſem Chalifam: Poſteà pellecti in Muhammedanam ſuperſtitionem, tandem & *Perſiâ* potiti ſunt, dejectis Saracenis, deinceps in *Aſiam Minorem* effundendi. De quibus plura nos ad Secul. ix. x. ex Theophane, Miſcellâ, Laonico Chalcocondylâ, Marmolio, & Annalibus Turcicis, recentiores, ut Joh. Forbeſius, & alii.

Turci hoc Sec.

XII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi, ordine promiſcuo.*

I. Tomum *nonum* Annalium Eccleſiaſticorum conſperſit Cæſar Baronius recenſione *Miraculorum*, *Viſionum*, *Prædictionum*, ex Theophane, Cedreno, Impoſtoribus Græculis qui *Vitas* ſcripſêre J. Damaſceni, Andreæ Calybitis, Stephani junioris, Platonis Abbatis, Theodori Studitæ, Nicephori Patr. Methodii, ſimilium, item ex Metaphraſte, Fortunato, Sigeberto, Vincentio auctore ſpeculi Hiſtorici, &c. Eaque pro confirmando *Imaginum* B. Virginis, aut *Reliquiarum* B. Euphemiæ, ſimiliumque cultu, ac ſingularum deificâ virtute; pro plectendis ſeveriſſimè Iconomachis, Leonibus, Conſtantinis; & pro reddendâ conſpicuâ ſanctitate iſtorum Monachorum, ac Miniſtrorum Irenes, qui patrocinium Iconolatriæ ſuſcepiſſent: Et quidem horum inauditâ contumaciâ, perpetuis ſeditionibus, ac perduellione in Imperatores, ob rem ſuâ naturâ (ut Petavius agnovit) *mediam*, nec neceſſariam. Et iſta quidem prolixiùs à nobis expenſa fuêre in Reſtitutâ Imaginum Hiſtoriâ, *Sect.* ii. iii. & ſequentibus.

Nugæ & fabellæ ſuperſtitionum.

Accedunt *Pſeudo-Miracula* ſine fine ab eodem recenſita, vel *Apparitiones* tanquàm Petri Apoſtoli, Dionyſii Areop. Marcellini, Martini, & id genus Sanctorum, pro firmandâ eorum *Interceſſione*, *Invocatione*, & ulciſcendo hujus neglectu; pro fundandis *Abbatiis*, *Monaſteriis*; pro erigendis *Altaribus*, extollendo *Monachatu*, adſtruendo *Purgatorio*, & temporali dominatione *Pontificum* promovendâ, quo-

quorum de incremento prolixè jam ſuprà *Cap.* III. IV. VII. Nec ullum in his ſervavit imprudentiæ modum Annalium Scriptor, cui hoc unum propoſitum fuit, ut Romæ quidem gratiam ſibi plurimam, apud doctos omnes & ingenuos ludibrium ac contemptum, conciliaret. Singula exhibebunt Annales ad primum ferè conſpectum, & in his recenſendis plurimi Magdeburgenſes *Cent.* VIII. C. X. Quemadmodùm ferè toti ſunt in his tranſmittendis ad poſteros nugaces Monachi, qui *Chronica* aut *Vitas* conſcripsêre, & in iis plurimi Pſeudepigraphi, qui ſcilicet horum temporum *Nomina* nugis ſuis præſcripſerunt, ut pridem Caſaubono, Blondello, J. Capello, & Eruditis aliis obſervatum fuit, ac nobis in Commentario hiſtorico de Imaginibus.

Baronius notatus.

Reges Reginæque Monachatum amplectuntur.

II. Reges, Regináſque, & Principes commutaturos Sceptra & Coronas cum habitu & tonſurâ *Monachali*, & imperandi regulas, cum obediendi illâ quam tradidiſſet Benedictus Nurſinus, quæ una ferè tum obtinuit, frequentes hoc Seculum vidit. Nempè ex auctâ indies ſuperſtitione, opinioneque, ſic redimi peccata, ſatisfieri Deo, & pœnas *Purgatorii* accidi. Inducebant quoque ficta *Miracula*, quæ per Sanctos ſcilicet in Monaſteriis patrarentur, tantâ frequentiâ, ut illa *occultare aut cohibere pro virili ſtuderent*, *ne confluentium hominum turbas paterentur*, ità poſt Baronium ſuum Natalis Alexander, ex Chronicis Monachorum, ad *Sec.* VIII. p. 373. 374.

Invitus quidem *Childericus* III. poſtremus è familiâ Merovingianâ, anno ætatis XVIII. in Monaſterium, non ſine perduellionis crimine, truſus fuit Ann. DCCLII. probaturis Zachariâ & Stephano Pontificibus, in gratiam *Pipini*.

Carolomannus Francorum princeps, filius Caroli Martelli, Pipini frater poſt fuſos Barbaros, *Romam* conceſſit, ac tonſuram admiſit, An. DCCXLVI. ut Ado, Regino, & alii, Baronius refert ad Ann. DCCXLII. Ac tùm ſeceſſit in Monaſterium Caſſinenſe, ad abjectiſſima quæque, ex voto obedientiæ Monachalis, ſe demiſſurus, ut pluribus Francorum Annales. Tandem recludendus in Monaſterio Viennenſi, cum Filiis, facto Stephani III. & Pipini.

Antè eum *Hunoldus* Aquitaniæ Dux, poſt fratricidium admiſſum, in Monaſterium ſeceſſerat, circà A. DCCXLV. habitum non animum mutaturus; de quo ex Annalibus adi omnium inſtar Mezeræum *Tomo* I.

Ina Rex Anglorum (ſi tamen res fidem impetrat, memorante quoque Balæo, exaggerante multis Baronio ad Annum DCCXL. N. XIV.) cum Edilburgâ vel Ettelburgâ Reginâ, *perpetuo ſe ergaſtulo manciparunt*, admiſsâ tonſurâ, & Româ adoratâ; imò Regno vectigali facto Romanæ Sedi, *ſeu B. Petro*, ut loquebantur, uno teſte producto, Polydoro Virgilio ad Henricum VIII. Et eum antè, aſſumpſiſſe tonſuram Monachalem feruntur *Ceovulphus* vel *Ceolvulphus* Rex Nordanhumbrorum, dein *Eadbertus* ſeu Egbertus Rex ejuſdem gentis, dubiâ fortaſſe fide, apud Simeonem Dunelmenſem, *Lib.* II. Quæ ut ex Bedâ aſſerit Baronius, ad A. DCCXXXVII. N. III. IV. & DCCLVIII. N. IV. Idem ferunt Hiſtorici Anglicani de *Coenredo*, & *Offâ*, Regibus Oriental. Saxonum, hoc certè Rege potentiſſimo circà An. DCCXCIV. ut eſt Collectionis Anglicanæ *Tomo* I. p. 442. 774.

Rachiſis Longobardorum Regis, cum Theſiâ uxore, & Rotrudâ filiâ, ſimile factum referunt, *Zachariâ* Romano Epiſcopo, Anno DCCL. Quando ſeceſſit Rachis in Monaſterium Caſſinenſe, ſerâ deinceps facti pœnitentiâ, ex Anaſtaſio, Miſcellâ, Caſſinenſi Chronico, &c.

Adde *Adoſindam* Reginam Gallæciæ, Silone Marito viduatam, *remittentem nuncium Seculo Monaſticam vitam profeſſam eſſe*, referente etiam Baronio ad A. DCCLXXXIII. N. V. Addit certamen ejus Fœminæ & conſtantiam, adversùs Elipandum Toletanum, ad Hæreſim ſcilicet ſuam Adoptianam pellecturum hanc Reginam; de quâ re Mariana Hiſtor. *Lib.* VII. C. VIII.

Abbatiæ inſigniores hoc Ævo.

III. Surrexerunt hoc Seculo, Monaſticam vitam undequaque ſuſpiciente, *Abbatiæ* inſignes & *Monaſteria* ſine fine. In Germaniâ princeps Abbatiarum *Fuldenſis*, ad ripam fluminis Fuldæ, Anno DCCXLII. fundata à Bonifacio Moguntino, in ejus gratiam ingentibus privilegiis aucta fuit; inter quæ illud *independentiæ* omnimodæ præterquàm à Pontifice, deinceps etiam *Principatûs Imperii*, confirmante Bullâ Caroli IV. Idem independentiæ, ſeu ſupremæ juriſdictionis privilegium conceſſum hoc Ævo à Zachariâ, & Stephano III. in Italiâ, *Caſſinenſi* Cœnobio, & in Galliâ S. *Dionyſiano*, quâ de re adi Tomos Concilior. VI. & VIII. Concilia Galliæ Jac. Sirmondi, & Collectiones Benedictinas. De *Glaſtonenſi* in Angliâ Cœnobio, Magniſque Privilegiis quibus ab Inâ Rege fuit dotatum, Anglorum Chronica, & Uſſerius in Antiquit. Britannicis. *Albanenſe* Monaſterium, ab Offâ Rege fundatum ſimiliter memorant, ſub finem Sec. VIII.

Diſcrimen à ſeq. ætate.

Diſcrimen longè maximum fuit vitæ Monaſticæ hujus Ævi, ab illâ ſequentium Ætatum. Docent Canones Conciliorum, Epiſtolæ Pontif. Capitularia Caroli M. & Regula Benedicti, quæ ferè una in Occidente tùm obtinuit. Subditi Epiſcoporum juriſdictioni Abbates, & Monachi: Abſtinentia à carne & vino omnimoda fuit: Manibus victum ſibi quærere coacti: Fœminis nullus ad Eccleſias Monachorum acceſſus, *Liebam* tamen excipiente Bonifacio Moguntino: Ante annum XXV. conſecrare Virgines ſanctimoniales nefas: Monaſteria converſa in *Scholas* bonarum literarum, & ſacræ Diſciplinæ, quò frequenter *Caroli M.* conſtitutiones ſpectant, cumprimis illa A. DCCLXXXVII. cujus ſuprà mentio *Cap.* II. Undè etiam ſcriptores pleroſque horum temporum *Monachos* fuiſſe & *Abbates*, in propatulo eſt.

IV. Fabula verò inſignis eſt apud Monachum Sangallenſem, Libro I. *Cap.* I. II. III. de Geſtis Caroli Regis Franc. & Imperat. ad Carolum Craſſum: Auctores fuiſſe Carolo M. de ſtudiis literarum in Galliis & Occiduis mundi partibus inſtaurandis, *duos Scotos de Hiberniâ cum Mercatoribus Britannis ad litus Gallicum devenientes*, *Viros & in ſecularibus & in S. S. Scripturis incomparabiliter eruditos*: Hos *cotidiè cùm nihil oſtenderent venale*, *ad convenientes emendi gratiâ turbas clamare ſolitos*; *ſi quis ſapientiæ cupidus eſt*, *veniat ad nos*, *& accipiat eam*, *nam venalis eſt apud nos*, quum populum non gratuita, ſed *venalia*, mercari viderent. Et quidem *tamdiu ita clamaſſe*, pro inſanis habitos, donec ad aures Caroli Regis iſta perveniſſent. Qui quum interrogaſſet *an verè ſapientiam ſecùm haberent*, & *quid pro ipſâ peterent*, reſponderunt tantùm ſe *loca opportuna*, *& animas ingenioſas*, & denique *alimenta*, petere. Quo reſponſo gaviſus Rex, alterum quidem *Clementem* Scotum, *apud ſe in Galliâ reſidere præcepit*, *cui pueros* omnis conditionis *commendavit*, *& de alimentis & habitaculis opportunis* proſpexit; *alterum* Joh. Mailroſium Hibernum vel Scotum itidem, in *Italiam direxit*, *Monaſterio S. Auguſtini propè Ticinenſem Urbem* ejus Scholæ delegato. Quæ cùm audiiſſet *Albinus de natione Anglorum*, conſcenſâ navi venit ad Regem, inſtructiſſimus *in omni latitudine Scripturarum*, *utpotè Diſcipulus Doctiſſimi Bedæ*, *peritiſſimi poſt S. Gre-*

go-

Digitized by Google

gorium tractatoris. Quem uſque ad *vitæ finem Carolus apud ſe retinuit*, *Magiſtrum ſuum appellari* volens. Addit Monachus Sangallenſis, C. VIII. quum Carolus M. per *totum Regnum ſtudia literarum florere conſpexiſſet*, exclamaſſe, *O utinam haberem* XII. *Clericos ità dictos, ut fuerunt Hieronymus & Auguſtinus!* Ad quæ reſpondiſſe Albinum; *Creator Cœli & Terræ ſimiles illis plures non habuit, & Tu vis habere duodecim!* Fabulæ in pleriſque argumenta, (præterquàm quod ibi dicitur, Alcuinum impetraſſe à Carolo *Abbatiam S. Martini juxtà Turonicam civitatem*) ſunt iſta: 1. Alcuinum *Bedæ diſcipulum fuiſſe*, qui Beda vivere deſiit A. DCCXXXI. ut ſuprà viſum; Alcuinus autem exceſſit A. DCCCIV. vixdùm natus, aut infans certè ſub exceſſum Bedæ, alios ipſe Magiſtros memorans, imprimis *Egbertum* Eboracenſem Archiep. 2. Alcuinum veniſſe in Gallias, *audito quàm gratanter ſuſcepiſſet Carolus*, religioſiſſimos illos Scotos, Clementem & Mailroſium. Qui imò teſtatur cùm *Libro* I. adverſus Elipandum, tum *Epiſt.* XXIII. ad Carolum Regem, ſe in Galliam Carolo jubente accitum, evocatum *de ultimis Britanniæ finibus*. 3. Quod tota illa narratio de *ſapientiâ venali* in foro publico, expoſitâ à *Scotis duobus*, cum circumſtantiis ſuis, à nullis aliis confirmata, (præterquam fortè *Vincentio Bellov.* in Speculo Hiſtoriali, aut *Johanne S. Victoris* Cœnobii Canonico, in Memoriali Hiſtoriarum) fabulam Monachalem ſapiat. 4. Ut & illud, tempore Caroli M. *per totum ejus Imperium literarum ſtudia floruiſſe*; Quum de Scholis per Monaſteria & Epiſcopia paſſim inſtituendis laboraverit, circà A. DCLXXXVII. ex Conſtitutione quæ inter *Capitularia* Caroli habetur *Tom.* I. p. 202. & diu poſteà Concil. Cabilonenſe II. An. DCCXIII. juxtà Caroli præſcriptum, ſanxerit ut *Epiſcopi Scholas conſtituerent*, &c.

V. *Organa* Muſica, quæ inflantur follibus, & quorum uſus in Templis, hoc Ævo feruntur ad Germanos delata. Nec enim hujus Seculi inventum eſſe, jam à Doctis obſervatum eſt; uſus eorundem ſacer *Vitaliano* Papæ tribuitur, apud Polydorum L. VI. de Rerum Invent. C. II.

Ex quo impenſius Muſices & Cantionum ſtudium crevit, hoc magis barbaries bonas literas infecit. Adeò quidem ut Latinus ſermo purior barbarus eſſet pleriſque, & ejus loco *Sermo Ruſticus* obtineret, Latinus quidem nomine, ſed barbarus phraſi. Quo factum ut Patres Synodi Turonenſis III. mox ſubſequente Seculo ſub Carolo M. A. DCCCXIII. decernerent *Canone* XVII. *Ut quilibet Epiſcopus haberet* apud ſe *Homilias, continentes neceſſarias admonitiones*, &c. *Et ut eaſdem Homilias quiſque apertè transferre ſtudeat in Ruſticam Romanam Linguam, aut Theotiſcam* (Germanicam) *quo faciliùs cuncti poſſent intelligere quæ dicuntur.*

VI. Refert hiſtoriam an fabulam Agobardus, ad calcem *Libri*, contrà inſulſam vulgi opinionem de Grandine & Tonitruis; quod Baronius refert ad A. DCCC. *Num.* XXIII. *Accidit prodigioſum iſtud in Galliis, quod creditum operâ Grimaldi factitatum*, Ducis Beneventani, illius nempè contrà quem bellum geſſerat Carolus M. deinde qui à Carolo revocatus paternum ſuſcepit Ducatum. Ita autem Agobardus, dicto Libro *paragr.* ultimo: *Antè hos paucos annos diſſeminata eſt ſtultitia, cum eſſet mortalitas boum, ut dicerent Grimaldum Ducem Beneventanum, transmiſiſſe homines cum pulveribus, quos ſpargerent per Campos, & Montes, Prata, & Fontes, eo quod eſſet inimicus Chriſtianiſſimo Imperatori Carolo; & de ipſo ſparſo pulvere mori boves. Propter quam cauſam multos comprehenſos audivimus, & vidimus, & aliquos occiſos, pleroſque autem affixos tabulis in flumen projectos, atque necatos. Et quod mirum valdè eſt, comprehenſi ipſi adverſum ſe teſtimonium dicebant, habere ſe talem pulverem, & ſpargere.* En reliquias Pagani faſcini, quo homines illorum temporum dementati, quaſi ex tali pulvere *boves* morerentur, & quidem *ſoli*, non cætera animantia; ſparſo etiam, inviſibili modo, per *latiſſimas regiones* pulvere, ut Agobardus obſervat.

Monachi in Oriente.

Inſaniam Monachorum *Orientis*, Stylitarum, Anachoretarum horumque furores, anteſignanis Stephano juniore, & ſociis, Petro Stylitâ, Andreâ Cretenſi, Theodoro Studitâ, Platone Abbate, plurimis aliis; Undè etiam Edicta promanarint Conſtantini Imperat. pro abolendis *Monaſteriis*, & reducendis *Monachis* ad vitæ genus Reip. & Eccleſiæ proficuum, pluribus commemorat noſtra Hiſtoria Imaginum, *Sect.* IV. & VIII.

Memorabilia alia miſcellanea.

VII. *Memorabilia* in Occidente alia, quæ magis ad Civilem Hiſtoriam ſpectant, cum Chronographi fusè, tùm nos ex parte in præfatâ Hiſtoriâ, ac ſuprà *Capit.* II. IV. De *Carolo Martello*, Principe Francorum, ſublato An. DCCXLI. mittimus fabulas Monachales: Ex. gr. Sanationem miraculoſam virtute S. *Maximini* Archiep. Trevirenſis, longâ febri languenti Martello in ſomnio apparentis; apud Lupum Ferrarienſem in Vitâ S. Maximini, ex editione Baluzii, *Cap.* XII. Inprimis quod refertur in Vitâ S. *Eucherii* Aurelianenſis Epiſc. & totidem verbis in illâ *S. Rigoberti* Rhem. Archiepiſcopi, apud Surium, & habet Gratianus C. XVI. *Quæſt.* I. *Viſum à S. Eucherio, in oratione poſito*, & *rapto ad alterum Seculum, Carolum in inferno inferiori torqueri*; addente Angelo, *Sanctos* qui cum Domino Mundum judicabunt, Carolum ob rapta bona Eccleſiarum, Clericorum, Pauperum, *animâ & corpore ſempiternis pœnis* addixiſſe. Deinde, re ad Bonifacium Moguntinum, & Fulradum ſummum Pipini ſacellanum perſcripta, per hos apertum Caroli Monumentum, & loco Corporis viſum grandem Draconem *exeuntem* è ſepulchro, & totum hoc interius repertum eſſe *denigratum, ac ſi fuiſſet exuſtum.* Quod dein Epiſcopi, in Synodum *Creciaci* congregati, An. DCCCLVIII. ſcriptâ ad Ludovicum Germaniæ Regem Epiſt. confirmarunt, *ſe ex teſtibus oculatis* rem accepiſſe, quum jam à morte Caroli Martelli lapſi eſſent anni CXVII. Cæterùm ipſe Baronius ad An. DCCXLI. N. XVII. rem habet pro fabulâ, quum Eucherius *decennio* antè Martellum diem obierit. Sic nempè ſoliti terrere his terriculamentis, quotquot invaderent bona Clericorum, aut Monachorum, quod Carolus fecerat. Undè & *Martelli* poſteà cognomentum accepit, quod Clericos vexaſſet in bonis ſuis veluti ferrum incudis ferit; alii ad hoſtes Caroli retulerunt, quibus inſtar *Martelli* fuiſſet: Et Baluzius in *Notis* ad Vitam Maximini, à Lupo conſcriptam, occaſione *Miraculorum* quæ Sancto illi adſcribuntur, ut ſuprà in Sanatione Caroli Mart. ad verba Lupi, quod *in his ipſis quædam fabuloſis invenirentur ſimilia*, notat *pag.* Edit. Pariſ. 481. *Ergò jam tùm conſtabat Sanctorum Acta multis prodigioſis fabulis eſſe conſpurcata, ſemperque hoc in Orbe fuiſſe nonnullos, quibus nihil placere poteſt abſque portentis fabularum. Vitandas porrò eſſe Hiſtorico ſano fictas illas narrationes cenſebat Lupus; neque tamen vitavit. Tot enim fabulas inſignes huic Libro addidit, ut mirum ſit virum eruditum in tam manifeſtos ſcopulos impegiſſe.* Porrò Carolus moriturus Regnum Franciæ, ac ſi fuiſſet ſuum, inter tres filios diviſit, & *Carolomanno* natu maximo adſcribit Auſtraſiam, Sueviam, & Thuringiam; *Pipino* Neuſtriam, Burgundiam, ac Septimaniam; & *Griſoni* particulas quaſdam trium Regnorum, dein ſeceſſuro in Germaniam, & Bavariæ Ducatum occupaturo.

Digitized by Google

Memorabilia alia miſcellanea.

VIII. Hinc nata hoc Seculo in Galliis ſecunda Francorum Regum Dynaſtia, dicta *Carolovingiorum*, dubium an ex Carolo Martello, an vero ſit appellata ex Pipini Regis primo filio Carolo, qui poſteà Magnus & Imperat. Memorabilibus accenſe, *Exarchatum Ravennatenſem* tranſlatum ad Romanos Epiſcopos, ſub Stephano III. faciente Pipino, confirmante Carolo M. in Hadriano I. Sic Regnum *Longobardicum* cum Deſiderio Rege ultimo extinctum, Anno DCCLXXIV. *Saxones* ad iteratam deditionem, & ad fidem Chriſtianam, non longè poſteà à Carolo Rege adactos, *Wittikindo* & *Albione* præcipuis ducibus circà A. Chriſti DCCLXXXV. *Danos*, qui & *Nordmanni* appellati, hoc jam Seculo propè expirante Ann. DCCXCIX. effuſos in litorales oras, Carolo malè ominante ab his piratis, dein in Britannicas Inſulas, latiùs populaturos Ævo ſequente: *Britanniam* ferè totam, hactenùs in Regna plura diſtinctam, ſubmiſſuram mox faſces Seculo ſeq. uni Egberto vel Ethelbregto, coronato in Occidentalium Saxonum Regem, A. DCCC. deinde Anglorum *Monarchâ*. Et ſi quæ alia ab hujus loci commemoratione magis aliena ſunt. De *translatione Imperii* ad Carolum M. & Francos, quantum ſinet inſtituti ratio, nos ad Seculum ſeq. fuſiùs autem ſpeciali *Diſſertatione*.

FINIS *Seculi Octavi.*

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM NONUM.

Rat. Chronol.

INCIPIUNT hujus Seculi natales cum Anno Chriſti, ſecundùm Æram Dionyſianam, DCCCI. Ind. IX. cum *Imperii* Carolini in Occidente anno I. Regni ejuſdem *Francici* à morte Pipini, anno XXXIII. *Italici* autem à victo Deſiderio an. XXVIII. *Irenes* ſolius in Oriente imperantis, à nece Conſtantini Filii, an. V. *Leone* III. Romanam Sedem occupante, à morte Hadriani, annum inchoaturo VI. *Taraſio* autem Conſtantinopolitano Patriarchâ, qui cum Irene pro adorandis Imaginibus conſpirarat, & & cujus violenta imperia Stauracius non ampliùs tulit.

Ut in præcedentium Seculorum, ſic & in hujus Hiſtoriâ, ordine deſcribenda veniunt:

I. *Facies Eccleſiæ ſub initia Seculi* IX.

Facies Eccleſiæ ut luctuoſa. Cauſæ variæ. Baronius notat.

I. B*ifrons* quodammodò apparet Eccleſia in hujus Seculi primordiis; facie alterâ triſti & luctuoſâ, lætiore alterâ & portendente meliora, ſaltem in Occidente.

Triſtis utique fuit rerum facies, quicquid diſſimulet eam Cæſar Baronius, exorſurus hoc Seculum, An. DCCCI. à rebus juxtà cum Eccleſiæ lætis & fortunatis: Nempè à profuſo luxu, per *Leonem* in Romanas Baſilicas illato, & à laudibus impiæ *Irenes*, mox ſolio deturbandæ; fœdè illi adulato *Theodoro Studitâ*, ſuperbiſſimo ſimul ac ſuperſtitioſiſſimo Monacho. Nos in hujus Seculi natalibus deploramus:

1. Creſcens dominium Romani *Antichriſti*, ſedentis in Templo Dei, ac ſuprà Reges & Imperatores ſeſe efferentis. Prolixè docet hiſtoria ſuperioris Ævi, in factis Gregorii utriuſque, Zachariæ, utriuſque Stephani, Pauli, Hadriani, & Leonis III. Pontificis, electi Anno exeunte DCCXCV. Undè factum, ut hic ipſe Leo, expirante Seculo octavo, & *nono* oriente, vindicaret ſibi poteſtatem, re cum Romanis communicatâ, appellandi Carolum *Auguſtum*, *Romanorum Imperatorem*, *Magnum & Pacificum*, miſſo æternùm repudio Imperatoribus Orientis; quâ de re poſteà.

2. Adde ſtupendam in *Clero* propemodùm omni ignorantiam, in *Monachis* ignaviam, in utriſque luxuriem, fœdamque corruptionem, ac laxata fræna *Diſciplinæ*. Quò reſpiciunt perpetuò Capitularia, & Synodorum Ævi ſuperioris decreta, augendâ deinceps mali labe. Vide præter noſtra ad ſuperius Sec. quæ ad hujus initia, in *Rebus Eccleſiæ*, notavit Mezeræus Hiſtoricus.

3. Qui etiam irrepſiſſent jam ſeu in *Doctrinâ* errores, ſeu in *Ritibus* ſuperſtitiones, ſeu in *Cultu* Idololatria, in ſpecie circà Imagines, fovente hanc Irene Imperatrice, cum Taraſio Patr. Theodoro Studitâ, &c. docuimus fusè ad Seculum præcedens Cap. III. IV. VII. & in noſtrâ *Hiſtoriâ Imag. Reſtitutâ.*

4. Acceſſit ad culmen Chriſtianæ infelicitatis creſcens indies potentia *Saracenorum*, qui jam Aſiam univerſam occupabant, ad Indorum uſque fines; ſed & omnem Africam; omnem propè, certè nobiliorem, Hiſpaniam; vaſtationibus ſuis ulteriùs infeſtaturi Gallias, Apuliam, Calabriam, Græciam, Siciliam, Cretam inſulam, Cyprum, de quibus loco ſuo. Infeſtiſſimus omnium Chriſtianis *Aaron Rachid*, Chalifa ab Anno DCCXCII. mox initio hujus Sec. cum *trecentis* armatorum *millibus* Romaniam omnem vaſtaturus, ut pluribus ex Arabibus Marmolius, Parte I. *Lib.* II. C. XXI.

5. *Nordmanni* quoque, ſive *Dani*, à Saxonibus Idololatris excitati, jam cœperant ſub finem Sec. VIII. odio Chriſtianæ Religionis, ſed & Francici ac Carolini nominis, pyraticam exercere & in oras Maritimas graſſari: Carolo M. peſſima indè ſuis Francis augurato, ut notat Mezeræus, ex Annalibus, ad Ann. DCCXCIV. Ac de Normannis fuſiùs, loco ſuo. Acceſſit ad publicas in Occidente calamitates, horribilis *Terræmotus*, qui Aprili menſe Italiam, Galliam, Germaniam concuſſit, ut Montes, Urbes, Baſilicæ, & Ædificia nobiliſſima, paſſim conciderent, ex Reginonis *Chronico*, &c.

II. Fuère tamen quæ bonos ſolarentur, in illâ temporum calamitate, ac ſpe meliorum erigerent. Nempe, Solatia Eccleſiæ initio Sec. IX.

1. *Victoria* latè terrarum Caroli M. modò proclamati Romanorum in Occidente *Imperatoris*, adorante ipſo Leone III. Pontifice, poſt impoſitum Carolo Diadema. Hinc ſubacti nuper fuerant Francorum armis *Thuringi*, *Saxones*, poſtremò rebelles Anno DCCCIV. Sed domitâ tùm quoque ultimò rebellione, ac præciſis illi à Carolo M. radicibus, factâ in terras alias tranſlatione ferocis Gentis. *Hunnorum* etiam illas paulo antè devaſtarat, Gentis Scythicæ originis, tenentis eam Pannoniæ partem, quæ inter Aniſim, Rabam, Dravum, fluvios, ad Ortum Bavariæ, undè *Auſtria* nomen. Victricia etiam Caroli arma experti jam fuerant *Sclavi*, & horum propagines *Wilſi*, *Vinidi*, *Bohemi*, inter Albim & Viſtulam extenſi, ad Mare uſque Balticum, ſeu Gotthanum Sinum. *Saracenos* etiam Caroli potentia mirum in modum coërcebat, ambituros hujus Principis amicitiam, ex Africâ, & Hiſpaniâ; quin ex Perſide, *Aarone* Perſarum Rege, ſplendidiſſimâ legatione, & muneribus, ſub initium hujus Seculi, Carolum ornante. De quibus prolixè Francorum Annales, & Chronica ad Ann. DCCCI.

2. *Virtutes* tanti Principis; cui nihil ampliùs cordi eſſe conſtabat, quàm Chriſtianam fidem propagare, Barbaros exſcindere, ſuperſtitionem, Idololatriam, Hæreſes extinguere, barbariem & ignorantiam profligare, extirpare flagitia quæ Clerum, Magnates, Populos coinquinarent; & partim ſuis Legibus ac Capitularibus, partim exemplo ſuo, præire ad omnem laudem, virtutem, pietatem. De *Capitularibus* Carolinis poſteà.

3. Diſtractiones Imperii *Saracenici*, de quibus in Muhammediſmo ſuperioris Seculi, *Cap.* XI. Undè ex uno ſupremo *Chaliſatu*, non duo modò ſurrexerant, quorum ſedes Bagdadum, & Cairo, ſed & horum

horum Chaliſarum Vicarii, in Mauritaniâ, Libyâ, Hiſpaniâ, Perſide, excuſſo jugo principatum ſinguli invaſerant, in ſe mutuò armis infeſtis graſſaturi. Quâ de re Hiſtoriæ Saracenicæ ſcriptores adeundi, memorati nuper dicto Capite XI. Seculi VIII.

4. Non duraturum Imperium *Irenes*, cujus ſub jugo gemebant in Oriente Iconomachi: Omnium jam odiis expoſitæ Fœminæ, ambituræ quidem nuptias *Caroli* M. ſtatim à proclamato eo Imperatore Occidentis, ſed mox conjuratione Procerum, Duce Nicephoro Patricio, movendæ Imperio, A. DCCCII. cui admotus idem *Nicephorus*. Ac de his Theophanes, Miſcella, Zonaras, Francorum Annales.

II. *Propagatio Chriſtiani nominis hoc Seculo.*

Inter Saxones.

I. Sua hoc Ævo non quidem initia, ſed tamen incrementa habuit inter *Saxonum* Populos propagatio Chriſtianiſmi, poſtquàm penitùs ſub jugum redacti fuêre à Carolo M. qui poſtremò rebellaverant Holſati Saxones, An. DCCCIV. Pars horum in *Helvetiorum* regiones tranſlata Genti huic fertur dediſſe originem, impatienti alieni jugi, ac ſuis finibus tutæ. Et ut Saxonas ab apoſtaſiâ deterreret Carolus, Epiſcopos gladio armavit, ac Tribunal quoddam erexit ſeveræ Inquiſitionis. Conſentiunt Chronica, & fusè de his Crantzius in Metropoli, *Lib.* I. & in Saxoniâ *Lib.* II.

Inter Danos & Suecos.

II. Propagata hinc religio Chriſtiana ad vicinos Saxonibus *Danos*, tùm *Suecones*, ſub Ludovico Pio Caroli M. Filio. Factum referunt, circà Ann. DCCCXXVI. operâ præcipuâ Anſgarii Corbejenſis ad Viſurgin Monachi, ubi novum Monachorum collegium à Lodovico erectum fuerat. Promovit rem eam Lodovicus Imperator, undè is Anſgarius vulgò *Danorum* & *Suevorum* dictus *Apoſtolus*, Hamburgenſi Eccleſiæ primus deinceps præficiendus, à reditu ſuo ex præfato Apoſtolatu. Et *Haraldus* vel *Herioldus* Aquilonarium Regum primus baptiſmo tinctus fuit, cum familiâ, in Urbe Moguntinâ, auxiliares copias à Ludovico impetraturus, ut Danorum Regnum quo exutus fuerat ſibi aſſereret. Ac cum eo profectus primùm fuit *Anſgarius*, in miſſionem ſeptentrionalem. Quâ de re adeundus præ cæteris Crantzius in *Metropoli*, *Lib.* I. C. XIX. XX. & *ſeq.* Saxo Grammaticus, Adamus Bremenſis, Helmoldus, cæterique Danorum & Gotthorum Annales. Addunt ſocium Anſgario *Ebbonem* Rhemenſem priùs Archiepiſcopum, ſed civilibus negotiis in Galliâ implicitum, hinc movendum Archiepiſcopatu, ſeditionis in Imperator. Ludovicum, nec unius ſceleris convictum, quod factum A. DCCCXXXV. ex Francorum Annalibus. Hunc tamen in Germaniam profugum ad Anſgarium, Hildeſemienſis Eccleſiæ geſſiſſe deinceps Epiſcopatum, pluribus idem Crantzius, *Lib.* I. C. XXX. Ludibrium verò debet Annalium Scriptor, qui ad Annum DCCCXXVI. N. XL. XLI. prolixâ declamatione in Danos Suecoſque Proteſtantes, ut *ter-miſeros Novatores*, *degeneres* à *tantorum Apoſtolorum doctrinâ*, & *alienos filios*, debacchatur. Supponens Romanam omnem Idololatriam per hos Doctores eò illatam; non veriùs Caroli M. & Ludovici Pii purgatiorem diſciplinam, à cultu Iconolatrico certè alieniſſimam, ut aliàs oſtenſum.

Baronius notat.

Inter Hunnos, & Sclavonicæ originis Gentes.

III. Perveniſſe & fides Chriſtiana nonnullis dicitur ad *Hunnos* & *Avares*, Carolo M. imperante, trans Iſtrum in Daciâ Barbarâ habitantes, quæ hodie Hungaria ſuperior, Tranſſylvania, Walachia, Moldavia. Ità Alcuinus in *Epiſtolis*, Chronica quædam, & Aventinus in Annalibus Bojor. *Lib.* IV. Quanquàm ferocire nondum hæ Gentes deſierunt, à quibus *Hunn-Avari*, *Hungari*, *Ungari*.

Sclavonicæ gentes per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Poloniam*, contiguas cognataſque regiones diſperſæ, tùm per *Illyrici Occidentalis* Provincias, Croatiam, Raſciam, Dalmatiam, hoc etiam Seculo Chriſto nomen dediſſe referuntur, apud Sigebertum, Æneam Sylvium in Hiſt. Bohemorum, Cromerum, Aventinum, Laſicium, Chytræum, reliquos Sclavonicæ & Polonicæ Hiſtoriæ Scriptores. Ac pervulgatum illud eſt de *Cyrillo* & *Methodio*, harum Gentium Apoſtolis (qui Collegæ veriùs quàm Fratres fuerunt) permiſſuris iiſdem vernacula Sacra, ſeu linguâ Sclavonicâ, vel Illyricâ, poſt conſultum Nicolaum I. (alii Johannem Papam, circà Ann. DCCCLXXX.) auditamque cœlitùs vocem, *Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei!* Meritò enim hæ Gentes *Latinæ* linguæ ignorantiam cauſabantur, quo veluti vinculo jam tùm ſtuduit Roma ſibi populos mancipare. Verùm hæc prima tantùm Converſionis harum Gentium ſemina fuêre, perficiendæ Seculis ſequentibus, ſed Romano ritu, id eſt, ſuperſtitioſo jam tum & Idololatrico.

De Converſione Bulgarorum. Lis de juriſdictione mota.

IV. Inclyta cumprimis hoc Seculo *Bulgarorum* converſio fuit, Gentis ex Scythiâ Aſiaticâ, ad Volgam fluv. trans Iſtrum in Thraciam, Mœſiam, Dacias, & Illyricum utrumque effuſæ, ad Dravum uſque, ultra quem Hunnicæ ſeu Pannoniæ Gentes conſederant. Potentiſſima tùm gens fuit, perpetuis bellis fatigatura Græcorum Imperatores; quorum Metropolis ſeu Regia *Achris*, *Achrido* Bulgaris, quæ quondam Juſtiniana prima, Patria Juſtiniani Imperat. in Patriarchalem Sedem ab eo evecta, in utriuſque Illyrici ſita confiniis. Et inductus quidem Bulgarorum Rex fertur ad Chriſtianam fidem à ſorore ſua, in bello à Græcis captâ, poſt à Michaële III. Imperatore, ſancito cum Bulgaris fœdere, ſuis reſtitutâ, medium ultrà Seculum IX. Zonarâ referente, *Tomo* III. Annal. Undè acceſſiti Româ, Nicolao I. Pontifice, favente tùm Græco Imperatore, qui recentes è Gentiliſmo populos in fide Chriſtianâ erudirent, ſimul & Romanæ Sedi ſubjiciendos, reſpondente ad conſulta Bulgarorum Nicolao I. Capitulis CVI. inſertis Concil. *Tomo* VIII. *col.* 516. & *ſeq.* Sed mox Græcorum nata æmulatio, contendentium Bulgarorum Eccleſias ſubjici oportere Conſtantinopolitano Patriarchæ, jam olim Orientali Imperio ſubjectas. Quæ res, ſub Baſilio Macedone, miſſis à Bulgarorum Rege Oratoribus, acriter diſceptata inter Ignatium Conſtantinopolit. & Legatos Romani Pontificis, graviſſimis contentionibus originem dedit, Hadriano II. & Johanne VIII. vel IX. rem hanc fortiter agentibus, fusè apud Anaſtaſium Bibliothecar. in *Vitâ* Hadriani II. & in *Præfatione* Octavæ Synodi illi præfixâ, *Tom.* VIII. Sed hac de re poſteà in Hiſtoriâ Schiſmatis vulgò Photiani, & Synodi VIII. Græcorum.

Ruſſi an Chriſtiani hoc Sec.

V. Refert quidem Zonaras, Parte III. Annal. (non Georg. Cedrenus, ut nuperus Hiſtoricus) *Ruſſos* ſeu *Moſcos*, Scythiæ Populos, hoc Seculo compulſos ad Chriſtianam fidem, Baſilio Macedone imperante. Sed converſio eorum veriùs adſcribenda Baſilio II. ſeu Juniori, Seculo X. inclinato; poſtquàm Annam ſororem Ulodimiro ſeu Wolodimiro Moſcorum Duci deſponſaſſet, eâ lege ut Græcorum ritus Ruſſi ſuſciperent. Quâ de Gentis Ruſſicæ converſione, ex Moſcoviticæ Hiſtoriæ ſcriptoribus, nos loco ſuo. Ad *Indos* quoque *Malabares* Chriſtiana Religio propagata fertur, hujus Sec. initio, poſt A. DCCC. Per Syrum quendam nomine *Mar-Thomam*, qui magnâ fuerit apud eas Gentes au-

Digitized by Google

auctoritate, aliàs Neſtorianum, & à quo omnis de *Thomâ* Apoſtolo, apud Indos prædicatione, miraculis, Cruce adoratâ, martyrio, ſepulturâ, in Urbe *Maliapore*, traditio derivanda eſt: Vide Maffeum, de *Reb. Indicis Lib.* VIII. in noſtris Dallæum *de Cultûs Rel.* Objecto, *Lib.* V. C. VI. Plura de *ampliatione* Eccleſiæ, qui volet, & *converſionibus* Barbarorum, adeat Catalogum Teſtium Verit. & Centurias Magdeburgenſium, ad Secul. IX. Ubi certa ab incertis, vera à fabuloſis haud ſatis diſtinguuntur; inter quæ variæ ſunt *miraculorum* circumſtantiæ, ſolâ nixæ Monachorum fide, dignum Baronianis Annalibus argumentum.

III. *Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum, aliorumque deinceps Principum, in Reformandâ Eccleſiâ ſtudium.*

Carolus M. cur Romæ non relatus in Sanctos? I. De Caroli M. in reſtituendâ propagandâque fide Chriſtianâ, & Clero reformando, inſigni ſtudio, ſummatim diximus ad Seculum VIII. *Cap.* II. Continuavit in eo verè Chriſtianiſſimus Princeps, ad Annum uſque DCCCXIV. quo vitam cum morte commutavit. Longè dignior Carolus qui in *Sanctorum* numerum referretur quàm ſuperſtitioſiſſimi Reges Reginæque, ſolâ ſuperſtitione, & in Romanam Sedem obſervantiâ, Canonizationem promeriti. Sanè is in Aquisgranenſis & Gallicanæ Eccleſiæ Tabulis inter *Sanctos* apparet, V. *Kal. Febr.* Patronus idem variarum Eccleſiarum, & Univerſitatis Pariſienſis, Scholæ Bononienſis, Tigurinæ, &c. Neque tamen in Romanum Martyrologium inferri ejus nomen Pontificibus placuit. Prætextus Baronio eſt, ad Ann. DCCCXIV. N. LXIII. quod *conjugalem ſanctitatem Concubinarum introductione fœdaverit.* Quod *falſitatis* arguunt ipſi Francorum Annales, & nuper Natalis Alexander, T. XV. C. VII. Art. I. *uxores* non *concubinas* interpretati, quas ſuperinduxit poſt Luitgardis obitum conjuges, ſextam, ſeptimam, & octavam. Veræ cauſæ non Canonizati Caroli, ritu Pontificio, præterquàm à Paſchali Antipapâ A. MCLXI. hæ fuerunt: 1. Impugnata à Carolo omnis Iconodulia, Libris IV. de Imaginibus & in Concilio Francofortano, invito Hadriano I. 2. Paparum auctoritas coërcita, & jus ſibi vendicatum, pientiſſimorum Regum ad exemplum, ſanciendi *Leges*, ſeu Conſtitutiones *Eccleſiaſticas*, quoad Doctrinam, Diſciplinam, Ritus, Mores etiam Clericorum, in *Capitularia* collectas, quia Capitulis diſtinctas, quibus ipſi Romani Pontifices obſequium debuerunt. Et hîc impeditum modò videbimus Baronium, inaniſſima declamantem.

Ludovicus Pius. Inſtitit paternis veſtigiis *Ludovicus Pius*, incredibili hujus in Diſciplinam Eccleſiaſticam ſtudio, tollendis exceſſibus Epiſcopatuum, Clericorum, Monaſteriorum, & adſtringendæ ſeveriori diſciplinæ, quæ ſoluta in omnem licentiam atque impietatem videbatur. Unde exclamatio illa Platinæ, in Gregorio IV. Cleri Romani deſcripturus luxum, & Siculas dapes, & Attalica ornamenta, ac vaſa Corinthiaca: *Utinàm noſtris temporibus Lodovice viveres! Indiget nunc Eccleſia tuis ſanctiſſimis inſtitutis, tuâ cenſurâ, adeò in omnem luxum & libidinem ſeſe effundit Eccleſiaſticus Ordo.* Inde etiam flagraturus ſummâ invidiâ Cleri Gallicani *Ludov. Pius* Auguſtus, à quo perduelles Filii in Patrem accenſi, nefariâ conſpiratione exauctorandum, in Synodo apud Compendium Palatium, Anno DCCCXXXIII. Sed conatu magis quam effectu. Nec dubium conſpirationis conſcium fuiſſe Gregorium IV. Pontificem, cum primariis Galliæ Præſulibus, & factionis anteſignano Ebbone Rhemenſi Archiepiſcopo, ut infrà pluribus, Cap. VI. contrà Baroniana effugia. Nec territi tamen eo exemplo fuêre Succeſſores, *Lotharius* I. *Ludovicus* II. Lotharii filius, *Carolus Calvus*, ad Imper. admotus: Miſſis Romam qui Papas coërcerent, convocatis ſua auctoritate Synodis, pro emendandâ Eccleſiâ, Diſciplinâ, Clero, *prædatoriè* quidem & *tyrannicè*, ut vellet Baronius ad A. DCCCLV. N. IV. & paſſim in Annal. Sic etiam confirmatis ſæpè laudatiſque *Capitularibus* Caroli M. & Ludovici Pii, teſte Baluzio in *Præfat.* & novis etiam additis, apud Goldaſtum, Sirmondum, Baluzium eundem, in *Tomo* II. Capitular. promovendæ reformationi nefandorum exceſſuum.

Reformatio qualis? II. Hi igitur *Principes*, ad Davidis, Ezechiæ, ac Joſiæ exempla, quibus & ſe tuiti non ſemel, id ſibi negotii datum crediderunt, ut Eccleſiam ad Scripturarum & Veteris Diſciplinæ normam emendarent, non expectato Pontificum Romanorum aſſenſu, adſcitis verò in conſilium pientiſſimis Epiſcopis & Sacerdotibus. Undè frequentes *Synodi* pro inſtaurandâ Eccleſiâ, & de rebus ſacris *Capitularia*, collecta primum ab Anſegiſo Abbate, Anno DCCCXXVII. tùm aucta à Benedicto Levitâ Moguntino, Ann. DCCCXLV. multiſque deinceps acceſſionibus ſub Carolo Calvo, & Succeſſoribus locupletata, ac noviſſimè Ann. 1677. collecta & emendata, poſt aliorum operas, à Stephano Baluzio, Tomis duobus. Emendatio facta fuit in *Doctrinâ*, *Cultu*, *Diſciplinâ*, *Moribus*.

In Doctrinâ. Quoad *Doctrinam*, Ex. gr. injuncta Clero eſt Lectio aſſidua Scripturarum, prædicatio ſecundùm eaſdem Scripturas S. & ſolas, promptio, *ex Vet. Novique Teſt. Scriptis, eorum quæ vera ſunt, & ſaluti omnium proficua*, ex Concilio Aquiſgr. II. Ann. DCCCXXXVI. Itâ Verſio earundem in Vernaculum ſermonem commendata; curante Ludovico Pio transferri in Linguam *Theudiſcam*; materia etiam prædicationum præſcripta, quoad theoriam & praxim, credenda & facienda, ſecundum Doctrinam Euangelii & Legis. Itâ ſummotæ Traditiones incertæ, Dubiæ narrationes, ac *Pſeudographia* omnes. Videantur imprimis Capitularis Aquiſgranenſ. An. DCCLXXXIX. Capitula XX. LXXVI. LXXX. & quæ illa deinceps exceperunt ſub Carolo M. & ſub Ludovico Pio, indè à Capitulari Aquiſgranenſi A. DCCCXVI. & ſecutiris.

In Cultu. Quoad *Cultum*, acerrimè reſtiterunt pii Imperatores Iconoduliæ omni, omnique adeò Idololatriæ, ut ex Hiſtoriâ noſtrâ Imaginum pluribus conſtat, *Sect.* VII. IX. Miſſas privatas ſine communicantibus, Peregrinationes religionis & meriti cauſâ, venerationem incertorum Martyrum, cultum Dei Linguâ ignotâ, nec intellectâ auditoribus, infrequentem Communionem (quæ *omni die Dominico celebranda* eſſet, *Canone* XXII. *Aquiſgranenſis* II. Capite III.) id genus alia vehementer improbaſſe, docent paſſim præfata Capitularia. Pariter vaniſſimis *ſuperſtitionibus*, non modò circà Imagines, ſed & in *exequiis mortuorum*, in *examinationibus* ſuprà Crucem, aut per Aquam Frigidam, in ritibus id genus, interceſſiſſe Imperatores, indè quoque conſtat, ſpeciatim ex *Libro* I. Capitular. & ex *Additionibus*.

In Diſciplinâ Cleric. & Monaſt. Pro inſtaurandâ *Clericali Diſciplinâ*, & *Monaſticâ*, fœdum in modum collapsâ, & à cujus corruptione mali omnis in Eccleſiâ labes eſſet, proque emendandâ *vitâ* omni *moribuſque* Chriſtianorum, dici vix poteſt quantâ animi contentione incubuerint in hanc rem optimi Principes. Hinc proſcripta damnataque frequentiſſimis Capitulis, Sacerdotum, Monachorum, ac Canonicorum otium, ignavia, inſcitia, avaritia, uſuræ, rapacitas, luxuria, concubinatus, ebrietas, Simonia, typhus Seculi, venationes Epiſcoporum, id genus alia. Monaſteria

 etiam

Digitized by Google

etiam à Ludovio Pio diſtincta totâ Franciâ, quæ & *dona*, & *militiam facere poſſent*, eâ Conſtitutione quam Andreas Du-Cheſne *Tomo* II. Collectionis Hiſtor. Francorum. Interdicti pariter, ſalutaribus Conſtitutionibus Ludovici Pii, modi omnes acquirendi illegitimi, quibus Eccleſia aut Monaſteria diteſcerent in fraudem *liberorum*, *propinquorum*, *hæredum*. Sic etiam indiſcreta *Puellarum velatio*, antè annum ætatis XXV. damnata, & quoque *puerorum oblatio* quæ non ab ipſis parentibus fieret, *patre aut matre*, deinceps confirmanda ab ipſis pueris *tempore intelligibili*. Præſcriptæ regulæ, qualiter ſe in Officio gerere omnes oporteret, in Concionibus, Miſſis, Catecheſibus, Viſitationibus, Ordinationibus, Synodis, Monaſteriis, in diebus Feſtis, Dominicis, & in omni vitæ conſuetudine, præſertim circa Fœminas. Docent vel indices ſingulorum Capitularium, cumprimis Annorum DCCLXXXIX. DCCCXVI. DCCCXVII. in *Libro Primo* Collectionis, & Canones Conciliorum, *Tomo* VII. VIII. IX. Ac viguit hæc ratio Diſciplinæ, in Galliâ, Germaniâ, Italiâ, donec Romanorum Pontificum auctoritas, & creſcens ſuperſtitio, ac Cleri dominatus, artesque Monachorum, ſed & bellorum calamitates, Capitularium uſum interrumperent, quod factum fuiſſe ſub initia *tertiæ* Monarchiæ Francorum, monet Stephanus Baluzius, poſt Petrum de Marca *Lib.* V. Hiſtoriæ Bearn. id eſt, Seculo X. nondùm expirante. De *Pœnitentiâ Publicâ*, juxtà veterem Diſciplinam reſtituendâ, ex Conſtitutionibus Ludovici, & Canonibus variis, infra monebimus.

Ælfredi in Angl. reformatio. III. Nec intra ſolius Imperii Carolini fines, navata opera fuit repurgandæ Eccleſiæ, hoc Seculo IX. Laudem hanc quoque in Britanniâ promeruit *Ælfredus*, ſeu *Alvredus* verè Magnus, poſt omnem Angliam & Cambriam ſeu Walliam, huic Anglo-Saxonum Regi ſubjectam, antè finem Seculi IX. cum quo iſte vivere deſiit. Ac præter admiranda alia hujus Principis, pace belloque geſta, domi foriſque, præter ſanctitatis inſigne exemplum, clementiæ, vigilantiæ, prudentiæ, paternæ ſollicitudinis, beneficentiæ in egenos, una illi cura fuit reſtituendi Chriſtianiſmi, ſapientiſſimis de Religione legibus, ac Scholarum fundatione. Nec in his pependiſſe à nutu aut ſententiâ Pontificis, quicquid Cæſar Baronius, & Nicolaus Harpsfeldius mentiantur, uſum verò auctoritate Regiâ, pluribus Johannes Spelmannus in *Vitâ* Ælfredi Regis, Libro III. *Art.* XCVII. *& ſeq.* quam Annotationibus illuſtrarunt Oxonienſes. Quo factum, ut eximiâ illâ ac rarâ ſanctitate, non meruerit tamen adſcribi *Sanctorum* ordini, pari ſorte cum Carolo M. Certiſſimo indicio, *non omnia de ſententiâ Romani Pontificis adminiſtraſſe*, nec ſe huic *regendum permiſiſſe*, ut ibidem Spelmannus. Idem Ælfredi Scripta, Collectanea, Chronica, Tranſlationes in Linguam vernaculam, poſt alios, pluribus refert. De Oxonienſi Academiâ, deque Cantabrigienſi, ſtatim.

Baronius cum ſuis prolixè notati. IV. Mirum verò dictu eſt, quas ſeſe in formas verterit Baronius, ad Annos DCCCI. DCCCXIX. DCCCXLV. &c. ejuſque Apologiſta Gretſerus contrà Goldaſtum, occaſione tot Eccleſiaſticarum Legum & Capitularium, quæ ab ipſis Principibus, conſultis ſanè Epiſcopis, non conſulto tamen aut expectato Romano Pontifice, promanarunt. Hinc illi, ut contendant Regibus & Imperatoribus nullum tùm fuiſſe jus in Eccleſiaſticis, ſed nec ſibi hujus quicquam vendicaſſe Carolum M. unum ac ſummum jus relictum Pontifici, ad vaniſſima commenta confugerunt. Hujuſmodi illa Annalium Scriptoris, 1. Carolum M. aut nullas aut perpaucas leges de novo condidiſſe; cujus tamen pluſquàm LX. Conſtitutiones, ad res Eccleſiaſticas ſpectantes, præter Capitula ſparſim inſerta Legibus Longobardicis, Baluzius notat in Præfatione.

2. Feciſſe Imperatores Regeſque ex *nutu* & *permiſſu* Epiſcoporum, in ſpecie *ex auctoritate Romanorum Pontificum*, nec niſi eorum Decreta promulgaſſe, ac Sacro-Sanctorum Conciliorum. Damus ſanè revocaſſe Carolum & Succeſſores, quoad fieri potuit, veterum Canonum diſciplinam; ſed fecêre per modum Legis Regiæ, auctoritate ſupremâ, vel ex *Præfationibus* Capitular. ad Joſiæ exemplum, dein Conſtantini M. Theodoſii, Juſtiniani, ut *terrarum Domini*, non ut *Epiſcoporum Vice-Domini*, ſcribente Carolo Calvo ad Hadrianum II. Anno DCCCLXXI. apud Hincmarum, *Tomo* II. p. 706. Undè accipiebantur Capitularia à Cancellario Palatii, & per miſſos Dominicos executio demandabatur Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ut pluribus idem Baluzius. Quod magis eſt Romanos Pontifices in illorum obſervantiam, *irrefragabiliter cuſtodiendorum & conſervandorum, & nunc & in ævum, quantùm valerent*, ſemet obſtrinxiſſe, docet exemplum Leonis IV. Pontificis, apud Ivonem Carnotenſem, P. IV. C. CXVI. & Gratianum, *Diſt.* X. C. IX. *De Capitulis vel præceptis Imperialibus*. Ubi purgavit ſe ſcriptâ Epiſtolâ Leo ad Lotharium Imperat. adversùs accuſationem, quaſi *is Capitularia Regum Francorum contemneret*, obſervante & nuper Natali Alexandro, in hoc Leone, *Tomo* XV. Quod Baronius ad Ann. DCCCXLVII. nequicquam reſtringere nititur *ad jura Imperialia* quæ, ex *pacto* ſpeciali inter Leonem & Lotharium Ludovicumque Filium, Leo ſe ſervaturum promitteret; explodente hanc exceptionem Baluzio, in *Præfat. lit.* c. quem vide.

IV. *Scholæ, Academiæ, Epiſcopatus, &c. his temporibus fundati.*

Fecit verò plurimùm ad inſtaurationem Doctrinæ ſacræ, ſed & Diſciplinæ, illa bonarum Literarum, *Scholis* & *Academiis* hoc Seculo excitatis, in Franciâ, Italiâ, Germaniâ, Britanniâ, Viriſque Eruditis iiſdem præfectis, qui in flagranti fuêre Principum gratiâ. De quibus ex Chronicis, & Annalibus, ex Antonino, Trithemio, Crantzio, Virgilio, Balæo, Blondo, Magdeburgenſes, Illyricus, Stuckius, Hoſpinianus, Baronius, Poſſevinus, Uſſerius, Launoius Tract. de *Scholis celebrioribus* per Occidentem, &c.

1. Inter Academias prima dignitate cenſetur *Pariſienſis*, cujus fundamenta jeciſſe vulgò fertur Carolus M. circà finem Seculi VIII. ſuadente ac promovente Alcuino Anglo-Saxone, & Clemente Scoto ſeu Hiberno, Bedæ diſcipulis. Sed fabuloſæ videntur circumſtantiæ ex Chronico Sangallenſi, ex Sabellico, aliiſque; de Clemente illo, & ſocio Johanne Mailroſio, in Galliam delatis cum Mercatoribus, ac *ſapientiam* ſibi *venalem eſſe* in publicum clamantibus, hinc accerſitis à Carolo M. & præfectis, altero quidem Pariſinæ, altero Papienſi Scholæ. Fabulæ indicia deteximus ad finem *Sec.* VIII. Peſſimè etiam confuſi *Johannes* ille, cum altero *Johanne Scoto*, qui Erigena, de quo infrà, & *Clemens* iſte Pariſinus Magiſter, cum altero Clemente, de quo ſuprà *Sec.* VIII. C. VI. Certum eſt multum contuliſſe ad fundandas Literarum Sedes conſiliis ſuis Alcuinum, qui vulgò præceptor Caroli M. hinc paſſim audit *Fundator Studii Pariſienſis*, in Chronico Chronicorum, in Magno Chronico Belgico, & apud Helinandum, Trithemium, multoſque his recentiores. Certum etiam ſub Ludovico Pio, & deinceps, floruiſſe cum maximè Pariſiis Bonarum Literarum ac Linguarum Studia: Undè *Univerſitatis* illi poſteà nomen, ſed ſequenti Ætate, ſeu *Generalis*

Acad. Pariſienſ.

lis Studii; ac prærogativæ ejus Academiæ matris, Patronum hodieque Carolum M. reveritæ.

Italicæ Acad.

2. Acceſſêre in Italiâ Scholæ inclutæ, ac præ cæteris *Papienſis* ſeu Ticinenſis, *Patavina*, *Bononienſis*, Carolo M. in Italico Regno fundatore, vel inſtauratore certè. De quarum origine, & incrementis, præter Italicarum rerum Scriptores, & Polyd. Virgilium, alios, adeundus Hoſpinianus, de *Scholarum Origine*, vel Launoius de *Scholis Celebrioribus*. Plura nos etiam ad Seculum XII. ubi de Juris *Civilis* introductione in Bononienſem Academiam primùm, indè & alias.

Scholæ Germaniæ, &c.

3. In Saxoniâ inferiore, Germaniâ, Bavariâ, Helvetiâ, ejuſdem Imperatoris auſpiciis, aut *Scholæ* publicæ apertæ, & Academiæ erectæ, inter quas prima *Oſnabrugenſis*, propè caſtrum ſeu arcem Wittikindi, Anno DCCCIV. Græcis & Latinis literis dicata, apud Crantzium, *Metropol.* L. I. C. II. Aut Collegia *Canonicorum* Secularium inſtituta, qualiter in Cathedralibus Eccleſiis v. gr. Moguntiæ, Coloniæ, Treviris, Salisburgi, ſed & Tiguri, cujus Collegium hodieque *Carolinum* nuncupatur: Aut *Abbatiæ* inſignes fundatæ, & *Monaſteria* ſtructa, qualiter Fuldenſis, de quâ in ſuperiori Sec. Hervordenſis deinceps in Weſtphaliâ, Corbejenſis ad Viſurgim, Lindavienſis ad Lacum Acronium, Abbatiæ aliæ, abituræ in Principatus. De quibus adi, ex Chronicis, Rod. Hoſpinianum *Hiſt. Monachat.* Nec illa alio inſtituto, ut jam monitum aliàs, quàm ut in bonis literis, & Sacrâ Diſciplinâ, ac præcipuè in Scripturis S. inſtruerentur qui deinceps initiandi Sacris Ordinibus eſſent Clerici, vitæ genere ad Regulas Benedicti compoſito, ac legibus ſeverioribus adſtricto, frequentibus exercitiis pietatis. Sed mox Collegia illa in *Cantionum* Miſſalium Scholas, in luxûs Officinas, & pompæ mundanæ, vivo jam Ludovico Pio, Theatra abiverunt, reformatione nequicquam tentatâ. Monaſteria verò in fœdos Carceres, & deſidiæ, ignorantiæ, ac ſuperſtitionum latibula deſiiſſe, res ipſæ teſtantur. Quâ de re jam ſuprà, ad *Sec.* VIII. C. II.

Academia Oxon.

4. In Angliâ ſub Ælfredo Rege, Gentis totius Monarchâ, ſurrexit *Oxonienſis* Academia, circà An. DCCCLXXXV. vel DCCCLXXXVI. poſt Grimbaldi in Angliam adventum, accerſiti ab Ælfredo inſtaurandis literis. Undè apertæ ibi Grammaticis, Mathematicis, Philoſophicis, ac Theologicis literis *Schola*, hinc nova ibidem Collegia ſeu Aulæ ſtructæ, ac ſplendida ex ſaxo Ædificia, in Scholarium uſum & commoda, novæ etiam docentium diſcentiumque Leges, quaſcunque alias ſuo tempore, ut à majoribus acceptas, Scholares Oxonienſes obtenderent. Et hæc acerrimis tùm litibus anſam dediſſe, Grimbaldo hinc Wintoniam ſeceſſuro, referunt Annales Wintonienſes, Acta, Scripta, Chronica Britannorum alia, citata Uſſerio in *Antiquitat. Britann.* à *pag.* 340. & nuper in *Antiquitatibus* Academiæ Oxonienſis, & in *Vitâ* Ælfredi Magni, atque ad eam *Annotationibus*; è Collegio Magnæ Aulæ Univerſitatis Oxonienſis, quod Ælfredo fundatore ſuperbit.

Cantabrigienſis.

Cantabrigienſem Academiam, ut à Sigeberto Rege ſtructam, circà Ann. DCXXX. Polydorus Virgilius Italus, & qui ex eo ſapit Middendorpius Germanus, ac vulgò Cantabrigienſes Defenſores & Alumni, antiquiorem *Oxonienſi* eſſe cenſent, duobus & ultrà dimidium Seculis. Sed Bedæ locum, de *Sigeberto Scholam inſtituente in quâ pueri erudirentur, juxtà morem Cantuariorum*, Hiſt. Anglorum *Lib.* III. C. XVIII. ex quo uno Cantabrigienſis Acad. πρωτογένησιν derivarint recentiores, nihil ſpectare ad Cantabrigiam, nec ad Univerſitatis Studia, multis Oxonienſes nuperi, *Annotat.* ad Vitam Ælfredi, à Spelmanno concinnatam. Ac nota eſt inter utramque Academiam, de antiquitate concertatio, utriuſque alumnis Almæ ſuæ Matri vindicaturis primos natales.

Epiſcopatus fundati.

VI. Tandem in fundandis augendiſque *Epiſcopatibus*, & evehendis ad culmen dignitatis, & immunitatum, cumprimis in Germaniæ & Saxoniæ partibus, liberaliſſimi fuêre Carolus M. & Ludovicus Pius, auctoritate Regiâ & Imperatoriâ, Pontificiâ tum in his nullâ. Quâ de re ex Crantzio, & Germanicarum rerum Scriptoribus, præ cæteris adeundus Hermannus Conringius, Vir in his Antiquitatibus illuſtrandis facile princeps, de *Epiſcopat. Germ.* Jamque ad ſuperius Seculum recenſiti Epiſcopatus à Carolo M. inſtituti, quorum primus *Oſnabrugenſis* fuit, propè occupatam arcem Wittikindi Ducis Anno DCCLXXX.

Alter Epiſcopatus inſtitutus ultrà Viſurgim, in Ooſtphaliâ ſeu Orientali Saxoniâ, *Selingſtadii*, ſeu Ooſtervici, transferendus non longè poſteà *Halberſtadium*.

Tertius fuit *Mymyngrodenſis*, in mediterraneis Weſtphaliæ, deinceps *Monaſterienſis* appellandus, à ſtructo ibi inſigni Monaſterio in gratiam nobilium Virginum.

Quartus fuit *Verdenſis* ultrà Viſurgim, Swiberto Anglo-Saxone primo ejus Epiſcopo; Cui per eadem tempora quintus adjunctus *Epiſcopatus* eſt, *Bremenſis* videlicet ad Viſurgim, An. DCCLXXXVIII. Friſiis aliiſque Saxonibus continendis, qui huic Diœceſi adſcripti fuerunt.

Sextus fundatione proximus fuit *Mindenſis* Epiſcopatus, ad Viſurgim conſimiliter, Wittikindo Arcem ibi ſuam ità dividente, ut non exiguum in eâ *circum* ædificandæ Eccleſiæ, & Epiſcopo recipiendo, adſcriberet; Undè factum illud *Min, Din*, quaſi Meum & Tuum, hinc *Minden*, ut pluribus Crantzius, *Metrop.* L. I. C. IX.

Aulicenſis hinc ſeptimus Epiſcopatus excepit, in Orientali Saxoniâ, loco inter duos rivos confluentes, in quo frequens erat *Aula* Caroli Regis. Sed *Hildeshemenſis* poſteà dicendus, haud longè ab indè ædificatâ Eccleſiâ ſub Lodovico Pio, & tranſlato in eam Epiſcopatu, famâ neſcio cujus miraculi, in Imagine Virginis eò loci perpetrati.

Paderburnenſis tandem fundatus Epiſcopatus, expirante Seculo VIII. poſtquàm Leo III. Pontifex ad Carolum Regem, Paderburnæ tùm commoratum, ſeſe contuliſſet; conſecraturus ibi Eccleſiam de novo inſtauratam.

Hamburgenſis vel *Aammaburgenſis* ſucceſſit, Seculo IX. inchoato, cujus Pontifex Nord-Altinis ſeu Borealibus regionibus, ubi Holſati, Thietmarſi, Dani, invigilaret. Sed in Metropolim demùm ſurrexit Hamburgum ſub Ludovico Pio, primo ejus Archiepiſcopo Anſgario vel Anſchario, Corbejenſi antè Monacho, Wormatiæ conſecrato Ann. DCCCXXXIII. Vide hac de re Diploma Ludovici, apud Sirmondum, vel apud Baluzium Capitular. *Tomo* I. *col.* 681. &c. Cumprimis adi Lambecium in Anſgarii *Vitâ*, & *Hamburgenſi* Hiſtoriâ.

Nati poſteà Epiſcopatus in Wandalicis partibus, ac ſecuturâ Ætate, ab Othone I. ſubjiciendi *Magdeburgenſi* Metropoli, puta *Meersburgenſis*, *Miſnenſis*, *Havelbergenſis*, *Brandenburgenſis*, *Aldenburgenſis*, &c. De quibus non hîc diſſerendi locus eſt, ex Crantzio, & ex Germanicarum rerum Scriptoribus.

De Angliæ *Epiſcopatibus* ac Diœceſibus ortis ſub Ælfredo, ut Wintonienſi, Cornubienſi, Wellenſi, &c. Anglorum Annales & Chronica, ac de Britanniâ & Britannicis Eccleſiis Scriptores, Camdenus, Uſſerius, Spelmannus, Anglia Sacra, &c.

V. *Cer-*

Digitized by Google

V. *Corruptionis nefandæ in Romanâ Eccleſiâ progreſſus, incrementa, in Doctrinâ, Cultu, Diſciplinâ, Moribus.*

I. Quicquid verò moliti ſint optimi Principes, reſtituendæ ex Scripturis Doctrinæ, extirpandæ Iconolatriæ, Cultu reformando, Superſtitionibus eliminandis, Clero & Monachis reducendis ad veterem Diſciplinam, ipſiſque Romæ Pontificibus ſubjiciendis Imperatoriæ Majeſtati, nimis quàm increvit hoc Seculo per civiles & bellicas calamitates, indulgentiamque Principum, vitio Cleri, ambitione Pontificum, deſidiâ Monachorum, fœda corruptio, ac verè Antichriſtiana, in *Doctrinâ*, *Cultu*, *Moribus*, *Regimine*. Quorum exempla quædam ſubjicienda ſunt, ex teſtibus quos ne ipſa reprobet Roma, eò tamen ſuccinctiùs quod huc faciant quæ prolixè commemorata ſunt, ad *Secul.* VIII. C. III. IV. VII. & quæ modò de Reformatione per Carolum M. & Ludovicum Pium Auguſtos.

Corruptio Doctrinæ. II. *Doctrinam* quod attinet, ſanè retenta Romæ *Symbola*, & *Confeſſiones* Catholicæ fidei, contrà priorum Seculorum Hæreſes, paſſim in Synodis confirmandæ. Immota fuit fundamentalis de *S. Trinitate* fides. *Scriptura S.* Veteris & Novi Teſt. habitæ regula fidei & morum. Sacramenta *Baptiſmatis* & *Euchariſtiæ* adminiſtrata. *Oratio Dominica* cotidie repetita. In *Epiſcopis* ac *Presbyteris* legitima electio, probatio, ordinatio, functio, Canonibus requiſitæ, cum relatione utique ad inſtitutum Chriſti & Apoſtolorum, quid pii Epiſcopi venerati ſunt. Sed eſſentialibus illis Chriſtianiſmi, Antichriſtianiſmus indies ſupperadditus, ac præceptionibus Apoſtolicis impuriſſimæ *Traditiones*, in doctrinâ, in cultu, in ritibus, quæ Papiſmi ſummam conſtituerunt.

Indubium igitur eſt, doctrinam de *Papæ Romani* univerſali in Eccleſiâ poteſtate, quandoque etiam in temporalibus, per Romanos Pontifices, & horum Emiſſarios, ſtudioſè fuiſſe hoc Seculo promovendam; pluribus ad *Caput* ſequens rei documentis, vel uno nobis teſte Baronio in *Tomis* IX. & X. Annalium: Adde quæ à Flacio Illyrico in *Catal.* Mornæo in *Myſterio Iniq.* & à Scriptoribus de Primatu, aut de Poteſtate & Juribus Principum, obſervata.

Scripturis S. nimis quàm additæ, ſed & prepoſitæ, *Traditiones* Romanæ Eccleſiæ, auctoritas *Petri*, decreta mandataque *Pontificum*, ac *Conciliorum* non modò verè *Univerſalium Canones*, (quales commendavit Carolus M. non ſemel, in *Præfat.* Capitularis I. & deinceps) ſed & Canones muſtei in Conciliis *Romanis*, aut in *Pſeudo-Nicæno* Græcorum, aut à *Legatis* Pontificiis profecti, Auguſtino juniore, Theodoro, Bonifacio, ſimilibus Apoſtolis, aut denique qui in *Regulas Monaſticas* abiviſſent.

Doctrinam de cultu religioſo *Imaginum*, & *Pſeudo-miracula* ab his profecta, promoviſſe pro virili in Oriente Monachos, & quotquot addicti eſſent Romano Pontifici, cumprimis à morte Theophili, mariti Theodoræ, ſeu ab Anno DCCCXLII. alibi docuimus. Par doctrina fuit in ditionibus Pontifici Romano obnoxiis, & paſſim intrà Monaſteria. Par & ratio doctrinæ de *Crucis* aut *Reliquiarum* virtute; de *Invocatione Sanctorum*, & *Cultu Deiparæ*; de *Purgatorio* igne, & *Miſſis pro defunctis*; de ſanctitate *Feſtorum*; de meritis *Monachatûs*; de neceſſario *Cœlibatu*, ſcil. contrà *Nicolaitarum Hæreſim*, (ſic vocari cœpta doctrina de nuſquam interdicto Clericis conjugio, & ſic Aventinus vocat Connubia Clericorum, ad hoc Secul.) de prohibitis *Conjugiis* in *ſextâ* etiam generatione, & ob ſpiritualem, quam dixêre, cognationem, &c. Quæ paginam ferè utramque faciunt, in Chronicis ad hoc Seculum, in Vitis Sanctorum apud Surium, in Monumentis variis Seculi IX. apud Sirmondum, Baluzium, Mabillonum, alios, in Canonum ac Capitulorum Collectionibus, & in ipſo Annalium Scriptore Baronio.

In ſpecie hoc Seculo defendi acerrimè cœpta eſt *præſentia Corporalis* in Euchariſtiâ, anteſignano Paſchaſio Ratberto Corbejenſi Monacho; tùm & *Pelagianiſmus* incruſtatus, per adverſarios Godeſchalci Monachi Orbacenſis. Quâ de re, ſpeciali Capite, infrà.

III. Quibus ex doctrinis intelligitur, *Cultum* penè omnem Chriſtianiſmi, qui unius Dei eſt, & Chriſti, in ſpiritu & veritate, fuiſſe cultu *Idololatrico*, ac fœdis *ſuperſtitionibus* coinquinatum: Quantum quidem licuit per Romanos Pontifices, per Clerum his devotum, & per Monachos totum penè ut Orientem, ſic & Occidentem impleturos, à quibus omnis propè ſuperſtitio. Cultus Idololatricus, ſuperſtitioſus. Præter *Officia* hoc Seculo verti cœpta in *Beneficia*, & non requiſitam ampliùs *Reſidentiam* Paſtoralem, ac *functiones* S. Miniſterii; ut nempè ſufficeret recitatio *Horarum Canonicarum* privata, quocunque in loco, extrà reſidentiam Paſtoralem: Ut de his plura apud *Fr. Paulum Sarpi*, Theologum Venetum, Tractatu de Beneficiis in Gallicum verſo.

Sed & novæ indies *Reliquiæ*, novi *Sancti*, novæ *Fabulæ*, nova *Feſta*, nova *Monaſteria*, novæ *Superſtitiones*, ſine fine & modo. Ex. gr. hoc primùm Seculo aut inventæ, aut tranſlatæ paſſim in Urbes & Baſilicas *Reliquiæ* innumeræ, anteà ignoratæ, fundaturæ eædem Baſilicas, ac beaturæ ſcilicet Regna, Provincias, Urbes. Hinc ut fundationibus id genus locus eſſet, cùm precibus & jejunio quærebantur Corpora Martyrum, tùm fictis apparitionibus & miraculis prodebantur. Vide ipſum Baronium, ut paſſim ſic ad Ann. DCCCXVI. Num. LIII. ad An. DCCCXXVI. Num. VII. &c. ex Eginhardo, Adone, Surio, id genus teſtibus. Eminent inter illas Reliquiæ *Cypriani* Carthaginenſis, ſub Carolo M. in Franciam delatæ, ex munere Aaronis Arabum Ducis, apud Sigebertum: Caput *Pantaleonis*, eodem tempore in Franciam illatum; ut ſuperiori Seculo fabulati de Capite *Joh. Baptiſtæ*, in Emesâ Syriæ, indè in Occidentem inferendo, aſſervandoque ſimul in pluribus locis: Corpora *Sebaſtiani* Martyris, *Marcellini* & *Petri*, ex Cryptis miraculosè detectis, ducenda pariter in Galliæ Monaſteria, Eginhardo hanc tranſlationem Libris IV. deſcribente, & ex eo Baronio ad An. DCCCXXVI. Ità ſub Gregorio IV. tranſlatum, & ex *cingulo* agnitum, poſt annos CCXX. Corpus *Gregorii* I. apud eundem, An. DCCCXXVIII. N. XXXIV. & *ſeq.*

Reliquiæ Marci Euang. Sed dignitate & famâ Reliquias omnes hoc Ævo tranſlatas ſuperant illæ *Marci* Euangeliſtæ, & *Jacobi* Apoſtoli Majoris, paſſi ſub Herode, adde Reliquias *Bartholomæi* Apoſtoli. De *Marci* Corpore, ſub Leone Armeno, Alexandriæ ex Sepulchro marmoreo clàm educendo, tradendoque per fraudem Mercatoribus Venetis, à Cuſtodibus Græcis, ac variis ſignis & revelationibus dignoſcendo; hinc reponendo in Venetiarum Urbe, Juſtiniano Duce, undè mox ſuprà hoc Corpus *Baſilica* S. *Marci* ædificata fuit; refert pluribus Baronius, *è tabulis Vaticanæ Bibliothecæ*, ad An. DCCCXX. Et hoc theſauro hodieque ſuperbit Sereniſſima Reſpublica, quemadmodùm & *ſede* Marci, ei donatâ ab Heraclio Imperat. ſed & Marci olim *prædicatione*, ac perpetuo indè patrocinio. De quibus in meâ Diſſert. de *Marci Euangelio*. Mirare, Lector, quantæ moles ſuper-

perſtructæ ſint tam exilibus fundamentis, ac verè ſtramineis. Certè de *Marciani* martyrii ratione, loco, magis illo ſepulturæ, incerta omnia. Imò *Corpus ejus igne crematum fuiſſe*, habet Eutychius Alexandrinus in Annalibus, Parte I. p. 356. Aſt longè incertior inventio illa Reliquiarum Marci, octo ferè poſt Seculis, earundem ſuffuratio, translatio, tempus translationis, de quibus pugnantes ſententias videſis apud Baronium, *Notis* in Martyrolog. XXXI. *Januar.*

Corpus Jacobi Major. De Corpore *Jacobi Majoris*, è Palæſtinâ & Hieroſolymis tranſlato in Hiſpaniam, (in quâ Jacobus iſte Euangelium prædicaſſet) navigio ſcilicet à Diſcipulis impoſito, deferendoque Iriam Flaviam Gallæciæ, ubi poſteà ſurrexit *Compoſtella*, ex Leonis III. Epiſtolâ refert Baronius, ad A. DCCCXVI. N. L. *& ſeq.* Hinc Corpus idem, poſtquàm *per tot ſecula latuiſſet*, deprehenſum Seculo IX. ſub Alphonſo Caſto Gallæciæ Rege, Domino inſolitâ quâdam luce illud revelante, Theodomiro Epiſcopo Irienſi. Undè evaſerit ille locus *Miraculorum promptuarium, toti patens Orbi.* Et hæc Baronius, quanquàm ſibi conſcius Turpinianæ fabulæ, ſcriptæ ſub nomine Hiſtoriæ, in *Vitâ Caroli* M. *& Rolandi*, ad Ann. DCCCXII. N. XVIII. Ac plus ipſemet tribuit Roderico Ximenio Archiep. Toletano, in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. iſta de Jacobo Majore Hiſpaniarum Apoſtolo explodenti, apud Garſiam Loayſiam: Undè *perculſum* ſe fatetur *auctoritate Viri tanti*, in Hiſpaniâ ipſâ Præſulis, Cæſar Purpuratus. Nata illa nempè ſunt, & in Pſeudo-Acta relata, ut hinc ſurgeret *Compoſtella*, obſcurus antè locus, in Epiſcopalem dignitatem, Anno MCXXIV. nomine ut videtur facto ex *Jacomo Apoſtolo*; ceſſurâ deinceps hac Sede uni Romæ, ac ſuprà Emeritanam, ſed & Toletanam Archiepiſcopales, evehendâ. Ac ſatis erat, ad conſecrationem hujuſmodi Reliquiarum, hinc ad ſtruendas Baſilicas, ut erant tempora, ſi Cadavera iis in locis reperirentur; quæ deinceps Monachi fabulabantur manſiſſe à tot retrò ſeculis integra; ac poſteà febriculoſis commentis, viſionibus, prodebantur eſſe hujus vel illius *Sancti*, vel *Martyris*, non defuturis Miraculis, nec miraculorum teſtibus Monachis, aut Idiotis, aut Mulierculis, aut illis quorum iſta credi intererat. Tùm Romanorum Pontificum accedente auctoritate, ac largitione Privilegiorum; emendicandâ ſolitis artibus, rem nefas deinceps fuit in controverſiam vertere; quomodò à *Calliſto* II. hujuſmodi obtentu auctus dignitate Compoſtellanus fuit, Seculo XII.

De Corpore Barthol. De tranſlatis *Bartholomæi* Apoſtoli Reliquiis, ſeu ex Armeniâ, ſeu ex Indiâ, ſeu ex Perſide primùm; dein ex Liparitanâ Inſulâ, in ſuperſtitionibus deditam Italiam, & Beneventum quidem, A. DCCCXXXII. vide quæ ex Gregorio Turonenſi, Theodoro Studitâ, Metaphraſte, Sigeberto, id genus fabellarum conſarcinatoribus, & ex MS. Codice Vaticano, operosè refert Baronius, ad Martyrologium, XXV. *Auguſti.* Obſervet modò ingenuus quiſque Lector, 1. Incertitudinem loci, temporis, modi, quo occubuerint Apoſtolici Viri. 2. Intervalla temporum, à morte eorundem, ad reperta cadavera, ſervataque ab interitu. 3. Diſtantias locorum, undè hæc tranſlata fabulantur. 4. Abſurdas dignoſcendi notas, eſſe hujus & illius Sancti, Martyris, &c. oſſa. 5. Febriles inventionum ac tranſlationum circumſtantias. 6. Tempus, quo hæ fabellæ primùm natæ, ſuperſtitionibus dedititiſſimum. 7. Fines hujuſmodi tranſlationum, fundandis nempè Abbatiis, Eccleſiis, Altaribus, dotandiſque lautè.

Fabular. indicia.

Nova Feſta. Debentur huic etiam Seculo nova *Feſta*, & ſuperſtitioſa, prioribus ignorata temporibus. Hactenùs Chriſtianis Sacræ Feſtivitates antè & poſt-Paſchales, Pentecoſte, Nativitatis dies, Theophania, Dominica, dies Paſſionis Apoſtolorum, vel ex Photii Nomocanone, *Tit.* VII. Cap. I. Acceſſerunt deinceps, Feſta in honorem Virginis, quale illud de ejuſdem *Aſſumptione*, confirmandum hoc Ævo in Synodo Moguntinâ, An. DCCCXIII. & à Papis Nicolao I. Leone IV. De quâ tamen Aſſumptione, jam tùm jactatâ, Carolus M. in Capitulari, *Lib.* I. *Cap.* CLVIII. *De Aſſumptione Mariæ Virginis interrogandum relinquimus*, de quâ prolixè Launoius, non unâ Diſſertatione. Ita ſub Gregorio IV. hoc Seculo nono, inſtitutum *Feſtum Omnium Sanctorum*, de quo videſis poſt Hoſpinianum, nuperum Thomaſſinum, Tractatu Gallico de Feſtis, *Lib.* I. Sed & Feſtum *Angeli Michaëlis*, *Dedicationem S. Michaëlis*, memorat Synodus Moguntina, A. DCCCXIII. Leone III. Pontifice, *Canone* XXXVI. Ac *Sanctorum* innumeræ feſtivitates ſenſim exceperunt, poſt Corpora eorum inventa tranſlata, & ſplendidis Baſilicis recondenda.

Nondùm tamen leguntur Feſta *S. Trinitatis*, aut *S. Sacramenti*, Feſta *Conceptionis* M. Virg. *Nativitatis* ejuſdem, vel *Annunciationis*; Aut illa ſingulorum *Apoſtolorum*, ſingulorum *Martyrum*, etiam *Confeſſorum*, etiam *Sanctorum Vet. Teſt.* Falſo recentiora Feſtorum additamenta ipſiuſque hinc Bernardi indignationem Seculo XII. præfato Ludov. Thomaſſino de *Feſtis*, *Lib.* I. C. XI. *L.* II. C. XVIII. &c.

Quid multis? Per Epiſcopos, Sacrificulos, Monachos, & in horum præcipuè Monaſteriis, ſumma Religionis conſtituebatur in obſervantiâ hujuſmodi Feſtorum, Jejuniorum, Abſtinentiarum; in Miſſarum ſolemnibus; in Cantionum modulamine; in Sanctorum Suffragiis requirendis; in Orationibus fundendis ad Crucem, Statuas, Imagines, Sepulchra; in oblationibus pro Defunctorum liberatione è Purgatorio; in Peregrinationibus ad hæc & illa Sepulchra, Delubra, &c. Ità ſuperſtitio inſignis in *Examine* v. gr. *aquæ & olei ferventis*, quæ à Paganis derivata, habebatur *Judicium Dei*, & cui ſe Godeſchalcus promptiſſimè obtulit, ut Uſſerius in Godeſchalci Hiſt. *pag.* 316. probando hoc examine in Capitulis Caroli M. & Caroli Calvi, ut adhuc infrà. Cumprimis verò ſumma perfectionis Chriſtianæ fuit, vovere Monachatum, & Cucullum aſſumere, idque in Orbe utroque: Undè Monaſteria innumera quaquaverſùm in Occidente ſtructa, fœdarum ſuperſtitionum, pollutionum nefandarum, deſidiæ, inſcitiæque latibula, ſed & luxûs, vel ex *Capitularibus* hujus Ævi, & *Canonibus* Synodorum. Neque tamen aliud magis cordi Baronio eſt, in *Tomis* IX. ac X. poſt Omnipotentiæ Pontificiæ aſſerta ubique jura, quàm ut iſtorum quæ diximus omnium ac ſingulorum ſanctitatem, efficaciam, merita, graphicè ubicunque poteſt deſcribat, *Novatorum* incredulitate & irreligione acerbiſſimis vocibus perſtringendâ. Nuſquam verò magis quàm ubi Teſtibus genuinis ex Antiquitate, ac certis probationibus, deſtitui ſe animadvertit. Summa Religionis.

IV. Corruptionem *Diſciplinæ*, *Morumque*, in Clero cumprimis Romano, in Papis, Præſulibus, Canonicis, Sacrificulis, ità in Abbatibus, Monachis, Sanctimonialibus, loquantur rurſum Capitularia Caroli M. Ludovici Pii, Caroli Calvi, *Lib.* I. Capitul. Acta Conciliorum Seculi IX. & Chronica omnia. De Papiſſâ vulgò Johannâ, & Pontificibus hujus Ætatis, deinceps. Horrendum dictu eſt, quæ flagitiorum abominanda Sapientiſſimi Principes reprehendant in Clericali & Monachali tùm ordine. Nec aliæ erant Scelerum pœnæ, quàm *Pœnitentiæ* aliquot reis injunctæ, qui nec accuſari ſine diſcrimine, nec convinci ſine innumerabilium Teſtium concurſu, poſſent. Undè etiam emendatio illa *Clericalis* ac *Monachalis* Diſciplinæ (Epiſcopis Corruptio Diſciplinæ.

jam ſibi jus vendicaturis deponendi Reges ſibi moleſtos, ipſumque adeò Ludovicum, ſed mox reſtituendum) malè ceſſit Ludovico Pio, vindictam eorum hominum experto, ut monitum nuper. Ac rectè Mezeræus obſervat, in Hiſt. ad hoc Seculum, *Tomo* I. p. 651. immittendos divinâ ultione fuiſſe *Normannos*, Gentem ad omnem barbariem ac ſævitiam compoſitam, qui ſuis irruptionibus meritiſſima ſupplicia de corruptiſſimis nebulonibus ſumerent.

Quo loco fuerint res in Græciâ & Oriente, *Monachis* omnium penè malorum fabris, docet noſtra Hiſtoria Imaginum, *Cap.* VIII.

Ignorantia Cleri.

V. *Ignorantiam* ſpeciatim Cleri Romani penè totîus, (ſi viros quoſdam Doctos excipimus, excitatos Bedæ, Paulini, Alcuini exemplis, ſub Carolo M. Ludovico Pio, & ſucceſſoribus, de quibus infrà) plurima loquuntur. Undè *qui ſciret tantùm Grammaticam iſto Seculo rudi, doctum habitum eſſe*, Baronius, ad Ann. DCCCII. N. XII. Nec fuiſſe qui, Legatis Irenes ex Oriente ad Carolum delatis, *Græce* calleret, indignatio Caroli teſtis, apud Crantzium Metrop. L. I. C. II. Hinc etiam aperienda literis Græcis & Latinis Schola Oſnaburgenſis fuit, ex ejuſdem *Diplomate*, relato in An. DCCCIV.

Ita *Pœnitentiales* regulas diſcere, & callere, unum Sacerdotum ſtudium fuiſſe, Capitula docent, & Mezeræus præfatus ibidem queritur. Modò etiam *Lectionibus*, & *Cantu* defungi poſſent Presbyteri, aut *Computum* (vulgò *Compotum*) ſcirent, vel *Pſalterium*, præter Symbolum, & Orationem Dominicam, hactenùs ad S. Miniſterium habiles cenſebantur. Teſtantur rursùs varia Capitularia hujus Seculi, Ludovici Pii, & Herardi Turonenſis, apud Baluzium *Tomo* I. Capitular. & in *Notis* ejuſdem ad Reginonem.

Ac quamvis Carolus M. in bonis literis revocandis navaſſet ſedulam operam, toto adminiſtrationis tempore, tamen *eaſdem cum ipſo fermè defunctas, vel ſaltem languore correptas*, dixerit Annalium Scriptor, ad Ann. DCCCII. *Num.* XV. Ut tum, loco Latini caſtique Sermonis, obtineret ſub extrema Caroli M. *ruſtica Romana Lingua*, ſicut antè obſervatum ad finem Sec. prioris.

VI. *Antichriſtianæ in Romanis Pontificibus Dominationis, uſurpationum, moliminum hoc Sec. exempla illuſtriora. Ac primò de Facto Leonis* III. *Carolum M. Imperatorem proclamantis.*

Factum Leonis III. Pont.

I. Primus nobis occurrit *Leo* III. ſucceſſor Hadriani I. Annum agebat Pontificatûs V. quum in Feſto Natalitio, expirante Ann. DCCC. mox inchoando A. DCCCI. Æræ Natalitiæ Vulgaris, (hinc referunt quaſi ad Kal. Januar.) *Carolum* Regem, Romæ tùm agentem, poſt cognitam judicatamque cauſam Leonis, in Baſilicâ Petri, conſpirantibus *univerſis Romanis*, ſalutaret *Piiſſimum Auguſtum*, *Imperatorem Magnum*, *Pacificum*, quæ ſunt verba apud Anaſtaſium in Vitâ Leonis. Simul *coronati* Caroli, manibus Pontificis, *unctique oleo Sancto*, meminit Bibliothecarius, etiam *Chlamydis* Auguſtalis, ac veſtis Imperatoriæ Eginhardus. Addit Baronius, *Num.* VII. formam *Juramenti*, quo ſe Carolus M. obligavit Romanæ Eccleſiæ, inſertam *Ordini Romano*, ſervando *à poſteris* Juramento. Et hanc vulgò Romani Pontifices, Canoniſtæ, Chronographi ad Ann. DCCC. de Tranſlat. Imp. *Lib.* I. cæterique Gnathones, vocarunt *collationem Imperialis Dignitatis*, *Tranſlationem Imperii à Græcis ad Francos*, ſeu ad Carolum Magnum, *revocationem Imperii ex Oriente in Occidentem*, auctoritate ſcilicet Romani Pontificis. Addunt compenſationem fuiſſe aſſerti *Pontificatûs* Leoni, pro quo beneficio *Imperium* Carolo viciſſim contulerit.

Baronii declamatio.

II. Addit jam ad iſta Cæſar Baronius prolixâ declamatione ad præfatum Annum DCCC. 1. De *collatâ Imperiali Dignitate per Leonem*, teſtes eſſe *Latinos omnes & Græcos Auctores*, *Num.* VIII. Ità Natalis Alexander, *collatæ Imperialis Dignitatis* eos teſtes eſſe; & cum eâ *ampliſſimæ* alterius, *Eccleſiæ ſcilicet univerſæ, ac præſertim Romanæ, Tutoris ac Defenſoris*, confirmandæ ſucceſſoribus, donatione promiſſioneque Pontificum. 2. *A Deo dari Regna*, & *auferri*, nempè per ſuos Vicarios, hinc quod factum per Romanum Pontificem fuit, *Dei* factum fuiſſe, *Divinam diſpoſitionem*, ut idem Baronius, *Num.* IX. X. 3. *Synagogæ* hanc fuiſſe poteſtatem, auferre & transferre Regna; multo magis eſſe eam poteſtatem conceſſam *Sacerdotibus novæ Legis*, ſeu *Eccleſiæ*, *cujus gloria præſtantior* ſit *quàm Synagogæ*, *Num.* X. 4. Conveniens fuiſſe, eam *Tranſlationem impleri*, *per Romanum Antiſtitem, qui ſuprà omnes eminet Viſibile Caput*, *Num.* XI. 5. Juſtum etiam fuiſſe, in neminem alium *conferri iſtiuſmodi beneficium* quàm in Carolum, *de Eccleſiâ Catholicâ optimè meritum*, *Ibid.* 6. *Jacuiſſe abſque poſſeſſore titulum Occidentalis Imperii, à Græcis ob Hæreſes auctoritate Pontificiâ ſublatum*, nec reſtituendum excommunicato Imperatori Conſtantino, *Num.* XII. 7. Factum adeò fuiſſe à Leone, *ex inſitâ ipſi Romano Pontifici conceſſâ divinitùs auctoritate*, ex *poteſtate quæ in ipſo primariò reſideat*, cui adeò immortales *gratiæ* debeantur, *Num.* XIII. XIV. XV. 8. Hinc penes eundem Pontificem eſſe, *ſi cauſa poſtulet, Apoſtolicâ pleniſſimâ poteſtate infeſtum Eccleſiæ Regem, ſive Imperatorem, deponere, inque locum ipſius juſtum & pium ſufficere*, juxtà illud dictum Jeremiæ, *Conſtitui te ſuper Regna*, *Jer.* I. vel juxtà dictum Petro, *Paſce Oves*, *Joh.* XXI. rurſus, *Occide & manduca*, *Act.* X. *Num.* XV. XVI. 9. *Subditam* adeò eſſe omnem *humanam Poteſtatem ſpirituali*, ſeu Pontificiæ, quod ex Scripturâ S. & ex verbis Gregorii M. hujuſque comminatione in ipſos *Francorum Reges*, aſſerit Annalium Scriptor, *Num.* XVII. XVIII. 10. Hinc *immenſam eſſe mendaciorum ſylvam*, *officinam*, *levem maceriem*, *tenebrarum offuſam caliginem*, ea quæ adversùs hanc *collationem Occidentalis Imperii per Rom. Pontificem*, *in Carolum M.* ſcripſiſſent jam tùm Magdeburgenſes, & Flacius Illyricus, *Num.* XIX. 11. Igitur *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ totum hoc eſſe, quod conſecuti ſunt Occidentalis Orbis Imperatores*: Undè prolixa Baronii cohortatio, ne ſint *Apoſtolicæ Sedis immemores*, neve, eorum nutante fide, inſtar Orientalis Imperii, corruat Occidentale, *N.* XX. 12. Addunt *oblationes* immenſi pretii à Carolo M. *datas Eccleſiæ, oblatas Romanis Baſilicis*, ſcil. in gratitudinis ſignum, ex Anaſtaſio, *N.* XXI. 13. Addit Baronius, ad Ann. DCCCVI. N. XXVI. poſt Bellarminum ſuum, eſſe rei ipſummet teſtem Carolum M. qui quum Teſtamento Imperium Filiis diviſiſſet, miſit illud *confirmandum atque ſubſcriptione muniendum* Leoni Pontifici, ex Aimoino, & Adone Viennenſi, nullâ etiam in Teſtamento mentione de *Imperii Hærede*.

Leo Pontifex quid ſibi arrogarit?

III. Purpurati utriuſque, in ſpecie *Baronii*, iſta commemoraſſe, defæcatiori hoc Ævo, poſt damnatam proſcriptamque, in Germaniâ cumprimis, Britanniâ, Galliâ, innumeris Scriptis, ac Decretis, Baronianam doctrinam, ſimul prodidiſſe eſt hominum projectam fidem, decoctumque omnem pudorem. Ac de facto hocce Leonis circà Carolum M. iſtud primò haud gravatè largiar, ſanè edidiſſe eum Pontificem Papalis ſuperbiæ ac præſumptionis lucu-

luculentum in eo ſpecimen. Neque enim ambiguum eſſe poteſt, Leonem Pontificem, poſt facta Conſtantini Papæ, Gregorii utriuſque, Stephani, Hadriani, de quibus nos ad Seculum VIII. eò ſuperbiæ eſſe prolapſum, ut conferre ſe poſſe crediderit, impetrato aſſenſu Romanorum, novum Carolo titulum, ſcilicet *Auguſti*, & *Imperatoris*, cum *Imperialibus inſignibus*. Intelligebat Leo, exauctoratos in Occidente fuiſſe à Gregorio utroque Orientis Imperatores. Jam annos totos LXX. moliebantur Pontifices, ſubtrahere ſe iſtorum Imperio. *Patricii* titulum, proximum illi Imperatoris, jam largiri ſe poſſe crediderant Francis Regibus prædeceſſores Leonis. Accedebat ulterior in Papas munificentia, & validum patrocinium, deinceps expectandum à Francis. Nihil etiam erat quod ſibi ab Oriente Romani Pontifices metuerent, quæcunque eſſent Irenes clandeſtina molimina. Quin ab Anno DCCLXXIV. omnis *Ducibus* vel *Exarchis* ab Oriente ſubmiſſis, fuerat poteſtas adempta, & in Carolum Longobardicæ potentiæ domitorem tranſlata. Noviſſime etiam *Leo* à Carolo M. ingenti mactatus beneficio fuerat, poſtquàm ſuſcepto Romam itinere, cauſæ Leonis cognoſcendæ, judicium in ejus gratiam tuliſſet Regum maximus, reſtituendi in Sedem Pontificiam. Quod factum fuit proximè antè diem illum Natalitium, qui & Natalis cenſetur Carolini Imperii, ex Anaſtaſio, Paulo Diacono, & Francorum Annalibus. Quare facturum ſe rem gratam Carolo M. hujuſmodi appellatione ac ſolemnitate credidit Leo III. pro accepto beneficio; neque tamen credidit, ut ex Paulo Diacono interpretatur abſurdiſſimè Natalis, fore *compenſationem Dignitatis*, ut tam ſibi Carolus *Imperium*, quam Leo *Pontificatum* Carolo deberet. Tandem certum eſt potiſſimam tùm fuiſſe auctoritatem Romani Pontificis, in Urbe Româ, ut liquet ex vitâ & factis ſcriptiſque Hadriani, & ex *Patriciatu* jam in Papas collato, undè hoc factum Populi Romani meritò Leonis cenſeatur: Quanquàm Romæ *tripertita* quodammodò poteſtas fuiſſet, diviſaque inter Papam & Clerum, inter Senatum Populumque, & inter Carolum Regem, *Patricii* pridem jure gaudentem; quique jam anteà *populum Romanum in ſuam fidem ſubjectionemque ſuſceperat*. Atque iſta ſufficiant ad Antichriſtianum faſtum, in Eccleſiæ Epiſcopo Leone arguendum, cui nihil juris in Titulos, Dignitates, minùs in Regna & Imperia fuit, quo tempore Græci ſuum in Papas, in Urbem Romam, in Exarchatum jus antiquum, ac legitimum dominium perſequerentur.

Nec contuliſſe Imperium, nec tranſtuliſſe.

IV. Neque tamen aut hanc mentem fuiſſe Leonis, quam affingit illi Baronius, & cum eo quicquid mancipiorum eſt Vaticanæ Curiæ, ut ipſe *transferret*, vel *conferret Imperium Occidentis*, pro Pontificiâ & inſitâ ſibi poteſtate, aut factum ità habuiſſe, qualiter ponunt Gnathones, in publicâ jam ſatis luce collocaſſe videbantur, quotquot Eruditi in Italiâ, Germaniâ, Britanniâ, Gallìàque liberiore, de Germanico Imperio, de Imperii Tranſlatione, de Carolo M. de Jure Imperiali aut Regio, de Francorum Regum Juribus, de Poteſtate Pontificum Seculari, de Titulis Dignitatum, aliiſque id genus, commentati ſunt. Ac prolixè nuper nobis acceſſit, poſt ſuorum in his literis principes Viros, Car. Molinæum, Duarenum, Fauchetum, Pithœum, de Marca, Launoium, Baluzium, alioſque aſſertores Imperatoriæ ac Regiæ Majeſtatis, ex quibus iſte ſapit, Ludov. Maimburgius, Hiſtoriæ Iconoclaſt. *Libro* IV. & in *Tractatu* altero de Romanis Epiſcopis. Summa demonſtrationis eſt, nihil potentiæ, aut imperii, aut realis dignitatis contuliſſe Pontificem Carolo, per titulum *Auguſti*, vel *Imperatoris*, aut per Conſecrationis actum Sacerdotalem, quod non antè Jure Regio eodemque ſupremo ex ſe poſſideret. Sed neque exutos fuiſſe ſuo *Imperio* Græcos, facto iſto Leonis, ut *ablatum* illud, *tranſlatumque* ad Francos, vel (ut imperitè alii) Germanos, dici potuerit. Quæ nos ſpeciali Diatribâ paulo diligentiùs aliàs expendimus.

Arrogantiæ Pontif. indè à Johanne VIII.

V. Id tamen Natali Alexandro, vel Cæſ. Baronio, facilè largiemur, eò arrogantiæ itum deinceps fuiſſe à Pontificibus, ut ipſo *coronationis* actu *creari* à ſe Auguſtos contenderent, neminemque cenſerent Imperatorem, niſi à ſe diademate Imperiali ornatum. Cœpit à *Johanne* VIII. faſtus, circà *Carolum Calvum*, ut dicetur infrà. Quum antè Carolus M. *Ludovicum Pium*, hic *Lotharium* filium, Lotharius *Ludovicum* II. Imperatores ipſi creaſſent, dixiſſent, hæreditario jure, nullo interventu Rom. Pontificis. Nec quæritur, quid ſibi arrogarint poſthac Romani Epiſcopi, *Hadriani*, *Johannes*, *Formoſi*, *Gregorii*, ſed quo jure, ipſimet ab Imperatoribus, ut *Dominus* ſuis, vel eligendi, vel confirmandi, uſque dùm Romæ divina omnia humanaque ſubverterentur. Ac fruſtrà Glabri Radulphi auctoritas obtenditur, *neminem dici valere Imperatorem, niſi quem Papa delegerit:* Cujus Glabri, ex more Seculi XI. atque infeliciſſimi ſcripturi, imperitiam, judicium tenue, dotes ad conſcribendam hiſtoriam parùm idoneas, errores hiſtoricos, fabulas quandoque, cùm alii, tùm prolixè David Blondellus Genealogiæ Franciæ, *Tom.* II. *à pag.* 9. & 17. recenſuère.

Diſſimulata Baronio, quia aliena à ſecut. moribus.

VI. Nunc Cæſaris Baronii vafrum ac ſubdolum, in reticendis quæ commemoranda primo loco fuerant, ingenium obſerves. 1. Tacet ille, poſt Anaſtaſium fateor, ſcribentem eo tempore quo alios mores Principum indulgentia induxerat, fuiſſe Carolum Magnum, mox à coronatione, ab ipſo *Leone* Pontifice, *more antiquorum Principum adoratum*. Referunt diſertiſſimis verbis Annales Fuldenſes ad Ann. DCCCXI. Adelmus Benedictinus in Annalibus Francorum, quos exorſus eſt ab An. DCCXLI. Ado Viennenſis in Chronico, & ex his alii. Non tacituro Baronio, ſi *Pontificem adoratum* ſcripſiſſent Hiſtorici; quemadmodum is aliàs extollit factum Juſtiniani II. adorantis ſcilicet Conſtantinum Papam, ad A. DCCX. N. II. *T.* VIII. illud Pipini Regis terræ proſtrati coràm Stephano III. ad A. DCCLIII. N. XII. *Tom.* IX. dein & Ludovici Pii ter ſe proſternentis coràm Stephano V. ad Ann. DCCCXVI. N. XCIX. 2. Diſſimulat Baronius, non antè Carolum M. Româ diſceſſiſſe, quàm *ordinatis Romanæ Urbis, & Pontificis, totiuſque Italiæ, non tantum publicis ſed etiam Eccleſiaſticis, & privatis rebus*. Quod ut diſertis verbis Eginhardus, & Annales Francici, memoriæ prodiderunt, ità confirmat ſummum Caroli M. in Urbem, in Pontificem, in perſonas ac res Eccleſiaſticas Imperium. 3. Diſſimulat perpetuam obſervantiam Leonis ergà Carolum Imperat. ad quem etiam profectus eſt non ſemel, honori illi conteſtando. Diſſimulat, Carolum M. nunquàm ſe inſcripſiſſe, à Papâ coronatum, ſed *à Deo coronatum Imperatorem*, Imperat. *Divino nutu*, *Divinâ miſericordiâ*, ut anteà monitum. Ità, inconſulto Leone emanaſſe tot Capitularia Caroli Imperatoris, dein & Ludovici Pii, de Eccleſiaſticis quibuſcunque Rebus, & Perſonis, quorum & *irrefragabili cuſtodiâ* tenerentur Pontifices, nihil Baronius: Quanquàm Leone IV. in aditu ſui Pontificatûs, accuſante mendacii & impoſturæ, apud Lotharium & Ludovicum Auguſtos, qui ſe, ut minùs *Capitulis Imperialibus obedientem*, detuliſſent. Quæ verba abſurdiſſimè alio torquet Baronius, ad Annum DCCCXLVII. flagellandus Baluzio, in *Præfatione* ad Capitularia. Pariter inſiſtere debuit Annalium Scriptor, ut *ſubjectionis* Pontificiæ, totiuſque Pop. Rom.

Digitized by Google

certiſſimis argumentis, iis nempè quæ modò ſubjungemus in ſingulorum Pontificum hujus Ævi reſpectu ad Imperatores, *Art.* ſequente.

Commentum Baronii de Carolo M. confutat.

VII. Contrà urget Baronius omninò falſa & commentitia. Certè inaniſſimum illud eſt, Carolum M. nihil ſtatuiſſe de Hærede *Imperii*, conferendi nempe in ſucceſſorem ex nutu ac diſpoſitione Pontificis: Undè & Tabulas Teſtamentarias, quas produxit primus Pithœus, laudatque ex eo Baronius, *confirmandas* Leoni Papæ ſubmiſerit. Apage verborum rerumque præſtigias! Primò cur nihil Baronius de *incertâ* nutanteque hujus *Inſtrumenti* fide, vel ipſo Pithœi judicio? Nec enim Eginhardus illud ipſum exhibuit, qui exhiberet Inſtrumentum aliud diviſionis Theſaurorum Carolinorum, ipſe lator ejus ad Leonem Teſtamenti. Deindè *Imperii* expreſſa in eo Inſtrumento Pithœano mentio eſt: Carolum, *poſt ſuum ab hac mortalitate diſceſſum*, *hujus à Deo conſervandi Regni*, *vel* Imperii *ſui*, *Filios Hæredes relinquere.* Quod verò hujus Imperii partitione factâ inter tres *Filios*, additâ etiam lege de jure ſucceſſionis, (ut referunt Annales, ad Ann. DCCCVI.) neminem in ſpecie *Imperatoris* titulo ornaverit, ex eo factum, quod noluerit prudentiſſimus Princeps, ſe adhuc adminiſtrante, hunc eſſe μῆλον ἔριδος, & invidiæ cauſam. Miſit etiam hujus partitionis Tabulas ad Leonem, ſed jam *confirmatas jurejurando ab Optimatibus Francorum*, ad Leonem etiam ut *ſubſcripturum* Tabulis illis Teſtem, majoris αὐθεντίας ergò, non ut Dominum vel Arbitrum, qui ſcilicet vim illis omnem adderet. Sed verò poſt ſublatos Carolum & Pipinum filios, ſuperſtite ſolo Ludovico, hunc ipſum, *congregatis ſolemniter de toto Regno Primoribus*, *cunctorum conſilio conſortem ſibi totius Regni*, & Imperialis nominis *Hæredem conſtituit*, *impoſitoque capiti ejus Diademate*, Imperatorem & Auguſtum *juſſit appellari.* Fecit hoc Anno DCCCXIII. quum jam morbo & ſenectute premeretur. De expetito aſſenſu Leonis Pontificis, aut Populi Rom. nihil. Imò in Tabulis diſtributionis Theſaurorum, quas refert Eginhardus, ſcriptis Ann. DCCCXI. non aliter *Romam* conſideravit Carolus, quàm ut primam *Metropolitanarum Civitatum in Regno ſuo*, cui proxima *Ravenna*, hinc *Mediolanum.* Atque iſta uno ore & calamo Eginhardus, Annales Fuldenſes, Bertiniani, Aimoinus, Adelmus, Sigonius, P. Æmilius, reliqui Baronio rursùs diſſimulanda. Et ad Caroli M. exemplum, ſimiliter Filios ſuos *Imperii* Hæredes, & *Auguſtos*, pronunciarunt poſteà Ludovicus Pius, & Lotharius I. Imperatores, nullo interventu Pontificis, ſi quæ ſit dictis Hiſtoricis fides. Sed quî ex nutu vel confirmatione Leonis, dein Succeſſorum, pependiſſet dignitas ac majeſtas Imperii, quam Pontifices ipſi ſubjectionis lege, reverebantur? Ne Leo quidem III. adiverat Pontificatum, niſi ſcripto *juramento fidelitatis*, in Literis ordinationis ſuæ ad Carolum, ut ex reſponſoriâ Caroli Epiſtolâ ad Leonem, inſertâ Epiſtolis Alcuini, monuit quoque Baluzius in Notis ad Agobardum, *pag.* 122. Et *quam fidelitatem ſibi Regis nomine promiſiſſent*, quicunque tandem illi *ſive Eccleſiaſtici*, *ſive Laici*, *eandem Cæſari promittendam* fuiſſe, docet Capitulum 11. Anni DCCCII. apud Baluzium, in Tomo I. Capitularium. Ità hanc *jurisjurandi* religionem, *faciendi Imperatori*, interveniſſe in electione ſuccedentium Pontificum, docet luculenter exemplum Gregorii IV. Ludovico Pio Imperatore, de quo infrà, *Tit.* ſequente.

Capitulum Carolo M. affictum. Baron. refutat.

VIII. Rursùs Baroniani ingenii ſpecimen aliud exhibet, laudatum ab eo Capitulum tanquàm Caroli M. *de ferendo jugo Eccleſiæ*, ad Annum DCCCI. *Num.* X. XX. *Ut licet vix ferendum ab illâ S. Sede imponatur jugum*, *tamen feramus*, & *piâ devotione toleremus.* Nempè hæc ex Gratiani Decreto, *Diſt.* XIX. C. III. Addit Baronius, *idcircò dediſſe Deum Carolo M. ſubjicere Reges & Populos*, *cùm noverit ille ſe ſubjicere*, *propter Chriſtum*, *Succeſſori hominis Piſcatoris.* Præter rei abſurditatem, compone, Lector, Capitulum iſtud Carolinum cum Carolinis reliquis; ſed & factis, quibus res Eccleſiaſticas ſupremo jure etiam Romæ ordinavit, ac judica. Compone devotam illam ſubjectionem Caroli M. cum *ſubjectione* Leonis III. quâ & ipſe & Populus Romanus, *in Caroli fidem ac ſubjectionem recepti* fuerant, etiam *juramento fidelitatis* à Leone ſcripto, in Literis Ordinationis ſuæ ad Carolum Regem; ut ex reſponſoriâ Caroli ad Leonem, inſertâ Epiſtolis Alcuini, rectè monuiſſe quoque St. Baluzium modò dicebamus. Concilia, ſi potes, cum ſupremo imperii dominiique jure, quod Carolus M. in Urbem Romam, in Pontifices, in Romanos exercuit, ſed & Ludovicus Pius, ſic Lotharius Caroli nepos, Ludovicus II. Otho I. Imperatores. Sed undè Capitulum iſtud Carolinum in Capitularium Libris nullum apparuit? Undè impoſturæ id genus aliæ Gratiani Decreto inſertæ, v. gr. Donatio Conſtantini, aut Conſtitutio Ludovici Pii? Sed quî jam Baronio tanti eſt auctoritas Gratiani, qui aliàs Gratianum accuſat ut *nimis credulum*, ut qui *impoſturas manifeſtiſſimas exſcripſerit*, & *commentitia decreta*, *aſcititia*, quotiens illa Pontificio dominatui refragantur? Vide declamationem Baronii adversùs Gratianum, occaſione conſtitutionis Hadriani I. & Leonis VIII. de ordinatione Pontificum, ad Ann. DCCLXXIV. N. XIII. XIV. & ad A. DCCCCLXIV. *Num.* XXIII. Adde quæ nos ad Seculum VIII. *Tit.* V. ubi de Legibus Carolinis, & de jure Inveſtituræ, & ad hoc Seculum *Tit.* III. Ac par illatio Baronii eſt, meruiſſe Carolum *ſubjicere ſibi Reges & Populos*, qui ſe ſubjeciſſet Pontifici, quæ olim Romanorum fuit, *meruiſſe ſe univerſarum Gentium Regna*, qui omnium Gentium Numina adoraſſent, apud Minucium Fel. Si autem *Pontifex ſucceſſor eſt hominis Piſcatoris*, undè libido illa *dominandi*, non tantùm *in Cleros*, quod noluit Petrus, 1 *Pet.* V. ſed in ipſos etiam Imperatores, Regeſque? Undè ex humili Piſcatore Rex Regum, de Tarpejâ rupe dominatus,

> *Arſacio poſtquàm ſe Purpura faſtu*
> *Suſtulit?*

VII. *Continuatio Antichriſtianæ in Romanis Pontificibus ſuperbiæ, fœdarumque ſuperſtitionum. Exempla hoc Ævo ſelectiora. Sed & diſcrimina à ſecuturâ Ætate.*

I. Leone III. ſucceſſit *Stephanus* V. Anno DCCCXVI. Ludovici Pii anno III. Ac quamvis hic brevioris ævi Pontifex, tamen in eo uſurpationis argumentum, quod Pontificatum inivèrit, non expectato Ludovici Imperatoris conſenſu; contrà ipſas Hadriani I. & Leonis III. conſtitutiones, à ſe dein confirmandas. Stephanus V.

Sed expiavit culpam Stephanus, 1. Decreto inſerto apud Gratianum, *Diſt.* XXXII. ne deinceps *abſque Imperiali notitiâ Pontificis fieret conſecratio.* Cujus Decreti *impoſturam* arguit Baronius inſulſiſſimo argumento, nempè ex ſpuriâ, omniumque judicio ludicrâ, Conſtitutione Ludovici Pii, quam inſerit ille ad Annum DCCCXVII. *Num.* X. & *ſequentibus.* Quum expreſsè caverit Ludovicus Pius, illo ipſo tempore, quum Paſchalis ſuffectus eſſet Stephano, ne *Majorum inſtituta & pacta* violarentur, ne *deinceps Majeſtatem læderent.* 2. Mandato facto, ſtatim à ſuſcepto Pontificatu, *omnem Populum Rom. fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*, Thegano refe- Baronius notat.

Digitized by Google

referente, de Geſtis Ludovici, *Cap.* XVI. Baronio autem abſurdè interpretato nonniſi *coërcitionem Romanorum, qui tumultuari ſolerent in Pontifices*, ad An. DCCCXVI. N. XCIX. 3. Legatis mox directis ad Ludovicum, *qui quaſi pro ſuâ conſecratione Imperatori ſuggererent*, ex Aimoino, & Annalibus Regum Franc. ad eundem Annum: dehinc itinere ad Imperatorem in Gallias à Pontifice ipſomet ſuſcepto, *pro utilitatibus S. Eccleſiæ*, id eſt, Romani Pontificis, ut pluribus idem Theganus, deſcriptus Baronio. Aſt ſuperbiæ intolerandæ fuit, quod paſſus ſit Ludovicum Imperator. *ter* ſe coràm Stephano *proſternere, toto corpore*, ſi vera Theganus.

Paſchalis. II. *Paſchalis* I. paſſus rursùm tolli ſe ad Pontificatum, citrà conſenſum Imperatoris, electione adeoque factâ *non Canonico ritu*, ut jubebant Conſtitutiones, & pacta inter Imperatorem & Romanos.

Sed hodiernum Pontificum faſtum rursùs retundit, quod Paſchalis hoc nomine culpam deprecatus ſit apud Ludovicum, placandum *miſsâ excuſatoriâ Epiſtolâ*, ſed & *muneribus*, ac cauſatione quod ſibi *plurimùm renitenti Pontificatûs honos veluti impactus* fuiſſet, ut diſertè Aimoinus Hiſtoriæ Francorum Libro IV. *Cap.* CV. Non peccaturus vero in hanc legem fuit Gregorius IV. ut ſuprà jam ex Platinâ obſervatum, ad Conſtitutionem Hadriani I. p. 708. Ità obortâ Romæ ſeditione, An. DCCCXXIII. miſſiſque à Ludovico Pio Legatis, *Paſchalis ſe ab hujus facti communione jurejurando firmavit*, ad Leonis III. exemplum, in Annalibus Rerum Ludovici.

Magnum verò hic Paſchalis *Antichriſtum* ſe eſſe demonſtraſſet, ſi admiſiſſet commentitiam illam *Donationem Ludovici Pii*, quam Baronius integram refert, ex Monumentis Vaticanis, & *quatuor exemplaribus* inter ſe *mutuò collatis*, ad A. C. DCCCXVII. doctis omnibus & ingenuis exploſam. Quâ de Donatione infrà, in ſpicilegio rerum hoc Ævo *Memorabilium*.

Satis ad Paſchalem Idololatriæ arguendum, ex doctrinâ Caroli M. & Ludovici Pii, quod *Iconolatriam* foverit, ſcriptis in Orientem literis adversùs Iconomachos: Quod ſuperſtitionem etiam *Reliquiariam* auxerit inſigni impoſturâ, nempè obtentu revelationis ſibi cœlitùs factæ *Corporum S. Ceciliæ, Valeriani, Tiburtii, Maximi, Urbani* & *Lucii* Pontificum, ut pluribus ex Anaſtaſio, & Epiſtolis Paſchalis, Baronius ad A. DCCCXXI.

Eugenius II. III. *Eugenius* II. in ſchiſmate electus A. DCCCXXIV. conſtrinxit Imperatorem, ut Lotharium filium Romam ablegaret, correcturum depravatiſſimum ſtatum, *quorundam Præſulum perverſitate*, ita Francorum Annales. Aventinus *Lib.* IV. p. m. 227. *Ideò Lotharius eò contendit, ſtatum Reip. quem ſuperiorum Pontificum ambitio immodica, inſatiabilis avaritia, verſutiaque improba conturbarat, componit.* Cave credas deſcripſiſſe illa Baronium. Undè ſubjectio omnimoda Pontificum, & Romanorum, qui Imperatorum conſtitutionibus, imperio, coërcitioni ſubjacerent, intelligitur.

Sed & Eugenii hujus ſuperſtitionem adverte ex membranis Remigianis Seculi IX. & veteri Collectione Canonum, productis nuper à Mabillono, Analectorum *Tomo* I. p. 47. Inſtituit nempè is Pontifex Probationem per aquam frigidam, in occultis criminibus: Forma ità habuit:

RITUS
Probationis per aquam frigidam
ab EUGENIO *Papa* II. *inſtituta.*

Cùm homines vis mittere ad probationem, ità facere debes. Accipe illos quos voluntatem habes mittere in aquâ; duce eos in Eccleſiâ, & coram omnibus illis cantet Presbyter Miſſam; & faciat eos ad ipſam Miſſam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum conjuratione ità dicens: Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per veſtram Chriſtianitatem quam ſuſcepiſtis, & per Unigenitum Filium Dei, & per Sanctam Trinitatem, & per Sanctum Euangelium, & per iſtas Reliquias, quæ in iſtâ ſunt Eccleſiâ, ut non præſumatis ullo modo communicare, neque accedere ad Altare, ſi vos hoc feciſtis, aut conſenſiſtis, aut ſcitis quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dixerit, accedat Sacerdos ad Altare; & communicet eos. Poſtea verò dicat ad illos quos communicat: Corpus hic & ſanguis Domini noſtri JESU CHRISTI, *ſit vobis ad probationem hodie. Expletâ Miſſâ, faciat aquam benedictam, & accipiat Sacerdos ipſam aquam, ibitque ad illum locum, ubi homines probabuntur. Cùm autem venerint ad ipſum locum det illis bibere de aquâ benedictâ, dicens ad unumquemque, hæc aqua fiat tibi ad probationem. Poſtea verò conjures aquam ubi illos mittit. Poſt conjurationem aquæ, exuat illos veſtimentis eorum, & faciat eos per ſingulos oſculare ſanctum Euangelium & crucem Chriſti. Et poſtea ſuper unumquemque adſpergat de aquâ benedictâ, & projiciat ſingulos in aquâ. Hac omnia facere debes jejunus; neque illi ante manducent qui ipſos mittunt in aquâ.*

Mox ſequitur *Conjurationis Formula*, effuſæ ſuperſtitionis. Sed Ludovicus Pius, anno proximo poſt obitum Eugenii, in Capitulari Aquiſgranenſi Anni DCCCXXVIII. omnem eam probandi conjurandique rationem interdixit, in *Tomo* I. Capitular. Ac frequentiùs nihil hoc Seculo fuit, quam probatio innocentiæ per *ferrum candens*, laudante Aventino. Sic per ſingulare certamen *Campionibus* utrimque conſtitutis, ut quum de Adulterio Theutbergæ ageretur, conjugis Lotharii Imper. quo de ritu aliàs.

IV. Eugenio ſuffectus *Valentinus*, vix ultrà menſem Pontifex, primus admiſiſſe dicitur Anaſtaſio Valentinus. Bibliothec. in ejus Vitâ, *pedum oſcula ab omnibus, & à Romano Senatu*; dignus qui non Petri Sedem, ſed Diocletiani illam occuparet.

Gregorius IV. ſanè cautior reliquis in adeundo Pontificatu, Imperatoris aſſenſu antè expectato. Platina, in Gregorio IV. Gregorius IV. *Tanta hic modeſtia fuit, ut electus à Clero Populoque Rom. non prius Pontificium munus obire voluerit, quàm à Legatis Ludovici Imper. ob eam cauſam Romam miſſis, qui diligenter tantam electionem diſcuſſerant, confirmatus eſſet.* Quod ex Auctore Vitæ Ludovici, & Annalibus Bertinianis, habuit. Imò Gregorium *juramento etiam interpoſito ſponſionem fidei feciſſe Ludovico*, exemplo Leonis III. & aliorum Pontificum, ex ipsâ Gregorii ad Francos Epiſtolâ, probat Baluzius, in Notis ad Agobardum: Tacet iſta interim pro more Baronius, poſt Anaſtaſium ſuum, ubi de electione Gregorii IV. ad A. DCCCXXVII. N. XXXII. XXXIII.

Ac miſſis ſuperſtitioſiſſimis hujus Gregorii, vel apud Anaſtaſium, cujus prima religio fuit ſtatim ab electione, venerari *Reliquias Gregorii* I. ac conſecrare illis egregium Oratorium, id unum memoraſſe hoc loco ſufficiat: Foviſſe eum nefario ſtudio, rebellionem Filiorum Ludovici in optimum ac munificum in Romanam Eccleſiam Principem, demerendo ſibi Lothario. Cujus rei non unum documentum eſt, invito Baronio, & qui ex eo ſapiunt. Primò teſtes ſunt Aimoinus de Rebus geſtis Francor. L. V. C. XIV. Auctor Vitæ Ludovici, Chronicon Dionyſianum citatum quoque Mornæo noſtro, Gregorium omninò cum Lothario conſpiraſſe, ab eo in Franciam adductum, ſpecie quidem *pacis inter Regem & Filios conciliandæ*, reverà ut Filiorum partes adversùs Patrem tueretur, tamque

Foviſſe Rebellionem in Ludov. Imperat.

ipſum Imperatorem, quàm faventes illi Galliæ *Epiſcopos excommunicationis irretiret vinculis*. Hinc Gregorius in caſtris rebellantium Filiorum hærens, apud Rauracos, *moraſque nectens* priuſquàm ad Ludovicum concederet, quâ de morâ, deque ratione adventûs, conqueſtus Imperator fuit, apud Aimoinum. Et Baluzius, Notis ad Agobardum, *pag.* 117. *veniſſe Gregorium non ut hoſpitem, ſed ut hoſtem*. Accedit, Gregorium, poſt datum in cuſtodiam à Filiis Ludovicum, non modò obmutuiſſe ad nefandum facinus, miſerantibus ſortem Ludovici Piis omnibus, verùm Patrem permiſiſſe parricidis Liberis. Hinc Romam *rediturus inglorius*, ut rectè Hincmarus, ſpecie tenùs mœrorem præferens, ſed ſpecie tantùm. Nec dubium eſt, quin clàm à Pontifice inducti fuerint Epiſcopi Gallicani, principibus Ebbone Rhemenſi, & Agobardo Lugdunenſi, quum depoſuêre Imperatorem in Conventu Epiſcoporum, habito apud Compendium Diœceſeôs Sueſſionenſis, Anno DCCCXXXIII. De quo vide in *Tomo* VII. Conciliorum *col.* 1686. in Libello Agobardi *Apologetico*, & in *Chartulâ* quam (ſub alio titulo) edidit Papirius Maſſonius, dein Steph. Baluzius in *Tomo* II. Operum Agobardi. Quare idem Gregorius Pontifex a Franciæ melioribus Epiſcopis accuſatus eſt, quod *immemor eſſet Paſtoralis officii, moderationis, juriſjurandi facti Imperatori*, referente ipsâ Gregorii Epiſtolâ, purgaturâ ſcilicet accuſationem. Et poſt motum Imperio Ludovicum, factione rebellium Epiſcoporum, renitentibus bonis, quos inter Drogo fuit Metenſis Epiſcopus, Gregorius poſtremos hoſce acerbiſſimis atque injurioſis verbis perſtringere, & in Ludovicum bacchari, *ut qui contrà unitatem & pacem Eccleſiæ, & Regni commiſiſſet* plurima, *origo & cauſa conturbationis, & diſſenſionis, commotionis & deprædationis*, in præfatâ *Epiſt.* Gregorii IV. ad Epiſcopos Francorum. Neque ad reſtitutionem Ludovici, factam Anno ſeq. DCCCXXXIV. in Conventu S. Dionyſiano, & ad Ebbonis Rhemenſis abdicationem, Anno DCCCXXXV. in Theodonis Villâ, ullas Gregorii partes interveniſſe legas apud Agobardum, Aimoinum, Theganum, Auctorem Vitæ Ludovici, vel in Actis Conciliorum, Tomo VII. à *col.* 1693.

Sergius II. V. *Sergium* II. patriâ Romanum (quem *os Porci* antè appellatum fuiſſe habent, ex Martino Polono Seculi XIII. ſcriptore Wernerus Rolevincus, Magnum Chronicon Belg. B. Platina, & plures alii, confuſis Sergio II. & IV.) accepiſſe Pontificatum, neglecto Lothario Imperatore, ſed miſſuro cum exercitu *Ludovicum* filium, ad *confirmandam electionem*, ex Sigeberto ad Annum DCCCXLIV. & Chronographis aliis conſtat. Undè in Sigebertum invectus Baronius, ut *impudentem Schiſmaticum*: Confirment licet Annales Bertiniani, & miſſum quidem Ludovicum, *ne deinceps decedente Apoſtolico, quiſquam illic, præter ſui juſſionem, miſſorumque ſuorum præſentiam, ordinaretur* Antiſtes. Sed & *fidelitatis* ſacramentum à Romanis præſtitum fuiſſe Imperatori, Auctor Coætaneus refert.

Inſignis hujus Sergii faſtus apparuit, in modo quo is Ludovicum Romæ excepit. Si vera Sigonius, ſed locutus ex Seculi ſui moribus, paſſus fuerit Sergius *oſculum ſancto pedi defigi* à Ludovico. Juſſerat etiam callidè Sergius, præcludi januas omnes Baſilicæ Vaticanæ, donec fidem faceret Ludovicus venire ſe *amico animo*, directis his vocibus ad Ludovicum; *Si pacis ac ſalutis Eccleſiæ causâ veniſti, juſſu meo hæ tibi Portæ patebunt, ſin minùs, nunquam per me tibi aperientur.* Ità Sigonius, Platina, alii.

VI. Leo IV. ex Monacho Pontifex, ſed *inconſulto Imperatore*, ut ex Anaſtaſio, & Chronicis liquet, *quod anteà Romani auſi non fuerant*, falſo nuper in hoc Leone Natali Alexandro, *Tomo* XV. Ipſe Anaſtaſius: *ſine Imperiali non audebam auctoritate futurum conſecrare Pontificem*: Undè & ſubmiſſio Leonis ergà Lotharium, & Ludovicum Auguſtos, de quâ poſteà. Paſſus hîc quoque eſt, in evectione ad Pontificatum, *omnes oſculari ſibi pedes*, quem *antiquum morem* dicit Anaſtaſius, nullo rei teſte, nullo exemplo, antè Valentinum Eugenii II. Succeſſorem. *Angliam* ſibi feciſſe *Vectigalem*, Edelwolpho vel Ethelwulpho ſeu Alidulpho, Atulpho, Occidentalium Saxonum in Angliâ Rege, ad Apoſtolorum limina profecto, decreturoque *ſingulos nummos argenteos in ſingulas domos*, Chronica quædam Anglorum, Platina in Leone IV. & Polyd. Virgilius retulerunt. Tacent Anaſtaſius, & vetuſtiores, non quidem iter Romanum, ſed tributarii Regni eam ſubjectionem. Quanta fuerit hujus Pontificis vel *ſuperbia* vel *ſuperſtitio*, docent Anaſtaſius, & Vitæ Pontificum. Vix aliud apud iſtum legas, quàm Regias in Urbe ſtructiones, & *Leoninam* quoque *Urbem* à ſe ædificatam; Donaria immenſi pretii, Imagines, Cruces, Veſtes, &c. his & illis Altaribus, Baſilicis, vel Monaſteriis oblata; Sanctorum neſcio quorum Corpora plurima intrà Urbem transferenda; *Factam* alicubi *veſtem ſericam pro æternâ animæ ſuæ redemptione*, ſic Anaſtaſius; Proceſſiones, Litanias, ad Martyrum, & B. Virginis, Baſilicas, &c. Adde ineptiſſima Miracula Leoni adſcripta, quale illud fugati & extincti ſolemni pompâ *Baſiliſci*, omnes ſuo halitu necantis, item reſtincti incendii *ſignaculo Crucis propriis digitis* facto. Adde nova Feſta, inter quæ *Octava Aſſumptionis B. Virginis*. Adde Leonianæ civitatis muros *nudis pedibus* cum toto Clero circumeundos, *cinerem portantibus in capite* ſingulis, & Ambarvalia id genus Sacra. Obiit Ann. DCCCLV. Julio menſe, juxtà calculum quem ſequitur Baronius, ſed juxtà Marianum, & Chronographos alios, Ann. DCCCLIII. vel DCCCLIV.

VII. De *Johannâ* fœminâ, quæ ſederit inter Joh.
Leonem IV. & Benedictum III. dicimus Capite VIII.
ſequenti.

Omnium verò hoc Ævo Pontificum ſuperbiam ac tyrannidem, etiam in Imperatores, Regeſque, exceſſit *Nicolaus* I. mirè hoc nomine efferendus Baronio, ab Anno DCCCLVIII. quo Benedicto III. ſucceſſiſſe fertur. Nicolaus I. Sedit veriùs nonniſi ab A. DCCCLIX. denatus Ann. DCCCLXVII. exeunte, poſt Sedem annorum circiter *octo*, ex Mariano Scoto, M. Polono, Ranulpho, Platinâ, &c.

Specimina Antichriſtiani faſtûs ac dominatûs potiſſima hæc fuerint, ex Vitâ Nicolai apud Anaſt. Platinam, ex Epiſtolis ejuſdem in Tomo VIII. Concil. ex Flodoardo, Reginone, Hincmaro Rhemenſi, Annalibus Fuldenſ. Gratiano, Sigonio, Aventino, Baronio ipſo in *Tomo* X. Annal. Ex. gr. Sivit iteratâ vice Ludovicum II. Imperatorem, de equo deſcendentem Stratoris vices ſibi præſtare, frenumque tenere equi Pontificii, pedeſtri more, ad ſagittæ jactum, ut Anaſtaſius, & Platina. Neque hi tamen quicquam de *pedum oſculo*. Idem Michaelem Imperatorem contumelioſiſſimis literis interpellare, ac ſubjicere auctoritati Romanæ Sedis: Excommunicationis fulmen eidem comminari, in Photium Patr. vibrare: *Siciliam* & *Calabriam* ut *Patrimonium Petri* per Legatos repetere: Cauſam Conſtantinopolitani Patriarchæ ad ſe evocare, ut *primatem Diœceſeôn*, abuſu Canonis VI. Nicæni, & Canonis IX. Chalcedonenſis, quo ad *primatem Diœceſeôs* querelæ adversùs Provinciæ Metropolitanum referendæ fuerant: Johannem Ravennatenſem, reverâ priſtino jure αὐτοκέφαλον, & in quem iniquiſſimus eſt Anaſtaſius, Sententiâ latâ deponere, & ad ſubeundum jugum Romanæ Sedis compellere: Hincmaro & Præſulibus Rhemenſis Diœceſeôs, in favorem Balduini raptoris Judithæ, excommunicatio-

tio-

Digitized by Google

tionem interminari : Lothario Regi, à Conjuge Theutbergâ divertenti, mandata ſua dirigere, & dirum *anathema* non obſecuturo denunciare, quin & *abdicationem Regni*, Papali auctoritate : Ità Synodorum Acta idem reſcindere, *caſſare* dixit Anaſtaſius de Synodo Metenſi, Sylvanectenſi; Epiſcopos Sententiâ legitimâ depoſitos reſtituere, qualiter Rothaldum ab Hincmaro motum; Colonienſem & Trevirenſem, ut cum Lothario conſpirantes, deponere, ſed exprobraturos *tyrannidem*, *libidinem dominandi*, *ex Paſtore Lupi*, *ex Servo Servorum Domini Dominantium*, &c.

Nec finis eſt inauditæ ſuperbiæ documentis, adeò ut *tanquam Numen coleretur*, apud Platinam, *imperaretque Regibus ac Tyrannis*, *eiſque*, *ac ſi Dominus Orbis Terrarum*, *cum auctoritate praeeſſet*, teſte Regino ne. Loquantur *Epiſtolæ Nicolai*, & arrogantiſſimæ in iis voces, ad Michaelem Imperat. ad Lotharium Regem, ad Ludovicum Germaniæ, ad Carolum Calvum Franciæ Reges, ad Filios Caroli Calvi, ad Salomonem Britonum Regem, ad Gallorum Archiepiſcopos & Præſules, ad Hincmarum Rhem. ad omnes Epiſcopos, &c. Undè excerpta paſſim apud Gratianum, in Parte utraque *Decreti*, & in unum collecta per Joh. Cochlæum, inſertaque *Tomo* VIII. Concil. *col.* 550. paſſimque deſcripta Baronio, præſertim ad Annos DCCCLXIII. DCCCLXIV. DCCCLXV. ut Mornæum, & noſtrates taceam. Summa eſt : *Apoſtolicam Sedem omnes judicare*, *à nemine ipſammet judicari*; *Sententiam ejus retractare permiſſum nemini*; *probandum quod ipſa probet*, *reprobandum quod reprobet*; *ejus auctoritate majorem aliam in Orbe non eſſe*; *de quâlibet mundi parte ad eam appellari*, *ab illâ nunquàm*; *ne ab Imperatore quidem ligari aut judicari Pontificem poſſe*, *quem conſtet à Conſtantino Deum appellatum*, (imo *Epiſcopos* omnes, abuſivè dictos illi *Deos*, uno tamen Ruffino referente) *cùm nec poſſe Deum ab hominibus judicari manifeſtum ſit*, quæ poſtrema leguntur *Diſt.* XCVI. C. *Satis evidenter*.

Nicolai ſuperſtitio. Error inſignis.

Superſtitionem, ac typhum Seculi, arguunt penè acta ſingula, quæ in ejus *Vitâ* deſcribit Bibliothecarius. Sed & arguunt *Reſponſa* Nicolai ad conſulta Bulgarorum, noviter converſorum ad Chriſti fidem, ac *Decreta* varia, relata in Gratiani Decretum, & in Tomum Concil. VIII. à *col.* 516. & *col.* 550. In quibus de abſtinentiâ à carnibus, de Feſtivitatibus Sanctorum, de continentiâ conjugatorum, de impedimentis matrimonii, de neceſſario cœlibatu Clericorum, id genus alia operosè. Atque in iis, *Capitulo* CIV. inſignis eſt ignorantia errorque Nicolai, quem tamen ut Oraculum quoddam undequaque à Provinciarum Præſulibus conſultum fuiſſe, refert Bibliothecarius. Negavit enim denuò baptizandum eſſe, ſi quis *vel tantùm in nomine Chriſti baptizatus eſſet*, non totius S. Trinitatis; & quidem ab eo *de quo neſciretur utrum Chriſtianus eſſet*, *an Paganus*, vel etiam *Judæus*, ex verbis, *A quodam Judæo*, *neſcitis utrum Chriſtiano*, *an Pagano*, &c. In quibus & inſignis contradictio eſt, conſtanti lectione Codicum.

Nat. Alex. poſt ſuos effugium.

Ad quæ Tannerus & alii, *Sanè difficilem reſponſionem eſſe*, *ad reſcriptum Nicolai*; alii, *Baptiſmum in nomine Chriſti ſolùm divinâ diſpenſatione ratum* fuiſſe; alii Pontificem loqui ex *caſu neceſſitatis*; alii nomen *Chriſti* poſitum eſſe loco *Filii*, additis *in nomine Patris*, & *Chriſti*, & *Spiritûs S.* alii, quos inter Melchior Canus, *Lib.* VI. Locorum Commun. C. VIII. *Pontificem*, *ut privatum Doctorem*, *falſam ſententiam ſecutum eſſe*; Nec hac de re interrogatum, benè, an Baptiſmus à *Judæo* vel *Pagano collatus*, *eſſet validus*. Natalis Alexander, poſt Tannerum, Suareſium, Cochlæum, Bellarminum, &c. Tomo XV. p. 53. *Hoc ad privatas Nicolai opiniones ſpectare*, *nec ibi reſpondiſſe ut Chriſtianorum omnium Doctorem*, *neque ad Traditionis doctrinam ſatis attendiſſe*. Conſultus tamen fuerat ut ſummus Eccleſiæ Pontifex, de vigore talis Baptiſmi; ut Doctor Chriſtianorum, jubens porrò, ad calcem Reſponſorum, *ut poſt hac ſemper in rebus dubiis*, & *negotiis majoribus*, *Sedem totius Eccleſiæ more conſulerent Apoſtolicam*. Deinde vel *noverat* Nicolaus veram Eccleſiæ definitionem, circà Formam Baptiſmi, vel *non noverat* : Si poſterius, quomodò tum is eſſe potuit Summus Eccleſiæ Pontifex, Caput, quod falli neſcium, vel fallere, habens in ſcrinio pectoris reconditam veritatem; ſi prius, contrà conſcientiam egit, *falſam ſententiam ſequendo*. Sed & de Capitibus cæteris, dubiiſque Bulgarorum, eodem tenore reſpondit ut *Pontifex*, in Apoſtolicâ eâ Sede conſtitutus, de omnibus autem *quantum ſufficere poſſe prævideret*, *col.* 549. T. VIII. *Concil.* Et hic *novus Elias*, *novus Phinees*, *Sanctus* Nicolaus eſt, Divorum catalogo adſcribendus, ac tollendus cœlo, ut ab Hadriano II. àb Anaſtaſio, à Joh. Diacono, in Vitâ Gregorii I. ſic ab Annalium Scriptore Baronio, uſque ad Annum ejus emortualem DCCCLVII.

Hadrianus II.

VIII. Dignus Nicolai Succeſſor *Hadrianus* II. inconſultis Legatis Ludovici II. Imperat. ad Pontificatum aſſumptus, Legati Cæſarei licet, Romæ *præſentes eſſent*, fatente Anaſtaſio. Quare fingendæ cœlitùs *viſiones*, *apparitiones* erant, pro ejus exaltatione, apud eundem. Et contemptûs Cæſarei, atque uſurpatæ poteſtatis argumento eſt, reſponſum datum Legatis; *Omiſſum* hoc ſtudio fuiſſe, *futuri temporis proſpectu*, *ne Legatos Principum*, *in electione Romanorum Præſulum*, *mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret*, ſi vera ibidem Anaſtaſius. Undè mox ſub Johanne vulgò VIII. Carolo Calvo ad Imperium admoto, excutiendum penitùs hoc jugum Imperatorium fuit. Ac Superbiam Antichriſtianam Hadriani Pontificis ejus omnia teſtantur, ſpecie tamen ſanctitatis, humilitatiſque. Hac enim ſpecie, primò bis *ſubterfugiſſe ſummum Pontificatum*, fertur in Vitâ Hadriani, poſt mortem ſcilicet Leonis IV. & iterùm poſt illam Benedicti III. *rapiendus* tandem à morte Nicolai, ac *trahendus*, invitus ſcilicet. Deinde, inter alia humilitatis documenta, dicitur ſolemni Convivio, in auſpiciis Pontificatûs, *aquam* omnibus Convivis ipſe ſuis manibus *humiliter fudiſſe*, *cibos appoſuiſſe*, *pocula miniſtraſſe*, *in faciem coràm omnibus procidiſſe*, teſte rursùm Bibliothecario.

In odium Photii Conſtantinopolitani, Sede pellendi in Synodo vulgò VIII. utque Conſtantinopolitanam Sedem Romanæ redderet obnoxiam, fœdiſſimis literis adulatus eſt Baſilio Macedoni, parricidæ licet Michaëlis Græci Imperatoris : Hinc ſcriptæ literæ, *ut alteri quodammodo Salomoni*, *id eſt*, *pacifico*, *qui audiviſſet verba Dei Patris ſui*, & *non dimiſiſſet legem Matris ſuæ*, Eccleſiæ Romanæ. Vide literas ipſas, in Actione I. Synodi quam *octavam* dicunt, *Tomo* VIII. Edit. noviſſimæ, *col.* 981.

Lite obortâ inter Hincmarum Laudunenſem contumacem in Regem, & inter Rhemenſem alterum, Gallicanoſque Præſules, damnaturos tandem Laudunenſem, poſt interpoſitas Romam appellationes, in Synodo Duziacenſi Rhemenſis Diœceſeôs, An. DCCCLXXI. præſide Hincmaro Rhemenſi, Hadrianus II. cauſam omnem evocare Romam; Hincmarum utrumque citare ad Apoſtolicam Sedem; Laudunenſem ad ſe mitti *velle*, *mandare*, *jubere Auctoritate Apoſtolicâ*, datis ad Carolum Calvum Regem literis; Regem ire prohibentem Hadrianus, ut *qui ſibi gratanter deberet præbere obſequium*, acerbiſſimè increpare, ſeu ut ipſe loquitur, *flagello ſevero affligere*; quinimò *vocare in literis perjurum*, *tyrannum*, *ac perfidum*, & *Diſtractorem rerum Eccleſiaſticarum*, ut liquet

Digitized by Google

quet ex Epiſtolâ Hadriani XXXIII. & ex Reſponſione Caroli Calvi, inſertâ Epiſtolis Hincmari *pag.* 545.

Lothario Rege fatis concedente, quum ejus regnum, Auſtraſiæ (deinceps *Lotharingiæ*) Burgundiæque alterius, occupaſſet Carolus Calvus, faventibus Regni Proceribus, protinùs mandata diriguntur ab Hadriano, ad Carolum Regem, ut *Regno illo excederet*, decederetque Ludovico, Imperat. Lotharii filio; ad Hincmarum verò Rhemenſem & Epiſcopos in Regno Caroli, ut ſe ab *illius communione ſequeſtrarent*; ad Regni Proceres ne Carolum ſuſciperent; *Quod Regnum ſi quis Tyrannus contrà divinam* & *Apoſtolicam* (id eſt, Pontificiam) *voluntatem invadere præſumeret, Apoſtolicæ ſine morâ ſuſtineret ultionis cenſuram*, nempe *vinculis anathematis obligatus, nomine Chriſtianitatis privatus, cum Diabolo locandus*, &c. Docent Epiſtolæ Hadriani XIX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. quas vide, vel apud Annalium Scriptorem ad A. DCCCLXIX. Pariter *Carolomanni* Filii perduellis, Sedem Apoſtolicam appellantis, ſuſcepit patrocinium Hadrianus, contra Carolum Calvum Patrem, adversùs quem iſte nefariâ conjuratione conſpirarat. Undè comminatorias ſcribere Pontifex, cùm ad Regem ipſum, tùm ad Regni Proceres, Epiſt. XXIX. & XXX. quibus eos *auctoritate Apoſtolicâ refrenaret*, hortareturque Carolum Patrem, *ut Filium ſuſciperet*, ut de *priſtinæ invaſionis & avaritiæ pravitatibus deprecaretur*, ut *veniam Eccleſiaſticam recipere exoptaret, ne ſine tenùs periret*. Ac ſolemne Pontificibus fuit, cumprimis indè à Gregorio II. & III. ſuſcipere rebellantium cauſam defenſionemque, etiam Parricidarum, ſi modò Romam confugerent, aut Pontifices appellarent, vel Sedem Apoſtolicam reſpicerent, frequentibus ſuprà ac deinceps exemplis. Nec jam de Hadriano plura.

Baronius notat. Ac mirum rursùs dictu eſt, quàm applaudat Annalium Scriptor huic Hadrianeo faſtui, ac Pontificio in Regna & Reges imperio, multis idem contumelioſus in Carolum, ut *degenerem, ingratum, contumacem, filium negantem ſe parenti ſubjectum, Patrem carnis*, quorum *non magni ſint facienda præcepta*, ſed *magis ejus qui Pater ſecundùm ſpiritum*, id eſt, Pontificis. Vide ad Annos cumprimis DCCCLXIX. DCCCLXX. DCCCLXXI.

Johannes IX. Johannes IX. juxtà Platinam ipſum, qui vulgò VIII. Papiſſâ è Catalogo diſpunctâ, inſtitit ſtrenuè veſtigiis deceſſorum. Non is ab Anno DCCCLXXI. Pontifex, ut malè Marianus Scotus, qui biennium tantùm tribuit Hadriano II. ſed indè ab Anno expirante DCCCLXXII. ineunte DCCCLXXIII. non diu poſt defunctum Hadrianum, ſiquidem hic ſederit annos V. juxtà ipſum Anaſtaſium. Nam in annis Pontificum hujus Ævi ſunt conturbata omnia, ab iis qui Johannam fœminam diſſimulant.

Specimina Antichriſtiani dominatûs ipſe nobis Baronius cum ſuis exhibeat, ab Ann. DCCCLXXIII. cogente hiſtoriâ. Mox initio Pontificatûs, Ludovicum Imperatorem abſolvit hic Johannes, *auctoritate Dei & S. Petri*, à juramento quo ſe *multis eum execrationibus* Ludovicus obſtrinxerat Adelgiſo Principi Beneventano; affirmans, *nihil ſibi obeſſe, nec ſacramentum eſſe dicendum*; Anaſtaſio referente, & Reginone in Chronico, etiam Annalibus Metenſibus, ad Annum DCCCLXXII. Mortuo Ludovico Imperatore, ſine prole maſculâ, *Carolum Calvum* Francorum Regem, in præjudicium *Ludovici* Germanorum Regis, fratris natu majoris, ad Imperii Romani Sceptra provehit, ac Coronam imponit, interpretatus *ſincerum beneficium* & jus Apoſtolicæ Sedis. Prolixè Auctor Coætaneus, Continuator Aimoini, Annales Francorum, Sigonius, ad Annum DCCCLXXV. & Baronius ad Ann. DCCCLXXVI. Conditiones adjecit, novo exemplo, Imperator devinciret ſe jurejurando Romanæ Sedi, decederet Principatu Romano, viciniſque Ditionibus, abeſſent deinceps Regiæ legationes ab electione Pontificum, in quibus tamen dignitas Imperatoria præcipuè conſtitit. Aſſenſit in ſpeciem Carolus, poſteà autem neglecto Pontifice, quum is petiturus à Carolo auxilium eſſet adverſus Saracenos, *incurvatis genibus, & ſubmiſſo capite*. Sed tamen, ab *eo tempore Papas prætendiſſe, quod ad ſe pertineret conferre Imperium, nec Imperatores appellaſſe niſi quos ipſi coronaſſent*, rectè Mezeræus ad Ann. DCCCLXXVI. Quod ex Sigonio habuit; quum hactenùs hæreditario jure, nullo interventu Pontificis, Ludovicus Pius, Lotharius, Ludovicus II. Imperium obtinuiſſent. Deinceps contendere Johannis Succeſſores; *neminem dici valere Imperatorem, niſi quem Papa delegerit*, quæ ſunt Glabri Radulphi voces. Nec tamen unîus Petri tùm habitus Papa Vicarius, ex hypotheſi Baronianâ, ſed *Vicarius Apoſtolorum Petri & Pauli*, quo nomine Johannes venit in Actis Pithœanis, deſcribente ipſo Baronio, *Num.* XV. Et ad hujus Johannis tempora refertur commentum de *Donatione Conſtantini*, accuſante *Johannis Diaconi impoſturam, ſub hoc Pontifice*, Ottone III. Imperatore, in eo Diplomate quod ipſe Baronius recenſuit, ad A. MCXCI. *Num.* LIV. Johannes iſte non profectò Fœmina fuit, ut Erfordienſis *Cap.* VII. quo de errore Hiſtorico noſtra Diſquiſitio de *Papâ Fœminâ*.

Excuſſum jugum Imperatorum.

Commentum de Donat. Conſt.

Cætera prolixè præfati Hiſtorici, & Vita Johannis, ejuſque Epiſtolæ teſtantur, *Tomo* IX. Concil. Ut nempè Johannes Clericos, viduas, pupillos ſubtraxerit Seculari & Laicæ Juriſdictioni, teſte Anaſtaſio; Ut Excommunicationis dira frequentiaque fulmina projecerit in Græcos, Gallos, Germanos, Britannos, Italos qualiter in Spoletanum Thuſcumque Duces, in Formoſum Portuenſem Epiſc. in Athanaſium Neapolitanum, in Romanum Ravennatenſ. in Anſpertum Mediolanenſem, &c. Ut mortuo Calvo Ludovicum Balbum primò Franciæ Regem, deindè & Carolum Craſſum, Imperatorem, iiſdem legibus coronaverit; Ut ex Romanorum Dominis Subjectos Romanæ Sedi effecerit, imò in Epiſt. ad Balbum Regem, quæ eſt LXXXVII. Tom. IX. Conc. ſuſtinuerit, *auctoritate S. Spiritûs*, ei Regi deferre *vicem Caroli Imperatoris Auguſti, & conſtituere eum à ſecretis Conſiliarium ſuum*.

Ità, ſi vera *Conſtitutio* eſt Johannis VIII. quam ex Vaticanæ Bibliothecæ monumentis protulit Baronius, ad Ann. DCCCLXXXII. N. VIII. & inſerta eſt Conciliorum Tomis, æquavit ſe hic Pontifex *Moyſi*, & Cardinales Presbyteros, ſive Titulares Romæ Parochos, *Septuaginta Senioribus*, qui ſub tali Moſe *negotia judicarent*.

Johannis error. Baronius notatus.

Scripſit & Epiſtolam ad Photium, quæ eſt CCCXX. inſerta Tomo IX. Concil. & Annalibus Baronianis, in quâ Photio & Græcis accedit, in quæſtione de Proceſſione Spiritûs S. *additionem in Symbolo ex Patre* Filioque *condemnans*, & *inſaniam* accuſans eorum *qui principio hoc dicere auſi eſſent*. Sed Baronio hæc Epiſtola *calumnioſè conſicta* eſt, ad Ann. DCCCLXXIX. N. LIV. LV. ità Binio, ità Allatio, ità nuper Natali Alexandro; quibus genuinæ tabulæ ſunt, etiam mendaciſſimæ, quotquot cauſam juvant, fictæ, quotquot abhorrent à moribus ſequioris Romæ. Verùm Johannem hunc accuſet ipſe Baronius, in iis quæ Purpurato diſplicent. *Johannes magno ſuo dedecore averſari viſus eſt Prædeceſſorum ſuorum res benè diſpoſitas*, ſcilicet reſtitutione Photii Patr. & Zachariæ Legati qui Photio acceſſerat, quos priores Papæ damnarant, è contrà remotione Formoſi Portuenſis, quem Marinus *obrutum ignominiâ, in priſtinum ſtatum revocavit*, ad Annum DCCCLXXXIII. N. I. De conſtitutione hujus Johannis, *Epiſt.* LXV. quâ conjugi *ob-*

for-

Digitized by Google

fornicationem diſcedenti aliarum nuptiarum fecit poteſtatem, litigant Doctores Pontificii, & interpolatæ lectionis *fraudem execrandam* Doctiſſimo Launojo, de Regiâ in matrimonium poteſtate commentanti, impingit Nat. Alexander, in hoc Johanne VIII. Hiſtoriæ Eccleſ. *Tomo* xv. p. 73.

Marinus II. *Marinum*, aliàs *Martinum* II. ex Diacono factum Pontificem, contrà Canones, quicquid de ejus Epiſcopatu hariolетur Baronius, ſed (inquit) *non ſatis explorato*, teſtatur diſertè Platina, *adeptum eſſe Pontificatum malis artibus.* Quod ſolemne fuiſſe his temporibus, ſequentes Pontifices docent. Tollendus Baronio laudibus hic Marinus, ob damnatum ab eo Photium *ipſo ingreſſu Pontificatûs*, ad Ann. DCCCLXXXII. N. XI.

Hadrianus III. *Hadrianus* III. quanquàm & brevioris ævi cum Marino, *tanti animi fuit*, inquit Platina, *ut ſtatim initio Pontificatûs ſui decreverit*, *ne in creando Pontifice Imperatoris auctoritas expectaretur.* Conſentiunt Chronographi, & Sigonius, ad Ann. DCCCLXXXIV. Planè contrà Leonis IV. cum Lothario Imperatore pactum, *ut electio Romani Pont. nonniſi juſtè* & *Canonicè fieri debeat*, apud Ivonem & Gratianum. Illud autem *juſtè & Canonicè* implicare jura Imperialia, ità *ut electus Pontifex non prius conſecraretur, quàm Sacramentum fidelitatis faceret coràm Miſſis Imperatoriis, qui Canonico ritu dirigerentur ab Imperatore*, rectè Baluzius obſervat, Baronianis effugiis præcluſis, in Præf. ad Capitularia Num. XXV. Quod jus Imperatoribus mox reſtituit Johannes IX. Synodi Rom. *Capite* X. ùt Pontifex *nonniſi præſentibus Legatis Imperatoriis conſecraretur.* Sed hoc de jure inveſtituræ jam ſuprà, in Hadriano I. Nec tamen electio tùm futura penes Cardinales, hoc Hadriani decreto, ſed diſertè penes *Clerum & Populum*, *liberis* utriuſque *ſuffragiis.*

Intolerandum hoc alterum apud Martinum Polonum, Sigonium, Simonetam, alios; Quo nempè ſtatuit Pontifex, dùm Craſſus Imperator careret virili ſtirpe, ut *moriente Craſſo ſine Filiis*, *regnum Italicis Principibus*, *unà cum titulo Imperii*, *traderetur*, nempè Guidoni vel Vidoni Spoletano, & Berengario Forojulienſi. Sunt hæ apud Sigonium voces, ferè in fine Libri v. de Regno Italiæ. Diſſimulat Cæſar Baronius decretum, Reipublicæ infeſtum civilibus deinceps diſcordiis. Et ſatis ad commendationem Hadriani Pontif. quod *execratus ſit Photium*, *nihilque fecerit in gratiam Imperatoris*, qui tùm Baſilius, ut idem ad Annum DCCCLXXXIV. N. I. II.

Stephanus V. vel VI. *Stephani* V. vel VI. par ſuperbia fuit. Hic enim in Epiſtolâ ad Epiſcopos Orientales, quæ ſecunda eſt, *quodcunque Romana Eccleſia definierit*, *incorruptum manere* oportere. Inſertum & Decretum apud Gratianum, *Diſt.* XIX. C. Enim verò. In Epiſt. ad *Baſilium* Imperat. quæ prima eſt, totus eſt in exaltandâ Sede Romanâ, ejuſque univerſali & infallibili auctoritate. Ἀρχὴν τῶν βιωτικῶν ὑμῖν δέδοται, οὕτω τε καὶ ἡμῖν διὰ τοῦ κορυφαιοτάτου Πέτρου τὸ ἀρχὴν τῶν πνευματικῶν, ut eſt in Epiſt. Ms. Græcâ, Voſſiano Codice 86. *Rerum mundanarum & Civilium tantùm curam gerere debes; nos per Principem Petrum Spiritualibus rebus Deus præfecit.* Ἡ γὰρ κατάστασις καὶ ἀρχιερωσύνη πασῶν τῶν ἐν κόσμῳ ἐκκλησιῶν παρὰ τοῦ κορυφαιοτάτου Πέτρου τὴν ἀρχὴν ἐδέξατο, &c. *Sacerdotium omnium quæ in Orbe ſunt Eccleſiarum à Principe Petro ortum accepit.* In aliâ Epiſt. adversùs Hiſpanos Præſules, in favorem Narbonenſis; *Romanorum Pontificum Decreto omnis Chriſti Eccleſia toto orbe regitur:* Et niſi ſe Hiſpani ſubjicerent Narbonenſi Pontifici, *eos excommunicando excommunicat*, *maledicendo maledicit*, *perpetuo anathematis vinculo inſolubiliter colligat*, &c. Eidem Stephano VI. *divinitùs* ſcilicet *revelatæ fuerunt Reliquiæ plurimorum Martyrum*, qui ſub Stephano I. Martyrii Coronâ decorari meruiſſent, & hactenùs latuerant, ſcilicet indè à medio Seculo III. Refert hanc inventionem Baronius ex Surio, hariolatus de ſuo, Anaſtaſium Bibliothecarium narrationis auctorem eſſe.

Adde in præfatâ Stephani Epiſtolâ, ad Hiſpanos, fabulas de Eccleſiis à *Paulo* Apoſtolo in Galliâ & Hiſpaniâ fundatis, de *Sergii Pauli* Narbonenſi Primatu, nugas id genus: Quales ex profeſſo in Galliâ Pontificiâ, cum præſidiis omnibus fictarum originum, fictorumque Gallicanæ Eccleſiæ fundatorum, profligavit poſt alios Joh. Launoius, non unâ *Diſſertat.* oſtenſurus quàm imperitè confuſa fuerit *Gallia* & *Galatia*, item Dionyſius Areopagita cum alio Pariſienſi, Trophimus Pauli cum Trophimo Arelatenſi, Paulus Narbonenſis cum Paulo Sergio, &c.

VII. Indè à *Formoſo* VI. ſeſſuro A. DCCCXCI. olim Portuenſi Epiſcopo, damnatoque ac depoſito à Johanne VIII. mox ſurrecturo Anti-Papâ *Sergio*, qui homo *Sacrilegus* Baronio eſt; poſt Formoſum ſucceſſuro *Stephano* VII. qui eidem Annalium Scriptori ad A. DCCCXCVII. & ſuis, *homo nefarius*, *fur*, *latro*; intrudendo ab aliis *rectè & legitimè* (in Platina) Bonifacio VI. Anti-Papâ; omnis ſucceſſionis Pontificiæ, ſed & infallibilitatis, ſpecies evaneſcit. Nonniſi execrandis artibus deinceps evehendi ad Papatum, vi, ambitu, Simoniâ, veneficiis, latrociniis, **Formoſus & ſucceſſores.**

Scelera ipſa nefaſque
Hac mercede placent.

Sed & graſſaturi in ſe mutuò Formoſus & Sergius, mox Stephanus VII. non modò Formoſi omnes Ordinationes, toto ſexennio factas, reſcindere, decreta ejuſdem abrogare, reordinationes ſancire, ſed & *mortui Corpus exhumatum*, *Sacerdotalibus indumentis indutum*, *tribuſque digitis mutilatum*, *in Tiberim projicere*, violatâ ſepulturâ & humanitate, ut conſentiunt Scriptores Vitæ Stephani, ex Luitprando Hiſt. *Lib.* I. *Capite* VIII. & Acta Conciliorum. Unus Onuphrius fabulam gratis ſuſpicatur, Annotat. ad Platinam, ſecùs pronunciante Baronio, ad Annum DCCCXCVII. *Num.* VI. Ac rem teſtante Concilio eo Romano, in quo hæc Stephani Synodus, ac *violatæ ſepulturæ* barbaries, damnata. Meminit & hujus Synodi Launojus, de Auctoritate Neg. Argum. *Num.* LXXXVI. Planè ſic anteà Stephanus IV. prædeceſſor Hadriani I. reordinaverat, quotquot à Conſtantino II. Papâ fuerant ordinati. Sic deinceps Johannes X. cum exordio Seculi ſeq. Stephani VII. contrà Formoſum Acta magno molimine, habitis Synodis, reſcidit. Quanquàm non unius criminis, putà perjurii, perduellionis, conſpirationis cum Saracenis, reus peractus fuerat Formoſus, ſub Johanne VIII. Idemque ex *Laico* Pontifex, redactus ſcilicet antè ad communionem Laicam à Johanne VIII. ex alienâ etiam Diœceſi, putà Portuenſi, contrà Canones, ad Romanam tranſlatus. Nihilominùs legitimus is Pontifex Baronio eſt, à quo duo Imperatores *uncti*, *Arnulphus* & *Lambertus*; ſed Arnulphus (inquit Baronius) *per ſubreptionem*, rejecturis & Unctionem Arnulphi Stephano VII. Johanne X. contrà ſolenne juramentum Arnulpho præſtitum à S. P. Q. R. apud Sigonium de Regno Ital. A. DCCCXCVI. Ità hæc monſtra etiam de Imperio decernebant. Et horum decretis ſtandum fuiſſe contendit Baronius, Arnulpho ex ſerie Imperatorum diſpuncto. **Baronius notat.**

Claudimus Baronii verbis, ad Ann. DCCCXCVII. *Num.* IV. *En illa infeliciſſima Eccleſ. Romanæ tempora*, *atque omnium luctuoſiſſima*, quando *intruſi ſunt in Cathedram Petri*, *ſolium Chriſti*, *homines monſtroſi*, *vitâ turpiſſimi*, *moribus perditiſſimi*, *uſquequaque fœdiſſimi*, &c. **Baronius confitens reus.**

Digitized by Google

&c. Mox *Num.* VI. *Sed redeamus ad Stephanum, quem non auderem inter Romanos Pontifices numerare, niſi id factum à majoribus inveniſſem.* Et ſanè in Stephano VII. S. *Petri auctoritatem reveritos eſſe* Gallicanos Epiſcopos, ex Flodoardo in Rhemenſi Hiſtoriâ, *Libro* IX. C. IV. prolixè conſtat. Qui tamen Stephanus, teſte Epitaphio apud Baronium, ad A. DCCCC. & aſſentiente ipſo Purpurato, fuit *homo facinoroſus, ingreſſus ut fur & latro, laqueo vitam, adeò infami exitu, vindice Deo clauſurus.* Rursùs ad A. DCCCC. *Num.* I. II. III. quo anno clauditur Seculum, veriùs quàm *inchoatur*, ut apud Baronium; *Ne quid ſcandali puſillus animo patiatur, ſi quando videre contigerit abominationem deſolationis in Templo*, & perquàm *indigna, turpia, deformia, execranda, abominanda*, &c. Nihil tamen his obſtantibus, crepat ibidem *firmitatem Petræ, inſolubilem compaginem, perennem Eccleſiam, ſemper integram, ædificium Dei*, & quæ id genus ſuâ ipſe Annalium ſerie ac confeſſione deſtruit.

VIII. *Hiſtoria Johannis* VIII. *vulgò Johannæ Papiſſæ, controverſa.*

Ἐπίκρισις *Auctoris.*

Facti ratio.

I. Summa narrationis eſt, ex Mss. antiquis *Anaſtaſii*, olim in Bibliothecâ Palatinâ, & illâ Chriſtianiſſimi Regis, ex *Mariano Scoto*, hinc *Martino Polono*, & qui cum his conſentiunt: Inter Leonem IV. defunctum ſive A. DCCCLIV. ſive ut alii A. DCCCLV. & Benedictum III. ſediſſe fœminam *Johannis* VIII. nomine, ex Moguntiaco oriundam, anteà *Johannem Anglicum* appellatam, occupaturam Sedem ultrà biennium. Addunt, habitu virili Athenas, antiquam literarum ſedem, (eo ferè tempore à Bardâ ibi inſtaurandarum) ab amaſio ſuo deductam, hinc Romam delatam, profeſſamque publicè S. literas, quas tum Romæ auditoribus traditas fuiſſe, extrà Muros Civitatis, auctor eſt Anaſtaſius in Vitâ Leonis IV. Hinc factum, ut ob ſcientiæ opinionem, morumque præſtantiam, in Papam eligeretur, ſexum eo faciliùs mentita, quod (ut Laonicus Chalcocondylas, Ed. R. p. 160.) οἱ ἄῤῥενες σχεδόν τοι τῆς Ἰταλίας, καὶ ξυμπάσης τε τῆς πρὸς ἑσπέραν χώρας, ἐπιεικῶς ξυρῶνται τὸ γένειον, *Mares cùm per Italiam, tùm regiones penè omnes Occidentis, barbas raderent.* Additur, deinceps à familiari imprægnatam peperiſſe viâ publicâ, ignaram temporis partûs, quum de S. Petro in Lateranum tenderet, inter Coliſæum & Eccleſiam S. Clementis. Addit Theodoricus Niemius, *ſtatuam* in memoriam iſtius eventûs eô loci erectam, deinceps à Pontificibus ſtudioſè declinandi. Chalcocondylas, Guil. Brevinus, Platina, meminerunt & *Sellæ perforatæ*, in quâ novi Pontificis ſexus explorandus poſtmodùm fuerit, mox ab electione. Accedit, quoad rei ſummam, & *Johannæ* hujus Pontificatum, conſtans Hiſtoricorum ac Chronologorum fides, certè poſt Marianum Scotum, Radulphi Monachi ſi Mariano poſterior eſt, Sigeberti Gemblac. quicquid de iſto Miræus neget, Ottonis Friſing. Galfridi Arthuri, Godofredi Viterbienſis, Joh. Pariſienſis, Antonini Florentini, Matthæi Palmerii, Franciſci Petrarchæ, B. Platinæ, B. Mantuani, Werneri Rolvinchii, B. Fulgoſii, reliquorum magnâ ſerie ad cœptam uſque Reformationem ſuperiori Seculo. In Græcis noti Laonicus Chalcocondylas *Lib.* VI. de Rebus Turc. & Barlaamus à Salmaſio editus, de Primatu Papæ, *Cap.* XIV. Sed Catalogum Scriptorum exhibent Magdeburgenſes, Flacius, Juellus, Mortonus, Wolfius, Mornæus, Deckerus, Calixtus, Grimmius, Hottingerus, Mareſius, plures alii, ipſeque David Blondellus, in *Anacriſi* Famoſæ Quæſtionis de Johannâ Papiſſâ. Ut abſurdus ſit Leo

Testes.

Allatius, contendens nihil hujus ſcripſiſſe Marianum, Sigebertum, Martinum, Latinos alios, nec Græcos, in quorum Opera ſcilicet hæc fabula fuerit per fraudem inſerta.

Qui rem ſileant, aut negent.

II. Indubium tamen eſt preſſiſſe hanc rem ſilentio, cùm Latinos nonnullos, tùm Græcos ſcriptores, certè nihil hujus legi in tranſmiſſis eorum ad nos ſcriptis. In his Romani *Pontifices*, ut Nicolaus I. Hadrianus II. Leo IX. *Præſules, Abbates*, ut Hincmarus Rhemenſis, Ado Viennenſis, Lupus Ferrarienſis, Conradus Urſpergenſis; *Hiſtorici* alii, ut Luitprandus, Flodoardus, Hermannus Contractus, Hugo Floriacenſis, Matth. Weſtmonaſterienſis, &c. In *Græcis* objicitur ſilentium infeſtiſſimorum Romanæ Sedi, Photii Patriarchæ, & Michaëlis Imperat. tùm Metrophanis Smyrnæi, Styliani Neocæſareæ Epiſcopi, Gregorii Hieroſolymitani, ἀνωνύμων plurium. Aſt verò qui *non certam hiſtoriam eſſe* pronunciarit, primus noſcitur Æneas Sylvius *Epiſt.* CXXX. Qui autem negaverint factum, primus prodiit Ævo ſuperiore Aventinus, in Annalibus Bojorum *Lib.* IV. *fabellam* appellans; tum Alanus Copus, vel ſub hujus larvâ alius, item Onuphrius Panvinius, Gisbertus Genebrardus, Arnoldus Pontacus, Florimundus Ræmundus, vel ſub hujus nomine (ità Blondellus) Ludovicus Richeomus è Societate Jeſu; hinc Cæſar Baronius, Rob. Bellarminus, Jac. Gretſerus, Papirius Maſſonus, Albertus Miræus, Binius, Bzovius, Sanderus, Serarius, Gualterus, Allatius, Launojus, Labbeus, Nihuſius, Nat. Alexander, & omnes ad unum recentiores, ipſeque Juſtus Lipſius, in Epiſtolâ quadam ad Franciſcum Swertium, citante Miræo. Quibus acceſſit in noſtris ferè primus David Blondellus, in Gallicâ *Diatribâ*, dein in Amſtelodamenſi *Anacriſi* de Johannâ Papiſſâ; ac poſt eum Timannus Geſſelius, Marcus Zwer. Boxhornius, doctiores non pauci, rei abſurditate inducti: Perquàm invito Claudio Salmaſio, qui teſtis oculatus *Mss.* Heidelbergenſium, & fraudis Jeſuiticæ in edendo Anaſtaſio, Commentarium de hac Johannâ pollicitus fuit, apud me ipſum profeſſus aliquando indignationem in Blondelli Diatribam; ſed fato interceptus.

Ἐπίκρισις Auctoris. Obſervationes neceſſariæ.

III. Rei momentum omne in hiſce potiſſimùm vertitur: 1. An Anaſtaſius Bibliothecarius, ejus ferè temporis ſcriptor, hujus Johannæ nullus meminerit, in Pontificum Vitis, an ſecùs in vetuſtioribus Mss. viſis ipſi Blondello, ſed & Salmaſio, Frehero, antequàm poteſtatis Jeſuiticæ fierent. Quo magis certum Anaſtaſium ſæpè mutilum, hiulcum, interpolatum, à poſterioribus correctum eſſe, vel ex Præfatione Fabrotti, & frequenti aſſenſu Baronii. 2. An inter Anaſtaſium & Marianum Scotum, mediis inter utrumque Seculis duobus, nemo ſeu Græcorum ſeu Latinorum rem adeò portentoſam tradiderit; controverſâ jam Ætate Radulphi, vel Ranulphi Flaviacenſis, quem ipſe Bellarminus, Onuphrius, Gualterus, Genebrardus, poſt Trithemium, Mariano anteriorem faciunt toto minimùm Seculo. Nec enim Ph. Labbei invectivæ, Ranulphum iſtum diſtinguentis à Flaviacenſi, magnopere ſtringunt. 3. An ex calculo Chronologico, & tempore quo ſederint hujus Ævi Pontifices, ac ſibi invicem ſucceſſerint, cognoſcatur certò nullum eſſe huic Fœminæ locum inter Leonem IV. & Benedictum III. An verò hoc calculo nihil ſit incertius, nutantius, planè diverſâ Paparum hujus Seculi Epochâ, quibus modò plures, modò pauciores anni tribuuntur, aut menſes, turbatis rationibus, ut factum in Leone III. Stephano V. Gregorio IV. Sergio II. Leone IV. Benedicto III. Nicolao I. Adriano II. diſſentientibus inter ſe Eginhardo, Anaſtaſio, Reginone, Mariano, Adone, Flo-

Digitized by Google

Flodoardo, Urſpergenſi, Hermanno Contracto, &c. Quo ipſo ſuſpicio de Johannâ, mediâ inter Benedictum & Leonem, veriùs augetur. 4. An poſito ſilentio Anaſtaſii mirè interpolati, quandoque mutili, ut de Ms. Gallicano fatetur Blondellus, non familiare fuerit huic ſcriptori, ea premere quæ Romæ inviſa, & cauſæ Pontificum adverſa, qualis tùm hæc Johanna in ſerie Pontificum; Baronio ipſo Anaſtaſii ſilentium ſæpiùs arguente, ad Annum DCCCXXXIX. *Num.* VI. DCCCXLVII. *N.* VII. & aliàs, ſed & lapſus, tùm hiſtoricos tùm Chronologicos, tam in Vitis Pontificum prioris Ævi, quàm ad Seculum VIII. & IX. 5. An qui Benedictum III. Leoni IV. ſucceſſiſſe tradunt, Johannâ tacitâ, ut Hincmarus, Ado, Annales Bertiniani, Chronographi alii, hoc ipſo ſucceſſionem *immediatam* velint; an verò hujuſmodi ſucceſſionem quæ pro legitimâ Romæ deinceps habita, Johannâ inter Papas non omninò numerandâ, ut diſertè Sigebertus, & alii. Quomodò Stephanum IV. immediatè ſurrogant Paulo I. An. DCCLXVIII. prætermiſſo *Conſtantino* II. qui tamen ultrà annum ſedit, ſed ejectus obtentu *Laicatûs*, hinc Pontifices inter non omninò numerandus, ſeu ab Anaſtaſio, ſeu à pleriſque Pontificiæ ſucceſſionis ſcriptoribus. Sic omiſſus alibi inter Pontifices *Lando* I. poſt Anaſtaſium III. & antè Sylveſtrum II. Johannes ille, qui contra Gregorium V. electus fuerat, non Canonicâ ſcil. electione, *Johannes* XVIII. apud Platinam. 6. Ecquæ vis ſit *neganti* argumento, nempè à ſilentio graviſſimorum Scriptorum, in utrâque Eccleſiâ, cumprimis Romanâ; ſed & Conſtantinopolitanâ, maximè dùm ferverent inter hanc & illam odia, ut Photianis temporibus ac deinceps: An verò *negativum argumentum, nihil tunc aut parum habeat roboris, cùm in materiâ cui applicatur μεγαλὸν & ſingulare eſt*, ut rectè ingenuus Launojus *De Auctoritate Neg. Argum. Cap.* CL. nempè cùm ità factum alii tacent, ut plurimi ſint, ſed & graviſſimi Scriptores qui referant? Annon etiam ſilentii hujus cauſæ aliæ in ſuſpicionem veniant, v. gr. Aut puduiſſe Romam hujus infamiæ & turpitudinis domeſticæ, ac meritò, hinc ſtudio ſepeliendæ; Aut verſatos Scriptores in argumentis aliis, non in deſcribendâ præciſè ſerie Pontificum, quales Hincmarus, Lupus Ferrarienſis, Flodoardus Rhemenſ. Luitprandus Diaconus minimè auctor Libri de *Romanis Pontificibus*, &c. Aut *Johannæ* tempus non deſcripſiſſe alios, ſeu deſinentes hiſtoricè antè Annum DCCCLV. quo obiit Leo IV. ex conceſſis, quales Freculphus, Haymo, Ado Viennenſis, Walafridus Strabo, Hugo Floriacenſis, &c. ſeu poſt Johannam & Benedictum hiſtoriam exorſi, ut Guilielmus Bibliothecarius, perſecutus Vitas Pontificum ab Hadriano II. Aut denique aliorum ſcripta fuiſſe à Romanis vel adulterata, vel abolita, demptis mutatiſve pro libidine, vel ſepultis, quæ Pontificiæ cauſæ adverſarentur; pari fraudis ſuſpicione quâ Latini Photium & Græcos paſſim premunt, in ſpecie Baronius, Binius, Allatius, & Ἑτέροι. 7. An ex *circumſtantiis* nonnullis dubiis, qualis illa de exploratione ſexûs, vel de puerperio, aut ſtatuâ in rei memoriam poſitâ, deve declinatâ ob id ipſum viâ ituris è S. Petro in Lateranum Pontificibus, rectè hoc ipſo colligatur, fabulam eſſe quicquid de *fœminâ Papiſsâ* retulerunt, uno ore, tot Chronographi & Hiſtorici. 8. An negantium auctoritas, quales ſunt in Jeſuitarum ordine, & Monachorum, vel certè Purpuratorum plerique, ac ſervientium hypotheſi Romanæ fœdiſſimâ ſervitute, poſt Reformationem natam, præponderet auctoritati tot facti aſſertorum, tàm in Latinis, quàm in Græcis, perpetuâ Seculorum ſerie, nec illis infimæ caveæ, falſo hanc ipſam ſeriem Davide Blondello, ac deſcribente in ſuâ Anacriſi. 9. An ſpecies aliqua ſit, confictam hanc omnem fabulam eſſe in odium Romanæ Eccleſiæ, ab iis qui abjectiſſima ejus & *tyrannidis* & *ſuperſtitionis* fuère mancipia, Monachis pleriſque, vel Clericis; *Novatoribus* certè (quales inſcribuntur Baronio) nihil de ſuo addentibus. Quo magis, dùm longè abſurdiora iſti narrant, & in occulto patrata ut miracula, viſiones, apparitiones, inventiones Reliquiarum, alia tanquam antecedentium Seculorum, ea haurit avidè Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, propinatque Orbi erudito: Licet tacita ea fuerint omnibus ad unum Scriptoribus probatæ notæ, antè Caroli M. tempora, frequenter arguente hanc inſaniam Joh. Launojo Pariſienſi Theologo, in doctiſſimis Diſſertationibus.

IV. Quin non adeò labefactare videntur veritatem Hiſtoriæ, frivolæ conjecturæ Romanenſium, de *origine* ſcilicet hujus *Johannæ Papiſſæ*, ut potiùs illam adſtruant firmentque.

Aventinus, ortam eſſe fabellam ex *Theodorâ* nobili Scorto, Romæ dominatâ, daturâque illi Sedi Pontificem Johannem *nonum*, ex Ravennatenſi Epiſcopo, aliis Johannem *decimum*, Platinæ *undecimum*. Sed nec temporis & Seculi ratio quadrat, nec nomen Theodoræ, nec reliquæ de Johannâ circumſtantiæ, neque duratio Pontificatûs Johannis X. qui ad *decimum quartum* annum prorogatus eſt. Adde militares ejuſdem ſpiritus, aliaque hujus Johannis, apud Luitprandum, vel Platinam, quæ Fœminam dici haberive haud patiebantur. Onuphrius, derivat à *Johanne* XII. penè adoleſcente Papâ facto, & cui ſcortum, inter alia multa, Johanna quædam, ultrà medium Seculum X. Verùm toto Seculo anterior Johannes ille VIII. fœmina, literas antè profeſſa, nec cauſæ quicquàm cur Johannes iſte XII. mulier fingeretur, qui nimis ſtrenuè ſe virum probaverat, totis etiam annis IX. Pontifex. Sed & obſcura illa *Johanna*, ſcortis hujus Papæ expreſſis in Actis depoſitionis, *viduâ Rainarii*, *Stephanâ*, & *Annâ viduâ*, in Tomo IX. Conc. *col.* 649. nullâ ibi Johannâ. Bellarminus originem ad Leonis IX. tempora retulit, ſic & Baronius ad An. DCCCLVIII. N. LIII. id eſt, ad medium Seculum XI. quando florere in Germaniâ cœpit Marianus Scotus. Idque occaſione verborum Leonis in *Epiſt.* ad Michaëlem Conſtantinopolit. exprobrantis *Eunuchorum promotione*, ſcilicet Ignatii & Photii olim Patriarcharum, *ſublimatam in Sede Pontificum fœminam.* Abſurdiſſimè ſanè, ut quod ſtringebat Leo, ſcriptâ Epiſtolâ, in *Conſtantinopolitanos*, de Semi-Viris Patriarchis, ſatiſque notis, eo ipſo tempore ſuperſtitioſiſſimi in Latinis Monachi, Romam adorantes, verterint in contumeliam Romanæ Sedis; ut finxerint ex eâ Epiſtolâ ſediſſe *Romæ* fœminam, eamque Johannis nomine, cum circumſtantiis apud Hiſtoricos cæteris. Et ſi vel Michaël Conſtantinopolitanus, vel Leo Acridanus, ad quos tùm Leo Pontifex, non leguntur retorſiſſe hoc ipſum in Romanam Sedem, quod urget Leo Allatius; credendine ſunt Latini Chronographi tranſtuliſſe in Hiſtoriam, & excogitaſſe, quod fuiſſet inauditum anteà, & Græcis ipſis tacitum? Noli tamen mirari in Græcorum iſtorum literis, quales ex Vallicellanâ Bibliothecâ aut Vaticanâ, & Latinas, profert Annalium Scriptor, ad An. MLIV. probrum iſtud Rom. Eccleſiæ deſiderari. Præterquàm enim quod de Dogmatibus, & Ritibus tùm fuit lis omnis, quàm familiare fuit Græcorum id genus antiqua monumenta aut ſepelire ſilentio, ut factum de Iconomachicis, & Photianis, aut Romæ interpolare, ſeu addendo, ſeu mutilando, qualis culpæ Photium ſolet redarguere Baronius, Binius, Allatius? Nec eſt ſagacior conjectura præfati Allatii, in *Confutatione Fabulæ*, cui Bartholdus Nihuſius *Prologum Ga-*

Ficta origines hujus Johannæ.

Allatius notat.

 leatum,

leatum, & *Epilogum* pro ingenio ſuo adjunxit, Anno hujus Seculi XLV. Is paragrapho XXIV. ejus Diſſertatiunculæ, inducit ex Francorum Annalibus fœminam quandam *Thiota* nomine, Moguntiaci uſurpantem Prophetiſſæ munus, iiſdem ferè temporibus, ac Synodali judicio damnandam. Hæc illi Johanna eſt, è Germaniâ in Italiam transferenda, & ex Prophetiſſâ commutanda in ſummum Pontificem. Equidem alii ſunt oculi leporis, alii ululæ, familiari Græculis proverbio. *Thiota* illa, ſi quæ fuit, nec ex ordine in Scholis docens, nec Romæ, neque Germania egreſſa, nec ſexum mentita, nec ſacerdotio functa, nec magnoperè per orbem vulgata, nec in eâ quidquam quod *ſummi Pontificatûs* Romæ geſti, inter Leonem IV. & Benedictum III. cogitationem, niſi deliranti, ingerere potuerit. Peſſimè etiam Sigebertus, ad hæc tempora, hujus Thiotæ teſtis fertur, qui *maligni* neſcio cujus *ſpiritûs*, *in Paræciâ Moguntinâ*, ad An. 858. uti in Conciliorum Actis hujus *Synodalis judicii* nulla memoria eſt. Græculum hunc natum crederes ἐν τῇ ἀπατουρίᾳ, ipſâ *fallaciarum ſolemnitate*, apud Comicum.

Baronius expenſus. V. Supereſt Cæſar Baronius, cujus declamationem in pauca contrahimus, Tomo X. ad Annos DCCCLIII. & DCCCLXXIX. 1. Vellet, id quo Leo IX. objecerat Sedi Conſtantinopolitanæ, quæ *fœminam* ſcilicet in *Pontificum* ſuorum ſerie habuiſſet, puta Photium, aut aliquem è Cinædis Michaëlis Imperat. converſum fuiſſe à Schiſmaticis in Johannam fœminam, locandam in Sede Romanorum Pontificum, inter Leonem IV. & Benedictum III. 2. Addit, hanc calumniam, ſive fabulam, ſcribentem eo ferè tempore *Marianum* pro verâ hiſtoriâ habuiſſe, primum ſcilicet ejus aſſertorem. Quaſi ſubeſſet veri aliqua ſpecies, ex ſarcaſmo iſto Leonis adversùs Græcos, An. MLIII. aut ex retorſione poſteà Græcorum de *Papâ fœminâ*, quæ & ludicra fuiſſet & mendaciſſima ſimul, nec in vulgus totîus Europæ niſi dudùm poſteà ſpargenda, Monachum Latinum, Germanico Cœnobio incluſum, ſeu Fuldenſi ſeu Moguntino, hac facti opinione jam tùm imbui potuiſſe! Sed & induci ut referret in Chronicon, ac de plano aſſereret, nullo antè ſe teſte, nullâ unquàm rei famâ; *Leoni Papæ ſucceſſit Johanna mulier*, & quidem Anno DCCCLIII. ſeſſura *annis duobus*, *menſibus* V. *diebus* IV. 3. Urget, *fabulas multas in hiſtoriam tranſiviſſe*, Cyriacum Papam, VII. Dormientes, XI. Mille Virgines, animam Trajani liberatam ex orco, Sylveſtrum II. Magum, &c. Utique ſanè, omnium certiſſimo rei teſte Baronio, cujus credulitatem, anileſque pro *hiſtoriis* fabellas, cùm in Annalibus, tùm ad Martyrologium, doctiſſimi quique in ipſo Papatu, ſtupuerunt. Sed ex argumento illo ἐκ τῶν ἐν μέρει ſeu *ex particularibus*, ut loquuntur, nihil concludi, quinimò retorqueri in Baronium, apud quem longè ἀπιςώτερα millies *in hiſtoriam tranſivêre*, quivis intelligit. 4. Urget *ſilentium inimicorum*, cumprimis Photii, & Michaëlis Imperat. Quaſi verò extent Photiana omnia, eademque illibata; aut Acta Synodi Photianæ authentica, quæ fuerunt *igne cremanda*, decreto Hadriani II. uti nec extant literæ Michaëlis Imperat. de quarum in Romanam Sedem contumeliâ conqueſtus adeò Nicolaus I. Româ pridem ſupprimente. Et quidni retorqueant in Baronium Græci, quod ipſe cum ſuis adversùs Græcos, ſolemne his fuiſſe *falſare Literas*, *Acta Synodorum*, *Commonitoria Pontificum*, ut ad Ann. DCCCLXXIX. & ſæpè aliàs? 5. Tandem, ut contrahamus, non illepidum eſt εὕρημα Purpurati, cui aſſurgunt tamen plerique poſt Baronium ſcriptores, ac nuper Maimburgius, εὖγε καλῶς. *Johanna quæ Baronio?* Quo nempè *Johannes* VIII. ſed ille qui poſt Hadrianum II. ſedit, & *nonus* Platinæ eſt, opportunè habitus dictuſve *fœmina* fuerit, & *Papiſſa*, id eſt, *homo mollis*, *abjectâ penitùs omni virilitate*, *fractus homo*, *Sacerdotalis conſtantiæ expers*, *atque robore enervatus*. Quid ità? Ob reſtitutum ab hoc Pontifice Photium, cujus depoſitioni Archidiaconus conſenſerat, hinc datum ab eo ſcandalum, *qui nec reſiſtere ſciret Eunucho*, *quique vinceretur à ſemi-viro*, *non Vir ſed fœmina potiùs nuncupandus*. Sed nuncupandus igitur erat eo ipſo tempore, aut mox à relictâ Succeſſoribus Sede, in Photium conjuratis; dùm tamen *Johannam fœminam*, & *Papiſſam*, demùm aliquot poſt Seculis natam hariolantur, primò ſomniante Mariano. Adde reſtitutionem eam Photii per Johannem VIII. deinceps ab iſto Pontifice dici revocatam, & prævaricationi Legatorum adſcriptam, qui *contrà Apoſtolicam præceptionem egiſſent*, damnatamque ab eodem fuiſſe deinceps *Photianam Synodum*, *Photiumque* ipſum, ut ex Johannis *Epiſt.* CCL. ad Photium, aliiſque colligunt. Undè prolixa apologia Johannis, apud Leonem Allatium, Libro de Octavâ Synodo Photianâ, *Cap.* III. *& ſequent.* qui *falſiſſimum* eſſe dicit, *reſtitutionem Photii Literis Johannis Pontificis confirmatam*. *Aliud* (inquit) *Photius in corruptis à ſe Johannis Epiſtolis*, *aliud Johannes in ſuis edixerat*. Ipſeque Baronius, ad An. DCCCLXXIX. contendit Johanni falſò ſuppoſitum eſſe, in Photii causâ, *Commonitorium*, datum Legatis Romanis, in *Tomo* IX. Concil. *falſatum* ſaltem, aliaſque omnes Johannis literas, ſed & Acta Synodi Photianæ, *portentoſis mendaciis*, *& monſtruoſis falſitatibus eſſe mixta*. Quâ de re alibi. Hinc ſaltem conjecturæ Baronianæ vanitas apparet, reis confitentibus, ſcilicet de Johanne VIII. molli, & enervato, & ſemiviro, & indigno Sacerdotio. Qui ſi vel maximè reſtituiſſet Photium, *lenitatis* quidem, & *miſericordiæ*, *pacis* inter utramque Eccleſiam ac *concordiæ* ſtabiliendæ causâ, in re quæ ad diſciplinam attineret, accuſari potuit, non verti in abjectiſſimam fœminam, & impuriſſimam meretricem. *At leni animo eſt Johannes*, (ita Allatius, de Synodo Photianâ, *Cap.* III. *p.* 61.) *non adverſabimur. Eſto lenis, ideone & ſtolidiſſimus omnium?* Ideone fœmina, meretrix? locandus etiam inter Leonem IV. & Benedictum III. antè Photii cauſam natam?

Arbitretur deinceps Lector; annon pertinaci huic de *Johannâ Papiſſâ* narrationi, à tot retrò ſeculis, procul Scriptorum odio in Romanam Sedem, quam imò unicè iſti venerati, verior alia ſubſit origo? Videlicet in occupatâ reipsâ, ad breve tempus, per fœminam ſexum mentitam, eâ Sede, in quâ non diu poſteà longa monſtrorum ſeries dominata eſt, faſſo Baronio. Sed rem plenius, ſpeciali Diſquiſitione de *Papâ Fœminâ*, executi ſumus.

IX. *Veritatis hoc Seculo, contrà Papalem tyrannidem, Idololatriam, Superſtitiones, admiſſaſque deinceps Hæreſes, Teſtes luculenti.*

Prolixè hi à Magdeburgenſibus, M. Flacio Illyrico, Goldaſto, Mornæo, Uſſerio, Forbeſio, aliiſque Proteſtantium deſcripti, quandoque etiam à cordatioribus Pontificiis agniti. Iſtos præcipuè hîc velut in tabellâ deſignamus.

I. Contrà Univerſalem *Papæ Romani* poteſtatem, *Contrà Papæ uſurpat.* & uſurpata jura, ſuprà Imperatores, Regeſque, ſuprà Orientis Patriarchas, ſuprà omnes Eccleſias Occidentis, cùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus, deponunt facta ſcriptaque hoc Ævo nimis multa. Equidem, quantum ad *Imperatores*, conſtat Iconomachicos in Oriente Principes, Nicephorum,

Digitized by Google

rum, Leonem Armenium, Michaëlem Balbum, Theophilum; ſed & in Occidente Carolum M. & Ludovicum Pium, parùm moratos eſſe decreta Romanorum Pontificum, & Iconoduliam Synodis Romanis, ſcriptis, factiſque Pontificum, & praxi Romanâ ſancitam. Quâ de re Hiſtoria noſtra Imaginum, *Sect.* VII. VIII. IX. Deinceps quantum deterrent Romano Pontifici, Græci Imperatores, Cæſareſve, Michaël III. Bardas, Baſilius Macedo, teſtentur controverſia *Photiana*, & aſſerta juriſdictio Conſtantinopolitani in *Bulgarorum* Eccleſias; quâ de re poſteà.

Oppoſit. in Occidente. Imperatores.

De *Caroli Magni*, & *Ludovici Pii*, dein & *Lotharii*, *Ludovici* II. *Caroli Calvi*, exercitâ ſupremâ poteſtate, in perſonas Pontificum, quos aut per ſe aut per Miſſos judicarunt, (Leonem III. Paſchalem I. Eugenium II. Gregorium IV. Sergium II. Leonem IV. Hadrianum II.) ità in electionibus ac confirmationibus eorundem, abſque quo hæ nullæ eſſent, ſic in ſanciendis Eccleſiaſticis legibus, in convocandis Synodis, in Epiſcopis conſtituendis, aliiſque, teſtentur noſtra ſuperiora, ad *Sec.* VIII. C. V. & ad hoc ipſum *Sec.* IX. C. III. VII. Adde poſt Eginhardum, Hincmarum Rhemenſem, Aimoinum, Sigebertum, Gratianum, Ivonem, & Annalium Scriptores, in recentioribus aſſertores juris Regii & Imperatorii (contrà præſtigias Baronianas) Petrum de Marca, Libris de Concordiâ, Mezeræum Hiſtoricum paſſim, Joh. Launoium, Edm. Richerium, Lud. Maimburgium Tract. de Romanâ Eccleſiâ, Stephanum Baluzium, ſpeciatim in *Notis* ad Agobardum, & in *Præfatione* ad Capitularia, in quâ Gretſerum, & Baronium egregiè perſtringit, productis quæ faſtum Pontificum hoc Ævo retuderunt. Undè Imperatoriæ Regiæque legationes, ſed & Epiſtolæ, Decreta, quibus accuſationes etiam contrà Romanum Pontificem receperunt, appellationes admiſerunt, cauſas Romæ judicarunt, ad juramentum modo *fidelitatis*, modò *purgationis* Papas adegerunt, etiam ad deprecandum, *ſi incompetenter aliquid egiſſent*, teſtibus verbis Leonis ad Ludovicum Pium, apud Gratianum Cauſâ 2. Q. 7. C. 41. ſed & apud Ivonem Carnotenſ. & alios. *Formulas* quibus Reges præeſſent electionibus Epiſcoporum, inconſulto Pontifice, habes ſuprà Seculo VIII. ubi de Scriptis *Marculphi*, & ad calcem *Tomi* VIII. Concilior. ubi *Formula antiqua de Epiſcopatu*, quales in uſu ſub primis Regibus.

Præſules Galliæ, Germaniæ, Italiæ, &c.

Ac præter Eccleſias *Orientis* reſtitiſſe etiam hoc Seculo *Occidentis* alias, graveſque paſſim Epiſcopos, Pontificum tyrannidi, doctrinæ, decretis, uſurpatæ poteſtati, non dubia monumenta docent. Quanquam aliàs ad Papas ſæpè confugerent, ac conſulerent ut Primam Sedem, *univerſaliſque Eccleſiæ ſollicitudinem*, ac *primatum*, iis non denegarent, Epiſtolas etiam reverenter ſuſciperent. De *Galliæ* Præſulibus, cùm in Conventu Pariſino, refutato ſcripto Hadriani I. in cauſâ Imaginum An. DCCCXXIV. tùm deinceps in variis Synodis, ſub Ludovico Pio, Lothario, Carolo Calvo, in quibus fortiter Papalis faſtus compreſſus, jura Regum aſſerta, ſed & Metropolitica, anteſignanis Drogone Metenſi, Hincmaro Rhemenſi, aliis, præter Viros citatos, adeantur *Tomi* Conciliorum VII. VIII. & IX. Hincmari *Opuſcula & Epiſtolæ*, & Gregorii IV. Epiſtola *ad Epiſcopos Regni Francorum*, apud Agobardum, Edit. Baluzii *T.* II. *p.* 53. Ex quâ poſtremâ patet, fatente in Notis Baluzio, 1. Appellaſſe in ſuis Francos Pontificem Romanum, *Fratrem*, *ex veteri more*, 2. Gregorium ab iis accuſatum perfidiæ in Ludovicum Imperat. ſed *& perjurii*, Epiſcopi quum eſſent *haud ignavi*, *ſuique gradus memores*. 3. *Minitatos* Gregorio fuiſſe *depoſitionem*, ſeu *periculum gradûs*. Videſis Epiſtolam, ſed & alteram Caroli Calvi nomine ſcriptam ad Hadrianum II. inter Epiſt. Hincmari, Editionis Cordeſianæ, *pag.* 544. *Hoc hortamentum*, *ſcilicet ut omnia quæ à Sede Apoſtolicâ nobis veniunt*, *humili ſemper debeamus intentione recipere*, *non ſolùm*, *ut præmiſimus*, *Evangelicæ veritati*, *ſed etiam decretis Sanctorum invenitur adverſum*, & quæ iſtic plura. Quid Epiſcopi *Germaniæ* Inferioris *Belgicæque*, Theutgardus Trevirenſis, & Guntharius Colonienſis, ſcripſerint aliquando ad Nicolaum I. albo Sacerdotum eradentem Graviſſimos Præſules, ob defenſum Lotharium; accuſatâ in hoc Pontifice *libidine dominandi*, *tyrannide*, *rapacitate*, *fuco*, *factione*, *contrà fas*, *contrà decreta*, *moremque majorum*, &c. teſtis ſit Aventinus, laudatus ſæpè ſcriptor, Annal. Bojorum *Lib.* IV. p. m. 255. ſed & Annales Francorum à Pithœo editi. Ibi legas cùm Epiſtolam Nicolai ad Epiſcopos in regno Lotharii, tum reſponſoriam Epiſcoporum ad Nicolaum. Quomodò Johannes *Ravennatenſis*, reſtiterit eidem Nicolao Pontifici, inſectatus Pontificis tyrannidem, & tuitus antiqua jura, opprimendus tamen, ex Anaſtaſio Bibliothec. & ex Platinâ, pluribus intelligitur, in Vitâ Nicolai I. Quid adversùs eundem Nicolaum; & quidem in Synodicâ Epiſtolâ, Epiſcopi *ex partibus Italiæ*, ut qui *gravi tyrannide opprimerentur*, ſcripſerint aliquando ad Photium, habes apud ipſum Annalium Scriptorem, ad A. DCCCLXIII. N. XLII. *& ſeq.* ſed hoc ipſo invehendum in *calumnias Occidentalium Schiſmaticorum*.

Ità *Mediolanenſes* Præſules, ſubtraxiſſe ſe Romano dominatui, faciente Angilberto Archiepiſc. Mediolanenſi, circà An. DCCCXLV. *ut nonniſi poſt ducentos annos Eccleſia Mediolanenſis ad Romanæ obedientiam*, ità ex more ſui temporis Sigonius, *redierit*, hic ipſe refert de Regno Italiæ, *Libro* V. Angilbertus verò iſte hinc ſepeliendus ferè alto ſilentio, licet inter *Sanctos* referri meruerit, quemadmodum & *Angilramnus* ferè tacendus fuit, cui tributum opus *de Imaginibus* ſub nomine Caroli M. Sed hoc ipſo *ſchiſmatis* poſtulandi Antiſtites Mediolan. ac ſubjiciendi Sedi *Ticinenſi*, iniquiſſimo decreto Johannis VIII. contrà antiqua jura, ut ex Epiſtolâ Johannis CXXXIX. ad Clerum Mediolanenſem, pluribus intelligitur. Ità Synodus apud S. Macram, Finibus Pagi Rhemenſis, Anno DCCCLXXXI. Ludovico Rege, diſertè interdixit *Pontificibus*, *ne Regiam poteſtatem*, ſive quod Regum eſt, *ſibi uſurpare præſumant*; ſanxit, *ut in temporalium rerum curſu Regum diſpoſitionibus uterentur*, *ac minimè ſe negotiis Secularibus implicarent*. Habes in Capitulo I. Tomo IX. Concilior. *col.* 338. Ità *Luitperti*, Archiepiſcopi Moguntini, Epiſtolam ad Ludovicum Imperatorem deſcribit Catalogus Teſtium, T. II. p. 139. 140. In quâ nempè Luitpertus de *Sede S. Petri graviter dehoneſtatâ*, deque *Rectoribus Populi Dei* pluribus expoſtulat, ut *qui relicto ſalutis tramite irent in præceps*, *& ſequentibus ſe foveam perditionis aperirent*. Hæc ſpeciminis loco.

II. Contrà humanas *Traditiones*, recentes illas, dubias, pſeudepigraphas, ac ſuperſtitionis innumera commenta; unâ *fidei* regulâ, uno *ſalutis* fonte, *Scripturis S.* iiſque *ſolis in Eccleſiâ legendis*; faciunt tot Capitularia, ſub Carolo M. Ludovico Pio, de quibus ſuprà *Cap.* III. Nempè Clerus & Populi, ab inanibus *ſuperſtitionibus* & *pſeudepigraphis*, revocati ad Scripturas S. ad lectionem earundem vernaculam & aſſiduam, ad unicum *Verbi Divini pabulum*, nec finerentur *nova*, *& non canonica*, *& non ſecundum Scripturas Sacras*, *fingi aut prædicari populo*, Capitularis I. Carolini, *Cap.* LXXX. & paſſim. Egregia & in hanc rem effata *Haymonis* Halberſtad. *Rabani* Moguntini, *Claudii* Taurinenſis, videſis collecta à Magdeburgenſibus, & in Catalogo Teſtium *Libro* IX. quæ reponere nihil neceſſe eſt. Contrà Tradit. humanas.

Digitized by Google

Contrà Iconoduliam.

III. *Adorationi* vel *cultui Imaginum* religioſo, qualicunque tandem, & omnimodæ, oſtenſum fusè alias, acriter reſtitiſſe hoc Ævo, in *Occidente*, *Carolum M.* poſt ſcriptos à ſe *Libros* IV. adversùs Nicænam Synodum, probatos Francofurtenſi generali Synodo; tùm ſub Ludovico Pio, reſtitiſſe *Conventum Pariſinum*, indictum An. DCCCXXIV. Novembri menſe, ac vindicatum Hiſtoriæ noſtræ Imaginum, *Sect.* IX. à *pag.* 613. Sed & *Britanniæ*, *Hiſpaniæ*, *Italiæ*, *Germaniæ*, *Galliæque* inclytos hoc Ævo Epiſcopos ac ſcriptores, impugnaſſe pari animorum conſpiratione omnem Iconoduliam Nicænorum, & Hadriani I. prolixè poſt noſtratum alios, ex ipsâ adverſantium confeſſione, eadem noſtra commentatio. Quanquàm plerique, ſi Claudium Taurinenſem Epiſcopum cum aſſeclis excipias, cui *Iconoclaſtæ* cognomentum, *uſum* ipſum Imaginum, hiſtoricum illum & mnemonicum, procul omni cultu, aut honore religionis, non reprobarent. Sed omnes iſti Baronio, & toti choragio Iconolatrico, dicti ſunt *obſtrepuiſſe*, *clamaſſe*, *inſaniiſſe*, ut pluribus aliàs.

In *Oriente* verò, demonſtratum eſt pari hiſtoriæ fide & evidentiâ, Irenes & Taraſii impia pro Iconodulis molimina, & facta, & decreta, execratos eſſe Nicephorum Logothetam, Leonem Armenum, Michaëlem Balbum, Theophilum Michaëlis filium, Imperatores, cum Epiſcopis pleriſque Orientis, quicquid frenderent Monachi, & Taraſianæ factionis homines. Nec niſi ex facilitate ac ſuperſtitione ſexûs, quâ abuſi Iconolatræ poſt Theophili exceſſum, quemadmodùm ex innatâ in fœminis cupidine dominandi, factum eſſe indè à *Theodoræ* regimine, viduæ Theophili, natæ matre Iconodulâ, ut reſtituerentur Imagines, opprimerentur dicti Iconoclaſtæ, eadem noſtra Hiſtoria docet, totâ Sectione VIII. Nec diffitetur Annalium Scriptor cum ſuis, per fœminas, Irenem & Theodoram, triumphaſſe Imaginum ſuperſtitionem. Vide & Caput de *Synodis* hujus Seculi, paulo inferiùs.

Contrà Clerum Rom. Cœlibatum, &c.

IV. Adversùs *Cleri Romani* fœdam corruptionem, ignorantiam, mollitiem, luxum, avaritiam, invaſas hæreditates, ſolutam diſciplinam, perditos mores, fecêre egregia *Capitularia* & Edicta Imperatorum Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii, Ludovici II. Caroli Calvi: Etiam *Acta* frequentium Synodorum, in Collectionibus Bochelli, Sirmondi, Spelmanni, Labbei, Baluzii, Holſtenii; poſt illas Anſegiſi Abbatis, Benedicti Levitæ, Reginonis Prumienſis, Burchardi Wormatienſis, Ivonis Carnotenſis, Gratiani, &c. Quin ſufficiant confeſſiones Genebrardi, & Baronii, de *Pontificibus apotacticis*, *apoſtaticis*, *monſtroſis*, *turpiſſimis*, *perditiſſimis*, *uſquequaque fœdiſſimis*, indè ferè à Johanne VIII. ad Leonem IX. ultrà annos CL. Vide & confeſſionem Mezeræi Hiſtorici, *de Eccleſiâ* IX. *Seculi*, Tom. I. deque nefandis *abuſibus* in Epiſcopis, Clero, Abbatibus, Monachis, quibus eâ ætate obviam itum fuit. Sic adversùs legem ſeu neceſſitatem *cœlibatûs Clericor.* indè à *Subdiaconatu*, aut in *recluſis* etiam antè ætatem, in Britanniâ cumprimis, & Germaniâ, oppoſitiones hoc tempore natas, ne dicam in Oriente, teſtantur de Britannis Scriptoribus Balæus in *Centuriis*, & de Germanis Epiſtola inclyta *Uldarici* Auguſtani Epiſcopi *ad Nicolaum* I. Et hanc quidem Epiſtolam pro *conjugii* libertate, contrà fœdas ac monſtroſas, *continentiæ* vanâ ſpecie, libidines quas Capitula hujus Ævi loquuntur, videſis apud Flacium in Tomo II. Catalogi Teſtium, vel apud Calixtum de Cœlibatu Clericorum, eam Uldarico vindicantem, *Seculo* IX. Quanquàm anterior ſic nonnihil Uldaricus, illo quem Baronius ad Seculum X. deprædicat, & cujus *Vitam*, variis hujus Scriptoribus (ſuffecti Auguſtæ Epiſcopi Anno DCCCCXXIII.) ex ineditis pleriſque edidit M. Velſerus Auguſtanus, & ex Velſero nuper Chriſtophorus Arnoldus, vir de literis præclarè meritus. Ac præfatam Epiſtolam diſſimulat quidem Baronius, ſed meminerunt jam olim Bertoldus Conſtantienſis, Appendice ad Chronicon Hermanni Contracti, Sec. XI. & Æneas Sylvius, in Libro de Moribus Germanorum. Quanquam neque nobis diſſimulandum ſit, dubiam aliis imò ſuppoſititiam videri Epiſtolam ad Nicolaum, *Uldarici* nomine vulgatam. Siquidem Nicolaus I. Pontifex, cui inſcripta dicitur, pridem mortuus fuerit, XX. & amplius annis, antè natum Uldaricum; Nicolaus II. verò ſederit LXXX. omninò annis poſt Uldaricum ſublatum. Hinc ſuſpicantur Viri Docti, potius reſpicere Uldarici Epiſtolam tempora *Johannis* XII. qui ſe libidinibus palàm devoviſſet, cui pater Albericus Princeps, vivo tum florentique Uldarico.

Contrà Peregrinat. Feſta nova, &c.

V. *Peregrinationum* ad Apoſtolorum limina, & id genus loca, *propter Deum* ſeu religionis ergò, ſuperſtitioni jam tùm nimis frequentatæ, undè tot in *Peregrinorum* favorem Capitula, non defuêre qui indignarentur. Teſtis eſt de Claudio Taurinenſi, inſigni Iconomacho, Jonas Aurelianenſis adversùs eum ſcribens, tempore Ludovici Pii, ſæpè editus. Mabillonus nuper Analect. Tomo I. *Scripſit quædam* Claudius *in cultum ſacrarum Imaginum*, *piaſque Peregrinationes.* Cabilonenſis Synodus II. A. DCCCXIII. ſub Carolo M. varios peregrinationum id *genus* abuſus damnavit, quibus ſe à *peccatis purgari* ineptiſſimè arbitrarentur, Canone XLV. *Dùm non Hieroſolymam vidiſſe*, *ſed Hieroſolymis benè vixiſſe*, *laudandum eſſet.*

VI. Feſta *Conceptionis* B. Virginis, ſed & *Nativitatis* ejuſdem, vel *Annuntiationis*, Feſta ſingulorum *Apoſtolorum*, Jacobi, Andreæ, Bartholomæi, &c. ſingulorum *Martyrum*, vel *Confeſſorum*, *Feſta S. Trinitatis*, *S. Sacramenti*, *Transfigurationis*, plurima alia recentioris ſuperſtitionis, certè hoc Ævo nondùm nata fuiſſe, præter alios, faſſus noviſſimè eſt Thomaſſinus Gallus Presbyter, in Tractatu de Feſtis, *Lib.* I. & II. Et infrà videbimus horum Feſtorum natales, Papis Urbano IV. Calixto III. &c. Adi & Hoſpinianum noſtrum, de Origine Feſtorum, & qui de Feſtis poſt eum commentati ſunt.

Contrà Invocat. Sanctorum.

VII. *Invocationem Sanctorum*, *Angelorum*, omnemque ἁγιοδουλείας & ἀγγελοδουλείας formam, *Litaniis*, *Miſſis*, *Proceſſionibus*, qualis deinceps apparuit, damnaſſe ſanctiores doctioreſque hujus Ævi Epiſcopos, non obſcuri teſtes ſunt. Ex. gr. Agobardus Lugdunenſis, Libro de Imaginibus, *Cap.* XXX. *Angeli*, *vel homines ſancti*, *amentur*, *honorentur*, *charitate*, *non ſervitute. Non eis Corpus Chriſti offeratur. Non ponamus ſpem noſtram in homine*, *ſed in Deo*, *ne fortè redundet in nos illud Propheticum*, *Maledictus homo qui confidit in homine*, &c. Neque Capite ſequent. XXXI. quicquam de *Invocandis* Sanctis, ut ſupponit in Notis Doctiſſ. Baluzius, *pag.* 91. ſed de creditâ pridem *Interceſſione*, quâ Sancti apud Deum in Cœlis Eccleſiam juvent. *Deum* quem *ſolum* debet *animus venerari*, *Sanctis ſuis victoriæ coronam*, & *nobis interceſſionis eorum tribuere adjutoria.* Claudius Taurinenſis, *Præfatione* nuper editâ, in Analectis Mabilloni, Tomo I. p. 36. *Et quia ità eſt*, *non jubemur ad Creaturam tendere*, *ut efficiamur beati*, *ſed ad ipſum Creatorem*; citatque *mox* verba Auguſtini, de Verâ Religione, *Cap.* LV. *Et ideò non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum*; *honorandi ſunt propter imitationem*, *non adorandi propter religionem*; *Unum cum Angelis colamus Deum*, &c. Hujuſque Claudii Taurinenſis, mirè diſcerpendi Genebrardo, Baronio, & Iconolatris, ſcripta luculenta, præcipuè *Commentaria* in *Geneſim*, in *Exodum*, in *Leviticum*, in *Matthæum*,

omneſ-

omneſque Epiſtolas Pauli, ſed & *Doctrina* ac *prædicationis* laudes, ex ipſo Jonâ Aurelianenſi, refert ibidem in Annotationibus ſuis Mabillonus, Monachus Benedictinus. Nec omittendum illud Hincmari Rhemenſis, *Libro* I. de Prædeſtinat. C. XXXIV. teſtati ſuo tempore, id eſt, Anno DCCCLV. quo hæc ſcripſit, in Miſſali Romano extitiſſe formulam Orationis, quâ rogaretur Deus, *ut animæ famuli ſui Leonis* (Sanctis dein adſcripti) *hæc prodeſſet oblatio.* Undè *pro Sanctis* oratum, oblatumque, non *ad Sanctos*, mutandâ demùm formulâ tempore Innocentii III. ut ex Decretalibus Gregorii *Libro* III. *Tit.* XLI. aliàs eſt obſervatum. Vide & Hincmarum Epiſtolâ II. ad Carolum Calvum, C. VIII. edit. Sirmondi.

Contrà errores varios Euchariſticos.

VIII. *Miſſas privatas*, ac *ſolitarias*, ſolo celebrante ac communicante Sacerdote, ſanè Seculo IX. jam introduci cœptas, non probaſſe tamen Viros graves, docet Theodulphus Capitulo adversùs haſce VII. Edit. Sirmondi, *Sacerdos Miſſam ſolus nequaquam celebret*, &c. quod Capitulum malè G. Caſſander citat ex *Capitulari Gregorii.* Walafridus Strabo, hujus Ævi Scriptor laudatiſſimus, ipſi Baronio, de Rebus Eccleſiaſticis, *Cap.* XXII. *Tamen fatendum eſt, illam eſſe legitimam Miſſam, cui interſunt Sacerdos, offerens, atque communicans, ſicut ipſa compoſitio precum evidenti ratione demonſtrat.* Synodus Nannetenſis apud Reginonem ſcribentem ſub initia Seculi X. de Eccleſiaſt. Diſcipl. *Lib.* I. C. CXCI. ex recenſione Baluzii, A. 1671. *Definit Sanctum Concilium, ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam cantare. Cui enim dicet*, Dominus vobiſcum, *aut* Surſum corda, *aut* Gratias agimus Domino Deo noſtro, *cum nullus ſit qui reſpondeat? Aut in Canone*, & omnium circumſtantium, *cum nemo adſit? Aut quem invitat ad Orationem, cum dicit* Oremus, *cùm nullus ſit qui ſecum oret?* Et reliqua. Idem C. CCCXXXIX. *Sacerdotes quando ſacrificant non ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecum adhibeant*, &c. Quod à Monachis cœpiſſe, qui Miſſas ſolitarias celebrare præſumebant, monet idem Baluzius *Notis* ad Reginon. p. 562. Adde Synodos, Moguntinam ſub Carolo M. Ann. DCCCXIII. C. XLIII. Pariſienſem VI. *Cap.* XLVIII. ſub Ludovico Pio; queſtas, *Irrepſiſſe in pleriſque locis, partim incuriâ, partim avaritiâ, reprehenſibilem uſum, & congruâ emendatione dignum, quod nonnulli Presbyterorum ſine miniſtris*, vel *circumſtantibus, Miſſarum ſolennia frequentent: Quod nec verba D. Salvatoris, quibus myſteria Corporis & Sanguinis ſui Diſcipulis celebranda tradidit, nec Pauli Apoſtoli documenta declarant, nec etiam in ipſis Actis Apoſtolor. ſi enucleatim legantur, ità fieri debere ullo modo invenitur.* Quod confirmatur in Capitularibus Caroli & Ludovici, T. I. Additione ſecundâ, *Cap.* IX. pag. Ed. Baluz. 1138. Idem Strabo *Cap.* XX. probaturus *Miſſas quotidianas*, fatetur raras fuiſſe primitùs, nec niſi ſucceſſivè, per gradus, à *junioribus tempore ſecretis*, ventum eſſe ad quotidianas oblationes. Idem *Cap.* XXII. De Ordine & Officio Miſſatico: *Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi (ut creditur) orationibus, & commemoratione Paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit; agebant ſimpliciter.*

Miſſas celebraſſe hoc Ævo *linguâ vernaculâ* Gentes Illyricas, & Sclavonicas, & primitùs uſos eſſe Chriſtianos, *in ſingulis regionibus eo idiomate quod tunc illis commune & vernaculum eſſet*, fatetur Cardinalis Bona, *Rerum Liturg.* L. I. C. V. & IX. Pariter ſacra linguâ ignotâ, quam populus *non intelligeret*, fieri vetuerunt Capitularia, nec ſemel. Et Walafridus *Cap.* VII. ſuo tempore *Theotiſco Sermone*, ſeu Germanico, celebrata fuiſſe divina Officia, memorat. *Azymorum* Uſum, in Eccleſiâ Occidentali, non introductum eſſe, niſi ſub Pontificatu Leonis IX. Seculo XI. idem Card. Bona largitur, *Lib.* I. C. XXIII. & Sirmondus Diſquiſit. *de Azymo. Communionem ſub utrâque* ſpecie conſtanter fuiſſe hujus Ævi, ex Alcuino, Carolo M. Theodulpho, Jonâ Aurel. Paſchaſio ipſo, & ex Conciliis Cabilonenſi II. Pariſienſi VI. probatum fusè noſtratibus. Sed ipſe Cardinalis Bona, *Lib.* II. C. XVIII. *Semper enim & ubique ab Eccleſiæ primordiis, uſque ad Seculum* XII. *ſub ſpecie Panis & Vini communicarunt fideles, cœpitque paulatim ejus Seculi initio Calicis uſus obſoleſcere.*

Superſtitiones alias, uti Hoſtiæ *adoratæ, elevatæ, Veſtium* & apparatûs Miſſatici, ſic *Confeſſionis Auricularis*, ſic Ordinum & habituum *Monachalium*, &c. quales deinceps ſanxit probavitque Roma, nondùm eâ formâ, iiſve legibus, obtinuiſſe hoc Seculo, ſequentia docebunt, ubi de ſingulorum dicetur Origine. Et in Proteſtantibus adeundi Flacius Illyricus, Chemnitius, Hoſpinianus, J. Forbeſius, Chamierus, Dallæus de Cultibus Latinorum, de Confeſſione, & alii, qui de iſtis ex profeſſo tradiderunt. De *Præſentiâ Corporali*, mox *Capite* ſequenti.

IX. Sed nec defuerunt Seculo IX. qui *Pelagianæ*, & *Maſſilienſis* Hæreſeôs repoſitis capitibus ſe oppoſuerunt, quando agitatæ controverſiæ de *Prædeſtinatione duplici*, de *Gratiâ Dei*, de *Humanâ libertate*, in Hiſpaniâ primùm, dein & Galliâ: Quemadmodùm naſcenti Doctrinæ de *Præſentiâ Corporali* in Euchariſtiâ, ex quâ *Tranſſubſtantiationis* portentum, à Viris gravibus, eâdem hac Ætate, contradictum acerrimè fuit. Ac de utroque genere Controverſiarum, quantum ſpectant ad hiſtoriam Seculi noni, diſtinctiùs *Capite* ſequenti. Contrà errores Pelag. &c.

X. Ex quibus impotentia Baronii ſatis ſuperque conſtat, in *Tomo* IX. & X. Annalium adversùs *Novatores* paſſim invecti, ut qui *primi* in dictis Capitibus, à fide ſcilicet uſuque Eccleſiæ Catholicæ, receſſerint. Pari in affirmando fiduciâ Genebrardus Chronologus, ad calcem Seculi IX. *Nono Seculo permanſiſſe veterem doctrinam à Sectariis oppugnatam ſic conſtat. Miſſa continuata iiſdem ritibus & modis. Corporis Chriſti veritas, Sacrificium, Tranſſubſtantiatio, Sanctorum invocatio, Reliquiæ, Feſta, Imagines, cultæ* ſcilicet, & adoratæ, *Liberum Arbitrium*, & annexa ibi reliqua, obtinuêre, ſcilicet! Ac ſuperiorum teſtium alios cautè diſſimulat, omni exceptione majores, v. gr. adversùs Imaginum, & Sanctorum cultum, notataſque ſuperſtitiones; alios peſſimâ fide inducit Genebrardus, Græcos, Gallos Præſules, Strabonem, Rabanum, Haymonem, &c. ut pluribus adhuc proximo Lemmate. Credere ne propera, conſule ſi lubet quiſquis es, & expende. Confer & alterius Hiſtorici Galli judicium, de doctrinâ & moribus *Eccleſiæ Seculi* IX. Mezeræi nempè, ferè ad calcem Tomi I. & hujus præ altero in plurimis candorem agnoſce. Sed huc cumprimis faciet Lemma ſubſequens, teſteſque doctrinæ. Baronius, Genebrardus notati.

X. *Controverſiæ celebriores hoc Seculo agitatæ, uti ſunt de Imaginibus; De Præſentiâ Corporali in Euchariſtiâ; De Prædeſtinatione duplici, Gratiâ Dei, Morte Chriſti, & Libertate Hominis. De Paſchaſio, Ratramno, ſed & Hincmaro Rhemenſi, quædam.*

I. Monitum jam *Capite* ſuperiori eſt, de certaminibus hoc Ævo, in causâ *Imaginum*, dùm nempè earum *cultui* & honori religioſo contradictum acerrimè in Oriente & Occidente eſt habi- De Imagin. Controv.

tis

tis Synodis, editis ſcriptis, ac promulgatis Edictis; dùm etiam ab aliis ipſe *uſus* religioſus, in Baſilicis præcipuè & Templis, damnatus, ut factum quoque in Italiâ à Claudio Taurinenſi Epiſcopo, magnæ exiſtimationis viro ſub Ludovico Pio. Et quia hac de re nos ex profeſſo alibi, adversùs Maimburgianas Alexandrinaſque præſtigias, *Hiſtoriæ* noſtræ *Reſtitutæ* Sectionibus VII. VIII. IX. ubi oppoſitiones Seculi IX. enarratæ vindicatæque, nos eò Lectores ablegamus. Redit & hujus controverſiæ Iconomachicæ mentio, *Cap.* ſequenti, de *Conciliis* hujus Seculi.

Controv. de Euchariſtiâ.

II. Hinc exorta Controverſia altera *Euchariſtica*, nempè ex controverſiâ de *Imaginibus*, & ex aſſerto Conſtantinopolitanæ Synodi, ſub Conſtantino Copronymo, in Tomo VII. *Concil. col.* 446. 447. de *verâ* & ἀψευδεῖ & *ſolâ Imagine* Corporis Chriſti, nobis in *Euchariſtiâ* expreſsâ; contradicentibus poſteà in Reſponſione ſuâ Nicæni Conciliabuli Patribus, *Act.* VI. Hi nempè, dicendam eſſe Euchariſtiam Chriſti αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ αὐτὸ τὸ αἷμα. Nata prætereà controverſia ex enunciatis quibuſdam Græcorum, ut Anaſtaſii Sinaitæ, dein Germani Conſtantinopolit. Joh. Damaſceni, de μεταποιήσει ὑπερφυσικῇ *mutatione ſupernaturali* Symbolorum in S. Cœnâ, ſed ſenſu Græcorum, interventu Spiritûs S. Tandem recruduit ex ſcriptis *Paſchaſii Ratberti*, Abbatis Corbejenſis in Galliâ Cœnobii, quo tempore Miſſatica ſuperſtitio magis ac magis increſceret, cujus fomes opinio de *Præſentiâ Corporali* in Sacramento Euchariſtiæ fuit. Quâ de contentione dicendum paucis eſt, & de appellatâ Hæreſi *Stercoraniſtarum*.

Paſchaſii doctrina, de Præſent. Corp. Chriſti.

III. *Paſchaſius Ratbertus*, fuit Monachus primò, dein Abbas Corbejenſis Cœnobii, in Diœceſi Ambianenſi, non alterius Cœnobii Corbejenſis ad Viſurgim, ac diverſus à Paſchaſio R. E. Diacono. Scripſit is inter alia quædam, floridâ Ætate, certè antè Annum DCCCXXII. revocatumque ab exilio Adelhardum Abbatem ſuum, Librum notiſſimum, *de Sacramento Euchariſtiæ*, ſeu *de Corpore & Sanguine Domini*, ſæpiùs recuſum Coloniæ, Helmſtadii, Pariſiis, ſeorſim, & inter Paſchaſii alia Opera à Sirmondo edita, atque in Bibliothecis Patrum. Subjunxit poſteà *Epiſtolam*, de eodem argumento, ad Frudegardum, cum *Expoſito* verborum Inſtitutionis, ubi ſe *Monachorum omnium peripſema* inſcribit. Summa doctrinæ Paſchaſii fuit. 1. *Subſtantiam Panis & Vini*, poſt conſecrationem, *eſſe*, *fieri*, ſive *mutari* in *veram Carnem Chriſti*, & *verum Sanguinem*, nec in Carnem aliam *quàm quæ nata eſt de Mariâ, & paſſa in Cruce, & reſurrexit de ſepulchro*, *Cap.* I. & paſſim. 2. Atque adeò, ex ſubſtantiâ panis & vini Carnem & Sanguinem Chriſti, Corpus idem quod ex Virgine, *conſecratione Spiritûs S. potentialiter creari*, *effici*, *verè*, *in veritate*; quamvis *figura eſſe videtur*, *in ſpecie viſibili*, *in eo quod frangitur*, quod *videtur*, quod *ſentitur*, quod in *calice ſimul cum aquâ miſcetur*, Cap. IV. & deinceps. 3. Percipere *omnes indifferenter* & *verè Corpus & Sanguinem Chriſti*, *cùm una ſit conſecratio*, ſed qui dignè & per fidem, percipere ad præmium, *manereque in eis* Chriſtum *per hoc Sacramentum Corporaliter*; qui indignè, percipere ad judicium, *Cap.* VI. VIII. 4. Neceſſe fuiſſe Chriſtum, poſtquàm ſemel in carne paſſus, *quotidie rursùm immolari*, *quia quotidie labimur*; ità neceſſe fuiſſe Chriſtum *in nobis non ſolùm fide*, *ſed etiam unitate Carnis & Sanguinis manere*, *in nobis eſſe naturaliter*, *per humanitatem Carnis*, *& verè*, quam *verè naturam carnis noſtræ aſſumpſit*, C. IX. Ex quibus, cæteriſque toto Opuſculo, & ex Commentariis in XXVI. *Matth.* ipsàque *Epiſtolâ* ad Frudegardum, apertè liquet, præluſiſſe Paſchaſium Doctrinæ deinceps ſancitæ à Latinis, de Tranſſubſtantiatione Panis & Vini Euchariſtici, deque *Sacrificio Miſſatico*, vero illi ac propitiatorio.

Pro Novitate doctrinæ Paſchaſii, rationes.

IV. Novam autem, ſaltem à paucis ità intellectam, fuiſſe eam doctrinam Paſchaſii, de Sacramento Euchariſtiæ, multa probant. 1. Ejuſdem Paſchaſii non unum enunciatum, cumprimis in præfatâ Epiſtolâ ad Frudegardum. *Quæris de re de quâ multi dubitant. Si fortè ad plenum non intelligunt, credere debuerant. Profiteris te legiſſe in Libro* III. *de Doctrinâ Chriſtianâ B. Auguſtini, quod tropica locutio ſit, ut Corpus Chriſti & Sanguis eſſe dicatur*, &c. Et ad calcem Epiſtolæ: *Si nil in eo* Libello *legentibus dignum ſcripſi, tamen ad intelligentiam hujus Myſterii plures, ut audio, commovi. Et ideò quamvis ex hoc quidam de ignorantiâ errant; quidam loquaciſſimi magis quàm docti, dùm hæc credere refugiunt. Ex quibus addiſcere poſſis, non me temeritatis afflatu, talia olim puerum vidiſſe*, &c. Hinc & ad objecta, quæ adversùs Præſentiam realem meritò ſtringerentur, magno molimine reſpondet. 2. Confeſſio ingenua Sirmondi, in Vitâ Paſchaſii, editâ An. 1618. hunc *genuinum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum ità primum explicuiſſe, ut viam cæteris aperuerit, qui de eodem argumento multa poſteà ſcripsère.* Quam confeſſionem, aliaſque id genus, de Paſchaſio Radberto, jam in Arnaldum & ſocios ſtrinxerat celebris in Reformatis Adverſarius. 3. Diverſiſſima quidem Græcorum tunc opinatio, de Euchariſtiæ Sacramento. Iconomachi, in eo exhiberi εἰκόνα *Imaginem*, τύπον *figuram* Corporis Chriſti. Iconolatræ, fieri panem αὐτὸ τὸ σῶμα, non quidem in *figurâ*, ſed nec μετουσιώσει *tranſſubſtantione* (voce nuper apud Græcos invectâ) ſeu abolitione ſubſtantiæ panis, verùm μεταβολῇ ὑπερφυσικῇ, τῷ πνεύματι ἁγίῳ, nempè impreſsâ pani, multis precibus ſanctificato, virtute & efficaciâ Corporis Chriſti, per adventum *Spiritûs* S. ut *in fide* fiant participes cum pane etiam Corporis Chriſti. Quâ de re noſtrates nuper Aubertinus, Claudius, Th. Smith, & eos antè Rich. Field, Huldricus Tigurinus, Ed. Brerewodus, alii. 4. Anteriorum Paſchaſio ſcriptorum, in Latinâ Eccleſiâ, diverſa tradendi ratio, quomodo Panis eſſet Corpus Chriſti, nempè *ſacramentum*, *myſterium*, *figura* Corporis, &c. Loca ex Tertulliano, Cypriano, Auguſtino, Fulgentio, Facundo, Iſidoro, Bedâ, Alcuino, aliiſque, pridem & producta & vindicata. Paulo antè Paſchaſium, Theodulphus Aurelianenſis, familiaris Carolo M. in Libro de *Ordine Baptiſmi*, ad Magnum Senonenſem, *Cap.* XVIII. *pag.* 59. (Edit. Sirmondi 1646.) longè aliter à Paſchaſio: Dominum *accipientem panem & calicem*, *& benedicentem iis*, *& tradentem Diſcipulis ſuis*, *hæc in ſui commemorationem fieri præcepiſſe*: *Hoc myſterium ſacrificii Eccleſiam celebrare*, *offerendo Panem*, *propter Panem vivum qui de cœlo deſcendit*, &c. *Per viſibilem Sacerdotum oblationem*, *& inviſibilem* S. *Spiritûs conſecrationem*, *panem & vinum in Corporis & Sanguinis Domini tranſire dignitatem*, ſive ut alibi *Capit.* XLI. *in Sacramenta Corporis & Sanguinis*, non in ſubſtantiam: Ità dum *ſanguini* (vino,) *admiſcetur aqua*, *per vinum Chriſtum*, *per aquam Populum ſignificari*, ſeu figurari, repræſentari. 5. Longè etiam aliter à Paſchaſio locuti de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti, Seculi IX. Scriptores, v. gr. Agobardus, Amalarius, Walafridus, Florus Magiſter, Heribaldus, Rabanus, Joh. Scotus, &c. & citati, & vindicati prolixè memoratis Theologis, ac poſt alios Vener. Claudio, in non uno Opere adversùs *Perpetuitatem Fidei* Pontificiæ. Undè poſteà *Stercoraniſtarum* in illos Scomma jactatum, faſſis Gallorum doctiſſimis, & Mezeræo Hiſtorico ad finem Sec. IX. Nominatim in Heribaldum Altiſſiodorenſem Epiſcopum, Amalarium Metenſem (non *Trevirenſem*, ut plurimi) Diaconum, Rabanum Moguntinum,

Adverſarii doctrinæ Paſchaſii.

Stercoraniſtæ, qui

Digitized by Google

num, Florum Diaconum Lugdunenſem, quod *Euchariſtiæ Sacramentum in paſtum redigi*, hinc *ſeceſſui obnoxium* ſtatuerent, panis nempè ſubſtantiam. Nec illi certè, in *ſtercus* verti glorioſum Chriſti Corpus, aut nuda accidentia nullo ſubjecto, à quâ ſententiâ alieniſſimi. Sed neque in Anglicanis Eccleſiis agnitam fuiſſe *præſentiam realem*, *ſive corporalem*, in Euchariſtiâ, pluribus Uſſerius Armachanus, *de Succeſſ. Eccleſiar.* C. 11. 6. Refutata in ſpecie ſententia Paſchaſii, à magnæ mox auctoritatis viris, *Rabano* Moguntino Alcuini diſcipulo, *Ratramno* vel *Bertramo* Presbytero & Monacho Corbejenſi, ac *Johanne Scoto* aliàs Erigenâ. Et Rabanus quidem in *Epiſtolâ* ad Egilum vel Egilonem Abbatem, cujus, ſed interverſæ poſteà, ipſe meminit Libri Pœnitentialis *Cap.* XXXIII. *Tomo* Oper. VI. *Quidam nuper de ipſo Sacramento Corporis & Sanguinis Domini non rectè ſentientes, dixerunt hoc ipſum Corpus Domini quod de Mariâ Virgine natum eſt*, (ità Paſchaſius) *& in quo ipſe Dominus paſſus eſt*, &c. *Cui errori quantum potuimus, ad Egilum Abbatem ſcribentes, de Corpore ipſo quod verè credendum ſit aperuimus.* Bertramus autem, vel Ratramnus, in Libello *de Corpore & Sanguine Domini*, qui Coloniæ primùm impreſſus Anno 1532. inſcriptuſque Carolo Calvo, non ut editores Carolo M. arguente errorem nupero quoque editore Libelli, in Galliâ Pontificiâ, additâ Tranſlatione, & Notis ſed textui adverſis. Ibi fusè Bertramus, *Panem Vinumque figuratè Corpus Chriſti exiſtere*, *ſpiritualiter non corporaliter*, *in figurâ*, *in imagine*, *in myſterio*, non *in veritate*, ſeu reali exiſtentiâ, vel præſentiâ *ſubſtantiæ*, &c. oppugnatâ multis eâ ſententiâ quam Paſchaſius aſſerit. Tandem *Johannes Scotus*, qui & *Erigena*, damnandus poſteà Seculo XI. tempore Berengarii, Pariſiis, Romæ, & in Synodo Vercellenſi, omnium conſenſione Paſchaſii ſententiam de præſentiâ Corporali perſtrinxit, ut novam, erroneam, Scripto Libello, juſſu Caroli Calvi, *de Euchariſtiâ*; ſed flammis ultricibus tradendo, odio Berengarii, invidendoque poſteritati Synodi Vercellenſis decreto, An. ML. ſub Leone IX. & alterius Romanæ, ſub Nicolao II. An. MLIX. Ibi Scotus, omnium conſenſione, & ipſo teſte Hincmaro, Lanfranco, Scriptore Anonymo Cellotii, aſſeruiſſe dicitur, *Sacramentum Altaris non eſſe verum Corpus, nec verum Sanguinem Domini, ſed ſolummodò memoriale veri Corporis & veri Sanguinis.*

Exceptiones nuperæ Pontif.

V. Et hìc vires omnes ſuas intendunt recentiores Pontificii, cùm ut Paſchaſii ſententiam adſtruant, tanquam *perpetuam* in *Eccleſiâ Catholicâ*, tùm ut adverſariorum Paſchaſii auctoritatem enervent. Ac jucundum planè eſt intueri euntes in diverſiſſima, ſed & omninò contraria, principes in Miſſaticis caſtris Viros, nec obeſæ alias naris, ut vel Rabanum, ac Bertramum faciant ſibi & Paſchaſio ὁμοψήφους, vel certè omnem memoratis illorum Scriptis fidem atque auctoritatem abnegent. Hinc modò *Rabanum* Moguntinum hominem fuiſſe, commiſſum cum Eccleſiâ Lugdunenſi; modò confictam ejus ad Egilonem Epiſtolam; modò ipſum auctorem ejus Scripti eſſe, quod Paſchaſio Radberto tributum, aſſertoremque *Præſentiæ Realis*. *Johannem Scotum* quod attinet, inviſum jam aliàs Janſenitis, in materiâ de Prædeſtinatione & Gratiâ, (quæcunque fuerit ejus exiſtimatio tempore Caroli Calvi, & Magni Alfredi, in Galliâ, Germaniâ, Britanniâ, in *Martyribus* etiam poſteà habiti) plerique jam, virum fuiſſe *Hæreticum*, Berengarianum, damnatum ab Eccleſiâ, novatorem adeò in causâ Euchariſticâ, & de quo infrà. Major de Scripto *Bertrami* vel *Ratramni* concertatio eſt, de quo ſingulares Diſſertationes extant, auctoribus Cellotio Jeſuitâ, de Marcâ, Mauguino, Arnaldo, Mabillono, Nat. Alexandro, Anonymis Gallis. Pleriſque tamen iſtorum expenſis & confutatis noviſſimè à Reverendis viris, Claudio, Laroquio, Alixio, cui noviſſimè oppoſuit Pariſienſis Anonymus novam Editionem *Bertrami*, cum Verſione Gallicâ & Notis, Pariſiis MDCLXXXVI. Hicque omnium poſtremus, 1. fatetur ſcriptum hoc, ſub Bertrami nomine, *unum eſſe ex maximè conſideratione dignis, ad extricandam Hiſtoriam circà perpetuitatem Fidei de Euchariſtiâ.* 2. *Ratramnum* (qui & *Bertramus*, errore amanuenſium, quum reperiſſent *B. Ratramnus*) Monachum Cœnobii ejuſdem cujus Abbas fuit Paſchaſius, à Sigeberto, Vincentio Metenſi, Trithemio, dein à Roffenſi Epiſcopo ſub Henrico VIII. habitum fuiſſe *Scriptorem valdè Catholicum*, hoc etiam Libello *de Corpore & Sanguine Domini* illi adſcripto. Et neminem hoc Seculo magis in *S. Scripturæ*, & *antiquorum Patrum ac Conciliorum lectione verſatum fuiſſe* quàm hic Ratramnus, dixerit Lucas D'Acherius, in *Præfat.* Tomi II. Spicilegii: Præter laudes Sigeberti, Joh. Trithemii, Claudii Eſpencæi, Claudii de Saintes Epiſc. Ebroïcenſis, Dion. Petavii, &c. 3. Nullum unquàm Librum expertum eſſe *ſortem iniquiorem*, ac *præter meritum*, maximè ubi favere creditus eſt Proteſtantibus. Hinc à Cenſoribus Tridentinis, à Pontificibus Pio IV. & Clemente VIII. à Sixto Senenſi, Eſpencæo, Genebrardo, Bellarmino, Alano, Perronio, Cellotio, &c. Bertramum *hæreſeôs* nomine reprobatum, *Libriſque prohibitis* accenſitum, ut everſivum doctrinæ Catholicæ. Rursùs à Lovanienſibus, An. MDLXXI. in Indice Belgico, modò habitum eſſe inter Libros *repurgandos*, *recognoſcendos*, & commodâ *explicatione* leniendos, quibus acceſſerint Valentianus, Gretſerus, Poſſevinus, Romæus, alii. At velle Petrum de Marca, Anton. Arnaldum, Gallos alios (quibus *doctos conſentire* Oxonienſes nuper, ad Vitam Alfredi, *Lib.* II.) ſuppoſitum fuiſſe Librum Ratramno, qui reverà fuerit *Joh. Scoti*; ſeu ipſe nomen Ratramni ementitus ſit, ſeu auctor ſuppoſitionis poſteà Berengarius: Sed verò qui *Scoto* tribuunt, alios denuò aſſerere librum *Hæreticum*, damnatum Seculo XI. alios *involutum* modò & *obſcurum*, ut Auctor Diſſertationis ad calcem Voluminis Arnaldini de Perpetuitate Fidei. Tandem eſſe Librum hunc verè *Bertrami*, ſeu *Ratramni* vereque nomen Auctoris præferre: Sed & Librum *Catholicum* eſſe, qui conveniat in fide *Realis Præſentiæ*, & *Tranſſubſtantiationis*, poſt Gilbertum Mauguinum Præſidem, in Hiſtoricis Diſſertationibus, alioſque aſſertores Gratiæ, nuper *Mabillonius Præfat.* in II. Partem IX. Seculi Benedictini, Natalis Alexander, *Diſſert.* XIII. ad Seculum IX. & qui alii eorum auctoritate moti, ac Anonymus modo expreſſus, *Præfatione* ad Librum eundem, utroque idiomate recuſum.

De ſcripto Bertrami.

Obſervationes Auctoris oppoſitæ. Exceptiones diſcuſſæ.

VI. Rectè illi quidem, *Ratramnum* & *Bertramum*, errore (ut dixi) amanuenſium, eundem Scriptorem eſſe, inclytum ſub Carolo Calvo, etiam Scriptis contrà *Græcorum* Errores, item de *Partu Virginis*, in primis & Libris duobus, de *Prædeſtinatione* & *Gratiâ* ad Carolum Calvum, in favorem Godeſchalci. Rectè, auctorem illum fuiſſe Libelli memorati, *de Corpore & Sanguine Domini*, ut ex conſenſione Mſs. indubiæ vetuſtatis, & Auctoris Anonymi *Sec.* XII. producti Cellotio, item Sigeberti, Trithemii, &c. liquidiſſimè conſtat, & quoque ab Alixio noſtro demonſtratum, *Reſponſione* ad Diſſert. Arnaldinam de Bertramo, C. III. Verè etiam, Auctor noviſſimus, qui eundem cum Notis evulgavit, *bonâ fide fatendum, hunc Librum Bertrami adverſus Theologos Catholicos adornatum fuiſſe*, Præfat. p. 12. Aſt verò eo Libro contineri doctrinam de *Realitate* & *Tranſſubſtantiatione*, dùm nuper adſtrui cœptum, ingenioſo commento, ultimæ quidem iſtud audaciæ, & extre-

tremæ lineæ, ad quam redacti, argumentum eſſe videtur. Diſertè enim eam doctrinam Scripto iſto refutari & contextus univerſus docet; & Bertrami alia Paſchaſio oppoſita, uti *de Partu Virginis*, eâdem nempè quâ cæteri mortales viâ è Virginali utero Chriſtum in lucem prodiiſſe; & intellexerunt Indices Librorum Prohibitorum, Pontifices duo, tot Purpurati, etiam Sixtus, Eſpencæus, Bellarminus, Alanus, Perronius, Cellotius, de Marca, Godavius, Arnaldus, &c. Pari fiduciâ aſſertum, *Auguſtinum* favere cauſæ Moliniſtarum, itâ *Carolum M.* cauſæ Imaginum, itâ *Remigium* & *Lugdunenſes* longè diſſenſiſſe à Godeſchalco in cauſâ *Prædeſtinatianâ*. Ac par eſt illorum ratio interpretandi clariſſima loca, adversùs præſentiam realem, producta ſuis antè locis ex Tertulliano, Origene, Epiſtolâ Chryſoſtomi, Theodoreto, Facundo Hermianenſi, aliis, quæ pari fronte ad Tranſſubſtantiationem intorquent. Urget ſanè Vir Doctus, *figuram* Corporis Chriſti opponi *veritati* apud Ratramnum; ſed per veritatem quam negat Ratramnus, non *realitatem* intelligi, ſed *manifeſtationem ſenſibilem & externam Corporis Chriſti*, in Euchariſtiâ, ut ex Mariâ natus eſt, ut paſſus, &c. quam iſte ſolummodò neget. Sed itâ cum umbrâ luctatum eſſe Ratramnum, conficiendo magno conatu quod aſſereret nemo, quis non videt? Addit Anonymus, nuſquàm *Stercoraniſtarum* Hæreſin à Ratramno memorari: Credo equidem, qui ipſe aſtrueret quod diu poſteà in Stercoraniſtarum Hæreſim per contumeliam verſum. Urget præterea, qui *realem* præſentiam aſſererent, à Ratramno nihilominùs pro *Fidelibus* habitos, non pro Hæreticis: Rectè, quo tempore nondùm ex eo dogmate nata ea portenta, *Tranſſubſtantiationis*, *Adorationis Hoſtiæ*, *Circumgeſtationis*, *Communionis ſub unicâ*, &c. quæ deinceps ſanxit ſub anathemate Roma, & quæ fuiſſe tùm Catholicæ praxeôs, non ſupponendum ſimpliciter fuit ab auctore Præfationis, p. 53. ſed ex invictis documentis probandum. Itâ Paſchaſii *realem παρȣσιαν* amplexi Lutherani, ut ex editione Helmeſtadienſi, & Chemnitii aliorumque de Paſchaſio judiciis liquet, qui nec *Tranſſubſtantiationem*, *nec Adorationem Hoſtiæ*, nec Papiſtica reliqua. Pergit, non taciturum fuiſſe Ratramnum, ſi Paſchaſio oppoſuiſſet ſua, Miraculum illud, Chriſti primùm *corpore apparentis*, ad preces Sacerdotis, *formâ pueri*, & *veſtiti*, in ipſis Miſſarum ſolemnibus, dein *remeantis ad formam priorem*, apud Paſchaſium *Cap.* XIV. Sed inſertam fabellam eſſe in textum Paſchaſii, non Blondellus modò aſſeruit, ut ſupponit Vir Doctus, ſed pridem Editores Helmeſtadienſes, Anno 1616. *in Mss. non haberi Caput integrum* XVI. *nec partem* Cap. XVIII. itâ *nec fabellæ illius quæ recenſetur Cap.* XIV. *Paſchaſium eſſe auctorem*. Hinc diverſitas *literarum* quibus eadem expreſſa eſt, & in eâ fabulâ character *hominis ſuperſtitioſi, ejuſmodi fabulis & nugis nimiùm addicti, ut ſtolidæ mortuorum apparitiones, & revelationes, confirmarentur*, ut iidem. Adde contextum Paſchaſii, eâ fabulæ inſertione, evidentiſſimè luxatum apparere, magiſque cohærentem eſſe eâ ſublatâ. Fruſtrà igitur ejus confutatio in Bertramo deſiderata. Et ſi fabulam eam ſcripſit Paſchaſius, vel indè *ſuperſtitionem* Viri cognoſcas. Tandem adeò hic Bertrami Liber creditus eſt continere hæreſim Calvini, ut adſcriptus ſit *Oecolampadio*, ejuſque Diſcipulis, à Sixto Senenſi, & à Poſſevino, Prolegomenis ſuis in Bibliothecam, & in Apparatum.

De Partu Virg. Controv.

VII. Affinis quodammodò fuit controverſia altera, à Paſchaſio & Ratramno Scriptis adverſis agitata, ab iſto in Libello de *Partu Virginis*, ab hoc, Opuſculo *de Nativitate Chriſti*, ferè circà medium Seculum IX. Utrumque habes in *Spicilegio* à Lucâ D'Acherio edito, *Tomo* I. & XII. Ratramnus contendere, adversùs *novæ perfidiæ venenum*, in Germaniâ, ut ait, ſparſum, peperiſſe Mariam aperto utero, *apertâ vulvâ, nativitatis oſtio, naturæ januâ*, communi naturæ lege, ſalvâ ſanè *Virginitate*, in quâ permanſerit. Contrà Paſchaſius, accuſare ſententiam Ratramni *impietatis, cæcæ præſumptionis*, probareque ex Leone, Ambroſio, Auguſtino, &c. illæſis ſcilicet nec apertis uteri clauſtris, nullo profluvio, peperiſſe B. Virginem, Scripto etiam ſuo *ſacris Virginibus* dedicato, in quo *puerperæ* ſordes deſcriptæ. Quam controverſiam prudenter Mezeræus Hiſtoricus, *ex otio Monachorum* natam eſſe dicit, *parumque convenientem* & gravitati virorum, & pudori virginum, quibus ſua Paſchaſius inſcriberet. Et hinc Paſchaſii ingenium denuò obſerves, planè ad ſuperſtitionem, & ad torquenda Patrum effata, comparatum. Rurſus ejuſdem Paſchaſii, in Vitâ S. *Walæ* Corbejenſis Abbatis, iniquitatem in Ludovicum Pium, *falſitatemque* in deſcribendâ exauctoratione Optimi Principis, perſtringit meritò Natalis Alexander, in *Tomo* XVI. *Diſſert.* II. p. 48. 49. V. gr. ſubitò defeciſſe omnes ad *Lotharium*, deſerto Ludovico Pio Auguſto, ſine ullius perſuaſione aut exhortatione, quaſi *terrore Dei concuſſi & tremefacti*; Illum ſuſcepiſſe Imperium, *invitum* & minis compulſum, quod ni feciſſet, electuros fuiſſe omnes alium qui eis *auxilium & defenſionem ferret*; Imperium jam cecidiſſe de manu patris Ludovici, quod ut hæres & conſors factus à Patre, *ſuſtinuit & ſervavit*; Et quæ alia Paſchaſius, contrà *Theganum* in Annalibus de Geſtis Ludovici, *Nithardum* de Diſſidio Filiorum Ludovici Pii Imperat. & alios cauſam Patris ingenuè agentes contrà perduelles Filios, & hos foventem Gregorium IV. Pontificem.

Diſputationes de Prædeſtinat. & annexis.

VIII. Gravior longè diſputatio hoc ipſum Seculum exercuit, Galliam cumprimis, & Germaniam, occaſione Doctrinæ Godeſchalci, nempè de *Prædeſtinatione*, & *Gratiâ*, ex Rhemenſi Hiſtoriâ Flodoardi, ex Scriptis Hincmari Rhemenſis, Rabani Moguntini, Johannis Erigenæ, Flori Magiſtri, Bertrami, Lupi Ferrarienſis, aliorum, ex Lugdunenſis Eccleſiæ monumentis, & ex Conciliorum Tomis. Prolixè de eâdem, ſed diverſimodè, illinc Baronius in Annal. ad A. DCCCLVIII. Binius in Notis ad Synodos Moguntinam II. & Valentinam, tùm qui de Hæreſi *Prædeſtinatianâ*, quos inter Sirmondus, nuperique Cellotius Jeſuita, in Hiſtoriâ Godeſchalci, Nat. Alexander, *Tomo* XVI. Diſſert. V. &c. magni hi adverſarii Godeſchalci; hinc in eum æquiores Mauguinus in Galliâ Præſes, in Diſſertat. Hiſtoricâ de Godeſchalco, Janſenius in Hæreſi Pelagianâ *Lib.* VIII. Uſſerius de Godeſchalco, & Prædeſtinatianâ Controv. Voſſius in Hiſtoriâ Pelagianâ, *Lib.* VII. & fautores Doctrinæ Janſenii, vel Auguſtini, in Galliâ Pontificiâ. In pauca rem omnem contrahimus, pro hujus Inſtituti modo.

1. Occaſionem ſanè præcipuam huic diſputationi præbuit *Gotteſchalcus* Monachus Benedictinus, in Orbacenſi Cœnobio, ſub Rhemorum Metropoli Belgicæ ſecundæ. Hic, ſi non natione, certè nomine Germanus, habitatione Gallus, Monaſterio egreſſus, An. DCCCXLVII. peregrinationis Italicæ ergò ad *Limina Apoſtolorum*, cœpit adſtruere Auguſtinianam de *Prædeſtinatione* & *Gratiâ* Doctrinam, cujus ſtudioſiſſimus eſſet: Collatione quidem primùm quâdam cum *Nothingo* Veronenſi vel Vercellenſi, aliis Brixienſi, Epiſcopo; dein Rabano Archiepiſcopo Moguntino impugnante ſententiam Godeſchalci ſcriptâ ad Nothingum Epiſtolâ, obtulit profeſſionem ſuam de *Geminâ Prædeſtinatione*, quum celebraretur, Placito à Ludovico Germaniæ Rege indulto, Synodus Moguntina, A. DCCCXLVIII. *Ego Gotteſchalcus credo & confiteor, profiteor & teſtificor,*

Digitized by Google

ficor, &c. *quod Gemina eſt Prædeſtinatio*, *ſive Electorum ad requiem*, *ſive Reproborum ad mortem*; *Quia ſicut Deus incommutabilis*, *antè mundi conſtitutionem*, *omnes electos ſuos incommutabiliter*, *per gratuitam Gratiam ſuam*, *prædeſtinavit ad vitam æternam*; *Similiter omnes omninò reprobos*, *qui in die Judicii damnabuntur*, *propter ipſorum mala merita*, *idem ipſe incommutabilis Deus*, *per juſtum Judicium ſuum*, *incommutabiliter prædeſtinavit ad mortem merito ſempiternam.* Hæc ſolùm de illâ Godeſchalci profeſſione habentur: undè vulgò *novorum Prædeſtinatianorum primicerius.* Quanquàm antè Godeſchalcum, *Mingentius* quidam in Hiſpaniâ, & *Egila* Epiſcopus, ſub Carolo M. Prædeſtinationem aliam *ad vitam*, aliam *ad mortem*, tradidiſſe referantur; quâ de re adi Mabillonum *Analect.* P. I. p. 183.

2. Aliàs Capitula à Godeſchalco aſſerta, intellectaque ex *Hincmari* ad Nicolaum I. Epiſtolâ, ex Capitulis Synodi *Cariſiacæ* in *T.* VIII. Concil. *col.* 56. 98. & ex Antitheſibus Eccleſiæ *Lugdunenſis* in Auctario Bibl. Patrum, fuêre hæc *quatuor: Dari Prædeſtinationem Duplicem*, *aliorum ad vitam æternam*, *aliorum ad æternam mortem: Nolle Deum omnes homines ſalvos fieri*, *ſed tantùm eos qui ſalvantur*, *ſeu quos ipſe ſalvare voluerit*; *ac per hoc quicunque non ſalvantur*, *non fuiſſe quoque voluntatis Dei ut ſalvarentur: Chriſtum non pro totîus mundi redemptione eſſe mortuum*, *ſed tantùm pro iis qui ſalvantur: Eſſe quidem in homine Liberum Arbitrium*, *perditum tamen in Adamo quoad bonum*, *hinc requiri Gratiæ adjutorium & præventum ad ſingulos actus*, *quæ Gratia non detur ſecundùm merita.* Additur *Tritheitarum* Hæreſis, ex verbis Godeſchalci, mutuatis ex Hymno in Eccleſia cantari ſolito; *Te*, *trina Deitas unaque*, *poſcimus*, *Ut culpas abluas*, &c. Undè Hincmari Liber *de Una & non Trinâ Deitate*, inſertus Operum *Tomo* I. p. 413. A quâ tamen Hæreſi Godeſchalcum fuiſſe immunem, aſſertorem modò Trinitatis *Perſonarum*, non *Eſſentiæ*, ex Godeſchalci *Schedulâ* apud Hincm. p. 415. & ex ipſis Adverſariis Uſſerius noſter demonſtravit. Et ob ſuperiora Capitula, *Prædeſtinatianæ Hæreſeôs* princeps & renovator audiit Godeſchalcus, ut olim ab Hincmaro, ſic deinceps apud Baronium, Sirmondum, & ſequaces. Sed & alia per calumniam, fallaſque conſequentias, illi impacta, in *Epiſt.* Amalonis Lugdunenſis, *Tomo* XIV. Biblioth. Patrum, Edit. Lugdunenſ.

Oppoſitiones adverſùs Godeſchalc.

3. Igitur *ſurrexêre* mox, adverſùm hæc Capitula & auctorem Godeſchalcum, *Hincmarus* Rhemenſis Archiepiſcopus, ſcriptâ Epiſtolâ ad Nicolaum I. deinceps in Libro de Prædeſtinatione & Gratiâ, totus in Monachum furens, ut *habitu Monachum*, *mente ferinum*, *quietis impatientem*, &c. Præiverat (ut dictum) *Rabanus* Moguntinus, in Synodo Mogunt. cui *Lupus Servatus* Abbas Ferrar. præventus in Godeſchalcum (ſi fides Trithemio; ſed ut rectè monet Baluzius *Notis* ad Lupum, p. 470. *Falſum eſt quod ait Trithemius*, *Godeſchalcum in Synodo Moguntinâ victum*, *& confutatum fuiſſe à Lupo Servato*) interfuit: Quâ certè Synodo fuit damnatus Godeſchalcus, & ad Metropolim Rhemenſem remiſſus, A. DCCCXLVIII. ſcriptâ Synodali Epiſtolâ ad Hincmarum. Mox Synodus in *Cariſiaco* Palatio habita, ad Iſaram fluvium, Anno ſequente DCCCXLIX. præſentibus Wenilone Senonenſi, Hincmaro Rhemenſi, Rothado Sueſſionenſi, ac diverſarum Galliæ Provinciarum Epiſcopis. Summa ſententiæ ab his in Godeſchalcum latæ fuit; Depoſitio, atque interdictio *Sacerdotii*, nec ulteriùs eo fungi præſumeret; *duriſſima verbera* ſeu flagella quibus caſtigari juſſus; tandem truſio in *ergaſtulum*, apud Altivillarenſes in Rhemenſi Diœceſi, durum illud acerbumque, in quo totos annos XXI. exegit, ad Annum DCCCLXX. emortualem. Mox in Godeſchalcum altera habita Synodus *Cariſiaca*, Anno DCCCLIII. cujus ſunt *quatuor Capitula* Godeſchalco opponenda, ſed ab Hincmaro ſcripta, ex Flodoardi Hiſtoriâ, *Lib.* III. C. XV. Hinc facto ejuſdem Hincmari, quo in detentum Monachum nemo animoſior, excitandus fuit adverſùs Godeſchalcum, inter alios, *Johannes Scotus*, qui & *Erigena*, *Eriugena*, Anaſtaſio Bibliothecario *Scotigena*, ſeu Hibernus gente, prout ea Inſula tùm adhuc *Scotia*, & indigenis *Eri* vel *Eria* appellata. Scriptus nempe ab eo Liber de *Unicâ Prædeſtinatione*, Capitibus XIX. in Galliis cùm eſſet, & in Aulâ Caroli Calvi, à Principe juſſus ſententiam ſuam edere de graviſſimo argumento, quâ erat exiſtimatione, atque (ut videtur) ab Hincmaro ad id delectus. Ac Scoti illa *Capitula*, cum cenſuris Eccleſiæ Lugdunenſis, & refutatione Flori Magiſtri, *de Præſcientiâ*, *Prædeſtinatione*, *& Libero Arbitrio*, contrà errores Johannis Scoti, recenſent Voſſius, Hiſt. Pelag. P. IV. *Lib.* VII. & Uſſerius *Hiſt.* Godeſchalci, *Cap.* IX. X.

4. Contrà Godeſchalco, ejuſque cauſæ ac ſententiæ, velut *Auguſtinianæ* patrocinati ſunt Scriptis adverſùs Hincmarum, Synodum Cariſiacam, Rabanum, Scotum, reliquos Pelagianizantes, Viri hoc Seculo ſingulari doctrinæ & ſanctitatis famâ præcellentes, Synodique integræ Moguntinæ & Cariſiacæ oppoſitæ. Nempè cenſuras in Godeſchalcum ſtrictas perſtrinxêre, ejuſque tuiti cauſam, Capitulis ſingulis expenſis tùm Cariſiacæ Synodi, tùm Johannis Scoti, ac confutatis, aſſertores Gratiæ ſequentes: Fautores Doctrinæ Godeſch.
1. *Remigius* Lugdunenſis Archiepiſcopus, *Sanctis* adſcriptus, nomine Eccleſiæ Lugdunenſis, Libro de *Tribus Epiſtolis*, ab Hincmaro ſcriptis, legendo apud Mauguinum *Tomo* II. Vindiciarum Prædeſtinationis & Gratiæ, & in Bibliothecis Patrum: In quo, tùm ſententia in Godeſchalcum lata *inauditum irreligioſitatis & crudelitatis exemplum* nuncupatur, tùm quæ de divinâ Prædeſtinatione idem tradiderat, deque Particulari Gratiâ, & Morte Chriſti, aſſeruntur *juxtà regulam Catholicæ fidei vera eſſe*, in ſolo capite de *Libero Arbitrio tantummodò ad malum*, diſſentiente Remigio, *ſi tamen verè ità ſenſiſſet & dixiſſet* Godeſchalcus, quod illi *incredibile* videbatur. 2. Eadem Eccleſia Lugdunenſis, editâ *Cenſurâ* quatuor Capitulorum Cariſiacæ Synodi, quibus oppoſuit totidem antitheſes: Quarum prima fuit, *Duplicem omninò eſſe Prædeſtinationem Dei*, *electorum ad vitam*, *reproborum* ad judicium, qui non *præſciti* tantùm eſſent, ſed etiam *prædeſtinati*; Altera, ſic operari Deum in *Libero Arbitrio*, ut neceſſaria ſit Gratia *ad ſingulos bonos actus*, *omnemque motum bonæ voluntatis*, qui *à Dei ſint*, &c. accuſatâ definitione Liberi Arbitrii Cariſiacâ, ut *confusâ*, *abſtrusâ*, *ac decurtatâ*; Tertia, omninò *Deum non velle omnes homines ſalvos fieri*, & cùm affirmavit Paulus, vocem *omnes* retuliſſe *ad omnia genera hominum*, *omnium ſcilicet generum*, *ſexuum*, *conditionum*, *ordinum*, *dignitatum*; Quarta, *quod Chriſtus pro omnibus paſſus ſit*, etiam pro *infidelibus*, *impiis*, *damnatis*, id verò falſiſſimum eſſe, *abſurdiſſimum*, *à nullo Sanctorum Patrum ſtatutum*, ac *pudendum* omninò. 3. Pro Godeſchalci causâ etiam pronunciarunt Synodi duæ, *Valentina* III. A. DCCCLV. & *Lingonenſis* altera, A. DCCCLIX. præſentibus Remigio Lugdun. Agilmaro Viennenſi, Ebbone Gratianopolitano, Rodlando Arelatenſi, &c. Et in his Synodis, Capitula Cariſiaca atque Hincmari Rhemenſis doctrina, & Joh. Scoti, exploſa, videndis apud Sirmondum, Concil. Galliæ *Tomo* III. & in Conciliorum Tomo VIII. *col.* 133. & 673. Adde Scripta alia adverſùs Joh. Scotum, ejuſque Capitula, in favorem Godeſchalci, uti *Remigii* Lugdunenſis in *Septem Regulis*, de veritate Prædeſtinationis; *Flori Magiſtri*, Scholæ Lugdunenſis ſcilicet, & Diaconi, laudatiſſimi Wala-

Digitized by Google

frido Straboni, cujus Cenſuram prolixè refert Uſſerius noſter, *Cap.* x. *Prudentii* Trecenſis vel Tricaſſini in Campaniâ Epiſcopi, Libro non uno, apud Mauguinum & Cellotium; Item *Ratramni* Corbejenſis Monachi, de quo ſuprà, Libris duobus de *Duplici Prædeſtinatione*; *Lupi* quoque *Servati*, vel ut malunt *Servati Lupi*, Abbatis Ferrarienſis, & Presbyteri, *Libro* & *Collectaneo de Tribus quæſtionibus*, id eſt, de Libero Arbitrio, de Prædeſtinatione Bonorum & Malorum, deque Redemptione per Chriſtum, quâ *redemerit omnes quicunque redimuntur atque ſalvantur*; nempè gemino Servati ſcripto, editis à Mauguino, Sirmondo, Riveto noſtro, & Baluzio cum integerrimis Notis.

Exceptiones Baronii, &c. Sirmondi, &c.

5. Effugium porrò vix aliud eſt Jeſuiticæ Societati, ſed & Baronio, Genebrardo, ac recentioribus, quàm ſi dixerint faviſſe illos quidem Patres *perſonæ*, non in omnibus *ſententiæ* Godeſchalci; minùs faviſſe *Hæreſi Prædeſtinatianæ*, quam in Godeſchalco damnaſſet cum ſuis Hincmarus, Epiſt. ad Nicolaum I. Ita Sirmondus Hiſt. Prædeſtinatianæ *Cap.* XII. & reliqui, poſt Annalium Scriptorem, ad Annos DCCCXLVIII. N. V. DCCCLV. *Num.* I. DCCCLIX. *Num.* XVII. &c. Sed ex collatione Capitulorum ſcriptorumque utriuſque partis, apud Mauguinum, Uſſerium, Voſſium, Baluzium, &c. planum fit propugnata fuiſſe à graviſſimis Præſul. & Synodis, Viriſque Theologis, Capitula ipſa Godeſchalci, ac ſententiam Auguſtini, eo ſenſu non qui affictus Godeſchalco, ſed qui verè illius eſſet. Et quo olim affectu Maſſilienſes confeciſſent, ex doctrinâ Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, *malè intellectâ*, Hæreſim *Prædeſtinatorum*, quos ſcil. Deus ad malum, etiam invitos, compelleret cogeretque; eodem Hincmarus notare hanc in Godeſchalco Hæreſim, eodemque recentiores obtentu, negare *Eccleſiæ Lugdunenſi* conveniſſe cum hujuſmodi *Prædeſtinatorum* errore, adeoque nec conveniſſe illi cum Godeſchalco. Sed calumnioſè detortam fuiſſe ſententiam Godeſchalci, aſſerentis *prædeſtinatos ad interitum*, *juſtè ac meritò*, *quos Deus præſciviſſet*, *per ipſorum propriam miſeriam*, *in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis*, nec diſcedentis à doctrinâ Pauli, vel Auguſtini; gemina ejuſdem *Confeſſio*, brevior altera, altera prolixior, ab Uſſerio primùm in lucem editæ, abundè docent. Ac pari in Godeſchalcum odio, *Tritheitarum* hæreſis illi ab Hincmaro impacta, quod *Trinam & unam Deitatem* dici poſſe, cum Ratramno aliiſque, cenſuiſſet Orbacenſis Monachus. Pridemque ab ipſis Auguſtinianæ doctrinæ, ac Janſeniſticæ, in Galliâ defenſoribus, iſta Hincmari iniquitas, & durities, & ingenium quoddam notatum fuit. Et quia de Prædeſtinatione & annexis, pro Godeſchalco, ſcripſiſſet præclarè *Ratramnus*, & ex Auguſtini mente; hinc is in argumento de *Corpore & Sanguine Domini* à Mauguino Præſide, nuperiſque Mabillono, Nat. Alexandro, & Anonymis, conciliandus fuit cum Paſchaſio Radberto, & Tridentinâ doctrinâ; parùm quidem ſeriò.

Hincmari furores, iniquitas.

6. Tandem illinc Hincmari quidam in Godeſchalcum furor, hinc Viri conſtantia, fides, pietas, ad extremum uſque, obſerventur. Priorem arguunt, quod ne vicennali quidem carcere, nec tot Viri perpeſſionibus, implorantis etiam *Judicium Dei*, offerentiſque ſe Examini *aquæ & olei ferventis*, pro ſuperſtitione temporum, emolliri potuerit Rhemenſis Præſul. Quinimo verſante illo in agone, ni ſententiam ejuraret, juxtà miſſam ad eum Formulam, privandum eum eſſe communione, quin & ſepulturâ Eccleſiaſticâ, ſtatuit Hincmarus. Sed immota manſit mens Godeſchalci, ſtetit illi ſententia ad extremum, *nec vel ad momentum titubanti*, ut ejus habet Confeſſio, ardentiſſimis ad Deum precibus, ac piiſſimâ Confeſſione, relicturo poſteritati exemplum inexpugnatæ patientiæ fiduciæque.

IX. Nunc qui *Hincmaro* Rhemenſi Præſuli, patrocinatur Baronius, in cauſâ Godeſchalci, idem in cauſis aliis Hincmarum accuſat *ſubreptionis*, criminis *falſi*, *fraudum*, *aſtutiæ*, *faſtûs*, *tyrannidis*, *iniquitatis*, *contumaciæ* in Pontificem, non unius *infamiæ notæ*, congregatæ ab eo *latrocinalis Synodi*, *perverſorum* etiam *jurium Rom. Eccleſiæ*, &c. Vide Annalium Scriptorem, in cauſâ *Rothadi* Sueſſionenſis Epiſcopi, ab Hincmaro deponendi, prohibendique ire Romam, ad Nicolaum I. Pontificem, ad A. DCCCLXIII. Dein & in cauſâ *Wulfadi* & *Sociorum*, quos Ebbo Rhemenſis ordinaverat, poſt ſuam exauctorationem, ſed removendos ab Hincmaro Succeſſore, non unâ hujus fraude notatâ, ad A. DCCCLXVI. Tandem in cauſâ *Hincmari junioris*, *Laudunenſis* Epiſcopi, cui Rhemenſis patruus fuit, & quem turbulentum licet, reumque violatorum Canonum, ſed & auctoritatis Regiæ, appellantem verò ad Hadrianum II. defendit Annalium Scriptor, contrà Hincmarum Rhemenſem, tanquàm proditorem *jurium Pontificiorum*, ad A. DCCCLXXI. Nempè hic unus character Cæſari Baronio Viri boni, laudative Præſulis, obedientem fuiſſe Romanæ Sedi, ejuſque ſtetiſſe decretis, aut judicium appellaſſe; contrà, ſatis ad infamiæ notam, ſi quem inviſum, aut minùs obſequentem, aſſertoremve juris Regii, vel Eccleſiaſtici, habuerint Pontifices. Sed etiam Hincmari ſuperbiam, violentiam, fraudes, accuſarunt non ſemel in Galliâ Pontificiâ Theologi aſſertores *Gratiæ*, adeoque & doctrinæ Godeſchalci, ab Hincmaro inauditâ duritie iniquitateque oppreſſi. Varium eundem, certè ambiguum, fuiſſe in capite de *Euchariſtiâ*, modoque pro ſententiâ Ratramni, modò pro Paſchaſii illâ, videri pronunciaſſe, pridem Aubertinus noſter obſervavit, *de Sacram. Euch.* L. III. Quod verò *Prudentium* Trecenſem Epiſcopum, (de quo ſuprà inter fautores Godeſchalci) tanquàm eadem cum Johanne Scoto ſentientem, *ſcilicet non eſſe Sacramentum Altaris verum Corpus & verum Sanguinem Domini*, carpſerit Hincmarus in Libro de Prædeſtinat. C. XXXI. adſcribendum videtur Hincmari in Prudentium affectui, quod hic in doctrinâ de *Prædeſtinatione* vehementer ab iſto diſſideret, ut viſum modò fuit. Aliàs fluctuantem de *Euchariſtiâ* Hincmarum, paſſim legas.

Baronii de Hincmaro judicium.

XI. *Status Eccleſiæ Orientalis. Divortium à Latinis, & Schiſma novum inter utramque Eccleſiam, non unâ de cauſâ. In ſpecie de Cauſâ Photianâ.*

I. Dum ſuperiora geruntur in Occidente, intereà *Orientalem* Eccleſiam vaſtabant perpetuis incurſionibus, bellis, *Bulgari* partim, partim *Saraceni*, cum permixtis Barbaris, de quibus prolixè Theophanes, & hujus Continuatores, itemque Cedrenus, Zonaras. Dividebant *Hæreſes* priores latè diffuſæ per Aſiam, Syriam, Ægyptum, uti Jacobitarum, Monothelitarum, quin & Manichæorum illa, atque Origenis cauſa; infenſioribus in eum Græculis pleriſque, & inter Hiſtoricos hujus Ævi Theophane, poſteà & Photio Patriarchâ Conſtantinopolitano. Deſtituebant etiam Eccleſiam vel ignavi, vel parùm religioſi Principes, quales fuêre hoc Ævo Nicephorus Logotheta, Michaël Rangabe, dein Michaël III. cum Theodorâ matre Iconodulis obnoxiâ, ac Michaëlis parricida Baſilius Macedo, cui ſucceſſit Leo Sapiens, ſive Philoſophus, de quibus præfati Byzantini, ac præcipuè Zonaras, legendi

Orientis mala.

Digitized by Google

eo judicio quo veritas hiſtoriæ à Scriptoris affectu ſecernitur. Cumprimis Cauſa *Imaginum*, & *Monachorum*, Orientem vehementer diſtraxit, anteſignanis illarum fautoribus Nicephoro Patriarchâ, Theodoro Studitâ, Theophane vulgò Confeſſore, Methodio Abbate, dein Patriarchâ, & Monachorum omni turbâ; poſteà quoque etiam Ignatio, Photioque Patriarchis, ſed poſt oppreſſos Iconomachos ſub Theodorâ, matre Michaëlis III. Ac de diſſenſionibus Græcorum inter ſeſe, præcipuè circà *Imagines*; de habitis Synodis in eâ cauſâ, vel Conventibus ac promulgatis Edictis ſub Nicephore Irenes ſucceſſore, Leone Armeno, Michaële Balbo, Theophilo Impp. de factis per Iconolatras oppoſitionibus, hinc factioſorum & contumacium exiliis, carceribus, pœnis; fusè Hiſtoria Imaginum Reſtituta, totâ *Sectione* VIII.

Baronius, Allatius, & Maimburg. notati.

II. Qualis *Conſenſus* obtinuerit hoc Sec. inter utramque Eccleſiam, *Orientalem* & *Occidentalem*, aut ſecùs, & quæ fuerint nati pridem (certè indè à Leone Iſauro) inter eas Schiſmatis nova incrementa, quæ contentionum cauſæ, erupturæ in mutua fulmina & anathemata, paucis exponendum venit. Ac mirum equidem, præter Annalium Scriptorem Baronium, & compilatores, par nuperum Scriptorum Romæ & Pariſiis, diſſenſionum, rixarum, ac *Schiſmatis Græcorum* prima ſemina, primos natales, refundere in Photium, ex quo ad Patriarchalem dignitatem admotus eſt, pulſo Ignatio. Ità Leo Allatius, *Libro* II. de Perpetuâ ſcilicet Conſenſione, & Lud. Maimburgius, in *Hiſtoriâ* Schiſmatis Græcorum. Antè Photium, ſi hominibus fides eſt, obnoxius Oriens Occidenti, Imperatores Papis, Conſtantinopolitanus Romano, & hic in illos *exercere*, placido dominatu, *ſupremam poteſtatem*, ut *ſummum quo colligaretur utraque Eccleſia Caput*, ac pro jure ſuo *jubere*, *decernere*, *deponere*, *reſtituere*, ut illi: Undè Maimburgius Hiſtoriam diviſæ utriuſque Eccleſiæ, ac Divortii Græcorum à Latinis, ordiri demùm ab An. DCCCLIX. poſt *Photium* in Ignatii Throno collocatum. Nihil ille omninò de graviſſimis contentionibus quæ pridem præceſſerant, jam Seculo VII. & de quibus fusè nos ad id Seculum, *Capite* IX. Nihil de graviſſimo Schiſmate Seculo VIII. indè à Leone Iſauro, uſque ad extrema ferè ejuſdem Seculi, & ad perfidæ Irenes impia molimina, quo de nos quoque ſuperioris Sec. *Capitibus* VI. VII. Nihil tandem de Schiſmate, quo reipsâ fuit diſtracta Latina Eccleſia ab Orientali, deve diſſenſione in *Fide*, *Cultu*, *Diſciplinâ*, hoc ipſo Seculo IX. etiam antè Photianum bellum.

Diſſenſio circà Imagines.

III. Equidem acerrima contentio recruduit, 1. Mox à remotâ Irene, Anno Vulg. DCCCII. quando Nicephorus illi ſucceſſor datus. Quicquid enim reclamarent Iconolatræ, quicquid Monachi, quicquid Roma Pontificia, reſumere ſpiritus *Iconomachi* ſub *Nicephoro* Imperatore; factâ illis certè libertate, quæ oppreſſa penitùs ſub Irene fuerat. At longè vehementiùs damnata omnis *Iconodulia*, ac *Pſeudo-Nicæna* Synodus, atque adeò cùm praxis Romana, tùm doctrina Hadriani, ac Succeſſorum, ſub laudatiſſimis Imperatoribus, *Leone Armeno*, *Michaële Balbo*, *Theophilo* patre Michaëlis III. Parùm nempè curaturo Oriente quid Pontifices decernerent damnarentve, quid probarent aut reprobarent; conſentientibus extrà fines Pontificii dominatûs, adversùs *Cultum Imaginum* qualemcunque, Carolo M. & Ludovico Pio, initis firmatiſque cum Oriente fœderibus. Undè Baronii, quamdiu hi Principes imperarunt, ſed & Allatii, Maimburgii, & gregalium, in Græcos animi, iræ, ſævique dolores. Ac quibus tandem artibus profligata hactenùs Iconolatria, reſtituta in Oriente fuerit, à morte Theophili, ab Anno DCCCXLII. ope imbellis, meticuloſæ, ſed & ambitioſiſſimæ *Theodoræ* viduæ, natæ Iconodulâ ac ſuperſtitioſiſſimâ matre, vim admoventibus undique Imaginum fautoribus, quorum *victrix cauſa Diis placuit*, alibi fusè traditum probatumque fuit.

Circà Proceſſ. Spiritûs S.

2. In quæſtionibus de Fide, ſtetit Græcis conſtans ſententia, Procedere Spiritum S. ex *Patre* tantùm, additione Latinorum, *Filioque*, vehementer damnatâ, quæ juxtà Latinos pervetuſta Græcorum *Hæreſis* fuit. Fateturque ipſe Leo Allatius, *Lib.* II. *Cap.* II. *contendere Græcos* (*Schiſmaticos* perpetuò vocat, ut *Conſenſionem* fortiùs ſuam adſtruat) *Leonis Iſauri tempore illud*, ex ſolo Patre Spiritum procedere, *ſententiam in Univerſali Eccleſiâ comprobatam fuiſſe, additionem verò ex Filio condemnatam.* Quæ deinceps contentio magis exarſit, ex quo Photius Epiſtolâ *Encyclicâ* ad Patriarchas, inſertâ *Tomo* X. Annalium, ad A. DCCCLXIII. N. XXXIV. & *ſeq.* non errorem modo, ſed & falſi crimen, additamentum illud *Filioque*, inſertum Symbolo Latinorum, cum aliis multis exprobravit Nicolao Papæ, tanquàm *adulteratum Symbolum.* Undè ſub Photii nomine Tractatus varii *de Spiritu* S. quos recenſet Leo Allatius, de Perpetuâ Conſenſ. *Libro* II. *Cap.* VI. Mox Synodus Græcorum Oecumenica VIII. vulgò Photiana, damnare *innovationem* Latinorum, circà Proceſſionem Spiritûs S. *ex Patre Filioque*, hinc *additionem* in Symbolo cumprimis factam; Quam poſtremam demùm improbatam, non doctrinam ipſam Latinorum, de Proceſſione Spiritûs S. mendaciſſimè Leo Allatius, Libro de *Octavâ Synodo*, *Cap.* XI. Et exindè Græcorum certamina contrà Latinos, ſcriptaque innumera *de Proceſſione Spiritûs S.* retractandâ poſteà causâ Seculo XI.

Circà Ritus, &c.

3. Diſtraxiſſe etiam Græcos à Latinis diverſitatem *rituum*, *legum*, *conſuetudinum*, maximè à Synodo Trullanâ, de quâ nos fusè ad Seculum VII. probantibus hanc Græcis, Latinis damnantibus, haud controverſa res eſt. Undè illa Photii ad Nicolaum I. de propriis utriuſque Eccleſiæ diverſiſſimiſque *legibus*, *regulis*, apud Baronium, ad A. DCCCLXI. *Num.* XLII. Sed prolixiùs idem de ſingulis, in præfatâ *Encyclicâ* ad Patriarchas. Hujuſmodi fuêre diſſenſiones de *Azymis*, ſcripturo & de his Photio, de *Jejunio Sabbathi*, de *Conjugio* Clericorum, Presbyterorum, de *chriſmandi* in his poteſtate, de abſtinentiâ *à ſanguine & ſuffocato*, de ratione Jejunii *Quadrageſimalis*; ut ex Nomo-Canone & Photii Epiſtolis, ſed & Nicolai illis intelligitur, ac ſuprà ex Synodo Quini-Sextâ, à *col.* 1231. 1232. &c. Nec iſtis litigiis origo primùm à Photio eſt, quamvis ſub eo nata occaſio Latinis iſta exprobrandi, recenſendique τὰ κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῶν Λατίνων αἰτιώματα μερικὰ, *criminationes particulares apud Latinorum Eccleſiam*, ut ad Photiana tempora Allatius, dicto Tractatu p. 575. Quò ſpectat *Ratramni* Corbeienſis Monachi contrà Græcorum oppoſita, ſeu accuſationes in Latinos, Libri IV. à Lucâ D'Acherio inſerti *Tomo* II. Spicilegii: Quorum *tres* primi in ſtabiliendâ Proceſſione Spiritûs S. ex Patre & Filio occupantur; *Quartus* de diſcrepantiâ Græcorum in Ritibus agit. Item *Æneæ* (non *Pariſiacenſis* ut vulgò) *Pariſienſis* Urbis Epiſcopi, medio Sec. IX. Liber *de Erroribus Græcorum*, ſcriptus juſſu Nicolai I. editusque in eodem Spicilegio Lucæ D'Acherii, *Tomo* VII. & Editionis poſtremæ Conciliorum *Tomo* VIII. *col.* 476. In his *Ratramni* & *Æneæ* contrà *Græcos*; patet hos damnaſſe in Latinis, 1. Quod Spiritum S. aſſererent procedere, non à ſolo Patre, ſed à *Patre* & *Filio*. 2. Quod in *Sabbathis* jejunium exercerent. 3. Quod *Presbyterorum nuptias* damnarent. 4. Quod *Presbyteri* Latinorum inhiberentur frontes baptizatorum Chriſmate linire. 5. Quod à carnium eſu *octo* hebdo-

Digitized by Google

domadibus antè Paſcha, & *ſeptem* à caſei & ovorum, non ceſſarent. 6. Quod Clerici *barbas* raderent. 7. Quod *Diaconos*, nondum ſuſcepto Presbyteratûs officio, in Epiſcopos ordinarent. 8. Quod Principatum adſcriberent *Romanæ* Sedi, quum *Conſtantinopolit.* Patriarcha caput eſſet Dignitatis. 9. 10. Quod *Chriſma* ſuum, imò Dei, ex aquâ fluminis conficerent. 11. Quod *Agnum* ſimul cum Corpore & Sanguine, ſuper Altare ponerent. Et *quæſtiones* illas *longo ævo ventilatas* fuiſſe, docet Trullana Synodus, & ſuperiores Tractatus, tempore *Nicolai* I.

Circà Regimen, Primatum.

4. Quicquid aſſertum à ſcriptoribus iſtis Pontificiis, antè Photium exercuiſſe *Romanos Pontifices ſupremam poteſtatem*, ſub Chriſto & Petro, in Imperatores, Patriarchaſque totius Orientis, nemine repugnante, hic contra Lapis offenſionis fuit. Quid ſibi uſurparint Pontifices, indè à Bonifacio III. deinde à Conſtantino I. Gregorio II. Gregorio III. & ſucceſſoribus, non diſquiritur. Ut verò reſtiterint acerrimè Imperatores, quorum reſpexêre Majeſtatem Pontifices, ut parùm morati ſint Lateranenſem factum, decretave, ut reſtiterint Byzantini uſurpatæ poteſtati, retento à Conſtantinopolitano *Univerſalis* ſeu *Oecumenici* Patriarchæ titulo, ſuperiora noſtra abundè teſtantur, ad Seculum VII. & VIII. Certè hoc Ævo cum Papis conſpirare, antè Photium *Taraſius*, & *Nicephorus* Patriarchæ, idemque *Theodorus Studita Abbas*, jactante Baronio, ſed in causâ adversùs Iconoclaſtas, inſignes illi Iconoduli; ità *Ignatius* Patriarcha, in causa adversùs Photium, ut qui Papæ egeret patrocinio. Aſt verò in cauſis aliis reluctari iidem Romano, ut factum etiam ab Ignatio eſt in causâ Bulgarorum, de quâ infrà, & à Studitâ in causâ quam diſplicere Leoni III. Pontifici cognoviſſet, & in quem bilem ſuam effudit, ut videre eſt apud Baronium ipſum, ad An. DCCCVIII. *Num.* XXIX. Et abſurdè illi Viri, vel ob conſultos monitosve à Græcis Pontifices, aut ſcriptas à Græcis Synodicas, aut miſſam Profeſſionem Fidei, aut delegatos Romam Apocriſiarios, aut conſenſum Papæ expetitum ὁμονοίας ergò, quæſitamve cum Latinis concordiam, vel etiam ex auſis literiſve *Nicolai* I. *Hadriani* II. *Johannis* VIII. colligunt ſupremam, abſolutam, monarchicam Romani Epiſcopi in *Patriarchas Orientales* poteſtatem. Ità poſt Baronium ſuum, in recentioribus Leo Allatius, *Libro* II. C. IV. & paſſim in Libro de *Synodo Octavâ*, quâ tamen illatione nulla vanior eſt. Imò verò conſtans Græcorum hæc opinatio fuit, *cum Imperio Romano amiſſo, amiſſum quoque fuiſſe Primatum* Romani Pontificis, translatumque in Patriarcham Novæ Romæ. Docent vel quæ ex Doxopatrio, Cinnamo, Annâ Comnenâ, Emmanuele Rhetore, Nilo, Barlaamo, &c. ipſe citat Allatius, de Perpet. Conſenſione, *Capite* III. Libri *ſecundi*, à *pag.* 522. Et certè quantum deferrent auctoritati Pontificiæ Conſtantinopolitani, loquuntur diſſidia Græcorum in præfatis cauſis, puta de Imaginibus & annexis, de Spiritu S. de Symbolo, de Ritibus variis, deque Primatu ipſo; ac de poſtremo ipſe ille *Ratramnus* productus, à D'Acherio, *Æneas* Pariſienſis, productus in Conciliorum Tomis, ſcribens ſub Nicolao I. de quibus ſuprà. *Conqueruntur etiam* Græci, *de transmigratione principatûs Romanæ Sedis, quam dicunt factam Conſtantinopoli, undè & eam cum Patriarchâ ſuo Caput dignitatis appellant:* Et hinc Photiana tyrannidis Pontificiæ accuſatio, quæ dominatum ſibi in omnes Eccleſias vindicaret, & in alienas Diœceſes. Quam ſi criminationem demùm per Photium excogitatam dixerint, revincent falſi, præter Græcos, præter praxin Byzantinam hac & ſuperiori Ætate, ipſe Anaſtaſius Bibliothecarius, jam in Bonifacio III. *Quin Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat*, nempè antè ipſum Phocam, parricidam Mauricii Imperatoris.

De Schiſmate Photiano.

IV. Igitur non primùm diſſidere cœpit Oriens ab Occidente, Conſtantinopolitanus à Romano, vitio, ſcelere, contumacia, aut factis *Photii* in Sedem Patriarchalem ſcilicet intruſi. Quo de *Schiſmate Photiano* paucis, licet fuſiores nuſquàm Adverſarii, feceritque hoc Viri auctoritas, doctrina, ſcripta, meritum, & æmulatio Romanorum Pontificum, ſed & adverſa eorundem in *Photii* causâ Decreta. Adeò ut *Tomum* X. Annalium magnâ ſui parte, declamationibus in Photium, Photianaſque Synodos, compleverit Purpuratus, indè ab Anno DCCCLVIII. ut integrum de *Photianâ Synodo* volumen Romæ conſcripſerit Leo Allatius, adverſus Hottingerum & Creyghtonem: Nuperque Natalis Alexander in *Tomo* XVI. prolixam *de Photiano Schiſmate* Diſſertationem evulgarit, poſt varias, noviſſimaſque Maimburgii de *Schiſmate Græcorum*, paginas, narrationum fucum vel nominibus ipſis arguentibus ac ſcriptionis loco.

Origo Diſſidii.

1. *Origo* belli Photiani prima hæc fuit: Nempè *Ignatii* Eunuchi, qui filius Michaëlis Rangabes, (non ut Vir Doctus nuper ad Sec. IX. *Michaelis Balbi*) & quem Methodio ſuffecerat Theodora Ann. DCCCXLVII. remotio nec unâ de causâ à Sede Patriarchali, Bardæ Patricii & Cæſaris inductu, ac *Photii* perquàm inviti ſubſtitutio, coactâ *primâ* Synodo Ann. DCCCLVIII. tempore Nicolai Papæ, aſſurgente Gregorio Syracuſano, qui Ignatii pridem electioni reſtiterat. Fuiſſeque hunc Photium illuſtri loco natum, Taraſii nepotem, fratrem Sergii Patricii, cui Irene nupſerat ſoror Imperatoris; tùm fuiſſe dignitatibus pace belloque, domi foriſque eminentem, & tunc quidem Primum à ſecretis (πρωτοασηκρῆτις) Aulæ Conſtantinopolit. Virum ingenio portentoſum, miniſterio conſummatum, conſilio validum, doctrinâ incomparabilem, ſcriptis inclytum, vigiliis & laboribus infractum, *ut abſque contradictione omnium ſuæ ætatis virorum doctiſſimus in quovis genere præſtantium diſciplinarum, & capaciſſimus mente habitus fuerit*; ex Byzantinis Hiſtoricis, Georgio Monacho, Conſtantino Porphyrogenneto, J. Zonarâ, &c. ex Anaſtaſio ipſo, & ex Photianis Scriptis, ſumma Adverſariorum conſenſio eſt, ac prolixè Maimburgii in Proſopographiâ Photii, *Lib.* I. Hiſtoriæ Schiſmatis Græci. Jamque μυριόβιβλον ab ipſo conſcriptum fuiſſe antè Patriarchalem dignitatem, quum legatione in Aſſyriam fungeretur, ex ejus Proœmio intelligitur, quemadmodùm & ex Epiſtolis ad Nicolaum, procul ſe habuiſſe cauſas ambiendi Patriarchatum. Itaque inthronizationem Photii, ac depoſitionem Ignatii, *alterâ* Synodo confirmatam, mox indignè ferre Nicolaus Papa, quanquàm extra pomœria ſuæ poteſtatis; obtentu quoque *Laicatûs* in Photio, quem in Taraſio, & Nicephoro Patriarchis Pontifices tolerarant. Hinc legati Conſtantinopolim cum Literis miſſi, Rhodoaldus Portuenſis, & Zacharias Anagninus Epiſcopi, qui in cauſam inquirerent, faverentque Ignatio. Sed contrà his præſentibus, in aliâ Synodo Photianâ, (Græcis *primâ* & *ſecundâ*) An. DCCCLXI. coactâ ex CCCXVIII. Epiſcopis, de novo roborata eſt Photii electio, & Ignatii exauctoratio, ſubſcribentibus etiam Romanis, poſt cognitas abdicati Ignatii cauſas, quos *vi* ac *terroribus* inductos fuiſſe mentiuntur. Adi Acta Conciliorum, ipſumque in Byzantinis Zonaram, & Balſamonem, ac ſequens Lemma de *Synodis*.

Incrementum, ex Photii elect.

2. Indè belli *incrementa*, inter Photium & Nicolaum; ac *Legati* illi Romani malè mulctandi, excommunicandique, Photius condemnandus, Ignatius

Digitized by Google

tius reſtituendus, Synodus Græcorum *latrocinalis* appellanda, ejuſque Acta reſcindenda, ac novi Legati Conſtantinopolim decernendi. Factum in Synodo Romæ habitâ, Ann. DCCCLXIII. apud Baronium, & Tomo VIII. Concil. *col.* 774. & datis literis ad Orientales. Rursùs Michaël Imperator, ſcriptâ Epiſtolâ ad Nicolaum Papam, hominis perſtringere arrogantiam, & pudenda denudare Romanæ Sedis, undè *literæ* dicuntur *refertæ jurgiis & injuriis, detrectationibus atque blaſphemiis*, apud Annalium Scriptorem, ad A. DCCCLXV. N. LXXIII. Quo factum ut literas illas, invidendas poſteritati, aboleverit Roma, cum haud paucis id genus vetuſtatis monumentis; ſed ſervatâ reſponſoriâ Nicolai ad Michaëlem, quâ reprehendit Imperatoris *ſuperbiam*, *arrogantiam*, *inſolentiam*, additis *mandatis* de Ignatio & Photio Romam compellendis, *Epiſtolâ* VIII. inter illas Nicolai. Acceſſit *Encyclica* Photii ad Patriarchas, accuſatura & Pontificum tyrannidem, & Latinorum errores, innovationeſque varias, de quâ ſuprà; tùm & nova Synodus, ſtrictura in Nicolaum anathemata, ſcripto etiam eâ de re à Photio Libello, cum ſubſcriptionibus mille Antiſtitum Orientalium.

Photius cur abdicatus?

3. *Converſio* ſcenæ in Oriente, ſub Hadriano II. & Baſilio Macedone, Ann. DCCCLXVII. apparuit, illinc mortuo Nicolao, hinc ſublato Michaële Imperatore, parricidio Baſilii, antè à Michaële adoptati. Quo factum, ut Baſilius mox à Photio ſacris prohiberetur, tanquàm *ἀνδροφόνος, λῃστὴς, φονεὺς, τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἀνάξιος*, madens ſcilicet adhuc Sanguine ſui Domini, Imperatoris, ac verè Patris. Idque juxtà veterem diſciplinam, cujus erat callentiſſimus Photius, rei teſtibus Symeone Logothetâ in Baſilio, *Num.* v. Ed. Regiæ, Zonarâ de eodem *Tomo* III. Annalium, Georgio Monacho Edit. nuperæ Regiæ, pag. 544. referente etiam Georgii Hamartoli hac de re verba Leone Allatio, de Synodo Photianâ, *Cap.* XII. Quò & facit ipſa Photii Epiſtola, quæ eſt CXVIII. inter Photianas, p. 160. de inflammatâ *τῇ κρατούσῃ ὀργῇ imperantium irâ adversùs fideles*, quod *αἱμάτων καθαρὰς γλώσσας καὶ γνώμας ἐφύλαξαν*, *à ſanguine puras linguas & mentes conſervaſſent.* Et Auctor Anonymus, de Separatione Romæ Veteris ab Eccleſiâ Græcâ, ſæpè citatus Allatio: Βασιλεὺς διά τινας ὀρέξεις οἰκείας, *ὡς ἔθος τοῖς κρατοῦσι, τὸν Φώτιον καταβιβάσαντος, cùm Baſilius, motus propriis affectibus, ut Imperantibus accidit, Photium deturbaſſet*, &c. Id cauſæ ſatis Baſilio, metuenti ſibi alias à viro qui familiæ Michaëlis innexus eſſet, ut amoto Photio Ignatium revocaret. Quod verò factum fuiſſe volunt, *ad decretum* Nicolai Papæ, aut *poſtridie* à proclamato Baſilio, certè *tribus* poſt *diebus*, ut Allatius, & recentiores, habent ex infeſtiſſimis Photio Monachis; qualis præ cæteris *Nicetas Paphlago*, tacentibus hanc rationem temporis quoque Cedreno, Glycâ, Conſtantino Manaſſe. Et Conſtantinus Porphyrogennetus, in Baſilio Macedone, præmittit varia hujus Imperatoris huic Ignatii reſtitutioni, quam adſcribit *communi Synodo & conventui Præſulum.* Sed & Anaſtaſius Bibliothecarius, in Hiſt. Synodi VIII. *col.* 966. *Tomi* VIII. diſertè refert, Baſilium Imper. antè abdicationem Photii, *requiri* juſſiſſe Scripta omnia quæ præceſſerant in cauſâ Photii, *per omnes terrarum Orbis terminos directa*, eademque *inventa* legi, perpendique mandaſſe, ac tùm demùm *Photium Throno Conſtantinopolitano cedere perſuaſiſſe.* Exindè verò factum, ut Baſilius ad Nicolaum de totâ cauſâ & literas mitteret, & Legatos, qui inciderunt in Hadrianum II. jam ſuffectum Nicolao. Tandemque excepit Synodus Conſtantinopolitana, vulgò VIII. congreganda, ut illi, *volente jubenteque* Pontifice, ac præſidentibus in eâ novo exemplo Papæ Legatis, A. DCCCLXIX. undè de eventu facile judicium eſt. In quâ adeo Ignatii reſtitutio, & Photii abdicatio confirmanda, magno auctoritatis Pontificiæ, in Orientis illis partibus, incremento. Sed de hac Synodo, & Photianis, pluribus infrà, Capite *de Synodis* hujus Seculi. Intereà verò natâ de jurisdictione in *Bulgarorum* Eccleſias controverſiâ, inter Græcos ab unâ parte, & Hadrianum II. mox Johannem VIII. ab alterâ, eâdemque exaſperatâ factis Latinorum, Johannes tandem VIII. interminari Ignatio Patriarchæ reſtituto, ni intrà dies XXX. excederent Græci Bulgarorum finibus, anathematis ac depoſitionis pœnam, *Epiſt.* LXXVIII. & apud Baronium, Ann. DCCCLXXVII. Viciſſim *Baſilius*, irritatus Romani Pont. invaſione in ampliſſimas Ditiones, Græcis olim ſubjectas, memorque meritorum tanti Viri, & artium Romanæ Curiæ, propenſior fieri in Photium, reſtituendum ab Ignatii exceſſu, Anno DCCCLXXVIII. ut teſtes ſunt Byzantini, Leo Grammaticus, Conſtantinus Porphyrogenn. Zonaras, alii.

Photius reſtitutus.

4. *Conciliatio* exindè facta inter Photium reſtitutum, & Johannem VIII. vel IX. Romanum Pontificem, ſedentem ab Anno DCCCLXXII. Occaſionem dederunt literæ Baſilii ad Johannem, Concordiam inter utramque Eccleſiam ſatagentis, itemque literæ Photii & Orientalium. Accedebat, Photium per omnia probare damnatas Imagines, confirmatamque Synodum Nicænam, in priori Synodo, vulgò VIII. cui præſederant Legati Hadriani. Metuebat etiam *Johannes*, ne exacerbatus Imperator, aſperiora in Romanam Eccleſiam moliretur, exemplo anteceſſoris Michaëlis. Adhæc concordiæ cum Orientalibus momentum noverat, ut ità *Bulgaros* Romæ faciliùs concederent. Sed & nimia in Photium odia, quibus antè oppreſſus eſſet vir tantæ exiſtimationis, intelligebat iſte Pontifex. Intendebat quoque hoc præcipuum, ut Photius agnoſceret *gratiam miſerationemque* Pontificis, ſunt verba Johannis, atque ità in Conſtantinopolitanum exerceret quandam Ἐξουσίαν. Undè habitâ *Synodo* Romanâ ſub Johanne, Ann. DCCCLXXIX. decreti Conſtantinopolim legati, addito *Commonitorio* ad Paulum & Eugenium ablegandos; in quo inſtruuntur mandatis Pontificiis, pro reſtituendo Photio *ſanctiſſimo Patriarchâ*, *fratre* & *comminiſtro ſuo*; pro reconciliandis Eccleſiæ Orientalibus, qui antè abſciſſi eſſent; pro abolendâ Synodo anti-Photianâ, ſub Hadriano II. pro urgendâ Romanæ Sedis in Bulgarorum Eccleſias juriſdictione, &c. Habetur Latinè apud Baronium, & in *Tomo* IX. Concil. *col.* 322. Acceſſerunt *Johannis* literæ complures ad Baſilium & Filios, ad Clericos Conſtantinopolit. ad Photium, quibus omnes *uno voto*, *uno conſenſu*, *unâ concordiâ* conſenſiſſe in reſtitutionem Photii, adſerebat, inſertæ illæ Epiſtolis Johannis, *T.* IX. Conc. Atque ità factum ut in Synodo Conſtantinopolitanâ, quæ Græcis verè eſt Oecumenica VIII. Epiſcoporum CCCLXXXIII. A. DCCCLXXIX. convocante Imperatore, præſentibus Legatis Romani Epiſcopi, & Orientalium Sedium, cùm reſtitueretur Photius, tùm etiam excommunicarentur, qui cum Photio non communicarent; reprobatâ Synodo priore quæ Latinis VIII. ſed & additione vocis *Filioque* è Symbolo expungi juſſâ. Et Acta hujus Synodi, Græcè conſcripta, & in Vaticanâ aliiſque Bibliothecis repoſita, probataque primò Johanni, ex *Epiſtolis* CCL. CCLI. *Tomo* IX. Concil. certè quoad *reſtitutionem Photii*, premunt ut poſſunt Latini, ſolo *titulo* in Tomis Conciliorum expreſſo, cum Notis Severini Binii. Nec mirum, dùm contentis viribus in eam Synodum invadunt, ut *Photianam*, ut iniquam, ut non ſervantem leges juſti examinis, ut nec Johannis decreta & ſtipulata peragentem.

Con-

Digitized by Google

Contrà Græcorum æquiora de eâ Synodo judicia habes vel apud ipſum Allatium, de Synodo Photianâ, *Cap.* IX. & aliàs, excerpta etiam Martino Hankio, de Byzantinis Scriptoribus, Parte I. Capite XVIII. *Num.* CLXXV. ubi & judicia Latinorum. Adde Zonaram, & Balſamonem, qui primam Photianam, ſub Michaële, & hanc ſub Baſilio Macedone, ut in idem conſpirantes, mediâ *Hadrianeâ* expunctâ, vocant Synodum πρώτην ϗ δευτέραν *primam & ſecundam*, Græcis approbatas.

Nova in Photium perſec. 5. Nova adversùs Photium mox tempeſtas excitata. Nempè primò oppoſitione ipſius *Johannis* Pontificis, poſtquàm cognovit Græcos non ex voto ſuo decreviſſe. Cauſa duplex, 1. Quod reſtitutione Photii à ſe approbatâ, ſperaverat ceſſurum eſſe Photium Romano Patriarchæ juriſdictionem *in Bulgarorum* Eccleſias. 2. Quod adductus fuiſſet in eam ſpem fore, ut primatum Romani, non honoris illum tantùm, & ordinis, ſed etiam poteſtatis, reſpicerent Græci. Fefellit Johannem expectatio. De *Bulgaris* decretum *Action.* III. ut ea res ad Imperatorem deferretur cujus ageretur cauſa, quia de Imperii Orientalis terminis. De Juriſdictione utriuſque Patriarchæ, Romani & Conſtantinopolitani, decretum *Actione* V. ne de utriuſque privilegiis quicquam μηδὲν τῶν προσόντων πρεσβείων, *innovaretur neque nunc, neque inpoſterum*; atque adeò Romanus Pontifex judicare vel abſolvere non poſſet, quos Photius Clericos vel Laicos ſubjeciſſet anathemati, & viciſſim. Ità æqualis utriuſque poteſtas definita, in Sedi ſuæ ſubjectos, & independens, præciſis appellationibus ad Romanum, quod in *primum Canonem* abiit. Ab eo tempore, & à vindicatâ Græcis juriſdictione in Bulgaros, ac reſciſſis à Synodo quæ per Nicolaum & Hadrianum, ut malorum diſſidiorumque cauſas, acta antè fuiſſent ac decreta, accedentibus Latinorum pertinacibus in Photium odiis, nihil mirum *Johannis* imminutam voluntatem in Photium; Poſt Johannem verò, anathemata de novo projecta à *Marino*, olim Legato Nicolai I. Hadriani II. & Johannis VIII. adversùs Photium; tùm à conjuratis in eundem *Hadriano* III. *Stephano* VI. *Formoſo*, *Bonifacio* VI. *Stephano* VII. &c. teſtibus Actis Conciliorum, Epiſtolis Pontificum, Breviariis Synodicis, Zonarâ, &c. Adeò ut Binius, Photium à XII. Papis damnatum, Allatius ex Breviariis Græcorum à IX. Pontificibus, vociferentur. Satiſque illud cauſæ fuit, ut Photius, ipſi Maimburgio anteà *prodigium naturæ & artis*, deinceps audire, *execrandum ſceleribus caput*, *perfidus*, *falſarius*, *ſacrilegus*, *ſacrorum profanator*, *invocator Dæmonum*, *Magus inſignis*, *hypocrita ſceleſtus*, *parricida deteſtandus*, *immane monſtrum*, & quibus aliis floribus adſpergunt, poſt tot conjuratos, Baronius, & Maimburgius, de Schiſm. Græcorum *Lib.* I. p. 20. 21. Acceſſit invidia quâ flagravit Photius apud *Leonem* vulgò Sapientem, Baſilii ſucceſſorem, nefariæ quippe conſpirationis ab hoſtibus ſuis poſtulatus, dum frigidam ſuffunderet Stephanus VI. Pontifex. Undè tandem pulſus Patriarchatu, ex voto Pontificum, ſufficiendo autem per Leonem fratre ſuo *Stephano*, quæ non ultima cauſa deponendi Photii. Atque ità in Monaſterium relegatus eſt *Photius* circà An. DCCCLXXXVI. in quo reliquum vitæ tempus exegit; honeſtâ Viri ſepulturâ apud Cedrenum, Joh. Scylitzam, Georgium Monachum, Byzantinos alios.
Allatius not. Sed falſiſſimum iſtud Leonis Allatii, & ſequacium, cum Photii remotione *ſchiſma* fuiſſe *extinctum*, aut ſubjectam fuiſſe Conſtantinopolim Romæ, ac *reliquos* (poſt Photium) *Græcos Pontificem Romanum, illiuſque ſucceſſorem quemvis, tanquàm rei Eccleſiaſticæ moderatorem*; Eccleſiæ adeò Monarcham *agnoviſſe*, ſic Leo de Perpet. Conſ. *Lib.* II. C. VII. Contrà hæſerunt altè diſſenſionis ſemina, fovenda per *Nicolaum Chryſobergen*, per *Siſinnium*, *Sergium*, Patriarchas alios, poſt Photium Latinis infeſtos cum Oriente toto. Magis verò eruptura in nervum fuerunt ſub *Michaële Cerulario*, ſeſqui-ſeculo poſt Photium, quum Leo IX. Pontifex utriuſque Eccleſiæ fruſtrà unionem moliretur. Intereà effluxêrunt Romæ libidinum, otii, ignorantiæ, ac mollitiei tempora, ſub portentis Pontificum.

6. Ac mirum dictu eſt, quàm imponant in hac omni cauſâ *Photianâ*, cùm veteres Græculi, in Photium conjurati, ac cum Latinis conſpirantes, quorum ſunt ſtudioſè aſſervata Romæ monumenta, tùm recentiores Pontificii, Genebrardus, Baronius, Binius, Bellarminus, Spondanus, Allatius, Scoglius, Maimburgius, Nat. Alexander, & ὁμόψηφοι. Baronius cum ſuis notat. Si quæ Latinis adverſa Scripta, Photianæ autem cauſæ, Græcorumque juribus propitia, fuêre in Romanorum poteſtate; *abolenda ea igne* ad unum omnia, non uno Pontificum decreto, uti in Synodo Romanâ ſub Hadriano II. *Photii volumen contrà Nicolaum igni adjudicatum eſt.* Quod vel intrà Conſtantinopolim ipſam ut fieret urſerunt, ex Actis Conſtantinopolitanæ VIII. latrocinalis, cui Hadrianus per ſuos præfuit; quando Acta Synodi primæ Photianæ *penitus abolenda* decernebantur, *ità ut igni voranda traderentur*, Act. VII. *Cap.* I. in Tomo VIII. *col.* 1093. E contrà ſoli teſtes in hac omni lite à Viris nuperis, poſt Annalium Scriptorem, adhibendi, tollendique cœlo, tanquàm ἀξιόπιστοι, cognoſcuntur eſſe Græculi efferati in Photium, Ignatianæ factionis, & quorum rabie fera corda tument, nuſquàm ab illis ipſis diſſimulandâ. In iis *Nicetas*, *David* Paphlago, *Metrophanes* Smyrnæus, *Stylianus* Neocæſarienſis Epiſcopus, *Theognoſtus* Monachus, quorum perpetuò teſtimoniis Photium obruunt Viri cati, internecina eorum adversùs Photium odia reticent. Accedit Photii accuſatoribus opportunus teſtis *Anaſtaſius*, Romæ ſcribens eo ipſo tempore, quo vibrata in Photium fulmina, & anathemata ſtricta. Addunt *Nicolaum* I. *Hadrianum* II. & III. *Marinum*, *Formoſum*, Pontifices alios, ipſumque *Leonem* Imperatorem, à quibus perſecutio in Photium, nonnullis & horum Pontificum olim Apocriſiariis, pro Photio exturbando. Rursùs quicquid pro cauſâ ſuâ *Photius*, quicquid in favorem ejuſdem, aut Synodi VIII. Photianæ *Conſtantinopolitani* Patres, quicquid *Libellus Synodicus*, quicquid *Hamartolus*, *Alexius Ariſtenus*, *Zonaras*, *Balſamo*, *Nilus* Rhodi Metropolita, *Nilus Theſſalonicenſis* alius, *Symeon* itidem Theſſalonic. *Joſephus Bryennius*, *Nilus Damyla*, *Macarius Ancyranus*, *Matthæus Blaſtarius*, *Anonymi* plures, etiam ἀνέκδοτοι, memorati ipſi Allatio, & in *Tomo* IX. Conciliorum; protinùs Viris illis audiunt *nugæ*, *ſtultitia*, *mendacia*, *monſtra*, *inſanientium* voces, & hominum *infimi nominis*, qui *rerum ignari*, &c. Sexcenta id genus legas apud Baronium, & Leonem Allatium, in hiſtoriâ Photianâ. Sed quid iidem de Johannis VIII. *Commonitorio*, dato Legatis ſuis, itemque de Johannis *Epiſtolis*, & Actionibus *Synodi* VIII. pro reſtitutione Photii, & abolitione Synodi VIII. Hadrianeæ, & expunctione vocis *Filioque* è Symbolo? Audacter jam illi Viri, Commonitorium illud *à Photio impoſtore falſatum*, *Photianis artibus conceptum*, *dempta à falſario alia*, *alia addita*; ità Epiſtolas ſub Johannis nomine *à Photio eſſe corruptas*, *non iſta Johannem ſcripſiſſe*, *edixiſſe*, &c. Et ità Synodum Photianam poſtremam eſſe *commentitiam*, *ementitam*, *Codices falſatos*, *Actiones falſas*, *ſuppoſititias*, omnes illas videlicet in quibus adverſa leguntur Synodis Romanis, & Synodo VIII. contrà Photium. Scilicet! tot falſi crimina admittere in publicâ luce ſuſtinuit Photius! Et quidem præſentibus Papæ Legatis, ſuperſtite ipſo Johanne VIII. contrà fidem Archivi Romani, ſed & Actorum

Con-

Conſtantinopolitanorum; dùm Photius in ipſo Oriente à Nicetâ, Styliano, Metrophane, & Ignatianæ factionis viris innumeris, diligentiſſimè obſervaretur! Et ubi: Codices verè authentici, qui falſarias manus arguant Photii & Photianorum? Num etiam iis fraudibus tutior fuiſſet cauſa Photii? Qui certè illis nullus indigeret, tutus patrocinio Baſilii Imperatoris, & poſtremæ Synodi Conſtantinopolitanæ, à quâ reſtitutum fuiſſe nemo negat, & ex ipsâ Johannis VIII. *Epiſt.* CCLI. ex Libellis Synodicis, Symeone Logothetâ, Zonarâ, Balſamone, &c. ſatis conſtat. Et reperti ſint variantes *Codices*, ſeu Commonitorii, ſeu Epiſtolarum Johannis, ſeu Synodi VIII. pro Photio, ſit diſcrimen inter Latina exemplaria, & Græcam tranſlationem quæ dicitur Photii, ſint detracta quædam, mutata, addita! Equidem nota fraus eſt, nota manus, nota indoles Romanæ Curiæ, ſed & Græculorum illi ſervientium; poſtquàm Johannis VIII. omnia, in cauſâ Photii, per ſucceſſores Romæ abolita fuêre.

Quod denique Baronius, Binius, Allatius, Maimburgius, Natalis, contendunt *Johannem* VIII. mox à Synodo *Photium excommunicaſſe*, nullis certè Johannis Epiſtolis, nullâ ſub Johanne deinceps Synodo, confirmatur, ſed Formoſi Papæ unâ *Epiſt.* ad Stylianum. Marinum ſanè ablegavit poſteà Johannes in Orientem, ſed ut emendarentur, ſi poſſent, quæ contrà Johannis intentum acta in eâ Synodo. At de reſtitutione Photii, in Johannis *Epiſt.* CCL. ad Photium, & CCLI. ad Auguſtos; Se *ea quæ pro cauſâ reſtitutionis Photii, reverendiſſimi Patriarchæ, Synodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta eſſent, recipere*: Sed non recipere ſe ea quæ legati *contrà Apoſtolicam præceptionem egiſſent*; puta in cauſâ Bulgarorum, aut in præjudicium appellationum ad Romanum.

De Bulgaris.

V. De controverſâ in *Bulgarorum* Eccleſias juriſdictione, verbum addimus, quorum converſionem dicebamus ſuprà *Cap.* II. Sedes illis tum quidem, intrà Savum amnem ab Occaſu, Danubium à Septentrione, Macedoniam à Meridie, Thraciam ab Oriente; ubi olim Prævalis, pars Macedoniæ, Dardania, Mœſia ſuperior, quæ ſub Vicario Daciæ, hodie pars *Boſniæ*, *Serviæ* ſeu *Myſiæ*, & quæ *Bulgariæ* nomen retinet. Atque adeò I. Spectaſſe ad Provincias Orientalis Imperii, ut partem Illyrici Orientalis; ex priſtinâ etiam lege Theodoſii, & ex ipſo locorum ſitu Conſtantinopolitano eſſe obnoxiam; meritò Græci contendebant. 2. Satiſque prætereà Provinciarum fuiſſe avulſum ab eo Imperio, factis Romanæ Sedis. 3. Nuper etiam Michaëlem Bulgarorum Regem à Græcis fuiſſe baptiſmo tinctum, & Chriſtianiſmo initiatum. 4. Sed & Græcos olim in his regionibus præfuiſſe Sacerdotes, quum eas invaderent Bulgari, hi ipſi fatebantur. Contrà Latini: I. Fuiſſe has olim ſub *Theſſalonicenſi* qui Vicarius Sedis audiit jam Seculo V. certè ab Ann. CCCCXXI. 2. Bulgaros ſemet ultrò ſubjeciſſe Sedi Apoſtolicæ, mox à converſione, conſulto primùm Nicolao per Bulgarorum Regem Michaëlem, Ann. DCCCLXVI. petitiſque ab eo Præſule, & Sacerdotibus. 3. Jam per *triennium* exercuiſſe in Bulgarorum Eccleſias juriſdictionem ſuam Romanum, uſque ad extrema Synodi VIII. An. DCCCLXX. quando apparuêre in Urbe Regiâ legati Bulgarorum. Hæc *momenta* cauſæ, ex Anaſtaſio, ſeu Guilielmo Bibliothec. in Vitâ Hadriani II. ex Præfat. ad VIII. Synodum, ex Platinâ, & Græcis. Undè miſſis à Michaële Rege Legatis ſuis Conſtantinopolim, ubi Vicarii adeſſent Patriarchalium Sedium, Ignatio tùm reſtituto, cauſa inter Legatos Romanos, & Græcos diſceptata eſt. Eventus fuit, exacerbatio utrimque nata, Romanis pro auctoritate detrectantibus judicium Græcorum, Græcis contrà pertinacibus, videl. *Bulgarorum regionem*, olim partem Imperii Græci, uſamque Græco Sacerdotio, per ſolum adeò Paganiſmum avulſam à Græcorum juriſdictione, eſſe *eidem Imperio*, à converſione ſuâ, & adoptato rurſùm Chriſtianiſmo, reſtituendam. Quod & factum, miſſis protinùs ab Ignatio Conſtantinopolitano Græcis Sacerdotibus, ac pulſis Latinis per Bulgaros, poſt perſpectam Romani tyrannidem. Undè Hadriani II. & Johannis VIII. in Baſilium Imperatorem, & Ignatium Patriarcham, dein & in Photium indignatio, de quâ ſuprà. Primus autem Bulgaris & Acridenſi Sedi (quæ olim Juſtiniana Prima) Archiepiſcopus datus fertur *Theophylactus*, nec is tamen qui in Euangelia, Epiſtolas, ſed & Prophetas XII. commentatus eſt, ejuſdem Sedis Archiepiſcopus Seculo XI. Hæc eò diſtinctiùs, quod totis Voluminibus abjectiſſimum in modum Orbi imponitur, venturiſque nepotibus. Hiſtoriam Photii diligentiſſimè perſecutus eſt Martinus Hankius, V. Cl. *Parte* I. de Script. Byzantinis, & nos de ejuſdem Scriptis quædam infrà, *Cap.* XIII.

XII. *Concilia hoc Seculo celebriora indicata. In Oriente alia, alia in Occidente, & quibus de cauſis. Pluribus de tribus Synodis Conſtantinopolit. vulgò Oecumenicis.*

Frequentia Synodor. hoc Sec.

I. Feraciſſimum cumprimis hoc Seculum fuit, uti graviſſimorum eventuum, in Republicâ & Eccleſiâ, atque acerrimarum contentionum, in Orbe utroque, ex ſuperiùs enarratis, ità etiam *Synodorum* ac *Conventuum*, iis potiſſimùm de cauſis indicendorum. Quorum jam ſeriem, & Acta, quandoque licet interpolata, aut Binianis, Labbeanis, ſimilibuſque obſcurata Notis, Canonum ac Capitulorum exhibent Collectiones, & Tomi Concilior. VII. VIII. IX. Editionis Labbei & Goſſartii, præter Concilia Gallicana Sirmondi, Spelmanni Britannica, Romana Holſtenii, Ann. 1662. Undè ſatis hoc in loco mihi fuerit, indigitaſſe ſimpliciter *loca*, *tempora*, *cauſas*, præcipuorum ſeu in Oriente, ſeu in Occidente Eccleſiaſticorum Conſeſſuum; dùm materias principes in iis pertractatas ſuis ſub Titulis exponimus.

In Occidente.

In *Occidente* ſanè frequentiſſimæ ac penè ſine numero Synodi, in *Galliâ* cumprimis, *Italiâ*, *Germaniâ*, *Britanniâ*, dùm Hiſpanias magnam partem, & Africam jugo ſuo opprimerent Saraceni. Has verò pleraſque Synodos, indictas fuiſſe juſſu *Imperatorum*, *Regumque*, certè in gravioribus cauſis, vel etiam *Metropolitanis* Provinciarum, nullâ expectatâ juſſione, vel auctoritate Pontificum, quæcunque iis ſignificatio fieret, cum Acta docent, tum Chronica & Annales, nec diffitentur in Galliâ ipsâ Sirmondus, de Marca, Baluzius, Thomaſſinus, Mabillonus, Maimburgius, ac Regiorum jurium aſſertores. Quin *Romana* quandoque Synodi juſſu Imperatorum habitæ, uti illa ſub Leone III. præſente Carolo M. in quâ Pontifex ad purgationem, ſollemni formulâ, compulſus, An. DCCC. Sic altera ſub Eugenio II. Ann. DCCCXXIV. quando Lotharius Imperator, miſſus Romam à Patre, habitâ Synodo ſtatum Reip. & Eccleſiæ compoſuit, in *atrio Petri*, editis Imperatoriâ auctoritate *Conſtitutionibus*, quas exhibet Holſtenius, Collectionis Romanæ, P. II. p. 208. Ità ſub Leone IX. Synodus, Ann. DCCCLIII. quæ in *Breviario* ſub Luitprandi nomine, apud eundem Holſtenium, *pag.* 121. dicitur habita *conſilio Impera-*

ratorum Lotharii & Ludovici, ſed conſilio quod mandati vice fuit, quatuor Auguſtalibus in eâ Synodo Legatis. Et quid verò mirum, dùm eo adhuc tempore *obſequii* profeſſionem ederent ſolemni ritu Pontifices, ut factum à Leone IV. *De Capitulis vel præceptis Imperialibus irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valerent, Chriſto propitio, & nunc & in ævum!* Quod ab Ivone, ab Auctore Pannormiæ, niſi ipſe hic Ivo eſt, à Gratiano, exhibitum fragmentum Epiſtolæ Leonis, ipſis cordatioribus Pontificiis laudari, ac nuper Baluzio, Maimburgio, Nat. Alexandro, alibi monetur.

In causâ Doctrinæ. II. Occidentalium porro Synodorum variæ, *Doctrinæ* expendendæ, medicandæ, ſtabiliendæ causâ, congregatæ. In iis memoranda præ reliquis Synodus, vel *Conventus Pariſinus*, in causâ præcipuè *Imaginum*, indicta auctoritate Ludovici Pii, A. ferè exeunte DCCCXXIV. Occaſio fuit, legatio Michaëlis Balbi, ad Ludovicum conqueſti cùm de immani Superſtitione Iconolatrarum in Oriente, tùm de calumniis Schiſmaticorum, qui indè ad Romanum Pontificem transfugiſſent, intercederentque illi Concordiæ quam Michaël, Leonis Armeni exemplo, ſtabilitam optaret, ex Eginhardo, Annalibus Francorum, Continuatore Aimoini, &c. Et quanquàm *Acta* hujus Pariſini Conventûs, à quo ſententia Caroli M. & Synodi Francofurtanæ, contrà *cultum Imaginum*, & *Pſeudo-Nicænos*, prolixo ſcripto confirmata fuit, deſiderentur in Collectione Conciliorum; tamen de illo Conventu, deque ejus deciſione, adversâ *Imaginum adorationi*, ſumma conſenſio eſt Petavii, Sirmondi, Mezeræi, Baluſii, Maimburgii, & hujus Cenſorum, &c. Undè in alia atque alia ab hodiernis Iconodulis itum eſt, poſt Baronianas offucias, atque invectivas, ut iſti Conventui (cui præclariſſima interfuère totius Galliæ lumina, & Præſules Lugdunenſis, Senonenſis, Aurelianenſis, Cameracenſis, Trevirenſis, Lexovienſis, &c.) detrahant auctoritatem. Quâ de re Hiſtoria noſtra Imaginum Reſtituta, adversùs Maimburgium, & Natal. Alexandrum, *Sect.* IX. poſt ea quæ adversùs Baronium, Bellarminum, Binium, Cl. Dallæus de Pariſino hoc Conventu obſervaverat.

Ita in quæſtionibus de *Proceſſione Spiritûs S.* & *additione* ad Symbolum, de *Prædeſtinatione Duplici*, & annexis Capitulis, adverſas contrariaſque habitas fuiſſe Synodos; puta Romæ ſub Johanne VIII. vel IX. ità in Galliâ & Germaniâ, occaſione Godeſchalci, cui favit Eccleſia Lugdunenſis, Synodus Valentina III. &c. ſuperiora *Capita* docuerunt, præcipuè X. & XI.

In causâ Diſcipl. III. Plures verò longè Synodi indicendæ fuerunt in causâ collapſæ *Diſciplinæ*, reformandis Epiſcopis, Canonicis, Abbatibus, Monachis, Monialibus, Clero univerſo. Quò ſpectaſſe imprimis curas Caroli M. tùm & Ludovici Pii, exponendi hinc odio Gallicani Cleri, & Pontificis, poſteà & illas Lotharii, Caroli Calvi, uti in Angliâ Alfredi Regis, docent *Capitularia*, de quibus ſuprà, C. III. & *Canones* Synodorum quæ ſub his Principibus coactæ, Tomis VII. VIII. IX. & apud Sirmondum, Spelmannum, Holſtenium. Prolixè has Synodos recenſet, *inſtauraturas Diſciplinam*, nuperus compilator Natalis Alexander, *Tomo* XV. C. IV.

In iis verò Synodis alia *ſaluberrimè* conſtituta; uti adversùs neglectum Scripturarum, ſacræ lectionis, & inſtitutionis, Diſciplinæ veteris, publicæ Pœnitentiæ, &c. adversùs Simoniam, concubinatum, inceſtum, uſuras, luxum, ebrietatem, rixas, rapinas, oppreſſiones orphanorum, viduarum, avaritiam Cleri, ſeculares negotiationes, excommunicationes temerarias, ſuperſtitiones varias, quas inter examen Crucis, Aquæ, Olei ferventis, Ferri candentis, &c. Alia decreta *ſuperſtitiosè*, de ſolemnibus Miſſarum, de Litaniarum ac Cantionum officiis, de Feſtis novis, de Jejuniis, de Peregrinationibus, de Unctione infirmorum, de neceſſario Cælibatu, etiam *ſi qui inviti eſſent tonſurati*, de Gradibus perperàm prohibitivis matrimonii, de obſervantiis variis Monachorum, Monialium, ſexcenta id genus. Quandoque de *minutiis*, indignis hujuſmodi Conſeſſibus, habiti Synodales Conventus, v. gr. de tempore *phlebotomandi* Monachos, aut *radendi*, de non comedendis *volatilibus*, *pomis*, *lactucis*, &c. de *cuculli menſurâ*, de *pinguedine* ad victum quotidianum, & quæ id genus legas in Capitulis Conventûs Aquiſgranenſis, Anni DCCCXVII. ſub Ludovico Pio. Ità leviores ſæpè pœnæ, aut pœnitentiæ injunctæ, graviſſimè lapſis, pollutiſque inceſtu, fornicatione, homicidio, id genus delictis. Ità purgatio à crimine furti, veneficii, ſimilibus, injuncta aliquando, quæ fieret *Sumendo Corpus & Sanguinem Domini*, quo facto innocui publicè habebantur, perituri tamen *cum Judâ irremediabiliter*, ſi ſibimet conſcii ſceleris. Sic in Synodi Wormatienſis Anni DCCCXVIII. Canone XV. & in Cabilonenſi decreto An. DCCCXCIV. quo *Gerfridus* quidam Monachus, ſuſpectus veneficii, *Corporis Chriſti & Sanguinis examine*, *à flagitio divulgato publicè expiari jubetur*, Tomo IX. Conc. *col.* 438.

IV. Aliæ etiam Synodi coactæ hoc Seculo, occaſione litium & contentionum quæ inter Patriarchas, Metropolitanos, Epiſcopos, Abbateſve, aut quæ cum iiſdem natæ, in causâ *regiminis* & *jurisdictionis*. In causâ Jurisdict. Ità Gallicanos Conventus exercuerunt, diſſidia inter Hincmarum *Laudunenſem*, ſeu juniorem, & Hincmarum *Rhemenſem* Archiepiſcopum, jura Regia adversùs nepotem, ſed & Pontificem, aſſerturum. Sic inter Rhemenſem eundem *Hincmarum*, & *Rothadum* Sueſſionenſem Epiſcopum, deponendum Hincmari ſtudio, reſtituendum à Nicolao I. Pontifice: Inter *Wenilonem* Senonenſem, & Synodi *Tullenſis* Patres, An. DCCCLIX. in Villâ Saponarias, dùm ille à Carolo Calvo ad Ludovicum fratrem, Germaniæ Regem, clandeſtinis conſiliis defeciſſet: Inter *Bituricenſem* Patriarcham, & *Narbonenſem* Eccleſiam, in quam iſte ſibi nimiam jurisdictionem arrogaret: Sic causa *Wulfadi* Bituricenſis, & *ſociorum*, qui ab Ebbone Rhemenſi ordinati fuerant, deinceps ab Hincmaro ſucceſſore ſtatione moti, agitanda fuit in Synodo Sueſſionenſi III. Ann. DCCCLXVI. Hujuſmodi contentiones de Jurisdictione, frequentes in *Britanniâ*, quæ ferè ſolæ materia fuère Synodorum, apud Spelmannum, & Britannicarum rerum ſcriptores: In *Germaniâ*, v. gr. inter Colonienſem & Hamburgenſem, de ſubjectione Eccleſiæ Bremenſis, Formoſo Pontifice, Ann. DCCCXCV. In *Italiâ*, inter Romanum & Johannem Ravennatenſem, negantem hunc appellationes ad Pontificem; ità Synodi in causâ Formoſi, ſub Johanne VIII. & ſucceſſoribus, &c. Aliæ plures, in *Orbe* utroque, habitæ Synodi in causâ *Photianâ*, & *Ignatianâ*, cui implicita fuit illa *Gregorii Syracuſani*, ab Ignatio deponendi, in Concilio Conſtantinop. An. DCCCLIV. Ità Synodos utrimque exercuit contentio de jurisdictione in *Bulgarorum* Eccleſias; quibus de litigiis in ſuperioribus quantum hoc loco ſatis, monitum fuit, præcipuè *Cap.* VII. IX. XI.

In causis Regum, Imperat. V. Rursùm complures Synodi reſpexerunt cauſas *Imperatorum*, *Regum*, *Principum*, quæ tùm auctoritas fuit Cleri *Romani*, rapientis omnia ſuum ad Tribunal; aut Principes inducentis ut *Synodali* judicio cauſas ſuas committerent, ſeque in Synodalia conſtituta obſtringerent. Adeò etiam ut in Conventu ad *Compendium* Palatium, Ann. DCCCXXXIII. *Ludovicus Pius* Pœnitentiæ publicæ addiceretur, deponendo habitu Regio, nefariâ Pontificis & Cleri con-

conſpiratione, cum perduellibus Filiis Ludovici. Sed idem Ann. DCCCXXXV. in Conventu ad *Theodonis Villam*, conſenſu Epiſcoporum reſtituendus, ſimul abdicatis Ebbone Rhemenſi, & Agobardo Lugdunenſi, Lotharianæ factionis Præſulibus. Ità magnoperè exercuit Romanas Gallicanaſque Synodos cauſa *Lotharii* Imperatoris, de quâ ſuprà in Nicolai tyrannide, ob repudium *Theutbergæ* conjugis, ductâ Waldradâ pellice: Cui divortio favebant inter alios Colonienſis & Trevirenſis Epiſcopi; in Synodo Romanâ hoc ipſo deponendi, Nicolao I. Pontifice. Sic *Carolus Calvus* Ann. DCCCXLV. in Synodo *Bellovacenſi*, quando Hincmarus Rhemenſi Dioceſi præfectus eſt, coërcendus fuit VIII. Capitulis, adigenduſque ſolemni promiſſo in obſervantiam legum Eccleſiaſticarum, & in decreta ſuorum Epiſcoporum. Rursùs *Calvi* cauſam adverſus Hadrianum II. invadentem (ut ſuprà *col.* 1359.) in perſonam & jura tanti Principis, occaſione Hincmari Laudunenſis, qui Romam appellaverat Majeſtatis accuſatus, tuitæ ſunt Gallicanæ Synodi, ac præ cæteris Concilium Duziacenſe I. Provinciæ Rhemenſis, Ann. DCCCLXXI. Pro quo Apologiam ſcripſit Ludovicus Cellotius Jeſuita, & pro Carolo Calvo Rege, adverſùs Baronianas contumelias, additis prolixis ad Synodum Notis, inſertis quoque *Tomo* VIII. Concilior. à *col.* 1702. Ità *Carolum* eundem, in Lotharii defuncti Regno, ut legitimum Succeſſorem, contrà Ludovicum II. Imperatorem, ſed & Hadriani II. decreta, confirmavit Synodus Metenſis An. DCCCLXIX. de quâ & Annales Bertiniani ad eundem Annum. Quò ſpectant Synodi aliæ, coactæ ex natis inter Reges diſſidiis, regnandi causâ. Talis Synodus Ann. DCCCLIX. celebrata, apud Saponarias in Suburbano Tullenſi, (cui *tres Reges* interfuerunt, *Carolus Calvus*, & nepotes duo *Lotharius* & *Carolus*, filii Lotharii Imperatoris) præcipuè adversùs *Wenilonem* Senonenſem, qui auctor ſuis fuerat defectionis à Carolo Calvo ad Ludovicum fratrem, pro parte Regni Carolo Calvo ſubripiendâ, & transferendâ in Ludovicum. Mox Anno ſequente, DCCCLX. apud Caſtrum *Confluentinum*, habitâ Synodo, pax ſancita inter V. *Reges* Ludovicum, & Calvum fratrem, ac tres nepotes Ludovicum, Lotharium, & Carolum, de quâ Annales Bertiniani, ad præfatum Ann. Sirmondus T. III. & Tomo VIII. Concil. *col.* 698. Hæc ſpeciminis loco, nunc de famoſis quibuſdam in Oriente & Conſtantinopoli Conciliis.

Concilia Conſtantinopol. tria.

VI. Cumprimis verò celebrantur *Conſtantinopolitana* Concilia tria, in Causâ præcipuè Photii & Ignatii, de quorum auctoritate, Græcos inter & Latinos, hoc Seculo & deinceps litigatum. Præceſſerant nempè Conſtantinopoli; 1. *Ignatii*, filii Michaëlis Rangabes electio in Patriarcham, Anno DCCCXLVII. poſt exceſſum Methodii; intercedente huic electioni, cum aliis, Gregorio Asbeſtâ Syracuſano Epiſcopo, ut ipſe inter cæteros Anaſtaſius in *Hiſtoria* VIII. Synodi. 2. Depoſitio *Gregorii* Syracuſani, ex affectu quodam Ignatii Patriarchæ in eum Epiſcopum, Throno Conſtantinopolit. tunc ſubjectum, habitâ Synodo Conſtantinopoli Ann. DCCCLIV. 3. Indignatio Bardæ, & Michaëlis Imperat. in Patriarcham Ignatium, relegandum Anno DCCCLVIII. undè ſecuta eſt, eodem Anno, *Photii* ſolemnis ſubſtitutio in ejus locum, Viri omnium conſenſione eam dignitatem ſuprà omnes reliquos promeriti; ſed & illi acerrimè reluctantis, ut Photianæ *Epiſtolæ* teſtantur, ſcriptæ ad Nicolaum I. & ad Bardam Cæſarem, quibus etiam *mortem* futuram ſibi fuiſſe gratiorem, quietis amanti, ac prævidenti infinita mala, profitetur *Epiſt.* III. VI. &c. Edit. Montacutii. 4. Confirmata Photii electio in Synodo quæ verè *Photiana* I. A. DCCCLVIII. mox miſſis ad Nicolaum I. Oratoribus, ſcriptiſque ad eundem literis, ut ſuos Conſtantinopolim ad Concilium ablegaret componendis rebus. 5. Intereà turbæ Ignatianæ factionis in Oriente, & tragica in Photium Photianoſque molimina, uſque adeò ut, excuſſo in Perſecutores pulvere, Sedem deſerere cogitaret. De quibus Epiſtolæ ejuſdem III. VI. VIII. & aliæ, dùm eſſet illi τὸ βαρύτατον omnium graviſſimum, *quod cùm injuſte pateretur, injuriam tamen diceretur inferre*, pag. 71. Edit. Anglicanæ. Igitur, dùm illinc ſævirent Ignatiani, hinc Photiani minimè paterentur abdicare Photium, præparantur ad *Concilium* omnia Conſtantinopoli indicendum An. DCCCLXI. Remedium in ſpeciem futurum Schiſmatis, reipsâ ejus incrementum.

Primum Oecumen. Photianum.

1. Et hæc trium Synodorum, quæ ſingulæ dicuntur *Oecumenicæ*, *prima* fuit, convocante Michaële Imperatore, Anno DCCCLXI. expetitis quoque ad eam Legatis Nicolai I. ut primæ Sedis in Occidente, quam devincire ſibi conabatur Imperator, ejuſque aſſenſu factioſos magis compeſcere. Quemadmodùm etiam miſſi Conſtantinopolim Rodoaltus Portuenſis, & Zacharias Anagninus cum mandatis Nicolai Romani, hinc fundaturi jus ſupremátûs etiam in Eccleſias Orientis. Convenerunt in Eccleſiâ Apoſtolorum, Epiſcopi CCCXVIII. pari numero cum Nicænis ſub Conſtantino M. Cauſæ in eâ agendæ fuerunt, tùm antiqua *Iconomachorum*, tùm præcipuè *Ignatiana* altera, ut ex literis Photii & Nicolai conſtat. Eventus fuit, *Ignatii* Conſtantinopolim deducti accuſatio, convictio, damnatio; & *Photii* poſt dictam cauſam, ac conteſtatam innocentiam, in Patriarchatu confirmatio, ſubſcribentibus Legatis Romanæ Sedis. Et hanc Synodum pro *Oecumenicâ* habuiſſe Græcos *non infimi nominis*, Georg. Gemiſtium, Bryennium, Balſamonem, Zonaram, Alexium Ariſt. Nilum Theſſalonic. Nilum Rhodi Metrop. Matth. Blaſtarium, Macarium Ancyranum, alios, ne ipſe diffitetur Allatius, de Synodo Phot. *Cap.* 1. Dicenda Græcis πρώτη καὶ δευτέρα *prima & ſecunda*, ſeu ob Patres *bis* convocatos, ut Balſamo, Zonaras, Blaſtarius, alii, ſeu etiam ob hujus Synodi conſenſum cum poſteriore Photianâ, A. DCCCLXXIX. Sed abolenda per Ignatianos, & Romanos Pontifices aut falſanda ejus *Acta* fuerunt; quæ ſummatim quidem enarrat Nicetas in *Vitâ* Ignatii, verùm is infeſtiſſimus Photio, quemadmodùm & Stylianus, Metrophanes, Anaſtaſius, Hadrianus, reliqui, ad quos Baronius, Binius, Allatius, Labbeus, & quotquot ſervire nati perpetuò provocant. Zonaras & Balſamo Canones ejus XVII. exhibent, de Eccleſiæ diſciplinâ, Commentariis illuſtratos. *Excipiunt* ſanè, Legatos per vim adactos, *horrendis terroribus*, ut ſubſcriberent, tùm muneribus à Photio corruptos; Epiſcopos omnes fuiſſe Photio mancipatos; Imperatorem illi præſediſſe judicem, contrà Canones; reſciſſam fuiſſe à Nicolao, habitamque *Latrocinalem Synodum*, &c. Sed ſolâ hoſtium fide priora quidem accuſationis capita nituntur, planè adverſa Græcorum teſtimoniis, ac Photii prudentiæ, ingenio, obteſtationibus Epiſtolicis. *Præſentia* verò Imperatoris æmulata eſt Conſtantinos, Theodoſios, Marcianos, qui Synodos etiam Oecumenicas præſentes moderati ſunt. Et par jus retorſionis eſt, in Pſeudo-Nicænam, in Iconolatricas alias, in Ignatianas Synodos, in tot Romanas Pontificiaſque, cumprimis in ſequentem vulgò VIII. in quibus iidem rei, teſtes, judices, omniaque pro *imperio* & *libidine* Pontificis geſta, advocatâ etiam vi & fraude; vel ex Hiſtoriâ Nicænæ Synodi Iconolatricæ, Synodi alterius ſub Theodorâ, & ſequentis ſub Baſilio Macedone; ne in Occidentem delabamur.

Secundum anti-Phot.

2. *Altera* Synodus Conſtantinopolitana, quæ Romanenſis factionis hominibus cenſetur verè *Oe-*

cumenica VIII. celebrata fuit A. DCCCLXIX. convocante Baſilio Macedone, tum in Photium vehementer acerbato, & ob cauſas ſuprà memoratas *Cap.* XI. n. 3. jam depoſitum, mox in exordio Imperii. Ac *convocaſſe* Baſilium hanc Synodum haud inficiatur Baronius, ſed ex *juſſu* ſcilicet & *mandato* Hadriani, quia re cum Hadriano communicatâ, *rogat* Imperat. *ut mitteret Apocriſiarios ſuos*. Undè antè omnes Actiones lectum *Epanagnoſticum* Imperatoris, quod exhibetur initio Actionis I. Pauci tamen interfuêre ultrà Epiſcopos C. ex ſubſcriptionibus; undè Cæſar, non *affectaſſe numeroſam Epiſcoporum ſubſcriptionem*, hanc Synodum. Credo equidem poſtquàm à Synodo prohibiti, quotquot *renuerent ſubſcribere Romano Libello quem miſiſſet Hadrianus*, etiam illi qui à Methodio & Ignatio fuiſſent ordinati, ut eſt in *Act.* III. Unde hæc veriùs λῃστρικὴ Synodus, quàm fuiſſet Photiana. Igitur reſtituendus fuit, Synodali quidem judicio, Ignatius, exauctorandus Photius, habenduſque indigniſſimum in modum; concurrentibus in odia *Photii* Baſilio Imperatore, Ignatianis, & Hadriano II. Pontifice, per Legatos moderaturo Orientalem Synodum, in Urbe Regiâ, planè ad nutum, contrà jura Patriarchæ Conſtantinopolit. Et hîc veriùs, quàm in Photianâ priore, omnia affectibus, dolo, vi adverſus Photium fuiſſe geſta, ut vel ex Anaſtaſio ipſo colligi poteſt, qui tum Conſtantinopoli ſe adfuiſſe refert, in *Hiſtoriâ* VIII. Synodi, ſed etiam ex *Nicetæ* ſeu Davidis Paphl. relatione, in *Vitâ Ignatii*, & ex *Actis* ipſis, prolixè inſertis, unà cum Nicetâ, ex interpretatione Raderi, in *Tomo* VIII. Conciliorum. Facilè etiam hoc intelligere eſt, ex Ignatianorum ingenio, à quibus tot tantaque jam perpeſſus Photius fuerat, antè & poſt abdicationem. Undè non introductus in Synodum fuit Photius niſi *Actione* V. quum jam opprimendus eſſet, & diris omnibus devovendus, mox *Act.* VII. Quo etiam factum ut Photius, vim conteſtatus ad interrogata ferè *ſiluerit*, nullo reſponſo dato, ad Chriſti Servatoris provocans exemplum, ut pluribus Anaſtaſius in Edit. Latinâ. Inter alia quoque hæc dira in Photium odia, & immanitatem, arguit ſubſcriptionis modus, ex Nicetæ ipſius relatu, *Tomo* VIII. *col.* 1231. Ὑπογεγράφασι τῇ καθαιρέσει *ſubſcripſerunt depoſitioni* Photii, calamis non nudo atramento tinctis, ἀλλὰ τὸ φρικωδέστατον, ἐν αὐτῷ τοῦ Σωτῆρος τῷ αἵματι βάπτοντες τὸν κάλαμον, *ſed ad quod penitùs cohorreſcas, calamis ipſo Salvatoris ſanguine tinctis*; quem pro inimicis ipſe fuderat, precatus etiam pro ſe crucifigentibus. Sed de hoc *nihil in Actis*, inquit Baronius; ſi autem hîc fallit Nicetas, aut de ſuo mentitus, quid facturus is perpetuis in Photium criminationibus? Et quæ fides tot anilibus fabellis, viſionibus, ſomniis, narratiunculis, quibus conſperſit *Vitam ſive Certamen Ignatii*? Atque hæc demùm Romæ Pontificiæ, & Latinæ factionis Græculis, prolixè Baronio, Binio, Allatio, cæteriſque habenda fuit vera *Synodus* VIII. Eademque *Oecumenica*, *in Spiritu S. congregata*, *pura*, *ſincera*, *Sacro-Sancta*, *approbata*; aſſervandis religioſè ſcilicet *Actis*, ſed variè interpolatis, ut fatri Doctiores, modoque auctioribus, modo brevioribus, ut patet ex collatione Editionis Latinæ vulgò Anaſtaſianæ, & alterius Græcæ & Latinæ, interprete Radero. Nec mirum, dùm omnia ex nutu Pontificis terminata, & Oriens ſubjectus Romæ fuit; dùm etiam inter Canones alios, relatos ab Anaſtaſio, *Act.* X. Canon XXI. prohibet ne *Synodus* ulla, ut nequidem *Univerſalis* audeat unquàm accuſare, vel accuſationes ſuſcipere, aut judicare *Sanctiſſimum Papam Senioris Romæ*, aut *Sanctam Romanam Eccleſiam*, &c. Tacemus cauſam *Imaginum* ibi ex voto Rom. Eccleſiæ rursùs definitam, & Canones cæteros Imperatorum ac Regum juribus adverſos, qualis Canon XXII. Quare tantum in hac Synodo præſidii cauſæ Pontif. & præjudicii contrà Orientalium jura, ut *conſecrandi* Pontifices ſolemni formulâ obſtricti fuerunt profiteri, *ſe recipere unà cum aliis Synodis Oecumenicis*, (quas interv. & VI. Conſtantinopolitanæ, ac VII. Nicæna,) *hanc quoque dictam Octavam Conſtantinopolitanam, ut Oecumenicam*, apud Baronium, ad A. DCCCLXIX. N. LVIII. LIX.

Meritò autem non modò à parte maximâ Orientalium, qui Photio adhæſerunt, ſed poſteà à Græcis ipſis, qui Synodo iſti interfuerant, nec diffitente Anaſtaſio, ac deinceps à Græcis conſtanter, quotquot non Latinæ factionis, in ſpecie autem à Marco Epheſio in Synodo Florentinâ, actitata illa rejicienda. Quâ de re adi Creygthonem in *Actis* illius Synodi, obſtrepentibus Allatio, Labbeo, Alexandro, Maimburgio, & abjectæ ſervitutis ſcriptoribus nuperis, atque hoc ipſo in Græcos ut *Schiſmaticos* invectis. Nec de eâdem Synodo honorificè ſatis locuti Francorum Annales magis ingenui, ut in quâ *pro favore Romani Pontif. contra Canones antiquos, & ipſam ſuam Synodum*, ſtatuiſſent Græculi; & ità Continuator Aimoini, & Annales Bertiniani, quos vide. Patientiam etiam ac moderationem ità ejecti Photii, obſtrictique tot anathematis, dehinc duriſſimè habiti, docent quæ intereà affectavit ſcripta, & *Epiſtolæ* variæ ad Baſilium, ad Epiſcopos Orientales, ad Amicos alios, &c. inter Montacutianas editæ. Cumprimis memorabilis Epiſt. XCVII. ad Imperatorem, in quâ tragica, acerba, & planè horrenda quæ pateretur commemorat; ità Libellus ad Epiſcopos ὁμοπαθεῖς & ὁμοψήφους, prolixiſſimus ille, *Epiſt.* LXXIV. idemque apologeticus; ſed proſcindendus pro more Cæſari Baronio, ad Ann. DCCCLXX. A quibus rejectum.

3. *Tertia* Synodus Conſtantinopolitana, quæ & Oecumenica Græcis eſt, habita fuit decennio poſt alteram, A. DCCCLXXIX. convocante rursùm Baſilio Macedone cum Filiis: Quum nempè ſublatus è vivis eſſet Ignatius, jamque factus eſſet Imperator, in Photium à ſe dejectum magnique olim habitum, æquior, tùm Latinis infenſior; obſervato horum ſtudio invadendi non modò in jura Patriarcharum Orientis, ſed & in ipſa Imperii Orientalis jura, ſuprà ditiones *Bulgarorum. Solidum enim Illyricum*, atque adeo Orientis illud, Macedonias Daciaſque, hinc Bulgarias, *ad Patriarchatum Occidentis pertinuiſſe*, ſeu ab antiquo ex Petri ſcilicet inſtitutione, ſeu nuper, tàm falſum eſt, (quicquid nugentur Baronius, Allatius, Nat. Alexander, &c.) quàm falſiſſimum pertinuiſſe ad Imperium Occidentis, poſt diviſionem *Illyrici* factam ſub Theodoſio M. & Filiis, apud Sozomenum, vel Jornandem, & in Notitiis Imperii. Tertium Concil. pro Photio. Ejus occaſio. Baronius cum ſuis notat.

Igitur cauſa Synodi indicendæ potiſſima fuit, *reſtitutio Photii* in Sedem priorem, quæ ſtatim à morte Ignatii *octogenarii* facta per Imperatorem Baſilium fuerat, Ann. DCCCLXXVIII. ut conſentiunt Zonaras, Leo Grammaticus, Byzantini reliqui. Nec exſpectaverat profectò Baſilius conſenſum Papæ Romani, in Photio reſtituendo, etiam invito, ut nugantur Gnathones. Quod, præter hiſtoriam, Johannis Papæ Epiſtola ad Imperatores teſtatur, quæ eſt CXCIX. Ubi Papa; *ab Imperatoribus ſe præventum, in Photio reſtituendo*, ac *vim* illi *inferendo*, Tomo IX. *col.* 135. Quæ verba, ſi Editionibus Concilior. fides eſt, & Baronio, Allatio, *à Photio* ſcilicet per fraudem *addita* fuère. Sed benè eſt quod ipſe quoque *Joh. Veccus* vel *Beccus*, Patr. Conſtantin. ſub Michaële Andronico, idemque fautor Latinorum, totienſque laudatus Leoni Allatio, eadem inſeruit Orationi ſuæ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, (quam & illi adſcribit Allatius, de Perpet. Conſenſ. L. II. C. XV. Iterùm.

Digitized by Google

C. xv. *col.* 766.) τὸ δὲ σκανδάλου ἀλόγιστον, ἐκ μόνης ἱστορίας, ἀποδεικνύμενος. Inſeruit hanc Vecci Orationem ſuis Annotat. Beveregius, T. II. p. 273. Hic Veccus, *Johannem* Papam, poſt exceſſum *Nicolai* & *Adriani*, non malè affectum ergà *Photium*, per Legatos ſuos, quos inter *Petrus Cardinalis* interfuiſſe illi *Synodo* quam celebravit Photius Conſtantinopoli, ὑπὸ πλειόνων ἢ τετρακοσίων Ἀρχιερέων συγκροτουμένων, *ex pluribus quàm trecentis Antiſtitibus in unum convenientibus*. Deindè, amicè & pacificè omnia inter Photium & Johannem, hujuſve Legatos, fuiſſe tranſacta; uti pluribus illìc videre eſt. Ut non poſſit idem Leo Allatius cauſari, quod aliàs *Cap.* v. ejuſdem Libri, *falſa ſunt quæ tradunt de Vecco*. Nec niſi poſt reſtitutum Photium auctoritate Principum, ſollicitatus fuit per Legatos, additis Literis & Auguſtorum & & Photii, *Johannes* Papa, ut concordiæ ſtabiliendæ cauſâ inter utramque Sedem, Photium cum ſuis in communionem reciperet, haberetque pro legitimo Patriarchâ. Acceſſit componenda lis de additione Latinorum ad Symbolum, in voce *Filioque*, quam omninò Græci conſtanter reprobarent. Quare miſſi Conſtantinopolim à Johanne Legati, *perficiendæ voluntati Principum*, ut habet quoque Veccus, editus Beveregio in Tomo II. Synodici, iidemque inſtruendi *Commonitorio*, de quo *Cap.* præcedenti; Videlicet pro abolendâ, conjunctâ cum Græcis operâ, Synodo anti-Photianâ vulgò VIII. Hadriano Pontifice; & *pro penitùs tollendâ è Symbolo particulâ illâ, Filioque*; de cætero commendatâ illis causâ Bulgarorum, & Romanæ Eccleſiæ. Teſtantur præter Græcos etiam non Schiſmaticos, vel ea quæ de Synodo Romanâ III. ſub Johanne VIII. vel IX. & de hac ipsâ Conſtantinopolitanâ VIII. inſerta ſunt Tomo IX. Concilior. edit. Labbeanæ, à *col.* 321. ipſæque Johannis Epiſtolæ, memoratæ ſuprà. Quas dùm à Photio & Photianis interpolatas eſſe clamitant paraſiti Romanæ Curiæ, ac præter cæteros Baronius, alias è Vaticanâ producturi; non meminerunt retorſioni locum eſſe, ac ſuſpicioni longè graviori de Latinorum fraude: Quum *Photii* jam reſtituti cauſam hujuſmodi à Græcis falſatio, in facie Legatorum, & Romanæ Curiæ, nihil juvare potuerit. *Clodius accuſet mœchum!*

Membra Synodi, à Græcis omnibus non transfugis, & ab ipſo Joh. Vecco, habendæ pro *Oecumenicâ* VIII. & congregandæ in magno *S. Sophiæ* Templo, longè exceſſerunt numerum Epiſcoporum ſecundæ Synodi anti-Photianæ, qui nonniſi CII. Nempè ex Actis, & ex eodem Vecco, & Gratiano ipſo, conſtat exceſſiſſe numerum CCCLXXX. Epiſcoporum, nec inficiatis Baronio, Binio; ſed accuſaturis Græcorum *impoſturam & vanitatem*, ut ſolent in iis quæ Romanæ cauſæ infeſta. Adde præter Imperatorem *Baſilium* & *Filios* Leonem ac Stephanum τὸν Πορφυρογέννητον ac Photium Patriarcham & ipſum προκαθεσέντα *præſidentem*, ut diſertè in Actis; interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe Legatos *Romanæ* Sedis Paulum, Eugenium, & Petrum; Legatos trium Sedium *Patriarchalium* Orientis, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Alexandrinæ; tùm & nobiliſſimarum toto Oriente Sedium *Metropolitanos*, ut ex Actionibus liquet.

Acta memoranda. Inter *Acta* quæ leguntur hujus Synodi, & *decreta*, præter ſolemnem reſtitutionem Photii, iſta cumprimis memoratu digna: *Præſidium* Photii Patriarchæ, præſentes licet Legati Romani, quod & Vecci Excerpta, edita Beveregio, teſtantur: Accuſatio Rom. Eccleſiæ, & priorum Pontificum Nicolai I. & Hadriani II. quod verè res erat, tanquàm qui fuiſſent Malorum cauſæ, *Act.* I. Imò ab ipſis *non recepta fuiſſe quæ contrà ſanctiſſ. Photium geſta fuiſſent*, ut habet Epiſtola Papæ ad Imperatores, *Act.* II. Lectæ *Romani Pontif.* Literæ ad Orientales, nonniſi *Actione* III. quod & fatetur Baronius, *Num.* LXVII. Ubi decernitur; *Si quis non lubenter ſuſcipiat ſanctum & illuſtrem Comminiſtrum noſtrum, Fratrem Dominum Photium, Regiæ Urbis Patriarcham, & cum illo communicat, ſit anathema, & ex ſanctarum Apoſtolicarum Sedium auctoritate exauctoratus*. Dein cauſa de juriſdictione in *Bulgarorum* Eccleſias relata ad Imperatorem, ſubtracta judicio Romani Epiſcopi, & Concilii, *Act.* III. *Synodus* prior, quæ auctoritate Hadriani damnaverat Photium, & ipſa damnata, reprobata, anathematizata, ne Synodus quidem habenda, *Act.* IV. V. Poſtquam ipſe Johannes VIII. multis argumentis, in ſuâ ad Imperatores, & quoque exemplis probaſſet, *Synodum* poſſe *Synodum abrogare*, *propter unionem & conſenſum Eccleſiæ*, referente quoque in præfatis Excerptis Vecco: Exæquata juriſdictio Romani & Conſtantinopolitani Patriarchæ, Johannis & Photii, & *vinculi* injiciendi æqua poteſtas quà latè paterent cujuſque Provinciæ; neutro invaſuro in alterius privilegia, aut admiſſuro appellationes ab uno Throno ad alium, nec *innovaturo quicquam aut nunc*, *aut inpoſterum*, *Act.* V. etiam *Canone* I. in hanc rem expreſſo. Denique *Pax* inter utramque Eccleſiam, Romanam & Conſtantinopolit. ſancita, roborata, omniaque quæ ſtatuta in hoc Concilio fuerant, unanimi conſenſione approbata; quemadmodum & Synodi VII. priores, adeoque Nicæna Iconolatrica vulgò VII. Synodus, pro temporum ratione, ut hæc res cordi Legatis Romanis fuit: Subſcripturis primùm *Imperatoribus*, tùm reliquis, nec ſine Miſſorum Papalium gratulatoriis vocibus.

Hæc tamen Synodus VIII. Photiana eſt, quæ ſi fides Baronio, ad Ann. DCCCLXXIX. N. LXXIII. &c. aut Allatio in Libro de hac *Synodo*, nec *Oecumenica* fuit, nec legitima, imò *latrocinalis*, *pſeudo-Synodus*; quin etiam *conficta*, *commentitia*, à *Photio* ſuppoſita, ſaltem *falſata* maximam partem; imò Synodi hujus *Græcorum nullos meminiſſe*, ac nequidem *poſtremæ mentionem facere Zonaram*, ut Baronius. Præfidenter ſanè, dùm tamen contendunt iidem, parùm ſui memores, Acta hujus Synodi, cum Photio ipſo, mox fuiſſe à Johanne VIII. *reprobata*. Ità modum nullum audaciæ figunt, quoties illi auctoramentum eſt in Romanâ Purpurâ. Et ubi deinceps pedem tutò figere, aut quid tandem certi reliquum in Eccleſiæ hiſtoriâ? Siquidem tot teſtibus firmata, totque publicis documentis, *conficta* fuerint ad unum omnia; *vera* autem ſint teſtataque, quæ ſoli affirmant quorum intereſt. Certum eſt hujus Synodi VIII. Græcorum, ſed conflandæ quandoque in *unam*, cum priore *Photianâ*, (undè videtur *prima* & *ſecunda* nomen) præter Epiſtolas Johannis CCL. & CCLI. præter Latinos, *Ivonem*, *Gratianum*, alios, præter ipſum in Epiſtolis *Photium*, præter *Actorum fidem*, meminiſſe quoque *Libellum Synodicum*, *Hamartolum*, *Alexium Ariſtenum*, *Zonaram*, *Balſamonem*, *Nilum Rhodi* Metropolitam, *Joſephum Bryennium*, *Joh. Veccum*, *Symeonem Logothetam*, vel Theſſalonic. *Matthæum Blaſtarium*, *Nilum* Damylam, *Macarium Ancyranum*, *Anonymos* plures, etiam ἀνεκδότους: Qui omnes frequenter memorati Græculo Allatio, cumprimis in majore Opere *de Conſenſione* utriuſque Eccleſiæ; ne dicam *Marcum Epheſium*, cum ſuis, in Synodo Florentinâ, ut pluribus videre eſt, *Sect.* VI. T. XIII. *col.* 87. Ac ne ipſe negare ſuſtineat Allatius, *inter Græcos haberi Synodum ſub nomine Oecumenica* VIII. in Tractatu de *Photianâ Synodo*, & de Conſenſione Orientalium, *Lib.* II. C. v. licet neget *ex auctoritate Romani Pontificis* in poſſeſſionem Photium reſtitutum; Confer, Lector, quæ nos jam de Schiſmate Photiano, Lemmate præcedente. Neque locus hic, legendi veſtigia omnia obſtrepentium nuper, & κοκκυζόντων modò ex

Baronius, Allatius, &c. notati.

Baronio ſuo, Allatiove, Ludovici Maimburgii, & Natal. Alexandri, illius in *Hiſt.* Schiſmatis Græcorum, hujus in *Tomo* XVI. Hiſt. Eccleſiaſt. Certè peſſimam Romanæ Eccleſiæ fidem, inter cætera, hoc arguit, quod dùm *Acta* hujus Synodi extare paſſim fateantur, ipſeque Binius, *contineri Græcè Scripta in Bibliothecâ Vaticanâ, & Columnenſi, & Bavaricâ*; tamen abeſſe illa voluerint à Conciliorum Tomis. Ac Binii exemplum ſecuti ſint Editores nuperi, Labbeus & Goſſartius; quatumvis ſuos Tomos aucturi, ſuprà Editiones omnes priores, iis ſcil. *Actis* & Monumentis, quæ deſiderari intelligerent.

XIII. *Scriptores Eccleſiaſtici hoc Ævo celebriores, tàm in Occidente, quàm in Oriente. Summaria Criſis.*

De his jam ex parte ſuprà, quum de Teſtibus Veritatis, deque Controverſiis hoc Seculo agitatis, diceremus, Capitibus IX. X. XI. Et quia plus ſatis excrevit Commentarius de Rebus hujus Ætatis, ſummario hocce principum modò Scriptorum Indice defungemur, quales tùm frequentiſſimi fuêre.

Latini Scriptores. Theodulphus. I. In *Latinâ* & *Occidentali* Eccleſiâ, celebres cumprimis fuêre hi ſequentes. *Theodulphus* Aurelianenſis Epiſcopus, percharus Carolo M. à quo ad Sedem Aurelianenſem promotus fuit; ſed & in flagranti gratiâ apud Ludovicum Pium. Poſteà delatus ut particeps conjurationis Bernardi Italiæ Regis, adversùs Ludovicum Patruum, reus Majeſtatis in Monaſterium Andegavenſe relegatus eſt; ſuffecto in Epiſcopatu *Jonâ* Aurelianenſi, Anno DCCCXVIII. Meminerunt ejus Alcuinus, Eginhardus, Hincmarus, Lupus Ferrarienſis. Ejus *Opera*, proſâ & metro, edidit Sirmondus, An. MDCXLVI. *Capitula* ad Eccleſiæ Diſciplinam præterea Baronius ad A. DCCCXXXV. N. V. & *ſeq.* Conciliorum Tomus VII. p. 1137. in quibus multa Presbyteris ſuis ſalutaria præſcripſit, diu in Galliis obſervata. Habet Analecta quædam metrica Mabillonus, cum Annotationibus, *Anal. Tomo* I. p. 376. Vir dignus, cum aliis multis, ævo meliore.

Sedulius Jun. *Sedulius Scotus Junior*, & Presbyter, diſtinctionis ergò à Sedulio Seniore, claro ſuis Poëmatibus ſub Theodoſio Jun. Valentiniano III. & à Sedulio altero Epiſcopo, qui Synodo Romanæ interfuiſſe dicitur ſub Gregorio II. & de quibus, poſt Bellarminum, fusè Labbeus, in Scriptoribus Eccleſiaſt. *Tomo* II. & in Supplemento nuper Oudinus. Huic Juniori Sedulio tribuuntur *Collectaneorum* Libri in Matthæum, & in omnes Epiſt. Pauli, ex Patribus excerpti; quo tempore Carolus M. & Ludovicus Pius *Scripturarum* Studium commendarent.

Claudius Taurin. *Claudius* ex Monacho & Presbytero *Taurinenſis* Epiſcopus, natione *Hiſpanus*, ſi Jonæ Aurelian. & contemporaneo fides, non *Scotus*, ut vocatur Uſſerio in Epiſtolar. Hybernicarum Sylloge, *Epiſt.* XIX. & XX. Nec idem qui *Clemens Scotus*, apud Poſſevinum, Labbeum, alios. Is ipſe eſt, qui non *cultui* modò Imaginum, cum Pariſino Conventu, acerrimè reſtitit, ſed & *uſui*, ob fœdos & Idololatricos abuſus in Italiâ ſuâ obſervatos, poſtquàm in Scripturis S. evolvendis commentandiſque triviſſet magnam vitæ partem. Sed odioſo hinc traducendus *Iconoclaſtæ* nomine, apud Ludovicum Pium; excitatis adversùs eum Jonâ Aurelianenſi, Theodemiro Abbate Gallicano, Dungalo Recluſo ſive Monacho, uti dictum aliàs. Baronio eſt *impius Hagiomachus, & Homo Sceleſtiſſimus*, ad Ann. DCCCXXV. N. LVI. Imò verò homo eruditiſſimus ſimul & religioſiſſimus, ut teſtantur *Commentarii* in Libros Moſis, in Libros Hiſtoricos, in Matthæum, in Paulinas Epiſtolas, in Scripturas propè univerſas, ſæpè memorati, & in Bibliothecis repoſiti; De quibus præter Flacium, Dallæum, Uſſerium, & noſtrates, cum laude referunt, Miræus, Labbeus, Mabillonus, Oudinus, &c. Sed hos antè Trithemius, quin ipſe Jonas Aurelianenſis hujus Claudii non ſine commendatione meminit, initio *Libri* I. adversùs eundem. Unum ſcelus Claudii, ſcripſiſſe quædam in *Cultum Sacrarum Imaginum, Reliquiarum, Piaſque Peregrinationes*, nempè nefandâ in his ſuperſtitione accuſatâ, revocatiſque fidelibus *à Creaturis ad Creatorem*, ut in Analectis Mabilloni, P. I. *pag.* 36. 46. *Non jubemur ad Creaturam tendere ut efficiamur beati, ſed ad ipſum Creatorem. Ad hoc enim pergendo quod aut non eſt, aut ſi eſt beatos non facit; ad beatam vitam nequaquam quiſquam poterit pervenire.* Nec de *Euchariſtiâ* aliter ſenſiſſe, quàm ut *memoriâ Dominicæ Paſſionis*, per Sacramentum figuratæ, quæ & Rabani Mauri, & Ratramni, & Johannis Scoti, ſententia fuerat, Excerpta docent, à noſtris producta, ex Reſcripto adverſus *Theodemirum* Abbatem: Quod tamen integrum non habetur, & ex illo Excerpta habes apud Melch. Goldaſtum, & M. Flacium Illyric. Sed interciderunt Opera pleraque, fraude Monachorum.

Amalarii duo hoc Ævo Scriptis inclyti, hinc confundendi quandoque. Prior cognomento *Fortunatus*, Trevirenſis Archiepiſc. qui juſſu Caroli M. ſcripſit de Ceremoniis Baptiſmi, Librum Alcuino perperàm adſcriptum, ut conſentiunt Sirmondus, Baluzius, & recentiores. Quo tempore *Leidradus* Lugdunenſis Archiep. Librum evulgavit de eodem Sacramento ad Carolum M. ejuſque Ritibus, ut *Abrenuntiatione, ſacrâ Unctione, Veſtimentis albis*, &c. circà Ann. DCCCXI. apud Mabillonum, *Parte* III. Analect. *pag.* I. Ubi inter cætera, *Cap.* IX. *Salus autem & vita æterna, non eſt exteriùs in Sacramento (nam hoc etiam infideles ſumere poſſunt) ſed interiùs ſumi non poteſt in virtute Sacramenti, quæ non ſumitur niſi ab his qui veraciter pii ſunt, & fideles, & imitatores Dei.* Amalarii duo.

Sed *Amalarius* alter, aliquot annis junior, Metenſis Eccleſiæ Diaconus, & *Abbas*, is fuit qui juſſu Ludovici Pii ſcripſit *de Officiis Eccleſiaſticis* Libros IV. ſæpè citandos etiam noſtratibus, in materiâ Euchariſticâ, Albertino L. III. *pag.* 924. &c. & nobis ſuprà *Capite* IX. Scripſit & *Epiſtolas* V. quas inter una, de verbis Chriſti, *Hic eſt Calix Sanguinis mei Novi & Æterni Teſt.* &c. in Tomo VII. Spicilegii D'Acheriani *pag.* 165. Expreſſiſſima ſunt Amalarii omnia, contrà Præſentiam corporalem, pro ſenſu *figurato* verborum Inſtit. *Hic calix eſt in figurâ Corporis mei in quo eſt Sanguis, qui effuſo deinceps erit Novum Teſtam.* Et, *Sicut ergò ſecundùm quendam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus Chriſti eſt, Sacramentum Sanguinis Chriſti, Sanguis ejus eſt, ita Sacramentum fidei, fides eſt.*

Agobardus. *Agobardus* Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Leidradi ſucceſſor ſub Ludovico Pio, in eundem poſteà conſpiraturus, dicturuſque ſententiam in Conventu ad Compendium Palatium, An. DCCCXXXIII. ſed & ſcripturus *Apologeticum* pro Filiis Ludovici. Cæterùm digniſſimus Scriptor quem Papirius Maſſonius, & Stephanus Baluzius, darent publicæ luci, & in quo præclara multa, ut pro Fide Orthodoxâ, ita contrà Judaicas Superſtitiones, ſed & Chriſtianas quaſdam, quas inter *Judicium Dei*, igne, aquis, duello explorandum. Cumprimis in eo plurima quæ opponenda ſint Baronio, & ſuis: Baronio oppoſita. Ex. gr. Eſſe *unum Eccleſiæ Sponſum Chriſtum, unum ſummum Sacerdotem, unum Paſtorem Paſtorum*; *Neotericos* ſui temporis *Romanos* longè alia ſentire ab *antiquis*, de Diſciplinâ, Canonibus; *Inlibatos conſervari debere* Veterum *Canones*, qui firmati eſſent Spiritu Dei, Ob-

Digitized by Google

Obedientiâ Principum, *Conſenſu totius Mundi*, *& Conſonantiâ Scripturarum*, de Papâ nihil; *Legatos Romanos* non neceſſarios fuiſſe ad *condendos* in Conciliis *Canones*, ſatiſque *ſi duo vel tres in nomine Domini convenerint*; *Apoſtolicas eas Sedes* eſſe dicendas, *fundamentum Eccleſiæ*, quæcunque ab Apoſtolis fundatæ eſſent, & ad quæ ſcriptæ extarent Epiſtolæ Apoſtolorum, &c. Hæc & alia id genus ille, ad Nibridium, de Lege Gundobadi, de Regimine Eccleſ. de Diſpenſatione, nec inobſervata Baluzio. Sed cedro cumprimis dignus Liber *de Imaginibus*, ac nemo unquàm animoſius omnem tandem Iconoduliam, ſed & Hagioduliam, è Chriſtianâ Republ. eliminandam eſſe cenſuit; *Sanctis* idem adſcriptus. Inſigniora hanc in rem effata Agobardi, à nuperis exceptionibus vindicata, exhibet noſtra Hiſtoria Imaginum, *Sect.* IX.

Leidradus, & Amulo. Agobardum præceſſit *Leidradus* Lugdunenſis, cujus *Epiſtolas* ad calcem Agobardi Baluzius, Librum *de Baptiſmo* Mabillonus in Analectis, ediderunt. Succeſſit verò *Amulo* Lugdunenſis, aſſertor Gratiæ; cujus Epiſtolas, & Opuſcula idem Baluzius vulgavit.

Paſchaſius. Bertramus. *Paſchaſius Radbertus* Abbas Corbejenſis, is ipſe eſt de quo prolixiſſimè nuper, ubi de Controverſiâ Euchariſticâ, *& annexis*, *Cap.* X. Quemadmodùm & ibi adversùs Anonymum, de *Ratramno*, ſeu *Bertramo*, qui & *Intramus*; quem unum & eundem eſſe conſentiunt recentiores in Galliâ Pontificiâ, quemadmodùm *Rabanus*, etiam in Mss. inſcribitur *Babanus*.

Haymo. *Haymo* gente Anglo-Saxo, diſcipulus Alcuini, Rabani in Cœnobio contubernalis, dein Abbas Fuldenſis, & Epiſcopus Halberſtadii, fuit medio ferè Seculo doctrinâ, pietate, & ſcriptis commendatiſſimus, Lothario. Præter *Commentarios* in magnam S. Scripturæ partem, Epitomen *Hiſtoriæ S.* & quædam alia, tribuitur ei Libellus *de Corpore & Sanguine Domini*, T. XII. Spicilegii D'Acheriani (quo tempore hæc controverſia adversùs Paſchaſium efferbuit) in quo *Panis & Vini remanere figuram*, *ſubſtantiam converti in Corpus & Sang. Chriſti.* Sed an Haymonis ſit meritò dubitatur, qui in eadem cum Rabano ſententiâ fuiſſe videtur; ac fraus pellucet in brevi hoc Scripto.

Rabanus. *Rabanus* cognomento *Maurus*, Ordinis Benedictini primò Monachus, & ſeu à loco nativitatis, ſeu ab Epiſcopatu *Magnentius*, vel Moguntinus, ſeu veriùs ſic redditâ voce רבן *Rabban*. Alcuini idem Diſcipulus fuit, ex Monacho Fuldenſis Abbas, Archiepiſcopus poſteà Moguntinus, Anno DCCCXLVII. in locum *Otgarii*, Vir Seculi ſui facilè doctiſſimus. Teſtatur Scriptorum moles, quæ in VI. Tomos collecta Coloniæ, 1627. Godeſchalci ſanè Adverſarius, in causâ Prædeſtinatianâ; ſed & Paſchaſii in causâ Euchariſticâ, cenſens non ore manducari in Euchariſtiâ niſi *panem*, quod Symbolicum Chriſti Corpus diceretur: Undè in *Stercoraniſtis* cenſendus, ut ſuperius *Capite* X. pluribus obſervatum. De hoc fusè quotquot de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentati ſunt, & nuper Mabillonus Bened. ad Sec. IV. P. II. ac Natalis Alexander, totâ *Diſſert.* XI. T. XVI. Sed harum Diſſertationum ſcopus haud alius eſt, quàm ut ab errore *Stercoraniſtarum* liberent Rabanum, qui ſcilicet *non ipſum Corpus Domini ſeceſſui obnoxium ſenſerit*, ſed tantùm *Symbola externa*. Utique ſanè, qui Rabanus non cenſeret manducari niſi Corpus Chriſti Symbolicum, ſeu *Sacramentum Divini Corporis*, non omninò ipſiſſimum *Corpus*, *quod de Mariâ Virgine natum eſſet*, &c. Rabani alia, hactenùs inedita, publici juris fecit Steph. Baluzius: Ut Librum de *Computo*, Miſcellan. T. I. in quo rationem temporum, & quicquid ad Chronol. τεχνικὴν pertinet, accuratiſſimè exponit: Tum Libr. de *Chorepiſcopis*, quorum poteſtatem Epiſcopalem adſtruit, ſed malè inde à *Lino*, & *Cleto*, quos Petri & Pauli Chorepiſcopos fuiſſe cenſet: Tandem, ut *Epiſtolas* quaſdam mittamus, compoſuit Librum in gratiam Ludovici Pii, in quem Filii conſpiraverant, de *Filiorum ergà Patres*, *& ſubditorum ergà Principes* obſequio, quos Libros vide ad calcem Operum de Marca, noviſſimæ Edit. *Profeſſorem* fuiſſe Rabanum Scholæ vel Academiæ *Pariſienſis*, æquè falsò traditum, ac Alcuinum ejus Scholæ inſtitutorem ac parentem.

Lupus Servatus, vel ut alii, *Servatus Lupus*, qui & Moguntinus Presbyter, Ferrarienſis deinceps Abbas, maximæ vir exiſtimationis fuit, acceptus Ludovico Pio, & Carolo Calvo, familiaris Eginhardo, Jonæ, Heribaldo, Rabano, &c. quem poſtremum vocat *Præceptorem ſuum.* Ediderunt plures, Maſſonius, Ducheſnius, Sirmondus, ac poſtremò Stephanus Baluzius, cum Notis. De eo jam ſuprà, ubi de Controverſiis per Godeſchalcum motis, cujus ſententiæ (non qualis traducitur nomine *Prædeſtinatianæ Hæreſeôs*, & nuper quoque à Nat. Alexandro, ſed qualis ex Auguſtino reverà fuit) acceſſit duobus Scriptis, quorum alterum inſcribit, *Librum de Tribus Quæſtionibus*, alterum, *Collectaneum de Tribus Quæſtionibus*: Scilicet de Prædeſtinatione, Libero Arbitrio, & Redemptione Chriſti pro omnibus, an pro ſolis electis. Baluzius Notis ad Lupum: *Hi Libelli non aliam fermè doctrinam continent*, *quàm eam quam Gotheſchalcus tuebatur:* Rectè, aliter licet Sirmondus, & quicquid familiæ Jeſuiticæ. Ingenuè idem Baluzius inter alia, ad *Epiſt.* LXXXIV. *Vicarium B. Petri* non dictum fuiſſe ſolum Epiſcopum Romanum, ſed *cæteros quoque Epiſcopos paſſim vocari Vicarios B. Petri*, ut quibus omnibus dictum in perſonâ Petri, *Paſce oves meas*. Nec plura huc ſpectant. **Servatus Lupus.**

Florus Magiſter, nempè Scholæ Lugdunenſis, coævus Agobardo & Amuloni, ſed & *Remigio*, Lugdunenſis Eccleſiæ Antiſtitibus; idemque aſſertor Prædeſtinationis duplicis, & Gratiæ, cum Remigio Lugdun. & Valentinæ Synodi Patribus, adversùs *Joh. Scoti erroneas definitiones.* Quâ de re nuper, & hoc de *Floro* prolixè Gilb. Mauguinus, Lucas D'Acherius, Jac. Uſſerius, Gerh. Voſſius, P. Franc. Chifletius, Joh. Mabillonus, Caſimirus Oudinus, El. Du-Pin, atque aſſertores *Gratiæ* Gallicani. Alius *Florus* videtur, Monachus S. Trudonis in Diœceſi Leodienſi, de quo Trithemius, cui inſcriptæ *Expoſitiones in Epiſt. Pauli*, ſeu Collectanea in eaſdem ex S. S. Patribus; quæ Bedæ eſſe, rectiùs fortè Baluzius, Notis ad Lupi *Epiſt.* LXXVI. Mabillonus *Analect.* T. I. Floro Lugdunenſi vindicat. Flori Libellum de *Electionibus Epiſcoporum* edidit, ſed & caſtigavit Baluzius, aſſerturus in his Jura Majeſtatis. **Florus Magiſter.**

Walafridus Strabus vel *Strabo* Monachus Ord. Benedictini, in Fuldæ Monaſterio; hinc Abbas Augienſis in Diœceſi Conſtantienſi; malè diſtinctus à *Strabo Fuldenſi* qui fuerit Auctor *Gloſſæ Ordinariæ*, ſed aliis omninò idem, ut quam Gloſſam compilarit ex Commentaris Rabani Magiſtri ſui. Fuit ergò diſcipulus Rabani, ſcriptor inclytus de *Eccleſiaſticis Ritibus* & *Officiis*; in multis ingenuus, accuſans quandoque innovationes factas, probans frequentem imò quotidianam *Communionem*, in ſpecie damnans Cultum creaturarum, & ſuperſtitionem *in colendis Imaginibus*, *Cap.* VIII. Rerum exempla aliàs produximus. **Walafridus.**

Eulogius Cordubenſis, deſtinatus Archiepiſcopus Toletanus, à Saracenis autem gladio ſublatus, ſcripſit *Memoriale Sanctorum*, & Apologeticum pro *Martyribus*, item *Exhortationem ad Martyrium*. Occaſio ſcriptionis, non fuit modò perſecutio ab Arabi- **Eulogius.**

bibus in Hiſpaniis excitata, ſed etiam *Concilium Cordubenſe* habitum A. DCCCLII. Lothario imperante, ſed ab Editoribus Conciliorum *Conciliabuli* nomine reprobandum. In quo Patres hujus Synodi, in his Hoingeſius Epiſcopus Malacenſis, non profectò *Martyrium prohibuerunt*, ut mentiuntur Romæ, ſed Martyrium *voluntarium*, eorum qui ſe ſponte offerebant Carnificibus; item, exceſſum in *veneratione* & *cultu* Martyrum, quorum in Rom. Eccleſiâ populo jugiter prædicabantur Miracula: commendabantur Merita, Reliquiæ, Interceſſio, Invocatio. Cui ſuperſtitioni præ aliis ſe oppoſuêre Hiſpani; Eulogius verò totus deinceps fuit in prædicandis Martyribus, & Paſſionibus eorum enarrandis, ἐξ ὑμετέρας τῆς ἀνθολκῆς, vindicaturus verum *Martyrium*, illorum qui *Cordubæ* ſub Arabibus occubuerant; donec à Saracenis in vincula conjectus morti traderetur.

Joh. Scotus. *Johannes Scotus*, qui & *Erigena*, ingenio, doctrinâ, facundiâ, ſcriptis clarus ſub Carolo Calvo, dein & Alfredo, Regibus; non verò ſub Carolo M. fundator Scholæ Pariſienſis, cum Alcuino, & Claudio, ut fabulati ſunt Monachus Sangallenſis, de Rebus geſtis Caroli, Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali, alii. De eo jam ſuprà, in Controverſiâ Prædeſtinatianâ, tuito cauſam adverſùs Godeſchalcum, & in alterâ Euchariſticâ. Nec fuit quod, ſtudio *Præſentiæ Realis* cui ſe vehementer oppoſuit Scotus, ut illi etiam adſcriptus ſit Liber Bertrami de *Corpore & Sanguine* Domini, in eum declamaret Baronius, cum choragio omni Pontificio. Quanta enim Viri auctoritas fuerit uſque ad Annum emortualem DCCCLXXXIII. quando *graphiis perforatus* fertur à diſcipulis, in Scholâ Meldunenſi, ad quam accitus ab Alfredo fuerat, poſt Caroli Calvi mortem, circà A. DCCCLXVII. teſtantur Chronica, & Francorum juxtà ac Britannorum Annales, ut etiam diu *Martyr* habitus fuerit, ſcriptuſque talis in *Epitaphio*. Ut Græcè doctiſſimus fuit, ſic tranſtulit è Græco cùm alia tùm Libros *Dionyſii* Areopagitæ, jubente Carolo Calvo, cujus tranſlationis meminit Anaſtaſius, *Præf.* ad VIII. Synodum. Scoti ad Carolum Epiſtola de hoc *Dionyſio*, præmiſſa eſt Libris Dionyſii Areopag. & ſeorſim edita ab Uſſerio, in *Hibernicis*. Doctrinam ejus & pietatem, occaſione tranſlati ab eo Dionyſii, Gratiam item quæ in ipſo fuit, multis extollit Anaſtaſius Bibliothec. in *Epiſt.* ad Carolum Calvum. Accuſatus, quod Humanitatem Chriſti poſt Reſurrectionem in Divinitatem verſam ſtatuerit, etiam fore finem Dæmonum ac Damnatorum pœnis, &c. Plura de hoc *Scoto*, etiam Voſſius, Uſſerius, Launojus, Mauguinus, Cellotius, Mabillonus, P. Alixius Diſſert. Gallicâ, in Arnaldum, A. 1671. El. Du-Pin, Guil. Cave, & alii.

Prudentius Trec. *Prudentius Trecenſis* vel *Tricaſſinus* in Campaniâ Epiſcopus, natione Hiſpanus, coævus Rabano, Walafrido, Ratramno, Godeſchalco, Hincmaro, &c. quin & *Sanctis* adſcribendus, magnæ quoque exiſtimationis fuit. Aſſertor luculentus doctrinæ Auguſtinianæ de *Prædeſtinatione*, contrà Scotum Erigenam, Hincmarum, Synodum Cariſiacam, ſed & doctrinæ veteris de *Sacramento Euchariſtiæ*, contrà Paſchaſium, hoc nomine perſtringendus ab Hincmaro Rhemenſi. De eo prolixè Gilb. Mauguinus, *Tomo* II. Vindiciarum Prædeſtin. & Gratiæ, Sammarthani Fratres, Galliæ Chriſtianæ *T.* III. & Eruditi qui ſuperiores Controverſias excuſſerunt.

Anaſtaſius Biblioth. *Anaſtaſius Bibliothecarius*, alius ab Anaſt. Apocriſiario, florens ſub Nicolao I. Hadriano II. & Johanne IX. Romanis Epiſcopis. Hic cùm *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ex Græco Theophanis tranſtulit ſtylo rudiore, tùm ſcripſit præprimis *Vitas* Romanorum Pontificum, mirè interpolatas, de quâ re prolixè diximus in *Hiſt.* Papæ Fœminæ. Sed & Hiſtoriam *Synodi* vulgò *Octavæ* contrà Photium, cujus ultimis interfuit; ſervire ubique doctus cauſæ Pontificum, quibus miniſtravit. *Collectanea* ejuſdem edidit Sirmondus, *Pariſ.* 1620. de quibus ſuprà *col.* 1224. De eo paſſim hac noſtrâ *Hiſtoriâ Chriſt.* ubi de Pontificibus Romanis, & pluribus in Diſſertat. noſtrâ prolixiore *de Papiſſâ*. Prolixè Voſſius, Fabrottus, & quotquot de Hiſtoricis Eccleſiaſticis commentati ſunt.

Hincmarus ſenior, qui nonnullis *Ingumarus*; *Igmarus*, à Laudunenſi diſtinctus, ex Monacho S. Dionyſii poſteà Rhemenſis Archiepiſcopus A. DCCCXLIV. Galliarum is doctiſſimus, Vir in rebus Aulæ, Mundi, Scholæ, Eccleſiæ verſatiſſimus, cui fuêre multa magnaque certamina, ut contrà Godeſchalcum, ſic deinceps cum Nicolao I. & Hadriano II. Pontificibus. Ex cujus adeò *Epiſtolis* varia excerpſêre contrà Papalem Tyrannidem, Flacius Illyricus, Mornæus, alii: Hinc frequentes Baronio in eum declamationes, *Tomo* X. *Annal.* Sed de Hincmaro Rhemenſi nos prolixè ſuprà, in cauſâ *Godeſchalci*, & in Capite de Romanis Epiſcopis. Ejus Opera edidit Sirmondus Ann. 1645. 2. Tomis in *Fol.* adjecerunt inedita Lud. Cellotius & Joh. Mabillonus in Analectis. **Hincmarus.**

Floruêre & *Eginhardus*, vel *Einhardus*, natione Germanus, Scriptor Vitæ Caroli M. cui à Secretis fuerat; ſed & hujus Gener, ductâ *Immâ* vel *Emmâ* Caroli M. filiâ, ſi fides Chronico Laurishamenſi, (cujus ipſe fertur auctor apud Andream Du-Cheſne, invitis aliis) in quo amores Einhardi, primò clandeſtini, tandem à Carolo approbati. A quâ tamen Immâ, mutuo conſenſu, quoad thorum abſtinuerit, circa A. DCCCXV. Abbas effectus Fontanellenſis, tandem Selingſtadienſis. Vir ſuo tempore doctiſſimus, familiaris Lupo Ferrarienſi, ex hujus *Epiſtolis*, in quibus hic meminit Libri *ſuo nomini dedicati*, Epiſt. IV. p. 18. Nempe *de Adorandâ Cruce*, qui tamen hodie non extat. **Alii plures; Einhardus.**

Smaragdus Abbas S. Michaëlis (vulgò *S. Miel*) ad Moſam in Diœceſi Verdunenſi, Ordinis Benedictini, nam plures Smaragdi fuerunt. Hic Scriptor *Poſtillæ* in Euangelia & Epiſtolas; inprimis *Viæ Regiæ*, in quâ Morum præcepta de virtutibus & vitiis, ad Ludovicum Pium, apud Lucam D'Acherium *Tomo* V. Spicilegii. Præter *Diadema Monachorum*, & quædam alia. **Smaragdus.**

Chriſtianus Druthmarus Aquitanus, Corbeienſis Cœnobii Monachus, Bedæ Sectatori eadem de *Præſentiâ* Chriſti in Euchariſtiâ, *Spirituali* nempè & *Sacramentali*, ſeu in Sacramento panis & vini, ſentiens cum Rabano, Amalario, Strabo, Lupo, Ratramno, &c. Vide Edm. Albertinum, de Euchar. Sacram. *Lib.* III. p. 933. 934. Chriſtianum citantem ex *Edit.* Argentoratenſi Anni MDXIV. antè Lutheri certamina. **Chriſt. Druthmar.**

Freculphus ex Monacho Lexovienſis Epiſcopus, Chronici celebris auctor, perducti ad Bonifacium Papam, *quo rogante ſtatuit Phocas ſucceſſor Mauricii, Sedem Romanæ eſſe Apoſtolicæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum eſſe caput*, *Lib.* V. Tomo II. C. XXVI. Tandem ſubjungit *ſex Synodorum Univerſalium* hiſtoriam, in quâ Chronicon claudit. **Freculphus.**

Andegiſus Abbas, in magnâ apud Carolum & Ludovicum Pium gratiâ & auctoritate, uſque ad An. DCCCXXXIII. quo in Monaſterio Fontanellenſi in Neuſtriâ obiit. Et hic eſt Collector *Capitularium Caroli M.* de Rebus Eccleſiaſt. quos in Libros IV. digeſſit; & poſt Pithœanam Editionem recognovit Steph. Baluzius, in variis licet ab illâ diſcrepans, de quo Carolus Cointius in Annalibus Francor. ad A. DCCCXXVII. Conſule *Præfationem* Baluzii, ubi Editionis ſuæ & Mss. undè hauſit, rationem reddit. **Andegiſus.**

Ado

Digitized by Google

Ado Vienn. Uſuardus. *Ado* ex *Monacho* Ferrarienſi Viennenſis Archiep. ſcripſit inprimis 1. *Chronicon* breve de VI. Mundi ætatibus, uſque ad Filiorum *Lotharii* Imp. Principatum, hinc *Breviarium* illud inſcripſit; cui ad calcem alienâ manu quædam adjecta. Notavimus alibi Adonem, *Benedictum* III. nonniſi *mortuo Lothario*, in Sede collocare. 2. *Martyrologium*, ex Veteri *Romano*, id eſt, Calendariis quæ Romæ habebantur, concinnatum; quanquam Valeſius probet, nullum fuiſſe Romanum Martyrolog. in ſpecie ſic dictum, Diſſertat. de *Martyrologio Romano*. Pari jam Ado inſtituto, quo hoc ipſo Seculo Florus & Uſuardus, & antè hos Venerabilis Beda. Ac *Uſuardus* Monachus S. Germani, eodem ferè tempore adornavit *Martyrologium*, ex illis Flori, Bedæ, & ex Hieronymo quem primum omnium ſcripſiſſe *Martyrol.* tradidit, ſuum autem inſcripſit Carolo Calvo. De quibus obvia ſunt judicia.

Remigii duo. *Remigii* duo hoc Ævo floruerunt. 1. Remigius *Lugdunenſis* Archiepiſc. antè Magiſter S. Palatii, magnus fautor cauſæ Auguſtinianæ, quam aſſeruit Godeſchalcus, Concilii Valentini A. DCCCLV. Præſes, & alterius Synodi in Lingonibus collectæ, oppoſitus Joh. Scoto, & cum Hincmaro Rhemenſi commiſſus. 2. Remigius in Cœnobio *Antiſſidiorenſi* Monachus, ſub extrema ferè Seculi, à quo ſcripti Commentarii in Pſalmos, in Prophetas XI. minores, in Epiſtolas Paulinas, cum priore ſæpè confuſus: Per hunc Literæ & Scholæ in Galliis floruerunt.

Aimoinus. *Aimoinus* Monachus Benedictinus, qui de Tranſlationibus variorum Martyrum, & de Miraculis S. Germani ſcripſit, ſub Carolo Calvo; undè hominis ingenium intelligas. Alius eſt *Aimoinus* Floriacenſis Monachus Ord. Benedictini, qui Hiſtoriam Francorum ſcripſit *Libris* IV. ad Abbonem Abbat. Floriacenſem, cujus & *Vitam* ſcripſit. Hic enim ultrà Seculum recentior, circà M. annum à Chriſto nato. De his, aliiſque plurimis, obvia ſunt quæ ſcripſêre Bellarminus, Miræus, Voſſius, Labbeus, Oudinus, Du-Pin, Cave, & qui de Scriptoribus Britannicis, poſt Sigebertum, & vetuſtiores.

In *Græcâ* & *Orientali* Eccleſiâ, claruerunt Scriptis hoc Ævo:

Theodorus Studita. *Theodorus* ille Monachus, & Abbas *Studii*, Monaſterii intrà Urbem Conſtantinopolitanam, omnium quotquot fuêre Iconolatrarum factis, & ſcriptis, acerrimus, jam ſub Irene Imperatrice, cui *fœde* adulatus eſt. Sed & Monachorum ſeditioſiſſimus, inauditâ contumaciâ, in ipsâ Urbe Regiâ. Undè vix ullis cohibendus frænis, monitis, ne exilio quidem & carcere, ſub Nicephoro Imperat. Leone Armenio, & Michaële Balbo. Papis idem mirè aſſentatus eſt, ob commune *Imaginum* ſtudium, præterquàm quod in *Leonem* III. *etiam bilem* ſuam contumelioſiſſimis vocibus effudit, diſſuadentem à Schiſmate cujus ille auctor Conſtantinopoli tùm erat, cum *Platione* Abbate & ſocio; Baronio hinc, non illepidè, accuſaturo *Solis* illius Orientalis *deliquium*, ad An. DCCCVIII. N. XXIX. Vitam Studitæ ſcripſit *Pſeudo-Michaël* quidam *Monachus*, fabulis & impoſturis plenam, ex quo ſua Baronius, & gregales, ἀμυστὶ πίνουσι.

Baronius notat. Probat etiam Baronius omnes Viri turbas, ſeditiones, furoreſque; ſed & Blaſphemias; v. gr. quando *Imagines* Theodorus habuit pari loco quo *Chriſtum*, adeò ut negare *Imagines adorandas*, *fiduciam* in iis *non collocare*, eaſdem *tollere*, aut contrà pro iiſdem *martyrium pati*, eſſent ſuperſtitioſiſſimo Monacho negare Chriſtum ipſum, non credere Chriſto, tollere Chriſtum, & contrà. Vide Baronium, ad Ann. DCCCXVI. N. XVII. XXXI. &c. qui *nonum* Annalium ſuorum *Tomum* mirè auxit, ex *Epiſtolis* Theodori, paulo antè à Sirmondo in ejus gratiam Latinitate donatis, & ex quibus ſuperſtitioſum, idololatricum, ac faſtuoſum Monachi ingenium pellucet. Orationem Studitæ, pro *adoratione Vivificæ Crucis*, edidit Gretſerus.

Nicephorus Patr. *Nicephorus* Patriarcha Conſtantinopolit. jam ſub Nicephoro Imperat. cognomine, Vir multâ doctrinâ prudentiâque, ſed *Iconodulus* inſignis, & pertinax, hinc ſub Leone Armenio in exilium pulſus, An. DCCCXV. poſtquàm *novem* annos ſederat. *Chronographiæ Compendiariæ*, quam primus Græcè edidit Joſ. Scaliger ad calcem Chronici Euſebiani, ut & *Breviarii Hiſtorici*, Ἱστορίας συντόμου, editi primùm à Petavio, Græcè Lat. Ann. MDCXVI. ſcriptor idem Nicephorus, & majori quàm Byzantini aliàs ſolent judicio. De ejus in Conſtantinum Copronymum Invectivâ, ad calcem Petavianæ editionis adjectâ, judicium tulimus *Hiſt. Imag.* Sect. III. IV. Ac de eo plura Petavius, Joach. Camerarius, Fabrottus, Goarus, Voſſius, Hankius, alii.

Metrophanes Smyrn. Nicetas Paphl. Stylianus. *Metrophanes* Smyrnæus, Photio coævus, ſed ſummus Photii adverſarius, hinc perpetuò conſpiraturus in Photium, cum Manuele Patricio, cum Legatis Pontificiis, & factione anti-Photianâ. Satis id cauſæ Baronio, Allatio, ut in cœlum efferant, *inſigni Orthodoxiâ ſpectatum*, ita Annalium Scriptor. Abſurdè autem Allatius, in *Symmictis*, & Diſſert. *de Johannâ*, ex Metrophanis ſilentio de hac Papiſſâ fœminâ, in *Epiſt.* de Photio, & in Libello *de Spiritu* S. infert fabuloſam eſſe hanc Johannam, quæ ſederit ab An. DCCCLV. Sed alieniſſimum erat à Metrophanis inſtituto, ut Romanum Pontificem inſectaretur, quocum in Photium conjurabat. Idem eſto judicium de ſilentio, quod idem urget Leo, *Nicetæ Davidis* Paphlagonis, ſcriptoris Vitæ Ignatii; ità *Styliani Neo-Cæſar.* Epiſt. de Græcorum diſſidio, & aliorum in Græculis ejus temporis; Qui tres internecino odio Photium proſecuti, & qui ſub Hadriano II. in Synodo *anti-Photianâ* Latinorum cauſæ abjectè patrocinati ſunt, ac de Photio ſtrenuiſſimè mentiti ſunt, Græcâ fide, profeſſi ejus hoſtes, Papæ Romani inſtrumenta.

Photius Patr. *Photius* Patriarcha Conſtant.nop. ſub Michaële & Baſilio Imperatoribus, cui proavunculus Taraſius fuit, tàm ſuprà laudes omnes poſitus cenſetur, inexhauſtâ doctrinâ, & immortalibus ſcriptis, & heroicâ animi fortitudine; quàm oppreſſus fuit Ignatianæ ac Pontificiæ factionis odiis, tyrannide, contumeliis, maledictis, in hunc diem. Inter quæ illa de Photii *Magiâ*, vel de *Eunuchiſmo*, à Baronio ei frequenter exprobrando, ab aliis prolixè confutato. Hiſtoriam autem Photianorum certaminum ſuprà fusè habes, ad hoc ipſum Seculum *Cap.* X. & XI. quò Lectorem mittimus, & undè peſſima fides Baronii, Binii, Allatii, Maimburgii, Nat. Alexandri, totiuſque Pontificii choragii, evidentiſſimè conſtat. Scripta Photii fuêre plurima, quædam per factionem adverſam *abolenda*, alia *ſupponenda* Photio, ἀνέκδοτα alia, memorata Leoni Allatio, de Perpet. Conſ. *Libro* II. C. VI. Eminent inter Photiana Μυριόβιβλος ſive Βιβλιοθήκη, *Nomo-Canon*, Epitome *Synodorum*, *Amphilochia*, & *Epiſtolæ*. De Bibliothecâ continente Excerpta Codd. Græcorum CCLXXX. quos ipſe uſurparat, cum limatiſſimo judicio, & quales plurimi abſque Photio vindicante ab interitu, latuiſſent ſeram poſteritatem, non eſt quod dicamus hoc in loco, poſt Hœſchelios, Schottos, Voſſios, Caſaubonos, Heinſios, Holſtenios, Lambecios, & recentiores alios. *Nomo-Canon* ſub Tit. XIV. complectitur Jus omne Canonicum prius, indè à Canonibus vulgò Apoſtolicis, collatum cum Imperatoriis legibus, illuſtrante Scholiis Balſamone, edente poſt alios Chriſt. Juſtello. Libellus de *Synodis* VII. Oecumenicas Synodos deſcribit, ad *Octavam* uſque, de quâ ipſe in Epiſtolis, & quæ ſuo tempore μῆλον ἔριδος. *Epiſtolæ* CCXLVIII. editæ à

Rich. Montacutio, cum Auctario; ut illa Photii eruditionem, ſed & prudentiam, pietatem, conſtantiam, ita in ſpecie hiſtoriam Photianæ perſecutionis, & innocentiæ, in apertâ luce ponunt. In ſpecie commendatur Epiſtola eximia de *Officio Principis*, ad Michaëlem Bulgarorum Regem, ex quâ Photii virtutes cognoſcas. *Amphilochia*, quibus Amico Amphilochio ſolvit Dubiorum ultrà tres centurias, Opus ipſis Adverſariis *multiplici eruditione plenum*, aſſervant in Mss. Bibliothecæ Barberina, Vaticana, Bavarica, Chriſtianiſſimi Regis. Nihil dicimus de rerum uſu in Photio, civili prudentiâ, miniſteriis Aulicis, legationibus Cæſareis, qualis Aſſyriaca fuit, in quâ Bibliothecam ipſe conſcripſit, antequam invitus reluctanſque Patriarchatui admoveretur. En monſtrum illud Photii Baronianum, Allatianumve!

Leo Sapiens. *Leo* VI. Imperator, cognomento à doctrinâ *Sapiens*, filius Baſilii Macedonis, Scriptor *Novellarum*, Ταχλικῶν, Βασιλικῶν, edentibus Meurſio, Fabrotto, Oporino. Alia & eidem Sacri argumenti tribuuntur, ſed & *Oracula* fatidica XVII. ultimò edita in Corpore Byzantino. Ob ejectum Photium Latinis laudatus; cæterùm quod leges Eccleſiaſticas ſanxerit, Juſtiniani exemplo, *ſibi ſumens quod Summorum Pontificum eſt*, ut ſuo more Baronius ad Ann. Chriſti DCCCXI. N. I.

Male coævum his ſtatui *Simeonem Metaphraſtem*, aliàs monetur. Mittimus celebres in Arabibus hac Ætate Scriptores; quos inter *Muhammedes* à patriâ *Alfraganus*, vel *Alferganus*, الفرغاني cujus Elementa Aſtrologica Arabicè & Latine, cum doctiſſimis Notis, edidit Jac. Golius Vir Clariſſ. Sic *Thebit* (ثابت) *Ebn-Corrah*, Medicus, Mathematicus, & Philoſophus inſignis inter Arabas habitus; & alii, apud Golium, Pocockium, Hottingerum.

XIV. *Memorabilia quædam inſigniora hujus Ævi, & miſcellanea.*

Prodigia, Miracula, &c. I. *Prodigia* hujus Ævi, ac Cæli portenta, Magdeburgenſes, Wolfius, aliique collegerunt, ex Chronicis, Speculo Hiſtoriali, &c. *Miracula* verò mendacia, ad confirmationem erroris, Papalis tyrannidis, Iconolatriæ, Hagiolatriæ, Reliquiarum, Purgatorii, Precum pro mortuis, ex Urſpergenſi, Sigeberto, Vincentio, Zonarâ, & ſeu Byzantinis, ſeu Latinis Chronographis, exhibent iidem Magdeburg. *Cent.* IX. C. XIII. & ſupinâ nimis credulitate ubique in ſuis Baronius. Certè ſpecimina fabellarum, ut ſuperſtitionum, exhibent in ſpecie Byzantini *Hiſtorici* ad res hujus Seculi; *Anaſtaſius in Vitis Pontificum*; Scriptores *Vitarum* Taraſii, Nicephori, Studitæ, Ignatii, &c. Item *Vitæ Sanctorum* hujus Ævi in Latinâ Eccleſiâ, apud Surium, Bollandum; Monumenta *Benedictina*, apud Mabillonum in Sanctis Ordinis divi Benedicti, *Sec.* II. ubi *Liber de Miraculis Benedicti in Galliâ*, tributus Adrevaldo Floriacenſi Monacho, qui ſcripſerit ſub Carolo Calvo. Turpinianas de *Jacobo Compoſtellano* nugas, ſuprà notavimus. Ac penè μυθώδη Monachorum deinceps omnia, magno cum ſuperſtitionis, ſed & rei ſuæ, incremento. Nec iſtis Hiſtoriam noſtram coinquinamus, de quibus jam ſuprà judicium.

Saracenorum invaſiones. II. *Saracenorum* memorabilia hoc Seculo perſequuntur Hiſtoriæ Saracenicæ Scriptores, jam ſuprà indicati, *col.* 1324. ad *Sec.* VIII. & multus hîc Clariſſ. Hottingerus eſt, in *Muhammediſmo* Seculi IX. In Hiſpaniâ quidem repreſſi aliquamdiu fuêre Saraceni; ac virtute quidem Ranimiri, vel Ramiri primi Legionenſium Regis, abrogatum fuit ignominioſum tributi annui genus, *centum* præſtanti formâ *Virginum*, quas per Legatos poſcebat Abdalla, ex fœdere olim cum Mauregato Rege inito, Alfonſi ſucceſſore, circà A. DCCLXXXVI. Factum Anno DCCCXLV. quando hac Maurorum ſervitute depulſâ *Nortmanni* per Friſiæ, Galliæ, dein Galæciæ, Luſitaniæ, aliaque Hiſpaniæ litora, graſſati ſunt, Ramiro Rege, circà A. DCCCXLVI. DCCCXLVII. De his Mariana, *Lib.* VII. & alii rerum Hiſpanic. Scriptores. Sic pulſi Navarrâ, & Aragoniâ Mauri, tenente regnum *Garſiâ* Eneco, vel Ennico, Gente Gottho, *Principe verè magno*, & *inſigni felicitate*, ut Mariana, initio Libri VIII. dein *Enecus Sanctius*, primus Aragonum Rex apparuit, certis tamen legibus, ut nempè conſtitueretur *Judex* inter Regem & Populum, ſi quid controverſiæ exoriretur, vocant *Juſtitiam Aragoniæ*, quæ Regiam poteſtatem certis finibus concluſam tenuit.

Cumprimis luctuoſa fuit Barbarorum ex Africâ & Hiſpaniâ invaſio in *Siciliam* Inſulam, in *Sardiniam*, *Corſicam*, miſerè depopulandas: Cumprimis in *Cretam*, quæ poſterior imperante Michaële Balbo, ſed civili bello per Iconolatras diſtracto, tota à Saracenis Hiſpanis occupata fuit, A. DCCCXXIII. In cujus litore Aquilonari Urbem condidêre Κάνδαξ *Candacis* nomine, quæ & *Candia*, à quâ & toti Inſulæ deinceps nomen, Venetis poſt acceſſurâ, donec rediret ad Turcas. Quinimò Arabes, ex Siciliâ quam tùm tenuêre, in Sinum Tarentinum, in Hadriaticum mare ab utroque latere Illyrio & Italico, in Calabriam, & Hetruriam quoque, Campaniam, Latium effuſi, Italiam penè omnem depopulati ſunt. Sed & ipſam Urbem *Romam*, ex Africâ regreſſi, & in eâ, non Gregorium IV. Pontificem, ut eſt apud Marmolium ad An. DCCCXXXIV. T. I. ſed Sergium II. obſeſſum habuerunt, non antè diſceſſuri, quàm Suburbanis, & Baſilicâ D. Petri & Pauli, in ſpolium primò, dein ut potuêre in cineres verſis. Sigonius L. v. de Regno Italiæ refert ad A. DCCCXLVI. Sergio Pontifice, quum *nemo* eſſet qui *vim propulſaret*. Rediêre Saraceni Johanne IX. Pontifice, Carolo Calvo, dein Craſſo Imperat. invaſuri denuò Urbem Romam, pacto cum Neopolitanis fœdere, certè direpturi agrum Romanum. Et quum Gariliano potirentur, illecti opibus *Cœnobii Caſſinenſis*, omnium opulentiſſimi atque inſtructiſſimi, circà Ann. DCCCLXXXIV. indè in id Cœnobium factâ irruptione, totum deprædati ſunt, & perquàm opima indè ſpolia retulerunt. Undè Monachi in Gallias ſeceſſerunt. Sed hæc ad Hiſtoriam Exoticam, repetenda ex Sigonio, ex *Saracenicæ* Hiſtoriæ Scriptoribus, ut & *Byzantinæ*, *Siculæ*, atque *Hiſpanicæ*.

Nordmannorum furores. III. Barbarorum genus aliud ſurrexit hoc Seculo, poſt deletos Gotthos, Longobardos, Wandalos, *Nordmanni*, ſive *Dani* permixtis *Sueonibus*, & *Norvagis*. Nempè ulturi hi Saxones ſedibus ſuis pulſos, vel ſub jugum Francicum miſſos, Europæ penè toti vel exitium intulerunt, vel terrorem. Inde navibus ad piraticam inſtructis, & collectâ innumerabili multitudine, vagati per Oceani litora, excurſiones non ſemel fecêre in Friſiam, Bataviam, Flandriam, Galliam, Hiberniam, Britanniam, Hiſpaniam, omnia cædibus & rapinis mixturi, atque in *Chriſtianos* graſſaturi immani barbarie. *Piratas* & *Prædones* vocant hujus Ævi Scriptores. Quot iſti Provincias, Urbes, Caſtella, Monaſteria, Eccleſias, horrendum in modum devaſtarint, ipſâ Pariſiorum Urbe incenſâ, teſtantur Anglorum, Gallorum, Friſiorum *Annales*; ſub quo *Friſiorum* nomine, Hollandia, Zeelandia, Batavæ oræ continentur. Tandem & *Angliâ* totâ potituri, in Angliam

Digitized by Google

gliam invitati à Magnate quodam *Bruern* nomine, ulturo ſtuprum conjugi ſuæ illatum ab *Osberto* Rege Nordhumbriæ; unde Codrino Danorum rege urbem *Eboracum* obſidione cingunt, & capiunt; mox Ellam Osberti ſucceſſorem interficiunt, Anno DCCCLXVII. & ſequent. Deinde *Orientalem* Angliam, ubi Nordfolcia, ſubjugant; ac totam penè Inſulam depopulantur, ut prolixè Britannorum Chronica. Tum vaſtaturi nobiliſſimam *Galliæ* partem, adverſis Ligeri & Sequanâ fluviis; penetraturi in interiora regni, uti per Albim Rhenumque fluvios in *Germaniam* quoque & Saxoniam effundendi. Undè illud, *à furore Nordmannorum libera nos Domine.* Seculo ſeq. x. inchoato, daturi iidem *Nordmanniæ* duraturum nomen illi Galliæ parti, quæ *Neuſtria* dicebatur. Quâ de re Annales, Chronica, Normannicarum Rerum Scriptores, apud Du-Cheſnium, in recentioribus Mezeræus fusè. Nec dubium quin hæc Normannorum barbaries Paſchaſio Radberto expreſſerit, medio hoc Seculo circiter, Commentarios *in Threnos Hieremiæ*.

Judæorum Status.

IV. *Judæorum* res hac Ætate commemoraſſe vix pretium operæ eſt. In Oriente celebrant magnoperè Scholas ſuas *Soranam* & *Pumbedithanam*, Magiſtroſque Geonim. In Africâ, & Hiſpaniis Saracenis permixti, in Chriſtianos odia foverunt, quos etiam ſubindè in mancipia divendebant. In Galliis, de *eorum Inſolentiâ* Librum ſcripſit Agobardus, indignatus quod *novas* paſſim *Synagogas* extruerent, multis eorum fautoribus, quæſtûs causâ; quod *Sabbatiſmos* ſuos palàm celebrarent; quod *mercata in Sabbathis fieri ſolita* à Chriſtianis, ut Dominicâ vacarent, in Judæorum gratiam tranſlata eſſent in diem alium, &c. Vide eundem Agobardum, de Judæorum Superſtitionibus. *Divitiæ* etiam & *uſuræ*, Judæorum hoc Ævo propriæ fuerunt, hinc in proverbium abituræ.

Reliquiæ ſuppoſitæ hoc Ævo.

V. Memorabilium aliorum, præter ea quæ de Saracenis & Nordmannis, in *Chriſtianâ* Republ. feraciſſimum hoc Seculum fuit. Ac primò crevit in immenſum Superſtitio, tùm *Monachalis* tùm *Reliquiaria*. Hujus poſtremæ luculenta dedimus ſpecimina ſuprà *Cap.* v. à *col.* 1344. ubi de tranſlatis in Europam Reliquiis *Marci*, *Bartholomæi*, *Jacobi Apoſtoli*, *Cypriani* Carthaginenſis, &c. Adeò etiam ut graves Epiſcopi hiſce infatuarentur, quomodò ex. gr. *Leidradus* Lugdunenſis, anteceſſor Agobardi, delatas ſcilicet *Cypriani Reliquias* ex Africâ, ubi regnabat Amiratus Abraham, (& quidem fide unius *Iſaaci Judæi*, eas ex Africâ transferentis, teſte Eginhardo in *Annalibus*) Arelatis Lugdunum transferri juſſit, cum membris *B. Sperati*, & capite *S. Pantaleonis*: Quæ ibi magnâ religione aſſervanda fuêre Ceimelia, ut ex Agobardo & aliis monet Baluzius, *Notis* ad Leidradum.

Monaſteria hoc Sec. deſtructa; ſtructa alia.

VI. *Monaſteria* verò uti hac Ætate Occidentem totùm impleverant Monachis, ſed & ignaviâ, luxu, impietate, flagitiis, ità propemodùm innumera & ampliſſima, per Galliam, Britannias, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Friſiam, fuêre partim à *Saracenis*, partim à *Nordmannis*, vaſtata, incenſa, diruta miſerandum in modum. In quo tamen vindicem Dei manum, ac Nemeſim veneratur *Mezeræus* Hiſtoricus, in profligatiſſimam vitam Monachorum, T. I. p. 651. *Zelus non modò Monachorum ità refrixerat, ut nemo eſſet in quo non ſpiritus mundi, veriùs quàm Spiritus Dei; ſed & converſus idem in ἀ[illegible] longè deteriorem illâ Secularium. Et illa morum improbitas augenda ſemper in majus; donec furor Nordmannorum neceſſarius videretur illi coercendæ.* Inter *Monaſteria* verò quæ illuſtrem hoc Seculo fundationem habuêre, ex Chronicis, & Hiſtoriâ Benedictinâ, eminet *Cluniacenſe* in Burgundionibus, Comitatûs Matiſconenſis, ſtructum Columnis marmoreis, & ampliſſimè dotatum, à *Guilielmo Pio* Aquitaniæ Duce, Pontifice tùm Hadriano III. Cujus quidem Abbas primus *Berno* quidam fuit, hinc *Odo Sanctis* diviſque adſcribendus, ut ſequenti Ætate etiam *Odilo*; conciliandæ venerationi & Ordini, & Abbatiæ, & Superſtitionibus ab iis inſtitutis.

Scholæ in Monaſteriis.

Porrò fuêre tum adhuc Monaſteria, 1. *Scholæ* bonarum literarum, diſciplinarum, cumprimis Sacræ, quibus præerant *Abbates*, quorum munus ac præcipua cura fuit S. Scripturas interpretari, aut doctiores ad id Monachos deligere, qui dicti *Scholaſtici*. Exemplo ſint hoc Ævo Alcuinus, Rabanus, Strabus Fuldenſis, Haymo, Walafridus, Lupus Ferrarienſis, Paſchaſius Corbejenſis, Rhegino Prumienſis, Anſegiſus Lobienſis, Abbates alii non obſcuri nominis, vel Monachi, de quibus *Cap.* ſuperiori. Certè inclytæ fuerunt hoc jam Seculo per Gallias, Italiam, Germaniam, in Monaſteriis *Scholæ*, quales recenſet poſt alios, Joh. Launojus, Libro de *Scholis Celebrioribus* indè à Carolo M. Ità in Galliis eminuerunt Scholari diſciplinâ Monaſteria *Floriacenſe*, *Turonenſe*, *Corbejenſe*, *Autiſſiodorenſe*, *Rhemenſe*, *Orbacenſe*, *S. Dionyſii* Pariſienſe, *Ferrarienſe*, &c. In Germaniis præ cæteris, *Fuldenſe*, *Augienſe*, *S. Galli*, *Hirsfeldenſe*, *Moguntinenſe*, *Lindavienſe*, *Hirſaugienſe*, *Selingenſtadienſe*, *Lobienſe*, *Prumienſe* Trevirenſis Diœceſeôs, Germaniæ adſcriptum ſub Carolo Calvo, &c. In Italiâ, poſt *Caſſinenſe*, *Ticinenſe*, alia, floruiſſe *Scholam* in *Romano* Monaſterio, extrà Muros Civitatis, juxtà Baſilicam B. Petri, jam ſub Leone IV. Pontifice, auctor eſt Anaſtaſius Bibliothecar. In quâ veroſimiliter docuit *Johanna* illa perſonata, quæ Leoni ſucceſſiſſe fertur; quâ de re dictum *Capite* VIII. & aliàs.

Ac frequentiſſimæ quoque id genus *Scholæ* per Britannias, Hiberniamque, in Monaſteriis ex. gr. *Girwinenſi*, ubi Beda vitam exegit; *Malmesburienſi*, ubi profeſſus hoc Sec. Joh. Erigena, confodiendus æmulorum odiis fuit; *S. Albanenſi*, *Wigornienſi*, *Wiltonienſi*, aliis benè multis. Antiquiſſima memorant *Weſtmonaſterienſe*, in Suburbano Londinenſi, *Glaſtonenſe*, *Bannochorenſe*, *Huenſe*, *Menevienſe* S. Davidis, *Cantuarienſe* Auguſtinianum, &c. De quibus Chronica & Hiſtoriæ Britannorum, Hibernorumque; ac Balæus, Polydorus, Foxus, Uſſerius, Vita Ælfredi, & qui Scriptores id genus alii.

Monaſteria ut Carceres.

2. Sed & *Carceres* quoſdam fuiſſe Clauſtra & Monaſteria, hoc etiam Seculo, uti jam ſuperioribus, & *pœnæ* vel *pœnitentiæ* ſubeundæ loca, docent exempla luculenta. Recluſi nempè in id genus ergaſtula etiam Reges, Principes, Illuſtres, Viri Fœminæque, habitu Regio & Seculari poſito, capillis detonſis; Uſque adeo ut *Ludovicus Pius*, An. DCCCXXXIII. in Conventu ad Compendium Palatium, exutus habitu Imperatorio, recludendus hunc in modum decerneretur à conjuratis, malè mulctandis. Exempla dederant priora jam Secula, in ipſis Galliæ Regibus. Eadem pœna fuit *Epiſcoporum*, *Clericorum*, *Monachorum*, *Fœminarum*, ſi quorum facinorum rei, reæve. Quomodò *Ebbo* Rhemenſis Antiſtes, ſucceſſuro Hincmaro, trudendus fuit in Fuldenſe Monaſterium, & conjurati in alia, poſt reſtitutum Imperio Ludovicum Pium. Ità *Godeſchalcum* damnatum fuiſſe ab Hincmaro, qui in hujuſmodi carcere ad vitæ dies emarceſceret, dictum ſuprà fuit. Eandemque apud *Orientales* obtinuiſſe praxim, relegandi in Monaſteria, quos movebant Imperio, aut Patriarchatu, aut dignitate Metropolicâ, & ſimilibus, docent exempla *Irenes* Imperatr. *Theodoræ* matris Michaëlis, *Ignatii* Conſtantinopolit. *Photii* Patriarchæ, &c. de quibus locis ſuis.

Origo Epiſtolæ

VII. Spectat etiam ad hujus Ætatis primordia, ut colligitur ex Homiliario Pauli Diaconi, cum

 Præ-

Euangelii, Poſtillarum, Legendarum.

Præfatione Caroli M. ex Sigeberto, Trithemio, &c. nova quædam ratio *Lectionis* Sacræ & Eccleſiaſticæ. Olim antè Euchariſtiam S. *Lectiones* factæ ex Libris Utriuſque Teſtamenti, poſt quas habitæ ad Populum Conciones vel *Homiliæ*. Tandem certæ Lectiones ex *Epiſtolis* & *Euangeliis*, decerptæ, ac ſingulis per annum diebus præſcriptæ, & in ſeriem diſpoſitæ; quas perperàm adſcribunt *Hieronymo* poſteriores Seculi x. xi. ſub titulo *Comitis* & *Lectionarii*, & ità quoque Pamelius in Liturgicis, & Cardin. Bona Rerum Liturg. L. ii. C. vi. Sed Hieronymo abjudicant quibus datum eſt *habere naſum*, & ſatis docet ipſa *Præfatio* ſub Hieronymi nomine ad *Conſtantium* venerabilem Fratrem, quam vulgavit Lucas D'Acherius *Tomo* xiii. p. 253. quo tempore jam *Feſta* Sanctorum multiplicata per omnes ferè dies anni vertentis. Et Epiſtolæ quidem lectio ſeu *Apoſtoli*, primùm *Subdiaconis* committi cœpit, & ex inferiore loco ſive gradu; *Euangelii* autem, tanquàm dignioris, gerentiſque Chriſti typum, *Diaconis*, ex ſublimiore gradu; vix rei teſtibus antè Seculum ix. Sed *Seculo octavo contigiſſe ſuſpicatur* Bona Cardinalis, *mirato* hanc conſuetudinem Amalario, in Libro de Divinis Officiis. Et *Concionum* loco Dominicis, & Feſtis diebus, additæ *Lectiones* anniverſariæ, ex *Homiliis* Patrum, *per totius anni circulum congruentes*, *hyemales* & *æſtivales*, diſtribuente ità ſub finem Seculi viii. Paulo Diacono, Caſſinenſi Monacho, juſſu Caroli M. Quod opus *Homiliarium* ſive *Lectionarium* appellatum eſt, & jam tùm *Poſtillarium*, à *Poſtillis*, id eſt, explicationibus, *poſt illa* quæ ex Textu Sacro lecta fuerant. Qui hodieque Græcorum & Orientalium mos eſt, legendi decerpta ex Homiliis Patrum, poſt lectum Euangelium. Mox additæ hoc Ævo *Homiliæ* aliæ, pro Feſtis nuper inſtitutis, ut *Omnium Sanctorum*, *Aſſumptionis* Virginis, &c. operâ Monachorum: Hinc & *Acta Sanctorum*, legenda poſtmodùm fuêre eorum in Feſtivitatibus, undè *Legendarum* nomen, & *Legendæ Aureæ*; quamvis hoc Seculo Agobardus, noluerit legi *humana figmenta*, ſed nonniſi *puriſſima S. Scripturæ verba*, de Correctione Antiphonar. C. xix. T. ii. Et eum antè Alcuinus, *Epiſt.* lxix. ad Fratres Lugdunenſes; *In Eccleſiaſticis Officiis*, *inauditas priſcis temporibus Traditiones nolite diligere*.

An Papæ hoc Seculo nomen mutare cœperint?

VIII. Ad hoc Seculum refertur à Mart. Polono, Platinâ, Polydoro Vergilio, aliis, conſuetudo Romanorum Pontificum, *mutandi nomen*, tempore electionis. Undè *Leones*, *Bonifacii*, *Innocentii*, *Pii*, *Clementes*, *Benedicti*, *Felices*, &c. qui ut nominibus antè exaltationem, ſic moribus quos exprimunt hæc nova nomina, diverſiſſimi. Nempè factum hoc primò fuiſſe à *Sergio* II. ſucceſſore Gregorii IV. qui anteà fœdo nomine appellaretur *O S Porci*. Tacet rem Anaſtaſius, *Sergium* appellans antè aditum Pontificatum. Primumque Johannem XII. Seculo ſequente, anteà *Octavianum*, juvenem annorum xviii. aſſumpſiſſe *Johannis* nomen, cenſent prudentiores.

Remiſſum Papis Jus Imperat.

IX. Inſignior ea mutatio fuit, quæ ſub Johanne IX. Pontifice contigit, mortuo ſine prole Ludovico II. Imperatore. Nempè factum eſt *Caroli Calvi*, Imperii titulum ambientis, adverſus Ludovicum fratrem, & Italos Principes, nimiâ æmulatione, impetrandæ Coronæ Imperatoriæ à Johanne IX. 1. Ut ad Papas Rom. devolveretur jus *deligendi Imperatorem*, habereturque Imperium deinceps Feudum ſeu *beneficium Pontificis*, nec *anni Imperii repeterentur niſi à conſecratione Pontificiâ*, ut Sigonius. 2. Ut Carolus novus Imperator remitteret Pontifici *jura Imperatorum*, in Urbem Romam, in Ducatum Romanum, in Pontifices, & ut deinceps, *abeſſent Regiæ legationes* ab electionibus Pontificum. Factum eſt exeunte Anno dccclxxv. alii dccclxxvi. prout annum diverſimodè inchoant. *Juramento* etiam ſe *devinci* paſſus eſt Carolus, ſe *adverſus inimicos Eccleſiæ*, id eſt, Pontificis, *perpetuò illi pro viribus affuturum*, ità Sigonius, *Lib.* v. de Regno Ital. Videndus & Auctor Coætaneus, & Acta Coronationis Caroli edita à P. Pithœo, inſertaque Baronianis Annalibus Tomo x. ad An. dccclxxvi. In quibus fraus Pontificum apparet, fingentium pro lubitu *revelata ſibi divinitùs* eſſe, quæ ipſi mentiti. Ità Johannes ille IX. conſilium eligendi Carolum *pridem Apoſtolicæ memoriæ deceſſori ſuo, Papæ Nicolao, jam inſpiratione Divinâ revelatum fuiſſe*. Sed non eadem facilitas fuit ſuccedentium Imperatorum quæ Caroli Calvi, ut ad ſequens Seculum obſervamus. Ineptit Baronius, ſub initium A. dccclxxvi. dùm ex facto Johannis colligit, hinc *addiſci poſſe*, *qui ſolerent ritus obſervari*, *in Imperatoribus initiandis*, *ab ipſis Romanis Pontificibus*; Quaſi par præcedentium Imperatorum fuiſſet ratio, ut à Pontifice eligerentur, & beneficii vel feudi loco Imperium acciperent. Redi Lector ad Diſſertationem ſuperiorem *Cap.* vi. ſpecialem Diatribam de *facto Leonis* III. *Carolum M. Imp. proclamantis*.

Baronius notat.

Ficta Origo Donat. Conſt. M.

X. Ad hæc Johannis VIII. vel IX. tempora refertur à Viris Doctis origo fictæ *Donationis Conſtantini M.* Certè Otto III. in illo Diplomate, quod ipſe profert Annalium Scriptor, Tom. xii. ad Ann. mxci. N. lvii. *commentum* illud, *ſub titulo M. Conſtantini*, adſcribit *Johanni Diacono*; qui ipſi Trithemio eſt Johannes ille Diaconus, ſcriptor ſub Johanne VIII. cui inſcripſit Libros *de Vitâ Gregorii M.* Baronius verò ſuſpicatur, *Num.* lx. deſignari *Johannem* Diaconum S.R.E. Cardinalem, ſub Johanne XII. membris mutilatum apud Luitprandum. Sed neque hic profectò Scriptis ullis notus, aut dicendus *Johannes Diaconus*, qui *Johannes* ibi nominatur, dignitate Cardinalis Diaconus, citante etiam Baronio, ad An. dcccclxiv. N. iii. Sed ſive hujus Seculi, ſive poſterioris fuerit, (puta quando celebratur Donatio *Ottonis* I.) hoc Conſtantinianæ Donationis Inſtrumentum, parùm refert; de figmento conſentiente Baronio, qui *donata* vult Pontifici Regna & Imperia à *Chriſto* ipſo, non demùm à Conſtantino.

Fabulæ de Anglor. Regibus.

XI. Figmentum aliud Anglicanam hujus Ævi hiſtoriam fœdat. Referunt Sigonius, & Polydorus Vergilius, *Æthelwolphum* vel *Adelolphum*, Weſt-Saxonum ſeu Occidentalium Regem, (ad quos Monarchia paulo antè tranſierat victoriis Egberti Regis, *Angliæ* regnum deinceps appellantis) Romam profectum, honoratumque Coronâ Regiâ, *Regnum ſuum tributarium Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe*, *ſingulis familiis Nummo argenteo* (Denario Petri, *Peter-pence*, *Rome-ſcot*, *Rome-penny*) *in annos ſingulos obligatis*, ita Sigonius ad An. dcccli. Alii referunt ad Ann. dccclv. Romanum quidem iter per Gallias ſuſceptum, ſed regni illam ſubjectionem omninò tacent. Baronius mirè extollit, ad A. dcccxlvii. N. xxxiii. Errorem indè ſubeſſe volunt, quod Æthelwolphus liberam *eleemoſynam* Papæ conceſſerit, ad ſublevandos pauperes, laborante Eccleſiâ ſub Saracenorum jugo. Æthelwulfo autem tributum, vel etiam *Inæ* Regi ſub initia ferè Seculi viii. ex Ranulpho Ceſtrienſi, quod *Offa* Regis ſub finem Seculi prioris, Anno (ſecundum Spelmannum) dccxciii. ſub quo jam anteà lectum domatim fuiſſe illud *Denarium* ſuperiùs monitum, ſcil. in ſcholarium & peregrinorum uſus. Quod deinceps interpretati de *Angliâ* univerſâ, Romano Pontifici *tributariâ* redditâ, ut etiam de lege Edguri Regis, Edwardi Confeſſoris, Guil. Conqueſtoris, *denarium* ſolvendum in domos ſingulas imperantium, explicat Bertholdus Conſtantienſis in *Append.* ad Hermannum Contractum. Nam ſucceſſu temporis ſic interpretata eſt Roma, quando Pontifex in Angliam Quæſtores amandavit, qui pecuniam toto Regno colli-

ge-

gerent. Quum tamen certum ſit, non *tributi* nomine ſolutum primitùs ab Anglis *Denarium Petri*, ſed in ſtipem & eleemoſynam. Quod & factum in aliis Regnis, *Hiberniâ* ſub Henrico II. tentavit in *Galliâ*, *Hiſpaniâ*, *Luſitaniâ*, Gregorius VII. introduxêre in Calabriam, Apuliam, Siciliam, Poloniam, Daniam, Sueciam, &c. Pontifices alii, indulgentiâ Principum.

Altera fabella eſt, *Ælfredum* M. ejus filium, Anglicani Regni Coronam à Papâ accepiſſe, Leone IV. alii ab Hadriano II. hinc dictum *Filium Papæ*; ſic Anglorum Chronica, & Polydorus, Johannes Spelmannus quoque in Vitâ Ælfredi. Sed Ælfredus tùm *quinquennis*, vel *ſeptennis* puer, quum Romam miſſus à Patre dicitur, ſuperſtitibus adhuc Patre, & Fratribus tribus, natu majoribus. Igitur *unctio* non tàm *Regia* fuit, vel *Prophetica*, pro Leonis ſanctitate, ut interpretantur; quàm ſpectans ad ritum *Confirmationis*, Pontifice ſimul eum *adoptante in ſpiritualem filium*: Vide Notas noviſſimas Oxonienſes, in Vitam Ælfredi.

Fabula de Conſtitut. Ludovici Pii. Baronius notat.

XII. Denique, ut finis tandem ſit rebus Seculi IX. novum eſto Baronianæ integritatis argumentum, in laudandâ Donatione *ſeu Conſtitutione Ludovici Pii*, ad Ann. DCCCXVII. *Num.* x. & ſeq. & multo ibi auctiore, ex Vaticanis ſcil. monumentis, quàm quæ legitur apud Gratianum, *Diſt.* LXIV. *Cap.* Ego Ludovicus. Cui Conſtitutioni ſi habenda fides eſſet, renunciaſſet Ludovicus, per modum reſtitutionis factæ Pontificibus, non juribus modò Imperatorum circà *electiones* Pontificum, ſed & Dominio in *Urbem Romam*, in ejus omnem *Ducatum*, in ditiones Italicas, in Provincias, Urbes, Civitates, Caſtella propè infinita. Abdicaſſet ſe adeò ipſo Imperio, ſolo fortè nomine retento Imperatoris, donatione extensâ ad *Patrimonia* omnia, *ubicunque in partibus Regni atque Imperii à Deo ſibi commiſſi eſſe noſcerentur.* Donaſſet quoque Ludovicus, de alieno munificus, quæ Græcis Imperatoribus ſubeſſent, etiam ex pacto, ſcilicet Calabriam utramque, Siciliam, Inſulas reliquas. Hujus adeò Inſtrumenti cùm abſurditatem, prodentis ſe ipſo tenore, tùm ſilentium in Francorum Annalibus, in Aimoino, in P. Æmilio, cæteriſque, pernoverat Purpuratus, cudendi eo circiter tempore quo Conſtantinianæ Donationis alterum. Abſit igitur, ut confictæ Romæ hujuſmodi paginæ

—— referant monumenta vetuſti
Moris, & antiquas teſtificentur opes!

Nec vel Aimoinus, vel nimiùm aliàs in hiſce liberalis Leo Oſtienſis, aliud Ludovico Pio tribuunt, quàm *confirmatam* ab eo donationem Pipini, dein Caroli M. quâ primùm Romani Pontifices, ex privatâ ſorte, in illam Principum temporalium ſublimati ſunt, ſed ſalvis Franciçæ Monarchiæ juribus. Conſtanterque deinceps Ludovicum Pium, Lotharium, Ludovicum II. Auguſtos, exercuiſſe omnia ſupramatûs jura in Urbem ipſam, & in Pontifices; quemadmodùm exercuêre ſua in Italiam, Galliam, Germaniam, ſummi horum Imperiorum Reges, indubia Annalium ac Teſtium fides eſt. Ac dùm *Codices Vaticanos*, *quatuor Exemplaria*, ac *collationem* eorundem *mutuam*, oſtentat Annalium Scriptor, ſimul Documentorum id genus è Vaticanis ſcriniis fidem ſubleſtam univerſis prodit.

XIII. Mittimus quæ aliò ſpectant. Qualia ſunt ex. gr. Diviſio Imperii facta à Ludovico Pio inter Filios; *Lothario* unà cum Patre coronato in Auguſtum; ac *Pipino* Aquitaniæ, *Ludovico* Boiariæ Regibus creatis, peſſimo exemplo, & luctuosâ Patri ſimul ac toti Imperio hac indulgentiâ: *Popeli Junioris* Poloniæ Principis fatum; quem Alex. Guagninus in Rebus Poloniæ, & alii, ferunt à Muribus conſumptum cum Uxore & Liberis, qui ex Cadaveribus enectorum veneno Patruorum erumperent: Ortus Regni *Lotharingici*, quod à Lothario II. filio Lotharii I. Imperat. *regnum Lotharii* appellatum eſt, hinc *Loth-reich*, *Lotharingia*, *Lorraine*, Germanico Imperio poſt aſſerta. Ita enim Lotharius Imperator, non ſapiens ex luctuoſo Patris exemplo, diviſit ſuum Imperium, ut *Ludovico* natu maximo Imperium unà cum Regno Italiæ; *Lothario* Lotharingia, ut diximus; *Carolo* Provinciæ regnum, complexum quoque Provincias Viennenſem, Lugdunenſem, & Burgundici regni partes alias: Caſus *Caroli Craſſi*, Ludovici Germanici filii, dein Imperatoris, & Italiæ, Germaniæ, ſeu Franciæ Orientalis, Bavariæ, Lotharingiæ, Regis ſanè in exemplum poſiti toti poſteritati: Nam in dementiam lapſus, ex viſionibus imaginariis, & zelotypiâ in Richardam Conjugem, cætera Optimus Princeps, à clementiâ, juſtitiâ, pietate ad ſuperſtitionem uſque, laudandus, tandem ab omnibus ſuis derelictus fuit, poſt ſurrogatum in Imperio *Arnulphum*, nothum ex Carolomanno fratre; Ut tandem cibo, potu, omnibus neceſſariis, etiam famulo qui miniſtraret, deſtitueretur, fame periturus, ni Luitbertus Moguntinus eum aliquot dies paviſſet. Paulo poſt in pago quodam Sueviæ extinctus, ineunte Anno DCCCLXXXVIII. apud Rheginonem, Aventinum, & alios. Aventinus L. IV. p. 276. *Nihil infirmius ac mobilius eſſe potentiâ, documentum eſt Clariſſimus Princeps. Qui quum eſſet Italiæ, Germaniarum, Galliarum, Rhætiarum, Vindeliciæ, Noricorum, Pannonicarum Rector locupletiſſimus, tamen in illum ſævienti fortunæ tantum licuit, ut ſubitò de ſummo Generis Humani faſtigio, ad ima dejectus, obolo etiam eguerit.*

Memor. alia in Hiſt. Civili horum temp.

Sic originem tum accepit *Comitatus Flandriæ*, circà A. DCCCLXI. primo Comite *Balduino*, cognomento *Ferreo*, poſt nuptias cum *Judithâ* filiâ Caroli Calvi, ſorore Ludovici Balbi qui poſteà Imperator fuit, & ſub quo Ludovico Balduinus adversùs Saracenos in Oriente militaverat. Hunc volentem ſanè, Brugas primò abduxit, ubi nuptiæ celebratæ fuerunt, invito quidem Carolo; ſed tandem conciliando interceſſione Nicolai I. Papæ. Hinc donavit Balduino Carolus, quicquid concluſum eſſet inter Samonam, Scaldim, & Oceanum, *Flandriæ* nomine poſſidendum per modum *Feudi*; Quæ terræ anteà adminiſtratæ in modum Officii, per *Foreſtieros* ſeu Foreſtarum vel Saltuum Præfectos, aut *Magiſtros Sylvarum*, fieri conſueta.

FINIS *Seculi Noni*.

HISTORIÆ CHRISTIANÆ SECULUM DECIMUM.

Chronolog. rationes.

INCHOATUR hoc Seculum cum Anno Æræ Vulg. DCCCCI. Ind. IV. *Ludovico* IV. Arnulphi filio, Occidentis Imperatore, & Carolinæ ſtirpis ultimo, exorſo Annum II. Cui *Conradus* I. Franconiæ Dux ſuffectus fuit, *Othone* Saxone Imperii onus ob ætatem deprecante; *Leone* VI. Philoſopho, in Oriente, agente annum Imperii XV. *Carolo* III. Simplice, Ludovici Balbi filio, in Franciâ Occident. ſive Neuſtriâ, regnante; In Burgundiâ verò *Rodulpho* I. In Provincia *Ludovico* cognomento *Orbo* ſcil. oculis; In Italiâ, poſt occiſum Lambertum, *Berengario* Duce anteà Forojulienſi; In Angliâ verò Monarchiam adhuc obtinente A. DCCCC. Magno *Alcredo*, vel *Ælfredo*, Æthelwolphi filio natu minimo, ſubjugatâ Heptarchiâ; locum facturo, ineunte Sec. *Eduwardo* I. Ælfredi filio. Romanum autem Pontificatum adminiſtrabat ſublato *Theodoro* II. Johannes X. aliis IX. poſtquàm Theodorus II. eundem nonniſi dies XX. tenuiſſet.

Quæ ad infelix hoc Seculum, pro inſtituti noſtri ratione, memoranda venient, hæc ad ſequentia Capita referemus.

I. *Facies Eccleſiæ, ſimul & Reipubl. hoc Seculo ineunte.*

Fœdiſſimus Eccl. Romanæ ſtatus.

I. Romanam Eccleſiam quod attinet, fatetur Baronius *fœdiſſimam* tum ejus fuiſſe faciem, ſtatum *deploratiſſimum* ad Annum DCCCXCVII. & ſequentes. Pontifices ejus fuiſſe *Pſeudo-Pontifices*, quos non *auderet inter Pontifices numerare*, niſi factum à majoribus eſſet; intruſos fuiſſe in Romanam Sedem homines *monſtroſos*, *turpiſſimos*, *perditiſſimos*, *uſquequaque fœdiſſimos*; viſam tum *abominationem deſolationis in Templo*; *dormiiſſe* tùm in Naviculâ *Chriſtum*, *nemine excitante*, &c. Et quæ plura legi poſſunt apud Annalium Scriptorem, in ſuperioris Seculi Pontificibus memorandis, maximè ab obitu Formoſi, Anno exeunte DCCCXCVI. Quanquàm & is jam in *Marinum* indignatus, ſucceſſorem Johannis IX. quod *perperàm Johannis Papæ facta reſcindens, inter alia Formoſum Portuenſem Epiſcopum reſtituiſſet in Urbem, & in Epiſcopatum*, hoc ipſo *perjurum*, ad A. DCCCLXXII. N. I. Nec diu poſteà hujus *Formoſi* tumultuaria (ut fatentur) ſucceſſit in Pontificem electio, *largitione potiùs quàm virtute*, ut Platina, *Sergio* Anti-Papâ. De quo Formoſo, ut ſunt affectus, planè adverſa legas judicia, laudando Annalium Scriptori, poſt Auxilium, & Flodoardum. Cujus quædam *Epiſtolæ* vulgatæ ſunt, in Concil. *Tomo* IX. & Interdictum toti Angliæ regno, ſub Edwardo I. ſeniore, ob Eccleſias quaſdam Epiſcopis deſtitutas. *Bonifacius* Formoſum exceperat, homo *nefarius* Baronio, *bis jam anteà gradu depoſitus*; Bonifacium *Stephanus* VII. Hos vocat Cæſar *Pontifices intruſos, per vim & metum, maximam irrogantibus ignominiam S. Romanæ Eccleſiæ*, ad A. DCCCXCVII. N. I. Ac Stephani VI. vel VII. præter illegitimam evectionem, præter acta nefanda, & ferinam in Formoſi corpus barbariem, refert ille pariter *infamem interitum*, ad A. DCCCC. dignum *homine facinoroſo, qui ut fur & latro ingreſſus erat in ovile ovium, laqueo vitam, infami exitu, vindice Deo clauſurus*. Hæc Baronius faviturus Formoſo Papæ. Morinus tamen de Ordinat. Sacris, P. II. putat Stephanum VI. probabilem in Formoſum mortuum ſæviendi cauſam habuiſſe.

Et antequam memoraret Annal. Scriptor, *Romanum*, *Theodorum* II. tùm *Johannem* IX. quorum Papatus incidit in finem prioris, & initium hujus Seculi, ſic Baronius, ad A. DCCCC. N. VII. *Ità quidem Romæ omnia tam ſacra quàm profana, factionibus miſcebantur, ut penes illam partem eſſet promotio ad Apoſtolicam Sedem, quæ potentior appareret*: Mox, *toto hoc fermè Seculo iſta eſſe actitata*, uſque ad *Ottones*.

Baronius αὐτοκατάκριτος.

Et quamquàm fateatur ſeditioſas electiones à nefariis hominibus, ac ſacrilegis eſſe profectas, & Papis Romæ *ſimiles fuiſſe Cardinales, Epiſcopos, homines perditiſſimos*, arripit interim occaſionem Purpuratus, culpam omnem conjiciendi *in Principes Seculi*, ad A. DCCCC. N. III. IV. *Vix aliquis credat, imò nec vix quidem ſit crediturus, quàm indigna, quamque turpia atque deformia, execranda inſuper & abominanda, ſit coacta pati Sacro-Sancta Apoſtolica Sedes.* Quid ita? *Cùm Principes Seculi hujus, quantumlibet Chriſtiani, hac tamen ex parte dicendi Tyranni ſæviſſimi, arrogaverunt ſibi tyrannice electionem Romanorum Pontificum*, ſeu confirmationem ſaltem. *Nec penitùs Eccleſiæ Rom. contingere poſſe funeſtius, tetrius nihil atque lugubrius, quàm ſi Principes Seculares in Roman. Pontif. electionem manus immittant.* Atque hoc jus ſibi vendicarant Carolus M. Ludovicus Pius, Lotharius, Ludovicus II. quo tempore laudatiſſimos Pontifices Baronius refert, ſed & tales fuiſſe eos Imperatores, neſcit diffiteri. Ità tamdiu duraſſe *abominationem* in Romanâ Sede, idem paulo poſteà, *quouſque Germaniæ Imperatores Ottones medii interceſſerunt utrique parti*. Adeo ut ex adverſo fœda ea Romanæ Eccleſiæ facies, & violenta Sedis invaſio, apparere tùm cœperit, poſtquàm jugum illud Imperatorum excuſſère Pontifices, quod factum inprimis eſſe ſub Johanne VIII. vel IX. quando is Carolum Calvum Imperatorem appellavit, eſt in ſuperioribus monitum.

Effugia ejus abſurdiſſima.

Accedit altera Baronii Declamatio, haud multo ineptior clauſura Seculum prius; Quicquid nempè deinceps Pontificatus per vim raperetur, intruſuris ſe hominum monſtris, mixturiſque factionibus ac ſceleribus omnia, invadendæ per Sacrilegium Sedi, tamen fuiſſe eos *legitimos Pontifices*, *electionem factam legitimam*, *electos conſuetis ritibus*; *eos univerſam Eccleſiam Catholicam, ut legitimos Pontifices coluiſſe, ut Chriſti Vicarios, Petri Succeſſores*; poſteà, *immotam fuiſſe* nihilominùs *Eccleſiæ Petram*, *ſemper eam integram, perennem, inſolubili compagine petræ junctam, Sanctam, Catholicam*, etiam in mediâ illâ *abominatione deſolationis in Templo*. Vide ad Annos DCCCXCVII. *Num.* I. & DCCCC. *Num.* I. &c. Ac nuper Natalis Alex. in Stephano VII. T. XV. *Converſationis fuiſſe errorem, nullo modo prædicationis*, nec *ſpectaſſe iſta* Pontificum *ad fidem*. Frontem hominum mirare, & ex fructibus perpetuis arborem, ex monſtroſis Capitibus Corporis fœditatem agnoſce. Ac de Fide poſteà. Ut verò *Cleri Romani* univerſi corruptioni, ex ſuperio-

Digitized by Google

rioribus intellectæ, totiuſque *Monachiſmi*, ſociata fuerit (naſcente hoc Seculo) turpis *ignorantia*, ac tetra *ſuperſtitio*, nullis tùm ferè ſuperſtitibus qui lucem in tenebras illas inferrent, ſatis colligitur ex antè memoratis, exponentque mox dicenda publicæ luci.

Reip. facies luctuoſa.

II. Acceſſit Status *Politici* miſeranda per Occidentem facies, in ipſo Seculi exordio, ex omnibus penè Chronicis, Flodoardo, Luitprando, Sigeberto, Sigonio, reliquis. *Hiſpanias* opprimebant magnam partem *Arabes*, latè per eas dominati, in regnis Cordubenſi, Toletano, perpetuis Chriſtianos bellis, accitis ex Africâ copiis, vexaturi. *Gallias* crudeliter devaſtabant *Nordmanni*, ſeu Dani, Norwagi, Sueonibus permixtis, de quibus jam ſuperiori Sec. ac Neuſtriæ cumprimis regnum, ubi fixas deinceps ſedes habuerunt. In *Britanniis* expirante, unà cum Seculo, magno Ælfredo, Solis illius Britannici deliquium infauſta omnia, ac ſecuturas Danorum, hinc & Nordmannorum graſſationes, portendit quodammodò. Irruptura tum etiam in *Germanias*, primo ſtatim anno Ludovici Imperatoris, *Hungarorum* ſeu *Ungrorum* natio, Scythicæ originis, arcu valens & equitatu, ex Pannoniis (undè Hunnos priores profligavit, communi licet origine, *Hunn-Avari* fortaſſe) effundenda in Provincias intrà Rhenum Danubiumque ſitas, immani barbarie, Bojariorum, Suevorum, Alamannorum, Francorum, & Saxonum fines rapinis atque incendiis vaſtatura. Imò ultrà ipſum Danubium progreſſuri *inauditi hi hoſtes*, *Italiam* mox *crebris incurſionibus ac fœdis populationibus* afflixerunt, in Venetorum Ditiones tranſgreſſi, & Tranſpadanas regiones, ut pluribus Lambertus Schafhaburg. Sigonius ad Ann. DCCCCI. & alii. Accedebant intrà *Italiæ* fines, illinc *Saraceni*, ex Africâ rursùs in Inſulas Maris Mediterranei, hinc in Italiam exſcenſionem facturi, impleturique non diu poſteà Calabriam Apuliamque terroribus; Hinc civile bellum inter *Berengarium* ex Forojulienſi Duce in Lombardiâ Regem, & *Ludovicum* è Provinciæ regno ab Italis evocatum, An. DCCCC. Lamberto per proditionem occidendo. Sed Ludovicus malè tandem mulctandus, orbanduſque à Berengario, poſtquam proditus Veronæ à ſuis eſſet, & regno Italico & oculis, ut pluribus Annales, & Sigonius.

Status Eccleſiæ & Imperii in Oriente.

III. Nec felicior in *Oriente* rerum ſtatus, quanquàm ſub ſapientiſſimo Principe *Leone* VI. id eſt, in literas propenſiſſimo. Præterquàm enim quod oppreſſæ tùm magnam partem fuerunt *Orientis* Eccleſiæ per *Saracenos*, ſubverſis Diœceſibus, & Patriarchatibus Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, ſub Muhammedanorum jugo gementibus, ex Saracenicâ Hiſtoriâ, & Eutychio Alexandr. in Annalibus: Præterquàm quod diſtrahebant totum Orientem *Hæreſes*, Manichæa, Neſtoriana, Jacobitica, quorum hæc ſuum Alexandriæ Patriarcham habuit, Orthodoxis ſeu Melchitis oppidò paucis: Præter etiam *Idolomaniam* toto fermè Oriente reſtitutam, confirmatamque Conſtantinopolitanis Synodis tribus, ut ad ſuperius Seculum, & in noſtrâ Imaginum Hiſtoriâ; accedente *Hagioduliâ*, *Staurolatriâ*, ac *Monachali* ubique ſuperſtitione, Chriſtianiſmum converſurâ in Jejuniorum quandam Diſciplinam, & ἐθελοθρησκείαν, & Rituum religionem, & fabellarum officinam, & Scholam ignorantiæ: Acceſſit Anno hujus Seculi primo, grave *Schiſma* in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ. Idque ob *quartas* nuptias Leonis VI. Imperatoris, cum Zoë Carbonopſinâ, qui anteà etiam *tertias* proſcripſerat, pœnâ ſancitâ quam Canones olim ſtatuiſſent, Conſtitutione Leonis XC. Quo factum, & poſt Zoën Auguſtam declaratam, ut prohibitus aditu Eccleſiæ Imperator à *Nicolao Myſtico* Patriarchâ, hunc ipſum ejiceret, relegaretque in Monaſterium; ſurrogato *Euthymio* Syncello, undè alii Nicolao, alii Euthymio adhæſêre.

Baronius & Allatius notati.

Mentiuntur verò Baronius ad A. DCCCCI. & DCCCCXII. & Leo Allatius de *Perpet. Conſ.* L. II. C. VII. Leonem Imperatorem, antequàm Nicolaum gradu moveret, *legationem miſiſſe ad Romanum Pontificem, qui ſuper ejuſmodi nuptiis diſpenſaret*; quâ diſpenſatione impetratâ, *volenteque per Legatos Pontifice contractum matrimonium ratum haberi*, tum demùm agentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, *Myſticum reluctantem in exilium miſſum eſſe.* Dein & obtrudit Baronius Latinas literas, tanquàm à Nicolao Patriarchâ, poſt hujus reſtitutionem à morte Leonis, ſcriptas ad Romanum Pontificem, quibus rem geſtam exponit Sanctiſſimo Papæ, ſupplexque contendit ut Papa *in criminatores* ſuos animadvertat, *cujus eſſent hæ partes*, & *cujus* id *dignitas exigeret.* Ficta ad unum omnia; nec iſta Curopalates, vel Continuator Porphyrogenneti, vel ullus in Hiſtoricis Byzantinis. Neque ullâ Leoni diſpenſatione opus fuit, quam in ipſo Oriente per ſe ipſum, auctorem tot Legum ac Conſtitutionum, ſuumque Patriarcham, obtinere potuit, in re Juri divino minimè adverſante. Sed & *legationem* illam Nicolai Myſtici ad Romanum Pontificem, ſecretamque *concordiam* inter utramque Sedem, ità refert Allatius, ut commentum haud obſcurè arguat, quod & ſtylus totius *Epiſtolæ*; negetque Nicolaum reſpexiſſe Romanam Sedem, aut Concordiam ambiviſſe, *aut ſuam ab eâ dignitatem agnoviſſe*, prout fecerat Stephanus in Photii locum ſuffectus. Quin Synodus Conſtantinopolitana habita ſub Photio, præſentibus Johannis Legatis, & de quâ Sec. IX. à *col.* 1400. utriuſque Patriarchæ Romani Conſtantinopolitani independentiam, ſummumque jus in ſuos animadvertendi, citrà appellationes ab unâ Sede ad aliam, expreſſo *Canone* ſanxerat. Hauriunt fictas illas ex Baronio legationes, & Epiſtolas, qui ex eo unicè ſapiunt, quos inter Natalis Alex. in Johanne X. T. XV. p. 103. 104.

II. *Propagatio Religionis Chriſtianæ, certè Chriſtiani nominis, hoc Seculo.*

Nordmannorum Converſio. Modus, circumſtantiæ aliæ.

I. Quæcunque fuerit infelicitas Chriſtianorum temporum, amplexæ ſunt Chriſtianum nomen hac Ætate Gentes integræ, ex feris & barbaris manſuetiores faciendæ, Chriſti jugo aſſumpto. Tales in Galliis *Nordmanni*; poſtquàm nempè Ducibus Rollone & Gerlone, Lugdunenſis II. ſive Neuſtriæ in ſpecie dictæ caput *Rhotomagum* occupaſſent, An. Vulg. DCCCCV. hinc Lexovios, Biducaſſes, Eburovices, alioſque Neuſtriæ populos ſubegiſſent ad oram uſque maritimam, undè perpetuis incurſionibus Belgicam ſecundam, ubi Campania, Picardia, ac Lugdunenſem tertiam, Ligeri fluvio ab Aquitaniâ diviſam, infeſtabant. Hinc primò Epiſcoporum Rhemenſis ac Rhotomagenſis conſilia, *Rollonem* cum ſuis inducendi ad Chriſtianam fidem, ut barbari cicurarentur, ac ferociam deponerent. Hinc & ſubindè quoſdam tingebant, ſed redituros ad ingenium, priſtinamque barbariem. Undè Johannis IX. ab Herivæo conſulti, Rhemorum Antiſtite, Epiſtola hac de re, quam profert Baronius, ad Ann. DCCCCV. in quâ Pontifex ad Rhemenſem, *Veſtra Sanctitas*, *Reverenda Sanctitas*, &c. Tandemque præviâ inſtitutione, ut ferebant ingenia & tempora, Rollo Nordmannus, poſt conceſſam illi à Carolo Simplice *Neuſtriam*, ſociandam *Britanniæ* minori, titulo Ducatûs, & datam in tori conjugalis ſociam Giſelam filiam, ut fuêre pacta, ſacro fonte ablutus eſt Ann. DCCCCXII. Francone Archiepiſcopo Rhotomagenſi tingente, qui Witto-

ni

Digitized by Google

ni ſucceſſit. Atque ità Gens tota Ducis exemplum ſecuta Chriſto acceſſit, cum Gallorum religione adoptatura & mores, & linguam, daturaque deinceps Lugdunenſi II. *Nordmandiæ* vel *Normanniæ* nomen. Quâ de re Flodoardus in Rhemenſi Hiſtoriâ, *Lib.* IV. & Francorum Annales, Hiſtoriæque *Normannicæ* Scriptores, Dudo S. Quintinenſis, Guil. Gemmeticenſis, alii, ac nuper Franc. Pomerajus, in *Hiſt. Rhotomagenſium Præſulum*. Perſtitit in acceptâ Fide idem *Rollo*, juſtitiæ acerrimus vindex, cujus poſt fata inclamatum Nomen eſt à ſubditis oppreſſis in facinoroſos quoſcunque, hoc epiphonemate *Ha-Rol*, undè illud *Clameur de Ha-Ro*, per aphæreſin literæ, adversùs vim inferentes vel injuriam. Quin à ſuis invocatum, in mortis articulo, hic verſus Leoninus teſtatur,

Rollo ferus, fortis, quem Gens Normannica mortis
Invocat articulo, conditur hoc tumulo.

Falſæ Rhotomagenſium Antiſtitum origines.

Cæterùm *Acta Archiepiſcoporum Rhotomagenſium* primaſque origines, quas edidit Mabillonus, *Anal.* T. II. ſapiunt auctorem Monachum, & fabuloſas Origines. Deducuntur indè à *Clemente* Romano Papâ, qui *Nigaſium* vel *Nicaſium* Rhotomagenſium Antiſtitem primum ordinaſſet, unà cum *Dionyſio* I. Areopagitâ ſcil. mittendum in Gallias, ſed martyrio præventum, habiturumque ſucceſſorem Mallonum,

Exſtitit egregius Mallonus in ordine primus.

Ipſeque Illuſtriſſ. de Marca, ne Baronium cum ſuis dicam, fictis his originibus, miſſiſque à Clemente I. Galliarum Antiſtitibus aſſenſum præbuit, puta huic *Nicaſio* Rhotomagenſi, prout etiam *Clementi* Metenſi, *Trophimo* Arelatenſi, *Martiali* Lemovicenſi, *Saturnino* Toloſano, *Urſino* Bituricenſi, *Eutropio* Sanctonenſi, &c. Quæ omnia falſis monumentis & Actis Apocryphis niti, non unâ *Diſſertatione*, adversùs præfatum Præſulem, Joh. Launojus Pariſinus Theologus pridem demonſtravit.

Polonorum Gentes Chriſtianæ, Græco ritu.

II. Quicquid ad *Polonos* Slavonicæ originis, cum *Bohemis*, *Moravis*, jam ſuperiore Seculo perveniſſet Chriſtiana Fides, ex Cromerio, Laſicio, Aventino, qui Polonorum, Bohemorum, Bojorum Annales ſcripsêre, Gens tamen omnis hoc primùm Seculo X. facta Chriſtiana eſt. Occaſio ex nuptiis *Miecislai* Polonorum Principis cum *Daubrawka* Chriſtianâ, Bohemorum Ducis filiâ, quam ritu Chriſtiano initiatus ſibi junxit, A. DCCCCLXV. ut ferunt Annales. Undè mox ſplendidæ per Poloniam, ejuſque tùm partem Sileſiam, Baſilicæ ſtructæ, Epiſcopi conſtituti, Diœceſes diſtributæ. Nec Romanum ritum ſecutas hoc Ævo fuiſſe conſtat, ſed *Græcum* veriùs, à Bohemis & Moravis, quibus Cyrillus ac Methodius præfuerant, acceptum, in ſpecie à *Polonorum* vulgò *Apoſtolo* Voitecho, Græcæ Diſciplinæ, qui & *Albertus* vel *Adalbertus* dicitur. Quâ de re Hiſtoriæ Eccleſiarum Slavonicarum, Bohemorum, ac Polonorum, pluribus.

Moſchorum ſeu Ruſſorum nova converſio.

III. Converſionis ad Chriſti nomen, Sclavonicæ alterius Gentis, nempè *Ruſſorum*, *Ruthenorum*, *Moſchorum* ſeu *Moſcovitarum* Epocha, figitur aliis in Annum DCCCCLXIX. ſic Olearius quoque in Itinerario, aliis omninò ſeriùs, ad Annum DCCCCXC. Baſilio Juniore Romani filio ſolo imperante, *Wolodimiro* vel *Uladimiro*, totius Ruſſiæ Principe, qui Βλαδιμηρὸς Byzantinis. Occaſio converſionis iterùm fuêre nuptiæ, *Annæ* ſororis Baſilii & Conſtantini Fratrum, cum dicto *Uladimiro*, poſtquàm hic Baſilii affinitatem, miſsâ ſplendidâ legatione expetiiſſet, ex Scylitzâ, Ditmari Chronico, Miechovitæ Hiſt. Polonicâ, Paulo Jovio, &c. Nata autem Anna fuit, paulo antè Patris exceſſum, ex Scylitzæ ſeu Cedreni Compendio, *pag.* Ed. R. 645. id eſt, Anno DCCCCLXIII. Atque ità Chriſto nomen dedit Uladimirus, fide eâdem Ruſſis ſuis imperatâ, ut præcipui Moſcoviticæ Hiſt. Scriptores, Sigiſmundus Baro ab Herberſtein, & reliqui. Quam jam ſub Baſilio Macedone ſuſcepiſſe Ruſſos, ſed mox ut videtur abjecturos, auctor eſt Cedrenus, p. 589. & Zonaras, *Parte* III. Annalium. Falſa planè eſt Epocha converſionis totius Gentis Ruthenorum, *depoſitâ Ethnicâ & impiâ ſuperſtitione*, quam unam ſignat Baronius ad An. DCCCLXIII. *Num.* XLI. Photio Conſtantinopolitano Patriarchâ, ex codice Ms. Collegii Græcorum Romani, & ad calcem *Tomi* VII. de Ruthenis, *Num.* VIII. Nempè confuſus illis Baſilius Macedo cum Baſilio Juniore, qui & βυλγαροκτόνος, cui frater Conſtantinus. Et idcircò ad *Photiana* tempora referenda potiùs ea converſio fuit à Baronio, quoniam *Ruthenis* nullum cum Romano Pontifice negotium tunc fuit, certo argumento, quod toto poſt Photium Seculo, quando amplexi Chriſtianam fidem Ruſſi, Romano nihil eſſet auctoritatis in Oriente. Quod verò prima Gentis hujus converſio refertur ad *Andream Apoſtolum*, delatum ſcilicet Naugardiam, vel Novogradum, per Boryſthenem fluvium, pari loco habemus, quo converſiones alias, v. gr. *Indorum* per Thomam Apoſtolum, *Æthiopum* per Bartholomæum, &c. Hottingerus tamen ſine ſcrupulo, in Topogr. Eccleſ. C. III. *Nos non videmus Ruthenis hoc abjudicari poſſe*, ignariſſimæ originum Genti. Igitur à Græcis ſua Sacra, ſuos Epiſcopos, Sacerdotes, Diſciplinam, Ritus, Rutheni acceperunt. Imò etiam *Characteres* à Græcis mutuatos, ſed corruptos, & cum Sclavonicis confuſos, eorum ſcriptura & Libri teſtantur; utroque Codice Vet. & Novi Teſt. ex Verſione LXX. & Vulgatâ, Sclavonicè redditis. Et quum jam ſtabilita eſſet in Oriente *Imaginum* pictarum ſuperſtitio, degeneratura quotidie in pejus, ſed & *Hagiodulia*, ac *Jejuniorum* ſeveritas, tranſiêre eadem ad Ruthenos. Ità quoque Conjugium Sacerdotum, Forma Baptiſmi, Communio ſub utrâque, Panis fermentatus, Abſtinentia à ſuffocatis, odium Romani Pontificis, ignoratio Purgatorii, alia Papiſticis traditionibus diſſimillima.

Quanquàm tamen *Ruſſi Poloni*, ſuperiore Seculo ferè expirante, An. MDXCIV. inducti fuerunt ad concordiam cum Romanâ Eccleſiâ, faciente imprimis Societate, & in eâ Antonio Poſſevino Jeſuitâ, ſub Clemente VIII. Pontifice, ſed ſalvis *ritibus* ſuis, v. gr. Conjugio Sacerdotum, Communione ſub utrâque, Formulâ Baptiſmali Græcâ, aliis, de quibus Hiſtoria Eccleſ. Sclavonicar. L. IV. C. II. Quo nomine neſcio an fuerit quod exultaret adeò Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, ut etiam loco non ſuo, ad calcem Tomi VII. inſeruerit hiſtoriam *de Ruthenis à Sede Apoſtolicâ receptis, & Nummum* in hanc rem expreſſum, *dignum* (inquit) *poſteris monumentum, quod huic noſtræ ſcriptioni veluti ſigillum accedat.* Cæterùm in illâ Baronii de Ruthenis digreſſione, falſa ſunt quamplurima: Ex. gr. *Ruſſos* ſic dictos eſſe à *Roxolanis*; fidem accepiſſe à *Thadæo* & *Bartholomæo* Apoſtolis; dein recepiſſe eandem ſub *Seniore Baſilio*, Macedone, non ſub Juniore, quod ex fabulâ apud Curopalatem, de illæſo Codice Euangeliorum in fornacem ardentem conjecto, commemorat; de Ruſſorum regno *donato Romanæ Eccleſiæ*, à Demetrio Rege, tempore Gregorii VII. de conſervatâ ſemper in eâ Gente *ergà Romanam Eccleſiam propenſione haud mediocri*; de Ruſſis *ſemper Romanæ Eccleſiæ cupidiſſimis, & Catholicæ communionis amantiſſimis*, ex teſtimonio ſcilicet Iſidori Rutheni, Cardinalatum Romæ ambientis tempore Synodi Florentinæ; quem & cum Beſſarione conſecutus eſt, de quibus aliàs.

Baronii de Ruſſis inepta gloriatio.

Falſa alia.

Cæterùm obnoxius Ruthenorum *Patriarcha* fuit Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolitano, donec Græcorum Imperio per Turcas ſubverſo, evaſit αὐτοκέφαλος, proximus à Principe: Sub quo octo *Metropolitani*, per ampliſſimas ditiones diſperſi, quos inter primus *Novogradenſis*, remotiores *Caſanenſis*, *Aſtrachanenſis*, *Syberienſis*, &c. Planè ſic Abaſſinorum Patriarcha olim ſub Alexandrino, dein ferè ἀνυπεύθυνος, ex quo Turca invaſit Ægyptum.

Danorum & Borealium Converſ.

VI. *Danos* etiam hoc Seculo Chriſtianam fidem rursùm amplexos eſſe, Haraldo Rege, Gormonis filio; dehinc & *Norwagos* Scandinaviæ populos, *Livones*, conterminas Gentes; Crantzius & Chronica teſtantur. Deſciverant identidem ad Idolorum ſuperſtitiones, poſtquàm Ludovici Pii tempore Anſgarius & Audbertus ad Chriſti fidem perduxiſſe plurimos videbantur. Factum eſt Ottone I. imperante, medio Seculo x. poſt ſubactam armis Ottonis Gentem, ut Haraldus, cum filio Suenonè, qui & Suenotto, mox apoſtatâ, & rebelli in patrem, ſacro fonte ablueretur, jam antè Chriſtianâ Haraldi matre Thirâ. Referunt ex antiquioribus Crantzius Daniæ *Lib.* IV. C. XX. Joh. Magnus Hiſt. Gotthorum *Lib.* XVII. C. XVI. alii. Inſtrumenta præcipua firmati apud Danos Chriſtianiſmi fuêre Adaldagus Hamburgenſis, & Poppo indigena, vir religioſus, quum *ad candentis ferri tactum manus ejus intactas barbari cernerent*; ſigno hoc ſcil. à Poppone dato, ut Crantzius ex Witichindo, Ditmaro, vetuſtioribus Chronographis, pro ſuorum credulitate ac conſuetudine temporum. Ita *Suecorum* qui Chriſti religionem publicè acceperint, Rex primus fuit *Olaus* Erici filius, Kanuti Magni uterinus, *Jacobi* nomine ſuſcepto, apud Crantzium Sueciæ *Lib.* V. C. X. Qualis verò, antè Chriſtum inclamatum, fuerit earum Gentium ſuperſtitio, prolixè refert Adamus Bremenſis, ſcriptor Seculi XI. excerptus Grotio in Hiſtoriâ Gotthorum, à *pag.* 98. & Olaus Wormius, in rebus Danicis, *Lib.* I. Nempè tria illis fuiſſe præcipua Numina, dicta *Thor*, *Wodan*, & *Fricco*, quod ab aliis *Frea* vel *Freia*; quorum Deorum primus Thor præeſſet fami, peſti, Wodan bello, Fricco nuptiis; primus Jovis, alter Martis habitu, Frea Veneris. Sacrificia, Lucos, Solemnitates, Deos ex hominibus factos, alia referre non hujus inſtituti eſt. Confer quæ nos de Germanorum vetere ſuperſtitione, ſuprà ad Seculum VIII. *Cap.* XI.

Baronius notat.

Baronius pro more, ad A. DCCCCXLIX. in horum converſione duo commendat, 1. *Agapeti* Papæ legationem conceſſam Adaldago, & jus ordinandi Epiſcopos, ac privilegia Hamburgenſi Eccleſiæ innovata, ex Adamo Bremenſi, & Saxone Grammatico: Quæ privilegia veriùs à Principibus dimanarant; & quaſi non ſine auctoritate Romani, Euangelium diffundi potuiſſet in Septentrionalem hanc plagam. Sed & tacet in *Daniâ* ſuâ Crantzius, tacent Platina, Sigebertus, aliique, hanc factam ab Agapeto poteſtatem; & Joh. Magnus, *Libro* XVII. C. XVI. *Quod Saxo aſſerat, legationem fuiſſe expectatam ab Agapeto Papâ, veriſimile non eſt.* 2. *Miracula* apparentium animarum, *ſenſibilibus apparitionibus*, ad *indicandam earum immortalitatem*, *quam Slavi negabant.* Quæ dùm ex Ditmaro confirmat, cùm ſuam, tùm hujus Chronographi ac ſimilium ineptiam prodit; qui tamen quo magis circà id genus portenta ineptiunt, modò Pontifici ſerviant, hoc ipſo ſunt illi *ſinceri Hiſtorici*, *probatæ fidei*, &c.

Hungarorum Converſio.

V. *Ungarorum*, Sarmaticæ Gentis à Sclavonicâ diverſæ, nullâ vel linguæ affinitate, ac ſuprà omnes alias ferocis, excepit quoque converſio, pari ratione quâ Polonorum illa & Ruthenorum contigerat. Nempè ex deſponſatâ Hungarorum Duci *Geiſa* nomine, ſorore *Miecislai* Poloniæ Ducis, ſi nonnullis Polonorum Chronicis fides eſt. Alii à *S. Stephano*, Geiſæ filio, initium accepiſſe Chriſtianam religionem, labente ad finem Seculo, Othone III. imperante, ſub quo gens tota Hungarica & Transſylvana converſa fuerit, ex Faſciculo Temp. Æneâ Sylvio, Platinâ in Dono II. qui poſt Benedictum VI. ſedit, Chronographis aliis. Converſionis inſtrumentum Adalbertus Pragenſium Epiſcopus, & Giſela Stephani conjux, ſoror Henrici Imperatoris. Nec Adalbertum *Ungaris prædicaſſe*, ex *ſuſcepto à Papâ Apoſtolatu*, ut multis Baronius ex apocryphis *Actis*, ut ſolet, dùm ignaviſſimi fœdiſſimique Pontifices Sedem occuparent; ſed *divino Spiritu impellente in Pannoniam deſcendiſſe*, habet Platina, in Dono II. Ac ſucceſſiva demùm fuit Gentis ferocioris converſio, quare ad Seculum XI. hæc ab aliis referenda. Atque ab eâ Ungarorum gente *Pannoniis* Hungariæ deinceps nomen fuit; latiſſimè protenſis finibus, ut & Croatiam, Sclavoniam, Raſciam, Serviam, Boſniam, Dalmatiam, Bulgariæque veteris partem, complexum *Hungariæ* regnum aliquando fuerit.

Stephani Converſio qualis?

Quia verò ex converſione *Stephani* Hungarorum Regis ad fidem *Chriſtianam*, quo tempore Chriſtianiſmus totus infectus fuit humanis Traditionibus, colligunt eum omninò converſum ad *veram* & *Catholicam* fidem, hæc obiter obſerventur. 1. Eccleſiam Romanam ſanè tum adhuc retinuiſſe hæc Fidei *Catholicæ* Capita, ex. gr. Fidei principium Scripturam Sacram; Credenda ex Symbolo Apoſtolico; facienda ex Decalogo, & ex Oratione Dominicâ; obſervationem Baptiſmi & Euchariſtiæ S. ſed ut in uſu tum fuêre. 2. Huic *Chriſtianiſmo* addidiſſe jam tunc *Papiſmum*; id eſt, hujuſmodi acceſſiſſe additamenta, ſeu in Doctrinâ, ſeu in Cultu, ſeu in Ritibus & Sacramentis, ſeu in Regimine ac Diſciplinâ, quæ fuêre priorum Capitum, ſeu Catholicæ fidei, *everſiva*, illis *contradictoria*, adeoque falſa, & adverſa Doctrinæ Chriſti. Hujuſmodi fuêre; Cœca obedientia præſtanda Pontifici, ut Dei & Chriſti Vicario; Eſſe in Miſſâ verum & propriè dictum Sacrificium, idemque propitiatorium, Corporis Chriſti realiter ibi præſentis, virtute Conſecrationis; Dari Purgatorium poſt hanc vitam, non ſufficienti purgatione peccatorum in ſanguine Chriſti: Deberi cultum religioſum Ligno Crucis; B. Virgini; Sanctis demortuis, in Romanâ, (qualis tum fuit) Eccleſiâ Canonizatis; Reliquiis eorundem; Imaginibus, Simulachris: Conjugium Clericorum eſſe ignominioſum, quod Paulus dixit, *honorabile inter omnes*, Hebr. XIII. 4. & quæ plura id genus. 3. Hinc Stephanum illum amplexum eſſe Chriſtianiſmum, qualis tum fuit, infectum ſuperſtitionibus, & traditionibus humanis, quas Roma præcepit, nuſquam Chriſtus aut Apoſtoli, imò contraria omnia. Quin pluris tum fuiſſe Papæ mandata, quam illa Chriſti aut Apoſtolorum, patet vel ex præconio Baronii. 4. Eundem Stephanum, ſi Baronio ipſi fides eſt, ſub initium Seculi XI. *Tomo* XI. ad Annum MII. MXXX. MXXXVIII. &c. Regnum ſuum, ex piâ devotione, cenſuiſſe offerendum *S. Virgini Dei Genitrici*, imò *Eccleſiæ Romanæ*; Sic Eccleſias eidem *B. Virgini dedicandas*, conſecrandas; *Eleemoſynas*, ſubſidia, ſtipem collatitiam, exerceri debere ergà Monaſteria, Monachos, Canonicos *Stephani* πρωτομάρτυρος, Clericos, ſatis aliundè ditatos; quod interpretantur de beneficentiâ ergà *pauperes*; Opus pietatis eſſe, *peregrinari ad limina Apoſtolorum*; Devotionem commendandam ergà Homines demortuos, qualis fuit devotio S. Stephani in S. *Benedictum*, cui *auream Crucem valdè pulchram dono miſit*, quemadmodùm idem Stephanus moriens, *Spiritum tradidit in manus perpetuæ Virginis*, & *S. S. Angelorum*, *inferendum æternæ beatitudini*; *Feſtum Aſſumptionis B. Mariæ* eſſe oportere *lætum Angelis & Hominibus*, *feſtivitatem perpetuam*, &c. 5. Eundem Stephanum meruiſſe poſt mortem *Divis* adſcribi,

bi, obtentu *Miraculorum* de quibus Legenda S. Stephani: Reverà ob devotionem in Mariam Virginem; ob ſubjectionem ſui & regni Romanæ Sedi; ob munificentiam in Clerum & Monachos.

Baronius notat.

Piget nugas omnes Baronianas indicaſſe, ex *Actis* ſcilicet *S. Adalberti*, & ex *Vitâ S. Stephani* apud Surium, ad An. DCCCCLXXXIX. & DCCCCXCVII. Febrilia omnia, & aniles narratiunculæ. Lege modò, quiſquis es, paginas Purpurati: Nempè Adalberti, Sanctitatis ergo, ſeceſſionem in Urbem Romam; abdicatum hinc Epiſcopatum; revocationem ad ſuos miſſis ad *Apoſtolicum* Legatis; ſuſceptum Apoſtolatum; viſiones Angelicas; apparitionem Stephani Proto-martyris; miraculoſos Natales S. Stephani primi Hungarorum Regis; miraculoſas ejuſdem victorias ſub ſignis SS. *Martini*, & *Georgii Martyris*, alia ejuſdem furfuris. Omnia verò eò ſpectarunt apud Annalium Scriptorem, ut præmiſsâ ſanctitate hujus Stephani, hinc derivaret *donationem Regni Ungariæ factam ab eo Romanæ Eccleſiæ, cum omni jure & poteſtate*; nempè ex teſtimonio unius Gregorii VII. *in Epiſtolis*, qui nullum Regnum noluit eſſe feudum Romani Pontificis. Atque hanc in nefarios licet Pontifices devotionem, *cauſam* fuiſſe dicit Baronius, ad An. M. *Num.* XIX. *cur Stephanus tantam divinitus revelatam gratiam promeruit, ut alteri paratam Coronam acceperit, quod ſcilicet ipſe Regnum Ungaricum R. Eccleſiæ donarit.* Et ne imprudentiæ modus ullus eſſet, ſubjungit *Num.* XXI. factum eſſe *ſtupendâ Dei providentiâ, quo tempore ipſa Romana Eccleſia caſura & interitura penitus videri potuiſſet* (impietate, flagitiis, abominandâ corruptione) *ut eodem tempore externi longè poſiti veniant Reges ad Apoſtolicam Sedem, quam recognoſcant, & venerentur unicum Orbis Templum, Aſylum pietatis, columnam veritatis, petram immobilem*, &c. Pergit, *Ecce inquam Reges, non ut olim ad Chriſti cunabula duce Stella ab Oriente veniant, ſed à Septentrione, undè (quod ſcriptum eſt) conſuevit progredi omne malum in Italiæ damnum, quod ab iiſdem (ut audiſti) haud pridem pavendis exercitibus irrumpentibus ſæpè paſſa fuerat: modo accedunt humiles, præviâ Fide ad tugurium piſcatoris, ipſam Romanam Eccleſiam, non munera tantum ex ſuis theſauris accepta, ſed ipſa Regna afferentes ad eam, & Regna petentes ab eâ? Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini? Quis inquam iſta prudens expendens, non cognoſcat Romanam Eccleſiam non hominum arbitrio regi, qui eam ſæpiùs perdere laborarint, ſed imperio Chriſti diſponi, & divinis promiſſionibus cuſtodiri?* Quæ ineptiæ!

Ficta donatio Regni Ungarici.

Rom. Eccleſia à Chriſtianiſmo plurimos avertens.

VI. Nunc quæ fuerit illa Romanæ Eccleſiæ *Sanctitas*, ut illa tùm *Aſylum Pietatis*, ac *Veritatis firmamentum*, & qualis ejus *Chriſtianiſmi* ratio, qui per illius emiſſarios invectus eſt in Regiones barbaras, omnique ſuperſtitioni deditiſſimas, ſequenti capite paucis enarrandum veniet. Neque dubium eſt quin Antichriſtiana planè dominatio, ac Cleri univerſi corruptio, nefandumque vitæ genus, etiam ſub ſpecie *Monachalis* ſanctitatis, plurimos à Chriſtianâ fide averterit, aut mox ad defectionem induxerit. Quò faciunt memorata in harum Gentium Chronicis exempla, de *Boruſſis* vel *Prutenis*, de *Danis*, *Slavis*, *Hungaris*, *Bohemis*, *Nordmannis*, &c. qui aut diutiſſimè reſtiterint, aut mox redierint ad prima ſacra, nec niſi coacti tandem ſubierint jugum Romanæ Eccleſiæ. Tantùm abeſt ut illarum vulgò *Apoſtoli* Apoſtolicis verè Miraculis coruſcarint, æquè ac ſanctitate Divinâ planè & Angelicâ. Ac ſi qui homines ſuperſtitioſi ad has Gentes Româ ſubmiſſi fuêre, quum eadem Roma veriùs *Apotactica* eſſet, & *Apoſtatica*, quàm Apoſtolica, ex confeſſis, iidemque malè à Gentilibus mulctandi, non fuit quod Baronius inſultaret hunc in modum Novatoribus, ſanè inſulſiſſimum, ad An. DCCCCXCVII. *Num.* V. *Huc provoco Novatores, ut diſcant quales ſint verè Apoſtolici viri, & à quo Apoſtolatum ad Gentes accipere conſueverint, ut legitimi vocarentur, & non adulterini Chriſti Miniſtri*; Ac quales illi fuerint, à quibus acceptus iſte *Apoſtolatus ad Gentes*, procul ſcilicet! *charactere apoſtaſiæ*, quo dicit *inuſtos Diaboli arte* Proteſtantes, ex ſequentibus apparebit.

III. *Infelicitas Eccleſiæ, omneſque Papalis Antichriſtianiſmi Characteres, toto hoc Seculo* X. *Conſpectus Paparum; & Baronianæ Paginæ.*

Teſtimonia de hujus Seculi execrandis.

I. Auctor Faſciculi Temporum, inchoaturus hoc Seculum, Ætate ſextâ, p. 68. *Heu, heu Domine Deus, quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! Qualia contigiſſe circà hæc tempora, etiam in S. Sede Apoſtolicâ, legimus ſcandala*, & quæ ibi plura. *En novum inchoatur Seculum*, ſunt Baronii voces, ad Annum DCCCC. *Num.* I. *quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, mulique exundantis deformitate plumbeum, atque inopiâ Scriptorum appellari conſuevit obſcurum. In cujus limine conſtituti, ob ea quæ pro foribus adeo flagitioſa nuper contigit aſpexiſſe, antequam progrediamur ulterius, hîc Lectorem monendo, præfari aliquid neceſſarium duximus, ne quid ſcandali puſillus animo patiatur, ſi quando videre contigerit abominationem deſolationis in Templo; ſed magis miretur & cognoſcat in ejus cuſtodiâ divinam invigilare potentiam, cum non ut olim, abominationem tantam ſecuta mox fuerit deſolatio Templi.*

Baronii memorandæ voces.

Rurſus, *Num.* III. *Cuncta quæ olim paſſa eſt ſub Gentilibus Imperatoribus, vel quæ ab Hæreticis ſive Schiſmaticis, aliiſve quibuſcunque Perſecutoribus, horum comparatione ſunt æſtimanda luſus quodammodò puerorum.* Mox, *Eſt planè ut vix aliquis credat, immò nec vix quidem ſit crediturus, niſi ſuis inſpiciat ipſe oculis, manibuſque contrectet, quàm indigna, quàmque turpia atque deformia, execranda inſuper atque abominanda ſit coacta pati Sacro-Sancta Apoſtolica Sedes, in cujus cardine Univerſa Eccleſia Catholica vertitur.* Mox, *Num.* II. Quod *omnia Roma, tàm ſacra quàm profana, factionibus mixta fuerint*, &c. fatetur, *ea toto hoc fermè Seculo eſſe actitata.* Alibi: *Cùm tanta iſta urgerent toto hoc Seculo mala, & ſcandala increbreſcerent*, &c. Alio loco: *In tantâ caligine Ægypti pene tenebras ſuperante.* Quod & ſeries Annalium Baronianorum docet, quocunque tandem Purpuratus mantelo fœdam ſuæ Eccleſiæ nuditatem obvelare paſſim annitatur. Vide eundem, ad Annum DCCCCVIII. *Num.* IV. V. VI. VII. ad Ann. DCCCCXII. N. VIII. IX. X. XI. &c. Ubi is, *Deum oblitum Eccleſiæ ſuæ; meretricum arbitrio permiſſæ, infamatæ; faciem ejus luridam, fœdiſſimam, quum Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ Meretrices*, &c. quaſi non ea fuerit Romanæ Purpuræ perpetua macula. Ibidem, *dormiiſſe tunc planè Chriſtum alto ſopore; Et quod deterius videbatur, defuiſſe qui Dominum ſic dormientem clamoribus excitarent, ſtertentibus omnibus*, Clero ſcilicet univerſo. Undè & clauſurus Seculum ad Ann. M. *Num.* XXI. *Quis iſta conſiderans non miretur & obſtupeſcat, dùm quo tempore ipſa Romana Eccleſia caſura, & interitura penitus videri potuiſſet, tot improbis, ſceleratis, impudicis, prædonibus, invaſoribus, ſanguinariis, & graſſatoribus, hoc Seculo (ut audiviſti) Sedem Apoſtolicam invadentibus, eamque depravatis moribus conſpurcantibus, tam vitioſo in primis ingreſſu, quàm deteſtando pravorum morum exemplo.*

Conſenſus univerſalis.

Quo factum eſt, ut Seculum hocce Decimum paſſim *infelix*, *monſtroſum*, *indoctum*, tempora *teterrima*, *peſſima*, *nefanda*, & ſi quid iſtis gravius, com-

mu-

Digitized by Google

muni Chronologorum contenſione audiverint. Genebrardus, initio Sec. X. Libro IV. ad A. 901. *Infelix dicitur hoc Seculum, exhauſtum hominibus ingenio & doctrinâ claris, ſic etiam claris Principibus, & Pontificibus: In quo nihil ferè dignum memoriâ poſteritatis geſtum ſit*, &c. *Hoc verò uno infelix, quod per Annos ferè* 150. *Pontifices circiter* 50. *à virtute majorum prorſùs defecerint*, Apotactici, Apoſtaticive, *potius quàm Apoſtolici.* Nec aliter Bellarminus, Onuphrius, Carranza, Spondanus, Ducheſnius, Mezeræus, nuperque Nat. Alexander Monachus Ordinis Dominici, &c. Et quotquot aut Vitas Pontificum hujus Ævi conſcripsêre, præeunte inprimis *Platinâ*, aut res eo Seculo geſtas in Commentarios retulerunt. Quos inter *Luitprandus, Glaber, Mart. Polonus, Wernerus Rolevinck, Sigonius, Nauclerus, Crantzius, Aventinus, Sabellicus*, &c. Cujus poſtremi memorabiles voces, *Enneade* IX. Lib. I. ut & Platinæ in *Benedicto* IV. refert Uſſerius, de Chriſtianarum Eccleſ. Succeſſ. C. 11. *Ne in Pontificibus quidem, cæteriſque Principibus, ſalutaria inſtituta, non Templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberalium artium affectationes; ſed ſtupor, & amentia quædam*, &c. *Non poſſum non multum mirari, unde tragica hæc Pontificum fluxerunt exempla, quam dira pietatis oblivio eorum mentes obrepſerit, ut neque* perſonæ *quam ſuſtinebant ratio, ab his ulla haberetur, neque* loci *quem tenerent.* Et quæ illic plura. Quin *Gerbertus* ille, qui poſteà Sylveſtri II. nomine Papatum geſſit, in *Epiſtolarum* Libro, ſed quas non inſeruêre Conciliorum Tomis, ut ſcriptas antè Pontificatum, *Epiſt.* XL. ad Stephanum Diaconum: *Romanorum mores mundus perhorreſcit.* In Synodo Rhemenſi, circà Annum DCCCCXCII. habitâ, citante ipſo Baronio, ad eum Annum N. XVIII. *O Lugenda Roma, quæ noſtris temporibus monſtruoſas tenebras futuro Seculo famoſas oſtendiſti*, factâ mox comparatione priorum Pontificum, cum illis hujus Ætatis. Quin paulo poſteà, *Anti-Chriſtus eſt in Templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquàm ſit Deus*; Baronio hoc ipſo *Hæreticum* & *Schiſmaticum* appellante, *Num.* XXII.

Cauſæ corruptionis à Genebrardo & Baronio confictæ.

II. Abominandæ corruptionis, & qualem vix animo concipias, ut ex ſubjiciendis mox rei Documentis, *cauſam* mendaciſſimè fingunt; Nempè Germanos Imperatores, Principeſque Seculi, invadentes in jura Pontificum, *ſub quibus captiva & gemens fuerit Eccleſia, ab Arnulpho uſque ad Henricum* IV. *in ordinem reductum*, nempè à Gregorio VII. ita Genebrardus. Idemque inchoaturus Seculum: *Hoc ipſo infeliciſſimum, quod Eccleſia ſub Cæſaribus eſſet captiva*, ſine ullo bono ferè Pontifice. Alibi, *Tanti ſceleris rei ſunt Germanici Imperatores, qui ità premebant Eccleſiam, ut ſublatis Canonicis electionibus, recuſaret Electus Pontificatum ſuſcipere, priuſquàm ab illis confirmaretur.* Prolixiùs Baronius, cùm paſſim, tùm in hujus Seculi exordio & fine, culpam omnem conjecturus in Principum tyrannidem, *quibus proſtituta ſcilicet fuerit Eccleſia.* Sic iſte ad Annum DCCCC. ubi præmiſsâ Romanæ Eccleſiæ facie, *aſperſâ ſordibus, putoribus infectâ, inquinatâ ſpurcitiis, ex hiſque perpetuâ infamiâ denigrandâ*: Subjungit, *Num.* IV. *Quæ cuncta conſiderans quiſquis ſapiens, planè horreſcens in hanc prorsùs ſententiam mecum ibit. Nihil penitus Eccleſiæ Romanæ contingere poſſe funeſtius, tetrius nihil atque lugubrius, quam ſi Principes Seculares in Romanorum Pontificum electionem manus immittant. Atque jure exiſtimabit, horum peſſimos ſuaſores hoſtes eſſe ejuſdem Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimos*, &c. Quum è contrà, nihil lugubrius acciderit, quàm factiones quæ Romæ graſſatæ, in creandis Pontificibus, abſque interventu Principum Secularium, ut hoc Seculum infrà probabit.

Et ad Annum M. *Num.* XXI. XXII. ubi fabula de Regno Hungariæ oblato Apoſtolicæ Sedi: *Quâ occaſione Eccleſiæ Dominium ſibi Imperatores vindicantes, pro arbitrio ſtatuerunt in Sede Petri quem vellent; ſic redditâ jam prorsùs vili & contemptibili effectâ ancillâ Regum*, quæ *Domina Gentium, & conculcata pedibus Filiorum, præſidentium attrita veſtigiis*, &c. *Sed eo tempore quo Imperatores ſibi electiones Romanorum Pontificum uſurparunt, tunc vice verſâ Regnorum ab Eccleſiâ Romanâ titulos Principes petierunt*; ſcilicet!

Confutantur.

Sexcenta id genus paſſim in Principes contumelioſa apud Annalium Scriptorem, quaſi hi ipſi cauſa fuiſſent, quod Romæ graſſarentur Pſeudo-Pontifices, perjuri, ſacrilegi, ſeditioſi, uſquequaque perditi. Quo tempore optimi Principes, ut factum præcipuè ab *Ottonibus*, laudatiſſimis Imperatoribus, perditiſſimam hanc Romanorum Pontificum, Cardinalium, Cleri totius gentem coërcere, ſacrilegos ac ſeditioſos in ordinem cogere, ſcandala tollere, vel minuere ſaltem, niterentur. Ac longè aliter de Germanis hoc Ævo Imperatoribus, ſed & Principibus paſſim, fidi Hiſtorici, Flodoardus, Rhegino, Luitprandus, Sigebertus, Otto Friſingenſis, Lambertus Schafnaburg. Godefridus Viterb. Wernerus Rolevinckius in Faſciculo Temp. Platina, Nauclerus, alii. Ut etiam Wernero ſint expreſſæ hæ voces, occaſione Ottonis Johannem XII. deponentis, ad Ann. DCCCCLIV. *Sanctitas Papas dimiſit, & ad Imperatores acceſſit hoc tempore, ſicut clarè apparet.* Et cui Eccleſiæ *Dominium* omne interdixerant Chriſtus, Paulus, Petrus, *ſubjectionem* imperarant, hæc jam *Gentium Domina* eſt, *Domina Imperatorum, Regum, ad quam Regna afferantur, à quâ Regna petantur, in cujus manu ſint Diademata*, quam *adoraturi veniant Reges ab Aquilone*, &c. Lege ſignata modò in Baronio loca, & cohorreſce. De jure autem Imperatorum Seculis prioribus, circà *electiones* Romanorum Pontificum, prolixè nos ad Seculum VI. VIII. IX. locis ſuis. Ut taceam Gallos Scriptores nuperos, neve Car. Molinæum, & ſimiles appellem, hæc jura Imperatoribus omninò vindicantes, quos inter noviſſimè vir ingenuus Stephanus Baluzius. Sed & Johannes IX. qui Baronio eſt *laudatus Pontifex*, ad Ann. DCCCCV. N. I. in Concilio Ravennatenſi, Anni DCCCCIV. *Cap.* I. excommunicationi ſubjacere pronunciaverat, *ſi quis glorioſiſſimorum Imperatorum Caroli videlicet Magni, Imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, nec non & filii ejus Ludovici, quæ in eorum Capitularibus ſtatuta atque ſancita ſunt, non obſervaverit*; ac tùm de *Eccleſiaſticis decimis* agebatur. Et præfatur idem Papa, facere hæc Capitula *ad robur & munimentum S. Eccleſiæ.* Idemque in Concilio Rom. Ann. DCCCCIV. *Capit.* X. ne deinceps conſtitueretur Pontifex, vel conſecraretur, *niſi præſentibus Legatis Imperialibus*, & *ne Imperatoris honorificentia minueretur.* Ac Leo VIII. circà A. DCCCCLXIII. *electus* (ut Auctor Faſciculi Temp.) *communi voto, depoſito Johanne*, vel ut Platina *creatus* Pontifex à *Clero Populoque Romano*, adeoque Canonicâ electione, aſſentiente Imp. æquiſſimâ lege revocaverat priſtinam electionum formam, abolitam Principum indulgentiâ, & ambitione ſeditioneque Pontificum, qui poſt Johannem VIII. Sedem ferè invaſerant: Wernerus; *Statuit, ut nullus Papa fieret ſine conſenſu Imperatoris, propter malitiam Romanorum qui ſuos intrudebant.* Vide Conſtitutionem ipſam, in Synodo Romanâ, *Leonis totiuſque Cleri, ac Populi Romani*, apud Gratianum, *Diſt.* LXIII. *Capit.* In Synodo; vindicatam Petro de Marca, Steph. Baluzio, aliis. Sed *nullius roboris* Baronio, *quia non à legitimo Papâ*, expungenda adeò ex Conciliorum Tomis, etiam nuperis, uti Leo VIII. ex Catalogo Pontificum. Quum tamen rectè provocarit Leo *ad exemplum Adriani* I. ac nulli jam olim abſque conſenſu Imperatorum fuiſſent Pontifices., quâ de re diximus pluribus ad *Sec.* VI. VII. VIII. IX. Quo tempore fatetur Baronius, ſe-

ſediſſe ſanctiſſimos Papas, ſucceſſuris hominum monſtris, ex quo permiſſus ſibi fuit Clerus Romanus, ut ſequens Hiſtoria docet. Ingenuè nuper poſt alios Nat. Alexander, in Joh. IX. Tomo xv. pag. 95. *Tumultus & diſſidia in Romanorum Pontificum electione ea tempeſtate excitari ſolita, oriebantur ex eo quod Imperatoris Legati non intereſſent, violentiam & ſcandala prohibituri:* Rectè, quæ ſibi habeat Baronius. Genebrardus ipſe ad An. DCCCCIV. *Felix* fuiſſe *Seculum* non ob Pontifices, ſed *Reges Sanctos*, ſeu Imperatores, *Henricos duos*, *Ottones tres*, & quæ ibi vide.

Veræ cauſæ Corruptionis hoc Sec. III. Igitur *infelicitatis* hujus Seculi veras cauſas, ne exempla deſint, compendio damus; miſſis quæ ad Hiſtoriam civilem ſpectant, & vel ad ignaviam Principum, Arnulphi, Caroli Simplicis, aliorum etiam in Oriente, vel ad irruptiones Barbarorum. Ac primò ex flagitiis & tyrannide *Romanorum Pontificum*, quos nihilominùs Baronius habet pro veris Eccleſiæ Capitibus, legitimis Paſtoribus, ſucceſſoribus Petri, Chriſti Vicariis, immobilibus Petris, Veritatis Columnis, &c. de Romanæ Eccleſiæ conditione judicandum. Hinc etiam ex incremento corruptionis in *Doctrinâ*, Idololatriæ in *Cultu*, Superſtitionum in *Ritibus*, ſolutæ Diſciplinæ in *Clero*, *Monachis*, ignorantiæ denique incredibilis in *Sacris boniſque Literis*, quæ denſiſſimis tenebris immerſæ ſepultæque jacuerunt, Chriſtiano Orbe in Cimmerium & Barbarum fœdè converſo.

Selecta de Papis hujus Ævi. Nec omnia de hujus Ævi Pontificibus infanda referimus, obvia in Vitis Pontificum, & in Chronographiis hujus temporis, paſſimque à noſtris excerpta, poſt Magdeburgenſes, Flacium, Wolfium, Mornæum, & qui hos exceperunt, multuſque jam Hottingerus eſt, in *Seculo* x. *Sect.* 1.

Johannes X. 1. De *Johanne* IX. vel potius X. qui initio hujus Seculi ſedit, & laudibus efferendus Baronio fuit, *ut alter Jeremias*, ità refert Platina: *Johannes nil ſe dignum memoriâ reliquit, niſi quod ſeditiones propè extinctas*, in cauſâ præcipuè Formoſi, *revocavit.* Auctor Faſciculi Temporum indè à Bonifacio VI. exorſurus, incluſis Johanne IX. Benedicto IV. *Neſcio aliquid notabile de iſtis Pontificibus dicere, quin nonniſi ſcandaloſa de his reperi. Unus contrà alium & ſimul contrà ſe mutuò, ac pariter omnes & ſinguli contrà Deum, & Chriſtianam Eccleſiam.* Aventinus etiam, Johannem illum *ſtupris & avaritiâ infamem* appellat.

Bened. IV. Chriſtophorus I. 2. *Benedictus* IV. Johanni iſti ſuffectus, (ferunt labente Anno DCCCCVI.) rurſum *magnâ laude Pontifex*, Cæſari Baronio; adeo ille obſcurus eſt, ut ex veteri Inſcriptione *Sergium* III. eo tempore ſediſſe Pontificem, non Benedictum, ipſe Purpuratus moneat, ad eundem Annum DCCCCVI. Mox *Chriſtophorus*, invaſor Pontificatûs, (truſo in carcerem Leone V. ex Monacho Pontifice) *Pontificatum malis artibus adeptus, malè amiſit*, ità Platina. Per vim nempè dejiciendus ipſe à *Sergio* III. Baronius, ad Ann. DCCCCVIII. N. III. *Sunt hæc infeliciſſima tempora, cùm alter alterius res geſtas intruſus quiſque Pontifex, abolevet.* Platina in Benedicto IV. *Ubi cum ipſis opibus laſcivire cœpit Eccleſia Dei, ... peperit nobis hæc monſtra, hæc portenta, à quibus, ambitione & largitione, Sanctiſſima Petri Sedes occupata eſt, potiùs quam poſſeſſa.* En tibi Succeſſionem Romanorum Pontificum!

Sergius III. 3. *Sergius* III. monſtrum informe, omnium conſenſione, & Baronio, ad eundem Annum, N. IV. V. ex iis *qui non Apoſtolici, ſed Apoſtatici ſint dicendi; per vim tyrannicam invaſor Pontificatûs, vitâ turpiſſimus, infamis, obſcœnus, ex Maroziâ meretrice, Johannem* (qui poſteà Pontifex Johannes XII.) *nefario gignens adulterio; ſub quo Theodora ſenior, nobile ſcortum, Monarchiam in Urbe obtinuit.* Undè mox declamatio Baronii, ac ſtupor, quod inter tot mala & ſcandala *ſteterit Eccleſia immobilis*, ſteterit *promiſſio Chriſti, quod Portæ inferi non prævalerent adverſùs eam.* Quum tamen nunquàm Inferi prævalere fortiùs potuerint, ac triumphare de eâ Eccleſiâ, quæ ſe à Chriſto ſacrilegâ appellatione nuncupari pateretur.

Ille ipſe Sergius eſt, qui priſtina in *Formoſum* odia reduxit, & poſt annos penè xx. elapſos (undè in dubium rem vocavit Sigonius) cadaver denuò è ſepulchro extractum capitali ſupplicio affici juſſit, & in Tiberim projici, *reordinandis* qui à Formoſo ordinati fuerant. Quâ de re, præter Platinam, Wernerum, alios, ex profeſſo ſcripſit *Auxilius*, de Ordinationibus Formoſi, editis Libellis duobus à Joh. Morino, in Comment. de *Sacris Ordinationibus*, addente Supplementum Mabillono in Analectis. Cæterùm fabellam adjiciunt, Formoſi cadaver inter piſcandum à piſcatoribus repertum, atque in Eccleſiam importatum, *ſacris Imaginibus coràm eo ſe inclinantibus*, ut Wernerus. Platina rectiùs; *factumne ſit à piſcatoribus haud ſatis conſtat, vivente præſertim Sergio*, qui exceſſit Ann. DCCCCX. Nempè fingenda hæc à Formoſi fautoribus; nec magno tùm miracula conſtitêre.

4. Succeſſerunt *Anaſtaſius* III. & *Lando* Pontifices, *à quibus nihil memoriâ dignum geſtum eſſe, viri obſcuris*, Platina quidem, ſed tamen, ut Baronius ex Luitprando obſervat, *Romæ tum dominantibus, potentiſſimis æquè ac ſordidiſſimis Meretricibus.* Fuerunt ex iis, *quos tanquàm monſtra quædam è medio brevi Deus ſuſtulit*, ut Platina in Chriſtophoro I. Anaſtaſius III. Lando.

5. *Johannes* X. vel XI. faciente Theodorâ ſcorto, *quæ illum turpiſſimè deperibat*, & quocum conſueverat, in *Ravennatenſem* Eccleſiam primò, *deinex Archiepiſcopo Ravennate in Cathedram Petri violenter intruditur*, ità Baronius, ad An. DCCCCXII. N. VII. De quo Meretricum in Eccleſiâ dominatu, *quarum arbitrio mutarentur Sedes, darentur Epiſcopi*, plura ibi Annalium Scriptor; dùm hujus Theodoræ filia altera *Marozia* Sergio Papæ fuiſſet proſtituta, altera, *Theodora* junior, juncta adulterio Adelberto Marchioni Thuſciæ, ex quâ Albericus naſcitur, de quo poſteà. Nec diſſimulare iſta potuit, pluribus hanc infamiam commemorante Luitprando Ticinenſi, Hiſtoriæ ſuæ *Libro* VI. Cap. XIII. Nec is tamen videtur Johannes, ſed ſequens Johannes XII. qui natus ex Maroziâ filiâ Theodoræ, & patre Papâ Sergio, inceſto concubitu, licet Platina, Wernerus, alii, confundant Johannem utrumque. Nec defuêre qui utrumque genitum crediderunt Sergio Patre, prout de utroque affirmat Platina. Inter alia verò hujus Johannis, *Hugonem* Aquitaniæ Comitis filium, *necdùm quinquennem*, confirmaſſe Rhemenſem Archiepiſcopum hic Papa legitur, ad inſtantiam Rodulphi Francorum Regis, teſte Flodoardo, Hiſt. Remenſis *Lib.* IV. Cap. XX. Quâ de re Baronius ad An. DCCCCXXV. N. IX. *Tanta iſta adeò nova, adeò turpia ac deteſtanda, ſolo auditu horrenda atque pudenda, ne fabulam putes anilem. Prodo ejus auctorem Flodoardum*, &c. Mox, *Vidiſti, Lector, cujus auctoritate Pontificis, id primum fuerit introductum in Eccleſiâ Dei, Johannis Decimi, quo turpior nullus, cujus ſicut ingreſſus in Cathedram Petri infamiſſimus, ità & exitus nefandiſſimus. Opus illo dignum, quem infamis Fœmina infami opere in Petri ſolium intruſiſſet.* Maroziæ ſcorti, quæ mater alterius Johannis fuit, inductu, per inſidias, *cervicali in os injecto*, necatus eſt, anno Pontificatûs XIII. ex Flodoardo, Luitprando, Sigeberto, Platinâ, aliis. Johannes XI.

6. Inter hunc Johannem, & filium Papæ Sergii Johannem XII. vel XI. medii Pontifices *Leo* VI. & *Stephanus* VIII. licet omiſſi hi Luitprando Hiſtorico, quia ignobiles, & brevis ævi, tollendique æmulorum factione. Sed ecce Pontificem *Johannem*, Sergio Papâ & Maroziâ matre certò genitum, *moribus* etiam Patrem expreſſurum, potentiâ Widonis mariti, Thuſciæ Marchionis, A. DCCCCXXXI. in- Johannes XII.

intruſum, infrà ætatis annum XXIV. Et hic rurſùm confitens reus Cardinalis eſt, fuiſſe hunc Johannem *Pſeudo-Papam*, *monſtrum*, *cui non ætas*, *non natalitia*, *non legitima ſuffragaretur electio*, *& qui nihil niſi nomen Pontificis malis artibus uſurpatum retineret*, ad A. DCCCCXXXIII. N. I. V. Ibidem tamen Purpuratus, reveritam in eo eſſe Eccleſiam *ſummum Pontificem*, ſummumque ejuſdem *judicium*, violenter intruſo, violenter extrudendo, Pontificatûs anno *quarto*, & menſibus aliquot.

Allatius notatus. Fabula eſt, quam narrat Leo Allatius, ex eo Nat. Alexander, cæterique, *Johannem* hunc *confirmaſſe* per Legatos, Theophylacto Romani filio, invitâ Græcorum Eccleſiâ, ſed Pontificiâ tamen ac ſupremâ auctoritate, *Patriarchatum* Conſtantinopolitanum; *Pallium* etiam conceſſiſſe, quo deinceps Theophylactus & ſucceſſores, injuſſu Romani, uterentur. Nugæ! Quâ de re infrà, uti de Statu Eccleſiæ Orientalis.

Ignobiles alii Pontif. 7. Ignobiles Pontifices *Leo* VII. *Marinus* II. dignior fortaſſe *Stephanus* IX. Sed quia is natione Germanus, adhæc Ottonis Magni operâ à Romanis electus, hinc frigidiuſculè de eo Baronius, cruentis vulneribus fœdando, factione Alberici. *Agapeti* II. diuturnior Pontificatus, ſed cohibente Albericum, & Romanos, Ottonis auctoritate, tantùm abeſt ut hæc gravis fuerit Eccleſiæ, aut accuſandus Baronio fuerit, quod *immiſcendi ſe in electione Romanorum Pontificum occaſionem captaverit*, ad A. DCCCCXL. N. I.

Johannes XIII. Ex Baronio deſcriptio. 8. At minimè prætereundus Pontificatus *Johannis* XIII. qui aliàs XII. ab An. DCCCCLVI. Alberici hic filius Romani Conſulis, Octaviani anteà nomine, *puer* adhuc in Pontificatum aſſumitur, ab adoleſcentiâ *omnibus probris ac turpitudine contaminatus*, ut Platina. Nonnulli vix *duodecennem* fuiſſe, Baronius, *ipſum ad ſummum nonniſi annos decem & octo habere potuiſſe*, *cum invaſit Pontificatum*, ſiquidem *primogenitus* Alberici fuerit; de quo tamen dubitat, juniorem eum fuiſſe ſuſpicatus, ad Ann. DCCCCLV. N. III. IV. Igitur eſt is Baronio ipſi *abortivus Pontifex*, quem *parturiit tyrannis*, *armis omnia miſcens*, *omnia audens*, *& ſubvertens*, *ut nullo pacto dicendus tunc fuerit legitimus Pontifex*, *in cujus electione nulla lex ſuffragata*, *qui nec ætate Diaconus eſſe potuit*, *in Scenâ Mimus Pontificem agens*. Ac poſtea ad An. DCCCCLXIII. DCCCCLXIV. Johannes *perjurus*, *impuriſſimus*, *quem jure deteſtentur omnes boni*, *cujus nefanda ſcelera omnes deteſtati*, *enervatus laſciviis homo*, *impœnitens*, *juſtè à Deo puniendus*, *ab omnibus repudiatus*, tandem à *Diabolo percuſſus*, quum eſſet in adulterio deprehenſus, *dum nocte quâdam*, *extra Romam*, *ſe cum cujuſdam Viri uxore oblectaret*, ut ex Luitprando refert Cardinalis, & confirmant varii Chronologi, Nauclerus, Trithemius, Crantzius, &c. Platina, *ſunt qui ſcribant hunc ſceleratiſſimum hominem*, *vel hoc monſtrum potiùs in adulterio deprehenſum & confeſſum* (à marito adulteræ) *interiiſſe*. Ac inceſtas ejus libidines, adulteria, ſtupra, ſacrilegia, infanticidia, homicidia, incendia, aleas, venationes, magiam, invocationem Dæmonis, Diabolica negotia, perjuria, rebelliones in Cæſarem motas, converſum Palatium & Sanctuarium in lupanar, in proſtibulum, ut *Romanæ mulieres Apoſtolorum limina orandi gratiâ timerent viſere*, accuſaſſe Romanos apud nuncios Ottonis, dein in Synodo Romæ congregatâ, teſtantur Luitprandus, vel ejus Continuator *Libro* VI. & Acta ejuſdem Synodi, inſerta ut Annalibus, ſic Conciliorum T. IX. à *col.* 648. Ità in ſpecie juramentum illud quo ſe Ottoni Johannes obſtrinxerat, *ſe nunquam Berengario & Adelberto ejus filio auxiliaturum*, mox ab Ottonis diſceſſu nefariè violandum, Luitprandus memoratus, vel Continuator certè refert, *Lib.* VI. C. VI. Nunc talem Pontificem quis miretur execratos eſſe Romanos, Italos, Germanos, Gallos, Chriſtianos omnes, quantumvis etiam addictos factioni Johannis, ipſumque adeò Ottonem Imperatorem, à pietate laudatum ipſi Baronio? Et quid ſupererat aliud, quàm mitti ab Ottone Legatos, qui de Johannis facinoribus, noviſſimoque perjurio, Romæ cognoſcerent, ad ſe referrent, hinc iteratò monendi eum Pontificem, pro Imperatoris clementiâ, anſam darent? Uti factum. Donec perfidiâ hominis cognitâ, qui, dum Legatos ad Ottonem dirigeret, noviſſimè intrà Urbis mœnia *Adelbertum* Ottonis hoſtem exceпiſſet, neceſſe habuit Imperator Romam properare, in Johannis facinora ipſe inquirere, obteſtari Romanos per omnia ſacra, ne ſe calumniis fallerent, hinc tandem Synodum cogere, Johannem citare, contumacem judicare, monſtrum deponere, & Virum probatæ omnibus fidei, *Leonis* VIII. nomine, in Sedem Pontificiam inferre. Ac de factis hiſce ex Continuatore Luitprandi, & cæteris omnibus Chronographis, ipſiſque Actis Romanæ Synodi, ſumma conſenſio eſt, neque inficiato noviſſimè, poſt Baronium ad Annum DCCCCLXIII. Natali Alexandro, *Tomo* XV. in rebus hujus Johannis, à *pag.* 117. Sed quæ jam hic ipſe, cum Cæſare Baronio, & Paraſitis Romanæ Curiæ, contrà eam *Synodum* Romanam, & *Johannis* hanc depoſitionem, electionemque *Leonis*, ſingulari Diſſertatione excipiat, paulo inferiùs, ſub alio Titulo, expendendum veniet.

Interim de Johanne iſto Baronius, *primum eum eſſe inventum*, *qui mutaverit nomen*; dignum nempè ſecuturis Pontificibus exemplum quod imitarentur! Addit, idcircò *Johannis* nomen ab eo adoptatum, uti hoc à Papis frequentiùs quàm aliud ullum, quia *adulatoriis acclamationibus malè uſurpatum proferri ſoleret illud elogium*, imò blaſphemum de ſceleratiſſimis nebulonibus, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes!* Dehinc laudat Annaliſta factum ejus Pontificis, ad Annum DCCCCLX. qui Ottonem Imperatorem obſtrinxerit, (ſolemni apud Gratianum formulâ) ut *Sedi Apoſtolicæ fidem juraret*; ſic illi quidem promiſſionem Ottonis reddunt, *quales juramentorum formas multiplices eſſe in Vaticanâ Bibliothecâ*, idem jactitat, *Num.* V. Baronii de Johanne obſervata.

9. Poſt *Leonem* VIII. ſuffectum in *Johannis* XII. vel XIII. locum, ſucceſſit *Johannes* XIV. juxtà Platinam, aliis XIII. non ſine prævio Ottonis aſſenſu electus, An. DCCCCLXVI. Sed & ab eodem, poſtquam ejeciſſent Romani, *quod elatiore quàm par eſſet animo eos regeret*, ità quoque nuper Natalis Alex. *Art.* XXII. *Cap.* I. reſtituendus hic Johannes fuit. Probante jam Baronio, qui turbarum aliàs cauſam in Imperatores ſolitus eſt conjicere. De ſuperſtitione hujus Johannis, *baptizantis* novo exemplo Campanam Lateranenſem, verbum infrà dicimus. De fictâ autem *Ottonis* donatione, factâ huic Johanni, ſeu reſtitutione Urbis Territoriique Ravennatenſis, cum Ditionibus aliis quàm plurimis, ex Rheginone, tacent Chronographi alii, & Platina, ipſeque nuper Natalis Alexander, in hoc *Johanne*. Baronius etiam frigidiuſculè meminit, ad Ann. DCCCCLXVII. N. I. Johannes XIV.

10. Nec pretium operæ eſt Pontifices reliquos perſequi. *Donus* II. paucorum menſium, & ignobilis Pontifex. *Benedictus* VI. poſt anni ferè unius Pontificatum *ſtrangulandus*; addente Platinâ, *nullam* ſceleris *vindictam fuiſſe ſumptam*, quod *fortè talia fuerint Benedicti merita*, *quale præmium conſecutus eſt*. Ità *Bonifacius* VII. teſte eodem Platinâ, *Pontificatum malis artibus adeptus*, *malè amiſit*, *ſacrilegus*, *tyrannus*, Baronio *vir ſceleſtiſſimus*, undè nec inter Pontifices ab eo referendus. Iſti oppoſitus Anti-Papa *Benedictus* VII. cui anni IX. à Martino Polono X. tribuuntur; memorandus magis Cæſari Baronio tan- Benedictus VI. Succeſſores aliquot.

quàm *Epocha* quædam, & à Reliquiis, ac ſuperſtitionibus, ejus ad tempora relatis, quàm ab ullâ virtute.

Johannes tres Ottone III. imper.

11. Malè periturus *Johannes* XIV. fame extinctus fuit. Johannem XV. *poſthabito Dei honore & Romanæ Sedis dignitate, omnia divina & humana* ſuis elargitum eſſe, refert Platina. Diſtinguit hunc idem poſt Marianum Scotum, Martinum Polonum, à Johanne XVI. qui diutius ſedit; ut *tres* ſub Ottone Tertio *Johannes* ſederint, antè *Gregorium* V. De Johanne illo XV. ut vulgò Johannes numerant, diſertè Aimoinus Floriacenſis, fuiſſe *turpis lucri cupidum, in omnibus ſuis actibus venalem*, unde eum Abbo Floriacenſis, luſtraturus Sanctorum loca, *execratus ſit*. Et ab iſto Johanne motus Archiepiſcopatu Rhemenſi *Gerbertus* ille fuit, qui *Arnulpho* depoſito præfectus illi Sedi fuerat, ſed idem Gerbertus mox favore Ottonis III. Ravennatenſis, tandem & Romanus futurus Pontifex. Cauſa indignationis Pontificiæ in Gerbertum fuit, quod *auctoritatem Sedis Apoſtolicæ* contrà Gallicanos Præſules imploraſſet Arnulphus, & *abſque eâdem* cùm iſte *gradu depoſitus*, tùm Gerbertus *elevatus* fuiſſet, ut pluribus Baronius, ad An. DCCCCXCV. Undè Annalium Scriptoris in eum Gerbertum invectivæ, antè & poſt adeptum Pontificatum, ut ſtatim.

Gregorius V.

12. *Gregorius* V. anteà *Bruno*, gente Saxo, ſanguine conſanguineus Ottonis III. hujus etiam favore, Ravennæ tùm agentis, electus in Pontificem fuit, ut Ditmarus, M. Polonus, Platina, Chronographi plerique, & res ipſa docet. Nollet tamen Baronius hunc Gregorium, cui, ob auſa vel etiam afficta, mirè aſſurgit, debuiſſe Imperatori ſuam Infulam, hinc electum eum *antequam Romam ſe Otto conferret*. Nugæ! Electus ſanè antequam Otto ad removendum Anti-Papam, *Johannem Placentinum*, & opprimendam Creſcentii tyrannidem Romam properaret, ſed tamen electus *Ottonis auctoritate, & ob affinitatem*, ut diſertè Platina. Satis verò ad commendationem Gregorii hujus Baronianam fuit, quod in Reges Reginaſque, & Regna, qualiter in *Robertum* Francorum Regem, *Bertam* Conjugem, *totamque Franciam*, fulmina intorquere; aliàs etiam ea interminari *toti* Franciæ *Regno*, in cauſâ Arnulphi olim Rhemenſis Archiep. ſuperbo vertice auſus fuerit, ex Francorum Annalibus. Imò ſi audirentur Baronius, Genebrardus, Binius, paraſiti Romani, is Gregorius eſt, qui in Concilio Romano *ſeptem Electores Romani Imperii* conſtituerit, & à quo *Germani jus eligendi Imperatoris acceperint*, ut fuſè is ad Annum DCCCCXCVI. à *Num.* XXXVIII. Quâ de fabellâ, deque Concilio commentitio, ex Vaticanis ſcilicet monumentis, ex Flavio Blondo Seculi XV. ſcriptore, hinc Platinâ, Krantzio, & id genus auctoribus, qui & Magdeburgenſibus impoſuerunt, nonnihil poſteà.

Gerbertus ſeu Sylveſter II.

13. Ac tandem Gregorio V. ſucceſſit *Gerbertus* ille, natione Gallus, ſub finem Seculi, nomine *Sylveſtri* II. de quo, ut Romano Pontifice, opportuniùs nos ad ſequens Seculum. Satis hîc ſit monuiſſe, ornari hunc Gerbertum à Baronio, uſque ad tempus exaltationis in Pontificem, epithetis Viri *perverſiſſimi, verſipellis, mendacis, horrendè blaſphemi, Heretici, Schiſmatici, improbi blateronis, fraudulenti, indigni nomine Catholico, Sede Apoſtolicâ, quam illicitis artibus* occupaſſet. Sed is tamen probandus eidem Baronio tanquàm *legitimus poſt Gregorium Pontifex*, ne ſucceſſio interrumperetur, Româ ἀκεφάλῳ, ad Annum DCCCCXCIX. N. VIII. Undè verò Baronii in Gerbertum furor? Lege modò quæ hic ipſe Gerbertus de Pontificibus hujus Ævi, cùm Rhemenſis Antiſtes eſſet, referente ipſo Baronio, ex Actis Synodi Rhemenſis, de quâ poſteà, ad An. DCCCCXCII. N. XVIII. *O Lugenda Roma! quæ noſtris Majoribus clara Patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus monſtroſas tenebras, futuro Seculo famoſas, offudiſti. Olim accepimus claros Leones*, &c. *Nunc vidimus Johannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum, contrà Ottonem conjuraſſe*, & quæ ibi plura de Octavianô. Tum recenſet *Benedictum, & Maleſacium*, qui Bonifacius, è Catalogo Paparum diſpunctus, *monſtra hominum, ignominiâ plena, ſcientiâ vacua*, &c. Sed de his ſatis. Hactenùs brevis conſpectus Antichriſtianæ tyrannidis, Babylonicæ meretricis, ſceleratiſſimæ Romæ, & abominationum, eorum qui ſederent in Templo Dei, toto hoc Seculo X.

Baronius notat.

Baronianæ blaſphemiæ.

IV. Id unum jam deerat, ut tam fœdæ corruptioni colorem obduceret cum ſuis Purpuratus, & in illis ipſis monſtris, blaſphemè veneraretur Dei, Chriſti, ac Petri Vicarios, ipſamque Eccleſiæ Romanæ in eâ deformitate pulchritudinem, miſer jam abjectuſque, ſi non impius, ſuſpiceret. Præivit Genebrardus, ad A. 904. Libro IV. *Ut hoc Seculum Infelix prædicetur à Chronologis Lutheranis, mihi tamen eſt felix.* Ac felicitatis illi cauſa, in fundatis vel inſtauratis *Epiſcopatibus, Collegiis, Templis, & Monaſteriis*, per *Sanctos Reges*, in quos aliàs Baronius invectus, ut Tyrannos: Dùm per annos illi ipſi Genebrardo 150. omnia facinoribus impleta fuêre, ac monſtris Pontificum, Cardinalium, Clericorum; *ſtatum illius temporis mirificè referente Monſtro quodam tunc reperto*, quod fuit *capite canino & cæteris membris humanis*, ut Auctor Faſciculi Tempor. & *alii.* Sed audi Annalium Scriptorem Baronium, ac cum ſuperioribus modò enarratis confer! Ad Annum DCCCC. N. III. dicit ille, ea quæ tetra, nefanda, turpia, deformia, abominanda, &c. paſſa eſt Eccleſia, toto hoc Seculo, *eſſe referenda in lucrum, & computanda in certum emolumentum, cùm ex illis ipſa Eccleſia* NB. *effecta ſit pulchrior, aucta amplior, atque reddita glorioſior, dùm egregium ſemper revexerit de Impietate proſtratâ triumphum.* Mirare Lector, in monſtroſo Corpore, monſtroſis Capitibus, Eccleſiæ *pulchritudinem*, in fœdis & execrandis *gloriam*, in profligatâ impietate *triumphos!* Ad Annum DCCCCVIII. N. VII. *Cum tanta urgerent toto hoc Seculo mala, & ſcandala increbreſcerent*, NB. *tamen non eſt inventus qui eâ de cauſâ ſe ab ipſâ Eccleſiâ Rom. abſcinderet Schiſmate, vel Hæreſi eandem impugnaret; ſed omnes ubique Gentium*, (juxtà Baronium & Orientales, Græci, Ruſſi, &c.) *eidem Fidei Vinculo & Obedientiæ fœdere juncti eſſent!* Egregiam verò laudem, adoraſſe Beſtiam, adhæſiſſe Monſtris, obediviſſe illis ipſis qui *Antichriſti*, Româ ipſa teſte, referrent omnem imaginem! Ad Annum DCCCCXXXIII. N. V. in eandem Baronius ſententiam: *Hic mirari non deſino, quod cùm tale monſtrum* (Johannes ſuprà XI. vel XII.) *Sedem Apoſtolicam occupaſſet, cui non ætas, non* NB. *legitima ſuffragaretur electio, tamen nomen tantùm reveriti ſint Pontificis, Epiſcopi qui procul eſſent, qui omnem ei exhibuêre reverentiam.* Ad Annum DCCCCLV. N. IV. DCCCCLXIII. N. XXXVII. indignatur multâ declamatione ut in *Hæreſim intolerandam*, quæ aſſereret, *auferri ab iis Pontificibus Clavium poteſtatem*, qui ſceleribus referrent *Johannem XII. monſtruoſum licet Caput & Pontificem*, ut ſuprà. Indignatur quoque ibi in Synodum Romanam, quæ Romanum Pontificem Johannem, *licet tot tantiſque ſceleribus cumulatum*, non *conſueto titulo nominaverit, Sanctitas Veſtra.* Et ad eùndem An. *Num.* XXXIX. ait Baronius, *eſſe poſſe, ut fœdus turpiſque moribus irrepat ſucceſſor Petri, vel irrumpat in Sedem illam, Fide autem impius nullo modo.* Eat jam talis Pontifex, talis Eccleſia, & cum *Fide* ſuâ appareat Chriſti Tribunali, aut ſe *Catholicam, Sanctam, Immaculatam*, inviolatâ *Fide*, ſed & *Succeſſione*, manſiſſe prædicet! Rursùs ad Annum DCCCCLXIV. *Num.* XIV. agens de Synodo Roma-

nâ

Digitized by Google

nâ λησελικῆ, ſeditioſâ, & perjurâ; quæ *Johannem* eum depoſitum Anno ſuperiore, ut *Sanctiſſimum Papam* reſtituit, deque ſeditioſis *Canonibus* in Leonem Papam, in Ottonem Imperatorem, in Epiſcopos pudoris memores, ac diſciplinæ; *Ità quidem in enervato laſciviis homine* NB. *nervos Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Deus, cui ipſa Petri Cathedra curæ eſt, ſervans, eos in Schiſmaticos intendit, ſecundùm illud Davidicum Pſ.* LXXVII. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*, &c. Mox, *Num.* XVI. Quicquid fuerit de Johanne XII. monſtrorum omnium *monſtruoſiſſimo*, *nullum tamen ob ea pati diſpendium Fidem Catholicam, nec periclitari in Petri Cathedrâ Apoſtolicam auctoritatem*, quod *cum Sanctis Patribus omnibus* (dùm ſederent Romæ Martyres, Confeſſores, Viri graves) *certo certiùs affirmo.* Nec plura id genus, his enim Tomum x. conſperſit Annalium Scriptor, deſcribere neceſſe eſt. Haud aliter quoque Bellarmini, Binii, Spondani, Peronii, & quotquot ſunt ſucceſſionis Pontificiæ, immotæque in eâ veræ Fidei, Eccleſiæ, omniumque hujus Characterum, aſſertores. Nuperque Natalis Alexander, Tomo xv. p. 101. agens de iis temporibus, quibus ſedêre hæc Romæ portenta, quales *Sergii*, *Johannes*, &c. *Hujus & aliorum pravorum Pontificum, qui S. Petri Sedem tenuerunt, facinora, quamvis Eccleſiam* NB. *nonnihil infuſcarint, ſpeciem tamen ejus, ſanctitatem, ac fidem non violarunt, & Dei ſingulari Providentiâ, Chriſtique ſemper adſiſtentis virtute ſervata*, NB. *verè dicere potuit*, (blaſphemiam adverte ex *Cant.* I. 5.) Nigra ſum, ſed formoſa. *Nec ideò defecit ſuprà firmam Petram fundata, nec portæ Inferi adverſus eam prævaluêre*; dùm nunquàm prævaluêre magis. Pergit, *Fruſtrà ergò triumphum agunt Lutherani & Calviniſtæ, cùm ejuſmodi Pontificum recenſent Hiſtoriam, ſiquidem non ex Perſonis fidem* NB. *ſed ex fide Perſonas* (Pontifices hujus Ævi) *judicare debemus.* Digna ingenio fideque Monachali! Sed quæ fuerit tùm Romanæ Eccleſiæ *Fides*, quæ Chriſtianiſmi integritas, qui Catholiciſmus, quæ Pulchritudo, quæ Sanctitas, brevi obtutu ad ſequens Caput Lector obſervet.

Alex. Natalis abſurdæ impiæque voces.

IV. *Cleri Univerſi hoc Sec. fœda, ut in Oriente, ſic cumprimis in Occidente. Status Rom. Eccleſiæ reſpectu Morum, Diſciplinæ, Monachiſmi, Cultûs, Rituum, Doctrinæ.*

I. Ex Pontificibus, quales proximo Lemmate, Romanum omnem Clerum, ex Capitibus Corpus, ex Operibus Fidem, ex Fructibus Arborem, & ex omnibus *Antichriſti* characteribus, Eccleſiam in quâ dominatus eſt, quivis jam intelligat.

Corruptio Cleri omnis Romani.

Exempla tamen corruptionis univerſalis, de infinitis pauca, hoc in loco, Lectori ſtudioſo ſubjicienda veniunt. Equidem *ſediſſe tùm Antichriſtum in Templo Dei, ſe oſtendentem tanquàm ſit Deus*, magis verò *Idolum*, *ſtatuam*, affirmavit diſertis verbis Gerbertus Rhemenſis Archiepiſcopus, in Synodo Rhemenſi, Anni DCCCCXCI. Cujus Acta, nomine *Synodi Eccleſiæ Gallicanæ*, ſeorſim edita, cum Præfatione Gerberti Archiepiſcopi, *Francof.* An. 1600. Baronio bilem movent, quam in *Gerbertum*, & in *Novatores*, atram ac copioſiſſimam effundit, ad A. DCCCCXCII. Neque in eo ſubſtitit Gerbertus, ſed de *lugenda Romæ monſtruoſis tenebris*, prolixam querimoniam exponit.

Cardinales, *Epiſcopos*, *Sacerdotes*, *Clericos*, æmulatos eſſe flagitia Pontificum, non ſemel ipſe Baronius ſuprà confeſſus eſt: *Cùm nihil tàm naturæ inſitum ſit*, ſic ille de Clero à Pontificibus conſtituto, *quàm unumquemque ſibi ſimilem generare*, ad An. DCCCCXII. N. VII. Fuiſſe *Clericorum domos proſtibula meretricum*, *Conciliabulum hiſtrionum*, *ubi alea*, ubi *ſaltus*, *& cantus*, ubi *patrimonia Regum*, *eleemoſyna Principum profligarentur*, *imò pretioſi ſanguinis pretium*, & quæ alia infanda, diſertis verbis teſtatus eſt Alredus Abbas Rhievallenſis, productus etiam Uſſerio, de Succeſſ. Eccleſ. C. II. N. XXXII. quem vide. Conſentiunt Chronica, & Hiſtoriæ hujus Ævi, *de Clericorum diſciplinâ ſolutâ*, ità *Sigonius*, ad tempora Ottonis, de ignaris, rapacibus, flagitioſis, ad omnem libidinem projectis Clericis, qui dignitatibus opibuſque unicè inhiarent. Prolixè & emphaticè Sabellicus, Enneade IX. *Lib.* I. *Per id tempus non ſalubria inſtituta, non Templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non Liberalium Artium aſſectationes, ſed ſtupor & amentia quædam, oblivioque morum invaſerat hominum animos.* Nec Baronius ad hoc Seculum diſſimulare potuit, *Ordinem Clericalem plurimum eâ tempeſtate fuiſſe corruptum*, *Canonicos cum Presbyteris voluptatibus* carnis *plus æquo inſerviiſſe*, ad Annum DCCCCLXX. N. VIII. & paſſim de Clero Romano, Italico, Gallicano, Britannico. Aventinus *Lib.* IV. ubi de Ludovico Arnulphi Filio: *Creverant, ſub Principe puero, tum in Germaniâ vitia Sacerdotum: Nam & Romanus Pontifex, ob ſcelera, malè audiebat vulgò; Venter & ea quæ ſub ventre illis Deus erat. Vino, otio, Veneri & Cereri dediti, Sacras & profanas literas juxtà contemnebant. Virgines Sacratæ paſſim inceſtu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, ſuperbia, luxus, libido, avaritia, communia Sacerdotum mala, invaluerant. Levitatem illi omnem inceſſu, veſte, armis, quaſi Carnifices Circulatoreſque, præ ſe ferebant. Pauperes, pupillos, viduas compilabant. Nemo hos defendebat. Carmina amatoria paſſim cantitabantur; emere, vendere, Sacra, pietas erat.* Et quæ ibi plura. Legatur & ejuſdem *Proœmium Libri* V. quo Libro res hujus Ætatis deſcribit, ſed & graphicè ac patheticè, Cleri totius Pontificii, mores, impudicitiam, flagitia, luxum, oppreſſionem, Simoniam, rapinas, &c. Ac ſuprà quoque fuit exemplum, ſub Johanne X. vel XI. *nondum quinquennis pueri* ad Archiepiſcopatum Rhemenſem admoti, Papâ eo confirmante, ex Flodoardi Hiſt. Rhemenſi, Baronio haud inficiato, ad Ann. DCCCCXXV. N. IX. Nec mirum, dùm Pontificem, *Johannem* XII. infrà penè annos *pubertatis*, Roma venerata eſt.

II. Nec ſupparis in *Oriente* corruptionis exempla deſunt ex ambitione Throni Patriarchalis, Sedium diſtractione, ignorantiâ Cleri, Monachorum ſuperſtitione, Hæreſium colluvie, Imaginum & Reliquiarum inſanâ veneratione. Memorabile inter alia exemplum eſt *Theophylacti*, filii Romani Imperat. anno ætatis XVI. electi in Patriarcham Conſtantinopolit. à Patre, acceſſuro (ut ferunt) conſenſu Romani Pontificis Johannis XI. ex Curopalate, Zonarâ, Continuatore Porphyrogenn. Luitprando Hiſtorico. Undè ex hujuſmodi Patriarchâ, ſub quo venalia Eccleſiaſtica omnia, ὤνιοι οἱ τῆς ἐκκλησίας βαθμοί, καὶ αἱ προβολαὶ τῶν ἀρχιερέων, quique luxui, ſtupris, venationi, equorum curæ totum ſe dederet, ut pluribus Byzantini, de Clero & ſtatu ejus Eccleſiæ judicandum. Ac fœdum ejuſdem Theophylacti facinus, præ cæteris ἱππομανοῦντος, refert Joh. Curopalates, vel Cedrenus in Conſtantino XII. & Zonaras Parte III. Dùm inter ſolemnia ſacra, die ſacro *Cænæ Dominicæ*, *Magnæ quintæ* ante-Paſchalis, λειτουργοῦντος τότε τοῦ Πατριάρχου *ipſo Patriarchâ ſacris operante*, nunciato equæ quam deperibat partu, is protinùs τὴν θείαν ἱερουργίαν ςυντεμὼν *abrumpens divinum officium*, viſurus ad ſtabulum δρομαῖος ἀφικνεῖται *præceps accurrit*, viſoque pullo, ad per-

Sed & Cleri Orientalis.

Digitized by Google

peragendum Sacrum reverſus eſt, ἐκλελεῖσαν τὴν τῶν ἁγίων παθῶν ὑμνῳδίαν. Et ab iſto Theophylacto derivat Cedrenus, & Curopalates, fœdiſſimum illum ſuo adhuc tempore morem, profanandi ſolemnes *Feſtivitates fœdis cantilenis, riſu, inſanis clamoribus*, apertâque profanatione.

Ignorantia, ruditas Literarum.

III. Ad corruptionem eandem, & univerſalem eam, referri debet, *ignorantia* omnium bonarum Artium, ac Diſciplinarum, cumprimis Scripturæ S. *ſterilitas* ingeniorum, literarum, ſcriptorum, atque incredibilis barbaries, quæ Clerum omnem, Collegia, Monaſteria occupavit. Quo factum, ut pauciſſimi in Orbe utroque memorentur hoc Seculo Viri literati, & Auctores alicujus notæ, nulli qui Scripturas Sacras aut ſacras Literas in Occidente illuſtrarint. Chronographi pauci, omnes ferè Legendarii, *Vitarum*, *Miraculorum*, *Reliquiarum*, *Sermonum de Feſtis*, &c. ſcriptores, ut infrà ad Lemma de *Scriptoribus Eccleſiaſt.* Teſtantur pari conſenſione quicquid Hiſtoricorum eſt. Ac Pontifices quidem fuiſſe *ſcientiâ humanarum & divinarum rerum vacuos*, teſtatus Gerbertus ille Rhemenſis eſt, non ipſe indoctus, in coactâ Rhemis Synodo, quam ipſe refert Baronius, premunt Conciliorum editores. Idem rursùs, nec diſſimulante Purpurato ad A. DCCCCXCII. *Cùm hoc tempore Romæ nullus penè ſit, ut fama eſt, qui literas didicerit, quâ fronte aliquis docere audebit, quod nunquàm didicit. Ad comparationem quippe Romani Pontificis, in aliis Sacerdotibus ignorantia utcunque tolerabilis eſt. In Romano autem, cui de fide, vitâ, moribus, diſciplinâ Sacerdotum, deque univerſali Eccleſiâ Catholicâ judicandum eſt, intolerabilis videri poteſt.* Carolus Sigonius, de Regno Italiæ, *Lib.* VII. ad finem rerum ſub Ottone Magno; *Literarum eâ ætate ſtudia ferè nulla, niſi Philoſophiæ*, ſed miſerrimæ, *ac Theologiæ*, ſed Deus bone qualis? *Jus Civile Romanum uſque ad Lotharium Imperatorem* (quâ de re Seculo XII.) *propè Italiæ fuit incognitum, & Medicorum uſus ſemper fuit major, quàm dignitas. Poëtæ & Oratores ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potius quàm populo canebant. Scholæ quidem publicæ, nullæ tum fuiſſe produntur*, id eſt, ſi quæ fuerant (ut ad ſuperius Sec. *col.* 1413.1414.) collapſæ illæ, & in deſidiæ, cantionum, ſuperſtitionum, Legendarum deinceps Scholas converſæ. Ipſeque Johannes Launojus, in ſuo de *Scholis Celebrioribus* Commentario, ferè ad Seculum XI. & XII. & ſequentia, refert inſtauratas hinc indè diſciplinas, & in ipſâ Scholâ Pariſienſi; De priori tempore, noſtroque Seculo X. antè natos Campellenſem, Abaelardum, ſic ille, *Cap.* LIX. *Art.* I. *Nondum erant Scholæ in quibus vel Medicina, vel jus Canonicum, vel Theologia doceretur.* Item, *Nullum exploratæ fidei ſcriptorem eſſe, quo quis idoneè probet, toto illo tempore, cujus paulo antè meminimus, aliquam extitiſſe Pariſiis*, urbe principe, *non dicam Theologiæ, ſed & Liberalium Artium tractationem.* Ac res ipſa docet, ſcil. Scriptorum penuria, ſed & hiſtoriæ defectus, ac ferè ſtyli barbaries, in Eccleſiaſticis hujus Ævi monumentis. Quare ipſi Baronio hoc Seculum dicendum fuit, *inopiâ ſcriptorum obſcurum*; Bellarmino *indoctum*; Genebrardo *infelix*, *exhauſtum hominibus ingenio & doctrinâ claris*; Mezeræo *merito Seculum plumbeum*, *propter ignorantiam & ἀταξίαν morum*; jam olim Sabellico, Seculum *quo omnium bonarum artium oblivio, ſtupor, amentia, animis obrepſerat.*

Monachiſmi abominanda. Veræ Cauſæ.

IV. Quæ ſingula, corruptiſſimi ac flagitioſiſſimi mores, tùm & deſides ignaviſſimæque mentes, in ſpecie de *Abbatibus*, *Monachis*, horumque ſedibus *Monaſteriis*, toto hoc Seculo, intelligi debent. Loquuntur Francorum, Germanorum, Britannorum, atque Italorum Annales. Hinc odium in Monachos conceptum, uſque adeò, ut cum Abbo Abbas Floriacenſis, ſub Hugone Rege & Roberto Filio, plura congeſſiſſet *ad defenſionem Monaſtici Ordinis, & Monachorum Senatum ſalvum eſſe voluiſſet*; *Contrà eum immurmurarint* frequenter totâ Galliâ Adverſarii Monachorum, ob illas ipſas quas diximus cauſas, ut videre eſt apud Abbonem ipſum, *Præfat.* in ſuos Canones, in Analectis Mabilloni, T. II. p. 249. 340. & in *Apologetico* apud Aimoinum. Sed malè Abbo à Monachis multandus fuit, quum emendare vellet, ut ſtatim dicetur. Ipſeque Sigebertus, citandus Baronio ad Ann. DCCCCXLII. N. IX. ſed ex Surio, *vix inſtitutæ religionis apparuiſſe veſtigia*, in *præſtantioribus* etiam *Monaſteriis*, dominatamque ibi præ cæteris eſſe, *radicem malorum*, *malam Monachorum novercam*, *proprietatum concupiſcentiam.* Ac plurimis in locis Annalium Scriptor *Tomo* X. collapſam omnem fuiſſe *Monachalem Diſciplinam* conqueritur, ad Annos DCCCCIX. DCCCCXXXVIII. &c. Mezeræus Hiſtoricus, initio *Tomi* II. de Seculo X. ingenuè ut ſæpè aliàs; *Vitæ ἀταξία & licentia, quâ erant tùm Epiſcopi* & *Abbates, digniores reddiderunt ſeveriſſimis pœnis. Mores tandem eorum deſtructi ſimul cum Ædificiis, & ut ferè Monaſterium nullum integrum manſit, ſic nec diſciplina ulla ſuperfuit, nequidem inter Monachos.* Tot rei teſtes quot probati ſcriptores. Ac Monachalis illius impietatis duo præcipui fontes: Primus, affluentes quotidie, vel redeuntes *opes*, hæreditates, in exhauſta nuper à Barbaris Monaſteria, de novo in dies ab Imperatoribus, Regibus, ac Principibus ſuperſtitioſiſſimis ſtruenda; Hac ſolâ opinione, quod *Monachi pro defunctorum animabus fortiter orarent*; vel quod hi & illi Monachorum patroni, *S. Benedictus*, *S. Martinus*, *S. Odo*, ſimiles, ſuis meritis atque ſuffragiis, ſe juvarent, exemplis apud Baronium. Hinc Balæus, de Edgaro Anglorum Rege, *Cent.* II. *Ferunt de eo poſt immenſa Monachis immeritiſſimè collata beneficia*, (*nam quolibet anno Monachis Cœnobium condidit, præter Eccleſiarum pinguium donationes*) *quod fuerit adulter, homicida, tyrannus, ac trium ſcortorum dominus, illum tamen in Sanctos referunt*, mortuum An. DCCCCLXXV. Fons alter impietatis fuit, lex de *Cœlibatu*, & irretractabile *votum.* Hinc graviſſimæ pœnæ ut in *Sacerdotes conjugatos*, quales in Britanniâ plurimi hoc Ævo, ex Anglorum Annalibus, ità in *Monachos Moniales ve* ſolventes votum, non verò ſolventes fræna libidinis. Indè incontinentiæ, libidinum, vitæ Sodomiticæ, aut Lesbiæ, habitacula Monaſteria, levi diſciplinâ animadverſuris Præfectis, ſi quando abominanda illa in vulgus erumperent. Cujus rei, præter Chronica, & ſcriptores varios, Trithemium, Aventinum, Balæum, alios, fidem faciunt *Canones* varii & *Capitula*, de Monaſteriis & Monachorum Diſciplinâ, Tomo IX. Concilior. & apud Canonum Collectores. Quo etiam factum ut oſores eſſent Monachi omnium bonarum ſacrarumve literarum, deſierintque Monaſteria eſſe meliores Scholæ; niſi fortè Grammatices, Muſices, Philoſophiæ raró. Uſque adeò ut ſi qui *Abbates* eſſent harum amantiores, non antè quieſcerent γαστέρες ἀργαὶ, donec aut ſponte aut coacti Abbates illi decederent, vel ex *Rabani* Fuldenſis exemplo Ævo priore, dein *Reginonis* Prumienſis, qui ad hujus Seculi Annum ferè XII. pervenit. Ac de poſtremo Baluzius, Notis ad Reginonem, pag. 526. *Ità Regino fit ex Abbate ſimplex Monachus, & Richarius admodùm juvenis, in loco ejus ponitur. Cujus horrenda facinora ac mores Abbate parùm dignos, vehementer exagitat Falcuinus, in Cap.* XIX. *de geſtis Abbatum Lobienſium.* Idem Abboni, imò gravius quid contigiſſe referunt, Abbati ſcil. Floriacenſi Aurelianenſis Diœceſeôs, ipſo Baronio deſcribente, ex Chronographis, ad Ann. DCCCCLXX. N. V. qui dùm Monaſticam diſciplinam, ac literarum ſcientiam promoveret, hoc ipſo *à Monachis ſuis occidendus* fuit, *eliſo gutture*, ut *Scotus* ſuperiore Seculo

Digitized by Google

culo graphiis confodiendus fuerat. Refert *Sigebertus* ad Annum MIII. *Abbo Abbas Floriacenſis in Vaſconiâ martyrizatur*, ſeu in Monaſterio quodam ad Garumnam; alii factum eſſe Ann. MIV.

Monachi Canonizati.

Hæc etiam ratio fuit, ut ſi qui *Abbates* hoc Sec. viſi fuerint moribus magis integris, aut ſpecie aliquâ ſanctitatis, i. e. effuſæ ſuperſtitionis, mox in *Sanctorum* Ordinem venerint adſcribendi, ac religioſâ Invocatione, Templis, Sacrificiis, Feſtis, proſequendi. Quales in unâ Galliâ, imò in uno Monaſterio, quatuor primi Abbates Monaſterii Cluniacenſis, in Burgundionibus, ſcil. *Berno*, *Odo*, *Majolus*, & *Odilo*, de quibus prolixè Mabilloni Hiſtoria Benedictina, præter Surium, Baronium ad Martyrolog. Bollandum, &c. Iſtorum verò ſuperſtitionem vel tributa illis *ſcripta* teſtantur, ipſæque Legendarum nugæ. Sic *Abbo* ille Floriacenſis referendus quoque in Sanctos fuit, conſcriptâ ejus Vitâ ab Aimoino Floriacenſi Monacho, & ſodali. Sic in Angliâ S. *Oſwaldus*, in Germaniâ S. *Gerbardus*, Monachi id genus hujus Ætatis, inter Divos comparent; de quibus multa, ut ſolet, & inſulſa Baronius.

Idololatriæ, & Superſtitiones infandæ.

IV. Cumprimis verò, illibati ſcilicet in Romanâ Eccleſiâ Catholiciſmi, reverâ ipſiſſimi Antichriſtianiſmi, documentum hoc Ævo fuerit, incredibilis jam antè *ſuperſtitionis*, ac deteſtandæ *Idololatriæ* majora in dies incrementa. Exempla de innumeris quædam.

De Canonizatione Sanctorum.

Non ſatis erat ſtabilitam eſſe *Hagioduliam*, Sanctorum ſeu Martyrum quos prior ætas venerata eſſet, imprimis *Deiparæ Virginis*, Invocationem, Feſta, Templa, Hymnos in illorum honorem. Tribuit ſibi hæc Ætas, quâ nulla fœdior, poteſtatem ἀποθεώσεων ſeu *Canonizationum*, novis ità Divis quotidie naſcituris, quibus decernerentur divini honores. Præiverat Idololatriæ mater Gentilis Roma, attributâ poteſtate Romano Senatui referendi quos vellet in *Deorum Dearumve* numerum, per modum ἀποθεώσεως, etiam ſceleratiſſimos quoſque, ut Caracallas, vel Fauſtinas, Julias Domnas, &c. ridente Tertulliano, ſed & omni Antiquitate. Cœperat verò ſuperſtitio Ævo ſuperiore, nec altiùs aſſurgit Annalium Scriptor. Sed hoc Seculo ſolemnes jam Conſecrationum ac Canonizationum ritus, qualem in *Uldarico Auguſtano* deſcribit ex Marco Velſero Baronius, ad An. DCCCCXCIII. decretam in Synodo Romanâ, *quatenùs memoria Udalrici Venerabilis Epiſcopi divino cultui dicata exiſteret*, &c.

Baronius confitens.

Idem Baronius, eâ occaſione, N. VIII. *Non eſt prætermittendum, Canonizationis Sanctorum uſum hoc tempore frequentem in Eccleſiâ reperiri.* Nondùm tamen penes unum Pontificem hæc Canonizandi poteſtas fuit. Imò penes *Epiſcopos* in ſingulis Diœceſibus, qui habitâ Comprovincialium Synodo, hujus & illius ex. gr. Epiſcopi, Abbatis, Monachi ſanctitatem, virtutes, miracula populo prædicarent, hinc Corpus defuncti, ſuprà Altare collocatum, adorandum exponerent, decernerentque illi ſolemnia ſacra, Altare, annuam Feſtivitatem. Nec diffitetur Baronius, ex Petro Damiani, Seculi XI. Scriptore, Canonizationem fieri ſolitam, quum *ex Synodali Decreto ſuprà Corpus defuncti erigeretur Altare, & hoc ipſum erat inter Sanctos annumerare.* Primuſque fuit *Alexander* III. Seculo XII. qui hoc jus Romanis Pontificibus vendicaret, *& auctoritate* Pontificiâ, *pro Sancto haberi* ab univerſis *diſtrictè præciperet*, & quidem ſeditioſiſſimum eum *Thomam Becketum* Cantuarienſem, de cujus ſalute meritò eâ Ætate diſceptatum. Hinc ſurgere *Sanctorum* hoc & ſequenti Seculo numeroſiſſima ſeges, ſed in iis præcipuè Romæ locandi, qui aut Paparum emiſſarii fuiſſent, *Apoſtolos* Nationum vocant; aut qui Paparum tyrannidi contrà Reges & Principes miniſtraſſent, qualis ille *Thomas Becketus*; aut qui ſacra limina religionis ergò ſalutaſſent; aut Superſtitione ſe immodicâ, Monachatu, Reliquiarum cultu, vel largitionibus in Clerum, fundationibus Altarium, Monaſteriorum, commendaſſent; vel quos Monachi, exaltandis ſuis Monaſteriis, ſuoque Ordini, à miraculis, viſionibus, inſulſiſſimè prædicarent. Hinc tot mendaciſſimæ Vitæ, Acta, Viſiones, Legendæ, næniæ, quibus ſequens ætas fidem atque auctoritatem adjecit. Ità hujus Ætatis fuêre Divæ Fœminæ, S. *Theocliſte* Lesbienſis, S. *Eugenia* Martyr, S. *Mathildis* Ottonis I. mater, S. *Euphroſuna*, &c. Adi Baronium ad Martyrol.

Orientalium Praxis.

Nec minor *in Oriente* ſuperſtitio, Iconolatriâ ibi prævalente, ex Græcorum *Menologiis*, & *Vitis*, Sanctorum propè innumeris ſub Metaphraſtis & Monachorum nominibus, ſæpè ἀνωνύμοις, Seculis IX. X. XI. adſcriptis. Vide vel Allatii Diatribam de *Symeonum ſcriptis*, in quâ Ordine Alphabetico Græcorum Sanctos Martyres, auctoreſque Vitarum, Martyriorum, Laudum, pleroſque falſis ſub nominibus, perſequitur, à *pag.* 80. Quinimò uſque adeò inſaniit Orientalium Hagiomania, ut ex Curopalate, Zonarâ, Glycâ, conſtet *Nicephorum Phocam*, mortuum circiter Ann. DCCCCLXIX. Edictum promulgare voluiſſe, in modum Legis, de *Militibus qui in bello occubuiſſent*, pari religionis honore *colendis*, quo ſolerent tùm Martyres, μαρτυρικῶν ἀξιούμενοι γερῶν, τιμῆς, εὐχῶν. Cujus in Orientalibus levitatis ac profanæ adulationis, refert inſigne aliud Baronius exemplum ad An. DCCCCLXVII. in Nicolao I. faſtuoſiſſimo Pontificum, quem ait ab *Orientalibus ut Sanctum mox ab obitu cultum fuiſſe*, id eſt, à factione anti-Photianâ ejuſque Legatis. Cæterùm quibus Legendæ, & Martyrologia ſcateant ſuppoſititiis acceſſionibus, Sanctis, Miraculis, ut etiam *Arianos Hæreticos* in illa intulerint, ipſi loquantur Pontificii Cenſores, accuſato ſæpè Baronio, Roſweydo, & ſociis. Hoc verò Seculo X. ingens Martyrologio incrementum acceſſit, per ſcriptores Monachos, *Hugdaldum*, *Bernerum*, *Adrevaldum*, *Nothkerum*, *Odilonem* S. Medardi, tùm præcipuè per *Odilonem* Abbatem Cluniacenſem (cujus ingenium cognoſcas ex Annalium Scriptore *Tomo* XI.) hinc per *Fulbertum* Carnotenſem, etiam *Roſweidim* Sanctimonialem, & ita ſucceſſivè ex novis in dies ac putidiſſimis Monachorum commentis, quarum *mala noverca concupiſcentia* fuit, faſſo ipſo Baronio. Undè *Tranſlationes* id genus *Martyrum*, una ferè hujus Seculi fuit ſcriptionum in Cœnobiis materies.

Reliquiaria impietas. Baronius ad partes vocatus.

Nihil verò probroſum adeò extitit Chriſtianæ religioni, magiſque referens ſeu Ethniciſmi, ſeu Antichriſtianiſmi characterem, quàm fœda λειψανολατρεία, non habitura deinceps modum ullum, ut nec Roma pudorem. Vix finis exemplorum eſſet, ad horrorem uſque vel ſtuporem, ſi decerperemus ex Chronicis, ex Pſeudo-Actis Martyrum, vel ex ipſo Baronio, aut ex Romæ Subterraneæ auctore, quæ ad hanc ſuperſtitionem faciunt, hoc auctiorem Seculo X. quo illud magis ignorantiæ, impietatis, fraudum, ubique ſtupendam refert imaginem. De fictis ſuppoſitiſque jam Ævo priore *Reliquiis*, ſpecioſis ſub nominibus, earundemque ſuperſtitioſâ conquiſitione, inventione ludicrâ, ſuppoſitionibus fraudulentis, probationibus febriculoſis, cultu Idololatrico, dictum fuit locis ſuis. Nullum verò opportunius tempus fovendæ augendæque Principum, Populorumque ſuperſtitioni, hoc ipſo ignaro, indocto, pollutoque tot flagitiis Seculo. Accedebant deſtructa paſſim per Barbaros, Nordmannos, Ungaros, Saracenos, Templa, ac Monaſteria, quibus de novo inſtaurandis, multiplicandiſque opportunum commentum novæ *Reliquiæ*. Hinc miraculoſæ Corporum, Cinerum, Oſſium, Membrorum, San-

Digitized by Google

Sanguinis, Supellectilis hujus & illius Martyris, ſæpè ignoti fictique, ut & Crucis Dominicæ, Dominici Sanguinis, Sudarii, Clavorum, Lanceæ, &c. *inventiones*, *translationeſque* portentoſæ: Quibus auctoramentum ab uſu & credulitate prioris Seculi, majorque in dies religio accedebat, toto penè Orbe Chriſtiano facto Reliquiario.

Atque hinc prædicantur inventa hoc Sec. *divinâ* ſcilicet *revelatione*, quam plerumque Anus, Virgines, Monachi, Moniales, id genus præcones jactabant, Corpora S. *Stephani* Protomartyris, S. *Matthæi* Apoſtoli, S. *Paulini*, S. *Gregorii*, S. *Sebaſtiani*, S. *Servatii*, S. *Pancratii*, S. *Vincentii*, S. *Maximi*, S. *Fortunati*, S. *Brunonis*, S. *Patrocli*, S. *Elpidii*, S. *Leontii*, S. *Mauricii* & Sociorum, S. *Albani*, S. *Maurilii*, S. *Renati*, &c. Horum enim poſtremorum vitam, miracula, nugas, hujus demùm Seculi fœtum eſſe, probavit Doctiſſ. Launojus, in ſuis de hiſce Sanctis Diſſertationibus, ad Ægidium Menagium. *Inventis* ità Corporibus, aut quicquid in ſpeciem eorum ſupereſſet, quæ hactenùs latuiſſent, occubuiſſentque tot ante Seculis, incerto loco, ſepulturæ illo vel projectorum cadaverum incertiore, *diſtingui* ea neceſſe erat ab oſſibus cujuſcunque facinoroſi, imò & dignoſci cujus Martyris, Virine etiam an Fœminæ, vel Virginis, eſſent eæ Reliquiæ. Nec mora, manifeſta res illicò attactu miraculoſo, virtute mirificâ, fragrantiâ ſuavi, ſanguine rubente, ſplendore coruſcante, ſcintillis erumpentibus, portentis id genus, aut ſignis conſpicuis in capite, oculis, pectore, ſanguine, parte aliâ corporis; eademque ex fide referentium, interventu Cleri, Monachorum, quorum intererat. Adi præter Magdeburgenſes, *Cent.* x. C. vi. ipſum Cæſarem Baronium, ex Actis mendaciſſimis, & Chronicis Monachorum, vel ex Surio ſuo, merces iſtas prolixo mangonio venditantem, *Tomo* x. Annalium; Nec neglige exemplum S. *Hunegundis Virginis*, cujus reliquiæ divinitùs revelatæ Sanctimoniali cuidam Bertæ, apud Noviomum Galliæ, ad Annum DCCCCXLVI. *Num.* VIII. IX. Ac farragines exemplorum ſi vis, ad quæ animo fremas, conſule Auctorem *Romæ Subterr. Paulum Aringhum*. Probato jam Lipſano crebris, id eſt, quibuſcunque voluêre, Miraculis, (dolus an virtus quis in Monachis requirat) excipiebat ſolemnis *Translatio*, in has & illas Urbes, Eccleſias, loca Monaſteriis dicata, Ex. gr. Romam, Florentiam, Byzantium, Syracuſas, Andegavum, Noviomum, Metas, Ultrajectum, Coloniam, Magdeburgum, id genus ſine fine loca, ac Cœnobia. Undè de *Translationibus* horum & illorum *Martyrum*, hoc ipſo Seculo ſcripta plurima, ac ferè ſola commendanda poſteritati, uti de Tranſlatione S. *Benedicti*, S. *Stephani*, S. *Sebaſtiani*, S. *Baſoli*, *Sanctæ Glodeſindis*, S. *Hunegundis*, &c. ut infrà de Scriptoribus hujus Sec. Hinc cultus, adoratio, Altaria, Sacrificia, Vota, Donaria, Templa, Feſta, Litaniæ, Proceſſiones, & quicquid eſt divini honoris, cultûs, ſi *Latriæ* vocem excipias. Atque hæ ipſæ Regnorum, Provinciarum. Urbium, futuræ Reliquiæ potiſſima præſidia, Ancilia, Palladia, malorum averruncæ, morborum expultrices, victoriarum cauſæ, felicitatis duraturæ pignora. Abſentia è contrario credita eſſe cauſa calamitatum, vaſtationiſque per Barbaros.

Principum ſuperſtitio. Cumprimis hoc illigandi ſuperſtitionis faſcino fuerunt hujus Ævi Principes; undè pro acquirendis, comparandiſque, quovis etiam pretio, reliquiis id genus, præ cæteris ſolliciti fuiſſe leguntur, apud probatæ fidei ſcriptores. Exempla inſtar omnium ſunto Carolus Simplex, Henricus I. Germanorum Rex, Hugo & Robertus Francorum Reges, Rudolphus Rex Burgundionum, Otto Magnus, Anglorum Reges varii, nec inferiores credulâ atque Idololatricâ ſuperſtitione Orientis Imperatores. Memorabilis certè legatio Caroli verè jam Simplicis ad Henricum I. Imperatorem, miſſuri huic *manum* S. *Dionyſii* (*Areopagitæ*) *auro gemmiſque incluſam*, ut *partem unici Francorum ſolatii*, ab Henrico religioſâ adoratione *proſtrato Reliquiis Sanctis*, honorandam. Addit Carolus, *poſtquàm Francos deſeruiſſet inſignis Martyr Vitus*, ad Saxones ſcilicet tranſlatus, cum eo tranſlatam veluti fato quodam Francorum gloriam eſſe, pellectoſque *Danos* & *Nordmannos*, qui eorum Regiones invaderent; probante efferenteque Baronio, ex Wittikindo ad Ann. DCCCCXX. N. III. Ità quum ferretur, penes Rudolphum Burgundum eſſe *Lanceam mirandam*, *ex clavis J. Chriſti ſanctificatam*, quæ fuiſſet olim Conſtantini M. Henricus Rex Saxonum voluit eandem parte etiam ſuarum Ditionum redemptam, ſed fruſtrà, ad Annum DCCCCXXIX. N. I. II. Addit ex Actis S. Gerardi Baronius, fuiſſe *munus* illud hujuſmodi, *quo olim Deus terrena cæleſtibus conjunxit*; & notat ob hanc pietatem, ac pro *mercede hujus rei*, Deum Henricum *vitâ æternâ affeciſſe*, dediſſeque etiam in hoc Seculo, ut *hoſtes ſemper terreret*, *ac fugaret*. Hinc Purpurati epiphonema: *Hìc verò tu lauda Chriſtiani Principis pietatem*, *in cultu Sacrarum Reliquiarum exhibitum*. Tum de Ottone I. ſubjungit, *ejuſdem Lanceæ auxilio ingentem victoriam conſecutum*. Idem Otto I. referente quoque ex Sigeberto probanteque Baronio, ad Annum DCCCCLXIX. N. XV. impetravit tandem à Johanne XIII. Pontifice *annulum ex verâ catenâ* S. *Petri exſectum*, quæ collo circundata paulo antè *Diabolum ſpumantem*, *multumque clamantem*, ex abreptitio Romæ fugaſſet. Et ſi Ditmaro fides, Chronicorum *Lib.* II. Scriptori Seculi XI. ſed credulæ nimiùm ſuperſtitionis, idem Otto Imperator, multis Sanctorum Corporibus *Magdeburgum* tranſlatis, eam Urbem conſecravit. Par ſequentium ſimplicitas cœcitaſque Principum fuit, quæ una immodicarum laudum Baronio fœcunda materies eſt. Nec minor Gallorum Regum, ipſius Hugonis Capeti, Roberti filii, &c. Sic & Britannorum Regum, circà *Reliquias* ſuperſtitio, de quâ Francorum & Anglorum Chronica, in his quoque Balæus, Uſſerius, &c. Nunquàm autem ſine Declamatorio apparatu, & affectu multo memorantur talia Annalium Scriptori. Hoc pietatis ac meritorum certiſſimum illi criterium eſt. Et quo fœdiora nugis iſtis fabelliſque ſunt Acta & Monumenta Monachalia, hoc certior illorum apud Baronium fides eſt. Pleraque licet recentioris fabricæ, ab otioſiſſimis Monachis, plurima ſine nomine, ridenda eruditis, quos inter Pariſienſis Theologus *Joh. Launojus*, in ſuis de Pſeudo-Dionyſio Areopagitâ, (cujus Reliquias *unicum Solatium Francorum Galliam inhabitantium*, dixit Carolus Simplex, laudante ſuprà Baronio) deque Pſeudo-Apoſtolis aliis Galliarum, Pſeudo-Legendis, ſuppoſitis Actis & Vitis S. Maurilii, S. Renati, S. Agoardi, S. Agliberti, S. Albini, aut Cenomannenſium Epiſcopor. &c. quem vide. Graphicè idem aliquoties cùm ignorantiam tùm peſſimam fidem, dolum, calliditatem *Religioſorum* accuſat, in producendis Mss. edendiſque, cumprimis Legendariis; & in *Appendice* Diſſert. de primo Cenomannorum Epiſcopo, p. 234. *Noverat* (Religioſus S. Benedicti, Bondennetus) *cordatos in Eccleſiâ eruditoſque Viros*, *audito Aureæ Legendæ nomine*, *ſtatim expalleſcere*, *id genus operis execrari*, *& averſis in ſiniſtram palmis abominari*. Legendus idem, ubi is de vitiatis emendatiſve *Martyrologiis*, deque fictitiâ B. *Virginis in Cœlum Aſſumptione*, ut alia ejuſdem Launoji reticeam, malè poſt fata mérituri, privandique etiam Regio interdicto, id eſt, Jeſuitarum impul-

Baronius & notat.

Joh. Launoji commendatio.

Digitized by Google

pulſu, iis quos Viri tanti memoria honoribus promeruerat.

Imaginum ſuperſtitionis exempla.

Iconodulia offenſionem ſuperiora duo Secula præmiſerunt. Ex ingenio autem hujus infortunati Decimi, facilè cognoſcere eſt, quàm abjecta eo fuerit Imaginum, in ipſo Occidente, ac cœca ſuperſtitio. Nec alio opus eſt teſte, quàm ipſo Annalium Scriptore. Eaque in Italiâ cumprimis, & Britanniâ, & ubicunque Roma poteſtatem ſuam exercuit, aut ignorantia viguit, quæ quo major, hoc in Imagines colendas, habendaſque pro viſibili quodam Numine, pronior fuit, ut ſanè perpetuis rudium Monachorum, ignaræ plebeculæ, inſanientium muliercularum, hodieque paſſim Græcorum, Moſcovitarum, Mengrelianorum, Georgianorum exemplis, in propatulo eſt. Vis exempla. Wintoniæ obortâ lite inter *Clericos* & *Monachos*, quorum illi cum uxoribus expellendi erant, ut Monachis locum facerent, *Imago Crucifixi*, *qua altercantibus adſtabat*, *in Eccleſiâ expreſſè locuta*, *ità allegat*, (locum corruptum dicit Baron.) *quod Clericos omnes & eorum fautores confuſos reddidit*, *& elingues*. Rursùs, quum Clericorum partes Rex tueretur, adversùs Dunſtanum Monachorum patronum, *Imago dixit*, *non fiet*, *non fiet*, *judicaſtis benè*, *mutaretis non benè!* Hæc, ex Monaſterienſi & Oſwaldo, Baronius credenda propinat, ad An. DCCCCLXXV. N. XII. Quæ nemo non videt fuiſſe artificia Monachorum, abutentium in rem ſuam, credulitate temporum. Romæ, mortuo Ottone II. Imperatore, ac depoſito ejus corpore ad introitum Orientalis Paradiſi Domûs S. Petri, *Imago Dominica venientes quoſque ſtans benedicit*, ad Annum DCCCCLXXXIII. N. XIV. XV. Quod portentum *Imaginis Salvatoris ſtantis*, *& introeuntes benedicentis*, *orantes* ſcilicet converſoſque ad Imaginem, benedictionem indè accepturos, ſuo adhuc tempore perduraſſe, addit Purpuratus. Alibi Imagines vel uberibus *lachrymis* madentes, vel *ſanguinem* emiſſuræ, aut id genus portentis conſpicuæ. Galli tamen hoc adhuc Seculo minùs faſcinati id genus illuſionibus, aut Iconoduliâ polluti, apparent; præterquàm fortè in Monaſteriis, veris ut ignorantiæ, & fallaciarum, ſic Idololatriæ officinis, quâ de re in Hiſtoriâ noſtrâ Imaginum.

Imago Edeſſena. Baronius & alii notati.

Sed Imago nulla hoc Ævo dignior veneratione, in Oriente primò, hinc in Occidente quàm *Imago Edeſſena*. Nempè θεότευκτος illa, à Chriſto ipſo veſtimento vel ſudario impreſſa, ſolâ abſterſione, colore nullo adhibito, (ἅγιον vocant ἐκμαγεῖον, ἤτοι μανδήλιον, ἐκτύπωμα, ἄχραντον χαρακτῆρα, θείαν εἰκόνα, ἄγραφον, ἀχειροποίητον,) & ad Abgarum Edeſſæ Regulum miſſa, ibidemque aſſervata, donec obſeſsâ Urbe Romani Imperatoris copiis, Edeſſeni obſidionem redimerent traditione hujus *Imaginis*, mittendæ hinc Conſtantinopolim, ac ſolemni pompâ excipiendæ, inferendæque in Sophiæ Templum. Refert Baronius ad A. DCCCCXLIV. ex Johanne Curopalatâ: Adde memores ſub Romano hujus *Imaginis*, ſed & *Epiſtola* Chriſti ad Abgarum, tùm quoque inventæ, *G. Cedrenum*, J. *Zonaram*, *Incertum Continuatorem* in Actis poſt Theophanem, *Symeonem Logothetam*, *Leonem Grammaticum*, *Georgium Monachum*, & à Combefiſio productum *Conſtantinum Porphyrogennetum*, cum Leonis Allatii Symeonibus Pariſiis editum, præter *Menologia* Græcorum, ipſumque *Elmacinem*. Si vera referunt, diverſis illi quidem circumſtantiis, nempè ab Edeſſenis Imaginem hujuſmodi Byzantinis tunc fuiſſe traditam, (de cujus *Imaginis* vanitate poſt Eruditos, nos quoque *Hiſt. Imag.* Sect. VI. N. XII.) & ab hiſce divinis honoribus cultam, hinc ſanè iſtorum in ipſo Oriente temporum cognoſcas indolem, & ſuperſtitionem. Cujus etiam ſunt apud dictos Hiſtoricos ὅλοις θυλάκοις, in hujus Seculi rebus, exempla. Uti de inventâ ſub Romano quoque *Imagine Deiparæ*, in Blachernarum æde Conſtantinopolit. quæ ſub tectorio trecentis annis illæſa manſiſſet, apud Cedrenum, p. 729. Sic de inventis ſub Conſtantino Porphyrogenn. in quodam Urbis angulo *Apoſtolicis Veſtibus & Palliolis*, item *ſacris exuviis Gregorii Theologi*, futuris religioſæ venerationis objectis, in Annalibus Symeonis Magiſtri, Ed. Regiæ nuperæ, p. 495. Nec plura hic locus capit.

Nulli verò dubitamus quin *Narratio* illa *de Imagine Edeſſenâ*, adſcripta Conſtantino Porphyrogenneto, & Baronio laudata, ad Ann. DCCCCXLIV. N. VI. VII. uti Lipomanno, Surio, Gretſero, Combefiſio, Allatio, P. Aringho, &c. ſit ejuſdem generis cum innumeris aliis Græcorum ἀποβολιμαίοις fœturis. Undè inter ſe litigant, fueritne ea Narratio *Conſtantini* Senioris, Leonis filii, cujus planè alia extant inſignis doctrinæ monumenta; an *Conſtantini* junioris, Romani filii, qui nunquàm Porphyrogennetus dictus, nec Libris ſcribendis natus; an tertii alicujus Conſtantini qualem fingit Baronius N. XIV. qui fuerit filius veri Porphyrogennetæ, an potius fœtus cerebri Baroniani. Quum Porphyrogenneti, ſcriptis inclyti, filius & Imperii hæres, unus *Romanus* legatur, nullus Conſtantinus, & filia una Theodora Auguſta. Quâ de re ſi lubet conſule Familias Byzantinas. Nunc ex fabulis Orientalium, audi Romanam aliam apud Baronium, ad eundem Annum DCCCCXLIV. N. XV. *At verò poſteà bellis ingruentibus*, *ipſâ Conſtantinopolitanâ Civitate ſæpè captâ*, *& ab hoſtibus direptâ*, *atque à Catholicâ primùm communione ſæpè diſciſſâ*, *Dei Providentiâ factum eſt*, *ut eadem Imago veneranda fuerit Romam perlata*, *ubi hactenùs colitur in titulo S. Sylveſtri*. Perlata verò Edeſſena Imago Romam à quo? quando? quâ ratione? quibus teſtibus? Quam & *Genuenſes* ſibi vendicant, & potiori jure, ſi Abrahamo Bzovio fides eſt, & Carolo Bapt. Pothiero Andegavenſi, ipſique Franc. Combefiſio, explosâ Imagine Romanâ. Atque hæc pari ratione multiplicanda Imago fuit, quâ Imago *Veronicæ* Sudario impreſſa, de quâ & Armenii hodieque gloriantur; quâ Imagines à *Lucâ* depictæ, vel à Nicodemo, & infinita alia ſuperſtitionis commenta. Sed & Veronicæ decantatiſſima illa fabula, eidem *Conſtantino Porphyrogenneto* in dictâ Oratione, tradita fuiſſe mendaciſſimè dicitur ab Aringho, *Roma Subterr.* L. V. C. IV. ac confer tu modò, ſi datur. Quo Scriptore, in venditandis pro totidem theſauris, aſſerendiſque ſacris Imaginibus, Picturis, Tabulis, Corporibus, Reliquiis, Loculis, Cœmeteriis, Inſcriptionibus, aliis id genus, tanquàm Veterum Chriſtianorum genuinis monumentis, quæ rident quibus ineſt vel mica ſalis, aut candoris, aut eruditionis, nullus eſt ineptior. Ingemiſce, Lector, tantùm potuiſſe veſanum Imaginum, Reliquiarum, ac cumprimis Hierarchiæ Pontificiæ ſtudium, ſuadere mendaciorum, quibus Orbi penè impoſitum univerſo, adoraturo larvas, quiſquilias, carbones, & Gentilitiæ ſuperſtitionis reliquias, atque Idololatriæ inſtrumenta.

Hagiolatria in Orbe utroque.

Longum nimis foret perſequi τὰ ἕκαστα. Si quod cœlitùs beneficium hoc Ævo impetraretur, ſeu publicum in Republicâ, pace bellove, domi foriſque, ſeu privatum in familiâ, uti his & illis Reliquiis, vel Imaginibus, ità quoque *Interceſſioni Virginis*, *Martyrum*, *Sanctorum*, *Sanctarumque*, unicè tulit acceptum ſuperſtitio. Rei exempla jam in Superioribus Seculis, hoc ipſo nihilò certè infrequentiora. Indè *Invocatio*, *Orationes*, *Vota* Sanctis nuncupata, eorundemque *Viſiones*, *Apparitiones*, & in promptu auxilia, tandem χαριστήρια, *Templa*, *Altaria*, gratitudini conteſtandæ. Si Græcos vis, adi Menologia, Cedrenum, Curopalatem, Zonaram, Acta poſt Theophanem, ubi victoriæ de *Scythis*, *Ruſſis*,

Sclavis, *Barbaris*, reportatæ referuntur, aut ingentia beneficia accepta. Si ad *Occidentales* te convertis, plena ſunt horum Chronica, Legendæ, Martyrologia, quin & meliores in ſpeciem Hiſtorici, ut Luitprandus, Flodoardus, Witikindus, Sigonius in ſuis de Regno Italiæ, &c. nihil ferè hujuſmodi rerum tacituro Baronio. Etiam de Hugone Capeto Francorum Rege teſtatur Helgaldus Monachus, morientis hæc fuiſſe Hugonis verba, ad Robertum filium; *Ut nullo pacto Ducem omnium Patrem Benedictum à ſe divelli pateretur*; Undè Robertus Hugonis Filius, *Patri Benedicto*, *& ſuis*, *ſemper totis adhæſit præcordiis*. Quod & Mabillonus notat in Analectis, P. II. p. 341. Hinc Chriſtianis bello cum Saracenis committendis, dùm Berengarius in Italiâ regnaret, potitiſque grandi victoriâ, *Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum in iis conſpectos eſſe præliis produnt ſcriptores*, inquit Sigonius, ad An. DCCCCXV. ex Sigeberto, & aliis. Otto Magnus *peſte tactus*,

Baronii effuſa ſuperſtitio.

S. Viti interceſſione ſanatur, apud Baronium ad Ann. DCCCCLVI. N. I. Arnulphus Flandriæ Comes, ex calculo graviſſimè laborans, *à S. Gerardo*, ad ſe accerſito, præviâ Miſſâ miraculosè reſtituitur, apud eundem, ad Ann. DCCCCLIX. *S. Wolfgangus* exercitum Ottonis II. per exundans rapidumque in Franciâ flumen ſiccis pedibus traducit, ad Annum DCCCCLXXVIII. *S. Nicon* Gregorium quendam Prætorem paralyſi laborantem, admotâ manu reſtituit, ad Annum DCCCCLXXXVII. N. V. VI. VII. Infinita ejus generis legentibus occurrunt. Majora longè præſtitura *Virgo Deipara*, cujus hoc Ævo elogia, epitheta, invocationem, cultum, præſidium, miſericordiam, collationem gratiæ; ſalutis, liberationum, bonorum omnium, in dictis Auctoribus legas, & ſæpè non ſine horrore. Quâ in re Latinis nihil cedunt Græculi, tribuentes Deiparæ, imò ejus *Zonæ*, *Veſti*, *faſciis*, *μαφώελο palliolo*, quod potiùs ὠμοφόελον dicendum, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν ῥῶσιν, τὸν ἱλασμὸν, τὴν σωτηρίαν, τὴν βοήθειαν, μὴ χρήζουσαν τινὸς ἑτέρου πρὸς Θεὸν Μεσίτου, imò οὐδενὸς σωζομένου εἰ μὴ δι' αὐτῆς, &c. *ſanctificationem*, *robur*, *propitiationem*, *ſalutem*, *auxilium*, *quod nullum alium neceſſarium habeat Mediatorem apud Deum*, *ut nullus etiam niſi per eam ſalutem conſequatur*. Et quæ plura in Deum Opt. Max. & Chriſtum Mediatorem injuria, in Orationibus Germani Conſtantinopolit. in Vitis Simeonis Metaphraſtæ, in Menologiis, & in Byzantinis Hiſtoricis. Baronio non profecuto modò talia effuſis laudibus, ſed imitato, clauſuroque hoc Seculum, Tomo X. à prædicatione auxilii *Dei Genitricis Mariæ*, quæ *illi eſſet in labore ſemper adjutrix*, *eademque conciliatrix præmii ſempiterni*.

Feſta Latinorum hoc Ævo.

Feſta hoc quoque tempore, ſimul cum Martyribus, eorumque religione, nova acceſsêre non pauca, præſertim apud Latinos, longè inferiori Feſtorum numero apud Orientales. Hujuſmodi fuit *Feſtum Omnium Sanctorum*, hoc Seculo in Occidente frequentatum, cujus tamen primordia ad Seculum nonum, ſub Gregorio IV. retulimus. Acceſſit illi *Feſtum Omnium Animarum*, poſtridie Kal. Nov. ab *Odilone* inſtitutum Abbate Cluniacenſi, refertque Sigebertus ad Annum DCCCCXCVIII. Nec inlepida origo. Baronius, factum *ex pluribus diverſiſque revelationibus Dei Viris oſtenſis*, *complures Animas Orationibus potiſſimùm Cluniacenſium Monachorum* (his commentis regiæ tandem huic Monaſterio opes conciliatæ) *in id præ cæteris incumbentium*, *à pœnis Purgatorii liberari*. Puduit eum circumſtantiæ, quam Petrus Damiani, Sigebertus, & ex iis Polydorus Vergilius *Lib.* VI. C. X. referunt. Nempè, permotum fuiſſe Odilonem narratione cujuſdam Religioſi, qui in Siciliâ, apud *Ætnam* montem, (ubi eructantia flammarum incendia, & *patens ad Inferos aditus*, in quibus *animæ reproborum luant* pro malefactis ſupplicia) audiviſſet *Dæmonum* horrendos ejulatus, *plangentium quod animæ damnatorum eriperentur de manibus eorum*, præcipuè *per Orationes Cluniacenſium*, *orantium indefeſsè pro defunctorum requie*. His originibus, ac ſimilibus, ſurrexit Papalium ſuperſtitionum tota moles. Inter Feſta quibus hoc Ævo auctoritas ac major in dies religio Orbe Chriſtiano accrevit, fuit illud *Aſſumptionis B. Virginis*, ad XVIII. Kal. Sept. nempè aſſumptionis in Cœlum, animâ & corpore, cui Chriſtus ipſe occurrerit. Quale ſub finem hujus Seculi vel initium ſequentis, S. *Stephanus* Hungarorum Rex, ſuis Hungaris Sacrum præprimis eſſe voluit, multis efferente Annalium Scriptore, ſub initium Tomi XI. Quo de Feſto plura apud Hoſpinianum, & ſi qui poſt eum de Origine Feſtorum Chriſtianorum, ſi lubet leges.

De Aſſumptione Virginis.

Ut verò non aliud eſt quod impenſiore ſtudio colat Roma in hunc diem, ſic eo eſt illud Feſtum deridendum magis, quod putidiſſimo innitatur commento, ex *frivolis*, & *apocryphis*, Melitoni, Hieronymo, aliiſque tributis, qualia ſunt totius Idololatriæ Pontificiæ præſidia. Quidam etiam ad *Revelationes* confugerunt, ex quo uno fonte, tot inventiones, tranſlationes Martyrum, Reliquiarum, tot ſuperſtitionis adminicula, & de quibus alicubi Joh. Launojus, eſſe hujuſmodi *præſidia quæ tenebras potiùs quàm lucem expoſtulant*. Idemque vir Eruditiſſimus prolixiſſimis vindiciis, nec uno ſcripto, contrà ſuos demonſtravit non intellectam fuiſſe vocem *Aſſumptionis*, *Tranſlationis*, *Migrationis*, ἀναλήψεως, μεταστάσεως, ubi de Mariâ Virgine Græci & Latini. Quæ illis nil niſi κοίμησις *dormitio*, *migratio ex corpore*, & in Cœlos aſſumptio ratione animæ, perpetuâ Veterum locutione, ubi de Sanctorum obitu, ex Paulo Apoſtolo, 2 *Tim.* IV. 6. Quo ſenſu Græci recentiores celebrarunt quoque τὴν Θεοτόκου Κοίμησιν *Dormitionem Deiparæ*, de quibus alibi tradendi locus eſt. Ad ſequentem Ætatem ſpectat *Feſtum Conceptionis* Mariæ, cui tandem *immaculatæ Conceptionis* opinio acceſſit. Uno verbo, totidem *anniverſaria* deinceps *Feſta*, quot Martyres Romæ conſecrati, & in Eccleſiis paſſim ac Monaſteriis culti. Nec minor in Occidente Martyrum numerus, teſte alicubi Genebrardo, in *Pſalmum* LXXVIII. 4. quàm *in ſingulos anni dies ad triginta millia*. Qui omnes fuêre, multis poſt Seculis ut plurimùm, è catatumbis, ſepulchris, aquis, latebris neſcio quibus, integri, quantis prodigiis! eruendi, ſuiſque dignoſcendi ſymbolis, titulis, inſcriptionibus, tabulis, annulis, aliiſque id genus notis; de quibus conſule ſi vis memoratum Paulum Aringhum, *in Romæ Subterraneæ Parte utrâque*.

Peregrinationes, Sodalitia, alia.

Peregrinationum ſuperſtitionem ad Loca quæ dixêre Sancta, Sepulchra, Cœmeteria, Limina Apoſtolorum, precum faciendarum gratiâ, votorum exſolvendorum, hoc Seculo frequentiſſimam obſerves. Ac luculentum rei exemplum *Ottones* Imperatores apud Glabrum, Witikindum, alios, præbent; *tertio* etiam Ottone in *Poloniam* profecto, *ad viſitanda ſacra pignora S. Alberti Martyris*, ſuſpiciente Baronio, ad Ann. M. Acceſſerunt *Sodalitia* inſtituta, pro juvandis mortuis, referente originem hujus Confraternitatis Baronio, ad plurimos *Romæ Sacerdotes* & *Epiſcopos*, Johanne XIV. Pontifice, quâ tùm fuêre Romani ſanctitate, ad Annum DCCCCLXXXIV. N. V. Summa fuit, quod obſtringerent ſe è Sodalitio ſinguli, pro ſuis etiam poſteris, idque in perpetuum, ſingulos ex ſe Sacerdotes *pro animâ defuncti per dies* XL. *Miſſam cantaturos* eſſe, ſub præmio certæ *poſſeſſionis Regni cæleſtis*, *cum omnibus Sanctis*, ſi facerent, vel ſub pœnâ æternæ damnationis, ſeu *ſeparationis à Regno Dei*, ſi omitterent. Ità vaniſſimæ ſuperſtitioni, nuſquàm à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutæ, ignotæque toti Orienti, & quam

Digitized by Google

quam ipſe Bona Cardinalis confert cum *Ethnicorum Sacrificiis* pro defunctorum manibus, Liturgicorum *Lib.* I. C. v. N. IV. homunciones illi & vinculum addebant anathematis, & ſtabuebant præmium vitæ gloriæque Sanctorum ſempiternæ, quocunque aliàs ſe reatu obſtrinxiſſent. Et dùm in dies id genus ἐθελοπερισσοθρησκείαις, cultuſque nefarius Creaturarum increſcerent, laxabantur carni ac libidini fræna, Clero Romano in omnem ſoluto impietatem.

Jejuniorum ludibria.

Quo etiam factum eſt, ut ex adverſo minueretur, in Latinâ Eccleſiâ, & in Italiâ primùm, antiqua *Jejuniorum* religio. Ac primò remiſſum fuit, tùm ratione *temporis*, quo abſtinebant ab omni cibo, ipſo adhuc Ævo Caroli M. uſque dùm peractum eſſet Officium Veſpertinum, tùm & ratione *cibi* ac *potûs*. Tempus quidem refectionis, Jejuniorum ipſiuſque Quadrageſimæ diebus, à Veſperâ cœpit transferri ad *Nonam*, quod medio Seculo x. familiare in Italiâ fuiſſe, ſeu *licentiam omnibus conceſſam*, teſtatur Ratherius Veronenſis Epiſcopus, apud Du-Cheſnium, Tomo ſecundo, p. 283. Poſteà & refectionis hora anticipata, & ad meridianam fixa, ne Nonâ quidem expectatâ, poſt peracta Miſſæ ſolemnia. Ità quum olim *vino*, *ovis*, *butyro*, *caſeo*, *lacticiniis* abſtinerent, obſervante in hunc diem toto Oriente, cumprimis in Quadrageſimâ, ſenſim hæc jejunantibus conceſſa fuêre. Ita Monachorum diſciplina, ſecùs ac in Oriente, κρεωφαγίαν admiſit, adipem ſuillum, volatilia, frixa, delicias omne genus, dùm multiplicarentur Miſſæ pro defunctis, Orationes ad Sanctos, Reliquiarum cultus, & ſuperſtitioſiſſima alia inſtituta. Exprobrantibus jam Græcis tempore Nicolai I. ut ex Æneæ Pariſienſis apologiâ, Nicolai juſſu ſcriptâ, liquet, dein & Michaële Cerulario Patriarchâ Conſt. Seculo ſequente.

Baptiſmus Campanarum.

Nec omittendus quem primùm hæc Ætas approbavit *Baptiſmus Campanarum*, interdictus Caroli M. aliquâ Conſtitutione. Refert Baronius ad Annum DCCCCLXIII. N. XIII. Johanne XIII. Pontifice ritum eum introducente. Nempè quum primaria Lateranenſis Eccleſiæ Campana, recens ære fuſa, ſuprà Campanile eſſet elevanda, vaniſſimus hic Pontifex eam prius novo ritu conſecravit, ac *Johannis nomine* nuncupavit. *Qui ſacer ritus in Eccleſiâ perſeveravit*, inquit Baronius, *ut Campanæ Deo primùm, impoſito eis nomine dicentur*, undè *dicantur baptizari Campanæ, cùm ità ab Epiſcopis benedicuntur*. Negat ille quidem eſſe *Baptiſmi Sacramentum* propriè dictum. At quæ ſit ejus baptiſmi Campanarum ſuperſtitio, quæ ſacra, quæ illis efficacia tribuatur, quæ hinc Campanarum credita virtus, fugando Diabolo, arcendis tempeſtatibus, vel mitigandis, *fidei etiam & charitati* in animis hominum augendæ, quin & juvandis manibus mortuorum, totius Romanæ Eccleſiæ praxis abundè teſtatur, & ipſa baptizandi ratio in *Pontificali* deſcripta. Ex Inſcriptionibus, baptizatæ vel conſecratæ Campanæ effectus cognoſce:

Colo verum Deum, plebem voco, & congrego Clerum,
Divos adoro, Feſta doceo, Defunctos ploro, Peſtem Dæmoneſque fugo.

Probandi reatum ritus ſuperſtitioſi, ac profani.

Nec finis foret his noſtris, ſi per Latinorum Rituum ſingula ire animus eſſet. Plena omnia ſuperſtitionum. Quas inter receptiſſima illa hoc Seculo, probandi ſeu crimen ſeu innocentiam per *ferrum candens*, & ejus attactum, dixêre *Judicium Dei*, etiam *Ordalium*, voce Saxonicâ. Luculentum præ cæteris exemplum Godofredus Viterbienſis in Chronico, Crantzius in Saxoniâ, & alii referunt, quâ jam judicii ἀκριβείας, vel hiſtoriæ fide, non dicimus, in Auguſtâ Uxore Ottonis III. Mariæ nomine. Hæc nempè apud Imperatorem, pari quo olim Potifaris conjux crimine, Comitem quendam quem deperibat, ſed fugientem nefarios amplexus, de pertentatâ pudicitiâ quum accuſaſſet. Capitis iſte innocuus ſupplicium tulit. Defuncti conjux Numinis vindictam appellat, Viri innocentiam cauſatur, ac probationem offert, *contrectationem ferri candentis*, veritatis indicem, eâ lege, ut ſi Victrix eſſet, capitis ſibi in Reum plena poteſtas foret. Conſentiente in hoc probationis genus Imperatore, mulier ferrum candens arripit illæſa, contrectat inuſta, hinc Otto reus ſanguinis deprehenſus, luiturâ tandem pro Imperatore Auguſtâ, & expiaturâ ſcelus ultricibus flammis, *ignitis peritura favillis*. Hæc illi, parùm probabilibus circumſtantiis, referente quoque Baronio, ad An. DCCCCXCVIII. Num. XII. Hujuſmodi autem *ferri igniti*, ſed & *aquæ ferventis*, aut *aquæ frigidæ* judicium, ad declarationem rei dubiæ, omninò inter hujus & prioris Seculi inſanias alias referendum eſt, quarum auctores approbatoreſque præcipuè Monachi; & de quibus prolixè Delrio, Fr. Pithœus, Juretus, Sirmondus, Spelmannus, Baluzius, Du-Freſne, alii: Fuit & judicium aliud, ſiſtendo ſe vel *ſtando* ad *Crucem*, brachiis ut videtur in Crucis modum expanſis ad certum tempus; vel etiam *duello* commiſſo inter accuſatorem & reum, cujus eventus *Dei Judicium* habebatur. Et horum Examinum ſeu *Ordaliorum* ratio publicis legibus deſcripta eſt, hoc etiam Seculo, inter Leges Æthilſtani, Ann. DCCCCXXVIII. Mimica & veſana probationis Moſaicæ per aquas amaras, in caſu zelotypiæ, imitatio fuit.

Impius quoque in probationibus lege non unâ, vel in purgationibus, obtinuit abuſus *juramenti*. Satis erat negaſſe facinus, v. gr. furtum, adulterium, homicidium, dato 50. Teſtium negantium juramento. Rursùs *unius Presbyteri* vel Sacerdotis ſufficiebat ad rei probationem negationemve teſtimonium, juramento firmatum. Vide Tomum Concilior. x. *col.* 600. ubi *Leges Eccleſiaſticæ* in Britanniâ latæ. Nihil jam dicimus de *Simoniæ* crimine, quod hoc Seculo inprimis graſſatum eſſe fatetur quoque Mabillonus, Analect. P. II. p. 342.

Diſciplinæ ratio Antichriſtiana.

V. Ex Rituum ac Cultûs ratione omni Superſtitioſâ & Idololatricâ, firmandâ per Pontifices, Clerum, *Monachos*, de *Doctrinis* in Romanâ Eccleſiâ, ſenſim ſtabilitis, deque omni Eccleſiæ *Diſciplinâ*, judicium eſt. *Papæ Vicariatus*, ac *ſuprema* ſub Chriſto in Eccleſiam Univerſalem poteſtas, quantum ad *ſpiritualia*, toto penè Occidente jam admiſſa fuit, ſubjecturo ſibi *temporalia* Gregorio VII. Seculo ſubſequente. Quin Papam *omnes judicare*, à nemine judicari, hoc Ævo contendit factio Johannis XIII. quantumvis ſceleratiſſimi Pontificis, probante Baronio, quâ de re infrà, *Capite* ſecuturo. Ac ſub Papis tradebatur *obedientia* debita *Archiepiſcopis*, *Epiſcopis*, & ab ipſis præſtanda Regibus, ac Principibus, quos Clericorum Synodorumque tribunali ſubjiciebant; undè Lex Odonis Canturienſis, Anno DCCCCXLIII. Edmundo Rege, *Tomo* IX. Concil. *col.* 609. *Ammonemus Regem, & Principes, & omnes qui in poteſtate ſunt, ut cum magnâ humilitate ſuis Archiepiſcopis, omnibuſque aliis Epiſcopis obediant.* Ità in Synodo Engelheimenſi, Anni DCCCCXLVIII. *Hugo* Princeps, tanquàm invaſor Regni Ludovici, quicquid cauſa Civilis eſſet, ab eâdem Synodo citandus, judicandus, excommunicanduſque fuit, ac prolixè eâ de re Flodoardus *Hiſt.* L. IV. C. XXXV. Rursùs *Clerici* ab omni fuêre *judicio Seculari* exempti, & à ſolis Eccleſiaſticis judicandi. Omnibus iidem *Curiis* ſenſim præfecti, ac primi qui Regum conſilia moderarentur, vel certè *Monachi*, ad quorum ferè omnia nutum paſſim regebantur. Sed & lon-

longâ *teſtium* ſerie opus fuit, priuſquàm convinci alicujus facinoris Clerici poſſent, ut jam ad priora Secula obſervatum. Ità *Confeſſionum* particularium paſſim lege introductâ, variiſque Capitulis ſancitâ, omnium conſcientiis dominati Sacerdotes, nulli ſuis. Rigor etiam ſummus Diſciplinæ fuit, ſi quis *Diſciplinam acciperet*, id eſt, privatam flagellorum caſtigationem. Quod pœnæ ſeu medicinæ pœnitentialis genus, inauditum fuiſſe antè Annum DCCCCL. exiſtimat Joh. Morinus, Comment. Hiſtorico de Pœnitentiâ; quod tamen habetur in Regulâ Aureliani, C. XLI. Meminit Regino de Eccleſ. Diſciplinis *Lib.* I. *Cap.* CLXIX. Hæc & alia loquuntur Synodorum hujus Ætatis in Galliâ, Britanniâ, Germanniâ, Italiâve Capitula; hinc Canonum Collectores, ac qui de *Eccleſiaſticâ* ſcripsêre *Diſciplinâ*, ut Regino, & alii, noviſſimè Thomaſſinus Gall. in Opere de *Eccleſ. Diſcipl.*

Cœlibatus lex impura.

Doctrina de *Cælibatu* Clericorum uſque adeò firmanda hoc Ævo fuit, ut pro magnâ *Hæreſi* haberetur, adſtruxiſſe nuptias Sacerdotum. Exempla præbent Chronica, ad hoc Seculum Tomus IX. Conciliorum, Antiquitates Britannicæ, & Balæus in Centuriis. Uſque adeò ut Edgarus, nefarius ipſe adulter, & ſtuprator etiam recluſarum Virginum, ſed efferendus Baronio, ſub auctoritate Johannis XIII. ex impurâ meretrice nati, *præciperet per omnes Regni ſui Cathedrales Eccleſias ejici Sacerdotes cum ſuis uxoribus & liberis, & Monachos induci, ut omnia Sodomis implerent*, ità Balæus. Ac præcipuum Edgari inſtrumentum, in profligando conjugio Sacerdotum, *incontinentiam Clericorum* vocat pro more Baronius ad An. DCCCCLXX. *Num.* III. *& ſeq.* fuit *Dunſtanus* ille, Glaſconienſis Monachus, omnium fallaciarum doloſus artifex, hinc Cantuarienſis Præſul, ac tandem *Sanctorum* Catalogo adſcribendus. Sub hoc celebrata Anglicana Synodus, adversùs *Clericos conjugatos*, Ann. DCCCCLXIX. & pro *Monachatu* promovendo, Monachiſque in Clericorum locum intrudendis, de quâ Baronius, ad Ann. DCCCCLXX. & Conciliorum Tomus IX. Ed. noviſſ. *col.* 698. Ac quibus tùm nequam ille fraudibus, cum ſociis ſuis, *Oſwaldo* Odonio, *Ethelwoldo* Wintonienſi, aucturis *Sanctorum* hoc ipſo numerum, promoverit rem ſuam, non ſine magiæ illo Ævo ſuſpicione, per *Cruces* vel *Statuas* loquentes, *Imagines* edentes ſigna, portentoſa id genus Monachorum inventa, loquantur Annales Britannici. Luculentum exemplum in *Cruce* ſeu *Imagine Crucifixi humano more locutâ*, in Wintonienſi Cœnobio, pro expellendis Clericis conjugatis, cùm cauſa hæc diſceptaretur, ipſe Baronius non diſſimulavit, ad Annum DCCCCLXXV. N. XII. Ità in Germaniâ, in Synodo Auguſtanâ, Anni DCCCCLII. Agapeto II. Pontifice, *Can.* XI. ſancitum, *firmatumque, ut in multis Conciliis, qui divina Myſteria contrectant, ab uxoribus abſtinerent.* Atque in hunc modum thori legitimi & impolluti loco, introductum eſt abominationum omne genus in Clericorum Collegia, Monachorumque cœnobia, nec ſine advocatis præſtigiis, ſed & vi admotâ. Ratio potiſſima fuit, in Synodis allegata, quod *Theſauros, in dies congeſtos, non ad Eccleſiæ honorem, ſed ſuis impenderent uxoribus, liberis.* Hic ſaltem obtentus Monachis lucroſus fuit, invaſuris ità Clericorum poſſeſſiones, quod fortè in iis eſſent qui conjugio patrocinarentur.

Conjugii doctrina viciata.

Tacemus de *Conjugio* doctrinam in multis recedentem à Chriſti & Apoſtolorum præſcripto. Dùm modò permitterent divortia, etiam ob *fætidum anhelitum*, levioreſque cauſas, ut in Legibus Walliæ Regis, Ann. DCCCCXL. Modò conjugia prohiberent, ob *compaternitatis* ſimiliaque vincula, vel remotiores conſanguineitatis *gradus*; Modò conjugibus, *cohabitationis* tempus præſcriberent, vel interdicerent omnem: Nec chartas haſce commaculamus fœdis & obſcœnis, quæ in Capitulis aut Legibus Eccleſiaſticis hujus Ævi, ſancita legimus, apud Spelmannum, & Collectionis Labbeanæ T. IX. *col.* 602. 603. &c.

Transſubſtantiationis primordia.

De *Euchariſtiâ* doctrinam quod attinet, actura magis magiſque radices fuit Doctrina de *Corporali præſentiâ*, ſuperiori Seculo à Paſchaſio aſſerta. Teſtis ſit *Odo* ille Cantuarienſium Archiepiſcopus, medio circiter Seculo X. ſuperſtitioſiſſimus Præſul, Monachiſmi, ac Cœlibatûs vehemens aſſertor cum *Dunſtano*, illi in Sede ſucceſſuro. Huic jam gravis de *Euchariſtiâ* contentio fuit cum Clero Cantuarienſi, quo reluctante Odo ſtatuit, *panis ſubſtantiam* poſt conſecrationem aboleri, tranſireque in Chriſti corpus, ſolâ remanente *figurâ* ſeu ſpecie externâ (accidentia vocant) Symbolorum. Nec cauſam obtinuit Odo adversùs Clerum, contendentem *panem* non eſſe niſi *figuram Corporis Chriſti*, manente priore ſubſtantiâ, niſi eâ fraude, iiſque præſtigiis quibus omnis ſuperſtitio atque Idololatria firmata eſt, miraculo ſcilicet & prodigio. Referunt rem graviſſimi ſcriptores Eadmerus in Opuſculis, Wilh. Malmesburienſis in Angl. Hiſtoriâ, Antiquitates Britannicæ in *Odone Severo*, XXII. Archiepiſcopo Cantuarienſi. Prodigium hoc fuit, nempè dùm celebraret quodam die coràm Populo Miſſarum ſolemnia, imploravit fictis lachrymis Dei auxilium, ac ſignum edendum in incredulos. Nec mora, *ubi ad* confractionem ventum, *confeſtim inter manus Pontificis, fragmenta Corporis Chriſti tenentis, ſanguis guttatim defluere cæpit*, quaſi ex venis Veri Corporis, in quod Panis converſus eſſet per conſecrationem. Undè miraculi novitate territi ſpectatores, nec compunctos digitos ipſius conſecrantis ſuſpicati, exorant Præſulem, ut in priſtinam formam Sanguis præſens commutaretur, quod factum, deprehenſâ in Calice conſuetâ Vini ſpecie. Atque impoſturis, præſtigiiſque id genus, perſuaſa tandem *Transſubſtantiatio* fuit, cujus ſimile exemplum in Paſchaſii Radberti Libro de Sacramentis, *Cap.* XIV. legitur, *Puerulì* Chriſti ſuprà Altare conſpicui, loco *panis*. Hinc & de *Fide Euchariſtiæ* Scripturis Librum Cantuarienſis ille Præſul, apud Balæum, non adeò (ut Arnaldus, & Galli nuperi) fide eâ *perpetuâ*, & antè *Berengarium* ſcilicet à nemine in dubium revocatâ. Nempè ſectati plurimi, eo tempore, in *Britanniâ* quidem, Scoti Erigenæ doctrinam, de quo ad ſuperius Seculum, *col.* 1377. ut & in *Galliâ* illam Bertrami, Flori Magiſtri, in *Germaniâ* illam Rabani, Walafridi, &c.

Præſtigiæ pro Purgatorio adſtruendo.

Purgatorius ignis, *κυρία* jam *δόξα* Latinorum fuit, nec ſine crimine hæreſeôs, vel impietatis, ſollicitanda. Indè præſtigiæ cotidianæ illi magis accendendo, apparitiones Dæmonum, Animarum auditæ voces, ejulatus, viſi ignes, flammæ, ſexcenta id genus. Exempla ſi vis apud Baronium, habes in Odilonis Cluniacenſis Legendâ, in illâ Dunſtani Cantuarienſis, Uldarici Auguſtani, aliis qui hoc Seculo celebrantur. Imò etiam poteſtas *Sanctis* iſtis facta transferendi liberandique non ex Purgatorio modò, ſed ex *Inferno* ipſo. Factum in *Edwino* Anglorum Rege, cui ſucceſſit Edgarus, refertque Annalium Scriptor, certâ fide, ex Oſberto (Oſberno veriùs) Monacho Benedictino Seculi XI. ad Annum DCCCCLIX. *Num.* ultimo.

Baronii fatuitas.

Anima nempè Edwini, cruciata inferorum ignibus, hinc à teterrimis Dæmonibus vexata Dunſtano apparuit, quem antè afflixiſſet. Sanctus injuriarum oblitus, miſertuſque, multis lachrymarum imbribus profuſis, Deum orat pro liberatione Edwini è manibus Dæmonum. Exauditur, nec *grandi* poſt *intervallo* Dæmones ad Dunſtanum redeunt *ſuâ prædâ vacui*, iſtis divinâ miſeratione elapſâ. Quis nugas id genus pluſquàm infantiles in Baronio ſine bile aut ſtomacho legat?

Imò

Imò quis inſartos talibus grandes ejuſdem Tomos, non oculatus teſtis, ſuſpicaretur? Tacemus hac Ætate Latinorum innovationes circà *Unctionem Infirmorum*, abituram in Sacramentum *Extremæ Unctionis*, & ſuperſtitioſiſſimis Ritibus contaminandam. Vide apud Joh. Launojum, de *Unctionis Sacram.* Cap. IV. Excerpta ex Libris Sacramentorum hujus Seculi, cumprimis è Corbejenſi *Monaſterio*, antè Annum DCCCCLXXXVI.

Doctrina de Juſtificatione, tota perverſa.

Ex memoratis patet, quàm parca, quàm ſub modio recondita, quamve depravata fuerit omnis doctrina de *Juſtificatione* per Fidem, ex merâ Gratiâ, in ſanguine Chriſti pro peccatis *ſemel* oblati, *Rom.* III. *Hebr.* IX. X. Ἀσύςαλος enim omnis Romanæ Eccleſiæ jam tùm doctrina fuit, praxi ipſâ firmatâ, de *Miſſæ* ſacrificio quotidie pro expiatione offerendo; de Operum pœnalium, Monaſticæ Vitæ, Suffragiorum, Peregrinationum, Satisfactionum meritis; de Sanctorum mediatione, interceſſione; gratiâ, quorum etiam tanta ineſſet Reliquiis & Imaginibus virtus. Ac *Deipara* jam in Orbe utroque hoc Ævo Filio ſuo meritis, poteſtate, mediatione, ipſi Deo gratiâ ac miſericordiâ, æquanda fuit, ut in ſuperioribus exemplis.

Concluſio contrà Baronium, &c.

Eant jam Genebrardus, Baronius, nuperque Natalis Alexander, ac jactitent (ut ſuprà) inter tot Pontificum monſtra, inter tot hujus Ævi execranda, *Fidem Catholicam*, à Chriſto ſcilicet & Apoſtolis acceptam, manſiſſe illibatam, *Cultum* ſincerum, *Veritatem* Petræ firmitate immotam, *Eccleſiam* Sanctam, puram, non habentem rugam neque maculam, & qui ſunt Baroniani id genus floſculi! Tu Lector perpende ſingula, nec nobis narrantibus fidem, ſed conſultis, exploratiſque quos damus Teſtibus, tuiſque ipſis oculis, aliquam habe. Nunc de Remediis nonnullis, ac *Succeſſione Eccleſiæ*, & bonorum reſiduo, in tantâ tamque univerſali corruptione, paucis monendum eſt.

V. *Papalis Tyrannidis coërcitio aliqua per Imperatores. In ſpecie de Johannis* XII. *depoſitione, & ſubſtitutione Leonis* VIII. *facto Ottonis* I. *Imperat. Baronius, & Nat. Alexander, ad partes vocati.*

Coercitiones ſub Ottone I.

I. Otto Magnus, Henrici Aucupis filius, & ſucceſſor ab Anno DCCCCXXXVI. inter alia præclarè & fortiter geſta, piè quoque coërcendam ſibi eſſe duxit Paparum totiuſque Cleri Romani, ſed & Monachorum, effrænam libidinem, motus exemplo Caroli M. & Ludovici Pii. 1. *Monachos* quod attinet, pluribus ex Wittikindo, Ottone Friſingenſi, Alb. Crantzio, intelligitur, ne retexam Anglorum ac Francorum Annales, inviſam fuiſſe quaquaversùm deſidis turbæ ignaviam, mollitiem, luxuriam, hinc reformata per Germaniam Monaſteria, & ejectas γαςέρας ἀργὰς, redituras ad Secularem vitam. Sed non duratura hæc reformatio fuit. Ex adverſo, Edgaro Anglorum Rege, Johanne XIII. Pontifice, *ejectos* fuiſſe *per omnes ferè Cathedrales Eccleſias, Sacerdotes cum uxoribus & liberis, & Monachos* in eorum locum *inductos*, ex Britannorum Annalibus refert Balæus, *Cent.* II. 2. Jus *eligendi* Pontifices, atque *inveſtiendi* Epiſcopos, Clerum, voluit Otto Magnus redire ad Imperatores; Undè Romam delatus, Ann. DCCCCLXIII. antè ejectum Johannem, *fidelitatem promittere* Cives Romani, & Clerus univerſus, *nunquàm ſe Papam electuros, aut ordinaturos, præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis, Cæſaris Auguſti, Filiique ipſius Regis Ottonis*, ita Luitprandus, *Lib.* VI. C. VI. Ad quæ ineptiſſimè Baronius, ad eum Annum, *Num.* XI. *Caterùm non omnibus Ottonis Imperatoris Succeſſoribus Auguſtis, id à populo Clereque juratum eſt.* Nempè juratum præſentibus, quod ſibi quà Auguſtis deberi meritò contendebant, & ſanxerat jam olim Adrianus I. ut viſum ad Sec. VIII. Falſum verò hoc promiſſum reſtrictum fuiſſe *ad Ottonem, ejuſque Filium*, ex conſtitutione mox ſancitâ in Synodo Romanâ, Leone VIII. jam electo, in quâ Synodo hoc jus confirmatum *Ottoni, ejuſque Succeſſoribus*, idque *in perpetuum*. Quâ de conſtitutione paulo infrà. 3. Idem Otto Johannem XII. nefarium Pontificem, ſaluberrimo conſilio removit, & Leonis VIII. electioni præſens Romæ annuit; quâ de re dicendum paulo plenius eſt.

Baronius notat.

Hiſtoria depoſiti Joh. XII.

II. Conſpeximus jam, Capite præcedente, cùm Paparum aliorum, tùm in ſpecie Johannis XII. vel XIII. indè ab Anno DCCCCLVI. Romanam Sedem occupantis, vel ipſo ducente illius vultus deſcribenteque Baronio, execrandam brevi tabellâ imaginem. Ex quâ ſanè colligat, non dicam pius quiſque Chriſtianus, ſed vel paululum modò ingenuus, quid de *Papatu*, totâque Hierarchiâ Pontificiâ, judicaverint quibus fuit aliquid Chriſtiani ſanguinis, & pietatis adhuc aliquis ſenſus. Si quæ verò pudoris ratio eſt, nemo non ſtatuat illicò reprobandum fuiſſe tollendumque Monſtrum informe, ingens, Diaboli non Chriſti imaginem referens, Neronis certè alicujus vel Heliogabali.

Igitur poſt tot accuſationum capita, de quibus in ſuperioribus, probataque hujus Monſtri ſcelera, quorum tot teſtes fuêre quot Romani, ut ejus impietas *nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas lateret*, ut eſt apud Luitprandum; & poſtquam purgationis loco fuiſſent præceps fuga, latebræ, minæ, anathemata; nullum ſupererat remedium aliud præter legitimam in Synodo depoſitionem. Et hæc Romæ tandem coacta Synodus An. DCCCCLXIII. præſente Ottone I. Imperatore, in eâque *tertiò* conſidente, Johannes XII. poſt iteratam citationem, ac miſſas ſecundo literas, cum Legatis, tanquàm *Monſtrum illud nullâ virtute redemptum à vitiis, à S. Romanâ Eccleſiâ pelli, aliumque loco ejus conſtitui* decretum eſt, *qui exemplo bonæ converſationis præeſſe valeret, & prodeſſet ſibi, rectè viveret, & benè vivendi exemplum præberet.* Quo facto, *omnium* ſuffragio, & *unâ voce, ternâ* acclamatione repetitâ, *annuenteque Imperatore*, electus eſt *Leo venerabilis*, S. *Romanæ Eccleſiæ Protoſcriniarius, vir approbatus*, conſecrandus mox ſolemni ritu. Hæc pluribus Acta ejus Synodi, apud Luitprandum auctorem coætaneum, in Libro *de Rebus Ottonis Auguſti*, qui ſubjungitur ad finem *de Rebus in Græciâ viſis*, & ex eo apud Baronium, ad præfatum Annum, *Num.* IV. *& ſeq.*

Baroniana portenta.

III. Nunc audi Theologiam Baronianam, cui etiam ſuorum paſſim, ſed & Petri de Marca, *Libro* I. de Concordiâ, *Cap.* XI. ac cumprimis nuperum Natalis Alexandri, Galli Monachi, ſuffragium acceſſit ſingulari *Diſſertatione*, quæ eſt illi ſexta decima *Tomi* XVI. Eccleſiaſticæ quam vocat Hiſtoriæ. Quæ ſola ſpeciminis loco eſſe poſſint, quo Hiſtorici id genus pretio apud ſuos eſſe debeant, qui non omnem fidem ac prudentiam ejurarunt. Ità eſt, inquiunt illi Viri, Johannes fuit monſtrorum omnium *monſtruoſiſſimus, illegitimè intruſus, contrà leges & Canones, invaſâ Sede, juvenculus, in Scenâ Mimus non Pontifex, parturiente tyrannide natus*: Adhæc in mediis *nefandiſque ſceleribus*, quæ totus Orbis *deteſtaretur, planè impœnitens, incorrigibilis*, ad *decimum* uſque *annum*, ab invaſo Pontificatu, Sacrilegam hanc perſonam acturus, hinc *juſtè à Deo puniendus, ab omnibus repudiatus*, & quæ apud iſtos teſtatiſſima plura ſunt. Nihilominùs, addunt iſti,

le-

legitimus idem Johannes *Pontifex* fuit, *illegitima depoſitio* in Synodo eâ Romanâ, & *ſurrogatio* Leonis *Schiſmatica*, cui Leoni inter Pontifices locus nullus debeatur. Satiuſque, itâ Baronius ad Ann. DCCCC LV. N. IV. *monſtruoſum quantumlibet Caput ferre*; *quàm duobus Capitibus infamari*; quaſi non daretur tertium, Monſtri remotio, & alterius Capitis ejus in locum ſubſtitutio. Natalis Alexander, propoſitâ quæſtione, *Utrùm Johannes* XII. *à Romanâ Synodo legitimè fuerit exauctoratus*, itâ concludit: *Exauctoratio Johannis* XII. *in Synodo Romanâ illegitima fuit. Undè qui ipſi ſubſtitutus eſt Leo* VIII. *Anti-Papa cenſendus eſt.* Atque hîc Lectorum fidem imploramus, adeò exuunt illi Scriptores quicquid pietatis, prudentiæ, æquitatis eſt, pudoriſque: Scilicet,

Honeſta ſcelera Papatus facit,

& quicquid uſpiam concipitur nefas in Pontifice tolerandum. In pauca contrahemus.

Exceptio in Luitprandum.

IV. Primò, orditur Baronius, à fide Luitprandi tanquàm ſuſpectâ, *addictiſſimi* ſcilicet *Ottoni Imperatori*, *qui privato ſtudio ſcripſerit in Ottonis gratiam, in odium verò Johannis*, ad Annum DCCCCLXIII. Num. III. Atqui Luitprandus rem deſcribit in publico Orbis theatro geſtam, ſuo tempore, nominibus etiam expreſſis omnium qui cum Imperatore conſiderent in eâ Synodo. Ejuſdemque Johannis XII. impietatem, abdicationem, ſubſtitutionem Leonis, confirmant, in Græcis ipſis *Cedrenus*, & *Curopalates*, in Latinis, *Roſwitha Saxonica* in Panegyrico Ottonis I. Poëticè ſcripto, *Reginonis* Continuatores, *Flodoardus*, *Sigebertus*, *Martinus Polonus*, *Platina*, *Trithemius*, Chronographi alii. Et ſi Johannes *odium* fuit Luitprandi, idem quoque *odium* fuit humani generis, & Eccleſiæ probrum, peſtis, exitium. Undè Natalis Alexander facta quidem concedit, imò *magno Eccleſiæ commodo exauctoratum videri Johannem*; quæri modò, an id *jure* factum fuerit ſeu ab Ottone I. ſeu à Romanâ Synodo, quod poſterius negat. Rationes videamus, quarum aliæ ea convellunt quæ Johannis depoſitionem *præceſſerunt*, aliæ ipſum Synodi *decretum*, & quæ illud *ſubſecuta* ſunt.

Exceptiones aliæ ineptiſſimæ.

V. Quantum ad ea quæ judicium Synodale præceſſerunt, excipit Baronius 1. *Cogi non potuiſſe* Synodum, *abſque ipſius Pontificis Johannis conſenſu*, ità neque *inconſulto & non conſentiente Johanne*, licuiſſe Clero Romano, & Cardinalibus, promittere Imperatori, *ſe præter ejus conſenſum, nunquàm deinceps Papam electuros.* Atqui jura electionum ſi fuêre penes Cardinales, Clerum, Populumque Romanum, haud negante Baronio, non hi potuerunt advocare conſenſum Imperatoris? Aut revocare concordiam priſtinam inter Imperatores & Clerum, in ordinando Pontifice, poſt tot nefarias electiones? Et requiſitus primò *conſenſus* ejus ipſius Pontificis, qui jam convictus eſſet tot Scelerum, qui conculcaſſet divina omnia & humana, & qui tùm quoque latitaret, profugus ad Saracenos? Quid etiam abſurdius, quàm *conſentire* debuiſſe Johannem in eam *Synodum*, in quâ ipſe judicandus eſſet, nullâ purgationis deinceps reliquâ ſpecie, certè convincendus tot enormium facinorum, ac recentiſſimæ etiam perduellionis, deſperatæque impœnitentiæ? Et quid jam fiet de *Conciliis* aliis, habitis etiam inter *Oecumenica*, ſeu in Oriente, ſeu in Occidente, non expectato in iis conſenſu Romani Pontificis? Quâ de re nos alibi, ac ipſum Maimburgium audiant in *Tractatu* Gallico de Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis, ne Carolum Molinæum, alioſque referam. 2. Pergit Purpuratus, *Num.* XXIII. Inter *accuſationum* capita, non expreſſam legi mentionem *intruſionis in Apoſtolicam Sedem*, *cùm adoleſcens eſſet Johannes*, omiſſumque id fuiſſe *magno artificio*; Nimirùm, *ſi fuiſſet Johannis electio oſtenſa nulla*, *æquè* Ottonis *Imperium*, *quod acceperat à Johanne*, *fuiſſet illegitimum declaratum*, *utpotè collatum ab eo qui Pontifex non eſſet*: *Sic igitur abſtinuiſſe ab his Ottonem*, *ne ſui abrogationem Imperii ejus damnatione procuraret.* Quot paucis vocibus portenta! Sanè Imperii dignitatem debuit Otto ſuis omninò Natalibus, Henrici Aucupis Patris ultimæ voluntati, apud Wittikindum, confirmatæ per Principes Imperii ſucceſſioni, Unctioni pridem per Moguntini manus acceptæ, ac tandem Senatui Populoque Romano, eum *Auguſtum* & *Imperatorem* proclamanti, conſecrante ſanè de novo Pontifice, ſeu *benedicente* ut habet Sigebertus, ſacro *unctionis* ritu, ac Sacerdotali ceremoniâ. Acceſſerant Ottonis latè victoriæ, liberataque ferè per eum Italia tyrannide Berengarii, & Adelberti. Neque aliter Ottones ſe inſcribere ſoliti, ad exemplum Caroli M. & Succeſſorum, quàm *Divinâ Clementiâ Imperatores Auguſtos*, ex Diplomatibus antiquis. Quid etiam ineptius, metuiſſe ſibi Ottonem, ne abrogato ex capite tyrannidis Johanne Pontifice, in ſe quoque Romani ſententiam *abrogati Imperii* pronunciarent? Qui ſanè eundem ut Italiæ liberatorem reſpiciebant, iis etiam exercitibus munitum, quibus jura ſua contrà quoſvis aſſereret. Probè etiam conſciis Romanis, conſtitui Imperatores ab antiquo ſolitos, *Lege Regiâ*, *Senatus-conſulto*, *Plebiſcito*, ac totius Populi ſuffragiis, cujus Papa nonniſi primum membrum cenſeretur. Vide autem Diſſertationem noſtram, ad ſuperius Sec. *Capite* VI. de tranſlato in Carolum M. Imperio, quem verè expreſſit Otto Magnus. 3. Porrò cauſatur Baronius, defuiſſe *trinam citationem* Johannis in reatu conſtituti; ſed nec *ſeptuaginta duos teſtes* contra Johannem depoſuiſſe; non etiam illi datam *perendinam dilationem*, ut jura voluêre; monſtroſum denique fuiſſe, quod *rogarit Imperatorem Synodus*, ut Johannem expelleret, dùm *Imperatoris fuerit poſtulare id à Sanctâ Synodo.* Bona verba! Atqui diſertè Luitprandus, & Acta Synodi, iteratò citatum fuiſſe, miſſis ad eum Literis etiam reverentiæ teſtibus, unà cum Legatis, ejuſque expectatum fuiſſe adventum; nec ad ſententiam ferendam proceſſiſſe Synodum, niſi poſtquàm *certò ſcivit non affuturum*, Legatis reverſis re infectâ, Pontifice nuſquàm invento, nec ubi ipſe eſſet quoquam valente indicare. Undè tandem *tertiò conſedit Synodus*, ità Luitprandus, ac *tertiò evocatum* fuiſſe, *dùm venire cunctaretur*, habet Sigebertus. En frontem Baronianam! Satis igitur datum illi fuit *dilationis*, ac fruſtrà *perendinaſſet* Synodus, dum ad Hernicos Johannes aufugerat, deliteſcens, contumax, αὐτοκατάκριτος, nec dubiâ ampliùs causâ tam ſcelerati Capitis. Dum verò LXXII. *teſtium depoſitionem* poſcit Baronius, in ſinu ſubridet, nixus *Actis* ſuppoſititiis *Marcellini* Papæ, relatis apud Baronium, ad A. CCCII. ut & Synodo *Sinueſſanâ* commentitiâ, in quâ depoſuerint LXXII. teſtes contrà Marcellinum, nempè juxtà diviſionem *Libræ occiduæ* in LXXII. ſolidos. Aliàs XL. teſtes Romæ deſideratos ferunt, uti contrà *Polychronium Hieroſolymitanum*, accuſatum videlicet ſub Sixto Pontifice, Theodoſio & Valentin. Auguſtis, An. CCCCXXXIII. in Synodo Romanâ; ſed pari ſupponendi fingendique libidine, nullo hujuſmodi Polychronio Romæ accuſando, purgandove. Verùm in haccecauſâ, & accuſatione Johannis XII. *omnes* uno ore adversùs hocce propudium hominis depoſuêre, Cardinales, Clerus, Populuſque univerſus, una vox Urbis & Orbis, & tantùm non teſtes LXXII.

Nugantur verò Cæſar Baronius, ſed & Natalis Alexander, rem fuiſſe monſtruoſam, *rogari Imperatorem à Synodo* ut conſentiret in *Johannis expulſionem*, & *alterius in ejus loco conſtitutionem.* Quid ità? *non fuiſſe hæc* ajunt *in Principis laici poteſtate.* Imò verò

Digitized by Google

rò hoc ipſum aſſertum monſtro ſimile eſt. Imperator *invitatur* in Urbem Romam, à Clero Populoque Romano, *etiam obſidibus datis:* Auditâ accuſatione res Conventui Synodali judicanda committitur; conveniunt communi aſſenſu Imperator & Primates Epiſcopi, Germani, Franci, Itali; Imperator initio ſtatim, ſe nolle ſolum agere Judicem, *vos* (inquit) *ô ſancti Patres conſulimus, id quod agendum eſt communi conſilio pertractetur*; ac tandem auditis teſtibus, ac probatis criminibus Johannis, ultimò contumacis, ac latitantis, petunt Romani, ut Imperatoriâ auctoritate *monſtrum illud expellatur*, & Ottonis aſſenſu accedente, *alius conſtituatur ejus loco.* Idne verò alienum ab Imperatore fuit, auctoritatem interponere, conſenſum addere, brachium ſeculare ſubminiſtrare, *expellendo* feroci monſtro, ac perduelli, cum Saracenis noviter, etiam & hoſtibus Imperii, conſpiranti? Apage gerras! Imò abſque ope Imperatoris *expelli* non potuit Pontifex, ſic nec abſque eodem *alius conſtitui.* Et turbatis Eccleſiæ rebus, extraordinario malo, quale hoc non diffitentur, extraordinarium etiam remedium adhiberi & potuiſſe & debuiſſe quis neget? Porro de jure Imperatorum in electionibus Pontificum, fusè ſuprà, antè & poſt tempora Caroli M. De eorundem jure in Paparum cognoſcendis cauſis, & in ſeditioſis removendis coercendiſve, uti factum à Salomone circà Abiatharem ſummum Pontificem, ab Honorio circà Bonifacium & Eulalium Antipapas, à Juſtiniano circà Sylverium, & Vigilium, à Conſtante circà Martinum, ab ipſo Carolo M. circà accuſationes Leonis III. dein ab Ottone III. ad exemplum Ottonis I. circà Johannem Placentinum, ab Henrico II. circà *tria teterrima monſtra*, ut Platina, ab Henrico III. circà Gregorium VI. à Sigiſmundo circà Johannem XXIII. tempore Conſtantienſis Synodi, &c. non hic eſt locus pluribus diſſertandi. Singula locis ſuis obſervantur.

An ſententia in Johannem, & Electio Leonis, ipſo jure nulla?

VI. Sed verò, inquiunt illi, *ſententia* ipſa in Johannem lata, tùm & *electio* Leonis nomine VIII. fuerunt ipſo jure nullæ. Et hic paratragœdiat Baronius, in *Pſeudo-Synodum*, *in Conciliabulum*, declamatque cùm in Johannis depoſitionem, tùm in ſubſtitutionem Leonis. Vocat iterùm *facta enormia, monſtruoſa, jus offenſum, Canones violatos, Traditionem conculcatam, proſtratam juſtitiam, facinus indignum, audax, inſolens, monſtrum, prodigium, zelum ſine ſcientiâ; privandoſque fuiſſe illos ipſos Epiſcopos hoc nomine, & divinâ quidem ſententiâ, ſuo Sacerdotio, juxtà Oſeæ Vaticinium*, C. IV. *Repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*, &c. Uno verbo *ſacrilegum* fuiſſe Synodi *judicium, invalidum, penitùs nullum*, ſed & *ſurrogationem* Leonis, utpotè *Laici*. Hæc & alia lege ad Annum DCCCCLXIII. *Num.* XXXI. XXXII. & ſequentibus. Multus eſt poſt Baronium Natalis nuperus, dictâ *Diſſertatione*, in ſententiâ hac adversùs Johannem latâ exagitandâ, & proſcindendis ejus Synodi Patribus, ac Leonis Pontificatu expungendo. Quod verò horum Virorum πρῶτον ψεῦδος eſt? 1. *Pontificem* (ajunt illi) *à nemine judicari potuiſſe*, latâ ſententiâ, *qui omnes judicaret, Superiorem ab Inferiori* judicari non poſſe, citatâ Aviti quâdam Epiſtolâ; Idem jam cenſuiſſe Patres Synodi Romanæ, habitæ in causâ Leonis III. tempore Caroli M. *Sedes Apoſtolica nos omnes judicat, ipſa à nemine judicatur.* Addunt exempla alia hujus ſuperioritatis atque independentiæ Papalis, ex quibus etiam conſtet, *quod major à minori judicari non debeat.* In ſpecie, nemini licere *contrà ſummos Pontifices ſententiam dicere*, decretum fuiſſe *Can.* XXI. Synodi VIII. Anti-Photianæ. Imò *erroneum fuiſſe & hæreticum*, aſſerere (qualiter factum ab Epiſcopis iſtis) *propter peccata*, qualia Johannis fuêre, *auferri poſſe à Pontificibus clavium poteſtatem.* Excipiunt tamen *Hæreſim*, in cujus ſolâ causâ liceat Pontificem accuſare damnareque, ut factum circà *Honorium*, cui poſt mortem ab Orientalibus anathema dictum fuit. 2. Leonem VIII. *mœchum* fuiſſe, qui *uxorem alienam vivente Viro* (Eccleſiam Romanam vivente Johanne XII.) *uſurparet*, atque adeò Anti-Papam, Schiſmaticum, nullum in Catalogo Pontificum. Quod verò *legitimum* eum *Pontificem* dixerint Auctores plerique coævi, factum *Ottoni Imperatori ut adularentur.* Acceſſiſſe *laicatum* Leonis, undè nec admoveri ad Pontificatum potuiſſe *Neophytum*, niſi *violatis* Eccleſiæ *Canonibus*. Hæc illi.

Baronianæ offuciæ, & Hypotheſes.

VII. Quæ rursùm commemoraſſe Lectori cuivis, extrà partes conſtituto, nec paraſito Romanæ Curiæ, nec Monacho, aut Jeſuiticæ Societatis, refutaſſe eſt. 1. *Papam à nemine judicari poſſe*, ne monſtrum quidem Papæ, audax Canoniſtarum eſt & gnathonum ſuppoſitio, imò impia, ex hypotheſibus impiis, Papam *Deum eſſe, qui ab hominibus judicari non poſſit, Vice-Deum, inſtar Dei, Regem Regum, Dominum & Judicem univerſalem, cœleſtium, terreſtrium, ſubterraneorum*, &c. Notæ Antichriſtianæ voces, *Nicolai* I. *Diſt.* XCVI. C. ſatis Evidenter; *Gregorii* VII. in Dictatis & Epiſtolis; *Innocentii* III. *Serm.* III. de Coronat. Pontif. *Bonifacii* VIII. *Diſt.* XL. C. ſi Papa, *Pauli* II. ad Platinam, in ejus Vitâ, & quæ ſunt id genus apud Canoniſtas infinita, & apud Baronium, Bzovium de Pontifice Rom. ac ſimiles. Imò verò memores eſſe oportuit *Petri* ipſius à Paulo reprehenſi, & palàm, & acriter, nec in causâ Hæreſeôs. Ac depoſitionum Papalium exempla, à Conciliis, Imperatoribus, ut & cauſas Pontificum ab hiſce cognitas, judicatas, etiam à Carolo M. jam ſubindicavimus ſuprà. Loquantur etiam Galli, Veneti, poſt Conſtantienſes, Baſilienſes, & quotquot independentiam Pontificiam vel omnipotentiam, aut infallibilitatem, exploſam voluerunt. 2. Quod urgent ex Anaſtaſio in Vitâ Leonis III. Epiſcopos in Romanâ Synodo erupiſſe in has voces, *Sedes Apoſtolica à nemine judicatur; nos Sedem Apoſtolicam judicare non audemus*; unus habet Bibliothecarius, ex quo inſerta ſunt Conciliorum Tomis. Atqui eo ipſo tempore *judicandus* fuit Leo à Carolo M. hunc in finem Romam accîto; & quum teſtes criminum nulli apparerent, *jurejurando ab objectis criminibus ſe purgavit*, quod Canones flagitabant, & firmat Ademarus in Vitâ Caroli M. Jam olim Symmachum *Decreto* judicarat Synodus Romana IV. Palmaris dicta, ſub Theodorico, A. 502. quam Editores Concil. faciunt Romanam III. A. 501. de quâ nos fusè. Utque Johannes hic XII. ſic mox Benedictus V. ab eodem Ottone depoſitus, A. DCCCCLXV. poſteà Johannes Placentinus ab Ottone III. A. DCCCCXCVI. Ne reponam exempla depoſitionum reliqua. Quod verò *Hæreſim* excipiunt, qualem Roma cenſet, ob quam unam judicari poſſit Pontifex, non verò ob *Simoniam, invaſam Sedem, inceſtus, adulteria, perjuria*, &c. qualia in hoc Monſtro deteſtatur Baronius, Antichriſtianæ doctrinæ tradux eſt, & πρῶτον ψεῦδος. 3. Ejuſdem ſunt commatis reliqua, v. gr. *Pontificem ſuperiorem* eſſe, *Imperatorem inferiorem*, vel *Concilium* legitimè coactum, id eſt ab Imperatore, conſentiente Clero. Undè iſta, Papam (quantumvis, *Mimum in Scenâ, Tyrannum, Monſtrum*, & ſi quid his deterius) ab Imperatore vel à Concilio judicari non poſſe, ſuperiorem ſcilicet ab inferiori, productis exemplis ab hac causâ alienis. Quæ pridem à cordatioribus in Romanâ Eccleſiâ, Gallis præcipuè, diſpuncta. Nec per *minorum judicium*, cui *non ſubjacere Romanæ Sedis Antiſtitem*, dixerat Synodus Palmaris, in causâ Symmachi, initio Seculi VI. (de quâ ſuprà) intellexêre Patres aut Imperatorem, aut Synodum, aut Epiſcopos, (quorum omnium *unum eſſe atque indivi-*

... *n Sacerdotium*, Symmachus ipſe Epiſt. I. ad Æonium Arelatenſem *Tomo* IV. *Conc. col.* 1291.) ſed *aliquos ex Clero, ex Senatu*, ut habet Anaſtaſius, qui Schiſmatis auctores adversùs Symmachum. Quod S. Joh. Launojus vir longè doctiſſimus, Pontificius ipſe, pridem demonſtravit, *Epiſtolarum* P. I. *Epiſt.* ad Claudium Santeulium. *Romana Synodi hujus Epiſcopi non dicunt, Judices tui non ſumus, Te ipſum judica, Tu poſt Prophetam Deo potes dicere, Tibi ſoli peccavi, tibi ſoli meam debeo innocentiam. Hoc inquam non dicunt. De Symmacho & Symmachi rebus, eâ ratione judicant, quâ ſecundum allegata & probata, ut Juriſperiti loquuntur, judicare potuerunt. Hinc reſtitutus ſuæ Sedi Symmachus, ad objecta crimina coram Synodo reſpondit.* Neque mens alia fuit Aviti Viennenſis, *Epiſt.* XXXI. ad Fauſtum & Symmachum Senatores, in quâ agit de *Sacerdotali Decreto*, quo Symmachus Papa abſolutus fuit, his verbis; *Decernimus ut Symmachus Papa, Sedis Apoſtol. Præſul, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, & liber*, &c. Adi Joh. Launojum in Epiſtolis, vel Papirium Maſſonum de Epiſcopis Urbis, *Libro* IV. atque etiam Ludov. Maimburgium Natali Alex. jure opponendum, in Tractatu de Eccleſiâ Rom. *Cap.* I. & XIX. ac ſequentibus. Fruſtrà etiam huc trahunt *Canonem* XXI. Synodi λῃστρικῆς Anti-Photianæ, Adriano II. Pontifice per Legatos judice in causâ propriâ; quo Canone interdicatur etiam *Univerſali Synodo* ſententiam dicere contrà Romanum Pontificem. Vide modò, quiſquis es, quæ nos prolixè eâ de Synodo Hadrianeâ, deque ejus reprobatione, ad Seculum IX. cumprimis *Cap.* XII. *col.* 1399. 1400.

Leonis Pontificatus aſſertus.

VIII. Quàm verò iniquum ſit, ut Baronii, Binii, Bzovii, Bellarmini, ac gregalium, ità Petri de Marca, nuperque Natalis Alexandri, de *Leone* VIII. ut *mœcho, uſurpatore, Antipapâ*, nullo in Pontificum ordine, judicium, ſequentia docent. 1. Factam fuiſſe hanc Leonis ſubſtitutionem, remoto Johanne, *omnium* conſenſione, *unâ voce*, liberrimâque *electione Cleri & Populi*, tanquàm *Viri quem maximè idoneum putarent, Imperatore electionem approbante*, pro veteri lege & conſuetudine, ab Ottone revocandâ, atque adeò Leonem *legitimum* Pontificem fuiſſe, omnes uno ore Hiſtorici. Ità Luitprandus, Reginonis Supplementum, Puella Saxonica, Sigebertus, Martinus Polonus, Antoninus Florent. Flav. Blondus, Platina, Wernerus, Sigonius, Trithemius, Nauclerus, Onuphrius, reliqui. Quos aut adulatos eſſe Ottoni, aut ſimpliciter rem commemoraſſe, non factum approbaſſe, precariò excipiunt. 2. Leo iſte VIII. omnium ſuffragio fuerat vitâ inculpatus, qualem poſcebant tempora, opponendum ſceleratiſſimo mortalium. Adhæc callentiſſimus idem Eccleſiaſticæ rei, *Protoſcriniarius* anteà Rom. Eccleſiæ, quicquid non functus Sacerdotio fuiſſet, undè de *Laicatu* querimoniæ, & non Canonicâ ſcilicet electione. Nunc quid magis repugnet Divino juri, inſtituto Chriſti, Eccleſiæ bono, arbitretur quiſque; eligi Virum probum, aptumque, in Paſtorem, Epiſcopum, licet anteà Secularibus negotiis implicitum; an retineri monſtrum, peſtem Eccleſiæ, hoſtem humani generis, ab iis quorum eſt eligendi poteſtas, atque etiam invaſorem Epiſcopatûs? 3. Non tam *Laicatus* Baronium urit, quàm quod in electione hac intervenerint partes *Imperatoris*, quem aliàs *piiſſimum* vocat; & qui niſi interveniſſet, *aliter Chriſtianam fidem perituram* fuiſſe, dixit Platina. Stomachum etiam Baronio movit, veriùs quàm *Laicatus* Leonis, *lex* à Leone mox lata, ut *nullus Papa fieret abſque aſſenſu Imperatoris*, apud ipſum Gratianum; Genebrardus vocat *jus Inveſtituræ iterum Imperatori collatum.* Quâ de re etiam poſteà. 4. Legitimum hunc *Leonem* VIII. præter memoratos teſtes, omnes illi agnoverunt, Seculo proximè ſequente, quibus *Leo* ille qui ſedit ab Ann. MXLIX. ad MLIV. commiſſus cum Michaële Cerulario & Orientalibus, eſt *Leo* IX. etiam in Martyrologio Romano, ad XIII. Kal. Maji. Aliàs ſi Leo iſte, vulgo VIII. ſuffectus in Johannis locum, Schiſmaticus fuit, & illegitimus Pontifex, alter qui vulgo Leo IX. dicendus fuiſſet *octavus*, quod & rectè Joh. Launojus, & Papirius Maſſonus, Viri Clariſſimi, obſervarunt. Hoc verò ut enervet Natalis, glocitat, v. gr. *Errorem in appellandis Pontificibus, non efficere ut veri fuerint Pontifices*, accuſato ſic errore, & quidem in causâ facti, uti Martyrologii Rom. ſic omnium Scriptorum Seculi X. XI. & ſequentium. Addit, *veritatis eam eſſe conditionem, ut nemo ipſi præſcribere poſſit:* Rectè, axiomate uti ab hac causâ alieno, quæ facti eſt, & de quâ teſtantur contemporanei proximique Scriptores omnes, ità meritò in *Præſcriptiones* Pontificias retorquendo, & inanem obtentum *Antiquitatis*.

Inſtantiæ Baron. & Nat. Alex. occurritur.

IX. Urgent, Leonem hunc VIII. mox à Concilio Romano fuiſſe depoſitum, reſtitutum Johannem XII. quo mortuo ſubſtitutus illi fuerit *Benedictus* V. à quo deinceps *Benedictus* VI. VII. in Benedictorum Pontificum ordine, fuerint appellati. Atqui 1. Meritò Viris doctiſſimis ſuſpectum fuit *Concilium* illud *Romanum*, in quo damnatus Leo VIII. mox ab Ottonis diſceſſu, & Johannes reſtitutus; quod ejus non meminerint memorati Hiſtorici, & unâ Vaticani Codicis fide nitatur. Abeſtque ab omni veri ſpecie, eoſdem Epiſcopos, qui unanimi conſenſione ſubſcripſerant Johannis abdicationi, mox contrario Decreto eundem reſtituiſſe, niſi vis interceſſerit. Quin ex ipſis Sermonis nævis, in hujus Concilii Actis, relatis Baronio ad Ann. DCCCCLXIV. Doctiſſ. Launojus fraudem jam olim ſuſpicatus eſt. 2. Pulſum Leonem VIII. fuiſſe, quum vix Otto à Romanis diſceſſiſſet, facilè concedimus; ſed poſtquàm *Romani à Papâ Johanne pecuniis illecti fuiſſent*, ut ipſe Sigebertus, Mulieribus imprimis facientibus, quas ſibi Johannes devinxerat. Nec mortuo Johanne ſubſtituerunt *Benedictum* V. niſi perjuri, inconſulto Ottone, *contrà juramentum quod Imperatori fecerant*, videlicet, *nunquàm ſe Papam electuros, aut ordinaturos, præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris*, iterùm ex Luitprando, Sigeberto, & reliquis. Quare factioſus ille Benedictus fuit, *in ſeditione creatus Pontifex*, ut Platina, *ab his potiſſimùm qui Johanni cognatione factioneque conjuncti fuerant.* Undè mox removendus, poſt paucorum menſium Pontificatum, ab imminente Urbi Ottone vindice; per quem Leo reſtitutus, & à Romanis iterùm admiſſus fuit, ſed anno I. Pontificatûs exceſſurus è vitâ. Quod verò iſte *Benedictus* in ordine Pontificum, *quinti* nomine, appareat, indè factum, quod Sedem aliquot menſibus tenuerit, factioſorum ope, donec eo pulſo reſtitueretur Leo. Sed hoc ipſum, expulſum fuiſſe ab Imperatore, reſtituto Leone, per quem Leonem jura ad Imperatores priſtina redierunt, ſatis cauſæ Baronio eſt, cur *Martyr* appellandus fuerit, ad Annum DCCCCLXV. N. 11. *Exploſâ* tanquam *fabulâ* causâ aliâ, nempè, quod in Germaniam ductus ab Imperatore Benedictus, Wandalorum incurſu fuerit trucidatus, referente Crantzio in Metropoli, & in Saxoniâ; Platina, *non multo poſt dolore animi apud Hayſpurgam mortuum.* Tandem verò Natalis Alexander, poſt multam declamationem contrà Johannis XII. depoſitionem, & decernentem eam Synodum, redit quodammodò in viam, *Diſſert.* XVI. p. 680. 681. *Sententiam quidem in Johannem ferri non debuiſſe, moneri tamen potuiſſe, argui, ad amoliendam criminis ſuſpicionem* adigi, hinc *graviter peccaſſe cùm recuſavit adeſſe Synodo*, citato Turrecrematâ Cardinali, à quo laudatum hoc Concilium Roma-

manum fuit, ſub Ottone I. *contrà Johannem Papam* XII. *qui venalis, & lubricus publicus, & incorrigibilis erat.* Et in ſententiam eandem, falſo Natali, Sylveſter Prieras, Franciſcus Victoria, alii plures, nempè in tali caſu potuiſſe *convocari Concilium, contrà voluntatem Papæ, ut ei reſiſteretur.* Eat nunc Baronius cum ſuis, quos inter Abrahamus Bzovius, qui Capite xv. de Pontificatu Romano, Synodum eam vocavit *Pſeudo-Synodum*, Ottonis *judicium execrandum, ſpurium, ſacrilegum, tyrannicum*, Leonem VIII. *perjurum, Schiſmaticum*, & quæ plura ibi legas. Nempè hac unâ hypotheſi, *Pontificem Romanum*, quicunque is tandem fuerit, *à nemine mortalium judicari poſſe.* Ottonem I. in abdicando *Johanne*, & ſubſtituendo Leone, vindicarunt Theodoricus à Niem, Onuphrius Panvinius, ex his H. Conringius Libro de *Germanico Imperio*, Meibomius in Notis ad Roſwitham, & plures alii.

De Facto Ottonis III. X. Ottonis I. exemplum imitatus eſt *Otto* III. quum Romæ tyrannidem exerceret Creſcentius Conſ. & in Gregorii V. locum, nuper ab Ottone conſtitutum cum omnium applauſu, impoſuiſſet Romanæ Sedi Anti-Papam *Johannem* Placentinum Epiſcopum. Undè factum, ut Otto Romam cum exercitu profectus Johannem illum malè mulctaret, amputatis digitis, præciſis auribus, oculis erutis, ac Gregorio V. reſtituto, ſumpturus & de Creſcentio tyranno ſupplicium. Referunt rem prolixè Ditmarus, Glaber Radulphus, & Petrus Damiani, quanquàm diverſis circumſtantiis. Unum verò hoc in loco adverte. *Gregorium* illum V. ab ipſo *Ottone* Imperatore, nepotem ſuum utpotè, & Germanum, fuiſſe ad Pontificatûs apicem evectum, & *glorioſè* quidem, *cum omnium laude præſentium*, ut diſertis verbis Ditmarus, ſinceriſſimus ſcriptor Poſſevino, Chronicorum *Libro* IV. Quidni jam in Gregorii hujus *electionem*, tanquàm tyrannicam, non Canonicam, ab Imperatore ſcilicet profectam, ex favore in conſanguineum ſuum, declamat uti aliàs ſolet Baronius; laudatâ ex oppoſito *Johannis Placentini pietate, comitate, & in rebus agendis ſolertiâ*, ut laudat J. Horatius Scoglius, *Libro* XI. ad Ann. DCCCCXCVI.? Rationem habes, quia opportunus eſt hic Gregorius V. Pontificiæ omnipotentiæ aſſertoribus, quorum princeps Baronius eſt. Nempè commentitiâ illâ Conſtitutione, de quâ poſteà, quam *Gregorio* falſiſſimè tribuunt, quâ is Pontifex Imperium Germanis ſtabiliverit, inſtitutis in eâ Gente *Septemviris Electoribus*, pro jure Pontificio largiendi transferendique Imperia, Regna; ut præter Baronium, ad hunc Annum DCCCCXCVI. multis Abrahamus Bzovius, de Pontifice Rom. C. XLIII. explodente ipſo Onuphrio Panvinio.

Nec omittenda hujus Ottonis III. Conſtitutio apud Goldaſtum in *Conſtitut. Imperial.* & in quam commentatus Marq. Freherus: Scil. adversùs commenta Pontificum, *de Donationibus Conſtantini M. & Caroli, ut maximam partem Imperii ſuo Apoſtolatui jungerent*; Simul *aſſignatis bonis, quibus Pontifices Romani, ad ſui ſuæque Eccleſiæ ſuſtentationem, uti frui debeant.* Quam Baronius cum aliis dubiam facit, ad A. MCXCI. N. LIX. quia non uno nomine adverſantem Pontificiæ dominationi ac tyrannidi.

VI. *Teſtes alii Veritatis infortunato hoc Seculo, contrà Tyrannidem, Errores, Superſtitiones Pontificias.*

Teſtes ab aliis producti dubiæ ætatis. I. Occuparunt hanc operam ex parte Magdeburgenſes, *Cent.* X. M. Flacius Illyricus, in Catalogo Teſtium, *Libro* XI. Uſſerius de Succeſſione Eccleſiarum, C. III. Hottingerus Seculo X. *Sect.* V. & qui Eruditorum alii in facta hujus Ævi, ac ſententias de Scripturâ S. de Poteſtate Papæ, Juribus Principum, Euchariſtiâ, Imaginum cultu, Cœlibatu Clericorum, Prædeſtinatione, Juſtificatione, aliiſque Capitibus, paſſim inquiſiverunt. Quanquàm Teſtium nonnullorum ætas controverſa ſit, ut Ambroſii Ansberti, Smaragdi Abbatis, Radulphi Flaviacenſis, Theophylacti Archiep. Bulgarorum, & ad ſequens Seculum veriùs referendi ſint Glaber Radulphus, & Giſelbertus Monachus. Nos ex multis pauca ſubnotamus.

Teſtes pro Scripturarum uſu, &c. II. Fuiſſe hoc Ævo conſtat certâ fide, qui debitam *Scripturis S.* reverentiam habuerunt, undè eſſet haurienda fides, ſalus; hinc *transferendis* in iis linguas vernaculas, à Populo *legendis*, quicquid in contrarium Monachi niterentur, impuriſſimis Traditionibus obtruſis. Ità in Britanniis Æthelſtanus Edwardi I. filius, mortuus A. DCCCCXXXIX. *Scripturas divinas verti fecit in Anglo-Saxonicum idioma, ex puriſſimis Hebræorum fontibus*, Balæo ex Malmesburienſi referente, *Cent.* II. Ipſum Ælfredum Magnum anteà, nono Seculo inclinato, *Novum Teſt. priori loco vertiſſe, deinde hoc abſoluto Vetus Teſt. aggreſſum*, refert in ejus Vitâ Spelmannus, *Libro* III. Nec dubium quin Caroli M. Capitularia, pro *Scripturis S.* commendandis (de quibus ad *Sec.* IX. C. III.) paſſim Viri pii, in Galliâ cumprimis & Germaniâ, hoc Seculo reſpexerint. Quos inter Radulphus Flaviacenſis Monachus, ut Chronographus, ſic Commentator eo tempore inclytus, ex quo multa Flacius Illyricus. Quem tamen duobus Seculis recentiorem faciunt D. Blondellus, Labbeus, & alii, ob teſtimonium de *Johannâ Papiſſâ*, ex uno Alberico Trium Fontium Monacho, cui eſt Seculi XIII. in Ms. hujus Chron. In Oriente par Scripturis S. reverentia habita, ab iis qui tenaces doctrinæ Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi; vel ex Oecumenio, & Theophylacto, eximiis Commentatoribus, ſi non hujus certè proximæ Ætatis.

Contrà Papalem tyrannidem, &c. III. Fuêre etiam, in hac temporum barbarie, qui prætulêrunt in plurimis lucem veritatis, in ipſo quandoque Monachorum ordine, etiam contrà *Papalem tyrannidem, infallibilitatem, decreta Pontificum, Traditiones* ſpurias & muſteas. Inter teſtes hujus Ævi in hanc rem productos ab Illyrico, Mornæo, Uſſerio, Hottingero, & ſi quibus aliis, ſunt quorum vel ætas non ità certa, ut dictum modò eſt, vel ſcripta; in quibus eſt *Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ*, Liber contrà Judæos, tributus Giſelberto Monacho Anglo, quem tacent Bellarminus, Labbe, cæteri ferè; laudat Chronicon *Monaſterii* Hirſaugienſis, ſed ad Annum MLXXVII. apud Trithemium, *pag.* 76. Saltem indubius eſto teſtis primò, qui res hujus temporis Hiſtoriarum Libris complexus eſt, licet clarus magis Seculo XI. Glaber Radulphus, in quem etiam Baronius invehitur, *ut valdè hallucinatum*, ad Annum DCCCCXCVI. *Num.* XXV. Cauſa Baronianæ indignationis eſt, quod idem Glaber, Hiſtoriarum *Libro* IV. memorans uſurpatam Johanni Pontifici auctoritatem in Diœceſim Andegavenſem, diſertè vocet *inſolentem præſumptionis audaciam.* Addit rationem Glaber, *Pontificem Rom. Eccleſiæ, ob dignitatem Apo-*

Digitized by Google

ſtolicæ Sedis, *cæteris* quidem in Orbe conſtitutis Epiſcopis *reverentiorem haberi*; aſt verò (ſic Glabri mentem reddit ipſe Baronius) *in alienâ Diœceſi nihil poſſe præſumere Romanum Pontificem, pluſquàm cæteros Epiſcopos, quibus certis limitibus eſt definita Diœceſis*, & *extrà ipſam nihil penitùs agere poſſe.* Rectè, hæc tum ſententia Gallicanorum Præſulum, nonniſi Primatum ordinis & honoris Romano Epiſcopo vendicantium, minimè Oecumenicam poteſtatem.

De Gerberto & Synodo Rhemenſi, & Arnulphi cauſâ.

Sed luculentior teſtis eſto ille ipſe *Gerbertus*, aliis *Gilbertus* ut Mart. Polono, Wernero, Paulo Æmilio, ſed & *Gerlentius* in Chron. Auriliacenſis Abbatiæ, (vulgò Orillac) quod edidit Mabillonus, *Anal.* T. II. p 241. Hic ex *Monacho* Auriliacenſi, tùm Bobienſi Abbate, Rhemenſis Antiſtes electus fuerat, poſt exauctoratum Arnulphum proditionis reum; moderator olim adoleſcentiæ Ottonis III. dein Roberti I. Hugonis filii; doctrinæ eo tempore habitus miraculum, ac vitâ tùm inculpatus, inſcriptus aliquando *Scholaſticus* & *Philoſophus*, ac poſteà ſub Sylveſtri II. nomine Papatum geſſurus. Nec Gerberti unius credendum fuerit hoc teſtimonium, ſed & *Arnulphi* Aurelianenſis, & omnium Antiſtitum, qui Synodo *Rhemenſi* interfuêre, coactæ Anno DCCCCXCI. Hugone Capeto Rege. Quanquàm ea *Pſeudo-Synodus* Baronio eſt, & ſuis, cujus Hiſtoriam ſcripſit ipſe Gerbertus *Actorum Rhemenſium* nomine, ex antiquiſſimo Cod. Muſcianenſis Monaſt. vulgò Moiſſac, in Cadurcis Aquitaniæ olim celeberrimi, evulgatam, A. MDC. Ex hac jam ab ipſo Baronio, ad A. DCCCCXCII. *Num.* X. *& ſeq.* & ex *Epiſtolis* ejuſdem Gerberti ſanè eruditis, in ſpecie illâ ad Seguinum Senonenſem Archiepiſc. ſunt excerptæ invectivæ in Romanam Sedem, ejuſque corruptionem ac tyrannidem, prolatis exemplis, & teſtimoniis Scripturæ & Antiquitatis. Summa eſt: Romanam Eccleſiam honorandam quidem, ob memoriam Petri, *ſed ſalvâ auctoritate Concilii Nicani, quod eadem Rom. Eccleſia ſemper venerata ſit*; *Africanas* jam olim *Eccleſias contradixiſſe* Romanis Pontificibus, quamvis magnis & præclaris, dùm contenderent *Univerſalem Eccleſiam ſibi creditam eſſe*; Certè nec *præjudicare* poſſe promulgatis Canonibus *Rom. Pontificis ſilentium*, ſi conſultus non reſpondeat, ſed nec *novas Conſtitutiones*; Cumprimis ubi Sedem occupaſſent *hominum monſtra, ignominiâ plena, ſcientiâ humanarum divinarumque rerum vacua*, &c. Atque adeò Romanum Epiſcopum, *ſi peccaverit, ſubeſſe judicio Eccleſiæ*, lege Chriſti, *ejus judicium*, decreta, *examini* eſſe obnoxia, juxtà regulam Pauli, confirmante Gelaſio Papâ, & poſteà Hincmaro Rhemenſi, ubi de *Epiſtolis Decretalibus* Pontificum; Pontificem *errare* poſſe, in fidei dogmatibus, & labi, prolato exemplo *Marcellini*. Et ut mittam alia, accuſatâ Johannis XV. tùm Pontificis tyrannide. *Quid hunc* (inquit ille) *Reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpureâ & auro radiantem, quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolâque ſcientiâ inflatur & extollitur, Anti-Chriſtus eſt in Templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquàm ſit Deus.* Rursùs; *Anti-Chriſtus inſtare videtur, & ut Apoſtolus ait, Jam myſterium operatur tantum, ut qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat, ut ille perditionis filius reveletur, qui adverſatur, & extollitur ſupra Dei Nomen, Deique culturam: Quod jam in aperto ſit, ut Romanâ potentiâ conquaſſatâ, religione profligatâ, nomen Dei frequentibus perjuriis impunè humilietur*, &c.

Cauſa omnis inter Synodum Rhemenſem & Romanum Pontificem, Johannem XV. vel XVI. hæc fuit. *Arnulphus*, filius naturalis Lotharii Regis, ut fama fuit, ab Hugone Capeto Rege, ut eum ſibi devinciret, donatus fuerat Metropoli ſeu Archiepiſcopatu Rhemenſi, fide Regi *terribilibus Sacramentis* juratâ, etiam ſcripto. Mox Arnulphus fit perjurii & proditionis reus, poſtquàm Urbem Rhemorum Carolo Lotharingiæ Duci, vix ſemeſtri poſt ſpatio, perfidiâ Adalgarii Presbyteri, clàm prodidiſſet, undè tot cædes, incendia, ſacrilegia, & *ſanctuarium Dei pollutum, ſpolia direpta, Clerus & Populus captivatus.* Intereà dum Romanus Pontifex Legatis & literis Synodicis fruſtrà conſulitur, ut turbatæ Eccleſiæ ſuccurrat; Arnulphi fraudes, & iteratæ proditiones detectæ; Carolus fato ſublatus; Laudunenſis urbs, in quâ deliteſcebat, capta; Arnulphus inter hoſtes Regis inventus, idemque Synodo Rhemenſi repræſentatus, *proditionis & perjurii propriâ confeſſione convictus*, Epiſcopatu abdicatus, ac Gerbertus, omnium digniſſimus eâ ſtatione, Rhemenſi Sedi præfectus fuit. Quod factum fuiſſe *omnium judicio*, præterquàm *uno Seguino* Senonenſi *reclamante*, diſertè Sigebertus, Paulus Æmilius, alii. Verùm ſe inconſulto, vel potiùs abſque ejus auctoritate factum eſſe indignatus Pontifex, anathemate Rhemenſes perſtrinxit; ſovitque partes Arnulphi, quantumvis perjuri ac perduellis. Huic accedente *Seguino* vel Sevino Senonenſi, nec ratione aliâ quàm ob nexum Senonenſis cum Romanâ Sede, cujus auctoritate contenderet ille *primatum omnium Galliarum*, ac *Legati* dignitatem, hinc præeminentiam ſuprà Rhemenſem; ex conceſſione videl. Johannis VIII. ſub Car. Calvo, in favorem *Anſegiſi* Senonenſis, *Legati* Pontificii titulo aucti. *Hinc* jam illa Gerberti expoſtulatio, cùm de Romani Epiſcopi uſurpationibus, tùm de Senonenſis fœdâ ſervitute, ſcriptâ ad hunc Epiſtolâ, inſertâ Annalibus Baronii, *Num.* XLII. *& ſeq.* Sed eorum molitionibus cedendum tandem fuit Gerberto, poſtquàm *Leo* legatus Pontificius in Galliam miſſus fuiſſet, pro reſtituendo Arnulpho, abdicato ità Rhemenſi Epiſcopatu, ſed cum Ravennatenſi commutando.

Gerberti virtutes.

De cætero, dicam Mezeræi verbis, initio Tomi II. in Hiſtoriâ Hugonis Regis, *Vir magnus Gerbertus, & proba vita, ut teſtantur Auctores Contemporanei.* Ac lectione digniſſimus ille *Gerberti Philoſophi Sermo*, jam tùm Epiſcopi, quem ex Ms. Codice edidit Mabillonus, *Analect.* T. II. de Epiſcoporum ac Sacerdotum officiis. Non modò enim inculpatum ac ſeverum vitæ genus probat ipſe, ſed & commendat *Epiſcopis, Sacerdotibus, Conſervis* ſuis, ut *quod eſſent profeſſione, actione potiùs, quàm nomine demonſtrarent; ne ſit nomen inane, crimen immane; ne ſit honor ſublimis, & vita pœnalis; ne ſit Deifica profeſſio, & illicita actio; ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus profectus; ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus; ne locutionem ſimulent columbinam, & mentem habeant caninam*, &c. Et *ut Senatorem chlamys monſtrat, agricultura Ruſticum, Barbarum arma, Nautam remigii peritia, ſingulos quoſque Opifices operis ſui qualitas; ſic Epiſcopum nonniſi Epiſcopalem operam ſignare* oportere, & quæ ibi plura; inſtitutâ egregiâ paraphraſi, tùm verborum Chriſti paſſim, tùm Paulinæ hortationis, I *Tim.* III. I. *& ſequent.* Sed & in eo Sermone ſunt, quæ Baronianæ doctrinæ jugulum petunt. *Claves Regni Cœlorum* dicit *in Petro Apoſt. cunctos ſuſcepiſſe Sacerdotes, pag.* 217. In illâ Domini ad Petrum *tertiâ repetitione*, Paſce oves meas, *eas oves, eum gregem, non ſolùm tunc Beatum ſuſcepiſſe Apoſtolum, ſed & nobiſcum* (Epiſcopis, Sacerdotibus) *eas accepiſſe* Petrum, *& cum illo eas ſuſcepiſſe omnes, undè regendæ Sacerdotibus contraduntur.* Ubi nihil à Domino eximii aut datum aut dictum Petro fuiſſe, etiam quoad poteſtatem *regiminis*, quod non omnibus cum illo Epiſcopis, Paſtoribus. Quamvis in admoto ad Pontificatum Gerberto, honoris illud faſtigium mores mutaſſe videatur. Nunc ſuperiorem

quam

Digitized by Google

quam diximus rerum ſummam, ex Francorum Annalibus, & certioribus documentis, & ex variis Gerberti Epiſtolis, confirmant Papirius Maſſonus Annalium *Libro* III. & Mezeræus in rebus *Hugonis Capeti*, qui ſint jam omnium inſtar.

Falſa Hiſtoricorum narrata.

Sed & fidem quorundam Hiſtoricorum, quos inter eſt Continuator Aimoini Eginaldus, atque adeò & fidem Baronii, Binii, accuſat ipſe Mezeræus Hiſtoricus in hac omni causâ Tomi II. *pag*. 4. 5. tanquam præpoſterorum advocatorum Papæ, & Arnulphi. Nempè *falſa eſſe* quæ alii retulerint, ex. gr. indignationem Hugonis Regis in *Arnulphum* indè natam, quod eſſet *de progenie Lotharii Regis*, *Carolo* Lotharingico conſanguineus; qui tamen Hugo eum promoverat ad Archiepiſcopatum, uti promoverat Brunonem Lingonenſem, & Goteſmannum Ambianenſem, Carolo pariter innexos. Ità mendacii poſtulat, vim Arnulpho factam eſſe, & *Regem ei interminatum, quod oculos illi configi juberet, niſi perjurium fateretur, crimen quod inficiari non poterat.* Ità præſtigiarum arguit illud Eginaldi, *in Seguinum Senonenſem iram Regis adeò efferbuiſſe*, ut eum *carceri* manciparet; rursùm, non aliundè Seguinum faviſſe Arnulpho, quam quod hic *plus timens Deum*, *quàm terrenum Regem.* Imò cauſa longè alia ſuperiùs indicata, Arnulphi æmulatio in Rhemenſem, & præeminentia affectata tanquàm Legati Pontificii, & *vices Johannis per Gallias gerentis*, undè nexus ille cum Romano. Quâ auctoritate juſſus à Johanne Synodum alteram Rhemenſem congregare, *revocare Arnulphum*, & *degradare Gerbertum*, ex Actis Concilii Rhemenſis, relati ad A. DCCCCXCV. Qui Arnulphus reſtitutus quidem fuit, *ſolâ auctoritate Rom. Sedis*, ut Mezeræus, ſed non ex devoto obſequio Hugonis Regis, nec vivo Hugone, nec ſedente adhuc Johanne, ut Baronium & Binium mentiri cauſatur meritò Coſſartius, qui Notas adjecit ad Synodum eam Rhemenſem contrà Gerbertum, Tomo IX. Concil. *col*. 750. 751. Facta igitur Arnulphi reſtitutio eſt, *jam functo Hugone Rege*, *Roberto ſolo regnante*, *Gregorio* V. *Pontifice*, quod ex Aimoino in Vitâ Abbonis Abbatis confirmat Annotator ille Pontificius. Pariter fabulæ ne veriſimilis quidem accuſat Papirius Maſſonus, *Annal*. L. III. *p*. 198. quod retulit Hiſtoricus alter Hugo Floriacenſis, Carolum Lotharingicum, *Aſcelini proditione captum Lauduni*, *unâ cum uxore*, *ductumque Aureliam*, *ubi fato functus ſit.* Undè ſaltem conſtat, quâ prudentiâ verſandum ſit, in diſcernendis vel affectibus, vel lapſibus Hiſtoricorum mediæ ætatis. Vide & M. Antonium de Dominis, in *Parte* IV. de Republ. Eccleſiaſt. cauſam hanc omnem contrà Baronium retractantem.

Baronius pluribus notatus.

Undè ne caſsâ glande digna ſunt quæ declamat Annalium Scriptor, ad Annum modò expreſſum: Primò is in Synodum Rhemenſem debacchatur ut *Conciliabulum*, quia indicta ſine conſenſu & auctoritate Romani Pontificis, *abſque cujus voluntate nec debuerit*, *nec potuerit ea Synodus congregari*: Quaſi verò, mediâ in Galliâ, ne Regiâ quidem auctoritate, & conſenſu Metropolitanarum Sedium, in cauſâ quæ ad Gallicanas Eccleſias, & ad Regni ſecuritatem attineret, & ad judicium de Provinciæ Metropolitano, indici non potuerit Synodus Gallicana Generalis, abſque juſſu Pontificis! Quo magis, ut Gerbertus in Epiſtolâ ad Ottonem Imperatorem, *fuiſſet Legatis & literis Synodicis Romanus Pontifex*, *ut Eccleſiæ turbatæ ſubveniret*, *admonitus*, ſed dedignatus *conſulere conſulentibus*, *neque Legatis*, *neque Literis*. Deinde Baronius in *Acta* hujus Synodi bilem effundit, tanquàm edita à Gerberto ipſo, hinc illi ſubleſtæ fidei. Quæ tamen fuêre fidei publicæ, edita eo ipſo tempore, in facie totius Galliæ, ipſiuſque depoſiti Arnulphi, & Defenſorum, eademque Hiſtoricorum conſenſione roborata, & Narratione editâ ab ipſo Jac. Sirmondo: In quâ poſtremâ apparent *Epiſcopi* ex totâ Diœceſi Rhemenſi, ex Provinciâ Bituricenſium, ex Lugdunenſi primâ, ex Senonenſi, & Abbates quàm plurimi: Ubi etiam *Confeſſio* abdicati Arnulphi, eademque voluntaria, ac ſecreta primò in aurem Confeſſorum, tùm & publica, cum deſiderio Pœnitentiæ; tandem & *Canonica electio* Gerberti, ab Epiſcopis Rhemorum Diœceſeôs, aſſentientibus Hugone Auguſto & Roberto Rege. Deinde *Pontificis Romani* omnipotentiam adſtruit Purpuratus, contrà Gerberti accuſationes; contenditque Pontificem *eſſe ſuprà Canones*, *nec illis ſubjectum*; nullum *defectum ſcientiæ*, *morum*, nulla flagitia, ſcelera in *Pontificibus*, detrahere eorum *ſupremæ auctoritati*; ità nullam ſuperbiam, tyrannidem, defectum charitatis, facere Papam *Antichriſtum*; eſſe hoc aſſertum *Donatiſticum*, *Pelagianum*, Scripturæ, Patribus, Conciliis, *cunctis Decretis Pontificum* adverſum, &c. Et quæ alia effutit Cardinalis, toti Galliæ Pontificiæ exploſa, ac pridem Glabro Radulpho, hujus ferè temporis Scriptori, in loco cujus antè meminimus, ex *Hiſt.* L. II. C. IV. & de quo fusè de Marca, *Lib.* IV. de Concordiâ, C. VIII. ne Gratianum, Florentinos, Conſtantienſes, Baſileenſes appellem. Nempè hos juxtà, *Pontifex Canonum modò cuſtos eſt*, *Canonibus obnoxius*, *quorum & conſervationem polliceatur in Conſecratione ſuâ*; *poſitus ad ædificationem*, *non ad deſtructionem*, & quæ id genus illi plura, ac nos in ſuperioribus, ubi de depoſitione Johannis XII. Quid multis? Perpetuò eadem κοκκύζει Annalium Scriptor, & Pontifices etiam monſtroſos in *Chriſti* Solio locat; Rhemenſium *Actorum* ſingula oratorio apparatu, & multis contumeliis, exagitat, detorquet; in Gerbertum ſævit maledictis, futurum licet Pontificem, tanquàm in *inſanientem*, *ſtolidum*, *furentem*, *blaſphemum*, *ſerpentem linguis triſulcis*, *Hæreticum*, *Schiſmaticum*, & ſi quid his gravius eſt. De quo tamen Gerberto ingenui omnes Hiſtorici, ejuſque ipſius Literæ, Acta, Sermones, doctrinam inexhauſtam, mores graves, ſed & ſeveros, ac peritiam Scripturarum inſignem teſtantur, ex quibus penè ſolis conflatus ille Sermo eſt, *de Informatione Epiſcoporum*, ſeu de Officio Sacerdotum, cujus modò meminimus. Ac Narratio Synodi Rhemenſis à Jac. Sirmondo confecta, & inter ejus Schedas reperta diſertè habet; Fuiſſe eum *Canonicè* ab Epiſcopis totîus Diœceſeôs *electum*, *ætate maturum*, *natura prudentem*, *docilem*, *affabilem*, *miſericordem*, *cujus mores à puero noviſſent*, qui elegerunt, *expertique eſſent ſtudium in Divinis & Humanis rebus.* Vide & Chronicon editum à Mabill. *Anal.* T. II. p. 241. ubi laudes Gerberti.

Conſtitutio Leonis VIII. pro jure Imperatorum aſſerta, contrà Baronium.

IV. Porrò fuit in Romanis ipſis Pontificibus hoc Seculo *Leo* VIII. qui intelligens, unà cum Romanis omnibus, quæ fuiſſent ab antiquo *Imperatorum* jura, circà electiones Pontificum, & qui nefarii abuſus, quæ *perturbationes*, poſt ea ipſa aut ab Imperatoribus neglecta, aut à Romanis *fœdâ ambitione* (ità Car. Sigonius) violata, latâ lege in Synodo Romanâ, A. DCCCCLXIV. reſtituit Principibus Auguſtis *jus Inveſtituræ*, ſeu confirmandi ſummos Pontifices, ſuo aſſenſu. Inſeruit legem Gratianus Decreto ſuo, *Diſt.* LXIII. C. XXIII. *In Synodo congregatâ*, &c. poſtquàm præmiſiſſet *Cap.* XXII. legem Adriani, totiuſque ſub eo Synodi, quâ *tradiderunt Carolo M. jus & poteſtatem eligendi Pontificem*, & *ordinandi Apoſtolicam Sedem.* Quid jam Baronius, & ex eo Binius, ut ſolet? Ille ad A. DCCCCLXIV. *Num.* XXII. & *ſeq.* I. Eam Conſtitutionem, *etſi verè fieri contigiſſet*, *nullius eſſe roboris*, *quod non à legitimo Papâ fuiſſet promulgata*, ſed ab *intruſo*, & *occupatore* Sedis. Atqui non à Papâ ſolummodò ſancita, ſed & à totâ Synodo, aſſenſu Cleri, Senatûs, Popu-

lique Romani, qui jam anteà *juraverant Ottoni*, *nunquàm ſe Papam electuros aut ordinaturos*, *præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris*. Sed de *Leone*, ut is fuerit legitimus Pontifex, abdicato Johanne, & anti-Papâ ac perjuro Benedicto, ſuperiori Lemmate dictum plus ſatis eſt. 2. Cauſatur Baronius, eam Conſtitutionem *aſcititiam*, *ſuppoſititiam* eſſe, *commentum*, *mendacium*, *fraudem*, meram *impoſturam*, *arguendam manifeſtæ falſitatis*. Ecquo verò ſuppoſitionis teſte? Imo nullo. Econtrà veritatem *Conſtitutionis* omnia adſtruunt. Primò, Conſtitutiones quoad rem ipſam geminæ priorum Pontificum, *Adriani* I. & *Leonis* IV. de quibus dictum ad *Sec.* VIII. & IX. Dein, exempla Canonicarum pridem Electionum Romani Pontificis, ſed non abſque interventu Imperatorum, cùm antè tempora Leonis III. Iſauri, ſub quo demùm Papæ ſe Imperatoribus ſubduxerunt, tùm à temporibus Caroli M. & Adriani I. Docet rursùs præcedentium Seculorum Hiſtoria, ubi nos de Eccleſiæ Diſciplinâ, & de Antichriſtianæ tyrannidis incremento, deque Factis quibus ea repreſſa fuit. Tertiò, nihil eâ Conſtitutione, quod non paulo antè *juraſſent* Ottoni M. Romani, ut dictum ſuo loco eſt, *col.* 1453. Baronianis præſtigiis notatis: Licet mox *juramenti* facti *immemores*, quum Benedictum Papam factione impuriſſimarum *Mulierum*, quæ Johanni adhæſerant, conſtituerent. Quartò, hanc Leonis VIII. Conſtitutionem, præfatamque Romanam Synodum, (quæ Baronio, Binio, & Editoribus Conciliorum, hoc ipſo habenda *Conciliabulum*,) confirmant pluribus, coætaneus Auctor Luitprandus, *Hiſt.* L. VI. *Cap.* ult. Sigebertus in Chronico, Gratianus, Platina, Car. Sigonius, Theodoricus Niemius, Hirſaugienſe Chronicon Trithemii, Joh. Nauclerus, Albertus Crantzius, &c. Sed & in recentioribus, præter Onuphrium Panvinium in *Leone* VIII. ipſe Genebrardus, iniquiſſimus aliàs, in Chronologiâ ad Ann. DCCCCLXIV: Factum hoc decretum fuiſſe *à Leone in Concilio*, *cum toto Clero & Populo Romano*. Idemque in Leone IX. Pontifice, *primum hunc* fuiſſe Leonem, qui *Sedem Apoſtolicam ab Imperatorum inveſtiturâ reſtituerit*, quod alibi adſcribit Nicolao II. Ac Senatus-conſultum illud Romanum de *Lege Regiâ*, in favorem *Ottonis* I. tùm de *Electione* Romani Pontificis, & *Inveſtituris* Epiſcoporum, exhibet quoque Goldaſtus Conſtitutionum Imperial. T. I. *pag.* 221. Quemadmodùm is in Monarchiâ Rom. Imperii, T. I. inſeruit Eutropii Presbyteri Longobardi Tractatum de *Juribus ac Privilegiis Imperatorum*, in Imperio Romano, ſcriptum circà Ann. DCCCC. Aſſentientes in Galliâ Pontificiâ mittimus, Carolum Molinæum, Papirium Maſſonum, Launojum in Epiſtolis, alios, ipſumque Petrum de Marca, de Concordiâ *Lib.* VIII. C. XII. Ac fruſtrà Baronius, & poſt eum Binius, pari loco haberi volunt eam Conſtitutionem Leonis, quâ alteram apud Crantzium Saxoniæ *Lib.* IV. C. X. quâ ſcil. fertur *Leo* VIII. edito Senatus-conſulto Romano, reſtituiſſe Ottoni *Donationes* omnes anteà factas Romanæ Eccleſiæ, à *Conſtantino* M. *Juſtiniano*, *Ariperto*, *Pipino*, *Carolo* M. Quæ *Donationes* ut magnam partem commentitiæ, ex ſuperioribus, ità commentitia videtur *reſtitutio*, unius Crantzii fide producenda: Niſi accipias de redditis Imperatori omnibus Temporalibus, quæ priores Pontifices uſurpaſſent, in damnum Imperii ſimul & Eccleſiæ, *donationis* titulo ſeu vero, ſeu ſuppoſititio. Quo de Senatus-conſulto vide etiam Goldaſtum, Conſtitutionum Imperial. Tomo I. p. 222. Ac conferat modò Lector *Documenta*, quibus ſuperior Leonis Conſtitutio à nobis adſtruitur, cum *Documentis* quæ profert Baronius, ex. gr. pro ſpuriâ Conſtitutione Ludovici Pii, de quâ ad finem Seculi IX. vel illâ Ottonis I. ad Ann. DCCCCLXII. de quâ verbum infrà; aut alterâ Gregorii V. pro Septemviratu conſtituendo; ut innumeras id genus quiſquilias fabellaſque taceam; ac candorem æſtimet Hiſtorici.

Teſtes contra legem Cœlibatûs.

V. Legi de neceſſario *Sacerdotum Cœlibatu* reclamaſſe paſſim hoc Seculo Viros pios & graves, quin Eccleſias integras, certa res eſt. In *Britanniâ*, teſtibus Wilh. Malmesburienſi, Simeone Dunelmenſi, Ranulpho Ciceſtr. Florentio Wigornienſi, Joh. Capgravio in Catal. Sanctor. Angliæ, Polydoro Vergilio in Hiſt. Angl. Balæo Cent. II. aliiſque, *Elfredus* vel *Alfridus*, *Alfrithus*, *Alferus*, *Elferus*, Merciorum Princeps, circà Ann. DCCCCLXXV. inductu Alfrithæ Reginæ, (indignatus vim Clericis Uxoratis ab Edgaro Rege factam, confirmandam in Concilio Wintonienſi, fraudibus Monachorum & Dunſtani Cantuarienſis ut ſuprà, *col.* 1451.) expulit in eo Regno Abbates cum Monachis, & *Clericos cum Uxoribus* in Monaſteria introduxit, faventibus in Scotiâ & Angliâ melioribus. Quomodò Elienſis Eccleſiæ in Angliâ Præpoſitus, *invitis Papâ*, *Rege* Edgaro, *& Monachis*, *Collegium ſibi & ſuis Sacerdotibus conjugatis ſervavit*, teſtibus Malmesburienſi & Capgravio, apud Balæum, *Cent.* II. p. 136. Concilia alia Britannica, in vexatâ cauſâ Monachorum cum *Presbyteris conjugatis*, videſis apud Spelmannum, Parte I. ad A. 997. & in Antiquitatibus Britannicis. In quibus tamen Monachi ſuperiores evaſerunt, interventu ſemper prodigii vel miraculi; modóque loquentis Imaginis; modò Solarii repentè concidentis, elidentiſque fautores Conjugii Clericalis, *Dunſtano* tamen Archiepiſcopo (horum omnium architecto) incolumi; ut pluribus quoque Polydorus.

In *Galliis*, *Germaniâ*, & *Illyrico*, obtinuiſſe paſſim Sacerdotum conjugia, conſtat ex earum Gentium Annalibus, & ex molitionibus Romanæ Curiæ, pro interdicendo uſu Conjugum Presbyteris. Donec ſequenti Seculo per Hildebrandum ſeu Gregorium VII. ut in iis partibus, ſic & totâ Italiâ, Britanniâ, ſanciretur Cœlibatus, *Decreto* promulgato. Undè Lambertus Schafnaburgenſis, ad tempora Gregorii VII. *Adverſus hoc Decretum protinùs vehementer infremuit tota factio Clericorum*, *hominem planè hæreticum*, *& veſani dogmatis eſſe clamitans*, *oblitum Sermonis Domini*, *Matth.* XIX. 11. 12. *& Apoſtolici* I *Cor.* VII. &c. In eandem ſententiam Marianus Scotus, Sigebertus, Vincentius in Spec. Hiſt. Aventinus, & alii. Ac poſtremus iſte Annal. *Lib.* V. p. 355. agens de Decreto Gregoriano: *Gratiſſima hæc fuère ſcortatoribus*, *quibus pro unâ uxore ſexcentas mulierculas inire licebat. Sed hæc omnia*, *pleriſque Epiſcopis aliis eruditis*, *ſimplicibus*, *apertis atque bonis*, *præter conjuratos qui ſuæ cauſæ ſerviebant*, *novum dogma*, *peſtifera hæreſis*, *quæ unquàm Chriſtianum turbaſſet regnum*, *viſa eſt.* Igitur ad Gregorii VII. uſque tempora, obtinuère paſſim in Occidente Presbyterorum conjugia, præterquàm ubi Papalis factio & Monachatus dominarentur in Aulis, & in Synodis. Sanè jam prioribus Seculis ſancitus paſſim *Cœlibatus* fuerat in Occidente, & in Synodis quibuſdam Gallicanis, & Hiſpanicis. Sed Presbyteros & Clericos, quicquid Canones ſancirent, non paſſos fuiſſe ſibi eripi uſum legitimæ Conjugis, ne in *Galliâ* ipſâ, Hiſtorici notant, & ex iis Mezeræus, *Tomo* I. p. 471. *Tomo* II. p. 65. &c.

Mabillonus notat.

Ac miror Doctiſſ. Mabillonum, *Analectorum* T. III. p. 239. ad Epiſt. Catalaunenſis Epiſcopi, de quodam *Presbytero qui deſponſaſſet ſibi fœminam*, cum Parochianorum ac propinquorum ejus fœminæ aſſenſu, hæc adnotaſſe: *Hoc primum eſt*, *quod quidem legerim*, *Presbyteri conjugem ducentis exemplum. Res nefanda & enormis*, *contrà Canones*, *contrà Eccleſiæ etiam Græcæ Diſciplinam.* Contrà *Scripturam* pruden-

denter non dixit, ſed nec contrà *Eccleſiæ univerſæ* Canones. Aſt legerat Gregorium Turonenſem, legerat Sidonium Apollinarem, ubi exempla etiam *Epiſcoporum* quibus conviverent uxores, ſolis *bigamis* interdictis. Et *conjugatorum Sacerdotum* exempla ſuppeditabant illi Francorum Annales. *Græca* autem Eccleſiæ Diſciplina etiam *conjugii* neceſſitatem impoſuit *Presbyteris*, admovendis Sacerdotio. Mezeræus, ad tempora Caroli M. *Quicquid Presbyteris interdiceretur conjugium, hic tamen abuſus* (ſic ille) *altas radices egerat*, etiam *ex uſu Eccleſiæ Græcæ*. Sed teſtis rursùm eſto Leonis VII. Pontificis ab Ann. DCCCCXXXVI. Epiſtola ad Bojariæ Ducem Everhardum, in quâ refert, *Sacerdotes tum publicè duxiſſe uxores, ſicut cæteros Chriſtianos*; deſcribente Epiſtolam eodem Aventino, *Lib.* IV. p. 295. Laudatus Mezeræus de hiſce temporibus, & ſubſecutis Seculo XI. ubi de *Rebus Eccleſiæ*: Judicaſſe plurimos, *honeſtius eſſe habere uxores legitimas quàm ancillas*; dixerunt *focarias*, Presbyterorum ſcil. & Clericorum *foco* adhærentes Concubinas, adversùs quas tot Synodorum in Galliis, Germaniis, Britanniis editi Canones, etiam ſecuturâ Ætate.

Teſtes pro Gratiâ, Prædeſtinatione duplici, Juſtificatione per fidem, &c.

VI. Doctrinam de gratuitâ *Prædeſtinatione*, de *Gratiæ* neceſſitate, & efficaciâ, non defuiſſe hoc Ævo qui adſtruerent, oppoſitè ad Vires *Lib. Arbitrii* in ſtatu Peccati, docet hiſtoria ſuperior Godeſchalci, Seculo IX. Nec dubium eſt quin in Galliis præcipue altas radices egerit ſententia nupera pro *duplici Prædeſtinatione*, & *Gratiâ*, tantis animis aſſerta, contrà Joh. Scotum ejuſque Capitula, à Remigio Lugdunenſi, Floro Magiſtro, Prudentio Tricaſſino, Ratramno Monacho, Lupo Servato, ſummæ exiſtimationis Viris. Quâ de re videſis Mauguini Præſidis *Vindicias* de Gratiâ, ut noſtrates taceam. Luculenta etiam ſunt quæ in hanc rem deſcripſit Flacius Illyricus in *Catalogo Teſtium*, T. II. *Lib.* XI. ex *Ambroſio Ansberto* vel Ausberto, Autberto, ex *Giſelberto* Monacho, & *Smaragdo* Abbate S. Michaëlis ad *Moſam* in Pago Verodunenſi Lotharingiæ, non ut Illyricus in *Britanniâ*, in *Saxoniâ* alii: Sed qui minùs accuratè Seculi X. eſſe cenſeantur. Præclarè etiam eoſdem ſenſiſſe de *Juſtificatione* ex ſolâ Dei gratiâ, per fidem, citrà operum meritum, nullâ *mercede* niſi quâ Deus ſua in Electis ſuis dona remuneratur, producta ibi Teſtimonia evincunt. Nec aliter ſtatuiſſe in *Oriente*, quotquot ex Paulo ſaperent, dein ex Chryſoſtomo, vel Theodoreto, unus eſto teſtis *Theophylactus* Commentator in Euangelia & Epiſtolas, ſed & Prophetas, ſequenti licet Ætate, ad quam referendus ille venit. Legatur is ad *Caput* I. III. IX. Epiſtolæ ad Romanos, in *Caput* III. Epiſt. ad Galatas, vel ad Habacuci illa verba, citata Paulo ad Hebræos, *Juſtus in fide ſuâ vivet*, C. II. 4. Ut mittamus quæ Theophylactus paſſim in Euangelia, & ad ipſam vocem *Euangelii*, Prooemio in Matthæum; naturâ hujus ſic deſcriptâ, ut hypotheſibus Tridentinis ac Jeſuiticis, de Euangelio tanquàm Lege operum, quorum meritis juſtificemur, &c. locus omninò ſit nullus.

Contrà Purgatorium & Annexa.

VII. De *Purgatorio* & Appendicibus, quamquàm in dies fabellæ Monachales ſpargerentur, igni illi ſuccendendo fovendoque, certum tamen eſt neſciviſſe eum ignem *Græcos*, & quidquid Chriſtianorum eſt in *Oriente*, ſeu Melchitas, ſeu Jacobitas, ſeu Neſtorianos. Undè acres poſteà cum Latinis hac de re contentiones, antè Synodum Florentinam, & in ipsâ Synodo, ut hujus Hiſtoria & Scripta Græcorum docent. Quæcunque ibi *Unionis* ſpecies & larva apparuerit, mox deponenda; quanquàm Græci de *ſtatu mortuorum* ſentiant cum Veteribus, ſequeſtrari ad diem Judicii, undè Preces pro defunctis, quâ de re nos alibi. Nec *Miſſæ* tamen iis *ſolitariæ*, Græcis conſtanter rejectæ; minùs apud eos Miſſæ juvandis Animabus in Purgatorio, in illâ uſtulatione. A quâ ſuperſtitione abfuiſſe etiam in Occidente plurimos, qui *ſacrificii* Chriſti, & *expiationis* per eum factæ, & *remittentis* gratiæ, promiſſæ verè *pœnitentibus*, ſeu *indulgentiæ peccatorum*, ut loquebantur, plenitudinem intelligerent, par eſt credere. Certè in luculentâ Profeſſione Fidei, editâ in Synodo Gallicanâ Troſleianâ, Pagi Sueſſonici, Ann. DCCCCIX. Carolo Simplice Rege, Sergio III. Pontifice, quæ eſt in Collectione Sirmondi T. III. & Labbei ac Coſſarti noviſſimâ T. IX. iſtarum ſuperſtitionum, & συκίνων ἐθελοθρησκειῶν nihil. Prolixè ibi quæ *generaliter omnibus* & *credenda* injunguntur & *facienda*, requiſita tam ad *fidem*, quàm ad *mores* in Chriſtianâ Religione. At neque inter credenda, de *Purgatorio* quicquàm, aut expiatione faciendâ poſt hanc vitam, nec de Purgatorii Appendicibus, *Miſſis*, *Confraternitatibus*, *Indulgentiis* Papalibus, cæteriſque. Dignum certè monumentum quod Papalibus ſuperſtitionibus, & fœdæ Idololatriæ, in quibus Religionis & Cultûs Pontificii tota ratio conſiſtit, rursùm opponatur.

Teſtes de verâ Confeſſione, Pœnitentiâ, Sacrificio.

Omniaque ibi ſpectant ad integritatem Catholicæ fidei, & ſanctitatem morum, ad reverentiam Dominicæ diei, ad veram contritionem pro peccatis, ad fiduciam in Dei miſericordiâ, &c. Nec alia *Confeſſio* peccatorum ibi commendatur; quam quæ facienda ſit *Deo*, *pura* illa & *vera*, in quem unum peccavimus. Non alia etiam deſcribitur ibi *Pœnitentia*, procul notione Sacramenti, quàm quæ ſe exerit per *fructus dignos pœnitentiæ*, & hos fructus deſcribunt *ſanctis jejuniis*, *caſtis vigiliis*, *orationibus ad Deum*, *profuſis lachrymis*, *eleemoſynis juſtis*, ac propoſito *nunquam redeundi ad priſtina ſcelera*. Ità non aliud *Sacrificium* memorant, quo *ſatisfaciant Deo & Eccleſiæ*, (*ſatisfactionis* ſenſu Ambroſiano) quàm *contriti cordis ſacrificium*, *quo ejus miſericordiam citò conſequamur*, *qui cor contritum & humiliatum non ſpernit*, *& cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*. *Citò* nos *conſequi* dicunt, *quia apud benignum Deum non tàm valet menſura temporis*, *quàm doloris*, qui *ipſe loquitur*, *Cùm converſus ingemueris, ſalvus eris*, *Ez.* XXXIII. Quæ fruſtrà cum doctrinâ Tridentinâ concilientur, & Jeſuiticis Romaniſque formulis. Nihil etiam ibi de B. *Mariæ* advocatiâ, meritis, per quam miſericordiam à Deo conſequamur.

Contrà Imaginum cultum, &c.

VIII. Ab *Imaginum cultu* Idololatrico & ſuperſtitioſo, atque adeo & *Reliquiarum*, longè abfuiſſe hoc Seculo doctrinam Gallicanæ Eccleſiæ, & omnium quotquot adhærerent doctrinæ Caroli M. & Synodi Francofurtanæ, dein & Synodi Pariſienſis ſub Ludovico I. eſt alibi à nobis demonſtratum, in Hiſtoriâ noſtrâ Imaginum Reſtitutâ *Sect.* IX. Ibidemque pluribus, contrà exceptiones Petavii & recentiorum, reſpuiſſe Imaginum cultum quemcunque, etiam illum *honorariæ* aut *relativæ* adorationis, *ſalutationis*, *venerationis*, *inflexionis* religioſæ, *oſculi* ſacri, &c. Nec aliter ſenſiſſe prudentiores in Britannis, Alemannis, Germanis, Italis, Hiſpanis, ſecuturâ adhuc Ætate, ibi quoque monitum, advocatis teſtibus, à *pag.* 607. & *ſeq.* Vide & mox *Num.* XII. Neſtorianos verò in *Oriente*, Indos Chriſtianos, Armenos, neſciviſſe in hunc diem cultum Imaginum, à Nicænis ſancitum demùm ſub Irene, poſtquàm illi in ſegreges Cœtus & Eccleſias abiviſſent, ſumma omnium conſenſio eſt, ipſiuſque nuper Rich. Simonii, in *Hiſtoriâ Criticâ* de rebus Orientalium. Sed & Græcorum, circà *Imagines*, multiplex à Romanenſium doctrinâ & praxi diſcrimen, habes in præfatâ noſtrâ Hiſtoriâ, *Sect.* VIII. à *pag.* 599. Apud quos prævaluiſſe Iconoduliam à temporibus Theodoræ viduæ, poſt fata Theophili Imperatoris, id eſt ab Anno DCCCCXLII. & quibus artibus ac mediis,

non

non diſſenſuro hac parte Photio, nec Photianis, monitum eſt ad ſuperius Seculum, ac fuſiùs Hiſtoriæ prædictæ Imaginum, à *col.* 791.

Contrà Azyma, Communionem ſub unicâ, &c. Nat. Alex. notatus.

IX. Nondùm fuiſſe hujus Ævi uſum *Azymorum* ex profeſſo Sirmondus *Diſquiſitione* de Azymo, aſſentiente Card. Bonâ *Lib.* I. *Liturgicorum*. Sed neque in uſu, *Hoſtiæ denarialis magnitudinis*, ut ipſe quoque Natalis Alexander, ad Conſuetudines Cluniacenſes, *Tomo* XV. p. 580. Quanquàm hic, *non abſque fermento confectas hoſtias fuiſſe*, *perſpicuum eſſe* ſupponat, probet nullo documento, dicatque *idem par eſſe credere de totâ Occidentali Eccleſiâ*, p. 585. Contrà Bona Cardinal. *Uſum panis Azymi circà* A. DCCCLX. *nondùm in Eccleſiâ Latinâ viguiſſe*; Ac poſteà, *probabilem ſibi ſemper viſam eſſe Sirmondi conjecturam*, *exiſtimantis tunc à Latinis recepta Azyma*, *cùm illis opponi tanquàm grave crimen à Græcis cœperunt*, *ſub Leone* IX. Communionem etiam *ſub utrâque* obtinuiſſe Seculo X. quanquàm introducto jam more *intinctorum*, ſeu panis Vino intriti, vel Corporis ſanguine intincti, ut loquebantur, conſtat ex variis Ratherii Veronenſis, editi à Lucâ Dacherio, *Tomo* II. Spicilegii, *pag.* 161. & ex Uldarici Conſuetudinum Cluniacenſium *Dialogis*, quos edidit idem Dacherius *Tomo* IV. ejuſdem Spicilegii: *Quotquot ipſum Corpus ſacrum dederit*, *ſingulis Sanguine prius intingit*. Undè colligit abſurdè Natalis, *pag.* 582. ad hoc Seculum, *fuiſſe totius Eccleſiæ fidem & doctrinam de Reali Præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti*; quod nempè Symbola conſecrata, Panis & Vinum, veniant nomine *Corporis*, & *Sanguinis*, quorum ſunt Sacramenta, in Antiquis Conſuetudinibus Cluniacenſium, ubi de *Ordine Sacræ Communionis*. Quod nulli unquàm negarunt, qui ex Scoti vel Berengarii ſententiâ converſionem ſubſtantialem impugnarunt. Sed de hac Capite ſequenti. Obſervo etiam *Miſſas ſolitarias*, quæ jam ſuperiori Seculo hinc indè introduci cœptæ, præter & contrà omnium Veterum, atque Orientalium hodieque morem, ipſamque naturam S. *Synaxeôs*, paſſim diſplicuiſſe. Undè inter Leges Anglo-Saxonicas Edgari Regis, mortui Ann. DCCCCLXXV. Lex XXXV. eſt iſta: *Docemus ut nullus Miſſalis Sacerdos Miſſam ſolus celebret*, id eſt, ſolitariam.

Contrà Linguam ignotam.

X. Gentes integras, etiam in Occidente, ægrè admiſiſſe uſum Latinæ ignotæque Linguæ, quem Roma præſcriberet, urſiſſe illum *vernacula* in publicis Sacris, indè à primâ converſione, qualis illa per Cyrillum & Methodium, viſum ſuprà ad Sec. IX. *Cap.* II. Hiſtoria Eccleſiarum Sclavonicarum id teſtatur, *Lib.* I. & illa Perſecutionis Bohemorum, C. V. ubi legatio Romam hunc in finem directa circà A. DCCCCLXXVII. Ac ſuprà indicatum, Bohemos, Moravos, Polonicas Gentes, celebraſſe adhuc *Græco ritu* à ſuis Apoſtolis accepto, Seculo X. *Cap.* II. Anglo-Saxones etiam *vernaculæ* cognitæque Linguæ uſum commendaſſe, in Sacris ſuis, ac retinuiſſe, docent Verſiones utriuſque Teſtamenti, Pſalmi, Hymni, Liturgica varia, ipſaque *Ælfridi* Conſtitutio ad Wulfinum Epiſcopum, inter priſcas Anglorum Leges, edente Guilielmo Lombardo, *pag.* 132. *Presbyter ſeu Miſſalis Sacerdos*, *in diebus ſolis*, *& Miſſalibus*, *Euangelii ejus intellectum Populo dicat Anglicè*, *& ipſorum etiam Pater noſter*, *& Credo*, &c. Ac veſtigia Saxonici Exemplaris tenere ſe dixit Editor. Tacemus ſuperſtitiones alias, quibus ut in Oriente, ſic in Occidente paſſim, reclamatum eſt.

Contrà inertem Monachatum.

XI. *Monachorum* quoque ignaviam, mollitiem, rapinas, libidines, ſcelera, deteſtatos eſſe paſſim Britannos, Germanos, Bojaros, certa res eſt. De Britannis jam nos ſuprà, *Num.* V. hoc Lemmate, occaſione reprobatæ legis de *Cælibatu*. Nec Merciorum modò Princeps Elfredus *Monachos* ejeciſſe fertur, *γαστέρας ἀργὰς*, ſed & totâ Angliâ expulit Edwinus Rex, quotquot à Dunſtano inſtituti fuerant, Secularibus Presbyteris ſubſtitutis; ac poſteà, Dunſtano fatis functo, Anno DCCCCLXXXVIII. è Cœnobio Cantuarienſi omnes ire juſſi, ob flagitia videlicet. Adi Annales Britannicos ad hæc tempora, aut Fullerum in Hiſt. Eccleſiæ Anglicanæ. Ità Fridericum Moguntinum gravem excitaſſe in Monachos perſecutionem, ob vitæ eam ignaviam, & quòd *melius videretur paucos vitâ claros*, *quàm plures negligentes in Monaſteriis eſſe*, ipſe ex Wittikindo Baronius refert, ad A. DCCCCXLI. *Num.* II. Urſpergenſi Abbate aliiſque confirmantibus. Arnulphum quoque, qui aliis Arnoldus, Bavariæ Ducem, non aliâ de causâ *deſtruxiſſe Monaſteria*; undè fuerit viſio illa Uldarici Monachi Benedictini, de Arnoldo hoc nomine in judicium Dei vocato, idem Baronius ex Ottone Friſingenſi, ad Annum DCCCCXXXII. N. I. Nec in Germaniis tantum, ſed & in Galliis etiam, longè diverſam fuiſſe Monachorum diſciplinam ab hodiernâ *Antiquiores Conſuetudines* Cluniacenſium teſtantur, apud Lucam Dacherium, Spicilegii Tomo IV. p. 31. tum apud Joh. Mabillonum, Natalem quoque nuperum, Tomo XV. *Cap.* V. *Art.* V. Quanquàm *ἐθελοπερισσοθρησκείαις* omnia tum mixta.

Teſtes Verit. hoc ſeculo in Tractu Inalpino.

XII. Nec verò omittendi ad hoc Seculum Teſtes veritatis, in *Alpibus Cottiis* & *Rhæticis*, ſeu in horum montium convallibus, qui Albigenſibus præluſerunt. Videntur à loco habitationis primùm dicti *Vallenſes*, *Vaudés*, *Valdeſi*, poſteà communi hoc nomine Leoniſtis & Albigenſibus Gallis, in vicinas Convalles ac deinceps quaquaverſùm diſpergendis. Pridem enim antè Valdum illum Lugdunenſem memorata hæc familia Chriſtianorum fuit, adverſa Romanæ Eccleſiæ inſtitutis. Ad tempora quidem Berengarii, vel Innocentii II. Seculo XI. & XII. retulerunt alii ejus originem, apud Uſſerium Armachanum fusè, de Succeſſ. Eccleſ. C. VIII. Joh. Forbeſium, *Lib.* VII. C. XV. alioſque. Certior illa eſt, quantum ad has Italiæ *Inalpinæ* partes, quæ deducit ſaltem indè à Claudio Taurinenſi Epiſcopo, omnis Idololatriæ Pontificiæ, ſed & tyrannidis, acerrimo profligatore, ſub Ludovico Pio, de quo fusè in ſuperioribus, *col.* 1403. 1404. & in Hiſt. noſtrâ Imag. Ac quantâ hic cùm doctrinâ fuerit, tùm auctoritate, præter teſtes noni Seculi, etiam adverſatos Claudio, recentiores Pontificii iſtic audiendi. Ne dicamus indè à Gotthicis & Hunnicis furoribus, dum Barbarorum ſævitiem fugerent, videri pios benè multos has quæſiviſſe ſedes ſecuritatis, in locis penè inacceſſis, ibidemque manſiſſe veſtigia priſtini Ritûs Doctrinæque. Quo factum, ut famoſus ille Reinerus Sacconus Placentinus, Ordinis Prædicatorum, Inquiſitor per *Lombardiam* Generalis, hinc per tractum hunc Pedemontanum, medio Seculo XIII. in Libro contrà Waldenſes Hæreticos, indoluerit ejus ſectæ, *quæ Romanam Eccleſiam blaſphemaret*, *diuturnitati*, dùm *aliqui duraſſe à temporibus Sylveſtri*, *aliqui à temporibus Apoſtolorum ſuſtinerent*. Librum edidit Ingolſtadii Jacobus Gretſerus, A. 1614. inſerendum Bibliothecæ Patrum, ab Uſſerio noſtro, Joh. Forbeſio, M. Zwerio Boxhornio, ad Annum MCLIX. & poſteà à Joh. Legero in Hiſt. Valdenſium, producendum. Accedat M. Aurelius Rorencus Pedemontanus, qui in *Narratione* Hiſtoricâ, Italico idiomate, de *Introductione Hæreſeôs in Vallibus Pedemontii*, impreſſâ Taurini A. 1632. diſertis verbis teſtatur, indè à Claudio illo Taurinenſi perduraſſe eam Hæreſim *toto Seculo* IX. *&* X. A *tempore immemoriali* ſediſſe ibi Euangelicæ ſimplicitatis teſtes, complures alii ſuſtinuerunt, Joh. Criſpinus, Rob. Olivetanus, & Hiſtoria Eccleſiarum Galliæ, ſed quibus parùm deferant

Digitized by Google

rant Romanenſes. Nec aliundè videntur ii prodiiſſe, in Rheticis convallibus, quorum Novellæ publicæ non ità pridem meminerunt, certâ mox rei famâ. Ejectum nempè fuiſſe avitis ſedibus, inductu Jeſuitarum, & ſævitiâ Archiepiſcopi Salisburgenſis, hominum genus qui jam olim, Lutheri & Calvini neſcii, ſacra ſua peregerant, in locis illis aſperitate horridis, procul adoratione Imaginum, Invocatione Sanctorum, opinione Tranſſubſtantiationis, aliiſque Pontificiæ Eccleſiæ ritibus. Par *Vallenſium* quos diximus ratio, quorum editæ Confeſſiones, & Catecheſes ex antiquiſſimis Mss. Seculi etiam XI. deteſtantur Romanæ Eccleſiæ Tyrannidem, Antichriſtianiſmum, Idololatriam in ſpecie, Cultum Sanctorum, Virginis, Imaginum, Reliquiarum, uti Purgatorium, Peregrinationes, Operum pœnalium merita, Miſſæ verum Sacrificium, Præſentiam Corporalem in Euchariſtiâ, Traditiones Papiſticas id genus. Et hæ Confeſſiones ac Catecheſes illis expreſſæ, poſtquàm ſævitum Romæ eſt in Iconoclaſtas, tùm in doctrinam Berengarii, & Antichriſtianiſmus in arce collocatus eſt, cumprimis Seculis X. & XI. Gregorio VII. & Succeſſoribus ad ſummum tyrannidis faſtigium evecturis. Sed de *Valdenſibus* poſteà.

VII. *Teſtes in ſpecie contrà Tranſſubſtantiationis, vel Præſentiæ Corporalis, dogma.*

Clerus Cantuar. negat præſentiam Corporal.

I. Par repugnantia fuit in admittendo dogmate, quo *veritas Corporis* Chriſti, in Euchariſtiæ Sacramento exhibiti, quam omnes admitterent, converſa fuit in *præſentiam realem*, ſive *ſubſtantialem* ejuſdem Corporis, ut ex Mariâ natum, crucifixum, ſuſcitatum, & evectum ad gloriam Patris, abolito Pane. Et indè nata Tranſſubſtantiatio, Sacrificium propriè dictum, adoratio Hoſtiæ, reliqua. Quare uti ſuperiore jam Seculo, ita hoc ipſo, acriter reſtiterunt Viri graves tam craſſæ interpretationi præſentiæ Chriſti in Euchariſtiâ. Certè in Clero Cantuarienſi diſſenſiſſe *plurimos*, adversùs Odonem Præſulem, & Dunſtanum ejus ſucceſſorem, medio circiter Seculo X. affirmantes nempè, *poſt conſecrationem, priorem in pane Euchariſtico manere ſubſtantiam, & tantum ineſſe figuram Corporis & Sanguinis Domini*, referunt ex Wilhelmo Malmesbur. L. I. de Geſtis Pontif. Anglorum, & ex Vitâ Odonis, Balæus *Cent.* II. Annales Britannici in Odone, & ipſe Mabillonus in Analectis *Tomo* I. ac ex eo Natalis Alex. Diſſert. XV. T. XVI. Sed Viri illi in cauſæ ſuæ patrocinium vertunt, primò apertam fraudem *Odonis*, & ſucceſſoris ejus *Dunſtani*, dum fidem Realis præſentiæ, non argumentis adſtruxêre, ſed confictis Miraculis. Utrique tribuunt, quod ſpecie viſibili *propalàm oſtenderint Panem verſum in Carnem, & Vinum Calicis in Sanguinem*; rursùs quod novo Miraculo in genuinam ſpeciem redierint ſymbola, ac priſtinam formam receperint. Similia exempla ex Libro V. de Vitis Patrum C. XVIII. ex Paulo Diacono in Vitâ Gregorii, & ex Vitâ S. Baſilii, profert Mabillonus *Analect.* T. I. ubi de Confeſſione Alcuino tributâ. Simile aliud habes in Libro Paſchaſii, Cap. XIV. Quo ipſo fit ut Chriſtus *Corporaliter* & ſecundum *externam ſpeciem* non deſierit omninò eſſe in terris, uti deſiiſſe, ab Alcuino explicante verba *Matth.* XXVI. II. rectè affirmatum fuiſſe dixit Auctor Analectorum p. 195. Deindè urget Mabillonus p. 207. *quod eo tempore, id eſt, medio Seculo* X. *enormis perfidia errorque cenſebatur, ſi quis de Corporis Chriſti Domini in Euchariſtiâ veritate dubitaſſet.* Ità nempè cenſuit Odo cum ſuis, vel potiùs qui Odonis Vitam poſteà conſcripſit ſuperſtitioſiſſimus Monachus, apud Surium 19. *Maji*, Oſberno Seculi extremi XII. Scriptori, perperam tributam; cenſuit quoque Malmesburienſis, ejuſdem Sec. XII. Scriptor, longè poſt Berengariana tempora, victrice tum Paſchaſii causâ, placuit dum victa Catonibus. Omniſque ea narratio ingenium tunc Monachale, quod fabulis, viſionibus, revelationibus, ac Pſeudo-miraculis paſcebatur, apprimè refert; hinc Liber de *Miraculis S. Dunſtani*, apud Surium in compendium redactus; & alter de *Miraculis S. Oſwaldi Arch. Eboracenſis*, Dunſtano coævi. Rectè Mezeræus ad hoc Seculum, T. II. *Credere par eſt jam à Seculo* X. *fuiſſe homines qui præſentiam realem* (Paſchaſianam) *impugnarent, quoniam ad eamprobandam Miraculis opus fuit.*

Mabillonus notatus.

Teſtes alii. Idem Mabill. & Alexander notati.

II. Sed & ejus ferè temporis, id eſt Seculi X. jam adulti, proferuntur contrà præſentiam Corporalem duo teſtes luculenti, *Wulſinus* Sarisburienſis Epiſcopus, & *Ælfricus* Malmesburienſis primò Abbas, Epiſcopus poſteà (diverſus ab Ælfrico Cantuarienſi) laudatus G. Malmesburienſi, tanquam *peritus ſcripturarum, elegantiſſimus interpres, vir in omnibus Eccleſiaſticis experientiſſimus Officiis.* Eoque hæc teſtimonia magis authentica, quod contineant doctrinam totius tum Eccleſiæ Romano-Saxonicæ, publicè receptam, ſancitam, & *quotannis* Anglo-Saxonicè *recitandam in Eccleſiâ, in die Paſcha.* Exhibuerunt ex Mss. indubiis, ſed Saxonicè, Parkerus Cantuarienſis, Joh. Foxus, Wilhelmus l'Iſle, Latinè autem Abrahamus Whelocus, in *Notis* ad Hiſtoriam Bedæ Anglo-Saxonicam, *Lib.* IV. C. XXIV. & *Lib.* V. C. XXII. Sed & quædam excerpſit Uſſerius de Succeſſione Eccleſ. *Cap.* II. *Num.* 21. Summa apud utrumque eſt: *Euchariſtiam non eſſe Corpus Chriſti corporaliter, ſed ſpiritualiter; non Corpus illud in quô paſſus eſt,* (quod diſertè Paſchaſius Ratbertus cum ſuis) *ſed Corpus de quô locutus eſt,* quando is antè paſſionem ſuam *de ſacrato pane dixit, Hoc eſt Corpus meum: Dominum panem illum antè ſuam paſſionem in Corpus ſuum mutare potuiſſe ſpiritualiter, in myſterio ſpirituali:* Dixiſſe, *quum Euchariſtiam conſecraret, Edite panem hunc, Corpus meum eſt,* & ità *de Calice vino repleto: Panem illum vividum non eſſe utcunque illud Corpus quo paſſus eſt, in re corporali, ſed in ratione ſpirituali: Fuiſſe quidem Panem Corpus ejus, tùm quoque Vinum illud Sanguinem ejus; ſed ſicut panis ille cæleſtis Manna* erat Corpus ejus, ſicut *Eſcam cæleſtem in Carnem ſuam mutavit, & Aquam de Petrâ fluentem in proprium ipſius Sanguinem,* I *Cor.* X. I. 2. &c. *non corporaliter, ſed ſpiritualiter, Veteris* quidem iſta *Legis Sacramenta, ſed ſpiritualiter ſignificantia Euchariſtiam.* Rursùs, *Panem* dici de *Chriſto per ſignificationem,* uti is *Agnus, & Leo,* & *aliàs Panis vocatur,* &c. Iterùm, *quare ergò vocatur Euchariſtia Corpus Chriſti, aut Sanguis ejus, ſi non ſit id verè quod vocatur?* Reſpondet, quia *poſt conſecrationem ſunt verè Corpus Chriſti, & Sanguis ejus, per ſpirituale Sacramentum;* non dixit per converſionem ſubſtantialem, in id Corpus quod paſſum eſt, aut per corporalem præſentiam, vel per abolitionem panis & vini. Imò verò pergit Ælfricus; *Naturâ eſſe panem corruptibilem, vinum corruptibile, & per Verbi divini virtutem, verè Corpus Chriſti, & Sanguinem ejus, non tamen* corporaliter, *ſed ſpiritualiter,* addito exemplo de *Aquâ Baptiſterii, quæ Fontis vitæ ſcaturigo dicitur,* quia *per Benedictionem Sacerdotis Spiritûs S. virtus ad aquam illam corruptibilem accedit,* nullâ utique mutatione ſubſtantiæ, ſed virtutis. Rursùs, quid ſit *Sacramentum* Corporis Chriſti explicant; *Sacramentum, hoc eſt arrha, & typus, Chriſti Corpus eſt veritas; Euchariſtia eſt ſignificatio, eſt commemoratio Corporis Chriſti: Chriſtus ſemel per ſe ipſum paſſus eſt, veruntamen paſſio ſua per S. hujus Euchariſtiæ Sacramentum quotidiè renovatur,* per ejus *commemorationem* nempè, ut explicat, & per *ſpirituale Sacra-*

mentum : Uti Calvinus noſter, agens de Euchariſtiâ S. & de *Calice quem* Chriſtus *vocavit Fœdus in ſuo Sanguine*, dixit *Lib.* IV. *Inſtit.* C. XVII. ſub initium; Quoties libamus ſacrum illum Sanguinem, Deum *Fœdus ſuum quodammodò renovare.* Iterùm, p. 474. *Non juſſit Corpus illud quod aſſumſit manducare, nec ſanguinem illum quem pro nobis fudit libare.* Ac paulo antè p. 471. *Multum diſtat inter Corpus illud in quo Chriſtus paſſus eſt, & Corpus illud quod in Euchariſtiâ conſecratur, hoc* nempe *ſpiritualiter de granis multis, abſque ſanguine, & oſſe,* & *membris*, &c. Quæ teſtimonia priora Mabillonus (acturus de fide IX. & X. Seculi, in *Euchariſtiæ* negotio, ut contrà Dallæum noſtrum conficeret, *Confeſſionem Fidei*, ſub *Alcuini* nomine editam, reverà hujus fuiſſe) prudenter diſſimulanda eſſe cenſuit, potiùs quàm ut abſurdiſſimè exciperet, cum Natali Alexandro, *Diſſert.* XV. ad hoc Seculum, p. 658. 659. Nam ſi huic fides eſt, nihil ab Ælfrico, vel ab Wulfino dictum, quod non *reduci* poſſit ad ſenſum Catholico-Pontificium. Nec voluiſſe aliud, quam *panem non eſſe Corpus Chriſti quoad ſtatum paſſibilem*, item *non eſſe Corpus viſibile, palpabile, loco circumſcriptum, exercens functiones membrorum ſuorum, ſed modo ſpirituali*, hoc eſt, *ineffabili.* Confer Lector ſuperiora omnia, & verba, & exempla, & repetitas negationes, *non eſſe illud Corpus quod aſſumpſit, quod de Carne Mariæ naſcebatur, cum ſanguine, oſſibus, pelle, non illud in quo paſſus eſt*, item *in quo ad Patrem tranſivit*, &c. Ac præterea explicantes audi, quid ſit illis eſſe Corpus Chriſti *ſpiritualiter*, id eſt, *ſacramentum, arrha, typus, commemoratio, ſignificatio* Corporis Chriſti; & mirare Monachi frontem, hoc defæcato & oculatiſſimo Seculo. Ac ſi nihil Wulfinus vel Ælfricus, quod non *Tranſſubſtantiationis* patroni, cur ſolitâ Monachis ac Cenſoribus fraude ex antiquiſſimo Wigornienſi Ms. *eraſa fuêre Papiſtæ alicujus manu ea verba*, quæ maximè Tranſſubſtantiationem everterent, ut Uſſerius αὐτόπτης cum aliis notavit, loco antè citato? Quemadmodùm & ſacrilegas manus immiſſas in *Æthiopicæ* Eccleſiæ Canonem, in quo Æthiopicè ſcriptum, *Hic Panis eſt Corpus meum*, expuncto deinceps nomine *Panis* in Bibliothecâ Patrum, T. VI. *Edit.* 1589. idem Uſſerius obſervavit. Et ſolitos Æthiopes conſecrare his verbis, *Hic Panis eſt Corpus meum*, faſſus Balthazar Tellezius Luſitanus, in Hiſtoriâ Æthiopicâ, Conimbriæ A. MDCLX. typis vulgatâ.

Galli teſtes.

III. Nec profectò aliud à Britannis voluit hac etiam Ætate, *Herigerus* vel *Harigerus* Abbas Lobienſis ſeu Laubienſis, ab Ann. DCCCCXC. editus à Lud. Cellotio, in Appendice ad Hiſt. Godeſchalci, & à Claudio noſtro productus in rem ſuam *Libro* VI. C. IX. ſub titulo *Anonymi.* Is enim in Libello *de Corpore & Sanguine Domini*, *Paſchaſii* eam ſententiam impugnavit quâ *dixerat, & dicerent quidam* (non certè dicebat omnis Eccleſia) *idem eſſe Corpus quod ſumitur de Altari, & illud quod natum eſt ex Virgine*, quod *in Cruce paſſum*, quod *reſurgens de ſepulchro glorificatum eſt.* Et Anonymus alter, productus à Mabillono ex Codice Gemblacenſis Cœnobii (in quo cum Herigeri Opuſculo hoc ſcriptum fuit) in *Seculo Bened.* IV. *Parte* IV. ad finem, ex profeſſo *adversùs Ratbertum* ſcripſiſſe intelligitur, ex ipſâ *Inſcriptione.* Undè Sigebertus Gemblacenſis, & Chronici Laubienſis continuator, laudatorque Herigeri, *Herigerum multa Catholicorum Patrum ſcripta de Corpore & Sang. Domini, contra Ratbertum congeſſiſſe.* Quamvis enim dixit Herigerus, *Paſchaſii ſimplicitatem poſſe excuſari, qui multa utiliter tractaſſet*; & quamvis *figuram* Corporis Chriſti dicat non eſſe inanem *umbram*, nec opponendam eſſe *veritati*, ut & Anonymus alter, quemadmodùm Chriſtus *eſt veritas*, & *verus Agnus Dei*; vel ex his intelligitur diverſum ſenſiſſe à Paſchaſio, abutente dictis quibuſdam Veterum. Undè eorundem iſta, quæ non diſſimulat Natalis Alexander p. 568. 570. In Euchariſtiâ Corpus Chriſti *myſticè immolari*; *myſticè conſecrari*; *Myſterium hoc & figuram, & veritatem dici poſſe*, quod & adſtruit ſententia Eccleſiæ Reformatæ. Adde teſtimonia alia, ut *Folcuini* deceſſoris Herigeri, & Laubienſis Abbatis, item *Uldarici Monachi* Cluniacenſis, Libellis de *antiquis Conſuetudinibus* Cluniacenſis Cœnobii, fundati Ann. DCCCCX. productis à d'Acherio T. IV. & quæ refert, ex eodem Lucæ Acherii *Spicilegio*, etiam Laroquius noſter, Hiſt. Euchariſticæ P. II. C. XVI. quæ ibi vide. Et *à Cluniacenſibus ritus Hirſaugienſes parùm diſcrepaſſe, iiſdem verbis iiſdemque paſſim ſententiis*, fatetur Mabillonus Analect. T. IV. p. 468. Nec aliam ab Herigero ſententiam videri *Fulberti Carnotenſis* Epiſcopi, ſub initium Sec. XI. docent iſta, ex *Epiſtolâ* II. editâ Pariſiis cum Operibus ejuſdem, & ſeorſim, & in Bibl. Patrum. Fatetur enim *aliud* eſſe *Corpus Chriſti, Virginali utero ſumptum, mortuum, ſuſcitatum, in paternâ gloriâ ſedens*, & quod *jam non* ampliùs *moritur*; aliud *Panem conſecratum, ſanctificatum*, (adhuc *panem* à conſecratione) quod *verum Corpus Chriſti nominatur*; & quod *quotidie nobis moritur, quotidie nobis reſurgit*, &c. *inviſibili operatione Spiritûs S. in ſubſtantiam veræ Carnis Chriſti transfuſum.* Nempè hoc poſterius, ut *veritatem manducationis Carnis* Chriſti, ex verbis apud Johannem, & *veræ Carnis*, ejuſque virtutem, fructum, efficaciam adſtrueret. Ex quibus, & ex modò citatis, intelligitur in ipsâ *Galliâ* diſplicuiſſe adhuc hoc Seculo ſententiam Paſchaſii; quemadmodùm & in *Germaniâ* ipsâ, Rabani Moguntini doctrinam nomenque, ſi non omnes, certè plurimos veneratos eſſe, nemo facilè negaverit. Quâ de re pluribus ad Hiſtoriam *Berengarianam* ſequentis Ævi. Theodoretus ſimiliter *Dial.* I. Tomo IV. Oper. Chriſtum ſymbola honoraſſe appellatione ſui *Corporis* & *Sang.* οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν *non mutando eorum naturam.*

Quod verò habet Natalis Alex. *Diſſert.* XV. p. 660. *ſub initia* XI. *Seculi execrandum errorem* fuiſſe, *negationem præſentiæ realis*, puta antè Berengarii cauſam natam, non certè probant quæ profert documenta. Primò urget damnatam eam Hæreſim in Concilio Aurelianenſi, A. DCCCCXVII. Roberto I. Rege; quæ longè alterius generis fuit, & *Manichaica* planè, & quæ in negotio Sacramentorum negabat pariter *in Baptiſmo eſſe ſcelerum abolitionem, &* Euchariſtiam eſſe *ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, per conſecrationem Sacerdotis*, Concil. Tomo IX. *Col.* 839. Nihil hoc ad præſentiam realem vel ſubſtantialem Corporis Chriſti. Dein urget verba Roberti Regis contrà *Leothericum* Senonenſem, quæ *demonſtrent totam Eccleſiam Gallicanam ſenſiſſe, Euchariſtiam eſſe ipſum Corpus Domini, non meram figuram.* Quæ illæ Roberti voces? Accipe ex uno *Helgaldo* Monacho in *Epit.* Vitæ Roberti Regis: Rex nempè improbavit, quam poſtulabat Leothericus, *probationem* ſeu *examinationem in Corpore & Sanguine Domini*; quando *à Sacerdote dicitur, Corpus Domini noſtri J. Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis.* Quaſi verò vel Erigena, vel Rabanus, vel poſteà Berengarius, negaverint Panem conſecratum vocari *Corpus Domini*, aut Calicem vocari ejus *Sanguinem*; vel *perceptionem ſacramenti*, de quâ agitur, vocari *perceptionem Corporis & Sanguinis Dominici!* Habuit Natalis præter alios Interpretem Chryſoſtomum, in *Epiſt.* ad Cæſarium, laudatâ nuper Emerico Bigotio Viro de literis meritiſſimo; Panem ſanctificatum *dignum habitum eſſe Dominici Corporis appellatione, etiamſi Natura Panis in ipſo permanſit*; ut permanſit Natura Humana poſt Unionem cum Λόγῳ, *& non duo Corpora, ſed unum Corpus Filii Dei prædicatur.*

Nat. Alex. notatus.

IV. In *Italia* Epiſcopis inclytus hoc Seculo fuit

Itali Teſtes.

Rathe-

Ratherius, ex Monacho Laubienſi Veronenſis Epiſcopus, ab Anno DCCCCXXVIII. ut Sigebertus, & de cujus laudibus plura Mabillonus in *Sec.* V. Hiſtoriæ Benedictinæ. Hujus *Sermones*, aliaque, etiam *de Corpore & Sanguine Domini* Epiſtolam, edidit Lucas Dacherius in Spicilegio *Tomo* II. & *Tomo* XII. Et ex libro *de Contemptu Canonum*, excerpſerat Laroquius noſter ea verba, quæ inſeruit Hiſt. Euchariſticæ *Lib.* II. C. XVI. quibus nempè Ratherius hæret, quid impii ſeu *indignè ſumentes*, *nec in Deo manentes*, accipiant; quando ſolis piis & *dignè ſumentibus ſit vera Caro*, *Panis licet*, *quod olim fuerat*, *videatur*: Et iſtud *quid ſit*, *fatetur ſibi nedum dicibile*, imò *incogitabile*. Aſt ſuppoſita Tranſſubſtantiatione, non ampliùs dubium, etiam impios recipere *veram Carnem* Chriſti.

Ad iſta Nat. Alexander in præfatâ *Diſſert.* XV. duo ferè excipit, p. 652. 654. 1. Subjungit alia Ratherii, quibus is ex Auguſtino probat, & à Judæ exemplo, *indignos* non *recipere veram Carnem*, id eſt, *fructum veræ Carnis*, *ſicut ii qui dignè ſumunt*: Quo ipſo intelligitur, quid Patres, & ejus Ævi Scriptores voluerint, quando de acceptione, & manducatione *veræ Carnis Chriſti*, in Euchariſtiâ, innuentes percipi omnem *fructum veræ Carnis*, licet Panis, quod olim fuerat, adhuc eſſet à conſecratione. Addit Natalis Ratherii illa, *idem eſſe hoc ſacrificium bono quod malo*; *ſed non idem præſtare*; nempè idem utrique præberi Sacramentum, eundem *Cibum Spiritualem*, id eſt, ſpiritualis ſignificationis ac virtutis, uti olim *Manna* ab Iſraëlitis omnibus manducatum, ſed non pari effectu, virtute, fructu, illis ſcilicet ad *mortem*, his ad *vitam*, illis *ad gratiam*, his *ad iram*. 2. Objicit Natalis, ex *Epiſtolâ* Ratherii ad Patricium, quæ eſt de Corpore & Sanguine Domini, ſimilia quibus utitur Veronenſis ille, ut *Vini in Canâ* ex aquâ facti, *non figurativi ſed veri*; *Hominis* quem videmus *qui pulvis eſt*, & verè, non in figurâ tantùm, ſed *transfiguratâ limi figurâ operantis ſapientiâ*, ſeu *mutatâ limi ſpecie*, *manente tamen limi ſubſtantiâ*. Quod ſimile *Tranſſubſtantiationem* omninò deſtruit, tantùm abeſt ut ſtabiliat. Nam disertè Ratherius, *manere ſubſtantiam* priorem *limi*; non *deleri* ſubſtantiam; & *carnale eo* fore, *ſi panis forſitan inviſibiliter mutatus*, *aut ipſe panis in carnem mutatus conciperetur*. *Credendum* igitur eſſe, quod percipimus *veram Carnem & Sanguinem*, ſed quia *myſterium* eſt, *nec valet comprehendi*, diſcutiendum ulteriùs non eſſe. Et hæc Ratherius, ut conficiat *Carnem Corporis* Chriſti *verè* à *dignis* percipi, & *tanto certiùs*, *quanto Veritatis ejuſdem qua loquitur voce* ſumus inſtructi. Aſt de *indignis* aliter modò pronuntiavit, ex Auguſtino, dari illis quidem *panem Chriſti*, ſed non panem Chriſtum, non veram Carnem, incogitabile quanquàm ſibi quid perciperent ad ſui perditionem.

Contentiones ex Præſentiâ reali natæ.

V. Itâ in harum concertationum primordiis, poſt natam ſententiam Paſchaſii, liquet perplexum magis ac magis hoc argumentum evaſiſſe. Undè *de Sacramento Euchariſtiæ varias exortas eſſe Quæſtiones & Controverſias*, *etiam inter Catholicos*, *de ſenſu Verborum*, *in ſpecie ex formulâ Confeſſionis*, *quæ* Berengario *per Eccleſiam in Concilio Romano propoſita fuit*, fatetur Mabillonus, *Tomo* III. *Obſervationibus* ad Tractatum Abbaudi Abbatis, *de Fractione Corporis Chriſti*. Ex hoc enim intelligitur, quàm ſententiis adverſis inter ſe pugnarent, v. gr. dùm alii *fractionem* de *pane* quidem conciperent, ex verbis Chriſti, & Pauli, *Panis quem frangimus*; non item de *Corpore Chriſti*, & quidem *immortali*, qui *jam non moritur*; ſed nec de *accidentibus panis*, *rati ab ipſo corpore ſeparari non poſſe*, ut eo loco dixit Abbaudus, & rectè. Eant nunc Natalis Alex. Arnaldus, Mabillonus, cæterique, ac cauſentur nullas fuiſſe Seculo X. lites de Præſentiâ corporali; *nullam diſſenſionem*; nullos in tot Eruditis aut Sanctiſſimis Viris, quos hæc Ætas produxerit, qui aliter à Paſchaſio ſenſerint, aut ex quibus *novitas* doctrinæ Paſchaſianæ conſtare poſſit, vel adverſùs Præſentiam Corporalem nata murmura, dubia, conteſtationes. Pro quâ tamen hinc indè adſtruendâ *opus fuiſſe Miraculis*, Viſionibus, Revelationibus, non negant, & Hiſtoria teſtatur. Nec tamen in *deteſtandam Hæreſim* adhuc abiverat, antè ſancitam in Conciliis vulgò Oecumenicis, de quibus ad *Sec.* XIII. Tranſſubſtantiationem, genuflexionem ſeu adorationem Hoſtiæ, Circumgeſtationes Idololatricas, Feſtum Sacramenti, &c. de quibus loco ſuo dicendum.

De ſententiâ Eccleſ. Orient. alienâ à Tranſſubſt.

VI. Quid Eccleſiæ *Orientalium* hac Ætate ſenſerint, de Præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ, haud operoſum eſt colligere. Conſtat id quidem. 1. Ex Diſputatione natâ occaſione Imaginum, Seculo VIII. quando Iconomachi contenderent, non aliam Chriſtum reliquiſſe nobis ſui Corporis εἰκόνα, τύπον, *imaginem*, *figuram*, quàm in Euchariſtiæ Sacramento. Sanè Iconoduli contendere, Panem fieri αὐτὸ τὸ σῶμα, μεταβολῇ quadam ὑπερφυσικῇ. Sed noluiſſe aliud, quàm Panem accipere *virtutem Corporis* Chriſti; per *gratiam Spiritus S.* fieri adeò Corpus Chriſti; ἀληθῶς quidem, ſed tamen μυστικῶς, τυπικῶς, συμβολικῶς, πνευματικῶς, ἐνεργητικῶς, ὡς *inſtar* Corporis Chriſti; & quidem non omnibus, ſed *dignè* recipientibus Sacramentum, ſeu cum fide, charitate, deſiderio, alibi nos quoque evicimus, in *Elencho* nupero de diſſenſu Græcorum à Latinis. 2. Ex ignotâ hoc Seculo μετουσιώσεως voce, quam prorſùs abeſſe ab omnibus Græcorum Liturgicis & Eccleſiaſticis libris, & à Patrum Scriptis, faſſi nuper Viri in Galliâ Pontificiâ doctiſſimi, & res ipſa docet. Et quicquid *converſionem* traderent, μεταβολὴν, μεταποίησιν, μεταμόρφωσιν, myſticam nempè, ſacramentalem, poſt Baſilium, Chryſoſtomum, Theodoretum, nunquàm tamen voluêre converſionem τῆς αἰσθητῆς οὐσίας *ſenſibilis ſubſtantiæ* panis, hac ſcilicet abolitâ. Imò verò poſt conſecrationem, μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, adhuc *panem* vocare Orientales, *panem* verum credere, οὐκ ἐξιστάμενον τῆς οἰκείας φύσεως, *nihil recedentem à ſuâ naturâ* (ità Theodor. *Dial.* II. p. 85. *T.* IV.) hinc nonniſi ἔνζυμον à ſe manducandum, pluribus à noſtris demonſtratum eſt. Uti in ipsâ conſecratione dixêre Æthiopes, *Hic panis eſt Corpus meum*; licet vocem *Panis* in Latinâ tranſlatione, contra fidem Æthiopicorum Codicum, Editores Pontificii expunxerint, in T. VI. Bibl. Patrum, 1589. *col.* 78. ut eſt jam antè obſervatum. 3. Ex controverſiâ mox, ſequente Seculo, inter Græcos & Latinos agitandâ, de *Azymis*. Hac enim potiſſimùm de cauſâ Cerularius Conſtantinopolitanus cum ſuis oppugnare Azyma, quod ſupponerent *panem* in Euchariſtiâ manducandum; qui niſi ſit verus panis, τέλειος ἄρτος, panis fermento animatus, iſque nutritivus, non poſſet eſſe Sacramentum, ſeu figura ſeu myſterium *Carnis* Chriſti, *animata & vivifica*. Dùm ergò Latini comederent panem *Azymum*, comedere eos panem *mortuum*, ineptum qui repræſentaret Carnem vivam Chriſti, & animatam, qualem nobis exhibeat in Sacramento. Quæ ratio ceſſat, ſi à conſecratione nihil ſuperſit de ſubſtantiâ ſeu azymi ſeu enzymi panis, ſola adſit Caro Chriſti; & valdè indifferens, ſive ἐν ἀζύμῳ ſive ἐνζύμῳ celebres, ſi fit μετουσίωσις. 4. Ex ſententiâ Græcorum de *duabus ſpeciebus* neceſſariis ad Communionem perfectam, ut qui *concomitantiam* neſciunt; Item ex controverſiâ alterâ, Seculo XII. inter Orientales vexatâ, pluribus apud Nicetam Choniatem, *Annal. Lib.* III. Dùm alii Corpus Chriſti in Euchariſtiæ myſterio exhibitum cenſerent ἄφθαρτον, quale poſt Reſurrectionem eſt, & quale à Thomâ palpatum; φθαρτὸν alii,

alii, quale idem fuit ſub Paſſionis ac Crucifixionis tempus. Neutrum conſiſtere cum ſententiâ Latinorum, ſeu cum dogmate Tranſſubſtantiationis, fusè Claudius noſter contrà Arnaldum, *Libro* III. C. IX. Iſtâ enim Corpus Chriſti in Euchariſtiâ fingitur planè alterius conditionis, non quale hoc de Cruce pendens, nec quale idem à Thomâ contrectatum: Adeóque nec *corruptibile* ut antè Paſſionem fuit, quum non ſit corruptio niſi ſpecierum ſeu accidentium, ut loquuntur; Sed nec *incorruptibile* idem, quale in gloriâ eſt, dùm verè offerri immolarique cenſetur manibus Sacerdotis, Corpus non Corpus, illocale, inviſibile, impalpabile, in puncto indiviſibili ad modum Spirituum. 5. Ex conſenſu Græcorum in hoc argumento cum Doctrinâ Baſilii, Chryſoſtomi, Theodoreti, &c. quibuſcum locuti ſunt, & quorum veſtigiis inſtiterunt Oecumenius & Theophylactus, hoc etiam Seculo poſteriores. Nec eludet unquàm Roma vim locorum quæ ex *Epiſt.* Chryſoſtomi ad Cæſarium, nuper tandem factâ publici juris, ut mittamus ejus alia, vel ex Theodoreti *Dialogis*, produxêre noſtrates, cumprimis ex *Dialogo* I. Ille, *naturam panis permanſiſſe*, etiamſi *dignus habitus eſt Dominici Corporis appellatione*: Hic, ex editione Sirmondi, Tomo IV. p. 17. 18. *Salvatorem*, in Myſteriorum inſtitutione, ἐναλλάξαι τὰ ὀνόματα *nomina permutaſſe, & Corpori quod erat ſymboli* (ſeu Panis, Frumenti, σίτου καὶ ἄρτου) *nomen apposuiſſe, ſymbolo verò quod erat Corporis. Non naturam mutaſſe viſibilium ſymbolorum, ſed naturæ gratiam addidiſſe: Cibum ſanctiſſimum eſſe* ζύμβολόν τε καὶ τύπον *ſymbolum & figuram Corporis & Sanguinis.* Alia in Dialogis gemina, quæ Garnerius Jeſuita, nuperâ Diſſertat. de Fide Theodoreti, *Diſſert.* III. C. III. cautè diſſimulans, utitur incautè hoc argumento pro *reali præſentiâ*, (quæ idem illi ac Corporalis) ex mente Theodoreti: Quod eadem fuerit *fides Theodoreti, quæ fuit Eccleſiæ Orientalis de Euchariſtiâ, Theodoreti ætate*, id eſt, quæ antè Origenis, dein Baſilii, Chryſoſtomi, Cyrilli, &c. Rectè, ſed & quæ Eccleſiæ Occidentalis, etiam diu poſteà, vel ex Facundi Hermianenſis loco, producto ſuprà, *Sec.* VI. *col.* 1070. 1071.

Recentiores notati.

6. Ex *modo* quo Corpus Chriſti impanari ſtatuerunt Græci poſteriores, ſeu Panem *fieri*, vel *demonſtrari* Corpus Chriſti, ipſe jam Seculo VIII. Damaſcenus, nempè poſt invocationem Spiritûs S. per hujus in Symbola illapſum, unione quâdam myſticâ, ſpirituali, energeticâ, reſpectu legitimè participantium, vel ex ipſis Formulis Liturgicis. De quibus alibi ex profeſſo traditur. 7. Ex omiſſo conſtanter apud Græcos, in hunc uſque diem, actu *adorationis, poſt* conſecrationem Symbolorum: Quo ipſo evidentiſſima res eſt, Chriſtum non credi ibi præſentem corporaliter, ſub accidentibus ſolùm Panis & Vini. Prius docet praxis univerſa Græcorum & Orientalium, nec diffitentur cordatiores Latinorum; quæcunque ſit adgeniculatio in Oriente, *antè* conſecrationem, dùm cantatur Hymnus Cherubicus. Abſurdè pro adoratione Sacramenti, ſeu Hoſtiæ conſecratæ, protulit nuper Garnerius illa Theodoreti, ex *Dial.* II. T. IV. p. 85. νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, *intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur.* Ubi fraus duplex Jeſuitæ; Prima quod illud, *creduntur & adorantur*, referat iſte ad ſymbola, ad ſpecies panis & vini, quod Theodoretus ad rem illis figuratam, Chriſtum Dominum, Corpus Filii Dei, quod creditur, intelligitur; Altera, quod immediatè præcedentia in Textu Theodoreti reſecuit: Ita Theodoretus, *Neque enim ſymbola myſtica, poſt ſanctificationem, recedunt à ſuâ naturâ. Manent enim NB. in priore ſubſtantiâ, & figurâ, & formâ*, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, quæ Theodoreto ſunt ἀχώριστα, ſubſtantia panis, & figura, formave. Dùm ex mente Jeſuitæ, ſymbolorum οὐσία aboletur, ſolâ *ſpecie*, ſeu figurâ & formâ remanente, ſine ſubſtantiâ. 8. Tacemus alienos à fide Tranſſubſtantiationis, ex confeſſis plurimorum in ipſo Papatu, Æthiopas, Armenos, Georgianos, Orientales, alios; de quibus nos quoque *Diſſertatione* de Diſſenſione Eccleſiæ Orientalis à Pontificiâ.

Cur Græci Latinorum Tranſſubſtantiationem non accuſaſſe videantur?

Nihil verò mirum eſt, Græcos hujus & ſequentis Ævi, oppidò licet alienos à *Tranſſubſtantiatione* Pontificiâ, hunc errorem minùs notaſſe in Latinis. Cujus rei ratio non una datur. 1. Quod convenirent utrique, (antè ſtabilitam *rem* Tranſſubſtantiationis ſub Leone IX. & Gregorio VII. deinde *vocem* ſub Innocentio III. hinc adorationem Hoſtiæ, Feſtum Sacramenti, ſub Honorio III. Urbano IV.) in externo *enunciandi* modo: Panem ſcilicet *fieri* Corpus Chriſti, ſeu in illud *converti, mutari, tranſmutari, transfigurari*; quod ad converſionem ſubſtantialem, ſeu abolitionem Panis, craſſiùs poſteà relatum à Paſchaſii nepotibus. 2. Quod Seculo X. plurimos Latinorum adhæſiſſe ſententiæ Ratramni, Rabani, Scoti, jam in ſuperioribus demonſtratum eſt. 3. Quod ſententia Berengarii damnata Seculo XI. invidioſiſſimè falſiſſiméque traduceretur, tanquàm adverſa univerſæ Eccleſiæ, ipſi adeò Orienti, ut quæ omnem *mutationem ſymbolorum*, etiam ſpiritualem, typicam, myſticam, ſeu Sacramentalem, pernegaret. 4. Quod Græci poſteriores *ſenſim in modo* realis præſentiæ explicando, & Patribus ritè intelligendis, ignorantiæ ſuperſtitioniſque plurimùm probaverint: Quamvis ſemper alieni à Sacris Miſſaticis Pontificiorum, uſque adeò ut *Altaria* pollui Miſſâ Papiſticâ jam olim crediderint, conqueſto Concilio Lateranenſi IV. A. 1215. *Can.* IV. T. XI. *Conc. Si quando Sacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent Altaria, non prius ipſi ſacrificare* (ſacra facere) *volebant in illis, quàm ea tanquàm per hoc inquinata laviſſent.* Confirmant Bzovius, Caucus Corcyrenſis, Rich. Simonius, & ſi qui alii. Undè nec in Synodo Florentinâ paſſi ſunt Græci, ne ipſe Imperator Johannes, etiam Unione in ſpeciem ſtabilitâ, quicquàm innovari in ſacris ſuis *Liturgicis*, aut ſe ad Latinorum ritus adigi. Imò accuſare in his πολλὰ σφάλματα τῶν Λατίνων, καινοτομησάντων, καὶ ἁμαρτανόντων εἰς πολλὰ, *plurimos errores Latinorum, innovationes, & in multis deviationem* à vetere ritu Liturgico, à quo non deflexiſſent Græci; ut eſt in *Hiſt.* Concilii Florentini, *Sect.* X. C. XI.

VIII. *Concilia hujus Ætatis. Præcipua quædam. Auctoritas in iis Imperatorum, Regum.*

Oecumenicæ Synodi cur nullæ hoc Seculo?

I. O*ecumenica* hoc Ævo, quæ aut verè talia fuerint, aut pro Oecumenicis habita, ſeu in Oriente ſeu in Occidente, Concilia nulla memorantur. Nec patiebatur *Eccleſiæ* ratio, in tantâ tamque univerſali corruptione Pontificum, Epiſcoporum, Cleri totius, ſed & prævalentis ubique Monachiſmi, de quâ ſuprà. Undè alia *iſti* omnia ſatagebant, quàm emendari Eccleſiam in Capite & membris, in Doctrinâ, Diſciplinâ, Moribus. Intercedebat etiam Orientalis Eccleſiæ diſtractio ab Occidentali, de quâ Lemmate ſequenti. Sed nec ſivit ratio *Reipublicæ*, non ampliùs uti olim colligatæ ſub uno ſummo Capite, atque Imperatore, *Orientis* illo per Barbaros, Bulgaros, Saracenos, Turcas, intrà anguſtos fines coërcito; *Occidentis* altero ferè intrà Germaniam, & partem Italiæ imperante, ſuis jam Regibus Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ; præter ditiones à Saracenis, Bulgaris, Normannis, Hungaris, vel vaſtatas vel occupatas. Nam quæ

Digitized by Google

quæ *Univerſalis* appellatur Synodus Erfordiæ celebrata A. DCCCCXXXII. in causâ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, Henrico Aucupe Germaniæ Rege, non ſic dicta niſi cum reſpectu ad *univerſa* penè *Germaniæ* Antiſtites.

De Synodis reliquis judicium.

II. Aſt frequentes tamen, in Occiduo præcipuè Orbe, Synodi indictæ, *Nationales*, *Provinciales*, uti Romæ, & Ravennæ intrà Italiam, ſic in Germaniæ, Galliæ, Britanniæ variis partibus & locis. Ac de *duabus* maximè controverſis, & in quas Baronius cum ſuis detonant, ut impias, nefandas, Satanicas, dictum jam in ſuperioribus fuſiùs eſt: Nempè de Synodo *Romanâ*, in quâ depoſitus Johannes XII. Ottone I. Imperatore, A. DCCCCLXIII. & ſubſtitutus Leo VIII. dictum ex profeſſo eſt, toto *Capite* v. Et de Synodo alterâ *Rhemenſi*, Hugone Capeto Rege, in quâ abdicante ſe Arnulpho, electus Gerbertus eſt in Archiepiſcopum, A. DCCCCXCI. Romanâ ibi Eccleſiâ, cum ſuo Capite, vivis coloribus depictâ, memoratum fuit *Cap.* VI. Et ad utramque Baronianas, Binianas, Bzovianas, nuperque admodùm Alexandrinas offucias præſtigiaſque deteximus. Atque etiam digniores ferè illi Conventus fuerunt, qui ad hoc Seculum celebrentur. Paucæ enim Synodi inſtaurandæ vel Doctrinæ vel Diſciplinæ incubuerunt, nec ferè niſi ad inſtantiam meliorum Principum, ut *Henrici* Aucupis, ſic *Ottonis* I. ſic *Eduardi* ſenioris, & ejus filii, *Æthelſtani*, Anglorum Regum. Atque horum ſaluberrimas quaſdam leges & conſtitutiones, nominatim Eduardi Senior. item Æthelſtani, in celebri Synodo *Grateleanâ* A. DCCCCXXVIII. videſis in Guil. Lombardi Ἀρχαιονομίᾳ, ne dicam in Conciliis Spelmanni, hinc Phil. Labbei *Tom.* IX. In *Synodis* reliquis (præter ſuperſtitioſos Ritus, & Epiſcoporum Diſſidentium cauſas, & Pontificum illas in ſpecie *Formoſi*, & Eccleſiarum jura, reditus, & Romani Cleri privilegia, & quæ ad hujus Diſciplinam ſpectant, vel ad Monachos, Monaſteria, horumque fundationes, immunitates) parùm certè occurrit quod memoriâ noſtrâ dignum eſſe videatur. In Italicis tamen Synodis celebris eſt Synodus *Ravennatenſis*, cujus Codex ſuppeditatus eſt ac Romam miſſus, teſte ipſo Baronio ad A. DCCCCIV. N. III. ab Antonio Auguſtino, Tarraconenſi Archiepiſcopo, Emendatore Gratiani ſanè doctiſſimo, ac in Romanâ omni Juriſprudentiâ, & Eccleſiaſticâ antiquitate, ſubacto. Habita ea A. DCCCCIV. *Johanne* IX. Pontifice, ex Epiſcopis LXXIV. præſente *Lamberto* Imper. juxta hæc Acta, (nam aliis mortuus dicitur Anno DCCCXCIX.) cujus ibi electio ac coronatio confirmata fuit; contrà *Berengarium* ſcilicet Italiæ Regem, qui materno genere fuit ex Ludovici Pii nepotibus, & Coronam Imperii *extorſiſſe* dicitur eodem Johanne. Hinc *Ravennam* hic Pontifex conceſſerat, confirmaturus quæ acta fuerant in Synodo *Romanâ*, eodem Anno, quod haud tutum illi Romæ degere, ob fautores Berengarii. *Unctionem itaque ſacri Chriſmatis* (ita in hac Synodo Romæ habita *Canone* VI.) *in Spiritualem Filium noſtrum Dominum Lambertum Excellentiſſimum Imperatorem actam, perpetuâ ſtabilitate, dignitatibus decoratam, firmam & in æternum ſtabilitam eſſe, Sancto ſuffragante Spiritu, decernimus. Illam verò Barbaricam Berengarii, quæ per ſubreptionem extorta eſt, omnimodis abdicamus.* Deinde, decernit hic Pontifex in eâdem Synodo Ravennatenſi, *Can.* X. ne *Pontificum Roman.* fieret deinceps conſecratio, niſi approbantibus ac præſentibus Legatis Imperialibus. Ità habet Canon, referente Baronio, citante etiam Baluzio in *Notis* ad Agobardum, p. 126. *Quia ſancta Romana Eccleſia, cui præſidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte; quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperatoris notitiâ, & ſuorum Legatorum præſentiâ, Pontificis fit Conſecratio; nec Canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuncii; qui violentiam & ſcandala in ejus Conſecratione non permittant fieri: Volumus ut id deinceps abdicetur, & conſtituendus Pontifex, convenientibus Epiſcopis & Clero univerſo, eligatur, expetente Senatu & Populo, qui ordinandus eſt, ſic in conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus, conſecretur.* Quod perpetuò factum fuiſſe, ante & poſt Carolum M. docet pluribus exemplis Baluzius. Ità cujus electio & conſecratio pendebat à nutu Imperatoris, hic viciſſim ſuum eſſe, Imperatores *deponere*, uti Berengarium, & *confirmare*, uti Lambertum, præſumit. Tandem in eadem Synodo Ravennatenſi, *Stephani* VI. deceſſoris Johannis, Acta in *Formoſum* reſcindentur, juxtà decretum Synodi Romanæ eodem anno habitæ, Capitulo I. *Synodum tempore piæ recordationis Sexti* (aliis Septimi) *deceſſoris videlicet noſtri celebratam*, (Anno DCCCXCVII. de quâ Baronius A. eodem N. VI.) *in quâ venerabile Corpus Formoſi, venerandi Papæ, de ſepulturâ violatâ per terram tractum eſt, & quaſi ad Judicium deductum judicari & damnari præſumptum eſt, quod nunquam deceſſorum noſtrorum temporibus factum fuiſſe traditum eſt, penitùs abdicamus. Et ne ulteriùs præſumatur fieri, per quodlibet Spiritus S. judicium interdicimus, quia ad Judicium vocari mortuus non poteſt*, &c. Vide Tomum IX. Conciliorum Edit. noviſſimæ, *col.* 502. 503. Ubi jam præſederit Spiritus S. an in Synodo ſub Stephano VI. ſub Johanne IX. & ità in Synodis aliis ſibi invicem adverſis, ipſi viderint.

Gallicanæ Synodi. Excerpta quædam luculenta.

III. In *Gallicanis* Synodis, incluta eſt Synodus apud *Troſlejum* prima, villam Sueſſionenſis Diœceſeôs, congregante *Heriveo* Rhemenſis Metropolis Archiepiſcopo, ſub Carolo Simplice, A. DCCCCIX. Hujus quanquàm Synodi non meminerint Burchardus, Ivo, Gratianus, Flodoardo hac Hiſtoriæ ſuæ parte mutilo. Qui Heriveus ille ipſe fuit, qui poſteà in Carolum perduellis acceſſit conjuratis, ac Robertum Comitem, arma in Regem capeſſentem, fovit ſuâ auctoritate, ſed & conſecravit, *triduo* poſt obiturus perfidus Præſul, ex Flodoardo, & Annalibus Francorum. *Capitula* XV. hujus Synodi vide in *Tomo* III. Conciliorum Galliæ, vel *Tomo* IX. Concilior. à *Col.* 521. Ex iis prolixè conſtat infanda corruptio Clericorum, & collapſa in Monaſteriis diſciplina, perverſi mores, *ac moles criminum*, quæ ſimul ſalutaribus ex Scripturâ S. monitis, ac patheticis vocibus caſtiganda, emendandaque. Capitulo II. *Sacerdotalis* omnis *auctoritas* ſubjicitur *Regiæ poteſtati*, & rectè: *Sed & nobis* (ità in fine Capituli) *& omnibus qui in Regno veſtro conſiſtimus, oportet ut juſtam fidelitatem Vobis conſervemus, & honorificentiam regiam exhibeamus; & de utilitate Regni aliquid quærenti, ſecundùm ſcire & poſſe, verum & utile conſilium ſuggeramus.* Capitulo III. Prohibentur in Monaſteriis eſſe *Abbates* non *Regulares*, ſeu extranei, qui ſæpè nec legere, nec intelligere, nec dubia diſcutere noverint, & oblato Codice reſpondeant, *Neſcio literas.* Et à collapſâ omni Eccleſiæ Diſciplinâ, & Privilegiis Eccleſiarum contemptis ac conculcatis, contendunt imminutum quoque *ſtatum Regni.* Capitulo IX. quantum fœdarum libidinum excitarit lex *Cœlibatûs*, quæ ibi tamen ſancita, proditur; *Sanè quoniam hæc peſtis non tantùm populares quoſlibet, verùm quod non ſine noſtro pudore, & cum maximo fatemur dolore, Eccleſiaſticos commaculet Dignitates; in tantùm ut ipſi quoque Sacerdotes computreſcant in ſtercore luxuriæ*, &c. *Falſo etiam* Canone, *Paulum Apoſtolum* non interdixiſſe Clericatu *legitimè conjugatis, & unius Uxoris Virum ad ſummum Sacerdotium præcepiſſe eligi.* Ex Capitulo XIV. ſub finem, cognoſcitur vehemens tùm Latinorum in Græcos odium, & in memoriam *Photii*; atque in dogma de *Proceſſione Spiritûs S. ex Patre tantùm*, tanquàm in *blaſphe-*

Digitized by Google

miam enormem, *monſtrum renaſcens*, *caput nequiſſimi ſerpentis*. Capitulo XV. memorabiles ſunt illæ voces, *Eccleſiam ab ipſo ſuo Capite Chriſto ſuper Petram*, NB. *id eſt ſuper Confeſſionem Petri*, *eſſe ædificatam*, cujus *fidei firmitatem* retineant quæ ab ejus ſucceſſoribus fundatæ eſſent Eccleſiæ. Et ea qualis ſit *Fides* ad calcem explicatur, quoad *credenda* & *facienda*, luculentâ profeſſione Fidei. Nihilque in eâ profitentur illorum, quæ Pontificiæ & Tridentinæ doctrinæ ſummam conſtituunt; nihil de Capite Eccleſiæ Rom. Pontifice; uti nec de quotidiano Miſſæ Sacrificio, de Purgatorio, Cultu Creaturarum, de Commentitiis Sacramentis, de Confeſſione Sacerdotali, imò *de purâ & verâ Confeſſione faciendâ Domino*, *ante quem ſit procidendum & plorandum*, *quia ipſe eſt Dominus noſter*, *qui fecit nos*, &c.

Germanicæ, Britannicæ Synodi.

IV. *Germanicas* Synodos, v. gr. *Engilheimenſem* ſub Ludovico Tranſmarino Rege, Anno DCCCCXLVIII. præſente Ottone Imper. *Auguſtanam* ſub Ottone I. Anno DCCCCLII. &c. in quibus de turbis in Republicâ natis, de inſtaurandâ Eccleſiæ Diſciplinâ, de Solemnitatibus, Jejuniis, Litaniis, Monachis, Cœnobiis, id genus aliis, deſcribere hoc in loco nihil attinet, neque Conciliorum Tomos compilamus, quorum Tomo IX. Labbeano habentur horum Concilior. *Capitula*. In *Britannicis* Synodis, memorabiles cumprimis Synodi habitæ Gratilææ in Eboracenſi ditione, A. DCCCCXXVIII. dein Exonienſis, Freveshamenſis, Landavenſes, Londinenſes, &c. ſub Edwardo Seniore, Æthelſtano, Edmundo, Edgaro, Anglorum Regibus, & ſub Hoële Principe Walliæ, Annis DCCCCXL. DCCCCXLIV. & poſteà labente Seculo. In quibus, admiſſis etiam in eos Conventus Secularibus, *Leges* plurimæ ſancitæ ſunt, de *Eccleſiæ* rebus, omnique Diſciplinâ, nullis ibi omninò partibus Romanorum Pontificum. *Præcipiunt* ibi Reges, ipſis etiam *Epiſcopis & Presbyteris*, toto Regno, cum ſanctione pœnarum; Inter alia, ne *Jejunium cibo ſumpto diſſolvatur*; ne *die Dominico mercari liceret*; ut quiſque ſuorum omnium *decimas*, tàm de animantibus quàm de frugibus, *Deo perſolverent*, id eſt, pauperibus alendis, ut eſt in lege I. Æthelſtani Regis. Has aliaſque leges & ſtatuta, vide in *Tom.* I. Concil. Spelmanni, & in Ἀρχαιονομίᾳ Anglicanâ, ad calcem Hiſt. Eccl. Bedæ, hinc Conciliorum noviſſimè *Tomo* IX. Ac quid ſint ibi *Laga*, ſeu Lex; *Wara*, *Wera*, *Weregildum*, pretium nativitatis hominis; *Tainus* vel *Taynus*, id eſt nobilis; *Hida* vel *Hyda*, id eſt manſio, familia, terræ portio ad familiæ alimoniam, atque id genus plures Anglo-Saxonicæ voces, ex Spelmanni vel Cangii Gloſſariis requirantur, aut ex Gloſſario quod ex antiquo Ms. Codice, ad calcem Ἀρχαιονομίας Anglicanæ, ſubjunctum eſt. Edgari autem Anglorum Regis Leges adverſùs *Clericos conjugatos*, & pro introducendis eorum loco *Monachis* in Cœnobia, & Cathedrales Eccleſias, A. DCCCCLXIV. Dunſtano Cantuarienſi Archiep. diximus aliàs. Hinc *Concilia* ſub hoc Rege habita, eodem Archiepiſcopo, qualia fuerint, æſtimandum eſt. Qui Rex palàm ſtupri admiſſi in *Clauſtralem Virginem* convictus, pœnitentiæ loco dicitur *Monachos* intromiſiſſe in Eccleſias, pulſis Clericis conjugatis, inducente eodem Dunſtano. Vide Spelmannum in Concil. Brit. p. 481. 482.

Jus Regium circà Synodos.

V. Porrò convocare *Synodos*, moderari, addereque Canonibus ac judiciis Synodalibus Legis auctoritatem, Regum fuit hoc etiam Seculo, atque Imperatorum in Orbe utroque. De Angliæ Regibus viſum modò eſt. Rectè Auctor Vitæ Ælfredi Magni, *Libro* II. C. XII. *Hæ leges*, (de Clericis, & Eccleſiæ Diſciplinâ) *hactenùs obſervationem merentur*, *quod ex iis conſtet*, *etiam illis temporibus* (*Sec.* IX. X.) *Reges Saxonicos Ælfredum & Edwardum ſenſiſſe ſe ſuprematum habere*, *tàm in Eccleſiaſticos quàm in Laicos*; *Neque Eccleſiam*, *quæ in ipſorum Ditione ſita eſſet*, *eſſe quid peregrinum*, *vel Principi alicui Eccleſiaſtico extraneo ſubditam*, *domi verò Civitatis legibus ſolutam*; *quod Anſelmus*, *Becketus* (Seculo XII. Cantuarienſes Archiepiſcopi) *aliique deinceps inſecuti*, *acriter contenderunt*. Ipſe Rex Edgarus, Dunſtano tùm Archiepiſcopo, ſuperſtitioſiſſimus quamvis, Oratione ad Epiſcopos, apud Spelmannum, Conciliorum Brit. T. I. ad A. DCCCCLXIX. p. 476. *Sed & meæ ſolicitudinis eſt*, *Eccleſiarum Miniſtris*, *Gregibus Monachorum*, *choris Virginum*, *& neceſſaria procurare*, *& ſaluti conſulere*. *De quorum omnium moribus ad nos ſpectat examen*, &c. Mox deſcripturus Clerum Anglicanum ejus temporis: *Taceo quod non eſt illis corona patens*, *nec tonſura conveniens*. *At in veſte laſcivia*, *inſolentia in geſtu*, *in verbis turpitudo*, *interioris hominis produnt inſaniam*. *Præterea in divinis Officiis quanta ſit negligentia*, *cùm ſacris vigiliis vix intereſſe dignentur*, *cùm ad ſacra Miſſarum ſolennia*, *ad ludendum*, *ſubridendum*, *magis quàm ad pſallendum*, *congregari videantur*. *Dicam quod boni lugent*, *mali rident*: *Dicam dolens* (*& ſic tamen dici poteſt*) *quomodo diffluant in commeſſationibus*, *in ebrietatibus*, *in cubilibus*, *& impudicitiis*; *ut jam Domus Clericorum putentur proſtibula Meretricum*, *conciliabulum Hiſtrionum*. *Ibi alea*, *ibi ſaltus*, *& cantus*, *ibi uſque ad medium noctis ſpatium protracta in clamore & horrore vigilia*. *Sic patrimonia Regum*, *Eleemoſynæ pauperum*, *imò* (*quod magis eſt*) *illius pretioſi ſanguinis precium profligatur*. *Ad hoc ergo exhauſerunt patres noſtri theſauros ſuos?* *ad hoc fiſcus Regius*, *detractis reditibus multis*, *elargitus eſt?* *ad hoc Eccleſiis Chriſti agros & poſſeſſiones Regalis munificentia contulit*, *ut deliciis Clericorum Meretrices ornentur?* *Luxurioſa Convivia præparentur?* *Canes*, *ac aves*, *& talia ludicra comparentur?* *Hoc milites clamant*, *plebs ſubmurmurat*, *mimi cantant & ſaltant*, *& vos negligitis*, *vos parcitis*, *vos diſſimulatis!* *Ubi gladius Levi*, *& zelus Simeonis*, *qui ut Scorto abutentes filiâ Jacob Sichimitas*, (*eorum habentes figuram qui Chriſti Eccleſiam pollutis actibus fœdant*) *etiam circumciſos ſuccidérunt?* *Ubi ſpiritus Moiſi*, *qui capiti Vituli adorantibus*, *etiam domeſticis ſui ſanguinis*, *non pepercit?* *Ubi pugio Phinees Sacerdotis*, *qui fornicantem cum Madianatâ confodiens*, *Sanctâ hac æmulatione Deum placaverit iratum?* *Ubi ſpiritus Petri*, *cujus virtute perimitur avaritia*, *hæreſis Simoniaca condemnatur?* Hæc quidem ille in Clericos, ſed in gratiam *Monachorum*, quorum erat libido cautior. Nec minus juris ſibi vendicarunt *Galliarum* Reges, in inveſtiendis Epiſcopis, aliis removendis, Synodis convocandis, harum Decretis approbandis, ſanciendis, reformando Clero, Diſciplinâ inſtaurandâ, ad exemplum Caroli M. & Succeſſorum. Hiſtoria Gallicana, & Conciliorum illa, vetereſque celebrandorum Concilior. Formulæ, teſtantur, aſſertaque conſtanter ea Principibus jura à Libertatis Gallicanæ Defenſoribus. De Factis *Ottonum* Imperatorum, dictum ſuprà fuit. Quomodò & auctoritate *Henrici* I. Regis, Erpfordiæ Germaniæ, celebrata Synodus generalis, quæ *Sancta & Univerſalis*, Ann. DCCCCXXXII. nullo Papæ interventu, in quâ *Rex Sapientiſſimus*, ſanè *cum Primatum ſuorum Concilio*, *decrevit* quæ ſpectarent ad Eccleſiæ ritus, diſciplinam, Clerum, habes *Tomo* Concil. IX. *col.* 591. 592.

Fœda Cleri reformandi corruptio.

Orientales Synodi.

VI. Nec minor in *Oriente* Imperatorum auctoritas, in Synodis indicendis, moderandis, confirmandis, Epiſcopatibus conferendis, &c. nullis Papæ in iis partibus. Teſtantur *Concilia* habita ex. gr. ſub *Leone* Sapiente, ut Conſtantinopolitanum Ann. DCCCCI. quando Sede Patriarchali pulſo Nicolao Myſtico (quod in *quartas* Imperatoris nuptias, prole maſculâ deſtituti, conſentire renueret, juxtà Baſilii Leonis patris Conſtitutionem) junxit alteram Synodum, teſte Eutychio Alexandr. quæ licitas Leo-

ni

Digitized by Google

in nuptias eſſe pronunciavit, Annal. Parte II. p. 487. Itâ ſub *Conſtantino* Porphyrogenito, quando Theophylactus filius ad Patriarchatum admotus eſt; Ac teſtantur quoque res ſub *Nicephoro Phocâ*, geſtæ, tum ſub *Baſilio Bulgaroctono*, pluribus apud Joh. Scylitzem, & Joh. Zonaram, in eorum temporum Hiſtoriâ. Vide & quæ nos Lemmate proximo de Statu Eccleſiæ Orientalis.

Ritus celebrandi Concilia.

VII. Ritum celebrandi *Concilia* hac Ætate in Occidente, ſpeciatim in Eccleſiâ Gallicanâ, ut in Provinciâ Rotomagenſi, deſcribit vetus Formula, apud Mabillonum *Analect.* T. II. *pag.* 457. Nempè, poſito in medio Codice Canonum, bis in anno *per Provincias ſingulas convenire in unum Epiſcopos, convocante Metropolitano*, decernentibus Patribus, juxtà Concil. Chalcedonenſe, & Concil. Toletanum IV. Licet acceſſerit Seculo ſequente, Fidei formula contrà ſententiam Berengarii, quam omnes Patres profiteri tenebantur; *In ipſâ conſecratione converti naturam & ſubſtantiam Panis, in naturam & ſubſtantiam Carnis, illius quæ concepta eſt de Spiritu S. nata ex Mariâ Virgine*, &c. Quo ipſo dogmatis novitas, nuper ſanciti, & deinceps firmandi, odio Berengarii, & in ſuperſtitionis ſtabilimentum, intelligitur. Cæterùm nullæ ibi niſi *ad Deum* preces, nullæ gratiarum actiones, niſi quod *darent honorem & gloriam Sanctæ & indiviſibili Trinitati*; nulla ſalutatio Virginis; nulla adhuc vel Mariæ, vel Sanctis vota, Sacrificia, Chariſteria, ut ſequenti Ætate apparuit.

IX. *Status Eccleſiæ Orientalis hoc Ævo. Continuatio Schiſmatis inter Orientales, & Romanam Eccleſiam.*

Status Civilis in Oriente.

I. Status *Politicus* utique miſerrimus fuit, cumprimis à morte Leonis Sapientis, ſub quo turbæ domeſticæ, ob quartam conjugem ſuperinductam, *Zoen* Carbonopſinam, (ex quâ Conſtantinus Porphyrogenitus Imperator) tandem in Monaſterium truſam, quod inſidiarum in Romanum Imperator. conſcia crederetur. Imperium afflixerunt. 1. *Saracenorum* in Oriente progreſſus, à quibus, tandem initio Seculi XI. Hieroſolyma occupata, violatumque Sepulchri Dominici Templum, & illius loci Monaſteria. Teſtes, præter Chronica Orientalium, Zonaras *Annal.* L. XVII. & Byzantini. Frequentes & *Bulgarorum* irruptiones fuerunt; donec Baſilius II. Bulgaroctonus Imperator ab A. DCCCCLXXV. Achridâ oppugnatâ, dein Caſtellis & Urbibus reliquis, totâ Bulgariâ potiretur; de quo iidem Byzantini; cumprimis Zonaras & Cedrenus ex Johanne Scylitzâ Caropalatâ. *Turcicæ* dominationis, Gentis in excidium Imperii Orientalis natæ, primordia huic Seculo debentur, duce Trangolypice, à quo labente hoc *Sec.* X. Chalifâ Babylonio ultimo *Baſaſiro* interfecto, jacta ſunt fundamenta ampliſſimi Imperii, Perſiâ, Babyloniâ, Syriâ, Aſiâ ſubactis, de qua Hiſtoriæ Turcicæ Scriptores. 2. *Imperatorum* vel ignavia, ſegnities, libido, qualis Alexandri Baſilii Filii, Conſtantini ipſius cognomento Porphyrogeniti, vacantis ſeceſſui literario, & Romani Junioris qui *Puer* cognominatus eſt, quamvis annum ætatis XXI. attigiſſet, cùm Imperii adminiſtrationem ſuſcepit: Vel certamina inteſtina, ſeditiones, rebelliones Filiorum in Patres, aut Imperii in multa Capita diſtributio, qualiter inter Conſtantinum & Romanum Lacapenum Socerum, dictum Βασιλεοπάτορα, item inter Chriſtophorum, ac reliquos Romani Filios, Stephanum & Conſtantinum; ut pluribus ex Leone Grammatico, Luithprando, Scylitzâ, Zonarâ, diſcere licet. Nec Civilem Hiſtoriam ſcribimus.

Status Eccleſiaſticus.

II. Status *Eccleſiaſticus* nihilo felicior fuit. Oppreſſæ enim per Barbaros Eccleſiæ nobiliſſimæ Orientis, ſub Patriarchis Antiocheno, Alexandrino, Hieroſolymitano, & Cyprio Exarcho: Lacerabant paſſim inteſtina diſſidia, odia, controverſiæ, v. gr. de Quartis nuptiis, de Compaternitate obice Matrimonii, &c. præter ambitiones Epiſcopatuum, & Throni Patriarchalis: Vigebant in Babyloniæ, Indiæ, Armeniæ, Syriæ, Ægypti, Æthiopiæ partibus, præter reliquias Manichæorum, Hæreſes ſeu ſegreges Eccleſiæ Neſtorianorum, Jacobitarum, quibus ſui præerant Patriarchæ, vel Catholici: Creſcebat in dies Patriarcharum faſtus, hinc otium, & luxus, inſigni rei exemplo in Theophylacto Patriarchâ, ſupra *Capite* IV. *col.* 1431. Nec modus deinceps *ſuperſtitioni* Græcorum, in cultu pictarum Imaginum, invocatione τῆς Θεοτόκου, veneratione τῶν ἁγίων λειψάνων, à temporibus ſuperſtitioſiſſimæ Irenes, dein Theodoræ viduæ Theophili, ut prolixè ſuprà *Cap.* IV. *Scriptores* etiam Eccleſiaſtici, Scripturarum Interpretes, aut aſſertores Chriſtianæ fidei, contrà Hæreſes, vel Muhammediſmum, ferè nulli, non minùs infœcundo hoc Seculo in Oriente, quàm in Occidente, ex ſequente mox *Scriptorum* ſerie. Præterquàm quod ſub *Leone* Philoſopho, & Conſtantino Porphyrogenito, Principibus ad exemplum multorum natis, initio Seculi, floruiſſe ſatis literarum ſtudia, præeunte nuper magno Photio, ex Zonarâ *Lib.* XVI. XVII. & aliis, cognoſcitur.

Orientalis Eccleſiæ in nonnullis rigor.

III. Quo effuſior ad omnem ſuperſtitionem fuit, ſed & indoctior, Orientalis Eccleſia, hoc jam rigidior fuit in *Jejuniorum* obſervantiâ, in illâ *Monachatûs*, & in coërcendâ libertate *Matrimonii*. Cujus rei exempla ſunt luculenta duo, in Controverſiâ de τετεργαμίᾳ ſeu *quartis nuptiis* natâ ſub Leone Philoſopho, & in alterâ de *ſecundis nuptiis*, deque συντεκνίᾳ ſeu *compaternitate* impediente matrimonium, ſub Nicephoro Phocâ. Ac prius quidem de *quartis* votis in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ diſſidium, quod fovit contrà Græcos, & Nicolaum Myſticum Patriarcham, Romanus Pontifex, iſtis in Leone approbatis, tandem compoſitum eſt ſub Conſtantino Porphyrogenito, & Romano Cæſaris dignitatem adepto. Tunc enim editus eſt *Tomus Unionis*, ἑνωτικόν, de abrogandis quartis nuptiis, Anno ſecundùm Græcos MMMMMMCCCCXXVIII. id eſt, Chriſti DCCCCXX. & ad concordiam redierunt qui hujus rei causâ, & diſſidentium hoc nomine *Nicolai* ac *Euthymii* Patriarcharum, διεσχισμένοι ſeu disjuncti fuerant. Tradunt Cedrenus, Leo Grammaticus, Zonaras, Codex Juris Orientalis. Quanquàm Cedrenus, ſeu Curopolates, hanc *Concordiam* poſteà referat factam eſſe ſub *Siſinnio* Patriarchâ, id eſt, exeunte pene Seculo, *Tomo* II. p. 702. Edit. Regiæ. Et eam malè Baronius cum ſuis, de *Concordiâ* Græcorum cum Romanâ Eccleſiâ interpretati ſunt, ex fictis literis Nicolai ad Johannem Papam, Ann. DCCCCXVI. ipſo Leone Allatio errorem arguente, *Lib.* II. de Concordiâ C. VII. Poſteà etiam tranſeunte ad ſecundas nuptias Nicephoro Phocâ, Romani Junioris ſucceſſore, ductâ Theophanone, Θεοφανὼ Græcis, (quum ex priori uxore nullos ſuſcepiſſet liberos) *Polyeuctus* Patriarcha eum adytis & ſacris cancellis prohibuit, non ingreſſurum πρὶν ἂν δέξηται ἐπιτίμια τῶν δευτερογαμούντων, *donec pœnas pro ſecundis nuptiis luiſſet.*

Etiam in Bigamos.

Hac enim fuiſſe Græcos iniquitate in διγάμους, non quidem ut in grande piaculum, ſed tamen ut in incontinentiæ quandam labem, expiandam jejuniis, & orationibus, conſtat ſatis, ex Canone Laodiceno, & Neo-Cæſarienſi, in Codice Eccleſiæ Univerſæ; ex Canonibus Nicephori Conſtantinop. ſucceſſoris Taraſii Patriarchæ Sec. IX. inchoato, editis à Cotelerio, T. III. p. 445. & ex Jure Orientali *Lib.* III. Δίγαμος οὐ στεφανοῦται, ἀλ-

λὰ

Digitized by Google

λαὶ ϗ ἐπιτιμᾶται, μὴ μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων Μυϛηρίων ἔτη δύο, *Bigamus non coronatur, quin potius cenſuram habet non percipiendi Sancta Myſteria duobus annis.* Acceſſit litigium de *Compaternitate*, ut quæ matrimonium prohiberet, accuſato eodem Nicephoro Phocâ, quod unum è liberis Theophanonis è ſacro fonte ſuſcepiſſet, undè aut repudii neceſſitas, ἐχωρισθῆναι τῆς γυναικός, aut ἀναχωρεῖν τῆς Ἐκκλησίας, *abſtinendi Eccleſiâ*, juxtà Canonem. Alii verò Græcorum contendebant, lege eâ non teneri *Imperatorem*, ut quæ lex à Copronymo emanaſſet, falsâ ut in multis aliis aſſertione. Sic contrà *Nuptias Conſobrinorum*, inter δύο ἀδελφὰς & ἐξαδέλφας δύο, *duos fratres & duas conſobrinas*, ſcripſiſſe fertur Siſinnius Patriarcha Tomum ſeu Deciſionem, quam exhibet Jus Græco-Rom. *Tomo* I. *Lib.* III. Pluribus illa Cedrenus, & Zonaras, quos vide in rebus Nicephori Phocæ.

Patriarchæ Conſtantinopolitani Romano oppoſiti.

IV. Quicquid mentiatur Leo Allatius, in Opere de Perpetuâ Conſenſ. *Libro* II. C. VII. VIII. manſêre cum *Romanâ* Eccleſiâ diſſidia hac ipsâ Ætate, quanquàm ſequente Seculo magis eruptura, Leone IX. Pontifice. Nec enim Patriarcha Conſtantinopolitanus unquàm abjecit titulum *Oecumenici* ſeu *Univerſalis* Patriarchæ; quicquid indulſerit Romanum vocari *Univerſalem Papam Senioris Romæ*, & obtinuerint aliquando mutuæ legationes, magnâ tùm potentiâ Romani Pontificis. Et indè Leonis IX. gravis ſtomachatio, ad Michaëlem Cerularium Patriarcham, paulo poſt aditum Pontificatum Ann. MXLIX. *Epiſt.* I. *Cap.* IX. quod indè à *Johanne* Patr. Conſtantinopolitano, *ejus contagii macula ſic adhæſiſſet* Succeſſoribus, *ut nunc quoque ſeipſos Oecumenicos Patriarchas & appellare, & ſcribere non timerent.* Nec ſanè ſubjeciſſe ſe hos Romano Pontif. magis quàm fecerat Photius (vel *Nicolaum Myſticum* Patriarcham, vel *Tryphonem*, vel *Theophylactum* huic ſubſtitutum, vel *Polyeuctum* ſub Nicephoro Phocâ, vel *Nicolaum Chryſobergem*, vel *Siſinnium*, vel *Sergium*, cui ſuffectus *Euſtathius*, ille in Homerum Commentator, omnes hoc Seculo Patriarchas Byzantinos) palàm ſuſtinere auſit Allatius. Quanquàm à *Siſinnio* demùm *interruptam fuiſſe ſupremam Poteſtatem Rom. Pontificis*, quam in Græcos exerceret, fingat initio *Cap.* VIII. *Lib.* II. Nempè fictas eſſe literas, Latinè ſcriptas, quas *Nicolao Myſtico* ad Johannem Papam tribuunt, nemo non videt; Quanquàm ſi genuinæ, quales Baronius exhibet ad A. DCCCCXVI. nihil à Johanne petunt, quàm *fraternam dilectionem*, *unionem*, *ſinceram amicitiam*, *conjunctionem animorum*, *quo futurum eſſet*, *ut Papæ nomen Sacro Eccleſiæ Conſtantinopolit. Albo*, *ut mos olim*, *unà cum illo Patriarchæ*, *celebraretur*, &c. Baronius rectè ad A. DCCCCXIV. N. XXII. *Orientales manſiſſe diſciſſos à communione Catholicæ Eccleſiæ*, & *Apoſtolicæ Sedis*, & *diuturnitate temporis oblivione tradidiſſe quod eſſe deberent*. Bona verba!

Fabulæ de ſubjectione Orientalium ſub nutu Pontif.

V. Pariliter fabula eſt, quam narrat idem Leo, de Perpet. Conſenſione *Lib.* II. C. VII. ſub finem, *Johannem* XI. confirmaſſe per Legatos in Patriarchatu Conſtantinopolitano, *Theophylactum* Romani Imperat. filium, ætate imparem, *idque contrà Canones*, *obnitente totâ Græcorum Eccleſiâ*, *ſolâ Pontificiâ auctoritate*, *ac diſpenſatione*, *omnia ſuperante*, facienteque *ut quod iniquiſſimum exiſtimabatur*, *ſolâ Romani diſpenſatione æquiſſimum & integrum judicaretur*. Apage nugas, & tam abjectam tamque inſulſam Græcis ſediſſe mentem! Dum mox *Siſinnium*, & *Sergium*, Conſtantinopolitanos Patriarchas, fatetur Allatius *Lib.* II. C. VIII. fuiſſe alieniſſimos à Romano Pontifice. Nec quadrant tempora, illud enim de Tryphone ejecto, & Theophylacto ſubſtituto, refertur ad A. DCCCCXLIV. à Baronio, & in Conciliorum Tomis, diu poſt Johannem amotum Pontificatu. Nec Curopalates quicquàm de hac diſpenſatione Romani Pontificis, aut expetitâ, aut conceſsâ: Quicquid Incertus Continuator Porphyrogenneti, & Georgius Monachus rem referant, iiſdem uterque verbis, ut alter ex altero deſcripſerit, in *Actis* nuperis *poſt Theophanem*, ex Mss. Cod. Pariſiis editis, p. 261. & 588. Par fides relationi Luitprandi Cremonenſis, in *Legatione* Ottonis I. ad Nicephorum Phocam, editæ à Caniſio *Ingolſt.* 1600. Scimus imò videmus Conſtantinopolit. Epiſcopum *Pallio non uti*, *niſi Sancti Patris noſtri permiſſu.* Hinc ab *Alberico* effectum *fuiſſe*, *ut Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ Literæ mitterentur*, *quâ auctoritate tum ipſe tum Succeſſores ejus Pallio uterentur*, non expectato permiſſu Papæ Romani, *quod anteà fuiſſet inauditum*; ut nuper quoque in hoc Johanne XI. Natalis Alexander p. 110. Λῆροι, expectaſſe Conſtantinopolitanos *Pallium* à Romano Pontifice, & *permiſſionem* eô utendi fuiſſe *extorquendam* à Johanne, per Albericum Tyrannum! Sanè ſub *Luitprandi* nomine, Cremonenſis Epiſcopi, in *Legatione* II. Conſtantinopolitanâ, ad Nicephorum Phocam, A. DCCCCLXVIII. hujuſmodi quid relatum video; de quo tamen meritò dubitetur ſintne ea Luitprandi Ticinenſis. Cujus Opus Hiſtoricum deſinere in deſcriptione prioris Legationis Conſtantinopolit. Berengarii Tyranni juſſu ſuſceptæ, aſſutis eidem reliquis, ipſe Baronius contendit, ad A. DCCCCLXIII.

Continuatio Schiſmat ſub Siſinnio, Sergio.

VI. Sed hæc ipſa quoque evertuntur, *continuatione* Photiani diſſidii inter Orientales, *& Romanam* Eccleſiam, tum quoad titulum *Univerſalis*, & ἰσοτιμίαν quam contenderet Byzantinus, *ex antè dictis*, tùm quoad *dogmata*, & *ritus*. *Hinc* ſub *Siſinnio* Patriarchâ, tranſmiſſa rursùs ad Patriarchas fuit Photii Epiſtola Encyclica contrà Latinos, & contrà uſurpationes Rom. Pontificis; & *anathematiſmi* Actis Synodalibus decreti, adversùs *ea* quæ *contrà Photium promulgata fuiſſent*, adversùs *calumniantes Sanctam Eccleſiam*, ſcil. Orientalem, *quaſi illibatam puritatem Sanctimoniæ ſuæ non retineret*, &c. Fatetur Baronius, ex Juris Græcorum *Lib.* II. ad A. DCCCCXCV. ſub finem. Vide & eundem ad A. DCCCCXCIX. N. XX. in *Sergium* Siſinnii ſucceſſorem declamantem, tanquàm *ex progenie Photii Schiſmatis auctoris*, *cujus ſecutus ſit veſtigia.* Allatius *Lib.* II. C. VIII. *Sergius*, *ut ſuum defenderet Photium*, *coactâ Byzantii Synodo*, *Photii calumnias in Romanam Eccleſiam renovavit.* Imò *primum omnium Romanorum Pontificum nomen è Diptychis deleviſſe*, pleroſque Orientalium tradere, fatetur Allatius. Adi Byzantinos Hiſtoricos, & lege Anonymos, ac cæteros e. gr. *Maximum Magunium*, *Joſephum Bryennium*, magnæ inter Græcos auctoritatis, citatos ipſi Allatio, dicto *loco*.

Accuſationes Græcor. contrà Latinor. doctrinas.

VII. Porrò ex Photii *Encyclicâ* ad Patriarchas Orientis, quam *Siſinnius* Patriarcha denuò hoc Seculo promulgavit, & quæ *ſecunda* eſt in ordine Photianarum Epiſtolarum, apud Baronium autem mutila & Latina tantùm, conſtant Græcorum αἰτιάματα ſeu de Latinis querimoniæ, quas auxêre ſcripta ſequentis Ævi, indè à Michaële Cerulario. Aliæ *Doctrinam*, aliæ *Ritus* & *Diſciplinam* concernunt. In Doctrinâ, perrexit Oriens damnare impietatis, cùm *additionem* ad Sacrum Symbolum factam, tùm dogma ipſum de Proceſſione Spiritûs S. *ex Patre Filioque.* Prolixè Photius in dictâ Epiſtolâ, *Sect.* VIII. IX. *& ſeq.* Uſque adeò ut hoc intuitu Pontificis nomen è Sacris Diptychis expunxerint, Sergio Patriarchâ, ſub finem Seculi, teſte apud Allatium Anonymo, *Lib.* II. C. VIII. N. II. Ac viciſſim Latini accuſarunt impietatis Græcos. Synodus Troſlejana, A. DCCCCIX. *Capit.* XIV. T. IX. *col.* 561. *Sanè quia innotuit nobis S. Sedes Apoſtolica* (ſic illi) *adhuc errores blaſphemiaſque cujuſdam vigere Photii*, *in partibus Orientis*, *in Spiritum S. quod non à Filio*, *niſi à Patre tantum procedat*, *blaſphemantis*, *hortamur veſtram* Fra-

Digitized by Google

Fraternitatem unà mecum, ut ſecundùm admonitionem Domini Romanæ Sedis, ſinguli noſtrum .... acutas proferamus ſagittas, ad confodiendam belluam Monſtri renaſcentis, & ad conterendum caput nequiſſimi ſerpentis. En odia adversùs Græcos, Sergio III. Romano Pontifice, & Nicolao Myſtico rursùm Conſtantinopoli Patriarchâ! Alieniſſimos etiam fuiſſe Græcos à doctrinâ de *unâ Romanâ Eccleſiâ* Catholicâ, Apoſtolicâ; de *Monarchiâ* Rom. Pontificis; de *Igne Purgatorio*; de *Tranſubſtantiatione*, &c. in confeſſo eſt. Ac de poſtremo hoc capite, ex ſententiâ Orientalium, fusè diximus Lemmate ſuperiore.

Et Diſciplinam, Ritus. In *Diſciplinâ* & *Ritibus* damnabat jam Encyclica Photii, τηλικαύτην βαρεῖαν τυραννίδα *intolerabilem* Papæ Rom. Tyrannidem; τὴν τῶν Σαββάτων νηστείαν, *Sabbatorum jejunium*, de quo antè; ἀναμυρισμὸν ſeu *iteratum Chriſma* per Epiſcopos, & ſeparationem τοῦ μύρου ſeu σφραγισμοῦ (nato hinc Sacramento Confirmationis) à S. Baptiſmo; Cœlibatum Sacerdotibus & Diaconis imperatum, etiam Divortium à ſuis uxoribus; μυρία τ' ἄλλα *ſexcenta* alia quæ traderent οἱ νέοι τῆς ἀποστασίας πρόδρομοι, οἱ θεράποντες τοῦ ἀντικειμένου, *novitii illi apoſtaſiæ præcurſores, Antichriſti adminiſtri.* Nec finis diſſenſionum fuit in externis Ritibus ac Ceremoniis, quas Papæ ſenſim invexiſſent, vocant καινοτομίας τῶν Λατίνων, & quarum alibi Catalogum dedimus, *Diſſertatione* de Orientalium à Latinis perpetuo diſſidio. Uno verbo, Græci illud πρῶτον ψεῦδος Romanæ Eccleſiæ deteſtati, Κανόνος καὶ Νόμου λύσιν ἔχειν τὸ παρὰ τοῦ Πάπα κελευόμενον, *habendum eſſe pro Canonibus, & Legis abrogatione, id quod jubetur à Papâ.* Adi ipſum Allatium de Perpet. Conſenſione *Lib.* II. Cotelerium in Eccleſiæ Græcæ Monumentis, *Tomo* II. & III. Goarem in Euchologio Græcorum paſſim, Joh. Morinum in Opere de Ordinationibus Sacris, & altero de Pœnitentiâ, ut taceam Richardum Simonium, *Hiſt. Criticâ* nuperâ de ſtatu Eccleſiæ Orient.

X. *Scriptores Eccleſiaſtici hac Ætate inſigniores.*

Rari Scriptores. I. Raras has aves in Eccleſiâ fuiſſe, tenebroſiſſimo Seculo, quo vix ulla ſubſidia, aut incitamenta, vel præmia literarum, jam obſervavimus ſuprà *Cap.* III. Ubi etiam anquiſitum de hujus infelicitatis ac ſterilitatis cauſis. Cæterùm non planè nulli, ſeu in *Oriente*, ſeu in *Occidente*, Scriptores extiterunt, ab aliis prolixè memorati.

Conſtantinus Porphyrogenn. II. In *Oriente*, poſt Leonem Sapientem, *Conſtantinus Porphyrogenitus* Imperator, neglectis ferè habenis Imperii, totus literis incubuit, ſcribendiſque Libris, quibus civilem Imperii Adminiſtrationem, Rem Militarem terrâ marique, Thematum diſtributionem per Regiones Provinciaſque Imperii ſingulas, ac Judiciorum modum, deſcriberet reſtitueretve. Inedita antè non pauca primus fecit publici juris Meurſius noſter, Bonaventuræ Vulcanii, Fed. Morellii, aliorumve Notis illuſtranda. Excerpta Hiſtorica Conſtantini Porphyrogeniti edidit Henr. Valeſius, & Notis ſimiliter illuſtravit. Cedrenus vel Curopalates de hoc Conſtantino, *Compendii Hiſtor.* L. II. hunc Principem non modò quæ perierant ſtudia inſtauraſſe propriâ diligentiâ, ſed & conquiſitis in quovis genere diſciplinarum τοῖς ἀρίστοις καὶ δοκίμοις, iiſque conſtitutis διδασκάλοις *doctoribus*, receptiſque σπουδαίοις *ſtudioſis*, hoc effeciſſe, ut *exigui temporis ſpatio* τὴν ἀλογίαν ἀπελάσας *barbarie profligatâ, Reſpublica denuò literis floruerit*, ἐπὶ τὸ λογικώτερον μετερρύθμισε τὸ πολίτευμα. Idem omnes uno ore Byzantini. Nec duraturâ tamen felicitate, poſtquàm alii ac diverſiſſimi Principes, aliaque tempora, ſucceſſerunt.

Theophyl. & Oecumenius. An hujus Ætatis? *Theophylactum* Achridæ in Bulgariâ Archiepiſcopum, diligentiſſimum in lectione Scripturarum, ſed & Chryſoſtomi, undè inſignes Commentarii, retulerunt ad hoc Seculum Viri graves, quidam etiam ad præcedens Nonum. Sed errores hac parte Poſſevini, Perronii, & ſequacium, ut & Illyrici, Mornæi, Gerardi, aliorum, ſubnotarunt Viri Docti, inter eos Baronius, Bellarminus, Labbeus, Oudinus, G. Cave, E. Du-Pin. Nec niſi inclinati Seculi XI. ſcriptor Theophylactus, tenaciſſimus ſententiæ Græcorum, in Capitibus cum Latinâ Eccleſiâ controverſis.

Oecumenii Auctoris Catenæ in Acta Apoſtol. & Commentariorum in Epiſtolas, Paulinas & Canonicas, Epitomatoris nempè *Chryſoſtomi*, ætas in obſcuro eſt. Tacent enim de eo Veteres Græci, aut Byzantini Hiſtorici. . Parumque intereſt, ſive ad hoc Seculum, ſive ad initia ſequentis, referas; teſtem luculentum contra παρερμηνείας Pontificiorum, pro ſuâ Juſtificatione per Opera, Purgatorio, Capitibus id genus.

Simeon Metaphr. De eo judicium. An hujus Ævi? *Simeon* vulgò *Metaphraſtes*, ad hanc Ætatem refertur à Joh. Bollando, Leone Allatio, Phil. Labbeo, Carolo du Freſne, nempè ad tempora Leonis Philoſophi, vel certè ejus filii Conſtantini Porphyrogenn. & Romani nepotis, adeoque ad Secul. X. inchoatum, vitâ productâ ad A. DCCCCLX. Anterior licet viſus Cæſari Baronio, puta circà A. 800. ut cujus meminerint *Michaël Pſellus* Senior, & *Theophanes*, qui vixit ſub Baſilio Macedone, & Leone ejus filio. Sed iſtum Michaëlem Pſellum *Juniorem* fuiſſe alii volunt, clarum A. MLX. & citari illi Theophani Symeon. hunc negant, ſed qui dictus *Theoph. Crameus.* Nec defuêre qui tempore Heraclii Imperat. circà A. DCXX. vixiſſe augurati ſunt, de quibus Leo Allat. *Diatribâ* p. 40. 41. Seriorem verò longè hunc ipſum Metaphraſtem alii contendunt, fabularum conſarcinatorem, & Legendarum patrem, ac Seculi XIII. vel XIV. quæ & Caſim. Oudini conjectura eſt, novâ *Diſſertatione* de Ætate & Scriptis Metaphraſtis, quam prælo deſtinavit. Alii etiam plures *Symeones Metaphraſtas* fuiſſe exiſtimarunt, hinc confundendos, ut fieri conſuevit, Juniorem Metaphraſtem cum Seniore, de quo vide Allatium repugnantem. Fabularum igitur quibus Legendæ, & Martyrologia ſcatent, ac commendant (poſt Michaëlem Pſellum, quales Pſelli plures fuêre) Lipomannus, Surius, Baronius, Gretſerus, Bollandus, Theophilus, Allatius, Labbeus, Combefiſius, Schola tota Societatis, vel auctor is, vel collector atque interpolator fuit. Hinc *Metaphraſtæ* illi nomen, quod nempè quæ de Sanctorum Vitis ab antiquioribus eſſent tradita, ſcriptave, is μεταφράσεως nomine cùm rebus ac fictionibus auxerit, tùm verborum quâdam pompâ, & luxuriante calamo, exornarit. Et hic ipſe aliis eſt idem qui *Simeon Magiſter* S. Palatii, & *Magnus Logotheta*, primæ in Aulâ Conſtantinopolitanâ dignitatis, de quâ Conſtantinus Porphyrogenn. Codinus, Gloſſatores Græco-Barbari. Sed invitis Doctioribus, qui non capiunt hominem negotiorum mole preſſum, diſtractum Aulicis, Civilibus, ac Militaribus curis, adhæc Uxoratum, vacare potuiſſe tot legendis, colligendis, ſcribendis & amplificandis Vitis, quales ſub ejus nomine pluſquàm ſexcentæ extant, in Bibliothecis paſſim repoſitæ. Præter Opera alia Symeoni tributa, referente Pſello in Encomio Metaphraſtæ. Igitur non modò ſuppoſita eſſe innumera, ſub nomine Metaphraſtis probarunt Viri Eruditi, ſed & *Metaphraſtem* recentiorem eſſe autumant, ſuperſtitioſiſſimum Græculum, ſi non *Monachum*, certè Monachali ingenio, ac planè Græco, id eſt, effusè mendaci, & nihil non propinare auſo nugarum fabellarumque. Du-

bium an *Ludi-Magiſter is* fuerit, ut Geſnero, Simlero, Hoſpiniano, aliiſque creditum; forſan ex Μαγίςρυ *Magiſtri* cognomento, quod ὑπερλαμπρᾶς τιμῆς axioma in Oriente fuit, non viliſſimi διδασκάλυ. Sic dubium, an verè ſit hujus Symeonis *Vita Theoctiſtes Lesbiæ*, à quâ ſcribendi fecerit initium, Pſello aſſerente, & in quâ Symeon *ætatem* ſuam ediſſerit, ſcil. ſub Conſtantino Porphyrogenito Leonis Sapientis filio; imò & *curarum* pondus quæ ſe à ſcribendo averterent; δυλείας *ſervitia* ſcil. publica in variis Reipublicæ negotiis; tum γυναῖκα ϗ τέκνα, *uxoris & filiorum moleſtiam*, tandem οἴκυ φροντίδας, *domeſticas curas*. Ut magnâ tamen is Symeon Metaphraſtes auctoritate fuerit non intercedimus, cujus ſcriptis tantùm detulit Oriens, & cui etiam Orationes plurimæ, in Rituali Græcorum & Menol. attribuuntur. Meritò autem alii, quos inter Caſaubonus, & noviſſimè Caſim. Oudinus, hunc ſcriptorem recentiorem faciunt; quo tempore in infinitum aucta Legendaria, & ſuperſtitioni immerſus Oriens æquè ac Occidens; & quo ferè alter nugarum propola Nicephorus Calliſti Hiſtoriam ſuam conſcripſit. De quibus poſteà. Hinc is νέος Θεόλογος ὁ ϗ Μεταφραςὴς καλύμενος, *junior* vel *novus Theologus*, apud Joſephum Methonenſem, in Apolog. pro Synodo Florentinâ, illius Actis ſubjunctâ, adversùs Marcum Epheſium, circà Ann. MCCCCXL. Sed alium hunc eſſe à Symeone, contrà Gretſerum, probat Leo Allatius, Diatribâ de *Symeon. Scriptis pag.* 72. Cæterùm de hujus Symeonis ſcriptionibus, cujus ſub nomine falsò *Vitas* ſeu Μαρτύρια penè *centum* Græcè circumferri, Leo Allatius agnovit, videndus hic in Diatriba eâdem *pag.* 119. ſed oculo ſagaci & ἀκαδημαϊκῷ. Cui adjunxit *Michael. Pſelli* (nec jam Senioris, qui ſub Leone Philoſopho, ſed Junioris, qui ſub Conſtant. Ducâ, & Michaële ejus filio, inclaruit, poſt A. MLX.) *Encomium* in Metaphraſtem, & *Officium* in ejuſdem Metaphraſtis Commemoratione. Græcus Græcum effert, ac *Pſellorum* nomine fuerunt benè multi in Oriente, vel apud Leonem eundem *de Pſellis*, ipſo exeunte Seculo XII. quando hic *Pſellus* ſcripſiſſe potuit Encomium Metaphraſtis, τῦ σοφωτάτυ Ψέλλυ Ἐγκώμιον εἰς τὸν Μεταφράςην, Κύριον Συμεῶνα.

Said vel Eutychius Batricides.

Certiori fide hæc ſibi Ætas vendicat *Saidum* Filium Batrik, ſeu Batricidem, qui & Græcis *Eutychius*, & Latinis *Felix*, vel *Fortunatus* Patricides, quia id ipſum Arabibus ſonat vox سعيد *Said*. Scripta hujus Medica, Theologica, Hiſtorica Seldenus, & Pocockius, recenſuerunt. Patriarcha is Alexandrinus fuit familiæ Orthodoxæ, Jacobitis oppoſitæ, indè ab Anno Hegiræ CCCXXI. id eſt, Chriſti DCCCCXXXIII. mortuus *octavo* poſt anno, Ottone Magno in Germaniâ imperante, Conſtantino Porphyrogenito in Oriente. Ac diu hujus ſcripta Arabica latuerunt, cumprimis opus *Chronologicum* & *Hiſtoricum*, indè ab Orbe Cond. ad ſua tempora, id eſt, annum Chriſti DCCCCXXXVII. factum tandem publici juris curâ Joh. Seldeni, & interpretatione Edw. Pocockii: Indè excerptæ *Origines Alexandrinæ*, ſeu Periocha de Marco Euangeliſta, & Eccleſiæ illius primordiis, cum Præfatione & Notis Joh. Seldeni;

Echellenſis notat. De nomine Papæ digreſſiuncula.

edituro & Abrahamo Echellenſi, A. 1661. cum prolixis caſtigationibus ad Seldenum, ſed Româ ſcriptis, ad nutum dominantis, & unicè ſervituris τῇ ὑποθέσῃ, de *Primatu Papæ*. Quâ occaſione Echellenſis fusè de nomine *Papa*, quod Eutychio notet *avum*, quaſi *patrem patrum*, Arab. بابا *ba-ba*, ſeu אב־אב ابا ب, deſignando ità *Patriarcha* Alexandrino, qui Pater Patrum ſeu Epiſcoporum ſit. Sed veriùs ea notio primitùs *Patrem* ſimpliciter dixit, grandævum eum & venerabilem, ابا *patrem* appellavit, אבא Syris, unde ἀββᾶς pater Cœnobii, hinc πάππας, πάπας, familiari permutatione literarum, Latinis *Papa*. Epiſcoporum quondam nomen, qui inſtar *Patrum*, ſæpè apud Cyprianum, & deinceps; uti Senatores olim *Patres*, ſed & Præſides, Præfecti Militares, ut ὁ πάπας Κεἰατ@ ſub Heraclio, apud Nicephorum, in *Brev. Hiſtorico*. Sed poſteà, honoris ergò reſtrictum nomen ad principum Sedium Epiſcopos, ut *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Primates* Nationum; tandem ad unum *Romanum*, *Papam* olim Senioris Romæ, dein ſenſu Latinorum totius Orbis. Et huic primò uſu & conſuetudine, indè à Seculo VI. & à tempore Ennodii, Caſſiodori, proprium cœpit eſſe nomen, tandem etiam lege, in Synodo Rom. ſub Gregorio VII. faſſis Sirmondo ad Ennodium, Rigaltio ad Cyprianum, aliis.

Porrò Annales Eutychiani, ut nonnulla ex ingenio Syrorum & Arabum tradunt, ad ſuperſtitionem quandoque credulo, ità plurima habent ſingularia, intacta Græcis & Latinis Scriptoribus; V. gr. quæ is de primis indè ab Adamo Patriarchis, *Setho*, *Enocho*, *Cainano*, *Muhalede*, &c. *De Melchizedeco* obviam facto Abrahamo; ſic de rebus Sabiorum, Arabum, Ægyptiorum; de ſucceſſione Patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymis; de Hæreſibus Manichæâ, Neſtorianâ, Jacobiticâ, Maroniticâ; de rebus Muhammedanorum, Saracenorum, Turcarum, &c. Fallit Chronologia Eutychii, quandoque *exceſſu* annorum peccans, juxtà Græcos, quandoque *defectu*, v. gr. dùm à Chriſto ad Diocletianum putat annos CCLXXVI. qui omninò putandi CCLXXXIV. Nempè uſus Ærâ Græcorum Hiſtoricâ, quâ & G. Syncellus, & Theophanes, quæ facit Æram Natalis Chriſti poſteriorem Dionyſianâ totis annis VIII. Quâ de re diximus in Chronologiâ S. *Parte* II. Cap. II. — De Annalibus judicium.

Fuit & hujus Seculi *Nicon Armenius*, Ponto Polemoniaco oriundus, cui, anteà Archimandritæ, tribuunt Apoſtolatum ad Gentes, viſiones, miracula, ultrà medium hoc Secul. Hinc *Sanctorum* ordini inſerendus, in Menolog. Græcorum, & in Martyrologio Romano. Sirmondus Niconis res geſtas è Græco Ms. in Latinum primus convertit. Fabulis adſperſa pagina, odio *Armeniorum*, de quorum *Peſſimâ Religione* Librum conſcripſit, ſæpè recuſum, & Bibliothecæ Patrum inſertum, excerpente multa Baronio, ad Annum DCCCLXIII. *Armenii* enim Græcis pariter & Latinis inviſi, non modò ut Monophyſitæ, vel Apollinariſtæ; ſed etiam ob odium Iconoduliæ omnis, ob uſum Azymorum, (quanquàm *aliâ ratione quàm Latini*, faſſo Baronio) ac Liturgiæ ſpeciales ritus, ob ordinationem proprii Catholici, ob averſationem Romani Pontificis, (ità ſaltem plerique) ob Jejuniorum rationem diverſam, & ſi quæ id genus alia. — Nicon Armenius.

In *Occidente* cumprimis celebres hoc Ævo quidam *Hiſtorici*, obſcuriores *Monachi* plures, qui nil niſi Legendas & Fabulas tranſmiſerunt ad poſteros; apud Sigebertum, Trithemium, Balæum, Poſſevinum, Surium, Bellarminum, Bollandum, Miræum, Labbeum, Voſſium, Mabillonum, Oudinum, G. Cave, El. Du-Pin, &c. — Scriptorum in Occid. genus duplex.

Hiſtoricos quod attinet, de his eruditè præ cæteris Voſſius, Hankius, & nuper in Supplemento ſuo Oudinus ad hoc Seculum, quod multis modis auxit & emendavit; ac paſſim eorum Editores, ad quos Lectorem dirigimus.

Regino Prumienſis Abbas, in Diœceſi Trevirenſi, dein pulſus præfecturâ ſimplex Monachus, ſub initia hujus Seculi, in eo otio elaboravit *Chronica*, à Nato Chriſto, ad A. DCCCCVIII. Quibus ſupplementum acceſſit, à recentiore quodam Scriptore. Tùm & Librum de *Eccleſiaſticis Diſciplinis*, *& de Religione Chriſtianâ*, hortante Rathbodo Archiepiſc. Trevirenſi; quem egregiis Notis illuſtravit diligentiſſi- — De Reginone. Ex eo quædam.

tiſſimus Baluzius, & in quibus plurima quæ ad horum temporum ſuperſtitioſos Ritus, diſcrepantiam ab hodiernis, modum Inquiſitionis Epiſcopal. loca Sepulturæ, ac Diſciplin. omnem Clericalem, ſpectant. Ibi etiam fusè explicata, quid *Exedra* in quâ ſepeliri poterant mortui; quid *Talamaſca*, ſeu larvæ, unde Gallorum *maſque*; quid *Armiſcura*, ſeu gravior mulcta à Principe pro *arbitrio* impoſita; quid *Cotta* ſive *Cottus*, veſtis Laicorum quæ Caputio carebat; quid *rewadiare*, ſeu dare wadium, vel pignus, vadimonium, ab iis qui ad bannum damnati; quid *Libri retiati*, ſeu compacti, religati, qui in dorſo religantur ad nervos ex quibus fiunt retia; quid *Precaria*, *Præſtarix*, ſeu charta quâ rem *precariò* acceptam, vel ab Eccleſiæ rectore *præſtitam*, ſeu ad tempus traditam, hinc Gallorum *preſtée*, teſtabantur, &c.

De Radulpho Flaviacenſi. An hujus Seculi? Rei momentum. *Radulphus* ſeu *Rathulphus* Flaviacenſis vel Flaicenſis Monachus, in Diœceſi Bellovacenſi, ſcriptor ut Commentariorum in Leviticum, in Paulum, ſic Hiſtoriæ Francorum, & brevioris Chronici, ab aliis poſteà continuati. Ad hoc Seculum x. referunt Trithemius, Nicol. de Clemangiis, Onuphrius, Genebrardus, Sixtus Sen. Poſſevinus, Bellarminus, Miræus, Gualterius, Gerh. J. Voſſius, & alii. Secùs viſum, ex unius Alberici Trium Fontium Monachi Chronico Ms. Davidi Blondello, Phil. Labbeo, cæteriſque *Johannæ Papiſſæ* profligatoribus. Si enim Radulphus hujus Ævi eſt, idemque *Johannæ* & Papatum & puerperium memoravit, concidit Blondelliana hypotheſis: Nempè antè *Marianum Scotum* Seculi xi. ſcriptorem, dein *Sigebertum*, *Martinum Polonum*, ac longam ſcriptorum ſeriem, tradidiſſe de Johannâ neminem. An Anaſtaſius Bibliothecarius meminerit, cujus corruptiſſimi Codices, aliàs dictum. Certè Mss. Codicibus perpaucis, Monachorum manu, aut cæterum Romæ ſervientium (v. gr. Chronicorum *Sigeberti*, aut *Mart. Poloni*) in quibus Johanna nulla legitur, non debetur ea fides, quæ ingenti aliorum Codicum, & Teſtium, nubi. Sed de Radulpho, & Papâ Fœminâ, ex profeſſo nos alibi.

Ratherius. *Ratherius* Monachus Laubienſis, *Laubach*, *Lobach*, Leodienſis tum Diœceſeôs, dein Veronenſis Epiſcopus, & Leodienſis quoque, Vir ſuo Seculo Doctiſſimus, ſed *& miræ ſimplicitatis* apud Sigebertum, pluribus ſcriptis inclaruit. Ejus cùm alia memorantur apud D'Acherium in Spicilegio, T. ii. & xii. & apud Mabillonum, Seculo v. Benedictino, tùm Epiſtola *de Corpore & Sanguine Domini*. Quam materiam & Leobienſes Abbates hujus Seculi, *Folcuinus* & *Herigerus*, attigerunt, ſentientes à Paſchaſio diverſum; undè poſtremus *multa Catholicorum Patrum ſcripta congeſſit de Corpore & Sanguine Domini, contrà Paſchaſium Ratbertum*. Vide ſuprà hoc ipſo Seculo, *Capite* vii. Undè conſtat, Paſchaſii ſententiam, tanquàm novam & difficultatibus implicitam, mox excitaſſe & ſuperiori & hac ipsâ Ætate Viros graves, in ipsâ etiam Galliâ, qui ejus errores perſtringerent.

Flodoardus. *Flodoardus*, aliis *Frodoardus*, Canonicus Rhemenſis & Presbyter, aliis etiam Monachus Ordin. Benedictini, hoc Sec. ſcriptione *Chronici* ab exceſſu Caroli Calvi, & Hiſtoriæ Antiſtitum *Rhemenſis* Eccleſiæ, ad mediam hanc Ætatem, inclaruit. De quo Pithœi, Sirmondi, Miræi, Ducheſnii, Voſſii noſtri, aliorumque judicia ſunt. Multa ex iis Baronius in Annales ſuos tranſtulit, *Tomo* x. cumprimis de rebus *Hincmari* Rhemenſis, de quibus nos ad Seculum prius. Sigeberto dicitur *Flavaldus*.

Wittichindus. *Wittichindus*, *Wenduchendus*, *Wendichinus*, variè enim effertur nomen, Corbeienſis in Weſtfaliâ Monachus, ad Viſurgim fluv. ubi etiam Scholæ Monachorum præfuit, produxit vitam ad tempora Ottonis II. Hic de *Saxonum* rebus ad Mathildem Reginam, filiam Ottonis I. ex Adelheide ſecundâ conjuge, Aviæ cognominem; de geſtis *Ottonis Magni* Imperatoris; aliaque hiſtorici argumenti, inter quæ *Chronicon* Monaſterii Corbeienſis, *fideliter ſcripſiſſe*, pro ratione & ſuperſtitione temporum, Voſſio noſtro dicitur. Cæterum ejus Hiſtoriam iii. Annalium Libris comprehenſam, Notis adjectis, edidit primus Henr. Meibomius Senior, recenſuit H. Meibomius Junior, Helmſtadii A. mdclxxxviii.

Luitprandus ſeu *Luitbrandus* Cremonenſis Epiſcopus ex Diacono Ticinenſi, uti geminâ *legatione* in Orientem, ad Conſtantinum Porphyrogenn. & ad Nicephorum Phocam, ità ſex *Hiſtoriarum* Libris inclaruit. **Luitbrandus.** Nec enim ejus eſſe Librum *de Romanis Pontificibus*, ſed Germani cujuſpiam Monachi, & recentioris, ſumma doctiorum conſenſio eſt, in utroque ordine Pontificio & Reformato. Num verò Luitprandi ſint quæ *de Rebus Ottonis Auguſti* inde à *Cap.* vi. *Libri* vi. ſub judice lis eſt, repugnante Baronio ad A. dcccclxiii. *Num.* iii. Cujus *veriorem eſſe opinionem* pronunciavit Voſſius, *Lib.* ii. C. xl. Sed ſuſpectum Baronii judicium eſt, infenſi in Luitprandum, quod de Ottone Magno, & depoſitione Johannis XII. ac Leonis VIII. ſubſtitutione, ſecùs ac vellet Cardinalis, hiſtoricâ fide tradiderit. Quo de argumento nuper dictum prolixè, Capite v. hoc Seculo.

Aimoinus vel *Aimonius* Floriacenſis Cœnobii ad Ligerim, Aurelianenſis Diœceſeôs, (diverſus ab Aimoino Monacho S. Germani Pariſienſis, Seculo ix.) Monachus Benedictinus, laudatiſſimus eſt *Hiſtoriæ Francorum* ſcriptor, *Libris* iv. ad Abbonem Abbatem Floriac. perductæ ad Clodovæi II. tempora, medio Seculo vii. **Aimoinus.** Nam qui Liber v. inſcribitur, Aimoini nomine, veriùs eſt Continuatoris, ſeu Interpolatoris Monachi. Retulit Voſſius noſter ad tempora Ludovici Pii & Lotharii, ac plerique referunt ad Sec. ix. ut ſuprà *col.* 1409. Sed ex Abbone, cui opus inſcripſit, aliiſque documentis conſtat, extremo Seculo x. ſcripſiſſe Hiſtoriam, denatus A. mxvi. apud Blondellum Geneal. Franc. T. i. lvi. Baronius in Aimoinum iniquior eſt, ſeu potiùs in Continuatorem, quod ſcripſerit *Libro* v. C. xxviii. *in octavâ Synodo de Imaginibus adorandis, aliter quàm Orthodoxi Doctores ante definiverant, ſtatutum* fuiſſe, *pro favore Romani Pontificis, contrà Canones.* Undè Annal. ſcriptor ad Annum dccclxix. N. lxvi. *Ex quibus planè qualis ipſe fuerit, cujuſve dogmatis, manifeſtatur: Nempè ex Gallis illis unus qui negabant Cultum Sanctarum Imaginum, de quibus & Anaſtaſius.* Hinc nullam non occaſionem perſtringendi Aimoinum intermiſit Purpuratus. Cæterùm & hic Aimoinus, & ante eum Flodoardus, Hincmarus, ſcripsêre de Ampullâ Rhemenſi, nempè quum Chriſma deficeret, *Spiritum* S. *in Columbæ ſpecie viſibili, rutilanti roſtro, ſanctum detuliſſe Chriſma, & depoſuiſſe inter manus Sacerdotis.* Nec unum hoc credulitatis Aimoini, ſuperſtitioniſque, documentum eſt, utpotè qui *S. Benedicti Miracula*, ii. Libris deſcripſit.

Abbo. *Abo* vel *Abbo*, Floriacenſis Abbas, Auctor Collectionis Canonum Capitulis lii. quos edidit Joh. Mabillonus, Analectorum P. ii. ſub Hugone Capeto & Roberto ejus filio; alia multa ſcripſiſſe fertur. Inter quæ, Epitome de vitis Pontificum, ex Anaſtaſio; Commentarius in Canonem Paſchalem Victorii, ubi multa de Computo, Cyclis Solis & Lunæ, &c. Apologeticum pro immunitate Monaſterii Floriacenſis, & alia quæ recenſet in *Notis* ſuis Mabillonus. In itinere ad Guaſcones, orto inter comites ſuos, & Monachos qui in Guaſconiâ, tumultu, lanceâ transfixus eſt, hinc Martyribus adſcriptus A. miv. Videtur Abo multorum odia & obtrectatio-

Digitized by Google

tiones incurriſſe, quod Monachorum, ſed & Præſulum, ac Sacerdotum mores reformare, juxtà Canones priorum Conciliorum, in *Collectione* ſuâ intenderit, idemque Monaſtici Ordinis magnus defenſor extiterit: Undè illa in *Præfat.* Canonum; *Ad defenſionem quoque Monaſtici Ordinis, plura congeſſi, quia Monachorum Senatum ſemper ſalvum eſſe & volo, & volui.*

Plures alii indicati.

Mittimus *Attonem* hujus nominis II. Aldegarii filium, Vercellenſem Epiſcopum; cujus Canones, & Statuta ad Eccleſiæ Diſciplinam, aliàs *Capitulare* dictum, circà medium Seculum x. erutum ex Conciliis & Decretalibus, ac alia eò pertinentia, cum variis *Epiſtolis*, edidit Lucas d'Acherius *Spicilegii* T. VIII. N. I. 2. Inſcribit ſe perpetuò, *Dei gratiâ humilem Epiſcopum*; non certè *Apoſtolicæ Sedis gratiâ*. Mittimus pariter *Herigerum* Lobienſem vel Laubienſem Abbatem, de Epiſcopis Leodienſibus Commentarium ſive Hiſtoriam; præter Opus quod inſcripſit *de Corpore & Sanguine Domini*, contrà ſententiam Paſchaſii, de quo prolixè ſuprà C. VII. N. III. hoc Sec. Sic & *Helpericum* S. Galli Monachum, de Computo Eccleſiaſtico: Ità quoque *Roswitham* ſeu *Roſweidim*, Virginem Monialem, Gandersheimenſis in Saxoniâ Cœnobii, cujus extat inter alia Panegyricus de Geſtis Ottonis I. Heroïco carmine, editus cum Notis ab Henr. Meibomio; quæ & doctrinæ laude inter Sanctimoniales celebrata eſt. Adde paucos alios, memoratos paſſim ſuprà, noſtroque Gerh. J. Voſſio, de Hiſtoricis Latinis *Lib.* II.

Legendarum Scriptores, & quo fine.

Legendarum verò, Tranſlationum, Viſionum, Miraculorum, ſcriptores lòngo ordine apparent hoc Seculo; Monachis obſtetricantibus, ut ſui Ordines, Abbates, hæ & illæ Reliquiæ, commendarentur, & opima indè ſpolia reportarent. In Græcis commendat Baronius ad A. DCCCCXX. *Aretam Cæſarienſem*, cujus extat *Tranſlatio Euthymii Patr.* Conſtantinopolitani, inter Legendas Metaphraſtis, apud Aloyſium Lipomannum, *Tomo* III. Cui Euthymio favit Roma, odio Nicolai Myſtici, pulſi primùm à Leone Sapiente, dein reſtituti ab Alexandro Baſilii Maced. Filio, quando Euthymius, qui cum Latinis conſpirarat, in exilium ire juſſus eſt. Vitas, Paſſiones, Tranſlationes, Miracula, qualia *S. Lamberti*, *S. Sebaſtiani* Mart. *S. Gregorii M.* Papæ, *Sanctæ Hunegundis*, *S. Odonis* Abbatis Cluniacenſis, S. *Wilfridi* Eboracenſis, S. *Waldeberti*, S. *Berchariî*, S. *Baſoli*, S. *Uldarici* Auguſtani, Sanctæ *Glodeſindis*. S. *Willibaldi*, Sanctæ *Wiboradæ*, S. *Adalberti*, S. *Urſmari*, S. *Maximini*, S. *Theclæ* auctore Wittichindo, S. *Germani* Pariſienſis Epiſcopi, auctore Aimoino ejus loci Monacho, ſic S. *Georgii* Monachi, S. *Aurelii*, S. *Nataliæ*, &c. ſcripſiſſe feruntur hoc Ævo, ex Cœnobiis tandem eruendi, Monachi & Abbates, variis obſcuris plerique vel dubiis nominibus, quorum ſeriem videſis nuper, ordine Chronologico, apud Mabillonum in *Seculis Benedict.* apud auctorem *Monaſtici* Anglicani, ne dicam Phil. Labbeum, vel Caſimirum Oudinum in *Supplemento* ad Bellarminum, ab A. DCCCC. vel Guil. Cave Virum Clariſſ. in *Hiſt. Literariâ.* Conſule & Balæum in Centuriis, *Cent.* II. Baronium *Notis* ad Martyrologium Rom. Bollandum in *Actis Sanctorum*, imprimis Gerh. J. Voſſium de Hiſtor. Lat. *Libro* II. à *Capite* XXXIX. XL.

XI. *Memorabilia quædam alia hujus Ætatis, partim Apocrypha & commentitia, partim Hiſtorica. Mutationes inſigniores in Republicâ, tam in Occidente, quàm in Oriente.*

Portenta hujus Ævi; ſed & Fabulæ Monachales. Baron. notat.

I. Vix ulla Ætas eſt, in quâ tot ſeſe offerant, ſi fides ſcriptoribus, uti in Republicâ & in Eccleſiâ, ex ſuperiori narratione, ſic etiam in Naturâ ipsâ *prodigia*, & *admiranda*. Hujuſmodi fuêre, ex. gr. inſignes Terræmotus, graves Inundationes, Montes ignivomi, Fontes ſanguiniflui, fœda Monſtra, Species terrificæ, Imbres portentoſi, Ominoſa frigora, Vaticinia ſtupenda, & quæ ejus ſunt generis infinita. Ac prolixi ſunt in his colligendis Magdeburgenſes, *Cent.* x. Wolfius in Memorabilibus, *Centenario* x. Conr. Lycoſthenes de *Prodigiis*, aut J. Henr. Hottingerus, ad hoc Seculum, neque ea jam ſunt noſtri inſtituti. Fabellas verò Monachales, Pſeudo-Miracula, fictas Apparitiones Animarum, ſtridores ex Purgatorio auditos, Revelationes cœlitùs factas, Imagines vel ſtatuas loquentes, ſexcenta ejus farinæ, ex lutulentis fontibus, & nugaciſſimis Legendis, qui volet ex uno *Baronio* repetat, ubique hauriente quàm avidiſſimè talia, ac propinante incautis Lectoribus, *Tomo* x. Tale eſt quod Flodoardus refert accidiſſe in Pago Pariſiaco, villâ dictâ Geſidis vel Jeſedis, & Baronius exaggerat ad A. DCCCCXXII. N. III. de crebris Miraculis quæ facta in dictâ Eccleſiâ, *ex quo Reliquiæ de Barbâ Apoſtoli Petri illuc ſunt relatæ: Ità ut inter Cæcos, vel Claudos, vel Contractos, ampliùs quàm* CLXX. *ſanitate donati referantur; Dæmoniaci verò quotquot illuc abierant, ſano ſenſu pulſis Dæmonibus redierint. Præter alia innumerabilia quæ ibi ſunt acta.* Et ita (addit Purpuratus) *Deus Petri nomen fecit tunc eſſe celebrius atque potentius, dum ejus Barbæ pilos, qui ſunt excrementa corporis, tantâ voluit præſtare virtute*; (cur verò iſtud tantâ exaggerat.) *cùm illud magis infamaretur, ab ejus Sedis invaſore Johanne, Decimo* nempe, de quo ſuprà dictum. Mirare ſimul & ride Baronii obſervationem. Atque ut mittam ſuffragantes in Romanâ Eccleſiâ benè multos, de Miraculorum id genus vanitate, unus eſto, omnium inſtar, Stephanus Baluzius, noviſſimis Notis ad Agobardum, *de Privileg. Sacerdotii*, *Cap.* III. p. 56. 57. 58. &c. *Itaque quod ex eo quidam in nomine Domini Corporum infirmitates curaverint, ac Miraculis inclaruerint, non ſtatim ſequitur viros eſſe ſanctos. Miracula non ſunt ſigna certiſſima Sanctæ vitæ.* Nam *ſi miracula attendimus, narrat Herodotus Lib.* I. *Crœſum in ignem conjectum eſſe juſſu Cyri*, &c. *Sed ſubitò erumpentem imbrem extinxiſſe rogum.* Multa iſtiuſmodi narrat ex *Tacito*, *Spartiano*, *Flav. Vopiſco*, *Livio*, *Dion. Halicarnaſſeo*, *Plutarcho*, &c. Dein ex *Tertulliano*, *Auguſtino*, *Sulpicio Severo*, *Gregorio Papâ*, *Carolo* M. in Capitulari de Imaginibus, &c. quem ibi vide. Idem, *Notis* in Vitam Maximini, Lupo Abbati tributam, ad eundem Lupum, p. 481. *Ergò jam tum conſtabat Sanctorum Acta multis ac prodigioſis fabulis eſſe conſpurcata, ſemperque in hoc Orbe fuiſſe nonnullos, quibus nihil placere poteſt, abſque portentis fabularum. . . . Quapropter maximam laudem mereri mihi videntur ii, qui germana Sanctorum Acta edunt, nullis fabularum deliriis commaculata.* Et quæ ibi plura Vir Doctiſſimus. Redi etiam ad anteriora noſtra hoc Seculo, Lemmate IV.

Fraudes & impoſturæ Monach.

II. Nimis quàm veræ tamen ſunt, minimè ſuppoſitæ, apertiſſimæ fraudes atque impoſturæ Cucullatæ Gentis, quibus v. gr. inſtituta ſua Monachalia,

Jura

Digitized by Google

Jura ſua contrà Canonicos, *Abbatias* ſuas recens fundatas, *Præſentiam* corporalem nuper aſſertam, *Reliquias* apud ſe depoſitas, obſequium *Papæ* & *Clero* debitum ab ipſis etiam Regibus, confictis nempè *Miraculis*, ſolitâ fraude Monachorum, adſerent ac vindicarent, illis ignorantiæ temporibus. Specimina jam antè data, Capite IV. hujus Seculi. Quibus & illud accedat, ex relatu Glabri Rudolphi, cætera uſurpationibus Romanorum Pontificum infeſti, *Lib.* I. *Hiſtor.* C. IV. de Ottone III. Imperatore, Romæ tum verſato. Quum nempè diſſolutos in Urbe Monachos ab Eccleſiâ Paulinâ removere, & Canonicos in eorum locum ſubſtituere decreviſſet, apparuit illi noctu B. Paulus, his vocibus avertens Imperatorem ab inſtituto: *Si verè zelus divinæ ſervitutis optimi operis te adurit, vide ne hujus propoſiti inſtitutum præſumas in Monachis expellendis. Nec enim omninò expedit, cujuſque Eccleſiaſtici ordinis, quamvis ex parte depravati, proprium unquàm abjici ſeu immutari propoſitum. In eo namque unuſquiſque judicandus eſt Ordine, in quo ſe primitùs Deo vovit ſervire.* En Pauli doctrinam & ingenium ſcilicet, cui morem protinùs geſſurus fuit bonus Imperator! Eò verò faciliùs impoſuêre his temporibus, quod craſſa ubique ignorantia regnaret, cujus argumento eſt, inter alia innumera, quod Chriſt. Ditmarus memorans Eclipſim Solis, Ann. DCCCCLXXXIX. XII. Kal. Nov. neceſſe judicaret *cunctis perſuadere Chriſticolis, ut veraciter crederent, hoc non fieri aliquâ* NB. *malarum incantatione mulierum, vel eſu; vel huic aliquo modo ſeculariter adjuvari poſſe.*

Tranſlatio Imp. Germ. ad Saxones. Duces, Marchiones, &c. deinceps hæreditarii.

III. In *Civili* Hiſtoriâ rerum in Occidente memorabilium, obſervantur *Tranſlationes* Imperiorum hoc Ævo factæ è Gente vel Stirpe unâ in aliam. Ità Imperium *Germanicum*, (quanquàm tum nonniſi imago Imperii, ne nomine quidem *Cæſareo* affectato antè Ottonem I.) Carolinâ ſtirpe in Ludovico IV. deficiente tranſlatum fuit à Francis ad Saxones, A. DCCCCXIII. juxtà Friſingenſem, Godfridum Viterb. & Urſpergenſem Abbatem. *Conrado* ſcilicet I. Franconiæ Duce, ſuffragio Ottonis Saxonis Imperium detrectantis, hinc *Henrico* Saxone Ottonis filio, cui cognomen (quod plurimùm induliſſet Aucupiis) *Aucupis*, à quo fuerunt *lege ſucceſſionis Ottones*, Regni Imperiique Germanici habenas moderaturis. In quibus exaltandis nullæ Pontificis Romani partes intervenerunt. Sed Otto Magnus in his primus *Cæſareum* titulum ſeu Imperatorium nomen prætulit, quia primus ex Germanis Imperatoribus regnum *Italiæ*, & Urbis *Romæ* Imperium, diu à Germaniæ regno diviſum, cum iſto conjunxit; Priores duo quamquàm acceptis Imperii inſignibus, ac juribus, *Regio* ferè nomine, qualiter Francorum Reges, contenti. Auctum verò *Ottonem* fuiſſe *Occidentalis Orbis Imperio*, beneficio Romani Pontificis, nugatur Baronius ad A. DCCCCLXII. N. IX. quâ de re jam ſuprà, *Cap.* V. *Num.* V. &c. Imò *Papæ* fuêre beneficio Imperatorum tales, ad tempora uſque Hildebrandina, quod jam in ſuperioribus oſtenſum.

Alia & mutatio in Germanico Imperio obſervanda: Quâ nempè, *Duces*, *Comites*, *Marchiones*, antè Magiſtratuum & Officiorum nomina, evaſerunt ſub Henrico Aucupe, proprio jure & hæreditario, poſſeſſores ſuorum Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum: Quâ de re Lehmannus, & Juris publici Scriptores: Ità tamen ut Beneficii nomine, quæ *Feuda* vel *Feoda* poſteà dixêre, poſſiderent.

Tranſlatio Regni Francor. ad Hugonem Capet.

IV. Tranſlatio altera fuit Coronæ *Francicæ* à familiâ Carolovingiorum (excluſo *Carolo* Lotharingiæ Duce, fratre Lotharii Regis, Francis inviſo non uno nomine) ad *Hugonem* cognomento *Capetum*, quod Capite valeret, Anno DCCCCLXXXVII. tertiæ Francorum Dynaſtiæ ſeu tertii Stemmatis Caput. Sive jam Teſtamento vel ultimâ voluntate Ludovici V. ut Chronicon Odoranni Monachi, cujus verba deſcribit Papirius in Annalibus, *Lib.* III. p. 196. *Anno* DCCCCLXXXVII. *obiit Ludovicus rex juvenis, qui nihil fecit; donato regno Hugoni Duci, qui eodem Anno Rex factus eſt à Francis, & eodem An. Robertus, Regum piiſſimus, Rex ordinatus eſt*, faciente Hugonis patre: Sive, ut alii, liberâ Francorum Procerum electione; quum eſſet Princeps pacis bellique artibus inſtructiſſimus, ac Francorum Ducum tum potentiſſimus, ſanguine regio, regiis affinitatibus, rebuſque præclare geſtis. Num verò Hugo *Carolinæ* ſtirpis fuerit quoad maternum genus, quod ex Wilhelmi Nangii (S. Dionyſii Monachi) Chronico; an *Saxonicæ* veriùs juxta Glabrum Rodulphum, matre *Hauvide*, ſorore Ottonis I. Imperat. filiâ Henrici Aucupis, litigant rerum Francicarum ſcriptores. Paterno genere ortum fuiſſe à *Roberto Magno*, ſeu *Roberto Forti*, Francorum Duce ſub Carolo Calvo, cui Roberto uxor fuit *Adelhais*, poſt Conradi Mariti prioris fata, magna Francicorum Annalium conſenſio eſt. Sed hæc rurſùm *Adelhais*, ſurculus *Carolinæ* ſtirpis, an Ludovico Pio & Ermengarde nata, Lotharii majoris *ſoror*; an verò Hugone Abbate, filio Caroli M. Lotharii ſic *conſobrina*, ut Chifletius Vindiciarum Hiſpanicarum auctor, prolixè diſquirit Blondellus, Genealog. Francicæ *Tomo* II. Pater illi fuerat *Hugo* Magnus, Dux Francorum, ſub cujus tutelâ fuerat aliquando Ludovicus *Tranſmarinus* cognominatus, quia ex Angliâ trans mare ad regnum evocatus. Defierat autem *Carolinorum* vel *Carolovingiorum* familia in Ludovico V. Rege Carolinæ ſtirpis ultimo, *Ignavo* Francis dicto, juvene annorum XX. poſt *anni* unius & menſium aliquot regnum, à morte ſcil. Lotharii patris, à quo aſſumptus fuerat in ſocietatem regni: Infeſtâ & Marito, & Filio Ludovico, *Emmâ* matre, Adelhaidis Auguſtæ filiâ, hinc à Ludovico in cuſtodiam traditâ. Adeò ut vel à Matre, vel à Conjuge ſuâ *Blancâ*, Aquitaniæ cujuſdam Primatis filiâ, à marito averſiſſimâ, veneno ſublatus credatur, Anno Dom. DCCCCLXXXVII. Regnavit ea ſtirps Carolina Annis CCXXXVI. indè à Carolo I. Francorum Rege, ad hunc Ludovicum. Cæterùm quod in nominibus & terminis Imperiorum fatalibus obſervatum eſt, ut in Perſarum *Dariis*, in *Philippis* Macedonum, in Romanorum *Romulis* & *Auguſtis*, in Græcorum *Conſtantinis*, in Latinorum *Balduinis*, in Siculorum *Rogeriis* & *Ferdinandis*, id genus aliis, idem in *Ludovicis* Carolinæ ſtirpis notandum: Quæ tribus ſuis ramis in hoc nomine deſiit; *Italicum* regnum in Ludovico II. ſine virili prole extincto, *Germanicum* in Ludovico III. Arnulphi filio, & *Francicum* in hoc Ludovico, *Ignavo* dicto.

Dignitas Electoralis an inſtituta hoc Ævo?

V. Magis ad inſtitutum noſtrum facit, Tranſlatio *Imperii ad Germanos*, decreto ſcilicet Romani Pontificis, ſeu origo *Electoralis* in Germaniâ Dignitatis, quam ad hoc Seculum, facto nempè *Gregorii* V. Pontificis, natione Germani A. DCCCCXCVI. imperante Ottone III. Gnathones ferè omnes referunt. Ac fusè hac de re Baronius ad eum *Annum*, fuſiùs Bellarminus opere de Tranſlatione Imperii, *Libro* III. Bzovius de Romano Pontifice, *Cap.* XLIII. Binius ad Concilium Roman. habitum ſcilicet tempore Gregorii V. & alii. In eo tamen Baronius à Bellarmino diſcedit, antequàm hic *recognoſceret* ſua, quod *Septemviratum* non arceſſat à Gregorii V. ſed ab Innocentio IV. Pontifice, in Concilio Lugdunenſi Ann. MCCXLV. Gregorio tamen iſti adſcribit Legem generalem, *de eligendo* Imperatore *Germano*, tranſlato hoc ſcilicet jure, auctoritate Pontificiâ, ad *Germaniæ Principes* in communi, qui ad Comitia convenirent. Cauſas addunt, orbitatem Ottonis III. nullâ ſpe prolis; Italorum, Græcorumque pro invadendo Imperio machinamenta;

ta; Francos gloriæ Germanorum æmulos; Romanorum in eligendo Imperatore nuperam adhuc levitatem; ac præ cæteris *jus* Romani Pontificis, à Chriſto acceptum, dandi populo Chriſtiano Defenſores, Adminiſtros, atque adeò Imperatores, probatum vel *facto* Leonis III. Carolum M. creantis Imperatorem, transferentiſque dignitatem à Græcis ad Francos. Alii *Ottoni* III. tribuunt hanc eligendi deinceps Imperatoris formam, ſed confirmandam tamen à Pontifice *Gregorio* V. Auctores citatos vide apud Bzovium, dicto loco, & qui de Jure Publico Germaniæ commentati ſunt, vel de dignitate *Electorali*, quos inter Viri ſummi, Limnæus, Conringius, Joh. Freinshemius, &c. ac noviſſimè Celeberr. Vitriarius, etiam Henr. Gunt. Thulemajerus, Profeſſor nuper Heidelbergenſis. Alios etiam vide apud Goldaſtum, collectos in Libro quem *Politica Imperialia* inſcripſit.

Certa à dubiis, & à commentitiis, diſtincta.

Hìc certa à dubiis, dubia à falſis, uti aliàs, diſcernenda ſunt. Certum eſt Ottonem tertium, poſt oppreſſum Creſcentium Tyrannum, magis acerbatum fuiſſe in Italos, eorumque perfidiam, ac de aſſerendo *Germanis* Imperio, cùm ipſum, tùm Principes Germanos ſeriò cogitaſſe. Certum quoque orbitatem Ottonis, quamvis Juvenis, & cui Uxor eſſet undè prolem ſperare potuit, præcipuè Romanorum quæ expertus odia, foviſſe has cogitationes in Ottonis ac Germanorum animis. Certum pariter, liberam ſibi indè ab Ottone III. eligendi Imperatoris, ex ſuâ Gente, facultatem attribuiſſe Germanos, plerumque tamen Filiis Patribus ſucceſſuris, ut Henrico III. IV. V. Dubium verò magis, num *lex* ab Ottone Imperatore hunc in finem lata ſit, quæ Germanis deinceps proſpiceret, quod ſuſpicatur quoque Joh. Freinshemius. Nuſquàm certe talis lex vel conſtitutio apparet. Et ex Friſingenſi, cæteriſque Chronographis conſtat, interceptum fuiſſe Ottonem præmaturo fato, anno ætatis XXX. ac veneno in Italiâ ſublatum, quando non defecerat ſpes prolis. Multo minùs lex aliqua Ottonis de *Septemviratu* unquàm fuit, cujus legis origo à nullo fido Hiſtorico, aut perito Germanici Juris, ſed nec ab Aventino, aut ab Onuphrio Panvinio, altiùs repetitur quàm à temporibus Friderici II. quando Gregorius IX. & Innocentius IV. ſedêre Pontifices. Sed & dubium (quicquid alii) an *decreto* non profectò Innocentii IV. ut Baronius cum ſuis, aut Lugdunenſis ſub eo Synodi, ſed vel Imperatoris, vel Imperii Procerum, in Comitiis Veronæ habitis, A. MCCXLV. ut cenſet quoque J. Freinshemius, Electorale ſeu Septemvirorum Collegium inſtitutum ſit: An verò tacito Principum aliorum conſenſu, ac conſuetudine magis uſuque, poſt Friderici II. fata; abituro uſu in legem per *Auream Bullam* Caroli IV. Quâ de re laudata nomina, & conjunctiſſimus mihi horumque diligentiſſimus explorator, Collega meus, Phil. Reinh. Vitriarius, Inſtitutionum Juris Publ. L. I. *Tit.* XIII. Sed tamen antè Innocentii IV. tempora, *Septemviratum Electoralem* memorant, Auctor Speculi Juris Saxonici, Albertus Stadenſis Abbas in Chronico, & Martinus Polonus Innocentii IV. Pœnitentiarius. Adi Conringium ad Bullam Innocentii X. & de Origine Juris Germanici.

Baronius in pluribus falſit. convictus.

Baroniana omnia, ne dicam illa Bellarmini, Bzovii, Binii, ad unum falſa & precariò ſuppoſita. Rectè Baronius ab iis diſſentit, qui Gregorio V. aut ſub hoc Synodo Romanæ, tribuerunt inſtitutionem *Collegii Electoralis*. Cujus rei altum ſilentium eſt, apud Scriptores omnes hujus & ſequentium Ætatum, antè adultum Seculum XIII. quando hæc jactitari Romæ cœperunt. Præterquàm quod ſucceſſores *Ottonis* III. ab omnibus Germaniæ Principibus, vel ab Optimatibus Imperii, nunquàm à *Septemviris* electi memorentur. Errat tamen Baronius, vel in errorem ſpontè inducit, 1. Dùm ſupponit Imperium, auctoritate Romani Pontificis, tranſlatum fuiſſe ab Oriente in Occidentem, *ad Carolum* M. Quâ de ſuppoſitione nos ex profeſſo, ad Seculum IX. ac ſpeciali Diſſertatione. 2. Dùm pari jure vellet, ad A. DCCCCXCVI. *Num.* XLI. Ottonem I. delegiſſe Ottonem II. Filium ſucceſſorem, & hunc Ottonem III. ex conceſſione *Leonis* VIII. Pontificis; rursùs Ottonem III. quod prole caruerit, impetraſſe à Gregorio Papâ ut electio Principibus concederetur. Vaniſſima omnia, invitis ad unum Hiſtoricis, qui nullas hìc Pontifici partes attribuunt, præterquàm Coronationis actum: Ipſo illo Leone VIII. juxtà Baronium Schiſmatico & Antipapâ, ſed & *jus ordinandi Pontifices* Imperatoribus confirmante. 3. Dùm Purpuratus hanc *Septemvirorum* Germaniæ dignitatem vult profectam ab Innocentio IV. Pontifice, qui in Concilio Lugdunenſi eam ſanxerit. Quod nec Acta ejus Synodi docent, nec Forma Excommunicationis Friderici II. nec Matthæus Pariſienſis, ad quem falsò provocat Baronius, nec ulli Hiſtorici. Id modò ex iis intelligitur, à Concilio Lugdunenſi ad Principes Electores miſſas eſſe literas, de Henrico Landgravio eligendo: Ac verba, ad calcem Excommunicationis Friderici, quæ recitat Matthæus Paris, in Hiſt. Anglorum, p. m. 910. ità habent: *Illi autem ad quos, in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè alium in ejus locum ſucceſſorem.* Ipſeque Innocentius IV. *in Epiſt.* de Electione Guilielmi Hollandi, apud *Joh. Bekam* in Chronico Ultrajectino, *Wilhelmus Comes Hollandiæ, communi voto Principum qui in electione jus habere noſcuntur, in Romanum Regem, cæteris applaudentibus Principibus, eſt electus.* 4. Dùm antè Innocentium IV. negat *ſeptem Electores* uſquàm memorari. Quod tamen, non neſciente Baronio, falſitatis arguunt citati modo ſcriptores, ipſeque Martinus Polonus, Pœnitentiarius Innocentii IV. ſed fallere in plurimis natus, ad A. DCCCCXLVI. Poſt Ottones *fuiſſe inſtitutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem*, memoratis ſex Electoribus (quales deinceps fuêre) *& Rege Bohemiæ, qui pincernam ageret.* Sed hæc diu poſt Ottones, & quæ ad ſequentem ætatem ſpectant.

Commentum de Donatione Ottonis I. Baronius notat.

VI. Commentis Baronianis accenſeri debet ficta *Donatio Ottonis* I. cujus Diploma ex Vaticanis Scriniis promit Baronius, *Autographo ſcilicet, aureis exarato literis, in Caſtello S. Angeli aſſervando*, ad Ann. DCCCCLXII. N. II. Donationis ſumma eſt, eadem quæ jam antè Carolo M. & Ludovico Pio tributa eſt; Confirmatum nempe *Johanni* XII. jus ſupremum & territoriale, prout *Prædeceſſores Johannis uſque nunc in ſuâ poteſtate atque ditione tenuiſſent, in Civitatem Romanam, cum Ducatu ſuo, in Exarchatum Ravennatenſem, in Pentapolim*, in Italiæ nobiliſſimas *Provincias* & *Urbes*, in *Corſicam Inſulam*, &c. Planè ejus commatis Diploma eſt, cum illo Conſtantini M. vel Ludovici Pii; de cujus poſtremi vanitate contrà Baronium ſuprà, ad finem Seculi IX. *Cap.* XIV. Nec Tabulæ hujuſmodi Ottonianæ, ante Baronium Purpuratum, memoratæ leguntur *ulli ſcriptori*. Quanquàm Regino, ſed ſeriùs ad A. DCCCCLXVII. Ottonem Papæ *reddidiſſe Urbem, & terram Ravennatum, aliaque complura, multis retrò temporibus Pontificibus ablata.* Quæ ut cum ingenio & factis Ottonis, atque hiſtoriâ hujus Seculi, Paparumque, ſint ἀσύστατα, nemo non videt. Probat tamen Tabulas illas, ut ab Ottone profectas, nuperus quoque Natalis Alex. *Tomo* XV. p. 821. Ac quicquid conceſſerit hic Otto, certè *ſalvam in omnibus* voluiſſe *poteſtatem ſuam, Dominationem, ſubjectionem ſibi ſuiſque* poſteris debitam, docent illæ ipſæ commentitiæ Tabulæ. Sed de his conſule ſi lubet commen-

tan-

tantes Melchiorem Goldaſtum, *pro Imperio* contrà Gretſerum, in *Rationali* ſuo, Hermannum Conringium Tractatu de *Germanorum* Imperio, & ſi quos alios juris Imperatorii Vindices, contrà Paparum uſurpationes.

Ottonis III. Donatio qualis?

VII. Ottonis verò III. proferuntur liberales Tabulæ, quas Commentario illuſtravit Marquardus Freherus, & exhibet Baronius ad A. MCXCI. N. LIV. ut quæ in lucem emerſerint tempore Benedicti XII. Editæ ſunt unà cum Gerberti Epiſtolis, qui Sylveſter II. & refert quoque Uſſerius noſter, *de Succeſſ. Eccleſiar.* C. III. N. 21. His Otto Imperator, prioribus Donationibus expunctis, ut *commentitiis præceptis, & imaginariis ſcriptis*, donaſſe dicitur Romanæ Eccleſiæ, in gratiam Sylveſtri II. à ſe creati Pontificis, *Octo Civitates* vel *Comitatus* in Marchiâ Anconitanâ, pro amore quo in Magiſtrum ſuum ferebatur, abrogatis juribus, quæ à Carolo cumprimis Calvo urgebant Romani Pontifices. Sigonius, ex traditione ſuorum temporum, in genere ſic rem effert, ad A. DCCCCXCVIII. Libro VII. in Ottone III. *Eo petente* (Sylveſtro) *vetera ab Ottone Pipini, Caroli, & Ludovici, privilegia Romanæ Eccleſiæ renovata ſunt.* At non qualia Baronius, & paraſiti Romanæ Curiæ, Orbi obtruſa voluerunt, & inter ea poteſtas *conferendi Imperium:* Quod jure *ſucceſſionis* ab Henrico I. ad Ottones tranſiit, hinc ad proximos hæredes; donec deficiente familiâ liberæ *electioni* locus fuerit, certè poſt Henricum VI. conſtitutione Philippi & Ottonis IV. Sed de Ottonis hac Conſtitutione Freherus, & Conringius, præ cæteris conſulantur.

Epiſcopatus novi ſub Ottone I.

VIII. Plurimùm debent pietati Ottonis I. *Epiſcopi* Germanici Imperii. Idque duplici nomine. 1. Quia ab Ottone plures ſunt inſtituti de novo *Epiſcopatus* in Saxoniæ partibus, ne dicam Abbatias, Monaſteria. In his Epiſcopatus *Brandenburgenſis*, *Havelbergenſis*, *Miſnenſis*, *Aldenburgenſis*, *Cizenſis*, *Naumburgenſis*, *Merſeburgenſis*. Cumprimis verò Parthenopolis ſeu *Magdeburgum*, ſita ad Albim fl. in confinio Saxonum & Sclavorum, quâ nobiliſſimâ ſede, & arce, mirè fuit delectatus Imperator, & in quam ejus Reliquiæ illatæ, evecta eſt in Metropolim, ſeu Archiepiſcopatum, non diu antè Ottonis exceſſum, an. regni hujus XXXIV. (qui XXXVIII. imperavit) Incarnationis Anno DCCCCLXX. Confirmatam ajunt hanc erectionem Sedis Magdeburgenſis, in Conc. Ravennatenſi, ab Ottone indicto, cui Hatto Moguntinus, Hildewardus Halberſtadenſis, Petrus Ravennatenſis, & plures alii interfuerunt; primo Archiepiſcopo Athelberto, antè Monacho & Abbate. Ac tùm ſubjecti illi Sedi Epiſcopatus Brandenburgicus, Havelbergenſis, Miſnenſis, Merſeburgenſis, Naumburgenſis vel Cizenſis. Quâ de re Chronographi in rebus Ottonis, Krantzius in Metropoli, *Excerpta* de Fundatione Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis, quæ collegit Henr. Meibomius *Tomo* I. Chronographus Saxo nuper editus, ad A. DCCCCLXIX. DCCCCLXX. & qui de Epiſcopatibus Germaniæ commentati ſunt.

Memoratur in Faſciculo Temporum, ad A. DCCCCLXXIV. occaſione dotati Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis, tempore Ottonis III. fuiſſe Urbis ejus Archiepiſcopum quendam nomine *Udo*, qui poſt vitam profligatam *horribiliter damnatus eſt.* Unde ad eum directa hæc vox fuerit; *Ceſſa de Ludo, quia luſiſti ſatis Udo.*

Epiſcopis conceſſa poteſtas Secularis.

2. Quia primus hic Otto eſt, qui dignitati ſeu poteſtati *Epiſcoporum* Eccleſiaſticæ, addidit Secularem illam *Principum*, *Ducum*, *Comitum*, cum ſuperioritate & juriſdictione territoriali, qualem in hunc diem obtinuerunt. Nec enim eo uſque Caroli M. vel Ludovici Pii, iverat liberalitas, ut ſceptrum & gladium cum pedo paſtorali combinarent. Ità *Brunoni* Colonienſi, ſuo Fratri, cui ſcripta quædam tribuuntur, Ducatum Lotharingiæ Otto I. attribuit, *Giſlero* vel *Giſelhario* Magdeburgenſi, Ducatum Scartoviæ ad Albim Otto II. aliis id genus Imperii feuda. Et quoque dignitatem *Archi-Cancellariatûs* per *Germaniam* fertur idem Otto attribuiſſe *Wilhelmo* Archiepiſcopo *Moguntino*, Filio ſuo, in Friderici Moguntini locum ſuffecto; ad cujus exemplum poſteà hoc juris contenderunt Moguntini, & tandem impetrarunt per Auream Bullam, perpetuam Imperii legem. Ac de his ſcriptores Juris Publici Germanici, quorum princeps Lehmannus eſt, & Mallinkrotius Tractatu de Archi-Cancellariatu S. R. I. ut Goldaſtum, Conringium, alioſque mittam. Nihil tum adhuc de Archi-Cancellariatu per *Italiam* commiſſo Colonienſi; minùs de tertio per *Galliam*, & Regnum *Arelatenſe* quod nonniſi Seculo XII. Imperio rursùm acceſſit, haud duraturo dominatu. Sed quicquid jam Epiſcopi Principes, jura tamen *teloniorum*, aliaque *Regalia*, ſibi diu ſervarunt Imperatores, conſtitutis Advocatis tutelaribus, ſeu *Vice-Dominis*.

Fabulæ Baronianæ, de Polonorum Regno, & de Ungarorum illo, revictæ.

IX. Fabulis accenſendum quod refert Baronius ad hoc Seculum, ad A. M. *Num.* XIV. & ſequent. Scilicet *Boleſlaum*, Ducem Polonorum, voluiſſe titulum & coronam *Regis Poloniæ* ab ipſo Romano Pontifice accipere, deſtinatis Legatis, qui ſibi à Sede Apoſtolicâ Coronam reportarent; quod tamen contigerit poſt *Ottonis* III. obitum, imperante *Henrico* Imperatore. Et hæc confirmat unico Petri Damiani R. Eccleſ. Cardinalis teſtimonio, in Vitâ S. Romualdi inſtitutoris Camaldulenſium, C. XXXII. undè Surius ſua habuerit ad XXIX. *Junii.* Cujus Damiani inſignis ibi narratur Fabella, dè *Monachis* qui hanc Legationem ſuſcipere recuſaverant. Deinde *S. Stephanum* Ducem Hungariæ, Geyſæ filium, contendit idem Baronius, hoc Seculo expirante, ab eodem Pontifice Regium axioma conſecutum eſſe, miſſâ Regni Coronâ, quam per Legatos ambiverat; Et quidem eodem tempore quo Legatos ſuos miſerat *Meiſca* Dux Polonorum, pro quo monet hæc ſub *Boleſlao* fuiſſe tranſacta filio Meiſcæ. Accidiſſe autem ut nocte ejus diei, quo ſtatuerat Pontifex Polonorum Principi Coronam dare perferendam, apparuerit illi Angelus Domini, qui juſſit eam, quam deſtinarat Duci Poloniæ, incunctanter tribueret Duci Ungarorum, cujus Legatos, Coronam expetituros, *cras* adfuturos *horâ diei primâ*, nunciat. Et hæc memorat ex Cartuitio Epiſcopo, in Vitâ S. Stephani, apud Surium XX. *Aug.* Mirare frontem Annalium Scriptoris. *Pergula Pictorum, veri nihil, omnia falſa.*

Nempe *Polonorum* Ducatus commutatus in Regnum, debetur Ottoni III. Imperat. cùm ſuſcepit peregrinationem Polonicam ad S. Adalberti, recens Martyris, viſendum Corpus, quæ tum ſuperſtitio Principum fuit. Et quidem petente Boleſlao, annuente Ottone, eâ lege, ut Poloniæ Regnum eſſet feudum Imperii, & annuam penſionem ſolveret Imperatori. Referunt diſertiſſimè Polonicarum Rerum Scriptores; Chromerus in Boleſlao *Lib.* III. & alii. Ità quod *Hungariæ* Ducatus Regio axiomate donatus ſit, debetur non Pontifici Romano, non Viſioni Angelicæ, ſed Comitiis totius Regni, à Geyſâ Stephani Patre convocatis, quum jam ætate effœtus eſſet, à quibus, petente Geyſâ, *Stephanus omnium conſenſu, nec tam humano quàm Divino judicio, non Dux, ut Pater erat, ſed Ungarorum Rex creatur, ac univerſæ Reipublicæ ſumma ei traditur*, ut Anton. Bonfinius Rerum Ungaric. *Decadis* II. *Lib.* I. p. 169. 170. Iſtud verò de accepto *Regno* à Romanâ Sede, vulgatum eſt circà tempora Gregorii VII. quando ſcripſit hic Pontifex, in *Epiſtolarum* Libris, à *Rege Stephano regnum Ungariæ, ut S. Romanæ Eccleſiæ*

Digitized by Google

ſia proprium, *B. Petro*, *cum omni jure & poteſtate ſuâ*, *oblatum & devotè traditum.* Vide referentem pluribus Baronium, ad A. M. *Num.* XIX. XX. Undè quò hæc ſpectarint, intelligitur ex *clauſâ* hujus Seculi, quam ſubnectit idem Annalium Scriptor, *Num.* XXI. XXII. *Quis iſta conſiderans non miretur*, *& obſtupeſcat*, *dùm quo tempore ipſa Rom. Eccleſia caſura*, *& interitura penitùs videri potuiſſet*, *tot improbis*, *ſceleratis*, *impudicis*, *prædonibus*, *invaſoribus*, *ſanguinariis*, *& graſſatoribus*, *hoc Seculo* (*ut audiſti*) *Sedem Apoſtolicam invadentibus*, *eamque depravatis moribus conſpurcantibus*, *tam vitioſo imprimis ingreſſu*, *quàm deteſtando pravorum morum exemplo*, *quâ etiam occaſione ejus dominium ſibi Imperatores vendicantes*, *pro arbitrio ſtatuerent in Sede Petri quem vellent*, *ſic redditâ jam prorsùs vili & contemptibili*, *effictâ ancillâ Regum Dominâ Gentium*, *& conculcatâ pedibus filiorum*, &c. *Eodem tempore externi longè poſiti veniant Reges ad Apoſtolicam Sedem*, *quam recognoſcant & venerentur unicum Orbis Templum*, *Aſylum pietatis*, *Columnam & firmamentum veritatis*, *Petram immobilem*, *innixam ſuper Chriſti Dei vivi ſolidam firmamque promiſſionem.* Et quæ plura ibi declamat Annal. Scriptor, occaſione ſcilicet *Principum*, *Regnorum titulos*, *à Romanâ Eccleſiâ petentium*, *ſicut feciſſe noſcuntur Duces eximii Hungarorum & Polonorum*, &c. &c.

Monaſteria quædam incluta fundata. Baronii nugæ.

X. Inter *Monaſteria* vel *Abbatias*, quarum numerum auxit ſuperſtitio Principum, opes verò munificentia, in Galliâ quidem Belgicâ celeberrimum eſt *Gemblacenſe*, fundante *Guiberto*, Ludovico IV. Galliarum Rege, circà A. DCCCCXLVI. Et ejus Cœnobii Monachus fuit poſteà *Sigebertus* Gemblacenſis, Chronographus non indiligens, in eâ temporum penè barbarie, ac ſuperſtitione. Vires etiam acquiſivit hoc Seculo *Cluniacenſis* Ordo in Burgundionibus, Monaſterii fundatore Guilielmo Aquitaniæ Duce, reformatore autem Benedictinæ Regulæ *Odone* Monacho, primo ejus Monaſterii Abbate, poſt Bernonem, ſucceſſuris *Majolo*, *Odilone*, qui omnes in Sanctorum ordinem fuêre referendi: Odo verò Clericus primò fuit Turonenſis, à Leone VI. Romam evocandus, qui collapſam *Monaſteriorum* diſciplinam reſtitueret, imò ut pacem inter Hugonem Regem Italiæ, & Albericum Romæ Principem, conciliaret, ut ex Surio ſuo Baronius. Cumprimis multus eſt in deſcribendâ hujus Odonis hypocriticâ ſanctitate, qui *capite demiſſo* ſemper incedere ſoleret, & cujus exempla riſu digna exhibet Baronius, ad Ann. DCCCCXXXVI. *Num.* XII. XIII. tùm ejuſdem devotione ergà S. *Martinum*, cujus Miracula ſuprà Sulpicium Severum novis adauxerit; denique Miraculis ipſius Odonis ſine fine, ut etiam *orationibus montes* ſeu *colles*, valle intermediâ disjunctos, *conjunxerit*; & *lacum* ubi nullus fuerat *effecerit*, qui piſcium copiam ſuppeditaret, ad A. DCCCCXXXVII. N. VI. VII. Alius fuit *Odo*, Sanctis itidem adſcribendus, Cantuarienſium Archiepiſcopus, medio circiter Seculo X. cui *Dunſtanus*, & ipſe *Sanctus*, ſuffectus fuit ab Edgaro Rege; non aliundè hi à ſanctitate & miraculis prædicandi, quàm ob infandam ſuperſtitionem, ſervitutem Romanam, & fraudes in ſtabiliendâ Præſentiâ Corporali, de quâ ex profeſſo dictum *Capite* VII. hoc Sec. Ità etiam in Saxoniâ, propè Magdeburgum, fundationem ſuam debet Ottoni Magno *Bergenſe* Cœnobium, undè ſuperiori Seculo prodiit diſcors illa *Concordia Bergenſis*. Sed Abbatiarum ac Cœnobiorum origines fundationeſque require omnium inſtar, ex Hoſpiniani Hiſtoriâ Monachatûs. Necdùm tamen *Abbates* hoc Seculo *Principum* eâ dignitate leguntur ſublimati, quali poſteà Abbas S. Galli, Fuldenſis, Hirſchfeldenſis, Corbejenſis, Murbacenſis, Prumienſis, &c. Sed & evectæ poſt fuêre ad eandem dignitatem *Abbatiſſæ* quædam, Lindavienſis, Eſſenſis, Herwordienſis, plures aliæ.

De origine Feudorum.

XI. Hujuſne Ævi ſit origo *Feudorum* & *Infeudationum*, inter Hiſtoricos & Jureconſultos diſceptatur. Referenda illa ſcilicet ad poſtremos Reges *Carolinæ* ſtirpis, ut quidam, ſub quibus Fœminæ ſæpè dominatæ, & minores hujuſmodi Domini in Franciæ regno plures ſurrexerunt; Vel ad *Hugonem Capetum*, de quo ſuprà, qui demerendis ſibi Primoribus Regni, etiam Eccleſiis & Abbatiis, conceſſit illis Dominium uſufructuarium Terrarum quas poſſiderent, ſimul & devinciendis iis fide *homagii*, & ad *militiam* ſubminiſtrandam præcipuè adſtringendis, redituris ad Regem Terris ex crimine *Feloniæ*, ſiquando fidem *fallerent*. *Vocum* ſanè *feudi*, *feodi*, primam originem ad hæc ferè tempora referri fatemur, non tamen illum *rei* per feudum deſignatæ. Ex quo enim Longobardorum Duces Regem unum ex ſe conſtituerunt, *Autharum* quidem primum, Mauricio in Oriente imperante, permiſſas jam tum fuiſſe iis Ducibus, hæreditario jure, Ditiones quas poſſiderent, ſub Regis tamen fide & clientelâ, cui eſſet ſupremum jus Militiæ & armorum, ex Hiſtoriâ Longobardicâ conſtat. Altiùs etiam repeti jura illa feudalia poſſunt, ex Hiſtoriâ Romanâ vel Auguſtâ, quando prædia Hoſtibus erepta Veteranis conceſſa fuêre, eâ lege ut militarent, quæ primæva fuit lex Feudorum.

Narratio de Hattone Moguntino à muribus corroſo.

XII. Memorabilis hiſtoria, ſi hiſtoria *tamen eſt*, ad extrema Ottonis Magni, & Annum DCCCCLXX. referri ſolet, de *Hattone* II. hujus nominis, ex Fuldenſi Abbate, Moguntino Archiepiſcopo, poſt mortem Wilhelmi, Filii Imperatoris, ſeu ab Anno DCCCCLXVIII. Summa eſt, *famis* tempore, concluſam fuiſſe uno horreo magnam multitudinem *pauperum mendicantium*, ſpecie annonæ illis erogandæ; dein vivos comburi juſſiſſe hunc Hattonem, addito Sarcaſmo, inducere hos famem ſuâ mendicitate & otio: Hinc mox divinam Nemeſim experturo truci Epiſcopo. Nempè divino ſimul & horrendo judicio immiſſos *mures*, qui vivum eum depaſcerent, quorum ut fugeret impetus, in Turrim lapideam, & excelſam, ad cuſtodiam patriæ olim extructam, medio ferè Rheno, juxtà oppidum Bingionum, in Moguntiaco, ſcaphâ ſubvectum aſcendiſſe; ſed in quâ locum mutavit, non evaſit autem vindictæ genus, vivus à muribus corroſus. Et perſtat hodieque ea Turris, cui à Muribus nomen, rei tantæ credita monumentum. Nemo expreſſiùs rem narrat J. Trithemio, omnium primo ſcriptore hujus rei, in Chronico Hirſaugienſi, ad A. DCCCCLXVII. quicquid alii etiam Marianum Scotum, Martinum Polonum, teſtes ſed malè referant. Trithemius verò addit; *Huic fabulæ auctoritatem nec damus*, *nec rursùs ſubtrahimus.* Quanquàm Faſciculus Temporum habet aliud exemplum, nempe idem contigiſſe *Poloniæ cuidam Principi*, qui cum Uxore & Liberis in Convivio *muribus* exeſus fuerit, de quo ſuprà ex Guagnino in Poloniæ Hiſtor. *col.* 1418. Confirmant illud de Hattone Munſterus in Coſmograph. Joh. Cochlæus in Catalogo Archiepiſcop. Moguntinorum, Drexelius Jeſuita, Operum *Tomo* II. Conradus Lycoſthenes *de Prodigiis*, ad A. DCCCCLXIX. & recentiores alii; tacet Annalium Scriptor Baronius, negat fidem Nic. Serarius, ubi is de Rebus Moguntiacis, *Lib.* IV. Archiepiſcopo XV.

Ἐπιχείρησις, & fabulæ indicia.

Mihi equidem, fateor, omnis ea de Hattone narratio ſuſpecta non uno nomine pridem fuit. Primò in flagranti fuiſſe Hattonem gratiâ apud Ottonem I. piiſſimum Imperatorem, vel indè liquet, quod eum Romam præmiſerit, Abbatem tum Fuldenſem, A. DCCCCLXI. ex Reginone; deinceps Wilhelmo, Filio ſuo, ſucceſſorem dederit in Sede Moguntinâ. Quo ſatis intelligitur exploratam fuiſſe

fuiſſe perſpicaciſſimo Cæſari hujus Hattonis virtutem, quem fabula convertit in monſtrum, atque inimicum humani generis, & quidem vivo adhuc Ottone Imperatore. Deindè, fuit dirum facinus, & pœna divinitùs immiſſa, in Germaniæ primatem Epiſcopum, Moguntiaco teſte univerſo, res hujuſmodi quam nec Reginonis Continuator, nec Lambertus Aſchaffenburgenſis, nec Marianus Scotus, nec Sigebertus, nec propiores illi tempori Chronographi, ſilentio prætermittere debuerunt, non illi certè quibus ne *Johanna* quidem Papiſſa tacita fuit. Quo magis de alio *Hattone* I. Moguntino, tempore Conradi I. ſub initia Seculi decimi, non ſiluêre fabellam Chronographi, eum à *Dæmonibus correptum*, & in *Ætnam montem* delatum, ibi flammis periiſſe. Trithemius ſanè ſcribens ſub initia Seculi XVI. *à Veteribus deſcriptam* hanc fabulam dicit, id eſt, eorum locorum Monachis, & à vulgo creditam, *ſed cui auctoritatem nec daret ipſe, nec rurſum ſubtraheret*, ſubolfaciens quid apocryphi. Ac ejus Fabricæ, quæ vulgò *Turris Murium*, ipſemet aliam rationem indicat, fuiſſe ad cuſtodiam patriæ, & Rheni, ibidem extructam, petroſo & munitiſſimo loco. Marianus ſimpliciter, ad A. DCCCCLXX. *Hatto obiit, ei ſucceſſit Robertus.* Similiter Chronicon Hiſtoricum Germaniæ, auctore Monacho Herveldenſi, qui vixerit tempore Henrici IV. Imperatoris, *Tomo* I. Collectionis Baſileenſis: Anno DCCCCLXIX. *Hatto Moguntiæ Archiepiſcopus obiit, cui Robertus ſucceſſit.* Et ità cæteri Chronographi: Quin ex ipſo Trithemio fabellæ hujus originem liceat ſuſpicari. Dicitur hic Hatto accuſaſſe *Pauperum mendicitatem & otium*, ut cauſam *famis*, ſeu carioris annonæ. Quod indubiè de Monachis otio dedititiſſimis, & fruges conſumere natis, is Epiſcopus voluit, quorum videtur fuiſſe ſeverus in ſuâ Diœceſi caſtigator, factâ fortaſſis in otioſa pecora animadverſione quâpiam. Certè Marianus Scotus, ad A. 976. eum *expuliſſe Monachos*, deſtructo Monaſterio *S. Diſibodi*, dicto Sobernheim, aliis *Diſenberg*, ultrà Creutzachum III. Miliaribus, quod ad odium Monachale plus ſatis. Undè hi poſteà, nomine mutato, & crimen in *pauperes* admiſſum, & Deum illius vindicem ultoremque finxêre, inſigni portento. Quomodò Gotheſchalcus Monachus vulgò S. Auguſtini, illud ipſum de *gliribus* vel muribus, qui ob deficientem eleemoſynam miſerabiliter ſævierint, refert de Epiſcopo Oſnabrugenſi *Godefrido de Ansburg*, A. Dom. MCCCXLVIII. apud Serarium Diſſert. de Hattone Moguntino, *Cap.* IV. Omnium ſcilicet id genus portentorum fabri Monachi, in rem ſuam. Exempla jam ſuprà vidimus, ſeu eſſet Imaginum cultus adſtruendus, ſeu Monachorum cœlibatus, ſeu præſentia Corporalis in Euchariſtiâ, ſeu Reliquiarum quarundam ſanctitas, ſeu ignis Purgatorius, & id genus Traditiones muſteæ. Ac luculentum aliud exemplum legas, ex Wilhelmo Malmesburienſi, & Joh. Carpgravio, circà Ann. DCCCCL. apud Balæum *Cent.* II. *Appendice* ad res Edgari Regis. Finxêre Monachi, in Eligenſi Diœceſi, Sacerdotes conjugatos unà cum ſuis uxoribus *in anguillas verſos eſſe*, & *anguillas in aquis generaſſe*, hinc etiam illi Diœceſi inditum fuiſſe nomen *Anguillarienſis*. Memorant quidem Rerum Germanicarum ſcriptores, apud Cuſpinianum, vel Mutium, *L.* XII. ex Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburg. Ottone Friſingenſi; fuiſſe *Hattonem* Epiſc. Moguntinum, hominem perfidum, & *in inſidiis fabricandis artificem*, inſidiatum nempè vitæ Henrici, futuri poſt Conradum I. Cæſaris: Sed alius iſte Hatto, ut viſum, quando poſt mortem Ludovici Imperatoris, ad Saxones transferendum Imperium fuit.

XII. Huic Seculo originem debent ampliſſimi Principatus. Comitatus *Sabaudia*, eo labente, ortum ſuum habuit. Si Faſciculo Temporum, & id genus Chronicis fides eſt, dominari cœpit in iis partibus, poſt annum DCCCCXC. *Beroldus* quidam, ex nobiliſſimo Ducum *Saxoniæ* Sanguine, à quo Sabaudica Domus originem ducat. Aliis verò & perſpicacioribus Beroldus ille commentitius eſt, ac fabuloſus. Referunt igitur hujus Familiæ caput *Humbertum* patrem *Amadæi*, natum *Carolo Conſtantino*, Comite Viennenſi Galliæ Narbonenſis, & *Teibergâ* ejus Conjuge; qui Carolus filius fuerit Ludovici Orbi, Regis Provinciæ, ac poſteà Imperatoris. Mortuus iſte Carolus circà A. DCCCCLX. nec diu poſteà natales Domûs *Sabaudicæ*, ut hujus Annales teſtantur. Atque ità Sabaudica Domus ortus ſuos ducet à *Carolo Magno*, è cujus illa nepotibus ſurrexerit. Adi Hiſtoriæ Sabaudicæ Scriptores, ſed & Francicæ, atque in noviſſimis Mezeræum *Tomo* I. in rebus Lotharii, Regis XXXIII. — *Ortus Sabaudicæ Domûs.*

Arragoniæ ſeu Hiſpaniæ Tarraconenſis *regnum* cœpiſſe fertur hac etiam Ætate inclinatâ, dictæ ab *Aragone* fluvio, per ea loca decurrente ac confundente ſe cum Ibero. Quando Sanchæus vel Sanctius Abarca I. Vaſconum dein Navarræ ſeu Pampelonæ Rex, (*Abarca* dictus à ruſticano calceorum genere, quos *Abarcas* vulgò appellant, ad Caligulæ, aut Caracallæ, exemplum) productis finibus imperii ſui per Hiſpanias, ac victis Arabibus, titulum Regis *Pampelonæ & Arragoniæ* aſſumſit. Diviſa mox inter Filios Regna, ſcil. Garciam Sanctium *Navarræ*, Gonzalem vel Gonſalvum *Arragoniæ* Reges, quos moriturus reliquit, labente ad finem Sec. Evehendis poſteà Arragoniæ Regibus ad culmen potentiæ & dominationis. Ac de his Hiſpanicarum rerum Scriptores, Mariana *Lib.* VIII. cæteri, & Marmolius quoque, Africæ *Tomo* I. — *Regni Arragoniæ.*

XIII. Magis intereſt cognoſcere *Turcica* in Aſiâ dominationis primordia. Et hoc unum penè deerat ad infelicitatem hujus Seculi, fundatum eô fuiſſe Imperium, quo ruitura res Chriſtiana in Oriente fuit, ac Muhammedis impietas ſurroganda. *Turcæ* vel *Turci*, an *Tzurki*, *Zurki*, aliis etiam Γύρκαι *Iyrcæ*, νομάδες primâ ſui origine (quales & *Turcomanni* ad ortum Maris Caſpii) intrà Caucaſios montes, ad oram borealem Maris Caſpii, ſedes ſuas habuerunt, ubi ferè & Thyſſagetæ, Hunni, his vicini Moſchi, bellicoſiſſimæ gentes. Ac *Hunni* prioribus jam Seculis latè graſſati infeſtis in Thraciam, in Illyricum omne, & in Italiam armis. *Moſchi* poſteà ampliſſimum ultrà Mœotidem & Tanaim, inter Boryſtenem & Volgam fluvios, Imperium firmaverunt. *Turci* his vicini ad Caucaſum, jam ſub Mauricio & Heraclio acciti adversùs Saracenos, ſub Chriſtianis Principibus primò, deinde ſub victoribus Saracenis, ſtipendia aliquot Seculis meruerant. Aſt verò noſtro hoc *Decimo* ultrà mediam ſui partem jam elapſo, factum infeliciſſimo conſilio eſt, ut à Muhammede Perſarum Rege, adversùs Chaliſam Babyloniæ Piſaſirum, in auxilium vocarentur, Duce *Tangrolipice*, aliis *Togrulbeco*, vel *Togra Salgucio*, (vocem à *Tangri* deductam quæ *Deum* Turcis notet, obſervat Leunclavius in Pandect. Hiſt. Turcicæ, C. V.) qui & Arabibus *Muhammed Abutalib*. Et hi quidem paulo antè à Saracenis inducti fuerant ad *Iſlamiſmum*, ut vocant, ſeu ad Muhammedis Sacra adoptanda, *Dadaco* tùm horum Duce, cui filius *Salgucus*, Salguco *Michaël* ſeu *Mikeil*, Michaëli hic Ταγγρολίπιξ Byzantinis, vel *Abutalib* Arabibus cognominatus. Uno verbo egrediuntur rurſum portis Caucaſiis Turci, (ſeu jam Baſilio II. Porphyrogenneto, qui dictus Βυλγαροκτόνος, ſeu veriùs ut alii Romano Argyropulo mox ſecuto, Græcis imperante) in ſubſidium primò Muhammedis Perſæ, tandem in hujus excidium, poſtquàm intercluſo ponte Araxis, reditum illis in patriam prohibuit Muhammed. Undè ex ſtipendiariis hoſtes *Turci*, ex — *Turcicæ potentiæ origo, natales, incrementum*

ex hoſtibus victores, deleto cum ſuis Muhammede, ac Perſico Imperio ſubjecto ſuæ dominationi. Mox ſubacta Arabia omnis, Babylonia, Syria, Palæſtina, & exutus ſic, faciente Tangrolipice, *Chaliſa* Babylonius, qui ſe legitimos ſucceſſores Muhammedis dixêre; *Elviro* filio Biſaſiri Chalifatum in Ægypto obtenturo. Sed iſti *Pontificatûs* honos à Turcis relictus eſt, ac Sacrorum præfectura; ſucceſſuris in eam *Cheriſis* vel *Seriphis*, quos Arabes vocant, qui ſunt de genere Muhammedis; ſed rerum ſummâ Turcorum Sultanis ceſſurâ, qui & Seriphorum appellatione aliquando gaudent. Indè protenſa arma in Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Thraciam, Conſtantinopolim uſque; figendâ in Bithyniâ Sultanorum Sede, *Cutlumo* & *Solimanno* Ducibus, Seculo XI. inclinato. Quæ pluribus ex Elmacino, & Arabibus, ex Zonarâ, Glycâ, Guil. Tyrio, Nauclero, aliiſque; reliqua ex Joh. Leunclavio, diſcere licet.

Califæ Ægyptii hoc Ævo. Mutationum in Ægypto ſumma.

XIV. Ità hoc Seculo ad Imperium evecti, in Africâ *Fatimidæ*, *Phatimæi*, Habbaſidis oppreſſis, à *Fatimâ* filiâ Muhammedis, uxore Ali, ſic appellandi. De quorum familiâ, & ſucceſſione, primo eorum in Ægypto Chalifâ, *Cairi* palatio Chalifatûs exſtructo, *Elmoezzo* ſeu *Moazzo Ladin-alla*, hinc Imperium *Moazzicum*: Plura Elmacinus in Hiſt. Saracenicâ, ac Chronicon Orientale, ad Annum Hegiræ CCCLXIV. Ac per Chalifarum diſtractiones (quorum principes *Babylonius* ſeu Bagdadenſis, *Cairvanius* in Africâ Tripolit. & *Ægyptius*) & horum inteſtina diſſidia, crevit potentia *Turcorum* in perniciem Chriſtianæ rei. Ad *Ægyptios* autem Chalifas, ſeu *Fatimidas* rediit ferè ſumma Saracenicæ potentiæ, poſt exutos Babylonios; atque illis fuêre deinceps cum *Turcis* bella, prœlia, ut fuêre Chriſtianis in expeditionibus Belli Sacri. Nempè hi utroſque infeſtos habuerunt, illinc *Turcos* Cappadociam & magnam Aſiæ Minoris partem occupantes, hinc Ægyptiorum *Chaliſas*; Quibus in Ægypto Chaliſis ultrà medium circiter Sec. XII. extinctis, ad magnum *Saladinum*, ex Aioubitarum familiâ, & poſteros, rediit ampliſſimum Imperium, *Sultanorum* nomine, سلطان, id eſt, *Dominorum*, αὐθέντων, anno Hegiræ DLXVII. id eſt, Chriſti MCLXXI. Donec deficiente proſapiâ Saladini, circà A. MCCC. *Mammeluci*, Circaſſiæ originis, in Ægypto ſibi vendicarent rerum ſummam; delendi tandem omnes à Selimo *Turcorum* Imperatore, Seculo XVI. inchoato. Sed de his quoque poſteà.

Res Judæorum. Capita. Scholæ, Doctores.

XV. De *Judæorum* in Babyloniâ præcipuè & Ægypto rebus, hac Ætate, videri poſſunt Chronica Judæorum, Ganzii *Zemach David*, Zacuthi *Sepher Juchaſin*, R. Gedaliæ שלשלת הקבלה *Catena Cabbalæ*, Opus hiſtoricum, Elmacinus in Hiſtoriâ *Saracenica*, Marmolius in *Hiſt. Muhammedis* & ſucceſſorum, & ſi qui alii. Plurima Hottingerus tranſtulit in Sectionem IV. Seculi X. Hiſtoriæ Novi Teſt. Ubi etiam Vir Clariſſ. multis de fluvio סנבטיון *Sanbatione* vel *Sabbatione*, ſeu fluvio lapideo in extremo Oriente, qui in Sabbato quieſcat, de quo ſuprà *col.* 389. ſecùs ac fluvius ille de quo *Joſephus*, ubi de Regno Agrippæ, qui ſeptimo die rapidiſſimè fluat, ſiccus reliquis, Ἁλώσ. L. VII. C. XIII. Summum Judæis caput hoc etiam Ævo fuit ראש גלות, *αἰχμαλωτάρχης*, *Exulum caput*, agens *Soura* vel *Souria* (סוריא) in tractu Babylonico, בנהרדעא *in Nehardeâ*, antequàm Bagdadum Sedes transferretur: De cujus electione, inauguratione, dignitate, honoribus, proventu, plurima Judæi, ſpeciatim Zacuthus in *Juchaſin*, ex hoc Buxtorfius, l'Empereur, Hottingerus, alii. Sed quicquid & hujus pompam ac ſplendorem, ac Conſeſſuum ſuorum poteſtatem, judicia, tribunalia, efferant magnificis vocibus recutiti, ac præ cæteris Benjamin in Itinerario, certum eſt oppidò ſervilem fuiſſe Judæorum conditionem, ac collabentem indies, ſub Muhammedanorum dominatu. Quâ etiam factum, ut defecerit hac Ætate *Sourana* ad Euphratem Academiæ ſplendor Judaicus, quæ tot Seculis dederat Genti Magiſtros, prior & dignior inter eorum Scholas habita. Subſtitit adhuc Schola altera *Poumbedithana*, פום בדיתא, in Euphratis quoque ripâ; donec ſequente Seculo Babylonicæ Scholæ in univerſum abolitæ fuerint, & cum iis qui dicti גאנים *Geonim* ſeu *excellentes* vel *ſublimes* Doctores; *Rabbinorum* ſimpliciter appellatione deinceps Magiſtris Judaicis remanſurâ.

R. Saadia. De ejus Tranſlat. Arabica.

Inter *Geonim* hujus Ævi eminuit doctrinâ, & ſcriptis, R. *Saadia* vel *Sehadia*, præſes Scholæ Souranæ, ſub initia hujus Sec. ex Ægypto ab Aichmalotarchâ Babylonio, Davide filio Zachai, evocatus. Quocum poſteà acerrimæ contentiones fuerunt Saadiæ, ut etiam ad necem quæſitum fuiſſe perhibeant Dav. Ganz & alii, ſeceſſurum hinc ad *ſeptennium*. Atque in eo ſeceſſu elaboraſſe ſcripta ſua *Saadiam* referunt, inter quæ duo eminent, ספר אמונות *Liber de Articulis fidei*, cujus ſummam require apud præfatum Hottingerum; & *Verſio Arabica* Librorum Vet. Teſt. Hanc in popularium ſuorum gratiam, qui per Arabum imperium in Aſiâ, Africâ, diſperſi eſſent, adornavit, & quidem per omnes *Vet. Teſt.* Libros, Erpenio noſtro pridem teſte: Quanquàm nonniſi pars ejus Verſionis, quæ eſt *Legis* ſeu *Pentateuchi*, hactenùs in lucem emiſſa fuerit. Quâ de Verſione Saadiæ, ex Hebraicis indubiè fontibus, ſed liberrimo transferendi genere, ac *paraphraſtico* magis, (Judæis inviſo, ſpeciatim Aben Ezræ, ad *Gen.* C. II. כי אין לו קבלה *quia traditione deſtitueretur*) malim audiri judicia Erpenii, Pocockii, Waltoni, Hottingeri, Huëtii Libro de Claris Interpret. ac nuper Rich. Simonis, cujus Critica non ubique pariter reprobanda eſt.

FINIS *Seculi Decimi.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM UNDECIMUM.

Chronologicæ rationes.

INCIPIT Seculum XI. cum Anno Chriſti MI. Imperante adhuc *Ottone* III. nec diu tamen ſuperſtite, ſublato utpote A. MII. inchoato; Orientis Imperatore *Baſilio* Βȣλγαροκλόνῳ, ſuperſtite ad A. MXXV. *Roberto* Gallorum optimo Rege, Capeti filio, ſublati A. DCCCCXCVIII. Anglorum autem Rege *Ethelredo*, *Ethelwardo*, à Danis vexando, patre *Edmundi* martyris; *Canutum* habituro ſucceſſorem qui ſimul fuit Rex Sueciæ, Norwegiæ, Daniæ, Angliæ, Scotiæ. Papa autem Romanus tum fuit (qui antè Gerbertus) *Sylveſter* II. *ab Anno* DCCCCXCIX. quo obiit Gregorius V. uſque ad A. MIII.

Hoc Seculo ſummatim rursùs obſervanda, pro hujus Hiſtoriæ modo & inſtituto:

I. *Facies Eccleſiæ circà Annum à Chriſto Milleſimum.*

Revelatio Antichriſti paſſim credita.

I. Tam deformis illa fuit ac turpis, ut verè poſt *mille* annos, à nato Chriſto, *ſolutus* fuerit Satanas: Nec ſine ratione tùm ubique prædicârunt *revelationem Antichriſti*, obſervante & Baronio, ad initium Seculi, *Num.* 1. Quod *revelandus eſſet* homo *ille* peccati, filius perditionis, *fuerant iſta in Galliis promulgata, ac primùm prædicata Pariſiis, jamque vulgata per orbem, à plurimis credita*; Sed addit, *accepta* illa tantùm *à ſimplicioribus, cum timore, à doctioribus verò improbata.* Qui tamen id ipſum traditum eo tempore à Gerberto fuiſſe, paulo antè teſtatus eſt; *Ex quibus Gerbertus æquè adventare Antichriſti tempora jactitabat:* Nec aliter tradidiſſe de ferreo hoc Seculo Glabrum Radulphum, ipſumque Dithmarum, ibidem docet, qui non utique in *ſimplicioribus* cenſendi. Deformitas illa apparuit:

Papatus qualis?

1. In *Capite*, Papatum gerente Sylveſtro II. anteà *Gerberto*, viro ſui Seculi doctiſſimo, præceptore olim Ottonis III. quem dein honos Archiepiſcopalis, Rhemenſis & Ravennatenſis, corruperat, Papatus Romanus perdidit, ad quem evectus A. DCCCC XCIX. favore Ottonis. Ferunt, inito pacto cum Diabolo adeptum eſſe hanc Sedem, ſaltem ità Benno Cardinalis, Platina, Lyranus, alii; quia nempè aſtutus, & miris artibus ſe inſinuans in favorem Principum. De quo & vulgatum illud carmen,

Scandit ab R, Gerbertus ad R, poſt Papa manens R.

Sanè antè Papatum adeptum, Baronio audit *infamis, verſipellis, blaſphemus, hæreticus, Schiſmaticus, invaſor, blatero, indigniſſimus Sede Romanâ*, &c. Poſteà laudandus, ut jurium Eccleſiaſticorum acerrimus vindex, id eſt, Papalis tyrannidis. Contrarium verum fuit, illorumque Eccleſiæ jurium acris olim defenſor, proditor verò, poſtquam illud culmen humani faſtigii conſcendit.

Certè infamis idem, ſi non *Magiâ*, (cujus accuſationem ex parte peperit ejus in Aſtrologiâ & Mechanicis peritia, tùm verſutia quâ ſibi viam fecit ad Papatum, favore Ottonis) fuit omninò ſuperbiâ, crudelitate, auſis. Cujus adeò fertur Conſtitutio, ut qui *captivaret Epiſcopum*, diſrumperetur alligatus pedibus ad colla equorum indomitorum. Refert Papirius Maſſonus, *de Geſtis Roman. Pontificum*, ex *Ademaro* Monacho S. Martialis Lemovicenſis, occaſione Grimoaldi Epiſcopi, quem Vicecomes Lemovicenſis in turre Lemovicâ captivum detinuiſſet. At fabulam ſapit, quod de fraude Dæmonis referunt, ex Bennone Cardinali, deludentis Sylveſtrum ambiguitate nominis *Hieruſalem*, quum fortè in ſacello Romano, quod dicitur S. Crucis in Hieruſalem, Miſſam peregiſſet; immemor primò pactæ Diabolo animæ pro mercede, ſi quando veniſſet in *Hieruſalem*. Sed credere vetat illius tumulus, in Baſilicâ Lateranenſi, & Epitaphium illi ſcriptum à Sergio Papâ, quod hodieque Romæ legitur, & exhibet Baronius, ad A. MIII. *Num.* 1. Quî tamen ille in Lateranenſi Eccleſiâ ſepultus fuerit, ſi prius contigiſſet, ſcil. celebrata ab eo Miſſa *in Hieruſalem*, ubi intellexerit vitæ ſuæ terminum, ita ſolvunt; ex pœnitentiâ ſcil. mortem præcedente, ut Joh. Stella Venetus *Epiſt.* ad Patriarcham Aquileg. quam exhibet Faſciculus Rerum Expet. *fol.* XLIV. Confirmant Sigebertus in *Chron.* Martinus Polonus in *Sylveſtro* II. Vincentius Bellovacenſis, Chronicorum L. XXIV. Wernerus Rolevinck in Faſcic. Temp. Platina in Vitâ Sylveſtri II. multi alii.

Cleri corruptio qualis?

2. Apparuit eadem in *Cleri* ignorantiâ, ut & corruptiſſimis ac flagitioſiſſimis moribus, adeò ut *eſſet Sacerdos ſicut Populus*, Hoſ. IV. 9. eſſet effœminatiſſimum tempus, Epiſcopi canes muti, omneque vitium ſtaret in præcipiti. Quâ de re graviſſimæ extant querimoniæ Glabri Radulphi Hiſtorici, Guil. Tyrii *Lib.* 1. de Bello Sacro, Werneri Rolevinckii, aliorumque in Chronographis. Vide *Uſſerium* noſtrum iſtos citantem, de Succeſſ. *Cap.* III. ut Illyricum, Mornæum, Hottingerum, ſimiles taceam. Sed nec inficiata Roma eſt, ne ipſi Genebrardus, Baronius, Spondanus, Maimburgius, & qui hæc tempora deſcribunt. Ac planum id ipſum ex Hiſtoriâ præcedentis Seculi. In ſpecie Glaber, graviſſimus hujus temporis Hiſtoricus, Hiſtoriarum *Lib.* II. C. VI. invehitur in Prælatorum *Simoniam*, undè *Reges munerum largitione corrupti, potiorem quemquam ad Regimen Eccleſiarum vel animarum dijudicant, illum videlicet à quo ampliora munera ſuſcipere ſperant.* Deinde deſcribit Prælator. & Cleri *avaritiam*, atque *ambitionem*; *qui minùs formidarent incurrere lapſum neglectæ Paſtoralis curæ, quoniam tota ſolummodò illorum pendet fiducia ex loculis collectæ pecuniæ, non ex perceptæ donis ſapientiæ. Tantoque ampliùs adepto regimine ſtudent avaritiæ, quanto conſtat propriam ex illâ ambitionem impleſſe.* Et quæ ibi plura in hanc rem Hiſtoricus.

Superſtitio univerſalis.

3. In *ſuperſtitione horrendâ* non plebem modò Chriſtianam occupante, ſed & ipſos Cæſares, Reges, Principes, Fœminaſque; ut exempla docent Ottonis III. Roberti Franciæ Regis, Stephani Hungariæ, &c. ex ſuperiori hiſtoriâ. Quam ſuperſtitionem augebant ficta in dies Miracula, fictæ Apparitiones animarum, imprimis ficti cruciatus apud Inferos: Undè pro ſublevandis Animabus profundebantur Sacerdotibus & Monachis hæreditates, ac largitiones immenſæ. Et indè creverunt opes *Caſſi-*

nenſium, *Cluniacenſium*, & id genus Abbatiarum. De quâ re adhuc infrà. Ne hic addam *prodigia*, ac cœleſtia terriculamenta, quæ ad exordium hujus Seculi referuntur, ſeu ad Annum *milleſimum*. Qualia v. gr. ſiccitas inaudita, peſtilentia, fames, terræmotus, incendia, monſtra, fulgura de cœlo cadentia, Luna ſanguinolenta, &c. ex Glabro Radulpho, Urſpergenſi, Ruperto Ticinenſi, Wernero, Platinâ, Sigonio, Sabellico, Aventino, reliquiſque, omnium conſenſione. *Famem*, quæ paulo poſt deſæviit, deſcribit Glaber *Lib.* IV. C. IV. *quâ* ſcil. *in univerſo terrarum Orbe cœperat convaleſcere, ac interitus penè univerſi humani generis imminere.* Idemque, cœpiſſe primum hanc ſterilitalem in *partibus Orientis*, ac depopulando *Græciam*, deveniſſe in *Italiam*, hinc infuſam per *Gallias*, tranſiiſſe ad univerſos *Anglorum* populos.

Prodigia.

Status Reip. qualis?

II. Nec felicior multo ſtatus Reipublicæ fuit. In *Oriente* Baſilium Jun. exercebant Bulgari, Saraceni, fusè apud Byzantinos, Cedrenum, Zonaram, Hieroſolymâ paulo poſt ab his occupatâ, A. MIX. In *Occidente* iidem Saraceni latè graſſati, ſed & Sclavi, Nordmanni, Dani, Longobardi, fatigaturi Italiam, Angliam, Galliam, Hiſpaniam, Germanias, & conterminas regiones, ex *Chronicis* ad hæc tempora. *Principum* verò faſcinabat animos ſuperſtitio, quâ unâ ſubdebant colla Romano Pontifici, & Clero. Indè Peregrinationes religionis ergò, qualis illa *Ottonis* III. ad viſendum in Poloniâ Corpus Adalberti; tùm munificentia eorundem ergà Monaſteria; tranſlationes Reliquiarum; fidelitas jam tum Papis jurata, ut factum eſſe ab *Henrico* I. (quum Romæ Coronam à Pontifice acciperet, nempè *Benedicto* VIII. & Imperii inſignia) refert coævus Ditmarus, & ex eo Baronius ad A. MXIV. N. I.

II. *Propagatio in ſpeciem Chriſtianiſmi, ſed Traditionibus Romanis infecti. Belli Sacri initia, progreſſus.*

Converſiones quæ feruntur hoc Sec.

I. *Converſiones* ad Chriſtianam fidem rariores ſanè hoc Seculo fuerunt, in illâ utriuſque Eccleſiæ, & Occidentalis maximè, corruptione. Jamque Dania, Suecia, Polonia, Regiones Aquilonares Chriſto nomen dederant: Inſtrumentis nuper *Adalberto* Boëmorum primo Antiſtite; tùm *Bonifacio* Ottonis Imper. cognato, & *Brunone*, vulgò Ruſſorum Apoſtolis, decernente Româ; hinc *Romualdo*, Monacho primùm, ſuſceptis in Galliâ & Italiâ itineribus, multorum ſcilicet converſore, & in magnâ apud Ottonem III. gratiâ; & ſi qui plures. Ad initium tamen hujus Sec. referuntur facta *Geyſæ* Ducis Ungariæ, & filii *Stephani* primi Ungarorum Regis; poſtquàm ille, Idololatriâ Gentili in ditionibus ſuis abrogatâ, Chriſtianiſmum, qualis tùm fuit, in Gentem ſuam induxit: Uxore autem Chriſtianâ *Giſlâ*, vel *Giſelâ*, ſorore Henrici Imperat. plurimùm ad id conferente: Ex Sigeberto, Ottone Friſing. & rerum Hungaricarum Scriptoribus, Bonfinio Decadis II. *Lib.* I. ac reliquis.

In ſpecie illa Stephani qualis? Cur Sanctis adſcriptus?

Sed de *S. Stephano*, ob ſuperſtitionem, & devota ergà Pontif. ſtudia, fabulis refertæ ſunt Monachorum Tabulæ, & pagina Baroniana, ab A. M. & deinceps. Hinc, *nativitas* ejus Matri prædicta, uxori Geyſæ; apparente illi in ſomniis Stephano protomartyre, ac *nomen* etiam naſcituri pueruli indicante; *Et quum ego Stephanus ſim protomartyr, qui ei nunquam abero, meum gnato nomen imponito:* Prædicta etiam ejuſdem Stephani Sanctitas, *inter Divos evaſuri:* Prædictus adventus *Adalberti* Boëmiæ Antiſtitis, Ungaros à falsâ religione redempturi; & à quo *Stephanus* ille baptizatus: Moturus idem Stephanus in hoſtes, *ſub ſignis Pontificis S. Martini, & clariſſimi Martyris Georgii*, de quibus dictum ſuo loco: Hinc erecturus in Ungaria Monaſterium *S. Martino*, in Pannoniis nato; Ità *coronam* accepturus à Johanne Pontifice, ex revelatione *Angelicâ*; & quæ hujuſmodi figmenta Monachorum plurima. Vera cauſa ſanctimoniæ huic *Stephano* adſcriptæ, hinc *miraculorum* quæ illi affinxit ſuperſtitio, fuit, fundatio Monaſteriorum, ſuperſtitio in Mariam Virg. & Sanctos, devotio in Rom. Pontificem, & munificentia in Clerum; cumprimis illud Gregorii VII. aſſertum, multis probatum Baronio, donatum ſcil. regnum Ungariæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, ad A. Milleſimum, *Num.* XX.

Belli Sacri initia. Scriptores.

II. Aſt *Bello Sacro* fidem propagare aggreſſi ſunt Romani Pontifices, quale hoc tandem Seculo ſuſceptum fuit, An. C. MXCVI. Ejus hiſtoria requirenda, ex Urſpergenſi, Matth. Paris, Ottone Friſingenſi, Sigonio; & qui de Expeditionibus Hieroſol. ex profeſſo ſcripſêre, quales ſunt *Robertus Monachus* Rhemenſis Diœceſ. *Baldricus* Dolenſium Archiepiſc. *Albertus* (vel Albericus) Aquenſis Eccl. Canonicus, *Fulcherius* Balduini (fratris Godefridi Bullionei) Capellanus, *Guibertus* Abbas in Pago Laudunenſi, *Guilielmus Tyrius* Archiepiſc. natione Syrus, officio Legationis perfunctus, *Jacobus de Vitriaco*, Acconenſis in Palæſt. Epiſcopus, tandem Rom. Eccl. Cardinalis, &c. Et cæteri Hieroſolymitanæ Hiſtoriæ, & Expedit. Orientalium, Scriptores, unà collecti in *Geſtis Dei per Francos.* Tacemus quoſdam in Bibliothecis adhuc latentes, & in Voſſianâ noſtrâ, qui Seculi XII. & XIII. nec enim recentiores Compilatores indicamus. In quibus eſt Lud. Maimburgius in Commentario Gallicano, de *Cruce-Signatis*, ubi certis & hiſtoricis admiſcet ſua pro more, ut in ſcriptis Eroticis ſolent; ſæpè ingenuus Romanæ Curiæ, & Cleri, & Monachorum, ac Cruce-Signatorum caſtigator, ubique tamen *hypotheſibus* litans, & gloriæ *Francici* nominis.

Cauſæ impulſivæ.

I. Cauſæ impellentes hujus Expeditionis fuerunt; olim quidem Sylveſter II. quem *primum eſſe qui ſanctæ Militiæ claſſicum occinuerit, commodiori tempore promovendæ*, obſervat Baronius, ad A. C. MIII. *Num.* VI. Poſteà etiam Gregorius VII. ad expeditionem in Orientem omnes invitans, ſcriptâ Epiſtolâ ad Guilielmum Burgundiæ Comit. quæ eſt XLVI. *Lib.* I. tum & reliquis, haud ſine alio, quam ut omnibus dominaretur. Tandem rem eam urſurus Alexius Comnenus Imperat. eò quòd Turcæ imminerent Conſtantinopoli, poſtquàm invaſiſſent hoc ipſo Seculo, non Palæſtinam modò, Syriam, & ſuperiorem Aſiam, pulſis Saracenis, ſed etiam Cuthlumo duce, & Solimanno filio, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, regiâ *Nicææ* Bithyniæ ſtabilitâ. Reipsâ id intendens callidus Comnenus, ut Occidentalium ſimul, ſimul Turcarum vires hoc Bello frangerentur, quod ex ejus in Francos multiplici perfidiâ comprobatum eſt. Acceſſit Monachus quidam ſub Urbano II. vulgò *Petrus Eremita*, Ambianenſis Gallus, jactatâ revelatione quam *Hieroſolymis* habuiſſet: Quum nempè ad ſepulcrum Dominicum noctu oranti, hinc in ſomnum prolapſo, viſus ſcilicet ipſi Chriſtus in inſomniis, & auditæ hæ voces, nempe poſt habitos hac de re ſermones cum Patriarchâ Hieroſolymit. *Petre, dilectiſſime fili, ſurge, & cum Patriarcha noſtri literis, & ſigillo S. Crucis, iter in terram cognationis tuæ quantocyus accelera, expone miſerias & injurias loco Sancto illatas, & ſuſcita corda fidelium, ad purganda loca Sancta*, &c. ut pluribus enarrant Albertus Aquenſis Eccl. Canonicus, *Lib.* I. Exped. Hieroſol. *Cap.* II. Guil. Tyrius, *Hiſt. Lib.* I. C. I. & cæteri qui de Bello Sacro commentati ſunt. Nec mora, proficiſcitur hic in Occidentem, munitus tantâ auctoritate, & Papæ Ur-

Digitized by Google

Urbano II. natione Gallo, ſe ſiſtit. Qui tandem Urbanus, totius hujus belli *fax*, rem promovit in Concilio Claro-Montano, habito A.C. MXCV. hortatione ad Principes factâ, & Expeditione indictâ, cum pleniſſimâ Indulgentiarum conceſſione.

Scopus Papar. in ſpeciem. Verus ſcopus.

2. *Scopus* videbatur in ſpeciem pius, recuperatio Terræ S. expulſio Saracenorum, Turcarumque; Chriſtianorum defenſio ac liberatio; reverà autem peſſimus. Ratione quidem hujus Monachi *Petri Eremitæ*, pellucet ambitio Monachalis, quâ non tantùm Papæ, & Orbi toti innotuit, ſed & penè adoratus à ſuperſtitioſiſſimis populis, dux tandem confuſiſſimæ turbæ, ad omnia flagitia effuſæ, & qui, in obſidione Antiochenâ, fugâ ſibi conſuluit. Romani verò *Pontifices* nihil magis intendêre, quàm ut ſacro hoc obtentu tot Exercitibus, Regibus, ac Principibus præeſſent ut Capita; de Cauſis omnibus indè emergentibus inter ipſos Reges, ac Belli Duces, omnia per Legatos moderati, Judices ſe conſtituerent; Indulgentiis Papalibus, (quæ præmium Cruce-Signatorum) pretium adderent, ac infinitis Diſpenſationibus quæ à Papâ proficiſci debuerunt; Chriſtianos Principes, eorumque Regna, Ditiones, exhaurirent opibus, potentiâ; omnipotentia autem Papalis indè creſceret, Mezeræo Gallo, & Scriptoribus aliis conſonis. Quemadmodùm & *ſexagies centena millia*, hominum Chriſtianorum, feruntur eo bello, aut ejus occaſione, ſucceſſivè abſumpta, ſtragibus, fame, peſte, ærumnis id genus, ac pœnis θηλάκτοις. Et reverà tanti non erat recuperaſſe *Hieroſolymam*, aut Terram quondam *Sanctam*: Ut quæ à Chriſto calcata, deinceps verò ab eodem Chriſto reprobata, & in ſpeluncam latronum verſa; futura modò, his Expeditionibus, immanium ſuperſtitionum, nefandorum ſcelerum, ac cruentiſſimarum ſtragum ſedes; conſtitura ſanguine tot myriadum & Chriſtiano quidem; & in cujus aditu tot fuêre merita Romæ collocanda, & adeunda ipſa Martyrii corona; ut *ſcelera ipſa nefaſque*, hujus mercedis intuitu, placuerint.

Tempus cœpti Belli.

3. *Tempus* cœptæ Expeditionis fuit A.C. MXCVI. quando collectis copiis, & Cruce laneâ rubrâ de manibus Pontificis acceptâ, accinxerunt ſe ad iter Aſiaticum & Hieroſolymitanum varii Duces ac Principes. Et primò quidem *Franci* eminuerunt, gloriæ deſiderio magis accenſi, quàm illo propagandi Regni Chriſti. Quales *Hugo Magnus* frater Philippi I. *Robertus* Nordmannus, *Robertus* alter Comes Flandriæ, *Raymundus* Comes Toloſanus, *Godefridus* Bullioneus Dux Lotharingiæ Inferioris, cum fratribus ſuis *Balduino* & *Euſtachio*, tum *Boamundus* Tarenti Princeps, *Tancredus* ejus ex ſorore nepos, *Stephanus* Comes Carnotenſium & Blæſenſium, *Hugo* Comes à S. Paulo, &c. Cruce-Signati *primâ* ſtatim expeditione numerati ad CCC. *millia* hominum, ſenſim augenda ad DC. *millia*, ſed mox gladio, peſte, fame, intercluſo omni commeatu, ad mediam partem reducenda, etiam pridem antè Hieroſolymam obſeſſam. Expeditionis tandem Dux ſummus in Aſiâ evaſit *Godefridus Bullioneus*, anteà Dux exercitûs Henrici IV. Imperatoris, fortiſſimi animi Princeps, omnium deſiderium, qui & *primus* muros Hieroſolymorum conſcendit, Urbemque occupavit, A. MXCIX. *Julii* XV. quam primùm cingere obſidione cœperant, die VII. *Junii*. Hinc *Rex* Hieroſolymorum primus proclamandus, ſed qui in ipſo Regni exordio, fatali lege conceſſit mortalitati. Ejus formam, fortitudinem, res geſtas, humilitatem in illo faſtigio, virtutum omnium denique apparatum, multis deſcribunt Guil. Tyrius, & reliqui, collecti in *Geſtis Dei per Francos*, ſeu Hiſtoriâ Regni Hieroſolymitani.

Succeſſus primò felix. Quàm latè patuit.

4. *Succeſſus* ſanè hujus belli, primò in ſpeciem felix fuit & optatus. Nimirùm, occupatâ virtute Bullionei præcipuè Urbe *Nicæâ*; dein *Antiochiâ* Syriæ poſt longam obſidionem; tùm vicinis *Aſiæ* Provinciis ſubjectis; factiſque magnis & cruentis Saracenorum, Perſarum, Turcarumque ſtragibus. Tandem verò *Hieroſolyma* occupata, Regni ſedes, quod accidit ſub finem hujus Seculi, ut dictum modò eſt. Quo tempore Rex Hieroſolymorum merito ſuo proclamatus idem Bullioneus, Diadema *aureum* ſpecie humilitatis geſtare renuit. Sub Regno hoc Hieroſolymitano fuêre: 1. *Edeſſæ* Principatus, in regione trans-Euphratenſi Meſopotamiæ, ad Seleuciam uſque versùs Ortum, & Taurum montem ad Septentrion. extenſus, incluſâ Urbe Samoſatâ, *Balduino* primùm occupante A. MXCVII. 2. Principatus *Antiochenus* in Cœle-Syriâ, ceſſurus *Boamundo* Tarenti Principi, A. MXCVIII. ac latè extenſus in Ciliciam uſque ab occaſu, & Maracleam maritimam ab ortu: 3. Comitatus *Tripolitanus* Phœniciæ Maritimæ, complexus omnem oram maritimam uſque ad fluv. *Adonim*, qui inter Byblum & Barutum in Mare influit, ac ceſſurus tùm *Raymundo* Comiti Toloſano: 4. Tandem *Regnum Hieroſolymit.* reliqua Phœniciæ Maritimæ, Galilææ, Samariæ, Judææ, ad fines uſque Idumææ & Ægypti, ſuo ambitu comprehendens; *Arabum* vicinis Regulis qui ſuberant Sultano Perſiæ, vel Ægypti, eidem factis tributariis. Mortuus Godofridus ex morbo VIII. Julii A. MC. ætatis XL. annorum, primo anno regni, ſucceſſorem habiturus nihilo degenerem *Balduinum* fratrem. Quæ prolixè à memoratis Auctoribus recenſentur. Duravitque hoc Regnum Hieroſolymitanum ſub Principibus Chriſtianis, ad captam à Saladino Hieroſolymam, annos circiter LXXXVIII. ad A. MCLXXXVII.

Fabula de Lanceâ, & aliæ.

5. *Fabulæ* autem plures ſunt quas in hujus Expeditionis Hiſtoriâ, antè captam Hieroſolymam, intermiſcent, Robertus Monachus in Diœceſi Remenſi, qui præſens interfuit, incipiens à Concilio Claromontano A. MXCV. Raymundus de Agiles, Capellanus Comitis Toloſani; Albertus Cuſtos Eccleſiæ Aquenſis, in Hiſtoriâ Hieroſolym. Expeditionis; Baldricus Abbas poſteà Dolenſium Archiep. & cæteri; cumprimis etiam Guilielmus Tyrius Archiepiſcop. accuratiſſimus ejus Hiſtoriæ Scriptor. Inter eas inſignis eſt illa de *Lanceâ*, quâ Domini Corpus fuerat perforatum, repertâ opportunè in extremâ anguſtiâ, & penuriâ rerum omnium, poſt captam Urbem Antiochenam, A. MXCVIII. revelatione cœlitùs factâ duobus *Sacrificulis* Gallis, è ditione Com. Toloſani, & apparitione *Andreæ* Apoſtoli, qui locum deſignarat in *Eccleſiâ S. Petri*, ubi latitabat venerabilis Lancea. Quo ſolatio accepto, novi univerſis Cruciatis animi, etiam anxiis Principibus, facti ſunt. Referunt ad unum omnes quos modò indicavi, ipſeque Guil. Tyrius, *Lib.* VI. C. XIV. Quamvis poſteà fraus deprehenſa, non uno indicio, fallente Sacerdotem ipſum *probatione per ignem*, quam dira mors ſtatim inſecuta eſt, apud eundem *Lib.* VII. C. XVIII. pluribus hæc referente etiam Maimburgio Jeſuitâ, quamvis ſubridente, in Hiſt. Cruce-Signatorum, L. II. Dein apud præfatos Hiſtoricos, ex Clauſtrali Diſciplinâ pleroſque ortos, legas *Viſiones Angelicas*, apparitiones *Virginis*, *Apoſtolorum*, revelationes factas *Monachis*, Eremitis, & id genus *Miracula*, præſidium ſolitum Monachorum. At miraculi inſtar fuit, virtus Francorum Ducum incredibilis, nihil moræ interponentium, tùm in expugnandâ conſervandâque præcipuè Antiochiâ, Capite Orientis; tùm in expugnandâ Hieroſolymâ; ubi fortitudo eorum Ducum, præcipuè Godofridi Bullionei, humanâ major, apparuit.

III. *Fœda Romanæ Eccleſiæ facies; Corruptio, & Apoſtaſia, hoc Seculo.*

Conſenſus univerſalis Hiſtoricor.

I. Teſtes ſunt quotquot ſunt Hiſtorici, etiam medio in Papatu, ac primò *Benno* Cardinalis hujus Ævi Scriptor, multis ſuſpectus odio Paparum, quos exagitat; Baronio cumprimis, cui eſt *Schiſmaticus*, *maledicus*, *mendaciſſimus* Auctor; nempè creatus Cardinalis à Clemente III. Antipapâ, decreto Synodi Brixienſis, poſt depoſitum Hildebrandum. Sed & teſtes alii fide digni, Glaber Rad. Petrus Damiani, Guil. Tyrius, Otto Friſingenſis, Urſpergenſis Abbas, Aventinus, Nauclerus, &c. nec diffitentibus Baronio, Genebrardo, reliquis. Hinc auctor Faſciculi Temporum; *Tempus effœminatum incepit circà A. Domini* M. *in quo fides Chriſtiana valdè cœpit deficere*; *Chriſtianitatis nec Sacramenta, nec Eccleſiaſtici ritus ſervabantur*; *Erat Sacerdos ſicut populus*, & quæ ibi plura. Guil. Tyrius, Libro I. C. VIII. de temporibus quæ Bellum Sacrum præceſſerunt, atque adeò de toto hoc Seculo: *In Occidente, & in omni pene Orbe terrarum, maximè inter eos qui fideles dicebantur*, id eſt, Papæ obnoxii, *fides defecerat, & Domini timor erat de medio ſublatus, perierat de rebus juſtitia*, &c. *Nec Clerus à populo vitâ nobiliore differebat*; *ſicut populus ità & Sacerdos. Nam Epiſcopi negligentes facti erant, canes muti, perſonarum acceptores. Simoniacam non declinantes hæreſim, Guezi ſordibus & maculâ fœdati*; &c. Ut ſileam reliqua, quæ apud dictos Auctores legi poſſunt, citatos etiam Uſſerio noſtro, Libro de Succeſſ. Eccleſ. C. III.

Vitæ Paparum aliquot, quales?

II. Intelligitur verò id ipſum luculenter, primò ex *Vitis Paparum* hujus Ævi. A Sylveſtro II. ad Gregorium VII. plures Papas fuiſſe *Necromanticos*, teſtatus eſt Benno Cardinalis, in Vitâ & Geſtis Hildebrandi, hoc nomine inviſus Baronio, ad Annum DCCCCXCIV. uti Onuphrio, & aliis. Tales fuiſſe Sylveſtrum II. Benedictum IX. Gregorium VI. Johannem XIX. Leonem IX. Alexandrum II. &c. Omnes penè fuiſſe Magos, Platina & Nauclerus tràdunt. Quanquàm *Magiæ* accuſatio familiaris fuit, in tantis ignorantiæ ac ſuperſtitionis tenebris, in eos qui vel ingenio, doctrinâ, vel aſtu & malis artibus, aut maleficiis rem gererent, vel etiam qui Matheſeôs aut Aſtrologiæ ſtudio deditì eſſent: Quod poſterius de *Gerberto*, qui poſteà Sylveſter II. (anteà *Scholaſticus* dictus, ut ſolebant Monachi, qui in *Scholis* Monaſteriorum literas traderent) non ipſe modò Dithmarus Merſburgenſis, Scriptor coævus, Chronici *Libro* VI. ſed & Gerberti ſcripta teſtantur, inter quæ Epiſtola de *Sphæræ Conſtructione*, item *Geometria*, & *Rhythmomachia* ejuſdem Gerberti, inter Anecdota, de quibus Mabillonus Analectorum T. II.

Monſtra certè hominum fuiſſe, inprimis *Sylveſtrum* II. larvâ depoſitâ ex quo Papatûs culmen conſcenderat, tùm *Benedictum* IX. *Gregorium* VI. inſignes Antichriſtos, Simoniacè intruſos, vitâ flagitioſos, regimine tyrannos, artibus diabolicos; alterum etiam puerum vix *decem*, aliis *duodecim* annorum, nempè Benedictum IX. iiſdem Auctoribus conſtat.

Plerique Simoniaci, aut vi intruſi, ignavi, adulteri, ſanguinarii, feroces, ſuperbi, nonnulli valdè ignari, ut quoque de *Gregorio* VI. prædicant, qui in Synodo apud Sutrium prope urbem Romam coactâ, auctoritate Henrici Imperat. *Simoniacus probatus* eſt, hinc ad *Infulam exuendam* coactus, ex Leone Oſtienſi, Ottone Friſingenſi, Chronographis aliis. Nec eſt quod excipiat Baronius, *pati* Eccleſiam, non *agere*, quum in eam *introducuntur monſtra*. Atqui *monſtra* fiunt, ipſo aditu Papalis omnipotentiæ, quando jam omnium Judices, *à nemine judicantur*. Et ſiquidem ſine Capite Eccleſia nulla eſt, Corpus ex tali Capite monſtroſum fieri neceſſe eſt. Interim probavit Rom. Eccleſia tales, ut *legitimos* Pontifices, & vice Chriſti in Eccleſiâ ſedentes; quo ipſo non *pati* tantùm, ſed & *agere* cenſenda fuit, doctrinâ illâ ipsâ, & obedientiâ talibus monſtris probatâ.

Triceps Rom. Eccleſia.

III. *Triceps* tùm fuit Romana Eccleſia, omnium conſenſione, ex dictis Hiſtoricis, Oſtienſi & Friſingenſi, item Hermanno, Platinâ, & aliis, nec negare auſo Baronio ad Annum MXLIV. Nempè Papis *Benedicto* IX. qui jam annos decem ſederat, tùm *Sylveſtro* III. in Schiſmate electo, tandem *Johanne* Archipresbytero Romano, qui Pontificatûs inſignia uſurpavit, ac Sedem magno redemit, ex Leone Oſtienſi, in *Chronico Caſſin.* Multis idem cum *Gratiano Presbytero*, qui & *Gregorius* VI. appellatus. Sed ab aliis, & ipſo Baronio, diſtinguitur hic Gratianus, (qui Gregorii VI. nomen accepit) à Johanne Archipresbytero ad Portam Latinam, ex Petro Damiani, ad A. MXLIV. Et hi tres ſimul *Anti-Papæ*, diviſis ſimul cum reditibus Patriarchiis; unus ad S. Petrum, alter ad S. Mariam Majorem, tertius nimirùm *Benedictus* in Palatio Lateranenſi ſedit, *turpem & flagitioſam vitam ducentes*, ut teſtis eſt Otto Friſingenſis *Lib.* VI. C. XXXII. Abdicandus tandem & ipſe hic Gregorius, auctoritate Henrici II. Anno MXLVI. ac in Germaniam ducendus, ne turbaret abſente Principe, ſubſtituto *Clemente* II. ex Bambergenſi Epiſcopo deinceps Papâ. *Platina* Benedictum IX. Sylveſtrum III. & Gregorium VI. (pro legitimo Pontifice habitum Baronio) vocat *tria teterrima monſtra*. Porrò *Benedictum* IX. (ter quaterve invaſorem Pontificatûs, poſteà abdicati, & venditi, etiam poſt ſublatos *Clementem* II. & *Damaſum* II. XXIII. dierum Pontificem, ac veneno ſublatum operâ Benedicti, ſi fides Bennoni Cardinali) habet tamen hic Purpuratus etiam pro legitimo Pontifice, totis annis XII. ac vero Petri ſucceſſore, Canonizationum, Palliorum, Privilegiorum, &c. ſupremo diribitore. Quem tamen fuiſſe omnium ſcelerum & libidinum officinam, Simoniacè intruſum largitionibus Patris, ſcortatorem, adulterum, veneficum, *magno omnium Fidelium ſcandalo vitam ducentem*, ne ipſe quidem negare auſus eſt Baronius, ubi de depoſitione Benedicti, ad Ann. MXLIV. Sed qui iterùm invaſurus Papatum fuit, & *tertiò* poſt mortuum Clementem; etiam *quartò* ſubducto Damaſo; quando rurſùm *Romana Sedes invaſoris Benedicti fœdata ſpurcitiis fuit*, ut idem Annalium Scriptor, ad A. MXLVIII. N. I. Imò poſt mortem Leonis IX. Anno MLIV. turbaſſe adhuc Eccleſiam auctor eſt Benno Cardinalis; quanquam Baronius tum *vivendi finem feciſſe hominem nefarium, quem Deus condemnatum ad Inferos voluit omnibus innoteſcere*. Hinc refert ibidem Purpuratus, quæ ſcripſit Petrus Damiani in *Epiſt.* quadam ad Fratres Eremi; ut videlicet terribili ſpecie monſtri immanis, apparuerit Benedictus poſt fata, Vaclo cuidam viatori; nempè monſtrum erat, *in aures Aſelli caudamque deſinens, cætera Urſus. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigeſceret, fugamque præcipitem formidoloſus iniret, informe prodigium humanæ vocis verba formavit: Noli*, inquit, *ô vir expaveſcere, olim me hominem fuiſſe, ſicut & ipſe nunc es, procul dubio crede*; *ſed quia beſtialiter vixi, poſt finem vitæ beſtiæ præferre ſpeciem merui: Porrò cùm ille perquireret, quis fuiſſet*; *Ego, ait, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ Sedis apicem indignus obtinui: Inquiſitus autem, quidnam retributionis haberet*; *Nunc*, inquit, *uſque ad diem Judicii, per dumoſa, atque ſqualentia, per ſulphurea loca, atque fœtorem exhalantia, atque incendiis perflagrata rapior atque pertrahor. Poſt extremum verò Ju-*

Benedictus IX.

Digitized by Google

Judicium corpus meum, ſimul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis ſpes in poſterum reſtet. Poſt hæc verò & hujuſmodi verba diſparuit. Agnoſce fabulam Monachalem, ſed cui Benedicti flagitioſa vita dedit originem.

Tyrannis, & Schiſmata Papar.

De *Tyrannide* Paparum in Imperatores, Regeſque, ac cumprimis Gregorii VII. plura *Capp.* ſequentibus. *Schiſmata* Paparum, qualia hoc Ævo plura, Chronographi recenſent, & Platina in Vitis Pontificum. Favet iis ſemper *Anti-Papis* Cæſar Baronius, qui magis aut in Principes ſuperbi, aut in ſuperſtitiones proni, quales hoc Ævo Benedictus IX. Gregorius VI. Alexander II. Gregorius VII. Victor III. Paſchalis II. de quibus infrà.

Cleri univerſi Corruptio. Collapſa Diſciplina omnis.

IV. Intelligitur quoque miſeranda facies ex *Cleri*, toto hoc Seculo, infandâ corruptione, Cardinalium, Epiſcoporum, Sacerdotum, Abbatum, Monachorum, ut ſuprà ex Hiſtoricis monitum. Corruptionis argumenta ſunt, & capita potiſſima; Craſſa quam diximus ignorantia; ætas ſæpè inhabilis, in pueris ad Epiſcopatus admotis; Simonia, ut Romæ, ſic ubique recepta, Baronio frequentiſſimè expoſtulante hoc Seculo; vita diſſoluta; opum conradendarum ſtudium; ambitus dignitatum, præcedentiæ; & quicquid uſpiam concipitur nefas. Baronius in Gregorio VII. ad A. MLXXV. *Num.* III. *Angebat Gregorii animum vehementer* (ſcilicet!) *quod ubique terrarum Chriſtiani orbis morum perverſitas tanta inoleviſſet, in iis præſertim qui aliis exemplo eſſe deberent* Epiſcopis, *ex vitio* Simoniæ, *atque* abominandæ luxuriæ, *ut cùm Clerici tùm reliqui Chriſti fideles inficerentur.* Sexcenta ſunt Veterum, ut Glabri, Petr. Damiani, Sigeberti, Ottonis Friſing. Matthæi Paris, Werneri, Naucleri, in hanc rem collecta teſtimonia, & exempla, plurima apud Illyricum, Balæum in Centuriis, Mornæum, Uſſerium, Hottingerum, &c. ſed & apud Annalium Scriptorem. Quæ, ut cuivis obvia, deſcribere hoc loco & compilare nihil neceſſe eſt.

Adde qui ſpeciatim *Anglicanæ*, aut *Gallicanæ* Eccleſiæ, aliarumque per Germaniam, aut Septentrionem Eccleſiar. Annales conſcripſêre, in Cleri abominanda invecti. Qualis nominatim in Gallis Scriptoribus Glaber Radulphus, hujus Ævi Scriptor, quem *in recenſendâ Hiſtoriâ fidelem eſſe* dixit Baronius, ad A. DCCCCXCVI. N. XXV. in Germanis recentioribus Aventinus, in Anglis Wilh. Malmesburienſis, qui ità, L. III. de Geſtis Anglor. de tempore quo Normanni in Angliam advenêre: *Literarum & Religionis ſtudia obſoleverant. Clerici literaturâ tumultuariâ contenti, vix Sacramentorum verba balbutiebant; ſtupori & miraculo erat cœteris, qui Grammaticam noſſet; Monachi Regulam ludificabant, &c.*

Doctrina impia.

V. Acceſſit collapſæ omni diſciplinæ *Doctrina* abominanda, veraque à Chriſto *apoſtaſia*. Docebunt infrà doctrinæ Hildebrandinæ capita. Ad culmen pervenêre tùm dogmata de *Papæ ſuprematu*, etiam in temporalibus; De non admittendis *inveſtituris Principum*, adeò quidem (fuêre Urbani voces in Concil. Romano, A. MXCIX. apud Dunelmenſem *Chron.* L. II.) *ut res nimis execranda videretur, ut manus, quæ Deum cuncta creantem ſub ſignaculo creant, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obſcœnis contactibus inquinantur.* Sic illa de virtute *Indulgentiarum*; de *Cœlibatu* Sacerdotum; de interceſſione, meritis, virtute, cultu *Sanctorum demortuorum*; de *Mariolatriâ*; de *Reliquiarum* virtute, cultu, quarum mira hoc Ævo multiplicatio & nundinatio; de adoratione *Imaginum*; de *Converſione ſubſtantiali* Symbolorum in Euchariſtiâ; de *Miſſis* pro defunctis, ſeu laborantibus in *Purgatorio*; de *Libero Arbitrio* ad bonum ſalutare, &c. Intelliguntur iſta ſatis ex actitatis contrà Berengarium, ex Decretis & Epiſtolis Gregorii VII. ex Anſelmo Cantuarienſi, & Scriptoribus id genus medio in Papatu. De quibus infrà pluribus dicendum.

Superſtitio etiam nova. Canonica Pœnit. qualis?

VI. Doctrinæ acceſſit iſtorum omnium praxis, ad omnem *ſuperſtitionem* projecta, atque ἐθελοθρησκείαν. Hinc etiam nihil æquè commendatum ac neceſſitas Satisfactionum, Pœnitentiarum; Miſſarum Sacrificia; Legata pro redimendis animabus; Peregrinationes Hieroſolymitanæ ad S. Sepulchrum, quæ tandem in Bellum Sacrum deſierunt, & poſtremò in Peregrinationes Lauretanas. Sic Virtus prædicata *Reliquiarum*, quæ prælatæ jam exercitibus, in terrorem hoſtium; novis in dies acceſſuris, etiam fictorum Martyrum, quales illi *Milites Thebæi*, cum *Mauricio* duce, qui ſcil. ſub Maximiano ceciderunt, in Tractu Inalpino; & infinitæ id genus. Ita in Reliquiis & præſidio *S. Martini*, plurimum fiduciæ repoſitum fuit, exemplo in *Dial.* Hugonis Turonenſis ad Fulbertum Carnotenſ. apud Mabillonum, *Annal.* T. II. p. 363. 364. Ubi laudatur Hugo, *quod illi, poſt Deum, in Martino repoſita eſſet maxima portio ſperandæ ſalutis.* Ita ad *Interceſſionem Martini*, (in dedicatione Eccleſiæ Turonenſis, quæ conflagraverat Anno Roberti Regis V. & ædificata A. MVIII.) dicitur Deus tot ipſi *animas conceſſiſſe, ab Inferis per eum reportandas, quot ad Dedicationem hujus Oratorii* (S. Martini) *hodie conſtaret adveniſſe*, ut pluribus in eodem *Dialogo*. Ac nihil peræquè auditum, ac ficta Miracula, fictæ Apparitiones animarum, Revelationes divinæ, ſimiles gerræ Monachales, quibus ſcatet pagina Baroniana. Novæ etiam ſuperſtitiones inductæ, uti *Sabbatum Marianum*, inſtitutum ab Urbano II. anno MXCV. in Synodo Claromont. occaſione Expeditionis Hieroſolymitanæ, id eſt, Officium B. Mariæ quovis Sabbato recitandum, vel horariæ preces ad Mariam, inſtitutum promoturam. Sic Feſtum *Omnium Animarum*, in 2. Novembris inſtitutum, auctore primo *Odilone* Abbate Cluniacenſi, tempore Damaſi II. ex Petro Damiani, Glabro, Sigeberto, nempè poſt viſionem quandam in Siciliâ, animas orationibus *Cluniacenſium* Monachorum liberari ex Purgatorio; quemadmodum ferunt, ex Petro Damiani, liberaſſe Odilonem animam Benedicti VIII. nuper Pontificis, & pluribus Baronius ad A. MXXIV. *Num.* II. Sic uſus *Azymorum* in Euchariſtiâ, tempore Leonis IX. non diffitente Bonâ Cardinali, poſt Sirmondum: *Sphærulæ precatoriæ*, auctore Petro Eremitâ Ambianenſi, de quo ſuprà *Cap.* II. ex Polydoro Virgilio, uſitatæ quoque illæ Muhammedanis, & Indis Idololatris; quibuſcum *Sphærulis* pingunt etiam Mariam Virginem, & Diſcipulos euntes in Emmaus, uti *Monachos Cucullatos* in nuptiis B. Virginis, facientibus in Italiâ Titiano, & Roſſo. Adhæc *Pœnitentiæ* Canonicæ redemptio, ac converſio in *mulctas* pecuniarias, in *donationes*, *peregrinationes*, *decantationes Pſalmorum*, &c. ſub Victore II. Papâ, fatente Baronio ad A. MLV. *Num.* IX. & ſeq. *Aperta eſt in Eccleſiâ janua Pœnitentiæ redemptionis, ne quis ex hac vitâ præventus morte decederet, factumque eſt ut breviori compendio temporis, ſatisfaceret. Quæ quidem redemptio multiplici viâ, quo unicuique hominum ſtatui proſpectum eſſet, ut fieri poſſet, conſultum optimè fuit; nimirum ut qui divitiis affluerent, erogando eas in uſum pauperum, pro quantitate perſoluti pretii, tot redimeret eis annos, quot Lex Eccleſiaſtica conceſſit*; quâ ratione fatetur, *divitibus apertam fuiſſe januam redemptionis.* Mittimus decreta Clero & Monachis profutura, qualia de *perquirendis*, *transferendiſve Reliquiis*, magnâ pompâ & ſolennitate inferendis in Baſilicas recens ſtructas, in Monaſteria, exemplis frequentibus apud Baronium, *Tomo* X. & XI. Nec fraudibus jam, & prodigiis mendacii, & illuſionibus fictarum revelationum, mo-

dus

dus ullus ſuperfuit. De his aliiſque ex Glabro Rad. Petro Damiani, Sigeberto, &c. ex Vitis Paparum, ex Polydoro Virgilio, vel omnium inſtar ex Baronio ipſo, recentiores paſſim, & qui de *Ritibus Eccleſ.* Romanæ commentati ſunt, ut Caſalius, & alii.

IV. *Faſtigium Papalis Tyrannidis, hâc Ætate.*

Papalis Tyrannidis exempla. Hactenùs Imperatoriam majeſtatem reſpexerant Papæ Romani, quantumvis ſubindè reluctantes: Nunc verò dare illi jura Imperatoribus, Regibus, Cæſares eligere, deponere, excommunicare, & efferre ſe immenſum quantùm ſuprà hæc in Terris appellata *Numina*. Exempla videre licet cumprimis, certâ hiſtoriæ fide:

In Sylveſtro II. I. In Sylveſtro II. Anno circiter à Chriſto nato *milleſimo*, qui annus portentis terribilis fuit, prodigiiſque, per univerſum ferè Orbem terrarum, teſte inter alios Glabro Radulpho, cujus verba ſuperiùs adduximus. Et quidem Sylveſtri (*tantâ Sede indigniſſimi* Baronio, *cujus & hoſtis fuiſſet infenſiſſimus*, ob impugnatum Johannem XV. ad A. DCCCCXCIX. *Num.* II.) Antichriſtianiſmus eo luculentiùs apparuit, quod antè Papatum adeptum nemo in Romanorum tum Pontificum tyrannidem, inſcitiam, ignaviam, luxuriam, &c. adeóque in hæc *monſtra* hominum, fortiùs & palàm declamaverit, ac vivis coloribus depinxerit *Antichriſtum* illum *ſedentem in Templo Dei, ac ſe oſtendentem tanquàm ſit Deus*, ut prolixè refert ipſe Baronius, cumprimis ad Annos DCCCCXCI. DCCCCXCII. Quin nemo Gerberto, quod illi antè nomen fuit, meliùs diſtinguere noverat *Imperii* & *Sacerdotii* jura, & hæc ipſa *in Petro Apoſtolo cunctos ſuſcepiſſe Sacerdotes, duces & rectores gregis Chriſti*, &c. ut pluribus videre eſt in Sermone ab eo habito, de Informatione Epiſcoporum, quem Mabillonus *Tomo* II. *Analect.* inſeruit, p. 216. Hujus igitur Gerberti, ex quo Sylveſter fuit, conſpicua fuit Antichriſtiana ſuperbia, ex. gr. In ſuperbis hujus ac ſanguinariis decretis, quale illud apud Papirium Maſſonum, *Lib.* IV. de immani ſupplicio eorum *omnium qui Epiſcopum captivarent*, de quo ſuprà *Cap.* I. Ità in extorſione VIII. *Civitatum* in Marchiâ Anconitanâ, ab Ottone III. cujus præceptor fuerat, *pro ſtatu Papali decentiùs tenendo*, ſi fides *Diplomati* edito cum Gerberti *Epiſtolis*: Quamvis in eo fictas Donationes & alienationes, à prioribus Pontificibus obtentas, revocet: *Octo Comitatus, pro amore Magiſtri noſtri D. Sylveſtri Papæ, S. Petro offerimus, & donamus, ut ad honorem Dei & S. Petri cum ſuâ & noſtrâ ſalute habeat & teneat, &c. Hos autem ſibi ad ordinandum concedimus, Piſaurium, Fanum, Senogalliam, Anconam, Foſſabrum, Gallibeſi, & Auſimum*, corruptiſſimè. Imò in Vitâ Sylveſtri, donaſſe fertur Otto III. *Urbem Vercellenſem cum Comitatu, & S. Agathæ Comitatum.* Adde vim armorum & exercituum ab eodem adhibitam in *Caſenæ* Urbis obſidione: *Caſenam admoto exercitu circumſedit*, ità Sigonius, de Regno Ital. ad A. 1000. Item quòd *ſacræ militiæ claſſicum primus cecinerit*, toti Europæ tandem exitioſæ, falſò Baronio ad A. MIII. *Num.* VI. productâ Epiſtolâ tanquam Sylveſtri hujus, ex perſonâ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſcriptâ, cum hac inſcriptione: *Eccleſia quæ eſt Hieroſolymis, Univerſali Eccleſiæ, ſceptris Regnorum imperanti.* Agnoſce hinc ſuppoſitionem, quamvis unicum ſit pietatis Sylveſtri *monumentum*. Item, quòd *Hungariæ* Ducatum *in Regnum*, & hoc ipſum in Feudum R. Eccleſiæ, converterit, ſi Gregorio VII. fides, citante Baronio ad A. MLXXIV. N. LXXII. Quamvis aliter rerum Ungaricarum Scriptores, *Stephanum* nempè, paulo antè Patris obitum, *Regem* fuiſſe *electum* & ſalutatum, omnium Procerum regni conſenſu, nullo planè tùm interventu Sylveſtri; qui tamen poſt hanc ſibi poteſtatem arrogavit, ut Stephanum *Regio* titulo, & diademate ornaret, ut pluribus in Stephani Vitâ, apud Surium a. d. XX. *Auguſti*. Sub eodem Sylveſtro *Otto* III. quum jura Imperii reſtituere, ac *Romam* ſibi ſubjicere moliretur, veneno ſublatus eſt; quidam conſcio *Sylveſtro*, impatiente Romam fieri Sedem Imperatoris: Alii, à *Creſcentii* viduâ factum, quæ Ottonem amoribus pellexerat, indignata ejus ſubito in Germaniam diſceſſu, quum ſpe conjugii excidiſſe ſeſe cerneret, hinc miſſis ei chirothecis veneno imbutis, ex Dithmaro, Sigonio, Blondo, &c. Plura auſurus Sylveſter, ſi diutius geſſiſſet Pontificatum, qui non ultrà annos IV. & totidem menſes, præfuit.

II. Alterum eſt in *Benedicto* IX. anno à Chriſti paſſione *milleſimo*, id eſt, A. MXXXIII. ab *Alberico* Patre intruſo, ad exemplum fratrum duorum, *Benedicti* VIII. & *Johannis* XX. vel XIX. licet puer eſſet annorum ad ſummum XII. Nempe I. dùm (teſte Bennone de Vitâ & Geſtis Hildebrandi, in *Faſcic. Rerum Expet.* cui Bennoni, haud diu poſteà ſcribenti, multa apud Sigebertum fides eſt,) defuncto Conrado II. Imperatore, Anno MXXXIV. molitus eſt filium ejus Henricum III. omnium conſenſione Procerum electum Imperator. Imperio deturbare, miſſâ coronâ Imperiali *Petro* Hungarorum Regi, cum inſcriptione, In Bened. IX.

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa Coronam.

Sed vana fuit clandeſtina illa molitio Petri, mox ceſſuri, cum Ungaris ſuis, armis Henrici; uti Benedictus IX. ab eo coërcitus, ac depoſitus fuit Anno MXLIV.

2. Dùm Poloniæ Regnum *tributarium* fecit Romanæ Sedi, hoc obtentu, quòd *Caſimirum* hæredem Regni, antè Monaſterio incluſum, & Cluniacenſ. Ordini adſcriptum, diſpenſatione Pontificiâ *Regem* eſſe, uxorem ducere, & filios procreare, permiſiſſet: Nec ſtipulatus tantùm annuum à Polonis tributum, ſed ut certo tempore Poloni omnes, cum tonſurâ Monachali, præferrent ſpeciem habitûs Religioſi, & caput exornarent panno linteo albo, ſtolæ in modum dependente. Refert rem ipſe Baronius ex Joh. Longini, Canonici Cracovienſis, Annalibus, ad A. MXLI. *Num.* III. XI.

Cæterùm hujus *Benedicti*, Simoniacè intruſi, quum *decennis* puer eſſet, rudis omnium literarum, (altero *ad vices Eccleſiaſtici officii exequendas* ſecùm ad Papatum aſſumpto, ità Sigebertus) infamiam, ſcelera, libidines, tragicum exitum, ne ipſe negat Annalium Scriptor. Videndus ad Ann. præcipuè MXLIV. quo deſcribit extrema Benedicti, ex Petri Damiani *Epiſt.* ad Fratres Eremi. De quâ fabellâ jam antè dictum, *Cap.* III. hoc Sec.

III. Nec defuit Papalis ſuperbia in *Clemente* II. quem ex Bambergenſi Epiſcopo Henricus III. (pulſis Antipapis, dein Gregorio VI. ſemet ultrò abdicante, quod Simoniæ convictus eſſet) Papam fecerat, A. MXLVI. Dùm iſte Epiſtolâ quâdam ad Clerum Bambergenſem, ex Bambergenſi *Chronico*, ſcribit: *Romanæ Eccleſiæ flecti omne genu Terreſtrium, pro ejus arbitrio januam Cæli aperiri & claudi*, &c. Item, *Si quis Diabolico inſtinctu pulſatus opponat ſe Romanorum Pontificum decretis*, hunc excommunicari, anathemate obſtringi, morti æternæ addici, &c. horrendâ planè *Excommunicationis* formulâ. In Clem. II. &c.

Huic ſucceſſit *Damaſus* II. A. MXLVIII. qui, quamvis XX. circiter dierum Pontifex, primus omnium Paparum eſt, qui paſſus ſe *coronari* more Regio; nec antè hunc Damaſum vetuſtius exemplum hujus Coronationis, novit ipſe *Ciacconius*, in Vitâ Damaſi, continuandæ in omnibus ſucceſſoribus.

IV. Sed

Digitized by Google

In Leone IX. IV. Sed nec defuit in *Leone* IX. de quo Genebrardus, *Lib.* IV. *primum* fuiſſe *qui Sedem Apoſtolicam ab Imperatorum inveſtiturâ reſtituit*, nempè *exploſo Imperatore*, à quo creatus in Pontificem fuerat, in Conventu Wormatienſi A. MXLVIII. Sed mox increpitus ab Hildebrando, quod *per manum laicam* ſcil. Imperatoris, (quum olim & Exarcho Ravennatenſi ſua eſſent in electione Pontificum jura) ſuſcepiſſet *Pontificatum*, depoſitâ purpurâ, Romam venit *Peregrini* habitu, de novo eligendus, *à Clero & Populo*, ut refert Otto Friſingenſis, Chronici *Lib.* VI. C. XXXIII. De ſuperbis ejus literis ad *Orientales*, & Patriarcham Conſtantinop. dicemus infrà, *Cap.* X. Ac multus hic fuit in vibrandis *Excommunicationum* fulminibus, & in poteſtate Pontificiâ quaquaverſum in *Metropolitanos* exercendâ, ut Ravennatenſem, Gradenſem Patriarch. vel ex Epiſtolis Leonis, & ex ipſo Baronio. Uti primus hic Pontifex in Synodo Romæ habitâ A. ML. Berengarii dogma tanquàm hæreſim damnavit, de quo infrà.

In Victore II. Nicol. II. V. In eadem veſtigia itum à *Victore* II. Germano licet, à quo miſſus in Gallias Hildebrandus, A. MLV. qui Pontificis auctoritate *Berengarii* ſcil. Hæreſim damnaret. Et mortuo Henrico Imperat. ad eum ità ſcripſit Petrus Damiani Card. *Chriſtum* loquentem inducens: *Ego te quaſi Patrem Imperatorum eſſe conſtitui; ego Claves totius univerſalis Eccleſiæ meæ tuis manibus tradidi, & ſuper eam te mihi Vicarium poſui*, &c. *Et ſi iſta pauca ſunt, etiam Monarchias addidi, imò ſublato Rege de medio, totius Rom. Imperii vacantis tibi jura permiſi.* Refert ipſe, inter alios, Baronius ex Caſſinenſi Bibliothecâ, ad A. MLVII. *Num.* III.

VI. Nec alius fuit *Nicolaus* II. ut nihil dicam de *Benedicto* X. per vim & largitionem invaſuro Papatum, & cujus imperitia tanta fuit, *ut ne Homiliæ quidem verſiculum valeret exponere*, ita Petrus Damiani Epiſt. XIV. Sub iſto Nicolao imitaturo faſtum *Nicolai* I. in Lateranenſi Concilio decretum, Anno MLIX. ut electio Romani Pontificis eſſet *imprimis* penes *Cardinales Epiſcopos*, referente & Gratiano *Diſt.* XXIII. *Cap.* In nomine Domini. Quum tamen, electo ab Imperatore *Clemente* II. in jus Imperatorium, circà Electiones, juraſſent paulo antè Romani. Sed deinceps *Cardinalitium* jus prævaluit, & prius illud *Cæſareum* vi illatæ Pontificibus, Baronius & gregales adſcribunt. Quamvis *Nicolaus* II. ut ex Actis Concil. conſtat, in ſpeciem confirmavit privilegium Imperat. ut abſque ipſius aſſenſu Rom. Pontificis electio rata non eſſet: *Salvo debito honore & reverentiâ dilecti filii noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, ſicut jam ipſi conceſſimus, & Succeſſoribus illius, qui* NB. *ab Apoſtolicâ Sede hoc jus perſonaliter impetraverint.* Subjicitur dirum *anathema*, in omnes qui Rom. Eccleſiam conturbare, aut contrà hanc Synodi ſententiam facere, præſumpſerint.

Hic ipſe eſt Nicolaus II. qui tranſactione factâ cum *Roberto Guiſchardo* Nordmanno, Apuliæ & Calabriæ Duce, ab eodem obtinuit reſtitutionem *Ducatûs Beneventani*; Utque cùm ipſe tum ſucceſſores, Papam agnoſcerent *Dominum Feudi*, eique tributum penderent, ratione Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ (ubi hi Saracenos expuliſſent) ſeque Duces eſſe *Dei & Ap. Petri* gratiâ; deindè & *Reges* appellandos. Et in eo fundatum hodieque jus Papæ Rom. in Regnum Neapolit. Juramentum Fidelitatis Papæ præſtitum, exhibet Baronius ad Ann. MLIX. N. LXX. Vide & Maimburgium *Decad. de l'Empire* L. II. *pag.* 256. 257.

In eadem Synodo Lateran. ſub Nicolao II. damnata & diris devota Hæreſis, quæ aſſereret, *Panem & Vinum in Sacramento, poſt Conſecrationem, ſolummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri eſſe, nec poſſe ſenſualiter*, NB. *niſi in ſolo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel dentibus fidelium atteri*; abjurare coacto Berengario, ut pluribus infra.

VII. Longiùs progreſſus eſt *Alexander* II. antè Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, qui non expectato Henrici Imp. aſſenſu, à Cardinalibus electus, & in Sede Pontificiâ firmatus fuit, factione Hildebrandi A. MLXI. opponendo illi Anti-Papâ *Honorio* II. anteà Parmenſi Epiſcopo, tandem verò causâ cadente in Conc. Mantuano A. MLXVII. Alexander verò Romam citare auſus fuit (ut pluribus ex Urſpergenſi Abbate, Ottone Friſing. &c. intelligere eſt) *Henricum* IV. ad cauſam dicendam, meritò indignatum in electione ejus Pontificis violata fuiſſe jura Imperatoris: Decernente præterea eodem Alexandro, ut Pontificis electio eſſet penes *Cardinales ſolos*, excluſis Imperatoribus; quod in Concilio Mantuano firmatum, A. MLXIV. in quo depoſitus *Cadalous* Antipapa, antè Parmenſis Epiſcopus: Cujus tamen Concilii Acta non extant. In Alex. II.

Cumprimis acerrimus fuit hic Alexander in oppugnando jure *Inveſtiturarum*, negato *Laicis* quibuſcunque, id eſt, Regibus & Principibus, ut his nefas eſſet nominare ad Epiſcopatus vel Abbatias, in ſuis Regnis, vel ratam habere eorum electionem; ſcil. *inveſtiendo* ſeu mittendo in poſſeſſionem ſuorum Beneficiorum, additis quidem Symbolis, *Baculo* vel Virgâ, tùm & *Annulo*, quæ erant inſignia Dignitatis, & conſenſûs Regii, & Infeodationis ratione Beneficiorum temporalium. Et hoc potiſſimum nomine indicta Romæ Synodus, A. MLXIII. contrà *Simoniacas Ordinationes*, ut loquebantur, hanc cauſam præ cæteris agente Hildebrando, quam *reſtitutionem Eccleſiaſticæ libertatis* interpretati ſunt. Multo magis negatum hoc obtentu jus eligendi, vel approbandi electionem Rom. Pontificis, quod penes Imperatores conſtantiſſimè fuerat, & exercitum noviſſimè ab *Ottonibus* & ab *Henrico* III. qui Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. vel elegerat, vel aſſenſu ſuo firmarat; *Te facit ipſe Deum.* Ita jus eligendi vel nominandi ad Epiſcopatus, Abbatias, fundatum in dotatione Principum, & collatione Beneficiorum, hactenùs conſtanter obtinuerant Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Auſtraſiæ &c. Reges: Et hoc Seculo, ipſi in Anglis *Canutus*, *Eduardus*, *Haroldus*, *Guil. Conquæſtor*, quantumvis hic à Papâ Alexandro animatus bellum ſuſcepiſſet, eique victorias omnes & *cuncta felicia accepta ferret*, ut Annalium Eccleſ. Scriptor, ad A. MLXVI. Videantur Waltramus apud Goldaſtum, Matt. Paris, W. Malmesbur. &c. & *Francorum Annales* ad hæc tempora, quos edidit hoc Sec. P. le Cointe; præter Thomaſſinum prolixo Opere de *Beneficiis*, P. De Marca de *Imperio & Sacerdotio*, Maimburgium de *Imminut. Imperii Occident.* ad hoc Seculum, *Lib.* III. & alios juris *Regii* & Imperatorii ex profeſſo vindices benè multos.

Eidem Alexandro II. adſcribit Baronius depoſitionem *Haroldi* Anglorum Regis, & jus translatum in *Guilielmum* Nordmannum Conquæſtorem, qui *obedientiam* Papæ promitteret, à quo & belli *Vexillum* accepit. Idque bellum, ut à Guilielmo *ſuſceptum auſpicio Pontificis*, ſic & felicem ſucceſſum deberi *Romani Pontificis in Cœlo regnantis favori*, addit ille non ſine ſpecie blaſphemiæ, ad A. C. MLXVI. N. VIII. Quanquàm Haroldus legitimâ electione ſucceſſiſſet *Eduardo* vulgo Confeſſori, & ad Regni Proceres ſpectaſſet totius Cauſæ cognitio: Non auditus is quoque Pontifici, nec obnoxius hujus judicio; nullis etiam productis *Tabulis* (quicquid obtenderet Guilielmus) quibus hunc Eduardus *Hæredem* ſcripſiſſet. Adi Wilh. Malmesburienſ. L. III. de Geſtis Anglor. Regum, & alios ejus Gentis hiſtoricos, ad Secul. XI.

In Greg. VII. de quo poſteà.

VII. Speciatim hæc Papalis ſuperbia ſe exeruit in *Gregorio* VII. cognomento *Hildebrando* : Cujus ſuprà omnes tyrannis conſpicua fuit, & in quo Antichriſtianiſmus vim cumprimis ſuam exeruit, quoad *Doctrinam*, & *Facta*, ut ſpecialiùs enarramus *Sect. ſequente*. Succeſſit quidem huic Gregorio, poſt biennii fere Inter-Pontificium, *Victor*. III. ex Abbate Caſſinenſi : Sed præterquàm nonniſi *menſium quatuor* Pontifex fuit, & hunc *Schiſmaticè* electum fuiſſe à *paucis* factioſis, notatâ *verſutiâ*, *ambitione*, *inconſtantiâ*, & *nefandiſſimis actibus* ejuſdem Abbatis, docet Epiſtola Hugonis Lugdun. Archiepiſc. quam ex Hugone Flaviacenſi, in Chronico Virodunenſi, totam inſeruit Ph. Labbe Jeſ. *Concil. Tomo* x. & in *Nova Bibliothecâ* ſuâ Librorum Mſs. *Tomo* I. Vide & Ottonem Friſing. initio L. VII. Chron. *Victorem invitum pauci de Romanis nocte* conſecrandum ſiſtunt.

In Urbano II.

VIII. Conſpicua eadem tyrannis luculentiſſimè fuit, in *Urbano* II. ſucceſſore Gregorii VII. ad Papatum admoto A. MLXXXVIII.

1. Hic Imperatorem *Henricum*, Gregorii exemplo, initio ſtatim Pontificat. excommunicat, ſed & Antipapam *Guibertum*, nomine *Clementem*, anteà Ravennatenſ. Archiepiſcopum, cui favebant Henricus Imper. & Guilielmus Conquæſtor. Vide Acta Concil. Tomo x.

2. Galliæ Regem *Philippum* I. ob repudiatam uxorem, & aſſumptam *Bertradam* pellicem, anathemate devincit in Concilio Claro-Mont. A. MXCV. Gallus ipſe quanquàm. Adeò ut Ivo Carnotenſis Epiſc. & ipſe Gallus, *Epiſt*. XLVI. ad Urbanum II. interpretetur, *Coronam Regi eſſe* ablatam, quam ne *reſtitueret impœnitenti* hortatur. Reverà indignato Pontifice, quod Philippus de Jure Inveſtiturar. Regio nihil remitteret, hinc damnaturus adulterii.

3. *Conradum* Henrici IV. filium, in Patrem rebellem, fovet Urbanus, eique opem ad Imperium obtinendum pollicetur, eâ lege ne *Inveſtituræ* ampliùs fiant à *Laïcis*. Urbano autem Cremonam advenienti obviam ivit Imperator, *ſtratoris* more equum Pontificis fræno ducens, quod ipſe fatetur Baronius, ad A. MXCV. N. VIII.

4. In Concilio *Placentino* Anno MXCV. tempore Quadrageſimæ, fulminat decreta contrà Hæreſim *Simoniacam*, id eſt, quotquot faverent Juri Regio pro Inveſtituris per Annulum & Baculum, ut ſuprà, ſalvâ Conſecratione Clericali : Tum contrà Hæreſim *Nicolaïtarum*, ſic vocabatur doctrina de legitimo conjugio Presbyterorum, Diaconorum, &c. ex Verbo Dei, & vetere Diſciplinâ : Tandem contrà Hæreſim *Berengarii*, quæ qualis fuerit, infrà dicemus.

5. In Concilio *Claro-Montano*, apud Arvernos, Galliæ celebrato, eodem A. MXCV. eadem quæ in Placentino decreta ; Inter alia, definit Pontifex, Eccleſiam Romanam *eſſe in fide caſtam, & ab omni ſeculari Poteſtate liberam* : Hinc nec Epiſcopos, nec Abbates, nec quemquam è Clero *dignitatem de manu Principum recipere* debere, ſed nec Principibus *legiæ fidelitatis Sacramentum* præſtare. Eadem confirmavit anno ſequente, in *Concil. Turonenſi*. Adhæc in eadem Synodo Claro-Mont. inſtituit *Sabbatum Marianum*, de quo ſuprà ; & ad militiam verè *ſacram* hortatus eſt Chriſtianos, fontem innumerabilium ſcelerum, undè maria exundantia Chriſtiano ſanguine, obtentu *S. Sepulchri* è manibus Infidelium vindicandi. Sic in Epiſt. ad Raynoldum Remenſ. Archiep. A. MXCII. minatur ſe *Phinees gladio Madianitas adulteros* (id eſt, Philippum Regem) *perforaturum*, Spicil. Dacheriani T. v. p. 538.

6. *Rogerio* Comiti, Roberti Ducis Nordmannorum filio, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ Ducatum conceſſiſſe fertur in feudum ; & quidem cum *auctoritate Apoſtolicâ*, per iſtas omnes Ditiones exercendâ, ſine Legatis Pontificiis, adeóque cum poteſtate Monarchicâ ; Cauſa indulgentiæ fuit, ut *Normannorum* præſidio adjuti Pontifices, ferociùs in Cæſares inſurgerent. Reclamat verò Cæſar Baronius, T. XI. Annal. ad A. MXCVII. adversùs poteſtatem illam Monarchicam, conceſſam in Regnum Sicil. Quo nomine Hiſpanos in ſe accendit, & decretum Philippi III. adverſus Tomum eum *Annalium*. Diploma Papæ, in favorem Siculi Regis, *interpolatum eſſe*, hariolatus multis ibidem Baronius. Uno verbo Gregorii VII. veſtigiis per omnia inſtitit hic Urbanus. Hujus Epiſtolas varias hactenus ineditas, vide apud dictum Lucam Dacherium, præcipuè *Tomo* V.

In Paſchali II.

IX. Denique, in *Paſchali* II. idem Antichriſti ſpiritus ſe exeruit hoc Seculo, electo A. MXCIX. Quod ex ejus Epiſtolis, & ex Chronicis ejus temporis, Abbate Urſpergenſi, aliiſque, conſtat.

1. Dùm hic pari quo Anteceſſores tyrannide, de *Inveſtituræ* jure contendit contrà *Henricum* Imperatorem, *Philippum* Galliarum, *Wilhelmum* II. & *Henricum* I. Angliæ Reges ; faventibus tùm Papæ Anſelmo Cantuarienſi, Ivone Carnotenſi, & aliis, publicis ſcriptis.

2. Dùm rebellantem in Henricum Imperatorem, & Patrem, hujus *filium*, Papæ obedientiam pollicitum, *ſub ſpecie religionis*, (ut Otto Friſingenſis) & excommunicati Patris obtentu, fovet, adjuvat. *Undè* inter Patrem & Filium dira certamina, *illum* tandem huic futurum ſupplicem, ac *ceſſurum Imperio*, A. MCVI. vi & dolo circumventum, *ut pluribus* videre eſt in *Vitâ* Henrici *IV. apud* Urſtiſium p. 381.

3. Dùm idem, apud eundem Urſtiſium *Tomo* I. tum apud Urſpergenſem, Ottonem Friſingenſ. &c. à Leodienſibus poſtulavit, ut *cadaver* excommunicati Imperatoris tumulatum defoderent, ac deponerent in loco non conſecrato : Undè diu inhumatum manſit, etiam *Spiræ* quò tranſlatum fuit, ubi per *quinquennium* extrà Eccleſiam in ſarcophago jacuit, ut pluribus Urſpergenſis Abbas. Sed Leodienſes, in quos arma etiam excitavit Paſchalis, & factis & ſcriptâ *Epiſtolâ* acerrimè huic Papæ reſtiterunt, de quâ infrà.

4. Dùm idem Henricum V. Imperatorem, contrà fidem datam diris devovet, per ſuos ubique Legatos, quòd jus *Inveſtituræ* rurſus à Pontifice ad ſe tranſtuliſſet Imperator : Sed extorſêre tandem jus illud *Papa*, ut ad ſequentia Sec. nequicquam reſiſtente Imperatoriâ poteſtate. Anathematis formula ita habuit, teſte Conrado Urſpergenſi ad Annum MCII. *Quia tunicam Chriſti ſcindere, id eſt, Eccleſiam rapinis & incendiis devaſtare, luxuriis, perjuriis, atque homicidiis commaculare non ceſſavit ; primò à B. memoria Gregorio Papâ, dein à Sanctiſſimo viro Urbano prædeceſſore meo, propter ſuam inobedientiam excommunicatus eſt atque condemnatus : Nos quoque in proximâ Synodo noſtrâ judicio totius Eccleſiæ, perpetuo eum anathemati tradidimus.*

5. Ita dum Paſchalis *ſacramentum fidelitatis ac obedientiæ*, Papæ præſtandum, omnibus toto Occidente Metropolitanis præſcripſit, inter alia ut jurarent, ſe verè *affirmare quod affirmaret, damnare quod damnaret S. & Univerſalis Eccleſia.* Sic ille in Synodo Romanâ, ad A. MCII. reclamantibus paſſim Epiſcopis & Principibus ; *Promitto* obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici, Domino Paſchali, ejuſque ſucceſſoribus, *ſub teſtimonio Chriſti Eccleſiæ, affirmans quod affirmat*, &c. ut modò dictum. Sed hujus Paſchalis plurima, ad ſequens *Seculum* ſpectant, mortui A. MCXVIII.

V. Gre-

V. Gregorii VII. *Hildebrandi hiſtoria. Facta, & Dogmata, planè Antichriſtiana.*

Rerum facies ſub Gregorio VII.

I. Memorabilis primò eſt circumſtantia illa temporis, quâ *mille* annis præciſè exactis ab Excidio Hieroſolymitano, in *Oriente* quidem *Turcæ* (capto Imperatore Romano Diogene) Syriam, Ciliciam utramque, omnemque penè Aſiam ſubegerunt, & Aſiaticas Eccleſias devaſtârunt, Axano Duce, ex Joh. Scylitzâ, Zonarâ, Guil. Tyrio, aliis Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ Scriptoribus. In *Occidente* verò Sedem Romanam invaſit *Gregorius* VII. A. MLXXIII. anteà *Hildebrandus* nomine, Teutonicè *infernalis* quaſi *titio*, nec ſine omine. Hic humili loco natus, patre fabro lignario (quamvis alii illuſtri familiâ oriundum) Natione Tuſcus, poſt Monachus Cluniacenſis: Qui cum Brunone, nempè *Leone* IX. Romam profectus, ſummam ſibi auctoritatem comparavit, jactatis revelationibus, ex Monacho Cardinalis, dein Cancellarius Rom. Eccleſiæ ſub Alex. II. variis hinc Legationibus ſuperbè perfunctus, quibus inveſtituras Laïcales, & legitima Conjugia Sacerdotum, ſub odioſis nominibus *Simoniacæ*, & *Nicolaïticæ* Hæreſeôs, vehementer exagitarat. Sub hoc igitur Pontifice, (qui ferè rexerat Eccleſiam ſub Gregorio VI. Leone IX. Victore II. Nicolao II. Alexandro II.) ſuperbia ac tyrannis Papalis ad faſtigium ſuum evecta eſt, hinc in Baronianis *Annalibus* cœlo tenùs ſuprà omnes Papas efferendo.

Ejus Necromantia fabuloſa.

II. De *Necromantiâ* nihil modò dicam, cujus poſtulatus eſt Hildebrandus, uti à Bennone Card. ſic à Brixienſi in Norico Synodo, in quâ depoſitus eſt An. C. MLXXX. & à compluribus Synodis aliis, atque Hiſtoricis: Forſan à Diabolicâ aſtutiâ, & à peſſimis artibus, ac jactatis ſomniis, viſionibus, prophetiis, miraculis, editiſque *prodigiis mendacii*, quæ vel apud Baronium ipſum, ab Anno MXLIX. ad A. MLXXXV. (qui emortualis Hildebrando) totis plauſtris videre eſt. Certè Papæ hujus Antichriſtianiſmus conſpicuus fuit:

Mores, Ingenium quale?

1. In *moribus* ejuſdem, quos deſcribit *Benno*, tùm Cardinalis, & illorum unus qui ſe ab Hildebrando ſeparârunt, indè *Schiſmaticus* Baronio, auctor ipſe *Vitæ* & Geſtorum *Hildebrandi*, editus ab Orthuino Gratio, in Faſciculo Rerum Expetend. Videas imaginem hominis ſuprà modum ignei, ardentis, intrepidi, prorſùs impii, perjuri, perfidi, crudelis, Viri ſanguinis, faſtuoſi, ſuperſtitioſi, pertinacis, & inſignis hypocritæ. Conſentiunt ferè Lambertus Schafnaburgenſis, Sigebertus, Urſpergenſis, Marianus, Aventinus, Chronographi alii, ac Contemporaneus Auctor in Syntagmate Tractatuum de Imperiali Juriſd. & Decreta varia Synodorum, ac Comitiorum Imperii, in cauſâ *Henrici* Imperat. contrà Hildebrandum. Ejus verò cum *Mathildâ* Comitiſsâ, filiâ *Beatricis* Thuſciæ Duciſſæ, conſuetudinem loquuntur Hiſtorici, ad cujus deinde nutum Papatus adminiſtratus fuit; Uſque adeò, ità Lambertus Schafnaburgenſis ad A. 1077. *ut nec evadere potuerit inceſti amoris ſuſpicionem*, paſſim *jactantibus Regis fautoribus*, *& præcipuè Clericis*, *quibus illicita*, *& contrà ſcita Canonum* (ſic Monachus) *conjugia prohibebat*, *quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus*; *& Illa furtivis Papæ amoribus praeoccupata*, *poſt amiſſum Conjugem*, *ultrà ſecundas contrahere nuptias detrectaret*. Undè & huic Fœminæ ampliſſimas in *Thuſciâ* & *Liguriâ* ditiones, in *Patrimonium Petri*, Gregorius iſte extorſit. Sic Leo Epiſc. & Card. Oſtienſis, Chronicorum *Lib.* III. C. XLVIII. *A. Dominicæ Incarnat.* MLXXVII. *Mathilda Comitiſſa Henrici Imperat. exercitum timens*, *Liguriam & Thuſciam provincias Gregorio Papæ*, *& S. Romanæ Eccleſiæ devotiſſimè obtulit.* Id eſt, obtulit Papæ, quod reverà redire debuit ad Henricum Imp. ut proximum Hæredem, & ut Feudum Imperii. Hinc bellorum ſemina inter Imperatores & Pontifices, quorum illi *donationem* ipſo jure nullam pronunciarunt.

Ut Pontificatum adierit.

2. In aditu *Pontificatûs* Simoniaco, & fraudulento, poſt magnam vim opum Legationibus ſuis corraſam; *veneno* quoque ſublatis prioribus aliquot Pontificibus, ut ſuſpicio fuit de *Victore* II. veneno Calici immixto; de *Stephano* IX. meditato inveſtituram accipere ab Henrico IV. ſed morte inopinâ prævento; de *Nicolao* II. etiam & *Alexandro* II. ſi fides Bennoni Cardinali. Certè electio illius facta à *Laïcis*, acclamante ſcil. populo, ut fatentur Onuphrius, Ciacconius, eâdem veſperâ quâ terræ mandatus *Alexander*, (pridie mortuus) ſine conſenſu *Cardinalium*; minùs expectato illo Imperatoris, adeóque *Rege inconſulto*, *præter conſuetudinem majorum*, ut conqueſtus eſt Henricus, apud Lambertum Schafnaburg. Quin unum illum in cauſâ fuiſſe, quòd priores Papæ ſine Imperatoris aſſenſu electi fuiſſent ac conſecrati, teſtis eſt Onuphrius in *Greg.* VII. & hiſtoria loquitur. In ſpecie probat hiſtoria electionis *Leonis* IX. per Henricum III. primò factæ, dein declarandæ erroneæ, & violentæ, ſuaſu Hildebrandi tùm Monachi Cluniacenſis, ut refert ipſe Baronius ex Leone Oſtienſi, ad A. MXLIX. N. II. Certum tamen eſt, *expectaſſe* Hildebrandum *aſſenſum* Henrici, datis literis ad Imperatorem, quibus cauſabatur electum fuiſſe *invitum*, *violenter* admotum ad Eccleſiæ gubernacula, nec paſſurum ſe *coronari* aut *conſecrari*, niſi ultimâ Principis voluntate cognitâ. Qui quum miſiſſet Romam *Eberardum* Comitem ad explorandum hujus Hildebrandi animum, & cognoſcendum de cauſâ totâ, deque electione hujus Pontificis, adeò hic larvam induit, adeò ſuam electionem pendere ab aſſenſu *Regis & Principum Teutonici Ordinis* profeſſus eſt, ut Henricus deceptus Romam ablegaret Epiſcopum *Vercellenſem*, ſuum per Italiam Cancellarium, qui Gregorium in Sede confirmaret, ac conſecrationi intereſſet. Hæc ex Lamberto Schafnaburgenſi, cui Onuphrius, Baronius, & cæteri adſtipulantur. Sed fraudem inſignem tacet Annalium Scriptor, ſcil. ſimulantis per fraudem Hildebrandi, donec electio eſſet à Principe ipſo, adeóque omni ex parte, firmata. Ac perſuaſum vellet, ſuæ electioni *verè* repugnaſſe Hildebrandum, & apud Imperatorem tantum onus deprecatum eſſe, ex *Actis* ſcilicet *Vaticanis*, & relatu ipſius Hildebrandi, in *Epiſt.* ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem datâ, mox à ſuâ electione.

Publicata mox Decreta.

3. In publicatis mox *Decretis* contrà jus *Inveſtituræ*, ſeu Imperatorium, ſeu Regium, *Laïcale* dixerunt, etiam in conferentes Beneficia, jure antiquo *Regalia*, ſub pœnâ Excommunicationis. Quod inprimis egerat ſub prioribus Pontificibus Hildebrandus, nunc verò decernit ſtatim à confirmatione ſuâ, ab *Henrico* acceptâ, quem hoc jure, quo placidè gaviſi fuerant ſupremi Principes, & ſucceſſores Caroli M. ſpoliandum ſuſcipit; citato juridicè Henrico ut compareret Romæ coràm Synodo, ad cauſam dicendam, teſte Lamberto Hiſtorico, & ipſo Gregorio in *Epiſtolis*. Acceſſerunt haud diù poſteà *Decreta* reliqua, quæ *Dictatus Papæ* nuncupantur, numero XXVII. quæ etiam apud Binium, Baronium, & in Tomo X. Concilior. *col.* 110. *à nemine* autem *prædeceſſorum ſuorum unquàm attentata*, Onuphrio Panvinio teſte. Quamvis ſagaciſſimus Launoius, *Parte* VI. Epiſt. *Ep.* XIII. probare nitatur Dictatum eum non eſſe Gregorii, ſed *adventitium quid & apocryphum*. Nec ſanè quas ille ra-

Digitized by Google

rationes adfert, admodum ſtringunt: Ut quod quædam ſint, qualiter Titulo I. II. III. &c. *Sanctorum Patrum traditioni*, & *Gregorii Primi* doctrinæ, quin ipſius *Gregorii* VII. repugnantia; ut quando dicit, *Papam* etiam *abſque Synodali Conventu poſſe Epiſcopos deponere*; aut, *Quod Papa ſit unicum nomen in Mundo*, ſeu ut *Papæ* nomen toto Chriſtianorum orbe uni Pontifici Romano daretur: Quod, inquit, noverat Gregorius adverſum eſſe tot in Antiquitate exemplis. Sed & adverſa fuëre, Gregorii tot in Henricum Imper. in Reges, & Principes, auſa variis *Epiſtolis* confirmata, ex quibus hic *Dictatus* ſumma quædam eſt, ac compendium. Et diſertè Baronius, ſententias eas *hactenùs in Eccleſiâ Catholicâ uſu receptas fuiſſe, quibus reprimeretur audacia Schiſmaticorum Principum, hoc tempore in Romanam Eccleſiam inſurgentium.* Quas mox recenſet ad Ann. Chr. MLXXVI. N. XXXI. *& ſeq.* ex noſtris verò Mornæus, Uſſerius, Hottingerus, alii, & exhibent Conciliorum Tomi, in rebus Hildebrandi. Inter alia ſunt hæc Papæ effata, à nemine Prædeceſſorum, ſic Onuphrius in Vitâ Gregor. VII. *unquàm attentata*. Ex. gr. *Quod abſentes Papa poſſit deponere*, Imperatorem, Reges, Principes, Epiſcopos; *Quod cum Excommunicatis à Papâ, nec in eadem domo permanere liceat*, univerſali lege, quoſvis etiam Imperatoris, Regis, &c. miniſtros, in conſcientiâ obligante; *Quod illi ſoli licet, pro temporis neceſſitate novas leges condere*, &c. *Quod ſolus poſſit uti Imperialibus inſignis*; *Quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur*; *Quod Papæ liceat Imperatores deponere*; *Quod nulla Synodus, abſque ejus conſenſu, debeat Generalis vocari*; *Quod ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit*; *Quod à nemine Papa judicari debeat*; *Quod nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem*; *Quod Rom. Eccleſia nunquam erraverit, nec in perpetuum, Scripturâ teſtante, errabit*; *Quod à fidelitate iniquorum* (Imperatoris, Regum, Principum) *ſubjectos poſſit abſolvere*; ut reipsâ *Saxones* primi, *inſtinctu Papæ Hildebrandi*, in Henricum *rebellarunt*, ut Sigebertus in Chronico, ad A. MLXXVII. Horum omnium ſumma fuit, abſolutiſſimum Papæ imperium in Temporalia & Spiritualia; in Imperatores, Reges, quos poſſet deponere; in Mundum univerſum; in Synodos, Epiſcopos, Conſcientias. Et hoc fundamentum fuit eorum quæ auſus Hildebrandus, in *Henricum* Imperat. Et quantum, obſecro, hæc Gregorii Dictata diſtant ab iis quæ habet Gloſſa in Anaſtaſium, *pag.* 63. *Imperator vocabatur Pontifex*; *jubebat fieri Concilia generalia*; *Cognoſcebat & ordinabat de diſcordiis Clericorum in Rom. Eccleſia*; *Audiebat cauſas cum Patriarchis in Conciliis*; *Deponebat Rom. Pontificem*; *jubebat renovari judicium Epiſcopi, à Rom. Pont. jam damnati*; *Intererat per ſe, vel ſuos, in electione Rom. Pontificis*; *Ipſe multabat quoſvis, etiam de crimine Eccleſiaſtico.*

Dictatus Papæ, an verè Gregorii ſint.

4. In ſuperbiſſimis ejuſdem *literis*, ſtatim ab electione, ad Imperatorem, Reges, Duces, ac Poteſtates miſſis, quibus paſſim *ſubjectionem* imperat, ſub anathematis pœnâ; & ut Sceptra ſua tanquàm *Apoſtolicæ Sedis beneficium*, tenerent: Exhibet eas Baronius, ad A. MLXXIII. ac legendæ eæ in Conciliorum *Tomo* X. Edit. ſeu collectionis Labbeanæ, Regiſtro in XI. Libros digeſto, quorum *decimus vacare dicitur*. Prolixum enim foret hoc loco recenſere.

Literæ Greg. ſuperbiſſ.

Sic in literis ejuſdem, legationibus, factis, quibus vendicat Romanæ Eccleſiæ, ut *propria* vel certè *tributaria*, ex falſiſſimis Tabulis, ac narratis, ſolo producente Hildebrando, Regna *Hiſpaniæ*, *Sardiniæ*, *Siciliæ*, *Galliæ*, *Angliæ*, *Poloniæ*, *Hungariæ*, Ducatum *Bohemiæ*, &c. Magnoperè aſſurgente his omnibus Baronio, ut videre eſt ad Annos MXIII. MLXVIII. MLXXIII. MLXXIV. MLXXX. MLXXXI. cui hoc unum negotii datum, Pontificiam majeſtatem extuliſſe, depreſſiſſe Regiam, & Cæſaream.

5. In *creandis* & *deponendis* Regibus, quin Cæſaribus, & brutis fulminibus vibrandis in Imperatorem, Reges, Principes, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Eccleſias, &c. ſæpè etiam *falſis delationibus decepto* Gregorio, ut faſſus nuper Natalis Alex. Idemque Gallus agens de depoſitione Philippi I. Franciæ Regis; *fuiſſe novum, inauditum, ipſoque jure nullum*, quod *Regnum eripere ipſi & ſequeſtrare* auſus fuerit. Plena exemplorum ſunt geſta Gregorii, quæ omnia vel ab uno Baronio requirantur, *Annal.* T. XI. ab Anno MLXXIII. Ità Græcorum Imperatorem eodem anathemate obſtrinxit, in Synodo Romanâ, A. MLXXVIII. Fallitur verò Onuphrius in Vita *Greg.* VII. poſt Ottonem Friſingenſem, & ex his fallunt Maimburgius, Nat. Alexander, recentiores alii, *primum omnium Romanorum Pontificum Gregorium* VII. *auſum fuiſſe excommunicare Cæſarem, ac regno Imperioque privare.* Præiverant pridem Conſtantinus I. adverſus Philippicum Imper. Gregorius II. & Gregorius III. adverſùs *Leonem* Iconomachum, & *Conſtantinum* filium, ut invictis documentis probat noſtra Hiſtoria Imaginum Reſtituta, *Sect.* II. N. VIII. Poſt Hildebrandum verò idem auſuri ſucceſſores, in *Henricum* V. *Fridericum* I. *Fridericum* II. &c. ut ſuis locis indicamus.

Deponendi, Creandive Cæſares, Reges, &c. poteſtas Pont. vindicata.

6. In formulâ *juramenti* planè Antichriſtianâ, quam præſcribit Imperatori Romano eligendo, *poſt* mortem Rudolphi, Sueviæ Ducis, ab Hildebrando electi in locum Henrici, ut pluribus *Baronius ad* Annum MLXXVII. Juraturus nempè fuit, *Se quodcunque illi præceperit Papa, ſub his verbis*, per veram obedientiam, *fideliter, ſicut oportet Chriſtianum, obſervaturum. De ordinatione verò Eccleſiarum, & de Terris vel Cenſu, quæ Conſtantinus Imper. vel Carolus, S. Petro dederunt, & de omnibus Eccleſiis, vel prædiis quæ ab aliquibus Viris vel Mulieribus* (Mathildem voluit Beatricis Tuſciæ Principis filiam) *aliquo tempore ſunt oblata vel conceſſa, & quæ in meâ ſunt vel fuerint poteſtate, ità conventurum cum Papâ, ut periculum Sacrilegii, & perditionem Animæ meæ, non incurram.* Prolixa *Formula* extat *Lib.* IX. Epiſt. Gregorii, ad calcem Epiſt. III. ad Epiſcopum Patavienſem.

Juram. novum Imperat. præſcriptum.

7. In *Bellorum* flammis paſſim excitandis, non modò, in Saracenos, in hoſtes Chriſtiani nominis, ſed & mediâ in Europâ. Quando unius *Gregorii* moliminibus debentur, rebellio Saxonum in Imperatorem Henricum; conturbatio totius Romani Imperii; Germaniæ horrenda vaſtatio; bella cruenta cum Henrico IV. geſta; & reliqua, quorum non ſinè horrore meminerunt Hiſtorici, Benno, Urſpergenſis, Matth. Paris, Sigebertus, Otto Friſing. Lambertus Schafnaburgenſis quamvis Papis favens Monachus, Nauclerus, Aventinus, Onuphrius, &c. Laudat verò & extollit ad unum omnia Cæſar Baronius, *Tomo* XI. Mittimus ejuſdem factitata & ſcripta, quæ attinebant v. gr. Ad *Salomonem* Hungariæ regem, quem increpuit ob Inveſtituram Hungariæ Regni, ab Henrico Germanorum Imper. acceptam; Ad *Robertum Guiſcardum* Normannum, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæque Ducem, quem ut Eccleſiæ juribus infeſtum excommunicavit; Ad *Philippum* I. cui anathema intentavit, variis Epiſtolis in eum expoſtulans; ne de cenſurâ in Archiepiſcopos & Epiſcopos innumeros exercitâ, nunc dicam.

Bella quæ ſuſcitaverit Greg. Excommunicationes aliæ.

8. Speciatim verò in factis Gregorii ergà *Henricum* IV. Imperatorem, laudatiſſimum apud Hiſtoricos Principem; ſed ſuperbiam Papæ, mandata, minas, citationes, fulmina in Conſiliarios ſuos, in Epiſcopos à ſe inveſtitos, in ipſum Imperatorem, ferre neſcientem. Et hoc nomine (Concilio Wormatiæ habito, Anno MLXXXVI. quod Conciliabulum Romani dicunt) Hildebrandum iſte abdicarat, ut

Ejuſdem circà Henric. IV. Imp. auſa.

pri-

Digitized by Google

primum ſine conſenſu Imperatoris Romani Pontificem, ut lupum, ſceleſtum, &c. conſentientibus Epiſcopis pleriſque Germaniæ, & Italiæ, & in iis Sigefrido Moguntino, Guilielmo Ultrajectenſi, Roberto Babenbergenſi, &c. Hinc Gregorii iterata fulmina in ipſum Cæſarem, poſtquam ſibi, callido conſilio, devinxiſſet tres Principes ac potentiſſimas Fœminas, ſcil. Agnetem matrem Imperator. Beatricem Tuſciæ Duciſſam, & Mathildem ejus filiam; Depoſitio ejuſdem Imp. & excommunicatio, dirâ formulâ, Fulmina in adhærentes Henrico, ac ſecuta Imperatoris ab omnibus penè ſuis deſertio; Tum iter Henrici Romanum mediâ brumâ ſuſceptum, A. MLXXVII. & acceſſus ad Papam Canuſii agentem, (quæ Arx Mathildis inexpugnabilis) aſperrimâ hyeme; ſtatus ſupplex Imperatoris in ſignum *pœnitentiæ*, poſito cultu Regio, nudis pedibus, jejuno ſtomacho manè uſque ad veſperam, primo, ſecundo, tertio die, præſtolans ità Romani Pontificis ſententiam; *quarto demum die* in hujus conſpectum admiſſus, ut ipſe Gregorius Epiſtolâ ad Germanos, quæ eſt XII. *Libri* IV. Quando Gregorii inaudita ſuperbia apparuit, conditiones præſcribentis Imperatori verè Antichriſtianas, ſub quibus excommunicatione abſolveretur: *Ut die & loco quemcunque Papa deſignaſſet, evocatis ad Generale Concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet & accuſationibus quæ intenderentur reſponderet; ipſo Papâ, ſi ità expedire videretur, cognitore Cauſarum aſſidente, & ad ejus ſententiam vel retineret Regnum, ſi objecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus Regio deinceps honore indignus, juxtà Eccleſiaſticas Leges decerneretur; nullam ſive amiſſo, ſive retento regno, hujus injuriæ vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus: Uſque ad eam autem diem, quâ cauſa ejus legitimè diſcuſſa terminaretur, nulla Regii cultûs ornamenta, nulla Regiæ dignitatis inſignia, ſibi adhiberet; nihil circà rerum publicarum adminiſtrationem, juxtà conſuetudinem, ſuo jure ageret; nihil quod ratum fore oporteat decerneret: Poſtremò, præter regalium ſervitiorum exactionem, quibus neceſſariò ipſe & ſui ſuſtentandi eſſent, nihil regium, nihil publicum uſurparet: Omnes etiam qui ei ſub jurejurando fidem addixiſſent, ab hujus Sacramenti vinculo, & conſervandæ ergà eum fidei debitæ, apud Deum & Homines interim liberi expeditique manerent: Robertum Babenburgenſem, & Uldaricum de Cosheim, & cæteros quorum conſiliis ſe remque publicam prodidiſſet, à ſuâ in perpetuum familiaritate amoveret: Quod ſi purgatis quæ objicerentur, potens confortatuſque in Regno perſtitiſſet, ſubditus Romano Pontifici ſemper dictoque obtemperans foret, & ad corrigenda quæcunque in Regno ejus, contrà Eccleſiaſticas Leges pravâ conſuetudine inoleviſſent, conſentiens ei, & pro virili portione, cooperator exiſteret: Ad ultimum ſi quid horum prævaricaretur, irritam fore hanc, quæ tantoperè expetita ſit, anathematis abſolutionem; quin jam pro convicto confeſſoque habendum eſſe, neque ultrà, pro aſſerendâ innocentiâ ſuâ, audientiam impetraturum, Principeſque Regni, omni deinceps quæſtione, cunctâ jurisjurandi religione liberatos, Regem alium in quem communis electio conſenſiſſet, creaturos eſſe.* Quæ ſanè dura, & hactenùs inaudita, gratanter Rex accepit, ac juramento interpoſito roboravit; ut Lambertus Schafnab. favens cætera Gregorio, prolixè refert *de Rebus German.* edente Piſtorio, *pag.* 249. Sed Henricus, riſu exceptus ac ſpretus à Longobardis, & Germanis, ac metuens ne ſe abdicarent, reſumpſit animos; hinc verò iterata (vindictæ metu) Henrici excommunicatio, depoſitio; *Rudolphi* Suevi ſubſtitutio, A. MLXXVII. miſſo Imperiali diademate ab Hildebrando, teſte inter alios Helmoldo in Chron. Slavorum *Lib.* I. C. XXVIII. cum Inſcriptione, *Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa coronam*; neget licet Baronius, ad A. MLXXVII. N. XLVIII.

Accedunt, falſa *prædictio* mortis Henrici, pro concione ab Hildebrando facta; bella iſtius cum Rudolpho; Henrici Imperatoris victoriæ; Hildebrandi abdicatio apud *Brixiam* Noricæ; iter Romanum Imperatoris; Romanæ Urbis per Henricum expugnatio; fuga Hildebrandi beneficio Rob. Guiſcardi Normanniæ Ducis; inſidiæ Papales in Cæſarem; novi Pontificis electio, ante *Guiberti* appellati, Archiepiſcopi Ravennat. deindè *Clementis* III. nomine; *Hildebrandi* tandem exceſſus, in exilio Salernitano A. MLXXXV. In quam urbem confugerat Gregorius anno præcedente, in quâ & paulo antè *S. Matthæi Corpus inventum* fuiſſe, refert ejus *Epiſt.* VIII. *Lib.* VIII. Conciliandæ ſcilicet venerationi illi Urbi, & quidem factum ex revelatione quadam, de qua Gregorium certiorem fecit Archiepiſcopus Salernitanus, ut ipſe quoque Annal. Scriptor, ad A. MLXXX. N. LVI. Finis hujus tragœd.

III. Denique in *doctrinâ* Hildebrandinâ, planè execrandâ, in cujus propagationem ſucceſſit Urbanus II. tùm Paſchalis II. & undè dicta eſt *Secta Hildebrandi*, apud Aventinum. *Hæreſes noviter ab Hildebrando inventas, & antiquas ſub nomine pietatis ab ipſo revocatas*, dixêre in Edicto Synodi *Romanæ*, mandato Henrici IV. A. MLXXXIX. apud Goldaſtum T. III. Doctrina Hildebr.

Huc faciunt Capita XXVII. modò indicata, ſeu *Dictatus* Gregorii, quibus ſummam ſibi *Dictaturam* attribuit: Scilicet *de privilegiis Romani Pontificis, atque Apoſtolicæ Sedis*, ut vocat ea Baronius, qui refert ad Synodum VII. Romanam ſub Gregorio; infamante hoc Papâ nomine *Henricianæ hæreſcôs*, aut *Simoniacæ*, quotquot jura Imperatorum Regumque aſſererent. Quem *Dictatum* licet Gregorio abjudicent recentiores, tamen res in iis expreſſas *convenire illius ingenio*, & *factis*, *hi* ipſi fatentur. V. gr. *Quod Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata: Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur Univerſalis: Quod ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare: Quod legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradûs: Quod abſentes poſſet Papa deponere: Quod illi liceat Imperatores deponere: Quod nulla Synodus, abſque ejus præcepto, debeat Generalis appellari: Quod ſententia à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit: Quod à fidelitate iniquorum ſubjectos poſſit abſolvere*, &c. Et reliqua, quæ etiam inſerta ſunt *Tomo* X. Concilior. *col.* 110. Acceſſerunt alia, quæ *doctrinæ Dæmoniorum* in Scripturis accenſentur. Quo enim fervore Hildebrandus, (dein Urbanus II. ac reliqui) poſt aſſertam *Monarchiam* atque *Infallibilitatem* Papalem, reliquorum omnium baſim & fundamentum, damnaverit Κληρογαμίαν, tanquàm *Hæreſim Nicolaitarum*; atque exauctoraverit *Conjugatos* paſſim per Germaniam, Galliam, Britanniam, Italiam, & ubicunque eſſent Sacerdotes, teſtantur omnes Chronographi, inter alios Sigebertus; quem hac occaſione *calumniatorem Gregorii* VII. *iniquiſſimum, & Henricianis partibus addictiſſimum*, appellat ſcriptor nuperus. Idem teſtantur Concilia, Romæ habita, ac Epiſtolæ Gregorii; Et ut hoc nomine *Gregorium Hæreticum*, autorem *veſani dogmatis*, &c. Germani clamitarint, autor eſt Lambertus Schafnaburg. Ut etiam, pari auctoritate, prohibuerit *eſum carnium die Sabbati*, omnibus qui *ſe Chriſtianæ Religionis participes eſſe deſiderarent*; Præthereà adſtruxerit rem *Tranſſubſtantiationis*, & ἀρτολατρείαν; uſum *Linguæ ignotæ* injunxerit, etiam Bohemis, Moravis, contrà conceſſiones illis factas; inter devotionis regulas præceperit, *fiduciam* & *pietatem ergà Matrem Domini*, in Epiſt. ad Comitiſſam Mathildem, quæ eſt XLVII. *Lib.* I. *Quia inter cætera quæ tibi contrà Principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potiſſimum eſt, ut Corpus Domini frequenter acciperes, indicavi*; ſuppoſitâ jam Præſentiâ Cor-

porali. *Et ut* NB. *certa fiducia Matris Domini te omninò committeres, præcepi.* Præter receptos errores, v. gr. de *Indulgentiis*, *Purgatorio*, εἰκονολατρείᾳ, ἁγιολατρείᾳ, λειψανολατρείᾳ, &c. quos intelligere eſt vel ex *Synodis* Romanis, quarum prima à Gregorio indicta A. MLXXIV. ultima A. MLXXXIV. in *Tomo* X. Concilior. & ex dictis *Epiſtolis* Gregorii, atque ex ipſo Baronio Annal. *Tomo* XI. Ne teſtes ejus doctrinæ dicam Bennonem, Sigebertum, Lambertum, Sigonium, Onuphrium, &c.

Gregorium qui hodie excuſent, imò tollant laudibus?

IV. Ex quibus ſanè liquet, quàm non ſine cauſâ Hildebrandus pro *Antichriſto*, & inſigni quidem, tùm eâ Ætate à Synodis variis, Principibus, Epiſcopis, Cardinalibus quoque, habitus fuerit, tùm à Proteſtantibus paſſim hoc nomine deſignetur. Mirum verò eſt, fuiſſe & eſſe etiamnum, qui hominem laudibus in cœlum tollant, non jam à doctrinâ quæ in illo indubia fuit, ut ignorantiâ non peccarit, ſed à *ſanctitate*, *juſtitiâ*, *modeſtiâ*, *clementiâ*, &c. In iis Sigonius, Platina, recentiores, ob aſſertam ſcil. Eccleſiæ libertatem, ſed præ reliquis omnibus Genebrardus, in *Chronol.* Bzovius in *Pontif. Romano*, Cæſar Baronius, prolixâ *Diſſertatione* ad Ann. Chr. MLXXIII. & ad Ann. MLXI. *Num.* XXXI. Ubi, ad electionem Hildebrandi in Cancellarium R. E. ſubdit Purpuratus; *Gratiam Spiritûs S. abundè habitâſſe in eo, adeò ut ſuprà homines divinum quidpiam præ ſe ferret, ejuſdem Spiritûs S. donis.* Hinc & *miraculis*, dono *prophetiæ*, *viſionum* ac *revelationum* gloriâ, eminuiſſe Gregorium, gnathones tradunt, *ſacris Eccleſiæ Faſtis* adſcribendum, in Martyrologio Romano, ad diem XXV. Maji.

Baronius notatus.

Ita Baronius, ex Leone Oſtienſi, refert Viſionem divinitùs oſtenſam cum Gregorius Româ aufugeret, in Caſſinenſe Monaſterium, undè Salernum delatus fuit, ad A. MLXXXIV. N. X. XI. XII. *Cum idem Papa Gregorius Miſſarum ſolennia celebraret, Vir quidam, Johannes nomine, juxtà Altaris crepidinem immotus perſtitit: Cumque ad Altare deflexiſſet obtutus, ſubitò in ecſtaſim raptus, niveo candore Columbam cujus erat aureum guttur, ſuprà eandem Aram adſtare conſpexit. Quæ indè leviter advolans, ac ſuprà dextram Pontificis humerum recubans, alis protinùs expanſis, utrumque protexit; ac tamdiu ſic perſtitit, quouſque commixtio Dominici Corporis & Sanguinis in Calice fieret.* Et quæ ibi reliqua. Undè Baronius, quaſi rem certam narraſſet, ex unîus Leonis fide; *Quid* (inquit) *Columba viſio in Pontifice, niſi Spiritûs S. eum inſtinctu regi ac gubernari? Quid inſuper illud, quod eidem nunciari mandatur, ut rigore Spiritûs S. quod cœpit exequatur, niſi manifeſtum Divino Oraculo reddi, quæ ab eo hactenùs geſta eſſent, ejuſdem S. Spiritûs opere benè facta probari.* Contrà, quicquid demus Gregorium magni & intrepidi animi fuiſſe, multaque illi afficta à Bennone, & fautoribus Henricianarum partium, in id omnes conſentiunt; exceſſiſſe omnem modum, & Limites poteſtatis Eccleſiaſticæ, in iis quæ adversùs Imperatorem, Reges, Principes, facere ſuſtinuit; ne dicam in uſurpatâ in Eccleſiam univerſam, in Archiepiſcopos, Epiſcopos poteſtate. Undè in extremis poſitus, quum Salerni exularet, *pœnitentiam* egiſſe, & *confeſſum* ſcelera, Sigebertus in *Chron.* teſtatur; quæ eludere conatur Baronius, narratione Miraculorum quæ poſt ejus mortem, ſcilicet! accidere. Sic ille ad A. MLXXXV. *Confeſſus eſt Deo, & S. Petro, & toti Eccleſiæ, ſe valdè peccaſſe in Paſtorali curâ, quæ ei ad regendum commiſſa erat, &, ſuadente Diabolo, contrà humanum genus odium & iram concitaſſe.* Addit, miſiſſe unum ex Cardinalibus, *ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat, dimittens vincula omnium ſuorum Bannorum.*

Iterùm.

Indè ſunt diræ Baronii invectivæ in *Scriptores* Vitæ & rerum Henrici IV. Imp. ſed & in *Bennonem* Cardinalem, ſcriptorem Vitæ & Geſtorum Hildebrandi, inſertum *Faſciculo Rerum Expetendarum*, tanquàm in *Schiſmaticum*, *Pſeudo-Cardinalem*, *omnium mendaciſſimum*, *perditiſſimum*, & *ſic* (inquit) *Cajaphas ſcripſerit vitam Chriſti.* Hinc mira Hildebrandi ubique encomia, ſed & ſigna poſt mortem edita, extollente Baronio ad Ann. Chr. MLXXXV. ex Auctore Vitæ S. *Anſelmi* Lucenſis; apud quem hic Anſelmus, *per Mitram Gregorii* (quam hic tranſmiſiſſet Anſelmo, ut *Elias pallium ſuum Eliſæo*) *quædam Magnalia exhibuiſſe fertur.* Hinc contumeliæ Baronii in Henricum Imperator. atrociſſimæ, in Reges, Principes, omniſque eorum Majeſtas depreſſa ad pedes Pontificis. Hinc & invectivæ in *Sigebertum*, *Urſpergenſem*, *Matthæum Paris*, reliquos alicujus fidei hiſtoricos, ne *Bennonem* jam dicam, R. E. Cardinalem. Hinc doctrina Hildebrandina toto *Annalium* opere perſperſa; collectis apud Caſaubonum exemplis, in *Prolegom.* Exercitationum. Æquioribus non modò Gallis, Germanis, ſed & *Onuphrio Panvinio* in Vitâ hujus Gregorii; ubi de *inauditâ*, antè hunc Pontificem, Gregorii audaciâ, qui *primus omnium Romanorum Pontificum* attentare talia præſumſerit adversùs Imperatorem, *cui* antè *Rom. Pontifices ſuberant.* Quæ quidem hîc paucis indicaſſe ſuffecerit.

VI. *Cardinalitiæ Dignitatis atque Auctoritatis hoc Seculo natales.*

Cardinales olim qui fuerint?

I. Cardinales Presbyteri, Diaconi, quinam dicerentur tempore Gregorii I. dein & Seculis VIII. IX. X. nempè Presbyteri & Diaconi in Majoribus ſeu Epiſcopalibus Eccleſiis, *Cardinales* ſeu *principales* dicti, in oppoſitione ad minorum Eccleſiarum Presbyteros, nullâ eorum conſpicuâ ſuprà *Epiſcopos* dignitate, eſt ſuis locis indicatum. Imò hoc adhuc Seculo XI. *Cardinales Presbyteri*, vel *Sacerdotes Cardinales*, dicti in Gallicanâ Eccleſiâ Curiones infrà Epiſcopos, & Archidiaconos, qualiter in Eccleſia Bituricenſi, Trecenſi, Sueſſionenſi, &c. Ut tempore Philippi I. circà Annum MLXXVI. referente Petro Griſio Champino, in *Chron.* Abbatiæ S. Joannis apud Vineas, Diœceſ. Sueſſionenſis; *Presbyter Cardinalis hujus loci, ſicut prius erat, Epiſcopo & Archidiacono de curâ Parochianorum reddat rationem.* Prima autem eorum mentio apud Anaſtaſium eſt, in Stephano IV. ut nemo niſi *Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit*, id eſt, conſtitutus in ordine Clericali, poſſit ad Pontificatûs honorem promoveri. Undè non quidem *nomen*, puta Presbyteri, aut Diaconi *Cardinalis*, ut malè Volaterranus tradit, ſed *auctoritas dignitaſque*, hoc Seculo XI. cœpit; fatente in Chronographiâ Genebrardo *Lib.* IV. *tùm cœpiſſe eſſe in pretio*, ſive ut alii, *novis radiis fulgere cœpiſſe* XI. *Seculo*, ità Natalis Alexander. Ut ſic nugari conſtet, qui *dignitatem* à Clemente Rom. vel etiam à Chriſto, aut à Petro Apoſt. arceſſunt; alii, ut Panvinius, Ciacconius, &c. ab Euariſto, vel Hygino, ſecundi Sec. Epiſcopis Rom. alii aliundè. *Nomen* verò ità derivant à *cardine*, tanquàm qui ſint *Cardines mundi*, *terræ*, *Eccleſiæ*, ut cardini oſtia adhæreſcunt, & ab eo ſuſtentantur, ex *primo Regum*, *Capit.* 2. *Domini ſunt Cardines terræ, & ipſe poſuit ſuper eos orbem*, ut eſt in Oratione Johannis Gofredi S. R. E. Cardinalis, Sec. XV. apud Dacherium, *Tomo* VII. Spicilegii, p. 325. Vel, ut Leo IX. ipſo hoc Seculo, *Epiſt.* ad Michaëlem Conſtantinop. Patriarchâm, paragr. XXXII. *Clericos Papæ Cardinales dici, quod Cardini quo cætera moventur*, Papæ videlicet, (*dum ipſe immobilis permanens ducit & reducit oſtium*) *vicinius adhæreſcant.* Alii dictos *Cardinales*, id eſt, *primos vel præcipuos Prælatos* Eccleſiæ, *Principes* ejuſdem,

Digitized by Google

dem, & ſic ipſe Bellarminus. Imò contenderunt, *Joannem*, *Jacobum*, *Paulum*, *Linum*, *Anacletum*, *Silvanum*, &c. *fuiſſe beatiſſimi Petri Coadjutores & Cardinales*; quod ex Clemente in *Stromatibus* ſuis adſtruit, in prædictâ Oratione, De Dignitate Cardinalium, Joh. Gofredus A. 1468. apud Lucam Dacherium, *Tomo* VII. Spicilegii, p. 326.

Gradus quibus Cardinalitia Dignitas ſurrexit.

II. Prima igitur *Cardinalium* notio hæc fuit, quâ primitus dicti *Presbyteri Cardinales*, qui in Majoribus Eccleſiis fuere Parœciis ſingulis præfecti, tanquam *primi* vel *præcipui ſacerdotum*, πρωτοπρεσβύτεροι, hinc & *Diaconi Cardinales*, ut jam antè obſervatum. Dein ſucceſſu temporis, ſolis Rom. Eccl. Presbyteris vel Curatis, tum & Diaconis, hæc appellatio tributa fuit. Hinc pro Parœciarum vel Baſilicarum vel Regionum Titulis, in urbe Româ, etiam ſortiti ſunt Titulos ſuos, quales hodiéque manent, Cardinalis Presbyter ex. gr. Titulo *S. Mariæ*, *S. Nerei*, *S. Julii*, &c. Deinde factum ut Presbyteri Cardinales præponerentur *Epiſcopis*, quod non factum olim, ne tempore quidem Hadriani II. Ann. DCCCLXVII. Tandem ut *Legationum* Papalium Dignitas ipſis ſpeciatim committeretur à Pontificibus, quod non antè Secul. XI. quo Hildebrandus, Legatus Victoris II. in Gallias, quum *Subdiaconus* tantùm eſſet, caput extulit; de quo Baronius ad An. MLV. N. XVII.

Poteſt. Cardinalitiæ prima hoc Sec. exempla.

III. Igitur poteſtatis Cardinalitiæ primum exemplum Seculo XI. habetur ſub Johanne XVIII. quando miſit in Gallias *Petrum*, unum ex Rom. Eccleſiæ *Cardinalibus*, teſte Glabro, *Lib.* II. C. IV. qui *Romani Pontificis auctoritate aſſumptâ*, Monaſterium quoddam, à Fulcone Andegavenſi Comite conditum, conſecraret. Baronius factum peſſimè refert ad *Johannem*, Antipapam Gregorii V. ad Annum DCCCCXCVI. *Num.* XX. Alterum eſt ſub Benedicto IX. Tùm enim *Cardinales*, à legatis Ducis Bohemorum, qui *Gneſnenſem* Eccleſiam deprædatus fuerat, præmiis ſollicitati feruntur, ut decretum Pontificis in favorem Polonorum, de reſtituendis ſcil. ablatis Gneſnenſi Sacrario, reſcinderent; de quibus Baronius ad Ann. Chr. MXXXIX. *Num.* V. *fuiſſe hos à Benedicto creatos ſui ſimiles Cardinales.*

Dein ſub Leone IX. in Leonis dictâ Epiſt. ad Michaëlem, Clerici Rom. Eccleſiæ dicuntur appellari *Cardinales*, tanquam *Cardini*, id eſt, Papæ, quo cætera moventur, viciniùs adhærentes. Hinc & ſub eodem Pontifice, pro Inſigni Dignitatis, *Mitram* geſtare cœperunt, ut videre eſt apud Ciacconium, qui incipit hoc Inſigni ornare Cardinales, à Leone IX. Ità crevit dignitas ſub Victore II. ſub quo primus Seculi *Princeps* legitur Cardinalis factus, *Fridericus* nempè Lotharingiæ Ducis filius, ex Abbate Caſſinenſi, Titulo *S. Mariæ in Dominic.* Qui poſteà Stephanus IX. vel X. ab Anno MLVII. & qui *Petrum Damiani*, antè Monachum, & ſpecie humilitatis reluctantem, Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem creavit.

Rursùs ſub Nicolao II. in Lateranenſi Concilio, Ann. MLIX. ſtatutum *Cap.* I. *ut electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum eſſet*; qui deinde *Clericos* (ſeu Presbyteros & Diaconos) *Cardinales*, adhiberent, tùm *Clerum* & *Populum*, ſed hos modò in *conſenſum novæ electionis*. Quum tamen paulo antè Romani *juràſſent* Henrico Imperatori, Clementem II. ſubſtituenti Gregorio VI. nullum ſe Pontificem *electuros*, aut *conſecraturos*, niſi ex nutu Principis. Legitur & apud Gratianum ea Conſtitutio Nicolai, *Diſt.* XXIII. Cap. *in Nomine*, *Si quis abſque Canonicâ Cardinalium & Cleri electione*, &c. Sed corruptam eſſe vellent, Sever. Binius ad Concil. Romanum ſub Nicolao II. & Baronius ad Ann. MLIX. N. XXX. XXXI. cumprimis quod *Imperatori* ſervat jus confirmandi electum Pontificem; *ſalvo debito honore & reverentiâ dilecti Filii noſtri Henrici*, &c.

Confirmatum jus idem eſt *Epiſcopis Cardinalibus*, hâc Ætate, ſub Alexandro II. Gregorio VII. & ſucceſſoribus. Jamque haberi cœpti ut *Collaterales* & *Coadjutores* Papæ, teſte Bernardo ad Eugenium Papam; vel etiam (ut hoc Seculo dixit Petrus Damiani, in *Epiſt.* ad Cadaloum Antipapam Alexandri II. apud Baronium ad A. MLXI. *Num.* IX.) tanquàm Romanæ Eccleſiæ, vel Pontificis *oculi*, *lucernæ*, *candelabra*; conferendi cum *ſeptem oculis* unius *Lapidis*, & cum *ſeptem lucernis* unius *Candelabri*, apud Zachariam, & Johannem; ſcilicet Cardinalis & Epiſcopus *Oſtienſis*, *Portuenſis*, S. *Rufinæ* vel *Sylva Candida*, *Albanenſis*, *Sabinenſis*, *Tuſculanus*, & *Praneſtinus*. Idem Damiani Epiſcopos Cardinales vocat, *univerſales Eccleſiæ Senatores*. Nondùm tamen *Presbyteri* & *Diaconi* Cardinales, uti poſteà, in Principatûs illius ſocietatem aſſumpti. Nec antè Alexandrum III. ſequentis Seculi Pontificem, facturum ægrè Friderico I. Barbaroſſæ, *ſolis Cardinalibus* jus eligendi Pontificem datum, excluſis Clero, & Populo; quando illorum dignitas aucta, ut qui *Electores Papæ* evaſerunt.

Incrementum ejuſdem.

Hinc & *legationibus* fungi cœpêre hoc Ævo Cardinales: Qualis fuit modò dicta, *Petri* Cardinalis, in Gallias ablegati, *Pontificis auctoritate aſſumptâ*, ſub Johanne XVIII. Deindè *legationes* variæ Epiſcopi Oſtienſis *Petri Damiani*, ſub Nicolao II. & Alexandro II. Tùm legatio *Hildebrandi*, Cardinalis Subdiaconi, in Gallias miſſi à Victore II. Henrico I. Galliarum Rege, quando Hildebrandus non unam Synodum indixit, *Lugdunenſem* contrà Simoniam ſcilicet, *Turonenſem* contrà Berengarium, A. MLV. in præjudicium juris Regii, & faſtu intolerando. Gratis verò fingunt hoc Ævo *Legatos à latere*, quaſi *à latere Pontificis* divulſos; quales ita fuiſſe appellatos, diſtinctè à Legatis reliquis, nempè *Nunciis*, & Legatis *Natis*, intelligimus demùm ad tempora Innocentii IV. Seculo ſeq. Quanquàm jus illud per *Legatos* adminiſtrandi quaquaversùm res Eccleſiaſticas, contendere hâc Ætate cœperint Pontifices, & cumprimis Gregorius VII. paſſim in *Epiſtolis*, & in *Dictatu Papæ*, ex Gregorii ſaltem doctrinâ & factis excerpto.

Interim dignum obſervatione eſt, hoc adhuc Seculo aliarum quoque Eccleſiarum, præter Romanam, Presbyteros & Diaconos, vocatos fuiſſe *Cardinales* ſeu principales; uti in Galliâ communiter Curati Parœciarum, indè à temporibus Caroli M. veniunt nomine *Presbyterorum* vel *ſacerdotum Cardinalium*. Ac commune pridem id cognominis fuiſſe, in Eccleſiis Majoribus ſeu *Cardinalibus*, dictum eſt nuper; & inter cæteros fusè exequitur Anton. de Dominis, P. IV. *de Rep. Eccl.* A Gregorio tamen VII. reſtringi cœptum eſt ad ſolos *Rom. Eccl. Presbyteros*, Diaconos, tùm ad Epiſcopos ſuburbicarios; uti *Papæ* nomen ad Epiſc. Romanum reſtrictum fuit.

Faſtigium Dignitatis quando?

IV. Notamus, *incrementum* poteſtatis Cardinalitiæ deberi Alexandro III. Seculo XII. ad *ſolos* Cardinales reſtringenti jus electionis Pontificiæ: *Faſtigium* verò dignitatis *Galerum*, & *Purpuram*, Innocentio IV. tùm & Bonifacio VIII. Seculo XIII. Adeò quidem ut in tantum excreverit Cardinalium dignitas, *ut Imperator & Reges*, *niſi inſulſi ſunt*, *tantâ religione publicè & privatim tueantur*, *ut Cardinalibus Regum nullus ſe præferat*; & *conſtet ex Actis Concilii Conſtantienſis*, *primum Cardinalibus*, *deindè Sigiſmundo Imperatori*, *locum datum fuiſſe*; ita ſub Paulo II. in receptione Cardin. Andegavenſis, A. MCCCCLXVIII. *Tomo* VII. Spicileg. Dacheriani, p. 326. Qui Paulus II. addidit *Pileolum rubrum*, Urbanus VIII. titulum *Eminentiæ*, qui tamen hodie etiam datur tribus Electoribus

Digitized by Google

ribus Germaniæ, Moguntino, Colonienſi, ac Trevirenſi, quin & Magno Melitenſium Militum Magiſtro. Hinc his verbis compellantur creandi Cardinales à Pontifice; *Eſtote Fratres noſtri, & Principes Mundi.* De quibus ſuis locis.

VII. *Oppoſitiones hoc Seculo factæ contrà Papalem Tyrannidem, Errores, ac Superſtitiones. Quædam de multis exempla.*

Opponunt ſe Tyrannidi Papal. Romani Impp. I. Exempla prolixè memorantur à Flacio Illyrico in Catalogo *Teſt. Verit.* à Philippo Mornæo in *Hiſt. Papatûs*, ab Uſſerio, *de Succeſſ. Eccleſ. Cap.* v. aliiſque recentioribus, & qui de Eccleſiis hujus Ævi Britannicis, Gallicanis, Italicis, Germanicis, ac de *Juribus* Imperator. commentati ſunt. Nec omnia huc conferre patitur inſtituti ratio. Reſtiterunt in ſpecie Tyrannidi *Imperatores* Germani. **Henricus II.** Nam ipſe Henricus II. Imperator, qui *Sanctis* adſcriptus fuit ab Eugenio III. ob liberalitatem in Eccleſ. Romanam, *Inveſtituræ* jura per traditionem Baculi paſtoralis, (unde tot creatæ à Papis moleſtiæ) in conferendis Epiſcopatibus, Abbatiis, antè conſecrationem Sacerdotalem, conſtanter exercuit hic Henricus, pluribus rei exemplis ex *Chronico* Ditmari Epiſc. Merſeburgenſis, *Lib.* v. vi. vii. ubi de creato & inveſtito Archiepiſcopo Magdeburg. Archiep. Trevirenſi, Epiſcopo Bambergenſi, Epiſcopo Merſeburgenſi in Miſniâ, &c. Semper illibata jura ſibi ſervante Henrico, etiam vindicante contrà ſeditioſos, ut in inthronizatione Archiep. Trevirenſis *Meingardi*, idem Hiſtoricus refert, *Lib.* vi.

Henric. III. Henricus III. cognomento *Niger*, (Baronio Henricus II.) omni virtutum genere decoratiſſimus Princeps, non modò ſibi vindicavit Inveſtituras Epiſcopatuum, ſed ipſius Papatûs Romani, ut ſuprà viſum in Clemente II. Damaſo II. Leone IX. Sed & ſub hoc Henrico Romani jurârunt, ſe abſque *conſenſu Imperatoris & ſucceſſorum, nunquàm Papam electuros*; vehementer indignante Baronio, ad Ann. Chriſti MLIX. & *Schiſmaticis* iſtud tribuente.

Henric. IV. & V. Sic reſtitit Henricus IV. ut conſtat ex ejus in *Gregorium*, qui primus involavit in Imperatorum jura, & in *Succeſſores*, decretis, reſcriptis, factis, ac certaminibus, quæ nulli non indignationem in faſtuoſos atque inhumanos Pontifices pariant. Poſteà & Henricus V. cum *Paſchali* II. diu colluctatus, qui & Pontificem adegit (uti Baronius ipſe ex Petro Diacono, ad A. MCXI. *Num.* XVII. XVIII.) ut redderet Principi Jus *Inveſtiturarum* per annulum & baculum, quod fecit etiam *ſcripto juramento firmato.* Quæ pluribus intelligere eſt, ex Edictis Imperatorum, apud Goldaſtum *Conſtit. Imperial.* Tomo I. V. gr. Ex Decretis Comitiorum *Wormatienſium*, contrà Gregorium VII. Papam, A. MLXXVI. Ex Henrici IV. & Ordinum Imperii Decretis *Brixienſibus*, contrà Gregorium An. MLXXX. Ex ſententiâ *depoſitionis* in eum latâ, cum mandatis abdicationis & depoſitionis ad Papam ipſum directis, &c. Ità ex Edicto *Henrici* V. contrà impia & turbulenta Decreta Paſchalis Papæ, & Concilii Tricaſſini, A. MCIX. & cæteris, à Goldaſto exhibitis, nec inficiato Baronio.

Et Reges Galliæ, Angliæ, &c. II. Reſtiterunt *Reges*, *Principes*, inprimis adverſùs *Gregorium* VII. conqueſtum quod Reges inveſtirent; quod Archiepiſcopos, Epiſcopos, prohiberent ire Romam; quod negarent Pontifici tributum, etiam Juramentum Fidelitatis. Certè fortiter oppoſuit ſe in *Galliis* Philippus I. ſuo jure ſemper uſus, ad exemplum *Hugonis Capeti* proavi, *Roberti* pii, avi ſui, & *Henrici* I. patris. Undè Paparum, & præcipuè *Gregorii* VII. *Urbani* II. indignatio, interpretantium vindicias Eccleſiaſticæ libertatis, & Juris Regii, tanquàm *Simoniæ* crimen, & obtendentium non gratis conferri Beneficia. De quo juris Regii & Libertatis Gallicanæ vindices, Car. Molinæus, Fauchierius, Paſquierius, Pithœus, Hottomannus, Servinus, P. de Marca, P. le Cointe &c. Acceſſit aliud cum Papis litigium, quod *Philippum* vehementer exercuit, divortium à *Berthâ* conjuge, obtentu conſanguinitatis, ex præſcripto ſcil. *Canonum* Eccleſiaſt. & ipſius *auctoritate* Pontificis; ac nuptiæ cum *Bertradâ*, quæ à Fulcone Comite Andegav. diverterat, *octennio* toto poſt ſolutum, Eccleſiaſtico judicio, matrimonium prius cum Berthâ. Hinc anathematum & excommunicationum fulmina, Urbano II. tùm ſedente, Ann. MXCIV. MXCV. Quæ recruduerunt, poſtquàm dimiſſam Bertradam, Synodi Claro-Mont. ſententiâ, eandem rursùs aſſumpſit Philippus, hinc iterùm à cœtu Fidelium ejectus, A. MC. à Legatis Cardinalibus Paſchalis II. Aſt verò, eâ occaſione excommunicati Philippi, vel Regno privati, aut *Coronâ*, ut interpretabatur animatus in Philippum *Ivo Carnotenſis*, Actis publicis fuiſſe adſcriptam formulam, *Regnante Chriſto* (non regnante Philippo) falſi multis evicit David Blondellus, V. Cl. doctiſſimâ Diatribâ de *Formulâ Regn. Chriſto.* Et Diſertè Paulus Æmilius, in Geſtis Philippi I. *Lib.* II. *pag.* 103. *Francia, ſub Rege minùs probato, ita incolumem Majeſtatem ei ſervavit, ut ipſa à Sanctitate Majorum non degeneraret.* Nec eo diſtitiſſe Philippum conſuetâ poteſtate uti, in convocandis Synodis, aut conferendis Præſulatibus, multis David Blondellus dicto Tractatu, C. XVIII. p. 263. &c. Ne Petrum de Marca, P. Mabillonum in Re *Diplomat.* Gallos alios primæ notæ, referam.

Sed & *in Britanniis* ſtrenuè jus Regium, in ſpecie Inveſtiturarum, nequicquàm obſiſtente *Anſelmo* Cantuarienſi, Papæ mancipato, tuitos eſſe Angliæ Reges, teſtantur Chronica, & Annales Gentis. Exemplo ſint, non modò Reges qui antè Gregorium VII. regnarunt, & Epiſcopatus ac Inveſtituras pro arbitrio contulerunt, ipſe *Eduardus* Confeſſor, multis in Anglorum Annalibus exemplis; ſed etiam *Guilielmus* I. Conquæſtor, qui v. gr. *Lanfrancum* ex Cadomenſi Abbate Archiepiſcopum Cantuarienſem fecit, tum & *Thomam*, ex Bajocenſi Canonico Eboracenſem Archi-Præſulem, &c. Sed etiam ex quo Gregorius VII. ſederat, Capellanos ſuos, & quibus favebat Guilielmus, ad pingues Epiſcopatus admovit. Ingulfus ejus temporis Scriptor, Abbas Croylandenſis, Hiſtoriæ ſuæ p. 63. ut nuper integra Oxonii prodiit; *A multis retrò annis retroactis*, id eſt à conſtitutâ Monarchiâ, *nulla electio Prælatorum erat merè libera & Canonica: Sed omnes Dignitates tam Epiſcoporum quàm Abbatum, per annulum & baculum, Regis Curia pro ſuâ complacentiâ conferebat. Recipiens ergò piiſſimus Rex Eduardus baculum Paſtoralem, prædictum D. Abbatem de Paſtorali Regimine inveſtivit*, &c. Confirmant paſſim Radulphus De Diceto in *Abbreviation. Chronicorum*, Wilh. Malmeſburienſis, *de Geſtis Anglor.* Gervaſius Dorobernienſis, alii in vulgus Anglorum noti, & curante Joh. Seldeno, tùm Thomâ Gale, in unum Corpus collecti. Quin notabilis eſt reſponſio *Guillielmi* I. ad Gregorium VII. ſcriptâ *Epiſt.* A. MLXXIX. quum hic per Hubertum Legatum *Fidelitatem* à Rege poſtulaſſet: *Hubertus Legatus tuus, Religioſe Pater, ad me veniens ex tuâ parte me admonuit, quatenùs Tibi & Succeſſoribus tuis Fidelitatem facerem, & de pecuniâ, quam Anteceſſores mei ad Rom. Eccleſiam mittere ſolebant, melius cogitarem. Unum admiſi, alterum non admiſi. Fidelitatem facere nolui, nec volo: Quia nec ego promiſi, nec Anteceſſores meos Anteceſſoribus tuis id feciſſe*

feciſſe comperio. Exhibet, ex Lanfranci Epiſtolis, ipſe Baronius, ad præfatum A. *Num.* xxv. Magis reſtitêre Papali tyrannidi *Guil. Rufus*, filius & ſucceſſor Guil. Nordmanni, qui Anſelmum Cantuarienſem reum Majeſtatis pronunciavit: Tum & *Henricus* ejus Frater, Regiorum Jurium, adversùs uſurpationes tyrannidis Papalis, aſſertor & vindex. Ac de his quoque ex Britannis ſuis noſter Uſſerius, *de Succeſſ. Eccleſ. Cap.* vii. Sic Anglorum Reges hoc Seculo habuiſſe poteſtatem Nomotheticam in *Eccleſiaſticis*, docent *Anglicanæ* Eccleſiæ Scriptores, *Concilia* Spelmanni, ac luculenta exempla ſub Canuto, Edwardo Confeſſore, Guilielmo Nordmanno, &c. Quæ res multis acta demonſtratione non eget, & docent ſaluberrimæ Leges, etiam de rebus ſacris, ab iis profectæ, quanquàm admixtis ſcoriis ſuperſtitionis.

Eccleſiæ variæ.

III. Reſtiterunt *Eccleſiæ* integræ per *Occidentem*, præter Eccleſiam totam *Orientalem*, de quâ infrà; & præter *Synodos* illas inclytas ſub Henrico IV. in Hildebrandum indictas, Wormatienſem, A. mlxxvi. Brixienſem, A. mlxxx. Moguntinam A. mlxxxv. paulo antè Gregorii mortem, cui interfuêre Epiſc. Portuenſis, Archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Bremenſis, & plures Epiſcopi ex Germaniâ, Galliâ, Italiâ, damnato in illâ Hildebrando, cum adhærentibus Epiſcopis. Ità Eccleſiam *Britannicam* in multis defæcatam fuiſſe à ſuperſtitione Romanâ, ex profeſſo Balæus ad hoc Seculum, Fullerus, Uſſerius, J. Forbeſius, &c. probatum dedêre. Adde quæſtiones *morientibus* proponi ſolitas, & ubique receptas, auctore Anſelmo Cantuarienſi in *Admonitione pro moribundo*, quas refert cum aliis Uſſerius, de *Succeſſ. Cap.* vii. in quibus nucleus Chriſtianiſmi expreſſus, ſuperſtitiones omiſſæ, & fiducia omnis in ſolâ *morte Chriſti* collocata legitur. Adde *Leodienſem* Eccleſiam, à Papâ excommunicatam quòd Henrico adhæreret, hinc *Schiſmaticam* Baronio & ſuis, ſcripturam acerrimè ad Paſchalem II. ſequente mox Sec. *Acerrimam Declamationem* Schiſmaticorum vocat Baronius, Binius, & cæteri qui Epiſtolam referunt; non ſolùm noſtrates, ut Flacius in Catalogo Teſt. Simon Schardius in Syntagmate Tractatuum, &c. ſed & Tomi Conciliorum, inter Epiſtolas Paſchalis, T. x. Edit. Labb. *col.* 630. *& ſeq.* Eandem exagitat nuper Natalis Alexander, T. xvii. de Paſchali II. *pag.* 148. poſt Baronium ſuum: Illis autem literis graviter expoſtulat Clerus Leodienſis, de mandato exequendi contrà ſe ſententiam *Excommunicat.* dato Roberto Flandriæ Comiti, non aliundè quàm quod Henrico V. fideliter adhærerent. Indè dicunt, *Petrum Prophetico Spiritu dixiſſe Eccleſiam in Babylone collectam; Filias Romanæ Eccleſiæ*, inter quas Leodienſis, *vidre Romanum Præſulem, qui eſſet Angelus Domini, extento Gladio ſuper Eccleſiam; Duos tantum Gladios à Domino traditos eſſe, ſed jam eſſe tertium Apoſtolico Gladium, interfectorem* ſcilicet, quem jam ſtrinxerat in *Cameracenſes*, & quem *in ſe* quoque (Leodienſes ſcilicet) *porrigeret Roberto Armigero ſuo; Neminem unquam Populum Dei, Eccleſiam Dei, impunè perſecutum eſſe*; & *tantam Eccleſiæ deſolationem, tantam Pauperum & Viduarum oppreſſionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem*, & (*quod his gravius eſt*) *promiſcuam bonorum & malorum occiſionem, & quæ his pejora, præcepto Apoſtolici facta eſſe quis crederet? Gregorium I. Papam non aliis quàm Sacerdotalibus armis*, adversùs Maximum quendam invadentem Epiſcopatum Salonitanum, *debellaſſe*, ſic alios feciſſe *Pontifices*: Nec aliam ob cauſam ſe *excommunicari*, quam quod ex præſcripto *Petri Apoſt. Regem honorarent*, & quod *Dominis ſuis non ad oculum, ſed in ſimplicitate cordis*, ſervirent: Hinc *Simoniæ* contumeliam à ſe depellunt, in illos autem retorquent, *qui gratis ſe jactant*

Epiſtola Cleri Leodienſis, &c.

dare, quod vendunt, ſub caritatis nomine, & ſicut Montaniſtæ, ſub nomine oblationum, artificioſius accipiunt munera; Maledictum Excommunicationis, quod ex novellâ traditione Hildebrandus, Odoardus (Urbanus II. qui prius Odo dictus) & *Paſchaſius*, (ſeu Paſchalis) *indiſcretè protuliſſent, omninò ſe abjicere*; Hanc fuiſſe Doctrinam *Auguſtini* (Tract. vi. in Johannem) *quod Apoſtolus voluit, ſerviri Regibus, honorari Reges, dùm dixit*, Regem reveremini, &c. Et quæ alia prolixâ Epiſtolâ ex Scripturis S.S. ex Patribus, ex Conciliorum Canonibus, ex Paparum, Gregorii I. cumprimis, exemplis firmant. Adde ſi lubet Eccleſiam *Mediolanenſem*, negantem Romano ſe Pontifici ſubjectam, hinc *Schiſmaticam* Baronio: In quâ plures fuiſſe Clericos conjugatos, (*fornicarios* tùm dixêre) docent ad eos legatio P. Damiani, & Anſelmi Lucenſis, A. mlix. ſub Nicolao II. Item Conſtitutiones poſteà præſcriptæ Mediolanenſibus, à Legatis Alexandri II. An. mlxi. in Tomo ix. Concil. Edit. noviſſimæ, *col.* 119. & apud ipſum Baronium, inprimis contrà *Presbyteror. fœminas* (uxores) *ad fornicandum*, &c.

Cumprimis adversùs Cœlibatum

IV. Adde *Germanicas* Eccleſias, contrà decretum Hildebrandinum, pro Cœlibatu Clericorum, acriter inſurgentes, nec *Gallorum* paucos, ac *Britannorum*; ut multi Sacerdotium quàm Uxores, memores ſanctitatis conjugii, & præcepti Chriſti, deſerere mallent. Vide ex Matthæo Paris, Nauclero, Hirsfeldenſi, Aventino, & aliis, luculenta rei documenta in Catalogo Teſt. Verit. Hiſtoricâ Narratione de *Sacerdotum Cœlibatu*, *Tomo* ii. *Lib.* xiii. Ubi ſunt tyrannica Gregorii VII. hanc in rem effata, quem imitatus eſt Urbanus II. & Calixtus II. Sed hæc obvia, ut nihil neceſſe ſit ea hoc in loco reponere. Adde *Valdenſium* innoxios cœtus, eorumque Confeſſiones, Catecheſes, jam Anno mc. ſcriptas, adversùs errores & ſuperſtitiones Romanæ Eccleſiæ, ut pluribus ex *authenticis* documentis Hiſtoria harum Eccleſiarum, in ſpecie Pauli Perrini, Antonii & Joh. Legeri, Paſtorum quondam in tractu Valdenſium: Quæ authentica documenta Illuſtri Viro *Joh. Morlando* Legato quondam Anglic. extradita, & in Bibl. Cantabrigienſi depoſita, Anno mdclviii. Adde *Berengarianos* hoc Ævo benè multos, per omnem *Galliam*, quin & per *Britanniam*, *Italiam*, contrà Tranſſubſtantiationem, ſed & Tyrannidem Papæ, inſurgentes; poſtquam vi agi cœptum in Berengarium, traducturum Romanos Pontifices ut *Pompifices*, *& Pulpifices*, Romanam Eccleſiam ut *Eccleſiam malignantium*, *ſedem Satanæ*, *&c.* De quibus adhuc *Cap. ſeq.* memorandum.

Oppoſitiones aliæ.

V. Reſtiterunt denique *Viri* graves, pii, eruditi, quorum nomina, ſcripta, doctrinam ſaniorem, & effata Pontificiæ cauſæ adverſa, prolixè habes etiam in *Collectione* Marq. Freheri T. i. cumprimis in causâ *Henrici* IV. contrà Hildebrandum; Tum in *Syntagmate Tractatuum* Simonis Schardii, An. 1609. uti Tractatus *de Unitate Eccleſiæ conſervandâ*, ſcriptus A. mxcii. contrà Tyrannidem Hildebrandi, quod *Henricus libertatem diſponendarum Eccleſiarum Epiſcopis permittens, noluiſſet in manus Hildebrandi Papæ tradere Regiam poteſtatem, & honorem, & regnum ſuum*, &c. Item, *Waltbrami* Naumburgenſis Epiſcopi Tractatus de *Inveſtiturâ Epiſcoporum, per Imperatores faciendâ:* Vide & Teſtes alios, in obvio Catalogo Teſtium Veritatis, *Lib.* xii. & xiii. Item in *Appendice* Anglicanâ Faſciculi Rerum Expetend. ubi, inter alia ſunt *Excerpta* ex *Hildeberto* Cenomanenſ. Epiſcopo, florente A. mxc. & diſcipulo Berengarii; contrà Appellationes ad Rom. Eccleſiam, contrà Peregrinationes Hieroſolymit. contrà mores illorum Temporum & Curiam Romanam, contrà damnationem Berengarii, cujus elogium ſcripſit Hildebertus. Hujuſmodi etiam ſunt, quæ ex Sigeberto, Aimonio,

Bennone Cardinale, Conrado Trajectenſi, Urſpergenſi Abbate, Otberto Leodienſi, Everhardo Saliſburienſi, Lamberto Schafnaburgenſi, Nauclero, aliiſque prolixè apud dictos Auctores deſcribuntur. Imò multa in hanc rem ſunt excerpta ex Vitis aliàs laudatis Baronio, & addictioribus Romanæ Sedi, ut ex Petro Damiani, Lanfranco, Anſelmo, Ivone Carnutenſi, &c.

VIII. *Controverſia de Euchariſtiâ, fervens hoc Seculo. Hiſtoria Berengarii.*

Præſentiam Corporalem qui antè Bereng. oppugnarunt.

I. O*riginem* controverſiæ de Corporali præſentiâ in Euchariſtiâ, vidimus ſuprà Seculo VIII. occaſione alterius Controv. de Imaginibus Chriſti. *Progreſſum* autem Seculo IX. & X. exhibuêre ibidem ſcripta Bertrami vel Ratramni, Rabani Mogunt. Joh. Scoti vulgò Erigenæ, adverſùs ſententiam Paſchaſii Radberti, aſſertoris primi, publico ſcripto, Converſionis ſubſtantialis. Hoc verò Sec. in quo verſamur, obſervare eſt ἀκμὴν illius quandam præcipuè in certaminibus Berengarii, cum aſſeclis, adverſùs Papalem eam doctrinam de *ſubſtantiali converſione*. Quam ſanè oppugnaverunt jam antè Berengarium, hoc Seculo XI. quidam ab Italiæ finibus venientes A. MXXV. multo antè Concilium Vercellenſe anni MLIII. *Qui* ſc. *panis & vini tranſſubſtantiationem in Corpus & Sanguinem Chriſti, dùm ſacrum Myſterium à Sacerdotibus peragitur in Altari, & ibi reale ac ſubſtantiale Chriſti Domini Corpus adeſſe, operante Spiritu Sancto, credere perhorreſcerent, ac pernegarent.* Teſtatur Lucas Acherius, Specilegii Tomo XIII. *Præf.* ad Lect. *Num.* I. & in Actis Synodi *Atrebatenſis*, quæ ibidem exhibet, dicuntur *pag.* 13. *ſacrum & immutabile Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum impugnantes evertere*, ſive *ut in Præf.* p. VI. *veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ negare.* Sed dicuntur illi in iiſdem Actis, *pag.* 21. poſt adſtructam à Synodo Corporalem præſentiam, ex Apocryphis Actis Andreæ, & aſſertis putidis fabellis, (v. gr. de *Sanguine defluente* ſuprà Altare, de *portione ſanctificati panis* in *Infantem transformatâ*, &c.) *virtute cæleſtium Magnalium ſtupefacti, corruiſſe in terram, tunſis pectoribus*, ac *culpam* deprecatis. Mittimus hos alioſque paſſim, quales in Tractu *Inalpino*, & in Galliâ ipſâ *Leuthericum*, Archiepiſc. Senonenſem, de quo jam diximus ad Secul. X. qui dicitur in *Vitâ* Johannis XVII. *Hæreſis Berengarianæ primordia & ſemina ſparſiſſe*; & fortè in eo Regno plures, ac quæ traducta ſub nomine *Aurelianenſis* Hæreſeôs, *ſcilicet meliores ipſius Civitatis Clerici*: Contrà quos indicta Synodus Aurelianenſis, A. MXVII. eoſdem ignis incendio adjudicans, ut videre eſt in Actis hujus Concilii, ſed meritò ſuſpectis *Tom.* IX. & in Chronico S. Petri Vivi, apud Acherium Specileg. T. II. *pag.* 740.

Berengarius quis? In eum calumniæ.

II. At novorum, in causâ Euchariſtica, certaminum vel auctor, vel occaſio ſaltem, fuit *Berengarius* Turonenſis, dignitate Archidiaconus Andegavenſis Eccleſiæ, Theſaurarius, & Scholaſticus ſeu Magiſter Scholarum in Eccl. Turonenſi; ſectator Bertrami, Rabani, Joh. Erigenæ, uti diſcipulus fuit Fulberti in Scholâ Carnotenſi, magnæ tum auctoritatis Viri, cumprimis verò Diſcipulus S. Auguſtini. Certè eſt à Platinâ relatus, unà cum Odilone Abbate Cluniacenſi, inter *viros doctrinâ & ſanctitate inſignes*, in Johanne XV. *Quanquàm eſſent qui dicerent Berengarium, amplitudine doctrinæ confiſum, in fide erràſſe.* Cæterùm eminuiſſe hoc Seculo Berengarium doctrinæ Philoſophicæ & Theologicæ, facundiæ, pietatiſque laude, ex Scriptoribus coævis, apud Baronium ipſum, Acherium *T.* II. & Mabillonum in *Annal.* ex Berengarii ipſius Epiſtolis & certaminibus, ex Viri hujus exiſtimatione, & Epitaphio illi ſcripto, abundè conſtat. Accuſationes *Necromantiæ*, *imperitiæ*, *ſuperbiæ*, *levitatis*, *ſimulatæ affectatæque* tantùm doctrinæ, quales antè in Godeſchalcum, poſteà Inquiſitorum in Petrum Valdum, in Teſtes alios veritatis; quemadmodùm etiam illa, quod S. Fulbertus eum *nomine Dæmonis* deſignâſſet, atque *expelli juſſiſſet* è Scholâ Carnotenſi; auctores habent juratos Berengarii Adverſarios: Quos inter præcipuus *Lanfrancus*, tùm etiam *Guitmundus*, qui *de Corporis & Sanguinis Chriſti veritate* ſcripſit contrà Berengarium, à Gregorio VII. in Cardinalium ordinem receptus. Ex his ſapiunt *Wilh. Malmesburienſis*, *Polydorus Virgilius*, *Anonymus Chifletianus*, & alii, adverſùs Berengarium præjudiciis occupati, hinc Roma univerſa.

Dogma Berengarii.

III. *Dogma* autem Berengarii, ut ex ejus Epiſt. ad Lanfrancum ſcriptâ, & ex Libello ipſo, de Corpore & Sang. Domini, Lanfranci contrà Berengarium, fuit illud ipſum quod aſſertum Seculo IX. contrà Paſchaſium: Quo ſcil. negata *ſubſtantialis converſio* panis & vini Euchariſtici in verum & proprium Corpus & Sanguinem Chriſti, tanquam *ineptia ineruditorum carnaliumque illius temporis*: Defenſa autem eſt *præſentia* hujus *Sacramentalis*, *vera tamen*, in ſymbolis panis & vini. *Hæreſim Sacramentariam* vocant, uti *Stercoraniam* Rabani Moguntini Ævo dixerunt. Nec nudam *umbram*, *figuram*, *ſignum* voluiſſe Berengarium, ſed cum Sacramento *veri exhiberi Corpus Chriſti*, & *Sanguinem*, dignè ſumentibus, operante gratiâ, docet vel ejus ad Richardum Epiſtola, T. II. Specilegii d'Acheriani, p. 510. Et hunc ſenſum fuiſſe *primæ* & *ſecundæ* Formulæ, cui Berengarius ſubſcripſit, ſcil. *Panem Altaris, poſt Conſecrationem, eſſe verum Corpus Chriſti*, nempè dignè ſumentibus, & cum fide, &c. ipſe Mabillonus ſuſpicatur.

Adverſarii Pontifices.

IV. *Adverſarii* Berengariani dogmatis, fuêre cumprimis Romani Pontifices. Ac primò Leo IX. impellente Hildebrando, ſub quo Synodus *Romana*, & altera *Vercellenſis*, contrà Berengarium abſentem, & ejus Epiſtolam ad Lanfrancum, A. ML. ex Hermanni Contr. Chronico; addunt alii, ut Durandus Abbas Troarnenſis Conventum Brionenſ. in *Neuſtriâ*, A. MLIII. niſi hic anterior fuerit. Succeſſit Victor II. ſub quo Synodus *Turonenſis*, præſide eodem Hildebrando, Legato ſcil. à latere, qui poſteà Gregorius VII. An. MLV. in quâ ferunt abjurâſſe errorem Berengarium, convictum ſcil. à *Lanfranco*, ſi fides ipſi Lanfranco referenti; qui Lanfrancus craſſam alicubi ignorantiam prodit, dum converſionem ſubſtantialem Panis & Vini in verum Corpus & Sanguinem Chriſti, dicit in Libro de *Corpore Domini*, aſſertam fuiſſe à Patribus *Concilii Epheſini*, *tempore Cæleſtini Papæ, & Cyrilli Alexandriæ Epiſcopi.* Tùm Nicolaus II. A. MLIX. in altero *Romæ* Concilio; in quo Berengarius Hæreſim ejuravit, & *Libros propriæ Hæreſeôs contremuit*, ſed *coactus*, metu illi injecto, ut mox ipſe teſtatus eſt. Eadem cauſa contrà Berengarium acta eſt ſub Alexandro II. Pontifice, ſub quo Synodus *Rotomagenſis* in Galliis habita, Ann. MLXIII: ex Anonymo quem edidit Chifletius Jeſuita, ſcribente A. MLXXXIX. de Multiplici Damnatione Berengarii; Quâ in Synodo decreta *Fidei Formula*, ſcilicet *in ipſâ conſecratione, ineffabili potentiâ divinitatis, converti naturam & ſubſtantiam Panis, in naturam & ſubſtantiam Carnis*, & illius quidem *quæ concepta eſt de Spiritu S. nata ex Mariâ Virgine*, &c. *anathematizatis qui contrà hanc Sanctam & Apoſtolicam fidem ſuperbè atque hæreticè ſentirent*, &c. Tandem præcipuus Berengarii Adverſarius fuit Gregorius VII. qui *Turonenſi* Synodo contrà Berengarium præfuerat; ſub quo variæ in eundem rursùs Synodi, ac duæ

Metu Romæ abjurat.

duæ generales Romæ habitæ, in quibus coactus ille denuò abjurare, & *ſub juramento* quidem, quum Romæ præſens adeſſet, Annis MLXXVIII. & MLXXIX. ut Acta Concilior. T. x. Sed factum *metu mortis, certò ſibi imminentis*, ut ex ſcripto ipſius Berengarii, fatetur Mabillonus, Analect. T. II. p. 489. Undè à Gregorio VII. dimiſſus in Gallias, *in domum ſuam*, cum Literis Salvi conductûs, & Commendatitiis; *Ne quis injuriam aliquam facere præſumeret Berengario, Romanæ Eccleſiæ filio, vel in perſonâ, vel in omni poſſeſſione ſuâ, vel Hæreticum eum vocare*, &c. apud Luc. Dacherium, *Specil. Tomo* II. p. 508. Solo autem *metu* adactum fuiſſe Berengarium, ad hanc palinodiam, patet: 1. Ex *iteratis* ejus aſſertis, in Epiſtolis, & in Scriptis ipſius Berengarii, *injuſtiſſimè ſe damnatum, & Johannem Scotum*, cujus *ſententia de Euchariſtiâ* fuiſſet illa *Fulberti* Carnotenſis Epiſcopi, &c. ut pluribus ille in Epiſt. ad Richardum Abbatem, apud Acherium, dicto loco. Ita Codicem Ms. legit Mabillonus, in quo ſcripto *tertiam Fidei profeſſionem*, quam in Synodo Rom. A. MLXXIX. ſub Gregorio VII. ediderat, reſcindit Berengarius, ſubdens, *inductum ſe ad ſubſcribendum metu mortis*, &c. 2. Ex teſtimonio Bertoldi Presbyt. Conſtantienſis, ad A. MLXXXVI. Berengarium ad *vomitum rediiſſe*, & hæreſim nunquàm *poſteà dimiſiſſe*. Nihilominus quietus & pacificus inter ſuos vixit, non oppugnatâ palàm ſententiâ Paſchaſii, & latens ſub eâ formulâ, *Panem eſſe verum Corpus Chriſti*, à Conſecratione, dignè participantibus. 3. Ex actitatis ſub Henrico I. Galliarum Rege, quando *pœna mortis* in ipſum decreta eſt, tum abſentem, ni conſentiret *Catholicæ fidei*, ut videre eſt in Actis Concilii *Pariſienſ.* A. ML. *Tomo* IX. apud alios tamen controverſi. 4. Ex exemplis id genus retractantium, ſolo terrore pœnæ, ut videre eſt in perſonâ Godeſchalci, Hieronymi Prag. Thomæ Crameri, &c. qui perſtiterunt tamen in ſententiâ Orthodoxâ. 5. Ex confeſſione ipſius Mabilloni, confirmaſſe Berengarium tertiam Fidei formulam, *non Catholico animo, ſed metu ipſius ſupplicii*, in dictis Analectis, T. II. p. 488.

Tres has Confeſſionis Formulas, ſeu Palinodiæ Berengarii, illi præſcriptæ, ac per vim extortæ, has referunt Acta Concil. & Anonymus ille Chifletianus: Quarum duæ priores aſſerentes, *Panem Altaris, poſt Conſecrationem, eſſe verum Corpus Chriſti*, ambiguæ videntur patronis ipſis Tranſſubſtantiationis. **Formulæ tres abjurat.** Et quod habuit prima Formula, *Corpus Chriſti poſſe ſenſualiter tractari, frangi, dentibus atteri*, apud Gratianum, *Can.* Ego Berengarius, *Diſt.* II. de Conſecrat. iiſdem diſputandi materiam præbuit, an fieret illud in *ſigno* ſeu in *accidentibus* Sacramentalibus; an in ipſo *Chriſti Corpore*, quod contrà mentem eſt Tranſſubſtantiationis Innocentianæ. Tertia Formula habuit. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & Sanguinem Domini noſtri* JESU CHRISTI; *& poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur; & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſacra Euangelia.*

Adverſarii alii Berengar. Inſtrumenta quibus uſi Pontifices, in refutando Berengario, fuêre *Lanfrancus*, ad quem ut amicum ſcripſerat Berengarius, tunc Cadomenſis Abbas, poſteà Cantuarienſis Archiep. Item *Aſcelinus* Monachus Ord. Bened. in Neuſtriâ, publicè congreſſus cum Berengario & ſcriptâ Epiſtolâ, quæ inſerta eſt *Tomo* IX. Concil. *col.* 1057. *Albericus* Diaconus Caſſinenſis, edito Libro *de Corpore Domini*; *Adelmannus* Clericus tum Leodienſis, ſcriptâ Epiſt. ad Berengarium; *Guitmundus* ex Monacho poſteà Cardinalis, ſcripto Libro *de Veritate Corp. & Sang. Domini*, & ſi qui ejus farinæ plures, plerique inſerti Bibliothecæ Magnæ Patrum; de quibus vide Criſim accuratam Aubertini noſtri, tùm Claudii Pariſienſis olim Theologi, & noviſſimè Clariſſ. Baſnagii in eo quem expectamus Opere, de Succeſſ. Religionis. Tùm &, quas diximus modò, ſententiæ in eum *Synodales*, partim in Italiâ, partim in Galliâ habitæ; quibus an addenda ſit Synodus *Lutetiæ* Pariſiorum indicta A. ML. ſcilicet ab *Henrico* I. Rege, in Berengarium à malevolis excitato, ab aliis dubitatur: De quâ altum in Hiſt. damnationis Berengarii ſilentium.

V. *Sectatores* porrò Berengarii, verbis & ſcriptis, **Sectatores ejuſdem.** fuiſſe *multos*, imò *omnem penè Galliam*, nec *Gallos* tantùm, ſed & *Italos*, *Anglos*, teſtantur diſertis verbis Sigebertus, Malmesburienſis, Matthæus Paris, alii, citati quoque Uſſerio *de Succeſſ.* C. VII. Undè formula Juramenti, in *Ritu Ordinationis* Epiſcoporum, quâ ejurarent errorem Berengarii, ſancita in Synodo Rotomag. A. MLXIII. quam exhibet Mabillonus, *Anal.* T. II. Certè cum Berengario ſenſiſſe *Brunonem* Epiſcopum Andegavenſem, qui aliter *Euſebius*, cujus Archidiaconus fuit Berengarius, Virum maximæ auctoritatis, teſtantur tabulæ ejus Ævi, nec negat Mabillonus. Et Acta ipſa Synodorum ſatis docent, multos (etiam in Romanâ Synodo) faviſſe Epiſcopos ſententiæ Berengarii, ſaltem hæſiſſe *vacillantes*, ipſum Gregorium VII. ut diſertè Conradus Urſpergenſis, ad annum MLXXX. Quicquid autem Berengarius metu mortis, & ſqualore carceris, ad *palinodiam* inductus fuerit, ex dictis, tamen non abjeciſſe ſententiam, imo abjurationis formulam etiam poſtremam, ſub Gregorio VII. poſteà factis & dictis apud ſuos revocâſſe; tandemque in ſeceſſu, propè Turones, piè ac placidè mortuum eſſe, teſtes ſunt plurimi: Quos vide apud dictum Uſſerium, loco cit. nec negante planè Baronio, ad A. MLXXXVIII. N. XX. XXI. Conſtans ipſius ſententia hæc fuit, ex dictâ Epiſt. Berengarii ad Richardum Abbatem: *Sacramentum quidem tranſitorium eſt, virtus verò quæ per ipſum operatur, & gratia quæ inſinuatur, æterna: Participatio Sacramenti multorum eſt, paucorum communio charitatis: Qui Dominum purè deligit, benè ad Sacramentum accedit. Mandatum novum charitas; Teſtamentum novum, promiſſio Regni cœlorum, pignus hæreditatis, id eſt Sacramentum Communionis.* **An errorem ſuum, ut ajunt, poſteà dimiſerit?** Mabillonus teſtimonium Bertoldi Conſtantienſis, ad Annum MLXXXIII. eorum temporum teſtis, in quo ait Berengarium, Româ reducem, *Hæreſim ſuam non poſteà dimiſiſſe*, inaniſſimis conjecturis eludere conatur, *Anal.* T. II. Ac præcipuè ex ſanctitate & auſteritate vitæ, in ſeceſſu ſuo in Inſulâ S. Coſmæ, quod eſt Turonicæ civitatis ſuburbanum, *ubi aſſiduè Domino militavit, Seculi pompis abrenuncians*, ex Laureacenſi Chronico; quod illi, *pœnitentiæ causâ factum eſſe, & quidem ob Hæreſim quam defleverit*, interpretantur: Tum ex laude quam Berengario tribuit Guilielm. Malmeſburienſis, *Hiſt.* Anglorum *Lib.* III. de ſuo addens, *morientem recordatum, quot miſeros quondam adoleſcens, primo erroris colore, ſectâ ſuâ infeciſſet.* Et Clarius Floriacenſis Monachus, ineunte Seculo XII. vix *decem* poſt ejus obitum annis, laudator Berengarii tanquam *Ammirabilis Philoſophi, amatoris pauperum.* Denique ex pio ac Chriſtiano mortis genere, quæ accidiſſe fertur A. MLXXXVIII. ipſo die Epiphaniæ, VI. *Januar.* ac juſtis illi perſolutis in Clauſtro S. Coſmæ. Quæ ſanè non concludunt, ſententiam ſuam, toties teſtatam, *poſteà* (contrà teſtimonium Bertoldi) *dimiſiſſe*. Imo tot furores expertus, ob falsò

Digitized by Google

dictam Hæreſim Sacramentariam, & pertæſus moleſtiarum, ſaluti ſuæ ac tranquillitati unice ſtudens, ad extremum quietus vixit in præfato Turonum ſuburbano; totus eleemoſynis, & pietati vacans, quam *pœnitentiam ſententiæ prioris* precario voluêre. Chron. Petri Vivi Senonenſis, ad A. MLXXXIII. in Spicilegii d'Acher. *Tomo* II. *Poſt hæc fidelis & verè Catholicus* (non ſenſu Pontificio) *vitam finivit.* Quum tamen & tùm, & poſteà, ut Auctor Anonymus à Chifletio editus, qui ſcripſerit A. MLXXXVIII. Berengarium *Hæreſiarchis* accenſere non dubitarint; & tam altas ejus ſententia radices, in Galliis præcipuè, egerit. Ac fatetur Mabillonus, Analect. P. II. p. 489. 490. *reverſum Româ Berengarium, rurſus declinaſſe ad priſtinum errorem, ac tertiam Confeſſionem perfidè retractaſſe; ſed quod in errore non perſeveraverit, ſed redierit ad ſanam mentem, multa perſuadere.* Hinc fingunt ex uno Auctore Chronici Malleacenſis, Synodum Burdegalenſem habitam A. MLXXX. cujus tamen Acta extent nulla, *in quâ Berengarius reddiderit rationem ſuæ fidei*, ut eſt in Tomo X. Concilior. *col.* 381. id eſt, in quâ (ſic illi) errorem ejuraverit, *per octo hinc annos* Domino victurus, mortuus Ann. MLXXXVIII. Quum tamen veteres membranæ Laureacenſes, undè habuit ſua Mabillonus, notent, *ferè per* XXVIII. *annos aſſiduè Domino militaſſe*, in *Inſulâ quæ S. Coſmæ dicitur*, apud Turones, & plures ſalutari ejus exemplo monitos ad eum ſe contuliſſe. Et diſertè Wilh. Malmesburienſis, loco cit. *ævo auſteriore ità reſipuiſſe, ut ſinè retractatione à quibuſdam habeatur Sanctus.* Adde Hildeberti elogium, Cenomanenſis tum Epiſcopi, qui deſcribit Berengarium, ut virum *ſacrum à puero, pium, gravem, modeſtum, verè ſapientem*, omnibus denique virtutibus ornatum, & quem *livor ipſe defleret*; cui *livori* tribuit perſecutionem omnem quam paſſus fuerat Berengarius. Ubi jam nova, quam comminiſcuntur, *retractatio* in Synodo Burdegalenſi? Idem tamen adſtruere conatus eſt Rojus Andegavenſis, antè Mabillonum, Scripto *de Hæreſi & Pænitentiâ Berengarii*, nullo interim documento certo illius *Pænitentiæ*, de quâ quæritur. Quâ fuerit Berengarius apud ſuos exiſtimatione docet Epitaphium, ab Hildeberto ſcriptum, tumulo ejus inſculptum, cujus ità habuit initium:

Quem modò miratur, ſemper mirabitur Orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.

Imò ad tumulum ejuſdem ſolitos quotannis Canonicos S. Martini Turon. juſta illi perſolvere, feriâ Paſchæ tertiâ, Mabillonus Anal. T. II. p. 492. Et addidit Baldricus, ex Monacho Dolenſi Archiep. clauſurus Epitaphium:

Promittatque licet veniam tibi ſpes meritorum,
Hanc tamen acceleret Lector, pia vota vovendo.

VI. Poſt ejus obitum dicta *Hæreſis Berengariana, Sacramentaria*, dein *Petrobuſiana, Henriciana, Albigenſium, &c.* Multis illi paſſim in Rom. Eccleſiâ adhærentibus, in quam adeò decretis, ac ſcriptis, graſſati ſunt Papæ & gnathones. Undè coërcitione pœnarum, & Juramenti formulâ, conſultum eſt novæ doctrinæ Paſchaſianæ, & Hildebrandinæ, ut pluribus refert Mabillonus Analect. P. II. p. 475. 476. Ità Urbanus II. in Concilio Placentino, A. MXCV. eundem anathematizavit. Iniquiſſimus autem ubique eſt in Berengarium hunc Cæſar Baronius, uti in laudatorem ejus *Hildebertum*, poſteà Turonenſem Epiſcopum ſub Paſchali II. Ex quo videſis Excerpta in *Append. Anglicanâ* ad Faſciculum Rer. Expet. Orth. Gratii, ubi integrum Epitaphium habetur ab Hildeberto ſcriptum. Sed Baronius malignè, ut ſolet, *amicitiæ gratiâ præconio habenas ſolviſſe*, ad Ann. Chriſti MLXXXVIII. N. XX. Nec æquior nuperus Natalis Alexander, *Diſſert.* I. T. XVIII. cui hoc unum decretum fuit, Baronium exſcribere, & quotquot antè ſe habuit ſervientes hypotheſi: Quales fuêre hac in causâ noviſſimi in Galliâ Scriptores, *Franciſcus Rojus* Anteceſſor Andegavenſis, & *Job. Mabillonus*, Vir cætera de re literariâ in plurimis benè meritus.

IX. *Schiſmatis inter Eccleſiam Orientalem & Romanam hoc Seculo incrementum. Status Eccleſiæ Orientalis.*

I. De Schiſmate ſub *Photio* Conſtantinopol. diximus ad Seculum IX. deque continuato diſſidio, ad Seculum X. loco ſuo. Erupit res denuò in acres contentiones, in fulmina & anathemata, hâc cumprimis Ætate. Et *tempus* quidem fuit, Imperatore Orientis Conſtantino Monomacho, Occidentis verò Henrico Nigro, Michaële autem Cerulario Conſtantinop. Patriarchâ poſt Euſtathium, & Leone IX. Papâ Romano: Diſſenſio autem in nervum eruptura, circà Annum MLIV. Præceſſerant hoc diſſidium cum Michaële; facta *Siſinnii* Patriarchæ Conſt. contrà Latinos, ſuperiùs memorata, Seculo X. *Cap.* IX. Item *Sergii* Conſtantinopolitani illa, ſub Baſilio Bulgaricidâ Imperatore, Seculo hoc inchoato. Nempè Sergium, ob additamentum præcipuè Latinorum de Proceſſione Spiritûs S. *ex Patre & Filio*, Papæ *Chriſtophori* nomen è *Diptychis* Eccleſiaſticis, ſeu Tabellis δισὑχοις, (in quibus *ſcriberentur* nomina etiam viventium *Imperatorum*, Paparum Rom. Patriarcharum, &c. recitanda inter Miſſarum ſolemnia, in ſignum Communionis, utque pro iis oraretur) *deleviſſe*, referunt Petrus Antiochenus, *Epiſt.* ad Michaëlem, Nicetas Nicænus, Joſephus Briennius, &c. & cæteri uno ore Græci, vel teſte Allatio *de Perpet. Conſ. Lib.* II. C. VIII. N. II. *& ſeq.* Ità A. MXXIV. *Euſtathium* Patriarcham cum Principe ſuo Baſilio, ablegaſſe Romam, ut pro *Univerſali* agnoſceretur in Orbe ſuo Conſtantinopolitano, uti Romanus in ſuo Orbe, ſed negante Johanne XX. Pontifice, ſeu *Apoſtolicâ Sede, à quâ nihil penitùs impetrarint*; teſtes ſunt ex Glabro Rodulpho *Hiſt. Lib.* IV. C. I. ipſe Baronius, & Allatius. Quem vero fuiſſe eundem cum Euſtathio *Homeri Doctiſſ. Commentatore*, fallitur Marq. Freherus in *Chronol.* ad A. MXVII. Plures enim hujus nominis fuerunt, & poſtremus fuit *A. Theſſalonicenſ.* ſub Comnenis. Quæ præceſſerunt diſſidia, antè Mich. Cerulaiium.

II. Proxima autem *occaſio* diſſidii inter Leonem IX. & Michaëlem Conſtantinopolit. fuit Michaëlis Cerularii Epiſtola gemina. Prima, hujus & Leonis Achridani nomine ſcripta, ad Johannem Tranenſem in Apuliâ Epiſcopum, A. MLIII. & per eum ad Univerſos; altera mox Anno ſeq. ad Petrum Antiochenum. Utraque adversùs ſententiam ac praxim Latinorum conſecrantium in *Azymis*, quæ nullum redderent hoc Sacramentum, deficiente vero *Pane*; præterquàm quod ſupponerent Græci, Chriſtum inſtituiſſe Cœnam Euchariſtic. *pridie* Azymorum. Contrà Latini, jam *azyma* introduxerant, hoc Seculo XI. ex hypotheſi *converſionis ſubſtantialis* Panis, in ſubſtantiam Corporis Chriſti, undè perindè eſſet, ſive Conſecratio fieret in *Azymo*, ſive in *Enzymo.* Hinc *Azymitæ* hoc primùm Seculo noti, & hæc *prima perpetui deinceps inter Græcos Latinoſque de Azymis diſſidii exordia fuerunt*, ut ipſe Sirmondus Diſquiſitione de *Azymo*, p. 110. Tum & controverſia magis efferbuit, de Proceſſione Spiritûs S. ex Patre *Filioque:* Tandem aliæ quæ ad *Eccleſiæ Diſciplinam* attinerent; uti de introducto à Latinis *Jejunio Sabbati*, contrà praxim primævam & Canones Apoſt. de *Suffocato & ſanguine*, à quo Græci conſtanter abſtinuerint, de *Barbis* Sacerdotum, quas penitus abradi, more inter Latinos recepto, indigna- Occaſio erumpentis ſub Leone IX. & Michaële Conſtant. diſſenſionis.

gnati Græci, æque ac olim Julianus Apoſt. autor *Miſopogonis.* Acceſſit diſſidium de ratione Jejunii *Quadrageſimalis*, longè rigidioris apud Græcos; adeò ut permiſſum eſſe Latinis, durante Jejunio, uſum vini, butyri, caſei, piſcium ἐναίμων, &c. riſerit ipſe Saladinus Sultanus Ægypti. Prætereà omittebant Latini, in Quadrageſimâ cantum dictum *Allelujah*, ut minùs convenientem tempore *Jejunii.* Poſterior etiam Epiſtola Michaëlis ad Petrum Antioch. fuit acerbiſſima in *Papam Romanum.* Acceſſit, clauſa fuiſſe Conſtantinopoli Michaële Patriarchâ Latinorum Templa, & erepta etiam Latinis Monaſteria, qui pertinaciter adhærerent Ritibus Rom. Eccleſiæ.

Epiſt. Leonis, Legatio in Orientem.

IV. Hinc verò ſecuta eſt, 1. *Epiſtola* prolixa Leonis Romani, inter Papas à doctrinâ & ſanctitate Romæ commendati, data tùm ad Michaëlem, tùm ad Leonem Achridanum; in quâ ſunt ſuperbiſſimæ voces, pro exaltatione Romanæ Sedis, *ſuper petram, id eſt, Chriſtum, & Petrum vel Cepham inædificata*, &c. recitatæ Baronio, ad A. MLIII. Extat eadem in Conciliorum Edit. noviſſimæ *Tomo* IX. Capitibus XLI. diſtincta. In quâ Græcis exprobrat, xc. *& amplius Hæreſes, ab ipſis Græcis, diverſo tempore ex diverſo errore emerſiſſe, quas viriliter expugnavit, protrivit, & ſuffocavit Romana & Apoſtolica Sedes.* Deindè refert Leo, ex falſis tabulis Donationis Conſtantini M. Decreviſſe hunc, *ut Thronus B. Petri principatum teneret, tam ſuper quatuor Sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, quam etiam ſuprà omnes in univerſo terrarum Orbe Dei Eccleſias*, &c. & quæ ibi plura recenſentur, ab omnibus hodiè exploſa. 2. *Legatio* ejuſdem Papæ Leonis, ad Imperatorem & Michaëlem Patriarcham, cum aliis literis reſponſoriis ad *utrumque*, à Baronio quoque exhibitis, An. MLIV. in quibus de titulo *Univerſalis* ſunt memorabiles Leonis voces. Fatetur enim Leo, *Univerſalis* titulum, ſeu Apoſtoli, ſeu Patriarchæ, *nec habuiſſe Petrum, nec ullum Succeſſorem ejus tam prodigioſo prænomine conſenſiſſe appellari.* Legati tres fuerunt, *Humbertus* & *Fridericus* Cardinales, ac *Petrus* Amalphitanus Epiſcopus, qui tum dicebantur *Apocriſiarii* Papæ. Hi oblatis literis Leonis ad Michaëlem Conſtantinop. Humbertus ſingula Latinorum ab invidiâ, quam creabant Græci, vindicare nititur: Uſum *Azymorum* non magis Judaiſmum inferre, quam diem *Sabbati* feſtum apud Græcos; *Azyma* verum Panem eſſe, ex frumento & aquâ factum; In *Sabbato* non feriari Latinos, ut Græci; Abſtinere ſe eſu *ſanguinis* crudi, aut *morticiniorum*, in cæteris ſervari Libertatem Chriſtianam; Denique omittere cantum *Allelujah*, quod ille cantus non conveniret tempori luctus & pœnitentiæ. Adhæc alia objecit Græcis Humbertus, fellis amariſſimi plena, & quaſi revocarent Hæreſes *Marcionitarum*, *Manichæorum*, *Theopaſchitarum*, aliaſque: Uti etiam, teſte Margunio apud Allat. de Perpetuâ Conſent. *Lib.* II. C. IX. N. IV. quod indignatus eſſet in Romanum Pont. Conſtantinopolit. quia κοκκοβαφῆ πέδιλα *coccineis calceis* indui, ad hujus exemplum, prohiberet. Adde, *additionem* à Latinis factam in Symbolo, qualem impugnare conſtanter Græci, Latini pertinaces retinere; ut & divortium circa *Conjugium* Clericorum, fortiter à Græcis adſtructum.

Legationis ſucceſſus qualis. De ſcriptis utrimque editis.

V. Legationis verò *ſucceſſus* talis fuit, ut tandem *Conſtantino* Monomacho ab Apocriſiariis Pontificiis, quos inter præcipuus fuit Humbertus Cardinalis, in partes ſuas inducto, ut erant tum acciſæ res Græcorum, damnati ac depoſiti fuerint *Michaël* & *Leo* Achridanus, auctoritate ſcil. Apoſtolicâ: Mox horrendum in modum cùm illi, tùm omnes diſſentientes ab Eccleſiâ Romanâ, *ut Capite omnium Eccleſiarum*, ſolenniter *excommunicandi* in Eccleſiâ S. Sophiæ, ſolitâ formulâ, excuſſo etiam pulvere in eoſdem, præſente *Imperatore*, ad cavendam ſeditionem, qui Papam & Latinos nolebat habere infeſtos. *Schiſma* hinc roboratum inter utramque Eccleſiam; Michaële & ipſo, poſt diſceſſum Legatorum, anathemata vibrante in Romanam Eccleſiam, ipſo autem Conſtantino Imp. mox fatis ceſſuro eodem A. MLIV. Scriptæ & literæ ab eodem Michaële ad *Petrum Antiochenum*, ac Patriarchas reliquos, quibus à Communione Pontificis eoſdem averteret. Petrum inprimis, qui tentatus à Latinis fuerat, Epiſtolâ ad hunc ſcriptâ à Dominico Gradenſi Patriarchâ, adulationis plenâ, in quâ petit modò ne Græci, temerè ob uſum Azymorum, Latinos damnarent. Exhibet hanc Dominici ad Petrum Epiſtolam, Joh. Bapt. Cotelerius, *Parte* II. Monumentor. Eccl. Græcæ, p. 108. Ut & reſponſum Petri Antiocheni ad Dominicum, p. 112. in quo reprehendit primò quod ſe *Patriarcham* inſcribat, quum *quinque* tantùm ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ ſint Patriarchales Throni, *ex divina Gratia diſpenſatione*; tum contrà *Azyma* multis & fortiter diſputat; tandem etiam queritur, receſſiſſe Latinos à nonnullis quæ ab *Apoſtolis* tradita eſſent, v. gr. *ut Sabbatum pari honore cum Dominicâ celebraretur*; & ut Ἀρχιερεῖς *Pontifices uxoribus copularentur.* Similiter exhibet Cotelerius, eâdem Syllogè p. 135. Literas Patriarchæ *Cerularii* ad Petrum Antiochenum, ubi idem argumentum vindicatur contrà literas Gradenſis Patriarchæ, ne his Petrus ſe divelli pateretur à ſententiâ Græcorum: Inſertâ Diſſertatione à *Petro* ſcriptâ, ad Michaëlem Patr. quum *Argyrus* Italus (is homo Laicus) ſe immiſcuiſſet his litigiis, ψευδεῖς συγγραφὰς *ſcripta falſa* ſupponens; imò *Legationem fingens* tanquam Papæ Romani ad Conſtantinopolitanum, & ad ipſum Imperatorem, ut contendit Michaël Cerular. in aliâ Epiſt. ad Petrum Antioch. apud eundem Cotelerium, *pag.* 162. Acceſſit ſcriptum contrà Latinos *Nicetæ Stethati* ſeu Pectorati, Presbyteri in Monaſterio Studii, in quo cum Spiritu humilitatis & charitatis, ut præfert in exordio & fine, revocare nititur ab errore, circà *Spiritum* S. circà *Azyma*, contendens Chriſtum in Euchariſtiâ uſum Pane ἐνζύμῳ, circà *Jejunium Sabbati*, in quo non minùs ac Dominicâ offerretur Sacrificium, & circà *Nuptias Sacerdotum*, Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitas, dein Canonibus Trullanis. Edidit Latinè è Bavaricâ Biblioth. Caniſius *Tomo* VI. Antiquarum Lection. & Cæſar Baronius ſubjunxit ſcripto *Humberti* Cardinalis adverſus Græcos, ſub nominibus *Romani* & *Conſtantinopolit.* cum ejuſdem Humberti *Reſponſione*, ſeu Contradictione adverſus Nicetam, *Tomo* XI. Annal. ad calcem.

Continuatio Diſſidii. Allat. notat.

Manſêre igitur Græci in ſententiâ ſuâ, ſpretis Latinis, & etiam *Papæ* nomen è *Diptychis* eradentes, faſſo Allatio de Conſenſ. L. II. *col.* 616. Quod non primùm tempore Cerularii factum; ſed jam antè Sergii tempore, imò à temporibus *Sextæ & Oecumenicæ* Synodi, ut habet Epiſtola Michaëlis ad Petrum Antioch. *pag.* 140. T. II. Edit. Græco-Lat. Nondum tamen tempore *Vigilii* Papæ, ut voluit prædictus Michaël, imò nec *Agathonis* tempore, ut rectè obſervat Petrus Antiochen. in Reſponſ. ſuâ. Poſteà etiam eraſum manſit Papæ nomen ſub Succeſſoribus Mich. Cerularii, nec tantùm in Eccleſiâ Conſtantinop. ſed & in Patriarchalibus aliis Orientis. Atque ab eo tempore Græcos *in Romanam Eccleſiam oblatràſſe* dicit Allatius, ab eâ *defeciſſe* dicunt aliàs, mox tamen abſurdiſſimè vult ille manſiſſe *unionem Eccleſiarum*, *Lib.* II. C. IX. N. VII. Qui fatetur *Alexandrum* III. Papam circà A. MLXXI. Nicephorum Botaniatam Imperatorem Orientis *excommunicaſſe*; & *Michaëlem Pſellum*, Juniorem ſcilicet, fuiſſe *in Romanam Eccleſiam invectum*, nomi-

Digitized by Google

natim ob additionem factam ad Symbolum Conſt. *de Spiritu S.* Qui Pſellus Seculi ſui decus, & facile Doctiſſimus in Oriente. Sed (inquit Allatius) *privata odia ſive Patriarcharum, ſive etiam ipſorum Imperatorum, non tanti fuêre, ut totum Græca Eccleſia Corpus avellerent ab Eccl. Latinâ*; paucos nempè Schiſmaticos, qui à Latinis pretio aut pollicitationibus victi eſſent. Ac paulò poſt refert idem Allatius Romanorum Pontificum, *Gregorii* VII. & *Urbani* II. in Imperatores Orientis anathemata, prout effræna fuit horum Pontificum ſuperbia. Undè & de reducendâ Concordiâ, ſecuturis Seculis, conſilia aliquoties agitata, irrito ſucceſſu; quicquid Græci *Imperatores* quandoque Papis blandirentur, impetrandis contrà Hoſtes, Turcas præcipuè, ſubſidiis.

Status Reip. & Eccl. in Oriente.

V. De cætero *ſtatus* Eccleſiæ Orientalis miſerrimus fuit, ſeu jugum Saracenicum reſpicimus, ac Turcarum latè victorias; ſeu Patriarcharum in Oriente ſuperbiam, ingenium, ac Cleri Orientalis, & Populorum mores. Illos inter tamen celebris fuit hoc Ævo, præter *Cerularium*, etiam *Joh. Xiphilinus*, ſub Conſtantino Ducâ, qui Dionis Caſſii libros in compendium retulit: Deindè *Coſmus* Monachus, quo Patriarchâ *Nicephorus Botaniates* conſors Imp. excommunicatus à Gregorio VII. quod Imperatorem Michaëlem, cum Latinis communicantem, ejeciſſet, fatente & Allatio, dicto loco. Adde variorum *Rituum* in Oriente ſuperſtitiones, v. gr. in cultu Imaginum, Reliquiarum, Sanctorum; item Monachorum in Oriente ignaviam; tùm *Hæreſium* reliquias, & ſegreges cœtus, etiam Manichæorum; tandem bonarum literarum totalem penè iſtic interitum. Turbâſſe & in Oriente ſectam *Bogomilorum*, properante ad finem Seculo, ſub Alexio Comneno, auctore quodam *Baſilio* Medico, Monachatum profeſſo, auctor eſt Zonaras Annalium Lib. XVIII. C. XXIII. & Anna Comnena Alexiados *Libro* XV. p. 386. Ed. Reg. ac de eâ multis Euthymius Monachus Zygabenus in Δογματικῇ Πανοπλείᾳ *Dogmaticâ Panopliâ*, juſſu Alexii Comneni ſcriptâ, in quâ Hæreſes omnes, & ſeparatim ſingulas, exponit, ac dictis Patrum prolatis confutat. Undè patet, fuiſſe Hæreſim ex *Paulicianis* ſive Manichæis & ex *Meſſalianis* conflatam, magnâ ὑποκρίσεως ſpecie, quum eſſet *Bogomilus habitu Monachus, facie macilentus, mento glaber, ſtaturâ procerus, ad impietatem pertractandam callidiſſimus*, ſic Græci. Sed iſta veriùs ad ſequens Seculum referenda. Notum verò, ſub hoc *Alexio* Imper. ſuſceptam celebrem illam Expeditionem Francorum in Orientem, An. MXCVI. de quâ dictum ad *Caput* II. Alexio in multis perfidiam ſuam, & averſum à Francis animum, probaturo.

X. *Concilia hoc Seculo paſſim celebrata, præcipuè in Occidente.*

Concilia hoc Sec. plurima.

I. De his pauca ſuperſunt obſervanda, poſt ea quæ in ſuperioribus Capitibus ſunt indigitata. Multa nempè in dictis jam Cauſis, ut ſtatim apparet, habita hoc Ævo Concilia, *Romana*, *Italica*, *Germanica*, *Gallica*, *Britannica*, videnda in Conciliorum, tam Generalium quàm Nationalium, *Tomis* noviſſimis IX. & X. & apud Sirmondum, in Conciliis Galliæ, Spelmannum in Conciliis Britannicis, ne dicam apud Magdeburgenſes, *Cent.* XI. C. IX. & abbreviatores Conciliorum. Adde Collectores vetuſtiores, Burchardum Wormatienſem, Yvonem Carnotenſem, Gratianum in Decreto, & Chronographos paſſim. Satis fuerit obſervaſſe *Cauſas* potiſſimas, in Conciliis iſtis agitatas, & Conciliorum occaſiones. Fuerunt igitur, 1. De portentoſis quibuſdam ut dicebantur *Hæreſibus*: Qualis Hæreſis Aurelianenſis dicta, auctoribus (ut ferebant) *Stephano* Eccleſiæ S. Petri Scholaſtico, & *Liſoio* S. Crucis Canonico. Fuiſſe hos viros religioſos, pietatis & ſapientiæ opinione celebres, quibus acceſſerunt plerique *doctores in Clericorum ordine*, in civitate Aurelian. diſertè Glaber *Hiſtor.* Lib. III. C. VIII. Sed qui ſaniora ſenſiſſe videntur, cumprimis *Panem* & *Vinum*, *per conſecrationem Sacerdotis, converti non poſſe in Corpus & Sanguinem Chriſti*, ut inter cætera ſtatuebant; hinc illis Manichaica Hæreſis, & portentoſa dogmata afficta fuere; tùm exauctorati, & vivicomburio affecti, Synodo Aureliæ habitâ, Roberto Rege, A. MXVII.

Ità A. MXXV. Hæreſis altera in Synodo *Atrebatenſi* ac *Cameracenſi*, damnata eſt, cujus Acta publicata à Dacherio, *Tomo* XIII. Spicilegii, N. I. Sed Actis illis parùm tuta fides eſt, ſilente Balderico Noviomenſi Epiſcopo, in Chronico, qui à ſecretis fuit Gerardo Cameracenſi Epiſc. Synodi hujus præſidi. Et ſi verè rem putamus, non aliundè Hæreſeôs poſtulati, quàm quod 1. *Præter Euangelica & Apoſtolica mandata*, nullam aliam *Scripturam* admitterent, 2. *Realitatem Corporis & Sanguinis Chriſti* in Euchariſtiâ negarent, id eſt, per converſionem ſubſtantialem Panis & Vini, ut explicat ipſe Dacherius, in *Præf.* p. VI. VII. 3. Nullum *S. S. Confeſſoribus cultum* religioſum tribuerent, nullam *Ligno Dominicæ Crucis*, nec *S. S. Imaginibus*, nec *Templis*, nec *Altaribus*, venerationem religionis. 4. Nullum dari *Purgatorium* aſſererent, nec Opera pœnalia *poſt mortem defunctos* à peccatis poſſe abſolvere. 5. Nullum *myſterium Sanctitatis* in eo eſſe, ſi mortui ſepeliantur in *Atriis Domûs* Dei, an in *aliis quibuslibet locis*. 6. Nullum præceptum ab *Apoſtolis* emanaſſe, de gubernandâ Eccleſiâ per *Epiſcopos*, *Archidiaconos*, *Decanos*, &c. Quibus videmus odioſiſſimis *Hæreticorum* nominibus jam fuiſſe traductos, qui in graviſſimis Capitib. Apoſtolicam ſimplicitatem revocarent, contrà Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & praxim. In reliquis, multa ipſis afficta intelligimus.

Sic damnata in Concilio *Sueſſionenſi* Galliæ, A. MXCII. Hæreſis *Roſcelini* Compendienſis, Magiſtri Petri Abæliardi, aſſerentis, *tres Perſonas* S. Trinitatis eſſe *tres res* ſeparatim exiſtentes, ſicut tres Angeli, tres Animæ, &c. Damnantibus ac confutantibus errorem, Anſelmo Cantuarienſi, Yvone Carnotenſi, etiam *Abæliardo* ejus Diſcipulo habito. Vide Acta Concil. T. X. *col.* 484. &c.

Varia de Ritibus Eccleſ.

2. Synodi de variis Eccleſiæ, inaniſſimis ſæpè, eorum temporum *Ritibus*; Puta de *Jejuniis* intrà Feſtum Aſcenſionis & Pentecoſtis, privatorum quorundam ἐθελοθρησκείᾳ introduci cœptis, an ea expedirent; libertate hîc factâ, ut *ne per Imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſtis*, ex Glabri Hiſtor. *Lib.* III. C. III. & Conciliorum T. IX. *col.* 782. Sic de Abſtinentiis certis diebus *à vino*, & *carnibus* imò & *piſcibus*, &c. ſolo pane & aquâ & herbis crudis permiſſis; quanquàm hæ leges non ubique, nec ab omnibus exigerentur, ut Thomaſſinus de *Jejun.* P. II. C. VI. Aliâ praxi Italorum, aliâ Germanorum, aliâ Anglorum, v. gr. in Legibus Eccleſ. Æthelredi Regis Anglor. A. MXII. *Omnis Chriſtianus jejunat in pane, aquâ, & herbis crudis, tribus diebus antè Feſtum S. Michaëlis.* Sic Canones de Feſtis diebus, uti illo *Annunciationis*, an celebrandum XXV. Martii, quod olim ab Eccleſiis Hiſpanorum, & aliis, celebratum XV. *Kal. Januar.* VIII diebus antè XXV. Decembr. Natalitium, ut *Glaber Rad.* hujus Seculi Scriptor, Hiſtor. L. III. C. III. Ità *Canon* XV. Selengueſtad. Synodi, in Moguntinâ Diœceſi, An. MXXIII. de celebrando *Jejunio bannito*, (ſcil. ab iis qui ſe *banno divino* dignos cenſerent, quales ſanè omnes) *tribus feriis* in ſeptimanâ poſt Dominicam, *Miſericordia*, & Dominicam, *Salus Populi*, nempè

feriâ

Digitized by Google

feriâ II. IV. & VI. de quo Serarius *Lib.* I. Rerum Mogunt. C. XXXIII. Adde Decreta de uſu & conſecratione Chriſmatis in Baptiſmo; de *Crinibus* Secularium ſic tondendis, ut *pars aurium* appareret; de *impedimentis* matrimonii ex cognatione vel Carnali vel Spirituali; de non celebrandis *Nuptiis* ab Adventu Dom. ad VIII. Epiphaniæ; ſic nec à *Septuageſimâ* ad VIII. à Paſchate diem: Et quæ ſunt ſuperſtitioſa id genus ſine fine, quibus dum percolarent Calicem, Camelum deglutiebant.

De Cœlib. Clericorum.

3. De *Cœlibatu Clericorum*, imò ne *fœminas* intrà ædes reciperent; quæ cauſa magnis animis agitata eſt per Emiſſarios Romanæ Curiæ, cumprimis indè à Leone IX. in Synodo Moguntinâ A. MXLIX. ac deinceps, ubi *nefanda Sacerdotum conjugia* damnata, tanquàm Hæreſis *Nicolaitarum*. Cauſam hanc præ cæteris fortiter acturis, poſt Leonem, Nicolao II. & Gregorio VII. Indè in multis Conciliis, prohibitæ Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, tum *Uxores*, tum *Concubinæ*; & eorum *Liberi* prohibiti omni Ordine Eccleſiaſtico. Sed reſtitiſſe illi legi complures Eccleſias, & graves Clericos, prævidentes fore hunc omnium impuritatum & abominationum fontem, in Germaniâ, Britanniâ, Galliâ, Italiâ ipsâ, ex Chronicis hujus Ævi, ex Nauclero, Aventino, & hiſtoriis ipſis Synodorum liquet. Videſis Catalogum Teſtium *Lib.* XIII. in Narratione Hiſtoricâ de *Cœlibatu Sacerdotum*, & quæ de hac re diximus ſuprà, *col.* 1468. Contrariâ planè praxi Græcorum, de quâ hoc adhuc Seculo diſſenſionem fuiſſe cum Latinis, ſuperiori *Cap.* monitum fuit.

De causâ Euchariſticâ.

4. De causâ *Euchariſticâ*, pro ſubſtantiali converſione Symbolorum, contrà *Berengarium*: Prima omnium Synodus, poſt tranſmiſſam ad Leonem IX. *Epiſtolam* Berengarii ad Lanfrancum, habita eſt *Romæ* in Laterano, A. ML. mox altera *Brionæ*, oppido Neuſtriæ, ubi Berengarius multos in ſuam ſententiam pertraxiſſe fertur; hinc *Vercellis*, eodem Anno, præſente Leone Pontif. ſed abſente Berengario: Poſtrema habita A. MLXXIX. in quâ metu mortis profeſſus Berengarius eſt quicquid voluit Hildebrandus, accepturus hinc literas commendatitias à Pontifice, ut ſuprà viſum, *Cap.* IX. quibus *anathema* diceret *injuriam* illaturis *Berengario*, *Romanæ Eccleſiæ filio*. Sed permanſiſſe in ſententiâ ſuâ reducem in Gallias Berengarium, ac retractaſſe quæ Romæ coactus fecerat, una omnium vox eſt; quicquid reſipuiſſe dicant in Synodo quadam *Burdegalenſi*, in eum habitâ An. MLXXXIII. ſed nullis hodie Actis illius Concilii, nullâ etiam revocationis ibi formulâ, quales antè: Sed tantum ex Chron. Maxentiano, *Berengarium*, *in ea Synodo reddidiſſe Fidei ſuæ rationem*, quod diverſum longè eſt ab eo, *Pœnitentiâ* ductum ejuraſſe. Sed de Berengario fusè ſuprà.

De Electione Paparum.

5. De *Electione Paparum*, quæ ad Cardinales traducta eſt, abjudicata Cæſaribus; ut ſuprà *Cap.* VI. de Originibus Cardinalitiæ Dignit. Factum in Synodis *Mantuanâ*, & *Romanis* pluribus ſub Nicolao II. & Succeſſoribus; contrà nitentibus pro jure ſuo Imperatoribus. Sed eâ de re jam in ſuperioribus egimus, ubi de Conſtitutione *Leonis* VIII. reddentis jus ſuum Cæſari in electione Paparum, *Sec.* X. *col.* 1466. 1467.

De causâ Hildebrandi contrà Imp. Henricum. De Jure Inveſtituræ, &c.

6. De causâ *Hildebrandi* & *Henrici* Imperatoris: Hinc Pontificis cauſam acturis quotquot eſſent Papalis factionis; illinc fulminantibus in Pſeudo-Pontificem, uti Synodis aliis, ſic cumprimis Wormatienſi, Anno MLXXVI. & Brixienſi Anno MLXXX. Quâ de re jam ſuprà, in Hiſtoriâ Gregorii VII. Sic de jure *Inveſtituræ*, à Papâ uſurpato, contrà *Simoniacam* (ſcilicet) labem, innumeris penè hac de causâ Synodis indictis, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, &c. nihil de Jure ſuo remiſſuris Principibus, ut ſuprà *Cap.* VII. Ità de *depoſitione* Epiſcoporum, qualis depoſitionis fuêre hoc Seculo frequentia exempla, cumprimis eorum qui in Cæſarem, in Reges, rebellionis nomine ſe alligaſſent. Imò & de depoſitione *Paparum* quorundam actum, ut depoſiti fuêre *Gregorius* VI. in Synodo Sutrinâ in Etruriæ finibus, An. MXLVI. *Alexander* II. in Baſileenſi Conciliabulo, A. MLXI. habito tempore Interregni Pontificii, contrà decretum *Nicolai* II. ut *nullus haberetur Romanus Epiſcop. niſi prius à Cardinalibus eligeretur.* Sic depoſitus non ſemel poſteà *Gregorius* VII. ex præcedente Hiſtoriâ de rebus Hildebrandi. Ità celebratæ Synodi ſub nutu dominantis, de excommunicatis vel excommunicandis Regibus, Imperatoribus, uti *Philippo* I. Galliarum, *Wilhelmo* I. Anglorum Regibus, *Henrico* IV. Imperat. tum *Henrico* V. ejus filio; ut antè viſum.

7. Sed & Synodi plures habitæ, de cauſis *conjugalibus*, *divortiis*, *gradibus* impedientibus matrimonium, ut in theſi, ſic in hypotheſi: Hinc variæ cauſæ matrimoniales diſcuſſæ Regum, Principum, pro auctoritate quam ſibi Pontifices ac Præſules arrogabant. Viſum ſuprà *Cap.* VII. *Num.* III. de causâ Philippi I. Galliarum Regis *Bertrudam* dimittere coacti, decreto Synodi Claromontanæ, Urbano II. Pontif. Ità Synodi, pro reformandis *moribus*, & inſtaurandâ *diſciplinâ*, atque adeò pro reformandâ Eccleſiâ, ſpecie tenùs, paſſim etiam habita Concilia; puta Romæ, in Galliâ, Britanniâ, ex præfatis Tomis Conciliorum, & ex Chronographis. Nunquàm tamen hanc rem cordi fuiſſe Curiæ & Clero Romano, ſequens Hiſtoria teſtabitur, benè piis Principibus, & Epiſcopis melioris notæ.

8. De *Bello Sacro* ſuſcipiendo, Synodus primò *Placentiæ* indicta, præſentibus ibi Legatis Alexii Comneni; mox cogenda alia *Claromonti*, quò ſe contulerat ex Italiâ Gallus Pontifex, nempè utraque ſub Urbano II. Ann. MXCV. Quâ de re dictum in Hiſtoriâ Belli ſacri, *Cap.* II. In poſtremâ Synodo etiam Canones contrà *Conjugia* Sacerdotum, *Inveſtituras* Principum, &c. Ità Canones pro *Sabbati* jejunio; pro Cultu *Mariæ Virginis*; Etiam pro Communione *ſub utrâque*, ſumendis *Corpore* & *Sanguine ſeparatim*, præterquàm in *caſu neceſſitatis*: Secùs viſum Rom. Eccleſiæ ſequentibus Seculis. Mittimus cauſas id genus alias Synodales, quandoque ludicras, & leviſſimas, ex earum Actis, & Canonibus, intelligendas. Nec enim talia compilamus; uti nec *Leges* Anglicanas Ethelredi, Canuti, &c. videndas apud Lambertum, vel Spelmannum.

II. Indictæ etiam Synodi plures, in cauſis vel factis *particularibus*, quæ attinerent v. gr. ad Diſciplinam Abbatum vel Monachorum, ſic ad Epiſcopos, hujus & illius Diœceſeôs, num v. gr. rei criminis *Simoniæ*, aut *Nicolaſticæ* Hæreſeôs; aut *in Abbatiis* haberent jus tale, &c. Sic ad *Excommunicatos* à ſuis Epiſcopis, Romæ autem abſolutionem à Papâ conſecutos, inſciis prioribus, ut hæc cauſa acta eſt in Synodo *Lemovicenſi* II. A. MXXXII. decernentibus Epiſcopis, *Papam non poſſe abſolvere excommunicatum*, *non actâ Pœnitentiâ*. Quemadmodùm & exemplum ibi profertur, *Equitis excommunicati*, & *ſepulti* in loco Sacro, inſcio Epiſcopo, ſed cujus corpus fuiſſet extrà Cœmeterium miraculosè *projectum*, *ac nudum inventum ſuper terram*, Concil. T. IX. *col.* 902. Cumprimis memorandæ *Synodi* in Galliis habitæ, de *Apoſtolatu Martialis* Lemovicenſis, Doctoris Aquitaniæ, de quo magna concertatio fuit, num pari auctoritate & habendus *Apoſtolus*, quâ XII. reliqui, non in *Confeſſoribus* tantum reponendus? Ac decernunt tandem Synodus *Bituricenſis* Aquitaniæ Primæ, A. MXXXI. & *Lemovicenſis* utraque, Prima & Secunda, Annis MXXX. & MXXXI.

An Martialis fuerit verè Apoſtolus? Synodi hoc nomine habitæ.

Digitized by Google

MXXXI. Martialem omninò eſſe inter *Apoſtolos* reponendum, atque *in eo gradu quo à Rege Seculorum collocatus eſt, ab Eccleſiâ Catholicâ, uno corde & ore, ſemper deinceps ratâ ſtabilitate confirmandum, quatenùs ejus interceſſione excreſcat illa in augmentum ſanctæ Religionis*, &c. Rationes proferunt omninò apocryphas & ludicras. V. gr. In *Litaniis Græcis* Martialem inter alios Apoſtolos, poſt XII. fuiſſe pronunciatum; Sic in *Litaniis Franciæ, Angliæ*, Martialem cum Apoſtolis aliis eodem ordine nominari; Timendum, ſi nomen ejus de *Apoſtolico* ordine auferatur, ne *Apoſtoli Petri & aliorum indignationem* incurrerent; Martialem Apoſtolum fuiſſe *primum illuminatorem Galliæ, à Domino, per legationem B. Petri, Gentibus Aquitanicis fuiſſe deſtinatum Apoſtolum*; hinc fuiſſe *Apoſtolum officio, remuneratione, gloriâ & honore; à Petro fuiſſe baptizatum, eidem Petro & Stephano Protomartyri conſanguineitate junctum, per inſufflationem à Domino conſecratum, Die Aſcenſionis ab eodem Epiſcopali benedictione ſanctificatum, in Pentecoſte Spiritu S. repletum, omnium Gentium Linguas eundem noviſſe*, &c. Adhæc proferunt *vetuſtiſſimos Codices, in quibus Epiſtolæ duæ apocryphæ* ipſius Martialis; tum teſtimonia venerandorum Abbatum *Monaſterii Tutelenſis, Solemniacenſis*, &c. imò autoritatem *Hieronymi, Ambroſii, Bedæ*, aliorum in veteribus, ſecundum quos Martialis III. *anno Veſpaſiani aſſumptus* eſt: Proferunt & *Epiſtolam* Johannis Papæ XVIII. in quâ dicitur inſuper Martialis, in *reſuſcitatione Lazari præſens adfuiſſe, in Cœnâ interfuiſſe*, in *lavatione pedum miniſtraſſe*, vidiſſe *Thomam palpantem manus & latus Chriſti*, &c. Hæc ſpeciminis ergò, ut intelligatur quo affectu res in *Conciliis* iſtis tranſacta fuerit, in rem propriam, quum Martialem *patronum* adoptaſſet Lemovicenſis Eccleſia, & Monaſterium; cujus *Corpus* Lemovicæ requieſcere prædicaret; cujus *Miracula* jactarentur infinita; atque intereſſet haberi eum *Apoſtolum*, qui primus ſcilicet Aquitanis prædicaſſet. Vanitatem hujus traditionis confutarunt, Johannes Cordeſius, Lemovicenſis Canonicus, ſpeciali *Diſſertat.* Franc. Boſquetus Parte II. *Hiſtoriarum* Eccleſiæ Gallicanæ, Joh. Launoius in *Diſpunctione Epiſtolæ* Illuſtriſſimi de Marca ad H. Valeſium, Anno MLVIII. pro Martialis Apoſtolatu. Oſtenduntque nullum dignum Auctorem *Martialis* ejus meminiſſe, qualem venditarent Lemovicenſes ab Ann. MXXXI. antè *nongenteſimum Chriſti Annum*, & quod excurrit; Quando deperditis quæ ad genuinum Martialem attinerent, (cujus meminit *Gregorius Turonenſis*, Hiſt. Francor. L. I. C. XXVIII. tanquàm *Decii tempore* primùm in Gallias delati, cum Saturnino & ſociis) conficta illa Acta, occaſione ſecundæ Tranſlationis Martialis, poſt pulſos Aquitaniâ Barbaros. Interim fabulas iſtas propinat Cæſar Baronius, qui multus eſt de hoc *Martiali*, deque his Synodis, ad A. MXXIX. N. VI. &c. quamquam circà *Apoſtolatum* Martialis cautè verſetur, de quo *conſulenda fuerit Apoſtolica Sedes, & expectandum quid Papa reſcriberet.*

De cauſâ *Orientalium*, præcipuè Michaëlis Cerularii Patr. Conſtantinopolit. contrà Leonem IX. Pont. Romanum, dictum pluribus *Capite* præcedenti.

XI. *Scriptores Eccleſiaſtici hac Ætate celebriores.*

Theophyl. Oecumen.

I. In Oriente quidem, referendus ad inclinatam hanc Ætatem videtur *Theophylactus* Bulgarorum Archiepiſcopus; ſed & juxtà alios Scholiaſtes Græcus, obſcuræ Ætatis, *Oecumenius*; ad tempora ſcilicet Mich. Ducæ, Nicephori Botaniatæ, & Alexii Comneni. Uterque, inſignis in *Novum* præcipuè *Teſtam.* Commentator, facem præferentes in tantis Orientis tenebris; atque alieniſſimi ab hypotheſibus *Latinorum*; ut probatur aliàs, ſectatores atque abbreviatores Chryſoſtomi: Ac de Theophylacto dictum etiam ſuprà, cujus extant *Epiſtolæ* variæ, quarum LXXV. vulgavit olim Meurſius noſter; & cujus alia lateant inedita, nominatim in Bibliothecâ Bavaricâ, Tractatus *de Diſſidio Græcorum & Latinorum.* Hunc *Seculi* IX. ſive Photiani, eſſe vellent Sixtus Senenſis, Perronius, & plures alii.

In *Hiſtoricis* Byzantinis, celebris cumprimis *Georgius Cedrenus*, ſub Iſaacio Comneno, circà A. MLVIII. auctor Synopſeôs Hiſtoricæ, editæ in Corpore Byzantino, *Tomis* duobus: Credulus is ſæpè nimis, ac effuſæ ſuperſtitionis, in cauſis Imaginum, Reliquiarum, Marioduliæ: Incipit ab O. Cond. ad A. C. MLVII. Iſaacio Comneno in Oriente, Henrico IV. in Occidente rerum potitis. Compilator is ferè *Georgii*, Patriarchæ *Syncelli* ſeu Adjutoris, & *Theophanis* Confeſſoris, nec pari judicio. Indè verò ubi deſinit Theophanes, ſeu ab exceſſu Nicephori Logothetæ, dubium an is *Joh. Scylitzem*, an verò hic ipſe *Cedrenum* exſcripſerit, nam eadem apud utrumque legas, pauciſſimis exceptis. Quâ de re Xylandri, Scaligeri, Fabrotti, Voſſii, Allatii, aliorumque judicia extant. Ex eo ferè ſua *Zonaras*, in rebus Byzantinis, ſequentis Sec. ſcriptor, multis tamen quæ in Cedreno ſunt tacitis ac neglectis, multis additis. G. Cedrenus.

Johannes Scylitza ex Protoveſtiario *Curopalates*, (quaſi *curam* habens *Palatii*, quæ dignitas olim ſumma, qualis fuit Juſtini ex ſorore nepotis *Juſtiniani* Imp. apud Euagrium *Lib.* V. C. I.) coævus Cedreno, auctor eſt *Hiſtoriæ* ab obitu *Nicephori* Logothetæ, ſeu ab initio Michaëlis Rangabes, uſque ad extrema Nicephori Botaniatæ, ſeu ad A. MLXXXI. Eadem verò ferè, quoad hanc hiſtoriam, leguntur & in Cedreno, & in Johanne, ut alter alterum deſcripſerit. Cedrenum plerique plagiarium ſuſpicantur, Johanne Curopalatâ ſua longiùs producente uſque ad Alexium Comnenum. *Græcè* nondùm integer prodiit. Johan. Scylitza.

Michaël Pſellus, clarus jam ſub Conſtantino Monomacho, ad extrema uſque Nicephori Botaniatæ, ſeu A. MLXXXI. illuſtri loco natus. Philoſophorum is habitus princeps, cui & multa pars in rerum adminiſtratione fuit, præceptor ac promotor ad Imperium *Michaëlis Ducæ*, ex Johanne Scylitzâ, Zonarâ, Glycâ, quo Michaële amoto A. MLXXVIII. ſeceſſit in Monaſterium. Tribuitur illi *Encomium* Simeonis Metaphraſtæ, licet hunc poſteriorem multi credant, de quo fusè ad Seculum X. Laudavit & Joh. Xiphilinum Patriarcham. Scripta *Pſelli*, Græcis ſuis adhærentis, contrà Latinos, *Theologica*, ut in Canticum Canticorum, &c. Philoſophica, Mathematica, plurima quæ feruntur *inedita*, videſis apud Leonem Allatium, Lambecium, Labbeum, Oudinum, Cave, Hankium. *Divinitùs* dicitur adjutus in ſtudiis, non tam curâ διδασκάλων σοφῶν, quàm continuis precibus Matris ejus, fundi ſolitis in Templo Cyri, ad τὸ Θεοτόκου σεπτὸν εἰκόνισμα, θερμοῖς δάκρυσι, ἐκκαλυμμένης, ità pro Græcorum tunc ſuperſtitione, Anna Comnena *Alexiad.* L. V. *pag.* Ed. R. 144. Sed de *Pſellis* prolixè Allatius, & de poſtremo hoc effuſiſſimâ cum laude, pro ingenio Græculi. Mich. Pſellus.

Hos antè vixiſſe cenſendus eſt *Nilus* cognomento *Doxopatrius* Archimandrita, cujus eſt Tractatus de V. Thronis Patriarchalibus, ad Rogerium Siciliæ Regem, ſcriptus Anno circiter MXLIII. Seu Notitia accurata de eorum Patriarchatuum, origine, prærogativis, & illis Sedibus ſubjectis Exarchis, Metropolitanis, Archiepiſc. Epiſcopis (de quibus ſuprà *Sec.* V. *col.* 979.) ex *Bibliothecâ* Leydenſi integra nuper vulgata. Hic orbem in tres partes dividit, εἰς τὴν Ἀσίαν τὴν ἀνατολὴν, εἰς Εὐρώπην τὴν δύσιν, καὶ εἰς Λιβύην, in *Aſiam* quæ ad *Orientem* eſt, Nilus Doxopatr.

Eu-

Digitized by Google

Europam quæ ad Occaſum, & *Libyam* (id eſt Africam) quæ ad Auſtrum: Tùm oſtendit *Antiochiam* primò à Petro Apoſt. fuiſſe erectam, Εὐόδῳ ibi conſtituto Epiſc. tùm *Romam*, Lino ibidem creato Epiſc. tandem *Alexandriam*, miſſo eò Marco τῷ Ἀποςόλῳ ϗ Εὐαγγελιςῆ *Apoſtolo & Euangeliſtâ*. Palæſtinam verò, & in eâ *Hieroſolymam*, ad Libyam ſpectaſſe: Poſteà autem Sede *Conſtantinopolitanâ* in Patriarchatum evectâ, & à Chalcedonenſibus Romanæ Sedi exæquatâ. Deinde *fines* ſuos ſingulis Diœceſibus aſſignat, *Cypro* tamen Inſulâ, & *Bulgariâ*, αὐτοκεφάλοις, quæ *ab Imperatore acciperent Epiſcopos*. Frequenter hic Nilus citatur Allatio in Opere de *Conſenſione Eccl. Oriental.* magnus quamvis aſſertor cauſæ Græcorum, contrà Latinos. Cumprimis verò in hoc ordine reponimus, *Michaëlem Cerularium*, *Leonem Achridanum*, *Petrum Antiochenum*, & ſcriptas ab iis *Epiſtolas*, de quibus dictum *Cap.* ſuperiore, de Diſſidio Eccleſiæ Orientalis à Romanâ; Ita quoque *Nicetam Stethatum*, Latinis dictum *Pectoratum*, è Monaſterio Studii Conſtantinopolit. Latinos perſtringentem in Syntagmate, quod incipit, Καλὴ πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπη, ὦ πάντων σοφώτατοι Ῥωμαῖοι, &c.

Joh. Xiphilin. &c.

Joh. Xiphilinus Patr. Conſtantinop. ab Anno MLXVI. ſub Conſtantino & Michaële Ducâ Impp. qui πεπαίδευτο παιδείαν λόγων παντοδαπῶν, *Vir in omni genere eruditionis inſtructus*, ut de eo Zonaras *Lib.* XVIII. C. IX. Cui præter Epitomen Librorum Dionis Caſſii, etiam Homiliæ in Euangelia Dominicalia, quarum Ms. Codex eleganter ſcriptus extat in Biblioth. Voſſianâ, atque etiam alia apud Gretſerum, tribuuntur. Favit ſanè is quoque cauſæ Græcorum contrà Latinos. Alii tamen non *Xiphilino* Patriarchæ, ſed ejus nepoti, Caſſianam Epitomen tribuendam cenſent. *Gregorius Palamas* infenſiſſimus Latinis, Joh. Vecci adverſarius, malè refertur ad hoc Seculum, in Indice Chronolog. Bibliothecæ M. Patrum. Veriùs eſt Seculi XIV.

Nec omittendus R. *Samuel Marochianus*, ex Judæo Chriſtianus, circà A. MLXX. Cujus Epiſt. ſeu Liber de Adventu Meſſiæ, temerè adhuc exſpectato, tranſlatus ex Arabico in Latinum ab Alphonſo Hiſpano Dominicano, inſertus eſt Bibl. M. Patrum Pariſinæ, T. IV. De eo extat judicium Hornbeekii noſtri, *Prolegomenis* de Convertendis Jud. *Sect.* V.

Script. Latini. Legendarii.

II. In Occidente longa Scriptorum ſeries apparet hoc Seculo, in quo animoſi valdè pro tuendâ auctoritate, illinc Pontifices, hinc Imperatores, Reges; in quo & multiplicata fuêre Monaſteria, ac renovata de Euchariſtiâ certamina. Plurimis vix debentur alia, quam *Vitæ* eorum *Sanctorum*, quos Roma hoc & proximo antè Ævo venerata eſt. Tales ſunt vitæ S. *Uldarici* Auguſtani, S. *Anſcharii* Bremenſis, S. *Odonis* Cluniacenſis Abbatis, S. *Abbonis* Floriacenſis, S. *Majoli* Cluniacenſis, S. *Henrici* II. Imperat. S. *Edmundi* Anglorum Regis, S. *Oſwaldi* Northumbriæ Regis, S. *Odonis*, & S. *Dunſtani* Cantuarienſium Archiepiſcopor. S. *Emmerani* Ratisbonenſis, S. *Bernardi* Hildesheimienſis, S. *Simeonis* Syracuſani, S. *Leonis* IX. Papæ, S. *Adalhardi* Corbejenſis, &c. *Sanctorum* nempè Catalogo inſerti fuêre qui aut Imperatoribus reſtiterunt, pro omnipotentiâ Pontificiâ, ut *Leo* IX. *Alexander* II. *Anſelmus* Lucenſis alter, &c. Aut qui *Monachatum* promoverunt, auctores novarum ſuperſtitionum, ut *Odo* Cluniacenſis, &c. Aut qui *Cœlibatum* fortiter propugnarunt, quemadmodùm & *converſionem ſubſtantialem* Symbolorum in Euchar. ut inter alios *Dunſtanus* ille Cantuarienſis, *Anſelmus* itidem Cantuar. Aut qui *liberales* in Papas, in Clerum Rom. in Monachos extiterunt, vel cæterùm effuſæ *ſuperſtitionis*, ut *Henricus* II. Imp. intactam ſcil. relicturus Conjugem; S. *Stephanus* Hungarorum Rex, devotiſ-

Sancti qui tùm habiti.

ſimus ergà Rom. Sedem; S. *Ladiſlaus* I. tempore Gregorii VII. ad regnum evectus, addictiſſimus cauſæ illius Pontificis, &c. Scriptores plerumque Monachi fuêre, obſcuriores illi, nec aliis teſtibus quàm ſui ſimilibus, & credulâ ſuperſtitione, in Martyrologio Rom. & apud Balæum, Surium, Harpsfeldium, Poſſevinum, Bellarminum, Baronium, Bollandum, Miræum, Labbeum, Mabillonum, obvios alios.

Hiſtorici celebriores; Glaber, Dithmar, Herman, &c.

Scripsêre & alii hoc Ævo *Chronica*, *Hiſtorias*, atque in iis celebriores ſunt: *Glaber Radulphus*, Monachus Ord. Bened. in Monaſt. Cluniacenſi, Hiſtoriæ Scriptor, Librum I. exorſus, ab A. Chriſti DCCCC. Librum II. ab Hugone Capeto Rege, & Roberto filio, promoturus Libris V. ad annum uſque MXLV. Teſtis luculentus corruptionis eorum temporum, & uſurpationum Papalium; *horum temporum probatus Scriptor*, Baronio ad A. DCCCCXCVI. N. LIII. Utpote ſcribens res potiſſimum ſui temporis, & ſæpè invectus in Clerum, imò in ipſum Pontificem Roman. quem *nihil vult in alienâ Diœceſi poſſe præſumere, pluſquam cæteros Epiſcopos, quibus certis limitibus eſt definita Diœceſis, & extra ipſam nihil penitus agere poſſe*. Quod refutat Baron. exemplo *Joannis* Papæ & Martyris; qui Conſtantinopoli, in alienâ utique Diœceſi, conſecravit (ſcilicet) Eccleſias quæ erant Arianorum. De quâ re vide, ſi lubet, ad *Secul.* VI. *col.* 1143. 1144. Glabrum edidit Andreas Du-Cheſne in Collect. Hiſtoricorum Galliæ, *Tomo* IV. *Num.* I.

Dithmarus ex illuſtri in Saxoniâ genere, natus Sigefrido Comite, & Cunegundâ matre, poſteà Merſeburgenſis in Miſniâ Epiſcopus, Henrico II. Imper. Huic debentur *Chronicorum* Libri VII. indè ab Henrico I. ſeu Humili, editi à Reinero Reineccio: Scriptor laudatiſſimus Baronio, quia addictus cauſæ Pontificum, ſuperſtitioſiſſimis temporibus.

Hermannus à membrorum vitio *Contractus*, illuſtri loco natus, nempè Wolferado in Sueviâ Comiti, Monachus Augiæ majoris, Scriptor inclytus brevioris Chronici, ab Orbe C. ad A. MLIV. Ediderunt in Collectione ſuâ Urſtiſius *Tomo* I. & Caniſius Antiquar. Lect. *Tomo* I. Continuavit quædam *Anonymus*, ad Annum uſque MLXVI. apud Urſtiſium; tùm *Bertoldus*, Presbyter Conſtantienſis, uſque ad finem hujus Seculi ad A. MC. Qui poſtremus ut ut mancipatus Romanæ Curiæ, & cauſæ Paparum, quam ut Legatus Gregorii VII. acturus fuit, tamen in multis ſatis ingenuus: Idemque de Berengario ad Ann. MLXXXIII. *hæreſim* ſuam *de Corpore Domini*, *licet ſæpiſſimè in Synodo abjuraverit*, *ad vomitum tamen ſuum canino more non expaviſſe redire.* Hinc quamvis à ſe *anathematizatam*, *nec tamen poſteà dimiſiſſe*. De Hermanno obvia judicia.

Ademarus Monachus Gallus, in Diœc. Engoliſmenſi Scriptor Chronici à principio Monarchiæ Francicæ, ad An. MXXIX. quo in vivis fuit, editus Labbeo, in Bibliothecâ Manuſcriptor. Interfuit Synodo *Lemovicenſi*, in quâ diſceptatum de *Apoſtolatu* Martialis, quâ de lite dictum ſuprà. Ac cauſam eandem acriter defendit, adversùs quendam *Benedictum* Monachum S. Michaëlis in tractu Pedemontano, qui contrarium ſtatuebat, & *Hæreſim* etiam appellabat, à Lemovicenſibus excogitatam; Nec fas eſſe *Martialem* prædicare *Apoſtolum*, *niſi prius grande Generale Concilium omnium Epiſcopor. Galliæ & Italiæ, unà cum Papâ Romano, congregaretur.*

In vulgus prætereà noti, & de quibus aliàs, e. gr. *Oderamnus*, in Galliâ quoque Monachus, Scriptor rerum in Orbe geſtarum ad A. MXXXII. apud Ducheſnium. Notiſſimi prætereà, *Lambertus* Schafnaburgenſis, Cœnobii Hirsfeldenſis Monachus, Hiſtoriæ Germanicæ Scriptor ad A. MLXXVIII. ab Erphordienſi continuatæ; *Marianus Scotus*, Monachus Fuldenſis, dein Cœnobita Moguntinus,

Digitized by Google

Chronici ingenuus Scriptor, ab O. Cond. ad Ann. MLXXXIII. de quo nos prolixè in *Hiſt.* Papæ Fœminæ: *Adamus*, *Bremenſis* Canonicus, qui res Eccleſiarum Septentrionalium Hiſtoriâ complexus eſt, multâ fide & diligentiâ: *Sigebertus Gemblacenſis* Cœnobii Monachus, vitam producturus & Chronicon ad A. MCXII. ſcriptor idem *ingenii incomparabilis*, ut eſt ad finem Chronici; inviſiſſimus Baronio, & omnibus paraſitis Romanæ Curiæ, & hoc ipſo *mendacii*, *calumniæ*, *impoſturæ*, non ſemel poſtulandus. Accedunt *Rerum Normannicarum* Scriptores hoc Ævo, *Gaufridus à Malaterrâ*, *Guilielmus Appulienſis*, & ſi qui fuêre plures, collecti in unum à Franciſco Ducheſne, cujus Collectionibus Hiſtoria Francica plurimùm debet.

Scriptores in Causâ Berengarii.

In cauſâ *Berengarii* edita fuêre Scripta benè multa, tum ab ipſo *Berengario*, ſupplente quædam Luca Dacherio, & Joh. Mabillono, tùm ab Adverſariis Berengarii. Qui tamen poſtremi ſententiam ejus detorſerunt, & oppugnarunt, obteſtante nequicquàm Berengario, tanquàm quæ nudam *figuram* Corporis Chriſti aſſereret, nudam *ſimilitudinem*, non etiam *verum Corpus*, per interiorem Sacramenti *gratiam* ac virtutem. Contrà Berengarium igitur ſcripſêre, & hujus hyperaſpiſtam Brunonem Andegavenſem, *Aſcelinus* Monachus in Galliæ Neuſtriâ, congreſſus cum Berengario, ſcriptis utrimque *Epiſtolis*: *Lanfrancus* Cantuarienſis, Transſubſtantiationis verè parens, ac præcurſor Theologiæ Scholaſticæ: *Anſelmus* Lanfranci diſcipulus, pluribus ſcriptis inclytus, Papis addictus, ſed multus in Commentatione Scripturarum, ex quo etiam luculenta promſêre, cauſæ Pontificiæ adverſa, Flacius Illyricus, Jac. Uſſerius, Joh. Forbeſius, quos ut obvios vide: *Hugo* Lingonenſis Epiſcopus, & *Durandus* Troarnenſis Abbas, Libris de Corpore & Sanguine Domini, adversùs Berengarium editis, ad calcem Operum Lanfranci: *Deodwinus* Leodienſis Epiſc. *Epiſtolâ* de Corpore & Sang. Domini, ad Henricum Galliæ R. apud Mabillonum *Anal.* Tom. IV. *Guitmundus* ex Monacho poſteà Cardinalis, ſub Urbano II. Libris III. de Corporis & Sanguinis Chriſti veritate in Euchariſtiâ; item *Algerus* Scholaſticus Leodienſis, de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, tribus pariter Libris, *Tomo* VI. Bibl. M. Patrum. Quibus autem ſe abſurditatibus involverint, dùm modò ipſum *Corpus* Chriſti in Euchariſtiâ verè *frangi*, *atteri*, tradiderunt, & ità Lanfrancus; modò in *ſignis* tantùm & *ſpeciebus* Sacramentalibus, & ità Scholaſtici; modò nonniſi *apparenter* illa fieri, deceptis oculis, ut Guitmundus; eſt alibi à Theologis noſtris Aubertino, & aliis, obſervatum. Æquior paulò fuit *Adelmannus* ex Scholaſtico Leod. Brixienſis Epiſcopus, Epiſt. ad Berengarium, de Veritate Corporis & Sanguinis Domini, in T. III. Bibl. P. ex quo ſaniora non pauca Illyricus, in recentioribus laudatus modò *Aubertinus*, Libro III. de Euchariſt. *pag.* 948.

In causâ Henrici IV. contrà Hildebr.

In cauſâ *Henrici* IV. contrà *Gregorium* VII. edita hoc Ævo Scripta fuêre non pauca, pro jure Imperatoris, contra uſurpationes Papæ. Videndi Scriptores apud Goldaſtum, Freherum, Schardium, in Collectionibus ab iſtis editis Germaniæ Scriptorum, & ſuprà in rebus Hildebrandi, *Cap.* V. Inter præcipuos eſt *Benno* Cardinalis, de quo jam dictum aliquoties, coævus Scriptor *Vitæ & Geſtorum Hildebrandi*, in Faſciculo Rerum Expetendar. & in Collectione Goldaſti, A. 1611. Teſtis ipſe eorum quæ chartis tranſmiſit; à Mornæo, aliiſque, contra exceptiones Cæſ. Baronii, Bellarmini, & ſequacium vindicatus. Tacent eum de induſtriâ Bellarminus, Labbeus, Nat. Alexander, &c. in Catalogis Scriptorum Eccleſiaſticorum; nec tacuit *Sigebertus* à Bennone ſcriptâ, de Sylveſtro II. aut Gregorio VII.

Sed inprimis memorandus Anonymus Auctor *Vitæ* Henrici IV. Imp. Ducis Bavariæ, ejus temporis ſcriptor, editus ab Urſtiſio, poſt Ottonem Friſing. Hermannum Contractum, Bertoldum Conſtantienſ. &c. Qui ſic incipit occaſione mortis Henrici: *Quis dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, ut lugeam, non excidia captæ Urbis, non captivitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum; Sed mortem Henrici Imper. Auguſti*, &c. Et poſt res ab Henrico domi militiæque, in Saxoniâ, in Italiâ, fortiter geſtis, enarratas, luculenter inprimis deſcribit rebellionem Filii in Patrem, occaſionemque illi datam ab emiſſariis Romanæ Curiæ, quæ perſuadebant Filio; *Se mirari quod tam durum Patrem pati poſſet; nihil eum à ſervo differre; patrem ejus ſenem eſſe & moderandis Regni habenis invalidum; ſi Inveſtituram regni ad obitum ejus differret, haud dubium quin alter illum ſibi præriperet; maximè cùm Patrem excommunicatum & Eccleſia dudum reſecuiſſet, & Proceres regni dudum reprobaſſet.* Hinc deſcribit dolum quo Patrem Filius circumvenit, pœnitenti ſcilicet vultu culpam faſſus, multis cum lachrymis, &c. donec Patrem, in *Caſtellum* quoddam propè Moguntiam illectum ac irretitum, haberet in ſuâ poteſtate. Denique properat ad extrema Henrici Imperatoris, ac ut redditis Filio Imperii inſignibus Leodium ſe receperit, mortiſque tandem debitum perſolverit, ſcriptis paulo antè *Literis* ad commiſerationem excitandum comparatis, ad Archiepiſcopos & Principes Imperii. Addit Sigonius *Lib.* IX. *ſub finem*, quod tacet hic Auctor Vitæ Henrici, & Scriptores contemporanei; *eò neceſſitatis ac miſeriæ veniſſe Patrem*, ut *petierit ab Epiſcopo Spirenſi victum ſibi dari apud Spiram, in Æde Dei Genetricis à ſe conſtructæ; dicens ſe haud inutilem Clericum fore, quod & Literas calleret, & Choro inſervire egregiè poſſet, quod tamen non impetravit.*

Scriptores alii de Eccleſ. Ritib.

Accedunt Scriptores alii non obſcuri nominis, qui *Canones Eccleſiæ* vel *Conſuetudines*, in faſcem collegerunt. In his feruntur, *Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus, Patriâ Mantuanus, Gregorii VII. familiaris, in cujus gratiam, ac defenſionem, collegiſſe fertur Syllogen Canonicarum ſententiarum, ex Patrum Scriptis, quam tamen *Anſelmo* abjudicat Steph. Baluzius *Præf.* & *Notis* ad Anton. Auguſtinum de Emend. Gratiani, quem recudi curavit cum ſuis & Baluzii Notis, Gerh. à Maeſtricht, Vir *Clar.* A. 1667. Eundem in finem ſcripſit *Deus-dedit* Presbyter Cardinalis, tempore Victoris III. cui pariter tribuitur Collectio Eccleſiaſticorum Canonum, Libris IV. apud eundem Auguſtinum: Tum *Yvo* Carnotenſis, Epiſcopus, ſub finem Seculi, cujus extat *Decretum*, ſeu Collectio Canonum, XVII. Partibus abſolutum ad imitationem Burchardi Wormatienſis; & ſub ejus nomine edita quoque *Pannomia*, vel potius *Pannormia*, quaſi *ſumma Decretorum* in Partes VIII. tributa. Scopus Yvonis fuit collapſam diſciplinam reſtituere, contrà ipſas uſurpationes quandoque Pontificum; undè nec gratus hoc nomine Baronio eſt. Sed de his pluribus egit, præter noviſſimos Scriptores alios de *Scriptor. Eccleſiaſt.* ad Dialogos de Emendat. Gratiani, Gerhardus à Maeſtricht modò in *Hiſtoriâ* Juris Eccleſiaſt. & Pontificii, editâ A. 1676.

Miſcell. alii Script.

Nec prætereundi alii, qui ſcriptis ſuis inclaruerunt, ipſo hoc Seculo, de quibus paſſim dictum ſuprà fuit. Talis *Fulbertus* Carnotenſis Epiſcopus Magiſter Berengarii; cujus Epiſtolas habes Tom. III. Bibl. M. Patrum, & apud Du-Cheſnium Collectionis Francicæ T. IV. Vir dignus fuit Ævo feliciore. *Hildebertus* Turonenſis Epiſcopus, laudator Berengarii, cujus quædam extant in *Appendice* Anglic. nuperâ, ad Faſciculum Rerum Expetend. *Petrus Damiani*, ex Monacho Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, magnæ ſub Papis Leone IX. Victore II. Nicolao II.

Digitized by Google

II. Alexandro II. auctoritatis, horum etiam non ſemel Legatus; ut *Nicolai* II. pro reducendis ad obſequium Pontificis *Mediolanenſibus*; *Alexandri* II. in *Gallias*, pro conciliandis Monachis Cluniacenſibus, immediatè Pontifici ſubjectis; tum in *Germaniam*, ad Henricum IV. divortium à Berthâ conjuge, Ottonis Marchionis filiâ, meditantem; ut pluribus apud Lambertum Schafnab. Damiani Opera, quæ continent *Epiſtolas* in Octo Libros diſtributas, tum *Sermones*, & *Opuſcula* varia, vide in compendium redacta apud El. Du-Pin *Sec.* XI. *Cap.* VIII. Superſtitioſâ cumprimis ætate vixit, ſub Paparum ſuperbo dominatu, cumprimis Nicolai II. Alex. II. liberè tamen mores & vitia ſui temporis reprehendens; etiam Paparum illam facilitatem erumpendi in *Anathemata*, *Excommunicationes*, contrà Gregorii I. *exemplum*, ut patet L. I. Ep. XII. ad Alexandr. II. Tum *Humbertus* Cardin. Græcos, & Michaëlem Cerularium Patr. acriter inſectatus, Pontificis Miniſter & Legatus ad Imperatorem Conſtantinop. Conſtantinum Monomachum; cujus ſcripta, & actitata, ut ſunt à Romanâ Curiâ edita, habes T. IV. Bibl. M. Patrum, & apud Baronium, ad calcem T. XI. Sed de Humberto quædam jam occupata, ubi de *Schiſmate* inter Eccleſiam Orient. & Romanam, *Cap.* X.

Lanfranc. Anſelmus, Bruno, &c.

Tacemus Scriptores notiſſimos; ut ſunt *Lanfrancus* Cantuarienſis Archiepiſc. ſub Guilielmo I. Conquæſtore, ab Anno MLXX. præcipuus inter Adverſarios Berengarii; vir aliàs multæ & eruditionis, & auctoritatis, Commentator in *Paulum* notiſſimus, in quo plerumque Auguſtinum ſequitur. Præivit, in colligendis ſententiis Patrum, Petro Lombardo Magiſtro Sententiarum. *Anſelmus* Cantuarienſis, ab Anno MXCIII. Urbano II. Pontifice, cui, ob *Pallium* Româ expetitum, magnæ cum Guilielmo Rufo Rege contentiones fuerunt: Ut *Papalis* poteſtatis, ſic cauſæ contrà *Inveſtituras* Principum, & *Conjugia* Clericorum, etiam contrà Hæreſim dictam *Berengarianam*, acerrimus defenſor fuit Anſelmus. Sed de eo jam in ſuperioribus, & de ejus Operibus prolixè, qui de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* commentati, Labbeus, Du-Pinus, G. Cave, &c. Non confundendus cum *Anſelmis* aliis, hujus Ævi, nominatim cum *Anſelmo Lucenſi*, magno Paparum, cumprimis Gregorii VII. propugnatore, contrà Guibertum Antipapam, & Henricum IV. Imperat. hoc nomine, & hypocriticâ ſanctitate, vigiliis nempè & abſtinentiis, *Sanctorum* Catalogo inſeri promerito. Fuerat hic Anſelmus nepos Alexandri II. Mediolan. qui itidem antè Papatum, quem adeptus A. MLXI. dictus fuerat *Anſelmus Lucenſis*. Otioſum foret de aliis Scriptoribus diſſertare, *Abbatibus* plerumque & *Monachis* v. gr. *Durando* Troarnenſi Abb. in Normanniâ; *Bernone* Augienſi Abbate, propè Conſtantiam, &c. Si fortè *Brunonem* Ducem, patruelem Conradi II. Imp. excipias, Herbipolenſem Epiſcopum, qui ex antiquis Patribus *Commentarios* compilavit Clero ſuo informando, videl. in *Pſalterium*, in *Cantica* omnia quæ in Vet. & Novo Teſt. in *Symbola*, quale Apoſtolicum &c. in M. Biblioth. Patrum T. XVIII.

XII. *Incrementum Monachatûs: Ordines novi hoc Ævo exorti.*

Monachat. corruptio.

I. Monachorum hoc Ævo collapſam diſciplinam, hypocriſim, flagitia, ambitionem, avaritiam, loquuntur teſtes hujus Ævi, Abo Floriac. Abbas, Yvo Carnotenſis, Lambertus Schafnaburgenſis, Petrus Damiani, Chronographi alii. V. gr. *Monachi* à *Pœnitentiâ Publicâ* primùm liberari cœpti, etiamſi graviter lapſi eſſent, quia ſupponerentur perpetuò *ingemiſcere*, & *cum Deo pactum iniiſſe*, ut intelligitur ex Canone XLIII. Abonis Floriacenſis, Hugone & Roberto Francorum Regibus, apud Mabillon. *Anal.* T. II. Hinc conqueſtus Petrus Damiani R. E. Cardin. in Opuſculis, *Opuſc.* XIII. *Cap.* VI. VII. plus *tribui Monaſticæ Regulæ quàm expediret, qui etiam Pœnitentiam non imponerent, quàm ut communem Monaſterii ordinem ſervarent.* Ex uno collige cætera.

Mira incrementa.

Interim vitæ *Monachalis*, & deſidis, ſpecie auſteritatis magna promeritæ, frequens tùm admiratio, tùm ambitio fuit. Hinc illa Monachiſmi incrementa, ut numero Monaſteriorum, ſic opum affluxu, prudentioribus quidem indignatis. Et ſummus Monachiſmi fautor *Abo* ille Floriacenſis Abbas, in *Præf. Canonum*, indè ait excitata in ſe fuiſſe odia Adverſariorum, quod *Monachorum Senatum ſalvum eſſe vellet*, confirmante Aimoino in Hiſt. Francor. Jam opinio invaluerat, vitam hanc eſſe Angelicam, Monachos eſſe ſine peccato, ſaltem eſſe poſſe; & *Canone* XLIII. ejuſdem Abonis: *Si fuerit lepra in pelle*, ſicut ſcriptum eſt, id eſt, *Si fuerit peccatum in Monacho; quia pellem eſſe Monachum, Scriptura ſignificat*, ex Gregorio *Reſp.* X. ad interrogata Auguſtini. Accedebant fabulæ & *ſigna mendacii*, quibus hoc vitæ genus paſſim apud plebeculam commendatum. Adde vel pœnitentium, vel facinoroſorum, fuiſſe quoſdam *carceres* Monaſteria. Struxiſſe autem vel dotâſſe hujuſmodi *Cœnobia*, eximiæ pietatis res & meriti ſingularis fuit, quo nomine Imperatores, Reges, Principes, hoc Ævo præcipuè commendantur ab Annalium Scriptore, *Tomo* XI. paſſim. Ut præ cæteris hoc Seculum, & proximè ſequens, *Monachale* dici quodammodò debeat.

II. Nati verò hac Ætate *Ordines* quidam, ſeu Familiæ novæ Monachorum, Benedictinæ propagines. In his celebres ſunt,

Ordo Vallis Umbroſæ, Camaldulenſ.

1. Ordo ſeu Congregatio *Vallis Umbroſæ*, in Italiâ inter Camaldulum & Florentiam, à loco ſolitario *Vallumbroſa* ſic dictus, prædio ſpectante ad Ittam Abbatiſſam; qui locus *Johannem Gualbertum* Florentinum, Sanctis ideò adſcriptum, inſtitutorem Ordinis, cum Sociis excepit circà A. MXXX. Locus eſt in clivo altiſſimi montis qui Monaſterio incumbit. Conradus Imper. cum Giſlâ Auguſtâ Florentiam ingreſſus, ac de vivendi normâ hujus Johannis monitus, Eccleſiam ibi conſtrui juſſit, *in honorem S. Mariæ, & Michaëlis Archang. Bartholomæi & Thomæ Apoſt. & S. Stephani Pontificis, & Benedicti Abbatis, & Nicolai Confeſſoris*, A. MXXXIX. apud Mabillonum Itin. Ital. P. I. Proximus eſt Ordo *Camaldulenſium* in viciniâ Vallis Umbroſæ, ſic dictus à *Campo Malduli* cujuſdam, aliis *Campo amabili*, in medio Apennino, haud procul diſtante Aretio Urbe, *Romualdo* auctore hujus inſtituti; cujus in Sacrario aſſervatus dicitur *Commentarius in Pſalmos, propriâ* (ſcil.) *manu, ſcriptus*, (ità ſuperſcriptio habuit apud Mabillon.) *quando fuit raptus in Paradiſum, celebrans Miſſam in Eremo Sytriæ, ut ſcribit B. Petrus Damiani, in Legendâ ſuâ.* Adeò ut meruerit Romualdus *Humeris Henrici* Imperat. ſive Regis Germanici, ad ſepulturam efferri, teſte in Collectionibus Caniſio, apud Baronium ad A. MVII. N. VIII. Anachoreticam ille vitam inſtituit, recluſis his Solitariis in ſummâ ſolitudine, ubi perpetuum frigus, cœlo ut plurimùm nimboſo & procelloſo, & diſtributis in ſex Eremitoria ſub ſuo *Majore*; præter paucas alias Congregationes in ditione Venetâ, & in Galliis. Vide nuper Mabillonum Itineris Ital. Tomo I. p. 181.

Carthuſian. Fabula de Doctore Pariſ. redivivo.

2. Ordo *Carthuſianorum*, à *Carthuſiâ* Sylvâ, ſeu horridâ Eremo propè Gratianopolim, ſic appellatus, loco altiſſimis montibus & rupibus prærupto, à nemine hactenùs habitato, ob aſperitatem inacceſſo, ac ſolis feris pervio, ſubtùs dehiſcente profundiſſimæ vallis voragine, cujus adeò aſpectus horrorem incutiat terroremque. Hunc locum, ab *Hugone* Epiſcopo Gratianopolit. monſtratum, dicitur

Digitized by Google

Bruno, patriâ Colonienſis, Remenſis Canonicus, Magiſter Scholarum, ac præceptor olim Urbani II. primum incolere cœpiſſe, in editiori montis parte, cellulis ibi erectis, adjungente ſe Hugone, & Sociis. *Occaſio* iſta fertur ſeceſſûs Brunonis, auctoribus Johanne Gerſone Pariſino Cancellario, qui primus hanc fabulam ſcripſit, circà A. MCCCCXX. tum Scriptoribus Anonymis *Vitæ S. Brunonis*, hinc Raphaële Volaterrano, Antonino Arch. Florentino, Nauclero, Polyd. Vergilio, Onuphrio Panvinio, & aliis. Nempè Doctor quidam Pariſienſis, ſeu *magnæ reputationis Magiſter apud Scholaſticos*, fato functus, ſed à morte inter Exequiarum Officium redivivus, in ipſo feretro quum eſſet, ter exclamavit *tribus* continuis *diebus*, primò ſe *juſto Dei judicio accuſatum eſſe*; hinc ſe *juſto Dei judicio judicatum*; tandem ſe *juſto Dei judicio condemnatum eſſe*. Quo audito, quum omnes metu exanimati eſſent, *Bruno* ejuſdem Scholæ Pariſinæ Profeſſor, ac portenti hujus ipſe teſtis, occaſionem arripuerit mundum relinquendi, ſecedendique in horridam hanc ſolitudinem, meditaturus *æternitatem*. Et hanc de *Brunone* narrationem, Theophilus Raynaudus, edito *Adversùs ingenia fortia Antemurali*, ſcripſit, *apud antiquos omnes ratam eſſe*. Undè & illata *in Breviarium Romanum*, ubi de Officio Defunctorum, initio *Lectionis* IV. è quo, ſub Urbano VIII. illa periocha de damnato Doctore Pariſino, ex J. Brunonis Lectionibus, expuncta eſt. Factum illud referunt ad A. MLXXXVI. Ipſe Baronius, ad eum Annum refert, *Num.* XVI. Carthuſiæ *ſolitudinem habitari cœptam*, prodigio tamen tacito. Ac fabulam exploſit, poſt alios, Joh. Launoius Doctor & ipſe Pariſinus, Diſſertat. de *Verâ Causâ Seceſſûs Brunonis in Eremum*. Nempè, ex Brunonis ipſius Epiſtolâ, ad Radulphum Remenſis Eccleſiæ Præpoſitum, in quâ ſeceſſum refert, & *cauſas*, perſpectam Mundi vanitatem & *perituras divitias*, videl. in oppoſitione ad *perennis gloriæ gaudia*; ſed altum de Doctore illo Pariſino ſilentium eſt. Ac fruſtrà eſſe, qui *plures* eſſe potuiſſe *cauſas* Brunoniani ſeceſſûs, excipiunt, inter quos Andreas Sauſſæius, idem Launoius oſtendit, *pag.* 24. Deinde, probat idem ex ſilentio apud Scriptores non modò coætaneos, ſed & qui CC. & ampliùs annis poſt Brunonem vixêre, & poſt Hugonem Gratianopolit. (quorum *Vitam* plures deſcripſerunt) & qui de *Carthuſianorum* origine & inſtitutis commentati ſunt, ut Codex Statutorum Ordinis, Guibertus Abbas, Petrus Cluniacenſis, Petrus Cellenſis poſtea Carnotenſium Epiſc. Petrus Bleſenſis, Jacobus de Vitriaco, Sigebertus Gemblac. Guilielmus de Nangis, Joh. Trithemius, alii. Tantùm abeſt, ut id quod narrant prodigium, tanquam cauſa inſtituti à Brunone Ordinis, *apud antiquos omnes ratum fuerit*. Igitur vera cauſa fuit, fuga ſeculi, & ſtudium æternorum, quæ meliùs meditari, & mereri quoque ſe poſſe, in horridâ iſtiuſmodi Eremo, prout erant tempora, cogitabat. Hinc ille ſeceſſus Brunonis, Sociis *ſex* adjunctis, quos inter Hugo Gratianopoleôs Epiſcopus. Poſteà verò in alteram Eremum ſeceſſit, Urbano II. Pontifice, in *Calabriæ* finibus, ubi inſtitutum ſuum propagavit, Anno MXCV. ſtructo liberalitate Rogerii Ducis Monaſterio, ita tamen ut *Carthuſiæ* ſolitudo, primò habitata, caput Religionis manſerit. Ratio vitæ inſtituendæ rigidiſſima fuit: *Habitatio* quidem ſolitaria, ut recluſi ſinguli videantur, etiam ſeparatis ſub tectis, Cœnobio exire prohibiti; *Victus*, carnium perpetua abſtinentia, etiam in graviſſimâ infirmitate vel morbo; *Veſtitus*, toga candida, cum cucullo, ſubtus cilicium; *Silentium* in ſpeciem perpetuum, Pythagoreorum inſtar, ἰχθυοφαγίᾳ tamen illis permiſſâ, non hiſce; Fuga *muliebris* ſexûs, cui aditus omnis, eorum non ad Monaſterium tantùm, ſed & ad Templum, Hortos, interdictus eſt; quum de Brunone ipſo referat Volaterranus; *Hic dicitur annis* L. *mulieris faciem nunquam videre voluiſſe*, Anthropologiæ *Lib.* XXI. Et quæ plura videri poſſunt apud Polydorum Vergilium de Origine Ordin. Monaſt. *Lib.* VII. C. III. præter eos qui primum Ordinis inſtitutum deſcripsêre, qualiter Codex Ms. Statutorum & Conſuetudinum ejuſdem, Guibertus Abbas de Novigento, aliique, & noſter Hoſpinianus, de Monachatu *Lib.* V. C. VII. Ordinis tandem congeſtas opes, agros, prædia, horrea, cellas vinarias, reditus ampliſſimos, &c. ut peregrinos quoſvis lautè & gratis excipiant, teſtantur Carthuſia hodierna, & ſplendidiſſima Cœnobia per Italiam, Germaniam, Galliam, aliaſque regiones.

Ciſtertienſ. Ordo.

3. Ordo *Ciſtertienſium* in Burgundiâ fundatus, in loco horrido & aſpero, cui *Ciſtertium* nomen, Diœceſeôs Cabillonenſis, auctore *Roberto* Abbate Cœnobii Moliſmenſis, in agro Lingonenſi, ubi Civitas Lingonum (*Langres*) ſub Urbano II. circà An. MXCVIII. Inſtitutum fuit, ut Monachos degenerantes ab inſtitutis majorum, reduceret ad ſolitarium & auſterum vitæ genus, reformatâ vivendi normâ & Regulâ. Impulit ipſum *Stephanus Hardingus*, Anglus, Moliſmenſis Monachus, qui poſt Robertum Abbas Ciſtertienſis fuit. Hi Seculi divitiis ſpretis, totos ſe conſecrarunt, ut videbatur, Dei cultui, ſelecto loco à commercio hominum remoto, inſtar *Benedicti* Nurſini; *Decimas*, quas percipiebant Clerici, diſtribui volentes ſecundùm antiquam conſuetudinem, in *Epiſcopum*, *Presbyteros*, *Pauperes*, denique in *Eccleſiæ* inſtaurandæ neceſſitates. Habitus primo vilis *albâ* veſte ſuſceptâ, quum Benedictini *nigrâ* uterentur vel fuſcâ, qui habitus Pœnitentium. Hinc Monachi *albi* dicti Ciſtertienſes, *nigri* verò Benedictini. Poſteà colorem illi mutarunt in *griſeum*, undè *Griſei* Monachi: Et hinc contentiones eos inter, & Franciſcanos. Et hi deinceps à *Bernardo*, Ciſtertienſi Cœnobitâ primùm, dein Clarævallenſi Abbate in Lingonibus, Nobili Burgundo, dicti *Bernardini*: Maximæ hi in Europâ, præ Ordinibus cæteris (vel ex Bibliothecâ Ciſtertienſi aliquot Tomis edita) dignitatis & opulentiæ. Inſtitutum quidem auſterius primò viſum, emendatis in ſpeciem quæ irrepſerant abuſibus, in victu, amictu, ſomnio, jejunio, hoſpitalitate, operibus manualibus injunctis, &c. Poſteà ad immenſas opes Ordo ſuccrevit, ex opinione ſanctitatis, quas opes initio reſpuebant, omni τῶν βιωτικῶν & κοσμικῶν curâ abjectâ. Vide Polydorum, Volaterranum, Panvinium, ſimiles.

Canonici Regular.

4. Ordo *Canonicorum Regularium*, ſecutus ſcil. ille regulam Auguſtini, à *Secularibus* Canonicis, ſeu Clericis, ità diſtinctus; qui licet antiquior vulgò cenſeatur, Mabillono nuper dicitur ignotus ante *Seculum* X. Fuerunt & *Canoniſſæ* Regulares, in fœminis. Sanè *Canonicos*, tempore Auguſtini, imò & Caroli M. dixêre generaliùs omnes Clericos, Presbyteros & Diaconos, unà viventes in Epiſcopiis, & communibus regulis ſive *Canoni* adſtrictos, ſub Epiſcopi regimine. Fruſtrà illi quidem obtendunt parentem Auguſtinum, qui *Monachus* nunquàm fuit, nec ullam iſtiuſmodi Regulam Monachalem inſtituit, moriturus *Epiſcopus*. Indè & falsò jactatam antiquitatem, præ Ordine *Benedictinorum*, cordatiores Pontificii intelligunt. Nigro pallio, & tegmine, ſe diſtinguunt. De *præcedentiæ* jure cum Benedictinis nuper acerrimè decertârunt, undè ingenium Monachale cognoſcas. Alii ſunt qui vulgò *Auguſtiniani Eremitæ*, non certæ ſatis originis.

Monachor. aliæ ſuperſtit.

5. Tacemus hoc loco Monachales Familias alias, hoc ferè tempore natas, nec niſi Benedictini inſtituti ſurculos. Talis Ex. gr. eſt Familia *Antonii* de Viennâ, auctore præcipue Gaſtino Nobili quodam

Gallo;

Digitized by Google

Gallo; ut Panvinius in *Chron.* ad Annum MXCV. Familia *Grandimontenſium*, auctore *Stephano* filio Vice-Comitis in Arvernis, qui propè *Lemovicos* Aquitaniæ auſterum vitæ genus introduxit, in *monte* ſylvis denſo, victurus ibi in ſeram ætatem, uſque ad A. MCXXIV. Dein *Grandimontenſis* Ordo appellatus, à Grandimontenſi Monaſterio, in Lemovicis, & in Galliis ſolummodò obſervatus. Sic Familia *Humiliatorum*, in Lombardiâ, quæ Polydoro recentior eſt, & de qua ad Sec. XIII. De his idem Polydorus Vergilius, Antoninus, Volaterranus, Vincentius, id genus alii, ac fusè ipſe Baronius, Raynaudus, Alteſerra in Originibus Vitæ Monaſticæ, &c. in noſtris Hoſpinianus, de Origine Monachatûs. De *Ordinibus* autem *Militaribus*, dicitur opportuniùs ad ſequens Seculum. Sed & obſervandum, Diſciplinam *Monachalem*, qualis auctor fuit hoc Ævo *Dominicus* Loricatus Eremita, circà medium Secul. hinc *Sanctis* adſcribendus, promiſcuè ad viros, & nobiles fœminas, imò *Principes & Imperatores*, pertigiſſe.

Baron. notat.

Nempe, notante Baronio ad A. MLVI. N. VII. *uſus laudabilis* introductus ab eo fuit, ut pœnitentiæ *causâ Fideles verberibus ſe ipſos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis*: Ità per prætenſam hujus Diſciplinæ regulam, *tria ſcoparum millena* efficiebant *unius anni* pœnitentiam.

Henrici II. Imp. Diſciplina Monach.

Et paulo poſt; *Accipe tantum in Henrico Imperatore* (qui Henricus II.) *& imitandum* exemplum. *De eo iſta Reginardus habet in rebus geſtis Annonis, Archiepiſcopi Colon. Conſiderans Henricus Imperator, nominis Majeſtatem longè ſuis præcellere meritis, nunquam inſignia regalia ſibi ſumpſit imponere, niſi clam per Confeſſionis & Pœnitentiæ, Verberum inſuper, ſatisfactionem, licentiam à quolibet Sacerdotum ſuppliciter mereretur.* Deinde refert, ut Henricus Imperator aliquando ſupplex & Pœnitens adierit Annonem Archiepiſc. Qui *Sacer Antiſtes, auctoritate plenus, tali in negotio Imperialem parvi pendens magnificentiam, miſericors, ſine miſericordia ſævire cœperit in Principem. Nam vehementiſſimis eum invadens correctionibus, illum duriſſimis verberum plagis afflictum, non aliter eâ die coronatum incedere conſenſit, quam prius manibus ſuis tres argenti Libras in pauperes expendiſſet.* Tum laudans factum Baronius; hæc *de Henrico Imper. acquieſcente pœnam Verberum accipere, imperio Sacerdotum.* Mirare tempora, & Baronii ſervitutem!

XIII. *Memorabilia quædam, in ſuperioribus ferè tacita.*

Judicium de Prodig.

I. *Prodigiorum* ac *mirabilium* in cœlo, terrâ, aquis, animantibus, hominibus, exempla propè innumera hoc ad Seculum referunt Sigebertus, Hermannus Contractus, Schafnaburgenſis, Marianus, Cedrenus, Zonaras, Chronographi reliqui, & in recentioribus Conradus Lycoſthenes, ac Teratographi. Nec ſtatim Portentis, Oſtentis, Mirabilibus accenſeri debent, Gentilium more, quæ ex naturalibus ſæpè cauſis ortum habuêre; quod & Polydorus Vergilius oſtendit in Libris de *Prodigiis*. V. gr. pluvia ſanguinolenta; Solis rubeus color; inſolitæ pluviæ; Luna cruento aſpectu apparens; obſcuratio aut refractio Luminarium; turbines violenti; fluvii vel maria exundantia; ſqualor rerum omnium, ex nimiâ ſiccitate; monſtroſi fœtus; terræmotus ſubitanei; conflagrationes ex fulguribus, &c. In ſpecie verò memorant ii Hiſtorici *præſagia* Belli, tùm Germanici & Italici contrà Hildebrandum, Henrico IV. Imperatore; tùm & Sacri contrà Saracenos: Hujus v. gr. in *locuſtarum* agminibus ab *Occaſu Ortum* versùs volitantium, ut ſolem etiam obumbrarent, apud Zonaram Annal. Lib. XXIII. Prolixè de his Magdeburgenſes *Cent.* XI. Cap. XIII. & quoque Baronius paſſim *Annal.* Tom. XI.

Miracula ψευδεῖς. Baron. notat.

II. *Fabularum* verò, viſionum, apparitionum, præſtigiarum, miraculoſarum ſanationum, divinarum animadverſionum, portentorum id genus, pleni ſunt Annales Baroniani, Tomo XI. Inſerviunt omninò ſtabiliendis *Reliquiis*, *Peregrinationibus*, *Votis*, *Monachatui*, *Converſioni ſubſtantiali* Symbolorum, *Miſſæ*, *Confeſſioni* Auriculari, *Satisfactionibus*, *Purgatorio*, ſimilibus; tùm impetrandis donationibus, & faciendo quæſtui, & augendis Clericorum ac Monaſteriorum opibus; vel etiam aſſerendæ ſanctitati Leonis IX. Alexandri II. vel Hildebrandi, atque auctoritati Pontificiæ, & cauſæ adversùs Imperatores. Talia ſunt ex. gr. Miracula *Anſelmi* Lucenſis Epiſc. poſteà ab Anno MLXI. Romani Pontificis, ſub nomine *Alexandri* II. qui acerrimus perſecutor fuit Henrici IV. Romam ab eo citati, & cui varia tribuuntur Miracula, ut Dæmoniaci liberati, Claudi erecti, & quidem virtute *aquæ* quâ ipſe manus abluerat, poſt Miſſarum ſolemnia, &c. Recenſet Annalium Scriptor, ex Leone Oſtienſi, ad A. MLXXIII. N. XII. Sic *Leonis* IX. (qui primus Imperatores *jure Inveſtituræ* privavit, ut fatetur Genebrardus; ſic qui Azyma invexit, Sedem ſuam extulit, Hildebrandum, futurum orbis flagellum, promovit) portenta recenſet ad Ann. MXLIX. *Num.* XXVII. MLIV. N. XLVI. & aliquot ſequentibus. V. gr. ut Vas ligneum, ex quo bibere ſolitus, *fractum* à pincernâ miraculosè reſtituerit; ut *Leproſum* ſanaverit; ut poſt mortem, orantem ejus ad ſepulchrum *Mutam*, loquentem effecerit; ut in irriſorem quendam, animadverterit, erumpentem in hanc vocem, *ſi Sanctus eſt, contrahat mihi digitum*, quando mox in plateâ hic in porcum incidit, qui digitum illi admomordit, &c. Miracula *Hildebrandi*, viſiones ejuſdem, ut paſſim in vitâ, ſic in morte ejus Pontificis, deſcribit Baron. ad A. MLXXXV. *Num.* XIII. & ſeq. Nempè, ut *Mitra* Gregorii, impoſita capiti Epiſcopi ulcerati, ut ejuſdem *Indumenta*, *Sudaria*, ſanarint ægros, &c. Sic præſentiſſimum in *Victore* II. ſacra faciente miraculum, quum Subdiaconus toxicum in calicem ſacrum infudiſſet, refert idem ad A. MLV. *Num.* XXVIII. Præ cæteris autem commendat Purpuratus miracula *Anſelmi Lucenſis* (qui alius in priori, & *ſecundus* dici ſolet) ut fortiſſimi pro Gregorio VII. contra Imperatorem Athletæ, qui à tertiâ die ad quinquageſimam poſt exceſſum, ediderit *octoginta inſignia miracula*: Quando ejus ad tumulum, viſi ſunt contracti erigi, paralytici ſurgere, cœci viſum recipere, manus aridæ ſanari, &c. Undè intellexiſſe Schiſmaticos, qui adhærerent Imperatori, hujuſque majeſtatem tuerentur, *planè Deum ſtare à partibus Catholicorum*, &c. ſic ille ad Annum MLXXXVI. *Num.* XII. XIII. Nec nugis id genus apud Baronium finis eſt, quibus cauſæ Pontificum non tam patrocinatur, quàm magnoperè derogat.

Sectarum quæ feruntur portenta;

III. Refert Glaber Radulphus *Hiſt.* L. III. præter Acta Concilii Aurelian. apud Lucam d'Acherium, T. II. p. 670. *Sectam* quandam impiam *Aureliæ* natam, Roberto Rege Hugonis filio, Manichææ propaginem, ac verè Epicuream, inducente *muliere* quâdam *Italâ*, & inficiente ibi Canonicos ac Scholaſticos viros, non infimæ notæ. Sed rem accuratiùs perpendentibus, liquebit Hæreſes pleraſque monſtroſas fuiſſe hominibus illis affictas, dùm Romanæ Eccleſiæ traditiones muſteas, de *Converſione ſubſtantiali* Panis & Vini, de *Invocatione Sanctorum*, de Sacerdotum *Cœlibatu*, & id genus alias, reprobarent. Ità Leoni Iſauro, Conſtant. Copronymo, & Iconomachis, nefanda quæque, Petro Berengario Necromantiam & ſi quid tetrius, imputâſſe Monachos, & mox Albigenſibus promiſcuè, (ut infrà pluribus) Manichaicas id genus Hæreſes, in propatulo eſt. Synodi Aurelianenſis Acta illa, A. MXVII. in quâ hæreſeôs convicti fuerunt *Stephanus*, olim Reginæ Confeſſor,

Digitized by Google

(*Herbertus* dicitur Glabro) & *Liſojus*, Clerici qui tùm ſapientiâ & ſanctitate eminerent, ex uno d'Acherii Specilegio, id eſt ex Ms. quodam Monachali, habent Collectores nuperi, *Tomo* IX. *col.* 838. Nec convenit his Actis, aut cum *Hæreſibus* à Glabro improperatis Herberto & Liſojo, aut cum horum Virorum *elogiis*, quæ in iiſdem Geſtis videre eſt. Sed de his quoque dictum ſuprà, *col.* 1539.

Saracen. & Turcarum infeſta dominat.

IV. *Turcarum*, Hunnicæ Gentis, hoc Seculo ingentes feruntur victoriæ, ac progreſſus luctuoſi; *Saracenorum* aliàs viribus per inteſtina bella, & diſtractiones tanti Imperii factas cùm in Oriente, tùm in Africâ, & Hiſpaniis, mirè fractis ac labefactatis. Et in Oriente quidem, diviſi jam principatus inter Chaliphas & Regulos *Bagdadi*, *Ægypti*, *Choraſana*, *India*, *Meſopotamia*, *Perſia*, *Arabia*, *Syria*, *Africa.* Quæ diviſio Principatuum inter Saracenos, dùm alii alios opprimere conantur, cauſa fuit tranſlati tandem ad Turcas Imperii, Zonarâ & aliis obſervantibus. Hinc *Turca*, à Saracenis olim acceſiti, jam arma ſua in Saracenos, qui Perſarum regnum tenebant, vertere, ac *Tangrolipice* Rege vel *Togrulbeco*, aliàs *Muhammed Abutalib*, (cui teſte Zonarâ *Lib.* XVII. *pag.* 255. ᾧ δὴ πάντων τῶν ὑπὸ τὸν Μουχούμετ τὴν ἀρχὴν ἐνεχειρίσθη χωρῶν, *ab omnibus Muhammedis Sectatoribus ſummum Imperium delatum fuit*) ſubigere Babyloniam, Perſiam, Aſiam, Orientis magnam partem; poſteà in Conſtantinopolitanum Cæſarem victrices copias ducere: Indeque Aſiam Minorem vaſtare; Byzantio imminere; Conſtantini Monomachi, Romani Diogenis, Michaëlis Ducæ, Nicephori Botaniatæ, Imperatorum vel ignaviâ vel perfidiâ, imperii fines proferre; *Romanum Diogenem* bello captum abducere, & caveæ includere; Ciliciâ, Iſauriâ, Pamphyliâ, Lyciâ, Piſidiâ, Lycaoniâ, Aſia minore, id eſt, Ponto, Cappadociâ, Bithyniâ, Græcos expellere; ibique ſedem Imperii figere, *Nicaa* videlicet, circa A. MLXXX. Nempè *Cutlumo* Duce, ſeu Solimanno Seniore, (ex Cutlumo Erpenius *Ptolomaum* fecit) Tangrolipicis ex Fratre nepote, ac hujus Filio *Solimanno* juniore, & Succeſſoribus Sultanis: Donec *Oſmannus* vel *Ottomannus*, poſt Aladini mortem, Imperium Turcicum fundaret. Hæc pluribus Hiſtoriæ *Saracenica*, & *Byzantina* Scriptores, & qui initia Belli Sacri deſcribunt, Guil. Tyrius, ac cæteri in *Geſtis Dei per Francos*. Sed Chriſtianis in Bellum Sacrum coëuntibus, moxque in Aſiam delatis, A. MXCVI. exacti fuerunt pleriſque *Aſianis* Sedibus Turcæ, Nicæâ certè, Iconio, aliiſque Aſiæ præſidiis; hinc Ciliciâ totâ; tùm Antiochiâ; undè in Syriam reliquam, Meſopotamiam, ac tandem Palæſtinam, tranſitus fuit. Sed de Bello Sacro plura diximus hoc Seculo *Cap.* II. Ità Saraceni ſub Chalifâ Ægypti *Al-Hacem* (malè Baronius dicit factum à Chalifâ Babylonio, poſt Glabrum Rod. L. III. C. VII.) Hieroſolymam occuparunt, Templo Sepulchrali diruto, A. MIX. Et quidem factum perfidiâ Judæorum, Chalifam invitantium qui Chriſtianorum Domum ſubverteret, reſtaurandam poſteà ſub Filio Dobira, fœdere inito cum Imp. Byzantino Conſtantino Monomacho, A. MXLVIII. Saraceni quoque Africani irruptionem hoc Ævo fecerunt in *Italiam*, Bario obſeſsâ, Capuâ occupatâ, quâ eos expulit Henricus II. Imper. Iterum, obſeſſam hanc à Saracenis liberavit Robertus Guiſcardus circà A. MLVI. Leve tamen fuit Chriſtianorum jugum, ſub Saracenis *Perſis*, & *Ægyptiis*, præ *Turcarum* illo, qui tandem exitio fuêre Chriſtianis. Wilh. Tyrius Hiſtor. L. I. C. VI. *Quamdiu Ægyptiorum aut Perſarum prævaluit Regnum, ſub eorum imperio fideles melioribus uſi ſunt conditionibus. At verò poſtquam Turcorum invaleſcere iterùm cæpit regnum, & eorum virtus ſuprà Ægyptiorum & Perſarum fines ampliari, & in eorum Urbs Sancta decidit poteſtatem, per* XXXVIII. *quibus eam detinuerunt occupatam, majoribus moleſtiis cæpit Populus Dei fatigari.*

Hiſpaniâ à Mauris liberata.

V. *Hiſpaniâ* hoc Ævo Chriſtianis Regibus reſtituta eſt, poſt varia cum diſtractis Saracenis bella, prælia, ſtrages, obſidiones. Laus præcipua debetur *Ferdinando* I. cognomento, à rerum geſtarum gloriâ, dein & maximarum virtutum laude, *Magno*, Sanctii Majoris filio, à quo Navarræ Regnum, Fratre devicto, occupatum: Hinc Regna Navarræ, Legionum, Galleciæ, Caſtellæ, Luſitaniæ, dein *Arragonia* (mortuo *Ramiro* fratre A. MLXVII.) in eo fuêre conjuncta; reddituro ſibi etiam tributaria, in Hiſpaniâ ulteriore, Andaluſiæ, Valentiæ Regna, morituro An. MLXV. Ex Teſtamento Ferdinandi, Hiſpaniarum regnum in *tres* ejus filios diviſum fuit: Ita ut Sanctius natu maximus ſortitus ſit *Caſtella* regnum, Piſoricâ atque Ibero terminatum; Alphonſus regnum *Legionum*, & *Aſturum* partem, cum quibuſdam Civitatib. *Galacia*; Garſias natu minimus, *Galacia* partem maximam, & *Luſitania*: Quanquam Sanctius poſtea Fratres invaſurus fuerit. Quâ de re adeundi Rodericus Tolet. Lucas Tudenſis, Joh. Mariana, Laurent. Valla de Rebus Ferdin. I. *Libris* III. Hinc ſenſim acciſæ res *Maurorum* intrà Hiſpanias; in quibus floruerant eorum *Schola* & *Academia*, Hiſpali præcipuè, & Cordubæ, ex Elmacino, & aliis qui res Arabum & Hiſpanorum literis conſignarunt. Eouſque verò temeritatis itum *à Gregorio VII.* ut per Legatos poſteà contenderet, *Hiſpanias ſibi eſſe* oportere tributarias, tùm quod, antè Saracenos, *proprii juris fuiſſent S. Petri*, ſcil. ſubjicientibus *S. Petro* Wiſigottorum Regibus; Tum quod Principibus facta eſſet à *Papis* poteſtas, vendicandi eaſdem à Saracenis; quaſi Româ expectanda fuiſſet Hiſpaniarum Principibus hujuſmodi poteſtas. Adi Baronium, ad A. MLXXIII. *Num.* XXXII. & ſeq. Ac de uſurpationibus *Gregorii*, jam ſuprà.

Monarchia Sicil. contrà Baron.

VI. *Monàrchiam Sicilia*, complexam tunc quoque *Apuliam*, & *Calabriam*, hodie Neapolitanum Regnum, contendit hoc Ævo idem Baronius, injuſto titulo ſic poſſideri à Rege *Catholico*: Non favere, ſic ille, Carolo V. & Hæredibus Diploma Urbani II. (de quo ſuprà) in favorem *Rogerii* Normanni, Roberti filii, Calabriæ & Siciliæ Ducis, cui nempè dederit Pontifex eas Ditiones in feudum: Nempè Diploma idem dolosè mutilatum, corruptum, reſectis quæ ſibi Papa reſervâſſet *juribus*; Siculorum illa Principum fundari in Pſeudo-Pontificis, ſeu Antipapæ *Anacleti* II. Innocentio II. oppoſiti, diplomate, & temerariâ conceſſione; *Inveſtituram* ejus *Regni* accepiſſe à Romanâ Eccleſiâ omnes antè Carolum Reges, indè à *Gregorio* VII. &c. Hæc & alia Cardinalis prolixâ digreſſione, de *malè inſtitutâ Monarchiâ Sicilia*, *Tom.* XI. ad Ann. MXCVII. quæ mox Philippus III. Regio Edicto, A. MDCX. ut *falſa*, *calumnioſa*, *rebellionibus* ciendis nata, publicè damnavit, ac flammis addixit. Donationis verò *Sicula*, & favoris *Pontificii*, in hos Normannos Duces, in Italiam illectos, cauſa non alia fuit, quàm ut ſuppetias ferrent Rom. Eccleſiæ contrà Henricum IV. Imperat. Sed ità Pontifex de alieno munificus, & dabat Regna in *quæ* ſibi nihil quicquam juris. At *Polonia* v. gr. jure merito in *Regnum* evecta A. DCCCCXCIX. faciente Ottone III. Imperatore, cujus hoc eſſet augere Titulis, & Dignitate; Sic & *Hungaria* Ducatus à Gentis Proceribus, pari conſenſu in Regnum commutatus, ſub Giſelâ & Stephano, ut ad ſuperius Secul.

Hiſt. Mathildis Comitiſſæ.

VII. *Mathildis* Comitiſſæ, Beatricis filiæ, totîus Longobardiæ, ſimul & Thuſciæ Dominæ, potentiſſimæ fœminæ, conſuetudinem cum Hildebrando, & inceſtos (ut quidam ſuſpicati) amores; auctoritatem in hunc Pontificem; opem huic contrà Henricum IV. præſtitam; donationem factam

Gre-

Gregorio Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, quo tempore Henrici Imperat. arma metueret, totius Liguriæ ac Thuſciæ in *patrimonium*; Secundas nuptias poſt mortem Hildebrandi, Fœminæ jam ſenis, (ſed ita *ut* etiam in primo matrimonio *viri complexu adhuc libera, atque ſoluta omnino permanſerit*, ſi fides Baronio ad A. MLXXIV.) Hiſtorici prolixè referunt, Leo Oſtienſis, Bertoldus Conſtant. Sigonius, alii, & ex iis Baronius, ab Anno MLXXIV. *Num.* XX. &c. Quæ ſolitis coloribus obducit Annalium Scriptor, & pietati omnia atque obſervantiæ in Romanam Sedem, cum ſuis adſcribit. At Donationis *autographum periiſſe* cautè monet, ad A. MLXXVII. N. XXIV.

Fab. de Princi-pib. fœminis.

Inter Principes fœminas celebrant cumprimis S. *Cunigundim* vel *Kunigundam* uxorem Henrici II. Imperatoris, aliis I. quæ in ipſo matrimonio *virginitatem* ad mortem uſque ſervaverit; *Recipite* (fuère verba morituri Henrici ad adſtantes Epiſcopos) *quam mihi tradidiſtis Virginem veram*; undè cum Marito ſuo adſcripta Sanctis. Referunt Chronographi, & Legendarii, Surius, Hagiographi reliqui, &c. Nempè Sanctum quid in iis omnibus eminere debuit, qui aut effuſè ſuperſtitioſi, aut in Eccleſiam ſcilicet munifici; qualis fuit *Kunigunda*, poſſeſſiones ſuas Bavaricas profundens Clero & Monachis. Quin & *adulterii* aliquandò ſuſpecta, hinc probanda *per ignem*, dein ignitos vomeres (ſic ferunt) illæſis manibus contrectavit, pro more temporum. Sic S. *Eduardus* Rex Angliæ, uxorem ſuam Editham dicitur *Virginem* reliquiſſe, quia nempè ſterilem, & liberis orbam, ut Baronius ad A. MLXVI. N. VI. Hæc ſcilicet caſtitatis incorruptæ, hinc ſanctitatis & puritatis Angelicæ, illo tempore, documenta fuère: Conſueviſſe familiariter cum Monachis, & Clero; purgaſſe ſe ignis contrectatione; fuiſſe ſine liberis ſuſceptis ex Conjugio; munificas fuiſſe Principes ſuprà modum, in Clerum Rom. hæc ſatis ut *Divis* adſcriberentur.

Naſſoviæ Domûs incre-menta.

VIII. Hoc Seculo increvit *Naſſoviorum Comitum* dignitas atque potentia, rebus præclarè geſtis, ab *Othone* ejus nominis I. ſub Henrico Aucupe, armis adversùs Pannonas circumlatis; à *Roberto*, & *Arnoldo* ſub Henrico IV. dein ab altero *Roberto*, ſub Friderico I. Barbaroſſâ, ad Expeditionem Syriacam profecto. *Otto* II. Comes Naſſoviæ, cùm uxoris *Sophiæ* nomine Zutphanienſem poſſideret Comitatum, & Præfecturam Gelriæ, ductâ in priori connubio *Adelhardi*, Guilielmi Gelri nepte, primus ex Præfecto *Gelriæ Comes* creatus eſt, faciente Henrico IV. in Francofurtanis Comitiis, A. MLXIV. & poſt eum, *Gerhardus* Comes Gelriæ. A quo tempore manſère hi Comitatus conjuncti in Naſſovicâ domo, circiter annos CCC. quando à Naſſoviis ad Juliacenſes *Ducatus Gelriæ* pervenit, ad *Guilielmum* nempè Marchionem Juliacenſem, qui primus *Dux Gelriæ* creatus à Carolo IV. Imperat. A. MCCCCLVII. Ex eadem Domo poſteà fuit *Adolphus* Naſſovius, Henrici II. Divitis ex Walramo filio nepos, ad Imperium admotus, poſt Rudolphum Hapſpurgicum, A. MCCXCII.

Holland. Comites.

Ità *Guilielmo* Gelro, creato Ultrajectino Epiſcopo, *Comitatus Hollandiæ* donatus eſt ab Imperatore Henrico IV. cum Cœnobio *Egmundano*; quum ad Epiſcopos *Trajectinos* pertinere hunc Comitatum obtendiſſet: Hinc *Godefredo*, qui Gibbus dictus, eundem in Feudum conceſſit, cujus Godefredus Bullionæus, primus Rex Hieroſolymorum, ex fratre nepos fuit. Sed *Theodoricus* V. filius Florentii I. Hollandiæ Comitis, poſteà Ditiones ſuas in libertatem vindicavit; circà A. MLXXVI. Conrado Epiſcopo Ultrajectino.

Baronius notat.

IX. Multus eſt Baronius in colligendis exemplis, ſeu *obedientiæ* & *obſervantiæ* Regum & Principum ergà Romanam Sedem; ſeu *pœnitentiæ* illis injunctæ, & ab iiſdem præſtitæ. Laudatum illi exemplum eſt *Henrici* IV. facti Gregorio ſupplicis, indigniſſimum in modum, ut pluribus Lambertus Schafnab. Scriptor coætaneus, & ex eo ipſe Baronius, ad A. MLXXVII. ac nos ſuprà retulimus. Sic multis commendat Purpuratus, ut *egregium & dignum Eccleſiaſticis Annalibus exemplum*, illud Suenonis vel Swani Anglorum & Danorum Regis, qui fuit Canuti Pater: Nempè ob perpetratam cædem, intrà Ædem Trinitatis, fertur eò adactus à *Wilhelmo* Roſhildenſium *Antiſtite*, ut *nudis pedibus* in Templi atrio proſtratus, abſolutionem poſtularet ab Epiſcopo, *inuſitatam Sacerdotalis auxilii Clementiam experturus*; ità is ex Saxone Grammatico, ad A. MLXXVII. *Num.* LXVI. & ſeq. Sic extollit Baronius, ac *pietatem* interpretatur, rebellionem, parricidio ſimilem, Henrici V. adversùs Imperatorem Henricum IV. patrem ſuum, quem Imperio non tantum deturbavit, ſed & vitæ inſidiatus eſt. *Inter quos ſi arbiter* (ſic ille ad A. MCVI. *Num:* XIV.) *ſedeas, quod ad perſecutionem, captivitatem, atque privationem Imperii ſpectat, per Filium procreatas in Patrem, nihil habes in quo damnes Filium magis, quàm ſi vehementi febre phrenetico deliranti, furentique, pius Filius injiciat vincula Patri*, &c. Sed de his pluribus ad ſequens Seculum.

Res Judæorum, &c.

X. De rebus *Judæorum* hoc Ævo, Scholis, Doctoribus, damnis in *Babyloniâ* acceptis, Scholarumque ibi per Saracenos omnimodâ everſione; de tranſlatione ſtudiorum Judaicorum, ex Chronicis, & Arabum Hiſtoriâ, Cl. Hottingerus, Seculo XI. *Sect.* IV. Ab eo tempore, ſimul cum Scholis Babylonicis, defierunt Doctores *Geonim*, qui indè à Seculo VI. floruerant, ultimo horum R. Ezechiâ: Ac Magiſtrorum vel *Rabbinorum* nomine, multi deinceps celebres fuère in Hiſpaniis, Africâ, & alibi. In illis literæ floruerunt per CCCC. circiter annos, id eſt, Studium præcipuè *Talmudicum*, *Poëticum*, *Aſtrologicum*, in Scholis quas habuère Hiſpali, Cordubæ, Granatæ, Toleti, Cæſaraugustæ, Barcinone, &c. *Doctores* recenſent, Auctores *Schalſcheleth*, *Tzemach David*, &c. *Perſecutiones* paſſim hoc Ævo in Judæos excitatas, tâm in Oriente quàm in Occidente, debent Judæi (teſtibus Glabro *Hiſt.* L. III. C. VII. Urſpergenſi, Matt. Pariſ. Nauclero, &c.) imputare cumprimis *proditioni* Chriſtianorum, quâ Saracenos præmonuère de Expedit. Hieroſolym: Sic quâ Templi Hieroſ. deſtructionem procurarunt Anno MIX.

Circà hæc quoque tempora cœpiſſe *Poëticam* Hebræorum, cum Rhythmo, qualis hodie uſurpatur, obſervat Genebrardus, *Chron.* L. IV. Uti *ſolmiſationis* vel *ſcalæ Muſicæ*, ſeu regularum Artis Muſices, per ſex ſyllabas, *Ut*, *re*, *mi*, *fa*, *ſol*, *la*, redigendo in facilem artem Cantu Gregoriano, fertur auctor *Guido Aretinus*, Monachus Italus, Ord. Bened. ſub Benedicto VIII. Romam accitus, ob artis Muſicæ famam, apud Sigebertum, ad A. MXXVIII.

Mutationes aliæ in Re-publ.

XI. Nec finis *memorabilium* foret, cumprimis in Hiſtoriâ Civili, variis Regnorum factis mutationibus: V. gr. Irruptio *Danorum* in Angliam, hinc *Anglorum* Regni tranſlatio ad *Danos*, Canuto utrumque Rege, poſt mortem Ethelredi & Edmundi filii, ab Ann. MXVII. Dein tranſituro regno ad *Normannos*, ſub Guilielmo Notho Conquæſtore, cæſo Haraldo, A. MLXVI. ut prolixè Anglorum Annales. Sic Regni *Burgundiæ* & *Arelatenſis* Trans-Jurani & Cis-Jurani (ſub quo Maxima Sequanorum, id eſt, Sequani & Helvetii, Viennenſis I. Lugdunenſis I. cis & trans *Jura* montem) donatione *Rodolphi* Burgundion. Regis, tranſlatio ad *Conradum* Imperatorem & ad Germanos, A. MXXXII. Undè ſunt hodieque Imperii jura in *Galliam* & *Regnum Arelatenſe*. Sic *Polonia* in *regnum* ab Ottone III. erecta, expirante Seculo X. *Hungariæ* ſimiliter Ducatus in Regnum verſus, ſub initia hujus Sec. in Stephani gra-

Digitized by Google

gratiam, conſenſu nempè Procerum ejus Regni; ut jam ſuprà obſervatum.

Comit. Sicil. in Regn. commutat.

Sic Comitatus *Siciliæ* in Regnum commutatus, in gratiam Rogerii *Calabriæ* & *Siciliæ* Comitis, ab Urbano II. Papâ, (ut ſibi hanc poteſtatem Pontifices vendicabant) commutandus, à quo derivat Baronius *titulos* Monarchiæ Siculæ, A. MXCVIII. *Num.* LIX. &c. ut nempè huic ſubjectus etiam fuerit *univerſus Eccleſiaſticus Ordo.* A Baronio autem vocatur, poſt Bernardum Claravall. in Epiſtolis, *Tyrannus Siculus*, *Dux Apuliæ.* Nempè angit Diploma Urbani II. mutilum, è quo per fraudem, *ſacrilego auſu*, fuerint iſta eraſa: *Sed ſi qua Romana Eccleſia juras exequenda fuerint Chartulis* (legit *Chartulariis*) *à Romanâ Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipſos Conſilio Epiſcoporum earundem Provinciarum, authenticè definiantur.* Hinc Baronius, ad A. MXCVII. *Num.* XXXIX. *Rogerium* & Succeſſores in Siciliâ Reges, fuiſſe conſtitutos ab Urbano II. *Legatos à Latere*, cum *ſubſtituendi* poteſtate, reſpectu Eccleſiaſticæ juriſdictionis; nec *Monarchas* eſſe dicendos, *præter Monarcham unum, quod unicum Caput viſibile in Eccleſiâ*, &c. *Monarchiam* verò, quam prætendunt Siciliæ Reges, ortam eſſe ex Privilegio *Anacleti* Antipapæ, oppoſiti Innocentio II. qui Anacletus antè Petrus Cardinalis dictus eſt. Hinc longa cum Siculis Regibus concertatio, contendente Româ *Regnum* iſtud eſſe Romanæ Eccleſiæ *feudatarium*, quod *per annos ſeptuaginta, ut Gregorius* XI. *teſtatur, interdicti pœnam ſubiit*, ita Annalium Scriptor, ad Ann. MXCVII. N. CVII. Et illi ſoli legitimi Reges habiti, *qui inveſtituram* acceperant à Romano Pontifice: Quales Fridericus II. Arragonum Rex, *ſimplex* dictus, *qui primus recognovit Dominium Apoſtolicæ Sedis*; quod nempè Petrus Arragonius, poſt cæſos in Siciliâ Francos, & ſucceſſores, noluerant agnoſcere, hinc anathemati ſubjectus *Petrus* à Martino IV. Papâ. Vide longam declamationem Baronii, *Tomo* XI. ad A. MXCVII. Sed vindicarunt à Baronianis effugiis, qui pro juribus Siculorum & Hiſpanorum Regum ſcripsêre.

Et Caſtellæ. Ut Ferdinandus I. Monarcha.

Adde Comitatum *Caſtellæ* hoc Sec. *Regnum* evaſiſſe; poſtquàm Sanctius Major Rex Navarræ, (qui dein Hiſpaniæ, quâ tum paruit Chriſtianis, *Imperator* appellatus eſt) Vaſconum Rege Garſiâ à ſuis per proditionem occiſo, ditiones ſuas ampliavit, Vaſconibus, & Cantabriæ Ducatu, ſub ejus poteſtatem redactis, circà A. MXII. Tum nomine uxoris ſuæ *Elviræ*, quæ Sanctii Caſtellæ Comitis filia, Dominium Caſtellæ accepit, & ſe *Caſtellæ* non Comitem ſed *Regem* ſcripſit. Dein Regno *Legionum*, à Veremundo III. in bello occiſo, ad Ferdinandum Sanctii Majoris filium tranſlato, ob deſponſatam *Sanctiam* Sororem Veremundi, regna *Caſtellæ* & *Legionis* in Ferdinando filio Sanctii fuêre conjuncta, circà A. MLIV. Qui Ferdinandus verè Hiſpaniarum Imperator fuit, poſt adjunctam Gallecciæ, Aſturiis, Legioni, Caſtellæ, Luſitaniæ ab Arabibus vindicatæ, ipſam quoque Aragoniam, Cataloniam, Valentiam. De quo Rodericus Toletanus de Rebus Hiſp. *Lib.* VI. Rodericus Sanctius Hiſtoriæ Hiſp. *Parte* III. Laurenrius Valla, de Rebus Ferdin. Aragonum Regis; Joh. Mariana Hiſt. *Lib.* IX. ex his alii.

FINIS *Seculi Undecimi.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ SECULUM DUODECIMUM.

Chronol. rationes.

INCIDUNT ejus primordia in Annum Chriſti Vulg. MCI. ſpirante adhuc Imperatore Occidentis *Henrico* IV. filio Henrici III. morituro A. MCVI. eodemque variis caſibus afflicto: In Oriente autem, imperante *Alexio Comneno*, indè ab Anno MLXXX. cujus res geſtas deſcripſit ejuſdem Imperatoris Filia, Anna Comnena, *Alexiados* Libris: Papâ Romano (ut viſum) *Paſchali* II. cum *Antipapis*: *Philippo* I. regnante in Galliis, quem exercuêre è Vaticano fulmina; *Henrico* I. in Angliâ, fratre Wilhelmi II. qui per contemptum audierat *Rex illiteratus*, *Aſinus coronatus*. In Aragoniâ regnabat *Petrus* Aragonius, hujus nominis I. In regnis *Caſtellæ*, *Legionis*, Alphonſus VI. longi ævi Princeps ad Annum MCIX. de quo abolente Officium Gothicum, & Romanum introducente, dictum eſt, *Quò volunt Reges, vadunt Leges*.

Res præcipuæ, ad hoc Seculum obſervandæ, hæ fuerint:

I. *Status Eccleſiæ in ipſo Seculi exordio.*

Paſchalis II.

I. SEdebat Romæ Epiſcopus, ab Anno ſuperiore MXCIX. *Paſchalis* II. Qui primus, certè inter primos, miſſis annis Imperatorum, *annos Pontificatûs* numerare cœpit in Diplomatibus, exemplo rei apud Mabillonum in Opere de *Re Diplomat.* p. 446. *Dat. anno Incarn. Domin.* MCIII. *Pontificatûs autem Domini Paſchalis Secundi* PP. III. ſcil. anno. Ita primus Sacramentum *fidelitatis* ab omnibus toto Orbe Metropolitanis exegit; *promitto obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici, Domino Paſchali ejuſque Succeſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat ſancta & univerſalis Eccleſia*; Ubi Papæ ſententia habita pro illâ *univerſalis Eccleſiæ*, & ità decretum in Concilio Lateran. ſub initium A. MCII. Superbus idem juxtà & crudelis, ut ex motibus ſub hoc Pontifice vel natis, vel continuandis hoc Seculo, ejuſque in Henricum IV. & V. molitionibus, partim antè expoſitis, partim infrà memorandis, abundè liquet.

Antipapæ.

II. Laborabat etiam Romana Eccleſia *Anti-Paparum* factionibus, poſt ſublatum noviſſimè A. MC. *Clementem* III. Anti-Papam (qui aliàs Guibertus) oppoſitum ab Henrico Imper. Gregorio VII. Victori III. Urbano II. & Paſchali II. Alii verò mortuum hunc Clementem A. MCI. poſt mortem effodiendum ſepulchro, & in flumen abjiciendum. Baronio dicitur *peſtilens Anti-Papa, fera beſtia, quam ſic aſſiduo venatu inſectatus eſt Paſchalis, ut de loco ad locum, donec infelix cum fuga diem clauſit extremum, hoc anno ſive ſequenti*: Mox tres alii Papæ ſurrexerunt, opponendi eidem Paſchali II. & ſibi invicem ſuccedentes, breviſſimo tempore, *Albertus*, *Theodoricus*, & *Maginulphus*, facientibus qui ab Henrici Imperatoris partibus ſtarent: Sed omnes tandem à Paſchali oppreſſi, qui à *Rogerio* Siciliæ Comite, gratulato Paſchali de Pontificatu, turmas, & aurum ad *uncias mille*, impetravit, ex Vitâ Paſchalis II. ex M. Polono & aliis. *His auxiliis*, ita ex Anonymo Baronius, A. MC. N. XVI. *ad expugnandum prædictum Hæreſiarcham deſuper collatis, audaciam adeptus Dominus Pontifex, operari* (inquit) *jam Dei gratiâ, magis quàm conſiliari, tempus eſt.* Secùs accidit cum *Rogerio* Siciliæ Comite, qui Guilielmo Duci Apuliæ & Calabriæ ex Teſtamento ſucceſſerat A. MCXXVII. & contrà quem arma movit Honorius II. Pontifex; hinc Rogerius iſte Antipapis favit, *Anacleto* & *Victori*, ex Chronicis Caſſinenſi & Beneventano, & Baronio ipſo, de quibus poſteà. Affligebat etiam Chriſtianos in Oriente mors Godefredi Bullionæi, & Turbæ hoc nomine in Eccleſiâ Hieroſolymitanâ concitatæ.

Controv. de Jure Inveſtitur. cum Henrico.

III. Turbabat inprimis controverſia *de Jure Inveſtiturarum*, à Gregorio VII. primùm mota, nunc fervens inter Paſchalem, ac qui ſub ejus nutu erant Antiſtites, & inter *Imperatorem* Henricum IV. qui exeunte Seculo, A. MC. omnem ad Urbem Romam aditum intercluſerat; ſed hoc nihil obſtante, prolatum mox eſt à Paſchali, adjuvante (ut dictum) Rogerio, hoc anathema; in ipſo Concilio Lateran. *Quam ſententiam in Imperatorem vel Patricium Romanum* Henricum *idem Apoſtolicus promulgaverit, nos quoque, inter innumeras diverſarum Gentium catervas proximâ Cœnâ Domini, in Eccleſia Lateranenſi, ex ejus ore didicimus*: Nempè, *quia tunicam Chriſti ſcindere, id eſt, Eccleſiam rapinis & incendiis devaſtare, luxuriis, perjuriis*, atque *homicidiis commaculare non ceſſavit; primo à B. memoriæ Gregorio Papâ, deindè à ſanctiſſimo viro Urbano prædeceſſore meo, propter ſuam inobedientiam excommunicatus eſt, & condemnatus: Nos quoque in proximâ Synodo noſtrâ, judicio totius Eccleſiæ perpetuo, eum anathemati tradidimus.*

Cum Rege Gall.

Tum & lis fuit inter Paſchalem, & Philippum *Galliæ*, quem ille ſolenniter excommunicaverat in Concilio Pictavienſi Anno MC. per Legatos Apoſtolicæ Sedis (ut vocantur) Cardinales duos, Johannem & Benedictum; condito ibi Canone, quem Baronius refert ex Vaticano Cod. *Decrevit Sancta Synodus, ut nullus Epiſcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet perſona de Clero, accipiat de manu Regis vel Comitis, vel cujuſlibet Laicæ perſonæ, donum Epiſcopatûs, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, vel reliquarum Eccleſiaſticarum; ſed accip. Epiſcopi à ſuo Metropolitano, Abbates, Presbyteri, & cæteræ inferiores perſonæ, à ſuo Epiſcopo. Si verò Laici,* (Reges, Comites, &c.) *Decretis Canonicis reſiſtentes, Eccleſias violenter retinere præſumpſerint, ipſi excommunicentur. In Eccleſiis verò illis nullum divinum Officium fiat*, &c. Idem Philippus excommunicandus aliâ de cauſâ, ex Ivonis Epiſtolis, ut factum fuerat ab Urbano II. in Claromontano Concilio A. MXCV. ob Bertrudam in conjugem aſſumptam, dimiſſâ Berthâ, A. MXCIV. Quâ Bertrudâ rursùs introductâ in Regium torum, poſt mortem Urbano II. anathemate ob id à Paſchali II. innodandus fuit, uſque ad An. MCIV. quando abſolutionem ſolenniter Pariſiis conſecutum eſſe, prævià Pœnitentiâ, multis Baronius ad eum Annum.

Cum R. Angliæ.

Sic mortuo recens in Angliâ Wilhelmo II. cognomento Rufo, A. MC. *Non. Aug.* acerrimo Regiæ poteſtatis vindice, contrà Anſelmum Cantuarienſem, & Urbanum II. ſucceſſit in Regnum Hen-

Digitized by Google

Henricus I. frater, qui mox commiſſus cum Paſchali II. & Anſelmo Cantuar. ob idem *Inveſtiturarum* negotium: Adeò ut quum nihil promoverent ſtatim in exordio hujus Sec. Henrici I. legatio ad Papam, & Anſelmi Cantuar. preces, ut Papa nonnihil de rigore remitteret; ſolenni interdicto Pontifex *Inveſtituras Laicales* (ſic jus Regium vocabant) in Concilio Lateranenſi prohibuerit, A. MCII. *Idcircò Sanctorum Conciliorum veneranda majeſtas, Secularium Principum poteſtatem ab Eccleſiaſticis Electionibus decrevit arcendam*, &c. Cujus decreti Rex Henricus nullâ habitâ ratione, conſtans in tuendo jure permanſit, miſſo etiam Romam Wilhelmo Exonienſi Epiſc. qui coràm Pontifice proteſtatus eſt; *Volo norint quicunque aſſiſtunt, Dominum meum Regem Anglorum, nec pro amiſſione Regni ſui, paſſurum ſe perdere Inveſtituras Eccleſiarum.* Sed repoſuit Pontifex; *Ecce coràm Deo dico, quia nec pro redemptione ſui capitis, eas illi* (Regi) *aliquando Paſchalis Papa impunè permittet habere.* Nunquam tamen auſus fuit Pontifex ultrà minas procedere, metuens Anſelmo Cantuarienſi, & interdicendo Denario Petri per Angliam univerſam. Papæ inter alios acceſſerunt, *Ivo* Carnotenſis in Galliâ, ſcriptis Epiſtolis, quas refert Baronius ad A. MC. MCI. & *Anſelmus* Cantuarienſis in Angliâ, qui etiam ad Paſchalem profectus eſt, & Pontifici conſtanter adhæſit, donec hic remitteret Anglorum Regi Inveſtituras, etiam invitus. De quo etiam poſteà.

Status Rom. Eccl. quoad Doctrin. & Ritus.

IV. Fœdabant verò Eccleſiam, præter Papalem *Tyrannidem*, in Imperatores, Reges, Metropolitanos quaquaverſùm exercitam, Errores impii, enarrati jam ad ſuperius Sec. *Capitibus* III. IV. V. VIII. V. gr. De *Papæ* univerſali poteſtate in temporalibus, & ſpiritualibus: De *Mariolatriâ*, & *Hagiolatriâ*, creſcente in dies ſuperſtitione: De *Reliquiarum* divinâ ac vivificâ virtute, hinc novis quotidie & abſurdiſſimis *Reliquiis*, ſic *Corporibus* fictorum plerumque Martyrum, aut hominum effuſæ ſuperſtitionis, adinventis, & in has atque illas regiones & urbes tranſlatis: De mutatione *ſubſtantiali*, ſeu abolitione Symbolorum in Euchariſtiâ, vires acquiſiturâ, poſt ſublatum *Berengarium*; &c. Ac vigebat quaquaverſùm fœda *ſuperſtitio*, & præſidium peccatis quæſitum in Papalibus *Indulgentiis*; Expeditione *Hieroſolymitanâ*; Viſitatione *Sepulchrorum*, qualiter Boleſlaus Polonorum Dux, expiaturus fraternam cædem, inviſit apud Narbonenſes Reliquias S. Ægidii, apud Ungaros S. Stephani, apud Gnenenſes S. Aldeberti; teſte Cromero *Lib.* V. Pariter expianda peccata, recluſione intrà *Monaſteria*; abſolutione *Sacerdotali*; *Miſſarum* decantationibus; *Satisfactionibus* pœnalibus; abſtinentiâ ab eſu *Carnium*; id genus miſerrimis auxiliis. Tandem & fœdabat collapſa omnis *Diſciplina*, faciente cumprimis ambitione Cleri, avaritiâ, & luxurie; quam fovebat nova lex *Cœlibatûs*, inviſa hæc licet Gallis, Germanis, Italis, Britannis quam plurimis; ità quoque Bohemis, ſed & Polonis, ex horum Annalibus, factâ iſtis *uxorum* libertate ſub Boleſlao IV. apud Cromerum, & alios Rerum Polonicarum, & Bohemicarum Scriptores. Quam libertatem ne hoc quidem Seculo expirante, Legatus Pontificius, ſub Cœleſtino III. apud Bohemos abrogare potuit, ut ex Hiſt. Bohemorum obſervat auctor Hiſtoriæ Eccleſiarum Slavonicar. *Lib.* I. C. III.

Lætior aliquanto Rer. Chriſt. facies.

V. Lætior cæteroquin rerum *Chriſtianarum* facies utcunque viſa, tùm in *Hiſpaniâ* præcipuè, domitis Saracenis vel Mauris, inprimis virtute Ferdinandi I. qui & *Magni* cognomentum accepit, imò & *Imperatoris*, ultro deferentibus Hiſpanis: Cui tamen titulo ſe oppoſuit Hildebrandus, Legatus Victoris II. ad Concil. Turonenſe, A. MLV. poſtquàm Henricus Imper. Legatos ſuos eò miſiſſet, queſtus *contrà jura moremque majorum, Imperatoris nomen* Aragonium ſibi arrogare. Deinceps Pampelona, Gallæcia, Aragonia, Legio, Caſtella, Aſturia, &c. tum hoc labente Seculo Luſitania, Celtiberia, Tarraconenſis Provincia, Mauris erepta. In *Oriente* recuperata nuper Palæſtina fuerat, Rege primo Bullionæo, tranſlato ad meliorem Hieroſolymam, ut piè creditur, A. MC. Julii d. XVII. Regni anno I. Cui ſucceſſerat Balduinus frater, Comes antè *Edeſſæ*; & qui ipſo hoc Anno MCI. *Cæſaream*, *Antipatrida*, Genuenſium ope, quorum claſſis Joppem appulerat, adjecit Regno Hieroſolymitano. Conſtantinopolit. Imperium tenebat indè ab Ann. MLXXXI. *Alexius Comnenus*, Nicephoro Botaniatâ jam ſene in Monaſterium truſo: Princeps ut bellicoſus, ſic in ſpeciem religioſus, & in Monachos pronus, qui Chriſtianos ad Bellum in Turcas & Saracenos ſollicitaverat; poſt verò Godofredo & cæteris infeſtus, ac utcunque perfidus, & cum Turcis initio ſtatim conſpirans, contrà Francos, motus æmulatione in tot Principes armatos, ac metu ne hi Imperio Græcorum imminerent. Aliter quanquam de ipſo ſcripſerit *Anna Comnena* ejus filia, Alexiados Libris; quæ perfidiam & inſidias in ipſos Latinos, & Boemundum præcipuè Tarenti Principem, filium Roberti Calabriæ Ducis, conjicit, hinc juſtè poſteà deſertos: A Parente verò Alexio præſtita fuiſſe quæcunque initio promiſerat.

II. *Propagatio nominis Chriſtiani hac Ætate: Belli Sacri continuatio, ſucceſſus: Omnia in pejus collapſa in Oriente.*

I. *Converſiones* fuêre variæ hoc Seculo ad Chriſtianiſmum, ſed anti-Chriſtianâ veſte deformatum, corruptumque. Sic converſi *Pomerani*, inter Viadrum & Viſtulam, ubi olim Burgundi, Suevi, Rugii, ope & prædicatione *Othonis* Bambergenſis Epiſcopi, ſubacti illi à Boleſlao Polonorum *Rege* I. Mieceſlai filio, circà A. MCXXIV. His autem tradidiſſe eum Othonem, *tanquàm à Deo* inſtituta, quæ tùm Romæ probabantur, Confeſſionem Auricularem, extremam Unctionem, Vigilias, Solemnitates Sanctorum, Quadrageſimam, &c. pro ejus temporis moribus, abſurdè gloriantur Baronius, & qui eum exſcribunt. Quanquàm corruptiſſima tùm doctrina fuerit, & Romanis traditionibus inquinata. Converſ. ad Chriſtianiſmum Papiſmo infectum.

Dedêre item Chriſto nomen *Livones*, ope Mercatorum quorundam Lubecenſium, Meinardo Sigebergenſi Canonico operam ſuam collocante, qui & primus conſecratus fuit Rigenſium Epiſcopus, inclinante hoc Seculo, Anno MCLXXXVI. Ex Arnoldo Abbate Lubecenſi, in *Chronico* Slavorum, *Lib.* VII.

Item *Norwegi*, Suevis ad occaſum, ope Legati Pontificii, Nicolai Anglici Cardinalis, ad Danos & Norwegos miſſi, ſub Eugenio III. qui poſteà *Hadrianus* Papa IV. ejus nominis, ab infima ſorte evectus, ob utilem Eccleſiæ operam præſtitam. Factum circà A. MXLVIII. ut refert Olaus M. & ex eo Cæſar Baronius.

Item *Finlandi*, acerrimi Chriſtianæ fidei Perſecutores, & Sueciæ hoſtes, huic ad ortum poſiti; armis ab Erico Suecorum Rege, (qui vulgò *Sanctus*, ob munificentiam in Clerum & Eccleſias) ſubjugati circà A. MCL. Et hos fidem recipere, ac S. baptiſmum admittere coëgit, *S. Henrico* Upſalenſium Antiſtite, converſionis hujus inſtrumento, & tandem Martyre; ut pluribus Joh. Magnus, in

Gothor.

Digitized by Google

Gothor. ac Sueonum Hiſt. *Lib.* XIX. Atque eodem ferè tempore *Rugii*, *Rugiani*, ad Sinum Codanum, ex Slavorum genere, bello itidem à Danis ſubacti, Waldemari Regis virtute, Canuti filii, *Chriſto* nomen dederunt, circà A. MCLXIV. ex Saxone Grammatico & aliis. Fuêre hæ tamen *Converſiones*, ut plerumque imperatæ & coactæ, ità multis modis corruptæ, ſuperſtitione Romanâ & tyrannide ubique ferè per Occidentem dominatâ. Et tùm converſæ hæ Gentes cenſentur, quum *Epiſcopos* & *Antiſtites*, ac Ritus tum in Rom. Eccleſiâ receptos, Româ acciperent, cooperantibus *Monachis*.

De his aliiſque Converſionibus, tradunt Joh. Magnus in *Gothicâ Hiſtoriâ*, Krantzius in *Vandaliâ*, Saxo Grammaticus in *Hiſtoriâ Danicâ*, Helmoldus in *Chronico Slavorum*, Olaus Magnus de *Gent. Septentr.* & qui ſunt Scriptores id genus: Undè ſua Baronius Annal. *Tomo* XII. Balæus in *Actis* Romanorum Pontificum, & qui de *Converſionibus* Gentium commentati.

Progreſſus Belli Sacri.

II. Huc ſpectat progreſſus *Belli Sacri*, ex Conr. Urſpergenſi, Alberto Aquenſi Canonico, Guil. Tyrio, Jac. de Vitriaco, Ottone Friſingenſi fratre uterino Conradi III. Imper. & Socio Expedit. à Conrado ſuſceptæ, atque Hiſtoricis aliis videndis in *Geſtis Dei per Francos*. Adde Annam Comnenam Alexiados *Lib.* XI. & ſequentibus, cui tamen non tuta ubique fides, de Patre referenti. Nempè Godefrido Bullionæo Rege, poſt res fortiter geſtas, A. MC. ex morbo ſublato, & *Balduino* fratre illi ſuffecto, ſuſcepta eſt *Expeditio* altera Hieroſolymitana, A. MCII. Auditâ enim expugnatione urbis Hieroſolymæ, undique ex Europâ, id eſt, Germaniâ, Galliâ, Italiâ, accurrit innumerabilis multitudo, ad CC. millia, ſed confuſa, expers diſciplinæ, peregrinorum potiùs quàm militum; ut media minimùm pars in viâ perierit, perfidiâ *Alexii Comneni*, in eos conſpirantis cum *Solimanno* Turcarum duce. Hinc ne inter Expeditiones quidem numerari ſolet. Virtute autem *Balduini* I. poſt infelix prælium in planicie Ramæ, vires reſumpſit cauſa Chriſtianorum, & ope Genuenſis Claſſis expugnata Ptolemais, dein Tripolis, Sidon, Berytus, omniſque ora maritima, Tyro exceptâ. Præter regnum *Hieroſolymitanum*, inter Phœniciæ & Idumeæ fines extenſum, tenuêre jam tum Chriſtiani Principes, Principatum *Antiochenum*, Comitatum *Edeſſæ* ultrà Euphratem, Comitat. *Tripolitanum*, ad oram maritimam Phœniciæ, & *Portus* inclytos Joppes, Cæſareæ, Antipatridis, Aſcalonis, Ptolemaidis. Productis ità finibus Chriſtianis, ab orâ maritimâ Palæſtinæ ad Euphratem & Tigrim uſque. Undè proſcripta illis in locis Saracenorum ſacra, Chriſtianiſmus reſtitutus, Eccleſiæ erectæ, omnia autem Latino ritu, ad nutum Roman. Pontificum.

Reges Hieroſolym.

Fatis autem ceſſit Balduinus I. poſt res fortiter ac feliciter geſtas, A. MCXVIII. quo & vivere deſiit Græcorum Imper. Alexius Comnenus. *Euſtachio* verò, Comiti Bolonienſi, fratrum tertio (ad quem ordo ſucceſſionis ſpectabat) in Galliis tum agente, ſuffectus eſt *Balduinus* II. *de Burgo*, Comes Edeſſanus, cujus ditio ad Tigrim uſque protenſa erat. Sub hoc natus Ordo *Templariorum*, à loco habitationis propè Templum Hieroſol. Ac *Tyro* tandem expugnatâ, Phœniciæ maritimæ Metropoli, & rebus ab hoc præclarè geſtis, diem obiit extremum, A. MCXXXI. Succeſſit in hujus locum *Fulco* Comes Andegavenſis, Balduini II. gener, cui Tyrum & Ptolemaidem adminiſtrandas conceſſerat, cum ſpe ſucceſſionis in Regnum Hieroſolymit. Hic pari virtute ac fortitudine Regnum tenuit, & occupatâ *Paneade*, ad Septentrionem, ac *Beerſebâ* munitâ ad Auſtrum, vidit eoſdem regni terminos, quos Scriptura deſcribit, *à Dan uſque ad Beerſebah*. Mortuus Fulco A. MCXLII. relicto filio impubere, *Balduino* III. ſub ductu Matris: Paulo poſt amiſſus ignavia Joſſelini Comitis Comitatus Edeſſæ, & quicquid regionum erat ultrà Euphratem, virtute Sultanorum Aleppi & Muzalis; undè ad novam Expeditionem, quam *ſecundam* vocant, ſed ipſo eventu infelicem, apparata omnia in Occidente. Intereà Balduinus III. futurus æmulus gloriæ, & fortitudinis majorum, res Chriſtianorum fortiter in Oriente aſſeruit, contrà *Norandinum* feliciſſimum Turcarum Ducem, adjutus copiis Francorum & Conradi Imperatoris; ſublatus tandem A. MCLXII. nec ſine ſuſpicione veneni.

Succeſſit *Almericus* frater, Anno MCLXIII. Bellum hic illaturus Ægyptiis, ſpe theſaurorum, inſtigante Manuële Conſtantinopolit. Sed infelici eventu; poſtquam *Cayri* obſidionem ſolvit, promiſſis illi CCCC. millibus Byzantiorum; deinde Saladini virtute, qui in illud regnum ſucceſſerat A. MCLXVIII. *Damiata* quoque obſidionem relinquere, & repetere Aſcalonem & Ptolemaida, coactus fuit. Moriturus hic A. MCLXXIV. fatali Chriſtianorum rebus exceſſu, ex Balduini IV. filii impuberis, & leprâ laborantis, infirmitate, ac virtute Saladini Sultani Ægypti: Cumprimis verò ex contentione Chriſtianorum Principum, poſt mortem Balduini V. in infantiâ ſublati, inthronizatione *Guidonis* de *Luſiniano*, mariti *Sibyllæ*, ſororis natû maximæ Balduini V. & hinc natâ indignatione ac perfidiâ *Raimundi* Comitis Tripolitani, ad quem ſub Balduino Regni adminiſtratio pertinuerat. Et hic res Chriſtianorum peſſundedit, initâ cum Saladino conſpiratione, à quo Saladino Hieroſolyma tandem expugnata, An. MCLXXXVIII. Septembri menſe, poſt duarum ſeptimanarum obſidionem. Continuatum tamen regnum *Hieroſol.* in *Henrico* Campaniæ Comite, faciente Richardo Anglorum Rege, *Guidone* autem de Luſiniano ad *Cypri* regnum admoto, Anno MCXCII. Pluribus hæc Marinus Sanutus Venetus, Hiſt. Recuperat. Terræ S. L. III. Parte IX. X. & alii Hiſt. Hieroſolymit. Scriptores.

Duæ hoc Sec. præcipuæ Expedit.

III. Promoverunt rem Chriſtiani in Europâ Principes, ſuſceptis in Orientem variis *Expeditionibus*, in quibus (poſt primam illam Godefridi, & ſociorum) *duæ* aliæ inſigniores hoc Seculo memorantur: Nam quæ ſuſcepta fuerat urgente *Paſchali* II. ducibus præcipuè Guilielmo Comite & Principe Pictavienſium, Hugone M. fratre Philippi Regis, aliiſque Principibus, ſucceſſu caruit. Hugo novo cum Latinorum exercitu, confuſiſſimo illo, in Aſiâ Minore à Turcis circumventus, Tarſi Ciliciæ defunctus eſt An. MCII. Reliqui confuſâ multitudine, maximam partem ex Longobardis & Teutonibus, ad CCLX. millia, variis modis periêre. Igitur *altera* cenſeri debet Expeditio quæ ſuſcepta eſt, Ann. MCXLVI & MCXLVII. Ducibus *Conrado* III. Imperat. & *Ludovico* VII. Galliarum Rege, inſtigante Eugenio III. & ſub hoc Bernardo Clarævallenſi, qui ſuis concionibus plurimum ad hanc contulit. Sed mox docuit eventus, non in *multitudine copiarum* aut *virium ſalutem Regis* eſſe poſitam. Dejectis hinc tantis exercitibus, aut fuſis, partim Cœli portentis ac tempeſtatibus, partim perfidiâ Manuëlis Comneni, nepotis Alexii Comneni, à quo Conradus III. primò, qui affinis Manuëlis, deinde Ludovicus VII. fraude circumventi, ac Turcis proditi, poſtquam illi, relictâ Conſtantinopoli, tranſiiſſent in Aſiam minorem: Cum reliquiis tamen ſuorum exercituum perventuri tandem in Syriam, ac Palæſtinam. Undè Damaſco fruſtrà obſeſſâ, & rebus infeliciter geſtis, paulo poſt regreſſi ad ſuos, Conradus quidem A. MCXLVIII. Ludovicus Anno MCXLIX. *Tertia* Expeditio fuit, mox à captâ per Saladinum, Dei in Oriente flagellum, *Hieroſolymâ*, urgente iſtam Clemente III. Pontifice, ſucceſſore Gregorii VIII. ab A. MCLXXXVIII.

ſuſceptam auſpiciis *Friderici* I. Ænobarbi, dein Regum Galliæ, Angliæ, Siciliæ, & variorum Ducum, Comitum, &c. Annis MCLXXXVIII. & MCLXXXIX. Tum inſignem navavit operam Expeditioni promovendæ Guil. Tyrius Archiep. miſſus accelerando Europæorum ſubſidio, paulo antè mortem Balduini IV. quando Hiſtoriam ſuam terminavit. Sed Chriſtianorum fato periturus miſerè Fridericus, poſt res in Aſiâ minore & Ciliciâ fortiſſimè geſtas, luctuoſo fato in Cydno Ciliciæ fl. alii in Armeniâ, ſubmerſus, A. MCXC. aquas ingreſſus lavandi causâ, ſeu (ut alii) hoſtem inſequendi. Philippus verò Auguſtus Galliæ, & Richardus dictus *Cor Leonis* Angliæ, Reges in Siciliâ aliquamdiu morati, huic Expeditioni ſeriùs interfuerunt, Anno MCXCI. Hic etiam in tranſitu Cyprum Inſulam Tyranno Iſaaco eripuerat, negante hoſpitalitatis jura A. MCXC. Et majora indubiè præſtitiſſent, ſi magis concordes & animis, & ſtudiis fuiſſent, ac niſi ad ſuos, antè confectum in Palæſtinâ Bellum, cogitaſſent. Quâ de re Continuatores, Guil. Tyrius, Jacobus de Vitriaco Epiſc. Acconenſis, Marinus Sanutus, Godefridus Monachus à Frehero editus, & Francorum atque Anglor. Annales. Et has Expeditiones aliæ ſequente Ætate exceperunt. Pontificum Romanorum idem quod antè inſtitutum fuit, ut intereà, abſentibus Principibus, horumque viribus in Orientem tranſlatis, ac ſuperſtitione faſcinatis populis, & Indulgentiarum cupidine accenſis, pro libidine dominarentur; Inveſtiturarum jus ſibi plenè aſſererent; Terras alienas invaderent; & Pontificia factio, quæ *Guelphorum* deinceps appellata eſt, contrà Cæſarianam quæ *Gibellinorum* dicta, prævaleret, quæ duæ factiones ſanguine & bellis Italiam, ac Germaniam exhauſerunt.

Infelicis Succeſſ. Cauſæ. IV. Labefactatæ verò res Chriſtianorum in Oriente fuerunt, primò perditiſſimis moribus, perfidiis, latrociniis, ebrietate, luxurie, impietate, ac infandis facinoribus, tàm in *Clero* omni, quàm in *Chriſtianis* per Orientem diſperſis, proximè antè Excidium Regni Hieroſolymitani. Quâ de re adeundi Guil. Tyrius Hiſtoriæ ſuæ *Lib.* XXII. Guil. Neubrigenſis Rerum Anglicarum *Lib.* III. & reliqui rerum Hieroſolymitanarum Scriptores. Deindè perditæ res Latinorum fuêre inteſtinis diſcordiis, quibus ſe invicem æmuli Duces ac Principes confecerunt, rerum ſummâ inter plura Capita diviſâ, puta inter Regem Hieroſolymit. Principem Antiochenum, Tripolitanum Comitem, & Magiſtros Militiæ Templi, & Hoſpitalis, de quorum Ordinum ortu & incrementis, infrà. In ſpecie verò, mortuo ſine prole Balduino IV. hujus nominis, ac relicto nepote impubere Balduino V. mox & hoc fatis conceſſuro, accelerârunt cladem Chriſtianorum certamina, inter *Raymundum* Comitem Tripolitanum, Tutorem Balduini V. & *Guidonem* de *Liʒinio* vel *Luſignano*, maritum Sibyllæ, matris hujus Balduini, per quam Regium Guidoni diadema impoſitum. Hinc Saladino Ægypti Sultano, ſuppetias ferenti perfido Raymundo, via facta eſt ad occupandam Palæſtinam, ipſamque tandem Hieroſolymam A. MCLXXXVII. indè victorias, quâ fuit is Sultanus fortitudine, & prudentiâ, latiùs prolaturo. Et reſtituiſſet rem tertia hæc quam diximus Expeditio, abſque morte luctuoſâ *Friderici* I. Imp. aquis in fluvio quodam Ciliciæ, alii Inferioris Armeniæ, An. MCXC. ſubmerſi: Præterea ſi viribus ſuis, & victoriis, & Saladini oblatis, uti noviſſent Chriſtiani Principes; *Richardo* Anglorum Rege filio Henrici II. poſt res in Palæſtinâ fortiſſimè geſtas, & poſt morbum noviſſimum, intempeſtivè ad ſuos reverſuro, Ann. MCXCII. ut erat moræ impatiens, & animi obſtinati. Pactis antè cum Saladino induciis, iis conditionibus quas ferè præſcripſit

Richardi R. ultima in Palæſt.

Saladinus: Jacobus de Vitriaco, ſub finem *Lib.* II. *Ipſe autem in detrimentum totius Chriſtianitatis, ſicut homo impetuoſus erat, ad receſſum aſpirans & feſtinans, quaſcunque treugas* (inducias) *Salahadinus offerre voluiſſet, abſque contradictione & difficultate recepit. Ex quo factum eſt, quod Aſcalonum, Darum, & Gazam noſtri diruere compulſi ſunt; ſiquidem, Darum, & Aſcalon, & Gaza, & tota terra uſque Joppen, in partem venit Saracenorum*, uti regio *Montana*, & *Hieroſolyma*, à cujus obſidione Richardus ex plerorumque conſenſione abſtinuit. *Ipſi autem Joppen, & aliam maritimam uſque Accon*, (quæ & Acra, & Ptolemais, poſt triennalem obſidionem à Chriſtianis capta) *nobis ex pacto reliquerunt:* Id eſt ceſſerunt in poteſtatem Chriſtianorum, Civitates *Baruthus*, *Tyrus*, *Sidon*, *Acon*, *Caſtellum Hymberti*, *Cayphas*, *Ceſarea Philippi*, *Joppe*, & *Caſtellum Medianum*, ut Radulphus de Diceto, Imaginibus Hiſtoriar. ad A. MCXCII. Johannes Brompton in *Chron.* ad eundem A. & alii. Antè diſceſſum tamen, Richardus *Iſabellam*, ſororem alteram Balduini IV. elocavit *Henrico* Campaniæ Comiti, ſuo & Regis Franciæ nepoti, relicto iis Regno Hieroſolym. *Guidonem* verò de Luſignano *Regem Cypri*, conſtituit, poſt ſubactam paulo antè Inſulam, A. MCXCII. quam Guidonis nepotes diutiſſimè tenuerunt ultrà CCLXXX. annos. Hiſtoriam prolixè referunt G. Neubrigenſis, Rerum Anglicar. *Lib.* V. Marinus Sanutus, *in Secretis Fidel. Crucis*, Lib. III. & cæteri Belli ſacri Scriptores, in volumen collecti in *Geſtis Dei* per Francos; ex his Magdeburgenſes *Cent.* XII ac recentiores alii.

III. *Fœda rurſum Romanæ Eccleſiæ Facies, & Corruptio univerſalis, hac Ætate.*

I. Nihil mirum ſi paſſim hoc Seculo, ut & priore, *Antichriſtus* vel natus, vel modò adventurus crederetur, notante ipſo Baronio ad A. MCVI. *Num.* XXV. XXVI. Palàm verò eum *Romæ* natum, & ad Sedem Apoſtolicam provectum, profeſſus eſt *Joachimus*, Abbas Monaſterii Florenſis, (à Richardo I. Angliæ Meſſinam evocatus ex Calabriâ, ob Prophetiæ donum quo inclaruerat) ſuis in *Apocal.* meditatis, ex Rogerio Hovedeno, *Annal. Anglican.* P. II. Nec negat Baronius, ſed in eum ut *Pſeudo-prophetam*, invehitur, ad A. MCXC. N. IV. Quo de Joachimo vide Catalogum Teſtium, Poſſevinum in *Apparatu* S. ipſa Acta Concilii *Lateran.* IV. ſub Innocentio III. quando ejus Scripta damnata. Nec alienus ab eâ mente ipſe Bernardus Clarævallenſis (quantumvis addictior Rom. Pontifici) intuitu nefandæ in Clero univerſo corruptionis: Hinc paſſim indignatur, in *perſecutores Chriſti*, in *ſervos Antichriſti*, in *Antichriſtos* ſui *temporis*; *Beſtiam de Apocalypſi Petri Cathedram occupare, ac ſupereſſe tandem ut reveletur Homo peccati, filius perditionis*, &c. Quæ omnia à Flacio Illyrico in Catalogo Teſt. à Mornæo in Hiſt. Papatûs, & recentioribus aliis, obſervata. Fama de Antichr.

II. Et primò quidem luctuoſa fuit Eccleſiæ facies, ſi *Papas* ipſos reſpicimus. In his enim, Corruptio Paparum.

1. *Schiſmata* horrenda, ambitione Pontificum: Frequentiſſimis hoc Ævo *Antipapis*, quales Guibertus ſive Clemens III. Anacletus II. Victor IV. Paſchalis III. intereà dùm ſederent Romæ approbati, Paſchalis II. Gelaſius II. Calixtus II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Ut tres aut quatuor nonnunquàm *Antipapæ* dominarentur, his Imperatorum ac Cæſarianorum, illis Italorum, Gallorum, & factioſorum patrocinio, plerumque tutis. Nec major ratio eſt priores iſtos *Schiſmaticos* appellandi, quod facit cum ſuis Baronius, quàm poſteriores. Docebit ſequens Hiſtoria Pontificum hujus Ævi.

2. Sn-

2. *Superbia Antichriſtiana*, faſtus, tyrannis execranda, & ſuprà hominum fidem, etiam in Imperatores, & Reges, ſecuturis Lemmate IV. exemplis: Quò faciunt frequentes Bernardi Claræval. in *Epiſtolis* ſuis, & paſſim in *Sermonibus*, querimoniæ, repetitæ apud Flacium, Mornæum, Uſſerium, alioſque. Cumprimis etiam in Libris V. *de Conſideratione*, ad Eugenium III. Papam, ubi paſſim; *Diſceret* Eugenius, *præſidere ſe non ad imperitandum, ſed ad factitandum quod tempus requirit*; Non *dominationem* ei *datam* à Domino, qui dixit *non dominantes in Clero, ſed forma facti Gregis*; *Apoſtolis* fuiſſe *interdictum dominatum*; *Succeſſiſſe* videri Eugenium *non Petro, ſed Conſtantino*; *Etſi purpuratus, etſi deauratus incederet, non eſſe tamen quod horreret operam curamve Paſtoralem*, &c. Videatur cumprimis Bernardus De Conſid. *Lib.* I. C. VI. IX. *Lib.* II. *Cap.* VI. & *Lib.* IV. *Cap.* III. ubi habes ſuperiora.

3. *Antichriſti* characteres reliqui, ſignati Paulo, Johanni: Videlicet in prohibitione Matrimonii; in probandis doctrinis Dæmoniorum; fovendâ Idololatriâ; promovendâ Superſtitione; Simoniâ exercendâ; excitandis Bellis, imò gerendis per ipſos Papas, cum magno rei Chriſtianæ diſpendio in Oriente; dum Cruce ſignatos excitarent adverſus Imperatores Germanos, & his faventes Antipapas, neglectis in Syriâ & Palæſtinâ Saracenis, Sultanis Ægypti, Damaſci, &c. Ut paſſim ex ſequentibus conſtabit, conſentientibus Chronographis, quod vel ex Platinâ, Onuphrio, Baronio, ac cæteris liquet.

Cleri Univerſi. III. Miſeranda & conditio Eccleſiæ, ex *Cleri* univerſi notâ corruptione, id eſt, ſuperſtitione, avaritiâ, ſimoniâ, libidine, ſuperbiâ in excommunicandis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Coëpiſcopis, in tractatione armorum, curâ temporalium, litibus de præcedentiâ, aliiſque, vel etiam Ordinationibus illegitimis, &c. Teſtes ſunt, luculentis ubique exemplis, Concilia, Decretales Pontific. Bernardus, Conradus Urſpergenſis, Lamb. Schafnaburg. Otto Friſing. Matth. Paris, Nauclerus, Platina, Balæus, quin ipſe Baronius, & quotquot res hujus temporis deſcripſêre; ut Magdeburgenſes, & poſteriores taceam. Conſulendi iſti ad hoc Seculum, ad *Caput* de Ceremoniis & Ritibus, de Politiâ Eccleſiæ, de Schiſmatibus, &c. ubi exemplorum affatim infandæ corruptionis, in Capite & Membris. Ità collapſæ *Monachalis* diſciplinæ frequens bonorum expoſtulatio fuit, in Galliâ, Angliâ, Italiâ, Germaniâ, exemplis rei apud Baronium ipſum ad A. C. MCXXXI *Num.* XII. MCXLII *Num.* V. MCLXXXI *Num.* VII. Ibi reperias, Monaſteria *moribus turpiſſimis deformata, nullâ regularis vitæ formâ decora, omni penè Monaſticâ religione & obſervantiâ deſtituta, nullâ Abbatibus reſtante Diſciplinæ auctoritate, ut à nullâ ſpecie criminis manus eorum ſervarentur immunes*, &c. Rei teſtes proferuntur ab Annalium Eccleſiaſt. Scriptore.

Doctrina de Poteſt. Papæ. IV. Antichriſtiana tempora indicat quoque *Doctrina* hoc Ævo confirmata, ſancita, & conſcientiis obtruſa. Talis illa de *Pontificis* ſupremâ poteſtate in temporalibus, & ſpiritualibus; in Cœlum & Inferos; in Imperatores & Reges; in Concilia & Epiſcopos Orbis totius. Undè facta, dicta, decreta Pontificum hujus Ævi, quæ vide in proximo Lemmate. Et hinc carmen illud de Paſchali II. initio Seculi, apud Godofr. Viterbienſem, *Chron.* P. XVII. in rebus Henrici V. Imperat. ubi Curia Romana reſpondet Imperatori, contrà ejuſdem jura:

Sic regnare damus, quod Petro ſubjiciaris,
Jus etiam nobis Chriſtus utrumque parit.
Spiritus & Corpus mihi ſunt ſubjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cæleſtia Mente,
Undè tenendo polum, ſolvo ligoque ſolum.
Æthera pandere, Cœlica tangere, Papa videtur,
Nam dare, tollere, nectere, ſolvere cuncta, meretur,
Cui dedit omne decus Lex nova, Lexque vetus.

Hæc etiam doctrina Decretalium, & Juris Pontificii, & ad illud pridem Gloſſatorum, atque Interpretum, Panormitani, de Turrecremata, Antonini, &c. Probat eadem & confirmat frequenter Baronius, Tomo XII. Annal. in Paparum (ut *Paſchalis* II. *Innocentii* II. *Adriani* IV. *Alexandri* III. *Cœleſtini* III. &c.) dictis & factis recenſendis, quos eo nomine in cœlum extollit, nullis omninò limitibus Pontificiæ poteſtatis à Baronio agnitis. Ne dicam Bzovium continuatorem Baronii, Raynaldum, & id genus mancipia: Imò Bellarminus, *de Conc. Lib.* II. C. XVII. *Nomina omnia quæ tribuuntur Chriſto, eadem & Pontifici*; Hinc Papa Canoniſtis *Chriſtus, Rex Regum, Dominus Univerſorum*, &c. *Ordine Melchizedec, dignitate Aaron, auctoritate Moſes, unctione Chriſtus.*

De Script. S. non vertendâ. Ità *Scripturas* S. ſermone *vernaculo* tractari & uſurpari prohibuit Innocentius III. *Decret.* ad Metenſes, quæ eſt CXLI. *Lib.* II. Tomo I. Epiſt. Ed. Baluzii, p. 432. 433. *Sane ſignificavit nobis Vener. frater Epiſcopus Metenſis per literas ſuas, quod tam in Diœceſi quàm in Urbe Metenſi Laicorum & Mulierum multitudo non modica, tracta quadammodò deſiderio Scripturarum, Euangelia, Epiſtolas Pauli, Pſalterium, Moralia Job, & plures alios Libros ſibi fecit in Gallico ſermone transferri*, &c. *Quidam etiam ex iis ſimplicitatem Sacerdotum ſuorum faſtidiunt, & cum ipſis per eos Verbum ſalutis proponitur, ſe melius habere in Libellis ſuis, & prudentius ſe poſſe loqui, ſubmurmurant in occulto*: Ad quæ reſpondet Pontifex; *in eo eſſe merito arguendos, quod tales occulta ſua conventicula celebrant, officium ſibi prædicationis uſurpant, Sacerdotum ſimplicitatem elidunt*, &c. *Hos eſſe Canes & Porcos, qui Sanctum dilacerant, & margaritas contemnunt, quales ſunt qui Euangelica verba, & Eccleſiaſtica Sacramenta non ut Catholici venerantur, ſed abominantur potius ut Hæretici*, &c. *Arcana fidei Sacramenta, non eſſe paſſim omnibus exponenda, cùm non paſſim ab omnibus poſſint intelligi*, &c. id eſt, cœcâ obedientiâ ſuſcipi debere quæ ignavi *Monachi* & *Sacrificuli* traderent, ſine ulteriori *ſcrutatione Scripturarum*, quam injunxit Chriſtus Servator. Undè & *Scriptura* ferè exulare à Concionibus, à Scholis, à Scriptis P. Lombardi, & Scholaſticorum, à Clero, & Plebe. Fruſtrà enim ibi quæſiviſſent Papæ omnipotentiam, Mariolatriam, Hagiolatriam, cæteraſque Papalis Eccleſiæ, quas hic ſignamus, Traditiones.

Sanctor. Canoniz. Pariter doctrinæ de *Sanctorum* interceſſione, invocatione, adoratione, Canonizatione per Papam, mira fuêre hoc Seculo incrementa: Augendo *Sanctorum* numero per unum Alexandrum III. in *Edwardo* Angliæ Rege, in *Canuto* Daniæ patre Waldemari Regis, in *Thomâ* Cantuarienſi de cujus *ſalute* alii diſputabant, in *Bernardo* Claræuallenſi, in *Helenâ* quâdam viduâ, genere Viſigothâ, apud Joh. Magnum, Olaum, &c. Pro *Canonizatione* Papali, primus ſanxit legem Alexander III. dum *Corpus* Eduardi R. *glorificandum & adorandum in terris* decrevit, idque citrà Concilium; *Quamvis negotium arduum & ſublime non frequenter ſoleat niſi in ſolemnibus Conciliis de more concedi, de communi tamen Fratrum noſtrorum conſilio, juxta votum ac deſiderium prædicti filii noſtri Regis*, &c. ut videre eſt in Bullâ Alexandri, à Baronio exhibitâ, ad A. MCLXI. *Num.* I. II. Quanquàm jam antè Innocentius II. *Hugonem* Gratianopolitanum, Eugenius III. *Henricum* II. Imperat. *Ubaldum* Eugubinum Epiſcopum Cœleſtinus III. *Sanctis* adſcripſiſſe memorentur, vel apud Baronium, ſuis locis, *Annal.* Tomo XII.

Immac. Concept. Mar. V. Hoc etiam Ævo nata Doctrina eſt, de *Immaculatâ Conceptione* Virginis Mariæ, abſque labe Originali. Inſeruerunt Canonici Lugdunenſes in *Officio* quotidiano *B. Virginis*, quod ſuperiori Seculo, in Horas Canonicas diſtributum, Monachi Benedictini introduxerant. Adversùs quod portentum acerrimè inſurrexit Bernardus Claræval. *Epiſt.* CLXXIV. Poſteà verò, natâ Theologiâ Scholaſticâ, & facultate de omnibus rebus in utramque partem diſputandi, hoc de Capite litigarunt adverſus Franciſcanos Dominicani; illis quidem acceſſurâ in honorem *Virginis*, & *Chriſti* ſcilicet, Academiâ Pariſienſi, de quo litigio ſuo loco.

Reliquiæ in dies multipl. De *Reliquiarum* cultu, & mirâ virtute, increvit conſimiliter doctrina ſuperſtitioſa: Undè & conquirendi ſtudium, redimendi, ſuffurandi, fingendi, oſtentandi, transferendi, viſitandi religionis ergò; exemplis ſine fine in Chronicis, & Tabulis Monachorum. *Reliquias* hoc Ævo inventas, vel tranſlatas, Magdeburgenſes aliique memorant, & ſæpè Baronius. V. gr. in rebus Calliſti II. ad An. MCXXIII. *Num.* III. IV. V. poſt evectum *Compoſtellanum* Gallæciæ, ob reverentiam *Corporis Jacobi* Apoſt. in Eccleſiâ Compoſtellanâ ſcil. ſepulti; hæc ſubjungit, ex veteribus Monumentis ſcilicet Pontificalium functionum: *Anno Dom.* MCXXIII. *Indict.* I. *Menſe Januario, die* XXVIII. *hæc Eccleſia S. Agnetis dedicata eſt, à Domino Calliſto Papâ, cum remiſſione annuatim, dictâ die, anni unius & XL. dierum. Hæ ſunt Reliquiæ in Altari poſitæ*, ſcilicet, *Indumentum quod Angelus detulit B. Agneti: De Capillis & velo B. Mariæ Virginis: De S. Apoſtoli Pauli panno, oculis ejus appoſito in Decollatione ejus: Brachium S. Calliſti Papæ & Martyris, S. Agnetis, S. Anaſtaſii, S. Euſtachii: De baltheo S. Gregorii Papæ, S. Tryphonii, S. Sebaſtiani*, &c. Et paulo poſt: *Anno* V. *Pontificatus Dom. Calliſti* II. *Papæ, dedicatum eſt hoc Altare, ubi recondita ſunt hæ Reliquiæ: De ſepulchro Domini: De veſte & ſepulchro S. Mariæ: De Lapidibus S. Stephani: De craticulâ & ſanguine S. Laurentii: De reliquiis S. Sebaſtiani: Unum de capitibus Sanctorum* IV. *Coronatorum: Brachium S. Hippolyti martyris: Brachium S. Bonifacii Papæ* IV. *Cornelii Papæ, Felicis Papæ*, &c. & quæ ſequuntur longo ordine quiſquiliæ, ſive reliquiæ, attributæ *plurimis Sanctis, quorum nomina Deus ſcit*. Itâ prolixè narrat Baronius, ad A. MCIII. *Num.* XIII. quomodò Romæ in Oratorio Martyris *Priſcæ*, quum hujus Corpus fortè elevaretur, *os de Corpore illius ſumptum* Waloni Epiſcopo dediſſe Cardinalem illius loci; & illum, partem illius oſſis *Edmero*, cum Anſelmo fortè præſenti, addente Anſelmo ſcil. Cantuarienſi: *In veritate dico tibi, quod pro toto auro quod Conſtantinopoli, & ultrà citrave habetur, non omitteret Domina ipſa cujus eſt* (S. Priſca) *quin illud ſibi vendicaret in die Reſurrectionis. Quamobrem ſi debitam illi reverentiam exhibueris, æque ſuſcipiet ac ſi toti Corpori exhiberes.* Hujuſmodi ad hoc Seculum ſexcenta habet Baronius, ex Chronicis & Legendariis. In Reliquiis etiam hoc Ævo repertis, memoratur non uno in Chronico, portio *Sanguinis* Chriſti ex Oriente allata; pari fide quâ *Sanguis Dominicus apud Urbem Mantuam, ut creditur, divinâ per quendam Cæcum revelatione, inventus eſt*; ſunt verba Hermanni Contracti, ad A. MXLVIII. Sic reperta in Monaſterio Argentoilo (*Argentueil*) Pagi Pariſienſis, *Tunica* vel *Cappa inconſutilis* Chriſti, *ſubruſi coloris, quam ſicut Literæ quæ in ea repertæ indicabant, glorioſa Mater illius fecit, dum adhuc puer eſſet*; teſte Rob. de Monte, in Appendice ad Chronographiam Sigeberti, ad A. MCLVII. quem *Scriptorem fideliſſimum* vocat Baronius, *ſuorum temporum res geſtas ſummâ brevitate perſtringentem*, ad A. MCLXII. *Num.* XI. Sic *Trium Magorum Corpora*, quæ Conſtantinopoli fuerant Mediolanum tranſlata, hoc Seculo à Rainaldo Colonienſi Archiepiſc. Coloniam, *adhuc incorrupta*, illata, A. MCLXII. ut in Bambergenſi Hiſtoriâ, in Append. Mariani Scoti, &c. Ac literas *Rainaldi* ad Clerum univerſum Colonienſem, ex antiquo ſcilicet Cod. Ms. deinde *Philippi* Succeſſoris illas, quibus donat Metropolitanæ Eccl. ſeu Canonicis ejuſdem, omnes *eleemoſynas, oblationes* quæ ibi fierent, ex Archivo Colonienſi proferunt, Tomo X. Conc. *col.* 1186. 1187.

Indulgent. Papales. De *Indulgentiarum* poteſtate penes Rom. Pontificem, & *remittendi omnia peccata*, publica jam tùm doctrina fuit, exemplis apud Baronium in Honorio II. Eugenio III. &c. Hinc illa, Chriſtum *culpam* remittere non *pœnam*, Papam & *culpam* & *pœnam*. Sic Canoniſtarum doctrina, *Solius Papæ, inſtar Dei, eſſe remiſſionem peccatorum*: Quomodo ſequente Seculo Oratores Panormitani, ſupplices Martino IV. Papæ, ad pedes illius proſtrati, eruperunt in hæc verba, *Qui tollis peccata mundi miſerere nobis*, iterùm & tertio repetentes; ex Paulo Æmilio de Geſtis Francorum, in Philippo III. & aliis.

Superſtit. aliæ. Adorat. Euch. Mittimus inculcatam pridem doctrinam de *Purgatorio*; de *Satisfactionum* neceſſitate; de meritis *vitæ Monachalis*, ac *Peregrinationum*, aut *Sacræ Militiæ*, &c. Ut & doctrinam de *Tranſſubſtantiatione*, ſeu Præſentiâ Corporali in Euchariſtiâ, oppoſitâ ſententiæ Berengarii, undè fluxit quoque *adoratio Sacramenti*. Cujus certè præceptum extat in *Odonis* Epiſcopi Pariſienſis, qui Mauricio Epiſcopo ſucceſſit, Synodalibus Conſtitutionibus, *A.* 1196. aut circiter: Ubi Cap. V. de Sacramento Altaris, *N.* 6. *Frequenter moneantur Laici, ut, ubicumque viderint deferri Corpus Domini, ſtatim genua flectant, tanquàm Domino & Creatori ſuo, & junctis manibus, quoad tranſierit, orent.* Inſeruit eas Conſtitutiones Collectioni Conciliorum Phil. Labbeus, T. X. *col.* 1801. Pariter radices ſenſim egit doctrina de *Confeſſione Auriculari*; & illa de Communione *ſub unicâ*; quæ auctoritatem præcipuè acceperunt ab Innocentio III. deindè à Conſtantienſibus, ut infrà.

Lex Cœlibat. V. Acceſſit impoſita quotidiè, magis omnibus Clericis, cujuſcunque ordinis & gradûs, neceſſitas *Cœlibatûs*, ſeu prohibitio honeſti *conjugii*, qui character Paulinus Antichriſtianiſmi. Undè & Paparum ferè omnium hoc Seculo, dira anathemata in conjugatos Clericos, quin Nationum integrarum hoc nomine proſcriptio, excommunicatio, uti fertur *Danorum* illa, per Clementem III. apud Saxonem Grammaticum, *Lib.* XV. tacente licet Baronio. Imò *Nicolaïtarum* eſſe *hæreſim* conjugium Sacerdotum, ſeu *Nicolaïtarum fornicariam commixtionem*, dixerant jam antè Gregorius VII. Urbanus II. aſſurgente vehementer Anſelmo Cantuarienſi, ut & variarum Synodorum in Italiâ, Galliâ, Angliâ, præſidibus. Sed quoque hinc tanquàm ex impuriſſimo fonte effuſa libido Clericorum, Monachorum, Monialium; adeò ut ipſe Innocentius III. A. MCXCVIII. admotus Pontificatui, ſcripſerit de Sacerdotibus; illos *nocte Venerem amplexari, qui manè Virginem venerantur; noctu filium Veneris agitare in cubilibus, qui manè filium Virginis offerunt in altari.* Hinc & Sapientum, Populorumque hac de re lamenta, & querulæ voces, ipſius Polydori Vergilii, de Rerum Invent. L. V. C. IV. ſub finem: *Illud tamen dixerim, tantum abſuiſſe, ut iſta coacta caſtitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus Ordini dedecus, plus mali Religioni, plus doloris omnibus Bonis impreſſerit, inuſſerit, attulerit, quàm Sacerdotum libidinis labes.*

Mira Cleri Corrupt. VI. Doctrinæ reſpondêre facta; ut *ignorantia* in omni propemodùm Clero; cœca *ſuperſtitio* in Principibus, in Populis; ἐθελοθρησκεία in adeundis Reliquiis, ſubeundis pœnis, ſatisfactionibus, id genus aliis; *flagitia* in ordine utroque Civili & Eccleſiaſtico, luxus, ſchiſmata, cædes, inſidiæ, inexple-

ple-

Digitized by Google

plebile habendi ſtudium; *remedia* peccatis quæſita in Expeditionibus, ac Peregrinationibus in Palæſtinam, &c. Nihil denique *Chriſtiani* niſi nomen, *Gentilium* ubique Idololatria, ſuperſtitio, mores. Exempla omnes hujus Seculi Annales docent, Scriptores Belli Sacri, & Wilh. Malmesburienſis, Simeon Dunelmenſis, Rogerius Hovedenus, Otto Friſingenſis, Urſpergenſis Abbas, Matth. Pariſienſis, &c. & piorum in ſcriptis ſuis frequentiſſima ſuſpiria.

Orbis bellis diviſus. VII. Adde *bella* quibus ut diviſus, ut devaſtatus, ſic penè exhauſtus Orbis uterque Orientalis & Occidentalis, ex Chronicis & Hiſtoriis hujus Ævi; ſpeciatim ex Hiſtoriâ Belli Sacri, ex Byzantinâ, Siculâ, Germanicâ, Anglicanâ, Gallicanâ, Venetâ, Bohemicâ, &c. Genebrardus, *Chronol. Lib.* IV. in Alexandro III. *Sub hoc Alexandro totus tunc Orbis Chriſtianus mutuis bellis fermè collidebatur*, flabellis bellorum ut plurimùm Chriſti Vicariis, & Sacerdotibus. Quâ de re jam ſuprà in ſummario Belli ſacri conſpectu.

Guelphi & Gibellini qui, & undè dicti? Nata & hoc primùm Seculo fuêre, in perniciem totius Europæ, *Guelphorum* & *Gibellinorum* factioſa nomina, quorum illi Pontificis, hi Cæſaris partes propugnabant. Origo ex diſſenſione inter familiam *Suevicam* & *Bavaricam*, indè ab exorto bello inter Imper. Conradum III. Suevum, cognominatum de *Weibelingen* vel de *Guibelingâ*, & inter *Welphonem* ſeu *Guelphonem*, *Guelphum*, Bavariæ Ducem, fratrem Henrici Superbi, qui æmulus Imperii ſuo Ducatu ejectus fuerat à Conrado, translato eo ad Leopoldum Auſtriæ Ducem. Nempè mortuo Lothario Imper. exeunte Ann. MCXXXVII. qui faventiſſimus fuerat cauſæ Pontificum, *Henricus* Superbus Dux Bavar. & Saxoniæ, gener Lotharii, acceptis à ſocero Imperii inſignibus, ſuâque fretus potentiâ, & Saxonum auxilio, jam Imperium certâ ſpe devoraverat. Contrà Principes in Comitiis Imp. Confluentiæ habitis, A. MCXXXVIII. faſtum Henrici & potentiam metuentes, eligunt *Conradum*, filium Friderici Sueviæ Ducis, & ſororis Henrici IV. laudatiſſimum Principem, jamque æmulum Imperii ſub Lothario. Hinc bellum inter utrumque exortum, ſed mox, Henrico mœrore animi confecto A. MCXXXIX. ſucceſſit huic *Guelphus* frater, Dux Bavariæ, qui fœdere inito cum Rogerio Siciliæ Rege, bellum redintegravit adversùs Conradum Suevum. Sed infeliciter res ſucceſſit Guelpho, à Conrado victo, capto, & in cuſtodiam tradito; qui Conradus poſtmodùm ſuaſu Bernardi, inſtigante Eugenio III. Expeditionem ſuſcepit in Palæſtinam, cum Ludovico VII. Rege Francorum, A. MCXLVII. infelici tamen ſucceſſu: Hinc non ſine veneni ſuſpicione, à Medicis Italis propinati, Bambergæ ſublatus A. MCLII. ſucceſſuro *Friderico* I. Barbaroſſâ, Conradi ex fratre nepote. Continuata odia & bella, inter ſucceſſores *Conradi*, & *Bavariæ Duces* adjutos à Rogerio, faventibus Romæ Pontificibus. Quæ Bella dum Italiam affligerent, ac faverent *Guelphis* (*Welphis*) quotquot adhærerent Papæ, Siculis armis adjuti; contrà, appellandis ità per contemptum, *Gibellinis* accederent, quotquot tuerentur partes Imperatoris; exindè frequentata hæc factionum nomina fuerunt. Cumprimis audita illa ſub Friderico II. qui natus fuerit vel educatus *Guibelinga* in Sueviâ, hinc Italis *de Guibelingâ*; Et Cuſpinianus in eodem Friderico p. 340. *primùm ſub Friderico* II. *Guelphi & Gibellini nominati ſunt.* Orta quidem ſub Conrado & Friderico I. ſed viguerunt hæc nomina cumprimis ſub Friderico II. Volunt alii nata nomina ex duobus *fratribus Germanis*, apud Piſtorienſes, inter ſe diſſidentibus, quorum alter partes ſectatus Imperatoris Friderici I. alter Pontificis, ſed conjecturâ planè incertâ, quam habent à Blondo, & Platinâ. In Italiâ autem, omnium factionum matre, hæ ipſæ facturientium an furentium appellationes frequentatæ: Ac *Guelphi* dicti Italis, quaſi *guardatori di ſe*; Guibellini, quaſi *Guidabelli*, duces bellorum. Rectè Otto Friſingenſis, frater uterinus Conradi Imper. L. II. de Geſtis Frid. *Duæ in Romano Orbe, apud Galliæ Germaniæque fines, famoſæ familiæ hactenùs fuêre: Una Henricorum de Guibelingâ, altera Guelphorum de Altorfio, altera Imperatores, altera magnos Duces producere ſolita.* Nempè ex primâ fuêre Henricorum ſucceſſores, Conradus III. Fridericus I. Henrici VI. Fridericus II. ex ſecundâ Bavariæ Duces, Guelphorum nomine appellati.

IV. *Papalis & Antichriſtianæ Tyrannidis luculenta hoc Seculo exempla.*

Sunto de multis pauca, & inſigniora tantùm, ea quæ ſubjungemus ex conſtanti Hiſtoricorum fide. Nihil jam dicturi de nonnullis hujus Seculi Pontificibus, quales fuêre Gelaſius II. Cœleſtinus II. Lucius II. Anaſtaſius IV. Gregorius VIII. qui omnes brevioris ævi fuêre.

I. Primum eſto Papalis & Antichriſtianæ tyrannidis exemplum, in *Paſchali* II. de quo jam ad ſuperius Seculum, ſedente ad Annum uſque MCXVIII. In Paſchali II. Ac docent Acta publica, Epiſtolæ Paſchalis, illæ Imperatorum Henrici IV. & V. ac Chronographi hujus Ævi, qualis inter cæteros Urſpergenſis Abbas; *qui quæ ob oculos habuit præſens exiſtens, ſcripſit; Auctor alioqui in Germaniæ Imperatores propenſior, & in Romanos Pontifices parum æquus.* Ut taceam Gotfridum Viterbienſem, Continuatorem Lamberti Schafnaburg. Ottonem Friſing. de Geſtis Friderici I. Barbaroſſæ, &c. ipſo Baronio veritati acquieſcere aliquoties coacto. Nempè ex his liquet, ut Paſchalis per Legatos ab *Henrico* IV. Imperialia veſtimenta & inſignia, Crucem, Lanceam, Sceptrum, Globum, atque Coronam, transferri juſſerit in Filium, in Conventu Moguntiaco, A. MCV. Poſtquàm *Hæreſin Patris anathematizans, dictam Simoniacam, Apoſtolicæ Sedis Pontifici debitam profeſſus eſſet obedientiam*, in Concilio paulo ante apud Northuſum in Saxoniâ celebrato, ut pluribus Conradus Urſperg. Ut ità Pater *coactus* fuerit à Papâ Romano *ſe abdicare Imperio*, idemque cedere Filio in Patrem rebellanti, animi mœrore tandem confectum, ut Anonymus in *Vitâ Henr.* IV. ab Urſtiſio editâ: Poſtquàm fruſtrà *appellaſſet Pontificem Paſchalem*, & *univerſalem Eccleſiam*, quo ceſſaret filius Patrem crudeliſſime perſequi, ut eſt in Literis quas exhibet Baronius ad Ann. MCVI. Ut, eodem Papâ inducente, tanti Imperatoris *Corpus*, pridie in Monaſterio tumulatum (referente Urſpergenſi) Leodienſis Epiſcopus & cæteri Coepiſcopantes, effodi juſſerint, & abſque ullâ ſepulturâ in loco non conſecrato deponi; quoniam qui *vivus non communicat, ille etiam nec mortuus communicare poſſit:* Ut deindè Henricus V. in Italiam profectus, Romæ à Paſchali fuſtrà petierit, ut *Patris ſui Corpus in Eccleſiâ ſepeliri permitteret*; reſpondente Paſchali, quod *Sacrarum Scripturarum hîc obſiſteret auctoritas, Divinorumque Myſteriorum reverentia id prohiberet*, referente pluribus ipſo Baronio, ad A. MCX. N. VII. Præterea, ut Paſchalis, Romæ coronato Imperatore, illas ipſas *Inveſtituras*, quas pertinaciſſimè recuſaret Imperatori, omninò remiſerit; *Dominus Papa Paſchalis concedit Domino Imper. Henrico, & Regno ejus*, &c. & quæ ſequuntur apud Baronium, ad A. MCXI. N. XVIII. Etiam cum Juramento præſtito à Papâ & Cardinalibus; *Dominus Papa Paſchalis non inquietabit Dominum Imperatorem Henricum, nec ejus Regnum, de inveſtiturâ Epiſcoporum, Abbatiarum*; quod metu & per vim ac tyrannicè extortum vult

vult cum ſuis Purpuratus: Hinc, ut idem Paſchalis, contra tranſactionem cum *Henrico* V. & ſolemne juramentum de relinquendis Inveſtituris Cæſari, perjurus violaverit iſtud ſacramentum in Concilio Lateranenſi, Anno ſequente MCII. cui Itali ferè Epiſcopi interfuerunt: Deinde etiam iteratò per Cononem Epiſc. Præneſtinum, & Legatum, Concilio Remis indicto, A. MCXV. eundem Henricum damnaverit, anathemate obſtrictum: Ne dicamus quæ jam in ſuperioribus attigimus, ut ille ipſe Paſchalis cum Regibus Philippo Galliæ, in matrimonii cauſâ, & cum Henrico I. Angliæ, ob Inveſtituras, ſuperbiſſimè egerit: Ut arma tractarit, armiſque Antipapas ſubegerit: Ut *corporis* & *ſpiritûs*, *terrenorum & cœleſtium*, *poli ſolique*, ſibi imperium vindicarit, vel ex relatione Gotfridi Viterbienſis, laudatâ Baronio, ad A. MCXI. *N.* XXV.

Pars quoque Papalis ſic obviat Imperiali,
Sic regnare damus (tibi Henrico) *quod Petro ſubjiciaris*;
Jus etiam nobis Chriſtus utrumque parit.
Spiritus & Corpus mihi ſunt ſubjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœleſtia mente.
Undè tenendo Polum, ſolvo ligoque Solum.
Æthera pandere, Cœlica tangere Papa videtur, &c.

Et quæ ille plura, quæ ſcripta eſſe verè & *hiſtoricè*, *non poëticè*, addit Baronius. Et qui modò laudaverat Urſpergenſem à fide Scriptorum, nunc converſo in eum ſtylo: *Unus ille planè ridendus Urſpergenſis Abbas, qui nervis ſolutus profitendæ liberè veritatis, ob privatum ergà Henricum Imper. affectum*, *ſacrilegium adeò immane convertere nititur in pietatem*, ſcil. juramentum extortum ab Henrico V. Paſchali Pontifici.

In Calliſto II. II. Alterum tyrannidis ejuſdem exemplum fuerit in *Calliſto* II. natione Gallo, anteà Guidone vel Widone Archiep. Viennenſi, qui ſanguine attinebat ipſum Henricum Imper. frater Stephani Burgundiæ Ducis, avunculus Adelaidis Franciæ Reginæ, & Balduini Flandriæ Comitis. Nam ipſe A. MCXIX. in Concilio Remis habito, paulo poſt mortem *Gelaſii* II. & in *quo* præſens Ludovicus VI. Francorum Rex, primò condidit decretum circà Inveſtituras, *Cap.* 11. Conc. T. x. *col.* 863. *Epiſcopatuum & Abbatiarum inveſtituram per manum Laicam fieri penitus prohibemus*; relictâ Imperatori & Regibus *Inveſtiturâ Feudorum*, quæ immediatè ad Imperium pertinerent; ademptâ ſic Inveſtiturâ *Bonorum* quæ ad *Eccleſias*, ſive Patrimonii Eccleſiaſtici, quale etiam ad Imperatoriam & Regiam poteſtatem pertinuerat, fatente Petro de Marca, de Concordiâ Imp. & Sacerd. L. VIII. C. XXI. Secundò, idem Papa, Henricum V. ſubſcribere illi Canoni detrectantem, ultimo Concilii die, ſolenniter *excommunicavit*, tanquam *Theomachum*, una cum *Burdino Antipapâ*, (Gregorio VIII. qui Romæ ab Henrico oppoſitus Gelaſio II. A. MCXVIII.) *& fautoribus eorum*, Epiſcopis ſimul cereos accenſos, quos manu tenebant CCCCXXVII. pro numero Epiſcoporum & Abbatum, extinguentibus pro more. Hæc Heſſo Scholaſticus, T. x. Concil. qui (Urſpergenſi teſte) *quod viderat & audiverat fideliter ſcripſit.*

Excepit hinc immanitas in captum à ſe *Gregorium* Antipapam, quem Sutrienſes, obſidione cincti, Calliſto tradiderunt vinctum manibus pedibuſque, pro redimendâ Urbe ſuâ, quæ aliàs audit Colonia Julia Sutrina. Nempe hic miſer *camelo impoſitus*, capite ad caudam verſo, loco cappæ Pontificalis indutus pellibus caprinis, ſanguine maculatis, per Urbem totam circunductus fuit, injuriis ac contumeliis furentis plebis expoſitus; tandem Monaſterio æternum incluſus, cum rigore Pœnitentiæ, quotidiè ſubeundæ. Qui tamen Baluzio, *in Notis* ad Canones, fuit *Vir magnus per illas tempeſtates*, *adeò ut pudere non debeat hujus Viri*, *niſi prioris vitæ ſanctitatem infelici Schiſmate fœdaſſet.* Iſta Suggerius Abbas, à Ludovico VI. Rege ad Papam ablegatus, dein Cluniacenſis Abbas electus, in *Vitâ* Ludovici Craſſi, quam edidit in Corpore Hiſtoricorum Franciæ P. Pithœus; dein Platina, & Chronographi obvii, quales Vincentius, Antoninus, &c.

Tùm habitum ſub Calliſto Concilium *Lateranenſe* I. quod Generale IX. vocant, A MCXXII. vel ut alii MCXXIII. quò advenêre Legati Henrici I. In quo Calliſtus, præviâ tranſactione in Conventu Wormatienſi per Legatos Henrici, Anno ſuperiore, extorſit tandem remiſſionem circà Inveſtituras, factam ab Imperatore: *Ego Henricus*, *D. G. Rom. Imper. A. pro amore Dei*, *& S. Romanæ Eccleſiæ*, *& Domini Calliſti Papæ*, *& pro Remedio animæ meæ*, *Dimitto Deo*, *& ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo*, *& S. Catholicæ Eccleſiæ*, *omnem inveſtituram per annulum & baculum*, (quam prætenderat hactenus Henricus) & *concedo in omnibus Eccleſiis*, *quæ in Regno* vel *Imperio meo ſunt*, *fieri electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & Regalia B. Petri*, &c. *eidem S. Romanæ Eccleſiæ reſtituo*, *quæ autem non habeo*, *ut reſtituantur fideliter adjuvabo.* Et quæ ibi plura, T. x. Concil. *col.* 901. tum apud W. Malmesburienſem, & Conr. Urſpergenſem. Quanquam ſatis erat fieri Inveſtituras per *Sceptrum*, nec Annulus & Baculus de eſſentiâ Inveſtituræ. Ita tamen ut viciſſim Calliſtus concederet Imperatori, 1. Quod *electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni*, *in præſentiâ ſuâ fierent*, *abſque Simoniâ & aliquâ violentiâ*; 2. Quod *Electus Regalia*, quæ ad Regnum pertinerent, *per Sceptrum ab Imperatore reciperet*, & quidem præſcripto tempore, *infrà ſex menſes*. Prius tamen *Henricus* Rex Anglorum Papæ concedere noluit, ſcil. *inveſtituras bonorum Eccleſiaſticorum*, ut Anglorum Chronica teſtantur. Et in Conc. Lateran. I.

Tandem in eodem Concilio Generali Lateran. *Canone* XXI. interdixit Calliſtus *Conjugia* omnia Sacerdotum, ſeu *uxorum contubernia*, damnata jam à ſe in Concilio Remenſi, *Can.* V. ſub pœnâ privationis Eccleſiaſtici *Officii*, & *Beneficii*, & tandem *Communionis Chriſtianæ*. In hoc autem Concilio Later. ità decernunt: *Presbyteris*, *Diaconibus*, *Subdiaconibus*, *& Monachis*, *concubinas habere*, *ſeu* (quod pro eodem illi habent, vel, ut Calliſti Legatus in Angliâ in Synodo Weſtmonaſt. *ſurgere de latere meretricis*) *matrimonia contrahere*, *penitus interdicimus*: *Contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi*, & *perſonas ad pœnitentiam debere redigi*, *juxta S. S. Canonum definitiones*, *judicamus.* Mittimus ejuſdem Concilii decreta alia, ut ex. gr. *Can.* XI. qui nempe omnibus ituris Hieroſolymam, adverſus Infideles, aut in Hiſpaniam, crucibus in veſtibus poſitis, *concedit ſuorum peccatorum remiſſionem*, &c. De quo poſteà.

In Honorio II. III. Tertium exemplum eſt in *Honorio* II. confirmato Pontifice, poſtquam ſpontè depoſuiſſet Papatum conſcius non Canonicæ electionis. *Hic*, *Lothario* Saxone in Imperatorem electo, *Fridericum* Sueviæ Ducem, & *Conradum Ducem* Franconiæ, Sororios Henrici V. Imper. renitentes *electioni* Lotharii, *ob hanc cauſam excommunicat*, teſte Ottone Friſing. Chron. L. VII. C. XVII. Tùm *Rogerium* Siculum Apuliæ & Calabriæ Ducem, à Wilhelmo nempè hæredem inſtitutum eorum Ducatuum, ſed ſine auctoritate Pontificis, armis petit, animans undique Proceres, ſpe quod *ſi in expeditione illâ morerentur*, *iis peccata univerſa remiſſa forent*: Adegitque Siculum, ut ſibi *juramentum fidelitatis* ſive *hominium* præſtaret; ut pluribus ex Chronico Beneventano Baronius, ad A. MCXXVII. MCXXVIII. & in *Vitâ* Honorii. Sic in *Fulconem* Comitem Andegavenſem, ob negatum divortium Filiæ ſuæ à Guilielmo Filio Roberti Comitis, Excommunicationis ſententiam ſtringit,

Digitized by Google

git, ut eſt in Epiſt. vi. T. Concil. x. *col.* 910. Mittimus attentata alia ejuſdem Honorii; & pœnas ab eo confirmatas in *Sacerdotes Conjugatos*, & eorum *liberos*, juxtà decretum Lateranenſe prius; ſublato Honorio A. MCXXX.

In Innocentio II. IV. Quartum excipit, in *Innocentio* II. qui in Schiſmate electus A. MCXXX. Antipapâ creato Anacleto II. anteà Petro Leonis fil. Cardinali, qui annis VIII. ſedit. Adhærebant Anacleto, Romani Cardinales, Epiſcopi, Nobiles plerique, Normanni Principes, Mediolanenſes, Caſſinenſis Abbas cum Ordine univerſo, &c. Inter alia Antichriſtiani faſtûs in hoc Innocentio argumenta, fuit illud, quod à Lothario Romæ in Imperat. coronando, exegit (Baronio quoque teſte, ad A. MCXXXIII. *Num.* II. &c.) *juramentum fidelitatis* & *obedientiæ*, ut explicat Purpuratus illud, *Ego Lotharius Rex promitto, & juro tibi Domino Papæ tuiſque Succeſſoribus*, &c. Tum quod v. gratiâ, in Rogerium Siculum, *Regem* creatum ab Anacleto Antipapâ, arma movit, Apuliæ ac Siciliæ Ducatu per Papam exuendum; ſed reſtituendum poſteà, acceptâ à Papâ Inveſtiturâ, A. MCXXXIX. ac præſtito *juramento fidelitatis*, ut etiam Baronius ex Chronico Benevent. & Ottone Friſing. Viciſſim Innocentius conceſſit Siculis Regibus, *Inveſtituras* per baculum & annulum; quanvis *Patrimonium Petri* habitum Siciliæ Regnum, pro quo multis certavit Baronius. Deinde Innocentius tyrannicas leges in favorem Cleri, & Sedis Romanæ, ſanxit, præcipuè in Concilio Lateranenſi II. vulgò Generali x. *Cap.* xxx. Ex. gr. contrà *Simoniacas*, id eſt, Laicas ordinationes C. I. Ne Excommunicatus à ſuo Epiſcopo, à quoquam recipiatur antè abſolutionem, C. III. Ut *Subdiaconi uxorati* aut *concubinarii* (quæ ipſis ἰσοδύναμα) Officio & Beneficio careant, C. VI. Ut Principes juſtitiam exercere poſſint, ſed *conſultis Archiep.* & *Epiſcopis*, C. xx. & ità in cæteris. Ita quod Lothario negarit reſtituere *Epiſcoporum Inveſtituras*, quas reſtitui petiit Imperator, Leodii cum Innocentio congreſſus, ex Bernardo & Bonævall Abbate, & Conr. Urſpergenſi: Sed & inſuper, quod Innocentius, Leodium quum adventaret, paſſus ſit Imperatorem *pedes per medium S. Proceſſionis ad eum feſtinare, humillime ſe ipſum ſtratorem offerre, aliâ manu virgam ad defendendum, aliâ frænum equi accipientem, eum tanquam Dominum deducere*, & deſcendentem Papam *ſuppodiando deportare*, ut Sugerius Abbas S. Dionyſii in Vitâ Ludov. Groſſi, apud Du-Cheſne Hiſtoriæ Franciæ, *Tom.* IV. p. 318. Tandem quod in Palatio Lateran. faſtu Antichriſtiano *Lotharium* Cæſarem, ad pedes ſuos proſtratum, & Coronam Imperii expetentem, in tabulâ *pingi* voluit, cum ſuperbâ *inſcriptione*, ex Radevico Friſing. *Lib.* II. C. x. ex Sigonio de Regno Ital. L. XI. in Lothario III. ex Chronico Hirſaugienſi, & aliis;

Rex venit ante fores, jurans prius verbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante Coronam.

Denique ipſum Francorum Regem, *Ludovicum* VII. Gallicanam libertatem & jus Regium tuitum, contrà uſurpationes Innocentii, anathemate obſtrincturus fuit; cum *multa nefanda idem Rex ſolutus timore Dei*, pro *perturbati animi voluntate geſſiſſet*, ita Baronius, ad A. MCXLIII. N. VI. Quæ in Innocentium retorquenda, in Jus Regium in Galliâ invadentem *nefando* auſu. Intervenerunt autem pro Rege, Bernardus & Petrus Cluniacenſis, ex eorum *Epiſtolis*, relatis apud Baronium, ad An. MCXLII. MCXLIII.

Alia Innocentii II. mittimus, ex. gr. litem cum *Imperatore Loth.* habitam, occaſione *Rainaldi* Abbatis Caſſinenſ. cujus cauſam cognoviſſet Imperator, habito examine A. 1137. De quibus fusè Mornæus in *Hiſt.* Papatûs. Innocentius fatis ceſſit A. MCXLII.

In Eugenio III. V. Quintum exemplum, in *Eugenio* III. Bernardi olim diſcipulo, & Monacho, extrà Cardinalium Collegium electo, A. MCXLV. & Viterbii conſecrato. Hic Patricios ac Senatum Romanum per vim exuit ſuâ libertate, ſuiſque privilegiis, poſt Lucii II. anteceſſoris molimina; Occaſione Arnaldi de Brixia, qui circà principia Pontificatûs Eugenii III. ingreſſus in Urbem, Romanos ad ſeditionem excitavit, proponens majorum ſuorum exempla, qui Regibus fugatis, Rempubl. conſtituiſſent; ex Ottone Friſ. de Geſtis Frider. L. II. C. xx. Quæ lis duratura fuit totis annis L. ab Innocentio II. ad Clementem VII. ex Onuphrio. Ejus adeò *dominandi* libidinem, typhum, ſuperbiam, purpuram, ut *ſucceſſiſſet non Petro ſed Conſtantino*, graphicè perſtringit Bernardus, in Libris v. ad Eugenium de Conſideratione, quos *aureos* dixit Baronius, ad Ann. MCLII. *Num.* I. Tacemus alia Eugenii, Bellum ſacrum renovantis; & Friderico I. electo Imperatori, extorquentis iniquiſſima promiſſa, apud Baronium A. MCLII. Quo Pontifice orta ſunt prima odii Papalis ſemina in Fridericum I. occaſione Guicmanni Cicenſis Epiſcopi ad Sedem Mageburg. tranſlati, ut Otto Friſing. L. II. C. VI. In Clericos *conjugatos* pariter iniquiſſimus fuit, *Canone* III. Conc. Rhemenſis, in quo Præſes Eugenius.

In Adriano IV. V. Sextum exemplum fuit, in *Adriano* IV. natione Anglo, viliſſimis natalibus orto, patre *Roberto Brekſpeare* colono pauperculo; tandem verè hujus filius *Nicolaus*, variis gradibus, à ſummâ paupertate ad Papatum evectus eſt, A. MCLIV. nomine aſſumpto *Adriani* IV. Cujus Papæ ſuperbia & tyrannis nihil ceſſit Hildebrandinæ. Docent facta in *Fridericum* I. Barbaroſſam, laudatiſſimum pace belloque, ac penè ſine exemplo, Principem, Conradi III. ex fratre nepotem, in Imperatorem communi Principum ſuffragio electum, A. MCLII. quo magis in eo concurrebant duæ factiones, Guelphorum & Gibelinorum, ut cujus Mater filia fuiſſet Henrici Nigri Bavariæ Ducis, de familiâ Guelphorum. Hinc lis ab Adriano Imperatori ſtatim mota, incredibile dictu! quum Imperator, ex equo deſcendens, eum pedes apud Sutrium exciperet. Nempè, quod Papâ de equo deſcendente, tenuiſſet Imperator *ſtrepam ſiniſtram*, non *dextram*, referente Helmoldo in Hiſt. Slavorum, *Lib.* I. Ita alibi, in literis ad Cæſarem datis, conqueſtus quod Cæſar *nomen ſuum præponeret* illi Pontificis, *In literis ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris*, apud Nauclerum, *Gen.* XXXIX. p. m. 839. Sanè inde à *Nicolao* I. Pontifices cœperant nomen ſuum præponere illi *Regum*, ad quos ſcribebant, ut obſervat Mabillonus de Re Diplom. L. I. C. II. Sic Imperium contendit eſſe Papale feudum, coronam & dignitatem Imperialem Papale *beneficium*. Saltem ita ſcripſit Adrianus ad Imperat. Veſuntione agentem, miſſis Legatis, & inter eos *Rolando* Cardinali, (qui poſtmodùm fuit Alexander III.) qui unà cum Literis expoſtularent, de non vindicatâ injuriâ Epiſcopo Londinenſi, ac Româ redeunti, in Imperio illatâ: *Neque tamen pœnitet nos, deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe: Sed ſi majora Beneficia Excellentiâ tua de manu noſtrâ ſuſcepiſſet*, &c. *Beneficium* ita Papæ interpretatus, *Coronam* quam Capiti Friderici Adrianus impoſuerat; imò Legatorum alter, converſus ad indignatos rei novitate Principes; *A quo ergò habet* Fridericus, *ſi ex Domino Papâ non habet Imperium*? Quaſi verò dum Aquiſgrani *Colonienſis*, Papiæ *Mediolanenſis*, Remis *Remenſis* Archiepiſcop. aut *Conſtantinopoli* Patriarcha, Coronam imponerent, hoc ipſo conferrent Beneficium Regni. Undè poſtmodum perpendens Adrianus ſuperbiam illius ſcriptionis, in aliâ Epiſtolâ ad Fridericum datâ, quæ eſt IV. inter Adrianicas, ſic explicat verbum illud, *inſigne Coronæ beneficium tibi conceſſimus*: Nempè *hoc nomen ex bono & facto eſſe editum, & dicitur Beneficium apud nos, non Feu-*

Digitized by Google

Feudum, ſed bonum factum. Et tua quidem Magnificentia liquidò recognoſcit, quod nos ità benè & honorificè Imperialis Dignitatis inſigne ſuo Capiti impoſuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Ludicrâ ſanè interpretatione, ſed cui acquievit Imperator. Refert eadem Radevicus Friſing. in Rebus geſtis Friderici Imperat. *Lib.* I. Continuator Ottonis Friſing. Ut & indignatum hac occaſione Fridericum, videl. in *picturam* quæ in Palatio Lateran. videbatur, in quâ Lotharius proſtratus ad pedes Pontificis, uti in *ſubſcriptionem* (de quâ ſuprà in Innocentio II.) illi picturæ ſubjunctam; tandem conceſſiſſe Adrianum, *ut & ſcriptura pariter & pictura talis de medio tolleretur*, ut idem Radevicus de Geſtis Frider. L. I. C. x. Ità quum Fridericus Leges promulgaſſet in Campeſtribus Roncaliæ A. MCLIX. de Feudis & Hominio præſtando Imperatori ab omnibus Feudatariis, etiam Epiſcopis & Abbatibus, ut Radevicus *Lib.* II. C. I. & ſeq. Adrianus per Legatos petiit ab Imperatore; *Ne Nuncios ad Urbem mitteret, ignorante Apoſtolico* Papâ, *cum omnis Magiſtratus inibi B. Petri ſit, cum univerſis Regalibus*; Ne *Epiſcopi Italiæ Hominium facerent D. Imperatori*, qui eſſent *Dii*, & *Filii Excelſi*; Ne iidem Epiſcopi *Nuncios Imperatoris in Palatiis ſuis reciperent*; Et ut *Poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ reſtituerentur & tributa Ferrariæ, Maſſæ, totius Terræ Comitiſſæ Mathildis, Ducatûs Spoletani, Terræ quæ ab Aquapendente eſt uſque Romam, Inſularum Sardiniæ, Corſicæ.* Ad quæ Cæſar reſpondit ut ſapientem Principem decuit: 1. Quum eſſet *Romanorum Imperator*, ſe portaturum inane nomen, niſi & Dominus eſſet *Urbis Romæ.* 2. Se *Epiſcoporum Italiæ hominium non affectare*, ſi modò nihil de *Regalibus* Imperii poſſiderent; & dùm diceret Papa, *quid tibi & Regi*, etiam non pigere Imperatorem dicere, *quid tibi & poſſeſſioni?* Et quæ plura Radevicus. Jamque paratum erat *Excommunicationis* fulmen, niſi mors Adriani interveniſſet. Hæc Radev. L. II. C. xxx. & in Epiſtolis Adriani & Friderici, in Append. ad eundem. Ità ſubdolè egiſſe cum Guilielmo Siculo, indicat ipſe Baronius ad A. MCLVI. *Num.* VI. VII. Ità ſuperbè Adrianus ad Henricum Anglorum Regem ſcribit, *Hyberniam & omnes Inſulas ad jus B. Petri pertinere.* Quomodò Siciliæ Regem Guilielmum, ad pedes ſuos provolutum vidit, & Siciliæ Regnum *ex eo tempore appellatum eſſe Patrimonium Petri*, monet Genebrardus, *Chron. Lib.* IV. ad Ann. 1154. Sed jam antè in Siciliæ Regnum attentata *Innocentii* II. quo Regno inveſtivit poſteà Rogerium, vidimus ex ipſo Baronio.

In Alexandro III.

VI. Septimum eſt in *Alexandro* III. ſucceſſore Hadriani, anteà *Rolando* dicto, in Schiſmate electo, contrà *Octavianum* Romanum, Cardin. Presbyterum, eodem tempore à quibuſdam Cardinalibus & S. P. Q. R. electum, *Victoris* III. aſſumpto nomine. Undè quum Fridericus Concilium *Papiam* convocaſſet, ut judicaretur utri Pontificum adhærendum, A. MCLX. extinguendo Schiſmati; Alexander non comparuit in eo Concilio, ne compromittere electionem ſuam videretur, hinc à Synodo *condemnatus Rolandus ac reprobatus, quod citatus legitimè Concilio ſe præſentare contumaciter abnuiſſet*, ſic Radevicus de Geſtis Frid. L. II. C. LXV. Alexander tamen, quicquid Fridericus, & Romani ſtarent pro parte Victoris, Papatum obtinuit, & in Gallias ſeceſſit, faventibus Gallo, & Anglo Regibus, ac diris devoto Friderico; metu Italorum Schiſmaticorum, qui deciſioni Concilii (*Conciliabulum* vocant) Papienſis adhærebant. Sed Victor reprobatus à Conc. Turonenſi A. MCLXIII. morte ceſſit A. MCLXIV. in cujus locum electus *Paſchalis* III. ex Cardin. Guidone Cremenſi, quo & Romæ obeunte in arce S. Petri, poſteà ſubſtitutus eſt *Calliſtus* III. An. MCLXIX. ex Urſpergenſi, Sigonio, Vitis & Epiſtolis Papar. &c. Revocatus autem per Legatos à Romanis Alexander III. A. MCLXV. poſt obitum Octaviani Antipapæ, ſenſim partibus potior evaſit, nequicquam illi obſiſtentibus *quatuor* (quoad vixit) Antipapis, Octaviano, Victore, Paſchali, & Caliiſto. Poſtquam inprimis Friderico infeliciter ceſſiſſet obſidio Alexandriæ Urbis, in Longobardia; Cui Urbi liberandæ fingunt *S. Petrum apparuiſſe, in equo albo corruſcantibus armis* præeuntem Alexandrinis, qui egreſſi Portis, Friderici exercitum fuderint, ità Baronius ad A. MCLXXV. N. IV. ex *Actis Alexandri Papæ tum ſcriptis*, ſcilicet Documento nullius fidei. Undè Alexander III. Urbem *Epiſcopatu* donavit. Indè ſenſim ad pacem omnia ſpectarunt, poſtquàm miſſi à Friderico Legati ad Alex. & conventum fuiſſet, *Imperatorem Papæ obedientiam exhibiturum, & S. Sedi redditurum quæ durante bello ei oblata.*

Hiſtoria Veneta, de Congreſſu Alexand. III. & Frider. Imp.

Hinc celebris illa profectio eſt Alexandri III. in urbem Venetiarum, quò & Ravennâ ſe contulit Fridericus, occurſurus Papæ in gradibus & veſtibulo Baſilicæ *S. Marci*, & ubi Imperator, (poſt pacem in anteceſſum Juramento firmatam) *ſe humi proſternens, depoſitâ chlamyde*, addunt alii, *juſſus* à Pontifice, & *veniam* præteritorum poſtulans, accepit viciſſim *oſculum pacis.* Hæc fusè Baronius ad A. MCLXXVII. & quidem ex diverſiſſimis narrationibus, quæ repertæ in *Codd. Mss.* Chronicorum Card. Beſſarionis. An verò ut altera harum relationum habet, referente ipſo Baronio, ad A. MCLXXVII. *Num.* V. in illo Congreſſu, *Pontifex* proſtrati ad pedes Cæſaris *collum pede compreſſerit*, dicendo, *Scriptum eſt, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem*; addente Papâ, in reſponſo ad Fridericum, hæc & *ſibi & Petro dicta eſſe*; ſub judice lis eſt. Ac multus inter incerta fluctuat Baronius, ob inauditum antè facinus Pontificis. Certè perpenſis omnibus circumſtantiis, non planè deneganda Monumentis Venetis fides, ex quibus patet (ut etiam Sigonius, Hovedenus) Fridericum ſupplicem, poſt varias perpeſſiones, inauditâ ſuperbiâ ab Alexandro exceptum, qui *ſolennem, quæ Pontifici ab Imperatore debetur, reverentiam atque obedientiam, ad pium pedum oſculum, inclinatione* factâ, *exhibuerit.* Præthereà, ſi quæ fides monumentis Venetis, nihil repugnat Pontificem, collum provoluti ad pedes Cæſaris pede leviter ſaltem compreſſiſſe, additis etiam ex Pſalte vocibus, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, &c. Quod poſtremum, (rem inquit Baronius *magnitudine mirandam, novitate ſingularem, indecentiâ monſtruoſam*) licet inani declamatione dubium faciat Annalium Scriptor ad Ann. MLXXVII. *Num.* LXXXVII. & taceant nonnulli Hiſtorici, alii tamen, ut Sabellicus Rerum Venetarum *Dec.* I. *Lib.* VII. ut Hiſtoria Veneta, & Monumenta *iſtic publica*, palàm teſtantur. Qualia ſunt, Codex Ms. relictus à Beſſarione Cardin. in Biblioth. Venetâ, de quo Baronius, qui hæc deſcripſerit ex antiquioribus Monumentis; *Lapis porphyreticus* in Porticu Eccleſiæ S. Marci, locum deſignans; *Pictura*, in Aulâ ipsâ in quâ congregatur Concilium majus Venetorum, exhibens Alexandrum Pont. *pedem leviter imprimentem humero Imperatoris.* Quod ſanè in Venetorum Urbe non auſus fuiſſet de ſuo fingere Pictor. Nec factum planè inficiantur Itali, & Veneti Scriptores; quicquid fortè pictor liberiùs artem ſuam exercuerit. Et verò, pridem irritatus ſuperbus erat Alexander in Fridericum; paſſus etiam, in ipſo exilio, ut duo Reges, Ludovicus Galliæ, & Henricus II. Angliæ, tenerent frænum equi Pontificii, ac pedites eundem deducerent; uti etiam, equum aſcendente Alexandro, *Strepam tenuit* Fridericus, ut Hiſtorici, & Sigonius. Ità jam quaſi triumphator, de Friderico, & Antipapis, oſtendit ſe Chriſti Vicarium, hoc ſigno edito poteſtatis in Imperatorem, quem pro beneficiario ſeu feudatario tantùm hactenùs habuiſſet. Et quâ tyrannide exceperit Gregorius VII. *Henricum* IV. Imperat. dictum ſuprà fuit; quâ deindè ferociâ, & immanitate egerit hic Alexan-

der

Digitized by Google

der cum *Henrico* II. Anglorum Rege; quô faſtu Cœleſtinus III. à proſtrati ad pedes Henrici VI. Imper. *Capite*, *Coronam pede* ſuo decuſſerit, dicetur loco ſuo. Ut tamen falſi rem arguat Natal. Alexander, objicit *ſilentium* Matth. Pariſienſis, Wilh. Tyrii, Rogerii Hovedeni; tum prædicatam hujus Alexandri *manſuetudinem*, quæ quanta fuerit, facta ejus loquuntur, & an fuerit idem *humilis corde*, quæ duo conjunxit Servator.

Alia ſuperbiæ docum. Sic quod ajunt in ſignum gratitudinis, pro acceptis à Republ. Veneta officiis, donaſſe illi Alexandrum, nempè Sebaſtiano Zani Duci, ac Senatui Veneto, *Imperium maris* Adriatici; item *Umbellam*, capitis ornamentum galero ſimile, etiam *Sedem* in Theatro Romano; quæ exhibet Baronius ut ex Codice Beſſarionis. Equidem hic ipſe Rolandus fuit, qui Duces Bohemiæ, & Luſitaniæ, ad Regiam Dignitatem evexit, eâ lege ut tributarii fierent Rom. Eccleſiæ, ejuſque ſub protectione eſſent, ut ex Innocentii III. *Epiſtolis* firmant Baronius ad A. MCLXXIX. N. XVI. & alii: Idem Coſſ. Romanos, Sacramentum ad pedes Pontificis concipere juſſit, ut Dominus urbis Romæ, quod Romani hactenùs negaverant: Cumprimis ſuperbia verè Antichriſtiana apparuit in Alexandri III. ergà **Cumprim. in Henr. II. Angl. Reg.** Henricum II. Anglorum Regem, qui in Regnum ſucceſſerat A. MCLIV. Regiæ dominationis inſtaurator, contrà facilitatem Stephani. Hunc enim leges, conſuetudines, jura Regni ſui tuitum, quibus etiam Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac Prælatos voluit ſubſcribere, *Thomas Becket* Cantuarienſis, munitus auctoritate & ſuaſione Pontificiâ, primus oppugnavit, & Presbyterum *homicidii* reum noluit tradi Curiæ Seculari, ſed eum Monaſterio incluſit. Hinc magis magiſque audacia hujus Præſulis caput extulit, de bonis, poſſeſſionibus, cauſis ac perſonis Eccleſiaſticis pro libidine ac ferociâ diſponentis, ac cum Clero ſuo apertè in Regis majeſtatem, auctoritatem, jura, ab Henrico I. avo Henr. II. ſancita, inſurgentis, & Papam reſpicientis unicè. Hæc probavit, fovit, in majus auxit Papa Alexander, ad quem trajecerat Thomas, indè Archiepiſcopatu movendus; contrà Rex cum toto Regno ſuo percutiendus anathemate; in primis poſt necem Thomæ à militibus perpetratam, ut infrà. Hinc *Thomæ* ejuſdem ſecuta *Canonizatio*, An. MCLXXIII. obtentu miraculorum quæ poſt ejus mortem facta; & lex ſancita ac Corpori Canon. inſerenda, ut ab *arbitrio Papæ* dependerent hujuſmodi Canonizationes. Dein excepit pœnæ genus inſolitum à Rege ſubeundum, ex decreto Alexandri, priuſquam anathemate ſolveretur: Primò purgavit ſe Rex ſolenni juramento, *in manibus Legatorum* Cardinalium, quod de morte Thomæ *neque cogitaſſet*, *neque ſciviſſet*, *neque fieri præcepiſſet*: Dein, juravit *quod milites ducentos*, *ſub expenſis ſuis*, *Hieroſolymam deſtinaret*: Tertiò, *quod Signum Dominicæ Crucis uſque ad triennium acciperet*, *& in perſonâ propriâ profecturus eſſet* in Palæſtinam: Quartò, quod *illicitas conſuetudines in Terrâ ſuâ penitùs caſſaret*; *& appellationes ad Apoſtolicam Sedem liberè fieri permitteret*: Denique, *quod Rex & Filius ejus à Domino Alexandro Papâ*, *& ejus Succeſſoribus*, *Regnum Angliæ reciperent*, & ità *tenerent*; ſubjecto ità Pontifici Regno ſuo. Hæc quidem Baronius, ex Actis Vaticanis ſcilicet, ad A. MCLXXII. *Num.* III. IV. V. Imò, ut prolixè referunt, quanquam non iiſdem circumſtantiis, Urſperg. Matthæus Paris, Rogerius Hoved. Guilielmus Neubrigenſis, Thomas Walſingamus in Hypodeigm. Neuſtriæ, Antiquit. Britannicæ in Thomâ Becket, &c. ſubiit ſequentem pœnam Rex Henricus: 1. Ut in Angliam reverſus, (ex Normanniâ videl.) pro diætâ uſus pane & aquâ, ad *tumulum Thomæ* contenderet, ibique flexis genibus, nudus pedes, cum affluentiâ lachrymarum, miſericordiam & veniam precaretur. 2. Ut carnem ſuam diſciplinæ ſubjiciens, in Monachorum Capitulo, *veſte exutâ*, à ſingulis Fratribus, virgis cæſus, *ternos* ictus vel *quinos* exciperet, ità Walſingamus, alii, *uno virgæ ictu* percuteretur. Quis non ſtupeat ad Pontificis Alexandri hæc auſa, & facilem hujus Regis animum ex motu pietatis, cætera (ut prolixè Neubrigenſis Hiſtor. *Lib.* II.) invictum, & verè regium. Tacemus Alexandri alia (ut nempè *electiò Pontificis* rata eſſet, ſi *duæ partes* Cardinalium conſentirent, *Can.* I. Conc. Lateran. III. An. MCLXXIX. memor electionis ſuæ ab iis Cardinalibus reprobatæ, qui Antipapæ Octaviano conſtanter adhæſerant: Ut deindè hic Alexander primus belli vexillum erexerit, & arma ſumi decreverit, in *Albigenſes* & *Waldenſes*, immanem in modum perſequendos, *Can.* ult. ejuſdem Concilii. Sed de his poſteà; atque hæc ſpeciminis loco dicta ſunto. Certè quo diutiùs hic præfuit Pontifex, à ſuis electus A. MCLIX. denatus A. MCLXXXI. hoc factis verè Antichriſtianis ſuperavit deceſſores ſuos, ſi Gregorium VII. excipias.

VII. Octavum exemplum eſto in *Lucio* III. per quadriennium circiter poſt Alexandrum Pontifice, quem cum *Lucio* piſce contulit Epigramma, **In Lucio III.**

Devorat ille Homines, hic piſcibus inſidiatur,
Eſurit hic ſemper, hic aliquando ſatur.

Hujus certè Lucii Papæ Conſtitutio legitur in Decretal. Gregorii Extra. de Judiciis, *Tit.* I. C. VIII. *In Sacris Canonibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coràm Eccleſiaſtico Judice conveniri.*

Nonum exemplum, in *Urbano* III. qui ex Mediolanenſi Archiepiſc. Pontifex factus A. MCLXXXV. **In Urbano III.** Nam cum eſſet Mediolanenſis natione, *in odium Imperatoris* (ità Urſpergenſis, & ex eo Vita Urbani, inſerta T. X. Concil. *col.* 1742.) *volebat turbare Eccleſiam*, *quæ jam quietem pauliſper acceperat.* Obtentus hi fuerunt, quod retineret Patrimonium Petri, donatum Rom. Eccleſiæ à Mathilde Comitiſſâ; quod ſibi vendicaret defunctorum Epiſcoporum bona, & Monaſteriorum quoſdam reditus, ac Sanctimonialium Virginum, ſpecie Reformationis. Dùm intereà ipſe Pontifex in Imperatoris jura, vel judicibus Germaniæ Præſulibus, apertè involaret. Pejora his molituro Urbano, ſi per fata licuiſſet, quando *Dei nutu percuſſus interiit*: Undè, eodem Urſpergenſi referente, *Turbanus* à multis eſt appellatus. Idem quoque *Danos*, quod Sacerdotibus conjugium permitterent, excommunicavit, referente ipſo in *Chronolog.* Genebrardo, ex *Saxone* Grammat. Ferunt mortuum, ex mœrore captæ à Saladino Hieroſolymæ, & Ligni S. Crucis, illo ipſo Anno MCLXXXVII.

VIII. Decimum exemplum præbeat *Clemens* III. **In Clemente III.** nam Gregorius VIII. nonniſi dierum LVII. Pontifex fuit, ut habet Urſpergenſis. Hic inter alia, in *Wilhelmum* Scotorum Regem Interdicti ſententiam decrevit, niſi pareret judicio Apoſtolicæ Sedis, adversùs *Hugonem* S. Andreanum Epiſc. ex Rogerio Hovedeno: Satagente eodem Pontifice *Siciliam* Romanæ Eccleſiæ vendicare, poſt obitum Guilielmi Regis, cognomento Boni, ſine hærede defuncti A. MCLXXXIX. Ac is Tancredo notho tandem Inveſtituram Regni conceſſit, vel ex *Vitâ* Clementis; undè deinceps multi in Siciliâ motus, occaſione nuptiarum Conſtantiæ filiæ Rogerii Siculi cum Henrico VI. Romanor. Imper. eâ lege ut Sicilia utraque Henrico cederet, ex pacto cum Clemente, cui Tancredus erat inviſus. Tacemus auctorem fuiſſe hunc *Clementem* III. Expeditionis in Palæſtinam ſuſceptæ, operam navante *Guil. Tyrio* ad hanc rem in Europam ablegato, ut pluribus idem Guilielmus enarrat. Sed magno rei Chriſtianæ detrimento hæc Expeditio fuit, in quâ periit in aquis Fridericus, A. MCXC. & Reges Galliæ, Angliæ,

Digitized by Google

poſt aliquam in Palæſtinâ moram, re infectâ diſceſſerunt, de quo *Cap.* 11.

In Cœleſt. III.

IX. Undecimum exemplum cernitur in *Cœleſtino* III. ad Pontificatum admoto An. MCXCI. qui nihil principio adeò cordi habuit, ac promovere expeditionem in Terram Sanctam, cœptam ſub Clemente III. deceſſore ſuo. Sed hic ipſe faſtu Antichriſtiano nec Adriano IV. nec Alexandro III. inferior fuit. Initio ſtatim Pontificatûs, Regem *Gallaciæ* Alfonſum, ex causâ matrimonii cum conſanguineâ ſuâ, excommunicavit, ut ex Rogerii *Annal.* Baronius ad A. MCXCI. N. XIV. Idem juramento, de conſervandis Rom. Eccl. juribus, ab Imperatore accepto pro hujus Coronatione, auſus eſt Coronam, proſtrato ad Pontificis pedes Henrico VI. impoſitam, in Eccleſiâ D. Petri, *mox pede percutere*, ac *in terram dejicere, ſignificans quod ipſe poteſtatem habet eum ejiciendi ab Imperio, ſi ille demeruerit*, ipſo referente Baronio, ex Rogerio Hovedeno, ad A. MCXCI. *N.* X. Idem ſacris toti Franciæ interdicere, ob divortium *Philippi* Regis ab Iſemburge, Canuti Danorum Regis ſorore; divortium hoc legitimum pronunciante ipſo Archiep. Remenſi, Legato Papæ in Galliâ, referente & Genebrardo: Idem Cœleſtinus, in *Henricum* quoque Imperatorem, & *Leopoldum* Auſtriæ Ducem, ob detentum captivitate Richardum Angliæ Regem reducem ex Palæſtinâ, ac Germaniam tranſeuntem, vel ferre ſententiam excommunicationis, vel certè interminari, ex Rogerio eodem in Annal. Uti Galliæ Regem Philippum, & Regnum ejus, ſubjiciendum anathemate ſcripſit, niſi deſiſteret à perſecutione Regis Anglorum, in cujus terras, Normanniam videlicet, irruptionem fecerat, eodem Hiſtorico referente, & Baronio ad A. MCXCIII. *Num.* XVIII. Plura ſilentio tranſmittimus. Ut quod addit Baronius, de impenſo ſtudio quo ferebatur Cœleſtinus ergà *Imaginem Dei Genetricis Mariæ*, collocatam Romæ in S. Mariæ porticu; quo factum eſt, ut *Cœleſtem, ejus precibus, gloriam hic cultor Deiparæ* conſecutus ſit, *Annal.* A. MCXCVIII. N. III. Sic quod urſerit *Cœlibatûs* legem, & *uxores quibus tum paſſim liberè utebantur* Bohemi, & Poloni, abdicari voluerit, miſſo in Bohemiam & Poloniam Legato, Petro Capuano, Tit. S. Mariæ in Viâ Latâ, conſtat ex Bohemorum & Polonor. Chronicis, & Concil. Tomo X. *col.* 1801.

De Innoc. III. poſteà.

Exemplum Pontificiæ Tyrannidis, quod dedit *Innocentius* III. admotus Papatui A. MCXCVIII. cui id negotii datum videbatur ut quæ in Tyrannide, Hæreſi, Superſtitione, ab aliis infecta eſſent, ipſe perficeret; hoc ad ſequens *Seculum* reſervamus. Et in hujus exaltatione, mox à Cœleſtini deceſſoris morte, terminavit ſuos Annales Cæſar Baronius.

V. *Oppoſitiones adverſus eam Tyrannidem, Superſtitionem, Corruptionemque, factæ hoc Seculo.*

Reges & Princ. tuentur jura Inveſtit. &c.

I. Oppoſitiones omnes, facta dictaque, quibus *Romanorum Pontificum* tyrannidi, ſuperbiæ, uſurpatis aut affectatis juribus, & ſpeciatim illi *Inveſtituræ* Epiſcopor. & Abbatum, reſtiterunt Imperatores ſuprà memorati Henricus IV. V. Conradus, Fridericus, Henricus VI. adhæc Reges Galliæ, Angliæ, Siciliæ, ac *Principes ubique Gentium*, apud Genebrardum, ex Polydoro Vergilio, ad A. MCV. tandem quotquot jus Regium venerati ſunt traducti ſub *Simoniacæ* Hæreſeôs, *Henricianorum*, & *Gibellinorum* nominibus, nihil attinet hoc in loco recenſere. Factum ex parte ſuprà, in Hiſtoriâ Paparum hujus Ævi. Dein fusè iſta omnia, ex Chronographis & Hiſtoricis Germaniæ, Italiæ, Franciæ, Britanniæ, recenſita habes in Collectionibus Goldaſti de *Imperiali* Juriſdictione, in Catalogo Teſtium Verit. *Libris* XIV. & XV. vel apud Philippum Mornæum, in *Hiſtoriâ Pap.* toto hoc Seculo: Scilicet indè à Paſchali II. ſub finem Seculi Undecimi, uſque ad finem Seculi Duodecimi, reſque Innocentii III. ut recentiores Scriptores mittam. Interpretantur ſanè Polydorus, Genebrardus, Baronius, Bellarminus, & cæteri, quaſi Reges & Principes, hac primum & ſuperiori Ætate, *cœperint* hæc Inveſtiturarum jura ſibi vendicare. Quum tamen, ſalvâ libertate *electionum* penes *Clerum*, *&* *Populum*, excluſâ *Simoniâ*, (de quâ non propriè controverſia fuit) confirmatio ſaltem electi in Epiſcop. tum Inveſtitura quoad Bona Feudalia quæ Eccleſiæ poſſiderent, Juramentum denique fidelitatis Principi præſtandum, antè Conſecrationem ipſam Sacerdotalem, inter jura Majeſtatis conſtantiſſimè habita fuerint: Nec, antè tempora *Hildebrandina*, eadem ſibi arrogare cœperint Romani Pontifices, faſſis cordatioribus Hiſtoricis. Quod ex ſuperioribus ſatis ſuperque conſtat, & ex Franciæ Hiſtoricis ſub primâ, ſecundâ, & tertiâ dynaſtiâ, ex Vitâ Henrici IV. Imperat. Ottone Friſing. Conrado Urſpergenſi, Wilh. Malmesburienſi de Geſtis Angl. Regum, Sigeberto Gembl. Waltramo Naumburg. aliiſque, abundè probatum eſt. Quanquàm Papis non defuerint fœdi in rem ſuam adulatores, Lanfrancus, Anſelmus, Ivo Carnot. ipſe *Bernardus* Claravall. Paparum cauſæ addictior.

De Antichriſti ortu quid hac Æt. ſenſerint?

II. Imò verò *Antichriſti* vel factam, *vel certè* inſtantem revelationem, in tam corruptâ Eccleſiâ, agnoviſſe hoc Seculo non paucos, Hiſtoriæ docent. In his *Fluentius*, ut dicitur apud Sabellicum, *Enneade* IX. *Lib.* IV. p. 692. vel *Florentinus* Epiſcopus, cujus in Vitâ Paſchalis II. meminit quoque Platina, docens circà A. MCVI. publicis concionibus, *jam natum eſſe Antichriſtum: Quâ prædicatione Paſchalis motus in Hetruriam profectus, Conventuque ſuper eâ re Florentiæ habito, tantùm admonuit ut temerario incœpto deſiſteret.* Sic Leodienſis Eccleſia, in Epiſt. ad Paſchalem II. circà A. MCVII. inſertâ T. X. Concil. *col.* 630. certè *Babylonem* illam *myſticam* graphicis coloribus depingit; *Nunc verò audiens hæc mala inferri præcepto Apoſtolicæ auctoritatis, timeo Matri meæ, ne in eam redundet illud quod Deus dicit per os Eſajæ*, (*Cap.* X. 1. 2.) *Væ iis qui condunt leges iniquas*, &c. Et *Joachimus* Abbas Florenſis in Calabriâ, celeberrimi hac Ætate nominis, damnatus in Conc. Lateranenſi IV. qui *Antichriſti jam nati*, & *in Sede Apoſtolicâ ſublimandi*, characteres luculenter expreſſit, ex Apocal. Libro, apud Hoved. *Annal.* P. II. p. 681. 682. 683. Idem fecit accuſatâ ſuperbiâ Adriani IV. *Fridericus* Imperator, ſuo ad Adrianum reſponſo, quod exhibet Nauclerus, *Gener.* XXXIX. *pag.* 840. indignatum, *poſtponi* ſuum Nomen illi Imperatoris: *Undè quum Romano Pontifici jure & ex antiquo Nomen præponimus*, &c. Item, *Cardinalibus veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores, non Orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores.* Mox ſubjungit: *Non poſſumus non reſpondere auditis, cùm ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam uſque ad Sedem Petri reptaſſe videmus. Bernardus* Claravallenſis (quicquid in causâ *Inveſtiturarum* non faveret juri Regio, & pro temporum conditione ſuperſtitioſior) interim frequentiſſimis in locis deteſtatus abominandam Cleri corruptionem, ac Pontificum ſuperbiam, dixit, Eſſe *Miniſtros Chriſti & ſervire Antichriſto*; *Nihil ſupereſſe quàm ut reveletur Homo ille peccati: Beſtiam illam de Apocalypſi Petri Cathedram occupare*, &c. citatis pridem apud Flacium Illyr. Mornæum, & alios locis. In eandem ferè ſententiam, accuſatâ eâ corruptione in Papâ & Clero, quæ nonniſi *Antichriſti* eſſe potuit, Petrus Abbas Cluniacenſis, Rupertus Tui-

Tuitienſis Abbas, Honorius Auguſtodunenſis Presbyter, Johannes Sariſburienſis factus Carnotenſis Epiſcopus, &c. fuſè apud Magdeburgenſes, Illyricum in Catalogo Teſt. Uſſerium *de Succeſſ. Cap.* VII. Imò verò, Aventino teſte, *Annal. Lib.* V. plerique *omnes, boni, aperti, juſti, ingenui, ſimplices, profeſſi ſunt tùm imperium Antichriſti cœpiſſe.* Et Baronius ad A. MXCVI. *N.* XXV. *Fuit opinio non vulgarium virorum, Antichriſtum hoc fore Seculo revelandum.* Præcipua cauſa fuit, abominanda Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Cleri totius, ac Monachiſmi facies, de quâ ſigillatim ſuprà dictum.

De Conjugio Clericor. III. *Cœlibatui* Clericorum reſtitêre hac Ætate integræ Nationes. In *Angliâ* fuiſſe Sacerdotes uxoratos quàm plurimos, renunciare nolentes conjugibus, etiam ſæpè filios ſucceſſiſſe patribus in Sacerdotio, docent Annales Eccleſiæ Britannicæ, permittentibus etiam Regibus Wilhelmo II. Henrico I. Henrico II. apud Matth. Paris, & cæteros, in horum Hiſtoriâ. In *Hyberniâ*, ad Malachiam uſque, Celſi Armachani ſucceſſorem, habuiſſe uxores ipſos Armachanos Præſules, ac genuiſſe liberos, perpetuâ ſucceſſione, Bernardus in Vitâ Malachiæ, Vincentius, Antoninus, aliique Chronographi non diffitentur, ex iis Uſſerius & alii. Pios multos reſtitiſſe Cœleſtino III. legem *Cœlibatûs* imperanti, miſſo *Pragam* Petro Capuano Cardinali, adeò ut lapidibus hic penè à Prælatis & Sacerdotibus obrueretur, teſtantur Annales Bohemorum; ità nec *divortia* Sacerdotum à conjugibus ſuis ferre potuiſſe; quod & Acta Concilior. *Tomo* X. *col.* 1800. Conjugatos fuiſſe *Danos* Sacerdotes, fatetur ipſe Genebrardus, ad Urbanum II. & ex Saxone Grammatico conſtat, *Hiſt.* L. XV. Clementem III. excommunicaſſe Danos, quod Sacerdotibus legitima conjugia permitterent, probante Danorum Rege. In *Germaniâ* Sacerdotes & Diaconos procreaſſe ex conjugibus liberos, refert Urſpergenſis Abbas, mirè inviſus Baronio. Adeò ut votum, perpetui & neceſſarii Cœlibatûs, Epiſcopi Germaniæ ab ordinandis non exegerint, ad ſuperius uſque Seculum; Et ſatis fuerit, ſi promitterent *ſe victuros ſecundùm Canones, pro poſſe & noſſe.* Hinc illa in decretum Lateranenſe, de quo adhuc infrà, factum ſub Calliſto II. canente Anglo Poëtâ, ut teſtatur Balæus, *Cent.* II.

O bone Calixte, nunc omnis Clerus odit te:
Quondam Presbyteri poterant Uxoribus uti,
Hoc deſtruxiſti, poſtquam tu Papa fuiſti.
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

Sed hæc obvia. Nec *Calliſtus* primus legem Cœlibatûs invexit, quæ antè à Gregorio VII. Urbano II. & cæteris, magnâ contentione fuit Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, obtruſa. Præclarè hoc Ævo Bernardus, Sermone de Converſ. ad Clericos, C. XXIX. *Utinam qui continere non valent, Perfectionem temerariè profiteri, aut Cœlibatui dare nomina, vererentur. Eſſet melius nubere, quàm uri. Multi abſtinent remedio nuptiali, in omne deinceps flagitium effluentes.*

Contrà error. varios R. E. IV. Sed & *erroribus* aliis, ac *ſuperſtitionibus* Romanæ Eccleſiæ, reclamaſſe hoc Ævo paſſim Viros pios, in confeſſo eſt: V. grat. urſiſſe *Scripturarum* lectionem, ac vim admirandam; contrà damnaſſe hominum Traditiones, & commenta: Ità Libros *Apocryphos* cenſuiſſe, quos hodieque in eum cenſum referunt Proteſtantes; undè Johannes Sariſbur. hoc Seculo doctiſſimus, & pius ut ſinebant tempora, *Epiſt.* CLXXII. *Liber verò Sapientiæ, & Eccleſiaſticus, Judith, Tobias, & Paſtor. Hermæ, ut idem* (Hieronymus) *aſſerit, non reputantur in Canone; ſed neque Maccabæorum Liber, qui in duo Volumina ſcinditur, quorum primum Hebræam redolet eloquentiam, alterum Græcam, quod ſtylus ipſe convincit.* Sic retinuiſſe fundamentum de unius Dei Cultu Relig. Chriſti unius Merito, unico Sacrificio vero & propitiatorio, neceſſitate Divinæ Gratiæ, Juſtificatione ex fide, citrà Operum noſtrorum merita, &c. docent citata noſtris paſſim teſtimonia, e. gr. Petri Cantoris Pariſienſ. Petri Blæſenſis, Petri Lombardi, Petri Cluniacenſ. Bernardi Claravall. Ruperti Abbatis Tuitienſis, Joh. Sariſburienſis, Hugonis & Richardi à Victore, Hildeberti Cenoman. Honorii Auguſtodun. quæ huc congerere otioſum foret, & ab Hiſtoriâ noſtrâ alienum. Adeant collecta hæc in unum teſtimonia, qui volent, apud Magdeburgenſes, *Cent.* XII. Cap. IV. de Doctrinâ; & Flacium Illyr. in Catalogo, *Libris* XIV. XV. vel Chemnitium in Examine Concilii Trident. &c. Ut Uſſerium Armachanum, contrà Jeſuitam Hybernum, Forbeſium in Inſtructionibus Theol. Hiſtor. Dallæum de Cultibus Latinor. de Objecto Cultûs Relig. de Pœnitentiâ, & notiſſimos Scriptores alios adversùs Pontificios, mittam. Compilare hos, aut actum multoties agere, hujus inſtituti non eſt. Quin ipſe *Anſelmus* Cantuarienſis, in vulgari *Formulâ* interrogandi Infirmos animam agentes, *Admonitione ad moribundos*, à plurimis productâ, (etiam in *Sacerdotali Romano* P. I. Tract. V. C. 13. in *Ordine Baptizandi*, & *Modo Viſitandi*, Venetiis impreſſo, 1575.) juſſit morituros, *in ſolâ morte Chriſti* fiduciam ſuam conſtituere. Sacerdos; *Credis non propriis meritis, ſed Paſſionis D. noſtri Jeſu Chriſti virtute & merito, ad gloriam pervenire?* R. *Credo.* Sacerdos; *Credis quod Dom. noſter pro noſtrâ ſalute mortuus ſit. Et quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in merito Paſſionis ejus?* R. *Credo.* Tum illi dicitur à Sacerdote: *Age ergò, dum ſupereſt in te anima, in hac ſolâ Morte fiduciam tuam conſtitue, in nullâ aliâ re fiduciam habe; huic Morti te totum committe, hac ſolâ te totum contege, totum immiſce te in hac Morte, totum confige, in hac Morte te totum involve*, &c. Sed iſta non effugêre *Expurgatorum* ſpongiam, in Indice Expurgat. Hiſpanico, A. 1584. & 1612. ubi hæc *Interrogatoria* expungi *jubentur.* Idem Anſelmus, Papæ aliàs mancipatus, Libro de *Menſurat. Crucis*, illi adſcripto, quanquàm alii Auctorem nonnihil poſteriorem faciant: *Si homo mille annis ſerviret Deo, etiam ferventiſſimè, non mereretur ex condigno dimidiam diem eſſe in Regno Cœlorum.*

V. Sic *Tranſubſtantiationem* oppugnâſſe plurimos in *Galliâ*, Berengarianæ doctrinæ adhærentes; & inter eos Honorium Auguſtodunenſem in Burgundiâ Presbyt. qui etiam de *Scriptoribus Eccleſ.* commentatus eſt, Gualterum Epiſcopum Laudunenſem, Petrum Abælardum, alioſque, probatum fuit Uſſerio de *Succeſſ.* Albertino de Euchariſtiæ Sacram. & quoque Hottingero ad hoc Sec. C. XII. *Sect.* V. Honorius v. gr. de Gemmâ Animæ, ſive de Officio Miſſæ ejuſque Ceremoniis, *Lib.* I. *Cap.* CXI. poſt Rabanum Moguntinum: *Sacramentum namque quod ore percipitur, in alimentum Corporis redigitur, virtus autem Sacramenti, quâ interior homo ſatiatur, per hanc vita æterna adipiſcitur.* Sic, *Magiſtros Pariſienſes hac Ætate accepiſſe, in verbis Sacramentalibus*, eſſe pro ſignificare, *ſcripſit Joh. Tyſſingtonus, in Libro contrà Wicleſi Confeſſionem*, teſte Joh. Balæo, Centur. II. *Num.* LXXX. Inter quos *Almericum, & Petrum Abælardum* recenſet, ut *qui non crediderint in Sacramento miraculosè eſſe accidens ſine ſubjecto.* Sic, eſſe *Terram* ad quam Rodulphus, Abbas Monaſt. S. Trudonis Leodienſis Diœceſ. (S. Tron) *Româ* reverſus, *ulterius diſpoſuerat peregrinari*, ſedente Honorio II. ab Anno MCXXIV. (an Pedemontium velit, an Franciæ partes Meridionales, ubi Toloſa, Albium, non dicitur) ſed quam *audiret pollutam eſſe inveteratâ Hæreſi de Corpore & Sanguine Domini*, ſcil. Berengarianâ, Auctor eſt ipſe Rodulphus, in Chronico Abbatiæ S. Trudonis *Lib.* XII. p. 493. in *T.* VII. Specilegii Dacheriani. Ad- Contrà Præſ. Corporal.

Digitized by Google

de jam qui *Hæreticorum* nomine infamati, Petrum Bruſium, Henricum Toloſanum, P. Valdonem, & quicquid Albigenſium fuit, de quibus *Cap.* ſequente. Nec cum Tranſſubſtantiatione conciliatur Confeſſio expreſſa antè Berengario, & approbata Romæ à Nicolao II. eaque Gratiani Decreto inſerta; *Corpus Chriſti* in Euchariſtiâ *in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri.* Adde in *Italiâ*, *Arnaldum* Brixienſem Diſcipulum Abælardi, qui *de Sacramento altaris non ſatis ſanè ſentire* diceretur, apud Ottonem Friſing. Lib. II. de Geſtis Frid. Cap. XX. Undè ad inſtantiam Papæ, in Tuſciæ finibus captum Fridericus I. tradidit Præfecto Urbis, qui *ligno adactum, ac rogo impoſitum*, diræ mortis ſupplicio affecit. Sed de his plura diximus ſuprà, *Sec.* XI. C. VII. in Berengarii Hiſtoriâ; & modò in Waldenſium illâ, veritatis hoc Ævo, etiam in causâ *Sacramentariâ*, teſtium locupletiſſimorum.

VI. *Hiſtoria reprobati, per dictos Waldenſes & Albigenſes, Romani Papatûs, ac Reformationis inter eos inſtitutæ. Calumniarum in Waldenſes ratio & origo aperitur.*

Petrus Valdus, à quo crediti Valdenſ.

I. Cauſam quod attinet impugnatæ palàm Romanæ Eccleſiæ, fuit fœda ejus corruptio, ignorantia Scripturarum, Pontificum tyrannis, Cleri flagitia, ambitio, avaritia, Doctrinæ damnabiles, cultus Idololatricus, Ritus ſuperſtitioſi; ut ſuperiora docuêre. *Occaſio* verò proxima fertur, cùm à Reinero Saccone Monacho Dominicano, in Libro *Contra* Waldenſes Cap. V. (inſerto Bibliothecæ M. Patrum, T. IV. auctore hocce claro Seculo ſeq. & Inquiſitore Waldenſ.) tùm ab aliis, nempè ſubitanea mors cujuſdam optimatis Lugdunenſis, inter amicorum colloquia; ad quam territus Valdus vel Valdo, mox ſe ad eleëmoſynas & ad cæleſtia convertit. *Auctor* igitur hujus Reformationis fertur *Petrus Valdo*, aliis *Waldus*, de *Waldis*, aut *Waldo*, *Valdenſis*, *Valdenſius*, civis Lugdunenſis, Mercator prædives, mox ex mercatore Theologus, ex aſſiduâ lectione Scripturarum, quas etiam in Vernaculam linguam dicitur *tranſtuliſſe*, id eſt, curaſſe transferri à Viris linguarum peritis, ſaltem Latinæ. Hæc Trithemius ad An. MCLX. in Chronico Hirſaugienſi, dein Aug. Thuanus Hiſt. *Lib.* V. ad A. 1550. Johannes Maſſonus *Præfat.* in Opus Alani contrà Waldenſ. & alii. Mirum verò de *tempore* adeò eſſe diſſenſum, dùm nonnullis Seculo VII. aliis Seculo XI. pleriſque hoc XII. vixiſſe fertur; aliis rurſum circà A. MCLX. aliis demùm A. MCLXX. quando exortos primùm Waldenſes tradunt Nicol. Eymericus in *Directorio Inquiſitor.* II. P. *Quæſt.* XIV. Guido Perpignanus Carmelita, Trithemius, & alii. De quo pluribus noſter Uſſerius de Succeſſ. Eccl. C. VIII. & qui de Waldenſibus ex profeſſo tradiderunt. Atque ab hoc cive Lugdunenſi, ac Urbe Lugduno in quâ hi vixêre, dicti poſteà *Pauperes de Lugduno*; quoniam urbe Lugduno cum Valdo ob fidem ejecti, Alexandro III. Pontif. tempore Concilii Turonenſis A. MCLXIII. jacturam omnium bonorum fecerant, cujuſcunque eſſent ordinis, ſexûs, ætatis, hinc variè diſpergendi. Confuſi hi quanquàm cum alio genere hominum, qui vitam Monaſticam profeſſi, urgebant Cœlibatum, Bonorum communionem, Paupertatem ut nihil haberent in propriis; hinc *Pauperes*, & de *Lugduno*, quia Lugduno ut videntur exorti, de quibus Urſpergenſis. Undè error Bzovii, Gretſeri, Genebrardi, Sanderi, &c. qui hos Monachos cum Albigenſibus vel Valdenſibus perperàm confundunt: Qui ſanè Valdenſes nec Monachiſmum, nec Paupertatem voluntariam, profeſſi.

Origo alia Waldenſ.

Imò verò non deſunt, qui Waldenſium *originem* à Germanicâ voce *Wald* derivent, ut qui in loca ſic dicta ſe receperint, & ità quoque doctiſſimus Beza; alii, à *civitate Walden quæ in finibus Franciæ ſita* fuerit, ut Pilichdorfius contrà Waldenſes, C. I. Neque non ſunt alii qui ſic dictos contendant, pridem antè Petri Waldi tempora, à voce Italicâ *Valdeſi*, quaſi *Vallenſes*, habitantes in Convallibus, generali deinceps futurâ hac appellatione, ut reponit hæc pluribus Joh. Legerus, Hiſtoriæ ſuæ Gallicæ, *Lib.* I. C. II. Atque ità intelligitur, undè ſpeciale hoc Valdenſium nomen illis adhæſerit, qui in Pedemontanis *Convallibus* hucuſque profeſſi puritatem Euangelii. Undè etiam longè antiquiores hæ Eccleſiæ cenſeantur Petro illo Valdo Lugdunenſi, vel ex traditione præfati Reineri, & Petri de Pilichdorf, ſcriptorum contrà Valdenſes, T. IV. Biblioth. M. Patrum, P. II. & ex Mſs. variis ac monumentis quæ penes Vallenſes illos fuêre.

Albigenſes qui, & undè dicti?

II. Alio nomine dicti *Albigenſes*, vel *Albienſes*, ab *Albiorum* vel *Albigâ* civitate, in Cadurcis agri Toloſani, adſcriptâ olim Aquitaniæ Primæ, hodieque *Alby*, ad ripam Tarni flum. à qua *Territorium Albienſe*, & *Diœceſis Albienſis* cujus pars Caſtrum vel Caſtra Civitas. Sed quemadmodùm ex *Aquileiâ* factum *Aquilegia*, ex Noviento *Novigentum*, &c. ſic ex Albienſibus *Albigenſes*; diſperſi tamen in illo tractu Galliæ Narbon. & Diœceſibus Albienſi, Cadurcenſi, Aginnenſi, Ruthenâ (Gall. *Rodez*) &c. ex Toloſ. Hiſt. Scriptoribus. Hos jam Seculo XI. exortos varii referunt, condemnatos licet, ac ſedibus ſuis pulſos demùm Seculo XII. & quidem ſub Alexandro III. Sanè *Albigenſium* nomine venerunt jam antè Waldum aliæ quoque Sectæ, & Manichaicæ Hæreſeôs in Galliâ Aquitanicâ & Narbonenſi propagines, quarum dogmata, ut ab Inquiſitoribus referuntur, nihil commune habuerint cum Waldenſibus. Attamen, inclinato hoc Seculo, ſub eodem *Albigenſium* nomine comprehenſi quoque qui, eo ipſo tempore, eadem cum *Waldenſibus* ſentirent, in Albigeſio & Toloſanis partibus, adversùs Romanæ Eccleſiæ dogmata, ritus, tyrannidem: Sed infamandi omnes promiſcuè erroribus Catharorum, *Arianis*, Marcioniticis, Manichaicis, qui à Monachis affricti fuêre Albigenſibus. Nempè agebant in illis Galliæ Narbonenſis partibus reliquiæ *Manichæorum*, ex Oriente eò delatæ, poſt perſecutionem in eos à Tzimiſcâ præcipuè excitatam, hinc diſperſionem in Bulgariam, Sclavoniam, & varias Occidentis partes, inter quas Longobardia, Occitania, Gaſconia, ut pluribus Uſſerius de Succeſſ. & Statu Eccleſiæ, *Cap.* VIII. Hi Manichæi, Magiſtrum ſuum ſecuti, rejiciebant *Vetus Teſt. Nuptias, Sacramenta, Chriſtum* non apparuiſſe in verâ *Carne* ex Virgine aſſumptâ, & qui errores alii ſuprà Manichæis tributi. Hinc errores iidem *Albigenſibus* quoque adſcripti, permixtis fortè hinc indè habitationis loco; quod diligenter etiam poſteriori ætate factum à Baronio, Bzovio, Genebrardo, & recentioribus: Undè Genebrardus ad A. MCXCIX. *Albienſes inter alias Hæreſes rejiciebant omnia Sacramenta, damnabant Nuptias*; quod tamen nullâ eorum Confeſſione, nullo veſtigio, apparuit. Nam quod v. gr. damnare nuptias crederentur, factum indè quod caſtum Matrimonium probarent, nec niſi procreandæ proli; damnatis fortè qui abſque ſpe prolis convenirent; *Natis Venus alma creandis ſufficit.* Ità quod *Sacramenta* reprobare dicerentur, indè fuit, quod non celebrarent ritu & modo in Romanâ tum Eccle-

cleſiâ recepto, nec *confici Corpus Chriſti* per miniſterium Sacerdotis, crederent. Sic ex vitæ & morum innocentiâ, quam in his agnoſcit Reinerius Inquiſitor, *Cathari* Διαγγελικῶς dicti, obſervante quoque Mezeræo Hiſtorico Hiſt. *Tomo* I. Ait enim ille Inquiſitor Waldenſium, ab Innocentio III. conſtitutus; *Hæc Secta magnam habet ſpeciem pietatis, eò quod coram hominibus juſtè vivunt*, &c. Dein ex *Catharis*, *Cazaris*, *Gazaris*, factum Germanicum *Ketzer*; uti ex *Bulgarorum* appellatione, (quâ venerunt etiam Albigenſes, illorum quaſi propago) factum *Buggari*, apud M. Paris, *Buggeri*, *Bougres*. *Leoniſtas* quoque vocatos eſſe, ex Reinerio eodem conſtat, ab Urbe (ut videtur) *Lyon*, Lugdunum, hinc & *Lugdunenſes*.

Nomina quibus vener. Albig. Waldenſ. III. Sed promiſcua deinceps fuiſſe Waldenſium & Albigenſium nomina, etiam dogmata, docent Inquiſitorum Libri, Confeſſiones veteres, ac communes primùm ſedes & conventus in Narbonenſi Provinciâ, communiſque damnatio, oppreſſio, tandemque diſperſio. Hinc dicti utrique quoque *Toloſani* vel *Toloſates*, undè in utroſque Inquiſitio Toloſana. Et à Doctore ſuo Petro Bruſio Toloſano, qui hujus Seculi XII. fuit, coævus Bernardo, dicti *Petro-Bruſiani*; uti ab Henrico hujus diſcipulo *Henriciani*, contrà quos invectus Bernardus, *Epiſt.* ad Ildefonſum Comitem. Acceſſêre contumelioſæ appellationes innumeræ, partim à *locis* in quæ ſe receperunt, vi perſecutionum compulſi, partim à *cavillis* perſequentium, vel ab impactis *hæreſibus*: Quibus factum ut ſeu Albigenſes ſeu Waldenſes paſſim in ſcriptis audiant *Picardi*, quia Petrus Valdus patriâ relictâ in Picardiam venit; *Sabbatati*, quod, Feſtis Papiſticis repudiatis, ſolum diem Dominicum obſervarent; *Paſſagieri*, quod de loco in locum tranſirent, migrarent; *Patarini*, à perſecutione quam mirâ alacritate propter Chriſtum paterentur; deindè per contumeliam *Turlupini*, quod ea habitarent loca quæ *Lupis* viderentur expoſita, magis quàm hominibus, à conſortio hominum remota; aliàs etiam *Humiliati*, *Pauperes*; ſed qui ſæpè cum Monachorum quodam genere, de quo ſuprà, confuſi. Adde dictos *Apoſtolicos*, quod ſe veros Apoſtolorum imitatores, ſuam doctrinam verè Apoſtolicam, crederent. De ſingulorum ratione nominum etiam aliàs, & prolixè Uſſerius, loco citato, Cangius in Gloſſario, Menagius in Originibus Gallic. Vignier Bibl. Hiſtoricâ ad A. MCLIX. &c.

Doctrina. IV. *Inſtitutum* quod attinet, *doctrinam*, & *facta* hujus Petri Valdi, fertur ex Chronicorum fide, quæ recenſet inter alios Jacobus Uſſerius, *de Succeſſ. Cap.* VIII. receſſiſſe à doctrinâ & praxi receptâ Romanæ Eccleſiæ; nuncupaſſe eam *Babylonem*, ac confuſionis omnis Matrem; ejus tyrannidem, idololatriam, ſuperſtitionem ex Scripturis coarguiſſe; has ipſas in Gallicum ſermonem ex parte vertiſſe, explicuiſſe ac declaraſſe familiariter, additis *Sanctorum* auctoritatibus, ſeu dictis Patrum ſelectis, quæ colligi curavit in hunc finem. Hinc dogmata Waldenſium alia quæ per *calumniam* iis affiсta, alia quæ *ex vero* ab iis tradita. Per calumniam quidem, inter

Alia per calumn. affictа. quos Magdeburgenſes ſub nomine *Hæreſeôs Albigenſium*, *Cent.* XII. ne Rob. Parſonium, Jorn. Alanum, &c. dicam, perhibent docuiſſe. 1. Licitas eſſe promiſcuas libidines, & commixtiones, etiam cum matribus, ſororibus; pari calumniâ quâ Veteres Chriſtiani à Gentilibus traducti. 2. Illicita eſſe omnia juramenta. 3. Illicita omnia judicia ſanguinis. 4. Symbolum Apoſtolicum nullo loco habendum. 5. Nullâ oratione utendum, præterquàm *Dominicâ*. 6. Laicis fidelibus eſſe poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta. 7. Sacerdotibus vivendum ex Eleemoſynis, ſcil. ex emendicatâ ſtipe. 8. Semel tantùm in anno Miſſam celebrandam, feriâ *quintâ* ante-paſchali. 9. Pro verbis conſecrationis ſepties dicendum eſſe, *Pater noſter*. Sed & graviora longè, puta de repudiato *Vetere Teſtam.* etiam *Euangelicus Libris*, repudiato *Baptiſmo*, abnegatâ *Chriſti fide*, impugnatâ *Dei Unitate*, *Incarnatione*, *Reſurrectione* mortuorum, id genus alia paſſim improperari videas, ex fide Inquiſitorum, à Prateolo, Couſſardo, Sandero, Gualtero, Bzovio, Gretſero, ſimilibus. Quin & Doctrinæ acceſſiſſe dicuntur facta immania, & ipſe Matthæus Paris, ingenuus aliàs Scriptor, *Hiſt. Anglorum*, p. 231. 232. Albigenſibus imputat, ex eorum ſcil. temporum fide, quod *Libros Euangeliorum in ſentinas projicerent, Calices cum Vaſis Sacris in contemptum Corporis Chriſti enormiter dehoneſtarent*, & paulo poſt, quod in obſidione Bituricenſi, *illi de intùs qui muros defendebant, Librum Euangeliorum extrà muros projecerunt, blaſphemantes nomen Domini & inſultantes aſſilientibus: Ecce Lex veſtra, non curamus de eâ, veſtra ſit.* Ità de *Antipapâ* Albigenſ. multa Pariſius, *quorum nullum veſtigium apud antiquiores*, videnda apud Spondanum ad Ann. MCCXXIII. N. VII.

Fabulas id genus de optimis Albigenſibus, & pluſquàm aniles, operosè ex Fraticellis ejus Ævi, Lucâ Tudenſi, Petro Monacho Ciſtercienſi, Cæſario itidem Ciſtercienſi, Vincentio Bellovacenſi, &c. ad Annum MCXCIX. N. XXXII. & ſeq. ad A. MCCIX. N. IX. corradit pro more ſuo Bzovius, Dominic. Et ſi quid impium uſquàm contigiſſet, protinùs in Albigenſium rationes illatum.

V. *Veriſſima* autem doctrina Waldenſium ſeu Albigenſium, qualis hac Ætate, colligitur 1. Ex *Confeſſionibus*, eorundem, *Catecheſibus*, *Dialogis* antiquiſſimis, quibus fides eorum expreſſa tam quoad ea quæ poſitivè crederent, quàm quæ in Romanâ Eccleſiâ repudiarent. Hujuſmodi ſunt antiquiſſima illa Waldenſium Mss. quæ in Pedemontio aſſervata refert Legerus, *Hiſt. des Vaud.* L. I. C. III. & poſteà tradita Legato Cromwellii Morlando A. 1658. ac repoſita in Biblioth. Cantabrigienſi. In iis Tractatus unus ſcriptus An. MC. oratione metricâ, Waldenſium idiomate, contrà Errores Papatûs; Sic Catechiſmus alius, eodem tempore, eademque linguâ exaratus, in modum Dialogi inter Paſtorem & Catechumenum; Confeſſio alia Waldenſium Ms. ſcripta A. MCXX. Sic Tractatus varii de Antichriſto, Symbolo, Oratione Dominicâ, Sacramentis, Jejuniis, Purgatorio, Invocatione Sanctor. ejuſdem antiquitatis. Adde antiquiſſimam apud eos verſionem Bibliorum, quam poſteà edidit & caſtigavit Robertus Olivetanus, Waldenſium Paſtor in Convallibus Pedemontii; Hinc & *Novum* juxtà ac *Vetus Teſtamentum tranſtuliſſe vulgariter*, disertè Reinerius Inquiſitor in Libro de Hæreſi Waldenſium, *Lib. cit.* C. III. V. Imò quod *vulgariter Teſtamenti Novi Textum, & magnam partem Veteris, corde ſcirent.* Verâ doctr. Wald.

Accedunt *Confeſſiones* aliæ Waldenſium ſeu Albigenſium, ex antiquiſſimis Mss. editæ, à Flacio Illyrico in Catalogo Teſt. Libri XV. à Magdeburgenſibus Centuria XII. *Cap.* VIII à Joh. Paulo Perrino in ſuâ Hiſtoriâ de Waldenſibus & Albigenſibus, Gallicè primò conſcriptâ *Genev.* 1618. Ita à Carolo Molinæo, Libro de Monarchiâ Francorum, *Tomo* III. P. II. n. 154. &c. A Joh. Criſpino in Actis & Monumentis Martyrum, *Lib.* III. & in Hiſtoriâ perſecutionum Angroniæ, ad A. milleſ. A Marq. Frehero, in Rerum Bohemicarum Scriptor. ubi Confeſſio Waldenſium ad Uladiſlaum Ungariæ Regem miſſa, A. MDVIII. cum prolixâ Apologiâ, ex Faſciculo Rerum Expet. M. Ortwini Gratii: A Vergerio in Confeſſione Waldenſium, qui in Bohemiâ & Moraviâ, oblatâ A. MCXXXV. in *Synt. Confeſſ.* A Marco Zw. Boxhornio, Hiſt. Belg. Libro I. ubi Confeſſio per interrogata & reſponſa ex antiquiſſ. Codice ine-

Digitized by Google

inedito: Ab Rogerio Hovedeno, in Annalibus ſuis Anglicanis, ubi Confeſſio Arianiſmo & Manichæiſmo diſertè oppoſita, contrà iniquas accuſationes, &c. Ex iis omnibus conſtat fides Catholica in fundamento illibata, ſimul & damnatio traditionum Pontificiarum, & Romanæ tyrannidis, & introductarum ſuperſtitionum. Undè & auditâ eorum Confeſſione à Franciſco I. Gallorum Rege, *Rex attonitus rogavit ecquid in eâ reprehenſione dignum! ad quod adſtantium nemo quicquàm repoſuit*, ut Criſpinus in *Martyrol.* A. MDXIX. L. III. f. 146. 2. Colligitur eadem doctrina ex relatione ipsâ cordatiorum in Adverſariis, qui ſigillatim Waldenſis & Albigenſis doctrinæ capita repræſentant. Inter eos ingenuus ſatis *Reinerius* ille antè citatus, Inquiſitor Albigenſium, prolixâ deſcriptione cùm doctrinæ tùm morum qui eoſdem diſtinguerent, Hæreſi non aliâ quam quod primò, *blaſphemarent Roman. Eccleſiam, & Clerum*, ſecundò, *Sacramenta & Sanctos*, tertiò *approbatas Conſuetudines Eccleſiæ*: Cæterùm *in moribus compoſiti & modeſti, caſti, parci*, qui odiſſent *ſuperbiam, mendacia, juramenta, fraudes*, &c. Talis quoque Æneas Sylvius, in Hiſtoriâ Bohemorum, C. XXXV. dogmata ejus Sectæ recenſens, pleraque ut adverſa Romanæ tyrannidi & ſuperſtitioni. Inter eos quoque iniquiſſimus aliàs Reginaldus, in Calvino-Turciſmo, *Lib.* II. C. V. ubi dogmata non alia quàm quæ oppoſita Pontificiæ cùm doctrinæ tùm praxi. Ingenuus & Thuanus, Hiſtoriarum Libro VI. ad A. MDL. qui relatis *præcipuis ac certis eorum doctrinæ Capitibus*, dicit alia eſſe *afficta*, ut *de Conjugio, Reſurrectione, Animæ ſtatu poſt mortem, Cibis, ad conflandum illis odium*. Vide & T. II. Lib. XXXII. Sic refert Popelinerius Nobilis Gallus in Hiſt. Francorum, viſos eſſe articulos fidei Albigenſium *veteribus quibuſdam Tabulis, quæ Albii ſunt, inciſos, doctrinæ Proteſtantium uſquequaque conformes*. Et idem diſertè, *Lib.* I. *Albigenſium doctrinam ab eâ quam hodiè Proteſtantes amplectuntur parùm differentem fuiſſe*. Sic Bzovius, de Waldenſium erroribus, *ad* A. MCCLXX. N. X. *Non diſſimilia Lutherani, Calviniſtæ, & reliqui Pſeudo-Euangelici hoc Seculo deblaterant*; ſed peſſimâ fide Manichæos errores adjungit. Sic Gretſerus Jeſuita, Albigenſes & Waldenſes, vocat *Calvinianorum atavos*, Prolegomenis in Scripta contrà Waldenſes edita. Sic Mezeræus, in Hiſtoriâ Philippi Auguſti, *Abbregé Chronol.* T. I. p. 429. *Valdenſes idem propè ſenſiſſe cum iis qui hodiè appellantur Calviniſtæ*. Quanquàm is Albigenſes, propriè & verè ſic dictos, perperàm à Waldenſibus diſtinguit. Secùs Jornandes Alanus, in Opere *contrà Waldenſes, qui poſteà Albigenſes dicti*: Et Lancelotus du Voiſin Popelinerius, *Hiſt. Franc.* L. I. *fol.* 7. *Albigenſes* dicit *Waldenſium in Aquitaniâ ac vicinâ regione ſucceſſores*. Hinc & Albigenſes *Waldenſium* nomine veniunt, in in Concilio Narbonenſi A. MCCLX. in *Conſultatione* quam refert ex Joh. Calderino, & Flacio Illyrico, Uſſerius noſter, *De Succeſſ.* C. X. n. 14. Ut mittamus communes utriſque appellationes, Confeſſiones, perſecutiones, contumelias, ſcripta adverſa.

Conſenſ. Proteſt. in præcip. Capp.

VI. Conſenſum igitur *doctrinæ* Waldenſium, ſeu qui in Galliis, ſeu qui in Convallibus egêre, (ſi impactos per calumniam errores excipias, ac mendacia Inquiſitorum) cum doctrinâ Reformatâ, quantum ad *fundamentalia* ac *præcipua* Capita, necdum tamen fermento omni expurgato, & quantum ad damnatos errores, ac damnatam *tyrannidem* ac *ſuperſtitionem* Rom. Eccleſiæ, quæ diximus ſatis ſuperque docent. *Mores* porrò Sectæ innocuæ deſcribant ipſi Inquiſitores, & Adverſarii. Ab his intelligas, voluiſſe *unum Deum adorari*; *blaſphemias in Deum horruiſſe*; *coram hominibus juſtè vixiſſe*; fuiſſe *in Deum pios, in moribus compoſitos*, in *veſtibus modeſtos*, in *vitâ caſtos*, in *cibo parcos*, in *labore manuum*, & *opificiis ſedulos*, in *verbis veraces*, in *charitate unanimes*, in *egenos liberales*, in *oratione aſſiduos*. Videantur Auctores modò expreſſi.

Calumniatores & oppugnat. Waldenſ.

VII. Undè in propatulo ſunt *calumniæ* immanes, quibus hanc *doctrinæ* Waldenſis *morumque* ſimplicitatem, atque innocentiam, Papiſtæ jam olim diffamârunt. Nulla tam abominanda, tam portentoſa Hæreſis vel fuit unquam, vel fingi diabolico ingenio potuit, nihil adeo in doctrinâ impium, in moribus turpe, in vitâ flagitioſum, quod non huic Waldenſium familiæ ab *Inquiſitorum* ac *Monachorum* grege fuerit affictum. Hujuſmodi fuêre accuſationes de *inceſtis pollutionibus*; de *uſu mulierum promiſcuo*; de *adoratione Barbarum*; de *odio & contemptu Magiſtratuum*; de *blaſphemiis Arianis*, *erroribus Manichæis*, *rejectione Vet. Teſt. impugnato Pædobaptiſmo*, *Juramento*, *Conjugio*, imò *Reſurrectione Corporum*, &c. reponente Baronio A. MLXXVI. *Num.* III. & ſeq.

Oppugnatores porrò Waldenſium, hac ipsâ Ætate, fuêre cùm *Eccleſiaſtici*, tùm *Politici*. In illis præ cæteris Alexander III. Pontifex, habito Romæ Concilio Lateranenſi III. vulgò Generali, & aliis in Galliâ procuratis Synodis, ac Legatis hoc nomine in Galliam miſſis: Tùm & Lucius III. in Decreto contrà Hæreticos edito, inſerto Tomo X. Concil. Ed. Labb. Hinc quoque Clemens III. Cœleſtinus III. ac poſteà Innocentius III. ſub quo bellum contrà Albigenſes cruentiſſimum exarſit, & horrenda perſecutio, de quâ ad Seculum XIII. Acceſſère Archiepiſcopi, Epiſcopi, Monachi, Clerus univerſus, & quotquot Papæ mancipati, mox præ cæteris *Dominicus* Hiſpanus, de quo infrà, ejuſque omnis familia. Et per iſtos in Albigenſes excitati jam Seculo XII. Galliæ & Angliæ Reges, Ludovicus VII. Henricus II. aliique Principes, Comites, ipſeque poſteà Raymundus filius Comes Toloſanus, Philippus Comes Flandrenſium, &c. Excitatæ & in eos plebes ſuperſtitioſæ, ut ferro & flammâ in miſeram atque innoxiam gentem graſſarentur. Loquuntur Hiſtoriæ perſecutionum, ac ſpeciatim Albigenſium illæ, à Perrino ipſo aliiſque Pontificiis deſcriptæ, uti & Chronica, Specula, Annales, & quoque Baroniani ad A. MCLXXVIII. ac deinceps. Plura verò ad ſequens Ævum pertinent.

Ut diſperſi fuerint?

VIII. Incredibile tamen dictu quanta fuerit ſeges *Sectatorum* omnis ordinis, ſexûs, ætatis: *Exivère tùm è Babylone* Proceres, Epiſcopi, Viri, Fœminæ, literati, illiterati: Et ad motas in Urbe Lugdunenſi & in Toloſano perſecutiones, de quibus ad Seculum XIII. mox ſecuta eſt eorundem per Europam omnem *diſperſio*, per Gallias cæteras, Picardiam, Flandriam, Angliam, Pedemontium, Lombardiam, Apuliam, Calabriam, Helvetiam, Germaniam, Bohemiam, Croatiam, Bulgariam, Poloniam, Dalmatiam, &c. Manſuris ubique reliquiis ad tempora uſque *Reformationis*, nullâ extirpandis vel Inquiſitorum ſolertiâ, vel Perſecutorum rabie, vel contradicentium ſubtilitate. Docebit ſuccedentium Seculorum hiſtoria, & Eccleſiarum quæ à Papatu receſſerunt.

VII. *Hæreſes quædam hoc Seculo diſſeminatæ, ſeu veræ illæ, ſeu affictæ.*

Hæreſis Bogomilorum.

I. In Oriente, famoſus fuit, ſub extrema *Alexii* Comneni, mortui A. MCXVIII. *Baſilius* quidam, profeſſione Medicus, habitu Monachus, vir πολυτροπώτατος, auctor Hæreſeôs *Bogomilorum*, clanculum primò ſparſæ longè latèque: Nempè ex Euthymio Zygabeno, juſſu Alexii Comneni Imper. Eclogas de Hæreſ. colligente in debitum ordinem, ac de Bogomilis tradente, *Panopl.* Titulo XXIII. P. II. Tùm ex Alexiâ Comnenâ, *Alexiados* Lib. XV. ex Joh. Zo-

Digitized by Google

Zonarâ *Lib.* XVIII. Harmenopulo de Sectis, *Lib.* VIII. qui de hac Sectâ, ejuſque dogmatibus prolixè, deque *Baſilii* ultimo ſupplicio, flammis expiaturo impietatem, in Hippodromo.

Capita Hæreſeôs non retulit Zonaras; variè referunt, Anna Comnena, Euthymius, Harmenopulus, & qui deinceps Bogomilos cum *Albigenſibus*, & cum *Novatoribus*, pro ingenio ſuo contulerunt, Baronius ſcilicet, Bellarminus, Feuardentius, Allatius, & ejus farinæ plures, noviſſimè etiam Natalis Alexander *Tomo* XVII. *Cap.* IV. Qui rem accuratè putaverit, diſtinguet *certiora* à *dubiis* vel *fabuloſis*. Inter certiora videntur, ex conſenſu ferè Hiſtoricorum: 1. Quod magnâ eſſent humilitate & ſanctitatis ſpecie; undè habitus Monachalis, jejunia, preces, cœlibatus, juſtitia præſcripta, ſupra illam Scribarum & Pharizæorum *Matth.* v. 20. Et *Bogomili*, quaſi cum *Deo converſati*, aut *Dei miſericordiam* precati, *Bog* enim, Slavonibus & Bulgaris vel Myſiis, *Deus* eſſe dicitur, & Βογόμιλος, ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος, *qui Dei miſericordiam ſibi conciliat*, ut Harmenopulus, περὶ Αἱρέσεων, C. XIX. 2. Quod Moſaicos Libros, & Canonicos quoſdam alios, non reciperent, admiſſo tamen Decalogo, & Libris Propheticis, IV. Euangeliis, Actis, ſcriptis Johannis. Harmenopulus, τὰς τῆς Παλαίας καὶ Καινῆς ἀθετοῦσι βίβλους, πλὴν μόνον ἑπτά, ὧν ἐστι καὶ τὸ Εὐαγγέλιον. 3. Quod circà Myſterium Incarnationis, ſeu οἰκονομίας, à ſenſu Eccleſiæ Catholicæ diſcederent. 4. Quod de Sacramento Baptiſmi, quod *Johannis* Baptiſma vocarent, & Euchariſtiæ S. quam δαιμόνων θυσίαν dicerent, contemptim loquerentur; deque cultu publico in Templis peracto, in quibus habitarent *dæmones*. 5. Quòd ignominiâ afficerent τὸν θεῖον Σταυρὸν, ὡς ἀναιρέτην τοῦ Κυρίου, *quæ Crux Dominum interfeciſſet*. Saltem ità de Bogomilis Græci, Iconolatriæ & ſuperſtitionibus tùm deditiſſimi, quod fortè ex. gr. cultum religioſum, delatum in Oriente *Ligno Crucis*, repudiarent: Quod & fecerunt Albigenſes, Petrobruſiani, &c. ex Petro Cluniacenſi dicto *Venerabili*, contrà eoſdem ſcribenti circà A. MCXL. Undè vera falſis mixta. Reliqua, ut de negatâ ſimpliciter *S. S. Trinitate*, de Deo *Patre barbato* & *corporeo*, de *Filio* ut adſperſo primâ lanugine genas, aut ſunt ambigua valdè, aut à Græculis pro ingenio & affectibus conficta. Ità unam hanc fertur Baſilius probaſſe Orationem, *Pater noſter qui es in Cœlis*, &c. multoties repetendam.

Hæreſes Romæ ſic dictæ.

II. In Occidente, *Hæreſes* præcipuæ, quales ſuprà tradidit Roma Pontificia & Idololatrica, tacentur imò laudantur à Baronio, & reliquis; dùm *Hæreſiologi* & quoque Baronius, toti ſunt in accuſandis Græcis, Berengarianis, Waldenſibus, Albigenſibus, Petrobruſianis, Henricianis, Arnaldiſtis, &c. de quibus nos ſuis locis. Undè hac in parte nulla fides paginis Hiſtoricis, quas Roma probat. Et ſatis ad *Hæreſim*, ex jure Canonico, cui natales fuêre hac Ætate, negâſſe quod ſancirent Romani *Pontifices*, aut Concilia *Lateranenſia*, ſcil. Papæ ſuprematum, Tranſſubſtantiationem, Cultum Imaginum, aut Sanctorum, Purgatorium, Indulgentias Papales, &c. neque cœcâ obedientiâ ſuſcepiſſe quicquid Roma imperitaret. Mitior ſaltem iſtorum appellatio, apud Baronium, Bellarminum, Allatium & Hæreſiographos Papiſtas, eſt illa *Schiſmaticorum* & *Novatorum*. Sed nec accuſâſſe ſatis eſt, aut fuiſſe ſimul actores, teſtes, judices. Hinc portenta Hæreſium, Blaſphemiarum, ſcelerum, hoc Ævo affiſta *Berengario* & ſuis; *Stephano* cuidam & *Liſojo* Gallis Canonicis, Roberto Rege; *Petro Abælardo*; *Gilberto Porretano* Pictavienſium Epiſcopo; *Petro de Bruis*, & *Henrico* Monacho, ejus ſectatori; *Petro Waldo* Lugdunenſi: Qui hæc portenta ſcire deſiderat, adeat omnium inſtar Jac. Uſſerium, *de Succeſſ. Eccleſ.* C. VIII. *Petrus Bruſius* quidem, ut ex Papirio Maſſono Annal. Franc. *Lib.* III. *pag.* 267. dediſſe originem fertur Sectæ Albigenſium, in Septimaniâ & finitimis Volcarum populis. *Docebat*, inquit Maſſonus, *Templa dirui*, *Cruces dejici oportere*; nempè Chriſtianorum Sacra non eſſe Templis alligata, tùm dejicienda ex Templis, quæ ad cultum Idololatricum inſervirent: *In Euchariſtiâ verum Chriſti Corpus non eſſe*, ſc. per mutationem ſubſtantialem Symbolorum: *Preces ad Deum pro mortuis fruſtrà fieri*, hinc damnatis Miſſis pro mortuis, ſuffragiis, ſatisfactionibus, Purgatorio, &c. Quo nomine *comprehenſus*, *atque igni crematus eſt*, *apud Ægidii oppidum Volcarum*, Diœceſeôs Nemauſenſis, quod *apparet ex Epiſt. Petri Mauriaceni ad Epiſcopos Narbonenſis Galliæ*. Petrus autem Cluniacenſis in *Epiſt.* ad Archiepiſcopos Arelatenſem & Ebrodunenſem, tribuit Petro de Bruis hos errores: 1. Quod negaret *parvulos*, infrà rationalem ætatem, Chriſti Baptiſmate poſſe ſalvari: 2. Quod preces & Sacra etiam extra *Templa*, & *Altaria*, eſſent Deo grata: 3. Quod *Cruces ſacræ* confringendæ eſſent, nempè quæ ad *adorationem* erectæ. 4. Quod *verum Corpus* Chriſti quotidie pro peccatis *offerri* negaret, ſcil. in Sacrificio Miſſæ. 5. Quod nihil prodeſſent *Defunctis* Sacrificia, Orationes, &c. viventium. *Henricus*, (à quo Henriciani, Hæreſis Henrici Apoſtatæ, circà medium Sec. in terrâ Albigenſium) *ex Monacho, Bruſii veſtigia ſecutus eſt*; *In eum Bernardus ſcribit Alphonſo Comiti Volcarum*, *ac ſententias Henrici moreſque damnat*. Imò *Tholoſam profectus eſt*, *ut Cives concionibus ſuis ad depellendos improbatæ Sectæ defenſores hortaretur*. Mox, *Tholoſa*, *Albiga*, *Carcaſſo*, *Bithera*, *Agatha*, *Caſtrum*, *Vaurum*, *ac ſingula oppida vicique Volcarum*, *in Sectam tranſiêre*. Hactenus Papirius Maſſonus. De Henrico hoc multa virulento & maledico calamo Bernardus, *Epiſt.* ad Comitem S. Ægidii Ildefonſum, quæ eſt CCXLII. *Henricus Hæreticus verſatur in terrâ veſtrâ*, *ſub veſtimentis ovium Lupus rapax*; *Baſilicæ ſine plebibus*; *plebes ſine Sacerdotibus*; *Sacerdotes ſine debitâ reverentiâ ſunt*; *& ſine Chriſto deinceps Chriſtiani*. Nempè (ob oppugnatas Traditiones & Ceremonias ejus temporis, in quibus Religionis prora & puppis conſtitueretur, & revocaretur quaſi Synagoga) *Eccleſiæ Synagogæ reputantur*, *Sanctuarium Dei Sanctum eſſe negatur*, *Sacramenta non Sacra cenſentur*, *Dies Feſti feſtivis fruſtrantur ſolemniis*. *Moriuntur homines in peccatis*, nec *Pœnitentiâ* (qualis tum cenſebatur) *reconciliati*, *nec ſacrâ Communione muniti*, viatico ſcilicet: *Henricus* tandem, poſtquam delituiſſet, fertur captus, Legato Eugenii III. in Gallias ablegato traditus, & carceri perpetuo incluſus, ex Auctore *Vitæ* S. Bernardi. Natalis Alexander Monachus Dominic. in nuperâ Hiſt. (quam vocat) Eccleſiaſt. T. XVII. *Cap.* IV. de Hæreſ. *Porrò Petrum de Bruis*, *& Henricum*, *tanquam Patriarchas ſuos*, *Lutherani*, *Calviniſtæ*, *Anabaptiſtæ venerantur*. En frontem Hiſtorici, qui jam Monachum induit, ut ubique ſolet. In quibus vera à calumnioſis, aut commentitiis diſcernenda. Ac de Waldenſibus jam ſuprà relatum fuit, ac plura ad Sec. ſequens.

Petro de Bruis, & Henrico diſcipulo Hæreſ. impactæ.

III. Hæreſim *Abælardanam* quod attinet dicta eſt à Petro *Abælardo*, aliis *Abaillardo*, celeberrimo jam in Galliis Philoſopho & Theologo, ac Monacho S. Dionyſii, ſub initia ferè Seculi XII. Conſtat eſſe accuſatam eam Hæreſim à Bernardo Claravallenſi, inſtigante Archiepiſcopo Senonenſi, Petro de Corbelio, magno illo Albigenſium adverſario, damnatam verò in Synodis Sueſſionenſi, & Senonenſi, ſub Calliſto II. & Innocentio II. Annis MCXX. MCXL. Ac de eâ ad poſtremum hunc Annum Cæſar Baronius, quam ex Bernardo ità deſcribit, *Epiſt.* CLXXXIX. ad Innocentium III. *Novum cuditur populis Euangelium*, *nova proponitur fides*, *fundamentum aliud ponitur*

Petri Abælardi Hæreſ.

præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitiis non moraliter; de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter; De arcano S. Trinitatis non ſimpliciter nec ſobriè, diſputatur. Hinc Capita potiſſimùm Hæreſeôs ferebantur, quod 1. In dogmate de *Trinitate*, ſentiret cum *Sabellio*, eandem *Eſſentiam eſſe* (Perſonam) *Patrem, & Filium, & Spirit. S.* ſtatuente, ut Otto Friſing. L. I. C. XVII. de Geſtis Frider. Alii contrà *Tritheitam* dixêre. 2. In dogmate de *Perſona* Chriſti, ſentiret cum *Neſtorio*, nempè *Deum propriè Hominem dicendum non eſſe.* 3. De *Chriſti* merito, ſentiret cum *Pelagio*, quaſi negaret Mortem Chriſti eſſe pretium Redemptionis; ac, cum eodem Pelagio, *Rationem* nimium extolleret, eo quod Myſterium S. Trinitatis humanis & Philoſophicis rationibus, ut tum erant Scholæ tempora, ſubindè adumbraret; undè accuſatio, nihil credi oportere, quod non ratione percipi poſſet. Hæc ex Bernardo, Ottone Friſingenſi, & Actis Conciliorum, *Tom.* X. *col.* 885. Sed Abælardo per malevolentiam *Cleri* & *Monachorum*, per detractorum livorem, ac credulitatem ipſius Bernardi, multa fuiſſe præter ejus mentem afficta, ſuadent non pauca: Primò livor Monachorum, conceptus ex laudibus Abælardi, & frequentiâ Scholarum, ad quas undique Viri literati confluebant, de quo Joh. Launoius, Libro de Scholis Celebrioribus, *Cap.* LIX. Speciatim æmulatio *Alberici*, & *Lotulphi* condiſcipulorum, à quibus præcipuè perſecutionem eſt paſſus, ut ipſe teſtatur in *Epiſtolâ ad Amicum* hiſtoricâ, & *Apologiâ*, in quâ Confeſſionem fidei ſuæ edidit. Occaſionem maledico livori ſubminiſtravit *S. Dionyſii* Monachis, ejus de *Dionyſio Areopagitâ* ſententia, ut qui non fuerit *Athenarum* Epiſcopus; ex quâ ſequeretur non eum Galliarum Apoſtolum fuiſſe: Tum Liber de *Trinitate*, quo ſummam ſibi famam comparavit; ſed quem velut *trium Deorum* aſſertorem dixêre: Uti poſteà, quum in ſolitudine Trecenſis agri Oratorium ſtruxiſſet ex calamis & culmo, & appellaſſet illud *Oratorium Paracleti*, à ſolatio quod ibi perciperet beneficio Paracleti, *Dei totius Conſolationis*, 2 *Cor.* 1. criminati ſunt, eum *uni* tantùm *Perſonæ S. Trinitatis* Templum conſecraſſe. Præceſſerunt ejus amores cum *Heloiſſâ*, clariſſimâ fœminâ (quæ ejus inſtitutioni à Fulberto Canonico adoleſcens credita fuerat) tum matrimonium cum eâ contractum, antequam Monachus fieret; dein Heloiſſa Monialis & ipſa, Abbatiſſa tandem Paraclet. Monaſterii, poſtquam nempè exſecta Abælardo virilia, ab Heloiſſæ conſanguineis: Undè ſeceſſus illius in Monaſterium, quod à *Paracleto* ſeu Conſolatore appellavit, & ceſſit poſtmodum Heloiſſæ, ubi frequenter ad eam inviſit; quo factum ut priſtinæ libidinis ſcintillæ excitari à Monachis dicerentur, quod illum facere *ſincera charitas compellebat.* Deindè patrocinantur Abælardo, quicquid obtendant malevoli, Viri exiſtimatio, quam conſtanter apud doctos & ingenuos retinuit: Sanctitas & innocentia morum, *Vir*, inquit Petrus Cluniacenſis Epiſt. ad Heloiſſam, erat *ſimplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo; Lectio ei continua, oratio frequens, ſilentium juge; Mens ejus, lingua ejus, opus, ſemper Divina, ſemper Philoſophica, ſemper eruditiora meditabatur, docebat, fatebatur*: Dein Epitaphia, & laudes illi poſt mortem ſcriptæ;

Petrus hic jacet Abælardus,
Cui ſoli patuit ſcibile quicquid erat:

Tùm Apologiæ ipſius Abælardi, in ſuis Epiſtolis, & *Hiſtoriâ ſuarum Calamitatum*; Apologeticum Berengarii Pictavienſis, ejus diſcipuli, inſertum Operibus Abælardi, in quo *Bernardi* ingenium perſtringit, ut ab adoleſcentiâ protervi & maledici, & qui temerè *Hæreſeôs* notam Abælardo impegerit, ut & *Concilium Senonenſe*, A. MCXL. Hinc Bernardi humani affectus, invecti acriùs in Abælardum, *Epiſt.* ad Yvonem Presbyt. Cardinalem, quæ eſt CXCIII. *ut ſine regulâ Monachum, ſine ſollicitudine Prælatum; intùs Herodem, foris Johannem, qui adeò nec Ordinem teneret, nec teneretur ab Ordine.* Et *Epiſt.* CXCII. ad Guidonem Cardinalem; *Cum de Trinitate loquitur ſapit Arium; cum de Gratiâ, ſapit Pelagium; cùm de Perſonâ Chriſti, ſapit Neſtorium.* Nempè invidioſiùs quædam Abælardi voces in ſenſum Hæreticum raptatæ fuerunt. Invidiam videtur auxiſſe ſententia P. Abælardi de Euchariſtiæ *Sacramento*, quæ eadem indubiè fuit cum illâ Berengarii, & Arnaldi Brixienſis, unà cum ipſo accuſati apud Innocentium II. Par verò de *pœnitentiâ & abjuratione* Abælardi (quam poſteriorem fingunt paucis antè obitum annis factam) commentum eſſe videtur, quod de illâ *Gilberti Porretani* de quo ſtatim, aut de illâ Godeſchalci, & Berengarii, aut poſteà Wiclefi, Hieron. Pragenſis, &c.

IV. Neque dubium eſt, quin magnâ Pontificis & Cleri invidiâ flagrarit *Arnaldus de Brixia*, diſcipulus quondam Abælardi, Eccleſiæ Brixienſis primò Clericus, à quo ſectatores (qui fuêre innumeri vel fatente Baronio) *Arnaldiſtæ* dicti, ut qui tyrannidem, luxum, ſuperbiam, corruptionem & Pontificis, & Cleri, palàm argueret. De illo prolixè Friſingenſis de Geſtis Frider. *Lib.* II. C. XX. *Dicebat nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habere. Cuncta hæc Principis eſſe, & ab ejus beneficentiâ* proficiſci; *de Sacramento Altaris*, ut ibi offerretur verum Corpus Chriſti, & *Baptiſmo Parvulorum, non rectè videtur ſenſiſſe.* Et Guntherus Monachus *Ligurinus* dictus, quod Carmine cecinerit res à Friderico Imperat. in *Liguriâ* geſtas, deſcribens hunc Arnaldum, apud *Reuberum* in Collectione Veter. Germaniæ Scriptor. nempè *Lib.* III. p. 322. occaſione contemptûs Romanorum & odii in Adrianum IV. Pontif. Arnaldi de Brixiâ.

Cujus origo mali tantaque voraginis auctor
Extitit Arnaldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero.

Mox, concionandi docendique munus repræſentans,

——— *aſſumptâ ſapientis fronte, diſerto*
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, (Cardinales, Epiſcopos) *ipſumque gravi corrodere linguâ*
Audebat Papam, ſceleratque dogmata vulgo
Diffundens, &c.

ut nempe tùm Clerus & Monachi interpretabantur, quia ſe maximè petebant, quæ deſcribit ulterius Poëta. Nempè quum ſederet Eugenius III. Romanis gementibus ſub jugo *Papali*, acceſſit Arnaldus iis è Romanis qui dignitatem Senatoriam reſtitutam, Equeſtrem Ordinem reformatum, Capitolium inſtauratum, volebant; Pontifice reſtricto ad rerum Eccleſiaſticarum curam. Bernardus *Epiſt.* ad Epiſcopum Conſtantienſ. quæ eſt ordine CXCV. *Utinam Arnaldus de Brixiâ tam ſanæ eſſet doctrinæ, quàm diſtricta eſt vitæ. Homo eſt neque edens, neque manducans*, (verba ſunt Chriſti de Joh. Baptiſtâ *Math.* XI. 18.) *ſolo cum Diabolo eſuriens & ſitiens ſanguinem Animarum*, &c. Ubi virus ſuum prodit Bernardus, maximè quod hic Arnaldus *adhæſiſſet Petro Abælardo, cujus errores* (dogmata) *pro illo defendere acriter & pertinaciter conabatur.* Vide paulo antè Bernardi cavilla in Abælardum, & quæ porrò is in Arnaldum evomit *Epiſt.* CXCVI. ad Guidonem Legatum Pontificis; *Arnaldus de Brixiâ, cujus converſatio mel, doctrina venenum; cui caput Columbæ, cauda Draconis*, &c. Et in hos jam Arnaldiſtas vult abſurdiſſimè Baronius à *Bernardo* eſſe dicta, quæ ſuprà Bernardus ad Eugenium, in corruptionem Roma-

manæ Sedis, & Cleri Romani, ut qui Miniſtri Chriſti, ſed *ſervi Anti-Chriſti*, &c. & quos doleret non *ſuſpendi ab officio*, aut non *privari beneficio*. Ità quidem Annalium Scriptor ad *Annum* MCLII. *Num.* II. Hinc & Romæ rogo impoſitus Arnaldus, ſub Friderico I. Anno MCLV. Adriano IV. Pontifice, Antichriſtianâ ſævitiâ.

Catharorum Hær. V. Pervulgata etiam hoc Seculo fuit Hæreſis *Catharorum*, qui in Decretalibus Gregorii, & aliàs ſæpè, corruptè vocantur *Cazari* vel *Gazari*, undè *Ketzers, Ketters*. Niſi hi à Toloſani agri quodam loco, *Cazares* dicto, appellati ſint. Nempè fuerint hæ reliquiæ *Manichæorum*, qui ex Oriente primùm in Thraciam, hinc in Bulgariam, Dalmatiam, tùm in Longobardiam, tandem quoque in Galliam Occitanicam, & vicina loca, delati ac propagati. Hinc multa in *Manichæos* decreta, & ſumpta quoque de iiſdem ſupplicia, in Galliâ, Germaniâ, Seculis decimo, undecimo, & quoque hoc duodecimo. Illis etiam permixti *Ariani* non pauci; utriſque verò, diſſimillimi licet doctrinâ & moribus, *Albigenſes* ſeu *Waldenſes*, qui tùm & habitatione erant conjuncti, cumprimis in Toloſano, & averſione à Romanâ Eccleſiâ, ejuſque Superſtitionibus. Hinc communia illis fuêre per calumniam *Catharorum*, *Publicanorum*, &c. nomina, & communis in eos perſecutio Inquiſitioque. Plura in hanc rem magnus Uſſerius, Libro *de Succeſſ. Eccleſ. Cap.* VIII. & nos quoque ſuprà ubi de Waldenſibus.

Adamitarum. VI. Celebris etiam hac Ætate fuiſſe dicitur Hæreſis *Adamitarum*, auctore quodam (ita Trithemius in *Chronicis*) Tanchelino, ſacerdote Antuerpienſi, de quo & Magdeburgenſes, Genebrardus, Baronius ad Ann. MCXXVI. N. XII. Ratio ejus nominis *Adamitarum* fuit, ab impurâ libidine, quam in publico exercuiſſe dicuntur, uti & Sanguinarii audiunt. Eadem dicta aliàs *Longobardorum* Hæreſis, cui matres, uxores, & filii, dicuntur fuiſſe communes. Cæteroquin, potiſſima harum accuſationum cauſa fuiſſe videtur, quod *uxoratus* eſſet Tanchelinus; quod miniſterium *Epiſcoporum* & *Sacerdotum*, quale tum in Papatu fuit, negaret à Chriſto inſtitutum; prætereà quod S. *Corporis & Sanguinis Dominici perceptionem*, oralem ſcilicet & corpoream, *ad ſalutem prodeſſe* inficiaretur. Hinc *Sacramentariorum præcurſor*, apud Baronium, nempe uti Saul præcurſor Prophetarum, ſiquidem ea fuerit impietas Tanchelini. Et ad hunc debellandum miſſus fertur Norbertus Monachus. Sed omnia fabulis mixta, & ex *Surio* hauſta in Vitâ Norberti Epiſc. 6. Junii.

Gilberti Porretani. VII. Accenſetur etiam hæreticis, tempore Bernardi, *Gilbertus Porretanus*, Pictavienſium in Galliâ Epiſcopus, vir undecunque doctiſſimus Trithemio, Philoſophus acutus, ac laudatus unà cum P. Lombardo, & aliis, in *Append.* Sigeberti, & apud Henricum de Gandavo in *Libro* de Scriptoribus Eccleſiaſt. Adhæc qui vitæ integerrimæ fuit, & Chriſtiano dignæ, fatentibus ipſis Adverſariis. Accuſatus is à Bernardo, ex inſtigatione quorundam è Clero, condemnatus tandem fuit Ann. MCXLVIII. in Concilio Rhemenſi, ſub Eugenio III. Dubia tamen eſt ejus Hæreſis *Anti-Trinitaria*, memorata in Actis Concilii Rhemenſis, & apud Ottonem Friſingenſem *Libro* I. de Geſtis Friderici I. Bernardum *Sermone* LXXX. in Canticum, hinc Baronium, ad An. MCXLVIII. *Num.* IX. Inanis nempè fuit ex Scholaſticâ Philoſophiâ ſubtilitas, de diſtinctione inter *Eſſentiam*, *Perſonas*, *Proprietates perſonales*, ſeu *Relationes Divinas*, quas ille diſtinguebat à *Deo*, uti Paternitatem à Patre: Sic *Patrem alio eſſe Patrem*, *alio Deum*, *nec tamen eſſe hoc & hoc*; id eſt, Naturam à Perſonâ & Perſonalitate diſtingui, quod nec auſus negare Romanus Pont. Sic Naturam deſignari, cum dicitur, *Deus tuus unus eſt*; Perſonam verò, cum dicitur, *Pater eſt Deus*, *Filius eſt Deus*. Tamque ipſe Gilbertus, quam adverſarius ejus Bernardus, dicto loco & Concil. Rhemenſis Patres, inaniter de vocibus diſceptabant, & Metaphyſicis abſtractionibus, deque diſcrimine inter *Deum & Divinitatem*, *ſubſtantiam* quæ *eſt Deus*, & quâ *eſt Deus*, &c. Dùm de re ipsâ conveniret, & de diſtinctione v. gr. Naturæ Filii, & Perſonæ Filii. Utrique *ſapiebant* nimiâ ſubtilitate *ultrà id quod ſcriptum eſt*. Et hæ contentiones revixêre per Scotum, & Scholaſticos. Cæterùm inviſus fuiſſe videtur præprimis, ob rejecta *Merita humana*, & *quod nullum mereri diceret præter Chriſtum*, teſte eodem Ottone Friſingenſi, fideliſſimo Scriptore, de Geſtis Friderici Barbaroſſæ, *Lib.* I. *C.* I. Et rectè Gilbertus, notionem omnem *meriti* propriè dicti, à parte hominis, reſpuebat. Hinc Baronius in eum acerbè invehitur, accuſatque *enormiſſimi erroris*. Cæterum, occaſione damnati à Synodo Rhemenſi Gilberti, condito ibi *Symbolo*, ejus erroribus ſcilicet oppoſito, nata gravis inter R. E. *Cardinales* & Gallicanos *Præſules* contentio, de quâ prolixè rurſum Otto Friſing. de *Geſtis Friderici*, L. I. C. LVII. Nempè expoſtulabant illi, quod ſibi tribuiſſent Abbas Bernardus, & Gallicani Præſules, auctoritatem finitivam ſententiam ferendi, de *Fide Catholicâ*, & *Symbolum* ſcribendi; inconſulto *Senatu Cardinalium*, *Curiâ Romanâ*, *Romanâ Sede*, cui ſoli hoc competeret in perſonâ Petri, expoſtulantes apud ipſum Eugenium. Eugenius ſic litem compoſuit, ut illud pro *Symbolo in Eccleſiâ non haberetur*, *velut auctoritatis pondere carens*, niſi ab Eccleſiâ Romanâ confirmaretur, & auctoritas Romani Pontificis accederet. Undè lites inter ipſos exortæ, de jure & auctoritate *Concilii Generalis*, in definitionibus Fidei, abſque conſcientiâ & auctoritate Papæ. Porrò Gilbertus, poſt tot accuſationum molimina, & vocilitigia, *cum ordinis integritate*, *& honoris plenitudine ad propriam Diœceſim remeavit*, accuſatoribus in gratiam receptis, apud Ottonem Friſing. loco citato.

VIII. Tandem, ut deſinamus, ſuperavit turbones omnes abſurditate, an inſaniâ, *Eudo* vel *Eon* quidam, ſeu *Eum* nomine, natione Britannus, homo illiteratus, delirans ſe *Chriſtum* eſſe, venturum ad judicium: Nempè ex formulâ in Exorciſmis Eccleſiæ uſurpata, *Per EUM*, *qui venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Alias veſani hominis ineptias referunt, ut quod *Baculum* in ſuperiori parte bifurcum geſtaret, non ſine grandi myſterio, quod explicat G. Neubrigenſis *Hiſt.* Lib. I. p. 50. Nec defuêre huic Sectatores, præſtigiis (ut ferunt) faſcinati, condemnato homine veſano in dicto Concilio Rhemenſi, A. MCXLVIII. & in carcerem truſo, diſcipulis igni traditis. De ejus præſtigiis prolixè Baronius; præcipuè ex Guilielmi Neubrigenſis Hiſtoriâ de Geſtis Anglorum, *Lib.* I. iſto Ævo ſcriptâ. Eudonis cujuſd.

IX. *Apoſtolicorum* aliam Sectam exagitat Bernardus, ſuis Sermonibus in *Cantica* Serm. LXV. LXVI. & Baronius ad A. MCXLVII. *N.* XXI. XXII. ob ſpeciem ſanctitatis *Apoſtolicæ* ſic dictam: Dicuntur *nuptias damnaſſe*, & tamen ut Apoſtoli fœminas circumduxiſſe, nec mulierum contubernium reprobaſſe; Miniſtris ſuis tribuiſſe poteſtatem *Conſecrandi* Corpus & Sanguinem Chriſti; *Invocationem* Sanctorum, *Orationes* pro defunctis, &c. rejeciſſe; quibus adduntur alia, ex Manichaicâ ſcil. Hæreſi, & Priſcillianiſtarum, Capita: Undè *eadem* cum iſtis fuiſſe dicitur Baronio; *de inſaniâ Manichæorum videntur iidem prodiiſſe*. Expendentibus autem accuratiùs impactos errores, plerique fuiſſe videbuntur iidem qui in *Albigenſibus* traducti, ſcil. ob negatum in Euch. Sacrificium Corporis Chriſti, Cultum Sanctorum, Purgatorium, &c. Sed *Apoſtolicorum* Secta, ex Albigenſibus ut vide- Apoſtolicor.

videbatur nata, notior fuit Seculo XIII. ex Inquiſitorum ſcriptis, & Inquiſit. Hiſtoriâ; de quibus loco ſuo.

VIII. *Concilia hac Ætate indicta. Tria Pontificiis habita Generalia, ſeu Oecumenica.*

Synodi hoc Sec. de quibus indictæ? I. Synodi hoc Seculo ut innumeræ in *Occidente* habitæ, Romæ, in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Britanniâ, &c. itâ pleræque in dictis antè cauſis, inter Imperatores Regeſque, & Papas: Puta de *juribus Inveſtituræ*; de *Simoniacis* quos vocârunt, prohibitis ſcil. Epiſcopis, & Sacerdotibus, munus accipere pro ſacris Ordinationibus, pro Chriſmate, Oleo, Baptiſmate, Pœnitentiâ, Unctione Infirmorum, Communione Corporis Chriſti, Sepulturâ, Conſecrationibus, Dedicationibus Altarium, &c. cumprimis in Conciliis Anglican. Itâ de cauſis *Regum* Galliæ, Angliæ, & *Excommunicatione Cæſarum*, Henrici IV. V. Friderici I. poſteâ II. De *Matrimonio Sacerd. Diaconorum*, *Hypodiaconorum*, à quibus etiam exacta profeſſio Caſtitatis; De *Antipapis*, quales ſuprà memorati, in quibus memorabile eſt Concilium *Papienſe*, A. MCLX. Friderico I. congregante, cujus hæ partes eſſent, *in tantis Eccleſiæ periculis*, *pro officio & dignitate Imperii*, exemplo *Conſtantini*, *Theodoſii*, *Juſtiniani*, *Caroli M. Ottonis Imper.* In quo actum eſt de duobus recens Romæ electis Pontificibus, *Octaviano* & *Rolando* Cancellario, illo Victoris, hoc Alexandri nomen aſſumente; Imperatore ipſo Concilio exeunte, ut ſuffragiorum libertatem relinqueret. Et tum *Victor*, qui ſe Concilio ſtiterat, obtinuit Papatum ſuffragiis Concilii, condemnato Rolando & reprobato, & ab omnibus pedum oſcula admiſit, ut qui Romæ *à Cardinalibus*, *præſente Cancellario*, *& non contradicente*, eſſet electus; ut pluribus Radevicus Hiſtoricus, continuator Ottonis Friſing. de Geſtis Friderici *Lib.* II. C. LXIV. & aliquot ſequent. Sic Concilia habita de *Bello Sacro*, decretis Expeditionibus ſub Paſchali II. Eugenio III. Clemente III. ut ſupra viſum *Cap.* II. De *Privilegiis* Eccleſiarum, ut Compoſtellanæ, Toletanæ, in Hiſpaniis; Viennenſis in Galliis, & Cœnobiorum Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Trenorcienſis, &c. De reformandâ *Diſciplinâ*, Clericali, Monachali, juxtà Canones jam antè ſancitos, rigidiore tamen diſciplinâ circà *conjugatos*, &c. Acceſſêre Synodi, in *Galliis* præcipuè, contrà optimos *Albigenſes*, & *Waldenſes*; uti aliæ contrà poſtulatos variarum Hæreſeôn, *Capite* præcedente, puta Abælardum, Arnaldum, Gilbertum Porretanum, &c. Catalogum & Acta ipſa, atque Hiſtoriam, exhibent Tomi nuperi Conciliorum, & Joh. Cabaſſutius, El. Du-Pin, Nat. Alexander, compilatores alii ſine fine. Sed hæc jam ex ſuperioribus, quantum ſatis eſt, intelliguntur.

Lites Britann. de Conjug. Sacerd. de Thomæ Becket cæde, &c. II. In *Britannicis* aliquot Conciliis (quæ collegit noſtrâ Ætate uſque ad A. MLXVI. H. Spelmannus) urgente cumprimis Anſelmo Cantuar. tùm & Legatis Pontificiis, definitum eſt contrà *Inveſtituras Laicorum*, & contrà *Conjugium Sacerdotum*. Et fœdiſſimum quoddam factum *Johannis de Cremonâ* Cardinalis Legati Pontificii, Præſidis in Concilio Londinenſi, (ſcilicet in complexu *meretricio* deprehenſi, quo tempore damnaret *conjugia* Sacerdotum) inani declamatione, contrà Annalium & complurium Teſtium fidem, conatur eludere Cæſar Baronius, ad eundem Annum, *Num.* XII. ac poſt eum Binius, aliique. Rem narrant recentiſſimam Henricus Huntingtonienſis, Archidiaconus illius Eccleſiæ, Hiſtoricus inſignis, circà A. MCLVIII. dein Roger. Hovedenus, ejuſdem ferè temporis ſcriptor, quos extollunt laudibus non tantum Polyd. Vergilius, Johannes Lelandus, & vetuſtiores alii, ſed & Henr. Savilius, *Præfat.* in Rerum Anglicarum Scriptores; *eſſe* nempè hunc *Henricum*, cum Roger. Hovedeno, *auctores cumprimis bonos*, *& diligentes*, *veriſſimosque ſuperiorum temporum indices.* Sic autem Huntingtonienſis, p. 282. Edit. 1601. *Ad Paſcha Johannes Cremenſis Cardinalis deſcendit in Angliam; perendinanſque per Epiſcopatus & Abbatias, non ſine magnis muneribus, ad Nativitat. S. Mariæ celebravit Concilium ſolemne apud Londonium: Sed quia Moyſes Dei ſecretarius in Hiſt. S. parentum etiam ſuorum ut virtutes ſcripſit, ſic vitia, ſcilicet facinus Lot, ſcelus Ruben, proditionem Simeon & Levi, inhumanitatem fratrum Joſeph: Nos quoque veram hiſtoriæ legem de bonis & malis ſequi juſtum eſt: Quod ſi alicui Romano vel Prælato diſplicuerit, taceat tamen ne Johannem Cremenſem ſequi velle videatur: Cum igitur in Concilio ſeveriſſimè de uxoribus Sacerdotum tractaſſet dicens, ſummum eſſe ſcelus, à latere Meretricis ad Corpus Chriſti conficiendum ſurgere; cùm eadem die Corpus Chriſti confeciſſet, cum Meretrice poſt veſperam interceptus eſt. Res apertiſſima negari non potuit, celari non decuit. Summus honor ubique habitus, in ſummum dedecus verſus eſt. Repedavit igitur in ſua, Dei judicio confuſus, & inglorius.* Adde præter Rogerium, Matth. Weſtmonaſterienſem, ad A. Gratiæ 1115. *Dictus Johannes de Cremonâ, qui in Concilio omnes Concubinarios Sacerdotes maximè damnaverat, in eodem vicio deprehenſus, vicium excuſavit eo quod fuit non Sacerdos, (ut dixit) ſed correptor Sacerdotum.* Qui tamen illâ ipsâ die *Corpus Chriſti confeciſſet*, quando *ſub veſperam* inter amplexus meretricis deprehenſus fuit.

Plures etiam Synodi habitæ in decantatiſſimâ cauſâ *Thomæ Becketi* Cantuarienſis Archiepiſcopi, Henrico II. Anglorum Rege, qui quum in Regalia Henrici, in jura Inveſtiturarum, & Appellationum, in alias Conſuetudines Regni quas juraſſet, ſic etiam in judicia de Clericis facinoroſis ſumpta, ſeditioſus eſſet & contumax; animos illi addente Alexandro III. Pontifice; depoſitus primùm fuit, A. MCLXIV. Tandem poſt varias ab eo turbas excitatas, ac rebelliones in Regem, in Regnum, atque ulteriora molimina, obtruncatus idem Cantuariæ à militibus fuit, A. MCLXX. Hinc *Martyribus* non modò adſcriptus, ſed & *Sanctis*, ac primi quidem ordinis, & gravis Henrico Regi indicta Pœnitentia, ut ſuprà. Vide memoratos Hiſtoricos, & Antiquitates Eccleſiæ Britannicæ, in hoc *Thomâ*.

Aliæ Synodi indictæ, occaſione litis pridem natæ Alexandro II. Pontifice, & Lanfranco Præſule Cantuarienſi, inter *Cantuarienſem* & *Eboracenſem*; quorum uterque de *Primatu* certare, illo non tantùm *præcedentiam* urgente, ſed & jus *conſecrandi* Eboracenſem, & exigendi ab eo profeſſionem *ſubjectionis & obedientiæ*. Ferbuit lis ſub Guilielmo I. inter Lanfrancum Cantuar. & Thomam Eboracenſ. circà A. MLXX. tum inter Anſelmum, & Thomam fratruelem prædeceſſoris Thomæ, ſub initia *Sec.* XI. Paſchali II. Pontifice, pronunciante in favorem Cantuarienſis, ut & Rege Guilielmo II. Duravit lis hoc Seculo, ad Annum uſque MCLXXV. Henrico II. Rege, quo Rogerus Archiep. Eboracenſis, in Concilio apud Weſtmonaſterium habito, noluit *ſiniſtrum* latus occupare, medio Legato Pontificis, ſed annixus eſt ſedere inter Legatum, & Cantuarienſem qui tum Richardus. Atque hinc à Clericis Cantuarienſis Diœceſ. *dejectus in terram, cum baculis & pugnis, cappâ ejus turpiter diſciſſâ.* Undè Rogerus Concilio egreſſus, Romam appellavit ſedente tum Alexandro III. & capitales inimicitiæ fuêre inter Rogerum, & Cantuarienſem Eccleſiam, quamvis tum pax in ſpeciem conciliata per Hugonem Legatum Alexandri Pont. De quo Hovedenus *Annal.* Lites de Primatu inter Cantuar. & Eboracenſ.

Digitized by Google

nal. Parte II. in Henrico II. p. 550. Acta Concil. T. x. *col.* 1466. & ſeq. & *Hiſtoria Controverſiæ* inter utramque Sedem, edita ab H. Warton T. I. Angliæ Sacræ. Nec lis tantùm fuit de præcedentiâ, ſed & de jure *conſecrandi* Eboracenſem, de profeſſione *ſubjectionis* & *obedientiæ* faciendâ ab Eboracenſi, de privilegio portandi *Crucem*, quod contendit Eboracenſis etiam intra Diœceſim Cartuarienſ. Imò de *Juriſdictione* utriuſque controverſia fuit, contendente Clero Eboracenſi, Epiſcopatum *Lincolnienſem*, *Ceſtrenſem*, *Wigornienſem*, *Herefordienſem*, de jure pertinere ad Metropolitanam Eccleſ. Eboracenſem. Continuatum litigium ad Seculum XIV. Innocentio VI. Pontifice A. MCCCLII. quando ita lis compoſita fuit, ut ſalva eſſent jura Archiepiſcopalia utriuſque Eccleſiæ, etiam jus *bajulandi Crucem* antè Archiep. Eboracenſem in civitate *Cantuariæ*, & totâ Diœceſi; ita tamen ut Cantuarienſis *dextram*, Eboracenſis *ſiniſtram* teneret in omnibus Conventibus, Conciliis, Parliamentis, & ille *totius Angliæ* Primas, hic *Angliæ* ſimpliciter, diceretur.

Concilia vulgò Romæ Oecum. III. Porrò tria hac Ætate Concilia in ſerie *Generalium* ſeu *Univerſalium* recenſent Latini recentiores, & efferunt Bellarminus, Baronius, Binius, &c. quanquam nec ſatis concordes.

Later. I. 1. *Lateranenſe* primum, indictum Anno MCXXII. aliis MCXXIII. Calixto vel Calliſto II. Pontifice, Henrico V. Imperatore, vulgò *nonum Generale*, Epiſcoporum circiter CCC. Quanquam Generale ſeu Oecumenicum haberi non poſſit, quod nec ab *Imperatore* indictum, nec ex toto quidem *Occidente*, v. gr. Germanis tum abſentibus, undè nec à multis Pontificiorum inter Generalia refertur. Præceſſerunt ſub Calliſto duo Concilia in Galliis celebrata, præſente Papâ, *Toloſanum* A. MCXIX. Junio m. & *Remenſe* A. eodem, Kal. Nov. In utroque cauſa potiſſimum acta contrà Inveſtituras Laïcales, & jus Regaliæ; item contrà Hæreticos Petrobruſianos; tandem contrà *concubinas* ſeu *uxores* Presbyterorum, Diacon. Hypodiac. quas pro ἰσοδυνάμοις accipiunt. In *Lateranenſi* autem Romæ celebrato, in quo Sugerius Abbas S. Dionyſii interfuit, creatus A. MCXXII. undè annus celebrati Concilii æſtimari poteſt, præcipuæ cauſæ actæ fuere. 1. Illa *Inveſtiturarum*, remittente Henrico V. Imperatore, redimendo anathemati, (quam *humilem obedientiam* interpretatus eſt Papa) jus Inveſtituræ per *annulum* & *baculum*; Calliſto autem concedente ut *electio* Epiſcoporum fieret præſente Imperatore, & electus Regalia acciperet ab eodem *per Sceptrum*; ut ex utriuſque declaratione, in Actis hujus Concilii, T. x. *col.* 901. 902. 2. Ordinationes per *Burdinum* Antipapam ſeu *Gregorium* VIII. factæ, in irritum miſſæ *Can.* VI. ex quo captus fuerat in Urbe Sutrinâ, & perpetuo carceri à Calliſto incluſus, ut ſuprà. 3. Pleniaria *remiſſio omnium peccatorum* conceſſa *Can.* XI. ituris ad Expedit. Hieroſolymitanam, vel *Hiſpanicam* contrà Saracenos; & perpetuum anathema dictum, ac divina Officia interdicta *in omnibus Terris*, eorum qui Cruce ſemel aſſumptâ depoſuiſſent, niſi intrà certum tempus eandem reaſſumerent. 4. Canon XII. in *Cod.* Vaticano, cuſus in favorem *Porticanorum*, & *Bonorum* ad eos pertinentium: Qui an fuerint *Portûs* Romani vel *Portûs Claudii* Cuſtodes Milites, quorum bona, ſine hæredibus decedentium, Præfectus Urbis ſibi vindicaret; an qui in *Porticibus* Romæ habitarent Hoſpites & Peregrini, inter ſe litigant. 5. *Can.* XIII. decretum contrà *Treugarum infractores*, ſive Induciarum (*Treuga*, *Triegua*, *Tregua*, Gallicè *Treves*) quæ tum autoritate Epiſcoporum inter litigantes factæ eſſent, ut ſecuri eſſe poſſent contrà vim, aut inſidias. 6. *Can.* XVI. in favorem *Romipetarum*, id eſt, qui Romam vel loca alia ſacra *peterent*, religionis ergo. 7. Inprimis *Canon.* XXI. quo ſeveriſſimè interdicuntur *Matrimonia* legitima *Presbyteris*, &c. ut ſuprà in Calliſto II. viſum.

2. *Lateranenſe* ſecundum, indictum A. MCXXXIX. Papâ Innocentio II. Imperatore Conrado III. vulgò *decimum* Generale, Patrum ferè M. *ut quidam dicunt*, ſic Urſpergenſis, & Otto Friſing. *Lib.* VII. C. XXXIII. Sed pari jure hoc inter Oecumenica Concilia referunt, quo prius. Nam nec Epiſcopi adfuêre ex Italiæ & Occidentis variis partibus, nec ex Orientis illis; nec cauſa acta fuit propriè Univerſalis Eccleſiæ: Sed illa *Innocentii*, contrà *Petrum Leonis* Antipapam, nomine *Anacleti* II. qui jam literas ſcripſerat ad Lotharium, ſed ſtudio Bernardi Claravall. qui potiſſimus ejus Adverſarius, pellectum in partes Innocentii, teſte Bernardo Bonævallis in ejus *Vitâ*; dum Italia penè tota, Roma, Apuliæ & Calabriæ Dux, etiam ex parte Galli, accederent Anacleto. Intererat igitur Innocentii, damnari eum qui non minùs Pontificem ſe gerebat. Secundò, ſcopus erat Concilii, ut damnarentur *Petrobruſiani*, qui vocabantur, Hæretici, & *Arnaldus de Brixiâ*, diſcipulus Petri Abælardi, & Petri de Bruis, qui tum in Urbe agebat, hoc maximè reus quod dogmata Petri Bruſii ſectaretur & propagaret; nominatim illud de *Sacramento Corporis* & *Sanguinis* Dominici, quod eſſe ipſum Corpus Chriſti Servatoris, quale crucifixum eſt, pernegabat, ſed Sacramentum Corporis. Hinc negaſſe dicitur *Can.* XXIII. *Sacramentum Corporis Domini*, *Baptiſma puerorum*, *Sacerdotium*, *& cæteros Eccleſiaſticos Ordines*, &c. ut nempè interpretabantur ejus ſententiam, ſub nutu Dominantis. 3. Scopus etiam fuit ut damnarentur, ſpecie inſtaurandæ Diſciplinæ, Inveſtituræ Laïcorum, *Simoniæ* odioſo nomine: Sic & Conjugia Clericorum, etiam Subdiaconorum *Can.* VI. ubi conjugium, quod *cubile impollutum* dixit Paulus, accenſetur *cubilibus* & *immunditiis*: Ità etiam Juriſdictio omnis *ſecularis* in Clericos & Monachos ſublata, *in quos violentas manus injeciſſe*, *Sacrilegium* dicitur, *anathematis vinculo* ſubjectum, *Canone* XV. Alios Diſciplinæ ejus temporis *Canones* mittimus. Lateran. II.

3. *Lateranenſe* III. indictum à ſolo Papâ, A. MCLXXIX. celebratum aliis demùm A. MCLXXX. Alexandro III. jam annos XX. Pontifice, Imperatore Friderico I. Ænobarbo, malè *undecimum* Generale, Epiſcoporum CCLXXX. vel juxtà Guilielmum Tyrium, de Bello Sacro *Lib.* XXI. ex Oriente in iſtud delatum, CCC. De hoc Concilio & Rog. Hovedenus, Matth. Pariſius, Albertus Stadenſis, alii, etiam Conr. Urſpergenſis, qui tamen ſignat Epocham Conc. An. MCLXXII. Cauſæ iterùm potiſſimæ fuêre: 1. Ut *Anti-Paparum* ſchiſmata præverterentur, quale fuerat Octaviani, Alexandro hoc Pontifice, quod per XVII. annos duraverat; hinc cuſo *Canone* I. de electione futuri Pontificis. 2. Ut damnarentur *Albigenſes*, *Waldenſes*, *Catharorum* ſub nomine, ut ſuprà viſum. 3. Ut contrà *Simoniam*, id eſt, Inveſtituras Laïcorum, & Clericorum *Conjugia*, odioſo ſub nomine Concubinatûs, decerneretur. Porrò neque hoc Concilium verè *Oecumenicum* fuit, nullis intervenientibus in eo partibus Imperat. nec ex toto *Oriente* ullus ut Synodi membrum, niſi *Latinizatus*: Quos inter Guil. Tyrius Archiep. in Occidentem tum ablegatus; & Latinorum Epiſcopi Cæſarienſis, Aconenſis, Tripolitanus, &c. Nam Latinis tum infeſtiſſimi erant verè Græci & Orientales, ſanè miſſi ab Imper. *Manuële Comneno*, occaſione indicti Concilii, ut convenirent nomine ſuo Fridericum Imp. Georgius Corcyrenſis, & Nectarius Abbas: Sed ille ex infirmitate ſubſtitit Brundiſii, hic durante Synodo acerrimè cum Latinis diſputavit, notante & Baronio ad A. MCLXXVIII. *Num.* XII. Et acerrima tum odia Græcorum in Latinos fuiſſe, teſtatur Leo Allatius, de Perpetuâ Con- Lateran. III.

Digitized by Google

Conſenſ. (*Diſſenſione* veriùs) utriuſque Eccleſiæ, *Lib.* II. C. XII. XIII. Hoc igitur Concilio, *Can.* I. decreta Electio Pontificis per ſolos *Cardinales*, ſi *duæ* modò illorum *tertiæ* conſentirent: Deinde, poſt *Canones* alios, contrà *Simoniam*, *Focarias* Clericorum, violationem *Treugarum*, &c. tandem *Canone* XXVII. ſub *Hæreticorum*, & *Catharorum*, atque id genus aliis appellationibus, damnati Albigenſes, horrendis anathematibus obſtringendi, & omnes eorum *defenſores*, *receptores*; ſacrâ Expeditione in eos decretâ, quæ anteà decretæ contrà Saracenos & Infideles. Interfuêre ex Græcis *Nectarius* Abbas, ſed tanquàm *adverſarius*, habità cum Latinis diſputatione, & *Græcorum* causâ fortiter defenſâ; quo nomine gratulatur ei *Georgius* Corcyrenſis, apud ipſum Baronium, ad A. MLXXIX. *Num.* IX. X. *Spectant*, inquit Annalium Scriptor, *ad ejuſdem Concilii* Lateranenſis *facta, quod Græcorum Schiſmaticorum Legatus Nectarius Abbas, eâdem quâ venit animi induratâ nequitiâ atque perverſitate inflexus & obſtinatus, poſt prolixas diſputationes, eſt reverſus ad ſuos, à quibus tanquam in Olympiacis victor eſt receptus.* Patet ex literis Georgii, inſertis Actis Concil. Lateranenſis IV. *Tomo* X. *col.* 1527. *Cùm indè fuerit reverſus, & quaſi alter Olympionices multis ornatus venerit coronis, & præmiis*, &c. Et eo ferè tempore, ſub Iſaacio Angelo, poſt An. MCLXXX. claruit Theodorus Balſamon, Patriarcha Græcorum Antiochenus, doctiſſimus cauſæ Græcorum vindex, & Commentator in *Canones* vulgò *Apoſtolor.* & illos Conciliorum *Univerſal.* de quo infrà dicendum.

Synodi in Oriente habitæ. IV. Indictæ & aliquot Synodi in *Oriente*, aliæ Conſtantinopoli ſub Græcis, aliæ in Palæſtinâ, Syriâ, ſub dominatu *Latinorum*, ex nutu Pontificis, præſentibus Legatis Pontificiis. In prioribus referuntur duæ celebriores: Una ſub *Calo-Johanne* Imperatore, ſcil. in causâ diſſidii inter Græcos & Latinos, miſſo Conſtantinopolim *Anſelmo* Havelbergenſi, à Lothario II. Imperatore, Eugenio III. Pontifice, florente tùm Bernardo Claravall. Sed irrito conatu, ut patet vel ex ejuſdem Anſelmi Dialogis, apud Lucam Dacherium Spicil. *Tomo* XIII. p. 83. Altera ſub *Manuele Comneno*, qui imperavit ab A. MCXLIII. Principe curioſo, & qui ſe Theologum & Interpretem rerum divinarum quandoque geſſit, indicenda occaſione Quæſtionum quas ipſe moviſſet φιλόκαινος Imperator: Quarum prima, an rectè *Deus* σεσαρκωμένος *incarnatus* diceretur *offerre ſimul*, & *offerri*; Altera, de ſenſu dicti, *Pater major me eſt*; Tertia, an rectè Catecheticæ tabulæ, Libello κατηχήσεων, dicerent *anathema in Deum Mochameti*, quem *nec genuiſſe*, *nec genitum*, ſed ὁλόσφυρον *Holoſphyron* (quaſi *indiſſecabilem*, certè impropriâ obſcurâque voce) Impoſtor affirmaret. Imperator verò noluit anathema dici *Deo Muhammedis*, ſed Muhammedi ipſi, & doctrinæ ejuſdem; atque adeò deleri voluit ex Catecheſibus illud ipſum anathema. Hæc pluribus Nicetas Choniates, in Manuele Comneno, *Lib.* VII. pag. Ed. Reg. 138. 139. &c. Vide & Clariſſ. Hottingerum, *Hiſt. Cap.* XII. *Sect.* I. ubi de Deo *Azzamado* prolixè diſſertat. Sic habitam Synodum eſſe Conſtantinopoli, eodem Manuele Comneno Imp. A. Ch. MCXLV. adversùs Hæreſim *Bogomilorum*, quæ deprehenſa fuerat in Niphone Monacho, Michaële *Oxitâ* (quia præfuerat Monaſterio in Inſulâ propè Chalcedonem quæ Ὀξεῖα dicta, à ſitu loci) Patriarchatum gerente, cum deteſtatione τῆς βδελυρᾶς θρησκείας *profanæ Sectæ*, auctor eſt Joh. Cinnamus Hiſt. *Lib.* II p. 36. Ed. R. Et integra Synodi Acta, ex Mss. ſuis, producit Allatius, *Lib.* II. C. XII. *Num.* III. Paulo poſt in Synodo aliâ, Ann. MCXLVII. (*Mundi* juxtà Græcos VI. M. DCLII.) depoſitus Coſmas Atticus Patriarcha Conſtant. ſucceſſor Michaëlis, quod faveret impenſius Niphoni prædicto, ſed de Græcis & Orientalibus Sectione ſeq.

IX. *Status Eccleſiæ Græcæ & Orientalis. Continuatio diſſenſionis cum Latinis.*

Status Polit. in Oriente. I. Miſeram Eccleſiæ *Orientalis* faciem repræſentant: 1. Luctuoſa *Politiæ* facies, fractis Græcorum viribus, & Imperio Orientis devaſtato, partim per arma Latinorum, à quibus etiam capta tandem Conſtantinopolis, A. MCCIV. conjunctis Francorum ac Venetorum copiis. Acceſſêre Principes, partim deſides vel infidi; partim ſuperſtitioſi; partim Eccleſiaſtica pro libidine moderati, qualis ferè *Manuël Comnenus*, Johannis filius; partim Imperii per vim invaſores, quales *Andronicus*, *Iſaacius Angelus*, & *Alexius Angelus*, deturbandus ipſe quoque ab *Alexio Angelo juniore*. De quibus ex profeſſo Nicetas Choniates, in horum Imperatorum Hiſtoriâ, & Wilh. Tyrius, in ſuis de Bello Sacro. Laudatus tamen Princeps fuit *Joh. Comnenus*, Manuelis Comneni Pater, pietate, prudentiâ, fortitudine excellens, & qui idcircò *Manuelem* ſucceſſorem deſignavit, quamvis *Iſaacius* eſſet natu maximus; quod de Manuele benè augurraretur, ejuſque moderatione, clementiâ, virtutibus Imperatore dignis, quum Iſaacius eſſet ad iracundiam pronior. Certè *Johannus* morituri piiſſimas & graviſſimas voces, quibus ſucceſſoris requiſitas virtutes, & officium adumbravit, refert idem Nicetas, L. I. Annal. *pag.* 27. & *ſeq.*

Græcorum Error. Diſſidia. 2. Acceſſerunt *errores*, *ſuperſtitiones*, *abuſus*, qui in Græcorum Eccleſias irrepſerant, uti ſunt Cultus Imaginum, Crucis, Mariæ, Sanctorum, Reliquiarum ac Ritus ſuperſtitioſi complures, in quibus modum exceſſerunt Græci, ut docent eorum Ritualia, & Menologia: Sic Sanctitas in Monachiſmo poſita; Patriarchalis faſtus intoler. collapſa Clericorum Diſciplina; mores in Clero & in Populis corruptiſſimi: Loquitur Hiſtoria Byzantina Nicetæ Choniatæ, qui Logotheta & Magnus Cubicularius fuit, ſic illa Annæ Comnenæ, Georgii Acropolitæ, Joh. Cinnami, de quibus infrà *Cap.* XI. Ità *Diſſidia* tum fuêre varia, inter Græcos ipſos exorta, etiam quæ *doctrinam* attinerent. Qualia diximus ſuprà, de Deo Incarnato; de modo Unionis Naturæ aſſumptæ; de anathemate *in Deum Mahummedicum*; de modo quo Pater eſt *major* Θεανθρώπῳ. Sic cumprimis mota controverſia de *Corruptibilitate* vel *Incorruptibilitate* Corporis Chriſti *percepti* in Euchariſtiâ, ſub Georgio Xiphilino Patriarchâ primùm, mox ſub ejus ſucceſſore Johanne Camatero, imperante Alexio IV. Angelo, ſub finem hujus Sec. Aliis *corruptibile* ſtatuentibus, ut *Sicidites* quidam Monachus, quia perciperetur tanquam pro nobis traditum, crucifixum, hinc dentibus in Symbolo conterendum; aliis *incorruptibile*, ut quod eſſet ἡ τῶν μυστηρίων μετάληψις, *perceptio myſteriorum* quædam ἀνάμνησις non mortis modò, ſed etiam reſurrectionis Chriſti, quod multis Patrum teſtimoniis confirmabant. Favet his Allatius, inquiens eſſe *tandem quod Sacramentarios pudeat*; de Conſenſ. L. II. C. XIII. N. III. Quia nempe Schola Pontificia ſupponit, eſſe in qualibet particula Hoſtiæ Conſecratæ, ipſiſſimum *Corpus Chriſti totum, impartibile*, &c. non Corporis Sacramentum tantùm, vel myſterium, quo ſanè fiamus participes, in legitimo uſu, totius Corporis Chriſti. Unde Synodi & Conventus, his de Controverſiis, plures habiti, teſtibus rursùm Nicetâ Hiſt. *Lib.* III. pag. 332. 333. & Joh. Cinnamo Hiſt. *Lib.* II. Hiſtoricis Byzantinis.

Schiſmata, Hæreſes. 3. *Schiſmata* pridem nata, Armeniorum, Jacobitarum, Neſtorianorum, & noviſſimè *Bogomilorum*,

rum, qui ſuis ſinguli vivebant inſtitutis. Priores tamen, ſcil. *Armeni* qui in fidei dogmatibus, puta de Naturis Chriſti, & in Ritibus variis, diſſentirent, dicuntur ſub Manuele Comneno cum Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ conciliati, ex Theoriani ad Armenos Legatione, circà A. Ch. MCLXX. habitis Diſceptationibus cum Armenorum Catholico. Edidit Theoriani Librum de ſuâ Legatione, Joh. Leunclavius Græcè & Latinè. Præcipuè actum de Naturis Chriſti, an in *unam Naturam* coaluerint, poſt Incarnationem, Eutychiano errore, Perſonam à Naturis non diſtinguente; Tùm, de appendice ad Triſagion, qui *crucifixus pro nobis*, quandoque *qui reſuſcitatus*, *aſſumptus pro nobis*; de *Ritibus* in celebratione Miſſæ, puta *ſolo Pontifice* ingreſſuro Templum, cæteris foris ſtantibus; Euchariſtiâ etiam *Infantibus* bimulis dandâ; ſolo *vino*, abſque admixtione aquæ, percipiendo, &c.

Oriens Papiſmo infectus.

4. *Latinorum* introducti errores, ritus, diſciplina, jugumque Pontificium, Græcis Sacerdotibus & Sacris ejectis, in omnibus iis partibus Orientis, ut Syriâ, Palæſtinâ, Meſopotamiâ, Arabiâ, Cypro à Richardo Anglor. Rege occupatâ, &c. quas Latini tenebant. Factum Manuele Imp. defuncto, quando Latini ſuos *Sacerdotes & Antiſtites*, ubicunque rerum potiebantur, præfecerunt, & Ritus ſuos admittere coëgerunt. Latinis etiam *Patriarchis* Antiochiæ ac Hieroſolymis ſedentibus, poſt & Byzantii, ſub Francorum dominatu, ab A. MCCIV. Nec defuêre tamen Græcis ſui *Patriarchæ*, licet miſeri, & in ſervitutem miſſi. Undè ſuſpiria & querelæ Græcorum, ut videre eſt apud Anonymum, de Diſſidio Græcor. & Latinor. citatum ipſi Allatio, *Lib.* II. C. XIII. Latinis tamen perſuaſuris Græcis *Papam* libenter his conceſſurum ſuos Ritus, modò primi ad Pontificem ablegarent: Quod & factum fuit ſub Flandrorum dominatu, ſcriptis ab Imperatore *Henrïco*, & Patriarchâ Germano II. hujus nominis, ad Papam literis, πεπληρωμέναις πάσης ἀγάπης, ϗ ταπεινοφροσύνης, ϗ ὁμονοίας, *plenis amoris, demiſſionis, & convenientiæ*, ut Anonymus.

Unionis negot. fruſtrà tentat. ſub Urbano II. &c.

II. Sed & continuatam hoc Ævo *diſſenſionem*, inter Eccleſiam Græcam & Romanam, loquuntur facta varia, & hiſtoriæ, & ſcripta Græcorum, & quotquot ſunt hujus temporis ferè Teſtes; invito quanquàm *Leone Allatio*, de Perpetuâ Conſenſ. *Lib.* II. *Cap.* X. & ſeq.

1. Tentatam quidem ferunt Unionem in Concilio *Barenſi*, ſub finem Seculi prioris, A. MXCVII. Urbano II. Papâ, præſente Anſelmo Cantuarienſi, quum quæſtio agitata, *de Proceſſione Spiritûs S.* Sed nullis hujus Concilii hodie veſtigiis; & ſi res ità habuit, omninò infeliciſſimo cum ſucceſſu, vel ex Wilhelmo Malmesburienſi, cujus verba adferuntur *Concil.* T. X. *col.* 611. ubi de Concilio iſto *Barenſi*; & ex factis Urbani II. in Alexium Comnenum Imperatorem. Nempè ſimulabat Alexius ſe Concordiam velle, miſſis primò literis ad Urbanum II. & ad Concilium Placentinum Legatis A. MXCV. promovendæ Expedit. in Orientem, quam poſtmodùm idem Alexius, quoad potuit, irritam reddere conatus eſt.

2. Repetitum aliquoties, hoc quoque Seculo, *Unionis* idem negotium, vel potiùs reductionis Græcor. ſub jugum Pontificis, & quidem Legationibus, Diſputationibus, Literis, Scriptis ultrò citroque, nullo rursùm ſucceſſu. Ità rem hanc actam legimus (ex Byzantinâ Hiſtoriâ, ex Tomis Conciliorum, ex Baronio ipſo, Genebrardo, Allatio, Lucâ Dacherio, &c.) ſub Paſchali II. & Alexio Comneno, Anno MCXII. ſub Innocentio II. & Johanne Comneno, Anno MCXXXVI. dein ſub Hadriano IV. & Alexandro III. Pontificibus, & ſub Manuele Comneno Imperat. à quo Legati in Italiam miſſi, ad Concilium Lateranenſe III. viciſſim alii Conſtantinopolim ab Alexandro III. Sed cùm iſti, certè Nectarius Abbas, cum *Latinis* fortiter Romæ congreſſus, tùm hi Conſtantinopoli apud *Græcos*, nihil aut parum profecerunt. Talis fuit Synodus Conſtantinopoli habita, præſentibus Cardinalibus τοῖς πρώτοις τῶν Γαδδηναρίων, Oſtienſi & Cardin. S. Johannis; in quâ Manuel Comnenus, gratificaturus Occidentalibus, de Pace ac Conciliatione cum Latinis agi voluit, Michaele Anchiali Patriarchâ Conſtantinop. averſiſſimo à Latinis. Sed *nihil* in eâ Synodo *concluſum eſſe* quod optaſſet Imperator, imò decretum à Græcis, conſentiente Imperatore, ἵνα τελείως ἀποκόψωσι τελείῳ χωρισμῷ τὸν Πάπαν, ϗ πάντας σὺν αὐτῷ, *ut totali ſeparatione Papam abſcinderent, & quotquot illi adhærerent.* Rem refert ipſe Allatius de Perpet. Conſenſ. *Lib.* II. C. XII. N. I. ex *Dialogo* ipſius Anchiali ad Manuelem Imperat. & ex *Macario* Ancyrano, qui Græcorum cauſam contrà Barlaamum & Acyndinum fortiter egit; hinc *nugax ſcriptor* dicendus Allatio. Quum tamen nihil contenderent ampliùs in eâ Synodo Latinorum Legati, quàm ut cederent Papæ τὰ πρωτεῖα *primatûs jura*, ϗ τὴν ἔκκλητον & *appellationes* ad Romanam Sedem, tùm τὸ μνημόσυνον, Papæ *Commemorationem* inter Liturgica Sacra. Quo magis Manuel lactaretur eâ ſpe fore, ut Pontifex Alexander III. in Fridericum ſummoperè exacerbatus, Græco Imperat. coronam Imperii Occident. redditurus eſſet. Hæ fuêre Comneno illecebræ, ad tentandam cum Papâ unionem. Declamitet jam pro more Allatius, *Lib.* II. C. XII. & jactitet conſenſum Græcorum cum Latinis, ex *Dialogis* Anſelmi Epiſcopi Havelbergenſis; congreſſi cum Nicetâ Nicomedienſi, ſub Johanne Comneno, ac poſteà Romæ juſſu Eugenii III. victoriam de Nicetâ illo (*Nichete*) *jactaturi*, editis *Dialogis adversùs Græcos*, A. MCXLV. Rem aggreſſus denuò Innocentius III. ſub initium Seculi ſeq. de quo poſteà.

In Synod. Conſtantinop.

Sub Alex. III. in Conc. Later.

Effugia Baronii, Allatii, Maimburg.

3. Leonis Allatii in hac omni cauſâ, ut quoque Baronii, dein Lud. Maimburgii in *Hiſt.* Schiſmatis Græcorum, fraus non una eſt. Primò quidem diſſimulant, propenſam illam Græcorum *ſpecie* tenùs voluntatem, cumprimis *Alexii* Comneni, *Johannis*, & *Manuelis* Comneni Imperatorum, indè ſanè profectam eſſe, quòd Latinorum potentiam & expeditiones metuerent; quodque *Paparum* (quibus perpetua cum Imperatoribus Occidentis fuêre certamina) conciliare ſibi favorem intenderent; quos & in Imperatores excitârunt, ut Alexandrum III *Manuel* Comnenus acerbavit in Fridericum I. Præcipua verò ratio fuit, ut Nicetas Choniates *Lib.* VII. in Emmanuële, nec diffitetur Baronius ad A. MCLXXVI. N. XXI. quod ſciret ejuſdem Imperat. animum, *ad Orientale* Imperium occupandum, eſſe propenſum, quomodò & Corcyram Inſ. conatus eſt invadere, ut ex Georgio Acropolitâ probat Annal. Scriptor. Undè Manuël Papam, & Longobardos, & alios quos potuit Principes, adverſus Fridericum excitare, & pecuniis etiam fovere, in ſpecie Alexandrum. Nihil hoc ad Conſenſionem Orientalis Eccleſiæ; ut neque quod Manuelis Conjux *Latina* eſſet genere & religione, Bertha nempè Conradi Imperat. ſoror. Nec indè poteſt elici Conſenſio, quod Manuël *Epiſt.* ad Conradum, cujus meminit Cinnamus *Hiſt.* L. II. ſcripſiſſet, ὁμοθρήσκους ἡμᾶς ἀλλήλοις εἶναι *ſe eâdem religione teneri*, quoad *dogmata Fidei* in Conciliis definita; εἰ καί τινα βραχέα προσκόμματα διέστησαν ἡμᾶς, *etiamſi parva quadam offendicula nos ſepararint*, ut Allatius ex Baſilio Theſſalon. Epiſcopo hæc citat, *Lib.* II. C. XI. N. IV. Ità eodem ex Cinnamo conſtat, *Hiſtor.* L. II. p. 99. Ed. R. cùm Manuël Italiæ & Siciliæ ſuis copiis immineret, Pontificem *Hadrianum* IV. interminatum eſſe anathema militibus pro Manuële conſcribendis,

diſ, contrà Guilielmum Siciliæ Regem; & erupiſſe in voces, Ῥώμην τὴν νεωτέραν, πρὸς τὴν πρεσβυτέραν πάλαι ἀπορραγεῖσαν, *Romam Novam à Vetere pridem abſciſſam fuiſſe.* Deindè pro *Græcis* genuinis habent, & conſenſionem Græcorum interpretantur, ſi qui fortè ex iis, quales perpauci, privato ſtudio ad Latinos acceſſerint, aut de Latinis moderatiùs ſcripſerint; aut ſub Latinorum Imperio *Orientali*, adeoque ſub Romanæ Eccleſiæ dominatu, egerint, quales apparuiſſe diximus in Concilio *Lateran.* III. Prætereà, inanibus ratiociniis, & illationibus perabſurdis, conficit Allatius eam *Conſenſionem* Eccleſiæ Græcæ cum Latinâ: Dùm teſtibus undique *Græcis* obruitur, qui toto hoc Seculo cauſam Latinorum oppugnârunt, factis, voce, ſcriptis; ſed in quos ut *Schiſmaticos*, ut *hoſtes* fidei, & Eccleſiæ, ut turbones, quorum accuſat *procacitatem* & *inſolentiam*, ipſe paſſim debacchatur.

Scriptores contra Latinos. Allat. perſtrictus.

4. Undè præter Conſtantinopolitana in Latinos actitata, contrà hos ipſos, pro Græcorum causâ, ſtrinxêre innumeri calamum: Puta ſub *Alexio* Comneno, Euthymius Zygabenus, quem inter *hoſtes Eccleſiæ* habet Allatius, Euſtratius Nicænus, Nicolaus Methonenſis, Johannes Phurnus, Theodorus Prodromus, Niceta Scidus, Niceta Byzantius, &c. Sub *Calo-Johanne*, clarus *Baſilius Achridanus* Theſſalon. Metropolita, (quamvis diſſidia de Papæ Primatu, de Proceſſ. Spiritûs S. de Purgatorio, de Azymis, de Jejunio Sabbati, &c. non habeat pro iis quæ ad eſſentiam *Fidei* pertinerent, ut liquet ex *Epiſt.* reſponſoriâ ad Adrianum IV. Pontif. productâ eidem Allatio, *col.* 658.) Andronicus Camaterus, Georgius Corcyræ Metrop. &c. Sub *Manuele Comneno*; Michaël Anchiali Patriarcha Conſtantinop. Georgius Corcyrenſ. Michaël Theſſalonic. Nectarius Abbas de quo ſuprà, Conſtantinus Manaſſes, Arſenius Monachus, Andronicus Camaterus, Lucas Chryſoberges, &c. & quotquot interfuêre Synodis Conſtantinopoli habitis, Manuële Imperatore, etiam in causâ Latinorum. Proximè poſt ſublatum Manuëlem, Scriptores in Græcis & Byzantinis benè multi, hoc Ævo inclyti, ſub *Alexio* III. Comneno, *Andronico* Comneno, *Iſaacio* Angelo, *Alexio* IV. Angelo: Quales ſunt Theodorus Balſamon inviſus oppido Latinis, inprimis Meditatis de Patriarcharum Privilegiis; Joh. Zonaras, de quo poſteà, Georg. Xiphilinus Patr. Nicolaus Hydrunt. Johannes Tornicius, Nicetas Maroniæ Theſſalonic. Metropolita, Johannes Camaterus Patr. Conſtant. Nicetas Choniates Hiſtoricus, &c. Plurimi ex Typographiæ inopiâ, & invidiâ Latinorum, inediti in Biblioth. Vaticanâ, Cæſareâ, Bavarâ, Venetâ, Auguſtanâ, Oxonienſi, Regiâ Chriſtianiſſimi, &c. Idque in controverſiis de causâ *Separationis Veteris & Novæ Romæ*; de *Papæ Poteſtate*; de *Privilegiis Patriarcharum*; de *Proceſſione Spiritus S.* de *Igne Purgatorio*; de *Azymo* pane; de *Jejunio Sabbati*; de eſu *Suffocati*; de Ritibus aliis quos Græci in Latinis improbarent. Catalogum Scriptorum ipſe exhibeat Allatius, præter El. Du-Pin nuperum, in Scriptoribus Sec. XII. Cap. XIV. Riſum certè movet hic Græculus, contendens ex Literis Petri Cluniacenſ. ad Imperat. Johannem, ideò *Communionem inter Græcos & Latinos conſervatam hactenùs perduraſſe*, quod eſſent Conſtantinopoli, & aliis Græciæ partibus, quædam Baſilicæ, & Monaſteria, quibus liceret Latinis *vivere Romano more, ad Pontificum normam, quod neutiquàm conceſſum fuiſſet, ſi eorum mores & dogmata velut Hæretica improbaſſent*, de Conſ. Orient. *Lib.* II. C. XI. N. II. IV. Quod ſanè non Conſenſioni Græcorum, ſed tolerantiæ, & prudentiæ Imperatorum, illis cumprimis temporibus, tribuendam. Sic abſurdè colligit, ex *Pontificis Rom.* auctoritate in Oriente, ubi Latini rerum potiebantur, fuiſſe quoque eidem Pontifici, quâ tali, *auctoritatem in Orientalem Eccleſiam ingentem*, loco cit. Mirare Græculi frontem.

5. Acceſſêre Latinorum in Græcos perſecutiones, graves illæ & atroces, ubicunque Latini rerum potiti ſunt in Oriente: Ut vel ejicerent Græcos, ac mulctarent exiliis, ſuppliciis, vel ad Latinorum ritus, diſciplinam, fidemque pro more compellerent. *Quî enim* (inquit Allatius *Lib.* II. *Cap.* XII. *Num.* II.) *Catholici & Eccleſiæ Romanæ addictiſſimi, in iis Provinciis quas ſibi ſanguine ferroque paraverant*, NB. Græcos ſibi hoſtes, & ſuæ fidei adverſantes, *impunè debacchari permitterent? Annon ipſi Græci, cùm poterant & volebant, in eoſdem Latinos atrociora patraverant? Hæretici proſcribendi ſunt, exterminandi ſunt, &c.* Et tamen contendit hic Allatius; ob *literas* ſubindè miſſas, aut *legationes* fortè, manſiſſe inter utroſque commercium Religionis, arctam unionem, conſenſionem perpetuam, conſuetudinem mutuam; paucis fortè *Schiſmaticis* exceptis, qui ſcilicet Latinos oppugnando, à Græcis ſuis hoc ipſo diſcederent. Apage nugas ſervientis Romæ Græculi. Quin idem jam oblitus eorum quæ *Cap.* præcedenti obſervaverat ex *Epiſt.* I. Leonis IX. ad Mich. Cerularium, conqueſti de rigore Michaëlis in Latinos: *Ecce in hac parte Romana Eccleſia quantò diſcretior, moderatior, atque clementior vobis eſt! Siquidem, cùm intrà & extrà Romam plurima Græcorum reperiantur Monaſteria* (Latinizata) *ſive Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paternâ Traditione, ſive ſuâ conſuetudine; quin potiùs ſuadetur & admonetur eam obſervare.* Sed mox Latinorum ingenium apparuit, in iis quæ à Legatis Leonis facta Conſtantinopoli, ſuprà ad Seculum XI. Cap. IX. N. V.

X. *Origo Theologiæ Scholaſticæ, ejuſque ratio hac Ætate: Etiam Hiſtoriæ Scholaſticæ: Et Juris Canonici.*

Præcurſores Theol. Schol.

I. *Præcurſores* Theologiæ vulgò *Scholaſticæ*, quoad doctrinam, & methodum, parciore jam S. Scripturæ uſu, multo Patrum, & Scholæ poſterioris, Quæſtionibus & Philoſophematis deditæ. In Latinis quidem fuerunt Joh. Scotus Sec. IX. dein Roſcelinus, Lanfrancus, Anſelmus, Hugo de S. Victore, & ſi qui alii: In Græcis verò jam antè annos propè quingentos, Johannes Damaſcenus, Libris *de Orthodoxâ Fide*, qui paulo anteà è Græco in Latinum tranſlati fuerant.

Quæ Methodus Petri Lomb.

Hujus ſaltem æmulatione ductus *Petrus Lombardus*, à patriâ ſic dictus, quippè Novariâ Lombardiæ Tranſpadanæ oppido oriundus, aggreſſus eſt Opus quod inſcripſit *Sententiarum*, Libris IV. quod tamen compilaſſe ferunt, ex cujuſdam *Bandini* Sententiarum Theologicarum Libris itidem IV. inſigni plagio, de quo nuper Thomaſius de *Plagio Literar.* p. 493. &c. Pari jam cum Johanne *Damaſceno* diſtributione Librorum, pari ferè arte ac methodo, parique inſtituto, redactâ in compendium Theologiâ ejus temporis, per *Diſtinctiones*, & Sententias ex Hilario, Ambroſio, Auguſtino, &c. ſententiis Patrum pari ferè cum S. Scripturis auctoritate collatis. *Primo* Libro, agit de Deo, Perſonis Trinit. Attributis divinis, Præſcientiâ, Prædeſtinatione, &c. *Secundo*, de Creatione, Angelis, Hominis Lapſu, Libero Arbitrio, Gratiâ, Peccato tum Originali, tum Actualibus: *Tertio*, de Oeconomiâ Incarnationis, Redemptione per Chriſtum, Fide, Spe, Charitate, Mandatis utriuſque Tabulæ: *Quarto*, de Sacramentis Eccleſiæ, Baptiſmo, Euchariſtiâ, Pœnitentiâ, Confeſſione, Poteſtate Clavium, Extremâ Unctione, Ordinibus Eccleſiaſticis,

Digitized by Google

cis, Matrimonii Sacramento, Legibus Conjugii, Gradibus prohibitis, &c. Denique de Reſurrectione, & Noviſſimis, VII. ultimis diſtinctionibus. Ubi multa in Lombardo, ex Auguſtino præcipuè, ſaniora: V. gr. de *Scriptura* ſufficientiâ ad fidem; De *Prædeſtinatione*, vel *Electione* gratuitâ, citrà prævisionem meritorum; De *Obduratione* peccatoris, ſecundùm Dei judicium; De *Voluntate Dei* ſecundùm beneplacitum; quæ ſemper impletur de nobis, & in nobis, etiam per malorum hominum voluntates; De Impotentiâ *Liberi Arbitrii* ad Bonum, in ſtatu Peccati; De *Gratiâ præveniente* hominis voluntatem, ut bene velit; De *Concupiſcentiâ* originali; De *Peccatis*, quæ ſint & *Pœna* peccati; De *Converſione* Panis in Corpus Chriſti, quæ fit in Euchariſtiâ, an *ſubſtantialis* ſit, an *alterius generis*, *definire non ſufficio*, *Lib.* IV. Diſt. XI. initio. Hæc ſpeciminis ergò. Methodum totam, quoad ſeriem materiarum, ait lepidè Genebrardus, ad A. MCLIX. comprehendi illo verſiculo Danielis, *Eſt Deus in Cœlo Revelans Myſteria*; quia agit de *Deo*, de Creatione *Cœli* & Terræ, de *Revelatione* per Chriſtum, de *Myſteriis* ſive Sacramentis.

De Lombardo fabulæ.

II. *Auctor* verò princeps fuit *Petrus* ille qui à Patriâ dictus *Lombardus*, & à ſcripto præcipuo, *Magiſter Sententiarum*, Epiſcopus Pariſienſis indè ab Anno MCLIX. Fabuloſè idem creditus *frater* uterinus Gratiani, & Petri Comeſtoris, & quidem ex uno puerperio geniti, Matre adulterâ; ſed quam *adulterii pœnitere non potuit*, ut quæ tres præclaros Viros in lucem edidiſſet, ità Balæus ex Antonino Textore & Agrippâ, *Cent.* II. p. 190. Veriùs *fratres* fuêre inſtituti quâdam ſimilitudine, patriâ & gente diverſi. Lombardi autem Opus creditum nonnullis eſſe *Abælardi*, cujus ferebatur *Liber Sententiarum*, à Bernardo erroris non unius poſtulatus. Uti eodem ferè tempore *Sententiarum* Libros de S. Trinitate, compoſuit Robertus Pullus Anglus, non tam ex Patribus quàm ex Scripturâ S. ſententiis collectis. Fuit quoque illud Lombardi *hæreſeôs* non unius accuſatum à variis Adverſariis, & ab ipſo Alexandro III. ſcriptis Literis ad Wilhelmum Senonenſem Archiepiſc. circà Ann. MCLXX. Hinc damnatus ejuſdem error, in Concilio Pariſienſi, circà *Chriſti Humanitatem*, cujus Concilii Acta nulla habentur, benè *Epiſtolâ* Alexandri III. ad Archiep. Senonenſem, quam perperam inter Acta Concilii Lateranenſis III. Binius retulit. Damnat Alexander hanc locutionem *Petri quondam Pariſienſis Epiſc. quâ dicitur, quod Chriſtus ſecundum quod eſt Homo, non eſſe aliquid.* Quaſi negaſſet Petrus, Chriſtum eſſe *perfectum Hominem*, vel *verum Hominem*, *conſtantem ex animâ & corpore*, quod tamen non negavit. Accuſatus etiam idem Lombardus, ut ad calcem Librorum videre eſt, & ex decretis Pariſienſibus conſtat, *quod in aliis fidei Articulis ab Eccleſiâ Catholicâ deviâſſet.* Poſtmodùm idem *Opus* Scripturis non exæquandum modò, ſed & in Scholis anteponendum fuit. Multa autem in *Lombardo* ſaniora, cauſæ Pontificiæ adverſa, à Flacio Illyrico, Uſſerio, Forbeſio, aliiſque noſtratium collecta, habentur.

In eum accuſat.

Scholaſtici qui dicti?

III. Ab hoc tempore quotquot Lombardi methodum, doctrinam, auctoritatem ſecuti ſunt, dicti antiquo nomine, ſed novo ſignificatu, *Scholaſtici*. Nam primitùs *Scholæ* dictæ, Ædificia publica, in quæ conveniebant homines, ſive ſtudendi, ſive obſervandi, aut præſtolandi gratiâ, & ubi exercebatur ſevera Diſciplina. Hinc Scholæ aliæ Palatinæ, aliæ Civilium Magiſtratuum, deinceps aliæ Epiſcoporum, Sacerdotum, Cantorum, Monachorum, &c. Etiam *Scholaſtici* dicti, qui cauſas in foro orarent, qui declamarent circà lites; hinc qui eſſent diſerti, eloquentes; tum qui ſapientes, eruditi, Legum periti: Poſteà qui Scholis præeſſent jure Dignitatis, Patronatûs, undè *Scholaſticus* Dignitatis nomen; Tandem qui in Scholis docerent, Magiſtri Scholarum, ſeu hæ in Monaſteriis, ſeu alibi erectæ, Philoſophicæ, Theologicæ; in ſpecie qui traderent Philoſophiam & Theologiam, quam dixêre tum *Scholaſticam*. Ex quo autem hi Doctores ſurrexerunt, Scripturæ Sacræ magis negligi, ac Patres illis exæquari; errores Pontificii unicè incruſtari; diſputari multa curioſiùs; iri per veſtigia unius Lombardi; jurari in Magiſtrorum verba; utque Aventini vocibus utamur, Theologia tota *cœno quæſtionum*, *rivuliſque opinionum conturbari*, Annal. Bojor. *Lib.* VI. Sanior tamen fuit prima ætas Scholaſticorum ad *Albertum* uſque, in quâ parcior vel nulla Ariſtotelis in Theologicis dogmatis mentio. Primus in Lombardum commentatus eſt Alexander Halenſis, Monachus Anglus, clarus Seculo ſeq. dictus *Doctor Irrefragabilis*, & *Fons Vitæ*; quem mox excepit Albertus Magnus, mixturus hic primus *Philoſophiam* cum *Theologiâ*; uterque præceptor Thomæ Aquinatis, qui diſcipulus ſuprà Magiſtros tollendus fuit.

Hiſtor. Scholaſt.

IV. Theologiæ Scholaſticæ acceſſit *Hiſtoria Scholaſtica*. Auctor *Petrus Trecenſis*, Presbyter, vulgò *Comeſtor* ſeu *Manducator*, Gallis *le Mangeur*, Trecenſis natione, lepidâ cognomenti hujus ratione apud Trithemium, de Scriptor. Eccleſ. p. 275. Nempè, *dictum Manducatorem, quod Scripturarum auctoritates, in ſuis Sermonibus & Opuſculis, crebriùs allegando, quaſi in ventrem memoriæ manducaverit.* Dictus quoque fuit Magiſter *Hiſtoriæ Scholaſticæ*, aliquandò Cancellarius Acad. Pariſienſis. Hujus tota ratio fuit, quod Libris XVI. in compendium contraxerit Libros Hiſtoricos V. & N. T. admixtis non modò *multis externis Hiſtoriis, ut erat in Secularibus literis egregiè doctus*, judice Trithemio; ſed etiam admixtis *multis Apocryphis narrationibus, ſolâ Veterum traditione ſine ullo ſcripto acceptis*, ut de eo judicat ipſe Sixtus Senenſis, *Lib.* IV. Undè de illo dictum; Niſi melius comediſſet quàm ſcripſit, periiſſet fame. Fuit tamen non indoctus, nec illius temporis ſuperſtitiones omnes, aut diſciplinam, approbavit, nec *votum Cælibatûs*, ut Gyraldus Cambrenſis, in Ms. Bibl. Lambeth. apud. G. Cave, in hoc *Petro*.

Gratianus Monachus auctor Decreti.

V. Prævivit utique Petro, in contrahendi illâ diſtribuendique methodo, *Gratianus* Monachus Benedict. Gente Thuſcus, clarus inprimis medio Seculo, Papâ Eugenio III. intrà A. MCXL. & MCL. Huic enim pars prima Juris Canonici Pontificii, *Decreti* nomine, fertur accepta, quod potius eſt *Collectio Decretorum*, ut in Editionibus Democharis, & Contii, etiam *Decretorum Codex*, inſtigante Gratianum Yvone Carnotenſi. In quo rediguntur in compendium, certis ſub Titulis (per *Diſtinctiones*, tùm *Cauſas Quæſtioneſve*, tandem quæ ad materiam de *Conſecratione* pertinent) cumprimis Statuta ſeu Canones Conciliorum, dicta Patrum, Epiſtolæ & Conſtitutiones Romanorum Pontificum, nonnullæ & Leges Civiles; quibuſdam à Gratiano de ſuo inſertis: Multis autem adulteratis, aut mutilis, aut Apocryphis, inter quæ illud de *Donatione Conſtantini*, quam univerſa Hiſtoria reprobat, hinc cui *Palea* nomen adſcriptum. Quo de *Palea* nomine, an proprium, an appellativum id eſt, inanis litera, ſtramen grano & fructu carens; ſcil. notante Eugenio III. Pontif. cui recognoſcendum opus ſuum obtuliſſet Gratianus: An ab ipſo Gratiano paſſim additum, an verò ab aliis poſt eum, à Gratiani quodam Diſcipulo, à quo hæc adjecta ſint, ut addititia poſt Gratianum denotentur; an fortè *Palæa* cum Diphthongo, quaſi τὰ παλαιά, vulgò diſceptatur.

Mox confirmatum ferunt hoc Gratiani Decretum ab *Eugenio* III. referente ſaltem Auctore Vitæ Gra-

Digitized by Google

Gratiani, & Joh. Trithemio; ſed diſſimulantibus, aut etiam invitis, Auguſtino Barboſâ, Baronio, Bellarmino, Suarezio, & Correctoribus ſub Gregorio XIII. Quando ſunt in Gratiano plurima cum Decretis *Innocentianis*, & *Tridentinis*, pugnantia, ab Illyrico in Catal. Teſt. à Joh. Hallero Helvetio, ab Innocentio Gentileto Delphinate in *Apologiâ* pro Eccleſ. Reformatis, aliiſque repræſentata. Imò multa *à Gratiano per errorem inſerta eſſe, quæ cum veritate pugnent*, diſertè Emendatores Romani, Baronius, Delrio, & id genus mancipia hodierni Papatûs. Talia ſunt quæ ex primâ Antiquitate ſæpè adducuntur, ut Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Leone Rom. Proſpero, Gregorio I. &c. ex Canonibus Carthag. Chalcedonenſ. Trullanis, ac veteribus aliis; cumprimis in materiâ, de Scripturis, de Petro, de Romano Pontif. Ordinibus Sacris, Cœlibatu Cleric. Sacramentis, Confeſſione peccat. Conſecratione, &c. quæ ſunt Tridentinis hypotheſibus adverſa. Inprimis verò Anton. Auguſtinus Dialogis de *Emendat. Gratiani*, Libris II. à Doctiſſimo Baluzio illuſtratis, frequentes errores indicat, in quibus à Veteribus Conciliis, Canonibus, Patribus, ut hodiè legitur, deviavit: Multa citantur ut ex tali Concilio, ex tali Patre, vel Papâ, vel Libro aut Collectione, quæ alterius eſſe deprehenduntur, uno ſuppoſito pro alio; puta *Gregorio*, vel *Auguſtino*, pro Hieronymo, *Anaſtaſio* pro Athanaſio, *Martino Papâ*, pro Martino Braccarenſi, *Photino* pro Photio, ſic Concil. *Hipponenſi* pro *Epaunenſi*, &c. Sic allegantur tanquam ex fontibus, quæ ex rivulis lutulentum fluentibus, quandoque etiam quæ ex Apocryphis Scriptis, deſumpta; multa etiam præter Gratiani mentem irrepſêre, quæ in Veteribus Codd. non legantur. Ità, accuſante olim Antonino Florentino, *Summa* Majoris P. IV. *Tit.* XI. C. VIII. *In Decreto ponit Gratianus, quæ non tenentur; quædam alia à Conciliis, & ſummis Pontificibus ſunt edita, quæ ſunt revocata, ſeu immutata per Conſuetudinem generalem contrariam, & abrogata.* Adde multa, quæ cum ſententiâ & praxi Eccleſiæ Rom. diſſonant: V. gr. quod *Canones Synodi Sextæ* (Quini-ſextæ) in Trullo citet, *Diſt.* XVI. C. VI. quos Baronius, Allatius, & alii ex eo grege ſpurios habent; Quod tradat, *Presbyteros* (*Diſtinct.* XCV. *Cap.* II.) *poſſe baptizatos in frontibus chriſmate ungere*, quod Epiſcoporum tantum ſit; Quod habeat *Diſt.* XXXIV. C. IX. *Is qui non habet uxorem, ſed pro uxore concubinam, à Communione non repellatur*, imò in quibuſdam Codd. *loco uxoris concubinam habere debet*; quod alii, contrà Canones eſſe contendant: Imò quædam in Gratiano manifeſtè falſa, & impia, ut *Diſt.* XIII. in princ. *Inter duo peccata* poſito, *licere minus eligere, idque perpetrare*; ac ſimilia. Ità an ſint Gratiani, qui ad Decretum attexuntur Tituli, & Diſtinctiones de *Pœnitentiâ*, & *Conſecratione*, in quibus videntur quædam contraria R. Eccleſiæ dogmatis, à nonnullis dubitatur.

Gratum Opus R. E.

Quicquid ſit, eo gratius fuit iſtud Opus Romanæ Curiæ, quod Jus *Juſtinianæum* nuper repertum, & in Scholis jam publicè tradi cœptum, in multis Pontificiæ tùm cauſæ derogaret; *Canonicum* verò illud Gratiani, eſſet cauſæ iſti accommodatum, ſerviretque tempori. Inprimis poſtquàm adjunctæ Gratiano *Decretales* Pontificum, nominatim Alexandri III. digeſtæ certis ſub Titulis, ut videre eſt in *Append.* Concilii Lateran. III. Tomo X. p. 1535. Undè factum ab eo tempore, ut ſupremam in Occidentalem Eccleſiam poteſtatem ſibi arrogarint Romani Pontif. Antè enim obtinuerat, *Collectio Canonum* veterum, *Regulæ* vel *Conſtitut. Eccleſiaſticæ*, *Corpus Canonicum*, ſeu *Jus Canonicum* vetus, Ἀκολουθία τῶν Κανόνων, &c. Et in Scholis poſteà Digeſtorum locum habuit, Gratiani *Decretum*; Codicis, Libri *Decretalium*; Novellarum, *Clementinæ*, & *Extravagantes*.

VI. Acceſſerunt deinceps *Decretalium* Libri *quinque*, juſſu Gregorii IX. ex prioribus collectionibus Conſtitutionum *Papalium* digeſti, circà A. MCCXXX. auctore Raymundo Catalauno, Ord. Prædicatorum, Papæ Pœnitentiario: Et hi communiter veniunt nomine EXTRA, quaſi *extrà Decretum* Gratiani; uti vox SUPRA, in ejuſdem Gratiani allegatione, frequenter occurrit, id eſt, *ſuprà Decretales*, ex ipſo Decreto nempè, vel Collectione antiquiore quam ſunt Decretales. Et hi Libri ſunt pars altera *Pontificii* Juris. Adjectus poſteà Liber *Sextus* Decretalium, per Bonifacium VIII. ex noviſſimis Conſtitutionibus ſuccedentium Paparum: Tùm *Clementinæ*, juſſu Clementis V. digeſtæ, & ſancitæ pleræque in Concilio Viennenſi, mox vulgatæ à Joh. XXII. Tandem *Extravagantes*, cùm ſpeciales ejuſdem Johannis XXII. tùm communes aliorum Pontificum, privato ſtudio ſubjunctæ. Ex his omnibus *Jus* vulgò *Canonicum* eſt conſarcinatum, præter *Gloſſas* ſeu verborum, ſeu rerum, quæ illi acceſſêre, ſæpè peropportunas, hinc Cenſuram quoque paſſas Pii V. & Gregorii XIII. Tacemus *Regulas Cancellariæ*, & *Rotæ* Romanæ; item *Bullarium*, in quo integræ Pontificum Sanctiones ſeu Bullæ, ex Regeſtis promptæ, colligente eas ſub Sixto V. Laërtio Cherubino, ac Tomis III. diſtinguente.

XI. *Scriptores alii Eccleſiaſtici, tam in Oriente, quàm in Occidente, hac Ætate celebres.*

Debiſis gener.

I. Scriptorum hoc Seculo, corruptiſſimo quanquàm, non infrequens turba fuit, quorum alii rursùs in *Occidente*, in *Oriente* alii. Ac *Latini* quidem, maximam partem de grege Monachorum, vel in iis Abbates, nonnulli & Præſules Eccleſiarum. Quorum omnium Indices ex Henrico Gandavenſi, Trithemio, Sixto, Balæo, Magdeburgenſ. Poſſevino, Bellarmino, Miræo, Ph. Labbæo, Voſſio, Oudino, Cavio, Al. Natali, cumprimis El. Du-Pin ad *Secul.* XII. aliiſque requirantur. Nec vel ſingulos memoràſſe, vel criſim adjeciſſe noſtram, hujus paginæ fuit. Alii verò res *Theologicas* aut *Morales* pertractârunt; alii *Hiſtorias* vel *Chronica* digeſſerunt; alii *Canones*, & *Conſtitutiones* Eccleſiaſt. aut Monachales compilârunt; alii *Legendas* auxerunt, ſcriptis *Vitis* & *Miraculis* Sanctorum Sanctarumve, in Romano Calendario; alii etiam *Hæreticis* adſcribendi fuerunt, ut ſuprà Petrus Abælardus, Gilbertus Porretanus, Petrus Lombardus. Si qui tamen hìc in ſpecie recenſendi inter eos qui de rebus Sacris commentati ſunt, celebriores quidem fuêre: *Anſelmus* Cantuarienſis Archiep. denatus An. MCIX. de quo jam ad ſuperius Seculum: Anſelmi duo. *Anſelmus* Laudunenſis Eccl. Decanus (*Laon* Gallis) auctor creditus *Gloſſæ* Interlinearis in Vet. & Novum Teſtam. In ejus Scholâ Laudunenſi, quæ tum celeberrimâ fuit, ſic educatus fuit Petrus Abælardus, ut ipſe profiteatur in *Hiſtoriâ* ſuarum *Calamitat.* C. III. *Ad quem ſi quis de aliquâ quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior.* In eadem Scholâ fuêre Anſelmi diſcipuli, Guil. de Campellis, Guilielmus Cantuar. Archiepiſcopus, Albericus Remenſis, & alii.

Guilielmus de Campellis.

Guilielmus de Campellis, (*de Champeaux*) laudatiſſimus Bernardo, qui è Laudunenſi Scholâ profectus Lutetiam, ibi Scholam Philoſophicam erexit; ubi inter præcipuos Auditores habuit *Petrum Abælardum*, ætatis & ſtudii tempore multis quidem poſteriorem, priorem ingenio, doctrinâ; undè ab eo tempore ſenſit hic invidiæ & æmulationis morſus. Deinde Guilielmus hic ad majorem Prælationis gradum promotus, factus eſt Epiſcopus Catalaunenſis, *de Chalons*. Hujus quidem nihil certi habetur; quam-

vis

Digitized by Google

vis primus *Librum Sententiarum* ſcripſiſſe dicatur, qui habetur Ms. in Eccleſiâ Epiſcopali Pariſienſi. De eo plura Joh. Launoius, de Scholis Celebrioribus, *Cap.* LIX. *Art.* II.

Rupertus Tuitienſis.

Hinc *Rupertus Tuitienſis* Abbas è regione Colon. Agrippinæ, Henrico V. Imperat. & Paſchali II. Papâ, Commentator Scripturarum, pro temporis conditione, & eruditus & pius, licet *Methodo* Hiſtoricâ & Dogmaticâ, variis quæſtionibus agitatis ut ferebant tempora, per Locos Theologicos digeſtis. Multa is egregiè, de Scripturâ S. de Eccleſiâ inædificatâ *ſuper Petram quæ eſt Chriſtus*, de Gratiâ, de Juſtificatione per fidem, nullis Operum meritis, de Euchariſtiâ S. Certè de hac ſcribit Tuitienſis Abbas, quæ cum *Tranſſubſtantiatione* Innocentianâ, ſeu Converſione ſubſtantiali Symbolorum, vel ἀρτολατρείᾳ minimè conveniunt, ut fatentur Baronius, Bellarminus, &c. ac pluribus deſcribunt Illyricus *Lib.* XIV. in *Ruperto*, & paſſim Uſſerius contrà Jeſuit. Hibernum, Forbeſius Intr. Theol. Hiſt. *Lib.* XI. C. X. Aubertinus de Sacram. Euchariſtiæ *Lib.* I. &c.

Petrus Mauricius.

Petrus Mauricius Cluniacenſis Abbas, coævus atque amiciſſimus Bernardo, *Venerabilis* dictus ob doctrinam & mores; liberrimus iſte in *Epiſtolis* ſuis caſtigator corruptionis Papalis, Clericalis, & Monachalis: Multa etiam is quæ cum Traditionibus Pontificiis minimè concordant, ut à Flacio & aliis oſtenſum. Seriem Epiſtolarum vide apud El. Du-Pin.

Bernardus Clarav.

Bernardus ex Ciſtertienſi Monacho Claravallenſis Abbas, quamvis vix annos XXV. natus, nempè ab An. MCXV. magnæ ſuprà reliquos omnes & auctoritatis & ſanctitatis Scriptor, præceptor Eugenii III. Vir dignior Ævo meliore, fax quædam in his Papatûs tenebris cœlitùs accenſa, in Scripturis tractandis & commentandis plurimus, in Meditationibus ſublimis, in doctrinâ de Gratiâ eximius, planè ad Auguſtini mentem, in praxi admirandus, in ſententiis penè divinus, in ſtylo gravis & venuſtus, miro dicendi lepore afficiens Lectores; denique in accuſandis Papis, Monachis, Clero univerſo, ac ſuperſtitionibus variis, etiam improbato *Feſto Conceptionis B. Virginis*, &c. acer ac vehemens. Multa ex Epiſtolis, & Scriptis aliis Bernardi, ſaniora eruerunt, in doctrinâ de S. Scripturarum perfectione & ſufficientiâ; de Divinâ Gratiâ præveniente, convertente, adjuvante; de Juſtificatione gratuitâ per fidem, oppoſitè ad noſtra opera, noſtram juſtitiam; de duobus tantùm Sacramentis, Baptiſmo & Euchariſtiâ; de corruptione & anarchiâ Eccleſiæ Romanæ; de Characteribus Antichriſti, quales tribuit Anacleto Antipapæ, &c. qui de Teſtibus Veritatis hoc Seculo ſcripſêre, aut de his Capitibus commentati, Flacius, Mornæus, Uſſerius, Forbeſius, Chamierus, & alii. Moriturus hæc *tria* Fratribus reliquiſſe documenta in Teſtamento fertur, apud Nauclerum *Tomo* II. Generat. XXXIX. p. 838. *Nemini in vitâ meâ ſcandalum dare volui*, intentione ſcilicet; *Minus ſemper ſenſui meo credidi, quam alterius*; *Læſus nunquàm vindictam expetivi.* Cæterùm, objurgatus nimiæ πολυπραγμοσύνης, & credulitatis, vehementiorum affectuum, & præoccupati judicii in Gillebertum Porretanum, Petrum Bruſium, Petrum Abælardum, &c. quos conviciis proſcindit; etiam præpoſteræ æmulationis in cauſâ Abælardi, ipſo notante Ottone Friſingenſi. Idem, quæ fuêre tempora, auctoritati *Pontificiæ*, Beatæ *Mariæ* Virgini, quanquam *non egenti falſo honore*, traditioni de *Purgatorio*, profectioni ad *Bellum Sacrum* Cruce aſſumptâ, & per Bernardum inprimis commendatâ, *Superſtitionibus* nonnullis aliis, ac profeſſioni *Monachatûs*, nimiùm tribuens: Fundator (inquit Genebrardus) CXL. Monaſteriorum ſui Ordinis, in univerſum (inquit Baronius ad An. MCLIII.) Monaſteriorum CLX. Sic ille ad A. MCLIII.

Baronius notat.

qui emortualis fuit Bernardo, *Num.* XIV. *Verè Vir Apoſtolicus, imò verus Apoſtolus miſſus à Deo, potens opere & ſermone, illuſtrans ubique & in omnibus ſuum Apoſtolatum frequentibus ſignis*, (quæ præter vitæ ſanctitatem ut erant tempora, zelum inprimis pro Apoſtolicâ Sede, nulla ſunt apud Hiſtoricos, benè apud *Monachos* & *Legendarios*, & in Libris de *Miraculis S. Bernardi*, nuper editis) *ut planè nihil minus habuerit à magnis Apoſtolis. Hic vivens jam centum ſexaginta Monaſteria* (id eſt, Domos vel Clauſtra, in quibus Monachi inertes, otioſi, ventri, vino, luxui, faſtui, cachinno, nugis dediti, plerumque immundæ Simiæ, feri Leones, monſtruoſi Centauri, Semi-homines, maculoſæ Tigrides, Milites pugnantes, Venatores tibicinantes, Corpus unum in quo Capita multa, &c. ut ipſe Bernardus graphicè deſcribit Monachos Cluniacenſes, & reliquos, *Apologiâ* ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici, *S. Thierry*, qui *Vitam* Bernardi ſcripſit) *ubique terrarum erexit. Sed iſta minora, reſpectu illorum quæ extrà Clauſtra, in diverſis Orbis Eccleſiis, potiſſimùm vero pro Romanâ operatus eſt Eccleſiâ.* Hunc Alexander III. cenſuit *Sanctis* annumerandum, uti Thomam Becketum Cantuar. & alios. De ejus autem viſionibus, miraculis, apparitionibus antè & poſt mortem, ſunt plauſtra fabularum, ad calcem Operum Bernardi, ex Mss. nondùm editis, Baronio multa horum exaggerante. *Vitam* Bernardi ſcripſêre plures, quos edidit Mabillon in ultimâ *Edit.* Operum Bernardi, A. MDCXC. Adeò ut vix ullus antiquorum Patrum tot habuerit βιογράφους, & nullus totiens in lucem editus intelligatur.

Hugo de S. Victore. Alii multi.

Coævus Bernardo fuit, in Scripturis declarandis plurimus, ſed methodo ferè Scholaſticâ & quæſtionariâ, etiam allegoricis interpretamentis indulgens, Auguſtinum ut plurimùm ſecutus, *Hugo de S. Victore*, vel *Victorinus*; ſic à Cœnobio propè Pariſios cognominatus, natione Saxo, alter dictus Auguſtinus, Commentator in omnes ferè Scripturas, adhæc Scriptis plurimis clarus Didaſcalicis, Moralibus, &c. quorum Catalogum exhibent qui de Scriptoribus Eccleſ. ex profeſſo ſcripſêre. Sed cui multa tributa quæ ſunt *Hugonis* Corbeienſis Monachi; vel *Richardi* de S. Victore, ejuſdem Cœnobii Canonici, natione Scoti, qui cum Hugone & Bernardo magnâ neceſſitudine conjunctus fuit. Sic inclyti hoc Monachali vel Scholaſtico Seculo, *Petrus* patriâ *Bleſenſis*, variis in Galliâ & in Angliâ dignitatibus ornatus, florens adhuc ſub Alexandro III. Cujus cùm varia extant, tùm Epiſtolæ, in quibus in *Babylonem* ſui temporis, & *in corruptionem* planè deteſtandam, ſtylo aculeato & ſublimi, inſurgit. Ita *Petrus Cellenſis* Abbas, in Campaniâ, dein Carnutenſium Epiſcopus; *Arnulphus* Luxovienſis in Normanniâ Epiſcopus, cujus quædam ἀνέκδοτα edidit Dacherius; *Johannes Sariſberienſis*, vel *Saliſburienſis*, Carnotenſis dein Epiſcopus, familiaris Adriano IV. & Thomæ Becketo; idemque in *Polycratico* ſuo, & paſſim, tyrannidis Pontificiæ, & Cleri Romani liberrimus caſtigator; exemplis apud Balæum, Magdeburgenſes, Illyricum, Mornæum, Uſſerium, &c. *Joachimus* Abbas Ord. Ciſtert. in Calabriâ, Spiritu Prophetico, ut ferunt, afflatus, ſed *Pſeudo-propheta* Baronio, quia multa is in Romanos Pontifices, & Antichriſtianiſmum R. Eccleſiæ, de quo jam ſuprà. Tacemus *Petrum Cantorem* Pariſienſem, cujus feruntur *Summæ*, & lucubrationes in *Scripturas* Allegoricæ; *Robertum Pullum* Anglum, R. E. Cardinalem, Scripturæ in illis tenebris non ignarum, ut ex Libris vel Sententiis de *Trinitate* apparet; *Ernulphum* Anglum itidem, ex Monacho Bened. Roffenſem poſteà Epiſcopum, cujus *Epiſtolas* duas edidit Dacherius, *Specil.* T. II. p. 410. 431. non contemnendas: Alteram de *Inceſtis Conjugiis*, quæ per Divortium ſolvi poſ-

Digitized by Google

poſſe & debere ex Scripturis S. recte oſtendit: Alteram, in quâ Lamberti cujuſdam quæſtionibus reſpondet, de *Ritibus Euchariſticis*: V. gr. Cur panis vel hoſtia *Sanguine imtincta* vel infuſa exhibeatur, ex veteri obſervantiâ, ut tum adhuc communicarent *ſub utrâque* ſpecie; Sic cur *tertia* pars in Calice ponatur, alibi *quarta* pars, diviſâ ſic hoſtiâ, ut *panem* Chriſtus *fregit*, quum Corpus ipſum Sacramentaliter figuratum eſſet indiviſum; Sic cur ſeparatim *Sanguis* exhibeatur, ſi in perceptione Hoſtiæ conſecratæ totum Corpus ſumitur; nempè quia Dominus inſtituendo Sacramentum, diſtinctè Sacramentum Corporis, tùm Sanguinis exhibuit, quando *ſeparatim & ſanguis ſine corpore*, ut effuſus nempè, *& Corpus percipitur ſine ſanguine*, ut ille pluribus loco cit. p. 439. Quæ cum Tranſſubſtantiatione Innocentianâ non concordant. Adde his *Anſelmum* Havelbergenſem, qui adverſus Græcos ſcripſit; *Petrum Pictavienſem*, Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarium, id genus Scriptores benè multos, de quibus prolixè poſt alios Labbeus, Oudinus, Cave, Du-Pin, &c.

Hiſtorici & Chronogr.

In Hiſtoricis & Chronographis eminent, de quibus paſſim in antecedentibus, & prolixè poſt Trithemium, & alios vetuſtiores, noſter Ger. J. Voſſius de Hiſtoricis Latinis: *Yvo* Carnotenſis Epiſcopus, ſub initia hujus Sec. cujus *Epiſtolæ* penè ccc. prodierunt; & præter *Hiſtorica*, quale Chronicon eſt de Regibus Francorum, inprimis illi debetur Collectio Canonum ſeu *Decretorum*, maximam partem ex Burchardo Wormatienſi deſumpta, hinc *Pannormia*, ſeu Decretorum ſumma quædam, de quâ prolixè Stephanus Baluzius ad Anton. Auguſtinum de Emendat. Gratiani, & Gerh. von Maeſtricht, de Jure Eccleſ. *paragr.* 263. & *ſeq.* *Sigebertus* Gemblacenſis Monachus (ſæpè exagitandus Baronio, & *Schiſmaticorum* illi fautor) producto Chronico ad A. MCXII. quod caſtigavit & continuavit Miræus, qui & Sigebertum de *Viris Illuſtribus* dedit illuſtratum. *Otto Friſingenſis* Epiſc. natus filiâ Henrici IV. Imperat. Chronographus inſignis, & ingenuus quoque ſcriptor rerum Friderici I. cognomento Barbaroſſæ, inviſiſſimus Baronio, & Papicolis: *Florentius* Bavonius, Wigornienſis Monachus, in *Chronico* Sigebertum imitatus, ad An. MCXVIII. Tùm & rerum Anglicarum hoc Ævo Scriptores: Ex. gr. *Guilielmus Malmesburienſis*, Monachus O. Bened. cognomento Bibliothecarius, Hiſtoricus & Chronographus inſignis, Balæo, Uſſerio, ac Britannis laudatus. Hinc *Simeon Dunelmenſis*, O. Bened. Monachus, *Galfridus* Monumeth. poſteà Aſaphenſis Epiſc. *Henr. Huntingtonenſis* Archidiac. *Rogerius Hovedenus Prof.* Oxonienſis, *Gervaſius* Dorobern. ſeu Cantuarienſis Monachus, *Guilielmus Litle* ſeu Parvus, Neubrigienſis Canonicus Regul. *Radulphus de Diceto* Eccl. Paulinæ Decanus, & plures alii hoc Sec. variè editi, inter Scriptores rerum Anglicanar. Francofurti A. 1601. Londini A. 1652. Oxonii curante Doctiſſ. Gale, A. 1691. præter Savilium, Cambdenum, Seldenum, Whartonum, &c. qui ad Hiſtoriæ Anglicanæ lucem multum contulerunt.

Script. Belli Sacri.

Adde Scriptores Hiſtoriæ *Hieroſolymitanæ*, & Belli Sacri: Quos inter eminent, in *Geſtis Dei per Francos*, à Bongarſio collectis, *Robertus* Monachus Cœnobii Remenſis, teſtis ipſe in Palæſtinâ circà A. MCXX. *Baldericus* ex Abbate Dolenſium Archiepiſc. *Raymundus de Agiles*, Canonicus Podienſis (*Puy-Laurent*) in Diœceſi Albienſium, qui teſtis fuiſſe dicitur effoſſæ in tractu Antiocheno *Lanceæ Dominicæ*, de quâ ſuprà *Cap.* II. *Albertus* Aquenſis Eccleſiæ Cuſtos, & alii antè adducti, in Hiſt. Belli Sacri, hoc Seculo *Cap.* II. In iis primas meretur *Guilielmus* Archiepiſc. Tyrius, deſperatis in Oriente rebus in Occidentem ablegatus, patriâ omninò non Gallus, ut quidam, ſed Syrus; Libris XXIII. de Bello Sacro conſcriptis, indè ab ejus primordiis ſub Urbano II. Faventior is Latinis, ut hos Orientalibus devinciret, quorum Lateranenſi Synodo, ſub Alexandro III. interfuit: Cæterum doctrinâ, judicii ἀγχινοίᾳ, rerum narratarum ordine, & elegantiâ ſcriptionis, facile inter omnes hoſce Hiſtoricos princeps. Reliqui diligentiâ Guil. Cambdeni, Fr. Pithœi, Marq. Freheri, Jac. Bongarſii, Pauli Petavii, aliorumque, & nuper doctiſſimorum in Britanniâ Virorum, prodierunt in publicam lucem.

Res Slavonicas ſcripsêre hoc eodem Seculo *Helmoldus* Presbyter, orſus indè à Carolo M. Res Normannicas, *Guil. Gemeticenſis* Cœnobita Normannus ipſe, & Monachus. Res Bohemicas, *Coſmus* Pragenſis, Libris III. Res Germanicas, Francicas, alii, videndi in notiſſimis *Collectionibus* Scriptorum Germanicorum, in *Collectaneis* Ducheſnii, T. III. IV. & apud laudatos antè Scriptores.

Vitar. Scriptor.

Qui *Vitas* ediderint, ſeu *Divorum* qui priori Ætate vixerant, ſeu Sanctorum hujus ſuperſtitioſiſſimi Ævi, ut *Hugonis* Cluniacenſis, *Hugonis* Gratianopolitani, *Anſelmi* Cantuarienſis, *Thomæ* Cantuarienſis, *Bernardi* Claravallenſis, &c. prope ſunt innumeri apud Surium, Baronium, Bellarminum, & indicatos non ſemel Scriptores.

Fœminæ ſcriptis celebres.

Tacemus Fœminarum hoc Ævo ſcripta quædam: Sic *Heloiſſæ* præſtanti formâ, ingenio, ſcientiâ, ac prudentiâ fœminæ, *Epiſtolas* ad Petrum Abælardum, Maritum quondam ſuum, poſtquàm illa ſeceſſerat in Monaſterium Paracletenſe, cujus Abbatiſſam egit: In quibus, & illis Petri ad Heloiſſam, patet eam Latinè, Græcè, Hebraicè doctam, quæ Veteris & Novi Teſt. Libros in textu Originali lectitaret; adhæc amore & fide ergà Abælardum conſtantem fuiſſe; ad quem etiam ſcribit, ut de *origine Religionis Monaſticæ & Sanctimonialium*, ſe inſtrueret, vivendi *Regulam* ſeu Inſtitutionem ſibi & Monialibus ſuis præſcriberet, fundator ipſe Monaſterii; ſiquidem in Regula *Benedictina* eſſent quamplurima quæ, ſuâ auſteritate, cum ſexûs muliebris imbecillitate minimè convenirent. Habentur Epiſtolæ illæ in Operibus Abælardi. Ità celebris *Viſionibus* ſuis & Revelationibus ſuis *Elizabetha* Schonaugenſis, Abbatiſſa in Diœceſi Trevirenſi, ſoror Eckberti Abbatis, item ſcriptis Epiſtolis in vulgus editis: Huic debentur oſſa S. Urſulæ, & XI. M. Virginum, ipſi per revelationem indicata, quo illa loco recondita eſſent. *Hildegardis* Abbatiſſa altera propè Bingam, in Diœceſi Moguntinâ, ſimiliter conſcripſit Revelationum Libros, viſos & probatos Eugenio III. quum in Germaniis ageret, dein ſucceſſoribus Eugenii: Scripſit & Opuſcula plurima *tanquam ex revelatione Angelicâ*, ſcil. Explanationem in Regulam Bened. De Sacramento Altaris, Vitæ Meritorium, de futuris Eccleſiæ Calamitatibus, &c. De poſtremis, Elizabethâ & Hildegardi, plura Trithemius, Libro de Viris Illuſtribus, *pag.* 137. 138. ne dicam Surium & Legendarios.

Scriptores in Oriente.

II. Inter Græcos hujus Ævi Scriptores, *alii quidem inediti*, nec pauci illi, cauſæ Græcorum contrà Latinos defenſores, ſuprà *memorati*, *Cap.* IX. iidemque paſſim ab Allatio & aliis *citati*: Quorum latitant plerique in Bibliothecis Vaticanâ, Cæſarienſi, Venetâ, Bavarâ, Barberinâ, Ottoboni, Auguſtanâ, Baſileenſi, Oxonienſi, Chriſtianiſſimi Regis, &c. nonnulli & in Leydenſi noſtrâ. Catalogi Mss. jam paſſim extant, & Anglicani Codd. Mss. Oxonienſes, Cantabrig. Londinenſ. Cottoniani, &c. nuper ex Anglorum Catalogis vulgati.

Joh. Zonaras.

In *editis* celebriores ſunt: *Johannes Zonaras*, Monachus, Annalium ſcriptor ab Orbe Condito ad tempora Alexii Comneni: Cui iſtud, ſuprà Theophanem, Cedrenum, Curopalatem, conſilii fuiſſe vide-

videtur, ut ſingularia quæque, & quæ ad rem Hiſtoricam plurimum ponderis adferrent, obſervaret, reliqua compendioſè tantum commemoraret, ut patet ex *Proœmio*. In *tres* Tomos à Wolfio, quorum primo res Hebræorum præcipuè complexus ſit, ab initio Mundi ad Excidium Hieroſolymit. altero, res Romanorum perſtringat, ab U. C. ad Conſtantinum M. uſque; tertius, Imperatorum res geſtas compendio enarret, à Conſtantino M. ad obitum Alexii Comneni. Sed cum ipſe Zonaras in *Proœmio*, tùm Carolus du Freſne noviſſimâ Editione *Annalium* Zonaræ, An. MDCLXXXVI. in *duos* Tomos totum Opus diſtribuit, quorum poſterior incipit à *Libro* XIII. & à rebus Conſtantini Magni. Majoris is fidei Hiſtoricus, quàm vel curæ, vel judicii ſæpè. Scripſit & Commentarios in Canones omnes Apoſtolicos, & Eccleſiaſticos ſeu Conciliorum, *ſapienter & aptè*, ὡς οὐκ ἄν τις κρεῖττον, inquit alicubi ipſe Balſamon. Scripſit & alia plurima, ut Lambecius monet *Libris* III. IV. V. Bibliothecæ Cæſareæ, & Leo Allatius in Symmictis, ac Syntagmate de Georgiorum Scriptis; præter ea quæ dicuntur ſervari in Biblioth. Regiâ Chriſtianiſſ. & quæ exhibet Carolus du Freſne in Præfat. ad Zonaram.

Euthymius Monachus. *Euthymius* Monachus *Zigabenus*, ſcriptor Panopliæ contrà Hæreſes, ex Patribus collectæ, juſſu Alexii Comneni, ſcriptæ ſub initia hujus Seculi. Quicquid garriat Allatius, *Latinorum* in Panopliâ Hæreſes illum tacuiſſe, certè acris defenſor fuit cauſæ Græcorum. Sed hactenùs, premente Vaticanâ Biblioth. & aliis, nonniſi Verſio hujus Operis habetur, Lugduni, Pariſiis, Venetiis excuſa typis. Hujus cum laude meminerunt in Hiſtoriis ſuis Anna Comnena, & Joh. Zonaras, ut aliàs obſervatum eſt.

Euſtathius Theſſal. *Euſtathius* Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, ſub Manuele & Alexio Comnenis, Vir hoc Seculo literis ſacris & prophanis eruditiſſimus, quod vel ejus in Homerum, & in Dionyſium Periegetem Commentarii, abundè teſtantur. Et huic ferè σύγχρονος *Johannes Tzetzes*, inclytus Scholiaſtes. Sed hi non referendi ſunt in cenſum Scriptorum Eccleſiaſticorum. Benè *Euſtratius Nicænus*, florens ſub eodem Alexio, qui reſponſionem oppoſuit Scripto *Petri Mediolanenſis*, aliàs Chryſolani, de Proceſſione Spiritûs S. ad Alexium Comnen. Petri Scriptum, ſive λόγον, vulgavit Gr. & Lat. Leo Allatius in Græciâ Orthod. T. I. p. 379. Euſtratii verò refutationem paſſim aſſervant Ms. Bibliothecæ, certè Vallicellana, ut teſtatur Allatius de Conſ. Orient. C. x. N. II. Vir fuit ſuo tempore doctiſſimus, τά τε θεῖα σοφὸς, καὶ τὰ θύραθεν, ut de eo Anna Comnena. Imò plura ſcripſiſſe contrà Latinos teſtis idem Allatius, qui dicit loco cit. viſos eſſe à ſe *Tractatus quinque de eodem argumento*, puta *de Spiritu S.*

Theodorus Balſamon. *Theodorus Balſamon*, Vir ſub finem hujus Ætatis ſcriptis ac famâ inclytus, Patriarcha Antiochenus ſed magis titulo tenùs, ſub Latinorum imperio: Notus hic Expoſitione Canonum omnium, etiam Nomocanonis Photiani, juſſu Alexii Comneni & Michaëlis Patriarchæ; Meditatis de Patriarcharum Privilegiis, in Jure Græco-Rom. Lib. VII. p. 442; Reſponſionibus ad quæſtiones Marci Patriarchæ Alexandrini, de variis quæ ad Eccleſiæ Ritus, Diſciplinam, habitudinem cum Hæreticis, etiam cum Latinis: Extant in Jure Orient. *Lib.* V. p. 362. Tam Balſamon laudatus Græcis & doctis omnibus, quàm eſt inviſus Latinis, & de quo iniquiſſimum eſt judicium, ut paſſim Leonis Allatii, ita quoque Cæſ. Baronii ad A. MCXCI. *Num.* LI. & LXII. Allatius de Conſ. *Lib.* II. C. XIII. N. IV. *His iiſdem temporibus florebat Theodorus Balſamon, qui juſſu Alexii Comneni, & Michaëlis Anchiali, Expoſitionem Nomocanonis Photii & Canonum aggreſſus, opus poſtmodùm abſolutum Georgio Xiphilino nuncupavit: Qui Latinam Eccleſiam ut poteſt infamat, ſed execrabiliora evomuit in Meditatis*, (hæc ille ex Baronio) *cum de Patriarcharum privilegiis ageret, & in Reſponſionibus ad Marcum Patr. Alex.* Baronius verò garrit, idcircò Balſamonem tribuiſſe multum Donationi ſeu Decreto Conſtantini M. in favorem Rom. Eccl. quoniam *affectavit, ex privilegiis Imperatorum Conſtantinopolitanam Eccleſiam habere, quæ habet Romana Eccleſia.* Quaſi non aliundè id habuerit Balſamon, qui ſanè ex decreto Conſtantini ad Papam Sylveſtr. aſſerit jura *Romani* Epiſc. Aſt illa *Conſtantinopolitani*, cui competant τὰ πρεσβεῖα τοῦ Πάππα *privilegia Papæ*, adſtruit ex II. & IV. *univerſali Synodo*, de quibus ad Sec. IV. & V. Videatur ad Nomocanonem Photii, *Tit.* VIII. C. I. & ad Canones Antiochenos, *Can.* XII. Nec facit quicquam ad primatum Conſtantinopolit. Eccleſiæ, *Conſtantini* ea Donatio; quaſi illa à *Græcis* eſſet conficta, & *in ſuam utilitatem*, ne ſcil. privilegia Romani Epiſcopi aliundè quàm ab Imperatore Conſtantino originem traxiſſe viderentur; quæ Baronius cum ſuis contendit, *à Chriſto accepiſſe Romanos Pontifices.* Abſurdiſſimè omnia! Hinc dicit Annal. Scriptor, contrà *Balſamonem* ſtrinxiſſe calamum *Demetrium Chomatenum* Archiep. Bulgariæ; qui ſi vel maximè Demetrius fuiſſet è Græcis Latinizatis, parum obeſſet cauſæ Balſamonis: Sed patet Demetrium circà *Azyma*, & alios quoſdam Latinorum *Ritus* ità mitiùs ſenſiſſe, ut hactenùs ab omni *Latinorum ſocietate* non abhorreret; ut tamen in contrarium ſcribat, eorum τὸ μέγιστον σφάλμα *maximum erratum*, *incurrere faciens in laqueum Inferni*, eſſe τὴν ἐν τῷ τοῦ Πίστεως Συμβόλῳ καινοτομίαν, ἣν ἐποιήσαντο, ἀνακηρύττοντες τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, *innovationem in Fidei Symbolo, quam fecerunt, promulgando Spiritum S. ex Patre & ex Filio procedere.* Et quæ ibi plura, in Collectionibus Leunclavii & Freheri, *Lib.* V. p. 316. & ſeq.

Hiſtorici celebres inter Byzant. Claruêre & hac Ætate ex Hiſtoricis Byzantinis, de quibus prolixè Editores Pariſini, tùm Meurſius, Wolfius, Voſſius, Hankius, &c. *Michaël Glycas* Siculus, clarus ſub Manuële Comn. cujus Hiſtoriam Græcam ab Orbe Condito aſſervamus Leydæ Ms. editam & in Corpore Byzantino: *Conſtantinus Manaſſes*, cujus ſimiliter extat Politicis verſibus Breviarium hiſtoricum, ab Orbe Cond. ad Alexii temp. Græcè primùm edidit Meurſius noſter A. 1616. Deinde typis Reg. prodiit A. MDCLV. cum Notis Leunclavii, &c. *Anna Comnena*, Alexii Imperatoris filia, res Patris ſui (*Libris* XV. Alexiados) doctè & eleganter complexa, qui nuper integri ex Codice Florentino Typis Regiis prodière; quum antè Libros priores VIII. Hoeſchelius ex Auguſtanâ Bibl. vulgaſſet. Patet etiam ex *Annâ*, multa evomuiſſe Latinos Scriptores in Alexium, ex odio Græcorum, excepto fortè Alberto Aquenſi Canonico; viciſſim Annam multa diſſimulaſſe, & indulſiſſe amori in Patrem. Ingenium illius, acumen, doctrinam, Atticiſmum, conſuetudinem cum Libris, & Viris Doctis, efferunt Zonaras, & Nicetas Choniates. *Johannes Cinnamus* vel Sinnamus, Alexiados Comnenianæ continuator, uſque ad initia Alexii Comneni Junioris, nuper & typis vulgatus, ex Ms. Vaticano, operâ Caroli du Freſne, Typis Reg. A. MDCLXX. *Nicetas Acominatus Choniates*, continuator Zonaræ, ſcil. ab obitu Alexii Senioris ad captam à Francis Conſtantinopolim, A. Mundi MMMMMCLXXXIII. Chriſti MCCIV. Edidit, ex interpretatione Hier. Wolfii, Carolus Annibal Fabrottus, J. C. inter Byzantinos Hiſtor. Pariſiis MDCXLVII. De eo ita Wolfius, *Zonaram Choniates ſequitur, homo ſua ætate non tantùm magnis Dignitatibus ornatus, ſed etiam ingenio & multiplici doctrinâ præſtans, & veritatis hiſtoriæ (ut mihi videtur) ubique ſtudioſus, ordine aptiſſimo*

Digitized by Google

mo & Lectoribus utiliſſimo. *Choniates* dictus à Chonis Phrygiæ urbe, ex quâ ſe ortum gloriatur, *Acominatus* gentilitio nomine; dignitate fuit *Logotheta* τ͂ Σεκρέτων, id eſt, ut ipſe reddit, Cancellarius, & ſecretior Judex. A quo Chronicon ſuum exorſus eſt, Choniatæ continuator, *Georgius Logothetes Acropolita*, qui de Rebus Conſtantinopolit. uſque ad Michaëlem Palæologum; à quo rurſum, id eſt, à tyrannide Michaëlis, exorſus hiſtoriam ſuam *Georgius Pachymeres*. Sed poſteriores hi ad ſequens Seculum ſpectant, omnes in Corpore Byzantino.

Epitomat. Collector. Canonum.

Epitomatores Collectoresve *Canonum* inclyti præterea referuntur ad hoc Sec. *Conſtantinus Harmenopulus*, Judex Theſſalonicenſis, & Nomophylax, circà medium Sec. cujus extant præter Ἐπιτομὴν τ͂ Θείων ϗ ἁγίων Κανόνων, *Epitomen Canonum*, Scholiis paſſim declaratam, atque editam à Leunclavio in Jure Græco-Rom. P. I. Etiam Πρόχειρον ſive *Promptuarium* Juris Civilis, & Tractatus de *Sectis* ſive de opinionibus Hæreticorum, cum Confeſſione Fidei Orthodoxæ, in *Tomo* I. Auctarii Frontonis Ducæi ad Bibl. Patrum. *Alexius Ariſtenus*, Oeconomus Eccl. Conſtant. cujus extat Σύνοψις τ͂ Κανόνων πάντων, juſſu Joh. Comneni Imp. ſcripta circà A. MCLXVI. initio facto à Canonibus Apoſtol. ad Canones Trullanos, ſervato ordine Conciliorum, editus à Voëllo, & Henr. Juſtello; Ejuſdem *Synopſis* Epiſtolarum Canonicarum ex Dionyſio Alexandr. Gregorio Neocæſar. Petro Alexandr. Athanaſio Alex. Amphilochio Iconienſi Epiſc. Timotheo ac Theophilo Alexandrinis, aliiſque, edita eſt à Cl. Beveregio in *Tomo* II. Pandect. Canon. *Simeon Magiſter* & Logotheta, *Junior* dictus diſtinctionis E. à Simeone Metaphr. qui etiam Magiſter & Logotheta, Ariſteno ferè ſuppar, cujus habetur Ἐπιτομὴ Κανόνων. Niſi hæc Epitome ab iſto deſcripta potius fuerit, & in uſum ſuum accommodata, cum *Notis*, quæ tamen non extant. *Michaël Anchiali*, cui coævus fuit Theod. Balſamon, Patriarcha ille Conſtantinop. Latinis infeſtiſſimus, ut ex *Dialogo* ejus liquet ad Manuëlem Comnenum, cujus non ſemel meminit Allatius: Scripſit quoque *Canones* quoſdam, de Clericorum Diſciplinâ, ſuo tempore obſervandos, apud Leunclavium in Jure Græco-Rom. P. I. *pag.* 227. &c. V. gr. de *Lectoribus* removendis ab Officiis Mundanis; de *Sacerdotibus* ex alienâ Diœceſi non ordinandis; de *Monachis* non adlegendis in Collegium Sacerdotum Laicorum; de *Nuptiis* quibuſdam illicitis, &c. *Arſenius* Monachus *Autorianus* cognomento, ætate eſt iſtis inferior, ut qui ad Patriarchatum Conſtant. quem abdicaverat ſub Theod. Laſcari Jun. iterùm admotus eſt, quo tempore Conſtantinopolis à Francis ad Græcos rediit, ſub Michaële Palæologo; edidit is quoque Σύνοψιν τ͂ Θείων Κανόνων.

Script. alii in Oriente de vario argum.

Scriptores alii in Oriente fuerunt hoc Ævo benè multi, quorum Indices & ſcripta recenſent, qui Hiſtoriam ſeu Bibliothecam Literar. adornarunt. Tales, Ἁγιογράφοι non pauci, qui de Sanctorum in Oriente Vitâ & Miraculis ſcripſêre. Alii qui *Latinos* ex profeſſo impugnarunt, inter quos *Joh. Camaterus* Patr. Conſtantinop. ſub finem hujus Sec. inprimis quo tempore *Græcos* & *Orthodoxos Præſules* Latini ejiciebant à Sedibus Conſtantinop. Hieroſolym. Antiochenâ, ex Cypro Inſulâ, aliiſque Urbibus Orientis, de quibus vide declamantem Allatium de *Perp. Conſ.* L. II. C. XII. XIII. Sic qui *Monaſticam* in Oriente Diſciplinam ab abuſibus variis repurgatam voluêre, quos inter eſt *Johannes* Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcha, circà A. Ch. MCL. antè Monachus in Oxiâ Inſ. cujus edidit Joh. Bapt. Cotelerius (*Tom.* I. Monum. Græciæ) Λόγον *Orationem* adverſus eos qui Monaſteria, vel Abbatias, aut Præfecturas τ͂ Ἡγεμένων, acciperent ab Imperatoribus vel Pontificibus per modum *doni* vel *præmii*, undè *lucrum* facerent; ſecùs tamen ſentientibus Balſamone & aliis: Vocarunt aliàs Χαριστικάρια, & Χαριστικαρίες, quibus *gratia* & beneficii loco tradebantur Monaſteria; Latini dixêre Præbendarios, Beneficiarios, Abbates Laicos. In hac Orat. agit de *Origine* Vitæ Monaſticæ, ejuſque progreſſibus, quam vocat τὸ θεῖον τῶν μοναζόντων τάγμα, ſanctam Societatem hominum ἀπαρνησάντων τὰ ἐν κόσμῳ, ϗ ἑαυτὲς, &c. Uti paſſim Græci vocant, Ἀγγελικὸν Μοναχικὸ βίε σχῆμα, Ἀγγελικὴν Πολιτείαν, & ſimilibus καθ' ὑπερβολὴν *elogiis*. Adde inter Scriptores Orientales *Iſaacum* Armenorum Catholicum, circa A. MCXXX. ſcribentem *Invectivas* contrà Armenorum Errores, editum à Fr. Combefiſio in Novo Auctario Bibl. Patr. T. II. Accuſat eos, Hæreſeos Ἀφθαρτοδοκητῶν, additionis τ͂ Τρισαγίε juxtà Petrum Gnapheum, tùm uſûs Vini meraci, & Azymorum in Euchariſtiâ; non delati debiti honoris ſigno Crucis Dominicæ, nec Imaginibus, nec Sanctis; tùm omiſſionis variorum Rituum circà Feſta, Epiphaniam, celebrationem Myſteriorum, Jejunia, &c. Quæ videri poſſunt apud Combefiſium, & ſapiunt hominem Armenis infenſum, ac multa in Armenis damnantem, quia contrà Græcorum ejus temporis Ritus ac diſciplinam: Prout Cultum religioſum *Imaginum* Armenos nunquàm admiſiſſe, nec Canones Synodi II. Nicænæ, ſatis conſtat. De Armenis.

XII. *Monachorum Familiæ novæ, ſeu Ordines hac Ætate exorti, miréque propagati. De Ordinibus Militaribus.*

I. Diximus antè *Ciſtertienſis* Ordinis natales, ſub finem Seculi XI. ſeu reſtitutionem Regulæ Benedictinæ, fundato Ciſtertienſi Monaſterio à Roberto Moliſmenſi Abbate, in Burgundionibus. At mira fuit ejus *Ordinis* ac nominis propagatio (initio abjecti & pauperis) in Galliâ, Angliâ, Germaniâ, Italiâ, &c. Adeò ut circà A. MCLV. teſte Matth. Pariſienſi, jam ad *quingentas Abbatias* numerus excreviſſet; hinc ſtatutum in Capitulo Ciſtertienſi, eodem referente, *ne de cætero aliqui novam conderent Abbatiam. Albâ veſte* à Benedictinis, quorum nigra veſtis, diſtincti ſunt Ciſtertienſes, uti & Carthuſiani, ſummâ inter iſtos æmulatione. Et Ciſtertienſibus primùm aggregati *Claravallenſes*, ſeu *Bernardini*; imò è *Cluniacenſi* Ordine ad Ciſtertienſem multi accedebant. Ordo Ciſtertienſ.

Nec tacendi *Præmonſtratenſes*, nati circà A. MCXX. conſentientibus Surio ad 6. *Junii*, & Chronicis, à loco ſic dicti, *Prato Monſtrato*, vel *Pré-monſtré* Gallis, in Voſago ſylvâ Diœceſis Laudunenſis: In quâ ſedem fixit nempè *Norbertus*, *Nodebertus*, Nobilis Lotharingicus, Monachus primò, dein qui à Calliſto II. Papâ *prædicandi munus accepit*, A. MCXVIII. & ab *Honorio* II. *quicquid voluit impetravit*, *de ſui Ordinis inſtitutione*, ut Baronius ad A. MCXXV. *N.* XIII. ſub finem. Igitur Cœnobium condidit, Caput Ordinis, ſub Regulâ Auguſtini, ſed *albâ* veſte ſeu tunicâ, ſub candido pallio, de quâ inter æmulos Carmelitas, non una contentio; obtentis in hunc finem pro more *Revelationibus*, accedente auctoritate Pontificum. Illas require apud Vincentium, Antoninum, Surium, ſimiles. Dein factus ex Laudunenſi Epiſc. Archiepiſcopus Magdeburgenſis, A. MCXXVII. à Gerardo Cardinali Legato in Germaniam Apoſtolico, ut tum locuti; familiaris idem Innocentio II. cum quo Romam petiit. Hæc ſcil. humilitas, fuga Mundi & ſecularium, abnegatio ſui ipſius, quam tales Præmonſtrat. Ordo.

Digitized by Google

les Inſtitutores prætendebant. Sed hic Reformator Regulæ S. Auguſtini, ex *nigrâ* ſcilicet veſte, *album* effecit. Regulam Ordinis Præmonſtratenſis, ab Innocentio III. confirmatam exhibet Hoſpinianus noſter, de Orig. Monachatûs, p. 160. 161. ubi inprimis eſt lex *Obedientiæ* cœcæ, debitæ *Abbatibus*. A nomine loci *Pré-montré*, aniliem poſtmodum fabulam mentiti ſunt Monachi, Locum fuiſſe divinâ Revelatione *præmonſtratum*; de quâ Balæus, Cent. III. ubi de *Richardo Premonſtratenſi*.

Ordines Militares.

II. Nati hoc Ævo inchoato, poſt captam à Latinis Hieroſolymam, *Ordines* quos *Militares*, ſeu *Equeſtres* dixerunt.

Hoſpitalariorum.

Primus fuit *Hoſpitalariorum*, ſeu Fratrum *Hoſpitalis*, id eſt, Xenodochii conditi jam antè *Hieroſolymis*, juxtà Sepulchrum Dominicum, ſub Saracenorum Dominatu, à Mercatoribus Amalphitanis, fovendis ibi & excipiendis Peregrinis, Spoliatis, Pauperibus, Ægrotis. Conceſſit illis locum quem voluêre, ſtruendo Domicilio ampliſſimum, Chaliſa Ægyptius, cui petitionem ſcripto hi Mercatores obtulerunt, ut multis Guil. Tyrius *Lib*. XVIII. C. IV. V. Additum Oratorium *Johanni Eleemoſynario* (*Johannem Baptiſtam* deinceps dixêre) ſacrum, undè Equites iidem poſteà dicendi *S. Johannis*, & *Johannitæ*. Sed Militaris hic ſivè *Equeſtris Ordo* primùm evaſit, circà An. MCXVIII Papâ Paſchali II. tunc à Gerardo Magiſtro Hoſpitalis, (à quo *Hoſpitalarii*) viro Nobili, ſumpto habitu Regulari, veſtibus Nigris, *Albâ Cruce* eademque *octogono* ſignatis, ac Militibus in Ordinem ſuum aſſumptis; nempè ad Terræ S. ſimul & Peregrinorum defenſionem, contrà Saracenos. Qui verò Ægrotis ac nominatim *leproſis* vacârunt, dicti poſteà *Equites S. Lazari*, quorum votum fuit illud *Charitatis*, inſervire Ægrotis, ſub communi Magiſtro. Et illi ab exiguis iſtis initiis, mox ad Regiam fuêre potentiam armis & donationibus evecti, ſub Magiſtris Militiæ, ſummis Præfectis, nomine *Equitum Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymit*. In *ſeptem* Nationes iidem fuêre diſtributi; rurſumque in *Sacerdotes*, *Equites*, & *Famulantes* ſeu *Servientes*. *Rhodii* poſteà Milites dicendi, quum Palæſtinâ exacti Rhodum tenuêre; donec poſt Rhodum à Solimanno occupatam, *Melitenſes* Equites, iidem appellati ſunt, à Melitâ Inſulâ, illis à Carolo V. conceſſâ, in Sedem Ordinis, & locum habitationis: Sicut ab inſtituto appellati primitùs fuerant *Hoſpitalarii*.

Templariorum.

III. Affinis illi ac contemporaneus ferè Ordo Equeſtris *Templariorum*, ſeu *Fratrum Militiæ Templi*, rurſùm à loco habitationis Hieroſolymitanæ, in Palatio Regio, propè Templum Dominicum, à Balduino II. Rege iis conceſſo, voto præſtito in manus Guarimondi Patriarchæ Hieroſolym. ad modum Canonicorum Regularium. Militare planè hoc fuit inſtitutum, ſcilicet ut peregrinos, viaſque publicas, à Saracenis & Turcis immunes præſtarent, ac pro viribus contrà incurſantium latronum inſidias conſervarent. Veſtis horum *Candida* in ſignum innocentiæ, affixis eidem veſti; tempore Eugenii III. Papæ, *Crucibus Rubeis*, in ſignum ſe paratos fundere ſanguinem pro defenſione Terræ Sanctæ. Confirmatus primum Ordo in Concilio generali apud *Trecas* (Troye) Campaniæ, Honorio II. Papâ, præſente Legato Pontificis Epiſcopo Albanenſi, A. MCXXVIII. Auctores primi (ex Guil. Tyrio, Hiſtoriæ *Lib*. XII. C. VII. Jacobo de Vitriaco Hiſt. Hieroſ. *Cap*. LXV. &c.) fuêre Hugo quidam de Paganis, & Gaufridus de S. Ademaro, de *S. Omer*, Nobiles Galli. Hujus Ordinis, cujus initio laudabile inſtitutum videbatur, hinc numero & poſſeſſionibus mirè aucti, rebus etiam ab eo præclarè geſtis, tandem illaudabilis ſucceſſus fuit. Nempè factum eſt flagitiorum omnium ſeminarium, adeoque Regibus etiam & Principibus inviſum, ut ejus tandem univerſalis ſtrages decreta fuerit, *ducenteſimo* ferè poſt inſtitutionem anno, ut dicendum ad Secul. XIV. Quò pertinet Hiſtoria Templariorum, undè proverbium Gallorum, *bibit ut Templarius*.

Teutonicorum S. Mariæ in Hieruſalem.

IV. Priorem utrumque Ordinem imitatus eſt tertius Ordo, prout *funiculus triplex difficile rumpitur*, ita Jacobus de Vitriaco, Hiſtor. C. LXV. videlicet ex Germanicâ gente, eodem ferè tempore, dictus Ordo *Teutonicorum S. Mariæ in Hieruſalem*, pari cum Hoſpitalariis & Templariis inſtituto. Nempè à Nobili quodam Germano, qui Hieroſolymis *Hoſpitale* condidit, ſeu Xenodochium, excipiendis Peregrinis ac Infirmis ſuæ Gentis; mox & *Oratorium* Mariæ Virgini ſacrum, ut *eorum Advocatæ, cui cum omni devotione & humilitate* ſe devovit. Hinc alii de Gente Teutonicorum, moti ejus exemplo, bona ſua eidem Hoſpitali tradiderunt, Regulam & inſtitutum Fratrum Militiæ Templi ſecuti. Ad differentiam verò aliorum, ſub Cœleſtino III. A. MCXCI. *Cruces nigras albis Chlamydibus* aſſuerunt, conſtituentes ſpecialem Ordinem ex Gente Teutonicâ; ſub Regulâ Auguſtini, in Germaniam deinceps tranſlati cum Friderico II. Imper. A. MCCXXIX. Quando *Boruſſiam* invadendi conſilium inierunt, ſub Magiſtro ſuo *Hermanno Saltza*, debellandique Gentem barbaram & Paganam, ceu *Infideles*, ſuadente eodem Friderico. Quæ pluribus ex Jacobo de Vitriaco, Conrado Urſpergenſi, & Rerum Germanicar. Scriptoribus, intelligere licet.

Militum S. Jacobi, Calatravæ. Alcantaræ.

V. Ac mox natus in Hiſpaniâ, circà A. MCLXXV. confirmaturo eo tempore Alexandro III. Ordo *Militum* ſeu *Fratrum S. Jacobi*, ſub Regulâ Auguſtini: Inſtitutum fuit, ex Marianâ *Lib*. XI. C. XIII. profecturos in Hiſpaniam religione in *Jacobum Apoſt*. ex quo invaluit perſuaſio hunc eſſe *Compoſtellæ* ſepultum in Gallæciâ, tutos reddere contra Maurorum incurſiones, multis in itinere domiciliis ſtructis à D. *Eligii Sacerdotibus*, quibus Peregrini exciperentur. Quorum præcipuum fuit, quod in ſuburbio Urbis Legionum ſub *D. Marci* nomine ædificatum fuit. Ac ſub obedientiâ communis *Magiſtri* vitæ hoc inſtitutum fuit, ſublata *nuptiarum* contrahendarum libertate, niſi cum conſenſu Magiſtri. Diſtinguunt ſe inſigni Gladii rubentis, ſeu *militaris Spathæ* capulo, inſtar purpureæ Crucis, qua pectus muniunt, dicti Ordo *Sant Jago*. Paulo antè cœpit Ordo Militum Arcis *Calatravæ* in Caſtellâ, inſtituente Raymundo *Abbate Fiterii*, Cœnobii Ciſtercienſ. Ordinis in Vaſconibus vel Navarris, ſub Sanctio Majore, patre Ferdinandi I. tum Toleti agente, circà A. MCLVIII. Nempè quum Arx *Calatravæ*, olim Oretum ad Anam fluvium (qui hodie *Guadiana*) Provinciæ Tolet. ubi fuerat Cœnobium Templarior. periclitaretur à Mauris, qui cum numeroſo exercitu obſeſſum venire nunciarentur, Templariis Militibus præſidium Urbis deſerentibus metu Maurorum, auctor Abbati fuit *Didacus Velaſquius*, Monachus ex Milite, ut initâ ſocietate, & collectâ ex vicinis locis militum manu, à Rege peterent facultatem defendendæ Arcis, ſub conditione, ut cederet illis Villa & Arx Calatravæ in poſſeſſionem perpetuam. Factum fuit, eâque Didaci diligentiâ, collectis XX. millibus armatorum, Calatravæ oppidum adversùs omnem incurſionem atque injuriam munitum fuit. Diſtinguunt ſe nigro veſtitu, cui aſſuta *Crux rubea*. Confirmavit Innocentius Epiſtolar. L. II. Ep. LIII. De quibus Rodericus Toletanus, Hiſpanicarum Rerum *Lib*. VII. C. XIV. Joh. Mariana, *Lib*. XI. *Cap*. VI. aliique Hiſpanicæ Hiſtor. Scriptores. Exceperunt poſteà Milites *Alcantaræ* in ripâ Tagi, Ordo in Caſtellæ Regno inſtitutus, qui habitus omnium digniſſimus ab Hiſpanis, donatus *Cruce viridi*, à Benedicto XIII.

VI. Na-

Ordines Mendicantes. VI. Nati & hoc primùm Seculo Ordines vulgò dicti *Mendicantes*, ut ſcilicet homines novi, congeſtis opibus Benedictinorum, Ciſtertienſium, aliorumque, opponerent reformationis E. profeſſionem **Carmelitarum Ordo.** ſpeciemque *paupertatis*. Et Ordo quidem *Carmelitarum*, ſeu *Fratrum* Carmelitanæ *Virginis*, inſtitutus fuit circà A. MCLX. Alexandro III. Papâ, quanquàm annum eſſe incertum dicat Baronius, multi demùm faciant Annum MCCIII. ut Auctor *Faſciculi* Temp. alii A. MCCLXXXVI. ut qui *Paralipomena* Urſpergenſis ſcripſit. Nomen illis à monte *Carmelo*, cujus primi erant accolæ, & in quem diſperſi per Palæſtinam Eremitæ collecti fuêre ab Almerico Patr. Antiocheno, ſtructo ibi Cœnobio, in Montis cacumine, ac Templo ad fontem qui *Eliæ* dicitur, Latinorum ſub dominatu: Primo Generali Præſide Ordinis, Almerici nepote *Bertholdo* Aquitano; Poſt ſecundo Præſide *Brocardo* Hieroſolymit. circà Ann. MCLXXI. qui Regulam Carmelitis primus præſcripſit, à Papis confirmandam; Tertius Præſes Generalis fuit *Cyrillus*, natione Græcus, circà A. MCXCII. qui novam è Cœlo Apocalypſim accepiſſe dicitur, de quâ adhuc poſteà. Sed è Carmelo poſteà pulſi, per Europam omnem, ſequenti Ætate ſub Innocentio III. ac deinceps, fuêre diſpergendi. Jactant verò auctorem inſtituti *Eliam*, hinc *Eliſæum*, poſteà *Johannem Baptiſtam*; & Eliæ quidem jam olim revelatam fuiſſe Immaculatam Conceptionem *Virginis Mariæ*, cujus aſſertores præcipui Carmelitæ. Habitus primitùs fuit, dùm in monte Carmelo agerent, pallium *verſicolor*, ad imitationem (ut ajebant) Eliæ Prophetæ; poſtmodùm juſſu Honorii III. mutandus ille habitus in Capam ex toto *albam* deſuper, & ſubtùs tunicam *griſeam*, cum Scapulari. *Mendicantes* ſe profeſſi, undè Carmelitæ, cum Auguſtinianis Monachis, cum Minoritis, & Dominicanis, Mendicantium quatuor Ordines conſtituunt. Ad victum, licuit illis etiam veſci carnibus animantium, & volucrum, libero cibo & promiſcuo, contrà quàm primitùs Benedictinis, Cluniacenſibus, Carthuſianis, ἀκρεωφάγοις. Incrementa verò hujus Ordinis fuêre tanta, ut mox cum Dominicanis & Minoritis magnas ac publicas lites exercuerint, de quo in ſequentibus. Hinc firmando Ordini, ſecutæ ſunt Apparitiones B. *Virginis* plurimæ, quibus & *Fratres* ſuos dici voluit, & *Scapulare Ordinis* è cœlo inſtituit, ac merita hujus *Sodalitii*, monſtrata in Viſo cujuſdam *Simonis Stochii*, de quo nos infrà ad Seculum XIII.

Tres reliqui Ordines Mendicantes, ſunt: Ordo *Dominicanorum*, aliàs *Prædicatorum*; Ordo *Franciſcanorum*, aliàs *Minoritarum*; & Ordo *Auguſtinianorum Eremitarum*. Sed quia ſub initia Seculi ſequentis aut inſtituti primùm, aut confirmati hi Ordines, ità de illis dicendum poſteà, horumque Auctoribus, & Inſtitutis.

XIII. *Memorabilia alia miſcellanea, ad hanc Ætatem pertinentia. Fabulæ Baronianæ.*

Prodigia qualia? I. Nec his finis ullus apud Chronographos, ut minimè juvet ire per ſingula. Cumprimis ſi attendimus *portenta*, ac *prodigia* quæ accidiſſe hoc Seculo memorantur; qualia ex Byzantinis Scriptoribus, ex Matthæo Pariſio, Urſpergenſi, Wernero, Chron. Hirſaugienſi, Vincentio, Aventino, Chronicis antiquis, obſervantur innumera & admiranda, tanquàm præſaga ut plurimùm bellorum, cladum, calamitatum, fatorum illuſtrium. Neque huc congerimus, quæ in hanc rem fusè Polydorus Vergilius, Joh. Balæus, Magdeburgenſes *Cent.* XII. C. XIII. Baronius, Wolfius, Lycoſthenes, Genebrardus, Calviſius, Hottingerus noſter initio Seculi XII. collegerunt. In quibus pretioſum vili, vera fabuloſis, certiora dubiis, naturalia verè divinis aut præter vel ſuprà naturam accidentibus, permixta: Prout ſunt in naturalibus Cometæ, Lunæ phaſes inſolitæ, Terræmotus, Siccitates, Exſiccationes fluminum, maris, Glacies tempore inſolito concretæ, Inſectorum ac Papilionum miri exercitus, Incendia, Eluviones, Grandines portentoſæ magnitudinis, Peſtes, Fames, Monſtra nata, flagella id genus humani generis; de quibus dictum ad ſuperius Sec. *col.* 1561.

II. Nec cum his confundi debent *pſeudo-Miracula*, *Viſiones*, *Somnia*, *Revelationes*, *Apparitiones* **Revelationes, Apparit. &c.** Angelorum, Chriſti, B. Virginis, S. Georgii, S. Benedicti, Animarum damnatarum, aut in Purgatorio laborantium: Teſtibus ſolis quorum intererat, Monachis, Virginibus, Ordinum inſtitutoribus, faventibus Canonizationi hujus vel illius Sancti, Candidatis Dignitatum, vel Pontificatûs, ut de *Paſchali* II. anteà Rainerio Card. Baronius ad A. MC. *Num.* II. de *Calliſto* II. anteà Guidone Viennenſi Archiep. ad A. MCXIX. *Num.* III. de *Alexandro* III. anteà Rolando R. E. Cancellario, ad A. MCXLV. *Num.* XXVII. &c. Et his ſcatent rursùm Annales Baro- **Baronius notat** niani, *Tomo* XII. cui hoc negotii datum, fabulis quibuſcunque ſuperſtitioſis addere fidem & auctoritatem. Præmonente pridem Auguſtino, ut *removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum*, in Libro de Unitate Eccleſ. C. XIX. Conficta ea nempè, pro confirmanda Papali in Reges poteſtate; item pro Expeditione Cruciatâ cumprimis in Albigenſes; pro neceſſitate Miſſarum faciendarum pro defunctis; pro veneratione Monachatûs, aut novorum Ordinum; pro ſolutione exactâ Decimarum; pro Tranſſubſtantiatione Euchariſticâ; pro Confeſſione auriculari; pro novo cultu novâque virtute Reliquiarum, Imaginum; pro devotione in B. Virginem, aut Immaculatæ Conceptionis fide; pro Canonizando v. gr. *Thomâ Becket* Cantuarienſium Archiep. atque id genus aliis, ut prævalebat temporum ſuperſtitio, & Cleri ac Monachorum nequitia. Sic refert Baronius, ad A. MCLXXIII. N. II. III. apparuiſſe *tantam Miraculorum multitudinem & magnitudinem*, quæ plus ſatis teſtarentur *S. Thomam Becket*, (Papæ mancipium, ſeditioſum in Regem, turbarum in Angliâ fomitem) in Cœlum cum S. S. Martyribus eſſe receptum; ut Johannes Sariſburienſis (Thomæ ſuprà modum addictus, & cauſæ quæ eadem Pontificis Romani) penè indignatus fuerit in Alexandrum III. tum Pontificem, ejus Canonizationem differentem. *Siquidem tam adeò ad Memoriam Martyris inaudita Miracula crebuerunt*, &c. Imò eundem (ſic Purpuratus) *in exhibendis Miraculis nihil minùs habere viſum à cæteris magnis Sanctis, ſed etiam ſupergreſſum eos*, nominatim *Thomam* Apoſtolum, probat ex Petro Blæſenſi, ipſius Thomæ Cancellario, & Archidiacono Londinenſi, *Epiſt.* ad Richardum Syracuſanum, quæ eſt XLVI. & quæ ità habet: *Thomam Apoſtolum India & Orientalis regio jactitat, ſed Occidentalem reſpexit Eccleſiam qui in Cœlis habitat, & & humilia reſpicit. Dedit Dominus Angliæ Thomam noſtrum, non invidemus Indiæ Thomam ſuum; ſit Thomas Apoſtolus in Indiâ, ſit Thomas Martyr noſter in Angliâ: Eat qui voluerit in Indiam, ad ſuffragia B. Apoſtoli; mihi tam longa Peregrinatio nimis laborioſa eſt, mihi ſufficit Thomas meus. Ille palpavit latus Domini, & fixuras clavorum, ille quia vidit, credidit; beatus verò qui non vidit & credidit, nec dubitavit, atque holocauſtum Chriſto, & pro Chriſto, ſe obtulit*, ſcilicet ſublatus ut homo ſeditioſus & turbulentus, pro ſolâ cauſâ Inveſtiturarum, & Regaliæ, quas negabat Regi, ſed in favorem *Papæ* Romani, adverſus Regis

ſui

Digitized by Google

ſui & Regni jura ac conſuetudines, quas ſe ſanctè obſervaturum, in Conventu Clarendonenſi, An. MCLXIV. ſolenniter juraverat. *Non laboro* (ſic pergit Petrus Bleſenſ.) *Martyrem Apoſtolico comparare, cùm Apoſtolus ſit major Martyre: Sed glorioſum eſt nos habere Martyrem, qui Apoſtoli nomen habeat, & Apoſtolum Miraculis imitetur, aut vincat.*

& Natalis Alex.

Ac mirari ſubit, oculatiſſimo hoc Seculo, in mediâ Galliâ, ſurrexiſſe nuper Monachum Natalem Alexandrum, qui prolixiſſimâ Diſſertatione *Tomo* XIX. Hiſtoriæ quam vocat Eccleſiaſticæ, cauſam agit hujus Thomæ Archi-Præſulis, contra Guil. Neubrigenſem Anglum Hiſtoricum non è multis, Polydoro *Auctorem veridicum*, & prætereà Scriptorem coætaneum, qui compertiſſima ſcripſit, & certè prudentiſſima: Sic ille, de Rebus Anglic. L. II. C. XXV. *Noſtra parvitati nequaquam conceditur, de tanti Viri actibus temerè judicare. Puto tamen quod Beatiſſimus Papa Gregorius, in molli adhuc teneraque Regis concordiâ, mitiùs egiſſet, & ea qua* NB. *ſine Fidei Chriſtiana diſpendio tolerari potuiſſent, ratione temporis, & compenſatione pacis, diſſimulanda duxiſſet, juxta illud Propheticum, prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Itaque quod à Venerabili Pontifice tunc factum eſt, nec laudandum eſſe judico, nec vituperare praſumo*, &c. Qui ſcilicet reverſus in Angliam, poſt pacem cum Rege initam, inſcio eodem *Rege* literas attulerat Alexandri III. Papæ, quibus Cenſura in Eboracenſem, alioſque Epiſcopos, & ſuſpenſio ab Officio & Beneficio, decernebatur autoritate Papæ, Thomâ executore. Hinc exacerbatus Regis animus, quod ab *uno Sacerdote* turbaretur ita Regnum, & Eccleſia, ac conſuetudines Anglicanæ, ut ipſe *ſuſpendiſſet Epiſcopos qui Regis paruerunt voluntati, in ipſius Regis contemptum & contumeliam*; eodem reſpondente, *Superioris ſententiam à minori poteſtate convelli non poſſe, & Epiſcopos non à ſe, ſed à Pontifice Romano eſſe ſuſpenſos.* Undè poſtmodum Satellites in eum furore accenſi, gladiis trucidarunt etiam *inter Loci ſacri munimenta*, ut loquuntur, quanquàm nullo Regis mandato. Sed hujus Thomæ facta omnia, quæ ſub *Ludovico Magno* perduellionis crimine obſtrinxiſſent, probantur ità noſtro Monacho, & deinceps prædicata de eo Miracula, ut ad eum oratione converſus, claudat ità Diſſertationem: *Ad te Pontifex & Martyr ſanctiſſime, orationem converto, ſupplexque obſecro, ut Eccleſia Chriſti ſponſa, quam, ſicut ipſe, dilexiſti, tradens temet ipſum pro eâ, perpetuam pacem, ut Romanis Pontificibus & Epiſcopis zelum, pro Eccleſia libertate & diſciplinâ tuendis, cum ſanctitate conjunctum, ut Clericis & Viris religioſis, pietatem, Seculi contemptum, & ſacrum fervorem*, &c. *jugi apud Deum, quo frueris, interceſſione impetres.* Jurares ad Chriſtum Interceſſorem noſtrum apud Patrem, orationem eſſe directam. Quin fraudum id genus, circa Signa & Miracula, ſuppeditet exempla ipſe Baronius, v. gr. ad Annum MCLXXXI. *Num.* VII. ex Arnulphi Lexovienſis ad Alexandrum III. querimoniâ, in homine quodam, qui in potatione & ebrietate occiſus, imò in flagranti homicidio, *quaſi Sanctus & Martyr* coleretur, in Monaſterio Griſtano; cujus *intrà domeſticos parietes continuari ſcandala non potuerunt. Ut enim Miracula facere crederentur* (de Monachis ſermo) *& quibuſlibet commentis Secularium perſonarum frequentes invitarent acceſſus, ſanitatis remedia promittebant, qui ſe incantata ab iis, neſcio quibus Carminibus, aqua ſepties ſuſtineret immergi.* Tum ſubjicit fraudum hujuſmodi apertiſſima exempla. Sed ſi quid uſpiàm minùs favens cauſæ Pontificiæ eſt, protinùs *fabula* audit Baronio, multis in fabuloſas narrationes declamanti, occaſione narratorum de Alexandro III. pedem imprimente proſtrato ad pedes Friderico Barbaroſſæ, ex Libro antiquo in Archivo Epiſcopatûs Parentini exiſtente, ad Annum MCLXXVII. *Num.* IX. X. XI. Quid igitur dicturus, ſi ſuperiora Miracula, à Monachis aut Monialibus plerumque vulgata, dicerentur fuiſſe profecta ab Albigenſibus, Petrobruſſanis, Henricianis, ſimilibus, aut pro causâ eorundem?

Baronius iterum notat.

III. Fuerunt hujus Ævi ſuperſtitioſiſſimæ *Fæmina*, in Calendario Romano & in Legendis inclytæ: Qualis S. *Hildegardis*, Monialis facta inductu *Jutta* Comitiſſæ Spanheim. dein Abbatiſſa in Monaſterio S. Ruperti, ex oppoſito Bingenſis oppidi, in Moguntinâ Diœceſi, ſub Eugenio III. & ſucceſſoribus aliquot: Commendatiſſima jam à Revelationibus & Viſionibus quæ ipſi à teneris annis crebræ offerebantur, pariter & à ſcriptis, quæ multa recenſentur ab Eugenio III. præſente Bernardo Claravall. approbata A. MCL. in Concilio Trevirenſi, quanvis eſſet Latini ſermonis ignara. De quâ pluribus Trithemius in Chron. Hirſaugienſi, & Spanheimienſi, & Legenda Vitæ Hildegardis. *S. Hildegundis*, agens in Monaſterio Schonaugienſi, altero ab Urbe Heidelbergâ lapide, ſed ſimulato ſexu, caſtitatis ergò, ſub *Joſephi* nomine, inter agmina opulentiſſimorum Monachorum Ordinis Ciſtertienſis. Sexum ſine neceſſitate & parùm pudicè mentita, de quâ Trithemius in *Chron.* Hirſaugienſi. *S. Elizabetha*, & ipſa Monialis Virgo, & Abbatiſſa Schonaugienſis, in Diœceſi Trevirenſi, Cœnobii, Revelationibus à ſe ſcriptis (cumprimis illâ de Hiſtoriâ, eouſque ignotâ, *S. Urſula, &* XI. *mille Virginum*, de quâ diximus ad Secul. III. C. XIV.) famoſa; nec confundenda cum *S. Elizabethâ* Marpurgo-Haſſiacâ, Viduâ, à Miraculis etiam celebratâ, & à Gregorio IX. ſeq. Seculo Divis adſcriptâ. De his aliiſque ut S. *Agnete*, S. *Sophiâ*, S. *Adeleide*, &c. uti etiam de recentioribus *S. Angelâ*, *S. Brigittâ*, *S. Catharinâ Senenſi*, &c. adi Legendarios, Surium, Trithemium, Molanum ad Uſuardum, Crantzium in Saxoniâ, Delrium in Hiſt. Moguntinâ, Baronium ipſum in Annalibus, & in *Notis* ad Martyrol. Romanum. Fœminæ ſuperſtit.

IV. Memoranda alia in Hiſtoriâ *Civili* hujus Ætatis occurrunt benè multa, quæ ab hoc loco & inſtituto aliena. Ex. gr. *Portugallia* in Regnum erecta, quæ data fuerat dotis & Comitatûs nomine cum Thereſia, filiâ Alphonſi VI. Legionum Regis, Henrico Lotharingico; & tandem Henrici filius Alphonſus, poſt Mauros profligatos, memorabili prælio in quo *quinque Reges* occubuerant, A. MCXXXIX. dictus fuit *Rex* Portugalliæ, quæ ex parte veterem Luſitaniam complexa fuit, idemque ſceptrum illud ad poſteros glorioſè tranſmiſit, penè per DC. annos. Si vis Regni terminos, ad Occaſum fuſa fuit ſecundùm *Mare Occiduum*; à Septentrione fuit *Minias* fluvius; à Meridie *Ana* flumen, hodie *Guadiana*; ab Ortu regnum *Legionum*, tum *Caſtella*; mediam alluerunt *Durius* & *Tagus* fluvii nobiliſſimi, & diviſa hac parte fuit in Cis-Taganam & Trans-Taganam. Urbes principes ſeu Metropoles fuerunt *Oliſippo*, ad Tagum, *Braga* ſeu *Bracara* ad Septentr. *Ebora* ad Auſtrum. De quo Hiſpanarum rerum Scriptores, Joh. Vaſæus in *Chronico*, Rodericus Ximenius *Lib.* VII. Mariana *Lib.* X. &c. Sic *Boemia* Duces hoc Seculo in *Reges* abiverunt, & primus Boemorum Rex Uratiſlaus ab Henrico IV. creatus eſt; ſecundus Uladiſlaus à Friderico I. coronatus, cui Sobiſlaus tertius ſucceſſit; de quo rerum ejus Regni Scriptores, & Nauclerus, P. II. Gener. XXXIX. Inter mutationes alias, quæ hoc Ævo in Europâ contigerunt, fuêre v. gr. *Normannia* ab Henrico I. Anglorum Rege Guilielmi I. Conqueſtoris; ac Normanniæ Ducis, filio, quam neglexerat frater Guilielmus Rufus, armis ſubacta & occupata. Regnum *Anglia* ad Francos, ſcilicet *Stephanum* Bononienſem, Henrici I. ex ſorore nepotem A. MCXXXV. præter ſucceſſionis jura, tranſlatum eſt, vivâ Mathilde filiâ Henrici I. Memorabilia alia.

adminiſtratumque violenter, contrà jurisjurandi fidem quod exhibet Wilh. Malmesburienſis, Hiſt. Novellæ *Lib.* I. & contrà jura Anglicana. Tum idem Regnum devolutum ad *Henricum* Normanniæ & Aquitaniæ Ducem, Henrici I. ex filiâ Mathilde (quæ An. MCXIV. Henrico V. Imperat. deſponſata fuerat) nepotem, pacto cum Stephano Rege inito de ſucceſſione, quam adiit A. MCLIV. Nam Filiam ſuam, & nepotem ex filiâ Henricum, Henricus primus Regni hæredes inſtituerat. De quo Henrico II. fusè Neubrigienſis in Rerum Anglicarum Hiſt. qui idem eſt cujus turbavit inprimis Regnum *Thomas*, ex Cancellario Regio factus Cantuarienſis Primas; de quo fusè ſuprà. Idem eſt, cujus filius quartus ordine, cui nomen *Joannis*, dictus eſt *Johannes ſine Terrâ*; quia tribus fratribus Henrico, Richardo, & Galfrido, à Patre ad ampliſſimos honores ſublimatis, illi Regni Anglicani & Ducatûs Normannici ſucceſſione, iſti Aquitaniâ, huic Britanniâ deſtinatis, nullâ Provinciâ relictâ filiorum quarto, præter animum ulciſcendi, diſſimulanti ad tempus rancorem. Atque hic Johannes eſt, qui deinceps *Hyberniam* vivo Patre obtinuit, dein Richardo I. A. MCXCIX. in Regno *Angliæ* ſucceſſit, tandem à ſuis deſertus, poſt regimen tyrannicum & violentum, cujus cauſâ Regnum interdicto ſubjacuit, donec Papæ Innocentio II. ſe & Regnum Angliæ univerſum ſubmitteret, de Libero ſe ſervum, de Domino Vaſallum Pontificis, conſtituens, & Feudatarium, de quo ex Radulpho de Diceto, Henrico de Kryghton, &c. ad ſequens Seculum. Nam anteà *Regnum Angliæ fuiſſe feudatarium Romani Pontificis, adeò ut quilibet Novus Rex acciperet confirmationem ab eodem Rom. Pontifice*, falsò jactatur à Baronio, ad A. MCXXXV. *Num. ult.* Quia autem Henrici II. mater fuerat Mathildis, conjux eadem Henrici V. Imperatoris, filia Henrici I. Angliæ Regis, hinc illi poſitum Epitaphium ex Cambdeno & aliis,

Ortu magna, Viro major, ſed maxima prole,
Hîc jacet Henrici Filia, Sponſa, Parens.

Ità leguntur *Parliamenta*, ſeu Comitia Regni, in Angliâ ab *Henrico* I. ſic inſtitui cœpta, ut convocarit Comites, Barones Regni, cum Cleri primoribus Archiepiſc. & Epiſcopis, qui Saresberiam convenerunt A. MCXVI. deliberaturi, V. gr. de Controverſiâ quæ tum agebatur inter Archiep. Cantuarienſem, & Turſtinum electum Arch. Eboracenſem, ſed *profeſſionem ſubjectionis* negantem Arnulpho Cantuarienſi. Deinde Parliamenta tam Magnatum, quam Communitatum Regni, convocanda fuerunt. Inter origines alias hoc Seculo, fertur *Berna* in Helvetiis circà A. MCXL. ædificata, & *Friburgum*, labente Seculo, de quibus Hiſt. Helvetica, & Annales Suevor. *Fridericus* Barbaroſſa in Ciliciæ, an Armeniæ, quodam flumine, dùm lavatur, miſerè ſubmerſus, A. MCXC. & cum eo res Chriſtianorum in Oriente perituræ: *Conſtantinopolis* mox à Gallis & Venetis occupanda, Anno MCCIV. tranſituro ſic ad Francos Græcorum Imperio, de quo ad ſequens Seculum. Hæc ſpeciminis ergo. De rebus Chriſtianis in Palæſtinâ, in Oriente, & ſub Paparum hujus Ævi dominatu, deque Imperatoribus in Occidente, dictum ſuprà, *Capitibus* II. IV. VIII. IX.

Legatio ad Prætejannum fabul.

V. Celebratur ad hoc quoque Seculum occaſione Magiſtri cujuſdam Philippi, profecturi in Æthiop. legatio Alex. III. ad *Pretejannum Indorum Regem*, eundemque *in Æthiopiâ longè lateque regnantem*, ut habet Baronius ad An. MCLXXVII. *Num.* XXXII. Inſcribitur in literis Alexandri, *Sacerdotum ſanctiſſimus, Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, illuſtri & magnifico Indorum Regi, Sacerdotum ſanctiſſimo*, &c. Tenor autem literarum, eſt exaltatio Romanæ Sedis, ut *Petra cui Chriſtus inædificavit Eccleſiam, cui data Claves Regni Cœlorum, quæ ſola teneat Doctrinam atque Diſciplinam Apoſtolicam, cum quâ qui non verbo & opere concordat, non poſſit Chriſtiano nomine cenſeri*, &c. Reciperet ergò reverenter *Philippum à ſuo latere deſtinatum, eumque diligenter audiret, & exaudiret; per quem etiam literas* Indi Regis *ſigillo ſuo ſigillatas, quibus propoſitum & voluntatem ejus plenè poſſet cognoſcere, tranſmitteret*; hortatus ſimul Regem, ut *Altare in Eccleſiâ B. Petri & Pauli, Hieroſolymis in Eccleſiâ Sepulchri Dominici, conſerret*, &c. Et hæc Annal. Scriptor ex Rogerio Hovedeno, nempe *Parte Poſter.* Annalium Anglican. in Henrico II. nullis additis vel teſtibus facti, vel circumſtantiis fide dignis, hæc tantùm; *Eodem anno Alexander Papa in hac formâ ſcripſit* Johanni *Indorum Regi.* Ubi ſe prodit ignorantia tum Alexandri Papæ, ſi verè eam Epiſtolam ſcripſit, tum Annalium Scriptoris Baronii. Nempè Seculo XII. expirante, regnavit in Tatariâ Orientali, in Regno *Tenduc-Kitha*, ſeu *Mogol*, *Mongul*, Rex Aſiaticus *Ung-Chan* qui & *Juhanna*, quaſi *Johannes*, idemque Chriſtianus Neſtorianæ familiæ, *quem hodie vulgò Presbyterum Johannem vocant*, inquit & Paulus Venetus, Seculi XIII. Scriptor, De Reg. Orientalibus *Lib.* I. C. LI. hinc Mandevylius, & alii. Sive illud *Presbyteri* factum ſit ex Perſicâ voce *Preſtegiani*, vel فرستجاني *Freſtegiani*, quæ notet Apoſtolicum vel Catholicum, qualiter vocarint eum Neſtoriani vel Armenii, quæ Scaligeri ſententia fuit, ſive aliundè. Et illum Ung-Chan victum tandem fuiſſe à *Chingis-Chano*, vel *Jingiz-Chano*, à quo Tatarici Imp. initium, pluribus idem M. Paulus, latè arma circumlaturo in Perſiam atque Indiam Orientalem, ubi Mogoles adhuc rerum potiuntur, quamvis hi ex *Timure* ſeu Tamerlane originem ſuam repetant. Errore igitur Luſitanorum tranſlatum illud *Presbyteri Johannis*, ad Indorum, id eſt, Æthiopum Regem, vel Habeſſinorum, qui ſanè Æthiopes aliquando Indi veteribus, & qui Chriſtianam religionem, qualis viguit in Ægypto, peculiaribus quibuſdam Ritibus additis, profitentur. Sed & errore non uno credidêre iidem Æthiopum Regem *Sacerdotum* eſſe *ſanctiſſimum*, hinc & illi nomen *Presbyteri Johannis*. Quidam *Teriſt-Chan*, linguâ Perſicâ, notare Legatum, Miſſum, Ἀπόστολον, Arabibus رسول, undè factum ſit Imperatoris illius Epitheton, verſum in *Preſter-Chan*, hoc in Presbyt. Johannis, ut Thevenotius Notâ margin. ad Iter Tataricum Anton. Jenkenſoni, *p.* 27. Alii, ab Orientis Mercatoribus vocatum Perſico idiomate برستار جان *Preſter-Chan*, quaſi ſervorum Regem vel Principem, & ita Jacobus Golius Notis ad Alferganum, p. 89. quod Abeſſini mancipia ſint toto Orbe notiſſima: Et hinc factum eſſe *Prete-Giannum*, quaſi *Giovannum*, Presbyter Johannes. Alii dictum à ſuis Imperatorem Habeſſinum, Orientalium more *Belul-Gian*, id eſt, Gemma precioſa, undè *Precioſus Johannes*; alii etiam vocem Chaldaicam *eſſe*, ut כוהן *Sacerdos*, κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, undè ex *Cohan* factum ſit *Johannes*, & *Sacerdos*. *Alii* aliter, quorum ſententias vide apud Ampliſſimum Jobum Ludolfum, Hiſtor. Æth. *pag.* 221. *Quicquid* ſit, planum fit ex errore Luſitanorum *natam* hanc appellationem, hinc opinionem, *eſſe* Regem Æthiopum *Sacerdotum ſanctiſſimum*, qualis *Inra* Rex, qui fuerit ſimul *Presbyter conſecratus*, imò & *miraculis* clarus, apud Marianum Victorium Libro de Regibus Æthiopum; Habeſſini verò Presbyterum illum ſive Sacerdotem Regem ignorant, ut & cognomen *Prete-Jani*; dùm illi nunquàm niſi *Negus* ſeu Regis, vel *Neguça-Negeſt* ſeu Regis Regum, appellatione Imperatorem ſuum indigitant, ut fusè celeber. Ludolfus. Profecta itaque eſt prior illa, ex legatione

Error Luſitan.

Petri

Digitized by Google

Petri Covillanii legati Johannis II. ad Æthiopem, ex *Epiſt.* Damiani Goes Nobilis Luſitani ad Joh. Magnum, data A. 1531. & ſimilibus, de quibus extat judicium prædicti Ludolfi. Hinc falſa omnia quæ hic Baronius, ex Hovedeni errore, de legatione Alexandri ad *Sacerdotum ſanctiſſimum Johannem*, *Indorum* Regem, qui tùm quærendus fuiſſet in Indiâ vel Tatariâ Orientali, & Aſiatico tractu, non certè in Æthiopiâ; recentiore jam appellatione, quâ traductum ab Europæis *Presbyteri Johannis* nomen ad Æthiopum Regem. Ità *Philippus* ille Alexandri internuncius, qui profectus dicitur ad Indorum Regem, nuſquam in Æthiopiam veniſſe, aut ex Æthiopiâ redux, memoratur; & ipſe Baronius, *quæ ſecuta ſint illa* (*ſcriptas literas à* Pontifice) *nos latet.* Undè parum intererat, noſſe tales literas ſcriptas ab Alexandro, niſi ut intelligeremus, eum Pontificem, & Gnathones, ſtuduiſſe poteſtatis Papalis fimbrias in extremum Orientem dilatare, ſaltem exiſtimatione hominum.

Hiſt. Juris Civil. in Scholas & Tribunal. introd.

VI. Huic etiam Seculo debetur *Juris Civilis Romani* in Scholas & Tribunalia Occidentis revocatio, quod per *ſex* ferè Secula ſepultum jacuerat, ſub Barbaris primùm, dein etiam ſub Carolo M. & Succeſſoribus. *Occaſio* autem reſtituti Juris Romani fuit, *Pandectarum* opus, venerandæ antiquitatis, repertum in Apuliâ, ſub Lothario II. Saxone, in excidio Urbis *Amalphitanæ*, circà A. MCXXXVII. Et hoc donatum mox *Piſanis* ab Imperat. poſtquàm hi conciliati Lothario fuiſſent, ope Bernardi Claravall. & Claſſem inſtruxiſſent adverſus Rogerium Siciliæ Regem, tum Innocentio II. infeſtum, & faventem Anacleto, A. MCXXXVI. Cujus Claſſis ope factum eſt, & Piſanorum, ut Urbs Amalphis primo impetu expugnata fuerit, *& iſti ex omni prædâ Urbis, nihil niſi rem unam eximii loco Beneficii à Lothario petierint*, ſcil. *Juris Civilis Pandectarum Volumen*, *olim à Juſtiniano Imper. conditum* (vide ſuprà Sec. VI. *col.* 1155.) *& priſcis admodum literis exaratum*, ita Sigonius de Regno Italiæ *Lib.* XI. in Lothario III. Dehinc idem Volumen Florentiam tranſlatum, ubi hodieque magnâ religione aſſervatur, undè *Pandecta Florentina.* Et hujus Juris, à tineis & blattis vindicati, primus *Interpres* fuit, Lotharii auſpiciis, Irnerius vel potiùs Wernerus, aliis Garnerius JC. idemque publicus Anteceſſor in Bononienſi Academiâ, *quam Legum* & *Juris ſcientiæ Scholam unam & ſolam* eſſe decrevit Imperator, mox tamen æmulis Academiis aliis. Et hic Irnerius *Lucerna Juris* dictus fuit, & habitus inſtaurator *Juris Romani.* A quo tempore ejuſdem Juris Romani ſtudia, ex quo poſtmodum Judicia publica (ſuadente Irnerio) inſtitui juſſit Imperator, florere in Italiâ primùm inceperunt, dein ad omnes Scholas & Academias itura. Anteà obtinuerant Leges Salicæ, Longobardicæ, Græco-Romanæ, & Jus antiquum multis modis à Gotthis, Saxonibus, aliiſque barbaris Gentibus, corruptum. Atque indè factum eſt, ut Gratiani *Decretum* non multo poſt in Scholas quoque illatum fuerit, ut Juri Pontificio auctoritas adderetur: Mox & *Libri Sententiarum* Petri Lombardi explicandi in Scholis, per *Curſores*, vel *Baccalarios*, qui hinc *Sententiarii* dicti.

Origo Gradûs Doctor. & Rituum in Academ.

VII. Hinc & origo arceſſenda *Gradûs Doctoralis* in Academiis conferri ſoliti, Dignitatis primùm auctore, non Innocentio II. tum Papâ, ſed eodem Lothario Imperat. cujus auctoritas in Promotionibus adhibita. Wernero addente Ritus varios, ex Græcâ & Romanâ antiquitate acceptos, & in hunc diem obſervatos. Nam Athenienſes olim, ut auctor eſt Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. p. 190. quum aliquem in *Sophiſtarum* dignitatem aſſumerent, adhibuêre Ritus varios, deductionem in Balneum, magnâ cum pompâ, Pallii Philoſophici veſtitum, ſeu Pallii Magiſtralis, quo induebantur ii qui eſſent ad docendum idonei: Et Infula, Pileus vel Galerus, Mitra, Annulus, Toga, Oſculum, à Romanis quoque mutuata: Apud Judæos verò, *Sacerdotes* ſuis ritibus inaugurari ſoliti, adumbrandæ Sacerdotii dignitati, & Sacerdotum officio, puta oleo perfundi, aquâ luſtrari, veſtibus ſacris indui, caput mitrâ & coronâ redimiri, frons laminâ, tunicâ humeri, pectus opere gemmato, lumbi baltheo exornari; quemadmodum *Doctores* inprimis *clavium* traditione Magiſtri renuntiabant, ut qui ſcientiam ſuo quaſi cluſam pectore promendam aliis atque aperiendam ſuſciperent. Nec ſui etiam Chriſtianæ Eccleſiæ, in ordinandis Paſtoribus ac Doctoribus, ritus defuerunt. Ad hunc modum, in Bononienſi Scholâ, Wernerus ſeu Irnerius iſte addidit *Doctoris* gradum, præviis Examinibus, cum certo Rituum apparatu iis conferendum, qui conſecrandi eſſent Themidos Sacris. Collocati in ſuperiore docentium *Cathedrâ* vel ſuggeſtu, ut quanto hic locus infimis ſubſelliis eſſet altior, tanto illi doctrinâ cæteris ſe ſuperiores exhiberent. *Togâ* veſtiti quâ deinceps in Viros tranſcribebantur, quaſi prætextâ depoſitâ: *Pileo* vel *galero* caput obtecti, ut ſe manumiſſos quaſi, & à ſubjectione aut ab ignorantiæ ſervitute liberos atque immunes, intelligerent: *Annulo* digitus exornatus, olim Equeſtris, ut Senatoriæ, ut Epiſcopalis dignitatis, ſic deinceps gradûs Doctoralis inſigni, ac ſymbolo ingenuæ Libertatis, & Sapientiæ, ac Themidi ſe quaſi deſponſatos eſſe: *Liber* quoque vel *Codex* ipſis traditus, modò *clauſus*, modò *apertus*, ut ſe Doctores eſſe meminiſſent, qui modò ex memoriæ promptuario aut pectoris ſcrinio reſponſa promerent, modò conſultis Legibus jura ex mente Legiſlatorum interpretarentur. Et à JCC. tranſiit hic honos ad *Theologos*, tùm & *Medicos*, uti à Bononienſi, in quâ Doctores promoti *Hugolinus*, *Martinus*, &c. ad Pariſienſem, cæteraſque deinceps Academias derivatus: Jure autem Canonico, ex æmulatione, mox per Papas in Scholas introducto, & auctoritate illius inter omnes penè Occidentis populos ſtabilitâ, Italos, Gallos, Hiſpanos, Anglos, Germanos, Hungaros, &c. etiam hujus quoque *Doctores* renunciari placuit, vel quod idem eſt *Magiſtros*, qui prælegere illud atque explicare poſſunt: Accepto (ut ferunt) pro inſigni doctrinæ *baculo* ſeu *bacillo*, undè *Bacularii*, *Bacillarii*, juxtà Rhenanum, quomodò per *Baculum* conferri Inveſtitura Feudatariis ſolita; qui aliàs *Baccalarii*, *Bachellarii*, etiam *Baccalaurei*, Gallis *Bacheliers*, è Militari diſciplinâ ad Scholaſticam traductâ voce, multis quaſi *Bas-Chevaliers.* De quâ vocis originatione Cangius, Menagius, de Caſanova, inſignes Etymologi, omnium inſtar. Hæc ſpeciminis loco.

XIV. *Status rerum Judaicarum hoc Seculo. Magiſtri celebres; Status Arabum in Africâ & Hiſpan.*

I. Pulſis jam ex Babyloniâ Judæis ſuperiori Seculo, & hoc ipſo Sec. ex univerſo Imperio Saracenorum à Ben-Tamurath, admiſſi ſunt in ditiones Hiſpanicas Alphonſo VII. Hiſpaniarum vulgo Imperatore. Ubi jam frequentes Judæis Synagogæ fuerant indè à temporibus Hadriani, poſtquam iidem Palæſtinâ exacti. Hoc verò Seculo floruêre cumprimis in *Hiſpaniis*, etiam in *Galliis*, literæ Judaicæ; nec famoſiores *Magiſtros* Seculum aliud tulit, poſt ſublatos nuper *Geonim* in Tractu Babyl. ut commemoratum ſuprà, *col.* 1508.

Quanvis graves ſubindè in eos perſecutiones excitatas, in Galliâ, Angliâ, Hiſpaniâ, cumprimis vergente ad finem Sec. occaſione gravium in Judæos accuſationum, memoret *Hiſtoria Judaica* Au-

Digitized by Google

ctor Libri Juchaſin, R. Gedalia in Schalcheleth Hakkabala, etiam Matthæus Paris in *Richardo* I. Hiſtoria Francor. in *Philippo Aug.* &c. Tamen certum florentiſſimas habuiſſe Synagogas, Scholas, ut in *Ægypto*, in quâ floruit R. Ben Maimon, & paſſim ſub *Saracenorum*, & *Maurorum* Dominatu, ita inprimis in *Hiſpaniis*, favente iis maximè Alphonſo VII. Hiſpaniarum Imperatore, ut dictum. Nam habuiſſe ſuos Principes, Αἰχμαλωτάρχας, Judices, ſuam Αὐτονομίαν, qualem extollunt in Libro *Juchaſin*, & Benjamin in *Itinerario*, ſive in Hiſpaniâ, ſive alibi locorum, habemus in fabulis. Et quæcunque eorum libertas prædicetur, fuêre tamen ימי הגלות *dies exilii*, fuêre ברשות הגוים *in poteſtate Gentilium*, ut hoc Ævo dictum à D. Kimchio, Comment. in *Hoſ.* III. 4. Diviſi quoque inter ſe fuerunt, & Judæis *Rabbanitis*, quorum Princeps Jehuda ſub Alphonſo Caſtellæ Rege, multum negotii faceſſiviſſe *Karaïtas*, pluribus enarrat Genebrardus, *Chronol.* ad A. MCXXX. Sic occaſione Libri Maimonidis, quem inſcripſit מורה נבוכים, Arabicè ſcripti, ſed à R. Schem Tof Hebraicè redditi, turbas enatas fuiſſe inter Judæos *Gallos*, & *Hiſpanos*, quaſi Liber ille autoritati & doctrinæ Talmudis aliquid derogaret; contendente hoc inprimis R. *Salomone*, Abrahami filio, ex Urbe *Montiſpeſſulanâ* Galliæ Narbonenſis, dein etiam *Dav. Kimchio*, adeò ut in anathemata & excommunicationum fulmina res eruperit; id teſtantur inter alia *Epiſtolæ* quas Buxtorfius inſeruit ſuæ Inſtitutioni Epiſtolari, & Auctor *Schalcheleth Hakkab.* ſeu Catenæ Cabbalæ R. Gedalia.

Magiſtri celebres.

II. Inclyti fuêre hac Ætate, in Scriptoribus Judaicis, & de quibus obvia ſunt judicia Eruditorum Hebraizant. & cumprimis Joh. Buxtorfii: Ex. gr. R. *Salomon Jarchi*, contractè *Raſi*, Commentator in Bibliâ univerſa, & in Talmudem, Gallus natione, peritiſſimus rerum Judaicarum; R. *Nathan* auctor Libri Aruch ſeu Lexici Talmudici; R. *Jehuda Levi*, auctor libri Coſri, à Buxtorfio F. illuſtrati; R. *Abraham Levita*, auctor Cabbalæ Judaicæ, probaturus veritatem ſuæ Synagogæ à *ſucceſſione*, tùm & *diffuſione* per totum Orbem; R. *Aben-Ezra*, Commentator in omnes V. T. libros, aliorumque etiam ſcriptor, inter Judæos omnes doctrinæ laude cum Maimonide excellens; R. *David Kimchi*, cui frater *Moſes Kimchi*, uterque ſcriptis Exegeticis, ſed & Grammaticis, inter quæ eminent D. Kimchi מכלול & שורשים, cumprimis celebres; Auctor ignotus Chronologiæ Judaicæ minoris, à Mundo Cond. ſub titulo *Seder Olam Sutha*, diſtinctè à *Seder Olam Rabba*, cujus Auctor refertur ab aliis ad tempora Adriani Imper. De quâ re eruditè diſſertat Vir. Clariſſ. Joh. Meyer, utriuſque Chronologiæ editor nuperus, cum doctiſſimis *Annotationibus*. R. *Benjamin Tudelenſis*, auctor notiſſimus מסעות ſeu Itinerarii, à Cl. L'Empereur illuſtrati, ſed & fabulis mendaciiſque conſperſi, melioribus tamen nonnullis adſperſis: Denique, (nec omnes recenſemus, uti neque *Karræos* vel *Karraïtas* benè multos, hujus etiam Ætatis, reliquis Judæorum exoſos, quorum hodieque *inedita* extant innumera, ſelectiſſima autem in hac noſtrâ Leydenſi Bibliothecâ aſſervantur) claruit hoc Seculo Coryphæus Magiſtrorum *Rambam* ſeu R. *Moſes Ben-Maimon.* Fuit gente Hiſpanus, Theologus, Medicus, Philoſophus, Aſtrologus, Grammaticus inſignis, linguæ Arabicæ callentiſſimus, idemque Commentator in Talmud univerſum, linguâ purè Hebraicâ, Opere quod inſcripſit יד חזקה *Jad-Chaſakah*, id eſt, *Manus Fortis*, aliàs *Miſchne-Thora*. Nec confundi debet *Ramban* coætaneus, ſeu R. *Moſes Ben-Nachman*, Commentariis quoque in Legem, & in Talmud, inter ſuos non ignobilis. Abſurdiſſimus verò eſt Genebrardus *Chron.* L. IV. qui ex Libro *Cabbala*, auctore hoc Ævo *R. Abraham Levitâ* (in quo Rabbinus veritatem ſuarum Traditionum probat à *ſucceſſione*, tùm à *diffuſione* Synagogarum, ut modò dictum) occaſionem arripit inſultandi *Centuriatoribus*, qui has duas veræ Eccleſiæ *Notas* neſciant. Plura Judæorum ſcripta hac Ætate, vide referentem diligentiſſ. & in his literis verſatiſſimum J. Henr. Hottingerum Hiſt. Eccleſ. *Sec.* XII. *Sect.* IV. de Judaiſmo.

Arabum Scholæ; Scripta.

III. Fuêre & hujus Ætatis, in Arabibus Philoſophis & Medicis, par celeberrimum, *Abenſina* vel potiùs *Ibnu-Sina*, vulgò Avicenna, Hiſpali agens, medicæ artis inter Arabes inſtaurator: Et *Abenroës*, Arabicè *Ibnu-Roſdin*, vulgò Averroës, Cordubenſis Hiſpanus, Avicennæ æmulus. Uterque Commentariis in Ariſtotelem præ cæteris clari; ſed & ſecum invicem adverſis ſententiis commiſſi.

Claruêre & in Scholis Arabum ac Saracenorum, cumprimis in Ægypto, & Africâ, Scriptores plurimi, Poëtæ, Medici, Philoſophi, Aſtronomi, Hiſtorici: Undè ſeges illa Arabum Scriptorum, teſte præ Bibliothecis Europæis reliquis *Lugdunenſi* noſtrâ, & legato Warneriano, hujus *Catalogo* pridem à nobis vulgato, Ampliſſimorum Curatorum auſpiciis. *Alkoranum* verò Muhammedicum tranſtulit ex Arabico Robertus Retinenſis, Anglus, circà Ann. MCXXX. hortatu Petri Cluniacenſis; quum variis in Aſiâ peregrinationibus Linguam Arabicam ſibi familiarem Robertus ille reddidiſſet.

Collapſæ res Arab. in Hiſpan.

Res Arabum Civiles in Hiſpaniâ ſenſim collabi cœperunt, ſub Alfonſo VII. cujus regnum cœpit A. MCVIII. & duravit totos annos LI. quo tempore Imperium tenuêre, Lotharius, Conradus, & Fridericus Barbaroſſa. Hic regnavit totâ Hiſp. à Mari Oceano uſque ad Mare Mediterr. undè Hiſpaniarum Imperator appellatus eſt. A quo etiam *Corduba* capta, ſedes Maurorum Imperii, ſed relinquenda Mauris in Feudum, hominio ſibi præſtito. Deinceps imploraturis Mauris auxilium Imperatoris Africani *Abdulmumen Ben Abdala*, à quo Regnum Maroccanum in Africâ invaſum, & inchoatum Regnum ſectæ *Almohadum*, imperio *Almoravidum* excuſſo. Hi animum ad Hiſpanias adjecerunt circà A. MCL. ſed brevi in Africam reverſuri. De quibus *Hiſt.* Arabum, & Marmolius Africæ *Parte* I. *Lib.* II. ad A. MCXL. & ſequentes.

FINIS *Seculi* XII. *in quo deſiit Cæſar Baronius.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM TERTIUM DECIMUM.

Chronol. rationes. INCHOATUR Seculum XIII. cum Anno Vulg. ſeu Æræ Dionyſ. MCCI. Imperatore Orientis *Alexio Angelo* Seniore, ac tyranno, fratre Iſaacii Angeli, quem An. MCXCV. Imperio & oculis orbavit: Germanici Imperii gubernacula adminiſtrabat *Philippus Suevus*, Henrici VI. frater, filius Friderici I. patruus Friderici II. adhuc impuberis, Hæredis per Conſtantinam Matrem Regni Siciliæ: Sed anti-Cæſarem ſe geſſit *Otto* IV. Saxoniæ Dux, cui favebat Angliæ Rex Richardus, *Ottonis* Avunculus, & Innocentius III. judicium definitivum hujus Controverſiæ ſibi vendicans, An. MCXCIX. ad quem id pertineret *principaliter*, & *finaliter*. Papatum tunc geſſit ab A. MCXCVIII. *Innocentius* III. anno ætatis XXXVII. in Cœleſtini III. locum aſſumptus, III. Idus Januar. Galliæ Regnum obtinebat *Philippus Auguſtus*, ab Anno MCLXXX. regnaturus annos XLIII. Angliæ Regnum tranſierat à Richardo ad Fratrem ejus *Johannem* vulgò *ſine Terrâ*, de quo ſuper. Sec. C. XIII. *Petro* II. (cognom. *Catholico*) Aragoniæ, *Alfonſo* (cognom. *Caſto*) Caſtellæ Regibus, Luſitaniæ autem *Sanctio*, qui Alfonſo Patri ſucceſſerat, laudatus à prudentiâ, & fortitudine in rebus agendis.

I. *Status Eccleſiæ hoc vertente Seculo, tam in Oriente, quàm in Occidente.*

Status Eccl. Oriental. luctuoſus. Facies Eccleſiæ in hujus Seculi exordio, omni ex parte luctuoſiſſima fuit:

I. *Orientalem* Eccleſiam ac Rempubl. penè totam opprimebant, 1. Jugum *Barbarorum* ſive *Saracenorum*, Latinis per Saladinum Palæſtinâ exactis, indè ab A. MCLXXXVIII. Succeſſuro Saphadino fratre, omnibus bellicis ac civilibus virtutibus inſtructo, ſed & in Chriſtianos ſævo & immiti, ad A. uſque MCCXVIII. Ut exiguæ ſupereſſent Latinæ dominationis in Syriâ, Armeniâ, Cypro, reliquiæ. Ac tum quidem ad Expeditionem Cruciatam, in Orientem, ſe parabant, illinc *Franci*, ducibus Thibaldo Campaniæ Comite, fratre Henrici II. nuper Hieroſolymorum Regis, ſed paulo poſt fatis intercepto, & Ludovico Blæſenſium & Carnotenſium Comite: Hinc *Veneti*, Duce eorum Henrico Dandolo, jam octogenario, ſed fervante omnem animi corporiſque vigorem: Fœdere inter utroſque inito, certis conditionibus, de partis omnibus hoc Bello ex æquo dividendis, ineunte hoc Seculo A. MCCI. ſed demùm executioni mandando A. MCCIII. Poſtquam conventum eſſet, de *Alexio Angelo* Juniore, eorum opem implorante, in Imperium Conſtantinopolit. reſtituendo, undè Expeditio Conſtantantinopolitana, A. MCCIV. cui initio reſtiterat acerrimè Innocentius. De quibus *Continuatores* Hiſt. Belli Sacri, Albericus Monachus, Villharduinus Expeditionis hujus pars magna, & Scriptor Hiſtoriæ, quam Notis illuſtravit Cangius, &c. ac *Epiſtola* Innoc. III.

2. Jugum *Romanæ* tyrannidis & ſuperſtitionis, quale ſubierant Sedes Patriarchales, Antiochena, Hieroſolymitana, Eccleſiæ Armeniæ, Cypri, &c. poſt occupatam à Latinis Palæſtinam. Quum ſanè Græcis ſui eſſent Patriarchæ, ſed oppreſſi à Latinis, invadentibus cum Græcorum Imp. etiam Græcorum Sedes Patriarchales, Metropoliticas, Epiſcopales, jura denique omnia, Latinis Ritibus ubique ſubſtitutis. Legatus Pontificius jam Conſtantinopoli leges ferre, ex quo paruit ea Balduinis, & Maurocenus Venetus Patriarcham ſe Conſtantinopol. gerere; Καὶ τοὺς πάντας ἠνάγκασαν τῇ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ὑποκύψαι ὑποζυγῇ. Ἐντεῦθεν καθείργνυντο Μοναχοὶ, ἱερεῖς ἐδεσμοῦντο, καὶ ναὸς ἅπας ἐκέκλειστο. Ἐκ δυοῖν θάτερον, ἢ ὁμολογῆσαι τὸν Πάπαν πρῶτον Ἀρχιερέα, καὶ τούτου τὴν μνήμην ἐν ἱεροτελεσταῖς ποιεῖν, ἢ θάνατον εἶναι τῷ μὴ διαπραξαμένῳ τοῦτο: *Et omnes compulſi Veteri Romæ colla ſubjicere. Monachi in carcerem compingebantur, Sacerdotes in vincula, Templa omnia occludebantur. Et alterutrùm ex duobus ſtatuebant, vel Papam primum omnium Pontificem fateri, illiuſque inter ſacrorum ſolemnia memoriam fieri, vel qui id abnuiſſet, morte luere*; ita Georgius Acropolita, in Hiſtoriâ Græcè & Latinè editâ, Typis Reg. A. MDCLI. *pag.* 15. 16.

3. *Secta* ſive *Hæreſes* quæ Oriente toto diſperſæ, & quibus referti Patriarchatus Byzantinus, Antiochenus, Alexandrinus, ad ultimos uſque Ægypti, Habeſſinæ ſive Æthiopiæ, Tatariæ, Indiæ ſeptentrionalis, fines. Cumprimis illæ Eutychianorum, Theopaſchitarum, Jacobitarum, Monothelitarum, tum & Neſtorianorum, atque Armenorum propagines, quibus ſingulis fuêre ſui *Catholici*, vel *Patriarchæ*.

4. *Corruptio* multiplex intrà ipſam Græcorum Eccleſiam, quoad Ritus, Regimen, Mores Græcorum perverſiſſimos. Ut nihil penè reliqui appareret, præter Chriſtianum nomen, & retenta *Symbola* Orthodoxæ Eccleſiæ, ac *Concilia* in ſpeciem Oecumenica. Ad hæc novitates vel phraſium vel dogmatum, quæ inter Græcos ſpargebantur, factionibus dividendos. Ut paulo antè finem ſuperioris Seculi, Patriarchâ Conſtantin. *Joh. Camatero*, ut refert Nicetas Choniates Hiſtoricus, de quo antè, gravis mota controverſia, de *Corpore Chriſti* quod in Euchar. exhibetur, ſit-ne *Corruptibile*, quale antè Paſſionem fuit, an *Incorruptibile*, ut dictum ad ſuperius Sec.

5. Denique *Alexii Ang. Comneni* Senioris tyrannica dominatio, qui indè ab A. MCXCV. fratrem Iſaacium Angelum & Imperio, & oculis, ſed & libertate exuerat, malè mulctandus: Quum viciſſim ipſe, talionis lege, exuendus violento Imperio fuerit, quod recepit *Iſaacius Angelus*, unà cum Alexio filio, ope Latinorum A. MCCIII. ſed mox ad Francos transferendo. His enim diſcordiis, deindè perfidiâ Alexii Junioris, via facta Francis & Venetis ad bellum Græcum ſuſcipiendum; invito quidem primum Innocentio III. ſed invitante Alexio Juniore, Iſaacii filio. Hæc pluribus Nicetas Choniates, Godofredus Monachus, Paulus Æmilius, Sabellicus, & qui Hiſtoriam Belli Sacri continuârunt. De quo poſteà. *Et Imperii Orient.*

II. Nec lætior in *Occidente*, ſi non luctuoſior rerum facies apparuit: Nam 1. Omnia ſervire hîc Pontificum libidini, atque *Antichriſtianæ* dominationi, ſpeciatim *Innocentii* III. ſedentis ab A. MCXCVIII. Si- *Status in Occidente.*

Digitized by Google

Siquidem hic bellorum flammas jam ſuccenderat quaquaverſùm; Siciliæ, & Galliæ Reges, ob cauſas antè memoratas, ſed & Portugalliæ, atque Hiſpaniæ, interdicto obſtrinxerat; *Philippum* Imperatorem exauctorârat, *Ottone* Saxone per ſuos ſubſtituto, ſub initium Seculi; Miſſo in Germaniam Cardinali Præneſtino, & excitatis Monachis ad ſeditioſas planè in Philippum conciones, de quibus queritur Conradus Urſperg. in Chron. ad hunc annum. Hinc *ortas eſſe in hominibus ſimultates, dolos, perfidiam, traditiones, ut ſe invicem tradant in mortem & interitum*: Sic *rapinas, deprædationes, depopulationes, terrarum vaſtationes, incendia, ſeditiones, & bella, & rapinas ſive in ſtratis, ſive in latrociniis, juſtificatas eſſe: Ut omnis homo jam eſſet perjurus, & prædictis facinoribus implicatus, ut vix excuſari poſſet, quin eſſet in his ut populus, ſic & Sacerdos. Imò tribulationem magnam & hoc tribuere, ut nec quis de villâ ſuâ poſſet procedere ſecurè, ſaltem in proximam villam.* Tantum potuit Roma, & cauſa Papalis ſuadere malorum. Sed & *Venetos* ipſos (ob conſilium de invadendâ *Jaderâ* vel *Zarâ* urbe *Dalmatiæ*, in Illyridis orâ maritimâ, & quidem invadendâ antè expeditionem in Orientem, in tranſitu Claſſis Venetæ per Mare Adriaticum; quam Arcem Venetis eripuerat Rex Hungarorum, Sociis expeditionis illius atque adjutoribus Francis ex Villharduino & aliis) Innocentius propè fuit ut anathemati ſubjecerit, miſſo Abbate quodam, qui interdiceret Venetis, ne *Zaram* oppugnarent: Sed nihil territis ad minas Pontificis Venetis, Papa remiſſurus tandem fuit de rigore, inprimis poſtquam ſpes certa illi facta fuiſſet, de ſubdendâ Venetæ Claſſis ope Conſtantinopoli, & ſic reditura Eccleſiâ Orientali ad obedientiam Canonicam Romani Pontificis, ut Romæ interpretabantur. Nam hoc unum ſatagebat Pontifex, ut conſtat ex Literis ſcriptis ad *Alexium* Imperat. Anno ſuperiore MCXCIX, tum ad *Johannem Camaterum* Patriarcham Conſtantinop. ac miſſis per Johannem Capellanum Innocentii, & Legatum, inter Innocentianas *Epiſt.* CCIX. CCXI. *Libri* II. & in *Geſtis* Innocentii, *Num.* LX. LXI. Ibi inauditæ voces; ad Patriarcham quidem: *Dominus Petro non ſolùm univerſam Eccleſiam, ſed totum reliquit Seculum gubernandum; Per hoc quod Petrus ſuper aquas Maris inceſſit; ſuper univerſos Populos ſe poteſtatem accepiſſe, monſtravit; ſolus Petrus habet poteſtatem non ſolùm omnia, ſed omnium, crimina relaxare; Eccleſia Romana univerſalis dicitur, quia ſub ſe continet Eccleſias univerſas, & ſola dignitatis privilegio cæteris univerſis eſt prælata; nec tam Conſtitutione Synodicâ, quàm Divinâ, Caput & Mater omnium Eccleſiarum exiſtit*, &c. Undè *mandare ſe per Apoſtolica Scripta, ut ſtatuto tempore ad Concilium veniret.* Ad Imperatorem verò Alexium ſcripſerat quoque, inter alia: Ea quæ *per ſe, ut Chriſti Vicarium, & immeritum Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, Imperiali Magnificentiæ fuiſſent exarata, & audienda fuiſſe humiliter, & benignius acceptanda; Apoſtolicam Sedem Divinâ Conſtitutione Caput & Matrem omnium Eccleſiarum exiſtere; ſe Literis ſuis requiſiviſſe*, ut Conſtantinopolitana Eccleſia tanquam *membrum ad Caput, & ad Matrem filia revertatur, ipſeque Patriarcha Eccleſiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impenderet*, &c. Quæ Imperator & Patriarcha contemptu vindicarunt, reſcriptis tamen ab Alexio Literis, ut Imperatorem decuit, probans *Imperium Sacerdotio præpollere*: Ad quæ rurſum Innocentius, in *Epiſt.* quæ tota inſerta eſt *Geſtis Innocentii* Num. LXIII. ſanè *Imperatorem in temporalibus præcellere; ſed Pontificem in ſpiritualibus; quicquid fuiſſet in Vet. Teſtamento, ubi Moſes Princeps populi præcelluiſſet Aarone, aliud eſſe in Novo, ex quo Chriſtus factus eſt Sacerdos ſecundùm ordinem Melchizedek*; Scripturam *Sacerdotes Regibus anteponentem iſtos Deos, illos Principes appellaſſe; Ad Firmamentum cœli, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ, feciſſe Deum duo Luminaria magna, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas, ſed illam quæ præeſt Diebus, id eſt, ſpiritualibus, majorem eſſe*, &c. Tum carpit Græcum Imperatorem, quod *Patriarcha Conſtantinopolit. juxtà ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtrâ parte ſedere faceret, cùm alii Reges & Principes Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis, ſicut debent, reverenter aſſurgerent*, &c. & quæ id genus in eâ Epiſt. ſunt plura, quæ data fuit Romæ ipſo Anno MCC. vel MCCI. ut quoque Spondanus.

Ita paſſim hic Pontifex Innocentius, *Reges & Principes*, ut ſibi obnoxios & Apoſtolicæ Sedi, ac Feudatarios, Decretalibus literis ſub initia Papatûs convenerat, initio facto à *Siciliæ* regno, quo inveſtivit *Conſtantiam* Imperatricem, & *Fridericum* ejus filium impuberem. Idem ſtatuere de legitimis vel illegitimis eorum Conjugiis, Divortiis, Fœderibus, ut initio hujus Seculi ſubjacuit adhuc interdicto Philippus Auguſtus, ob divortium cum Conjuge Inſeburgi. Sic cauſas omnes toto Orbe Eccleſiaſticas, ad tribunal ſuum rapere, qualis fuit v. gr. inter *Compoſtellanum* & *Bracharenſem* Archiepiſcopos, de Eccleſiis ſibi ſubjectis; inter *Suronenſem* & *Dolenſem* de Metropolitâ dignitate ſuprà totam Britanniam ſeu Armoricam; inter Archiepiſc. *Cantuarienſem*, & *Capitulum* ejuſdem Eccleſiæ, in controverſiâ nuper agitari cœptâ, de Capellâ quadam ſtructâ in Eccleſiâ de Lambec; ſic alias in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, &c. noviter enatas, ut legere eſt in *Geſtis* Innocent. editis noviſſimè à Steph. Baluzio, *Num.* XLI. XLII. & *ſeq.* Ut verò ſuum eſſe ſtatuit ex *tribus* electis, Friderico adhuc puero, Philippo Suevo, & Ottone Saxone, decernere ad quem Imperium pertineret, pro Ottone pronunciaturus, in Regiſtro Baluziano *Ep.* XXIX. ità Thuſciæ Civitatibus injunxit, ut nullum Regem vel Imperatorem admitterent, *niſi quem Romanus Pontifex approbaret*: Imò in Epiſtola ad Rectores Thuſciæ, quæ inter Innocentianas eſt CCCCI. *Sicut univerſitatis conditor Deus, duo magna Luminaria in firmamento Cœli conſtituit, Luminare majus ut præeſſet diei, & Luminare minus ut præeſſet nocti; ſic ad firmamentum univerſalis Eccleſiæ, quæ Cœli nomine nuncupatur, duas magnas inſtituit Dignitates, Majorem quæ, quaſi diebus, animabus præeſſet, & Minorem quæ, quaſi noctibus, præeſſet corporibus, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas.* Et hæc ſtatim in Exordiis Pontificatûs & ipſius hujus Seculi.

Alia Innocent. ſub exord. Seculi.

2. Præterea ut omnia tum ſpectarent ad cruentas *Perſecutiones*, & *ſtrages* edendas in Waldenſes & Albigenſes, facturo præprimis Innocentio, dicetur inferiùs, *Cap.* VI. Mutandis ità Expeditionibus contrà *Saracenos* & *Infideles*, in Expeditiones contrà *Hæreticos*, quos Pontifex tales habuit, frigidam ſuffuſuris Monachis.

3. Acceſſit univerſalis *Romanæ Eccleſiæ* corruptio, de quâ ad ſuperius Secul. Eaque in Doctrinâ, in Cultu, in Cerimoniis, in Regimine ac Diſciplinâ, Clericali & Monachali, in Moribus denique, lege *Cœlibatûs* abiturâ in impuriſſimas quaſque & execrandas libidines. Quæ ſigillatim infrà compluribus documentis conſtabunt, *Cap.* V.

4. *Bella* etiam hoc ineunte Seculo Europam omnem afflixerunt, Italiam, Hungariam, Bohemiam, Germaniam, Angliam, Normanniam, Belgicam ipſam, ex *Annalibus* earum Gentium, ex Godofredo Monacho, Paulo Æmilio, Ant. Sabellico, Pol. Vergilio, &c. Quomodò ſtatim initio hujus Ævi, exarſit diſſidium inter *Anglum* & *Gallum*, *Arturo* etiam Britanniæ Duce rebellante in Johannem Angliæ Regem, Patruum ſuum, ſed per inſidias tollendo è medio, A. MCCII. juſſu *Johannis*. Ac tum Philippus Auguſtus ſibi & regno Franciæ aſſerturus in perpetuum fuit,

Digitized by Google

fuit, Provincias *Normanniæ*, *Andegavenſem*, *Cenomanenſ. Turonenſem*, *Pictavienſem*, Annis MCCI. MCCII. MCCIII. MCCIV. Acceſſerunt Expeditiones novæ *Cruce-ſignatorum*, indè ab A. MCCI. de quibus *Cap.* ſequenti. Et iſtis exhauſta & viribus & opibus Europa fuit, ac Pontifici mancipata.

II. *Propagatio Chriſtiani in ſpeciem Nominis. Belli Sacri continuatio, ac ſucceſſus.*

Equites Teutonici Boruſſiam, &c. occupant.

I. Verè hanc *nominis* modò *Chriſtiani* propagationem dicimus, inter tot ſuperſtitionum portenta, ſub Papali dominatu. Si excipimus proceſſum repurgati Papatûs, Waldenſes inter & Albigenſes, de quibus infrà. Ità partim vi Armorum, & Cruciferorum expeditionibus, partim aliis artibus Romanæ Curiæ, factum hac Ætate eſt, ut Barbari quidam Chriſtianum nomen admiſerint. In iis *Pruſſi* vel *Boruſſi* Gentiles, per Cruce ſignatos Milites, qui dicti aliàs *Mariani*, ſive Teutonici Ordinis, à Syriâ in Germaniam reverſos, ſub Friderico II. Imperat. circà Ann. MCCXXX. armis infeſtis ſubacti, ac *Pontifici* magis, qui tùm Gregorius IX. quàm Chriſto daturi nomen, & inviti. Indè *Boruſſia*, & in hac Mariæburgum, Arx primaria Ordinis, incomparabili robore & pulchritudine inſignis, ab Equitibus Teutonicis ædificata, ad dextram *Viſtulæ* flum. & in honorem Protectricis ſuæ B. Virginis *Maria-burgum* appellanda. Undè *Barbaros* plures in tractu illo Boreali, *Lithuanos*, alioſque, ad fidem Chriſtianam vi & armis adduxerunt. Tandem *Polonis* reddita tributaria Sedes Ordinis, qui hanc hypothecam pro ſtipendiis cumulatis accepêre, circà A. MCCCC. & quod excurrit. Plura Krantzius in Wandaliâ, Naucterus, Michovius, Cromerus, &c. ex his recentiores.

Tatari, ut ferunt, converſi.

II. Sed & in *Tataris*, vel *Tartaris*, gente Scythicâ (qui aliàs *Mogoles*, *Monguli*) in ultimum Orientem protenſâ, ad Ortum Maris Caſpii, Sinis, Indis, Perſis ad Septentrionem, feruntur qui hoc Ævo *Chriſtianam* religionem amplexi ſint; eandemque tutati contrà Saracenos & Muhammedanos. Narrantur iſta ab Haitono Armeno, M. Paulo Veneto, Vincentio Bellovacenſi, Antonino in ſuis Chronicis, Blondo, atque ex his deinceps ab aliis. Sed adeò variè rem referunt, & pugnantibus circumſtantiis, nec certâ illâ temporis, ut ſuſpecta hæc omnis converſio videatur Gentis barbaræ, & ad omnem ferociam natæ, eradicaturæ in ultimo Oriente Chriſtianum nomen. Nempè alii factum inductu *Haitoni* Armeniæ Regis, ad Tartarum Chanum profecti, qui tum *Mango* vocatus eſt, circà A. Chr. MCCLIII. cui frater *Haolonus*, etiam *Agelonus*. Et dicitur ille ſollicitatus ab Armenio ad ſubſidium Terræ Sanctæ ferendum, ad bellum indicendum Caliphæ Bagdadenſi, ad ſocia arma cum Rege Armeniorum, tandemque ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam, cum Baptiſmi Sacramento. Et hoc recepiſſe dicitur *Mango*, cum aliis multis Nobilibus & Magnatibus Tatarici regni, dein miſiſſe contrà Saracenos Haolonum fratrem. Hæc pluribus Haitonus Hiſtoricus, tempore Clementis V. Gallicè in Gallia Hiſtoriam dictans quæ dein Latinè reddita; ut ipſe Libro de *Tataris* C. XXIII. & *ſequent.* Et ille Haitonus ab aliis vocatur *Antonius Curchinus*, id eſt, è Georgianis qui permixti Armeniis, deinde delatus Cyprum, & factus Monachus Ordinis Præmonſtratenſis: Alii, ex relatione M. Pauli Veneti, (*Lib.* I. de Regionibus Oriental. *Cap.* III. IV. V. & *ſeq.*) factum eſſe inductu duorum in Venetis Nobilibus Mercatorum, è Paulinâ familiâ, Balduino II. adhuc obtinente Imperium Conſtantinopol. & quidem A. MCCLXIX. Qui pervenerint tandem maritimo itinere, per Pontum Euxinum, ad portum Armeniæ, hinc, poſt varios caſus, tandem delati ad Maximum Tatarorum Regem, Cublai vocatum, quem de Latinorum religione, moribus, pleniùs informarunt; ita ut mitterentur à *Chamo* Legati ad Pontificem, addito quodam *Gogaca* viro Aulico & optimo, in hunc finem ut Pontifex ad Tataros dirigeret *centum viros ſapientes, in Lege Chriſtianâ doctos*, qui hanc Fidem ſuis perſuaderent. Et Legati hi veniſſe dicuntur Anconam, poſt mortem Clementis Papæ IV. incidentes in *Theobaldum* de Placentiâ, Legatum Apoſtolicæ Sedis; dein audito electum eundem eſſe ſub nomine *Gregorii* X. reverſos iſtos cum ampliſſimis mandatis ad Tatarum Cublai, ſociis duobus Monachis ex Ordine Prædicatorum, & Marco Paulo Veneto. Sed de converſione Tatarorum, poſt redditas Chamo Pontificis literas, parùm ex M. Paulo Veneto & aliis conſtat. Alii verò volunt, factum eſſe Innocentii IV. Pontificis ſtudiis, A. MCCXLV. ablegatis in Tatariam Monachis, Franciſcani ac Dominicani Ordinis, qui ſcilicet id genus legationes affectabant, & hoc Converſionis negotium ſibi datum eſſe credebant. Quæ vide apud Waddingum Annalibus Minoritar. ex Regiſtris Vaticanis, dein Vincentium in *Speculo Hiſt.* Antoninum Florentinum in Chronicis *Tit.* XIX. C. V. & VIII. Alii verò ex iiſdem fontibus factum ſub Gregorio X. monente quoque Genebrardo ad A. MCCLIV. Et Ludovicum quoque IX. Francorum Regem Oratores, ex Prædicatorum Ordine, ad Tataros miſiſſe, & viciſſim accepiſſe legationem quum Cypro ageret, A. MCCXLVIII. Adduntur fabulæ, de reliquis ibi poſteris Chriſtianis *trium Regum*, qui in Bethlehem venerant adoraturi Chriſtum, qualis fuerit Haoloni uxor Chriſtiana, apud Haitonum *Cap.* XXVII. Cæterum ſi vera ab illis narrantur, (nam Romæ affectatæ non ſemel à Monachis Legationes in *Orientem*, diffundendæ Papali quaquaverſùm poteſtati, ſic & fictæ Legationes ex *Oriente* ad Papam Romanum, multa pollicitæ, ſed vanis ſemper promiſſis) certè non fuit duratura in Tataris illis, fuerit certè in oppido paucis, hæc profeſſio aut ſpecies quædam externa *Chriſtiani* nominis: A quo nempè vel fœda Chriſtianorum avertebant, in ipſo Oriente, dùm diſcordiis, bellis, flagitiis, luxu, ac turpiſſimis quibuſque ſanctiſſimum Nomen polluerent, ut pluribus Paulus Æmilius, in rebus *Ludovici* IX. Francorum Regis XLIII. Nempè ubi is de *Tataris Oratoribus* ad Ludovicum Regem miſſis, & ad *Principem* ſuum redituris cum *ſanctâ gratulatione, quod ſpeciem veræ Religionis animo concepiſſet, ſed irrita ceciderunt promiſſa.* Et Tatari ipſi viſuri plurima iis contraria quæ jactaſſent Legati Innocentii II. Papæ à mittendis Romam Legatis cautè prohibiti.

III. Accedant *Judæorum* quædam Converſiones. Quarum aliæ *coactæ*, immiſſis perſecutoribus, qui ad Baptiſmum adigerent, ut coactiones illæ conſcientiarum frequentes in Hiſpaniâ: Aliæ *voluntariæ*, ſed raræ, exemplo illuſtri in *Nicolao de Lyrâ*, Normanno, ex Judæo Chriſtiano, inclyto Bibliorum interprete, Minoritici Ordinis, inclinato jam Seculo; Quanquam *alii dicant eum Brabantinum fuiſſe, ex Chriſtianis parentibus natum*, teſte Nauclero, *Gener.* XLIII. *pag.* 974. Aliæ *dubiæ*, qualis illa Judæi cujuſdam Toletani, Ferdinando Caſtellæ Rege, A. MCCL. converſi ad aſpectum *Libri* cujuſdam in Rupis cavitate reperti, in quo de adventu *Filii Dei*, & *Tempore* adventûs, ſcriptum vaticinium eſſet foliis ilignis, idque *tribus linguis*, *Hebrâ*, *Græcâ*, & *Latinâ*, addito etiam tempore quo Liber ille inveniri debuit, ſub *Ferdinando Caſtellæ Rege.* Hæc ex Warnero in Faſciculo Temporum, ad A. MCCXXXIV.

Judæorum quæ feruntur Converſ.

f. 31.

f. 31. ex Krantzio in Metrop. L. VIII. C. XXXIV. &c. Nempè fictum hoc ſive à *Judæo* illo, ut prætexeret apud ſuos cauſam tranſitûs ad Chriſtianos, cum totâ domo ſuâ; ſive à *Monachis* fraudum hujuſmodi architectis. Ac *Vaticinia* id genus plura aliàs obſervantur, ſeu Libris, ſeu Lapidibus, aut Ære, per fraudem inſcripta, quale fuit illud ſub *Irene*, de naſcituro Chriſto ex Virgine, de quo noſtra Hiſt. Imag. Reſtituta, *Sect.* V.

Continuatio Belli Sacri.

IV. Creditum hac Ætate eſt, ſaltem à Papis & Monachis ità perſuaſum Regibus, Principibus, Populis, facturam magnoperè eſſe ad propagationem Regni Chriſti, continuationem *Belli Sacri*, in Saracenos denuò ſuſcipiendi, per Cruce-ſignatos. Serviiſſe autem has omnes Expeditiones, & obtentum hunc Terræ S. recuperandæ, ambitioni, tyrannidi, avaritiæ Pontificum, & Cleri, ex Matthæo Pariſio, ex Abbate Urſpergenſi, ex Aventino *Lib.* VII. aliiſque ingenuis Scriptoribus, ſatis conſtat.

1. Hujuſmodi fuit Expeditio, quam urſit *Innocentius* III. ſtatim ab adepto Pontificatu, miſſis quaquaversùm Legatis; ad Orientales quidem, Alexium Imp. ex *Geſtis* Innoc. & Epiſtolâ CCXI. Libri II. tùm ad Italos, Gallos, Anglos, qui hos ad Crucem accipiendam hortarentur: Submiſſis etiam Prædicatoribus, qualis fuit in Galliis *Fulco* quidam Curatus propè Pariſios, qui clamoribus ſuis Cathedras & Eccleſias implerent. Sed omnis ea, Francorum præcipuè ac Flandrorum, *Balduino* Duce, Flandriæ & Hannoniæ Comite, Expeditio, inito cum Venetis fœdere, quorum Dux erat *Henricus Dandolo*, deſiit in Expeditionem *Conſtantinopolitanam*, in favorem Alexii Angeli Junioris, auxilia contrà Patruum tyrannum ſollicitantis. Iſtis verò perfidè præventis, ab Alexio Duca (cui *Murtzuphli* cognomen fuit) tyrannidem invadente, tum Alexio ipſo Juniore non ſtante promiſſis, Latini tandem Conſtantinopolim, terrâ marique obſeſſam, expugnârunt XII. April. A. MCCIV. *Balduino* Flandro proclamato Imperatore Orientis. Quæ Urbis expugnatio miraculo propior fuit: Seu *ſitum* reſpicimus, concluſæ inter tria quaſi Maria, Propontidem ad Auſtrum, Boſphorum ad Ortum, & Sinum Ceratinum ad Septentrionem, cætera altiſſimis Muris & Propugnaculis propemodùm inacceſſæ: Seu *numerum* Militum & Civium quos intrà mœnia concluderet, qui ultrà CCCC. millia armatorum, aut qui arma geſtare poterant, inter quos C. mille ad minimum equites; præter *Naves* ad cuſtodiam Portûs deſtinatas; adeò ut (Villharduino teſte, quem edidit cum doctiſſ. Notis Carolus Du Freſne) pro *uno* aggreſſore, eſſent CC. qui urbem defenderent: Seu *fortitudinem* Ducum, quos inter eminuit illa Ducis Veneti, cujus octuagenario majoris narrantur planè mira & incredibilia. Imperator tum electus fuit communi ſuffragio *Balduinus* Flandrus, ipſis Venetis Imperium detrectantibus, ne periret Reipubl. Venetæ nomen & gloria. Ferunt cum *Urbe* ipſa, potiſſimum ejus theſaurum in Latinorum poteſtatem deveniſſe, *SS. Reliquias* vario tempore ex Palæſtinâ, Syriâ, Oriente toto, Conſtantinopolim tranſlatas, ſub Imperatoribus Chriſtianis, indè ab Urbe captâ, diſpergendas per celebriores Eccleſias Italiæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ. Hinc locupletata dicitur, præ aliis, Abbatia S. Dionyſii propè Pariſios, Balduino Imperatore donante Philippo Auguſto, v. gr. partem *Coronæ Spineæ* Chriſti Servatoris, fruſtum *Ligni Crucis* Domin. Sacram *Cuſpidem Lanceæ* quæ latus illius perfoderat, tùm de *Capillis Chriſti*, quum adhuc puer eſſet; de *Linteo* quo in præſepi involutus fuit; de indumento *purpureo* quo veſtitus in Paſſione; *Coſtam* unam Philippi Apoſtoli, unà cum ejus *dente*, &c. Et indè quoque Gallia compos facta *Capitis J. Baptiſtæ*, quo ſuperbit Ambianum in Picardis; ac Reliquiarum id genus ſine fine, quæ in variis Eccleſiis, tanquam pretioſiſſima κειμήλια, depoſitæ feruntur. Veriùs inter opima ſpolia referri debent, quæ hodieque à Venetis aſſervantur in Theſauro D. Marci, ex. gr. Vaſa gemmea inmenſi pretii, quædam inde à Conſtantini M. temporibus ſervata; Coronæ Regiæ, Lapides pretioſi, Veſtes, alia, etiam Græcæ Antiquitatis, rariſſima: Inter illa referri quoque debent, *Equi quatuor* ſuprà Veſtibulum Templi D. Marci ſtupendæ artis, qui olim traxerant Currum Solis triumphalem, quem Senatus Romanus Neroni poſuerat à Parthis reverſo; & quem in novam Romam transferri juſſerat Conſtantinus, & in Hippodromo Conſtantinop. collocarat. Manſit Conſtantinopolis penes Francos Imperatores uſque ad captam rursùs proditione à Græcis Conſtantinopolim, per Michaëlem Palæologum Comnenum, XXV. Junii, Anno MCCLXI. Balduino II. imperante. A quo tempore Franci, nonniſi titulo tenùs, Imperatores Conſtantinopolitani aliquandiu dicti. Quæ pluribus Nicetas Choniates, Georgius Acropolita, Abbas Urſpergenſis, & Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ Scriptores, nuperque in his *Carolus du Freſne*, Vir de Hiſtoriâ Byzantinâ meritiſſimus, editis Notis ad *Villharduinum* Scriptorem hujus Expeditionis.

Conſtantinop. obſeſſa & expugnata.

Expeditio Andreæ Hungar. Reg.

2. Succeſſit Expeditio, decreta in Concilio Lateranenſi, A. MCCXV. ſed ſuſcepta demùm ſub Honorio III. A. MCCXVII. coëuntibus Germanorum & Italorum copiis, ſub *Andreâ* Hungariæ Rege, primo belli Duce, ſociis Leopoldo Auſtriaco, Ludovico Bavaro, aliiſque Principibus: Intereà dùm Reges Galliæ, Angliæ, Scotiæ, inteſtinis motibus detinerentur; Reges Caſtellæ, Navarræ, Luſitaniæ adversùs Mauros bello decertarent; Petro autem II. Aragonum Rege, qui Regnum ſuum *tributarium* fecerat Romanæ Sedi, ſuppetias laturo affini ſuo Raymundo Comiti Toloſ. in Bello adversùs Albigenſes à Pontifice excitato, Duce Simone Monfortio. Hic *Andreas* in Palæſtinam delatus ac ſociatus Regibus Cypri, & Hieroſolymitano Johanne Brienno, tandem paucis menſibus in eâ exactis, poſtquam ſe in Jordane proluiſſet, quaſi paterni voti religionem impleſſet, ad ſuos reverſus eſt, Anno expirante MCCXVII. Tum reliqui Cruciati Anno ſeq. MCCXVIII. *Damiatam* Urbem Ægypti opulentiſſimam munitiſſimamque, (ſitam ad ſecundum Nili Oſtium, ejuſque ripam Orientalem, nec confundendam cum *Peluſio* ad primum Nili Oſtium poſito) Terrâ Marique obſeſſam, in conſpectu Sephadini Sultani Ægypti, Coradini Sultani Damaſceni, fortiter expugnarunt, A. MCCXX. Hucuſque Jacobus de Vitriaco *Hiſt. Orientalis* P. III. Sed rursùs, imprudentiâ ac pertinaciâ Legati Pontificii *Pelagii* Cardin. qui ſuaſerat Chriſtianis, ut rectà *Babylonem* vel *Cairum* peterent, invito Rege Hieroſolym. ſpreturi etiam conditiones pacis à Meledino Sultano Ægypti oblatas; exciderunt Chriſtiani & ſpe potiundæ Babylonis, & Damiatâ Urbe; quum Claſſis Saracenorum, beneficio aquarum Nili inundantium totam Ægyptum, Claſſem Chriſtianam intercluſo commeatu funditus deleviſſet, An. MCCXXI. Hæc pluribus Marinus Sanutus, *Parte* XI. Secretorum, *Cap.* IX. præter Matth. Pariſium, Godefridum Monachum, Antoninum Florent. & alios.

Friderici II. Imp.

3. Hinc *Friderici* II. Siciliæ Regis, & Imperatoris, excepit in Orientem profectio, A. MCCXXVIII. poſt longam (ut videbatur Romæ) moram interpoſitam, intervenientibus nuptiis *Friderici* cum *Jolantâ* (al. Iſabellâ) filiâ Regis Hieroſolymorum A. MCCXXVI. quarum beneficio contendit Fridericus dotis loco *Regnum Hieroſolymitanum*. Intereà Gregorio IX. ad Pontifica-

tifica-

tificatum evecto, & ob moras ac tergiverſationes Friderici vibrante in Imperatorem Excommunicationis fulmen, A. MCCXXVII. tandem, neglecto Pontifice, (adverſus quem dedit Literas ad omnes Europæ Reges, & Imperii Principes) commiſit ſe itineri in Palæſtinam A. ſequente MCCXXVIII. Sed exiguo comitatu, magnâ virium parte in Europâ relictâ, ac commiſſâ Duci Spoletano Renaldo, adverſùs attentata Gregorii. Undè nec longa Friderici in Oriente mora, poſtquam intellexiſſet prævalere in Italiâ *Guelphorum* & *Pontificis* partes; ac pactis cum Meledino Sultano Ægypti, induciis in X. annos, quibus *Hieroſolyma* civitas maneret in poteſtate Friderici; remeavit in Italiam A. MCCXXIX. Ubi quum recepiſſet Civitates in Regno Neapolitano ſibi per abſentiam ereptas, Anno ſequente cum Pontifice in gratiam rediit; Anagniæ factâ utriuſque conciliatione, & ſolemni abſolutione Friderici ab omni anathematis vinculo. Felix ſatis illa Expeditio Friderici Imper. recuperatâ Hieroſolymâ, & Regno ad ſe tranſlato, cum magnâ parte Palæſtinæ, pactis ita induciis cum Saracenis. Sed illa Pontificem inter & Fridericum odia, eruptura fuêre in atrox Bellum, quod exarſit inter *Guelphos* & *Gibelinos*, de quibus ſuprà. Succeſſit in odia deceſſorum adverſùs Fridericum Imperat. & domum Suevicam, Innocentius IV. ut poſteà. Nec ceſſaturi antè Pontifices, quàm poſt expletum odium, & oppreſſum Fridericum, quæ res magis cordi illis fuit, quàm Bellum Sacrum. De quibus ex Abbate Urſpergenſi, dein & Paulo Æmilio, Antonino, Nauclero, &c. recentiores Hiſtorici.

Expeditiones Theobaldi Com. Richardi Angli, &c.

4. Memorantur & Expeditiones aliæ, apud Continuatores Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ, & Matth. Pariſienſem, Paulum Æmilium, ac Francicarum rerum Scriptores. Nempè illæ *Theobaldi* V. Comitis Campaniæ, & Navarrorum Regis, cum Ducibus aliis, Claſſicum rursùs concinente Gregorio IX. A. MCCXXXIX. Sed infelici planè ſucceſſu, diviſis in Oriente Chriſtianorum ſtudiis, ubi locum tenentes Friderici Imperat. novas inducias pacti cum ſucceſſore Meledini, ſe à reliquis ſegregarunt; & ipſi illi qui Expeditionem ſuſceperant, propè *Gazam* Urbem circumventi, præda Barbaris fuerunt, A. MCCXL. Nec reſtauravit res collapſas *Richardus* Cornubiæ Comes, frater Henrici III. Anglorum Regis, ſuſceptâ eodem *Anno* Navigatione in Palæſtinam, ſed coactus mox inducias cum Sultano Ægypti, ex plerorumque Fœderatorum conſenſione, quas potuit paciſci. Cumprimis verò celebris Expeditio *Ludovici* IX. Francorum Regis, Innocentio IV. Pontifice, Cruce ſolenniter acceptâ, per modum voti, Anno MCCXLVIII. quam petiit inſtantiſſimè adhuc decumbens ex gravi morbo, ſcilicet *liberaturus è manibus Infidelium ſepulchrum J. Chriſti.* Socii Expeditionis fuêre, Fratres *Robertus* Atrebatenſis, *Carolus* Andegavenſis, deinde & *Alphonſus* Pictavienſis Comites, relictâ Matre *Blancâ* ad Regni cuſtodiam. Anno MCCXLIX. poſtquam hyemaſſet in Inſulâ Cypro, rectâ navigationem convertit versùs *Damiatam* urbem; mox terrore Saracenis ità incuſſo, ut noctu Urbe aufugerent, igne prius circumquaque poſito, & Francis locum facerent, intraturis protinùs Urbem. Præclaris initiis non reſpondit ſucceſſus. Nam Anno ſequente MCCL. partim mortalitate afflicto exercitu, partim inediâ, navibus hoſtium intercludentibus tranſitum victualium è Damiatâ urbe, redire coactus Ludovicus à tentatâ Expeditione in Saracenos, propè Maſſoram ad Nilum caſtra metantes: Et in illo reditu V. *April.* ab innumerabili Saracenorum multitudine circumfuſus, interfecto *Roberto* Comite Atrebatenſi, Regis fratre, poſt res fortiter geſtas, captus Rex Francorum, cum duobus fratribus Carolo Andegavenſi,

Expeditio Ludovici IX. Gall. Regis.

& Alphonſo Pictavienſi Comitibus, oppidò paucis *per terram* evaſuris manus hoſtium. Intereà occiſus fuit à *Mammelucis* Soldanus Ægypti, ultimus de genere Saladini, & cum iſtis Mammelucis, ac novo Sultano, de pace tandem tranſactum fuit cum Ludovico, his conditionibus, apud Sanutum *Lib.* XII. C. III. Joinville Hiſt. S. Ludov. p. 71. 72. &c. Guil. de Nangis in *Chron.* ad A. MCCL. &c. *Ut Regem & Fratres ipſius Soldanus dimittat, omneſque captivos, poſtquàm Rex in Ægyptum venerat;* & *Terras, quas in Regno Hieroſolymit. ſub adventum Regis Ludovici, Chriſtiani tenebant, cum omnibus pertinentiis in pace tenerent; Damiatam redderent Sultano Ægypti, & quæ ſecum Chriſtiani ferre non poſſent, ex iis quæ in Damiatâ manerent, ea ſuis nuntiis quos mitterent redderentur. Viciſſim Rex debebat, unà cum redditione Damiatæ, Saracenos liberare captivos, tam in Ægypto, quàm in Regno Hieroſolymit. & pro redemptione Captivorum factis expenſis ſolvere centum M. Marcharum argenti,* ſeu 400000. Libras Francicas, (alii pro Rege LX. *millia Librarum auri puriſſimi*, ut Matth. Weſtmon.) *relictis obſidibus, ipſo Comite Pictavienſi, uſque ad exſolutionem integræ ſummæ, ut & munitionibus omnibus, machinis, armis, ægrotis, in Damiatâ concluſis. Adhæc Rex uſque in decennium non deberet bellum Saracenis inferre.* Poſteà Ludovicus manſit adhuc in Syriâ, Joppem, Ptolemaidem, Sidonem, & loca quædam alia muniturus, collecturus Reliquias, redempturus captivos, uſque ad Annum MCCLIV. quando XXIV. *April.* de portu Acconenſi ſolvit, in Franciam reverſurus. Quod verò referunt, & inter eos *Joh. de Serres* in Inventario Hiſtor. Francicæ, & *du Haillan* Scriptor non incelebris, dediſſe Regem, in pignus futuræ ſolutionis, *S. Sacramentum Euchariſtiæ, unà cum Ciborio*, nullis fateor antiquioribus monumentis, editis ſcilicet, confirmatur. Atque ità res Latinorum in Oriente acciſas, fractaſque reliquit tum Ludovicus IX. Princeps Militaribus ac Chriſtianis virtutibus, quantum ſinebat ſervitus temporum, & effuſa ſuperſtitio quâ faſcinabat Chriſtianorum animos Roma, ſanè inter primos ſui Seculi reponendus. Intereà ſpes Orientalium magis magiſque depreſſerunt, inteſtinæ inter illos diſcordiæ, etiam illorum qui ut auxiliares advenerant; quos inter *Venetorum*, *Genuenſium*, & *Piſanorum* diſſidia intrà Ptolemaidem ſive Acram; adhæc *Saracenorum*, in Ægypto & Syriâ, creſcens in dies potentia, & feroces animi; tandem civilia in Occidente bella, odia *Paparum* in *Fridericum*, & Conradum filium, quæ odia Guelphi in dies fovebant adverſus *Gibelinos*, id eſt, Cæſarianos.

Altera Expedit. Ludovici IX.

5. Nec tacenda eſt Expeditio altera ejuſdem *Ludovici*, A. MCCLXIX. paulo antè fatis functo Clemente IV. Pontifice, & nec dùm ſuffecto ſucceſſore per diſſenſiones Purpuratorum; qui poſteà fuit Theobaldus quidam, agens tùm in Syriâ, præco belli Sacri, ex Archidiacono in Pontificem electus, nomine Gregorii X.

Cauſa movens fuit; partim *Tatari* infeſtis armis vexantes Saracenos, & legationibus Chriſtianos ad ſocia arma ſolicitantes; Partim defunctus *Clemens* IV. qui Carolum Andegavenſem Ludovici fratrem, in Siciliæ & Hieroſolymorum Regem inunxerat, odio ſucceſſorum Friderici II. Imperatoris; Partim innata Optimi Ludovici *ſuperſtitio*, qui ſalutem ſuam, felicitatem, ac pietatis ſummam conſtituebat in exſolutione id genus votorum, etiam ergà Virginem Matrem, tum in devotione ergà Romanam Sedem, in vitæ quadam auſteritate, in cotidianis Miſſis, cultu Reliquiar. ſuffragiis Sanctorum præcipuè S. Dionyſii, &c.

Socii Expeditionis Ludovici fuêre, Carolus frater, Henricus Anglorum Rex miſſis Eduardo & Edmundo filiis, Philippus Ludovici primogenitus,

Digitized by Google

& filius alter Johannes Triſtannus, Theobaldus Navarrorum Rex, Guido Flandrorum Comes, & Proceres alii: Expeditio ipſa Africam verſus fuit, occupatâ primùm Carthagine, tùm & *Tuneto* vicinâ obſeſſâ, quæ magnum transfretantibus impedimentum adferebat, ſed ſucceſſu infelici, utpote Ludovico peſte in eâ obſidione cum aliis multis ſublato: Hinc Sanctorum Catalogo deinceps adſcribendus; intereà pactæ cum Barbaro induciæ, redimente has ipſas à Carolo Siculo, certâ auri ſummâ. Et pluribus hæc, præter Continuatores Belli Sacri, Matth. Paris in Henrico III. Joinvilleus in Hiſt. Ludovici IX. Paulus Æmilius in rebus Ludovici IX. Guil. de Nangis in Chronico, quod edidit Lucas Acherius *Tomo* x. &c.

Expeditionum ultima.

6. Denique, ut in pauca contrahamus, non alium tot Expeditiones hac Ætate ſucceſſum habuêre, quàm quod Chriſtiani tandem Syriâ totâ & Palæſtinâ fuêre à Saracenis exacti, *Ptolemaide* à Sultano deletâ, A. MCCXCI. in quo finem Belli Sacri conſtituit Paulus Æmilius, in rebus Philippi Pulchri. Sed mox Palæſtinam, exeunte Seculo, *Tatari* Armeniorum & Georgianorum ope, quos vexabant Saraceni, rursùs occuparunt: Verum nec iſti diu tenuerunt, defectione Capcapi Tatarorum Ducis ad Sultanum Ægyptium, & Muhammedica Sacra; tandemque invaſione Urbis Hieroſolymitanæ per Saracenos, ut pluribus Continuata Hiſtoria Belli Sacri, Marinus Sanutus *Lib.* XIII. C. VIII. Guil. Nangis in *Chron.* Paulus Æmilius in Philippo Pulchro, &c. Et hic finis *Belli Sacri* fuit, acceleratus Chriſtianorum inteſtinis odiis, partim etiam execrando vitæ genere, in ipſo Oriente, inter moratiores longè Barbaros. Conſule Hiſtoriam Marini Sanuti, & celebres Hiſtoricos Matth. Pariſium, Matth. Weſtmonaſterienſem, G. de Nangis, Antoninum, Vincentium, Wernerum, Paulum Æmilium, Platinam paſſim, iſta confirmantes.

Intentio Rom. Curiæ, his Expedit.

VI. Porrò in hac omni hiſtoriâ perfidia *Romanorum Pontificum* enituit. Horum nil niſi pietatem crepant Bzovius, Genebrardus, Regno Chriſti ſcil. ampliando, captivis liberandis, impietati Saracenicæ profligandæ. Quum tamen, unanimi Hiſtoricorum fide, Urſpergenſis, Matthæi Paris, Werneri, Aventini, Continuatoris Belli Sacri, Vincentii, Balæi, Naucleri, cæterorum, enituerit 1. *Avaritia* Romanæ Sedis, in emungendis per Procuratores & Monachos populis, & pecuniis exigendis, decimis ac tributis imperandis, Expeditionum Sacrarum obtentu. Et in omnibus Papis locum habuit, quod de Innocentio III. dixit Matth. Paris, in Johanne Angl. Rege ad A. MCCII. *Cum Innocentius Papa ad Expeditionem Terræ S.* NB. *ut dixit, ad occultandam ſuam avaritiam, infinitam pecuniam ab Ordine Ciſtercienſi* (tum opulentiſſimo) *propoſuiſſet extorquere, à B. Virgine correptus* arte Monachorum, *ab exactione ceſſavit. Generaliter verò per Angliam, quadrageſimam partem pecuniarum redituum mandaverat erogari, ad iter Cruce-ſignatorum.* Quò ſpectat illud ab eodem Hiſtorico non ſemel obſervatum; hodie imperaſſe vota Monachos, & Crucis ſignum, cras ab eodem Crucis voto abſolviſſe, qui modò pecuniam darent.

2. *Ambitio* ejuſdem Sedis, protendendis finibus dominationis, ſpecie religionis; habendis ſibi obnoxiis Cæſare, Regibus, Principibus, quibus tantùm non imperarent Expeditiones in Terram S. percutiendis mox excommunicationum fulmine, ſi moras necterent: Undè Baronii infelix æmulus Bzovius, nunquàm aliter de Reſcriptis Pontificum, puta Innocentii III. IV. Gregorii IX. X. & reliquorum, ſeu ad Imperatorem, ſeu ad Galliæ, Angliæ, Siciliæ, Daniæ, Sueciæ, Reges, quàm hac formulâ; Papa *vult, injungit, præcipit, mandat, imperat, interdicit, compellit, corrigit, denunciat, benignè audit, anathemate obſtringit*, &c. Quæ formula bellum accendit inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, reſpondente hoc; Papam *hortandi* non imperandi habere poteſtatem, ut etiam Mezeræus ad A. MCCXCI. Undè Pontificum Legati ſummi erant Exercituum Duces & Moderatores, ſeu in Saracenos, ſeu in Albigenſes, religionis prætextu.

3. *Perfidia* ejuſdem Sedis, v. gr. dùm corraſos nummos, aut collectum militem ad Bellum Sacrum, convertunt ad invadendam Siciliam, Apuliam; ad opprimendum Friderieum, ejuſque ſucceſſores, Conradum, Manfredum; ad commoda propria promovenda, & Guelphorum partes; ad Albigenſes, gentem innocuam, delendos internecione, omnia ſub nomine eodem *Belli Sacri*, & *Cruceſignatorum*, docente Hiſtoriâ Innocentii III. Gregorii IX. Urbani IV. & ſucceſſorum. Et luculenter has Paparum artes, obtentu *Belli Sacri*, perſtringit ad hoc Seculum, Mezeræus Pontificius, aggreſſurus res Eccleſiaſticas ſub initium *Sec.* XIII. Ex quo Bzovii, Genebrardi, Baronii, Gretſeri, Spondani, Raynaldi, Maimburgii, ſimilium fides intelligitur, omnem hanc hiſtoriæ fidem diſſimulantium: Dumque Bzovius, ad A. MCCXXXIX. Matthæum Paris Anglum, alioſque Scriptores Germanos criminatur, quod Cæſari *turpiſſimè ſerviant*, non videt manticæ quod in tergo eſt, fœdioris longè *ſervitutis* etiam à ſuis poſtulatus.

III. *Propagatio purioris doctrinæ inter Waldenſes ſeu Albigenſes. Hiſtoria Perſecutionis hoc Seculo in eos excitatæ. Auctores, Motiva, Media adhibita, &c.*

Albigenſes an iidem cum Waldenſibus?

I. Waldenſium & Albigenſium originem, doctrinam, mores, progreſſus, diſperſionem denique, ſuperioris Ævi compendioſa narratio indigitavit. Nunc quando hoc Sec. XIII. potiſſima fuêre eorum certamina, & immanes ſunt Bzovii, Gretſeri, ac gregalium in eos contumeliæ, ità paulo pleniùs de iis commemorandum. De Nominibus, undè *Waldenſes, Albigenſes, Pauperes de Lugduno, Humiliati, Cathari, Manichæi, Bulgari, Leoniſtæ, Picardi*, &c. dictum abundè fuit. Ita *Publicani* hoc Ævo communiter audierunt, *impuriſſima Secta Publicanorum*, quod nempe pro exoſo & deteſtando genere hominum haberentur Publicani. Similiter dictum de Dogmatibus Waldenſium, *ſeu veris, ſeu* impactis per immanem contumeliam. Nam diſtinguenda diximus ea Dogmata, quæ ſpeciatim *Albigenſibus* tributa, quatenùs hi reliquiæ fuerunt *Manichæorum*, & cæteris loco & habitatione permixti; ut v. gr. negatus *Baptiſmus aquæ*, damnatæ *Nuptiæ*, negata veritas *Naturæ Humanæ* Chriſti, aut veritas *Reſurrectionis*, &c. Sic quod Albigenſes in duo genera diſpeſcerentur, ſcil. *perfectos* ſeu *conſolatos*, & alios qui demum in fine vitæ in eam *Sectam perfectorum* reciperentur. Nec Inquiſitorum relationibus, ut Franciſci Pegnæ in *Directorio Inquiſ.* & Nicolai Eymerici in *Formâ procedendi* contrà Hæret. tuta fides eſt. De iis nunc Albigenſibus dicimus, quos habuiſſe præcipua cum Waldenſibus communia, adverſus errores ac ſuperſtitiones Rom. Eccl. conſtat. Ac primò de *Perſecutionibus* dicendum eſt, hoc Seculo excitatis, earumque Motivis, Auctoribus, Inſtrumentis tum Civilibus vel Militaribus potiùs, tum Eccleſiaſticis, & Mediis tandem quæ Romani Pontifices adhibuerunt iis ſi pote extirpandis.

Motiva Perſecutionis.

II. Inter *Motiva* præcipuum hoc fuit, Doctrina *Pontificiæ* adverſa, Papæ ſcil. accuſatio, ſedentis ſe in Templo Dei ut Deum, ut ſummum Fidei & Conſcien-

Digitized by Google

ſcientiarum arbitrum; Cleri univerſi libera per iſtos reprehenſio; orationis libertas inſolita; prædicationum Euangelicarum fructus; diſtractio populorum à Romanâ Communione. Innocentius Pontificatûs ſui anno I. *Epiſt.* ad Aquenſem Archiep. XCIV. L. I. *Inter quos in Provinciâ veſtrâ quoſdam, qui Valdenſes, Cathari, & Patarini dicuntur, in tantum jam accepimus pullulaſſe, ut innumeros populos ſui erroris laqueis irretierint, & fermento corruperint falſitatis. Cum igitur ad capiendas hujuſmodi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini, ... dilectum filium fratrem Rainerium, & dilectum filium fratrem Guidonem, ad partes ipſas duxerimus deſtinandos*, &c. Ac teſtis idem Rainerius Waldenſium per Lombardiam Inquiſitor, de horum Waldenſium innocentiâ, Bibl. Patr. T. IV. Parte II. *quod hæc Secta magnam haberet ſpeciem pietatis, coram hominibus juſtè viveret, & benè omnia de Deo crederet, & omnes Articulos qui in Symbolo continentur: Solummodò* NB. *Romanam Eccleſiam blaſphemaret, & Clerum, cui multitudo Laicorum facilis eſſet ad credendum.* Jac. Aug. Thuanus, Hiſtor. L. VI. Tomo I. *Vera Belli in Waldenſes ſuſcepti cauſa fuit, quod Antichriſtianiſmum, tyrannidem, & errores Sedis Romanæ averſarentur, & veraci Euangelii prædicatione populos ſenſim ab Antichriſti obedientiâ revocarent.* Nec alia *Hæreticorum* definitio fuit, ex doctrinâ Innocentii III. vel Bonifacii VIII. Undè in Epiſt. Decretali ejuſdem Innocentii, datâ VIII. *Eid. Dec.* quæ & *Regeſt. L.* II. *p.* 534. jubet recipi illos *Humiliatorum*, qui parati eſſent *mandatis Apoſtolicis obedire, recepto ab eis juxtà formam Eccleſiæ juramento.* Hinc generali modò *hæreſeôs* obtentu, nullâ in ſpecie hæreſi expreſſâ, exterminatos eſſe Albigenſes, ex Nauclero & Gaguino obſervat Uſſerius Armachanus, *De Succeſſ.* C. X. N. XV. Et ingenuè Guil. Paradinus, in Annalibus Burgundiæ, L. II. ad An. MCCIX. *Nihil quicquam feciſſe* Albigenſes *eorum quæ accuſarentur, præterquàm quod vitia & corruptelas Præſulum liberiùs reprehenderent.* Ità quoque Bernardus Girardus, in Hiſt. Francorum, *Lib.* X. id inprimis Papæ odium in eos concitaſſe, quod *Eccleſiaſticorum vitia & mores diſſolutos culpare, ipſiuſque Papæ vitam & actiones reprehendere conſueviſſent.* Hinc cumprimis urebat Papam & Clerum omnem, Albigenſium illa & Waldenſium *propagatio* per omnem Europam, qualem hoc Seculo factam eſſe memorant Rainerius Inquiſitor, Matth. Paris, Joh. Mariana, Cæſarius Heiſterbacenſis, Joh. Prateolus, omnes reliqui, & docent perſecutiones, etiam diverſitas Nominum, pro diverſitate Regionum in quas diſperſi. Adeò quidem, *ut ſi gladiis fidelium non repreſſus fuiſſet error, brevi temporis interſtitio univerſam Europam corrupiſſet*, referente ex iiſdem quoque Bzovio Baronii Continuatore, ad A. MCXCIX. N. XXXIII.

Acceſſit, Papæ & Legatorum Papalium, inter Cruciatas Expeditiones, in alienis Territoriis, eo obtentu, auctoritas atque dominatio. Ut etiam *Terras Hæreticorum*, per Cruce-ſignatos occupatas, quibus vellent in Feudum concederent, tributis impoſitis, obſervante Mezeræo, Hiſtorico Pontificio, in rebus Philippi Pulchri; luculento rei exemplo in Comite Monfortio, apud *Mezer. Tom.* I. p. 501.

Auctores Perſecut. in Albig. III. *Auctores* Perſecutionum fuêre Romani Pontifices, horumque Legati, & Concilia, & Præſules, & Monachi, inflantes claſſicum quaquaverſùm, Bullis, Decretis, Literis, Concionibus, in ſpecie promulgatis Indulgentiis, ſi qui ſe Cruce ſignarent, undè *Cruce-ſignatorum* nomen, de perſecutoribus Albigenſium, à ſigno Crucis in pectore ſibi aſſuto. In Papis, primo ſtatim anno ſui Pontificatûs *Innocentius* III. datâ Bullâ ad Galliæ Præſules, hortatur, ut *etiam, ſi neceſſe fuerit, per Principes & populum, facerent* Hæreticos *virtute materialis gladii coërceri.* Nec deſtitit, donec & Officium Inquiſitionis inſtitueret, & Bellum in Albigenſes cruentiſſimum excitaret, de quo infrà. Inſtitit veſtigiis Innocentii *Honorius* III. ſub quo & Inquiſitio, & Bellum exarſit, ac deinceps quoque *Gregorius* IX. miſſis in Galliam & Lombardiam Inquiſitoribus, de quibus adi ipſum Bzovium, ſuaſu Raymundi Dominicani, qui Sanctorum Calendario adſcribi meruit ad A. MCCXXXV. Tum in *Conciliis*, quemadmodùm ſuperiori Seculo, Papâ Alexandro III. Concilium Turonenſe, A. MCLXIII. tùm & Lateranenſe, A. MCLXXIX. lugubre in Hæreticos carmen decreverant, (ut ex inſcriptione Vaticanâ Picturæ Concilii Lateranenſis patet, Alexandro III. Pontif.) ità hoc Seculo, in pluribus Conciliis ad arma in Albigenſes capeſſenda conclamatum eſt. Sic in Concilio *Lateranenſi* IV. Cruce-ſignatis datæ Terræ quas armis in Toloſanos occupaſſent. Sic in Conciliis Gallicanis, Montilienſi Narbonenſis Prov. A. MCCVIII. Vaurenſi vel Lavaurenſi, in eâdem An. MCCXIII. Montis-Peſſulano, A. MCCXIV. Bituricenſi, circà A. MCCXVI. Biterrenſi (*Beziers*) A. MCCXLVI. &c. de extirpandis Albigenſibus actum, quæ videſis apud Conciliorum Galliæ Collectores, & Labbeum *Tomo* XI.

Promovebant conſilia ſanguinis, ut pluribus quoque Uſſerius *De Succeſſ.* C. X. N. XXXVII. I. *Legati* Pontificii, quales inprimis Frater Rainerius Innocentii III. Legatus, in Galliâ Narbon. Arnoldus Abbas Ciſtercienſis, poſteà Narbonenſis Præſul; Dominicus Hiſpanus; Petrus Beneventanus Cardinalis; alii id genus, Conciliorum hoc ipſo Præſides, & Expeditionum per Cruce-ſignatos moderatores. 2. *Præſules* Galliarum, qui conjunctis conſiliis, & propoſitis Indulgentiis, quâ voce, quâ Scripto Cruce-ſignatos animabant, ut ſe militiæ accingerent, contrà ſcilicet Crucis inimicos. 3. Monachi & Fraticelli, quorum anteſignanus *Dominicus Guzmannus*, ab Innocentio III. A. MCCV. in Galliam miſſus qui Albigenſibus opponeretur, incentor Belli Sacri duce Monfortio, poſteà Inquiſitor generalis, & fundator Ordinis Prædicatorum, qui ſc. plebes in Hæreticos ſuis prædicationibus accenderent. Conſentiunt omnes Chronographi, & Hiſtorici, undè & Inſcriptio Tabulæ Vaticanæ in quâ Albigenſium ſtrages expreſſa; *S. Dominico ſuadente contrà Albigenſes hæreticos, Simon, Comes Montifortenſis, pugnam ſuſcipit, egregieque conficit.* Iterùm repræſentatur Pontifex Innocentius III. in ſolio Pontificio, ſub eo Concilium Lateranenſe, à dextris Concilii Dominicus, Franciſcus à ſiniſtris, tanquam Duces inſtituti Cruce-ſignatorum in Hæreticos; & Dominicus quidem *flagellum* manu geſtans, iis opprimendis, Franciſcus *Eccleſiam Lateranenſem* humeris ſuſtinens. Hinc totos annos decem laboraſſe fertur Dominicus, in partibus Albigenſium, Hæreſi ſcil. extirpandæ, inſtituto adverſus eam ſuo Ordine, *cui foret præcipua cura* Hæreticos *retundere & perdere*, teſtibus Vincentio in Speculo, Antonino in Hiſtoriâ, Nic. Bertrando de geſtis Tholoſanorum, aliiſque, Uſſerio etiam noſtro citatis de Succeſſ. C. IX. Et eum Ordinem, ad extinguendam Hæreſim, *impetuoſiſſimum audaciſſimumque* fuiſſe, auctor eſt Jacobus Phil. Bergomas, in Supplemento ſui Chronici, *Lib.* XV. ad An. MCCXVII. Hinc tam Dominicani, quàm Franciſcani, habiti jam hoc Seculo, duo veluti labantis Eccleſiæ *fulcra & ſuſtentacula:* Et quod de Dominico ferunt Vincentius, Antoninus, Mantuanus, alii, tanquàm qui ab Innocentio in ſomniis viſus Lateranenſem Eccleſiam jam propè ruinam per Hæreſes minitantem, humeris ſuppoſitis ſuſtentans; id ipſum ex Bonaventurâ de Franciſco aſſeritur, in inſcriptione Tabulæ Vaticanæ, apud Angelum Roccham, *Innocentio* III. *Pontifici per quietem S. Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinere*

Earundem promot. & incentores.

nere viſus eſt: Hinc plena ſunt Chronica Monachalia de Ordinis utriuſque laboribus adversùs Hæreticam pravitatem, utrique etiam demandato *Inquiſitionis* Officio, de quâ ſtatim. Nec finis eſt Miraculis, apparitionibus, præmiis Cruce-ſignatorum, quibus Fraticelli Populorum ſimplicitati illudebant.

Inſtrumenta adhibita. IV. *Inſtrumenta* oppreſſæ per Pontifices veritatis alia fuêre *Eccleſiaſtica*, alia *Politica*. In Eccleſiaſticis, illi ipſi quos antè diximus auctores & promotores Perſecutionum, Legati Pontificum, Præſules Galliæ Narbonenſis, Dominicus, Rainerius, Raymundus, cæterique quibus *Inquiſitionis* Officium demandatum in Galliâ Narbonenſi, Aragoniâ, Lombardiâ, Germaniâ, &c. denique grex univerſus Monachorum. In Politicis, quotquot ſe Cruce ſignarunt, dato nomine Sacræ militiæ in Albigenſes. Capita fuêre, Simon Comes Monfortius, Guido & Almericus Simonis filii, Philippus Auguſtus Galliarum Rex, Ludovicus Philippi filius, poſteà VIII. hujus nominis, Ludovicus IX. Sanctorum Catalogo adſcriptus; & ipſe quoque *Fridericus* II. Imperator, variis Edictis & Capitulis in Hæreticos, quales tùm Albigenſes audiebant, promulgatis, de quibus infrà. Ne ſcilicet cauſari poſſent ejus Adverſarii, qui tum Papa Romanus, & tota ejus factio, quod cum Hæreticis conſpiraret.

Media. V. *Media* denique delendis Albigenſibus adhibita, ſequentia potiſſimùm fuêre:

Ac 1. Diſputationes. 1. Primò quidem, tentata in ſpeciem converſio Albigenſium, per *Diſputationes* & *Colloquia*. Hujuſmodi fuit illud A. MCCVII. inter Fulconem Tholoſanum, Didacum Hiſpanum Epiſcopum, atque hujus ſocium Dominicum, & Abbates Ordinis Ciſtercienſis, miſſos ab Innocentio III. ex unâ parte; & Tholoſanos aliquot Paſtores ex alterâ: Ubi de Romanâ Babylone, de ejus Politiâ, de Miſſæ Sacrificio, nullo fructu diſputatum eſt. Repetita dein aliquot hujuſmodi Colloquia, anteſignano in Pontificiis Dominico, cum aliquot Abbatibus; nempè, de *Eccleſiâ Rom.* de ejus *Politiâ*, de *Miſſâ*, &c. Quæ videſis apud Nicol. Vignier *Hiſt. Eccl.* ad A. MCCVII. Uſſerium Armachanum *de Succeſſ.* C. x. n. xx. xxi. xxii. & alios.

Vis Armorum. Belli hiſtoria. 2. Mox excepit medium priori validius & efficacius, extirpandis Albigenſibus, nempè *vis armorum*, erecto in Hæreticos Belli vexillo juſſu Innocentii III. à quo Principes juxtà & Populi ad debellandam innocuam Gentem, Literis quaquaverſùm datis, & Indulgentiis propoſitis, *omnium peccatorum indè à nativitate* A. MCCVIII. excitati fuêre. Cœpit crudeliſſimum illud Bellum A. MCCIX. tanto furore Populorum, ut ultrà *quingenta millia Cruce-ſignatorum* Lugdunum ſe contuliſſe ex condicto memorentur; Spondano ipſo referente in Auctario ad Annales Baronianos ad A. MCCIX. N. VII. Summa *prima* Expeditionis fuit: Occupata primùm per Cruce-ſignatos Urbs *Bituricenſium*, in quâ ultrà LX. hominum millia, utriuſque ſexûs, trucidata, teſte Guilielmo Armoricano in Annalibus Geſtorum Philippi Regis. Tum capta Urbs altera *Carcaſſona*, in quâ miſeri Waldenſes partim nudi dimiſſi, partim per ſpeluncam ſubterraneam, omnibus derelictis, evadere coacti, ex Roberto Altiſſiodorenſi, aliiſque Belli hujus hiſtoricis. Poſteà Præfectus ut regioni univerſæ, ſic Bello verè Sacro, Simon Comes Monfortius, Regno Angliæ cum ſuis expulſus. Expeditio *hinc altera* ſuſcepta, A. MCCX. potiſſimùm in Gallos Albigenſes, quando in Urbe quâdam ultra CLXXX. perire miſero vivicomburio maluerunt, quàm à fide deſciſcere, teſte Roberto Altiſſiodorenſi, in Chronico: Captus tùm & Raymundus Comes Toſanus Pater, atque in carcerem compactus. *Tertia* mox Expeditio excepit, Anno ſequente MCCXI. in quâ expugnatâ *Leuteva* Urbe, (*Lodéve*) multi partim gladio partim flammis extincti, ex Altiſſiodorenſi, Cæſario, Nic. Berfrandio, aliis. Mox recruduit Bellum, armatis contrà Cruce-ſignatos in favorem Albigenſium Raymundo Filio, Aragonio & Anglo Regibus, Proceribus Gaſconiæ, Birniæ, aliiſque, conflato Exercitu ex 100000. armatorum. Quo in Bello Monfortii ſcil. virtute primò res feliciter ceſſit Cruce-ſignatis; reportatæ ab iis victoriæ, & ſuperati Aragonius Rex, & Johannes Anglus; cæſa multa hominum millia; Monfortii copiæ (novis propoſitis Indulgentiis, & felici ſucceſſu armorum) mirum adauctæ; Raymundus Pater & Filius ad Lateranenſe Concilium ſupplices compulſi, ſed deciſâ ibi cauſâ in favorem Monfortii, qui à Patribus *ditionum omnium* quas Bello hocce acquiſiviſſet, *Dominus* appellatus eſt, Philippo Rege aſſentiente. Circà hæc tempora, A. MCCXV. quo Lateranenſe Concilium habitum, junxit copias ſuas in Albigenſes *Ludovicus* primogenitus Philippi Auguſti, Toloſam occupat, mœnia diruit, cauſam Cruce-ſignatorum fortiter adjuvat. Sed futurus hic tandem tot bellorum, tot ſtragium ſucceſſus, ut Raymundus Comes Toloſanus filius lacertos reſumat; convertantur in eum tractus ingens ad Rhodanum, & Reguli varii Galliæ, Catalauniæ; Toloſam is Urbem intret, & Monfortium ad anguſtias redigat; hic ipſe Toloſanâ obſidione ictu lapidis oppreſſus occumbat; fruſtrà ſuppetias Filio utrique Simonis ferat *Ludovicus*, à Philippo Patre in Albigenſes iteratâ Expeditione miſſus; fruſtrà ſuppetias poſteà repetat idem Philippus, nequicquàm Honorio Papâ frigidam ſuffundente, miſſo Legato Conrado Abbate Ciſtercienſi: Donec tandem Caſtris multis ab Albigenſibus receptis, imbellis Raymundus, miſſis ad Papam Honorium Legatis, turpiter deficeret, præſtito obedientiæ juramento in manus Archiepiſcopi Narbonenſis, circà A. MCCXXIII. De quibus dicta Chronica, & ex iis Albigenſis hiſtoriæ Scriptores. Undè tutiſſimæ deinceps Albigenſibus Sedes, in partibus Angliæ, Pedemontii, Dalmatiæ, Croatiæ, Bulgariæ, Bohemiæ, etiam Germaniæ, Flandriæ; proditurìs ex iis ſuo tempore *Wicleſitis*, poſt *Huſſitis*, de quibus ſuo loco.

3. Tertium medium delendis Albigenſibus adhibitum, fuêre *Edicta Imperialia*, & horrenda, in eoſdem promulgata, cumprimis à Friderico II. Imperatore, ut inter illas cum Romanâ Eccleſiâ diſſenſiones bonus Catholicus haberetur. Refert illa quoque, præter Goldaſtum, *Conſt. Imp.* T. I. p. m. 76. Bzovius ad An. MCCXXV. N. VII. & ſequent. ac nuper V. Cl. Philippus à Limborch, in Hiſtoriâ Inquiſit. C. XII. Quanvis Paulus Servita in Hiſtoriâ Inquiſitionis Venetæ referat hæc Edicta ad A. MCCXLIV. Deſcribuntur in anteceſſum Waldenſes & *Albigenſes*, ut Fautores *Hæreticæ pravitatis*, *vipereæ perfidiæ filii*, *contrà Dominum*, & *Eccleſiam inſultantes*, *malefici*, *qui Dei Filium* & *Fidem non agnoſcerent*, &c. Summa Edictorum quæ Paduæ (ſeu Patavii) promulgata, d. XXII. Februar. hæc fuit: De ſtringendo materiali gladio in Hæreticos; de ſententiâ mortis in eos ferendâ, & vivicomburii; ſi autem reſipiſcerent, de agendâ in perpetuo carcere pœnitentiâ; de plectendis pari pœnâ fautoribus, receptoribus, defenſoribus Hæreticorum; de negando illis appellationis beneficio; de poſtulandis reis perduellionis, ſeu læſæ Majeſtatis; de ulciſcendis etiam hæredibus, qui & hæreditate, & facultatibus, & omnibus beneficiis hoc ipſo privarentur; de deſtruendis eorundem ædibus, neque unquàm inſtaurandis; denique de protegendis quaquaverſùm & juvandis *Inquiſitoribus*, ab Apoſtolicâ Sede conſtitutis, & capiendis Hæreticis quibuſcunque quos illi indicaſſent. Et Albigenſes Waldenſibus permixtos imprimis deſignari patet, quos *Leoniſtas*, *Patarinos*, *Wal-* Edicta Frider. II.

Digitized by Google

Waldenſes, *Arnaldiſtæ*, & aliis odioſiſſimis appellationibus idem notat Imperator. Nihilominus idem Fridericus, mirâ ultione Numinis, qui promotor præcipuus fuerat hujus Inquiſitionis, ſuis Edictis contrà Hæreticos, eorumque Complices ac Fautores, expertus eſt malum conſilium conſultori peſſimum eſſe. Hinc ille ab Innocentio IV. ut *fautor Hæreſeôs* accuſatus, condemnatus, exauctoratus, Imperio & Regnis privatus, imò poſt mortem traductus ut *fautor Hæreticorum*. Ita Innocentius apud Raynaldum, ad A. MCCLI. N. XXXIV. *Olim dum viveret perfidus ille Tyrannus, non potuit liberè contrà hujuſcemodi peſtem, præcipuè in Italiâ, eo impediente progredi, cùm non impugnaret, ſed foveret potiùs partem ipſam.*

Ordines Prædic. & Minor.

4. Quartum medium in eos excogitatum, fuit inſtitutio Ordinis utriuſque, *Prædicatorum* per Dominicum, & *Minoritarum* per Franciſcum Aſſiſium, hoc potiſſimùm fine, ut Hæreticos profligarent, teſte Antonino in Hiſtoriâ, P. III. *Tit.* XXIII. aliiſque. Hinc etiam Innocentium III. motum fuiſſe memorant, ut Ordinem Prædicatorum confirmaret, poſtquàm vidiſſet in ſomnio *Dominicum* ſuis humeris Lateranenſem Eccleſiam, ruinæ proximam, ſuffulcientem. Hinc quoque Franciſcus, dictus *Vexillifer ſummi Regis*, qui *Per cuncta mundi climata, Contra draconis Schiſmata, Acies trinas ordinat, Expeditorum militum*; in Hymno Gregorii IX. de laudibus Franciſci: Vide *Uſſerium* de Succ. C. IX. p. 323. Hinc Conciones incendiariæ quaquaverſùm ab his Monachis habitæ, pro *textu* ut plurimùm uſurpantes Pſaltis illa Verba *Pſ.* XCIV. 16. *Quis conſurget mihi adverſùs malignantes, aut quis ſtabit mecum adverſùs operantes iniquitatem?* Hinc denique, ut mittamus alia, & commiſſam iis Inquiſitionem, ipſe Fridericus II. Imp. in uno ex Edictis memoratis, recipit in tutelam Imperialem *Fratres Prædicatores & Minores, pro fidei negotio in partibus Imperii deputatos*, & *omnem illis opem atque operam præſtari jubet.*

IV. *Officium Inquiſitionis Pontificiæ introductum. Ejus Auctores; Ratio; Loca ubi primùm exercita; Oppoſitiones; Conſpectus præcipuarum immanitatum tremendi hujus Tribunalis.*

Officium Inquiſit. inſtitut.

I. Potiſſimum verò extirpandæ Hæreſi viſum eſt Innocentio Tertio Papæ, dehinc Succeſſoribus, Medium eſſe, *inquirere* ubique in Hæreticos, etiam ſuſpectos de Hæreſi, & in illos pœnis Secularibus ſeveriſſimè animadvertere: Dictum hinc *Officium delegatæ Inquiſitionis*, quæ dira fuit conſcientiarum carnificina. Cujus ratio deinceps fuit, quâ conſtituti ſunt à Papâ Commiſſarii, qui per Provincias in Hæreticos ſcilicet *inquirerent*; itâ quidem, ut ſola *accuſatio* Hæreſeôs hominem traderet brachio Seculari; *ſuſpecti* Hæreſeôs, judicio ferri candentis, aliiſque torminibus probarentur; accuſatis verò nullum eſſet beneficium vel *defenſionis* vel *appellationis*; pœna autem primò carcerum, poſt gladii, ac communiſſimè tandem *vivicomburii*. Et hac de Inquiſitione, præter hujus Seculi Annales, & Paparum Epiſtolas, Reſcripta, ut Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Urbani IV. &c. teſtatur conſtans exindè praxis, & Liber Eymerici inſcriptus *Directorium Inquiſitorum*, in quo ratio horrenda excarnificandi quoſcunque vel ſuſpectos, vel accuſatos *hæreticæ pravitatis*; quod Scholiis illuſtravit Franciſcus Pegna, edito etiam Libro *de Formâ procedendi contrà Inquiſitos de Hæreſi*, Venetiis impreſſo 1587.

Rainerius I. Inquiſ.

II. Inquiſitores igitur primus conſtituit Innocentius III. anno II. Pontificatûs, inprimis *Rainerium* quendam Fratrem, cui plenæ Legationis officium commiſit per Provincias Aquenſem, Arelatenſem, Narbonenſem, cum poteſtate *cogendi Hæreticos redire ad Catholicæ fidei unitatem, & percellendi pœnâ Canonicâ contumaces*, ut in *Epiſt.* CXXII. L. II. Et illi ut præſtarent omnem operam Archiepiſcopi earum Diœceſeôn, Epiſcopi, & Seculares, ſimul præcepit, ut ita *Hæretici* de partibus illis *extirparentur*, *Ep.* CXXIII. L. II. Dubitat tamen Spondanus, an idem ſit ille *Rainerius*, qui poſteà in partibus Lombardiæ Inquiſitor fuit, ſuperſtes adhuc ſub Alexandro IV. ex Decretis ad illum directis, niſi ad decrepitam ætatem pervenerit, ut ille ad A. MCXCVIII. N. XXIII. Et quidem hic Rainerius, patriâ Placentinus, *Waldenſium* primò *Epiſcopus* fuiſſe dicitur, poſt Ordinem Prædicatorum ingreſſus, & Hæreticorum Inquiſitor.

Et Dominicus.

Mox ab eodem Innocentio Inquiſitor Generalis conſtitutus eſt *Dominicus* ille Hiſpanus, in Pago Toloſano, & partibus Galliæ Narbonenſis A. MCCXII. ſecundùm alios A. MCCXVI. finito Conc. Lateranenſi. Hinc fundator Ordinis *Prædicatorum*, qui ſcil. contrà Hæreſes prædicarent; ſicut X. totos annos in eâ *prædicatione*, id eſt, in inquirendis & oppugnandis Albigenſibus operam navavit, ex omnium conſenſione, & Auctoribus *Vitæ Dominici*.

Ac Dominicani. Etiam Minor.

III. Poſt Dominicum delegata Inquiſitio ejus Fratribus *Dominicanis*, qui ſoli hodieque illi præſunt in Italiâ & Hiſpaniâ. Quemadmodùm ex ſolo Ordine Dominicanorum eligitur hodieque *Magiſter S. Palatii*, auctore hujus Officii Dominico, cui & illud ab Honorio III. primum commiſſum fuit, ut Bzovius ad A. MCCXXI. N. IX. Imò in Edicto Friderici II. ſoli nominantur *Fratres Prædicatores, deputati in partibus Imperii pro fidei negotio*, &c. Quanvis & *Fratribus Minoribus* initio eadem commiſſa, unà cum Ordine Prædicatorum, referente eodem Franciſco Pegnâ; teſte etiam Bullâ Alexandri IV. A. MCCLX. editâ ab eodem Pegnâ, in quâ *Inquiſitores* utriuſque Ordinis conſtituit, etiam teſte Waddingo in Annalibus Minoritarum ad A. MCCXXXVIII. Prout ex Ordine Minorum fuit *Nicolaus* IV. qui fratres Ordinis ſui, quantum potuit, extulit & huic Inquiſitionis Officio præfecit. Quamvis manſuetioris ingenii quibuſdam viſi ſint *Minoritæ*; hinc, quod *Prædicatores rigidiores eſſent*, aliquando ex Ordine Minorum Collegæ iis adlecti, ut factum à Johanne Archiepiſcopo Viennenſi, monente Spondano ad A. MCC XXXIV. N. III. Hinc potiores in eâ Inquiſitione partes fuêre Dominicanis, eorumque Generalibus, Provincialibus, tanquàm primanis militibus, Magiſtri ſui æmulis: His enim ſolis commiſſum à Gregorio IX. in Galliâ & Aragoniâ; antéſignano illo *Raymundo Pegnafortio* Collectore Decretalium, Sanctorum dein Catalogo adſcripto, à quo editi Canones A. MCCXXXV. à Gregorio IX. approbati, de modo *Inquiſitionis*. In his vult, & quidem in *ſpiritu manſuetudinis & pietatis*, ut ipſe loquitur mandatque Pontifex: 1. *Hæreticos* aut *ſuſpectos de Hæreſi*, à quocunque etiam proximo agnato, etiam filio, patre, &c. denunciari Inquiſitoribus, ſub pœna Excommunicationis: Quomodò Gregorius IX. L. V. *Epiſt.* CXX. hortatur filios ut *patrem* ſuum, *Ezelinum* nomine, Hæreſeôs accuſatum, ad Inquiſitionis tribunal tradendum raperent, ut ſe & ſua in tuto collocarent; *Cum divini Numinis cauſa humanis affectibus debeat anteferri*. 2. Eoſdem in durum carcerem compingi, *de muro forti*, ad quem nullus ſit aditus, niſi Inquiſitoribus. 3. Adigi ad purgationem Canonicam, quâ ſe itâ purget, ut *ſeptem* plus minùs compurgatores requirantur. 4. Admitti in eos quoſcumque *Teſtes*, excepto Inimico Capitali, de quo-

Digitized by Google

quo tamen, an ſit talis, judicium ſit penes Inquiſitores. 5. Ubi duo, vel unus etiam teſtis, in eum depoſuerint, cogi talem ad *confeſſionem probationibus*, id eſt, tormentis & equuleis. 6. Imò etiamſi non confiteatur, ad depoſitionem duorum teſtium, haberi pro confeſſo & convicto. 7. Bona eorum Fiſco addici, præterquam quod ex iis Hæretico alimenta præſtentur. 8. Imò licet confeſſis veritatem *gratia* eſſet promiſſa, etiam *juramento*, tamen puniendos eſſe, quoniam pœnæ quas paterentur Hæretici eſſent gratiæ, &c. 9. Pro *Hæretico* haberi, paribus pœnis obnoxio, qui Waldenſium aut Hæreticorum aliquos recepiſſet, licet imprudens, & cætera Catholicus; putans Waldenſes illos *eſſe homines bonos*; Et quæ hujuſmodi plura, in caſibus de *dubiâ* Hæreſi, quæ ipſe Gregorius *reſolvit*, *& Raymundus* quoque, referente & Bzovio, ad A. MCCXXXV. N. V. In Gregorii IX. veſtigia, inſtitutâ quaquaverſùm Inquiſitione, imò aucto rigore, ivêre Pontifices ſucceſſores Innocentius IV. Alexander IV. reliqui, conniventibus Principibus, & faventibus Edictis Friderici II. quæ etiam Nicolaus IV. Pontifex confirmavit, ut Bzovius A. MCCLXXXIX. N. VII. *Etiam Conſtitutiones Friderici Imp. in eos latas voluit confirmare.* Et hoc Romanæ Tyrannidis, ſitientis ſanguinem juſtorum, & *Antichriſtianiſmi* Pontificii indubium argumentum eſt. Nam hi *In[illegible]*, fuerunt Apoſtolici Judices, à *Romano Pontifice* delegati, tanquam ſupremo Judice, quibus in Hæreticos data juriſdictio plenaria, ac poteſtas inquirendi, judicandi, condemnandi, &c. ſub nomine Sancti Officii; nemine ab hujus tremendi Tribunalis juriſdictione exempto.

Oppoſitiones contra hoc Tribunal factæ. IV. Erectum hoc paſſim Inquiſitionis Tribunal, & atrociſſima de Waldenſibus ac Albigenſibus ſumpta ſupplicia Romæ, in Italiâ quâ parte Pontifices dominati, in Siciliâ, Galliâ, Navarrâ, Aragoniâ, & alibi, ubicunque valuit auctoritas Pontificum. Oppoſuerunt tamen ſeſe adversùs hæc *Inquiſitionis* Tribunalia, paſſim erecta, & commiſſa Monachis Dominicanis & Franciſcanis, (qui ſibi judicium vendicabant non de *doctrinâ* tantùm, ſed & de *perſonis* quibuſcunque ſub ſpecie Hæreſeôs) prudentiſſimi hoc Seculo Reges, ac Principes: Et ipſe Rex Galliæ Ludovicus IX. qui promulgavit legem A. MCCXXXVI. (de quâ Theophilus Raynaldus) ne ſubditi ad Eccleſiaſticorum Tribunalia vocati, cauſæ ibi dicendæ, coram iis comparerent: Et ſi eo nomine Eccleſiaſticas pœnas ſubirent, illorum qui inflixerant bona publico ſatellitio occuparentur. Sed mox ad literas Gregorii IX. quæ habentur apud Raynaldum, Rex legem revocavit. Itâ abuſi paſſim Inquiſitores ſuâ poteſtate, turbas excitarunt Tholoſæ, Florentiæ, Placentiæ, Genuæ, alibi, Magnatibus & Populis, graviter inde offenſis. Sed vicit auctoritas Romanor. Pontificum, qui tandem ipſos Reges ac Principes, ſub *Hæreſeôs* notâ, agnoſcere hæc Tribunalia coëgerunt. Imò *Fridericum* II. Imperat. quod ſe non ſubjiceret Eccleſiæ, & D. Petro, cui ſoli commiſſa eſſet *ligandi ſolvendique* poteſtas, Innocentius IV. tandem in Concilio Gallicano non excommunicavit tantùm, ſed & Imperio & Dignitate privavit A. MCCXLV. De quo adhuc poſteà.

Quibus gradibus perfectum? V. Porrò, quibus gradibus increverit hoc Officium *Inquiſitionis*, quæque ſit tota ratio hujus *Tribunalis*, pluribus exponunt Nicol. Eymerici (Monachi Dominic.) Directorium Inquiſitionis Hæreticæ pravitatis, Scholia ad illud Franc. Pegnæ, Ejuſdem Inſtructio ſeu Praxis Inquiſitorum, Lucerna Inquiſitionis, cum Pegnæ Annotationibus, Cæſar Carena de Officio Inquiſitionis, & modo procedendi, alii plures qui de Judiciis Criminalibus S. Inquiſit. commentati ſunt; etiam Abrahamus Bzovius Ordinis Prædicat. in Tomo XIII. continuatorum Annal. Baronii, ad An. MCCXXXIV. MCCXXXV. MCCXLII. MCCLII. &c. Heic videas *Miniſtros* omnes ſacerrimi hujus Officii recenſitos; *Inquiſitores* ſpeciatim dictos, qui ad vitam delegati fuêre, ex Præpoſitis Ordinum Monachis, nullis adhuc Romæ Cardinalibus qui *Generalium Inquiſitorum* munus ſuſtinerent: Quibus tamen Inquiſitoribus, Juris omnis ignaris, dati ſunt *Aſſeſſores* ſeu Conſultores in Jure periti; *Secretarii* vel Notarii, qui eorum accuſationem, interrogata, reſponſa, in tabulas referrent; *Apparitores* vel Executores, qui mandata Inquiſitorum exequantur; *Adjutores*, qui in perquirendis & puniendis Hæreticis auxiliares manus præſtent, hodie Familiares vocant; olim etiam *Cruceſignati*, à Dominico ad eam rem adhibiti, cum beneficio *Indulgentiarum*. In quibus omnibus nullæ omninò partes fuerunt Judicis vel Magiſtratûs *Secularis*, nequidem in ſequeſtratione aut confiſcatione Bonorum, quæ ad perſonas tantum *Eccleſiaſticas* pertineret. Imò ſeveriſſimè interdictum aliis obedire, quam qui ab Apoſtolicâ Sede, ejuſve Delegatis, Subdelegatis eſſent conſtituti. Niſi quod Civitatum Magiſtratus, Conſules, Rectores, Capitanei, jurato obſtricti fuerint, de ſervandis Conſtitutionibus contrà Hæreticos à Sede Apoſtolicâ promulgatis, habendi aliàs tanquàm Hæreticorum fautores, aut de Hæreſi ſuſpecti. *Carceres* etiam Inquiſitoribus ſpeciatim dati, ad reorum *non cuſtodiam* tantùm, ſed & pœnam; *quæ ſæpè in dubio caſu* fuit pœna *perpetui carceris*, *quæ morti* comparatur, hodie vocant *la Santa Caſa*.

Sub nomine *Hæreticæ pravitatis*, cujus prætextu hæc Tribunalia fuerunt inſtituta, habendi non ſolum Hæreſiarchæ, aut Hæretici manifeſti, & impœnitentes, ſed etiam Hæreſeôs ſuſpecti, licet ea probari nequeat; aut qui Hæreſim conſtanter negarent, delati apud Judicem; aut qui Hæreticis domum, vel receptaculum, vel defenſionem aliquam, aut patrocinium commodarent, vel etiam conſilium, aut non adhibuiſſent omnem operam Miniſtris Inquiſitionis, præbentes ſic obſtaculum huic Sancto ſcilicet Officio. Quâ de re ſunt ſeveriſſimæ leges, cumprimis *Friderici* II. Imperatoris, de quibus ſuprà; deinde Conſtitutiones Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. & ſuccedentium Paparum, videndæ in Decretal. & in Sexto, de *Hæreticis*, vel apud Bzovium, locis cit. Pœna autem, *qualis* privationis omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, omnis legitimi Dominii, aut confiſcationis *omnium* Bonorum, etiam ad *filios* & *nepotes extendenda fuit*, privandos itâ hæreditatis jure, *licet hi* Cathol. fidem profeſſi; niſi ſe præbeant *delatores patrum*, hinc in præmium delationis eximendi à pœnis in eos ſtatutis. Si autem Hæreticus declaratus Princeps eſſet, vel Rex, vel Imperator, vel Comes, Magiſtratus, hoc ipſo abſolvuntur omnes ſubditi à vinculo obedientiæ & ſubjectionis, quo juramento illi obſtricti fuêre, ut frequentia docent exempla hoc Seculo, *ipſius* Friderici II. Imperat. & Conradi Filii, ac Conradini nepotis. De quibus etiam poſtea. Deindè *fidem* Hæreticis *ſervandam* non eſſe, apertè poſtmodùm Conſtantienſes verbis & factis docuerunt. Pœnam porrò non carceris modò perpetui, aut gladii, ſed atrociſſimam *vivicomburii*, licet jam antè in uſu fuerit, lege ſtatuit primus Fridericus Imperat. l. *Inconſutilem*, §. 4. *Præſentis noſtræ Legis edicto damnatos mortem pati Patarenos, alioſque Hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, decernimus, quam affectant, ut vivi in conſpectu hominum comburantur, flammarum commiſſi judicio.* Quam pœnam deinceps Innocentius IV. & cæteri Pontifices confirmarunt. Ne addamus, Hæreticis negatum fuiſſe omne beneficium *Appellationis*, lege *Commiſſi nobis*, Imperatoris Friderici

Ejuſdem immanis crudel.

rici, quæ prima fuit contrà Hæreticos ab eo lata. Ita injuſtiſſimæ Conſtitutiones latæ circà *Teſtes* in hoc Foro admittendos, etiam qui eſſent ipſâ lege in aliis Judiciis excluſi, ut *Excommunicati*, *Perjuri*, *Domeſtici*, *Denunciatores*, &c. *duobus* Teſtibus ſufficientibus ad probationem: Ubi verò deeſſent Teſtes, aut ſufficientia indicia ad ſuſpicionem Hæreſeôs, magis verò deeſſet ipſa rei confeſſio, adhibitum eſt remedium *Quæſtionis* & *Torturæ*, circà ſuſpectos de Hæreſi ex famâ, vel depoſitione unius Teſtis, vel aliâ quacunque ratione; Judice contrà tales procedente ex officio, & ex arbitrio. Quæ pluribus conſtant ex *Hiſtoriâ Inquiſitionis* nuper editâ, qualis exercetur à Luſitanis in Goâ, & qualis exercita indè à principio, hoc Seculo XIII. vulgante nuper Philippo à Limborch, V. Eruditiſſimo, Amſtelodami A. MDCXCII.

V. *Fœda Romanæ Eccleſiæ Facies: Idololatriæ, Errorum, Superſtitionum, ac nefandæ Corruptionis incrementa.*

Errorum incrementum.

I. Nunc ad alia Antichriſtianiſmi Pontificii documenta properamus, obſervaturi ſtrictim 1. Incrementum *Idololatriæ*, *Errorum*, *Superſtitionum*, ac *infandæ Corruptionis*. 2. Incrementum *Tyrannidis* ac *Superbiæ* pluſquàm Antichriſtianæ, indè ab Innocentio III. daturi in Papis ſingulis illuſtria quædam & magis memoranda exempla. Quantum ad errores ſeu in doctrinâ ſeu in cultu, & ſuperſtitiones ulteriùs invectas, ſuprà illas ſuperiorum ætatum; primo loco occurrunt quæ circà *Euchariſtiæ* Sacramentum hoc Seculo innovata. Nempè huic Seculo natales ſuos debet *Tranſſubſtantiationis* portentum; hinc & *Adorationis* Euchariſticæ, *Circumgeſtationis*, aliorumque abuſuum, quæ in horrendam Idololatriam degenerarunt.

Tranſſubſtantiationis natales.

II. Certum quidem Rem Tranſſubſtantiationis, ſeu Præſentiæ corporalis in Euchariſtiâ, ſtabilitam jam Seculo XI. auctoritate potiſſimùm Gregorii VII. Hildebrandi: 1. Nomen *Tranſſubſtantiationis* natum jam fuit ſuperiori Seculo, ſed privatâ unius & alterius auctoritate uſurpatum, Petro Lombardo, principe Scholaſticorum, non auſo definire, L. IV. Diſt. IX. *converſio*-ne illa panis eſſet-ne *formalis*, an *ſubſtantialis*, an *alterius generis*. Primus verò uſurpavit Stephanus Epiſcopus Eduenſis vel Auguſtodunenſis, (*d'Autun*) in Tractatu *de Sacramento Altaris*, C. XIII. Quanquam duo hoc Seculo *Stephani* cognomines, ejus Sedis Epiſcopi, unde dubium an prior qui inchoato, an poſterior qui inclinato Seculo XII. vixit, ſit auctor ejus Libelli.

2. Aſt initio Seculi hujus XIII. primùm *Odo* Pariſienſis Epiſcopus, habitâ Synodo, cujus Conſtitutiones extant in Bibliothecâ Patrum, decrevit, ut ad *Corpus Domini* quotieſcunque geſtaretur, *genua* omnes *flecterent tanquàm Domino & Creatori ſuo*. Tùm & in Diſputatione cum Albigenſibus habitâ, A. MCCVII. theſis hæc ab Albigenſibus propoſita fuerat, Perrino in Hiſtoriâ teſte, *Lib.* I. C. II. *Miſſam ac Mutationem ſubſtantialem panis & vini humanum eſſe commentum*, *à Scripturis alienum*. Mox Ann. MCCXV. Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi IV. decrevit *Tranſſubſtantiationem* in hæc verba *Cap.* I. *Chriſti Corpus & Sanguis*, *in Sacram. Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur*, *tranſſubſtantiatis pane in Corpus & vino in Sanguinem*, *poteſtate divinâ*. Damnavit idem Amalaricum quendam Carnotenſem, qui in Galliis, A. MCCVI. teſtibus etiam Hæreſiologis, Præſentiam Corporalem impugnarat, adeoque Tranſſubſtantiationem, tanquàm auctorem *impii* & *perverſiſſimi dogmatis*: Et obſervat quidem Matthæus Paris, Hiſtoricus inſignis, ad An. MCCXV. Decreta hujus Concilii non ab ipſo Concilio emanaſſe, præviâ deliberatione Patrum, ſed ſtatim initio Concilii ab Innocentio propoſita, viſaque fuiſſe *aliis placabilia*, *aliis oneroſa*. Et in eandem ſententiam Godofredus Colonienſis Monachus, Platina, Nauclerus, alii, ut jam noſtris obſervatum eſt, Albertino *de Euch.* L. III. p. 672. Larroquio P. II. *Hiſt. Euch.* p. 736. Undè diu non habitam fuiſſe Tranſſubſt. pro Articulo Fidei, iidem Auctores demonſtrant.

3. Hinc exceperunt Decreta ſucceſſorum Innocentii, pro *adoratione* Hoſtiæ, ſeu *genuflexione* in Miſſâ. Tale Decretum Honorii III. extat in Decretalibus Gregorii, *L.* III. *de Celebr. Miſſar.* T. XLI. C. X. *ut cum in celebratione Miſſæ elevatur Hoſtia ſalutaris*, *ſe reverenter inclinent*. Excepit Decretum Gregorii IX. de *pulſandis* etiam *Campanis ad confectionem Chriſti Corporis*. Natum mox *Immaculatæ Conceptionis* dogma, per Franciſci diſcipulos aſſertum, de quo plura ad Seculum XV. tempore Concilii Baſileenſis. Poſteà, Urbano IV. Pontifice, A. MCCLXIV. *Feſtum* ſolemne in honorem *Sacramenti*, cujus Officium tùm compoſuit Thomas Aquinas, miſſum ad Urbanum Papam; pro quo retuliſſe eum *columnam argenteam* ex Nauclero refert quoque Genebrardus, ad A. MCCLXV. Inſtituendi autem illius Feſti occaſio memoratur, *revelationes* quædam fictitiæ muliercularum Leodienſium quæ Pontifici familiares fuerant, quum adhuc eſſet Leodienſis Archidiaconus, quæque ſignificarunt Papæ, ſibi divinitùs revelatum fore hujuſmodi Feſtum divinæ Majeſtati gratiſſimum, nec diffitente Bzovio, hinc primò apud Leodienſes celebratum. Alii *miraculoſâ* ſanguinis *effluxione* ex hoſtiâ, ad hujus Feſti inſtitutionem motum Pontificem, de quo Albertinus noſter *Lib.* III. Feſti verò hujus Idololatrici ſuperſtitioſa & horrenda praxis viget per Romanam Eccl. univerſam, quod *Feſtum Dei* nuncupatur, & *Venerabilis Sacram.* celebrandum, ad feriam V. poſt Octavam Pentecoſtes.

Adoratio Hoſtiæ, Feſtum Sacram. &c.

III. Acceſſerit hoc Seculo *Confeſſionis Auricularis* ſanctio, Papâ eodem Innocentio III. in Concilio eodem Lateranenſi IV. pari modo decreta quo Tranſſubſtantiatio, dicta hinc quoque *Confeſſio Innocentiana*: Canon Lateranenſis, qui eſt XXI. ità habet: *Omnis utriuſque ſexûs fidelis*, *poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit*, *omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter*, *ſaltem in anno*, *proprio Sacerdoti*, *ac poſteà injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere*; *Alioquin & vivens ab Eccleſiâ ingreſſu arceatur*, *& moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ*. Poſteà inſtituitur Officium *Sacerdotis Pœnitentiarii*, & quæ alia in eandem rem ſpectant. Et quamvis indubium ſit, ſuperioribus Seculis *Confeſſionem privatam* obtinuiſſe, nulla tamen lex ſancita legitur *Confeſſionis univerſalis*, omnium omninò delictorum, eademque *neceſſaria* & omnibus injuncta: Quemadmodum nec Eccleſias Orientis hujuſmodi Confeſſionem noviſſe, antè Innocentium, eſt aliàs à Theologis demonſtratum. Nam ἐξομολόγησιν σόμαλον faciendam coràm Πνδμαλικῷ, etiam καθ' ἕκαστα, cenſetur Orientalibus 1. Juris *Eccleſiaſtici* & *poſitivi*, eaque *arbitraria*, citrà periculum Excommunicationis. 2. Nec idcircò *irrita*, ſi vel præ pudore, vel ex lapſu memoriæ, omiſſa quædam fuerint peccata. Quamvis recentioris Græciæ, ubi magis hæc Latinis permixta, vel etiam iis obnoxia, ut ſub Venetorum Dominatu, praxis propius ad Romanenſium illam accedat. Sed de his alibi ex profeſſo diximus, *Diſſertat.* de Perpetuâ Eccleſiæ Orientalis ab Romanâ Diſſenſione.

Confeſſio Auricul.

IV. Hujus & Ævi prohibitio *S. Calicis* in Euchariſtiâ; ſeu *Communio ſub unicâ*, nondùm tamen publicâ

Communio ſub unicâ.

blicâ lege introducta, ante Synodum Conſtantienſ. Seculo xv. Nempè ex Tranſſubſtantiatione error hic natus, obſcuriùs quidem Seculo xi. jamque tùm fuiſſe qui dicerent *ſufficere unam ſpeciem exhibitam multitudini*, Auctor eſt Anonymus quidam *de Altercatione Eccleſiæ & Synagogæ*, eodem Seculo. Nec niſi poſt Annum à Chriſto nato *milleſimum* introductam eſſe Communionem ſub unicâ, Lindanus, Caſſander, aliique ingenuè faſſi ſunt: Nempè in Latinâ Eccleſiâ; Græcis in hunc uſque diem communicantibus ſub utrâque, intincto pane in vino, nec tantùm qui ſubſunt iv. Patriarchis, ſed & Moſcovitis, Armenis, Georgianis, Abyſſinis, certiſſimâ teſtium fide. Trahit quidem huc Leo Allatius, poſt Bellarminum, communionem τῶν προαγιασμένων *præſanctificatorum*, cujus uſus pridem apud Græcos fuit in Quadrageſimâ, quando exceptis Dominicâ & Sabbato, reliquis diebus non fiebat conſecratio, ſed ex antè ſanctificatis Symbolis fiebat diſtributio. Verùm & hanc in utraque ſpecie adminiſtratam oſtendit Georg. Caſſander de Liturgiâ Vet. præterquàm *extraordinaria* hæc communicandi ratio fuit. Igitur Seculo xiii. hoc jam in aliquibus Eccleſiis factitatum, ut ſub unicâ celebrarent, retulit Thom. Aquinas, id eſt, indè ab Innocentii III. temporibus, poſt ſancitum in Concilio Lateranenſi Tranſſubſtantiationis dogma. Nec antiquiorem eſſe ſubtractionem Calicis multis Pleſſæus noſter, Voſſius, Albertinus, Laroquius, aliique ex Veterum probarunt monumentis. Obtentus potiſſimùm duplex: Primò *Concomitantiæ* opinio, ſub *ſpecie panis ſumi ſanguinem cum corpore, & ſub ſpecie vini corpus cum ſanguine*, ſecundùm Innocentium III. quæ ſunt verba Guil. Durandi, Rationalis Libri iv. C. xlii. §. i. atque adeò ſub unâ ſpecie ſumi *totam veritatem*, licet non *totum Sacramentum*, ut alii dixêre. Deindè, metus *effuſionis*, poſtquam vinum creditum eſt ipſiſſimus Sanguis Chriſti, quam habet rationem Aquinas, in vi. *Johann.* florens circà Annum hujus Sec. lx. Aſt non omnes probaſſe hoc Ævo ſubſtractionem eam Calicis, docent 1. Verba hæc Aquinatis, in *quibuſdam Eccleſiis* hoc ità *obſervari*, *ut populo ſanguis ſumendus non detur*. 2. Teſtimonium Alex. Aleſii, Præceptoris Aquinatis, aſſerentis in Summâ Theolog. P. iv. q. 53. membr. 1. ſuâ ætate *quoſdam Religioſos petiiſſe & inſtitiſſe, ut ſub utrâque ſpecie ſumeretur Sacramentum*. 3. Durandi illud, qui dictus Speculator, & qui in Rationali Officior. loco indicato, teſtatur, *in quibuſdam Eccleſiis*, poſt ſumptionem Corporis, etiam Vinum affuſum in uſum populorum; ut id genus aliis ſuperſedeamus documentis. Teſtis autem eſt Carolus Molinæus, Tract. de Monarchiâ Francor. *Num.* 100. *Communionem ſub utrâque* in Galliâ conſtanter fuiſſe obſervatam, uſque ad tempus Concilii Conſtant.

V. Acceſſêre errores portentoſi, ac ſuperſtitiones nefandæ, hac Ætate publicis ſcriptis à Monachis aſſertæ. Quò facit

Liber Conformitatum S. Franciſci.

1. *Liber Conformitatum Vitæ S. Franciſci ad vitam J. Chriſti*, quem huic Seculo haud pauci adſcribunt, ob probatas hujus portentoſas fabulas, maximè de *Stigmatibus Franciſci*, etiam ſub Hæreſeôs pœnâ, à Gregorio IX. Pontifice; mox confirmantibus judicium Gregorii Alexandro IV. Nicolao III. Benedicto XII. &c. Ab aliis tamen tribuitur Bartholomæo Albicio Piſano, Seculi xiv. Scriptori, de quo Poſſevinus, Henr. Willotus, Phil. Labbeus, &c. Excuſuſque hic Liber, probante Romanâ Eccleſiâ, Mediolani A. 1510. & Bononiæ 1589. Sed ſeu Liber ille prodierit hoc Seculo, ſeu ſequenti demùm, tamen potiores hujus ſuperſtitiones & blaſphemiæ fuêre hujus Seculi xiii. Primum autem in iis locum ſibi vindicat, hiſtoria de *Stigmatibus Franciſci*, conſentiente Romanâ Eccleſiâ in

Fabula de ejus Stigmatibus.

hunc diem, poſt tot Paparum auctoritatem, & multis quoque, ut hiſtoriam indubiam, narrante Bzovio, ad A. mccxxiv. *Num.* vii. Summa eſt: Biennio circiter antè diem Franciſci extremum, tempore Quadrageſimali, circà Feſtum exaltatæ Crucis, in monte Alvernæ, quem jejunii ergò & orationum conſcenderat, & quidem in honorem Archangeli *Michaëlis*, uno ſibi ſocio adjuncto, poſt alias revelationes, vidiſſe Franciſcum, Seraphicorum Spirituum unum cœlitùs deſcendentem, alis expanſis, & inter alas imaginem hominis Crucifixi, quam cùm attentiùs & cum ſtupore contemplatus eſſet Franciſcus, mox diſparuiſſe quidem imaginem, ſed apparuiſſe in Franciſci corpore, eadem in manibus, pedibus, & in latere *ſtigmata*, ſeu vulnera, quæ in Chriſto Crucifixo, non ſine *ſanguinis* profluvio, ipſis etiam *clavis* pedibus, manibuſque tranſverſim infixis, ut deinceps ob excreſcentes in pedibus clavos incedere non potuerit. Hinc etiam *Jeſu typici* nomen, in Hymno Franciſci, Gregorio IX. Pontifici adſcripto, qui in capite Libri Conformit. deſcriptus legitur. Hinc & Bonaventura, hujus Seculi Scriptor, in Vitâ Franciſci, deſignari hunc tradit per Angelum *habentem ſignum Dei vivi*, hocque ſibi ab ipſo Domino Jeſu fuiſſe revelatum. Hinc & Franciſcum, ob ſtigmatizationem, factum eſſe *Conſiliarium Jeſu Chriſti*, *Vexilliferum ſummi Regis*, tradit idem ille Liber Conformit. Bartholomæo Piſano adſcriptus. Quin & alius Bernardinus Senenſis, Ordinis Minorum, Seculi xv. *Scriptor*, *in* Quadrageſimali de Euang. Æterno, ad Franciſci ſtigmata refert illud *ſignaculum*, de quo Paulus 2 *Tim.* ii. 19. quodque habere dicitur *firmum fundamentum*, id eſt, Franciſcum, tanquàm Fundamentum veræ Religionis. Relata & ad eundem in dicto Libro Conformit. verba Davidis, *Pſ.* viii. *Gloriâ & honore coronaſti eum*; & illa Chriſti *Joh.* viii. *Vidit Abraham diem ejus & gaviſus eſt*; & alia illa, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*, Matth. xi. 27. Et ne plura dicam, Benedictus XII. Seculo ſeq. *Feſtum*, horum Stigmatum memoriæ ſacrum, eſſe juſſit toti Minoritarum Ordini; quanquàm Matthæus Paris, graviſſimus Scriptor, neget in corpore Franciſci demortui apparuiſſe ulla ſtigmatum veſtigia, in *Henrico* III. p. m. 329. Horrendas porrò blaſphemias alias à Monachis hoc Ævo eructatas, & Franciſcum non modò ſuprà Baptiſtam evectum, quum hic *præcurſor* tantùm, ille *ſignifer* Chriſti, ſed & ſuprà ipſum Chriſtum, videre eſt in Excerptis Mornæi noſtri, *Hiſtoriâ Papatûs*, in *Apologiâ* H. Stephani, *in Alkorano Franciſcanorum*, excerpto ex *Libro Conformit.* aliiſque id genus notis Auctoribus.

2. Adde ſuperſtitiones à *Dominico* invectas, in ſpecie *Roſarium* ſeu *Pſalterium* B. Virginis, ab eadem ſcilicet acceptum & commendatum, A. mccxiii. nempè *ſalutatione Angelicâ* in eo cl. vicibus repetitâ, ad numerum Pſalmorum Davidis; additâ *Oratione Dominicâ* ad ſingulas Decades, ità *quindecim* vicibus repetendâ. Roſarium id appellandum, quod contineat multitudinem Roſarum, quæ ſcilicet tractantes ſuaviter lætificant. Quales Roſæ multiplices, in ſalutatione Mariæ, ſeu Oratione ad Virginem Matrem, ſæpiùs ità repetendâ. Quo genere Orationis, nullum foret efficacius, ad Satanam contendendum, Dæmones profligandos, Hæreticos convincendos, Albigenſes debellandos, Morbos depellendos. Et quidem xv. *Myſteria* Redemptionis noſtræ in eâ Oratione contemplanda fuerunt: Incarnatio Verbi; Viſitatio Elizabethæ; Nativitas Jeſu; Oblatio ipſius; Doctrina duodennis; Oratio ejus in horto; Flagra ejus ad columnam; Diadema ſpinoſum; Crux geſtanda Chriſto impoſita; Eadem pro ſalute humani generis ipſi illata; Reſurrectio ejus à morte; Aſcenſio in Cœlos; Miſſio Paracle-

Roſarium, Pſalterium B. Virginis.

ti;

Digitized by Google

ti; Aſſumptio Deiparæ, ejuſque gloria; Felicitas ac poteſtas quâ eminet ſuper univerſis. Hæc ex Scriptoribus Vitæ Dominici, Antonini Chronico, &c. multis Bzovius, Spondanus, Raynaldus, Continuatores Baronii. Ejus Roſarii *Sodalitium* deinceps inſtitutum fuit, poſtquàm infinita Miracula, ejus virtute facta; undè & gratiæ multæ iis Sodalitatibus à Papis indultæ ſunt; nominatim à Sixto V. Conſtit. XXI. in Bullario Cherubini.

Euangel. Æternum quale?

3. Hujus & Seculi portentoſus ille Liber dictus *Euangelium Æternum*, auctore Joh. de Parmâ Monacho Italo, Ordinis Minorum Generali, occaſione contentionum quæ inter Pariſienſem Academ. & Monachos Dominicanos exortæ fuerant, de quâ re multis Matth. Paris in Henrico III. ad A. MCCLIII. Quanquam alii vellent Auctorem eum diverſum eſſe à Generali Ordinis, & ità ferè recentiores, fusè Wadingus in *Annal.* Minorum, ad A. MCCLVI. & Bzovius ad A. MCCLVII. N. VIII. Natalis Alex. T. XX. p. 324. &c. Portenta vero hujus novi Euangelii, ex ſomniis Joachimi Abbatis, & Cyrilli Monachi conflati, multis ex Henrico Erfurdienſi, & Nicolao Eymerico auctore Directorii Inquiſitor. recenſet Uſſerius noſter *de Succeſſ. Eccl.* C. IX. Inter alia verò; ſuperare hoc Euangelium Vetus & Novum Teſtam. prioribus nunc finem eſſe, & Euangelio Chriſti ſuccedere Euangelium Spiritûs S. longè perfectius, ab A. MCCLX. ſolos Nudi-pedales, ſeu incedentes nudis pedibus, poſſe jam inſtruere homines de ſpiritualibus & æternis; & quæ id genus plura, ibidem videnda.

Cui Libro oppoſuit Guil. de S. Amore, cum tribus aliis Magiſtris Acad. Pariſienſis, alterum de *Periculis Noviſſimorum temporum*, oſtenſâ Antichriſtianâ corruptione, & applicatis ad Eccleſiam ejus temporis verbis Danielis, *Mene*, *Tekel*, *Phares*, ut pluribus infrà C. VII. Quod verò hic Liber Monachis oppoſitus eſſet, factum hinc ab Alexandro IV. Pontifice, ut, editâ *Extravagante*, quam totam refert Uſſerius noſter, C. IX. N. 28. damnatus ſit tanquam *iniquus*, *ſceleſtus*, *execrabilis*, imò etiam publicis flammis traditus; ad Cœlum uſque evectis à Papâ Monachis illis utriuſque Ordinis, Prædicatorum Minorumque.

Errores Scholaſt.

4. Porrò errores alios hujus Seculi, in Monachorum Scholis traditos, ſed ab Univerſitate Pariſienſi damnatos, refert memoratus Matth. Paris; v. gr. monſtroſa quædam de Trinitate, de B. Virgine, de Angelis, ut quod *Angelus in eodem inſtanti poſſet eſſe in diverſis locis*, &c. quod jam fuit horum hominum portentum, Hiſtorico graviſſimo teſte. Ut mittamus *Scholaſticorum* novas ſubtilitates, & inaniſſima commenta, per Theologiam omnem diffuſa, de quibus adhuc infrà. Præter aſſertos palàm errores de Sacrificio Miſſæ, Cultu Imaginum, Invocatione Sanctorum, Purgatorio, & reliquos, de quorum origine & progreſſu in ſuperioribus Secul. Sed de Theologiâ *Scholaſticâ* quatenùs hujus Ætatis fuit, dicemus *Cap.* XII.

Lex Cœlibatûs.

5. Acceſſit hoc Seculo, renovata Lex *Cœlibatûs* per Innocentium III. qui Sacerdotibus conjugia acerrimè interdixit; ipſo non diffitente licet, & bis hæc ipſa verba referente in Operibus, Libro de Contemptu Mundi, & Sermon. 15. *Qui noctu Venerem amplexantur mane Virginem venerantur. Noctu filium Veneris agitant in cubilibus, manè filium Virginis offerunt in altari.* Hinc & Guil. Durandus, Speculator dictus, in Tractatu de modo celebrandi Concil. Generalis, P. II. n. 10. disertè tradit; *proſtibula publica* palàm habita, & quædam *propè Eccleſias*, & *propè Palatium Domini Papæ*, & *propè domos Prælatorum*. Hinc ſuadet idem Durandus, ut penſaretur annon expediret in *Occidentali Eccleſiâ* ſervari morem eundem, quantum ad continentiam Clericorum, qui *in Orientali Eccleſiâ*. Sed tamen, præter Paparum & Cleri Decreta, Cœlibatûs hujus neceſſitatem Thomas Aquinas, & quicquid deinceps Scholaſticorum fuit, palàm aſſerere ac defendere ſuſtinuerunt.

6. Ità idem Innocentius, Epiſtol. Decret. L. II. interdixit Laicis Metenſibus, *Gallico ſermone legere Euangelia, Epiſtolas, Pſalter.* poſtquàm conqueſti eſſent Sacerdotes ſimplicitatem eorum faſtidiri, ex hoc deſiderio intelligendi S. Literas. Atque ità quicquid antè fuiſſet errorum, & ſuperſtitionum, non modò confirmatum hoc Seculo, ſed & in majus ut videmus auctum.

Corruptio morum deteſtanda!

VI. De Corruptione porrò in *moribus*, & *vitâ* Cleri univerſi, non eſt quod hoc loco enarremus. Plena de his ſunt Hiſtoriarum monumenta, Matthæi Paris, Aventini, Naucleri, Paralipomenôn Urſpergenſis, Balæi, Vincentii, Platinæ, aliorum. Heic videas in *Electionibus* etiam Paparum Simoniam, fraudes impias & deteſtandas; in *Diſciplinâ* tyrannidem, carnificinam, excommunicationes planè iniquas, & abſurdas; in factis uſurpationes in jura Regum, Principum, multis in Hiſtoriâ cumprimis Anglicanâ exemplis; videas prætereà in corradendis *nummis* rapinas, furta, malas artes, figmenta ſuperſtitionum, in ipſo *Nicolao* III. Pontifice ſcribente Platinâ, *quod aliundè vi raperet*, etiam *caſtella, quæ ſuis daret*: Quomodò in Angliâ fuiſſe quendam *Johannem Maunſel*, qui tot *cenſus Eccleſiaſticos habuit, ut annuatim ex illis* XVIII. *millia Marcarum poterat expendere. Undè majores Epiſcopatus Angliæ recuſavit, tùm quia lubricus erat. Hic ait de unâ Eccleſiâ modici cenſus, ſcil.* XX. *Librarum*, Ad canes noſtros valet illa modica Eccleſia; *innuens, quod furfures & farina & alia canibus ſuis neceſſaria, ex proventu illius Eccleſiæ deberent comparari*: Obiit tandem in *paupertate & dolore maximo*, ut habetur in Chronicis Joh. de Mailros, ad A. MCCLXVIII. quæ prodière in Angliâ in Collectione nuperâ A. MDCLXXXIV. T. I. p. 239. Adde in affectandis *dignitatibus* ambitionem immoderatam, & in *gerendis* ſuperbiam; ſic in *vitâ* profanam licentiam, atque impietatem, de ipſo Innocentio IV. ſcribente Matthæo Paris, p. m. 868. quod *diſtrictum Dei judicium ſubituram animam exhalavit*, & quod mortuo illi horrenda flagitia Virgo exprobravit, coràm Chriſto Judice, additis vocibus, *Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende*. Adde *negligentiam* & *ſocordiam* Cleri in officiis Sacris, quæ illis pro Ordinum ratione incumberent; *diſſidiorum* & *contentionum* perpetuum funem, & Excommunicationes mutuas, ob beneficia, vocationes, πρωτοκαθεδρίας, ſimilia. Adde luxuriam, incontinentiam, ſcortationes, adulteria, concubinatus, undè illud Roberti Lincoln. denati circà A. MCCLIII. (vide *Bal.* p. 309. *Matth.* Par. ad A. MCCLIII.) *Ejus luxuriæ meretrix non ſufficit omnis*, & illud Guil. Durandi antè obſervatum, *Proſtibula publica palàm habita, propè Eccleſias, domos Prælatorum, & Palatium Papæ.* Et quæ id genus portenta vitiorum in Cleri tùm obſervata, quibus nec finis eſſet nec modus. Adeò ut, ipſo referente Bzovio, quum Tatari molirentur legationem ad Pontificem Innocentium IV. magnoperè interceſſerint Oratores Pontificis, hæc & alia itineris impedimenta cauſati; reverâ, *quia multa vidiſſent Tatari*, ut bella inteſtina, Guelphorum furores, Clericorum cupiditates, faſtum, ſuperbiam, atque adeò Virtuti vix ullum locum apud Chriſtianos ſupereſſe, quæ utique Tataros à Chriſtianâ religione avertiſſent. Hinc carmen Gualtero Mapezio, Anglo, Archidiacono Oxonienſi expreſſum, in *Apocalypſi Pontificis Goliæ*, hac Ætate guloſitate & dicacitate famoſiſſimi, quod integrum exhibet Balæus, *Cent.* III. N. LXI.

Digitized by Google

Roma caput mundi, ſed nil caput mundum,
Quod pendet à Capite totum eſt immundum.
Roma capit ſingulos & res ſingulorum.
Romanorum Curia non eſt niſi forum, &c.

VI. *Tyrannidis Papalis, ac verè Antichriſtianæ, ſecundùm Scripturas, & Gregorium I. illuſtria quædam in Papis hujus Seculi Exempla.*

Innocentius III. I. Primus Paparum occurrit *Innocentius* III. creatus ſub finem *Seculi ſuperioris*, A. MCXCVIII. anno ætatis XXXVII. antè Joh. Lotharius, olim Pariſinæ Scholæ Doctor (de quo Joh. Launoius, de Scholis Celebr. C. LIX. *Art.* VI.) faſtu, tyrannide, geſtis, & ſcriptis ne Hildebrando quidem ceſſit, Platinæ licet *dignus qui inter Sanctos Pontifices cenſeatur*, à Bzovio talis Pontifex qui *Sanctorum Collegio ſeſe factis aſſeruit*, ad A. MCCXVI. N. V. Sed rectè Aventinus, *Lib.* VII. Annalium; de hoc & ſequentibus Papis; *Hildebrandus primus, ſpecie religionis, Antichriſti Imperii fundamenta jecit. Hoc bellum nefandum* (contrà Imperatores, Reges) *primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores hucuſque continuatur.* In genere verò de hoc *Innocentio* Matthæus Paris, ad Ann. MCCXIII. fuiſſe *ſuprà omnes mortales ambitioſum & ſuperbum, pecuniæque ſititorem inſatiabilem, & ad omnia ſcelera, pro præmiis datis vel promiſſis, cereum & proclivem.* Et quoniam hoc cumprimis Papâ ſuperbit Rom. Eccleſia, cui dogmata varia, Jura temporalia, Inquiſitionem, Ordines Monachales, & Jus magnam partem Pontificium debet, ita ſubjungemus ſelecta quædam exempla, magiſque illuſtria. 1. Superbiæ inauditæ, 2. Geſtorum in Imperatores, Reges, Principes, 3. Avaritiæ ſatiari neſciæ, 4. Dictorum factorumque aliorum, quæ veram Antichriſti imaginem, juxtà Scripturam, & Gregorium M. repræſentant.

Ejus ſuperbia. II. Inter *ſuperbiæ* documenta ſunt, primum illud quod altero poſt creationem die, Urbis Præfectum jurare ſibi compulerit, *fidelitatem contrà omnem hominem*, & additâ *excommunicatione*, negaverit Senatui Romano ea jura quæ obſervaſſent Anteceſſores, ex Decretalibus Innocentii, Sigonio, Hovedeno: De quo vide Uſſerium de Succeſſione, C. IX. *Par.* 3. Idem Sermone Panegyrico in anniverſarium ſuæ electionis diem, vocat ſe omnium primus *Sponſum Eccleſiæ*, applicatis ſibi Joh. Baptiſtæ verbis, *Joh.* III. 29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*; & de Rom. Eccleſiâ, *Hæc eſt Sarâ maturior, Rebeccâ prudentior, Rachele gratior, Annâ devotior, Suſannâ caſtior, Judith animoſior, Edeſſâ formoſior.* Idem comparat *ſe Abrahamo*, cujus uxor Sara Agarem ad ipſum introduxit; ſic Romanam Eccleſiam Pontificis ſponſam introducere ad eum *Eccleſias ſibi ſubjectas, ut ab eo recipiant debitum providentiæ.* Idem de Sponſæ ſuæ dote, quod ſibi tribuiſſet in dotem *Spiritualium plenitudinem*, & *latitudinem Temporalium*; In ſignum verò Spiritualium contuliſſe ſibi *mitram*, in ſignum Temporalium contuliſſe ſibi *coronam*; *mitram pro Sacerdotio, coronam pro Regno.* Idem, *Vicarium* ſe conſtitutum dicit, ejus qui in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum habet, *Rex Regum & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchizedeki.* Idem, *Se ſolum retinere plenitudinem poteſtatis, ut de ipſo, poſt Deum, alii dicere poſſint*, Et nos de plenitudine ejus accepimus. Idem, *Serm.* I. in Conſecrat. Pontif. *Papa inter Deum & hominem medius conſtitutus, citrà Deum, ſed ultrà hominem, minor Deo, major homine, de omnibus judicat, à nemine judicatur.* Idem comparans ſe cum Regibus & Imperatoribus, *Pontificalis* (inquit) *auctoritas prior eſt, & dignior*, & *diffuſior, quàm Imperialis*; probatque id miris ex Scripturâ argumentis: Primò quoniam *Aaron* primus Pontifex præceſſit *Saulem* primum Regem, & *Noë* præceſſit *Nimrodum*. Secundò, quoniam Sacerdotes vocentur *Dii*, & Reges nonniſi *Principes*. Tertiò, quoniam Jeremiæ dictum, *Conſtitui te ſuper Gentes & Regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Quartò, quia Petro dictum, *Tu vocaberis Cephas, id eſt, caput.* Quintò, quia altitudo maris, de quâ Chriſtus in verbis, *duc in altum*, ſit ipſiſſima Roma, *quæ primatum & principatum ſuper univerſum Seculum obtinet, quaſi dixiſſet, Vade Romam.* Sextò, quia Pontificalis auctoritas confertur cum *Sole*, quod eſt *Luminare majus*, Regia cum *Lunâ*, quod eſt *Luminare minus*, ut nos Lemmate ſeq.

III. Speciatim verò geſta Innocentii quod attinet, circà Imperatores, Reges, Principes, hæc inter cætera digniora memoratu. Geſta circa Imp. Reges, &c. Quum eſſet *Philippus Suevus* in Romanorum Imperatorem electus, poſt obitum Henrici Fratris, dixiſſe ferunt Urſpergenſis, Cuſpinianus, alii, *Aut Pontifex Philippo diadema Regium, aut ipſe Papa inſigne Apoſtolicum* adimet. Idem bellum mox accendit inter *Philippum & Ottonem*, huncque in Philippum & concitavit, & defendit, & coronari juſſit, licet peiorem longè Philippo principem, Urſpergenſi teſte; imò nemini *pallium* conceſſit, niſi prævio juramento ſe in Ottonis partes obſtringeret. Idem, Genebrardo ipſo teſte, *Chronol.* p. 636. *Ottonem IV.* quod vindicaret Imperii jura, in Italiæ quaſdam ditiones, & in Mathildis patrimonium, *excommunicare* ſuſtinuit, eidemque oppoſuit Fridericum juniorem pupillum ſuum, Siciliæ Regem, tandem & Imperat. ab A. MCCXVIII. Mox I. anno Pontificatûs, Philippum Gallorum Regem *reverentiæ* ergà Romanam Sedem monet, utque *humiliter & devotè* ſibi aſſiſtat; Monet itidem ut Agnetem conjugem repudiaret, tandem non parentem monitis anathemate obſtringit. Idem, *Johannem* Anglorum Regem, quod jura Regni tueretur, circà Sedem Cantuarienſem, Armachanam, omneſque electiones Epiſcoporum, (quas abſque Regis conſenſu fieri juſſerat Innocentius) interdicto ſubjicit, Regnumque Angliæ univerſum; Gallorum Regem Philippum II. in Johannem ſuſcitat; Regnum Angliæ, tanquàm ſummus arbiter, Ludovico Philippi primogenito donat; Proceres hortatur ut ſe cruce ſignarent in Johannem, Franciæ Regi ſuppetias laturi: Donec tandem in eas anguſtias redigeretur Johannes, ut in manus Pandulphi Legati Innocentii reſignaret Regnum Angliæ & Hiberniæ, A. MCCXIII. quod cederet proprietario jure *Romanæ Eccleſiæ, Apoſtolis Petro & Paulo, & Papæ Innocentio*, recepto mox eâ lege Regno, ac *mille marcas Sterlingas*, annuum tributum, Papæ perſolveret: Cui & hoc acceſſit, quod Pandulphus, pecuniâ quam Rex in arrham dederat acceptâ, pedibus eandem primò conculcavit, in Regiæ ſubjectionis documentum. Et ab eo tempore non Johannes ſed Papa, & Legatus Papalis, in Angliâ rerum potiri, omniaque pro lubitu gerere & adminiſtrare, ac beneficia omnia Eccleſiaſtica conferre. Hinc ad eundem A. Matthæi Paris prolixa in abjectum hunc Johannis animum, infrà Regiam dignitatem, declamatio, ut & in Papæ ſuperbiam & avaritiam, ſuprà omnium ætatum exempla. Atque idem ille Rex Johannes, teſte Matthæo Paris ad Ann. MCCXIII. eouſque provectus veſaniæ eſt, ut miſſo Legato ad Murmulium Regem Maroccanum, opem ab eo, Regno aſſerendo, imploraret eâ lege, ut fieret *Vaſallus* Barbari Regis, & *Muhammedis legem* reciperet, *Legem Chriſtianam, quam vanam cenſeret, relinquens.* Nec unum hoc in Rege Johanne impietatis exemplum eſt, apud eundem Hiſtoricum. Idem In-

Innocentius conqueſtus ad Balduinum Flandriæ Comitem, creatum Imperatorem Conſtantinopolit. quod Patriarcham *infrà ſe ad ſiniſtram collocaret*, majorem ſcilicet Imperatore: Et quum reſcriberet Balduinus Petri voces, *ſubditi eſtote Regi tanquàm præcellenti*, Reponit Innocentius, Epiſt. Decretali, ſcripſiſſe Petrum hæc *ſubditis ſuis, eos ad humilitatis meritum provocantem*. Aliam etiam adducit allegoriam, *Extrà de Majorit. & Obed.* C. VI. *Quanta eſt inter ſolem & lunam differentia, tanta eſt inter Pontificem & Reges*; Quò & reſpexit Vir noſtrâ ætate magnus, Erycius Puteanus, qui Libro, Unus & omnis, C. XVI. de Pontifice loquens, *Tanto* (inquit) *eſt Regibus altior, quanto Cœlum Terrâ ſublimius eſt*. Ità, quum Angliæ Proceres, ob degenerem Johannis animum permiſiſſent Regnum Ludovico juniori, Francorum Regi, Patri Ludovici IX. Papa miſſo Legato Francum hortatur, ut adſit Johanni tanquam Feudatario Pontificis, cujus eſſet *Anglia Dominium*. Unde reſpondit Gallus, Angliæ Regnum fuiſſe nunquàm *Patrimonium Petri*; reſignari non poſſe in cujuſquam manus, ſine Baronum conſenſu; Et Papam eo errore *pernicioſiſſimum omnibus Regibus & Regnis exemplum dare*, approbante Conventu Procerum univerſo, factumque id eſt Lugduni, A. MCCXVI.

Hic Innocentius eſt, qui Majorcam & Minorcam, Sardiniam, Aragoniæ Regnum, ſibi *vectigalia* voluit, Reges ſibi Feudatarios; qui *Toloſanum* Comitatum, Raymundo ſubtractum, transtulit in Simonem Monfortiæ Comitem; qui *Portugalliæ* Regem, ob illatas ſororibus ſuis injurias, excommunicationis fulmine percuſſit; qui *Hungarorum* Regi, ni Patris votum, de itinere Hieroſolymam ſuſcipiendo, adimpleret, interminatus ablationem Regni; ut ſuperſedeamus id genus exemplis, ex *Epiſtolis* ipſis, & ex *Geſtis* Innocentii, ex *Decretalibus* Gregorii, ut mittam Teſtes alios Pariſium, Vincentium Bellov. &c. Accedit Lex ab Innocentio lata, & Gregorii IV. Decretalibus inſerta, *Tit.* de Electione, ut quotiens orbis Principes alter in alterum delinquerent, *toties correctio ad Romanum Pontif. ſpectaret*, latâ eâ lege in cauſâ diſſidentium Franciæ & Angliæ Regum: Quin Lex altera, ut *datâ paritate vocum eligentium*, in Electione ſcil. Imperatoris, Papa poſſet gratificari cui vellet Imperium; Et hæc in favorem Ottonis IV. in Philippum excitati. Adde legem aliam, in iiſdem Decretal. quâ *Cardinalibus* non modò Paparum electionem vindicavit poſt Cœleſtinum II. ſed & auctoritatem in omnes homines, juriſdictionem in omnia loca, & poteſtatem judicandi cauſas omnium Principum, eoſque etiam privandi ſuis Regnis, ſuperbè adſcripſit. Nec pluribus ſuperbiæ exemplis hoc in loco opus fuerit.

Avaritia Innocent. IV. *Avaritiam* quod attinet Innocentii, graphicè Matthæus Paris, fuiſſe eum *pecuniæ ſititorem inſatiabilem*: Robertus Lincolnienſis, apud eundem Matthæum, in hunc & ſucceſſores Papas intentus, *Ejus avaritiæ totus non ſufficit orbis*: Urſpergenſis Abbas, *pag.* 321. nullam fuiſſe cauſam quæ non fieret litigioſa, & *Romam deduceretur, ſed non manu vacuâ*; Undè exclamat idem Scriptor, *Gaude mater noſtra Roma! quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi & aggeres Nummorum in magnâ copiâ*: Matthæus Paris in Johanne Anglor. Rege, p.m. 278. Eodem A. MCCII. *cùm Innocentius Papa, ad expeditionem Terræ Sanctæ, ut dixit ad occultandam avaritiam ſuam, infinitam pecuniam*, &c. ut viſum *Cap.* II. N. VI. Speciatim verò inexplebilem auri cupiditatem in Innocentio teſtantur 1. Pecuniæ emunctæ obtentu Belli Sacri in Saracenos, & ſubventionum in Terram Sanctam mittendarum; convertendo mox Bello in Papæ adverſarios, & in optimos Albigenſes. 2. Indulgentiarum publica nundinatio, per Legatos & Prædicatores. 3. Venialia omnia, Dignitates, Epiſcopatus, Sacerdotia, abſolutiones, diſpenſationes, cauſarum deciſiones, *Cœlum Venale Deuſque*; conſentientibus Matthæo Paris, Conrado Urſpergenſi, Hectore Boëtio, aliis: Verba Urſpergenſis habes in Capite de *Geſtis Philippi* ſub finem, laudati aliàs Scriptoris Spondano. Quanquàm Antoninus Florentinus de Innocentio teſtetur, *Chron.* P. III. T. XIX. C. I. *Eum ſuprà omnia exoſam habuiſſe venalitatem*. 4. Cenſus in Regnis exacti, cumprimis verò in Angliæ Regno, à quo immenſas pecuniæ ſummas Innocentius variis temporibus extorſit, per Legatos, facilitate Johannis Regis, evaſuri mox in Papæ Feudatarium. 5. Exemplum illud non illepidum, quod Horis Subciſivis Philippus Camerarius inſeruit: Nempè, occupato Innocentio in pecuniâ colligendâ & numerandâ, dixiſſe ad Thomam quendam illi adſtantem, *Vides-ne Thoma Eccleſiam non ampliùs, ſicut olim, dicere poſſe*, Aurum & argentum non habeo? Ad quæ argutè Thomas; *Fatendum hoc, Pater Sancte, ſed nec Eccleſia dicere modò poteſt, ſicut primitiva ad Claudum, Surge, ambula, ſanus eſto*.

V. *Crudelitatem* ejuſdem Pontificis teſtantur, Cruciatæ Expeditiones in optimos Albigenſes, Inquiſitionis Officium, lanienæ, vivicomburia, ſolo nomine *hæreſeôs*, id eſt, diſſenſionis à Romanâ Sede; imò ob ſolam *accuſationem* hæreſeôs, nullo hîc jure *defenſionis*, nec *excuſationis*, nec *appellationis*, ut hæc carnificina inſtituta eſt ſub ipſo Innocentio, & in praxim deducta per Conradum de Marpurg, primum ſub Innocentio Germaniæ Inquiſitorem; de cujus ad ſupplicia & incendia raptatione Trithemius, *Chronico Hirſaugienſi*, ad A. MCCXIV. *Hypocriſin* teſtata ſunt luculenter ejus facta in Ottonem IV. Imperat. in quem ſententiam *Excommunicat.* tulit, ut ex Matthæo Paris, & aliis, luculenter probat H. Meibomius, *Apologiâ* pro Ottone IV. Imp. Rerum Germanic. T. III. p. 140. *Conſidera, ſincere Deique metuens Lector, perverſum Innocentii Pontificis*, NB. *germaniſſimi Hypocritæ, religionem*, &c. Ità perfidiam ejuſdem arguunt facta in Fridericum II. Imperatorem, fidei ſuæ concreditum ab Henrico VI. Patre, quemque adhuc infantem, & pupillum ſuum, ſpoliavit Imperio, transferendo ad *Ottonem* Saxoniæ Ducem, quem poſteà excommunicavit. Adde voces Innocentii, quum ſubditos, fide innexos Raymundo Toloſano, liberaret hoc omni nexu, *fidem Deo non ſervanti nec fidem ſervandam eſſe*; quod axioma à Conſtantienſi Concilio deinceps firmatum. Uno verbo ſuprà Matthæus Paris, *ad omnia ſcelera fuiſſe cereum & proclivem*: Eâ etiam iracundiâ, ut Cardinali obloquenti aliquando *Diabolum imprecatum* fuiſſe referant, Cæſario Heiſterbacenſi teſte συγχρόνῳ, Hiſtoriarum Memorab. L. II. Crudelitas ejuſd. perfidia, &c.

VI. Denique, ut mittamus alia, hic ipſe Innocentius eſt qui *Decretales* ſuas ſtudioſè colligi, legi, & obſervari voluit: Et in quinque Libris *Decretalium*, quos juſſu Gregorii IX. collegit Raymundus Monachus, plura leguntur Reſcripta & Decreta *Innocentii*, quàm omnium ſimul reliquorum Pontificum. Et quidem Decreta ad id comparata, ut omnia Pontificis dominatui, avaritiæ, libidini ſubſervirent. Ne invectorum errorum, auctarum ſuperſtitionum, confirmatæ Idololatriæ Romanæ reponamus dicta ſuperiùs exempla. Ut verè non *Innocentius* ſed *Nocentius* ab Hiſtoricis nonnullis dici meruerit. Et de eo hactenùs eò diligentiùs, quo majoribus effertur laudibus à ſuis, multis declamante Bzovio in Vitâ hujus Pontificis ad Annum MCCXVI. & celebrante ejus humilitatem, pietatem, manſuetudinem, peritiam Scripturarum, contemptum opum, merita denique, quibus *Sanctorum Collegio* ſeſe aſſeruerit. Et tamen refert idem Bzovius, ex ve- Alia Innocent.

vetere Chronico, viſum in ſomniis Innocentium Abbati cuidam, clamantem poſt mortem altâ voce, *Miſerere mihi miſero miſericordiſſime* Deus: Sed tacet Bzovius quæ ſequuntur in Chronico ipſo, auctore Anonymo; Nempe voces Dei ad Papam, *Ubi divitiæ? ubi delitiæ? ubi honores? Ego Dominus, Ego Judex, Ego Vindex.* Tacet quoque Bzovius viſionem aliam quam refert Surius in Vitâ Lutgardis, Virginis Brabantinæ, hoc Seculo denatæ. Nempè viſum huic Virgini Innocentium mediis in flammis miſerè cruciatum; ad quem illa, quis eſſet? Quumque Innocentium ſe profeſſus eſſet, inſtare illa, undè Beatiſſimus Pater itâ cruciaretur? Tùm reponere Innocentius, *tribus potiſſimùm de cauſis*, quibus æternum eſſet exitium promeritus, factum tamen Interceſſione Virginis, ut tormentis iſtis in die ultimi Judicii futurus eſſet finis. *Cauſas* autem illas, ſcribit auctor Vitæ Lutgardis, reverentiâ tanti Pontificis ſilentio premi. Hactenùs de Innocentio. Nunc de reliquis hujus Ævi Pontificibus ſelecta modò quædam, quæ verè *Antichriſtos* arguant.

Honorius III. VII. *Honorius* III. indè ab Anno MCCXVI. ex Sabellorum familiâ, in Pontificem fuit electus, à *recluſis* primâ omnium vice Cardinalibus, & cibo illis ſubtracto maturandæ electioni, Balæo referente, obſervando deinceps in Conclavibus more. Hujus Pontificis Antichriſtianam tyrannidem & faciem præ cæteris teſtantur: 1. *Friderici* II. Imperatoris, ſapientiſſimi Principis, ob jura in Siciliæ & Apuliæ Regna ſibi aſſerta, publica Excommunicatio, & exauctoratio, liberatis à juramento fidelitatis Principibus, rebellantium etiam in Imperatorem causâ ac defenſione ſuſceptâ. Imò & ſubmittenti ſe Imperatori pacem denegavit animoſus Honorius, ex Epitome Rerum Germanicar. Jacobi Wimphelingi, C. XXXV. Præter ſuperba ejuſdem Honorii facta, mandata, interdicta, paſſim ad Europæ *Reges*, *Principes*, ut teſtantur ejus *Epiſtolæ*, multo in his commemorandis Bzovio. 2. *Raymundi* Com. Toloſani, Patris, ſolo Hæreſeôs nomine, deturbatio ſuis ditionibus, factâ tranſlatione in Francorum Regem; Negato etiam illi *ſepulturæ* jure, quantumvis Filius pro illâ inſtiterit apud Honorium, Gregorium IX. Innocentium IV. ut patet ex *Regeſto* Innocentii IV. Waddingi Tomo 1. Annal. Minor. & ex Guilielmo de Podio Laurentii, (*Puy-Laurent*) in Chron. C. XXXIV. XLVII. &c. Paparum obtentus fuit, quod ejus *Pœnitentia* nullo certo indicio probari poſſet, hinc manſit perpetuò inſepultus, apud domum *Hoſpitalariorum* Toloſæ depoſitus, ut terram non habuerit, in Ditione propriâ, quâ operiretur. 3. *Militiæ Sacræ* quaquaverſum indictio per conſecraneos Dominici; declamantes paſſim, ut Aventinus Annal. *Lib.* VII. p. m. 408. *hactenus inaudita dogmata. Quemcunque ſceleri obnoxium, parricidio, inceſto, ſacrilegio pollutum, continuò ubi Cruciculam veſti aſſuiſſet, ſolutum eſſe & crimine, & pœnâ.* Undè *plerique anſâ hinc arreptâ, inimicos prius ſuos tollebant; hinc in militiam Sacram nomina dabant.* 3. Superſtitionum novarum invectio, ut *geniculationis* in Miſſæ Sacris coràm Hoſtiâ, ex ante dictis cap. ſuperiore; *Ordinum* Monachalium Dominici, Franciſci, Carmelitani, aliorumque confirmatio; *Perſecutionis* in Albigenſes, propoſitis Indulgentiis, nova concitatio; *Inquiſitionis* promotio, carnificinæ Conſcientiarum, de quâ abundè ſuprà. 4. Epiſtolarum Decretalium per Honorium compilatio, & *Juris Pontificii* ſanctio, Ann. MCCXIX. obſtrictâ Pariſienſi Scholâ, aliiſque, ſub anathematis vinculo, ut, *Jure Civili* proſcripto, ſolum Jus Pontificium ſive Canonicum ibi traderetur: Et eo id facilius Honorio fuit, quod in Eccleſiaſticorum ordine eſſent, quicunque etiam Juriſprudentiam & Medicinam in Academiis profiterentur. Confirmavit Gregorius IX. & in hunc diem Jus Civile in Pariſienſi Academiâ nullum traditur; imò Judiciorum in Galliis forma & proceſſus, magnam partem ad Juris Canonici & Decretalium leges exacta in hunc uſque diem.

VIII. Ut diutiùs præfuit Romanæ Eccleſiæ *Gregorius* IX. nepos Innocentii III. electus A. MCCXXVII. Gregorius IX. ità plura ſunt hujus facta verè Antichriſtiana. In genere quidem *ſuperbum*, *crudelem*, *temerarium* fuiſſe Pontificem, teſtes ſunt Conr. Urſpergenſis, Cuſpinianus, Joh. Balæus, & quotquot Gregorium hunc deſcribunt. In ſpecie verò hæc in Gregorio graviora obſervamus: 1. Quod in ipſis Pontificatûs incunabulis, majore quàm Honorius faſtu & crudelitate deſævierit in Fridericum II. Imperat. *velut Judâ & Nerone pejorem*, teſte Matthæo Paris, hinc Platinâ, & reliquis. De quo Aventinus, Annal. L. VII. *Imperatorem Fridericum* II. *Cæſarem Auguſtum, haud dubiè ſecundùm Carolum M. potentiſſimum utiliſſimumque Reip. Chriſt. atque ſine controverſiâ ſapientiſſimum fuiſſe Principem, Nicolaus Cuſa Epiſcopus Brixienſis, Flamen Romanus, vir undequaque doctiſſimus, teſtis eſt, atque Egidius Romanus, Bituricenſis in Galliâ Pontifex, qui Franciæ Occidentalis Imperatores ad illius exemplar properare cohortatur.* 2. Quod rebelles in Fridericum, Johannem ſcil. Hieroſolymitanum ſocerum, & Tuſciæ Comites, idem Papa concitaverit, foverit: Et quum, mitigando Pontifici Hieroſolymitanam Expeditionem ſuſcepiſſet Imperator; intereà ejus ditiones hæreditarias, *Apuliam certè*, Gregorius occuparit, iiſdem teſtibus ac *Scriptoribus*, omnia, abſente Principe, *pro libidine gerens*. Quin literis quâquaverſum ſcriptis vulgavit de Friderico, agente tum in Palæſtinâ, odioſiſſima, v. gr. Quod Hieroſolymis in Eccleſiâ Sepulchri Dominici, *reſediſſet in Cathedrâ Patriarchali*; indè *prædicaſſet populo*; variis geſtibus & indiciis oſtendiſſet, quod *magis approbaret Regem Saracenorum quam fidei noſtræ*, & quæ id genus plura ſunt videnda apud Matthæum Paris, in Henrico VII. ad A. MCCXIX. Sic quod *Friderici mortem* falsò diſſeminarit, ut in eâ Expeditione ab omnibus deſertus periret Imperator, eodem Hiſtorico teſte. 3. Quod ità ſe geſſerit in Fridericum, ut hic Romanam Eccleſiam *novercam* potiùs quàm *matrem* appellaret, ejuſque rapinas, ſacrilegia, Simonias, tyrannidem in Reges, & Regna, Principum oculis ſubjiceret, Urſpergenſi auctore. 4. Quod recepto in gratiam *Friderico*, duras conditiones præſcripſerit, & penſionem 120000. *unciarum auri*, ipſique Imperatori *pedes* ſuos præbuerit ad oſculum, Imperatore nonniſi *genua baſiante*; undè mira indignatio Pontificis, *teſte* Continuatore Belli Sacri, *Lib.* III. C. XI. 5. Quod non deſtiterit Gregorius id agere quavis contentione, ut in eum Principes concitaret, eundemque Imperiali diademate exueret: Undè & Imperatoris hi ad Pontificem verſus, apud Cuſpinianum, & Balæum,

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe Caput.

6. Quod *Guelphorum*, in *Gibellinos*, id eſt, Cæſareos, in Italiâ factiones foverit, undè immanes lanienæ, cædes, populationes, multis Pariſio referente: De quorum origine dictum ſuprà, *Sec.* XII. *col.* 1581. 1582. 7. Quod *Henricum* III. Angliæ Regem non pecuniis modò emunxerit, ſed & eò adegerit ut coronam Romanæ Sedi reſignaret, tanquàm Vaſallus & Feudatarius, eodem Matthæo teſte: Ità quod Ludovicum IX. Galliæ Regem accenderit in Albigenſes, Libro IX. Epiſtol. *Ep.* XLV. Ut taceam ejus immanitatem in Raymundum Filium, donec ſe ſuaque ſubmitteret, in eas conditiones quas Pontifex, & Rex Galliæ præſcribere voluerunt. 8. Quod *Decretalium* Libros, à Raymun-

mundo Barcinonenſi Hiſpano, Monacho Dominicano, & cruentiſſimo Inquiſitore, congeſtos, auctoritatem habere juſſerit, Innocentii & Honorii veſtigiis inſiſtens, Tyrannidi Pontificiæ magis hac Juris formâ & ſpecie ſtabiliendæ. Ità quod Tribunal *Inquiſitionis* erexerit in Toloſano, Inſubribus, in Aragoniâ, Galliâ, Italiâ, Burgundiâ, &c. de quo ſuprà. 9. Quod *Franciſcum*, *Dominicum*, *Ant. de Paduâ*, ſuperſtitioſiſſimos Monachos, Sanctorum Catalogo adſcripſerit, & blaſphemæ fabulæ de Franciſci *Stigmatibus*, ſub Hæreſeôs poenâ, fidem eſſe voluerit. Moriturus tandem ex animi quâdam ægritudine, alii ex deſperatione, ob Fridericum Imperatorem ſibi in Italiâ imminentem, ridentemque Papales ineptias, & Cardinales ac Prælatos carceribus ac ſuppliciis cogentem in ordinem; Platinâ, Balæo, aliiſque teſtibus. Hinc Bzovius ipſe, ſub finem Anni MCC XLI. Gregorium *dolori ferendo parem non fuiſſe*; poſtquàm ſuprà alios *Pontificiam Majeſtatem amplificaſſet*.

Innocentius IV. IX. Electus ex Sinibaldo Cardinali, *Innocentius* IV. A. MCCXLIII. poſtquàm menſes XXI. vacaſſet Romana Sedes, vix *ſcintillante ſub cinere charitatis igniculo*, ut ſunt verba Matthæi Paris. Atrociora hujus Pontificis (cæteroquin doctrinâ & ſcriptis de Poteſtate Eccleſiaſt. Apparatu ad Decretales, & Authenticis, clari) ferè huc redeunt: 1. Quod Gregorii IX. in Fridericum odia foverit, anathemate Imperatorem devinxerit, Imperiali ſolio deturbarit, ac Principes Imperii ab homagio & ſacramento fidelitatis abſolverit; Concilium in eundem Imperatorem Lugduni, quo ſe Papa receperat, indixerit; nullis Friderici oblatis permoveri ſe paſſus ſit; Henricum primò Landgravium, poſteà Guilielmum Hollandiæ Comites, ſalutarit Auguſtos; eundem Imper. diſſeminatis in Fridericum Bullis, *Pharaone*, *Herode*, *Nerone* ac Tyrannis omnibus execrabiliorem appellans; Cruce-ſignatos in Fridericum, dein in Conradum Friderici Cæſaris Filium, obtentu primò Expeditionis in Terram S. excitarit; imò, Legatione ad Soldanum Ægypti miſſâ, hunc à fœdere & amicitiâ cum Friderico initâ avertere tentaverit, tenaciore fide Soldano, ac renuente; Denique Friderici vitæ, quibuſcunque potuit artibus, inſidias ſtruxerit, uſque adeò ut *Petrus de Vineis*, Cancellarius Imperatoris, ſummus hujus Ætatis JConſultus, jurium Imperialium contrà Gregorium & Innocentium anteà acerrimus defenſor, in Concilio Lugd. pro Friderico Orator, tandem decumbentem in Apuliâ Fridericum, veneno tollere tentaret, ſed per Medicum ex pavore & metu in terram effuſo; Mathæo Paris *in Henrico* III. ad A. MCCXLIX. Sigonio, aliiſque teſtibus. Atque hæc veriſſima cauſa, cur Fridericus eundem Petrum de Vineis oculis effoſſis per Italiam circumductum cuſtodiæ Piſanæ traderet, carceri ſqualido mancipandum, in quo capite ad columnam alliſo, deſperabundus interiit. Undè Bzovii peſſima fides, ad A. MCCXLVI. N. VII. fingentis cauſam aliam Petri à Friderico ſublati, nempè invidiam Friderici, & iniquas accuſationes, quaſi *ſummo Pontifici conniviſſet*. Diſertiſſimè autem Matth. Paris, quem vel tacet ubique vel proſcindit Bzovius, has refert Friderici voces, *inconſolabiliter* ob proditionem *dolentis*, & *uberrimè lachrymantis*: *Væ mihi contrà quem propria pugnant viſcera! Ecce Dominus Papa in me ipſius Imperii titubantis Rectorem, interitum machinatur!* Addit Matthæus, *Innocentii famam per hoc obſorduiſſe non mediocriter*. 2. Sed neque hîc ſubſtitit furor Innocentii. Nam haud diu poſteà, A. MCCL. ejuſdem Papæ molitionibus ſublatus eſt veneno maximus Imperator, *potionatum* dicit Matthæus Paris, *pulvino ſuffocatum* dicunt Balæus, Cuſpinianus, & quidem per Manfredum ex illegitimo concubitu Imperatori natum. Ex hîc Bzovii rursùs impudentia notatur, inſultantis tanti Principis manibus, unius nempè accuſati, quod non ſerviviſſet Gregorii & Innocentii Antichriſtianæ Tyrannidi, nec Cleri dominationi. *Datus eſt*, inquit, ad A. MCCL. N. XIII. *in exemplum divinæ juſtitiæ*. Et mox (inſtituta ſcilicet ἀνακεφαλαιώσει Vitæ Friderici) *perfidiæ* eundem, *tyrannidis*, *ſacrilegii*, *ingratitudinis* in Papas, *nefandorum exceſſuum*, *facis in Germaniâ & in Eccleſiâ accenſæ*, poſtulatum verbis abjectiſſimis proſcindit. De cujus tamen Friderici laudibus, probitate, liberalitate, ſtudio bonarum artium, virtute militari, iniquis excommunicationibus, duris certaminibus, innocentiâ, pro pace molitionibus, & pro libertate Eccleſiæ, uti pro Imperii juribus, (ſi excipias feralia Edicta illi expreſſa contrà Hæreticos, inducente Româ, de quibus ſuprà) plena ſunt Hiſtoriarum & Chronicorum volumina. Undè & Epitaphium ſepulchro ejus inciſum, Cuſpiniano referente,

Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, cenſus,
Nobilitas orti, poſſent obſiſtere morti,
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

3. Porrò ut redeamus ad Innocentium, hic omnium primus qui *Cardinalitiam dignitatem rubro Galero, & Purpurâ, & equis phaleratis*, id eſt, *coccineo* Meretricis cultu, exornatam voluit; qui Imperatorem à Papâ deturbari poſſe ſtatuit; Octavas Nativitatis Mariæ, ſuperſtitione novâ, celebrari juſſit; Anglicanas Eccleſias inauditis exactionibus vexavit; Monachales Ordines Franciſci & Dominici in immenſum potentiæ, auctoritatis, opum evexit, miniſtros genuinos Pontificiæ Tyrannidis; Inquiſitionis Carnificinam Decretalibus Epiſtolis ſanxit; Regnum Neapolitanum Papalibus ditionibus adjecit; hodieque tributarium Pontifici; Utque inter alia etiam Meretricis ſe Babylonicæ ſponſum probaret, *ſpurios* quàm plurimos ſuſcepit, quos *nepotes* ſuos appellare ſolitus fuit. Unde, & Balæo ex aliis referente, eâ nocte quâ fatis functus Innocentius, audita vox in Papæ Curiâ, *Veni miſer in judicium Dei!* Et Matthæus Paris, moriturum hoc ſolatio erexiſſe adſtantes, *Nonne vos divites relinquo, quid ampliùs exigitis?* Et addit Hiſtoricus, his dictis, *diſtrictum Dei judicium ſubituram animam exhalaſſe*. Interim Bzovius hoc ei elogium adſcribere non dubitat ad A. MCCLIII. N. IV. *Rebus propè divinè geſtis Pontificatum ſuum maximè illuſtrem reddidiſſe.*

X. Innocentio ſucceſſit Alexander IV. Renaldus de Anagniâ, electus in Pontificem, A. MCCLIV. nihil inferior Gregoriis, & Innocentiis, ſuperbiâ ac geſtis Antichriſtianis. Exempla de multis ſunto: Quod Manfredum, Siciliani Regni jura vindicantem, excommunicationis fulmine percutere nihil tergiverſatus ſit; Bello in eum decreto, & Principibus quaquaversùm in Manfredum excitatis, ac *Cruce in* eum prædicari juſſâ: Quod pecunias immenſas paſſim emunxerit, Belli Sacri obtentu; & harum gratiâ, atque odio Conradi Friderici filii, & Conradini nepotis, (cujus electionem prohibuit) utrique Principi, ſcil. *Alphonſo* X. Caſtellæ Regi, (Aſtrologo dicto, & à quo Alfonſinæ Tabulæ, ſed & in Deum Creatorem impio, teſte Roderico Santio Epiſc. Palentino, *Parte* IV. Hiſtoriæ Hiſpan. *Cap.* V.) tum & *Richardo* Cornubiæ Comiti, fratri Anglorum Regis, Imperialem dignitatem diribitor Regnorum conceſſerit; undè carmen, *Nummus ait pro me, nubit Cornubia Romæ*; ſciſsâ ſic in partes Germaniâ, A. MCCLVII. Quod cruentiſſimas Conſtitutiones pro exſcindendis *Albigenſibus*, & *Inquiſitione* in eos promovendâ, ediderit, de quibus ſuprà *Cap.* IV. Quod Monachorum Ordines novis honoribus auxerit; *Claram* ſuperſtitioſiſſ. fœminam *Sanctarum* Catalogo adſcripſerit, cui non minùs abſurda & fabuloſa quàm Franciſco Virgi-

Alexander IV.

Digitized by Google

nis hujus familiari, adſcribuntur miracula: Quod excommunicationis fulmine percuſſerit, qui Ordines Franciſci & Dominici libris proſcinderent, in ſpecie damnavit Librum de *Periculis Noviſſimorum temporum*, Guil. de S. Amore, (de quo ſuprà) oppoſitum Monachorum hypocriſi, adulationi, fraudibus, impietati. Sub hoc Pontifice, *Devotorum* ſeu *Flagellantium* quoque Secta exorta, auctore Rainerio quodam Eremitâ in Peruſinis: Hæc nempe nudatis in publico corporibus, ſaltem ad umbilicum, viri fœminæque, facie dejectâ, vultibus ad commiſerationem flexis, immanem ſeſe in modum flagellabat, horrendis ejulatibus; vexilla & Crucem præferentes, ac Virg. Mariam inclamantes; *Sanguinariâ pœnitentiâ*, ut Aventinus loquitur, *& cruentis Sacris*. Et paſſim graſſata ea per Italiam, Germaniam, ut Sigonius de Regno Ital. L. XIX. Undè & Krantzius *Diaboli martyres* vocat, Pontificiorum licet Sacris addictus, in Metropoli L. IX. Qui furor, primò *devotionis* nomen nactus, dein in deteſtationem abiit. Plura moliturus, ni *ſeptimo* anno Pontificatûs, animam exhalaſſet.

Urbanus IV.

XI. Electus *Urbanus* A. MCCLXI. non ex Collegio Cardinal. diſſidentium, ſed ex Patriarchâ Hieroſolymitano, abjectiſſimis in Campaniâ Galliæ natalibus, Patre ſutore veteramentario: Hinc dictum ejuſdem Urbani apud Onuphrium, *Non eſt virtus nobilem naſci, ſed nobilem ſe facere*. Ut brevis ævi hic Pontifex fuit, ſic *quatuor* cum maximè in eo obſervamus: 1. Cruce ſignatum militem ab eo fuiſſe evocatum opprimendo Manfredo, Friderici notho, & invadendis Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ ditionibus, futuris in feudum Eccleſiæ; factâ in Carolum Andegavenſem, fratrem Ludovici IX. tranſlatione Pontificiâ. 2. Feſtum ab eo inſtitutum, quod vulgò *Corporis Chriſti*, Feriâ V. poſt Octavam Pentecoſtis, ſuaſu Thomæ Aquinatis, Feſtorum omnium R. Eccleſiæ, ſolemni Hoſtiæ circumductione & adoratione, maxime ſuperſtitioſum; Tranſſubſtantiationis partus Idololatricus, ex fictis *Revelationibus*, & fabulis de *Sanguine ex hoſtiâ profluente*. Rem refert Bzovius, ad A. MCCLXIV. *Num.* III. Nempè Sacerdotem quendam Urbevitanum, peractis Euchariſtiæ Sacris, de verâ Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiâ dubitaſſe, hinc mox, *dictu & viſu mirum*, ex ſanctiſſimâ quam tenebat manibus hoſtiâ Sanguinem copioſiſſimum profluxiſſe, & mappam totam quam *Corporale* vocant tinxiſſe, quod Urbani ipſius oculis uſurpatum; undè occaſio Feſti inſtituti. 3. Conſtitutio ejuſdem tyrannica, ut omnis Epiſcopus aut Abbas, ubicunque locorum electus, perſonaliter Romam ſeſe conferre cogeretur, *tranſalpinare* dicunt, impregnandis Eccleſiæ loculis. 4. Audax Urbani facinus, occaſione æmulorum Richardi Angli, & Alphonſi X. Hiſpaniarum Regis, de dignitate *Imperii* certantium. Nam pronunciavit in favorem *Alphonſi*, quem ornavit Titulo *Electi in Regem Romanorum*, auctoritate Pontificiâ. Deinde declaravit, per *intitulationem* hujuſmodi, ſe noluiſſe præjudicare Richardi cauſæ; hinc ambo citati, ut præſcripto die, nempè VI. *Kal. Maji*, A. MCCLXIII. coram Judicio Apoſtolico, per *Procuratores* comparerent, miſſis literis ad Richardum & ad Alphonſum ejuſdem tenoris. Interim *Excommunicationem* interminatus in Germanos Electores, ſi *Conradinum* nepotem Friderici, Sueviæ Ducem, in Imperatorem eligerent. Vide ipſum Raynaldum ad A. MCCLXIII. & Bzovium ad eundem Annum. Cætera mittimus.

Clemens IV.

XII. Gente itidem Gallus, patriâ Narbonenſis, electus A. MCCLXV. olim conjugatus, & liberorum pater. Hujus inſigniora hæc obſervamus, 1. Fomentum iniquiſſimi Belli adverſus *Manfredum* memoratum, Carolo Andegavenſi creato Siciliæ & & Hieroſolymorum Rege, contrà hæredum Friderici jura; ſub penſione tamen tributi annui XL. mille aureorum, ex Platinâ, Nauclero, aliis. 2. Addi debet cumprimis, perfidia & crudelitas in *Conradinum* Friderici ex Conrado nepotem, deque ejus proſapiâ poſtremum; quem primò tyrannicè *excommunicatum*, quod paterna jura vindicaret, tùm ex inſidiis captum, & ſub cuſtodiâ Caroli detentum, ut ſupplicio ultimo Carolus tolleret è medio auctor fuit his verbis: *Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli*; ex Collinutio Hiſtoriæ Neapolit. Lib. IV. Decollatus ſimul cum Conradino, annos XVIII. nato, Fridericus Auſtriæ, Socius Conradini in Expeditione, ſpectante ſupplicium Carolo, & Bzovio ipſo crudelitatem accuſante, ad Ann. MCCLXVIII. N. 11. Obtentus fuit, *turbata pax Eccleſiæ*, nempè reſtituiſſe Pontifici, & paternas ditiones ſibi poſtulaſſe. Nec negare audet Bzovius, factum ſuaſu Clementis, nam poſtquàm dictas voces commemoravit, ut à nonnullis relatas, addit; *Ut ut ſit, ſecuri percuſſi ſunt*. Hinc & Clemens audiit, quaſi minimè Clemens, ut plerumque *Benedicti*, *Bonifacii*, *Innocentii* fuêre, Maledici, Malefacii, & Nocentiſſimi. 3. Nec omitti debet, quod in Clemente IV. notat Paulus Servita, Tractatu de *Beneficiis*, Anno MCCLXVI. *Cap.* XXXV. Nempe jacta eſſe primum ab hoc Pontifice fundamenta, quibus Papæ uſurparunt *Collationem omnium omninò Beneficiorum*, quocunque in loco *vacantium*. Nempè editâ Conſtitutione quæ eſt in *Sexto Decretal.* L. III. *Tit.* de Præbendis, *Cap.* II. Ubi ſub ſpecie vacantium apud ipſam Sedem Beneficiorum, ſeu *in Curiâ* ut loquuntur, quorum Collatio laudabili conſuetudine reſervata eſſet Pontifici; addit Clemens per modum Prologi hypothetici: *Licet Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere; ità quod non ſolum ipſa, cum vacant, poteſt de jure conferre, verum etiam jus in ipſis tribuere vacaturis*: Ubi rectè obſervat Paulus Sarpius, hunc enunciandi modum *conditionatum*, & qui propriè nihil concludit, fuiſſe ſtudio adhibitum, ne Reges, Principes, Laici ad quos Collationes ſpectant, excitarentur ad contradicendum Pontifici. Sed ſub *Bonifacio* VIII. per quem Clementis ea Conſtitutio inſerta fuit Decretalium Libro, abiviſſe ex hypotheticâ in abſolutam, A. MCCXCVIII.

Gregorius X.

XIII. *Gregorius* anteà Theobaldus, Placentinus, ex Archidiacono Leod. abſens in Syriâ, in Pontificem electus, poſt longam diſſenſionem Cardinalium, A. MCCLXXII. Undè carmen Cardinalis Portuenſis,

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia Fratrum.

Hinc & dictum alterius Cardinalis, quum in Conclavi Viterbienſi nihil promoveretur; *Ut diſcooperiretur tectum Cameræ, quia Spiritus S. non poſſet per tot tecta ad eos ingredi*. Huic cùm alia adſcribunt geſta Pontificum, tùm maximè ſequentia. 1. Celebratum ſub ipſo Concilium Lugdunenſe II. vulgò Oecumenicum, A. MCCLXXIV. Obtentus fuit *Bellum Sacrum*, tum *Unio* Latinæ Eccleſiæ cum Græcâ: Reverà ut prioris obtentu, *decimas* omnium Beneficiorum emungeret; & poſterioris, pomœria *Dominationis* protenderet. Interfuêre inter cæteros Concilio Michaëlis Palæologi, Imperatoris vafri & ſævi, Legati, Philippus Franciæ, & Patriarcha Conſtantinopolit. agnito *Primatu Romani* Pont. Id tùm agentibus Græcis, ut favore Latinorum ſe adverſus Carolum Siciliæ Regem, & Balduinum Flandriæ, tuerentur; hinc & a Græcis deinceps proditor habitus Michaël cauſæ ſuæ, & inſepultus projectus,

dejecto

Digitized by Google

dejecto etiam Vecco Sede Patriarchali, qui à Latinorum partibus ſteterat. Eodem Concilio *Papa Eccleſiæ Sponſus* pronunciatus, & certa eligendi ratio conſtituta, ut poſteà. In eo etiam ſuperſtitioſiſſimum Monachum *Bonaventuram*, auctorem Pſalterii Mariani, vulgò doctorem Seraphicum, Sanctorum Catalogo mox adſcribendum, *rubro Galero*, qualem geſtarunt deinceps Cardinales, donavit. Prout idem *Rodolphi Hapsburgici*, Capitis familiæ hodiernæ Auſtriacæ, electionem in Romanum Imperat. confirmare ſuſtinuit, additis ad Electores minis, ni eligerent, ſe ſuâ auctoritate daturum Imperatorem eſſe.

Johannes XIX.

XIV. *Innocentius* V. ex Fraterculo Dominicano paulo poſt Pontifex, ut & *Hadrianus* V. nihil admodùm memoratu dignum geſſère, ob brevioris vitæ terminos. Idem dicendum de *Johanne* XIX. vel aliis XVIII. de quo refertur in ejus *Vitâ*, eum ſubitò teſtudinis ruinâ, in domo in quâ ſedebat, *miſerabiliter mortuum*, dùm in eo eſſet, ut *Librum quendam perverſum dictaret*: Hinc inter lamentantis voces, has ferè ſolas auditas, *Quid fiet de Libello meo? quis complebit Libellum meum?*

Nicolaus III.

Succeſſit *Nicolaus* III. anteà Johannes Cajetanus, ex nobili Urſinorum familiâ, *ambitionis & audaciæ plenus*, ut ſunt Nic. Machiavelli voces, electus A. MCCLXXVII. In hoc modò notamus, aliàs non peſſimo Pontificum, 1. Quod *conjurationis Siculæ* in Gallos, infenſus Carolo Siciliæ Regi, auctor & approbator fuerit, Petro Aragone in Carolum excitato, Anno MCCLXXX. Sed repentinâ morte Nicolai interveniente, clandeſtina ea conjuratio cum Johanne Palæologo & Petro Aragone, effectum ſortita demum eſt A. MCCLXXXII. ſub *Martino* IV. in *Veſperis Siculis*, de quibus poſteà. 2. Quod auctor extiterit illius Conſtitutionis, in Sexto Decretalium, Tit. de Electione, Capit. XVII. quod incipit, *Fundamenta. Petrum in conſortium individuæ unitatis aſſumpſit Deus, id quod ipſe erat Dominus voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, &c. *Ut ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua velut in Corpus omne diffunderet*: 3. Quod & auctor prolixæ ejus Conſtitutionis, quam refert *Bzovius* ad A. MCCLXXX. N. V. pro amplificandâ Baſilicâ Divi Petri, in quâ Romam vocat, *Civitatem S. Hieruſalem novam, deſcendentem de Cælo, à Deo paratam ſicut Sponſam ornatam*, &c. Sic deſcriptâ illâ Baſilicâ, ejuſque Archipresbyteris, Canonicis, ad quam conformentur omnes Metropolitanæ Eccleſiæ; *ut in quâ quieſceret Sanctitatis Eccleſiæ principatus*, ut *ſola Petri devotio ad ſolicitam curam ſua Baſilica aſcenderet*, & quæ ibi fusè.

Martinus IV.

XV. *Martinus* Gallus itidem gente, anteà Simon nomine, ex Theſaurario Eccleſiæ S. Martini Turon. factus Pontifex, aſſumpto hinc nomine *Martini* IV. Tribuitur huic inter alia, 1. Quod Anteceſſoris ſui *Concubinam* ad ſe receperit, pius Vicarius ſcilicet; & ne memoria huic recurreret Nicolai ex Urſinorum familiâ, omnes *Urſorum* imagines, per Urſinæ familiæ Pontificem depictas, ex Palatio tolli juſſit, referente Balæo Cent. IV. p. 330. ex Thomâ Copero in *Epit*. Chronicorum, qui iſtud ab aliis antè ſe Scriptoribus habuiſſet. 2. Quod *Cruce-ſignatos* & *Bellum Sacrum* converterit in Petrum Aragonium, in favorem Caroli; imò conſenſerit, ut Carolus cum Petro in arenam deſcenderet ſingulari duello: Et quum Petrus non compareret, hinc *anathemate* obſtringendus, & indignus pronunciandus Imperio, teſtibus Blondo in Decad. Collinutio, & aliis apud Spondanum A. MCCLXXXII. N. VIII. Quod tamen alii falſi arguunt, ex literis ab eodem Martino ad Carolum Regem ſcriptis, quibus hunc reprehendit, quod conſenſiſſet in damnabile & damnatum *certamen*, & pugnæ unius eventui committere decreviſſet *Regnum*, quod *Romana Eccleſia* eſſet, à quâ ipſe Carolus Rex creatus. 3. Quod Siculos bello oppreſſos, & anathemate obſtrictos, ob rebellionem in Carolum & Gentem Francorum, adeoque in *Sacroſanctam Pontificis Majeſtatem*, paſſus ſit per Oratores Panormitanos ad genua ſua provolvi; Et quidem additis vocibus, quibus Pontificem ut Chriſtum ipſum ſalutabant, veluti pro arâ hoſtiâque, iiſque ter repetendis: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerère noſtri*; *Agnus Dei*, &c. *dona nobis pacem*, Paulo Æmilio teſte, *in Philippo* III. p. 233. & Antonino ipſo *in Chronicis* P. III. T. XX. 4. Quod *Michaëlem Palæologum*, Græcorum Imperat. anathematis vinculo obſtrinxerit, reverà quod non faviſſet Carolo Siciliæ Regi, ſed alio obtentu, ob non ſervata Unionis pacta, de quibus in Concilio Lugdun. convenerat, & ob ludificatos Pontifices. Bullam Excommunicationis habes in *Bullario* Cherubini, T. I. in Martino IV. 5. Quod, notante Sigefrido vel Suffrido auctore coætaneo, in Epit. Chronicor. L. II. ad A. MCCLXXVIII. tanto odio perſecutus ſit *Gentem Teutonicorum* ut optaret *totam Alemanniam unam eſſe piſcinam*, ut Caligula unam cervicem eſſe Populo Rom. Sic Hiſtoria Auſtralis, in Collectione Freheri ad Annum MCCLXXXIV. p. 333. *Papa in tantum odio habebat Teutonicos, quod ipſe frequenter optabat fieri Ciconia, ſub hac formâ, quod Teutonici in paludibus eſſent Ranæ, ut ſaltem ſic eos poſſet devorare; aut in Lacu eſſet Lucius, & Teutonici eſſent piſces, quos poſſet deglutire.* Hinc Epitaphium illi conditum à Theologo Erfurdienſi:

Hic jacet antè Chorum ſubmerſor Teutonicorum,
Paſtor Martinus, extrà qui totus ovinus,
Et Lupus introrsùs, cui nulla redemptio prorsùs,
Sed ſit ad inferna detruſus ab Arce supernâ.

XVI. *Honorius quartus*, Romanus, anteà Jacobus Sabellus, ex quâ Domo fuerat Honorius tertius, electus A. MCCLXXXV. Hic ut plurimùm æger, & accisi ævi, nihil admodùm geſſit, præterquàm quod *Jacobum* & *Alfonſum* Petri Aragonii filios, pari quo Patrem obſtrinxerant Anteceſſores inſtituto, anathemate feriit, ob occupatum Siciliæ Regnum, & Carolum Regem in cuſtodiâ detentum; *Bello Sacro* in eum quoque accenſo, teſtibus, præter Epiſtolas Honorii, *Platina*, *Faſciculo Temp. Blondo*, aliis. Hinc *Decimas* eum in finem exegit, deprecante licet Rudolpho Imperatore, ne exigeret in *Leodienſi*, *Metenſi*, *Baſileenſi*, &c. Diœceſibus, ut ex *Epiſtolis* Honorii intelligitur. Decrevit etiam Carmelitas dici *Virginis Fratres*, de quo poſteà. Honorius IV.

XVIII. *Nicolaus* IV. ex Monacho Franciſcano, Fratris Hieronymi nomine, poſteà Pontifex Ann. MCCLXXXVIII. hinc moriturus auctor illius jurisjurandi, quo obſtrinxiſſe fertur Cardinales ex Monachatu in purpuram aſſumptos, ut nemo niſi ex familiâ *Minoritarum* Pontifex eligeretur, ex Auctore Mágni Chronici Belgici, edente Piſtorio, inter Scriptores VI. Rerum Germanic. p. 270. *Item legitur in quodam Chronico, ſtatuiſſe Nicolaum illum ut quoties Sedes Apoſtolica vacaret, Papa de Ordine Fratrum Minorum eligeretur.* Confirmat Krantzius, ex quodam Egardo Annalium Scriptore, *Saxoniæ* L. VIII. C. XXXV. Et reverà favit impensè Ordini Fratrum Minorum, quorum *Idolum* dictus aliquando fuit, apud Walſinghamum Anglum, in Eduwardo I. p. 52. Undè ſaltem colligi poſſit commendaſſe Nicolaum, ex eo Ordine, quantum fieri poſſet, eligi Papas. Tamen circumſtantia facti digna eſt memoratu apud Krantzium: Nam convocatis omnibus ad unum *Cardinalibus* eos dignitate Cardinalitiâ abſolvit, moxque totidem Minoritas in locum Purpuratorum ſubſtituit, aſſignatis *Titulis*, & juramento modò dicto ab iis extorto. Et ab eo tempore, habuiſſe ſemper eam familiam aliquem in occulto Papam, uſque ad tempora *Sixti* IV. qui palàm ex Nicolaus IV.

eâdem

Digitized by Google

eâdem Pontifex renunciatus; uti poſtea *Sixtus* V. huic *Nicolao* monumentum in Baſilicâ Mariæ Majoris ſuperbum extruxit. Memorant ejus dictum, humilitatis Monachalis indicium, referente Bzovio ad A. MCCXCII. N. I. quum auctum ſe Cardinalitiâ dignitate cognoviſſet; *Se malle Fratrum Minorum Coquum eſſe, quam Cardinalem.*

Interim ſub eâ humilitatis ſpecie, ſtatim in Papatûs exordio, A. MCCLXXXVIII. non tantùm *luxûs* dedit ſpecimina in exſtruendis magnifico opere Ædibus juxtà S. Mariam Majorem, & inſtaurandis exornandiſque Baſilicis, ex ejus *Vitâ*; ſed inprimis ſuperbiæ & faſtûs, erigens ſe ſuprà Reges & Principes. Itâ *Alphonſo* Aragonum Regi, cujus pater Siciliam invaſerat, & Carolum Tarentinum Principem, Caroli Siculi primogenitum, ſub cuſtodiâ detentum habuerat, diem dicit per Nuncios, ut *infrà* VI. *Menſes compareret peremptoriè coram ſe, ſuis & Apoſtolicæ Sedis mandatis & beneplacitis humiliter & efficaciter pariturus.* Aliter, *proceſſurum eſſe* Nicolaum *contrà ipſum, ſpiritualiter & temporaliter, prout qualitas facti ſuaſerit.* Et inſcriptio literarum ad Regem Alfonſum hæc fuit: *Nicolaus*, &c. *Nobili viro nato quondam Petri, olim Regis Aragonum.* Itâ Carolo, è cuſtodiâ liberato, *Regnum Siciliæ & Neapolis* Romæ concedit, poſſidendum fiduciario jure à Nicolao Pontifice, & Sede Apoſtolicâ; unde Bellum exortum, offenſis indè pariter *Eduwardo* Angliæ Rege, & *Alfonſo* ac *Jacobo* Aragonibus. Itâ *Jacobum* Aragon. & *Siculos*, recuſantes ſe ſubmittere Decretis Pontificiis, & Gallica imperia pati, ſolenniter diebus S. Cœnæ, & Aſcenſionis Dominicæ, *excommunicat*, Anno MCCXCI. *Epiſt.* LXXVIII. Regnum Hungariæ, ut quod *in clientelâ Sedis Apoſtolicæ* eſſet, negat Alberto Rudolphi Imper. filio, concedit Carolo Martello, *Epiſt.* XLVIII. Id genus plura videri poſſunt, vel apud Odoric. Raynaldum & Abrah. Bzovium in Nicolao IV. ſeſſuro ad finem uſque A. MCCXCI. plura aliàs auſuro. Præterquàm quod Officium *Inquiſitionis*, Minoritis commiſſum, ſtrenuè promovit.

Cœleſtinus V. XVIII. Cœleſtinus V. Vir ſimplex & bonus Pontifex, ſi Stellæ credimus, in *contemptum & ludibrium electus*, ex Eremitâ ſeu Anachoretâ Ordinis Benedictinorum A. MCCXCII. poſtquàm Sedes annos II. & aliquot menſes, inter-Pontificium eſſet paſſa, ex ambitione Cardinalium, nec diffitente Bzovio, ad A. MCCXCIII. N. I. Et hic primùm edidit humilitatis argumentum quod *Aſino* vehi voluerit Chriſti exemplo, & Cardinales in idem adegerit. Imò contractum quendam eidem Aſino impoſitum, protinùs ſanitatem recepiſſe, refert Matthæus Weſtmonaſt ad A. MCCXCIV. in Floribus Hiſtoriar. Cæterum, perſpectâ Viri ſimplicitate propè pueriili, Benedictus Cardin. Cajetanus, Anagniâ Campaniæ oriundus, Vir callidus, multis deprædicare huic gravitatem oneris, tædium Pontificatûs inſpirare, ac tandem ſubornare quoſdam, qui immiſſâ nocturno tempore per ductum quendam in aures ejus voce (ita ex Chriſtiano Maffæo Joh. Balæus, *Cent.* IV. p. 331.) finxerunt hæc cœlitùs ad Cœleſtinum verba; *Cœleſtine, dimitte Papatum, ſi vis ſalvus fieri, negotium ſuprà vires eſt.* Sed nec interdiu deerant, qui ſuaſu hujus Cardin. identidem hortarentur ut onus tantum deponeret; quam abdicationem Cœleſtini ſummâ vi impedire conatus eſt Carolus Siciliæ Rex, itâ Bzovius ad A. MCCXCIV. Qui tamen clàm favit inſtituto Cardinalis, qui Carolo promiſerat, interpoſito juramento, ſe auxilia ei præſtiturum ad *Siciliam* recuperandam, ut ex Villanio & Antonino Henr. Spondanus ad eundem A. MCCXCIV. N. VIII. Quo factum, ut Decretalem tandem ederet, ſuaſu ejuſdem Benedicti, *Romanum Pontificem poſſe liberè reſignare*; ac tandem depoſitâ purpurâ, gradum faceret ad dignitatem *Benedicto*, qui mox dictus Bonifacius VIII.

XIX. Igitur *Bonifacius* VIII. Cœleſtino V. ſucceſſit, hinc de eo Prophetiam fuiſſe ejuſdem Cœleſtini referunt; *Intravit ut Vulpes, regnabit autem ut Leo, morietur ut Canis*, furenti nempè ſimilis, & quaſi in rabiem verſus. Quod deinde Epitaphii inſtar ſcriptum illi mortuo memorant. Referunt ſanè rem ut vulgatiſſimam Wernerus in Faſcic. Temp. Paulus Langius apud Piſtorium, Matthæus Weſtmonaſter. ad A. MCCCIII. Thomas Walſinghamus in Eduwardo I. & anteriore Guil. Thorno, Monacho Benedictino, in Chronico, edito inter Hiſtoricos Anglicanos; ut taceam Bartholomæum Caranzam, in Summâ Concilior. & Gallos Scriptores benè multos. Et certè illius in *Cœleſtinum* facinus horrorem incutiat. Hunc enim, ſecedere ſatagentem in Dalmatiæ quadam Eremo, Bonifacius perquiri juſſit, & tandem comprehenſum, poſt exprobratam illi arrogantiſſimè diſceſſionem ſuo *injuſſu*, perpetuæ arctiſſimæque cuſtodiæ in Hernicis includi mandavit: Ubi Anno ſeq. MCCXCVI. ex animi ægritudine, multis ærumnis, ex loci anguſtiâ & fœtore, mirâ patientiâ perpeſſis, hinc peſtifero ac tabifico apoſtemate accedente, placidam animam efflavit. Intereà *Bonifacius*, vixdum aſſumptus ad Pontificatum fuit, quum ecce Regibus imperare, in Temporalia Regum ſibi ſummum imperium vindicare, cum Philippo Pulchro Franciæ Rege hoc nomine committi; & quæ alia ad ſeq. Seculi Hiſtoriam referemus.

Boniſacius VIII.

VII. *Teſtes luculenti Veritatis hoc Seculo. Oppoſitiones factæ contrà Romanam Tyrannidem, Hæreſes, Superſtitiones.*

I. Hactenùs luctuoſa Romanæ Eccleſiæ facies, cujus tamen immani Tyrannidi, fœdæ Idololatriæ, tetris erroribus, ac ſuperſtitionibus, indies per Monachos augendis, contradixerunt vehementer hoc Ævo varii Imperatores, Reges, Principes, Epiſcopi, Doctores, Eccleſiæ integræ; ſed & Oriens denique univerſus. Undè intelligi poteſt, quàm placida ea poſſeſſio fuerit penes Romam Pontificiam, & quo jure *præſcriptionis* ſe tueatur illa beneficio. Nec contradictiones omnes hæc fert pagina, ſed luculentiora tantùm exempla. Tyrannidi Papæ contradictum.

II. Ex *Imperatoribus Germanicis*, reſtiterunt Paparùm ac Cleri Romani tyrannidi ad unum omnes, conſentiente Hiſtoricorum ac Chronicorum fide; certè Petro de Vineis in *Epiſtolis*, Conr. Urſpergenſi cum *Paralipomenis*, M. Pariſio, Platinâ, Nauclero, Krantzio, Cuſpiniano, & tot aliis in vulgatis Collectionibus Fl. Illyrici, Urſtiſii, Goldaſti, Piſtorii, Sim. Schardii, Freheri, Bongarſii, Meibomii. Ita reſtitit Innocentio III. *Philippus* Henrici VI. Frater, cui adminiſtrationem Imperii Teſtamentariis tabulis Henricus crediderat, donec Fridericus, adhuc puer & minorennis, adoleviſſet. Sed Innocentius perfidè in eum ſuſcitavit, interminatione factâ Electoribus, primò *Bertoldum* Zaringiæ Ducem, deinde hoc repudiante Imperium, *Ottonem* Saxonem Henrici Leonis filium, factione Archiepiſcopor. Colonienſis, & Palatini. Vicit tamen Philippus, & Imperium per X. annos ſummâ cum laude adminiſtravit, adacto tandem in conditiones pacis Pontifice. Ac riſit Pontificis *ſuperbiam* Philippus, ambientis per Legatos, ſuo ex fratre Nepoti, filiam Imperat. ac ſtipulaturi in dotem Comitat. Spoletanum, Thuſciam, & Marchiam Anconit. De quibus Urſpergenſis, Sigonius, Krantzius, Aventinus, & alii. Succeſſit in ea veſtigia *Otto* IV. cognomento, Philippi ſucceſſor, arma etiam illaturus Ut reſtiterint Imperatores.

rus in Patrimonium Petri, quod infeſtis armis devaſtavit, ferre neſcius Pontificis faſtum & uſurpationes. Ac Norimbergæ Conventu habito, Ann. MCCXII. palam queſtus de Innocentii tyrannide, & *Principum eſſe* dixit, *non Romani Pontificis*, *Imperatorem creare*, *ſimul & deſtituere*, ut Nauclerus P. II. *Gener.* XLI. p. 910. Cumprimis verò *Fridericus* II. qui totis ferè annis XXX. immanem perſecutionem paſſus ab Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. reſtitit factis, dictis, & ſcriptis omni memoriâ digniſſimis: Optimus hic & manſuetiſſimus Princeps, ſed horum Pontificum dolis, perfidiâ, tyrannide, impietate, nefariis artibus, adactus quandoque ad extrema; nec Imperio tantùm & ditionibus exutus, per Innocentium IV. ſed tandem & veneno ſublatus, inductu Pontificis, ſecundùm Matthæum Paris, & Chronicon Auguſtenſe: Vel, ut alii, pulvino in os injecto ſuffocatus à Manfredo filio notho, ſpe ſucceſſionis à Pontifice illecto. *Conjurati auctorem Pontificem confeſſi ſunt*, ut Petrus de Vineis teſtatur *Epiſt.* L. II. *Ep.* X. & XX. & conſentiunt Hiſtorici. Friderici autem extant *dicta*, & *ſcripta*, digniſſima omni memoriâ, in Romanam Tyrannidem, tum apud Goldaſtum, Conſtitut. Imperial. T. I. tùm in *Epiſtolis* Petri de Vineis, Cancellarii quondam Friderici Imperat. in quibus *Pontificem* confert cum *Pontifice Judæorum* in Chriſtum animato, & cum impio *Herode*; Eundemque vocat, Apoſtatam, Hypocritam, Virum ſanguinum, Patrem mendacii, Aſpidem doloſam, Antichriſtum, Draconem magnum, Pharizæum alterum, Bileam, Belluam Apocalypt. &c. Ivit in Friderici patris veſtigia *Conradus* IV. Imper. qui ab Innocentio IV. excedere juſſus Neapolitano Regno, Papam *cum raſis verticibus rem ſuam habere*, per ludibrium viciſſim juſſit. Iviſſet quoque *Conradinus*, Conradi filius, niſi ſuaſu Pontificis, & juſſu Caroli Regis, fuiſſet ſecuri percuſſus.

Quin ipſe *Rudolphus Hapsburgicus*, Auſtriacæ familiæ pater, nunquàm paſſus eſt ſe in Italiam pellici à Pontificibus, territus Anteceſſorum veſtigiis, alludens ad Apologum Æſopicum, de *Vulpe* in ſpeluncam *Leonis* invitatâ ſed negante ingreſſum, quod veſtigia quidem omnia ingredientium animalium obſervaret, egredientium verò nulla. Cauſatus nempè apud ſuos, lætum quidem eſſe in *Italiam* aditum, at triſtem ſemper & luctuoſum fuiſſe ex *Italiâ* reditum. Riſit quoque *Albertus*, Rudolphi filius, Bonifacii VIII. arrogantiam, repugnantis electioni ſuæ in Regem Romanorum; ſeque *&* *Cæſarem*, *& Pontificem eſſe*, jactitantis, quum prodiiſſet in publicum Pontifex *Coronâ* Imperiali ornatus, etiam *Sceptro* & *gladio*, ex Krantzii *Saxoniâ*, & aliis.

Scriptor. Germani Teſtes contrà Papal. tyrannid. &c.

III. Imperatorum cauſam, contrà uſurpationes Papales, accuſatâ ſimul Romanæ Eccleſiæ fœdâ corruptione, vivis coloribus depictâ, egerunt in Germaniâ Scriptores hoc Ævo plures, primæ & eruditionis & auctoritatis. Ac præ cæteris *Petrus de Vineis*, Cancellarius Friderici II. à quo compoſitæ Epiſtolæ Hiſtoricæ, & Invectivæ Friderici II. de quo ſuprà. *Conradus à Lightenau* Abbas, in Chronico Urſpergenſi, perducto ad Annum MCCXXX. Friderici Imperat. X. Hic Antichriſtianam Romanæ Eccleſiæ faciem omnium luculentiſſimè exponit Orbi Chriſtiano, frequenter in Papam, Clerum, Monachos, Romanam Eccleſiam, & meritò invectus. Cui addantur *Paralipomena*, indè ab A. MCCXXX. Ex quibus in *Germanis* & *Suevis* plures fuiſſe intelliguntur, qui hoc Seculo in Papalem tyrannidem, & exactiones, obtentu Terræ S. recuperandæ, concionibus ſunt invecti. Notum & Epitaphium *Nicolai de Bibrach*, Erfurdienſis Theologi, *in Martinum* IV. ſedentem ab A. MCCLXXXII. quod lege ſuprà, C. VI. in Martino IV. *Johannes Semeca*, magni nominis hoc Ævo Juriſconſultus, Gloſſator Decreti, & Halberſtadienſis Præpoſitus, appellaturus à Papâ Clemente IV. cui *Decimas* per Germaniam exigenti palàm reſtitit: Cui etiam Halberſtadii hoc *Epitaphium*, in majore Eccleſiâ inſculptum, hodieque legitur, quod nos ipſi indè deſcripſimus, quum illac iter eſſet:

Eſt, erit, atque fuit, qui deſiit eſſe, Johannes,
Lux Decretorum, Dux Doctorum, Viâ Morum, &c.
Hic jacet, & placet, ut vacet à pœnis miſerorum.

IV. Nec *Gallia* minùs patienter tulit efferentes ſeſe in Templo Dei, ſuperbo vertice, planèque Antichriſtiano, Pontifices. Ipſe *Ludovicus* IX. Sanctorum Catalogo ab impio Bonifacio VIII. adſcriptus, auctor fuit *Pragmaticæ Sanctionis*, paucis antè obitum annis, Anno ſcil. MCCLXVIII. contrà Uſurpationes Pontificum & exactiones immenſas Telonariorum Papæ, apud Carolum Molinæum de Monarchiâ Francor. alios; in quam adeò Pragmaticam Roma ſemper exarſit. Sanctione autem eâ prohibuit *Exactiones* omnes Romanæ Curiæ, vel impoſitas hactenus vel imponendas deinceps; omnem *Simoniam* in conferendis Beneficiis; omne jus *Collationum* quod ſibi Pontifices temerè arrogabant; pœnâ *amiſſionis Beneficii* Prælatis indictâ, qui Romanæ Curiæ hac in parte obtemperarent. Ejus quoque Edicta, contrà *Uſurpationes Papæ Romani* in Juriſdict. & auctoritatem Secularem, exhibet Melch. Goldaſtus, T. I. Conſtitutionum Imperialium. Sed paulo poſt, interveniente Expeditione Tunetanâ Ludovici IX. & morte ejuſdem Regis A. MCCLXX. ac Caroli Andegavenſis nexibus cum Româ Papali ob regnum Neapolitanum, & Siculum, permiſêre Galli eandem, quam anteà Papæ uſurparant, in Exactionibus & Collationibus poteſtatem, quam Bonifacius VIII. insertâ Decretalibus Clementis IV. Conſtit. *Tit.* de *Præbendis*, firmavit apud ſuos. Sic *Philippus* III. Ludovici filius, in Epiſtolâ ſcriptâ ad Cardinales Romanæ Eccl. de Succeſſore Clementis IV. litigantes toto *biennio* & aliquot *menſibus*, apud Petrum de Vineis *Lib.* I. *Ep.* XXXV. exprobrat auri cupiditatem, ambitionem dignitatum, omniaque ad privatum commodum comparata; & de *Romanâ Curiâ* dici poſſe, *non Curiam eſſe ſed Curam*; *Marcam deſiderantem pluſquam Marcum*, quæ *dum Salmonem legeret*, *deſpicaret Salomonem*: Sic non *Paſtores* dicendos eſſe tales, ſed *Lupos impiiſſimos*, *quorum perfidiâ Eccleſia conculcatur*, *fides conteritur*, *ſpes ſubtrahitur*, *& charitas radicitùs extirpatur*. Qui plura volet, adeat Phil. Mornæum, in Myſterio Iniq. ad hæc tempora. Deinde *Philippus* IV. cognomento *Pulcher*, flagellum Bonifacii VIII. de quo ad Secul. XIV. tyrannidem Pontificiam egregiè coërcuit, & quid de *Romanâ Eccl.* deque ejus tùm *Capite*, ſentiret, probavit luculenter.

Galliâ Teſtis.

Mittimus tot in *Galliâ* Proceres, Comites, Prælatos, Epiſcopos, Doctores, Sacerdotes, quotquot *Albigenſium* ſeu Waldenſium doctrinæ acceſſerunt, cumprimis in Galliâ Toloſanâ & Narbonenſi, ex ſuperiore Hiſtoriâ. Accedunt Scriptores Galli, hujus Seculi, & eos inter, Ex gr. *Amalaricus Carnotenſis*, vir eruditus, ipſi Genebrardo, ad A. M. 5303. ſub initium Seculi, negans Tranſſubſtantiationem, ut fatentur Bernardus de Lutzemb. Prateolus, Alphonſus de Caſtro, &c. *Guilielmus Pariſienſis* Epiſcopus, ſummus & Philoſophus & Theologus, florens circà A. MCCXX. accuſans Romanam, non *Eccleſiam* ſed *Babylonem*, *Sodomam*, *Ægyptum*, cujus Prælati non *ædificarent* Eccleſiam, ſed *deſtruerent*, ut pluribus hæc citantur apud Mornæum noſtrum. Edidit hujus Opera cum Præfatione, ſuperiori Seculo, Nicolaus Beraldus, deinde hoc noſtro, A. MDCLXXIV. Bartholomæus Ferronius, II.

Digitized by Google

Tomis in *Fol.* *Probus* Franciſcanus Epiſcopus Tullenſis, ſub Honorio IV. Tubingâ Sueviæ oriundus, gravi Oratione invectus hoc Ævo fuit in *Romulejos vultures*, & Pontificum *flagitia*, *luxum*, *avaritiam*, *ſuperbiam*, &c. Hos *Divum Fridericum ſecundum*, *Reip. Chriſtianæ utiliſſimum*, *Conradum quartum*, *Suevis atque optimos Principes*, *Imperio ſimul & vitâ privaſſe. Nunc* (inquit) *nos adversùs Galliæ atque Hiſpaniæ Proceres*, *cognatos noſtros*, *ex Germaniâ quondam profectos*, *concitare nituntur. In memoriâ habete*, *quid antè* XII. *annos ille ſanè egregius Decimus* (Gregorius) *cum Decimis egerit*, *idem Quartus* (Honorius) cum *Quartis aget*, &c. Exhibet iſta Aventinus in Annal. *Lib.* VII. p. 440. Johannes Pariſienſis, Monachus Dominic. Tractatu de *Regia poteſtate & Papali*, apud Goldaſtùm Monarchiæ T. II. p. 117. occaſione diſſidii orti inter Philippum Pulchrum, & Bonifacium VIII. hujus tyrannidem egregiè perſtringit. Idem, oppugnatâ Tranſſubſtantiatione, alium *modum* quo *exiſteret* Corpus Chriſti in Sacramento determinavit, per *aſſumptionem* ſubſtantiæ Panis, vel Paneitatis in Verbo; Quam *determinationem* ex Cod. Ms. Pariſienſi edidit nuper Petrus Allixius, V. Clar. cum prolixâ Diſſertat. hiſtoricâ. *Guilielmus Durantes*, Speculator dictus ob Speculum Juris ab eo conſcriptum, Vaſco natione, Mimatenſis tandem in Galliâ Aquitan. Epiſcopus, circà A. MCCLXXXVI. ſcripſit Tractatum, ſecundùm quoſdam, *de Modo celebrandi Concilii Generalis*, in quo egregiè depingitur Romanæ Curiæ infamia: Sed ab aliis veriùs tribuitur Guil. Duranto Juniori, Mimatenſi itidem Epiſc. ſub Clemente V. occaſione Concil. Viennenſis A. MCCCXI. Sic *Guilielmus de S. Amore*, nomine Pariſienſis Scholæ, Libro *de Periculis Noviſſimorum Temporum*, oppoſito Monachorum hypocriſi, ſuperſtitioni, *Antichriſtianiſmo*, de quo jam ſuprà, & infrà ubi de Mendicantium novis Ordinibus. Addatur *Petrus Johannis Olivus* Diœceſeôs Biterrenſis, Minorita, cujus Articulos in Rom. Eccleſiam, excerptos ex Libro in *Apocalypſ.* ab Inquiſitoribus & Theologiæ Magiſtris, Guidone Priori Generali, Bertrando de Turre Miniſtro Provinciæ Aquitan. &c. exhibet Stephanus Baluzius, Miſcellaneorum T. I. p. 314. *& ſeq.* Ex quo XXI. Articuli excerpti, ſenſu *Hæretico*, ſcilicet quo *Romanam Eccleſiam* intelligit per *Meretricem magnam*, *Beſtiam quæ habet Capita* VII. *Babylonem*, *Eccleſiam carnalem*, *à Chriſto rejiciendam*, cujus *primatus transferendus in Novam Hieruſalem*, &c. Quos Articulos ibi vide. Nec deſunt teſtes Galli alii, videndi apud Ludovicum Servinum, Car. Molinæum, Franciſcum Duarenum, & recentiores vindices Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.

Qui in Anglorum Regibus reſtiter.

V. In *Angliæ* Regno oppoſuerunt ſeſe intolerando jugo, Reges, Proceres, Clerus univerſus, graviſſimique Scriptores. Ac Reges quidem, *Richardus* I. qui Cor Leonis appellatus eſt, de quo ad ſuperius Secul. tùm *Johannes* ſine Terrâ, in Regni ſui primordiis, hinc interdicto ſubjectus, antè fœdam defectionem; *Henricus* III. Johannis filius, aliquando *inſatiabilem Romanæ Curiæ cupiditatem refrænare* tentaturus, ſed fruſtrà, apud Matth. Pariſium; *Eduardus* I. jus ſuum in Scotiam vindicans, contrà *Bonifacium* VIII. aſſerentem, *Regnum Scotiæ non Angliæ ſed Romanæ Eccleſiæ juris eſſe*, *mirari ſe quomodò auſus fuiſſet illud invadere*, *& occupare*; *& ſi quid juris in illud habere ſe putaret*, *ad Sedem Apoſtolicam per ſuos Nuncios ac Procuratores referret*, *ejus judicio terminandam*, &c. Hæc in Literis datis Anagniæ v. Kal. Jul. Pontificatûs anno v. id eſt, MCCXCIX. quas integras exhibet Matthæus Weſtmonaſt. in *Floribus Hiſtor.* & refert ad A. MCCCI. Reſpondit autem Eduwardus, per Regni Barones ac Proceres, *nec Reges aut Regnum Scotiæ unquàm aliis*, *quàm Regibus Angliæ ſubjici conſueviſſe*; *nec Reges Angliæ ſuper juribus ſuis in eo Regno*, *aut aliis ſuis Temporalibus*, *coràm aliquo Judice Eccleſiaſtico*, *vel Seculari*, *reſpondiſſe*, *aut reſpondere debuiſſe*, &c. Undè & Eduwardus, elapſo induciarum tempore, Scotiam rursùs tumultuantem ingreſſus, univerſam ſubegit. Quæ omnia, tanquam notiſſimi facti, repetenda ex Anglorum Annalibus, Chronicis, Antiquitatibus Eccleſiaſticis, & ex Matthæo Pariſienſi, qui multus eſt in aſſerendis Regum juribus, & taxandis uſurpationibus Paparum.

In Scriptor. Britannicis.

In *Scriptoribus* verò Britannicis hujus Ævi, qui Papalem Antichriſtianiſmum palàm arguerunt, ac deteſtandas Romanæ Curiæ, Cleri, & Monachorum libidines, ac ſuperſtitiones, præ cæteris inclytus eſt *Robertus* cognomento *Groſſe-teſte*, *Gros-teſt*, vel *Groſſe-head*, id eſt, Capito; Epiſcopus Lincolnienſis, mortuus Innocentio IV. Pontifice. Cujus ἀνέκδοτα plurima, quæ latuêre, recenſentur à Jameſio in *Eclogâ* Mss. *Oxonio-Cantabrigienſium*, & quædam nuper edita ſunt ab Eduwardo Brown, in *Appendice* ad Faſciculum Rerum Expetend. Orthuini Gratii, *Lond.* 1690. Fuit is à peritiâ Linguarum, Hebraicæ etiam & Græcæ, à doctrinâ multijugâ Mathematicâ, Philoſophicâ, Theologicâ, à Lectione amoreque S. S. Scripturarum, à pietate quantùm patiebantur ſuperſtitiones illius temporis, & ab animo intrepido in reprehendendis *vitiis* & abuſibus & iniquis poſtulatis Curiæ *Papalis*, *planè* illâ Ætate admirandus. Extant ejus *Sermones plures*, & *Epiſtolæ*, etiam illa ad Innocentium IV. apud M. Pariſium, ad A. MCCLIII. & in Annalibus Burtonenſ. *pag.* 326. quâ ejus *avaritiam*, *audaciam*, *procacitatem*, &c. vivis coloribus effinxit, & *plenitudinem* Pontificiæ *poteſtatis* pro merito exagitavit. *His quæ mandatis Apoſtolicis adverſantur*, *paternum velans honorem*, *adverſor & obſto. Apoſtolica mandata non ſunt neo eſſe poſſunt alia*, *quàm Apoſtolorum doctrinæ*, *& ipſius Domini noſtri J. Chriſti*, *Apoſtolorum Magiſtri & Domini*, *cujus typum & perſonam gerit in Hierarchiâ Eccleſiæ Dominus Papa*, *conſona & conformia. Ait enim Dominus ipſe*; *Qui non eſt mecum*, *contrà me eſt. Contrà ipſum autem non eſt*, *nec eſſe poteſt Apoſtolicæ Sedis diviniſſima Sanctitas. Non eſt igitur prædictæ Literæ tenor Apoſtolicæ Sanctitati conſonus*, *ſed abſonus plurimùm & diſcors. Primò*, *quia* ...... *ſtatet cataclyſmis inconſtantiæ*, *audaciæ*, *& procacitatis*, *inverecundiæ*, *mentiendi*, *fallendi*, *difficulter alicui credendi vel fidem adhibendi*, *& ex his conſequentium vitiorum*, *quorum non eſt numerus* .... *Prætereà poſt peccatum Luciferi*, *quod idem erit in fine temporum ipſius filii perditionis Antichriſti*, *non eſt nec eſſe poteſt alterum genus peccati*, *tam adverſum & contrarium Apoſtolorum doctrinæ*, *& Euangelicæ*, *& ipſi Domino J. Chriſto odibile*, *deteſtabile*, *& tam abominabile*, *quàm animas*, *Curæ Paſtoralis officii & miniſterii defraudatione*, *mortificare & perdere* .... *Manifeſtum eſt*, *quod tales* ..... *ipſis peſſimis interemptoribus ſunt pejores*, *Lucifero & Antichriſto proximiores*, &c. *Propter hoc Reverendi Domini*, *ego ex debito obedientiæ & fidelitatis quâ teneor utrique parenti Apoſtolicæ Sedis Sanctiſſimæ*, *& amore unionis in Corpore Chriſti cum eâ*, *his quæ in prædictâ Literâ continentur*, *& quia ad peccatum D. Jeſu Chriſto abominatiſſimum*, *& humano generi perniitioſiſſimum*, *evidentiſſime vergunt*, *& Apoſtolicæ Sedis Sanctitati omninò adverſantur*, *& contrariantur Catholicæ fidei*, *unicè*, *filialiter*, *& obedienter non obedio*, *contradico*, *& rebello. Nec ob hoc poteſt indè Veſtra diſcretio quicquam durum in me ſtatuere*, &c. *Breviter dico*, *Apoſtolicæ Sedis Sanctitas non poteſt niſi quæ ad ædificationem ſunt*, *& non ad deſtructionem.* Addit Hiſtoricus, erupiſſe Cardinales, cum Literæ recitarentur, *Vera ſunt quæ dicit*; *Non poſſumus eum condemnare.* Literas autem Papales, *Deo odibiles & ho-*

Digitized by Google

hominibus, ad quas ita reſcripſit Robertus, exhibent Annales Monaſterii Burtonenſis ad A. MCCLVIII. *pag.* Edit. Oxon. 405. Idem Epiſcopus, Sermone corām Papā & Cardinalibus propoſito, in Concilio Lugdunenſi, & in ſcriptis exhibito, A. MCCL. nuperque Oxonii cum ejuſdem aliis excuſo, *Appendice* ad Faſcicul. *pag.* 251. Ita deſcribit Clerum Romanæ Eccleſiæ illius temporis: *Ipſi Paſtores, perſonam Jeſu Chriſti induti, ... ſunt Antichriſti, & Satanas transfiguratus in Angelum lucis, fures, latrones, mactatores ovium & proditores, facientes domum Orationis ſpeluncam Latronum. Superaddunt autem omne genus prævaricationis; ſuperbia enim eorum manifeſtiſſimè aſcendit ſemper, nec non cupiditas & avaritia .... Indeque effecti ſunt viduarum deprædatores, pupillorum direptores, craſſique in Grege occiſores. Inſuper luxurioſiſſimi ſunt omnes, fornicatores, adulteri, inceſtuoſi, omni genere guloſitatis ſummè guloſi, & ut breviter tranſeatur, omni genere flagitii, facinoris, abominationis, & novæ in his adinventionis, ſecundum dictum Prophetæ coinquinati. .... Cauſa, fons & origo hujus mali eſt hæc Curia, non ſolum eo, quod hæc mala non diſſipat, & has abominationes non purgat: cùm ea ſola hoc maximè poſſit, & ad hoc ſummè teneatur; ſed & eo ampliùs, quod Ipſa quoque per ſuas diſpoſitiones, proviſiones, & collationes Curæ Paſtoralis, tales (quales præfati ſunt) paſtores, imò mundi perditores in oculis Solis hujus conſtituit*, &c. Legatur ibidem integer hic Sermo. Et Matth. Pariſius, pluribus expoſitā piiſſimi Epiſcopi querimoniā *de Pontifice Romano*, deque *oppreſſionibus Eccleſiæ*, & vitiis quæ *in Curiā Papali regnarent, verè dicit de ipſā judicari*;

Ejus avaritiæ totus non ſufficit Orbis,
Ejus luxuriæ Meretrix non ſufficit omnis.

Tandem luget tanti Viri obitum, ad A. MCCLIII. moxque ſubjungit: Fuit *Domini Papæ & Regis redargutor manifeſtus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Incontinentium perſecutor, Scripturarum ſedulus perſcrutator, Romanorum malleus & contemptor; In menſā refectionis corporalis dapſilis, copioſus, civilis, hilaris, & affabilis: In menſā Spirituali devotus, lachrymoſus & contritus: In Officio Pontificali ſedulus, venerabilis, & infatigabilis.* Qui utinam vixiſſet meliori & defæcatiori Ætate, miſſis ſuperſtitionibus R. Eccl. Et licet à *Papā* excommunicatus, appellavit à Curiā Innocentii ad Tribunal Chriſti, ſic Henricus de Knighton, (inter Hiſtoricos Anglic. qui *duobus* Tomis Lond. prodierunt) *col.* 2436. Cujus Excommunicationis nodum flocci fecit, placidiſſimè piiſſimeque in Domino mortuus A. MCCLIII.

Adde *Petrum Caſſiodori*, Equitem Anglum, Epiſtolā de Tyrannide Pontificis Romani excutiendā, apud Goldaſtum, Monarchiæ R. J. *Tomo* I. *Walterum Mapeſium* Archidiaconum Oxonienſem, Libris Rhythmicis de Corruptiſſimo ſtatu *Prælatorum Romanæ Curiæ*, apud Wolfium T. I. Memorabil. *Matthæum Pariſium*, quo Scriptore nemo abominandam Rom. Eccleſiæ faciem graphicè magis depinxit, Paparum, Cardinalium, & Cleri Tyrannidem, ſuperſtitionem, Simoniam, ſcelera, auſa nefanda, &c. ut paſſim probatum dedimus: Qui & hinc inviſiſſimus Baronio, Bzovio, Raynaldo, Spondano, id genus paraſitaſtris. Itā fertur ſub Alexandro IV. convocata in Angliā, A. MCCLV. Synodus Londinenſis, Ruſtando tùm Legato Pontificio, cogendis contrà Manfredum nothum Friderici II. Decimis; quando, affirmante Ruſtando *Eccleſias omnes eſſe Domini Papæ*, reſpondit modeſtè quidam Leonardus: *Verum eſt tuitione, non fruitione; defenſione, non diſſipatione*, ex Joh. Balæo *Cent.* IV. p. 289. Et tum *Sevallum* Archiep. Eboracenſem, Roberti Lincolnienſis exemplo, rogaſſe per literas fertur Papam Alex. IV. *Ut à conſuetis violentiis ceſſaret, ut Petri exemplo ovicu-las paſceret, non tonderet, non excoriaret, non eviſceraret, non ut famelicus Lupus devorando conſumeret.* Hinc diris devovendus, A. MCCLVII. apud Matth. Paris, ad mortem uſque contrà Paparum Tyrannidem, & Romanæ Curiæ, viriliter certaturus; ut pluribus idem Pariſius, ad A. MCCLIX.

VI. In *Italis* teſtes fuēre hoc Ævo Pontificiæ tyrannidis, ac ſuperſtitionis, quotquot *Waldenſium* ſeu *Albigenſium*, quanquàm fœdis ſub nominibus, adhæſerunt ſanctæ doctrinæ, in Convallibus Pedemontii, Rhætiæ, & in Lombardiæ partibus. Adde quotquot à *Gibelinorum*, ſeu Friderici II. & Imperatoris partibus in Italiā ſteterunt, contrà *Guelphorum* furores qui hoc Seculo inprimis exarſerunt, Gregorio IX. Pontifice; auditis tùm primùm, in Italiā quidem, his factionum nominibus, juxtà Cuſpinianum, in *Friderico* II. De quibus dictum ſuprà, *col.* 1581. Qui in Italis, Hiſpanis, &c. reſtiterint.

In *Hiſpanis* & *Aragoniis* teſtes itidem, quorum cauſā ſævum Inquiſitionis Tribunal ibi erectum, ſub Gregorio IX. Pontifice, A. MCCXXXII. ſcriptis paulo poſt literis ad Montegrinum Tarraconenſem Archiepiſc. & inſerto Tractatu Raymundi Pennafortii, qui Generalis Inquiſitor juſſu Pontificis ab Aragoniis Epiſcopis conſtitutus eſt, frequentibus Revelationibus B. Mariæ Virginis honoratus. De his Bzovius fusè ad A. MCCXIII. MCCXXXII. MCCXXXV. Sævitiam hujus Raymundi, & horrorem Inquiſitionis in Aragoniam, & alia Hiſpaniæ loca invectæ, vel ob hoc ſolum, quod aliquis *Waldenſes viros bonos* credidiſſet, aut *condemnare* vel *reprobare* non auſus eſſet, igni adjudicantis, vide apud eundem Bzovium, in excerptis ex Raymundi Tractatu, & Gregorii IX. Epiſt. ad A. MCCXXXV. *Num.* V. Ac celebris jam fuit *Arnaldus de Villanovā*, Natione Catalanus, Medicus Jacobi Aragoniæ Regis, vir nobili ingenio, eruditione ſummā, Seculo expirante, de quo etiam ad ſequens Secul. Cui ob exprobratam Romanæ Eccleſiæ apoſtaſiam, corruptionem, ejuſque errores accuſatos, ſuperſtitiones exploſas, Monachos larvā exutos, *Hæreſes* aliæ impactæ fuerunt, quarum indicem habes apud Nicol. Eymericum in *Directorio Inquiſitorum*; ut Lutzeburgum, Prateolum, & ſimiles, taceam. Sed his de Villanovano referentibus, ut Dæmonum conſortio execrabili, & ſi quæ alia huic impacta, nulla fides eſt. Mortuus dicitur *in mari*, quum à Friderico tùm Siciliæ Rege Orator ad Papam Innocentium miſſus eſſet.

Ut verò etiam *Siciliæ, Luſitaniæ, Aragoniæ* Reges, temeraria auſa Pontificum, & ſtricta in eos anathemata, & exactiones vectigalium, impatienter tulerint, partim ex ſuperiore *Pontificum* hiſtoriā, partim ex *Annalibus* conſtat, & Hiſtoriā eorum Regnorum; falſis Bzovio, & Odor. Raynaldo.

VIII. *Status Eccleſiæ Græcæ, & Orientalis. Continuatio diſſenſionis cum Latinis. Unionis fruſtrà tentatæ Hiſtoria, indè ab Innocentio* III. *ad Bonifacium* VIII.

I. Poſtquàm vidimus Romanæ Eccleſiæ, *Seculo* XIII. immanem Tyrannidem, tetros errores, fœdam ſuperſtitionem, & effuſos in omnem libidinem mores; poſtquàm & reclamantes in Occidente Imperatores, Reges, Epiſcopos, Abbates, Doctores, Hiſtoricos, Eccleſias integras; illuſtrioribus omnium exemplis in tabellā quaſi exhibitis; poſtulat rerum ordo, ut in *Græciam* nos & *Orientem* convertamus. Et hic quidem, ſeu *ſtatum* Orientalis Eccleſiæ; ſeu continuata cum Latinis *diſſidia*; ſeu tentatam aliquoties *unionem* utriuſque Eccleſiæ; ſeu in Res in Oriente.

Digitized by Google

in his omnibus Latinorum fraudes, & Pontificum molimina, atque in his commemorandis fidem verè Græcam Græculi hominis Allatii, Libro de *Perpet. Conſenſione*, & altero Contrà *Creigthoni Præfat.* ad Synodum Florentin. non unius hæc Voluminis, minùs unius aut alterius Exercitationis, forent argumentum. Contrahemus tamen συντόμως, rerum potiſſima Capita, in ſuas Claſſes digeſta, pro methodi noſtræ inſtituto perſecuturi.

Status Imper. Orient.

II. Et primò quidem *Orientalis Imperii*, & *Civilis Status* occurrit miſeranda facies. Commemorant illam Byzantinæ Hiſtoriæ hoc Ævo Scriptores, *Nicetas Acominatus Choniates*, ad captam à Flandris Conſtantinopolim, A. MCCIV. poſt hunc *Georgius Acropolita*, magnus Logothetes, uſque ad Michaëlem Palæologum, recuperato à Græcis Imperio; ac tandem *Georgius Pachymeres*, inde à Michaële uſque ad annum XXIII. Andronici Senioris, id eſt, ad ſequens uſque Seculum. Quibus accedit *Ephraëmi* Chronographia Byzantina, Jambico carmine ſcripta, ſub finem hujus Ætatis, ſed in Vaticano recondita, neque quod ſciam facta publici uſûs: Et hos ſecutus *Nicephorus Gregoras*, qui Laſcaridum & Palæologorum Hiſtoriam ſequenti Ævo complexus eſt. Hìc ergò primùm ſeſe offert fatum Imperii Byzantini ſeu Conſtantinopolit. à *Latinis* & *Flandris* occupati, ac duraturi ad Annum hujus Seculi LXII. Cujus mutationis cùm *occaſiones* præmittendæ paucis, & *cauſa*, tùm quæ illam *exceperunt*, Latinis Byzantio potitis, uſque ad Michaëlem Palæologum.

Cauſæ in illo mutationum.

III. *Cauſæ* quidem potiſſimæ fuerunt: 1. Occupata à Saracenis Palæſtina, quò factum eſt ut Latinorum arma, ſeu Cruce-ſignatorum, ad novam Expeditionem apparata, ſuaſu Pontificis Innocentii, & Philippi Imperatoris, ac Venetorum, in Byzantinos converſa ſint. 2. Iſaacii Angeli Imperat. per fratrem ſuum *Alexium* deturbatio, ità quidem ut in caſtris ſuis, quum adversùs Scythas moviſſet, à fratre circumventus, captus, oculis exutus, in monaſterium Urbi vicinum relegaretur, cum Alexio filio, adhuc impubere, annos XII. nato. Qui adoleſcens mox è cuſtodiâ elapſus, habitu mutato, in *Siciliam* venit ad *Irenem* ſororem, Iſaacii filiam, Philippi Imperat. conjugem, à quâ literis munitus & ad Imperatorem, & ad Innocentium III. Pontif. ſollicitavit hic Adoleſcens atque impetravit Latinorum opem, in uſurpatorem Alexium, *Comnenum* dictum. 3. Cauſa etiam, Venetorum in Byzantinos jam antè infenſior animus, quo factum, ut facilè inductus fuerit *Ericus Dandulus* Venetorum Dux, adſcito *Balduino* Flandriæ Comite, ad Sacram Expeditionem in Alexium Tyrannum, luxui deditum, à copiis imparatum, mox turpi fugâ Conſtantinopoli elapſum: Undè ſecuta *Iſacii Angeli* reſtitutio, & Alexii Filii, facientibus Venetis & Flandris, ad Imperii dignitatem aſſumptio, ſtipulatis Latinorum Sacris ab Adoleſcente, & pecuniæ vi ingenti, Latinis perſolvendæ. 4. Inviſa *Angelorum* à reſtitutione Dominatio, tùm ob profanata τὰ ἱερὰ κειμήλια, & exactiones alias, Latinis ut præſtarentur nummi promiſſi; tùm ob Latinorum Sacra ab Alexio filio per imprudentiam admiſſa, ut gratificaretur Reſtitutoribus avitæ dignitatis. Secuta cùm populi in Patrem & Filium rebellio, tùm maximè illa *Alexii Ducæ* hominis obſcuro loco nati, rebellantium Ducis, mox (Iſaacio mortuo) Alexium Angelum laqueo ſuffocantis, hinc in Imperatorem ſalutandi, A. hujus Sec. IV. Sed nec longa Tyranni, quem Μούρτζουφλον *Murtſuphlum* Hiſtorici vocant, voce barbarâ, à conjunctis ſuperciliis, Nicetâ interprete, dominatio fuit: Mox enim Conſtantinopolis à Flandris & Venetis obſeſſa, tandem & capta, poſt XI. menſium obſidionem, Balduino de communi Latinorum conſilio, ob eminentem virtutem, in Conſtantinopolit. Imperatorem electo, eodem anno MCCIV. quanquàm alii in Annum MCCII. referant: Et hucuſque *Nicetas Choniates*.

Quæ poſt captam Conſtantinop.

IV. Exceperunt verò hanc mutationem in Byzantinâ Sede: 1. Diviſæ ſic res inter *Venetos* & *Flandros*, ut hi Imperium, Veneti Patriarchatum obtinerent, Thomâ Mauroceno primo Patriarchâ à Venetis deſignato. 2. Mox Græcorum res aliæ perdomitæ; Corinthum cum Atticâ, Bœotiâ, Eubœâ, viciniſque Provinciis, nomine *Theſſalici* regni, Bonifacius Marchio Montisferratenſis, Dux Cruce-ſignatorum, electione propriâ obtinuit, vicinior ſic affini ſuo Hungarorum Regi. Veneti *Cretâ* Inſulâ, pretio redemptâ, ac pleriſque Maris *Ægei* & *Ionici* Inſulis, parteque Peloponneſi, quæ hodiè *Morea*, cum Helleſponto, Phrygiâ, potiti ſunt. Pars & Peloponneſi cum *Achaiæ* principatu, & Romaniæ, ad Godofredum Villharduinum, Campaniæ Mareſchallum, pervenit, ſcripturum *Annales* rerum quibus ipſe interfuit, doctiſſimis Obſervat. illuſtrandos à Carolo Du Freſne. Ad *Cruce-ſignatorum* alios, Urbes aliæ & Provinciæ, ſeu in Europâ, ſeu ad oram Aſianam ſitæ, variis titulis pervenerunt. Ità firmatum Latinis Imperium Conſtantinopolit. totis annis LVIII. 3. Græcorum intereà Imperium *Nicæam* Bithyniæ tranſlatum fuit, futuram ejus deinceps Sedem, dùm Latini Byzantium tenerent; *Theodoro Laſcari*, Alexii affinitate innexo, à Græcis renunciato Imperatore. *Cujus ſucceſſor* fuit *Johannis Ducas*; dum *Comneni longiùs receſſerant*, Davide Comneno *Trapezunti*, ad oram Ponticam, fundaturo ſpeciem Imperii. Prout ſui & Græcis Patriarchæ fuerunt ſub Laſcaribus, Throno Patriarchali Græco Nicææ erecto: Quorum Patriarcharum ſeriem poſt Georgium Acropolitam, Pachymerem, Ephræmum, recenſent Leunclavius in Jure Græco Rom. Allatius in Perpetuâ Conſ. & adverſus Robertum Creigthonem *Exercit.* XXIX. Tandem verò ſuum fuit Latinorum Imperio Byzantino fatum, circà Annum hujus Sec. LXII. Nempè, *Theodoro Laſcari* juniore, fatis functo, & relicto infante ſexenni, *Michaël Palæologus*, ab Alexio Comneno genus maternum ducens, ingenio vafro, ſed & perfido, primùm fit Imperii *Deſpotes*, proximâ à Regiâ dignitate, mox *Imperator*, donec adoleviſſet hæres Imperii, tandem *Uſurpator*, excæcato Hærede decenni ejus fidei credito: Sed & miſſo ab hoc *Michaële Alexio Strategopulo*, Conſtantinopolis, cui Balduinus II. Roberti F. imperitabat, proditione capitur, elapſo Balduino, & *Michaële* confeſtim in Urbem ſuccedente; *ubi Imperium* firmavit, conciliato ſibi Pontifice Romano contrà *Carolum Siciliæ Regem*, Balduino affinitate conjunctum, quæſitâ Unione cum Latinis, & obedientiâ ergà Romanam Sedem abjectè conteſtatâ, cui mox Græci reclamarunt, & Andronicus Palæologus Filius. Atque hæc de ſtatu Reipublicæ, ſeu *Imperii Orientalis* Seculo XIII. ex Nicetâ Choniatâ, Georgio Pachymere, & Nicephoro Gregorâ, Scriptoribus *Byzantinis*, undè ſua ferè reliqui hauriunt, *Blondus* in Decadibus, Ant. Sabellicus in Hiſt. Venetâ, reliqui, præter Villharduinum teſtem *ipſum plerorumque* quæ Annalibus tradidit.

Status Eccl. Oriental. Divortium ejus à Latinâ.

V. *Eccleſiæ* ſtatum quod attinet in Græciâ & Oriente, redactis in compendium rebus, duo ſummatim ſunt nobis occupanda. 1. Conſtans Eccleſiæ Græcæ à Romanâ diſſenſio, quicquid *perpetuam Conſenſionem* crepet Allatius, *Lib.* II. C. XIV. XV. 2. Tentatæ *Unionis* inter Eccleſiam utramque, & ſucceſſûs horum moliminum, brevis commemoratio. Et conſtans quidem Græcorum à Latinis hoc Seculo divortium, quod ponunt in clariſſimâ luce:

1. Divortium inter *Græcorum Patriarchas*, & *Latinorum* illos qui Byzantii ſederent, ſub nutu Roma-

mani Pontificis. Hinc perpetua Series Patriarcharum, qui *Nicææ* Sedem habuerunt, & Eccleſiam Græco ritu rexêre; omnes in Latinos animati, & in Pontificem: Quanquàm ſub Michaële Palæologo ſederit ad breve tempus *Joh. Veccus*, ad Latinos cum Imperatore tranſfuga, pulſo Joſepho Patriarchâ Græcis addicto; ſed daturo, poſt Michaëlis exceſſum, perfidiæ ſuæ pœnas: Et cum eo, in gratiam Michaëlis, defecerunt *Georgius Metochita*, & *Conſtantinus Meliteniota*, Vecci Patriarchæ Archidiaconi, non duraturâ tamen defectione. Cæteri verò *Patriarchæ* Orientis ſub jugo, antè Latinorum, nunc Saracenorum gemebant, diviſis eorundem Eccleſiis, putà Alexandrinâ, Antiochenâ, Hieroſolymitanâ: Ut aliæ *Latinorum*, ex quo hi Palæſtinam invaſerant, dogmata ſequerentur; aliæ *Jacobitarum*, aut *Neſtorianorum* placita; aliæ denique *Græcorum* illa, rejecto & primatu Pontificis, & ritu Latinorum.

In Regim. Doctrinâ, Ritibus.

2. Divortium idem oſtendunt conſtans Byzantinorum in Latinos odium, & controverſa hoc Ævo inter Græcos & Latinos graviſſima Capita, in *Regimine*, *Doctrinâ*, *Ritibus*. In Regimine impugnaſſe Græcos *ſuprematum Rom. Pontificis*, quem ſibi parem habuit Conſtantinopolitanus, nec Romanam Eccleſiam agnoviſſe vel Matrem vel Caput Eccleſiarum; nec quæ ſola vel *Catholica* dici poſſet, vel *Apoſtolica*, aliis Sedibus excluſis; docent cùm facta omnia, tùm ſcripta hujus Ætatis, Theodori Balſamonis, Nili Theſſalonicenſ. Nicetæ Choniatæ, Georgii ipſius Acropolitæ, Barlaami Monachi ſcripto de Primatu, nec non illa Jobi Jaſitæ, Georgii Cyprii, Georg. Pachymeris, & aliorum.

In *Doctrinâ*, impugnaſſe Græcos ſententiam Latinorum de Proceſſione Spir. S. *ex Patre Filioque*, docent ſcripta hujus Seculi, hoc ipſo de argumento: Inter quæ illa *Theodori Laſcaris* Junioris, qui poſt Johannem Ducam imperavit, & de *Proceſſione Spiritûs S.* adverſus Latinos Orationes duas ſcripſit, ut fatetur Allatius de Conſ. L. II. C. XIV. *col.* 722. Tùm *Germani* Patriarchæ Conſtantinopolit. qui de Spiritu S. de Azymis, de Purgatorio, &c. contrà Latinos ſcripſit; Niceph. *Blemmida*, qui contrà Chryſolanum, agentem cauſam Latinorum, ſcripſiſſe fertur, apud Leonem Allat. L. II. C. XIV. *col.* 721. Georgii, vel ut alii, *Gregorii* Cyprii, poſteà in Patriarcham Conſtantinop. evecti, cujus extat *Tomus Synodicus*, ſeu ςύλος τ̃ ὀρθοδοξίας *Columna Orthodoxiæ*, contrà Veccum, apud Pachymerem Hiſt. Andronici *Lib.* II. *Cap.* I. & ſequentibus, in quibus de Georgio plura. Adde Georgium Moſchamparem, Magnæ Eccleſ. Chortophylacem, qui multa in *Latinam Eccleſiam illiuſque dogmata*, *monumentis editis*, *oblatraſſe* dicitur Allatio, *Lib.* II. C. XV. N. XIII. Tum Conſtantinum Acropolitam, qui fuit Magnus Logotheta; Jobum Jaſitem τὸν ἰασίτην ἰωβ τὸν Μοναχὸν, &c. de quibus Pachymeres, *Hiſt.* L. V. *Cap.* XIII. XIV. XV. & ſi quos alios, videndos apud eundem Allatium, plurimos in Bibliothecis, Vaticanâ præcipuè, latitantes. Sic de *Igne Purgatorio*, περὶ καθαρτικοῦ πυρὸς, ſcripta hujus Ævi in Latinos inclyta, ut Germani Conſtantinop. Nili Theſſalonic. quem vulgavit Cl. Salmaſius, & aliorum, apud ipſum Allatium. Ità in Capite de *Euchariſtiâ*, certum eſt, nec admiſiſſe Græcos Tranſſubſtantiationem Innocentianam, ſancitam in Concilio Lateran. IV. nec Adorationem Hoſtiæ, nec Circumgeſtationem, nec Communionem ſub unicâ, nec uſum Azymorum, nec Conſecrationis Latinæ formam, ne in hunc diem. Nam alium ſtatuiſſe Græcos Præſentiæ Corporalis modum, ſalvâ panis ſubſtantiâ, prolixè nuper contrà Arnaldum Janſenitam Joh. Claudius Vir. Clar. Tomo I. de *Perpet. Fidei circà Euchariſtiam*; & nos Tomo ſequente, *Diſſertat. Hiſtoricâ* de Pérpetuâ Diſſenſ. Græcorum à Latinis. Ità in his & Capitibus aliis, ut de *Statu Mortuorum*, de *Cœlibatu* Clericorum, de Abſtinentiâ à *ſuffocato*, de modo *Baptizandi*, de *raſurâ Sacerdotum*, de *Veſtibus* Epiſcoporum, Clericorum, de *Jejuniis*, &c. invecti hoc Seculo Græci in Latinos, accuſantes horum κακοδοξίας, καινοφωνίας, αἱρέσεις, χωρισμὸν τ̃ παλαιᾶς Ῥώμης, *pravas doctrinas*, *novitates*, *hæreſes*, *ſeparationem Veteris Romæ*. Quod liquet ex Epiſtolis Græcorum ſcriptis ad Innocentium III. IV. ad Gregorium IX. X. atque ex variis eorundem contrà Latinos, recenſitis Allatio de Perp. Conſenſ. L. II. C. XV. XVI. quibuſdam etiam J. Baptiſtæ Cotelerio, in Monumentis Eccleſiæ Græcæ, *Tomo* II. & III. Petro Stevartio Leodienſi in Obſervat. ſeu Notis ad Manuelem Calecam, ubi Liber de *Erroribus Latinorum*, Index verò Αἰτιαμάτων *Accuſationum* contra Latinos, Tomo III. Monum. p. 495.

Unio vel Concordia fruſtra, à Latinis præcipuè, tentata.

VI. Probant tumprimis diſſenſionem inania Pontificum hujus Ævi molimina, pro inducendis Græcis ad obſequium ſuum, ſpecioſo *Concordiæ* & *Unionis* nomine. Tentavit Innocentius III. ſcriptis in Orientem *Epiſtolis*, & additis Excommunicationis minis: Sed irrito conatu. Ac figmentum eſt Binii, Petavii, aliorumque; Græcos dediſſe manus in Synodo *Lateranenſi* IV. aut interfuiſſe huic Patriarchas *Græcorum*, quos *Schiſmaticos* nùncupant. Imò divortium Græcorum & odium in Latinos teſtatur *Canon* IV. ejus Synodi Innocentianæ; *Poſtquam enim Græcorum Eccleſia, cum quibuſdam complicibus & fautoribus ſuis, ab obedientiâ Sedis Apoſtolicæ* (ſcilicet!) *ſe ſubtraxit, in tantùm Græci cæperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, ſi quando Sacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent Altaria, non priùs ipſi ſacrificare volebant in iis, quàm ea, tanquàm per hoc inquinata, laviſſent. Baptizatos à Latinis Græci rebaptizare, auſu temerario, præſumebant*, &c. Tentatum eſt idem Unionis negotium ſub Imperio Joh. Ducæ, A. MCCXXXIII. Quando Germanus Patriarcha ſcriptis literis ad Gregorium IX. Papam, multis deplorat acerbiſſimum ſchiſma, in cauſam illius ut inquiratur petit, & *qui ſint illi quos ſeparat à compage Eccleſiaſticorum membrorum, quorum Caput eſt Chriſtus.* Si *Græci* in culpâ, *oſtendite* (inquit) *plagam, & ſanguinem à vulnere tergite, ac emplaſtra Spiritualia apponite, & ligamentis conſtringite, & ſalvos facite fratres in periculo poſitos, ne pereant......... Si autem nos quidem Græci abſque plagâ ſumus, & abſque vulnere à gladio anathematis, contrà autem Italicos & Latinos acutiſſimè adducitur*, &c. *Quia nos junctis manibus vobis uniri, vel vos nobis, factâ diligenti inquiſitione profundæ veritatis, cum invocatione Sancti Pneumatis, inſtantiſſimè poſtulamus. Additis graviſſimis ex Petro Apoſtolo monitis*, I Pet. V. I. 2. 3. 4. In fine, *habemus ſpecula multa* (in quibus *turpitudinem exiſtentem videre* poſſumus) *& magna lucidaque, clarum ſcilicet Chriſti Euangelium, Apoſtolorum Epiſtolas, Libros Theologorum Patrum.* Idem dedit Literas ad Cardinales, piiſſimas ſanè, & æquiſſimas; ubi inter alia: *Diviſio noſtræ unitatis, proceſſit à tyrannide veſtræ oppreſſionis, & exactionum Romanæ Eccleſiæ, quæ de Matre facta eſt Noverca, ac ſuos quos diu educaverat, more rapacis ſuos expellentis, filios elongavit.* Et quæ plura videri poſſunt apud Matth. Paris, literas integras exhibentem, ad eum Annum. Quibus non modò reſcripſit Gregorius IX. ſtylo Romanæ Eccleſiæ conſueto, ſc. Petrum eſſe illum, *qui ex ſpeciali prærogativâ à Domino audire meruit, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, ut ſicut in Capite plenitudo ſenſuum conſiſtit*, &c. repoſitis omnibus quæ ſingulariter *Petro* dicta eſſent à Domino, v. gr. *Rogavi ne fides tua deficiat, Confirma fratres ſuos, Paſce oves meas*, &c. Et tandem concludendo, *Romanam Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum Caput, & Magiſtram,* id-

Digitized by Google

idque videri *in ſpeculo à Patriarchâ propoſito, Euangelii videlicet Epiſtolarum*, &c. Sed inſuper miſit Gregorius Apocriſiarius IV. duos ex *Prædicatorum* Ordine, & duos ex Ordine *Fratrum Minorum*, qui *Nicæam* Bithyniæ primò appulerunt, ubi habita cum Græcis colloquia præliminaria; tùm *Nymphæum* (Νυμφαίον) conceſſerunt, ad Pontum Euxinum, ubi habita Synodus Græcorum, qui cauſam ſuam maſculè & vivâ voce, & in ſcriptis tuiti; nominatim *de Spiritu Sancto*, & habentur *Tomo* XI. Conc. *col.* 460. & ſeq. Ac res tandem in acerba verborum, minarum, ſcriptorumque erupit; arma etiam in Latinos capeſſente *Joh. Ducâ*, unà cum *Bulgaris*: De quibus Georgius Acropolita, in *Hiſtoriâ* Byzantinâ, Urſpergenſis, alii, ne dicam Waddingum in *Annal. Minorit.* qui ex Regeſto & Documentis Vaticanis ſapit, ut ipſe teſtatur. Nec felicior conatus fuit Innocentii IV. (inducente Mariâ Laſcaride, uxore Belæ IV. Hungarorum Regis, circà Annum MCCXLVII.) miſſis in Orientem Monachis Franciſcanis, qui omni modo Græcos *ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ* inducerent; quâ de miſſione multis Waddingus *in Annalibus* ad An. MCCXLVII. Deindè ſanè Johannes Vatatzes (Βατάτζης) Imperator, qui & Joh. Ducas, de quo apud G. Acropolitam, G. Pachymerem, &c. decreturus legationem ad Papam, & addicturus Unionem, ſed in commoda ſua, & durâ hac lege; nempè ut ſibi quidem *Conſtantinopolis*, Patriarchæ autem Græco ſua *jura* redderentur, Latino Patriarchâ amoto. Quod longè à Latinorum & Pontificis mente abhorruit.

Gregorii X. & Michaëlis Imp. pro Unione molim.

Præ omnibus verò urſit negotium ac promovit, in ſpeciem *Gregorius* X. captatâ occaſione quam offerret *Michaël Palæologus* Imperator, Uſurpator Imperii A. MCCLXI. & qui *Johannem Laſcarim* Theodori filium, pupillum ſuum, decimum circiter annum agentem, inſigni perfidiâ & crudelitate excœcaverat, apud Pachymerem *Lib.* III. C.X. Hic verò ad quærendam gratiam Pontificum, præviis legationibus, & addicendam ſibi fidem, hinc jurandam *Unionem* iis conditionibus quas præſcripſit Pontifex, impulſus fuit; 1. Odio ſuorum, poſt excœcatum à ſe Johannem Laſcaridem, hæredem Imperii, & invaſam tyrannidem, amotumque *Arſenium* Patriarcham. 2. Ut Balduini, Imperio jam exuti, & Manfredi Siciliæ Regis, dein & Caroli Andegavenſis, Expeditionem terrâ marique parantium adversùs Michaëlem, arma averteret, ac ſibi Pontificum gratiam conciliaret, *Urbani* IV. primùm, tùm *Clementis* IV. tandem *Gregorii* X. & poſt eum *Nicolai* III. Conſtant illa prolixiùs ex Byzantinis, Georgio Pachymere, Nicephoro Gregorâ, & ex conſenſu Hiſtoricorum. Indè factum ut, Græcis invitis palamque repugnantibus; Patriarchâ Conſtantinopolit. non uno per vim vel fraudem amoto; *Arſenio, Germano*, tandemque *Joſepho, Unioni* cum Latinis *offenſo*, ut Allatius ex Pachymere; rebellionis etiam crimine intentato Unionis hoſtibus, ac variè relegatis, ut Pachymeres *Lib.* V. *Cap.* XVIII. XIX. atque etiam *Joh. Vecco*, antè Græcorum defenſore, magnis pollicitationibus cum ſuis in partes pertracto; *Concordiam* ſpecie tenùs promoverit: Atque in Synodo *Lugdunenſi* II. cui per Legatos interfuit Michaël, (*Germanum* anteà Patriarcham, *Theophanem* Metropolitam Nicænum, & *Georgium Acropolitam*, Magnum Logothetam, variis Legationibus perfunctum) ſubjecerit Græcorum Eccleſiam dictatis *Gregorii*, & *Lugdunenſium*; proditâ turpiter cauſâ Orientis. *Et omnia*, inquit Allatius, *ex mente Pontificis, ad cujus nutum cuncta dirigebantur.* Ac præmium retulit perfidiæ *Joh. Veccus*, ſcil. Patriarchatum Conſtantinop. Sed tranſactionem illam, quicquid fureret Michaël, apud Pachymerem, *Lib.* VI. mox oppugnârunt ac retractârunt Græci; ut etiam *Michaëlem* aliquot poſt annis deceſſurum, inſepultum projecerint, tanquam apoſtatam & proditorem, ſub Andronico filio; Vecco etiam luituro, & in carcere tandem perituro, ut Pachymeres in rebus Andronici, Michaëlis filii, *Lib.* III. C. XIX. Allatius profert, ut rarum quid, *Lib.* II. C. XV. *N.* VIII. Teſtamentum Vecci in carcere ſcriptum, & ſubſcriptum manu propriâ, profeſſionis ſuæ & *fidei de Spiritu S.* ut procedente *ex Patre per Filium*; quod potiùs pertinax & litigioſum ingenium ſpirat, quàm animum pœnitentis, & contritum recordatione peccatorum, & facti Schiſmatis, in cauſâ tam levi. Hinc & Synodus ſtatim habita Conſtantinopoli initio Imperii Andronici, ſolius regnantis, A. ut videtur MCCLXXXIV. Patriarchâ *Joſepho*, qui per Andronicum fuerat reſtitutus, & cui *Gregorius* Cyprius paulo poſt ſurrogatus; cujus Synodi Acta fuerunt penes Jac. Sirmondum, & cujus meminêre, *Auctor* ſeparationis Veteris Romæ, citantante ipſo Allatio, *Lib.* II. C. XVI. N. I. In quâ Synodo, τόν τε Πάπαν, ϗ τὴν τῶν Λατίνων αἵρεσιν, & *Papam, atque univerſam Latinorum Hæreſim anathemati ſubjecerunt.* Et Unionis factæ in Synodo Lugdunenſi, ſub Michaële Imper. meminerunt tanquam πεπλασμένης οἰκονομίας, ϗ πολεμίας εἰρήνης, ſubſcribente Andronico, & Patriarchâ, & abrogatis omnibus iis Pontificibus qui Michaëli aſſenſi fuiſſent, *Johanne* Vecco, Conſtantino Meliteniotâ, *Georgio* Metochitâ, & aliis. Conſentiunt Byzantini, *nec inficiari* auſi, poſt Matthæum Paris, *Conr. Urſpergenſem*, &c. Binius, Genebrardus, *Bzovius, Spondanus*, Petavius, Allatius, Maimburgius, reliqui. Adeò in nullam, cum Latinis, *Religionis Fideique* concordiam, Græci unquam conſensêre, niſi aut vi coacti, aut metu impulſi, aut opem vel ſtipem emendicaturi: Unde & *Martini* IV. animadversâ fraude, & pertinaci odio Græcorum, ſed in gratiam Caroli Siciliæ Regis, Bulla deinceps excommunicatoria in *Michaëlem* ipſum, ut *Hæreſeôs & Schiſmatis antiqui fautorem*; inprimis *quod promiſſis in reconciliationem Eccleſiæ Græcæ cum Latinis, factis non ſtetiſſet*; ex ejus *Vitâ*, & ex *Actis* ad calcem Synodi Lugdunenſis II. *Concil.* T. XI. *col.* 996.

Sed unus omnium inſtar teſtis eſto Leo Allatius. Hic 1. fatetur ſuos fuiſſe Græcis perpetuâ Succeſſione Patriarchas, à Latinis diviſos, quos à captâ Conſtantinopoli A. MCCIV. recenſet; *Byzantinos* quidem, qui promoti ſunt in Urbe Nicænâ, ſibi invicem jugiter ſuccedentes, & habitos pro Conſtantinopolitanis, de Perpet. Conſ. L. II. C. XIV. & Exercitationibus contrà Creyghtonum, Exercit. XXIX. *pag.* 598. 2. Idem largitur, de Conſ. *Lib.* II. C. XV. multo plures in Græciâ fuiſſe, qui Latinis oppugnarint, quam qui à Græcis defecerint; & Lib. eodem *Cap.* XVI. *Græcos his temporibus ſummâ animi contentione, ſi unquàm aliàs, Schiſma foviſſe.* Ac flocci fecerunt anathemata Martini IV. Clementis V. & aliorum Pontificum, quorum meminit Allatius; *ad quæ*, ait, *tot poſteà ſubſecutas eſſe in Græciâ calamitates, Urbium excidia, Eccleſiarum deſolationes, Monachorum oppreſſiones, totius denique Imperii Græcanici direptionem & vaſtitatem.* Quaſi verò *Latini* in Oriente non majores experti ſint calamitates; penitùs Imperio Conſtantinopolit. Syriâ, Palæſtinâ, & vicinis regionibus hoc Ævo exacti; adeò ut cauſam vix aliam adferat Brocardus vel Burchardus Monachus, ipſe in Syriâ & Palæſtinâ teſtis, quam quod *omnium populorum qui Palæſtinam frequentabant corruptiſſimi eſſent Latinorum mores*, ut pluribus eos deſcribit, in deſcriptione Terræ S. *Lib.* II. C. II. Adeò ut cum unâ Ptolemaide, à Saracenis expugnatâ An. MCCXCI. ceciderint Chriſtianorum ultrà LX. millia, præter eos qui navibus abſorpti, aut infauſtâ navigatione versùs Cyprum, miſero naufragio periêre, ex Sanuto, Nangio, Blondo, Con-

Allatius confit. reus.

ti-

Digitized by Google

tinuatore Belli Sacri, &c. Ac fruſtrà fuiſſe hoc tempore *Nicolaum* IV. in tentandâ rurſùm Conciliatione Græcorum, Bulgarorum, ac ſuadendâ novâ Expeditione in Orientem, ut ejus *Epiſtolæ* teſtantur, res ipſa docuit.

IX. *Hæreſes, atque Errores notati hac Ætate, in medio Papatu; ſive præſumpti illi, ſive veri.*

Hæreſes falsò dictæ hoc Sec.

I. Sunt hujus Ætatis *Hæreſes*, apud Hæreſiologos Pontificios, non unius generis, quas & promiſcuè referunt Magdeburgenſes, quæ autem magnoperè diſtinguendæ. Sic promiſcuè confundunt *Hæreticos* in Rom. Eccleſiâ appellatos, quotquot Inquiſitoribus tales cenſiti; & Hæreticos qui *Hæreſes* ex vero tradiderunt, hos quandoque non notatos Bernardo Lutzenburgo, Gabrieli Prateolo, Alphonſo à Caſtro, & ſimilibus, qui Hæreſes recenſent. Aliæ enim *affictæ*, & nomine tenùs Hæreſes, quales *Albigenſium* qui cum *Waldenſibus* ſentirent, de quibus prolixè in ſuperioribus. In his quoque Errores *Guil. de S. Amore*, Pariſienſis Theologi, ac trium cum eo Magiſtrorum Pariſienſium, tempore Regis Ludovici IX. & Alexandri IV. Pontificis. Oppoſuerant nempè *Æterno Euangelio*, ac ſomniis blaſphemiiſque Monachorum Mendicantium, Librum *de Periculis Noviſſimorum Temporum*; oſtenſâ ibi Antichriſtianâ corruptione, & periculis quæ à novis iſtis Euangeliſtis imminerent, ut verè *ſeductoribus* populorum, *Pſeudo-prædicatoribus*, *Hypocritis*, *Gyrovagis*, *Otioſis*, ſub *mendicitatis* fuco, eaque contra Apoſtolum, & Scripturas S. imò contrà Hierarchiam Eccleſiæ, ac Diſciplinæ Regulas. Undè protinùs ab Alexandro IV. editâ Extravagante, A. MCCLVI. Liber ille damnatus *tanquàm iniquus*, *ſceleſtus*, *& execrabilis*, & quæ ibi plura. Acceſſerunt propugnatores Mendicantium utriuſque Ordinis Dominicanorum & Franciſcanorum, nempè Thomas Aquinas, & Bonaventura. Perſtitit autem Guilielmus, quicquid ſocii ad *Palinodiam* adacti fuerint, repetitâ ſub Titulo alio doctrinâ; nempè *Collectionum Scripturæ Canonicæ*, ad defenſionem Hierarchiæ Eccleſiaſt. & ad Inſtructionem ſimplicium Chriſti Fidelium, contra pericula imminentia Univerſali Eccleſiæ; Et quidem per Hypocritas, Pſeudo-prædicatores, Otioſos, Curioſos, Gyrovagos, &c. Et hanc obtulit Clementi IV. Pontifici, An. MCCLXVI. Et eum mox ſecutus *Johannes de Poliaco*, Doctor Theologus Pariſinus, in Mendicantium impietates & ſcelera itidem invectus; de quo in *Extravag. Communib. Lib.* v. *Tit.* de Hæreticis. Ubi tres *periculoſos errores* dicitur *publicè in prædicationibus & in Scholis docuiſſe*, qui reſpexère *Confeſſionem* faciendam *proprio Sacerdoti*, tanquam *Parochiali Curato*; & quod *Papa non poſſet dare poteſtatem generalem audiendi Confeſſionem*, niſi *proprio Sacerdoti* vel *Curato*. Qui ſcilicet errores pulſabant Monachos ſe in Confeſſiones ingerentes, & ipſum Papam, qui illis hanc poteſtatem faceret.

Aliæ ejuſdem generis.

II. Idem ferè ſtatuendum de Erroribus variis impactis, 1. *Joachimo* Abbati Florenſi in Calabriâ, Ord. Ciſtercienſ. accuſanti ſubtilitates P. Lombardi in negotio *S. Trinitatis*, quaſi non tam *Trinitatem* quàm *Quaternitatem adſtruxiſſet in Deo*; quod præter tres *Perſonas*, quarum alia genuit Filium, altera genita, tertia procedens, ſtatuiſſet *Eſſentiam communem*, nec generantem, nec genitam, nec procedentem; diſtinctam ità à Patre generante, & Filio genito, & Spiritu S. procedente. Quæ inanis Joachimi in vocibus ſubtilitas, damnata fuit *Hæreſeôs*, & in omnibus qui ejus ſententiam *approbarent* aut *defenderent*, Can. 11. Concil. Lateran. IV. Non fuit niſi quæſitus adversùs Joachimum obtentus, quem *virum pium*, & *Prophetæ* famam aſſecutum, omnes fatebantur. In primis ob taxatam Papæ & Cleri Rom. Simoniam, turpitudinem, ſcelera, quæ *Antichriſti* fore dixit, & ſcandalo Judæis & Ethnicis, ne ad Chriſtum converterentur: *Imò Antichriſtum jam natum*, *eſſe in Civitate Romanâ*, & *in Sede Apoſtolicâ ſublimandum*, *de quo dixiſſet Apoſtolus*, Extollitur & adverſatur ſuprà omne quod dicitur Deus, &c. Quæ pluribus Rogerius Hovedenus, *Annal.* P. 11. *pag.* 681. 682. &c. occaſione Richardi Anglorum Regis Meſſanæ hybernantis, & Joachimum è Calabriâ accerſentis, A. MCXC. 2. Inprimis & *Almarico*, Pariſienſi Clerico, literis apprimè erudito, Hæreſis impacta, ut homini *impio*, auctori *perverſiſſimi dogmatis*, & *inſanæ doctrinæ*, eodem *Can.* 11. Lateranenſis Conc. ſub Innocentio; quale autem dogma fuerit non dicit Canon. Nempè, fertur aſſeruiſſe, *quemlibet Chriſtianum*, verè talem, *teneri credere ſe eſſe membrum Chriſti*, ex naturâ Fidei, πληροφορίαν & certam perſuaſionem ingenerantis. Hinc Almarico, ex tædio & indignatione in eam Pontificis & Cleri injuſtitiam, paulo poſt diem obeunte, *Diſcipulis* ejuſdem, tum & ipſi *Almarico* horrenda Hæreſium improperata: V. gr. negatum Corpus Chriſti eſſe alio modo in Pane altaris, ac in quolibet pane; negata Reſurrectio Corporum; negatus Paradiſus, Infernus, &c. Quod inprimis nixum teſtimonio *Cæſarii Heiterbacenſis*, hujus temporis Monachi Diœceſ. Colon. Viſionibus, fictis Miraculis, Fabulis, ac Legendis deditiſſimi, undè Hæreſiologi ſua habuerunt. Vera fictarum Hæreſium cauſa, hinc furoris in diſcipulos exerciti, hæc fuit; quòd Almaricus cum ſuis, *Corpus Chriſti* ipſiſſimum negarent *eſſe*, quoad ſubſtantiam, *in Sacramento Euchariſtiæ*; quod docerent certitudinem *fidei*, *ſalutis*; quod impugnarent cultum delatum *Sanctis*, *Imaginibus*, *Reliquiis*; quod in Rom. Pontificem ut *Antichriſtum*, Romam ut *Babylonem* & in Prælatos ut Antichr. *Miniſtros*, inſurgerent. Senſerunt igitur cum genuinis Waldenſibus, & Albigenſibus ejus temporis: Hinc portenta Hæreſium & Flagitiorum ipſis attributa ab Inquiſitoribus, pro more, quæ legas apud Nicol. Eymericum Inquiſit. General. ſub Innocentio VI. Franc. Pegnam, Vincentium, Antoninum, Lutzenburgum, Prateolum, ſimiles fabricatores Hæreſium: V. gr. de promiſcuis *ſtupris*, *adulteriis*; de negato *peccato* in *Sanctis*; de negatis *Sacramentis*, & quæ plura ſunt id genus.

Arnaldo de Villanovâ impactæ.

Nec abſimile judicium eſto, de erroribus *Arnaldi de Villanovâ* ſeu Gente Catalani, ſeu (ut alii) Occitani, vel è Galliâ Narbonenſi, viri ſuâ Ætate doctiſſimi, ſub finem hujus Seculi, de quo præter Flacium Illyricum in *Catal.* L. XVI. Joh. Baleus *Cent.* IV. p. 858. Vignerus in Biblioth. Hiſtoricâ T. III. p. 443. Spondanus ad A. MCCCIX. N. VI. Æquiores hi nupero Scriptore Natali Alex. qui reponit ex Dominicanis ſuis, *Joh. Longorio* Vicario Gener. in Tarraconenſi Prov. & *Eymerico* in Directorio Inquiſit. XV. Villanovani *Hæreſes*; quarum duæ de Naturâ *Divinâ* & *Humanâ* Chriſti, obtentui modò fuerunt, reliquæ per Inquiſitorum Monachorumque vel ignorantiam vel malitiam detortæ. Nempe invectus liberius *Villanovanus*, in Aragoniâ, & Siciliâ ubi regnabat Fridericus, qui poſteà Imperator, adversùs *Papæ* uſurpatam in conſcientias intolerabilem tyrannidem; ſic in libidinem ac luxuriam Cleri, Religioſorum, in doctrinas muſteas Rom. Eccleſiæ, *Diaboli* præſtigiis invectas, ex. gr. in *Miſſæ* Sacrificium, in *Purgatorium*, & Miſſas pro *defunctis*, in *Confeſſionem Auricularem*, in *Abſolutiones* judiciarias, in Indulgentias Papales, in Extremam Unctionem, in cultum Virginis, Sanctorum, Reliquiarum, ſic in inertes Monachos, charitate omni deſtitutos. Quin varia illius

Digitized by Google

illius *ſcripta* recenſet Joh. Balæus, inter quæ eſſet, *Allocutio Chriſti ad Chriſtianos*, item *de Verſutiis Pſeudo-Theologorum*, pro quo in Catal. Teſtium eſt, de *ſpurcitiis*, &c. Sed hæc omnia odiosè ab Inquiſitoribus repræſentanda fuêre, & igne ac flammis expianda, tanquam execrandæ Hæreſes. Quæ & pœna fuit cujuſdam *Walteri Lollhardi*, à quo Secta dicta *Lollhardorum*, Wiclefo & ſuis deiǹ impacta; qui Walterus Coloniæ flammis ultricibus traditus, Seculo ſeq. pari cum reliquis jure. Sed de Lollhardis poſteà. Atque eædem ferè Hæreſes damnatæ, in quibuſdam *Fratricellis* vel *Fraterculis*, per contemptum ſic appellatis; qui dicuntur ex *Minoritarum* familiâ profecti, expirante ferè Seculo XIII. Bzovius refert ad Sec. XIV. initia. Additis nempè quæ iſtis affingerent Inquiſitores; & in quos extant *Decretales* Bonifacii VIII. Clementis V. Johannis XXII. in quibus enumerantur quæ adversùs *Rom. Eccleſiam*, & *Rom. Pontificem*, homines illi ſentirent. Sed omnia infamanda horrendis contumeliis; quarum præcipua fuit, *promiſcui* & *nocturni* concubitus, an inceſtus, ficti occaſione clandeſtinorum conventuum, ex metu Inquiſitorum. Multa de his Odoricus Raynaldus ad Ann. MCCXCVII. etiam Alvarus Pelagius de *Planctu Eccleſ.* L. II. &c. & Johannis XXII. in Conſtitutione adverſus eos editâ, ubi enumerantur iſtorum particulatim errores. Ità de Sectâ *Fratricellorum*, multa eruit Baluzius ex Bibliothecâ Colbert. quorum Patriarcha fuiſſe dicitur *Petrus Johannis Olivus*. Summa certè fuit; quod Hierarchiam *Rom. Pontificis* & Dominatum reprobarent, ut propria *Antichriſti*; quod *Sacrificulos* Rom. Eccleſiæ nullo loco haberent, & *confecta* ab his *Sacramenta*; & quæ id genus habuêre cum Waldenſibus communia.

Errores damnati à Fac. Pariſ.

III. Sic *errores* varii damnati hoc Ævo à Facultate Theologicâ Pariſienſi, *Guilielmo Arverno* Epiſcopo, dein Epiſcopo Urbis *Stephano Templiero*, ex Monumentis ejus Facultatis: Quorum alii perperàm damnati; alii rectè, nempè ex Philoſophiâ & Mataiologiâ Scholaſticâ, tùm receptâ, in Theologiam peſſimè à Monachis & Fratricellis, illati. In poſteriore genere errorum, quorum prolixus Catalogus apud *Magdeburgenſes*, fuiſſe dicuntur, ex. gr. De *Spiritu S.* in *Eſſentiâ*, & ratione *formæ*, diverſo à Patre & Filio; de *Dæmonibus* in momento ſuæ Creationis *malis*; de *Angelis* qui *ubique* eſſe poſſint; de *Mundo æterno*; de *Voluntate* quæ *neceſſariò* velit, eligat, &c. Inter perperàm damnatos *errores*, judicio ejus Facultatis, fuêre ex. gr. hæc aſſerta, ſanè innocuo ſenſu accipi nata: *Eſſentiam Divinam, in ſe, in ſuâ ſubſtantiâ, nec ab Angelo, nec ab Homine propriè videri: Liberum Arbitrium non habere potentiam naturalem effectivam Gratiæ*, aut *ejus receptioni cooperantem: Animam ſeparatam non pati ab Igne corporeo: Qui damnatus eſt, nunquàm verè fuiſſe in Gratiâ*; & quæ plura ejus generis.

Veræ Hæreſes.

IV. Veriores *Hæreſes* illæ fuerunt, quas in Romanâ tùm Eccleſiâ, in aſſertis, ac Decretis Pontificum, in Capitulis Lateranenſibus, in doctrinâ Monachali & Scholaſticâ, in *Evangelio Æterno*, in blaſphemiis Fratrum Mendicantium, jam ſuprà notavimus, *Lemmate* IV. V. Undè in eas & ſcriptis, & factis, ſurrexerunt tot Veritatis Teſtes, ut Græci & Orientales, ſic Germani, Galli, Angli, Itali, etiam Hiſpani, de quibus *Lemmate* VII. & VIII.

Si quæ tamen fuerunt reliquiæ *Nicolaïtarum*, *Gnoſticorum*, *Manichæorum*, *Catharorum*, *Arianorum*, uti fuiſſe hoc Seculo referunt Monachales Tabulæ & Chronica, Acta Conciliorum, Directorium Inquiſitorum, &c. idque in partibus quibuſdam Italiæ, Longobardiæ, Galliæ, Germaniæ, meritò damnatis Hæreſibus adſcribendæ ſunt. Aſt falsò & per calumniam illis objectæ fuerunt, qui modò errores, ſuperſtitiones, tyrannidem *Rom. Eccleſiæ* & *Pontificum*, ac *Cleri* mores & ſcandala accuſarent; atque ſic qui Albigenſes, dicendi omnes fuêre *Manichæi*.

Portenta Hæreſ. ex Offic. Monach.

Obſervandum etiam portentoſa dogmatum, aſſertorum blaſphema, ac libidinum nefanda, plerumque ex Clauſtris fuiſſe profecta, & ex familiâ Monachorum *Mendicantium*. Hinc ex eâ Officinâ profecti, præter ſuprà notatos, *Cyrillum* Carmelitam, vel *Joh. Parmenſem* Franciſcanum, *Petrus Johannis Olivus*, Ordinis Minorum, de quo ſuprà, cujus multa verè in Romam Papalem dicta, multa etiam ſuperſtitioſa, & Monaſtica; probanda deinceps *Sixto* IV. Pontifici, ex Ordine Minorum profecto, poſtquàm ejus ſcripta examinari juſſerat, nihil nempè iis contineri quod *fidem Catholicam* læderet. Ità judicium Sixti diverſum imò adverſum fuit judicio Johannis XXII. Imò poſt mortem fulſiſſe Miraculis Petrum Joh. Olivum refert Waddingus, ex teſtimonio *Angeli Clareni*, familiaris quondam Olivi. Errores Olivi recenſet prolixè, (ex ejus inprimis *Lecturâ* in *Apocalypſim*, quales eruerunt Magiſtri Inquiſitores, ad hanc rem delegati à *Johanne* XXII. id eſt, Monachi ex Ordine Carmelitarum, Prædicatorum, Minorum, Benedictinorum) Biblioth. Colbertinæ Præfectus Steph. Baluzius, Miſcellaneor. T. I. p. 213. & ſeq. Præcipuè pupugit Curiam Papalem, quod *Babylonem* Apocalypſ. *Beſtiam*, *Meretricem*, &c. interpretatus ſit de Eccleſ. Romana; quod tributam *Papæ* poteſtatem, infallibilitatem, diſpenſationum jura, aliaque præprimis impugnaverit; ac multos dixerit *Hæreſeôs* damnatos fuiſſe, & combuſtos, ſententiâ Pontificis, quam oporteret *corrigi* & *emendari*, &c. Quanvis ſimul Regulæ & vitæ Euangelicæ ſummus obſervator habitus, & fundator Ordinis Euangelici, &c. Quæ non placuêre aliorum Ordinum Monachis, & meritò. Nempe ex Scholâ Monachorum, præcipuè Franciſcanorum, ſeu Fratrum Minorum, prodiêre aſſertionum portenta, quæ tendebant ad perfectionem Ordinis commendandam, ut demùm *vitæ Spiritualis*; & hi dicti quoque *Beguini*, vel *Beguinæ*, *Beguardi*. Vide documenta quæ profert Baluzius.

X. *Novi Ordines Monachales, eorumque Inſtituta. Præſertim illa Dominici, & Franciſci Aſſiſii.*

Ordo Humiliator.

I. Duæ novorum Ordinum Monachalium Claſſes diſtingui, ad hoc Seculum, poſſunt: Quorum alii nec celebres adeò, nec frequentes, quidam etiam ſucceſſu temporis aboliti, qualis Ordo Fratrum *Humiliatorum*. Scilicet inſignes in Italiâ Hypocritæ, hoc potiſſimum *Humiliatorum* nomine, & ob exagitatos Waldenſes, quorum vitæ genus æmulabantur, ſed Hæreſim (ſcilicet) publicè confutabant; confirmandi ab Innocentio III. A. MCC. & in *Regularium* Ordinem redigendi, abdicatis uxoribus. *Semi-Monachos* vocat Volaterranus *Lib.* XXI. p. 757. Hinc Jacobus de Vitriaco Hiſt. Occidentalis *Cap.* XXVIII. *Adeò formidabiles Hæreticis, quos* Patarenos *appellant, effecti ſunt, & ità potenter & apertè fraudes eorum detegendo, impios & incredulos ex Divinis Scripturis prudenter convincunt, & publicè confundunt, quod jam coràm ipſis non audeant comparere*; credo equidem, metu Inquiſitionis. Et Urſpergenſis Abbas, in Chronico ad A. MCCXII. illos *prædicationis* munus uſurpaſſe. Sed ex operibus poſtmodùm ac fructibus dignoſcendi. Undè ob vitam diſſolutam, quorum emendationi fruſtrà ſtuduiſſe fertur Carolus Borromeus, tandem à Pio V. ſuperiore Seculo *extinguendi*, *omnibuſque Officiis ac Dignitati-*

Digitized by Google

tatibus privandi, ut pluribus videre eſt in Conſtitutione CXIX Anni MDLXXI. quam in Bullario exhibet Flavius Cherubinus. Et hos quidem primò id *Humiliatorum* nomen aſſumpſiſſe, palàm fit, in oppoſitione ad vocatos *pauperes de Lugduno*, viros bonos, ſimplices, è Gallia in Italiam & Lombardiam profugos, ac veram *humilitatem* profeſſos, Scripturas Sacras aſſiduè verſantes; quos novi hi *Humiliati* præpoſterè æmulabantur, illos diſputationibus, etiam ex Scripturis Sanctis, pro more temporum intellectis, fatigando, ſed magis Inquiſitoribus eoſdem deferendo, qualis *Rainerius* cum initio Seculi ab Innocentio III. conſtitutus, ut ſuprà *Cap.* IV. ubi de *Inquiſit.* Ità *Pauperes Catholicos* oppoſuit Innocentius III. variis Epiſtolis, *Libris* XIII. & XV. quorum auctores fuerunt quidam *Durandus de Oſca*, & *Bernardus Primus*, ex Albigenſibus Apoſtatæ, qui fictâ jejuniorum, orationum, paupertatis, charitatis, ſed & Lectionis Scripturæ ſpecie, *Hæreticis* confutandis, & ad fidem *Catholicam*, id eſt, Pontificiam reducendis, toti incumberent. Quod *juramento* confirmandum ipſis fuit, in aditu Regulæ, uti etiam ſe in *Communione S. Romanæ & univerſalis Eccleſiæ permanſuros, tàm corpore quàm ſpiritu*, &c. Sed non duraturo fictæ Paupertatis illo ſimulachro, inprimis poſt exortos *Dominici* ac *Franciſci* pullos, & fictæ ac rigidæ *Paupertatis* votum, ſub *humilitatis* ſpecie, undè dicti *Fratres Minores*, ab iſtis nuncupatum.

Ordines minùs celebrati. II. Inter Ordines minùs frequentatos, referimus Ordinem in Galliâ natum & ex Gallis, *Fratrum S. Trinitatis*, qui & de *Redemptione Captivorum* inſtitutum non ſine viſione Angelicâ, & revelatione *Divinâ*, ſcilicet! Confirmandum nempè ab Innocentio III. circà Ann. MCCXI. ex ejuſdem Epiſtolarum *Lib.* I. dein ab aliis Pontificibus roborandum. *Veſtis* iis candida, *Cruce* ſuperadditâ: De quibus ex Jacobo de Vitriaco, & aliis, Sammarthani Fratres in Galliâ Chriſtianâ T. IV. in noſtris Hoſpinianus *Lib.* VI. aliique. Auctor Ordinis fuit quidam *Johannes de Matha*, ex Provinciâ Galliæ Doctor Pariſinus, qui An. MCCXIII. ad Innocentium profectus eſt, ut novo Ordini adderet auctoritatem. Obtentus fuit, redemptio Captivorum qui pro fide Chriſtianâ eſſent *à Paganis incarcerati*, dato *rationabili pretio*.

Affinis huic Ordo *S. Mariæ de Redemptione Captivorum*, ſcilic. ad redemptionem Captivorum à ſervitute Saracenicâ, in Hiſpaniâ inſtitutus, A. MCCXXIII. à Gregorio IX. approbatus Ann. MCCXXXV. nec ſine apparitione Miraculoſa *Deiparæ*. Nempè apparuit Raymundo de Pennaforti, ſævo Inquiſitori, & Jacobo I. Aragonum Rege, Gregorio IX. Pontifice, auctore primo *Petro Nolaſco* Gallo, hinc *Sanctis* adſcripto. De quo Bollandus, præter Hiſpanicarum rerum Scriptores. Adde *Congregationem* poſteà dictam *Cæleſtinorum*, ac primùm inſtitutam à Petro de Morone (qui dein *Cæleſtinus* V. anteceſſor Bonifacii VIII.) in Apuliæ quâdam Solitudine, haud longè à Sulmone, impetratâ confirmatione ſui Inſtituti, à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, deinceps confirmaturus ipſe Pontifex factus, Ann. MCCXCIV. Reformatio quædam fuit Monaſticæ Diſciplinæ, ſub Regulâ Benedicti, hominum *Eremicolarum*, & quidem habitu cœruleo, ſeu colore *cœleſti*; Miro incremento hujus Ordinis, ob adſcripta Cœleſtino huic poſt abdicationem Papatûs, & poſt mortem, Miracula.

Tres novi Ordin. Mendicant. III. Aſt principem locum ſibi vindicant, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ fulcra præcipua, Hæreticorum flagella, tres novi Ordines *Mendicantium*, (præter *Carmelitarum* illum de quo ad ſuperius Sec.) & in iis duo eminentiores; Ordo *Dominicanorum*, & *Fratrum Minorum* alter; tertius autem dictus, *Eremitarum S. Auguſtini*. Ad *quaternarium* hunc numerum redacti hi *Mendicantium* Ordines, in Concilio Lugdunenſi, ſub Gregorio X. *Conſtitit.* XXIII. T. XI. *Concil. col.* 989. *Quia aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum Ordinum præcipuè Mendicantium, quorum nondum approbationis meruêre principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit, repetitâ Conſtitutione diſtrictiùs inhibentes, ne aliquis de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis aſſumat; cunctas affatim Religiones & Ordines Mendicantes, poſt dictum Concilium adinventos, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus*, &c. Abſque quâ prohibitione creviſſent in infinitum hujuſmodi Ordines, quorum adinventionem hoc præmium ſequebatur, cùm ut eorum Auctores *Sanctis* adſcriberentur, tùm ut hominibus otioſis & inertibus novæ habitationes, ſub religionis ſpecie, nova Monaſteria, fabricarentur. Neque tamen hæc Concilii Lugd. prohibitio interceſſit novorum Ordinum, ſine modo & fine, inſtitutioni, ſpecie reformationis; undè graves inter Monachos rixæ, & æmulatio, de quibus Matth. Paris ad A. MCCLVIII. *Tot autem Ordines* (in ſpeciem Mendicantes) *exorti ſunt, quot hi hos, & è converſo, ſupplantant; nec ſufficit, ut conſuevit, populus eos plebejis eleemoſynis ſuſtentare.*

Auguſtiniani Eremitæ. IV. Ab *Eremitis* quibus ab *Auguſtino* cognomen, ut exordium ſit, inſtitutus Ordo fertur ſub initium Seculi, Innocentio III. Pontifice, auctore quodam *Guilielmo*, Pariſino Scholari, qui ſeceſſit in Eremum, undè & *Ordo S. Guilielmi*. Mox præſcripta illis ab Innocentio III. Honorio III. & ſequentibus Pontificibus, Regula Auguſtini, ex hujus Sermone quodam *ad Fratres de Eremo*, quem Auguſtino ſuppoſitum eſſe conſentiunt mediocriter Eruditi. Diſtinguendi hoc *Eremitarum* nomine, & Habitu tantùm *nigro*, cum *zonâ ſcorteâ* cinguli loco, à Canonicis Regularibus, qui & Auguſtini nomen præferunt, de quibus ſuprà, qui utuntur *candidâ tunicâ*, ſub *pallio nigro*. Sed & in varias illi Congregationes abiverunt, ſub non uno Priore Generali, & ſub diverſis Titulis, ac Regulis; donec ab *Alexandro* IV. poſt viſionem in ſomniis exhibitam, conjungerentur ſub unius prioris Generalis obedientiâ, ſub unâ Regulâ, quæ dicitur B. Auguſtini, iidemque ab Eremo in Urbes retracti, & donati privilegio populum docendi, etiam Confeſſiones audiendi. Auxit etiam hujus Ordinis privilegia *Honorius* IV. circà A. MCCXC. De quo Antoninus in *Chron.* P. III. *Tit.* XXIV. *Cap.* XIV. ut taceam Sabellicum, Volaterranum, Polyd. Vergilium, & Hoſpinianum noſtrum de *Monach.* L. VI. C. II. Cæterum & hos, & Præmonſtratenſes, Servitas, alioſque plures, *Auguſtini* nomen & regulam falsò præſcripſiſſe muſteis ac ſuperſtitioſis inſtitutis, à quibus alieniſſimus iſte fuit, vidit ille Poëta qui cecinit, teſte Balæo *Cent.* VII. *Num.* LXXXIX.

Mendici fratris induti veſtibus atris,
Auguſtinus ego nomen habere nego.

Servi Mariæ Virg. Sed & Regulam S. *Auguſtini* cum nigrâ veſte aſſumpſerunt, hoc Seculo, Fratres *Servitæ* ſeu *Servi Mariæ Virginis*, in Italiâ primùm nati, & Florentiæ quidem, alii ſub Gregorio IX. circà An. MCCXXXII. alii ſeriùs, nempè quoad confirmationem Inſtituti. Nec factum ſine apparitione Virginis, ut fieri tùm conſueverat, quæ VII. Viris Nobilibus *Confraternitate* in ejus cultum & famulatum junctis, & die *Aſſumptionis* ſuæ in eam intentis, divinæ lucis radiis primùm illuxit: Dehinc apparens eadem Angelis circumſepta, nomen *Servorum* ſuorum impoſuit, & habitum præſcripſit pullam tunicam, cum pallio nigro, ac *Regulam* B. Auguſtini. Nempè fuêre hæc *Apparitionum* tempora, in gratiam Monachorum novos Ordines molientium.

Digitized by Google

Mirac. Imago Deiparæ. Sed & Miraculis compluribus *Confraternitas* illa Laudenſium B. Virginis confirmanda fuit, quæ multis recenſet ex Archangelo Gianio Florentino, in Libello quem de initiis hujus Ordinis ſcripſit, Abrah. Bzovius, ad A. MCCXXXI. *Num.* VII. Inter alia, quum hi Nobiles Florentini *novarum rerum molitores* apud plurimos audirent, ut adderent auctoritatem arctioris vitæ inſtituto, & ſimul religionem illi loco, quem nacti extrà muros Florentiæ, ubi poſtmodùm Templum Annunciationis B. Virginis auguſtiſſimum ſurrexit, hoc commentum excogitarunt: Pictor *Imaginem Virginis* in tabellâ delineandam ſuſcepit; ultimam manum admoturus *vultui* Deiparæ. Tandem ipſiſſimo Nativitatis B. Mariæ die, quum penicillum hunc in finem accepiſſet, reliquâ Corporis parte jam abſolutâ, raptus in ecſtaſim, dein ad ſe reverſus, reperit *vultum B. Virginis* non manufactum, ſed *divinitùs expreſſum*, eâ venuſtate quantâ ipſos Cœlites in amorem rapere potuiſſet. Obſtupuit Florentia, & ab eo tempore excitata totius Italiæ devotio, ergà Imaginem Θεότευκτον, Miraculis in hunc diem coruſcantem. Dein apparuit Deipara VII. dictis Nobilibus, præſcriptura Ordini nomen, veſtitum, caputium pulli coloris, & ſi quæ alia, quibus *Servitarum* inſtitutum, quod à Gregorio IX. Alexandro IV. Urbano IV. & ſucceſſoribus confirmatum, mirè propagandum fuit. Plura vide apud dictum Bzovium, ne dicam M. Ant. Sabellicum *Enn.* IX. *Lib.* VII. Polydorum L. VII. C. IV. hinc reliquos. Huic Ordini addictus fuit, ſuperiore & hac Ætate, magnus ille *Paulus Sarpius*, ſeu *Frà Paolo*, auctor Hiſtoriæ Concilii Tridentini; cujus ne quidem arcana omnia & ἀνέκδοτα retegere potuit, quæ ſupplevit nuper ex ineditis *Mich. le Vaſſor* Gallus, V. Clar.

Ordines duo Mendic. V. Præprimis verò memorandi Ordines duo, omnium maximè diffundendi: Inſtitutoribus *Dominico Guzmanno*, gente Hiſpano, nato circà A. MCCXX. non ſine præſagiis *arſuræ facis, quæ totum Mundum incenderet*, apud Surium; & *Franciſco Aſſiſio* Italo, in Ducatu Spoletano, filio cujuſdam Petri Bernardonis. Atque hæc *duo* fuêre ruentis Romanæ Eccleſiæ *Suſtentacula*, monſtrata in viſione Innocentii III. Hæc *duo Orbis Luminaria*, *duo Angeli*, *duo Teſtes*, *duo Patriarchæ*, *duæ Euangelii Tubæ*, *duo Dei Legati*, *duo Chriſti Vexilliferi*, *Hæreticorum Flagella duo*, & quæ id genus extant utriuſque præconia. Ingens tamen inter Ordinem utrumque ab initio inſtitutionis, nata eſt æmulatio; *Dominici* Sociis aſſerentibus ſe priores, hoc ipſo digniores, ſortitos Apoſtolicum Prædicationis officium; Franciſci verò ſectatoribus, ſe arctiorem viam ingreſſos, & humiliorem, adeoque ſanctiorem perfectioremque, ut Matth. Paris ad A. MCCXLIII. Ac de *Dominici* Ordine primùm.

Dominicanorum. 1. *Auctor* igitur præfatus Dominicus, anteà Canonicus Regularis, & in eo Ordine literis Theologicis mediocriter imbutus, lectis ſcilicet *Collationibus Patrum*; à Didaco, Oxomæ Tarraconenſis Prov. Epiſcopo, Romam profecto producendus, commendanduſque Innocentio III. qui adversùs Albigenſes prædicaret. Sed argumentorum loco & convictionum erant Miracula, Prodigia, tandem dira Inquiſitio. Ingenium Dominici cruentum, immite, vafrum, ſacrilegum, ἀποθεώσεως cupidum, teſtantur cruenta Concilia, Inquiſitio atrox, Bella ſanguinaria, fictæ Revelationes, edita Prodigia, & quotidianæ Præſtigiæ, ſub virtutis mirificæ ac divinæ ſpecie. *Scriptorum* verò nihil; quicquid Dominico falſò adſcribant Poſſevinus, Malvenda, & id genus alii, Commentarios in Euang. Matthæi, in Epiſtolas Paulinas, Canonicas, &c. tacentibus *Actis* & *Vitâ* Dominici, ac faſſis ex eo Ordine cordatioribus.

2. *Nomina* varia huic Ordini data ſunt: *Dominicanorum* ab Auctore Inſtituti; *Prædicatorum* illud, ob officio Prædicationis ſingulariter aſſumpto; *Jacobitarum* etiam, vulgò in Galliis, à Conventu & Monaſterio in ſuburbano S. Jacobi Pariſino, & Eccleſiâ S. Jacobo ibi ſacrâ; Denique *Fratrum B. Mariæ*, à ſummâ in B. Màriam, Ordinis protectricem, devotione; undè cum Carmelitis certamina.

3. *Inſtitutum* ſeu Regula, primò fuit quæ *Auguſtini* tùm dicta, quamque anteà profeſſus Dominicus. Sed mox novæ conſtitutiones, novus habitus, approbante Honorio III. ſub initia Pontificatûs, ac promittente ſcilicet patrocinium novo Ordini *B. Virgine*. Hujuſmodi fuit *Mendicitatis* ſeu Paupertatis votum, nullis omninò poſſeſſionibus; perpetua *Carnium* abſtinentia, in quâ ſe à Minoribus diſtinxerunt; item *ſilentii* certis horis & locis, ac *jejunii* novæ Leges; *Veſtes* autem, candida tunica, ſuprà quam pallium nigrum, cum ſcapulari: Quanquam initio Dominicus nullâ ſe ſpeciali veſte diſtinxiſſe feratur, quam deinceps à B. Virgine monſtratam ferunt Antoninus, & alii. Sed augendæ in plurimis, interpolandæque deinceps hæ Conſtitutiones, in *Capitulis* Ordinis; nec illæ tantùm Monachis, ſed & Monialibus præſcriptæ, quarum Cœnobium primò *Romæ* inſtitutum.

4. Imò & Ordinem ex ſuis inſtituit *S. Militiæ*, qui ſcilicet armis, ac vi illatâ, perſequerentur Albigenſium (*Hæreticos* dixêre) perſonas, bona, poſſeſſiones, ac Eccleſiæ ſcilicet vindicarent. Acceſſit *Inquiſitionis Officium*, de quo ſuprà, quod adversùs Hæreticos Albigenſes, ſibi ſuoque Ordini committendum ſuaſit Dominicus, Papis tum Innocentio III. & Honorio III. ituris per ea veſtigia ſucceſſoribus. Excepit *Roſarii B. Virginis* per Dominicum inſtitutio, fictis revelationibus, & apparitionibus B. Virginis, de quo vide *Cap.* V. *col.* 1664.

5. *Propagatio* autem Ordinis ſtupenda, ut brevi temporis ſpatio, Conventus innumeri ſurrexerint in Italiâ, Galliâ Toloſanâ, Aragoniâ, &c. Inprimis confictis indies Miraculis, *Viſionibus*, *Prodigiis*, in Legendâ Dominici, nec *taciturno* Bzovio: Adhæc Privilegiis Româ Ordini iſti impetratis; tùm Cathedris per Prædicatores iſtos impletis; Miſſionibus ad Gentes quaquaversùm factis, ab ipſo Dominico; Dignitatibus tandem ad quas ſtatim evecti, puta Magiſtrorum S. Palatii, Inquiſitorum, Pœnitentiariorum, Cardinalium, Confeſſariorum in Aulis, &c. imò *Divorum* primi ordinis, in Romano Martyrologio. Sed de Ordine à *Dominico* inſtituto, cujus inprimis commendator Gregorius IX. plenæ ſunt Monachorum tabulæ; deque fraudibus, dolis, mendaciis, quibus auctoritas illi apud credulos, & ſuperſtitioſos acceſſit, fusè Hoſpinianus *Lib.* VI. C. VII. Obiit Dominicus Bononiæ, A. MCCXXI. ætatis an. LI. triennio poſt à Gregorio IX. in *Sanctorum* Ordinem referendus.

V. Proximus illi Ordini fuit alter *Fratrum Minorum*, ſeu *Minoritarum*, qui & *Pauperes* primò dicti, fictâ humilitatis ſpecie, ex Urſpergenſi, Pariſio, & aliis. Fratrum. Minorum.

1. Auctor igitur *Franciſcus* ille, *Aſſiſi* Umbriæ ad Apenninum natus, literarum divinarum (ut fatentur) planè rudis, mercaturæ primò deditus, ac diſſolutiſſimis in juventute moribus, *poſt laſciviam juvenilis ardoris*, inquit Walſinghamus in Hypod. Neuſtriæ, ad An. MCCXII. Alii tamen, *literis* & *Theologicis* diſciplinis à tenerâ ætate incubuiſſe, & ſic Matthæus Par. ad A. MCCXXVII. Mox acceptis Revelationibus, & auditâ in Miſſâ quâdam voce Euangelii, *Ne poſſidete aurum, nec argentum, nec peram, nec duas tunicas, nec calceamenta*, electurus ſpontaneam paupertatem abdicatâ hæreditate paternâ, cilicium & cucullum induens, calceamenta deponens,

Digitized by Google

nens, de eleemoſynis victitans, vultu deſpicabili, barbâ prolixâ, capillis incultis, pannis circundatus, mattâ pro ſtrato utens, ſaxum capiti pro cervicali ſupponens, in nuditate, abſtinentiis ac vigiliis totus: In quo ſtatu, erronis adinſtar, & circumforanci, peragravit totam Italiam, plerorumque ludibrium, aliorum tamen admiratio, quæ erant tempora. Hinc conſilium de novo Ordine inſtituendo, An. MCCXV. novâque Fraternitate, præſcriptâ vivendi regulâ tanquam in ſummâ paupertate. Quam primò fertur deſpexiſſe Innocentius, ablegans hunc hominem *ad porcos quibuſcum ſe in volutabro involveret*, ut Matthæus Paris ad A. MCCXXVII. Mox tamen factus novi Ordinis Patriarcha. Imò ſuprà Dominicum, Prædicatorum patrem, dicendus *Jeſus typicus*, Angelus *habens ſignum Dei vivi*, Chriſti *Cancellarius*, *Vexillifer*, *Conſiliarius*, *Theſaurarius*, &c. notis blaſphemiis ex Libro Conformitatum, ex Bonaventurâ in Franciſci Vitâ, ex Antonini Chronico, & Legendariis. Certè quæ illi tribuuntur *Opera*, inſerta Biblioth. Patrum, Epiſtolæ, Precationes, Admonitiones ad Fratres, &c. ſi verè Franciſci, hominis ſimplicitatem an hypocriſim, & infandam ſuperſtitionem produnt, ſed & illam temporum.

Regula Franciſci. 2. *Tempus* Inſtituti primùm nati, ex Matthæo Pariſienſi, Bonaventurâ, Antonino, fertur Anno MCCVIII. paulò poſt approbandi ab Innocentio III. poſt viſionem *ſuſtentatæ* à Franciſco (de Dominico idem ferunt) Eccleſiæ Lateranenſis, figurâ ſcil. ruentis Eccleſiæ per Hæreticos, quam ſuſtentaret Ordo Minorum. Deinde ſcriptâ *Regulâ* ſub extrema Innocentii, confirmanda hæc ab Honorio fuit, Innocentii ſucceſſore, Anno MCCXXIII. In quâ præcepit Fratribus univerſis, ne *denarios vel pecuniam reciperent*, per ſe, vel per interpoſitam perſonam; *nihil ſibi appropriarent*, *nec domum*, *nec rem aliquam*, tanquam *advenæ & peregrini de eleemoſynis* viverent, quia *Dominus ſe pro nobis pauperem fecit in hoc mundo*; & hanc *paupertatem* facturam illos *hæredes Regni Cœlorum*, ac *perducturam in terram viventium*. Ità opponendi Pauperibus de Lugduno, hi *Pauperes Minores*, qui deinceps, ne Pauperum nomine gloriarentur, dicendi *Fratres Minores*. Deſcribit *paupertatis nimiæ* inſtitutum Matthæus Pariſius, ad A. MCCVIII. & MCCXXVII. quod brevi *repleviſſe terram* ſimul indicat. Summa igitur *Inſtituti* fuit; *Habitus* vilis, ſeu viliſſima tunica cum capucio oblongo, ſine calceamentis, ut nudis pedibus incederent; *Funis* loco cinguli; *Victus* ex ſolis eleemoſynis, aut ex labore manuum; *Paupertas* altiſſima ſeu rerum nulla proprietas, ac pecuniæ prohibita contrectatio; undè quæſtio ſub Nicolao IV. de proprietate panis quem comederent; Producta Jejunia; *Mentum ſine barbâ*, ut Mabillonus obſervat *Itin. Ital.* P. I. p. 106. contrà quam poſtea barbati, præſertim Capucini: Et alia quæ videſis apud Lucam Waddingum in *Annal. Minorit.* ad A. MCCXXVI. vel in noſtris Hoſpinianum: Et quidem obtentu illa omnia Euangelicæ ac Deo proximæ *perfectionis*.

Antonius de Paduâ. 3. *Media* verò propagando Inſtituto, per Italiam primò, dein per orbem univerſum, eadem ferè cum illis Dominicanæ familiæ, fraudes arteſque eædem, id eſt, præter novam ſpeciem auſteritatis, ficta miracula, portenta, fabellæ ſine fine & pudore. In ſpecie credita fabula de *Stigmatibus Franciſci*, quâ de re ſuprà *col.* 1663. 1664. Matthæo Pariſio haud obſcurè falſi arguente; eademque tamen tot Paparum decretis confirmanda, ſub *Hæreſeôs* pœnâ. Acceſſêre fraudes & impoſturæ *Antonii de Paduâ*, qui antè Ferdinandus Ulyſſiponenſis, ſed poſt à loco in quo habitum Franciſcanorum ſuſcepit, & cui *S. Antonii* nomen, dicendus *Antonius*; tum à loco obitûs, *de Paduâ*. Hic à Gregorio IX. Pontifice, qui concionantem audiverat, dictus *Arca Teſtamenti*, & *S. Scripturarum Armarium*, mox ab obitu qui incidit in An. MCCXXXV. *Sanctorum* Ordini adſcribendus, Feſtivitate illius indictâ ad *Eidus Junias*; Ut qui *ſepulturam ejus frequentarint annis ſingulis*, *uſque ad octavum diem*, *debitâ cum devotione & reverentiâ*, Indulgentias anni unius conſequerentur, ut eſt in Bullâ Gregorii IX. editâ A. MCCXXXII. Fuit autem, ex quo inſertus familiæ Franciſci, hypocrita inſignis, nihil ceſſurus Franciſco miraculorum famâ, quorum non eſt numerus, apud ipſum Bzovium, ne dicam in Legendâ Antonii, & Libro Conformit. Tranſſubſtantiationem, & adorationem Hoſtiæ, probavit in partibus Toloſanis Hæreſiarchæ convincendo, cui nomen *Bonelus*, exemplo Aſinæ inediâ maceratæ, quæ admoto Corpore Chriſti, neglecto pabulo, juſſa ab Antonio, *Hoſtiam* flexis genibus *adoravit*, ut hodieque viſitur in *Picturâ* religioſè aſſervatâ in Eccleſiâ Patavinâ. Sic idem Antonius, *Paduæ* agens in ditione Venetâ, certior factus eſt Spiritu Prophetico cædis cujuſdam, *Olyſſipone* in Luſitaniâ perpetratæ; & pro reis habitis, qui cædis hujus inconſcii erant. Hinc unâ nocte ingenti miraculo Patavio Olyſſiponem fuit tranſlatus, ubi *cadaver* mortui juſſit teſtimonium perhibere innocentiæ vinctorum. Et iſtiuſmodi fabulis paſcit Lectores ipſe Bzovius ad An. MCCXXXI. *Num.* 11. Hic Antonius Italis in hanc uſque diem κατ' ἐξοχὴν dicitur *Il Santo*, cujus Corpus ſuaviſſimum odorem exhalare dicitur, & Miraculis quotidiè coruſcare. Imò in Sacello in quo jacere dicitur, hi adhuc Characteres, poſtmodùm præ pudore eraſi, haud obſcurè leguntur, *Exaudit quos non audit ipſe Deus.* Mittimus *Bonaventuram* illum Seraphicum, oppugnatorem Albigenſium, & Græcorum in Concilio Lugdun. A. MCCLXXIV. ac id genus Divos alios Minoritici Ordinis; quin ipſum *Ludovicum* IX. tertii ſodalitii Franciſcani Socium, ſeu Congregationis *Pœnitentium*, inſtitutæ pro Secularibus utriuſque Sexûs, etiam ſtante matrimonio; undè non *completa* cenſetur hæc Religio. Sed & *Nicolaus* IV. hoc Ævo Pontifex, ad ſummum illum apicem ex eodem Ordine aſſumptus eſt An. MCCLXXXVIII. Ut verò hic Ordo Franciſcanorum in familias plures abierit, quorum pluſquàm *quinquaginta* numerari dicit *Mezeraus* Hiſtoricus, in Hiſtoriâ Sec. XIII. inprimis Fratrum *Obſervantiæ*, *Conventualium*, *Minimorum*, *Capucinorum*, *Reformatorum de Portiunculâ*, &c. dicendum aliàs.

5. Acceſſit Ordo rigidiſſimus *S. Claræ*, ſeu *Clariſſarum* Monialium Minoritici Ordinis, Franciſco eodem inſtituente; dictus à *Clarâ* Virgine Aſſiſiate, familiari huic Patriarchæ, corpus excarnificante trucem in modum, affectatâ omnimodâ paupertate, hinc cum Deo frequenter locutâ, & hoc uno *Divis* deinceps adſcriptâ ab Alexandro IV. mortuâ A. MCCLII. Nec Viſionum, Revelationum, Miraculorum hujus Virginis finis eſt aut modus, apud Antoninum, Surium, ex his Bzovium ad A. eundem, & cæteros. Cui adde miracula *B. Agnetis*, ſororis ejus Claræ, morituræ eodem An. MCCLII. apud Surium & Legendarios. Nec nugis id genus Hiſtoriam noſtram conſpurcamus. **Ordo S. Claræ.**

VI. Verbis autem nullis efferri poteſt, ac vix animo concipi, quàm dira lues, quotve malorum peſtes, ab utroque hoc Ordine Mendicantium, impleturo mox Provincias, Urbes, Agros, terram univerſam, in Eccleſiam omnem ac Rempublicam effuſæ ſint, hoc ipſo jam Seculo, & deinceps. Omnium inſtar audiendi teſtes, Petrus de Vineis Cancellarius Friderici II. in *Epiſtolis*, Baſileæ, Ambergæ, & aliàs typis vulgatis; Matthæus Pariſius, cumprimis ad Annos MCCXXXV. MCCXLIII. Doctores Pariſienſes in Libro antè laudato, *de Periculis Noviſſimorum Temporum*; Aventinus, *in Proœmio Lib.* **Mala quæ ex his Ordin. orta.**

Digitized by Google

v. & ſi qui alii graviſſimi Scriptores, etiam hoc Ævo; quos & vide ſuprà, ubi de Teſtibus Veritatis.

Æmulat. inter Franciſc. & Dominic.

In ſpecie exarſit mox æmulatio inter Ordinem utrumque, *Dominici* & *Franciſci*, in acerbiſſima odia, qualiter olim inter Templarios & Hoſpitalarios. Multis iſta Matthæus Pariſienſis. Acceſſêre nota inter utroſque diſſidia, in doctrinâ, v. gr. de Libero Arbitrio, de Gratiæ neceſſitate & efficaciâ, de Immaculatâ Conceptione à *Franciſcanis* aſſertâ, à *Dominicanis* impugnatâ. Cumprimis *Scholam Pariſienſem* turbis miſcuêre hi Mendicantes, medio Seculo, violatis per hos Academiæ juribus, Cathedris invaſis, & *Euangeliô Æterno*, aliiſque portentoſis, contrà Doctores Pariſinos diſſeminatis, de quibus antè dictum, *Cap.* v. Hinc etiam tot querelæ *Ordinariorum*, dùm Juriſdictioni ſe Epiſcopali hi Monachi ſubtraherent, cui eos ſubjecerat ſcriptâ Bullâ Innocentius IV. ſed iterùm ſubtraxit Alexander IV. Bullis oppoſitis. Quâ de re Francorum & Pariſini Annales, ad tempora Ludovici IX. & Bullarium Pontificum. Mittimus Ordines alios hoc Seculo natos, vel quas vocarunt *Congregationes*, de quibus conſule omnium inſtar Hoſpinianum.

XI. *Concilia hoc Seculo magis celebrata. Cauſæ præcipuæ ob quas habita. Oecumenica quæ perperam Latinis dicta.*

Concil. Nation. Prov.

I. Vix hujus inſtituti eſt retexere hiſtoriam Conciliorum, tàm *Nationalium*, Galliæ cumprimis, Angliæ, Hiſpaniæ, quàm *Provincialium* per Gallias, Britannias, Germanias, Hiſpanias, & Provincias Italicas. Fusè illa in Conciliorum Tomis, & quidem Editionis nuperæ *Tomo* XI. *Parte* I. implente & his compilationibus *Tomos* ſuos XX. XXI. Natali Alexandro, Monacho Gallo; ut Johannem Cabaſſutium in Notitiâ Conciliorum Seculi XIII. Lugduni editâ A. MDCLXXX. & id genus Abbreviatores, taceam.

Cauſæ præcip. in iis agitatæ.

Cauſæ præcipuæ in iis Synodis agitatæ, jam ex ſuperioribus intelliguntur. Plurimæ enim Synodi habitæ in cauſâ *Albigenſium*, iis ſcilicet extirpandis; pleræque in Galliâ Narbonenſi, & pago Toloſano, præter Synodum Lateranenſem IV. quæ ipſis *Generalis* eſt, ſub Innocentio III. Talis Synodus ad *Montilium* Caſtrum celebrata, Anno MCCIX. quod *Montilium Ademari*, hodieque corruptè *Montelimar* civitas Delphinatum, præſente Legato Pontificio. In quâ Raymundus Comes comparere juſſus, hæreſim ejurare, reſtituere poſſeſſa Romanæ Sedi, jurare huic obedientiam, tandem acceptis *verberibus*, ſtolâ in ejus collum injectâ, abſolvendus. Secuta in tractu Narbonenſis Galliæ, ut *Avenione*, *Apamiæ*, in *Vauri* caſtro, *Narbonæ*, *Toloſæ*, apud *Montempeſſulanum*, &c. frequentia pro extirpandis Albigenſibus Concilia, commodantibus operam Galliæ & Aragonum Regibus, Præſidibus Legatis Pontificis. Quomodò in Concilio apud *Vaurum* Ann. MCCXIII. propè Toloſam, adacti fuêre ad juramentum in manus Narbonenſium Archiep. præſtandum, Raymundus Comes Toloſ. Pater & Filius, Foxenſis & Convenarum Comites, Vice-Comes Bearnenſis, qui *Hæreticorum* fautores audiebant, ad edendam talem *profeſſionem* qualis viſa Pontifici Innocentio; quo facto reſtitutæ ipſis Terræ & hæreditates; ut etiam ex Innocentii Epiſtolis conſtat, *Lib.* XV. *Ep.* CCX. CCXI. Et ſic in Synodis aliis, acta omnia ex nutu Rom. Pontificis, donec tandem, *Inquiſitionis* ſævo Tribunali ſtabilito, permitterentur Albigenſium reliquiæ, ſub nomine *Hæreticæ Pravitatis*, horrendæ carnificinæ, ut ſupra *Cap.* IV.

Aliæ Synodi habitæ, v. gr. in diffamatas *Hæreſes* alias, de quibus dictum eſt Capite IX. Vel pro ſumendâ adversùs Infideles *Cruce*, ſuprà *Lemm.* II. ut Sacræ Militiæ obtentu, pecuniæ emungerentur, opprimerentur boni. Aliæ contrà *Papales* exactiones, uſurpationes, collationes Beneficiorum, invaſiones *Juris Regii*, in Angliâ cumprimis, & Galliâ, ut ex ſuperioribus abundè intelligitur, inprimis *Capite* VII. Aliæ in cauſis auſiſque Pontificum contrà *Imperatores*, *Regeſque*, & *Regna*, ut Siciliæ, Angliæ, Galliæ, Aragoniæ, &c. ex præcedente conſimiliter Hiſtoriâ, Lemmate VI. VII. Aliæ etiam in cauſis *Monachalibus*, poſt novos Ordines exortos, & lites indè natas, de quibus Capite præcedenti. Plurimæ etiam in cauſâ *Juriſdictionis* Clericalis, atque Eccleſiaſticæ *Diſciplinæ*, in dies magis collapſuræ, indulgentiâ Principum, Simoniæ vitio, libidine & ambitione Præſulum, luxu & ignaviâ Clericorum, Monachorum inertiâ, arrogantiâ, ſubtrahentium ſe juriſdictioni *Epiſcoporum*, & immemorum Regulæ ſeu Inſtituti. De quibus omnibus videndi ipſi *Canones* plerarumque Synodorum, obvii locis modò citatis.

II. Satis hîc fuerit memoràſſe Concilia tria, quæ Roma Pontificia in *Oecumenicis* habet hodieque.

Concil. Later. IV. vulgò Gener. III.

1. In his primum eſt *Lateranenſe* IV. ſub Innocentio III. A. MCCXV. ipſis Oecumenicum *Duodecimum*, Romæ in Lateranenſi Baſilicâ celebratum, ex CCCCXII. *Epiſcopis*, ut ferunt, præter *Patriarchas* Orientis Conſtantinopolit. & Hieroſolymit. ſed (quod tacent) hos Latinæ factionis, tùm & *Archiepiſcopos* LXXI. præſidente ipſo *Innocentio*. Prolixè de circumſtantiis hujus Synodi ſcribit Conradus Urſpergenſis Abbas, ad A. MCCXV. *Cauſa* in ſpeciem præcipua fuit, *ſubſidium Terræ* S. & *Liberatio Hieroſolymæ* à jugo Saracenorum, blaſphemè ſibi à Pontifice applicatis quæ de ſe Chriſtus *Luc.* XXII. 15. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*, id eſt, *moriar*, quem textum in Concilio pro argumento ſumpſit. Veræ cauſæ: Ut hoc prætextu immenſam pecuniæ vim colligeret, ut ſuprà eſt obſervatum; arma non tam in Saracenos quàm in Albigenſes pararet; Angliæ dominium ſibi vendicaret, miſſis Romam à Rege Johanne Legatis, qui Pontificis opem implorarent, contrà Proceres Regni; Tranſſubſtantiationem, Confeſſionem Auricularem, aliaque (ut ſuprà) in Fidei Articulos converteret; ac Papalem omnipotentiam firmaret, ex *Capitulo* III. IV. V. reliquiſque, item ex Matthæo Pariſio, Matth. Weſtmonaſterienſi, Conr. Urſpergenſi, id genus aliis, atque ex ipſo rerum eventu. Nequicquam verò hoc Concilium pro *Oecumenico* habitum: Quippe nec ab Imperatore indictum, ut Concilia Oecumenica conſueverant; nec præſentibus in eo Græcis & Orientalibus, qui ſcil. diſſentirent à Romanâ Eccleſiâ; nec libertate ſuffragiorum in eo relictâ, omnibus ad nutum Innocentii deciſis, de cujus ingenio, plura diximus hoc Sec. *Cap.* I. V. VI. quæ vide. Romæ autem in Bibliothecâ Vaticanâ, ubi Picturæ Conciliorum General. ſubſcriptum eſt huic Concilio Lateranenſi: *Innocentio* III. *Pontifice*, *Friderico* II. *Imperat.* *Abbatis Joachimi errores* (Ordinis Ciſtertienſis Monachi, de quo in Teſtibus Verit. Flacius, Mornæus ad Secul. XII.) *damnantur*; *Bellum ſacrum de recuperandâ Hieroſolyma* (mox converſum in Albigenſes, & in Fridericum II. Imperat. neglectâ ferè à Pontificibus Hieroſolymâ) *decernitur*, *Cruce-ſignati inſtituuntur*. Et ad latera hujus Concilii, duæ picturæ aliæ cernuntur: Altera *Franciſci* Minoritarum Patriarchæ; *Innocentio* III. *Pontifice*, *per quietem* (in ſomnio) *S. Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem ſuſtinere viſus eſt*: Ad latus alterum, illa *Dominici* à quo furor in Albigenſes accenſus; *S. Dominico ſuadente, contrà Albigenſes Hæ-*

Digitized by Google

Hæreticos, *Simon Comes Montiſortenſ. pugnam ſuſcepit, egregieque confecit.*

Porrò *Canones* hujus Concilii, ſeu *Capitula* numero LXX. (quorum priores ad Fidem *Cathol.* oppoſitam ſic dictis *Hæreſibus* Joachimi Abbatis, Albigenſium, &c. reliqui ad Regimen Eccleſiæ ſub uno ſummo *Pontifice*, ad Diſciplinam Clericalem, Ritus, Ceremonias, ordinandas ex more & præſcripto *Rom.* tum Eccleſiæ) non modò Matth. Pariſius negavit emanâſſe ab ipſo Concilio, præviâ deliberatione, vel approbatione Patrum, ſed unius *Pontificis* opus fuiſſe; verum in eandem ſententiam ſcripsêre Godefridus Monachus, Platina, Nauclerus, & in recentioribus Pontificiis, Antonius de Dominis, Ludovicus Servinus, Guil. Barclajus, & Galli cordatiores. Nec XX. *dierum* ſpatium, quo duravit Synodus ad ſummum, à Feſto *Martini* ad Feſtum *Andreæ*, ſuffecit tot tantiſque ritè perpendendis, ac decernendis. Undè nec pro Concilio Oecumenico habent *Galli* Libertatis Eccleſiaſticæ vindices. Scopus ubique apparet, qui fuit extollere Romanam Sedem, ut quæ *ſuprà omnes alias ordinariæ poteſtatis obtineret Principatum*, *utpote Mater univerſorum & Magiſtra*; Ità quidem, ut quatuor Sedes Orientis, *Conſtantinop. Alexandr. Antiochena*, *Hieroſolymit. à Romano Pontifice accipere deberent Pallium*, *quod eſt plenitudinis Pontificalis inſigne*, *præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ juramento*; *ſalvis etiam appellationibus ad Sedem Apoſtolicam*; ut eſt in Canone V. Concilii hujus Lateran. Sic proviſum his Canonibus fuit, ut *cauſæ* quæcunque Eccleſiaſticæ, ultimò deferrentur ad Romanum Pontif. qui prius *conſuleretur* in omnibus: Nec omiſit quicquam his *Canonibus* LXX. Innocentius, quo Papæ Monarchiam in univerſalem Eccleſiam, & in quaſcunque Diœceſes, cum pleno jure ſtatuendi, diſpenſandi, abſolvendi, etiam decimas exigendi, conferendi Beneficia, &c. ſtabiliret; quemadmodum *Immunitatibus Eccleſiaſticis*, & independentiæ à ſeculari poteſtate, egregiè providit. Quod Geſta omnia hujus Pontificis, & Epiſtolæ luculenter confirmant.

Lugdunenſe I. ſub Innoc. IV.

2. Alterum fuit *Lugdunenſe* I. Innocentio IV. Pontifice, Anno MCCXLV. quod Oecumenicum vulgò *tertium decimum*; quamvis reclamante Imperatore Friderico, abſentibus *Germanis*, *Anglis* plurimis ut Matth. Pariſius, etiam *Hungaris*, vel è *Terrâ Sanctâ* delegatis; item abſentibus *Græcis* non Latinizatis, atque adeò *Eccleſiâ Orientali*, ut diſertè Matthæus Paris, & Weſtmonaſterienſis ad A. MCCXLV. & in recentioribus Spondanus ad A. eundem, *Num.* X. Præterquàm quod indictum *mandato* & auctoritate unius Pontificis, ut patet ex literis Innocentii ad Reges, Patriarchas, Archiepiſcopos, convocatoriis ad Synodum; deindè ejus unius *nutu*, qui præſens adſuit, directum, terminatumque, ut eventus docuit. Adfuit autem *Balduinus* Imperator Latinus, de ſuo ferè ſtatu dejectus, ut vix Imperatoris nomen ac majeſtatem obtineret, imploraturus opem Occidentalium, qui ad Concilium conventuri erant, & *dextrum* latus, *medio* in eminentiore ſolio Pontifice, dùm *ſiniſtrum* alii Principes Laici, occupavit. Quos verò in eo *Patriarchas Orientis* præſentes memorant, fuêre illi Latinæ factionis, Papæ obſequentes, ut fuêre tum *Conſtantinopolitanus*, & *Antiochenus*. *Cauſas* indicendi hujus Concilii *quinque* obtendit Pontifex, Oratione habitâ in ipſo Conſeſſu, ut totidem Eccleſiæ calamitates, pro numero *quinque vulnerum* Chriſti Crucifixi, exclamans, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus!* Nempè prima fuit, *Tatarorum* irruptio in terras Chriſtianorum, Poloniam, Raſciam, Hungariam, Tranſſylvaniam, viciniaſque regiones: Secunda, Schiſma *Eccleſiæ Græcæ*, ac metus ne Imperium Conſtantinopolit. quod penes Latinos fuerat ab An. MCCIV. ſub Græcorum Dominatum relaberetur: Tertia, *Hæreſes* pullulantes, Waldenſium, Albigenſium, Gibelinorum, qui Friderici Imperat. partibus adhærerent: Quarta, clades *Hieroſolymitana*, à Saracenis Choraſmiis vel Choraſminis (invitatis à Sultano Ægypti, poſtquàm ſedibus ſuis pulſi eſſent à Tataris, ſitis ad Orient. Maris Caſpii) recens illata, violato ſcil. ſepulchro Dominico, & Chriſtianis innumeris, tam intrà quam extrà Hieroſolymam, crudeliter cæſis, A. MCCXLV. Quinta denique, cauſa *Friderici* II. Imperatoris, anathemate obſtricti, ob varia quæ obtendebat hic Pontifex, exemplo Gregorii IX. anteceſſoris, crimina in Pontificem, in Eccleſiam, & quod à pactis conventis receſſiſſet.

Hiſtor. depoſitionis Friderici in hoc Concilio.

Atque hæc vera & potiſſima cauſa indicendi Concilii, odium in Fridericum, diris devovendum, poſt citationem præviam, ſtatim *Seſſione* II. hinc ſententia pridem concepta, jam verò ſolenniter in eum ferenda ab Innocentio, *proprio* magis quàm *Concilii* nomine; quæ incepit: *Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione Divinæ Majeſtatis aſſumpti*, &c. inſerendâ *Sexto* Decretalium, *Tit.* de Sententiâ & Re Judicatâ. In hac *quatuor* potiſſimum criminum reus pronunciatur Fridericus; 1. *Perjurii* multiplicis, & violatæ pacis inter Eccleſiam & Imperium quondam ſancitæ. 2. Vehementis injectæ ſuſpicionis de *Hæreticâ pravitate*, ex contemptu Cenſurarum Eccleſiaſticarum, & ex inito cum Saracenis in Palæſtinâ fœdere. 3. *Sacrilegii* admiſſi in violentâ detentione *Cardinalium*, & aliorum *Antiſtitum*, qui ad Concilium à Gregorio IX. indictum proficiſcebantur; *etiam quod Clericos* ad ſecularia Tribunalia rapi permiſiſſet. 4. Læſæ *Pontificiæ Majeſtatis*, dùm famoſas in Gregorium Pontificem Literas ſcripſiſſet, Principes ac Populos contrà ipſum commoviſſet, Urbes & Caſtra quæ ad Patrimonium Petri pertinerent, in Thuſciæ & Lombardiæ partibus, in Marchiâ Anconitanâ, Ducatu Spoletano, invaſiſſet; & Vaſallos Romanæ Eccl. *Siculos* variis modis oppreſſiſſet. Et ſic Imperator Romanus, dùm læſæ Majeſtatis crimine obſtringitur, *ridiculè Legi ſubjicitur*, *qui Legibus omnibus Imperialiter eſt ſolutus*, *& temporalem Hominem ſuperiorem non habeat*, ut ipſe Fridericus in *Epiſt.* ad Regem Angl. apud Matth. Paris. Quæ accuſationum capita Orator ſeu Procurator Friderici, *Thaddæus de Sueſſâ*, ſigillatim diluere conatus eſt, in ſpecie *perjurii* crimen, oblatis etiam in futurum fidejuſſoribus, Regibus Francorum Anglorumque, Ludovico IX. & Henrico III. ut Matthæus Paris in Hiſt. hujus Concilii. Cauſa erat alia, ob recuſatos hos fidejuſſores, quod ſic, fallente fidem Friderico, Eccleſia *tres* habitura eſſet hoſtes. Pontifex pronunciavit ſententiam, *ſacro præſente Concilio*, non dixit, approbante: *Memoratum Principem ſe Imperio & Regnis omnique honore & dignitate indignum reddidiſſe*; *à Deo ne regnaret, vel imperaret, eſſe abjectum*; *ligatum peccatis*, *omnique honore & dignitate privatum*; quemadmodum *eum ſententiando privaret* Pontifex; *Omnes qui ei juramento Fidelitatis tenerentur adſtricti*, *à juramento perpetuò abſolvens*; *Auctoritate Apoſtolicâ firmiter inhibendo*, *ne quis de cætero ſibi tanquam Imperatori, vel Regi, pareret*; *factâ poteſtate*, *iis ad quos in Imperio ſpectaret electio*, *eligendi liberè ſucceſſorem*; *De Siciliæ Regno*, ut quod ad Romanam Eccleſiam pertineret, *proviſuro Pontifice.* Ità novo nec audito antè exemplo, ſententiâ Pontificis, (ad *quem non pertinuit Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere, ſed electum à Principibus coronare*, ut Albertus Stadenſis in *Chron.*) non fuit *excommunicatus* tantum Fridericus, ſed omni *temporali* honore ac dignitate exutus eſt. Appellationem ſanè interponente Thaddæo, Procuratore Friderici, ad *Concilium proximè futurum generalius*,

nec enim omnes Prælatos, vel eorum Principum Procuratores, apparere iſtic impræſentiarum, ita Matthæus Paris, p. m. 901. Quam depoſitionem invicti Friderici, ſecutæ ſunt graves in Rempubl. Chriſtianam calamitates, nequicquam prævidente Innocentio, quæ ex Epiſtolis Petri de Vineis, ex Matthæo Pariſio, & aliis pluribus conſtant. Opponendus mox Friderico à factioſis *Henricus* Thuringiæ & Haſſiæ Landgravius, qui victus horum precibus Imperium accepit; proteſtato Friderico; quod *adhuc Coronam ſuam non perdidiſſet, vel Papali impugnatione, vel Synodali Concilio, nec ſine cruento perderet certamine.* Et Thaddæus Procurator, recedens à Concilio, erupit in voces; *Dies iſte dies iræ, calamitatis, & miſeriæ!* Ac Trithemius Abbas in Chronico Monaſterii Hirſaugienſis, ad A. MCCXLIV. *Intraſſe poſt depoſitionem ſui in Italiam* Fridericum, *& tantis malis afflixiſſe Papam, & ſubjectos illi populos, ut Pontificem vivere taderet; voluiſſetque* DEPOSITIONEM ILLIVS SE NVNQVAM COGITAVISSE. Reges tamen Franciæ & Angliæ, teſte Pariſio, poſt latam ſententiam ſiluerunt, diſſimulatione uſi, præterquàm quod Rex Ludovicus, ad Literas Friderici, quas exhibet Carolus du Freſne *Obſerv.* Gallicis in Vitam S. Ludovici, p. 56. 57. Pontificem adierit Lugduni, ejuſdem mitigaturus animum, & inducturus ad *acceptandam tanti Principis humiliationem*; ſed fruſtrà, obfirmato adverſus Fridericum Pontificis animo, ut diſertè Matthæus Paris ad Ann. MCCXLVI. *Vacavitque*, poſt hanc depoſitionem Friderici, Romanum Imperium *per annos* XXVIII. *uſque ad Rudolphum Habſpurgicum, quamvis tres ſucceſſivè* (imò plures, Henricus Thuringiæ, Guilielmus Hollandiæ Comes, Richardus Comes Cornubiæ, Alfonſus X. Rex Caſtiliæ, præter *Conradum* IV. Friderici filium) *per Principes fuerint electi*; Rudolphus verò Habſpurgicus Imperium obtinuit Anno MCCLXXIII. Fridericus diem obiit in Apuliâ, A. MCCL. ſexennio poſtquàm ab Innocentio exauctoratus fuerat: Conradus filius veneno ſublatus A. MCCLIV. Conradinus nepos ultimus Suevicæ ſtirpis, ex familiâ Friderici Barbaroſſæ, carnificis gladio interemptus, faciente Carolo Andegavenſium Duce, ſuaſu Clementis IV. A. MCCLXVIII.

Alia in Concil. decreta. Tùm in eadem Synodo, *ſubſidium* Balduino II. Imperatori decretum, contrà Joh. Vatatzem vel Vatacium Græcum Imper. generum Theodori Laſcaris. Modus ſubventionis, ex *communi Concilii approbatione* decretus fuit, ex Capitulo XIV. *Ut medietas omnium proventuum, tam Dignitatum & Perſonatuum, quàm Præbendarum Eccleſiaſtic. in quibus per* VI. *menſes ad minùs Beneficiarii non reſident, in ſubſidium Imperii Conſtantinopol. conferrentur.* A quo tamen onere abſolvuntur *Clerici Rom. Pontificis, D. D. Cardinalium, & qui ſuorum Prælatorum obſequiis eſſent deputati.* Decretæ etiam, dicis causâ, proviſiones contrà *Tatarorum incurſus*, Capit. XVI. Item decretæ Expeditiones *Cruciatæ in Terram Sanctam*, & ut illi qui Signum Crucis depoſuerant, reſumere cogerentur ſub pœnâ Excommunicationis, *Capit.* XVII. Eaque omnia *Seſſionibus* III. terminanda, poſtquàm *Seſſione* II. negotium, quod intenderat in Imperat. Fridericum, terminaſſet.

Ruber Galerus Cardinal. datus. *Rubrum Galerum* vel *Pileum Purpureum*, occaſione hujus Concilii, Cardinalibus fuiſſe datum, ab Innocentio IV. habent Onuphrius, Ciaconius, Bzovius, alii, tacent Acta Concilii. Factum tamen eo tempore ab hoc Innocentio eſt, augendæ Dignitati Cardinalium, ſed obtentu alio, *ut capita ſua, pro Eccleſiæ libertate tuendâ, offerre etiam ad mortem debere*, meminiſſent, quo tempore ſcil. in Fridericum dira moliebatur Pontifex. *Electores* VII. Germanici Imperii, ſeu ab eodem Innocentio, ſeu ab hâc Synodo Lugdunenſi, fuiſſe primùm conſtitutos, pro jure Pontificio, vaniſſimum Baronii commentum eſt. Sanè tempore Friderici II. ad *Septemviros* jus Electionis reſtrictum fuiſſe, *Innocentio* fruſtrà molito mutationem in his Electoribus, ex Alberto Stadenſi, ex Onuphrio ipſo, & aliis conſtat. Quâ de re poſteà. Romæ autem in Biblioth. Vaticanâ extat Picturâ hujus Concilii, cum ſubſcriptione, *Innocentio* IV. *Pontifice Max. Fridericus* II. *hoſtis Eccleſiæ* (Papalis Tyrannidis) *declaratur, Imperioque privatur*, ſententiâ à Pontifice in Synodo latâ: *De Terra S. recuperatione conſtituitur*; mox convertendâ Cruce, decreto Innocentii IV. in Conradum Imperat. *Hieroſolymitanæ Expeditionis Dux Ludovicus*, ſcil. IX. (Gallorum Rex, reliquis Europæis aliò intentis, factione Paparum) *deſignatur Galero rubro, & Purpurâ Cardinales donantur*, augendo faſtui, & dignitati Pontificiæ. Electores Germ. an tum inſtituti?

Concil. Lugdun. II. ſub Greg. X. 3. Tertium fuit *Lugdunenſe* II. Gregorio X. Pontifice, An. MCCLXXIV. quod eſt illis Oecumenicum *decimum quartum*. Præſente rursùs Pontifice, & Jacobo Arragonum Rege, & D. circiter Epiſcopis; ſed & præſentibus Legatis *Michaëlis* Imperatoris, quem ipſum interfuiſſe falsò Platina, Blondus, Sigonius, Nauclerus, Trithemius in Chronico Hirſaug. aliique ſcripſerunt. Vignerius ad A. MCCLXXIV. *Imperator Conſtantinop. veritus ne in Concilio aliquid decerneretur, pro recuperando Imperio Conſtantinopolit. ſignificavit ſe ipſum in perſonâ propriâ adfuturum, procurandæ Unioni utriuſque Eccleſiæ. Undè & Concilio ſe ſiſtit, cum magnâ Prælatorum & Epiſcoporum turbâ.* Sed reclamat utraque Hiſtoria, Byzantina & Latinorum illa, tùm Legati ab Imperatore ad Concilium miſſi, Literæ ſcriptæ poſt Concilium ad Mich. Palæologum & Andronicum ejus Filium, & mixta diſſidiis Eccleſia Conſtantinopolit. ac ſtatus rerum domeſticarum, quæ præſentiam Michaëlis in Oriente flagitabant. Interfuit ac ferè præfuit, ſub Pontifice, qui dirigendi Concilii curam ei demandavit, ſuperſtitioſiſſimus Monachus *Bonaventura*, in Epiſcopum Albanenſem Cardinalem in ipſo Concilio evectus; *Thomâ Aquinate* in itinere ad Synodum fatis conceſſuro, in Monaſterio Foſſæ Novæ, non procul à *Tarracinâ* Latii oppido, anno ætatis L.

Cauſæ convocation. *Cauſa* convocati Concilii triplex fuit, 1. Eccleſiæ *Græcæ* reductio (ſic illi) ad Communionem *Romanæ* Eccleſiæ, à quâ diſceſſiſſe primùm Græcos, à Photii, aut Michaëlis Cerularii temporibus, gratis ſupponunt. *Occaſionem* præbuit Michaël Palæologus, pridem captans gratiam Pontificum, & addicens obſequium, firmando ſibi Imperio, quod perfidè invaſerat; atque avertendis armis Caroli Siculi, infeſtam Claſſem præparantis, apud Pachymerem, *Hiſt.* L. V. C. X. XI. ut mittam alios. Hinc plures Michaëlis literæ ad Gregorium X. & Gregorii ad Michaëlem, apud Odoric. Raynaldum, & T. XI. Conciliorum. 2. *Subſidia* nova quæ poſcebant Orientales, poſt infelices Expeditiones Ludovici IX. & Eduardi Anglorum Principis; ipſo Gregorio, antè Archidiacono Leodienſi, recens ex Oriente reverſo: undè fuit ad Papatum vocatus, poſt interregnum *duorum* annorum & X. menſium. 3. *Diſciplina* Clericalis, morumque in ſpeciem, correctio & reformatio. Princeps tamen cauſa in Synodo tranſacta fuit illa reductionis Græcorum, ad unionem Eccleſiæ Romanæ; Oratore Michaëlis præcipuo *Georgio Acropolitâ* Magno Logothetâ, quamvis *Joh. Veccum* Patriarcham Conſtantinop. addant alii, ſed malè, contrà Pachymerem. Plures fuerant Legati, ſed reliqui naufragio abſorpti; adjunctis quidem nonnullis è Clero Græculis, qui aut minis ceſſerant, aut blanditiis ejuſdem Michaëlis, *Theophane* ſcilicet Nicæno, & *Germano* antè Patriarchâ: Atque ità ſubſcripſerunt proditores cauſæ Orientalium, & auctores novi Schiſmatis, fœdâ adulatione,

Digitized by Google

ne, tùm τῷ πρωτείῳ *Primatui* Papæ, & τῷ ἐκκλήτῳ ſeu juri *Appellationum*, cæteriſque prærogativis *Romanæ Eccleſiæ*, juratâ huic obedientiâ; tùm & ſubſcripsêre iidem, dogmati de Proceſſione Spiritûs S. *ex Patre Filioque*, ejurato ità *Schiſmate* Græcorum. Et quidem *Sacramentum* nomine *Imperat. Græci* in hanc formam concepiſſe dicitur Georgius Acropolita, in Actis Concilii, T. XI. *col.* 967. *Ego Georgius Acropolita, & Magnus Logotheta, Nuncius Domini Imperat. Græcorum, Michaëlis*, &c. *habens ab eodem ſufficiens ad infrà ſcripta mandatum, omne Schiſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam fidei unitatem, prout plenè lecta, & ſufficienter expoſita, in nomine dicti Domini mei, veram, Sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem, eſſe cognoſco*, &c. *Primatum quoque ipſius S. S. Rom. Eccleſiæ, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam, nomine ipſius & meo, pro ipſo & pro me, recognoſco*, &c. Sed oppoſuiſſe ſe huic legationi & facto Michaëlis Græcos, unanimi conſenſione, ſi Veccum & paucos excipias, viſum ſuprà *Cap.* VIII.

Infelicem verò hujus proditionis in *Oriente* ſucceſſum, & ſecutas turbas, antè notavimus, Lemmate VIII. hujus Sec. ad quod Lectorem ablegamus.

Alia in hoc Conc. ſtatuta. Ad hanc quoque Synodum refertur Conſtitutio, de *electione* Pontificis à ſolis *Cardinalibus* faciendâ, X. die à morte Pontificis, quibus abſentes Cardinales expectare teneantur; deque electionis, totiuſque *Conclavis*, ratione, intercluſo omni ad Cardinales aditu, & facultate cum eis in ſecreto loquendi, cibo per feneſtram ſubminiſtrato, ut pluribus habetur in *Capitulo* II. Quâ de re jam actum fuerat ſub Alexandro III. in Concilio Lateranenſi *tertio*. Sed parum obſervandâ Conſtitutione, tum ratione *temporis* intrà quod eligendus dicitur Pontifex, tùm ratione *pœnæ*, quâ Cardinalibus, in caſu proviſionis non factæ, decernitur tantummodò *panis*, *vinum*, *& aqua*. Nam paulo poſt, v. gr. mortuo Nicolao IV. vacavit Sedes *annos* duos, & *menſes* aliquot, antè electionem Cœleſtini V. Adde Decretum contrà Jura *Regaliæ*, *Cuſtodiæ*, *Guardiæ*, & *Advocationis*, *aut Defenſionis titulos*, *in Eccleſiis aut Monaſteriis*, Regibus ac Principibus competentia, *quantæcunque Dignitatis honore præfulgeant*, *Cap.* XII. Id eſt, contrà Jus *Regium*, utendi fruendi reditibus, ac bonis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum *vacantium*, & *conferendi* eadem Beneficia, donec novus Beneficiarius Juramentum Fidelitatis Regi præſtiterit: Sive jam Beneficium vacet morte, aut tranſlatione, aut depoſitione, illius qui antè poſſidebat. Et quidem latâ *Excommunicationis* ſententiâ, ipſo facto, in ſecùs facientes. Quamvis Galli recentiores negent eo Canone Regi Chriſtianiſſ. quicquam eſſe detractum, & prolixè Natalis Alexander, T. XXII. Diſſert. VIII. *Artic.* V. quo ſcil. Regibus Galliarum aſſertus eſt *uſusfructus* redituum Eccleſiæ vacantis; & *collatio* Beneficiorum. Obſervandum etiam Regem Aragonum Jacobum II. è Concilio diſceſſiſſe mox à *Seſſione* II. indignatum annuum tributum ſibi, tanquam Vectigali Regi, totique Regno imponi, apud Surium, Marianam, & alios.

Pictura mendax hujus Conc. Cæterum & hujus Concilii pictura, in Vaticano expoſita, hanc ſubſcriptionem habet: *Gregorio X. Pontifice, Græci ad S. Romanæ Eccleſiæ unionem redeunt.* Nempè Michaële Imp. cum ſuis (in rem ſuam) prodente cauſam Græcorum, reclamaturo mox Oriente toto; ut etiam Michaëlem *ſepulturâ* ne cohoneſtaverint quidem, teſte Pachymere *Lib.* XII. *In hoc Concilio S. Bonaventura egregia virtutum officia*, (ſuperſtitionis, & Tyrannidis Papalis in Concilio fautor inſignis) *Eccleſiæ Dei præſtitit: Tatarorum Rex ab E. Hieronymo Ordinis Minoritarum, ad Concil. perducitur*, nempè ſic dicti Legati vel Nuncii Tatarorum à Monachis producti: *Rex Tatarorum ſolemniter baptizatur*; inſigni mendacio, qui nullus in Concilio fuit, ſed unus ex ſic dictis nunciis Tatarorum dicitur cum duobus Sociis baptiſmo tinctus, abſente Papâ, in *Actis* Concilii. Cæterum *Canones* in hac Synodo decreti vulgò XXX. quamvis Gregorius ipſe in Præfat. dicat, *Conſtitutiones has in Concilio Lugd. & poſt, duxiſſe promulgandas.* Ac pari tandem jure hoc Concilium ſtatuitur *Oecumenicum*, quo priora Paparum auctoritate indicta. Nam nullæ in convocando partes fuêre *Imperatori*, ſive Orientis Michaëli, ſive Occidentis Rudolpho Habſpurgico, benè hi ad Concilium invitati. Nulla etiam in eâ Synodo apparuit Eccleſia proprie dicta *Orientalis*, nam Patriarchæ qui dicuntur adſuiſſe, fuêre toti Latinæ factionis, & ipſius Michaëlis Palæologi Legati: Reclamante totâ Græciâ, toto Oriente, ut hic à Latinis diffidebat, inprimis adversùs *Can.* I. de Proceſſione Spiritûs S. *à Patre & Filio*; tum & agnitam *dependentiam* Sedis Conſtantinopolit. à Romanâ, ut *matre*, *capite*, hinc jura *Appellationum*. Deinde nulla in eâ Synodo libertas *ſuffragiorum*, fortè *ſex Seſſionibus* terminandâ, & quidem omnibus in anteceſſum ad nutum ſolius Pontificis, & Cardinalium, conſtitutis. Sed de causâ Orientalium diximus hoc Sec. *Lemmate* VIII. *An Oecumen. dicendum?*

XII. *Secunda Scholaſticorum Ætas, præcipuè ab Alberto Magno, & Thomâ Aquinate.*

I. Primam Scholaſticæ Theologiæ Ætatem adſcripſimus, omnium ferè conſenſione, Seculo XII. maximè à Petro Lombardo Theologicæ Scholæ in Urbe Pariſiorum præſide, qui hinc Magiſter *Scholaſticus*, & quotquot eum exceperunt. Idemque dictus *Magiſter Sententiarum*, collectarum ex vetuſtioribus Patribus, præcipuè Auguſtino, per Theologiam univerſam, qualis tùm tradebatur, *Libris* IV. ad imitationem Joh. Damaſceni, in Græcis, & Hugonis de S. Victore, qui paulò antè *Summam Sententiarum* conſcripſerat. Qua de re prolixè ſuprà ad Secul. XII. Lemmate X. *Qui dicti Sententiarii.*

II. Aſt verò hoc Seculo XIII. indè ab *Alberto* Magno, id eſt, ab A. circiter MCCXX. hinc *Alexandro Halenſi* Ordinis Minorum, ſub Innocentio IV. tùm utriuſque diſcipulo *Thomâ Aquinate*, nata eſt media quædam Scholaſticorum Ætas, qui aliàs *Summiſtæ* nuncupantur, & *Quæſtionarii*. Diſcrimen à priore fuit, quòd hi *Ariſtotelis* Metaphyſicam, qualem tùm intellexerunt, omnemque ejus Philoſophiam, ab Alberto M. aliquot *Voluminibus* traditam, habuêre jam pro principio demonſtrationum Theologicarum. Adeò ut hujus Philoſophiæ effata & axiomata, Patrum dictis, imò Scripturæ S. enunciatis, longè præhabuerint. Fatetur ipſe Sixtus Senenſis, *Lib.* III. hoc Theologiæ genus, ex *Philoſophiâ* præſertim *Peripateticâ* conflatum, planè *novum* fuiſſe, ac *recens*. Atque ità Traditiones Romanæ Eccleſiæ, erroreſque tùm recepti, ex. gr. de Angelis, de cultu Creaturarum, de Meritis Operum, de Lib. Arbitrio, de Tranſſubſtantiatione, Sacrificio Miſſatico, Concomitantiâ, Igne Purgatorio, novis Sacramentis, Sanctorum Beatitudine, Speculo Trinitatis, &c. apodicticè adſtruendi fuerunt, auctoritate *Ariſtotelis*, & rationibus ex Philoſophiâ depromptis. Undè *Commentariorum* in Ariſtotelem plauſtra, ejuſque in Scholis Philoſophia fuit in arce collocanda. Sed & *Quæſtionum Metaphyſicalium* de Univerſalibus, de Entitate, de Eſſentiâ, de Ideis, Formis, de Intellectu, de Relationibus Divinis, de Subſtantiis ſeparatis, de Principio individuationis, aliis id genus, horrida ſenticeta. Ne dicam *Phyſicam* omnem, de Principiis re- *Summiſtæ. Quæſtionarii.*

rerum Naturalium, de Materiâ, Formâ, Animâ, Motu, Mundo, Cœlo, Elementis, Meteoris, Generatione, &c. obſcuratam fœdatamque. A quo tempore & Scripturarum ſumma ignorantia irrepſit, & Hiſtoriarum neglectus, ſed & Linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, omniſque doctrinæ politioris.

Albertus M. Thom. Aquinas. III. Primas autem ſibi vendicat, quem diximus, *Albertus* Suevus, ex Dynaſtis Bolſtatenſibus oriundus, cognomento etiam dùm viveret *Magnus*, Ordinis Prædicatorum, ex Colonienſi Magiſtro Epiſcopus Ratisbonenſis, ab A. MCCLIX. Sed rediturus poſt biennium, abdicato Epiſcopatu, ad Cœnobium Colonienſe; cujus non illepidè prædicant ſcientiam *infuſam*, interceſſione Mariæ Virginis. Et hic primus in omnes *Ariſtotelis*, tùm & Petri *Lombardi*, Libros, Commentaria conſcripſit, utiliorem collocaturus operam in commentandis Scripturis S. quanquam Ævo barbaro, de quo Rhodiginus Antiq. Lect. *Lib.* I. C. XI. *In dicendo Gothicum ſapit & Barbarum, oratione ſquaroſâ prorſùm & illepidâ.* Tamen hunc *Germanum Varronem, aut ſi veritas apertè dicenda eſt longè Varrone doctiorem*, dixit Aventinus Annal. L. VII. p. 431. Diem obiit A. MCCLXXX. quum memoria penitus ipſum defeciſſet. Huic proximus *Thomas Aquinas*, patre Comite de Aquino, de ſanguine Siculorum Regum, auditor Alberti M. & Alex. Haleſii, Angli Doctoris *Irrefragabilis*. Ac dicendus Thomas ille Doctor *Angelicus*, cui in conſcriptione librorum adeſſent interdum *Petrus* & *Paulus*, ut eſt in Diplomate Clementis VIII. ad Neapolitanos. Nata Viri exiſtimatio, ex Metaphyſicali acumine, ac ſubtilitate in diſputando; ex induſtriâ in adſtruendis Romanæ Eccleſiæ placitis, & incruſtandis erroribus, ſuperſtitionibus; ex fervore in oppugnandis ità dictis *Manichæis*, id eſt, Albigenſibus; ex Librorum quin etiam multitudine, cum pleniſſimâ ſubmiſſione ergà Romanam Sedem, uſque ad Annum ipſi emortualem MCCLXXIV. Undè tot Pontificum de eo elogia, & Canonizatio ſequente Sec. per Johannem XXII. & *quinti* Eccleſiæ Doctoris appellatio, adeò ut, referente Sixto Senenſi Biblioth. L. IV. in *Thomâ Aquinate*, p. m. 384. *juxtà Pythagoræ* μετεμψύχωσιν, *communi doctiſſimorum omnium adagio, jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam.* Ac vulgatæ Chriſti è cœlo ad Thomam voces, in Eccleſiâ Neapolitanâ quum eſſet, *Benè de me, Thoma, ſcripſiſti, quam mercedem reportabis?* reſpondente Thomâ, *non aliam quàm Te, Domine! Summam* verò *Theologicam* tripartitam, in quam tot ſcriptæ Commentationes, & cujus *Secunda Secundæ* palmam meruit, abjudicavit Thomæ Aquinati Joh. Launojus, Doctor Pariſinus, in Libro cui titulum fecit, *Veneranda Rom. Eccleſia circà Simoniam Traditio*, Obſervat. VIII. p. 290. &c. Hinc exagitandus à toto Ordine Prædicatorum, ſpeciatim à Nat. Alexandro T. XXI. *Diſſert.* VI. Certum, in *Vincentii* Bellovacenſis, Monachi Burgundi, Speculo *Morali*, eadem reperiri ac iiſdem verbis, quæ leguntur in I. *Secundæ* & II. *Secundæ* Aquinatis; Vincentius autem ille XX. ferè annis obiit antè Aquinatem. Ità Clemens VI. Pariſienſis Theologus, ætate Thomâ haud multo inferior, in *Sermone* quem de *B. Thomâ* ſcripſit, recenter Sanctorum Catalogo adſcripto, recenſet omnes Thomæ Aquinatis Libros alicujus notæ, in *Cod. Mſ.* Bibliothecæ Caroli Mauricii Tellerii Archiep. Rhemenſis; *ex. gr. Ejus tam ſuper Sententias, quàm alias Quæſtiones* XVI. *volumina, ſcil.* IV. *ſuper Sententias,* IV. *Libros Summæ contrà Gentiles, Quæſtiones de Veritate, de Potentiâ Dei,* &c. in quibus Libris nulla apparet *Summa Tripartita*. Quæ adeò ex Operibus & Commentariis Thomæ, poſt hujus mortem, à diſcipulis potuit eſſe digeſta.

IV. Exceperunt mox alii *Scholaſticorum* patres, Alii hujus Æt. Scholaſt. mancipatâ planè Eccleſiâ ſub nutum Pontificum, ac barbariei jam immerſâ. Eminuit verò coævus Thomæ *Bonaventura*, Ordinis Minorum, à lumine ſimul & vi igneâ dicendus Doctor *Seraphicus*, auctor *Pſalterii* utriuſque *Mariani*, ac director ferè Concilii Lugdunenſis II. quo nondùm finito diem obiit XV. *Jul.* A *Gregorio* X. fuit Purpuratis adſcriptus, à Sixto IV. Franciſcano Divis, à Sixto V. qui magnus Bonaventuræ admirator fuit, ejuſdem Ordinis antè Monachus, ſuprà cæteros Eccleſiæ Doctores efferendus. Acceſſerunt Doctores *Cherubici, Solemnes, Solidi, Fundatiſſimi, Illuminatiſſimi,* &c. hoc ipſo Seculo ſic appellandi. Quales, *Johannes Teutonicus* ſive *de Argentinâ*, ubi medio hoc Seculo obiit, Generalis Prædicator. poſt Raymundum, auctor *Summæ Johanninæ*: *Henricus Gandavenſis*, Doctor *Solemnis*, à Summâ quæſtionum Theologicarum, Quodlibeticis, aliiſque id genus ſcriptis, celebrandus. *Guilielmus Durandus*, vel *Durantes* cognomento *Speculator*, cujus eſt Speculum Juris, & Rationale divinorum Officiorum, in quo ſaniora plurima: *Richardus de Mediavillâ*, cognomento Doctor *ſolidus, copioſus*, Quodlibeticorum ferè auctor: *Ægidius Columna* Romanus, Doctor *fundatiſſimus*, &c. ut mittamus reliquos.

Addendi *Canoniſtæ*, & *Caſuiſtæ*, quorum princeps Canoniſtæ. Caſuiſtæ. jam dictus aliquoties *Raymundus de Penna forti*, Ordinis Prædicatorum, Bononiæ Juris utriuſque Doctor renunciatus, & *Sacros Canones* interpretatus: Papæ is Pœnitentiarius, Inquiſitionis ſtrenuus promotor, & auctor novæ Collectionis *Decretalium*: Quæ ſcilicet inſerta eſt Corpori Juris Canonici, juſſu Gregorii IX. in quibus ex Jure Civili plurima, hoc intuitu, ut eſſet uſus eorum in Foro & Judiciis, amoto Jure Juſtinianæo ſeu Imperatorio, & Regio. Auctor idem *Summæ Caſuum Conſcientiæ*, quibus in foro Pœnitentiæ locus eſt, quam excepit *Summa* Confeſſorum Joh. de Argentinâ; ſeriùs idem Sanctis adſcribendus, nempè à Clemente VIII. A. MDII. ad petitum Hiſpanorum. Proximi illi ſunt, *Johannes Semeca*, Præpoſitus Halberſtadienſis, dictus *Lux Decretorum*, ob Gloſſas in Gratianum, vir eruditus, & ingenuus, de quo ſuprà *Cap.* VII. *Bartholomæus Brixienſis*, Gloſſator itidem, acceptiſſimus Gregorio IX. & Alexandro IV. *Henricus Seguſius*, Cardinalis Hoſtienſis, *Splendor & Fons Juris*, appellatus: Hinc alii Gloſſatores innumeri, poſt introductum *Jus Canonicum* in Scholas Pontificias, auctoritate imprimis Gregorii IX. vel ex proœmio Decretalium. Nec *Gloſſatorum, Sententiariorum, Summiſtarum, Speculatorum, Quæſtionariorum, Quodlibeticorum*, deinceps finis fuit.

XIII. *Scriptores alii hac Ætate celebriores, in Orbe utroque.*

I. Ampliſſima ſanè Scriptorum ſeges ſeſe offert Qui non cenſendi in hoc Ordine. hoc Seculo. A quibus tamen jam demimus *Scholaſticos, Sententiarios, Summiſtas, Gloſſatores* ad Decretum, & ad Decretales Libros Gregorii, id genus Auctores Monachales, de quibus dictum modò eſt. Tùm & qui *Hæreticis* accenſiti, ac Romæ damnati, ſuprà Lemmate de Hæreſibus: Tandem & quos inter *Teſtes* Veritatis nuper produximus hoc Sec. *Cap.* VII. Hinc jam brevior opera fuerit, in nobilioribus quibuſdam, nec obſcuræ famæ Scriptoribus, memorandis.

II. Ab *Oriente* ut ordiamur, alii *Hiſtoricis* ſcri- Scriptores Byzant. & Orient. ptis, alii *Dogmaticis* & *Elencticis*, claruerunt. In Hiſtoricis, de quibus fusè Labbeus, Allatius, Voſſius, Hankius, alii, principem locum tenent:

Nicetas Acominatus, qui & à Chonis, Phrygiæ Ur-

Digitized by Google

Urbe illi patriâ, *Choniates*, Magnus Logotheta Secretorum, Scriptor Annalium, ab obitu Alexii Comneni, ſeu ab An. MCXVIII. ad captam à Latinis Conſtantinopolim, A. MCCIV. Præceſſit hunc *Johannes Cinnamus*, finiens Hiſtoriam ſub extrema Manuëlis Comneni, terſior longè Nicetâ: De cujus Nicetæ ſalebris, & Poëticâ dictione, ſalvâ cæterùm fide, & diligentiâ, extant judicia Wolfii, Fabrotti, G. J. Voſſii, aliorumque. Dogmatica etiam ſcripſit, *Theſaurum Orthod. Fidei*, Libris XV. nondùm typis planè deſcriptum. Vide *Secul.* XII. *col.* 1626.

Excipit in Byzantinis illuſtrioribus, editis in Corpore Byzantino, *Georgius Acropolita*, dignitate tandem Magnus Logotheta, crebris idem Legationibus perfunctus, cumprimis illâ Michaëlis ad Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. Hiſtoriam produxit à captâ Urbe per *Latinos*, ad receptam eam ſub Michaële Palæologo, A. MCCLXI. à rebus magis quàm ab oratione commendatus. Filius ejus *Conſtantinus Acropolita* Patri diſſimilis fuit averſatione Dogmatum Latinorum, in quæ calamum ſtrinxit, nominatim *de Proceſſione Spiritûs S. ex Filio*, faſſo Allatio ac recenſente, Conſenſionis Perp. *Lib.* II. C. XV.

Proximus eſt *Georgius Pachymeres*, Nicææ natus, poſt occupatum à Latinis Byzantium, dein ſub Michaële Palæologo Δικαιοφύλαξ, etiam Πρωτέκδικος, notis ex Codino dignitatibus. Scripſit, ſtylo inflato nimis, perplexo, certè obſcuriſſimo, *Hiſtoriam* rerum ſub Theodoro Laſcari, & cumprimis Michaële Palæologo, geſtarum, ſpeciatim in negotio Concordiæ cum Latinis: Quam primùm integram, ex Biblioth. Barberinâ, edidit Romæ *Petrus Poſſinus* Jeſuita, quâ fide ambiguum, Verſione autem liberiore, & à legibus fidi Interpretis recedente: Autor illi *Schiſmaticus*, ſed tamen *ingenuus*, qui nihil eorum reticuerit, quæ favere quidem *Michaëli* & *Vecco* videbantur, promoturis Unionem cum Latinis; reverà cauſæ Græcorum addictus. Profert tamen Allatius in Græciâ Orthod. *Tomo* I. p. 329. breve ſcriptum Georgii Pachymeris, tanquam favens Latinis, quod omninò non ſavit; diſſerens ſolùm, cur *Spiritus* dicatur *Filii* eſſe?

Scriptores pro causâ Latinor. III. Scriptores cæteri in oppugnandis Latinis, horumque *Erroribus*, *Novitatibus*, *Separatione*, ferè toti ſunt; vix tribus aut quatuor reliquis, qui in gratiam Michaëlis Palæologi, *Unionis* cauſam egerint.

In his fuit *Joh. Veccus*, ſeu *Beccus*, magnæ Eccleſiæ primò *Chartophylax*, vir excellenti ingenio, pari facundiâ, diu Concordiæ cum Latinis reluctatus, accuſatis à ſe *Hæreſeôs*, adeò etiam ut in carcerem à Michaële mitteretur, in δεσμωτήριον δεινότατον, ut Nicephorus Gregoras Hiſt. *Lib.* V. Sed tandem ceſſurus blanditiis Michaëlis, ut in ſpeciem *Blemmidæ* ſcriptis quæ ad eum miſit Imperator, etiam ceſſurus præmiis, ad Patriarchatum Conſtantinopolit. promotus; quo Patriarchâ, promovit Michaël τὴν ταραχοποιοῦν εἰρήνην *tumultuoſam turbantemque pacem*. Cujus hinc pro *Unione* utriuſque Romæ ſcripta, & pro *Pace*, ſalvis tamen *Ritibus* Græcorum, (μὴ πρὸς ἀνατροπὴν τῶν ἡμετέρων ἐθῶν, *non ad ſubverſionem noſtrarum conſuetudinum*, itâ Pachymeres,) recenſet Allatius, non uno in Opere, inprimis *Græcia Orthodoxa* Tomis duobus, ubi Scripta Vecci pro Pace Eccleſiarum, Orationes Apologeticæ, Epiſtolæ, Reſponſiones ad Tomos Georgii Cyprii, Animadverſiones ad Andronicum Camaterum, alia. Tandem ſub Andronico, poſt mortem Michaëlis, Patriarchatu motus, & in carcere extinctus fuit.

Vecco acceſſerunt in favorem Latinorum, *Georgius Metochita*, Archidiaconus Vecci Patriarchæ, cujus Tractatus de Spiritu S. de Concordiâ cum Latinis, idem Allatius prolixè extollit: Tùm & *Conſtantinus Meliteniota*, *qui Joh. Vecco fuit loco filii*, ſic Allatius, & de quo multis Pachymeres, & ex eo Allatius. *Manuel Calecas*, Monachus Latinizatus, qui acerrimus fuit defenſor cauſæ Latinorum, & Lugdunenſis Concilii II. ſcripſit Libros IV. *contrà Græcorum* errores; quos Latinè, ex interpretatione Ambroſii Camaldulenſis, publici juris fecit Petrus Stevartius, Ingolſtadii A. MDCVIII.

Scriptores contrà Latin. At Scriptorum adversùs Latinos ſub Laſcaribus, dein vivo etiam & frendente Michaële Imperatore, tandem ſub Andronico Seniore, longa ſeries hoc Seculo viſitur. In iis *Theodorus Laſcaris* Junior, ipſe Imperator & vindex cauſæ Græcorum; *Arſenius* Patr. Conſtantinop. in Διαθήκῃ *Teſtamento* cujus meminit Georg. Pachymeres, Georg. Acropolita, Nic. Gregoras, &c. & quod edidit Cotelerius P. II. Monum. Græciæ, p. 168. Ubi accuſat τὴν ἀσέβειαν καὶ παντελῆ ἀπιστίαν τῶν Λατίνων, *impietatem & omnimodam perfidiam Latinorum*, *pag.* 176. &c. *Germanus* alter Patr. Conſtantinopolitanus, ſub Theodoro Juniore Ducâ, qui prolixè de Proceſſione Spiritûs S. de Azymis, de Purgatorio contrà Latinos ſcripſit, etiam Epiſt. duas, ad Cyprios, apud Cotelerium *Parte* II. Monum. *Auctor tenuis & ex trivio*, *argumentis & eloquentiâ & judicio deſtitutus*, quia pro Græcorum causâ, apud Allatium *Lib.* II. C. XIV. *Num.* III. Tum *Georgius Cyprius*, poſteà ſub Andronico, Patriarcha Conſtantinopoli factus in locum Vecci, & dictus *Gregorius Cyprius*; Adversùs cujus *Vecci blaſphemias* ſermones ſcripſit, aſſervatos Viennæ in Biblioth. Cæſareâ, & *Tomum Synodicum*, pro causâ Græcorum, citatum ipſi Allatio. Claruit tum quoque *Georgius Moſchampar*, eodem cum Vecco & Cyprio tempore, Magnæ Eccleſiæ Chartophylax, qui de Proceſſione Spiritûs S. acerrimè contrà Latinos ſcripſit, & alia eorundem impugnavit, de quo jam ſuprà *Cap.* VIII. Ita σύγχρονος, pariter pro causâ Græcorum in Latinos animatus, *Jobus Jaſites*, qui in componendo Tomo de Proceſſione Spiritûs S. contrà Tomum Michaëlis Imp. ad Eccleſiam miſſum, adeòque contrà ſententiam Latinor. inprimis auxiliares manus præbuit, ut diſertè Pachymeres Hiſtor. *Lib.* V. C. XIV. Quem Jobum Halloixius Jeſuita, de Scriptis Dionyſii Areopag. *quæſt.* II. falsò *verè Catholicum* vocat, id eſt, defenſorem Latinorum. *Conſtantinum Acropolitam* Georgii filium, qui de eodem argumento contrà ſententiam Latinorum ſcripſit, & ſi quos alios jam mittimus, quorum alibi Scripta recenſentur, & de quibus ex parte dictum *Cap.* VIII. ubi de Diſſenſu Græcorum. Adde non paucos Anonymos apud Allatium, de Conſenſ. *Lib.* II. *Cap.* XV. XVI. apud Pachymerem ipſum *Lib.* VI. Hiſtoriæ, C. XXIII. & *Lib.* I. Hiſtoriæ Andronici, alioſque qui ſe Jo. Vecco ſcriptis oppoſuerunt, & *defectioni* ad Latinos. Hoc enim nomine vocarunt *Concordiam* Lugdun. ſive τὴν ἕνωσιν τῶν Ἐκκλησιῶν, promotam per Michaëlem Imp. & Joh. Veccum, legato Georgio Acropolita, quam dixerunt factam πρὸς ἀνατροπὴν *ad ſubverſionem* Ritûs Græci. Sic ſcripta Græcorum hujus Ævi memorat dicto loco Allatius, ut de χωρισμῷ *ſeparatione* Veteris Romæ ab Eccleſiâ Orient. de Πρωτείῳ *Primatu* Rom. Pontificis perperàm illi tributo, &c. in Bibliothecis Viennenſi, Bavaricâ, Vaticanâ. Sic Petrus Lambecius in Biblioth. Cæſarea *Libro* VIII. ſive ultimo, J. Baptiſta Cotelerius *Parte* II. & III. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ; præter Combefiſium, Gretſerum, Stevartium Obſervat. ad Manuëlem Calecam, &c. proferunt ſcripta Græcorum benè multa hujus Seculi, quorum ſunt plerique Anonymi, ex. gr. Περὶ Αἰτιαμάτων τῆς Λατινικῆς Ἐκκλησίας, περὶ Καινοτομιῶν τῶν Λατίνων, περὶ Ἐγκλημάτων παρὰ τῆς Ἐκκλησίας τῶν Λατίνων, &c. indè à temporibus Innocentii III. & deinceps.

Script. Latini. IV. In *Occidente*, qui ſuperſint hoc loco memorandi, haud adeò multi ſunt: Reliqui aut ſuperioribus (ut dictum) *Lemmatibus* expreſſi, ubi de Monachis, & Scholaſticis hujus Ætatis, aut requirendi ex vulgatis Auctoribus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, deque Hiſtoricis Latinis, poſt Henr. Gandavenſem, Joh. Trithemium, Leandrum Albertum, Joh. Balæum, Centuriatores Magdeburgenſes, &c. Nec enim iſtos exſcribere aut compilare noſtri inſtituti eſt.

Conr. à Lichten. In *Hiſtoricis* non tacendus eſt *Conradus à Lichtenau*, Abbas Urſpergæ vel Averſpergenſis Cœnobii, Ord. Præmonſtrat. laudatus cumprimis ubi memorat res Germanicas, tùm & illas ſui temporis, deſinens in An. circiter x. Friderici II. ſeu MCCXXIX. Inprimis notatione temporis Chronographis cæteris palmam præripuit, uti fide ſe commendavit. Ut ingenuus eſt in recenſendâ omni cauſâ inter *Imperatores*, & *Romanos Pontifices*, horumque arguendâ ſuperbiâ, tyrannide, avaritiâ; indè dicendus fuit Baronio, Bzovio, Spondano, Raynaldo, Auctor *planè ridiculus*, fautor *Schiſmaticorum*, & id genus floſculis adſpergendus. Controverſa tamen Urſpergenſis fides in rebus *Ottonis* IV. Henr. Leonis filii, qui Henrico VI. vitâ functo à nonnullis Imperii Principibus, ut Colonienſi & Palatino, impellente Innocentio III. Imperator dictus eſt. Fuit enim *Otto* IV. ità Urſpergenſis Hiſtoricus, (quem ſequuntur plerique Germanicarum rerum Scriptores, Cuſpinianus, Munſterus, Chytræus, &c.) *homo ſtultus & ſuperbus, ſimulans zelum juſtitiæ, interim omnia agens ſuperbè, & qui demum propter ſuperbiam Regno exciderit.* Contrà verò qui partes Ottonis tuiti, pro quo *Apologiam* ſcripſit Henricus Meibomius, A. MDCXXIV. in Acad. Juliâ Profeſſor, ut qui Otto de Sanguine Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducum, inſertam *Tomo* III. Rerum Germanic. *pag.* 114. nuperæ collectionis.

Matth. Paris. Major invidia in *Matth. Paris*, ſeu *Pariſium*, S. Albani Monachum, cumprimis ob Hiſtoriam Anglicanam, quam produxit ſingulari fide, prudentiâ, dexteritate, indè à *Guil.* Conquæſtore, ad vitæ ſuæ extrema, Henrico III. Rege, apud quem in flagrantiſſimâ gratiâ fuit, id eſt, ad A. MCCLIX. Nemo enim magis ad vivum expreſſis coloribus deſcripſit fœdam Romanæ Eccleſiæ faciem, id eſt, Pontificum, Monachorum, Cleri totius, eorumque in Angliâ cumprimis extorſiones, rapinaſque. Exempla paſſim, & ex Pariſio excerpta, ſuprà ſuis locis adduximus. Baronius notat. Undè Baronius, & poſt eum Bellarminus, Spondanus, & quotquot favent Romæ Papali, Matthæum paſſim accuſant, *calumniæ, injuriæ in Apoſtolicam Sedem, mendaciorum, malignitatis*, &c. Imò, *carpendi tantùm cauſâ Romanos Pontifices, ſcribendi Hiſtoriam viſus eſt ſuſcepiſſe provinciam, more ſuo Innocentium* III. *Papam, ſuo ipſius Pontificatûs exordio perſtringens*: Et paulo poſt, *Vidiſti, Lector, quum legiſti Paris ingenium, animique malè compoſiti malam ſententiam, res fingere verbaque formare indigna Romano Pontifice; ut ab hoc uno tam patenti mendacio cætera diſcas, & caveas videaſque, quì tunc homo ſit dignus fide, cùm totus eſt in carpendis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus.* Hæc Baronius ad An. MCXCVI. *Num.* XVI. XVII. Alibi verò, quæ notavit Caſaubonus Prolegom. ad Exercitationes, (lit. f. 3.) conjicit abſurdè, *probra illa fuiſſe additamenta potiùs, ejus qui edidit Novatoris hæretici hominis: quum peculiare ſit illis, Libros quos potuerint depravare.* Ubi in duobus ſe prodit ingenium Baronii: Primò, quòd de ſuo fingat corruptam ab Hæreticis Pariſii Hiſtoriam, nullo rei indicio, nullâ fide Codicum; imo concordantibus, in his quæ de rapacitate Pontif. Roman. omnibus Codd. Mſſ. antiquis, etiam qui in Albani Bibliothecâ, & illâ Sereniſſ. Angliæ Regis, & paſſim in Biblioth. Cottonianâ, Bodleianâ, Cantabrigienſi, &c. fuerunt, aut ſunt hodieque. Secundò, quòd in *Novatores* ſtringat, morem *depravandi Libros*; qui proprius Romanæ Curiæ, ut docent Indices Expurgatorii, & innumera in hac noſtrâ Hiſtoriâ exempla, ipſiuſque Baronii peſſima ſæpè fides, in *depravandis* Veterum locis, ubi laborat cauſa Rom. Eccleſiæ. Quin faſſus aliàs Purpuratus, eſſe *Pariſii* Hiſtoriam, verè *aureum Commentarium*; uti nemo addictior fuit Ritibus ac Superſtitionibus tum in Eccleſiâ receptis.

Celebrioribus etiam hujus Ævi Chronographis accenſendus eſt *Martinus*, ſeu à patriâ, ſeu ab Archiepiſcopatu Gueſnenſi, cognomento *Polonus*, Monachus Dominic. Nicolai III. Pœnitentiarius: Producto nempè brevi Chronico, vulgò *Martiniano*, ſeu Supputationibus Pontificum & Imperatorum, ad tempora Nicolai III. Papæ, ex vulgatis Editionibus. Inſeruiſſe verò hunc ſuo Chronico *Johannem Anglum*, vel *Anglicum*, inter Leonem IV. & Benedictum III. qui *fœmina* fuiſſet, *ut aſſereretur*, (quicquid ſit de nonnullis Martini Codd.) adeò verum eſt, ut hariolati ſint hunc Martinum Polonum, ſuperſtitioſiſſimum Monachum, Papæ familiarem, *primum fuiſſe hujuſce fabulæ, ſi non auctorem*, quod abſurdum, *ſaltem narratorem*: Ità ipſe Mabillonus, poſt Serarium, & alios. Sed de *Martino*, deque hac Papâ *Fœminâ*, ex profeſſo nos alibi commentati ſumus. Mart. Polon.

Nec tacendus *Jacobus* vulgò *de Voragine*, à *Virgio* vel *Varagio* Ligurum oppido, ex Monacho Familiæ Dominicanæ, Archiepiſcopus Genuenſis, Nicolao IV. Pontifice; auctor *Hiſtoriæ Lombardicæ*, (uti in Lombardiâ fuerat Provincialis Ordinis Dominici) ſeu *Legendæ Aureæ*, quæ & *Speculum Sanctorum*. Cujus farraginis anilium Fabularum, ſed penè Canonicæ Monachis, puduit pridem Ludovicum Vives de Cauſis Corrupt. Artium, *Lib.* II. p. 161. *Quam indigna eſt Divis, & hominibus Chriſtianis illa Sanctorum hiſtoria, quæ* Legenda Aurea *nominatur; quam neſcio cur Auream appellent, quum ſcripta ſit ab homine* ferrei *oris*, plumbei *cordis. Quid fœdius dici poteſt illo Libro; ò quàm pudendum eſt nobis Chriſtianis, non eſſe præſtantiſſimos noſtrorum Divorum actus, veriùs & accuratiùs memoriæ mandatos!* Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſ. tempore Concil. Trident. in Locis Communibus, *Lib.* XI. C. VI. dixit in eâ Legendâ, *miraculorum monſtra ſæpiùs quam vera miracula legi*: Sed Melchiorem accuſant, quod *ſæpiùs in Hiſtoriam Eccleſiaſticam impegerit*, ut Sauſſæus in Continuatione Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. p. 94. Idem judicium doctiorum omnium, in ordine Pontificio, Claud. Eſpencæi, J. Aug. Thuani, Joh. Launoii, &c. & quorum non? Primus omnium hic *S. Biblia* in Linguam Italicam tranſtuliſſe fertur, *ſummâ fide ac diligentiâ*, ut ait Sixtus Senenſis, *Biblioth.* L. IV. in *Jacobo*. Quo in Opere utinam ſubſtitiſſet! nec tot fabulis addidiſſet etiam *Mariale Aureum*, ſeu Sermones de *Laudibus Virginis*, promptuarium Mariolatrarum; Sermones de *Planctu B. Mariæ Virginis*, & id genus opera Monachalia. Jac. de Vorag.

V. Mittimus Chronographos obvios, de quibus nota ſunt judicia Gerh. Voſſii, Phil. Labbei, & aliorum. Alii multi. Ex. gr. *Vincentium Bellovacenſem*, ſuperſtitioſiſſimum in Burgundionibus Monachum, paulo antè medium Sec. compilatorem *Speculi* quadruplicis, Doctrinalis, Hiſtorialis, Naturalis, Moralis: *Albertum* Abbatem *Stadenſem*, Scriptorem laudatum *Chronici* ab Orbe Cond. ad ſua tempora, id eſt, A. MCCLVI. edente primum Reinero Reineccio, & ex quo ſua ferè habuit Krantzius: Et id genus alios, benè multos, quos vide apud Bellarm. Labbeum, Caſim. Oudinum, Guil. Cave, ſimiles, qui Catalogos Scriptorum Eccleſ. adornarunt. Adde Anglicanæ, Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpanicæ, Germanicæ, Gallicanæ, Hieroſolymitanæ, &c. notiſſimos Scriptores, v. gr. *Sylveſtrum Giraldum* Cambrenſem, clarum ſub Johanne Rege A. MCCX. de quo prolixè Balæus *Cent.* III. *Num.* LIX. *Gervaſium Tilberienſem*, quem omnium primum mentionem feciſſe *Johannæ Anglicæ*, ac præiviſſe Martino Polono conjectabat Iſaacus Voſſius; cujus etiam Gervaſii *Otia Imperialia* Mss. aſſervat ejuſdem Voſſii Biblioth. *Gervaſium Dorobernenſem*, Britannorum, Saxonum, Normannorum, hiſtoriam ſcribentem, ſub initia Johannis Regis; atque *Anglos* alios, videndos apud Balæum. Quibus adde Hiſpanicarum rerum Scriptores, Archiep. Toletanum *Rodericum Ximenem*, & *Lucam* Epiſcop. *Tudenſem*; dein *Godefridum* Monachum à Frehero editum; *Guil. Nangium* vel *de Nangis* Gallum; *Jacobum de Vitriaco* Epiſc. Acconenſem; *Brochardum* Monachum in *Exactiſſimâ Terræ S. Deſcriptione*; & quàm plurimos alios, quos hæc pagina non admittit, utpotè pervulgatos. Et de quibus præter laudata judicia, etiam Lucas Dacherius, *Tomo* XI. Specil. ubi Guil. Nangii Chronicon apparet, ad A. uſque MCCC. cum Continuatione ejuſdem.

M. Paulus Venet. Hayton. De Mandevilla. Adde his *M. Paulum* Nobilem *Venetum*, Nicolai è Paulinâ familiâ filium, celebrem de Regionibus Orientalium Scriptorem, annis plurimis exactis in extremo Oriente, indè ab A. MCCLXXIV. ut ex ipſius Itinerario colligitur, *Cap.* IV. VI. Quo tempore *Cublai*, magnus Tatarorum Chamus, Sinas ſubegit. Scripſit *Italicè* Hiſtoriam, ſummâ fide, & ingenuitate, nec pari peritiâ Interpretis, aut etiam pari rei Geographicæ iſtis in locis notitiâ, aut verorum Nominum, quæ Perſonas, Loca, & Regiones exprimerent. Saltem caſtigatiorem vulgatis editionem, magiſque exactam ad veram Tatariæ & Sinarum Geographiam, cum Mappis adjunctis, & Commentario Hiſtorico & Geographico, deſiderarunt ſæpè Viri Docti: Et ſpecimen dederat variarum Lectionum Johannes Vorſtius Vir Clariſſ. Gymnaſiarcha Berolin. tum Andreas Mullerus ejuſdem Eccl. Præpoſitus, Obſervat. Sinicis Obſerv. VI. & in Edit. ipſius Pauli, cum prolixo Indice Hiſtorico, Berolini A. MDCLXXI. *Sed* (inquit in Præfat. Hebdomadis Obſervat.) *Marci Pauli Libros, de Regionibus Orientalibus, edidiſſe pœnitet, quia ſine* Commentario & Mappis Geographicis *nec uſui eſſe poſſunt Lectoribus. Haytonus* Armenius, Monachus in *Antonium* vertendus, ſuaſu Clementis V. Gallicè ſcripſit res *Tatarorum*; dubiâ magis, in plurimis, hujus Armenii & Cucullati fide, in gratiam Pontificis & Monachorum ſcribentis, peſſimè quoque tranſlati. *Interfuiſſe tamen* ſeſe dicit *omnibus prælibatis*, *Cap.* XLVI. Sed de hoc Scriptore plura diximus, *Cap.* II. hoc Seculo, *col.* 1645. 1646. Quibus adde ſequentis Ævi Scriptorem, Ordinis Equeſtris Anglum, profeſſione Medicum, *Johannem de Mandewyle* vel *de Mandevilla*, qui, peregrinatione in Græciam, Tatariam, Aſiam, Ægyptum, Africam inſtitutâ, poſt annos XXXIV. ad ſuos reverſus eſt, à pauciſſimis tum agnitus, A. MCCCLXVI. ſcripto Itinerario annorum XXXIII. & deſcriptionibus Regionum. De hoc inter alios Joh. Balæus, *Cent.* VI. *Cod.* XLVI.

Alfonſus X. VI. Non omittendus omninò eſt *Alfonſus* X. ſucceſſor Ferdinandi Caſtellæ Regis, ab A. MCCLII. *Kal. Junii*, undè incipit *Æra Alfonſina*, cum Æris aliis in Tabulis collata. Hujus extant Libri de Aſtrorum Converſionibus, & de Hiſpanicâ Hiſtoriâ, *magno ingenio* & *incredibili ſtudio*, ſcripti, teſte Marianâ. Ab eo & dictæ *Tabulæ Alfonſinæ*, convocatis undequaque præſtantiſſ. in hanc rem Aſtronomis. Sed & idem Alfonſus eſt, cujus referunt Hiſpanicarum rerum Scriptores, in ſpecie Rodericus Sanctius Hiſpanicæ Hiſt. *Parte* IV. *Cap.* V. procaces & blaſphemas in Deum Creatorem voces; *Si à principio Creationis Dei conſilio interfuiſſet, nonnulla meliùs atque ordinatiùs condita fore.* Nec pœnâ caruit, Regno exutus à Sanctio filio, & dùm Cœlum ferit, Terram amittit & Cœlum.

Vix mereretur inter Scriptores nomen, *Robertus de Sorbona*, Canonicus primò Sueſſionenſis, dein Pariſienſis (minimè frater Ludovici IX. ut fabulati, huic licet Miniſter adamatus & familiaris) medio Seculo XIII. Cui tria Opuſcula tribuuntur in *Tomo* XXV. M. Bibl. Patrum, atque in iis libellus de *Confeſſione*, obſcœnis non paucis ſordidus, ad *Crimen Luxuriæ*. Sed hic eſt à quo *Sorbona Pariſienſis* nomen accepit, ob prima hujus Collegii Sorbonici, ab hocce Roberto, jacta fundamenta, comparatis Ædibus ex quibus Collegium illud primò ſurrexit, dictum *parva Sorbona*. Tùm inſtitutis ſuis hæredibus, ſcripto in hanc rem Teſtamento, A. MCCLXX. *Pauperibus Magiſtris Pariſienſibus*, in *Theologicâ Facultate ſtudentibus*. Atque hoc Collegium *Sorbonæ* noſtro Seculo profuſis ſumptibus inſtauravit Cardinalis Richelius, Sorbonæ *Protector*, eâ quæ nunc viſitur magnificentiâ, & in ejus Sacello ſepultus jacet. Rob. de Sorbonâ.

Raymundus Martini, Monachus Ordinis Prædicatorum, (coævus *Raymundo de Pennaforti*, de quo ſuprà) Catalaunus itidem, Hebraicè & Arabicè perdoctus, ut Judæorum ac Saracenorum converſioni tanto feliciùs incumberet. Hic nempè poſt Judæorum Libros, juſſu Jacobi Aragoniæ Regis, excuſſos, ſcripſit inprimis *Pugionem Fidei, contrà Judæos, & Mauros*, opus multi laboris, & incredibilis eo tempore diligentiæ, Partibus III. diſtinctum. Quod poſtmodùm à Porcheto Salvatico, Monacho Genuenſi Seculi XIV. ex illuſtri Salvaticorum Gente, in *Victoriâ adversùs Judæos* primò compilatum fuit; ſed tamen agnito Martino, à quo Libelli materiam in pleriſque ſumpſiſſet. Mox fœdiùs, inſigni plagio, repoſitum Opus fuit, tacitis Raymundo & Porcheto, à Petro Galatino Minoritâ, in *Arcanis Catholicæ Veritatis*. Notæ hujus ſcripti Martiniani Editiones, cum Additamentis, & Obſervationibus Joſephi le Voiſin, Viri de Literis Hebraicis, & Controverſiis Judæorum, optimè meriti; quæ nuper à Lipſienſibus recuſæ, unà cum Martini Opere, & cum Benedicti Carpzovii, V. Cl. *Introductione* in Theolog. Judaicam. Raym. Martini.

Raymundus Lullus, Catalaunus, in Majoricâ natus, hoc labente Seculo jam inclaruit; à ſuis *Doctor Illuminatiſſimus*, *Tuba Spiritûs S. Organum Dei*, *Fons Veritatis*, *Eccleſiæ Reſtaurator*, quin & *Martyr* (ad mortem quippe in Africâ à Saracenis excarnificatus) appellandus. Hujus Viri, literarum omninò anteà rudis, uſque ad Ann. ætatis XL. ſcientiam fuiſſe infuſam, atque ex revelatione acceptam, Chriſto *Crucifixo* illi apparente, ipſemet prodidit. Ab aliis verò, putà à Fr. Pegna, ad *Directorium Inquiſitorum*, & apud Prateolum, Bzovium, ſimiles, nefandis Hæreticis adſcriptus eſt, *centum* ejus Propoſitionibus relatis, quæ damnatæ poſteà fuerint à Gregorio XI. uti ipſe à Clemente V. & à Concilio Viennenſi, contemptim habitus. *Artem Univerſalem magnam*, *Inventivam*, vulgò *Lullianam*, tradendi ſcil. omnia, etiam Theologiæ myſteria, per certa nomina, characteres, figuras, ut fecit Lullus totis Voluminibus, meritò Pariſienſis Academia, & aliæ pridem, proſcripſerunt. Pluſquam quatuor Librorum *millia* ſcripſiſſe fertur. Sed de hoc Lullo vel Lullio, & Arte Lullianâ, obvia ſunt judicia Eruditorum. Raym. Lullus.

XIV. *Memorabilia alia miſcelli generis. Fabulæ quædam inſigniores : Et Mutationes in Republicâ, tam in Oriente, quàm in Occidente.*

Ficta Miracula; Variæ eorum figmentorum Cauſæ. I. Si hujus Ævi & proximi Chronographos audiremus, & Legendarios, ipſumque Conr. Urſpergenſem, Matth. Pariſium, M. Paulum Venetum, Weſtmonaſterienſem, ſimiles, atque ex his Bzovium, Spondanum, Raynaldum, recentiores id genus, *Memorabilibus* cumprimis accenſenda forent *Pſeudo-Miracula*, *Viſiones*, *Apparitiones*, ὡσεὶ κόνις. Quæ non aliò ſpectaverunt, quàm ex. gr. auctorandis novis Ordinibus Reguliſve *Monaſticis*, ut ſuprà *Cap.* x. Sic ſtabiliendo cultui B. *Virginis*, hujus & Imaginibus, Roſario, Pſalterio, Feſtis, commendandis, de quibus etiam ſuprà *Cap.* v. x. Ità *Imagini Veronicæ* adſtruendæ, id eſt, impreſſæ divinitùs Sudario vel Velo, quod Veronica vel Berenice, tempore Chriſti ſuam crucem bajulantis, ad abſtergendam cruentam Chriſti faciem, porrexiſſe traditur; & quod Romam tranſlatum, aſſervatumque Baſilicâ Vaticanâ, tempore *Innocentii* III. Papæ, ſpontè ſeſe inverterit, fronte deorſum, & barbâ versùs ſummum versâ, modo indebito; ut prolixè, cum hiſtoriâ hujus Sudarii, refert Bzovius ad A. MCCXVI. *Num.* XV. XVI. & Gretſerus in Syntagmate de Imaginibus ἀχειροποιήτοις, C. XVII. Unde ab eodem Innocentio x. dierum *indulgentiæ* conceſſæ, recitantibus Orationem in honorem ejus Imaginis. Sic miracula vel portenta, adſtruendis novis in Calendario *Sanctis*, per Canonizationem Pontificiam, quales *S. Franciſcus* Minorum Patriarcha, A. MCCXXVIII. S. *Virgilius* Saltzburgenſium quondam Epiſcopus A. MCCXXXIII. *S. Dominicus*, Conditor Ordinis Prædicat. A. MCCXXXIV. S. *Staniſlaus* Epiſcopus Cracov. & Martyr, A. MCCLIII. S. *Thomas* Aquinas, in Sanctos referendus A. MCCCXXIII. & ità de reliquis utriuſque Sexûs, quorum Miracula & portenta prolixè refert Bzovius *Tomo* XIII. Pariter fingenda fuêre, auctorandis novis *Feſtis*, quale illud Venerabilis Sacramenti, inſtitutum ab Urbano IV. A. MCCLXIV. de quo ſuperiùs ad *Cap.* v. Uti quoque novis *Dogmatibus* firmandis, v. gr. *Tranſſubſtantiationis*, & annexis; quale eſt portentum de Aſino ad adorandam Euchariſtiam compulſo ab Antonio de Paduâ, Hæretico convincendo, ſuprà *Cap.* x. Sic portentum Hoſtiæ verſæ in formam venuſtiſſimi pueri, in Eccleſia Cameracenſi, Ann. MCCLIV. referente multis Spondano, *Num.* XVII. qui addit, *frequentia fuiſſe circà Euchariſtiam his temporibus Miracula*, *illiciendis aut confirmandis ad fidem hominum mentibus*, nempè *ad fidem* portentoſi nec auditi olim dogmatis. Adde Miracula, ut *Reliquiis* novis accederet auctoritas; ut *Purgatorius* ignis adversùs Hæreticos Albigenſes magis adſtrueretur; ut *largitiones* illi fovendo in dies per Monachos extorquerentur; ut *Ligno Crucis*, aut *Imaginibus* B. *Virginis*, in his & illis locis veneratio exprimeretur; & quæ ſunt ejus farinæ innumera. Totus in his Abrah. Bzovius eſt, *Tomo* XIII. Annalium, quem non puduit anilibus quibuſque fidem hiſtoricam addere, iiſque paginam implere. Vide & Odor. Raynaldum in Continuatione Annalium, ſed & Spondanum parciorem in his quanquàm, ad A. MCC. MCCI. MCCXVI. MCCXXVI. MCCXL. MCCLIV. & deinceps. Habebitis *Imagines* incarnatas, ſanguinem emittentes, loquentes, comedentes, verberantes, oleum diſtillantes, mammis lac exprimentes, aut Angelorum manu depictas; *Hoſtias* in carnem, in pueros, in Crucifixum, frequentiſſimè verſas, ſanguine tinctas, vel à beſtiis adoratas; *Viſiones* crebras B. Mariæ, Angelorum, Chriſti, Petri, Pauli, Paradiſi, Purgatorii, Inferni, Dæmonum Animabus inequitantium, aut Hæreticos vexantium, &c. Et quæ ſunt ejus generis benè multa, ac propè innumera.

II. Sed & pro obſervatione *diei Dominicæ* rem miram referunt, auctore Rogerio Hovedeno in Annalibus, & Matth. Pariſio. Nempè Hieroſolymis, ad Altare quoddam Symeonis in Golgothâ, circà A. MCC. *appenſam fuiſſe cœlo delapſam Epiſtolam*, quam ex alto dependentem aſpicientes, poſt orationem trium dierum & totidem noctium, Patriarcha expanſâ Infulâ devotè accepit. Et cum inſpexiſſent, invenerunt ſuperſcriptum : *Ego Dominus qui præcepi vobis ut obſervaretis S. diem Dominicum, in quo requievi ab operibus meis, ut eſſet requies cunctis mortalibus in æternum, & non cuſtoditis eum, & de peccatis veſtris non pœnituiſtis*, &c. *Aperiam cœlos, & pro pluviâ pluam ſuper vos lapides, & ligna, & aquam calidam, per noctes, ut nemo præcavere poſſit, quoniam deſtruam omnes homines malos. Hoc dico vobis, morte moriemini, propter diem Dominicum ſanctum, & alias Feſtivitates Sanctorum meorum*, &c. Epiſtolam totam exhibet Matth. Pariſius, ad præfatum annum, deinceps ad Rom. Pontificem, & in Angliam delatam; quæ *divinitùs* præciperet, cum diris interminationibus, *diem Dominicum* religioſè cuſtodiri, *à veſperâ Sabbathi*, *ad ſolem ſurgentem diei Lunæ*, additis etiam *feſtivitatibus Sanctorum*. Hinc miſſi quaquaverſum Prædicatores, qui *Epiſtolæ* tenorem prædicarent. Miracula alia eôdem tendentia, ſcil. *ob Sabbathi diem opere illicito violatum*, refert ibidem Pariſius, *pag.* m. 270. Sed benè eſt, hanc Cœlo lapſam Epiſtolam, ab ipſo Odor. Raynaldo prolixè refutari, ad A. MCCI. *Num.* XXXIV. XXXV. ſuperſtitionum fraudiſque plenam. Nempè ut inducerentur populi ad *Feſtivitates* hujuſmodi Miſſis, Eleemoſynis, Confeſſionibus, & id genus ἐθελοθρησκείαις, majori frequentia celebrandas.

Epiſt. Cœlo delapſa, pro obſerv. diei Dom.

III. Accedant figmenta inſignia, commendando illinc Ordini *Franciſcanorum*, tùm *Dominicanorum*, hinc *Carmelitarum*. Unum de ſingulis exemplum. Ad Franciſcanorum Ordinem extollendum, excogitata fuit fabula de *Stigmatibus* Jeſu Salvatoris B. Franciſco impreſſis, ad Alvernæ montem, abuno Seraphinorum Spirituum, quum in honorem Michaëlis Archangeli quadrageſimam jejunaret; de quâ dictum prolixè ſuprà *Cap.* v. *col.* 1663. 1664. Uti de *portentis*, in Antonio de Paduâ conſpicuis; quomodò hoc adhuc Seculo A. MDCXVII. revelatio contigiſſe fertur *Bononienſi* cuidam fœminæ; quod, ſi quis *Novenam* obſervaret fundendarum precum, *ad Imaginem S. Antonii*, eamque devotè *invocaret*, *is certò*, *quacunque in neceſſitate tandem*, *eſſet exaudiendus* : Quam fabulam à Valerio Maccionio Epiſcopo Maroccano vulgatam, Libello Germanico, credidit Herm. Conringius in Acad. Juliâ operæ pretium configere, ſcriptis ad Libellum *Animadverſionibus*, quas mecum communicavit An. MDCLXXV. Dominicum verò pluribus commendant, v. gr. ab Apparitione factâ *Innocentio* III. quâ viſus illi in ſomnio Dominicus, Baſilicam Lateranenſem, ruinam minantem, humeris ſuſtinens : Tùm à frequentibus è Cœlo apparitionibus *Virginis*, in quam ſingularis fuerit devotio Dominici; inprimis pro inſtitutione *Roſarii* per Dominicum factâ, ſeu Pſalterii Mariani, quo *Salutatio Angelica* 150. vicibus repetitur, & *Oratio Dominica* ſemel, ad quodlibet decimum Ave Maria: A quo tempore Ordo Dominicanorum, virtute Roſarii, de Hæreſibus, de Dæmonibus, mirè triumphaverit, variis hinc ejus Roſarii *Sodalitatibus* inſtitutis. Vide prolixiſſimè Bzovium, ad An. MCCXIII. & quæ ille de Dominico portenta plura refert. Nec *Carmelitæ* ſuo Ordini defuerunt. Hinc commentum de Viſo *Simonis Stochii*, Angli Carmelitæ, & quidem

Figmenta commend. novis Ordinib. Monach.


dem Generalis Ordinis VI. ætate jam grandævi, circà A. MCCL. Cui Mariam Virginem de Monte Carmelo appellanti, ut ſigno aliquo monſtraret *Carmelitas* verè *Fratres* ſuos eſſe, (quod jactarent Dominicani) ſe autem Ordinis *Matrem*, eadem Virgo apparuiſſe fertur; tenendo *habitum Ordinis*, ſive Ordinis *Scapulare*, addito privilegio cunctis Carmelitis, *ut qui in eo habitu moreretur*, *æternum non pateretur incendium*, id eſt, *in hoc morientem* certò ſalvandum fore. Huic Viſo adſtruunt auctoritatem, ex Bullâ quadam Johannis XXII. & aliâ confirmatoriâ Alexandri V. quarum illam *Sabbatinam* vocant, productam primùm à Gregorio Nazianzeno cognomento à S. Baſilio, in Libro cui titulum fecit, *Adoptio Filiorum Virginis*, *in Ordine & Confratriâ Dominæ noſtræ de Monte Carmelo*; dein à Marco Antonio de Caſanate, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*: In quâ Bullâ Johannes XXII. deſcribat Apparitionem Virginis, ſe inter alia alloquentem; quod *Fratres Sancti Habitûs ſignum ferentes*, *appellantes ſe Confratres & Conſorores ſui Ordinis*, *eo die quo ipſi Seculo recedunt*, *ſolvendos eſſe ſupplicio*, *& culpâ*, &c. & *ſeque gratiosè deſcenſuram Sabbato poſt eorum obitum*, *& quot inveniret in Purgatorio*, *inde liberaturam*, & quæ in dictâ Bullâ ſunt plura. De Cujus ſuppoſitione, cæteriſque, commendando *habitu* Carmelitarum, *Scapulari* Ordinis, ejuſque Confraternitate vel Sodalitio, ſunt legendæ *Diſſertationes* Joh. Launoji, Viri doctiſſimi, oppoſitæ fabulis Carmeliticis, ubi de *Viſo* Simonis Stochii; de *Bullâ Sabbatinâ*, cæteriſque quæ huc ſpectant. Qui Doctor Pariſinus plura id genus Monachorum figmenta confixit, ex. gr. ſeceſſûs Brunonis Cauſam, quam obtendunt *Carthuſiani*; fictum Dionyſ. Areopagitam; fictum Lazarum Maſſilienſem; fictam Magdalenam; fictam Aſſumptionem Mariæ Virg. &c.

Tranſlatio Ædis Mar. Virg. Lauretanæ.

IV. Adde portentum aliud, in hunc diem creditum, ſed incredibilis Idololatriæ, & horrendarum ſuperſtitionum originem ac fomitem, *Tranſlationem Ædiculæ* B. Virgini natalis, ſeu *Sanctæ Caſæ*, in quâ Filium Dei concepit. Hæc nempè, Anno MCCXCI. quo Chriſtiani fuêre Palæſtinâ totâ & Syriâ exacti, & quidem VI. *Maji*, fertur quoque *è Syriâ pariter cum religione diſceſſiſſe*. Scilicet ab Angelis, ex urbe Nazareth, per aërem tranſlata ea Caſa, in *Dalmatiæ* quendam locum, Adriatico Mari imminentem, Terſactum inter ac Flumen, Dalmatiæ oppida; ibique ſubitò conſpecta, quæ neque anteà illic unquam viſa, neque à quopiam conſtructa, nullo prorſus fundamento, ſed divinâ virtute ſuffulta. Et quidem confirmante B. Virgine, quæ Sacerdoti cuidam, cui nomen *Alexander* in ſomniis apparuit, dixitque eandem eſſe *Nazarethi* olim erectam, in quâ ipſa lætum ab Angelo nuntium acceperat, nunc autem, ſingulari Fidelium in Europâ degentium beneficio, Angelorum operâ illuc tranſlatam. Quod ubi Parochus, è lecto conſurgens, & ad locum citus advolans, cum veritate conſonum reperiſſet, rem protinus Comiti Frangepanio, Provinciæ Moderatori, audacter promulgat: Qui Domum conſpicatus, ejuſque longitudinem accuratè dimenſus, miſſo dein in Palæſtinam illo *Parocho* Alexandro, cum *quatuor* aliis viris ſpectatæ fidei, qui adamuſſim omnia contemplarentur, reperit ex horum relatu, & conſultis ejus Regionis incolis, eadem nocte, quâ in Dalmatiâ apparuit, evulſam fuiſſe vel abſciſſam partem eam *Domûs*, circà quam olim ab Helenâ Auguſtâ Templum fuiſſet extructum. Quibus famâ divulgatis, acceſſit ut anno à dictâ tranſlatione *tertio*, ſcil. Ann. MCCXCIV. X. *Decemb.* (quo menſe Romæ abdicationem Cœleſtini procuraverat inſigni fraude Bonifacius) delata fuerit Domus, iiſdem portatoribus Angelis, in Provinciam Italicam & Picenum agrum, III paſſuum millibus à Mari diſtantem, ad ſuavem Cœleſtium chororum melodiam accurrentibus Populis: Poſtremò, fuit eadem intrà ejuſdem A. curriculum, è Sylvâ in Collem proximum, duobus Germanis communem; tandemque in viam publicam Recinetenſis Agri, *Lauretæ* cuidam, piæ matronæ, propriam (ſic Recinetenſes tradunt Annales) novo prodigio tranſportata, & ibi conſedit in hoc uſque tempus; B. Virgine in ſomniis iterùm apparente *Paulo* cuidam Anachoretæ, haud longè indè in Monte Urſo degenti, confirmanteque, eſſe omninò illam Domum quam olim ipſa Dei Mater apud Nazarethum incoluerat. Et hæc ipſa mox compluribus ſignis aliis, miraculis, liberationibus, inclyta fuit, cumprimis etiam regiis muneribus ſine fine & modo ſalutata. Ac præter Horatium Turſellinum Jeſuitam, dein Petrum Roeſtium, ejuſdem Societatis, & ſi quos alios, ex profeſſo hanc fabulam totam repoſuit, hoc ipſo Seculo, Ludovicus Centoflorenius in Romanâ Curiâ Advocatus, in *Clypeo Lauretano adversùs Hæreticorum Sagittas*, Romæ edito An. MDCXLIII. Ne Baronium, Bzovium, Spondanum, Scoglium, Raynaldum ad hunc Annum MCCXCI. cæteroſque dicam. Fertur autem Sirmondus, Doctiſſimus in Jeſuitarum ordine, monuiſſe Baronium ne hac fabulâ Annales conſpurcaret: Natâ, quo tempore hujuſmodi prodigia, & miracula, & revelationes, in dies percrebeſcebant, ſolâ ſomniantium vel fingentium nixa fide, ex ſuperioribus exemplis, nullâ tum recuperandæ Palæſtinæ ſpe Pontificibus & Europæis reliquâ; initio Pontificatûs callidiſſimi & πολυμηχάνου Bonifacii, qui Angelicas revelationes commentus erat abdicando Cœleſtino V. Vidente prætereà Pontifice, longinquas in Palæſtinam Peregrinationes commutari ità poſſe breviori; inſtitutâ in locum Romæ vicinum, in Papæ territorio ſitum, paribus Indulgentiis, & quidem ſpecioſo hoc prætextu, ſcil. auguſtiſſimæ Domûs in quâ Verbi Incarnatio contigiſſet; Angelo Gabriele, per *feneſtram* ingreſſo, quæ hodieque viſitur, ad Occaſum Domûs. Hinc appellanda eadem *Sacratiſſimum Sacellum*, *Glorioſa* & *S. Sancta Cella*, *Sacrarium* vel *Solium Divinitatis*, *Domus Aurea*, *Propitiatorium Altiſſimi*, *Civitas Refugii*, *Puteus Aquarum viventium*, *Terror Dæmonum*, & quibus appellationibus aliis. Ibique *Imago* vel *Statua* B. Virginis, à *Lucâ* affabre facta, IV. pedum altitudine, & ab Apoſtolis illìc poſita; *Altare* etiam, in quo *Petrus* primam Miſſam celebraverit; & quæ plura id genus ſunt excogitata commenta. Sed immodica ſuperſtitio, atque infanda Idololatria poſteriorum temporum, vix fidem inveniat, quemadmodum nec congeſti in hanc Domum theſauri, ab hinc CCCC. annis, accepti ab Imperatoribus, Regibus, Reginis, ac Principibus fœminis, ut gerere uterum hæ feliciter poſſent: Quomodò noſtro tempore nota *Mariæ*, Anglorum nuper Reginæ, Votivam hîc Tabulam ſuſpendentis, undè concepiſſe dicitur Hæredem regni, vulgò *Walliæ Principem*, vulgatiſſima Hiſtoria. Et Ludovicus XIII. Coronam gemmis precioſiſſimis coruſcantem, huic B. Mariæ donavit, cum hac Inſcriptione,

Tu Caput antè meum cinxiſti, VIRGO, *Coronâ*,
Nunc Caput ecce teget noſtra Corona tuum.

Imaginem hujus portentoſæ tranſlationis *Caſæ Marianæ*, qualem Lauretæ oſtendunt, & Romano cælo delineatam exhibent, in gratiam Lectorum, hîc ſubjicio.





Muta- tion. in Oriente, Angliâ, Galliâ, &c. V. *Politicæ mutationes* hoc Ævo, præ multis aliis, inſignes fuêre, exempli cauſâ: *Flandrorum* ſive Francorum Imperium in Oriente natum, poſt expugnatam Conſtantinopolim, A. MCCIV. Balduino, ob eminentem virtutem, Imperatore primo, ut ſuprà in rebus Orientalium, *Cap.* 11. *Anglia* & *Hybernia* regna à Johanne Rege turpiter reſignata in manus Romani Pontificis, cum jure proprietatis, A. MCCXIII. Undè Anglorum Proceres regnum detulerunt Ludovico Juniori, Philippi Auguſti filio; de quo vide ſuprà *Cap.* VI. *col.* 1668. *Normannia* tota, reditura ſub Gallorum dominatum, Philippo Auguſto Rege, quæ Rolloni ceſſerat antè annos ferè ccc. Quâ occaſione factum, ut Galli *Anglorum* iſtud jugum excuſſerint, poſt necem Arturi à *Johanne* ejus patruo admiſſam; qui Angli & excidêre Provinciis aliis, *Andegavenſi*, *Turonenſi*, &c. ex crimine feloniæ. Rem prolixè referunt Gallorum Annales, ad Annos MCCI. MCCII. & ſequentes, & jam innuimus ſuprà ad finem *Cap.* I. hoc Seculo.

VII. Electores Imperii. VI. Germanicum *Imperium*, tempore Friderici II. factum electitium per *Septem-viros Electores*: Quod ejus pater Henricus VI. ob diſſidia Germanorum Principum in electione Imperatoris, voluerat *ſolâ Sanguinis ſucceſſione conferri*, ut Auctor Magni Chronici Belg. Sed tandem, ſublatâ illâ eligentium Principum multitudine, jacta creduntur dignitatis Electoralis fundamenta, in Comitiis Veronæ habitis, A. MCCXLV. Friderico rem hanc urgente, ut colligunt ex Abbatis Stadenſis *Chronico* ad A. MCCXL. Onuphrius, Philœcus, & alii: *Ex prætaxatione Principum* (inquit Albertus Stad.) *& conſenſu eligunt Imperatorem Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis: Et de ſecularibus eligit Palatinus, quia Dapifer eſt; Dux Saxoniæ, quia Mareſchallus; & Marcgravius de Brandeburg, quia Camerarius; Rex Bohemiæ Pincerna eſt, non tamen eligit, quia non eſt Teutonicus.* Hinc Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi I. *Collegium Septem Electorum* Imperii, ex præpoſterâ æmulatione, utque ad ſe traheret poteſtatem conſtituendi Imperatoris, vano ſucceſſu creavit. Non inſtit. à Papis. Tandem verò illa dignitas *Septemviralis* ſenſim obtinuit ex conſenſu totius Imperii, firmata deinceps per *Bullam Auream* Caroli IV. A. MCCCLVI. Et ab his Electoribus Imperator primùm electus eſt, in locum Friderici, Henricus Haſſiæ Landgravius, A. MCCXLVI. paulo poſt ex vulnere ad Ulmam recepto moriturus; Tum Wilhelmus II. Hollandiæ Comes, A. MCCXLVII. inductu Innocentii IV. & Ottonis Soceri Brunſwicenſium Ducis; coronatus Aquiſgrani A. MCCXLVIII. quum Germaniæ Principes ſibi à Friderico II. & Conrado ejus Filio, metuerent. Sublatus eſt in expeditione adversùs Friſios, A. MCCLV. Et hujus Guilielmi ſoror fuit *Margaretha* Comitiſſa Hennebergenſis, de quâ conſtanter ferunt, enixam fuiſſe in Abbatiâ Loſdunenſi uno ab Hagâ lapide, A. MCCLXXV. partu uno eodemque, Liberos promiſcui ſexûs CCCLXV. Fabulâ de partu Loſdunenſi. Poſtquàm ſimilem partum ipſi imprecata fuiſſet paupercula mulier, quæ gemellos enixa audiit ab hac *Margaretha*, ex *duobus* viris concepiſſe eam hos gemellos: Hinc paupercula, ex juſto animi dolore, precata eſt, ut ipſa poſſet uno partu *tot liberos* parere, quot *ſunt in anno dies*. Accidit, infantuli S. Baptiſmo tincti in pelvibus æneis duabus, adhuc aſſervatis: Refert *Magnum Chron.* Hollandiæ *Lib.* 11. & Tabula hodieque Loſdunæ in Templo ſuſpenſa: Cujus narratis, eo tempore quo fraudes Monachorum cotidianæ, & infinitæ, miror fidem adhibere Guicciardinum, Eraſmum, Lud. Vivem, ſimiles.

Poſt verò A. MCCLVII. mortuo Guilielmo, diſcordi electione (undè Interregnum annorum XVI. vel XVII.) à Colonienſi quidem, Moguntino, & Palatino, *Richardus* Angli Regis frater, Roman. Rex electus; à Trevirenſi autem, & Saxone, quibus acceſſit Brandeburgenſis, & Regis Bohemiæ Legatus, *Alphonſus* X. Caſtellæ Rex. Et ſic abiturum tandem in Legem fuit jus *Septemviratûs*, concordi electione Rudolphi I. Adolphi Naſſovii, Alberti I. De quo etiam Septemviratu Martinus Polonus, Pœnitentiarius Innocentii IV. ut jam *inſtituto*, ſic ad Tempora Ottonis III. *Tamen poſtea fuit inſtitutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem, videlicet primò, tres Cancellarii*, &c. Et ad Ann. MCCXLIX. *Poſt depoſitionem Friderici* II. *Imperatoris, Innocentius* IV. *qui eum depoſuerat, procuravit per Principes Alemaniæ Electores, plures eligi ad Imperium.* Non igitur inſtitutum hoc Collegium Electorum per Papas; quamvis hoc Seculo Papæ *Innocentius* IV. *Alexander* IV. dein *Johannes* XXII. auctoritatem ſuam interponere ſuſtinuerint, & vel mandare vel interdicere Electoribus, horum & illorum electionem. Vide & quæ de Electorum Origine diximus, ad *Sec.* X. *col.* 1498.

Occaſione longi in Imperio Germanico interregni, à morte Friderici II. ad tempora uſque Rudolphi I. fuit *Auſtregarum* jus inſtitutum; id eſt, arbitraria, & compromiſſaria Judicia, quæ Principes Auſtregarum jus. Auſtriaca Domus.

Digitized by Google

pes inter ſe inſtituerunt, circà medium Seculum A. MCCLI. circiter, à voce Germanicâ *auſtragen*, unde *Auſtrega*; hæ deinceps à Maximiliano I. reformandæ. Quâ de re Limnæus, Conringius, alii *Juris Publici* Scriptores, quos inter etiam Celeberr. atque Integerrimus Collega meus Vitriarius, *Lib.* IV. *Tit.* V. Adde *Auſtriacæ* Domûs ſive potentiæ incunabula, in *Rudolpho* Comite *Hapsburgico*, familiæ Auſtriacæ capite, in Regem Romanor. electo, A. MCCLXXIII. poſt diutinum Interregnum à morte Friderici, diſtractumque variè Imperium: A quo Rudolpho *Auſtria* primùm poſſeſſa, poſt victum Ottocarum Bohemiæ Regem, per quem Auſtria fuerat occupata; hinc eadem ad *Albertum* filium, & Archiduces hodiernos, tranſmittenda fuit. De quo Æneas Sylvius in Hiſt. Bohemorum, Cuſpinianus, plures alii.

Veſperæ Siculæ.

VII. Accedant *Galli*, nihil tale ſuſpicantes, (ſed quorum intolerabilis eſſet libido, atque tyrannis) tota *Siciliâ* internecione deleti, ſæviſſimum in modum, nullo diſcrimine ſexûs, nec ætatis, uno eodemque tempore. Factum ipſâ veſperâ *Paſchali*, ſecundùm plurimos, Anni MCCLXXII. quum Sacræ Campanæ ad hymnos Veſpertinos, omnem Ordinem convocarent: Conjurationis auctore, (ex vindictæ in Regem Carolum & in Gallos ſtudio) *Joh. Prochytâ* Nobili Siculo, familiæ Suevorum Principum addictiſſimo, quem Carolus relegaverat; inito per hunc cum Petro Aragonio, & cum Michaële Imp. quem excommunicaverat Pontifex Martinus IV. fœdere. Nec fuit neſcius clandeſtinæ proditionis Nicolaus III. Pontifex, quem in *Carolum* Siciliæ Regem, & in Gallos, alieniſſimo eſſe animo cognoſcerent, ſed mox intercipiendus fato, antè executionem. Nihil autem hujus conſpirationis vel Philippus Pulcher Gallorum Rex, vel Galli in Siciliâ agentes, ſuſpicati ſunt, de quorum internecione agebatur. Et hæ *Veſpera Sicula* appellatæ, vel *Siculus Veſper*, agente tùm apud Martinum IV. Pontificem *Carolo* Siculo, in Etruriæ partibus; ac Claſſem apparante contrà Græcos; dùm Aragonii expeditio maritima crederetur inſtituta debellandis Infidelibus in Africâ. Tanta verò & tam univerſalis fuit ea ſtrages Gallorum, ut unicus evaſerit ex Gallis *Guilielmus Porcelletus*, ob famam probitatis virtutiſque. Referunt rem prolixè Ptolomæus Lucenſis in Annalibus ad An. MCCLXXXII. hinc Johannes Villanius, Paulus Æmilius, & quotquot hujus temporis hiſtoriam deſcripsêre.

Chriſtiani Palæſt. exacti.

VIII. Adde his mutationibus, *Chriſtianos* Syriâ univerſâ pulſos, hinc Aſiâ totâ, poſt ultimò expugnatam, mox & deletam, *Ptolemaidem* à Sultano Babylonio Melech-Meſſor, An. MCCXCI. ut ſuprà memoratum *Cap.* II. Nondùm itâ elapſis duobus Seculis, à fundato per Bulionæum Regno Hieroſolymitano. Et his Saracenis animos fecerunt, illinc perfidia Romanorum Pontificum, qui Europam inteſtinis bellis miſcuerunt odio Familiæ Suevicæ; hinc diffidia Chriſtianorum tùm in Europâ, tùm in Syriâ ipſâ; tandem Latinorum in Oriente ſcelera, cædes, rapinæ, libidines, adulteria, inceſtus, perjuria, undè Saracenorum furor: Obſervante Brochardo Monacho his ipſis temporibus, omnium populorum, in iis Orientis partibus, corruptiſſimos fuiſſe *Latinorum* mores. *Et ut verum loquar*, inquit ille p.m. 333. *in noſtram magnam confuſionem, nulli in Terrâ promiſſionis pejores, & moribus corruptiores, inveniuntur quam Chriſtiani, cujus hanc eſſe rationem arbitror. Quando aliquis in Hiſpaniâ, Galliâ, Germaniâ, Italiâ, aut aliis Chriſtianitatis Nationibus, malefactor deprehenſus fuerit, utpote homicida, latro, fur, inceſtuoſus, adulter, proditor*, &c. *& timet propterea à Judice condignam ſibi irrogari pœnam, fugit & transfretat in Terram Sanctam, quaſi hoc contractum aboliturus malum*, per Papales Indulgentias, *& quum illuc venerit, non animum ſed locum mutavit.*

Jubil. à Bonif. VIII. inſtit.

IX. Tandem, haud tacendum Bonifacii VIII. novum inſtitutum, expirante Seculo, An. MCCC. qui ad morem Romanorum *Ludos Seculares* inſtituentium anno quoque C. vel CX. *Jubilæum* promulgavit: Id eſt, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, factam viſitaturis limina SS. Apoſtolorum, *Petri* & *Pauli*, loco viſitati anteà Sepulchri Dominici, eandemque *centeſimo* quoque anno itâ repetendam. Nec tamen *Jubilæum* vocavit, nomine ex Moſaicâ Diſciplinâ mutuato, neque hanc Indulgentiam ſeu peccatorum omnium remiſſionem *gratis* conceſſit. Clemens verò VI. *quinquagima* poſt annis, id nominis indidit, imitatione Judaicâ, quâ de re loco ſuo. Ratio inſtituti fuit, ut amiſsâ Palæſtinâ, eſſet compendioſior via promerendi Indulgentias, hinc Cœlum, *Romam* modò adeundo, ac ſalutando Baſilicas Petri & Pauli: Quemadmodum jam commutatæ erant Peregrinationes *Hieroſolymitana* in *Lauretanas* ut viſum ſuprà. *Breviori manu*, inquit Spondanus, *cœlum mortalibus aperuit.* Reverà ſcopus fuit, plenariis hoc Jubilæo *Indulgentiis* propoſitis, ingentes pecunias corradere, expedito quæſtu, & impudenti aucupio; quod dicit Platina in *Bonifacio* IX. ad *agnatos Papa locupletandos aucupium fuiſſe maximè compendiarium.* Sed de Bonifacio VIII, uti etiam IX. plura ad ſequens Seculum.

XV. *Res Tatarorum; Saracenorum; Judæorum.*

Mogulenſis Imper. exordia.

I. Nec omittendi *Tatari*, vulgò Tartari, gens Aquilonaris Scythiæ Aſiaticæ, ſeu Magnæ *Tataria*, Chinenſibus jam ab antiquo *Tata*, quia carent Literâ *R.* Hæc Perſis, Parthis, Indis, & Sinis ad Septentrionem eſt, ad Ortum Maris Caſpii, ubi ſunt Regna ſeu Provinciæ ampliſſimæ, *Zagathay*, *Turkeſtana* ſeu Turcia Orientalis, *Samakania* ſeu *Samarkanda*, *Coraſmia* ſeu *Cowareſmia*, *Tunking*, *Tenduc*, *Tibet*, *Tangut* vel *Tangu*, *Cathay*, quæ & *Suchuen* quandoque, &c. Omnium vaſtiſſimâ Cathayâ extrà murum Sinenſem, & ad Oceanum Orientalium protenſâ, in cujus parte habitârunt *Mogli*, *Moguli* ſeu *Mogulenſes*, ſub propriis Principibus. Ex his Mogulis quidam *Jingiz-Chan*, vel *Zingis*, *Chingis*, bellicâ fortitudine inter ſuos eminens, hinc in Ducem electus, ſub initia hujus Seculi, fundavit mox ampliſſimum *Mogulenſium* Imperium, ex M. Paulo Veneto, Haytono Armenio, Greg. Abul-Pharajo, Zaccutho in Libro Juchaſin, Vincentio Bellovacenſi, aliiſque, quibus in Scriptoribus certiora & mage conſona à pugnantibus, aut fabuloſis, diſtinguenda. Ex profeſſo hæc Mogulenſis Imperii initia refert Abul-Pharajus, Dynaſtiâ IX. Verſionis Pocockii, p. 281. 282. &c. Nempè oppreſſus ex inſidiis, & per inſignem perfidiam calumniantium, fuit potentiſſimus tùm Tatarorum ſeu Cathæorum Princeps, *Und* vel *Ung-Chan*, *Un-Cam* M. Paulo, (qui & *Juchanna*, *Johannes* Rex Chriſtianus) Neſtorianæ familiæ, idemque *imperans Populis qui Chriſtianam religionem profitebantur*, itâ Abulfarajus; ſed iniquiſſimè delatus ad *Tamuſin* quendam, virum ſummæ in debellandis hoſtibus fortitudinis, quaſi decreviſſet Ung-Chan illi manus injicere, ac conjicere in vincula, quod ille prævenit, & ipſum tandem *Ung-Chanem* cum ſuis interfectum oppreſſit. Et hic eſt qui *Jingiz-Chan* poſteà appellandus; à quo proferendum fuit Mogulenſium Imperium; à quo & pleræque Tatarorum Tribus, virtute ipſius Zingis, dicti tum *Tamuſin*, ſubactæ anteà fuerant. Cum innumerabili exercitu, circà A. Chr. MCCVI. *Ortum* quidem versùs, in Turkeſtanam omnem,

Digitized by Google

mnem, omnemque Cathajam, ac Sinam Septentrionalem; verſùs *Auſtrum*, in Indiam & conterminas regiones, Parthiam, Perſiam, Chowareſmiam, Aſſyriam, Meſopotamiam; verſùs *Occaſum* & *Septentrionem*, in Armeniam, Georgiam, Iberiam, ad Wolgæ fines: Diviſo ſub mortis tempus in Filios *quatuor* Imperio, circà A. MCCXXVIII. quos jam vivus admoverat ſummis Præfecturis; filio tamen *Ogtai-Chang* deſignato cui ſumma rerum traderetur, qui deindè tranſtulit in fratrem, natu minimum *Olug-Nowain*. Poſteà ad *Arabus* Dynaſtia tranſlata, hinc iterùm ad Tataros *Mogulenſes*, & ſic ad Cublai-Chanum. Qui propriè ex Tatariâ *Septentrionali*, verſus Riphæos montes; dein effuſi per regiones Mari Caſpio vicinas in Tatariam *Occidentalem*, tandem prolatis armis in ipſam Aſiam, Europam, *Turcis* infeſti; Hinc pergentes in Orientem & Auſtrum, *Sinenſium* ampliſſimas Provincias ad Meridiem ſubegerunt; totâque Chinâ vel *Sinâ* potiti ſunt, circà A. MCCLXXVIII. Regiâ in *Cambalu* Cathayæ conſtitutâ, quæ eadem cum *Peking*, ſub *Cobilâ* vel *Cublai-Chano*, quinto Tatarorum Imperatore, de quo pluribus M. Paulus Venetus de Regionibus Orient. *Lib.* II. & Abul-Pharajus in Hiſtoriâ Dynaſtiarum *Dynaſt.* x. p. 350. quæ deſinit in A. Hegiræ DCLXXXIII. id eſt, Æræ Chriſt. MCCLXXXIV. Supplementum ad Hiſtoriam Dynaſtiarum dedit Edw. Pocockius, Oxonii An. MDCLXIII. Potiti ſunt Imperio Sinico hi Tatari, Mogulenſes dicti, ad A. MCCCLXVIII. quando expellendi fuerunt è Chinâ vel Sinis Tartari, Chinenſium virtute excitatâ à quodam viliſſimæ ſortis homuncione, *Chu* appellato, qui primò latronis perſonam egerat, à quo *Taiminga* familia initium cœpit, Regiâ tum in urbe *Nanking* conſtitutâ. Donec hoc noſtro Ævo, *Tatari Orientales* rurſùm in Sinas erumperent, *Leaotung* extremâ ad Ortum & Septentrionem occupatâ, An. MDCXVIII. Dein hi variam belli fortunam experti, donec Ann. MDCXLIV. Regia *Peking* à Latronum præcipuo Duce *Licungzo* capta fuerit, Imperator verò Sinarum ſe ipſum laqueo ſuſpenderit: Tandemque Tatari Sinas ſubegerint univerſas, obtinente in hunc diem Tatarorum in Sinis Imperio, qui & magnam Tatariæ partem Sinis adjunxerunt. Quâ de re Hiſtoria Belli Tatarici, Scripta à Martino Martinio, & excuſa An. MDCLV. Ex ejus autem *Zinchis-Chani* familiâ, de quo modò dictum, fuiſſe perhibetur *Timur-Lenck*, id eſt, *Claudus*, qui vulgò Tamerlanes, Dei flagellum ſub finem Seculi XIV. & initia XV. qui rerum à ſe geſtarum famâ orbem implevit; de quo ſuo loco dicendum. An verò quartus Tatarorum Imperator, *Mangu*, vel *Mango-Chan*, cum fratre *Haolono*, ſeriò ſuſceperint fidem Chriſti, cum totâ gente, ut refert Haythonus, ſuaſu Armenii Regis, major eſt ratio dubitandi, & multæ converſiones id genus à Monachis Franciſcanis vel Dominicanis confictæ. Uti multa ille de Chriſtianiſmo *Caſani*, Tatarorum Regis, qui ſanè ſollicitatus ab Armeniis, & Georgianis, Sultanum Ægypti oppreſſit, expirante Seculo, & Saracenos Palæſtinâ, pro illo tempore, exegit, fruſtrà *Europæis* Chriſtianos ab hoc in fœdus ſolicitatis. Ac in Tataris diu fuêre *Chriſtianiſmi* reliquiæ, poſt mortem *Ung-Chani* Regis Chriſtiani; defecturis tandem pleriſque ad Muhammediſmum, & ad priſtinam barbariem.

Saracenorum progreſſus in Hiſp.

II. *Saracenorum* in Syriâ & Palæſtinâ progreſſus, & in Ægypto victorias, *Damiatâ* receptâ, ſuprà vidimus in hiſtoriâ Belli Sacri. *Maurorum* in Hiſpanias excurſiones hoc Seculo inchoato, ſed deinceps clades, amiſſaque regna *Majoricæ*, *Valentiæ*, *Murciæ*, *Cordubæ*, Anno MCCXXXVI. & ſequentibus, virtute Regum Caſtellæ, & Aragoniæ, (potiùs quàm *Imaginis* Deiparæ Virginis) referunt pluribus Africanæ & Hiſpanicæ Hiſtoriæ Scriptores, Rodericus Toletanus, Joh. Mariana *Lib.* XII. & XIII. Marmolius Africæ *Parte* I. & alii. Regnum tamen *Granadæ*, in Hiſpaniâ Bæticâ, & Auſtrali (ubi olim ſita Illiberis) ſic dictum à Civitate omnium totius Hiſpaniæ maxima, fertiliſſimo ſolo, & omnium frugum atque arborum abundantiſſimo, aëris ſaluberrimâ temperie, mediam dividente *Darro*, vel *Dauro* fluvio (quaſi, ità nonnulli, *dante aurum*) Mahumed *Abu-ſayd*, Maurorum fortiſſimus, erexiſſe fertur circà A. MCCXXXVII. duraturum ultrà annos CCL. & refertur à Marmolio, *Africæ* P. I. ad A. MCCXXXVI. *Libro* II. C. XXXVIII. Quod regnum ad tempora uſque Ferdinandi & Iſabellæ Mauri tenuerunt, & numerarunt XXI. Reges ex familiâ dicti Mahumed *Abu-ſayd*, Ibni *Aben-Alahama*, ſeu ex proſapiâ *Alahamarum*; properante ad finem Sec. XV. A. MCCCCLXXXVIII.

Mamluchor. Imper. in Ægypto.

III. Sed & invaſum Ægypti Imperium, hoc Seculo, à *Mamaluchis* vel *Mameluchis* fuit, Arabibus مماليك *Mamalik* (quod ſervos *emptitios*, qui mediante pretio in Domini poſſeſſionem tranſeunt) Circaſſiæ vel Comanæ aut Turcicæ Originis; quibus Sultani Ægyptii, indè à *Saladini* temporibus, pretio à Tataris emptis, ut è bellicoſiſſimâ Gente, atque armorum continuâ tractatione exercitis, poſt *abnegatum Baptiſmum*, ad bellicas expeditiones utebantur, ob mollitiem Ægyptiorum. His uſi Sultani ut Prætoriano ac præſidiario milite, ad minimum X. millibus, in quibus præcipua eorum fiducia, admovendis etiam pro ratione meritorum, ad primas *Amirorum* vel *Emirorum* (undè Ἀμμιραῖος, *Amirades*, *Admiratus*, *Admiralius*, ex Arabum voce امير *Emir*, ſeu *Dux*, Præfectus) dignitates, & Palatii miniſteria. Sed accidit ut hi Mammeluchi, circà A. MCCL. poſt pactas à Sultano Ægypti inducias cum *Ludovico* IX. Francorum Rege, Damiatam reſtituturo, ut in *Sultanum* gladiis ſtrictis inſurgerent, eumque fruſtatim conciderent: Ratio fuit, quod hic Sultan *Almoaddamo Taranſciah Gaiat-Addin*, (hoc illi nomen fuit) redux nuper è partibus Orientis, mox à morte Patris, diffidens jam his Mammeluchis, (quorum potentiores Pater ejus *Salehus Nagen-Addinus Aioub*, interfici juſſerat, fiſco addictis eorum bonis) primas in Militiâ Dignitates, earumque inſignia, δικανίκια Codino, ut Conneſtabilis, Mareſchallorum, &c. ademptas Mameluchis, diviſerat inter Peregrinos, ſecum recens ex Oriente in Ægyptum adductos, magnâ Principis imprudentiâ. Mox hi Mameluchi, pacta cum *Gallo* in ſpeciem juramento firmare; ſed fidem fallere ſervili more, violatis induciis, & innumeris Latinorum aut cæſis aut ad apoſtaſiam adactis; tandem (extinctâ jam Saladini ſobole) ex ſuis *Sultanum* deinceps *eligere*, factâ inter ſe conventione; ac primum bello ſtrenuum elegerunt è Mameluchis Turcicis, vel Turcomanis, *Almalec Almohez Azz-addinus Atbecus*. Et ità tranſitura fuit Dignitas ſuprema, ad eos, non quos natura & ſanguis, ſed quos meritum & fortitudo, ac ſpes de illis concepta, eveheret. De his videndus Guil. de Nangiaco in *Geſtis S. Ludovici*, ad Annum MCCL. Joinvillæus in *Vitâ Ludovici* IX. *pag.* 56. 57. 69. & ad eum Carolus Du Freſne Obſervat. p. 77. 78. tùm Chronicon Orientale de *Caliphis Ajoubitis*, Edit. R. p. 105. 106. Cumprimis etiam Edw. Pocockius in Supplem. Hiſtoriæ Arabum, *pag.* 7. 8. ne dicam Marmolium Africæ Parte I. *Lib.* II. C. XXXVIII. Duravitque *Mameluchorum* hic dominatus, ad tempora *Selimi* Turcarum Imperatoris, ſeu Annum MDXVII. *Turcicæ* verò potentiæ incunabula, in *Oſmane* ſeu *Ottomanno* primò Imperatore, ac fundatore Imperii, indè ab A. MCCC. circiter, ad ſequentem Ætatem referemus.

IV.

Digitized by Google

Judæor. calamitat.

IV. *Judæorum* res perſequi nihil attinet, ubique ferè afflictas, quicquid Honores, Dignitates, Miracula ſuæ gentis, eorum Chronica ſæpè mentiantur, Sepher Juchaſin, Zemach-David, Schalſheleth R. Godaliæ, Schebeth-Jehuda Liber hiſtoricus de Judæorum diſperſionibus, calamitatibus, &c. In *Oriente* habituri hoſtes Tataros, Saracenos, Turcas, ſed & Græcos, à quibus Edicta prodiiſſe quibus *Judæis à Lege ſuâ deficere jubebantur*, autor eſt Schebeth-Jehudah, à Georgio Gentio Latinè verſus, *pag.* 155. In *Occidente*, ejiciendi publicis Edictis totâ *Galliâ*, ſub Ludovico IX. dein & Philippo Pulchro, quod vocant *Exilium Magnum*, quando periiſſe *duplo plures, quam exierant ex Ægypto*, habet *Zemach David*. Sic pulſi totâ *Angliâ*, habitâ Londini apud Weſtmonaſterium Synodo, Eduardo I. Angliæ Rege A. MCCXC. Nicolao IV. Pontif. antè etiam ſub Henrico III. ut refert Matthæus Paris ad A. MCCLIV. tùm & è variis *Germaniæ* ac *Bohemiæ* partibus, hoc & ſequente Seculo. Poſteà & expellendi totâ ferè *Hiſpaniâ*, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, Caſtiliæ, Majorcæ, &c. undè multi ad Arabas confugerunt; De quibus præter Chronica Judæorum, Matth. Pariſius, Polyd. Vergilius, Chronographi alii. Sed & pecuniarum exactionibus, carceribus, ſuppliciis, cruciatibus quandoque, quos multi intrepidè ferrent, in eos ſævitum fuit.

Cauſæ ſævitiei in Jud.

Cauſæ fuerunt, partim zelus Cruce-ſignatorum, & *Inquiſitorum* ſævities; partim Judæorum *uſuræ* immodicæ, & *fraudes* circà rem monetariam; partim accuſationes crebræ, ſeu veræ ſeu fictæ, *infanticidiorum*, *crucifixionum* exercitarum in pueros, profanatæ *Euchariſtiæ*, *plagii* admiſſi circà infantes Chriſtianorum, quos *circumciderent*: Et quæ id genus delicta plura ſunt, apud M. Pariſium, ejuſque Continuatorem, apud Nauclerum, alios; ex his Genebrardum, Bzovium, Spondanum, ad An. MCCXXXIII. MCCLV. MCCLXXXII. MCCXC. &c. *Converſiones* eorum quæ feruntur, plerumque aut fictæ, aut coactæ, metu ſuppliciorum & exterminii.

Magiſtri Celebres.

V. Frequentior tamen illorum in *Hiſpaniâ* & *Africâ* numerus hoc Ævo fuit: Undè & Magiſtri plures *Arabicè* docti, etiam ex Arabico tranſlaturi Avicennam, Euclidem, Majemonidis quædam, teſtibus præfatis Chronicis. Aſtronomiæ addicti non pauci, quo ſe apud Alphonſum X. commendarent, concinnante Tabulas Aſtrologicas, ſeu Alphonſinas, R. *Iſaac Alben Sid*, ut habent in Libro Juchaſin. Scriptis inclyti hoc Seculo, ſeu Commentationibus in Legem, in Talmudem, in Gemaram, variiſque Tractatibus, plures memorantur. Eminuère autem *R. Moſes Ben Nachman* Gerundenſis, θαυμαςὸς Magiſtris; *R. Meir* ex Theodoro natus, Toleti docens, ac ſcribens Commentarios in Legem, aliaque; *R. Aſcher* vulgò הרא״ש *Haroſch*; *R. Bechai* filius Aſcher; *R. Levi Ben-Gerſon*, contractè Ralbag; *R. Schem Tof*, tranſlator *More-Nebochim*, Lugdunenſis Gallus; *R. Iſaac Iſraëlita*, auctor יסוד עולם *Jeſod-Olam* Libri Hiſtorici, &c. Recenſentur in dictis Chronicis, ad finem *Millenarii* Judaici v. & initium VI. ac notiſſimi illi in ſerie Magiſtrorum, & in Bibliothecis Rabbinicis; inter quas eſt illa quæ nuper Amſtelodami prodiit, שפתי ישנים *Labia Dormientium*, & omnium inſtar illa J. Buxtorfii Patris.

Converſion. Judæor.

VI. *Converſiones* Judæorum in Chronicis memoratæ, ſunt plerumque aut *fictæ*, ſcilicet ad miracula ab Hoſtiis, ab Imaginibus, à Sanctis profecta; aut *coactæ*, metu ſuppliciorum, & exterminii, qualiter in Hiſpaniis, Galliis, Angliâ, tempore perſecutionum, innumeri feruntur miſiſſe Judaiſmo nuncium, in *Schebeth-Jehudah*. Proprium enim Gentis pertinacia eſt, & velum oculis ac cordi obductum. Adeò quidem ut plurimi intrepidè martyria ſubiverint. Imò ille apud Pariſii Continuatorem, maluit in *latrinâ*, in quam inciderat, diutiùs hærere, quàm *Sabbato* indè extrahi à Chriſtiano homine, *Sabbata noſtra colo, de ſtercore ſurgere nolo*. Undè proximè ſequente *Dominicâ*, quum peteret ex fœdo ſe liberari loco, reſpondit ipſi Chriſtianus; *Sabbata noſtra quidem Salomon celebrabis ibidem.*

Fabula de Judæo errante.

Nec tacenda fabula, ab Armeniis profecta, apud M. Paris, ad Ann. MCCXXVIII. & ab Archiepiſcopo Armeniæ tùm in Angliam profecto, accepta. Nempe de *Joſepho* dicto, aliàs *Cartaphilo*, qui fuiſſet Oſtiarius Prætorii & Pontii Pilati, deinceps ex Judæo Chriſtianus ſcilicet; qui indè à temporibus Paſſionis Chriſti, quando natus circiter XXX. annos, *pepulit* Chriſtum *pugno contemptibiliter poſt tergum*, addens, *Vade Jeſu citiùs, vade, quid moraris*: Hinc vivus manſiſſe dicitur, idemque vagabundus, pauciloquus, expectans adventum Chriſti, ac ſingulis centenariis quaſi redivivus, receptâ juventute; Nempè ob voces illas Servatoris, ad ſe ferientem; *Ego vado, & expectabis, donec veniam.* Baptizatum autem fuiſſe ferunt ab *Ananiâ*, à quo Paulus baptizatus, ac vocatum *Joſeph*; vivereque ut plurimùm in Armeniâ, & aliis regionibus Orientis, ſanctæ converſationis & religionis virum. Eundemque referre ſolitum (addit Pariſius) ex relatu hujus Armenii, *de rebus antiquis, & de iis quæ geſta fuerant in Paſſione Domini, & Reſurrectione, illis videlicet qui ſurrexerunt cum Chriſto, & venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis. Referre* eundem dicit Hiſtoricus, *de Symbolo Apoſtolorum, & eorum diviſione ac prædicatione, & hoc ſine riſu, & omni levitate verborum, . . . Ut qui magis verſaretur in lachrymis, & timore Domini, metuens ſemper & ſuſpectum habens adventum J. Chriſti in igne, Seculum judicaturi, ne ipſum in ultimo Examine inveniat iratum, quem ad Paſſionem properantem irridens ad dignam provocaſſet ultionem.* Et quæ ibi Matthæus plura de hoc *Cartaphilo*. Sed pari Armenii illius Epiſcopi fide, quâ is percunctatus de *Arcâ Noë*, *quæ adhuc dicitur in Armeniæ montibus requieſcere, hoc idem affirmavit, teſtimonium perhibens veritati.* Et quæ alia refert Pariſius, ad calcem ejuſdem Anni MCCXXVIII. Imò confirmari eadem dicit, à *nobili quodam milite, Richardo de Argentonio, qui partes Orientales, ſub titulo Peregrinationis, devotus in propriâ præſentiâ* (perſonâ) *cum multis aliis viſitavit.* En ſpecimen credulæ ſimplicitatis illius temporis, & fabellarum quibus ſcatuit Oriens!

FINIS *Seculi Tertii Decimi.*

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM QUARTUM DECIMUM.

Rationes Chronol.

INCIPIT Seculum cum A. Æræ Vulg. MCCCI. Imperatore Orientis *Andronico* Palæologo Seniore, jam per annos XVIII. imperante, ab A. MCCLXXXIII. Oſmane, vel *Otomanno* jaciente modò fundamenta Imperii Turcici, ab An. MCCXCVIII. Marmolius ab An. MCCCI. è Natoliâ vili loco oriundus: Occidentis per annum jam Imperatore *Alberto* I. Auſtriaco, Rudolphi filio, etiam invito repugnanteque Pontifice; qui Albertum *parricidii* accuſabat in *Adolphum* Naſſovium admiſſi, hunc reverà in prælio contrà Albertum interemptum, A. MCCXCVIII. *Bonifacio* Papâ VIII. ingreſſo jam annum VII. ſui Pontificatûs. Regnabat in Galliis ab A. MCCLXXXVI. *Philippus* cognomento formæ præſtantiâ *Pulcher*, cui ludibrium debuit Bonifacius VIII. In regno Caſtellæ *Ferdinandus* Sanctii filius, ex Sanctio & Mariâ ejus *nepti*, inceſto tum matrimonio, genitus; In regno Luſitaniæ, *Dionyſius* Alphonſi III. Filius; In Aragoniæ illo, *Jacobus* II. Alphonſo genitus, qui à Carolo reſtitutionem Siciliæ impetravit, ductâ Blancâ Caroli filiâ: *Angliæ* verò regnum obtinebat *Eduardus* I. à morte Henrici III. Patris, jura ſua egregiè tuitus contrà Bonifacium Papam: In Poloniâ vero recens admotus regno fuerat *Wenceſlaus*, antè Bohemorum Rex.

Ideam hujus Seculi, quantum ad Eccleſiæ Hiſtoriam, ſequentia exhibebunt.

I. *Status Eccleſiæ hoc Seculo ineunte, in Oriente, & Occidente.*

Otomann. Imper. Natales.

I. Luctuoſa undique & undique rerum facies. Si *Orientem* reſpicimus, Eccleſiam quaquaverſum opprimebant, ut viſum ad ſuperius Sec. aut Saraceni, aut Turcæ. Et hi quidem ſub *Oſmane* vel *Otomanno* Imperatore, qui à ſuis dictus *Oſman-Gaſes*, Ertuculis vel Ortogulis filius, potentiſſimum fundarunt Imperium, ſub initia hujus Seculi: Quando mortuo Ertucule, qui Græcos perpetuis excurſionibus & rapinis infeſtaverat, filius *Oſmanes*, cæſis Fratribus, bello Græcos & Chriſtianos adortus eſt, & victoriis tandem ſuis potitus eſt universâ Bithyniâ, & parte Aſiæ Minoris, *Prusâ* per *Urchanem* filium occupatâ, quæ prima Imperii Sedes fuit. Vivere deſiit Oſmanes, ſecundùm *Annales* Turcicos anno Imperii XXVIII. ſeu anno Muhammedano DCCXXVII. id eſt, Æræ Chriſtianæ MCCCXXVI. ut ſic, juxtà dictos Annales, initium Otomannicæ potentiæ referri debeat ad MCCXCIX. Tandem Otomannidæ, ſubactâ totâ Aſiâ Minore, arma mox in Europam illaturi fuerunt, & exitium tandem toti Orientali Imperio, ut infrà.

Status in Ægyp. Et in Imp. Orientis.

Sultanus Ægypti, aliàs Babylonis, modò Palæſtinam recuperârat, omnemque Syriam, ejectis Tataris Anno MCCCI. qui ſub *Caſano*, *Caſſano*, *Chagano*, *Gazin*, Tatarorum Chano, qui fertur ad fidem Chriſti converſus, deſponſatâ filiâ Regis Armeniæ, quem totius Exercitûs *Mareſchallum* conſtituit, Saracenos indè exegerant, An. MCCCXCIX. cæſis ampliùs c. Millibus. Invitaturo etiam *Caſano* in Palæſtinam Chriſtianos in partibus Orientis Principes, miſſis nunciis, ex Haytono Armenio, de *Tartaris* C. XII. &c. Sed (inquit Spondanus) qui *ſua ſolùm quærentes, nihil penſi habuerunt quæ Dei eſſent.* Vide & Continuatorem Nangii, Monachum Benedictinum, ad A. MCCCI. *Andronici* verò *Senioris*, (qui & *Ducas*, *Angelus*, *Comnenus*, *Palæologus*) Imperium, quod cœpit à morte Michaëlis patris, A. MCCLXXXIII. domeſticis ſuorum diſſidiis, tùm minis *Latinorum*, afflictiſſimum fuit: Carolo Valeſio paraturo in Siciliam expeditionem, & per hanc in Imperium Conſtantinopolitanum, inductu Pontificis, quod *hæreditario* jure ſuam contingebat Uxorem, *Catharinam*, natam Philippo de Courtenay titulo tenus Imperatore Conſtant. undè ipſa *Imperatrix* dicta. Peſſundatum hoc Andronici impotentiâ, qui *Catalaunos* Hiſpanos, piraticam exercentes, Ronzerio Duce, conducere neceſſe habuit, dein à Græcis defecturos. Tandem *Otomanni* & *Turcarum* armis ac victoriis quas in Aſiâ Minore obtinuerunt, miſerè lacerandum Imperium fuit: Ipſo Andronico à nepote ſuo Andronico Juniore ſolio deturbato, & captâ ab hoc Conſtantinopoli, Anno MCCCXXVIII. quando detruſus in Monaſterium fuit Andronicus Senior, *Antonii* accepto nomine; poſtquam imperaſſet ſolus annos L. cum Patre verò, diademate ab eo donatus, annos LXII. victurus annos LXXIV. mortuus A. MCCCXXXII. Quâ de re Nicephorus Gregoras Hiſt. *Libro* VII. Laonicus Chalcocondylas, de Rebus Turcicis *Lib.* I. hinc alii.

II. Nihilo felicior in *Occidente* rerum Chriſtianarum ſtatus. *Papatum* tenebat Bonifacius VIII. ſuperbiâ & arrogantiâ gravis factus Europæ Regibus; Qui jam anno MCCXCIX. vel ut Walſinghamus Ann. MCCCI. Eduardo I. Anglorum Regi *mandata Papalia* direxerat, *ut Rex deſiſteret Scotos inquietare*; Regnum Scotiæ non Anglici, ſed Rom. Eccleſiæ juris eſſe; ſi quid juris in illud habere ſe putaret, ad Sedem Apoſtolicam referret, cujus judicio res illa foret terminanda. Literas Bonifacii ad Eduardum exhibet Matth. Weſtmonaſt. ad A. MCCCI. Contempſit iſtud mandatum Papæ Eduardus, & ut Regem decuit reſpondit, *Reges Angliæ* non ſolitos ſuper juribus ſuis in Temporalibus coram ullo Judice Eccleſiaſtico reſpondere; qui regno Scotiæ ab antiquiſſimis retrò temporibus præfuiſſent. Mox idem Bonifacius, cum Philippo Pulchro accerrimè, ſed in ſui perniciem, committendus, ſub initia hujus Sec. Præcipua cauſa fuit, quâ Bonifacius A. MCCC. mandata direxit ad Philippum, per Bernardum Saiſſet, recens creatum à ſe Epiſcopum *Apamenſem* in Galliâ Narbonenſi, contrà jura Regis, mandans ore audaci hujus novi Epiſcopi, ut Rex ſe pararet ad Expeditionem Cruciatam, additis minis; tum ut Filiam Guidonis Flandrorum Comitis, obſidem Regi datam, in libertatem vindicaret, Urbeſque captas reſtitueret: Quâ re commotus Philippus, & aliundè in Pontificem irritatus, Epiſcopum illum in cuſtodiam tradidit; hinc Pontifex miſſo ad Regem Archidiacono Narbonenſi jubere, Apamenſem Epiſc. protinùs in libertatem reſtitui; tum tenorem Bullæ illi inſinuari, inſertæ *Sexto* Decretal. ſed poſteà juſſu Clementis V. diſpungendæ: Cujus

Status in Occid. Prima Bonif. VIII. in Eduard. & in Philipp. auſa.

Digitized by Google

Cujus ſumma hæc fuit: *Regem, tam in Spiritualibus quàm in Temporalibus, ſubjici correctioni Pontificiæ; Collationes Beneficiorum ad eum nullatenus pertinere; quaſcunque vel feciſſet hactenùs, vel facturus deinceps declarari ipſo jure nullas; Et Hæreticos cenſeri, quotquot aliter ſentirent.* Quam *Bullam* Rex publicè flammis tradi juſſit, & Archidiaconum confeſtim Regno excedere, ut Continuator G. Nangii ad A. MCCCIII. Bonifacius autem aliâ *Bullâ*, injungere omnibus Prælatis Regni Franciæ, ut protinùs ſe Romam conferrent, quo tantis Eccleſiæ malis remedia pararentur, & decerneret Pontifex quæ ad *conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, Reformationem Regis & Regni, correctionem præteritorum Exceſſuum, & bonum Regimen Regni ejuſdem, videret expedire*, ut ex Epiſt. Bonifacii refert Odor. Raynaldus, ad A. MCCCI. *Num.* XXIX. viciſſim Nogaretus, in publicis Regni Comitiis, accuſare Bonifacium, præſente Rege, *Hæreſeôs, Simoniæ, Inceſtûs, Atheiſmi*, aſſurgentibus quotquot tum præſentes aderant. Hæc fuerunt diſſidii inter Philippum & Bonifacium principia, de cujus ſucceſſu pluribus infrà.

Continuat. miſeri ſtatûs Eccl. & Reip.

Simul verò cum Papali Tyrannide, & truci Inquiſitione, *Doctrina* Antichriſtianæ variæ, *Idololatria*, *Superſtitio*, *Monachiſmus*, in ſpecie *Mendicantium* Ordines, denique *Scholaſt.* barbaries, totum Orbem Chriſtianum occupabant fœdabantque, ex obſervatis ſuperiori Sec. Lemmate V. VI. X. *Imperium* verò Germanicum, tenebat Albertus Auſtriacus, ſed invito Bonifacio VIII. quod *Carolo* Siciliæ Regi ſpem fecerat ejus obtinendi, undè Carolus ad *Pontificem* profectus eſt Anagniam, hoc Anno MCCCI. Septembri menſe, quando *Imperii Vicarius* & *Defenſor Eccleſiæ* declaratus eſt, ut prolixè ex Joh. Villanio Spondanus, & Nangii Continuator ad A. MCCCI. Etiam Reſpublicas *Genuenſium* ac *Venetorum*, diſtrahebant diverſa & adverſa ſtudia, eruptura in longa certamina, hoc ipſo Seculo: Quomodo diſtracta erant Regna *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Italiæ*, fovente ſemina bellorum ac contentionum Pontifice, ſed in rem ſuam. Quâ de re Annales Civiles, & Chronographi ad primordia hujus Seculi. Sub cujus initium, minax *Cometes*, apparens in Domo Martis (apud Villanium, Suffridum, Continuatorem M. Poloni, &c.) comâ præcipuè ad *Orientem* verſâ, portendere viſus eſt Imperio Græcorum ſubſecutas per Otomannos clades.

II. *Antichriſti novi Orientalis, ſeu Otomannicæ potentiæ natales, & progreſſus, hoc Seculo.*

Turcar. origines.

I. *Turcas*, Scythiæ Aſiaticæ ultrà Tanaim populos, bellicoſiſſimam Gentem, communi fuiſſe cum Hunnis, Alanis, Avaribus, Tataris, &c. origine, è Nomadum genere, teſtatiſſima res eſt. Eoſdem poſteà, longè latéque in Tatariam Orientalem arma protuliſſe, *Turkeſtanæ* ad Ortum Maris Caſpii daturos nomen; poſteà etiam Saracenos Perſiâ exegiſſe Parthiâque, Seculo XI. adoptatis Muhammedanorum Sacris; ſuperiorum Seculorum Hiſtoria, & Annales Turcici, fidem faciunt. Sed & arma pridem quoque converterant versùs *Occaſum*, in Iberiam, Armeniam; potituri tandem nobiliſſimâ parte Aſiæ Minoris, quæ hinc *Turcia* Occidentalis, *Cutlumo* Duce, qui *Tangrolbeci* Turcarum Sultani patruelis, & *Ptolomæus* dicitur Elmacino; Tum hujus filio *Solimanno*, qui Antiochiam Græcis abſtulit, quo tempore Chriſtiani, ſub finem Seculi XI. expeditionem in Orientem ſuſceperunt. Et ex Solimanni nepotibus fuit *Aladinus* III. aliis *Azadinus*, Caramaniæ & Iconii Sultanus, in Chriſtianos pronus, qui ad Michaëlem Imperator. cum Uxore, Matre, & Liberis conceſſit A. MCCLX. contrà Tataros ejus Ditiones invadentes, ut pluribus Niceph. Gregoras L. IV. & Pachymeres L. II. C. III. Hujus Filio *Melec*, paternæ calamitatis hærede, tandem ſublato, *anarchia* inter Turcas obtinuit, diviſos in varios principatus; undè formidandum Chriſtianis Imperium ſurrexit, *Otomannorum* dictum.

II. Igitur *Oſmanes Gazi*, vel *Otmanes*, *Otomannus*, Græcis modò ὀθμὰν, modò Ὀτυμάνος, qui virtute bellicâ jam inter ſuos eminuerat, properante ad finem Seculo XIII. Filius fuit Ertuculis vel Ortogulis, qui Ertucules cum fratribus & patre Scha-Solimanno, Machanenſi in Parthiâ regulo, Tatarorum armis expulſus fuerat; delato tandem Ertucule in Natoliam ſive Romæam, ad *Aladinum* in Caramaniâ viciniſque locis imperantem. Perſpectâ dein, ab Aladino III. hujus nominis, virtute Oſmanis, filii Ertuculis, in *Myſiæ* vico nati, quem Σογὼ Sogutam incolæ dixerunt, ei Copiarum ſuarum ſummam Præfecturam credidit. Mox fatis concedente Sultano, diſſipatum hoc Aladinicum Imperium fuit, factaque inter Turcas diviſione, atque Heptarchiâ natâ, Oſmani *Bithynia* obtigit. A quo mox Phrygia omnis, Galatia, Cappadocia, ac Myſia tandem, ſubactæ, & quicquid ſeu Græci, ſeu Satrapæ alii Turcarum, in Natoliâ poſſiderent, ſeu in Romaniâ Aſiaticâ. Dehinc tranſmiſſis in Thraciam *octo millibus* Turcarum ad Iſtrum uſque, Græcorum regiones infeſtavit. Oſmanes I. Imperat.

Et ſic Monarchiæ Turcicæ jacta fundamenta, communiter ab A. MCCXCVIII. vel MCCXCIX. tranſmiſſuro tandem Otmane Imperium ad *Urchanem* filium, Anno MCCCXXVI. Idque poſt *Pruſam*, Myſiæ Urbem florentiſſimam, quæ nunc *Burſa*, ab Urchane expugnatam, eamque Sedem Regni conſtitutam; poſt conditas etiam Imperii leges; & inſtitutos à ſe primùm *Tegni-tcheros* ſeu *Genizaros*, qui Turcarum Sclopetarii ſunt, vulgò Janiſſaros; ac Bithyniam de ſuo nomine *Oſmaniam* appellatam, ſed & ſucceſſores *Otomannos*, ſive *Oſmanidas*. Singuli Imperatores veniunt nomine, modò *Sultani*, id eſt, Arabum voce *Domini*; modò *Padiſchach*, id eſt, ſupremi Principis, παντοκράτορος, Regis Regum; *Chanis* vel *Hanis*, quod Perſis & Tataris Regem & Principem dicit, vel Imperatorem, ut dictus *Murat-Chan*, *Bajazet-Chan*, &c. Apud Græcos, Laonicum & alios, vocatur Ἀφέντης Aphentis, vel Μέγας, corruptâ voce ex Αὐθέντης; etiam Δεσπότης *Dominus* κατ' ἐξοχὴν, ut Imperatrix Δέσποινα. Italis, & Gallis communiter, *Il gran Signor*, *Le grand Seigneur*. Imperii Turc. Fundamenta.

III. Reliqua ex Otomannicâ hiſtoriâ, & ex Byzantinis conſtant. *Urchanes* vel *Orchanes*, Ὀρχάνης vel Ὀρχὰν Græcis, Fratrum quanquàm minimus, Imperium tenuit, & quidem ad Ann. MCCCLVIII. captâ *Nicæâ*, & protenſis finibus dominationis per oras *Ponti Euxini* tùm ad fretum *Gallipoli*; quæ urbs, facto ſic in Thraciam tranſitu, à Turcis cum Arce ſubjecta atque occupata fuit, Anno Muhammedano DCCLVIII. ſeu Æræ Chriſtianæ MCCCLVI. In uxorem accepit *Urchanes Theodoram*, filiam Johannis *Cantacuzeni* Imperat. undè amicitia inter utrumque Principem viguit, ut pluribus Laonicus Chalcocond. L. I. p. 12. & Cantacuzenus *Lib.* III. C. XIV. Quæ Theodora conſtans in fide Chriſtiana permanſit, Chriſtianis ſub Imperio Turcico λιμὴν σωτηρίας *portus ſalutis*. Orchanes II. Imper.

Gazi-Morath, ſive *Amurates*, Μουράθ & Ἀμουράτης Byzantinis, alter Urchanis filius, poſt interceptum morte Solimannum fratrem, cum validâ Turcarum manu, trajecto freto ad Helleſpontum, (ajunt Genuenſium ope, ac proditione, qui *Galatam* obtinebant) occupavit in Thraciâ Philippopolim, Adrianopolim, *Romaniam* penè omnem Europæam. Hinc prolaturus arma in Macedoniam, Albaniam, Amurates III. Imper.

Serviam, victor ubique ac triumphator, totis annis xxxi. vel annis Arabicis xxxii. Primus hic *Imperatoris* titulo ſuperbiit, additâ *Portæ* Ottomannicæ Majeſtate, βασιλείων θύρων, *Januarum Regiarum*; ac *ſervili* conditione eorum qui bello capti, ità ut ex Chriſtianis bello captis *quintus* quiſque, major xv. annis, ad Sultanum pertineret; quos, in Religione & Linguâ ac Diſciplinâ Turcarum educandos, diſtribuit in varias Imperii Aſiani partes. Et hoc conſilium fuit *Caræ Ruſtemes*, Vizirorum primi ſub hoc Principe. Ex quibus deinceps, ſeverâ diſciplinâ, & aſſiduis laboribus, ac Turciſmi amplexu probatis, militiam *Janiſſariam* conſtituit, ab hoc Amurate III. ampliſſimis privilegiis donatam. Qui tandem ab homine Chriſtiano, Servio natione, vel Triballo, in tentorium admiſſo quaſi *transfugâ*, ſicâ ſub veſte latente, trucidatus fuit; ipſe ſævus & immitis in hoſtes, ſeverus in ſuos, peccanti nemini parcens, bello impiger & ſtrenuus, ut Laonicus ſub finem *Libri* i.

Bajazetes IV. Turc. Imper.

Bajazetes, ſeu *Abu-Jazid*, (Παιαζήτης vel Παγιαζὴθ Byzantinis) à ſuis *Gilderun*, id eſt, *belli fulmen* appellandus, capeſſivit Imperium A. mccclxxxviii. Quod jure debebatur fratri natu majori *Sabutzio*, ſed conſpiratione Bajazetis, mox à morte Patris, oculis & vitâ orbando; Turcis præferentibus Bajazetem, acrem ingenio, bello intrepidum, ſuperſtitioni Muhammedicæ deditiſſimum, Chriſtianorum autem hoſtem infenſiſſimum. Hic igitur ad victorias Amuratis, novas indies adjecit. Illinc in *Oriente* Ciliciam omnem, partem Armeniæ, & varios Aſiæ Principatus ſubditurus; hinc *Occaſum* versùs omnem penè Albaniam, Slavoniam, Bulgariam, ſive Myſiam (cujus caput Ternobum fuit) Boſniam, Dalmatiam; & magis ad *Auſtrum* Theſſaliam, Phocidem, Atticam, vaſtaturus immani barbarie, ſed & incredibili rapacitate. Ac fudit idem Bajazetes Chriſtianorum fœderatorum exercitum, inter quos Galli, Germani, Burgundi, Pannonii, Græci, memorabili prælio, ad *Nicopolim* Mœſiæ A. mccc xcvi. Ipſam etiam *Conſtantinopolim* obſidione cinxit, nec antè receſſit quàm paciſceretur, ſuum intrà Urbis mœnia Judicem Turcas eſſe habituros, & Manuele Imperat. ejecto, *Johannes* cœcus, Andronici Filius, intrà Urbem eandem admitteretur, cui tradidit Imperium Manuel, ut pluribus Ducas Michaëlis nepos Hiſt. Byzant. *Cap.* xiv. *Argos* etiam Civitas in Peloponneſo à Bajazete capta; undè mancipiorum *tres myriades* in Aſiam deportatæ, ex *Annal.* Turcicis à Leunclavio Latinè redditis, & ex Laonico Hiſt. *Lib.* ii. Sed victoriarum curſum *Temir* ſufflaminavit, cui & pœnas ſuperbiæ ac tyrannidis daturus fuit Bajazet, Seculo xv. inchoato. Cujus cum Tamerlane belli hæc occaſio fertur, apud Laonicum Chalcocond. L. ii. Ed. R. p. 53. Bajazetes trajecerat in Aſiam, & inter alias urbes *Melitenem* ad Euphratem, Armeniæ ſecundæ olim Metropolim, cui à fluvio *Melas* nomen, in deditionem accepit. Hinc *Emanuel* Græcorum Imp. qui Conſtantinopoli relictâ in Italiam fugit; & ipſi *Aſianorum* Turcarum Duces, à Bajazete oppreſſi, communem legationem mittunt ad *Temurem* vel *Temirem* Chanum, latè in Oriente victorem, jamque in Syriâ agentem, ubi *Damaſcum* & *Aleppum* in ſuam poteſtatem redegerat. Temur auditis his Legatis, mittit alios ad Bajazetem, cum *Veſte*, ut moris erat Aſiaticis Principibus; qui ſalutato humaniter Bajazete, laudatis etiam rebus ab eo adverſum Chriſtianos fortiter geſtis, ſimul ſignificant, ut Ducibus Muhammedicis ademptum in Aſiâ Imperium, qui nihil adversùs ipſum deliquiſſent, reſtitueret. Ad quæ Bajazetes; eas *Regiones* quas reſtitui peteret, ſuo Marte Adverſariis ſuis ademptas eſſe; quoad *Veſtem* verò quam miſerat, renunciarent ſuo Regi, hujuſmodi munera ne poſthac mitteret longè potentiori Imperatori. Reſcripſit etiam cum ignominiâ, *Temuri-Lanco*, id eſt, *claudo*, (claudicabat enim Tatarus) undè Temur irritatus, bellum in Bajazetem paravit. Ita Turcarum dicti Annales, & Laonicus *Lib.* ii. Viciſſim Gilderun copias undique cogit, ut ccc. millia Equitum, cc. millia Peditum, numeraſſe in exercitu ſuo feratur, adjunctis Tataris. Tandem Tamerlanes capta *Sebaſtâ* Cappadociæ, olim Armeniæ Primæ, ſuperbè agere cum Bajazete, ac *ſeptem* pacis conditiones ab eo ſtipulari, apud Chalcocondylam, ſub finem *Libri* ii. Et quum omnia parentur ad prælium, *Tatari* Deſtenſes, violatâ fide militari, tranſeunt in caſtra Temuris, idemque faciunt multi alii Principes Bajazetis faſtum ferre neſcii; quo ipſo, & diſciplinâ militari admirandâ, ſuperior evaſit Temuris exercitus, ipſeque ille Gilderun, *belli fulmen*, tandem captus, ad Temurim ductus, honorificè exceptus; ſed poſt *cavea ferrea*, carceris loco, incluſus. Quod factum à Temure, poſtquàm rogaſſet Bajazetem, *Mi Chan, ſi in tua ſitum eſſet poteſtate, ut mecum pro lubitu tuo ageres, quid obſecro de me faceres?* Reſpondit ille ferociter, *ferreâ te concluſum caveâ* mecum *hinc indè circunduxiſſem.* Hinc permiſit Temur militi ſuo licentiam per Anatoliæ regiones populandi; ipſe Pruſam cum omnibus theſauris ſibi vindicavit, poſteà Ducibus Turcicis Ditiones ſingulis ſuas reſtituit, Provinciam autem *Oſmaniam* appellatam, Tataris primò attribuit, ſed ad preces Bajazetis indè abduxit. Quum verò audiret Bajazetes, ſe ducendum eſſe à Temure *Samarcandam*, regiam Tamerlanis, mortem ſibi ipſe conſcivit, & Temur ad ſuos reverſus eſt. Geſta hæc, ſecundùm Annales Turcicos, ab A. Hegiræ dccc. ad A. dccciv. id eſt, ab Anno Chriſti mcccxcvii. ad A. mccccii.

Bellum cum Temire; Occaſio; Succeſſus.

IV. *Inſtrumenta* verò Turcicæ potentiæ augendæ fuêre: 1. Diſſidentes in *Occiduis* partibus, Chriſtiani Principes, Româ ipsâ & Avenione Papatum diſtrahentibus, duraturo Schiſmate, ut poſteà. 2. *Latinorum* in Græcos odia, quòd ſubire hi neſcirent jugum Romanæ Eccleſiæ, hinc & dilata aut negata Græcis laborantibus ſubſidia. 3. *Græcorum* molles animi; undè Turcas primò negligentes, etiam poſt tranſmiſſum fretum ad *Chiridocaſtrum*, pro quo alii *Cherſoneſi caſtrum*, permisêre illis Thraciam aliaſque regiones devaſtandas, apud Leunclavium, in *Pandectis Turc.* C. xxiv. 4. *Genuenſium* ac *Venetorum* æmulatio; quâ inter ſe commiſſi in Oriente, etiam acerrimis præliis, communi hoſti res ſuas agere permiſerunt. Præterquam quòd feruntur Mercatores *Genuenſes*, navigia pretio conceſſiſſe Amurati, tranſmittendis in Europam copiis; pro ſingulis capitibus tranſportandorum per Helleſpontum ſolutis *duobus Ducatis*, ut ibidem in *Pand. Turcicis.* 5. *Imperatorum Orientis*, uti Andronici *Avi* & *Nepotis*, domeſtica diſſidia; hinc factum *Joh. Cantacuzeni* tyrannidem uſurpantis, pacto etiam cum Turcâ fœdere, & Conſtantinopoli proditione ſuorum captâ, *viii. Jan.* mcccxlvii. Hinc ignavia *Joh. Palæologi*, otioſi ſpectatoris, imò ſtipendiarii Turcis facti; *Manuëlis* tandem Comneni impotentia, fruſtrà conceſſuri in Occidentem opi ſollicitandæ, dùm Conſtantinopolis obſidione cingeretur. Hinc ad ſuos reverſus, auditâ Bajazetis, qui veluti fulgur è cœlo deciderat, fortunæ mutatione, *Johanne* ex fratre nepote in Lemnum Inſ. relegato: Quæ pluribus Ducas, *Hiſt. Byzant.* C. xviii. *Johannes* verò *Cantacuzenus* ſeceſſit tandem in Manganorum Monaſterium, *Monachi* aſſumpto habitu, ſub A. mccclv. al. mccclvii. De quo poſteà.

Inſtrum. augendæ potent. Turcicæ.

Digitized by Google

III. *Antichriſtianiſmi Occidentalis continuatio, & Abominationum in Romanâ Sede. Exempla illuſtriora, uſque ad Schiſma ſub Urbano* VI.

Non certior hujus rei demonſtratiò eſt, quàm ex factis aut Decretis *Paparum* hujus Ævi, de quibus magna conſenſio eſt, & ex univerſali illâ labe ac corruptione, cui tot boni ingemuerunt:

Bonifacii VIII. Antichriſtianiſm. I. *Bonifacii octavi* primordia, indè ab A. MCCXCVI. vidimus ad Seculum prius, hinc ingreſſum vulpinum, ſed & violentum, duro carcere ac nece tandem Cœleſtini, anteceſſoris ſui, Sanctis à Clemente V. adſcribendi. *Leoninum* animum, regnumque *feri hominis*, inquit Spondanus, ut etiam *Nero* appellari meruerit, ejus omnia probârunt, teſtibus Platinâ, Langio, Nauclero, Rolevinco, Krantzio, Aventino, Francicæ Hiſtoriæ variis Scriptoribus, ſpeciatim *Actis Geſtorum* inter Bonifacium & Philippum IV. ſive Pulchrum. Ex. gr. atrox perſecutio *Gibellinorum*, & *Columnenſium*, etiam Cardinalium, *Petri* & *Jacobi* ejuſdem familiæ, virorum inſignium, quos ſtatim initio Pontificatûs perſequi cœpit, tanquam qui *theſauros Eccleſiæ in morte Pontificum diripuiſſent*; tum qui *Libellos famoſos contrà ſe ſparſiſſent*, literas nempè ad Reges & Principes, *quod contrà jus faſque Pontificatûs Sedem occupaſſet, rejecto fraudibus Cœleſtino, eodemque in carcerem conjecto*; ſunt verba Platinæ in hoc Bonifacio. Hinc Columnenſes hi Cardinales, cum totâ familiâ, inter quos *Stephanus* & *Sara* beneficiis, dignitatibus, fundis paternis, caſtellis, oppidis, privavit, in eoſque *Crucem* cum Indulgentiis prædicari juſſit. Quin iſtæ feruntur Bonifacii, ipſo die Cinerum, ad Prochetum Genuenſem Archiepiſc. voces, qui habebatur inter Gibellinos, & fautor Columnenſium qui *Genuam* ſe receperant, pulvere non in caput (uti mos eſt) ſed in oculos conjecto; *Memento quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem redigeris*: Refert Platina, & habetur ex relatione Petri Criniti de Honeſt. Diſcipl. *Lib.* VIII. C. XIII. in *Faſciculo* Rerum Expetendarum T. I. ad calcem Vitæ Hildebrandi, Edit. Lond. p. 88. Hinc ejuſdem molitiones initio ſtatim Pontificatûs, mortuo Jacobo Aragonio, adverſus Fredericum Aragonium Siciliæ Regem, invitato in Italiam Carolo Valeſio; unde *tantum repente bellum exortum eſt*, ità Platina, *ut tota ferè Italia tumultuaret*. Sic negata aliquotiens *Alberto* I. Auſtriaco, in Regem Romanorum electo, à depoſitione *Adolphi* A. MCCXCVIII. Imperii confirmatio; quicquid urgeret Albertus. Adde, mandata ad Eduardum Angliæ, Philippum Pulchrum Galliæ Reges, directa, ut dictum *Cap.* I. hujus Seculi. Cumprimis verò *Antichriſtianum* ſpiritum ac dominatum *duo* præ cæteris inſigniter probant: Primò, attributa ſibi ut *Pontificis*, ſic *Imperatoris* poteſtas, quum tempore Jubilæi Gladio in publico antè ſe ferri juſſo, Coronâ Imperiali ornatus, exclamaret, *Ego ſum Cæſar & Pontifex*, item, *Ecce duo Gladii hic!* Negantibus factum Spondano, & cæteris, referente inter alios Krantzio, Romano-Catholico, non utique *Hæretico*, Saxoniæ *Lib.* VIII. Sed fidem faciat famoſa illa Conſtitutio Bonifacii VIII. inſerta Juri Canonico, inter *Extravagantes Communes*, Lib. I. Tit. de Majoritate & Obedientiâ, Capit. *Unam Sanctam Eccleſiam*, &c. Ut jam de aliis Conſtitutionibus nihil dicam, contrà *Imperatorum*, *Regum*, ac *Principum* jura, inſertis *Sexto* Decretalium Tit. de *Immunit. Eccleſ.* Nempè, qui imponerent Clericis aut perſonis Eccleſiaſt. tam Religioſis quàm Secularibus cujuſcunque ordinis & ſtatûs, onera quæcunque, tallias, collectas, decimas, ſubventiones quocunque tandem nomine; interdicendo Prælatis & Perſonis Eccleſiaſt. *in virtute Obedientiæ*, ſub pœnâ *Excommunicationis*, quicquam hujuſmodi ſolvere, &c. ut ibidem plenius videre eſt. Sed in Extravagante modò dictâ, C. *Unam Sanct.* declarat Bonifacius; *Eccleſiæ unius unicè unum Corpus, unum Caput, non duo capita, quaſi Monſtrum; Chriſtus videlicet, & ipſi Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor. In Papa, & Eccleſia poteſtate duos eſſe Gladios, ſpiritualem & temporalem: Qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, non attendere verbum Domini, proferentis; Converte gladium tuum in vaginam*: Hunc eſſe *in manu Regum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis; Temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici; Dicere Apoſtolum, Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinata eſſe; non autem ordinata fore, niſi Gladius eſſet ſub Gladio, & tanquam inferior, reduceretur per alìud in ſuprema*; quaſi ubi *ordo* eſt, ibi ſit *dependentia* unius ab alio: Ita poteſtatem *Spiritualem, quamlibet præcellere poteſtatem: De Eccleſiaſtica poteſtate verificari vaticinium Hieremiæ, Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & Regna, ad extirpandum*, &c. Et poſt alia id genus, *Subeſſe Romano Pont. omnem humanam Creaturam, idque omninò eſſe de neceſſitate ſalutis*.

Deinde, probat *Antichriſti* illam ſuperbiam, exorta lis inter Bonifacium & Philippum A. MCCCI. incentore Bern. Saiſſeti, Apamienſi Epiſcopo, Legato Pontificio. Poſtquàm nempè auſus eſt Pontifex reſcribere in hæc verba ad Philippum: *Scire te volumus, quod in Spiritualibus & Temporalibus nobis ſubes; Beneficiorum & Præbendarum ad Te Collatio nulla ſpectat: Et ſi quæ contuliſti, Collationem hujuſmodi irritam decrevimus, & quatenùs de facto proceſſerint, revocamus.* Hæc ex Codice Ms. Bibliothecæ S. Victoris. Ita promulgatæ ſunt *Bullæ* (deinceps à Clemente V. ex Regeſto Bonifacii expungendæ) quibus Bonifacius *ſuſpenderet* omnia Regni Francici *privilegia*; aſſereret ſibi poteſtatem *evellendi, deſtruendi, diſperdendi*, etiam Regna & Imperia; vellet Regem Philippum *ſibi ſubeſſe tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus*; affirmaret *depoſiturum ſe Regem, ità ſicut unum Garcionem*, quemadmodùm ſui Prædeceſſores *depoſuiſſent tres Reges Franciæ*, quales non dicit, nec produnt Francorum Annales; tandem declararet ipſo facto, *Regnum Franciæ* ad *Eccleſiam devolvi*, &c. Hinc *Johannem Monachum* Cardinalem in Gallias ablegavit Bonifacius, qui Regi hos Articulos proponeret. 1. Ut revocaret prohibitionem à ſe factam Galliæ Prælatis, Romam eundi ad mandatum Pontificis. 2. Agnoſceret poteſtatem conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, quæ vacarent in Curiâ & extrà Curiam, ad Rom. Pontificem pertinere. 3. Etiam poſſe Nuntios, aut Legatos à Latere, mittere ad quævis Regna, abſque Regis aut cujuſquam aſſenſu. 4. Eccleſiaſticorum Bonorum adminiſtrationem ſolis Eccleſiaſticis eſſe tribuendam, diſpenſationem autem ad Sedem Apoſtolicam ſpectare. 5. Regem graviſſimâ injuriâ affeciſſe Sedem Apoſtol. permittendo ut Diploma & Literæ Pontificiæ comburerentur: Hinc revocare Pontificem, omnia Privilegia quæ Regi, Liberis, Fratribus, &c. eſſent conceſſa ab Apoſtol. Sede. 6. Ne deinceps Rex jus *Regaliæ*, ſeu Cuſtodiæ vacantium Beneficiorum, exerceret, &c. & quæ id genus plura fuerunt, quæ videnda apud Odor. Raynaldum in *Annal. Eccleſ.* ad A. MCCCIII. Ad quæ quum reſpondiſſet Philippus pro jure ſuo, & Dignitate Regiâ, Pontifex protinus Regem diro anathemate obſtrinxit; ſubditos abſolvit à juramento Fidelitatis; Regno Sacris omnibus interdixit; ac Regnum Francicum in Albertum Auſtriacum, donatione Pontificis, tranſtulit. Et quæ Bonifacii plura partim Hiſtorici teſtantur, Galli, Itali, Germani; partim Mss. Codices in

Lis cum Phil. Pulchro.

Biblioth. Pariſ. S. Victoris, & in Vaticanâ, à Spondano, Baluzio, Raynaldo, Natali Alex. & aliis producti; partim Bullæ ipſæ & Conſtitutiones Bonifacii. Quin acerbiora moliebatur Pontifex, Anagniæ agens, quum ipſi à Guil. Nogareto, Regis Chriſtianiſſ. in Italiâ ablegato, ſociato Columnenſibus, denunciaretur *Appellatio* ad Generale Concilium Lugduni celebrandum, quò ducendus foret Bonifacius. Ad quod intrepidè reſpondit, *Libenter ſe à Patarinis* (Hæreticis) *pro Chriſti fide & Eccleſiâ, condemnationem & mortem ſubiturum.* Nec diu poſteà ſupervixit huic contumeliæ, Romam ductus, ubi ex lethali morbo diem obiit extremum. Extat typis excuſa, *Hiſtoria Diſſidii* inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII. quam interpolavit (prout viſum) Natalis Alex. *Diſſert. de Diſſidio* Bonifacii VIII. & Philippi Regis Chriſtianiſſ.

Alia Bonifacii verè Antichr.

Tacemus *Uſurpationes* alias hujus Pontif. & exercitum *dominatum* in Rom. *Imperium*; in *Regna Regeſque* Siciliæ, Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Aragoniæ, Caſtellæ, Luſitaniæ; in *Genuenſium* Rempubl. fulminibus aut vibratis, aut oſtenſis, ex Vitâ & Regeſto Epiſtolar. Bonifacii, & ex Chronicis hujus Ævi, Nangii Continuatore, T. XI. *Spicil. Dacheriani*, Joh. Villanio, Tomâ Walſinghamo, &c. Adde ſævitiem in urgendâ dirâ *Inquiſitione*, contrà *Hæreticos*, id eſt, quotquot non ſubeſſent Pontifici, ex Conſtitutionibus Bonifacii, in *Sexto Decretal.* Tit. de *Hæreticis*. Et quoad Conſtitutionem *Unam Sanctam*, non expunxit eam Clemens V. ut cæteras quæ contrà Regis, Regni, & Eccl. Gallicanæ jura, ſed *moderationibus* adhibitis, voluit in ſuo robore permanere, cumprimis illam clauſulam; *De neceſſitate ſalutis eſſe, ſubeſſe Romano Pontifici.* Quam eſſe *doctrinam Eccleſiæ*, pronunciatam à Bonifacio *ut Pontifice, Scripturæ S. & Traditioni conſonam, ab Univerſali Eccleſiâ ſemper aſſertam, ut Dogma Fidei Chriſtianis univerſis propoſitam*, contendit etiam nuper Natalis Alexander, Monachus Dominic. T. XXII. Diſſert. IX. p. 358. 359. Sed & Bonifacii VIII. immodica auri cupiditas & avaritia acceſſit, dùm *aurum undique conquiſitum, pluſquam dici poteſt*, ſitivit. *Luxuriem* notarunt Galli, in accuſationum capitibus, quòd *haberet duas neptes concubinas.*

Ejus mors, & quæ eam ſecuta.

Ac luiturus hic tandem fuit, in caninam quandam *rabiem* verſus, poſt coërcitum ejus furorem à Guil. Nogareto, & à Columnenſibus, in quos iniquiſſimus fuerat Bonifacius: A quibus Anagniæ apprehenſus, ac ſub cuſtodiâ detentus fuit; evaſurus quidem Anagnienſium beneficio, hinc Romam perventurus, ſed non ſupervicturus ignominiæ, ac *furenti ſimilis deceſſurus*, (ità Ciaconius ipſe, & Spondanus) v. Id. Oct. MCCCIII. Ac ne crederes hunc Pontificem execratam fuiſſe, uti debuerat, Romam, idem paulo poſt in Concilio *Viennenſi* declaratus eſt Pontifex *Catholicus*, legitimus, vindicatâ ejus memoriâ; ut factum in hunc uſque diem ab Italis, & mancipiis Rom. Curiæ. Quinimò miraculis clarus, quando poſt CCCII. annos Corpus ejus, intra Baſilicam Petri, in ſarcophago repertum eſt, ſub Paulo V. *ſanum, integrum, incorruptum*, cum omnibus Pontificalibus Veſtimentis, ut multis Bzovius ex Actis Publicis: *Deo ſic teſtatum faciente Orbi univerſo* ſcelus illorum, qui *tetigiſſent Chriſtum ſuum*, ſic idem Bzovius. Ità Romani Papicolæ, aliquot poſt Seculis, ſic memoriam ejus *ſanctam* habuêre, ut etiam tam inſigni Miraculo confirmatam voluerint.

Benedictus XI.

II. *Benedicti* XI. patriâ *Tarviſini*, ex Bubulci filio, dein Monacho Dominicano, & Generali Ordinis, in ſummum Pontificem evecti, non longa fuit dominatio; intrà annum Peruſiæ ſublati. Hujus autem Viri ſuperſtitio, & in Monachos ſuos favor, & poteſtas quoque in Reges & Regna ſibi vindicata, ex ejus *Vitâ* & *Epiſtolis*, ſatis conſtant. Abrogavit autem *Bonifacii* VIII. Decreta, Conſtitutiones, Cenſuras in Galliæ Regem, & Francorum Regnum; & Philippum, ſtatim initio Pontificatûs, *ab omnibus Excommunicationum ſententiis* abſolvit; quemadmodum alio Diplomate, *Prælatos* omnes, *Barones*, *Nobiles*, & cæteros *Laicos* ejuſdem Regni, excepto tamen *Guilielmo de Nogaret, & Sciarra Columna*, &c. quorum abſolutionem ſibi reſervavit, tanquam captionis Bonifacii auctorum. Hinc conjuratio in Benedictum XI. poſtquàm ſediſſet tantùm menſes VIII. & dies aliquot, tollendum venenato poculo; cujus facinoris accuſatus eſt poſteà *Bernardus Delitioſi*, Ordinis Minorum Monachus, odio *Prædicatorum*, penes quos erat *Inquiſitio Hæretica Pravit.* ut eſt in Diplomate Johannis XXII. quod ex Archivis Inquiſit. Carcaſſonenſis erutum fuit, Anno MCCCXIX. Pontificatûs Johannis III. *Bernardus* ille, non brachio ſeculari traditus, ſed perpetuo carceri damnatus eſt, habituque Ordinis exutus.

Clemens V.

III. Tum *Clemens* V. natione Vaſco Gallus, in Pontificem electus fuit, ex Archiep. Burdegalenſi, A. MCCCV. poſtquàm Peruſii conventum inter Cardinales eſſet, de nominandis extrà Collegium Cardinalium *tribus Tranſalpinis*, id eſt, Gallis, ad Pontificatum idoneis. Undè in *Bertrandum de Agutis*, Nobilem Aquitanicum, vota iverunt, quem Bonifacius evexerat ad Archiepiſcopatum Burdegalenſem, hinc creditum ejus memoriæ devinctiſſimum. Sed antè electionem clàm ad Regem accitus, arcanâ pactione inter utrumque convenit, ſi Pontifex eligeretur Bertrandus, inprimis de pleniori abſolutione Regis, & omnium qui Regi adhæſerant; de damnatione Bonifacii; de decimis per Galliam Regi ſolvendis, in quinquennium; de reſtituendis in priſtinam dignitatem duobus Cardinalibus Columnenſis, *Petro* & *Jacobo*, patruo ac nepote, & creandis aliis ex nutu Regis. Hæc ex Hiſtoriâ Francor. & Continuatore Guil. Nangiaci ad An. MCCCV. ex Villanio, Antonino Florent. Papirio Maſſono de Geſtis Pontif. &c. Sed *Clementis* V. nam hoc nomen adoptavit, par ingenium fuit quod Bonifacii, odium Galli ſi exceperis, & Gallicanæ Eccleſiæ.

Tranſl. Sedis Avenionem. Mala hinc ſecuta.

Hic eſt qui tranſlatâ *Avenionem* Galliæ Narbonenſis Sede, ubi per annos LXXIII. ſederunt Galli Pontifices, *Petri Sedem* neglexit, & Romæ Veteris prærogativas. Cauſa tranſlatæ Sedis fuit, partim, ut gratificaretur *Clemens* Galliæ Regi Philippo Pulchro, cui electionem ſuam debuit, ex Archiepiſcopo Burdegalenſi creatus Rom. Pontifex, poſt tranſactionem inter Cardinales Cajetanum, & Pratenſem, ut pluribus in Vitâ Clem. Partim quod infeſtaretur Romanæ Eccleſiæ Patrimonium, per Italicas ſeditiones, & Romanos tumultus, ut Volaterranus, L. XXII. & alii, hic ſaltem obtentus fuit. Quam tranſlationem Pontificiæ Sedis Itali ægerrimè tulerunt, ut quos privabat iis commodis quæ percipiebant ex præſentiâ Aulæ Pontificiæ; nec hi tantum, ſed ipſe Genebrardus Gallus, Chronol. L. IV. qui *tranſmigrationem* vel *captivitatem* pluſquam *Babylonicam* appellat, *magno Chriſtianorum incommodo.* Sed Gallia potiùs quàm Italia, expoſtulare jure potuit de hac tranſlatione, ut eſt apud Nicol. de Clemangiis, de Corrupto Eccl. Statu, C. XXVII. quod in eam perverſi Italorum mores, Avenionem commigrantium, id eſt, luxus, vita diſſoluta, & impuritatum omne genus, invecta fuerint; Uti quoque læſio *Juris Regii*, in collatione Beneficiorum, quam ad ſe traxerint Clemens V. Johannes XXII. Clemens VII. ut pridem conqueſti Galli, & Paulus Servita Tr. *de Benef.* C. XXXVII. XXXVIII. Conſtant iſta ex promulgatis ab eo *Clementinis*, & *Extravagantibus*, ex Clementis V. *Epiſtolis*, ex Hiſtoriâ Concilii *Viennenſis*, etiam ex Platinâ, Antonino, Sabellico, & cæteris hujus Ævi Chronographis; In ſpecie ex *Vitis ſex* Cle-

Digitized by Google

Clementis V. quas nuper publici juris fecit, cum prolixis Notis, Stephanus Baluzius Tutelenſis, in Hiſtoriâ Pontificum Romanorum qui in Galliâ ſederunt Avenione, ab A. MCCCXCIV. Ex his in apertâ luce ponitur: Videlicet, ut *Bonifacii* VIII. memoriam, quicquid urgeret Gallus, damnare recuſaverit hic Clemens, quamvis III. Kal. Febr MCCCVI. duas ejuſdem Conſtitutiones revocaverit; alteram, quâ ſcripſerat Regem ſubeſſe Rom. Eccleſiæ *in temporalibus* & *ſpiritualibus*; alteram, quæ continetur in Libro VI. *Decretal.* de quâ ſuprà, incipiens *Clericis Laicos infeſtos*, &c. Tit. de *Immunit. Eccleſ.* Prætereà, ut idem *Bonifacium*, in publico Conſiſtorio, excellentiſſimè paulo poſt commendaverit, aſſignans omnibus accuſaturis ejus memoriam, diem peremptorium ad comparendum, Dominicâ Quadrageſimæ, A. MCCCIX. dum aliis eam defendere & excuſare permitteret: Adhæc, ut *Andronicum* Græcum Imperatorem, Unioni, id eſt ſervituti Latinorum, cum ſuis repugnantem, interdicto ſubjecerit Clemens: Ut ab *Henrico* Luxemburg. in Regem Roman. electo, A. MCCCVIII. *Juramentum* Fidelitatis exegerit, negante Henrico, *Imperatorem Papæ Juramentum præſtare*: Ut eundem *Romam* ire compulerit, Coronam ibi à Cardinalibus delegatis accepturum A. MCCCXI. quam jam Aquiſgrani acceperat: Ut Decreto ſanxerit, Reges *Romanorum* quamvis jam hanc appellationem ſortitos, teneri à Romano Pontifice *Imperii nomen* & *jura* accipere; quod durante Interregno, certè quoad Italicas Ditiones, ſubeſſet arbitrio & poteſtati Papæ: Ut omnia *Henrici* in *Robertum* Siciliæ Regem, (faventis *Friderico* Siculo, Gibellinis poſteà unito) tanquàm reum læſæ Imperatoriæ Majeſtatis, reſciderit Clemens; ut qui Robertus eſſet *Romanæ Eccleſiæ, nomine Regni, ſubditus, homo ligius, ac vaſallus*, coronatus idem Avenione; dein creatus *Vicarius Imperii*, & *Senator* Urbis Romæ, mortuo Henrico VII. Imperatore: Tum ut idem Henricus, Pontifici inviſus, à Monacho tandem Dominicano *venenatam Hoſtiam* acceperit, Beneventi moriturus, A. MCCCXII. teſtibus (quicquid diſſimulent factum, poſt Ptolomæum Luc. in *Vitâ* Clementis V. Albertinum Muſſatum Patavinum de Geſtis Henrici VII. L. XVI. & quoſdam alios, Bzovius, Spondanus, Raynaldus, & Epiſtola expreſſa *Johanni* Bohemiæ Regi, filio Henrici VII.) Chronico Belg. Platinâ, Nauclero, Chronico Noriberg. Cuſpiniano, aliiſque: Ut Clemens V. Venetos quoque, Florentinos, Lucenſes, *anathemate* obſtrinxerit: Ut idem *Venetorum* Procuratorem, Franciſcum Dandulum, Ducis & Reipubl. nomine ſupplicem, *ferreâ catenâ* collo injectâ, ad cœnantis Pontificis menſam proſtratum jacere permiſerit, fusè apud Sabellicum, & Venetos Scriptores alios: Ut idem *Templariorum* horrendam internecionem, Ordine toto diris devoto, in Concilio *Viennenſi* decreverit, jam antè cum Philippo Pulchro in Conventu Pictavienſi A. MCCCVIII. decretam: Ut quoque Superſtitiones Idololatricas adauxerit, dùm v. gr. *Feſtum Corporis Chriſti* de novo ſanxit, additis largiſſimis in Cultores Indulgentiis, pro temporis ratione quo *Officium* illius celebrarent; prolixè in Clementinâ *Si Dominum*, Tit. *de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*. Conſtitutiones alias hujus Clementis, Tituli *Clementinarum*, & Capitula exhibent, in ſpecie Decreta Concilii *Viennenſis*, de quo dicetur infrà. Nec accuſationes in Clementem alias apud Antoninum, Dantem Florentinum, Maſſonum, Villanium, &c. perſequi hic locus finit. Puta de hujus Clementis *libidinationibus*, & *rerum Eccleſiaſticarum venundatione*; & factâ aliquando inveſtigatione à *Præſtigiatoribus*, de ſtatu defuncti Nepotis ſui, &c. quæ illi pluribus enarrant. Mortuus eſt Clemens Papa XII. Kal. *Maji* A. MCCCXIV. in Civitate *Carpentoratenſi* ultrà Rhodan. ubi Curiam ſuam tenebat; poſt quem vacavit Sedes *annos* II. & *menſes* III.

Clementis facta Antichriſt.

III. *Johannes* XXII. anteà Jacobus de Ozâ, vel Oſſâ, Patre ſutore veteramentario, ut ſcripſit Antoninus Flor. P. III. L. IX. *Cap.* LXXIX. vel etiam miſero cerdone in Cadurcis natus, (quanquam alii ex *priſcâ Nobilitate* ortum tradiderint, & inclinat in hanc ſententiam Steph. Baluzius, *Notis* ad *Vitas* Papar. Avenion. p. 689.) ex Cancellario primùm Roberti Siciliæ Regis, tum Epiſc. Foro-Julienſi, dein Avenionenſi, tandem Cardinali Portuenſi, Pontifex electus eſt An. MCCCXVI. poſt *biennii* Inter-Pontificium, & ultrà. Hic quidem ſtaturâ *non multum magnus* fuit, ſed *ſcientiâ*, etiam *eloquentiâ*, etiam *animo*, erat enim *ardenti ingenio*, ut eſt apud Ptolom. Lucenſem in *Append.* & teſtantur Albertinus Muſſatus, Franc. Petrarcha, & Auctores *Vitæ* Johannis XXII. quales VII. produxit nuper Baluzius. Qualis autem fuerit Chriſti Vicarius, in Sede Avenionenſi, vel ſequentia teſtantur. Ac I. Aſſumptio hujus honoris, *per ſe ipſum*, dùm poſt biennii Interregnum, facto inter Cardinales Compromiſſo, cum fore Pontificem quem Card. Portuenſis eligeret, ſuaſu Neapoleonis Urſini, ſe ipſum nominavit, ex Joh. Villanio, ex Antonino P. III. Chronici, aliiſque. Quod etiam factum à Johanne XXIII. memorant. Ad hæc *Sacramenti* ludibrium, jurante hoc Johanne (anteà Jacobo de Oſſâ) ſe nunquàm *vel equum vel mulum* conſcenſurum, quin Romam transferret Sedem, fatente Bzovio, & referente Ciaconio; hæſurus tamen Avenione, contrà fidem juramenti, ſed nunquàm uſurus *equo* vel *mulo*, deluſis ità Purpuratis.

Johannes XXII.

2. Graviora ſunt quæ hic Johannes molitus eſt, contrà *Ludovicum Bavarum*, XXX. annorum Principem, in Imperatorem unanimi conſenſu electum, à V. Electoribus Imperii, vacante Sede, A. MCCCXIV. Octobri menſe. Aliis tamen, ut Colonienſi Archiep. Rudolpho Palatino, etiam Saxoniæ Duce Seniore, eligentibus *Fridericum* Auſtriæ Ducem cognomine Pulchrum, filium natu majorem Alberti quondam Roman. Regis; undè diviſum Imperium fuit per annos ferè IX. Hic verò Pontifex non modò contendit in theſi, *Imperialem* poteſtatem, dignitatem, jus omne Imperii, etiam in temporalibus, *Papæ* ſubeſſe; hinc neminem ſe gerere poſſe pro *Imperatore*, aut *Rege Romanor.* nec habendum eſſe pro tali, antequàm eſſet electio à Sede Apoſtolicâ approbata: Sed etiam is *Ludovicum Bavarum*, publicis & peremptoriis Edictis citatum, & non comparentem, tandem privavit jure quod ipſi competebat in Imperium, ratione *electionis*; præmiſſo Antichriſtiano *Monitorio*; Quod excepit prolata adverſùs eundem ſententia *Excommunicationis*, tanquam fautorem Hæreticorum, diris devovendum ſcriptâ *Bullâ*, cum omnibus qui adhærerent, in ſpecie Galeaciis Vice Comitibus tanquam *rebellibus*, & *de crimine Hæreſis, à ſuis competentibus Judicibus, ſententialiter & publicè condemnatis*, &c. An. MCCCXXIV. Obtentus fuit, quòd Ludovicus Bavarus *Regni* & *Imperii titulos*, ſed & *regimen*, aſſumpſiſſet, antequam id facere à Papâ juberetur. *Monitorium*, & *Bullam* Excommunicationis, ex Regeſto Johannis, & Vaticanis Scriniis, exhibent ad A. MCCCXXIV. Odoricus Raynaldus, Bzovius, alii. Viciſſim *Ludovici Bavari* ſcriptum in Johannem, refutationem Bullæ Pontificiæ, crimina illi objecta, ut Simoniæ, Hæreſeôs, Antichriſtianæ tyrannidis, &c. tùm & electionem Anti-Papæ *Nicolai* V. anteà *Minoritæ*, nomine *Petri de Corbario*, vel *Petri Rainallacii*, viri ſapientis & probatæ honeſtatis, Romæ conſecrati An. MCCCXXVII. Qui malè dicitur, ob ductam uxorem antequam habitum Minorum aſſumeret, de *Secta Nicolaitarum fuiſſe, quam Johannes in Apocalypſi odibilem deſcribit*, apud Bernardum Guidonem in ejus

Facta contrà Ludov. Bav.

Digitized by Google

ejus Vitâ, p. 142. Sed idem Corbarius poſt Ann. MCCCXXX. Avenionem ductus ad Papam, abjuravit *errores omnes*, veniam ſupplex petiit, & *abſolutionem* conſecutus eſt, ac *redintegrationem* Eccleſiaſticæ unitati: Etiam hoc privilegium conſecutus eſt, ut nulli alii deinceps ſubjectus eſſet, quam ſoli *ſummo Pontifici*; qui antè Ludovicum Bavarum *inunxiſſet*, *conſecraſſet*, *&* *coronaſſet*, ut teſtatur ipſe Johannes XXII. in Epiſtolâ quam adfert Bzovius, ad Ann. MCCCXXX. *Num.* 1. Scripta autem ac momenta pro Jure Imperat. Ludovici, & pro Juribus Regni & Imperii, videſis apud Nauclerum *Generat.* XLV. T. II. Chronographiæ, vel apud Ptolomæum de Lucâ, in *Vitâ* hujus Johannis, inſertâ *Hiſtoria Pontificum*. Ut Melch. Goldaſtum, Simonem Schardium, Herm. Conringium, alioſque Juris Cæſarei vindices taceam, & noviſſimè Baluzium in *Notis* ad *Vitas* Johannis XXII. & Benedicti XII.

Alia Johannis XXII.

3. Nec feliciùs intelligitur Antichriſtianus hujus Johannis *Dominatus*, quàm ex *Regeſto* Bullarum, Ordinationum, Declarationum, Indictionum, Mandatorum, & quæ id genus ſunt, ad Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites, Marchiones, Reſpublicas, &c. quorum Indicem habes in *Tomo* XI. Conciliorum, *Parte* II. & apud Odor. Raynaldum, indè ab A. MCCCXVI. Adde *Clementinas* ab hoc Pontifice editas, *impoſituras libertati Chriſtianæ*, ut Aventinus; ſed & *Extravagantes* Johannis XXII. in Corpore Canonico, aſſerturas *Papæ* ſummum arbitrium Imperii Romani, Regnorum, ac Temporalium, ſed & Beneficiorum omnium; à Guil. Occamo & tot aliis exploſas, damnataſque. Ab eodem Johanne profectæ, *Regulæ Cancellariæ* Apoſtolicæ; *Rotæ* in Palatio Apoſtolico Ordinationes; Beneficiorum *Taxæ*, certâ pecuniæ quantitate æſtimatæ; eorundem Beneficiorum *Reſervationes*, *Expectativæ*, *Proviſiones* ad nutum Pontificis; *Annatarum jura* ſeu reditus *unius anni*, cujuſvis vacantis Beneficii, Epiſcopatûs, Abbatiæ, Officiorum Clauſtralium, Commendarum, &c. perſolvendi Pontifici Romano, id genus alia, quæ ſuam huic *Johanni* XXII. originem debent. Quæ videri ſummatim poſſunt, & Simonia infanda Romæ exercita, in *Taxâ Cancellariæ Apoſtolicæ* aliquoties excusâ, ut in Oceano Juris, T. XV. Parte I. Venetiis cum Licentiâ Superiorum A. 1584. Coloniæ A. 1523. Wittebergæ A. 1538. &c. De quo Libro Claudius Eſpencæus Doctor Pariſienſis, vitâ functus A. 1571. Comment. in *Epiſt.* ad Titum, C. 1. ad vocem *Turpilucri*, p. 479. *Proſtat & in queſtu pro meretrice ſedet, Liber palam ac publicè hîc impreſſus, & hodieque ut olim venalis, Taxa Cameræ ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ, inſcriptus; in quo plus ſcelerum diſcas licet, quàm in omnibus omnium vitiorum Summiſtis & Summariis, & plurimis licentia, omnibus autem abſolutio empturientibus propoſita*, &c. Adeoque ibi habetur Taxa abſolutionis quorumcunque criminum, & inter abſolvendos ſunt *perjuri*, *falſarii*, *ſacrilegi*, *adulteri*, &c. imò *parricidæ*, *matricidæ*, & ſi quos alios ne ſanior Gentilitas noverat. Undè claudit Eſpencæus, *Habeat jam Roma pudorem!*

Theſauri à Johanne cumulati.

4. *Avaritiam* inexplebilem hujus Johannis; hinc Decreta pro *Gratiis Expectativis*, *Reſervationibus*, *Diſpenſationibus*, *Taxis*, *Annatis* Beneficiorum, quæ Simoniam palam introduxerunt auctoritate *Pontificiâ*; Undè poſtmodùm negatum, *Papam poſſe incurrere vitium Simoniæ, quia* Dominus ſit abſolutus omnium fructuum, proventuum, Beneficiorum, quibus gaudet Eccleſia. Quanquàm non *Dominum*, non *Proprietarium*, ſed *principalem diſpenſatorem* rerum quæ ad Eccleſiam pertinent, dixerit Aquinas in II. II. *Quæſt.* C. *Art.* I. quem hic Johannes Sanctis adſcripſit A. MCCCXXIII. Hinc poſtmodùm *Annatæ* in Concilio Baſil. de *Simoniâ* damnatæ, *Seſſ.* XXI. Ità Epiſcopatus, Abbatias, Collationes Beneficiorum, &c. multiplicavit, v. gr. Tarraconenſem Provinciam diviſit in duas, & alteram Metropolim *Cæſarauguſtam* in eâ conſtituit, A. MCCCXVIII. Undè hic Johannes, qui primus has Annatas introduxit ſtatim initio Pontificatûs, A. MCCCXVI. congeſſit theſauros immenſos, & *vim auri quantam nullus antè ſe Pontifex in theſauris reliquerat*; adeò ut ſpatio XIX. ferè annorum, ad *ducenta* & V. *millia* drachmarum aurearum congeſſerit. Joh. Villanius verò, reliquiſſe hunc Johannem ex Inventario, juſſu Cardinalium adornato, XXV. *milliones argenti*; quod & Paulus Sarpius Venetus obſervavit, Tractatu de *Beneficiis*, *Cap.* XXXVIII. Hæc jam graviſſimorum *malorum radix* in Eccleſiâ Romanâ, quæ eradicari nunquam potuit.

Superſtitionis fovendæ ſtud.

5. *Superſtitionem* Johannis, ac fovendæ ejus ſtudium, arguunt *Bullæ*, in Bullario Cherubini, & apud Odoricum Raynaldum, v. gr. pro *Canonizatione* Thomæ Herfordienſis in Angliâ Epiſcopi, A. MCCCXX. Et in *Excerpto* ex proceſſu Canonizationis hujus Thomæ, à Baluzio ex Biblioth. Colbertinâ edito, Papar. Avenion. T. II. p. 366. adfertur pro causâ cur Sanctis adſcriptus, quod *Lachrymas in Miſſâ à Canone uſque ad finem multas effundebat*; quod *Pſalmos pœnitentiales*, *Litanias*, *& Officium defunctorum*, *cotidiè recitabat*; quod *ſtolam ad collum ſubtus capam vel rondellam*, *quando equitabat*, *ad modum Crucis*, *ſemper portaret*; quod *Carnes quartâ feriâ*, *& vinum ut plurimùm ſextâ*, *non ſumebat*; quod *Camiſiam ciliciam ad carnem veſtiebat*; quod *Zonâ nodosâ & aſperâ*, *latitudinis duarum palmarum & quandoque ferreâ*, *carnem cingeret occulte*, &c. Sic in Diplomate Canonizationis Thomæ Aquinatis Ordinis Dominic. data A. MCCCXXIII. recenſentur ejus Miracula, apud Bzovium, & in Bullario; Tùm illa Ludovici vulgò Toloſani, filii Caroli Claudi Siciliæ Regis, primi Apamenſium Epiſcopi, à Johanne canonizati, A. MCCCXVII. Item conſtitutiones de *Feſtis*, in eorum honorem ab Eccleſiâ celebrandis; Tùm & inſtitutio *Feſti S. Trinitatis*; & illa trinæ repetitionis *Salutationis Angelicæ* ad Virginem, ſingulis Veſperis, ad ternum Campanæ pulſum. Tandem ſtudium ſævæ *Inquiſitionis* in hoc Pontifice ſummum, adverſus omnes quos in Hæreticis Roma habuit; *de cujus* Inquiſitionis origine, & immanitate, jam dictum ſuprà fuit. Et in ejus *Vitâ*, per Venetum quendam Auctorem Coætaneum ſcriptâ, additur ex antiquo Cod. Ms. edente Steph. Baluzio, in *Vitis* Papar. Aven. T. I. p. 172. *Iſte Venetus adulator nihil dicit de Tyrannide geſtâ per Papam iſtum; de trucidatione Chriſtianorum factâ ſuo juſſu; de partialitate animosâ ejuſdem, & de quampluribus aliis geſtis Diabolicis ejuſdem. Expectabat quidem Bergulus iſte Pileum rubeum, veritatem tacendo, & exprimendo mendacia. Vir quidem ſanguinum fuit Johannes iſte, nec Eccleſia Dei ſatis dignus.* En judicia de hoc Johanne lata!

Hæreſis Joh. XXII. impacta.

De Johannis XXII. Bullis, oppoſitis illis Nicolai III. in causâ omnimodæ *Paupertatis Chriſti & Apoſtolorum*, fortaſſis infrà. Cumprimis de decantatâ ejus *Hæreſi*, quâ ſtatuebat, *animas* decedentium in gratiâ, adeoque etiam *purgatas*, & *ſanctas*, non recipi Cœlo nec frui beatificâ *Dei viſione*, *Dei Trini* & *unius*, antè *Diem Judicii* & *Reſurrectionis*. Concionibus publicis aſſertâ eâ ſententiâ, A. MCCCXXIX. MCCCXXXI. MCCCXXXII. MCCCXXXIII. Quæ vires acquiſivit in Curiâ Avenionenſi, à Pariſienſi autem Academiâ, quicquid in contrarium moliretur Pontifex per miſſos è Latere ſuo *Monachos*, rejecta ac damnata fuit, Rege etiam ſcribente dehortatorias ad Pontificem literas A. MCCCXXXIII. ut Continuator Nangii, apud Luc. Dacherium ad eum Annum, p. 760. Et ipſe Pontifex fertur in Vitâ Johannis XXII. à Petro de Herentals ſcriptâ, & inter *Vitas* à Baluzio editas *ſextâ*, quod anno ſui Pontificatûs XIX. & ultimo, ſentiens ſe morti proximum, in

hæc

Digitized by Google

hæc verba recantaverit: *Credimus quod Animæ ſeparatæ à corporibus, & purgatæ ſunt, in Cœlo, Cœlorum regno ſeu Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ; vident Deum & Divinam Eſſentiam facie ad faciem, clarè in quantum ſtatus & conditio animæ ſeparatæ patitur.* Addidit in Epiſt. ſcriptâ Avenione III. Non. Decemb. A. MCCCXXXIV. non tamen *bullatâ*; *Si alia & alia contrà materiam hujuſmodi per ſe dicta & prædicata vel ſcripta fuiſſent, illa abnegare, & determinationem Eccleſiæ, & Scripturæ S. approbare.* En luculentum Infallibilitatis Papalis documentum! Et poſt mortem *Hæreſeôs* idem à variis fuit accuſatus, cumprimis à Minoritis, inter quos Nicolaus Minorita, qui etiam Benedictum XII. vocat *Pſeudo-Papam*, quod Conſtitutionem fecerit in favorem *Johannis* XXII. *Hæretici*, apud Baluzium, Notis ad primam Vitam Benedicti, p. 788. Aliorum etiam errorum fuit tum poſtulatus; ut quod *votum Paupertatis* damnaverit; etiam *votum Cœlibatûs* in Beguinis, quas ad conjugia compulit, ſtatu Beguignagii condemnato.

Benedictus XII. Characteres Antichriſt.

IV. Nec paſſus eſt in ſe deſiderari Papalis Tyrannidis characteres *Benedictus* XII. Gallus itidem, filius viliſſimi ſeu Piſtoris, ſeu Molitoris, (undè is ad Cardinales, PROFECTO ASINUM ELEGISTIS, reſpiciens ad ignorantiam Civilium & Aulicarum rerum, in quâ hactenùs vixerat, referente etiam Papirio Maſſonio *Annal.* L. IV. p. 398. & Bzovio, Spondano, ad A. MCCCXXXIV.) deindè Monachus & Abbas Ciſtertienſis, quamvis Carmelitam alii fuiſſe dicant; poſteà Cardinalis Presbyter, ac tandem Pontifex, Anno MCCCXXXI. Quicquid inter *optimos* & *doctiſſimos* Pontifices habeatur, cujus varia recenſentur Scripta, ut de *Viſione Beatificâ*, & aliis *Controverſiis* Theologicis, ſic *Commentarius in Matthæum*, &c. tamen ſpiritum Antichriſtianum plurima teſtantur: Ut v. gr. Confirmatum anathema *Johannis* XXII. *in Ludovicum* Bavarum, quamvis alii, hortatum modò eſſe, ut ad *Romanæ Eccleſiæ obedientiam rediret*, ſpe factâ reconciliationis, non tamen conceſſâ; in Vitâ Benedicti per Boſquetum editâ, & à Baluzio nuper inter Vitas Benedicti collectâ: Ablata eidem Imperialis Dignitas, tanquàm vacans, conſtitutis *Vicariis* per Italiam, ſub cenſu annuo x. mille *Nummûm auri*; quod vacante Imperio, etiam per interdicta Pontificum, omnis ejus poteſtas in Pontificem recideret, & ad eum, *veluti unicum Chriſti ſuperni Regis in Terris Vicarium*, devolveretur, ut diſertè Platina, & alii: Excommunicatio denunciata *Eduardo* Anglorum Regi, nî abſtineret à Vicariatu Imperii, quem in ipſum contulerat Ludovicus *de facto*, in congreſſu Francofurtano, *per totam Alemanniam, & Germaniam*, imò *Galliam* quatenùs cenſebatur pars Imperii, ut eſt apud Walſinghamum in Hypodeigm. Neuſtriæ, ad A. MCCCXXXVIII. quod tamen revocavit poſteà An. MCCCXLII. fœdere inito cum Rege Galliæ, eodem Walſinghamo teſte: Hinc aſſertum Benedicti, quòd *Imperialis Dignitas & Poteſtas eſſet à Papâ*, &c. Adversùs quæ Electores Imperii, luculentis Decretis de *Jure Imperii*, apud Goldaſtum, & Epiſt. datâ ad Benedictum XII. pro *Ludovico Bavaro*, ſtrenuè inſurrexerunt, Ann. MCCCXXXVIII. Mittimus Benedicti Decreta, ex. gr. Pro reſervandis ſolius *Papæ diſpoſitioni* omnibus Beneficiis Eccleſiaſticis, cujuſcunque generis, *vacaturis* aut *vacantibus in Curiâ*, ut loquitur Decretalis, A. MCCCXXXV. Pro *exſtirpandis Hæreticis*, in quos pro ingenio Monachali animoſiſſimus fuit, illos ſc. qui *Sacramentum* eſſe adorandum, aut *Papæ* obediendum eſſe, negarent, quales fuêre & in Angliâ, Hyberniâ, ſub Eduardo: Pro taxandis certo pretio *Bullis*, ac Brevibus *Pœnitentiariæ Apoſtolicæ*, præeunte Johanne XXII. *Superſtitio* quoque hujus Pontificis verè Monachalis liquet; vel ex lucubrationibus illi attributis, de *Feſtivitatibus* Deiparæ, Sanctorum, &c. & ex Sanctione pro *Stigmatibus* Franciſci: *Luxuries* denique, in amatâ ac magnis muneribus ſibi conciliatâ, formoſiſſimâ ſorore Franc. Petrarchæ, Avenione commorantis apud Girardum fratrem: Et quia Petrarcha negaret Pontifici uſum ſuæ ſororis, etiam Galerum Cardinalitium ſibi eâ conditione promiſſum, dicens *tam fœtidum Galerum capiti ſuo non eſſe ponendum*, hinc Pontifex tentare cœpit Girardum Petrarchæ fratrem, qui paucis muneribus captus, ſororem utendam Papæ conceſſit. Sed pœnitentiâ ductum, & Carthuſianorum ordinem ingreſſum, ſcribit Hieronymus Squarzafichus, in *Vitâ* Franc. Petrarchæ. Hunc tamen Benedictum, etiam Miraculis clarum, cœlo efferunt Bzovius, Spondanus, & quotquot Romæ ſerviunt. Alii verò apud Joh. Balæum *Cent.* IV. p. 373. triſte carmen illi cecinerunt, quale poſtea Romæ in Lutherum converſum eſt, inter Epitaphia Ph. Labbei:

Iſte fuit verè Laicis mors, vipera Clero,
Devius à vero, turba repleta mero.

Hic Sedem Papalem Avenione Romam transferre decreverat, ſed territus difficultatibus *Palatium* Avenione ſplendidiſſimum ædificavit, quod à Clemente VI. ſucceſſore amplificatum fuit.

V. *Clemens* verò VI. patriâ Lemovix, olim Monachus Benedictinus, electus Ann. MCCCXLII. ivit omninò per Clementis V. & Johannis XXII. ac Benedicti XII. veſtigia. Ac quicquid eum Fr. Petrarcha à *clementiâ* laudaverit, ſcilicet.

Clemens VI. Iidem Characteres, qui antè.

—— nomen ab ipſis
Rebus habet,

inclementiſſimum ſe geſſiſſe ergà *Ludov. Bavarum* Imperat. & omnes qui Bavaro adhærerent, citatione Imperatoris intrà *triduum*, dein interdictis, anathematis, depoſitionibus, conjurationibus ac bellis in *Ludovicum* ſuſcitatis, una vox eſt Hiſtoricorum. Hinc deprecanti Ludovico, duriſſimas conditiones propoſuit; ſcilicet Imperium primò deponeret, Papæ voluntati ſe & Filios, ſuaque omnia dederet, Hæreſes confiteretur, Decreta retractaret, &c. Neque his contentus Pontifex, addidit leges alias, toti Imperio contumelioſas, ac ipſis Pariſienſibus Theologis damnatas, ſcil. *Edicto perpetuo ſanciret* Ludovicus, *Imperium Beneficium eſſe ſummi Pontificis, nec antè Cæſarem eſſe aut vocari, quàm Papa auctor fieret*; ex Nauclero, Blondo, Krantzio, Villanio, & Germanorum Chronicis, ipſiſque *Actis* hujus Clementis, apud Odoricum Raynaldum. Indè Imperatorem diris devovit in *Cœnâ Domini*, omni Dignitate exuit; ſubditos à Juramento abſolvit; Archiep. Moguntinum depoſuit, tranſlato eo *Pontificatu* in *Gerlachium de Naſſau*, qui conſpiravit quoque in electionem *Caroli* Imper. De his ſcriptæ literæ ad Electores, quas exhibet Raynaldus, ad A. MCCCXLVI. Aliumque eligi Romanorum Regem præcepit, *Carolum* nempè, filium *Johannis*, Bohemiæ Regis, Pontifici pridem devincti, qui per Archiepiſc. Colonienſem fuit Aquiſgrani coronatus, concurrente Trevirenſi, Saxone, & Gerlachio quem Archiep. Moguntinum creaverat, in præjudicium illius qui *tenebat*, *perfidiam ejus deteſtans*, ut Aventinus.

Accedat intentatum anathema *Eduardo* Angliæ Regi, ob converſa in uſus ſuos Beneficia Eccleſiaſtica, fusè apud Raynaldum: Adhæc, accuſatus hic Pontifex necis *Andreæ* in Apuliâ Regis, ut Regnum Germano ſuo traderet, accuſante *Ludovico* Hungarorum Rege, Andreæ occiſi fratre. Verba ſunt Joh. Aventini Annalium, L. VII. p. m. 482. *Hoc Anno in Apuliâ Andreas Rex noctu in cubili laqueo necatur. Clemens germano ſuo fratri regnum tradit.*

Digitized by Google

Verùm Ludovicus Rex Ugrus (Hungariæ R.) *occiſi fratер, cum infeſto exercitu in Campaniam contendit, Johannam uxorem fratris, cum marito novo fratre* Clementis *Sexti, item alios cædis conſcios auctoreſque, Italiâ exigit, ac Regno Neapolitano potitur, Literis per orbem Chriſtianum Johannam, item Pontificem Romanum & quatuor Flamines* (Cardinales) *parricidii incuſat. Johanna cum Conjuge fugâ ſibi conſulit, Avenionem evaſit ad primarium Sacerdotem: Cujus auro & pollicitationibus . . . . . Carolum Moravici limitis Præfectum, filium Regis Bohemiæ, Cæſarem deſignant,* &c. Tùm notatæ *libidines* Clementis, appetentis Nobilium uxores, ex M. Villanio, Italo Scriptore; præctereà ſtudium *agnatos* locupletandi, & cumulandi honoribus, quos inter v. Cardinales, Frater, tres Nepotes, & unus Conſanguineus; collatio etiam Purpuræ Cardinalitiæ, in Nepotem ſuum anno ætatis XVII. ſcil. *Petrum Rogerium*, qui poſteà fuit Gregorius XI. Tandem congeſtæ opes ex promulgatione *Jubilæi*, An. MCCCL. quo factum *ut maximus concurſus eſſet populorum, Romam proficiſcentium lucrandi causâ plenariam Indulgentiam, propter quam erat hujuſmodi Peregrinatio generaliter conſtituta*, ut eſt in Vitâ Clementis Edit. Boſqueti, apud Baluzium, p. 256. Et quidem publicavit Jubilæum Clemens, ad *inſtantiam & ſupplicationem Romanorum qui hac de causâ ad eum nuncios ſuos miſerant*, ut ſcilicet quodammodò reſarciretur jactura quam patiebantur Romani, ex abſentiâ Aulæ Pontificiæ. Et quando Bonifacius reſtrinxerat Indulgentias viſitaturis Baſilicas *Petri* & *Pauli*, addidit Clemens VI. Baſilicam *Lateranenſem*; poſtmodum Gregorius XI. *S. Mariam Majorem*, apud Odor. Raynaldum ad A. MCCCLXXIII. N. XV. Mittimus alia id genus, pleraque in confeſſis apud Bzovium, Spondanum, Raynaldum, quibus paginas haſce non replemus. Antichriſtianam verò doctrinam, de abſolutâ poteſtate Rom. Pontificis, habes in Articulis quos præſcripſit Armeniis, A. MCCCLI. apud Odor. Raynaldum. Nempe quod *ſolus* Papa *poſſit generales Canones condere*; cujus *Pontificalis auctoritas nulli ſubjiciatur nec Imperiali, nec Regali*, ne quidem *quoad correctionem*; cujus *ſolius ſint determinationes authenticæ circa Fidem, ut verum ſit quicquid determinat eſſe verum, falſum & hæreticum quicquid tale eſſe determinat*, &c. Mortuus eſt ex gravi morbo, Ann. MCCCLII. Pontificatûs XI. Fertur quidam huic Pontifici obtuliſſe ſupplicationem, additis Verſibus, qui lecti ordine retrogrado, ſi ejus ſupplicatio non admitteretur, efficerent ſenſum planè contrarium, in *Vitâ* hujus Clementis ſcriptâ à Petro de Herentals, apud Baluzium:

Laus tua non tua fraus, virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam ſtat janua clauſa.
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua ſit ſtabilis, non tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus Omnipotens.

Innocentius VI. Characteres Antichriſt.

VI. *Innocentius* VI. natione Aquitanicus, è Diœceſi Lemovicenſi, antè Stephanus Alberti, in Galliis Cauſidicus, dein Epiſcopus, à Clemente VI. in ordinem Purpuratorum adſcriptus, ad extremum factus Papa ſub initium Anni MCCCLIII. Avenione ſedens. Hujus ſub magnâ ſpecie ſanctitatis, & vitæ in exemplum inſtituendæ, ſumma fuit cùm ambitio & tyrannis, tùm avaritia, tùm denique ſuperſtitio. *Ambitionem* probat inter cætera, quod ſimul ab accepto Pontificatu, Audoinum Alberti, nepotem ſuum ex fratre, ſtatim Cardinalem Presbyterum creaverit, & eodem Anno pro recuperandis in ſtatu Eccleſ. omnibus Terris, ac Juribus Rom. Eccleſ. Cardinalem Ægidium, Hiſpanum delegaverit, ut eſt in Conſtit. I. in Bullario Cherubini. *Avaritiam*, quod primo ſtatim anno indixerit *decimas per totum Mundum* (ſic in ſecundâ Vitâ Innocentii, inter illas Paparum Avenionenſium) *ad recuperandum* ſcil. *omnes terras Eccleſiæ de manibus tyrannorum. Tyrannidis* exempla, in *mandatis* ad *Carolum* IV. Imperat. directis, v. gr. Romæ ne per diem integrum moraretur, ubi Coronam Imperialem accepit de manibus Petri Oſtienſis: Sic in Eccleſiaſticas perſonas ne animadverteret; hæc & illa procuraret; præſtito antè Coronationem corporali juramento, quale præſcripſit Pontifex, præter illud quod Avenione præſtiterant *Legati* Caroli, literis Imperatoris muniti; in quibus advolutus *pedibus Sanctitatis ſuæ*, polliceretur, *ſe ſanctis diſpoſitionibus, monitis, exhortationibus, & mandatis, pro totis viribus coaptando, reverenter & devotè* pariturum, &c. ut videre eſt in Innocentii *Epiſtolis*, vel apud Bzovium, & Raynaldum, ad A. MCCCLV. Quo ipſo Carolus ſe & Imperium in ſummum contemptum adduxit. Ità Innocentius *Johannem* Gallorum Regem acerbiſſimè per Literas increpuit, ob imperatam Clero ſolutionem Decimarum; item quod contenderet Collationem Canonicatuum & Præbendarum, perſonis per Regem nominandis competere, ut etiam Spondanus ad An. MCCCLIII. N. XV. Pariter *Ludovicum* Siciliæ Regem anathemate obſtrinxit, ob non perſolutum Romanæ Eccleſiæ cenſum, qui deberetur Pontifici ut Domino Feudi: Sic in Monachum Ord. Minoritici *Johannem de Rupeſciſſâ*, ſive *de la Requetaillade*, laudatiſſimum Trithemio, *in Scriptoribus Eccleſ.* duriſſimo carcere animadvertit, quòd in Papæ, Cardinalium, Cleri vitia liberrimè declamaret, ac de *Antichriſto* ingratiſſima Curiæ Pontificiæ portenderet.

Superſtitionem effuſam arguunt, *Feſta* ab eo inſtituta, additis pleniſſimis Indulgentiis; ſpeciatim illud *Lanceæ* S. Longini, & *Clavorum* Dominicæ Crucis, & *Coronæ Spineæ*, inſtitutum per univerſum Orbem Chriſtianum, feriâ VI. poſt Dominicam *Quaſimodò geniti*, ut ex Trithemio, in *Chron.* Spanheimenſi, ad A. MCCCLX. & ex Epiſt. Innocentii, Bzovius, ad A. MCCCLIV. N. V. Adde commendata Anglis Feſta, nempè *Auguſtini* Monachi & *Eduardi* Confeſſoris, apud Walſinghamum, & in Mss. Vaticanis, *ſolemniter ac devote* celebranda. Hinc etiam *decimas* per totam Angliam obtinuit, ad C. *millia* & ampliùs florenorum, ut apud eundem Bzovium, A. MCCCLXI. N. X. Plura mittimus videnda in Vitis à Baluzio editis, & Notis, morituro hoc Innocentio, XII. *Sept.* A. MCCCLXII.

VII. *Urbanus* V. antè Guilielmus Grimoardi, Ab- Urbanus V.
bas S. Victoris Maſſilienſis, abſens in Siciliâ electus, anteà Doctor U. J. tandem Pontifex, ab A. MCCCLXII. miris laudibus Bzovio, Spondano, ac cæteris efferendus eſt. Is tamen fuit, qui plurimus incubuit non reformandæ Eccleſiæ, ſed Romanæ *Urbi*, quò transferre Sedem conſtituerat, jam ab Anno MCCCLXVI. Sed Romam demùm intravit VI. *Octobr.* MCCCLXVII. poſtquàm aliquandiu ſubſtitiſſet *Viterbii*. Hinc Miſſam ſolenniter celebravit in *Altari* B. *Petri* ultimo Octobr. ejuſdem *Anni*, ubi à tempore Bonifacii VIII. Miſſa celebrata non fuerat, propter diutinam abſentiam ſummorum Pontif. qui in eodem Altari ſoli conſecrare conſueti. Hinc operam dedit ornandæ rurſùm Urbi ædificiis, Palatiis, Eccleſiis ſplendidis, ac *Vaticano* inſtaurando. Commendandus idem, quòd Calvarias ſeu Capita *Petri* & *Pauli*, quæ fuerant annis multis recondita, & ſub Altari clauſa ſervata, tandem reperta, ad cultum Idololatricum incluſerit loculis argenteis, infrà Eccleſiam Lateranenſem: Quod *Jeſuatorum* (à nomine *Jeſu*) Ordinem novum, & alterum S. *Salvatoris* à Brigittâ vel Brigidâ Suecâ inſtitutum, de quibus Hiſtoria Monachalis, confirmârit: Quòd Im-

Digitized by Google

Imperatori Græco, *Joh. Palæologo*, Romam ad Pontificem ex Oriente delato, A. MCCCLXIX. præſcripſerit *Formulam* ejurandi Schiſmatis Græcè & Latinè, ſi auxilia vellet contrà Turcas, cui lubens ſubſcripſit ad extrema redactus Imperator. Quòd Thomæ Aquinatis *Brachium dextrum*, Conventui Pariſino Jacobitarum, ſive Carolo V. Regi, in cultum religioſum donaverit; offerente in hæc verba Magiſtro Ordinis, *Juroque, ipſum verum B. Thomæ de Aquino Brachium fore, & in hujus rei teſtimonium reverenter adoro*; ex Actis Sanctor. Henſchenii & Papebrochii, ad VII. *Martii*, in Aquinate. Quomodo ibidem, *Caput* Aquinatis, ac *Corpus* reliquum quod tumulatum remanſerat in Monaſterio *Foſſæ* Novæ, conceſſiſſe fertur *Toloſanis* hic Urbanus, ſolemni Tranſlationis ritu, videndo in Hiſtoria ejuſdem Tranſlationis, Raymundi Hugonis, quæ extat *Tomo* I. Martii apud Bollandum, p. 732. Et quidem ut gratificaretur ejuſdem loci Dominicanis, & Facultati Theologiæ recens ibi inſtauratæ: *Quia*, inquit Pontifex, *eſt ibi Univerſitas nova in Theologiâ, quam volo fundari in doctrinâ ſolidâ & firmâ illius Sancti:* Dixiſſet potiùs, in doctrinâ ſolidâ & firmâ Chriſti & Apoſtolorum, Scripturis Sanctis traditâ. Et quæ alia *Urbani*, arguunt parem cum Anteceſſoribus mentem. Migravit rurſum Româ *Avenionem*, *maritimo* itinere uſque ad Maſſilienſem urbem, paulo poſt deceſſurus, xx. Decemb. Anno MCCCLXX. Additur in ejus Vitâ, Edit. Boſqueti; *Vix eſt Eccleſia in Mundo, in locis ſolennibus, quin ſit Imago ejus depicta, & cum Vigiliis & Oblationibus honorata.*

Gregorius XI. *Gregorius* XI. Lemovicenſis, nepos Clementis VI. Cardinalis ab anno ætatis XVII. anteà appellatus *Petrus Rogerii*, electus Avenione Anno expirante MCCCLXXI. antequam *Presbyter* eſſet ordinatus, quod factum IV. *Januarii* MCCCLXXII. Nihil autem Gregorius ceſſit Patruo indole, moribus, factis. *Romam* poſtliminio tranſtulit Sedem, incredibili cum faſtu, ſub initium Anni MCCCLXXVII. Occaſio transferendæ rurſum Sedis in Urbem Romam hæc fuit; Generalis rebellio Bononienſium, Florentinorum, & omnium fere Civitatum per *Italiam*, contrà Gregorium Papam, facto vexillo in quo magnis Literis deſcriptum, LIBERTAS. Hinc præſentiam Gregorii deſiderabant Romani, qui Urbem ingreſſus eſt die XVII. *Januar.* A. MCCCLXXVII. à quâ Sede abfuerat Pontifex ab A. MCCCV. Sed hinc præludia longi & duraturi *Schiſmatis*, mox à Gregorii exceſſu orituri. Hinc & patuit ambitio Pontificis, ac quantum detulerit duabus ſuperſtitioſiſſimis fœminis, *Catharinæ Senenſi*, & *Brigittæ* Viduæ, jactantibus Divinas revelationes, *Dominum velle, ut Curia Papalis Romam reduceretur*. Ità magnus ille Joh. Gerſon, in *Libro* de Examine Doctrinarum *Parte* II. *Conſid.* 3. moriturum Gregorium, monuiſſe, *ut caverent ab hominibus, ſive viris ſive mulieribus, ſub ſpecie religionis loquentes Viſiones ſui capitis, quia per tales ipſe ſeductus, demiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen Schiſmatis imminentis.* Cùm paulo poſt ſuum Romam adventum Gregorius deceſſerit, ſcil. XXVII. Mart. A. MCCCLXXVIII. quum jam *Avenionem redire* cogitaret. Contrà ſublatum dixit Urbanus VI. & Urbaniſtæ, quod *contrà voluntatem Dei*, Revelationes ſcilicet Fœminarum, ab Urbe in Galliam receſſum moliretur. Et reverà vix mortuo Gregorio, ſurrexerunt Romani, clamantes *Romanum vel Italicum ſe velle Pontificem*; ingreſſuri cum Cardinalibus Conclave, & ſic obſeſſuri ut nullus intrare vel exire poſſet, niſi in ipſorum manus incideret, ut eſt in *Vitâ* Gregorii, ex Ed. Boſqueti, apud Baluz. Hinc moram nectentibus Cardinal. addiderunt mox Romani *minas*, quæ *violentiam* ſpirarent, etiam ni eligerent Papam Romanum, & ad minùs Italicum, *omnes incidendos eſſe per pecias ſive fruſta*. Undè in Archiepiſcopum Barenſem, qui *Urbani Sexti* nomen accepit, vota trepidantium Cardinalium iverunt, de quo poſteà.

Hujus Antichriſtianiſm. Porrò hujus Gregorii *Antichriſtianus* in multis dominatus apparuit. Cumprimis in exercitâ poteſtate in *Siciliæ* & *Apuliæ* Regna, ut feudataria, quæ Sicilia LX. ferè annis ab obedientiâ Rom. Sedis receſſerat; Erecto tum Regno *Trinacriæ* in gratiam *Friderici* Siciliæ Regis, eâ conditione quod Ipſe & Succeſſores regnum illud tenerent in feudum, *Johannâ* reſtitutâ in Regnum *Siciliæ* & *Jeruſalem*: Deinde in diris anathematis, quibus *Vice-Comites Mediolanenſes*, ſed & *Florentinos*, omneſque hujus Reip. Cives, perculit, adverſatos ſcilicet *Eccleſiæ juribus*: In conditionibus præſcriptis *Carolo* IV. Imperatori, & electo in Romanorum Regem *Wenceſlao* Caroli Filio, de recipiendâ Dignitate *Imperatoriâ* & *Regiâ*, à Pontifice, & Juramento illi præſtando, nec antè uſurpandâ hac poteſtate: In ſuppliciis, quæ de *Hæreticis* ſumi juſſit, quales Romæ cenſebantur, vivicomburio damnatis: In devovendis nominatim *Joh. Militzio* vel *Malleſio*, Pragenſi Concionatore, ac præceſſore Huſſi; tùm & *Joh. Wiclefo* Anglo, de quibus dicetur infrà, ubi de oppugnatoribus Papatûs.

Idololatricum ac *Superſtitioſum* Gregorii ingenium multa teſtantur: Præcipuè propenſio in viſionarias fœminas, *Catharinam* & *Brigittam*, quarum viſionibus uſus eſt in rem ſuam; Specialis devotio hujus Pontificis, ergà *Mariam Magdelenam*, cujus Corpus in *Sammaximinenſi* Monaſterio Fratr. Prædicatorum, Aquenſis Diœceſ. quieſcat; & ejus *Antrum*, propè Maſſiliam, in quo *centies & decies* à Chriſto viſitata fuerit, ex revelatione cujuſdam Monachi Dominicani, Eliæ Galli, A. MCCCLXX. Item Feſtum *Præſentationis M. Virginis*, quando ſcilicet præſentata in Templo trimula, à Gregorio primùm inſtitutum, ad XXI. *Nov.* Carolo V. Rege Chriſtianiſſimo, A. MCCCLXXIV. delato ſcil. Officio hujus Solemnitatis ex Inſulâ Cypri, reverà ignotæ Orientalibus. Quum his *Præſentatio Mariæ*, notet diem Purificationis, ſeu præſentati filii in Templo. Adde *Vigiliam* cum *Jejunio*, inſtitutam à Gregorio, ad Feſtum Inventionis & Exaltationis Dominicæ *Crucis*; item ad Feſtum *Nativitatis* Mariæ, cum Officio proprio. Etiam Feſtum *Auguſtini* Cantuarienſis, ſub duplici Officio celebrari ab eodem juſſum, &c. Mittimus alia, ex ejus *Vitâ*, *Epiſtolis*, & *Conſtitutionibus* teſtatiſſima, vel apud Bzovium, & Raynaldum, & in Bullario Cherubini Parte I. Item ex Legendâ *M. Magdalenæ*, apud Sylveſtrum Prieriam Dominicanum; ex Joh. Gueſnæi *Diſſertat.* de Magdalenæ & Marthæ in Provinciam appulſu, &c. Cum doctiſſimis Joh. Launoji animadverſionibus, de *Commentitio Lazari*, *Maximini*, *Magdalenæ & Marthæ*, *Maſſiliam appulſu*, quas edidit Pariſiis A. MDCLX.

IV. *Memorabile Romanæ Eccleſiæ Schiſma, totis annis* L. *Pontifices hoc Schiſmate quales, qualis Rom. Eccleſia?*

I. Occaſionem *Schiſmati* omnium (ut fatentur) teterrimo, & maximè diuturno, dedit factio *Italica*, & *Gallicana*, mortuo Gregorio Ann. MCCCLXXVIII. Romanis *Italum*, Gallis *Gallum* Pontificem, quales Avenionenſes omnes fuerant, depoſcentibus. Cauſa Schiſm.

Hinc in Italum primò, Barenſem Archiepiſc. Bartholomæum de Prinhano, nec Cardinalem tamen, ivêre plurium vota; populo Rom. in Conclave irrumpente, ac mortem interminato Cardinali-

dinalibus, ni Romanum eligerent, vel Italum. Hic mox aſſumpſit nomen *Urbani* VI. Nec diu poſteà, hoc Urbano Gallis Cardinalibus infeſto, quos alieniore à ſe animo cognoverat, ſecedunt *Anagniam* Cardinales *Galli* XIII. excepto Petro de Lunâ Aragonio; Urbanum pronunciant intruſum, & anathemate percutiunt; dein *Fundis* Regni Neapolit. eligunt Robertum Gebennenſem vel Genevenſem, annos XXXVI. natum, conſanguineum Comitis Sabaudiæ, fratrem verò Gebennenſis, & quidem *Clementis* VII. nomine ab iſto aſſumpto.

Schiſm. quod incepit ab Urb. VI. & Clem. VII.

II. Hæc initia duraturi Schiſmatis, cujus Hiſtoriam Theodoricus Niemius, non unius Pontificis Scriba, Libro de *Schiſmate Univerſali* conſcripſit, præter Antonini Chronicon P. III. Tit. XXII. Fr. de Zabarellis de ejus temp. *Schiſmate*, Hieron. Marium *de Schiſmate*, Nicol. de Clemangiis de *Schiſmate neſandiſſimo*, &c. Adde Monachum Dionyſianum, Sabellicum, Chronographos complures, & Vitarum Papalium Scriptores. Hinc mutua mox anathemata *Urbani* & *Clementis*, & in mutuum exitium educti exercitus. *Urbano* adhæſurâ Italiâ, Luſitaniâ, Germaniâ penè omni, cum Wenceſlao tandem Rege Romanor. & quoque Pannoniâ, ſed & Angliâ: *Clementi* verò obedientiam præſtituris Johannâ Neapolitanâ, ad quam Clemens ſtatim ab electione ſe recepit, tùm Galliâ, Navarrâ, Caſtellâ, Aragoniâ, prout à Cardinalibus inducti Reges. Ità quod unus Pontifex ſanctum, alter profanum duxit, dubiâ Eccleſiâ, quis Simon Petrus, quis Simon Magus, monſtro jam *bicipite*: Iſti Romæ, huic Avenione deinceps Sedes, ab A. MCCCLXXIX. Singuli creaturi Cardinales, edituri Decreta, Bullas, & Vicarias Chriſti partes, omniaque Pontificatûs munia, obituri. *Urbano* adhæſit fortiter *Catharina* Senenſis, Virgo jactatis exſtaſibus, viſionibus, prophetiis, quin & Stigmatibus Chriſti, ut erant tempora, auctoritatem nacta; ac Clementem *Antichriſtum*, ſcriptâ Epiſtolâ, appellatura, nec tacente Spondano. Contrà Clementis partes tuitus *Petrus* de *Luxemburgo*, adoleſcens XVII. annorum, miraculis (ut ferunt) clarus, mox Sanctis adſcribendus. Hinc *obſcura* fuiſſe utriuſque Pontificis *jura*, *& gravibus difficultatibus intricatum negotium*, faſſus nuper Nat. Alexander in Urbano VI. Neutri certè acceſſurâ Acad. Pariſienſi, ad quam Clemens VII. ſcripſit, A. MCCCLXXIX. & prolixè docent ejus Literæ ſcriptæ *Carolo* VI. A. MCCCXCIV. inſertæ T. VI. Spicilegii, & *Univerſis Chriſti Fidelibus*, An. MCCCXCV. tranſcriptæ ex vetuſto Exemplari Ms. & inſertæ Appendici ad Faſcic. Rerum Expet. p. 541. Quemadmodum pro neutro Pontifice pronunciarunt multi in Papatu celebres Viri, qui decidere noluerunt utri eſſent *Schiſmatici*, an qui pro Urbano, an qui pro Clemente ſtarent. Ità Franc. Zabarella, Thomas de Vio Card. Sylveſter Prieras, Antoninus Arch. Florentinus, Wernerus Rolevinck, &c. Et nuper Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, ad Catalogum Romanorum Pontif. à ſe editum, Joh. Launoius Doctor Pariſinus, de Scholis Celebrioribus, ubi agit de Schola Pariſienſi, *Art.* IX. *In ſolidum neutri nec Urbano nec Clementi aſſertum eſt jus Romani Epiſcopatûs. Res injudicata per univerſam tunc remanſit Eccleſiam.* Ità ambos *Romanum*, & *Avenionenſem*, vocant ex æquo Summos Pontifices, non ſolum Scriptores benè multi, ut Onuphrius Panvinius, Henricus Spondanus, Franc. Didacus (Diego) in Hiſt. Aragonenſi L. I. &c. Sed etiam Romani Pontifices plures, & Concilia ipſa Piſanum & Conſtantienſe, cum hac reſtrictione, *in ſuâ obedientiâ nuncupatus* Pontifex, *Urbanus* VI. vel *Clemens* VII. Et ſic de reliquis, ut pluribus exemplis docet Steph. Baluzius, *Præfat.* ad Vitas Paparum Avenionenſium.

Urbani VI. Antichriſtianiſm.

Urbanus certè, qui unus in ſerie Pontificum collocandus fuit Romæ, & quem ſolum (ejuſque ſucceſſores) pro legitimo Vicario Chriſti habet Odoricus Raynaldus, cæteros pro falſis Pontificibus, ad Sec. XIV. & contrà Galli; ſimulac electus eſt Pontifex, mores quos antè ſimulaverat, puta amorem juſtitiæ, caſtitatis, manſuetudinis, favoris in bonos, *viſus eſt aut nunquam habuiſſe, aut uno veluti momento amiſiſſe, tunc cùm magnoperè illis indigebat*, ut fatetur Alphonſus Ciaconius, in Vitâ hujus Papæ. Fuiſſe enim *naturâ ferocem, melancholicum, intemperantem, bibacem, ebrioſum, furioſum, vindictæ appetentem, crudelem, immanitate barbarum & inexorabilem*; nec ab inimicis tantum & adverſariis talem habitum, ſed ab iis quoque qui partes ejus tuebantur, & à recentioribus Romæ Hiſtoricis, obſervat non ſemel Baluzius, in *Præfat.* & *Notis* ad Vitas Paparum. Qui etiam faſtuoſus, obſtinaciſſimus, omnia abſque conſilio Cardinalium agere inſtituens; Adeò ut I. Cardinales deliberaverint, an ei ſic conſtituto non liceret ſubſtituere *Curatorem* vel *Curatores idoneos*, ut Theodoricus à Niem *Lib.* I. de Schiſmate, C. XLII. 2. Extent *Literæ Cardinalium*, qui ab Urbano hoc creati, dein capti apud Nuceriam A. MCCCLXXXV. in Mss. Bibliothecæ Colbertinæ, referente Baluzio in *Notis*, *pag.* 1332. 1333. teſtantur *ſe receſſiſſe ab obedientiâ Urbani, tanquam incorrigibilis, & de fide ſuſpecti, & ſe quantocyus proviſuros ſtatui Eccleſiæ, ſive per viam Concilii Generalis, aut Particularis, aut aliàs, prout expedientius & utilius eſſe videbitur ſtatui prædictæ Eccleſiæ.* Certè *Antichriſtianis* factis plurimis notiſſimus fuit. Scilicet acceptavit Papatum, in tumultu Romanorum ſibi delatum, qui antè proteſtatus fuerat, *ſi Papa fieret per impreſſionem aut vim, ſe non obediturum*, ut refert ex Poncio Beraldi Steph. Baluzius, in *Notis* p. 1203. Tùm hic primus omnium, *triplicem coronam* uſurpavit, ut docet Nicol. Alemannus Diſſertatione de *Lateranenſibus Parietinis*, à Card. Barberino reſtitutis, *Cap.* XIII. Mox cruenta *bella* excitavit, adverſus fautores Clementis VII. *Antipapæ*, ut ingenio fuit truci, & ad ſævitiem nato, conſpiraturo in necem *Johannæ* Reginæ Neapolitanæ; quam latâ ſententiâ, fiſus Regis Hungariæ potentiâ, privavit Regno & cæteris Poſſeſſionibus ſuis, abſolutis ſubditis à Juramento fidelitatis, & *Carolo* Duce Duracii immiſſo in Regnum Siculum ſeu Neapolitanum, A. MCCCLXXX. ut ipſe Raynaldus ad eum Annum N. IV. Ità anathemata in *Caſtellæ* Regem faventem Clementi VII. intrepidè vibravit: Inimicitias cum *Carolo* fratre Ludovici II. Siciliæ Rege, exercuit, eundemque diris cum Margaritâ conjuge devovit, quod Papa Clemens VII. eum *cum Reginâ ad homagium* & *Sacramentum fidelitatis* recepiſſet: Idem Principatum *Capuanum*, partem nobiliſſimam Regni Neapolitani, in nepotem ſuum *Franc. Pregnanum*, ſceleſtiſſimum perditiſſimumque nebulonem ignaviâ & laſciviâ infamem, tranſtulit, ut Waddingus ad A. MCCCLXXXII. & Theodoricus à Niem de Schiſmate, *Lib.* I. C. VII. Quæſtionem etiam haberi de *Sex Cardinalibus*, ſuſpectis quod in ſe attentaſſent, decrevit, confeſſioni vi tormentorum extorquendæ; deinde horum aliis profundo merſis, aliis laqueo, aut ſecuri ſublatis, aut etiam vivis ſepultis, ut eſt in Vitâ Clementis VII. per Franc. Boſquetum: Adhæc *Reip. Romanæ* adminiſtrationem à Senatu Rom. ad ſe tranſtulit; Feſtum novum *Viſitationis Mariæ* inſtituit, quando hæc Elizabetham ſalutavit, additâ Vigiliâ, & Octavâ, nec obſervandum tamen à Clementinâ factione: *Jubilæum* ad XXXIII. annum lege reduxit, ad numerum ſcilicet annorum Chriſti, ut diſertè Theodoricus Niemius, Walſinghamus, Krantzius, &c. Venditione *Spiritualium Beneficiorum* palàm introductâ, pro æſtimatione annui emolumenti, quod ſub Ur-

Digitized by Google

Urbano VI. primùm factum eſſe, quando egebat hic Pontifex ingenti pecuniæ ſummâ, ad Clementem VII. & omnes illi adhærentes, expugnandos, monet ingenuè Paulus Sarpius Tractatu de *Beneficiis* C. XXXVIII. Nec plura huc referimus. Undè *Urbani* loco, *Turbani* nomen meruiſſe, eo Ævo dictum, in Additionibus ad Ciaconium. *Pauciſſima* eſſe ab Urbano *rectè geſta*, ſcribunt Gallicæ factionis Scriptores: Contrà Bzovius & Raynaldus *Urbanum* efferunt Cœlo, in Clementem ut *ſacrilegum*, *ambitioſum*, *proditorem*, *pradonem*, *oppreſſorem Eccleſiarum*, *laſciviâ infamem*, invecti. Quem Clementem contrà Galli Scriptores, & nuper Steph. Baluzius, deſcribunt ut unanimi conſenſione *leniſſimum hominem*, *omnibus in rebus comem atque humanum*, *liberalem*, *pauperum patrem*, *ſcientiâ literarum ſpectabilem*, *fautorem eorum qui illarum ſtudiis dediti eſſent*, *ſapientem in dubiis*, *patientem in adverſis*, *nec iratum in injuriis*, *aut commotum conviciis*. Hinc idem Baluzius in *Notis*, p. 1397. *Galli non dubitabant*, *quin Clemens eſſet verus ac legitimus B. Petri ſucceſſor*, *Bonifacius Papa intruſus*, *& Antipapa*. Mortuus eſt Urbanus Romæ, A. MCCCLXXXIX. ſucceſſorem habiturus Bonifacium IX. Clemens verò VII. Avenione An. MCCCXCIV. ſucceſſorem nactus famoſum Petrum de Lunâ, nomine Benedicti XIII.

Bonifacius IX. & Benedictus XIII. Antipapæ. III. Antipapæ igitur, mox ab utriuſque exceſſu, ſurrexerunt, Romæ & Avenione. Romæ quidem, *Bonifacius* IX. Neapolitanus, ætate floridus, Platinæ annorum XXX. electus Anno MCCCLXXXIX. antè dictus Petrus de Tomaſellis vel Thomacellus; Onuphrius poſt Niemium, facit annorum XLV. Avenione verò, ab exceſſu Clementis, qui incidit demùm in Annum MCCCXCIV. præcipitatâ electione, *Benedictus* XIII. quum Cardinales XXVI. *Sept.* ſub veſperam ingreſſi eſſent Conclave, & XXVIII. ejuſdem menſis jam electus eſſet. Is anteà Petrus de Lunâ Cardinalis, nobili ex Aragoniâ genere, deluſurus initio aſtutâ tergiverſatione (uti vulpinum ſed & leoninum animum ejus omnia prodiderunt) propoſitas *Unionis* vias à Pariſienſi Facult. Quarum princeps fuit, *Via Ceſſionis*, ſeu abdicationis Papatûs, per eum etiam ſolenniter ac corporaliter jurata, cum reliquis Cardin. qui adfuerunt electioni. Hæc *via* fuit, ſi cæteræ omnes ad unitatem Eccleſiæ procurandam inutiles forent, ut tùm ceſſione utrimque factâ, nova Electio ſuccederet, ſeu per viam Compromiſſi, ſeu aliter. Non placuit ea res Schiſmatis Capitibus, Bonifacio (dein nec Innocentio VII. Gregorio XII.) & Benedicto. Utrique Summi Imperii ſuavitate illecti, & obliti ſolennis juramenti, de ejurando Papatu pro Eccleſiæ unione, cunctas opes, conſilia, & ſtudia, ad retinendum Papatum contulerunt, *ac ſummâ cum impietate*, *& Eccleſia ludibrio*, *inter ſe colluſerunt*, ut Richerius Gallus, Doctor Pariſinus, in Hiſtoriâ Concil. Gener. Libro II. *Cap.* I. *pag.* 14. Certè Univerſitas Pariſienſis ad mandatum Regis, propoſuit tum Carolo

Tres viæ compon. Schiſm. à Parienſ. propoſ. VI. A. MCCCXCIV. VI. Junii, *tres vias*, *modos*, vel *formas* appoſitas ſedando Schiſmati: Nempè prima via fuit, *Via Ceſſionis*, *& renuntiationis plenaria*, *utriuſque partis de Pontificatu contendentis*, *ad jus illud quod vel haberet in Papatu*, *vel habere ſe pratenderet*; *quâ ceſſione factâ de futuro Pontifice per Veteres Cardinales fieret proviſio*, *ſeu*, *pro bono pacis*, *per Collegia amborum*: Secunda via fuit, *per mutuam & ſubmiſſivam Compromiſſionem amborum*, *in aliquos ſolennes viros*, *quos ipſi ambo duxerint nominandos*, *vel eligendos*, *tanquam in plenarios definitores Controverſia*, *qui eſſent auctorizati de diſcutiendo*, *& ſententiando*: Tertia via ſupererat, ſcilicet *Concilii Generalis*, *vel ex ſolis Pralatis congregandi*, *vel quia multi hodie illiterati eſſent*, *aut ad alterutram partem inordinatè affecti*, *ex mixtis unà cum Pralatis*, *ad aqualem numerum*, *Magiſtris & Doctoribus*, *aut ſi hac proviſio non ſufficeret*, *adjunctis ultra pradicta Capitulorum Cathedralium*, *& Religioſorum principalium*, *uno vel pluribus deputatis*, *ut ea qua tunc illic decerni aut definiri contingeret*, *eſſent majore pondere*, *& certiori etiam examine*, *digeſta*. Hanc enim viam placuiſſe à temporibus Conſtantini; quando *univerſalium Conciliorum decretis Hareſes innumera*, *ac perverſiſſima*, *cum ſuis aſſertoribus*, *damnata ſunt*, *ſicque Catholica fides intemerata permanſit*. Hæc ex Literis ipſis Univerſitatis datis ad Carolum Regem, in quibus prolixè oſtendunt Pariſienſes, quod ſi uni ex tribus expoſitis viis alter diſſidentium, vel etiam uterque Pontifex, non acquieſceret, *eum velut Schiſmaticum*, *pertinacem & hareticum*, *nec Gregis Chriſti Paſtorem*, *ſed deceptorem potius ac tyrannum*, *eſſe judicandum*. Exhibentur Literæ integræ, in Spicilegio Dacherii, *Tomo* VI. p. 81. Tum & ab eadem Univerſitate ſcriptæ Literæ, ad Clementem VII. hinc ad Cardinales ejus lateri jugiter aſſiſtentes; ſed eludendas vanis effugiis & obtentis *Benedicti* XIII. & ipſis Cardinalibus inter ſe diviſis. Tandem itaque placuit utriuſque partis Cardinalibus via Concilii Generalis, quod indictum Piſis Anno ſequente MCCCCIX. Undè Carolus VI. poſt irritas de tollendo Schiſmate concertationes, decrevit tandem ut *ſubſtractio obedientia fieret*, & *ſe nullum ex iis*, *qui Romanam tunc Eccleſiam ſcindebant*, *agnoſcere*; addito interdicto ne quis Romam aut Avenionem proficiſceretur, Anno MCCCXCVIII. dein Anno MCCCCVIII. *Bullas* etiam Benedicti minaces Excommunicationis, Rex publicè lacerari fecit à Rectore Univerſit. Pariſienſis, & latores earum, Papæ Commiſſarios, publicâ ignominiâ affectos, Mitris chartaceis, & pictis Dalmaticis in quibus inſignia Benedicti, productos in probroſum pegma, in carcerem truſit, & quotquot Benedicto faverent. *Avenionem* etiam obſidione tentavit, quando Benedictus fugâ ſe recepit in Cataloniam, uti Bonifacius in Senarum urbem, à Cardinal. ſuis deſerti. Hinc Benedicti decretum ſeu Bulla fulminatrix, de *Carolo* Rege interdicto à cœtu Eccleſiæ removendo, inſerta Spicilegio T. VI. p. 178. & 182. In quo nullas ſibi fuiſſe partes teſtatur Nicol. de Clemangiis, Vir integerrimus, Papæ à Secretis, qui *voluntariam ceſſionem* ſuadebat; *qui poſt Regalia interdicta cum Benedicto nec Officium exercuerit*, *nec*, *quod minus eſt*, *locutus quidem fuerit*, ut ipſe in *Epiſtolâ* quam deſcripſit Joh. Launoius, *Lib.* II. *Cap.* III. Hiſt. Collegii Navarreni, p. 562. Sed & illis partibus, quæ *neutrum* Pontificem agnoſcerent, acceſſêre tandem Aragonius, Leodienſis Reſpubl. Duces ac Comites varii, ut Hiſtoria horum temporum abundè teſtatur, & *Acta* quæ ad hanc materiam pertinent apud Lucam Dacherium T. VI. *Spicileg. pag.* 39. (Bened. audacia in Carolum VI.)

IV. In *Bonifacio* autem *nono*, quem ſolum pro Pontifice habent, omnes *Antichriſtiana* Tyrannidis, Simoniæ, Idololatriæ, characteres apparent. Satis eſt verbo indicâſſe, quæ pluribus in ejus *Vitâ*, & apud Hiſtoricos: Ut is *leprâ Simonia*, dicam Spondani verbis, infectus fuerit, ſtatim initio Pontificatûs, nundinatione Beneficiorum Eccleſiaſt. quam graphicè deſcribit, poſt Theodor. Niemium, Gobelinus Perſonæ in Coſmodr. *Ætate* VI. C. LXXXIV. & ſeq. Hinc ut is *Jubilaum*, ingenti quæſtu, acceleraverit, celebratum Anno I. Pontificatûs, Chr. MCCCXC. repetendum Anno MCCCC. cum nundinatione Indulgentiarum: Ut ejus ſub Pontificatu *multa crimina per Simoniacam pravitatem committerentur*, *Indulgentia plenaria paſſim venderentur*, teſte Platinâ: Ut *Simoniam* illam non occultè, ſed *publicè exercuerit*; *Annatis* extenſis ad *Sacerdotia*, ad *electiva* etiam *vacatura* Beneficia, quin ad Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Abbatiales dignitates, quæ ſpecialiter ab eo onere exemptæ fuerant; taxâ non (Bonifacii IX. Antichriſtianiſm.)

Digitized by Google

tantùm ad libitum factâ, ſed aliquando *duplicatâ*, *triplicatâ*, *decuplatâ*, in modum *licitationis*, majorem in modum expoſtulante Theodorico à Niem, & Nicolao de Clemangiis, *Tract.* de Annatis non ſolvendis, edito in Faſciculo Rerum Expet. quanquam non expreſſo nomine. Adde *Reſervationes*, *Expectativas*, *Diſpenſationes*, *Reſignationes in favorem*, &c. Ut *plus offerentibus* vendiderit *prioritates* Datarum, cum clauſâ *Anteferri*, vel *Antelationis*, multiplicans ità unius Beneficii Annatas, & collationis Bullas, teſte rerum præſente Theod. à Niem: Præterea ut *tyrannidem* in Romanos exercuerit, creatis ſuo nutu omnibus Magiſtratibus, quod *primùm* ab eo factum eſſe, ſcripſit Platina; dominatus non tantum ut Papa, ſed tanquam rigidus Imperator, multis per Juſtitiarios ſuos exciſis; ut *primus Romanor. Pontificum talem poteſtatem temporalem in patrimonio S. Petri exercuiſſe legetur*, teſte Gobelino Perſonâ, Edit. Meibomii *pag.* 316. Adhæc ut ſævierit in Columnenſes, faventes Benedicto XIII. cui Urbem ſubjicere moliebantur, hinc læſæ Majeſtatis poſtulatos; Ità in *Ludovicum* Andegavenſem, anathemate percuſſum; confirmato Regno Neapolitano *Ladiſlao*, Caroli Siciliæ Regis filio, cujus in Eccleſias & Monaſteria tyrannidem videſis vel apud Odor. Raynaldum; Sic in *Anglia Reges* Richardum & Eduardum, abrogatis eorum legibus, quas fecerant pro Collatione Beneficiorum in ſuis Regnis; Rurſùs in *Laicos* omnes Principes, qui *poteſtatem imperandi* ſibi tribuerent, in rebus quæ ad temporalia Eccleſiarum attinerent; Denique in *Wenceſlaum* Imperat. cujus confirmavit abrogationem, electionem autem *Ruperti* Palatini, dicti *Præjunioris*; Ut denique de *Hæreſi* ſuſpectos excarnificari, ac vivicomburio plecti juſſerit, *ſuperſtitioſiſſimus* omnium Bonifacius; probatâ *ſuperſtitione*, circà Feſta *Mariana*, circà venerationem Corporis Chriſti, circà Hagiolatriam, Reliquiarum cultum, &c. & in *Brigitta* Suecæ laudandis Revelationibus, mox canonizandæ. Tacemus ſuperbas & minaces literas ab hoc Bonifacio ſcriptas, Anno MCCCXCIII. ad *Carolum* VI. Francorum Regem, ſuper *grandi Schiſmate*, *& nunquam ſatis deflendo*, *Roberti Antipapæ*, id eſt, Clementis VII. Ad quas Rex reſponſivas nullas ſcripſit, apud Dacherium T. VI. *pag.* 57.

Imago Bened. XIII. Nec *Benedicti* XIII. gratior imago fuit, quem *ſecutum eſſe* in Simoniacâ nundinatione *Bonifacium* IX. *impium corrivalem ſuum*, dixit Carolus Molinæus, contrà Exactiones Romanæ Curiæ. Et vel unus Bzovius accuſet hujus Pontificis ambitionem, ſuperbiam, perfidiam, fallacias, impia molimina, verſipellem nequitiam, pervicaciam, perjurium, &c. Ad Concilium Piſanum uſque dubium fuiſſe Pontificem, poſt Concilium, factum eum *Antipapam*, Galli fatentur. Depoſitus itaque *Benedictus* à Piſanis primùm, A. MCCCCIX. unà cum *Gregorio* XII. Innocentii VII. ſucceſſore, detractâ illis *omnimodâ obedientiâ*, ac ſubſtituto *Alexandro* V. Fratre Ordinis Minorum: Deinceps verò, ſubſtituendo à Conſtantienſi Concilio *Martino* V. An. MCCCCXVII. poſt *citatum* aliquoties Petrum de Lunâ, poſt expenſa *accuſationis* capita *Actione* XXXIV. tandem ſolenniter exauctoratum, *damnatumque notorium* & *incorrigibilem* ac *perjurum Schiſmaticum*, *Hæreticum*, violatorem Articuli *Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Sed pertinax in Schiſmate *Benedictus*, & in retinendo Pontificatu, contendens *Papam eſſe ſuperiorem Concilio*; Taliſque contumax manſit, ad Annum ipſi emortualem MCCCCXXIV. quando in Regno Valentino obiit penè *nonagenarius*, nec ſine ſuſpicione veneni à Thomâ quodam Monacho ipſi propinati, ut inter alios Mariana Hiſt. Hiſpanicæ *Lib.* XX. C. XIV. Æmulus fuit *ſex* Pontificum Romæ ſedentium, Bonifacii IX. Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Johannis XXIII. & Martini V. quibus etiam ſupervixit, excepto *Martino*.

Bonif. ſuccedunt Innoc. VII. Gregor. XII. V. *Bonifacius* cæteroquin naturæ debitum exſolvit An. MCCCCIV. ſubitò corruptus febre, ad calculi dolores accedente, ſimulac nuncii ad ipſum miſſi à *Benedicto* XIII. Pontifice acceſſiſſent, rogaturi, in præſentiâ Cardinalium, ut *ambo ſimul Pontifices aliquo loco commodo convenirent*, *de Unione tractaturi*; *ad* quam Benedictus paratiſſimum ſe teſtabatur, ſaltem verbis. Quâ re commotior Bonifacius, *irâ immoderatiùs incaleſcens*, *lectum ægritudinis ſubitò intravit*, *in quo tertiâ die ſequenti*, *in Feſto S. Remigii*, *manè deceſſit*, ut refert Theodoricus à Niem, *L.* II. de Schiſm. C. XXIV. Facturus ità locum Innocentio VII. ſucceſſori, qui ſe ad *extinctionem Schiſmatis* propénſiſſimum ſignificabat. Hic poſt *biennii* circiter Sedem, & cenſuras exercitas in *Ladiſlaum* Neapolitanum Regem, alioſque, fati lege ceſſit A. MCCCCVI *Gregorio* XII. qui antè Angelus de Corrario Venetus, jam *ſeptuagenarius*. Sed Gregorius, contrà iteratam proteſtationem, (*ſibi* LXX. *annis nato*, *ſi reliqua ad unionem Eccleſiæ procurandam deeſſent*, *nihilominus baculo & pedibus perreptando*, *quocunque etiam Gentium ad eam complendam profecturum*) oppido invitus & reluctabundus, ut dictum modò eſt, ceſſit *Alexandro* V. à Piſanis in Concilium congregatis electo, poſt depoſitos duos *de Papatu damnabiliter contendentes*, *Benedictum* XIII. *&* *Gregorium* XII. *Seſſ.* XV. Quando reverà *ſchiſma ſchiſmati additum*, *tribus* tùm *Pontificibus*, ut quoque Rolevinckus. Alexander verò moriturus Bononiæ An. MCCCCX. ceſſit *Johanni* XXIII. homini perditæ audaciæ, & in quem exauctorationis ſententia lata in Synodo Conſtantienſi. Hic verò Johannes, ex *Pontifice Cardinalis* rurſùm evaſit, poſtquam *Martino* V. à Conſtantienſibus exaltato, ſupplex factus eſt, *Johanne* & *Benedicto* per iſtos Papatu ejectis. Sed hi Pontifices ad ſequentis Seculi hiſtoriam pertinent.

Schiſma Bened. XIII. quamdiu durav. VI. Neque ſic tamen ſublatum penitùs *Schiſma* eſt, *Benedicto* XIII. adhuc Cardinalibus nonnullis adhæſuris, cum Alfonſo Tarraconenſi; ac poſt Benedictum hunc ſenio confectum, electuris *Clementem* hoc nomine inter Anti-Papas VIII. Canonicum Barcinonenſem, qui primùm abdicavit Pontificatum Anno MCCCCXXIX. *Sicque demùm*, verba Spondani habes, *extinctum omninò eſt peſtilentiſſimum omnium ac diuturniſſimum Schiſma*, *quod perennaverit annis* LI. *minùs* 56. *diebus*. Schiſma adeò Romanæ Eccleſiæ probroſum, ut quem illi *Apoſtolicum*, hi *Apoſtaticum* cenſerent, & viciſſim, apud Nauclerum, imò Hæreticum, Latronem, Anti-Chriſtum, Filium perditionis, &c. *Ut etiam Doctiſſimi & conſcientioſi Viri non valerent diſcutere*, *cui eſſet magis adhærendum*, ut addidit Wernerus in Faſciculo Temp. ſub A. MCCCLXXIV. Hinc neutri tandem Pontifici, novo quodam Schiſmate, adhæſiſſe Gallum, Aragonium, alioſque, jam ſuprà memoratum. Adde ad *Schiſmatis Papalis* Hiſtoriam, diſtractam omnem Europam inteſtinis bellis, ac diſſidiis, foventibus *Papis*, & *Antipapis*, eorumque faciente tyrannide, in Italos, Siculos, Britannos, Gallos, Germanos, Ungaros, Aragonios, &c. exercitâ; nec remiſſuris *Guelphorum* ac *Gibelinorum* odiis.

Digitized by Google

V. *Oppoſitiones hoc Seculo intrà ipſum Papatum, adversùs Papalem Antichriſtianiſmum, ac fœdam Romanæ Eccleſiæ faciem, Idololatriam, Superſtitionem.*

Teſtes authentici contrà Papat.

I. Non Catalogum Fl. Illyrici, non Mornæum, Uſſerium, id genus noſtratium, compilamus. Nec jam aut de *Waldenſium* paſſim reliquiis, aut de *Wicleſiticâ* Reformatione, quâ de re dicendum Capitulo ſequente. Paucis modò illuſtriores quoſdam Teſtes producimus, medio in Papatu, qui ad abominationem deſolationis in *Dei* quondam *Templo*, ingemuerunt; & alia omnia vel ſenſerunt vel docuerunt, ab iis quæ *Roma* aut *Avenione* probarentur, & quæ Eccleſiam Papalem univerſam inficerent ac deformarent.

Ac primò *Paparum* tyrannidem, tàm in Temporalibus quàm in Spiritualibus, uſurpationes, Simoniam, rapacitatem, ſcelera, bruta Fulmina, Antichriſtianiſmum uno verbo, & *Babylonis* in Romanâ Eccleſiâ veriſſimam imaginem, deteſtati hoc Seculo, publicis quidem Decretis, Reſcriptis, *Imperatores*, *Reges*, *Principes*, *Comites*, *Reſpublicæ* inclytæ; ſcriptis verò Tractatibus, editis Judiciis, vel Cenſuris, innumeri penè *Theologi*, *Jure-conſulti*, *Hiſtorici*; quin etiam *Academiæ* principes.

Phil. Pulchri contrà Bonif. VIII. facta.

II. Quid Bonifacii VIII. doctrinæ, & Bullæ *Unam Sanctam*, & auſis in Francorum Regem, oppoſuerit *Philippus Pulcher*, Gallorum Annales prolixè referunt, in ſpecie *Hiſtoria Diſſidii* inter Philippum & Bonifacium, ſuperiùs citata. Inter alia, poſtquàm A. MCCCI. delata eſſet in Galliam Bulla Bonifacii, quâ *volebat*, *cùm ipſe eſſet Dominus Temporalium & Spiritualium Mundi*, *quòd recognoſceret* Philippus *Regnum ab ipſo*; has Literas de conſilio Magiſtrorum Pariſienſium, *coràm multitudine populi comburi feciſſe* Philippum, in confeſſo eſt. Dein convocatis Regni Ordinibus, Aprilis d. x. Anno eodem, unâ omnium voce (quicquid mancipia quædam Papalia repugnarent, inter hæc Abbas *Ciſtercienſis*) aſſerta fuêre *Regis* ac *Regni* jura, & decretæ expoſtulationes contrà Reſervationes Pontificias Beneficiorum, factas Collationes, impoſitos Eccleſiis Cenſus, id genus alia Romæ uſurpata. Addidit Rex Literas ad Bonifacium, cedro dignas, diſſimulent licet Bzovius, & alii, ipſaque Mezeræi Hiſtoria; Spondanus verò perabſurdè, *ſcriptas fortè nomine Regis*, *eoque inſcio*, *& non advertente*, *à Bonifacianæ Epiſtolæ falſario*, *aut alio paris malignitatis calumniatore.* Scilicet, in re tantâ ſuſtinuiſſet quis hujuſmodi facinus! En pudorem Hiſtorici, obruti Teſtium nube; æquiore nuper Natali Alexandro, qui, Literis agnitis, *æternâ oblivione delendas* eſſe monet. Scripſerat nempè Bonifacius: *Deum time*, *& mandata ejus obſerva. Scire Te volumus*, *quòd in Temporalibus & Spiritualibus nobis ſubes*; *Beneficiorum & Prabendarum ad Te Collatio nulla ſpectat*; *& ſi aliquorum vacantium Cuſtodiam habeas*, *fructus earum ſucceſſoribus reſerves. Et ſi quæ contuliſti*, *Collationes tales irritas decernimus*, *& quantum de facto proceſſerunt*, *revocamus. Aliud credentes*, *Hæreticos reputamus. Datum Laterani* III. *Non. Nov. Pontif. noſtri anno* VI. Ad illa Philippus, referente ipſo Bochello inter Decreta Eccleſiæ Gallicanæ, *Lib.* II. *p.* 321. *Philippus Dei Gratiâ Francorum Rex*, *Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice*, *ſalutem modicam*, *ſeu nullam! Sciat maxima tua Fatuitas*, *in Temporalibus nos alicui non ſubeſſe. Eccleſiarum & Prabendarum Collationem ad nos Jure regio pertinere*, *& fructus earum*, *vacatione durante*, *noſtros facere: Collationes hactenùs à Nobis factas*, *& in poſterum faciendas*, *fore validas*; *& illarum vigore*, *poſſeſſores contrà omnes viriliter nos tueri. Secùs autem credentes*, *fatuos & dementes reputamus. Datum*, &c. Mox excepit, ut Romæ *Fulmen Excommunicationis*, ità teſte inter alios Walſinghamo, in Conventu Ordinum Regni, A. MCCCII. x. *April.* ubi congregati Barones, Equites, Syndici, ac Magiſtri totius Regni, cum omnibus Epiſcopis, Prælatis præſente Rege, exauctoratio ac depoſitio *Bonifacii*, *ut Simoniaci*, *Hæretici*, *Homicidæ*, *Uſurarii*, aliorumque infandorum criminum rei, *decem* accuſationis capitibus; Interpoſitâ appellatione ad *futurum Concilium*, per quendam Nobilem *Petrum Flottam*, Conſiliarium Regium, qui initio horum motuum, dixerat ad Bonifacium, duplicem *Gladium* ſibi à Chriſto traditum eſſe jactitantem; *S. Pater*, *Gladius veſter eſt verbalis*, *ſed Gladius Domini mei eſt realis*: Quæ ex Villanio, Walſinghamo, Chronico S. Dionyſii, & aliis ipſe quoque Bochellus, dicto loco, Goldaſtus *Tomo* III. & fusè Petrus de Marca, in Libris de Sacerdotio & Imperio, *Lib.* VI. C. XXXIII. & *Lib.* VIII. C. XXIV. Tandem nota Legatio *Guil. Nogareti*, Nobilis Occitani, qui delatus cum Sciarrâ Columneſio Anagniam, Septembri menſe, Anni MCCCIII. & ingreſſus conclave Pontificis, ſtricto gladio, eum *ad reddendas rationes enormium criminum in Concilio Lugdunenſi*, vocat: Ferreâ chirothecâ etiam in faciem impactâ furentis Pontificis, & *Patarinum* appellantis Nogaretum; paulo poſt rabie in phreneſim verſâ, ut dentibus manus corroderet Bonifacius, expiaturus ſcelera. Vide ingenuos de hiſce Hiſtoricos; & Carol. Molinæum, Laur. Bochellum, Petr. de Marca, Gallos alios, nuperque præ cæteris laudatiſſimum Mezeræum, ibidemque Epitaphium ſcriptum Bonifacio, *Hic jacet Bonifacius*, *qui intravit ut vulpes*, &c. de quo antè, ex præfatis Chron. Mirare hîc Bzovii, Spondani, Ciaconii, Raynaldi, aliorum id genus ſervitutem, qui modò in Philippum ut *contumacem*, *refractarium*, *execrandum* ſceleribus, &c. debacchantur; modo Bonifacii *conſtantiam*, *virtutes veri Pontificis*, poſt mortem *miracula*, atque *ultionem divinam* in adverſarios, cœlo tollunt. Sed teſtes ſint contra Bonifacium, in Philippi gratiam, vel ipſe *Benedictus* XI. tùm *Clemens* V. per quos reſciſſa & revocata, quæ auſus eſſet Anteceſſor. Philippi Pulchri vindicias Galli plures ſcripſêre. Huic tamen Bonifacio referunt acceptam Franci ἀποθέωσιν S. *Ludovici* ſui, ac Feſtum ejus venerationi dicatum, præcipuè ob expeditiones in Saracenos; cujus *Canonizationis* Diploma habes ad calcem T. I. Geſtorum Dei per Francos.

Oppoſit. contrà Tyrann. in Ludov. Bavar.

III. De tyrannide in *Ludovicum Bavarum* exercitâ à Johanne XXII. Benedicto XII. Clemente VI. Gallis Pontificibus, quòd injuſſu Paparum *Imperii titulos* & *regimen* ſuſcepiſſet, ſibique etiam *Inveſtiturarum* jus aſſereret, memoratum ſuprà eſt. Maſculè verò illi reſtitiſſe Ludovicum, & Germaniæ Proceres, ſed & Italos, in Conventibus habitis Auguſtæ, Piſis, Romæ, frequentibus aliis, Annales teſtantur. Hinc ſcriptæ *Epiſtolæ* à Ludovico, & ab Electoribus Germaniæ: Etiam *Edicta* promulgata, quale illud Reginoburgenſe, Anno MCCCXXIV. & alterum Romæ, ubi crebris acclamationibus, more Veterum, Imperator Auguſtus, Pater Patriæ, & uxor ejus Margarita, Auguſta conſalutantur; ac mox Senatuſconſultum perſcribitur, ad IV. Kal. Maji An. MCCCXXV. In quibus, Papalis Johannis XXII. *Antichriſtianiſmus* vivis coloribus expreſſus eſt; *Inexplebilis honoris*, *potentiæ*, *ac pecuniæ ſitis*, *luxus*, *avaritia*, *faſtus*, &c. in arce locata: *Divini humanique & gentium juris conturbatio*; *naturæ legum profanatio*; *ſeditionum ac diſcordiarum ſatio*; *Rom. Imperii deſtructio*; æmulatio *Darii*, *Crœſi*, *Epicuri*, *Diocletiani*, &c.

&c. uſurpatio eorum *quæ Dei*, quæ *Chriſti*, dùm *adorari ſe permitteret* Pontifex, *ac pedes ſibi oſculari*, &c. Legantur Edicta, quæ integra exhibet Aventinus, *Lib.* VII. primum *pag.* m. 469. 470. 471. mox alterum *pag.* 473. 474. Hinc accuſata *nullitas proceſſuum* & *judiciorum* contrà Imperatorem, ſimulque interpoſita ad *futurum Concilium* appellatio. Sed & ſententia *depoſitionis* in Johannem XXII. Romæ lata, commemoratis ejus aliorumque Epiſcopor. Romanorum ſacrilegiis, Simoniâ, Hæreſi, faſtu, ambitione, ſceleribus, Reipublicæ & veritati Chriſtianæ exitioſis. Nec eò proceſſiſſe Bavarum, niſi poſt *conſultos divini humanique Juris conſultiſſimos quoſque, in Italiâ, Germaniis, Galliis, præcipuè Bononiæ, atque Lutetiæ*, monet Aventinus, *Annal.* dicto Libro VII. quem vide, nec enim ſingula deſcribere neceſſe eſt. Acceſſêre luculenta ſcripta pro Ludovico Bavaro, & pro Imperiali ac Regiâ poteſtate, contrà dogmata & auſa Pontificum, ut *Dantis Aligerii* Florenini, *Marſilii Patavini*, *Wilhelmi Occami*, *Johannis de Pariſiis* Ord. Prædicat. qui & Johannes de Poliaco, & aliorum, longâ ſerie, Virorum primæ inter Eruditos notæ, apud Aventinum, Goldaſtum, & Collectores alios Germanos, ac noviſſimè Anglos, in Append. ad Faſciculum Rerum Expetend. Qui profectò Viri inter Eruditos hujus Seculi eminuerunt, & quorum elogia habes apud Trithemium, alioſque. Et in iis Wilhelmus Occamus ac ſocii, ad Cæſarem aliquando: *Tu nos pugnis, enſe, ferro, armis à ſervitute aſſere; Nos Te linguâ, calamo, literis, ſtylo, libris, verbiſque vindicabimus: Atque omnes illi certatim diſerti, in Romanum Pontificem invecti ſunt.* Hæc idem Aventinus, ſed & ſuperiora Villanius, Chronographi alii, ipſique Vaticani Codices, Bzovio, Spondano, Raynaldo memorati, ad Annum MCCCXXIV. Nec deſtitit Ludovicus tueri jura Majeſtatis, donec pertæſus civilium calamitatum, mollior jam factus, fractuſque laboribus, permitteret ſe Pontifici Clementi VI. Qui præſcripſit Ludovico *Procuratorium turpiſſimum & rigidiſſimum*; quinetiam hujuſmodi *Articulos*, quos Imperii Proceres in Conventu Francofurtano, A. MCCCXLIV. *concorditer decreverunt, in perniciem & deſtructionem Imperii eſſe conceptos*, apud Albertum Argentinum. Quos inter iſte: *Imperium eſſe beneficium primarii Sacerdotis, nec antè Cæſarem eſſe, aut vocari, quàm ille auctor fiat.* Hinc nova Clementis (deluſum ſe arbitrati) in Ludovicum fulmina, fato conceſſurum A. MCCCXLVII. ac deceſſurum Imperio *Carolo* IV. filio *Johannis* Bohemiæ Regis. Hic nempè paulo antè in Regem Romanorum electus *Papali* factione fuerat, indictis Septemviralibus Comitiis, A. MCCCXLVI. Ac ſub eo *Aurea Bulla* ſancita eſt, de quâ inferiùs.

Oppoſ. Anglorum.

V. Conſimiliter in Angliâ, *Eduardus* III. Rex fœdus iniit cum Ludovico Bavaro, jamque ſubſcripſit (Annis MCCCXXXXIII. & MCCCXL.) Decretis contrà Papæ tyrannidem, in Comitiis Germanorum *Francofurtanis* & *Colonienſibus*. Sub eo excuſſum jugum Romani Pontificis; ac *Jus Regium* aſſertum fuit, in Electionibus, Collationibus Beneficiorum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, &c. Et ſcriptæ à Rege ad Papam Clementem VI. literæ, de communi Conſilio Regni, ſive Parliamenti, An. MCCCXLIII. poſtquàm hic *mille Marcas* de unâ Provinciâ Cantuarienſi, *pro ſuſtentatione unius Cardinalis*, & totidem de Provinciâ Eboracenſi, exegiſſet, ex Henr. Knyghtono, Thomâ Walſinghamo, & Chronographis aliis Anglicanis. Inter alia expoſtulârunt Angli: *Vineæ progeniem degeneràſſe in labruſcas; ſingulares feras eam depaſcere, impoſitionibus & proviſionibus Sedis Apoſtolicæ; Animarum curam negligi, ac mercenarios ſolummodò temporalia bona quærere; Eccleſiarum jura deperire; attenuari devotionem populi*, &c. Hinc interdictum, ne *Theſauri Regni* extrà mare deportarentur; & ne quis vi *Papalis Bullæ* ad Beneficium deinceps admitteretur. Iterùm A. MCCCLVI. reſponſum Regis fuit, Papâ mille marcas rurſus exigente, ſe nullum *tributum* velle cuiquam dare, nec ſe aut Regnum ſuum cuiquam eſſe ſubjectum. Adi & Goldaſtum, Conſtitutionum Imperialium, T. III. ubi Reſcriptum Eduardi, contra *Romanæ Sedis gravamina*. Adde Decreta alia ſub extrema *Eduardi*, item ſub *Richardo* II. adverſus nefarium Romanæ Eccleſiæ Schiſma, ſcriptâ hoc nomine à Rege ipſo Epiſtolâ ad Univerſitatem Pariſienſem, A. MCCCXCV. apud J. Launojum, de *Scholis Celebr.* ubi is de Scholâ Pariſinâ, *Art.* XII. *Atque in his Principibus nos, qui vero perpetuoque extinguendi Schiſmatis deſiderio tenemur, Univerſitatem veſtram cùm in tollendo Schiſmate, tum in reducendâ Eccleſiæ concordiâ, pro viribus laboraſſe agnoſcimus, ... A vobis autem per nuncios accepimus literas, quæ & conſilia, & ſententias, & decreta veſtra paucis complectuntur. In iis verò id animadvertimus, quod & Clerum, & Academias noſtras, Oxonienſem & Cantabrigienſem, & alias, plurimum ſolatur*, &c. Nec diu poſteà ortus in Angliâ *Wicleſus*, Papalem tyrannidem Scriptis arguiturus, de quo poſteà.

Oppoſ. Gallorum.

VI. Pares *Carolo* V. Galliarum Regi, animi fuerunt, qui *Sapiens* cognominatus eſt. Non modò Regalia cæteraque Regni jura ſibi & ſuis Succeſſoribus aſſeruit; ſed & Librum contrà tyrannidem & rapacitatem Paparum, ſcribi juſſit. Inſcribitur *Somnium Viridarii*, in Galliis excuſum, referente etiam Carolo Molinæo, de Monarchiâ Francor. Idem, ſecundus in hoc à Carolo Magno, ut fatetur Genebrardus ad Ann. MCCCLXXI. & MCCCLXXVIII. ſacra *Biblia* fideliter verti in Gallicum ſermonem curavit, *Sacrarum Scripturarum ſtudioſus*.

Carolus verò VI. extorſionibus *Clementis* VII. Regio animo ſe oppoſuit, & *immoderatis exactionibus Pontificis, ejuſque famelicorum Cardinalium*, ſint Spondani verba, ad A. MCCCLXXXV. Idem, fructus Sacerdotiorum ſub manu Regiâ cuſtodiri juſſit, quarum *partem tertiam* addixit oneribus Regni exſolvendis. Idem Edicto vetuit, ne quis Romam proficiſceretur occaſione *Jubilæi* à Bonifacio IX. promulgati. Ac ſub eodem Rege decretum, Anno MCCCXC. poſt conſultos Theologos, J. Conſultos, ac congregatis Parlamenti Cameris, ne ullus ex iis qui *Romæ* aut *Avenione* ſederent Pontifices, agnoſceretur pro legitimo, factâ ſeceſſione à Benedicto XIII. & interdictis Annatis, aliiſque juribus Pontificiis. Sic Anno MCCCCVI. prodiit Caroli Edictum, quod integrum exhibuit Edmundus Richerius *Hiſt. Conc.* L. II. C. I. quo *intolerabiles Curiæ Rom. exactiones* abrogatæ fuerunt; *Videlicet, quod quamvis ſecundum Apoſtolicam doctrinam Papæ poteſtas à Chriſto ſit ad Eccleſiæ ædificationem non ad deſtructionem ordinata, & ad juſtitiam rectumque judicium exercendum, cui nec competit pro libito facultas exactiones, angarias & tyrannides ſuper Eccleſias aut ſubditos exercendi; cùm Dominus docuerit paſcere gregem & docere, non terrenis lucris inhiare, aut avaritiis delectari; ſintque fructus Eccleſiarum & Beneficiorum, quorumcunque etiam vacantium, tam ſecundum diſpoſitionem Conciliorum Generalium & Jurium, quam ſecundum piam intentionem Fundatorum, ordinati ad ſuſtentationem miniſtrantium in divinis, ipſiuſque divini cultûs augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Eccleſiarum ſuorumque ædificiorum reparationem, terrarum ac poſſeſſionum Eccleſiæ culturam, jurium ipſarum conſervationem, cæterorumque omnium incumbentium ſupportationem*, &c. Conſentiunt hac parte Hiſtorici, & teſtantur Acta publica. Et adeò tùm pudor omnis perierat, ut Gnathones Papales palàm defenderent; *Papam eſſe impeccabilem, omnipotentem, & neminem eſſe in ſtatu ſalutis qui alterutri Pontificum non obediret: Et proindè*

non

non licere cuiquam ſubtrahere ſe ab obedientiâ alterutrius. Cujus opinionis Gerſonius meminit ſermone, quem habuit Taraſcone, inſcripto, *Quatuor Conſiderationes de pace*, Conſideratione primâ ſub finem.

Oppoſit. aliæ Imperat. Regum Arag. Sicil. &c.

VII. Idem ab *Johanne* Aragonio in quatuor Epiſtolis ſcriptis ad Univerſit. Pariſ. A. MCCCXC. MCCCXCV. à *Wenceſlao* Imper. Caroli IV. filio, à *Leodienſibus*, & aliis, factitatum legimus. Literas Aragonii, Richardi Angliæ R. exhibet Joh. Launojus, in Hiſtoriâ Scholæ Pariſinæ, *Cap.* LIX. *Art.* XII. Mittimus Paparum uſurpationibus reluctatos, paſſim apud Bzovium ipſum, *Sicilia*, *Caſtella*, *Ungaria*, *Polonia*, *Suecia* Reges, ad Annos MCCCIII. MCCCIV. MCCCXIII. MCCCXIV. MCCCXX. &c. Ac quo animo in Clerum, in Papales traditiones, fuerint *Fridericus*, & *Jacobus*, Reges Siciliæ, & Aragoniæ, ex memorabili Scripto Arnoldi de Villanovâ, quod Catalogo ſuo inſeruit Flacius Illyricus, *Lib.* XVIII. dein *Hiſtoria* ſuæ Mornæus, prolixè intelligitur. Uſque adeò ut Reges illi, perſpectâ hypocriſi, avaritiâ, & ambitione Pontificum, Cleri, Monachorum, de *doctrinâ Evangelicâ*, *eſſetne humana inventio*, dubitaverint. Nota & oppoſitio *Matthæi Galeacii*, vice Comitis Mediolanenſis, & Filiorum, qui ultrà triennium in Excommunicatione manſit, tanquam de *Sacramentis* malè ſentiens, de *Clavium* & *Eccleſiæ* poteſtate; ut videre eſt apud dictos Bzovium, Raynaldum, Spondanum, jam ab A. MCCCXX. &c.

Scriptores ſingulares.

VIII. *Scriptores* qui Papalem Antichriſtianiſmum hoc Seculo arguerint, & univerſalem Romanæ Eccleſiæ corruptionem, & Cleri ac Monachiſmi fœda, fuêre præter ſuprà memoratos, in causâ Ludovici Bavari, propè innumeri. Inter celebriores occurrit, ſub initium Seculi XIV. *Guil. Durantius* Mimatenſis Epiſcopus, Junior ſcilicet, & nepos alterius Guilielmi Senioris, in Tractatu notiſſimo *de Modo celebrandi Generalis Concilii*; qui cum aliis proximæ ætatis, ut Nicolai de Clemangiis, *de Corrupto Eccleſiæ ſtatu*; Petri de Alliaco Cardinalis, tempore Conſtant. Synodi, *de Emendandâ Eccleſiâ*, &c. Pariſiis recuſus eſt. A. 1671. Quàm liberè iſte ſub *Clemente* V. Romanæ Eccleſiæ Simoniam, nefandam corruptionem, innovationes, Paparum vitia, Cleri libidines, Monachiſmi otia, aliaque perſtrinxerit, ex eo Tractatu pridem obſervatum eſt. Ità de Tractatu *Theodorici à Niem*, vel *Nihem* agri Paderbornenſis, jam dictum ſuprà, qui Hiſtoriam egregiè deſcripſit, pari fide, ſcientiâ, integritate, *Libris* III. de *Schiſmate ſui temporis graviſſimo*, *inter Papas & Antipapas*, & morte Gregorii XI. ab Anno MCCCLXXVIII. uſque ad electionem Alexandri V. ipſe Scriba Pontificum vel Abbreviator Apoſtol. Qui addidit etiam quartum Librum, *Nemus Unionis*, editum à Schardio, Baſil. MDLX. in quo teſtatur Tract. VI. cui titulus *Labyrinthus*, C. XXXIX. *ſe triginta ſeptem annis* & ultrà Curiam Romanam ſecutum eſſe, ſub V. Pontificibus, Gregorio XI. Urbano VI. Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Addidit H. Meibomius, avus Henrici Meibomii Junioris, *Vitam Johannis* XXIII. (XXII.) quam ex Mss. primus eruit, edendam Francof. Anno MDCXX. ac laudatam ipſi Ludov. Maimburgio, quamquam fide Theodorici in dubium peſſimè revocatâ: In quâ Vitâ Johannis, probroſa & infanda commemorat; tum de *avaritiâ* ejuſdem Pontificis, *cui congruat illud Salomonis*, *Avarus non implebitur pecuniâ*, *& qui amat divitias*, *fructus non capiet*; tum de reliquis ejuſdem flagitiis: *Non enim recolo*, inquit ſtatim in principio, *me audiviſſe tot deteſtabilia de alicujus incontinentiâ*, *inceſtu*, *adulterio*, *ſtupro*, *& etiam illo gravi peccato*, *propter quod ira Dei venit in diffidentiæ filios*; *ſicut fama de ipſo Romæ & Bononiæ laboravit*: *Nec dimiſit quin uxorem ſui fratris germani haberet Roma in Concubinam*. *Sed ità famoſus Simoniacus*, *ac decepter in vendendo*, &c. ut viſum ſuprà *Cap.* III. & pluribus videre eſt in eâdem *Vitâ*, recuſâ operâ Meibomii Junioris, Rerum German. *Tomo* I. Ità *Joh. de Pariſiis*, temporis illius Scriptor quo Bonifacius & Philippus Pulcher inter ſe commiſſi, ſcripſit inter alia (de quibus poſteà) Tractatum de *Poteſtate*, *Papali* & *Regiâ*, ubi docet; Collationem & Præſentationem ad Beneficia, non eſſe annexam Officiis Spiritualibus vel Eccleſiaſticis, niſi per *antecedentiam*, nec *dependere à Spirituali*, *ſed è converſo Laico præcipuè competere*; & quæ in hanc rem plura ex Johanne iſto citantur à Petro de Marca, *Libro* VIII. de Concordiâ Imp. & Sacerd. C. XXIV. *Num.* VI.

Teſtes alii verit. Dantes, Villanov. &c.

Accedant Teſtes luculenti deploratiſſimæ rei in *Capite* & *Membris*, ex obtruſis tot hominum commentis, extra Scripturas S S. In iis *Dantes* ille *Aligerius*, Florentinus, inter Priores ejus Reipubl. vir excellenti doctrinâ & ingenio, abſens damnatus, per civiles Florentiæ tumultus excitatos, A. MCCCI. in exilio Ravennæ moriturus, Anno MCCCXXI. Summis hic elogiis efferendus à Villanio, Antonino Florent. Joh. Trithemio, Fr. Petrarchâ, Paulo Jovio, Bern. Bembo Petri patre, &c. cùm ob præclaras animi dotes, tùm quòd *tam in divinis Scripturis*, *quàm in Secularibus literis*, *omnium ſuo tempore ſtudioſiſſimus* fuerit; Hæreſeôs autem fruſtrà Romæ poſtulandus, ob Scripta temporibus Ludovic. IV. Bavari, cumprimis de *Monarchiâ*, quam dependere à Deo *immediatè*, neutiquàm ab ejus *Vicario*, *Petri Succeſſore*, egregiè demonſtravit: Inſeruit *Syntagmati* ſuo Simon Schardius.

Sed & teſtis eſto *Arnoldus Villanovanus*, *Philologus*, *Mathematicus*, *Medicus*, *Theologus*, natione Catalanus, vel *Occitanus*, vir ſui temporis doctiſſimus à Jacobo Aragone legatus ad Clement. V. *Hæreſiarcha* is Abr. Bzovio, ad A. MCCCX. & jam antè Prateolo, Luxemburgo, Eymerico, & Inquiſitoribus: Reverà ſcripto non uno invectus, in obtruſos *univerſo Populo Chriſtiano errores*, *in Apoſtaſiam univerſalem*, *in fidem Dæmoniacam*, in *Miſſaticas oblationes*, in *Sacrificia pro mortuis*, in *Decreta* & *Conſtitutiones Papales*, in *Monachos* & *Clauſtrales*, *adulterantes doctrinam Chriſti*, in *Philoſophiam* falsò dictam *Theologiæ* permixtam, &c. De eo plura Vignerius, Illyricus in *Catalogo*, Mornæus, & alii, quæ hîc compilare nulla neceſſitas exigit.

Item, *Joannes de Rupeſciſſâ*, ſeu de *la Roquetaillade*, vel *de la Rochetaillée*, qui & *Haibalus* aliis ut Henrico de Erfordia Chronogr. quaſi *le Hableur*, per contumeliam cognominatus, & ita H. Spondanus ad Ann. MCCCLVI. N. XX. Monachus is Gallus, Ord. Minorum, Trithemio rurſus *in divinis Scripturis admodum ſtudioſus*, *& eruditus*, ad An. MCCCXL. De eo prolixè Joh. Froſſardus Hiſtoriarum ſeu Chronici *Volum.* I. & II. quod produxit ad poſtrema ferè Seculi XIV. Luiturus iſte tandem Avenione, carceri incluſus ſub Clemente VI. An. MCCCXLIX. quòd ex Scripturis Propheticis, & Sacrâ Apocalypſi, proximum exortum Antichriſti, deſolationem Eccleſiæ, & alia minùs Pontificibus grata portenderet, *ob eorum ambitionem*, *avaritiam*, *ſuperbiam*. Ità Spondanus ipſe ad Annum MCCCLVI. N. XX. ex Continuatore Chronici Nangiaci, & Henrico de Erfordia in Chronico, ad hæc tempora producto. Scripſit ſuas Revelationes, *Prophetiam* dixit, ad Cardinalem Oſtienſem, quales & expreſſæ Joachimo Abbati, Hildegardi, Brigittæ, Malachiæ, Berlino, &c. Inſertæ ſunt nuper Appendici Anglicanæ, ad Faſciculum Rerum Exp. p. 494. &c. Edit. Londinenſis. *Haibalum* alii, vel *Hayabalum*, à Johanne de Rupeſciſſâ diſtinguunt, & ità quoque Fl. Illyricus.

Digitized by Google

Teſtes Verit. in ipſo Papatu inclyti.

IX. Teſtes alii Veritatis omni exceptione majores, ſeu qui in genere luctuoſiſſimum ſtatum Eccleſiæ planxerunt, ſeu qui in has & illas ſpeciatim doctrinas & innovationes indignati (puta *Tranſſubſtantiationem*, *Communionem ſub Unicâ*, *Feſtorum*, *Sanctorum*, *Imaginum*, *Reliquiarum* ſuperſtitionem; *Operum merita*, & alia) ſunt duûm ferè generum. Alii qui inter *Eccleſiaſticos* Scriptores hujus Ætatis referuntur, variis ſcriptis inclyti; alii qui *Hæreſeôn* notâ infamati, iidemque à Conciliis, Papis, Inquiſitoribus damnandi.

Inter priores eminent, præter antè memoratos, *Dantem Aligerium*, *Niemum*, alioſque, *Guil. Oceamus* Anglus, Ordinis Minorum, à quo inter Scripta alia, Tractatus de Poteſtate Eccleſiaſticâ & Seculari; *Franciſcus Petrarcha* Thuſeus, ſæpè in Romanam Babylonem, & in Papas ac Clerum ſui temporis invectus; *Marſilius Patavinus*, diris devotus à Johanne XXII. ob defenſam Imperatorum poteſtatem, contrà Uſurpationes Paparum; *Michael Caſenas*, Italus, Generalis Ordin. Minorum, in Johannem XXII. invectus, & patrocinio Ludov. Bavari in Boiis tutus, contrà Papæ fulmina; *Johannes de Janduno*, Doctor Peruſinus, ob defenſas partes Ludov. Bavari, & ſententiam de ſuperioritate Imperatoris, unà cum Marſilio anathemate obſtrictus; *Nicolaus Oreſmius*, aliis *Oremus*, Doctor aliquando in Gymnaſio Navarreno, cujus Sermo coram Urbano V. Avenione habitus Anno MCCCLXIII. Curiæ Romanæ avaritiam, tyrannidem, faſtum, everſionem Diſciplinæ, &c. luculenter perſtringit, inſertus *Appendici* Anglicanæ, p. 487. *Johannes Brevicoxa*, è Cenomanis, à Carolo VI. A. MCCCXCVI. miſſus ad Benedictum XIII. & Bonifacium IX. qui adhortaretur utrumque Pontificem ad *ceſſionem* faciendam; dein contrà Benedictum oraturus; Pariſienſi primò, dein Gebennenſi Eccl. præficiendus A. MCCCCXXII. ut Hiſt. Acad. Pariſinæ T. II. p. 464. *Petrus de Alliaco*, Belga, ex Doctore Theologo Cameracenſis Epiſcopus, ad extremum Cardinalis, Schiſmati Pontificum, & corruptioni tum Eccleſiæ, factis & Scriptis adverſatus eſt, ac Concilium Generale ſuaſit, tollendo Schiſmati; quod *Piſis* poſteà, dein *Conſtantiæ* celebratum eſt: *Joh. Gerſon*, è pago Rhemenſi, Theologus poſteà, & Cancellarius Pariſinus ab An. MCCCXCVII. diſcipulus Petri de Alliaco, Scriptis plurimis inclaruit, ad emendationem Doctrinæ, Diſciplinæ, Morum, infeſtus Papali factioni: *Nicolaus de Clemangiis*, Scriptis celeberrimus, quæ edidit de Corrupto Eccleſiæ ſtatu, de Schiſmate nefandiſſimo, de Viâ Ceſſionis commendatâ Benedicto XIII. de Reformandâ Eccleſiâ, &c. cum innumeris aliis *editis*, & *non editis*, quorum prolixum Catalogum exhibuit Joh. Launojus, in Hiſt. Acad. Pariſienſis, T. II. *Cap.* III. Et qui plures hoc Ævo fuêre, adverſati aut tyrannidi Paparum, aut Schiſmatis, aut fœdæ Corruptioni Eccleſiæ, variiſque Superſtitionibus ejus ævi; de quibus & infrà ubi de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* hoc Seculo, datis etiam ſpeciminibus accuſati ab his *Papatûs*. Obvia ſunt quæ ex his pleriſque excerpta ſunt Magdeburgenſibus, Flacio Illyrico, Phil. Mornæo, & aliis, quæ non reponimus.

Accenſiti Hæret. quinam?

X. Inter poſteriores referendi, ſuo modo, ex. gr. *Petrus Johannis Olivus*, de quo jam ſuprà, mortuus quidem expirante Sec. XIII. idemque Monachus Minorita, Diœceſeôs Biterrenſis in primâ Narbonenſi. Sed cujus *Scripta* hoc Seculo damnata, ut quæ ſuper Matthæum, Epiſtolas, Apocalypſim, commentatus eſt; *oſſa* quoque in cineres verſa, ſub Johanne XXII. *Articulos* longo ordine, quibus inter alia verè perſtrinxit *Papam* ut *Antichriſtum*, *Romanam* Eccleſiam ut *Babylonem*, prædicto ejus *caſu*, exhibet Stephanus Baluzius, ex Archivo Narbon. Miſcellan. *Lib.* I. p. 213. Miraculis claruiſſe eundem, & famâ ſanctitatis, retulerunt alii, & ipſe Waddingus in *Annalibus* Minoritarum, ſtudio Ordinis ſui. Et habuiſſe adſtipulantem Fratrem *Ubertinum de Caſali*, ejuſdem Ord. Monachum, teſtantur *Articuli* contrà eum producti, & publici juris facti, à Baluzio *Miſcell.* L. I. p. 293. &c.

In hac claſſe etiam fuit, *Gerhardus Sagarelli*, Parmâ Æmiliæ quondam Provinciæ, & *Dulcinius* Novariâ Liguriæ, haud longè à Vercellis, oriundi, ſub initia hujus Seculi, flammis ab Inquiſitoribus traditi. Nam ſi commenta horum Inquiſitorum (ut videntur) reſecueris, *Nicol. Eymerici*, *Fr. Pegnæ*, *Manfredi* Inquiſitoris, &c. (quorum unâ fide nituntur portenta Errorum, vel libidinum, apud Bzovium, Spondanum, Raynaldum, Natal. Alexandrum nuperum) certum eſt eos accuſâſſe, pari cum Waldenſibus libertate, Papalem *Antichriſtianiſmum*, Romanam *Babylonem*, Vota *Monaſtica*, *Prælatorum* ac *Cleri* totîus luxum, libidines; innumeris in Galliâ Cis-Alpinâ, & Inalpino tractu, horum Sectatoribus.

Et hi vulgò Patriarchæ *Fratricellorum* per Italiam, Galliam, *Beguardorum* & *Beguinorum* per Germaniam, Belgium, &c. Quales damnati à Clemente V. à Viennenſibus Patribus, à Johanne XXII. inſertis decretis inter Clementinas, & Extravagantes, hinc à Raynaldo, Bzovio, in ſuis Annalibus. Ex quibus conſtat, & ex Miſcellaneis Baluzii, *Lib.* I. hoc præcipuè reos fuiſſe, quòd in Romanam Eccleſiam ut *Synagogam*, in legem *Cælibatûs*, in *adorationem* Sacramenti, & quæ id genus plura ſunt, palàm ferrentur accuſationibus; Abominationum Monachalium plerique teſtes, & ex Diſciplinâ Minoriticâ profecti.

His jam ſubjungendi *Hæreſiarchæ* ſcilicet, in Angliâ, Bohemiâ, de quibus Lemmate proximo; id eſt, Reformationis promotores ſtrenui, *Militzius* Pragenſis, *J. Wiclefus* Anglus, *Joh. Huſſus*, & qui his adhæſerunt; ut iſta loco ſuo dicemus opportuniùs.

XI. Quinimò *Papis* quandoque, ac *Scholis* integris expreſſit ingenuas confeſſiones, atque etiam accuſationem errorum, vis Veritatis. Ac de *Gregorio* XI. refert Joh. Gerſonus, Operum Parte I. in Libro de Examinatione Doctrinarum, P. II. *Conſid.* III. ipſum in extremis conſtitutum, coràm omnibus fuiſſe proteſtatum, *ut caverent ſibi ab omnibus ſive Viris, ſive Fœminis, ſub ſpecie Religionis, Viſiones ſui capitis loquentibus*: Se enim ipſummet *per tales fuiſſe ſeductum*, pertractumque & ſe, & Eccleſiam, in diſcrimen imminentis jam tùm Schiſmatis. Quibus *Catharina Senenſis*, & *Brigitta*, *Revelationes* ac ſomnia voluiſſe Pontificem, cæteraſque id genus *Viſiones*, puta de *Mariâ Magdalenâ*, ejuſque *Antro*, quas Gregorio XI. perſuaſerat quidam Elias Gallus, nemo cordatus dubitaverit. Ac ſubſecutas *Comminationes* harum Fœminarum, aut antecedaneam *probationem ſpiritûs* in iis *Prophetici*, quæ facta fuiſſet à Gregorio, nequicquàm objiciunt.

Teſtis Schola Pariſ. &c.

Scholam Pariſienſem in arguendâ Paparum tyrannide, taxandis erroribus ac deteſtando *Schiſmate* hujus temporis, liberrimam fuiſſe, in confeſſo eſt, & viſum abundè ſuprà. Ut etiam Johannes XXII. errorem, ſeu *hæreſim* (ut vocant) de ſtatu Animarum poſt mortem, negatâ his *beatificâ Dei viſione antè Reſurrectionem*, publicè arguerint Pariſini, ſatis teſtantur Nangii Continuator, Joh. Gerſonus, Hadrianus VI. Pontifex, & alii, ipſumque *Reſponſum* Facultatis Pariſ. ad Philippum Valeſium Regem, apud Launojum de Scholis Celeb. C. LIX. *Art.* XI. Fruſtrà *Johannis* eum errorem inficiato Odorico Raynaldo, ex hoc nuper Natali Alexandro. Sic adverſus Johannis XXII. *multifarios & varios errores*, per modum

dum *Epiſtola ad univerſos Fideles*, ſcripſit Wilh. Occamus, ſcripto inſerto nuper Appendici Anglicanæ, ad Faſciculum Rerum Expet. p. 436. Quibus adhæc animis eadem Schola ſeſe oppoſuerit *Hæreticæ* propoſitioni *Fratris Joh. de Monteſono*, Theologi Pariſini & Monachi, teſtis ejus Cenſura eſt, à Petro de Alliaco defenſa, laudataque Weſſelo Groningenſi, Libro de *Poteſtate Papæ*, apud Goldaſtum. Aſſeruerat ille, *Solius Sedis Apoſtolicæ eſſe, declarare, damnare, & reprobare; & eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum ſummum Pontificem pertinere Examinationem & Deciſionem*, magnopere repugnantibus Gallis, in ſpecie Acad. Pariſienſi. Oppugnatas etiam ab eâdem Scholâ *Indulgentias* à Clemente VI. publicatas, indicto per hunc novo Jubilæo, Flacius Illyricus in *Catalogo*, & alii, ex eodem Weſſelo Groningano, obſervârunt. Quid eadem de *Schiſmate* Papali ſenſerit, Carolo VI. Rege, & quæ contrà Benedictum XIII. decernenda propoſuerit, multis quoque Johannes Launojus, in Hiſtor. Collegii Navarreni, P. I. Lib. II. Cap. I. *Quæ tunc*, inquit ille, *Eccleſia Gallicana decreto publico comprobavit.* Sed verò *Acta* omnia, *Decreta*, *Epiſtolas*, ex parte ſuprà productas, in unum ex Mss. collegit Lucas Dacherius, *Tomo* VI. Spicilegii. Adde etiam Edmundum Richerium, Doctorem Sorbonicum Hiſt. Conciliorum General. *Libro* II.

Ac Pariſienſi Univerſitati conſenſêre, in Papali tùm Tyrannide, tùm Schiſmate, oppugnandis, Academiæ *Britannica*, ſub Richardo II. expiraturo hoc Seculo; *Pragenſis* Schola, ſub Wenceſlao Cæſare, de quâ poſteà; ſed & *Bononienſe Studium* in Italiâ, undè non tam *ſtudiorum altrix*, quàm *ſeditionum mater*, dicta eſt à Papali factione Bononia. Quæ ex variis Epiſtolarum monumentis conſtant, & ex *Gerſonis* Cancellarii tùm Pariſini relatione non unâ, P. IV. Operum, cum hac Epigraphe; *Sequuntur octo Concluſiones, per plures Doctores in Italia partibus approbatæ, quarum dogmatizatio utilis videtur, pro exterminatione moderni Schiſmatis.* Quas Concluſiones excerpſit ex Gerſonio Cancell. Hiſtoria Concilior. General. Edm. Richerii, *Lib.* II. C. I. p. 54. &c. pleraſque de poteſtate Cardinal. in eligendo vel reprobando Papâ.

VI. *Continuatio cœptæ per Waldenſes Reformationis; cumprimis in Angliâ. Wiclefi Hiſtoria. Bohemicæ Reformationis primordia.*

Waldenſ. Doctr. quàm latè ſparſa?

I. Waldenſium doctrinam (non quales finxêre Fraterculi, & Inquiſitores, ſed qualem acceſſiſſe ad illam *Proteſtantium*, jam ad ſuperius Seculum diximus ex Annalibus Hovedeni, ex Æneâ Sylvio, & Bohemicarum rerum Scriptoribus, ex Faſciculo Rerum Expetend. ex Paulo Perrino, Carolo Molinæo, Popellinerio, Thuano, aliiſque) longè latéque hoc Ævo fuiſſe diſſeminatam, una Annalium & Hiſtoricorum fides eſt. Hæſura hinc altis radicibus in variis Galliæ, Belgii, Angliæ, Germaniæ, Italiæ, Bohemiæ, Auſtriæ, Illyricanarum Regionum, atque etiam Allobrogum, partibus. *Ad octuaginta millia hominum in eam ſectam* (ſed fœdis coloribus effigiandam) *apud Bohemos, Auſtriacos, & circumvicinas Regiones, adſcriptos numerabat quidam ex iis Viennæ exuſtus*, ut Bzovius ad A. MCCCXV. *Num.* XI. Alibi, ad A. MCCCXL. N. XIX. *In principatu Boſnenſi apud Illyrios, quamplurimi errantium ſuccreverunt, multos Catholicorum ſeducentes.* Eadem alibi paſſim Continuator Baronianus: *In Germaniâ Hæreſes pullulabant. Sed nec Italia aut Sicilia Hæreticis omnino carebat. Sileſiam* alibi, & vicina loca, infecta Bohemorum erroribus fuiſſe, quiritatur; ne plura colligam. Spondanus de Provinciis *Sabaudiæ*, *Delphinatûs*, *Provinciæ*, ſub Gregorio XI. Pontifice; *Adeò excreviſſe Hæreticorum* Waldenſium *numerum, ut palàm contrà Inquiſitores rebellarent.* Hinc ſcatent Chronicorum paginæ, ſævitiæ Antichriſtianæ in eoſdem exercitæ documentis, decernente Româ, ac Miniſtris Inquiſitoribus, qui ad rogos, ad furcas, miſeros agerent, & ad ſupplicia raptarent. Nec aliis ſub appellationibus, quàm Hæreticorum, Patarinorum, Lolhardorum, Fratricellorum, Beguardorum, & ſi quæ aliæ magis inviſæ fuerunt. Furorem Inquiſitorum, ſententias hoc Seculo latas, vivicomburia, afflictis nocturnis *Inceſtibus*, *Pollutionibus*, *Thyeſtæis cœnis*, *Orgiis Sacris*, &c. teſtantur Chronica, Hiſtoria *Inquiſitionis* Toloſanæ, Italicæ, Sabaudicæ, Polonicæ, ac Decreta contrà *Fratricellos*, & *Beguinos*. Hos primò vocarunt Monachos *de tertiâ regulâ* Ordinis Franciſci, contendentes *paupertatem Euangelicam* nihil habere proprii, ſed mendicando vitam ſuſtentare. Oppoſuerunt ſeſe Nicolaus III. Martinus IV. Clemens V. in Conc. Viennenſi, omnium acerrimè Johannes XXII. Hinc contrà eos Inquiſitio decreta, ut *Hæreticos*; & varii ex Fratribus Minoribus ut tales ad rogum damnati, quia ſcilicet Papæ poteſtatem, circà Hæreſim, in dubium vocarent; quibus *Michael Caſenas* Generalis Ordinis acceſſit. Hinc promiſcuè Fratricellis & Beguinis accenſiti, qui in aliis *Paparum* Decretis non ſtarent, omneſque *Hæreſeôs* nomine infamati; ſcriptis etiam à Gregorio XI. literis ad Uladiſlaum Jagellum Polonorum Regem, ad Carolum VI. Gallorum, ad Amadæum Comitem Sabaudiæ, ut tales flammis ultricibus traderet. Vide & Limburgii Hiſt. Inquiſ. *Lib.* I. C. XIX. &c. Et his, ſed fide non bonâ, Annales ſuos implent Bzovius, Raynaldus, ad Annos MCCCIII. MCCCXV. MCCCXVII. MCCCXIX. &c. Adde quæ ex Mss. Inquiſitorum in hanc rem eruit Steph. Baluzius Miſcellaneor. *Tomo* I. & in Angliâ, ex Ms. Bibliothecæ Cantabrigienſis vulgavit Celeberr. Alixius, producta etiam nuper Eruditiſſimo Baſnage, *Hiſt. de l'Egliſe*, T. II. Lib. XXIV. C. X.

Hæreſ. per calumn. affictæ.

II. Sed audi *Hæreſes*, promiſcuè Waldenſibus, Bohemis, & accuſatoribus Romanæ apoſtaſiæ, ſub Fraticellorum, Dulciniſtarum, &c. nominibus per effrontes Monachos impactas. Bzovius ad A. MCCCIII. N. XI. *Fraterculi nuncupati ſunt, qui noctu ſacra operari conſueverant. Fuitque à principio, ut credere eſt, mens ejus ſacri Inventoribus non aliena à pietate. Canebant illi Deo nocturnos hymnos, ut aliquo pietatis prætextu ſuum tegerent flagitium. Confluebant mulieres ad Orgia illa verius quàm Sacra. Ceremoniâ peractâ ſacerdos clamabat, ut extinctis luminibus omnes, almo Spiritu invocato, promiſcuè coïrent, matronæ, viduæ, virgines ſine diſcrimine, ut ad hujus vel illius manus veniſſent. Unde indiſcreto concubitu fœdabantur. Partus per hunc modum conceptus, tamdiu per manus in orbem ſtantium jactabatur, in ipſo antro, donec animam exhalaret. Is in cujus manibus expiraſſet, Pontifex M. vocabatur. Cremabant adhæc ſacerdotes unum aliquem ex Infantibus ità procreatis, cineres in cadum conjiciebant, vinoque ſuper infuſo, quo Novitii initiabantur, omnes inebriabant.* Repetit eadem ad Annum MCCCXVIII. N. XIX. & aliàs, eaque ex uno Prateolo. Idem ad Annum MCCCXV. de Puellâ Auſtriacâ igni adjudicatâ: *Credebant fatui, Virgines ſub terrâ*, in antris ſubterraneis, *non poſſe deflorari, etiamſi à mille viris cognoſcerentur, neque tale ſtuprum eſſe peccatum.* Mutato nomine vetus fabula Gentilium fuit, adverſus Chriſtianos clàm convenire coactos, ut obtentus ſaltem eſſet perſecutioni.

Joh. Wicleſi in Angl. reformatio.

III. Igitur luce Euangelii, inter tot ſuperſtitionum ac commentorum tenebras, paſſim micante, illuſtratus eâ quoque in Britannis fuit *Johannis Wiclefus*, *Whyteliffus* Polydoro Vergilio, Rector Eccleſiæ

cleſiæ de Lutterworth, Leyceſtrienſ. Diœceſeôs, jam antè Doctor ac *Profeſſor Sacræ Paginæ* (ſic vocatur in literis Gregorii XI.) in Acad. Oxonienſi. Claruit poſterioribus Eduardi III. temporibus, ferè circà A. MCCCLXX. & deinceps. Ac fuiſſe eum Virum ſubactum in omni genere diſciplinarum, prout ſivêre tempora, Philoſophum, Theologum, Oratorem Incomparabilem, ut omnia quæ doceret tanquam è tripode tradita crederentur; adhæc vitæ innocentiâ & ſanctitate, quam *verè Apoſtolicam duxiſſe*, planè eximium, ex Lelando, & Anglicanorum Annalium fide, prolixè Balæus, *Cent.* VI. Sed & ſcripta loquuntur, quin ad *ducenta volumina* ſcripſiſſe hunc Wiclefum, referat ipſe Æneas Sylvius, & Joh. Dubravius in Hiſt. Bohemicâ, L. XXIII. per Subincum Leporem Archiepiſcopum Pragenſem flammis ultricibus damnata; niſi plura *volumina* fuerint ejuſdem Libri vel Operis: Joh. Balæus etiam Æneæ Sylvii teſtimonio nixus, habet *pluſquam ducenta volumina, pulcherrimè conſcripta*; & ipſe ſingularum (longè ultrà CC.) Wiclefi lucubrationum catalogum contexit *Centur.* VI. N. I. Certè Henr. de Knyghton, quo non meliori fide in Anglis Hiſtoricum eſſe largiuntur, De *Eventibus Angliæ* L. V. ad Ann. MCCCLXXXII. vocat *Doctorem in Theologiâ eminentiſſimum, in Philoſophiâ nulli ſecundum, in Scholaſticis Diſciplinis incomparabilem.* Præcurſorem autem habuiſſe *Johannem Balle*, idem Knyghton, ut *Chriſtus Johannem Bapt.* Prædicatorem famoſiſſimum, ſed & liberrimum in taxandis ejus ævi erroribus, ac corruptioni ſtatûs Eccleſiaſtici; Richardi II. Regis anno IV. ſuſpenſum & in IV. partes diviſum; de quo & Balæus *Cent.* VI.

Cumprimis peritiâ *Scripturarum* fuiſſe inſignem, docuit abundè Tranſlatio Bibliorum in *Anglicanum* idioma, collatis Verſionibus reliquis, incredibili labore; quæ aſſervatur hodieque in celeberrimis Bibliothecis, Regiâ Jacobi I. Cantabrigienſi, Cottonionâ, Lambethanâ, &c. ut nuper editi Catalogi docent. Tum *Scripturarum* lectio, perfectio, ſufficientia unicè commendata; hinc ſcripti Commentarii, Scholia, Lectiones, Sermones, Diſputationes, Elucidarium Bibliorum, &c. Tandem omnis Doctrina ad Scripturas revocata, *ad unicam Dei Legem* atque inſtitutionem, ex qua tot Romanæ Eccleſiæ errores coarguit. Utque ex his veram, unicam, & *perfectam ad cognitionem viam* aperuit, edito quoque in hanc rem Tractatu, ex quo ſunt apud alios Excerpta; ita errores omnes Papales invicto animo, paribus armis, confutavit, quod ſcripta omnia Wiclefi teſtantur.

Doctr. Wiclefi oppoſ. Papiſmo.

III. Nempè, cùm vivâ voce, tùm editis ſcriptis, primò Papalem *Antichriſtianiſmum* demonſtravit, & *Abominationem deſolationis* in Templo Dei natam, ac *ſolutum Satanam*: Oppugnatis ità *Papæ* Suprematu, Vicariatu, Dominio Temporali, Indulgentiis, Diſpenſationibus, Schiſmate, reliquis, quæ verum *Antichriſtum* arguerent. Deinde, aſſerto Chriſti Sacerdotio, ſed & unico ac vero Crucis Sacrificio, aſſertâ & *Fide Euchariſtiæ*, ac *Sacramentorum*, his quidem Librorum Titulis, oppugnavit ille *Miſſæ Sacrificium*, *Tranſſubſtantiationem*, *Adorationem Hoſtiæ*, *Officia* Miſſatica, *Oblationes pro Mortuis*, *Purgatorium*, & quæ ad hanc claſſem plura ſpectant. Tùm & *injunctas Pœnitentias*, *Satisfactiones*, *Confeſſionem Auricularem*, *Extremam Unctionem*, *Cœlibatûs* impoſitam legem, id genus alia, ſuâ doctrinâ ſummovit. Hinc temerarias *Prælatorum Excommunicationes*, *Eccleſiaſticorum*, *Monachorumque* nequitias, converſationem, luxum, otia, mendicitatem, &c. in ſpecie Franciſcanorum illam, ut concionibus, ità ſcriptis perſtrinxit. Tandem *Idololatriam* omnem deteſtatus, à cultu *Creaturarum*, *Mariæ*, *Sanctorum*, *Imaginum*, *Reliquiarum*, ad unum illum Dei & Chriſti ſuos revocavit, præſcriptis iis officiis pietatis, dilectionis, ſanctimoniæ, quæ Dei Lege, & Chriſti Euangelio ſancirentur. Hæc ſumma doctrinæ Wiclefianæ, quam in apertâ luce poſuerunt, vel habitæ Diſputationes, ac Confeſſiones editæ, Oxoniæ, Londini, etiam tempore Synodi An. MCCCLXXXII. in Collectione Anglicanâ, *Tomo* II. & Conciliorum *Tomo* XI. *col.* 2051. &c. tùm & Scripta, quorum indicem benè longum apud Balæum habes *Cent.* VI. N. I. Ut *inedita* mittam in Bibliothecis Anglicanis, ex Catalogis nuper editis, tùm apud Uſſerium, & alios; tandem etiam conſonam doctrinam Waldenſium, Huſſitarum, ac Diſcipulorum omnium Wiclefi. Adde teſtes quandoque, infeſtiſſimos aliàs *Wiclefo*, Tom. Walſinghamum, Thomam Waldenſem, Orthuinum Gratium Collectorem Faſciculi Expetend. Guil. Caxtonum in Chronico, ad Annum MCCCLXXI. & MCCCLXXII. & ſi quos alios. Verùm Wiclefo inprimis adverſi evasêre poſt mortem Eduardi Regis, & poſt acceptas à Gregorio XI. literas An. MCCCLXXVII. inſertas Bzovii Annalibus, Vice-Cancellarius Oxonienſis, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Epiſcopus Londinenſis, & quicquid mancipatum Romanæ Curiæ; mandante Papâ, ut *non permitterent propoſitiones Wiclefi à quoquam defendi*, ipſum *Wiclefum capi facerent*, *& carceribus mancipari*, tandemque *ad debitam condemnationem ipſius incluſivè procederent.* Hinc Synodus Londinenſis adversùs Wiclefi errores & diſcipulos celebrata, An. MCCCLXXXII. dein poſt ejus mortem aliæ, urgente Papâ Bonifacio IX. Richardo etiam Rege ejus ſcripta flammis aboleri jubente, ut gratificaretur Clero, à quo pecunias expectabat; cujus *Edictum* A. MCCCLXXXVIII. habes apud H. Knyghton Collectionis Anglic. T. II. p. 1279. &c.

IV. Hactenùs *doctrina* Wiclefi genuina. Quam non modò ex Scripturis hauſerat, ſed etiam ex Britannis ſe prioribus, Bedâ, Alcuino, Rob. Lincolnienſi, aliis præcurſoribus, de quibus dictum ſuo loco. Quin hauſta hoc ipſo Seculo, ex *Johanne Bacono* vel *Bancontherpio*, doctore *Reſoluto*, de quo Baptiſt. Mantuanus, — Conſoni in Brit. Doctores.

Iſtius in ſacris fontibus omne ſophos;

ex *Richardo Armachano*, ejus diſcipulo, & Profeſſore Oxonienſi, Bibliorum in Linguam Hybernicam tranſlatore; ex *Guil. Occamo*, de quo ſuprà; ex *Thoma Bradwardino* Cantuarienſi Archiep. & id genus Magiſtris, de quibus Annales Britannici. Ac contemporanei omninò Wiclefo, & ὁμόδοξοι, intrà ipſam Britanniam, Viri Docti, *Robertus Langelandus* Sacerdos, *Joh. Aſtonus*, *Nicolaus Herefordius*, *Job. Purney*, omnes in Clericali & Sacerdotali ordine, ac plures alii, in Wiclefianâ hiſtoriâ, & apud Joh. Balæum *Centur.* VI. Scriptorum Britanniæ, memorati.

V. Undè & *fautores* habuit Wiclefus, primò Eduardum III. Regem optimum quoad vixit, hinc probris Monachorum expoſitum; cumprimis verò *pientiſſimum*, omnium ore, Johannem Ducem Lancaſtriæ & Aquitaniæ. Tùm & Richardum II. à quo etiam Sacris domeſticis adhibitus Wiclefus, antequàm eum *Cleri* furori Rex ille permitteret. Tandem Optimates quoſque Regni, Mareſchallum puta, Duces, Comites, Barones, Equites, Cancellarium ipſum Oxonienſem Robertum Rigges, & ejus Academiæ Viros primores. Nempè omnes hi zelo pietatis accenſi, & indignatione in Romanas ſuperſtitiones, profanoſque Cultus, & nefariam Cleri tyrannidem, ac Monachorum avidam atque ambitioſam hypocriſim. Quæ Chronica omnia teſtantur, & iniquiſſimi alias in Wiclefum, Thomas Walſinghamus, Henr. de Knyghton, Thomas Waldenſis, Guil. Caxtonus, aliique ex Monachorum — Fautores Wiclef.

Digitized by Google

rum grege, omnium manibus triti. Sed & pro confeſſo eſt, pervaſiſſe mox Wicleſi Doctrinam Provincias omnes, acceſſiſſe ei plebem Regno toto, & ſectatores omnis ordinis, ſexûs, ætatis, ut *impleverint ubique orbem Regni*, omnes facti *Doctores Euangelicæ doctrinæ*, ut ipſe Knyghtonus Canonicus Leyceſtrienſis. Quanquàm non deeſſent Monachorum inſidiæ, citationes ad cauſam dicendam, ſententiæ in eum latæ. Donec factum, ut diximus ſuprà, Eduardo III. fatis functo An. MCCCLXXVII. Junio menſe, ut inductu *Pontificis* Gregorii XI. miſſis Romà Mandatis, quibus jubebat in Wicleſum *inquiri*, eum *perſonaliter capi*, & *carceribus mancipari*, ab Epiſcopis in cuſtodiam traderetur: Brevi tamen liberandus, irruente in Capellam Lambethanam piâ multitudine.

Nova in Wiclef. perſecutio.

VI. Quinquennio poſt nova in Wicleſum perſecutio mota eſt, A. MCCCLXXXII. A novo hæc Archiepiſcopo, Româ nuper Pallium conſecuto, *Wilhelmo Courtenay*, gratam rem facturo Pontifici, Urbano VI. & Clero ſuo, Epiſcopis, Sacrificulis, Monachis, quorum Confeſſiones, Miſſæ, Reliquiæ, ac Merces aliæ, ut & Interdicta, eviluerant. Hinc non modò habitâ Londini Synodo, Majo menſe, in Wicleſi *Concluſiones*, ut *Hæreticas*, & *determinationi Eccleſiæ repugnantes*, quales iſti poſuerunt, ſententia lata; ſed etiam in Conventu Oxonienſi, ubi præſens comparuit Wicleſus, reſpondere juſſus eſt ſuper iis Concluſionibus; quas *tum ſe tenuiſſe aut tenere negavit*, ex humanâ infirmitate, obrutus tot Adverſariis; Editâ Confeſſione de *Sacramento Altaris*, in quâ adeſſe in hoc Sacramento *verum Corpus Dei*, & *Panem ſimul*, aſſertâ conſubſtantiatione, profeſſus eſt, quam vide apud Canonicum Leyceſtrienſem, de Eventibus Angliæ, L. v. *col.* 2649. 2650. Sed & à Richardo II. mox Regiæ Literæ impetratæ, quibus carceres, vincula, ſupplicia, in Wicleſitas toto regno decerneret, ut dictum modò eſt. A quo tempore latitaturus in *exilio* Wicleſus annos aliquot, & juxtà nonnullos, in *Bohemiam* conceſſurus, ubi *Matthæus Janovius*, aliàs *Pariſienſis*, poſt *Militzium*, qui præibat Huſſiticæ Reformationi; Davide ſaltem Chytræo teſte, Oratione Roſtochii habitâ A. MDLXIX. de Statu Eccleſiarum in Græciâ, Aſiâ, Bohemiâ, p. 36. & antè eum Polydoro Vergilio, Hiſtoriæ Anglic. L. XIX. ſub finem: *Ad extremum homo nimium confidens, cùm rationibus cogeretur ad bonam redire frugem, tantum abfuit ut pareret, ut etiam maluerit voluntarium petere exilium, quàm mutare ſententiam; qui ad Boëmos nonnulla Hæreſi antè inquinatos profectus, à rudi Gente magno in honore habetur, quam pro accepto beneficio confirmavit.* Ex his refert Hiſtoria Eccleſiarum Slavonicarum, *Lib.* I. C. IV. Tacent tamen iſtud in Boëmiam iter à Wicleſo ſuſceptum, vetuſtiores Anglorum Chronographi, Henr. de Knyghton, Thomas Walſinghamus, alii; Et Æneas Sylvius, in *Hiſt. Bohemorum*, undè ſua excerpſit Orthuinus Gratius Auctor Faſciculi Rer. Expetend. priori Edit. f. CXLVIII. dicit, *Nobilem quendam Bohemum, apud Oxoniam literis ſtudentem, Johannis Wicleſi libros offendiſſe, & exemplaria ſecum patria intuliſſe, veluti pretioſum theſaurum; inter quæ* Libri, *de Jure Divino, de Eccleſiâ, de diverſis Quæſtionibus contrà Clerum:* Et hinc *imbutum Wicleſitarum veneno, fœtidum virus in Cives ſuos evomuiſſe; commendaſſeque ſcripta quæ attulerat, his potiſſimè qui Teutonicorum odio tenebantur. Inter quos Johannes eminuit, ex villâ Huſs, quod anſerem ſignificat*, &c. Certè redditus Eccleſiæ ſuæ tandem fuit, in *Lutterworth* Comitat. Leyceſtrienſis, in doctrinâ, fide, ac pietate perſeverans. Literis etiam cohortaturus ſuos ad conſtantiam, uti quoque Bohemos & *Huſſum*, quem vocat *Fratrem valdè dilectum, ignotum ſibi quidem de facie*, Anno vitæ ultimo MCCCLXXXVII. in monumento à Comenio producto. Quanquam Huſſus vix alicujus adhuc nominis, quo tempore Wicleſus in vivis fuit. Baccalaureus demum, tùm & Magiſter, tandem Concionator à Wicleſi exceſſu, id eſt poſt A. MCCCLXXXVII. Placidâ Wicleſus tandem morte deceſſurus, poſt viginti penè annorum certamina, exeunte Anno MCCCLXXXVII. (Walſinghamus ſignat An. MCCCLXXXV. & mortem quidem θεήλατον, eâdem die quâ in B. Thomam Cantuarienſem concionem habere præparaverat) paralyſi correptus, familiari ob exhauſtos labore ſpiritus morbo, ac ſepeliendus *Lutterwortha*. Sed effodiendis deinceps oſſibus, ac in cineres vertendis, Martino V. Pontifice, miniſtro *Richardo Fleming* Lincolnienſi Epiſcopo, & Diœceſano Lutterworthenſi; idque ad decretum Concil. Senenſis, contrà *Wicleſitas* & *Huſſitas*, circà Ann. MCCCCXXVIII. annis ab obitu XLI. Quo tempore multi in Angliâ & Scotiâ Martyres ad rogum damnati, aut ergaſtulis incluſi, variiſque torminibus vexati fuêre, ut intelligetur poſteà.

An in Bohemiam conceſſerit?

Calumniæ in Wicleſum.

VII. Ex quibus intelligitur, quæ ſit habenda fides Chronicis Monachorum hujus & ſeq. Ævi, atque accuſatoribus Wicleſi, puta Thomæ Waldenſi, Walſinghamo, Knyghtono, Wodefordio, Cochlæo, Harpsfeldio ſeu Alano Copo; Apud quos Wicleſus, uti apud Walſinghamum in Hypodigmate Neuſtriæ, ad A. MCCCLXXXV. audit *organum Diabolicum, hoſtis Eccleſiæ, vulgi confuſio, hæreticorum Idolum, hypocritarum Simulachrum, Schiſmatis inſtaurator, mendacii promptuarium, adulationis ſentina.* Qui tamen inter opiniones erroneas præcipuè recenſet, in *Edwardo* III. ſub finem, *pag.* 191. *Quod Euchariſtia in altari poſt Sacramentum non eſt verum Corpus Chriſti, ſed ejus figura:* Item, *quod Romana Eccleſia non eſt Caput omnium Eccleſiarum, nec major poteſtas per Chriſtum data fuit Petro, quàm cuilibet alteri Apoſtolo:* Item, *quod Papa Romanus non habet majorem in Cleribus Eccleſiæ, quàm quiſque alius in ordine Sacerdotii conſtitutus:* Item, *quod ſi Dominus eſt, Domini temporales poſſunt legitimè ac meritoriè auferre bona fortuna*, temporalia, *ab Eccleſiâ delinquente:* Item, *quod Euangelium ſufficit ad regulandum in hac vitâ quemlibet Chriſtianum*, &c. Quæ capita ſi inter damnoſas Hæreſes reponantur, jam actum fuerit de Eccleſiâ priorum Seculorum. Ex iſtis tamen ſtrenuè imponit, in Wicleſum & Wicleſiticos Errores debacchatus nuper, Natalis Alexander Monachus, pro affectu Monachali, T. XX. C. III. *Art.* XXII. quem vide. Quo factum, ut ad Synodum Conſtantienſem plauſtra Hæreſium deferrentur, ex Wicleſi ſcil. Operibus, quas *Octingentas* fuiſſe refert Th. Waldenſis. Inter alias, ex. gr. *Quamlibet Creaturarum eſſe Deum; Deum nihil poſſe annihilare; cogi aliquando obſequi Dæmoni; Omnia ex neceſſitate abſolutâ evenire; Chriſtum ex tribus Naturis conſtare*, &c. Et quæ *afficta* alia, in doctrinâ de Deo, de Chriſto, de Prædeſtinatione, de Sacramentis, de S. Miniſterio, de Magiſtratu; permixta *vera* doctrinæ Wicleſi in Romanum *Antichriſtum*, omnemque Rom. Eccleſiæ *innovationem*. Hinc Wicleſitis, uti Bohemis, Waldenſibus, inditum *Lollardorum* abjectiſſimum nomen, & Hæreſis ipſis Wicleſitica *Lollardia* appellata. Dubiâ vocis origine, an à Lolhardo quodam Waltero, nefandarum Hæreſium, quas ſparſiſſet in Auſtriâ, Bohemiâ, poſtulato, & Coloniæ exuſto, A. MCCCXXII. ex Trithemio: an à *Lullardis* vel *Lollardis*, id eſt, *Deum laudantibus*, qui per Brabantiam feruntur diſperſi, ſub initia hujus Seculi, ut diſertè Johannes Honſemius, qui Leodienſium Hiſtoriam perduxit uſque ad Annum MCCCXLVIII. antè exortum Wicleſum. Vocati & *Caputiati*, ſive *Pileati*, quòd Sacramento, pyxidi incluſo, ſalutationis honorem nullum exhiberent, ex Antiquitat. Britannicis.

Digitized by Google

Hiſtorici malæ fidei. VIII. Non minùs fallunt in circumſtantiis *Hiſtoriæ* omnis *Wicleſiticæ*, præcipuè Nicolaus Harpsfeldius ſeu Alanus Copus, Cantuarienſis Archid. qui duobus penè Seculis poſterior Wicleſo eſt; cujus commentis nova ſuperſtruxit nuper Varillaſius, in *Hæreſeôs Hiſtoriâ*, quam vocat, *Libro* I. ubi de Wicleſo. Hujuſmodi ſunt, ex. gr. Wicleſum, jam Profeſſorem Regium, ſpe Epiſcopatûs Wintonienſis, alii Wigornienſis, dejectum per Miniſtros Papæ, indè ultionem animo concepiſſe; applicuiſſe mox ſeſe ad lectionem Librorum, qui Papæ adverſi; foviſſe Wicleſi molimina Ducem Lancaſtrium, ut ſibi eâ factione gradum faceret ad ſucceſſionem; faviſſe Eduardum, excutiendo jugo Pontificis; acceſſiſſe Eduardi pellicem Alixiam Peretziam, ut potentiſſimi deinceps Lancaſtrii patrocinium mereretur; creviſſe Hæreſim ſub *Minorenni Rege* Richardo, & *molli Archiepiſcopo*, excitando tandem ex concepto metu, ne per Wicleſitas moveretur dignitate, & quæ plura hariolantur. Addunt, retractaſſe errores omnes Wicleſum, in Synodo Londinenſi, A. 1382. ſed *ſuppreſſam à Spelmanno eam retractationem*, & ejus loco *profeſſionem Fidei ſuppoſitam*. Dum veriùs Acta Conciliorum Labbeana ſupprimant Apologiam Wicleſi; ut ſilent aliàs quæ Romæ inviſa, utque hoc Seculo preſſerunt actitata contrà Bonifacium VIII. Johannem XXII. Clementem VI. Bonifacium IX. Ita qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, ipſi ſat habent quod in ſe poſſit verè dici.

Bohem. Reform. primordia. IX. *Bohemicæ* Reformationis primordia, *Joh. Huſſo* ſtrenuo deinceps promotore, hujus quoque Seculi fuerunt. Præluxerant pridem Bohemis Waldenſes, ſive Lombardi, ad quos ex *Bohemiâ* & vicinis oris in Lombardiam ſolitos fuiſſe proficiſci, *ut ad Scholam vel Academiam quandam*, ex indubiis teſtibus Dav. Chytræus. Fl. Illyricus, Comenius, & alii retulerunt. Præivit quoque Huſſo, *Joh. Militzius*, malè aliis *Mallaſius*, Canonicus Pragenſis, & in ſummo Templo Concionator, occaſione ſubtracti Calicis in Euchariſtiâ S. Papâ Gregorio XI. Carolo IV. Rege & Imperatore. Indè Militzius vel Milicius, (ſociam operam commodante ejus Collegâ, *Conrado Stickna*) in Papam *ut Antichriſtum*, in Cardinales, Prælatos, Sacrificulos, Monachos, & abominationem omnem deſolationis, fervidis concionibus effuſus; vel ex *Bullâ* Gregorii XI. ad Archiep. Pragenſem, in Regeſto Greg. & ex ſecuturo Milicii carcere. Cujus Milicii veſtigiis inſtitit *Matthias Janovius*, Pragenſis & ipſe natalibus, ſed *Pariſienſis* ſtudiis, hinc Matthias Pariſienſis vulgò, Carolo IV. à Confeſſionibus Sacris; Qui in Calicem ſubtractum, in Papam, in abuſus alios Concilio Oecumenico tollendos, liberrimo ore & calamo invectus fuit; hinc removendus, auctoritate *Pontificis: Multum paſſus perſecutionem propter prædicationem aſſiduam*, & *propter veritatem Euangelicam*, ut eſt in fine Libri ejuſdem Janovii, de Crebrâ Communione Corporis Chriſti; ex *Hiſt.* Perſecut. Bohemorum.

Præeunte Wicleſo. Tandem *Joh. Wicleſi* Angli doctrinâ & ſcriptis, per *Bohemos* quoſdam (qui odio Teutonicorum ex Pragenſi Academiâ in *Oxonienſem* ſeceſſerant) in Bohemiam delatis, avidè arripuit *Johannes* quidam, acri ingenio, à loco nativitatis, ſeu villâ *Huß*, cognomentum mutuatus. Hic juvenis licet, ſed ingenii, facundiæ, ac *mundioris vitæ opinione*, in Pragenſi Acad. clarus, mox Concionator ibidem in Templo Bethlemitico, ab Anno MCCCC. ſtrenuè promovit opus *Bohemicæ* Reformationis. Ipſiſſimam *Wicleſitarum* doctrinam, & *Waldenſium Sectam*, vocat Æneas Sylvius, in Hiſt. Bohemorum *Cap.* XXXV. Cœpit ità *Huſſus*, ſub finem Seculi, erroribus Romanorum Eccleſiæ opponere Wicleſi aſſerta; ac de Wicleſo Huſſus, *optare ſe ut anima ſua aliquando foret cum illâ Wicleſi*: Mox acceſſit junior nonnihil *Hieron. Pragenſis*, in patriam redux, cum expirante Seculo, importatis eò Wicleſi (ut ferunt) ſcriptis. *Johannes ætate major*, ità Æneas Sylvius, de origine Wicleſitarum, in Faſcic. Rerum Expet. fol. CXLIX. *& auctoritate habitus, doctrinâ & facundiâ ſuperior Hieronymus*. Quibus ſe adjunxit *Jacobellus*, non *Miſnenſis* ut ferunt, ſed Bohemus natione, ut à Comenio, etiam Spondano, obſervatum. Concionator idem magni apud ſuos nominis, vulgò auctor belli pro *Utraque* ſpecie, *literarum doctrinâ & morum præſtantiâ juxta clarus*, teſte rursùs Spondano. Sed *Huſſitica Hiſtoria* magis eſt ſequentis Seculi. Quam cave requiras ex *Joh. Cochlæo*, aut ex *Varillaſio* nupero, quibus hiſtoriam non ſcribere, ſed fingere, hoc fuit negotii datum.

VII. *Concilia hujus Ætatis celebriora. Illorum quædam Specimina. De Concilio Viennenſi vulgò Oecumenico; ejuſque in Templarios Decreto.*

I. Concilia hujus Ævi *Nationalia*, & *Provincialia*, in Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæque partibus, in ſpecie etiam Avenionenſia, poſt Sedem eò tranſlatam, referunt (nec omnia tamen) *Tomi* Conciliorum; Anglicana autem Concilia, indè à Normannorum in Angliam introitu, ex profeſſo Spelmannus, *Tomo* II. Nobiliſſima fuêre, in cauſis Regum & Imperatorum contrà Romanos *Pontifices*, in jura Regnorum, illaque S. R. Imperii invadentes; quin in Perſonas ipſas ſacratiſſimas graſſatos citationibus, mandatis, interdictis, depoſitionibus. De quibus ſuprà memoratum, *Sectionibus* III. & V. Hinc Germani, Galli, Angli, habitis Synodis & Conventibus, jura ſua tueri, atque independentiam aſſerere, ſaltem *in Temporalibus*, à Romanâ Sede; *Regalia* etiam, *Inveſtiturarum*, *Electionum*, conferendorum *Beneficiorum* Eccleſiaſticorum prærogativas, etiam Clerum coërcendi, reformandi, id genus alias, vindicare ſummæ Majeſtati. *Concilia pro Juribus Principum.*

II. Ità ex. cauſâ, in *Pariſienſi* Synodo, Anni MCCCIII. decreti hi Articuli contrà Bonifacium VIII. apud Goldaſtum, Molinæum, Bochellum, de Marca, & alios. 1. *Quòd ſit Simoniacus, etſi ſe Simoniam committere non poſſe dicat.* 2. *Quòd ſit Homicida, Uſurarius, Hæreticus, Epicureus, Religionis contemptor, Inceſtuoſus.* 3. *Quòd Angliæ Regi conceſſerit omnes Decimas, in ſubſidium belli contra Francum.* 4. *Quòd ſtipendio allexerit Saracenos, ad invadendam Siciliam.* Cave credas inſerta hæc eſſe Tomis Conciliorum. Idem dicimus de Synodo *Romanâ*, Anni MCCCXXVIII. cujus meminit Aventinus, *Annalium Libro* VII. p. 473. ſub formâ indicti Conventûs vel Senatûs ex Pontificibus, Clero, Proceribus Italiæ, Germaniæque: In quo Conventu ſententia depoſitionis adverſus *Johannem* XXII. *lata*, prolixè enumeratis ejus criminibus, & *novus* Pontifex electus, ex Ordine Minoritarum, aſſumto nomine *Nicolai* V. Hic antea Petrus Corbarius, cui uxor adhuc in vivis eſſet, & de quo nos in Diatribâ de Papâ Fœminâ. Videſis eundem Aventinum, cujus *ſtylum virulentiſſimum* & *impudentiam* hìc accuſat Spondanus, dùm fidem & candorem laudibus concelebrare debuit. *Contrà Bonif. VIII. & Johan. XXII.*

Addere poſſemus Synodos vel Conventus (tacitos quoque Collectoribus Conciliorum) adverſùs *Hæreſes* ejuſdem *Johannis* XXII. tùm ob improbatam illi

Digitized by Google

li fictam *paupertatem* ſeu abdicationem Proprietatis vel Dominii omnium rerum; tùm ob negatam Beatificam *Dei Viſionem*, antè diem Judicii. Adde Synodos adverſùs Papale *Schiſma*, cùm ſibi invicem adverſas, Romæ & Avenione; tùm ab utroque Pontifice receſſuras, editis Actis *Neutralitatis*, ut factum cumprimis in Galliis eſt Carolo VI. Rege Francorum. Quales Synodos eruit ex Chartis ineditis, Lucas Dacherius, *Tomo* VI. Spicilegii; & in iis Synodus eſt Anni MCCCXCIV. quæ ibidem p. 71. & ſeq. à Rege ex omnibus Franciæ Prælatis convocata, in quibus Abbates, Priores, Magiſtri Theol. &c. de tribus viis ab Univerſit. Pariſienſi apertis, tollendi *deteſtandi Schiſmatis*: In quâ præfuêre Galli Epiſcopi duo, Carcaſſonenſis, & S. Pontii Thomiriarum (*Pons de Thomieres* hodieque) Narbonenſis Diœceſ. & quidem ſub titulis *Patriarcharum Alexandrini*, & *Hieroſolymitani*; iique dicti *Eccleſiarum adminiſtratores perpetui*, quibus Archiepiſcopi, & Primates Regni ſubjiciuntur, nullo tùm agnito Pontifice.

Quales Synodi in Collectionibus Concilior.

III. Quæ verò Synodi prolixè memorantur à Collectoribus Conciliorum Pontificiis, inprimis Labbeo & Goſſartio, *Tomo* XI. *Parte* II. vel à Raynaldo, Bzovio, ac nuper Alexandro Monacho, omnes ferè favent cauſæ Pontificum, Epiſcoporum, & Cleri Romani. In iis Synodi *Italicæ*, *Avenionenſes*, *Hiſpanicæ*, *Germanicæ*, *Londinenſes*, ſed *Gallicanæ* plures, ex quo in Galliis ſederunt Pontifices. Aſſerturæ ſcilicet Cleri Juriſdictiones, Immunitates, Eccleſiaſticam libertatem, Cauſas fori merè Eccleſiaſtici, exemptiones à *Vectigalibus*, *Talliis*, *Collectis*, *Cenſuris*, *foro Civili*, *Bannis*, *Capturâ* omni, &c. Idque contrà *temporales* vel *ſeculares Dominos*, *Principes*, *Magiſtratus*, *Judices*, *ſub pœnâ Excommunicationis*, perpetuâ in his Decretis appendice. Hinc & Synodi id unum acturæ, ut *Excommunicationis* terrorem incuterent; tradendis Excommunicatis *Judici Seculari*, interdictâ illis *ſepulturâ*, cæteriſque quæ ab humanitate proficiſcuntur; *abſolutione* ſoli Pontifici, aut Epiſcopis, reſervatâ.

Pleræque aliæ in id intentæ, ut genus omne novellarum ſuperſtitionum ſancirent, v. gr. *Miſſas Marianas*; *abſtinentiam Carnium in Sabbato*, primùm indictam, ut fatentur, in Synodo Avenionenſi Anni MCCCXXXVII. ſic novas *Confraternitates*, *Reliquias*, *Indulgentias*, & quæ hujuſmodi benè multa ſunt. Aliæ in *Albigenſes*, *Waldenſes*, *Lollardos*, *Wicleſitas*, *Bohemos* indictæ, quos *in Lutheranis & Calviniſtis* redivivos vocat nuperus Scriptor, affictis execrandis erroribus, & decretis carceribus, ſuppliciis, rogis. Ac de *Synodo* λῃστρικῇ *Londinenſi* contrà *Joh. Wicleſum* habitâ, Anno MCCCLXXXII. Guilielmo de Courtenay Cantuarienſi Archiep. ad monita Pontificis, deque impactis Hæreſibus; de Wicleſi & ſuorum apologiâ, ac proteſtatione; de vi illatâ, ac ſecuto incremento Wicleſitarum, conſule Antiquitates Britannicas, & Concilia Spelmanni, *Tom.* II. ac Hiſtoriæ Eccleſiæ *Anglicanæ* Scriptorem non unum, etiam Henr. de Knyghton, Thom. Walſinghamum, &c. quamvis tenaciſſimos veterum ſuperſtitionum.

Synodi in cauſâ Templar.

IV. Adde Concilia varia Nationalia, in Galliâ, Angliâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Germaniâ, habita in cauſâ *Templariorum*, Anno præcipuè MCCCX. ad literas Clementis V. In quibuſdam ſanè *Ordo Templariorum abſolutus*, fortiter negatis quæ illis imputarentur. In aliis, nempè poſt habitas ab Inquiſitoribus quæſtiones, *Templarii* damnati, carceribus ii, concluſione intrà muros, tormentis, equuleis, laqueo, etiam lento igne mulctandi; ut decretum in Concilio Gallico *Pariſino*, Senonenſis Provinciæ, A. MCCCX. & in altero Prov. *Rhemenſis* Concilio, conſimiliter de extinguendis Templariis decretum, antè deciſionem in Concilio *Viennenſi* factam, ex Continuatore Nangiaci Chronici, *Tomo* XI. Spicilegii Dacheriani. Contrà in Synodis, *Ravennatenſi*, *Salmanticenſi*, *Moguntinâ*, ut videre eſt in Collectione Conciliorum ad Ann. MCCCX. admiſſæ *Templariorum* proteſtationes, & pro eorum innocentiâ, aut ulteriori purgatione, pronunciatum fuit: Sed aliter decreverat Clemens Pontifex, conſpiratione cum Philippo Rege factâ, in Conventu *Pictavienſi*, ubi Papa cum Curiâ reſidebat, & quò invitaverat Philippum; quando decretum, quod *Rex ipſe omnes & ſingulos dicti Ordinis, ubicunque eſſent, mancipatos carceribus, nomine Eccleſiæ, & manu Sedis Apoſtolicæ, detineret*, &c. ut Continuator Nangii, ad A. MCCCVIII. Præceſſerat Decretum Facult. Pariſienſis, apud Launojum de *Scholis* p. 259.

Concil. Viennenſe. Malè inter Oecumenica relatum.

V. Unum hoc Ævo celebratur Concilium vulgò *Oecumenicum*, quod illis eſt generale *Decimum quintum*, *Viennæ* Allobrogum celebrandum, antiquâ Metropoli Viennenſis Provinciæ, ad Orientalem Rhodani ripam. Quanquam hoc Concilium inter *Generalia* & *Oecumenica* perperàm reponatur; utpotè convocatum à ſolo Pontifice Romano, habitâ præcipuè cum Philippo Pulchro deliberatione; nullis hic partibus *Imperatorum* Orientis vel Occidentis, quorum ille Andronicus Senior, hic Henricus VII. Gibelinorum partibus addictus. Deinde, nulli hic apparuerunt *Græci* & *Orientales*, niſi nomine tenùs, Alexandrinus & Antiochenus Patriarcha Latini Ritûs, ut fatentur in Hiſtoriâ Concilii, quamvis *per univerſum Orbem generaliter fuiſſe divulgatum*, habeat Walſinghamus, & alii. Cauſæ etiam convocandi Concilii non ad *univerſalem* Eccleſiam attinebant; ſiquidem præcipua fuerit conſpiratio Pontificis, cum Rege Gallorum, pro extinguendo Ordine *Templariorum*, prætextu apoſtaſiæ totalis à fide, & graviſſimorum criminum quæ toti Ordini imputata; hinc pro eripiendis eorum *Bonis*, quæ in Galliâ præcipuè, Angliâ, & paſſim in Regnis Occidentis, fuêre ingentia: Licet Clemens V. in Bullâ Condemnatoriâ, hæc habeat; *Quanquam de jure non poſſumus, tamen ad plenitudinem poteſtatis dictum Ordinem reprobamus*. Nam aliæ cauſæ indicti Concilii, quas allegat Pontifex, in Diplomate Convocationis, ſcil. quæ *tangerent fidem Catholicam*, quales Hæreſes tum impactæ Fratricellis, Beguinis, &c. item, pro *recuperatione Terræ S.* hinc colligendis à Prælatis decimis, & pecuniis; tùm pro *reparatione*, *ordinatione*, *ſtabilitate Eccleſiarum*, & ſtatûs Eccleſiaſtici, &c. fuêre tantum Papæ obtentus, niſi in quantùm inſerviret hic explendæ avaritiæ, & ſtabiliendæ omnipotentiæ Pontificiæ. Præterquàm quod teſte Continuatore Chronici Nangiaci ad An. MCCCXI. in Spicil. Dacheriano, T. XI. p. 643. adfuerint tantùm *centum & quatuordecim Prælati cum Mitris*, id eſt, Epiſcopi & Abbates; quibus etiam nec fuit ſuffragiorum *libertas*, Concilio hoc *tribus Seſſionibus* terminando, quarum duæ in Cauſâ Templariorum ferè habitæ. Sed pro Synodi Viennenſis *Conſtitutionibus*, fuêre Papæ *Clementis* illæ Libris V. ſuis ſub Titulis comprehenſæ, quas tamen morte præventus vulgare non potuit; ſed vulgavit Johannes XXII. Aventinus L. VII. *Annal. Septimum Juris Pontificii Librum, quem Clemens V. deceſſor ejus compoſuerat*, (relatè ad *Sextum* Decretalium) *ſed quod multa quæ ſimplicitati Chriſtianæ, & libertati Religionis, imponerent, ibi continentur, publicare ſuperſederat, atque animam agens aboleri juſſerat, edidit* ſcil. Johannes XXII.

Tempus, duratio, ſucceſſus, &c.

I. *Tempus* fuit, Annus MCCCXI. à Kal. Octobribus, Clemente V. Romano Pontifice, poſt tranſlatam ab eo Pontificiam Sedem *Avenionem* Galliæ Narbonenſis; Imperatore Henrico VII. Philippo Pulchro Galliæ, Eduardo II. Angliæ Regibus, Carolo autem Siciliæ, Jacobo Aragonum, Ferdinando Caſtellæ & Legionis, &c. *Septem* circiter men-

menſibus, non ut Trithemius in Chron. Hirſaug. *biennio duravit* hoc Concilium. Quod alii intrà *annum*, alii ad *quadriennium* prorogant: Quo ſcil. tempore Clementinas ſuas fabricavit Clemens, quæ vicem præſtant *Decretorum*, & *Canonum* hujus Synodi, qui nulli in eo fuerunt adornati; quemadmodum nec Cauſarum, collatis ſcil. ſuffragiis, libera ulla in eo Concilio diſceptatio.

2. *Cauſa* indicendi Concilii (ex dictis) fuerunt, *ſpecioſa* aliæ, aliæ *vera*, hæque potiſſimæ. Inter illas, præcipuè viſæ ſunt: Abolitio eorum quæ Bonifacius VIII. adversùs Philippum Pulchrum fulminâſſet; tùm Reformatio Eccleſiæ, Cleri, Diſciplinæ. Undè G. Durando Mimatenſi expreſſus Liber, *de Modo celebrandi Generalis Concilii*, in quo fœdam Eccleſiæ faciem genuinis coloribus effinxit. Acceſſêre *Fraticellorum*, *Dulciniſtarum*, *Beguardorum*, *Beguinarum* accuſati errores, Patriarchis eorum ſcilicet, *Petro Johannis* Minoritâ, item *Gerardo Sagarello*, & quodam *Dulcinio*, Italis, de quibus Sectione precedente. Inter Errores porrò in Clementinis memoratos, *Tit.* de *Summâ Trinitate*, & de *Hæreticis*, ii pro Inquiſitorum libidine ſolummodò deferuntur, qui in Chriſtianam fidem, in honeſtatem, in veram humilitatem arietarent; tacitis iis Capitibus quæ *Romanum Antichriſtianiſmum* perſtringerent.

3. Potiſſimæ verò cauſæ convocati Concilii, tùm ex Chronographis, Antonino Parte III. *Chronicorum*, Joh. Villanio Italo Scriptore, Hiſt. *Libro* IX. *Cap.* XXII. Continuatore Nangiaci Chronici Tomo XI. Spicilegii Dacheriani, Alberto Krantzio Saxoniæ *Libro* IX. aliiſque, tùm ex Clementis Conſtitutionibus, durante hoc Concilio editis, abundè conſtant. Nempè id intendebant præcipuè Clemens, & Rex Philippus, ut decerneretur, nomine *Univerſalis Concilii*, extinctio Ordinis *Templariorum*, ſanguinariâ diràque Conſtitutione: Tùm ſuaſurus Clemens novam Expeditionem in *Terram Sanctam*, innumeris rursùm ſe Cruçe ſignaturis; ipſoque Philippo Rege, per *Literas patentes fideliter promittente, quod infrà annum cum Liberis, Fratribus, nec non Procerum Regni ſui, & aliorum Regnorum, multitudine copioſâ, Crucem aſſumeret, & ab inſtantibus Kalendis Martii, ad ſex annos, iter arriperet, ad transfretandum in ſubſidium Terræ Sanctæ: Quod ſi morte vel aliàs eſſet legitimo impedimento excuſandus, Primogenitus ſuus* (Ludovicus) *ad hoc exequendum fideliter obligavit. Sed nihil fecit.* Interim, (quod intendebat Philippus) *Prælati devotâ affectione Decimas ad* VI. *annos eidem conceſſerunt; quam Decimarum obligationem S. Pontifex & ſacrum Concilium approbarunt.* Sic auctor Continuati Chronici in Spicil. Dacher. T. XI. ad Ann. MCCCXII. Quanquam Philippi ſcopus præcipuus fuiſſe fertur, *Regnum Hieroſolymitanum* in unum ex tribus filiis transferre; ſed irrito molimine: Walſinghamus in Eduardo II. ad A. MCCCXI. *Philippus Rex Franciæ cogitavit unum de Filiis ſuis Regem Hieroſolymitanum facere, & impetrare ſibi omnes reditus & proventus Templariorum.* Quorum occaſione Votorum, & quæ ſecuturæ erant Expeditionum, Reges ac Principes populoſque ſibi mancipabant Romani Pontifices, exhauriebantque Regna. Tandem, voluit Pontifex vindicare memoriam *Bonifacii* VIII. eumque reſtituere in ordinem Catholicorum Pontificum, à quo per Synodum Pariſinam dejectus fuerat, An. MCCCIII. Atque ità, abolitis quidem quæ injuria in *Philippum* Regem fuerant, abſolutoque Guil. Nogareto, & mitigatis aliis Bonifacii; idem tamen *Bonifacius*, ac Pontificia omnipotentia, in Clemente V. revixit. Quòd ejus Conſtitutiones inter Clementinas, & Extravagantes, diu in Gallis non admiſſæ; & facta adversùs Henricum Imperatorem, Venetos, Florentinos, abundè teſtantur. Sed & habitus à Pontifice *Robertus* Rex Siciliæ, nomine Regni prædicti, *Romanæ Eccleſiæ notorius ſubditus, & homo ligius ac vaſallus*, in Clementinâ, C. Paſtoralis, *Tit.* XI. *Libri* II. Eâdem is lege Rex Neapolitanus à Papâ renunciandus, poſtquam in Galliam ad Papam navigaſſet, acceptâ à Pontifice *coronâ*; ut hic accepit à Rege *fidei & clientelæ Sacramentum*, ex Villanio, Anno MCCCIX. *Chron.* L. VIII.

3. *Exitus* Synodi fuit qualem optavit Pontifex; funeſtus nempè Templariis, lucroſus Pontifici, cujus diſpoſitioni reſervata ordinatio eſt de *bonis & perſonis* ejus Ordinis. Et dùm *principale intentum* eſſe debuit, expetita *Reformatio Eccleſiæ Univerſalis*, nullæ tamen in eo Conſtitutiones hac de re promulgatæ, ſed omnia arbitrio Pontificis relicta. Ità Continuator Chronici Guil. de Nangis, ad Annum MCCCXII. in Spicilegio *p.* 646. *Porrò & ſi de aliquibus ſtatum vel reformationem Eccleſiæ Univerſalis tangentibus, quod tertium principale intentum, aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, ſeu proviſio, ſeu deciſio à Prælatis & aliis quorum intererat, priuſquam Concilium ſolveretur, & inſtanter & pluries à Papâ peteretur, de quibus etiam ipſe Papa, ut dixerunt aliqui, Decretales quaſdam, prætereà Conſtitutiones edidit, & ſtatuta; nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata, ſed penitùs judicio Apoſtolico liberè fuerunt reſervata, & ad plenum dimiſſa.* Nam prætextus tantum fuerat caput de *Reformatione Eccleſiæ*, ut plerumque aliàs, reſervatum ad *tertiam* Seſſionem, brevi ſolvendam, quum *duabus* primis Seſſionibus Rex & Papa intentum obtinuiſſent, Collectionem Decimarum, & deletionem Ordinis Templi. Ità ſola pro lege *Pontificis* voluntas, & pro Synodali deciſione, deinceps fuit.

De Synodis *Orientis* dicetur infrà, ubi de Continuatâ diſſenſione Græcorum à Romanâ Eccleſiâ.

VIII. *Hiſtoria deleti Ordinis Templariorum Militaris. Rei veræ cauſæ; & facti immanitas.*

I. Inſtitutus Ordo fuerat Fratrum *Manſionis* ſeu *Militiæ Templi*, Balduino II. Hieroſolymorum Rege, ad imitationem Hoſpitalariorum Militum, confirmandus ab Honorio II. Anno MCXXVIII. deinceps ab Eugenio III. à quibus Pallium album, cum rubrâ Cruce, acceperant. Ac ſenſim, rebus præclarè geſtis adversùm Infideles, ex *Pauperibus Commilitonibus*, quale primò nomen fuit in Concilio Tricaſſino, Anno MCXXVII. (quorum ſcil. votum fuit Peregrinantes in Terram S. quæ ſumma eo tempore religio fuit, tueri adversùs Arabum, Turcarum, Saracenorum incurſiones) in eam deinceps potentiam victoriis ſuis, ac perpetuis largitionum acceſſionibus, etiam Regum Franciæ illis, cumprimis Ludovici VII. Junioris, & Philippi II. Auguſti, *Ordo* excreverat, ut viribus opibuſque Principum ac Regum fortunas æquaret. Hinc Urbibus, *Caſtris*, Populis ſummo jure quaquaversùm imperare, etiam in Italiâ, Apuliâ, Siciliâ, Aragoniâ, Galliâ, Britanniâ, Germaniâ, &c. immenſos theſauros congerere; ſuperbire regiâ ſupellectile, luxuque diffluere; ſed & à libidinibus exercitis, violentiâ, rapacitate, ebrietate, cædibus, paſſim diffamari. Undè vulgatum iſtud de Richardo Anglorum Rege, apud Giraldum Itinerario Cambr. L. I. C. III. admonito à Fulcone Magiſtro ut *tres filias* ſuas elocaret, & ità à ſe dimitteret, videl. *ſuperbiam*, *avaritiam*, *luxuriam*, aliàs *nunquam Dei gratiam habere poſſe:* Reſpondiſſe Regem, poſt modicam pauſationem; *Jam maritavi iſtas Filias, & nuptum dedi, Templariis ſuperbiam, nigris Monachis luxuriam, &*

Templariorum Ordo cur invitus Regib. &c.

albis

Albis Monachis, *cupiditatem*. Indè indignatio atque æmulatio Regum, Principum, ipſorumque Militum *Hoſpitalariorum*; qui Palæſtinâ antè *Templarios* ejecti fuerant, horum etiam auxiliis *Rhodum* occupaturi, A. MCCCX. à quo Hoſpitalarii dicti *Milites Rhodii*. Quo ipſo Anno adversùs *Templarios* perfidè decretum eſt, ſententiâ deinceps *Viennenſi* in Conventu promulgatâ.

Cauſæ delendi Ordinis.

II. *Cauſa* igitur delendi Ordinis, ſæviſſimum in modum, ac qui horrorem æquis mentibus incutiat (fregiſſent eum paſſim licet opes, luxus, ac fœdâſſet Venus improba) *obtenta* aliæ in ſpeciem fuerunt à Philippo Rege, & Clemente V. Pontifice, hujus Tragœdiæ præcipuis auctoribus, publicis Actis & Decretis; aliæ *latentes*, veriſſimæque. Et has haud obſcurè colligimus, ex Antonino Chronicorum Scriptore, Continuatore Chronici Guil. de Nangis, Johanne Villano, Thomâ Walſinghamo, Joh. Bocacio de Caſibus Viror. Illuſtr. Trithemio Abbate, Paulo Æmilio, aliiſque paulum ingenuis, & digniſſimis fide, hac quidem parte, Scriptoribus.

Ex parte Philippi.

Et *Philippus* quidem Rex, *habitorum à principio contrà Templariorum Ordinem, & Perſonas, proceſſuum ſpecialiter promotor & zelator præcipuus, in favorem Fidei* (vaniſſimus hic obtentus fuit) *dicebatur*. Quem ad conſilium planè inhumanum & ſanguinarium, adeóque ad perdendum *Ordinem* plura impulerunt, ut diſertè Continuator G. Nangis, Walſinghamus, &c. Et primò *ſeditiones* aliquot antè annis adversùs Regem motæ, in variis Regni partibus, ob Edicta duriora, & exactiones immodicas; Cumprimis etiam ob mutatum *monetæ* valorem, quam ex debili fortem fecit, eamque illegitimi ponderis; undè Pariſiis ſeditio in Regem exorta, agentem in æde Templi, ac quibuſdam Templariorum haud obſcurè faventibus ſeditioſis, ac frigidam ſuffundentibus tumultuoſæ plebi, verbis & factis, An. MCCCVI. Siquidem Templarios, utpote abundantes nummis, & opibus, hæc res præcipuè attingebat; hinc exacerbatus Regis animus, qui, inquit hac occaſione Mezeræus, *nunquàm adverſum ſe peccantibus ignoſcebat*. Deinde conceptus livor adversùs *Jacobum Molay* Burgundum, Generalem Magiſtrum Templi, reverſum nuper ab expeditione contrà Rhodum ſuſceptâ, vocatumque à Pontifice expreſſo mandato, ut coràm ipſo infrà certum tempus perſonaliter compareret in Urbe Pictavienſi, A. MCCCVII. Qui Magiſter fulgebat eo ſplendore opum, & dignitatis, ut *Regis* Filium ex ſacro fonte ſuſcepiſſet, & ità quoque Joh. Bocacius de Viris Illuſtr. *Lib.* IX. nec tacente Bzovio. Acceſſit Philippi cogitatio, de Regno *Hieroſolymitano* uni ex Filiis tribus acquirendo, ut diſertè Walſinghamus, in Vitâ Eduardi II. in Templarios aliàs parùm æquus; undè & molitio Expeditionis Hieroſolymitanæ, *cum Liberis* ſuſcipiendæ, ut dictum ſuprà. Tandem & conſilium de Templariorum ſibi reditibus ac poſſeſſionibus vindicandis; quamvis ſpecie tenùs bona immobilia adſcripta Hoſpitalariis fuerint, ſed ut Papirius Maſſonus, *Libro* III. Annal. quæ *ad eos nonniſi multo auro redempta pervenerunt*. Uti moventia omnia bona Fiſco regio addicta fuiſſe certum eſt, & Paulus Æmilius, in Philippo IV. *in poſſeſſionem Templariorum bonorum Regium fiſcum iviſſe, rebus moventibus à Fiſco retentis*, quæ Bona in Galliis immenſa fuêre. Nec dubium quin hoc proficiendi ſtudio, ex oppreſſorum ſpoliis, *Philippi* ad exemplum, acti poſteà fuerint Angli, Aragones, Hiſpani.

Ex parte Papæ.

III. Aſt *Clementis* V. Pontificis, in hoc Templariorum exterminio, non avaritia tantùm, ſed inclementia atque impietas nihilo minùs apparuit. Conſcius enim ſibi contrà omnem formam *juris* (ut faſſus in ipſâ *ſententiâ* eſt) iri in damnationem extinctionemque totius Ordinis, decretam antè cognitionem cauſæ; *Ordinem Domûs militiæ Templi Hieroſolymitani*, ... *ſacro approbante Concilio, non per modum definitivæ ſententiæ, cùm eam ſuper hoc, ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, non poſſemus* NB. ferre de jure, *ſed per viam Proviſionis ſeu Ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valiturâ ſuſtulimus ſanctione*, &c. ut eſt in ſententiâ Clementis V. in Concilio latâ, de Extinctione Templariorum, *Conc.* T. XI. *col.* 1557. Damnatus igitur Ordo ac reprobatus, non *juris* aliquâ formâ, ſed ex *plenitudine poteſtatis* Pontificiæ. Inductus in illud exterminium fuit, pro *plenitudine poteſtatis*; 1. Ut gratificaretur hac parte Philippo Regi, cui exaltationem ſuam debuit, dùm ei alterum denegaret, urgenti magnoperè apud Pontificem, ut damnaretur *Bonifacius* VIII. Imò etiam ut illius *oſſa*, tanquàm *Hæretici*, exhumarentur, in congreſſu Pictavienſi, Anno MCCCVII. Hoc poſterius ne fieret, neve hæc inureretur nota Pontificiæ dignitati, magis cordi fuit Clementi, quàm ne tot *Templariorum* myriades delerentur. Et ita diſertè Hiſtoricus integerrimus Johannes Villanus, Chronici Florentini Italicè ſcripti L. VIII. C. XCII. 2. Ut eâ damnatione ſibi reſervaret Clemens *diſpoſitionem Perſonarum*, ac cumprimis *Bonorum*, quæ poſſiderent Milites Templi; nempè *ipſam Domum Militiæ, cæteraſque Domos, Eccleſias, Capellas, Oratoria, Civitates, Caſtra, Villas, Terras, Grangias, Loca, Poſſeſſiones, Juriſdictiones, Reditus, omniaque alia Bona mobilia, & immobilia, ultrà & citrà Mare*, &c. Quæ Pontifex ex parte addixit Hoſpitalariis ſeu Rhodiis Equitibus; *Providit Apoſtolica Sedes, Regibus & Prælatis aſſentientibus, eadem Bona in favorem Terræ S. integraliter ad Fratres Hoſpitalis devolvi, ut ad ejuſdem Terræ recuperationem ſive ſubſidium poſſent effici fortiores.* Quod intellige de Bonis quæ ſita eſſent in locis diſſitis, *Papæ & Regibus minùs* opportunis, aut quæ multo ære redimenda à Rege & diverſis aliis Principibus fuerunt, à quibus jam erant occupata, ut diſertè etiam Nauclerus *Gener.* XLIV. p. 986. Bonis verò aliis *extrà Regnum Franciæ*, (conſiſtentibus *in Regnis & Terris Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illuſtrium*) *ordinationi ſuæ* ſervatis, ex ſententiâ inſertâ dicto Tomo Concilior. Edit. noviſſimæ, *Parte* II. Et certè nihilo meliores Templariis Equites Hoſpitalarii fuêre, imò *ut apparuit, proceſſu temporis facti deteriores*, teſte eodem Continuatore Nangii ad A. MCCCXII.

Occaſio proxima exterminii.

IV. *Specioſæ* igitur *cauſæ* aliæ, prioribus preſſis, fuerunt cùm à Philippo Rege, & Miniſtris, tùm à Sanctiſſimo ſcilicet Pontifice, prætexendæ. Occaſionem commodùm ſubminiſtrârunt duo, ex eo Ordine Templariorum, perditiſſimi Equites, alter è *Toloſan.* Prior Montisfalconis; poſteà ob ſcelera ad perpetuum carcerem condemnatus: *Florentinus* alter Noffus nomine, homo ſceleribus plenus, & ipſe ad carcerem perpetuò ibidem condemnatus, uterque ſententiâ Magiſtri Generalis Ordinis. *Hi Spiritu maligno pleni*, (dicam verbis Chronici Hirſaug. quale ex Bibliothecâ S. Galli nuper vulgatum, *Tomo* II. ad A. MCCCVI. p. 108. 109.) *ut cum emolumento aliquo ex vinculis poſſent eripi, horrenda in Ordinem crimina falsò, ut multi exiſtimabant, confinxerunt. Sciebant enim multas Templariorum eſſe divitias, & Regem Galliæ Philippum nimis avarum, & proptereà ad perſecutionem Ordinis facilè inducendum. Nec dubitabant ſe mox poſſe libertatem conſequi, modò per eorum revelationem, quæ vera crederetur, Ordinem contingeret extingui. Cum ergò ſic ambo detinerentur in carcere, per ſuum cuſtodem atque miniſtrum Officialibus Regis avari denuntiari fecerunt, ut ſi ad eos venire propè carcerem dignarentur, ſecretè revelaturi eſſent eis aliqua, per quorum ſcientiam Regi commodum naſceretur infinitum: Quibus ad carcerem venientibus, ſceleratiſſimi traditores illi* dixe-

dixerunt: Si Dominus Rex vitam nobis & libertatem perpetuam, vobis intermediantibus, dignaretur concedere, poſſemus & vellemus vobis revelare aliqua ſecretiſſima, per quorum notitiam & veſtra ſubſtantia ſimul, & Regis in immenſum ſine dubio quantocyus augeretur. Mox ut ſibi divitias audierunt polliceri ingentes, negotium celeriter detulerunt ad Regem, & vitam cum liberatione carceris, impetrant ſceleratis, parum advertentes quo illi moverentur zelo ad tam horrenda, & prius inaudita, dicere contrà proprium Ordinem ſuum; Quippe qui minùs odio & vindictâ laborabant contrà Magiſtrum Ordinis Generalem, cujus imperio detruſi fuerant in carcerem, quam deſiderio liberationis à vinculis ad libertatem. Revertentes igitur ad carcerem Officiales Philippi Regis, liberationem captivis promittunt omnimodam, ſi & ipſi ſuam Regi exhibeant pollicitationem. Tunc illi duo ſceleratiſſimi traditores; Dicatis Domino Regi, Ordinem Templariorum Hæreſibus & infinitis ſceleribus eſſe plenum, & propterea merito penitùs extinguendum. Unde ſi favore Pontificis Romani proceſſerit ad inquiſitionem per tormenta, inveniet ſine dubio quæcunque diximus eſſe veriſſima. Deinde auctoritate Papæ Ordinem ipſum funditùs deſtruat, & habebit omnia Bona eorum per totum Regnum ſuum nemine prohibente. Deindè proponunt coràm Notario & teſtibus, x. *Articulos*, contrà Ordinem Templariorum, qui ſecretò ad Regem mittuntur; undè ſecuta eſt Regis ad Clementem profectio, tunc quidem *Pictavis* cum Curiâ ſuâ reſidentem. Sive jam delatores illi duo, qui prima cauſa decreti exterminii, eſſent jam antè *de odio Regis moniti, ſeu clanculùm* ad fingenda ea ſcelera *inducti*, ut ex Antonini Chronico P. III. T. XXI. C. I. & Joh. Villano, dicto *loco*, non citet quanquàm Mezeræus Hiſtoricus, præter Papirium Maſſonum Annalium Libro III. p. 365. Hinc accuſationum horrenda capita, apud præfatos Auctores, & in Tomis Conciliorum, relata partim ad infandarum *Hæreſeôn*, partim ad *Flagitiorum* inaudita ac planè incredibilia. Adde quæ ex *Vaticanis* Codd. Bzovius, Raynaldus, ex Scriniis *Regiis* Petrus Puteanus V. Cl. in Hiſtoriâ Damnationis Templariorum, produxerunt. Eademque ad nefariam unîus & alterius Equitis *delationem*; aut ad extortas vi *torminum*, quæ adhiberi juſſit Philippus, confeſſiones, toti *Ordini* ad extinctionem imputandas; & probante quidem in *Concilio* Rom. Pontifice, cum Prælatis ſuis, ſed Gallo devotis. Inter alia illis imputatum, 1. Quod in ipſo Profeſſionis actu, oſcularentur immundè Præpoſiti ſui umbilicum, pudenda, poſteriora, inter noctis ſilentia. 2. Quod Chriſtum, Mariam, Sanctos omnes abnegarent, Ordinem ingreſſi. 3. Quod *ter* Imaginem Crucifixi conſpuerent. 4. Quod Caput Idoli neſcio cujus, fœdè conſperſi ſanguine, & adipe infantis utero materno exciſi, latriæ cultu adorarent. 5. Quod aversâ & Sodomiticâ libidine omnes ſeſe impunè polluerent. 6. Quod rem divinam facientes, Conſecrationis verba omitterent. 7. Quod Ordinis Magiſtrum peccata omnia eluere poſſe, plenariâ abſolutione, perſuaderentur. Et quæ plura interrogari quaquaversùm in Regnis, Provinciis, præſcriptâ formulâ, ipſe Clemens Pontifex Inquiſitoribus mandavit, licet planè incredibilia, & in exitium Ordinis haud obſcurè conficta. Et etiamſi fortè nonnulli, ex numeroſiſſimo Ordine, eò impietatis deveniſſent, planum eſt non luere atrociſſimis ſuppliciis tot myriadas debuiſſe, eodem ferè tempore, in diſſitis adeò Orbis partibus, nullâ convictione præviâ, criminum ſolâ accuſatione ſufficiente, aut confeſſione per dira cruciatuum extortâ, Judicibus Inquiſitoribus. Adhæc non heri demùm aut nudius tertius, ſed pridem, Ordo ut *Hoſpitalariorum*, ſic *Templariorum*, poſtulatus fuerat vitæ intemperantis, & impudicæ, quæ communis tùm Monachorum & Clericorum labes, quorum opes abundabant. Sed jam accidere debuerunt portenta *Hæreſium*, *Blaſphemiarum*, *Apoſtaſiæ*, antè quidem inaudita, noviter in odium Ordinis conficta, cujus creſcentem ſequebatur livor pecuniam. Atque criminibus, quæ per infandum ſcelus univerſis imputata, fidem habent Appendix Mart. Poloni, Bernardus Guido Inquiſitor, Flavius Blondus, Volaterranus, Rolewinckus, Phil. Bergomas, Alb. Krantzius, Rupertus Guadinius, Polyd. Vergilius, Genebrardus, Bzovius, Raynaldus, Pet. Puteanus, &c. Th. Walſinghamus cautior, in Hiſt. Anglor. ſub Eduardo II. ad A. MCCCXI. *Templarios captos & accuſatos, faſſos eſſe famam ſed non factum*, licet *non poſſent de ſibi impoſitis ſe purgare*. Nangii Contin. *Multi penitùs omnia negaverunt*, &c. Et prudenter Joh. Trithemius in Chron. Hirſaugienſi, refert ſanè accuſationem totius Ordinis ejuſque capita; *An verò juſtè an injuſtè fuerint exterminati, non eſt noſtrum proferre ſententiam, ſed divino judicio committimus cauſam.*

Modus extincti Ordinis.

V. Acceſſit procedendi *modus*, ſeu per Philippum Regem, ſeu per Clementem Pontificem, ſeu horum inductu per Eduardum II. Angliæ regem, hinc Jacobum Aragonium, & paſſim, planè violentus, tyrannicus, ac repugnans omni juri divino humanoque. 1. Ad facinoroſi utriuſque *delationem*, de quibus dictum modò eſt, condictâ die, omnes toto Galliæ Regno Templarii, quotquot apprehendi potuerunt, in vincula conjecti, A. MCCCVII. Ità factum *uno die* totâ Angliâ, A. MCCCVIII. ex Walſinghamo. 2. Hinc quæſtionibus habitis, equuleis, torminibus, membrifragiis, ad confitenda enormia hi rei coacti, ipſe Magiſter Ordinis; alii verò inducti *comminatione*, aut *tormentorum aſpectu*, aut *blandis promiſſionibus illecti*, aut *carceris inediâ cruciati*, ut habet Nangii Continuator. 3. Tùm totis agminibus cremati, lento igne aſſandi, nullo veniæ aut miſericordiæ loco, quamcunque innocentiam obteſtarentur. Ità LIX. Templarii Pariſinæ Synodi decreto, An. MCCCX. flammâ uno die extincti, licet *omnes, nullo excepto, conſtanter & perſeveranter in abnegatione communi perſiſterent (impoſitorum ſibi criminum) dicentes ſemper, ſine causâ morti ſe traditos & injuſtè*, ut idem graviſſimus Hiſtoricus, iſque Gallus & coætaneus. 4. Regiis Inquiſitoribus ſuos ſubſtituit Pontifex, ut per *Eccleſiaſticos* Judices Religioſus Ordo, in causâ Hæreſeôs ſcilicet, judicaretur, ſed pari ſævitie & immanitate: Re nempè ità inter *Philippum & Papam tandem deliberatâ, & ſatis concorditer ordinatâ*, in Conventu Pictavienſi, A. MCCCVII. ex dictis. 5. Inprimis verò Magiſter Militum *Jacobus Molay* Burgundus, cum *Guidone* Delphini Viennenſis fratre, Magiſtro Normanniæ, vi tormentorum, ac ſpe liberationis, primò faſſus fuerat Pictavis, publicè coràm Pontifice & Rege, execranda ſui Ordinis, quæcunque ſcil. illi erant impacta; ſed quum viderent, poſt confeſſionem, ſententiâ per Albanenſem & duos Cardinales alios latâ, *adjudicari ſe ut muro & carceri perpetuo retradendi eſſent; ad abnegationem confeſſionis, tùm eorum omnium quæ ex vitæ deſiderio confeſſi erant, revertuntur*, ut Auctor Continuati Chronici de Nangis ad A. MCCCXIII. Imò Confeſſionem eam accuſarunt *ſacrilegii* & *impietatis*. Quæ res ubi ad aures Regis pervenit, qui tunc in Regali Palatio verſabatur, communicato cum ſuis, id eſt, Aulicis conſilio, circà veſpertinam horam ejus diei, quæ fuit dies *Lunæ* poſt *Feſtum* B. Gregorii, in parvâ quadam inſulâ Sequanæ, *ambos*, ſcil. Magiſtrum Generalem Templi, & Delphini fratrem Magiſtrum Normanniæ, *pari incendio concremari mandavit, qui ſic paratum incendium prompto animo & volenti ſuſtinuiſſe ſunt viſi, ut pro mortis ſuæ conſtantiâ, & abnegatione finali* impactorum ſibi criminum, *cunctis videntibus, admirationem multam intulerint & ſtuporem*, ita Continuator dicti Chronici. Speciatim

Ma-

Magiſtrum Ordinis, poſtquàm in Urbe Pictavienſi quæcunque voluerant Papa & Rex confeſſus eſſet, Pariſios reducem, & productum in publico, coràm Cardinalibus ad hanc rem delegatis, ut ſententiam acciperet, ſilentio poſtulato erupiſſe in hæc verba habet Chronicon Hirſaugienſe, modò citatum: *Hæreſes & Crimina ſuper quibus ego & fratres mei accuſamur, penitùs in nobis, nec in Ordine noſtro nec eſſe, nec fuiſſe unquàm, publicè & veraciter dico, ſcio, & proteſtor; & dico nunc publicè coram Deo, & omnibus Sanctis ejus, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, quod injuriam patimur, & contumeliam injuſtè manifeſtam. Omnia enim quæ nobis objiciuntur falſa ſunt, & conficta & ementita, ſic me Deus ſalvet in extremis periculis. Religio enim mea cujus fui miniſter, ſancta eſt, & fuit omni tempore, & innocens ab omni ſcelere hæreticæ pravitatis. Hæc eſt mea Confeſſio, in quâ ſto, manebo, & mori paratus ſum.* Vociferante autem adſtantium aliquo, non concordare hæc cum nuperâ confeſſione coràm Pontifice & Rege: *Propterea*, reſpondit Magiſter, *me morte dignum fateor, & eam ſubire patienter ſum pro meâ levitate paratus, pro eo quod timore perterritus, & blanditiis Papæ ac Regis ſeductus, de me & Sancto Ordine meo nuper aliqua confeſſus ſum, quæ ſcivi & ſcio eſſe falſa, conficta & ementita. Ob id innocentiam Ordinis mei teſtaturus, & mendacium ulturus, in nomine Chriſti libenter moriar.* Poſt quæ, antè ipſam Regis Aulam ligatus ad palum, lento igne, longo ſupplicio deficiens, exuſtus eſt. Et quum ad ſupplicium raperetur, hæc verba protuliſſe refert *ex fide dignis auctoribus* Mariana Hiſt. Hiſpanicæ *Lib.* XV. C. X. *Ego extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus eſſe non debet, vera eſſe nego, ac per omnia Numina juro, quæ de Templariorum impietate criminibuſque, & antè jactata, & nunc recitata ſunt. Ordo enim ille ſanctus, juſtus, & Orthodoxus eſt, ego tamen extremo ſupplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus, flagitia impia ſceleraque ementitus ſum in Ordinem meum, de Religione Chriſtianâ optimè meritum. Quod utinam, ô utinam factum non eſſet! Sed quod unum ſupereſt, delictu meis ſi quis veniæ locus eſt, ignoſci poſtulo, ultroque graviores etiam pœnas depoſco, ſi quo modo Divinum Numen patientia placarer, apud Homines autem Miſericordiam hac calamitate movere poſſim. Vitâ mihi precariâ quid opus eſt, tanto præſertim ſcelere impietàteque, ad quod provocor, retentâ.* Idemque palàm profeſſum eſſe Delphini Viennenſis fratrem nobiliſſimum, iidem auctores referunt. Atque inter extremas Magiſtri voces, *Clementem* V. *intrà* XL. *diem ad tremendum Dei tribunal evocâſſe* fertur, *Regem* autem *intrà annum*: Ac reſpondit ferè eventus; Clemens Paſchali tempore An. MCCCXIV. viam omnis carnis ingreſſus eſt; Philippus eodem Anno, laborans infirmitate *cujus cauſa Medicis erat incognita, cum infirmitatis aut mortis periculum nec pulſus oſtenderet, nec urina, Vigiliâ Andreæ Apoſtoli* (id eſt, XXIX. Novemb.) *Sacramentis devotè receptis* deceſſit, ità dictus Continuator. Quanquàm nolumus de præciſo die emortuali Clementis litigare, an fuerit XL. ab illo vivicomburio; certè Johannes Villanius, coævus Scriptor, L. IX. C. LVIII. dicit exceſſiſſe XII. Kal. Majas, ſeu *Aprilis* XX. quam Molaji ſupplicium accidiſſet *Martis* XI. quæ Vigilia S. Gregorii. 6. Jam ante Synodum Viennenſem, miſſæ quaquaverſum *Decretales* Pontificis, quibus apprehendi Templarios, & habitis quæſtionibus reos ſiſti juſſit, omniaque ad decretum Viennenſe, de extinctione Ordinis, ſpecie quâdam juris diſpoſuit. Hinc Synodi *Nationales* coactæ, juſſu quidem Papæ; in quibus tamen de vi illatâ, deque innocentiâ, proteſtati ſunt Templarii, appellatione ad *futurum Pontificem, ejuſque univerſum Clerum*, interpoſitâ, ut factum in Synodo *Moguntinâ*, A. MCCCX. & in *Salmanticenſi*, convocante Toletano Archiep. eodem Anno, inſertis Actis *Tomo* IX. Concil. Ed. noviſſimæ. Et ibi diſertè, Archiepiſcopum Moguntinum, *proteſtationem eorum admiſiſſe*, & quidem *de conſilio & aſſenſu Coepiſcoporum Provinciæ, qui convenerant ſecundum formam literarum Apoſtolicarum*; & *poſtquam conſtitit de innocentiâ Fratrum, duxiſſe* Archiepiſcopum *eos abſolvendos*, ut Nauclerus *Gener.* XLIV. p. 987. 7. *Singulorum* hinc indè ſi quæ fuerunt crimina, delicta, imputata ea toti *Ordini*, novo exemplo, ſummis & imis, internecione delendo, & exterminando diris ſtragibus, & immanibus ſuppliciis, poſt tot in Pontificiam Eccleſiam merita; poſt tot etiam morientium ſupremas de innocentiâ voces, deque *Ordinis* ipſius *Catholiciſmo*. Adeò quidem ut nec *nomen* Ordinis, nec *habitus*, nec *perſona* ipſæ deinceps ſuperfuerint; nempè per Miniſtros aut Regios, aut Pontificios, apprehendendæ quaquaverſùm. 8. Sententia in Concilio à Clemente lata eſt, ſumpto Themate, *Non reſurgent impii in judicio*, ex *Pſalmo* I. antequàm Ordo, modo legitimo, vel citatus ad Concilium eſſet, vel auditus, minùs convictus, proteſtatione ab eo factâ, & pernegatis quæ imputarentur. Et ità Nangii Continuator ejus ferè temporis; *cùm Ordo, ut Ordo, nondùm eſſet adhuc convictus.* Undè ipſe Pontifex: *Se* Ordinem *prohibitioni perpetuæ ſupponere, non per modum Definitivæ ſententiæ, cùm eam non poſſet ferre de jure, ſecundùm inquiſitiones, & proceſſus ſuper his habitos; ſed per viam Proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ*, &c.

Iniquitas ſententiæ.

VI. Fruſtrà *Concilii Univerſalis* auctoritas obtenta, & nuper à gnathonibus, quod fuerit *totius Chriſtiani nominis repræſentatio.* Nam nec cauſa illa in Concilio acta, formâ legibus præſcriptâ; nec ſubſcriptiones ullæ Patrum fuêre; nec Oecumenica Synodus dici potuit, cui modo CXIV. *Prælati cum mitris*, præter abſentium fortè *procuratores*, interfuerunt, omnes Pontifici & Gallo devoti, ex Nangii Continuatore, & aliis. Adhæc nullo convocante, aut de aſſenſu debitè interrogato, Imperatore; qui tùm, poſt Albertum Auſtriacum, Henricus VII. Nullis & in Synodo Orientalibus, nec ullis qui in nefariæ conjurationis partem venire detrectarunt. Nequicquam etiam prætexunt extinctioni Ordinis, quod aut *ſcandaloſus* fuerit, aut *inutilis.* Nam & Equitum Hoſpitalis, qui deinceps Rhodii, tandem Melitenſes, notæ haud minùs infandæ libidines ſub larvâ caſtitatis, quos & *deteriores* cenſet Nangii Continuator. Et Ordinis non unìus, in tantâ ſegete, aut ignaviam, aut perniciem, fœdaſque inſtitutorum ſuperſtitiones, ſed & luxuriam, rapacitatem, malas artes, atque in publico ſcandala, etiam averſam libidinem, teſtatur Roma univerſa, Orbis loquitur, Hiſtoriæ produnt, erubeſcunt pii, indignantur omnes. Tandem claudimus Papirii Maſſoni verbis, uti hic ipſe claudit verbis graviſſimorum Hiſtoricorum, non unìus Gentis, in iis quæ habet Libro III. in Annalibus Francorum *pag.* 367. *Templarios*, ſi reſpicimus ad *impiam accuſationem*, *Aulicorum perſuaſiones*, & *ſpem lucri*, & *inſontium ſupplicia*, & *everſionis* modum, fuiſſe *injuriâ everſos*; *Regem certè impium*; *Pontificem inclementem*; *nec mitiorem ſententiam dicere poſſe Lectores.* Quanquam Petrus Puteanus in Hiſt. *Condemnationis Templariorum*, Regis Philippi apologiam agat, & nuper Nat. Alexander Puteani compilator, *Sec.* XIV. T. XXII. *Diſſert.* X. Uti Clementis Papæ cauſam agunt quotquot Romam adorare didicerunt.

Quæ condemnat. Templar. ſecuta.

Tandem duo hæc ſunt reliqua quæ obſerventur. I. *Ordinis Templariorum* ſecuta in toto Mundo extinctio. Nempè *per totam Europam in Galliâ, Hiſpaniâ, Normanniâ, Burgundiâ, Alſatiâ, Sueviâ, Franciâ, Bavariâ, Thuringiâ, Saxoniâ, & in reliquis Nationibus*, (Provinciâ, Aragoniâ, Siciliâ, Neapolit. regno, Angliâ, &c.) *Templarii ubilibet conſtituti &* in-

inventi, *mandato Apoſtolico capti fuerunt & examinati per tormenta*; *quorum plures fuerunt combuſti*, *aliqui extrà Patriam proſcripti*, vel alia *Cœnobia ingreſſi*; ſic Chronicon Hirſaugienſe Edit. noviſſimæ, in Abbate XXX. T. II. p. 113. Ità quemadmodum in Galliâ, ſimiliter & in aliis Nationibus, quemlibet Principem eorum quæ in ſuo Dominio reperit, ſi non omnia, tamen plurima ſuis uſibus & Fiſco applicaſſe, una vox eſt Hiſtoricorum. 2. Ultionis divinæ ſingularia exempla mox evaſiſſe partim improbos Delatores, à quibus principium hujus exterminii fuiſſe ſuprà didicimus; partim immites Inquiſitores; partim denique ipſos Auctores principes Papam, & Regem Gallorum, Hiſtoriæ penè omnes obſervant. De poſtremis jam vidimus. At *Delatores* ipſos miſerabiliter poſteà interiiſſe teſtes ſunt Johannes Villanius, Antoninus Florentinus, Johannes Trithemius, qui in dicto Chronico his verbis refert: *Similiter & illi duo, quos Magiſter Ordinis Pariſiis incarceraverat, qui malorum omnium fuêre principium & incentores, dimiſſi per Regem ex carceribus, malâ morte tandem perierunt, uno eorum ſuſpenſo in patibulo, & alio morte violentâ interempto.* Ità non diu ſuperfuerunt ſceleri,

—— Improba nunquam
Spes lætata diu eſt.

IX. *Status Eccleſiæ Orientalis, ſed & Imperii, toto hoc Seculo. Continuatio Diſſenſionis Græcorum ab Eccleſiâ Romanâ. Rei documenta. Palamitæ quinam dicti?*

Oriens afflictus à Turcis, Saracen.

I. Afflictiſſimas res Orientis, hoc Seculo, omnia teſtantur. 1. Aucta in majus, ſtupendis planè incrementis, *Turcarum* dominatio, poſt jacta ab Oſmane vel Otmane, vulgò *Otomanno*, Imperii Turcici fundamenta, ferè cum exordio hujus Seculi: Promoturis latè victorias, fulminum inſtar, *Urchane* filio, *Amurate* nepote, *Bajazete* pronepote. Quæ diximus nuper Sectione 11. ex Byzantinæ, ac Turcicæ Hiſtoriæ Scriptoribus, & Pandectis Leunclavii.

Acceſſit amiſſa à Chriſtianis *Syria*, & *Palæſtina*, ſub finem Seculi prioris, deletis & excîſis à Sultano Saracenico Ptolemaide, Tyro, Sidone, Urbibus aliis maritimis, ne ſpes ſupereſſet invadendi rursùm eas Terras. Undè & irritæ omnes hoc Seculo Cruciatæ *Expeditiones*, quas in rem ſuam promovere ſtuduerunt Clemens V. Johannes XXII. Clemens VI. ſedentes Avenione: Omnium cumprimis animos ac ſpes erectas tenuit, ea ad quam ſe accinxit *Philippus* VI. *Valeſius*, Galliæ Rex, multa magnaque pollicitus, A. MCCCXXXIII. ſummum futurus Expeditionis Caput, acceptâ ſolenniter Cruce à Legato Pontificis Petro Rogerio, Arch. Rhotomagenſi, ultimâ die Septembris. Ità ut omnes Cruce Signati *parati eſſent ad transfretandum*, *à menſe Auguſti tranſacto*, *in tribus annis*, ut Auctor Continuati Chronici apud Lucam Dacherium. Conjungendis tum quidem penè totius Europæ viribus, ac Philippo ſociis ſe adjuncturis Johanne Bohemo, Philippo Navarro, Alphonſo Aragone; ſuppetias etiam laturis Hungaro, Siculo, Cyprio, Venetis, Genuenſibus, & ſi quibus aliis. Sed abitura in fumum omnia, nunquam propitio vaniſſimis conatibus Cœlo, qui Paparum modò libidini ſervirent, & Orbem ſanguine cruentarent, ac flagitiis implerent. Nempe interceſſit præcipuè expeditioni Valeſianæ Bellum ab *Eduardo* III. huic Philippo denunciatum, A. MCCCXXXVI. indignato quod eum ut Vaſallum & hominem Ligium Regni Francici, indigniſſimum in modum Philippus Ambiani excepiſſet; ac deinceps ſe *Angliæ* & *Franciæ* Regem appellaturo, frigidam ſuffundente Ludovico Bavaro, ut hac occaſione belli inter Anglum & Gallum exorti, *recuperari poſſet Cameracum*, *quæ quidem civitas cum ſit Imperio conjuncta*, *tamen à Gallis fuerit occupata bello*, ut Froſſardus Hiſt. L. I. ferè ſub initium. Acceſſit *Robertus* Arteſius ſive Comes de Atrebato, qui ad Anglum profugerat, expulſus ex Aulâ Regis Valeſii. Quâ de re Matthæus Villanius Italus, Froſſardus Belga, Walſinghamus *Anglus*, Continuator Chronici G. de Nangis, notiſſimi Scriptores, & Chronographi alii.

Expeditio Phil. Valeſ. irrita.

II. Promovit etiam res Infidelium, ſeu virium defectus, ſeu ignavia *Græcorum Imperatorum*, cumprimis verò diſſidia domeſtica. Quorum hiſtoriam Pachymeres *Lib.* VII. Hiſtoriarum, vel Hiſtoriæ Andronici Senioris *Lib.* I. Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes, Laonicus Chalcocondylas, & ipſe *Johannes Cantacuzenus*, ex Imperatore Monachus, (ingenuus Scriptor de rebus Andronici Junioris, & ſuis) pertexunt. *Andronicum* Palæologum *Seniorem*, Michaëlis filium, ab omni virtutum genere commendat Nicephorus Gregoras, etiam ab odio Latinæ factionis: Undè is Allatio, *Lib.* II. C. XVI. *Religionis Catholicæ*, *ſub ſpecie pietatis*, *everſor*. Auctor de Separat. Vet. Romæ, citatus ibidem ex verſione Leonis Allatii: *Tandem veritatis lumen Eccleſiis Dei illuxit*, *cum ſcabie obſitam Roma Eccleſiam ab ovili Chriſti ejeciſſet pius Imperator Andronicus Palæologus*, *qui poſteà nuncupatus fuit Antonius Monachus*, *paterni Sceptri compos effectus*, *ingentemque zelum pro pietate*, *& relictis dogmatibus nutriens*; *ideoque rursùs Eccleſiæ proprium ornatum & primævam nobilitatem reſtituiſſet. Hic idem congregatâ Synodo*, *cum Patriarchâ Joſepho Confeſſore*, &c. De quâ Synodo diximus ad *Secul.* XIII. C. VIII. *col.* 1692. Hinc is *à Clemente* V. in *Extravag.* Communib. ut Hæreticorum & Schiſmaticorum fautor, percutiendus fulmine, ſed bruto. Ceſſurus tandem rebellanti ſæpiùs nepoti, ac Byzantium per proditionem ingreſſo, ut fusè Gregoras *Libr.* IX. quem nepotem unicè dilexerat, *tum propter ingenii præſtantiam*, *tùm propter vultûs majeſtatem*, tum propter ὁμωνυμίαν *ſimilitudinem nominis*, ut *Lib.* VIII. C. I. Undè tandem Senior Andronicus, ſenectute confectus, coactus eligere vel exilium, vel abductionem εἰς τὸ τῆς λήθης φρέριον, *tandem volens nolens tondetur*, (quamvis Cantacuzenus factum eſſe inſcio & invito Nepote, *Lib.* II. C. XVIII.) *Monachicum habitum* induit, ſub *Antonii* nomine, in quo piè diem obiit extremum, miſerias multas perpeſſus, ut idem Greg. *Lib.* IX. Atque ità *Andronicus Junior* Avum jam ſenem ſolio deturbavit, à quo adſcitus fuerat in conſortium Imperii A. MCCCXXV. ſolus regnaturus ab A. MCCCXXXII. Quamvis vitam illi, & Imperii inſignia ſervanda decreviſſet, ac cogitaſſe de Imperio Avo reſtituendo referat Cantacuzenus *Lib.* II. C. XVII. qui & ſibi quoque obtuliſſe ſæpiùs conſortium Imperii, *Lib.* II. C. IX. Neque hic magis faviturus *Latinis*, quæcunque fuerint in ſpeciem Concordiæ tentamina, ut etiam Nuncios miſerit ad Benedictum XII. Papam, hic viciſſim duos Epiſcopos ablegavit Byzantium, qui de pace & concordiâ tractarent. Sed infelici conatu, ut etiam prudentiores Græci *contemnendos* eſſe Legatos, atque abſtinendum ab omni *diſputatione*, cenſerent, ut Nicephorus Gregoras, *Lib.* X. ſub finem; qui grave hoc nomine Conſilium Græcis ſuis ſuggerit. Nempè prudens Imperator has pacis ineundæ conditiones Benedicto Papæ propoſuit, miſſo Barlaamo Monacho, A. MCCCXXXIX. 1. Si reſtituerentur Græcis, ope Latinorum, quatuor Civitates quas Turcæ occupaverant. 2. Si Concilium

Græcor. Imperat. impotentia undè?

Andron. Senior, & Junior.

Ge-

Digitized by Google

Generale à Pontifice indiceretur, ad quod vocarentur IV. Patriarchæ Orientis. 3. Vel ſi communi conſenſu, miſſis ab iis viris doctis & Unionis cupidis, rurſum retractaretur in Synodo Controverſia de Proceſſione Spiritûs S. Hoc enim defuiſſe in Synodo Lugdunenſi II. ubi ſoli Michaelis Imperatoris Legati interfuerant, non autem delegati à Patriarchis. Sed non placuit Papæ Conſilium, nec retractari controverſiam, quæ anteà deciſa fuiſſet, nempè ſub Michaele Palæologo Seniore. Nec diffitetur illa H. Spondanus ad A. MCCCXXXIX. *Num.* VIII. Hic Andronicus Junior, teſte Joh. Cantacuzeno *Hiſtor. Lib.* II. (etiam non abnuente Niceph. Gregorâ, quamvis in Imperatorem & Eccleſiam contumelioſe ſcripſiſſe conqueritur Cantacuzenus, *Hiſtoriar.* L. IV. C. XXIV.) Princeps fuit pacificus, pius, mitis, promptus ignoſcere, in Avum humanus, qui graves ſuo tempore Controverſias de Fide enatas, per Gregorium Palamam, Barlaamum, Gregor. Acyndinum, Synodi judicio prudenter commiſit; moriturus A. MCCCXL. relicto *Johanne Palæologo*, filio *novenni* & impubere, quem tutelæ *Annæ* matris, & *Magni Domeſtici Cantacuzeni*, reliquerat.

Joh. Cantacuzeni hiſtoria, virtutes, &c.

III. Sub Andronico Juniore acciſæ vehementer res Græcorum fuerant, victoriis *Urchanis* Turcæ, ac concuſſum etiam domi Imperium inteſtinis motibus; invaluro tandem tyrannidem poſt ejus fata *Johanne Cantacuzeno*, ab Anno MCCCXLI. Quum obortum diſſidium eſſet ipſum inter, & Annam Sabaudicam viduam Andronici Junioris, quibus crediderat hic & Imperii adminiſtrationem, & tutelam Filii *Johannis Palæologi*, novem annos nati: Qui Johannes poſtmodum evaſit Cantacuzeni Imperatoris gener, deſponſatâ illi à Patre tertiâ filiarum *Helenâ*, quum ſponſus ageret annum ætatis XV. Hujus autem *Cantacuzeni*, e Cantacuzenorum nobiliſſimâ familiâ nati, quæ cum Palæologis diu de Genere & Imperio certavit, laudatiſſimi ſanè Principis, & omni virtutum ſplendore decorati, Vitam & Acta ipſe ſummâ fide & integritate deſcripſit, Hiſtoriæ *Libro* III. & IV. prioribus Libris Imperium Andronici Junioris perſecutus. Mater illi fuit *Theodora*, cujus avia materna fuerat ſoror Michaelis Palæologi Imp. & quam conſilio, prudentiâ, gravitate morum, aliiſque virtutibus ornatam deſcribit Gregoras *Hiſt. Rom.* L. II. *Magnus* idem *Domeſticus* Andronico Juniori, & cujus tanta fuit auctoritas, exiſtimatio, prudentia, ſcientiaque, cum felicitate conjuncta (quæ ſummum Imperatorem faciunt teſte M. Tullio, ubi de Pompejo M.) ut abſque Magno Domeſtico nihil gereretur domi militiæque. Factus Imperator, Fœdus contraxit cum *Orchane* Turcarum Imper. qui Byzantium invadere jam moliebatur, deſponſatâ illi filiâ *Theodorâ*, quæ in fide Chriſtianâ conſtantiſſima permanſit; & quæ utrumque Imperatorem amicitiâ & officiis colligavit, ut etiam Orchanes ad Cantacuzenum Socerum navigarit, inviſendi gratiâ, Scutarim uſque delatus, quò Johannes triremibus trajecit, ut ipſe *Hiſt.* L. IV. C. IV. Quod autem hujus loci eſt, miſit Cantacuzenus, circiter A. MCCCXLVI. legationem ad Clementem VI. Papam, Georgium Protoveſtiarium, & Sigerum τὸν Πραίτωρα τοῦ Δήμου, ut Concordiæ ſtudium oſtenderet, & auxilia contrà Barbaros impetraret, quemadmodùm miſit ad Carolum IV. Imperatorem Occid. Cui Clemens quidem humaniter reſpondit, & viciſſim duos Epiſcopos in Orientem ablegavit, alterum ex Minoritarum, ex Dominicanorum familiâ alterum; quibus Imperator inter alia obtulit ſe interfuturum Synodo Oecumenicæ, à Papa indicendæ, modò in loco maritimo, qui medius inter utroſque ſitus eſſet, modóque in tempore moneretur, ut ipſe Cantacuzenus *Lib.* IV. C. IX. Sed omnia in fumum abitura. Allatius cauſam conjicit in *mortem Papæ Lib.* II. C. XVIII. Spondanus verò in Cantacuzeni vafritiem, ſimulationem, verborum oblinimenta, qui reverà eſſet hoſtis Romanæ Eccleſiæ, & tenax Græcorum dogmatum, ac rituum. De qua celebri legatione mirum tacere Platinam in *Vitâ* Clementis VI. Ad extremum *Monaſticam* propè Conſtantinop. vitam amplexus, ſponte decedens Imperio, quod retinere potuiſſet, Joſephi nomine aſſumpto, Anno MCCCLVII. in gratiam *Johannis Palæologi* Andronici Junioris Hæredis; filium quoque dehortatus ab Imperii cupiditate. Eandemque Vitam Monaſticam amplexata *Irene* Conjux, ſecedens in Monaſterium à Marthâ ſorore Michaelis Imp. conſtructum. Diu adhuc poſteà ſuperſtes fuit, incerto quanquàm mortis tempore; & ut notant Waddingus in Annal. Carolus du Freſne, in Famil. Byz. vixit adhuc Anno MCCCLXXV. Lambecius longe ulteriùs vitam ejus producit, Animadverſionibus ad Codini Orig. Conſtantinop. p. 210. Certè dignus vitâ longævâ, laudatus etiam Gregoræ à prudentiâ, fortitudine, cæteriſque animi virtutibus, quamvis ſæpè in eum iniquiori.

Joh. Palæologi, & Manuëlis, hiſtoria.

IV. *Johannis Palæologi*, nati Andronico Juniore, in diutino imperio, (quod ad A. MCCCLXXXIV. producit in Rationario Petavius, alii etiam ulterius producunt) infelicitatem ac mollitiem omnia loquuntur. *Andronici* filii in eum rebellio ac conſpiratio, teſtibus Ducâ, Laonico, Phranzâ, notiſſimis Hiſtoricis. Permiſſæ intereà Turcis invaſiones, quibus factus eſt abjectum in modum ſtipendiarius, Orchani, Amurato, Bajazeti; ademptis intra Europam Thraciâ, Macedoniâ, Albaniâ, Serviâ, &c. ut ſuprà viſum. Quod verò fingunt, & refert Leo Allatius de Conſenſ. *Lib.* II. C. XVII. profectum fuiſſe *Johannem* hunc ad Papam, qui tum Urbanus V. & admiſſum ab eo jugum Romani Pontificis; editâ *Confeſſione Fidei* A. MCCCLXIX. prorsùs ſtylo Romanæ Curiæ concepta, quam ex Monumentis Vaticanis idem profert, & poſt eum Odor. Raynaldus, cum additâ Verſione Flaminii Marcellini; planè commentitium eſt, nullis Byzantinis proditum. Et fatetur illic Allatius, *Græcos tum & calamo & linguâ in Romanos Pontif. debacchatos.* Nullus etiam tum *Paulus* Patriarcha Conſtantinopolit. qui tum *præſens* adfuiſſe Imperatori dicitur, ſed geſſit Patriarchatum *Philotheus* Latinis infeſtus, tùm *Macarius*, &c. ex Chronol. Orientali, apud Leunclavium. Et quod iter Johannis Palæologi memorat *Ducas* Michaelis nepos, Hiſtoriæ Byzant. *Cap.* XI. ſuſceptum fuit imperante adhuc ſocero Johanne Cantacuzeno, quum liberè ab illo increpitus de crapulâ, aliiſque exceſſibus, (κατονειδίσας αὐτὸν ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ) Gener ex indignatione Urbe excedens in Italiam cum duabus triremibus navigaret, biennium tranſacturus tum in Italiâ, tum in Germaniâ. *Manuëlis* tandem *Palæologi* hoc nomine II. qui coronatus fuit à Patre A. MCCCLXXIII. nihilo felicior conditio fuit; partim ex inteſtinis adversùs eum motibus *Johannis*, è fratre Andronico nepotis; partim ex *Bajazetis* progreſſibus: Qui tanti fuêre, ut ipſe ad poſtremum Manuël, *Johanni* nepoti permiſſâ adminiſtratione rerum, (nam *Johannes* filius, recens tum natus, à Patre in Peloponneſo cum Matre relictus fuerat) in Occidentem concederet & in Franciam, emendicandis ſubſidiis, cumprimis à Carolo VI. Francorum Rege, ſub finem hujus Seculi, A. MCCCC. Sed ob *Occidentalium* inter ſe diſcordias, luſurus operam fuit, & auditâ clade Bajazetis, & hujus fortunæ mutatione, Conſtantinopolim redit; *Johanne* ex fratre nepote in Lemnum relegato. Manuelem autem, ex tranſalpinâ in Gallias peregrinatione, *nihilo prudentiorem effectum, nec de proceſſione Spiritus S. ex Filio ſaniorem redditum*; fatetur Allatius, *Lib.* II. C. XVIII.

Digitized by Google

N. III. Imò Pariſiis Latini cujuſdam propoſitionibus reſpondit, *capitibus* CLVII. *ad minus*, ut ibidem Allatius; Opere quod incipit, Κρεῖττον ἂν ἦν σοι ταῦθ' ἅ σοι περὶ ἡμᾶς εἴρηται: Nam fuiſſe Manuelem Χριστιανικώτατον, καὶ μεμυημένον τὰ Θεῖα, *Chriſtianiſſimum, & in Divinis eximiè eruditum*, confirmat Ducas in Hiſtoriâ Byzant. C. XIV. *Et quid boni ſperandum*, inquit Allatius, *occupatâ Græciâ à Barbaris, Imperatore etiam in Romanam Eccleſiam, & Pontificem Romanum, ſæviente?*

Irrita Pontif. Romanor. molimina.

V. *Averſiſſima* igitur *Græcorum* mentis à Latinorum dominatu, & doctrinâ, & ritibus, quicquid garriat Allatius, & ex Allatio nuperi Scriptores, fidem faciunt invicta documenta. Ac primò irrita omnia illa molimina Romanorum Pontificum, ſubjiciendis Græcorum Eccleſiis, ſub *Unionis* nomine, cumprimis Clementis V. Johannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. ſub Andronico utroque, & Joh. Cantacuzeno; non diffitente Allatio, *Libro* II. *Cap.* XVI. *Græci his temporibus ſummâ animi contentione Schiſma foverunt*, & quæ ibi in Græcos plura effutit. Ità quicquid mendaciter Johannes Palæologus, Andronici Junioris filius, Innocentio VI. Pontifice, & Urbano V. feratur in horum *Vitâ* ſubiiſſe Papale jugum, & admiſiſſe Latinorum Sacra, ad exemplum Michaëlis Palæologi ſuperiore Seculo; ipſe tamen Allatius, ſolito cordatior, *Libro* II. *Cap.* XVII. *Johannes Palæologus, cùm in Schiſmate vixerit, & obierit, fruſtrà Beatus nominatur.* Et hinc intelligitur commentitia *Fidei Romanæ profeſſio*, quam edidiſſe fertur Romæ ipſe Johannes Palæologus, Urbano V. Papâ: Quum ipſe Doctiſſ. Cangius agnoſcat, *Johannem* nunquàm in Italiam migrâſſe, ſed *Manuëlem* filium, longè poſteà. Nec unquàm Græci Imperatores fuêre, niſi in ſpeciem *Concordiam* promoturi; moti tùm ob clades Turcicas, tùm ob imminentes ſibi Latinos, aut Græcis permixtos: Qui Latini, indè ab Expeditionibus Cruciatis, multas Inſulas, ſed & Provincias, atque Urbes in Aſiâ, Theſſaliâ, Macedoniâ, Peloponneſo, occuparent.

Scripta Græcor. contrà Latinos.

VI. Deinde teſtantur id ipſum ſcripta propè innumera, hoc ipſo Seculo, Græcorum *contrà Latinos*, ſeu in cauſâ de Proceſſione Spiritûs S. ſeu in illâ de Primatu Papæ, aliiſque quæ Græcos dividerent, de quibus infrà. Hinc *recruduiſſe hac Ætate Schiſma, odiaque in Latinos*, Allatius *Lib.* II. C. XVIII. N. XIX. In defenſoribus præcipuis cauſæ Græcorum, recenſet ipſe Allatius benè multos, & magni inter Græcos nominis, qui *dogmata Latinorum impugnarunt*. In iis, *Nilus Cabaſilas Theſſalonicenſis*, vir pius judicibus Græcis, malè creditus *Frehero* vixiſſe ſub Andronico Seniore, qui haud paulò ſeriùs; idem qui ſcripſit de Primatu, de Igne Purgatorio, de Proceſſione Spir. S. &c. *Maximus Planudes* Monachus, Latinè doctus, clarus ſub Andronico Jun. *Nicolaus Cabaſilas* Nili nepos, qui & ſcripſit adversùs Thomam Aquinatem; *Barlaamus S. Baſilii Monachus*, acerrimus hoſtis Latinorum, quem peſſimè confundunt cum Barlaamo Hieracenſi, Latino & Latinis mancipato, ut nos alio in loco demonſtramus: *Gregorius Acindynus*, Monachus, Barlaami ſocius in oppugnando Greg. Palamâ, de quo dicimus ſtatim, cæterùm adverſarius Latinorum: *Nilus Damyla* Hieromonachus, in Cretâ Inſulâ, qui de Proceſſione Spiritûs S. & aliis, adversùs Latinos: *Macarius Ancyranus*, cujus plura inedita ipſe memorat Allatius, & *qui multa in Latinos & eorum mores, oblatravit*; *Nicephorus Gregoras* Hiſtoriæ Romanæ Scriptor inclytus, parùm favens Latinorum cauſæ; de cujus Hiſtoriâ verbum dicimus *Cap. ſeq.* *Philotheus* Patriarcha Conſtantinopolit. ſub Johanne Palæologo, *indefeſſus Latinorum adverſarius* Gretſero, Annotat. ad Cantacuzenum; *Demetrius Chryſoloras*, vindex Nili Cabaſilæ Theſſalonicenſis, contrà Demetrium Cydoneum; *Macarius Macros*, ſive Longus, Scriptor de Proceſſione Spiritûs S. *contrà Romanam Eccleſiam*; *Nicolaus Sclengia*, acerrimus defenſor Græcorum, in cauſâ Proceſſionis Spiritûs S. contrà Eſajam Cyprium, & Barlaamum Hieracenſem, de quo Allatius *Lib.* II. C. XVIII. N. XVI. *Joſephus Bryennius*, Monachus, Palamæ defenſor, ſub Manuële Palæol. ſub finem Seculi, multis ſcriptis inclytus, contrà dogmata Latinorum, concionibus ad Populum habendis præfectus, quas recenſet Allatius (Lib. II. *Cap.* jam dicto) XVIII. omnes circa dogma Proceſſionis Spir. S. *Symeon Theſſalonicenſis*, pariter ſub Manuële II. Palæologo à ſcriptis, κατὰ πασῶν τῶν αἱρέσεων *adverſus omnes Hæreſes*, celebrandus, apud ipſum Goarem in Euchologio, *ſi modò Romanæ Eccleſiæ fuiſſet conjunctus*, ſic ille. Poſſevinus malè, vixiſſe antè annos DC. qui poſterior eſt Barlaamo, & Nilo Theſſalonicenſi.

Mittimus Græcos hujus ferè Ætatis benè multos, κατὰ Λατίνων, de quibus & proximo Lemmate ubi de Scriptoribus Eccleſ. Quorum plures Anonymi, & inediti, in Bibliothecis latent, præcipuè Vaticanâ, Venetâ, Viennenſi, Auguſtanâ, Bavaricâ, Regis Chriſtianiſſimi. Omnes verò hi Latinos, ſeu Romam Veterem, *ſeparationis* ac *defectionis à Fide* accusârunt: Videlicet ob introductum Papæ ſuprematum; Purgatorium; Azyma; uſum Suffocati; additamentum Symboli; Cœlibatûs legem; novam Conſecrationis formam; Intinctionem Baptiſmalem unicam; Communionem ſub unicâ; Ritus alios Latinæ Eccleſiæ, Canonibus Trullanis, & Uſibus Veteris Eccleſiæ, repugnantes.

Gregorius Palamas.

VII. In his cenſeri quoque debet, ſub Andronico Juniore, & Joh. Cantacuzeno, celebratiſſimus ille *Gregorius Palamas*, ex Monacho Theſſalonicenſis poſteà Archiepiſcopus, ſub Johanne Palæologo Andronici Jun. filio, laudatus Joh. Cantacuzeno, περιφερέστατος ἐν τοῖς λόγοις *excellens eloquentiâ*, Nicephoro Gregoræ; ſed *diffamatiſſimus* homo Leoni Allatio, quia infenſiſſimus Latinis. Hinc Palamas à Latinæ factionis hominibus & olim & nuper mirè lacerandus fuit. Cæterùm cum ſuis infeliciter fuit commiſſus, imprimis cum *Barlaamo* Monacho, & hujus diſcipulo *Gregorio Acindyno*, in vaniſſimis quæſtionibus quæ nihil ad Latinorum cauſam, & quas pertinacius iſti agitarent, accuſatores Palamæ. Puta de *Lumine Thaborio*, in Transfiguratione Chriſti, creatumne id, an increatum & ipſa Dei gloria, ut voluit Palamas, quod *blaſphemæ Theologiæ* poſtulabat Barlaamus. Item de diſcrimine, quale voluit Palamas, inter θείαν οὐσίαν *divinam Subſtantiam*, & ejus ἐνέργειαν ſeu *Actum*, ut fuerunt ingenia Græcorum; Habitâ hac de re Synodo non unâ, Conſtantinopoli, A. MCCCXLI. in Æde S. Sophiæ, & deinceps, ex Tomis hac de re ſcriptis, ex Nilo de Synodis, ex Joh. Cantacuzeno tum adhuc Magno Domeſtico, *Lib.* II. Hiſtoriarum, C. XL. & Nicephoro Gregorâ, *Lib.* XI. ubi de *Barlaamo* Monacho. De quibus operosè Petavius, Tomo I. Dogmatum Theologic. *Lib.* I. *Cap.* XIII. & Leo Allatius, *Lib.* II. *Cap.* XVII. ſed in Palamam & Palamitas pro affectu ſuo invecti. Qui vulgò, ſed ad iſtorum invidiam, Ἡσυχασταὶ *Quietiſtæ*, & Ὀμφαλόψυχοι *Umbilicanimi*; quod in quiete ſuæ mentis, vel in ſomno dum ſuaviter dormirent, cœleſti quodam & *increato* lumine, conſpicuo tamen, & corporeo circà *Umbilicum*, quaſi Animæ ſedem, capite verſus eum inflexo, perfundi ſeſe contenderent, ſi quæ fides Barlaamo. Gretſerus in Notis ad Cantacuzenum, *Hiſt.* L. II. cui accedit Jac. Pontanus Jeſuita Notis ad eundem, C. XXXIX. augendæ contumeliæ, putant vocatos à Barlaamo hos Monachos Ὀμφαλοψύχους, quia *ventri dediti eſſent*, quaſi *animam in ventre ferentes*; ut ſint

Qui Hesychastæ & Omphalopsychi.

iidem

iidem qui γαστρίμαργοι, ut Cretenſes γαστέρες ἀργαὶ *ventres pigri* dicuntur Paulo. Quomodò Nicephorus Gregoras, ſed Barlaami partibus addictus, eoſdem Monachos ut crapulæ & vinolentiæ deditos perſtrinxit, obſervante Cantacuzeno. Eoſdemque vocarunt, ut refert idem Cantacuzenus *Lib.* IV. C. XXXIX. *impoſtores*, *mendaces*, *Meſſalianos*, *germanorum Eccleſiæ dogmatum corruptores*, & *ſimilibus vocabulis*; undè Græculorum maledicentiam cognoſcas. Sed *Palamam* à variis Barlaamitarum & Acindyniſtarum contumeliis vindicat, ac cœlo effert dictus Joh. Cantacuzenus, qui *Palamita* audit Allatio Princeps ut omni laude digniſſimus, ſic Hiſtoricus hoc Ævo integerrimus, judice ipſo Gretſero, Hiſtoriæ *Libro* II. & IV. Qui Palamas etiam *Patriarchali* ſolio dignus habitus, & non ob *virtutem tantummodò, ac religioſum vitæ inſtitutum, ſed & ob divinorum dogmatum accuratam cognitionem atque uſum*, ut idem *Lib.* IV. C. III.

X. *Scriptores alii Eccleſiaſtici, hoc Seculo, in Orbe utroque. Cumprimis in Occidente; & à Scholaſticis jam diſtincti.*

Nicephorus Calliſti. I. De *Græcis* Scriptoribus, in causâ Fidei & Religionis, dictum modò eſt. De *Hiſtoricis* nos parcius, quia fusè hanc operam alii occuparunt. Inter *Hiſtoricos* verò celebriores, quos tulit Oriens, ipsâ hac Ætate, primus ordine eſto *Nicephorus Calliſti*, *Xanthopuli* ſcilicet filius, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor, ad Andronicum Seniorem, Libris modò XVIII. ab interitu vindicatis, uſque ad Heraclii Imperatoris initium, vel ad interitum Photii: Scriptor à ſtylo magis, & ordine hiſtoriæ, quàm à narratorum fide, aut judicio, quo perexiguo fuit, commendandus. Monachus ſcilicet, impensè credulus, & effusè ſuperſtitioſus, fabellarum jam à primis Chriſtianæ Eccleſiæ *originibus*, ex Apocryphis tabulis, & Menæis, ac Sanctorum Vitis, magnus propola: Quas ſcilicet ad Euſebium, & hujus Continuatores, adjecit, pro ingenio Monachali, & Græco, ac temporum ſuorum ſuperſtitione. Edidit quæ extant, cum *Verſione* & *Scholiis* Joh. Langii, Fronto Ducæus Jeſuita, A. MDCXXX. & contulit cum *Euſebii* Hiſtoriâ Henr. Valeſius. Nota ſunt abjectiſſima de hoc Nicephoro Bezæ, Caſauboni, G. J. Voſſii, aliorumque judicia.

Theod. Metochita. *Theodorus Metochites*, magnus Logotheta, ſub Andronico Seniore, & illi conjunctiſſimus, ſocer idem Johannis Palæologi, nepotis Andronici ex fratre Porphyrogenito. Multa ſcripſiſſe fertur, maximam partem *inedita*, & inter ea *Sacram Hiſtoriam*. Mirè is efferendus Nicephoro Gregoræ, præcipuè *Hiſt. Lib.* VII. tanquàm βιβλιοθήκη ἔμψυχος, & πάνσοφος, qui animo *omnes diſciplinas* complecteretur, & *tanquam ex Libro*, ὡς ἐκ βιβλίου, quicquid tandem quærerent, παλαιά τε καὶ νέα *ſive novum ſive antiquum*, interrogantibus enarraret. Idem laudatus Joh. Cantacuzeno *Lib.* I. C. XI. Hiſtoriæ, tanquam Vir ἀγχίνους, nec *Chriſtianis* tantùm literis imbutus, ſed etiam *exoticis*. Quæ autem ejus edidit Meurſius, eadem in Michaëlis Glycæ Annalibus legas.

Niceph. Gregoras. *Nicephorus Gregoras*, vivens in Aulâ Andronici Senioris, vir magnæ apud ſuos auctoritatis, cùm aliorum quæ in Bibliothecis latent, tum Romanæ Hiſtoriæ non inelegans Scriptor, id eſt, rerum indè à Theodoro Laſcari, ad ultima Andronici Junioris, Libris XI. à Wolfio primum vulgatis, An. MDLXII. Seniori Andronico impensè favet, minùs Nepoti, abreptus ſtudio partium quæ tum vigebant, occaſione Gregorii *Palamæ*, de quo ſuprà. Hinc *Acindynianorum caput* & ἡγούμενος, cum paucis aliis, dictus Cantacuzeno *Lib.* IV. C. XXIII. qui etiam ſcripſiſſet contra Imperatorem contumelioſiſſima, ut quod vivente Andronico appetiviſſet Imperium, & cui adſcribit φιλαρχίαν, *ſervitutes*, *cædes*, *trucidationes*, *populationes*, *& quæcunque Romanis luctuoſa accidiſſent*, tempore belli inter Andronicum Avum & Nepotem excitati: Debitis aliàs encomiis tantum Principem proſecutus Gregoras, Hiſt. Rom. *Lib.* IX. X. XI. quæ antè Hiſtoriam Cantacuzeni habentur deſcripta, in fronte Tomi I. Quare Cantacuzenus eum paſſim *turbarum* in Eccleſiâ Conſtantinop. ψευδολογίας, ἀνοίας, μοχθηρίας, ἀναιδείας, κουφότητος ſeu *levitatis* accuſat, *Libro* IV. *Cap.* XXIV. XXV. ut qui poſtmodùm *ſupprimere* voluiſſet ea quæ adverſus Imperatorem ſcripſerat, *pag.* 808. Ed. Reg. Inviſus idem *Latinis* Scriptoribus, de quo nec magnopere gloriatur Leo Allatius, cùm ob laudes Andronici Senioris, infeſtiſſimi Romanorum traditionibus & ineundæ cum iis Unioni; tum ob accuſationem Michaëlis Patris, ut ille pluribus Hiſtor. *Libro* V. Indignato Gregorâ, poſt Pachymerem, quem ferè in Michaëlis rebus deſcripſit, quòd hic Princeps ab Eccleſiæ Dogmatibus, & Ritibus, ac fide Orthodoxâ, τοῦ ὀρθοῦ τῆς Ἐκκλησίας δόγματος, καὶ ἔθους, ad καινοτομίαν, imbelli animo defeciſſet, ad Latinos nempè, ut videre eſt *pag.* 72. Quem tamen à *prudentiâ*, *eloquentiâ*, & arte *animos ſibi conciliandi*, ubi is de morte Michaëlis, collaudat.

Theodulus Monachus. Nec tacendus hoc loco eſt *Theodulus Monachus*, anteà *Thomas Magiſter* Regiorum Scriniorum, poſt autem Monachalem vitam amplexus: Scripſit λόγον εἰς Γρηγόριον Θεόλογον, ſeu *Laudationem Gregorii Theologi*, aliàs Nazianzeni, ſeu ejus *Vitam*, pari curâ, & elegantiâ, Veteres imitatus. Cujus editionem, cum doctiſſimâ verſione, debemus Viro longè Eximio, Laurentio Normanno, qui mihi pro ſua humanitate dono tranſmiſit. Accedunt quædam ejus *Orationes* Gratulatoriæ, & *Epiſtolæ*, ad Theodorum Metochitam, Nicephorum Gregoram, & alios, ipſum etiam Andronicum Palæologum Seniorem, nec omnes tamen factæ publici juris.

Joh. Cantacuzenus. *Joh. Cantacuzenus*, antè *Magnus Domeſticus* Andronici Junioris, penes quem ſumma adminiſtrationis fuit, ut olim penes Præfectum Prætorio, aliàs etiam στρατηγός, & αὐτοκράτωρ, quo inconſulto nihil pace belloque gereretur, *& per quem fieri omnia oporteret*, habens abſolutam διοίκησιν τῶν πραγμάτων, quæ aut ſolus conficiebat, aut cum Imperatore, ſi opus eſſet, diſcutiebat, ut ipſe deſcribit hanc ſuam dignitatem, *Lib.* II. C. V. Dein mortuo Andronico *Tutor* Filii relictus, mox factus Imperator, tandem Monachus, inter *Hiſtoricos* hujus Ævi ferè princeps, palmam prærepturus Zonaræ, Cedreno, Nicetæ, Pachymeri, ipſi Nicephoro Gregoræ. Nempè res ſcripſit, quarum ipſe pars magna fuit, Hiſtoriarum *Libris* IV. quos ſcripſit fideliter, prudenter, diſertè, nec invenuſtè; Orator non minùs quàm Hiſtoricus; Latinè etiam, Perſicè, Turcicè doctus, quod multà in Cantacuzeno probant. Hos verò Libros non tam illuſtravit ſuis Notis Jac. Gretſerus, quàm paſſim fœdavit, ubique ſerviens Hypotheſi. Diſplicuit iſti cumprimis in Cantacuzeno, I. Quòd Gregor. *Palamam* ſummis encomiis efferat, dignum Patriarchali Throno, & Adverſarios culpet, Barlaamum, Acindynum, Gregoram, ut *iniquos accuſatores*, qui Palamæ ſententiam de *Lumine Thaborio* invidioſiſſimè exagitarant. 2. Quòd *Schiſmaticis*, id eſt, Græcis, meritò adhæſerit Cantacuzenus, contrà Latinorum molimina; *hoc uno*, inquit Jeſuita, *miſer & minutus, quòd à Schiſmaticis Epiſcopis, & Monachis, in præceps agi ſe permiſit.* Ivit per eadem veſtigia in *Notis* Jac. Pontanus. Virtutes admirandas hujus Cantacuzeni, fortitudinem, prudentiam, mode-

derationem, fidem, animi magnitudinem, beneficentiam, lenitatem, oblivionem offenſarum, & ſi quæ alia decora, ipſe referat *Bartholomæus* Legatus Delphini Viennenſis, ſcriptis literis ad Clementem VI. Papam, de quo Cantacuzenus *Lib.* IV. *Cap.* II.

Georgius Phranza, & *Laonicus Chalcocondylas*, celebres in Byzantinis Hiſtorici, ſunt Seculi ſequentis.

Scriptores in Occid. II. Longa Scriptorum ſeries hoc Ævo in Occidente apparet, quorum ex parte meminimus ſuprà, ubi de Teſtibus Veritatis, *Cap.* V. VI. Ibi de *Dante Aligerio Florentino*, de *Marſilio Patavino* Philoſopho celeberrimo, aliiſque pluribus in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Angliâ, qui tuiti jura Imperatorum, & Regum, adversùs Paparum tyrannidem, cumprimis in cauſâ *Ludovici Bavari*. Quos videſis apud Germanos Collectores, Melch. Goldaſtum, Marc. Freherum, Simonem Schardium in Syntagmate Tractatuum; ne dicam quæ indè ſunt ab Illyrico in Catal. à Phil. Mornæo, in Hiſt. Papatûs, & ab aliis, ac nuper ab Anglis, excerpta.

Marſilius de Menandr. Et *Marſilius* quidem *de Menandrino*, Patavinus, ſummâ Vir doctrinâ & exiſtimatione, nec Philoſophus modò, ſed Theologus, Hiſtoricus, omniſque Juris divini humanique peritiſſimus, à Johanne XXII. *Hæreticis adſcribendus* fuit, cumprimis ob inſcriptum Ludovico Bavaro An. MCCCXXIV. *Defenſorem Pacis*, quem Librum *peſtiferum* vocant. Hinc damnata ejus aſſerta, & *Concluſiones* ex Scripturæ S. & Antiquitatis Eccleſiaſticæ penetralibus deprompte, adversùs uſurpata *Romanorum Pontificum* jura, tam in *Spiritualibus*, ſuprà reliquos Epiſcopos, quàm in *Temporalibus*, ſuprà Imperatores Regeſque, aut Regalibus eorum conculcatis. Vaniſſimo Papæ obtentu, & familiari Rom. Curiæ, ſcil. *Vicariatûs* Chriſti, aut *Petrinæ* ſucceſſionis: Qualia jura ex. gr. novas *leges* condendi ad ſalutem, non præſcriptas *ſolâ divinâ ſeu Canonicâ Scripturâ*; hanc pro lubitu *interpretandi*; circa ejus præcepta, vel interdicta, puta in gradibus prohibitis, aliiſque *diſpenſandi*; poteſtatem *coactivam* exercendi, ſeu in Clericos, ſeu in Laicos, & in conſcientias quidem; *Hæreticos* ſic dictos capitali ſupplicio damnandi; indicendi nova *Jejunia*, *Feſta*; *Canonizandi* Sanctos; *Collationes* Officiorum, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum, *Depoſitiones*, *Excommunicationes*, *Bonorum temporalium* diſpoſitiones, id genus alia, uni Papæ vindicandi, &c. Et huic tanto Viro, cui aſſurrexit quicquid doctum fuit & ingenuum, opponendi Alvarus Pelagius, de Turrecremata, Alex. Elpidius, Petrus de Palude, id genus mancipia Romanæ Curiæ. Socii autem Marſilii Patavini eodem tempore damnati, *Johannes de Janduno*, patriâ *de Gandavo*, Doctor Peruſinus; & *Franciſcus Venetus*, filius Dominæ Johannæ de Contratâ, cujus poſtremi Examen Judiciale habet Baluzius *Miſcellaneor. Lib.* I. *pag.* 311. Summa accuſationis huc redit, quod Marſilio in iis quæ adversùs Papam ſcripſiſſet fuiſſent adjutores. Natalis Alex. nuperus Gallus, Monachus Dominicanus, ſerviens ubique hypotheſi, *Tomo* XX. p. 393. *Marſilium & Jandunum* Hæreticis accenſet, vocans *Ariſtotelicos magis quàm Chriſtianos*, *Politicos magis quàm Catholicos*. Dictum feliciter!

Fr. Petrarcha. III. Inter primos memorandus eſt *Franciſcus Petrarcha*, Florentinis parentibus natus, uſus magiſtro Dante Aligerio, Poëtarum ſui Seculi facilè princeps, hinc lauream meritus, quam Romæ in Capitolio Ann. MCCCXLI. ſolenni pompâ conſecutus eſt. Diu in amœnâ quâdam Galliæ valle, *Clauſam* vocant, haud longè ab Avenione, latuit, ſtudiis totus deditus. Poſteà factus Clericus & Archidiaconus Parmenſis Eccleſiæ, tandem Canonicus Patavinus, in quâ dignitate in agro Patavino conſenuit; qui ſanè altiorem meruerat, niſi Aulam Papalem ejus temporis exagitaſſet. Medio hoc Seculo, omnium fuit ſtupor & admiratio, etiam Principibus Viris in deliciis. Quod Petrarchæ nomen, poſt magnifica præconia Poggii, Jovii, Trithemii, Volaterrani, aliorumque id genus Virorum primæ notæ, noſtro non eget. Franciſci hujus doctrinam, Latinam elegantiam, quanquàm redolentem nonnihil *Sec. prioris horrorem*, facundiam, ingenium, Muſam, ejus omnia loquuntur; mores etiam ac virtutes referunt, *Epiſtolæ* cumprimis Familiares, Libri de *Contemptu Mundi*, de *Verâ Sapientiâ*, *Meditationes* in Pſalmos Pœnitentiales, & ſi quæ alia. Et in præfatis *Epiſtolis*, quarum pars magna adhuc *inedita* in Bibliothecis latet, præcipuè Colbertinâ, ſtylo liberiore, id eſt, Satyrico & aculeato, quem juſta illi Viro indignatio expreſſit, Romam juxtà & Avenionem, omnemque Eccleſiam ſui temporis, execratus eſt. Ut etiam quicquid *de Aſſyriâ vel Ægyptiâ Babylone*, *quicquid de quatuor Labyrinthis*, *quicquid de Averni limine*, *deque Tartareis Sylvis*, *Sulphureiſque paludibus*, legeretur, *huic Tartaro admotum* fabula fuerit. Accuſat ille *ſcelerum univerſale Diluvium*; *fidei ac charitatis* interitum; *amoris*, *decoris*, *pudoris*, *pietatis* exilium; *nummorum & auri* unum cultum; *Chriſtum* rursùs *in Calvariam* raptatum & illuſum; imò *Chriſtum* deinceps *fabulam*, *nenias*; & quæ id genus benè multa. Tandem, niſi *humanæ perfidiæ divina pietas occurreret*, *triſte naufragium certò paſſuram Eccleſiam*, matrem *Fornicationum*, *Scholam Errorum*, &c. Plura vel Mornæus noſter ſuppeditabit, ſi cui non fuerint ad manus Petrarchæ *Epiſtolæ*, & reliqua ejus Viri, inter quæ ſunt Dialogi de *Otio Religioſorum*; Libri de *Vitâ ſolitariâ*, Liber de *Caſibus virorum Illuſtrium*, &c.

Ac ſatis illa fuerunt, ut ab Innocentio VI. *Magia* poſtularetur; qualis & accuſatio fuit Conſtantini Iconomachi, Photii, Berengarii, Waldi, Wiclefi, omniumque quotquot Romanam Sedem, ac Traditiones, tyrannidis, ſuperſtitionis, & Idololatriæ poſtulârunt. Hinc Petrarchæ ſuperiora interpretantur Bzovius Monachus, & paraſiti id genus Papales, *probra* & *convicia* ex vindictæ ſtudio, & accenſâ bile: Cujus cauſas procul habuiſſe Petrarcham, inſigni moderatione virum, apud ingenuos pro confeſſo eſt. De ſorore Petrarchæ à Pontifice Benedicto XII. adamatâ, diximus ſuprà *Cap.* III.

Hubertus vel *Ubertinus de Caſalis* non indicendus, Monachus non unius Ordinis, tempore Clementis V. & Johannis XXII. *in Scripturis SS. ſufficienter eruditus*, ut de eo Trithemius, idemque *cautè legendus*, *ſecundùm quoſdam*, ut idem Spanhemienſis Abbas, *quòd in quibuſdam Articulis aliter ſenſerit ac mater Eccleſia*. Probavit hoc ipſum, non tantùm in quæſtione de omnimodâ *paupertate Chriſti & Apoſtolorum*, in quâ coràm reſtitit Papæ Romano *Johanni* XXII. quæ lis quidem inter ipſos fuit, A. MCCCXXII. Deindè quum in vincula conjici à Papâ juſſus eſſet, ſe recepit in Germaniam ad Ludov. Bavarum; ubi conjunctis cum Marſilio Patavino ſtudiis, multa in Romanæ tum Eccleſiæ opprobrium ſcripſit, poſt Magiſtrum ſuum *Petrum Johannis Olivum*, referente etiam Albertino Muſſato, ejus Ævi Scriptore, in Hiſt. *de Geſtis Henrici* VII. anteceſſoris Ludovici Bavari. Hinc Libri de Septem Statibus Eccleſiæ, deque hujus Reformatione; & ſcripta alia contrà Romanam Sedem, accuſato *prædominio novæ Babylonis*. Hinc *Hæreſeôs* damnandus ſub Johanne XXII. & conſenſûs cum *Petro Johannis*, accuſatore Romanæ Babylonis, & cum *Fraticellis* Ord. Minorum, quos vocârunt; vel ex *Articulis* in eum productis, apud Baluzium, Miſcellan. Libro I. *pag.* 293. de quo etiam pro odio & affectu Odoricus Raynaldus,

Ubertin. De Caſalis

ad

Digitized by Google

ad An. MCCCXXV. qui meminit *de ejuſdem ſcriptis impiis adverſùs decreta Apoſtolica*.

Joh. Taulerus. *Johannes Taulerus* non tacendus in hac ſerie eſt, Scriptor Germanus, Ordini Dominicanorum adſcriptus, circà medium Seculum, in Conventu Colonienſi Monachus, ac ſuis Concionibus, & Libris practicis, abducturus ab *externis* ad *interna*, quum in illis Papatum omnem hærere cerneret. Quid ille de Romanæ Eccleſiæ pompâ, ſuperſtitionibus, ac Pharizaiſmo ſenſerit, ejuſque neceſſariâ Reformatione: Quid de jactatis Operibus, Meritis, Satisfactionibus, Cultu Creaturarum, invocatione Angelorum, Sanctorumve, & id genus inanibus præſidiis, extrà & præter *Unum Deum*, *unamque Miſericordiam* ac Gratiam: Quid tandem de uno Chriſtianorum *exemplari & ſpeculo*, *Domino noſtro Jeſu Chriſto*, tradiderit; iſta abundè docent Tractatus Tauleriani, vernaculo ſermone, & Conciones Baſileæ pridem impreſſæ. Ex Germanico Idiomate in Latinum tranſtulit Laurentius Surius, Carthuſianus, ſed additis quæ *Tauleri* nomen ementita ſunt. Undè à Luthero non ſemel objiciendus Eckio, & Gregalibus, fuit: Et hinc notandus *Hæreſeôs* infamiâ Taulerus; qui habitus Theologiæ myſticæ, ac vitæ intimæ & ſpiritualis Magiſter, in quâ multis præivit.

Nic. Oreſmius. *Nicolaus Oreſmius*, aliis *Orem*, natione Normannus, Doctor Pariſinus, & Decanus Rhotomagenſis, Lexovienſis poſteà Epiſcopus, ſub Carolo V. magnâ exiſtimatione fuit. Ejus ſcripta varia, Mathematica, Philoſophica, Theologica, magnam partem inedita, recenſet Joh. Launojus, in Hiſt. Collegii Navarreni, *Tomi* II. initio. Inter quæ Tractatus de *Antichriſto ejuſque Miniſtris*, *Signis*, *Adventu propinquo*, &c. *ex Scripturâ S.* Sed premendus à Cenſoribus. Ex ejus verò Sermone *coram Urbano* V. *& Cardinalibus* habito, Anno MCCCLXIII. & alio cujus Thema fuit, *Juxtà eſt ſalus mea*, *Eſai.* LVI. quorum etiam meminit Launojus, plura habet Flacius Illyricus in Catalogo, quæ Romanum Antichriſtianiſmum arguunt, ac luctuoſiſſimum Eccleſiæ ſtatum, quæ ibi vide. *Aulica* (inquit ille) *aſſentationis expers quæ ſunt Clericorum vitia diſſerit, & ab iis exterminanda per Eccleſiam proponit.* Idem Oreſmius revocaturus populos ad Scripturam, *S. Biblia* in Gallicum Serm. traduxit, juſſu Caroli Regis; *nihil reveritus eorum*, ità Launojus, *quæ quidam* ὀψιμαθεῖς *homines Gallicæ Bibliorum interpretationi cuilibet, ſive accurata ſit, ſive non ſit, parum prudenter objiciunt. Neque profectò reperi, Theologiæ Pariſienſis Facultatem, quæ tunc in Orbe toto celebatur ab omnibus huic operi reſtitiſſe. Igitur factum ab omnibus ſilentium, eſt*, &c. Et poſteà, hæc *Biblia paſſim in variis Galliæ Bibliothecis curiosè aſſervari*, idem Doctor Pariſienſis, T. II. C. I. p. 461.

Verſio Biblior. in Gall. Ling.

G. Occamus. *Guilielmus Occamus* natione Anglus, Minoritici Ordinis, jam ſuprà memoratus, Nominalium vulgò parens, *Doctor ſingularis*, & *Venerabilis Inceptor* appellandus, Scoti auditor, poſteà adverſarius, cumprimis verò Johannis XXII. Pontificis, adversùs cujus *Decretales* plura ſcripſit. Et quidem in causâ geminâ: 1. De omnimodâ *Paupertate* Chriſti & Apoſtolorum, hinc & illâ Minoritici Ordinis, nullâ *proprietate* temporalium, vel *dominio*, ſolo eorum & nudo *uſu*, juxtà definitionem Nicolai III. Pontif. 2. De Poteſtate *Papali*, & *Politicâ*, pro Ludovico Bavaro Imperatore; ad quem confugit Occamus, A. MCCCCXXX. cum ſociis Petro Corbario; Mich. Cæſenate, aliis; tutus ibi à Johannis fulminibus, moriturus in Monacenſi Cœnobio, apud Bavaros. Hinc ad Imperatorem dicere ſolitus; *Tu me defendas gladio, & ego Te defendam calamo.* Scripta hac in causâ exhibet Goldaſtus de Monarchiâ *Rom. Imp.* *Tomo* III. in priori cauſâ etiam nupera *Appendix* Anglicana, ad Faſciculum Rerum Expetend. p. 439.

Sed de Occamo, ejuſque Scriptis obvia ſunt judicia Doctorum.

Mich. Cæſenas. Socius Occamo fuit *Michaël Cæſenas*, Ordinis Minorum Generalis, Vir Johanni Trithemio *in Divinis Scripturis eruditiſſimus*, ſcripturus pariter adversùs Hæreſes Johannis XXII. hinc & adversùs Papalem tyrannidem, ac Ludovici Bavari (ad quem ſe recepit) jura tuiturus, apud Goldaſtum, & alios. Varios edidit in Scripturam Commentarios; accuſaturus Romanæ Eccleſiæ *Antichriſtianiſmum*, & Babyloniam Meretricem, ipſiuſque etiam *Petri Apoſtoli* principatum confixurus. Hinc reprobandæ ejus ſcilicet *Hæreſes* ab Johanne XXII. in Extravagantibus. De eo jam ſuprà monitum.

Joh. de Pariſiis. Vix admittunt hæ anguſtiæ reliquos alicujus notæ Scriptores. In his *Johannes de Pariſiis*, Ord. Domin. Doctor Pariſienſis, planè ſub initia hujus Sec. Philippo Pulchro Rege: Is judice Trithemio, *in Scripturis SS. Doctiſſimus*, & ante eum Continuatori Guilielmo de Nangis, ad A. MCCCIV. *vir admodùm literatus & ingenio clarus*, duplici nomine memorandus eſt. Primò, quòd in Libro *de Regiâ & Papali Poteſtate*, apud Goldaſtum, Monarchiæ S. R. I. *Tomo* III. jura Regum, ac poteſtatem coërcitivam in ipſos Pontifices, aſſeruit. Secundò, quòd in Controverſiâ Euchariſticâ, determinavit *modum exiſtentiæ* Corporis Chriſti in Sacramento Altaris, diverſum ab illo *quem teneret Eccleſia*. Seu ut Continuator Nangii; *circà veram exiſtentiam Corporis Chriſti in Sacramento Altaris, novum ponendi modum introducere conatur, dicens hoc etiam poſſibile eſſe*, ut panis fiat Corpus Chriſti, *per aſſumptionem ſubſtantiæ panis vel paneitatis in Chriſto*; Nempè eſſe eum modum *magis rationabilem, & congruum veritati Sacramenti*, quo, manente poſt Conſecrationem *panis ſubſtantiâ*, fit *aſſumptio paneitatis*, ſeu unio vel coëxiſtentia, *in Chriſto*; impanationem, ſeu conſubſtantiationem dixêre. Ità diſertè graviſſimus Hiſtoricus, Continuator Nangiaci Chronici, ad An. MCCCIV. *Tomo* XI. Spicilegii Dacheriani; eumque *pertinaciter ſuſtinuiſſe opinionem prædictam, nec voluiſſe retractare*; hinc *perpetuum ſuper hoc ſilentium ſub pœnâ Excommunicationis illi eſſe impoſitum*, & *à lecturâ pariter & prædicatione* hoc nomine fuiſſe *privatum*. Quam in ſententiam inclinâſſe deinceps Guil. Occamum, & Petrum de Alliaco, ab Hoſpiniano *Hiſt. Sacram.* Lib. IV. & aliis, obſervatum eſt. *Cæteris Theologiæ Doctoribus contrarium adſtruentibus*, nempè *Commutationem ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti*, ut *modum ab Eccleſiâ deſtinatum*, *præſertim per Decretalem Papæ*, *de ſummâ Trinit. & de Fide Cathol. Firmiter credimus*, &c. Sic præfatus Chronographus Gallus. Scripſiſſe eundem Johannem de Pariſiis *de Antichriſto*, refert Balæus, ad calcem Centuriæ IV.

In Euchar. manere ſubſt. Panis.

Nicol. de Lyrâ. Nec reticendus *Nicolaus de Lyra*, ſi Trithemio credimus *natione Anglicus*, ſi aliis *Normannus*, Monachus in Cœnobio Vernolienſi (*Verneuil*) in confinio Ebrovicum & Carnutum. Celebris idem *Poſtillarum* Scriptor, in Univerſa Biblia, & quidem ex Judæo Chriſtianus, Minorita factus indè ab A. circiter MCCXC. poſteà Theologiæ Magiſter, in Scholâ Pariſienſi, & qui judice Sixto Senenſi, *Bibl. Libro* IV. *in Scripturis exponendis nullum eruditiſſimorum Theologorum ſui temporis habuerit parem.* Certè vaniſſimarum atque allegoricarum interpretationum, incruſtando Papatui, liberrimus paſſim Cenſor exiſtit, ad Textus Euangelicos, & Epiſtolicos, dignus feliciori Ætate; Hebraicè perdoctus, utpote in Scholis Rabbinorum educatus. Undè vulgatum iſtud, *ſi Lyra non lyrâſſet, Lutherus non ſaltâſſet.* Obiit antè medium hoc Seculum, circà Annum MCCCXL.

Th. Bradwardinus. Accedat *Thomas Bradwardinus*, Anglus è Ciceſtrienſi Diœceſi, *Doctor profundus* cognominatus, Raph. Volaterrani, Johannis Pici, aliorumque pri-

Digitized by Google

dem laudibus ornatus; ex Theologo Oxonienſi futurus à Confeſſionibus *Eduardo* III. & Cancellarius Londinenſis. Idemque *Cantuarienſi* tandem Sedi præficiendus, poſt mortem Johannis de Aretford, cum Rege Eduardo aliquando commiſſi, & qui contenderet, *Pontifices* à *Seculari* poteſtate non debere judicari; *Spiritualis homo à nemine judicatur*, 1 *Cor.* 11. 15. ut videre eſt in Angliâ Sacrâ, *Tomo* I. p. 27. &c. Hinc Viri merita intelligas, electi à Capitulo A. MCCCXLVIII. confirmati Avenione coram Papâ Clemente VI. A. MCCCXLIX. eodem quo obiit anno, poſtquam factus eſſet in Angliam redux, ſublatus in ipſo ætatis vigore. Fuit is inter præcurſores Wiclefi, cum Joh. Baconthorpio, & aliis, ornatus elogiis Raphaëlis Volaterrani, & Johannis Pici, qui magni ingeniorum æſtimatores. Magnus idem *Gratiæ* aſſertor, ſeu gratuitæ Prædeſtinationis, atque etiam Juſtificationis, contrà Ævi ſui Pelagianos, in Libris de *Causâ Dei*, & de *Prædeſtinatione*, auro contrà caris, illo quidem ævo.

Petrus de Alliaco. Huic & Ætati adſcribi poteſt *Petrus de Alliaco*, Compendii Belgicæ II. natus, Epiſcopus poſteà & Cardinalis Cameracenſis, Galliarum Regi Carolo VI. ab Eleemoſynis & Confeſſionibus, jam Ann. MCCCLXXXIX. ſed vitâ protractâ in Ann. MCCCCXXV. Quo is animo fuerit in Pontifices, in Clerum ſui temporis, in Monachos, in Legendas Sanctorum, in nova ſine fine ac modo Feſta, in omnem Eccleſiæ tam in Capite quàm in Membris corruptionem, cùm alia docuerunt, tùm ejus Liber *de Emendatione Eccleſiæ*, oblatus Synodo Conſtantienſi, laudatus etiam Joh. Launojo, & ex quo plura Illyricus, Wolfius, Mornæus, excerpſerunt. *Parem ſuo tempore nullum habuiſſe*, ſcribit Doctor ille Pariſienſis, *& omnibus anteponendum, quem comparari nemini licuit*, Hiſtoriâ Gymnaſii Navarr. T. II. C. IV. Præivit *Johanni Gerſono*, Cancellario Pariſienſi, diſcipulo ſuo, de quo etiam infrà ubi de Concilio Conſtant. *Sacrarum Scripturarum* lectionem, perfectionem, uſum, ſcripto in hanc rem edito inter Alliaci Opera, cumprimis commendavit, ſub titulo *Recommendationis Sacræ Scripturæ*. Sed in Huſſum immitis fuit, magnâ in Conc. Conſtantienſi auctoritate.

Scriptores alii. IV. Mittimus reliquos, ſeu Theologos quales ferebant tempora, id eſt, Monachos Paparum cauſam promoturos, *Alvarum Pelagium*, *Petrum de Palude*, &c. ſeu etiam Hiſtoricos, de quibus conſulatur Ger. Joh. Voſſius de *Hiſtor. Latinis*. Quos inter non poſtremi ſunt *Guil. de Nangiaco* apud Andr. Ducheſnium, *Tomo* V. ejuſque *Continuator* à Dacherio editus *Tomo* XI; *Albertus de Argentina* apud Urſtiſium; *Ptolomæus Lucenſis* Italus, Hiſt. Eccleſiaſticæ ſcriptor; *Johannes de Beka* Canonicus Ultrajectinus, typis Ultrajectenſium recuſus; *Joh. Froſſardus*, fideliſſimus rerum ſui temporis commentator, ſub extrema hujus Seculi; *Johannes* Vitoduranus Minorita, ſub Ludovico Bavaro, & Carolo IV. ex cujus Chronico Ms. Cl. Hottingerus, quædam luculenta de diſſidio Papæ & Imperatoris *Hiſt. Sec.* XIV. p. 658. &c. Addantur *Henr. Knyghton*, Canonicus Anglus, & alii, in Tomo II. Collectionis Anglicanæ prioris, &c. Qui omnes ad hujus Ævi Hiſtoriam plurimum faciunt, diverſimodè tamen, pro judicio cauti Lectoris.

Hos, aliosque, ex Trithemio de Scriptoribus Eccleſiaſt. ex Balæo, Miræo, Bellarmino, Voſſio, Labbeo, Oudino, Henr. Whartono de Scriptor. ab A. MCCC. ad A. MDXVII. qui volet requirat. *Nicolaus de Clemangiis*, *Joh. Gerſon*, *Theodoricus Niemus*, inclyta nomina, ad ſequentem Ætatem referuntur. De *Scholaſticis* Scriptoribus verbum modò dicimus.

Script. editi à Mabillono. V. Accedant coronidis loco, Scriptores hujus Ætatis, duo de *Ordine Romano*, ſeu de *Ceremoniis R. Eccleſ.* producti nuper à Mabillono Itineris Ital. *Tomo* II. Alter eſt, *Jacobus Cajetanus* Cardinalis, qui ſub Clemente V. vivere deſiit; Alter verò *Petrus Amelii* Senogallienſis Epiſcopus, vivens adhuc ſub extrema hujus Seculi, Bonifacio IX. Romæ Pontifice; auctor idem *Itinerarii* Gregorii XI. Avenione Romam profecti, apud Papir. Maſſonum, Ciaconium, Baluzium in Vitis Papp. Aven. Ex quorum lectione cuivis patebit, 1. *Ceremoniarum* Rom. E. ſeu in conſecratione Pontificum, ſeu in Miſſis ſolemnioribus & Officiis, præcipuè in *Miſſâ Pontificali*, ſeu in Coronationibus Imperatoris & Regum, ſeu in Canonizatione Sanctorum, hoc Ævo vanitas, pompa, ſuperbia verè Antichriſtiana. 2. Fœda Idololatria, cùm in aliis, tum in *Officio Feriæ* VI. ante-Paſchalis, in quo deſcribuntur ritus *adoratæ Crucis*, ipſo Pontifice *diſcalceato*, *proſtrato in terram*, ac *tertiò Crucem adoraturo*; Gregorio XI. & Urbano VI. addentibus novos devotionis ritus. 3. Hoc Seculo expirante adhuc *communicâſſe ſub utrâque ſpecie*, in Miſſâ Paſchali, *de manu Papæ*, omnes *verè confeſſos & pœnitentes*. Patet ex Petri Amelii *Capitulo* LXXXV. ubi tradit, Diaconum *dediſſe ad bibendum omnibus*, *qui communicaverant de manu Papæ*, *de Chriſti ſanguine*, *dicendo cuilibet*, *Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, &c. Quod ipſum dum agnoſcit Mabillonus, *Cap.* XIX. Commentarii, emendare debuit quæ dixerat *Capite* IX. ejuſdem Comment. *ſoli Regi & Imperatori* utriuſque ſpeciei Communionem indultam, tempore Clementis VI. & deinceps. 4. Denique concidunt, quæ idem Mabillonus commendat, *Cap.* XXI. nempe Sacrorum Rituum Antiquitas, Uniformitas, & Conſtantia. Antiquitatem in Ordinibus quos diximus, ne ipſemet agnoſcit; Diverſitatem ubique & Inconſtantiam ingenuè profitetur. *Qui novos Sacrorum Rituum Libros, noviſſimis temperibus ſcripſerunt, mirum eſt quantum ſibi tribuerint in pervertenda Venerabili Antiquitate.* Item: *Quod ſuo tempore fieri cernebant, id omnibus retrò Seculis ſemper actitatum fuiſſe autumarunt.* Sed vitium non Scriptoribus, verùm Eccleſiæ Romanæ, tribuendum.

XI. *Scholaſticæ Theologiæ, Philoſophiæque, ſed & Monachatûs, fœda incrementa hoc Seculo. Catharina Senenſis, & Brigitta Sueca, Moniales.*

Barbaries Scholaſticor. I. Succeſſit tandem poſtrema *Scholaſticorum Ætas*, quæ modum nullum ſervavit ſophiſtices, barbariei, impudentiæ in erroribus tùm receptis ſtatuminandis, otioſis & inutilibus quin etiam impiis determinandis, aut verſandis in utramque partem: Atque adeò inducendâ in Scholas Quæſtionum, Terminorum, Diſtinctionum, monſtroſâ novitate, perdendis ingeniis, literis, ſacrâ Diſciplinâ. Cumprimis in materiis de Deo, de Trinitate, de Incarnatione, de Perſonâ Chriſti, de Poteſtate Papæ, de Tranſſubſtantiatione, de Purgatorio, de Noviſſimis. Et hi Doctores, vocandi *Acuti*, *Subtiles*, *Singulares*, *Facundi*, *Reſolutiſſimi*, *Ordinatiſſimi*, & ſi quibus aliis elogiis & epithetis veniunt. Ab his *Quodlibeta Majora*, *Minora*, *Determinationes*, *Formalitates*, *Specula*, *Quæſtiones Solemnes*, *Ordinariæ*, *Quæſtiones ſuper Quæſtiones*, *Prædicamentorum*, *Aeromaticorum*, *Metaphyſicalium* ſubtilitatum, myſteria; præter *Legendas*, *Marialia*, & id genus Librorum peſtes.

Ultima Ætas hoc Sec. Patres hujus poſtremæ Scholaſtices præcipui fuêre: *Johannes Duns* Scotus, ſub initia hujus Seculi XIV. Coloniæ (ut ferunt) apoplexiâ percuſſus, vel letargo correptus, ac vivus in ſepulchrum illatus,

ex

Digitized by Google

ex quo fruſtrà egredi annixus eſt, devoratis manibus. Hinc celebres fuêre, *Durandus à S. Porciano*, *Petrus Aureolus*, *Herveus Natalis*, *Fr. de Mayronis* Gallus, & ejus farinæ reliqui. Nec minùs iſtorum ferax fuit Seculum xv. ad tempora uſque *Thomæ Cajetani*, id eſt, Lutheri & Zwinglii, ubi deſinit Scholaſticorum Ætas. De quibus tacere præſtat, quàm de iis multa dicere, & adeantur noti de *Scriptoribus Eccleſ.* Commentarii.

Mendicant. Paupert. ex decreto Nicol. III. Alia ex decreto Joh. XXIII.

II. *Monachiſmum* fœdè promoverunt, partim novi Ordines nati, partim Mendicantium improba ſtudia, cumprimis Minoritarum. In his fuêre ſcripta benè multa, pro commendandâ omnimodâ *Paupertate*, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, procul *omni dominio* rerum, etiam in *uſu rei conſumptibilis*, ut panis quem comedunt, & vini quod bibunt; ubi dominium vel *jus* in rem, quod nullum eſſe Fratribus dicerent, ab uſu rei vel *facti* diſtinguebant. Et hunc ſummum eſſe gradum perfectionis religioſæ, pronunciavit Nicolaus III. Pontifex hocce aſſerto, de Verbor. ſignif. in *Sexto* Capit. III. *Chriſtum & Apoſtolos, nec in ſpeciali, nec in communi proprium habuiſſe quicquam*; & Franciſci Regulam interdicere, non quidem *uſu* rerum neceſſariarum ad vitam, ſed tamen *proprietate*, *poſſeſſione*, *dominio*, *jure*, cui omni renunciare illa juberet. Contrà Johannes XXII. ex adverſo *erroneum & hæreticum* declaravit, & hanc rem magnis animis egit, ut videre eſt in Extravag. de Verborum Significatione, *Tit.* xiv. *Capit.* II. III. Ipſe hortatus Fratres Minores ad perfectionem quærendam magis in *obedientiâ*, & *caſtitate*, quàm in hujuſmodi *paupertate* quæ careret omni proprietate vel Dominio, etiam in res quæ uſu conſumuntur. Quæ controverſia Libris & litigiis orbem implevit, ſed & plurimos in Ordine *Minorum* Inquiſitioni & flammis ſubjecit, ut videre eſt apud Eymericum in Directorio Inquiſit. & nuper Steph. Baluzium in Miſcellaneis, *Lib.* I. p. 198. Quod hi nempè Johannem XXII. contenderent, *non habuiſſe nec habere poteſtatem faciendi quaſdam declarationes, commiſſiones, & præcepta*, contenta in ſuprà dictâ Conſtitut. *Et quòd ipſi Domino Papæ non teneantur obedire*, &c. Sed modum omnem exceſſit impium ac blaſphemum Scriptum *Bartholomæi Albicii* Piſani, Minoritæ, hoc Seculo inclinato auctoris (ut plerorumque fert opinio) *Conformitatum S. Franciſci cum Domino noſtro J. C.* Liber Capitulo oblatus Franciſcani Ordinis, A. MCCCLXXXIX. ipſis tùm aureus, dein Mediolani impreſſus, Anno MDX. cum approbatione Cenſorum. Sylloge eſt blaſphemiarum ſimul & ineptiarum, quibus Franciſcus Aſſiſius, Prophetarum vaticiniis, typis Vet. Teſt. hinc elogiis, miraculis, meritis, virtutibus, gloriâ, Chriſto tantùm non exæquatus, prælatus longè Joh. Baptiſtæ. Imò dùm *Chriſtus orat*, *Franciſcus exorans* eo Libro inducitur. Nec id genus portentis paginam hanc commaculamus, de quâ re jam ad præcedens Secul. *col.* 1663. 1664. Idem Auctor *Conformitates* ſcripſit *Mariæ Virg. cum Domino noſtro Jeſu Chr.* ſeu de Vitâ & Laudibus B. Virginis, impreſſas Venetiis, ſuperiore Seculo. Poſſevinus in Apparatu, aut Waddingus ejus Ordinis Monachus in Annalibus de Scriptoribus Ordinis Minor. de his Inferni fœturis conſuli poſſunt.

Liber Conformitat. Franciſci.

Papæ favent Mendic. inſtituto.

III. Ac in iis ſuâ auctoritate muniendis, extollendove *Mendicantium* inſtituto, mira ſemper fuit propenſio Paparum, hoc etiam Seculo; quicquid Epiſcopi paſſim & Præſules in eos inſurgerent. Unde Conſtitutiones *Clementis* V. in Decretali *Exivi de Paradiſo Tit.* xv. de Verb. Sign. ubi Regulam Franciſci cum Horto comparat, quæ *muris regularis obſervantiæ firmiter undique circumcluſa*, &c. Item illæ *Johannis* XXII. in non unâ Extravagante, pro exaltandâ hac *Cæleſtis vitæ* formâ, & Regulâ, Franciſci præcipuè; quam tamen Johannes conſtituit in *indumentis vilibus*, formâ relictâ Superiorum arbitrio, & determinationi: Sic in abdicatione *poſſeſſionum*, non tamen *dominii* in res quarum uſus ad vitam neceſſarius. Adeò ut Clerus penè univerſus, tam Cardinales quam Prælati, peteret à Clemente VI. *eorum adnullationem, & caſſationem, & quod eis non incumberet fidelibus prædicare, nec Confeſſiones audire, nec ſepulturas recipere alienas*; uti pluribus Nangiaci Chronici Continuator, apud Dacherium, Tom. XI. ad A. MCCCLI. Sed Clemente VI. qui ipſe Monachus fuerat, vehementer acturo cauſam Cucullatorum, tanquàm *qui à Deo & Eccleſiâ eſſent vocati in auxilium Regiminis Eccleſiæ*. Adhæc ad *Prælatos* & Curatos, idem Pontifex, quæ & qualia mala, & quanta emerſura eſſent Eccleſiæ, ſi Mendicantes abdicarentur: *Si tacerent Mendicantes*, quinam Populo prædicarent? *Si de humilitate prædicaveritis*, inquit ille, *vos eſtis ſuper omnes ſtatus Mundi, magni, ſuperbi, & elati, & pompoſi. Si de paupertate, vos eſtis magis tenaces, & cupidi, unde non vobis ſufficiunt omnes Præbendæ & Beneficia mundi. Si prædicatis de Caſtitate, de hoc, inquit, nos tacemus, quia Deus ſcit qualiter quilibet agit*, &c. Et quæ ibi in hanc rem plura Pontifex, in opprobrium Cleri totius, atque etiam Romanæ Eccleſiæ. Sed ſui tum oblitus Clemens VI. cujus faſtum, libidines, & in congerendis opibus ac locupletandis ſuis ſtudium, promulgato in hunc finem Jubilæo, ſuprà obſervavimus.

IV. Sed novorum *Ordinum* nullus propemodùm finis futurus.

Ac primò in Schiſma abiverunt Minoritæ, natis hoc Ævo *Fratribus de Obſervantiâ*, confirmandis in Synodo Conſtantienſi, & promovendo Ordine à Bernardino Senenſi, ſub Eugenio IV. Pontifice. Hi nempè à reliquis, qui *Conventuales* dicti, ſeſe diſtinxerunt ſtrictiore *Obſervantiâ* Regulæ Franciſci, atque adeò Sanctitatis majoris obtentu; accuſatis cæteris quòd à Regulâ deviaſſent, communi de Monachis querimoniâ. Regulam enim obſervari debere *ad literam*, prout ſonat *ſine gloſſâ*; quod urſerunt circa An. MCCCL. quando hi obtinuerunt ſeparationem à Conventualibus; quam ſuſtulit Innocentius VI. admotus ad Pontificatum, An. MCCCLII. Tandem in Concilio Conſtant. An. MCCCXIV. petierunt Loca ſibi concedi ad ſtrictam Obſervantiam ſuæ Regulæ, quæ & ipſis ab eodem Concilio conceſſa ſunt *Seſſ.* XIX. Ut ità ex eo ſpecialem Ordinem conſtituerint, ſub ſuo Vicario Generali, Provincialibus, etiam Cardinale *Protectore* ejuſdem Ordinis. Dein nati ex uno Franciſcanorum Ordine, *Minimi*, *Capucini*, *Collectanei*, & qui plures; de quibus Annales Minoritarum Waddingi, II. Tomis Lugduni impreſſi.

Fratres de Obſerv.

Jeſuatorum Ordo, vel *Jeſuvatorum*, in Italiâ hoc Ævo ſurrexit, de quo Polydorus Vergilius, Sabellicus, alii, à frequenti uſurpatione nominis *Jeſu*. Dicuntur CLXV. vicibus, quotidie recitaſſe Orat. Dominicam, & ſalutationem Virginis. Auctor ſuperſtitionis Joh. Columbinus, Senenſis Nobilis, uxoratus, ſed continentiæ voto ſe obſtricturus, uxore annuente. Confirmatum inſtitutum ab Urbano V. Deſiit tandem in *Jeſuitarum* Ordinem, ſed planè diverſum habitu, & inſtituto. Quum illis proprium eſſet, victum manuario opere ſibi comparare; nec ſe immiſcere negotiis vel Secularibus, vel Eccleſiaſticis. A quo ſanè ſunt alieniſſimi Jeſuitæ.

Jeſuati.

Beguardorum, *Fraterculorum*, ambiguum nomen fuit, ſub quo latuerunt optimi Waldenſes, ut ſuprà obſervatum: Nempè ob cohabitationem, & *clandeſtinos* conventus, aut permiſſum *matrimonium*, iiſdem infamandi nominibus, & ſceleribus, apud Sabellicum, & Inquiſitores, & Hæreſiologos, quibus traducti olim Chriſtiani, apud Minucium Felicem. Cæterùm *Beguardi*, *Begardi*, *Fraticelli*, & in

Beguardi, Fraterculi.

Digitized by Google

in altero ſexu *Beguinæ*, *Begutta*, *Beginæ*, Minoritarum Ordinis propagines fuêre, quæ ſe de *tertio* Franciſci Ordine, ſeu Fratres & Sorores Pauperes de *Pœnitentiâ*, dicerent. Nullo iſti Clauſtro coërciti, cibaria mendicantes, & Apoſtolicum vitæ genus prætexentes, de loco in locum diſcurrentes, de Articulis Fidei liberè diſputantes, ſe *fratres liberi Spiritus* nominantes, &c. quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas:* De quibus Chronica paſſim, Sabellicus, Waddingus, Vita Johannis XXII. apud Bernardum Guidonis, & ejus Epiſtolæ, nominatim Epiſtolâ ad Johannem Argentorat. apud Baluzium in *Vitis* Papar. Avenion. T. II. p. 436. Fuêre & *Beguini*, ſeu Fratres Minores *Spirituales*; de quibus apud eundem Miſcellaneor. L. I. p. 276. &c. Qui ſcil. nollent Franciſci *regulam* æquiparari *Euangelio*, nec *Euangelium* dici: Siquidem Euangelium matrimonio junctos ſuſciperet; divites ſimpliciter à Dei miſericordiâ & ſalute non repelleret; armatæ militiæ homines non abhorreret; *Euangelium* etiam nec mutari, nec corrigi, nec ſuppleri, nec confirmari ab Eccleſiâ propriè poſſet: Sed præceptis Euangelicis Franciſcum *tria vota* conjunxiſſe, *paupertatis voluntariæ, obedientiæ, caſtitatis*, ut ſanctiùs & eminentiùs Euangelium à ſui imitatoribus obſervaretur: Servare ſanè *vitam Chriſti*, & *Sanctum Euangelium, omnes qui de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, charitatis Dei & proximi ſtudent adimplere mandatum*, &c. Aliud *Beguardorum* genus, (quos & *Dealbatos* vocârunt, ab albis veſtibus) ſub initia Bonifacii IX. Italiam inteſtinis bellis afflictam, & Alemanniam, clamoribus implentes, ac pacem ingeminantes, refert *Matthæus Palmerius* Florentinus, in Chronico ſuo. Ac de his Concilium Viennenſe, atque in hos decreta in *Clementinis* Conſtit. L. V. *Cap.* III. de *Sectâ Beguardorum & Beguinarum*. Cave autem credas quicquid de his vel Gretſerus, vel Bzovius, vel ſimiles, reponunt.

Cath. Senenſis; Ejus ſponſalia cum Chriſto; Revelationes, Ordo.

In Fœmineo ſexu novos Ordines condiderunt, par Fœminarum ſuperſtitioſiſſimum, *Catharina Senenſis* Virgo, & *Brigida* vel *Brigitta* Princeps Sueca & vidua; de quibus obiter dictum ſuprà, ubi de Gregorio XI. cui ſuas Viſiones approbârunt, quas moriturus contempſit, ut monitum Lemmate V. Et ex iis probroſa quædam Romanæ Curiæ, collegerunt Illyricus, Mornæus, & alii. *Catharina* quidem ignobili loco, Senis nata A. MCCCXLVII. Elizabethæ Schonhaugienſis, Hildegardis, Claræ, ac ſimilium æmula, ingreſſa Ordinem *Dominici*, tribus ſe commendavit; 1. *Excarnificatione* corporis, ſilentio, inediâ, aquæ potu, vigiliis, ac cruentâ diſciplinâ, quam catenâ ferreâ ſibimet quotidie inferebat, non exceſſura hinc ſub mortis tempus, annum ætatis XXXIII. 2. Jactatis ab infantiâ *revelationibus, ecſtaſibus, apparitionibus* Chriſti, Virginis, Mariæ Magdalenæ, Apoſtolorum, &c. ac familiari cum Deo conſuetudine; quin & *ſtigmatum* Chriſti impreſſione, ut ex ejus *Dialogis*, *Epiſtolis*, & *Legendâ*, per ejus Confeſſarium Raymundum ſcriptâ, dein per Nicol. Burgeſium Equitem Senenſem, intelligitur. Imò *Chriſtum* eam ſibi *deſponsâſſe* ſolenni ritu, poſtulante *Mariâ matre*, ac pro arrhabone, *Annulum aureum* gemmis ornatum *digito* Virginis Sponſum impoſuiſſe, qui Annulus in digito annulari remanſerit, impiè tradit Legenda, & ex eâ Antoninus Florent. III. Parte *Chronicorum*, Nicolaus Burgeſius Eques Senenſis, Sylveſter Prierias, ac fusè Bzovius, ſtudio Ordinis Dominicani, quem Catharina profeſſa eſt. Imò *tanta inter eam, & Sponſum, familiaritas interceſſerat, quanta intercedere unquam poteſt, inter duos, flagrantiſſimo amore ſeſe complectentes*, ut ex Burgeſio idem Bzovius, nullo impietatis horrore. Plura id genus ludicra & anilia ex Legendâ, & ex præfatis Auctoribus recitat Abrah. Bzovius ad Annum MCCCLXX. Inter alia, quum Catharina *Cor* ſibi novum à *ſponſo creari* poſtulaſſet, *meruiſſe Jeſum adſpicere, qui illius ſiniſtro latere aperto, cor carneum ſuſtulit, & per aliquot dies cor aliud rubicundum lateri ejus indidit, ſuumque proprium eſſe, pro illius naturali commutatum corde, affirmavit, ac cicatricem in ſiniſtro latere, in tanti Myſterii teſtimonium, reliquit.* Apage blaſphemias & portenta Monachorum! Caro nihil prodeſt quicquam, *Joh.* VI. 63. ſed in Chriſto nova creatura, 2 *Cor.* V. 17. ſeu renovatio mentium, fidei, ſpei, affectuum. 3. Inſtitutione *Ordinis*, ad Claræ imitationem, ſed juxtà Dominici inſtitutum: Quamquàm hic Ordo poſt eam natus ſit, ex jactatis hujus Divæ Miraculis, ac familiari cum Cœlitibus commercio. Subſerviit illa Florentinis & Romanis, ut perſuaderet Gregorio XI. Pontifici, ſcriptis ad eum literis, & jactatis Revelationibus, de deſerendâ Avenione, & Sede Romam poſtliminio transferendâ, quod fecit A. MCCCLXXVII. Sed pœnitentiâ ductus, intuitus Schiſma indè emerſurum, ſe deceptum fuiſſe revelationibus ac viſionibus, cumprimis Catharinæ Senenſis, conqueſtus eſt, de quo Baluzius *Notis* ad Vitas Paparum Avenionenſ. in II. Vitam Gregorii XI. *pag.* 1224. *Didicit experimento ſuo Gregorius, ſed ſerò, fidem non eſſe adhibendam iſtis revelationibus, ſeu potius temeritati jactantium viſiones capitum ſuorum. Narrat enim Joh. Gerſon*, in Tract. de Examinat. Doctrinar. *illum poſitum in extremis, habentem in manibus S. Chriſti Corpus, proteſtatum eſſe coràm omnibus, ut caverent ab hominibus, ſive viris ſive mulieribus, ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis; quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen Schiſmatis imminentis. Quibus verbis generalibus notatos fuiſſe à Gregorio* XI. *Petrum Aragonium, Brigittam Suecicam, ac Catharinam Senenſem*, communi opinione, ſcribit Spondanus, ad A. MCCCLXXVIII. N. II. Diu poſteà demùm canonizanda, à *Pio* IV. Pontifice, quia *Senenſis* ipſe, ut Catharina.

Brigitta Sueca. Ordo ab ea inſtit.

Brigitta vel *Birgitta Suecica*, etiam *Brigida*, vidua Ulphonis Neritiæ Principis, VIII. liberorum mater, (de quâ, & Miraculis etiam antè nativitatem, fabellæ Monachales innumeræ, apud Surium, Bzovium, & alios) poſt varias Peregrinationes ad Loca ſancta, Compoſtellam, Romam, Hieroſolymas, *Loca religioſa pedibus obeundo*; tandem ad Urbanum V. profecta, alii Romam, alii versùs Avenionem, anteceſſorem Gregorii XI. jactavit Spiritum Propheticum, ſcriptis *Revelationibus*. Inprimis *Regulam* ſuæ Religionis obtruſit, dictatam ab ipſo Domino & Salvatore Jeſu Chriſto, in viſione ſibi mirabiliter exhibitâ, ut ipſa pluribus *Regulæ* C. XXIX. Quæ hinc dicenda *Regula Salvatoris*, præſcripta utrique ſexui viris & fœminis *in honorem Matris ſuæ Virginis Mariæ*, quæ eſſet quotidiè invocanda, tanquam *Regina mundi & Angelorum*, &c. Et hanc Regulam à Papâ confirmari petiit, quam totam vide apud Hoſpinianum de Monachatu, *Lib.* VI. C. XXXIX. & compendiosè apud Nauclerum, Chronogr. Parte II. Gen. XLVI. p. 1017. Itâ quidem ut connexa foret habitatio *Fratrum* & *Sororum*, ſeparatis ſed contiguis Conventibus, ut Virgines ſuperiora, Monachi inferiora occuparent; unâ utriſque in communi Eccleſiâ, unâ Regulâ, uno habitu ſcilicet *griſei* coloris & *laneo*, *rubra* deſuper Cruce in chlamyde; uno etiam Confeſſore Generali qui Prior appellaretur, cum ſuperiore Abbatiſſâ; Fratribus XIII. pro numero Apoſtolorum, rem ſacram curaturis, in *Virginum* ſolatia, præter Fratres Laicos. Nihil in propriis poſſidere jubet *Brigittinorum* Regula, nec pecuniam tangere, neque unquàm egredi Conventu, extraneo nullo teſte rerum quæ intrà Clauſtrum geruntur, copioſiſſimè autem iis Conventibus dotatis. Quo de Inſtituto, inter alios Walſinghamus in Hypo-

Digitized by Google

podeigmate Neuſtriæ, ubi de fundatis ab Henrico V. tribus Monaſteriis. Matri ſucceſſit *Catharina* filia, quæ *Catharina Suecica*, vidua, & tamen Virgo intacta Viro; quin omnes Brigittæ liberi, qui *Octo* fuêre, Sanctis annumerandi, ex Antonini Chronico, T. XXIV. C. XIV. Volaterrano Anthropol. *Lib.* XXI. *Cap.* de *Eremitis*, & Legendariis. Ut verò Brigitta favit aſſertioni de *Immaculata Conceptione* B. Virginis, ſic Catharina Senenſis favit dogmati oppoſito, eſſe conceptam in *Peccato Orig.* quod ſibi revelatum fuiſſe dixit, in Libello quodam à ſe ſcripto, teſte Antonino Florent. Summæ P. I. Tit. *de Pecc. Origin.* Longè diverſa fuit *Brigida* Scotica ſive Hybernica, contemporanea Patricio & Columbæ, Seculo V. in Dunenſi civitate apud Ultonios, unà cum iſtis ſepulta.

Ordines alii Eremitar.

Novus Ordo *Eremitarum S. Hieronymi*, in Hiſpaniâ natus, auctore non profectò Hieronymo, ſed Redone quodam Montiſgranelli Comite; ſub Regulâ primùm Auguſtini, eodem Urbani V. tempore: Qui confirmati mox à Gregorio XI. deindè ab Eugenio IV. De hoc videantur Volaterranus, Polydorus Vergilius, Sabellicus, Onuphrius in *Chronico*, Hoſpinianus noſter, & qui res Monaſticas digeſſerunt. Talis & Ordo *Olivetanorum*, à monte Oliveti (ità Collem Senis ſic ſatis vicinum appellarunt) ſic dictus, inſtituente Bernardo Ptolomæo, Nobili Senenſi & J. Conſulto, illuc ſeceſſuro devotionis cauſâ, poſt receptum uſum luminis, beneficio (ſic illi) Mariæ Virginis, ubi vitam Eremiticam & ſolitariam cum aliquot Sociis exegit. De tempore tamen non conſentiunt, Onuphrius in *Chron.* & ex eo Spondanus, refert ad A. MCCCXIX. alii referunt ad tempora Gregorii XII. quando vigebat Rom. Eccleſiæ famoſum Schiſma, ſub initia Seculi ſequentis.

XII. *Linguarum ſtudium inſtauratum. Academiæ celebres, & Scholæ, hoc Seculo erectæ. De Heidelbergenſi Academiâ in ſpecie.*

Linguar. Hebr. Arab. Græcæ, Latinæ, παλιγ∫εν.

I. Viſus eſt *Clemens* V. reſtituere velle bonas literas, etiam *Hebraicas*, & *Orientales*, inſtruendis ſcilicet ac convertendis Infidelibus ad fidem Chriſti, re in Concilio Viennenſi commendatâ, A. MCCCXI. ac decretâ, ex Clementis *Libr.* V. *Tit.* I. de Magiſtris. *Hoc ſacro approbante Concilio, Scholas in ſubſcriptarum Linguarum generibus, ubicunque Romanam Curiam reſidere contigerit, nec non in Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantino Studiis, providimus erigendas. Statuentes ut in quolibet locorum teneantur Viri Catholici, ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ Linguarum notitiam, duo videlicet unius cujuſque Linguæ periti; qui Scholas regant inibi, & Libros de Linguis ipſis in Latinum transferant*, & quæ ibi ſequuntur. *Latinas* verò literas præcipuè hoc Seculo reſtituturus fuit Franc. Petrarcha, ut ſinebant tempora, eliminatâ barbarie; poſteà favore cumprimis Laurentii Medicei, emerſerunt hoc & ſequente Ævo, celeberrima nomina, Joh. Bocacius, Gaſparinus, Leonardus à patriâ Aretinus, Candidus December, Laur. Valla, Algionus Venetus, Poggius Florent. Flavius Blondus, Johannes Picus Mirandulanus, Marſilius Ficinus, Domitius Calderinus Veronenſis, Jacobus Cardin. Papienſis, Baptiſta Platina, Angelus Politianus Latinè & Græcè pariter eruditus, &c. *Græcas* literas in Italiam intulit *Eman. Chryſoloras* Byzantinus, ſub Johanne primùm, dein ſub Manuële Palæologo, in Europam delatus ſub finem Seculi: Qui primus Italorum ingenia excitavit Venetiis, Florentiæ, Romæ, Ticini, excolendis Literis Græcis, poſtquam DCC. & ampliùs annis ex Italiâ ferè exulaſſent. Dein *Franciſcus Philelphus*, amore earum Literarum inductus ut ſe conferret Conſtantinopolim, ubi filiam Emanuelis Chryſoloræ uxorem duxit, Græcè doctiſſimam; undè Legatus Joh. Palæologi in Italiam rediit, ubi à Laurentio Medicæo Florentiæ detentus, operam navavit vertendis in Latinum Sermonem Græcis, ut Hippocrate, Xenophontis κυροπαιδείᾳ, &c. Succeſſuris in his literis exornandis, *Georgio Trapezuntio*, *Theod. Gaza*, *Beſſarione Niceno* dein Purpuratis Romæ adſcripto, & aliis, è Græciâ vel ablegatis, vel profugis: Etiam claruerunt inſigni Linguæ Græcæ peritiâ, *Guarinus Veronenſis* diſcipulus Chryſoloræ, *Ambroſius Camaldulenſis*, *Nicolaus Perottus* qui Polybium tranſtulit, juſſu Nicolai V. &c.

Hinc *Pariſienſem* Academiam inſtructam fuiſſe Profeſſoribus, qui *Græcam*, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Arabicam Linguas* publicè traderent, conſtat ex Epiſt. Johannis XXII. datâ ad Cardinalem Legatum, Pariſiis agentem apud Carolum Pulchrum, A. MCCCXXV. ex Regeſto Epiſtolarum Johannis. In Academiâ *Oxonienſi* floruiſſe etiam literarum Hebraicarum ſtudia, teſtentur hujus Annales, poſt Decretum Concilii Viennenſis modò memoratum. Mirum, *Cantabrigienſis* Academiæ nullam iſtud Concilium feciſſe mentionem.

Academiæ hoc Sec. erectæ, vel Privileg. auctæ.

II. Inter Academias hoc Ævo erectas, celebriores ſunt: In Galliâ, *Andegavenſis*, quam ſub initia hujus Seculi, vel finem prioris, erectam fuiſſe tradit Ducheſnius à Ludovico II. Duce, in *Antiquitat. Andegav. Cap.* I. & in quâ Juriſprudentiæ ſtudium ſemper floruit. Tùm Acad. *Aurelianenſis*, Philippo Pulchro Rege, Anno MCCCXII. Juriſprudentiæ ſtudio & ipſa deinceps florentiſſima, cujus ibi Anteceſſor fuit *Cujacius*. Hæc olim Rege Roberto Schola inclyta fuerat, & in quâ docuerant *Liſoius* ille, *Stephanus*, & *Heribertus*, Hæreſeôn nefandarum damnandi; qui ſcilicet præſentiam Corporalem in Sacramento, vi Conſecrationis, & alia tùm tradita, oppugnarent. *Pariſienſem* novis Privilegiis, atque immunitatibus puta à teloniis, talliis, oneribus quibuſcunque, à foro Urbis Pariſienſis, aliiſque prærogativis, auxerunt Philippus Pulcher, Ann. MCCCXI. mox Ludovicus Hutinus anni unîus Rex, tùm Philippus Valeſius Anno MCCCXL. qui Academiam novis privilegiis auxit, quorum *Conſervatorem* conſtituit Præpoſitum Pariſienſem. Cumprimis verò Philippi Pulchri Conjux *Johanna Navarra* Regina, teſtamento inſtituit A. MCCCIV. *Collegium* in & ſub Univerſitate Pariſienſi, quod hinc *Navarrenum* dicitur, in quo traderentur ſtudia quæ ad *Grammaticam* & *Grammaticalia*, quæ ad *Logicam* & *Philoſophiam*, tandem quæ ad *Theologiam* attinerent: Et certum numerum determinavit eorum qui dicti *Burſarii*, vel *Stipendiarii*, quibus ſcilicet pro labore vel pro victu certa pecuniæ ſumma aſſignata fuit, ſub Collegii Rectoribus, vel Gubernatoribus. De quo videatur Joh. Launojus, in Hiſt. Collegii ſive Gymnaſii Navarreni Pariſienſis, quod maximè floruit Scholaribus toto Regno primæ notæ, qui ad illud confluxerunt. Quibus alia deinceps incrementa acceſſerunt, maximè ſub Franciſco I. procurante in primis *Guil. Budæo*, Atavo meo materno, apud Andream Ducheſnium Antiq. Francic. *Lib.* I. *Cap.* XIX. *Ad ſummum ejus Univerſitatis ſplendorem acceſſit, quod faciente Guil. Budæo Lectores ſeu Profeſſores Regii in eâ inſtituti, regnante Franciſco* I. *magno ſcientiarum literarumque Patrono*, &c.

In Italiâ, Acad. *Piſana*, & *Ferrarienſis* ſurrexerunt. Prior Franciſco Aretino, Bartolo qui *Lucerna Juris*, Phil. Decio, Andreâ Alciato, id genus luminibus, colluſtrata: Dehinc à Laurentio Medicæo, inſtauratâ Urbis fortunâ, Virorum præmiorumque ſplen-

Digitized by Google

dore ornanda. Poſterior nobilitata Viris, & literis, Ferrarienſium Ducum vel Marchionum Ateſtinorum ſtudio, indè ab Alberto Ferrariæ Duce, jactis jam à Friderico II. hujus Academiæ fundamentis, in Bononienſium detrimentum. Claruêre hîc Angelus Aretinus, Guarinus Veronenſis, Theod. Gaza, Felinus Sandeus, dein Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis, qui ſub initia Seculi ſuperioris claruit, &c. Vide Fl. Blondum, Leandrum, alioſque.

In Germaniâ, Poloniâ, Bohemiâ, debent huic Seculo natales ſuos, Academiæ frequentes, nobiliſſimæ illæ omnium Diſciplinarum ſtudiis: De quibus Æneas Sylvius, in Hiſt. Bohemorum; Cromerus, vel Michovius, in Rebus Polonicis; Krantzius in Metropoli, & Chronica paſſim.

In iis Academia *Pragenſis*, erecta Carolo IV. Imperatore, ac Bohemiæ Rege, Urbano V. Pontifice, ut Cromerus; in quâ extremo hoc Seculo Magiſtri & Profeſſoris partes obivit Johannes Hus. Diploma autem Inſtitutionis, eam *ad morem Pariſienſis Academiæ* gubernandam ſtatuerat. Hinc factum, ut Bohemi poſteà tanquàm *indigenæ*, Wenceſlao Rege, ſub initia Seculi xv. contenderent æquandos ſe ſolos, ſuffragiis & emolumentis, Nationibus *extraneis tribus*, quæ tùm pluralitate ſuffragiorum Papæ partes, & placita propugnabant. Hinc turbæ Pragenſes, & Extraneorum deſertio, de quibus infrà in Hiſtoriâ Huſſiticâ. *Colonienſis* ſeu Agrippinenſis Urbano VI. fundationem ſuam debet, & paria cum Pariſienſibus privilegia. *Erfordienſis* Thuringiæ à Bonifacio IX. immunitatibus variis exornata, circà A. MCCCXCI. Et in eam poſteà Pragenſis Academiæ deſertores *Teutonici* ſeu *Germani*, magno numero, confluxerunt. *Cracovienſis* Poloniæ, exſpirante hoc Seculo, florere primum cœpit omnium diſciplinarum ſtudiis, Uladiſlao Poloniæ Rege, quæcunque ejus præceſſiſſent initia.

Acad. Heidelb. inſtitutæ hiſtoria, ex Archivo & Mſſ.

III. Singularem verò hîc locum ſibi vendicet *Heidelbergenſis* Academia, *Generale Studium*, ut tùm appellata, inter Germanicas hujus Ævi principem locum promerita. Idque fundationis primitate, cœli ſolique præſtantiâ, Electoralis Sedis dignitate, redituum amplitudine, ac Privilegiorum gloriâ. Indulta hæc fuerunt Heidelbergenſi Studio, planè ad formam *Univerſitatis Pariſienſis*, tanquàm Matris, quoad ſtudia, regimen, juriſdictionem, forum, immunitates qualque, & honoris ac ſeſſionum prærogativas, ut hæc ex Archivo Academiæ Heidelb. & *Tomo* I. Actor. Mſ. olim excerpſimus.

Fundator primus fuit *Rupertus Senior*, qui & *Rufus*, S. R. I. Archidapifer ſolus, ab Anno MCCCLIII. & anteà unà cum Fratre Rudolpho II. Cœco, qui fatis hoc Anno conceſſit. Is Heidelbergenſe Studium erexit, ad formam Academiæ Pariſienſis tanquam Matris, ex quatuor Facultatibus conſtituturum; & quidem factum cum conſilio & aſſenſu *Ruperti* II. Junioris, ex *Adolpho* Simplice Electore (qui Rufi frater natu maximus fuerat) Nepotis. Acceſſit & conſenſus Ruperti III. *Præjunioris*, qui Ruperti II. Filius, Adolphi Simplicis Nepos, idemque Anno MCCCC. Auguſti XXI. *Rex Romanorum* electus, in locum ignavi Wenceſlai. Acceſſit pro more Bulla Urbani VI. An. MCCCLXXXV. quam ſucceſſor Bonifacius IX. confirmavit, ſervatis meo tempore utriuſque Papæ Authenticis, quæ ſæpè manibus meis trivi, in Archivo Academiæ Heidelbergenſis. Ab his Principibus, ſeu *Rupertis* tribus, donata Academiæ ſunt, *Collegium* Dionyſianum, privilegiatum ab omnibus exactionibus & gravaminibus An. MCCCXC. Judæorum Urbe ejectorum domicilia, quæ hinc fuerunt Domus privilegiatæ; Vectigalia duo, Baccharacenſe & Cæſaræo-Werdenſe; Præbendæ XII. Parochiæ tres; tandem & (largiente Ruperto *Præjuniore*) pecuniæ quæ propter *Indulgentias* Romani Jubilæi collectæ fuerunt A. MCCCC. Idemque hic Rupertus Rex Romanorum, A. MCCCCI. *Ludovicum* & *Johannem*, par Filiorum, jurejurando obſtrinxit, pro perpetuatione Studii Generalis, ejuſque jurium, & privilegiorum, inſertis literis *Tomo* I. Actorum, *fol.* 94. Ac novæ poſt Rupertum hunc (morte ſublatum A. MCCCCX. regni ſui an. x. ac ſepultum Oppenheimii) à *Ludovico* qui cognomento *Barbatus*, filiorum natu maximo, & Succeſſoribus; imprimis ob *Ottone Henrico*, donationes acceſſerunt, Domorum, Fundorum, Redituum annuorum, &c.

Primus *S. Scripturæ* Profeſſor fuit *Marſilius ab Ingen*, Sententiarius notiſſimus, Doctor Pariſienſis, & Canonicus, idemque primus Academiæ Rector, à XVII. Novemb. A. MCCCLXXXVI. qui propriè Natalis cenſetur Acad. Heidelbergenſis. Artiſtarum Profeſſor primus M. *Heilmannus* de Wormatiâ. Et Marſilii matriculam, ac ſceptrum argenteum & inauratum, affabrè factum, uſurpârunt in hunc diem qui faſces Academicos geſſêre. Exceſſit Marſilius A. MCCCXCVI. quintùm Rector; Rupertus verò fundator & Senior mortuus A. MCCCXC. Rupertus Junior mortuus ipsâ die Epiphaniæ, A. MCCCXCVIII. Reformationem autem Univerſitatis primus ſuſcepit *Otto Henricus* Elect. fautor Literarum & Literatorum munificentiſſimus, Elector ab Anno MDLVI. antè Dux Neoburgicus, amplexus doctrinam Euangelii A. MDXLVI. Qui fato præventus Ann. MDLIX. Univerſitatem porrò & Religionem reformandam reliquit *Friderico* III. piiſſimo & ſine exemplo Principi.

Biblioth. Heidelb.

Ejus fundatores.

Nec tacenda Heidelbergenſis *Bibliotheca*; quæ gemina fuit, *Academica* & *Electoralis*. Illa ſtatim cum Univerſitate erecta, ac *Bibliothecis* primi Cancellarii Conradi de Gelnhauſen, primi Rectoris Marſilii ab Ingen vel Ingenheim, Matthæi item Wormatienſis Epiſcopi, aliiſque id genus legatis, mirè locupletata fuit. Auxit eam *Ludovicus Barbatus*, qui & *Pius* dictus eſt, ob profectionem in Palæſtinam, & quia Executor idem Concilii Conſtantienſis, Ruperti Romanorum Imperat. natu maximus. Fundator is primus Biblioth. *Electoralis*, dùm Libros omnes ſuos, in uſus Univerſitatis legavit, utque poſt obitum ſuum in *Ædem Spiritûs* S. tranſportarentur, in quâ & ſepultus, A. MCCCCXXXVI. mandavit. Et hæc Ædes deinceps Electoralis Bibliothecæ reconditorium fuit, quam nobilem præ Bibliothecis cæteris fecit omnium primus *Otto Henricus* Septemvir, Ludovici Barbati abnepos, ſucceſſor is Frederici II. ab Anno MDLVI. Ac ſub eo Academia reformata eſt, Phil. Melanchtonis conſiliis, Wormatiâ, ubi Colloquii causâ tùm egit, Heidelbergam evocati, A. MDLVII. Profeſſore tum Theologo Henrico Stolone: Vocandis mox ab ejus morte, ſed vocandis tantùm, Petro Martyre Tiguri agente, & Johanne Muſculo Bernæ Helvetiorum; Brentius licet Tubingenſis Theologus ſuaderet Electori, ut caveret ſibi à *martyribus* & *muribus*. Hinc vocatus Tilemannus Heſhuſius D. Theol. mox Superintendens Generalis totius Palatinatûs; & hic futurus turbarum & belli fax quædam, à Davide Chytræo commendatus, literis ad Academiam ſcriptis, X. Nov. MDLVII. Tandem ob ſeditiones motas, & odium quo perſequebatur ſic dictos Zwinglianos, juſtè removendus à Friderico III. A. MDLIX. Septembri menſe. Qui facturus locum fuit Petro Boquino, Mich. Dillero, Petro Datheno, Caſpari Oleviano, Immanueli Tremellio, Zachariæ Urſino, &c. Et ille *Otto Henr.* eſt, qui *Bibliothecæ* Palatinæ ornandæ causâ, quaquaverſùm quicquid rariorum Mſſ. eſſet conquiſivit, ex Oriente, Italiâ, Galliâ, Germaniâ, &c. per viros ad eam rem idoneos, ſumptibus verè regiis. Librorum ipſe penè

hel-

Digitized by Google

helluo, quibus evolvendis unicè ſe oblectabat, ac Literarum munificentiſſimus promotor, ſed intercipiendus fato, ſine liberis, deceſſurus An. MDLIX. ac ſepeliendus Heidelbergæ in *Æde* majore *Spiritûs S.* ubi Mauſoleum ipſi erectum fuit, nuper cum reliquis Gallorum furore deſtructum: Quo legebatur, *Otto Henricus Comes Palat. Rheni*, VII vir, &c. *ut Ludovici Pii Poſterorum ultimus, ſic Renatæ Euangelicæ Puritatis Inſtaurator primus.* Dicitur autem *Ludovici Pii* ſeu Barbati (qui fuerat executor ſententiæ Concil. Conſtantienſis adverſus Huſſum latæ) *poſterorum ultimus*, quoniam ab eo *quartâ generatione* fuit Otto Henricus, & *ejus ſtirpem interire juſto Dei judicio, ac è medio generis humani tolli* neceſſe foret; *divinâ vindictâ illi manifeſtò incumbente, qui in Conſtantienſi Synodo à Pontificibus dictatam in glorioſum illum Martyrem Johannem Huſſum, diram & immanem vivicomburii ſententiam, & quidem tam animosè, exequutus fuerit*: Undè illam vindictam, Poſteris ejus *in quartâ generatione luendam ſuperfuiſſe.* Ita Daniel Pareus Hiſtoriæ Palatinæ *Cap.* de Ottone Henrico. Cujus Succeſſor fuit *Fridericus* III. Simmerenſis, verè *Pius*, ſub quo perfectum Palatinæ Reformationis opus. Hæc in Heidelbergæ quondam noſtræ memoriam.

XIII. *Memorabilia quædam alia hoc Seculo, miſcelli generis: Ad utramque Hiſtoriam pertinentia.*

Quæ antè occupata. I. Nonnulla horum in ſuperioribus Lemmatibus occupata. Memoranda enim cumprimis hoc Sec. veniunt (de quibus dictum quantum huic loco convenit) *Ottomannici* Imp. natales, incrementum: *Germanici* Imperii diſtractio, & inter Imperatores Schiſmata, Ludovico Bavaro contrà Fridericum Auſtriacum electo; Carolo IV. contrà Ludovicum Bavarum; Ruperto Palatino contrà Wenceſlaum: Hiſtoria *Diſſidii* inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum: *Templariorum* Ordinis nefaria extinctio: Sedis Pontificiæ *Avenionem* tranſlatio per Clementem V. & reductio in Romanam Urbem per Gregorium XI. undè Schiſma annor. L. & ultrà: *Avenionenſis* Comitatûs per Clementem VI. acquiſitio, pretio empti à Johannâ Siciliæ Reginâ, Regno pulsâ ob maritum veneno extinctum,
Submiſſio abjecta Lud. Bavari. A. MCCCXLVIII. Bella à *Papis* excitata, inprimis contrà *Ludovicum Bavarum*, eò tandem adigendum, A. MCCCXLIV. Clementis VI. inclementiâ, invitis ſanè Statibus Imperii, ut per Procuratores, 1. Fateretur *exceſſus, crimina, delicta, quæ commiſiſſet contrà S. Romanam Eccleſiam, tempore Johannis Papæ XXII.* &c. 2. *Perſonam ſuam, res, ſtatum, velle & nolle, nihil ſibi proprii arbitrii retinendo, pro malis & exceſſibus, delictis & criminibus, contrà prædictum Dominum Papam, ſubmitteret abſolutè Papæ diſpoſitioni, & ordinationi*, &c. ex Inſtrumento ſubmiſſionis, apud Baluzium, Miſcellan. *Libro* II. *pag.* 272. &c.

Memorab. in Gallicanâ Hiſt. II. Adde Bella inter *Anglum* & *Francum* Reges; quorum illi Britanniam, Aquitaniam, aliaſque Francorum ditiones, jure hactenus tenuerant, quibus, ſed ſpecie criminis Feloniæ, tandem exciderunt ſub Phil. Pulchro. Item, *Donationem Delphinatûs* factam ab Humberto Principe, orbo unico quem habuerat Hærede, in gratiam Philippi Valeſii, & ejus filii Johannis ac ſucceſſorum, Anno MCCCXLIII. ac repetitam A. MCCCXLIX. Nempè hac lege, ut Franciæ Hæredes DELPHINI Viennenſis nomen aſſumerent; Conventionem exhibet in Rebus Francicis Andr. Ducheſnius: Ac ne pœnitentiâ duci poſſet, Humbertus, inductus eſt ad *Monachi* habitum induendum, omnibus etiam *Ordinibus* Sacris initiandus, faciente Clemente VI. Item, Inſignia Gallorum Regum ad *tria Lilia* reducta, Carolo VI. Rege, A. MCCCLXXX. quum anteà *Lilia* hæc ſine numero in Francorum Regum Inſignibus conſpicerentur. Et quæ id genus alia, ex ſingularum Gentium Chronicis, fuſiùs haurienda, quæque ad Hiſtoriam Civilem pertinent.

III. Memorabile fatum eſt *Henrici* VII. laudatiſſimi omnium calculo Imperatoris, qui ex Comite Lutzemburgenſi ſuffectus fuit Alberto Auſtriaco, A. MCCCIX. Is enim primò *Italiam* armis vexaverat, Urbes Italicas ſub Imperii fidem reducturus, quæ Pontificum factione, vel illâ Roberti Siculi, jugum illius excuſſerant. Deinceps juſſus à Clemente V. cum Roberto Siciliæ Rege (quem læſæ Majeſtatis Henricus damnaverat) redire in gratiam, tanquàm qui *Juramento fidelitatis & obedientiæ* ſe obſtrinxiſſet Romanæ Eccleſiæ, negavit Imperator ſe tali *Juramento* cuiquam, præter Deum, obſtrictum eſſe. Hinc iſte in rebelles Florentinos, ac Senenſes arma movit; undè Robertinæ & Gibellinæ factionis odia, deque tollendo Henrico nefaria conjuratio. Factum A. MCCCXIII. porrectâ illi *Hoſtiâ venenatâ*, & *Calice* toxico mixto, à Monacho Senenſi Bernardo Politiano Ord. Prædicatorum, in Tuſciæ illis partibus, ſolemni Feſto *Aſſumptionis* B. Virginis. Tacet quidem Joh. Villanus Chronici Scriptor, *Lib.* IX. *Cap.* LII. Sed ita ut videatur ultrò tacuiſſe, pauciſſimis verbis memorans mortem Henrici Imperat. ſcribens in mediâ Tuſciâ, Civis ipſe Florentinus. Tacet etiam Albertinus Muſſatus Patavinus, qui de Geſtis Henrici VII. XV. Libros compoſuit, ipſe coævus, ſed qui diu ineditus fuit, & de cujus Codicum hac parte integritate dubitari poſſet, ſaltem de prudentiâ in tacendâ hac mortis circumſtantiâ. Referunt autem Albertus Argentinenſis in Chronico, apud Urſtiſium, Ptolomæi Lucenſis Continuator ex Ms. Vaticano, Nangiaci Continuator apud Dacherium, Chronicon Citizenſe Pauli Langii apud Piſtorium, Platina in Clemente V. Joh. Nauclerus *Gen.* XLIV. Albertus Krantzius Saxoniæ *Lib.* IX. Aventinus Annalium *Lib.* VII. Jac. Meyerus in Chronico Flandriæ, Johannes Cuſpinianus in *Henrico* VII. qui hanc *communem Annalium aſſertionem* dicit. Nec plures rei teſtes deſunt, etiam inediti. Hinc Tetraſtichon, — Henr. VII. Imper. Hoſtiâ venen. tollitur.

Italicas penetrans Henricus Septimus oras,
Guelphis infeſtus tolleret ut Latio.
Concidit à Monacho qui myſtica Liba miniſtrans,
Pro vitâ mortem, toxica ſæva dedit.

Si verò Dominicanos audis, & Spondanum quoque, ficta omnia; obiit ex naturali morte Henricus; nullus Monachus ſuſtineat tantum nefas; facinus hoc fuerit ſine exemplo; ab hujuſmodi ſcelere abhorruêre Itali, aut Florentini; tacent rem horum ſcriptores, quales hoc Ævo *Joh. Villanus*, *Albertinus Muſſatus*; in Ptolomæum Lucenſem maledictâ manu id ipſum fuiſſe illatum par eſt credere; & quæ effugia id genus ſunt. Plauſtra verò commentorum & næniarum, quæ Monachi unius aut Monialis fide nituntur, quia in rem ſuam, hæc cave in dubium revoces. Quicquid ſanè extorſerint longè poſteà Monachi, Anno ſcil. MCCCXLVI. Inſtrumentum ſeu Declarationem in contrarium, à *Johanne* Henrici filio, Bohemiæ Rege, ut quadam ſpecie ſe ab accuſatione tuerentur.

IV. Duo *Angliæ* Reges hoc Seculo Regno abdicati, *Eduardus*, poſt conquæſtum Regnum Angliæ, ejus nominis II. & *Richardus* II. Semper ferè ſub *Secundis* infelice Angliâ, uti olim ſub *Sextis* Româ; jam indè à *Guilielmo* II. qui Rufus cognominatus eſt, in Deum impio, in ſubditos tyranno; & *Henrico* II. contumelioſiſſimè à ſuis habito, etiam virgis ob necem Thomæ Cantuarienſis turpiter cæſo, — Eduardi II. & Richardi II. abdicatio.

Digitized by Google

ſo. Nihil dicimus de *Secundis* aliis, Regio hoc cognomine in Angliâ Succeſſoribus. Eduardus porrò II. Anno MCCCXXVII. in proprium Filium iniquus, ac permittens ſe violentis conſiliis, communi decreto Parliamenti (poſt declaratum anteà Filium Eduardum *Regni cuſtodem*, ipſumque Regem carceri incluſum) proclamatus tandem fuit, *indignus Diademate*, *& propter plures Articulos deponendus*, *& Eduardus filius ejus primogenitus*, *in Regem unanimiter eligendus*; *quod etiam conſequenter factum fuit*, coronâ & ſceptro à Patre ablatis. Ac ſerò de ſuis malefactis, deque Conſiliariis proditoribus, Rex infelix indoluit; ut pluribus Henricus de Knyghton de Eventibus Angliæ *Lib.* II. *cap.* XV. & Thom. Walſinghamus, in Hiſt. Anglorum, in *Eduardo* II. & in Hypodigmate. Eduardum filium Walterus Cantuarienſis, XIV. annorum Principem, conſecravit.

Richardus verò II. adeò gravis fuit Regni Ordinibus, poſt ſubverſa Parliamentaria privilegia, ſubditos tributis emunctos, Magnates oppreſſos, juramentum in Coronatione non uno modo violatum, ut ſibi metuens cum ſuis in Hyberniam primò fugere, ac Regno ſe tandem abdicare cogeretur. Nempè Londinum ductus, poſtquàm ſe Henrico captivum permiſiſſet, ac Turri incluſus, primò formæ *Renunciationis* & *Ceſſionis* propriâ manu ſubſcripſit, *Ego Richardus*, &c. Dein conceptos in eum XXXII. Articulos, qui *omnes violationes Juramenti Regalis* continerent, habitæ ſunt illæ *cauſæ ſufficientes ac notoriæ ad deponendum Regem*. Hinc ſententia lata, per Commiſſarios Parliamenti, A. MCCCXCIX. *In craſtino S. Michaëlis*, ut *loquuntur Auctoritate nobis commiſſâ*, *ipſum Richardum ex abundanti*, *& ad cautelam*, *ad regimen & gubernationem dictorum Regnorum*, *fuiſſe & eſſe inutilem*, *inhabilem*, *& inſufficientem penitùs*, *& indignum*, *ac propter præmiſſa & eorum prætextu*, *ab omni dignitate & honore Regiis*, *meritò deponendum pronunciamus*, *decernimus*, *& declaramus*: Et quæ plura apud Henr. Knyghtonum aut Walſinghamum legas. Inter Articulos verò Regi objectos, quos ſingulos exhibet Knyghtonus, à *col.* 2746. præcipui fuerunt: Relegatio Henrici Ducis Lancaſtriæ, ac Procerum aliorum primi ordinis oppreſſio; Poteſtatis Parliamenti ad paucas perſonas eo diſſoluto tranſlata; Papæ auctoritas agnita, & cenſuræ Româ impetratæ, in eos qui ſtatutis Regiis contravenire præſumerent; nova onera ſubditis ſuis impoſita, in proprium commodum, & in perniciem Regni; poteſtas ſibi ſoli vendicata, Leges mutandi, novas condendi, & faciendi quidvis ſecundum ſuæ voluntatis arbitrium; libertas eligendi & deputandi ad Parliamentum Comitatibus adempta, & certarum perſonarum per ſuos Vicecomites injunctus delectus, quæ Regis voluntati obſequerentur; denique juramentum ſolemniter præſtitum non ſemel à Rege violatum, ut in Articulis exprimitur. Nec *depoſitiones* tunc Regum ex doctrinâ Proteſtantium, vel ingenio, (ut calumniantur) profluxerunt, ſed ex Regni legibus, & moribus Gentis.

Bulla Aurea. V. Hujus Seculi eſt *Aurea Bulla* ſeu Pragmatica Sanctio Caroli IV. Imperatoris, & Bohemiæ Regis, quæ hinc etiam Carolina, & Bulla Aurea, quia aureo *ſigillo* hoc Diploma *bullatum*, ſeu munitum. Sancita fuit Noribergæ primò, dein & Metis, ubi quædam adjecta, in Conventu Cæſaris, Electorum, Principumque Germaniæ, Anno MCCCLVI.

Scopus imprimis fuit, ut ex Proœmio liquet, proſpicere *Electorum* Unitati, juribus, prærogativis, tam Eccleſiaſticorum, quàm Secularium, & *aditum precludere*, ex eorum *diviſione*, Schiſmatibus quibus diſtractum Imperium fuerat, cumprimis invaſionibus Romanorum Pontificum in jura Imperii. Acceſſit ſtudium tranſmittendi, Electorum ſuffragiis, ad *Wenceſlaum* Caroli IV. *filium*, Imperii dignitatem; quâ poſteà A. MCCCC. exutus fuit Wenceſlaus, ſententiâ in Cæſarem latâ, & cauſis in eâ enarratis: Nempè *ob indecentes ejus in imperando mores*, *& actiones*, *nec non ejuſmodi Eccleſiæ Orbiſque Chriſtiani defectus*, *incommoda atque diſſidia*, *graviſſimas item membrorum S. Imperii avulſiones*, *diminutioneſque*, *contrà Nominis ſui dignitatem damnosè factas*, *nempè quod pacem in Eccleſiâ non promoverit*, &c. Tum, quod *Imperium membris aliquot perniciosè mutilaſſet*, *& mutilum reddi permiſiſſet*, *ut Mediolanum*, *& Provinciam Lombardiæ*, *complures etiam Urbes Terraſque*, *tam in Germaniâ quàm Italiâ*, *alienaſſet*, &c. *Nos itaque Johannes Archiepiſcopus*, *nomine prædictorum Dominorum S. R. I. Coëlectorum*, ... *prædictum Dominum Wenceſlaum*, *ut inutilem*, *negligentem*, *diſſipatorem*, *& indignum S. R. I. defenſorem*, *eodem Rom. Imperio*, *omnique ejus gradu*, *dignitate*, *ac ditione privamus & ſummovemus*. Videſis formam Depoſitionis ad calcem Collectionis *Chriſt. Urſtiſii*.

Capita Aureæ Bullæ ſunt XXV. cum additamento in Conventu Metenſi. Pleraque quæ ad *Electionis* præcedanea, tùm quæ ad Formam illius attinent, & ad *Electorum* officium, immunitates, ſecuritatem, privilegia, qualia ſunt hodieque, tam *in communi* quàm *in particulari*. Verbi gratiâ, *Palatino* & *Saxoni* reſervantur jura Proviſionis & Vicariatûs, *Cap.* V. Sic *Bohemiæ* Regi & Regno, immunitas ab omni foro extrà Regnum, *Cap.* VIII. In Eccleſiaſticis, *Moguntino* jus Præſidii & Collectionis ſuffragiorum. Bullam qui volet requirat, apud Goldaſtum, & nuper H. Gunt. Thulemarium, qui eam ex Latino Autographo, quod Francofurti aſſervatur, ut loco Electionis, fideliter deſcripſit edititque. Quid ſibi in eâ velint *Pfalburgeria*, quibus ſubditi Principum ac Baronum in aliarum Civitatum cives recipi ſe procurarent, cum fraude priorum Dominorum; quid etiam *Diffidaciones*, quando à *fide*, quam quis alicui debebat, per literas aut per Epiſtolam deficeret, juſtam diffidentiæ cauſam prætexens (ejuſdem Bullæ *Capite* XVI. XVII.) Juris Publici ac Germanici Scriptores, & Gloſſaria, docent.

VI. Ad hanc Ætatem referuntur *nova quædam* ſeu *Artium* Inventa, ſeu etiam *Commenta Superſtitionis*. Inter iſta primò referam, ex. gr. præpoſteram imitationem *Jubilæi* Judaici, qui XLIX quoque an. reverà celebraretur, vulgò *quinquageſimo*, introductam ſacri quæſtûs causâ à Clemente VI. Contrahendo deinceps tempore à Bonifacio IX. non expectaturo alteram ſemi-centuriam, *ut qui præferret ovum mane*, *gallinæ* apponendæ *veſperi*. De quibus anteà, in horum Paparum Antichriſtianâ tyrannide, diximus. Adde, portenta *Fabularum*, ex quibus nova Feſta, novi Ordines, novi Sancti, novæ Baſilicæ. Inter quæ fabula de *Antro Magdalenæ*, totâque *Magdalenæ* Legendâ, *Maſſiliam* olim delatæ cum Lazaro, &c. & cum admirandis ſacri cruoris Reliquiis. Eâdem Magdalenâ tunc primùm revelante hæc omnia, Apparitione factâ Monacho cuidam *Dominicano*, Eliæ Gallo, qui in *Antro Divæ Mariæ Magdalenæ* conſenuerat, ut ex Sylveſtro Prieriâ Dominicano fusè Bzovius, & alii, ad A. MCCCLXX. Puduit commenti Launojum Doctorem Pariſinum, & ſuperſtructæ infandæ ſuperſtitionis, quam ex profeſſo confutavit, ut aliàs monitum. Nova Inventa vel Commenta Fabular.

Adde *Miracula*, apud eundem Bzovium, Spondanum, ex Monachorum fide, circà *Hoſtiam* conſecratam; eamque modò à Judæis confoſſam, modò cum alio cibo per vomitum egeſtam, modò flammis probandam, ubique autem apparituram verum *Chriſti Corpus*. Sic Miracula quibus ſe probarent hoc Ævo, *S. Rochus* Narbonenſis, moriturus An. MCCCXXVII. peſte laborantium patronus; *S. Maria Veronenſis*, cognomine *Conſolatrix*; *S. Margareta Caſtellana*, corpus ad necem flagellans; *S. Catharina* Senenſ.

Digitized by Google

nenſ. *S. Brigitta*, Sueca, Divi alii Divæque id genus, quorum Legendis paginam ſuam Bzovius farcivit. Adde his Fabulam Venetam de *Annulo* S. Marci, miraculoſè reperto, poſtquàm idem Annulus neſcio quo pacto fuiſſet deperditus. Nempè A. MCCCXXXIX. tres Viri jubent ſe naviculâ Venetâ vehi in locum *Lido* vicinum, procelloſo tum mari. Illîc quum appuliſſent, obviam facta eis navis repleta Dæmonibus, qui tempeſtatem eam excitaſſent. Quos Dæmonas ubi repreſſiſſent hi tres Viri, ſtatim tempeſtas deſævìit, & versâ puppi Venetias repetunt, ac tres Eccleſias adeunt, unus ingreſſurus Eccleſiam S. Nicolai, alter S. Georgii, tertius Eccleſiam S. Marci. Quorum hic, loco nauli quod vectori debebatur, dedit ipſi *Annulum* Senatui Veneto offerendum, ac ſe *Marcum* eſſe Euangeliſtam, cujus eſſet iſte Annulus, ſimul ſignificavit; quod à Senatu creditum, & Annulus inter pretioſa Theſauri Veneti κειμήλια aſſervatus. Sic fert hodieque *traditio* apud Venetos.

Bombardar. &c. inventio.

VII. Ad prius verò rerum novarum genus referas inventum verè tartareum, *Bombardas* à fragore ſic dictas, (vocant Galli *arquebuſe* quaſi *arcum* cujus vicem in bello gerit, & *buſium*, id eſt, perforatum, à *buſio* quod Italis foramen ſignificat, ut Salmuth ad Pancirollum) & *Tormenta* bellica, ope pulveris pyrii, verè in tormentum ſeu exitium humani generis nata. Tribuitur vulgò apud Seb. Munſterum, & alios, Monacho cuidam Germano *Bertholdo* vel *Bertrando Schwarts*, verè Nigro, ac Chemicis operationibus dedito, circà A. MCCCLV. *Qui ſi rebus ſacris tum operam dediſſet, non hanc peſtem in Orbem invexiſſet*, ità Spondanus ad An. MCCCXLIV. Nempè excoluit inter *Europæos* id genus inventi otioſus ille Monachus, & ejus uſum Venetis primum aperuiſſe, in bello quod ad Foſſam Clodiam cum Genuenſibus geſtum eſt, A. MCCCLXXX. ut Polydorus *Lib.* II. C. XI. Sed hoc pridem in uſu fuiſſe apud *Sinenſes*, Trigautius, Semedus, Kircherus, Martinius, & alii obſervârunt. A quibus & *Typographicæ* artis, & *Magneticæ acûs*, & Bombycum vel *ſerici* conficiendi, uſum, & plura id genus, ad Gentes alias perveniſſe, memorant. Sed & in uſu fuiſſe *Mauris*, *Tataris*, exploſionum id genus ac fragorum inſtrumenta, pulvere accenſo, etiam antè Bertholdum, alii monuerunt. Sic pulverem pyrium natum alii dixerunt *Chiogiæ* in territorio Veneto, alii etiam in *Daniâ*, &c. De quo qui de Artium Inventione commentati ſunt.

Et Pyxidis Naut.

Quanto ſalutarius mortalibus, uſus *Pyxidis nauticæ*; quem hoc Ævo familiarem jam fuiſſe, Italis, Hiſpanis, conſtat, caſu quodam repertum *à Johanne Goiâ*, Cive Amalphitano, ex uſu *acûs* quæ fortè admota fuiſſet lapidi magnetico, dein probandæ in vaſe aquâ impleto. Nec dubium eſt, quin ejus beneficio, tum ille qui primum ex Orbe illo ignoto in *Maderam* Inſulam delatus in Columbum incidit, & auctor illi navigationis fuit, tum ipſe Chriſtoph. Columbus Genuenſis A. MCCCCXCII. & qui eum exceperunt, nova littora novumque Orbem detexerint. Cæterum Sinenſibus jam XI. Seculis, & ultrà, antè Chriſti Æram, Magneticum illum *Septentrionis* & *Auſtri* indicem, commiſſâ pelago rate, exploratum fuiſſe, poſt Martinium, nupera Sinenſium Chronologia refert, ad tempora *Cheu-Com*, qui Tutor fuit *Chim-Vam* Imperat. & qui Seculum annis æquavit, Cyclo Sinenſi XXVII. id eſt, XI. & amplius Seculis antè Chriſtum natum. Eſt Cyclus ille Aureus Sinenſium numerus, ſeu Periodus Sinenſis, annorum ſingulæ LX.

Sed de Pyxidis Nauticæ origine, & uſu, conſulatur inter cæteros Athanaſius Kircherus de Arte Magneticâ, & Nicolai Witſens, Reip. Amſtelod. totiuſque Hollandiæ grandis hodieque præſidii, incomparabile Opus de *Conſtruendis Navibus*, deque *Re* omni *Nauticâ*, ſcriptum linguâ vernaculâ, reſeratis in eo penetralibus Græcæ ac Romanæ Antiquitatis. A quo Viro Conſulari *Tatariæ* præcipuè *Orientalis* Incognita, ſuprà Sinas & Japoniam in immenſum extenſæ Ortum & Septentrionem versùs, perquiſita indefeſſo labore, promovente inſtitutum Magno Moſcoviæ Czare, avidi expectamus, qui jam Mappas earum regionum exquiſitiſſimas dedit. Nec dubitant recentiores, quin ab eâ parte *Tatariæ*, pergendo in Septentrionem & Occaſum, perventum fuerit in Septentrionalem *Americam*, quâ parte *Freta* anguſta, & *Quiviram*, notant Geographi.

XIV. *De rebus Judæorum, Turcarum, Mamluchorum, Tatarorum, Sinenſium, hoc Seculo.*

Judæorum ſtrages, perſecut.

I. De *Judæis* nihil admodùm memorabile hoc Ævo, præter perſecutiones in eos excitatas, carceres, exilia, multationes bonorum, ſtrages, vivicomburia, in *Galliâ*, *Germaniâ*, *Aragoniâ*, *Caſtellâ*, *Bohemiâ*, &c. ex Bern. Guidone, Continuatore Martini Poloni, Trithemio, Nauclero, Alberto Argentinenſi, Genebrardo, aliis, hinc apud Bzovium, & Spondanum paſſim. Obtentus fuerunt, ſacrilegia circà Euchariſtiam admiſſa; Hoſtiæ transfixæ; Putei, fontes, aquæ veneno infectæ; Infanticidia, vel Chriſtiani homines in Cruce ſuſpenſi; atque piacula id genus, in exitium aut contemptum Chriſtianorum. In Galliâ ſolâ referunt, ad hoc Seculum, *duplo plures periiſſe quam exierant ex Ægypto, peſte, gladio, & fame*, ita David Ganz. Ac poſteà, *ex toto populo decem non fuiſſe ſuperſtites*, ad annum Judaicum 5108. Sed exaggerant res ſuas, pro more. Nempè *Inquiſitoribus* aut *Regibus*, nunquam defuerunt accuſationum capita, & cauſæ exuendi Judæos ſuis facultatibus, aut vi ad Sacra Papiſtica adigendi. Et veriſimillimum eſt, *Philippum Pulchrum* hanc occaſionem arripuiſſe *Judæos* totâ Galliâ expellendi, eorumque Bona addicendi Fiſco, publico Edicto, XXII. *Julii*, MCCCVI. ex Continuatore Chronici Nangiaci, & aliis; ut ex eorum opibus pecunias corraderet, & damna Flandrico bello contracta reſarciret, ita ipſi in Galliâ Hiſtorici: Planè ut eodem motivo Templarios toto Regno delevit Philippus, de quibus fusè ſuprà. Ita quum *Judæi* favore Ludovici Hutini Regis, ſucceſſoris Phil. Pulchri, fuiſſent in Gallias revocati, rurſum ſub *Philippo Longo* expulſi, unà cum ſic dictis *Leproſis*, qui tum in Galliâ opulentiſſimi fuerunt: Et hos, ut qui cum Judæis ſcilicet conſpiraſſent, & puteos, fontes, aquas, ſacculis vel panniculis ligatis veneno refertis, infeciſſent, (undè *liquor nigerrimus & fœtidus, quem horribile eſſet non ſolùm ſentire, ſed & videre*, ut Continuator Nangii) totâ Franciâ puniri ſeveriſſimè juſſit, uti Judæos Franciæ limitibus expelli, publicatis ipſorum Bonis. Ita *Carolo* VI. Rege, ſub finem Seculi, exagitati in Galliâ Judæi, ob rumores de interfecto quodam Judæo ad fidem Chriſti converſo; & vitam ac libertatem redimere coacti, magno ære, quod præcipuè intendebatur. Et ſic in aliis Regnis contigit, crimina hujuſmodi improperari Judæis, atque ità proſcribi eos, vel internecione deleri: Viciſſim Judæi, in Chronicis ſuis, ſeu libris præcipuè *Schebet-Jehudâ*, *Juchaſin*, *Zemach David*, *Schalſcheleth Kabala*, efferre pro pertinaciâ Gentis, ſua Martyria quibus *Deum ſanctificârint*, conſtantiam, conſervationes miraculoſas, & quæ ad Gentis ſuæ decus pertinere crediderunt.

Scriptores Jud. hoc ævo.

Inclytos hoc Seculo Scriptores illi habuêre, magni

Digitized by Google

gni ſcilicet inter Talmudiſtas & Magiſtros nominis, in Hiſpaniâ & Toleti præcipuè: Quales ex. gr. *R. Aſcher*, qui *Ras* vel *Haroſch* contractè, Commentator & Epitomator quoque Talmudicus, ſub titulo אשרי *Aſcheri*, vel *Aſcherea* Compendia, ſeu *Aſcherea* Concluſiones Talmudicæ. *R. Levi B. Gerſon*, Commentator in XXIV. libros Vet. T. Maimonidis ex filiâ nepos; *R. Jahakob* filius Aſcher, Auctor ארבע שורים ſeu *Quatuor Ordines*, Libri Ritualis & Juridici, in IV. Partes tributi, ac Bombergianis typis excuſi; præter פירוש התורה *Explicationem Legis*, ſeu Commentarium in Legem. *R. Joſeph Albo* celebris Auctor Libri עקרים ſeu *Fundamentorum* Religionis Judaicæ, qui tamen ad initia Seculi XV. referendus eſt. Et ſi qui *Magiſtri* fuêre plures alicujus inter ipſos nominis, qui ex Buxtorfio, Hottingero, aliis id genus repeti poſſunt.

Muhammedaniſmi progreſſ. Etiam clades.

II. *Muhammedaniſmi* progreſſus, ſimul cum illo Turcici ſeu *Ottomannici* Imperii, & afflictis in Oriente Chriſtianorum rebus, retulimus diſtinctiùs in ſuperioribus, *Sect.* II. & IX. Sed & *Tamerlanis*, ſeu *Timur-lenc*, ſectâ Muhammedani, ſurgentis ſub extrema hujus Seculi, latè victoriæ, impiæ huic ſuperſtitioni animos fecerunt. Ex adverſo afflictæ res Arabum fuêre, captâ *Rhodo* Inſulâ per Equites Hoſpitalis Hieroſolymitani, A. MCCCX. tùm etiam variis in Hiſpaniâ acceptis cladibus, quæ Mauris Granatenſibus per Aragoniæ & Caſtellæ Reges illatæ: De quibus Mariana, Marmolius, & Scriptores Rerum Saracen. & Hiſpanic.

Ac rerum potiebatur hac Ætate inclinatâ, ab Anno Hegiræ DCCXCI. id eſt, Chriſti, MCCCLXXXVIII. quartus Otmanidarum Imperator, *Bajazethes* vulgò, *Abu-Jazid* Turcis, cognomento *Gilderun* ſeu *fulmen*, qui poſt res fortiter, ſuperbè, ac crudeliter geſtas adverſus Saracenos, Tataros, Chriſtianos, tandem in poteſtatem Timur-lenci datus, ac caveâ ferreâ incluſus fuit, ut fusè ſuprà, *Cap.* II. Factum multi referunt jam ſub extrema Seculi XIV. & ità Byzantini; alii demùm An. MCCCCI. vel MCCCCII. ut ex Annalibus Turcicis apud Leunclavium, ex Theodorico Niemo, Marianâ Libro XIX. id genus Scriptoribus, colligunt.

Mamluci in Æg.

III. In Ægypto Muhammedaniſmum ſtrenuè promoverunt, *Mamluci* vel *Mamluchi*, id eſt, Arabicâ voce *ſervi emptitii*, multi bello capti; priorum ſcilicet, qui in Ægypto regnârunt Sultanorum ex Jobidis, ſervi, honoribus augendi. Et hi duûm hoc Ævo generum fuerunt. Alii ex *Mamlucis Bahritis* (البحرية) Turcicæ originis, qui ſuperiore Seculo, ſublato *Jobidarum* ultimo, tyrannidem invaſerant, poſt Francos Ægypto pulſos, ab A. Chr. MCCL. & regnum Ægypti tenuerunt, annis penè CXXXVII. quando finiit hæc Dynaſtia. Alii ex *Mamlucis Circaſſis* (الجراكسة) nova Dynaſtia, qui Bahritarum primò ſervi, Circaſſi ut plurimum origine, ab iſtis empti ingenti numero, dein hoc Ævo ad Imperium admovendi, A. Hegiræ DCCLXXXIV. id eſt, Æræ Chriſtianæ MCCCLXXXII. primo Rege, vel Sultano Circaſſo, *Almalec Al-Daher Abu-Said Barkuk*, qui obiit anno Hegiræ DCCCI. id eſt, Chriſti MCCCXCVIII. Sub his tamen (per *Selimum* Otmanidam extinguendis A. MDXVII.) fuerunt in Ægypto qui *Chalifarum* titulum retinerent, ſed titulum tantùm; quo nomine venerunt Muhammedis Succeſſores, ac ſummi Imperatores, nam خليفة dicit *Succeſſorem Regni*. At tandem extinctus Mamluchorum dominatus, ſed & Chalifarum auctoritas omnis ſublata, per *Selimum* Otmanidam, Turcarum Imperatorem; Syriâ ab eodem, mox etiam Ægypto, *ſubactis*, Anno Hegiræ DCCCCXXIII. id eſt, Chriſti MDXVII. Vide, inter alios, Supplementum Pocockianum Hiſtoriæ Abulfaraji.

IV. Pariter *Tamerlanis*, ſeu *Timur-lenc*, ſurgentis ſub occaſum hujus Seculi ad Orientis totius Imperium, arma victricia, hujuſque poſteri, impiam Muhammedis ſuperſtitionem propagârunt. Hic *Timur* cognomento *Lenc* ſeu *Claudus*, non vili agricolâ aut bubulco natus, nec etiam latroniciis infamis, ut Turcicæ ac Saracenicæ Hiſtoriæ Auctores; ſed ex poſteris *Zinchis-Chani*, qui in Zagathiâ, ſeu parte Occidentalis Tatariæ regnârunt, ubi Samarkanda horum Regia fuit. Hic verò eſt, qui poſt varias Aſiæ regiones ſubjectas, converſus tandem in Aſiam Minorem adverſùs *Bajazethem* fuit, cum exercitu DCCC. Millium Equitum Peditumque, eo ſucceſſu quem Hiſtoriæ produnt. Vocatum fuiſſe à *Manuële* Imperat. Legatis in Parthiam ad eum miſſis, tacent Byzantini, Chalcocondylas, Phranzes, & alii rerum Turcicarum Scriptores, ac ipſe Petrus Bizarus in Rerum Perſicarum Hiſt. typis Wechelii: Unus retulit Theod. Spanduginus, qui de Turcicis rebus nonnulla ſcripſit ſub Clemente VII. quâ de re Spondanus, ad An. MCCCCI. & alii. Indè non deſtitit Timur, donec univerſam *Tatariam*, *Syriam*, *Ægyptum*, *Meſopotamiam*, *Armeniam*, *Chowareſmiam*, *Babyloniam*, *Yrakam* ſeu *Perſiam*, *Indiam*; armis ſubjugaret, graſſatus cædibus, ſtragibus, rapinis, igne ac ferro omnia devaſtans, undè *Timur* Turcis *ferrum* ſignificare monet Ahmed Scriptor Arabs. Nam Timuri Hiſtoriam deſcripſerunt præcipuè Orientales, quos bella ab eo excitata, & totus Oriens miſerè concuſſus, remotiſſimis quidem Orbe Europæo locis, propiùs attigerunt. Inter illos eſt præfatus *Ahmed* filius *Arabſcha*, florens ipſo hoc Seculo XIV. cujus Hiſtoria Arabicè prodiit, *Lugd. Bat.* Ann. MDCXXXVI. curante magno Jacobo Golio, qui luculentam Præfationem adjecit. Hic *Timuri* patriam, nomen, parentes (patre *Tarageo* è magnatibus Regni *Mavar-al-nahara*, cui ab Occaſu eſt Chowareſmia) prodigia in nativitate, indolem, educationem, conjugium, fortitudinem, dominandi pruritum, gradum ad tyrannidem in rapinis, latrociniis, CCC. primò militibus, hinc progreſſum, ac totius vitæ curſum, etiam mulieres, filios, congeſtos theſauros, &c. pluribus exponit. Adhæc delectatum fuiſſe Timurum Viris ingenio & doctrinâ præſtantibus, & propoſitione *quæſtionum* difficilium, oſtentando acumine, & in literas amore. Sævus ac immitis in hoſtes, etiam Muſulmannos, quos in Syriâ, in Ægypto, exquiſitis tormentis & ſuppliciis excarnificavit. Cæterùm juſtitiæ ſeverus exactor, liberalis etiam & munificus in ſuos. Staturâ quoque eminens fuiſſe dicitur, pollens viribus, corpore vegeto, & ad labores indurato, ut *octuageſimo* ætatis anno valeret animi corporiſque vigore; moriturus tandem morbo ex frigoris incommodis contracto, & corpus *Samarkandam* illatum à Sultane *Chulilo* nepote; quam Samarkandam Timur Imperii ſedem conſtituerat, in Tatariâ Occidentali, ad Ortum Maris Caſpii, de cujus ſitu Nubienſis Geographus *Clim.* IV. *Parte* VIII. Undè verò claudicaverit, hinc Timur-Lenc, factum ferunt ex luxato femore, percuſſâ adoleſcentis Timuri *ſcapulâ* à Paſtore quodam, cujus pecudem ablatam in humeros ſuſtulerat. Cæterùm hujus religionem maledictis inceſſerunt Scriptores Muhammedani, quamvis ex *Iſlamiſmo* conflatam, vulgò *Cingis-Chaniſmi* nomine appellandam, de quo prolixè Cl. Hottingerus, Diſſert. de *Gingis-Chaniſmo*. Et ab hujus Timuri nepotibus devolutum dicitur Imperium, quod in Indiâ vel Indoſtanâ tenent *Mogolenſes* ampliſſimum.

Timuri brevis Hiſtoria.

V. *Sinenſium* Imperium, etiam Auſtraliores partes, Tatari *Occidentales* (qui ex Zingis-Chani familiâ) totum expugnaverant Seculo ſuperiore ex M. Paulo, Haytone, & aliis, cum 700. armatorum mil-

millibus, *Kublay-Chano*, vel *Cobilâ* imperante, qui aliis, *Xiçu*. Steterat ſub Sinenſibus (ut ferunt) per annos 4222. idque ſub Familiis Imperatoriis XIX. ex M. Paulo, Haytone, & Sinenſis Hiſtoriæ Scriptoribus. Eoque Imperio rursùm exuti *Tatari Occidui* hac Ætate, qui Sedem Imperii in Pekim habuerant, Cyclo Sinenſium LXVIII. Chriſti Anno MCCCLXVIII. poſtquam Imperium tenuiſſent per annos LXXXIX. Pulſi autem fuêre hi Tatari Occidentales à *Chu* quodam vel *Taiçu* Sinenſi, Latronum Duce, & fundatore Familiæ XXI. quæ *Tai-Min*, vel *Taimingarum* dicta, Regiâ in *Nan-king*, vel *Nankim* conſtitutâ. Hæc per annos CCLXXVI. numeravit Imperatores XVI. uſque ad Annum hujus noſtri Seculi MDCXLIV. quo Tatari *Orientales* Sinam univerſam occupârunt, fundato novo Imperio Tataro-Sinico. Quâ de re prolixè Martinius, & Atlas Sinicus, ac Chronologia nupera Monarchiæ Sinicæ. Ex quibus etiam intelligitur, hunc quem dicimus *Taiçu* Sinenſem, novæ Familiæ fundatorem, ſaluberrimas hoc Seculo XIV. leges ſanciviſſe; in unum Corpus leges omnes priſcas & novas, quod 300. tandem Voluminum fuit, redigi juſſiſſe; literas foviſſe, per Tataros oppreſſas, Gymnaſiis regiis erectis, & Laureis poſt Examina, quibus ipſe intereſſet, decretis; *Confucio* honores divinos abrogaſſe, ei ſtatuas erigi aut conflari prohibuiſſe, grata literati Viri recordatione interim commendatâ. Juſtitiâ etiam moderatione, temperantia, & præclaris gubernandi præceptis ſeſe commendavit hic Imperator; inter quæ illud, *Sapientem Regem curas omnes ſuas eò dirigere, ut diligat ſuos, foveat, ac ſuſtentet:* Ac Filio ſe in itinere comitanti dixit aliquando; *Ideò te mecum adduxi, ut tuis ipſe uſurpes oculis, pauperum Colonorum labores ac ſudores*, ut *diſcas miſereri illos, ac moderari vectigalia.* Quin plurimum debuiſſe ſe *Uxoris* (deformis quanquam) pietati ac prudentiæ, fatebatur, qui naturâ præceps ac feroci animo quum eſſet, ab eâ didicit, mores ad lenitatem, temperantiam, moderationemque componere, ut teſtantur Sinenſium Annales, Cyclo Sinenſi LXVII. Hinc Reges Chriſtianiſſimi exemplum ſumant, optimi & ſaluberrimi regiminis.

FINIS *Seculi Quarti Decimi.*

Digitized by Google

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM QUINTUM DECIMUM.

Rationes Chronologicæ.

INITIUM Seculo dedit Annus Chriſti MCCCCI. Imperatore Orientis *Manuële* vel *Emmanuële* II. Palæologo, ſed in Occidentem profecto; *Bajazethe* I. Turcarum Imperatore IV. mox cum Tamerlane vel Timure committendo; Romanorum Rege *Ruperto* Palatino *Præjuniore*, cognomento *Parvo*, nuper electo, ac VI. Januarii coronato: *Bonifacio* IX. adminiſtrante adhuc Pontificatum, ab Ann. MCCCLXXXIX. Sed Anti-Papâ *Benedicto* XIII. ſeu Petro de Lunâ, Aragone, Avenione electo A. MCCCXCIV. poſt mortem *Clementis* VII. Fruſtrà laboraturis, pro tollendo Schiſmate, Rege Galliæ, Aragoniæ, & Univerſitate Pariſ. In Galliâ regnavit tum ab An. MCCCLXXX. *Carolus* VI. in amentiam delapſus; In Angliâ regnum invaſerat *Henricus* IV. Lancaſtrius, poſt exauctoratum Richardum II. In Hiſpaniâ, Caſtellæ regnum tenebat *Henricus* III. cognomento *Valetudinarius*; Aragoniæ illud rexit *Martinus*, qui fratri *Johanni* Aragonio ſucceſſit A. MCCCXCV. Luſitaniæ autem regnum poſſidebat *Johannes* Ferdinandi ex impari Matre frater, inclytus pace belloque Princeps.

I. *Status Reip. & Eccleſiæ, ineunte Seculo* XV.

Imperatores Orientis, ad capt. Conſtantinop.

I. Quis fuerit rerum ſtatus, in Orbe utroque *Orientali* & *Occiduo*, ineunte Seculo XV. ſequentia docent. Orientis nempè *Imperium*, ſeu Imperii quandam umbram, tenuit *Manuël* vel *Emmanuël* Palæologus, ſed tùm ad Anglorum Regem, & ad Carolum VI. Galliarum, profectus, An. MCCCC. relicto in Oriente *Johanne*, ejus ex fratre *nepote*, cui ſummam adminiſtrationis commiſit. Quo anno *Pariſiis* majori cum honore exceptus fuit, quàm fructu, *Rege* illi obviam eunte; dein Luparam conductus, ubi Sacra celebrari juſſit ritu Græcorum. Intereà dùm Conſtantinopolis arctiſſimè à Bajazethe teneretur, quarto *Turcarum* Sultano; ſed qui mox, ſolutâ obſidione, cum Tamerlane *Tatarorum* Chamo, infelici prælio committendus fuit, ingentibus utrimque & viribus & animis. Factum referunt ad Ancyram Phrygiæ, in vaſtiſſimâ planicie, A. pleriſque MCCCCII. XIX. Julii, quando captus Bajazethes, moriturus A. MCCCCIII. ut pluribus *Phranza*, & *Laonicus*. Quâ occaſione, ut iidem Hiſtorici, Manuël in patriam reverſus eſt, vectus Genuenſium triremibus. Fuit is *Manuël* pater *Johannis* II. in Italiam ad Synodum Florentinam deinceps profecti, unà cum Demetrio fratre: Quo Johanne ſine liberis extincto A. MCCCCXLVIII. ſucceſſit *Conſtantinus* VIII. frater, ſub quo amiſſa Conſtantinopolis & perditum Imperium fuit.

Imperator Occid. Rupertus.

II. Imperium Romanum tenuit tùm *Rupertus* Palatinus, qui & Bavarus, cognomento Clemens; unanimi Collegarum ſuffragio electus, poſt occiſum nuper (inſidiis Moguntini) Fridericum IV. ex Brunſvicenſi Duce Imperatorem electum, A. MCCCC. & poſt depoſitum, ut viſum ſuprà *col.* 1808. ob ignaviam *Wenceſlaum*. Idemque Rupertus laudatiſſimus Princeps, & in literas munificentiſſimus, formidabilis hoc Anno futurus Italis, cumprimis *Galeacio* Mediolanenſi, in Italiam profectus eſt A. MCCCCI. ad ſuſcipiendum pro more Coronam Imperialem; Vicario interim Imperii conſtituto filio *Ludovico*, publicis Literis, quas exhibuit nuper Auctor Codicis Juris Gent. Diplomatici p. 263. *Sanè cum diſponente Altiſſimo, pro Coronâ Imperialis diadematis ſuſcipiendâ, ad præſens partes Italiæ ſumus ingreſſuri*, &c. Mox tamen rediturus fuit ad ſuos *Rupertus*, irritâ Expeditione, deficientibus ſcilicet Ruperto Florentinis, Venetis, & Bonifacio ipſo Pontifice: Conſentiunt Hiſtorici.

Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Siciliæ, Reges.

Galliam tùm regio nomine tenuit Carolus VI. indè ab A. MCCCLXXX. quando natus fuit annos circiter XII. vitam producturus ad A. MCCCCXXII. ſed crebrâ phreneſi, indè ab A. MCCCXCII. & morbis animi ac corporis, afflictam: De Regimine intereà & Regni & Fiſci Regii, poſt Avunculos Caroli, Ducem Bituricum, &c. & alterum Ducem Burgundiæ, certaturis *Ludovico* Aurelianenſi, fratre Caroli VI. cui Vicarias ſui partes Rex commiſerat, Principe non quidem ingenio ſed ætate impari; & *Philippo Audaci*, Duce Burgundiæ, qui tandem obtinuit adminiſtrationem Regni ſuffragio Ducum & Procerum, moriturus A. MCCCCIV. Donec ea dignitas *Regentis Regni Franciæ* tranſiret ad Carolum Regis primogenitum, Anno MCCCCXIX. qui poſteà Carolus VII. Res Caroli VI. fuſè & fideliter perſecutus eſt *Joannes Juvenalis Urſinus*, ex Advocato Fiſci Epiſcopus Bellovacorum, tandem Archiep. Remenſis & primus *Par* Franciæ, editus cum Obſervationibus Chronicis & Hiſtoricis, atque Annotationibus, à Dionyſio Godofredo A. MDCLIII. typis Regiis. *Angliam* tenuit Henricus IV. anteà Lancaſtrius, poſt depoſitum Richardum II. mox bello à Carolo VI. impetitus, cujus filia Richardo II. nupſerat. Adeò ut Ludovicus Valeſius Dux Aurelianenſis, Henricum ad duellum depoſceret, miſſis literis A. MCCCCII. accuſans Henricum necis *Richardi* II. *Regis ſui* & *Fratris*, & exutæ *Reginæ* neptis Ludovici, atque orbatæ donatione mortis causâ, & iis quæ dotis loco in Angliam intuliſſet: Quibus reſpondit Regio more Henricus Anglorum Rex, cauſatus fore hujuſmodi duellum præter Dignitatem regiam, nec antè viſum in Regibus Progenitoribus, &c. Inſtrumentis inſertis nuper Codici Juris Gentium Diplomatici, *pag.* 266. &c. *Hungariæ* regnum adminiſtrabat ab A. MCCCLXXXVI. *Sigiſmundus* filius Caroli IV. Imperat. frater Wenceſlai; mox in cuſtodiam à conjuratis traditus in Arcem Soclos, initâ conſpiratione cum *Ladiſlao* Siciliæ Rege, ad Hungariæ Sceptrum evocando, hoc Anno MCCCI. favore Bonifacii IX. & in Hungariæ Regem coronando. Alii factum referunt A. MCCCCIII. Bonifacii ultimo. Evaſurus brevi ex carcere fuit *Sigiſmundus*, ope Nobilis Viduæ; idemque *Ruperto* Palat. Regi Romanorum, hinc (qui brevis ævi fuit VI. menſium Imperator) *Jodoco* Moraviæ Marchioni, patrueli ſuo, in Imperium ſucceſſurus, electus à Septemviris A. MCCCCXI. de quo adhuc infrà.

In *Bohemiâ* regnavit Wenceſlaus frater Sigiſmundi, Imperio ob vitæ turpitudinem A. MCCCC. exutus, probante Bonifacio; idemque inviſus Romæ, præ-

præcipuè ob Huſſi & Bohemorum patrocinium, negatamque executionem *Bullarum* Pontificiarum. Hinc fœda Papiſtæ de Wenceſlao; qui de conquinato ejus fonte Baptiſmali eadem referunt, quæ de fonte Conſtantini Copronymi Iconomachi. *Ladiſlaus* verò, filius Caroli Parvi, Hungarici & Siculi Regni invaſoris, *Siculum*, *Neapolitanum*, mox & *Hungaricum* regnum tenuit, ſed poſtremo non diu gaviſurus, reſtituto mox Sigiſmundo. Aſt Romanæ Urbi, mortuo Bonifacio, mox infeſtis armis imminuit Ladiſlaus, Româ occupatâ A. MCCCCV. & deinceps iterùm A. MCCCCXIII. quando Johannes XXIII. fugere compulſus Florentiam, opem Sigiſmundi Imper. imploraturus: Sed anno proximè ſequente Italiam morte ſuâ liberaturus formidine, & Pontificem exilio; hunc quidem paulo poſt exauctorandum in Synodo Conſtantienſi, ut dicemus loco ſuo.

Pontifices Schiſmat. III. Turbarum autem penè omnium fontes ſub initia hujus Seculi *Pontifices* fuerunt. *Bonifacio* IX. Romæ ſedenti adhærebat Ladiſlaus, adhæſerat & Angliæ Regnum; *Benedicto* XIII. ſeu Petro de Lunâ favebant Wenceſlaus Imperator, in Bonifacium indignatus, ut & Sigiſmundus Hungariæ Rex, & Aragonius. Sed ab ejus obedientiâ A. MCCCXCVIII. ſe ſubtraxerant Galli, poſtquàm *Viam Ceſſionis*, à Germanis & Gallo propoſitam, repudiâſſet Benedictus, æquè ac Bonifacius; *Gallicanâ* Eccleſiâ abdicante Pontifici omnes Collationes Beneficiorum, Reſervationes, Expectativas, & quæ id genus plura ſunt; & ad ejus exemplum *Leodienſi* Eccleſiâ, aliiſque. Rediturus tamen Gallus fuit, certis legibus Papæ præſcriptis, ad obſequia Benedicti, An. MCCCCIII. eâ lege, ut *Via Ceſſionis* tandem ſubſcriberet Papa, & Concilium Generale indiceret, in quo de *Reformandâ Eccleſiâ* ageretur. Sed receſſura iterùm Gallicana Eccleſia, Anno MCCCCVII, poſtquàm cognoviſſet & Benedictum XIII. & Gregorium XII. eludere omnes *Unionis* vias, deponendos in Concilio Piſano, An. MCCCCIX. Quâ de re præ cæteris Theodoricus Niemus, in Hiſtoriâ Schiſmatis inter Papas & Anti-Papas, *Libris* IV. aliquoties recuſis; præter Hiſtoriam Caroli VI. ſuprà memoratam, & Acta quæ Concilium Piſanum Anno MCCCCIX. habitum præceſſerunt, apud Luc. Dacherium, *Tomo* VI. Spicilegii, *pag.* 175. &c.

Luctuoſus Eccl. ſtatus. IV. Ex quibus luctuoſiſſimus cùm *Reipublicæ* tùm *Eccleſiæ* ſtatus intelligitur hoc ineunte Seculo, in Orbe utroque. Eccleſiâ Pontificiâ tùm in *tres partes* diviſâ, quorum altera Bonifacio, altera Benedicto, tertia neutri adhæreſceret, & hæc dicta fuit, *Obedire Deo & Eccleſiæ*. Ad hanc infelicitatem acceſſit, mota perſecutio atrox in *Wicleſitas* ſeu Lolardos An. MCCCCI. decreto Parliamenti Londinenſis, de quâ pluribus Walſinghamus in Henrico IV. aliique Rerum Anglican. Scriptores, & nos infrà. In Bohemiâ verò *Huſſus* cum ſuis, occaſione Indulgentiarum & Jubilei Bonifaciani, in Cleri Romani avaritiam, luxum, libidines, palàm effundi cœpit: Probatis etiam Wicleſi Scriptis, nuper ex Angliâ per Bohemos Pragam delatis, ut dictum *Sect.* VII. Seculi prioris.

II. *Continuatio Schiſmatis, & tyrannidis Papalis in Romanâ Eccleſiâ. Schiſma novum ſub Eugenio* IV.

Anti-Papæ juram. immemores. I. Uno hîc obtutu ſubjicimus legentium oculis, primò continuatum *Schiſma* inter Papas & Anti-Papas, cujus execranda pluribus deſcripſit laudatus Niemus. *Bonifacio nono* Romæ mortuo An. MCCCCIV. ſucceſſit *Innocentius* VII. jurato priùs Unionis ſtudio, ſed fraudulenter: Mox viam omnis ingreſſus, & facturus An. MCCCCVI. locum *Gregorio* XII. Veneto, LXX. annos nato (qui antè Angelus Corrarius) itidem juraturo abdicationem, ſi *Benedictus* XIII. juramento eodem obſtrictus, Ceſſionem faceret. Quod juramentum repetiit magnificis verbis, poſt ſuam Conſecrationem; *Sibi* LXX. *annis nato, ſi reliqua ad Unionem Eccleſiæ procurandam defuerint, nihilominus baculo & pedibus etiam perreptando quocunque Gentium ad eam complendam profecturum, nec ullis unquàm laboribus aut periculis in hac cauſâ parciturum.* *Benedictus* verò ille, anteà *Petrus de Lunâ*, nobiliſſimo genere in Aragonibus orto, indè ab A. MCCCXCIV. Pontifex in Schiſmate electus, juratâ quoque *Ceſſione*, ſi ità videretur, *paratus etiam uſque ad mortem vel immolationem proprii corporis, ſi ita res exigeret, Eccleſiaſticam Unionem procurare*, ut plures ſe accepiſſe ex ore Benedicti XIII. teſtatus eſt Johannes Gerſon, Sermone IV. de Conſiderat. pro pace, *Conſid.* II. Sed utrique ſummi Imperii ſuavitate illecti, & ſolemnis illius juramenti ac ſponſionis obliti, cunctas opes, conſilia, & ſtudia ſua ad retinendum Papatum contulerunt, ut jam ſuprà ex Richerio Doct. Sorbonico viſum. Imprimis perjurus & pertinax Benedictus ille, qui totis annis XXV. Papatum tenuit: *Sex* ille Anti-Papis, *Romæ* interea ſeſſuris, oppoſitus, Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Johanni XXIII. & Martino V.

Mox *triceps* Romana Eccleſia fuit, dùm Cardinales utriuſque obedientiæ, à Gregorio ipſo ſegreges, in Concilio *Piſano*, (de quo pluribus infrà) nullâ auctoritate Pontificis indicto, A. MCCCCIX. novum Pontificem elegerunt Petrum de Candiâ Cardinalem, de Mediolanenſi Archiepiſcopatu aſſumptum, olim Minoritam, nomine *Alexandri* V. Declaratis *Gregorio* & *Benedicto* Pontiff. *notoriis Schiſmaticis, notoriis Hæreticis, & à fide deviis, perjuris, ſcandaloſis, incorrigibilibus, omni honore & dignitate, etiam Papali, indignis*, &c. ut pluribus in *Actis* ejuſdem Synodi Piſanæ, & in tenore *Sententiæ* contrà prædictos contendentes de Papatu, *Seſſ.* XV. apud Lucam Dacherium Spicilegii *Tomo* VI. Deſiderentur licet in Collectione Surii, Binii, & Romanâ, ſed ſuppleta in Collectione Labbeanâ. Nec tamen omnes Concilium illud *Piſanum* pro legitimo, vel *Alexandrum* V. pro indubitato Pontifice habuerunt, ut inter alios ipſe Cajetanus Apol. de Auctoritate Papæ & Concilii, P. II. C. XI. *Aſſerere Piſanum Concilium fuiſſe certum, & Alexandrum V. Pontificem indubitatum, eſſe renovare Schiſma, & indubiè damnare Gregorium XII. & Benedictum, cum ſuis Obedientiis.* Undè nec ceſſuri depoſiti Pontifices geſto à ſe Papatu, vel obtemperaturi Concilio Piſano, ſeu Gregorius ille XII. cui Apuliæ Regulus, & Itali alii, adhuc favebant, ſeu Benedictus XIII. Quorum ille ceſſurus demùm fuit A. MCCCCXV. tempore Conſtantienſis *Synodi*, *Legatus indè perpetuus* in Marchiâ Anconitanâ: Hic verò, qui de jure ſuo decedere voluit nunquam, favente ſolo Rege Aragoniæ, & Scotiæ, ac Comite Armaniaco, inter *Aragones* primum, dein in Regno *Valentino*, pertinax futurus ad mortem uſque, & ad Annum MCCCCXXIV. Oratores tamen Regis Aragonum uniti ſunt tandem Synodo Conſtantienſi, XV. Oct. MCCCCXVI. ut videre eſt *Actione* XXII. Triceps Rom. Eccleſia.

II. *Alexandro* V. ferè octogenario, brevi fatis conceſſuro, A. MCCCCX. ſuffectus eſt Balthaſar Coſſa, Neapolitanus, Legatus Bononienſis, & Cardinalis Diaconus, nomine *Johannis* XXIII. ſibimet ipſi Chlamyde impoſitâ, addito, *Ego ſum Papa*; Anti-Papis adhuc *Gregorio*, & *Benedicto*. Ubi rurſùm *triceps* Eccleſiâ in tres *obedientias* diviſâ, Bellarmino ipſo aſſerente, *Lib.* I. de Concil. C. VIII. *Communem fermè opinionem eſſe Alexandrum* V. *& qui ei ſucceſſit Johannem* XXIII. *fuiſſe veros Pontifices; & ex tri-* Iterùm.

Digitized by Google

bus qui ſe tum pro Pontificibus gerebant, *iſtos maximè ut Pontifices cultos*; Nec enim *potuiſſe facilè judicari*, *quis eorum verus ac legitimus eſſet Pontifex*, *cùm non deeſſent ſingulis doctiſſimi Patroni*, de Rom. Pont. *Libro* IV. *Cap.* XIV. Secus tamen à Bellarmino ſentiunt cordatiores Galli, & *unam & ſolam Obedientiam Johannis conſtituiſſe Eccleſiam Catholicam*, *atque unitatem*, *ſanctitatem*, *& auctoritatem Eccleſiæ*, *hoc articulo Symboli ſubnixam*, Credo unam Sanctam Eccleſiam Catholicam, *nullo modo penes Benedictum & Gregorium habitare potuiſſe.* Iſte verò *Johannes*, ut primò Concilium Conſtantienſe indixerit, tollendo ſcilicet Schiſmati, quod juxtà decretum Piſanæ Synodi *Seſſ.* XX. celebrandum fuerat *triennio* poſt, *Anno Domini* MCCCCXII. Deindè ut in eodem Papatum abdicaturum ſe promiſerit, juxtà formam oblatam Johanni Papæ, præſente Sigiſmundo Imperat. qui de Cathedrâ ſurgens, ſuo & Concilii nomine, gratias agit pro ſpontaneâ abdicatione Johannis *Seſſ.* II. Tùm ut Johannes clam à Concilio cum aliquot Cardinalibus ſe ſubduxerit, Scaphuſam primò dein Friburgum, Concilio nihilominùs ſtatuente *Seſſ.* III. *propter deceſſum Johannis* XXIII. *vel aliorum Prælatorum*, *non diſſolvi Sacrum Concilium*, *nec diſſolvendum*, *quouſque præſens Schiſma extirpatum*, *& Eccleſia reformata fuiſſet in fide & moribus*, *in Capite & Membris.* Tandem accuſatus Johannes infandorum criminum, prolatis *quinquaginta Capitibus accuſationum*, etiam negatæ *Vitæ futuræ*, & *Reſurrectionis mortuorum*, *Seſſ.* XI. Et ipſe ſe ſubmittens *Concilio*, & ſententiæ *abdicationis* contrà ſe ferendæ, ſolenniter depoſitus fuit *Seſſ.* XII. poſtquam à Sigiſmundo Imp. traditus in cuſtodiam eſſet, in Oppido *Cellæ*, duobus ab urbe Conſtantiâ milliaribus; dein à Ludovico Elect. Palatino, Cuſtode Concilii, in Caſtro propè Manhemium detentus, ferè per quadriennium, datis eis duobus Capellanis, & aliquot Nobilibus ad miniſteria, ac *valdè laudabiliter tractans* juxtà Theodoricum Niemum, in Vitâ Joh. XXIII. editâ ab H. Meibomio Rerum Germanicar. *Tom.* I. Donec is redemptâ libertate, pretio XXX. millium aureorum, Anno MCCCCXIX. ſupplex fieret Martino V. Pontifici à Conſtantienſi Synodo electo A. MCCCCXVII. ad pedes ejus procumbens, in urbe Florentiæ: Mox creatus Epiſcopus Tuſculanus, & Collegii Decanus, ex ſummo antè Pontifice. *Articulos* contrà Johannem XXIII. ut notoriè *infamem*, *perjurum*, *tyrannum*, *Simoniacum*, *veneficum*, *homicidam*, *inceſtuoſum*, *infinitis criminibus deteſtandum*, &c. adhæc *Atheum*, profanum, vide *Seſſione* XI. & XII. Synodi Conſtantienſis.

Martinus V. III. *Martinus* V. anteà *Otto* Cardinalis de *Columna*, qui Piſano & Conſtantienſi Concilio interfuit, auctoritate Conſtantienſis Synodi, *Seſſ.* XLI. ſubſtitutus eſt *tribus Papis* depoſitis, A. MCCCCXVII. Novemb. XI. Quum jam toto penè quadriennio Eccleſia, ex *tricipite*, fuiſſet ἀκέφαλος. Et ne ſic quidem ſublatum Schiſma, *Benedicto* XIII. Papâ manſuro ad Annum MCCCCXXIV. & poſt hunc *Clemente* VIII. Anti-Papâ Hiſpano, ad Annum uſque MCCCCXXIX. Quando ſcilicet in Concilio *Detruſæ* ſeu Dortoſæ *Tarraconenſis Prov.* (aliàs *Tortoſæ*) habito, Clemens iſte, qui & Ægidius de Munione, ceſſit Pontificatu, ac Martino V. ſe ſubjecit.

Antichriſti in eo Characteres. In *Martino* verò, quamvis melioris notæ habito Pontifice, neque ſuperbia defuit, frænum equi tenente Sigiſmundo Cæſare; neque *cumulandarum opum* ac *theſaurorum* ſtudium, ut de eo Antoninus, & cæteri; ſed nec Antichriſtiani characteres alii. Puta, in approbato Huſſi & Hieronymi truci vivicomburio; in editâ adverſùs Wiclefitas, Bohemos, & Moravos, Bullâ *Inter Cunctas*, quâ eos *ſine figurâ judicii* jubet tradi *Brachio Seculari*, legendâ ad calcem Actorum Conſtantienſium; atque in promovendis in eos diris perſecutionibus, ſub *ſacrarum Expeditionum* nomine, infeſtis Literis datis ad Sigiſmundum Imperat. ad Septemviros, ad Poloniæ Regem, ad Lithuanum, ad Præſules quaquaverſùm, fusè apud Raynaldum, ad Annos MCCCCXXI. MCCCCXXII. & deinceps. Acceſſit *Excommunicatio* Sigiſmundi Lithuaniæ Ducis; & altera Conradi Archiepiſcopi Pragenſis; quod ſcilicet Hæreticis patrocinarentur, Sententiis legendis apud eundem. Ità Martinum V. conatum, per Nuncios in Franciam ad Carolum VII. miſſos, Decreta Eccleſiæ Gallicanæ perfringere, quæ Libertates ejus adſtruerent, hoc obtutu, *ſententiam Paſtoris*, *etiam injuſtam*, *timendam & tenendam eſſe*, vel ex Gerſonio Cancellario conſtat; qui oppoſuit, *Diſcuſſionem illius aſſertionis*, *ſententiam Paſtoris*, *etiam injuſtam*, *tenendam eſſe*: Quam *continere* ait *errorem intolerabilem*, *contrà publicam juſtitiam*, *& cedere in uſurpationem indebitam.* Et addit idem in eodem Opuſculo; *Reges Franciæ die ſuæ Inaugurationis ſolitos ſe ſacramento obſtringere*, *ad propugnandas Eccleſiarum Regni ſui libertates*; *& debere reputare ſententias cujuſcunque Paſtoris*, *etiam ſummi Pontificis latas in oppoſitum*, *eſſe injuſtas*, &c. Adde Martini *diſpenſationes* circà Gradus prohibitos *Lev.* XVIII. Ex. gr. permiſsâ non tantum Comiti Fuxenſi Gallo, ſorore prioris conjugis, in uxorem, quod & noſtra tempora viderunt; verum & permiſſâ *germanâ* ſorore in matrimonium, *fratri* cuidam, ut teſtantur in *Summis* ſuis Antoninus Archiep. Florent. & Angelus de Clavaſio, hujus Sec. ſcriptores. Quanquam vocem *germanam* de propinquâ, vel de affine, interpretantur, quos pudet indulgentiæ Papalis. Reliqua *Bullæ* Martini teſtantur, in Bullario Cherubini, *Tomo* I.

IV. Schiſmate in ſpeciem ſublato, & *Martino*, Eugenius IV. ſtatim poſt emiſſam Bullam pro indictione Concilii Baſileenſis, Kal. Febr. A. MCCCCXXXI. humanis rebus exempto, mox novum Schiſma natum ſub Eugenio, ituris per eadem veſtigia Pontificibus ad unum reliquis. *Eugenius* IV. Venetus, Martini ſucceſſor, electus in Pontificem *Nonis* Martii A. MCCCCXXXI. antè appellatus *Gabriel Condulmerius*, illicò indictionem factam Concilii Baſil. confirmavit, & eidem Juliano Cardinali, quem Concilii Præſidem declaraverat Martini Bulla, hanc præſidendi provinciam prorogavit. Sed quum hæc Synodus *Seſſione* II. pro fundamento omnium Decretorum poſuiſſet Decretum IV. & V. Conſtantienſis Synodi, ſcil. quod Generale *Concilium Eccleſiam militantem repræſentans*, *poteſtatem immediatè à Chriſto habet*, *cui quilibet cujuſcunque ſtatus vel dignitatis*, *etiamſi Papalis*, *exiſtat*, *obedire tenetur in iis quæ pertinent ad Fidem*, *& extirpationem Schiſmatis*, &c. Cui acceſſit alterum decretum ejuſdem Synodi Baſileenſis; *Quod quicumque*, *cujuſcunque ſtatus vel dignitatis*, *etiamſi Papalis*, *exiſtat*, *qui mandatis*, *ſtatutis*, *ſeu ordinationibus aut præceptis hujus Sacræ Synodi*, *& cujuſcunque alterius Concilii Generalis legitimè congregati*, *ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus*, *factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit*, *niſi reſipuerit*, *condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur*, *& debitè puniatur*, &c. Eugenius ità perculſus fuit hac procedendi ratione, & magno omnium Nationum Baſileam confluxu, ut Oratores Baſileam mitteret, Archiep. Tarentinum, & Coloſſenſem Epiſc. qui perſuaderent Juliano Cardin. Sancti Angeli, ut prætextu Græcorum commodiùs excipiendorum, evulgaret Synodum Baſileenſem eſſe diſſolvendam, & poſteà transportandam Bononiam, dein Ferrariam, in Diplomate dato An. MCCCCXXXVII. ubi & Synodum aperuit ſequenti Januario. Undè Synodus contendere Concilium eſſe ſuprà Papam, à nemine iſtud diſſolvi poſſe, diſſolutionem Eugenii eſſe ipſo jure nullam, Hæreticum eſſe qui Concilii auctoritati ſuprà Papam averſaretur; monere itaque Eugenium ne Synodum Baſileenſem turbaret

ret ſi præſcripto etiam tempore, intrà quod Eugenius adhæreret eidem Synodo, aſſentiente Sigiſmundo Imperatore, qui *Seſſ.* IX. A. MCCCCXXXIII. ad Synodum Baſileenſem acceſſit. Tandem ipsâ Concilii (quod diſſolvere Eugenius tentaverat, Concilio etiam interdicto, quin & Sigiſmundo Roman. Imperatore) ſententiâ latâ in *Seſſ.* XXIV. A. MCCCCXXXIX. deponendus & exauctorandus fuit, electo *Amadeo* Sabaudiæ Duce, ſub nomine *Felicis* V. Declarandus idem Eugenius, in ſententiâ depoſitionis; *Notorius & manifeſtus contumax, inobediens univerſali Eccleſiæ, rebellis, violator contemptorque Canonum, unitatis perturbator, ſcandalizator, Simoniacus, perjurus, hæreticus, incorrigibilis, Schiſmaticus, à fide devius, pertinax hæreticus, dilapidator jurium & bonorum Eccleſiæ, inutilis ac damnoſus, ad adminiſtrationem Romani Pontificis, omni titulo, gradu, honore, & dignitate indignus,* ac *privatus ipſo jure Papatu & Romano Pontificio*; quemadmodùm Synodus *ab eiſdem amovet, deponit, privat, & abjicit, decernendo juris pœnas,* &c. Undè meritò quæſivit Calvinus, ſub finem Epiſt. Apologeticæ ad Franciſcum I. quî abdicatus Eugenius à Concilio tanquàm *univerſali* indicto, ut *manifeſtus contumax, rebellis,* &c. potuerit creare legitimos Cardinales, Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, cæteraque exercere Papalia Officia? Ad quæ hoc unum reſpondent, dubium eſſe, *an Synodus Baſileenſis, quando Eugenium abdicavit, Eccleſiam univerſalem ſufficienter repræſentarit?* Idem ergò dicatur de Synodo *Conſtantienſi* à quâ Johannes XXIII. abdicatus, ut *notoriè infamis, perjurus,* &c. idem de Synodo *Piſanâ*, in quâ exauctorati Gregorius XII. & Benedictus XIII.

Facta Antichriſtiana. Alia laudanda.

Cæterum idem Eugenius, vel ex dato ſpecimine, ivit per veſtigia deceſſorum: Dùm v. gr. mortuâ *Johannâ* Neapolitanâ Reginâ, idem Regnum tanquam fiduciarium Rom. Eccleſiæ, dedit *Renato* Andegavenſium Duci; occupandum poſteà ab Alphonſo Rege Aragon. *Luſitaniæ* Regem Eduardum increpuit, quod cauſas de Jure Patronatus, & Præſules ipſos, ad Tribunal ſuos evocaret; *Pragmaticam Sanctionem* Caroli VII. reſtauratricem diſciplinæ, ac libertatum Eccleſiæ Gallic. in Conventu Bituricenſi latam de conſilio Procerum, A. MCCCCXXXVIII. & antè approbatam in Conc. Baſileenſi, rejecit Eugenius, nec ceſſarunt rejicere Pontifices ut adverſam eorum uſurpationibus, ac moliminibus Eugenii. Comprehenſa fuit ſub XXII. *Titulis*, quorum ſumma fuit; Conciliorum Generalium frequens celebratio, ut quorum ſuprema eſſet in Eccleſiâ auctoritas; Abuſuum circà Electiones, Reſervationes Beneficiorum, Gratias expectativas, Præventiones Paparum in conferendis Beneficiis, frivolas Appellationes, Annatarum ſolutiones, Excommunicationes, &c. & ſimilium, quos Curia Romana invexiſſet, abrogatio; ac Pontificiæ poteſtatis intrà limites ſuos coercitio, atque Ariſtocratici in Eccleſiâ Regiminis reſtitutio. Undè tandem Pragmaticæ antiquationem à Franciſco I. invitâ Eccleſiâ Gallicanâ, obtinuit *Leo* X. A. MDXVI. Cæterùm laudatus Antonino Florent. *Chronici* P. III. Tit. XXII. C. II. & aliis, Pontifex Eugenius, tanquàm munificus, liberalis in pauperes, æſtimator Religioſorum qui tales affectu & effectu, conſtans ac tenax propoſiti, auſterus in vitæ modo, eloquio expeditus, probè affectus in Literatos, ut Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Trapezuntium Blondum, Laurentium Vallam, &c. Memoratu dignæ hæ morientis Eugenii voces, ad adſtantes Viros Religioſos; *Quanto magis conduxiſſet ſaluti animæ ſuæ, ſi nunquàm Cardinalatum vel Pontificatum obtinuiſſet, ſed in ſuo Monaſterio Religioſam Diſciplinam coluiſſet!* Ità in *Vitâ* ejus, quam laudat Odor. Raynaldus. Platina dicit *Virum ingenio & rebus geſtis inſignem.*

Felix V. antè Amadeus Eremita, olim conjugatus ſuſceptis ex Conjuge liberis, agens tùm in ſolitudine & receſſu, *Ripaliæ* Genev. Dioceſeôs, Dux Sabaudiæ, Anti-Papa à Baſileenſibus electus, *Seſſ.* XXXIX. novo *Schiſmati* ſuo aſſenſu occaſionem dedit, A. MCCCCXL. De cujus electione & coronatione extat Epiſtola Æneæ Sylvii, in Faſciculo Rerum Expet. in quâ Felicis hujus *duos Filios* Patri Miſſificanti miniſtraſſe, novo exemplo, refert. Exindè in *tres* rursùm partes dividendâ Eccleſiâ: Quarum una *Eugenio* adhæreret, Italia ferè omnis, Gallia juxtà pleroſque, Anglia, Hiſpania, Hungaria, referente Æneâ Sylvio: Altera *Felici* V. ut Sabaudia, Helvetia, Bavaria, Saxonia ex parte, Burgundia, &c. Tertia *neutri*, & in iis Alfonſus Aragonum & Siciliæ Rex, Poloni, Germani, aliique, ipſe Fridericus III. uſque ad Annum MCCCCXLVII. Quando ſub certis *Concordatis*, (quæ *Concordata Germanica* dicunt, & quæ inprimis reſpicerent *Reſervationes* & *Collationes* Eccleſiarum, Beneficiorum, &c. ac *præeminentiam Conciliorum Generalium*) tandem *neutralitatem* abjecit Fridericus, cum Germanis Principibus ac Præſulibus, acceſſurus Nicolao V. quod factum inductu *Æneæ Sylvii*, paulo poſt futuri Pontificis. Vide Conſtitutionem I. Nicolai V. quæ incipit *Ad Sacram Sedem Petri*, &c. quâ approbat ea Concordata ſeu Ordinationes Nicolaus in Bullario Fl. Cherubini. Uti expeditis in formâ Literis ſive Bullis, reſcidit idem cenſuras, ſuſpenſiones, ſententias, &c. & quicquid factum eſſet contrà *Felicem* V. aut contrà *Concil. Baſileenſe*; confirmatis quæ iſti decreviſſent, ſtatuiſſent, pacis ergò & conciliationis; Et quidem accedente Decreto Synodi Lauſannenſis XVI. *Apr.* A. MCCCCXLIX. in quam urbem Synodus Baſileâ tranſlata fuerat, ut videre eſt in *Tomo* XIII. Concil. *col.* 1335. &c. Adeò ut *Cardinales* quos Amadeus creaverat, venirent in arbitrium Nicolai, teſte Platinâ. — Felix V.

Igitur Eugenio IV. anteà religione Cœleſtino, fatis functo A. MCCCCXLVII. ſurrogatus eſt Romæ, ex Bononienſi Epiſcopo, & Cardinali, *Nicolaus* V. eodem Anno MCCCCXLVII. Paulo poſt abdicaturo Papatum *Felice* V. miſſis ad eum Oratoribus Gebennæ vel Genevæ tùm agentem, A. MCCCCXLIX. inductu præcipuè Chriſtianiſſimi Regis, & honeſtis *Felici* conditionibus *Lauſannæ* decretis, ab iis qui *Baſileæ* congregati fuerant: Eâ ſcilicet lege, ut Felicis V. rata eſſent Acta & Decreta, idemque primus ac Decanus Cardinalium, *Legatuſque perpetuus Sedis Apoſtolicæ* in Germaniâ & ditionibus Sabaudiæ, &c. haberetur. Hinc ſeceſſit Ripaliam Sabaudiæ, caſtrum ad *Ripas* Lacûs Lemanni, loco amœniſſimo, quo tanquam Eremo ſe continebat, procul à turbâ hominum, non procul à deliciis omne genus, ferculis, vinis, oblectamentis, &c. Atque ità reliquum vitæ tempus otio & voluptatibus tranſegit, undè Genevatum proverbium *faire Ripaille*, id eſt, genio liberiùs indulgere; ex ſententiâ Ph. Labbei, Andreæ Vallii, D. Auberii, & aliorum, ſed invito Menagio, in *Originibus Gallic.* Hinc confirmatio ſubſecuta à *Nicolao* V. Actorum Concilii *Baſileenſis*, & Conceſſionum omnium ac Decretorum Anti-Papæ *Felicis* V. intervenientibus præcipuè Legatis Regis Franciæ, Caroli VII. Nempè *tres* Bullæ expeditæ, I. Pro *Caſſatione* omnium proceſſuum, ſententiarum, interdictorum, privationis Feudorum, honorum, beneficiorum, &c. quæ præceſſerant. 2. Pro *Confirmatione* geſtorum, ſive in Concilio, ſive per Papam Felicem V. ex quo electus fuerat, ut ſuprà. 3. Pro *Reſtitutione* privatorum in ſua bona, privilegia, beneficia, honores, jura ſpiritualia & temporalia, &c. Quæ legenda, ut apud Odoricum Raynaldum, cum Tabulis Ceſſionis Felicis V. ſic *Tomo* XII. & XIII. Concil. Edit. Labbeanæ, ad cal- — Abdicat Papatum. Bullæ Nicol. V.

Digitized by Google

calcem Actorum Synodi *Baſil.* & apud Lucam Dacherium Spicilegii T. IV. p. 345. 347. &c. Intererat nimiùm *Nicolai*, tolli æmulum Pontificem, cumprimis inſtante Jubilæo Anno MCCCCL. etiam quacunque ſub lege, paratiſſimi ad omnia quæ ſtipulati Oratores Galli, tam Regis quàm Delphini Vienn. in Conventu Lauſannenſi. Et hic finis *Schiſmatis* Papalis fuit.

III. *Pontifices reliqui hujus Seculi. Antichriſtiani characteres in ſingulis notati.*

Nicolaus V. I. *Nicolaum* V. humili loco natum, in Sarzanæ oppido Lucenſis agri (præter Literarum & Literatorum ſtudium, quod in ipſo fuit laudatiſſimum, *Bononiæ* bonas literas edocto; & illud componendi res Italicas ac diſſidia domeſtica; etiam juvandi ſed ſerò *Conſtantinopolitanos*, captâ Urbe Ann. MCCCCLIII.) non admodùm commendant reliqua. Scilicet amor immodicus vini, ſeu *ebrietatis vitium*, quod familiare fuiſſe *Nicolao Pontifici, viro alioque laudatiſſimo*, memorat Volaterranus, L. XXXII. *pag.* 1198. Sic ira præceps, hinc præcipitata judicia; Perſecutio atrox Bohemorum, ſpecie revocandi eos ad fidem; miſſis Nunciis ad eoſdem, inter quos fuit Æneas Sylvius, cum Bohemis congreſſus: Ità ſumptuoſa ædificia, luxus, ſuperbia; Indulgentiarum profuſio anno Jubilæo, quarum gratiâ ingens undique Romam factus eſt confluxus; quo anno *Bernardinum* Senenſem Sanctis adſcripſit, Monachum Franciſcanum, præcipuum promotorem Ordinis qui dicti Fratres *de Obſervantiâ*, in oppoſitione ad Fratres *Conventuales*, de quibus dictum ad *Sec.* XIV. C. XI. Hinc ab infinitis Miraculis prædicandus, de quibus Legenda, & Waddingus in *Annal.* Etiam à ſingulari quâ hic fuit ſuperſtitione in *Nomen Jeſu*, quod in tabulâ depictum vel ſculptum proponebat *adorandum*; undè ferebatur cultus in *Literas* id Nomen ſignificantes, magis quam in ipſum *qui iis ſignificabatur Chriſtum*, ut Spondanus ad A. MCCCCXIX. *Num.* V. Nec *Nicolaus* magnoperè Italis placuit, undè Inſcriptionem ejus quandam, literis initialibus P. N. V. *Papa Nicol.* V. reddiderunt Itali, *Papa Nihil Valet.* De quo, præter Vitarum Papalium Scriptores, plura Sabellicus, Volaterranus, alii; ac multus in eo commendando *Platina* eſt, præſertim à liberalitate in Viros literatos, & ſtudio bonarum literarum, Græcarum Latinarumque, quæ *ſexcentis jam anteà annis in ſitu & tenebris jacuerant.*

Calixtus III. II. *Calixtum* III. natione Hiſpanum, qui antè Alfonſus Borgia, *primum* indè *ab annis* LXXX. poſt Gregorium XI. id eſt, poſt natum Schiſma, *inventum fuiſſe certum & indubitatum Petri ſucceſſorem*, dixit Æneas Sylvius, *Epiſt.* ad Calixtum. De eo ſufficiat jam judicium Joh. Joviani Pontani, Itali Scriptoris, ſub finem hujus Sec. (qui Eraſmo *Vir ſummus, & in literis inter præcipuos numerandus*) *Lib.* I. Hiſtoriæ Belli Neapolit. fuiſſe eum Pontificem *fluxâ fide, pertinaci ingenio, variis conſiliis, præcipiti ambitione.* Principio Pontificatûs, Expeditionem ſacram contrà *Turcas* publicavit, etiam contrà *Mauros Granatenſes*; invitandis Romam Imperatoris omniumque Regum Oratoribus, ſed fruſtrà, ut Æneas Sylvius: Quo tamen nomine cœlo tollendus ab Antonino Archiep. Florentino, Chronici *Tit.* XXII. P. III. C. XVI. tanquam quem *deceret talem ac tantum Pontificem, pro hominibus aſſumptum in iis quæ ad Deum ſunt*, (quæ verba ſunt de Chriſto *Hebr.* V. 1.) qui foret *norma juſtitiæ*, &c. Et hujus Expeditionis obtentu ingentes theſauros collegit, *Decimis* exactis toto Orbe Chriſtiano; quibus ſe oppoſuit Pariſienſis Academia, appellans ad futurum *Concilium*; unde Alanum Cardinalem in Gallias miſit, qui eam *Appellationem* juberet revocari, de quo Odor. Raynaldus ad A. MCCCCLVI. *Num.* LVI. Et Calixti Literas quibus gratias egit *Carolo* VII. Gallorum Regi, pro indultâ Decimâ in ſubſidium contrà Turcas; *quam levari ſuper univerſali Eccleſiâ, & præſertim in ſuo Regno conſenſiſſet*, habes apud Dacherium *Spicil.* (non *Tom.* VII. ut Natalis Al.) ſed *Tomo* IV. p. 391. 392. Hinc idem Calixtus ſanxit, ne quis *à Papâ ad Concilium appellaret*, contrà quam Baſileenſes; & quidem adversùs appellantem ad futurum Concilium *Ferdinandum*, Alphonſi Magnanimi Regni Neapolit. & Siculi Hæredem, quem Regno Calixtus depulit, intentato Anathemate; & quem legitimum Patris ſucceſſorem, licet nothum, Eugenius IV. Bullâ legitimationis declaraverat, An. MCCCCXLIII. Sed Regnum hoc Calixtus Nepoti ſuo ambiebat, obtendens iſtud ut *feudum Eccleſiæ ad ſe ſolum pertinere*, ſic Antoninus Florent. P. III. *Chron. Tit.* XXII. C. XVI. Ità Germani ad petitum Pontificis, pro Expeditione adversùs Turcas, inſimulare Calixtum, quod *ſacrum aurum in uſus ſuos, non in ſacram expeditionem, conſumeret*; quo nomine ſcripſit Literas ad Fridericum III. Imperat. & apologiam contrà murmur & gravamen Germanicæ Nationis, apud Æneam Sylvium, *Epiſt.* CCCLXXXIII. Idem quoque *Annatas* ſolvendas Pontifici revocavit, quæ fuerant à Baſileenſibus damnatæ *Seſſ.* XII. XXI. deinceps noſtrâ ætate, ab Edmundo *Richerio*, M. Paulo Veneto, Joh. Launojo Pariſienſi *Theologo*, &c. editis in hanc rem ſcriptis, tanquàm execrandum *Simoniæ genus.* Hinc moriens relicturus CXV. *millia nummûm aureorum*, teſte Platinâ, quos ſcilicet (ut ille) *in uſus bellicos contrà Turcas comparaverat.*

III. *Pius* II. anteà Æneas Sylvius Picolominæus, Scriba in Conc. Baſil. & Literarum Apoſtolicarum Abbreviator, idemque unus ac præcipuus ex XII. Cenſoribus Concilii, & inter Collatores Beneficiorum bis electus; etiam à Concilio Baſil. Argentinam, Conſtantiam, Tridentum, & ad Ducem Sabaudiæ, tandem ad Fridericum III. Imp. delegatus, cui electionis Felicis V. cauſas exponeret, & approbaret. Hinc Baſileenſis Concilii Hiſtoriam *Libris duobus* Commentariorum pari fide & diligentiâ perſecutus eſt. A Secretis factus Friderico III. Romam ab hoc ablegandus fuit, acturus cum Nicolao de Coronatione Imperatoris: Poſteà in favorem Nicolai, (à quo Epiſcopus Tergeſtinus primò, dein Epiſc. Senenſis, undè originem ducebat, creatus fuit) clàm pro Felicis V. abdicatione laboraturus. *Vir tum in* ſummâ exiſtimatione atque auctoritate, arbiter ferè cauſarum & diſſidiorum inter Principes, etiam Neapolim ad Alphonſum ablegatus, à quo pacem facilè impetravit. Etiam ab Imperatore ad noviter electum Caliſtum III. miſſus, juramentum Pontifici de more exhibiturus; à quo tandem retentus Romæ fuit, & Purpuratis adſcriptus. Hæc fusè Platina. Vir ſanè inter principes hujus Ævi Viros referendus, niſi *Papa* fuiſſet. Pontificatum ſiquidem adeptus A. MCCCCLVIII. verſâ velificatione retractavit quæ pro Concilio Baſileenſi, adversùs Eugenium ſummum Pontif. commentatus fuerat, editâ in hanc rem Bullâ, quæ *Retractationum* dicitur, An. MCCCCLXIII. inſertâ *Tomo* XIII. Edit. Labbeanæ *col.* 1407. Ipſiſque factis longè ſe alium ab *Æneâ* hic *Pius* ſecundus exhibuit, qui antè Romanam Curiam perſtrinxerat, Paparum auctoritatem, infallibilitatem, ſuperbiam oppugnaverat, urſeratque appellationes *à Papâ ad Concilium*, ipſamque emendationem Eccleſiæ; variis cumprimis *Epiſtolis*, *Dialogis*, & *Commentariis* de Concilio Baſil. inſertis Faſciculo Rerum Expetend. & inter Epiſtolas Æneæ Sylvii. Deindè factis ivit in oppoſita omnia, veritus, *ne quæ fuiſſent Æneæ*, aliquando *dicerentur Pii.* Pius II. qui antè Æneas Sylv.

Pii. Quod nimis probant ejus in Francorum Reges Carolum VII. & Ludovicum XI. actitata; etiam in Sigiſmundum Ducem Auſtriæ; in Renatum Siciliæ Regem; in Dietherum Iſenburgenſem, Moguntinum Archiepiſc. à ſe exauctorandum, &c. Probant & faſtus ingens, etiam in ſacris, oſtenſus; *interdictæ à Pio appellationes ad futurum Concilium*, ut *erroneæ ac deteſtabiles*, pronunciatis irritis quibuſcunque factis *appellationibus* ab Imperatoribus, Regibus, Epiſcopis, Univerſitatibus, Collegiis, &c. Repetitæ in *Bullâ Retractat.* voces Bernardi quondam ad Eugenium III. Pontificem; *Tu es Sacerdos magnus, tu ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, tu gubernatu Noë*, &c. *Hæc*, inquit, *Bernardus ad Eugenium* III. *ſcribit, cui ſupremam & omnimodam in Eccleſiâ poteſtatem concedit. Quod ille de Tertio teſtatur Eugenio, hoc nos de Quarto* (quem depoſuerat Concil. Baſileenſe, cujus pars magna fuerat Æneas) *& omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur*; Et *liquet unum in Eccleſiâ Caput eſſe, & unum Principem; nec eſſe Corpus Eccleſiæ ſine Capite, & omnem ex Capite defluere in membra poteſtatem.* Undè deprecatur eadem Bullâ, *ſe ut hominem erraſſe: Eccleſiam Dei ignoranter, ſicut Paulus, perſecutum eſſe*; & quæ in hunc ſenſum plura. *Nemo* enim *privatus* (ſunt Mezeræi voces, ad A. MCCCCLXI.) *magis laboraverat reducendæ Paparum poteſtati intra terminos Canonum, quàm Æneas Sylvius: Et nemo inter Papas magis ſollicitè laboravit, ut eandem Poteſtatem ultrà juris & rationis omnes limites extenderet, quàm fecit Pius* II. Hinc ille à Rege Ludovico XI. utilem Papæ operam navante Epiſc. Atrebatenſi, tandem extorſit Declarationem pro abolendâ *Pragmaticâ Sanctione*, de quâ ſuprà, A. MCCCCLXI. Sed nullius fuit in Galliâ vigoris ea Declaratio, opponente ſe Curiâ & Univerſitate Pariſienſi, ac Rege non urgente illius executionem, à Papâ ipſo variè deluſo. Rationes hujus oppoſitionis, *pro Libertate Eccleſiæ Gallicanæ, adverſus Romanam Aulam*, habes in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ, apud Bochellum *Lib.* IV. *Cap.* X. & hinc revocationem factam à Ludovico XI. in urbe Turonum An. MCCCCLXXV. quam ſubdit Bochellus *Cap.* XI. Ita prodidit ſe in Pio II. immodicus amor ſuorum, in confirmando Regno Neapolitano Alphonſi Notho Ferdinando, reſciſſâ Bullâ Calixti III. ſed in rem ſuam; dum Filiam Ferdinandi *Mariam* obtinuit *Antonio Picolomineo* Nepoti ſuo, cum *Ducatu* Amalphitano dotis loco iſti conceſſo, & cum *vi maximâ auri.* Et Johannes Stella Venetus, in Catal. Pontificum Romanorum, in *Pio* II. aſſerit hunc, *pro augmento Majeſtatis Pontificiæ, neque Reges aut Duces, populos aut tyrannos ullos formidaſſe; imò ſi quos delinquentes vidiſſet*, (id eſt adverſantes ſuæ voluntati) *bello & cenſuris tamdiu perſequebatur, quouſque ad ſanitatem rediiſſe agnoviſſet.* Cujus rei ſubdit ibidem exempla, in Ludovico Francorum Rege, in Borſtio Eſtenſi, in Sigiſmundo Auſtriæ Duce, in Archiepiſcopo Moguntino, &c. Mittimus alia Mornæo & aliis obſervata; ac prædominans in eo *ambitionis vitium*, notavit Volaterranus *Libro* XXII. Sub eo gravis contentio inter F. F. Minores & Dominicanos, *de ſanguine Chriſti in triduo Paſſionis effuſo*, & in terrâ jacente, de quâ verbum *Cap.* ſequenti. Ejus res geſtas Joh. Gobelinus ſcripſit, ſub Friderico III. in gratiam Picolomineæ gentis, Papæ Pio II. ipſemet à ſecretis. De *Huſſo* & *Hieronymo* mendaciſſimè Pius, in Bullâ Retractationis; *Voluiſſe videri Deos, non Homines*, quod Paparum verè fuit, & ipſius Pii II. vitium. Cæterùm laudatus hic Pontifex à facundiâ, doctrinâ, patientiâ laboris, temperantiâ, facili acceſſu, *uſu rerum maximo*, & à Scriptis Hiſtoricis, Politicis, Moralibus, Poëticis, Epiſtolicis, de quibus in *Æneâ Sylvio.* Epitaphium illi ſcriptum fertur, ubi inter alia,

Impius hic ſitus eſt, crudelis, raptor iniquus,
Æneas, Italiæ quem genuêre Senæ.

IV. Hujus Succeſſor fuit *Paulus* II. Barbus, aſſumptus Anno MCCCCLXIV. Eugenii IV. ex ſorore nepos. Diverſiſſimus hic à Pio II. ſi *odium Literarum* in Paulo reſpicimus, quarum amantiſſimus fuiſſet Pius. Uſque adeò ut Romanos à ſtudiis literarum deterruerit; *Hæreticos* pronunciârit humanitatis ſtudioſos, imò qui nomen *Academiæ* deinceps commemorarent; & Pomponium Lætum, Bapt. Platinam, alioſque Viros Doctos, divini & humani Juris peritos, Poëtas, Oratores, tam inquilinos quàm advenas, poſſeſſione pulſos, & muneribus remotos, acerrimè perſecutus ſit; quâ de re fusè ipſe Platina, qui ob liberiores ad Paulum voces in carcerem conjectus fuit. Infamis fuit Paulus II. avaritiâ, luxu, otio, gulâ, ludis, ſuperbiâ, tyrannide, oppreſſione bonorum, & Antichriſtiano verè Dominatu: Undè Genebrardus, Paulum *virtutis & literarum inimicum* vocat; & *Sacerdotia omnia ejus tempore Romæ fuiſſe venalia, nec Epiſcopatus niſi iis commiſiſſe qui Officium aliquod haberent venale, undè elici munus poſſet.* Sic notabiles hujus Pontificis voces ſunt, ad Platinam emiſſæ, quum iniquiſſimi judicii argueretur, & oppreſſorum civium; *Ità nos ad Judices revocas? Ac ſi neſcires omnia jura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe?* Sufficiat judicium Volaterrani, ſi Platina ſuſpectus cuiquam videatur, quod ille *Libro* XXII. de Paulo II. tulit: Sub quo nempe, *res Pontificalis* magnoperè *inclinata*; *janua vitiorum recluſa*; *antiqua Paſtorum diſciplina peſſundata*; *dies toti aut voluptati, aut nummis penſitandis, aut nomiſmatis* dati, *& ſive gemmis, ſive imaginibus ſpectandis.* Cumprimis ejus in adeundo Pontificatu perfidia notatur, qui Leges de optimâ ratione adminiſtrandi Papatûs à Cardinalibus conceptas, etiam ab ipſo juratas, ſi ad Pontificatum aſſumeretur (apud Jacobum Picolomin. Cardinalem Papienſem, qui ſub Papatu *Pii* II. rebus graviſſimis admotus, omnium digniſſimus Purpurâ habitus fuit, *Commentarior. Lib.* II. & in Epiſtolis, *Ep.* CLXXXI. CCLXXXI. &c.) ad unam omnes violavit, impulſu quorundam Cardinalium: Qui ad Paulum nuper electum, *indignum ajebant Vicariam Chriſti poteſtatem humanis conditionibus ſubdi; ipſumque non tam ſui arbitrii, quàm alienæ adminiſtrationis Miniſtrum videri; idque agendum, ut auctoritatem Eccleſiæ apud ſe, non apud Cardinales eſſe, omnes agnoſcerent.* Agnatos ſuos ſtudiosè promovit ad Cardinalatum, & primas in Eccleſiâ dignitates, *Marcum Barbum* Patricium Venetum, patruelem ſuum; *Baptiſtam Zenonem*, Nobilem Venetum, ex ſorore Nepotem; *Johannem Michaëli* Nepotem alterum, tandem Portuenſis Eccleſ. Epiſcopum, & Patriarcham Conſtantinopolit. In Paulo II. deſinit Platina, quem Onuphrius continuâvit in *quatuordecim* ſequentium Pontificum hiſtoriâ, uſque ad *Pium* V. Paulus II.

V. Nec dignior Petri Sede Franciſcus de Roboreâ vel Ruverâ, qui poſtmodùm *Sixtus* IV. ab Anno MCCCCLXXI. ex Monacho Franciſcano Pontifex, ſordido genere ortus, patre Piſcatore, apud Maſſonum, & ab infimis miniſteriis ad ſummum culmen evectus, planè ut poſteà, ex eodem Ordine Monachali, *Sixtus* V. Literarum non is quidem oſor, vel Literatorum; magis verò amans Nummorum, Bellorum, Nepotum, ac Monarchici imperii. *Papatum* certè *redigere hunc voluiſſe in Monarchiam*, nuper faſſus quoque Varillaſius in Hiſt. Arcanâ Domûs Mediceæ, *Lib.* IV. *Nepotiſmum* cœpiſſe à Sixto, id eſt, ſummam publicæ adminiſtrationis, tam *Civilis*, quàm *Eccleſiaſticæ*, dicat Volaterranus, Sixtus IV.

& Nepotiſmi Hiſtoria *Parte* I. Undè vulgatum illud fuit, *eſſe tot Pontifices quot Nepotes Sixti*: Et Raphaël *Libro* XXII. *Suorum imprimis amantiſſimum, atque indulgentiſſimum fuiſſe, quorum cauſâ pleraque præter fas juſque & ageret, & concederet.* I. Nepotes habuit quinque de *Ruvera* cognomines, & *tres* ſororibus natos, unum Nepti ſuæ locatum. *Julianus* omnium natu maximus, Cardinalatu & variis Beneficiis auctus; poſteà etiam Pontificatu, nomine Julii II. *Leonardus Ruverius* Nepos Sixti, cui Filiam Ferdinandi Siciliæ & Neapoleôs Regis collocavit, addito Sorano Ducatu. *Johannes* ex Raphaële fratre nepos, qui filiam Urbinatis Ducis matrimonio ſibi junxit, creandus Senogalliæ, aliorumque Eccleſiaſtici juris Dominus; cujus dein Filius jure hæreditario, & dotis nomine, Urbini Ducatum obtinuit. *Chriſtophorus* & *Dominicus* nati fratre juniore, Principatibus ambo donati ſunt. *Petrus Riarius*, ex ſorore nepos, quibus maxime favit, non Cardinalis modò creatus, ſed & cum prærogativâ Cardinalis *Nepotis*; *Hieronymus Riarius*, cui deſponſavit Catharinam Sfortiam, notham Ducis Mediolanenſis, jamque præfectus Exercitui Pontificis, Umbriæ partem, Romagnæ, & Thuſciæ devoraverat, nefariâ in Laurentium Mediceum conſpiratione, unâ cum Archiep. Piſano, & Pazzis Mediceæ Domûs æmulis; ſed in Capita auctorum reditura conjuratione. *Petrus* verò, cui commiſerat Sixtus ſummam rerum, vir fuit *natus perdendæ pecuniæ*, qui intrà *biennium* CC. *aureorum millia in luxu victitando abſumpſit*, LX. *millia æris alieni, & deceſſit tabidus voluptate, annorum* XXVIII. Sic Raphaël in Sixto IV. Anthropol. L. XXII. Bella quod attinet, plura memorat idem Volaterranus, dicto loco, ut *armis magis quàm religioni natus eſſet.* Tale bellum quod exorſus eſt, 1. Contrà Nicol. Vitellium Tiphernatem, quem antè amicum habuerat. 2. Contrà Laurentium Mediceum, & Florentinos, licet his faverent Galliæ Rex, Veneti, Ferrarienſes, Mediolanenſes; Sixtus verò favens *Pazzorum* familiæ, in *Mediceorum* odium. 3. Contrà Ferdinandum Siciliæ Regem, in quo Roberti Malateſtæ virtute magnum Regis exercitum profligavit, unâ cum Calabriæ Duce. 4. Contrà Venetos, pro Hercule Eſtenſi Duce Ferrariæ; ſed pacem cum Ferrarienſi & cæteris pro prudentiâ ſuâ inituros, Sixto neglecto; undè tantum animi rancorem concepiſſe dicitur, ut quinto indè die expiraverit, A. MCCCCLXXXIV. Hinc *quum, tot tumultibus aſſumptâ pecuniâ*, novâ indigeret, etiam nova Collegia excogitavit primus, *Breviatorum*, *Sollicitatorum*, *Adſtipulatorum*, *Notariorum*, &c. quæ magno pretio vænirent. In hunc quoque finem contraxit tempus *Jubilæi*, celebrandi anno quovis XXV.

Superſtitio Sixti IV.

Et hinc profuſæ in ſuos opes. Non verò Pontifex alius hoc Sixto *ſuperſtitioſior*, ut ex ejus Bullis & Conſtitutionibus conſtat, legendis in *Bullario* Cherubini, vel apud Odor. Raynaldum. Ex. gr. pro celebrandâ *Feſtivitate* Franciſci Aſſiſii Ordinis ſui Fundatoris; pro celebraturis *Immaculatam* Deiparæ Virginis Conceptionem, in Feſto ejus Conceptionis, & per ejus Octavas; pro Feſto *Viſitationis* Mariæ, cum Officio proprio, quod ipſe compoſuerat, toto Orbe celebrando; pro novâ Congregatione *Minimorum* Franciſci de Paula; pro immunitatibus, & privilegiis *Mendicantium*; pro Canonizatione Bonaventuræ, Cardinalis ſub Gregorio X. &c. Epitaphia virulenta, quibus hic Sixtus ſuis coloribus exprimitur, habes apud Balæum, *Cent.* VIII. *pag.* 603. 604. iſtud inter alia,

Pædico inſignis, prædo, fucoſus, adulter,
Exitiumque Urbis, pernicieſque Dei.
Gaude priſce Nero, vincit te crimine Sixtus,
Hic ſcelus omne ſimul clauditur, & vitium.

Literarum ipſe quidem rudis fuit, præterquam Theologiæ Scholaſticæ, in quâ conſenuerat; adeò ut quum Theodorus Gaza, Græcè & Latinè doctiſſimus, elaboratiſſimum ipſi Scriptum offerret, & elegantiſſimè pictum, nil præter frontem auſteram indè retulerit, & contemptum operis; ut Gaza erumperet, *Aſino non offerendos eſſe niſi carduos.*

Innocentius VIII.

VI. *Innocentius* VIII. Ligur, antè Baptiſta Cybo ex illuſtri *Cyborum* apud Genuenſes familiâ, iis porrò veſtigiis inſtitit: Seu in Bello mox ab exaltatione promovendo in *Ferdinandum*, Neapolitanum Regem, tributa negantem, invitato *in* Italiam Carolo VIII. Gallorum Rege; ſeu in Nummis, pari quâ Sixtus arte, colligendis; ſeu in propenſo ergà ſuos ſtudio, non jam Nepotes, ſed filios *Nothos.* Præterquàm quòd *Mediceis* favit, ſecus ac Sixtus, Johanne Mediceo Laurentii filio, in Republ. Florentinâ principis, ad Purpuram evecto, anno ætatis XIII. qui poſtmodùm Pontifex fuit *Leo* X. Nempè frater iſte Magd. Mediceæ, formoſiſſimæ Virginis, cum uno ex Cybis maritandæ, videl. *Franciſco* Notho, cui elocavit matrimonio filiam Laurentii Medicei. Pontifex *blandus* in ſpeciem, ut etiam *infimæ conditionis homines ſæpè exoſcularetur*, reverâ *nemini benignus*, ſunt Volaterrani voces, id eſt, inſignis hypocrita. *Innatam avaritiam jocis atque dicteriis tranſigebat*, ut idem ille, publicæ rei negligens, iners, & quaſi *dormitans nihil potiùs habens quàm quieti & copiæ ſtudere*, undè in otio iſto Pontificis luxus, pompa, libidines. Hinc Pontificum primus, qui novo exemplo *palàm liberos nothos jactaret, ac ſolutâ omni antiquâ Diſciplinâ divitiis eos omnibus cumularet*, verba ſunt Raphaëlis. Hos *ſedecim* habuiſſe referunt;

Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas,
Hunc meritò poterit dicere Roma Patrem.

Et alluſione factâ ad explorationem ſexûs in ſellâ perforatâ,

Quid quæris teſtes, ſit mas an fœmina Cybo,
Reſpice Natorum, pignora certa, gregem.

Decies centena millia nummûm aureorum ab Innocentio collecta, obtentu belli Turcici & Neapolitani, intrà ejus conclave reperta ſunt, quo tempore *metu fulminis* territus, in apoplexiam ſeu νάρκην ſoporiferam incidit, ex Volaterrano, Onuphrio, & aliis. Literis parùm favit, cujus rei dedit ſpecimen luculentum, & livoris neſcio cujus, in damnandis XC. Concluſionibus, quaſi ſuſpectis de *Hæreſi*, Johannis Pici Mirandulæ Principis ad miraculum docti, qui pro illis Apologiam ſcripſit, & quas iſte *Scholaſticæ Diſputationis* gratiâ, *ſub Apoſtolicæ Sedis correctione*, publicaverat. Ejus tempore inventum *Crucis Titulum* in Baſilicâ S. Crucis, in medio Templi, pariete occluſum, cum triplici linguâ, *Jeſus Nazarenus Rex* . . . . . habet idem Volaterranus: Uti quoque, *Ferrum haſtæ, quod latus Domini perfodit*, dono miſſum Conſtantinopoli à Turcâ, ut Innocentium fratris captivi cauſâ leniret, reconditum fuiſſe in Baſilicâ Petri, juxtà locum in quo ſepultus eſt. Eundem *Norwagis* conceſſiſſe, ut Miſſæ Sacrificium *abſque vino*, quod difficulter in eam regionem tranſportaretur, celebrarent, tradit Volaterranus, *Geogr.* L. VII. In quo *falſi* ab aliis arguitur, *nec id potuiſſe concedere Pontificem, & in eo quòd Juris Divini eſt, diſpenſare.*

Alexander VI.

VII. *Alexander* VI. antè Rodericus *Borgia*, vel *Boria*, (Boreas Eccleſiæ) Calixti III. ex eâdem familiâ nepos, ab An. MCCCCXCII. *nefariâ negotiatione* Pontifex, ac palàm Simoniacus, ex Panvinio, Guicciardino, & Hiſt. Conclavis Alexandri. Ac de hoc Pontifice una omnium vox eſt, fuiſſe monſtrum *perfidiæ pluſquàm Punicæ*, ſic Onuphrius, pactis etiam recentibus violatis cum Gallo, & aliis. Adhæc ſuper-

Digitized by Google

perbiæ in Reges ac Principes intolerandæ, neſandæ libidinis, ſævitiæ immanis, avaritiæ inexhauſtæ, impietatis deteſtandæ, ſub quo Roma *Carnificina facta*, ut idem Panvinius. De eo dictum, impleſſe Hiſpaniam in ſuâ Legatione *meretricibus*, Romam *ſpuriis*. Et Janus Pannonius, auctor Elegiarum & Epigrammatum, alludens ad uſum ſellæ perforatæ, abolitum ſub initia Seculi XVI.

Cur igitur noſtro mos hic nunc tempore ceſſat?
Antè probat quod ſe quilibet eſſe Marem.

Ex filiis, alterum *minorem* natu Principem in regno Siciliæ fecit, alterum *Cæſarem* nomine Cardinalem; *Lucretiam* filiam, primò Johanni Sfortiæ, dein Aloiſio Aragon. Alphonſi regis notho, tandem Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci, locavit. *Cæſar* mox ſpreto Sacerdotio, ad Matrimonii vota tranſiit, ductâ Caralotta de Albretto, Galliæ Regis propinquâ, acceptâ à Ludovico XII. dotis loco, urbe *Valentiâ*, in Delphinatu, undè Princeps ſeu Dux *Valentinus* dictus eſt. Hic Cæſar eſt, in quem profudit Alexander theſauros ex Indulgentiis, & ex Jubilæo profectos; undè is dicterii loco, ſe *dilapidare peccata Germanorum*. Idem blaſphemè de Alexandri Patris erga ſe indulgentiâ, *Patrem* ſcilicet *Filio permittere, quæ haberet Spiritus S.* Notum enim illud de execrandâ Simoniâ Alexandri VI.

Vendit Alexander Claves, Altaria, Chriſtum:
Emerat ille priùs, vendere jure poteſt.

Ac *Cæſarem* quidem Borgiam, fratricidio *Johannis*, uſurpationibus perfidis, proculcatione divini atque humani juris, omnique libidinum ac ſcelerum genere infamem, collaudat Machiavellus, in ſuo *Principe*; proponendum ſcilicet, cum Alexandro Patre, in exemplum iis qui ad novos Principatus vel acquirendos, vel roborandos, adſpirant. Hinc ab iſto ſcelere hominis, Patris opibus, & Galli auxiliis adjuto, ac cædibus & rapinis omnia impleturo, oppreſſi *Urſini* Proceres, cæterique *Principes* Æmiliæ, Flaminiæ, Liguriæ, Provinciarum. Et nec dum ſatietate regnandi expletâ, plura moliturus fuit in Florentinos, Senenſes, Hiſpanos, ac in *ſtirpem omnem* eorum Nobilium quos bonis exuerat; ſed fortunam tandem novercam experturus. Qui *aut Cæſar aut nihil* eſſe voluit, tandem à Cæſareo faſtigio prolapſus eſt in *nihilum*. Nempè poſt Patrem eo *veneno* ſublatum, quo potentiores quos invitarat *Cardinales*, ad umbroſum Vaticani ruris fontem, ſpecie honoris *tollere* conſtituerat, ut eorum ampliſſimas opes inauditâ perfidiâ invaderet; ſed quæ malè ceſſit Cæſari, *veneno* ipſi Patri propinato, *medicatâ* ſcil. *Falerni vini lagenâ pocillatoris errore commutatâ*, undè hauſit inſcius Pontifex. Rationes tot facinorum exacturi *Pius* III. primùm, mox *Julius* II. à quo perpetuo carceri mancipatus fuit, tandem elapſus, ferro interfectorum periit miſerrimus Cæſar. Hæc A. MDIII. quo periit *Alexander* veneno aliis quidem parato, indignè poſt mortem habitus. Et de quo plura infrà, & apud Volaterranum, Panvinium, alioſque legas, ut Joh. Balæum *Cent.* VIII. alioſque taceam. Onuphrius ingenuè de hoc Alexandro: *Hac animi ornamenta magnis obruerat vitiis; perfidiâ pluſquam Punicâ, ſævitiâ immani, avaritiâ immenſâ ac rapacitate, inexhauſtâ parandi Filio imperii per fas & nefas, libidine. Si quando negotiis non premeretur, omni ſe jucunditatis generi ſine diſcrimine dedit. Mulieribus maxime addictus, ex quibus quatuor Filios, & duas Filias tulit. Omnium præcipua fuit, Vannocia Romana*, &c. *Comœdias Plautinas cæteraque ludicra, libenter ſpectavit, frequenterque in Hadriani molem, quam propugnaculis, muro, foſſâque, munivit, eum in finem ventitabat: In Urbe gladiatorum & ſicariorum nunquam licentia major, nunquam populo Romano libertas minor; delatorum ingens numerus, breviſſimo maledicto pœna mortis erat. Graſſatorum item omnia plena, nec noctu tutum per Urbem iter, nec interdiu extrà Urbem. Roma . . . . jam Carnificina facta erat; quæ quidem omnia ſuorum causâ, quibus omnia indulſerat, permittebat. Quos etiam ut magnis clientelis ſublevaret, dominationis præſidia in eo quoque iis paravit, ut ad* XLIII. *Cardinales, variis lectionibus, in his* XVIII. *Hiſpanos creaverit.* Machiavelli autem, Bzovii, & Gnathonum, in laudibus *Alexandri*, ſed & *Cæſaris* filii, mirari ſubeat frontem, an impietatem? Notum Epitaphium Filiæ eſt:

Onuphrii de Alex. judicium.

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Pontificis Filia, Sponſa, Nurus.

IV. *Nova Dogmatum, ſuperſtitionum, atque innovationum, in Romanâ Eccleſiâ, portenta. Specimina quædam ſelectiora.*

I. Propugnata Romæ fuit, hoc primùm Seculo XV. adversùs Concilia Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe, & quicquid Chriſtianum adhuc fuit, novella doctrina: *Papam eſſe suprà Concilium Generale*; nec *à ſententiâ Pontificis ad futurum Concilium appellari* poſſe, etiam in iis *quæ pertinerent ad Fidem*. Ità primò Eugenius IV. diſſolutâ Synodo Baſileenſi, ſed retractaturus poſteà, A. MCCCCXXXIV. ac *caſſaturus* quicquid in hanc Synodum ſtatuiſſet, inſertis Bullis Eugenii *Seſſione* XVI. Acriùs Pius II. in Conventu Mantuano, A. MCCCCLIX. editâ Bullâ, addendâ ad calcem Tomi XIII. Conciliorum, *col.* 1801. In quâ hujuſmodi *Apellationes ab ordinationibus, ſententiis, mandatis quibuſcunque Pontificum*, decernit *inanes, peſtiferas, ſententiam execrationis incurrentes*, &c. Et in Bullâ Retractationum Anno MCCCCLXIII. fatetur olim *Æneas* quum eſſet, tuitum ſe *antiquam ſententiam*, nunc amplecti *novam*, quæ extolleret *Apoſtolicæ Sedis poteſtatem suprà Concilium*; undè illud, *Æneam rejicite, Pium recipite*, ſed jam minimè pium. Quam tamen ſententiam, *Papam non eſſe ſubjectum Generali Concilio*, jam antè Æneam, ipſe Cardinalis Cameracenſis, Sermone ad Patres Conſtantienſes habito, dixerat *monſtroſum horrendumque offendiculum, blandam, fallacem, & ſubdolam adulationem, quæ foveret libidinem dominandi, & Papatum in tyrannidem, Eccleſiæ deſtructricem, converteret*: Contrariam verò definitionem Synodi Conſtantienſis, *Seſſ.* IV. *Generale Concilium, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, habere poteſtatem à Chriſto immediatè, cui quilibet, etiamſi Papalis dignitatis exiſtat, obedire teneatur in iis quæ pertinent ad fidem*, &c. eſſe *directionem fundamentalem, & velut infallibilem regulam, legem*, quæ in Eccleſiâ ſervari debeat. Eadem ſententia fuit Nicolai de Clemangiis, in iis quæ ſuper materiâ *Concilii Generalis* ſcripſit, Libro de *Poteſtate Eccleſiaſt.* & aliis. Quæ controverſia nuper recruduit inter Gallos Scriptores, & *Emmanuelem à Schelſtrate*, Vaticanæ tum Biblioth. Subpræfectum, ſuſtinentem eſſe *dubiam fidem* Canonum Conſtantienſium, *Seſſ.* IV. & V. quos adulterârint Baſileenſes, factoſque eſſe *ſine Examine*, nec *Conciliariter*, id eſt, non à cunctis Patribus in Concilio congregatis, poſtquam res à Nationibus ſingulis tributim eſſet approbata. Johannes verò Launojus, Pariſienſis Theologus, in *Epiſtolarum* aliquâ, *Parte* II. *Epiſt.* II. ex ipſis Pontificiis Scriptoribus, imò ipſis Pontificibus, demonſtravit, *ad fidem pertinere, quod Pontifex ſubſit Concilio, & ſacris Canonibus*; contrà ſententiam Bellarmini & ſequacium. Ac eandem cauſam multis egit Edm. Richerius, in Hiſt. Concilio-

Doctrina de ſuperioritate Papæ.

liorum, *Lib.* II. C. III. &c. offuciis *Andreæ Vallii* diſcuſſis ac confutatis.

Subtractio Calicis.

II. Subtractio *Calicis* in Euchariſtiâ S. lege jam introducta, cauſa juſtiſſima dolorum fuit. Facta illa Decreto Concilii Conſtantienſis, *Seſſ.* XIII. Junii XV. An. MCCCCXV. contrà *perverſum morem communicandi Laicos ſub utrâque ſpecie.* Vaniſſimi prætextus fuerunt, quos reponit nuper Mabillonus, Comment. in Ordinem Romanum, *Cap.* IX. *Periculum effuſionis*; *Prohibitio intinctionis*; *Exempla communionis Infirmorum*, & *Infantum*; & *Hæreſis eorum qui alteram ſine alterâ ſpeciem non valere* ſentiebant, quales fuêre Bohemi. Hinc decretum: *Quòd licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit & ſuis Diſcipulis adminiſtraverit, ſub utrâque ſpecie Panis & Vini, hoc venerabile Sacramentum*; & mox, *licet in primitivâ Eccleſiâ hujuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus, ſub utrâque ſpecie*, &c. tamen hoc non obſtante, *Sacrorum Canonum auctoritas, laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ, ſervavit & ſervat*, ſcilicet oppoſitum. Et ex Romanæ Eccleſiæ iſto ſacrilegio, quod jam ſuperiori Seculo molita fuerat, nati Bohemorum motus, & appellatio eorum quos in ſpecie *Calixtinos* dixerunt. Sed de hoc fuſè Theologi, & ipſe Georg. Caſſander, Conſultationis *Art.* XXII. moniturus *Martinum* V. *etiam poſt tempora Conſtantienſis Synodi, in ſolemni Paſcha Officio, juxtà præſcriptum Ordinis Romani, univerſum populum Corpore & Sanguine Domini communicaſſe*, adeoque *ſub utrâque* adminiſtrâſſe Laïcis. Quod & ad præcedens Seculum, ex ipſo nuper Mabillono, eſt à nobis obſervatum. Puduit Concilium Baſileenſe, *Seſſ.* XXX. hinc cautè decreturum, permiſſâ tacitè ac probatâ Utrâque; *Sive ſub* unâ *ſpecie, ſive ſub* duplici *quis communicet, ſecundùm ordinationem & obſervantiam Eccleſiæ, proficere dignè communicantibus ad ſalutem.* Undè etiam falſi accuſant *Volaterranum* Bzovius, Suareſius, Spondanus, & alii, referentem Geographiæ *Libr.* VII. *Cap.* de Saxonibus, Cimbris, &c. permiſiſſe Norvagis Innocentium VIII. celebrare Sacrificium Miſſæ *Unâ* tantum Panis *ſpecie, ſine Vino.* Rationem addunt iſti, quam meritò opponimus Conſtantienſi Decreto; *Nec id concedere potuit Pontifex, aut in eo quod Juris Divini eſt diſpenſare.* Rectiſſimè equidem. Sed nec prius dixit Volaterranus, permiſiſſe Innocentium Sacrificare *unâ* tantùm *ſpecie*; ſed *Calicem ſine vino Sacrificare*; ergò *Calicem* habuêre, ſed loco *vini* replendum alio liquore, ut hydromelle, aut ſimili.

Fides Hæret. data violanda.

III. Fœdum & illud Conſtantienſium, occaſione *Fidei* obſtrictæ à Sigiſmundo Imperatore, ergà Joh. Huſſum, & *ſalvi conductûs* illi dati: *Concilium majus eſſe Imperatore*; *Hæreticis vel de Hæreſi diffamatis*, non prodeſſe *quemvis ſalvum Conductum*; nec *quodcunque vinculum*, quo ſe illis *Imperator aut Reges adſtrinxerint*; *nullum hinc Juriſdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari*, &c. in Decreto Conſtantienſium *Seſſ.* XIX. Undè Æneas Sylvius, poſteris relictum eſſe exemplum, quin & legem, *Hæreticis non ſervandam fidem.* Hinc decretum, quo Huſſus mox ab adventu in carcerem miſſus fuit, contrà promiſſi fidem; ac poſteà nec auditus, nec convictus, degradatus idem fuit traditusque Judicio Seculari, flammis abſumendus A. MCCCCXV. ſecuturo Hieronymo A. MCCCCXVI. Nec ſufficiunt recentiorum illuſoria effugia: 1. *Abſolutum* fuiſſe à SS. Synodo *Sigiſmundum*, à promiſſi *fide*, & *obligatione*, *cùm feciſſet quod in ipſo fuit*; id eſt, à Synodo ad perjurium adactum, cujus *abſolutionem* ſimul conſecutus eſt. 2. Nullum *ſalvum Conductum* datum fuiſſe à Pontifice, vel Concilio ipſo. Quum tamen datus ab Imperatore, qui hac in re Summam Poteſtatem repræſentaret; & Judicio Seculari, cujus Præſes ſupremus Imperator, puniendi fuerint Huſſus, & Hieronymus. 3. *Fugâ* violâſſe fidem Huſſum; quod falſiſſimum apparebit infra ex Hiſtoriâ.

Immacul. Mariæ V. Conceptio.

IV. Doctrina de *Immaculatâ Conceptione Virginis* Mariæ, abſque *Peccato Originis*, quæ in Academiâ Pariſienſi defenſa fuerat, contrà Fratrem *Johannem de Monteſono* Hiſpanum, Ordinis Dominici, Ann. MCCCLXXXVII. (aſſerentem, *omnes homines, præter unum Chriſtum, ab Adamo contraxiſſe peccatum originale*) rurſum aſſerta fuit *Seſſ.* XXXVI. Synodi Baſil. *Nos verò diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis, in publicis relationibus ex parte utriuſque Doctrinæ, coràm hac S. Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & maturâ conſideratione penſatis; doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente & operante Divini Numinis gratiâ ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe Originali Peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni Originali & Actuali culpâ, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere.* Addunt, *Renovantes præterea inſtitutionem de celebrandâ Sanctâ ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias,* VI. *Idus Decembris, antiquâ & laudabili conſuetudine celebratur*, additis Indulgentiis *centum*, iterùm *centum & quadraginta dierum, verè pœnitentibus & confeſſis eâ die*, &c. Hinc concertationes natæ, inter Franciſcanos & Dominicanos, præcipuè ſub Sixto IV. è Franciſci familiâ Monacho, dein ad Pontificatum aſſumpto. *Peccati maculam in Conceptu* (ità in Diſputat. Ferrarienſi) aſſerente Vincentio de Caſtro-novo, Ord. Prædicatorum Magiſtro Generali; Minoritis contrà affirmaturis, *Virginem de Spiritu S. fuiſſe conceptam*, ipſo referente Vincentio. Hinc mutuæ accuſationes *Hæreſeôs, ſacrilegii*; & ſi quid his gravius eſt. Quâ de re prolixa narratio typis olim excuſa, Bononiæ Anno MCCCCLXXXI. deinceps recudenda, cum Teſtimoniis CCLX. Doctorum, pro Conceptione *Maculatâ*. Sixtus IV. Franciſcanis ſuis acceſſit quidem, ſed non apertè definire auſus, prohibens hac de re diſputari, promulgato Diplom. A. MCCCCLXXXIII. ſic prohibens, *Hæreſeôs labe pollutos cenſere, vel mortaliter peccare, hujuſmodi Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes*, &c. Pervaſit ea lis Scholas omnes & Academias hujus Ævi; ac *Minoritis* acceſſerunt Academiæ Pariſienſis, Colonienſis, Tubingenſis, Carmelitæ, Monachorum alii, ac plerique Cardinales, Præſules, Clerus penè omnis, ut erant tempora. Tamen hoc Ævo *Johannes Viridis* Dominicanus, & Concionator apud Rhotomagenſes, A. MCCCCXCVII. aſſeruit Propoſitiones contrarias, quæ & damnandæ Cenſurâ Sorbonicâ, & Diplomate Epiſcopi Pariſienſis. Ità Cajetanus, Maldonatus, & alii, pro Maculatâ Conceptione decertarunt, & Decretum Baſileenſium unâ liturâ induxerunt, dicentes, *fuiſſe Concilium illegitimum, Acephalum, nunquàm probatum ſummis Pontificibus.* Vide inter alios Spondanum ad Annos MCCCCXCIV. MCCCCXCVII. Tandem Pius V. & Tridentini, omne hac ſuper re litigium interdixerunt.

Nova Feſta.

V. Novæ *Feſtorum* ſuperſtitiones, cum profuſâ *Indulgentiarum* largitione. Quas inter *Feſtum Viſitationis Mariæ*, Elizabethæ domum ingreſſæ, necdùm obſervari ſolitum ab univerſâ Eccleſiâ, quicquid Urbanus VI. aut Bonifacius IX. decreviſſent: Et alterum *Immaculatæ Conceptionis*; cum Officiis propriis, & Octavis, confirmante Sixto IV. editis in hanc rem Bullis, & inſertâ Conſtitutione Extravag. Communium *Lib.* III. *Tit.* de Reliq. & Vener. Sanctorum, Capite *Cum Præexcelſa.* Probârant jam utrumque Feſtum Baſileenſes, *Seſſ.* XXXVI. &

XLIII.

Digitized by Google

XLIII. non unîus ſuperſtitionis auctores, vel promotores. Sed & Feſtum diem *Transfigurationis Chriſti* inſtituiſſe primum Calixtum III. Diplomate in hanc rem edito A. MCCCCLVII. quod exhibet Odor. Raynaldus, teſtantur Platina, Genebrardus, Ciaconius, & alii; quicquid Cæſ. Baronius, ad Martyrologium, altiorem originem hariolетur. *Hæc quidem à Calliſto* (ſic Baronius *Notis* ad Martyrol. ad VI. Auguſti) *de inſtitutione Divini Officii eâ die ſolenniter recitandi; at verò inſtitutio ejus ſolennitatis, longè antè ejus tempora facta conſpicitur.* Quod probat ex vetuſtiſſimis Græcorum *Menologiis, & Martyrologiis Mss.* tum ex *Wandelberto*, qui vixerit circà A. Domini DCCCL. in ſuo Martyrologio; qui tamen non meminit *Feſti* ſolennis inſtituti, ſed tantum *Chriſti carnem* antè *æthęream dediſſe figuram*, quàm pateretur. Sic *Transfigurationis* in Euangelicâ H. memoratæ meminerunt ità Veteres, ut nullam hujus ſpecialis & ſolennis *Feſti* mentionem injecerint, minùs Officii ad illud ordinati. Rectè jam hoc Ævo Joh. Gerſonius, ſermone habito in Concilio Provinc. Remenſi Anno MCCCCVIII. *Oper.* T. II. p. 630. &c. *Quid inſuper de multitudine præceptiva tot Feſtorum, quæ non obſervantur, & ità peccatur? Vel egeſtati ſubditorum, mechanicorum non ſufficienter conſulitur, vel peſſimè otioſitati, quâ neſciunt rurales benè uti, grandis janua aperitur. Subintroeunt conſequenter magno agmine ebrietates, lites, luſus improbi, expenſæ ſumptuoſiſſimæ, choreæ plenæ peccatis & inſaniis, & carminibus blaſphemis*, & quæ ibi plura. Ita Nicolaus de Clemangiis, Sermone *de Novis Celebritatibus* vel *Feſtivitatibus non inſtituendis*, earum oſtendit fœdam imaginem, & abuſus intolerandos, ac Vigilias turpes & erubeſcendas, actaſque in Templis ipſis choreas, &c. ut videre eſt inter opera Nicolai, quæ Joh. Lydius Notis illuſtravit.

Confraternitates, aliæque ſuperſtit.

VI. *Confraternitates* novæ, ac planè ad *Idololatriam* promovendam natæ. Quas inter Confraternitas *Roſarii*, ſeu *Pſalterii Mariæ*, in Provinciâ Britanniæ innovata, & ad quæſitum Franciſci Ducis & Margaritæ uxoris, Sixto IV. ſolemniter approbata, Editâ Bullâ, Anno MCCCCLXXXIX. apud Cherubinum, quæ eſt ordine XVIII. inter Sixtinas. Confirmavit, novis privilegiis additis, Sixtus poſteà V. Fuit nempè devotio ſingularis pro recitandis CL. *Ave Maria*, & XV. *Pater noſter*, inſtituta quidem à Dominico, ſed ut videtur deinceps intermiſſa, nunc novis Apparitionibus, jactatis in eum finem, renovanda. Undè fabula ad An. MCCCCLX. *Beatiſſimam Virginem apparuiſſe in Rupe Britanniæ, P. Alano Ordinis S. Dominici, illum adhortando, ut magnâ curâ & ſtudio, per ſuam ſuorumque Fratrum prædicationem, dictum Orandi ritum renovaret*, in Scholio ſecundo ad Bullam Sixti.

Quibus adde novam Ceremoniam à Calixto III. inſtitutam, pro *Nolis* quotidie *pulſandis*, inter Nonam & Veſperam, in omnibus Eccleſiis, faciendæ *trinæ* demurmurationi ſalutationis *Ave Mariæ*, & *Orationis* Dominicæ: Obtentus fuit, auxilio ſcilicet Græcis contrà Turcas hac ſpecie religionis impetrando. Sed & Gregorii XII. tempore, A. MCCCCVIII. Synodus habita fuit Oxonii, Thomâ Arondello Archiepiſcopo; in quâ ſtatutum: *Ut ab omnibus deinceps doceretur communiter, atque prædicaretur; Crucem & Imaginem Crucifixi, cæteraſque imagines Sanctorum, ac ipſorum Loca, & Reliquias, Proceſſionibus, Genuflexionibus, Inclinationibus, Thurificationibus, Deoſculationibus, Oblationibus, Luminarium accenſionibus, & Peregrinationibus, nec non aliis quibuſcumque modis & formis, venerandas eſſe.* Nempè eadem, quæ tenebroſiſſimis temporibus, ſuperſtitio fuit.

Titulus Crucis Dom.

VII. Novi *Reliquiarum* theſauri; quos inter *Titulus Crucis Dominicæ*, Romæ inventus in Baſilicâ S. Crucis in Jeruſalem, in Capſulâ plumbeâ, cum inſcriptione, ne quis ignoraret, idque ſub Innocentio VIII. Quem Titulum juſſit Innocentius, in ſolennibus Eccleſiæ ſolennitatibus, ſuper Altari fidelibus exponi; ut ex Archivo Vatic. Raynaldus, ad A. MCCCCXCII. N. XIV. Adhæc *ferrum Lanceæ* quo Chriſti latus perfoſſum fuit, à Bajazethe ſecundo eidem oblatum, A. MCCCCXCII. ut ſuprà dictum in hoc Innocentio. Verùm magnopere dubium, fueritne illud ferrum Chriſti vulnere conſecratum; cùm idem aſſervetur *Noribergæ*, inter Cæſarea Inſignia, in Eccleſia Hoſpitalis, inventum ſcil. Antiochiæ tempore Belli Sacri, revelante Andreâ Apoſtolo, ut ſuprà *col.* 1514. tum & aſſerv. *Pariſiis*, donatum (alii oppigneratum) Ludovico IX. Francorum Regi, à Balduino II. Imperatore Conſtantinopolit. Ne dicam, pluribus in *locis* aliis. Quales ſunt Reliquiæ innumeræ, quæ eædem ſcilicet, & eodem tempore, variis in locis oſtentantur, ut Imago Veronicæ, Sindo ſepulchralis, Caput J. Baptiſtæ, Corpus Lucæ Euang. &c. quod obſervatum ſuo loco. Quemadmodum idem Bajazeth, *manum Joh. Baptiſtæ* Equitibus Rhodiis donâſſe fertur, ex Jacobo Boſio in Hiſt. S. Militiæ Johannis Hieroſolymit. quam Italicè ſcripſit, Romæ vulgatam A. MDXCIV. Undè novum ſuperſtitioni & Idololatriæ pabulum. Ac Bzovium, Spondanum, Raynaldum, de his quàm prolixiſſimè, ſi lubet, conſule. Ità de *Corpore S. Lucæ*, acerrimè hoc Ævo ſub Sixto IV. diſceptatum eſt; idemne *Patavii* repoſitum ab antiquo, ut ſuprà, an *Venetias* nuper tranſlatum, & oblatum Mauro Duci, à Franciſcanis, eò delatum *Jayzâ* Boſniæ metropoli in mediterraneâ Illyrici regione, (ab Hungariæ Rege Matthiâ è Turcarum manibus ereptâ A. MCCCCLXIII. ut pluribus Bonfinius ſub finem Libri X. Decad. III.) in quâ ferebatur illud Corpus aſſervari. His acceſſit Beſſarion Cardinalis; Patavinis ſtrenuè repugnantibus, qui ad ſe tranſlatum Conſtantinopoli Lucæ Corpus conſtanter aſſeverant in hunc uſque diem, & in Monaſterio S. Juſtinæ reconditum. De quâ lite vide prolixè diſſertantem J. Henricum Hottingerum, qui momenta utriuſque partis refert, Hiſt. Sacræ *Sec.* XV. *Sect.* I. p. 108. 129. Mittimus *Reliquias* id genus ſine fine, & *Corpora* de novo vel inventa, vel tranſlata, de quo ad ſatietatem iidem Baronianorum Annal. Continuatores.

Ferrum S. Lanceæ, &c.

Canonizationes hoc Ævo.

VIII. *Canonizationum* deinceps nullus modus fuit, prout è re ſuâ eſſe, aut ſuæ Gentis, vel Familiæ Monachalis, Papæ crediderunt. Ità *Bernardinum Senenſem* Minoritam, de quo jam ſuprà, Sanctis adſcripſit paulo poſt Nicolaus V. olim Gibelinis inprimis adverſum: *Catharinam Senenſem*, ſtigmatibus Chriſti inſignitam, Pius II. Senenſis idem, habitâ in publico Conſiſtorio oratione, A. MCCCCLXI. Ità *Vincentium* Ferrerium in Britannia Minore Dominicanum, Calixto III. jam commendatum, idem Calixtus Divis adſcripſit; *Bonaventuram* Franciſcanum Sixtus IV. ejuſdem olim Ordinis, ut pluribus Antoninus, Waddingus, Chronicon Franciſcanor. *Leopoldum* Auſtriacum, urgente pridem Friderico III. Innocentius VIII. jactatis *innumeris miraculis ab eo editis*, ut Baronius ad Martyrol. XV. Novemb. Et qui ejus farinæ plures Divorum numerum, ac Feſtorum, auxerunt. Undè aliquando dixiſſe fertur Beſſarion Cardinalis, *Novos illos Sanctos ſibi dubium movere de Veteribus*; quod & Mornæus noſter in Calixto III. monuit.

Indulgentiar. nundinatio.

IX. *Indulgentiarum* ſeu *Remiſſionis omnium peccatorum*, turpiſſima nundinatio: Quæ jam præcipuus Theſaurus Romanæ Eccleſiæ fuerunt, profligatiſſimorum Nepotum, præcipuè Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. aurifodina; Bellorum Papalium nervus; dilapidationum nefandarum, ſplendidiſſimarum ſtructurarum, dotationum ampliſſimarum, reſtitutionum contracti æris alieni, omniſque

Digitized by Google

que luxûs Papalis, & Cardinalitii, & Archiepiſcopalis, fons inexhauſtus, ac certiſſimum ſubſidium. Loquantur Hiſtoriæ præcedentium quos diximus Pontificum, & illa Reformationis noviſſimæ, ſub Leone X. de quâ ad ſequens Secul.

Et quidem conceſſæ profuſâ liberalitate Indulgentiæ, in vitâ, & in morte, vaniſſimis obtentibus, quinimò impiis: Puta, pro *reductionibus Græcorum*; pro *ſacrâ in Hæreticos militiâ*; pro *ſodalitate Roſarii*; pro *Feſtorum Marianorum devotâ obſervantiâ*; pro *Cruce in Neapolitanum ac Siculum Regem*; pro cauſis id genus vel ſanguinariis, vel Idololatricis, ac ſuperſtitioſis. Quâ de re adhuc infrà.

Pſeudo-Miracula, &c. X. *Pſeudo-Miraculorum*, *Viſionum*, *Fabularum* id genus, tota plauſtra habentur hoc Ævo congeſta, feraci Monachorum ingenio id genus præſtigiarum. Partim ut commenta vetera Tranſſubſtantiationis, Purgatorii, ſuffragiorum pro Defunctis, aſſererent, omnemque Mariolatriam, vim mirificam Imaginum ac Reliquiarum, Sanctorum in Cœlis poteſtatem, Monachiſmi merita, & quæ hujus commatis plura fuêre: Partim ut novas ſuperſtitiones, nova Officia, novos Ordines, novos Divos, Divaſque, novas Confraternitates, aut novas ſine fine Reliquias, commendarent, & ex dementatis itá plebum animis, quin illis Regum ac Principum, mercibus ſuis pretium accederet. Unus hîc ſufficiat Bzovius, qui nugis iſtis quatuor penè grandes Tomos replevit. Nec *Græca* & *Orientalis* Eccleſia, horum quidem temporum, ceſſit admodùm hac parte Latinæ & Occidentali; ut ſunt Græcorum ingenia, cumprimis Monachorum, in tantâ rerum ignorantiâ, ad omnem ſuperſtitionem, & in fingendo mentiendoque libidinem, nata. Quod *Menæa*, Vitæ *Metaphraſtis*, ac *Byzantinæ* fabulæ, etiam apud Hiſtoricos hujus & ſuperioris Ævi, nimis quàm docent. Imo fraudes Monachorum Græcorum, in fingendis Reliquiis, pridem obſervavit Gregorius I. Epiſtolâ ad Conſtantinam Auguſtam, quæ eſt XXX. *Lib.* III. *Indict.* XII. *Monachi quidam Græci huc ante biennium venientes, nocturno ſilentio, juxtà Eccleſiam S. Pauli, corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum oſſa recondebant*, &c. *Confeſſi, quod illa oſſa ad Græciam eſſent, tanquam Sanctorum Reliquias, portaturi.*

Catharinæ Stigmata; Mariæ Annulus pronubus. XI. Exemplo ſint, præter ſuperiora, v. gr. Commentum de V. *Stigmatibus Chriſti* impreſſis corpori *Catharinæ Senenſis*, licet non ità exteriùs apparentibus, ſedente Gregorio XI. à Dominicanis acerrimè venditatum; à Franciſcanis verò accuſatum impoſturæ, ſub Sixto IV. hanc uni ſuo *Patriarchæ* prærogativam aſſerturis. Ità Tyria maria hoc Seculo concitata, in controverſiâ inter Peruſinos & Cluſinos vel Senenſes, *de Annulo pronubo Virginis Mariæ*, à ſponſo Joſepho in arrham accepto; pretioſiſſimo illo quidem, ut qui totus ex *Onyche*, vel *Amethyſto*, incertum enim ſe ſcripſit J. Bapt. Laurus, an ex *Amethyſto vel Onyche tornatus ſit.* Nempè Gemmarius quidam, Hieroſolymâ redux, pridem eum Annulum, inter gemmas alias, in Europam intulerat; cui commendando addidit de ſuo Inſtitor, ad Raînerium Gemmarium Cluſinum, ſine aliâ probatione vel documento, *Hoc Annulo pronubo ſponſus Joſeph Mariæ digitum oppignoravit.* Dehinc neglecto eo Annulo, virtute mirificâ nec uno Miraculo (quæ pari fide aſſeruntur) dignoſcendus fuit, inter *Cluſinos* cives; poſteà furto auferendus, & tradendus *Peruſinis*: Undè hoc Ævo inter utroſque certamina, accedentibus *Senenſibus* qui Cluſinorum cauſam ſuam fecerunt, eaque in bellum eruptura, & diutinas contentiones, jam ſub Sixto IV. donec Innocentius VIII. litem dirimeret. Sed hac de re ſufficiat Clariſſ. Andreæ Riveti diſquiſitio ex Joh. Bapt. Lauro Peruſino (qui ſe Annulum vidiſſe docet, *Comment. de Annulo Pronubo Virg. Mariæ qui Peruſii aſſervatur*) in *Apolog.* pro Virgine Mariâ; uti ex Riveto repoſuit Clariſſ. Hottingerus, prolixâ narratione inſertâ Hiſt. Seculo XV. *Sect.* I. p. 129. Ne dicam Bzovium inſerentem ſuis Annalibus, ad A. MCCCCLXXX.

Lis de Corpore Lucæ Euang. Nec levius diſſidium circà Corpus *Lucæ Euangeliſtæ*, pridem aſſervatum Patavinis, & è Græciâ ſeu Conſtantinopoli Patavium tranſlatum, celebratâ rei memoriâ XV. Kal. Novemb. Hac verò Ætate in Metropoli Boſniæ, à Muhammede II. expugnatâ, ſed quæ mox Turcarum jugum excuſſit, à Franciſcanis ſurreptum aliud Corpus eſt, eodem titulo *Lucæ Euangeliſtæ*; ac Venetias tranſlatum, Anno MDLXIII. ut ſuprà. Hinc vindicaturi ſibi Veneti & Franciſcani tantum Cimelium, Card. Beſſarione pro Venetis pronunciaturo; nec defuturis ſibi Patavinis. Ac re per eos ad Pium II. delatâ, Patavinis reſtituta fuit veneratio ſui ſacri, & ſilentium Venetis indictum. De quo litigio adi in noſtris Hottingerum modò laudatum, in Pontificiis Bzovium, qui id genus lites, & propudia hujus Seculi Monachalia liberaliſſimè venditat. Ac Patavinis favit, quod *Corpus* Lucæ in Cœnobio S. Juſtinæ illic repoſitum *capite* careret; quod Caput, ut & Caput Andreæ Apoſtoli, Romæ in Vaticanâ Baſilicâ aſſervetur, eò delatum à *Pio* II. ut Baronius quoque *Notis* ad Martyrol. IX. *Maji*; Cum *Corpus* Jayziâ Boſniæ tranſlatum Venetias, *integrum eſſet capite & corpore.* Neceſſe eſt illud & *Brachio* caruiſſe, quod Lucæ Brachium à Gregorio I. Conſtantinopoli Romam delatum eſſe, quum rediret à Legatione ad Tiberium, refert ex Ms. Vaticano idem Baronius in *Notis* ad IX. *Maji.* Hinc quidam, Jayzium illud Corpus alterius *Lucæ* fuiſſe, non Euangeliſtæ, vel *Lucii* forsàn; adeò Romæ incerta omnia, & fabuloſa, quæ de hujuſmodi Tranſlationibus ibi traduntur.

Contentiones aliæ Monachal. XII. Adde impias vaniſſimaſque *contentiones*, *ſuperfluas* Papæ dixerunt, inter *Monachos* & inter *Scholaſticos* natas, quæ deploratiſſimum rei Chriſtianæ ſtatum coarguunt. Diximus jam de *Stigmatibus* Catharinæ Senenſis. Sed dici vix poteſt, in quanto exæſtuantium animorum fervore agitata ſit quæſtio, inter Minoritas & Dominicanos, Pio II. Pontifice, de *Sanguine Chriſti in triduo Paſſionis in terrâ ſparſo*, dignuſne fuerit *Latriæ* cultu? Negaverat & meritò, de ſangnine, & quidem ſeparato à Chriſti corpore, *ſolutâ ſic unione hypoſtaticâ*, Jac. Marchianus Ordinis Minorum, Profeſſor Theologus apud Brixienſes. Hinc deferendus ad Inquiſitorem Hæreticæ pravitatis, atque *Hæreſeôs* poſtulandus: Aſſerente Dominicano, eum Chriſti *Sanguinem etiam in terrâ fuſum & ſparſum, nunquam hypoſtaticâ Unione fuiſſe privatum, ſed ſemper cum Chriſto fuiſſe, & cum Corpore & cum Animâ.* Mox cauſam in publico uterque dicere; alter alteri Hæreſim impingere; & res uſque adeò in nervum erumpere, ut coràm Pontifice & Cardinalibus inſtitueretur Diſputatio. Legendus hac de re Bzovius, initio Anni MCCCCLXIII. qui utriuſque partis momenta prolixè refert, & ſententiæ Dominicanæ pleroſque acceſſiſſe Purpuratos, quin *Pium* ipſum Pontificem. Undè intelligas Theologiam Monachalem, & illam Romanæ Curiæ. Ex eâ quæſtione aliæ natæ, v. gr. de *Præputio Chriſti* apud Lateranum, & alibi, aſſervato, ejuſque *Latriâ* quæ illi defertur. Ità Anno MCCCCLXXXIV. Sixto IV. adhuc Pontifice, mira diſtractio viguit inter *Canonicos* Regulares Lateranenſes, & *Eremitas* S. Auguſtini: Quæſtio fuit *de Profeſſione regulari*, & *Ordine* per Auguſtinum inſtituto, & *habitu* S. Auguſtini, ejuſque genuinâ *picturâ*. Nec ceſſatum à rixis, & clamoribus, donec Sixtus IV. ſilentium utriſque indiceret, ſub pœnâ anathematis, à quo niſi à Pontifice abſolvi nequirent, in mortis articulo conſtituti. Bullam exhibet Bzovius, ad Annum

Digitized by Google

MCCCCLXXXIV. Vide & Continuationem Spondani, ad eum annum, *Num.* I. *Sed non ii ſunt Monachi & Regulares, ut facilè acquieſcant juſſis Apoſtolicis*, ut addit Spondanus; *Undè nec ceſſarunt ea inter ipſos Controverſia, quin adhuc acerrimè de iis diſputetur. Et quod inprimis in hujuſmodi Regularium altercationibus obſerves, eſt, quod qui de iis acriùs contendant, ii plerumque omnium minimè ſolliciti, de imitatione Sanctorum de quibus decertant.* Veriſſimè jam & ingenuè. Rectè Mantuanus:

Sicque duæ veniunt iſta in certamina Sectæ,
Nonnunquam magno implentes ſubſellia riſu.

Nec tacendum certamen Florentinum, inter *Dominicanos* & *Franciſcanos*, illorum capite Hieronymo Savonarolâ, de quo poſteà. Quum vehementiùs ſua aſſeveraret Hieronymus, etiam flammas intraturus pro firmandâ veritate, & fortiùs quàm reliqui Dominici nepotes; horum unus, familiaris Hieronymo, ad periculum ejus causâ ſubeundum, & ad *examen ignis*, ſe obtuliſſe fertur. Offerunt ſe etiam *Franciſcani*, inſignes Savonarolæ Adverſarii; ſiſtunt ſe ad rogum duo, ex utroque Ordine; confluunt Florentini ad ſpectaculum, ſed negat Dominicanus ſe ingreſſurum flammas, niſi munitum *Hoſtiâ conſecratâ*: Quod dùm permiſſuros ſe negant Franciſcani, urgentes ut Dominicanus *Corpus Domini* (quod vocant) deponeret, tandem illæſi utrique diſcedunt, riſu ſpectatoribus apparato. Hæc Gratianus, & alii, in *Vitâ* Savonarolæ, cumprimis etiam Phil. Cominæus de Bello Neapolitano, *Lib.* v. circà finem. Sed tandem Florentinis ab adverſariis Hieronymi concitatis, & Legato Papæ Florentiam delato, non evaſit ignis ſupplicium, ut *Cap.* ſequenti. Ità fuêre in Taurinenſi & Aſtenſi Diœceſibus Monachi mendicantes, qui inter alia ſtatuerent: *Morientes in habitu & profeſſione Ordinis Minorum, ultra annum pœnas Purgatorii non pati: Franciſcum ex Divino Privilegio quotannis in Purgatorium deſcendere, Profeſſoreſque omnes ſui Ordinis ad Cœlum ſecum deducere*, &c. Quas Propoſitiones Synodus Baſileenſis *falſas & erroneas* damnavit.

Silentio jam involvimus Scholaſticorum *quotlibetica*, maleſana, impia, quibus errores erroribus cumulati, nullo horum Scriptorum propemodum fine, qui Scripturæ ac bonæ menti perpetuum indixiſſe bellum videbantur. Cumprimis in acerrima odia, & litigia, erupit diſceptatio inter *Reales*, & *Nominales*, Scotiſtas & Occamiſtas, *eſſent ne Univerſalia à parte rei*? Quâ de re etiam interrogandus fuit Huſſus à Petro de Alliaco, in Concilio Conſtantienſi, ut poſteà.

V. *Antichriſtianæ impietatis culmen. Sævæ Perſecutiones, & ſanguis Martyrum. Supplicium Hieron. Savonarolæ. Sacrilega nundinatio Animarum. Nomina Blaſphemiæ.*

Abominanda Papar. & Cleri univerſi.

I. Intoleranda piis omnibus fuit, quin & prudentibus, *Paparum* ac *Romana Curia*, creſcens indies tyrannis, impietas, Simonia, libido dominandi bellandique, *anguſto* quaſi *limite Mundi*: Sed & ad omne ſcelus projecta *improbitas*, nullo deinceps pudori loco, vel ex commemoratis modò Lemmate II. & III. Undè etiam *ſcandala* Infidelium, Judæorum, Turcarum, Saracenorum, de quibus prolixè Clar. Hottingerus noſter, Seculi XVI. *Parte* II. Quanto graviora ſcandala Chriſtianorum, deſiderantium in Synodis Generalibus Conſtantienſi, Senenſi, Baſileenſi, Piſanâ, *Reformationem generalem in Capite* primùm; tùm *in Membris*. Innumeri ſunt tot *Abominationum* Teſtes, medio in Papatu, intuiti in *Schiſmata* Papalia, tùm in *Pauli* II. *Sixti* IV. *Innocentii* VIII. *Alexandri* VI. fœdiſſimas imagines, exprimendas poſteà à *Julio* II. & *Leone* X. Ac ne reponamus Franc. Zabarellæ, Joh. Gerſoni, Petri de Alliaco, Nicol. de Clemangiis, Theodorici Niemi, Poggii Florentini, Joh. Weſſeli, Hieronymi Savonarolæ, Guil. Budæi, Deſid. Eraſmi, &c. obvias paſſim apud noſtros voces; non intactæ ſint hoc loco illæ *Petri Caſtellani*, Magni quondam Franciæ Eleemoſynarii, qui meminerat temporum Julii II. & Leonis X. Hæc in ejus Vitâ per Petrum Gallandium ſcriptâ, editâ à Steph. Baluzio, A. MDCLXXIV. *pag.* 27. *Memini enim* (Caſtellanum) *aliquando, cùm Romanorum Pontificum ſupinas libidines, avaritiam & rapacitatem, religionis contemptum ſuperbiamque Cardinalium, luxum & ignaviam, nundinationeſque, cauponationes, & flagitia reliqua Aulicorum Romanenſium deſcriberet, & catera qua tunc Roma vidiſſet, commemoraret, ità animo concitari, & indignatione commoveri conſueviſſe, ut ei non modò in facie color, ſed & toto corpore geſtus, motuſque immutarentur. Ut etiam mihi frequenter diceret, ſibi eſſe perſuaſiſſimum, ne Pontifices quidem Romanos, Religionis & Sacrorum Antiſtites, tot ſuis ſuorumque flagitiis contaminatos, verè & ex animo Chriſtum colere; Quæ autem in Religione facerent,* NB. *retinendæ dominationis causâ, veluti larvâ ad fallendum appoſitâ, egregiè ſimulare.* Poſteà: *Neque enim ſe negare, tanta eſſe Pontificis Romani, ejuſque Eccleſiæ adminiſtratorum* NB. *ſacrilegia, flagitiaque, ut gravibus & cordatis diſſimulari nec poſſent, nec deberent.* Iterùm: *Sacerdotes animalia ventri, abdomini, & delitiis nata.* Et quæ id genus ibi plura.

Sævities Antichriſtiana.

II. Speciatim character genuinus *Antichriſti* apparuit, nempè ſanguis Martyrum fuſus, *duo Teſtes occiſi*, & immanis ſævitiæ ac crudelitatis edita per miniſtros & ſatellites Romani Pontificis, ac Papalis Curiæ, ſpectacula.

Inter ea primum locum ſibi vendicat *Johannis Huſſi*, dein *Hieronymi* Pragenſis Martyrium, illud Anno MCCCCXV. Julii VII. hoc Anno ſequenti MCCCCXVI. Julii XXIX. ſtante Synodo Conſtantienſi, ac decernente. Nec unquàm vel Spiritus *Antichriſti* luculentiùs ſeſe prodidit, in Judicibus tantùm non æmulis Concilii adversùs Chriſtum Hieroſolymis olim congregati; vel Spiritus *Chriſti*, id eſt, manſuetudinis, patientiæ, ac fortitudinis, in Judicatis. Quâ de hiſtoriâ Capitulo proximè ſecuturo.

Deinde rei teſtes ſunt atrociſſimæ hoc Seculo *Perſecutiones*: Quales in *Angliâ* & *Scotiâ*, adversùs Wiclefi Sectatores, ex Hiſtoricis Britannicis; ipſis Wiclefi oſſibus in cineres vertendis, A. MCCCCXXVIII. Decreto Concilii Senenſis: In *Galliâ*, adversùs Piccardos, & ſi quibus aliis nominibus venerunt Waldenſium reliquiæ, paſſim tradendæ ultricibus flammis; ac deinceps Ludovico XII. Rege immiſſuro militem in Merindolenſes & Caprarianos, Albigenſium propagines: In *Bohemiâ* & vicinis partibus adversùs Huſſitas, Martino V. ſtatim à Synodo Conſtantienſi claſſicum in eos canente, A. MCCCCXX. ac *Cæſarem, Reges, Principes ad arma contrà eoſdem invitante, & incitante, per vulnera Chriſti, perque ſalutem Chriſti*, ut pluribus Hiſtoria Perſecutionis Bohemorum, & Martini ipſius Bullæ Epiſtolæque, ſuprà *Cap.* II. teſtantur. Hinc *Bella Huſſitica, plus admirationis quàm fidei habitura apud poſteros*, Æneâ Sylvio judice, de quibus Lemmate VII. Nec finis perſecutionum toto hoc Seculo fuit, ut fusè Chronica, & Martyrologia, innumeris rogo adjudicandis, referente etiam Balæo *Cent.* VII. & VIII.

III. Non

Digitized by Google

Hier. Savonar. hiſtoria, ſupplicium.

III. Non omittenda, inter tot ſævitiæ Antichriſtianæ exempla, illud *Hieronymi Savonarolæ*, Monachi quidem Dominicani, Ferrariæ nati A. MCCCCLII. atque apud Florentinos tempore Innocentii VIII. & Alexandri VI. in ſummâ ſanctitatis, doctrinæ, & inculpatæ omninò vitæ, exiſtimatione: Deſcriptâ ejus Vitâ, & editis Apologiis, atque encomiis, per Joh. Picum Mirandulanum, Gratianum de Caſibus Virorum Illuſtrium, Fr. Guicciardinum Florentiæ tùm agentem, Marſilium Ficinum, Phil. Cominæum Hiſtoricum, & non unum ex familiâ Dominici, quales ſunt Bzovius ab Anno MCCCCXCII. *Tomo* XVII. Annalium, Quetiſius in Vitâ Savonarolæ, & ſi qui plures. Hunc autem Monachum, inſidiis *primò* Nobiliorum ex Florentinis, quorum averſabatur ambitionem, & inſidias contrà Libertatem Reipublicæ, & ſolutiſſimos ad omnem licentiam mores; *ſecundò* & præcipuè auctoritate Alexandri VI. tùm Pontificis, cujus flagitia & abominanda publicè non ſemel reprehenderat; vi armatâ apprehenſum, conjectum in vincula, & *ignis ſupplicio* cum ſociis duobus affectum, A. MCCCCXCVIII. (poſt ejuſdem Alexandri in Hieronymum præcedanea fulmina, anathemata, citationes) ſequentia perdiderunt. 1. Conciones ejus liberrimæ, adversùs *Paparum* tyrannidem, in ſpecie *Alexandri* VI. turpitudinem, & Cæſaris Borgiæ filii, atque *abominationem deſolationis in loco Sancto*; omnemque *Cleri* Romani luxum, avaritiam, libidinem. 2. Scriptæ Epiſtolæ ad Chriſtianos Principes, ut Eccleſiæ ruenti in præceps ſuccurrerent, convocatione Oecumenicæ Synodi; quum in Romanâ Curiâ, *à plantâ pedis uſque ad verticem Capitis nihil eſſet ſani:* Quam & officii Apoſtolici ſeriò admonebant, per Oratores, Luſitaniæ & Hiſpaniarum Reges Emanuel & Ferdinandus, pietatis qualis tum habita cultores eximii; præter Ordinem omnem cui Religio adhuc cordi fuit. 3. Expetita Reformatio totius Eccleſiæ, *ad Apoſtolorum temporum puritatem* ac *ſimilitudinem* revocandæ; undè accuſatus *Hæreſeôs*, *impietatis*, Papæ Delegatis inprimis id agentibus. 4. Nobilium Florentinorum odia, quorum ambitionem ac dominatum coërceret, inprimis etiam *Mediceorum* uſurpatam jam tùm tyrannidem, qui ad Principatum graſſati, tandem cum Alexandro in ejus exitium conſpirârunt. Aliàs Savonarola, magnus ingeniorum & eruditionis æſtimator, Laurentium Mediceum, quoad hic in vivis fuit, impensè coluit. 5. Æmulatio cùm *Magiſtri Generalis* Ordinis ſui, Joachimi Tarrani Veneti, qui miſſus Florentiam à Pontifice fuit, tùm & *Franciſcani* ſodalitii, ſeu Fratrum Minorum, quos percellebat Savonarolæ exiſtimatio, ſanctitas, doctrina: Undè Pontificii furoris in eum Virum, Priorem Florentinum Dominicani Cœnobii, futuri omnes illi adminiſtri & incentores. 6. Conficta in Savonarolam *crimina*, planè ut in Huſſum, & Hieronymum alterum Pragenſem: Ex. gr. de interverſis pecuniis publicis; de clandeſtinâ hominis libidine; de conſiliis contrà Rempublicam cum extraneis Principibus agitatis; de *Hæreſi* non unâ adverſâ ſcil. moribus & erroribus tum receptis; de jactatis *Revelationibus*, ac *futurorum* præſciâ mente. Quod poſtremum in tot viſionariis Monachis, & Monialibus, vel hoc nomine Canonizandis, approbavit Roma, ut in ſuperioribus viſum. Et inficianti omnia ſunt adhibita *tormenta*, in corpus tenue, delicatum, impatiens tantorum cruciatuum, quorum vi dicitur *cuncta faſſus de ſe eſſe*, plus valente *vi tormentorum, quàm veritatis*, ipſo agnoſcente etiam Guicciardino, *Libro* III. Hiſtoriæ. Imò fruſtrà fuerunt Legati Pontificii, qui adhibuêre omnem operam, ut doctrinam ſuam publicè revocaret, & gratiam à Pontifice peteret. Inſignes ejus in *Pſal.* LI. voces in carcere ſcriptas, quibus ad Dei gratiam & miſericordiam in Chriſto Servatore confugit; atque opem implorat, verbis *vivis*, *animatis*, *Spiritûs fervore flagrantiſſimis* (ut habet ipſe Sixtus Senenſis *Lib.* IV. ubi de Scriptis hujus Hieronymi) alii retulerunt. Gratuitam Juſtificationem per fidem in Chriſtum, pro peccatis noſtris paſſum, mortuum, *Meditat.* in *Pſalmum* XXX. & XXXV. luculenter aſſeruit, eâ etiam etiam nocte quæ ſupplicium ejus anteceſſit; de cætero Hominum merita, Confeſſionem Auricularem, Communionem ſub unicâ, Indulgentiarum nundinationem, aliaſque Romanæ Curiæ κυρίας δόξας, reprobavit, vitâ inculpatus. Inter alia etiam accuſationum capita fuit, quod *Chriſtum in teſtimonium ſuæ doctrinæ citaſſet*; grande piaculum! *Apocalypſim* verò *Johannis* quùm enarrare publicis concionibus cœpiſſet, An. MCCCCXC. cuncta ad Romanam Eccleſiam intrepidè retulit, ut in Martyrum Hiſtoriâ per Pantaleonem continuatâ, *Parte* II. Cum Savonarolâ eodem ſupplicio periêre duo alii ejuſdem ſocii, *Dominicus*, & *Sylveſter* XXIII. Maji, A. MCCCCXCVIII. Cæterum veris hiſce falſa plurima à Bzovio, & aliis permixta: Ex. gr. quod in arcana cordium & cogitata intueretur; quod nihil non illi Numen revelaret, frequentes in exſtaſes rapto, ac futurorum penè omnium præſcio, & fatorum; quod Spiritus S. Columbæ ſpecie illi frequenter apparuerit; ſed & Maria Virgo, Angeli, Sancti plures; quod miraculis ſe plurimis, uti *ſanationibus miraculoſis*, *fugatione Dæmonum*, & *ſi quibus aliis*, ſe inſignem reddiderit. Hæc illi pro ingenio Monachali, & in commendationem non tam Hieronymi, quàm Ordinis ſui. Neque tamen omnes errores, aut ſuperſtitiones tùm receptas, ejuraſſe Savonarola cenſendus eſt, colluctatus cum iniquitate temporum, & tenebris undequaque ſpiſſis circumdatus. Epitaphium illi ſcriptum à J. Antonio Flaminio, Dominicani Ordinis Monacho, & Poëtâ inclyto, (qui & Actio Sannazario Epitaphium compoſuit, quod terminatur, *Acti divino proxime Virgilio*) non modò Mornæus retulit, ſed & Phil. Labbeus Jeſuita, in Theſauro Epitaphiorum, *Parte* VII. *Epit.* CXC. ubi Hieronymum *flammis abſumptum* refert A. MCCCCXCVIII.

> *Dum fera flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artus,*
> *Religio flevit, dilaniata comas.*
> *Flevit, & ô (dixit) crudeles parcite flammæ,*
> *Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.*

Hæc & infinita ejus generis exempla probârunt, hac cumprimis Ætate, *Mulierem ebriam ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu.* Ac præter productos paſſim à noſtratibus rei Teſtes, medio è Papatu, adjiciemus in hanc rem voces Petri Caſtellani, in Vitâ à Baluzio Notis illuſtratâ: *Tales voces*, de ſumendis Hæreticorum ſuppliciis, *apud Atreum*, *Thyeſtem*, *Neronem*, *& Caligulam*, *cum plauſu & fervore edi potuiſſent.* Paulo antè: *Non Chriſtus, ut Diana in Tauricâ, ſanguine delectatus*, &c. Iterùm: *Epiſcoporum fuit*, *& Sacerdotum Chriſti*, *Apoſtolorum Virorumque Sanctorum*, *qui nobis ſuo ſanguine Eccleſiam conſecrârunt*, *exemplo*, *Reges à ſævitiâ & immanitate*, *ad manſuetudinem*, *clementiam*, *& miſericordiam convertere*; *errantem ovem humeris impoſitam in ovile reducere*, & quæ plura Vir ille maximus: Quæ utinàm Conſtantienſibus Patribus, ità quoque Martino V. & ſecuturis hoc Sec. Pontificibus, dicta fuiſſent.

IV. Maximè etiam probavit ſe Babylon illa myſtica, publicâ *licitatione* Sacrorum, & Animarum *nundinatione*, nullis non ſceleribus pecuniâ eluendis, ac conceſſis Papalibus Indulgentiis flagitioſiſſimo cuique mortalium, modò auro redimeret. Quales fuêre Indulgentiæ hoc Sec. XV. affixæ promulgatæque Orbe toto,

Antichriſtiani Charact. alii.

Digitized by Google

toto, præcipuè à Bonifacio IX. Johanne XXIII. dein omnium inſtar à Sixto IV. tandem ab Alexandro VI. Sed de his Pontificibus dictum modò eſt, omne nefas animo moventibus, nec modum poſituris impio mercimonio, quo venderent ac vendi juberent quicquid Sacrum eſt, *per Mercatorum & Numulariorum manus, ut de mercibus mercari ſolitum eſt*, conqueſtis ipſis Patribus Conſtantienſis Synodi, *Seſſ.* XI. Et hinc Huſſo, Hieronymo, poſteaque Luthero & Zwinglio, expreſſæ accuſationes Romanæ Babylonis; ipſique Ludovico Vives, ſed ironico & ſarcaſtico dicendi modo, ad Auguſtinum de Civit. Dei, *Lib.* XVIII. *Cap.* XVII. Dicit, Romam *Babylonis* nomen exuiſſe, quo venit apud Petrum, & Johannem in Apocal. & Hieronymum; *Quia nihil eſt in eâ confuſum & promiſcuum, ut cum omnia propè illic vendantur, & emantur, nihil tamen agas ſine lege ac formulâ, atque etiam ſanctiſſimi juris:* Sed expungenda fuêre iſta à Romanis Cenſoribus.

Vix unquàm tamen in eum gradum impietatis excreverat hic de Animabus & Conſcientiis luſus, & Cœli *numeratâ pecuniâ* divenditio, ut factum ſub poſterioribus Papis Sixto IV. Alexandro VI. Julio II. & tandem Leone X. Quæ res ad proximum Seculum ſpectat.

Nomina Blaſphemiæ.

V. Nunquàm etiam prodiit in publicum Magna Meretrix adeò *Nominibus blaſphemiæ* circumdata; nunquàm Filius Peccati, tàm ſe *pro Deo* gerens, & *ſuprà Deum* ipſum efferens, atque id omne quod in terris *Numen appellatur*, aut ut Numen colitur, ac factum eſt proximè antè Reformationem noviſſimam. Quomodò Arcui Triumphali Sixti IV. inſcriptum fuiſſe legimus,

Et meritò in terris crederis eſſe Deus.

Sed blaſphemiæ illa nomina paſſim Theologi collegerunt, qui de Antichriſto, & de Idololatriâ Romanâ. Imò ſe *Papam feciſſe pluſquàm Deum*, conqueſtus eſt ſub initia hujus Seculi Franciſcus Zabarella, in Libro de Schiſmate Papali, in Purpuratorum quanquàm ipſe Ordinem adlectus, ac moriturus ſedente adhuc Synodo Conſtantienſi. Quò referendæ ſunt *Diſpenſationum* impietates, etiam circà *inceſtas* & *Sodomiticas* pollutiones: Quales profectas fuiſſe à Martino V. à Sixto IV. ab Alexandro VI. ne ad recentiora veniam, in confeſſo eſt apud ingenuos; quocunque Diſpenſationes eas mantelo pallient. Sed *Blaſphemiæ* hæc Nomina luculentiùs apparebunt, adſcripta duobus ſolutiſſimæ vitæ & peſſimi exempli Pontificibus, Julio II. & Leoni X. quum de Concilio & Actis *Lateranenſibus* dicemus, ad ſequens Seculum.

VI. *Judicium verè Antichriſtianum Patrum Conſtantienſium, in Joh. Huſſum, & Hieronymum Pragenſem. Rei origo, & antecedanea. Circumſtantiæ principes obſervatæ, in utriuſque Martyrio.*

Odia in Huſſum undè?

I. Quæ fuerint *Johannis Huſſi* primordia, cui à *villâ Hus, quod anſerem ſignificat*, cognomentum, obſervante Æneâ Hiſt. Bohem. *Cap.* XXXV. monitum eſt in Hiſtoriâ inchoatæ apud Bohemos Reformationis, ad *Sec.* XIV. Cujus Huſſi, adhucdùm juvenis, id jam fuit veritatis ſtudium, medios inter Papiſtarum furores, A. MCCCLXXXVII. ut ad eum literas daret ex Angliâ, Joh. Wiclefus, ut ad *Fratrem valde dilectum*, ſed (contrà quam alii tradiderunt) *ignotum ſibi de facie*, ſi quæ fides Literis ad calcem Hiſt. Johannis Laſitii, à Comenio vulgatis. Crevit magis magiſque in Huſſum invidia, & ſocium illi Hieronymum: Principio non tàm ob probata Wiclefi Scripta, quæ Huſſo magnoperè commendarentur, ſed quæ jam tum Pragenſes confoderent; quàm quidem,

In ſpecie Teutonicor.

1. Ex odio in eos *Teutonicorum*, qui Magiſtratum anteà tenerent Pragenſis Scholæ; utpote qui *tribus ſuffragiis*, adeoque numero & multitudine, prævalerent. Quæ res ægrè habuit Huſſum, & Bohemos, quorum ſive ſuaſu, ſive *approbatione* tantùm, ut ipſe Huſſus contendit apud Conſtantienſes, factum ut Wenceſlaus Rex (ad quem conqueſti *adminiſtrationem Scholæ Bohemicæ apud externos eſſe*) juxtà fundationem Caroli IV. Imperatoris, Patris ſui, & ad exemplum Pariſinæ Scholæ, *Bohemis* ut indigenis *tria* deinceps ſuffragia adſcriberet, Teutonibus *unum*, ſubdiviſis in Saxones, Bavaros, Sileſios cum Polonis. Hinc in Johannem Teutonicorum odia, tanquàm rei præcipuum auctorem; eorumque in Academias alias ſecuta diſperſio, Anno MCCCCIX. Adeò ut *duo millia* Teutonum unâ die Pragâ diſcederent, *quos & tria alia mox conſecuta*; apud Lipſiam Miſniæ Provinciæ, trium dierum itinere diſtantem, novam Scholam aperturi, ex Narratione Hiſtor. Jacobi Picolominei Card. Papienſis, deſumptâ ex *Lib.* VI. Commentariorum.

Et Romanor. Pontificum.

2. Ex impugnatâ *Romani Pontif. poteſtate*, cujus molitionibus, ſcil. Bonifacii IX. Wenceſlaus Bohemus fuerat Imperii dignitate motus: Et cujus execrandâ Simoniâ *Indulgentiæ*, A. Jubilæo MCCCC. ità Orbe toto profuſæ fuerant, miſſis Inſtitoribus, & Bullis publicatis, ut perſuaderetur, *Animas eorum qui Romam iter facientes in viâ morerentur, è veſtigio in Cœlum ſubvolare*, memorante & Mart. Luthero, in fine Literar. Huſſi, edit. 1537. Hinc liberæ Johannis & Collegarum in nefandos abuſus voces, quibus adeò accenſa fuêre acerbiſſima in *Wiclefitarum* doctrinam odia, quam Huſſus cum ſuis in Concionibus & paſſim tueretur; addicendis Wiclefi Scriptis ultricibus flammis, ultrà volumina CC. pulcherrimè exſcripta, tegmentis ſericeis bulliſque aureis locupletiſſimè adornata, idque ſententiâ Archiep. Pragenſis, qui tum *Subinco* cognomine *Lepus*, ut pluribus idem Jacobus Picolomineus Cardin. loco citato. Cumprimis verò poſt diſceſſum Teutonicorum liberiùs aſſerta ea doctrina, contrà *Papæ ſuprematum, operum Merita, Purgatorium ignem, ſuffragia pro Mortuis, cultum Imaginum, Invocationem Sanctorum, Feſtivitates eorundem, Mendicantium religiones, Auricularem Confeſſionem, Tranſſubſtantiationem.* Et quæ capita plura enarrat Sylvii Hiſtoria, *Cap.* XXXV. & Jacobi Cardin. illa *Commentariorum Lib.* VI. atque ex Scriptis Huſſi & Hieronymi colliguntur. Nondum tamen de *Sacramento Altaris*, adversùs *Communionem ſub unicâ*, novum (ut illi) dogma vulgatum fuerat; quod *Petrus* Dreſdenſis ab oppido Miſniæ, (à ſuis pulſus, & Pragam confugere coactus, utpote *Wiclefitanus*) primùm ſpargere, & Jacobellum Concionatorem in Æde Michaëlis Archangeli in ſuam ſententiam pertrahere, cœpit. Nempè ex ſacris Codd. ubi disertè Chriſtus, *Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis*; tum ex Dionyſio, Cypriano, perſuadere ille *Communionem Calicis*, & populum in ſuas partes inducere. Quibus factum eſt ut Alexander V. recens in Pontificem electus in Synodo Piſanâ, præcipuè in Huſſum detonaret, percuſſum anathemate, A. MCCCCIX. Pragâ hinc exceſſurum, & oppidatim ſparſurum Euangelicæ veritatis lucem, diffundendam ad Sileſios, Moravos, Germanos, &c. Adeò ut Wenceſlaus infenſus Romanæ Curiæ, affirmaret, *Hunc anſerem aurea ſibi ova ponere.* Hieronymo Pragenſi intereà in Scholâ docente, ac Wiclefianæ doctrinæ conſtanter adhæſuro.

Appellat à Pontif. ad Deum. 3. Acceſſit ad cumulum odii, conflata Huſſo & Hieronymo invidia apud *Johannem* XXIII. Pontificem, & ipſum poſteà à Conſtantienſibus omnium ſcelerum reatu obſtringendum. Idque ob exploſam rursùm hujus Pontificis fœdam nundinationem, publicatis *Indulgentiis*, ſeu *plenariâ peccatorum remiſſione*, ut Æneas, iiſque venum expoſitis per nugivendulos, A. MCCCCXI. & quidem pro *Cruciatâ* expeditione adversùs Neapolitanum & Siculum Regem Ladiſlaum. Hinc juſta indignatio Huſſi, tùm Scholæ Rectoris, & contumeliæ Pragenſium, *Johannem Papam haud dubiè Antichriſtum eſſe, qui in Chriſtianos crucem decerneret*, ità Narratio Jacobi Cardin. Undè mox Johannis XXIII. furor; Huſſi Romam citatio; deprecatio ipſius Wenceſlai Regis; miſſa Pragam interdicto & excommunicatio Huſſi; hujus ſolemnis provocatio *à Papâ Johanne* XXIII. *ad Deum ad Chriſtum:* Nam, inquiebat Huſſus, *à Papâ ad Concilium appellare longum eſſet, & incertum; ideò ad caput Eccleſiæ Dominum Jeſum Chriſtum appellavi*; qui *quolibet Papâ in decidendis cauſis præſtantior eſſet, cum non poſſit errare, nec petenti ritè juſtitiam denegare, nec poſſe hominem, ſuâ Lege poſitâ, ſine demerito condemnare.* Formulam Provocationis inſertam habes Hiſtoriæ Huſſi, *Tomo* I. *fol.* XVII. *Quia Dominus omnipotens, unus in Eſſentiâ trinus in Perſonis, oppreſſorum eſt primum & ultimum refugium, ... Et Dominus Jeſus, verus Deus & verus Homo, in anguſtiâ Pontificibus, Scribis & Pharizæis, Sacerdotibus, iniquis teſtibus & judicibus circumdatus, ... dicens, vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus*, &c. *Ecce iſti ſacratiſſimo & fructuoſiſſimo innixus Redemptoris exemplo, ab oppreſſione gravi, iniquâ ſententiâ, & Excommunicatione prætenſâ Pontificum, Scribarum, & Pharizæorum, & Judicum in Cathedrâ Moſis ſedentium, Deum appello*, &c. Et hoc inter ſumma accuſationum capita, tanquàm grande nefas, reponendum fuit. Sic præceſſerat Huſſi condemnatio à *Facultate Pariſienſi*, auctore potiſſimo Joh. Gerſon Cancellario, An. MCCCCXIII. comprehenſa XIX. Capitibus, videnda in Hiſtoria & Operibus Huſſi initio ſtatim; in quibus & Error ille damnatus ut *temerarius & arrogantiâ plenus*, quod *Excommunicatus à Papâ* rectè appellet *ad Chriſtum.*

Summa Judicii adverſus Huſſum. II. Jam ſubjicimus oculis ſummam Judicii totius adversùs Joh. Huſſum, ex præfatâ Hiſtoriâ, pridem editâ cum Huſſi Opuſculis, Noribergæ Ann. MDLXXXIII. Tomis duobus; ex Æneæ ipſius Hiſtoriâ, *Cap.* XXXVI. ex Actis Conſtantienſibus, Tomo XII. Edit. noviſſ. & ex Joh. Foxi Hiſtoriâ Rerum in Eccleſiâ Geſtarum, *pag.* 60. *& ſeq.* Sequentibus modò obſervationibus defungemur.

1. Obſervandum, non fuiſſe unquàm permiſſuros Bohemos iter Conſtantienſe Johannis Huſſi, niſi tutos ſe credidiſſent fide publicâ Imperatoris, & *ſalvo Conductu* Sigiſmundi, dato XVIII. *Octob.* MCCCCXIV. nec pro itione tantùm, ſed & *reditu* Huſſi, ut *poſſet tranſire, ſtare, morari, & redire liberè.* Undè Huſſi Conſtantiam profectio, & adventus III. *Nov.* eodem Anno, muniti Literis Imperatoris, Nobilibus Bohemis, atque etiam Teſtimoniis authenticis innocentiæ, probatæ in publico Regi, Archiepiſcopo, Acad. Pragenſi, ipſi *Inquiſitori Hæreticæ pravitatis*, qui tùm Nicolaus Epiſcopus Nazarethenſis. Quod hic ſolemniter atteſtatus fuit. Et Huſſus ipſe in Concilio; *Se eò veniſſe liberum, innocentiam ſuam teſtaturum, fide publicâ acceptâ ab Imperatore, qui præſto adeſſet*; oculis in Imperatorem defixis, qui verecundus erubuit, ejus ſiquidem *verecundus tinxerat ora rubor.*

Perfidia & immanitas Concilii. 2. Obſervandum, violatam ſtatim fuiſſe à Conſtantienſibus publicam fidem, etiam antè acceſſum Sigiſmundi qui ad Synodum evocari Huſſum ſuaſerat, adeóque contra honorem ipſius Imperatoris, & jura Gentium, ipſiuſque Johannis Papæ datam Conſtantiæ fidem. Ità fictis & ſimulatis verbis in inſidias præcipitatus eſt, inſultantibus ei adverſariis; *Jam te habemus in noſtrâ poteſtate, undè non exibis, donec perſolveris extremum quadrantem.* Hinc inauditâ perfidiâ, & immanitate, teterrimo ſtatim carcere, ipſi latrinæ proximo, concluſus fuit, undè ex fœtore in febrim graviſſimam incidit, ac ne periret vulgari mortis genere, Pontifex Romanus Medicos ſuos miſit, qui laboranti Huſſo ſuccurrerent: Adeoque compedibus, fame, ſiti, anguſtiis, nec unâ morte, oppreſſus fuit miſer Johannes; nec *auditus* ille, nec *convictus*: Idque proximo ab adventu *menſe*, & quidem ad ſolas nefariorum quorundam, ac conjuratorum hoſtium, delationes, & conficta crimina, quæ in *Hiſtoriâ* Johannis legas, antè memoratâ: Nequicquam pro eo intercedentibus, ſchedulâ Concilio oblatâ XIV. *Maji* Anni MCCCCXV. Baronibus & Nobilibus Bohemicæ & Polonicæ nationis; ad quam, altero ſcripto ultimo die *Maji*, urſerunt reſponſum à Patribus Concilii dari. Compertiſſimum quoque eſt, nullis non inſidiis, poſt exploratam Viri innocentiam, ſtuduiſſe verè ſacratiſſimos Patres irretire Huſſum. Hinc *Quæſtiones* inſidioſæ illi propoſitæ, ſub ſimplicitatis larvâ, à Monacho quodam Minoritâ ad eum mittendo, ſed larvâ ab Huſſo detractâ: Hinc falſi teſtes ſubornati; Articuli *truncatim* & *ſyncopatim*, adeóque fraudulenter ex ejus Scriptis excerpti; reſpondendi partes, ſuaque explicandi Huſſo (quantumvis ſuppliciter roganti, inſtanti) pernegatæ; clamoribus, ſarcaſmis, contumeliis, idem in Conſeſſu Patrum obruendus; pari tamen Viri conſtantiâ, cincti licet magnâ armatorum militum turbâ. Ità (ut mittamus alia) fuit hæc Cardinalis Cameracenſis inſidioſa diſputatio: Quâ, ex quæſito *poneret-ne Huſſus Univerſalia à parte rei?* & ex affirmante hujus reſponſo; elicere voluit Cameracenſis, pluſquàm Chryſippeo acumine, certè miſerrimâ ſophiſtice, omninò ſequi, ex ſententiâ illâ Huſſi de *Univerſalibus*, ſtatuere eundem, *quod factâ conſecratione remaneret Panis ſubſtantia in Sacramento.* Sic objectæ Huſſo tanquam Hæreſes, quæ in ipſo Papatu docti omnes explodunt, qualis eſt *Donatio Conſtantini facta Sylveſtro Papæ*, &c.

3. In comperto etiam eſſe debet, poſt negatam Huſſo facultatem loquendi, reſpondendi, ac conteſtandi innocentiam, & retorquendi in Adverſarios accuſationes; iniquiſſimo hac in parte Cardinali Cameracenſi Petro de Alliaco; unam illi ſuperfuiſſe *appellationem Dei, & J. Chriſti*, ut Teſtis & Judicis, quæ tamen inter Huſſi impietates relata eſt. Contrà, ex oppoſito auditos fuiſſe patulis auribus omnes in Huſſum teſtes, etiam apertè inimicos, & conjuratos ac nimis impudenter detractores: Quales ex. gr. qui vociferarentur, adjeciſſe Huſſum, ex teſtimonio cujuſdam Doctoris, *quartam Perſonam S. Trinitatis*; fruſtrà petente Huſſo, *proferrent hujus Doctoris nomen*, qui tantum ſibi nefas imputaret, quod nec per ſomnium unquam in mentem veniſſet; & quæ ejus generis plura accuſationum capita produxerunt, tanquàm *blaſphemiæ, ſeditionis*, &c. Et quum in ſententiâ diceretur, eum permultos annos pertinaciter inhæſiſſe erroribus; *Prorſus* (inquit Huſſus) *id ego pernego, ſiquidem me talem ſemper præſtiti, atque nunc præſto, ut cupidiſſimum me diſcendi ſentiat, quiſquis me ex Scripturâ edocere, atque erroris commonefacere poterit.* Quum etiam in illâ adderetur, ut Libri ejus omnes *Latinè* & *Bohemicè* ſcripti abolerentur; *Qui* (inquit ille) *Bohemicè prorſus ignari eſtis, quo pacto eâ linguâ ſcriptos Libros vel intelligere, vel damnare poteritis?* Undè fides Hiſtoricorum quorundam intelligitur, inter cæteros Joh. Naucleri, *Gener.* XLVIII. *Vol.* II. Huſſum Calumniatores Huſſi.

&

Digitized by Google

& Hieronymum *victos rationibus*, *vinci noluiſſe*. Ne dicamus *calumnias* à recentioribus adjectas, Reichentalo, Cochlæo, Campiano, ſimilibus: Quas inter illa, de *fugâ Huſſi* (ne ſolus Johannes XXIII. clàm ſe ſubduxiſſe Conſtantiæ diceretur) *in curru ruſticano & ſtraminibus tecto*, ut quoque Nauclerus; de quâ admonitus Conſul Civitatis, Equites miſerit qui Conſtantiam reduxerint: Quæ fuga nulla omninò fuit, ſecuri Literis Imperatoriis, nec unquàm hoſpitio ſuo egreſſi; donec violatâ per inſidias fide in *cuſtodiam* traderetur, apud Fratres Dominicanos, mox in carcerem transferendus. Quæ conſtant ex certâ relatione Teſtium, & ex Hiſtoriæ ſuprà memoratæ fide; opponendâ Joh. Cochlæo *Lib.* 11. Hiſtoriæ Huſſitar. vel Ulrico Reichental in *Hiſtor.* Concilii Conſtant. Germanicè ſcripta.

Huſſo quæ in crimen verſa?

4. Acceſſit, verſa cumprimis fuiſſe Huſſo in crimen, & hæreſim, quæ vel commemorata bonas mentes commoveant, atque concutiant. Ex. gr. quod in magnâ animi ſui anguſtiâ, circumdatus inimicis, qui & *Teſtes* ſimul & *Judices* eſſent, emiſerit in modum *Appellationis* à ſententiâ Concilii, ſic anteà à ſententiâ Papæ Johannis XXIII. (ut olim *Chryſoſtomus* à ſententiâ Conciliabuli ad Quercum A. CCCCIII. cui præſedit inſenſiſſimus Theophilus; vel *Robertus* Lincolnienſis, à Curiâ Innocentii IV. ad Chriſtum Judicem, ut ſuprà *col.* 1685.) ſupplices ad *Deum* voces, ut *Judicem* univerſorum, & ad *Dominum Jeſum Chriſtum*, qui *noſceret*, *protegeret*, & *judicaret cujuſlibet hominis juſtam cauſam*; rogans *ne diſcederet à ſe*, *quoniam tribulatio in proximo eſſet*, & *non eſſet qui adjuvaret*, &c. Itâ, quod ſuſtinuiſſet, *Univerſale Concilium non debere plus ſapere*, *quàm Scripturam Dei*. Et objiciente Cameracenſi Cardin. quod vellet *ſuprà Paulum eſſe*, *qui ad Cæſarem*, *non ad Chriſtum appellaſſet*, reſpondit Huſſus: *Si primus hoc faceret*, *non adeò ſe Hæreticum fore*; & *Paulum non motu proprio*, *ſed de voluntate Chriſti Cæſarem appellaſſe*, *qui ei apparens*, *dixiſſet*, *Conſtans eſto*, *oportet te Romam ire*, &c. Prætereà, vitio illi verſum quod, juſſus à Cameracenſi, & cæteris Epiſcopis qui miniſtri fuere Executionis Sententiæ, primò confiteri errata, hinc retractare, etiam juramento interpoſito; primò petiiſſet ſe *convinci* erroris, antequam *retractaret*, facturus tùm lubentiſſimo animo quum, ad ſingula ſibi objecta jam reſpondiſſet, quantum ſiverunt Judices: Deinde, negaret ſe *renunciare* poſſe, etiam *juratò*, iis quæ *ſua non eſſent*, quæ docuiſſet nunquàm, quæ ab inimicis per immanem calumniam ſibi fuiſſent impacta: Tandem, nec licere ſibi contrà conſcientiam ſuam retractare, ne *animi tantæ multitudinis*, cui hactenùs concionatus eſſet, hoc pacto offenſi à veritate reſilirent, & aliorum quoque qui Verbi Dei fideles eſſent miniſtri.

Violata fides Sigiſmundi Imp.

5. Et illud notum, vim factam eſſe conſcientiæ *Sigiſmundi*, conſenſuri tandem invito ac reluctante animo, nec abſque gemitu (ex Nauclero, & aliis) in incinerationem Huſſi, ac poſteà Hieronymi, poſtquàm illum permiſit Synodi judicio, ac ſententiæ decretoriæ, his verbis: *Niſi recantet illa omnia*, *ego cenſeo ut ignis ſupplicio afficiatur*. Hoc etiam Conſtantienſium obtentu, *Ramos hæreſeôs unà cum Radice evellendos*; nec Salvum Conductum Sigiſmundi, præjudicâſſe *Concilii* juribus, aut exercitio Juſtitiæ. Hinc Seſſ. XIX. fundamentum exuſtionis Huſſi continetur, facto decreto; Quod *non obſtante Salvo Conductu dato Hæreticis*, *aut de Hæreſi diffamatis*, *per Imperatores*, *Reges*, *aut alios Seculi Principes*, *Judici competenti Eccleſiaſtico*, *de hujuſmodi perſonarum erroribus inquirere*, & *aliàs contrà eos debitè procedere*, *eoſdemque punire*, *quum tum juſtitia ſuadebit*, . . . *Etiamſi de Salvo Conductu confiſi*, *ad locum venerint Judicii*, *aliàs non venturi*: *Nec ſic promittentem Imperatorem*, *cum fecerit quod in ipſo eſt*, *ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum*.

Sententia in Huſſum lata.

6. Adde tenorem ſententiæ definitivæ, inſertæ *Hiſtoriæ* Huſſi, & *Faſciculo* Orth. Gratii, eaſque circumſtantias condemnationis Joh. Huſſi, planè ad commiſerationem Viri comparatæ. Videas ſanctiſſimum Virum, nullis pollicitationibus movendum ut errores *abnegaret*; nec facere ſe ullo modo poſſe, *nunquam enim ſe quicquam docuiſſe iſtorum*, *quæ contrà ſe falsò propoſita eſſent*: Itâ cernas eundem pro Inimicis deprecantem, ut *Deus illis remitteret*: Flexo poplite, manibus & oculis in cœlum reſupinis, *Pſalmos* aliquot recitantem, præſertim LI. & XXXI. Animam ſuam commendantem Servatori Deo, & Chriſto *pro ſe paſſo*; *In manus tuas*, *Domine*, *commendo ſpiritum meum*: Miràque patientiâ & fortitudine perferentem degradationem, opprobria, execrationes, carnifices, palum, *flammas* denique; VII. Julii, Anni MCCCCXV. Nequicquam vitæ ſpem facientibus, priuſquam materia accenderetur, Imperatoris *Mareſchallo*, & *Ludovico* Palatino, ſi errores abnegaret; *Quos* (inquit) *errores*, *quorum ego conſcius non ſum*, *nec unquam fui*; deinde, *Ego veritatem quam hactenùs docui*, *lætus hoc mortis pignore hodie obſignare non dubitabo*. Subriſurus etiam, cum ad locum ſupplicii duceretur, videns Libros ſuos pro foribus Templi manu Carnificis comburi; iterùm obſervans zelum ruſtici cujuſdam, ligna ad rogum adportantis, additis ab Huſſo his Hieronymi vocibus, *Sancta ſimplicitas!* Ex adverſo, horrorem incutiant, Judicum rabies, Executorum (quos inter *Ludovicus* Barbatus Palatinus) cœcitas, Carnificum ſævities, diræ illæ voces, *Animam tuam devovemus Diabolis inferni*; & exuſti jam abſumptique flammis corpuſculi cineres in Rhenum projecti, *ne raperentur à Bohemis*, ut addit Æneas Hiſtoricus: Ne ſcilicet colligerentur devotionis ergò à diſcipulis; ad imitationem Gentilium Perſecutorum in auras, in fluenta aquarum, diſpergentium Martyrum cineres.

Joh. XXIII. fuga, condemnatio. Utriuſque cauſæ, Papæ & Huſſi, collatio.

III. Memorabile porrò eſt, eodem cum Huſſo tempore, reatu obſtrictum à Conſtantienſibus fuiſſe *Johannem* XXIII. Pontificem. Hinc eâdem *Seſſione* VI. in quâ decretum de Procuratorio à Papâ conſtituendo, dein alternis *Seſſionibus*, fuit acta cauſa Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, tum illa Johannis Papæ. Conferantur jam Articuli adversùs Balthaſarem Coſſâ, aliàs Johannem XXIII. quovis Nerone ſceleratiorem, legendi *Seſſione* XI. quorum ſummam dedimus ſuprà Lemmate III. nec ſine horrore lectitandam; cum Articulis adversùs Huſſum conceptis, ejuſque ſcilicet conſonam Joh. Wiclefo doctrinam, *Seſſ.* XV. Conferantur iterum alter *Pontifex Maximus*, cujus hoc ipſo ſcelera atrociora, & graviori pœnâ expianda; Alter in Scholâ Doctor, ea quæ ſentiret in controverſis Capitt. omnium (ut licuit) examini ſubjiciens: Alter rursùs turpi fugâ ſe ſubducens Concilio à ſe indicto, violatâ juramenti fide; Huſſus nullam fidem frangens, ſecuritatem modò petens, vi Literarum Imperialium, & fidei ſibi alligatæ: Alter reus confitens, hinc ratam habens ſententiam Conſtantienſium *Seſſione* XII. factâ exomologeſi, & poſteà coràm Martino V. ſucceſſore; Alter verò Huſſus nec auditus, nec convictus, ut Acta docent, appellatione ad innumeros Teſtes, ad fidem publicam, ad Scripta ſua, ad Codices ſacros, ad Deum tandem & Chriſtum Dominum, interpoſitâ: Alter non *igni* adjudicatus, ut olim Johannes XXII. ſententiâ Ludovici Bavari; ſed Papatu modò dejectus, & in cuſtodiam traditus, poſteà futurus proximus Pontifici, & Decanus ſacri Collegii; Alter verò, Huſſus primò (tum Hieronymus) non Sacerdotio tantùm, aut Magiſterio exutus, ſed Tartareum in modum diutiſſimè habitus, millies enectus, ac tandem palo affixus, & rogo impoſitus, cineribus mox in auras & aquas diſperſis. Et hinc de æquitate, & juſtitiâ hujus

Digitized by Google

Synodi, & ſententiæ in Huſſum latæ, judicium eſto.

Pœna in IV. Generat. Ludovici Barbati.

IV. Nec omittenda hæc circumſtantia, quam ex Hiſtoriâ Ms. Eccleſiarum Palatinarum damus, conſcriptâ ab Henr. Altingio, Theologo Palatino, ubi is agit de *Ottone Henrico*, qui ἄπαις deceſſit Anno MDLIX. quod fatum anteverterat paulo antè illud *Wolfgangi* Palatini Patrui, filii natu minimi Philippi Electoris, & ad mortem uſque cœlibis. Fuerat Wolfgango *proavus Ludovicus* Cœcus & Barbatus, qui tanquam Executor & Protector Concilii Conſtant. Huſſum ad rogum duci juſſit. Hinc monito Wolfgango de procreandis liberis, in illâ ſterilitate Palatinæ Domûs, (eo ſolo ſuperſtite, ex octo nuper Fratribus, Philippi Ingenui filiis) reſpondit: Se eſſe *quartâ generatione* ab iſto Ludovico, & implendam eſſe Dei comminationem in II. *Decalogi Præcepto*; atque adeò futurum ut Familia illa Ludovici intercideret, Ottone Henrico Electore (cui Ludovicus abavus) & ipſo tùm orbo liberis; quo nempe tantum facinus adverſus Huſſum & Hieronymum à Barbato admiſſum expiaretur. Adeò ut ipſe Maximilianus Cæſar dicere ſolitus fuerit, *factam bono illi Viro injuriam*, teſte Luthero in Præf. monumentorum Huſſi; & Eraſmus ſcripto reliquerit, *Huſſum exuſtum quidem, ſed non convictum fuiſſe.*

Hier. Pragenſ. Hiſtoria & Martyr.

V. Æquiorne ſacratiſſima Synodus in *Hieronymum Pragenſem*, Johannis συνεργὸν, & familiarem, ac in doctrinâ cum eo ſentientem? Nempè æſtu quodam pietatis, ſimul & doloris, ità accenſus fuerat Hieronymus, ob violatam fidem, & ſævientes in Huſſum Patres, ut ſponté ac liberè Conſtantiam ſeſe conferret, eò delatus *Aprilis* IV. Anno MCCCCXV. Mox cognitâ in Huſſum barbarie, & audientiâ Huſſo negatâ, ac ſibi ſtructis inſidiis, ſubduxit quidem ſe Hieronymus, petiturus Salvum Conductum ab Imperatore & Concilio, ſed futurus fruſtrà. Hinc in itinere ſuorum proditione interceptus, ac detentus uſque ad intimationem Concilii, mox compedibus ac numellis adſtrictus, & ità reductus Conſtantiam, *Majo* menſe, ſolemniter jam citatus *Aprilis d.* XVII. Seſſione VI.

Summa perpeſſionum Hieronymi, ex præfatâ Hiſtoriâ, *Tomo* II. fol. CCCXLIX. & *ſeq.* quin ex ipſis Actis Conſtantienſibus, aut ex Æneæ Hiſtoria, vel Poggii Florentini Narratione de *Hieronymi Hæretici obitu & ſupplicio*, quam ſcripſit ad Leonardum Aretinum, aliiſque conſonis Teſtibus, huc ferè redit. 1. Circumdedit eum turba furentium, quum catenâ ferreâ onuſtus in Conſeſſu appareret, atque erumpentium in ferales voces, *Tollite, exurite*. 2. In ſpecie ſurrexit accuſator Joh. Gerſon *Pariſienſis*, de turbatâ olim eâ Scholâ ab Hieronymo, peſtiferis erroribus, ut quod negaſſet *Deum poſſe creaturam annihilare*, hinc fugâ ſibi conſuluiſſe; negante non modò Pragenſi, ſed ad teſtimonium Pariſienſium provocante, qui eum *Magiſtrorum Albo* cum applauſu adſcripſiſſent; non admiſſuri ſanè Hæreticum, aut turbonem. 3. Pares Colonienſium, Heidelbergenſium, Cracovienſium, aliorumque in Hieronymum vociferationes fuêre, ſimiliter fugâ evaſiſſe poſt ſparſum peſtiferæ doctrinæ virus; nullo accuſationum documento, ſolâ perdendi libidine. 4. Carcer mox teterrimus excepit, in fundo turris fœtidæ atque obſcuræ, in quo dies CCCXL. exegit; & in quem initio ſtatim ità compactus Hieronymus, ut pedibus ferro cinctis, nec conſiſtere poſſet, nec recumbere, ſed *ſolo capite terram pendulus attingeret*, *pane* & *aquâ* reficiendus. 5. Hinc humano modo impare ferendis diutiùs tantis doloribus, in menſes protractis, poſt blandas pollicitationes, tandem VII. *Sept.* retractavit quicquid retractare juberent Carnifices; addens etiam *Huſſum jure combuſtum*. Retractationis formam, ſeu *Abjurationis* doctrinæ omnis Wicleſi, Huſſi, cum *profeſſione* eorum quæ Romana Eccleſia traderet, etiam ſolemni addito *juramento* in futurum, habes *Seſſione* XIX. *Ego Hieronymus de Praga*, &c. *anathematizo omnem Hæreſin, præcipuè eam de quâ hactenùs infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Johannes Wiclef, & Johannes Hus* . . . . . . *Conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & ſacro huic Concilio, & ore ac corde profiteor, in omnibus & per omnia, & præſertim de Clavibus, Sacramentis, Ordinibus, Officiis, ac Cenſuris Eccleſiaſticis, Indulgentiis, Reliquiis Sanctorum, & Eccleſiaſticâ libertate, ac etiam de Ceremoniis*, &c. Tandem, *Inſuper juro & per S. Trinitatem, & per hæc ſacro-ſancta Evangelia, me in veritate Eccleſiæ Catholicæ, ſemper & ſine dubio permanſurum; Et ſi ipſe ego aliquando, quod abſit, aliquid contrà ſentire aut prædicare præſumpſero, Canonum ſeveritati ſubjaceam, & Æternæ pœnæ obligatus inveniar.* 6. Nec præmium hujus Abjurationis aliud, quàm mitigatio ejuſdem carceris, prolongatio malorum, conſcientiæ aculei; donec *Anno* MCCCCXVI. novis in eum Teſtibus è Germaniâ & Bohemiâ acceſitis, ad novum certamen vocaretur. Hinc producendus ad Concilium die Maji XXV. ubi XL. in eum Articuli recitati, quibus vix impetratâ reſpondendi facultate, prorogatio facta eſt in XXVII. hinc XXX. Maji, quando mirâ animi præſentiâ ſic diluit objecta Hieronymus, & in Accuſatores intorſit, ut hinc acceleranda modò fuerit ſententia, & executio. 7. Dehinc Abjurationem priorum deteſtatus, effuſus eſt in laudes *Wiclefi*, & *Huſſi*, ac horum doctrinæ calculum rursùs ſuum adjecit; *pœnitentiam* palàm conteſtatus eſt, quòd mortis metu, & ex puſillanimitate, *contrà ſanctiſſimum illum Virum minus fuiſſet juſtè locutus, mentitus omnia in collum ſuum*, ut habet Hiſtoria: Indicatâ etiam cauſâ *condemnationis* ſanctorum Virorum, Huſſi in ſpecie, quòd nempè *vitam* Judicum ſuorum eſſet *deteſtatus, abuſum Clericorum, ſuperbiam, faſtum, pompam Prælatorum*, &c. Dignæ etiam illæ ſanctiſſimi Martyris voces, ad Judices ſuos, referente Poggio Florentino qui Synodo fuit à manibus, *Narratione* ad Leonardum Aretinum: *Quænam hæc eſt iniquitas, ut cùm* CCCXL. *diebus quibus in diverſiſſimis carceribus fui, in ſordibus, in ſqualore, in ſtercore, in compedibus, in rerum omnium inopiâ, adverſarios atque obtrectatores meos ſemper audiveritis, me unam horam nolitis audire*, &c. Et quum legerentur ex pulpitu ſingula accuſationum capita, nihil unquàm protulit indignum bono Viro, adeò ut ſi id in fide ſentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum nedum mortis juſta cauſa inveniri poſſet, ſed nequidem leviſſimæ offenſionis. Poſt hæc ſurgens, queribundâ voce, & porrectis manibus; *Quo me vertam* (inquit) *Patres Conſcripti, quorum auxilium implorem? Quos deprecer? Quos obteſter? Vos ne? At iſti perſecutores mei veſtras mentes à ſalute mea abalienaverunt, cùm me univerſorum hoſtem eſſe dixerunt*, &c. Enarraturus idem Poggius aliorum Virorum exempla, quorum innocentiam oppreſſiſſet tyrannis Judicum, ſeu in Gentilibus, ut Socratis, Platonis, Anaxagoræ, Rupilii, &c. ſeu in Hebraicis Vatibus, ut Eſaiæ, Danielis, Hieremiæ, &c. ſeu deinceps in perſonis Joh. Baptiſtæ, Chriſti, Apoſtolorum, & Sanctiſſimorum Martyrum. Quin & (referente eodem Poggio) additurus fuit Hieronymus ſales, jocos; Ex. gr. ad Objicientem, *Ajunt te dixiſſe poſt conſecrationem remanere panem*; ſanè, inquit Hieronymus, apud Piſtorem panis remanet. Et quæ plura ibi leges exempla, ut *omnes vel erubeſcere cogeret, vel tacere*. 9. Tandem, miſſis jam quæ Hieronymus ad conteſtationem innocentiæ ſuæ, tùm illius *Huſſi, viri recti & juſti*, maſculis vocibus pronunciavit; quæ idem in opprobrium convictionemque Judicum, qui rationes eſſent redditurі; ſuſtinuit incomparabili animi

mi fortitudine extrema, *mortem non contemnens ſolùm, ſed appetens.* Nempè intrepidus excepit ſententiam decretoriam, inſertam quoque *Faſciculo* Rerum Expetendar. tùm imprecationes, coronam Cacodæmonibus depictis feralem, lictores, exutionem veſtium, funes, catenas, pyram ſuppoſitam, & ignem accenſum, lentum illum & duraturum; medias inter laudes, preces, hymnos, *intrà ſe oraturus*; quum voce non poſſet ampliùs. *Vox ejus ſuavis, aperta, reſonans erat, quadam cum dignitate Oratoris; geſtus vel ad indignationem exprimendam, vel ad commovendam commiſerationem, quam tamen neque poſtulabat, neque conſequi cupiebat. Stabat impavidus, intrepidus, mortem non contemnens ſolùm, ſed appetens; ut alterum Catonem dixiſſes.* Hæc ipſe Poggius Florentinus, qui Synodo à manibus fuit, inſertâ Narratione *Tomo* II. Monumentorum Huſſi, à *pag.* 358. & *Faſciculo* Orthuini Gratii, ac meminit Æneas Sylvius Hiſtoriæ Bohemicæ *Cap.* XXXVI. Neſcius jam Florentinus ille, quid in Hieronymo magis demiretur, an ſapientiæ ſtudia, an memoriæ prodigium, an peritiam Eccleſiaſticæ Antiquitatis, an reſpondendi argutiam; adhæc dignitatem oris, vocis ſuavitatem, orationis affectum, invictam denique ad extremum ſpiritum animi conſtantiam. Claudit tandem, *O Virum dignum memoriâ hominum!* Ac teſtimonium Poggii confirmavit Æneas Sylvius, dictæ Hiſtoriæ Bohemorum *Cap.* XXXVI. teſtatus, *ambos* (Huſſum & Hieronymum) *conſtanti animo necem pertuliſſe, & quaſi ad epulas invitatos ad incendium properaſſe*, medio in ardore *hymnos ceciniſſe*, & quæ ibi plura.

Vaticin. Hieron. & Huſſi. Poſtremò non reticendum eſt Hieronymi vaticinium, apud Auctorem Belli Huſſitici, quum ſupremam horam, & ſupplicium jamjam imminere cerneret: *Ego verò poſt fata mea veſtris conſcientiis ſtimulum infigo & morſum, ac appello ad celſiſſimum ſimul & æquiſſimum Judicem, Deum omnipotentem, ut coràm eo,* CENTUM ANNIS REVOLUTIS, *reſpondeatis mihi.* Hæc ille Anno MCCCCXVI. annis C. antè Zwinglii Reformationem. Atque expirantibus præcisè annis *centum*, cœpit caſus Romanæ Babylonis, publicâ prædicatione Euangelii, ac Reformatione noviſſimâ, per Zwinglium primò A. MDXVI. quo anno teſtatur ipſe, *cœpiſſe ſe Euangelium prædicare, quum Lutheri nomen in Helvetiæ regionibus, ne auditum quidem adhuc eſſet*, ut ex Operum Zwinglii T. I. Cl. Hottingerus, aliique obſervarunt. Luthero mox in Saxoniâ, pari cum Hieronymo fortitudine & intrepiditate promoturo tantum opus; interea dum Conſtantienſes Tribunali Dei ſiſtendi fuerunt. Similem *Huſſi* referunt vaticinationem, inter alios, Stumpfius in Hiſt. Concilii Baſileenſis; *Hodie torretis* ANSEREM (Hus) *poſt* C. *annos* CYGNUS *veniet* (Luther) *quem torrere non poteritis.* Reſpondit eventus.

Nobil. Morav. expoſtulat. Ac lectu digniſſimæ Literæ *Quinquaginta quatuor* Nobilium Moraviæ, ad Patres Concilii Conſtantienſis, datæ eodem Anno MCCCCXV. quas exhibent *Paralipomena* Abbati Urſpergenſi annexa, & Caſtigationes Lydii noſtri ad Hiſtoriam Conciliorum *Prateoli*, Lugd. Bat. An. MDCX. tandem *Appendix* Anglicana ad Faſciculum Rerum Expetend. edita A. MDCXC. p. 608. Præmiſſa lege naturali, & divinâ de dilectione proximo debitâ, quâ videl. *prohibetur alii inferre quod ſibi fieri nolit*, &c. expoſtulant; *Neſcire, ſe quo ſpiritu ducti, non confeſſum, nec legitimè (ut decet) convictum* (Joh. Huſſum) *nulliſque contrà eum deductis & oſtenſis erroribus & hæreſibus, ſed ad ſiniſtras, falſas & importunas duntaxat ſuorum, & Regni ac Marchionatûs Moraviæ capitalium inimicorum, & proditorum, accuſationes, delationes, & inſtigationes,* Magiſtr. Johannem Huſs *tanquàm Hæreticum pertinacem condemnarint, & condemnatum dirâ ac turpiſſimâ morte affecerint; & eum, ut refertur, in Gentis dedecus ac contemptum, ignis voragini tradiderint*, &c. Dein *honorandum M. Hieronymum de Pragâ, virum certiſſimâ eloquentiæ fonte manantem, Magiſtrum* VII. *Artium Liberalium, Philoſophum utique illuſtrem, non viſum, non auditum, non confeſſum, nec convictum, ſed ad ſolam ſuorum proditorum delationem ſiniſtram, ſine omni miſericordiâ comprehenſum, incarcerarint, trucidarint, & jam fortè crudeliſſimâ morte interemerint.* Vide ibi reliqua.

VII. *Summa Bohemicorum motuum à Synodo Conſtantienſi. Compacta Baſileenſia. Bohemorum oppreſſio non una, hujuſque compendiaria Hiſtoria.*

I. Non hujus noſtræ paginæ eſt, perſequi ea omnia quæ Synodi Conſtantienſis immite judicium exceperunt. Horruerunt boni, fremuit Initia motuum in Bohemiâ.
Bohemia, Moravia, ingemuerunt in quibus aliquid reliquum humanitatis, ut vel ex Poggio Florentino modò viſum. Hinc Literæ Bohemorum ac Moravorum Expoſtulatoriæ, ad Synodum quidem miſſæ, quibus querebantur, *Paſtorem ſuum, Virum innocentem, pium, ſanctum fidelemque veritatis doctorem, injuſte condemnatum eſſe*; ſed reſponſo & fructu cariture. Mox Bohemia penè tota, quæ memoriam defunctorum ſacram habuit, *celebrandamque quotannis decrevit*, ut Æneas, Huſſi doctrinam amplexa eſt, ut etiam Wenceſlao Regi, Principi aliàs ignavò, gulæ & ventri dedito, metum incuterent. Et ex Bohemia diſpergendi Huſſi diſcipuli, qui Euangelium propagarent, in ipſam quoque Scotiam, qualis *Paulus Cravius*, natione Bohemus, apud Fanum S. Andreanum, Anno MCCCCXXXII. rogo impoſitus, apud Balæum *Centur.* VII. Appendice ad *Num.* LXXV. & apud Martyrologos. Multi verò, quibus ſacra fuit memoria ſanctiſſimorum Martyrum Huſſi & Hieronymi, in auctores paſſim Monachos, in Cœnobia, in Templa ſævierunt, ferro & igne devaſtanda, ut multis quidem exaggerat Æneas Sylvius. Mox Caſtellum petentes cui *Bochingen* nomen eſt, octavo ferè miliario ab oppido quod poſteà Thabor dixêre, *triginta circiter millia* hominum convenêre, atque ibi 300. *menſas* in patentibus campis erexêre, ex quibus populo Sacramentum Calicis miniſtrarunt. Quæ multitudo congregata terruit Wenceſlaum Regem, verentem ne tumultu facto in ſe arma converterent; & ſic Æneas Sylvius Hiſt. Bohem. *Cap.* XXXVI. Dein querelæ de ſubtractione *Calicis* repetitæ, A. MCCCCXVII. paulo antè finem Conſtantienſis Synodi, & *Communio ſub utrâque* aſſerta ab Univerſitate Pragenſi, Inſtrumento edito ad calcem *Monumentorum* Huſſi.

II. Mortuo autem ex paralyſi Wenceſlao Bohemiæ Rege, Ann. MCCCCXIX. ad *Bellum Huſſiticum* Bellum Huſſit.
omnia ſpectârunt. Illinc ſcilicet Martino V. vibrante Excommunicationum fulmina, Crucem decernente, A. MCCCCXX. ac Cæſarem, Reges, Principes ad arma concitante, in exterminium Sacrilegæ ſcilicet Gentis: Hinc Sigiſmundo Cæſare, poſt moram in Moraviâ & Sileſiâ interpoſitam, de quâ Æneas, *Cap.* XL. cum valido exercitu in Bohemiam ingreſſo, ac Pragenſi in Arce in Regem Bohemiæ coronando, per manus Conradi Archiepiſcopi; ad Huſſitas mox tranſituri, & *in Hæreſim prolapſi*, ut habet Æneas *Cap.* XLII. Hiſtoriæ. Indè Belli initia, Pragæ civitatem tenentibus adhuc Huſſitis, qui exemplo Uratiſlavienſium territi, quorum aliquos ſecuri percuſſerat Sigiſmundus, literas quaquaverſum

Digitized by Google

ſum per totum regnum dederunt : *Ne quiſquam Sigiſmundo aditum præberet, qui Dalmaticæ Linguæ hoſtis eſſet, nec aliâ curâ teneretur quam Regni perdendi*; qui inter alia, *Johannem & Hieronymum in Conſtantienſi Concilio cremari non ſolum permiſiſſet, verum etiam procuraſſet, dogmata verò fidei, quæ ipſi ſequerentur, totis conatibus impugnaret.* Duravit Bellum ad A. uſque MCCCCXLIV. quando capta Urbs Thabor; quod quidem Bohemiam, Moraviam, Luſaciam, Auſtriam, Miſniam, Germaniam penè omnem afflixit. Nempè vocatus ab Huſſitis *Ziska*, vir nobilis & ſtrenuus, idemque monoculus, poſteà & utroque lumine orbus, in obſidione Arcis *Raabii*; quem ſummum Belli Ducem elegerunt, formidandum mox Sigiſmundo, & Papicolis. Et ab hoc Duce, poſt *Auſcam* expugnatam, oppidum ad Luſinitium amnem, civitas *Thabor* nomine à Ziskâ, decimo ab Urbe Pragâ lapide, loco munitiſſimo rupibus, ac penè inacceſſo, condita eſt eodem Anno MCCCCXX. undè Fratrum *Thaboritarum* celeberrimum nomen. Quomodò ex Huſſitis alii *Orebitæ* dicendi, à monte quodam haud longè ab Arce Lipniciâ, cui *Oreb* nomen impoſuerunt, Papiſtis infeſti, cumprimis Sacrificulis. Ac longa hiſtoria eſt, longæ ambages, ex Æneâ Sylvio, Joh. Dubravio, & Bohemiæ Piæ, ac Perſecutionis Bohemorum, monumentis; nam Cochlæo, Bzovio, aut id genus infidis Hiſtoricis, ſervire modò natis, nulla fides eſt. Cumprimis id dignum memoriâ eſt; immanitate in Parochum quendam exercitam, nomine *Wenceſlaum*, quod noluiſſet abjurare communionem *ſub utraque*, fruſtrà urgente Epiſcopo, hinc cum Capellano ſuo, tribus ruſticis, & pueris quatuor, ad rogum damnatum, VII. Julii, A. MCCCCXX. factum eſſe ut *Conradus* Archiepiſcopus Pragenſis, qui Sigiſmundo ut Bohemiæ Regi coronam impoſuerat, tot crudelitatibus & ſuppliciis offenſus, officium Archiepiſcopale eadem die deponeret, ac ſe pro communicantibus *ſub utraque* declararet, Dux militiæ Pragenſium contrà ſævos Milites Sigiſmundi. Quando ſunt electi in Pragenſis Conſiſtorii, quod dictum *ſub utraque*, loco Archiepiſcopi Adminiſtratores quatuor, Parochi iidem Pragenſis Eccleſiæ; inter quos *Jacobellus* præco Eccleſiæ S. Michaëlis, qui ex primis communionem Calicis urſit, & *Procopius*, qui Bohemorum cauſam egit in Concilio Baſileenſi, ductor exercitûs Thaboritarum.

Bohemorum inter ſe diviſio. Ziskæ exceſſus.

III. *Ziskâ* autem Bohemorum Duce, res fortiter gerente, ac terrorem circumferente cum ſuis, poſt fuſos non uno prælio Cæſarianos, nihil ſupererat ampliùs, accidendis viribus Huſſitarum, quàm ut inter ſe dividerentur. Hinc in duas primùm partes ac familias quaſi diſtracti : In *Thaboritas* qui genuini tùm Huſſi diſcipuli fuerunt; & *Calixtinos* vel *Sub utrâque*, qui *Pſeudo-Huſſitæ*, ſolo uſu Calicis retento, de cætero aſſenſuros Romanæ Eccleſiæ dogmatis ac ritibus, atque hos numero potiores. Gravius mox malum, ex *Ziskæ* ipſius defectione, artibus & pollicitationibus Sigiſmundi, in partes Calixtinorum; hinc ſævituri Calixtini in reliquos, ut *Picardos* Hæreticos, & *Adamitas*, (à quodam Picardo, ut ferunt, & quoque Æneas *Cap.* XLI. ex Galliâ Belgicâ, tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam delato) quos omnes gladio delevit Ziska cum ſuis, Anno jam MCCCCXXIII. ut ferunt. Sed peſte non longè poſteà extinguendus fuit Ziska, *tympano* ex *pelle* ſuâ poſt obitum fieri juſſo, ad cujus ſonum Hoſtes expaveſcerent, Æneâ Sylvio referente, *Cap.* XLVI. & poſt eum Krantzio in Vandaliâ, cæteriſque. Epitaphium hoc illi ſcriptum fuit : *Johannes Ziska nullo Imperatorum Ducumque rei militaris peritiâ inferior, ſuperbiæ ſimul & avaritiæ Clericorum ſeverus ultor, Patriæque acerrimus propugnator, hìc jaceo. Quod Appius Claudius cæcus benè conſulendo; & M. Furius Camillus ſtrenuè agendo, ſuis Romanis præbuêre, hoc ipſum meis Bohemis præſtiti. Fortuna belli nunquam defui, neque illa mihi : Omnem opportunitatem rerum benè agendarum etiam cæcus prævidi. Signis collatis undecies ſemper victor depugnavi. Viſus ſum mihi eſurientium juſtiſſimam cauſam adverſus delicatos, pingues, & ſaginatos Sacerdotes egregiè egiſſe; & ab hoc Dei auxilium ſenſiſſe. Niſi illorum invidia obſtaret, inter illuſtriſſimos numerari omninò meruiſſem : Tamen oſſa mea hoc ſacrato loco cubant, etiam inſalutato & invito Papâ.* Poſt ejus mortem pars maxima Huſſitarum *Procopium*, ex Nobili familiâ Bohemorum, ſibi Ducem elegerunt, *Orphanis* illis ſolatio futurum; qui dein Baſileenſi Concilio præſentem ſe ſtitit.

Calixtini & Orphani.

IV. Undè poſt exceſſum hujus Ducis, tertia quædam factio inter Bohemos, præter Thaboritas & veteres, & Calixtinos, nempè *Orphanorum*, qui ſcilicet Patre Ziskâ orbi, cui nullus eſſet qui tanto Viro jure ſuccederet, medii quodammodò eſſent inter genuinos Huſſitas, & Calixtinos cætera Pontificios. Et Calixtinorum ſeſe Ducem præbuit *Johannes* ille cognomento *Rokizanus*, vel *Rochezana*, ab obſcuro nativitatis loco, Concionator Pragenſium, qui Monachis, & Sigiſmundo Imperatori primò acriter reſtiterat; unus ex legatis Bohemorum ad Synodum Baſileenſem. Sed homo ambitioſus & verſipellis, tandem obedientiam Romanæ Eccleſiæ addicturus fuit, *Calicis* ſolo Articulo excepto : Inito nempè pacto cum Sigiſmundo, ac Pragenſi *Archiepiſcopatu* jam ſpe devorato, eâ lege ut Calicem retineret; quo tamen per Papam & Clerum Romanum haud gaviſurus fuit.

Bohemi fraudul. ad Concil. Baſil. evocati.

V. Nihil promovente ſuis armis Sigiſmundo, tot jam bellis fatigato, ac infelici nuper prælio cum Thaboritis commiſſo; nihil etiam ſuis fulminibus, aut ſuâ *Cruciatâ*, Martino V. Pontifice; tandem pertinacibus in causâ ſuâ Bohemis, quamvis inter ſe diviſis, ad fraudes ſeſe Roma & Cæſar converterunt. Hinc conſilium de invitandis Bohemis ad Synodum *Baſileenſem*, indictam Anno MCCCCXXXI. (juxtà Decretum prioris Synodi *Senenſis*) cùm ad componendos inter ſe Principes, ut Fridericum Auſtriacum, & Philippum Burgundiæ Ducem, tùm ad *extirpandas Hæreſes*, quales tùm Waldenſium, & Bohemorum. Rem prolixè refert præ cæteris Æneas Sylvius, in Hiſt. Bohemicâ à C. XLIX. & ex eo Narratio de *Vocatione Bohemorum* ad Synodum, apud Orthuinum Gratium in *Faſciculo Rerum Expetend.* Summâ, ut apparet, narratorum ab Æneâ fide, ut qui ſingulis Conventibus interfuit; dùm Editores nuperi Conciliorum *T.* XII. precariò & *fidem* & *prudentiam* in iis deſiderant. Igitur datæ literæ primò ad Sigiſmundum Imperator. hinc à Sigiſmundo ad Bohemos, ſuaſuro ut ad Concilium proficiſcerentur, *nec plus vellent ſapere quàm mater Eccleſia.* Tùm & blanda invitatio Baſileenſ. fuit, An. MCCCCXXXII. ſcriptâ Epiſt. ad Bohemos; indè Conventio de pleniſſimâ libertate cauſam in Concilio orandi; Conceſſio *Salvi Conductûs*, pro *plenâ & efficaci & ſufficienti ſecuritate, in eundo, ſtando, ac redeundo*; quinetiam *Obſidum* datio, majoris ſecuritatis ergò, obligantibus ſe hunc in finem Brandenburgico, Bavaro, ipſoque Cæſare, ut ex *Seſſione* IV. Actorum Baſileenſ. intelligitur. Indè apparuêre in Synodo Legati Bohemorum, An. MCCCCXXXIII. ſtipati CCC. & ampliùs Equitibus, qui IV. *Articulos* urgerent, exigendos ad Legem divinam, & praxim Chriſti, Apoſtolorum, Eccleſiæ Primitivæ. Ità nempè convenerat inter Calixtinos, Thaboritas, Orphanos, & Wiclefi aſſeclas, quorum ſinguli per ſuos Oratores proponerent quod ſuum eſſet.

Quatuor urgentur Cap. à Bohemis.

Calixtini nempè, quorum Johannes Rokizanus caput, urgebant Articulum de neceſſariâ Communione ſub utrâque. *Thaboritæ*, quorum Dux invi-

ctus

ctus ille Procopius, (qui in prælio propè Pragam occubuit, ut Æneas Hiſtor. Bohemicæ *Cap.* LI.) per oratorem Wenceſlaum; inſiſtebant Articulo de corrigendis & puniendis publicis delictis, & tollendis ità Eccleſiæ ſcandalis. *Orphani*, ore Udalrici Presbyteri, proponebant generalem Articulum, de permittendâ liberâ prædicatione Verbi Dei. Denique Petrus Payne *Wicleſita* ex Angliâ ad Bohemos profugus, ac cum Huſſitis de doctrinâ conſentiens, Articulum de Civili ſeu Seculari dominio Clericorum, exponebat. Et hi Articuli à conventione inter Bohemos & Baſileenſes, *Compacta* vel *Compactata* Bohemorum, deinceps appellati. De quibus per *quatuor* utrimque delegatos Theologos, totis diebus *quinquaginta* diſceptatum fuit. Et cauſam egit ex parte Baſileenſium, quâ reſpondit ad Articulum *primum*, de Communione ſub utraque, Johannes de Raguſo Ord. Prædicatorum Procurator Generalis: Ad Articulum *ſecundum*, de corrigendis peccatis publicis mortalibus, Ægidius Carlerius, Decanus Eccleſiæ Cameracenſis: Ad Articulum *tertium*, de Liberâ prædicatione Verbi Divini, qualem urgebant Orphani, Henricus Kalteiſen Dominic. Profeſſor Theol. Colonienſis, & Inquiſitor Hæret. pravitatis: Ad Articulum *quartum*, de Civili Dominio Clericorum, Johannes de Polemar Archidiac. Barcinonenſis, & Auditor cauſarum Palatii Apoſtolici. Hinc quum eludi ſe Bohemi animadverterent, poſtremò propoſuerunt Concilio *petitiones* IX. Anno MCCCCXXXVIII. cui pariter Concilium reſpondit eludendo, more ſuo; ſed Reſponſiones illæ non ſunt datæ, ex diſceſſu Bohemorum. Hinc quum hi pararent abitum, novâ arte circumventi ſunt. Delegati enim à Concilio *Oratores* in Bohemiam fuêre qui Scholaſticâ ſubtilitate Huſſitas circumducerent, Synodi mentem ſuper iis Articulis declararent, reſque in Bohemiâ componerent. Summa *declarationum* Concilii nomine eò rediit, ut fraudarentur optimi Thaboritæ ſpe ſuâ, *tribus* Articulis per fraudem ità declaratis, ut res antiquum obtinerent. Solo uſu *Calicis* Bohemis relicto, quem Articulum primo loco urſerat Rokizanus cum ſuis; Communione *ſub utrâque ſpecie* illis ſubdolè *permiſſâ*, tanquam *utili & ſalutari dignè ſumentibus*. Ità pax in ſpeciem ſancita, bello exitioſior; redire ſic compulſis Bohemis, in reliquis omnibus, ad dogmata, ritus, & obedientiam Romanæ Eccleſiæ; ut qui impares eſſent numero, auctoritate, potentiâ, patrocinio. Atque hic unus *Compactorum*, & Synodi Baſileenſis, finis fuerat.

Oppreſſio Thabor. Orphanor.

VI. Et iſta ſic quidem tùm tranſacta, auctore præcipuo *Rokizano* illo, hinc ad Archiepiſcopalem ſedem evehendo, ſub conditione retinendi *Calicis*, ac ſervandæ Conventionis; quem tamen ipſum mox Papalis factio circumduxit. Acceſſit *Mainardus*, inter ſtrenuos Nobilitatis Duces, iſque æmulus Procopii Thaboritarum fortiſſimi Ducis, quem paulo poſt cum Thaboritis & Orphanis, prælio ſuperior (uti erat viribus) oppreſſit Mainardus, An. MCCCCXXXIV. Ac Procopio *non tam victo, quàm vincendo feſſo*, ut habet Æneas *Cap.* LI. & à ſuis deſerto, teloque transfoſſo, ſecuta eſt horrenda Thaboritarum ſtrages, & internecio, faciente Mainardo; dùm totis agminibus, ſub blandâ pollicitatione compulſi in horrea, quæ ex maceriâ culmo tecta in Bohemia frequentiſſima fuerunt, his tandem horreis concluſi, & igne immiſſo barbarè exuſti, ac propè deleti fuerunt. Reliquiis tamen in urbe *Thabor* nonnullis ad tempus ſuperſtitibus, qui deinceps *Zelotarum*, etiam *Picardorum* nomine venerunt, à cæteris jam Bohemis ſejuncti S. Miniſterio, cœtibus, fidei profeſſione. Sed & infortunatæ hæ reliquiæ Thaboriticæ, perſuaſæ tandem à *Rokizano* titulari Archiepiſcopo, qui cum *Georgio Podebradio* Pro-Rege conſpiraret, dùm ſubmiſêre ſe Ordinum judicio, hoc modo in caſſes ſibi paratos inciderunt. Nimirùm Urbe Thabor per *Georgium* obſeſſâ & occupatâ, miſeriſque ad deditionem compulſis, & carceribus æternis magnam partem concluſis, quod factum A. MCCCCXLIV. Et hic fructus fuit aditæ auditæque *Baſileenſis Synodi*, à quâ nonniſi fraudes, aſtus, laquei, circumventiones, ac certiſſimum exitium, pro Papiſtico ingenio, expectari debuit.

VII. Sed neque res ex voto ſucceſſit inſtabili & ambitioſo nimis *Rokizano*, qui olim in Romanum Pontificem, ut in *Beſtiam* ac *Meretricem Apocalypticam*, cum ſuis invectus fuerat, nunc adhæſurus ſoli *Calici*, ſpe Archiepiſcopatûs in præmium defectionis conſequendi. Electus quidem is Anno MCCCCXXXV. ſed non probatus Romæ, nec conſecrandus Canonico ritu, niſi priùs *Calici* renunciaret. Hinc titularis Calixtinorum Archiepiſcopus, fruſtrà Pallio Româ à Bohemis illi expetito. Quemadmodùm & fruſtrà apud Baſileenſes iidem inſtiterunt, An. MCCCCXXXVIII. Æneâ Sylvio rursùm referente, ut ſervarentur *Compactata*; additis novis quibuſdam Petitionibus: Puta, pro conſecratione ſui *Archiepiſcopi*; pro uſu *Linguæ vernaculæ* in ſacris; & pro *Reformatione Academiæ Pragenſis*, & *totius Eccleſiæ*. Undè ſunt tandem reſumpta à Rokizano & Calixtinis in Papam & Papicolas ac Monachos odia, favente illi Georgio Pro-Rege. Quo factum eſt, ut dùm veri Confeſſores verique *Orphani*, utrimque opprimerentur, ferverent odia inter *Calixtinos* ipſos, *Romanamque* Curiam, eſſentque mutua interdicta, & anathemata. Rursùm intellexerunt hi Calixtini, incaſſùm ſe laborare, Petitionibus eorum aut rejectis, aut fraudulenter explicatis, ut ex *Reſponſionibus* liquet apud Æneam, & Orth. Gratium. Atque adeò, ſi pacem vellent, (promiſsâ tamen à Concilio dicis causâ, *Reformatione Studii Pragenſis*, & approbatâ in ſpeciem illâ *Eccleſia*) ſumma fuit ad unius deinceps Pontificis nutum, & Romanæ Eccleſiæ deciſionem ordinationemque, ſeſe Bohemi componerent. Quin de ipſo Joh. Rokizanâ, hi Patres: *Non eſſe rationabile ut ad illam Dignitatem promoveretur, quum ad impediendum, perturbandum, diſrumpendum pacem, & unitatem, poſt firmata Compactata, fuerit multipliciter machinatus.* Hoc præmium perfidiæ infidi Paſtoris, ut *proditoribus* accidere conſuevit.

Rokizanæ ſpes & petita eluduntur.

VIII. A quo tempore, mutatâ velificatione, Calixtini & fortiùs quàm olim Rokizana, detonare in *Romanum Antichriſtum*, ex Daniele & Apocalypſi; omnia *ad Dei Legem*, non *ad Compactata*, exigenda eſſe, ut normam unicam Religionis, ingeminare; atque *è fundamentis Apoſtolicis* ab integro omnia inſtaurata velle. Favit Rokizanæ Georgius Podebradius Pro-Rex Ladiſlai, idemque Calixtinus, & (ut loquuntur Bzovius, Spondanus) *Hæreticus*; deinceps verè *Regni* causâ, quod à morte Ladiſlai, ſublati An. MCCCCLVII. conſecutus eſt Georgius, juraturus Papæ obedientiam, hujuſque pacem quæſiturus, ſed fruſtrà, niſi *Compactatis* renunciaret, ac in ſpecie *Calici*. Undè *Pii* II. & *Pauli* II. conſtans in Georgium Regem odium, atrociſſimè licet reliquias Huſſiticas, in montanis Sileſiæ, (*Fratres Bohemos*, *Unitatem Fratrum* ſe appellantes) perſecuturum, vivo probanteque Rokizanâ. Nec modus perſecutionis fuit ſub Georgio, conceſſuro fatis, An. MCCCCLXXI. Quum paulo antè Rokizana, eodem *Anno*, cum morte ac deſperatione colluctatus, Georgium ſe inviſentem monuiſſet, *ſiſtendum jam ſe eſſe, & ipſum mox Georgium, coràm tremendo Dei tribunali.*

Rokizanæ & Georgii Reg. inſtabilitas.

IX. Intereà veri Confeſſores, verique *Orphani*, ſuis ſedibus ejecti, aut carceribus mancipati, utrimque ſe oppreſſos ingemuerunt, illinc à Pontificiis

Rokizanæ molimina: Quæſita cum Græcis Concord.

Sa-

Satellitibus, hinc à Rokizanâ, & Georgio; utroque ad mortem uſque ancipitis fidei, nec *frigidis* in ſpeciem, nec *fervidis*, niſi in rem ſuam. Dùm Rokizana in Papiſtas Papamque acerrimè inveheretur, & Bohemos reliquos ſive Huſſitas verbis deluderet, ſuadens afflictis ſilentium & patientiam, *Calixtinis* in ſpecie adhærebat, quorum Archiepiſcopus audiit. Indè conſilium Rokizanæ de ineundâ cum *Græcis* Concordiâ, quos à Romanâ Eccleſiâ, poſt Synodum Florentinam, averſiſſimos eſſe cognoſceret, datis hinc literis miſſiſque Legatis Conſtantinopolim. Atque indè fraterna illa & amica reſponſio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ *ad Bohemos*, biennio antè deditam Turcis Conſtantinopolim, Anno MCCCCLI. ſubſcribente & Gennadio, qui poſteà Patriarchatum obtinuit. Quæ edita ſæpiùs Græcè & Latinè Epiſtola fuit, ac Pragæ primùm, ex Biblioth. Caroli IV. per Conſiliarium Maximiliani II. *Caſparum à Nydbruck*. De quâ infrà, ubi de *Græcis*.

Origo Fratrum Bohemor.

X. Nunc de origine *Fratrum Bohemorum* verbum ſupereſt. Sollicitato crebris conviciis, an ſupplicibus reliquiarum Huſſiticarum precibus, Rokizana ut ne ſe deſereret, impetravit ille à Prorege Podebradio, A. MCCCCLIX. *ditionem Liticenſem*, *in Montanis Sileſiæ proximis*, in quam ſecederent Huſſitæ Pragenſes, & in iis Calixtini, qui ſuperſtitionibus abdicatis, componerent ſe ad Apoſtolicæ ſimplicitatis formam. Hinc factus eò ſeceſſus, Nobilium & Plebeiorum, doctorum & indoctorum, utroque ſexu, ac nova ibi S. Miniſterii & Diſciplinæ forma conſtituta, quæ *Diſciplina*, *Ordo*, vel *Inſtituta Fratrùm Bohemorum*, appellantur. Sic placuit Fratrum & Sororum mutua appellatio, & quidem Fratrum Legis Chriſti, poſteà vitandæ contumeliæ, *Unitatis Fratrum*. Nec longa tamen his fuerunt in eo ſeceſſu otia, perſequendis mox atrociſſimum in modum, Georgio Rege, & vivo probanteque Rokizana. Idque etiam ſub *Picardorum*, vel *Adamitarum* odioſiſſimis nominibus; poſtquam ſubornatus quidam *Leska*, Sclavonibus *mendax*, fingens eorum ex Confeſſu fuiſſe, affinxiſſet innocuis Fratribus promiſcuas libidines, Blaſphemiarum, Magiæ, Inceſtuum, Homicidiorum, & ſi quæ graviora his portenta, ac *Sacramentorum* ludibria. Nec modus perſecutionum fuit, ſub Georgio, dein Wenceſlao, & Matthiâ Hunniade, Hungariæ, Bohemiæque Regibus. Cæterùm miſeri illi *Fratres Bohemi*, ſedibus expulſi, per montes, ſylvas, latebras, ſpeluncas diſperſi fuêre. Ac ne ibi ſatis tuti, tandem *Jamnicorum*, id eſt, *Speluncanorum* luctuoſum nomen ſortiti ſunt. Poſteà iidem cum reliquiis quibuſdam *Waldenſium*, in confiniis Moraviæ & Auſtriæ agentibus, conjungendi, *Unitate* inter eos ac confœderatione initâ. Undè commune *Bohemis* Fratribus *Waldenſium* nomen, & utrorumque Confeſſio *Waldenſium* illa appellata; iidemque poſteà ab Eraſmo Roterodamo, Epiſtolâ ad Johannem Schlechtam, Nobilem Bohemum ac Fratrum calumniatorem, graviſſimis vocibus defenſi, laudatique à pietate, charitate, *recto ſenſu*, *dùm plus deferrent Deo quàm hominibus*, &c. Idem poſteà Lutheri judicium fuit, olim Bohemorum Fratrum acerrimi hoſtis, omniumque quotquot Romano Pontifici adverſarentur, parati etiam aut *per ſemet tales occidere*, *aut occidentibus cooperari*. Poſteà verò non una legatione ad Martinum, audito ejus ſtudio pro repurgandâ Eccleſiâ, ac collatione de iis quæ *ad Fidem* & *Diſciplinam* attinerent, ab Anno MDXXII. & deinceps, ita probarunt Fratres Bohemi utriuſque ſimplicitatem, Luthero, Capitoni, Bucero, dein editis ad Reges & Principes *Apologiis*, ut in iis ſucceſſio Eccleſiæ, ab Antichriſtianiſmo defœcatæ, univerſis conſtiterit.

Ratio Diſciplinæ, & Fidei.

XI. Cæterùm *Rationem Diſciplinæ*, *Ordiniſque Eccleſiaſtici* in Unitate Fratrum Bohemorum, *Moreſque* eorum & *Inſtituta*, deſcripſerunt Johannes Laſitius Nobilis Polonus, & Joh. Amos Comenius. Unde patet veneratas eas Eccleſias ſuos *Epiſcopos* vel *Superattendentes*, primos cùm ordinis tum poteſtatis prærogativâ; *ſcalam miniſterii* ſuis gradibus diſtinxiſſe; *Synodos* particulares, generales, inſtituiſſe; Fratrum claſſes quatuor diſtribuiſſe, *Incipientium*, *Proficientium*, *Perfectorum*, ac *Pœnitentium*; ac *Ritus* circà dies Feſtos, Preces, Jejunia, Eleemoſynas, Viſitationes Eccleſiarum, id genus alios, quàm proximè ad praxim veterem, ordinaſſe. In quibus rectè monuit Lutherus, Præfat. ad Confeſſionem Waldenſium; *nunquam fuiſſe*, *neque potuiſſe omnium Eccleſiarum omnes ritus & obſervationes*, *eſſe æquales*, *vel eaſdem*; *Id enim non permittere hominum*, *regionum*, *temporum rationes & varietates*, *modo ſalva ſit doctrina fidei & morum*. Quâ de re noſtra de variâ Eccleſiarum Diſciplinâ extat commentatio. Ac *fidem* Thaboritarum pridem fuiſſe eandem, quoad ſubſtantialia, & quoad accuſationes Rom. Eccleſiæ, cum illâ *Proteſtantium*, quemadmodùm ex Æneâ Sylvio colligitur, prolixiſſimâ Epiſt. contrà Bohemos & Thaboritas, quæ eſt CXXX. ſcriptâ A. MCCCCLI. ità etiam, & luculentiùs, ex *Confeſſionibus* eorundem, & *Apologiis*, apud Auctorem Faſciculi Rerum Expetendar. Marq. Freherum in Rebus Bohemicis, Balthaſarem Lydium in Waldenſibus, Joh. Amoſum Comenium ad calcem Hiſt. Laſitii, &c. præter Syntagma Confeſſionum. Nec enim ſingula iſta hujus loci ſunt.

VIII. *Teſtes alii Veritatis, medio in Papatu, ſeu abominationum Romanæ Eccleſiæ, hac Ætate.*

Teſtantur Concil. Generalia hujus Ætat.

I. Verbo hos jam modò indicamus. Diximus antè *Wicleſitas* Anglos, apud Walſinghamum, Chronographos alios ex eâ Gente, Æneam Sylvium, Editorem Faſciculi, Joh. Balæum, &c. quos inter *Johannes Purney* eminuit, ſuo in *Apocalypſim* Commentario. Vidimus *Huſſitas*, *Calixtinos*, *Bohemos* Fratres, & *Waldenſium* hinc indè propagines, ſpeciatim in Confiniis Moraviæ, Auſtriæ, & in Convallibus Pedemontii. Deſcripſimus & Hieronymum *Savonarolam* cum ſuis, de quo fusè *Sectione* V. Sed præter hoſce, fuêre non pauci alii *Teſtes abominationum* in Romanâ Eccleſiâ, & neceſſariæ *Reformationis* tàm in Doctrinâ quàm in Moribus, tàm in Capite, quàm in Membris. Urſerunt hanc plerique etiam in General. Synodis *Piſanâ*, *Conſtantienſi*, *Senenſi*, Martino V. Pontifice, tùm & *Baſileenſi*, ut ex Actis & Canonibus liquet. Ac Libellum hoc nomine oblatum Synodo Conſtant. à Petro de Alliaco, Cardinale Cameracenſi, *de Reformandâ Eccleſiâ*, A. 1415. exhibet Orthuinus Gratius in *Faſciculo* Rerum Expet. Urſerunt Reformationem Imperatores, Reges, Principes, ſed abſque fructu. Pontifice & Cardinalibus reliquis, Italis præcipuè, ſemper eludentibus. Promiſſa illa diu, ac probata ſpecie tenùs, tentata aut impleta nunquàm; ipſo Martino V. Sigiſmundum Imper. in Concilio Conſtantienſi his deludente: *Se hac de re per otium cogitaturum*, *inprimis adeundam eſſe Romam*, *cujus Templa*, *abſente jam aliquot annis Pontifice*, *paſſim collaberentur*; & *Petri Patrimonium è Tyrannorum manibus eripiendum*. Adeo Romæ odioſiſſima ſemper fuit Emendatio Eccleſiæ, quod & ſecutura demonſtrabunt.

Scriptores in R. E. primæ notæ.

II. In hac igitur ſerie ſunt Scriptores primæ notæ: *Petrus Alliacus*, Cardinalis Cameracenſis, in dicto Libello de *Reformandâ Eccleſiâ*, & de quo jam ad

Digitized by Google

ad ſuperius Seculum dicebamus: Quamquàm is choragus ferè tragicæ Scenæ in quam Huſſus, & Hieronymus producti, ut ex *Actis* liquet. Urſit ille Reformationem 1. Totius Corporis Eccleſiæ; quod in variis abuſibus & Schiſmatis debuiſſet, ad modum Veteris Eccleſiæ, per Concilium Generale emendari. 2. Capitis & Cardinalium; contrà abuſivas Electiones, Exactiones, Excommunicationes, multitudinem Statutorum, Canonum, Decretalium, Dignitatum, &c. 3. Prælatorum, Epiſcoporum; in eorum electione, externo faſtu, picturis Templorum, novis Feſtis, novis Sanctis, &c. 4. Religionum & Religioſorum, quos in ordinem cogi voluit temporis Chalcedonenſium. 5. Cæterorum Eccleſiaſticorum, qui plerumque fatui, ignari Theol. Linguarum, iidemque gulæ, luxuriæ, pompæ, prodigalitati, otio dediti. 6. Tandem Laicorum & Principum; quos oporteret malas conſuetudines, *juri divino* & humano contrarias, repellere, omnes *ſuperſtitiones*, *errores*, *hæreſes*, *divinâ lege damnatas*, revellere, deſtruere, & quæ plura ibi legas. Quæ nihil facere ad reformationem *Doctrinæ* Papalis, & Antichriſtianæ, modò ad reformationem *Morum*, fruſtrà declamitant; quum fluxerint omnes illi abuſus in Eccleſiâ Romanâ, ex doctrinæ Antichriſtianæ dictis antè Capitibus.

Auctor *Aurei Speculi Papæ*, *Curiæ Romanæ*, *Prælatorum*, &c. in quo, Dialogi in modum, inter Petrum & Paulum, Inſolentiæ, Errores, Exorbitantiæ, Simonia fœda Papalis Curiæ perſtringuntur, circà Electiones, Reſervationes, Proviſiones Simoniacas, Executiones Beneficiorum, Indulgentiarum, &c. Scriptum A. MCCCCIV. ejuſque in Cauſâ Joh. Huſſi frequens mentio; ab Anglis editum eſt in *Appendice* nupera Faſciculi Rerum Expet. à *pag.* 64.

Fr. Zabarella. *Franciſcus Zabarella*, Archiep. tandem Florentinus & Cardinalis, efferendus in Synodo Conſtantienſi; quem *Paparum* uſurpatam poteſtatem, ac tyrannidem, editis (apud Goldaſtum & Schardium) Scriptis accuſaſſe, ac nefarium *Schiſma*, tandemque *Reformationem* expetiviſſe, obvium eſt, nec ambiguum.

Nic. de Clemangiis. *Nicolaus de Clemangiis* vel *Clamengius*, à Catalaunenſi pago ſic appellatus, Theologus Pariſienſis, qui Benedicto XIII. à Secretis fuit: Vir planè Eximius, vel ex Catalogo Scriptorum apud Joh. Launojum, in Hiſt. Collegii Navarreni, & ex iis quæ de *Corrupto Eccleſiæ ſtatu*, & Exorbitantiis per ſummos Pontifices introductis, per Cameram Apoſtol. per Cardinales, Prælatos, &c. ſcripſit. Additâ *Oratione*, pro Salutifero Fructu Reformationis; Tùm quæ de *Nefandiſſimo Schiſmate*; de *Antichriſto*; de vanâ infallibilitate *Concilii Generalis*, &c. commentatus eſt: Adde Librum de *Theologiæ ſtudio*, editum in Specimine Dacheriano *Tomo* VII. in quo ipſe de neglectu *Scripturarum*, & de Teſtimoniis ab *Eccleſiâ* indè petendis, quædam luculenta, deque Mataiologiâ omni ſui Temporis. Inter alia: *Solebant* (inquit) *antiqui Patres & Theologi, quorum per Eccleſiam ſunt approbata Scripta, nihil dicere vel adſtruere, niſi quod Scripturarum teſtimonio poſſet confirmari: Unde & Hieronymus: Quod de Scripturis S. non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Rectiſſimè planè illi quidem*, &c. & quæ in hanc rem iſtic plura. Nec aliter Calvinus. Suſpectus tamen fuit, quod faverit Bened. XIII. Petro de Lunâ. Reſponſionem Apologeticam Nationis Gallicanæ, de *Annatis non ſolvendis*, ci quidem tribuit Orthuinus, ſed ab aliis abjudicatur Nicolao, ut qui Synodo Conſtantienſi nunquam interfuit. Vide totam inſertam à Richerio, Hiſtoriæ Concil. Generalium *Lib.* II. p. 197. & quæ de Nicolao prolixè Joh. Launojus *Hiſt.* Collegii Navarreni *Partis* III. *Lib.* II. C. III.

Joh. Gerſon. *Johannes Gerſon*, Cancellarius Pariſienſis, Theologiæ jam Magiſter A. MCCCXCII. interfuturus Synodo Conſtantienſi, Regis Galliæ Legatus, ibidemque ex præconceptâ opinione nociturus Huſſo & Hieronymo. Vir aliàs acerrimi judicii, ac liberrimus Papalis tyrannidis, Prælatorum ſui Ævi, novitatum Scholaſticarum, ac ſuperſtitionum ad Idololatriam uſque, variis in hanc rem editis Scriptis & Epiſtolis, reprehenſor. Undè etiam multa hoc potiſſimum nomine perpeſſus, *domo*, *patriâ*, *cognatis*, *amicis*, *dignitatibus*, *rebuſque propriis privatus*, ut legi in Diſputatione Sorbonicâ Ludovici Haſlé. Nonnullis auctor creditus, Opuſculi inſignis Libris III. prioribus, ſi Monachalia quædam Excipias, de *Imitatione Chriſti*, qui vulgò *Thomæ à Kempis*, in Diœceſi Colonienſi Canonico Regulari, medio Seculo XV. adſcribi ſolet. Sed confuſus illis *Johannes Gerſon*, cum *Johanne Gerſen* Abbate Ordinis Benedictini, cui Joh. Launojus & alii plurimi pium iſtud Scriptum vendicant, & *Thomam Libri* potiùs fuiſſe *exſcriptorem*, quàm *Auctorem*. Excerpta ex Gerſonis Scriptis, (prolixè memoratis Joh. Launojo in Hiſt. Academiæ Pariſienſis, *P.* II. *Lib.* II.) nuper etiam edita ſunt à Richerio Sorbonico, Concilior. Libro II. *pag.* 125. 126. 127. & in *Appendice* Anglicanâ Faſciculi Gratiani: Ut Illyricum, & cæteros mittam. Nemo vivis magis coloribus *Hierarchicorum* mores, *qui nullos actus hierarchicos exhibeant*, avaritiam, inſcitiam, ſuperbiam, Simoniam, &c. deſcripſerit.

Theod. à Niem. *Theodoricus à Niem* vel *Niemus*, Germanus natione, Literarum Apoſtolicarum ſcriptor, & Abbreviator, Epiſcopus Verdenſis poſteà, longo uſu Romanæ Curiæ deteſtanda exploraverat, Simoniam, tyrannidem, ſacrilegia, libidines, atque impietates ſine fine: Hinc nec veritus eſt ea exponere publicæ luci, in Hiſtoriâ *de Schiſmate* inter Urbanum VI. & Clementem Anti-Papam, primùm nato; tùm in *Nemore Unionis*; in Vitâ *Johannis* XXIII. & in *Privilegiis* ac *Juribus Imperii*, &c. Ex eo plurima Flacius, Mornæus, Goldaſtus, Angli Collectores, in *Append. ad Faſciculum*, p. 896. Ubi *Excerpta* luculenta ex Niemo, de corruptelis, libidine dominandi, laſcivie, nefandis aliis *Romanæ Curiæ*, *Epiſcoporum*, *Presbyterorum*, *Monachorum*, *Monialium* quæ impunè *fornicantur cum Prælatis*, & *Monachis*, & *Converſis*, & *plures parturiunt filios & filias*, *quos ex inceſtuoſo coitu conceperunt*, &c.

Andr. Craynenſis. Nec tacendus *Andreas* Craynenſis Archiep. & Cardinalis, Pronunciator Concilii Baſileenſis, qui fruſtrà omnem lapidem movit promovendæ Reformationi. Ut ille, *miſerum Eccleſiæ ſtatum*, *Papæ Apoſtaſiam*, *Sixti* IV. *vitam*, *vocationem*, *Simoniam*, *Monachorum hypocriſim*, *malas artes*, &c. & quicquid tandem emendationem deſideraret, graphicè perſtrinxerit, pluribus videre eſt in *Geſtis* illius Archiepiſc. deſcriptis per Petrum Numagen Trevirenſem, & inſertis ab Hottingero, Seculo XV. Hiſt. Eccleſ. p. 347. &c.

Poggius. III. In faſcem colligimus qui huc ſpectant reliquos, eoſdemque nemini obſcuros. Talis ex. gr. *Joh. Franc. Poggius Florentinus*, Papis compluribus, tùm Reip. Florentinæ à Secretis; nec parciturus (quâ fuit in Satyram propenſione) impietati, luxuriæ, avaritiæ Pontificum, in *Dialogo* contrà Hypocriſim, inſerto Appendici ad Faſciculum Rerum expetend. Edito etiam Scripto, de Poteſtate Papæ & Concilii.

Laur. Valla. *Laurentius Valla*, Canonicus Lateranenſis, clarus circà A. MCCCCXL. à Poggio & aliis vexatus; inſtaurator Latinæ elegantiæ, ut etiam Alphonſo Neapolit. Regi, jam quinquagenario, literas Latinas

Digitized by Google

tinas tradiderit, à quo flammis ereptus eſt, ſibi ab Aulâ Pontificiâ deſtinatis. Cujus ſunt nota Scripta de Ementitâ Donatione Conſtantini, de Poteſtate Imperiali, de Libero Arbitrio, & Operum meritis, &c. etiam Annotationes in Scripturas Novi Teſt. Cenſor is liberrimus, plurimarum Rom. Eccleſiæ traditionum, hinc Exul, & aliquando ab Inquiſitoribus quæſitus ad rogum; ſummoperè tollendus ab *Eraſmo*, ut qui Literas penè ſepultas priſco ſplendori reddidiſſet. Excerpta, contrà Errores & Tyrannidem Rom. Eccleſ. vide in Catalogo Teſt. *Lib.* XIX.

Julianus Card. *Julianus Cardinalis* S. Angeli, Præſes Concilii Baſileenſis, ſub Eugenio IV. ſcriptis liberrimis *Epiſtolis* duabus ad Eugenium IV. contrà Cleri Romani mores, & diſſolutionem Concilii Baſileenſis; inſertis Faſciculo Rerum Expetend. Jam vaticinatus hic Cardinalis eſt, *ſecurim ad radicem poſitam, inclinatam eſſe Arborem ut cadat, nec poſſe diutius perſiſtere; quotidiè nova ſcandala ex deformitate Clericorum inſurgere*, &c.

Æneas Sylvius. *Æneas Sylvius* Piccolomineus, poſteà Epiſcopus Senenſis, dein Cardinalis, tandem Pontifex; Teſtis veritatis contrà Papæ uſurpatam poteſtatem, non agnitam primis tribus Seculis, nec in variis Orientis, & Occidentis partibus, apud Flac. Illyricum in Catal. Mornæum, & alios. Scripſit hæc cùm in variis *Epiſtolis*, tùm in *Commentariis* de Actis & Geſtis Concilii Baſileenſis, inſertis Faſciculo Orth. Gratii; quos poſtmodùm *Pius* II. impiè retractavit. Vide plura in *Pio* II. ſuprà *Cap.* III.

Dominicus de Dominicis. *Dominici de Dominicis* Brixiani Epiſcopi, Reformatio Curiæ Romanæ, ad Pium II. Papam. Claruit A. 1478. Multa illi expreſſa de Reformatione tàm *Capitis* quam *Membrorum*, deque abuſu *Indulgentiarum*, quæ vide apud Auctor. Catalogi Teſtium. Idem fuit, inter cujus Apophthegmata vel ſententias relatum iſtud, *Sacerdotibus magnâ ratione ſublatas eſſe nuptias, ſed majori reſtituendas videri*, in primâ Edit. Platinæ *Colon.* 1479. Deinde eraſum ab Onuphrio, quod & Mornæus noſter obſervavit.

Joh. Weſſelus. *Joh. Weſſelus Hermanni*, (qui & *Johannes de Weſſaliâ*, vel *Weſſalienſis* ab Inquiſitoribus nuncupatur) patriâ *Groninganus*, idemque dictus *Lux Mundi*; Vir inter eruditiſſimos ſui Seculi, Profeſſor Heidelbergenſis ab Anno MCCCCLXXVII. à Philippo Electore accitus. Purioris Theologiæ in plurimis vindex, quod Opera edita teſtantur, ac flagellum Papicolarum; hinc in diſcrimen vivicomburii adducendus, ſeceſſum tandem quæſiturus. Per omnia *ſecum conſpirare*, ut *hauſiſſe* ſua ex Weſſelo videretur, ipſe Lutherus profeſſus eſt *Epiſt.* quadam præfixâ Epiſtolis Weſſeli.

Rud. Agricola. *Rudolphus Agricola*, ex agro Groningano, ob famam eruditionis, pariliter vocandus ex Ferrarienſi, quò ſe contulerat, Theodori Gazæ potiſſimùm gratiâ, ad Heidelbergenſem Academiam, A. MCCCCLXXXII. ac de *Theologicis* rebus accuratiſſimè diſputans, eademque cum *Weſſelo* Præceptore ſentiens: Et is auctor primus fuit Electori Palatino colligendæ augendæque *Bibliotheca*, quæ tandem ſtudiis Othonis Henrici, hinc Friderici III. & ſucceſſorum, miraculo penè fuit. Ereptus in ipſo flore ætatis, vix XLII. ætatis annum egreſſus, anno MCCCCLXXXV. Non Græcas tantùm, ſed & Hebraicas literas, rarâ hoc Seculo culturâ, excoluit; à vitæ integritate & gravitate morum inprimis commendandus.

Joh. Capnio. *Johannes Reuchlinus*, ſeu *Capnio*, Germano-Suevus, vitam producturus in ſequens Sec. A quo Hebraicæ & Græcæ literæ in Germaniâ inſtauratæ; Theologicis piiſque Scriptis, & Verſionibus, inclyto, adſcito in non unam Academiam, Tubingenſem, Heidelbergenſem, Ingolſtadienſem: Odium Inquiſitorum Monachorumque fuit, præcipuè ob peritiam Linguæ Hebraicæ, & interpretationem Scripturarum; uſque adeò ut in ejus odium, omnes *Judæorum* Libri Romæ flammis adjudicati fuerint.

Jac. Wimphelingius. *Jacobus Wimphelingius* patriâ Sletſtadienſis, ex Presbytero & Concionatore Spirenſis Eccleſiæ (cujus *laudes* ſcripſit) Heidelbergenſis Profeſſor; Theologus eximius pro ratione temporum, commendator Scriptorum Gerſonis, contrà *Papa*, *Pralatorum*, *Cleri*, *Theologia* tùm *ſpeculativa*, totiuſque *Eccleſia reformanda* vitia: Hinc præluſurus Reformationi Jacobus, ut de eo quoque teſtatus Henricus Altingius in Hiſt. Ms. Eccleſiarum Palatinarum. A Monachis accuſandus *Hæreſeôs*, quod Auguſtinum cenſeret nec Monachum fuiſſe, nec auctorem Regulæ, quæ ejus hodiè nomen præfert.

Joh. Geſler. *Joh. Geſler Keyſerſpergius*, patriâ Alſatus, Eccleſiæ Cathedr. Argentinenſis Concionator celeberrimus: In quo munere, & editis Scriptis, Papæ uſurpatam auctoritatem, Epiſcoporum Monachorumque pudenda perſtrinxit, ac Reformationis neceſſitatem oſtendit, imò prædixit imminere. Vixit ad Annum MDX. Quædam ex eo excerpta lege, in Cat. Teſtium, *Lib.* XIX.

Wernerus Rolevinckus de Laer Weſtphalus, multa in *Faſciculo Temporum*, producto ad tempora Innocentii VIII. de Paparum & Romanæ Eccleſiæ vitiis, Simoniâ, luxu, *Schiſmatibus*, aliiſque improbis, ingenuè teſtatus. Excerpſit quædam Edw. Brown, in *Appendice* ad Faſciculum Rerum Expet. p. 897. Scripſit & in *Epiſtolas Pauli*, deque *Vitâ Pauli*, laudante Trithemio de Viris Illuſtrib. Germaniæ.

B. Platina. *B. Platina* Apoſtolicus Abbreviator, ut vocant, dein ſub Sixto IV. Vaticanæ Bibl. præfectus, pari ſæpè ingenuitate in *Vitis Pontificum* nefanda Curiæ Romanæ retexens, ac ſuo tempore illa *Pauli* II: à quo in carcerem conjectus fuit. Vide eundem in Vitis præcipuè *Marcellini*, *Stephani* III. *Johannis* VIII. *Formoſi* I. & complurium *Succeſſorum*, *Bonifacii* VIII. *Pauli* II. in quo deſiit, ab Onuphrio continuandus.

Joh. Trithem. *Joh. Trithemius* Abbas Monaſterii S. Martini in Spanheim, undè vulgò Abbas Spanheimienſis, natus A. MCCCCLX. nominis famâ jam diffuſâ Seculo XV. expirante: In Scripturis S. tractandis & commendandis, ſed & in flagellandâ Monachorum, ac Sacrificulorum ignaviâ, plurimus; vir dignus Ævo meliore, cujus notiſſima Scripta, & laudes. Cenſuit, ac ſæpè admonuit, non *Philoſophiam & Fabulas*, ſed *Legem & Euangelium* in Eccleſiâ Dei eſſe proponendum.

J. B. Mantuani. *Joh. Bapt. Mantuanus*, Ord. Carmelitarum tandem Generalis, moriturus A. MDXVI. Poëta, Orator, Theologus; quo nemo Romanæ Eccleſiæ Simoniam, fœda, portentoſa, execranda, graphicè magis Carminibus deſcripſit; laudatis hiſce à Deſiderio Eraſmo *Epiſt.* ad Jacobum Wimphelingium. *Cœlibatum* Sacerdotum egregiè perſtrinxit.

Joh. Picus. *Johannes Picus* Comes Mirandulæ & Concordiæ, in flore ipſo ſeu anno XXXII. ætatis ſub extrema Seculi XV. interceptus; *Phœnix* ſui Seculi appellandus, ac diſſimillimus moribus Angelo Politiano, ſtudiorum ſocio: Idemque in plurimis, ut Scripturarum, præcipuè Novi Teſt. diligentiſſimum ſcrutator, collatorque Verſionum cum Originali; ita errores, ac ſuperſtitiones ſui temporis, doctiſſimis Scriptis (quorum paſſim Excerpta apud Flacium, Mornæum, &c.) reprobaturus, non ſine Cenſurâ Curiæ Romanæ, & Pariſienſium. Nepos illi fuit Joh. Franciſcus Picus, tempore Leonis X. Sed de Picis obvia ſunt judicia & encomia Eraſmi, & Eruditorum. Epitaphium Johannis tumulo adſcriptum, qualis fuerit teſtatur:

Joan-

Joannes jacet hic Mirandula; cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

Mittimus alios, & Anonymos, ut Scriptores *Reformatorii Vitæ Clericorum*, *Stellæ Clericorum*, &c. Quos require ſi lubet apud Flacium Illyricum in Catalogo Teſt. Joh. Wolfium in Memorabilibus, Henr. Pantaleonem de Viris Illuſtribus totius Germaniæ, Joh. Balæum in Centuriis de Scriptor. Majoris Britanniæ, Joh. H. Hottingerum ad Seculum Hiſt. Eccleſiaſt. xv. &c. ac nuper Johannem Zwingerum Theol. Baſileenſem νῦν ἐν ἁγίοις, in *Digreſſione de Vitâ Cleri Pontificii*.

Græci teſtes contrà Latinos. IV. *Græcos* verò hoc Seculo xv. in Romanam Eccleſiam, ejuſque ſeparationem, Hæreſes, atque Innovationes, invectos, in ſpecie adversùs *Synodi Florentinæ* capita, Primatum Papæ, Ignem Purgatorium, Azyma, &c. memorare hoc loco nihil attinet. Dictum ſuprà de *Græcorum* Epiſtolâ ad *Bohemos*, contrà Innovationes Latinorum A. MCCCCLI. Adde quæ dicentur infrà de Unione *Florentinâ*, & Græcorum adversùs eam indignatione, moliminibus, ac Scriptis. Nec plures recenſere hujus loci eſt, inter quos Anonymi plures, ut erant tempora, & qui inediti in Bibliothecis adhuc latent.

IX. *Concilia Seculi* xv. *Vulgò Generalia, Piſanum, Senenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, Florentinum. Obſervata de iis præcipua quædam; in ſpecie de Synodis Conſtantienſi, & vexatâ Baſileenſi.*

Concilia Generalia, remedia Schiſmat. I. In *Conciliorum* hiſtoriâ hujus Ævi, miſſis *Particularibus* innumeris, quæ exhibent Tomi Conciliorum, occurrunt præ reliquis, inſerenda huic paginæ, celebratiora quædam, utpotè habita *Generalia*, & in quibus plurima quæ ad Eccleſiæ Hiſtoriam faciunt. Quorum tamen jam occupavimus nonnulla, ſuperioribus Capitibus III. IV. VI. VII. ubi de *Schiſmate Paparum*, de *Doctrinis novis* Immaculatæ Concept. Communionis ſub Unicâ, &c. de *Joh. Huſſo & Hieronymo Pragenſi*, de *Bohemis* eorumque *motibus* à Concilio Conſtant. cumprimis tempore Concil. Baſileenſis, quæ ibi require. *Concilium* verò, quod Generale vocant, nullum habitum fuerat, poſt Concilium Viennenſe A. MCCCXI. quod propriè exterminando Templariorum Ordini convocatum; perpetuis tum Paparum diſſidiis, à temporibus Bonifacii VIII. poſt tranſlatam Sedem Avenionem Galliæ; & poſt reductam eam in Urbem Romæ per Gregorium XI. à cujus exceſſu natum eſt dirum illud Schiſma L. ferè annorum, illinc Romano Pontifice Urbano VI. hinc Gallo Clemente VII. de quo prolixè ſuprà. Cui tollendo pridem propoſita fuerat à Pariſienſibus, aliiſque, via Concilii Generalis; ſed intercedentibus utrimque Pontificibus. Quod & Cardinales, in convocatione Synodi Piſanæ, & Literis ad Benedictum XIII. ſcriptis, ita memorant; *Hæc enim in ſuo exordio modò viſa erroris ſcintilla, cui quum per deliberationem Concilii, ut Sanctorum Patrum mos fuit, non extitit obviatum, ſed duro propoſito via Concilii repulſa, fomento adhibito per inordinatos & pernicioſos affectus, adeò in flammam proximam exaltavit*, &c. Igitur hoc demum Seculo placuit remedium Conciliorum; aſſentiente choro Cardinalium, urgentibus ſuo voto Regibus, Principibus, Univerſitatibus, & quotquot fuêre in Eccleſiam, ejuſque Reformationem, pro temporum conditione, meliùs affecti.

II. Primum eſto Concilium *Piſanum*, indictum A. MCCCCIX. inchoatum XXV. *Martii*, Piſis Hetruriæ, cujus Acta non inſeruêre in Tomis Concil. Surius, Binius, aut Romani Collectores. Nullâ jam auctoritate Pontificis, ſolâ *Cardinalium* Obedientiæ Benedicti XIII. & Gregorii XII. per quos ſcriptæ *Literæ Convocatoriæ*, inſertæ Editioni Concilior. Labbeanæ, T. XI. P. II. dignæ quæ legantur; ſed tamen accedente conſenſu *Regum* Franciæ, Angliæ, Luſitaniæ, Aragoniæ, Bohemiæ, Siciliæ, Poloniæ, Cypri, Ducum Brabantiæ, Auſtriæ, Bavariæ, &c. *Ruperto* autem Imperatore, qui Gregorio eſſet addictus, petente per Legatos dilationem modò Concilii, XXIV. propoſitis *difficultatibus*, quæ intercederent quominus ex tali Concilio expectari poſſet pax ſincera, pura, integra, & univerſalis unio Chriſtianorum: Sed difficultates illæ in Synodo diſcuſſæ, ut patet ex *Seſſ.* IV. quas ibi require apud Dacherium, *pag.* 263. & *ſeq.* in Actis Dacherianis, Tomo VI. *Spicil.* & apud Richerium, Hiſt. Conciliorum *Lib.* II. Urſit præcipuè Concilium illud Rex Chriſtianiſſimus, hinc conſilium quo Romani & Avenionenſes Cardinales inducti, ut Piſas urbem Hetruriæ convenirent, ac de *Schiſmate* opprimendo in eo decernerent. Legati in eo fuêre tùm Regis Chriſtianiſſ. tum Principum aliorum, Epiſcopi CCXXX. Abbates CCC. Theologi CXX. J. U. Doctores CCC. Procuratores omnium Academ. & abſentium Prælatorum. Quod verò habet Platina in Vitâ Gregorii XII. Gallos infenſos Benedicto XIII. quod non eſſet Gallicæ nationis, & quod hic vitam diſſolutam ac Simoniam Gallorum Cardin. averſaretur, refutant Galli; cùm quod Italorum Cardinal. mores nihilominùs diſſoluti eſſent, tùm quod ſolam Eccleſiæ unionem Chriſtiani Principes tùm intenderint. Idem autem Concilium, pleriſque Pontificiis, vel ut Antoninus Florentinus, *ſecundùm communem opinionem legitimum*, ut prolixè alii demonſtrârunt, & fusè Galli nuperi, ac Richerius Hiſt. Concil. Gener. *Lib.* II. Quicquid ſentiat Roma, Cajetanus, Itali, & quotquot adhærerent adhuc vel *Benedicto*, vel *Gregorio*; cautiore nonnihil in hac causâ Bellarmino L. II. de Concilior. Auctoritate.

Concil. Piſanum. A. MCCCCIX.

Acta quod attinet ejus Synodi, quæ prælerunt Conciliorum Collectores Surius, Binius, Romani, ediderunt Galli, fuit ea *Seſſionibus* XXIV. terminata, aut XXI. apud Lucam Dacherium. Ac poſt legitimas citationes *Benedicti* XIII. ſeu Petri de Luna, & *Gregorii* XII. ſeu Angeli Corrarii, primò declarantur *contumaces*, *in causâ Schiſmatis*, & *fidei*, Seſſ. III. Tum *obedientia* omnis interdicta utrique Pontifici, *Seſſ.* IX. Tandem poſt auditos *teſtes*, & proceſſus alios Juridicos, hi duo Pontifices fuêre exauctorati, ſententiam definitivam pronunciante, de conſenſu Synodi, Patriarchâ Alexandrino Gallo, *Seſſ.* XV. Nempè, *Petrum de Lunâ Benedictum* XIII. & *Angelum Corrario Gregorium* XII. (*de Papatu damnabiliter contendentes*) *ab aliquibus nuncupatos*, & *eorum utrumque*, *fuiſſe & eſſe notorios Schiſmaticos*, & *antiqui Schiſmatis nutritores*, *defenſores*, *fautores*, *approbatores*, *manutentores pertinaces*; *nec non notorios Hæreticos & à Fide devios*; *notoriiſque criminibus enormibus perjurii*, & *violationis voti irretitos*; *univerſalem Eccleſiam ſanctam Dei notoriè ſcandalizantes*, *cum incorrigibilitate*, *pertinaciâ*, *contumaciâ*, *notoriis evidentibus & manifeſtis*. *Ex his & aliis ſe reddidiſſe omni honore*, *dignitate etiam Papali indignos*; *ipſoſque & eorum utrumque*, *propter præmiſſas iniquitates*, *crimina*, & *exceſſus*, *ne regnent*, *vel imperent*, *aut præſint*, *à Deo & Sacris Canonibus fore ipſo facto abjectos & privatos*, *ac etiam ab Eccleſiâ præciſos*, &c. Poſteà pronunciat Synodus *omnes & ſingulos proceſſus*, & *ſententias Excommunicationis*, *privationes quoque Ordinum*, *Dignitatum*, *etiam Cardinalatûs*, &c. *fuiſſe & eſſe nul-*

Digitized by Google

los, caſſos, irritos, nullius roboris & efficaciæ, &c. Poſteà *Seſſione* XVII. procuraturi fuêre Cardinales, ut eligendus Papa non antè Concilium diſſolveret, donec eſſet *facta Reformatio, tàm in Capite quàm in Membris*. Hinc Seſſione XVIII. alii XIX. vel XX. ſuffectus eſt ex Ordine Minorum Cardinalis, Petrus de Candiâ (oriundus ex Cretâ Inſulâ) nomine *Alexandri* V. quem in *legitimorum* Pontificum ſerie habent, & ipſe Bellarminus, adeoque & hic Piſanam Synodum *legitimam* cenſuit. Factum à Cardinalibus XXIV. die XXVI. *Junii*. Et hic Piſanorum omnia rata habuit, *Seſſ.* XXI. Uti *Seſſ.* XXII. abolita omnia, quæ facta inde à Schiſmate Urbani VI. Bonifacii IX. Innocentii VII. Clementis VII. qui fuiſſent *nominati Papæ. Ut in dubium vertatur à multis, quis à tempore dicti Schiſmatis fuerit verus Pontifex.*

Refor-mat. Eccleſiæ à Papis ſemper ſufflamin.

Negotium verò *reformandæ Eccleſiæ in Capite & in Membris*, quod primum eſſe debuerat, & decreverant Patres perficiendum *antè Concilii diſſolut. Seſſ.* XVII. *ſuſpenſum* fuit ab Alexandro V. uſque ad proximum Concilium, *indè ad triennium* convocandum, *Seſſione* ultimâ, VII. *Aug.* Quemadmodùm idem negotium in reliquis Synodis ſemper urgendum, ſemperque differendum fuit, intercedente Curiâ Romanâ ſeu Papali. Acta hujus Concilii prolixa inſeruit (ut dictum) Lucas Dacherius *Tomo* VI. Spicilegii, & Labbeus Concil. *Tomo* XI. *Parte* II. cum variorum obſervatis. Mortuus eſt Alexander Anno ſeq. MCCCCX. V. Nonar. Maji, ſucceſſuro *Johanne de Coſta*, qui olim, Epiſcopus Mimatenſis quum eſſet, geſſerat ſe pro Nuncio Benedicti XIII. ſeu Petri de Lunâ, deinceps Johannes XXIII.

Concil. Conſtan-tienſe. Johannis XXIII. fuga, & Depoſi-tio.

III. Alterum eſt *Conſtantienſe*, redintegratio quaſi Concilii Piſani, non penitus (ut viſum) diſſoluti ab Alexandro V. ſed *ſuſpenſi*, & *prorogati*. Indicente jam hocce Concilium *Johanne* XXIII. ſucceſſore Alexandri, non Anno MCCCCXII. ut debuerat ex Decreto Piſano, ſed demùm An. MCCCCXIV. inchoandum *Novembri* Menſe, terminandum verò *Aprili* Menſe, Anno MCCCCXVIII. ut ad triennium cum dimidio circiter ſe extenderit. Conſtantia autem viſa eſt Civitas omnium maximè commoda V. Nationibus, Italis, Germanis, Gallis, Hiſpanis, Anglis. Quamvis verò indiceret Concilium Johannes, obſtrictus Piſano Decreto, & expetente Sigiſmundo Imperatore, ac cum Sigiſmundo Eccleſiâ univerſâ; factum tamen eſt à Johanne invito, & reluctante, ac præſcio extorquendam illi *ceſſionem Papatûs*. Quod factum *Seſſ.* II. Anno MCCCCXV. quâ eandem promiſit, his verbis: *Ego Johannes Papa* XXIII. *propter quietem totius populi Chriſtiani, profiteor, ſpondeo, promitto, voveo, & juro Deo & Eccleſiæ, & huic Sacro Concilio, ſpontè & liberè dare pacem ipſi Eccleſiæ, per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatûs, & eam facere & adimplere cum effectu, juxtà deliberationem præſentis Concilii:* Sed quum videret ſe non poſſe Papatum retinere, niſi quoad videretur expediens Patribus Conſtantienſis Concilii, paulo poſt clàm ſe ſubducturus Concilio fuit; Scaphuſam primò, dein Friburgum aufugiens, ubi tandem captus & in carcerem conjectus fuit, quæ cauſa Concilio criminaliter adverſus *Johannem* procedendi. Hinc in eodem Concilio *deponendus*, productis L. *accuſationum* Capitibus, Seſſionibus XI. & XII. Anno MCCCCXV. *Maji* XXIX.

Non una verò hujus ſeu expetendæ Synodi, ſeu continuandæ, ratio fuit. Præcipuæ quidem;

Eccleſia ἀκέφαλ&.

I. *Extirpatio* in ſpeciem Papalis *Schiſmatis*, ac depoſitio nefarii impiique Pontificis *Johannis* XXIII. ut *notorii Simoniaci, dilapidatoris, notoriè ſcandalizantis Eccleſiam ſuis deteſtabilibus atque inhoneſtis vitâ, moribus*, &c. Vide *Seſſ.* X. in quâ ſuſpenditur; XI. in quâ accuſatur; XII. in quâ confitens reus deponitur, ſententiâ definitivâ. Tùm depoſitio repetita Anti-Paparum *Benedicti* XIII. & *Gregorii* XII. hujus tandem facti ſupplicis. Futurâ interim Eccleſiâ ἀκεφάλῳ, & Concilio *de fide* etiam *Conciliariter* decreturo ſine Pontifice: Donec paucis antè terminatam Synodum Menſibus, Otho Cardinalis de Columna, ſub nomine *Martini* V. in Papam eligeretur, *Seſſione* XLI. A. MCCCCXVII. penè exeunte, Novembri menſe, die Jovis Martino ſacro.

II. *Reformatio Eccleſiæ tam in Capite quàm in Membris*, de quâ jam actum fuerat in Piſanâ Synodo, & rurſùs in Conſtantienſi hacce, eam Reformationem decernente, *Seſſ.* III. & fuſiùs *Seſſ.* XL. Sed ut rectè Spondanus, *de Reformatione multa tractata, pauca concluſa*. Docuit eventus. In hoc autem Decreto pro Reformandâ Eccleſiâ, digniſſima ſunt obſervatu, ipſis Gallis Scriptoribus notantibus: 1. Synodum, tanquam immediatè præditam auctoritate à Chriſto, certas leges & conditiones dicere indubitato Pontifici, proximè eligendo; ut nempè Eccleſia in capite & in membris reformetur, quemadmodum his vocibus patet; *decernit quod futurus Pontifex debeat reformare Eccleſiam in Capite & in Membris*, &c. 2. Patres cavent ne ejuſmodi Reformatio à ſolo Pontifice Romano, aut per ejus privatum & peculiare conſilium fiat, ut à Leone X. actum eſt Seſſione IX. Synodi Lateranenſis Anno MDXII. Sed volunt dirigi per *omnium Nationum deputatos*, priuſquam diſſolveretur Concilium Conſtantienſe. 3. Sanciunt Patres, ut ejuſmodi Reformatio *ſecundum æquitatem & bonum regimen* inſtauretur, id eſt, quam proximè fieri poſſet ad normam Eccleſiæ primitivæ, & ad jus commune, ac ſanctiorem diſciplinam. 4. Intelligitur *octodecim* articulos qui ibi recenſentur, & in quibus inſtituenda eſſet Reformatio, diſcutiendos primùm fuiſſe inter omnes *Nationes*, deinde ad *Synodum* referendos, ut vim Synodalis Decreti ſortirentur. 5. Ex hâc Seſſione XL. nec non ex III. patet fuiſſe propoſitum Eccleſiam in Capite & Membris reformare, *antequam* Synodus Conſtantienſis diſſolveretur: Verùm plurimis, quibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ corruptio quæſtui erat, id remis & velis impedientibus. Quâ de re pluribus conqueſtus eſt Gerſonus Legatus Regis Chriſtianiſſimi in hoc Synodo, cujus extat luculentum teſtimonium, in *Dialogo* Apologetico pro Actis Synodi Conſtantienſis. 6. Patres Conſtantienſes ideo omnem operam & induſtriam in Eccleſiâ Reformandâ impendiſſe, quod viderent Bohemos atque Huſſitas, de intolerandis Curiæ Romanæ, & Cleri moribus atque exceſſibus, quiritari. 7. Dum quærunt in Articulo XIII. *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi, & deponi*, apertè colligunt Decreta IV. & V. Seſſionis *de poteſtate Concilii ſuprà Papam*, intelligi de quocunque vero & indubitato Papâ; non verò de ſolo Papâ Schiſmatico, ut Romæ vellent.

Refor-matio Eccl. qua-lis à Con-cilio de-creta?

III. Firmanda *Conciliorum Generalium poteſtas* ut *immediatè à Chriſto* profecta, & quidem *ſuprà Papam*, cui ſubjiciendum, *ac obedire* coactum, etiam *in his quæ pertinent ad Fidem*, ut in Decreto non uno eſt: Seſſione IV. *Quod ipſa Synodus in Spiritu S. congregata legitimum generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcunque ſtatûs vel dignitatis, etiamſi* Papalis, *exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent* ad Fidem, *& extirpationem dicti Schiſmatis, & Reformationem generalem Eccleſiæ Dei, in Capite & in Membris*, &c. Et Seſſione V. *Hæc Sancta Synodus Conſtant.* &c. *primò declarat, quod ipſa in Spiritu S. legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Eccleſiam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcunque ſtatûs vel dignitatis, etiamſi* Papalis, *exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent* ad Fidem, *& extirpationem dicti Schiſmatis, & reformatio-*

Poteſtas Conci-lior. Ge-ner. ſuprà Papam. Decreta Seſſ. IV. V. genuina.

tionem dictæ Eccleſiæ in Capite & in Membris : *Item*, *declarat quod quicunque*, *cujuſcunque conditionis*, *ſtatus*, *dignitatis*, *etiamſi* Papalis, *qui mandatis aut præceptis hujus Sacræ Synodi*, *& cujuſcunque alterius Concilii Generalis legitimè congregati*, *ſuper præmiſſis*, *ſeu ad ea ſpectantibus*, *factis vel faciendis*, *obedire contumaciter contempſerit*; *niſi reſipuerit*, *condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur & debitè puniatur*, *etiam ad alia juris ſubſidia*, *ſi opus fuerit*, *recurrendo*. Quibus decernit Synodus, Papam ſubeſſe judicio *directivo & coactivo* Concilii Generalis. 1. Cum agitur de Fide. 2. Cùm de extinguendo Schiſmate, & declarando quis verus & indubitatus Pontifex. 3. Cùm de Eccleſiâ reformandâ in Capite & Membris. Quod Decretum confirmavit Martinus V. in ipſo Concilio Conſtantienſi, A. MCCCCXVIII. Bullâ datâ VIII. *Kal. Martii*. Ubi inter Articulos de quibus interrogandi Huſſitæ, ponit iſtos Pontifex: *Utrum credat*, *teneat*, & *aſſerat*, *quod quodlibet Concilium generale*, *& etiam Conſtantienſe*, *univerſalem Eccleſiam repræſentet*. Item, *utrum credat*; *quod illud quod ſacrum Concilium Conſtantienſe approbavit & approbat*, *in favorem Fidei & ad ſalutem animarum*, *quod hoc eſt univerſis fidelibus approbandum & tenendum*; *& quod condemnavit & condemnat*, *eſſe Fidei & bonis moribus contrarium*, *hoc ab iiſdem eſſe tenendum pro condemnato*, *credendum*, *& aſſerendum*. Et Seſſione XLV. & ultimâ Concilii; *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit*, *quod omnia & ſingula determinata*, *concluſa*, *& decreta in materiis Fidei per præſens Concilium Conciliariter*, *tenere & inviolabiliter obſervare volebat*, *& nunquam contraire quoquo modo*. Habentur hæc Concilior. *Tomo* XII. *col.* 258. & 268. Ne dicamus hæc Decreta Conſtantienſis Synodi à ſequentibus *Papis* Eugenio IV. Pio II. &c. fuiſſe approbata. Quod excipiunt (& inter eos Eman. à Schelſtrate, Vaticanæ tùm Bibl. Vice-Præfectus, editâ Diſſertat. A. MDCLXXXIII. *Cap.* I. poſt Lucam Holſtenium, à quo & Synodus Baſileenſis laceranda fuit) in antiquis Edition. quæ Colonienſem præceſſerunt, verba illa, in his quæ *pertinent ad Fidem* non extare; neque illa inſerta Decreto *Seſſ.* IV. *Et Reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite*, *& in Membris*, quæ nulla comparerent in Codicibus Romæ à ſe conſpectis, vaniſſimum eſſe patet. Quando Codices illi *Romani* meritò ſuſpecti, quibus opponuntur Codd. omnes repoſiti in Bibliothecis *Pariſinis*, cumprimis illâ *S. Victoris*, tùm *Germanicis*, *Belgicis*, *Anglicanis*, &c. & Editiones hujus Concilii *Crabbiana*, *Romana*, *Colonienſis* Laur. Surii, *Biniana*, *Labbeana*, &c. Hinc ſi quæ vocula in Codd. quibuſdam deſit, ea omiſſio amanuenſium vitio tribuenda. Et Pariſiis adhuc haberi, in Mss. Biblioth. S. Victoris, Extracta harum Seſſionum tum è Concilio miſſa à Natione Gallicanâ; quale etiam deſcriptum non ſemel eſt à Joh. Gerſono Legato Regio ad Concil. teſtes ſunt Galli omni exceptione majores, & eos inter Steph. Baluzius. Lud. Maimburg. & cæteri. Et illud ipſum Decretum, ac verba modò controverſa, repoſuit Concil. Baſileenſe, *Seſſ.* II. *Quod quilibet*, &c. *obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem*, *& ad generalem Reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in Membris*, quæ & aliis *Seſſionibus* ejuſdem Concilii confirmata; ex hoc autem fuiſſe illata in Decreta Conſtant. falsò contendit Schelſtratius. Adde eadem repetita haberi, & expreſſius, reſumptâ à Concilio deliberatione, Conc. Conſtantienſis *Seſſ.* V. Eſſeque conformia Decreto Synodi Piſanæ, *Seſſ.* XVI. ut eſt in Spicil. Dacher. T. VI. *pag.* 328. *Non ante diſſolveretur Concilium*, *uſque quo per Concilium eſſet facta debita*, *rationabilis*, *& ſufficiens Reformatio Eccleſiæ & ſtatûs ejus*, *tam in Capite quàm in Membris*. Falſum pariter ſupponit Schelſtratius: Aut non facta eſſe illa Decreta Conſtantienſia *Conciliariter* vel *Synodice*, quæ Seſſione IV. ritè expenſa, Seſſ. V. confirmata ſunt, per *Placet*, ſcil. nemine contradicente: Aut intelligenda tantum eſſe de *Concilio*, *cui verus & indubitatus Pontifex adeſſet*, non verò de *Concilio tempore Schiſmatis*; quum expreſſè dicant, *hujus Sacræ Synodi*, *& alterius cujuſcunque Generalis*: Aut denique hæc non à *Martino* V. poſteà confirmata fuiſſe: Quæ ex ſuperioribus, & conſenſu penè univerſali, præterquam Italorum qui Romæ ſervire didicerunt, abundè refutantur. Et præter Edm. Richerium, Joh. Launojum, & quotquot in Pariſienſibus hanc cauſam egerunt, hos Canones Conſtantienſes *Seſſ.* IV. & V. genuinos habuit omnis Eccleſia Gallicana, etiam noviſſimè congregata auctoritate Ludov. XIV. A. MDCLXXXII. in Declaratione de Eccleſiaſticâ Poteſt. *Artic.* II. *Oportere etiam ut Decreta S. Concilii Oecumenici Conſtantienſis*, *approbata à S. Sede Apoſtolicâ*, *& contenta Seſſione* IV. *&* V. *de auctoritate Conciliorum Generalium*, *vim omnem ſuam retineant*, *& intacta maneant*. Et penè à CCC. annis hanc conſtantem fuiſſe ſententiam, certo præſcriptionis titulo, ſic definiviſſe Conc. Conſtantienſe, quando ignorata fuêre illa Mss. quæ nunc producuntur, in comperto eſt. Imò Gerſonus Cancell. pars Concilii, in Sermone quem habuit coràm Concil. *pro Viagio Regis Roman. Direct.* I. vocat hanc Conſtantienſis Synodi, *Seſſ.* IV. V. *definitionem*, *legem*, *vel regulam*, *quæ ſit tanquam directio fundamentalis*, & *velut infallibilis*, *adverſus monſtroſum horrendumque offendiculum*, ... *Papam non eſſe ſubjectum Generali Concilio*, *neque judicari poſſe per ipſum* : *Quod præterea Concilium ab ipſo robur* immediatè *ſumebat*, *nec poterat ſine eo caſu quocunque convocari*, *vel ſtabiliri*. Quæ idem Cancellarius alibi ſæpiùs reponit; *Tract.* de Poteſtate Eccl. etiam *Sermone* in textum Euangel. *Nuptiæ factæ* in Canâ Galilææ, &c. Nec dixerint, ut Schelſtratius poſt Bellarminum, Concilium Conſtant. ex ſolis Cardinalibus & Epiſcopis fuiſſe congregatum, qui eſſent de *Obedientiâ Johannis* XXIII. Nam paulo antè in Concilio Piſano, uniti Cardinales utriuſque Obedientiæ, tùm Gregorii XII. tum Benedicti XIII. à quibus depoſiti hi Pontifices, & electus Alexander V. qui pro vero Papâ habitus eſt, quo mortuo ſuffectus Johannes XXIII. Et Concilii Piſani Continuatio modò quædam fuit, vel redintegratio, hoc Concilium Conſtantienſe. Præterea rectè Ludov. Maimburgius Ex-Jeſuita, Tractatu Gallico *de Eccleſiâ Rom.* C. XXIII. in quo Schelſtratium arguit, quod ſi quæ vis huic objectioni, Proteſtantes potiori jure poſſent iſtud objicere adversùs Conc. Tridentinum, à quo abſuêre Epiſcopi Eccleſiæ Anglicanæ, regionum Septentrionalium, Germaniæ Proteſtantis, Græciæ, Orientis, Ægypti, &c. Vide cætera apud dictum Maimburgium, aut qui illum excepit Nat. Alexandrum, *Sec.* XV. T. XXIV. *Diſſert.* IV. Ubi hic prolixè & lacinioſè Decreta hæc Conſtantienſia *Seſſionis* IV. & V. de auctoritate Concilii Generalis ſuprà Papam, probat eſſe conſona Scripturæ S. Traditioni Patrum, Regulis Eccleſiaſticis; refutatis in contrarium exceptionibus Bellarmini, & repoſitis quæ adversùs Schelſtratium à Maimburgio & aliis obſervata.

IV. Exterminanda *Hæreſis* ſcilicet, id eſt, opprimendus dolo malo Huſſus, ac poſteà Hieronymus, ut prolixè ſuprà *Sect.* VI. & cudenda Decreta in exitium *Bohemorum*, & *Wicleſitarum*. Undè Joh. Wiclefi *errores* prætenti damnati, citatis peremptoriè *omnibus & ſingulis*, *perfidam doctrinam Joh. Wiclefi dogmatizantibus*, &c. *Seſſione* VIII. Tùm Joh. Huſſo impactæ damnatæque Hæreſes, quales Patribus Synodi enarratæ *Seſſione* XV. poſtquam à quatuor Nationum Deputatis, Italicæ, Gallicanæ, Germanicæ, Anglicanæ, ſic viſum eſſet *unanimiter & concorditer concludere*; ſed & mendaciſſimè atque invidioſiſſimè, ex collatione *Articulorum damnatorum* Wiclefit: Huſſi, Bohemorum, Damnatio decreta.

cum Scriptis & genuinâ doctrinâ Huſſi, de quâ ſuprà. Tandem damnati errores Hieronymi Prag. *Seſſ.* XIX. quos *abjuraſſe* fertur Hieronymus, factâ etiam conſtitutione; *Quod nonobſtantibus Salvis Conductibus Imperatoris, Regum,* &c. *poſſet per Judicem competentem de Hæreticâ pravitate inquiri,* cujus Decreti virtute combuſtus Huſſus, fatentibus Adverſariis. Et hinc primum *Martini* V. ſtudium fuit, ſtatim ab electione, ex ejuſdem *Bullâ*, inſertâ poſt Acta Conſtantienſia, *Concil.* T. XII. *col.* 259. repetitos errores (ſcilicet quales imputabantur) non tantum lancinare; ſed & diris devovere Wiclefum, Huſſum, Hieronymum, & omnes quotquot *verbo vel facto, publicè vel occultè, directè vel indirectè, Hæreſes eas tenerent, foverent,* &c.

Prohibitio Calicis; Cauſſa illius. V. Prohibitio *Calicis* in communione *Laicali*, quæ facta *Seſſione* XIII. *Junii* XV. A. MCCCCXV. Totiens hæc intenta Romæ, etiam praxi jam propè univerſali recepta, ac *ferè ubique*, ut ſuo tempore Alex. Halenſis. Adeò quidem ut, in *Ordine Romano* Jacobi Cajetani Card. Scripto ſub initia Seculi XIV. vulgante nuper Mabillono, tradatur *Cap.* LVI. etiam tùm *Presbyteris*, & *Diaconis*, qui eſſent ordinandi, ſolam *hoſtiam* fuiſſe datam à Pontifice, ſine *ſanguine*. Vera ratio fuit, extirpatio naſcentis inter Bohemos Reformationis, qui *Calicem* retentum vellent; Auctoritatis *Eccleſiæ* ſuprà illam Chriſti exaltatio; & *Sacerdotii* tanto major commendatio, hac prærogativâ Calicis, ſuprà omnem conditionem Laicorum. Tenor Decreti fuit: *Sacrum Generale Concilium declarat, decernit & definit, quod, Licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen* HOC NONOBSTANTE *ſacrorum Canonum Auctoritas laudabilis, & approbata Conſuetudo Eccleſiæ, ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non debet confici poſt Cœnam,* &c. *Et licet in primitivâ Eccleſiâ reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, poſteà à conficientibus ſub utraque, & à Laicis tantummodò ſub ſpecie panis recipiatur,* &c. *Undè cùm hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſiâ & Sanctis Patribus, rationabiliter introducta, & diutiſſimè obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare,* &c.

Reliqua hujus Synodi, Seſſionibus XLV. terminatæ, exhibent Acta Conciliorum, *Tomo* XII. Edit. Labbeanæ. Obſervandum verò, *Seſſ.* XLIV. dici in Bullâ *Martini* V. quod *Pontifex teneatur antè finem hujus Concilii, approbante & conſentiente Concilio deputare,* &c. Quibus *Martinus* V. agnovit, ſe Decretis Concilii Conſtantienſis obligari. Quemadmodùm nihil in *materiis Fidei habitum Synodicè* aut *Conciliariter* decretum, quod non antè *Nationaliter* & *Collegialiter* à Patribus in Synodo congregatis definitum fuiſſet. Quod pluribus obſervarunt Galli Scriptores, contrà placita Rom. Curiæ, & ὑστεραστιστῶν.

Synodus Senenſ. IV. Tertia Synodus *Senenſis*, & ipſa ſe inſcribens *Oecumenicam*, indicta ex mente Conſtantienſium, A. MCCCCXXIII. Martino V. Pont. cum conſenſu Concilii eandem *Papâ*, ubi inchoata fuerat, *Senas* transferente, ex causâ peſtis; uti deinceps Senis *Baſileam* transferendum, Martini Papæ hoc obtentu; quod non ibi ſuis Legatis, nec reliquis, ſatis tutum eſſet, ab Alphonſi Aragoniæ Regis molitionibus. Reverà dum hac tranſlatione & dilatione Concilii, in *Septennium* prorogati, ex Bullâ Martini Romæ datâ A. MCCCCXXXI. negotium *Reformandæ Eccleſiæ*, cujus causâ hæc indicebantur Concilia, tamdiu differretur, contrà juſtas Nationum, quæ in Concilium Conſtant. convenerant, querimonias. Igitur negotium quod ſibi præcipuè dari intelligebant Senenſes Patres, fuit illud *neceſſaria Reformationis* Catholicæ Eccleſiæ. Prætereà alterum, de *reducendis* ad Unionem *Græcis*, poſtquàm Martini Legatus literas hoc nomine reſponſorias ab Imperatore, Joh. Palæologo, & Patriarchâ Conſtantinopolitano, ad Concilium detuliſſet: Quas vide in Actis Concilii, *Tomo* XII. Labb. Latinè tantum, ut Romæ placuit, exhibendas, *col.* 375. Ubi Græcus Imperator, nunquam ſe intendiſſe *unionem cum Eccleſiâ Rom.* niſi congregato Concilio *ſecundum conſuetudinem ſanctorum* VII. *Concilior. Univerſalium*, & quidem in *urbe Conſtantinopol. Cum Imperium ſuum in præſenti aptiorem locum non haberet, nec poſſet in alio propter neceſſitatem. Inprimis etiam ob expenſas, quibus hoc negotium indigeret.*

Sed brevi ſolvenda hæc Synodus fuit, & reſervata omnia opportuniori & loco & tempori, ſcilicet! Ac de futurâ *Eccleſiæ Reformatione* in Literis ſuis Martinus, *intendere ſe illam proſequi & finire in omnibus ſuis Membris*, de *Capite* tacens, in Tomo XII. Concil. *col.* 377.

V. Quartum generale fuerit *Baſileenſe Concilium*, indictum Martino V. adhuc Pontifice, Bullâ publicatâ, *Kal. Febr.* MCCCCXXXI. Idque juxtà Decretum Synodi Conſtantienſis, *de Conciliis Generalibus celebrandis*, ſtato tempore, Seſſione XXXIX. adde Seſſ. XLIV. Sed Martinus mox facturus locum fuit Eugenio IV. electo Anno MCCCCXXXI. *Nonis Martii* ſequent. antè primam Seſſionem Concilii Baſileenſis, quæ fuit Menſe *Julio*. Confirmante Eugenio Juliani Cardinalis S. Angeli, Legati Apoſtolici, in eo Concilio præſidium; ſed mox illud diſſoluturo, miſſis Baſileam Oratoribus Archiepiſcopo Tarentino, & Epiſcopo Coloſſenſi, qui id perſuaderent Juliano Cardinali: Nempè ob Decretum *Seſſ.* II. de *Concilii* auctoritate ſuprà Papam, juxtà Conſtantienſes, *Seſſ.* IV. V. & ob conſenſum *Nationum* (quem intelligeret) de *emendandâ* Eccleſiâ. Conſtat verò ex Actis, & ex Commentariis ipſius Æneæ Sylvii, inſertis Faſciculo Rerum Expetend. omnique Hiſtoriâ Synodi Baſileenſis, à Stumpfio, & Gallo non uno deſcriptâ, ſpeciatim ab Edm. Richerio, *Hiſt. Concil.* Gener. L. III. C. II. intendiſſe ejus Concilii promotores *ſequentia* potiſſimùm. Conc. Baſileenſe A. MCCCCXXXI.

1. *Reformationem generalem Eccleſiæ*, in Capite & Membris, *Seſſ.* I. quam decreverant Piſani, Conſtantienſes, Senenſes; undè non unum in hanc rem Decretum, non una tentatio Baſileenſium: Sed invitâ ſemper Curiâ Romanâ, ac obicem poſituro Eccleſiæ *Capite*, quum de eo quoque reformando ageretur, ut appareat in Martino V. & rursùs in Eugenio IV. ac ſucceſſoribus apparuit. Scopus hujus Concilii.

2. Confirmationem *poteſtatis Concilii Generalis ſuprà Papam*, cui *obedire* teneatur Pontifex, *etiam in his quæ pertinent ad Fidem*, facto Decreto ſtatim *Seſſione* II. Undè illicò molimina Eugenii pro diſſolvendo Concilio, invitis omnibus, ipſo Juliano Cardinale, ex ejus ad Eugenium IV. celebri *Epiſtolâ*: Secuturo mox Decreto *Seſſione* III. diſſolutionem Concilii nullatenùs fieri poſſe, accedente Sigiſmundo Imperat. Quæ ex Actis prolixè conſtant, & ex ſuperiùs obſervatis.

3. Abolitionem *Annatarum*, & id genus exactionum *primorum fructuum, deportuum*, novorum *vectigalium*, &c. quas introduxiſſent Romani Pontifices: Confirmationem adeò *Pragmaticæ Sanctionis*, quam vocant, contrà uſurpata à Pontificibus jura, in auctoritatem Regiam, & libertates Eccleſiæ, atque *execrandum Simoniæ genus*, ut quoque Johannes Launojus Sorbonicus illud appellavit. Intelliguntur illa ex Seſſionibus VIII. XII. XXI. Præiverat in Pragmaticâ Sanctione decernendâ, Ludovicus IX. Francorum Rex, ut habetur in *Annalibus* Nicolai Gillii, & exhibet Richerius Hiſt. Concil. Gener. L. II. p. 625. Dein Carolus VII. Anno 1438. ſanciturus *Pragmaticam* in Conventu Bituricenſi, in quâ univerſa Decreta Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis, ad Re-

Reformationem Eccleſiæ *in Capite & Membris* ſpectantia, ſervari voluit in Galliis, ſub Titulis XXII. ut videre eſt apud Bochellum, & alios.

4. Illaqueationem *Bohemorum*, atque oppreſſionem tandem, tanquàm *hæreticæ peſtis*, ut vocant Seſſione III. & paſſim. Indè invitatio illa ad Synodum, Salvus Conductus, omnimodæ libertatis pollicitatio, ac tranſactio tandem *Compactatorum* nomine, poſt Articulos IV. à Bohemis & Moravis Concilio oblatos: Ubique dolus, aſtus, ludibria, ut fusè nos in ſuperiore hiſtoriâ, *Sect.* VII.

5. Revocationem *Græcorum* ad *Unionem* cum Latinâ & Romanâ Eccleſiâ: Miſſis hunc in finem Legatis ex Oriente, tùm & Literis à Græco Imperatore Johanne II. Palæologo, & à Patriarchâ Byzantino Joſepho, datis ad Synodum Baſileenſem, A. MCCCCXXXIV. ut ex Seſſione XIX. conſtat. Legatis verò Salvus Conductus à Baſileenſibus ſcriptus fuit, quorum miſſio *Unionem* quidem ac Concordiam cum Latinis ſpecie tenus reſpiciebat; reverà attritas vires & opes Imperii Conſtantinop. tum ſubſidium atque auxilium ab Occidentalibus eâ ratione impetrandum: Undè poſtmodum decernunt Baſileenſes, Indulgentias *in furorem ſubſidii pro reductione Græcorum*, *Seſſ.* XXIV. & poſtquam Eccleſia Græca ſe Latinæ adjunxiſſet, creandos fore ex *Græcis* inſignioribus etiam *Cardinales*; ex quo ſecuta eſt Beſſarionis ad Purpuram evectio, in Concilio Ferrarienſi.

6. Confirmationem variarum *ſuperſtitionum*, quas inter, ex. gr. illa de *Conceptione Immaculatâ* Deiparæ Virginis, ab omnibus credenda, docenda; Item, de *Feſto* ejuſdem *Conceptionis*; & de altero *Viſitationis Mariæ*, &c. Seſſionibus XXXVI. XLIII. De quibus antè, quantum ad Hiſtoriam, monitum fuit *Capite* IV.

Electio Felicis V.

7. Electionem novi *Pontificis*, quæ facta eſt *Seſſione* XXXIX. XV. *Kal. Dec.* An. MCCCCXXXIX. nempè *Amedei* Sabaudiæ Ducis, in ſeceſſu agentis Ripaliæ ad Lacum Lemannum, Genevenſis Diœceſeos; qui & proclamatus fuit, apertis feneſtris Conclavis, eadem Seſſione, à Cardinali Arelatenſi, præſidente tum in Concilio Baſil. eique firmiter adhærente contrà Eugenium IV. Hinc *Seſſione* XL. apparet Conſenſus Amedei in Papam electi, qui nomen *Felicis* V. aſſumpſit. Poſtquam *Seſſione* XXXVIII. reſpondiſſent hi Patres *invectivæ* Eugenii IV. qui indictâ Ferrariæ Synodo declaraverat, *Synodum Baſileenſem detorſiſſe in malignum ſenſum, & à ſanâ doctrinâ penitùs alienum, Decreta Synodi Conſtantienſis; Ac proindè ſe tres veritates, aut concluſiones, Seſſ.* XXXIII. *editas*, (quâ repetita fuêre Decreta *Seſſ.* IV. & V. & illud, quod *Generale Concilium, ſine ipſius conſenſu, per nullum quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, diſſolvi, transferri, aut ad aliud tempus prorogari poſſet*) *reprobare, & damnare juxtà ſenſum Patrum Baſileenſium.* Hinc habiti ſolemnes Conventus, *Moguntiæ* in Germaniâ, ſub Friderico III. Imperatore, pro retinendis & vindicandis Decretis Concilii Baſil. tum *Biturigibus* in Galliâ, ſub Carolo VII. Rege, A. MCCCCXL. comparentibus hic Legatis Eugenii, item Legatis Concilii Baſileenſ. In quo poſtremo, Decreta iſtius Concilii per Pragmaticam Sanctionem in rem judicatam miſſa fuerunt; licet Rex Chriſtianiſſimus, ſimul Edicto ſciverit, ne tam *Eugenii* contrà Baſileenſes, quam *Baſileenſium* contrà Eugenium, cenſuræ, ſuſpenſiones, abdicationes Dignitatum, Officiorum, Beneficiorum Eccleſ. in toto ſuo Regno executioni mandarentur.

Duratio Conc. poſt electionem Felicis.

A quo tempore, poſt electionem Felicis V. An. MCCCCXXXIX. duravit adhuc Concilium Baſileenſe toto decennio; ſed ità 1. Ut Baſileâ Lauſannam transferretur, prorogato ità Concilio, & quidem hortatu præcipuè Regum Franciæ, Angliæ, Siciliæ, &c. Seſſione XLV. & ultimâ, habitâ A. MCCCCXLII. 2. Ut intereà Eugenius IV. convocarit An. MCCCCXXXVIII. Concilium *Ferrarienſe*, quod poſteà Florentiam tranſlatum, A. MCCCCXXXIX. atque eò Græcos invitaverit per literas, Imperatorem Joh. Palæologum, Patriarcham Conſtant. Joſephum, & reliquos Patriarchas, & Metropolitanos; qui licet à *Baſileenſibus* ſollicitati, maluerunt Ferrariam concedere, poſt Concil. jam inchoatum, diſſoluto prius Concilio Baſileenſi ab Eugenio: Quanquam hi Patres Baſileenſes Concilium hoc novo Decreto mox ſtabiliverint, *Seſſ.* XXXV. & abdicato prorsùs Eugenio, Amedeum in Papam elegerint, *Seſſ.* XXXVIII. XXXIX. Poſtquam ipſe Eugenius *Seſſ.* XVI. Bullâ in hanc rem editâ, conſenſiſſet in Decretum Seſſionis VIII. & XI. de ſtabilitate Concilii Baſil. quod à nemine, etiamſi *Papalis Dignitatis* exiſteret, poſſet *diſſolvi*, aut *de loco in locum* transferri. 3. Ut mortuo Eugenio IV. An. MCCCCXLVII. in ejus locum Romæ à Cardinalibus eligeretur Thomas Sarzanenſis, qui *Nicolai* V. nomen aſſumpſit; cui protinus Fridericus III. Imperator, & plerique acceſſerunt, abrogatâ Neutralitate. 4. Ut Amadeus nomine *Felicis* V. induceretur ad ceſſionem Papatûs, pro bono Reip. Chriſtianæ, nullâ ignominiæ notâ; ſed confirmatis iis quæ feciſſet, aut decreviſſet Papa exiſtens, uti quoque Decretis Baſileenſ. aſſentiente Nicolao, A. MCCCCXLIX. prævià tranſactione, quâ de re jam ſuprà *Cap.* III.

Concil. Baſileenſe qui legitimum negarint?

VI. Nunc de Concilio Baſileenſi, idemne *legitimum*, an ſecùs, atque adeo ut nuper quoque Odoricus Raynaldus, *Tomo* XVII. Continuatorum Annalium, *Conciliabulum, Synagoga Satanæ, Schiſmatica, Hæretica* Synodus, &c. gravis inter Adverſarios concertatio eſt. Nempè Eugenius IV. & *Florentini* acerrimè in Baſileenſes inſurrexerunt, adverſis inter ſe Synodis, in Schiſma ituro cum ſuis Eugenio. Poſteà abolitam cupivit Synodum Baſileenſem *Pius* II. quam *Æneas Sylvius* extulerat, fœdâ *Retractatione*, de quâ in ſuperioribus dictum. Rursùs damnata confixaque Synodus Baſileenſis eſt, in Concilio *Lateranenſi* V. ſub Julio II. & Leone X. Pontificibus, vel ex Oratione Thomæ de Vio Cardinalis, ſtatim *Seſſ.* II. & Bullâ Leonis X. *Seſſ.* XI. quâ *abrogavit Pragmaticam Sanctionem*, & declaravit *Conciliabulum Baſileenſe, poſt tranſlationem ejuſdem per Eugenium factam, Concilium ampliùs appellari non meruiſſe.* Et indè Lucæ Holſtenii Diſſertatio, adversùs Synodum Baſileenſem, ut *illegitimam*, & expungendam è *numero Generalium Conciliorum*, (quod & cenſuit Bellarminus) quam Philippus Labbeus ad ſe è Vaticano tranſmiſſam, inſeruit in *Appendice Tomi* XIII. Conciliorum. Similiter Leo Allatius, & quicquid ſervire natum, *Sectarios Baſileenſes, Schiſmaticos*, id genus nominibus appellare conſueverunt. Peccata præcipua, quòd hi *Concilium* ſuprà Papam evexerunt, & *Pragmaticam Sanctionem* approbârunt.

An illegitimum poſt tranſlat. factum ab Eugenio IV.

VI. Mediam quandam viam quæſivêre nuper, qui omninò inter Generales & legitimas Synodos habendam cenſent, iis quoque accenſitam in Conciliorum Tomis: Sed ita ut diſtinguant tempora, antè & *poſt tranſlationem* hujus Concilii, factam ab Eugenio IV. qui *Ferrariam* eam tranſlatam voluit, indè poſteà *Florentiam*, Anno MCCCCXXXVII. Quo ipſo tempore Eugenius, Baſileam peremptoriè *citabatur*, mox *contumax* declarandus, *Seſſ.* XXVIII. poſtquam decretum *Seſſ.* VIII. *iſto durante Concilio aliud Generale Concilium alibi eſſe non poſſe.* Et Seſſ. XI. *per neminem, etiam Papalis Dignitatis, illud diſſolvi*, &c. Et ipſe Eugenius Bullâ editâ *Seſſ.* XVI. profeſſus eſſet ſe adhærere Concilio, prioribus Bullis revocatis, & *diſſolutionem* ejus *declarare irritam & inanem*, & quicquid *in præjudicium, læſionem aut derogationem prædicti ſa-*

cri

Digitized by Google

cri Concilii Baſileenſis, & contrà ejus auctoritatem factum, attentatum, aut aſſertum eſſet, caſſare, revocare, irritare, annihilare, &c. Donec *prædicta ſancta opera*, ſcil. *generalis Reformatio Eccleſiæ in Capite & Membris, debitum ſortiantur effectum*. Ergò transferri Ferrariam non potuit, niſi *factâ* illâ *Reformatione*, idque conformiter, ad Decreta ſuperiora Conſtantienſis & Senenſis Synodorum. Falſum igitur à tempore tranſlationis Synodum Baſileenſem de jure fuiſſe diſſolutam, & auctoritatem detractam ſecuturis Seſſion. ac Decretis. Agnita eadem à Concilio *Lauſanenſi*, ut ex hujus Diplomate confirmat Odor. Raynaldus A. MCCCCXLIX. Et Felicem V. in eo Concilio electum A. MCCCCXXXIX. in Pontificum Catalogo ipſe Nicolaus V. cenſuit omniaque ejus rata habuit; licet Felix ſponte Papatu deceſſerit, eo quo dictum modo eſt. Et quum Decreta de fide emanarint, ut de *Communione ſub unicâ*, Seſſ. XXX. de *Immaculatâ Conceptione* Seſſ. XXXVI. tempore hujus Tranſlationis per Eugenium factæ, tamen illa cenſuit Eccleſia Rom. & Univerſitates Pariſienſis, Colonienſis, &c. eſſe Decreta *Generalis*, & *Sacri Concilii Baſileenſis*, & ut talia ab omnibus eſſe ſuſcipienda.

Natal. Alex. notat. Ut hoc effugio nullum miſerius videatur, pace nuper ipſius Natalis Alexandri, quanquam Galli, *Diſſert.* VIII. *Tomo* XXV. Et pridem indignatus in hoc genus mancipiorum eſt Johan. Launojus, Doctor Pariſinus, aſſertor Synodi Baſileenſis, *Epiſtolâ* hac de re ſcriptâ ad Ludovicum Maræſium, Pariſienſem & ipſum Theologum, quæ eſt *Partis* I. Epiſt. ad Amicos, *Epiſt.* XI. Ubi docet, inter alia, *Ludovicum* Alamandum Cardin. *Arelatenſem* (paribus elogiis ab omnibus efferendum) qui Concilio Baſileenſi præfuit, poſt diſſolutionem ab Eugenio factam, ab ipſo Clemente VII. *Beatorum* numero fuiſſe adſcriptum; cujus & *Miracula* prædicat Æneas Sylvius Hiſt. Europæ Cap. XLII. Hinc fabulam eſſe, *pænituiſſe* eum Cardinalem rerum à ſe in Concilio Baſileenſi geſtarum, multis ibi Launojus. Acceſſit Edmundus Richerius Sorbonicus, *Parte* II. de Conciliis, *Cap.* II. *& ſeq.* ubi ex profeſſo auctoritatem hujus Synodi Baſileenſis vindicat. Euripus ille potiùs & inſtabilis Eugenius, cujus etiam *morientis vota & ſuſpiria* appoſitè deſcripſit Launojus, in præfatâ *Epiſt.* ad Ludov. Maræſium, & nos ſuprà *Cap.* III. Præterea, nihil obſtante *tranſlatione* illâ factâ ab Eugenio, & coactâ Florentiæ Synodo, quò Ferrariâ ob peſtem transferenda fuit, Seſſiones ſuas nihilominùs continuarunt Baſileenſes. Imò *Seſſione* XXXII. damnata Synodus ea Ferrarienſis, & *caſſata* ſeu *irrita* declarata ſunt, quæ in eâ aut decreta, aut deinceps decernenda. Hinc *Seſſione* XXXIV. lata in ipſum Eugenium ſententia *depoſitionis* eſt, ut dictum, intereà dum is Florentinam Synodum moderaretur, Anno MCCCCXXXIX. Accedunt Decreta *Baſileenſia* ſacra Romæ eſſe; quale illud *Seſſione* XXXVI. *de ſanctâ & Immaculatâ Conceptione, ab omnibus Catholicis approbandâ, tuendâ, amplectendâ*, & quidem, *ut conſonâ cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ Rationi, & S. Scripturæ*, eum interdicto *contrariam* aſſertionem docendi aut defendendi, ſub interminatione *judicii Divini*. Quo decreto liberum fuiſſe ſecùs ſtatuendi, aut indeciſam manſiſſe quæſtionem, falsò contendunt Dominicanæ familiæ Patroni; imo *fide Catholicâ credendam* eam Immaculatam Conceptionem, ex mente Baſileenſium, Pariſienſes pronunciarunt.

Synodus Florent. VIII. Quinta Synodus hujus Sec. relata inter *Generales* ſeu *Oecumenicas* à Latinis, eſt Florentina de quâ modò, indicta ab Eugenio, in Schiſmate, & invitis Baſileenſibus, in eum finem ut Concilium Baſileenſe diſturbaret, idque Anno MCCCCXXXVII. Obtentus Eugenii fuit, promovenda *Unio Græcorum*, poſt miſſos à ſe Legatos in Orientem, & pactum de *ſumptibus* Imperatori cum ſuis, ad iter Italicum, ſuppeditandis, dataſque literas ſalvi conductûs: Dum intelligerent Johannem Palæologum, ſpe ſubſidii adverſus Turcas impetrandi, rebus Græcorum planè deſperatis, nihil non promiſſurum Latinis eſſe, ut jam ab aliquot Anteceſſoribus factitatum fuerat: Sed irrito in Græciâ fructu. Et prævenerant Eugenium Baſileenſes, *Seſſ.* XIX. & *Seſſ.* XXIV. ubi Acta cum Græcis recitantur, & quid Miſſi Conſtantinopolim à Concilio promiſiſſent Imperatori, & Patriarchæ.

Igitur potiſſima cauſa hac in Synodo tranſacta, fuit negotium *Unionis* inter Græcam & Romanam Eccleſiam; cœptum quidem *Senis*, idem reſumptum *Baſileæ*, perfectum minimè: Sed nec perficiendum unquàm, quicquid Baſileenſes hoc negotii diſtuliſſent in Conventum Avenionenſem, ut liquet ex *Seſſione* XXV.

Undè *perductum ad exitum fuiſſe Unionis* celeberrimæ inſtitutum, hâc Florentinâ Synodo, mentiti pariter & *Latini*: Dum *Schiſmatica* hæc à Baſileenſibus habita eſt; & *Pſeudo-Synodus* à Græcis, exceptis iis paucis qui in partes Latiniorum inducti. Irrito effectu in Oriente. Quibus autem artibus præmiiſque Romanæ Curiæ inducti ſint *Beſſario* Nicænus, *Iſidorus* Ruthenus, *Metrophanes* Cyzicenus, *Joſephus* Methonenſis, vel *Pſeudo-Gennadius* docet Hiſt. Concilii Florentini, à Sgyropulo ſcripta, & à Creyghtone edita: Sed & Hiſtorici ac Scriptores Byzantini; qui hujus Unionis meminerunt, Laonicus Chalcocondylas, Georgius Phranza, Marcus Epheſius, Georgius Gemiſtus, ſexcenti alii, Scriptis editis adverſus *Synodum Florent.* ejuſque *Capitula.* Fuêre hæc *quinque*, ſecundùm definitionem hujus Synodi: 1. De *Proceſſione Spiritûs S.* uti ex Patre, ſic ex *Filio*; & vocem *Filioque* licitè & rationabiliter Symbolo appoſitam. 2. In *Azymo*, ſeu non fermentato Pane, veraciter quoque confici à Latinis Corpus Chriſti. 3. Animas fidelium, quotquot Baptiſmum ſuſceperunt, ſed decedentium antequam condignis Pœnitentiæ fructibus ſatisfecerint, *Pœnis Purgatorii* expiari, purgari, &c. 4. Animas ita purgatas in *Cœlum* mox recipi, & clarâ *Dei viſione* frui; contra mox in *Infernum deſcendere*, quæ moriuntur in Peccato Mortali, vel etiam in ſolo Peccato Originali. 5. Pontificem Romanum in univerſum Orbem *habere Primatum*, &c. Hinc poſtmodùm transferendum iſtud Concilium Florentiâ in urbem *Romam*, A. MCCCCXLII. quò Eugenius, ut ſua feliciùs perficeret, & Synodo Baſileenſi obſiſteret, redire decrevit, ut videre eſt, T. XIII. Concil. *col.* 1218.

X. *Status Eccleſiæ Græcæ & Orientalis. Continuata diſſenſio à Latinis, & Florentinæ Unionis vanitas.*

I. Crevit in dies magis magiſque calamitas Imperii Orientalis, ſuperiore Seculo primùm ſub *Manuële Palæologo*, coronato A. MCCCCLXXIII. ſub quo Conſtantinopolis obſidione cincta, non expugnata tamen, à Bajazethe II. ſub finem Sec. dein hoc Seculo ab Amurathe II. A. MCCCCXXII. vivo adhuc Manuële. Miſer ſtatus ſub Manuële & Johanne Impp. Tùm ruituræ res in pejus ſub *Johanne Palæologo* filio, poſt Italicam profectionem fruſtrà ſuſceptam, ſpecie Unionis promovendæ in Concilio *Florentino*, A. MCCCCXXXVIII. reverà ut ſubſidia à Latinis impetraret, & ab Eugenio IV. multis pollicitationibus illectus, ſpe quanquam vaniſſimâ. Ratus nempè Eugenius, ſpecioſum forè hunc obtentum cogendi Concilii, *Baſileenſi* neglecto, à quo abdicatus nuper Eugenius fuerat; ſi Imperator Græcus permoveri poſſet, non ut Baſileam ſe transferret, ſed in Italiam, & Unionis negotium in ſpeciem illic Qui ſubſervit Eugenio.

Digitized by Google

lic promoveri ac perfici poſſet. Nugas enim agit Allatius, dùm ait, *de Conſenſ.* L. III. C. I. *Imperator Baſileâ neglectâ Italiam præfert, nec vult ab alio quam à proprio Paſtore, in negotio tam arduo, regi:* Quocum tamen conventum fuerat, in Baſileenſi Concil. *Seſſ.* XIX. ubi Oratores Græci adſuêre, tandiu continuandum fore hoc Concilium, donec Imperator Orientis ad Portum appuliſſet quem ei ſacra Synodus nominarat, & ad locum Concilii quem Baſileenſes opportuniorem judicaſſent, *Sabaudiam* nempè, vel *Avenionem*. Sed intereà Eugenius lapidem omnem movit per literas, & Legatos, ut Johannem Palæologum in Italiam induceret, hoc obtentu, tutiùs ibi & commodiùs recipiendum, tùm & juvandum Latinorum ſubſidio; ſed & faciliùs componendam ſic eſſe litem quæ *ſibi interveniſſet cum Germanis*, id eſt, cum Baſileenſi Concilio, ut Chalcocondylas de Rebus Turc. *Lib.* VI. p. 154. Ed. Reg. Undè illa indictio Synodi *Ferrarienſis*, quæ *Florentiam* poſtmodùm tranſlata fuit, A. MDXXXVIII. Poſtmodùm ſub *Conſtantino* VIII. Palæologo, Johannis fratre, & ſucceſſore ab An. MCCCCXLVIII. (malè Miræus, & alii, ab A. MCCCCXLIII.) *finem* habiturum idem Imperium fuit, quod à *Conſtantino* M. cœperat. Nempè captâ *Conſtantinopoli* à Muhammede II. A. MDLIII. *Maji* XXIX. feriâ III. ipſoque Conſtantino, dùm fugam tentaret, in portâ obtrito, ejuſque capite haſtæ infixo, & per caſtra Muhammedis circumlato, uxore etiam & ſobole eodem tempore cæſis. Quâ de re ex profeſſo *Georg. Phranza*, *Laon. Chalcocondylas*, *Leonardus Chius*, *Iſidorus Ruthenus* apud Bzovium, ad A. MCCCCLIII. ejus temporis Hiſtorici Byzantini, tùm Auctor Hiſtoriæ *Politicæ*, & *Patriarchicæ*, Latinè redditæ à Martino Cruſio, ex his alii. A quo tempore Turcicum jugum ſubiit vaſtiſſimum illud Græcorum Imperium, nec Conſtantinopolitanum modò, ſed & Trapezuntinum; & cum Imperio ipſa quoque Orientalis Eccleſia. Permiſſuro tamen Turcâ Byzantinis *Patriarchas* ſuos, ſua Sacra, quomodò mox à captâ Urbe electus in Patriarcham *Georgius Scholarius*, qui & *Gennadius*, editurus ad Muhammedem poſt captam Urbem, A. MCCCCLIV. luculentam *Confeſſionem* Fidei, aliquoties vulgatam, & Capitibus XX. comprehenſam, apud Martin. Cruſium, Turco-Græciæ L. II. p. 109. &c. & poſt Orationem Dav. Chytræi de Statu Eccleſiar. in Græciâ &c. pag. 173.

Conſtans Diſſenſ. Græcorum à Lat. Allatius notat.

II. Quæcunque tamen calamitas fuerit *Orientalis* Eccleſiæ, nunquàm illa induci potuit (paucis transfugis exceptis, & ſimulato ſtudio in rem ſuam Manuëlis, & Johannis Imperatorum) ut cum *Latinâ* & *Occidentali* Pontificiâ, in Fide aut Ritibus, conſentiret. Ut fruſtrà hîc rurſùm *perpetuam Conſenſionem* Græculus Allatius obtrudat, & *ſupplicem ad genua Pontificis Johannem Imperat. cum Proceribus Græcorum*, nempè ad genua Eugenii IV. ut ipſe ſub initium *Libri* III. ſuæ *Conſenſionis*. Vanitatem rei arguunt varia. Ac primò Catalogus Scriptorum benè longus, qui hoc ipſo Ævo, antè & poſt Synodum Florentinam, cauſam *Græcorum* egêre contrà *Latinos*. Videndi apud ipſum Allatium etiam ἀνέκδοτοι plures, *Lib.* II. C. ult. Sed hoc ipſo ſunt illi homines *nullius auctoritatis ac nominis*. Scilicet *Simeon* Theſſalonic. clarus ſub initia hujus Sec. ipſi Allatio, *Diatribâ* de Simeonum Script. Auctor *Dialogi, ſi quædam demas, pii, docti, digni qui aliquando lucem videat, ſed manuductus à Catholico*, id eſt, *Catholicizatus*. Laudatus idem Simeon, & ſi *Romanæ Eccleſiæ fuiſſet conjunctus, antiquis Patribus annumerandus*, apud Jac. Goara in Euchologio, p. 312. In eandem ſententiam de hoc Simeone Turrianus, Arcudius, Joh. Morinus, alii è grege Pontificiorum. Macarius Macres, clarus A. MCCCCXXX. qui (ſic ipſe ibidem Allat.) *contrà Rom. ſententiam Græcorum tutatus, & Scriptis etiam editis defendit, homo aliàs etiam maximè pius & doctiſſimus:* Nicolaus Cabaſilas, Nili Theſſalon. nepos, ab aliis ad hoc Sec. relatus, *vir inprimis pius & longè doctiſſimus*, multis Scriptis contrà Latinos celebris, inter alios Ἐλέγχῳ κατὰ Λατίνων, quem ſcripſit adversùs Thomam Aquinatem: Nilus Hieromonachus cognom. *Damylas*, cujus Scripta de Proceſſ. Spiritûs S. & alia, Latinis oppoſita recenſet Allatius, & vixiſſe probat, ex ſtilo ipſo, MCCCC. annis poſt Chriſtum natum: Nicolaus Sclengia, qui hoc Seculo inchoato multa congeſſit adversùs Latinorum ſententiam de *Proceſſ. Spiritûs S.* contrà Barlaamum Hierac. in Calabriâ Epiſcopum præcipuè invectus: Michaël Glycas Hiſtoricus, hoc Ævo florens, qui, inter alia *piè doctèque ſcripta*, etiam *contrà Latinos* varia compoſuit, de quo Allatius *Lib.* II. C. XVIII. N. XVII. Macarius Ancyranus qui (ſunt Allatii voces) *multa in Latinos & eorum mores oblatravit*, enumeratis ejus Scriptis; quanquam Auctor illi *nugax, & qui mera deliramenta loquitur*, quia Romæ adverſa: Sic Macarius alter Hieroſolymit. Scriptor Ἐκθέσεως κατὰ Λατίνων. Joſephus Bryennius, Conſtantinopolit. coævus Joſepho Patriarchæ, cujus plurima *contrà Dogmata Latinorum* inedita recenſet Allatius, L. II. C. XVIII. N. XIV. &c. Alii ſine numero aſſervantur in Bibliothecis Scriptores adversùs Romanam Eccleſiam; & in iis quoſdam editos legas, puta Johannem Claudiæ Metropolitam, Georgium Coreſium, Georgium Gemiſtum, Georgium Scholarium, Georgium Phranzam, Marcum Epheſium, Lazarum Monachum, Joſephum Monachum, Philagram, Epiphanium Archiep. Conſtantinopolit. &c. Omnes qui in *Defectionem* Latinorum, & ejus initia; in horum errores de *Proceſſione Spir. S.* de *Azymis*, de *Primatu Papæ*, de *Purgatorio*, &c. commentati ſunt, citatos ipſi Allatio.

Odium Syn. Florent. in Oriente.

III. Deindè fidem facit, diſſenſionis Græcorum, Hiſtoria ipſa Synodi *Florentinæ*, non qualem Romæ fabricârunt, aut pſeudo-Gennadius ſcripſit, ſcil. pro *Capitibus* V. *Synodi Florent.* ſed qualem Græci Hiſtorici in Commentarios retulerunt. Loquitur Hiſtoria ejus Synodi ſcripta *à Sylveſtro Syropulo*, qui Concilio interfuit, Magno Eccleſiarcha, uno è quinque Crucigeris, latus Patriarchæ perpetuò ſtipantibus; qualem Hiſtoriam Concilii Florentini vidimus, è Biblioth. Chriſtianiſſimi Regis, deſcriptam ipsâ manu *Sarravii* Viri Ampliſſ. A. 1642. Hæc dein Pariſiis illata in Biblioth. Iſaaci Voſſii, à quo habuit Robertus Creyghton, qui publici juris fecit A. 1660. additâ Verſione & Notis. Sed præter Syropulum, loquuntur Relationes variæ ejuſdem Synodi, quales habentur apud Græcos, ut Laonicum Chalcocondylam, L. VI. Hiſtoriæ; Auctorem Hiſtor. Politicæ in Turco-Græciâ Mart. Crucii, L. I. Georgium Scholarium, de Proceſſ. Spiritûs S. contrà Latinos, *Cap.* ultimo Συνταγμάτος, &c. Hinc omnis poſt hanc Synodum Græcia, quæ illi *Synodo*, & falſo nomine dictæ *Unioni*, reclamavit. Teſtes ſint Laonicus Chalcocondylas, Georgius Phranza, Scholarius vel Gennadius Conſtantinopolit. genuinus ille Patriarcha, Georgius Gemiſtus, Georgius Coreſius, &c. notiſſimi Scriptores. Ne dicam *Marcum* Metropolitam *Epheſium*, conſtanter Unioni Florentinæ reluctatum, & cui uni falsò imputat Allatius averſionem à Latinis. Loquuntur etiam actitata in Oriente, poſtquàm ad ſuos rediit Johannes Palæologus, adverſus eos qui in Unionem Florentinam conſenſerant. Nempè, ut *Iſidorus Ruthenus*, pileo Cardinalitio illectus, mox à ſuis conjiciendus in vincula fuerit: Ut Græci Conſtantinopolitani, Clerici, Hieromonachi, Sacerdotes, Abbates, Confeſſionarii, communicare cum *Unitis* detrectaverint, multis etiam ſacerdotio ſe abdicantibus: Ut *Metro-*

Digitized by Google

phanes Cyzicenus, quem Patriarcham Latina factio elegerat, damnatus fuerit tanquàm invaſor, latro, & verè Μητροφόνος *matricida*: Ut Synodus Hieroſolymis à *tribus Patriarchis* congregata fuerit, A. MCCCCXLIII. in quâ acerbiſſimè in Unionem invecti, & in auctores, literis etiam ab eâ Synodo ſcriptis, ad *Imperatorem* Græcorum, ancipitem ſemper ac dubium in fide; quibus eum, à ſubdolâ & mendaci Unione, ad antiquam Græcanicæ Eccleſiæ fidem, revocare ſtuduerunt. Fuerunt hi Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, Joachimus Hieroſolymit. Patriarchæ hujus temporis; vocantes μιαρὰν Σύνοδον *execrandam Synodum*, τὰ τῶν Λατίνων σὺν τῷ Εὐγενείῳ Πάπᾳ δογματίζειν ἅπερ οὐκ ἔξεστι, *quæ Latinorum dogmata, quæ non licebat, cum Papâ Eugenio approbaſſet*, & quæ ibi plura. Vide Literas Synodi, cùm Synodales contrà Metrophanem, à Latinorum factione electum Patriarcham Conſtantinop. tum ad ipſum Johannem Palæologum, quem ne *Tyranni* inſtar *vim inferret* Eccleſiæ Græcæ, ſupplices rogant; quas exhibet Allatius, non cuique obvias, de Perp. Conſ. *Lib.* III. C. IV. Addunt Patriarchæ Orientis, cum ſuâ Synodo, *ardenter quidem ſe concupiſcere Senioris Romæ, & Italorum omnium unionem*, εἰ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἔλθωσι, *ſi illi veritati manus darent*. Adi & memoratos Hiſtoricos, Ducam Mich. Nepotem, Chalcocondylam, Phranzam, Auctorem Turco-Græciæ. Acceſſêre tamen ex Græcis Unioni Florentinæ, à Latinis illecti, Beſſarion Nicænus, Iſidorus Ruthenus, Georgius Trapezuntius, Joſephus Methonenſis, & Gregorius ex Πνευματικῷ *Pœnitentiario* creatus Ferrariæ ab Imperat. Πρωτοσύγκελλος *Protoſyncellus*, ut majus momentum illi in Synodo accederet; ità Sgyropulus *Sect.* VII. C. XIV. ἵνα ἔχῃ καὶ τοῦτο πλείονα ῥοπήν.

Gennadius Patr. cum Gennadio Monacho confuſus. Allat. notat.

IV. Nec tacenda fraus Latinorum, qui confundunt *Gennadium* Monachum hominem Latinæ factionis, cui pro Synodi Florentinæ Capitibus, & pro Unione cum Latinis ineundâ, varia tribuuntur, cum vero *Gennadio* Patriarchâ Conſtantinopolit. Qui nempè Muhammedi II. de fide Chriſtianorum reſpondit poſt captam Urbem, antè *Georgius Scholarius*, auctor Συντάγματος de Rectâ ſententiâ Græcorum, & Cauſis Schiſmatis, quod vocavit Ὀρθοδόξου καταφύγιον, idemque Græcis addictiſſimus. Hinc modò finxêre, Scholarium à *Latinis* defeciſſe ad Græcos, modò, à *Græcis* tranſiiſſe ad Latinos, & illi exprobrâſſe levitatem Marcum Epheſium. Aſt duos fuiſſe *Georgios Scholarios*, utrumque *Gennadium* appellatum, Scriptorem utrumque, *coætaneos, cognomines, non indoctos*, ne ipſe inficiatus Allatius, (alterum quanquàm nomen *Gennadii* mentitum) poſt Petrum Arcudium, & Joh. Matth. Caryophilum, Latinis cætera addictos. Verùm contendit idem Allatius, Libro III. de *Perpet. Conſenſ.* & fusè *Exercitat.* VII. contrà Creyghtonum, & in Scripto de *Georgiis*, eum qui Scriptis Florentinorum, id eſt, Latinorum cauſam egit; fuiſſe ipſiſſimum *Gennadium*, qui ad *Patriarchatum* aſſumptus eſt, mutato nomine, poſt Caſum Urbis Conſtantinopolit. & qui Synodo Florentinæ interfuerat. Quum ex adverſo luce meridianâ clariùs eluceſcat, hujus *Gennadii* Patriarchæ (quem poſteà in Monaſterium receſſiſſe Græci referunt, Græcorum omnium calculo tùm σοφώτατον *doctiſſimum*) nomen vel perſonam mentitum eſſe, ob Viri auctoritatem, Græculum aliquem Latinæ factionis, ſcripturum pro cauſâ Latinorum, & pro V. Capitibus Florentinis. Qualium ſuppoſitionum ferax Roma ſemper fuit: Igitur *verus* alius, alius *perſonatus* Gennadius. Prior familiaris Marco Epheſio Metropolitæ, infenſiſſimo & Latinis, & Latinizatis; ſcriptor, inter alios, *Epiſtolæ* Conſtantinopolit. Eccleſiæ ad *Bohemos* ut ὀρθοδόξους *Orthodoxos*, *famâ ferente*, (de quâ ſuprà *Sect.* VII.) A. MCCCCLI. Cui ſanè Epiſtolæ ſubſcripſit, damnaturæ *ſimulatam Unionem* Florentinam, ἥτις διαίρεσις ἀπὸ τῆς ἀληθείας εὐλόγως ἂν ὀνομάζοιτο, *quæ veriùs diremptio à veritate appellanda eſſet*: Idemque ad Patriarchatum ſuo merito, ex Laïcatu tamen, evehendus quanquàm invitus & reluctabundus, coactâ Conſtantinopoli Synodo, permiſſu Muhammedis II. A. MCCCCLIII. Nam eo tempore nullum habebant Conſtantinopoli Patriarcham, undè quum miraretur Muhammedes II. apprimè de moribus Græcorum inſtructus, poſt deditam Urbem, nullum *ad ſe venire* qui ſe pro *Domino* agnoſceret, & *ſupplex* illi fieret; reſponderunt Clerici Conſtantinopolit. Πολὺν καιρὸν Πατριάρχην οὐκ ἔχομεν, *à longo tempore Patriarcham non habemus*: *Qui enim Patriarcha fuit, ſuâ ſponte adhuc vivens Sedem ſuam reliquit, nec alium ei ſufficimus*: Nempè *ei Gregorio Meliſſeno*, qui aliis Mammas, qui quum videret creſcere in dies diſſidium, & prævidens expugnationem Urbis, ſponte ſeſe munere abdicavit; unde Epiſtolæ ad Bohemos ſcriptæ ab Eccleſiâ Conſtantinopol. A. 1451. nullus Patriarcha ſubſcripſit. Itaque juſſi ab Imperatore Muhammede Conſtantinopolitani, *elegerunt unâ mente & voce prudentiſſimum Georgium Scholarium*, *qui* ſtante Imperio Græcorum fuerat Κριτὴς τῆς βασιλικῆς κρίσεως *Judex in Judicio Imperatoris*. Idem ille ſcilicet Scholarius, *doctus equidem apud Græcos vir, ſed qui animo efferâ & inſaniente* (ſic inſaniens ipſe Allatius L. III. C. III. N. I.) *Romanorum mores & inſtituta acerrimè exagitabat*. Donec poſteà, *quinquennio* in eâ Dignitate exacto, gratus ipſe Muhammedi, qui hinc Chriſtianis favit, abdicatâ ultrò Dignitate, poſt convocatum à ſe Concilium, in Monaſterium ſeceſſurus fuit dictum *D. Pedromi*, propè Serras, ac locum facturus *Iſidoro* Hieromonacho, Πνευματικῷ τῆς ὅλης πόλεως, Viro integerrimo; ut pluribus Eccleſiaſtica Hiſtoria *Emanuelis Malaxi*, quam Mart. Cruſius Latinè vertit. Poſt hunc Patriarchatum obtinuit *Joaſaphus* Hieromonachus, cognomento Κόκκας, tandem *Protovestiarii* iniquâ accuſatione ſolio pellendus; & in ejus locum ſufficiendus *Marcus* Hieromonachus, cognomento Ξυλοκαράβης, ſuffragiis Cleri Conſtantinop. electus. Sed poſt hunc Marcum, cœpit Thronus Patriarchalis pecuniâ & muneribus ad Sultanum miſſis redimi; undè in *legem* abire juſſit Imperator, ut initium Patriarchatûs à *munere* ſuæ Majeſtati dando fieret. Quod deinceps ſemper in majus auctum, pro Turcarum aviditate. Nec plura hujus ſpatii ſunt, & videri poteſt noſtra Diſſertatio de *Perpetuâ Diſſenſ.* Eccleſiæ Græcæ à Romano-Pontificiâ.

XI. *Scriptores hoc Ævo incluti.* Παλιγγενεσία *quædam Literarum. Academiæ & Bibliothecæ fundatæ.*

I. Non hîc compilamus Catalogos Scriptorum Eccleſiaſticorum hujus Ævi, Trithemii puta, Sixti, Poſſevini, Geſneri, Miræi, Bellarmini, Labbæi, & recentiorum. Plurimos jam in ſuperioribus diximus, *Cap.* VIII. de Teſtibus inclutis Veritatis medio in Papatu, ut *Hieron. Pragenſi*, *Joh. Gerſono*, *Petro Alliacenſi*, *Hieron. Savanarolâ*, &c. Et modò de Scriptoribus Græcis & Byzantinis, quædam Capite ſuperiore. Nec etiam *Scholaſticos* vel Theologiæ, vel Philoſophiæ, barbaros promotores dicimus hoc loco. Non etiam celebres, ſub nutu dominantis, Interpretes, *Alphonſ. Toſtatum*, *Paulum Burgenſem*, *Dionyſ. Carthuſianum*, &c. Certum, Literarum quandam παλιγγενεσίαν hoc Seculo, Occiduo in Orbe, viſam, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Britanniâ, promoturis præcipuè Eu-

Eugenio IV. Nicolao V. & Sixto IV. Pontificibus; tùm Mediceis, præcipuè Laurentio, ſummis Mœcenatibus Literarum; tandem munificentiſſimis paſſim Imperatoribus, Regibus, Septemviris, Principibus. Quâ de re multis Sabellicus, Volaterranus, & ſingularum Gentium Hiſtorici, ac hiſtoria ſuper. Seculi, *Cap.* XII. *col.* 1801. 1802. &c.

Græcar. Literar. ſtudium qui inſtaurariat.

II. Hinc præmiis illecti Literatores Scriptoreſque benè multi, quorum alii *Græcas* Literas, *Latinas* alii, alii *Hebraicas* reſtaurârunt, & cum illis *Hiſtoriarum* Studium, quidam & *Juriſprudentiæ* illud. Græcas quidem in Italiam præcipuè introduxerunt, ut ex parte monitum ſuprà fuit; *Manuël Chryſoloras*, Eques Conſtantinopolit. Grammaticus inſignis, qui primus Græcas literas, tot Seculis intermiſſas, Italos docuit, moriturus Conſtantiæ: *Franciſcus Philelphus* Manuëlis gener, Laurentii Vallæ cum Poggio Cenſor, Epiſtolarum Libris, aliiſque inclytus, ſed vituperandus Poggio: *Georgius* origine *Trebizundus* vel *Trapezuntius*, Græcè ac Latinè doctus, ab Eugenio IV. in Aulam Pontificiam adſcitus, dein ab Alphonſo Neapolitano in Urbem Neapolim; Favit Unioni Florentinæ, & contrà Græcorum ſententiam, de Proceſſ. Spiritûs S. ſcripſit, etiam de Unâ, Sanctâ, & Catholicâ Eccl. editus ab Allatio in *Græcia Orthod.* Tomo I. cujus plura memorantur apud Geſnerum, quædam etiam in *Ciceronis* aliquot Orationes: *Theodorus Gaza*, Græcus Grammaticus, etiam Aſtronomus inſignis, Vir Seculi ſui doctiſſimus: *Beſſarion* Cardinalis Nicænus, ut defectione ad Latinos, in Concilio Florentino, hinc Scriptis pro Unione; ſic ingenio, doctrinâ, eloquentiâ, literis etiam Philoſophicis clarus, magnis rebus admotus: *Joh. Argyropulus*, Philoſophus Byzantius, qui in Scripto de *Proceſſione Spiritûs S.* ità Græcorum cauſam agit, ut conciliarit cum illâ Synodi Florent. docens Spiritum procedere à *Patre per Filium*, ſubtilibus ratiociniis uſus, ac nimium philoſophatus: *Johannes* cognomento *Pluſiadenus*, auctor Dialogi pro Synodo Florentinâ, in quâ ſub nomine *Catholici* cauſam Latinorum nimis apertè agit, & Græcos defectionis arguit: *Conſtantinus Laſcaris*, ut Nobilitate generis, ſic Grammaticis diſciplinis celebris, poſt captam Urbem: Ne dicamus juniorem paulo *Janum Laſcarim*, & alios id genus, veluti tempeſtate quadam in Italiam, Siciliam, Galliam, &c. ejectos.

Latinæ Literæ, & Hiſtoria excultæ.

III. *Latinas* bonaſque Literas inſtaurârunt hoc Ævo celeberrima nomina, ut ex parte dictum antè eſt *col.* 1801. &c. In his *Candidus Decembrius*, *Laurentius Valla*, *Leonardus Aretinus*, *Poggius Brandolinus* Florentinus, *Angelus Politianus*, *Hermolaus Barbarus*, *Joh. Bapt. Egnatius*, *Joh. Picus Mirandulanus* Phœnix ſui Seculi dicendus, *Marſilius Ficinus*, *Rudolphus Agricola* Friſius, *Joh. Trithemius* Abbas, & ſi qui plures, notiſſimi in vulgus Eruditorum, & magnæ exiſtimationis Viri. Subſecuturis mox *Raphaële Volaterrano*, *Paulo Jovio*, *Petro Bembo*, *Jac. Sadoleto*, cumprimis verò *Guil. Budæo*, & *Deſid. Eraſmo*, qui magis ad ſequens Seculum ſpectant.

Sic *Hiſtoriam* ſuis Commentariis illuſtrârunt celebres Hiſtorici. De Græcis & Byzantinis monitum ſuprà: Quales fuêre præ cæteris, *Ducas* ille, vulgò Michaëlis Ducæ nepos, Scriptor Hiſtoriæ Conſtantinopolit. noviſſimæ; *Georgius Gemiſtus* vel *Gemiſtius*, cognom. *Pletho*, Philoſophus & Hiſtoricus, cujus ἀνέκδοτα plura ſunt, & qui *centenarius* obiiſſe fertur, in Græciam redux; *Georgius Phranza* vel *Phranzes* patriâ Byzantinus, Protoveſtiarius, ſcripturus res ſui temporis, ad A. MCCCCLXXVII. Corcyræ ſedem fixurus; *Laonicus Chalcocondylas* Athenienſis patriâ, Auctor Hiſtoriæ Turcicæ, indè ab Ottomanno Imperat. I. ad adultum Muhammedis II. Imperium, relatus inter Hiſtoricos Byzantinos.

Inter Latinos Hiſtoricos, de quibus Voſſii & aliorum extant judicia, celebratiſſimi hoc Ævo: *Johannes Froiſſardus* Belga, productis Commentariis ad Ann. MCCCC. *Theodoricus Niemus*, de quo antè; *Poggius* ille Florentinæ Hiſtoriæ Scriptor; *Matthias Palmerius* Florentinus; *Joh. Jovianus Pontanus*, mirè efferendus Eraſmo; *Joh. Annius Viterbienſis*, Impoſtor magis quàm Hiſtoricus, fictitiis ejus Beroſo, Manethone, Megaſthene, &c. *Leonardus Brunus* Aretinus; *Blondus Flavius*, Auctor Italiæ Illuſtratæ, aliorumque; *Barthol. Platina*; Æneas *Sylvius* Picolominæus; *Baptiſta Fulgoſus*; *Philippus Cominæus*, Polybii æmulus, Græcè & Latinè quanquàm indoctus; *Jacob. Wimphelingus*, Sledſtadienſ. *M. Anton. Coccius Sabellicus* Præf. Biblioth. Venetæ; *Bapt. Mantuanus*, Generalis Ord. Carmelitar. *Joh. Nauclerus* Præpoſitus Tubing. *Joh. Trithemius* antè laudatus; nec diu poſteà *Paulus Jovius*, *Albertus Crantzius*, *Joh. Cuſpinianus* Hiſtoriographus Maximiliani I. *Joh. Aventinus*, & celebres Hiſtorici alii, notiores in vulgus Eruditorum quàm ut hoc loco pluribus memoremus. Ut *Wernerum Rollewinckum*, *Thomam Walſinghamum*, *Antoninum Florentinum*, *Hartmannum Schedel* Noribergenſem, *Jac. Phil. Bergomatem*, & ſimiles notoſque Chronographos, modò præteream.

Hebraicas Lit. qui excoluer.

IV. *Hebraicas* Literas, præter Græcas Latinaſque, præ cæteris excoluit labente Seculo *Joh. Reuchlinus*, aliàs *Capnio*, Badenſis Suevus, Vir ad miraculum doctus, Tubingenſis, Heidelbergenſis, atque Ingolſtadienſis Academiar. lumen. Præiturus cumprimis ad Linguæ S. cognitionem Lexico Hebraico, variiſque Scriptis, quæ ad Grammaticam Hebræorum, & Artem Cabbaliſticam, attinerent. Secuturis *Joh. Forſtero*, *Conr. Pellicano*, *Wolfg. Fabritio Capitone*, *Sebaſtiano Munſtero*, *Paulo Fagio*, *Franc. Vatablo*, &c. qui omnes Hebraicè doctiſſimi, ex vulgatis Scriptis.

Juriſprudentiam Civilem illuſtrârunt hoc Seculo, poſt *Bartolum*, & hujus diſcipulum *Baldum* Peruſinum, *Johannes de Imola*, *Nicolaus Vordanus*, & alii: Plures autem Juri Canonico ſive Pontificio incubuerunt, ac celebres in his Purpurati, ſunt *Franc. Zabarella*, *Joh. de Turrecremata*, & *Nicol. Panormitanus*.

Acad. inclytæ.

V. Hinc nihil mirum cum incremento Literarum, potentiſſimis hinc indè Fautoribus, auctum fuiſſe *Scholarum* & *Academiarum* numerum. Et indè fundationes novæ, nova certè incrementa, Academiæ *Salmanticenſis*, in Caſtellæ regno; *Cadomenſis* in Normanniæ Ducatu; *Lipſienſis* in Miſniâ Saxonicâ; *Ingolſtadienſis* in Bavariâ; *Roſtochienſis* ad Mare Suevicum, ſive Balticum; *Lovanienſis* in Brabantiâ; *Baſileenſis* in Helvetiâ; *Tubingenſis* in Ducatu Wirtembergico; *Mantuana* in Lombardiæ partibus; *Salernitana* in Neapolitano Regno, &c. De quibus adeundi qui de Scholis Illuſtrioribus aut Academiis hiſtoricè commentati ſunt. *Venetias* etiam bonis Literis illuſtres reddiderunt, Emanuël Chryſoloras, Hermolaus Barbarus, Joh. Baptiſta Egnatius, Petrus Bembus, & alii; ac præcipuè *Beſſarion Nicænus*, qui Bibliothecâ ſuâ, incomparabili Cimelio, quoad Eccleſiaſticos Græcoſque Scriptores, quorum penes me MS. Catalogus eſt, Venetos Teſtamento ditavit. Notum & *Florentiam* claruiſſe, cummaximè hoc Sec. ſub Coſmo, cumprimis Laurentio Mediceis, meliorum Literarum cultu; ſic etiam *Ticinum* ſub Johanne Galeazio Mariâ, primo Mediolan. Duce; uti *Romam* ſub Eugenio IV. Nicolao V. Sixto IV. poſteà & Leone X. *Heidelbergam*, præcipuè ſub Philippo Electore, cognomento *Ingenuo*, Ludovici Barbati nepote, Electore indè ab A. MCCCCLXXVII. & ſub ſucceſſoribus Ludovico pacifico, Friderico II. Sapiente, Othone Henrico, in quo deſiit familia Ludovici Barbati, tum Friderico III. Simmerenſi re

& cognomine Pio: Ita floruêre Literarum ſtudiis *Vindobona* ſub Friderico III. & Maximiliano I. ejus Filio, Impp. *Buda* ſub Matthiâ Corvino, Johannis filio, coronato in Hungariæ Regem A. MCCCCLXIV. cujus ergà Literas ſtudium, & Literatos quos undique conquiſivit, probat etiam Bibliotheca ſub hoc Matthiâ exquiſitiſſima, dein Vindobonam tranſlata; morituro A. MCCCCXC. Promovendis hinc ditandiſque celeberrimis toto Orbe Europæo *Bibliothecis*, (maximè poſt inventam Artem Typographicam) *Budenſi* Hungaricâ, *Medicæâ*, *Vaticanâ*, *Archi-Palatinâ*, *Vindobonenſi*, quâ de poſtremâ fusè Lambecius, ſed cui operi ultima manus deeſt. Nec de his eſt hîc commentandi locus. *Anglorum* Academiam utramque, & fundatas hoc Ævo *Aulas*, *Collegia*, iſtorum Annales prolixè referunt.

XII. *Memorabilia quædam hujus Sec. miſcelli generis, & ſelectiora. Pleraque ad Hiſt. Civilem ſpectantia.*

Novi Ordines Monachorum. I. VIx pretium operæ ducimus, memoràſſe novos *Ordines Monachales* hac Ætate inſtitutos. Augendâ nempe nullo fine & modo ſuperſtitione, faventibus ſemper Papis, quorum *Bullæ* pleræque (in Bullario Cherubini) in favorem *Monachorum* decreverunt. Talis fuit Ordo Equeſtris *Annunciationis* B. Mariæ Virginis, inſtituente Amato vel Amedeo cognom. *Viridi*, Sabaudiæ Comite, initio hujus *Sec.* quando primos *Equites* creavit; in memoriam victoriæ ab Amedeo reportatæ Ann. MCIV. quum *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*: De quo pluribus qui Hiſtor. Ducum Sabaudiæ, & Burgundiæ, ſcripsêre. Ordo eorum qui *Hieronymitani Eremitæ de Feſulis*, inſtituente propè Florentiam hoc Vitæ genus ſolitarium Comite de Granello, confirmandum à Gregorio XII. & Eugenio IV. Acceſſit *Tertius Ordo* Dominici eorum qui dicuntur *de Pœnitentiâ*, quo de fusè Bzovius Dominicanus, ad Annum MCCCCXXIV. Tùm Ordo *Minimorum Jeſu Mariæ*, utriuſque Sexûs, magnâ ſpecie humilitatis; quum ſuos *Minores* dici voluiſſet Franc. Aſſiſius, hi *Minimi* appellandi; Præſcriptâ quoque rigidiore abſtinentiâ, non à carnibus modò, ſed & piſcibus, coctiſque cibariis; nempè inſtituente eum Ordinem ſeu Congregationem *Franciſco* cognomento de *Paulâ*, Urbe Calabriæ, & aucturo privilegiis Sixto IV. An. MCCCCLXXIV. inprimis propagandum in Galliis. Præterea Ordo *Pœnitentium Mulierum*, ſeu Meretricum quæ ſe proſtituere deſierunt, ſive ob ætatem, ſive aliundè, Pariſiis inſtitutus ſub finem Seculi, ſacer jam Mar. Magdalenæ. Sic Ordo *B. Mariæ* ſeu *Annunciatarum Virginum*, inſtituente Johannâ Ludovici XI. filiâ, exeunte Seculo, poſtquam à Ludovico XII. repudiata eſſet, Bituriges ſeceſſura, A. MCCCCXCVIII. Mittimus Ordines alios, v. gr. *Montolivetenſium* de quo jam *col.* 1801. *Canonicorum Regularium*, oppoſitè ad Canon. *Seculares*, inſtitutum in agro Lucenſi, circà A. MCCCCXXII. in Monaſterio *Friſonaria*, & ab Eugenio IV. auctus Canonic. *Lateranenſium* appellatione; Ordinem S. *Juſtinæ Patavinæ*, qui cœpit in Monaſterio à Juſtinâ nuncupato, apud Patavium, inſtituente Ludovico Barbato Veneto; qui nonniſi reformatio quædam fuit Regulæ Benedictinæ, novis Indulgentiis & Gratiis ab Eugenio IV. Paulo II. Sixto IV. &c. donatus. Quæ vel ex Hoſpiniano noſtro require, ad hæc tempora.

Timur, Tamerlanes. II. Caſum *Bajazethis* I. ſeu *Gilderun* Chanis, A. MCCCCII. memorant Annales Turcici, caput ſuum illiſuri caveæ ferreæ, qua tenebatur incluſus à *Temire* vel *Timuro* latè terrarum victore. Huic & caſum ſuum debuit *Smyrna* celeberrimum Emporium, A. MCCCCII. quod vexillum Timuris erigere recuſaſſet, tenente tum Urbem Catalauno milite, ut Niemus Libro II. de *Schiſmate*, C. XXX. Sed & hujus vaſtiſſimum Imperium, Temire morte ſublato, filiorum ac nepotum diſcordiis rediturum ex parte ad Ottomannos fuit. Qui *Timur*, *Tamerlanes*, *Temerlencus*, *Tamerlangus*, Magnatibus Tataris ortus, quibus gradibus viam ſibi ſtraverit ad Imperium totius Orientis; quibus itidem eo exciderint poſteri, morituro Timuro A. Hegiræ DCCCVII. (id eſt, Æræ Chr. MCCCCIV.) ut etiam fautor Sectæ inter Muhammedanos fuerit, quæ *Cingis-Chaniſmus* appellata, ex Arabibus & Europæis Hiſtoricis, diximus ſuprà *col.* 1812. ac prolixiſſimè enarrat Clariſſ. Hottingerus, ad *Seculum* XV. *Sect.* II.

III. De Caſu *Conſtantinopolitanæ* Urbis res hoc cumprimis Sec. memoranda, qui accidit A. Hegiræ DCCCLVII. id eſt, Æræ Chriſt. MCCCCLIII. non ut Sabellicus & alii MCCCCLII. *Muhammede* II. expugnante (admoto ad Imperium, & *Murati* Patris ſucceſſionem ſponte ſe abdicantis, An. MCCCCXLIV.) poſtquam omnia ad tantam expeditionem terrâ marique præparaſſet. Hinc & *Bombardas* ope Valachi cujuſdam ſive Daci confici juſſit, quæ Lapides *quinquaginta* Librarum torquerent, & unam quæ CCC. *Librarum* pondus caperet, quibus muri cum turribus ingenti fragore quaſſati & disjecti fuêre, de quibus Laonicus *Lib.* VIII. ſub initium. Muhammedis habitam ad ſuos orationem, quum expugnandam Urbem aggrederetur; quâ pollicitus militibus prædam ingentem mulierum, mancipiorum, auri & argenti, quæ victores certò maneret, vide apud eundem Chalcocondylam, *Ed. R.* p. 208. & Phranzam L. III. C. VII. *Ambitum* Urbis, qualis tum fuerit, variè deſcribunt Byzantini, Phranzes quidem facit XVIII. milliarium; *Obſidentium* verò numerum, CCLVIII. millium, præter naves omnis generis CCC. quum intrà Urbem vix *quinquies mille* viri, tam Laici quàm Monachi, præter 2000 Extraneorum, pares eſſent illi defendendæ. Capta urbs *quinquageſimo quarto* die obſidionis, IV. Kal. Julias, feriâ III. non ſine ingenti Græcorum ſtrage, quotquot fugâ non evasêre; multis etiam, navibus in quas ſe receperant, alto merſis: *Conſtantino* autem Imperatore in fugâ vulnerato, & ità in Portâ, cum reliquis fugientibus, expirante; cujus Caput ad Muhammedem delatum fuit, magnis muneribus penſandum. Eodem die *Pera* quoque capta, ſed in fidem recipienda, muris tamen dirui juſſis. Mox in *Albaniam* copias duxit Muhammedes; *Albam Græciam* obſidione tentaturus, ſed fruſtrà; reductâ tamen Albaniâ circà A. MCCCCLXXVII. Hinc *Moream* diverſis expeditionibus ſubegit, dein *Anatoliam* uſque ad Caramaniæ fines; & ita ſucceſſivè Græcorum Deſpotas, Trapezuntios, Albanios, Venetos, Genuenſes, Ungaros, Walachos, Moldavos, &c. exuiturus fuit ampliſſimis Regnis, Provinciis, Inſulis. Cumprimis exitium *Trapezuntino* Imperio fuit A. MCCCCLXI. quando in Muhammedis poteſtatem redactæ, Sinope, Trapezus, cæteræque Colchidis, & Cappadociæ ad Pontum Euxinum urbes, *Davide Comneno* Trapezuntinis tùm imperante; quum ſtetiſſet illud Imperium, poſt captam à Francis Conſtantinopolim Anno MCCIV. annos circiter CCLVII. Ac Davidem juſſit navem conſcendere, cum ſuis Liberis, & Filiâ, & Cognatis, & Byzantium navigare; dein mandato Muhammedis interemptum, cum Filiis, & Patruele. Succeſſit Muhammedi II. ſublato Anno MCCCCLXXXI. Filius ejus *Bajazethes* II. habiturus (poſt ſubactam Epirum, Moream omnem, Provincias alias, & poſt longum Imperium) filios perduelles, Corchutem, Achmetem, Selimum: Tandem veneno ſublatus inſidiis *Selimi*, A. MDXII. poſt geſtum XXXI. annis Imperium, ætate ſeptuage-

Caſus Conſt. Urbis & Imperii.

Digitized by Google

genario major; dein ab eodem Selimo quicquid erat paterni ſanguinis extinctum. De quibus Annales Turcici, & omnium inſtar, in *Annal.* & *Pandectis* Leunclavius. Nec tacendum par Heroum hujus Seculi, rebus contrà Turcas fortiter geſtis; Videl. *Georgius Caſtriotus*, cognomento à Turcis ipſis *Scanderberg*, quaſi alter *Alexander M.* Albaniæ Princeps, fuſurus ſæpè Turcas in Albaniâ, Epiro, Hungariâ, ad Annum uſque MCCCCLXVII. qui ipſi emortualis, in urbe Lyſſi ad Drillum amnem; & de quo Paralipom. Urſpergenſis: Tùm *Johannes Corvinus Hunniades*, pater *Matthiæ* in Hungarorum Regem electi, Walachus natione; cujus invictum animum, & res fortiter contrà Turcam geſtas, ad Annum quo laboribus fractus, in æſtuoſiſſimam febrim ac lethalem incidit, MCCCCLVI. pluribus Bonfinius in Rebus Hungaricis, *Dec.* III. Leunclavius in Annalibus Turcicis, & alii memorant. Ferunt, Turcas adeò veneratos memoriam invicti Scanderbergi, ut capto Lyſſo oppido, eruta ex ſepulchro illius *oſſa* inter ſe diſtribuerent, ex quibus fruſtulum, auro vel argento inſertum, fortiſſimus quiſque geſtabat, ut eſſet bello invictus.

Heroes inclyti.

Johanna Aurelian.

IV. Memorabilis Hiſtoria eſt *Johanna Darcia* Virginis Aurelianenſis, patre agricolâ progenitæ: Quæ videlicet annos XVIII. vel XX. natâ, quum *Aureliam* arctiſſimâ obſidione cingerent Angli, A. MCCCCXXIX. apud Carolum VII. Galliarum Regem, agentem tum in *Cainoni* Caſtro Turonici agri, Gallis *Chinon*, & quidem cauſata ſe coelitus excitatam liberandæ Urbi. Hinc permittente tandem Rege, Ducem ſe conſtituit Gallicani exercitûs; commeatum in Urbem infert; Anglos fundit; Urbem obſidione liberat A. MCCCCXXX. hinc *Statuam aneam* ab Aurelianenſibus ſibi poni promeretur. Poſt Balgentiacum (*Baugency*) in Aurelianenſi ditione, & Loca alia expugnat; prælio Anglos vincit ad CCC. vel CCCC. cæſos; Regem Carolum VII. *Remos* duci jubet, Sacro Chriſmate inungendum, quamvis medios inter hoſtes: Tandem anno ſequente à Burgundis capta, in obſidione Compendienſi, & pretio Anglis prodita, impactum ſibi *Hæreſeôs* & *Magia* crimen, ut honori ſuo Angli conſulerent, flammis expiatura fuit, Rotomagi XXX. Maji, A. MCCCCXXXI. prædicente facti ultionem Johannâ. Nec diu poſteà Angli totâ Galliâ fuêre exacti, cujus majorem partem occuparunt; adeò ut in Franciæ Regno, duo Reges, duo Regimina, duo Conneſtablii, duo Cancellarii, duo Admiralii, &c. obtinerent. Tandem *Pariſiis* receptis A. MCCCCXXXVI. uti receptâ à Carolo VII. *Aquitaniâ*, ſolum *Caletis* emporium Anglis reliquum fuit. A quo civilia inter ipſos bella exorta, ſcil. inter familias Regias, *Eboracenſem* & *Lancaſtriam*, donec Henrici VIII. conjugio utraque familia uniretur. Quâ de re Francorum & Anglorum Annales.

Ordo Aurei Vell. inſtitutus.

V. Pariter ex Hiſtoriâ Civili repetat Lector, Ex. gr. originem ſplendidiſſimi Ordinis, ſub nomine *Velleris Aurei*, à *Philippo Bono* Burgundiæ Duce inſtituti, occaſione tertiarum Nuptiarum cum Iſabellâ vel Elizabethâ, filiâ Johannis I. Luſitaniæ Regis, quæ *Brugis* celebratæ, A. MCCCCXXX. Et quidem in honorem glorioſæ Virginis, & *Andreæ Apoſtoli*, cui ſpeciatim hic Ordo ſacer fuit; ſive hæc appellatio à *Vellere* Gedeonis *Jud.* VI. 37. &c. ſive à *Vellere* Jaſonis & Argonautarum, ſive à *Vellere* Ovium deſumpta, quibus Burgundiæ regio abundaret, undè aurum & opes. Et ejus primum XXX. Equites creati, aureo torque cum Velleris ſigno donati; donec Carolus V. in honorem Philippi filii ex Angliâ reducis, crearet Equites L. A. MDLV. Philippo Ordinis ſupremo Capite, à quo ad Hiſpaniæ Reges pervenit. Sic intelligitur ex Annalibus *Caroli Audacis*, patris Mariæ Burgundicæ, fortuna varia, ac tandem caſus, dùm Nancejum obſideret, A. MCCCCLXXVII. Hinc & origo *Auſtriacæ* potentiæ, nuptiis primùm *Maximiliani*, poſteà Imperatoris à morte Friderici III. cùm *Mariâ* Hærede Ditionum Burgundicarum; tùm matrimonio *Philippi Pulchri*, ex Mariâ nati, cum *Johannâ* Hiſpaniarum hærede, matre Caroli V. Gandavi naſcituri A. MD. Memorabilem quoque, inter alias, Expeditionem Italicam *Caroli* VIII. Galliarum Regis, Anno MCCCCXCIV. infeliciter ſuſceptam; Rege vix ultrà annos XXIII. nato; hoc obtentu quod Neapolitanum & Siculum Regnum, quod tenebat Alphonſus Ferdinandi filius, jure hæreditario ad Franciæ Reges pertineret: Inductu verò cumprimis Ludovici Sfortiæ Franciſci filii, cognomento *Mauri*, hominis perfidi, & proditoris, ut eâ occaſione Ducatum Mediolanenſem invaderet; qui de jure ad Franciſci Filium *Johannem* devolutus erat; & quem Ludovicus tandem obtinuit Diplomate Maximiliani I. & Cæſareâ Inveſtiturâ A. MCCCCXCV. Carolus verò intrà *quadrimeſtre* ſpatium totam Italiam pervaſit, & Neapolitano Regno ſpatio *duarum* ſeptimanarum potitus eſt, *Brinduſio* excepto, Anno MCCCCXCIV. Sed non diu eo Regno gaviſurus, ob fœdus initum inter Papam Alexandrum, Maximilianum Cæſarem, Ferdinandum Aragonem, & illum ipſum Ludovicum Sfortiam, qui auctor Carolo fuerat Expeditionis. Unde Neapoli exceſſit, XX. Maji A. MCCCCXCV. tandemque Italiâ univerſâ, eodem Anno, quam ſimul invaſit, ſimul amiſit. De quâ re ex profeſſo agunt Franc. Guicciardinus in Hiſt. Bellorum Italiæ, *Lib.* I. & *ſeq.* & Philippus Cominæus, qui Expeditionis comes fuit, in Hiſt. Belli Neapolitani, *Libris* V. deſcriptâ.

Caroli VIII. Expedit. Italica.

VI. Tacenda minimè ſunt *Æthiopica*, tùm *Indicæ* navigationis, primordia hoc ipſo Seculo, *Auſtrum* & *Ortum* versùs. Superato primùm Africæ extremo Promontorio, Anno MCCCCLXXXVII. ſub *Johanne* II. Luſitaniæ Rege, Alphonſi Filio; nec diu poſteà felici appulſu in continentem Indiæ Orientalis, & Calecutii regnum, *Emanuelo* Rege, Ann. MCCCCXCVIII. Præfecto navigationi *Vaſco Gama*, Luſitano. Has navigationes aliæ exceperunt, ſub initia Seculi XVI. *Alfonſo Albukerkio* & *Franc. Almeidâ* Ducibus, Malacam uſque, & in Moluccas Inſulas. Quâ occaſione factum eſt, ut ex mari *Africano Occaſum* versùs ferretur navigatio, per mare Atlanticum, vi ventorum & obortæ tempeſtatis, ad ignotas Coſmographis Terras: Cujus rei certior factus, à reduce cum paucis Nauarcho (ſeu jam is Luſitanus fuerit, ſeu Hiſpanus) qui morti proximus incognitas hactenus Terras *Chriſtophoro Columbo* aperuit, aliis *Colono*; hic arcanum novæ Coſmographiæ non neglexit, dudum animo ſuo volvens, ſi quas alias darent Æquora Terras. *Columbus* natione Ligur (cui dein Statua à Genuenſibus erecta) Vir acri ingenio, & flagrantiſſimo navigandi ſtudio, versùs Orbem hactenus ignotum, accenſus, tandem poſt negatas ſibi Naves ab Anglo Henrico VII. & à Luſitano Alphonſo V. impetravit à *Ferdinando* & *Elizabethâ*; ſoluturus Anno MCCCCXCII. Idemque, poſt aditas *Fortunatas* & *Heſperides* Inſulas, deſperatò jam ſucceſſu, tandem *Guadalupiam*, & quam dixit *Hiſpaniolam*, ac plures *Canibalorum* Inſulas detexit. Ac repertis poſteà navigationibus, tùm à Columbo illo, malè ab Hiſpanis multando, tùm ab *Alphonſo Nigro*, hinc *Vincentio Pinzono*; tandem reperta eſt Novi Orbis *Continens*, Braſilia, aliæque Regiones, ab *Americo Veſputio* Florentino, ſoluturo Galæciæ portu A. MCCCCXCVII. à quo hinc *America* nomen. Exceperunt Navigationes aliæ, tùm præcipuè *Ferdinandi Corteſii*, Nobilis Hiſpani, ſequente Sec. A. MDXVIII. à quo Urbs *Mexico*, & cum eâ Mexicanum Imperium ſubjectum fuit Hiſpaniarum Regibus, A. MDXX. dictum *Nova Hiſpania.*

Novus Orbis detectus India Oriental. primum adita.

nia. Nec omittenda *Alexandri* VI. Pontificis liberalitas de alieno, qui Novas illas Terras, Regiones, Inſulas, ſic partitus eſt inter *Caſtellæ* & *Luſitaniæ* Reges, A. MCCCCXCIII. ut quicquid ab *Ortu* detegeretur Luſitano, quicquid ab *Occaſu* Hiſpano attribueretur: Undè inter utroſque litigia, maximè poſt ſuperatum ab Occaſu Fretum *Magellanicum*, cujus beneficio in Philippinas & Moluccas Inſulas navigatio Hiſpanis patuit, per Mare Pacificum. An verò hic *novus Orbis* jam antè patuerit Veteribus, & vel Platonis Atlantica fuerit, vel Salomonis Ophira, vel repertæ à Carthaginenſibus Coloniæ, vel Inſulæ in quas Portugalli extrà fretum Herculeum, versùs Occaſum, aliquando abrepti fuerint, alteriùs diſquiſitionis eſt.

Artis Typograph. inventum.

VII. Sed & memorandum cumprimis venit *Artis Typographicæ* utiliſſimum inter Europæos (quicquid jam ſit de Sinenſium vetuſtiſſimo uſu, ſed in multis tamen diverſo, ut ratione formarum quæ laminis ligneis inſculpuntur, & characterum qui apud Sinas propè infiniti) inventum, quo gloriatur hoc Seculum, & quo *tantum uno die, ab uno homine literarum imprimitur, quantum vix toto anno à pluribus ſcribi poſſet*, ut Polydorus Vergilius, de Rerum Invent. L. II. C. VII. Sive jam laus adſcribatur *Laurentio Johannis* Ædituo Harlemenſi, juxtà Hadrianum Junium, in *Bataviâ* ſuâ, & Belgas Chronographos, (quos inter Franciſcus le Petit, *Chronogr*. L. IV. p. 461. &c.) adjutore *Thomâ Pieterſen* genero ſuo; à quibus forte fortunâ characteres primò in cortice arborum expreſſi, dein in ligno, tum plumbo, ſtanno; invento dein atramento non fluido, quo tincti hi characteres, relinquerent ſui figuram in chartâ vel papyro expreſſam; quæ prima fuêre hujus Artis rudimenta: Sive, ut plerique, hæc laus Artis Impreſſoriæ tribuenda veniat *Johanni Gutenbergio* Argentinenſi, indè Moguntiam delato ubi primum prœlum fuerit; inventi propagatoribus, qui artem excoluerint, Argentinis quibuſdam civibus, Adolpho Martino Flacho, Sixto Rullinger, &c. Sive tandem adſcribendum hoc Typographicæ Artis εὕρημα *Johanni Fauſtio* Civi Moguntino, circà idem ferè tempus, Friderico III. imperante; qui tamen non tam inventor aliis, quàm Harlemenſis inventi, aliis Argentinenſis, excultor habitus eſt, an alieni raptor? Relatum eſt, ex teſtium fide Noribergæ in Publicâ Biblioth. reperiri Librum Spiræ impreſſum A. MCCCCXLVI. de *Prædeſtinatione*; annis pluribus antè primam editionem Moguntinam *Officialis Durandi*, Ann. MCCCCLIX. Certe Germani omnes, in *Germaniâ* primùm hanc Artem impreſſoriam natam eſſe conſentiunt; unde Philippus Beroaldus, referente Nauclero, *Gen*. XLIX. pag. 1071.

O Germania muneris repertrix,
Quo nihil utiliùs dedit vetuſtas,
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Vide quæ habet Hoſpinianus de Orig. Typographiarum, C. VII. *Originis Scholar*. ex Jacobo Wemphelingio, in *Epitome* Rerum German. C. LXV.

Res Saracen. & Judæor.

VIII. Nihil jam dicimus de *Saracenorum* rebus in Africâ, aut Hiſpaniâ. Certè ejectos tandem *Ferdinandi* Catholici Regnis, Mauros omnes, poſt occupatam Regni Sedem Granatam, A. MCCCCLXXXVI. Mauris inter ſe diviſis, adeóque poſt extirpatum *Granatenſe* Regnum, quod ultimum illis ſuperfuerat; pluribus Marmolius Africæ P. I. *Lib*. II. & Hiſpanicarum rerum Scriptores, vel Saracenicæ Hiſtoriæ. Nec mitiùs cum *Judæis* actum, erecto intrà Hiſpanias *Inquiſitionis* Tribunali, Sixto IV. Pontifice, à quo aut Chriſtum recipere (hinc diſtinguendi *novi Chriſtiani*, ex Judæis orti) vel exulare juſſi fuêre. Par ſors Mauris vel *Maranis*, & Judæis in Luſitaniæ partibus, Emanuële regnante. Niſi *Maranos* etiam Judæos vocaverint, ab expectato מרן *Maran*, ſeu Meſſiâ vel Domino. Statum porrò Judæorum hoc Seculo; odia inter *Carraïtas*, & *Rabbanitas*, illos Sadducæorum, hos Pharizæorum propagines; horum Synagogas, Scholas, Scriptores; pluribus refert, poſt Genebrardum, & alios, ex Chronicis Judæorum, ſpeciatim illo R. David Ganz, diligentiſſimus Hottingerus noſter, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XV. *Sectione* V. in quâ habes Hiſtoriam Judaicam, & quæ ad Gentem eam attinuêre. In Scriptoribus fuêre cumprimis, ut ſunt hodieque, celebres; Ex. gr. R. *Lipman Mulhuſinus*, Scriptor Libri נצחון ſuperbo Titulo, quaſi *Victoria* de Chriſtianis reportata, ad quem videndæ Obſervationes Theod. Hackſpanii; Dein *Moſes Gerundenſis*, qui adverſus Paulum Burgenſem ſcripſit; Hinc *Joſeph Albo*, R. *Schem-Tob*, R. *Jeſchua Levita*, &c. Poſtremus, Scriptor Libri הליכות עלם *Itinera Æterna* vel *Seculi*, id eſt, Clavis Talmudicæ, quam Verſione ſuâ pridem illuſtravit commendavitque Conſtant. l'Empereur, Vir Clariſſ. A. MDCXXXIV,

FINIS *Seculi Quinti Decimi.*

HISTO-

HISTORIÆ CHRISTIANÆ

SECULUM SEXTUM DECIMUM.

USQUE AD COEPTAM,

IN SAXONIA ET HELVETIA,

REFORMATIONEM.

Chronol. rationes.

INCIPIT Reformatæ Eccleſiæ Seculum cum Anno Æræ Vulg. MDI. *Imperatore* Occidentis *Maximiliano* I. ab Anno MCCCCXCIII. quo Fridericus III. fatis conceſſerat; Orientis Imperium obtinente *Bajazethe* II. filio Muhammedis II. à morte Patris, ſeu ab Anno MCCCCLXXXI. Papatum adhuc gerente *Alexandro* VI. ab Anno MCCCCXCII. de quo jam ad ſuperius Sec. *Ludovico* XII. in Galliis à Patris Caroli VIII. exceſſu, inde ab A. MCCCCXCVIII. regnante: *Henrico* VII. in Angliâ, regnum obtinente ab A. MCCCCLXXXV. qui è familiâ Lancaſtrienſi, ſed è longinquo, ortum traxit, cum Eboracenſi eodem anno conjunctâ, unitis ſic *Roſâ albâ* & *rubrâ*, Matrimonio cum Elizabethâ Eduardi IV. filiâ. In Hiſpaniâ feliciter, quoad ſtatum civilem, regnabat *Iſabella* Regni Caſtellæ hæres ab A. MCCCCLXVIII. Regina, quæ *Ferdinando* Infanti Aragoniæ nupſerat A. MCCCCLXIX. fœmina incomparabili prudentiâ & animi magnitudine; cui Hiſpania Mauros ejectos, & Novum Orbem detectum debuit: Luſitaniæ regnum adminiſtrante *Emmanuele*, ſub quo Braſilia primùm detecta, dùm in Indiam Orientalem Luſitana claſſis navigaret; ab Americo Veſpucio Florentino mox accuratiùs exploranda.

I. *Status Reip. & Eccleſiæ ineunte Seculo* XVI. *Hujus univerſalis Corruptio.*

Status Orientis luctuoſ.

I. NOn luctuoſior unquàm rerum Chriſtianarum facies apparuit, quàm vertente hoc Seculo. Si *Orientem* reſpicimus, *Bajazethes* Otomannicæ familiæ Chan Decimus, paterno Imperio novas etiam Ditiones adjecerat. Tenebantque Turcæ, (ex Leunclavio, & Chronographis) præter Anatoliam, & Orientis partes alias, etiam nobiliſſimas Inſulas Ægei Maris, Mytilene fruſtrà à Venetis obſeſsâ A. MD. Hinc Tatariam Cimmerienſem, Moream omnem, Epirum, Græciam, Mœſiam, Albaniam, Boſniam, Walachiam, Dalmatiæ partem; infeſti quotidiè ſuis irruptionibus, Moldavis, Ungaris, Venetis, Italis. Hinc & gemens ſub intolerabili jugo *Eccleſia* omnis *Græca*, Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjecta, & ipſe Patriarchatus deinceps pretio obtinendus. Quâ de re Hiſtoria Eccleſiaſt. Theodoſii Zygomalæ, cum Annotationibus Martini Cruſii, in Turco-Græciâ ad hæc tempora, *Lib.* II. Ne Patriarchatus reliquos dicam, aut Hæreſibus diſtractos, aut gravi jugo preſſos, ſub barbaro dominatu. A *Latiniſmo* tamen, ut loqui conſuevêre, ſeu ab Innovationibus Rom. Eccleſiæ, in Doctrinâ & Ritibus, alienis ſemper Græcis & Orientalibus; ut prolixè ſuprà ex Græcis Latiniſque Scriptoribus viſum.

II. In *Occidentem* ſi convertimus oculos, magni quidem Principes imperare Populis. In his *Maximilianus* I. Imperator, qui cum *Mariâ* Flandricâ ſiliâ unicâ & hærede Caroli Burgundi nupſerat, avus *Caroli* V. hujus ex *Philippo* patre Belgii Principe, & Johannâ Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ filiâ, nati Gandavi A. MD. ipſo die *biſſextili*: Princeps rei bellicæ peritiſſimus, clemens, benignus, laboris patiens, moriturus A. MDXIX. undè de Imperio certare Carolus ex Philippo nepos, & Franciſcus I. Galliarum Rex, de quo Hiſtorici. *Ludovicus* XII. Gallus bellicoſiſſimus Princeps, *Pater Populi* cognominatus; qui paulo antè Mediolanenſem Ducatum invaſerat, pulſo Ludovico Mauro, A. MCCCCXCIX. adjutus à Venetis; dein, Mediolanenſibus Ducem ſuum revocantibus A. MD. hunc rurſum ejecerat, conjectum in vincula, & perfidiæ pœnas perpetuo carcere luiturum, A. eodem. Idemque Ludovicus XII. Neapolitanum Regnum, quod paulo antè tenuerat Carolus VIII. pater, partitus eſt cum Ferdinando Aragonum Rege An. MDI. ita ut Hiſpano Apulia & Calabria, Gallo Neapolis cum reliquâ Regni parte, cederet. Quæ pluribus Guicciardinus *Hiſt.* L. V. exequitur. Ità felix Anglia ſub *Henrico* VII. ex Lancaſtriis orto, antè Richemondiæ Comite, Principe ad omnem laudem præclaris animi corporiſque dotibus, nato, Chriſtianis, bellicis, ac politicis cumprimis virtutibus inſtructo, pio, clemente, juſto, benefico, Literarum & Literatorum amantiſſimo, ſed theſaurizandi nimium avido, undè ſub vitæ extremum de *reſtitutione* ſollicitus fuit: Uti hæc uno ore referunt Anglicanæ Hiſtoriæ Scriptores, & in iis Polydorus Vergilius *Hiſt. Angl.* L. XXVI. Qui Henricus ad regnum pervenerat non tàm jure proprio, quàm Conjugis *Elizabethæ*, Eduardi IV. filiæ, quam in matrimonium duxerat, oppreſſis ſic Richardi partibus fratris Eduardi; & tandem odiis inter Domum Lancaſtriæ, cui favit Henricus VII. & Domum Eboracenſem ex quâ Elizabetha, æternum compoſitis; nativitate primùm, tum ſucceſſione *Henrici* VIII. utriuſque Filii, qui Patri in regnum ſucceſſit, A. MDIX. annum agens XVIII. *Henricus* autem VIII. excellenti quidem ingenio Princeps, & formâ corporis regno dignâ, qualicunque etiam Literarum, cumprimis Hiſtoriæ notitiâ, imbutus, varius tamen fuit, inſtabilis, ſævus, & flecti omninò neſcius, quod ejus omnia oſtendunt. Et qui primò Catholiciſmi (ut tunc cenſebatur) zelo, & ſtudio Eccleſiaſticos ſuos ſibi magis devinciendi, contrà Lutherum calamum ſtrinxerat, in defenſionem ſeptem Rom. Eccleſiæ Sacramentorum; miſſo ad Leonem X. Scripto, à quo donatus fuit titulo *Defenſoris Fidei*, A. MDXXIII: Tandem occaſione divortii à *Catharinâ* Aragoniâ, fratris Arthuri viduâ, diu ab Henrico quæſiti, cumprimis ab A. MDXXVII. ſed cui Romana Curia conſtanter interceſſit, ab hac ipſâ divortium quoque fecit Henricus, *Caput Eccleſiæ Anglicanæ* Parlia-

Status in Occidente.

liamenti decreto declaratus, A. MDXXXIV. Hinc Papæ poteſtate omni in Regno Anglicano abolitâ, ut & exactionibus Papalibus, denario Petri, Expeditionibus, Proviſionibus, Penſionibus, Bullis Romanæ Curiæ, &c. Quæ excepit *Monaſteriorum* utriuſque ſexûs, in quibus horrendi abuſus & corruptionum abominanda deprehenſa, Seculariſatio facta in manus Regis; primò ultroneâ reſignatione multorum Abbatum & Priorum, dein accedente decreto Parliamenti, Anno MDXXXVI. De quibus, & quæ ad Reformationem Eccleſiæ ſubſecuta fuêre, cumprimis à morte Henrici, A. ineunte MDXLVII. ex profeſſo Reverendiſſimus idemque eruditione atque humanitate Illuſtriſſimus Burnetus, notâ Hiſtoriâ Reformat. Anglicanæ.

Ex oppoſito *Ferdinandus* & *Iſabella* Hiſpaniarum Principes, Mauros Granatenſi Regno & Hiſpaniis nuper expulerant, Anno MD. Paulo antè introductâ in Hiſpanias ſævâ Inquiſitione, miniſterio Petri de Mendozâ Cardinalis Hiſpaniæ, auctoritate Sixti IV. Pontif. A. MCCCCLXXVIII. Inquiſitore primo Thomâ de Turrecrematâ, ex Ordine Dominicanorum. Cæterùm magnis acceſſionibus locupletandâ Hiſpaniâ, detectione Novi Orbis, quando Canariæ Inſulæ, Guadalupia, Hiſpaniola, Inſulæ aliæ, tandem pars Continentis Americæ, acceſſerunt ad ditiones Hiſpanorum Regum. Nec diu poſteà ceſſurum fuit, armis an dolo Ferdinandi Regis, Præfecto Gonzaleſio, regnum totum Neapolitanum, Gallis indè profligatis A. MDIII. De quo ex profeſſo Guicciardinus Bell. Italiæ *Lib.* VI. & Hiſpanicarum rerum ſcriptores. Ne jam *Emanuëlem* Luſitaniæ Regem dicam, ab Anno MCCCCXCV. quo Johannes II. obiit, cujus tempora *Auream ætatem* dixêre Luſitani; navigationis Luſitanicæ beneficio protenſuri dominationis fines in Guineam, Æthiopiam, Arabiam, Perſiam, Indias Orientales, quarum Ditionum & *Titulos* Emanuël aſſumſit. Interim ſpectabant omnia ad graviſſima bella, cumprimis *Italica*, Julio II. bellicoſo Pontifice, indè ab A. MDIII. qui hinc *Julii* nomen aſſumpſit, alluſione ad fortitudinem bellicam Julii Cæſaris. Et quidem funeſta hæc futura Mediolanenſibus, Venetis, Genuenſibus, Calabris, Florentinis, ipſi tandem Gallo Ludovico XII. poſt nova in hunc ipſum *Fœdera*; ut ex Guicciardino, & ex Annalibus conſtat.

Tradition. Rom. Eccl. in Doctrinâ. III. Quod verò omnium luctuoſiſſimum fuit, inebriati tùm Reges & Principes Terræ, omneſque in Occidente Populi, *vino Scortationum* magnæ Meretricis. Converſa tùm erat Romana *Babylon* in ſedem *immundorum ſpirituum*, omniſque impietatis. Nihil in toto Corpore ſani, à *plantâ pedum ad Capitis verticem*, conqueſto nuper Savonarolâ. Si *Doctrinam* reſpicimus, nihil penè traditum præter Scholaſticorum nugas, præſtigias, Traditionum Apocrypha, Monachorum κυρίας δόξας, Omnipotentiam Pontificiam, abſolutum in Spiritualia Imperium, Indulgentias Papales, Miſſarum virtutem, Purgatorii pœnas, Mariæ & Sanctorum præſidia, Eccleſiæ Infallibilitatem, Operum merita, Confeſſionum in aurem Sacerdotis & Abſolutionum ſolatia, Reliquiarum, Peregrinationum, Confraternitatum, Votorum Monachalium, & alia id genus adminicula: De quibus abundè ſuprà.

In Cultu. Si *Cultum* requiris, totus fuit in adoratione Hoſtiæ; Miſſificationibus; Viſitationibus Eccleſiarum; Feſtorum Marianorum, aliorumque ejus commatis, obſervantiâ; Confeſſione Auriculari; perfugio præcipuè ad B. Virginem, ad Angelos, Sanctos, Divas, Imagines, Reliquias, Crucifixi ſpeciem, Miſſarum ſubſidia, Votorum atque Oblationum inania, recitationes Horarum, demurmurationes Roſarii, Monachorum merita, ſuffragia, & ſexcenta id genus, ex ſuperioribus intellecta.

Si *Regimen*, *Diſciplinam*, deſideras, cognoſces In Diſcipl. vel ex *Alexandri* VI. tùm Pontificis, & Cæſaris Borgiæ nothi execrandâ imagine, publicâ Simoniâ, crudelitate, ſuperbiâ, luxurie, rapacitate, tyrannide, & ubique perfidâ mente: Tùm ex Cleri totius ſtabilito pridem in conſcientias, etiam Regum ac Principum illas, dominatu; ſpeciatim ex Inquiſitionis dirâ carnificinâ, nuper in Hiſpanias invectâ, auctoritate Sixti IV. An. MCCCCLXXVIII. eâdemque jam antè in Aragoniæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæque partibus, ſæviente: Adde ex Monachorum novis indies Regularum ac Superſtitionum commentis, ut viſum ad Secul. XV. *Cap.* XII. Tandem ex craſsâ, in omni propemodùm Clero, ignorantiâ Scripturarum, Linguarum, Antiquitatis, meliorumque Diſciplinarum, pauciſſimis exceptis.

Si denique ad *Mores* attendis, æſtimare hos liceat ex illis Romanæ Curiæ, in ſpecie Alexandri Borgiæ, mox Julii II. Leonis X. Pontificum, tùm ex luxu Nepotum, Cardinalium, Epiſcoporum, ac fœdâ corruptione Eccleſiæ univerſæ. Dùm Romæ venalia eſſent omnia, *omnia Romæ cum pretio*, faſſo hoc tempore, inter alios, Mantuano; & dùm nihil non permitteret Lex impura *Cœlibatûs*, nullo abominationibus modo, præcipuè etiam intrà Clauſtra & Cœnobia; inſcitiæ, deſidiæ, improborum affectuum, atque impuritatum, pridem conqueſto *Bernardo col.* 1622. domicilia. Nec Teſtibus opus, ubi diſſentit (opinor) nemo. Sed Teſtium plus ſatis ad ſuperiora Secula produximus. Mores Papar. Cleri, &c.

II. *Conſpectus Romanor. Pontificum, inchoato hoc Seculo: Undè Reformationis neceſſitas rurſùm intellecta.*

I. Sedebat Romæ Pontifex Rodericus Borgia, nomine *Alexandri* VI. cujus fœdam imaginem exhibuit Seculum prius, *Lemmate* III. Jamque hoc Seculo inchoato, totus in eo fuit Alexander, ut Cæſari Borgiæ filio, *ſummâ cum omnium injuriâ pararet maximi Imperii facultates*; ejuſque Regium luxum, conſcribendos Exercitus, Italicas invaſiones, occupandas vi Provincias, Urbes, Principatus, Regna, ubique *truculentiſſimam tyrannidem*, ac *ſævitiæ rabiem* (ſic ipſe Onuphrius) adjuvaret. Quibus quum Pontificium Ærarium haud ſufficeret, nec nova Collegia inſtituta, ac munia ſingula divendita, Marani Hiſpaniis ejecti Romæ magnis vectigalibus ſuſcepti ſunt, ità Cardinales pretio creati, &c. Tandem *immani ingenio ſævus* Alexander, *opulentiſſimum quemque in Aulâ Sacerdotem, & in his aliquot Cardinales, cæteris ditiores, veneno tollendos conſtituit*, eorum ut opes in Fiſcum redigerentur. Haud dubiè in plures ſæviturus, *divitiis inſignes, ſpe hæreditatis, niſi mirabili Dei providentiâ, homo ad Italiæ exitium natus, fatali Pincernæ errore, ſibi mortem, ſupremam verò Cæſari filio calamitatem, peperiſſet*. Hæc Onuphrius, apud quem vide reliqua de morte nefarii Pontificis, quam aliis intentaverat, XV. *Kal. Septembr.* Anno MDIII. Et hujus *vita prodigioſa*, ſic Scriptor Sorbonicus integerrimus, *Hiſt. Concil.* L. IV. Parte I. C. II. ac *ſpurciſſima, iterum Chriſtianas Nationes excitavit, ad petendam Eccleſiæ Reformat. in Capite & Membris*. Alexandri VI. noviſſima.

Pius III. II. Nihil dicimus de *Pio* III. *Pii* II. Nepote, morituro XXVII. die à Pontificatu, vel XXX. ut Volaterranus. *Nec abſque ſuſpicione veneni*, ut Onuphrius, nempè dum *inſtaurare Chriſtianam diſciplinam*, id eſt, dùm *Eccleſiam reformare*, cogitaret. Hinc de Concilio Oecumenico convocando, celebrandoque intrà *biennium*, Decretum factum in ſolemni hujus *Pii* Conſiſtorio; à prudentiâ, gravitate, atque innocentiâ

nocentiâ morum, cumprimis deprædicandi, de quo Panvinius, & cæteri. Idem fermè fatum hoc Seculo fuit, æquè ac Reformandi inſtitutum, *Hadriani* VI. à quo neglecti ac ſepoſiti Cardinales qui ſub Leone X. plurimùm valuerant; & qui *ſpondebat adhac* (ſunt verba Onuphrii in Hadr. VI. p. 347.) *ubi primùm ſedatis bellorum turbis poſſet, indicere Concilium univerſale, ut quicquid Romæ, quicquid alibi, apud Epiſcopos, Abbates, & univerſum denique Orbem Eccleſiaſticum, collapſum eſſet, in priſtinum gradum reſtitueretur, ne quid hac parte poſſent obtendere, quo minùs monitis ſuis morem gererent.* Et in Inſtructione datâ Franciſco Cheregato, ad Dietam Noribergenſem; A. MDXXII. apud Orthuinum Gratium, *fol.* CLXXIII. *Quâ in re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primùm hæc Curia, undè fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur; ut ſicut indè corruptio in omnes inferiores emanavit, ità etiam ab eâdem ſanitas & Reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctiùs obligatos reputamus, quod univerſum mundum hujuſmodi Reformationem avidiùs deſiderare videmus.* Et quæ in hanc rem ibi plura. Ut magis ingenui, & in iis Onuphrius, ſuſpicati ſint eum Pontificem *veneno ſublatum*, quod facies ejus, ſtatim ab obitu, adeò *deformata* appareret, *ut Hadriani eſſe vix agnoſceretur.* Idem ferè de *Marcello* II. dicendum, qui poſt Julium III. ſedit, ab A. MDLV. de quo Onuphrius habet Virgilianum illud carmen,

> *Oſtendunt terris hunc tantùm Fata, nec ultrà*
> *Eſſe ſinent.*

Julius II. Character hujus Papæ.

III. Dicendus verò *Julius* II. antè Julianus Roverius Sixti IV. Nepos, evehendus ex Naviculario Patre, ad faſtigium Papatûs, mox à juſtis Pio ſolutis, eodem Anno MDIII. Sed prævio tamen juramento, exacto à Cardinalibus, *ſub pœnâ perjurii & anathematis*, à quo nec abſolvere ſe ipſum, nec alteri abſolutionem committere valeret futurus Pontifex. V. gr. *de Bello* nulli Principum inferendo, aut *ligâ cum eis faciendâ*; ſic nullis gravioribus decernendis, *ſignanter in electione Cardinalium, in proceſſu faciendo contrà eos, in conſtitutione Legatorum à Latere, in ligâ, pace & bello extrà terras Eccleſiæ*, &c. in *generali impoſitione Decimarum*, &c. abſque *voto majoris partis Cardinalium, & ſuffragiis datis per ballotas albas & nigras*: Ità de Generali *Concilio intrà biennium à creatione ſuâ indicendo, in loco tuto, libero*: Ità de *Eccleſiæ Reformatione* promovendâ, multiſque *exactionibus* moderandis, ac Sacrâ Expeditione contrà *Turcas* promovendâ. Forma verò juramenti, præſtandi antè publicationem electionis ſuæ, fuit: *Ego N. electus in ſummum Pontificem, promiſſa omnia & ſingula promitto, voveo, & juro obſervare, adimplere, in omnibus & per omnia, purè & ſimpliciter & bona fide, realiter &* CUM EFFECTU PERJURII ET ANATHEMATIS. *A quibus nec me ipſum abſolvam*, &c. Sed exemplo futurus hic Pontifex, quid non mortalia pectora cogat ambitio immodica, & cupido Papatûs; dùm omnibus futurus mox ab Electione, ipſo *αὐτοκαζέχείτω*, *perjurus, perturbator & ſcandalizator Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis*; quod & agnovit Concilium Piſanum A. MDXI. hoc nomine congregatum; & docent *Acta* vulgata in Conciliorum Generalium Hiſtoria, ab Edm. Richerio *Lib.* IV. C. III. Hinc Julii iſtud *ſacramentum*, adeóque deteſtabilem perfidiam, de induſtriâ diſſimulârunt, in Vitâ hujus Pontificis, Onuphrius, Ciaconius; & Collectores Conciliorum.

Nempè hic Julius eſt, *Laniſta, Cleri Magiſter ſanguinarius, effractis divini timoris repagulis, feras Nationes* (Helvetios) *in Dei populum immittens*, &c. ipſi Guil. Budæo Libro de *Aſſe*; Et uno omnium ore totus *Simoniacus, turbulentus, immanis, turbo, procella, Bellonæ Sacerdos, Pacis neſcius, monſtrum Hominis*, nedùm Pontificis, etiam averſæ libidinis, & ebrietatis, aliiſque id genus criminibus alligatus, teſtibus præter Budæum Onuphrio in Julio II. Hottomanno in Bruto Fulmine; ut Car. Molinæum, Fr. Duarenum, & reliquos mittam. Qui deindè *Claves Petri* in Tiberim projecit, ac *Pauli gladio* ſe accinxit, *pacis impatiens*, ut Gallus etiam nuperus: Undè Gilbertus Dacherius, in Eclogâ ſuâ;

> *In Gallum, ut fama eſt, bellum geſturus acerbum,*
> *Armatam educit Julius Urbe manum,*
> *Accinctus gladio, claves in Tiberis amnem*
> *Projicit, & ſævus talia verba facit:*
> *Quum* Petri *nihil efficiant ad prælia Claves,*
> *Auxilio* Pauli *forſitan Enſis erit.*

Adde carmen non unum, de illâ projectione Clavium, Phil. Melanchtonis, Huldr. Hutteni, & aliorum. Videlicet, firmato Julii Pontificatu, non aliud illi conſilium fuit, quàm miſcendi *bellis* omnia. Hinc adjutus armis & præſidio Ludovici, Bentivoglium Bononienſem exuit Ditionibus; Bononiam, Peruſiam, & loca alia ſubigit; ac *Veneti nominis excidium*, percuſſo cum Gallo, Hiſpano, Maximiliano Cæſare, aliiſque Italiæ Principibus, Fœdere molitur. Quo factum ut Veneti, tot Terrarum antè Domini, intrà Paludes ſuas, ipſaſque Venetias, reliquis omnibus amiſſis, Arimino, Ravennâ, Cerviâ, &c. cæteriſque Oppidis, & Caſtris quæ antè invaſerant, coërcerentur. Mox Julius, *Venetis* in amicitiam receptis, quos antè interdicto ſubjecerat, totus ſe convertit in Gallum, & vaniſſimis obtentibus in *Ludovicum* XII. arma movit, cum quo nunquam conciliari deinceps potuit. *Cauſa* inimicitiarum, in ſpeciem quidem fuêre, quod Ludovicus honorarium Romanæ Eccleſiæ vectigal non repræſentaſſet; quod Fœdus cum Ferdinando Hiſp. Rege, abſque conſenſu Papæ, pepigiſſet; quod *Alphonſum* Ferrarienſem patrocinio ſuo fovisset, &c. & quæ id genus precariæ aliæ. Vera Cauſa fuit potentia Galli, à quo ſibi metuebat, territus exemplo Caroli VIII. Neapolitanum Regnum invadentis; hinc movendum Ludovicum protectione Genuenſi, Mediolanenſi Ducatu, & Italiâ totâ, decreverat Julius; *Helvetiis, Venetis, Hiſpanis*, in partes harum molitionum ſolitis artibus excitatis. Cujus antè Ludovici non modò armis jutus fuerat, ſed & patrocinio uſus, in exilio ſuo, contrà Alexandri VI. quam fugiebat tyrannidem. Nec ullis moveri potuit hic Pontifex Ludovici oblatis, vel Concordiæ ineundæ Mediis, repudiatâ etiam Maximiliani Imperat. interventione, ac pacificatione per Oratores miſſâ. Hinc dirum anathema in Regem promulgatum Junio menſe, A. MDXII. poſt in omnes qui non illicò arma deponerent, in favorem Galli arrepta, quocunque cum eo Fœdere inito; magis qui in Pontificem, aut aliquem ex ejus Fœderatis, arma converterent, emiſſo Diplomate ſequente Julio ejuſdem A. MDXII. Imò invadere in Temporalia Regis, intrà Galliam ipſam, v. gr. tranſlatis celebribus nundinis, quæ *Lugduni* celebrarentur, in *Genevatum* urbem, ex decreto Conc. Lateranenſis *Seſſione* III. Ità *Navarræ* Regnum, quod Johannes Albrettus tenuit, propinquus Ludovici, prædæ Ferdinandi Catholici expoſuit, eo Decreto cujus Hiſpaniæ Hiſtorici, Mariana *Lib.* XXX. Zurita *Lib.* X. & reliqui meminerunt. Quin tandem, teſte ipſo Carolo Molinæo, Diploma *pleniſſimæ remiſſionis* conceſſit *omnibus qui Francum occurrentem interficerent.* Nec ullum deinceps oblatæ à Gallo paci ac concordiæ locum eſſe voluit, immitis ac turbulenti animi Pontifex. Donec tandem Concilio *Piſano* indicto, A. MDXI. ſententia ſuſpenſionis in eum ferretur, de quo ſtatim. Sed Concilium aliud *Lateranenſe* Julius oppoſuit, moriturus tandem A. MDXIII. quum gra-

graviora in Ludovicum moliretur. Cæterùm de hoc inter Julium II. & Ludovicum XII. bello, & Antichriſtianâ Julii invaſione in *Temporalia Regum*, Galli, Navarreni, &c. prolixè Guicciardinus, *Lib.* IX. X. XI. & Francicæ Hiſtoriæ, ac Navarrenæ, Scriptores. Notus hinc Nummus, percuſſus à Ludovico XII. *Perdam Babylonis Nomen*, qui in multorum adhuc Gazis eſt, aureus & argenteus. Et potuiſſet *perdere* Ludovicus, ſed temperavit reverentiâ Romanæ Sedis, nec inficiato Guicciardino; Trivultio Duci Exercitus mandans, ut ſi quæ occupaſſet Loca Ditionis Pontificiæ, eadem reſtitueret, & Exercitum in Mediolanenſium fines reduceret. Mittimus Antichriſtiana facta alia hujus Pontificis, & Bullas in favorem Monachorum Mendicantium, & variarum Congregationum, quæ recens inſtitutæ fuerant, de quibus ad *Sec.* XV. C. XII. An pœnitentiâ ductus fuerit antè obitum, ut refert Arnold. Ferronus Continuator Hiſtor. Pauli Æmilii, in *Ludov.* XII. dolens quod unquàm *Inſulas Pontificatûs adeptus eſſet*, ſuo loco relinquimus.

Leo X. antè Cardin. Mediceus.

IV. Tandem Julio ſuffectus A. MDXIII. Johannes Card. Mediceus, magno Laurentio Mediceo natus; quum proximo antè anno Legatus ipſe Pontificius, in prælio Ravennatenſi, quo tempore Bononiam obſideret Liga Pontificia, à Gaſtono Fuxo Copiarum Gallicarum præfecto captus fuiſſet, in Gallias trans Alpes ducendus, niſi arte quadem periculum imminens evaſiſſet, ſuorum ope. Hinc Florentiam ovans ingreſſurus, dein Romam properaturus audita morte *Julii* II. Ubi intrà paucos dies, juniorum Cardinalium factione prævalente, & opinione non diu ſuperfuturum fœdo ulceri Cardinalem Mediceum, electus fuit V. Idus Mart. aſſumpto nomine *Leonis* X. Et quidem, ut Hiſtoria Arcana Domûs Mediceæ *Lib.* VI. ex recordatione inſomnii materni, quæ *grandem* ſe *Leonem* peperiſſe prægnans ſibi in ſomno viſa. Idem in Purpuratorum ordinem jam à pueritiâ, & anno ætatis XIII. receptus. Atque hujus vitam, indolem, ac veriſſimam imaginem, tutiſſimè, non tàm ex Onuphrio, quàm ex Hiſtoria *Mediceâ*, ex *Paulo Jovio*, ex *Franc. Guicciardino*, imprimis ex Frà *Paolo*, in Hiſt. Concilii Tridentini, requiras: Quin noviſſimè ex ipſo *Varillaſio*, Hiſt. Florentinæ *Libro* VI. in quo Leonis habes eam προσωπογραφίαν, quæ non *Eccleſiæ*, ſed Sybaritarum vel Epicureorum omnium *Caput*, legentibus ſiſtit. Unum ſanè in Leone laudabile, amor impenſus literarum, & ingeniorum; ipſe ſagaciſſimus æſtimator. Paulus Servita, Hiſt. Conc. Trid. L. I. ferè ſub initium: *Hic locuplete bonarum artium cumulo Pontificatum nobilitavit. In his erant Literarum humaniorum accurata cognitio, probitas, & morum ſuavitas admirabilis, affabilitas incredibilis, cum ſummâ liberalitate, & propenſione ad viros probos literatoſque demerendos, conjuncta.* Sed addunt uno ore Hiſtorici, duo in ipſo defuiſſe, quæ cumprimis in Pontifice, & Chriſti Vicario, deſiderata; qualia fuêre, 1. *Religionis* & *Sacrorum* cognitio, quorum ignorantiſſimus fuit, & quam neglexiſſe vel contempſiſſe ſemper viſus eſt: 2. Ad *pietatis* ſtudia, & quæ *Chriſtianum* hominem decent, major quam unquam in ipſo fuit, propenſio. Cui aliquando expreſſum iſtud fuiſſe dicitur, *Quàm lucroſa nobis eſt fabula Chriſti.* Cætera, ſignatis à Machiavello perfidiæ fraudumque viis, gradum ſibi facturus ad ſummos honores. Iturus fuit *Leo* per veſtigia Julii II. vel ex Concilio *Lateranenſi*, quod Julius cœperat, A. MDXII. à ſe perficiendo; & ex Leonis adverſùs *Ludovicum* XII. & *Gallos* ſtudiis, in quos Helvetium militem, novumque bellum, excitavit. Idem armorum juxtà & nummorum ſuprà modum avidus; voluptatibus, ludis, jocis, amoribus, venationibus, Sybariticis conviviis, ac verè *Pontificialibus cœnis*, unicè deditus; luxu ac ſplendore etiam Attalos, Lucullos, poſt ſe relinquens, ſtatim in ipſo *Coronationis* actu; cæterùm liberalis imò effuſè in ſuos prodigus, ac quotidie auri loculos largitionibus evacuans.

Concordata inita cum Franciſco I.

V. Maximè hoc memorabile eſt, in Vitâ Leonis, quod adeò inhiavit abſolutæ Monarchiæ Pontificiæ, ut nullis non artibus, & illuſoriis pollicitationibus, ac ſuaſu Ludovicæ Sabaudæ Franciſci Matris, & Cancellarii du Prat, extorſerit à Franciſco I. Galliarum Rege, abolitionem *Pragmaticæ Sanctionis*: In cujus locum ſucceſſerunt *Concordata* quæ vocant, ſeu Concordia inter Leonem, & Franciſcum I. confirmanda in Concilio Lateranenſi, A. MDXVI. *Seſſ.* XI. quando lecta & publicata fuit Bulla Pontificis pro abrogatione Pragmaticæ, & inſtitutione Concordatorum, *Concil.* Tomo XIV. *col.* 291. &c. Præcipuum caput fuit, *Nominatio* ad Prælaturas, ſive *Jus Electionis Epiſcoporum* & Abbatum, ademptum Eccleſiis Cathedralibus & Conventualibus, quæ eo jure antiquo gaviſæ fuerant, idque tranſlatum in Regem; ea tamen lege, ut toties *Annata* (de quibus anteà) Pontificibus perſolverentur, novo & auctiore cenſu. Atque ità Papæ, cujus poteſtas merè *Spiritualis* eſt, eâ tranſactione ceſſit utilitas Temporalis, & quidem maxima, augmentum cenſûs Pontificii, eo tempore quo unicè iſti inhiaret Leo; & Regi Franciſco, cujus poteſtas *Temporalis* eſſet, ceſſit collatio Spiritualium, nempè nominatio ad Epiſcopatus, Abbatias. Sed Concordatis hiſce, ſeu Concordiæ inter Franciſcum & Leonem initæ, tota Gallicana Eccleſia reclamavit, Univerſitates, Parlamenta, Clerus univerſus; nec ea in *Acta* relata ſunt, niſi ex *Ordinatione & Præcepto Regis, iteratis vicibus facto*, die XXII. Martii, A. MDXVII. ut paſſi magis ſint hanc promulgationem Galli, vi ac metu compulſi, appellaturi à Concilio Lateranenſi, quo facta ea Pragmaticæ abolitio, ad futurum Concilium. Vide Relationem eorum quæ in Promulgatione Concordatorum in Galliis geſta ſunt, Annis MDXVI. MDXVII. Tomo II. Commentariorum Cleri Gallicani, *Tit.* VII. Ubi inter cætera; *Si qua Concordatorum recitatio aut publicatio fieret in Senatu, id neque ſuffragiis, neque voluntate, neque conſenſu aut decreto Patrum, ſed ſolo Regis imperio & violentiâ, paulo antè explicitâ, committi.* Iterùm, *Quia Senatus pro rato & comperto habet, congregationem quam Lateranenſe Concilium vocitant, omni ope ac ſtudio moliri, quâ Sanctionem Pragmaticam, & Decreta in eâ contenta exauctoret; Certumque eſt Cognitorem Regium, ſtatim atque iſta Sanctionis Pragmaticæ abrogatio illi innotuit, tum ſuo, tum Senatus, & omnium Gallorum nomine, de illâ antiquatione ad Concilium provocaſſe; Idem Senatus ampliùs inhærendo dictæ Appellationi, & in eâ conſtanter perſeverando, iterum provocavit*, &c. Formam Appellationis Academiæ Pariſienſis, Ann. MDXVII. Martii XXVII. vide apud Bochellum, in *Decretis* Eccleſiæ Gallicanæ, *Lib.* VIII. *Tit.* XXV. C. VIII. *pag.* 1249. ubi inter cætera: *Sed quoniam is qui vices Dei in terris gerit, quem Papam dicimus, quamvis immediatè poteſtatem à Deo habeat, per hanc poteſtatem non impeccabilis efficitur, nec poteſtatem peccandi accepit. . . . . Quod, auxiliante Domino, hactenùs prohibitum extitit, donec advenit Leo Papa decimus, qui Romanis plus debito favens, in quodam Cœtu, in Romanâ Civitate quæ contrà nos eſt, neſcimus qualiter*, NB. *non tamen in Spiritu Domini, congregato, ... præmiſſa tum ſaluſifera ſtatuta abroganda eſſe, neſcimus quo fretus conſilio, cenſuit; & contrà Fidem Catholicam, & auctoritatem ſacrorum generalium Conciliorum veniendo, ſacrum Baſileenſe Concilium damnavit: In quo inter cætera judicatum fuit, Glorioſam Virginem Mariam ſine peccato Originali fuiſſe conceptam; nec de illo* Capite *Eccleſia aliam habet deciſionem. Quædam alia Statuta pro lubitu voluntatis condendo, in perniciem Regni, & Delphinatûs*, &c. *Canonicas electiones, quibus ſanctè & ſalu-*

lubriter Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſteriis, & aliis Collegiatis Eccleſiis ejuſdem Regni, & Delphinatus, providebatur, deſtruxit, &c. *Quibus noviter editis Statutis jam dictus Dominus Leo Papa Sereniſſimum principem noſtrum Franciſcum Regem modernum, in partibus Italicis* (Bononiæ) *agentem, in maximo ſtrepitu armorum, conſenſum præbere quorundam ſuaſu coegit*, nempe Reginæ Matris, & Cancellarii à Prato. Hinc *Rector & Univerſitas, nos gravatos, læſoſque & oppreſſos eſſe ſentientes, ... ad futurum Concilium legitimè ac in loco tuto, & quem liberè & cum ſecuritate adire poterimus, provocavimus, & appellavimus, prout in his Scriptis provocamus & appellamus*, &c. Undè Genebrardus, *Lib.* IV. Chronol. ad A. MDXVII. vocat hæc Concordata Franciſci & Leonis, *Myſterium Iniquitatis, quo perditam Eccleſiam Gallicanam cernimus*: Sed in eo fallitur, excuſando Pontifici; *Leonem à Franciſco* I. *circumventum, ut abrogationi Pragmaticæ aſſentiretur*; imò veriùs Franciſcus I. à Leone X. circumventus fuit. Hinc quum prævideret Leo X. hanc abrogationem Pragmaticæ, ſubſtitutis novis Concordatis, haud receptum iri à Gallis, tam Laicis, quàm Clericis; *Franciſco Regi Galliarum in virtute ſanctæ Obedientiæ, mandat, quatenùs per ſe, vel alium ſeu alios in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutos, præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit, publicari, & inviolabiliter obſervari faciet, per Cenſuras Eccleſiaſticas, & Pecuniarias Pœnas*, &c. Quibus verbis Leo in Regem Franciſcum contulit *Apoſtolicam* auctoritatem, *excommunicandi* etiam Eccleſiaſticos, & quoſcunque alios, etiam imponendi *Pœnas Pecuniarias*, quaſi ad has ſe poteſtas Eccleſiaſtica, qualis in Papis de jure eſt, extenderet. Atque non ceſſarunt Galli, fautores Eccleſiaſticæ libertatis, optare reſtitutionem Pragmaticæ Sanctionis, etiam ſub Henrico III. & IV. Donec ſenſim aſſueti juri Concordatorum, ac ſpe certâ illecti, Reges non niſi dignos Eccleſiis & Monaſteriis Epiſcopos & Abbates præfecturos, ſervire didicerint tempori; præcipuè ſub Ludovico XIV. pro cujus, vel Gnathonum, favore aut gratiâ, aut etiam offenſione vel odio, quicquid totâ Galliâ Prælaturarum eſt, & Beneficiorum, procul ſæpè intuitu doctrinæ, pietatis, meriti, concedi vel etiam negari conſuevit.

Alia Leonis X. Undè nata Reformatio.

VI. Mittimus Leonis X. alia plurima, quæ parum ad Eccleſiæ hiſtoriam faciunt. Cumprimis id ſibi negotii datum eſſe credidit, ut Acta Concilii *Piſani* reſcinderet, *Lateranenſe* Concilium, de quo poſteà, à Julio inchoatum, continuaret; ad Sacram *Expeditionem* ſive Bellum Sacrum, Reges & Principes, hinc ad Fœdus mutuum, per Legatos incitaret; *Æthiopas, Ruthenos*, ac *Bohemos* ſeu Huſſiticæ Hæreſi addictos, ad fidem & obedientiam Romanæ Eccleſiæ, induceret; & *illos* quidem miſſâ ad Regem Abeſſinorum *Davidem* legatione, *iſtos* per Johannem de Caſtro, Archiepiſcopum Gneſnenſem, quocum de his conſilia agitavit; *hos* verò vi & armis reducendos ad communionem Romanæ Eccleſiæ. Ità Franciſcum Mariam Roverium, Julii II. Nepotem, Ducem Urbinatum, variis obtentibus *Urbini* Ducatu, Piſauri & Senogalliæ Dominiis, exuit, ut illa transferret in Laurentium Mediceum, ex fratre nepotem, ut pluribus Guicciardinus *Lib.* XII. Hiſtor. Ità Carolo V. Imperatori permiſit *Neapolitanum* Regnum, ſimul cum *Imperio* poſſidendum, quamvis antè obſtrictum juramento de iis non combinandis, quum Neapolitani Regni inveſtituram acciperet: Denique, ut alia ſilentio præteream, in vulgus nota, huic Leoni X. adſcribitur immodica illa *Indulgentiarum* nundinatio, quâ impiè uſus eſt in rem ſuam, & in fraudem Populorum; cumprimis Germanicæ Nationis, cujus pietatem convertit per Emiſſarios & Propolas, quibus earum Indulgentiarum collectio commiſſa, in ludibrium Gentis, Religionis opprobrium, Sororiſque ſuæ *Magdalenæ*, tum *Alberti* Moguntini, propria commoda. Et hinc *Lutheri* ac Saxonum, tùm & *Zwinglii* in Helvetiis, pro reformandâ Eccleſiâ molimina; Deo tandem ex Tartareis tenebris admirandam Veritatis lucem, & ex malorum illo barathro, cui immerſa Eccleſia omnis videbatur, ſalutem tot Populorum eliciturus. Quâ de re infrà.

Pontifices poſt Leonem X. quales?

VI. Qui deinceps, à morte Leonis X. quæ accidit A. MDXXI. rexerint Romanam Eccleſ. Pontifices, id eſt, nihilo emendatiores prioribus (ſi tamen *Adrianum* VI. excipimus, & *Marcellum* II. breviſſimi ævi Pontifices, de quibus dictum modò fuit) dicere non hujus loci eſt, in quo promotæ Reformationis tempora non attingimus. Qualis nempè fuerit *Clemens* VII. antè Julius Mediceus, Leonis X. patruelis, electus Anno MDXXIII. Pontifex *avarus, ambiguâ fide*, pleriſque *odioſus*, falſo Spondano ad A. MDXXXIV. qui, fœdere cum Gallo inito, concitaturus in ſe fuit *Carolum* V. uſque ad direptionem Urbis Romæ, & captivationem Pontificis; Ut is etiam ſe oppoſuerit naſcenti *Lutheraniſmo*, miſſo in Germaniam Cardinali Campegio, qui Legatus poſteà in Angliam nominatus eſt, occaſione diſſidii inter Henricum VIII. & Catharinam, referre ſuperſedemus. Qualis item *Paulus* III. antè Alexander Farneſius, Clementi ſuffectus Anno MDXXXIV. labente; idemque alter Nero habitus, Sororis ac Filiæ contaminator, Matris interemptor; Henricum VIII. privaturus ſcilicet Regno, ſententiâ latâ; Inquiſitionis negotium, ſex Cardinalibus ad id inſtitutis, ſtrenuè promoturus; Familiam Farneſianam evecturus ad Parmenſem & Placentinum Ducatum, avulſos à reliquis Ditionibus Eccleſiaſticis; parùm delaturus Concilio de emendandis ac reformandis abuſibus Romanæ Curiæ, in ſcripto illi Romæ exhibito A. MDXXXVIII. Quanvis hoc Pontifice Concilium primò *Mantuæ*, dein Mantuano Duce repugnante, *Tridenti* convocatum ſit, emiſſo Diplomate jam A. MDXLII. Continuandum ſub *Julio* III. A. MDLI. perficiendum ſub *Pio* IV. A. MDLXIII. Solis in eo *Legatis Apoſtolicis* agenda ac decernenda præſcripturis: Ut docent præter Hiſtoriam Petri Suavi Polani, & illam Gentileti, Acta nupera ex Schedis *Vargaſianis* publicata à Viro longè Eximio Mich. Le Vaſſeur, qui nuper è Babylone Gallicanâ recepit ſe in portum Anglicanæ ſecuritatis. Nihil jam dicimus de *Paulo* IV. antè Joh. Petro Caraffa, ſuperbo ſimul & ſævo Pontifice, à quo ſeverum Tribunal Inquiſitionis Romæ erectum; Anglicana perſecutio, Philippo & Mariâ Regibus, promota; rerum ſumma indignis Nepotibus permiſſa, quibus demùm pulſis *notari* debuiſſe *annos Pontificatûs*, ipſe Palavicinus obſervat. Undè in ejus memoriam ſtatim à morte ſævitum Romæ fuit, in ejus Imagines, Statuas, Nepotes, ipſo *Pio* IV. in *Caraffas* capitis ſupplicio animadvertente. Sed hæc ad recentiorem Hiſtoriam ſpectant.

III. *Concilia duo adverſa, in Oecumenicis habita, proximè antè cœptam Reformationem: Eorum brevis hiſtoria; Reformationis neceſſitatem oſtenſura. De Tridentinâ Synodo, quæ excepit, notabiliora quædam.*

Gradus ad Concil. Piſanum.

I. Conciliorum Generalium indictionem, emendandæ Eccleſiæ tàm in Capite quàm in Membris, ſingulis minimùm *decenniis*, ſanxerant decreta Concilii Conſtantienſis *Seſſ.* XXXIX. & Baſileenſis *Seſſ.*

Seſſ. XI. Quæ quum antè neglecta fuiſſent, ex hiſtoriâ ſuperiorum Pontificum, Julius II. ſe Sacramento cum reliquis Cardinalibus obſtrinxerat, proximè antè ſuam electionem, ad convocationem Concilii Generalis *intrà biennium*, ut modò viſum. Quod electus confirmavit, An. MDIII. hac formulâ: *Ego Julius* II. *electus in ſummum Pontificem, promiſſa omnia & ſingula promitto, juro*, & *voveo obſervare & adimplere, in omnibus & per omnia*, &c. *ſub pœnâ perjurii & anathematis*, ut in Actis Piſani Conventus Anno MDXI. legere eſt. Hinc Rex Galliæ Ludovicus XII. & ipſe Maximilianus Imperator, ſcriptis literis, & miſſis Procuratoribus, unà cum IX. Cardinalibus primæ notæ, qui ſe Româ ob Julii tyrannidem ſubduxerant, quum cernerent Julium alia omnia intendere, & pacem, quæ ad Generale Concilium celebrandum neceſſaria erat, interturbare bellorum ac diſſenſionum ſeminibus, conſilium capiunt de Concilio in urbe *Piſarum* indicendo menſe *Majo*, inchoato *Kal. Novemb.* A. MDXI. Sed transferendo menſe ſeq. in Urbem *Mediolanenſem*, ſecuritatis ergò. Cui mox Julius, aliud Concilium oppoſuit in *Laterano* indicendum, anno eodem, menſe *Auguſto*, id eſt, duobus circiter menſibus poſt Synodi Piſanæ indictionem. Quo ipſo recruduit Controverſia, de *poteſtate Papæ ſuprà Concilium*, quam edito Libro defendendum ſuſcepit Thomas de Vio tùm Generalis Dominicanorum; invitis Conſtantienſibus, Baſileenſibus, & nunc Piſanæ Synodi Patribus, qui Librum eundem miſerunt cenſendum & caſtigandum ad Facultatem Pariſienſem, ineunte Anno MDXII. reſponſuro illi Jacobo Almaino Theologiæ Doct. Pariſino. Et legitimam fuiſſe Concilii Piſani indictionem, contrà perjurum notoriè Pontificem, juxta facultatem Cardinalibus datam ab ipſo Julio Pontif. & juramento firmatam, *congregandi Concilium Generale, cujus ſententiæ* ſe ſubjiciebat, ſi nempè *Concilium intrà biennium à creatione non indiceret*, Acta hujus Synodi probant, producta ab Edm. Richerio, uti ab Odor. Raynaldo forma juramenti Pontificii, *Tomo* XX. Annal. A. MDIII. Quanquàm adverſus Piſanos *duas* emiſit *Epiſtolas* Julius, per univerſam Eccleſiam diſſeminandas, uti *Apologiam* pro Piſanâ Synodo ſcripſit & publici juris fecit, menſe Junio A. MDXII. Philippus Decius Mediolanenſis, J. Conſultorum ſui Seculi facilè princeps, Senatoriâ Dignit. in Parlamento Gratianopolitano à Ludovico XII. ornatus, quæ Apologia inſerta eſt ab Edm. Richerio Hiſt. Conciliorum *Lib.* IV. C. II. Quicquid hanc Synodum Roma pro *Conciliabulo* habuerit, nec inſerta ſint illius Acta *Tomis* Conciliorum, ac in eam invectus quoque ſit *Guicciardinus* Hiſtoricus, infeſtus Gallo Ludovico XII. & antiquata eadem ſit in Concilio *Lateranenſi* ſub Leone X. Nempè mutatâ rerum facie, & cum Julio extinctis deinceps odiis & ſimultatibus, quæ ei interceſſerant cum *Ludovico* XII. Galliæ Rege, *Leonis* tandem benignitate permovendo ut Piſanæ Synodo renunciaret, & Lateranenſem amplecteretur.

Acta præcipua hujus Synodi.

Cæterùm VIII. Seſſionibus hoc Concilium terminandum fuit, cui præſedit decernente Synodo, *Bernardinus Carvaial* Cardinalis Tit. S. Crucis in Hieruſ. Decanus Collegii, & Sabinenſis Epiſcopus. *Prima* Seſſione, hæc Synodus ſe legitimè congregatam decrevit, vi Actorum Synodi Conſtantienſis, & Baſileenſis, & eorum quæ Romæ acta, jurata, accedentibus Edictis Ludovici, & Maximiliani; Irritis declaratis quæcunque Julius Romæ contrà hanc ſtatuiſſet: *Secundâ* Seſſione, decreta quæ ad decentiam Concilii, ad ordinem, ad cautelam, ad ſigillum quo uteretur, &c. ſpectarent: *Tertiâ* Seſſ. decretum quod Synodus diſſolvi non poſſet, quouſque Eccleſia Univerſalis reformaretur in Fide & Moribus, tam in Capite quàm in Membris; tranſlatione Concilii ſimul decretâ ex urbe Piſarum, ubi Patres ſe non tutos arbitrati, in urbem Mediolanenſem, quam ingreſſi ſunt VII. *Decemb.* A. MDXI. *Quartâ* Seſſ. miſerunt ad Julium II. Legatos, acturos de concordiâ, & optionem facturos alterius loci, ſive in Italiâ, ſive extrà Italiam, Concilio celebrando; ſed irrito conatu: *Quintâ* Seſſ. renovata Conſtantienſium conſtitutio, contrà invaſores ſeu ſpoliatores accedentium ad Conc. vel recedentium à Concilio: *Sextâ* Seſſ. lecta fuit accuſatio quâ Julius II. *contumaciæ* poſtulatus, & negata illi optio Loci pro Concilio continuando; cum Monitorio, ut intrà dies XXIV. revocaret attentata contrà Piſanam Synodum; *Septimâ* Seſſ. iterum accuſata eſt Papæ contumacia: *Octavâ* & ultimâ Seſſ. poſt tertiam accuſationem contumaciæ, tandem decretum; *Julium Papam* II. *hujus S. S. Concilii manifeſtum & continuum in ſuâ perverſitate impeditorem & turbatorem, ... & in apertâ rebellione perſiſtentem, Schiſmatis excitatorem, pacis inimicum, bella inter Principes & Chriſtiani ſanguinis jacturam procurantem & promoventem, zizania & diſcordias in populo Dei ſeminantem, & in his omnibus enormibus, continuis, & notoriis criminibus incorrigibilem, induratum, inveteratum, & obſtinatum, eo ipſo incurriſſe pœnas in dictis Decretis contentas, ab omnique tam in Spiritualibus quam in Temporalibus Papali adminiſtratione ipſo facto ſuſpenſum fuiſſe, eſſe, & fore*, &c. Decreto hoc ipſo *valvis Cathedralium Eccleſiarum affigendo.* Tandem verò hi Patres Mediolano *Lugdunum* ſe recipere compulſi ſunt, nec ullæ ampliùs leguntur habitæ Seſſiones.

Lateranenſe Concil. ſub Julio II. & Leone X.

II. Huic igitur Concilio aliud protinùs opponendum à Julio fuit, quod Romæ Literis Papæ indictum fuit, habendum in Baſilicâ Lateranenſi, a. d. XIX. *April.* A. MDXII. licet prorogatum in III. *Maji*, ob Ravennatenſe prælium, in quo victores fuêre Galli. Et hoc *Lateranenſe* V. *Generale* Romæ appellandum fuit. Idemque, Julio fatis functo, dùm *quinta Seſſio* haberetur, A. MDXIII. Februario menſe, continuandum à Leone X. fuit. Nec alio fine, quàm 1. Ut *Piſana* Synodus *ſchiſmatica* declararetur, omneſque qui illi Concilio adhæſerant, præprimis Ludovicus XII. cum ſuis: Quod patet ex Bullâ Julii *Seſſ.* I. ex Orat. Thomæ Cajet. & Alexii Melphitani Epiſcopi, *Seſſ.* II. & III. tùm Decretis *Seſſ.* IV. VI. VIII. IX. pro ejurandâ Synodo Piſanâ X. Comparandi à Julio & ſuis Piſani *Lucifero, Dathani, Dioſcoro, Acacio, Schiſmaticis, Hæreticis, Canum latrantium cœtui*, &c. 2. Ut aboleretur *Pragmatica Sanctio*, de quâ abundè ſuprà, ſcilicet *Sedis Apoſtolicæ detrimentum & vilipendium.* Nempè condita fuerat à Ludovico IX. Sanctis adſcripto; dein rediviva in Galliis, tempore Concilii Baſileenſis, pro *Jure Regio*, circà Eccleſiarum, Beneficiorum, & Rerum Spiritualium diſpoſitionem, moderationem; tum pro liberis & ſacris *Electionibus*, ſuffragio Eccleſiarum ſeu Capitulorum. Quod inſtitutum liquet ex Lateranenſium Seſſionibus IV. VI. X. & in poſtremâ promulgata fuit abolitio Pragmaticæ Sanctionis. Et reverà in abrogationem *Bononiæ* conventum fuit, Anno MDXV. mortuo Ludovico Kalend. Januarii Anni MDXIV. & quidem inter Franciſcum I. & Leonem X. ſuccedentibus in *Pragmaticæ* locum *Concordatis* quæ vocant, habituris locum *Contractûs & obligationis inter Leonem X. & Sedem Apoſtolicam ex unâ*, & *Regem Franciſcum* ac *Regnum Franciæ ex alterâ parte*: Quibus nempè, inter alia, Galliæ Regibus *Nominatio ad Prælaturas* attribuitur, *Confirmationis* jure, uti illo *Annatarum* ſeu *Vacantiarum*, Papæ reſervato. Reclamaturâ tamen Curiâ Parlamenti, A. MDXVII. etiam *appellaturâ* Academiâ Pariſienſi, ut viſum. 3. Ut *Papalis* Omnipotentia, in hac Lateranenſi Synodo inſtauraretur, firmareturque, quam pridem deſtruxerant *Piſani, Conſtan-*

tien-

Digitized by Google

tienſes, *Baſileenſes*, Seculo xv. & tùm adhuc *Piſana* Synodus II. contrà Julium II. in Concilium Generale congregata, ut dictum modò fuit. Synodus adeoque magis Politica & *Oeconomica*, quàm *Oecumenica* dicenda, judice ipſo Vargaſio, ex ejus *Epiſtolis* nuper editis p. 27. de quibus ſtatim.

Fœda hujus Conc. ſervitus. III. Atque hoc poſterius inſtitutum, verè Antichriſtianum, ſtatim in ipſo introitu Synodi apparuit & quaſi in limine, *Oratione* I. habitâ per Ægid. Viterbienſem: In quâ extollitur impius Julius, non modò ut *Sponſus Eccleſiæ*, *Dei vices gerens*, ſed etiam qui *Militaria arma*, *quod nemo antehac potuerat*, *magnis Regibus metuenda feciſſet*, ſcil. Ludovico XII. & anteà Venetis, *&* *Eccleſiæ Imperium*, temporale illud, *propagâſſet*. Bonum factum! Quanquam adderet, vocem Dei eſſe, *ut Eccleſiam emendaret* Julius. Mox, *Seſſione* I. in Oratione Bernardi Zani, Archiepiſc. Spalatenſis, efferendi ii omnes Pontifices, qui Papali auctoritate *Imperatores* ac *Reges* Imperio ac Regno deturbâſſent, hos omnes *Schiſmatis pœnas luituros*. Adde prædicatam ejus Julii *ſanctitatem*, Deo proximam; licet hic uno omnium ore, totus *Simoniacus*, *turbulentus*, *ſanguinarius*, *immanis*, *turbo*, *procella*, *Bellona Sacerdos*, *monſtrum hominis* nedum Pontificis, audiit Orbe toto, ut ſuprà.

Ità *Seſſ.* II. in Orat. Thomæ de Vio Cajetani, vocatur Synodus *Lateranenſis* (quam opponit Purpuratus Piſanæ, *ut impiæ Babyloni*, licet indictæ ſummo omnium conſenſu, nixæ decretis Conſtantienſi & Baſileenſi, ipſoque *juramento* Julii, ſolemniter præſtito) *Jeruſalem nova*, *de cœlo deſcendens*, quæ eſſet *à Spiritu S.* quæ *ſancta*, *æterna*, &c. Ipſa autem Piſana Synodus, diris devovetur, tanquam *canum latrantium cœtus*, *Schiſmatica conventicula*, *eademque caſſa*, *irrita*, *annullata*, &c. Quod Piſani invertebant meritò, quibus Julii ſedes & Romana Curia tùm fuit *impia Babylon*, ſicut etiam Ludovico XII. Galliarum Regi, ex vulgato Nummo, *Perdam Babylonis nomen*.

Blaſphemæ in hoc Conc. voces. Quod verò horrorem incutiat, percellat certè pias mentes, ſunt Adulatoriæ voces, tùm *Nomina Blaſphemiæ*, quæ in ipsâ hac Synodo, tùm ab illo ipſo Thomâ Cajetano, *Seſſ.* II. tùm paſſim ab Oratoribus & Epiſcopis, *Seſſionibus* reliquis, partim *Julio* partim *Leoni* ſucceſſori, tribuuntur. Cajetanus certè, in dictâ Orat. dicit; *Petrum Eccleſiæ*, *& Papam Concilio ſubjicere*, *eſſe Filium Patri*, *& membra Capiti*, *& ſervum Domino*, *& militem Duci*, *& Paſtori gregem præficere*. Ità ad exemplum Bonifacii VIII. Extrav. *Unam Sanctam*, dicit; Papam geminum habere *Gladium ſpiritualem & temporalem*; Rursùs, ad Pontificem; *Procede Gentes quæ bella volunt diſſipando; tum regna Sacerdos & Rex, quæ pacis ſunt cogitando*, &c. quum nihil minùs quam *pacem* Julius intenderet. Ità eadem Seſſione II. dicitur Julius II. (mentes perculſæ ſtupeant) *Univerſis populis adorandus*, *Deo inſuper ſimillimus*, &c. *Seſſione* IV. Oratione Chriſtophori Marcelli, ad Julium II. *Cura ut ſalutem*, *quam dediſti nobis*, *& vitam*, *& ſpiritum non amittamus. Tu Paſtor*, *tu Medicus*, *tu Gubernator*, *tu Cuſtos* (ſcribunt Cultor) *tu denique alter Deus in Terris.* Seſſione VI. Oratione Begninii Epiſcopi Modruvienſis, ſub Leone X. *Ne fleveris filia Sion*, *quia ecce venit Leo de Tribu Juda*, *Rex David. Te Leo beatiſſime Salvatorem venturum ſperavimus.* Seſſione VII. ad Leonem jam Pontificem, Balthaſar Del Rio, Apoſtolicus Protonotarius: *Tu prædicebas; Cum exaltatus fuero omnia traham mecum. Dicas Deo; Quos mihi dediſti non perdidi ex iis quemquam. Excita Domine potentiam tuam & veni. Tu alter Leo hominum*, *hominum non alter Rex tantum*, *ſed Rex Regum & Orbis terrarum Monarcha. Tu duos Gladios habes ſpiritualem & temporalem. Vinces quia vicit Leo de tribu Judâ*, &c. Seſſione IX. Oratione Antonii Puccii ad Leonem X. *In Te uno vero atque legitimo Dei & Chriſti Vicario*, *Propheticum illud debuit rurſus impleri: Adorabunt eum omnes Reges Terræ*, *omnes Gentes ſervient ei. Non ignari Chriſtiani Principes*, *omnem Tibi Uni in Cœlo & in Terrâ traditam à Domino poteſtatem.* Seſſione X. in Orat. Archiepiſcopi Patracenſis, inter aſſentationes alias, dicitur Pontifex non abſque omine eſſe *Leo*, *in Sede Petri*, *& Leo Decimus*, *in ultimo Decalogi poſitus*, &c. Poſteà, *mons præparatus in domo Domini* Eſ. II. & dicitur ejus eſſe *poteſtas plenitudinis Chriſti*; *in Sede Apoſtolicâ ſuper omnia regna ſedentis*; *& confluent ad eum omnes Gentes*, *& adorabunt eum.* Rurſus, *Arripe Gladium divinæ poteſtatis tibi traditum*, *jube*, *impera*, *manda*, *liga Reges*, &c. *Cum jam tibi data ſit omnis poteſtas in Cœlo & in Terra.* Ubique verò impia detorſio *Scripturarum*; & applicatio ad Romanum Pontificem eorum quæ de Deo, de Chriſto; cum epithetis *Divinæ Majeſtatis*, *Divini Concilii*, & hujus momenti pluribus. Tandem terminata hæc Lateranenſis Synodus die XVI. Mart. A. MDXVII. Seſſione XII. quando promulgata fuit conſtitutio Leonis, & approbata ab eodem omnia & ſingula quæ Seſſionibus XI. geſta.

Reformatio à Leone X. eluſa. Adde, loco ſperatæ *Reformationis*, & deliberationum hac de re habendarum *Conciliariter*, ut loquuntur, vel per *Nationes ſingulas*, earumque *Deputatos*, ſubductis ſuffragiis, ex *Seſſ.* XL. Synodi Conſtantienſis, propoſita modò fuit *Seſſ.* VIII. Leonis X. *Bulla*, domi in ſecreto à Miniſtris ejus conſcripta, quâ ſcil. omnia ad *primævam Inſtitutionem* reducerentur; quam à ſacro Concilio approbari petiit, nullo prævio examine: Reſponſuris pleriſque Patribus, *Placet!* Non auditis vel collectis, ex more antiquorum Patrum *ſuffragiis* ſingulorum, ut ex plurimorum votis Synodalis concluſio fieret. *Et hæc eſt eximia illa* (ſic Scriptor Gallus Pontificius, Edm. Richerius, in *Hiſt.* hujus Concilii *Lib.* IV. C. IV.) *& tantoperè à Chriſtianis Nationibus*, *ducentis abhinc annis*, *exoptata Reformatio! Vel*, *ut veriùs dicamus*, ABUSUUM CURIÆ ROMANÆ INCRUSTATIO ATQUE INVOLUTIO.

Tridentinæ Syn. poſteà ſecutæ, notabiliora quædam obſervata. IV. Ac per ea veſtigia inceſſêre ſucceſſuri Pontifices, in ſpecie Concilium *Tridentinum*: Quod de die in diem iſti diſtulerunt, ut *Clemens* VII. qui ad ſolum nomen Concilii Generalis trepidare videbatur; in ſpecie etiam *Paulus* III. Pontificum vaferrimus. Quia de emendandâ Eccleſiâ in Fide & Moribus, poſt accuſationes *Lutheri* & *Germanorum*, agendum antè omnia in eo erat. *Indictum* quidem A. MDXLII. ſed ſuſpenſa ejus coactio ad A. MDXLV. exeuntem, *Tridento* urbe diſplicente Germanis, Gallis, & Anglorum Regi Henrico VIII. ob Italorum & Pontificis proximitatem, quæ ſuffragiorum Libertati intercederet. Ità verò coactum illud fuit, quod obiter hìc monendum eſt, nam Luthero exorto ad proximum Concilium omnia ſpectarant: I. Ut ſolis *Legatis Apoſtolicæ* Sedis permiſſum Tridenti fuerit agenda proponere, & decernenda præſcribere, juxta ea quæ Romæ primum diſcuſſa, & approbata: Undè Pontifex, de omnibus certior à Legatis factus, definienda in Concilio, tanquàm ſupremus atque infallibilis arbiter, ſubmitteret, novo atque inſueto antehac procedendi modo. Hinc illud Decretis appoſitum, *Proponentibus Legatis*; quum urgerent ipſi Oratores Cæſaris, *fas eſſe Oratoribus & Epiſcopis proponere*, *quicquid ipſi arbitrarentur conſentaneum* retinendæ *Religioni*, ut fatetur Palavicinus L. XX. C. VIII. N. 2. Et indè quoque vulgatum iſtud fuit, *Spiritum S. Româ à Patribus Tridentinis evocari*, *& Tridentum Româ mitti.* Adeò ut quereretur per Oratores ſuos ipſe Cæſar, faſſo Palavicino *Lib.* XX. C. IX. N. 6. *quod omnia Romanæ deliberationi primò committe-*

terentur, & quod ibi prius in Cœtu Pontificio, quàm in Tridentino agitarentur; ac perindè videri duo extare Concilia. 2. Legati Epiſcopi Romani qui olim præſidentiam *honoris* tantùm habuerant, jam uſurpare illam *auctoritatis* & *imperii*; & dùm decernenda *proponerent*, ſimul quid *placeret*, vel *diſpliceret*, & quid ex *honore Apoſtolicæ* Sedis eſſet, haud ſegniter vultu, manu, verbis etiam aſperioribus, oſtendere. 3. Ut ex ſolâ *Italicâ* Natione intereſſent Epiſcopi CLXXXVII. qui toti à nutu Pontificis dependerent, ex aliis verò Nationibus nonniſi Epiſcopi LXXX. Undè Claudius Eſpencæus, Doctor Pariſinus, qui Synodo Tridentinæ interfuit; *Comm.* in Epiſt. Titum, *Digreſſ.* I. *In Conciliis id demùm fieri, & neceſſario fieri, quod Nationi Italicæ placeat, ut quæ ſola Epiſcoporum (qui & ipſi ſoli vocem illic deciſivam habent) numero Nationes alias æquet, aut ſuperet.* Hic verò, nempè Tridenti, Epiſcopi Italiæ *triplo* fermè aliarum Provinciarum Epiſcopos ſuperaſſe intelliguntur; quod ſatis prævideram Germani Proteſtantes, & ipſi Galli. 4. Ut quum de Reformatione ageretur, *Seſſione* VII. Legati pro exordio in omnibus præmiſerint; *ſalvâ ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate.* Quæ clauſula repetitur in Synodi concluſione, *Seſſ.* XXV. C. XXI. *Poſtremò S. Synodus omnia & ſingula, ſub quibuſcunque clauſulis & verbis quæ de morum Reformatione, atque Eccleſiaſticâ Diſciplinâ, tum ſub felicis recordationis Paulo* III. *ac Julio* III. *quàm ſub Beatiſſimo Pio* IV. *P. P. Maximis, in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ità decreta fuiſſe, ut in his* SALVA SEMPER AUCTORITAS SEDIS APOSTOLICÆ *ſit, & eſſe intelligatur:* Id eſt, ut Papa ſemper pro arbitrio, & ex plenitudine poteſtatis, de ſanctis Canonibus diſpenſare poſſit; v. gr. de pluribus *Metropolitanis*, aut *Cathedralibus* Eccleſiis non poſſidendis ſimul & retinendis, *Can.* II. *Seſſ.* VII. ſcil. ſalvâ diſpenſatione Pontificis, qui uni eidemque plures *Epiſcopatus*, vel *Abbatias*, pro arbitrio concedit. Quum primitùs nullum unquàm Concilium habitum eſſe legamus, ex priorum Seculorum Hiſtoriâ, in quo non omnes Epiſcopi, ac ne *Romanus* exceptus, Canonibus & ſtatutis obſtringerentur. Zoſimo Papâ inter alios diſertè pronunciante, apud Gratianum ipſum, *Causâ* XXV. *Quæſt.* I. *Contrà ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, nequidem Sedis Apoſtolicæ auctoritas poteſt:* Similiter Cœleſtinus Ep. ad Illyrici Epiſcopos: *Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur; ſimus ſubjecti Canonibus, qui Canonum præcepta ſervamus.* Sexcenta id genus mittimus, pridem obſervata. 5. Ut multoties ea Synodus Tridentina *intermiſſa* fuerit, *prorogata*, ac *ſuſpenſa*, prout è re Pontificis videbatur; contrà morem veterum Conciliorum, quæ plerumque ſingulis diebus, ſingulas Seſſiones vel Actiones abſolvebant. Hinc cœpta ſub Paulo III. A. MDXLV. ſub quo XI. Seſſiones habitæ, octo *Tridenti*, tres *Bononiæ*, quò auctoritate Pontificis, invito Cæſare, & Hiſpanis, ſpecie morbi contagioſi, tranſlatum Concilium fuit, hinc *ſuſpenſum*, prout hanc *ſuſpendendi* poteſtatem clàm Legatis ſuis fecerat; tandem Paulo III. *Romam* evocante Tridentinos & Bononienſes, A. MD XLIX. paulo poſt fatis conceſſuro. Tum rursùs reſumpta *Synodus* Tridenti, ſub Julio III. A. MLI. qui ipſe Legatus Tridenti fuerat ſub Paulo III. ſub quo V. Seſſiones celebratæ, ad XXII. Apr. Ann. MDLII. quando in Cœtu Cardinalium Julius *ſuſpenſionem* rursùm decrevit, quæ primò ad *biennium* futura, poſteà toto *decennio* perduravit. Nam hunc *præcipuum finem fuiſſe* Julii Pontificis, *ſuſpendere* Concilium, vel certè quantocyus *terminare*, diſertè Franc. Vargas, *Epiſt.* ad Franc. de Toledo, datâ XXIX. Dec. A. MDLI. Donec Pius IV. Concilium Tridentum revocaret, An. MDLX. aperiendum ſolummodò A. MDLXII. undè lis oborta, foretne illa *continuatio* Concilii, quod Hiſpani voluêre; an *novi* indictio, quod in ambiguo ponebant verba Pontificis, exiſtente ſine exemplo, continuari Concilium poſt tot annorum intermiſſionem. Nec ſine alio Pius IV. *Tridentinam* Synodum denuò convocavit, quàm ut præverteret Synodum *Nationalem* quam Galli meditabantur, qui jam A. MDLI. *proteſtati* ſolenniter, per Literas Regis, & Legatum Jacobum Amyot, contrà Synodum Tridenti congregatam; quæ *privatum potius exiſtimaretur Concilium, non reformandæ reſtituendæque Diſciplinæ, nec Sectas opprimendi ſtudio, ſed quibuſdam obſequendi; quoque privatæ utilitatis, magis quàm publicæ ratio, habita eſſe videretur.* Et ſub hoc Pio terminata Synodus Seſſ. IX. præter Seſſiones priores ſub Paulo & Julio, quæ in univerſum memorantur XXV. 6. Ut nihil pejus Papa & Gnathones metuerent, quàm ne *Proteſtantes* liberè Concilio intereſſent, in eoque facultatem liberè ſententiam dicendi haberent, quod promiſerat Imperator, & hi conſtanter contenderunt, quorum cauſa potiſſimum ageretur; undè dilationes, tergiverſationes, effugia, iis à Concilio prohibendis: Inprimis circa *Salvum Conductum*, quem verbis minimè ambiguis, ſaltem qualia *Bohemis* conceſſa in Conc. Baſileenſi, concipi poſtulabant, ut Wirtembergenſes, Saxones, quod ipſe Vargas æquum exiſtimat in *Epiſt. ad Epiſc. Atrebatenſ.* XII. *Oct.* MDLI. Carolo Imper. intereà clàm colludente cum Pontifice Julio III. ut idem de Vargas J. C. Hiſpanus (qui Tridenti à conſiliis fuit Legatis Cæſareis, dein Romam ablegatus ſub Paulo IV. & Pio IV.) in *Memoriis* & *Epiſtolis* nuper editis ex Bibliothecâ Illuſtris Trumbull Equitis, cujus avus Guil. Trumbull diu Reſidens fuit Anglorum Regis in Aulâ Bruxellanâ, undè hæ ad ipſum chartæ pervenerunt. Nam Carolus qui promiſerat Julio *pag.* 61. 63. *non proceſſurum eſſe Concilium in negotio Reformationis, niſi quouſque placeret ſuæ Sanctitati*; quæ hanc Romæ, non in Concilio, fieri debere per Legatos intendebat. Carolo Imperat. reverà magis ſollicito, de Proteſtantibus irretiendis, & Germanis ad nutum ſuum inflectendis, quàm de reformandâ Eccleſiâ, aut redigendo ad veteres terminos Epiſcopo Romano. 7. Ut nulla planè *libertas* ſuffragiorum, qualis olim in Conciliis, relicta eſſet Epiſcopis, quibus ſolis votum deciſivum fuit; licet ignaris his maximam partem rerum Theologicarum, adeò ut *vix ex illis* XX. *capaces eſſent de iis judicium ferre*, ut diſertè ex Schedis Vargaſianis intelligitur. Longeque alieni iſti à mente Agathonis Papæ, in Concilio VI. *Epiſt.* ad Conſtantinum Pogonatum: *Concedendum eſſe verbum impunitatis, & liberam loquendi facultatem, unicuique loqui volenti, pro fide quam credit, & tenet: Quatenùs ab omnibus manifeſtiſſimè cognoſcatur, quod nullo terrore, nullâ poteſtate, nullâ comminatione, vel averſione, quiſquam pro veritate loqui volens, prohibitus aut repulſus exiſtat.* Imò quum aliquando Didacus de Mendoza Legatus Caroli V. monuiſſet, audiendas eſſe eâ de re ſententias Univerſitatum *Pariſienſis* & *Lovanienſis*, exceptus fuit ſuperciliosis vocibus à tribus Legatis Pontificiis; *ſe antè morituros, quàm conſenſuros eſſe in rem adverſam honori Concilii*, ut in Epiſtolis Vargaſii, ex nuperâ editione *pag.* 21. Hinc expreſſæ hæ voces eidem Vargaſio, *pag.* 20. *Nos qui ea novimus* (ſervitutem ſuffragiorum) *cæteraque obſervavimus, non poſſumus non dolere vicem noſtram, Conciliorumque auctoritatem diu deploratam.* 8. Ut antequam Decreta à Concilio emanarent, prius præpararentur & digererentur Materiæ *à ſex Commiſſariis* ad id delectis per Legatos Pontif. quæ dein ità præparatæ proponebantur in Congregatione generali; & quidem immediatè antequàm fierent Decreta, non conceſſo deliberandi tempore: Multaque hujuſmodi Decreta facta tumultuariò & præcipitanter, aut prenſatis votis, etiam in

re-

Digitized by Google

rebus graviſſimis, v. gr. in negotio *Juſtificationis*, de quo actum *Seſſ.* VI. Et tempus omne terebatur, longis Theologorum & Monachorum diſceptationibus, circà *Dogmata* aut *Quæſtiones* decidendas; alto de *Reformatione* ſilentio: Epiſcopis intereà alio intentis, aut rei momentum plerumque non intelligentibus, ac ſubitò rogandis ſuffragia à Legatis, antè finem *Seſſionis*, nullo prævio Epiſcoporum examine, aut deliberatione circà decernenda. 9. Ut ſingulis Decretis, eorum in fronte vel capite, appoſitum fuerit iſtud; *Præſidentibus tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis*; ne ignoraretur hæc Decreta eſſe non tam Liberi Concilii, quam Papæ Romani. Quum verò urgerent Baccius Marcellus, *Epiſcopus Feſulanus*, & *alii* benè multi, ut ſingulorum Decretorum titulis adderetur, *Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans*, ad exemplum Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis, magnopere interceſſerunt Legati ne fieret; hoc obtentu, eſſe ſupervacuam hanc inſcriptionem, quæ reipſà contineretur his verbis, *Univerſalis & Oecumenica Synodus*. Adhæc obnoxiam fore *Lutheranorum* cavillis & obtrectationi, qui objicerent inſufficientem numerum Epiſcoporum, ad Univerſalem Eccleſiam repræſentandam. Vera cauſa fuit, quod innuere videretur ea Inſcriptio; Synodum Generalem, Univerſalem Eccleſiam repræſentantem, *immediatè à Chriſto habere poteſtatem*, quod à Synodis Conſtantienſi & Baſileenſi ſtudio fuit ſemper adjectum. Hinc Gallorum Rex Henricus II. in Literis ad Synodum ſcriptis, A. MDLI. ſub Julio III. non inſcribit niſi *Patribus Conventûs Tridentini*; non *Concilii Generalis* & legitimi; quo nomine altercatio in Synodo gravis emerſit; reclamantibus contrà Gallum Hiſpanis. 10. Ut negata fuerit ipſi Concilio poteſtas eligendi vel nominandi ſuos Officiales, v. gr. *Secretarium*, & *Notarios*, penes quos eſſet fides rectè ſcriptorum, quæ à Synodo facta, aut decreta. Quin Legati Pontificii, ad iſtud muneris elegerunt Clientes & Domeſticos ſuos, ut ità nihil iſti referrent in chartas, niſi quæ Papa & Legati cenſerent eſſe è re ſuâ, vel conforme ſuo inſtituto, notante exertim Vargaſio in *Memoriis* ſuis, *pag.* 64. Ità obſervat idem *Epiſt.* XIV. datâ XXVIII. *Novemb.* irrepſiſſe in Decreta, v. gr. de Pœnitentiâ, & Extremâ Unctione, obſervantibus Archiep. Colonienſi cum Lovanienſibus Theologis, quæ cum Doctrinâ Eccleſiæ non ſatis convenirent, hinc clàm emendanda. Sic aliàs obſervat, *Epiſt.* XI. *Januar.* A. MDLII. ad Epiſcopum Atrebatenſem, qui poſteà Cardinalis de Granvelle; Legatum Julii *ademiſſe Concilio poteſtatem Sigilli*, quod penes Legatum fuit, *ne Synodus de illo diſponeret; quo nihil iniquius fieri potuit, & expediret id non in notitiam venire Proteſtantium.* 11. Ut denique (nam videnda reliqua in Hiſt. Pauli Servitæ, etiam Gentileti) negatum Proteſtantibus fuerit, multo cum ſtomacho & ſupercilio Creſcentii Legati Pontificii, poſtquam iſtorum quidam Tridentum adveniſſent, legere vel audire *Confeſſionem Fidei*, quam conceperant Wirtembergenſes & Synodo volebant oblatam: Magis negatum, cum iis de Capitibus ſingulis in Concilio conferre, eorumque audire ſententias ac defenſiones; contrà fidem illis ab Imperatore datam, & officia qualiacunque interpoſita Legati Cæſarei Hiſpaniarum nomine, *Franciſci de Toledo*: Sed prævalente Creſcentio Legato Julii III. vaferrimo juxtà & pertinaci, qui Decreta Synodi pro *ratis & ſacroſanctis* haberi volebat, licet facta *parte alterâ inaudita*; ipſe ſic ad *Papatum* poſt Julium adſpirans. Omnium maximè negatum, ad poſtulatum Chriſtophori Ducis Wirtembergenſis, nomine cæterorum Proteſtantium, ut conſtituerentur ex utraque parte *idonei Judices & Arbitri*, qui de Controverſiis Religionis, juxtà Scripta Prophetica & Apoſtolica, & mentem Conciliorum Veterum, cognoſcerent: Fieri enim contrà jus & æquitatem omnem, ut in Capitibus doctrinæ, quæ in controverſiam vocabantur, eſſentque cauſa diſſidii Proteſtantium, una pars ſcil. Pontifex, & Epiſcopi Pontifici ſubjecti, eidemque *juramentis & aliis obligationibus addicti*, eſſent hac ipsâ in causâ, ſimul Rei, Teſtes, & Judices vel Arbitri. Imò æquum eſſe ut ipſe *Pontifex* ſe ſubjiceret deciſionibus Concilii, qui Reus ſiſtebatur; ſed ſurdo fabulam.

Et hæc ſola modò obſervata, (præter infandos abuſus quos agnovit univerſa tùm Eccleſia Pontificia, & quæ alia à F. Paulo Veneto prudenter, & cum judicio notata) abundè evincunt *Concilii Tridentini* nullitatem, tantum abeſt ut pro *Libero*, *Legitimo*, *Chriſtiano*, & *Oecumenico*, haberi poſſit. Sed *Oecumenici* loco, rectè dixeris *Oeconomicum*, ubi omnia à Legatis Pontificiis, prudenti *Oeconomiâ*, ſecundùm Papæ voluntatem, & Curiæ Romanæ intereſſe, fuêre diſpenſata; pauca ex nutu Cæſaris, nihil ex voto Principum Proteſtantium; reliquis Principibus aut Papæ addictis, aut ſatagentibus alia omnia quàm res quæ ad Religionem attinerent. Uti concluſum nihil ex illorum votis ac deſideriis, qui *Reformationem* voluêre, tam in *Fide* quàm in *Moribus*, ut ex Actis liquet. Atque etiam patet ex *Seſſ.* XV. Anno MDLII. in quâ de *Sacramento Ordinis* actum, & an *Epiſcopatus* ſit *juris divini*, facilè Legatum Pontificis Creſcentium hoc conceſſurum fuiſſe, modò ſimul concederetur, *Monarchiam abſolutam Papæ eſſe inſtitutionis divinæ*; quo ipſo omnia ex arbitrio Papæ ſuſpendebantur. Inſertum id tamen *Cap.* III. de Hierarch. Eccleſiaſticâ; *Nam ut illa* (cœleſtis Hieruſalem) *ſub uno Supremo Rectore, varios & diverſos miniſtrantium continet ordines; ità viſibilis Chriſti Eccleſia ſummum ipſius Vicarium pro unico & ſupremo Capite in terris habet*; quo ipſo plus tribuebatur Papæ, quàm Chriſto, quia hic *unus* ſupremus Rector, Papa *unicus*. Undè Palavicinus contendit, toto paſſim Opere Hiſtoriæ Conc. Trident. Papæ poteſtatem non modò *Monarchicam ſed illimitatam eſſe & independentem*. Alterum verò de Epiſcopatu, quod eſſet *inſtitutionis divinæ*, indeciſum manſit, ut ex quo ſequeretur, *Claves* non ſoli *Petro* datas; *Epiſcopos* omnes in *Concilium* coactos, jure divino, eſſe paris inter ſe, & quoque ſuperioris auctoritatis quam eſſet unus Romanus Epiſcopus; & quæ alia ſagaciter Aula Papalis ſub *Julio* III. & *Pio* IV. ſubolfecit. Sed hæc de Synodo Tridenti poſt coactâ, in quâ deluſi modò *Proteſtantes*, eluſa *Reformatio Eccleſiæ in Capite & Membris*, hoc loco ſatis; occaſione Synodi in *Laterano* habitæ, & terminatæ Anno MDXVII. quo Lutherus Romam Pontificiam accuſare palam cœpit. Hinc nullitas Conc. Tridentini.

IV. *Suſpiria pro Reformatione Eccleſiæ. Teſtes publici medio in Papatu, proximè antè Lutherum.*

I. Ex ſuperioribus compertum abundè eſt, quàm altis gemitibus ac ſuſpiriis, quàm ardentiſſimis votis, expetita fuerit *Reformatio Eccleſiæ*, in Capite & Membris, in Scholis & Monaſteriis, tàm in Fide quàm in Moribus, tàm in Doctrinâ quàm in Diſciplinâ. Utque *Babylone* jam *exierant* Albigenſes, Waldenſes, Wicleſitæ, Huſſitæ, Bohemi, Moravi, &c. ex præcedente Hiſtoriâ, ad Secula XIII. XIV. XV. ità etiam exierat mente, votis, deſideriis, innumerabilis piorum doctorumque multitudo: Qui *loco* & *ſede* cum Romanâ Eccleſiâ conjuncti, ſive externâ communione, *animo* & *fide* ab eâdem averſiſſimi fuerunt. Sanè ex *Teſtibus Veritatis* Reformatio Eccl. ardenter deſiderata.

Digitized by Google

tis antè productis perpetuâ ſerie, de infinitis aliis judicium eſſe poteſt, ſed *latentibus* plurimis, ſeu metu Inquiſitorum, ſeu Temporum & Locorum quâdam neceſſitate. Adde ſcandalum *Infidelium*, Judæorum, Turcarum, Muhammedanorum, de quo prolixè videndus Clariſſ. Hottingerus, in his colligendis plurimus, etiam ad Seculum XVI. P. II. *Cap.* II. quæ deſcribere nihil attinet.

Reformationem proximè antè Luth. quinam urſerunt? Etiam poſt Luth. exortum.

II. Nec ſine divinâ Providentiâ factum eſt, ut *Reformationem Eccleſiæ*, ubique retentâ hac voce, etiam *in Fide*, etiam *in Capite*, proximè antè Lutherum exortum, ſuperiore & hoc Seculo, propalàm ac præcipuè urſerint Imperatores, Principes, Synodi, Oratores, Univerſitates, & quicquid virorum fuit toto Occidente, quibus religio cordi eſſet. Quantum ad ſuperius Seculum, produximus nuper cùm *Scripta* hanc in rem luculenta, Nicol. de Clemangiis, Petri de Alliaco, Gerſonii, & aliorum; tùm decreta Synodi Piſanæ *Seſſione* XVII. Conſtantienſis *Seſſ.* III. & XL. *Senenſis*, hunc in finem indicendæ à Martino V. ex *Seſſione* Conſtantienſium XLIV. & *Baſileenſis*, ſtatim *Seſſione* I. Quamvis de *Reformatione* acta multa in iis Synodis, ſed *pauca concluſa*, conqueſtis præcipuè Gallis. Quin ipſo hoc Seculo XVI. ſtatim à morte Alexandri VI. expetita ab Univerſis *Chriſtianis Nationibus* Eccleſiæ *Reformatio*, *in Capite & Membris*, ut Richerius Gallus *Hiſtoria* Concil. General. *Lib.* IV. C. II. Ac ſolemni Juramenti formulâ & Syngraphâ ſuâ, obſtrinxerunt ſe Purpurati Patres, vel ex Guicciardino, *eligendum* Pontificem *Concilium Generale celeriùs congregaturum*, & *eum effectu*, præcipuè *ad Eccleſiæ Reformationem*. Quod ſacramentum, quum Julius II. impiè violâſſet, Piſani in Concilium congregati, *Seſſione* III. decernere, *primò quod ipſa Sancta Synodus non diſſolvatur*, *nec diſſolvi poſſit*, *quouſque Univerſalis Eccleſia*, &c. *ſit reformata*, de qua Lemmate præcedente II. Quanquàm interventu mortis Julii II. tùm & Ludovici XII. ſolutâ Synodo, deinceps in *Synodum Lateranenſem* erecta fuerint omnium vota, pro perficiendâ tandem *Univerſali Reformatione*: Quam poſt Julium II. Leo X. ſolemniter in *Bullâ* ſuâ promiſerat, lactatis hac ſpe Imperatore, Regibus, Principibus, omnique Chriſtianitate. Sed ejus loco fuit illuſorium ejus Leonis decretum, *Bullæ* nomine Patribus oblatum, *Seſſ.* VIII. nullis omninò *Reformationis Articulis* vel ſcriptis, vel lectis. Undè Doctor Sorbonicus Hiſt. Concil. General. L. IV. C. IV. loco optatæ à *ducentis annis Reformationis*, fuiſſe Bullam eam nonniſi *abuſuum Curiæ Romanæ incruſtationem*, ut monitum ſuprà ad calcem Lemmatis III. Minùs expectanda fuit ea *Reformatio tam Secularium quàm Spiritualium*, inter innumerabiles *abuſus*, qualis expetebatur, à Synodi *Tridentinæ* Patribus; quam imò quavis ratione interturbare, & prævertere, Legati Papales in mandatis habuêre; ut fusè ſuprà demonſtratum, ex invictis Documentis, *Cap.* III. Adeò ut longè ſatius fuiſſet, magiſque ex honore Eccleſiæ, *nunquàm illud Concilium aperuiſſe*, quàm *inutiliter & in perniciem Eccleſiæ* idem tot annos continuare, ut Franc. Vargaſius in nuperis *Epiſtolis*, edente ex Biblioth. Trumbullianâ Michaële le Vaſſor, Viro Inſigni & blanditiarum neſcio, *pag.* 315.

Paparum circà eam diſpoſitio.

III. Sanè duo treſve hoc Seculo Pontifices, faſſâ Româ, induxerant animum *Reformare Eccleſiam*, ut nempè patiebatur tum ſtatus Romanæ Eccleſiæ: Pius nempè III. hinc Hadrianus VI. poſteà Marcellus II. ſinguli tollendi è medio, antequàm exequi potuerint, quod decreverant. Certè memorabiles fuêre voces Hadriani VI. anno I. ſui Pontificatûs, inſertæ *Inſtructioni* quam vocant, datæ Nuncio ſuo Apoſtolico, ad S. R. Imp. Electores, & Principes, A. MDXXII. *Scimus in hac ſanctâ Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe*, &c. *Nec mirum ſi ægritudo à Capite in Membra*, *à ſummis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit.* Mox, *Pollicemur nos omnem operam adhibituros*, *ut primum Curia hæc*, *undè fortè omne hoc malum proceſſit*, reformetur: *Ad quod procurandum nos tanto arctiùs obligatos reputamus*, *quanto univerſum mundum hujuſmodi* Reformationem *avidiùs deſiderare videmus.* Poſteà, ſe colla ſubjeciſſe tantæ Dignitati, *ad deformatam ejus Sponſam*, *Eccleſiam Catholicam*, reformandam, &c. Undè mox reſponſum Germanorum, ac poſtulatum pro *celebrando Concilio Generali libero*, *quantocyùs & celeriùs*; ſed terminando tandem in *Concilium Tridentinum*: De quo ſunt ſuperiùs obſervata, ut & de tergiverſationibus *Clementis* VII. *Pauli* III. Julii III. diem de die ducentium, in indicendo Concilio pro *Reformatione Eccleſiæ*. Quemadmodùm una omnium vox eſt, indè à tempore Concilii Conſtantienſis, Pontifices conſilia omnia pro Emendatione Eccleſiæ irrita feciſſe, ut non ſemel Galli Scriptores conqueſti. Et pridem Cancellarius ille Pariſienſis, pars magna Synodi Conſtantienſ. *Futuram Eccleſiæ Reformationem impoſſibilem*, etiam *in doctrinis quæ fidem*, *quæ Religionem*, *quæ bonos mores reſpiciunt*, niſi *forti favore Potentiæ Secularis*: Additâ ratione, quia Curia Romana *in ejuſmodi rebus quærere ſolet quæ ſua ſunt*, *vel utilia*, *non quæ Jeſu Chriſti*, *vel ſpiritualia.* Plura ille in *Dialogo Apologetico* pro Actis Synodi Conſtantienſ. in *Examine Doctrinarum*, & paſſim alibi, obviis locis.

Vota Virorum principum. De Budæo quædam.

IV. Tacemus jam Viros hujus Ævi principes, Luthero ferè ſuppares. In quibus eſto, *Joh. Franciſcus Picus*, Johannis Nepos, Oratione illâ inſigni, hoc titulo, *pro Reformandis Moribus*, & Eccleſiæ Diſciplinâ, ad Leonem X. tempore Concilii Lateran. inſertâ Faſciculo Rerum Expetendarum. Acriter invectus in ambitionem Cleri, faſtum luxumque, Diſpenſationem circà pluralitatem Sacerdotiorum, & quicquid deviaret ab Apoſtolorum moribus, & priorum Synodorum Diſciplinâ. Eſto *Guil. Budæus*, natus A. MCCCCLXVII. Franciæ literatæ decus, Vir primæ dignitatis, à Ludovico XII. & Franciſco I. variis legationibus adhibitus, ſummus Philologus, Philoſophus, Juriſconſultus, & quod magis eſt Religionis & Pietatis cultor, ac quo nomine meritò glorior, Atavus meus maternus: Hic in Libro *de Aſſe*, jam edito An. MDXIII. *Romanam Eccleſiam* omnem, indè à Capite, ſic exagitat, ut deinceps Papatu exierint, non ipſe quoad ſeceſſionem loci, ſed ejus *Vidua*, cum *Filiis*, *Filiabus*, & Familiâ univerſâ, Genevam tandem conceſſuris, ubi adhuc illuſtre eſt Budæorum nomen, non tamen qui ex Filiabus prognati, ſed ex Filiis quos VII. reliquit. Hos inter fuêre *Ludovicus* Hebraicè doctiſſimus, ut pater Græcè; & *Matthæus*, hoc nomine laudatus Henrico Stephano, *Præf.* in Dicæarchi Geographica, edita A. MDLXXXIX. denique *Johannes* Budæus, qui cum Farello & Bezâ ad Germaniæ Principes Proteſtantes ablegatus fuit A. MDLVIII. Vide & Melanchtonis Epiſtolas, Londini editas, A. MDCXLII. *pag.* 908. ubi narrat *honeſtiſſimam matronam*, *viduam G. Budæi*, *unâ cum filiabus Lutetiâ migraſſe ad Calvini Eccleſiam*, *ut ibi & vocem Evangelii audiret*, *& longiùs abeſſet à ſævitiâ quæ in Regno Galliæ adverſus Evangelii ſtudioſos exerceretur.* Mortuus autem Budæus eſt XXV. Auguſti, A. MDXL. illique Epitaphium ſcriptum:

Qui ſanctum ſimul, *& ſimul diſertum*
Exquiris Sapientiæ Magiſtrum,
Ultrà quid petis! Hic jacet BUDÆUS.

Eſto *Ulricus Huttenus* contrà Laurentium Vallam, de Ementitâ Donat. Conſtant. M. ad Leonem X. mirè invectus in *Pſeudo-Pontifices*, eorumque flagitia,

Digitized by Google

tia, ſcelera, bella, qualia Julii II. &c. Vocat *depeculatores, tyrannos, fures, latrones;* qui *in minimo, arreptâ occaſione, ad immenſum provecti ſunt diripiendi licentiâ;* qui *gratias venum expoſuerunt;* qui *condonationes, diſpenſationes, & infiniti generis Bullas, vendiderunt tanto jam tempore;* qui *in peccatorum remiſſione pretium ſtatuerunt, & in pœnis Inferorum invenerunt ſibi lucrum;* qui *Sacerdotia hîc, & eleemoſynam parentum noſtrorum, paſſi ſunt à ſe mercari;* qui *Germanis perſuaſerunt, Epiſcopos non eſſe, qui ab ſe Pallia non emerent, multis aureorum millibus; Nonnulli quaſi bellum apparaturi contrà Turcas; alii ut Templum, quod perfici non curant, Romæ Divo Petro extruant,* qui fuere obtentus Leonis X. &c. Quæ pluribus legere eſt in eodem Faſciculo Rerum Expetend. Ort. Gratii. Eſto *Deſiderius Eraſmus*, flagellum Monachorum, Superſtitionum, vaniſſimarum Traditionum, ac commendator *Scripturarum*, vel Paraphraſi ſuâ in N. Teſt. & innumeris penè Scriptis; nominatim, Libro de *Amabili Eccleſiæ Concordiâ*, quem idem Gratius Faſciculo inſeruit, in quo Dogmata, Ritus, Ceremonias, Rom. Eccleſiæ ſic explicat, ut à doctrinâ Tridentinorum, à *Meritis* Operum, ab *Idololatriâ*, à vulgi *ſuperſtitionibus*, ab iis quæ *S. Scripturis Canonicis* contraria, alienum ſe fuiſſe probaverit. Hinc *Novatorum fautor* habitus, atque in *Lutherum* initio æquior; ſed viſus æmulus poſteà, verſatilis, ac meticuloſus, declinatâ invidiâ Pontificum, Leonis X. Hadriani VI. Clementis VII. tum & Cardinalium, Regum, Magnatum. Sed de Eraſmo aliàs; ut jam antè de *Joh. Pico, Reuchlino, Weſſelo, Agricolâ, Wimphelingio, Capitone, Pellicano,* &c. qui prælusêre Reformationi. Quos exceperunt, in ipſo jam Papatu, *Beatus Rhenanus* Schleſtadienſis, *Jacobus Faber Stapul. Joh. Ferus, Polydorus Vergilius, Ludov. Vives, Petrus Caſtellanus, Carolus Molinæus*, Viri id genus alii, accuſatores Papalis vel tyrannidis, vel errorum, ac ſuperſtitionum. Ne dicam Univerſitatem Pariſienſem, A. MDXVII. in Inſtrumento *Appellationis*, invectam in Leonem X. & Concilium Lateranenſe, ut in *Cœtum quendam in Romanâ Civitate, non tamen in Spiritu Domini congregatum,* quo Spiritu *nihil contrà Legem Divinam, & ſacra Concilia ſtatui poſſet.* Plura mittimus, quia obvia, & ab Hottingero noſtro, aliiſque id genus ſtudioſè collecta.

V. *Occaſio proxima Reformationis. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. publicata Diplomata; Indulgentiarum Inſtitores. Forma abſolutionis qualis? Notabiliora quædam.*

Indulgentiæ public. ab Alex. VI.

I. Accuſata pridem fuerat, ex ſuperiore Hiſtoriâ, Sacrorum omnium publica Romæ nundinatio, ubi *Cœlum* ipſum *venale, Deuſque.* Vix tamen in eum gradum impietatis excreverat hic de Animabus & Conſcientiis luſus, & Cœli *numeratâ pecuniâ* licitatio, qualis apparuit ſub Alexandro VI. de quo ſuprà, cumprimis anno Jubilæo, MD. Bullâ publicatâ; de quâ *Felix Faber* Monachus & Prædicator Ulmenſis, citante ex Ms. Martino Cruſio in Annal. Suevicis, *P.* III. L. IX. C. L. & poſt eum Vito Lud. à Seckendorf, in Hiſtoriâ Lutheran. *Lib.* I. *Sect.* III. *Ut Bulla habeat æternum robur, plumbeo Sigillo eam firmat Papa, quo Sigillo ſolus utitur ipſe, ut ſummus Chriſtiani Orbis prælatus: Caput Petri in eo ſignificat, cœlum clavibus Petri aperiri obſervatoribus Bullæ. Pauli caput ſignificat, gladio Pauli neglectores Bullæ pulſum ad Inferos iri. Hanc Papæ ſententiam eſſe, ſignificatur in ejus alterâ Sigilli parte. Non cannabino vinculo, ſed ſerico, leni & miſericorde, Sigillum appenditur cum colore flavo & rubro, cum ſubſcriptione: Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Id eſt, *Ego Alexander totius Mundi Monarcha, totius Eccleſiæ Chriſtianæ Epiſcopus,* (id eſt, *ſolus* Epiſcopus, quod *Antichriſti* characterem dixerat Gregorius) *hanc Bullam dedi, ſigillavi, præſens fui,* &c.

A Julio II.

Nec diu poſteà ſub *Julio* II. idem mercatus continuavit, eadem venditio Cœli, & liberatio Animarum è pœnis Purgatorii, certâ pecuniâ redimenda. Inter exempla alia promulgatarum Indulgentiarum, ſub Julio II. Pontifice (quem *cunctis formidandum, omnibus inquietum,* dixit Guicchardinus *Hiſt. Ital.* L. VI.) habes unum è multis ex authenticis Diplomat. quæ mecum communicavit Trajecti ad Moſam Nobiliſſ. mihique Amiciſſimus Petrus Boomhouer: Promulgante ſcil. eaſdem Indulgentias *Chriſtiano Boomhouer* (ex cujus tribus fratribus, *Johanne, Caſparo,* & *Bartholomæo,* Familia Boomhouerorum originem ſuam trahit) tum temporis Metropolitanarum aliquot Eccleſiarum *Canonico*, item *Comite Apoſtolico, Protonotario,* (in priore Bullâ dicitur *Julii Papæ* II. *Acolythus, & Capellanus*) ac nomine *Julii* Papæ II *Nuncio* & *Commiſſario Apoſtolico*, ad Provincias Moguntinenſem, Colonienſem, ac Trevirenſem, illarumque ac Miſnenſes in Saxoniâ Civitates & Diœceſes, ubi Miſnia, Torgavia, Witteberga, Dreſda, &c. Qui ipſiſſimus eſt Tractus, in quo paucis poſt annis *Tezelius*, Indulgentiarum Propola, in favorem Equitum Teutonicorum, adversùs Ruſſos vel Moſcovitas, magnam pecuniæ vim collegerat. Et quidem hæ conceſſæ ſunt à Papâ Indulgentiæ, *pro tutelâ partium Livoniæ,* & *ſubſidio Sanctæ Cruciatæ, quotquot manus adjutrices porrigerent,* juxtà Ordinationem Pontificis, *contrà ferociſſimos Ruthenos, Hæreticos, & Schiſmaticos, Tartarorum auxilio fretos.* Id eſt, decretæ hæ in favorem Ordinis Militaris, Equitum S. Mariæ, quorum Sedes Mariæburgum, Dominorum in Livoniâ, qui à Moſcovitis, Tartaris, & vicinis Gentibus premebantur; ſaltem hic Julii obtentus fuit. Cujus rei meminit Joh. Cochlæus, de *Script. & Actis Lutheri, pag.* m. 8. ut recentis adhuc memoriæ, quum Indulgentias in Saxoniâ oppugnaret idem Lutherus. Prima Bulla edita fuit An. MDVII. heic appoſita, ne Lectorem defraudemus his non modò Familiæ Boomhouerianæ monumentis, à Maximiliano I. Imperat. Equeſtribus Inſignibus donatæ An. MDXIII. ut videre eſt in Godefridi Chronicis Germanicis Ed. noviſſimæ, T. I. p. 2011. ſed quæ etiam ſimul faciunt ad Eccleſiæ ejus temporis, & Papalis ſervitutis ſub Julio II. hiſtoriam:

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis Chriſtianus Boomhouer *Decretorum Doctor, Rector Parochialis Eccleſiæ in Revel, Tarbaten,* &c. *Diœceſ. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Julii divina providentia Papæ* II. *Acolythus, Capellanus, & ejuſdem ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Moguntinenſem, Colonienſem, & Trevirenſem Provincias, illarumque ac Miſnenſes Civitates & Diœceſes, Nuntius & Commiſſarius, ſalutem in Domino.*

Notum facimus quod idem Dominus noſter Papa cunctis Chriſti fidelibus in Provinciis, Civitatibus, & Diœceſibus prædictis, quomodolibet habitantibus & commorantibus, ac ad eas undecunque confluentibus, qui durante triennio pro tutela partium Livoniæ, in ſubſidium S. Cruciatæ, contra ferociſſimos Ruthenos Hæreticos & Schiſmaticos, Tartarorum infidelium auxilio fretos, manus adjutrices juxta noſtram Ordina-

Digitized by Google

tionem porrexerint, ultra pleniſſimas peccatorum Indulgentias, ſacratiſſimi Jubilei, etiam centeſimi, ac alias plures gratias & facultates quas ad hoc diſpoſiti pro ſe, ac certis defunctorum animabus, reſpective conſequuntur, de plenitudine ac liberalitate poteſtatis Apoſtolicæ, miſericorditer conceſſit & voluit, ut tam ipſi quam omnes & ſinguli eorundem parentes ac benefactores, cum charitate defuncti, in omnibus partibus, ſuffragiis, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, Miſſis, horis Canonicis, diſciplinis, peregrinationibus, & cæteris omnibus ſpiritualibus bonis quæ fiunt, & fieri poterunt in tota univerſali Sacroſancta Eccleſia militante, ac omnibus membris, ejuſdem participes in perpetuum fiant.

Et inſuper viventibus indulſit, ut deinceps in aliis occurrentibus aliquem idoneum Presbyterem ſecularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui vita eis comite in caſibus dictæ Sedi reſervatis (præterquam offenſæ Eccleſiæ libertatis, criminum hæreſis, & rebellionis, aut conſpirationis in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem prædictam, falſitatis litterarum, ſupplicationum, & commiſſionum Apoſtolicarum, invaſionis, deprædationis, occupationis, & devaſtationis Terrarum & Marium Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectorum, offenſæ perſonalis in Epiſcopum vel alium Prælatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium) ſemel duntaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, pro commiſſis ſibi de bitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam; duntaxat excepto quod in alia pietatis opera commutare valeat, quod idem Confeſſor, quem quilibet ipſorum elegerit, omnium peccatorum ſuorum de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, etiam ſemel in vita & in Mortis Articulo quoties ille imminebit, etiam ſi tunc eos decedere non contingat, pleniſſimam remiſſionem eis auctoritate Apoſtolica concedere poſſit: Sic tunc quod idem Confeſſor ſatisfactionem alteri impendendam, faciendam injungat, & ex confidentia confeſſionis vel remiſſionis prædictarum nullatenus aliquid illicitum committat; quas quidem Indulgentias, gratias & facultates idem Sanctiſſimus Dominus noſter Papa vult & decernit, per quamcumque ſuſponſionem aut revocationem nequaquam nunc aut in futurum comprehendi, ſed ſemper exceptas cenſeri debere, prout in litteris Apoſtolicis deſuper confectis, plenius continetur; Et quia devoti in Chriſto Jacobus de Boel Presbyter, ac Arend Artium Liberalium Magiſter, ad præfatum fidei Catholicæ negotium juxta Summi Pontificis intentionem & noſtram ordinationem de Bonis ſuis pie contribuit, ideo auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa ut dictis gratiis & indulgentiis uti, potiri, & gaudere poſſit & valeat per præſentes noſtras litteras atteſtamur. Datum Coloniæ ſub Sigillo noſtro, quo ad hoc utimur. Die lunæ 28. menſis Septemb. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptimo.

Forma abſolutionis in vitâ toties quoties. Miſereatur tui Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & per merita ſuæ paſſionis te abſolvat; auctoritate cujus, & Apoſtolica mihi in hac parte conceſſa, ac mihi permiſſa, Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis: In nomine Patris Filii & Spiritus S. Amen.

Forma abſolutionis ac pleniſſimæ remiſſionis ſemel in vitâ, & in quocunque Mortis Articulo.

Miſereatur tui Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ac per merita ſuæ paſſionis te abſolvat, ut ego auctoritate ipſius & Apoſtolica mihi in hac parte permiſſa, & tibi conceſſa, te abſolvo primo ab omni ſententia excommunicationis, majoris, vel minoris ſi quam incurriſti, deinde ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi pleniſſimam omnium peccatorum tuorum remiſſionem: In nomine Patris Filii & Spiritus S. Amen. (L. S.)

Altera Bulla, edita eſt A. MDIX. & ita habuit: Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis Chriſtianus Boomhouer utriuſque Juris Doctor, Protonotarius, & Comes Apoſtolicus, nec non Metropolitanarum Colonienſis ac Tarbatenſis & Revalienſis Eccleſiarum Canonicus, Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Julii divina providentia Papæ II. Sanctæque Sedis ad Moguntinenſem, Colonienſem & Trevirenſem Provincias, illarumque ac Miſnenſes Civitates & Diœceſes, Nuncius & Commiſſarius, ſalutem in Domino. Notum facimus quod idem Dominus noſter Papa cunctis in Chriſto fidelibus, in Provinciis, Civitatibus, & Diœceſibus prædictis quomodo libet habitantibus & commorantibus, ac ad ejus undecunque confluentibus qui durante triennio, pro tutela partium Livoniæ, in ſubſidium ſanctæ Cruciatæ contra ferociſſimos Ruthenos, hæreticos & ſchiſmaticos, Tartarorum infidelium auxilio fretos, manus adjutrices juxta noſtram ordinationem perrexerit, ultra pleniſſimas peccatorum indulgentias, ſacratiſſimi Jubilei (etiam centeſimi) ac alias plures gratias & facultates, quas ad hoc diſpoſiti pro ſe ac certis defunctorum animabus reſpective conſequuntur, de plenitudine ac liberalitate poteſtatis Apoſtolicæ, miſericorditer conceſſit, & voluit, ut tam ipſi quam omnes & ſinguli eorum parentes ac benefactores cum charitate defuncti, in omnibus precibus, ſuffragiis, eleemoſynis, jejuniis, diſciplinis, orationibus, Miſſis Canonicis, peregrinationibus & cæteris omnibus bonis ſpiritualibus quæ fiunt, & fieri poterunt in totâ univerſali Sacroſancta Eccleſia militante, ac omnibus ejuſdem membris, participes in perpetuum fiant: Et inſuper viventibus indulſit, ut deinceps, etiam dicto triennio finito in aliis occurrentibus, aliquem idoneum Presbyterum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui vita eis comite in caſibus dictæ Sedi reſervatis (præterquam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis & rebellionis aut conſpirationis in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem prædictam, falſitatis litterarum, ſupplicationum & commiſſionum Apoſtolicarum, invaſionis, deprædationis & occupationis Terrarum & marium Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectorum, offenſæ perſonalis in Epiſcopum, vel alium Prælatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium) ſemel duntaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, pro commiſſis ſibi debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem, nec non vota quoque ultramarina limitum Apoſtolorum beatorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compoſtella, nec non caſtitatis & Religionis voto; duntaxat excepto, quod in alia pietatis opera, commutare valeat, quodque Confeſſor quem quilibet ipſorum elegerit, omnium peccatorum ſuorum (de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint) etiam ſemel in vita & in Mortis Articulo, quoties ille imminebit, etiam ſi tunc eos decedere non contingat, pleniſſimam remiſſionem, eis auctoritate Apoſtolica concedere poſſit; ſic tamen quod idem Confeſſor, ſatisfactionem alteri impendendam, faciendam injungat, ex confidentia confeſſionis vel remiſſionis prædictarum, nullatenus aliquod illicitum committatur: Quas quidem indulgentias, gratias & facultates, idem Sanctiſſimus Dominus noſter Papa vult & decrevit, per hanc ſuſpenſionem aut revocationem, nequaquam nunc aut in futurum comprehendi, ſed ſemper exceptas cenſeri debere, prout in litteris Apoſtolicis confectis plenius continetur: Et quia devoti in Chriſto . . . . Embertus Silvius, Theodorus Berſin, & Adriana ejus uxor, ad præfatum fidei Catholicæ negotium juxta Summi Pontificis intentionem, & noſtram ordinationem, de Bonis ſuis præcontribuerunt, ideo auctoritate Apoſtolica præfata nobis conceſſa ut

dictis

Altera Bulla.

Digitized by Google

dictis gratiis & indulgentiis uti, potiri, & gaudere poſſit & valeat, per præſentes litteras noſtras atteſtamur. Datum in Oeſterwijck ſub Sigillo noſtro, quo ad hoc utimur, die viceſima ſecunda menſis Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nono.

Forma abſolutionis in vita toties quoties.

Miſereatur tui Dominus noſter J. Chriſtus, & per merita ſuæ paſſionis te abſolvat, auctoritate cujus & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, ac tibi conceſſa Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Forma abſolutionis & pleniſſimæ remiſſionis ſemel in vita & in quocumque Mortis Articulo.

Miſereatur tui Dominus noſter J. Chriſtus, & per merita ſuæ paſſionis te abſolvat, ut Ego auctoritate ipſius & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa ac tibi conceſſa, te abſolvo primo ab omni ſententia excommunicationis majoris vel minoris, ſi quam incurriſti, deinde ab omnibus peccatis tuis conferendo tibi pleniſſimam peccatorum tuorum remiſſionem: In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

(L. S.)

Indulgentiæ à Leone X. diſtribui juſſæ.

Cumprimis verò à *Leone* X. luxurioſiſſimo ſimul & ſplendidiſſimo Pontificum, bella Italica arduaque omnia animo agitante, emiſſi exemplo Julii Pontificis, quaquaverſùm *Quæſtores* & propolæ, qui ampliſſimis *Diplomatibus* & *Bullis* muniti, Cœlum venale cùm pleniſſimâ poteſtate exponerent, & auro expiandum quicquid uſpiam concipitur aut perpetratur nefas. Dicat ipſe Lud. Maimburgius *Hiſt. Lutheraniſmi* Lib. I. ad A. MDXVII. ex ipſis Diplomatibus Leonis, ex Epiſtolis Sadoleti, ex Guicciardino *Lib.* XIII. ex Paulo Langio in *Chron. Citiz.* &c. Summa eſt Leonem X. molitum in ſpeciem ſuperbam porrò ſtructuram Baſilicæ S. Petri, *Ærario Pontificis exhauſto profuſis ſumptibus, qui magis Potentiſſimum Terræ decuerant, quam Vicarium illius cujus Regnum non eſt de hoc Mundo, recurriſſe exemplo Julii Pontificis ad Indulgentias, quas ubique terrarum publicari fecit; factâ poteſtate veſcendi ovis & caſeo tempore Quadrageſimæ, & eligendi ſibi Confeſſionarium: Et agnoſcendum bonâ fide eſſe, ſucceſſores Pontifices, in diſpenſatione horum theſaurorum ſpiritualium multo cautiores fuiſſe, & tum facta quædam eſſe, quæ hodiè non fierent.* Addit, *ferri ex probatorum Auctorum fide, Leonem ſorori ſuæ, Principi Cybo nuptæ, aſſignaſſe harum Indulgentiarum proventum, certo pretio æſtimandum, quod in anteceſſum ſolverent plus offerentes. Hinc miſſos horum ſollicitâ curâ Prædicatores, & Quæſtores, qui omnium maximè habiles viderentur, ad has merces* Indulgentiarum *venditandas*, prout *avaris his & ſacrilegis* Quæſtoribus expediret. Adeò quidem, ut in unâ Germaniâ, *triennii* ſpatio, fœdiſſimum hoc mercimonium *ter* repetitum fuerit. Primùm A. MDXIV. poſt *Albertum* in Moguntinum Archiepiſcopum electum, fratrem Joachimi Elect. Brandenburgici, cujus erat Aula totius Germaniæ ſplendidiſſima ſumptuoſiſſimaque: Et hoc quidem prætextu, ut Sedes Moguntina, tot profuſionibus exhauſta, *Pallii* Pontificii jura exſolvere, & ære ſe alieno liberare poſſet; undè hanc Indulgentiarum nundinationem Romæ conduxerat, ità ut media pars emolumenti ad ipſum perveniret. Alterum, A. MDXVI. quando *Joh. Tezelius* Dominicanus eam quæſturam, ab Alberto Moguntino & Magdeburgenſi, conſecutus eſt; à Maximiliano autem Imper. *Johannes Arcimboldus*, Protonot. ac Nuncius Apoſtolicus, ut loquuntur. Tertium A. MDXVII. quando ſubmiſſi à Leone Papâ, per omnia Europæ regna, Indulgentiarum plenariæque Abſolutionis, à quocunque etiam ſcelere, publici venditores, pretio nempè *decem ſolidorum*. Prætextus quidem varii fuêre, v. gr. fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum; Turcæ imminentes & paranda adversùs eos Expeditio; id genus alii: Vera cauſa, luxus immodicus Leonis, & Magdalenæ ſororis Cybo Principi nuptæ, (quæ familia Cyborum Leoni larga ſubminiſtraverat ſubſidia, quum in re eſſet anguſtiore) inexplebile habendi ſtudium. *Modus* autem promulgandi eas Indulgentias impudentiſſimus fuit; nempè confeſtim *evolaturas animas è Purgatorio in Cœlum, dùm adhuc tinnitus Numiſmatis in Gazophylacio audiretur*, ut de Tezelio Lutherus in fine Epiſtolarum Joh. Huſſi, editarum A. MDXXXVII. *Augebat ſcandalum*, ità dicto loco Lud. Maimburgius, *& plus unâ vice turbas ciendi occaſionem dederat, quod ſubdelegati Quæſtorum, qui lucrum Indulgentiarum pretio redemerant, quotidiè in popinis verſarentur, & partem Nummorum turpiter prodigerent; hoſque* Nummos *crudeliter ſibi interverſos eſſe pauperes & mendici querebantur, qui hac Indulgentiarum nundinatione Eleemoſynas ſibi ſubtrahi dicebant.* Forma verò Abſolutionis Tezelianæ, vel Arcimboldi Protonotarii & Referendarii Apoſtolici, cujus Tezelius vicarius tantùm erat, hæc fuit: *Miſereatur tui Dominus noſter* JESUS CHRISTUS, *per merita ſuæ ſanctiſſimæ Paſſionis te abſolvat; Et ego auctoritate ejuſdem, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & Sanctiſſimi Papæ noſtri, tibi conceſſâ, & in hac parte mihi commiſſâ, te abſolvo: Primò, ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis per te quomodolibet incurſis; Deindè ab omnibus peccatis, delictis, & exceſſibus tuis, hactenùs per te commiſſis, quantumcunque enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in quantum Claves S. matris Eccleſiæ ſe extendunt: Remittendo tibi, per plenariam Indulgentiam, omnem pœnam in Purgatorio, pro præmiſſis tibi debitam, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, & unitati Fidelium, ac innocentiæ & puritati in quâ eras quando baptizatus fuiſti: Ità quod tibi decedenti clauſæ ſint portæ Pœnarum, & apertæ ſint januæ Paradiſi deliciarum; quod ſi non moreris, ſalva ſit iſta Gratia, quando aliàs fueris in Mortis Articulo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Fr. Johannes Tezeel, Subcommiſſarius, manu propriâ ſcripſit.* Nec in eâ Abſolutione ulla mentio, eos qui frui iſtâ vellent, *corde eſſe contritos, & ore confeſſos*, oportere; quod Quæſtorum vafritie diſſimulatum, ne ſibi plerumque vacuâ crumenâ diſcedendum foret. Atque hæc proxima *Saxonicæ Reformationis* occaſio fuit, haud inficiatis Franc. Guicciardino, Paulo Jovio, Polydoro Vergilio, Laurentio Surio, & turbâ totâ Hiſtoricorum.

Earum vera cauſa.

Modus: Abſolutionis forma.

VI. *Lutherus ad inchoandam Reformationem excitatus. Initiorum brevis Hiſtoria: Ut & Zwinglii in Helvetiâ, & aliorum, Euangelium prædicantium.*

Lutherus quando innotuit?

I. LUtherus Monaſterium Auguſtunian. Erfordiæ ingreſſus A. MDV. deiǹ, ad Magiſterium ſeu Profeſſionem Wittebergam vocatus A. MDVIII. tum Doctor publicè renunciatus eſt quanquàm coactus & invitus, A. MDXII. promovente Andreâ Bodenſtein ex Caroloſtadt; niſi quod ad hoc excitavit ſtudium *Scripturarum*, quas ità majore diligentiâ & fide expenderet. Hinc Hebraicis literis & Græcis ſe dedit majori quàm hactenus ſtudio, exemplo Capnionis & Eraſmi excitatus; quum demum ab ingreſſu in Monaſterium didiciſſet, plures eſſe textus Euangelicos & Apoſtolicos, quam qui in Miſſæ Sacris prælegeren-

Digitized by Google

rentur. Indè faſtidio Ariſtotelicæ & Scholaſticæ Philoſophiæ ductus, ad *Auguſtini* quoque Libros ſe convertit, cujus doctrinæ de Gratiâ & Prædeſtinatione deinceps aſſertor & vindex fuit. Intelliguntur iſta ex Epiſtolis Lutheri ad Georgium Spalatinum, ſcriptis A. MDXIV. MDXVI. MDXX. & ad Johannem Langum, Priorem Auguſtinianorum in Cœnobio Erfurtenſi. Poſteà *Vicarius* in partibus Miſniæ & Thuringiæ, abſente Joh. Staupicio, conſtitutus, magnam in dicendo & docendo παῤῥησίαν probavit, rerum divinarum inprimis ſtudio captus; ut etiam *Joh. Tauleri* Sermones, tanquam quo neminem in *Theologiâ ſalubriorem*, & *cum Euangelio conſonantiorem vidiſſet*; præ cæteris commendaret, obſervante Illuſtri Seckendorfio, Hiſt. Lutheraniſmi, *Lib.* I. *Sect.* VIII. p. 20. Hæc Lutheri fuêre ſtudia, hic animus, quum adversùs Tezelium diſputare aggreſſus eſt, oppoſitis XCV. Theſibus de *Indulgentiis*, ubi ſimul de *Purgatorio*, de verâ *Pœnitentiâ*, de *Satisfactionibus*, & annexis Capitibus, A. MDXVII. prid. *Kal. Nov.* publicè portis Eccleſiæ Wittembergenſis affixis. Quas ex æmulatione in Tezelium, Dominicanorum Ordini adſcriptum, eumque delectum ſibi adverſarium, ut eo ſuperato maximus in Germaniâ *Concionator* haberetur, hariolatur Varillaſius, Variation. *Lib.* III. quum non de Concionibus, ſed de Dogmatibus, æmulationem omnem fuiſſe conſtet. Has mox Theſes Lutherus, permittente Joh. Staupicio Generali Vicario Auguſtinianorum, qui Luthero impensè favebat, cum adjunctis ſubmiſſis Literis, quas eodem die ad Archiepiſc. Moguntinum eundemque Magdeburgenſem, *Albertum* Brandenburg. ſubmiſit, quibus rei fœditate expoſitâ tanto Præſuli, hortabatur ut Libellos Indulgentiarum aboleret. Annexa fuit Theſibus proteſtatio, *Tomo* I. Operum Ienenſ. Latin. *ſubmittere* ſe ſua Scripturis, Patribus in Eccleſiâ receptis, Canonibus, Decretis, omnium denique Superiorum ſuorum judicio; adeò ut ſi errare poſſet, procul tamen eſſet à pertinacis *Hæreſeôs* labe. Factum prius eſſe inſtigante Friderico Electore Saxone, in odium & invidiam Alberti, mentitos eſſe illo tempore *rabulas & multos alios*, queritur in Epiſt. ad Georgium Spalatinum, *Lib.* I. *Epiſt.* XXXIX. Tezelius verò illis Theſibus CVI. alias Francofurti ad Oderam oppoſuit, imò ut *Inquiſitor* Hæreticæ Pravitatis, Lutheri Theſes palàm comburi juſſit; quanquam (invito Luthero ut ipſe *Lib.* I. Epiſt. XLVII.) hujus diſcipuli parem Tezelianis Theſibus contumeliam, earum concrematione inferrent. Hinc Libelli utrimque ſcripti, illinc à Tezelio, indè Luthero, de Indulgentiis & Gratiâ Pontificiâ: Simul natæ quæſtiones, ex Tezelianis Theſibus, *de Poteſtate Papæ tanquàm ſupremâ, & à ſolo Deo inſtitutâ, cui ſimpliciter obediendum*; cujus *juriſdictio in univerſalem Eccleſiam ſe extenderet*; *qui auctoritate ſuprà Concilium eſſet*; qui *ſolus determinare poſſet ea quæ fidei ſunt*, & *de Scripturæ S. ſenſu auctoritativè* pronunciare: Ità multas teneri in Eccleſiâ *veritates Catholicas, quæ in Canone S. Scripturæ in propriâ verborum formâ non continentur*; imò quæ non *à Doctoribus antiquioribus ità ponantur*; obſervantias omnes *in materiâ fidei*, *Apoſtolicæ Sedis judicio definitas*, inter *Catholicas veritates eſſe computandas*; uti quæ *Doctores ab Eccleſiâ approbati aſſertivè tradiderant.* In quibus omnibus expendendis & inquirendis, Lutherus per gradus & ſucceſſivè verſatus eſt, ſcribendo & docendo; ut non ex illis fuerit, contrà rancidam calumniam, *qui repentè fiunt ſummi* Doctores, ut ipſe in Præfat. Operum profeſſus eſt. Succeſſit A. MDXVIII. diſputatio cum *Eckio*, antè amico Lutheri, deinceps *Bohemicum virus objicienti*; cujus *Obeliſcis* oppoſuit *Aſteriſcos* Lutherus, adhuc tùm honorificè ſatis de Papâ ſcribens: Poſteà cum *Sylveſtro Prierate* Monacho Dominicano, qui Luthero exprobravit in Ep. Dedicat. quod *Satanam ipſum in futuro certamine non extimeſceret; ipſe autem avidè experiri cuperet, an ferreum naſum an caput æneum gereret iſte Martinus.* Capita Diſputationis fuêre potiſſimùm, an Pontifex Romanus cum Concilio, determinans ea quæ ad Fidem & Mores, errare non poſſet? Et an qui à Doctrinâ Rom. Eccleſiæ, tanquam Regulæ infallibilis, à qua etiam S. Scriptura robur traheret & auctoritatem, recederet, hoc ipſo eſſet Hæreticus? Reponente Luthero, Paulinum illud in *Epiſt.* ad Galatas, *ſi Angelus à cœlo*, &c. & Auguſtini illud Epiſt. ad Hieronymum, *Ego ſolis Libris qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum eorum Scriptorum erraſſe firmiſſimè credam*, &c. Et quæ plura hac de re videri poſſunt apud Vitum Ludov. à Seckendorf, *Lib.* I. *Sect.* XIII. Et hic Annus MDXVII. Epocha quædam eſt cœptæ Reformationis, quem Romanæ Eccleſiæ Scriptores, *Germaniæ totique Eccleſiæ funeſtum*, appellare conſueverunt. Qui Annus, ut Lutheri in Romam Pontificiam & animas nundinantem auſis, memorabilis exiſtit, ſic & factis quibuſdam auſpiciis Leonis X. E. gr. abolitione Pragmaticæ Sanctionis per nova (ut viſum antè) *Concordata* inter Leonem & Franciſcum I. quorum hiſtoriam ſcripſit Puteanus, & undè Budæus derivat mala omnia quæ Galliam afflixêre, Annotationibus ſuis in Pandectas, ad Legem Jul. *de Ambitu*, *pag.* 236. Sic eo Anno contigit everſio Decretorum Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis, de Poteſtate *Concilii ſuprà Papam*, deque Reformationis neceſſitate; diſſolutâ à Leone Synodo Lateranenſi, non factâ ullâ Reformatione: Ad quæ refer creationem uno & eodem die, quod nunquam contigerat, XXXI. *Cardinalium, partim pretio, quod pecuniis eſſet exhauſtus Leo, partim ſanguinis, & privati affectus, intuitu*; ut ex ſcriptoribus ſe prioribus ipſe Spondanus, ad A. MDXVII. *Num.* V. Ne addam memorabilia alia eo ipſo Anno, ex Hiſtoriâ Civili: V. gr. Extinctum in Ægypto *Mamelukorum* Imperium, armis Selimi Turcarum Imperat. patris Solimanni: Sic trajectum in Hiſpanias *Caroli* Belgarum Principis; à cujus adventu contigit caſus ſimul & obitus Cardinalis *Ximenii*, poſtquàm Hiſpanias tot annorum decurſu, & vaſtiſſimum Imperium, pro libidine rexiſſet, evectus ab infimâ ſorte ad faſtigium tantæ dignitatis. Et ex Hiſpaniis rediit Carolus, electus Anno ſeq. MDXX. ad capeſſenda Imperii Germanici gubernacula.

Epocha cœptæ Reform.

II. Indè Lutherus Romam citandus An. ſequente, daturus fuit Literas ad Brandeburgicum Præſulem, ad Joh. Staupicium Generalem Vicarium ſui Ordinis, *tum ad ipſum Leonem X.* ſcriptas An. eodem MDXVIII. quæ extant *Tomo* I. Oper. Ienenſ. Lat. In hac Epiſtolâ, præmiſſâ Diſputationis ſuæ apologiâ, ſe adhuc Pontificis arbitratui, cujus vocem ut illam *Chriſti* reſpiceret, planè ſubmittit: *Proſtratum me pedibus tuis, Beatiſſime Pater, offero, cum omnibus quæ ſum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit: Vocem tuam vocem Chriſti, in Te præſidentis & agnoſcam, & ſi mortem merui, mortem non recuſabo.* Ita *Purgatorium* adhuc tum credidiſſe, & culpaſſe negantes iſtud Bohemos, patet ex ejus Concluſione XV. Tomo I. Oper. Undè non ſimul & ſemel ad repurgandam doctrinam proceſſiſſe, neque factioſo aut enthuſiaſtico ſpiritu ductum fuiſſe liquet. Imò profeſſus A. MDXX. in Literis ad Carolum Cæſarem datis, *ſe fidelem & obedientem S. Catholicæ Eccleſiæ filium mori velle*; deprecatus modò temeraria, & ex odio vel invidiâ de ſe & ſuis judicia. Quemadmodum nec Cucullum Auguſtinianum ſeu *Monaſticum* depoſuit, antè A. MDXXIV. aſſumptâ tùm veſte qualis Concionatorum in Germaniâ eſt, quum Monaſterio diffluxiſſent plerique Cœnobitæ.

Lutherus nondùm cogitabat ſeparat.

III.

Progreſſus certaminum Lutheri.

III. Cæterùm ingemuit adverſùs innumera quæ in Romanâ Eccleſiâ traderentur extrà S. Scripturam, dùm audiret ea prædicari quæ *nunquam ſcripta & ſtatuta ſunt*; & vim in hiſce profitendis factam eſſe ab Inquiſitoribus Hæreticæ Pravitatis, etiam *Joh. Pico Mirandulano*, *Laurentio Vallæ*, *Petro Ravennati*, *Johanni Veſaliæ*, *Joh. Reuchlino*, *Jacobo Stapulenſi*, qui *inviti cogerentur benè ſentiendo malè ſentire*, ut idem *Concluſione* XXVI. T. I. Ienenſi. Quemadmodum familiaris pridem fuerat *Joh. Capnioni* magno Hebraicarum Liter. inſtauratori, tùm *Georgio Spalatino* Canonico dein Paſtori Altenburgenſi, Electori Saxoniæ à Sacris Aulicis; qui magni etiam habitus ab Eraſmo, tandemque publicè Lutheri doctrinam profeſſus eſt, ab A. MDXXIII. & ad quem frequentes extant Lutheri Epiſtolæ. Ità *Phil. Melanchthon* ab An. MDXIX. quo Wittenbergæ Literas Græcas profeſſus eſt, Luthero deinceps conjunctiſſimus fuit, uti in pretio jam tum habitus à Capnione, Eraſmo, Sadoleto Cardinali, &c.

Eraſmus quid de Luth. ſenſerit?

Imo ipſe *Eraſmus* Anno MDXIX. menſe Majo, literas ad Lutherum ſcripſit amantiſſimas, licet ſibi hactenùs *ignototiſſimum* fuiſſe teſtetur; ubi de Scriptis ejus, & de Commentariis in Pſalmos, cum laude loquitur, hortaturque ut ità pergeret, ſed *profici plus civili modeſtiâ quàm impetu*, cavendumque *ne quid arroganter aut factiosè loquamur, faciamuſvè*. Anno verò MDXXIV. inſtinctu Pontificis motus Eraſmus, ut in Lutherum calamum ſtringeret; cui Anno ſequente hic oppoſuit Librum de *Servo Arbitrio*. Hinc ſecuta eſt *Thomæ de Vio* Card. Cajetani, ex Ordine Dominicanorum parum favente Auguſtinianis, Legatio in Germaniam, & quidem *Auguſtam* Vindelicorum, coràm quo ſe ſtitit Lutherus, (ut promiſerat Fridericus Elector Saxoniæ) ſed tutus fide publicâ ſeu ſalvo conductu Cæſaris, impetrato XII. *Oct.* MDXVIII. Ubi juſſus eſt revocare, & abſtinere in poſterum ab erroribus, inprimis circà *Indulgentias*, & *Bullam Clementis* VI. quam impugnaverat; exaltatâ à Cajetano auctoritate *Pontificis ſuprà Concilium*, *ſuprà Scripturam*, in quâ unicum pro Indulgentiis fundamentum poſuit: Tandemque non permittente eò debitas reſpondendi partes Luthero, ac *Scriptum* ab ipſo exhibitum adſpernante, imò *abire* jubente, uſque dùm revocaretur; literas dedit ad Cajetanum ſubmiſſionis plenas, exceptâ *revocatione*, *qua in dubiis & indeterminatis nihil ad rem faceret*. Hinc Appellationem interpoſuit *à Pontifice malè informato ad meliùs informandum*, adverſùs citationem factam à Fiſcali Pontificio; cauſatus multa quæ Romam proficiſci impedirent; poſteà etiam, viſo Brevi Pontificis, conqueſtus id *Diabolicum* eſſe Diploma, nec *à Pontifice ſed à nebulone quodam ſcriptum*. Hinc quum ſibi non tutum ſatis arbitraretur, & expectaret Româ fulmina & anathemata, quarum periculum evitabat, in Galliam ſe recipere ad Univerſitatem Pariſienſem, aliquando cogitabat: Deinde à Wittenbergenſi Academiâ, ſcriptis ad Electorem literis, & ab ipſo Electore, inprimis poſt mortem Maximiliani *Vicario Imperii*, A. MDXIX. confirmatus, ut maneret. Animo quidem conſtanti in propugnandis iis quæ aſſeruiſſet, ſed nondum intrepido, aut timoris ac diffidentiæ neſcio; undè Lutheri ſubmiſſiones, quarum tamen ipſum poſtmodum pœnituit, ex *Præfatione* Oper. A. MDXLV. ſcriptâ. Poſt excepit celebris Diſputatio Lipſiæ habita, *Eckium* inter & *Lutherum*, etiam *Caroloſtadium*, præcipuè de *Libero Arbitrio*, & *Causâ* boni Operis: Ubi potior cauſa Eckii fuit applauſu, clamoribus, geſtu; quem ab humanioribus literis, & Scholaſticâ eruditione laudat Lutherus, ſed in *Sacris Scripturis* imperitum & inanem fuiſſe diſputatorem, quas vix à limine ſalutaſſet; ex Tomo I. Oper. Ien. Lat. *fol.* 294. &c. In eâ Diſputatione ſpectator & auditor Phil. Melanchthon fuerat, ubi ab Eckio his verbis increpitus fuiſſe dicitur, *Tace tu Philippe, ac tua ſtudia cura, nec me interturba*. Quam excepit *Hieron. Emſeri* Suevi, & Profeſſoris Lipſienſis cum Luthero concertatio, inter alia de *Pontificatu* & *Primatu* Papæ Romani. Etiam hoc Anno contigit obitus *Tezelii*, Lipſiæ in Cœnobio Dominicanorum, peſte correpti. Uti eodem Anno ſcripſit non tantùm ad *Carolum* Cæſarem literas, ſubmiſſionis plenas, ſed & ad Pontificem *Leonem*, omni conatu permoturus, ut ad ſeriam Reformationem animum adjiceret; culpam exaſperatæ Cauſæ conjecturus in Cajetanum Card. & Eckium; quas vide inter Lutheri Epiſtolas, & apud Sleidanum Hiſt. *Lib.* II. ſub initium. Sic eodem Anno ſcripſit Libellum de *Libertate Chriſtianâ*, in quo mentem ſuam expoſuit de *Juſtificatione* ex merâ ac gratuitâ miſericordiâ; ſeu quomodo *ſola Fide* eam amplexante juſtificemur, ita tamen ut exigantur *Bona Opera*, quibus Deò ſerviamus in Liberâ charitate. Tum inter alia ſcripſit *adverſùs execrabilem Antichriſti Bullam*, ab Eckio publicatam, ſed ità ut Leonem exſculpet, quem ejus auctorem fuiſſe, aut Eruditos ejus Cardinales, planè non credat: Quam *Bullam* notum eſt Lipſiæ laceratam ac combuſtam fuiſſe, utpotè quam in ditione Electorali publicari ſine hujus conſenſu nefas eſſet; uti combuſtum *Decretum Gratiani*, *Decretales Pontificum*, *Clementinas*, *Extravagantes*; quibus *Papa* haberetur *Deus in terris*, *ſuperior omnibus cœleſtibus*, *terrenis*, *ſpiritualibus* & *ſecularibus*; item *omnia Papæ eſſe propria*; *cui nemo auderet dicere*, *Cur ita facis?*

Ejus in Comitiis Wormat. comparitio. Et quæ hanc exceper?

IV. Cætera, quæ hæc Lutheri primordia, variaque ejus Scripta, mox exceperunt, ad promotæ magis magiſque, & invaleſcentis in dies Reformationis hiſtoriam, pertinent: Qualia ſunt v. gr. Comitia Imperii *Wormatiæ* indicta, A. MDXX. quæ ex lege Aureæ Bullæ Norimbergæ haberi debuerant, ſed peſte ibi graſſante in alteram urbem à Carolo V. transferenda; *Lutheri* in Comitiis illis, ſcribente ad eum ſuadenteque, rogatu Cæſaris, Friderico Electore, intrepida comparitio, à quâ ne omnes *Dæmones* Inferni ſimul junctos prohibituros eſſe dixit; Ejuſdem per *duas horas* integras præſente Imperatore magnâ vi peroratio & cauſæ dictio, negantis, ſe revocare poſſe quæ docuiſſet, niſi ex unico Dei Verbo convictum; undè ejus ad Trevirenſem Archiepiſcop. voces: *Si cauſa mea non eſt ex Deo, ultrà duos aut tres annos non durabit*; *ſi autem ex Deo eſt, à nemine opprimi poterit*: Sed poſt diſceſſum Lutheri, ſeveriſſimum prodiit Wormatiæ Edictum Imperiale, in quo Scriptor virus ſuum prodit, erutis ex Lutheri Scriptis quæcunque odioſa & in peſſimam accepta videri poſſent. De quo tamen nihil habetur in *Receſſu* Imperii, nec de actitatis cum Luthero, rogante haud dubiè Electore Friderico, qui Luthero, ut potuit, patrocinatus. Deinceps, ut Lutherus in arcem ſolitudinis, *Patmon Inſulam* vocant, ſe receperit; quæ ibi Scripta elaboraverit; quæ in Jacobum Latomum Theologum Lovanienſem, in Ambroſium Catharinum Senenſem, in Hieronymum Emſerum Lipſienſem; imò ad ipſum Albertum Moguntinum, emiſerit Scriptiones liberrimas; poſteà adverſus Henricum VIII. A. MDXXII. multis ex Luthero Illuſtr. Seckendorfius. Quo Anno ex cuſtodiâ, ſine permiſſu tamen Electoris Friderici, abiit, excitatus illinc Muntzeri & Fanaticorum novis revelationibus, hinc Caroloſtadii Wittembergæ reformatione; qui Nuptias noviter contraxerat, in Imagines, in Miſſas ſolitarias, in Confeſſionem auricularem, impetu quodam invectus; undè Lutheri à reditu habitæ Conciones, diebus VII. continuis, quibus horum quædam improbavit; probans uſum (non cultum) Imaginum, confeſſionem Sacerdotalem, panem in Euchariſtiâ in

Digitized by Google

os ingeri, non è manibus Sacerdotum accipi, &c. Modum ſaltem quo Caroloſtadius hos ritus aboleverat, vehementer damnans. Sed hæc ad Hiſtoriam Reformationis *Lutheranæ* pertinent, cujus primos jam gradus vidiſſe ſufficiat.

Huldr. Zwinglius, ut motus ad prædicandum Euangel.

V. Dum hæc geruntur in Saxoniâ & vicinis Germaniæ locis, intereà in *Helvetiis* Reformationem promovit inprimis *Huldricus Zwinglius*, natus in *Domo Sylveſtri*, pago Comitatus Doggici, A. MCCCCLXXXIV. ipſis Kal. Januarii. Poſteà Baſileæ, Bernæ, Viennæ, ſtudiorum jactis tyrociniis, Magiſterii gradum in primâ conſecutus eſt; hinc animum ad Theologiam appulit, Præceptore *Thomâ Wittenbagio*, qui Tubingâ relictâ Baſileam commigrarat. Hinc ad Cathedram Eccleſiaſt. translatus A. MDVI. Glaronæ primùm, tum in Eremo Helvetiorum loco celebri, dicto *Emſidlen*, tandem ad Plebanatum Tigurinum A. MDXIX. vocatus fuit. Ubique ingenii, modeſtiæ, doctrinæ, amoris Scripturarum, ſpretis ſuperſtitionibus, ac Euangelio prædicato, dederat ſpecimina; quin *primum* ſe ex ſolis Scripturis prædicaſſe, miſſis *Traditionibus* Papiſticis, ab A. MDXVI. quum *Lutheri* nomen ne auditum illi quidem fuiſſet, ipſe tradit Operum *Tomo* I. Cùm verò *Bernardinus Samſon* Monachus Franciſcanus, Subdelegatus Generalis Ordinis Minorum, cui Leo X. Bullam ſuam de publicandis *Indulgentiis* commiſerat A. MDXVII. merces ſuas An. MDXVIII. in Helvetiæ partibus, & pago quidem Swiziæ, venum exponeret pari impudentiâ; jam illi contradixiſſe Zwinglium, Paſtorem tum in Eremo, Illuſtri Helvetiæ Monaſterio, certa Hiſtoria refert, apud Hottingerum *Hiſt.* Seculo XVI. P. III. C. III. & ex eo Ludov. Vitum à Seckendorf, *Hiſt.* Lutheraniſmi *Lib.* I. *Sect.* 22. Poſteà verò Tiguri, quò vocatus fuerat Zwinglius, reſtitit idem fœdæ nundinationi ab A. MDXIX. cui ſe adjunxit Bullingerus, Decanus Bremogartenſis; donec A. MDXXIII. pleniùs ille Reformationem dogmatum ſuſciperet, Concionibus, Lectionibus, Diſputationibus, Scriptis, ad A. uſque MDXXXI. in quem incidit mors Zwinglii, XI. *Octobr.* Quando ſanguine ſuo obſignavit doctrinam Euangelii, Paſtoris officio in caſtris Tigurinis pro more functus, ubi inter ſtrata concivium cadavera occubuit, oppreſſus multitudine ac furore hoſtium; qualiter olim Sacerdotes Vet. Teſt. qui etiam משוחי מלחמה *uncti ad bellum* erant. Tanta verò illius *Samſonis* Monachi in venditandis ſuis mercibus ἀναίδεια, tamque effrænis licentia fuit, ut in magno hominum confluxu, illis vellet (famuli voce) *patere primùm aditum qui pecuniâ eſſent inſtructi, pauperum poſteà habitum iri rationem.* Ac palàm Tiguri, hinc Bernæ, Diplomata divendebat, *pauperioribus* viliori pretio, duobus *Batzen* ut vocant, opulentioribus pretio auctiore. Imò in majori Bernatum Templo, tres Pontificis gratias, cuivis pretium ſoluturo, expoſuit: Prima fuit, plenaria omnium peccatorum remiſſio, à culpâ & pœnâ, omnibus conceſſa, qui *flexis genibus* peccata confiterentur, & Orationem Dominicam, cum Salutatione Angelicâ, *ter* recitarent; Secunda, facultas liberandi animam quam vellent ex Purgatorii flammis, illis data qui Templum majus *ter* orando *circumirent*; Tertia jam prioribus diffuſior, ſcil. omnes Bernenſium defunctos, ubicunque exceſſiſſent, liberatum iri tam ab Inferorum, quàm à Purgatorii cruciatibus, in Cœlum transferendos, modò ſinguli flexis genibus *quinquies* Orationem Dominicam, tum Salutationem Angelicam, in Defunctorum ſubſidium, recitaſſent: Undè Helvetiorum literæ ad Leonem X. quibus conqueſti de hujus Monachi impudentiâ A. MDXIX.

Indulgent. in Helvetiâ quales publicatæ?

Eccleſiæ Helvet. corruptio quanta?

Et hinc quoque æſtimare licet infandam Eccleſiæ Helveticæ corruptionem, qua factum, Henr. *Bullingero* referente apud Hottingerum, *Hiſt. Eccleſ.* P. II. Seculi XVI. p. 646. 647. ut quum *Decani* in Helvetiâ omnes congregarentur, An. MDXIX. *tres tantùm reperti ſint, qui contextum ſacrum legiſſent; Cæteri omnes fatebantur, ſe nequidem Novum Teſt. percurriſſe. Undè facilis conjectura, quid de reliquis Sacerdotibus habendum eſſet. Pauci ſtudiis vacabant, aleâ, luxu, libidine occupati: Et qui fortè Literis aliquid impendiſſent, Scholaſticam illi ſequebantur Theologiam, & Jus Pontificium. Plerique mancipia erant Sermologorum, qui excuſas & ſcriptas Monachorum Conciones memoriæ impreſſas populo, ſine judicio, recitabant. . . . . . . In Concionibus iſtis, de Corruptâ noſtrâ naturâ, Peccato, peccatorum per unicum Mediatorem Chriſtum redemptione, Juſtificatione per fidem*, &c. *nihil audiebatur: Id contrà publicè docebatur, hominem ſuis Operibus, veluti meritoriis, vitam æternam poſſe conſequi. Stentoreâ ubique voce crepabant Satisfactiones, Confeſſionem Auricularem, Indulgentias, Purgatorium. Frequentiùs beata Virgo plebi, quàm ipſe Servator, inculcabatur; Sanctorum invocatio, quàm Chriſti Sacrificium & interceſſio crebriùs proponebatur. Hinc Creaturarum invocatio, Imagines Dei & Creaturarum, loco ſolius Dei, adoratæ. Omnia abundabant Idolis, Peregrinationibus religioſis, Idololatriâ, Superſtitione. In Templis Miſſa in nundinationem migravit. Quin Sacramenta omnia, & quicquid ſanctum habebatur, venalia erant. Cantus in Monaſteriis, ut plurimùm, fuit ſuperſtitioſus. Ipſa Monaſteria turpiter degenerabant, & ne Fundatorum quidem, minus Dei regulæ, obſervabantur. Nova quotidiè erigebantur Altaria, Idola, Reliquiæ, Prebendæ, Peregrinationes*, &c. Hæc pluraque id genus onera Bullingerus d. loco, aliique recenſent. Et ut in Helvetiâ omnia illa vetuſtatis & religionis fuco illita, ità paſſim alibi totâ Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Angliâ, Hiſpaniâ, &c. idem cultus, eadem ſuperſtitio apparuit.

Reformatio Baſileæ, Bernæ, &c. & per quos, ſuſcepta.

VI. Eodem ferè tempore, Baſileæ, Bernæ, Argentorati, Norimbergæ, Ulmæ, Bremæ, in Palatinatu Bipontino, in Haſſiâ, & alibi per Germ. cœpit Reformationis opus. *Baſileæ* quidem *Conr. Pellicanus*, antè Monachus Franciſcanus, poſt varia certamina, & *Johannes Oecolampadius*, ad lectionem Theologicam A. MDXXII. vocati ſunt; ubi Scripturas Sacras, miſſis Scholaſticorum nugis, tradere cœperunt: Conqueſto Pellicano, tantam fuiſſe in Germaniâ ignorantiam Scripturarum, ut paulo antè nullum N. Teſt. *Græcum*, in totâ Germaniâ, haberi potuerit. *Bernæ*, ubi præceſſerant nuper Indulgentiæ à Bernardino Samſone publicatæ; & anteà inſignis illa impoſtura Monachorum Dominicalium, *An.* MDVII. qui abuſi ſimplicitate fratris *Jezzer*, in perſuadendo Miraculo in Imagine B. Virginis, & Hoſtiâ conſecratâ, patrato, de quo Hiſt. Bernenſis, & Diſputationis Bernæ habitæ, A. MDXXVII. (auctore Chriſtof. Luthardo Theologo Bernenſi, A. MDCLX.) Magiſtratus A. MDXXIV. Edictum vulgavit, in quo nonniſi ex Verbo Dei Vet. & Novi Teſt. credenda doceri voluit, ſuppreſſis *Libellis S. Scripturæ contrariis*; *ſeque Excommunicationi, Indulgentiis, Diſpenſationibus*, &c. *parùm fidei adhibere*, profeſſus eſt. *Argentinæ* Anno MDXXIII. docuit Euangelium *Martinus Bucerus*, Weiſſenburgo Alſatiæ Inferioris exactus; tùm *Wolfgangus Fabricus Capito*, quem ibi docentem *Joh. Calvinus* audiit, eo uſus amico magno; undè deinceps Capito Hagenoam delatus, Euangelium promovit. In Ducatu *Bipontino*, A. MDXXIII. Reformationis operi egregiè incubuit *Joh. Schwebelius*, Theologus Clariſſ. expurgato Papiſmo, fultus auctoritate *Ludovici* Ducis, piiſſimi Principis. In *Haſſiâ* doctrinæ Euangelicæ favere incepit *Philippus* Haſſiæ Landgravius, ex quo cum Luthero Wormatiæ congreſſus fuerat, vulgato deinceps Edicto An. MDXXIV.

cum

Digitized by Google

cum Edicto *Norimbergenſi* conveniente, eodem Anno, cui Titulus fuit, ſed Germanicè : *Fundamentum & Ratio ex S. Scripturâ, cur & quomodo Reverendi Duarum Parochiarum, S. Sebaldi & S. Laurentii, Norimbergæ Præpoſiti, abuſus circà S. Miſſam, ut & circà anniverſaria, Sal, & Aquam benedictam, cum aliis quibuſdam Ceremoniis, abrogaverint, omiſerint, & mutaverint* : Cum ſubſcriptione in titulo, ex dicto Paulino II. *Cor*. x. 4. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt*. Et his (quorum ſummam vide in Hiſtoriâ Lud. à Seckendorf, *Lib*. I. N. CLXXIII.) gradus ad pleniorem Reformationem factus eſt. Tacemus Reformationes alias, in variis Germaniæ Urbibus, & Regionibus; tum & Genevæ ab A. MDXXXV. cujus hiſtoriam exhibet Parentis noſtri *Geneva Reſtituta*; ſic in Angliâ, promoturis Crammero, Bucero, Martyre, &c. Quarum hiſtoriam pleniùs executi ſunt eorum locorum notiſſimi Scriptores, ne dicam Joh. Sleidanum, & continuatorem ejus Mich. Caſp. Lundorpium; ad quos deinceps Lectorem ablegamus.

FINIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ AD INCHOATAM REFORMATIONEM.

A D.

ADDENDA VEL EMENDANDA QUÆDAM.

Col. 197. lin. 2. à fine, *lege* : Ante Æram Chriſtianam annis 63. huic (inquam) Æræ tribuuntur anni circiter 249.

Col. 206. l. 5. à fine, *adde*: Sic quoque Bollandus, Bucherius, Pagius Diſſert. Hypat. p. 195. Noriſius Cenotaph. Piſan. Diſſert. II. 5. & Rigord Diſſertat. Gallicâ de Nummo Herodis Antipæ, p. 19.

Col. 287. l. 19. à fine, *lege* : Sub Jani nomine Latinis & Hetruſcis culti.

Col. 292. lin. 22. *adde* : Ingenioſa etiam conjectura eſt Celeberrimi Perizonii, Collegæ mei honorandi, *Diſſert*. VI. de Originibus Babylon. τὸ שם reddentis per *Sin*, quaſi *Signum*, *Monumentum*, *Indicium*; quo ſcilicet homines, in longinqua camporum errantes, cognoſcere poſſent *ubi eſſet eorum Urbs*, *&* *Sedes fixa*, *quoque itinere ea eſſet repetenda*; Quam conjecturam eruditè, ut ſolet, ibidem adſtruit.

Col. 318. l. 34. Plutarcho, aliiſque, *adde* : Et Amenophis apud Manethonem, teſte Joſepho *Lib*. I. contra *Apion*. cupiebat θεῶν γενέσθαι θεατὴν, quemadmodùm Oro contigerat.

Col. 335. l. 22. à fine, *adde* : Qui Talmudiſtæ multa fabulati ſunt, de Aſino Abrahami, Moſis, Meſſiæ. Vide Salom. Jarchi ad *Exod*. IV. 20. *Pirke-Aboth*, C. XXXI. Sic de Aſinâ Bileami conditâ in veſperâ Sabbathi, *Pirke* Cap. XIX. Credunt illi Aſinum Abrahami de quo *Gen*. XXII. 3. eundem eſſe cui inſedit Moſes, *Ex*. IV. 20. & eundem cui inſidebit Meſſias, *Zach*. IX. 9.

Col. 523. l. 23. *lege* : Periodi Conſtantinopolitanæ ſeu Græcorum Anno 5509.

Col. 661. l. 28. à fine, *poſt*, Aug. menſ. XXXI. *adde* : Hic eſt qui *Romam*, quam incendi juſſerat, de ſuo nomine *Commodianam*, *Immortalem*, *Fortunatam*, *Coloniam*, *Orbem Terrarum*, &c. dici voluit; ipſe autem *Hercules*, & *Deus*.

Col. 700. l. 5. à fine, *adde*: Eadem ſanè inſcriptio, *Jovi Conſervat. Herculi Conſervat. Marti Conſervat*. reperitur in Nummis Conſtantini M. Sed nondùm Chriſtianus fuit, quum hi Nummi ejus in honorem cuſi. Vide Triſtanum P. III. Patinum p. 370. Deinde reſpiciunt hi Nummi ad *Jovium* & *Herculium* Imperatores, quemadmodum Conſtantius à Maximiano Herculio adoptatus fuerat. Effigies etiam *Martis* fuit illa Conſtantini M. Saltem fabricati hi Nummi antequam Conſtantinus palàm Chriſtianiſmum amplexus eſſet, paulo poſt caſum Maxentii.

Col. 931. l. 28. à fine, *adde* : Ut cultor ſingularis Dei Serapidis fuit; adeò ut pluſquam LXXX. Nummos diverſos illi dicaſſe, referant rei Nummariæ Scriptores; Vide Morellium in *Specimine*, pag. 56.

Col. 1045. l. ult. à fine, *adde* : Præceſſerant omina Gothicæ Servitutis, quando Ataulphus Rex Viſigottorum, An. CCCCXI. (ex Jornande de Rebus Geticis C. XXXI.) mortuo Alarico, Romam & Italiam divitiis ſpoliavit; Imperatore Honorio nihil reſiſtere valente : Idemque *Romam* deinceps appellari voluit *Gothicam*, & *Urbem Ataulphi*, non ampliùs Urbem Auguſti, apud Goltzium.

Col. 1047. lin. penult. à fine poſt *Walliæ*, adde: (olim Cambriæ, ab Anglo-Saxonibus *Wales*, *Cornwales*, *Britwales*, quo nomine exteros & peregrinos voluêre; dictos etiam *Welſchen*, undè & *Walonum*, etiam *Wallachorum* nomen)

Col. 1060. lin. 25. à fine, *lege* : Sub Juſtino Juniore, Euagrius *Lib*. V. C. VII. quando Iberi & Armenii ſe Juſtino tradiderunt. *Dele*, Procopio de Bello Perſ. &c.

Col. 1063. l. 30. *poſt* juſſum, *adde* : Mox excepit converſio Longobardorum, ad Catholiciſmum, de quâ inferiùs *Cap*. XIV. N. VIII.

Col. 1070. l. 15. *poſt* neceſſe eſt, *adde* : Sic in Concilio Matiſconenſi II. Anno DLXXXV. ſancitum ut *Eucharistiæ reliquiæ* in Eccleſiâ, ſingulis diebus Mercurii aut Veneris, *infantibus jejunis intincta vino diſtribuerentur*; id eſt, particulæ reliquæ Panis & Vini conſecrati, non profectò Corporis Chriſti.

Col. 1076. ultrà med. *poſt*, probante vehementer Gregorio, *adde* : Qui & dicitur Baronio ad Ann. DLXXXVII. N. XXV. Conſtantinopoli Romam adſportaſſe, donante Tiberio Imperatore, *S S. Reliquias Andreæ Apoſtoli*, *&* *Lucæ Euangeliſtæ*, nempè *Brachium S. Andreæ*, & *Caput S. Lucæ*, de quibus in Vaticanis Monumentis vetus aſſertio ſit. Sed fabula pellucet, quam & tacent ejus temporis Hiſtorici, ac ipſe Gregorius; & conſtat ex Procopio, horum Corpora fuiſſe à Juſtiniano in terram condita, *De Ædific*. Lib. I. C. IV.

Col. 1083. ultrà med. *poſt*, etiam ab Epiſcopo Romano, *adde*: Cumprimis Epiſcopi Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, qui ſub Romani Metropolitani juriſdictione fuerunt.

Ibid. l. 18. à fine, *poſt* eligendi, *adde* : Sic Canon XV. Aurelianenſis I. A. DXI. prohibet Monachis uti Orario, & *Tzanchis* vel *Zanchis*, id eſt, calceamentis quæ pedes conſtringerent, ἀπὸ τοῦ ἄγχειν. Trebellius Pollio in Divo Claudio, p. 208. meminit *Zancharum Parthicarum*; de quo vide Salmaſium.

Col. 1534. l. 16. à fine, *poſt* reſtrictum fuit, *adde* : Tum & nomen *Summi Pontificis*, *Summi Sacerdotis*, quod ſub initia hujus Seculi adhuc datum *Archiepiſcopis*, imò quandoque & *Epiſcopis*. Vide & quæ obſervat Mabillonus de Re Diplomat. *Lib*. II. C. II. N. IX.

Col. 1635. l. 22. à fine, *poſt*, Berna in Helvetiis, *adde* : Seu parte exterioris Burgundiæ, circà An. MCXC. vel MCXCI. à Berchtoldo V. Zeringiæ Principe, in loco ubi *Urſus* captus fuit, undè Urbi nomen & inſignia, ad Arulam fluv.

Digitized by Google

INDEX I.

Capitum & Lemmatum, toto hoc Opere, eo quo occurrunt ordine, ut Series Materiarum habeatur.

CHRONOLOGIÆ SACRÆ

PARS I.

CAP. I. *De Anni Tempeſtate quâ Mundus conditus. Quæſtionis ratio. Non in Solſtitiis figendum Mundi principium. Gerh. Mercator notatus. Qui pro Æquinoctio verno, & quibus rationibus inducti. Qui pro Æquin. autumnali. Sententia horum declaratur. Auctoris concluſio.* Col. 1

II. *De Diviſione Temporis. Ac primò de Annis, iiſque Aſtronomicis.* 4

III. *De variâ annorum Civilium ratione, initio vario, in Comparatione Epocharum obſervando. Ac primò de Anno Civili Hebræorum.* 7

IV. *De annis Civilibus veterum Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, qui olim æquabiles, & vagi. Fixi quando?* 11

V. *De anno Græcorum, cumprimis Athenienſium; deinceps Macedonum, Syro-Macedonum, Aſianorum.* 13

VI. *De anno Romano vetere, antè Julium Cæſarem. Tum de emendationibus factis à Julio: Deque anno Juliano. Tandem, de emendatione Auguſteâ.* 18

VII. *De Caſtigationibus factis per Gregorium* XIII. *Pontificem, ſeu de Anno Gregoriano. Deque Cyclo Epactali Novo. Vitia Novi Calendarii.* 23

VIII. *De Anno Arabico vetere, tum de Lunari vago, & Muhammedico. Deque reductione ejus ad annos Æræ Chriſtianæ.* 27

IX. *De Annis Civilibus Barbararum Gentium in Orbe Occiduo, Orientali, Americano. De Anni ratione apud Sinenſes, Siamenſes,* &c. *deque Sinenſium Cyclo. Horum rationes aliquemne uſum præſtent in Chronologiâ Sacrâ, aut Exoticâ?* 30

X. *De Tekuphis Judaicis, earumque diversâ conſideratione. De Menſibus, ac primò Aſtronomicis. Tum de Menſibus Civilibus, in theſi. Embolimæi qui dicti? Speciatim de uſu Hebræorum in conſtituendo initio menſium Civilium, & Emboliſmo.* 33

XI. *Menſes Civiles in hypotheſi variarum Gentium. Laterculi menſium Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Romanorum, Macedonum, Atticorum, Syro-Macedonum, Syro-Græcorum, Arabum, Perſarum. Varia de iis obſervata, ad ſingulorum laterculos. Præcipui inter ſe collati.* 37

XII. *Hebræorum Menſes Lunares ſigillatim declarati, ad intelligentiam Calendarii Judaici. Quæ in ſingulis notabiliora Feſta, Jejunia, alia. Collati iidem cum menſibus Solaribus, & illis Romanorum, Ægyptiorum, Æthiopum; Athenienſium, Macedonum, Syro-Macedonum; Paphiorum, Syrorum, Perſarum,* &c. 47

XIII. *De Septimanâ ſeu hebdomade. Hujus cycli origo & antiquitas. Simul de Gentilium praxi, deque diſcrepantiâ non unâ à Judæis. Et de ſeptimanæ diebus, eorumque ordine, nominibus.* 62

XIV. *De Die naturali, & civili, diverſimodè accipiendis. De diverſis initiis dierum, deque diei diſtributione apud Judæos, Græcos, Romanos. De Veſperis Judæorum, & Vigiliis. De Horis, earumque antiquitate, uſu apud Judæos, diſcrepantiâ: Horæ Sacræ, & Canonicæ. Scrupula, & minimæ partes temporis.* 65

XV. *De Feſtis Judæorum temporibus. De Sabbato, Neomeniis, Feſto Clangoris, Paſchate, Azymorum diebus, Pentecoſte, Expiationum die, Tabernaculorum Feſtivitate, Octavâ Scenopegiæ, Feſtis aliis in Hiſt. S. memoratis, & in Libris Maccabæorum. Difficultates in his quædam principes elucidatæ. Inſtitutionum fines oſtenſi. De Tranſlationibus feriarum Judaïcarum; deque ultimo Chriſti Paſchate, & die.* 70

XVI. *De Annis Judæorum Sabbaticis, eorumque privilegiis ſingularibus, ſignificatione variâ, initio, hinc uſu Chronologico. De anno Jubilæo. An quinquageſimus quiſque, an ſepties ſeptimus? De primo Jubilæo, & hujus anni privilegiis; horumque rationibus Politicis, Myſticis, Moralibus.* 82

XVII. *De Characteribus Temporum Civilibus, apud Græcos præcipuè & Romanos. Lycæa. Eleuſinia. Panathenæa. Olympia. Pythia. Iſthmia. Nemæa. Singulorum Epochæ obſervatæ. Ludi ſeculares Romanorum. Singulorum intervalla à primis Ludis; Rationes intervallorum datæ. Ludi alii in Faſtos relati. Luſtrum Romanorum unde? Julianum Scaligeri.* 87

XVIII. *Chronici characteres, Cycli, Periodi, Epochæ. De Cyclo Indictionum primò. Harum origo, & diverſa, ſecundùm diverſos, initia. Triplex ratio Indictionum declarata. Modus inveniendi.* 92

XIX. *Cycli in ſpecie dicti. Cyclus Solis quis? Quæ Literæ Dominicales? De hujus inventi ratione. De modo cognoſcendi, quovis Cyclo, in quam feriam ſeptimanæ cadat hic & ille dies, hujus vel illius menſis. Computi Veterum ratio. Facilior methodus ex Tabulâ, pluribus declaratâ. Modus inveniendi Cyclum Solis; ejuſdemque uſus multiplex, Eccleſiaſticus, Hiſtoricus, Chronologicus. Cycli Gregoriani à Juliano diſcrepantia.* 95

XX. *Cyclus Lunæ qui dictus, & variæ ejus appellationes. Paſchalis undè, & à quo tempore? Cycli varii à Chriſtianis uſurpati. Aureus Numerus undè? Cycli hujus uſus triplex oſtenſus. Diverſa illius ratio ſecundùm Alexandrinos, Latinos veteres, & Dionyſ. Exiguum. Cauſæ hujus diſcrepantiæ. Paſchales Termini quinam? Circà eos lites, & varia de iis obſervata. Rationes diverſorum Paſchatum Stylo Juliano, & Gregoriano. Cyclus Epactalis declaratus. Epactarum uſus duo inſignes. Epactæ Gregorianæ ut à Julianis diverſæ, & ut Paſchatis Gregoriani indices? Cyclus Paſchalis Alexandrinus, & Romanus ac Dionyſianus, declarati, addito Diagrammate. Ut & Cycli Gregoriani.* 102

XXI. *De Periodis in ſpecie dictis. Periodus Metonica. Calippica, & ejus non unum caput, ac vitium. Periodus Alexandrea. Eâne uſi ſint Judæi, ſub jugo Macedonico? Diverſa putandi ratio. Periodus Damaſcena, vel Hagarena. Periodi Judaicæ, puta annorum* XIV. & LXXXIV: *undè? Periodus Judaïca ab Orbe Cond. qualis, quando, & quare* in-

inſtituta? Periodi Chriſtianæ veteres, hodie abolita. Periodus Dionyſiana quæ, à quo, & undè nata? Ejus capita annis Æræ Chriſtianæ applicata. Minor illa quàm ut communis eſſet menſura Temporum. 119

XXII. De Periodo Julianâ, ejuſque utilitate, & origine. Ratio nominis, ſed & rei. Quo pacto ex annis Periodi Julianæ cognoſcantur tres Cycli, aut viciſſim? Ut naſcatur eadem ex tribus Cyclis, Solis, Lunæ, Indictionum? Applicata eadem annis Æræ Chriſtianæ, & Mundi Conditi, datis exemplis. Periodus Græco-Romana nupera explicata. Hujus incommoda quædam. 122

XXIII. Characteres temporum fixi, Æræ. Quæ dicantur, & undè? Originationes falſæ; veriſimilior alia ſecundùm Auctorem. Epocha quid? Condendarum Epocharum varia cauſa, principia varia, enarrata. Æræ quondam Chriſtianis ſacræ. Multiplex inter Æras diſcrimen, earumque certitudinem, oſtenſum. Quæ fixæ, quæ vagæ? quæ Aſtronomicæ, quæ merè Hiſtoricæ? Quæ nixæ Auctoritate infallibili, quæ publicâ, quæ privatâ hominum? quæ fabuloſæ? quæ obſcuræ? Quæ ut Hypotheſes aſſumptæ, undè conſequens demonſtratio neceſſaria? 126

XXIV. De Characteribus naturalibus temporum. Conjunctiones Luminarium. Eclipſes undè indicia temporum? Cautela adhibenda, charactere aliquando dubio. Certus character quando? Undè cognoſcendæ, ſeu inveſtigandæ? Monachorum fallax calculus. Æquinoctia & Solſtitia, ac circà hæc obſervata. Anticipatio Æquinoctiorum qualis ab Orbe Cond. exemplis declarata. 130

XXV. De Epocharum inter ſe connexione. Ratio connectendi laxior. Specialior alia exemplis illuſtrata. Exempla ex Hiſtoriâ ſacrâ. Ex Varrone. Ex Ptolomæo. Ex Cenſorino. Applicatio ad annos Chriſtianos, & Periodi Julianæ. Cautela Cenſorini. Connexio Hiſtoriæ Exoticæ cum Sacrâ & Chriſtianâ. Exempla conjunctarum Epocharum. Ex Euſebio. Ex Evagrio locus illuſtris. Declaratus idem, etiam contra Valeſium, & Pagium. Parachroniſmi in connexione Epocharum, exemplis declarati, ex Joſepho, & Veteribus. Concluſio hujus I. Partis. 134

PARS II.

CAP. I. De Duratione Temporis, extrà Codices Sacros. Æternitatis Mundi aſſertores. Fundamenta quæ illam deſtruant. Antiquitates fabuloſæ. Chaldæorum illæ undè, eædemque revictæ. De Ægyptiorum calculis, & Dynaſtiis, ex Manethone. Ex Diodoro Siculo. Nonnullorum explicatio qualis? Falſitas ſupputationum evicta. Ut & Sinicarum, Indicarum, &c. Auctores Durationis indefinitæ. Alfonſina Mundi Æra. 141

II. De duratione Temporis ſecundùm Codices Sacros. Ac primò, ſecundum eos qui ab Hebræis diſcedunt. Græcorum computatio. Qui iſti adhæſerint, qui ſecus? Precariæ hypotheſes. Inconſtantia ac pugna Codicum. Diſcrepantiæ Veterum in putandis annis ab Orbe Condito ad Æram Nativitis. Græcorum Epochæ tres præcipuæ. 148

III. De vario & incerto Joſephi calculo. Ut ab Alexandrinis & Græcis diſſideat, non minùs ac Hebræis Codicibus & Samaritanis? Illuſtria rei exempla. Emendationes Iſ. Voſſii, & aliorum. An Theologorum fraude corruptus Joſephus? An ex Hebræis Codicibus dicat ſe immediatè calculos ſuos promoviſſe? Contraria rei exempla. Ut Joſephus à ſe ipſo, in temporum ratione, diſſideat? Inſignia ἀναλογισμῶν documenta, in annis ab Orbe Condito ad Artaxerxem; ad Æram Chriſti; ad Exitum ex Ægypto; ad Structuram Templi; ad Excidium ſub Nebucadnezare; ad Joſephum ipſum; ad Excidium ultimum, &c. Errores ejuſdem. alii Chronologici, & antichroniſmi. 151

IV. De Duratione Temporis ſecundùm calculum Judæorum. Epocha vel Periodus Judaïca quæ dicta, & quando nata? Quo μεταχρονισμῷ peccet? Rationes hujus computi Judaïci, etiam τεχνικαί. Accurata annorum & menſium in eâ deſcriptio. Regulæ indè natæ, de tranſlationibus Feriarum. Canones pro reducendis annis Periodi Judaicæ, ut ſunt in Chronicis Judæorum ad annos Chriſtianos. 156

V. De variâ duratione Temporis, ſecundùm Chronologos Hebraïzantes. Summarius conſpectus hujus diverſi calculi, relati ad Periodum Julianam & ad Æram Chriſtianam. Cauſæ hujus diverſitatis. Aſtronomicæ aliæ. Aliæ Hiſtoricæ, eæque plures, ſigillatim obſervatæ. 159

VI. De Æris quibuſdam Nobilioribus in Hiſtoriâ Exoticâ, cum Sacrâ Hiſtoriâ conferendis. Epocha fundati Imperii Babylonici, vel Aſſyriaci. Rei obſcuritas. Cauſæ plurimæ enarratæ, & ſententiæ diſcordes. Ἐπίκρισις Auctoris. Qui peccent μεταχρονισμῷ, in figendâ Epochâ Confuſionis Linguarum, & Diſperſionis Gentium. Qui annum temerè determinent. Nimrod Belus eſſe aſſeritur, fundator Imperii, poſt factam diſperſionem. Locus Gen. X. II. declaratur. Tempus primæ fundationis Aſſyriacæ probabiliter aſſertum. Herodoti locus expenſus, & alter Dionyſii Halicarn. Aſſyrii in Scripturâ S. Reges, contrà Marſhamum. Nini antiquitas ſecundum pleroſque, contrà Uſſerium. Terminus Monarchiæ Aſſyriacæ, in Sardanapalo. Tempus indicatum, ſaltem ἐν πλάτει. Joſephi locus appoſitus. Scrupuli duo ſublati. 163

VII. De Æra Regni Attici, indè à Cecrope. Ratio temporum. Finis Regni Attici quando. Relatio ad Æras alias. Cur Cecrops διφυής appellatus? Æra Expeditionis Argonautarum. Circà hanc obſervata quædam Chronologica. Æra Laborum Herculis, Alcmenes filii. Et Belli Thebani. Æra Belli & Excidii Trojani. Euſebii μεταχρονισμοί, & προχρονισμοί. Summa Hiſtoriæ. An fabula fuerit, an verò fabulis adſperſa Hiſtoria. Ita de Æneæ in Italiam adventu, qui dubitarint? Conſenſus utriuſque Hiſtoriæ, ab Eruditis aliis oppoſitus. 171

VIII. Æra annorum Iphiti, ſive Olympiadum. Momentum illius. Antè adhibitum illum Characterem temporum, quæ Græcis ſupputandi ratio. Æra duplex, vera & vulgaris, & quare. Character primæ Olympiadis. Diverſa ſupputandi ratio. Error Joſ. Scaligeri. 174

IX. Æra Urbis Cond. Cur Palilia, vel Parilia? Diſcrepantia Æræ Catonianæ, & Varronianæ, undè? Conciliatio quorundam. Æra Fabiana quæ, & quibus probata? Varronianæ collatio cum aliis Epochis. 176

X. Æra Nabonaſſari. Uſus ejus Aſtronomis quare? Uſus in Hiſtoriâ Sacrâ, & Exoticâ. Nabonaſſar quis? Certa ab incertis diſtincta. Succeſſores quidam, in Hiſtoriâ Sacrâ. Diſcrepantiæ in hoc Canone, quoad Nomina, & numeros annorum. Vera conciliatio cum Scripturâ S. Marſhamus notatus. Applicatio ad Æras alias. 177

XI. Schema Canonis Ptolemaici, ſecundùm Annos Nabonaſſareos, Pars prima, continens Regum Aſſyriorum & Babyloniorum Seriem, ad I. Cyri Perſarum Regis, Annor. CCIX. Item illa Medorum Regum. Et Synchroniſmi quidam appoſiti, ac cum hac Ærâ collati. 181

XII. Pars altera Canonis, complexa Æram Monarchiæ Perſicæ, cum incluſis annis Alexandri M. Eſt annorum CCXV. Series Perſarum Regum. I. Cyri,

Digitized by Google

ri, & ultimus Captivitatis in Scriptura S. quis annus? Initium LXX. *ſeptimanarum Danielis, ubi figendum? Nobiliores quidam ſynchroniſmi Chronologicè notati, ex Hiſtoriâ Græcâ, & Romanâ. Anni ſinguli Alexandri M.* 189

XIII. *Æra Alexandrea, quæ? Periodus Calippi undè? Mors Alexandri ſuis characteribus ſignata. Annos Philippi, undè dixerint? Æra Seleucidarum, & ejus varia Nomina. Alexander M. cur Arabibus Bicorniger? Diverſa hujus Æræ initia, in Libris Maccabæorum, &c. Æra Lagidarum quæ? Duratio ſingularum, & collatio ad Periodum Julianam.* 195

XIV. *Æra Antiochena quæ Syris? Ejuſdem caput, variè conſtitutum. Uſus in Chronologia quis? Arabibus dicta Æra Hagarena. Æræ Urbium aliarum in Oriente, Tyriorum, Laodicenſium,* &c. *Æra Juliana, ſeu Anni Juliani. Æra Auguſtea, ſeu Romani Imperii. Triplex ejus initium. Qui ſtatim à morte Julii deducant? Antiochenorum nova Epocha. Æra Actiaca duplex caput. Duravit in Ægypto ad Æram Diocletianam. Æra Hiſpanica. Cur ſic dicta, & undè uſurpata Hiſpanis? Petavius notatus: Et Iſ. Voſſius, non uno nomine.* 198

XV. *Æra Regni Herodiani, ſub quo natus eſt Chriſtus. Caput ejus duplex. Singulorum characteres. Dionis & Joſephi diſcrepantiæ. Regnum Herodis quamdiu duraverit? Nupera demonſtratio. Vitium Æræ Dionyſ. quale, ſed diverſimodè notatum, comparatè ad Annos Herodis. Baronii inſignis error.* 201

XVI. *Ante Æram Incarnat. quibus Æris uſi Chriſtiani? Æra Dionyſiana, à quo & quando? Græcis ut nota? Quando publicè uſurpari cœpta? Diſcrepantia à verâ Æra Chriſti. Diſcrepantia Æræ Vulgaris à Dionyſianâ. Dies* Θεοφανείας *quis? Diagramma, exhibens ſententias diverſas de Vero Natali Chriſti, collato cum annis U. C. & annis Julianis, ac Æra Dionyſianâ. Lydiati ſententia rejecta. Et Pagii aliorumque, de anno* XV. *Tiberii.* 203

XVII. *Æra Paſſionis. Sententia Veterum, & quorundam Recentiorum. Tertulliani illa, Chriſtum baptizatum Tiberii* XII. *An duplex Epocha Tiberii ſit ſtatuenda? Variationes aliæ, circà annum notatæ à Phlegonte. Circà diem Paſſionis. Undè Paſſionem affixerint Veteres anno* XV. *Tiberii? Ut parum ſint illi in his tuti Chronologiæ duces. Certa ab incertis diſtinguenda.* Ἐπίκριϲις *Auctoris. Diagramma exhibens ſententias Vet. & Recentiorum, circà annum Paſſionis. Ad ſingulas obſervata quædam. Qui extenderint ad annum Æræ Dionyſianæ* XXXVI. *& ultrà. Sententiâ Lydiati, & Dodwelli.* 209

XVIII. *De diſtributione omnis Temporis, à Mundo Condito ad Natum Chriſtum Variæ Ætates à variis conſtitutæ.* 217

XIX. *Auctoris diſtributio in* IX. *Epochas, ab Orbe Condito ad Chriſtum. Cum ſingularum Canone Chronologico, & rationibus Canonis. Ubi difficultates præcipuæ expediuntur.* 218

CANON EPOCHÆ I.

Ab Adamo ad Diluvium. 219

II. *A Diluvio ad Abrahamum.* 223

III. *A Vocatione Abrahami, ex Ur Chaldæorum, ad Exitum ex Ægypto.* 227

IV *Ab Exitu ex Ægypto, ad initium Samuëlis, cujus annis implicantur illi Saulis.* 230

V. *Ab initio Samuëlis & Saulis, (vel Saulis tantum, ſi illi* XL. *anni tribuantur) ad initium ſtructuræ Templi Salomonici: Hinc uſquè ad diviſionem Regni per Jeroboamum.* 233

VI. *A diſtractione* X. *Tribuum, Anno* I. *Rehoboami Judæ, & Jeroboami Iſraëlis, ad initium Annorum* LXX. *Captivitatis Babylonicæ.* 235

VII. *Ab initio Captivitatis Babylonicæ, ad finem* LXX. *Annorum.* 241

VIII. *A fine* LXX. *Annorum, ſeu ab Anno* I. *Monarchiæ Cyri, ad Principatum Maccabæorum, circà Exceſſum Antiochi Epiphanis.* ibid.

IX. *Ab Exceſſu Antiochi Epiphanis, ſeu à Principatu Haſſamonæorum, ad Æram Chriſti Vulgarem, ſeu Dionyſianam.* 243

XX. *Epochæ quædam nobiliores, quæ exceperunt illam Æra Natalitia, & Æram Paſſionis, de quibus antè. Exacta quoque ad Periodum Julianam, & Æram Dionyſianam.* 245

HISTORIA ECCLESIASTICA

A Condito Adamo, ad Æram Chriſtianam.

Inſeruntur inſigniores Synchroniſmi Hiſtoriæ Exoticæ.

SUMMARIÆ ASSERTIONES,
Quibus
LIBRI MOSIS,

Ut fons omnis Hiſtoriæ, Auctori ſuo, hinc & auctoritati, vindicantur. 260

EPOCHA PRIMA,

Ab Orbe Condito ad Diluvium.

I. *Calculus Chronologicus varius.* 271

II. *Adam primus Eccleſiæ parens. Nugæ Præadamiticæ.* ibid.

III. *Prima Eccleſiæ naſcentis incunabula in familia Adami. De Sabbatho Creationis.* 273

IV. *Primorum Patriarcharum Hiſtoria. Ubi de Libro Enochi, Literis ejus temporis, Longævitate,* &c. 276

V. *Caini, & poſterorum impietas, & corruptio Eccleſiæ. Ad quæ capita revocata.* 278

VI. *Arcæ Fabrica, tempus, aliaque antecedanea Diluvii.* 281

VII. *Hiſtoria Univerſalis Diluvii. Noviſſimæ Hypotheſeôs, de Duplici Terrâ, & cauſis Univerſalis Diluvii; vanitas perſtricta.* 282

EPOCHA SECUNDA,

A Diluvio finito ad Vocationem Abrahami, ſeu Profectionem illius in terram Canaanis.

I. *Duratio hujus Epochæ, ſecundum Hebr. Codd. & ſecundum Samaritanos Græcos,* &c. 285

II. *Quæ Diluvium immediatè conſecuta? Diſperſio filiorum Noachi, & origines Gentium.* 286

JAPHET *Primogenitus, ejuſque Poſteri.* 288

SEM *Secundo-genitus, ejuſque Poſteri.* 289

CHAM *Minimus natu, ejuſque Poſteri.* ibid.

III. *Conſervatio Eccleſia, in Familiâ Semi: Patriarcha, qui vixère à Noacho ad Abrahamum.* 290

IV. *Corruptio Eccleſia, initia, & progreſſus quales?* 291

V. *Synchroniſmi Hiſtoria Exotica. De Syris, Arabibus, Ægyptiis, Babyloniis,* &c. 292

VI. *Ethniciſmi ac Polytheiſmi Origo, Propagatio. Multa Gentilis Idololatria illuſtrata.* 294

VII. *Modus inſtituta Eccleſia. Verbum* ἄγραφον *quale? Origo Scriptionis. Scripta Sibyllina ſuppoſita.* 297

EPOCHA TERTIA,

A Vocatione Abrahami; ad Exitum ex Ægypto.

I. D*uratio hujus Epocha.* 298

II. *Vocatio Abrahami, modus, & tempus.* ibid.

III. *Circumciſionis Sacramentum inſtitutum. Undè idem ad Gentiles derivatum?* 300

IV. *Hiſtoria reliqua Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Filiorum.* Εὐαγγελιοφανῆ *quadam.* 301

V. *Peregrinatio ac Servitus Iſraëlitarum in Ægypto. De Moſe fabula. De Clade Ephraimiticâ.* 303

VI. *Synchroniſmus ſanctorum Virorum, extrà familiam Abrahami.* 306

VII. *Synchroniſmi quidam inſigniores Hiſtoria Exotica. Res Babyloniorum, Aſſyriorum.* 307

Res Ægyptiorum. De Paſtorum Dynaſtiâ, an Hebrai fuerint? 308

Res Æthiopum; Idumaorum; Arabum; Phœnicum; Cretenſium; Argivorum; Athenienſium, &c. 310

VIII. *Idololatria ſpecialis variarum Gentium, currente hac Epochâ.* 312

IX. *Media per qua Ethniciſmus propagatus, ubi de Oraculis, Divinationibus, Apparit. Deorum,* &c. 316

EPOCHA QUARTA,

Ab Exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, ad Extrema Judicum, ſeu ad initium Samuelis & Saulis.

I. D*uratio hujus Epocha, variè putanda.* 318

II. *Moſis Vocatio, Legatio ad Pharaonem.* 319

III. *Qua proximè Exitum praceſſerunt. Exitus ipſe Populi; ejuſque ratio.* 320

IV. *Qua proximè Exitum exceperunt. Tranſitus Maris Rubri qualis? Stationes* XII. *uſque ad promulgationem Legis.* 321

V. *Promulgatio Legis è monte Sinai.* 324

VI. *Hiſtoria reliqua Peregrinationis Iſraëlitarum in Deſerto. Fabula Hebraorum, & Joſephi* ἄγραφα. 326

VII. *Scriptio Librorum* θεοπνεύστων, *& primò Pentateuchi Moſaici.* 329

VIII. *Moſis apud Gentiles fama, Ægyptios, Phœnices, Arabes, Gracos, Latinos. Fabula de Moſe, apud Trogum, Tacitum,* &c. *De Aſino Judais culto, deque Contumelia origine.* 332

IX. *Joſue poſt Moſem geſta, & Hiſtoria. Ubi de* κληρουχία *Terra.* 335

X. *Phœnicum Colonia, circà tempora Joſua. Cadmi celebris profectio. Origines Phœnicia varia inde deducta; ut & Fabula.* 340

XI. *Res Aſſyriorum; Ægyptiorum. Quis Pharao qui Iſraëlitas oppreſſit longâ ſervitute?* 342

Res Gracorum, Cretenſium. Fabula nata. 343

XII. *Status Eccleſia ſub Judicibus Iſraëlis. Antum Synedrium ſummum?* 345

XIII. *Hiſtoria quadam memorabiliores hujus Epocha.* 348

XIV. *Synchroniſmi inſigniores Hiſtoria Exotica, ab exceſſu Joſua. Res Aſſyriorum, Ægyptiorum, Phœnicum, Aſianorum, ubi de Trojanis.* 350

Res Gracorum; Cretenſium; Latinorum; Hiſtoria Fabulis Gracorum obſcurata. 352

EPOCHA QUINTA,

A Præfectura Samuëlis, tùm & Regno Saulis, ad initium Roboami, ſeu ad Diſtractionem Regni.

I. D*uratio hujus Epocha, & Annorum ratio.* 355

II. *Status Eccleſia Iſraëlitica ſub Samuele.* ib.

III. *Regia dignitatis natales. Jus Regium in Iſraële. Poteſtas Regum circà Sacra, qua?* 356

IV. *Status Eccleſia ſub Saule, Davide, & Salomone. De ſingulis memorabiliora.* 359

V. *Structura Templi Salomonici. Ejuſdem ſummaria Deſcriptio, & Gloria prima Domus.* 362

VI. *Alia ſtructura Salomonis. Claſſes Ophirea quò navigarint? Joſephi errores.* 365

VII. *Libri Sacri & Canonici*, hac Periodo *conſignati, in ſpecie de Pſalmorum Libro, & Libris Salomonis.* 366

VIII. *Salomonis ad Idololatriam defectiò qualis? Pœna. Pœnitentia ex Libro Eccleſiaſtis.* 369

IX. *Synchroniſmi Hiſtoria Exotica inſigniores, tempore Samuelis, Saulis, Davidis, & Salomonis. De Sanchoniatone quadam. De Migrationibus Gracorum,* &c. 370

EPOCHA SEXTA,

A Roboamo & Diſtractione Regni, ad initium Annorum LXX. Captivit. Babylonicæ.

I. R*ationes Chronologica hujus Epocha.* 372

II. *Hiſtoria Schiſmatis tùm in Republicâ, tùm in Eccleſiâ nati.* 373

III. *Hiſtoria ſummaria Regum Juda, & Iſraëlis, à tempore Diviſionis.* Εὐαγγελιοφανῆ *inſigniora.* 374

IV. *Corruptio Religionis in ipſo Juda Regno. Reformationes inſigniores.* 385

V. *Propheta hac Periodo inſignes. Libri Prophetici, quâ ſerie ſcripti?* 386

VI. *Finis Regni Iſraëlitici, & Deportatio Tribuum Aſſyriaca. Samaritaniſmi origo. Chutai unde?* 388

VII. *Synchroniſmi pracipui Hiſtoria Exotica, ab exceſſu Salomonis, ad initium Captivitatis Babylonica.* 390

Res Aſſyriaca, Babylonica. ibid.

Res Ægyptiaca. 391

Res Phœnicum, Syrorum, Medorum, Lydorum, &c. 392

Res Gracorum, Athenienſium, Lacedamoniorum, Corinthiorum, Macedonum, &c. *paucis indicata. Olympiadum Epocha. Inclyta nomina, tàm Scriptorum, quàm Locorum.* 393

Helleniſmus, ſeu Theologia Gracorum. Ejus Origo & progreſſus. 395

Res Latinorum. Urbis Condita Palilia. 396

Inſtituta Moſaicis congrua. 397

EPO-

EPOCHA SEPTIMA,

Ab initio Captivitatis Babylonicæ ad finem LXX. Annorum.

I. *Rationes horum Annorum* LXX. 398
II. *Captivitatis Babylonicæ tres gradus. Initium* LXX. *Annorum unde?* ibid.
III. *Status Eccleſiæ ſub Captivitate Babylonicâ. Abaſſuerus in Hiſtoria Eſthera, quis?* 401
IV. *Prophetæ qui ſcripſerunt hac Epochâ. Daniel, & Ezechiel, vindicati; & de hujus Templo myſtico.* 403
V. *Apocrypharum Hiſtoriarum ut Tobiæ, Judithæ,* &c. *incerta.* 405
VI. *Synchroniſmi hac Epochâ inſigniores. Res Aſſyriorum, & Babyloniorum; Medorum; Lydorum; Ægyptiorum.* 406
Res Græcorum; ubi de VII. *Græciæ Sapientibus. Res Romanorum; ubi de Libris Sibyllinis Tarquinio oblatis.* 408

EPOCHA OCTAVA,

A fine Annorum LXX. ſeu ab Anno I. Monarchiæ Cyri, ad Principatum Judæ Maccabæi.

I. *Rationes Chronologicæ hujus Epochæ.* 410
II. *Edictum Cyri pro libertate Judæorum. Cur retardata executio, & quouſque?* 411
III. *Inſtauratio Templi, Sacrorum, & Politiæ Judaicæ; ſub quo Rege Perſarum? Auctores, Lingua, Characteres, aliaque poſt Reditum.* 413
IV. *Septuaginta ſeptimanæ Danielis. Varia illarum ſupputatio, & cauſæ potiſſima diſſenſionis.* 416
V. *Viri Synagogæ Magnæ, ſeu Concilium Hieroſolymitanum, Eſdrâ ejus principe. Quarum rerum Auctores dicantur? Fabuloſa quædam.* 420
VI. *Libri Sacri & Canonici tum conſignati. Propheta hujus periodi. Spinoſa notatus.* 421
VII. *Bibliorum in Linguam Græcam prima Tranſlatio. Quando, & per quos facta?* 424
VIII. *Pontificum in Judæorum Eccleſiâ geſta quædam, ambitio, corruptio, defectiones. Memorabiliora quædam.* 426
IX. *Librorum Apocryphorum conſcriptio. Genus varium. Auctores & auctoritas.* 428
X. *Samaritanorum hac Epochâ Turbæ, Fabulæ, Dogmata, Pentateuchus, Sectæ.* 429
XI. *Synchroniſmi præcipui Hiſtoriæ Exoticæ, à fine Captivitatis Babylon. ad Maccabæos.* 431
Res Babyloniorum, Medorum, Perſarum cumprimis, à Cyro ad Codomanni ultima. ibid.
Res Ægyptiorum uſque ad Alexandrum M. Continuatio poſt Alexandrum. 435
Res Macedonum, tum & Alexandri M. Monarchia hujus à morte Alex. diviſio. 436
Res Syrorum, Phœnicum, Seleucidarum; Parthorum initia, &c. 438
Res Græcorum, ſtante Perſarum Imp. Tum ſub Philippo, tum Alexandro M. ac præcipuis Alexandri M. Succeſſoribus. 439
Res Romanorum: Bella: Gradus ad Imperium Univerſale. Bella Punica tria. 441
XII. *Helleniſmus florens. Philoſophorum ſectæ hac Epochâ natæ. Errores inde in Chriſtianiſmum. Confucius Philoſophus Sinenſium.* 443

EPOCHA NONA,

A Principatu Haſſamonæorum, ad Æram Chriſti Vulg. ſeu Dionyſianam.

I. *Rationes Chronologicæ hujus Epochæ.* 446
II. *Perſecutio Antiochi Epiphanis in Judæorum Gentem. Ejus hiſtoria. Pugna inter Joſephum, & Hiſtoricos alios.* 447
III. *Inſtauratio Reipublicæ & Eccleſiæ per Maccabæos. Ratio Nominis. Et ſucceſſionis. Dubia quædam hiſtorica.* 450
IV. *Samaritanorum ad Ethniciſmum ad tempus, defectio.* 452
V. *Schiſma novum in Judaïcâ Eccleſiâ. Oniæ Templum.* 453
VI. *Status rerum Judaicarum ſub ſucceſſoribus Judæ Maccabæi.* 454
VII. *Secta variæ inter Judæos hâc Epochâ celebratæ.* 455
De Haſidæis, Ἀσιδαίοις. 456
De Phariſæis. 457
De Scribis & Nomodidaſcalis. 458
De Sadducæis. 459
De Eſſæis, ſive Eſſenis. 460
De cæteris apud Judæos ſive Sectis, ſive Factionibus, cumprimis de Herodianis. 462
VIII. *Maccabæorum ultima. Primi gradus ſervitutis Judæorum ſub Romanis.* 463
IX. *Herodianæ dominationis conſpectus. Gradus ad eandem. Servitus Judæorum ſub Herode M.* 466
X. *Templi Hieroſolymitani per Herodem Inſtauratio, qualis?* 468
XI. *Facies Eccleſiæ ſub tempus Nativitatis Chriſti.* 469
XII. *Synchroniſmus Hiſtoriæ Exoticæ, uſque ad Æram Chriſti Vulgarem.* 471
Res Syriacæ, & Aſianæ. Series Regum Syriæ ex Nummis deducta. Parthorum ſeu Arſacidarum initia. De Mithridate memorabiliora. ibid.
Res Ægyptiorum, ad finem Æræ Ptolemæorum. 475
Res Romanorum à deletâ Carthagine. Pompejus M. Julius Cæſar. Octavius Auguſtus, ejuſque res præcipuæ, ad Æram Chriſti Vulgarem. 476

Digitized by Google

INDEX I.

CANONES ISAGOGICI ET CRITICI,

Ad Fontes Genuinos Chriſtianæ Antiquitatis diſcernendos à Nothis ac Suppoſititiis.

Fraudes circà Monumenta prima Antiquitatis. 485

CRITER. I. *Meritò accenſentur* Pſeudepigraphis *& Suppoſititiis, ea Scripta (tributa vel Apoſtolis vel Diſcipulis eorundem, ac primæ Ætati) quæcunque deprehenduntur fuiſſe ignota cùm illâ ipſâ Ætate, tùm proximè ſequentibus.* 487

II. Criterium alterum νοθεύσεως eſt : *Si Scriptum* (de quo dubitatur ſit-ne ab Apoſtolicis Viris profectum, an verò illi Ætati ſuppoſitum) *conſtet ſilentio prætermiſſum fuiſſe, atque adeò ignotum ipſi ſpeciatim Euſebio in Hiſtoriâ ſuâ, Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Gennadio Maſſilienſi continuatori Hieronymi, quandoque & Iſidoro, & Photio in Biblioth. diligentiſſimis inquiſitoribus Monumentorum ſe priorum.* 489

III. Tertium eſto Criterium : *Si Scriptum, de cujus auctoritate controvertitur, ipſi Veteres habuerint pro Apocrypho & Suppoſititio, vel certè pro Dubio : Et cumprimis illi quoque, quorum auctoritas Romanæ Eccleſiæ ſacra eſſe debet, & eſt aliàs.* 490

IV. Quartum Criterium : *Si in eandem Apocryphorum, ſaltem dubiorum, claſſem referant ipſi quoque Adverſarii, quorum aliàs intereſſet habere talia pro Genuinis.* 491

V. Quintum Criterium : *Si in ejuſmodi Scripto controverſo memorentur res geſtæ, aut perſonæ, quæ poſteriores ſint ac recentiores longè illo Scriptore, cujus nomen falsò præſcriptum legitur.* ibid.

VI. Sextum Criterium factæ fraudis, ſequens eſto : *Si in Scripto quod fingitur Apoſtolicæ aut proximæ huic Ætatis, mentio in ſpecie fiat Ceremoniarum, Rituum, Diſciplinæ, Politiæ Eccleſiaſticæ, ſimilium, quæ dudum poſteà in Chriſtianam Eccleſiam fuêre introducta.* 492

VII. Septimum nobis eſt ὑποβολῆς Criterium, à *Doctrinâ* deſumptum : *Si in Scriptis* τοῖς ἀμφισβητουμένοις *Dogmatica reperiantur, vel planè aliena à doctrinâ Apoſtolicâ, vel ignota adhuc illi Ætati, quam præ ſe ferunt Apocrypha.* 493

VIII. Octavum ſuppoſitionis Criterium : *Si in iiſdem Scriptis reperiantur paſſim* ἀναχρονισμοὶ, & ἀνισοχρονίαι *nimis craſſæ, contra Hiſtoriæ Apoſtolicæ, Sacræ, aut Exoticæ evidentiam ac conſenſionem, contrà facta notoria ; aut inverſo plane ordine Temporum & Chronologiæ certioris.* 494

IX. Nonum fraudis Criterium : *Si in iiſdem vel Dubiis, vel Apocryphis legantur, ſeu res, ſeu voces, phraſes, quæ ex Scriptoribus dudum poſt natis, aut ex Actis poſteriorum Synodorum, ſint maniſeſtè deprompta, aut etiam verbotenus indè deſcripta.* 495

X. Decimum factæ fraudis Criterium : *Si in narrationibus illis Hiſtoricis, quæ mentiuntur primam Antiquitatem, venditentur pro veris Fabulæ nimiò quàm pueriles, & Hiberæ næniæ, & apertiſſima mendacia, ac res omninò ludicra.* 496

XI. Undecimum fraudum Criterium : *Si hujuſmodi Scriptores perſonati, qui ſub larvâ primæ Antiquitatis latent, utantur ipſimet Scriptis Apocryphis, & nimium fabuloſis, ex quibus ſua propinant, ſed & quibus ſe ſuomet indicio produnt.* 497

XII. Duodecimum fictionis Criterium : *Si legantur & alia in iiſdem Scriptis aliena à gravitate Apoſtolicæ Ætatis ; aut etiam à modeſtiâ, veracitate, conſtantiâ ipſius Scriptoris, cujus nomen mutuantur.* 498

XIII. Decimum tertium argumentum νοθεύσεως : *Si cumprimis ex ſtylo, oratione, linguâ, & contextu toto, fraus clariſſimè deprehendatur.* 499

XIV. Criterium decimum quartum factæ ſuppoſitionis, priori quadantenùs affine eſt : *Si Scriptores hujuſmodi longè ſint diſſimiles, ſtylo & charactere dictionis, iis quorum nomina præferunt ; factâ collatione Scripti dubii & controverſi, cum aliis ejuſdem Auctoris, quæ ſint certæ & indubiæ fidei.* 500

XV. Decimum & quintum eſto Criterium : *Meritò cenſeri dubia non pauca vel Apocrypha, quæ ſic in Verſionibus extant, ut non in Primigenio & Authentico contextu ; quæque fruſtrà pro tranſlatis ex ipſo authentico, venditantur.* 501

XVI. Decimum ſextum vel fraudis, vel erroris Criterium, coincidens quanquam ex parte cum ſuperioribus nonnullis : *Si memorentur quidem hujuſmodi Scripta, in Veterum Catalogis, ſed tamen ſub alio nomine, quam vulgati hodie Tituli præferunt :* Vel, *Si idem Scriptum pluribus ac diverſiſſimis Auctoribus legatur tributum.* 502

XVII. Fraudis Criterium eſt : *Si hujuſmodi, de quo quæritur, Scriptum illi reticeant, qui ſuorum ipſimet Operum Indicem confecerunt :* Vel, *Si ob ſimilitudinem Nominum, quod unius fuit, alteri cognomini ſit per errorem adſcriptum.* ibid.

XVIII. Addi poteſt Criterii decimi & octavi loco : *Si præferatur Nomen puta Juſtini Martyris,* vel *Origenis,* vel *Cypriani,* vel *Athanaſii,* vel *Ambroſii,* vel *Hieronymi,* vel *Cyrilli,* vel *Auguſtini,* &c. *& tamen tradantur iſtis contraria, aut diverſa planè ab iis quæ genuinis illorum Scriptis expreſſa legimus.* 504

XIX. Criterium decimum nonum nobis eſto : *Si producantur Scripta ſub antiquioribus nominibus, quàm ſunt illæ Hæreſes, ad quas nominatim, vel certe evidenter reflectunt, aut etiam contra quas animoſiùs inſurgunt.* 506

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA,
A
CHRISTO NATO
AD
TEMPORA REFORMATIONIS.

I. *Neceſſitas illius, & Utilitas per omnes Diſciplinas diffuſa.* 507

II. *Fontes Genuini, undè hauritur Chriſtiana Hiſtoria. Scriptores Veteres, Medii, Recentiores. De Baronii Annalibus judicium.* 508

HISTORIÆ CHRISTIANÆ
SECULUM PRIMUM.

I. *Proximè antecedentia Nativitatem Chriſti. Ubi de ἀπογραφῇ à Cyrenio factâ.* 517

II. NATIVITAS *ipſa, & Circumſtantia. De Anno, Menſe, & Die. Fabulæ Baronianæ rejecta.* 521

III. *Res intermedia uſque ad Miniſterium Joh. Baptiſtæ, & Chriſti. Exceſſus Herodis. Auguſti. Præſidos Judææ.* 526

IV. *Summaria hiſtoria Miniſterii Joh. Baptiſtæ, & Chriſti Servatoris, uſque ad Tempus Aſcenſionis; undè incipit Hiſtoria Apoſtolica. Tempus Chriſti baptizati. Duratio Miniſterii.* 529

V. *Teſtimonia Exotica, Euangelicæ Hiſtoriæ adſtipulantia. De Teſtimonio Joſephi Ἀρχαιολόγου perhibito Chriſto Servatori.* 532

VI. *Hiſtoria Apoſtolorum, Acta, Labores, Diſperſio. Certa ab incertis, & fabuloſis, diſtincta.* 534

VII. *Conſignatio Librorum Novi Teſtamenti. Quando & per quos facta? Quâ Linguâ?* 542

VIII. *Fundatio prima Eccleſiarum in Palæſtinâ, Aſiâ, Africâ, Europâ. Certa ab incertis, & fabuloſis, qualia feruntur innumera, diſtinguuntur.* 548

IX. *Forma Eccleſiaſtici Regiminis, & Diſciplina Apoſtolica, qualis inſtituta? Ritus Apoſtolici perpetui, temporarii, commentitii.* 552

X. *Perſecutiones in naſcentem Eccleſiam motæ. De Neronianâ, & Domitianeâ: Contrà Baronium obſervata quædam.* 558

XI. *Martyres hoc Seculo Illuſtriores. De Martyrologiis Romanis & Actis Martyrum ſuppoſititiis. Certa ab incertis, & à fabuloſis diſtincta. Ecquis honos Corporibus & Reliquiis habitus?* 564

XII. *Primi Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ, poſt Apoſtolos. Qui Epiſcopi habeantur Eccleſiarum principum? Certa ab incertis diſtincta. Apoſtoli & Apoſtolici conjugati. Scriptores Chriſtiani, primâ Ætate. De Epiſt. Clementis, Barnabæ.* 568

XIII. *Concilia hoc Seculo habita, Apoſtolica omnia. Suppoſita quænam?* 571

XIV. *Hæreſes hoc Seculo natæ. De Hæreſi Simonis, Nicolaitarum, Nazaræorum,* &c. *obſervata quædam.* 573

XV. *Scripta Apocrypha & Pſeudepigrapha, affictæ huic Seculo, Chriſto Servatori, Apoſtolis, & Apoſtolicis viris.* 578

XVI. *Res Judæorum. Urbis, Templi, ac Reipublicæ Excidium. Cauſæ. Circumſtantiæ memorabiles. Quæ illud conſecuta ſunt. Doctores Judæorum ab Excidio. De Joſepho quædam.* 583

XVII. *Memorabilia Miſcella; Fabuloſa plurima. Res Gentilium, & Status Ethniciſmi. De Eclogâ* IV. *Virgilii. Alia quæ ad Hiſtoriam Eccleſiæ, & Romanorum quoque, ſpectant.* 592

SECULUM SECUNDUM.

I. *Status Chriſtianæ Eccleſiæ, ſub initium hujus Seculi. Doctores, & Epiſcopi. In ſpecie de Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ.* 599

II. *Propagatio ejuſdem toto hoc Seculo. Certa ab incertis diſt. Scholæ Chriſtianæ.* 603

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi; Sigillatim oſtenſa, ex genuinis fontibus.* 604

IV. *Ritus, Ceremoniæ, Diſciplina, Praxis Chriſtiana hujus Seculi.* 615
- *Conventus Sacri, eorumque ratio, agenda. De Precationum publicarum ritu.* ib. & ſeq.
- *Agapæ.* 620
- *Baptiſmus ejus Ætatis.* 621
- *Euchariſtici Ritus.* 623
- *Diſciplina circà Lapſos & Pœnitentes.* 625
- *Ritus alii Miſcellanei.* 626
- *Mores Chriſtianorum hujus Ævi.* 629

V. *Politia Eccleſiaſtica, Regimen, Ordines Sacri, alia huc ſpectantia. Clerici ut à Laicis diſtincti.* 631

VI. *Hæretici & Pſeudo-Chriſtiani hujus Seculi. De Baſilidianorum Abraxis. De Gnoſticis. De duobus Principiis, refutatio. De Montani Erroribus,* &c. 637

VII. *Tranſlationes S. Scripturæ hoc Seculo factæ, Græca, Latinæ, Syriaca* N. T. 650

VIII. *Perſecutiones excitatæ hoc Seculo in Chriſtianos. Cauſa illarum. Plinii Epiſt. ad Trajanum quando? De Perſec. Hadriani. De Apologiis Juſtini M. De Pluviâ miracul. & Legione* κεραυνοβόλῳ, ἐπίκρισις *Auctoris.* 652

IX. *Martyres illuſtriores. Certa alia, alia fabuloſa. De Martyrio Juſtini, Polycarpi,* &c. *Honos Martyribus hoc Seculo habitus.* 662

X. *Doctores & Scriptores Eccleſiaſtici hujus Seculi. De præcipuis judicium. Errores ut condonandi.* 670

XI. *Scripta Apocrypha vel Suppoſititia, huic Ætati falsò adſcripta.* 677

XII. *Concilia hoc Seculo habita, eorumque cauſa. De Controverſiâ Paſchali.* 680

XIII. *Schiſmata hoc Seculo in Eccleſiâ nata. Eorum cauſa.* 683

XIV.

XIV. *Res Judæorum hâc Ætate. Rebellio inſignis ſub Hadriano. Scholæ, Magiſtri principes, Liber Miſchnaioth.* 685
XV. *Res Gentilium, ſeu Status Ethniciſmi. Odii in Chriſtianos cauſæ. Memorabilia quædam alia, ſub Imperator. hujus Seculi. Philoſophi inſectatores Chriſtianiſmi, quidam?* 688

SECULUM TERTIUM.

I. S*tatus Eccleſiæ hoc ineunte Seculo.* 697
II. *Propagatio Eccleſiæ hoc Seculo. Philippus Imperator an Chriſtianus? Mamæa item, & Severa, Auguſtæ?* 699
III. *Doctrina Catholica hujus Seculi, ſigillatim demonſtrata.* 705
Capita controverſa illuſtriora. ibid.
IV. *Ritus, Ceremoniæ, Mores hujus Seculi.* 715
Conventus ſacri. 716
Baptiſmus hujus Ætatis. 719
Euchariſtiæ Celebratio. 721
Agapæ, Jejunia, Feſta. 724
Ritus circà Defunctos. Orationes pro Mortuis. 727
Ritus alii Miſcellanei. 728
Mores & Diſciplina Chriſtianorum hujus Ævi. 731
V. *Diſciplina Eccleſiaſtica circà Lapſos, & Pœnitentes, hoc Seculo. Indulgentiæ quales? Pœna Clericorum. Libelli pacis.* 732
VI. *Politia Eccleſiaſtica, Regiminis, Ordinum Sacrorum, Clerique conditio, hac Ætate. Romani Epiſc. Poteſtas qualis?* 738
VII. *Hæreſes hac Ætate exortæ, varii generis. De Sabellio; Samoſateno; Manichæis,* &c. 746
VIII. *Schiſmata hoc Seculo in Eccleſiâ nata, quæ in partes diſtraxerunt. De Schiſmate Novatiano. Stephani, & Oriental.* 753
IX. *Perſecutiones hoc Seculo in Eccleſiam continuatæ. De Lapſis. Origenes an lapſus? De Perſec. Valeriani, & illâ Aureliani, obſervata quædam. De Legione Thebæâ, judicium.* 758
X. *Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ hoc Seculo illuſtriores. De Origene Adamantio, plura. De Hippolyto Clar. Le Moyne vana conjectura. De Gregorio Thaumaturgo,* &c. 771
XI. *De Scriptis ſuppoſititiis, ad hoc Seculum relatis. De Canonibus Apoſt. Conſtitutionibus,* &c. 783
XII. *Concilia hoc Seculo Orientalia, in ſpecie in Paulum Samoſ. Occidentalia. Africana.* 786
XIII. *Res Judæorum hoc Seculo. Libertas iis facta; Scholæ in Palæſtinâ & Babyloniâ. Res Gentilium. Varia ad Hiſtoriam Imperatorum ſpectantia. Hiſtorici, & Philoſophi, præcipuè hoſtes Chriſtiani nominis.* 791
XIV. *Memorabilia quædam miſcella hujus Ætatis. Origo vitæ Eremit. & Monaſticæ. Fabulæ de Urſulâ Britannicâ, & origo. De Catacumbis.* 799

SECULUM QUARTUM.

I. F*acies Eccleſiæ ineunte Seculo.* 807
II. *Hiſtoria Perſecutionis* x. *excitatæ primùm juſſu Diocletiani & Maximiani, ferè ſub exordia hujus Seculi: Deinde continuatæ præcipuè per Galerium, Maximinum, Maxentium Herculium.* 810
III. *Hiſtoria liberatæ Eccleſiæ per Conſtantinum M. uſque ad Licinii exceſſum.* 821
IV. *Tempus Converſionis Conſtantini M. ad Chriſtianam fidem: Ejus Converſionis indicia. Gentiliſmi ſucceſſiva abolitio. Baptiſmus cur ad extremum vitæ à Conſtantino M. dilatus? Facta ſequentium Imperatorum. Reliquiæ Paganiſmi quales remanſerint? Converſiones aliæ hoc Seculo, & Chriſtianiſmi propagatio.* 831
V. *Doctrina hujus Seculi Catholica, per ſingula Capita. Voces & phraſes, in alium deinceps ſenſum detortæ. Patrum hujus Seculi quidam errores. Diſſenſus à Latinis hodiernis.* 840
Diſſenſus in Doctrinâ, inter Patres hujus Seculi, & Latinos hodiernos. 849
VI. *Ritus Adiaphori, Ceremoniæ variæ, etiam Mores Chriſtianorum hujus Seculi.* 851
Templa ſeu Baſilicæ indè à Conſtantino M. Dedicatio; Agenda in iis publica. 852
Ritus circà Tempora ſolemnia. 855
Tempora Jejuniorum. 856
Baptiſmales quidam ritus. 857
Ritus circà Euchariſtiam Sacram. Diſcrimen hujus Seculi, à doctrinâ & praxi Pontificiâ. 858
VII. *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio hoc Seculo; Ritus Pœnitentiales. Forma Templorum veteris Eccleſiæ.* 861
VIII. *Superſtitionis in quibuſdam Ritibus præludia, hoc Seculo. Diſcrimen à Latinis recentioribus.* 864
IX. *Regiminis Eccleſiaſtici facies hoc Seculo. Ordines, ac Dignitates Sacræ. Romani Epiſcopi auctoritas. Diſciplinæ Clericalis notabiliora.* 869
X. *Hæreſes hoc Seculo in Eccleſia natæ. De Arianâ fuſius; deque perſecutionibus motis in Athanaſium Alex.* &c. 882
XI. *Concilia hoc Seculo illuſtriora, cùm Oecumenica, tùm Topica. Eademque Orthodoxa, Heterodoxa. De Nicæno fuſius. De Synodo Conſtantinop.* II. 894
XII. *Patres & Doctores hoc Seculo Illuſtriores, in Eccleſiâ utrâque. De ſingulis judicium.* 918
XIII. *Hiſtoria Perſecutionum, poſt Conſtantini M. ætatem. Sub Conſtantio, facientibus Arianis. Obſervata quædam. Præcipuè ſub Juliano Apoſtatâ, ejuſque modus. De Juliano varia. Tandem ſub Valente Imperatore Arianis addicto.* 926
XIV. *Monaſticæ vitæ hoc Seculo origo, ratio, incrementa.* 933
XV. *Scripta ſuppoſititia. Apocrypha alia & Fabuloſa huic Ætati afficta; Exemplis quibuſdam adductis.* 937
XVI. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi Miſcellanea. Baronius non ſemel notatus.* 942
XVII. *Status Ethniciſmi, & Judaiſmi, hoc Seculo. Dignitates adhuc in Ethnicos collatæ.* 949

SECULUM QUINTUM.

I. S*tatus Imperii & Eccleſiæ, circà hujus Seculi Primordia.* 955
II. *Propagatio Eccleſiæ hoc Seculo. Gentes quædam ad Chriſtum, & ad fidem Catholicam converſæ.* 959
III. *Scholæ, Academiæ, Bibliothecæ, hoc Seculo aut florentes, aut de novo erectæ.* 962
IV. *Doctrina Eccleſiæ Catholicæ, qualis hoc Seculo tradita? Exemplis probatum.* 964
V. *Corruptio creſcens ſeu in Doctrinâ, ſeu in Ritibus, & in Praxi, hac Ætate obſervata. Diſcrimen tamen multiplex à ſequiori Ævo.* 970
VI. *Regiminis Eccleſiaſtici facies & ratio hoc Seculo. Romanorum Pontificum creſcens ambitio, exemplis oſtenſa. Ab Orientalibus & Afris cumprimis coërcita.* 978
VII. *Hæreſes hoc Seculo notabiliores exortæ: Pelagiana; Semi-Pelagiana; Neſtoriana; Eutychiana, & hujus traduces.* 989
VIII. *Concilia hujus Ævi, Oecumenica ſeu Univerſalia, duo; Patriarchalia alia & Provincialia, in Oriente & Occidente.* 1004

IX.

Digitized by Google

IX. Motus Alexandrini per Eutychianos; Timothei Æluri & Petri Moggi auſa. Facta Leonis, & Zenonis Imperator. Lites inter Acacium Conſtantinopolitanum, Petrum Moggum, Petrum Gnapheum, cum Johanne Talaiâ, & Romana Sedis Epiſcopis. De Henotico Zenonis. Baronius notatus. In quibus, & à quibus peccatum? 1020

X. Patres & Scriptores Eccleſiaſtici hoc Seculo, tam in Oriente, quàm in Occidente. De Theodoreto quadam. Fœmina quadam illuſtres, vel ſanctitate, vel literis. 1027

XI. Turba varia, & Perſecutiones ſeu in Epiſcopos, ſeu in Eccleſias excitata hoc Seculo. Cumprimis per Arianos, Barbaros, Anglo-Saxones, etiam Eutychianos. 1035

XII. Memorabilia quadam alia hujus Ævi, miſcella; & ad Eccleſia Hiſtoriam ſpectantia. Uſus Pallii Epiſcopo Ravennat. conceſſus. Fabula inſignes; Reliquia Stephani; Sindon ſepulchralis, &c. 1039

XIII. Occaſus Imperii Occidentis. Cum eo mutationes inſignes, natis hinc regnis Herulorum, Oſtrogothorum, Suevorum, Viſigothorum, Francorum, Burgundionum, Wandalorum in Africâ, & Anglo-Saxonum: Natales Venetorum Reipublica; & Britannia Gallicana. 1045

XIV. Res Gentilium, & Judaorum; Horum Patriarchatus abolitus. Cœlicolarum novum nomen; qui fuerint? 1049

SECULUM SEXTUM.

I. Status Eccleſia, & Reipublica, qualis ineunte Seculo, in Oriente, & Occidente. 1055

II. Propagatio Eccleſia Chriſtiana, aut Catholica, hac Ætate. 1060

III. Doctrina hujus Seculi Catholica. In ſpecie ex Gregorio Romano ſigillatim aſſerta. Lingua Latina in Sacris uſus, undè? 1064

IV. Nævi, errores, ſuperſtitiones quadam hujus Ævi, in Doctrinâ & Ceremoniis, in Romanâ cumprimis Eccleſiâ nata. Fabula inſignes. Gregorius qui auctor Dialogorum. Canon Gregorianus. 1072

V. Diſciplina Eccleſiaſtica ratio, juxtà Canones & Mores hujus Ævi; pracipuis quibuſdam exemplis illuſtrata. Lex Cœlibatus ut ſancita. 1080

VI. Regiminis Eccleſiaſtici, tam in Occidente, quàm in Oriente, ratio hoc Seculo. De titulo Oecumenici, à Greg. improbato, & quo ſenſu. Invaleſcens Pontificum Romanorum dominatio. Diſcrimen tamen multiplex ab hodiernis moribus. De facto Agapeti. De Literis Johannis II. ad Juſtinianum, &c. 1084

VII. Juſtinus Imperator. Succeſſor Juſtinianus. Hujus Perſona, & Facta cumprimis Eccleſiaſtica, à calumniis vindicantur. Procopii Hiſtoria Arcana. Fabula de Juſtiniano. Nævi Juſtiniani Imper. &c. Ejuſdem Succeſſores. 1103

VIII. Hareſes Eccleſiam conturbantes hoc Seculo. De Apthartodocitar. Hareſi. De Donatiſtis. 1109

IX. Contentiones inter Catholicos exorta, de Quaſtionibus nonnullis. Hormiſda Papa R. gravis error. De die Paſchali Controverſia. 1115

X. Concilia hoc Seculo celebrata. Hiſtoria Oecumenici V. ſub Juſtiniano. Controverſia de Tribus Capitulis. Vigilii Epiſc. Rom. hiſtoria, & inconſtantia. 1120

XI. Scriptores Eccleſiaſtici hoc Seculo celebriores, tam in Oriente, quàm in Occidente. 1134

XII. Perſecutiones aut vaſtationes Eccleſia, hoc Seculo. Pœna in Auctores & ultio Divina. 1143

XIII. Incrementum Monachatûs hac Ætate: Degeneratio à priori inſtituto, quanta? Quin à Regulâ ipſâ Benedicti: Diſcrimen à recentiori Monachatu. 1147

XIV. Memorabilia quadam miſcellanea, in Eccleſiâ, Republ. ad Hiſtoriam hujus Ævi pertinentia. Fabula inſigniores. 1154

XV. Status Judaorum, ac Gentilium, hoc Seculo. 1164

SECULUM SEPTIMUM.

I. Status Eccleſia & Reipublica hoc Seculo ineunte, in Oriente & Occid. Mala qua utramque afflixerunt. 1169

II. Propagatio Religionis Chriſtiana qualis hoc Ævo? Converſiones Britannicarum, Friſicarum, Germanicarum, &c. Gentium. Baronius in multis notatus. 1172

III. Propagatio errorum, ſuperſtitionum, ignorantia, in Latinâ cumprimis & Occidentali penè omni Eccleſiâ. 1177

IV. Conſpectus Paparum hujus Seculi: Quatenùs auctores novarum Traditionum, ſuperſtitionumque. 1186

V. Initia Antichriſtianiſmi in Romanâ Eccleſiâ, indè à Bonifacio III. ex ſententiâ ipſius Gregorii. Continuatio ſuperbia, & affectati dominatûs, in univerſalem Eccleſiam. Characteres alii Antichriſtianiſmi. 1191

VI. Teſtes Veritatis hoc Seculo: In ſpecie contrà Romana Eccleſia Superſtitiones, & Tyrannidem Papalem. 1199

VII. Antichriſti Orientalis, ſeu Muhammedis exortus, Doctrina, Hiſtoria. Koreiſchitarum religio qualis? De Capitibus Muhammedaniſmi. De Alkorano. De jactatis Arabum miraculis. De Schiſmatibus ortis inter Muhammedan. &c. 1206

VIII. Hareſes hoc Seculo Eccleſiam turbantes. Pracipuè autem Monothelitica. Ubi de Honorio, & ejus damnatione fusè. 1219

IX. Concilia habita hoc Seculo, Generalia, & Particularia. In ſpecie Hiſtoria Concilii VI. & Quini-Sexta Synodi. Canones Latinis adverſi. Baronius, Allatius, paſſim notati. 1225

X. Naſcentis Schiſmatis inter Eccleſiam Orientalem, & Romanam, hâc Ætate primordia. Origo Controverſ. de Proceſſione Spiritûs S. 1236

XI. Scriptores Eccleſiaſtici hujus Seculi, tum in Oriente, tùm in Occidente. Baronius non ſemel notatus. 1239

XII. Superſtitionis Monachalis magna hoc Seculo incrementa. Abbatiarum fundationes inclyta in Britanniâ, Galliâ, Helvetiâ. Monaſteria ut Schola. De Tonſurâ Monachali. 1243

XIII. Memorabilia quadam alia hujus Ævi, miſcellanea. In Republicâ mutationes varia. Et in Eccleſiâ Latinâ. De rebus Saracenorum, Turcarum, Judaorum. 1248

SECULUM OCTAVUM.

I. Status Reipublica & Eccleſia, ineunte hoc Seculo. Corruptio quanta? 1255

II. Propagatio Chriſtiana Religionis hoc Seculo, ejuſque ratio, & Inſtrumenta. De Wenfrido, ſeu Bonifacio Moguntino. De Carolo M. & inſtitutis ab eo Epiſcopatib. Scholis, Monaſteriis, &c. 1257

III. Doctrina Catholica hujus Seculi. Continuatio deformationis in eâdem Doctrinâ, Ceremoniis, Diſciplinâ, per additiones R. E. Ignorantia Cleri, in Latinâ Eccleſiâ. 1263

IV. Antichriſtiana in Eccleſiâ dominationis ſuperbiaque, hoc Seculo, incrementa. Paparum conſpectus. Facta Gregorii II. III. in Leonem Iſaurum. De Pipino in Francorum Regem evecto. Baronius, Maimburgius, de Marca, Nat. Alexander, variè notati. 1272

V. Diſcrepantiarum hujus Ævi, à Doctrinâ & Diſcipli-

Digitized by Google

ciplinâ Hildebrandinâ, & à ſequiore Pontificum praxi, exempla illuſtriora. 1288
VI. *Veritatis hoc Seculo Teſtes, & Defenſores, contrà Traditiones ac Superſtitiones Eccleſiæ Romanæ, in ſpecie Tyrannidem Papalem. Caroli M. Doctrina, per præcipua Capita. Baronius variè notatus.* 1294
VII. *Origo Controverſiæ de Imaginum cultu religioſo. Certaminum Seculo* VIII. *ſumma, occaſione Iconoclaſtarum, tàm in Oriente, quam in Occidente.* 1303
VIII. *Hæreſes, & Errores hoc Seculo propugnati, aut primum traditi.* 1308
IX. *Concilia vulgò ſeu Oecumenica ſeu Generalia, ſed & Nationalia quædam inſigniora, Seculo* VIII. *De Synodo Græcor.* VII. *& Nicænâ* II. *Synodo prolixius.* 1313
X. *Scriptores Eccleſiaſtici Seculo Octavo celebriores digniore ſque, Græci, Latini.* 1319
XI. *Status Gentiliſmi, Judaiſmi, Muhammedaniſmi, hoc Seculo.* 1323
XII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi, ordine promiſcuo. Reges & Reginæ Monachatum amplectuntur.* 1326

SECULUM NONUM.

I. *Facies Eccleſiæ ſub initia Seculi* IX. 1333
II. *Propagatio Chriſtiani nominis hoc Seculo.* 1335
III. *Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum, aliorumque deinceps Principum, in Reformandâ Eccleſiâ ſtudium.* 1337
IV. *Scholæ, Academiæ, Epiſcopatus,* &c. *his temporibus fundati.* 1340
V. *Corruptionis nefandæ in Romanâ Eccleſiâ progreſſus, incrementa, in Doctrinâ, Cultu, Diſciplinâ, Moribus.* 1343
VI. *Antichriſtianæ in Romanis Pontificibus Dominationis, uſurpationum, moliminum hoc Seculo exempla illuſtriora. Ac primò de Facto Leonis* III. *Carolum M. Imperatorem proclamantis.* 1347
VII. *Continuatio Antichriſtianæ in Romanis Pontificibus ſuperbiæ, fœdarumque ſuperſtitionum. Exempla hoc Ævo ſelectiora. Sed & diſcrimina à ſecturâ Ætate.* 1352
VIII. *Hiſtoria Johannis* VIII. *vulgò Johannæ Papiſſæ, controverſa.* Ἐπίκρισις *Auctoris.* 1363
IX. *Veritatis hoc Seculo, contrà Papalem Tyrannidem, Idololatriam, Superſtitiones, admiſſaſque deinceps Hæreſes, Teſtes luculenti.* 1368
X. *Controverſiæ celebriores hoc Seculo agitatæ, uti ſunt de Imaginibus; De Præſentiâ Corporali in Euchariſtiâ; De Prædeſtinatione duplici, Gratiâ Dei, Morte Chriſti, & Libertate Hominis. De Paſchaſio, Ratramno, ſed & Hincmaro Rhemenſi, quædam.* 1374
XI. *Status Eccleſiæ Orientalis. Divortium à Latinis, & Schiſma novum inter utramque Eccleſiam, non unâ de causâ. In ſpecie de Causâ Photianâ.* 1384
XII. *Concilia hoc Seculo celebriora indicata. In Oriente alia, alia in Occidente, & quibus de cauſis. Pluribus de tribus Synodis Conſtantinopolitanis vulgò Oecumenicis.* 1394
XIII. *Scriptores Eccleſiaſtici hoc Ævo celebriores, tàm in Occidente, quàm in Oriente. Summaria Criſis.* 1403
XIV. *Memorabilia quædam inſigniora hujus Ævi, & miſcellanea.* 1411

SECULUM DECIMUM.

I. *Facies Eccleſiæ, ſimul & Reipublicæ hoc Seculo ineunte.* 1419
II. *Propagatio Religionis Chriſtianæ ſaltem Chriſtiani nominis, hoc Seculo.* 1422
III. *Infelicitas Eccleſiæ, omneſque Papalis Antichriſtianiſmi Characteres, toto hoc Seculo* X. *Conſpectus Paparum; & Baroniana Pagina.* 1428
IV. *Cleri Univerſi hoc Seculo fœda, ut in Oriente, ſic cumprimis in Occidente. Status Romanæ Eccleſiæ reſpectu Morum, Diſciplinæ, Monachiſmi, Cultûs, Rituum, Doctrinæ.* 1437
V. *Papalis Tyrannidis coërcitio aliqua per Imperatores. In ſpecie de Johannis* XII. *depoſitione, & ſubſtitutione Leonis* VIII. *facto Ottonis* I. *Imperatoris. Baronius, & Natalis Alexander, ad partes vocati.* 1453
VI. *Teſtes alii Veritatis infortunato hoc Seculo, contrà Tyrannidem, Errores, Superſtitiones Pontificias. Conſtitutio Leonis* VIII. *pro Jure Imperatorum. Baronius, Mabillonus, ad partes vocati.* 1462
VII. *Teſtes in ſpecie contrà Tranſſubſtantiationis, vel Præſentiæ Realis, dogma. Obſervata varia. Contentiones ex Præſentiâ corporali ortæ.* 1473
VIII. *Concilia hujus Ætatis. Præcipua quædam. Auctoritas in iis Imperatorum, Regum.* 1489
IX. *Status Eccleſiæ Orientalis hoc Ævo. Continuatio Schiſmatis inter Orientales, & Romanam Eccleſiam.* 1485
X. *Scriptores Eccleſiaſtici hac Ætate inſigniores.* 1489
XI. *Memorabilia quædam alia hujus Ætatis, partim Apocrypha & commentitia, partim Hiſtorica. Mutationes inſigniores in Republicâ, tam in Occidente, quàm in Oriente.* 1496

SECULUM UNDECIMUM.

I. *Facies Eccleſiæ circà Annum à Chriſto Milleſimum.* 1509
II. *Propagatio in ſpeciem Chriſtianiſmi, ſed Traditionibus Romanis infecti. Belli Sacri initia, progreſſus.* 1511
III. *Fœda Romanæ Eccleſiæ facies; Corruptio, & Apoſtaſia, hoc Seculo.* 1515
IV. *Faſtigium Papalis Tyrannidis, hâc Ætate. Exempla illuſtriora.* 1519
V. *Gregorii* VII. *Hildebrandi hiſtoria, Facta, & Dogmata, planè Antichriſtiana. Ejuſdem contrà Henr.* IV. *auſa nefanda.* 1525
VI. *Cardinalitiæ Dignitatis atque Auctoritatis hoc Seculo natales.* 1532
VII. *Oppoſitiones hoc Seculo factæ contrà Papalem Tyrannidem, Errores, ac Superſtitiones. Quædam de multis exempla.* 1535
VIII. *Controverſia de Euchariſtiâ, fervens hoc Seculo. Hiſtoria Berengarii. Formulæ tres abjurationis. An errorem poſteà dimiſerit?* 1539
IX. *Schiſmatis inter Eccleſiam Orientalem & Romanam hoc Seculo incrementum. Status Eccleſiæ Orientalis.* 1544
X. *Concilia hoc Seculo paſſim celebrata, præcipuè in Occidente.* 1547
XI. *Scriptores Eccleſiaſtici hac Ætate celebriores.* 1551
XII. *Incrementum Monachatûs: Ordines novi hoc Ævo exorti.* 1557
XIII. *Memorabilia quædam, in ſuperioribus ferè tacita.* 1561

SE-

SECULUM DUODECIMUM.

I. *Status Eccleſiæ in ipſo Seculi exordio.* 1569
II. *Propagatio nominis Chriſtiani hac Ætate: Belli Sacri continuatio, ſucceſſus: Omnia in pejus collapſa in Oriente.* 1572
III. *Fœda rurſum Romanæ Eccleſiæ Facies, & Corruptio univerſalis, hac Ætate.* 1576
IV. *Papalis & Antichriſtianæ Tyrannidis luculenta hoc Seculo exempla.* 1582
V. *Oppoſitiones adverſus eam Tyrannidem, Superſtitionem, Corruptionemque, facta hoc Seculo.* 1591
VI. *Hiſtoria reprobati, per dictos Waldenſes & Albigenſes, Romani Papatûs, ac Reformationis inter eos inſtitutæ. Calumniarum in Waldenſes ratio & origo aperitur.* 1595
VII. *Hæreſes quædam hoc Seculo diſſeminatæ, ſeu vera illæ, ſeu affictæ.* 1600
VIII. *Concilia hac Ætate indicta. Tria Pontificiis habita Generalia, ſeu Oecumenica.* 1607
IX. *Status Eccleſiæ Græcæ & Orientalis. Continuatio diſſenſionis cum Latinis oſtenſa.* 1612
X. *Origo Theologiæ Scholaſticæ, ejuſque ratio hac Ætate: Etiam Hiſtoria Scholaſticæ: Et Juris Canonici.* 1616
XI. *Scriptores alii Eccleſiaſtici, tam in Oriente, quam in Occidente, hac Ætate celebres.* 1620
XII. *Monachorum Familiæ novæ, ſeu Ordines hac Ætate exorti, mireque propagati. De Ordinibus Militaribus.* 1628
XIII. *Memorabilia alia miſcellanea, ad hanc Ætatem pertinentia. Fabula Baroniana.* 1631
XIV. *Status rerum Judaicarum hoc Seculo. Magiſtri celebres; Status Arabum in Africâ & Hiſpaniis.* 1638

SECULUM TERTIUM DECIMUM.

I. *Status Eccleſiæ hoc vertente Seculo, tam in Oriente, quam in Occidente.* 1641
II. *Propagatio Chriſtiani in ſpeciem Nominis. Belli Sacri continuatio, ac ſucceſſus.* 1645
III. *Propagatio purioris doctrinæ inter Waldenſes ſeu Albigenſes. Hiſtoria Perſecutionis hoc Seculo in eos excitatæ. Auctores, Motiva, Media adhibita,* &c. 1652
IV. *Officium Inquiſitionis Pontificiæ introductum. Ejus Auctores; Ratio; Loca ubi primum exercita; Oppoſitiones; Conſpectus præcipuarum immanitatum tremendi hujus Tribunalis.* 1657
V. *Fœda Romanæ Eccleſiæ Facies: Idololatriæ, Errorum, Superſtitionum, ac nefandæ Corruptionis incrementa.* 1661
VI. *Tyrannidis Papalis, ac verè Antichriſtianæ, ſecundum Scripturas, & Gregorium* I. *illuſtria quædam in Papis hujus Seculi Exempla.* 1667
VII. *Teſtes luculenti Veritatis hoc Seculo. Oppoſitiones factæ contrà Romanam Tyrannidem, Hæreſes, Superſtitiones.* 1680
VIII. *Status Eccleſiæ Græcæ, & Orientalis. Continuatio diſſenſionis cum Latinis. Unionis fruſtrà tentatæ Hiſtoria, indè ab Innocentio* III. *ad Bonifacium* VIII. 1686
IX. *Hæreſes, atque Errores notati hac Ætate, in medio Papatu; ſive falsò ſic dicti, ſive etiam veri.* 1693
X. *Novi Ordines Monachales, eorumque Inſtituta. Tres Ordines novi Mendicantium. Præſertim illa Dominici, & Franciſci Aſſiſii. Antonius de Paduâ, S. Clara,* &c. 1696
XI. *Concilia hoc Seculo magis celebrata. Cauſæ præcipuæ ob quas habita. Oecumenica quæ perperam Latinis dicta. Hiſtor. depoſitionis Friderici* II. *in Concilio Lugd.* I. *Concilii Lugdun.* II. *hiſtoria. Mendax Pictura in Vaticano.* 1703
XII. *Secunda Scholaſticorum Ætas, præcipuè ab Alberto Magno, & Thomâ Aquinate. Canoniſtæ qui dicti?* 1710
XIII. *Scriptores alii hac Ætate celebriores, in Orbe utroque. Baronius & Allatius notati.* 1712
XIV. *Memorabilia alia miſcelli generis. Fabulæ quædam inſigniores: Tranſlationis Ædis Lauretanæ propudioſum commentum.* VII. *Electores non à Papis inſtituti. Fabula de partu Loſdunenſi. Mutationes in Republicâ, tam in Oriente, quam in Occidente.* 1719
XV. *Res Tatarorum; Saracenorum; Judæorum. Mameluchorum Imper. ut in Ægypto cepit.* 1726

SECULUM QUARTUM DECIMUM.

I. *Status Eccleſiæ hoc Seculo ineunte, in Oriente, & Occidente.* 1731
II. *Antichriſti novi Orientalis, ſeu Otomannicæ potentiæ natales, & progreſſus, hoc Seculo. Turcarum primi Imperatores. Bellum cum Timure.* 1733
III. *Antichriſtianiſmi Occidentalis continuatio, & Abominationum in Romanâ Sede. Exempla illuſtriora, uſque ad Schiſma ſub Urbano* VI. 1737
IV. *Memorabile Romanæ Eccleſiæ Schiſma, totis annis* L. *Pontifices hoc Schiſmate quales, qualis Romana Eccleſia?* 1750
V. *Oppoſitiones hoc Seculo intrà ipſum Papatum, adversùs Papalem Antichriſtianiſmum, ac fœdam Romanæ Eccleſiæ faciem, Idololatriam, Superſtitionem.* 1757
VI. *Continuatio cœptæ per Waldenſes Reformationis; cumprimis in Angliâ. Wicleſi Hiſtoria. Bohemicæ Reformationis primordia.* 1765
VII. *Concilia hujus Ætatis celebriora. Illorum quædam Specimina. De Concilio Viennenſi vulgò Oecumenico; ejuſque in Templarios Decreto.* 1772
VIII. *Hiſtoria deleti Ordinis Templariorum Militaris. Rei veræ cauſæ; & facti immanitas.* 1776
IX. *Status Eccleſiæ Orientalis; ſed & Imperii, toto hoc Seculo. Continuatio Diſſenſionis Græcorum ab Eccleſiâ Romanâ. Rei documenta. Palamitæ quinam dicti?* 1783
X. *Scriptores alii Eccleſiaſtici, hoc Seculo, in Orbe utroque. Cumprimis in Occidente; & à Scholaſticis jam diſtincti.* 1789
XI. *Scholaſtica Theologia, Philoſophiaque, ſed & Monachatûs, fœda incrementa hoc Seculo. Catharina Senenſis, & Brigitta Sueca, Moniales.* 1796
XII. *Linguarum ſtudium inſtauratum. Academiæ celebres, & Scholæ, hoc Seculo erectæ. De Heidelbergenſi Academiâ in ſpecie, ex ejuſdem Archivis deprompta.* 1801
XIII. *Memorabilia quædam alia hoc Seculo, miſcelli generis: Ad utramque Hiſtoriam pertinentia. Bulla Aurea. Wenceſlaus depoſitus. Pyxis Nautica inventa,* &c. 1805
XIV. *De rebus Judæorum, Turcarum, Mameluchorum, Tatarorum, Sinenſium, hoc Seculo. Timuri brevis Hiſtoria, ex Orientalibus.* 1810

SECULUM QUINTUM DECIMUM.

I. *Status Reipublicæ & Eccleſiæ, qualis ineunte Seculo* XV. 1815
II. *Continuatio Schiſmatis, & Tyrannidis Papalis in Romanâ Eccleſiâ. Schiſma novum ſub Eugenio* IV. *Triceps Rom. Eccleſia.* 1817
III. *Pontifices reliqui hujus Seculi. Antichriſtiani characteres in ſingulis notati. Pius* II. *alius longè ab Æneâ Sylvio. Sixtus* IV. *autor Nepotiſmi.*

Digitized by Google

Alex. VI. *imago apud Onuphrium.* 1823

IV. *Nova Dogmatum, ſuperſtitionum, atque innovationum, in Romanâ Eccleſiâ, portenta. Specimina quædam ſelectiora.* 1830

V. *Antichriſtianæ impietatis culmen. Sævæ Perſecutiones, & ſanguis Martyrum. Supplicium Hieronymi Savonarolæ. Sacrilega nundinatio Animarum. Nomina Blaſphemiæ.* 1837

VI. *Judicium verè Antichriſtianum Patrum Conſtantienſium, in Joh. Huſſum, & Hieronymum Pragenſem. Rei origo, & antecedanea. Circumſtantiæ principes obſervatæ, in utriuſque Martyrio.* 1841

VII. *Summa Bohemicorum motuum à Synodo Conſtantienſi. Compacta Baſileenſia. Bohemorum oppreſſio non una, hujuſque compendiaria Hiſtoria.* 1850

VIII. *Teſtes alii Veritatis, medio in Papatu, ſeu abominationum Romanæ Eccleſiæ, hac Ætate.* 1856

IX. *Concilia Seculi* XV. *Vulgò Generalia, Piſanum, Senenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, Florentinum. Obſervata de iis præcipua quædam; in ſpecie de Synodis Conſtantienſi, & vexatâ Baſileenſi.* 1861

X. *Status Eccleſiæ Græcæ & Orientalis. Continuata diſſenſio à Latinis, & Florentinæ Unionis vanitas.* 1872

XI. *Scriptores hoc Ævo incluti.* Παλιγγενεσία *quædam Literarum. Academiæ & Bibliothecæ fundatæ.* 1876

XII. *Memorabilia quædam hujus Seculi miſcelli generis, & ſelectiora. Pleraque ad Hiſtoriam Civilem ſpectantia.* 1879

SECULUM SEXTUM DECIMUM.

I. *Status Reipublicæ & Eccleſiæ ineunte Seculo* XVI. *Hujus univerſalis Corruptio.* 1885

II. *Conſpectus Romanorum Pontificum, inchoato hoc Seculo: Undè Reformationis neceſſitas rursùm intellecta.* 1888

III. *Concilia duo adverſa, Piſanum & Lateranenſe in Oecumenicis habita, proximè antè cœptam Reformationem: Eorum brevis hiſtoria; Reformationis neceſſitatem oſtenſura. De Tridentinâ Synodo, quæ excepit, notabiliora quædam, ejus nullitatem oſtenſura.* 1894

IV. *Suſpiria pro Reformatione Eccleſiæ. Teſtes publici omni exceptione majores, medio in Papatu, proximè antè Lutherum.* 1902

V. *Occaſio proxima Reformationis. Alexandri* VI. *Julii* II. *Leonis* X. *publicata Diplomata; Indulgentiarum Inſtitores. Forma abſolutionis qualis? cumprimis ſub Leone* X? *Notabiliora quædam.* 1905

VI. *Lutherus ad inchoandam Reformationem excitatus. Initiorum brevis Hiſtoria, uſque ad Annum* MDXXIV. *Ut & Zwinglii in Helvetiâ; & aliorum per Germaniam, Euangelium prædicantium.* 1910

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX II.

RERUM POTISSIMARUM

TOMI PRIMI.

Abbatiæ inſigniores fundatæ cumprimis Seculo ſeptimo. 1245, 1247. *Seculo octavo.* 1328 *Plura vide in voce Monaſteria.*
Abelardi hiſtoria & hæreſis illi affictæ. 1602—1604
Abgari tempore Chriſti Hiſtoria fabuloſa. 578, 579
Abgari Edeſſenorum Reguli fuère Chriſtiani, Seculo tertio. 794
Ab Menſis XI. *Hebræorum deſcriptus, & notabilia in eo; quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 60, 61
Abiæ Regis Judæ Hiſtoria. 376
Abo Scriptor Sec. X. 1494
Abrahami, Iſaci, & Jacobi Hiſtoria, &c. 298—303
Abſolutionis ritus, Seculo ſecundo. 626
——— *Seculo tertio.* 737
Abyſſini vide Æthiopes.
Acacium Conſt. Epiſcopum inter & Rom. Epiſcopos certamina: Quomodo utrimque peccatum? Baronii argumenta hinc ſumpta pro primatu Sedis Romanæ, refutata. 1026, 1027
Academiæ erectæ & florentes.
——— *Seculo* V. 962—964
——— *Seculo* VIII. 1262
——— *Seculo* IX. 1340—1342
——— *Seculo* XV. 1878
Academiæ, vide etiam Scholæ.
Acephali dicti Eutychiani. 1003
Achas Regis Judæ Hiſtoria. 382
Acolythorum munus Seculo tertio. 741
Actiacus Annus, quis ſit? 12
Actiaci, & Juliani anni diſcrimen. ibid.
Actiaci Ludi, quinam? 91
Adar Menſis VI. *Hebræorum, deſcriptio; notabilia in eo, & quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 54, 55
Adamum primum hominem fuiſſe probatur. 271, 272
Adami Hiſtoria. 273—276
Adami Lapſus Hiſtoria, an parabolica ſit? 273
Adamitarum hæreſis Seculo duodecimo. 1605
Adoptianorum hæreſis Sec. VIII. 1309
Adoratio Dei ſolius credita, Seculo ſecundo. 613. *Seculo tertio.* 713. *Seculo quarto.* 845. *Seculo quinto.* 967. *Seculo ſexto.* 1065
Adelolphus vide Æthelwolphus.
Ademarus Scriptor Sec. XI. 1554
Ado Scriptor Sec. IX. 1409
Adriani primi R. Pontif. facta quædam crudelia, ſuperba, & ſuperſtitioſa. 1286, 1287
Adriani quarti Papæ Hiſtoria. 1586, 1587
Ægyptiis olim fuit annus ſolaris. 11. *ejus caput primo vagum fuit, deinde fixum.* 11, 12
Ægyptiorum Menſium Laterculus & nomina. 39, 40 *horum uſus.* 39
Ægyptiorum fabulæ de Mundi antiquitate. 143
——— *Idololatria.* 314
——— *Origines.* 292
——— *Res ſub Epocha tertia.* 308—310
——— *quarta.* 342—350, 351
——— *quinta.* 371
——— *ſexta.* 391, 392
——— *ſeptima.* 408
——— *octava.* 435
——— *ad finem Æræ Ptolomæorum.* 475
In Ægypto mutationes per Fatimidas Sec. X. 1507
Ælfredi reformatio in Anglia Sec. IX. 1339
Ælfredum Angliæ regem à Pontifice coronam accepiſſe, fabula eſt. 1417
Ælfrici Malmesburienſis Epiſcopi Sec. X. *teſtimonia contra Tranſſubſtantiationem.* 1474
Ælius Spartianus, Hiſtoricus Seculo tertio. 798
Æneas Sylvius inter teſtes veritatis Sec. XV. 1859
Æneas Sylvius, vide etiam Pius II.
Æquinoctio verno, vel autumnali an Mundus creatus? 2—4
Æquinoctia & ſolſtitia, quomodo indicia temporum, & obſervationes de his neceſſariæ. 132
Æra, quid, & ejus originatio. 126
—— *Mundi Alphonſina.* 147
—— *Græcorum Hiſtorica.* 150
—— *Civilis Græcorum vel Conſtantinopolitanorum.* 151
—— *Antiochena.* ibid.
—— *Mundi variè ſtatuta, ſecundum varium calculum textus Hebraici, Verſionis Græcæ, & Samaritanæ.* 148
—— *Judaica quæ? Obſervationes quinque ad illam neceſſariæ.* 156—158
—— *Imperii Aſſyriaci Æra quæ, & cauſæ obſcuritatis illius.* 163
—— *Diviſionis terræ, & confuſionis Linguarum.* 165, 166
—— *Attica quæ?* 171
—— *Argonautarum quæ?* 172
—— *Laborum Herculis & belli Thebani, quæ?* 173
—— *Excidii Trojani.* ibid.
—— *Olympiadum quæ?* 175
—— *Urbis Conditæ, varia, Catoniana, Varroniana, Fabiana; collatio ejus cum aliis Epochis.* 176, 177
—— *Nabonaſſari quæ, & ejus uſus.* 177, 178
—— *Lagidarum ſeu Ptolomæorum quæ, & duratio ejus.* 197
—— *Seleucidarum quæ, & duratio ejus.* ibid.
—— *Alexandrea quæ, & triplex ejus initium.* 195-197
—— *Antiochena quæ, initium ejus variè conſtitutum; Ejus uſus oſtenſus.* 198
—— *Urbium aliarum Orientis.* 199
—— *Auguſtea quæ, & varium ejus initium.* ibid.
—— *Juliana quæ?* ibid.
—— *Hiſpanica quæ?* 200
—— *Regni Herodiani quæ?* 201—203
—— *Vulgaris quæ?* 204
—— *Chriſtiana ſeu Dionyſiana, quæ & quando uſurpari cœpta?* 203, 204
—— *Paſſionis Chriſti, momentum ejus, & variæ ſententiæ circa annum Paſſionis Chriſti.* 209—216
—— *Converſionis Pauli.* 246
—— *Diocletiana.* 247
—— *Excidii Urbis Hieroſ.* ibid.
—— *Agonis Capitolini.* ibid.
—— *Calendarii Judaici.* 249
—— *Mortis Conſtantini.* ibid.
—— *Perſarum.* ibid.
—— *Arabum.* ibid.

Æra Indictionum Conſtantinianarum. 249
——— *Urbis Conſtantinopolitanæ.* ibid.
——— *Concilii Nicæni primi.* ibid.
——— *Caroli Magni æra triplex.* 251
——— *Alphonſina.* ibid.
——— *Gregoriana.* ibid.
Æra Diocletiani. Baronii error Chronologicus. 247. 803
Æra Chriſtianæ per Dionyſium Exiguum origo, Seculo ſexto. 1154
Æras inter multiplex diſcrimen, earumque certitudo. 129
Æris quibus uſi ſint primi Chriſtiani ante fixam Æram Chriſtianam. 203
Æthelberti Anglo-Saxonum Regis converſio ad Chriſtianiſmum cum omni populo, Sec. VI. *exeunte.* 1062
Æthelwolphi, Regis Angliæ Hiſtoria ſeu fabula. 1416
Æthiopes habuerunt annum ſolarem. 12
Æthiopum Menſes. 40
Æthiopes an converſi ad Chriſtianiſmum Seculo IV. 839
Æthiopes ut ad Chriſtianiſmum converſi Seculo ſexto. 1060
Aetiani factio Arrianorum. 888
Africanus, Scriptor Eccleſiaſticus Seculo III. 772
Africanæ perſecutiones Seculo quinto. 1037
——— *Concilia Africana Seculo tertio.* 787, 788. *Seculo* IV. V. 912. 1017
Afrorum contentio cum Romano Pontifice circa appellationum jura. 984
——— *Canones eorundem, & Epiſtolæ circa appellationum jura Seculo* V. *Baronius notat.* 1017
Agaparum Seculo ſecundo ritus, fines, &c. 620--628 *Seculo tertio.* 724
Agapæ quare ſublatæ Seculo quinto? 978
Agapeti Papæ Rom. Sec. VI. *ambitio.* 1090
——— *Ejuſdem Seculo ſexto factum, abdicantis Antimum Conſtantinop. Epiſc. quomodo trahat Baronius in favorem Monarchiæ Pontificiæ.* 1094, 1095
Agatho Papa qualium ſuperſtitionum auctor? 1190
Agathias Hiſtoricus Seculi ſexti. 1167
Agnetis Virginis Martyrium fabuloſum. 819
Agnoëtarum Hæreſis Seculo ſexto. 1114, 1115
Agobardus, Scriptor Sec. noni. 1404. *ejus Hiſtoria de Grimaldo, per pulverem ſparſum in campos boves necante.* 1329
Ahaſuerus quis? 189--402
Aimoinus, Scriptor Sec. IX. 1409
——— *Alius Sec.* X. 1494
Akiba Rabbi Hiſtoria. 687
Alberti Magni Hiſtoria. 1711
Albigenſium nomina, origo, doctrina, perſecutiones, &c. *Seculo* XII. 1595—1600
——— *Seculo* XIII. 1652—1657
——— *Seculo* XIV. 1765—1772
Albinus Scriptor Sec. VIII. 1321
Alboini Longobardorum Regis perſecutio in Eccleſiam excitata. 1145
Alcantara, militum ordo in Hiſpania. 1630
Alcuini Epiſtola Sec. VIII. *ad Scotos, circa Confeſſionem peccatorum, ſcripta, contra Baronium examinatur.* 1300
Aldeberti Galli & Clementis Scoti Hiſtoria Seculo VIII. 1300, 1301
Aldeberti hæreſis ficta Sec. VIII. 1308, 1309
Alemannorum perſecutio Eccleſiæ Seculo ſexto. 1144
Alexandri Magni Hiſtoria. 437
——— *Ejus ſucceſſores.* ibid.
Alexander M. cur bicorniger ab Arabibus dictus? 197
Alexandrinum Chronicum cur Paſchale dictum? 1239
Alex. Concilium, Seculo tertio. 789. *Seculo quarto.* 910. *Seculo quinto.* 1004
Alexandrini motus per Eutychianos, Seculo quinto. 1020—1021
Alexandrina Schola Seculo ſecundo celebris. 604
Alexandrea Æra quæ? Triplex ejus initium. 195--197
Alexandri Secundi Pontificis Hiſtoria. 1522
——— *Tertii Papæ Hiſtoria.* 1587--1590. *Ejus facti ſuperbi in Fridericum Barbaroſſam veritas probatur.* 1588. *Ejus legatio ad Pretejannum Indorum regem ficta.* 1635, 1636
——— *Quarti Papæ Hiſtoria.* 1673
——— *Sexti Papæ Hiſtoria.* 1828, 1829--1888
Almarico impacta hæreſis. 1694
Alpes Cottiæ an donatæ Pontifici Rom. Sec. VIII. 1274
Alphonſina Mundi Æra. 147
Alphonſus decimus Scriptor Sec. XIII. 1717
Altare pro menſa Euchariſtica apud Patres, Seculo quarto. 847
Alvredus, vide in Ælfredus.
Amalarii duo inclyti Scriptores Sec. IX. 1404
Amaziæ Regis Judæ Hiſtoria. 380
Ambroſius Pater Seculi quarti. 923
Ambroſii libertas in caſtigandis vitiis Imperatorum. 947
——— *Apocrypha illi afficta.* 938
Americanorum anni quales? 31
Amon Regis Judæ Hiſtoria. 384
Amphilochius Pater Seculi quarti. 922
——— *Ejus factum memorabile.* 947
Ampulla Rhemenſis Hiſtoria. 1044
Amulo Lugd. Scriptor Sec. IX. 1405
Amurathi, Hiſtoria. 1734
Anacleti Rom. Epiſcopi martyrium ſuppoſit. Seculo ſecundo. 663
Anaſtaſius Sinaita Pater Seculi ſexti. 1137
——— *Bibliothecarius Scriptor Sec.* IX. 1407. *de ejus Collectis judicium.* 1224
Anaſtaſii Imperatoris Seculo ſexto Hiſtoria quoad res Eccleſiaſticas. 1056--1058. *& ejus perſecutio in Eccleſiam.* 1146
Anathematizandi an ſint mortui, controverſia Seculo ſexto. 1119
Ἀναφέροντες *qui dicti Sec. ſexto?* 1087
Ancyrana Synodus Seculo quarto. 909
——— *Synodus Semi-Ariana, Seculo quarto.* 917, 918
Andegavenſis Academia erecta Sect. XIV. 1802
Andegiſus, Scriptor Sec. IX. 1408
Andreæ Hungariæ Regis expeditio in Terram ſanctam Sec. XIII. 1648
Andronici, Senioris & Junioris Hiſtoria. 1684
Angeli Caſtellum cur dicta arx Romana? 1163
Angliæ regnum an tributarium Romanæ Sedi fuerit, Seculo ſeptimo? 1249
Anglia ut vectigalis facta Pontifici Romano Sec. VIII. 1280
Angliæ reges ſe tributarios feciſſe Romano Pontifici fabula Sec. IX. 1416
Anglo-Saxonum Converſio ad Chriſtianiſmum ſub Æthelberto, Seculo ſexto. 1061, 1062
——— *& Anglorum Converſiones Seculo ſeptimo.* 1172, 1173
Anglici regni variæ mutationes, Sec. XII. 1634, 1635
Anglo-Saxonum regni in Britannia ortus. 1047
——— *Invaſio in Britanniam Seculo ſexto.* 1059
Anglo-Saxonica Heptarchia. 1162
Animas mortuorum abditis receptaculis contineri uſque ad tempus ultimæ reſurrectionis, error Seculi ſecundi. 615. *& aliquot ſequent.* 974
Annatarum jus quale? 1743
Annus Actiacus, vide in Actiacus.
Annus Arabicus, vide in Arabicus.

Digitized by Google

Anni aſtronomici ſeu naturales. Quales ſunt
—— *Annus ſolaris, Tropicus, Aſtricus, Lunaris, Communis, Intercalares.* 5, 6
Annus Atticus, lunaris, & intercalandi ratio. 14
Anni civiles quinam appellantur? 6
—— *civilis Hebræorum forma quæ fuerit ſub jugo Macedonico, & inde à R. Hillele?* 10
Annorum civilium initia varia fuerunt apud varios Populos. 7
Annorum Civilium & Aſtronomicorum diſcrimen & ratio ejus. ibid.
—— *deſcriptio apud barbaras Gentes, in orbe Occiduo, Orientali, & Americano.* 33–30
Anni civiles, quales fuerint Germanorum, Saxonum, Gallorum, Danorum veterum, &c. 30–31
Annorum diſtributio in aſtronomicos ſeu naturales, & civiles. 5, 6
Anni Græcorum initium. 15
—— *varia ratio.* 13–18
—— *Græci mutatio inde ab Alexandro Magno.* 16
—— *Jubilæi deſcriptio.* 84
Annus Julianus quis? 20
Anni Juliani uſus in Chronol. 22
—— *Errores ab Auguſto emendati.* 22
—— *Item à Gregorio.* 23–26
—— *Novi Civilis feſtum apud Judæos.* 72
—— *Romanorum Veterum illius deſcriptio.* 18
Annus ſolaris fuit olim apud Ægyptios. 11. Ejus caput primo vagum fuit, deinde fixum. 11, 12
Anni Sabbatici apud Judæos deſcriptio. 82, 83
—— *Solares fuerunt ante Moſem apud Hebræos, ſed inde à Moſe lunares.* 8
—— *Solares fuerunt olim toto Oriente.* 11
Annorum ſeptuaginta Captivitatis Babyl. Calculus Chronologicus. 242, 398–400
Anomæi factio Arianorum. 888
Anſelmi duo. 1556 & 1620
Anſgarius Danorum & Suevorum Epiſcopus. 1335
Antelucani cœtus apud Chriſtianos Seculo ſecundo & tertio unde? Et quomodo occaſiones calumniarum fuerunt? 616
Antichriſtus quis ex mente Scripturæ? 1191
Antichriſti de ortu quid ſenſerint multi, Seculo XII. 1592
—— *Orientalis ſeu Mahomedis exortus, doctrina, Hiſtoria ex Arabibus.* 1206–1218
Antichriſtianiſmi characteres in Pontificibus Rom. ſingulis Sec. vide Romani Epiſcopi.
Anthropomorphitarum Hæreſis Seculo quarto. 891
Antiochi Epiphanis perſecutio in Judæos; Ejus hiſtoria. 447–450
Antiochus Monachus Scriptor Seculi VII. 1239
Antiochia urbis caſus Seculo ſexto. 1158
Antiochena Synodi tres Seculo tertio. 790. *Seculo quarto,* &c. 909
—— *Synodi Arianæ plures Seculo quarto.* 914–918
Antiocheni Motus per Eutychianos Seculo quinto. 1012
Antiochena Æra quæ, initium ejus variè conſtitutum, & uſus ejus. 198
Antitacta Hæretici Seculo ſecundo. 642
Antonini Caracallæ favor in Judæos. 791, 792
Antoninorum memorabilia quædam. 691, 692
Antonius Monachorum in Ægypto pater Seculo tertio. 802
Antonii de Padua hiſtoria. 1701, 1702
Apocalypſis quando ſcripta, &c. 547
Aphthartodocitarum Hæreſis Seculo ſexto. 1112, 1113
Apiarii Presbyteri ejectio, & ejus occaſione lis inter Pontificem Romanum & Carthaginenſes. 983
Apocriſiarii qui? 981
Apocryphorum Librorum deſcriptio, & Auctores. 428, 429
Apocryphi libri quomodo additi Canonicis Seculo quinto? 970
Apocryphos libros quomodo admiſerit & Canonicos vocaverit Auguſtinus? 965
Apocrypha Scripta I. *Seculo.* 578
—— *Sec. ſecundo.* 677–680
—— *Seculo tertio.* 783–786
—— *Patribus Seculi quarti afficta.* 937, 938
Apollinis reſponſum ad Auguſtum fabuloſum. 595
Apollonii Senatoris Romani martyrium Seculo ſecundo. 667
Apollinarii patris & filii Hæreſis Seculo quarto. 890
Apologetica Scripta pro Chriſtianis Seculo ſecundo. 605
Apoſtolorum Hiſtoria, acta, labores, diſperſio. 534–542
—— *Symboli origo.* 538
Apoſtoli Judæorum qui dicti? 952
Apoſtolicæ Conſtitutiones Apocryphæ, an Seculi tertii Scriptum? 784, 785
Apoſtolici Canones ſunt Apocryphi. 579. *Cujus Seculi Scriptum?* 785
Apoſtolicorum ſecta qualis Seculo XII. 1606
Apotheoſes Imperatorum Romanorum. 996
Aquilæ Verſio. 651
Aquilæ Rabbi hiſtoria. 687
Arabici Anni caput. 28
—— *Ejus menſura.* ibid.
Arabicus annus eſt vel antiquus, vel Muhammedicus. 27
Arabicum annum inveniendi ratio, ſeu dato anno Æræ Chriſt. invenire annum Arabicum. 28
Arabicorum Menſium Laterculus & nomina. 45, 46
Arabicorum Hæreſis Seculo tertio. 747
Arabicæ Synodi quædam Seculo tertio. 789
Arabica Verſio V. T. Rabbi Saadiæ. 1508
Arabum Idololatria quæ? 313
Arabum origines. 310
Aram filius Semi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Arbitrii liberi doctrina qualis
—— *Seculo ſecundo.* 612
—— *Seculo tertio.* 711
—— *Seculo quarto.* 843
—— *Seculo quinto.* 967
—— *Seculo ſexto.* 1067
Arca Judæorum ſedes varia. 355, 356
Archidiaconi Seculo quarto. 872
Archidiaconorum dignitas Seculo ſexto. 1084, 1085
Archiepiſcopus quis dictus Seculo quarto? 873
Archiepiſcopi qui dicti Seculo quinto? 980
Archiepiſcopi qui dicti Sec. VIII. 1273
Archimandritæ qui? 981
Archipresbyteri qui dicti Seculo quinto? ibid.
Archipresbyterorum dignitas Seculo ſexto. 1085
Arelatenſe Concilium primum Seculo quarto. 908
Argonautarum Æra quæ? 172
—— *Expeditio in Colchidem.* 352
Ariamirus, vide in Theodomirus. 885
Ariana Hæreſis fuſe deſcripta quoad Auctorem, tempus, cauſam moventem, occaſionem, dogmata, fautores, conſequentia, &c. 882–888
Ariana Hæreſis adhuc graſſata Seculo ſexto. 1058–1109
Arianorum furor in Orthodoxos. 886, 926–928
Arianorum Schiſmata inter ſe ipſos. 888
Arianorum artes, ingenium, perfidia.
Arii vita & mortis hiſtoria. 882, 883, 897, 901
Ariminenſe Concilium Seculo quarto. 911
Ariminenſe Concilium Arianum Seculo quarto. 916
Ari-

Digitized by Google

Aripertus Longobardorum Rex, an Alpes Cottias donaverit Romano Pontifici Seculo VIII. 1274
Armenii an converſi demum Seculo ſexto? 1060
Armeniorum ſecta Seculo quarto. 1004
Armeniorum Schiſma in Eccleſia Græca, Seculo duodecimo. 1612
Arnaldi de Brixia hiſtoria. 1604
Arnobius celebris Scriptor Seculo III. 782
Arnoldus Villanovanus inter teſtes veritatis Sec. XIV. 1762. *Ei impacta Hæreſis.* 1694
Arnulphus Scriptor Seculi XII. 1622
Arphacſad filius Semi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Arragoniæ Regnum quando cœperit? 1506
Arſes vel Arſames, Rex Perſarum. 434
Artaxerxis Longimani hiſtoria. 433, 434
Artaxerxis Mnemonis hiſtoria. ibid.
Artaxerxis Ochi hiſtoria. ibid.
Artaxerxes à quo Edictum tertium pro reſtitutione Judæorum, & quartum, quis fuerit? 414, 415
Arthuri Anglorum Regis Seculo ſexto hiſtoria dubia. 1059
Aſæ Regis Judæ hiſtoria. 377
Aſianæ res ſub Epocha IX. 471—475
Aſiaticum Concilium Seculo tertio adverſus Noëtum. 789
Aſini à Judæis culti fabula apud Gentiles, unde? 334, 335
Aſſamonæorum nominis origo. 450
Aſſur filius Semi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Aſſyriacæ origines. 293, 307
Aſſyriaci & Babylonici Imperii origo & tempus variè à Chronologis ſtatutum, & cauſæ illius. 163—169
Aſſyriorum res ſub Epocha quarta. 350
Aſſyriorum res ſub Epocha quinta. 370
Aſſyriorum & Babyloniorum res ſub Epocha ſeptima. 406, 407
Aſſyriorum & Babyloniorum Regum ſeries inde à Nabonaſſaro ad Cyrum uſque, cum Synchroniſmis. 181—188
Aſſyriaci Imperii finis in Sardanapalo. 169, 170—390
——— *Ejus reſtauratio.* 390, 391
Aſtyagis Medorum Regis hiſtoria. 407
Aſtricus annus qualis ſit? 5
Athaliæ Reginæ Judæ hiſtoria. 379
Athanaſii perſecutiones ab Arianis & crimina illi objecta. Ejus hiſtoria. 886, 887
Athanaſius Pater Seculi quarti. 919
Athanaſii Apocrypha. 937
Athenagoræ Scripta. 673
Athenienſium annus duplex, naturalis & civilis. 15
Athenienſium annus lunaris. 14
—— *Ejus intercalandi ratio.* ibid.
—— *Menſium laterculus & nomina.* 41, 42
—— *Et collatio cum menſibus Julianis, & obſervata quædam ad hos.* 41, 42, 43, 44
Athenienſes menſem in 3. *partes diviſerunt.* 44
Athenienſium res ſub Epocha quarta. 352, 353
——— *quinta.* 372
——— *ſexta.* 393
——— *ſeptima.* 409
Attilæ perſecutio in Eccleſiam. 1036
Atto ſecundus, Sec. X. *Scriptor.* 1495
Audæi Hæreſis Seculo quarto. 891
Avenionem ut tranſlata Sedes Romana. Cauſa. 1740
Auguſti Cæſaris hiſtoria. 478
Auguſtus emendavit errores Calendarii Juliani. 22
Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores cur omiſerint Principes intermedios inter Gordianum tertium, & Valerianum. 798
Auguſtinus Pater Seculi quarti. 925
Auguſtini Apocrypha. 938
Auguſtini regula circa traditiones, an faveat Pontificiis? 966
——— *Reliquiarum ejuſdem tranſlatio & miracula: Baronius refutatus.* 1267
——— *Opus de Civitate Dei qua occaſione ſcriptum? Ejus ſumma, & ſcopus.* 1050
Auguſtini Anglorum Apoſtoli Hiſtoria: Obſervationes quædam. 1184, 1185
Auguſtinianorum Ordinis inſtitutio. 1698
Aurelianenſis Virginis hiſtoria. 1881
Aureliani perſecutio an inter X. *numeranda?* 768
Aureus numerus quis? 103
Aurei Velleris Ordo inſtitutus Sec. XV. *Ratio nominis.* 1881
Aurelianenſis Academia erecta Sec. XIV. 1802
Aurum Coronarium quis? 952
Authoritas & Judicium ſummum in rebus Eccleſiaſticis apud ſolas Synodos adhuc Seculo quinto. 981
Azariæ Regis Judæ hiſtoria. 381
Azymorum feſtum apud Judæos. 73, 74
Azymorum uſus in Euchariſtia, cauſa Schiſmatis inter Orientalem & Occident. Eccl. 1544

B.

Babyloniorum, Aſſyriorum & Medorum Reges à Nabonaſſaro ad Cyrum, cum Synchroniſmis. 181-188
Babylonici & Aſſyriaci Imperii initium. 166-169
Babylonicæ Captivitatis annorum LXX. *Calculus Chronologicus.* 242, 398—400
Babyloniorum & Aſſyriorum res ſub Epocha ſeptima. 406, 407
Babylonicæ Captivitatis finis quando? 411—416
Babylonici Imperii finis. 431
Baccalaurei qui & unde dicti? 1638
Bajazethis hiſtoria. 1735
Baluzii obſervatio circa miracula Papiſtica. 1496
Balſamon Scriptor Sec. XII. 1625
Baptiſmi ritus, &c. *Seculo ſecundo.* 621, 622
——— *tertio, & errores circa illum.* 714—720
——— *quarto.* 857
Baptiſmi abſoluta neceſſitas credita Seculo quinto. 974
Baptiſmi tempus Sec. ſexto. 1086
Baptiſmus Campanarum; vide in Campana.
Bardeſanes Hæreticus Seculo ſecundo. 647
Barnabæ Epiſtola Catholica an genuina? 570
Baronius Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, & Judicium de iis. 514
Bartholomæi Apoſtoli reliquiarum tranſlatio in Italiam Sec. nono. 1345
Bartholomæi Albicii liber Conformitatum Franciſci. 1797
Baruchi liber Apocryphus. 406
Baſilides Hæreticus Seculo ſecundo. 638
Baſileenſe Concilium Sec. XV. 1868—1871
Baſilius Pater Seculi quarti. 919
Baſilii Apocrypha. 938
Batavæ Gentes converſæ Seculo ſexto. 1174
Bavarica Synodus Sec. VIII. 1318
Beda Scriptor Sec. VII. 1242, 1321
Beguardorum Ordo qui dictus? 1798
Belliſarii hiſtoria. 1103, 1104
Bella Punica Romanorum tria. 442
Bellum Sacrum fuſè deſcriptum
—— *Seculo* XI. 1512—1514
—— *Seculo* XII. 1572—1576
—— *Seculo* XIII. 1647—1652
—— *Ejus Cauſæ impulſivæ & ſcopus Paparum.* 1512, 1513, 1651
Belſhaſar quis? 179, 180, 407
Benedictinorum Ordinis origo, propagatio, regulæ, opes, &c. 1147—1150

Be-

Digitized by Google

Benedictus II, *Papa; qualium ſuperſtitionum auctor?* 1190
Benedicti IX. *Pontificis hiſtoria.* 1516—1520
Benedicti XI. *Papa hiſtoria.* 1739
——— XII. *Papa hiſtoria.* 1745
——— XIII. *Papa hiſtoria.* 1753, 1754, 1755
Berengarii hiſtoria. 1539—1544 & 1555
——— *Scriptores in Cauſa ejuſdem.* 1551
Bergenſe Cœnobium fundatum Seculo x. 1503
Bernardi vita & Scripta, &c. 1621, 1622
Bernardinorum Monachorum origo. 1560
Bertramus refutator ſententiæ Paſchaſii de Euchariſtia. Obſervationes Pontificiorum ad ejus Scriptum expenſæ. 1377—1379. *Item ejus ſententia de partu Virginis contra Paſchaſium.* 1379, 1380
Berylli Hæreſis Seculo tertio. 747
Bibliorum in linguam Græcam tranſlationis hiſtoria. 424, 425
Bibliothecæ celebres, Conſtantinopolitana, Cæſarienſis, &c. *Seculo quarto.* 837
Bibliothecæ illuſtriores Seculo quinto. 963
Boetii hiſtoria. 1140
Bogomilorum ſecta Sec. xi. & xii. 1547, 1600, 1601
Bohemia in regnum erecta Sec. xii. 1634
Bohemicæ Reformationis primordia Sec. xiv. 1771
Bohemicorum motuum à Synodo Conſtantienſi hiſtoria. 1850—1856
Bohemi fratres qui dicti? 1855
Bombardarum inventio Sec. xiv. 1809
Bona & reditus Eccleſiæ dati, Seculo quarto. 837
Bonifacio tertio Papæ, quare titulus Oecumenici datus à Phoca? 1193, 1194
Bonifacius tertius & quartus qualium ſuperſtitionum auctores? 1186
Bonifacius quintus ſuperſtitionum auctor. 1187
Bonifacii VIII. *Papæ hiſtoria.* 1680, 1737, 1738, 1739
Bonifacii IX. *Papæ hiſtoria.* 1755—1756
Bonifacii Germanorum Apoſtoli hiſtoria Sec. viii. 1258—1261
Bradwardinus Scriptor Sec. xiv. 1794, 1795
Brigittæ hiſtoria, & Ordo ab ipſa inſtitutus. 1800
Britannia ad Paganiſmum reducta per Anglo-Saxones Seculo quinto. 960
Britannica perſecutio Seculo quinto. 1038
Britanniæ Gallicanæ (Bretagne) natales. 1048
Britannicæ Eccleſiæ in quibus reſtiterint Romanæ tyrannidi Sec. vii. 1200
Britannicæ Synodi Sec. viii. 1317
Brunonis in Carthuſiam ſeceſſus ficta cauſa. 1558, 1559
Bruſio (Petro) qualis Hæreſis affecta Sec. xii. 1602
Bruſio (Henrico) quales Hæreſes affictæ? 1602
Budæi hiſtoria. 1904
Bulgarorum Converſio Sec. ix. 1336
Bulgaricas in Eccleſias juriſdictio controverſa Sec. ix. 1393
Bullæ Aureæ origo. 1807, 1808
Burgundi converſi ad fidem Chriſtianam, ſed Arianiſmo infectam, Seculo quinto. 960
Burgundici Regni ortus Seculo quinto. 1047
Bythiniæ Regnum quomodo teſtamento ad Romanos tranſierit? 474
Byzantini Hiſtorici celebriores Sec. xii. 1626
Bzovius Baronii Continuator, & de illo judicium. 515

C.

Cadmi profectio in Græciam. Illationis literarum, Linguæ, Fabularum, &c. *hiſtoria.* 340, 341
Cæſenas Scriptor Sec. xiv. 1794
Caini hiſtoria. 278
Cainitæ Hæretici Seculo ſecundo. 642
Cajetani cum Luthero congreſſi hiſtoria. 1913
Calatravæ Militum Ordo in Hiſpania. 1630
Calippi periodus unde incipit? 195
Calendarium Julius Cæſar emendavit, cur, quando, quomodo? Errores rurſum ab Auguſto emendati. 20—22. *Tandem à Gregorio* XIII. 23—26
Calendarium Gregorianum. 23—26
Calendarii Gregoriani Vitia. ibid.
Calicis ſubtractio in Euchariſtia lege Conſtantienſis Concilii Sec. xv. 1831
Calliſti II. *Papæ hiſtoria.* 1583
Calixti III. *Papæ hiſtoria.* 1823
Calixtini qui dicti in motibus Bohemicis? 1851
Camaldulenſium Ordinis origo Sec. xi. 1558
Campanarum baptiſmus introductus Seculo decimo. 1449
Canaanis occupatio ab Iſraelitis, & diſtributio terræ. 337, 338
Canon Sardicenſis quartus, de appellationibus ad Romanum Pontificem, explicatur. 876
Canon viii. *Epheſini Synodi Oecumenicæ memorabilis.* 1009
Canon xxviii. *Concilii Chalcedonenſis contra Baronium fuſe vindicatus.* 1014, 1015
Canones Apoſtolici ſunt Apocryphi. 579
Canones Apoſtolici an Scriptum Seculi tertii? 785
Canonicorum origo. 936, 964
Canonicorum Collegia Seculo quinto primum inſtituta. 1044
Canonicorum Collegia qualia inſtituta per Carolum Magnum? 1262
Canonizatio Monachorum & aliorum Sec. x. *tam in Oriente quam Occidente.* 1441, 1442
Canonizationes multorum Seculo xv. 1834
Cantabrigienſis Academiæ natales Sec. ſeptimo. 1251, 1341
Cantacuzenus, vide Johannes Cantacuz.
Cantici Canticorum Auctor & argumentum. 368
Cantiones apud Chriſtianos Seculo ſecundo in Conventibus ſuis. 618, 619
Cantiones quales Seculo quarto? 854
Cantores Seculo quarto. 870
Cantuarienſis Clerus Tranſſubſtantiationis dogmati reſtitit Sec. x. 1473
Cantuarienſem Epiſcopum inter & Eboracenſem de primatu lites Sec. xii. *Compoſitæ quando?* 1608, 1609
Capitis Eccleſiarum titulus in abuſum verſus à Pontif. Romano, Seculo ſexto. 1093
Capnio, vide Reuchlinus.
Caracallæ favor in Judæos. 791, 792
Cardinales an Sec. viii. 1273
Cardinalitiæ dignitatis & authoritatis, &c. *natales Sec.* xi. 1532—1535
Carmelitarum Ordo natus Seculo xii. 1631
Carolus Magnus ſummus promotor Eccleſiæ Chriſtianæ, & quibus mediis? 1261, 1262
Caroli Magni donationes Romano Pontifici. 1286
Carolo Magno jus inveſtituræ Epiſcoporum, & eligendi Rom. Pontificem, à Syn. Rom. datum. 1291
Caroli Magni orthodoxia oſtenſa in variis Articulis fidei. 1296—1298
Caroli Magni inſtauratio ſtudiorum per duos Scotos, fabula eſt. 1328, 1329
——— *Victoria.* 1334
——— *in reformanda Eccleſia ſtudium.* 1337
Carolus Magnus cur Romæ non relatus inter Sanctos? 1337—1339
——— *an Imperialem Dignitatem à Pontifice acceperit, fuſius contra Baronium expenditur.* 1347, 1352
Capitulum de ferendo jugo Eccleſiæ ipſi affictum. 1351, 1352
Caroli Martelli miraculoſa ſanatio, & alia de ipſo fabula. 1330

Caroli V. *Galliarum Regis oppoſitiones contra Papalem tyrannidem.* 1760
Caroli VI. *Galliarum Regis oppoſitiones contra Papal. tyrannidem.* ibid.
Caroli VIII. *expeditio memorabilis in Italiam, Sec.* XV. 1882
Carolomannus, Francorum Princeps, Monachus factus. 1327
Carpocrates Hæreticus Seculo ſecundo. 639
Carthaginienſia Concilia varia, Seculo tertio. 787
Carthaginenſe Concilium Donatiſticum, Seculo quarto. 913
Carthaginenſia Concilia IV. *Seculo quarto.* 912
Carthaginenſis Collatio cum Donatiſtis Seculo quinto, & effectus illius. 1019
Carthuſianorum Ordinis origo Sec. XI. 1558, 1559
Caſleu Menſis III. *Hebræorum. Notabiliora in eo. Quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 51—53
Caſſianus Scriptor Seculi quinti. 1032
Caſſiodorus (M. Aurelius) Scriptor Eccleſiaſticus Seculi ſexti. 1139
Caſtellæ Comitatus converſus in Regnum Sec. XI. 1568
Catacumbarum in urbe Roma deſcriptio. 805, 806, 807
Cataphryges Hæretici Seculo ſecundo. 646
Catharinæ Virginis martyrium fabuloſum, Seculo quarto. 819
Catharina Senenſis hiſtoria Sec. XIV. 1799
Catharos cur ſe vocarunt Novatiani? 755
Catharorum Hæreſis Sec. XII. 1605
Cathedra qualis fuerit Epiſcopis Seculo tertio? 717
Catholica Eccleſia quæ dicta Seculo quarto? 843
Cecrops conditor Regni Attici, & unde dictus διφυής? 171, 172
Cedmonus Simplex in quibus à Beda laudatus? 1243
Cedrenus Scriptor Sec. XI. 1557
Celeſtini tertii Papæ hiſtoria. 1591
Celeſtini quinti Papæ hiſtoria. 1679
Celſi Hiſtoria. 696
Centuriarum Magdeburgenſium auctores & laus. 513, 514
Cerdon Hæreticus Seculo ſecundo. 643
Cereorum uſus apud Chriſtianos ex Paganis originem habet. 864
—— *inter Ritus ſuperſtitioſos ortos Seculo* IV. ibid.
Cerinthi Hæreſis qualis? 577
Chalcedonenſis Synodi univerſalis hiſtoria. 1009—1016
Chaldæorum Idololatria quæ? 312, 313
Cham filius Noachi, quinam ex ipſo oriundi? 289, 290
Chanaan filius Chami, quinam populi ex ipſo oriundi? 290
Chanochi hiſtoria. 277
Characteres naturales temporum ſunt, 1. *Conjunctiones luminarium,* 2. *Eclipſes,* 3. *Æquinoctia,* 4. *Solſtitia.* 130—133
Chartophylax qui dictus? 1087
Childericus tertius, Monachus factus Sec. VIII. 1317
Chorepiſcopi Seculo quarto. 872
Chorepiſcopi qui dicti Seculo ſexto? 1085
Choſrois Perſarum Regis perſecutor Eccleſiæ. 1145
Chriſti æterna Divinitas credita Seculo ſecundo. 608, 609, 610. *Seculo tertio.* 708
Chriſti Nativitatis hiſtoria, antecedentia, conſequentia. 518—528
Chriſti Nativitas quo anno & die? 205—210. & 522—524
Chriſti educatio & vita privata. 526
—— *Miniſterium publicum, & duratio ejus.* 529—531
—— *Paſſio quo anno, & varia ejus ſententia.* 209—216
—— *Epiſtola ad Abgarum commentitia.* 578
Chriſtiana Æra quæ, & quando uſurpari cœpta? 203, 204
Chriſtianorum hoſtes, præter Imperatores, etiam fuêre Præfecti, Philoſophi, Juriſconſulti varii. 795
Chriſtianorum mores Sec. II. 629, 630. *Seculo tertio.* 731
Chriſtianiſmi promovendi media Seculo quarto. 836, 837, 839
Chriſtianiſmi propagatio ſingulis Seculis, vide Eccleſiæ propagatio.
Chriſtianiſſimi Regis Francorum tituli origo. 961
Chronicon Alexandrinum, quale? 1239
Chronicorum Libri quid contineant, & quis eorum auctor? 421
Chronologi quantum à ſe diſſentiant qui Hebræos Codices ſequuntur, & cauſæ ejus. 159—162
Chryſoſtomus Pater Seculi quarti. 921, 1027
Chryſoſtomi Epiſtola ad Cæſarium Monachum; ſententia circa naturam Euchariſtiæ. 844
Chryſoſtomi ingenium inflexibile & ſeverum, invidiæ in eum plurima cauſa. 1040
Chryſoſtomi exilium ſecuta prodigia. 1044
Chryſoſtomi in Epiphanium vox imprecatoria. 948
Chus filius Chami, quinam Populi ex ipſo oriundi? 290
Ciborum diſcrimen & abſtinentia apud Chriſtianos, ab Ethnicis originem habet. 864
Ciborum diſcrimen inter Ritus ſuperſtitioſos ortos Seculo quarto. 864
Ciborum delectûs leges novæ, Seculo VIII. 1269
Ciceronis vita & laus. 477, 478
Circumciſionis Sacramentum quando inſtitutum, & in quem finem? 300
Ciſtertienſium Ordo fundatus Seculo XI. 1560. *& propagatus Seculo* XII. 1628
Clariſſarum Ordinis inſtitutio. 1702
Claudius Taurinenſis Epiſcopus Scriptor Seculi noni. 1403
Claudianus Pater Seculi quinti. 1032
Clementis Alexandrini Scripta. 675, 679
Clementis Romani Epiſtola prima ad Corinthios genuina eſt. 570
Clementis Romani martyrium fabuloſum, Seculo ſecundo. 662
Clementis Scoti & Aldeberti Galli hiſtoria Sec. VIII. 1300, 1301
—— *Hæreſis ficta Sec.* VIII. 1308, 1309
Clementis tertii Papæ hiſtoria. 1590
—— *quarti Papæ hiſtoria.* 1675
—— *quinti Papæ hiſtoria.* 1740
—— *ſexti Papæ hiſtoria.* 1746
Clerus & Clerici, qui & unde dicti? 633
Clericorum cœlibatus ab Ethnicis originem habet. 865
—— *Seculo* II. *fuerunt conjugati.* 636, 637
—— *Seculo* III. *itidem conjugati.* 745
—— *Seculo* IV. *conjugium permiſſum.* 877
—— *Seculo* V. *cœlibatus ſancitus præcipuè in Occidente.* 974
—— *Seculo* VI. *cœlibatus leges.* 1082. *Multi tamen adhuc conjugati.* 1083
—— *Seculo* VIII. *in Clericorum conjugium Leges iniquæ.* 1269
—— *Seculo* IX. *oppoſitiones contra leges cœlibatus.* 1371
—— *Seculo* X. *cœlibatus leges eidemque oppoſitiones.* 1451, 1468
—— *Seculo* XI. *itidem.* 1538
Cleri Romani corruptio quoad ignorantiam, mores, &c. *& ejus incrementa,*
—— *Seculo* VII. 1176
—— *Seculo* VIII. 1266, 1270, 1272
—— *Seculo* IX. 1347
—— *Seculo* X. 1437—1440
—— *Seculo* XI. 1510, 1517

Cle-

Digitized by Google

—— Sec. XII. 1576, 1577
—— Sec. XIII. 1666
—— Sec. XIV. 1796
—— Sec. XV. 1836, 1837, 1839
Clericalis tonſura, vide tonſura.
Clerici Judiciis ſecularibus obnoxii adhuc Seculo ſexto. 1081
Clerici multi adhuc Seculo ſexto una habitantes cum Epiſcopo. 1082
Clericorum Ordinationes ſeu Conſecrationes quomodo fiebant Seculo ſecundo? 636
Clericorum lapſorum pœna Sec. III. 736
—— Habitus ſeu veſtes Seculo ſexto. 1083
—— Vulgares adhuc Seculo tertio. 745
Clodovei Francorum regis converſio Seculo quinto, & fabulæ de ea. 960, 961
Cluniacenſe monaſterium ſtructum Sec. IX. 1414
Cæleſtinorum Ordo quando natus? 1697
Cœlicolæ qui dicti? 1052, 1053
Colarbaſus Hæreticus Seculo ſecundo. 641, 642
Comœdia quando primum Athenis acta? 409
Comeſtoris (Petri) Hiſtoria. 1618
Commodi memorabilia quædam. 692
Compacta Bohemorum quæ vocata? 1853
Communio laica, peregrina, præſanctificatorum, &c. quid? 860
—— Sub unica ſpecie quando introducta? 1662, 1663
Conciones apud Chriſtianos Seculo ſecundo quomodo habitæ? 618
Conciones quomodo fiebant Seculo quarto? 855
Concilia habita Seculo primo. 571—573
—— Seculo ſecundo. 680—685
—— Seculo tertio. 786—791
—— Seculo quarto. 894—918
—— Seculo quinto. 1004—1020
—— Seculo ſexto. 1120—1134
—— Seculo ſeptimo. 1225—1236
—— Seculo octavo. 1313—1325
—— Seculo nono. 1394—1403
—— Seculo decimo. 1480—1485
—— Seculo undecimo. 1547—1551
—— Seculo duodecimo. 1607—1612
—— Seculo decimo tertio. 1703—1710
—— Seculo decimo quarto. 1772—1776
—— Seculo decimo quinto. 1861—1872
—— Seculo decimo ſexto. 1894—1902
Concilia Oecumenica cur nulla Sec. X. 1480
Conciliorum Auctoritas & ſummum Judicium in rebus Eccleſiaſticis adhuc Seculo quinto. 982
—— Convocatio per Imperatores, reges, principes non Pontificem Romanum adhuc Sec. VI. 1098. Seculo VII. 1201, 1225. Concilia ſemper convocaverunt Reges Gotthici. 1274. Concilia adhuc convocarunt Principes Seculo X. vide, Jus Regum. 1483
—— Auctoritas non credita infallibilis Seculo quarto. 849
Confeſſio privata introducta fine Seculi tertii. 734
Confeſſionis vox quid apud Patres Seculo quarto? 846
Confeſſio privata in Oriente qua occaſione ſublata Seculo quarto? 863
—— Auricularis nondum Seculo quinto. 969, 970
—— Soli Deo faciendam, qui intellexerint Scoti Seculo VIII. 1300
—— Epiſtola quæ ſub Alcuini nomine vulgata. ibid.
—— Auricularis ſancita Sec. XIII. 1662
Confutii Sinenſium Philoſophi hiſtoria. 445
Congellus Monachorum Britannicorum Pater. 1150
Conjunctiones luminarium indicia temporum apud Chronologos. 130
Conjugium Clericorum, vide Clericorum conjugium.
Conradus à Lichtenau Scriptor Sec. XIII. 1715
Conſecrationum novi ritus Seculo ſexto. 1076
Conſociatio Eccleſiarum qualis fuerit Seculis primis? 557, 558, 745, 878.
Conſtantinus Porphyrogenitus Scriptor Sec. X. 1484
Conſtantini Magni hiſtoria, converſio, acta memorabiliora ante & poſt converſionem, præcipue ad propagationem Eccleſiæ Chriſtianæ ſpectantia. 822-838
Conſtantini & Succeſſorum partes in regimine Eccleſiæ. 880, 881
—— Inſcriptiones Gentiles unde? 838
Conſt. Lepra, apparitio Petri & Pauli ipſi in ſomnio, ejus donationes Sylveſtro Papæ, fabulæ. 940.
—— Donationis fictæ origo refertur ad Sec. IX. 1416
—— An Conſtantinus faverit Arianis? 884
—— Filiorum Conſtantini Conſtantis & Conſtantii hiſtoria. 926
Conſtantii Chlori Patris Conſtantini M. factum memorabile. 942
Conſtantius filius Conſtantini M. fautor Arianorum. 885
Conſtantii Conſtantini filii perſecutio Seculo quarto. 927
Conſtantia ſoror Conſtantini M. fautrix Arianorum. 885
Conſtantini Papæ Sec. VIII. facta quædam arrogantia. 1275, 1276
Conſtantinopolitanæ urbis extructio per Conſt. M. 942. 943
Conſtantinopolis obſeſſa & expugnata Sec. XIII. & memorabilia circa eam. 1647, 1648
Conſtantinopolitanæ urbis & Imperii caſus Sec. XV. 1880
—— Eccleſiæ turbæ Sec. ſexto ineunte. 1056, 1057
Conſtantinopolitani Patriarchæ an ſubjecti Romano Pontifici Seculo decimo? 1487
Conſtantinopolitanæ primæ Synodi hiſtoria, Auctor, cauſa, Canones, an Oecumenica, &c. 901—904. ex Epiſtola hujus Synodi ad Theodoſium, confirmationem Actorum poſtulantis, & alia Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, quæ notabilia colligit Richerius contra Monarchatum Papæ. 904, 905, 906
Conſtantinopolitana Synodus Ariana Seculo IV. 918
Conſtantinopolitanum Concilium II. Seculo ſexto fuſe deſcriptum. 1120—1129
—— Concilium II. Seculo VI. an demum (ut vult Baronius) pro œcumenico habitum, quum diu poſt Vigilius Papa aſſenſum dederit, Refutatur? 1120
Conſtantinopolitana Synodus univerſalis Seculo VIII. 1313, 1314
Conſtantinopolitani Concilii ſexti deſcriptio fuſa. 1225, 1230
Conſtantinopolitana Concilia tria vulgò Oecumenica Sec. IX. 1397—1403
Conſtantienſe Concilium Seculo XV. fuſe deſcriptum. 1843, 1845, 1846, 1847, 1852, 1863—1867
Conſtitutiones Apoſtolicæ an Scriptum Seculi tertii? 784, 785
Conſtitutionum Apoſtolicarum Libri octo ſunt Apocryphi. 580
Conventuum Sacrorum apud Chriſtianos Seculo ſecundo, tempus, loca, modus indicendi, agenda, &c. 615—620. Seculo tertio. 716
Converſiones populorum ad Chriſtianiſmi Seculis ſingulis. Vide Eccleſiæ propagatio.
Converſiones illuſtrium perſonarum Seculo tertio. 799
Converſiones memorabiles Sec. IV. 945
—— Vide etiam, in Eccleſiæ Propagatio.
Convocationis feſtum. 77
Convocandi Eccleſiam modus Seculo quarto. 854

Corbejenſis Abbatia celebris Seculo ſeptimo. 1245
Corinthiorum res, ſub Epocha quinta. 372
——— *ſexta.* 394
Corona in modum tonſura Clericalis quid ſignificet? 1180
Coronatio Regum vel Imperatorum per Epiſcopos, quando primum cœpit? 1156, 1157
Coronam triplicem quis Paparum primus uſurpavit? 1752
Cracovienſis Academia florere cœpit Sec. XIV. *expirante.* 1803
Creatio Mundi quo anni tempore? 1—4
Creſcentis Philoſophi hiſtoria. 694
Criſpi Conſtantini M. filii mors. 944
Crucis ſignaculum quomodo in uſu Sec. ſecundo? 628
—— *Signum quomodo in uſu Seculo tertio?* 728
—— *nimia veneratio & uſus Seculo quarto, & unde?* 867
—— *Dominica inventio fabuloſa Seculo quarto.* 938, 939
—— *Venerationes ſuperſtitioſa Seculo ſeptimo.* 1177
—— *Signum qui à Conſtantino viſum?* 824, 825
Cunigunda Henrici ſecundi Imperat. uxor adulterii ſuſpecta. 1565
Cycli ſolis & luna. 95
Cyclum ſolis inveniendi modus. 101
Cycli ſolis uſus. ibid.
—— *Solaris tabula ac feriarum initialium ſingulis Calendis per totum Cyclum, cum obſervationibus quibuſdam ad tabula intelligentiam & uſum.* 99, 100
Cyclus Lunaris quid? 102
Cyclum Luna Epactalem inveniendi modus. 111, 112
Cyclus decemnovennalis quid? 102
Cyclus decemnovennalis inventi rationes, & uſus ejuſdem. 104
Cyclus decemnovennalis Alexandrinorum, Romanorum, Dionyſii Exigui, Latinorum veterum. 105, 106, 107
Cyclus Julianus ut diverſus à Cyclo Gregoriano. 102
Cyclus Paſchalis varius. 102, 103
Cycli Paſchalis varia methodus & ratio apud Chriſtianos veteres. 105
Cyprianus Doctor & Scriptor Seculi tertii. 780. *Ejus martyrium.* 767
Cyri edictum pro reditu Judaorum, & dubia circa illum varia, & executionis retardatio. 411—413
Cyri tria regnandi initia. 432
Cyrillus Hieroſolymitanus Scriptor Seculi quarti. 920
Cyrillus Alexandrinus Scriptor Seculi quinti. 1028, 1029
Cyrillus Alexandrinus quomodo Vicarius fuit Rom. Pontificis, in Conc. Epheſino? 988, 999, 1006
Cyrillus Monachus Palaſt. Scriptor Eccleſiaſticus Seculo ſexto. 1136

D.

Damaſcenus Scriptor Sec. VIII. 1320
Damaſus II. *Pontifex primus ſe coronari more regio paſſus eſt.* 1520
Damiata capta Sec. XIII. 1648
Danielis Prophetia vindicata. 403
—— LXX. *Septimana, vide in Septim.*
Danorum veterum anni quales? 31
Danorum Converſio Sec. IX. *& Sec.* X. 1335, 1425
Dantes Aligerius inter teſtes Veritatis Sec. XIV. 1762
Darius à quo Edictum pro reditu Judaorum, quis fuerit? 413, 414
Darii Hyſtaſpis hiſtoria. 433
Darius Medus quis? 407
Darii Nothi hiſtoria. 434
—— *Codomanni hiſtoria.* ibid.
Davidis ſummaria hiſtoria. 360
Pſalmi Davidici. 367
Defenſores qui dicti Seculo quinto? 981
Defuncti, vide mortui.
Deipara, vide Maria.
Dei ſolius Adoratio, vide Adoratio Dei.
Deorum Polyonymia apud Gentiles, unde? 290
Deos duos bonum & malum quomodo ſtatuerint Cerdon, Marcion, &c. *Erroris fontes.* 643, 644
Delphinatus donatio qui facta Galliarum Regi? 1805
Denarii S. Petri origo. 1280
Deſcriptio orbis Romani juſſu Auguſti Caſaris qualis? Cur prima vocata? 518, 519
Diaconorum & Diaconiſſarum inſtitutio & munus Seculo primo. 554
Diaconorum munus Seculo ſecundo. 635
Diaconorum munus Seculo tertio. 739
Diaconi Seculo quarto. 870
Diaconiſſarum munus Seculo ſecundo. 635
Diaconiſſa Seculo quarto. 871
Dictatus Papa an ſint Gregorii ſeptimi? 1526, 1527, 1530
Didymus Scriptor Seculi quarti. 922
Dies varie, vel naturalis, vel civilis & artificialis. 65
Dies Conventuum Sacrorum apud Chriſtianos Seculo ſecundo. 615, 616
Dies Dominica fuit dies ſolemnis Seculo ſecundo. ibid.
Dies Dominica, vide in Dominica.
Diei diſtributio apud Judaos. 66
—— *apud Gracos & Romanos.* 67
Diei initium varium apud diverſas gentes. 66
Diluvii univerſalis hiſtoria, & veritas aſſeritur. 282—285
Diluvium quanam immediatè conſecuta ſunt? 286, 287
Diocletiani perſecutio, & numiſmata duo in ſpectantia. 812—815
Dion Caſſius Hiſtoricus Seculo tertio. 798
Dionyſii Abbatia celebris in Gallia fundata Sec. ſeptimo. 1245
Dionyſius Alexandrinus Doctor & Scriptor celebris Seculo tertio. 779
Dionyſii Areopagita Scripta apocrypha. Quandonam ta? 581
Dionyſius Exiguus Chronologus inſignis Seculo ſexto. 1140
Dionyſiana Æra ſeu Chriſtiana qua, & quando uſurpari cœpta? 203, 204
Diſciplina Eccleſia, vide in Ritus.
Diſciplina Eccleſiaſtica rigor circa lapſos Seculis primis unde? 626, 731
Diſciplina Eccleſiaſtica Seculo primo. 556. *Seculo* II. 625, 626. *Seculo* III. 732, 736. *Seculo* IV. 861—863. *Seculo* VI. 1080
Diſcipulorum Chriſti LXX. *munus.* 553
Dithmarus Scriptor Sec. XI. 1554
Divinationes apud Ethnicos qua dicta? 317
Diviſio Orbis inter filios Noachi. 287—290
Doctoralis gradus in Academiis conferendi, & rituum circa illum origo. 1637, 1638
Doctores Eccleſia celebres & Scriptores Eccleſiaſt. Seculo
—— *primo.* 568—571
—— *ſecundo.* 670—678
—— *tertio.* 771—774
—— *quarto.* 918—926
—— *quinto.* 1027—1035
—— *ſexto.* 1134—1148
—— *ſeptimo.* 1239—1243
—— *octavo.* 1319—1323
—— *nono.* 1403—1411
—— *decimo.* 1551—1557
—— *undecimo.* 1620—1628
—— *decimo tertio.* 1712—1718
—— *decimo quarto.* 1789—1796
—— *decimo quinto.* 1876—1878

Do-

Doctrina Catholica, item errores in Doctrina & ſuperſtitiones, corruptiones, &c.
—— *Seculo ſecundo.* 604--615
—— *Seculo tertio.* 705--715
—— *Seculo quarto.* 840--848
—— *Seculo quinto.* 964--978
—— *Seculo ſexto.* 1064--1079
—— *Seculo ſeptimo.* 1178--1191
—— *Seculo octavo.* 1263--1272
—— *Seculo nono.* 1343 1347. & 1374--1384
—— *Seculo decimo.* 1438--1454
—— *Seculo undecimo.* 1515--1519
—— *Seculo duodecimo.* 1576--1582
—— *Seculo decimo tertio.* 1661--1667
—— *Seculo decimo quarto.* 1765--1768
—— *Seculo decimo quinto.* 1830--1837
Doctrinæ diſſenſus inter Patres Seculi quarti & Latinos hodiernos. 849--851
Dominici vita, perſecutio in Albigenſes, inquiſitoris officium, novi Ordinis inſtitutio, &c. 1654, 1657, 1658, 1699, 1700
Dominicus de Dominicis inter teſtes Veritatis Sec. XV. 1859
Dominicæ diei obſervantia qualis Seculo ſexto? 1080
Donaldus primus Scotorum Rex an converſus ad Chriſtianiſmum initio Seculi tertii? 699, 700
Donatiſtarum Schiſma Seculo quarto. 893, 894
Donatiſtæ repullulantes Seculo ſexto in Africa. 1115
Donatiſtarum collatio peſſima cum Reformatis, refutata & diſcuſſa contra quoſdam recentiores Pontificios. 1020
Doulia vox pro ſolius Dei cultu Seculo quarto. 847
Donus Papa qualium ſuperſtitionum Auctor? 1189
Dormientium ſeptem hiſtoria fabuloſa. 803. & *dormientium longo tempore fabulæ plures.* 804
Dorothei Scripta Apocrypha. 783
Draco Athenienſium legiſlator quando vixit? 394
Druthmarus Scriptor Sec. IX. 1408
Duo Principia vel duos Deos bonum & malum quomodo ſtatuerint Cerdon & alii Hæretici? 643, 644

E.

Ebionitarum Hæreſis. Ebion an vox appellativa? 577, 578
Eboracenſem Epiſcopum inter & Cantuarienſem de primatu lites Sec. XII. 1608
Eccleſia primi mundi hiſtoria. 273--280
—— *Corruptio in primo mundo.* 278
—— *Conſervatio in familia Semi.* 290
—— *Corruptio in Chamo Noachi filio.* 291
—— *Status ſub Judicibus.* 345--347
—— *Status ſub Samuele.* 355--356
—— *Status ſub Saule, Davide & Salomone.* 359--362
—— *Status ſub Roboamo.* 373, 374
—— *Status ſub Regibus.* 385, 386
—— *Status ſub Captivitate Babylonica.* 401--402
—— *Status ſub Maccabeis.* 450--453
—— *Status ſub Tempus nativitatis Chriſti.* 469, 470
Eccleſiæ Chriſtianæ propagatio.
—— *Seculo primo.* 548--552
—— *Seculo ſecundo.* 603
—— *Seculo tertio.* 699--704
—— *Seculo quarto.* 839, 840
—— *Seculo quinto.* 959--962
—— *Seculo ſexto.* 1060--1064
—— *Seculo ſeptimo.* 1172--1177
—— *Seculo octavo.* 1257--1263
—— *Seculo nono.* 1335--1337
—— *Seculo decimo.* 1422--1428
—— *Seculo undecimo.* 1511--1514
—— *Seculo duodecimo.* 1572
—— *Seculo decimo tertio.* 1645, 1646
Eccleſiæ Chriſtianæ reſtitutio per Conſtantinum Magnum. 822--840
Eccleſiæ Chriſtianæ & Imperii Romani ſtatus ſub initium Seculi ſecundi. 599--602
—— *Seculi tertii.* 697--699
—— *Seculi quarti.* 807--809
—— *Seculi quinti.* 955--961
—— *Seculi ſexti.* 1055--1059
—— *Seculi ſeptimi.* 1170--1172
—— *Seculi octavi.* 1255--1257
—— *Seculi noni.* 1333--1335
—— *Seculi decimi.* 1419--1422
—— *Seculi undecimi.* 1509--1511
—— *Seculi duodecimi.* 1569--1572
—— *Seculi decimi tertii.* 1642--1645, 1687
—— *Seculi decimi quarti.* 1731--1733, 1783
—— *Seculi decimi quinti.* 1815--1817
—— *Seculi decimi ſexti.* 1886--1888
Eccleſiæ quatuor cur & quando dictæ Patriarchales? 550--551
—— *Romana, vide Romana Eccleſia.*
—— *Orientalis & Occidentalis Schiſma continuum, vide Schiſma.*
—— *Perſecutiones ſub N. T. vide Perſecutiones.*
—— *Doctores celebres, vide Scriptores.*
Eccleſiam vel cœtum convocandi modus Seculo quarto. 854
Eccleſiarum conſociatio qualis fuerit Seculis primis? 557, 558, 745, 878
Eccleſiaſtæ libri Auctor & argumentum. 368
Eccleſiaſtica diſciplina, vide in Diſciplina.
Eccleſiaſtica Hiſtoria N. T. neceſſitas & utilitas. 507
Eccleſiaſtica Hiſtoria N. Teſt. fontes, Scriptores veteres & hodierni qui? 508--516
Eccleſiaſtici Regiminis forma Seculo primo. 552--558
—— *Seculo ſecundo.* 631--637
—— *Seculo tertio.* 738--746
—— *Seculo quarto.* 870--882
—— *Seculo quinto.* 978--988
—— *Seculo ſexto.* 1084--1103
Eccleſiaſtici Ordines qui fuerunt Seculo primo? 552--555
—— *Seculo ſecundo.* 632
—— *Seculo tertio.* 738--743
—— *Seculo quarto.* 869--873
Eccleſiaſtici Scriptores per omnia Sec. vide Doctores.
Eccleſiaſtici Ritus, vide Ritus.
Eclipſes quomodo indicia temporum? 130
Edeſſenorum conſtantia in martyrio ſub perſecutione Valentis. 932
Edeſſenæ imaginis Hiſtoria Sec. X. 1445, 1446
Edicta quædam Imperatorum memorabiliora Sec. V. 1040, 1041
Edmundus Richerius Scriptor Conciliorum Generalium, & laus ejus. 516
Eduardi II. *Regis Angliæ abdicatio.* 1806, 1807
Eduardi III. *Anglorum Regis oppoſitiones contra Rom. tyrannidem.* 1759
Eginhardus, Scriptor Sec. IX. 1408
Elagabali Imperatoris Hiſtoria. 796, 797
Elagabali Imperatoris favor in Judæos. 792
Elam filius Semi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Elceſæorum Hæreſis Seculo tertio. 747
Eleatica Secta qui Auctores? 443
Electoralis dignitas an inſtituta Sec. X. 1498, 1499, 1500
Electores Germanici Imperii quando, & à quo inſtituti? 1708, 1723
Eleuſinia Sacra quænam? 88
Eliberitanum Concilium Seculo quarto. 907, 908
Eligius Scriptor Sec. VII. 1242

Eliſabetha Schonaugenſis clara Scriptis & viſionibus Sec. XII. 1624
Elul Menſis XII. *Hebræorum. Notabilia in eo, & quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 61, 62
Encæniorum feſtum. 78
Enochi Liber. 275
Enochi hiſtoria. 277
Enoſchi hiſtoria. ibid.
Epactæ quid & uſus illarum. 109, 110
Epactæ Solis menſtrua, annua, regulares, quid ſint? 97
Epactæ Gregorianæ & earum uſus. 112
Epheſina Synodus prima Oecumenica, Seculo quinto fuſe deſcripta. 1005
Epheſina Synodus ſecunda Seculo quinto. 1009
Ephraimi & filiorum hiſtoria. 305
Ephraimitidis cladis hiſtoria. 305, 306
Ephrem Syrus Pater Sec. quarti. 921
Epicurea Secta qualis? 445
Epiphanius Pater Seculi quarti; ejus errores Hiſtorici. 929, 1027
Epiphanii in Chryſoſtomum vox imprecatoria. 948
Epiphanius Scriptor Sec. ſexti. 1135
Epiſcoporum inſtitutio & munus Seculo primo. 554
initio plures ſimul fuerunt in majoribus Eccleſiis. ibid.
Epiſcopalis dignitas qualis Sec. II. 631, 632
Epiſcoporum prærogativa Seculo tertio. 739
Epiſcoporum dignitas & prærogativa Seculo quarto. 871
Epiſcopale Judicium Seculo VI. 1086
Epiſcoporum tranſlationes è civitate vel Epiſcopatu in alium interdictæ. 877, 898
Epiſcopatus in Germania multi qua occaſione in principatus verſi? 1261, 1262
Epiſcopatus fundati Seculo nono. 1342
Epiſcopi Romani, vide Romani Epiſcopi.
Epiſtolæ Decretales Seculi ſecundi. 60
Epiſtolæ dictæ Canonicæ & Formatæ; Quibus characteribus, literis, & numeris diſtinctæ. 878, 879
Epiſtolæ Communicatoriæ, Synodicæ, encyclicæ, dimiſſoriæ, commendatitiæ, pacificæ, tractoriæ, tractatoriæ, Paſchales, holographæ, bullatæ. 879, 880
Epiſtolæ cœlo delapſæ pro obſervatione diei Dominicæ, fabula Sec. XIII. 1720
Epocha quid? 127
Epocharum inter ſe connexio. 134—139
In Epochas novem ab Auctore diſtributa Hiſtoria Vet. T.
Epocha prima ab Adamo ad Diluvium calculus Chronologicus & hiſtoria. 219—222, & 271—285
—— *Secunda à Diluvio ad Abrahami profectionem in terram Canaanis calculus Chronologicus & hiſtoria.* 223—226, & 285—298
—— *Tertia ab Abrahamo ad exitum ex Ægypto, calculus Chronologicus & hiſtoria.* 227, 228. 298—318
—— *Quarta ab exitu ex Ægypto ad initium Samuelis calculus Chronologicus & hiſtoria.* 229—234, & 318—355
—— *Quinta ab initio Samuelis & Saulis ad diviſionem Regni per Jeroboamum, calculus Chronologicus & hiſtoria.* 233—236, & 355—372
—— *Sexta à diviſione Regni per Jeroboamum ad Captivitatem Babylonicam calculus Chronologicus & hiſtoria.* 235—252, & 372—398
—— *Septima à Captivitate Babylonica ad finem* LXX. *annorum calculus Chronologicus & hiſtoria.* 241—242, & 398—410
—— *Octava à fine Captivitatis Babylonicæ ad principatum Maccabæorum, circa exceſſum Antiochi Epiphanis.* 241—244, & 410—446
—— *Nona ab exceſſu Antiochi Epiphanis ad æram Chriſti Vulgarem; calculus Chronologicus & hiſtoria.* 243—246, & 446—480
Eraſmus quid de Luthero ſenſerit? 1913
Eremitarum S. Hieronymi Ordo Sec. XIV. 1801
Eremiticæ vitæ origo Seculo tertio. 802
Erigena, vide Johannes Scotus.
Ernulphus Scriptor Sec. XII. 1622
Eſſenorum Secta. 460, 461
Eſaiæ Prophetæ hiſtoria. 387
Eſra liber quid contineat? 422
Eſtheræ libri quis Auctor? ibid.
Ethnarcha Judæorum Seculo tertio. 792
Ethniciſmus, vide Gentiliſmus.
Euagrius Scholaſticus Hiſtoriæ Eccleſ. Scriptor. 511 1136
Euangelium æternum qualis liber? 1665
Euangelii, Epiſtolarum, Poſtillarum, Legendarum origo Sec. IX. 1414, 1415
Euchariſtiæ Doctrina vera, item errores, ſuperſtitiones, ritus, controverſia, &c.
—— *Sec.* II. 612, 623, 624
—— *Sec.* III. 711, 721—724
—— *Sec.* IV. 842, 844, 850, 858—861
—— *Sec.* V. 968, 969, 974
—— *Sec.* VI. 1068, 1069, 1070, 1078
—— *Sec.* VII. 1181, 1182
—— *Sec.* VIII. 1265, 1296, 1311
—— *Sec.* IX. 1338, 1344, 1375—1399
—— *Sec.* X. 1452.
—— *Sec.* XI. 1717, 1530, 1539—1544
—— *Sec.* XII. 1580, 1594
—— *Sec.* XIII. 1661, 1662
—— *Sec.* XIV. 1794
—— *Sec.* XV. 1831
Eucherius Scriptor Seculi V. 1035
Eudonis Hæretici hiſtoria. 1606
Eudoxiæ uxoris Theodoſii Junioris laus. 1034
Eudoxiæ Auguſtæ factum ad conciliandum Severianum Epiſc. Chryſoſtomo. 1040
Eugenius I. *Papa qualium ſuperſtitionum Auctor?* 1188
Eugenii ſecundi Pontificis hiſtoria. 1355
Eugenii tertii Papæ hiſtoria. 1585
Eugenii quarti Papæ hiſtoria. 1820, 1821
Euphemii Perſecutio ab Anaſtaſio Imper. & Gelaſio Papa; Baronius hîc notatus. 1036
Eulogius Alexandrinus Scriptor Seculi ſexti. 1138
Eulogius Cordubenſis Scriptor Sec. noni. 1406
Eunomiani factio Arianorum. 808
Euſebius Cæſarienſis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor primus; De illo virorum Doctorum ſententia. 509, 510, 919
Euſebius an lapſus? 816
—— *Scripta dubia.* 937
Euſebius an faverit Arianis? 884
Euſebius Nicomedienſis Arianus. ibid.
Euſebii Alexandrini Scripta Apocrypha. 783
Euſtachii cum uxore & liberis martyrium Sec. ſecundo fabuloſum. 664
Euſtathius Antiochenus Seculi quarti. 921
Euſtathii perſecutio ab Arianis. 886, 927
Euſtathii Schiſma Seculo quarto. 894
Euſtathius, Theſſalonicenſis Scriptor Sec. XII. 1625
Euthymius Scriptor Sec. XII. 1625
Eutychianæ Hæreſeos deſcriptio. 1001—1003
Eutychius Scriptor Sec. X. 1491
Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli dedit Pipinus Rom. Pontifici. 1284
Exarchorum in Eccleſia dignitas Seculo quarto. 873
Excommunicatio, vide Diſciplina.
Ἐξωκατάκοιλοι *qui dicti?* 1086
Exorciſtarum munus Seculo tertio. 741
Exorciſtæ Seculo quarto. 869
Exorciſmorum ritus Seculo tertio. 730

Ex-

Digitized by Google

Expiationis feſtum apud Judæos, ceremoniæ hujus feſti principes ex inſtitutione Dei, & ex traditione Judæorum. 75
Ezechiæ Regis Judæ hiſtoria. 383
Ezechielis Prophetia vindicata. 404

F.

Fabula quædam Seculo primo. 592, 593
—— Seculo ſecundo. 690
—— Seculo tertio. 801
—— Seculo quarto. 941
—— Seculo quinto. 1042
—— Seculo ſexto. 1165
—— Seculo ſeptimo. 1248
Fatidica Scripta apud Gentiles. 317
Fœminis Hæreticos plerumque uſos, ad propagandas Hæreſes ſuas. 646
Fœminæ celebriores Seculi quinti. 1034, 1035
Felix Ennodius Scriptor Seculi quinti. 1138
Felicis V. Papæ hiſtoria. 1822, 1869
Felicianorum Hæreſis Sec. VIII. 1309
Feriæ dicti ſunt ſinguli ſeptimanæ dies apud primos Chriſtianos, & quare? 65
Fermentum mittere quid? 860, 861
Ferrarienſis Academia erecta Sec. XIV. 1802
Feſtorum apud Judæos à Deo inſtitutorum deſcriptio. 70—78
Feſtorum à Judæis inſtitutorum deſcriptio. 77, 78
Feſta quæ fuerint in Eccleſia Chriſtiana Seculo ſecundo? 626, 627
—— Seculo tertio. 726
—— Seculo quarto. 855
Feſta nova inſtituta ſingulis Seculis.
—— Seculo ſexto. 1074
—— Seculo ſeptimo. 1186
—— Seculo nono. 1345
—— Seculo decimo. 1447
—— Seculo undecimo. 1518
—— Seculo decimo tertio. 1662, 1675
—— Seculo decimo quarto. 1744, 1748, 1750
—— Seculo decimo quinto. 1832
Feſtorum tranſlatio apud Judæos quando cœpit? Ob quas rationes? 79, 80
Feſta quædam à Judæis ad Chriſtianos tranſlata. 79
Feudorum origo an Sec. X. 1504
Filii Dei & filii hominum, quinam in primo mundo? 280
Filii æterna Divinitas credita Seculo ſecundo. 608, 609, 610.
—— Seculo tertio. 708
Flaccus Albinus Scriptor Sec. octavi. 1321
Flandriæ Comitatus origo Sec. IX. 1418
Flodoardus Scriptor Sec. X. 1493
Florentina Synodus Sec. XV. De ea quædam obſerv. 1871, 1872
Floriani Hæretici Seculo ſecundo. 642
Florus Magiſter Scriptor Sec. IX. 1406
Formoſi Pontificis hiſtoria. 1362
Franciſci I. cum Leone X. Papa Conventio. 1892
Franciſci Aſſiſii hiſtoria, & fabula de ejus ſtigmatibus. 1663, 1664
—— Novus Monachorum Ordo ab ipſo inſtitutus. 1701
—— ejus Conformitatum cum Chriſto Liber. 1797
Francici Regni ortus Sec. V. 1046
Francorum Converſio ad fidem Chriſtianam Sec. V. 960
—— Qualis primum lingua? 1046
—— Incrementum Regni Francici Seculo ſexto. 1161
—— Imperii tranſlatio à familia Carolovingiorum ad Hugonem Capetum. 1497, 1498
Franci, (vide etiam Galli). 1046
Francofordienſis Synodus Seculo octavo. 1316
Fraterculi qui dicti Sec. XIV. 1798
Fratrum de Obſervantia Ordo natus Sec. XIV. 1798
Freculphus Scriptor Sec. IX. 1408
Fredericus primus Barbaroſſa, quam indigna & ſuperba paſſus ſit ab Adriano quarto Pontifice. 1586, 1587. & ab Alexandro tertio. 1588
Fredericus I. ut in Cydno fluv. miſerè ſubmerſus. 1575
Frederici II. Imperatoris expeditio in terram Sanctam Seculo XIII. 1648
Fredericus II. Imperator quæ paſſus fuerit à Papis Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. 1671—1674
Frederici II. Imperatoris depoſitio in Conc. Lugdunenſi qualis? 1706
Friſicæ gentes converſæ Seculo ſeptimo. 1173, 1174
Fuldenſis Abbatiæ fundatio & privilegia Seculo octavo. 1259, 1328
Fulgentius Ferrandus Scriptor Eccleſiaſticus Seculo ſexto. 1141
Fullonianorum Secta quæ Seculo quinto? 1003

G.

Gajus Doctor & Scriptor celebris Seculo tertio. 771, 772
Galerius inter cæteros auctor decimæ Perſecutionis. 810
Galilæorum Secta qualis? 463
Gallus vitæ Monaſticæ promotor Sec. ſeptimo. 1244
Gallorum veterum anni quales? 31
Gallica perſecutio Seculo quinto. 1037
Gallicana Eccleſia in quibus reſtiterint Romanæ tyrannidi Seculo ſeptimo? 1203
Gallicana quædam Synodi Sec. X. Excerpta quædam luculenta ex iis. 1482
Galli, vide etiam Franci.
Gangrenſis Synodus Seculo quarto. 909
Garizimitici templi origo, & finis. 429, 455
Gelaſius Cyzicenus, auctor hiſtoriæ actorum Nicænorum. 1031
Gemaræ Conſummatio Seculo VI. inchoata. 1052
Gemblacenſe Monaſterium fundatum Sec. X. 1503
Gennadius Scriptor Seculi quinti. 1034
Gennadius Patriarcha Conſtantinop. aliquando confuſus cum Gennadio Monacho. 1875
Genſerici Wandalorum Regis perſecutio immanis in Eccleſiam Sec. quinto. 1037
Gentium origo à filiis Noachi. 287—290
Gentiliſmi origo & propagatio. 294, 295, 312—318
Gentilium Templa omnia cur non deſtruxerit, ſed quædam converterit in templa Chriſtiana, Conſtantinus Magnus. 833
Gentiliſmus quibus mediis abolitus per Conſtantinum Magnum, & ſucceſſores? 833, 834, 835, 836
Gentiliſmi ſtatus Seculo primo. 594
—— Seculo ſecundo. 688
—— Seculo tertio. 795—797
—— Seculo quarto. 838, 839, 949, 950
—— Seculo quinto. 1049, 1050
—— Seculo ſexto. 1165, 1166
—— Seculo octavo. 1323
Georgius Acropolita Scriptor Sec. XIII. 1713
—— Pachymeres Scriptor Seculi XIII. ibid.
—— Syncellus Scriptor Sec. VIII. 1320
Geonim qui dicti inter Judæos? 1164
Gerardus Sagarelli, inter teſtes veritatis Sec. XIV. 1764
Gerbertus, vide Gilbertus.
Germani Antiſſiodorenſis Epiſcopi in Angliam miſſi miracula fabuloſa. 1042
Germani Conſtantinopol. Patriarchæ, Scripta Seculo octavo. 1319
Germanorum veterum Anni quales? 31
Germaniæ quidam populi barbari an converſi Seculo ſexto? 1061
Germanicæ gentes converſæ Seculo ſeptimo. 1174

Digitized by Google

Germanici Imperii tranſlatio è ſtirpe Carolina ad Saxones. 1497
Germanicæ Synodi Sec. VIII. 1318
Germanicæ Academiæ erectæ Sec. IX. 1341
Gerſon inter teſtes veritatis Sec. XV. 1858
Gibellinorum & Guelphorum factio; origo, &c. 1581
Gilbertus teſtis veritatis Sec. X. 1463, 1464
Gilberti Porretani hiſtoria. 1605
Glaber Radulphus Scriptor Seculi XI. 1554
Glaſconenſe monaſterium fundatum Sec. VII. 1246
Gnapheus quis Seculo V. 976
Gnapheus Epiſcopus Antiochenus quid voluerit addito Τρισαγίῳ Eccleſiæ hymno, & motus inde orti. 1003, 1022
Gnoſtici Hæretici Seculo ſecundo. 640, 641
Godeſchalci ſententia de Prædeſtinatione & Gratia, cum oppoſitionibus ejuſdem, hiſtoria. 1380–1384
Gomer filius Japheti, quinam Populi ex ipſo oriundi? 288
Gothi converſi ad Chriſtianiſmum Seculo quarto. 840
Gothorum invaſio in Romanum Imperium Seculo quinto. 955, 956, 957
Gothicarum gentium Origo. 294
Gradus Doctoralis origo, & Rituum in eo conferendo. 1637, 1638
Gradenſis Patriarchatus origo. 1160, 1161
Gradenſis Patriarchatus novus Sec. VII. 1250
Gratiæ doctrina quomodo credita Seculo ſecundo. 612
—— Seculo tertio. 711
—— Seculo quarto. 843
—— Seculo quinto. 967
Gratiæ controverſia & defenſio per Godeſchalcum. 1380–1384
Gratiani Decreti Auctor, contenta, &c. 1618, 1619
Græcæ LXX. Verſionis calculus Annorum ab Æra Mundi, & origo vitii illius. 148, 149, 150
Græcæ LXX. Verſionis hiſtoria. 424, 425
Græcæ Verſiones variæ V.T. factæ Seculo ſecundo. 651
Græcorum Theologiæ origo & progreſſus. 395
Græcis anni varia fuit ratio. 13–18
Græcorum anni initium. 15
Græcis confuſa ratio menſium, & unde? 17
Græcorum menſium laterculus & nomina. 41–46
Græcorum res ſub Epocha IV. 343, 344
Græcorum migrationes, Epocha quinta. 371
Græcorum res ſub Epocha octava. 439, 440
Græciæ ſtatus poſt Alex. Magnum. 441
Græci alieni à Tranſſubſtantiatione Sec. X. Cur tamen eam non accuſarunt? 1480
Græcarum literarum ſtudium per quos inſtauratum Sec. XV. 1877
Gregorius Thaumaturgus doctor Eccleſiæ celebris Seculo tertio. 778
—— Nazianzenus Scriptor Seculi quarti. 919
—— Nyſſenus Scriptor Seculi quarti. ibid.
—— Turonenſis Scriptor Eccleſiaſticus Sec. ſexto. 1141, 1142
Gregorii Turonenſis hiſtoria. 1163
—— Palamæ hiſtoria. 1788
Gregorii I. Papæ ignorantia Linguæ S. Græcæ, &c. 1142
—— Gregorianorum Monachorum auctor. 1151
—— Quomodo titulum Oecumenici Pontificis improbavit? 1088, 1089
—— Quarum ſuperſtitionum auctor? 1076, 1077, 1186
—— Ejus an ſint Dialogorum libri? 1072
—— Secundi R. Pontif. Sec. VIII. facta in Leonem Iſauricum propter Edictum contra Imagines, cum refutatione fuſa Baronii, Maimburgii, Natalis Alexandri, &c. 1276–1279
—— Tertii R. Pontif. facta in Leonem Imp. Conſtantinum Fil. & Luitprandum Regem Longobardorum. 1279, 1280
—— Quarti Pontificis hiſtoria. 1354
—— Quinti Papæ hiſtoria. 1435, 1461
—— Septimi hiſtoria, quoad facta, dogmata, planè antichriſtiana. 1525–1532
—— Noni Papæ hiſtoria. 1672
—— Decimi Papæ hiſtoria. 1676
—— Undecimi Papæ hiſtoria. 1749, 1750
Gregorius decimus tertius emendavit calendarium Julianum, cur & quomodo? 23–26
Gregoriani Calendarii vitia. 26
Grimaldi per pulverem in campos ſparſum boves necantis fabula. 1329
Guelphorum & Gibellinorum factio undè? 1581
Guilielmus Tyrius Archiepiſcopus Scriptor Sec. XII. 1623, 1624
Guilielmus de Campellis Scriptor Seculo XII. 1620

H.

Habakuk Prophetæ hiſtoria. 387
Hadriani Imperatoris memorabilia quædam. 690
Hadrianus Pontifex conſultus in cauſa hæreſis Felicianorum: An faveat auctoritati Pontificis, ut Baronius & Nat. Alex. volunt. 1310
Hadriani ſecundi Pontificis hiſtoria. 1358
Hadriani tertii Pontificis hiſtoria. 1361
Haggai Prophetia quid contineat? 423
Haſidæi qui dicti? 456
Haſmonæorum nominis origo. 450
Hæreſes Seculi primi 574, 578
—— Seculi ſecundi. 637–650
—— Seculi tertii. 746–753
—— Seculi quarti. 882–894
—— Seculi quinti. 989–1004
—— Seculi ſexti. 1109–1115
—— Seculi ſeptimi. 1219–1225
—— Seculi octavi. 1308–1313
—— Seculi noni. 1374–1375. &c.
—— Seculi decimi. 1441. &c.
—— Seculi undecimi. 1526
—— Seculi duodecimi. 1607
—— Seculi decimi tertii. 1693–1696
Hæretici plerumque uſi fœminis ad propagandas Hæreſes. 646
Hæreticis fidem datam non ſervandam attendit Conc. Conſtantienſe in exemplo Huſſi. 1831, 1845
Hattonis Moguntini Epiſcopi à muribus corroſi fabula. 1504, 1505
Haymo Scriptor Sec. noni. 1405
Hebdomas qualis locus Conſtantinopoli? 1155
Hebdomas, vide Septimana.
Heberi Hiſtoria. 290, 291
Hebraicæ literæ per quos inſtauratæ Sec. XV. 1878
Hebræi unde dicti? 291
Hebræorum Menſes lunares collati cum Menſibus ſolaribus, & illis Romanorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Athenienſium, Macedonum, Syro-Macedonum Paphiorum, Syrorum, Perſarum, &c. 47–62
—— Iidem ſigillatim declarati, & Quæ in ſingulis notabiliora feſta, jejunia, &c. ibid.
Hebræis duplex fuit anni initium, ſacrum & civile. 10
Hebræorum anni civilis forma quæ fuerit ſub jugo Macedonico? ibid.
—— & inde à R. Hillele. ibid.
Hebræorum Menſium civilium laterculus & nomina. 37, 38
Hegeſippus Scriptor Seculi ſecundi. 674
—— De bello Judaico liber ſuppoſititius. 679
Hegiræ Caput, &c. 28. Anno Hegiræ dato cognoſcere annum æræ Chriſtianæ. 29, 30
Heidelbergenſis Academia & Bibliotheca erecta hiſtoria. 1803–1805

Hel-

Digitized by Google

Helleniſmi origo & progreſſus. 395, 408, 443, 444
Heloiſſæ Scripta, hiſtoria. 1624
Helvetiæ reformatio Sec. XVI. 1915-1918
Hemerobaptiſtarum qualis Secta? 462
Henricus tertius Anglorum Rex quam indigna & ſuperba paſſus ſit ab Alexandro III. *Pontifice.* 1589
Henrici IV. *Imperatoris depoſitionis à Gregorio* VII. *Pontifice hiſtoria.* 1528, 1555
Henrici VII. *mors per hoſtiam venenatam.* 1806
Henoticum Zenonis, & diſſidia occaſione illius. 1022, 1023, 1056, 1057
Heptarchia Anglo-Saxonica. 1162
Heracleon, Hæreticus Seculo ſecundo. 641
Herculis fabula ex hiſtoria Samſonis orta. 349
Herigerus Scriptor Sec. X. 1495
Hermæ Paſtoris liber. 581, 582, 672
Hermannus Scriptor Seculi XI. 1554
Hermogenes Hæreticus Seculo ſecundo. 641
Herodianæ dominationis hiſtoria. 466--468
Herodianus Hiſtoricus Seculo tertio. 798
Herodiani qui fuerint? 462
Herodiani Regni Æra quæ? 201--203
Herodis Magni mors, & quæ eam conſecuta ſunt? 527
Herodotus quando vixit? 440
Heſiodi hiſtoria. 393
Heſteræ Hiſtoria quando contigit? 402
Heſuchaſtæ qui dicti Sec. XIV. 1788
Heſychius Mileſius Hiſtoricus Seculi ſexti. 1168
Hibernia plena Converſio Seculo quinto. 959
Hieracitarum hæreſis Seculo tertio. 753
Hierocles infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis Seculo tertio. 799
Hieronymus Scriptor Seculi quarti. 925
Hieronymi Apocrypha. 938
Hieronymi Pragenſis plenior hiſtoria, & martyrium. 1847-1849
Hieroſolymitani Templi per Herodem Magnum inſtauratio. 468, 469
Hieroſolymitani Templi extructio fruſtra tentata Seculo quarto. 944
Hieroſolymitani excidii per Titum Veſp. fuſa deſcriptio. 583--591
Hieroſolymitani Concilii primi univerſalis Hiſtoria, & Petrum in illo non habitum ut Caput oſtenditur. 571, 572
Hieroſolymitanum Concilium Arianum Seculo quarto. 914
Hilarius Scriptor Seculi quarti. 923
Hilarius Scriptor Seculi quinti. 1032
Hilarii Arelatenſis Epiſcopi contentio cum Leone primo Romano Pontifice Seculo V. *Et cauſa.* 986
Hildebrandi, alias Gregorii VII. *hiſtoria.* 1525-1532
Hildefonſus Scriptor Sec. VII. 1240
Hildegardis Abbatiſſa clara Scriptis & viſionibus Sec. XII. 1624
Hildegundis S. Vita. 1634
Hincmari ſenioris furores in Godeſchalcum. 1383. *De illo judicium Baronii.* 1384. *Compendium ejus vitæ & factorum.* 1408
Hippocrates quando vixit? 440
Hippolytus Doctor & Scriptor celebris Sec. tertio. 777
Hiskiæ Regis Judæ hiſtoria. 383
Hiſpaniæ liberatio à Mauris Sec. XI. 1564
Hiſpanica Æra quæ? 200
Hiſpanica perſecutio Sec. quinto. 1037
Hiſpanicæ Synodi Sec. VI. 1132. *Sec.* VII. 1234. *Sec.* VIII. 1319
Hiſpanicæ Eccleſiæ in quibus reſtiterunt Romanæ Tyrannidi Seculo ſeptimo? 1201
Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, cur omiſerint Principes intermedios inter Gordianum tertium & Valerianum. 798
Hiſtoriæ Sacræ V. T. neceſſitas, uſus, & fontes ejuſdem. 257--259
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ neceſſitas & utilitas per omnes diſciplinas diffuſa. 507
Hiſtoria Eccleſiaſtica N.T. ex quibus fontibus hauritur? 508, 516
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores ſingulis Seculis, vide Doctores, aut Scriptores.
Hollandiæ Comitatus donatio Guilielmo Ultrajectino Epiſcopo Sec. XI. 1565
Homeri vita & hiſtoria. 393
Honorius I. *Papa qualium ſuperſtitionum Auctor?* 1187
Honorium I. *Monothelitam fuiſſe contra except. Baronii & Sirmundi defenditur.* 1220, 1221
Honorii II. *Papæ hiſtoria.* 1584
Honorii III. *Papæ hiſtoria.* 1671
Honorii IV. *Papæ hiſtoria.* 1677
Horæ an & quando notæ & in uſu fuerunt Græcis, Ægyptiis, Babyloniis, Latinis, Hebræis. 68, 69
—— *Æquales & inæquales.* 69
—— *Subdiviſiones.* 70
—— *Canonicæ quænam dictæ apud primos Chriſtianos; & nunc apud Pontificios?* 69, 70
Hormiſda Papa Rom. Sec. ſexto ambitio. 1089, 1090
Hormiſdæ Pontificis Romani lapſus ac errores. Exceptiones Baronii diluta. 1116, 1117
Hoſpitalariorum Ordo natus Sec. XII. 1629
Hubertus de Caſalis Scriptor Sec. XIV. 1792
Hugo de S. Victore Scriptor Sec. XII. 1622
Humiliatorum Ordinis inſtitutio. 1696
Hunnerici Wandalorum Regis perſecutio immanis in Eccleſiam Sec. quinto. 1037
Hungarorum Converſio Sec. decimo. 1425
Hungarici Regni ficta donatio Romano Pontifici. 1227
Hungariæ Ducatus quando & à quo mutatus in regnum? 1502
Hunnorum invaſio in Romanum Imperium. 955, 956
Hunnorum perſecutio Eccleſiæ Seculo ſexto. 1144
Hunoldus Aquitaniæ Dux monachus factus Sec. VIII. 1327
Huſſi hiſtoria & Martyrium fuſè ex authenticis deſcriptum. 1771, 1841
Huſſitarum bellum Sec. XV. 1850--1856
Hylda Abbatiſſa literata celebris Sec. VII. 1243

I.

Jacobi Patriarchæ Hiſtoria. 301, 302
Jacobi Majoris Zebedæi filii hiſtoria fabuloſa. 542
—— *Majoris Apoſtoli reliquiarum inventio in Hiſpania Sec.* IX. 1345
—— *Quando ſcripſerit ſuam Epiſtolam,* &c. 544, 545
Jacobus Cajetanus Scriptor Sec. XIV. 1796
—— *de Voragine Scriptor Sec.* XIII. 1716
S. Jacobi Fratrum vel Militum Ordo. 1630
Jacobitæ Hæretici qui dicti Seculo ſexto? 1111
Jacobitarum Hæreſis Sec. VIII. 1308
Jaddua Pontificis memorabilis hiſtoria. 426
Janiſſariorum origo. 1734, 1735
Japhet Filius Noachi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 288, 289
Javan Filius Japheti, quinam Populi ex ipſo oriundi? 288
Iberiæ populi converſi ad Chriſtianiſmum Sec. IV. 840
Iconenſis Synodus Seculo tertio. 789
Iconoclaſtæ inter hæreticos Sec. VIII. *poſiti à Pontificiis.* 1308
Iconolatria ſub Irene primum ſancita Sec. VIII. *quibus mediis?* 1306
Iconolatria & Iconamachia, vide Imaginum hiſtoria.
Iconomachia Seculo VIII. *hiſtoria.* 1303--1307
Idacius Pater Seculi quinti. 1033
Idololatriam fuiſſe ante Diluvium. 279

Idololatriæ origo & propagatio; media ad id adhibita. 294, 295, 312–318
Idololatria Arabum. 313
——— *Chaldæorum quæ?* 312, 313
——— *Ægyptiorum.* 314
——— *Phrygum.* ibid.
Jechoniæ Regis Judæ hiſtoria. 385
Jehojakim Regis Judæ hiſtoria. 384
Jejunia ſolennia Hebræorum ſingulis menſibus. 50–62
Jejunium ante-Paſchale Seculo ſecundo. 627. *Seculo tertio.* 725
Jejunii ante-Paſchalis varia praxis Sec. primis. 681
Jejuniorum ritus, &c. *Seculo ſecundo.* 627. *Seculo tertio.* 725
Jejunii Quadrageſimalis vox quid ſignificavit Seculo quarto? 847
Jejuniorum tempora Seculo quarto. 856
Jejuniorum ratio Sec. X. 1449
Jehuda Hakkadoſch dicti hiſtoria. 687
Jeremia vates. 387, 403
Jeroboamiticum Schiſma. 373
Jeſuvatorum Ordo natus Sec. XIV. 1798
Ignatii Antiocheni martyrium Seculo ſecundo. 663
Ignatii Antiocheni Scripta vera, & ſuppoſititia. 671, 678
Ignis feſtum. 78
Jiar Menſis VIII. *Hebræorum, deſcriptio & notabilia in eo. Quinam Menſes aliarum gentium illi reſpondeant?* 57, 58
Ildefonſus Scriptor Sec. VII. 1240
Illiberitanum Concilium Seculo quarto. 907, 908
Illiberitani Canones Seculo quarto, à quibus illuſtrati? 841
Imagines Imperatorum adoratæ Sec. IV. 866
Imaginum doctrina & hiſtoria
——— *Sec.* IV. 866
——— *Sec.* V. 971
——— *Sec.* VI. 1066
——— *Sec.* VII. 1177, 1178, 1179
——— *Sec.* VIII. 1267, 1268, 1303–1308
——— *Sec.* IX. 1343, 1344, 1371, 1385
——— *Sec.* X. 1445
——— *Sec.* XI. 1528
——— *Sec.* XII. 1579
Imperatores quidam faventes Judæis Seculo tertio. 791, 792
Imperatorum jura in rebus Eccleſiaſticis adhuc Seculo ſexto. 1101, 1102
Imperatorum Juris circa Electionem Rom. Pontificis remiſſio Sec. VII. 1248
Imperatorum Romanorum contentiones cum Pontificibus circa jura, &c. *vide Romani Pontifices.*
Imperatorum Romanorum partes in Regimine Eccleſiæ Seculo IV. 881
Imperii Romani Diſtributio in Orientis & Occidentis. 873
Imperii Orientalis & Occidentalis ſtatus ſingulis Seculis. Vide Eccleſiæ & Imperii ſtatus.
Imp. Occidentis occaſus Sec. V. 1045
——— *Orientalis ſtatus Sec.* XIII. 1687. *Seculo* XIV. 1783–1786. *Occaſus Seculo* XV. 1880
Ina Rex Anglorum Monachus factus Sec. VIII. 1327
Indi interiores converſi ad Chriſtianiſmum Seculo IV. 839
Indi Malabares an Chriſtiani facti Sec. IX. 1336
Indorum fabula de Mundi antiquitate. 146
India Orientalis primum adita Sec. XV. 1882
Indictiones quid fuerint apud Romanos; earum ratio & origo; modus numerandi & inveniendi. 93–95
Indulgentia cur data aliquando excommunicatis Seculo tertio? 737
Indulgentiæ vox quid apud Patres Seculo quarto? 846
Indulgentiarum fœda nundinatio Seculo XV. 1834
Indulgentiarum nundinatio Sec. XVI, *occaſio proxima Reformationis.* 1905–1910
Indulgentia, vide plura in Diſciplina Eccleſiaſtica.
Innocentii II. *Papæ hiſtoria.* 1585
——— III. *Papæ hiſtoria quoad ejus ſuperbiam, avaritiam, crudelitatem*, &c. 1642–1644, 1667–1671
——— IV. *Papæ hiſtoria.* 1673
——— VI. *Papæ hiſtoria.* 1747, 1748
——— VIII. *Papæ hiſtoria.* 1828
Inquiſitionis introductio, auctores, ratio, loca ubi primum exercita, crudelitates, oppoſitiones. 1657–1661
Inſcriptiones gentiles Conſtantini M. unde? 838
Inſtitutionum Juſtinian. origo. 1155
Intercalaris annus quis ſit? 6
Inveſtitura vox quid ſignificet? 1292
Inveſtituræ controverſia cum Imper. & Regibus. 1466, 1521, 1536, 1538, 1570, 1584, 1585, 1591, 1592
Inveſtitura Epiſcoporum jus Carolo Magno fuit. 1291
Joas Regis Judæ hiſtoria. 380
Joachas Regis Judæ hiſtoria. 384
Joachimo Abbati impacta hæreſis. 1693, 1694
Jobi Hiſtoria. 307
Jobius Scriptor Seculi ſexti. 1155
1 *Joh. cap.* V. 7. *locus citatus à Patribus Seculo tertio.* 707
Joh. cap. II. *verſ.* 20. *explicatur.* 469
Johannis Apoſtoli hiſtoria. 541
Johannes quando ſcripſerit Evang. & Epiſtolas ſuas, & Apocalypſin, &c. 547
Johanna Aureliana hiſtoria. 1881
Johannis Baptiſtæ nativitas. 520
——— *Educatio.* 526
——— *Miniſterium.* 529
Johannes Baptiſta Mantuanus inter teſtes veritatis Sec. XV. 1866
Johannis Cantacuzeni hiſtoria. 1785. *Inter Scriptores Sec.* XIV. 1790
Joh. de Cremona Card. fœdiſſimum factum. 1607
Johannitarum Equitum Ordo. 1619
Johannes Damaſcenus Scriptor Sec. VIII. 1320
——— *Hus, vide Hus.*
——— *Malela Hiſtoriæ Eccleſ. Scriptor.* 511
——— *Maxentius Scriptor Seculi ſexti.* 1134
Johannis Palæologi hiſtoria. 1786
Johannes de Pariſiis Scriptor Seculi XIV. 1794
——— *Picus inter teſtes veritatis Sec.* XV. 1860
Johannis Presbyteri Habeſſinorum Regis fabula. 1635, 1636
Johannes de Rupeſciſſa inter teſtes veritatis Sec. XIV. 1762
——— *Scotus refutator ſententiæ Paſchaſii de Euchariſtia.* 1377. *& alia de illo.* 1407
——— *Scylitza Scriptor Seculi* XI. 1552
Johannis Talaiæ depoſitio, & motus inde orti. 1024
Johannes Weſſelus inter teſtes veritatis Sec. XV. 1859
Johannis I. *Papæ Rom. Sec.* VI. *ambitio.* 1090
——— *Legatio Conſtantinop.* 1097
——— II. *Papæ Rom. Sec.* VI. *ambitio.* ibid.
Johannes IV. *Papæ qualium ſuperſtitionum auctor?* 1188
——— V. *Papæ qualium ſuperſtitionum auctor?* 1190
Johannis VIII. *ſeu Johannæ Papiſſæ hiſtoria.* 1363–1368
——— IX. *Pontif. hiſtoria.* 1359, 1360
——— X. *Papæ hiſtoria.* 1431
——— XI. *Papæ hiſtoria.* 1432
——— XII. *Papæ hiſtoria, & ejus depoſitio fuſe deſcripta.* 1433, 1454–1458
——— XIII. *Papæ hiſtoria.* 1433
——— XIV. *Papæ hiſtoria.* 1434
——— XXII. *Papæ hiſtoria.* 1742–1745
——— XXIII. *Papæ hiſtoria.* 1818, 1819, 1846, 1863, 1864
Ionicæ Sectæ quis auctor? 443

Joram

Digitized by Google

Joram Regis Judæ hiſtoria. 378
Jordanis tranſitus ab Iſraelitis hiſtoria. 336
Joſaphat Regis Judæ hiſtoria. 377
Joſephi Archaiologi hiſtoria. Antiquit. quando ſcripſit? 591
Joſephi calculus varius & incertus. Ut diſſideat ab Hebræis, Græcis, Samarit. An à Theologis corruptus? Errores Chronol. varii in Joſepho oſtenſi. 151-156
De Joſephi Antiquitatibus judicium. 258
—— Teſtimonium de Chriſto an genuinum ſit? 533
Joſephus Patriarcha an cultus Ægyptiis? 314
Joſiæ Regis Judæ hiſtoria. 384
Joſuæ poſt Moſem geſta & hiſtoria. 335--339
—— Libri argumentum & Auctor. 366, 367
Jotham Regis Judæ hiſtoria. 382
Jovianus ſucceſſor Juliani. 931
Irene magna fautrix & propagatrix Iconolatriæ, Seculo octavo. 1306
Irenæi Scripta. 674
Iſaci hiſtoria. 301, 302
Iſidorus Peluſiota Scriptor Seculi quinti. 1030
Iſidorus Hiſpalenſis teſtis veritatis, & Scriptor Seculi ſeptimi. 1204, 1240
Iſraëlitarum ſervitus in Ægypto. 303, 304
—— Exitus ex Ægypto hiſtoria. 320, 321
—— Peregrinationis in Deſerto hiſtoria. 321--329
—— De Exitu ex Ægypto & Peregrinatione in Deſerto, fabulæ & mendacia apud Gentiles. 333, 334
—— Tranſitus per mare rubrum qualis? 321, 322
—— Decem Tribuum regnum & reges. 373--385
———— Deportatio Aſſyriaca. 388, 389
Italica Secta quis Auctor? 443
Italicæ Eccleſiæ in quibus reſtiterint Romanæ tyrannidi Seculo ſeptimo? 1202
—— Synodi, Seculo octavo. 1317
Ithacius Scriptor Seculi quinti. 1033
Iſthmii ludi quinam? 90
Jubilei anni deſcriptio. 84--87. an annis 49. an 50. fuerit Jubilæus. Privilegia hujus anni, & rationes hiſtoricæ, myſticæ, morales.
Jubileum à Bonifacio VIII. inſtitutum. 1726
Judas Thaddeus quando & quare ſcripſerit Epiſtolam? 546
Judæi, vide etiam Iſraëlitæ.
—— Errantis fabula. 1730
Judæorum anni, vide multa in Hebræi.
Judaici Reges in diſtractione Tribuum. 374-385
Judæorum deportatio in Captivitatem Babylonicam. 398--403
—— Liberatio ex Captivitate Babylonica. 411-416
—— Reſtitutioni Edicta inſervierunt quatuor. 411-416
—— Status ſub Maccabeis. 446-452. & 463-466
Judæa quomodo Romanis facta tributaria? 463--465
Judæorum poteſtas qualis ſub Herode, & Romana ſervitute? 466--468
Judææ Præſides inter nativitatem & mortem Chriſti. 527, 528
Judæorum rebelliones ſub Trajano & Hadriano. 685, 686
Judaicæ Reipublicæ excidium per Romanos. 583-591
Judæorum res & ſtatus Seculo ſecundo. 685-688
—— Seculo tertio. 791-793
—— Seculo quarto. 952-954
—— Seculo quinto. 1051, 1052
—— Seculo ſexto. 1164
—— Sec. ſeptimo, & converſiones violentæ, &c. 1253
—— Seculo octavo. 1324
—— Seculo nono. 1413
—— Seculo decimo. 1507, 1508
—— Seculo undecimo. 1566
—— Seculo duodecimo. 1638, 1639
—— Seculo decimo tertio. 1729
—— Qui ferantur converſi Sec. XIII. 1646
—— Seculo decimo quarto. 1810
—— Seculo decimo quinto. 1884
Judæorum in Samaritanos odia & fabulæ. 430
—— Sectæ variæ. 455, 456
Judicum in Iſraële regimen quale, & in quibus diſtinctum à regio? 346
—— Libri argumentum & Auctor. 367
Judith Hiſtoria an vera? 391, 405, 406
Julii Cæſaris hiſtoria. 478
Julius Cæſar emendavit Calendarium cur, quando, quomodo? Errores rurſum ab Auguſto emendati. 20-22. Item à Gregorio. 23--26
Julii II. Papæ hiſtoria. 1889, 1890
Julianus Annus quis? 20. Ejus diſcrimen ab Actiaco anno. 12
Julianus Cardinalis inter teſtes veritatis Sec. XV. 1859
Julianus Apoſtata an unquam Chriſtianus fuerit? 928
Juliani Apoſtatæ Perſecutio, & modus. 928-931
Julianus Toletanus Scriptor Seculi VII. 1241
Julius Africanus Scriptor Eccleſiaſticus Seculi tertii. 509, 772
Julius Capitolinus Hiſtoricus Seculo tertio. 798
Junilius Scriptor Sec. VI. 1140
Juriſconſulti Papinianus, Ulpianus, Paulus, &c. infeſti Chriſtianis. 794
Juriſconſultorum dignitas ſub Hadriano. 694
Juris Romani Collectio Seculo ſexto. 1155
Juris Canonici origo, & contenta. 1618--1620
Juris Civilis Romani revocatio in Scholas Sec. XII. 1637
Juſtificatio per fidem abſque operum merito credita Sec. ſecundo. 611. Seculo tertio. 710. Seculo quarto. 843. Sec. V. 967. Seculo VI. 1066
Juſtini Martyris martyrium. 665
—— Martyris Scripta. 673, 679
—— Martyris Apologiæ duæ quando ſcriptæ? 659
Juſtini Sen. Imperatoris hiſtoria, & laus. 1103
Juſtiniani Imperatoris Vita, virtutes, vitia, bella, facta civilia & Eccleſiaſtica: Calumnia in ipſum, & cauſa illarum: Ejus ſucceſſores. 1103-1109. favit Aphthartodocetis. 1113. Novellæ conſtitutiones. 1135
Juſtinian. deponit Anthimum. Epiſtola ad Johannem II. Papam Romanum, à Baronio in favorem Pontific. Rom. allegata, diſcutitur. 1095, 1096
—— Ejuſdem leges de Monachis. 1145
Juſtinianei Juris hiſtoria. 1155

K.

Karæi qui dicti? 459, 460
Ketter origo nominis. 1605
Koreiſchitarum inter Arabas tribus (ex quibus Mahometh natus) hiſtoria. 1206
Vide Lit. C.

L.

Lacedæmoniorum res ſub Epocha quinta. 372
—— Sub Epocha ſexta. 394
—— Legationis ad Judæos hiſtoria. Qui Fratres Judæorum? 427, 428
Lactantius Scriptor Seculi quarti. 923
Lampſacena Synodus Seculo quarto an Ariana? 918
Lancea (qua Chriſti Corpus perforatum) inventa fabula. 1514
Lanfrancus Scriptor Sec. XI. 1557
Laodicenum Concilium Seculo quarto. 909
Lapſorum receptio in Eccleſiam, vide Diſciplina Eccleſiaſtica.
—— Varia eorum genera Seculo tertio. 732
Lateranenſe Concilium primum Sec. XII. 1609
———— ſecundum Sec. XII. 1610
———— tertium Sec. XII. ibid.
———— quartum Sec. XIII. 1704
———— quintum Sec. VI. 1896-1898

Latinæ V. & N. T. Verſiones Seculo ſecundo factæ. 650, 651
Latinæ linguæ uſûs in Sacris origo. 1182
Latinæ literæ per quos inſtauratæ Sec. XV. 1877
Latinorum Origines. 354
—— Reges ſub Epocha quinta. 372
—— Res ſub Epocha ſexta. 396
Launojus Doctor Pariſinus, & laus ejus. 516
Laura quid? 975
Laurentii martyrium. 767
Laurentii Papæ & Symmachi Anti-papæ turbæ, & Schiſma Romanæ Eccleſiæ in cauſa illorum, Seculo ſexto. 1055, 1056
Laurentius Valla inter teſtes veritatis Sec. XIV. 1858
Lauretanæ Ædiculæ tranſlationis fabula. 1721
Lectorum munus Seculo tertio. 740
Lectores Seculo quarto. 869
Lectionis ſacræ ex Epiſtolis & Evangeliis origo, Seculo IX. 1415
Legis in monte Sinai promulgatæ hiſtoria. 324
Legionis Thebææ decimatæ fabula. 770
Legionis Fulminatricis ſub M. Aurelio hiſtoria examinatur. 660—662
Leidradus Scriptor Sec. noni. 1405
Leonis Imperatoris literæ circulares ob metus Eutychianorum. 1021
Leonis I. alias Magni hiſtoria, & Scripta. 1032
Leo II. Papa qualium ſuperſtitionum auctor? 1190
Leonis III. Pontif. Rom. facta; Fabula de eo. 1287
—— III. Submiſſio erga Carolum Magnum. 1289
—— III. Pontif. Rom. factum Carolum Magnum Imperatorem proclamantis, & Baronii obſervationes ad illud expenſæ. 1347—1352
—— IV. Pontif. hiſtoria. 1355, 1356
Leo VI. dictus ſapiens, Scriptor Sec. IX. 1411
Leonis VIII. Papæ electio an legitima? 1457-1460
—— VIII. Papæ Sec. X. reſtitutio juris Inveſtituræ facta Imperatoribus. 1466, 1468
—— IX. Pontificis hiſtoria. Lis cum Michaële Cerulario, &c. 1521
—— X. Papæ hiſtoria. 1892—1894
Leontius Byzantinus Scriptor Seculi ſexti. 1137
Leowigildi atrox facinus in Filium. 1145
Lex in monte Sinai promulgata. 324
Lex Theodoſii pro auctoritate Romani Pontificis, allegata à Pontificiis, explicatur. 875
Libellatici qui dicti? 732
Liberum arbitrium. 990, 994. &c.
Libelli pacis quales Seculo tertio, & abuſus illorum. 738
Liberii Pontificis Romani lapſus in Hæreſin Arianam, & reſipiſcentia. 916
Libri N. T. qua lingua conſcripti? 547
Librorum N. T. auctores, Scriptionis ordo & tempus, lingua qua conſcripti ſunt. 542—547
Licinius inter cæteros quoque Perſecutor. 827. An unquam Chriſtianus fuerit? 828. ejus exitus. 829
Limbus infantum unde natus? 974
Lingua primæva quæ fuerit? 275
Linguarum ſtudium inſtauratum Sec. XIV. 1801—1803
Litaniæ ad Virginem introductæ Seculo ſexto. 1076
Literæ dominicales in Calendario quid notent, & cur inventæ? 96
Liturgia Chryſoſtomi Scriptum Pſeudepigraphum. Pſeudo-Liturgia Apoſtolica. 580, 858
Loca Sacrorum Conventuum Seculo ſecundo. 616, 617
Lombardi Sententiarum magiſtri hiſtoria. 1616, 1617
Longobardorum in Italia Regnum Seculo ſexto. 1159, 1160
Loretana Ædicula, vide Lauretana.
Loſdunenſis partûs fabula. 1724
Lucas qua occaſione, & quando ſcripſerit Evangelium, item Acta Apoſtolorum? 544
Lucæ Evangeliſtæ de Corpore lis nata Seculo XV. 1836
Lucii Britanniarum Regis Converſio commentitia, certè incerta. 603
Lucianus Hæreticus Seculo ſecundo. 645
Luciani Samoſateni hiſtoria. 695
Ludi Seculares Romanorum quinam? 90
Ludi Romanorum varii. 91
—— Græcorum & Romanorum deſcripti. 88, 91
—— Gentilium varii, poſt converſionem orbis ad Chriſtianiſmum, adhuc manentes longo tempore. 838
Ludovici Bavari oppoſitiones contra Romanam tyrannidem. 1758. quæ paſſus ſit à Johanne XXII. Papa? 1742
Ludovici Pii Sec. IX. in reformanda Eccleſia ſtudium. 1337—1339
Ludovici Pii conſtitutio ſive donatio fabuloſa. 1417
Ludovici IX. expeditiones duæ in Terram Sanctam, & in Africam. 1649, 1650, 1651
Lud Filius Semi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Lugdunenſe Concilium primum Seculo XIII. 1705 ſecundum. 1708, 1709
Lugdunenſis Eccleſia tuita eſt ſententiam Godeſchalci de Prædeſtinatione & Gratia. 1382
Luitprandus Scriptor Sec. X. 1494
Luminum feſtum. 78
Lunaris annus quis ſit? 5, 6
Lupercalia Sacra quænam? 88
Lupus Servatus Scriptor Sec. IX. 1406
Luſtrum Julianum quid? 92
—— Romanorum quid, & ejus origo. 91, 92
Lutheri hiſtoria. Quibus gradibus cœperit reformationem? 1910—1914
Lycæa Sacra quænam? 88
Lycurgus quando vixit? 394
Lydorum Reges ſub Epocha ſexta. 393
—— ſeptima. 408
Lyra Scriptor Sec. XIV. 1794

M.

Macarii duo, Scriptores Seculi quarti. 922
Maccabæorum nominis origo. 450
Maccabæorum Hiſtoria. 450, 451, 452, 454, 455, 463, 464, 465
Macedonum & Syro-Macedonum menſium laterculus, nomina, & collatio cum aliorum Græcorum menſibus. 43, 44
Macedonum res ſub Epocha ſexta. 394
—— octava. 436, 437
Macedonii Hæreſis Seculo quarto. 890
Macedonii Conſtantin. Epiſcopi injuſta depoſitio Seculo ſexto. 1057
Madai filius Japheti, quinam Populi ex ipſo oriundi? 288
Magdeburgenſium Centuriarum auctores & laus. 513, 514
Magog filius Japheti, quinam Populi ex ipſo oriundi? 288
Magiæ quales accuſati Seculis barbaris decimo, undecimo, &c. 1515
Mahomet, vide in Muhameth.
Maimonides Scriptor Sec. XII. 1640
Majuma quid, & vocis origo. 838
Malachi Prophetia quid contineat? 423
Mameluccorum in Ægypto imperium Sec. XIII. 1728 Sec. XIV. 1811
Mammæa Al. Severi mater an fuerit Chriſtiana? 700
Manaſſis Schiſma. 429
—— Regis Judæ hiſtoria. 383
Manes vel Manetis nominis origo. 751, 752

Ma-

Digitized by Google

Manichæorum Hæreſis Seculo tertio. 751--753
Manuelis Palæologi II. *hiſtoria.* 1786
Maimburgius nuperus Scriptor, & judicium de illo. 516
Marcellinus Rom. Eccleſiæ Epiſcopus, an lapſus in decima Perſecutione? 817
Marcellinus Comes Scriptor Eccleſiaſticus Seculo ſexto. 1140
Marcellinus Comes Hiſt. Eccl. Scriptor. 511
Marcion Hæreticus Seculo ſecundo. 644, 645
Marcheſvan Menſis II. *Hebræorum deſcriptio & notabilia in eo, & quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 50, 51
Marcomanni converſi Seculo quarto. 840
Marcus quando Evangelium ſcripſerit, &c. 543
Marci Evangeliſtæ reliquiarum tranſlatio fabuloſa Venetias Sec. IX. 1344
Marcus Hæreticus Seculo ſecundo. 641
Marculphus Scriptor Sec. VII. 1241
Margaretha Henneberg. partus fabuloſus. 1714
Mariæ immaculata Conceptio non credita Seculo quarto, &c. 850
Mariæ immaculatæ Conceptionis doctrina, nata Sec. XII. 1579
Mariæ immaculatæ Conceptionis magnæ concertationes Sec. XV. 1832
Mariæ Virginis in cælum aſſumptionis fabula. 573
Mariana Caſa, vide Lauretana.
Marianum Sabbatum quid? 1518
Mariæ cultus creſcens Sec. ſexto. 1074
Marius Mercator Scriptor Seculi quinti. 1032
Marini ſecundi Pontif. hiſtoria. 1361
Maronitæ qui dicti? 1111
Marſilius Patavinus Scriptor Sec. XIV. 1791
Martialis hiſtoria, & an inter Apoſtolos referendus, Synodorum Gallicarum deciſiones. 1550, 1551
Martinus Polonus Scriptor Sec. XIII. 1716
Martinus I. *Papa qualium ſuperſtitionum auctor?* 1188
Martini IV. *Papæ hiſtoria.* 1677
—— V. *Papæ hiſtoria.* 1819
Martyres illuſtriores veri, & fabuloſi Seculo primo. 564--568
—— *Seculo ſecundo.* 662--667
—— *Seculo tertio.* 760, 761, 763, 767
—— *Seculo quarto.* 817, 818, 819
Martyribus quales honores habiti Seculo primo? 567, 568. *Seculo ſecundo ſepultura cura ſingularis, Commemorationes Martyrum, Conventus publici ad ſepulcra illorum, Pacis literæ ab illis datæ,* &c. 667--669
Martyrum Commemorationes uſitatæ Seculo II. 619
Martyrum Commemorationes & feſta Seculo tertio. 726. *Seculo quarto.* 856
Martyribus quomodo templa ſtructa Seculo IV. 853
Martyrum Acta Seculi tertii apocrypha. 784
Maſoræ primordia an ab Ezra? 420
Maſſilienſes dicti ſemi-Pelagiani. 993
Matthæus quando Evangelium ſcripſerit? 543
Matthæus Paris Scriptor Seculi XIII. 1715
Mathildis Comitiſſæ hiſtoria. 1564, 1565
Mathuſala hiſtoria. 277
Mauri, vide Saraceni.
—— *Benedictini Monach. vita & Scripta ſuppoſititia.* 1148
Mauritii Imperatoris leges quædam & laus. 1170, 1171
Maxentius inter cæteros auctor decimæ Perſecutionis. 810
Maxentius Scriptor Seculi ſexti. 1134
Maximianus inter cæteros auctor decimæ Perſecutionis. 810
Maximilla & Priſcilla Prophetiſſæ Montani Hæretici. 646
Maximinus inter cæteros Auctor decimæ Perſecutionis. 810
Maximus Abbas Scriptor Seculi ſeptimi. 1240
Medhamſtede Monaſterium celebre conditum Sec. VII. 1246
Mediolanenſis Synodus Ariana Seculo quarto. 917
Medorum Reges ſub Epocha ſexta. 392
—— *Res eorundem ſub Epocha ſeptima.* 407, 408
Melchiſedeci hiſtoria. 306
Melchitæ qui dicti? 1111
Meletii Schiſma Seculo quarto. 892
Melitonis Scripta. 673
Menandrianorum Hæreſis. 575
Memorabilia Seculi primi. 592--598
—— *Seculi ſecundi.* 688--696
—— *Seculi tertii.* 799--808
—— *Seculi quarti.* 942--949
—— *Seculi quinti.* 1039--1045
—— *Seculi ſexti.* 1157--1164
—— *Seculi ſeptimi.* 1248
—— *Seculi octavi.* 1326
—— *Seculi noni.* 1411--1418
—— *Seculi decimi.* 1496--1509
—— *Seculi undecimi.* 1562
—— *Seculi duodecimi.* 1632--1638
—— *Seculi decimi tertii.* 1719
—— *Seculi decimi quarti.* 1805-1810
—— *Seculi decimi quinti.* 1879--1884
Mendicantium Ordo natus Sec. XII. 1631. *Ordines quatuor.* ibid.
Menſium diſtributio varia in ſolares, lunares, civiles, cavos & plenos, intercalares. 34--36
—— *Principium variè ſtatutum, vel à phaſi vel à conjunctione.* 34
—— *Confuſa ratio apud Græcos unde?* 17
—— *Arabicorum laterculus & nomina.* 45, 46
Menſis Atticorum in III. *partes diviſus fuit.* 44
Menſium Atticorum laterculus & nomina; collatio cum menſibus Julianis, & obſervata quædam ad eos. 41--44
Menſium Ægyptiorum laterculus & nomina. 39, 40 *horum uſus.* 39
Menſes Hebræorum lunares, ſigillatim declarati, & quæ in ſingulis notabiliora feſta, jejunia, &c. 47--62
—— *Lunares Hebræorum collati cum Menſibus Solaribus, & illis Romanorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Athenienſium, Macedonum, Syro-Macedonum, Paphiorum, Syrorum, Perſarum,* &c. 47--62
Menſium Hebræorum laterculus & nomina. 37, 38
Menſium Macedonum, Syro-Macedonum, Græcorum, Paphiorum Cypri, laterculus, nomina, & collatio inter ſe. 43, 44. *& obſervationes quædam ad eoſdem.* 45
—— *Romanorum laterculus & nomina.* 37, 38
Mercator Scriptor Seculi quinti. 1032
Mereri, meritum, bonum meritum quid apud Scriptores Seculo quarto? 845
Merita nulla agnoverunt prima Secula, vide Gratia.
Meriti vox quomodo Auguſtinus acceperit? 967
Meſech filius Japheti, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Metaphraſtes an Scriptor Sec. X. *& de eo judicium.* 1490
Methodius Scriptor & Doctor celebris Seculo tertio. 779
Metropolitani quales Seculo tertio? 742
Metropolitani Seculo quarto. 872
Metropolitanis æqualis poteſtas, in Provincias ſibi ſubjectas, data in Synodo Nicæna. 898

Digitized by Google

Michaelis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani Sec. XI. *hiſtoria.* 1544-1547
Michael Palæologus Imperator Græc. quomodo unionem iniverit cum Eccleſia Romana? Reſciſſio illius. 1691, 1692
Michael Pſellus Scriptor Sec. XI. 1552
Militum decem vel undecim mille martyrium ſub Trajano, vel Adriano, fabuloſum. 664
Militum ſeu Fratrum S. Jacobi, Calatravæ, &c. *Ordo.* 1630
Militares Ordines quinam & quando exorti? 1629, 1630
Minorum Fratrum Ordo, vide Franciſcanorum.
Minutius Felix Scriptor celebris Seculo tertio. 780
Miracula fabuloſa Seculo quinto. 1042
Miraculorum donum adhuc Seculo tertio. 801
Miracula jactata Sec. XI. 1562
—— *Fingendi vera cauſa.* 1719
Miſſæ vox quid apud Scriptor. Seculo quarto? 846
Miſſæ nomen pro Euchariſtia quando primò ortum? 860
—— *Solitariæ frequentari cœpta Seculo* VIII. *Baronii argumenta pro iis refutata.* 1265, 1266
Miſſatici Canonis, ſeu Gregoriani, nova ratio Seculo ſexto. 1076, 1077
Miſſa, vide plura in Euchariſtia.
Mithridates Eupator. Ejus ſuccincta hiſtoria. 474, 475
Mizraim filius Chami, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Moggi Eutychiani Epiſcopi hiſtoria. 1021, 1022
Mogulenſis Imperii exordia Seculo XIII. 1726
Monachatus origo & incrementum per ſingula Secula.
—— *Seculo* III. 802
—— *Seculo* IV. 933--937
—— *Seculo* V. 975
—— *Seculo* VI. 1147--1154
—— *Seculo* VII. 1243--1248
—— *Seculo* VIII. 1327--1328
—— *Seculo* IX. 1413--1414
—— *Seculo* X. 1439--1441
—— *Seculo* XI. 1557--1561
—— *Seculo* XII. 1628--1631
—— *Seculo* XIII. 1696--1703
—— *Seculo* XIV. 1797--1801
—— *Seculo* XV. 1879
Monachatum amplexi Reges & Reginæ Seculo VII. 1249--1251
—————— *Sec.* VIII. 1327
Monachorum ambitio, pravi mores, ignorantia, corruptio, jam tempore Bernardi. 1622
Monaſteria multa fundata Sec. ſeptimo. 1245--1247
—— *Eodem Seculo labore manuum victum comparare tenebantur.* 1247
—— *Scholæ fuerunt Seculo ſeptimo.* ibid.
—— *Seculo nono fuere Scholæ, & carceres.* 1414
—— *Fundata Seculo decimo.* 1503
—— *Structa & deſtructa Seculo nono.* 1413
—— *Plura vide in Abbatia.*
Monialium Monaſteria ſub novis Regulis Sec. VI. 1153
Monothelitarum hæreſis Sec. VII. *fuſe deſcripta.* 1219-1225
Montanus Hæreticus Seculo ſecundo. 646
Montaniſtarum Schiſma in Eccleſia Sec. ſecundo. 683
Mopſveſtenus, vide Theodorus.
Mopveſtia Concilium Seculo ſexto. 1124
Mores Chriſtianorum Seculo ſecundo. 629, 630
—— *Seculo tertio.* 731
Mortuorum ſepulturæ ritus, panegyres, oblationes pro defunctis & preces, &c. *Seculo tertio.* 727, 728
—— *Animas abditis receptaculis contineri uſque ad tempus ultimæ Reſurrectionis error Seculi ſecundi, & aliquot ſequentium.* 615, 974
Mortui an ſint anathematizandi, controverſia Sec. VI. 1119
Moſchorum nova converſio Sec. decimò. 1423
Moſchi, vide Ruſſi.
Moſchi (Johannis) narratiuncula de pueris Euchariſtiam adminiſtrantibus Seculo ſeptimo. 1181
Moſis apud Gentiles, Ægyptios, Phœnices, Arabes, Græcos, &c. *fama & fabulæ.* 332--335
Moſes Auctor Pentateuchi. 260-270. & 330, 331
—— *Quo tempore & ordine ſcripſerit Pentateuchum?* 331, 332
Moſis hiſtoria & vita. 304, 305, 319, 320, 327, 328
—— *Librorum Auctoritas aſſerta.* 260-270, 330-332
—— *Cretenſis impoſtura.* 1052
Muhammedis exortus, doctrina, hiſtoria, &c. 1206-1218
Muhamed II. *capit Conſtantinopolim Sec.* XV. 1880
Muhammedica annorum & menſium ordinatio. 27
Muhamedaniſmi progreſſus Sec. VIII. 1324
Mulieres συνείσακτοι *quæ?* 878
Mundus quò anni tempore creatus? 1-4
Mundi antiquitates fabuloſæ Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinenſium, Indorum, &c. 142--147
Mundi Æra variè ſtatuta ſecundum varium calculum Textus Hebraici, Verſionis Græcæ, & Samaritanæ. 148
Mundum non eſſe æternum demonſtratur. 141
Mydæ Phrygum Regis hiſtoria. 393

N.

Nabonaſſari Æra quæ, & ejus uſus. 177, 178
Nabonaſſar quis, & ejus ſucceſſores quidam. 178, 179
Narſetis Juſtiniani Ducis exitus. 1160
Naſſoviæ domus incrementa Sec. XI. 1565
Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Scriptor & judicium de illo. 516
Nativitas Chriſti quo anno & die, variæ ſententiæ. 205-210. & 522-524
Nativitatis Chriſti deſcriptio & circumſtantiæ. 521-526
Nativitatem Chriſti proxime antecedentium hiſtoria. 517, 518, 519, 520
Nazaræorum Hæreſis qualis? 576
Nehemiæ liber quid contineat, & quis ejus Auctor? 422
Nemæi ludi quinam? 90
Neocæſarienſis Synodus Seculo quarto. 909
Neomeniæ feſtum apud Judæos. 71
Neſtorianæ Hæreſeos fuſa deſcriptio. 995, 1000
Nicanoris cæſi feſtum. 78
Nicænæ Synodi primæ locus, tempus, auctor, membra, præſes, acta præcipua, Canones XX. *conditi, duratio, confirmatio non à Sylveſtro Papa ſed Conſtantino, exitus*, &c. 895-900
Nicænæ Synodi primæ cur non meminerit Euſebius in Hiſtoria Eccleſ. 895, 896
Nicænorum actorum hiſtoria, Gelaſii Cyziceni opus eſt. 1031
Nicæna Synodus II. *Seculo octavo.* 1314-1316
Nicephorus Caliſti Scriptor Sec. XIV. 1789
Nicephorus Gregoras Scriptor Sec. XIV. ibid.
—— *Patriarcha Conſtantinopolitanus Scriptor Sec.* IX. 1410
Nicetas Aconiatus Scriptor Sec. XIII. 1712, 1713
Nicolaus de Clemangiis inter teſtes veritatis Sec. XV. 1857
—— *Oreſmius Scriptor Sec.* XIV. 1793
Nicolai primi Pontificis hiſtoria. 1356-1358
—— II. *Pontificis hiſtoria.* 1521
—— III. *Papæ hiſtoria.* 1677
—— IV. *Papæ hiſtoria.* 1678
—— V. *Papæ hiſtoria.* 1822, 1823

Digitized by Google

Nicolaitarum Hæreſis qualis? 575, 576
Nicon Armenius Scriptor Seculi X. 1492
Nilus Doxopatrius Scriptor Sec. XI. 1552
Nimrod Conditor Dynaſtiæ Babylonicæ & Aſſyriacæ. 293
Niſan Menſis VII. *Hebræorum deſcriptio & notabilia in eo. Quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 55-57
Noachi hiſtoria. 277, 278, 286, 287
Noctis Vigiliæ apud Judæos olim tres, poſtea quatuor. 67, 68
Nocte Chriſtiani cur convenerunt Seculo ſecundo, & tertio? 616
Nomodidaſcali qui fuerint? 459
Norberti (unde Norbertini) hiſtoria. 1628, 1629
Normannorum furores Sec. IX. 1412
—— *Converſio Seculo decimo.* 1422
Norwegorum converſio Seculo decimo. 1425
Novatianum Schiſma. 754-756
Novatiani Schiſmatis Compoſitio in Concilio Niceno. 897
Novatiani Scripta. 789
Novella 131. *a Baronio fruſtra pro Monarchia Papæ allegata.* 1096
Novellæ quid, & harum origo. 1155
Novilunii obſervandi varia praxis. 34
Numerus Aureus quis? 103

O.

Occamus Scriptor Sec. XIV. 1793
Occidentalis Imperii Romani diſtributio Seculo quarto. 873
Occidentalis Imperii Romani Caſus Seculo quinto. 1045. *& regna ex ejus exitio orta.* 1046
Occidentalem Eccleſiam inter & Orientalem Schiſmata: Vide in Eccleſia.
Odonis Monachi hiſtoria. 1503
Oeconomi qui dicti Seculo quinto? 981
Oecumenicus Epiſcopus ob quas rationes appellatus Conſtantinopolitanus? 1192
Oecumenici nomen quomodo uſurpatum Seculo V. VI. 1087. *Baronius hic notatus, & Gregorius primus Romanus quomodo & quare illum Titulum improbarit?* 1088
Oecumenici Epiſcopi titulus cur datus à Phoca Bonifacio tertio? 1193, 1194
Oecumenica Concilia cur nulla Sec. X. 1480
Οἰκονόμος ὁ μέγας qui dictus? 1086
Οἴκισκος quid? 975
Olivetanorum Ordo natus Sec. XIV. 1801
Olympiadum Æra quæ? 174, 175
Olympiadum Epocha duplex, Iphitica & Vulgaris. 394
Olympici Ludi quinam? 89
Omphalopſychi qui dicti Seculo XIV. 1788
Oneſimi martyrium Seculo ſecundo. 663
Oniæ Schiſma. 453
—— *Templi hiſtoria.* ibid.
Onochoiritæ Chriſtianorum Dei inſcriptio. 690
Ononuchitæ Chriſtianorum Dei inſcriptio. ibid.
Ophir, quinam tractus ſic dictus? 366
Ophitæ vel Ophiani, Hæretici Seculo ſecundo. 642
Optatus Scriptor Seculi quarti. 923
Oracula Gentilium. Fraudes circà illa adhibita. 317
Oraculorum ceſſatio Seculo primo. 595
Orarium qualis veſtis? 868
Orbis diviſio inter filios Noachi. 287-290
—— *Novus detectus Sec.* XV. 1882
Orbis, vide etiam Mundus.
Orchanis hiſtoria. 1734
Ordines ſacri in Eccleſia, vide Regimen Eccleſiaſticum.
Oreſmius, vide Nicolaus Oreſmius.
Orientalem Eccleſiam inter & Occidentalem Schiſmata, vide in Eccleſia.
Orientale Imperium, vide Imperium Orient.
Origenis vita & hiſtoria. 772-776
Origenes an lapſus fuerit? 765
Origeniſtarum repullulatio Seculo ſexto; contra Origeniſtas, inter cætera, habitum Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum. 1121
Origenianum Schiſma. 754
Oroſius Hiſt. Eccleſ. Scriptor. 511
Oſcula mutua apud Chriſtianos in Conventibus ſuis uſitata, Seculo ſecundo. 619
Oſmanis I. *hiſtoria.* 1734
Oſnabrugenſis Academia fundata Sec. IX. 1341
Oſtiariorum munus Seculo tertio. 741
Otto primus an legitime elegerit Leonem VIII. *Pontificem?* 1457-1460
Ottonis I. *donatio Pontifici Romano ficta.* 1500
—— III. *Factum in depoſitione Johannis Papæ, & reſtitutione Gregorii* V. 1461
Ottonis I. *Donatio Pontifici Romano ficta.* 1501
—— *Liberalitas in Epiſcopos, fundatione novorum Epiſcopatuum, & donatione poteſtatis Secularis.* 1501
Ottonis Henrici Elect. Palat. laus. 1804, 1805. *& reſponſum ejus memorabile.* 1847
Otto Friſingenſis Scriptor Sec. XII. 1623
Ottomanni, vide Turca.
Oxonienſis Academia quando fundata? 1251, 1341

P.

Paganorum nomen unde? 836, 949, 950
Paganiſmus, vide in Gentiliſmus.
Palamas, vide Gregorius Palamas.
Palilia urbis Romæ quid, & diſtinctio in Catoniana, Varroniana, & Fabiana. 176, 177. *& collatio eorum cum Epochis aliis.* 177
Palladius Scriptor Seculi quarti. 922
Pallium Epiſcopale quid, quibus datum, à quo? Ejus ſignificatio; nulli datum à Romano Pontifice, niſi permiſſu Imperatoris, adhuc Seculo ſexto. 1092
Pallii uſus Epiſcopo Ravennatenſi conceſſus Sec. quinto, & Baronius hic notatus. 1041
Palmaris Synodus quæ dicta Seculo ſexto? 1055
Pamphilus Scriptor Seculi quarti. 921
Panathenaici Ludi quinam? 88
Pandecta quid, & harum origo. 1155
Papa Romanus, vide in Romanus Epiſcopus.
Papæ quinam dicti Seculo tertio? 743
Papæ nomen quibus datum Seculo quarto? 874
Papæ nomen non ſoli Pontifici Romano, ſed & Epiſcopis prima nota commune adhuc Sec. VIII. *Quando illi ſoli datum?* 1288
Papiæ Scripta. 672
Paradiſi ratio, & ſitus. 273
Parilia, vide in Palilia.
Pariſienſis Academia malè fundata creditur Sec. VIII. 1340
Pariſienſis Academia novis privilegiis aucta Sec. XIV. 1802
Pariſienſis Academiæ oppoſitiones contra Rom. tyrannidem. 1764, 1765
Parlamentorum in Anglia ortus. 1635
Parthici Imperii initium, finis, reges. 473
Paſchatis feſtum apud Judæos; quæſtiones & dubia circa illud vexata. 72, 73
Paſcha an Chriſtus eodem die cum Judæis comederit? 80, 81
Paſcha Chriſti ultimum diverſum ab illo Judæorum, oſtenſum ex annis Periodi Calippicæ. 118

Digitized by Google

Paſchalis indulgentia facta reo, unde ad Judæos pervenerit, Matth. XXVII. 15. 597
Paſchalis terminus quis, & obſervationes quædam ad illum. 107, 108
Paſchales quæſtiones Seculo ſecundo. 681, 682. *& Schiſma inde ortum.* 683, 684. *& ejus compoſitio in Synodo Nicæna.* 897
Paſchalis Diei controverſia Seculo ſexto. 1118
Paſchalis Diei obſervantia ſecundum morem Romanum recepta ab Anglis, Seculo ſeptimo. 1179, 1180
Paſchalis Cyclus decemnovennalis quis, & alia multa de eo Cyclis Paſchalibus. 102-107
Paſchalem dominicam inveniendi ratio, & hinc feſta mobilia. 111
Paſchatum diſcrepantia ſecundum Calendarium novum Gregorianum & Calendarium vetus, unde? 108
Paſchalis primi Pontificis hiſtoria. 1353
Paſchalis II. *Pontif. hiſtoria.* 1524, 1582
Paſchaſius Scriptor Seculi ſexti. 1140
Paſchaſii Ratberti doctrina de præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, &c. *In contrarium oppoſitiones, & novitas ejus contra exceptiones oſtenditur.* 1375-1379. *Item ejus ſententia de Partu Virginis.* 1379
Paſtorum Dynaſtia apud Ægyptios. Num fuerint Hebræi? 308
Patriarcharum primorum ab Adamo ad Noachum hiſtoria. 276-278
Patriarchæ Chriſtiani an fuerint Seculo ſecundo? 634
Patriarchæ an jam Seculo quarto? 874
Patriarcharum ſurgens dignitas Seculo quinto.
Patriarchæ qui dicti Seculo ſexto, & illorum jura aucta. 1085, 1086
Patriarchæ Judæorum dignitas quæ Seculo IV. 952
Patriarchatus Judæorum ſublatus Seculo quinto. 1052
Patriarchales Eccleſiæ quatuor. 550, 551
Patres ſingulorum ſeculorum, vide Scriptores, Doctores.
Patrum Seculi ſecundi errores in doctrina unde? 677
Patrum quarti Seculi errores. 848
Patrum Auctoritas in rebus fidei qualis Seculo quarto? ibid.
Patrum vel Hiſtoricor. Scripta genuina à ſuppoſititiis diſcernendi criteria XIX. 485-506
Patripaſſiani Hæretici Seculo ſecundo. 647
Patriciatus jus & dignitatem ſumpſit Romanus Pontifex Sec. VIII. 1284
Pauli converſionis tempus. 534. *Ejus itinera quatuor Hieroſolymitana.* 535
Pauli martyrium. 565, 566
Paulinarum Epiſtolarum hiſtoria & dubia quædam. 545
Paulus Diaconus Scriptor Sec. VIII. 1322
—— *Oroſius Hiſt. Eccleſ. Scriptor.* 511
Paulus Thebæus Eremiticæ vitæ parens Seculo tertio. 802
Paulus Venetus Scriptor Sec. XIII. 1717
Pauli II. *Papæ hiſtoria.* 1826
Paulinus Scriptor Seculi quarti. 924
Paulinus Scriptor Sec. VIII. 1322
Pauperes de Lugduno qui dicti. 1595
Peccatum originale creditum Seculo quarto. 843
Pedum Chriſti veſtigia impreſſa in monte, fabula eſt. 939
Pedum oſculum admiſit primus Conſtantinus Papa Sec. VIII. 1275
Pelagii II. *Papæ Rom. Sec. ſexto ambitio.* 1091
Pelagianæ Hæreſeos Auctores, tempus, capita, loca, oppoſitiones, &c. 989-993
Pelagianæ Hæreſeos cur non meminerint Græci, nec Theodoretus. 982
Pentateuchi Auctor Moſes. 260—270. *&* 329—332
Pentateuchi Samaritani, Origo, Auctor, & Auctoritas. 431
Pentecoſtis feſtum apud Judæos. 74
Peregrini Philoſophi Hiſtoria. 694
Peregrinationum origo Seculo quarto. 865
Peregrinationes ad loca Sacra Sec. X. 1448
Pergamenum Regnum quomodo Teſtamento ad Romanos tranſierit? 474
Periodi in Chronol. quid? 115
Periodus Annorum Alexandreorum. 117
—— *Calippica quid?* ibid.
Periodo Calippica an uſi Judæi fuerint, & ex illa oſtenſum diverſum Chriſti Paſcha ultimum & Judæorum. 117, 118
Periodus Cyrillana. 121
—— *Damaſcena quæ?* 119
—— *Dionyſiana.* 121
—— *Juliana quid ſit, ejus origo, utilitas*, &c. 122, 123
Periodi Judaicæ variæ. 119
Periodus Judaica nova. 120
—— *Græca Romana nupera in Juliana locum ſubſtituta.* 125
—— *Metonica, & quænam hanc præceſſerint.* 116
Πεϱιοδδλαὶ *qui dicti?* 1087
Peripatetica Secta qualis? 444
Perſæ habuerunt olim annum ſolarem. 12. *ter mutata ejus forma.* 13
Perſarum res ſub Epocha octava. 431-435
Perſarum Reges à Cyro ad Alexandrum magnum cum Synchroniſmis. 189-196
Perſarum perſecutio in Chriſtianos Seculo quarto. 951
Perſæ an converſi ſub Choſroe Seculo ſexto? 1061
Perſici regni finis Sec. VII. 1252
Perſecutiones Eccleſiæ decem ſub Gentilibus, earum occaſio, modus, duratio.
—— *prima.* 561
—— *ſecunda.* 563
—— *tertia.* 654
—— *quarta.* 656
—— *quinta.* 658
—— *ſexta.* 759
—— *ſeptima.* 761
—— *octava.* 762
—— *nona.* 765
—— *decima.* 769, 810-821
Perſecutiones in Eccleſiam à Judæis Seculo primo. 559, 560
Perſecutionis in Eccleſiam Seculo primo & ſecundo cauſæ. 558, 652, 653
Perſecutorum pœna Seculo tertio. 800, 801
Perſecutio Eccleſiæ ab Arianis Sec. IV. 926-933
Perſecutorum pœna Seculo quarto. 944
Perſecutiones Eccleſiæ & Epiſcoporum Seculo quinto. 1035, 1039
Perſecutorum pœna Seculo quinto. 1044
Perſecutiones Eccleſiæ Sec. ſexto. 1143-1146
Perſica perſecutio Sec. quinto. 1038
Petrarcha Scriptor Sec. XIV. 1791, 1792. *ejus ſoror à Benedicto* XII. *Pontifice adamata.* 1746
Petri Hiſtoria, & de ejus Epiſcopatu Romano. 535, 536, 541
Petri martyrium. 566
Petrus quando ſcripſerit ſuas Epiſtolas, &c. 544
Petri & aliorum Apoſtolorum æqualitas credita Seculo quarto. 850
Petrus Amelii Scriptor Sec. XIV. 1796
Petrus Bleſenſis Scriptor Seculi XII. 1622
Petri Comeſtoris hiſtoria. 1618
Petrus de Alliaco Scriptor Sec. XIV. 1795. *& qualem Eccleſiæ Reformationem urſerit?* 1856, 1857
Petrus Gnapheus, vide in Gnapheus.
Petrus Johannes Olivus inter teſtes veritatis Sec. XIV. 1763
Phariſæorum Secta. 457
Phantaſiaſtæ Hæretici qui dicti Seculo ſexto? 1113

Digitized by Google

Philaſtrius Scriptor Seculi quarti. 924
Phileti Hæreſis qualis? 577
Philippi Pulchri cum Bonifacio VIII. litis hiſtoria. 1738
Philippi Imperatores an Chriſtiani fuerint? 701-704
Philippi Patris pœnitentia fabuloſa. 737
Philippi Pulchri oppoſitio qualis contra tyrannidem Bonifacii? 1738, 1755, 1756
Philoſtorgius Hiſt. Eccleſ. Scriptor. 511
Phocas quare titulum Oecumenici dederit Bonifacio III. 1193, 1194
Phœnicum Origines. 294
Phœnicum Coloniæ circa tempora Joſuæ. 340
Phœnicum res ſub Epocha quarta. 351
Phœnicum res ſub Epocha quinta. 370
Photii vitæ, factorum, Scriptorum, &c. brevis hiſtoria. 1410
Photianum Schiſma Sec. IX. fusè deſcriptum. 1388-1392. & Concilia ob illud habita. 1398-1403
Photini Hæreſis Seculo quarto. 889
Phrygiorum Origines. 312
Phrygum Idololatria quæ? 314
Phut filius Chami, quinam Populi ex ipſo oriundi? 290
Phthartolatræ qui dicti? 1113
Picus Comes Mirandulæ inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1860
Pii II. Papæ Retractationes, facta Antichriſtiana. 1824, 1825
Pii III. Papæ hiſtoria. 1888, 1889
Pilati ſævitia & vexationes Judæorum. 528
Pilati Acta apocrypha. An ad Tiberium de Chriſto retulerit, & quid? 560, 561, 582
Pipinus Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli dedit Rom. Pontifici. 1284
Pipinus an Romani Pontificis auctoritate Regnum Franciæ acceperit examinatur, contra Baronium, & Natalem Alexandrum. 1281
Piſana Academia erecta Sec. XIV. 1802
Piſanum Concilium Sec. XV. & hiſtoria. 1862
Piſanum Concilium Sec. XVI. 1894, 1895
Pixidis nauticæ inventio Seculo XIV. 1809
Placidi Benedictini Monachi Vita & Scripta ſuppoſititia. 1148
Platina inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1860
Platonica Secta qualis? 444
Plebis auctoritas in Eccleſiæ regimine Seculo tertio. 745
Plinius quando ſcripſerit Epiſtolam de Chriſtianis? 655
Pœnitentiæ vox quid apud Scriptores Sec. IV. 846
Pœnitentium receptio in Eccleſiam per quatuor Pœnitentiæ gradus, an fuerit in uſu Seculo III. 735
Pœnitentium ritus Seculis primis, vide Diſciplina Eccleſiaſtica.
Poggius Florentinus inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1858
Polonorum Ducatus quando & à quo mutatus in Regnum? 1502
Polonorum converſio Sec. X. 1423
Poloniæ Regnum quomodo tributarium factum Romanæ Sedi Sec. XI. 1520
Polycarpi martyrium Seculo ſecundo. 665
Polycarpi Epiſt. ad Philippenſes. 671, 672
Polytheiſmi origo. 294, 295
Pompeji M. hiſtoria. 477
Pompejus M. cur & quomodo Hieroſolymam obſederit? 464
Pontificatus apud Judæos ambulatorius inde ab Herode, uſque ad Excidium urbis. 528
Pontificum ſummorum apud Judæos, ſub Epocha octava, Catalogus. 426
Pontificiorum indignatio quandoque in Scriptores Sec. quarti undè? 857
Pontifices Romani, vide Romani Pontifices.
Pontius Scriptor Seculo tertio. 781
Porphyrii Chriſtianorum adverſarii maximi hiſtoria. 798
Portugallia in Regnum erecta Seculo XII. 1634
Poſtilla unde ſic dicta? 1415
Poſtillarum, Euangelii, Epiſtolarum, Legendarum origo Sec. IX. 1414, 1415
Pragenſis Academia erecta Sec. XIV. 1803
Praxeas Hæreticus Seculo ſecundo. 647
Prædeſtinatio quid de eo credita tertio Sec. 711
Prædeſtinationis controverſia Seculo nono. 1380--1384
Prædeſtinatorum Hæreſis ficta. 994
Prædicatorum Ordo, vide Dominicanorum.
Præmonſtratenſis Ordo natus Sec. XII. 1628
Præſcriptio Hæreticorum apud Tertullianum quid ſit? 706
Præſides Judææ inter nativitatem & mortem Chriſti. 527, 528
Preces ad Orientem fieri ſolitæ Sec. II. & quare? 628
Preces pro defunctis quales Seculo ſecundo? 615, 628. Seculo IV. 867
Precum apud Chriſtianos Seculo ſecundo, modus, ritus, materia. 617, 618
Precum ritus, &c. Seculo tertio. 728, 729
Precum publicarum tempora Seculo quarto. 855
Presbyteri Apoſtolicis temporibus an iidem qui Epiſcopi? 5
Presbyterorum munus & dignitas Seculo tertio. 739
Presbyteri Seculo quarto. 871
Presbyteria quid fuerint Seculo primo? 554
Presbyteri Johannis fabula, ſive Pretejanni Habeſſinorum regis. 1635, 1636
Primaſius Scriptor Seculi ſexti. 1140
Primates qui dicti Seculo quinto? 979, 980
Primogeniti Regis Francorum tituli origo. 961
Principia duo quomodo ſtatuerint Cerdon & alii Hæretici? 643, 644
Priſcilla & Maximilla Prophetiſſæ Montani Hæretici. 646
Priſcillianorum Hæreſis Seculo quarto. 891
Probationes per aquam & ferrum candens in uſu Sec. IX. 1354. Seculo X. 1449, 1450
Proceſſionum creſcens ſuperſtitio Seculo ſexto. 1075
Procopius Gazæus Scriptor Seculi ſexti. 1134
Procopius an Chriſtianus fuerit? 1166
Prodici Hæreſis Seculo tertio. 748
Prophetæ quinam fuerint apud Judæos tempore Regum, & Scripta Prophetica. 386, 387, 388
Propheticum donum quale fuerit Seculo primo. 554
Proſper Regenſis Aquitanicus Scriptor Seculi quinti. 1033. & Hiſtoricus Eccleſiaſticus. 511
Προτέκδικος qui dictus? 1087
Proterii martyrium Alexandriæ ab Eutychianis, Seculo quinto. 1020
Πρωτοσύγκελλοι qui dicti Sec. ſexto? 1086
Proverbiorum Salomonis liber. 368
Prudentius Trecenſis. 1407
Pruſſi per Equites Teutonici Ordinis ſubacti, & ad fidem Chriſtianam adducti Sec. XIII. 1645
Ptolemæorum Soteri, Philadelphi, Euergetis, Philopatoris, Epiphanis, Philometoris, Phyſconis hiſtoria. 435, 436
Ptolemæus Hæreticus Seculo ſecundo. 641, 642
Pſalmorum libri argumentum, & Auctores. 367
Pſeudo-Apoſtolorum Hæreſis qualis? 576
Pſeudo-Euangelia multa, Pſeudo-Acta, Pſeudo-Epiſtolæ, Pſeudo-Liturgiæ, Pſeudo-Apocalypſes. 580, 581
Pulcheriæ ſororis Theodoſii laus. 1034
Pulveris pyrii inventio Sec. XIV. 1809
Punica bella Romanorum tria. 442
Purgatorium ignotum Sec. II. 615
Purgatorium ignotum Seculo III. 713
Purgatorium ignotum Sec. IV. 850

Purgatorii doctrina introducta paulatim Seculo ſexto. 1142. *ſeptimo.* 1178
Purgatorii doctrina quomodo confirmata Seculo VIII. 1265
Purgatorii doctrina miraculis confirmata Seculo decimo. 1452
Purgatorii ignis commentum unde ortum? 973
Purim feſtum. 77
Pyrrhi Regis Epirotarum hiſtoria. 441
Pythica certamina quænam? 89

Q.

Quadrageſima vox quid Seculo quarto? 847
Quadrageſimæ jejunium quale Seculo quarto? 856
Quadrati Apologia oblata Hadriano. 672
Quini-ſextum Concilium Conſtantinopolitanum Sec. VII. *fuſe deſcriptum. An univerſale fuerit? Canones illius multi citati.* 1230-1234

R.

Rabanus Moguntinus refutator ſententiæ Paſchaſii de Euchariſtia. 1377. *Stercoraniſta.* 1405
Rabbini celebres Sec. XII. 1639
Rachiſis Longobardorum Rex Monachus factus Sec. VIII. 1327
Radbodi Regis Friſiorum factum Seculo octavo. 1257
Radulphus an fuerit Scriptor Sec. X. 1493
Rainaldus Baronii continuator, & de illo judicium. 515
Raimundus Lullus Scriptor Seculi XIII. 1718
Ratbertus, vide Paſchaſius.
Ratherius Scriptor Sec. X. 1493
Ratisbonenſis Synodus Sec. VIII. 1318, 1319
Ratramnus, vide Bertramus.
Ravennæ Exarchatus quando cœpit, & quas Provincias complexus ſit? 1160
Ravennatenſem Exarchatum cum Pentapoli dedit Pipinus Romano Pontifici. 1284
Ravennatenſi Epiſcopo Pallii uſus conceſſus Seculo quinto, & Baronius hic notatus. 1041
Ravennatenſis Synodi hiſtoria Sec. X. 1481
Referendarii qui dicti? 1087
Reformationis cœpta Seculo XVI. *hiſtoria.* 1902-1918
Regiæ dignitatis origo, & cauſa apud Iſraëlitas. 356
Regium jus apud Iſraëlitas quale? 357, 358
Regum jus circa Sacra quale apud Iſraëlitas? 358
Regum Juda & Iſraëlis à tempore Schiſmatis hiſtoria. 374-385
Regum Juda & Iſraëlis collatio & diſcrimen. 375
Reges Monachatum amplexi Sec. VII. 1249. *Seculo* VIII. 1280, 1327
Regnorum & Rerumpublicarum mutationes Sec. XI. 1566
Regiminis Eccleſiaſtici forma Seculo primo. 552-558
—— *Seculo ſecundo.* 631-637
—— *Seculo tertio.* 738-746
—— *Seculo quarto.* 870-882
—— *Seculo quinto.* 978-980
—— *Seculo ſexto.* 1084-1103
Regino Scriptor Sec. X. 1492, 1493
Reliquiarum ſuperſtitio, & quæ dicantur inventæ
—— *Seculo quinto.* 972, 973
—— *Seculo ſexto.* 1076
—— *Seculo ſeptimo.* 1178, 1186
—— *Seculo octavo.* 1266, 1267
—— *Seculo nono.* 1344, 1345-1413
—— *Seculo decimo.* 1442-1444
—— *Seculo undecimo.* 1514, 1518
—— *Seculo duodecimo.* 1579
—— *Seculo decimo quinto.* 1828, 1836
Remigii duo clari Sec. IX. 1409
Remigius Lugdunenſis Archi-Epiſcopus, defenſor doctrinæ Godeſchalci. 1382
Reuchlinus ſeu Capnio inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1859
Revelatio Stephani II. *Seculo* VIII. *ficta.* 1267, 1268
Rhemenſis Synodi defenſio contra Baronium. 1465
Rhotomagenſium Antiſtitum falſæ Origines. 1423
Richardi Regis Angliæ abdicatio. 1806, 1807
Ritus Chriſtianorum à Gentilibus mutuati. 851
Ritus, Ceremoniæ, Diſciplina Eccleſiæ, &c. Seculo primo. 55. *Seculo ſecundo.* 616-631
—— *Seculo tertio.* 715-718
—— *Seculo quarto.* 851-868
—— *Seculo quinto Superſtitionum increm.* 970-978
—— *Seculo ſexto.* 1080-1084
—— *Seculo ſeptimo.* 1178-1185
—— *Seculo octavo.* 1263-1272
—— *Seculo nono.* 1346-1347
—— *Seculo decimo.* 1437-1450
—— *Seculo undecimo.* 1517-1519
—— *Seculo duodecimo.* 1576-1582
—— *Seculo decimo tertio.* 1653, 1654
Roberti Groſſe-teſte Epiſcopi Lincolnienſis oppoſitiones contra Romanam tyrannidem Seculo XIII. 1684
Robertus de Sorbona Scriptor Sec. XIII. 1718
Roboam Regis Juda hiſtoria. 376
Rokizani hiſtoria. 1852-1855
Romæ initia qualia fuêre? 396
Romani Reges qui? 396, 409, 410
Romanorum res ſub Epocha octava. 441-443
—— *Eorundem res ad Æram Chriſti vulgarem.* 476-480
—— *Dii infiniti fuerunt.* 397
—— *Theologia qualis & quomodo Moſaicis inſtitutis congruerit?* 397
—— *Menſium laterculus & nomina.* 37, 38
—— *veteris anni deſcriptio.* 18
Romani juris Collectio Sec. VI. 1155
Romanæ Urbis Dominium non penes Pontifices Sec. VIII. 1289
—— *Eccleſiæ errorum, ſuperſtitionum, idololatriæ incrementa,*
—— *Seculo ſexto.* 1072-1080
—— *Seculo ſeptimo.* 1177-1185
—— *Seculo octavo.* 1263-1278
—— *Seculo nono.* 1343-1347
—— *Seculo decimo.* 1438-1453
—— *Seculo undecimo.* 1515-1519
—— *Seculo duodecimo.* 1576-1582
—— *Seculo decimo tertio.* 1661-1667
—— *Seculo decimo quinto.* 1830-1837
—— *Seculo decimo ſexto.* 1887-1888
Romanæ Synodi plures Seculo tertio. 791
Romanum Concilium ſub Gelaſio Seculo quinto, quid in eo actum? Non ſub Damaſo habitum. 1018
Romani Imperii Occidentalis finis Seculo quinto. 1045
Regna ex illius caſu orta. 1046
Romanorum Epiſcoporum in ordine ad Monachatum Eccleſiaſt. hiſtoria.

Seculo Secundo.

—— *Papatus nullus ſeu Oecumenicus Pontificatus.* 634
—— *Victoris uſurpata poteſtas.* 683

Seculo Tertio.

—— *Eorum auctoritas & dignitas qualis fuit hoc Seculo?* 743, 744
—— *Quale eorum jus in convocandis Conciliis?* 786

Se-

SECULO QUARTO.

—— *Hoc adhuc Seculo creditam Æqualitatem omnimodam Petri & Pauli.* 850
—— *Epiſcopis Romanis æquati quoad ἐξουσίαν & alii Metropolitani.* 850
—— *Eorum creſcens ambitio undè nata?* 874

SECULO QUINTO.

—— *Ejus Infallibilitas & Auctoritas in Eccleſias univerſas non credita hoc Seculo.* 966
—— *Subjectio ſub Principibus etiam in rebus Eccleſiaſticis.* 982
—— *Creſcens Rom. Epiſc. ambitio.* 982-988
—— *Appellationum jura prætenſa, negantibus Afris.* 983, &c.
—— *Subſcribit Synodo Carthaginenſi* VI. *loco non primo ſed tertio, Fauſtinus legatus R. E.* 985
—— *Ejus Vicarii quinam Epiſcopi primum audierunt in Occidente.* 986. *Eorum Auctoritas qualis?* 987
—— *Uſurpationes Paparum & attentata in Oriente.* 987, 988

SECULO SEXTO.

Romani Pontificis Seculo ſexto creſcens ambitio, exemplis confirmata. 1089, 1090, 1091
—— *Poteſtas uſurpata mittendi pallium Archiepiſcopale, & quale hoc fuerit?* 1091, 1092
—— *Certamina cum Conſtant. Epiſcopo de primatu.* 1087
—— *In favorem & fulcimentum Monarchiæ Pontificiæ, quænam facta vel dicta, &c. hoc Seculo trahat Baronius.* 1093-1096
—— *Ejus poteſtatis Seculo ſexto diſcrimen maximum, ab occupatâ deinceps poteſtate & tyrannide, oſtenſum in multis.* 1097-1103
—— *Hoc Seculo ut Legati miſſi ad Cæſares; ex quo refellitur eorum Monarchatus.* 1097
—— *Eorum tituli hoc Seculo quales?* 1098
—— *Synodorum convocatio non per Papas, ſed per Imperatores, Reges.* 1098, 1099
—— *A quibus hoc Seculo electi?* 1099
—— *Eorum ſubjectio in ordine ad Imperatores.* ibid.
—— *Eorum jura multa ignota.* 1100, 1101
—— *Temporale imperium nullum in Papis.* 1101
—— *Non convocavit Rom. Epiſc. Conc. Conſtantinop.* II. *ſed Juſtinianus.* 1124

SECULO SEPTIMO.

—— *Singuli Papæ novas ſuperſtitiones addiderunt. Seculo* VII. 1186-1191
—— *Papalis tyrannidis incrementum unde, & in quibus?* 197
—— *Oecumenici titulum à Phoca hoc Seculo Bonifacius tertius accepit & quare?* 1193, 1194
—— *Eorum ars Reges deponendi.* 1198
—— *Papalis Antichriſtianiſmi initia hoc Seculo inde à Bonifacio tertio.* 1191-1199
—— *Paparum ſubmiſſiones factæ Imperatoribus.* 1200.
—— *Eorum uſurpationibus quomodo reluctatus ſit totus Oriens & Eccleſiæ multæ Occidentales.* 1199-1206
—— *Non convocavit Pontifex hoc Seculo Concilia Nationalia; minus Oecumen.* VI. 1201, 1225
—— *Remiſſio juris Imperatorum, circa Electionem Pontificis.* 1248

SECULO OCTAVO.

—— *Papæ poteſtas ſpiritualis & temporalis aſſerta & in arce collocata.* 1264
—— *Dignitates Eccleſiaſticas auxit.* 1272
—— *Ejus in Eccleſia dominationis & ſuperbiæ ſpecimina.* 1272-1287
—— *Ejus temporalis principatus initia hoc Seculo.* 1274, 1284, 1285
—— *Ipſi non omnes Epiſcopi obnoxii fuerunt.* 1288
—— *Ipſi cum Epiſcopis reliquis communia Epitheta, nomina*, &c. 1288
—— *Papæ hujus Seculi ſubjecti Regibus.* 1289
—— *Non penes illos Romanæ urbis Dominium.* ibid.
—— *Leges Eccleſiaſticæ non à Papis ſed ab Imperatoribus latæ.* 1290
—— *Ab Imperatoribus confirmari debebant Romani Ep.* 1291

SECULO NONO.

—— *Antichriſtianæ dominationis, uſurpationum, & moliminum exempla. Superſtitionum exempla, ſed etiam diſcrimina à ſecutura Ætate.* 1347-1363
—— *In adeundo Pontificatu Imperatoris aſſenſum requiſitum, ex hiſtoria multorum Pontificum oſtenditur Cap.* VII.
—— *Juſſu Imperatorum non Papæ multæ indictæ Synodi; quin etiam Romana.* 1394
—— *An hoc Seculo nomen mutare cœperint creati Pontifices.* 1415
—— *Hoc Sec. ipſis conceſſum jus eligendi Imperatorem, & remiſſa jura Imperatorum.* 1415

SECULO DECIMO.

Papalis Antichriſtianiſmi Characteres toto hoc Seculo, item brevis ſingulorum Paparum hiſtoria. 1428, 1437
—— *Cauſa corruptionis hujus Seculi, & peſſimorum Paparum, conficta à Baronio & Genebrardo*, &c. 1429. *Vera ejus cauſa.* 1431
—— *Papalis tyrannidis coercitio per Imperatores hoc Seculo.* 1453-1461
—— *Synodos convocare, & moderari non ſolum penes Pontifices, ſed & reges & Imperatores fuit Sec. decimo.* 1483

SECULO UNDECIMO.

—— *Paparum hujus Sec. deſcriptio quoad mores, corruptionem, tyrannidem*, &c. 1515-1532
—— *Tres Papæ ſimul ſeu Eccl. Rom. triceps.* 1516

SECULO DUODECIMO.

—— *Paparum corruptio quoad doctrinam, ſuperſtitiones, factiones*, &c. 1576-1579
—— *Eorum Antichriſtianæ tyrannidis luculenta exempla.* 1582-1591

SECULO DECIMO TERTIO.

—— *Antichriſtianæ tyrannidis exempla, & deſcriptio morum, in ſingulis Papis.* 1642-1644, 1667, 1680
—— *Eorum intentio & ſcopus in ſuadendis Expeditionibus in Terram Sanctam.* 1651
—— *Eorum electio à ſolis Cardinalibus hoc Seculo conſtituta à Gregorio X.* 1709

SECULO DECIMO QUARTO.

—— *Antichriſtianæ tyrannidis exempla.* 1737-1750
—— *Schiſma totis annis 50. in Romana Sede.* 1750-1756

SECULO DECIMO QUINTO, & XVI.

—— *Schiſma rurſum in Romana Sede.* 1817-1823
—— *Antichriſtianæ tyrannidis luculenta exempla.* 1817-1850
—— *Papam eſſe ſupra Concilium, hoc primum Seculo propugnatum fuit Romæ.* 1830
—— *Sed Concilium eſſe ſupra Papam, ſtatuit Concilium Conſtantienſe, & oſtendit in depoſitione Johannis* XXIII. 1863, 1864, 1865
—— *Paparum & eorum Antichriſtianiſmi deſcriptio.* 1888-1894

Roſarium Beatæ Virginis, & Pſalterium à quo inſtitutum? 1664
Roſwitha virgo monialis inter Scriptores Sec. X. 1495
Rudolphus Agricola inter Teſtes veritatis Seculo XV. 1859
Ruffinus Aquilejenſis Presbyter Seculo quinto. 1032
Ruffinus qualis Hiſt. Eccleſ. Scriptor? 510
Ruffini Præf. Prat. affectata tyrannis. 955
Rupertus Tuitienſis Scriptor Seculi duodecimi. 1621
Ruſſi an converſi Sec. nono? 1336
Ruſſorum nova converſio Seculo decimo. 1423, 1424
Ruſſorum Patriarcha quando αὐτοκέφαλος *factus?* 1425

S.

Saadiæ Rabbi Vita & Scripta. 1508
Sabaudiæ Comitatus origo quando? 1506
Sabbatum Judæorum, ratio inſtitutionis, ejus prærogativa, & dubia hiſtorica circa illud. 71
Sabbati dies quomodo adhuc obſervatus à Chriſtianis Seculo ſecundo? 616
Sabbati renovatio & ſanctio in Deſerto. 323
Sabbatici anni apud Judæos deſcriptio. 82, 83
Sabellii Hæreſis Seculo tertio. 748
Sabiorum Origines vel Zabæorum. 293
Sabianus Pontifex Seculo ſeptimo qualium ſuperſtitionum auctor? 1186
Sacramenti vox quàm latæ ſignificationis, apud Scriptores Seculo quarto. 846
Sacrificati qui dicti? 732
Sacrificium quomodo Euchariſtia dicta Seculo IV. 847
Sacrificia à Deo inſtituta. 275
Sacrum bellum, vide Bellum.
Sadducæorum ſecta. 459, 460
Sagidarum (Lagidarum) Æra, quæ & duratio ejus. 197
Said Scriptor Seculi decimi. 1491
Σακελλάριος ὁ μέγας *qui dictus?* 1086
Sal-mi-ſationis vel Scalæ Muſicæ origo Sec. XI. 1566
Salomonis hiſtoria. 361
—— *Ad Idololatriam defectionis circumſtantiæ & pœnitentia.* 369
—— *Templi hiſtoria & deſcriptio.* 362, 363, 364
—— *Structura ejuſdem varia.* 365
—— *Libri genuini & ſuppoſititii.* 368
Salvianus Scriptor Seculi quinti. 1034
Samaritaniſmi origo. 390
Samaritanorum ad Ethniciſmum ſub Antiocho Epiphane defectionis hiſtoria. 452
Samaritanorum in Judæos odia & fabulæ. 430
Samaritanorum Sectæ quatuor. 431
Samoſateni Hæreſis Seculo tertio. 748
Samuel Propheta & Judex. 356
Samuelis Librorum argumentum. 367
Sanchoniatôn qualis Scriptor? 370
Sanctorum invocationis præludia Seculo quarto. 865
Sanctorum invocatio & cultus qualis, Seculo quinto? 971
Sanctorum cultus creſcens Sec. VI. & VII. 1074, 1186
—— *Honor creſcens adhuc Seculo octavo.* 1267
—— *Cultus ſuperſtitioſiſſimi Sec.* X. *hiſtoria.* 1446
Sancti qui habiti Seculis X. XI. XII. &c. 1553
Sanctorum Canoniſatio, vide Canoniſatio.
Santgallenſis Abbatia fundata Seculo ſeptimo. 1246
Santg. Monaſterii origo. 1175
Sangallenſis Monachi fabula de duobus Scotis ſub Carolo M. ſtudia literarum inſtaurantibus. 1328, 1329
Santjago Ordinis origo. 1650
Sapientes Græciæ ſeptem qui fuerunt? 409
Saracenorum progreſſus ſtupendi Seculo VII. 1252
Saracenorum irruptiones in Hiſpaniam Sec. VIII. 1315
Eorum ſchiſmata & diſtractiones eodem Seculo. ibid.
—— *Creſcens potentia Seculo nono.* 1334
—— *Invaſiones Sec.* IX. 1411, 1412
—— *Progreſſus in Hiſpania Sec.* XIII. 1727
—— *Imperii in Hiſpania finis Sec.* XV. 1884
Sardicenſis Canon quartus de Appellationibus ad Romanum Pontificem explicatur. 874
—— *Concilium Seculo quarto.* 910
—— *Synodus Ariana Seculo quarto.* 915
Sarugi tempore an Idololatria primum nata? 291
Satisfacere quid apud Scriptores Seculo quarto? 845
Satisfactio Chriſti credita Seculo ſecundo. 611. *Seculo tertio.* 709. *Seculo quarto,* &c. 843
Saturninus Hæreticus Seculo ſecundo. 637
Saulis Regis Iſraëlitici hiſtoria. 357, 359
Savonarolæ hiſtoria & martyrium. 1839, 1840
Saxonum antiquorum anni quales? 31
Saxonum plenior converſio Seculo nono. 1335
Schebath Menſis V. *Hebræorum deſcriptio, & notabilia in eo; Quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 53, 54
Schiſmatis Orientalis inter & Romanam Eccleſiam Sec. VII. *primordia, cauſæ,* &c. 1236-1239
—— *Seculo* VIII. 1294, 1295
—— *Seculo* IX. 1384-1394
—— *Seculo* X. 1488-1489
—— *Seculo* XI. 1544-1547
—— *Seculo* XII. 1612-1616
—— *Seculo* XIII. 1686-1693
—— *Seculo* XIV. 1785-1788
—— *Seculo* XV. 1872-1876
Schiſma Novatianum. 754-756
—— *In Eccleſia ob diem Paſchalem.* 683, 684
—— *Inter Stephanum Rom. Epiſc. & Cyprianum Carth. Epiſc. cum aliis Orientalibus.* 756, 757, 788
—— *Origenianum.* 754
—— *Johannitarum.* 579
Schiſmata in Eccleſia Seculo ſecundo. 683-685
—— *Seculo tertio.* 753-758
—— *Seculo quarto.* 892, 893
Schiſmata in Romana Eccleſia, vide Rom. Eccl.
Quale Sec. XIII. 1750-1756
—— *Sec.* XIV. 1817-1823
Scholæ Judæorum celebres Seculo ſecundo. 687
—— *Judæorum Seculo tertio.* 793
—— *à Chriſtianis Seculo ſecundo erectæ, præcipuè Alexandrina.* 604
—— *Chriſtianorum quæ erectæ Seculo quarto?* 837
—— *Florentes & novæ erectæ Seculo quinto.* 962-964
—— *Adhuc in monaſteriis Seculo nono.* 1414
Schola & Academia erecta Sec. IX. 1340-1342
—— *Multa erecta per Carolum Magnum.* 1262

Scho-

Digitized by Google

Schola, vide etiam Academia.
Scholaſtici qui dicti Seculo quinto? 964
Scholaſtici qui dicti primis & poſterioribus Seculis? 1617, 1618
Scholaſtica Theologia origo, & ratio, & incrementum.
—— *Seculo* XII. 1616-1620
—— *Seculo* XIII. 1710-1712
—— *Seculo* XIV. 1797-1801
Scotia an ad Chriſti notitiam venerit Seculo tertio? 699
Scotia plena converſio ad Chriſtianiſmum Seculo quinto. 959
Scribæ qui fuerint? 458
Scriptores illuſtriores ſingulis Seculis, vide Doctores.
Scripturæ Canon & ſufficientia credita Seculo ſecundo. 606. *Seculo tertio.* 706
—— *Scripturæ auctoritas & ſufficientia,* &c. *aſſerta Seculo quarto.* 842, 849
—— *Canon qualis Seculo quarto?* 841, 849
—— *Auctoritas, perfectio, ſufficientia,* &c. *aſſerta Seculo quinto.* 965
Script. Sacræ Verſiones multæ factæ Sec. ſecundo. 650, 652
Script. S. Lectio quomodo facta Sec. IV. 854
Scytharum origo. 294
Secta Judæorum variæ. 455, 456
—— *Philoſophorum Græcorum variæ.* 443, 444
Seculares Ludi Romanorum quinam? 90
Secundus Hæreticus Seculo ſecundo. 641, 642
Sedulius junior Scriptor Seculi noni. 1403
Sebadia Rabbi Vita & Scripta. 1508
Seleucidarum Æra quæ, & duratio ejus. 197
Seleuciense Concilium Seculo quarto. 917
Semi hiſtoria. 290
Sem filius Noachi, quinam Populi ex ipſo oriundi? 289
Seminis benedicti promiſſio in Paradiſo. 274
Semiariani qui, &c. 888
Semipelagianorum Hæreſis. 993-995
Semiramis quo tempore vixit? Duæ Semiramides. 293, 350
Senecæ Epiſtolæ ad Paulum & Pauli ad Senecam apocrypha. 582, 583
Senenſis Synodus deſcripta, Sec. XV. 1867
Septimanæ dies quomodo appellati Gentilibus, & Chriſtianis primis? 64, 65
Septimanæ LXX. *ubi finiunt?* 190, 191, 192
Septimanarum origo & uſus etiam apud Gentiles. 62, 63
Septimanarum genus duplex. 65
Septuaginta Annorum Captivitatis Babyl. Calculus Chronologicus. 242, 398-400
Septuaginta ſeptimanarum Danielis varia ſupputatio. 416-420
Septuaginta-viralis Verſionis, qualis traditur, hiſtoria. 424, 425
Sepulturæ loca Seculo tertio. 727. *Seculo* VI. 1081
Sergius primus Papa qualium ſuperſtitionum auctor? 1190
Sergii ſecundi Pontificis hiſtoria. 1355
Sergii tertii Papæ hiſtoria. 1431
Servatus Lupus Scriptor Sec. IX. 1406
Servitarum Ordo quando natus? 1698
Seſaci Regis Ægyptiorum expeditio in Hieroſolymam, & quis fuerit? 376
Seſoſtris quis? 309
Sethi hiſtoria. 277
Sethi Columnæ duæ, figmentum. 275, 277
Sethiani vel Sethitæ Hæretici Seculo ſecundo. 642
Severus Hæreticus Seculo ſecundo. 645
Severi Imperatoris favor in Judæos. 792
Severinus vel Zephirinus Papa qualium ſuperſtitionum prædicatur auctor? 1187
Severitarum Hæreſis Sec. VI. 1110
Siciliæ Comitatus in Regnum converſus Sec. XI. 1567
Siculæ Veſperæ hiſtoria. 1725
Sicyoniorum Origines. 294
Sidonius Apollinaris Scriptor Seculi quinti. 1033
Sidonienſis Pſeudo-Synodus Seculo ſexto. 1129, 1130
Sigiſmundi Burgundionum Regis converſio ex Arianiſmo, Seculo ſexto. 1062
Simeon vulgò Metaphraſtes de eo judicium, & an Scriptor Sec. X. 1490
Simonis Magi Hæreſis, dogmata, & quomodo Hæreſium parens? 574, 575
Simonis Juſti hiſtoria. 426, 427
Simonis ſecundi factum animoſum circa Ptolomæum Philopatorem. 427
Simeonis Cleopæ Martyrium Seculo ſecundo. 663
Simonia ſevere interdicta Seculo ſexto. 1081
Sinenſium anni quales? 31, 32
—— *Cyclus ſexagenus quid ſit?* 32
—— *Fabulæ de mundi antiquitate.* 146
—— *Jam olim converſionis ad fidem fabula.* 31, 32
—— *Imperium à Tartaris ſubactum.* 1727
Sinenſes jugum Tartaricum excutiunt Sec. XIV. 1812, 1813
Sinueſſenſe Concilium commentitium Seculo IV. 907
Sirmienſes Synodi Orthodoxa & Ariana Seculo quarto. 911, 915
Sivan Menſis IX. *Hebræorum deſcriptio, & notabilia in eo, & quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 58, 59
Sixti IV. *Papæ hiſtoria.* 1826, 1827
Σκευοφύλαξ *qui dictus?* 1087
Slavonicæ gentes an converſæ Seculo IX. 1336
Smaragdus Scriptor Sec. IX. 1408
Socrates Scriptor Eccleſiaſticus Seculi quinti. 510, 1030, 1031
Socratica Secta quæ? 443
Solaris annus quis ſit? 5
Solſtitio brumali, aut æſtivo, an mundus conditus ſit? 1, 2
Solſtitium æſtivum, apud Athenienſes variè fixum. 16
Solſtitia & Æquinoctia quomodo characteres temporum? Obſervationes de iis neceſſariæ. 132
Sophronius Scriptor Sec. VII. 1239
Sorbona Pariſienſis origo. 1718
Sozomenus Hiſt. Eccleſ. Scriptor. 510
Spectaculis intereſſe cur vetitum Chriſtianis? 630
Spiritus Sancti proceſſus à Patre Filioque controverſia Sec. VIII. 1312
Spondanus Baronii Epitomator & Continuator, & de illo judicium. 515
Stephani Protomartyris corporis inventio fabuloſa. 1043
—— *Revelatio Seculo* VIII. *ficta.* 1267, 1268
Steph. Rom. Epiſc. diſſidium cum Cypriano, & Schiſma hinc natum. 756, 788
—— *Ungarorum Regis hiſtoria.* 1511, 1512
Stephanus III. *R. P. quomodo ſe extulerit ſupra Reges?* 1284. *& ejus Epiſtola quædam.* 1285
Stephani IV. *R. Pontif. facta crudelia & ſuperba.* 1285
—— V. *uſurpatio Pontificatus.* 1352
—— V. *vel* VI. *Pontificis hiſtoria.* 1361, 1362
—— *Hungarorum Regis converſio qualis decimo Seculo?* 1426
Stercoraniſtarum nomen unde Sec. IX. 1376
Sternutantium benedictio unde orta? 1158
Stiliconis affectata tyrannis. 956
Stoica Secta qualis? 445
Stylitarum ſuperſtitio Seculo ſexto. 1154
Subdiaconorum munus Seculo tertio. 741. *Seculo* IV. 869
Σύγκελλοι *qui dicti Seculo ſexto?* 1086
Sueſſionienſis Synodus Seculo VIII. 1318
Suevorum converſio Sec. IX. 1335

Sulpitius Severus Hiſt. Eccleſ. Scriptor. 511
Superſtitiones, vide Doctrina Eccleſiæ & Ritus.
Suſanna martyrium fabuloſum ſub Diocletiano. 770
Sybillinos libros conſulendi mos apud Romanos. 797
Sylveſtro Papæ donationes Conſtantini M. fabuloſæ. 940
Sylveſtri II. *Pontif. hiſtoria.* 1435, 1509, 1519
Symboli Apoſtolici origo. 538, 539
Symbola fidei varia Seculo tertio. 705
Symbola fidei quædam celebriora Seculo quarto. 840, 841
Symeonis Stylitæ vita & miracula à Theodoreto deſcripta. 975, 976
Symmachi Verſio. 651
Symmachi Papæ & Laurentii Anti-Papæ turbæ & ſchiſmata. Quænam acta in cauſa illorum, Seculo ſexto? 1055, 1056
Symmachi Papæ Rom. Sec. ſexto ambitio. 1084
Synagoga Magna tempore Ezræ, vide Synedrium.
Syncellus Scriptor Sec. VIII. 1320
Synedrium Magnum LXX. *virorum, an fuerit tempore Judicum & Regum?* 346, 347
Synedrium Magnum tempore Eſræ.
Syneſius Ptolemaidis in Cyrenaica Epiſcopus Scriptor Seculi quinti. De eo judicium. 1028
Synodi, vide Concilia.
Syriaca Verſio N. T. Seculo ſecundo facta. 650
Syriæ poſt Antiochum Epiphanem Reges. 471
Syrorum res ſub Epocha quinta. 370
—— *Reges ſub Epocha ſexta.* 392
—— *Reges ſub Epocha octava.* 438, 439

T.

Tabernaculorum feſtum apud Judæos, & rationes inſtitutionis. 76. *Feſti hujus abſurda collatio cum Bacchanalibus apud Plutarchum.* 76
Talaia, vide Johannes Talaia.
Talmud Hieroſolymitanum perfectum Seculo tertio. 793
Tamerlanis hiſtoria, & bellum cum Bajazethe. 1735, 1736, 1812
Tamus Menſis X. *Hebræorum, deſcriptio, & notabilia in eo. Quinam menſes aliarum gentium illi reſpondeant?* 60
Targum Hieroſolymitanum quando ſcriptum? 793
Tartari an converſi Sec. XIII. 1645
Tatianus Hæreticus Seculo ſecundo. 646
Taulerus Scriptor Sec. XIV. 1793
Tekuphæ apud Judæos quid ſint? 33
Templi Salomonici deſcriptio & hiſtoria. 362, 363, 364
Templi Hieroſolymitani inſtaurationis ſub Dario Hyſtaſpis hiſtoria. 411, 413, 414
—— *Hieroſolymitani per Herodem Magnum inſtauratio.* 468, 469
—— *Hieroſolymitani extructio fruſtra tentata Seculo quarto.* 945
Templi Oniæ hiſtoria? 453
—— *Garizimitici origo & finis.* 429, 455
Templa an Chriſtiani habuerint Seculo tertio? 717, 718, 794
Templorum Seculo quarto ſtructio, dedicatio, conſecratio ſoli Deo, forma eorundem, &c. 836, 852, 853
Templa celebriora Gentilium adhuc manentia, poſt Converſionem orbis ad Chriſtianiſmum. 838
—— *Gentilium omnia cur non deſtruxerit, ſed mutaverit in Templa Chriſtianorum, Conſtantinus M.* 833
Templariorum Ordo natus Sec. XII. 1629. *deletus Sec.* XIV. 1776—1783. *Synodi contra illos habiti.* 1773
Temporis diſtributio varia. 4
Temporis duratio varia ſecundum Chronologos ſequentes calculum Hebraicum; Cauſæ hujus diſcrepantiæ. 159-161
Temir, vide Tamerlanes.
Tertulliani Scripta. 675
Tertulliani Schiſma Seculo tertio. 753
Teſtes veritatis in ſpecie contra Rom. Eccleſiæ errores, ſuperſtitiones & tyrannidem Papalem.
—— *Seculo ſeptimo.* 1199-1206
—— *Seculo octavo.* 1244-1302, 1320-1322
—— *Seculo nono.* 1368-1374
—— *Seculo decimo.* 1462-1473
Præcipue contra Tranſſubſtantiationis dogma. 1474, 1480
—— *Seculo undecimo.* 1535-1539
—— *Seculo duodecimo.* 1591-1595
—— *Seculo decimo tertio.* 1680-1686
—— *Seculo decimo quarto.* 1757-1765
—— *Seculo decimo quinto.* 1856-1861
—— *Seculo decimo ſexto.* 1902-1905
Teutonicorum Ordo natus Sec. XII. 1630
Thaboritæ qui dicti in motibus Bohemicis? 1851
Thalmudici operis initia Seculo ſecundo. 687
Thalmudici operis conſummatio Sec. VI. *ineunte.* 1052
Thebææ legionis decimatæ fabula. 770
Thebeth Menſis IV. *Hebræorum, deſcriptio, & notabilia in eo. Quinam menſes aliarum Gentium illi reſpondeant?* 53
Theclæ virginis martyrium fabuloſum. 566, 567
Theobaldi expeditio in Terram Sanctam Seculo XIII. 1649
Theodatus Pontifex qualium ſuperſtitionum auctor? 1187
Theodomiri Suevorum Regis converſio ex Arianiſmo Seculo ſexto. 1062, 1063
Theodorus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor Seculo ſexto. 511, 1134
—— *Balſamon Scriptor Seculi* XII. 1625
—— *Metochita Scriptor Seculi* XIV. 1789
Theodori Monachi & Legati Pontificii; in Anglia facta Capitula. 1182, 1183
Theodorus Studita Scriptor Sec. IX. 1409
Theodoretus Hiſt. Eccleſ. Scriptor. 510
—— *De eo judicium, & de erroribus ejus hiſtoricis.* 1029, 1030
—— *cum non meminerit ut Pelagianæ Hereſeos.* 989
Theodorici Regis hiſtoria. 1058
—— *Perſecutio Eccleſiæ per eundem, qualis Sec.* VI. 1143
Theodoricus à Niem inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1858
Theodoſii Magni de Eugenio tyranno victoria. 945, 946
—— *Subita placatio erga Antiochenos.* 948
—— *Reconciliatio cum Eccleſia.* 863
—— *Pœnitentia ob cladem Theſſalonicenſium, & lex ejus de pœnis ea occaſione lata.* 946, 947
Theodoſii lex pro auctoritate Romani Pontificis, allegata à Pontificiis, explicatur. 875
Theodoſiani Codicis compoſitio; quibus Codicibus antea uſi? leges in eo Eccleſiaſticæ. A quibus populis receptus & uſus? &c. 1040
Theodotionis Verſio. 651
Theodotus Hæreticus Sec. II. 647
Theodulus Monachus Scriptor Sec. XIV. 1790
Theodulphus Scriptor Sec. IX. 1403
Theologia Græcorum origo & progreſſus. 395, 443, 444
Theologia Romanorum qualis, & quomodo Moſaicis inſtitutis congruerit? 397
Theophilus Alexandrinus Scriptor Seculi quinti. 1028
Theophili Antiocheni Scripta. 674
Theophylacti Patriarchæ Conſtantinopolitani Sec. X. *hiſtoria.* 1438

Theo-

Theophylactus Bulgarorum Archiepiſcopus, *Scriptor Sec.* XI. 1551
—— *Simocattus Hiſt. Eccleſ. Scriptor.* 512
Theopaſchitarum Secta quæ Seculo quinto? 1003
Thiſri Menſis deſcriptio & notabilia in eo. Quinam Menſes aliarum Gentium illi reſpondeant? 47-50
Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi hiſtoria. 1589, 1632, 1633
Thomæ Aquinatis hiſtoria. 1711
—— *Herfordienſis Epiſcopi Canoniſatio.* 1744
Thraciæ Regnum quomodo Teſtamento ad Romanos transierit? 474
Thucydides quando vixit. 440
Thurificati qui dicti? 732
Thuringorum factum Seculo octavo. 1258
Tiberii deliberatio de Chriſto in Deorum numerum conſecrando. 560, 561
Tiberiade Schola Judæorum celebris fuit, *& Synedrium Seculo ſecundo.* 687
Timothei Æluri Eutychiani Epiſcopi hiſtoria. 1021
Tiras filius Japhet, *quinam Populi ex ipſo oriundi?* 289
Tobiæ Hiſtoria apocrypha. 405
Toletani Primatus origo. 1201
Tonſura Clericalis in modum Coronæ quid ſignificet? 1180
Tonſura Clericorum Sec. VI. 1081
—— *Clericorum qualis Sec.* VII. 1247
Tonſura Petri & Pauli differentia ſecundum Monachos. 1179, 1247
—— *Clericalis modus controverſus inter Britannos Sec.* VII. 1180
Τοποτηρηταὶ *qui dicti Seculo quinto?* 981
Traditiones quomodo admiſerit Auguſtinus? 965
Traditiones non admiſſæ in rebus Fidei
—— *Seculo ſecundo.* 614
—— *Seculo tertio.* 706
—— *Seculo quarto.* 849
—— *Seculo quinto.* 965
Traditionum vox quid Patribus Seculo IV. 847
Trajani memorabilia quædam. 690
Tranſſubſtantiationi non faviſſe Nicænos Seculo VIII. 1312
Tranſſubſtantiationis dogma cur Græci ab eo alieni non accuſaverint Sec. X. &c. 1480
Tranſſubſtantiationis vel Præſentiæ Corporalis adverſarii Seculo IX. X. 1376, 1377, 1378, 1473-1480
Tranſſubſtantiatio, *vide Euchariſtia.*
Trapezuntini Imperii finis, *Sec.* XV. 1880
Triboniani, *Collectoris Juris Romani*, *deſcriptio.* 1155
Tridentini Concilii nullitates, *teſtibus authenticis*, *Sec.* XVI. 1898-1902
Trigeſima pro defunctis origo. 1153
Trinitatis dogma creditum Seculo ſecundo. 607. *Seculo tertio.* 706. *Sec. quarto*, &c. 842
Trinitatis una Perſona an crucifixa eſſet, *controverſia Seculo ſexto.* 1115
S. Trinitatem Eccleſiæ Catholicæ fidem fuiſſe ante Arium, *multis argumentis probatur.* 842
Triſagio Eccleſiæ Veteris hymno quid addere voluerit Petrus Gnapheus Seculo quinto, *& motus inde orti.* 1003, 1022
Tritheitæ qui dicti? 1112
Trithemius inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1860
Trojani excidii Æra quæ? 73
Trojani belli hiſtoria. 351
Tropicus annus quis ſit? 5
Trullanum Concilium Seculo ſeptimo fuſe deſcriptum, *& an univerſale fuerit*, *& Canones illius multi notatu digni.* 1230-1234
Tubal filius Japhet, *quinam Populi ex ipſo oriundi?* 289
Turcarum origo. 1252, 1316
Turcicæ Origines & Imperii Turcici fundamenta Sec. X. 1506. *Sec.* XI. 1563. *Sec.* XIII. 1731, 1733-1736
Typographicæ artis inventio Sec. XV. 1883
Tyrus quando condita? 351
Tyriorum res ſub Epocha ſexta. 392
Tyria Synodus Ariana Seculo quarto. 213

V.

Valdus, *vide Waldus.*
Valdenſes à Pontifice Romano independentes Sec. VII. 1202
Valdenſes Evangelicæ ſimplicitatis teſtes Seculo X.
Valdenſium nomina origo, *doctrina*, *perſecutiones*, &c.
—— *Seculo* XII. 1595-1600
—— *Seculo* XIII. 1652-1657
—— *Seculo* XIV. 1765-1772
Valens Imperator fautor Arianæ hæreſeos. 885. *ejus mors.* 933
Valentis perſecutio in Orthodoxos. 932
Valentinus Hæreticus Seculo ſecundo. 639, 640
Valentinus Imper. ſucceſſor Joviani. 932
Valentini Pontificis hiſtoria. 1354
Valentiniani III. *Imper. conſtitutio circa ſubjectionem Epiſcoporum Occidentis Romano Pontifici*, *& animadverſiones ad eam.* 987
Valla, *vide Laurentius Valla.*
Vallumbroſæ Ordinis Monachalis origo Sec. XI. 1558
Vandali, *vide Wandali.*
Varronis encomium. 477
Vaudeſiorum hiſtoria, *vide Valdenſes.*
Veccus Scriptor Sec. XIII. 1713
Velleris aurei Ordo inſtitutus Sec. XV. 1881
Venetorum Reipublicæ natales Seculo quinto. 1048
Verſionis ſeptuaginta-viralis hiſtoria. 424, 425
Verſiones Scripturæ factæ Sec. II. 650, 651
Veſpera apud Judæos varia. 67
Veſpera Sicula, *earumque hiſtoria.* 1725
Veſtes ſacræ, *vide Clericorum veſtitus.*
Vicarii qui dicti Sec. V. 981
Vicarii Romani Pontificis quidam Epiſcopi Sec. V. *& eorum poteſtas.* 987
Vicedomini qui dicti Sec. VI. 1087
Viennenſe Concilium Sec. XIV. 1774-1776
Vigilii Papæ hiſtoria. 1120, 1123, 1125, 1126, 1127
Vigilii deſcriptio juxta ipſum Baronium. 1091
Vigilius Afer Scriptor Sec. VI. 1141
Vigiliarum tempora Sec. IV. 855
Vincentius Scriptor Sec. V. 1033
Virgilii ecloga IV. *explicata.* 595-597
Viſigotthorum Regni ortus in Hiſpania Sec. V. 1046
Vitalianus Papa qualium ſuperſtitionum auctor? 1189
Vituli aurei in Deſerto hiſtoria. 327
Unctio Regum Chriſtianorum quando primum cœpit? 1156, 1157
Urbani II. *Pontificis hiſtoria.* 1523
—— III. *Pontificis hiſtoria.* 1590
—— IV. *Pontificis hiſtoria.* 1675
—— V. *Pontificis hiſtoria.* 1748
—— VI. *Pontificis hiſtoria.* 1750-1753
Urſula Britannica fabula, *& origo illius.* 804, 805
Uxorati fuerunt Eccleſiæ Doctores Seculis prioribus. Vide Clericorum conjugium.
Uzziæ Regis Judæ hiſtoria. 381

W.

Walafridus Scriptor Sec. IX. 1406
Waldus quis? 1595
Waldenſium nomina, *origo*, *doctrina*, *perſecutiones*, &c. *vide Albigenſes & Valdenſes.*
Wandalorum irruptio in partem Romani Imperii. 957

Digitized by Google

Wandalorum Regni ortus in Africa Seculo quinto. 1047
——— *Perſecutio immanis in Eccleſiam Seculo quinto.* 1036, 1037
——— *Perſecutio Eccleſiæ in Africa Seculo ſexto.* 1058, 1059, 1143
——— *Converſio ex Arianiſmo Seculo ſexto.* 1063
Wernerus Rolevincus inter Teſtes veritatis Seculo XV. 1860
Werneri Juriſconſulti hiſtoria. 1637
Weſſelus Groninganus inter Teſtes veritatis Sec. XV. 1859
Wiclefi in Anglia reformatio Seculo XIV. *Ejus hiſtoria.* 1766-1770
Willibrordus converſor Batavorum Seculo ſeptimo. 1174
Witizæ Regis hiſtoria Sec. VIII. 1274
Witticbindus Scriptor Sec. X. 1493

X.

Xenophon quando vixit? 440
Xerxis hiſtoria. 433
Xiphilinus Scriptor Sec. XI. 1553
Xylophoria quale feſtum apud Judæos? 61, 78

Y.

Yvo Scriptor Sec. XII. 1623

Z.

Zabiorum Origines. 293
Zachariæ Prophetia. 423
Zacharias occiſus in atrio Sacerdot. quis? ibid.
Zacharias Scriptor Seculi ſexti. 1135
Zachariæ Pontificis Rom. ſuperbiæ ſpecimina quædam. 1280
——— *Quod in Pipino Regnum Franciæ ſua auctoritate tranſtulerit, probatur contra Natalem Alexandrum.* 1281-1283
Zachariæ Pontificis Sec. VIII. *conceſſio quædam facta Pipino expenditur.* 1293
Zadducæorum ſecta. 459, 460
Zedekiæ Regis Juda hiſtoria. 385
Zelotæ qualis ſecta apud Judæos? 463
Zelotæ qui dicti apud Judæos? 585
Zenonis Veronenſis Scripta Apocrypha. 783
Zenonis Enoticum in cauſa Eutychianorum, ejus effectus, cur Baronius illi iniquior? 1023, 1024
Zephyrinus vel Severinus Papa qualium ſuperſtitionum auctor? 1187
Ziska Bohemorum Ducis hiſtoria. 1851
Zonaras (Johannes) Scriptor Sec. XII. 1624, 1625
Zorobabel quis, & dubia hiſtorica circa genus ipſius. 412
Zozomenus Scriptor Eccleſiaſticus Seculi quinti. 1031
Zwinglii Reformatio. 1915

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google